






27







FRANCISCI GOMARI
BRUGENSIS
Viri Clariss.

OPERA
THEOLOGICA
OMNIA,

Maximam partem posthuma:

SUPREMA AUTHORIS
Voluntate à discipulis edita.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

תהלים
אֵל גּוֹמֵר עָלָי׃

Deus perficiet pro me.

Secundis Curis emendatiora.



AMSTELODAMI,

Ex Officina JOANNIS JANSSONII,
ANNO MDCLXIV.

PROLEGOMENA.

I. FRANCISCI GOMARI ORATIO,

DE

FOEDERE DEI,

Quæ est instar præfationis in Novum Testamentum, habita Lugduni Batavorum Anno 1594. *octavo die Iunii.*



QUOTIESCUNQUE muneris hujus gravitatem, vestramque expectationem meæ tenuitati solicitè comparo, toties mihi memorabilis illa Cypriani sententia in mentem venit, qua ait, non esse absque periculo, multorum judiciis ingenium tenue & exile committere. Nam cum hactenus in populari docendi genere versatus sim, video satis, quam arduam in me provinciam susceperim, ac quantopere laborandum, ne oneri vocationis meæ succumbam. Ea enim illius est ratio, ut nihil nisi perfectum ingenio & judicio expolitum (quæ perexigua in me esse sentio) adferri oporteat.

Veruntamen meam hancce solicitudinem sublevat primum philanthropia & clementia Dei singularis. Etsi enim mysterii & ministerii reconciliationis tanta sit dignitas, ut nemo ei pro merito par esse queat (nam quis, ut Apostolus monet, ad hoc idoneus?) gratum tamen est Deo Opt. Max. non tantum præstantissimorum ingeniorum, sed etiam tenuiorum officium. Quemadmodum ad Salomonici templi structuram, non modo aurifices, sed etiam latomos & materiarios admisit Deus; sic nec Pauli solum & Barnabæ (virorum omnium exceptione majorum) verum etiam Titi ac Timothei ministerium ad Novi Testamenti sacrarium construendum adhiberi voluit.

Huc accedit, meque consolatur, eximia vestra facilitas & humanitas, quæ potiorem (uti confido) voluntatis & studii mei quam ingenii rationem habitura est. Quare hac spe fretus cum mihi hoc tempore Novi Testam. explicationem honorandi collegæ indulserint, & instituto nostro consentaneum & vobis non ingratum facturum me existimavi, si propositi operis titulum (orationis ac præfationis futuræ materiam) tractandum mihi delegero. Cæterum sicut Periclem memorant apud Athenienses verba facturum, Deum semper precari solitum, ne ullum verbum, quod ad rem præsentem non conveniret, invito excideret sibi: id nobis in divinis mysteriis explicandis multo religiosius faciendum arbitror. Quare Deum Opt. Max. precor, ut mentem nostram Spiritu suo Sancto imbuat, & linguam dirigat, ut ea animo concipiamus & eloquamur, quæ veritati & gloriæ divinæ illustrandæ, nostræque institutioni inserviant. A vobis autem etiam atque etiam peto, *Auditores*, ut me de re gravissima ac scitu dignissima non pro materiæ amplitudine, ac dignitate, sed pro tenuitate mea dicentem attentè bonaque cum venia audiatis. Ut igitur ad rem ipsam accedamus & inde à capite exordiamur, observandum est, titulum suscepti operis esse vel universalem, qui est universi operis, vel singularem, qui est singularis ejus partibus seu libris proprius. Universalis autem est unicus ἡ καινὴ διαθήκη. In quo duo spectanda sunt: interpretatio vocis & explicatio sensus.

 Ad

Ad prius quod attinet διαθήκη duo potiſſimum ſignificat, Teſtamentum vel fœdus ſeu pactum. Hinc plerique Novi Teſtamenti (quia hanc ſignificationem urget Apoſtolus, Heb. 9. 16. 17.) alii novum fœdus interpretari malunt: qua vocem Hebræam ברית (quæ generatim pactum, aut ſolemnem promiſſionem ſignificat, Gen. 9. 11. 1 Paralip. 16. 17. vel συνεκδοχικῶς fœdus) LXX. interpret. & Apoſtoli διαθήκην verterunt: Deinde, quia veteri fœderi ſeu legi opponitur, quæ teſtamentum dici nequit. Verum in re ipſa parum eſt ſitum, modo nec merum fœdus, nec merum Teſtamentum, ſed tale teſtamentum ſtatuamus, quod etiam ſit fœdus, & contra.

Ad ſenſum quod attinet: Teſtamentum aut fœdus κατ' ἔλλειψιν & κατ' ἐξοχήν, non de quovis, ſed ſingulari illo ac ſalutari Dei fœdere ſeu teſtamento intelligitur. Et quidem accipitur vel propriè pro ipſomet fœdere, ut paſſim in Sacr. Literis (Gen. 17. v. 11. circumciſio vocatur ſignum fœderis & 2 Cor 3. v. 16. Paulus miniſterium ſe Nov. Teſtament. vel fœderis aſſerit) vel metonymicῶs (ut cætera omittam) pro tabulis fœderis: quemadmodum 1 Reg. 8. 21. in arca fuiſſe dicitur fœdus Dei, id eſt, duæ tabulæ lapideæ divini fœderis indices. item 2 Cor. 3. 14. manere velamen in lectione Vet. Teſtam. vel fœderis, hoc eſt, legis Moſaicæ, ut circumſtantia loci & Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium docet. atque hoc ſenſu vox διαθήκης metonymia ſynecdochica uſurpatur, nempe pro tabulis authenticis, aut corpore illo librorum canonicorum, quo novum Dei fœdus θεοπνεύστως Græcè explicatur: itaque hoc titulo materia potiſſima & argumentum univerſi operis accommodatiſſimè demonſtratur.

Verùm, quia fœdus Dei non unius eſt generis, definiendum prius ac dividendum, diſtinguendumque nobis eſt, ut penitius cognoſcamus, quid novi fœderis ſeu teſtamenti nomine intelligatur. Fœdus igitur Dei, propriè dictum, eſt mutua Dei & hominum obligatio, de vita æterna ipſis certa conditione danda. Ejus partes ſunt duæ, obligatio Dei, quæ eſt vitæ æternæ: & obligatio hominum, quæ eſt ſtipulatio conditionis à Deo præſcriptæ. Hoc porrò fœdus eſt duplex, Naturale & Supernaturale. Naturale eſt fœdus Dei natura notum, quod Deus vitam æternam promittit tantum, & conditionem perfectæ obedientiæ ab hominibus requirit. Eoque naturale rite vocatur, quia pectoribus humanis natura inſculptum, Rom. 2. 14, 15. Eſtque hoc unicum reipſa, ſed adjunctis variat: quorum ratione non dividitur, ſed diſtinguitur.

Primum enim & immediatè à Deo cum primis parentibus & genere humano inde à creatione, in paradiſo initum eſt, natura adhuc integra, & Deo amica, eoque perfectè tum hominibus notum & δυνατὸν: additumque eſt ſpeciale obedientiæ examen, nempe abſtinentia arboris vetitæ, Gen. 2. 17. & promiſſionis divinæ teſſera, arbor vitæ. Deinde mediatore Moſe Iſraëlitis repetitum eſt, & in duas decalogi tabulas (quæ expreſſam fœderis naturalis formam continet) relatum: idque natura jam corrupta & Deo inimica, eoque imperfectè hominibus notum & ἀδύνατον, Rom. 8. 3. Adjectum etiam eſt peculiare obedientiæ examen & chirographum, nempe ceremoniarum jugum, oneraque (ut Tertullianus vocat) lacinioſa, atque hæc de Naturali.

Fœdus verò Supernaturale eſt fœdus Dei natura ignotum, & merè gratuitum, quo Deus non ſolum Chriſtum, & perfectam in eo obedientiam ad reconciliationem & vitam æternam hominibus offert: ſed etiam conditionem fidei, & reſipiſcentiæ ſuo ſpiritu donat. ut formula fœderis Jerem. 31. 31. &c. Heb. 8. 8. &c. & Marc. 1. 15. concio Chriſti abundè demonſtrat. Supernaturale autem vocamus: quia nec ingenio, nec viribus naturæ; ſed ſola ſupernaturali ſpiritus gratia, à nobis cognoſcitur & obſervatur.

Atque hoc etiam fœdus unicum reipſa eſt atque æternum, veruntamen certis temporum periodis & circumſtantiis diſtinguitur.

Primum

Primum enim in paradiso, post lapsum humani generis initum est, promissione data venturi Messiæ & serpentis caput contrituri, Gen. 3. 15.

Confirmatum deinde cum Abrahamo & Israëlitis (secretis interim ad Christi adventum gentibus, Psal. 147. 26. Actor. 14. 16. annexa promissione de admirabili sobolis incremento & hæreditate Chananeæ: deque Christo ex eo oriundo, & gentium vocatione, quibus omnibus obsignandis accessit circumcisio, Gen. 17.

Repetitum est postea hoc fœdus & ceremoniis etiam obsignatum per Mosen, cujus ministerium fuit duplex, primarium quidem legem seu fœdus naturale promulgare (unde συνεκδοχικῶς plerumque hoc modo spectatur) secundarium verò fuit renovare memoriam fœderis supernaturalis & gratuiti cum Abrahamo & Israëlitis olim initi, ut promissiones Mosaicæ probant, Deuter. 18. v. 25. & alibi, & Christus Apostolique testantur, Joh. 5. 46. Actor. 3. 21. &c. Adjunctæ etiam fuerunt huic fœderi adumbrando & obsignando ceremoniæ: quia utrique fœderi ante Christi adventum servierunt. fuerunt enim indices ac chirographum peccati & mortis, & venturi Christi nostræque reconciliationis umbræ, ut docetur copiose ad Hebræos & Col. 2. 14. & 17. Denique plenissimè hoc fœdus sancitum est ac promulgatum Christi adventu & morte, cujus ratione testamentum dicitur, Heb. 9. 15. 16. Gal. 3. 15. 17. sed testamentum ante Christum initum vocatur ἐπαγγελία, *promissio* Galat. 3. 17. & διαθήκη ἐπαγγελίας, Ephes. 2. 12. quia Christum venturum & legi pro nobis satisfacturum, gentesque in communionem fœderis vocaturum pronunciabat ac promittebat: jam verò Christo exhibito vocatur εὐαγγέλιον, hoc est, lætus nuncius κατ' ἐξοχὴν, qui promissionem illam impletam disertissimè ad nostram consolationem annunciat.

Cæterum fœdus seu testamentum novum dicitur, ratione fœderis naturalis seu legis: cui tanquam veteri & abrogato per Christum successit, Jerem. 31. 31. & Heb. 8. 8. & 9. 15. atque hinc liquet utriusque fœderis naturalis seu veteris, & supernaturalis ac novi discrimen. Primum in materia, hoc est, partibus sed obligatione mutua. Obligatio enim Dei in fœdere naturali & veteri, est mera vitæ æternæ promissio: in fœdere supernaturali & novo est primum totius fœderis naturalis, hoc est, non tantum vitæ æternæ, sed etiam perfectæ obedientiæ legis in Christo promissio, deinde conditionis novi fœderis donatio. Obligatio verò hominum in fœdere naturali, est perfecta legis obedientia, quæ (post lapsum humani generis) constat satisfactione violati fœderis, & perfecta sanctitate ac justitia. Obligatio hominum in fœdere supernaturali & novo est fides & resipiscentia. Alterum utriusque fœderis discrimen est in effectis Naturale (post lapsum) peccatum & damnationem detegit, ac damnationem affert, unde ministerium mortis ac litera occidens vocatur, 2 Cor. 3. 6, 7. Supernaturale verò peccatum damnationemque aufert & gaudium ac salutem donat: unde non immeritò, spiritus vivificans & ministerium justitiæ nominatur, 2. Cor. 3. 6, 9.

Tertium discrimen est in proprietatibus & adjunctis. Naturale est naturâ notum, ac fœdus est merum, non etiam testamentum: supernaturale verò est naturâ ignotum, & ob testatoris Christi mortem testamentum.

Plura quidem statuuntur fœderis naturalis & supernaturalis discrimina, à loco, tempore, mediatore, sed ea non absolute, sed ad fœdus naturale repetitum per Mosen, & fœdus supernaturale sancitum per Christi adventum, referenda sunt: quemadmodum etiam synecdochiκῶς spectantur, Galat. 4. Hebr. 8. v. 8. Atque hactenus de fœdere Dei & N. T.

Quod reliquum est, Deo Opt. M. gratias agamus, quod nos à ministerio mortis liberavit & novi fœderis ac vitæ æternæ per Christum participes fecerit, eundemque precemur, ut suam hanc gratiam porrò nobis proroget, & spiritu suo sancto dirigat, ut vera fide & resipiscentia ei serviamus, quemadmodum Deo confœderatos decet, ad gloriam divini nominis, aliorum institutionem, nostramque salutem, &c.

II. PARTITIO LIBRORUM
NOVI TESTAMENTI.



NOvi Testamenti partes, *aliæ sunt* διηγηματικαί: *aliæ* δογματικαί. *Illæ sunt scripta, quæ in narratione potissimum versantur: suntque vel historica, vel prophetica.*

Historica sunt, quæ historiam seu rei gestæ narrationem continent, eamque vel Christi (ut quatuor Euangelia, μετωνυμικῶς *à materia sic dicta: quorum duo ab Apostolis, Matthæo & Iohanne: & totidem ab Apostolicis viris seu Apostolorum individuis comitibus & Euangelistis, Marco & Luca descripta sunt) vel Apostolorum: ut Acta, scriptore Luca. Prophetica verò (*κατ' ἐξοχὴν *sic dicta: nam aliàs etiam prophetia est rerum gestarum, ut Genesis Mosis) quæ prophetiam, seu rei gerendæ* ἀποκάλυψιν *proponunt. Qualis est sola Apocalypsis Iohannis. Atque hæc de libris* διηγηματικοῖς: δογματικοὶ *verò sunt, qui in dogmatibus potissimum versantur: ut Apostolorum Epistolæ: præsentiæ eorum vicariæ, 2 Pet. 1. v. 15.* Epistola enim inventa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra aut ipsorum interesset, *ut ait Cicero lib. 2. ad Famil. Epist. 4. & Hieronymus tom. 3. Epist. ad Marcellam.* Solaque res est, quæ homines absentes præsentes facit, *ut ait Turpilius Comicus, teste Hieronymo tomo 1. Epist. ad Niciam (pag. 77.)*

Epistolarum autem Apostolicarum (etsi usus, ut totius S. Scripturæ 2 Tim. 3. 16. & Rom. 15. v. 4. communis est omnibus fidelibus, 1 Cor. 1. 2. cum ad omnes Apostoli scripserint, dum ad quosdam, ut ait Tertull.) aliæ ratione occasionis & objecti sunt particulares: aliæ universales. Particulares sunt, quæ particularibus inscriptæ sunt, vel ecclesiis: ut Pauli ad Roman. ad Corinth. primæ: ad Ephes. ad Philip. ad Coloss. ad Thessal. duæ: vel hominibus, iisque vel publicam in ecclesia personam sustinentibus & Euangelistis, ut Pauli, ad Timoth. duæ, & ad Titum una: ad Philemonem: vel privatis, ut Iohannis secunda & tertia. Atque hæ particulares.

Universales verò vocant, quæ scriptæ sunt multis ecclesiis & quidem vel Israëlitarum, ut Epistola ad Hebr. Iacobi: Petri utraque & Iohannis prima (ut volunt doctiores & colligunt ex 1 Iohan. 2. v. 2.) vel gentium, Achæorum, ut secunda ad Corinth. vel Galatarum, ut Epistola Pauli ad Galatas.

CANDIDO

ET

BENEVOLO LECTORI

S.



RIA sunt, *Amice Lector*, de quibus hic præfari visum est: Autor operis, opus ipsum, & nostra in eo edendo opera. Autor est FRANCISCUS GOMARUS: Quis verò quantusque ille fuerit, jam orbi Christiano à multis annis innotuit universo. Qui ut nostro non eget encomio, ita ab officio γνησίων Discipulorum alienum non videtur, virtutes, animique dotes, quas in præceptore vivo mirati atque æmulati sunt, eas, illo defuncto, apud alios candidè prædicare. Nec tamen Declamationem de laudibus *Francisci Gomari* hic paramus. Cui rei, & ob illius magnitudinem, & ob nostram tenuitatem, omnino impares sumus. Tum & ipse majus nostro testimonium habet: ab eo quippe profectum viro, qui ipse in laude tot jam annos vivit *Danielem* dicimus *Heinsium*. Qui, cum incomparabili eruditione & nunquam morituris ingenii sui tot monumentis, ad summum laudis ac gloriæ fastigium ascenderit, nunc ex ipso sæculi livore & æmulorum calumniis quotidie crescit. Ut in ipsum quadret, quod ab ipso, magno olim Scaligero dictum:

Sic tua cum fessas superent præconia Musas,
Accedit tacito furtiva calumnia morsu,
Et solus populo qui sis quantusque fatetur
Livor iners animi. Dignos tibi solvit honores
Æmula gens, nomenque auget, quod tollere Phœbus
Nescit, & attonitæ nequeunt augere Camœnæ.
Namque ubi supremo rerum stetit ordine virtus
Divitiis innixa suis, quam tangere nescit,
Impetit infelix & detrahit omnia Livor.

Is verò quanti hunc nostrum fecerit, singulari, quam nobis misit, & ad nos scripsit, epistola luculenter indicavit. Quam integram, cum carmine illi planè gemino, quod jam olim dedimus, Præfationi huic nostræ, pulcherrimam operis Gomariani insertam, subjungemus. Quod quamvis pudor prohibet, & indignitatis nostræ conscientia, quæ eas laudes, quas & in nos plena profundit manu, non admittit; maluimus tamen paulo immodestiores videri, quam vel verbulum de tam præclaro scripto detrahere. Ut ita publicum atque æternum tanti viri, & de ipso Gomaro judicii, & in nos benevolentiæ testimonium extaret. Nobis verò nunc operæ videtur pretium, eas potissimum præceptoris virtutes commemorare, quibus spartam, quam à Deo nactus erat, exornavit. Cæterùm, ut ad tam arduum munus ritè explendum, præter principis scientiam, & aliarum etiam artium ac linguarum non perfunctoriam cognitionem, requiritur, ut absit πολυπραγμοσύνη καὶ τὸ ἀλλοτριοεπισκοπεῖν; adsit verò pertinax studium, & animus muneri suo intentus: ita si hæc omnia summa in hoc viro fuisse dixerimus, nihil præter veritatem dixisse nos, aut quidquam amori, quem summum illi atque immortalem debemus, dedisse arbitrabimur. Quam enim à perverso illo alienis sese immiscendi rebus studio alienus fuerit, illi nobiscum norunt, qui ipso multum usi sunt. Cujus etiam rei non leve argumentum videtur, quod quamvis viginti & ampliùs annos, in eadem vixerit provincia, paucos tamen ejus proceres de nomine, pauciores de facie, paucissimos familiariter noverit: neque favorem eorum aut sibi, aut aliis ambiverit. Quod existimaret, sibi à re sua tantum otii non esse, aliena ut curaret: Reique publicæ negotia nihil ad se attinere, nisi quatenus ejus salus Deo Opt. Max. precibus commendanda esset. Quæ virtus, ut in aliis honesta est; ita in Theologo penè necessaria videtur.

Quanta verò animi corporisque contentione, de mandato sibi munere functus fuerit, ut nec hyemis sævitie, nec Solis ardoribus, à lectionibus, aliisque studiosæ juventutis exercitiis sufflaminari potuerit, probè memor illius Apostolici, ἐν τούτοις ἴσθι; illi nobiscum testabuntur omnes, qui hunc in Batavis, apud Middelburgenses, in Galliis, in nostra denique Academia præceptorem unquam habuerunt: nisi qui maligni fuerint, aut planè ingrati. Unde illos etiam, qui officium remissius facerent aut negligentius, octavi præcepti parum memores esse dictitabat. Ab iis verò, quæ ad tam sublimem Professionem necessaria sunt, rerum dicimus Theologicarum solidam scientiam, cæterarum artium accuratam cognitionem, linguarum eruditarum notitiam penitiorem, quam luculenter instructus fuerit, editis jam ante libris, doctissimorum virorum judicio, abundè demonstravit. Cui quantum ex hisce, quæ nunc edimus, cæterisque addimus, accessurum sit momentum, bonis omnibus doctisque judicandum relinquimus.

Quamvis autem dubitari non possit, quin, si ultima autoris accessisset lima, non paulò limatiora omnia proditura fuissent; talia tamen hæc ipsa esse confidimus, ut ea *Francisco Gomaro*, maximo autore non indigna; illi verò, qui his aut audiendis, aut excipiendis operam dederunt, bonas horas nequaquam perdidisse judicentur. Nobis certè, in iis admirabilis semper visa fuit Sacræ Scripturæ Analysis; non mutila illa aut coacta sed quæ omnia Sacri textus membra, præsertim ubi id agit autor, plenè repræsentet: quæque quasi sponte sua ex textu fluat. Analysin enim ad textum accommodat: non textum ad præconceptam analysin detorquet. Quanti verò Sacræ Analyseos ἀκρίβεια facienda sit, ex Apostoli liquet monitu, qui Timotheum suum vult ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Orthodoxiæ, si quisquam, studiosissimus fuit:

nec in ullo articulo, qui veritatis aut pietatis spectet fundamentum, ab Ecclesiæ sententia divortium fecit: sed contrà, à communibus formulis, Catechesi & Confessione, ne transversum quidem digitum recedendum putavit: ne prurientibus ingeniis vel minima novas res moliendi ansa daretur. Peculiares verò Doctorum opiniones, etiam vulgò receptas, in quibus salva fidei & charitatis compage diversum sentire licet, non rarò ad examen vocavit: in iisque majorem veritatis & solidæ rationis, quam ullius humanæ autoritatis, rationem habendam duxit. Quod quum & olim & nostro sæculo, à maximis viris factitatum sit, in illo culpari justè non potest. Non pauca etiam S. Scripturæ dicta, aliter, quam ab interpretibus factum est, exposuit; non novitatis studio, à quo alienissimus fuit, sed amore veritatis: quàm ex occasione & scopo, vocum & phrasium proprietate, & in Sacr. Literis usu, antecedentium & consequentium connexione, locorum similium comparatione solidè deducit. Id quod in illustrium ac selectorum Euangelistarum locorum explicatione potissimum videre est. Quæ Dissertationes, nostro certè judicio, quod tenuissimum esse agnoscimus, ad formandum ac firmandum in Theologiæ studioso judicium, utilissimæ sunt: eamque ob causam jam à multis annis maximo nobis in pretio fuerunt.

Orthodoxam de materia & forma Justificationis sententiam sæpiusculè inculcavit: quod discipulorum suorum animos, contra errores passim irrepentes, & in magnorum etiam virorum scriptis sparsos, sedulò pro officii sui ratione, muniendos existimaret. Nec temerè id fecit, aut sine exemplo; quam tota Synodus Gallicana, jam olim tam anxiè, ea de re, ad Academias scholasque illustres, & sigillatim etiam ad doctos viros, scripserit.

Quod verò etiam alia nonnulla, aut brevius contracta, aut prolixius explicata, interdum recurrunt, illud ex veteri verbo, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, *benevolus Lector* factum esse existimabit. Tum etiam in eo novitiis auditoribus consultum voluit autor. qui interdum quoque δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας esse demonstravit. Nobis verò ea resecare religio fuit: nisi ubi eadem iisdem verbis tractabantur: ne operi moles, atque inde emptori pretium & lectori labor, præter rationem cresceret.

Si loca quædam Scripturæ, aut etiam res ipsæ, diversis locis, aliter atque aliter explicari videantur, illud cogitandum, nec simul nata esse hæc opera, nec ab autore recognita: sed ita à nobis edi, ut in autographis reperta sunt. Quod si in Analysi & Explicatione Epistolæ ad Galatas, posteriora primis, tractationis modo & ἀκριβείᾳ, non satis respondere, nec ejusdem coloris esse videantur, illud cogitare oportet, quam diversis ea nata sint temporibus. Commentarius enim in primum, & maximam secundi capitis partem, ultimus; reliqua verò, primus professionis Theologicæ fœtus & fructus: quæ quadraginta & septem annorum spatio inter se distant. Ut tamen Lectores integram divinæ hujus Epistolæ explicationem haberent, reliqua ex autoris autographo, summa fide & cura descripsimus. Atque ita summus hic Theologus, quod hic annotare libet, nec memoriâ indignum videtur, insignis hujus Epistolæ explicatione & initium & finem professionis suæ fecit.

Illud verò multis fortasse mirum videbitur, scripta viri toto orbe celeberrimi, & undequaque doctissimi, per tres ignotos in lucem produci Pastores. Quibus antequam respondeamus, illud benevolos Lectores etiam atque etiam rogamus, ne inscitia atque ἀπαιδευσία nostra, famæ atque existimationi *Francisci Gomari*, Operumque ejus dignitati quidquam detrahat. Quod ut ne jure fieri posset, sedulò operam dedimus; in illud summa vi nitentes, ut ingenii nostri & judicii defectus, fide, labore, & industria compensaretur. Atque eo æquiores etiam Lectores nobis fore, speramus, si cogitaverint, non tam eruditionem in hoc negotio, quam fidelem diligentiam postulari. Nec enim, si Gomaro quidquam exciderit, quod quorundam palato minus sapiat, nostrum erit id præstare: qui nostro nos officio ritè satisfecisse arbitrabimur, si ea & omnia & sola dederimus, quæ Gomari esse certò constet. Causa verò, cur magno viro nobis committere hanc provinciam placuerit, non est, quod ipsi aut affinium, aut cognatorum, aut collegarum, aut ἀρχαίων μαθητῶν, aut amicorum denique, qui eruditionis & pietatis laude clarerent, copia non esset: sed quod à nobis commodissimè opera sua edi posse clarissimè perspiceret. Quum enim sciret; hinc quidem, Manuscripta sua ad editionem apta non esse, ut quæ litera, nisi assuetis, vix legibili scripta & quam plurimis lituris disturbata essent; quod non negligentiæ tamen, sed ἀκριβείας indicium putabunt omnes, qui Horatiani illius meminerint.

carmen reprehendite, quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem;

Inde verò, nos non tantum manum suam satis expeditè legere, sed etiam inde usque ab eo tempore, quo μελετήματα sua auditoribus primum dictare cœpit, omnes suas lectiones sedulò excepisse: easque etiam, postquam jam ex Academia, in agrum, ad verbum Dei docendum evocati essemus, καθεξῆς, amicorum utentes libris, descripsisse: videbat hanc sibi quasi necessitatem impositam, ut nostra hac in re opera uteretur. Cum itaque paucis ante obitum diebus, eum visitantes, rogaremus, quid Manuscriptis suis fieri vellet; non tantum eorundem editionem, à qua antea, pro singulari sua ταπεινοφροσύνῃ & ἀφιλαυτίᾳ, alienior semper fuerat, à se exorari sivit: verum etiam eandem nobis, & quidem solis demandavit. hoc addens, quum exemplaria nostra satis nitide descripta essent, nihil aliud restare, quam ut ea cum suis autographis accuratè committerentur, atque inde, ubi opus esset, emendarentur. Qua in re, uti alii fortasse judicium desiderabunt; ita nos singularem illius in nos benevolentiam & amorem agnoscimus & seriò prædicamus.

Atque hanc supremam magni viri voluntatem summa amplissimi Senatus Groningani autoritas ratam esse voluit. Placuit enim illustri illi & spectatissimo Senatusconsulto statuere, ut omnia & singula *Francisci Gomari* Manuscripta nobis traderentur, eaque quæ ad editionem idonea essent, quantum fieri posset citissimè, in lucem ederentur. Sic enim existimabant

mabant viri prudentissimi, horum operum editione, Academiæ provincialis & urbis suæ famam illustrari, Ecclesiæ ædificationem, & quod omnium caput est, nominis divini gloriam non parum posse promoveri. Ut & illis, interque eos, amplissimo consultissimoque viro D. Petro Eissinghe, tunc temporis Reip. Groninganæ consuli dignissimo, nunc verò, in Provinciali supremi judicii Camera, inter cæteros, judici (*Hovetmanno* dicto) justissimo, qui ab ipso *Gomaro* testamenti, & hujus etiam voluntatis, executor constitutus est, & verè fuit, maximam gratiam omnis debeat posteritas.

Atque ita & ipsius autoris voluntate, & nobilissimi Senatus autoritate, omnes libros manuscriptos τοῦ μακαρίτου nacti, nostri officii esse vidimus, id sedulo dare operam, ut & mandato illius, & hujus decreto, omnium denique bonorum desiderio, quam primum satisfieret. Confestim itaque manum mentemque operi admovimus, & labore tripartito, ea omnia quæ partim ipsimet ex dictantis ore exceperamus, partem ex amicorum libris descripseramus, cum autographis, atque interdum etiam, ubi eorum erat copia, cum apographis, ab ipso Gomaro interpolatis, atque emendatis, contulimus, commisimus, indeque quantum potuimus diligentissime, castigavimus. Quia verò autor noster, easdem interdum lectiones, interjecto aliquot annorum intervallo, repetere solebat: cum, ut novis consuleret auditoribus, tum ut ea, quæ olim meditatus erat, ad incudem revocaret, atque ita secundâ, tertiàve curâ magis magisque expoliret atque perficeret: inde factum, ut nonnulla, quæ ante dictaverat, omiserit: alia paululum immutarit: quædam denique, quæ necessaria videbantur, addiderit. Quod de suis scriptis magni viri judicium secuti, postremas tantummodò hic lectiones damus. Idque eo potissimùm monemus nomine, ne viri docti, qui olim D. Gomaro ἐμαθήτευσαν, si plus hic minusve, quam in suis exemplaribus deprehenderent, fidem nostram suspectam haberent. Quam ut curemus probè, omnia & singula magni autoris scripta candidè communicamus; neque quidquam, quod quidem ab ipsomet Gomaro perfectum fuit, publico invidemus.

Nam quod *Loci* (quos vocant) *communes*, & explicationes quorundam Novi Testamenti dictorum, quæ in multorum manibus versantur, inter posthuma hæc Fr. Gomari opera non compareant; causa est, quod eorum nuda tantum diagrammata, eaque maximam partem, tam intricatè, tam minutis descripta literis, ut vix ac ne vix quidem legi possint, invenerimus: atque illud etiam satis constet, autorem ea, non ad verbum, quod in reliquis factum, auditoribus dictasse: sed libera oratione, re tantum præmeditata, dixisse. Unde factum, ut ea à studiosis, prout alii aliis scribendi celeritate, & dicentis mentem assequendi dexteritate præstarent, variè excepta, & ab aliis descripta sint.

Si quid verò progressu temporis, ubi majus erit otium, ex autoris schedis erui possit, quod doctissimorum virorum judicio, quorum consiliis hac in re usi sumus, & porrò, si licebit, utemur; luce non indignum videatur, nostram nos operam non denegabimus.

In hisce autem, quæ nunc edimus, nihil de nostro additum, nihil, quod Gomari esset, demptum: nisi quod interdum vocula aliqua, aut supplenda, aut mutanda fuit: quæ etiam in autographo aliter scripta, quam sensus aut phrasis ratio postulabat: quod inter meditandum, ut fit, aliud in mente habuerit autor, aliud calamo expresserit. Quod tamen rarissimè factum. Atque hac etiam mente, hanc addendi & delendi potestatem nobis ὁ μακαρίτης fecit: non quod pro lubitu scripta sua mutilare, aut aliena iis infercire nos vellet, quod non esset Gomari scripta edere, sed nostra, hoc est, indocta, Lectoribus obtrudere: sed si aut locus malè citatus, aut vox aliqua malè scripta, aut non satis congrueret, in iis castigandis operam nostram & fidem postulavit. Præterea, quum non lectionum autoris, qui scripturam saltuatim & sæpè ὕστερον πρότερον, prout sese alia atque alia occasio offerebat, exposuit; sed Sacrorum librorum, in operis impressione, ordinem sequi necesse esset; paucula interdum in Commentariorum exordiis immutanda fuere. Quod etiam de quarundam Disputationum præfatiunculis dictum volumus. In omnibus verò & diligentiam, quam potuimus, & fidem quam debuimus, præstitisse nos, liquidò affirmare possumus.

Cæterum omne Opus in tres divisum est partes. Quarum prima, ea continet, quibus Sacris Euangelistis facem allucere autor voluit. Secundus autem Tomus Analyticam explicationem in plerasque Epistolas Apostolicas, & quinque priora capita Apocalypseos exhibet. Cui appendicis loco, paucula, quibus aliquam Veteris Instrumenti partem illustravit, subjecimus. In tertium denique locum ea & collegimus & coëgimus omnia, quæ ipsemet Gomarus, variis in locis, diversisque temporibus sparsim edidit. Nisi quod omissa sint, quæ idiomate olim scripsit Belgico: quod ea peregrinis atque exteris ingrata fore; in Latinam verò translata linguam, non eandem elegantiam atque ἐνέργειαν habitura viderentur. Disputationes etiam eas, quæ cum aliis, Professorum Leidensium, impressæ sunt, omisimus: quod eas se non ἀκριβῶς, sed ut studiosis disputandi materiam præberet, levi opera conscripsisse autor dictitaverit.

Earum verò Disputationum, quas hic damus, ultimas secuti editiones sumus. Quibus etiam respondentium apposita non sunt nomina: quod eædem, à diversis, in diversis Academiis disputatæ sint: quorum unum reliquis præferre noluimus, nec debuimus. Quod verò *Defensio orthodoxæ doctrinæ De perseverantia Sanctorum*, quæ antea inter disputationes comparuit, nunc inter tractatus Theologicos locum habeat; ex mente autoris factum est, qui ipse, mutato jam titulo, novam editionem, ad libelli modum meditabatur. *Lyram Davidis* Theologicis nostri Autoris scriptis meritò addidimus. Quamvis enim ea in poësi occupetur; sacram tamen, & Sacræ Scripturæ, artem poëticam tradit. De qua pulcherrimè, ut omnia, magnus Heinsius,

—— *Deum docet esse poëtam.*

Quo verò operis Gomariani divitiæ; magis conspicuæ & lectoribus fructuosæ essent, varios elenchos, indices-

indicesque aliquot uberrimos, locorum nempe S. Scripturæ, qui obiter illustrantur aut vindicantur; autorum, qui laudantur; Hebræarum & Græcarum, quæ explicantur, vocum; rerum denique & verborum latinorum, concinnavimus.

Illud denique, studiosum operis hujus lectorem, scire & debere & velle existimavimus; in citatione Veteris Testamenti, vulgatum plerumque interpretem; Bellarmini, primam operum ejus distributionem, autorem sequi.

Hæc sunt, *Amice Lector*, quæ te ignorare noluimus. Quod superest, Deum omnis sapientiæ fontem rogamus, ut hosce servi sui labores Ecclesiæ suæ utiles, sibi verò gloriosos esse velit. Vale, & nostro, etiam in alieno opere, labori fave.

Scripsimus XVI. *Septemb. Iuliani*, ANNI CIƆ IƆC XLIV.

JOHANNES VEREEM,		UYTHUYSER-MEDEN,
ADOLPHUS SIBELIUS,	*Ecclesiastæ in*	WARFHUYSEN,
MARTINUS UBBENIUS.		WARFFUM.



ELEN-

ELENCHUS OPERUM
FRANCIS. GOMARI.

GENERALIOR.

Parte prima continentur.

Parte secunda continentur.

1. *Disputationes Theologicæ*, quarum hæc est series:

2. *Tractatus Theologici*, nempe

ELEN-

ELENCHUS OPERUM
FRANCISCI GOMARI

SPECIALIOR.

Quo, & qui loci in Euangelistis explicentur, & quæ digressiones, diatribæ aut dissertationes in hisce commentariis occurrant, indicatur.

Numerus paginam, Litera *a* & *b* Columnam primam & secundam indicant.

IN MATTHÆO.

IN LUCA.

De

In *JOHANNE*.

EX CAPITE TERTIO.

In Analysi Epistolæ ad ROMANOS.

In Analysi Epistolæ ad GALATAS.

AD PHILIPPENS.

AD COLOSSENS.

AD

AD PHILEM.

In Epistola ad HEBRÆOS.

In Analysi I. *Epistolæ* PETRI.

Secunda PETRI.

Ad Epistolas JOHANNIS.

In explicatione Epistolæ JUDÆ.

In APOCALYPSI.

FINIS.



INDEX AUTORUM

Qui in hisce operibus citantur.

A.

Augu-

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Merca-

Ptolo-

Q.

R.

S.

T.

V.

W.

Z.

FINIS.

IN

IN OBITUM

Eximii & Celeberrimi Viri

D. FRANCISCI GOMARI, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS DIGNISSIMI.



AX veritatis, veritatis augustæ
Scrutator ille, cedere inscius cuiquam,
Cum vocem & ora scriptaque haud mori nata
Deo, sed uni, consecrata libertas
Poposcit; ille tot scientiis unus
Linguisque cultus, artibusque non unis;
Sacræ sed uni, cum scientiis cunctis,
Quas hausit omnes, artibusque linguisque
Servire natus; orbis exul, atque orbi
Ingratus, orbi raptus hic jacet tandem.
Cuî de tot annis, quos laboribus tantis,
Sibi superstes ac relictus, exegit,
Deque orbe victo nec semel triumphato
Ponit trophæum mœsta gens amicorum.

DANIEL HEINSIUS.

FRANCISCI GOMARI
SS. Theologiæ Doctoris ac Professoris,

ILLUSTRIUM AC SELECTORUM, EX EUANGELIO MATTHÆI, LOCORUM EXPLICATIO.

CAPUT I.



MATERIA hujus capitis primi est genealogia Christi, ad verſ. 18. deindè miraculoſa generatio. Scopus vero propoſitus, eſt demonſtrare Jeſum eſſe Chriſtum: quod non ſolùm, communis generis, cum aliis, origo, ex Abrahamo & Davide; ſed etiam proprius Meſſiæ, ſecundùm prophetiam, generationis modus, ipſi conveniat. Priori parte materiæ, publico ſcripto, plenius explicata, pauca de ſecunda, favente Domino, dicturi ſumus.

Generatio autem Jeſu, eſt illius, è matre Maria, propagatio, verſ. 18. cum 16. Cujus gradus tres ſunt: conceptio miraculoſa, conſequens geſtatio in utero, atque nativitas. Conceptio, patefactione Joſepho facta, declaratur primum propoſitione univerſali, deindè expoſitione particulari. Propoſitio eſt: *Cum mater ejus Maria deſponſa eſſet Joſepho, priuſquam ipſi convenisſent, inventa eſt* (nempe à Joſepho, ut ſequentia docent) *prægnans* (ἐν γαστρὶ ἔχουσα, *uterum ferens*) *ex Spiritu Sancto, verſ.* 18. Expoſitio verò eſt bipartita: Primum enim exponitur patefactio conceptionis: deindè modi, ex Spiritu Sancto. Prius membrum experientia naturali: quod uteri tumor eſſet index; ideoque Joſephus quaſi ab alio homine vitiatam ſuſpicatus, clam dimittere voluerit, quia juſtus: ſed παραδειγματίσαι noluerit: ſcil. quia æquus ac miſericors: Alterum verò patefactum eſt revelation. ſupernaturali, per Angelum Domini, in ſomnio, ſeu nocturna viſione apparentem. Quæ revelatio à Mariæ uxoris accipiendæ metu avocat: & ut ſuſpicionem falſam, propter quam repudiare volebat, tolleret Angelus, cauſam reddit, quod nullius viri vitio, ſed potentia Dei ſit prægnans. *Nam* (inquit) *quod in ea genitum eſt, à Spiritu Sancto eſt, verſ.* 20. In quibus breviſſimè perſtrictis, duo illuſtrationem deſiderant. Quorum unum vocem; alterum rem ipſam, attingit. vox eſt παραδειγματίσαι verſ. 19. Cujus origo à παράδειγμα, id eſt, exemplum deducitur. Significatio vero duorum eſt generum, propria vel impropria. Propria eſt, *exemplum ſtatuere*, & ab Auguſt. redditur, *exemplare*, ficta voce, ut à multis obſervatur; qui locus extat epiſt. 59. Videantur etiam apud Henr. Steph. in theſauro Græcæ linguæ & apud Caſaub. in notis ad Teſt. Nov. ex Polybio teſtimonia; qui Polybius, & παραδειγματίζω & παράδειγμα ποιῶ uſurpat eodem ſenſu. Quibus illuſtrandis addam nonnulla, quæ ex Demoſthene obſervavi. Nam Oratione adverſus Timocrat. in fine ait: Κολάσαι καὶ παράδειγμα ποιῆσαι τοῖς ἄλλοις τοῦτον. *Puniendum hunc & exemplum aliis ſtatuendum.* Idem oratione adverſus Midiam, in fine: τοὺς ἄλλους σωφρονίσαι, &c. παράδειγμα ποιήσαντες ἄλλοις, *alios modeſtiores facere, &c. edito exemplo aliis.* & Oratione contra Ariſtocratonem, pag. 497. editio: Wolphii, quam ſequimur, ἀλλὰ τιμωρήσασθε, καὶ παράδειγμα ποιήσατε τοῖς ἄλλοις; *Sed punite & exemplum aliis ſtatuite.* Et Oratione adverſus Timocrat. pag. 475. Κολασθεὶς, καὶ δοὺς ἀξίαν δίκην, τοῖς ἄλλοις παράδειγμα γένηται, μὴ τιθέναι τοιούτους νόμους; *Punitus & meritam dans pœnam* (*ſeu ſupplicio merito affectus*) *aliis exemplum erit, ne leges hujuſmodi ſtatuant.* Hæc Demoſth. Atque hic finis eſt pœnæ, unius, publicæ, ut exemplo reliqui reddantur cautiores & in officio contineantur, ut etiam Deut. 17. 12. & 13. de pœna capitali contumaciæ, adverſus rectam ſacerdotis, aut ſummi judicis ſententiam, dicitur, *Omnino moritor vir ille, & tollitor malum illud ex Iſraële, ut omnis populus audiant & timeant, neque ſuperbiant deinceps.*

Hæc de prima ac propria ſignificatione. Altera impropria eſt per tropum. Primum Synech. generis pro ſpecie, pro *ſuſpendere:* qui enim ſuſpenditur, oſtentui eſt atque exemplo aliis. Sic Num. 25. 4. *Suſpende eos Iehovæ, coram iſto ſole:* LXX. vertunt παραδειγμάτισον αὐτούς. Deindè per Metaph. *ignominiæ exponere* deſignat, ut Hebr. 6. 6. *Crucifigentes ſibimetipſis filium Dei*, καὶ παραδειγματίζοντας. *& ignominiæ publicæ exponentes.* Cui ſimile eſt Col. 2. 15. τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν, *poteſtates traduxit.* Atque hoc modo videtur accipiendum hoc loco. Nam ei opponitur clam dimittere, quod eſt ſine ignominia publica. Hinc Chryſoſt. interpretatur ἐκπομπεύειν καὶ εἰς δικαστήριον ἄγειν. id eſt, *Publicè oſtentui habere & ad tribunal ducere.* Atque hæc de voce παραδειγματίζειν. Ad rem verò quod attinet, verſ. 18. dicitur de Maria Chriſti matre, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, ad verbum, *inventa eſt, in ventre habens, ſc.* γονήν, fœtum; vulgata verſio reddit, *in utero habere*, Beza verò *uterum ferre.* Senſus autem eſt conceptiſſe ac prægnantem eſſe, ut Hebræis הָרָה non ſolum συλλαμβάνειν concipere redditur, Geneſ. 41. & 16. & Luc. 1. verſ. 24. Sed etiam expreſſius, ἐν γαστρὶ λαμβάνειν, *in ventre* (hoc eſt utero, qui in ventre) *concipere*, nempe ſemen genitale, Geneſ. 25. 21. & 38. 18. καὶ ἐν γαστρὶ ἔλαβεν ἐξ αὐτοῦ. & Luc. 1. 31. συλλήψῃ ἐν γαστρὶ καὶ τέξῃ υἱόν, *concipies in utero & paries filium*; & crebrò apud 70. Interpretes redditur ἐν γαστρὶ ἔχειν, *in ventre ſeu utero habere*, prolem ſeu fœtum, Geneſ. 16. 11. ἐν γαστρὶ ἔχεις καὶ τέξῃ υἱόν. & Jud. 13. 3, 5, 7. Deinde Matthæi 1. verſ. 20. Angelus ait, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. *quod in ea genitum eſt, ex Spiritu Sancto eſt.* In quibus dictis, illud certum omninò eſt, originem corporis Chriſti deſcribi, & Spiritum Sanctum cauſam efficientem illius denotari: Sed hoc controverſum eſt, an etiam ſit materia illius, ſeu an ex ſua ſubſtantia illud formaſſe, hiſce verbis doceatur. Priſci quidem hæretici novique noſtri ſeculi Anabaptiſtæ id contentioſè affirmant. Orthodoxi verò & olim, & hactenus, id conſtanter negant: quod neque ex verbis, neque ex reipſa, ſeu ex corporis, aut Spiritus Sancti natura, probent: contrarium verò ſolidè demonſtretur.

Nam ad verba quod attinet, inde duo petunt argumenta; Primum eſt è voce *ex.* Corpus Chriſti, inquiunt, dicitur eſſe *ex Spiritu Sancto.* Ergo ex eo, tanquam ex materia, hoc eſt, ſubſtantia illius; quia ἐξ materiam notat. Sed negatur conſequentia quia ea ſignificatio non eſt perpetua; ſed ſæpè, ut alias ſignificationes omittamus, cauſam efficientem notat; ut Ariſtot. Metaph. 4. cap. 24. exponens varios modos, quibus aliquid ἐκ τινὸς εἶναι *ex aliquo eſſe* dicitur, demonſtrat. Deinde ſacrarum literarum uſus idem evincit, ut Matth. 15. 5. *Donum quod ex me eſt*, hoc eſt,

est, à me, & cap. 21. 25. *Baptismus Joannis unde est, ex cœlo?* (hoc est, à Deo,) *aut ex hominibus?* & Joan. 1. 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Ubi per ἀνταναχλασιν vox illa ἐκ, id est *ex*, bifariam usurpatur. Primo enim loco materiam indicat, cum dicitur, *ex sanguinibus*, hoc est, ex viri & mulieris ad generationem naturalem necessariis seminibus (quæ sanguines metonymicè, quod ex iis habeant originem, appellantur) secundò verò, non materiam, ut res subjecta arguit, sed causam efficientem notat, tribus sequentibus, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Ubi obiter observandum, ad hujus loci illustrationem, voce *carnis* (ut alicubi monuit doctissimus Petrus Martyr in locis comm. classe 3. cap. 3. de adoptione.) Mulierem sive uxorem notari. Nam manifestè *caro* hæc, à *viro* distinguitur, & *voluntas* ei, non minus quam viro, attribuitur. Deinde quia revera uxor caro est viri; cùm propter originem primam, ex eo, ut Gen. 2. 23. *Caro ex carne mea*: tùm ob unionem conjugalem: unde *caro viri* appellatur, Ephes. 5. 21. Denique vocula *ex*, efficientis solius sensu, cùm alibi accipitur, tùm etiam Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis*, & Rom. 11. 36. *Ex eo, per eum, & in eum sunt omnia.* Quare non sequitur, caro seu corpus Christi est ex Spiritu Sancto: Ergò est ex illius substantia.

Verùm hic non subsistunt; sed alterum, ex voce γεννηθὲν, *genitum*, objiciunt argumentum hujusmodi. Estò vocula illa *ex* notet tantum efficientem causam; vox tamen *genitum*, indicat materiam, seu Corpus Christi, ex substantia Spiritus Sancti, ortum; quia qui aliquid genuit, illud ex sua substantia produxit, ut vox gignendi γεννάω, ostendit. Atqui Spiritus Sanctus genuisse corpus Christi, hoc loco statuitur; Ergò è sua substantia produxit. Speciosum quidem argumentum: sed utraque argumentationis propositio vitiosa est. Major enim non est universaliter vera: quia gignere vel propriè accipi potest, ut Matth. 1. v. 2. *Abraham genuit Isaacum*, atque hoc sensu vera major; vel impropriè, per Metaph. pro *efficere* simpliciter, non autem è sua substantia producere, ut 1. Joan. 5. 18. ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ, *qui ex Deo genitus est, servat seipsum.* & 2. Tim. 2. 23. γεννῶσι μάχας gignunt pugnas; Atque hoc sensu major falsa est. Deinde minor etiam negatur. Nec enim Spiritus Sanctus dicitur genuisse fœtum Mariæ, sed dicitur tantum, quod in ea genitum erat, ex ipso esse, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν. Maria enim ex se genuit tanquam mater, sed efficacia illius erat à Spiritu Sancto. Nan gignere, hoc loco non parere notat, sed καταβολὴν τοῦ σπέρματος καὶ σύλληψιν, dejectionem seminis Mariæ, in uterum, & conceptionem illius, ab utero. Cui fœcunditas seminis & conformatio à necessaria Spiritus sancti efficacia accessit. Quia mulieris semen, sine virilis concursu, naturaliter ad prolem suscipiendam non sufficit. Maria igitur genuit, sed accedente Spiritus sancti potentia. Gignere enim, seu generare, cum prolis procreationem notat, non solum mari, sed etiam fœminæ convenit. Nam ut Plin. nat. hist. lib. 8. cap. 44. ait, *quæ non primo initu generare cœperit.* Sic & quod Hebraicè 1 Chron. 4. 17. de matre dicitur ותהר *& concepit*, 70. Interpretes græci transtulerunt καὶ ἐγέννησε *& genuit*, ut ostenderent, conceptionem non solum esse in matre, sed etiam à matre. Eamque significationem confirmat etiam Etymolog. magnum, pag. 795. edit. Commelin. φιτύσαι τὸ γεννῆσαι ἐπὶ τοῦ πατρὸς τίθεται, ἐπὶ δὲ τῆς μητρὸς οὐκ ἔτι, ἀλλὰ γεννῆσαι, hoc est, φιτύσαι *generare de patre usurpatur, de matre verò non item, sed* γεννῆσαι.

Verùm à verbis depulsi, ad rem ipsam subjectam confugiunt, unde duo alia sumunt argumenta, à Mariæ matris Christi natura deprompta. Prius est, quod fœminæ carent semine. Ergò Christus non est ex semine fœminæ. Antecedens probari potest ex sententia Aristotelis, de generatione animal. lib. 1. cap. 19. & 20.

Verùm negatur antecedens: & Aristotelis sententiam, hac in re, falsi arguunt, communi consensu, Medici, prisci novique, & Anatomici rationibus atque experientia. Et inter eos doctiss. Andreas Laurentius operum anatom. lib. 2. cap. 17. ubi graviter & eruditè Aristotelem confutat, collatis utrimque argumentis. Deinde observandum, quod Aristoteles non simpliciter esse semen fœminis, ad generationem necessarium, deneget; sed activum tantum, hoc est, quod insitam formationis animalis vim habeat. Nam ibid. cap. 21. ait; nec fœminam, *ita* (οὕτως) ut marem conferre ad generationem; sed marem principium motus, fœminam materiam præstare, & c. 22. ait: ἐν θήλει εἶναι τὴν ὕλην, ἐξ ἧς ἐστι τὸ δημιουργούμενον, hoc est, *in fœmina esse materiam, ex qua est quod efficitur.* Eadem lib. 2. cap. 1. repetit, & cap. 3. ait, καὶ τὰ καταμήνια, σπέρμα, οὐ καθαρὸν δέ, *& menstrua, semen sunt, quanquam non purum.* Quare etiam fœminas habere semen aliquod, quod ad generationem naturalem necessario concurrat, saltem tanquam materia, etiam ex Aristotele manifestè constat, etsi in specie illius tradenda à Medicis differat. Ideoque non est causa justa, cur illius authoritatem Anabaptistæ obtendant, cum eorum sententiæ omnino repugnet, Orthodoxorum verò confirmet. Nam Aristot. de generat. anim. lib. 1. cap. 21. & 22. Semen viri esse tantum fœtus efficientem causam, non autem materiam; menstruum verò semen fœminarum, esse universam materiam statuit; quorum utrumque ab Anabaptistis negatur; ut qui fœminis omnem generationis (etsi nutritionis & accretionis concedant) materiam detrahant, solique maris semini attribuant. Deinde fœminas semen habere, etiam in sacris literis, à Propheta Mose & ab Apostolo Paulo declaratur. Moses enim Levitic. 12. vers. 2. ait: *Mulier cum ediderit semen & pepererit filium:* Ubi Moses utitur voce תזריע id est, (ut expressè, licet barbarè Pagninus reddit in Lexico) *Seminificarit.* Paulus denique Hebr. 11. 12. *& ipsa Sara fide* δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, *vim ad dejectionem seminis accepit:* non dicit, εἰς σύλληψιν ad conceptionem, ne quis, si conceptionem dixisset, propter ambiguitatem, relatè, de Abrahami semine intelligeret: sed de semine Saræ, quod ad conceptionem ex Abrahamo, ac generationem, non minus quam Abrahami semen, requirebatur. Quamobrem contra naturam contraque Scripturam, Anabaptistæ fœminis semen deesse statuunt. ideoque concidit primum eorum à natura matris petitum argumentum.

Alterum verò quod adjiciunt, majorem habet speciem, sed non majorem veritatem: estque erroris Anabaptistici, hac in re, primarium fundamentum; ut inprimis, ex colloquio Wismariensi, inter Mennonem & Micronium apparet. Argumentum autem desumptum est ab accidente carnis ex Adamo propagatæ, nempe peccato originali & maledictione. Quicquid, inquiunt, ex semine humano est genitum, illud est peccato & maledictioni obnoxium; ac propterea Servator esse non potest, cum Servatore opus habeat. Atqui Christus non est peccato, neque maledictioni obnoxius; quia sanctus & benedictus: Ergò Christus non est ex semine humano genitus.

Verùm negatur propositio; quoniam ea non est universaliter vera, ob geniti conditionem diversam. Aliud enim genitum est, merè naturaliter, cùm videlicet semen geniti materia est, & simul ex potentia illius naturali educitur forma: aliud est genitum supernaturaliter, quando semen quidem est materia geniti, sed educendæ formæ potentia destituitur; forma verò, per solam Dei potentiam introducitur, cum vi merè divina fœtus humanus inde oritur. Priori modo genitum, in lumbis Adami fuit ratione materiæ, & simul ratione potentiæ, formæ producendæ; ideoque in illo peccavit & ex illo peccatum propagatum, ac maledictioni subjacet Rom. 5. 12. Posteriori verò modo nequaquam; quia mera materia, sine potentia ad formam humanam, respectu hominis inde producti, peccati subjectum esse non potest, quia, neque actu, neque potentia activa homo est. Atque ita Christus genitus est, ex semine humano virginis, non naturali, sed supernaturali Spiritus S. potentia; qui semen virginis fœcundum reddidit, præter naturam, & in corpus humanum, sanctis actionibus idoneum, formavit, ideoque Christus *similis nobis, in omnibus* dicitur, *excepto peccato*, Hebr. 4. 15. quia conceptus à matre, non viri congressu; sed potentia Spiritus S. ideoque geni-

genitum ex ea, distinctè ab omnibus hominibus, *sanctum* vocatur, Luc.1.36. Hebr.7.26. Atque ex his liquet Anabaptistas, ex hoc loco Matthæi, non rectè probare, Christi corpus esse ex substantia Spiritus S. productum: contrarium verò ex hujus loci subjecto & prædicato doceri demonstrabimus. 1. Ex subjecti (nempe, *quod in ea genitum est*) natura. Quod enim ex Spiritu S. proprie genitum est, illud ejusdem, atque ille, substantiæ est, ut generationis definitio certa evincit. Atqui corpus Christi non esse ejusdem atque Spiritus S. substantiæ, sed plusquam genere diversum, extra controversiam est. Ergò corpus Christi non est genitum è substantia Spiritus sancti. Nam Spiritus æternus, id est, essentia incorporea & infinita, & corpus finitum non consentiunt. Deinde, qui propriè ex Spiritu S. genitus est, ille proprie est filius illius. Atqui Christus, fatente etiam Mennone, Anabaptistarum coryphæo, non est propriè filius Spiritus Sancti. Ergò non est proprie ex Spiritu Sancto genitus.

Tertio, qui sic in Maria est genitus, ut etiam ex ea sit genitus ac conceptus, ille est ex ejus substantia. Atqui Christus sic in Maria est genitus, Matth. 1. 20. ut etiam ex ea sit genitus ac conceptus, vers. 16. ut etiam exemplaria quædam manuscripta, & patres nonnulli legerunt, Luc. 1. 35. *quod ex te nascetur*, ut Beza in annotationibus ad eum locum attestatur. Deinde eodem sensu, *factus dicitur ex muliere*, Gal. 4. 4. & *semen mulieris* dicitur, Gen. 3. 15. ut exponitur de Christo, Hebr. 2. 14. Ergò Christus est ex substantia Mariæ. Denique cujus mater proprie est Maria, ille ex substantia ejusdem est genitus; ut ex Philosophorum & Medicorum consensu antea demonstratum, omnem matrem ex sua substantia prolem gignere. Atqui Christi mater propriè est Maria, Matth. 1. 16. & ille filius vers. 21. Ergò Christus ex substantia ejusdem est genitus.

Atque hæc quidem argumenta, quæ ex subjecto, nempe, *quod in ea genitum est*, deducta. Ex prædicati verò natura, tale est. Si id, quod in Maria genitum est, sit ex divina Spiritus Sancti substantia, sequitur hanc, vel mutatam esse in corpus, vel similiter esse corpoream. Atqui neutrum esse potuit; quia divina substantia immutabilis est, Jac. 1. 17. quia Spiritus, Joh. 4. 24. eoque incorporea. Ergò quod genitum est ex Maria, non est ex divina Spiritus Sancti substantia; ac propterea falsa est contraria Anabaptistarum sententia. Quem Mennonistarum errorem Socinus Anabaptista Samosatenianus etiam in refutatione Wieki, de divinitate filii Dei & Spiritus Sancti, rectè rejecit; sed errorem novum impure substituit, cum ait pag. 221. *Nec sane consequitur, quia Christus homo, in virginis utero, ex ipsa Dei substantia non sit genitus, idcirco ex sola virginis substantia eum fuisse generatum. nec Mennonitis danda est occasio, ejusmodi malè conclusis rationibus, in suo errore perseverandi: sed quemadmodum urgendum est, Christum hominem, ex virgine matre, non minus sumpsisse, quam alii homines ex suis matribus sumant: Sumere autem ex ipsis Sacris literis, & Physicis etiam, si opus sit, rationibus demonstrandum: sic non est negandum Dei virtutem in virginis uterum, substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse, ex qua Christus, juncto eo, quod ex ipsius virginis substantia sumpsit, verus homo generatus fuerit: qui propterea ut homo, non matrem tantum, nempe virginem ipsam habuerit, sed patrem etiam, nempe ipsum Deum.* Sed impia hæc sententia, ut aliàs refelli poterit plenius, sic à sacris literis, & à seipsa confutatur. Nam Maria, virgo concepit, ac virgo peperit, teste Scriptura, Matth. 1. & agnoscente adversario. Ergò non immissa substantia ac semine. Sive enim substantia sit à viro sive à Deo immissa, cujus ratione dicatur pater, sequitur Mariam, virginem peperisse, dici non posse. Ideoque Hebr. 7. Melchisedeci instar, Christus sine patre & sine matre rectè describitur, quod sc. quà homo, filius hominis seu virginis in terris sit sine patre, quà filius patris, in cœlis, sit sine matre. Nam quod Socinus objicit, hanc interpretationem Patrum puerilem esse, quodque nihil ad rem pertineat; quod ibi agatur de sacerdotii Christi perpetuitate, & institutione extraordinaria, adumbrata Melchisedeci sacerdotio: falsa est consequentia, si quidem non solum de æternitate sacerdotii extraordinaria agitur, sed simul etiam de personæ sacerdotis præstantia, ut ex epistola ad Hebr. cap. 7. 4. apparet, & ex fine vers. 28. opponit enim Apostolus ibidem inter se, Pontifices legales, & Pontificem promissum, secundum ordinem Melchisedeck, id est, Christum. Illos enim vocat *homines* (sc. meros ex patre & matre genitos) *habentes infirmitatem*: hunc verò, *filium in æternum consecratum*. Filium autem opposite meris hominibus, filium Dei patris notat, & eatenus non filium hominis, sed ἀμήτορα sine matre; de qua re Hebr. 1. 5, 8. & 3. 3, 4, 5, 6. & c. 4. 14. & 5. 5. & 7. 3.

Sed secundo objicit p. 223. *Animadvertendum est*, inquit, *non dixisse divinum illum scriptorem, Christum seu filium Dei fuisse assimilatum Melchisedeco, sed contra Melchisedecum filio Dei, ut sc. intelligamus non omnia, quæ de Melchisedeco dicit, eadem in Christo esse, sed illis ea omnia contineri, quæ de Christo in Melchisedeco vult fuisse adumbrata.*

Verùm quis hæc inania & inepta esse effugia non videat? relatorum enim uno posito, alterum necessariò ponitur, undecunque fiat relationis initium. Nam si Melchisedeck similis factus est filio Dei, ergo filius Dei similis est Melchisedeko, & non solum sacerdotii ratione, sed etiam in aliis expressis similem esse apparet; nec quicquam ex iis proferri potest, quod non ad amussim conveniat. Christus enim *Rex pacis*, ut Melchisedek, v. 2. *sine patre*, quà filius hominis, quia ex virgine: *sine matre*, ac *sine generis serie*, quà filius Dei patris: nec *principium dierum, nec vitæ finem habens*, id est, ab æterno in æternum vivens. Quibus verbis proximè additur: *Similis filio Dei manet sacerdos in æternum.* Nam quod objicit Socinus p. 222. *Verba illa nec initium dierum, neque finem vitæ habens, intelligenda in sacerdotio obeundo*: illud & ineptum & falsum est. Nam sacerdotium vitam non habet, sed sacerdos: & sacerdotium finem quidem non habere, seu æternum esse ac perpetuo durare, rectè dicitur; sed finem vitæ non habere, cum ea careat, non nisi ineptè dici potest. Deinde sacerdotium non habere initium dierum, sive dierum vitæ intelligas, sive simpliciter temporis, falsum est, sacerdotium eo caruisse: Etsi enim illud sit in æternum, ab æterno tamen non est. Denique res ipsa, & diserta Apostoli explicatio, hoc effugium Socini confutat. Nam expresse ab æternitate personæ antecedente, æternitas sacerdotii, distinguitur. Dicitur enim primò de persona, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*; Postea de consequente sacerdotii æternitate, secundum quid subjicitur, *manet sacerdos in æternum*, vers. 3. Similiter ex Christi personæ in æternum duratione, æternitatis sacerdotii convenientia deducitur his verbis: *Hic vero quia manet in æternum, sacerdotium habet* ἀπαράβατον, *quod præterire non potest, seu in æternum durans*, & vers. 16. Christus sacerdos factus dicitur, *non ex lege, cujus mandatum sit carnale, sed ex vi indissolubilis vitæ.* Nam quamvis Christus, quatenus victima, vitæ dissolutione sit mortuus; quatenus tamen Deus, qui eam victimam Deo Patri obtulit, ut sacerdos, vita illius dissolvi non potuit. Hinc Hebr. 9. 14. dicitur, *per Spiritum æternum*, id est, divinam suam naturam, *obtulit seipsum Deo Patri.*

Atque hinc satis liquere potest, Socinum exceptione sua Apostoli sententiam manifesta falsitate atque ineptia depravare: id quod & invictæ veritatis est indicium, & luculentum malæ conscientiæ in viro magnæ scientiæ argumentum.

Atque hæc ad illustrationem versus 20. & conceptionis Christi ex substantiâ virginis Mariæ hucusque diximus.

De Versu XXI. & NOMINE JESU.

CUm Angeli ad Josephum oratio, constet revelatione duplici; primùm rei factæ, deinde rei futuræ: prius explicatum est, inprimis vers. 20. Mariam nimirum concepisse, non viri opera, sed virtute Spiritus Sancti, de quo egimus. Alterum verò vers. 21. describitur, cujus membra sunt duo, prædictio & præceptum.

Prædictio est, *pariet filium*, quo & partus certitudo promittitur, & prolis sexus definitur, cum non filiam, sed filium

filium parituram asserit. Cujus explicationis usus est duplex. Unus est revelationis de conceptione per virtutem Spiritus S. confirmatio. Nam qui vera de rebus arcanis futuris dixisse comperitur, fidem in rebus præteritis explicandis meretur. Alter est, ut hac explicatione, de filii, è virgine, nativitate, Josephus ad Esaiæ prophetiam cap. 7. vers. 14. illud prædicantem, quasi manu duceretur, & in Christum crederet. Hæc de prædictione.

Præceptum verò est, de filii è Maria virgine nascituri nomine, cum dicitur, *& vocabis nomen ejus Iesum: ipse enim servabit populum suum à peccatis ipsorum:* In quo & nominis impositio, & ratio illius, continetur. de priori ostenditur, quisnam & quodnam nomen, imponet. Ille est Josephus. ait enim *vocabis nomen ejus Iesum.* Neque huic obstat, quod id jam antea Mariæ esset mandatum, Luc. 1. 31. *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum:* quia composita hæc sunt, non opposita. Nam utrique, neutro eorum excluso, hoc præcipitur: Communi enim consensu & obedientia erga Deum, per Angelum præcipientem, nomen ab iis inditum. Nomen verò impositum est *Iesus.* Quam vocem, non Græcam esse ab ἰάομαι, id est, *medeor, sano,* unde ἴασις *sanatio,* ut Moschopulus de constructione Græca statuit: sed Hebræam, apud doctos certissimum est, & usus Scripturæ evincit. In qua, aut urbis nomen est, ut Nehem. 11. 26. ישוע aut personæ, ut 1. Chron. 24. v. 11. & 2. Chron. 3. vers. 15. Originem autem vocis esse à ישע *salvum esse,* ac Servatorem notare, Luc. 2. 11. extra controversiam est. Sed an ab eo tantum derivetur, neque aliud connotet, an verò etiam ex alio, seu, an vox sit simplex an verò composita, controvertitur. Quidam enim simplicem esse statuunt per apocopen ה, vel per syncopen. Per apocopen ה, ex voce ישועה id est, *salus.* Sic enim Christus vocatur à patre *salus mea,* ישועתי, Esa. 49. 6. metonymicè, hoc est, salutis author, à me datus, ut Hebr. 5. 9. αἴτιος σωτηρίας, quemadmodum etiam Luc. 2. 30. in Cantico, Simeon Esaiæ sententiam secutus, σωτήριόν σου *salutem tuam* vocat, & Joannes baptista, Luc. 3. 6. σωτήριον τοῦ Θεοῦ. *Salutem Dei omnem carnem visuram,* id est, σωτῆρα Servatorem à Deo missum, ait, ubi obiter observandum, citari hic Esaiam, non expressis illius verbis, sed sententiâ. Esaias enim habet cap. 40. 5. *& revelabitur gloria Iehovæ, & videbit omnis caro pariter,* nempe, *gloriam Iehovæ.* Quam *gloriam,* rectè *salutem Dei* exponit Baptista. Deinde per syncopen alii esse volunt nomen *Iesu* ex יהושע quod etiam nomen Hoseæ filio Nunis tribuitur per Mosen, Num. 13. 17. Id quod contractè effertur, Nehem. 8. 18. ישוע filius Nun. Ideoque Græci LXX. aliique Interpretes, non solum contractum hoc, sed etiam integrum similiter enunciarunt ἰησοῦς, ע ultimâ litera, ob asperitatem suam Græcis insolentem, expunctâ, & additâ, ad euphoniam, Græco more litera σ: quod in N. Testam. similiter observatum. Idem enim filius Nunis vocatur Jesus, Actor. 7. 45. & Hebr. 4. 8. Sic etiam summus sacerdos filius Jozadaki integrè vocatur יהושע: Hagg. 1. 1, 12, 14. & cap. 2. 3. & 5. Contractè verò ישוע seu Jesus, Esræ 3. 2. & 8. & c. 5. 2. & 10. 18. Nehem. 8. 18. ubi obiter mirandum est, interpretem vulgatum atque Hieronymum, contractum pro integro in Haggæo, & contrà integrum pro contracto, in toto Esra & Nehemia, posuisse.

Ad significationem verò quod attinet, Servatorem notare censent & יהושע nomen formatum ex יהושיע id est, *servabit,* futuro scilicet secundo hiphil, per anomaliam, integro, Psalm. 116. 6. Alii verò compositum esse varie statuunt. Quidam enim ex יהוה & litera ש inserta, ut Johannes Reuchlinus, de verbo mirifico, lib. 3. cap. 12. eumque secuti, Andreas Osiander Harmon. Euangelicæ, lib. 1. c. 6. & Martinus Borrhaus comment. in Exod. cap. 6. qui ait significare θεάνθρωπον, ש esse notam humanæ naturæ: forte spectavit vocem איש id est vir, vel אנוש homo. Nam quæ Reuch. de voce אש id est igne & ש litera quæ dentem notat, proponit & mysteria esse existimat, meri sunt lusus, ut res ipsa arguit. Cæterum Hebraice legunt יהשוה, & ש insertum statuunt, ut nomen Dei ineffabile, possemus effari, inepta omnino hypothesi. Ideoque novo hoc Paradoxo (quod nulla ratione rectâ munitum, nec cum linguæ Hebrææ proprietate convenit) rejecto, alii idem Christi atqui filii Nunis & filii Jozadaki nomen esse compositum statuunt ex יהוה & ישע. Esa. 49. 8. vel ישע salus, Job. 30. 24. ut יהונתן & similia composita, sicut Euseb. de demonst. Euangelica lib. 4. cap. ultimo exponit ἰησοῦς σωτήριον Θεοῦ & ἰωσυε (id est, יהושע) Hebræis esse σωτηρίαν. & Ἰώσυε esse ἰαὼ σωτηρίαν, hoc est, Θεοῦ σωτήριον. Sic Hieron. comment. in Hagg. cap. 1. vers. 1. Jesus interpretatur, *Domino salus,* id est, Domini salus: hoc autem nomen compositum esse ex Dei nomine & salute. Et licet certo Salvatorem (ut Hieron. in Matth. cap. 1. exponit) denotet, aliquid tamen amplius significare videtur. Nam cum הושע significet Servatorem, quorsum in ejus locum Moses substituit nomen יהושע Num. 13. 17. si nihil amplius significet? Probabile omnino est, cùm antea in circumcisione, alia de causa, nomen esset inditum הושע, quod significat *Servatorem,* mutatum nomen, ut notaretur revera eum esse, per quem Deus salutem externam tribueret, & populum Israëliticum in terram promissam duceret, & devictis Chananæis, possessionem illius quietam daret; quippe prophetica nominis mutatio, novam significationem solet innuere, ut enim Abram (quod *patrem excelsum* notat, & sine futuri significatione, à patre ipsi inditum erat) divinitùs mutatum est in Abraham, id est, *patrem magnæ multitudinis,* quod pater multarum gentium esset futurus; & Sarai, id est, *princeps mea,* in Sara, hoc est, *princeps,* ad rei futuræ indicium: ita & Hosea, id est, *Servator* (& ut Hieron. loquitur, *Salvator*) Jehosuah dictus videtur, *Domini salus,* id est, Servator à Deo missus; quemadmodum etiam Christum ab Esaia & Simeone ita appellari, in primæ sententiæ expositione, ostendimus. Nam quod And. Osiander, loco ante memorato ait, quod Jehosuah, non eum, qui alios servare possit, significet; sed eum, qui cum salutis indigus existat, ab alio salvari debeat, merum est commentum, nulla prorsus ratione nixum.

Cæterum in indice Bibliorum Complut. & editionis etiam vulgatæ, Jehosuah exponitur *Dominus* (id est, Jehovah) *Salvator.* Atque ita notaret hoc nomen, & personam Jehovam, & effectum illius beneficium, nempe salutem; eoque modò commodissime quadraret cum Jerem. 23. ubi Christi nomen, *Iehovah justitia nostra,* proponitur. Si quis autem objiciat, non potuisse Hoseæ filio Nun convenire, neque filio Jozadaki, si ea esset significatio, sed soli Christo: quoniam illi non fuerunt Jehovah, sed Christus verè est Jehovah: dici posset homonymωs convenire: Christum quidem sic dici, quod sit Jehovah: reliquos vero, quod professio eorum esset, Jehovam esse Servatorem. Quemadmodum *Iozedek,* teste Hieron. Tom. 6. Comment. in Hagg. 1. notat Deum justum; quomodo hoc nomen Christo sine ellipsi tribuitur, Jer. 23. Jehovah צדקנו quod LXX. Interpretes contractè enunciant ἰωσεδὲκ: alii vero, cum ellipsi verbi substantivi, *Deus Iustitia* supple *est:* ut sit professio ac celebratio Dei. Veruntamen prius videtur simplicius, ut antea exposuimus & rationi aptius, *ipse enim servabit populum suum.* Quamvis & hoc dici posset, in hisce verbis, & Jehovam denotari, quadam relatione, cum electi omnes vocantur populus Christi, puta tanquam Iehovæ creatoris & redemtoris. Interim citra ullam controversiam hoc saltem constat, vocem Jesu, Servatorem denotare. Atque hæc de nomine Iesu.

Ratio vero nominis adjecta ab Angelo, est, *ipse enim servabit populum suum à peccatis ipsorum,* in qua, ut paucis tantum perstringamus, beneficium & subjectum illius describitur, seu quodnam beneficium, & quibus conferat: eaque ratione, finis nati ac dati Christi explicatur, ad consolationem Iosephi, & totius Ecclesiæ.

Beneficium est, quod servabit, aut potius salvum reddet à peccatis ipsorum. In quo observandum est, unde servet, & quomodo. Unde, à peccatis seu legis Dei transgressionibus, 1. Ioh. 3. 4. & quidem omnibus, tam innatis, quàm enatis, 1. Ioh. 1. 7. Idque præstat solus, Ioh. 14. 6. Actor. 4. 12. Idque ratione & meritæ condemnationis, tanquam stipendii peccati, Rom. 6. 23. & Rom. 8. 1. & maculæ seu pravitatis illius inhærentis, Rom. 5. 19. & 6. 6. Modus verò

vero quo salvos à peccatis reddit, est primò meritum illius, deinde efficacia, per Spiritum, 1. Cor. 6. 11. Meritum est obedientia, ad mortem crucis, Phil. 2. 8. quo, & pœnas, peccatis, ob legis violationem debitas, Deut. 27. vers. 26. pertulit, Gal. 3. vers. 13. & legis justitiam ad amussim observavit, 1 Petr. 3. 18. Roman. 5. vers. 18. Efficacia vero Spiritus sui, cùm salutem promeritam, in hac vita inchoat, vocatione, justificatione, sanctificatione; & post hanc consummat glorificatione, Rom. 8. 30. & 1. Cor. 1. 30. Quæ glorificatio, primum est animæ post mortem corporis, Apoc. 14. vers. 13. Deinde corporis per resurrectionem die ultimo, Johan. 14. vers. 3. Phil. 3. vers. 20. & 21. Atque hæc de salutis cùm meritæ, tum collatæ, beneficio. Subjectum vero proprium, seu illi quos ita servat, est *Populus Christi*, κατ' ἐξοχὴν dictus. Sunt autem electi ad salutem, per Christum obtinendam, Roman. 11. vers. 2. & quidem omnes Johan. 6. vers. 39. Rom. 8. vers. 29. & 30. ac soli illi, non autem reprobi Joan. 17. vers. 9. qui, quoniam per universum mundum dispersi sunt, hinc filios Dei dispersos, in unum congregare dicitur Christus, Joan. 11. 52. & hi Synecdochicè ob excellentiam, *mundi* nomine intelliguntur, unde Christus dicitur Servator mundi, Joan. 4. vers. 42. hoc est, electorum ex universo mundo, sive ex omnibus gentibus, Apoc. 5. v. 9. Atque hæc strictim de nominis Jesu ratione.

Illustratio in capitis primi Matth. v. 22. & 23.

ORatio Angeli, ad Josephum, falsa scortationis Mariæ opinione, divortium meditantem, partim hortationem, ad eam recipiendam, & rationem complectitur, quod illa virtute Spiritus Sancti concepisset ac filium esset paritura; partim verò mandatum imponendi nominis Jesu, & rationem illius, quod populum suum servaturus esset à peccatis ipsorum: quo præstantia ac finis filii concepti, ac nasciturі, ad consolationem ac fidem in ipsum, tanquam Servatorem Ecclesiæ, & Christum Dominum, Luc. 2. v. 11. declaratur. Cujus orationis propositæ expositio ad illustrationem, & majorem fidei confirmationem subjicitur vers. 22. & 23. à fine rerum propositarum deducta, videlicet impletione, seu executione prophetiæ, de Messia Servatore, divinitus traditæ per Esaiam cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo, &c.* ad cujus loci explicationem, duo cumprimis expendenda. Primum à quonam hæc sint dicta; deinde dictorum veritas ac sententia genuina.

De priori autem duplex Theologorum est judicium. Quidam enim, angeli ad Josephum; alii vero Euangelistæ Matthæi, expositionem esse censent. Ac prius quidem proponit Chrysostom. in Comment. ad hunc locum, cum ait: *Ut quod dicitur, facile credatur, in medium Angelus adducit Prophetam.* Quæ sententia, uti clarissimo Junio in parallelis, aliisque nonnullis interpretibus probatur; ita magis videtur probabilis, quam altera, licet vulgò plures habeat assensores. Ratio est, quia opportunior est, ad confirmationem fidei Josephi: Deinde, quia cohæret melius cum sequentibus: Contraque in altera sententia, prolixior parenthesis non necessariò statuitur. Nam quod objicitur: Angelum sua dicta solere simpliciter proponere, non autem testimonio ullo confirmare, facile diluitur. Quia Angeli, uni rationi non fuerunt adstricti, sed pro eorum, quos compellarunt, ratione, orationem suam variè temperarunt. Nam ut interdum rem tantum absque testimonio proposuerunt, ut Luc. 2. v. 10. & 11. Sic interdum adhibuerunt nota Dei verba, ut Angelus Luc. 1. 16. & 17. Verba Malachiæ ad Johannem Baptistam pertinere ostendit, & vers. 33. verba Danielis 7. v. 14 & 27. de Christo enunciat. Neque obstat huic rei, quod Prophetæ nomen neutro in loco exprimatur, cum verborum recitatio sufficiat, unde prophetæ memoria refricatur. Quemadmodum etiam Apostoli interdum Scripturæ dicta recensent tanquam nota, sed scriptoris nomen & Scripturæ omittunt, quod ex verbis ipsis satis colligatur. Denique Luc. 24. Angelus Domini, expressè prophetiæ Christi verba, ad resurrectionis fidem mulieribus confirmandam citat, vers. 6. & 7. *Non est hic, sed resurrexit: Mementote ut locutus sit vobis, cum adhuc esset in Galilæa, dicens: Oportet filium hominis tradi in manus hominum, & crucifigi & tertio die resurgere.* Ac propterea mirandum non est, Angelum verbis Dei per Prophetam Esaiam prolatis, usum: cum illud ad Josephi fidem de Christi conceptione miraculosa firmandam, non minus esset necessarium, quam prophetiæ Christi recensio, ad resurrectionis illius fidem, piis mulierculis adstruendam. Ideoque non temerè, hæc verba, ab Angelo, ad Josephum, prolata esse, apparet. Atque hæc de prima quæstione, nempè à quo hæc verba sint habita.

Altera est, de dictorum veritate ac sententia genuina: quam Judæi recentiores, variis modis oppugnant. Ac primum, expositionem materiæ, quæ tractatur ab Esaia, cum hic dicitur: *Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est, à Domino, per Prophetam.* Contendunt enim Esa. 7. in verbis citatis, non esse prophetiam de Messiæ matre ac conceptione: Multò minus de Maria matre, & Jesu filio, quem Messiam esse negant. Ratio autem eorum est hæc: Quod promissum est Achaso signum, ad confirmationem conservandæ reipublicæ Judaicæ, ab exitio ac dissipatione à rege Syriæ & Israëlitis intentatis, ab Achaso videri, ante ipsam conservationem necesse fuit: aliàs idem non confirmasset. Atqui illa promissio Esa. 7. continet signum tale. Ergo illud ab Achaso videri oportuit. Contra verò Mariæ conceptio, & Jesu Nazareni nativitas, multis post Achasum annorum centuriis accidit. Ergo non potuit ei esse signum liberationis, ipso vivo brevi futuræ. Verum negatur propositio: quia, ut alia omittam, signa ad rem promissam confirmandam, præsentia esse possunt, ideoque efficacia argumenta bifariam: vel oculis corporis objecta: ut Jud. 6. vers. 17. 21. & 37. &c. vel oculis animi, quando verbo Dei sunt proposita: ut licet signa actu ipso sint absentia, ea tamen propter Dei veritatem quasi præsentia censeantur, & fidem non minus quàm præsentia confirment. Sed excipiunt rursus: Adventus Messiæ nihil facit ad Scopum Prophetæ, nempe confirmationem beneficii corporalis ac liberationis externæ, de qua sermo.

Imò ad eam rem pertinet plurimum. Nam cum ante Messiæ nativitatem, sceptrum è tribu Juda non sit penitus auferendum, Genes. 49. Sed ipsius gratia conservandum. Ergo reges Syriæ & Israëlis non poterunt illud sceptrum abolere ac Rempublic. prorsus subvertere, ut statuebant ipsi Esai. 7. v. 6. & Achas metuebat vers. 4. Deus verò non futurum promittebat, vers. 7. & signo nativitatis Immanuëlis è virgine comprobavit, quod perstante republica Judaica, secundum antecedentem prophetiam Jacobi notam Ecclesiæ, nativitas illius tandem erat futura: Ideoque rempubl. minimè delendam.

Verùm ex ipsis Esaiæ verbis, adversus Euangelistam objiciunt. Primum, promissionem Esaiæ, de conceptione & nativitate filii corrumpi. Eum enim non uti voce בְּתוּלָה quæ *virginem* notat sed עַלְמָה quæ vox generatim, *adolescentulam* seu *puellam integram*, aut *corruptam* notat, à עֶלֶם *adolescens*, ut ut מַלְכָּה *Regina*, à מֶלֶךְ *Rex*: Ideoque male Euangelistam vertisse, *ἡ παρθένος virgo*. Verum, & antecedens, & consequentia negatur. Antecedens, quia ut נַעֲרָה, ætatis nomen, generatim, *puellam* significat; בְּתוּלָה vero integritatem ac virginem, citra discrimen, adolescentulam, aut adultam significat: Sic עַלְמָה utrumque complectitur ac speciatim *puellam virginem* notat, ut eruditi docent, & usus Scripturæ demonstrat. Sed Judæi, ad suam sententiam confirmandam & Christianorum infirmandam objiciunt locum Proverb. 30. vers. 20. *via viri*, בְּעַלְמָה id est, *In puella*: id quod de corrupta ac scorto dici, ex proximè sequentibus, (*sic via mulieris adulteræ*,) comprobant. Contra Christiani plerique etiam hoc loco, quem solum producunt Judæi, virginem, sed variè, notari statuunt. Quidam definitè ac certam notari contendunt, nempe virginem Mariam, & virum Christum: quod conceptio ejus sit occulta, atque admiranda. Deinde allegoricè, proverbiorum & prophetarum more, mulieris adulteræ nomine Synagogam Judaicam (ut ita appellatur Esai. 57. vers. 3. Ezech. 16. vers. 5. & Matth. 12. vers. 39.) quæ à Deo recedens, Christum rejecit & condemnavit, ac nihilominus stupendam suam

suam impietatem impudenti fuco texit. Quæ sententia est Lyrani, Proverb. 30. & Pauli Burgensis in additionibus ad Lyranum, Esai. cap. 7. ex Raimundo Martino: quos etiam sequitur Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis, lib. 7. cap. 15. Alii verò, quia hoc subtilius videtur, quam verius, indefinitè, de virgine exponunt: quidam absolutè, nonnulli relatè. Absolutè de virgine, quæ mansit virgo, & *viam viri in virgine* exponunt artes varias ac rationes, quas vir adhibet, ut potiatur castâ virgine: sed frustrà. Verùm non videtur illud satis convenire verbis: Non enim dicitur, *via viri ad virginem* tentandam & obtinendam, sed *in virgine*. Nam quatuor occulta vestigia conjunctionis, comparatè describit: nempè viam aquilæ in cœlo, viam serpentis in rupe, viam navis in corde maris, seu in alto mari; & viam viri in virgine. Ideoque alii satius virginem quidem notari, sed relatè, non absolutè existimant: de virgine tanquam subjecto agi, cui violatio à viro accidit, eaque demum accidente, tum virgo esse desinit. Quod verò additur, *ita & via mulieris adulteræ*, nihil omninò obstat. Similitudo enim in eo est, quod nec violationis virginis jam peractæ, nec mulieris, quæ modò adulterium commisit, vestigium exterius appareat; quod specie ac professione castitatis tegatur. Ideoque quod nonnulli Interpretes magni, virginem per catachresin metaphoricam, aut periphrasin ironicam, lupam ac scortum impudens, quod se pro virgine venditet, interpretantur, idque ex sequentibus probare conantur, alienius esse apparet. Hæc de prima solutione, per negationem antecedentis nempè vocem עלמה non notare quamvis puellam, integram aut corruptam.

Altera solutio est negatione consequentiæ. Quamvis enim עלמה generatim significaret adolescentulam; hoc tamen in loco speciatim adolescentulam virginem notare, ut Matthæus exponit & prisca Judæorum Ecclesia indicavit: quia LXX. παρθένος vertunt, & res ipsa evincit, virginem notari, quæ & virgo concepit & virgo peperit. Nam disertè miraculum esse dicitur, ut versus 14. cum 11. collatus ostendit: ideoque *Ecce*, ad rei mirandæ indicium additur. Atqui si puella viri congressu concipiat ac pariat, nullum est miraculum: Imò nec mirum, sed res ordinaria ac consueta. Ideoque probari non potest viri alioqui eruditi & & orthodoxi Pellicani sententia, qui de puella intelligit, quæ Esaiæ tempore typus fuerit Christi. Ac mirum est, clariss. viros, Bucerum Matth. 1. & Musculum in Esaiam, eò inclinasse.

Sed alterum objiciunt argumentum ex ה articulo demonstrativo, quo, aut res præsens demonstratur: aut ea cujus in antecedentibus facta est mentio: atqui non est facta mentio ullius puellæ: Ergo intelligitur præsens aliqua, quæ quasi digito indicetur: ideoque non intelligitur Maria Christi mater, quæ primum post aliquot secula erat nascitura.

Verum negatur antecedens, quia ה (ut ὁ, ἡ, τὸ apud Græcos) semper quidem est articulus, sed non semper demonstrationi ac distinctioni inservit. Nam verbi gratia, Psal. 1. v. 1. האיש *Vir ille*, distinctioni inservit. Sed vers. 4. הרשעים *improbi* & כמוץ *ut gluma*, simplex articulus est, non autem demonstrativus, quasi *illi reprobi, illa gluma* intelligeretur. Deinde neque ה articulus, cum est demonstrativus, necessariò requirit, ut res quam demonstrat, sit præsens oculis; sed sufficit, si præsens sit menti, ac nota. Sic virgo illa Esai. 7. Insignem illam notat, quæ jam antea promissa, in primo illo Euangelio, de semine mulieris, contrituro caput serpentis. Ubi solius mulieris indicio, (ut Galat. 4. v. 4. *factum ex muliere*) patre cariturum, eoque è virgine nasciturum innuitur; & promissa etiam contritio capitis serpentis, seu de Diabolo, hoste salutis nostræ, victoria indicatur. Nam cum omnis homo, secundum naturam à patre genitus, sua vitiositate, serpentis Diaboli imperio subsit, utpote peccato & maledictioni obnoxius, non aliud semen mulieris, quam proxime virginis, ut peccato careret, intelligi potuit: idque Esaias expresse declarat, cum virginem vocat.

Atque hæc ad vindicationem primæ partis prophetiæ: (quæ promissio est conceptionis ac partus virginis) observanda. Altera verò pars est mandatum matri datum de nomine Immanuelis, filio imponendo. unde Judæi quartum suum adversus Euangelistam & Jesum Christum argumentum objiciunt, hoc modo: Filii illius, de quo Esaias agit, nomen à matre inditum est Immanuel. atqui Jesu Nazareni mater ei non indidit nomen Immanuelis, sed Jesu. Ergò Jesus Nazarenus non est filius ille, de quo agit Esaias cap. 7. *Pariet filium, &c.* Verùm negatur assumptio. Nam Jesus & Immanuel sunt idem nomen reipsa, etsi voce ac quadam circumstantia discrepent. idque Esaias intellexit, qui *nomen* accepit, non pro proprio nomine, sed pro re significata; quod ea filio virginis esset attribuenda. Quemadmodum nomen Messiæ, ab eodem Propheta, simili loquendi modo, cap. 9. 6. dicitur *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, &c.* & Jerem. 23. 6. *Iehova justitia nostra.*

Sed postremò ac quintò regerunt ex verbis seqq. Esai. 7. v. 16. quibus promittitur, fore, ut antequam noverit הנער hoc est, *hic puer*, nempe Immanuel, spernere malum & eligere bonum: utrumque regem, nempe & Syriæ & Israëlis excisum iri: quod ineptè omninò diceretur, si iste puer demum post multa secula esset nasciturus. Verùm respondetur, Judæos falsa niti hypothesi, cum puerum istum vers. 16. Immanuelem esse pro certo assumunt. Nam puer vers. 16. memoratus, non est filius ille promissus, vers. 14. nimirum Immanuel; sed aut definitè (ut plerique sentiunt) filiolus Esaiæ præsens, de quo vers. 3. & in eum finem, Deo imperante, à Propheta adductus: aut indefinitè (ut reliquis placet) puellus aliquis, quod, ut ajunt, non dicatur, ut in demonstratione personæ præsentis dici solet הנער הזה *puer iste*; ut sensus sit, non poterunt reges, Rezin Syriæ & Pekah Israëlis (quod moliuntur) evertere Rempub. Judaicam; non solùm, quia virginis filius Messias est venturus, propter quem & tribus Juda, & sceptrum illius (seu gubernatio Reipub.) certò, secundum promissionem Dei, Genes. 49. conservanda; sed etiam, quia brevi, uterque ille rex foret exscindendus, antequam puellus iste adolescat, ac malum à bono, recto judicio discernere valeat.

Atque hæc ad veritatis Euangelicæ & genuinæ sententiæ Esaiæ contra Judæorum argumenta, vindicationem. Unde superest, ut illud amplius, expositionis Judæorum oppositæ refutatione, illustremus. Expositio autem est triplex, ut ex commentariis in Esaiæ cap. 7. cum Rabbi Salomonis, tum Davidis Kimchi apparet. Prima est, nasciturum filium hic promissum, intelligi Achasi regnantis filium Ezechiam: sed hoc vanum esse demonstrat R. Salomo ex ætate Ezechiæ, quæ huic loco non convenit: quod ante regnum patris sui Achasi natus esset, jam annos novem. Hoc enim docet comparatio 2. Reg. 16. 2. & 18. 2. Ideoque nativitas Ezechiæ Achazo patri, postquam aliquot annos jam regnarat, promitti verè non potuit.

Quam rationem repetit D. Kimchi in commentariis Esai. 7. & aliam præterea adjungit, nimirum, quod mater Ezechiæ עלמה hoc est, ut interpretatur, adolescentula dici non potuit, quæ tum annos circiter tredecim fuerat conjugata. Quibus tertiam addit Procopius in Esai. cap. 7. quod nullibi in sacris literis legatur, Ezechiam regem vocatum Immanuelem: quod sanè non fuisset neglectum, si divinitus hoc nomen ei fuisset impositum: quemadmodum exempla & res ipsa demonstrant; quemadmodum *Abraham, Sarai, Israël* & similia declarant. Altera Judæorum expositio ac perversio hujus prophetiæ est R. Salom. sententia, qui vocem עלמה adolescentulam uxorem Esaiæ, & Immanuelem filium illius interpretatur, cui firmandæ adfert locum Esa. 8. 3. *accesseram autem ad prophetissam, quæ conceperat, & pepererat filium.* Sed licet Kimchi hanc opinionem primo repetat ac proponat, postea tamen rejicit ac refutat. Primum argumento probabili, quia si uxor prophetæ Esaiæ intelligeretur, vocasset eam non עלמה adolescentulam, sed נביאה prophetissam ut cap. 8. 3. Deinde argumento necessario, quod Judæa Esai. 8. 3. Immanuelis hujus terra vocetur, eoque modo Dominus illius statuatur: id quod Esaiæ filio minimè conveniat. Quibus & illud addi potest, quod ante ex Kimchi, contra primam expositionem attulimus, quod uxori Esaiæ prophetæ quæ jam antea prolem habebat, Esai. 7. 3. appellatio adolescentulæ (ut עלמה interpretatur

Kim-

Kimchi) non rectè conveniat. Quamobrem tertiam ac postremam adducit, hunc filium Immanuelem designare, Achazi Regis filium, ex aliqua puella nasciturum. Sed hoc non minus vanum est. Nam nullus Achasi filius, præter primogenitum ac regem Ezechiam, fuit Judææ Dominus, quod Immanueli tamen, fatente ac citante Kimchi, contra sententiam R. Salom. attribuitur. Ezechias enim Achaso proximè successit in regno, 2. Reg. 16. v. 20. eique, filius Manasse, 2. Reg. 20. v. 21. Denique omnes hæ Judæorum expositiones, eo diluuntur communiter, quod in tribus hisce commentitiis expositionibus, (quibus juvenculæ ex viro nempe Achazo aut Esaia partus promissus statuitur) nullum sit signum, hoc est, miraculum, seu factum, quod naturæ vires exsuperet; quale tamen eligendum Achaso erat propositum, Esai. 7. 11, 12. & tergiversanti consentaneè promissum, vers. 14. Quod adeò clarum est, ut Judæi hoc negare non audeant, sed nobiscum agnoscant. Atqui nullum est miraculum, sed naturale ac consuetum, si juvencula è viro concipiat. Nam quæ hic signa tradunt, mera sunt commenta, quale est 1. quod quidam (ut Rab. Salomo. narrat, sed non probat) illud signum esse statuunt, quod juvencula hæc dicatur paritura, quæ ad prolem concipiendam erat inepta. Sed unde quæso hæc inepta conjectura probabitur, cum nullum illius rei extet in Esai. vestigium? Ac, si ea esset mens, non minus declarata esset, quam in historia Saræ & Hannæ observatum. Alioqui quomodo potuisset Achas signum hoc intelligere, quod nec verbis expressum erat, neque ex iis quæ expressa, per ullam rectam consequentiam percipere potuit? Deinde quod Rab. Salomo in eo statuit signum, quod adolescentula, quæ ante non prophetarat, prophetatura esset, ideoque infra (nempè cap. 8. 3.) prophetissa vocetur: quod nomen, nonnisi præditæ Spiritu sancto, ac prophetico attribuatur. Hæc inquam narrare, refutare est. Nulla enim Esai. 7. 14. Prophetiæ aut prophetissæ fit mentio, ut in ea re miraculum statui posset. Deinde falsa etiam hypothesi nititur, quasi prophetissa, de qua Esai. 8. agitur, eadem esset, cum matre Immanuelis; quod etiam à Kimchi rectè refutatum ostendimus. Præterea quod nonnulli statuunt (& Lyranus Rab. Salomoni tribuit, quod tamen in commentariis illius nondum invenire potui) in eo signum esse positum, quod conceptio & nativitas masculi prædicetur: Id Lyranus ea ratione refutare conatur, quod illa prædictio vires naturæ non excedat, cum & homines periti, certis quibusdam signis, & dæmones hæc prædicere valeant. Verum Burgensis in additionibus suis ad Lyranum idcirco negat, quod futura merè contingentia, (qualia sunt futura conceptio & certo futura nativitas) sine revelatione divina, soli Deo nota. Quare Lyrano omisso, aptior solutio est, signum miraculosum hoc in loco, non esse positum in revelatione Esaiæ: sed in re revelata: seu non in rei naturalis ac consuetæ, licet ignotæ (qualis est juvenculæ conceptio ac masculi partus) prædictione; sed in re prædicta, quæ vires naturæ superat. Alioqui quot prophetiæ essent singulares, totidem fingenda essent miracula. Denique absurdum etiam est, quod Kimchi ait, illud hoc loco designari miraculum, quod *filius hic promissus statim à die nativitatis, edet* לדעתו *secundum notitiam suam, butyrum & mel, & omni rei dulci quam offerent ei, aperiet os suum & accipiet eam: sed si offerent ei cibum malum, renuet eum & occludet ei os suum, & non delectabitur eo.* Sed hæ nugæ seipsas absurditate sua confutant. Nam quid quæso miraculi, si infans dulcia naturæ instinctu, non autem judicio appetat; contraria renuat? Deinde Propheta quidem dicit, *comedet butyrum & lac*; sed non addit, *à die nativitatis suæ*. Hoc enim de suo perverse assuit Kimchi. Deinde quod dicitur לְדַעְתּוֹ *ad nosse ipsum*, non notat præsentem in esu notitiam; sed terminum futurum, sive לְדַעְתּוֹ *ad nosse ipsum*, hoc est, *ut norit*, seu potius, *donec ipse sciat*, ut ל idem notet quod עַד, *adusque dum, donec*: Id quod Chaldæus paraphrastes Jonathan (cujus authoritas apud Judæos quasi divina) ostendit, qui interpretatur עַד לָא יְדַע hoc est *quousque norit*, seu *donec norit*: quemadmodum etiam LXX. Interpretes, πρὶν ἢ γνῶναι αὐτὸν, *priusquam ipse norit*. Atque hoc modo hic Immanuel describitur ab humana natura sua, quod nobis futurus esset similis, quod & nutriendus more reliquorum infantum, & scientia in eo paulatim esset emersura: ut de Christo etiam asseritur, Luc 2. 40. & 52. Quare & Kimchi, & reliquorum Rabbinorum expositionem Esai. 7. vers. 14. absurdam, Matthæi verò & Christianorum reliquorum veram esse, seu עַלְמָה notare Virginem & filium illius Immanuelem esse Christum, concludimus.

De Immanuelis nomine.

QUoniam illustris Jesaiæ sententia Cap. 7. 14. prædictionem de conceptione & partu Messiæ è virgine: & mandatum de attribuendo nomine complectitur: ac prius membrum, à nobis explicatum & contra Judæorum oppugnationem assertum: consequens est, ut ad alterum, nempe mandatum etiam procedamus. In quo duo observanda: Nominis impositio, & illius expressio, seu nomen ipsi imponendum & qualenam.

Ad prius quod attinet, controversia est duplex, partim de genuina verborum Esaiæ interpretatione ac sensu: partim de verborum Matthæi recta lectione & veritate illius. Nam apud Esaiam extat, וְקָרָאת quod bifariam interpretantur: quidam, *& vocabit*, ut sit 3. pers. fœm. sing. per syncopen pro קָרְאָה sed hæc syncope, sine idoneo exemplo, statuenda non est. Nam si quis forte objiciat, Petrum Mart. gram. lib. 1. cap. 28. in notis ad præteritum, citare וְקָרָאת *& eveniet*, Deut. 31. 29. illud non est idoneum; quia hoc est pro קָרַת contracte pro קָרָתָה à קָרָה per ה in fine & cum א epenthetico, ut à plerisque doctis statuitur, ut in aliis exemplis productorum ת: ut עָשָׂת. Alii vero sine contractione esse verbum 2. pers. censent, & *vocabis* interpretantur, ut LXX. Interpretes καλέσεις, & reliqui tres Græci interpretes (Symm. Aquila & Theodotio) ut Hier. testatur, Esai. 7. & ibidem Procopius & Rabbini similiter exponunt. Sed occurrit vir doctissimus Piscator, in notis suis, non solum in Esa. 7. sed etiam Matth. 1. hoc modo: קָרָאת *inquit vocem Hebræam hic potius accipiendam in persona tertia, quam in secunda, videtur constare posse ex eo, quod litera finalis* ת, *non habet subjectum punctum Scheva, quod tamen ad formam secundæ personæ requiritur.* Illud inquam Grammaticæ præceptis non convenit. Nam ת secundæ personæ fœm. sing. in præterito habet quidem scheva expressum, quando consona antecedit: sed nunquam expressum, tantummodo vero intellectum, cum vocalem proximè sequitur. Nam scheva in fine non exprimitur, nisi in ך, aut duplici consona, ut consensus Grammaticorum & experientia exemplorum docet. Quare simplicissimum ac grammaticæ maximè consentaneum, vocem Hebræam hanc significare, *& vocabis*, licet Hieron. in Esai. 7. dicat, *verbum* קָרָאת *quod omnes interpretati sunt*, vocabis, *potest intelligi &* vocabit, *quod ipsa scilicet virgo, quæ concipiet & pariet, vocabit.* Sed cum persona secunda non exprimatur, quidam ad domum Davidis, quam compellat Propheta vers. 13. referunt, ut Cyrill. & Hieron. in Esai. ait: *vocabis tu domus David.* Sed obstat constructio, quia domus Hebraicè est masculini generis: קָרָאת vero fœminini. Idcirco Hebræi Rabbini ad matrem referunt, tu עַלְמָה quæ plurium sententia est. Ad Matth. verò quod attinet, duplex est lectio, una est ut legamus, καὶ καλέσεις *& vocabis*, altera est καὶ καλέσουσι *& vocabunt*. Priorem habet unum tantum exemplar manuscriptum Italicum Roberti Stephani, & Henricus Stephanus eam sequitur, in editione Nov. Testamenti, Anno 1576. eamque sequitur Beza ac probat, & nostra Belgica versio, sed ad marginem addit posteriorem. Alteram verò lectionem, ponunt reliqua omnia Roberti Stephani exemplaria manuscripta & editiones variæ & Syrus interpres. Deinde patres antiquissimi. Hinc Justin. contra Tryph. Judæum in citatione Esai. cap. 7. pro καλέσεις habet καλέσουσι, pag. 226. edit. Commel. & impersonalis verbi vi expressa, pro καλέσουσι, καλέσεται. pag. 203. & Orig. contra Celsum. Tom. 1. pag. 27. editio. Græcæ. Idque inde factum videtur, quod ex Matthæo ita sint interpretati. Deinde Epiph. in Ancorato, *& vocabunt*, inquit, *nomen ejus Immanuel. Non enim dixit, vocabo, sed vocabunt.* & Chrysost.

Matth. 1. disertè ait, οὐκ εἶπεν καλέσεις, ἀλλὰ καλέσουσι, οἱ ὄχλοι, τουτέστι, καὶ ἡ τῶν πραγμάτων ἔκβασις. *Non dixit vocabis, sed vocabunt, hoc est, turbæ & eventus rerum.* & Hieron. ad eundem locum Esai. 7. ait, *in multis testimoniis, quæ Euangelistæ, vel Apostoli, de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum, unde & in præsenti loco, pro concipiet in utero, Matthæus posuit in utero habebit, & pro vocabis, vocabunt.* Sed objici posset judicium Procopii Gazæi, Sophistæ Christiani, qui in expositione, Esai. 7. ait, καλέσεις λέγει, ἀλλ' οὐ καλέσουσιν, ὡς ἐσφαλμένως ἐν εὐαγγελίοις ἐγράφη, οὔτε γὰρ ἑβραϊκὸν, οὔτε τις οὕτως ἐξέδωκεν. hoc est, *dicit vocabis, non autem vocabunt, ut vitiose in Euangeliis scriptum est, non enim Hebraicum, neque quisquam* (scilicet Interpretum) *ita edidit.* Sed hæc firmant potius antiquam lectionem καλέσουσι *vocabunt.* Nam agnoscit disertè ita in Euangelio scribi, non autem aliam lectionem in usu esse indicat. Neque propterea corrigendum est, ut arbitratur, etsi apud Esai. non sit *vocabunt*, sed *vocabis*: quia sensum expressit Euangelista, non verbum, ut Hieron. ante monuit. Nam quod Esaias ad matrem ait, *vocabis*, eo non excludit, sed potius includit etiam Ecclesiam; quæ nomen hoc inditum à matre merito usurparet: Sic cum Matthæus ait, *vocabunt*, matrem non excludit, sed simul comprehendit hoc sensu, vocabunt, nempe Maria & Ecclesia eam secuta. Ac propterea genuinam lectionem Matthæi esse hoc loco καλέσουσι *vocabunt*, nequaquam videtur dubitandum, præsertim cum lectio vocis καλέσεις unico tantum exemplari manuscripto nitatur, ut ex Rob. Steph. Nov. Testament. majori forma excuso apparet: Cujus vetustas patribus non est conferenda, nec reliquis omnibus manuscriptis codicibus præferenda: eaque lectio videtur ex Procopii opinione ac censura in locum antiquissimæ ac genuinæ, à librario substituta.

Cæterum nomen IMMANUELIS non simpliciter vocatum, & vocis & sensus ratione simul, sed secundum quid, ratione sensus, res ipsa docet: quia cum voce JESUS, significationis forma convenit, etsi circumstantia variet. Sed quænam ejus sit significatio, sententiæ Theologorum discrepant, quas breviter expendemus. Quidam enim eo nomine (ut veteres patres, Chrysost. ad hunc loc. & inprimis Cyrillus de incarnatione unigeniti cap. 2.) personam Christi seu θεάνθρωπον notari putant, ut idem sit, 1. Tim. 3. 16. *Deus patefactus in carne.* Johan. 1. 14. *Verbum caro factum*: connotari verò per consequentiam, Servatorem; quod hæc sit proprietas θεανθρώπου. Contra vero alii beneficium illius notari censent, quod is sit, qui efficit, ut Deus sit nobiscum, seu nobis propitius, quod nos propter peccatum à Dei gratia separatos Esai. 59. reconciliet ac servet, ut cum nomine Jesu conveniat: Connotari tamen, consequentiæ ratione, personam; quia hoc præstare non meri hominis est, sed Dei. Denique quidam utrumque distinctè notari censent, prius, θεάνθρωπον, cum filius virginis vocatur Deus: posterius, cum additur, *nobiscum*, hoc est, qui adjutor est, ut Esai. 43. 5. *Ne metuito, Deus est tecum.* Num. 14. 9. *Iehovah nobiscum est, ne metuite eos.* Sic hoc in loco adjutor notatur, & quidem κατ' ἐξοχὴν Servator à peccatis, à pœna & labe peccati nos liberans, ut Jerem. 23. 6. Nomen ejus dicitur *Iehova justitia nostra.* Quæ sententia quemadmodum uberior ac simplicior est, prioribus (quas simul apertè complectitur) videtur præferenda.

Sed objicitur à nonnullis, huic expositioni obstare nomen Jesu: quod idem significatione esse oportet, cum voce Immanuel; ut veritas, & prophetiæ, & citationis illius constet. Atqui nomen Jesu ex interpretatione Angeli non notat Deum; sed tantum Servatorem: ideoque & Immanuelem hoc tantum significare expresse. Verum assumptio negatur: quia Angeli interpretatio utrumque notat, consequentia clarissima duplici. Primum, cum ait, *servabit à peccatis*, id quod solius Dei proprium: Esai. 43. 11. & 25. Deinde cum ait, *populum suum*, quo denotatur ipsum esse Ecclesiæ Dominum, ac propterea verum Deum, quod eam creârit & elegerit, ut Heb. 3. 3, 4, 6. Ac sufficit, hæc duo, Jesu & Immanuelis nomina convenire sua forma, sive sensu, etiamsi significationis modo differant. Ac propterea frustrà Euangelistæ à Propheta dissensionem objectant Judæi.

Atque hæc de nomine Immanuelis.

De Mariæ matris Iesu virginitate, ad vers. 24, & 25. Illustrationem.

Certum est ex antecedenti Esaiæ testimonio, vers. 23. explicato, Mariam Jesu Christi matrem, & in conceptione, & in partu extitisse virginem: sed an post partum virgo permanserit, olim fuit controversum. Siquidem nonnulli hoc negarunt, ut illi, qui, cum alibi, tum in Arabia inprimis, quod Mariæ honori essent adversarii, Antidicomarianitæ dicti, ut Epiph. de hæresib. hæres. 78. pag. 436. editio. Græcæ Basil. & ex eo August. de hæresib. hæres. 56. E quorum numero fuit Romæ Helvidius, cujus librum Hieron. tum Romæ etiam degens, scripto confutavit, quod 2. oper. illius Tomo extat. Argumenta autem Helvidii, ex hoc capite petita, sunt tria primaria, quorum primum ex vers. 24. *Iosephus accepit uxorem suam*, tale est; Maria non solum desponsata vers. 18. sed etiam uxor Josephi vers. 20. & 24. vocatur. Ergò Josephus cum ea rem habuit. Sed negatur consequentia; quia omnis desponsata est uxor: ut Deut. 22. docetur. Nam quæ vers. 23. desponsata: eadem disertè, uxor, vers. 24. vocatur: Siquidem, ut vulgo recte dici solet, conjugium non concubitus, sed consensus (seu desponsatio) facit. Sed regeri potest, concubitum esse conjugii officium, Gen. 1. 28. & 2. 24. Deut. 20. 7. & ad illud, desponsatione factâ, Josephum & Mariam fuisse mutuò obstrictos, 1. Cor. 7. v. 5. Verum officii illius exceptio una est, nisi conjuges communi consensu ab eo abstineant: & incontinentia non obstet, sed continentiæ dono sint præditi: ut eodem in loco, ad Corinth. docetur.

Alienius verò est quod August. Tom. 6. de sancta virginitate cap. 4. ait, Mariam vovisse virginitatem. Quod enim ejus rei probandæ, producit Lucæ verba, cap. 1. 34. *Virum non cognosco*, nihil probat: quia ea verba votum nullum continent. Alienius verò etiam est quod à Gratiano adfertur, decret: part. 2. causa 27. quæst. 2. canone *Beata*; quasi ex Augustino traditum: *Beata virgo Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expreßit ore, subjecit se divinæ dispensationi, dum proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus ei aliter revelaret. Committens ergo divinæ dispensationi consensit in carnalem copulam: non illam appetendo, sed divinæ dispensationi in utroque obediendo. Postea verò cum filium genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labiis expreßit, & uterque in virginitate permansit.* Hæc ille. Altera porrò, officii ante memorati, exceptio est, nisi Deus extra ordinem, aliud statuat; quemadmodum hac filii Dei conceptione & partu intercedente contigit, & ad reverentiam Mariæ & filii, & ne partus virginis in dubium, specioso prætextu, vocari posset, requirebatur. Si quis regerat, nulla igitur hujus desponsationis fuit utilitas: Hieron. contra Helvidium eleganter dissolvit. Cum ait: *Si cui autem scrupulus commoretur, quare desponsata & non potius sine sponso, sive, ut Scriptura appellat, marito, virgo conceperit, sciat triplicem fuisse rationem.* 1. *Ut per genealogiam Ioseph (cui Maria cognata erat) origo quoque Mariæ monstraretur.* 11. *Ne juxta legem Moysis ut adultera lapidaretur à populo.* 111. *Ut ad Ægyptum fugiens haberet solatium custodis potius, quam mariti.* Hactenus Hieron. & argumenti primi vers. 24. solutio.

Reliqua vero duo, ex vers. 25. petita sunt: unum ex voce ἕως, hoc est, *quousque vel donec*; alterum ex voce *primogeniti.* Secundum enim argumentum, hoc est; Josephus non cognovit Mariam quousque peperisset: Ergò post partum cognovit. Sed negatur consequentia. Nam vox ἕως *quousque*, non necessario, rei affirmatæ vel negatæ ultimum terminum notat; quasi postea contra evenerit; id quod illustribus utriusque Testamenti exemplis evincitur. Quale inprimis, quod à Theologis adduci solet, 2. Sam. 6. vers. 23. *Ipsi non fuit proles usque in diem mortis*: Quis autem sanus ex eo inferat: Ergo post mortem fuit ei proles?

Deinde

Deinde Deut. 34. 6. *Nec quisquam novit sepulchrum Mosis usque in diem hunc* : An ideo postea quisquam novit? Sic Matth. 5. 18. *usque dum praterierit cœlum & terra, Iota unam aut unus apex nequaquam praterierit ex lege, usque dum omnia facta fuerint* : non propterea tamen præteribit; quia lex Decalogi seu charitatis, (de qua Christus agit) citra controversiam est æterna. Et c. 28. 20. Christus asserit, se cum Apostolis esse, *usque ad consummationem seculi* : nec postea tamen cum iis esse desinet: imò pluribus modis adfuturus Matth. 19. 28. Joan. 14. 3. Denique, ut alia (brevitatis causa) omittam, 1. Tim. 4. 13. *Quousque venero, lectioni attende* : nec tamen postea ab ea abstinendum. Quare satis superque ex hisce liquet, vanum esse ex voce ἕως argumentum. Tertium argumentum est, Maria peperit primogenitum: Ergò non unigenitum, sed alios, aut alium saltem peperit postea. Sed negatur consequentia; quia *primogenitus* relatè ad antecedentem, non ad sequentem dicitur, estque is, ante quem nemo genitus; quemadmodum primus is est, ante quem nullus. Sicut Deus primus & ultimus dicitur, Esa. 44. 6. & 48. 12. quod nec ante eum nec post eum ullus. Idque Scripturæ definitio & usus evincit. Nam ut rectè adversus Helvid. Hieron. ait: *Definivit sermo Dei quid sit primogenitum; omne* (inquit) *quod aperit vulvam*: locus autem extat Exod. 13. 2. & 34. 19. 20. & Num. 8. 16, 17. quæ Mosis verba, etiam ad Christum primogenitum referuntur, Luc. 2. 23. Sed postremo excipitur, etsi non omnis primogenitus habeat post se genitum, Jesum tamen habuisse, ex Scripturæ interpretatione demonstrari. Ea enim fratres illi tribuit Matth. 12. 46. & Actor. 1. 14. imò nominatim etiam recenset, ut Jacobus Apostolus, Gal. 1. 19. *Frater Domini* vocatur, & Jacobus, Joses, Judas, & Simon, fratres illius appellantur, Matth. 13. 55. & Marc. 6. 3. Verum negatur consequentia: quia nititur falsâ hac hypothesi, quod *fratrum* vox, nonnisi eos notet, qui ab eodem patre proximè sunt geniti: quales Cain & Abel, Jacobus & Johannes Apostoli: cum contra in sacris literis sæpe pro iis, qui non proximè, sed remotè ab eodem patre ducunt originem, hoc est, pro cognatis, usurpetur. Quemadmodum Loth, filius fratris Abrahami, Genes. 12. 5. vocatur illius frater, Gen. 13. 8. & cap. 14. 14. Quemadmodum etiam Laban, Jacobum sororis suæ filium appellat fratrem, Gen. 29. 15. & Jacobus cognatos suos fratres similiter nominat, Gen. 31. 39. Imo Hieron. adversus Helvid. Tom. 2. hujus vocis homonymiam indicat, & strictim his verbis complectitur: *Quatuor modis in scripturis divinis fratres dici, natura, gente, cognatione, affectu*: & exemplis illustrat.

Cæterum, quomodo frates Christi & quinam dicantur, diversa sunt veterum judicia. Nam primum Epiph. de hæresibus contra Antidicomarianitas Heres. 78. tradit, filios Josephi, hac voce fratrum Christi intelligi, quos sc. ex priori sua conjuge genuerat: eosque esse Jacobum, Josen, Judam & Simonem: fratres vero Christi dictos non naturæ, sed communis educationis, in eadem familia, ratione. Qualia nonnulla etiam scribit Hæres. 28. contra Corinthianos & 29. contra Nazoræos. Sed hæc responsio aliena est. Nam quod de priore Iosephi conjuge dicitur, hoc nullo documento comprobatur: multò minus, hosce quatuor fuisse Iosephi filios, cum alterius fuerint, ut ostendemus. Altera vero genuina sententia est Hier. & aliorum, qui fratres Christi, cognatos designare statuunt: ut exempla demonstrant. Nam Jacobus apostolus, qui Gal. 1. 19. *Domini frater*, vocatur, fuit non Iosephi, sed Alphæi filius Matth. 10. 3. & Iacobus minor, relatè ad Iacobum majorem natu, filium Zebedæi, distinctionis causa, Marc. 15. 40. appellatur. Cujus unus frater, distinctè à Iuda Iscariote, dictus Luc. 6. 16. & Actor. 1. 13. Iudas Iacobi, sc. frater: ut in epistola Iudæ v. 1. exprimitur, & Lebbæus ac Thaddæus etiam cognominatus, Matth. 10. 3. quemadmodum apud Hebræos multi duo, triave habuerunt nomina. Alter deinde hujus Iacobi frater, fuit Ioses: quemadmodum horum trium communis mater, Maria nomine, Matth. 27. 56. quæ matris Christi soror fuit, ut apparet ex Ioh. 19. 25. Tertius Iacobi frater fuit Simon, Matth. 13. 55. qui ad distinctionem Simonis Petri, cognomine suo Cananites, Matth. 10. 4. & Luc. 6. 15. & Actor. 1. 13. ζηλωτὴς appellatur. Ac præter hosce Christi fratres, hoc est, cognatos, credentes in Christum, atque Apostolos, Jacobum, Judam, Simonem, Luc. 6. 15, 16. (Nam de Jose, quarto inter Christi fratres, hoc est, cognatos, an crediderit nec ne, nihil legitur) fuerunt etiam alii fratres (hoc est, cognati dicti) qui illis credentibus, Ioh. 6. 69. nondum credebant, Ioh. 7. 3, 5. Quare perperam ex fratrum Iesu Christi appellatione, uterinos fratres habuisse, eoque Mariam matrem ipsius, post partum, non permansisse virginem, concluditur. Quare hoc primum, certissimo fidei erga Dei verbum judicio, statuendum, Mariam concepisse & peperisse virginem: quia hic fidei articulus clara verbi Divini revelatione patefactus est. Deinde verò quamvis sacris literis non sit declaratum, an post partum, perpetuo manserit virgo: an verò ordinaria conjugii lege, à Iosepho fuerit tandem cognita: neque notitia illius ad salutem sit necessaria: charitatis tamen judicio (quæ in rebus dubiis de proximis suis, maxime decora & consentanea credit, 1. Cor. 13. 7.) non temere, perpetuò fuisse virginem, ab Ecclesia Christiana creditur: Quia (ut antè indicavimus) cum Ioseph fuerit vir prudens ac pius: ac similiter Maria virgo: virginitas illius conservata est: primum ob reverentiam erga filium Dei, qui ex Maria nasci voluit, sibique eam consecravit: deinde ad scandalum blasphemiæ Judæorum præscindendum: siquidem speciose satis, potuissent ex sequente Josephi congressu, antecedentem concludere, ac Jesum ab ipso genitum exprobrare: ideoque non è virgine, sed ex deflorata natum. Deum autem iisdem de causis utrique & Josepho & Mariæ, continentiæ donum tribuisse, consentaneum est. Neque opus est, ut ad continentiæ Josephi fidem majorem, cum Epiphanio contra ἀντιδικομαριανίτας conjiciamus, Josephum, cum desponsaretur Mariæ, fuisse valde provecta ætate ac fortassis octogenarium aut ultra. Deinde etiam, quod veterum quidam perpetuam matris Jesu Christi, post partum etiam virginitatem sacris literis definitam statuunt, illud non demonstrant solidè. Proferunt quidem Ezechielis dictum cap. 44. 2. *Porta hac clausa esto, non aperitor, nec quisquam ingreditor per eam, quia Iehovah Deus Israelis ingressus est per eam. Esto igitur clausa.* Sed hoc à re proposita alienum est. Nam quomodo probabunt, portam hanc clausam esse virginem Mariam, & ingressum, conceptionem notare? Et licet Hieron. non improbet, cum, sua primum posita sententia, tandem subjicit comment. in Ezech. c. 44. *Pulchre quidam portam clausam semper (quam solus Deus Israel ingreditur, & dux cui porta clausa est) virginem Mariam intelligunt, qua & ante partum & post partum virgo permansit*: Illud tamen minus rectè fieri, res ipsa arguit, quæ typo externi templi Ecclesiam: & principis seu summi sacerdotis & aliorum ejus subditorum ministrorum officiis, Christum summum sacerdotem & Ecclesiæ ministros, ei subditos, munere suo utrimque functuros, distinctè significat.

Atque hæc de virginitate Mariæ ad capitis 1. vers. 24. & 25. illustrandum diximus.

CAPUT II.

Quæstio prima de versu 5. & 6.

ILlustris sententia est, quam Matthæus, c. 2. 6. ex Michæ c. 5. 2. commemorat. In qua urbs natalis Messiæ, Bethlehem laudatur, & personæ Messiæ, munerisque excellentia, ad Ecclesiæ consolationem continetur. Siquidem Bethlehemi encomium proponitur primùm modo generali, deinde ratione singulari exponitur ac confirmatur à Messiæ nativitate. De quibus duabus partibus controversia est, inde à priscis temporibus celeberrima, eaque gemina. Nam & de prioris veritate, & de posterioris sensu genuino disceptatur; quarum recta explicatio, ad Euangelistarum authoritatem & Christi gloriam vindicandam, necessaria est. Quocirca non erit alienum, si de hisce

hisce tantopere controversis, pro modulo nostro, paucis disseramus.

Prior autem pars, est propositio generalis encomii Béthlehemi, quæ his verbis continetur: *καὶ σὺ Βηθλεὲμ, γῆ ἰουδὰ, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequaquam minima es inter duces Iuda.* Cujus sententiæ subjectum & adjectum prædicatum, expendenda. Subjectum est, de quo sermo: *Et tu Bethlehem terra Iudæ.* Bethlehém autem vox Hebræa est, composita ex בית id est, *domus,* & לחם *panis.* Hinc Græci patres (ut Athanas. Tom. 2. quæst. ad Antiochum) *οἶκον τοῦ ἄρτου* & Hieron. aliique Latini, *domum panis* interpretantur. Quod nomen videtur inditum, à loci fertilitate. Et patres in nominis hujus impositione, aliquid mysterii statuunt: quasi significaretur, fore, ut Messias, panis ille vitæ Joh. 6. 51. inde oriretur, quod mysterium uti non est certum; sic concinna tamen est similitudo. Bethlehem autem ejus nominis urbs, fuit duplex, una in tribu Zabulon, Jos. 19. 15. Altera in tribu Juda: unde ut à priori distingueretur, interdum additur nomen Synonymum Ephrata, ut Mich. c. 5. 2. & Gen. 48. 7. exprimitur, *via ad Ephratam, ea est Bethlehem.* De quo Hieron. Mich. c. 5. ad v. 2. ait: *Ephrata in lingua nostra sonare Καρποφόρον, uberem atque frugiferam, & id ipsum ostendere in mysterio, quod & domus panis,* quasi à פרה id est, fructum ferre, vox Ephrata derivaretur. Interdum etiam ad vocem Bethlehem additur Judæ, ut Iud. 19. 1. & quia in ea urbe natus est David, *civitas David,* periphrasi opportuna appellatur; ut Luc. 2. 4. *in urbem David, quæ vocatur Bethlehem.* Quo etiam modo hic Bethlehem *terra Iudæ,* appellatur, quod ad tribum Judæ, non autem Zabulon pertineret. Neque obstat, ut nonnulli putant, quod urbs hæc non fuerit regio Judæ: quia *terra,* non modo regionem aliquam, magnumque terræ tractum notat, in qua Synecdoche est: sed & quamvis partem illius, seu generatim, solum quodvis; ut cum dicitur, *cadere in terram,* & similia multa. Quod autem objicitur discordia hujus loci à propheta Micha, quod non scripserit, *Bethlehem terra Iudæ,* sed *Bethlehem Ephrata:* in eo inquam discordia non est. Nam diversis verborum circumstantiis, res eadem utrimque dicitur. Nam Ephrata est terra Judæ, & utrumque urbem Bethlehem describit ac distinguit. Quare paraphrastica est verborum Prophetæ citatio. Nam cum dixit Bethlehem Ephrata, expresse eo etiam indicavit, esse terram Judæ, quod in ea sola sit Ephrata. Ac videtur omnino, quia nomen Ephrata, Herodi, tanquam antiquum nomen, potuisset esse obscurius, idcirco descriptionem clariorem ejus loco substitutam.

Atque hæc de subjecto propositionis, nempe Bethlehem terra Judæ. Adjunctum verò prædicatum, continet encomium illius generale, per comparationem propositum hisce verbis, *οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα,* hoc est, *nequaquam minima es inter duces Iuda.* De quibus verbis gravior est controversia, quomodo ea cum prophetæ verbis conveniant. Sic enim objicitur: Quicquid negat illud ipsum, quod Propheta Micha affirmat, illud veritati divinæ repugnat. Atqui hæc Matthæi verba negant, quod Propheta Micha affirmat. Ergo divinæ veritati repugnant. Matthæus enim ait, *tu non es minima inter duces Iuda;* contrà verò Propheta Micha affirmat, *tu es minima inter duces Iuda.* Nam Hebraismus est (ut ab eruditis interpretibus rectè observatum, nominatim verò à clariss. Drusio in parallelis) *parva in ducibus,* hoc est, inter duces, pro minima inter eos; ut etiam Petrus Martinius rectè in Syntaxi c. 5. ad finem docet, ב præpositionem, superlativum nonnunquam designare. Cujus difficultatis objectæ solutionem, priusquam adferam, operæ pretium est, ni fallor, si memorabilem ac mirabilem Hieronymi ea de re explicationem, è duobus locis præmisero. Primus locus extat, Tom. 2. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi: *Quanta,* inquit, *est inter Matth. & LXX. verborum ordinisque discordia, sic magis miraberis, si Hebraicum videas, in quo ita scriptum est: Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël. Considera gradatim, quæ ab Euangelista sunt posita; & tu Bethlehem terra Iudæ: pro terra Judæ, in Hebræo est* Ephrata; *in* LXX. *domus Ephrata, & pro nequaquam minima es in ducibus, in Hebræo, Parvulus es in millibus Iudæ. Sensus contrarius est.* LXX. *sibi, in hoc duntaxat loco & Hebraico concordante. Euangelista enim dixit, quod non sit parvulus in ducibus Iuda, cum è regione sit positum, parvulus quidem es & modicus: sed tamen de te mihi parvulo & modico egredietur dux in Israël. Porrò quod sequitur, qui regat vel qui pascat populum meum Israël, aliter in propheta esse perspicuum est. Hæc replico, non ut Euangelistas arguam falsitatis; (Hoc quippe impurum est Celsi, Porphyrii, Iuliani) sed ut reprehensores meos arguam imperitiæ & impetrem ab eis veniam, ut concedant mihi in simplici epistola, quod in Sacris literis, velint nolint, Apostolis concessuri sunt.*

Alter locus est in comm. Mich. c. 5. ver. 2. *In Euangelio secundum Matthæum,* inquit, *cum Magi, &c. Respondisse narrantur in Bethlehem terra Iuda, qui Propheta testimonium addentes dixerunt: Et tu Bethlehem, &c. quod testimonium nec Hebraico, nec* 70. *Interpretibus convenire, me quoque tacente perspicuum est, & arbitror Matthæum (volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem, negligentiam) sic etiam posuisse, ut ab iis dictum est. Sunt autem, qui asserunt, in omnibus penè testimoniis, quæ de Vet. Testament. sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur aut verba, & interdum quoque sensus ipse diversus sit: vel Apostolis vel Euangelistis non ex libro carpentibus testimonia; sed memoriæ credentibus: quæ nonnunquam fallitur.* Hact. Hieron. minus sanè ἱερῶς. Ut autem jam expositis difficultatibus, syllogismo objecto respondeam, assumptio falsa est bifariam. 1. Quia ista verba, à Matth. quidem, ut ab aliis prolata, ita fideliter recitantur, prout historiæ lex postulabat: non autem suo ipsius nomine, aliorum dictis firmandis apposuit, quemadmodum orationis series ostendit. Nam de primariis sacerdotibus & scribis narrat, vers. 5. hoc modo. *Illi vero dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est.* Atque ita loco jam citato Hier. agnoscit, cum dicit, *qui* (nempe primarii sacerdotes,) *Prophetæ testimonium addentes dixerunt, &c.* Neque ulla ratio contrarium probare potest. Quare si quid vitii esset, in hac citatione prophetæ, illud citantibus esset tribuendum, non verò Euangelistæ, id de iis narranti; alioqui plurima, quæ recitantur in utroque Testamento, à multis scelerate dicta, historiæ sacræ & Prophetis atque Apostolis essent affingenda; cùm ab historico tantum fides in aliorum dictis aut factis narrandis sit exigenda; eorum autem justitia aut injustitia authoribus suis adscribenda. Nam quod Hieron. ad Pamm. contrarium Euangelistæ & Prophetæ sensum asserit, à viro pio impiè dicitur, licet falsitatem esse neget, sc. quod errore memoriæ factum est, non autem malitia ac fallendi studio, ut ex Comm. ad Mich. cap. 5. apparet. Nam licet aliam expositionem promittat in his Comment. hanc tamen sub aliorum nomine sic recenset, ut nullo modo damnet tanquam impiam, ut Eras. etiam in annotationibus ad Matth. cap. 2. observavit. Ac mirum est, virum doctiss. Erasm. tàm graviter impegisse, ut in profanam hanc sententiam inclinarit; cum ait de Hieronymo. *At falsitatis crimen abominatur in Euangelistis, τὸ μνημονικὸν ἁμάρτημα non item. Neque enim continuò forte vacillet totius Scripturæ authoritas, sicubi varient vel in verbis vel in sensu, modo summa constet earum rerum, de quibus agitur & unde cardo pendet nostræ salutis: &c.* Sanctius longè Ludo: Vives in annot. in Augustin. de civit. Dei, Lib. 8. cap. 30. ait: *Ita Spiritui S. errorem impingi.* Et rectè. Nam cum tota S. Scriptura sit θεόπνευστος, in ea scribenda omnem abesse errorem necesse est, non solum malitiæ ac fallaciæ; sed etiam memoriæ. Quia Spiritus sanctus eam non solùm Prophetis & Apostolis dictavit: Sed etiam in scriptione illius direxit: Adeoque, ut omninò, tanquam vera ac divina, fidem mereatur; undè fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cui superstructa est Ecclesia, eorum doctrina, Eph. 2. 20. eoque & Scriptura appellatur.

Deindè quam quæso indignum est, eam attribuere Apostolis negligentiam, quasi Scripturæ consideratione omissa, temerè, fallaci memoriæ credentes, in ejus citatione à veritate aberrassent? Hæc enim non est Apostolorum excusatio justa; sed injusta ac prophana adversus eos accusatio.

Quare

Quare assumptio objecta, nullo modo concedenda est, sed neganda simpliciter. Primùm, quia hæc verba non sunt Matthæi, sed aliorum. Quoniam ea, fide historica narrat, à primariis sacerdotibus & scribis, Herodi relata: non autem suo nomine proponit. Ideoque verba Euangelistæ dicenda non sunt; nec si quid in iis esset erroris, illius esset culpa. Secundò falsum etiam est, hisce verbis (sive ea sacerdotum, sive Matthæi statuamus) illud negari, quod Micha Propheta affirmat: quia; *Tu non es minima*, & *tu es minima*, videntur opposita: sed non sunt hoc in loco. Siquidem in verè oppositis, citra controversiam, hæ conditiones necessario requiruntur; nempe ut idem prædicatum, de eodem subjecto, secundum idem, hoc est, eandem subjecti partem, ad idem, hoc est, relatè ad idem objectum, & eodem tempore affirmetur & negetur: alioqui non est oppositio. Atqui in objectis hisce Michæ & Matthæi verbis conditiones hæ omnes non extant: Primum, quia ut Matthæus negat, sic & Micha, etsi modo differant; quod ille, negatione expressa, paraphrasticè ad majorem perspicuitatem; hic verò, per ellypsin, interrogationis schemate, negatione suppressa. *Es tu minima?* quasi diceret, nequaquam minima es; idque subjecta ratio arguit; *Ex te mihi egredietur dux.* quale schema, Joh.6.68. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Hoc est, ad nullum ibimus, quia verba vitæ habes. Atque ita intellexerunt hanc concordiam utriusque Veteres multi. Nam etsi LXX. Interpretum exemplaria antiqua quædam habeant ὀλίγοστὸς *minima*, sine expressa negatione: Intellectam tamen non excludunt. Et, ut in notis ad editionem græcam Romanam, LXX. Interpretum declaratur, quædam habent μὴ ὀλιγοστὸς, *an minima es?* ut μὴ creberrimè pro ἤ, hoc est *an*, accipitur interrogativè, & sequentem negationem, per ellypsin complectitur, an minima es? hoc est, non es minima, sive, quod eodem redit: ut μὴ sumatur pro *non*: hoc saltem constat, eos intellexisse, verba prophetæ negativè; ideoque per interrogationem: quia absque ea, necessariò affirmata essent. Et sic Patres quidam Græci senserunt, ut Orig. contra Celsum in edit. græca, pag.39. qui sic Michæ verba citat, καὶ σὺ βηθλεὲμ οἶκος ἐφραθὰ, οὐκ ἐλάχιστος εἶ. eodemque modo recenset Athan. Tom.2.quæst.ad Antiochum, in edit. Græco-latina, p.317. è Latinis verò Tertull. contra Judæ. cap.13. è Micha citat: *non minima es.* & Cypr. adversus Judæos ait, *quod in Bethlehem nasceretur apud Micheam, & tu Bethlehem domus Ephrata non exigua es, ut constituaris in millibus Iuda.* Quibus & illud addi potest, quamvis Hieron. Michæ 5. in loco supra citato, sine negatione LXX. legisse statuat; tamen in contextu ab ipso è LXX. Interpretibus translato, eodem in loco negationem appositam esse. Atque his consentit vir doctiss. Ludovicus Vives, in annotationibus ad August. de civitate Dei Lib.18 cap.33. qui de Matthæi & Michæ consensu sic ait: *maximè consentiunt, si Prophetæ verba per interrogationem legantur. Erit enim Prophetæ mens, quid tu Bethlehem exiguus es? Non es certè: quippe ex quo prodibit Princeps, qui reget populum, &c. Hunc sensum expressit Euangelista.* Postea verò Vives addit: *Hoc dictum per interrogationem majorem habet vim, & propheticis illis ardentibus affectibus congruentiorem quam simpliciter, quod schema prophetis haud est sanè rarum, & sunt ejus sexcenta exempla.* Hæc doctè Ludov. Vives. Atque ita (ut clariss. Drusius in parallelis suis rectè observavit) Apostolus expressit locum Davidis, Psal.14.2. *an est intelligens?* οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, Rom.3.11. hoc est, non est intelligens. Sic Actor.7. vers.50. οὐχὶ ἡ χείρ μου ἐποίησε ταῦτα πάντα; ubi in Hebræo, *omnia ista manus mea fecit.* Esa.66.2. Atque ita etiam Bellarm. antea similiter locum Michæ prophetæ cum interrogatione explicârat, & cum Matthæo conciliarat Tom.1. controv. de verbo Dei, lib.2. cap.12. Sed eam sententiam postea in libro recognitionum pag.3. in dubium vocavit & retractavit; cujus verba non importunè referemus, ut solutio eorum sit apertior. Sic enim ait: *Libro secundo cap.12. in ultimis verbis respondetur ad contradictionem, quæ videtur esse inter Michæam prophetam & Matth. Euangelistam, quod verba Michæ: Et tu Bethlehem parvula es, debeant legi cum interrogatione: & hoc modo non sint contraria verbis Matthæi: Et tu Bethlehem non minima es. Sed hæc responsio ut brevis & expedita sit, si probari possit; ita non est solida, & firma, si probari non possit. & quidem non satis video unde probari possit. Nam neque in codice Hebraico, neque in Chaldæo, neque in interpretatione* LXX. *Interpretum, neque in versione S. Hieronymi ullum invenitur signum interrogationis, apud Michæam* Hæc ille. Sed negatur primum consequentia. Nam ut apud Græcos ἤ & μὴ, & apud Latinos eodem sensu, *an* interrogationis signum sæpe per ellypsin deest: Sic apud Hebræos: ut Jud.14.16. *Et tibi annunciaretur?* Sic 1.Sam.11.12. *Saul regnaret super nos?* pro an tibi annunciaretur? an regnaret? Et 1 Sam.30.8. *persequar?* pro an persequar? quemadmodum ad eum locum Aben-Ezra rectè ait, דרך השאלה בלי הא השאלה *via*, id est, *modus interrogationis*, *sine* ה *interrogationis*: Et Esa.49.6. *Levior es quam ut voceris servus meus &c. Atqui dedi te in lucem gentium.* Levior, pro an levior, quasi dicas minimè levior. Et cætera similia quam plurima: è quibus nonnulla Drus. annotavit, in egregio libello de literis Moscheve caleb. ubi ostendit, ה articulum apud Hebræos interdum deesse, & exempla etiam quædam proponit illustria, ut est, Job.2.10. & 40.20. Deindè LXX. Interpretes (ut modò ostendimus, ex nonnullis exemplaribus, & Patrum Græcorum ac Latinorum insignium lectione consentanea) idem signum interrogationis intelligi indicant, cum vocem μὴ (sivè pro *an*, sive pro *non* acceptam) posuerunt, ut mentem prophetæ exprimerent. Denique tali signo opus non est, quando cohærentia sententiæ hoc declarat.

Atque ita constat, in verbis Matthæi & Michæ, non esse contradictionem, quia uterque, si sensum spectes, minimam esse negat. Matthæus quidem, sine ellypsi, expressè; Michas verò per interrogationem, cum ellypsi negationis.

Veruntamen ut consensio eorum amplius appareat, alias etiam solutiones, quas eruditi attulerunt, in medium proferemus. Nam secundò, licet in Micha non esset interrogatio: sed simplex affirmatio, *tu es minima*; in Matth. verò negatio: nulla tamen foret oppositio; quia ista non dicerentur secundum idem subjecti adjunctum. Nam Michas duo tribueret Bethlehemo. 1. Minimam quidem esse inter duces Juda, secundùm externam indigenarum ac civium copiam; deindè verò non minimam, sed maximam, dignitate & indigenæ unius ratione, quod rex Judæorum Messias ex ea esset nasciturus. Prius expressè positum est, posterius verò consequentiæ necessitate indicatur. quemadmodum Christus, Matth. 22. Mosen ait, de resurrectione locutum, *Ego sum Deus Abraham:* quod tamen non aliter, quam ratione consequentiæ dicitur; quod posito eo, quod Deus sit Abrahami Deus, futura sit resurrectio. Verba autem quæ apud Matthæum extant, prius membrum Michæ non negant, sed omittunt: alterum verò proponunt, exposito illius necessariò consequente; *Non minima es, quia ex te egredietur dux qui pascet populum, &c.*

Atque hunc sensum plurimi Theologi amplectuntur. Tertiò denique loco Andr. Hosian. in Harm. Euangelica ita conciliat, cum vocem Hebræam צעיר quæ *parvum* notat, pro adverbio accipit & *parum* interpretatur. hoc sensu: parum est, ut sis inter duces Judæ. Ex te enim, &c. quod idem est ac si diceretur, Multo majorem habes dignitatem, quam illi, ideoque non minima es inter eos. Sed duæ probabiles rationes videntur (præter contrariam omnium aliorum interpretationem) obstare; primum, quod etsi interdum nomina quædam masculina fiant adverbia. ut טוב quod *bonum* aut *benè* notat, nunquam tamen alibi צעיר *parvus* pro *parum* usurpatur. Altera est, quod hæc expositio etiam remotior sit, quam antecedens: quamvis alioqui, si alia exponendi ratio deesset, argumento apodictico refutari non possit. Denique Erasm. in annotationibus ad hunc locum dubiè conjicit, esse hyperbolen: *haud scio*, inquit, *an per hyperbolen dictum accipi possit: Nequaquam minima es in principibus Iuda, ut (quam vehementer humilem intelligi voluit) negaret vel minimam esse, perinde ac sic extrema nota hominem negemus esse in hominum numero, & quemadmodum Paulus supra modum contempta, vocat ea quæ non sunt: Sub-*

indicat

indicat & tale quiddam D. Hieron. *Michaea locum enarrans: & tantis inquit millibus comparata vix parvulus es viculus.* Hæc ille. Cujus conjectura juvari potest ac corrigi nonnihil, ut expressior sit convenientia, si etiam sine hyperbole exponatur. Non minima es, id est, nulla revera, ut Michas ita exponatur, parva es, seu minor es, quam ut sis inter duces Judæ: Ex te tamen egredietur Messias, & ut ea ratione γὰρ apud Matth. sumatur pro δὲ. Nam אלפי vel *millia*, vel metonymicè *chiliarchas* notat. Bethlehem verò tantùm oppidulum fuit, quod fortè mille milites non habuerit: unde κώμη vicus Joan. 7. v. 42. nominatur. Hæc de variis causis, quæ adferri possunt assumptionis negatæ; cur sc. Matth. non neget, quod propheta Micha affirmat, inter quas prima ratio, simplicitate reliquis videtur præferenda, ut statuatur, interrogationem esse in verbis Michæ, cujus sine interrogatione sententia in Matthæo fideliter exponatur. Atque hoc modo difficultas quæ adversus propositionem hujus loci (nempe, *Tu Bethlehem Iuda non minima es inter duces Iuda*) objici solet, expedita est.

Altera verò est de propositionis hujus confirmatione controversia, sed levior. Confirmatio autem apud Matthæum his verbis continetur. *Ex te enim egredietur ductor, qui pascet populum meum Israël:* apud Micham verò, *ex te mihi egredietur, ut sit dominans in Israël.* In quo consensus primum observandus, inter Judæos & Christianos, quod hæc verba encomium Bethlehemi contineant, quod ibi nasciturus esset Messias seu Christus Matth. 2.4. & 5. quemadmodum & Chaldæus Paraphrastes Jonathan, expressa mentione Messiæ interpretatus est, dum pro *egredietur ut sit dominans*, vertit: *egredietur Meßias, ut sit exercens dominatum super Israël.* Quem sequuntur Rabbini, ut R. Salom. Iarchi. *Ex te inquit mihi egredietur Meßias filius Davidis.* Idemque habet R. D. Kimchi ad eundem locum Mich. cap. 5. Atque in hac quidem re consensus est: Verum disquiritur, an aliqua sit inter ea, quæ Matth. recitat, & ea quæ Michas promisit, discordia. Quidam affirmant: alii, quorum sententiam probamus, meritò negant: ut examen eorum, quæ objiciuntur, demonstrabit. Objicitur enim primum quod Michas ponit, nempè, *mihi*, hoc est, ut mihi inserviat, meus sit legatus; Id apud Matth. omitti. Deindè quod à Micha omittitur, illud apud Matthæum addi, id est vocem ἡγέμενος, *ductor*, deindè *populum Dei.* Denique pro eo quod Michas habet, *ut sit dominans*, hoc apud Matthæum commutatur his verbis, *qui pascet.* Ergò inter utrumque, ob additionem, detractionem & mutationem hanc, discordia apparet. Sed negatur consequentia, quia hæc varietas in verbis, nullam in reipsa discordiam parit: Nam rei habita est ratio, non verborum. Apud Matthæum enim vocem *mihi*, quod ad quæstionis ab Herode propositæ solutionem non requirebatur, sacerdotes omiserunt. Quod verò addiderunt ἡγέμενος, id est, *ductor*, illud per ellypsin quandam à Propheta omissum servata eadem sententia, paraphrasticè expresserunt. Quemadmodum à D. Kimchi in expositione additur שופט *Iudex.* Etiam à Chaldæo paraphraste specialius, ad pleniorem intelligentiam nomen Messiæ insertum ostendimus. Quodque ad vocem Israël, *populum meum*, adjecerunt, paraphrasis est veritati consentanea. Denique quod pro verbis illis, *ut sis dominans*, in Matthæo sit, *qui pascat*, eadem prorsus est sententia. Nam *pascere*, Metaphoricè pro regere ac dominari, accipi solere, etiam Scripturæ usus evincit, ut 2. Sam. 5. 2. & 1. Chron. 10. 2. *Tu pasces populum meum Israël*, & cap. 7. 7. *Locutusne sum ulli Sceptrorum*, (hoc est, gubernatorum Israëlis) *quibus præceperam, ut pascerent populum meum Israëlem*, quod 1. Chron. 17. repetitur. Propterea non est inter Prophetam Micham, & verba à Matthæo expressa, ulla dissensio.

Cœterum, quia Michæ prophetia illustre est de Messia seu Christo (ut etiam Judæos nobiscum agnoscere antea ostendimus) testimonium; non ingratum fore speramus, si genuinam sequentium ac connexorum verborum sententiam inquiramus.

Verba autem prophetæ sunt hæc: *Et egreßiones ejus à principio, à diebus seculi.* Quæ variè ab interpretibus accipiuntur, ut ex Cyrillo Alexandr. ad Michæ cap. 5. apparet, cum ait: *Egreßiones itaque appellat, aut temporis expertem filii Dei ex Patre, in propria subsistentia, generationem; aut exhibitionem ejus in tempore futuram, quando caro factus est: aut etjam ex diebus seculi præfinita & constituta.* Posteriorem sententiam de præfinitione R. Salom. Iarchi & D. Kimchi, Jonathanem Chaldæum Paraphrastem secuti, probant. Hieron. verò in suis ad hunc locum commentariis, priorem: ut in hac prophetia, non solum nativitas temporalis ex virgine matre, quà filius hominis: sed etiam æterna, ex Patre, quà filius Dei, distinctè his verbis significetur. Sic enim Hieron. *Ex hoc parvo viculo egredietur Christus, qui est Dominator in Israël. Ac ne putes eum de genere David tantum esse, &c. Carnis assumptio divinam non impedit majestatem. De me enim natus est ante omnia secula, & seculorum conditor in tempore non tenetur, &c. Idcirco egressus ejus à diebus æternitatis.* Hæc ille rectissimè. Nam cum egressus è Bethlehem, futuram nativitatem ejus temporalem notet: Consequentiæ analogia indicat, *egreßiones à principio, à diebus seculi*, alteram, hoc est, à Patre nativitatem antecedentem à principio notare; ut significetur, eum, qui erat à principio, ut Joan. 1. 1. Carnem, hoc est, (per Synecd. partis pro toto) hominem factum, vers. 14. Idem deinde probant verba ista, *à Principio & diebus seculi:* quæ egressui seu nativitati è Bethlehem aptè tribui nequeunt: quæ à principio non fuit, nec à diebus seculi: sed futura à Propheta prædicitur. Quod autem objicitur, actu quidem futuram, sed Dei præfinitione fuisse à principio: ineptum esse res ipsa ostendit. Nam nihil prorsus est futurum, quod non sit præfinitum: Ideoque, si hoc loco ea esset Prophetæ sententia, nihil omnino peculiare de Messia; nihil quod non ante omnibus ex prædictione futuri egressus, jam esset cognitum, pronunciaret. Neque hanc expositionem D. Kimchi (qui patrem suum Josephum, Christianos oppugnantem, est secutus) argumenta diluunt. Cum enim Christiani hinc colligant, Messias debet esse à diebus seculi, idcirco esse Deum: objicit, illud falsum esse, ea de causa, quia Deus est ante dies seculi. Sed ratio vana est, quia hæc duo, *à seculo* & *ante secula*, probè possunt convenire. Nam Psal. 93. 2. de Deo dicitur, מעולם אתה *à seculo tu es Deus.* Nam quod Kimchi regerit, hoc significare ante mundum vel ante seculum מטרם עולם ut etiam exponit ad Psal. 93. קודם עולם *ante seculum*, seipsum confutat. Eadem enim hic est apud Micham sententia. Deinde etsi præpositio מן *à*, terminum hic notaret, non antecessionem significaret; æternitas nihilominus notaretur, hoc sensu: egressus à principio, scil. erant. Nam verbum substantivum à Propheta reticetur, quod citra controversiam intelligendum. Quo sensu Christianis dicitur, Joan. 1. 1. *In principio erat verbum*, & 1. Joan. 1. v. 1. quod *erat à principio.* ut etiam de Filio sapientia Dei similiter dicitur, Prov. 8. 23. *à seculo principatum habui:* hoc est, ut vers. 24. *Ante principium, ante primordia terræ.* Denique etsi sensus esset, à Principio, à diebus seculi, hoc est, inde à condito mundo: Nihilominus divina Messiæ natura & æternitas illius indicaretur. Nam si ille, qui post multa demum secula, imò circiter quatuor annorum millia est natus, etiam antea, inde à condito mundo & à fluentibus diebus seculi exstitit: merus homo esse non potest; sed verum æternumque Deum esse necesse est; cum ista duo nulli meræ creaturæ competant. Etsi enim Angeli fuerint inde à condito mundo & exiguo tempore in humano corpore divina dispensatione formato, Abrahæ aliisque apparuerint, animam tamen humanam nequaquam habuerunt: eoque neque homines fuerunt: neque quisquam eorum, aut Bethlehemi natus, aut ullo modo natus: De animali verò irrationali multo minus, nisi quis cum ratione insaniat, dici poterit. Si quis excipiat, egressum è Bethlehem nativitatem quidem Messiæ notare; sed egressum à diebus seculi nativitatis illius præfinitionem ac decretum significare; illud jam antea refutavimus. Ideoque in nova Bibliorum Gallicorum versione laudatissima, minus laudabile videtur, quod in notis hæc verba: *Egressus ejus à principio à diebus seculi*, sic exponuntur, hoc est, *patefactio ejus in carne*

carne, &c. Ordinata fuit per Dominum ab omni æternitate, aut quod oporteat eum egredi à Patre, ut se patefaciat hominibus. Quidam interpretes referunt hanc vocem ad generationem æternam. Hæc ibi. Ac sane postrema expositio optima: media inepta, quia verba *à principio à diebus seculi* repugnant: Prima verò aliena est, ob rationem ante allatam. Deindè quia sine necessitate, à significatione propria vocis sive verbi substantivi per ellypsin intellecti, ad impropriam atque insolentiorem, contra rectam interpretationis normam, recedunt, cum vocem *erant* aut *sunt*, quæ certo per ellypsin intelligitur, non de actu sed de potentia; seu non de existentia, sed de illius præfinitione seu decreto exponunt. Quum satis appareat propriam optimè fluere, & cum Esa. 9. v. 6. convenire, ubi Messias vocatur puer natus & filius (nempe Dei) datus, cujus nomen Deus, & *Pater seculi*, hoc est, *qui secula condidit*, quemadmodum de Christo dicitur, Hebr. 1. 2. Sed objiciat aliquis, Michas non ait, *egreßio ejus*: Sed *egreßiones*. Ergò de una, æternaque generatione à Patre intelligi non potest. Quod argumentum movit quosdam eruditos interpretes, ut per egressiones à diebus seculi, apparitiones varias filii Dei, Patriarchis factas exponant: unde sanè etiam Deitas illius per consequentiam probaretur. Sed licet hoc ingeniosum, non necesse tamen est, ut eo recurramus, sed potius, ut egressionem, de nativitate, tam in ultima quam prima Prophetiæ hujus Parte accipiamus, servata analogia, quià est numeri pluralis non insolens (præsertim cum dignitas notatur) enallage: quemadmodum & Hebræi interpretes, & Græci Latinique id agnoscunt. Atque hæc de hujus loci, vers. 6. controversia.

Illustratio Versus 15. *de* CHRISTI *reditu ex Ægypto.*

PRimâ hujus secundi capitis controversia, è vers. 6. de Prophetæ Michæ citatione expeditâ; altera jam succedit, orta ex vers. 15. de Christi ex Ægypto reditu: his herbis: *Et fuit istic usque ad obitum Herodis, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem, Ex Ægypto vocavi filium meum*: De cujus accommodationis veritate, olim controversiam movit apostata Julianus Imperator, Lib. 7. contra Christianos, quod Propheta de Israële loquatur; Euangelista contrà de Jesu. Ut Hieron. Hose. 11. 1. attestatur. Objectio est: Propheta de Israële loquitur ista verba: Ergò falsò in Jesu impletum esse asseritur. In quo nodo solvendo, doctissimi Interpretes discrepant. Quidam enim negant antecedens; quod de solo Christo, non autem de Israële, ea verba sint dicta: id quod aliis non placet, quia circumstantiæ de Israële agi ostendunt. Ac primum antecedentia verba, *cum puer esset Israël, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum*, ut Exod. 4. 22. *quia filius meus primogenitus est Israël.* Deindè consequentia quoque verba proxima, idem ostendere contendunt: quia iis idololatriam reprehendit, quæ soli Israëli, non Christo convenit. Verum ad utrumque respondetur. Primum verba Prophetæ antecedentia aliter reddi, ut conjunctio כִּי non *quum* seu *quando*, ut impropriè interdum accipitur, sed significatione propria accipiatur, scilicet *quia Israël puer est, quem diligo, etiam ex Ægypto vocavi*, hoc est, vocare decrevi suo tempore, non Israëlem puerum, sed ut distinctè ait, *filium meum*. Ad consequentia verò quod attinet: verum esse, ea de Israële etiam loqui, & quidem oppositione quadam ingratitudinis & maleficiorum illius, & contrà beneficii divini; ut sit sensus, quod licet idololatria sua Israëlitæ ingratissimi Deum gravissimè offendissent; & meriti essent, ut Christum exhibendum & fugandum suo tempore, in Ægypto relinqueret, & Israëlitas desereret: Deum tamen non destiturum ipsos pro sua misericordia diligere, & ad ipsorum salutem ex Ægypto filium suum Messiam, ad eos docendos & servandos, revocare.

Atque hæc de prima objectionis solutione, per negationem antecedentis. Altera est negatione consequentiæ: Etsi enim de Israële ista verba dicantur, inde tamen nequaquam sequi, ea non esse impleta in Christo. Sed de modo diversa sunt præstantium Theologorum judicia. Quidam respondent, quod Israëli accidit, deque eo à Propheta pronunciatur, in Christo impletum idem, non numero, sed specie; quod ut Israëlitæ olim ex Ægypto divinitus reducti sunt in terram promissam; sic etiam idem Christo evenisse. Nam quod dictum est, *illud impleri*, dici potest bifariam: vel cum quod de certo subjecto prædictum est, reipsa evenit: vel cum res eadem genere alteri similiter accidit, ut convenientia rei significetur: ut hoc loco. idque similibus exemplis probant, ut Matth. 13. v. 14. *Impletur in vobis prophetia Esaiæ: auditione audietis & non intelligetis.* Hic convenientia rei est, non autem ejusdem subjecti, & ibid. vers. 35. *Ut impleretur quod dictum per Prophetam, aperiam in parabolis os meum*, ubi simile est ejusdem rei exemplum, licet persona diversa. & cap. 15. v. 7. & 8. *Prophetavit de vobis Esaias dicens, appropinquat populus hic ore suo & labiis me honorat; Cor autem eorum procul abest à me.* Quibus verbis notari censent, quod Propheta, divino instinctu, in majoribus ipsorum similem hypocrisin condemnasset: nimirum consequentiæ ratione, cum idem genere vitium, in iis non minus quam in majoribus ipsorum extaret: ac propterea idem esset de utroque judicium. sic hoc in loco similitudinem esse in personis, Israëlem *filium* dictum ab Hosea, & Exod. 4. 22. *Filium primogenitum*, gratia nimirum vocationis: Christum autem filium, natura generationis. Deinde in adjunctis, deductionis in Ægyptum, & reductionis; Israëlem à morte quam fames attulisset, migratione in Ægyptum servatum: Christum similiter à morte, quam Herodes moliebatur, liberatum, & ex Ægypto, sublato illo periculo tandem reductum, non minus quam Israël in terram promissam.

Alter denique, negatione consequentiæ, solvendi modus est, qui ab aliis adfertur, simplicior & certis atque indubitatis exemplis magis confirmatus, & objectionibus adversariorum minus obnoxius: nimirum ut neque de solo Israële, neque de solo Christo, sed de utroque Prophetam loqui statuatur. De Israële quidem immediatè atque historicè, de populi Israëlitici jam olim ex Ægypto revocatione; mediatè verò ac propheticè de Christo, cujus ingressus & reditus, populi ipsius typo fuit à Deo adumbratus. Adeò ut hæc prophetia, non habeat sensus duos, historicum & propheticum, ut Pontificii de similibus locis perperam loqui solent: sed unum tantum sensum bimembrem, qui gradatim ac suo ordine, ut ostendimus, utrumque complectitur. Adeò ut si quis ad alterum tantum membrum accommodet, sensum quidem proponet; sed non integrum. id quod diligenter hoc loco & in similibus observandum. Cujus rei exempla sunt, ut Exod. 12. 46. *Os ejus non comminues*, de agno Paschali immediate & historicè dicitur, quemadmodum res ipsa arguit: mediatè verò per hunc typum, de Jesu Christo, agno spirituali Paschate nostro adumbrato, 1. Cor. 5. 7. ut Joh. 19. 36. *Facta enim sunt hæc, ut Scriptura impleretur, Non confringetur os ipsius.* Similiter, 2. Sam. 7. 14. Prophetia de Salomone proximè, de Christo mediatè ac typicè adumbrato, Hebr. 1. 5. proponitur. Sed objicitur: si Israël in reductione ex Ægypto in terram promissam, fuerit typus reductionis Christi: Ergo etiam in sua idololatria, quæ proximis verbis exprobratur. Atqui posterius absurdum est. Ergò & prius. Verum negatur propositio, quia utitur falsa hypothesi, quasi quicunque fuerunt typi Christi, simpliciter & in omnibus fuerint typi; cùm typus, secundum id tantum sit intelligendus, quatenus res adumbrata & divina expositio admittit. Certissimum enim est, Davidem typum fuisse Christi: sed non simpliciter in omnibus; (aliàs etiam in peccatis) sed in certis quibusdam; Sicut & Salomon, qua rex Israëlis pacificus, & à Deo in filium adoptatus, typus fuit Christi, veri spiritualis regis Israëlis, & naturalis filii Dei, 2. Sam. 7. 14. & 1. Reg. 22. 9, 10, 11. & 1. Chron. 28. v. 6, 7. Non autem quatenus peccavit, 2. Sam. 7. vers. 14. Ac propterea alienum non est, si Israël typus statuatur, ratione beneficii divini,

vini, reductionis sc. ex Ægypto, & non maleficii idololatriæ.

Atque hæc de hujus loci vers. 15. genuina sententia, & veritatis illius assertione.

Illustratio Versuum 17, *&* 18.

QUemadmodum antecedenti versu 15. verborum Hoseæ citatio suas habet difficultates: Sic etiam vers. 17. & 18. Quibus Jeremiæ sententia, quæ extat cap. 31. 15. impleta dicitur. Cæterum difficultas, non tam in verbis, quam in recta sensus convenientia consistit. Verba enim Prophetæ sunt: *Vox in Ramah audita est, lamentatio, fletus, amaritudines. Rahel deflet filios suos, renuit consolationem admittere de filiis suis, quia non sunt:* Matthæus autem eadem verba citat pauculis (sed sensu fideliter expresso) mutatis paraphrasticè. Nam primò vocem Hebræam רמה retinuit, quæ ambigua est. Nam aut *excelsum locum* notat, ut Ezech. 16. 24. (unde quidam interpretantur *in excelso*) aut urbem sic dictam, in tribu Benjamin, Hierosolymis & Bethlehemo vicinam, de qua Jos. 18. 25. & Jud. 19. 13. Atque ita acceperunt LXX. Interpretes & Matthæus accommodatè. Mutatio autem paraphrastica est, quod pro voce *amaritudinem*, quam LXX. Interpretes ὀδυρμὸν *luctum* aut *ejulatum* reddiderunt, Matth. similiter habeat, sed emphasi pluralis numeri magis expressa, ὀδυρμὸς πολὺς, quod Metaph. voce *amaritudinum* distincta à *lamentatione* & *fletu*, denotatur. Nam quod Jerem. verba, constructè accepta, transferunt vulgò *fletus amaritudinum*, id est, amarissimus, quasi Epitheton esset fletus; necessaria ratione destituitur, & LXX. Interpretum ac Matth. versione aliter indicatur. In reliquis nihil est diversi, præterquam quod ellypsin copulæ seu conjunctionis illius *&* tribus in locis, quemadmodum revera intelligitur, rectè supplent. Ad sensum verò quod attinet, de eo controversia est. Quæritur enim an Euangelista, hanc Prophetæ sententiam, fideliter exponat, cum de cæde infantum, ab Herode, Bethlehemi & in omnibus illius finibus, perpetrata dicat; *Tunc impletum est, quod dictum per Jerem. Prophetam dicentem: Vox in Ramah audita est, &c.* Objicitur enim ab adversariis Matthæi, Prophetam loqui tantum de calamitate Israëlitarum, quæ in destructione Judææ, cum in captivitatem Babylonicam abducti sunt, accidit. Ergo id non est impletum tempore Christi exhibiti & Herodis. Verùm ab eruditis Interpretibus bifariam respondetur. Ac primum, negatione antecedentis, Prophetam enim loqui non de veteri, sed de nova ac recenti calamitate, tempore Christi, quod Propheta, promissionibus rerum terrenarum allegoricis ac legalibus figuris, instaurationem Ecclesiæ per Christum & Euangelii præcones proponat, & præstantiam regni Christi describat. Postea verò, ne quis Ecclesiam crucis expertem Christi adventu fore falsò existimet, calamitatem eo nato obventuram describit: quæ ex effectis consequentibus patheticè indicatur, nempe *voce*, *lamentis & ejulatu multo*, *seu amaritudinibus* supple animi, & per Prosopopœiam quandam Racheli mortuæ, in vicinia Bethlehemi sepultæ, deploratio filiorum tribuitur. Deinde, ne nimium Ecclesia calamitate pronunciata consternaretur, consolatio subjicitur divinitus, vers. 16. *Sic ait Iehovah: Cohibe vocem tuam à fletu & oculos tuos à lachrymis.* Sed objicitur, eam consolationem pertinere tantum ad Judæos in captivitatem Babylonicam abductos; Sic enim proximè additur, *quia est merces operi tuo, dictum Iehovæ, quod reversuri sunt è terra inimici;* quo reversio è Babylone hostili terra promittitur; quod Bethlehemitis & vicinis Christi tempore, non competit. Sed respondetur, propriè quidem non convenire, sed allegoricè: quod per liberationem è captivitate Babylonica & reditum in patriam promissam, significetur liberatio è captivitate, potestatis Satanæ & peccati: & reconciliatio cum Deo, ad patriam cœlestem recuperandam; ut alibi etiam Scriptura loqui solet allegoricè.

Atque hæc de negatione antecedentis. Deinde altera responsio est negatione consequentiæ: Etiamsi Propheta ageret de calamitate sui temporis, non autem futura tempore Christi; rectè tamen dici posset impleta prophetia ac calamitas, non eadem quidem numero, sed specie: Quod quemadmodum viciniæ Bethlehemiticæ ea calamitas olim accidit: Sic etiam renovata fuit Christi tempore, adeo ut simile sit exemplum. Quemadmodum Jacob. 2. vers. 23. dicitur de Abrahamo, cum filium suum Isaac animo ac conatu sacrificasset: *& impletum est, quod dicit Scriptura, credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam.* Atqui hoc dictum est à Deo, Gen. 15. v. 6. Rom. 4. v. 22. antequam Isaac esset natus: ac propterea idem numero impleri non potuit: Sed similiter postea impletum est. Quippe cum fide obtulerit Isaacum, Hebr. 11. v. 17. similiter etiam, ut initio justificatus est.

Atque hæc de vers. 17. & 18.

Illustratio Versus 23.

MEmorabilis est in vers. 23. difficultas; cujus explicatio, ad rei intelligentiam & fidei confirmationem, adversus protervos Euangelii adversarios, necessaria est. Verba autem hæc sunt: *Et cum venisset, nempe in partes Galilææ,* vers. 22. *Habitavit in urbe, quæ dicitur Nazareth, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quia Nazaræus vocabitur.* De quibus verbis consensus est, Jesum ita vocatum, non solum ab Apostolo, Act. 2. v. 22. & 3. 6. 4. 10. & à Christo ipso Act. 22. v. 8. Sed etiam ab adversariis, Matth. 26. vers. 71. & diversa terminatione Nazarenus, Marc. 1. v. 24. & 14. v. 67. ut etiam ab Angelo, Marc. 16. v. 6. Dissensio verò est de Prophetarum citatione. Quæritur enim an rectè, an verò contra perperam sit instituta. opponitur enim hic nodus: Matthæus dicit, hoc dictum per Prophetas, & tamen in Scriptura nullibi extat; Ergò malè hoc asserit. In quo nodo expediendo, & olim, & nostris temporibus, à Theologis plurimum laboratum est; quorum sententias strictim persequemur. Solutionis enim modus duplex adferri solet. Primus est negatione antecedentis: Extare enim in Scriptura; sed quonam in loco judicia variant. Quidam Esai. 11. v. 1. eumque locum spectari sentiunt, ubi Christus vocatur נצר hoc est, *surculus è radicibus ejus*, scil. Isai, & occasione urbis Nazareth, quæ surculum notat, נצרת sic Christum vocatum, ut Hieron. eam expositionem quorundam in Comment. Esai. 11. v. 1. recenset; *Illudque*, inquit, *in Euangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici & nusquam inveniunt, ubi scriptum sit, quoniam Nazaræus vocabitur: Eruditi Hebræorum de hoc loco sumptum putant.* Hæc Hieron. Quod autem regeritur, non dici dictum per Prophetam putà unum, sed per Prophetas, ideoque plures: facilè solvitur. Nam est enallage numeri non inusitata, prophetæ, pro uno è prophetis, seu Propheta. Quemadmodum ejus rei exempla illustria extant. Primum Joh. 6. v. 45. *Scriptum est in Prophetis*, quod tamen in solo Esaia scriptum. Sic Actor. 13. vers. 40. *quod dictum in prophetis*, & tamen verba sunt, quæ adducuntur, solius Habakuki. Similis enallage numeri pluralis pro singulari, Matt. 27. vers. 44. *latrones* prò uno è latronibus, seu pro latrone, Luc. 23. 39, 40. Alii verò non Esaiam citari existimant, nec caput illius undecimum spectari, sed Judic. cap. 13. vers. 5. quo in loco de Samsone ab Angelo, dicitur, *quia puer, Nazaræus Dei erit ab utero.* Sed quidam tamen illud minus idoneum existimant, primùm ob vocis diversitatem, quæ obstare videtur. Nam Nazareth, cujus occasione Christus dictus est Nazaræus, scribitur per צ literam, ut ex Syro Testamento constat. Nazaræus autem Jud. 13. per literam ז: Quam difficultatem movit Hieron. Esa. 11. v. 1. & expressè Tremell. in notis ad Matth. Syriacum cap. 2. Veruntamen responderi potest, quamvis diversæ sint literæ, maximam tamen esse inter צ & ז affinitatem, ut non mirum sit eas interdum commisceri. Ut quemadmodum Hebraicè מוץ *gluma* vel *palea minuta* dicitur: Sic Chaldaicè non solum מוצא sed etiam literæ mutatione מוזא ut Chaldæus paraphrastes, Psal. 1. v. 4. ea voce utitur. Ac propterea Naza-

Nazaræus & Nazareth potuit modo per *Tzadi*, modo per *Zain* scribi ac pronunciari. Sed secundo loco objicitur, hæc non posse inter se convenire: Nam esto, Nazareth etjam per ז potuerit scribi & pronunciari, (quemadmodum Græci pro צ, qua litera carent, Ζῆτα ponunt,) atque ita cum voce Jud. 13. Nazaræus conveniat, sensus tamen obstare omnino videtur. Nam Nazaræus dictus fuit, quia ratione educationis puerilis Nazarethæ habitavit, unde Jesus à Nazareth, Joh. 1. v. 35. & Act. 10. v. 38. appellatur. Ergò malè dicitur in eo impletum, quod à Prophetis dictum: *Nazaræus vocabitur.* Nam Jud. 13. sensus non est, Nazaræus erit, hoc est, à Nazareth educatione ortus: sed separatus erit ac sanctificatus, peculiari ritu, ad cultum Dei, ut res ipsa arguit. Verum nodus solvitur, Christum sic dictum ab urbe Nazareth, non ratione consilii hominum, quod ipsum ea occasione ita appellarunt: sed ratione consilii Dei, ita dirigentis præter eorum propositum, etiam revera Nazaræum dictum, quod Deo esset separatus ac consecratus. Quemadmodum similis locus, diversæ sententiæ, sub iisdem verbis, ratione hominum & Dei occurrit, Joh. 11. vers. 50. Nam Caiphas Pontifex de Christi morte sic ait: *Non consideratis, conducere, ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat:* Subjicit autem Euangelista. *Hoc à seipso non dixit, sed cum esset anni illius sacerdos summus, prophetavit, fore ut Iesus moreretur pro populo, & non solum pro populo, sed etiam ut & liberi Dei dispersi in unum congregarentur.* Atqui res ipsa docet, non eam fuisse mentem Caiphæ hostis Christi: Sed nihilominus factum est, ut quod malo animo & consilio aliter intelligebat ac pronunciabat, Dei tamen, sic linguam dirigentis, consilio, id enunciaret: quod alio sensu esset verissimum, quem Deus notare voluit iis verbis. Sic hoc in loco, si hominum, nomen Nazaræi vulgò tribuentium, mentem consideremus; significatum est Nazarethæ educatum; sin verò Dei, hoc ipsum gubernantis consilium, quis spectet, alio potissimum sensu ita fuit appellatus. Idque vocis ambiguæ attributione Deus innuere voluit. Quod autem à nonnullis objicitur, dici, non à Propheta sed à Prophetis: Illud jam ante solvimus, demonstrato usu talis enallages pluralis pro singulari. Id quod etiam Syrus interpres agnoscit, cùm singulari utitur בנביא *in Propheta.* Deinde non mirum, ut à nonnullis observatum, si liber Judicum, à prophetis diversorum temporum, qui illum librum auxerunt ac conscripserunt, dicatur *propheta*, hoc est, multorum prophetarum liber. Quamvis nonnulli & illud addant, posse etiam aliter, *à Prophetis dictum* affirmari, per Mosen prophetam, qui in libro Numer. cap. 6. de Nazaræis egit generatim, deinde per Prophetam in libro Judicum cap. 13. qui sigillatim de Nazaræo Samsone agit. Sed postrema difficultas obtendi solet, nempe liber Judicum loquitur de Samsone: Ergò non de Jesu Christo. Verum negatur consequentia, quia hæc non sunt opposita, sed composita. Nam de utroque loquitur; de illo, primum ac proximè; de Christo verò, secundo loco ac mediatè, quod per typum Samsonis fuerit adumbratus. Nam quod regeritur ab erudito Interprete, Christum ea fecisse quæ Nazaræis erant interdicta, bibisse vinum, mortuos accessisse & attigisse, & comam non aluisse, ut ex 1. Corinth. 11. v. 14. & communi Judæorum usu apparet: illud infirma nititur hypothesi: Nazaræus enim non est unius generis, sed alius ceremonialis, alius eo adumbratus. Nec enim Christus fuit Nazaræus ceremonialis, aut voto libero, ut Numer. 6. aut necessario, ex Dei mandato, ut Samson, Jud. 13. Sed spiritualis, externaque ceremonia adumbratus, utpote qui segregatus à peccatoribus, totum sese Deo perpetua sanctitate consecravit, Heb. 7. v. 26. Quod autem Jud. 13. dicitur *erit*, hic verò apud Matthæum *vocabitur:* verbi differentia est tantum, sed sensus idem. Nam per Meton. adjuncti consequentis pro subjecto suo antecedente, verbum illud *vocari*, pro *esse* sæpè in S. literis usurpatur, ut Matth. 5. v. 9. *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur*, hoc est, erunt, ita ut ab aliis pro talibus celebrentur, & Esa. 56. v. 7. & Marc. 11. 17. *domus precationis vocabitur*, hoc est, erit & agnoscetur.

Hæc de primo solutionis nodi objecti modo nempe negatione antecedentis. Alter verò est negatione consequentiæ; quamvis enim hoc in Scriptura sacra, non inveniatur, non propterea malè citari à Matthæo, rectè concluditur: quia non ait, *scriptum est*; sed *dictum est.* Multa autem dicta à prophetis, quæ ab iis non sunt scripta. Sed objiciat aliquis. Atqui undè scire hoc potuit Matthæus? respondemus ex Spiritus S. cujus instinctu scripsit, revelatione. Quemadmodum Judas Apostolus in epistola sua, Henochi prophetiam recitat, quæ tamen nullibi in Scriptura posita, neque ab ipso Henocho scriptam esse probari potest. Deindè scire potuit traditione, à Patribus accepta, ac vulgò non ignota. Quemadmodum Paulo nota fuerunt Magorum, Mosis adversariorum in Ægypto, nomina, Jannes & Jambres; ut docet 2. Tim. 3. vers. 3. Licet enim ea, neque à Mose, neque à prophetis essent scripta: dicta tamen fuerunt proculdubio, & per traditionem continuatam Judæis non ignota; ut ex Chaldæa Jonathanis paraphrasi, Exod. 7. constat, in qua nomina illa recensentur, Jannes & Jambres; Atque illa traditione Paulo nota esse potuerunt, (utpote Judaica disciplina accuratè imbuto,) & potissimum Spiritus S. declaratione, cujus instinctu epistolam illam animo concepit ac scripsit. Deindè etiamsi Matthæus dixisset, *scriptum est:* Nihilominus verè dictum esse potest, licet in sacra Scriptura non inveniatur: quia multa prophetarum scripta, partim hominum incuria, partim injuria temporum interciderunt: è quibus sententiæ quædam, vulgo notæ ac residuæ fuerint per traditionem: qualis & hoc loco apud Matthæum esse potuit, quam Spiritus S. ei dictando, veram esse ostenderit. Atque hoc sensit Chrysost. cum ait: *Quis Propheta hoc dixerit, ne superfluum laborem sumas, neque fueris curiosus; multa enim ex propheticis periere monumentis.* Sic etiam Theoph. *Quis*, inquit, *Propheta hoc dixerit non invenitur nunc; per negligentiam enim Iudæorum multi libri desiderantur, & ob continuas captivitates.* Deinde antecedentem responsionem addit, cum ait: *Fortassis absque Scriptura, ἀγράφως hoc dicebatur apud Iudæos.* Sed objiciat aliquis: si libri aliqui prophetarum perierint; Ergò non omnia ad salutem necessaria, Scriptura sacra continentur. Verum negatur consequentia: quia quæcunque ad salutem necessaria sunt, iis scriptis quæ supersunt sufficienter continetur, Johan. 5. v. 39. 2. Tim. 3. v. 15, 16, 17. quemadmodum Paulus ait, Act. 20. vers. 27. Se omne Dei consilium annunciasse, idque comprehensum esse scriptis Mosis & prophetarum extantium testatur, Act. 26. v. 22. Nam Canon perfectus Vet. Testamenti quinque libris Mosis primùm est constitutus: reliqui verò Prophetarum libri, ad expositionem & claritatem majorem accesserunt, non autem ad doctrinæ salutaris, quasi imperfectè traditæ, perfectionem. Quare quosdam libros prophetarum non extare agnoscimus, ut Josu. 10. v. 13. citatur *liber recti.* ut etiam 2. Sam. 1. 18. alius (ut circumstantia temporis ostendit) eodem titulo. & libri Semajæ Prophetæ & Edonis, 2. Chron. 12. vers. 15. & 13. 22. & liber Chronicorum Regum Israëlis, 1. Reg. 14. v. 19. & alter Regum Judæ, vers. 29. Nec enim illi, de libris Chronicorum extantibus, intelligi possunt; quandoquidem hi, libros Regum non antecesserunt; sed iis diu postea successerunt; & post reditum Judæorum à captivitate Babylonica, (& quidem per Esdram ut vulgo censetur) sunt conscripti. Idque inde liquet quod in genealogia, 1. Chron. 3. v. 19. Serubabel, (qui post captivitatem Babylonicam vixit,) imò & posteri ipsius recensentur. Etsi autem libri hi & nonnulli alii perierint; inde non sequitur, aliquid de dogmatis ad salutem necessariis periisse: cum omnia ea, ut ante ostendimus, scripta comperiantur in iis, quæ extant, & Dei providentia, ad salutem Ecclesiæ conservata. Sed objici potest adversus hanc solutionem: Si hæc sententia, nempe Nazaræus vocabitur, nullibi in Scriptura reperitur; Ergo non omnia, ad salutem necessaria, in ea conservata sunt, quandoquidem in perditis prophetis, quædam extiterint, quæ non extant in sacra Scriptura & tamen credenda sunt. Sed negatur consequentia & ratio illius est invalida. Quamvis enim id credendum sit relatè; seu quatenus illud à Matthæo est revelatum, & inde nobis

cognitum, non tamen absolutè: quia non est dogma fidei, sed tantum quædam circumstantia ad illius pleniorem explicationem pertinens. Nam sine cognitione illius, salus esse potest, siquidem duabus de causis hanc sententiam, *Nazaræus vocabitur*, Matthæus recenset: quarum prima est, ut consoletur pios adversus scandalum ex nomine Nazaræi à Judæis arreptum, quasi non Bethlehemi, sed Nazarethæ esset natus, ideoque neque Messias esse posset, Joan. 1. v. 47. & 7. 41. & 42. Contra enim Euangelista occasionem nominis esse, ostendit quod Nazarethæ non natus, sed tantum educatus. Deinde altera etiam causa est, ut ad confirmationem fidei in Jesum Messiam inserviat, videlicet, ùt sit membrum aliquod particulare, integræ & universalis hujus demonstrationis, omnia quæ de Messia prædicta sunt, in Jesu esse impleta, ideoque Jesum esse Messiam. Quo etiam illa nominis Nazaræi appellatio de Messia prædicta, ipsi conveniens pertinet. Sed cum prædicta à Prophetis de Messia, quædam illi sint propria solique conveniant;ea per se quoque sunt rationes validæ,ad illud probandum; quale est nativitas è virgine ex Esa. 7. Matth. 1. Alia verò non sunt propria, eoque nec per se ad probandum sufficiunt, quale est Matth. 2. quod Bethlemi natus, quia id cum multis ipsi commune. Sic etiam quod Nazaræus vocatus. Ideoque non per se argumentum solidum constituit, (nec in eum etiam finem adducitur,) sed reliquis junctum. Quare inde satis liquet, quod Jesus Nazaræus esset vocandus, non pertinere ad dogmatis fidei constitutionem; sed tantum expositionem ac probationem, & quidem non universalem, nec per se, sed tantum particularem & reliquis junctam.

Atque hæc de diversis vindicationis sententiæ Matthæi cap. 2. 23. modis, quibus veritas ac fides illius in Prophetis de Jesu, Nazaræi nomine appellando, asseritur. Ut autem, quid in hac probabilium solutionum varietate, videatur maximè consentaneum, exponam: aptissimam arbitror secundam illam negatæ antecedentis propositionis solutionem, quod locus à Matthæo citatus extet, Jud. 13. v. 7. Ubi Samsoni attribuitur propriè: metaphoricè verò ac mediatè futuro Messiæ, per Samsonem, typo prophetico, adumbrato; ut antea pluribus ostendimus. Ac sanè, præterquam quod Nazareatu suo typus fuit Christi, in multis etiam aliis rebus, non humana, sed divina potentia præstitis, similitudinem habuit Christi. Adeò ut, licet non sit necessarium, verisimile tamen videatur, etiam in iis fuisse typum. Ut ut sit; prima similitudo est in conceptione, utrimque miraculosa, ac divinitus promissa: Samsonis quidem è matre sterili, Jud. 13. v. 3. Christi vero è virgine Matth. 1. Altera in fine conceptionis: Samsonis quidem, ut inciperet liberare Israëlem de manu Philistinorum, Judic. 13. v. 5. Christi verò ut liberaret omnino populum suum, Israëlem Dei, Galat. 6. v. 16. seu Ecclesiam suam à peccatis, Matth. 1. & salutem conferret ab hostibus nostris & è manu omnium eorum, qui nos oderunt, Luc. 1. v. 71. Diabolo ac mundo foris, carne verò intus. Tertia est in utriusque appellatione: Nomen prioris est Samson, Hebræis Simson, Jud. 13. v. 24. quod solem notat: & sanè in tenebris calamitatum reip. Israëliticæ, ab hostibus oppressæ, Solis instar exortus est: Christi verò appellatio, *Sol justitiæ*. Mal. 4. 2. *Oriens ex alto, ut appareat iis, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in via pacis*, Luc. 1. v. 78. & 79. Quarta est in vita seu rebus per Dei potentiam extraordinariam gestis. Primum enim; ut Samson Spiritus Dei robore, occurrentem leonem sævum ac rugientem in frusta discerpsit, Jud. 14. 5, 6. Sic Christus Diabolum quasi leonem rugientem, 1. Petr. 5. 8. divina vi superavit, Gen. 3. v. 15. cum epist. Heb. 2. v. 14. Johan. 14. v. 29. & 12. 31. Et ut Samson vi divina, deinde solus hostes Philistæos gravi plaga affecit, Judic. 15. v. 8. ac deinde mille viros occidit asini maxilla, vers. 15. Sic Christus hostes, mortem ipsi intentantes evasit, eosque repressit, Luc. 19. v. 30. & postea in terram verbo prostravit milites adversarios, Joh. 18. v. 6. Quinta, ut Samson hostes suos à quibus detinebatur, morte sua occidit, Judic. 16. 27. & 30. Sic Christus *per mortem abolevit eum qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum*, mundumque ac carnem quoque superavit, Hebr. 2. v. 14. Colloss. 2. v. 14, 15. Rom. 6. v. 6. & 8. v. 3. Denique, ut Samson vivus, ab hostibus, in urbe Gaza, portis custoditis inclusus, fores portæ cum duobus postibus, vi divina adjutus, arreptis, salvus egressus est: Sic Christus mortuus ac sepultus & ab hostibus Sacerdotibus primariis sepulchro obsignato & apposita custodia conclusus, Matth. 27. 64. & 66. remoto lapide, resurrexit, atque evasit, Matth. 28. v. 2. & 6. Quæ similitudines, etsi non ad certam confirmationem doctrinæ de Christo pertineant, ad illustrationem tamen optimè convenire apparet. Atque hæc de illustris illius loci, de Christo Nazaræo vocando, explicatione. Cui, quasi utilis *Corollarii loco*, visum est adjicere locum Athanasii de perditis nonnullis Prophetarum libris; partim ut ea, quæ de hac materia antea diximus, illustrentur amplius; partim ut in Doctorum veterum & recentiorum scriptis, majore cautione & errore minori prudenter versemur. Eum autem locum Wolfgan. Musculus, insignis Theologus, in suis ad hanc Matthæi sententiam, commentariis recenset: qui inter opera Athanasii Latina, ejus tempore nondum extabat: sed in editione postrema Commelini Tom. 2. in fine Synopsis S. Scripturæ pag. 136. ponitur, sed Latinè tantum his verbis: *Nathan*, inquit, *& Addo & Achia Silonita, & Semei, & Iehu, scripti libri, in libro Regum referuntur. Sunt autem isti prophetæ ex iis, qui prophetias suas literis mandarunt, quæ tamen non inveniuntur. Psalmorum Davidis trium millium numerum fuisse in Paralipom. scribitur: è quibus tamen 150. tantum ab amicis Ezechiæ regis selecti; reliqui verò absconditi sunt. Quinque millia Parœmiarum à Salomone edita esse, Scriptura in Paralipomenis tradit: nunc verò non sunt nisi Ecclesiastica illa & Canticum Canticorum; ex pluribus, quæ mystica sunt, selectas esse scriptum est. Quin & 5000. Canticorum Salomonis fuerunt. Et locutus est de arboribus à Cedro qui in Libano est ad Hysopum usque qui è muro nascitur. Locutus est etiam de jumentis, de volucribus, de reptilibus & piscibus. Et hæc tamen nusquam in Hebraicis literis reperiuntur. Iosephus prophetam Ezechielem duos prophetiæ libros scripsisse narrat. Nos verò jam unum duntaxat inveniri scimus. Itaque hæc omnia per impiorum Iudæorum amentiam & incuriam periisse manifestum est.* Hæc ille. Quæ sanè, aut Athanasii viri doctissimi esse non videntur, aut saltem miris modis depravata. Nam ut pauca tantum attingam, vanum est in Paralipom. scribi, Davidem tria Psalmorum millia edidisse; imò nullibi in S. Scriptura id extstat. Deinde Salomonem scripsisse 5000. Parœmiarum, ac deinde in Paralipomenis tradi, utrumque falsum est. Nam 3000. tantum recensentur & quidem tantum, 1. Reg. 4. v. 32. Ac mirum sanè est à doctissimo Musculo tam fœdos errores non esse indicatos. Cœterum quod de duobus Ezechielis libris dicitur, illud extat apud Joseph. Antiquit. lib. 10. cap. 6. Verùm per duos illos libros videtur omnino intelligere duas illius distinctas partes, ut primus liber sit ab initio & finiatur, cap. 39. alter verò à cap. 40. ad finem: ubi de collapsæ Ecclesiæ per Christum restauratione agit. Quemadmodum me legere hanc conciliationem memini probè, sed author excidit. Idque etiam inde probatur, quod Josephus contra Appionem lib. 1. solummodo viginti duos libros recenseat, ideoque quæ de libris Ezechielis dicit, numero non convenirent.

DE CAPITE III.

IN Euangelio Matthæi, duo præcipuè tractantur. Primum est Christi persona: alterum illius attributa. Ac persona describitur, partim à majoribus, unde ortus, nempe Abrahamo & Davide: partim à matre, è qua conceptus ac natus, virgine Maria, cap. 1. Personæ verò attributa reliquo opere explicata, sunt tria: vita, mors & resurrectio. Vita autem declaratur, cum privata, tum publica; privata est, quam inde ab infantia ad ministerium usque transegit. Cujus adjuncta recensentur à Matthæo tria, regiæ illius majestatis sub humili specie latentis, à Magis adoratio: & consequens ab Herode persecutio; & inde fuga in Ægyptum; & reditus atque habitatio Nazarethæ, ac

Naza-

Nazaræi nominis origo cap. 2. Reliqua de infantia Christi, ut curiositati nostræ occurratur, prætereuntur: paucula tantum, Luc. 2. recensentur, quæ ad doctrinam idonea. Publica verò Jesu Christi vita est, quam in ministerio suo traduxit, ac duobus membris explicatur, præparatione ad ministerium, & executione illius. Præparatio illa est bimembris: Una enim est divina excellentiæ illius declaratio, capite tertio. Altera est, de tentatione Satanæ, victoria, cap. 4.

Divina autem excellentiæ Jesu declaratio est duplex, mediata & immediata. Illa est, per Joannis Baptistæ ministerium: qui & testimonium excellentiæ muneris ipsius exhibuit, & ad officium resipiscentiæ, ac fidei, in Christum, doctrina ac baptismo viam stravit. Testimonium autem, partim prædicatione, apud populum de Jesu Messia; partim compellatione ipsius Jesu continetur. Nam prædicavit primum generalius adventum regni cœlestis Messiæ exhibiti, eoque ad resipiscentiæ officium excitavit, vers. 2. Deinde specialius regis Christi potestatem ac potentiam in baptismo Spiritus Sancti & ignis vers. 11. & in judicio universali exercendo, vers. 12. Atque hæc de mediata excellentiæ Jesu declaratione divina. Immediata verò est, quæ ab ipsomet Deo est sine hominum ministerio. Quæ partim in facto, nempe in apertione cœli & Spiritus Dei, sub specie columbæ, super Christum descensu, (quo muneri suo est inauguratus) vers. 16. partim in elogio patris, de persona Jesu divina vers. 17. consistit.

Hæc strictim de primariis hujus capitis membris. Reliquum est, ut quæstiones nonnullas, quæ moveri solent, expendamus.

Quæstio I. *ex vers.* 1. *de nomine Iohannis Baptistæ.*

JOannem hunc, Zachariæ senis sacerdotis & Elizabethæ sterilis naturâ, Luc. 1. v. 7. sed Dei gratia fœcundæ, filium esse vers. 13. constat. Et ut ab Apostolo Johanne distingueretur, à baptizandi munere, ipsi primum imposito, Matth. 3. 6. & 11. Baptistam dictum esse, Matt. 14. 2. & 8. &c. cap. 16. v. 14. Deinde non humano consilio, sed Dei, per Angelum, jussu, Luc. 1. v. 13. à parentibus suis ita nominatum, Luc. 1. 60. & 63. Tertio non temerè, sed peculiaris rei significandæ gratiâ, illud impositum: ut Dei sapientia requirit, & usus in similibus nominibus, divinitus impositis, ostendit: ut nomen Abraham, Genes. 17. v. 5. Sara v. 15. & 16. Isaac v. 17. Israël Gen. 32. v. 28. Sic nomen Jesu & Immanuel, Matth. 1. & alia, certæ rei significandæ sunt indita à Deo. Præterea & illud etiam certum, nomen Ἰωάννης, Græcè esse idem quod Hebraicè יוחנן 2. Reg. 25. v. 23. & Syris hoc loco יוחנן: Denique originem illius esse à חנן *gratis dare*. Sed de figura vocis & significatione eruditorum sententiæ variant. Nam primùm quidam figuræ simplicis esse censent, ut jod sit litera formativa: Sed de significatione non idem censent. Sunt enim nonnulli, qui passivè *gratiosum* seu *gratum & acceptum* notari putant: idque videtur Angelus indicasse, Luc. 1. v. 13. & 14. *Vocabis nomen ejus Ioannem, & erit tibi gaudium & exultatio, & multi de ejus nativitate gaudebunt.* Quemadmodum etiam Christus ait, Johan. 5. v. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens; vos autem voluistis ad tempus exultare in luce ejus.* Alii vero activè interpretantur, *gratiam conferens*, hoc est, gratiæ præco. Nam quod Luc. 1. 14. de gaudio dicitur, illud non ut etymon seu nominis Joannis ratio: sed ut nativitatis illius & prædicationis gratiæ fructus denotatur. Quemadmodum Luc 2. v. 10. similiter de Christo enunciatur. Denique sunt, qui utramque nominis rationem conjungunt, & quod gratiosus esset; & gratiæ præco ac minister, ut Luc. 1. 76. & 77. Idcirco isto nomine appellatum. Veruntamen quamvis hæc duo Joanni reipsa convenire, atque ita hæc inter se consentanea agnoscam: non propterea tamen possunt in Etymologiâ ita concurrere, ut eadem vox, eadem derivatione, à sua radice, & activè, & passivè simul accipiatur. Etsi enim quædam voces, à radice sua deflexæ, modò passivè, modò activè disjunctim accipiantur: non tamen simul ac conjunctim, varia significatione, eidem subjecto tribuuntur. Alii vero non simplicem sed compositam vocem statuunt, ex יהוה & חנן, ut יוחנן sit contractè pro יהוחנן quod extat, 1. Chron. 26. 3. Jonathan pro Jehonathan & Josedek pro Jehosedek, & similia multa. Atque ita sensum esse putant *Iehova gratiam præstabit*. Quæ expositio uberior est, & linguæ Hebrææ genio magis apta, & finem ministerii Joannis Luc. 1. v. 77. & 78. egregiè exprimens.

Quæstio II. *ex vers.* 4. *de Iohannis Victu, seu quid ἀκρίδες notent.*

JOannis Baptistæ cibus describitur à Matthæo duplex, vers. 4. ut victus illius austeritas indicetur, nempè ἀκρίδες & mel agreste. Qua de causa adversus Pharisæos dicitur, Matt. 11. v. 18. *Venit Ioannes neque edens neque bibens, & dicunt, dæmonium habet*; hoc est, quod solito cibo & potu communi non uteretur: ut Luc. 7. v. 33. exponitur, *venit Ioannes Baptista neque panem edens, neque vinum bibens & dicitis, dæmonium habet.* In quo cibo Joannis, extra controversiam est, quid sit mel agreste: nempe quod sine hominum cura, in agris ac desertis, ab apibus proferebatur; utpote cum in Judæa adeò copiosæ sint apes, ut etiam in petris, cavernis, cavis arboribus, agrisque mellificent; qualis mellificationis apum in cavata petra, Homerus meminit. Iliad. β. versu 88. Quo pertinet illud Mosis, Deut. 32. 13. *datque ei sugendum mel è petra*, & Psalm. 81. *Etiam melle ex petra satiarem te.* Et 1. Sam. 14. 25. dicitur in sylva fuisse mel in superficie agri, & vers. 26. de sylva dicitur, *ubi ecce fluxus mellis erat.* Hæc de melle certa sunt. Sed de priori disceptatur, quid scil. hoc loco significent ἀκρίδες. Hac enim de re duplex est interpretum sententia. Nam primum plerique *locustas* interpretantur. quod ex quatuor locis, (quibus in Nov. Testam. occurrit) in duobus hoc citra controversiam significat: ut Apoc 9. 3. & 7. undè & locus Matt. 3. 4. & Marci idem repetentis, cap. 1. v. 6. similiter exponitur. Cui expositioni, usus & esus locustarum, convenit: siquidem ארבה locustæ (quam vocem LXX. plerumque ἀκρίδας verterunt) inter cibos Judæis licitos recensentur, Levit. 11. 22. Plin. etiam tribus in locis, similis esus meminit. Nam Lib. 6. cap. 30. naturalis hist. ait: *Pars quadam Æthiopum locustis tantum vivit, fumo & sale duratis in annua alimenta.* Deinde Lib. 7. cap. 2. de quadam Indorum gente ex Agatarchide, locustis eos ali asserit. Denique de locustis, Lib. 11. cap. 29. sic ait: *Parthis & hæ* (nempè locustæ) *in cibo grata.* Sic Eustath. in Homeri Odyss. Lib. δ'. ex historia refert, Æthiopes Macrobios locustis vixisse, & viso pane, stercori comparasse. edit. Rom. p. 1593. Atque hæc prima est expositio, ut ἀκρίδες locustas notent, ab effectis suis, sic dictas, ut Etymolog. magnum inter alia testatur, παρὰ τὸ ἄκρας τῶν ἀσαχύων καὶ φυτῶν νέμεσθαι, quod summitates spicarum & plantarum depascant. Alii verò ἀκρίδες exponunt non locustas, sed ἀκρόδρυα, hoc est, τὰ ἄκρα τῶν δένδρων. δρῦς enim, priscis quamvis arborem notabat, ut Scholiastes Aristophan. in comœdiam ἱππεῖς dictam, pag. 227. edit. Basilien. & Etymolog. magnum in voce δρυμὸς pag. 288. edit. Commel. testatur. Atque ita exposuit primus (ut videtur) Nicephorus Callistus, histor. Eccles. Libr. 1. 14. ubi de Joannis Baptistæ victu, in diserto loquens, ait: *Ibi tenerioribus arborum frondiumque summitatibus pro cibo, &c. utebatur.* Theophylactus idcirco ait in Comment. ad hunc locum, quosdam vocem ἀκρίδες exponere τὰ ἀκρόδρυα ἤτοι ὀπώρας ἀγρίας *summitates arborum*, sive *fructus agrestes*. Sed prior expositio ob vocis significationem usitatam ac certam & rei convenientiam sive locustarum in cibis tenuioribus usum, communi consensu meritò præfertur. Altera verò ob significationis novæ, quam attribuunt, insolentiam (quam etiam in Thesauro Græc. ling. perstringit Henr. Steph.) minimè convenit: quandoquidem conjectura Nicephori potius, quam ullo bonorum authorum usu aut indicio nitatur.

Hæc de austeritate victus Joannis: cui altera in amictu consentit, nempe vestimento è pilis Camelorum & zona pellicea circum lumbos, vers.4. Cujus austeritatis universæ causa consideranda est, efficiens & finis. Efficiens fuit Dei voluntas ac directio, Luc.1.v.15. *Erit enim magnus in conspectu Domini, & vinum siceramque non bibet, & Spiritu S. implebitur etiam ab utero matris.* Finis vero austerioris illius vitæ fuit duplex; proximus quidem, imitatio Eliæ in amictu, 2 Reg.1.8. Etsi enim victus similitudo non apparet, illud non obstat; sufficit enim in amictu fuisse, & quod uterque extraordinario quodam modo in deserto sit versatus, inprimis verò, quod simili spiritu pietatis, zeli atque invictæ constantiæ, collapsum Dei cultum, restituerint, & regibus Hypocritis sese opposuerint, Elias Achabo & Jesabeli, Joannes verò Herodi Matth.14.v.4. Luc.1.v.17. *& ipse præcedet coram eo cum spiritu & potentia Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios & rebelles ad prudentiam justorum, ut paret Domino populum instructum*, unde Mal.4.v.5. Elias propheta, metaphoricè, ob similitudinem fuit appellatus: *Ecce, inquit, ego mittam vobis Eliam prophetam & convertet cor patrum ad filios.* Hinc Christus de Joanne, Matth.11.v.14. *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus erat.* ubi obiter notandum conjunctionem *εἰ Si*, exponi fortè posse *an*, ut interdum & אם Hebræis & εἰ Græcis interrogativè usurpatur. Et cap.17.v.12. *Elias jam venit, & non agnoverunt eum.* Neque obstat, quod ipsemet Joannes Baptista rogatus, an esset Elias, se esse negârit: quia non Malachiæ prophetiam respicit, qua metaphoricè Elias dicitur: Sed mentem & errorem interrogantium Pharisæorum, qui propriè personam Eliæ expectabant & intelligebant, Matth.17. v.11,12. Itaque non absolutè, sed relatè, ad interrogantium mentem, Eliam etiam se negat.

Hæc de proximo, austerioris vitæ Joannis, fine. Remotus verò fuit populi, per novitatem vitæ ejus & imitationem Eliæ, præparatio. Nam ut nova ista vitæ austeritas, improborum Pharisæorum invidiam, Luc.7.v.33. sic contra populi admirationem & attentionem commovit. Unde Christus Matth.11.v.7,8. ad turbas de Joanne ait, *quid exiistis in desertum ut spectaretis? arundinem quæ agitatur à vento? sed quid exiistis? ut videretis hominem mollibus vestibus amictum?*

Atque hæc quidem ad versus quarti illustrationem.

Quæstio III. *ex vers.* 6, 9, 14. *de Baptismo Iohannis.*

CElebris est, inter nostros & Pontificos, de baptismo Joannis controversia, duabus inprimis quæstionibus constans. Quarum prima est de genere illius: altera verò de vi & efficacia ejusdem. De genere enim quæritur, an fuerit Sacramentum: & comparatè de specie, an idem cum baptismo Christi. Nostri utrumque affirmant: Pontificii utrumque negant; ut inter alios Bellar. Tom.2. de Baptism. Lib.1. cap.20. Cujus rationes ad veritatis confirmationem paucis diluemus.

Prima est: Baptismus Joannis ab ipso institutus est; non erat ergò Sacramentum, præsertim novæ legis. Consequentiam probat, quia nullus homo, purus, sacramenta instituere potest. Antecedens verò, quia in Scriptura passim vocatur baptismus Joannis, Matth.3. v.7,21,25. Verum respondetur, antecedens esse falsum, & rationem illius infirmam. Joannis enim baptismus dicitur, non quia author fuit illius, ut adversarius ait; sed quia fuit primus minister. Quemadmodum lex Mosis dicitur, non autem lex prophetarum aliorum, quod scil. per eum primum lata fit: non quod author, sed quia fuit primus minister. Nam quod objicit Jesuita, posse eadem ratione baptismum Christi, vocari baptismum Petri & Pauli, quod Scriptura cavit: illud dissimile est, quoniam filius Dei, homo factus, imperavit suis Apostolis ut baptizarent, neque ipsi primi baptizarunt, ut Joannes fecit. Deinde Joannis baptismum non ab ipso, sed à Deo institutum esse docetur, Ioan.1.33. *qui misit me ad baptizandum aqua, dixit mihi,* & Matth.21.v.25. *An Ioannis baptisma è cœlo erat, an verò ex hominibus?* & Luc.7.v.30. vocatur *consilium Dei*, & Matth.3.vers.15. susceptio illius baptismi, *justitia* dicitur. Quæ omnia sole licet clariora, Bellarm. obscurare conatur: sed non sine contradictione sui argumenti. Agnoscit enim primum cum Aug. libr.5. de baptismo, cap.9. & 13. & Tertul. de baptis. baptismum Ioannis à Deo fuisse institutum, sed mediante Ioanne. Ergò falsum agnoscit antecedens argumentum, quo asseruit baptismum Ioannis ab ipsomet institutum: item Ioannem non ministrum tantum fuisse baptismi, sed etiam authorem. Nam quod excipit, Deus solum in genere inspiravit & inspiratione illa mandavit ut baptizaret: sed ritum in particulari, quo baptizandum esset, ipse Ioannes instituit, non à Deo præscriptum accepit: illud vanum est, & ab omni Scripturæ usu atque indicio alienum figmentum: imò ei repugnans: quia Christus quæstione sua, Matth.21.v.25. disjunctivè interrogat, an baptismus Ioannis esset è cœlo, an vero ex hominibus: quo ostendit non posse dici, & è cœlo in generali, & ex homine in particulari, ratione ritus, ut adversarius contendit. Deinde cum receptio baptismi, suis ritibus administrati, sit Dei consilium, Luc.7.v.30. & justitia, Matth.3.vers.15. Ergò non Ioannes instituit, sed Deus.

Quare confutato primo argumento, alterum expendamus: hoc autem est hujusmodi: Ioannes non baptizavit, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: non igitur est idem Sacramentum cum baptismo Christi: Antecedens probatur, quia Scriptura hoc nullibi tradit. Sed negatur antecedens & rationis allatæ consequentia. Nam & Christus Iohannis 3.v.26. dicitur baptizasse, & quidem plures quam Ioannes, cap.4. v.1. nempe per discipulos suos, vers.2.1. & tamen nulla omnino fit mentio formulæ baptizandi in nomine Patris, &c. quæ tamen certo negari non potest. Si exceperint, Christum postea ita mandasse, Matth.28. vers.19. indeque colligi, eandem formulam antea ab ipso servatam: quidni similiter, de Ioannis baptismo, colligi poterit: cum nulla prorsus in ritibus aut formula baptismi Ioannis & Christi differentia recenseatur.

Sed tertium profertur argumentum hujusmodi: Baptismus Christi est Sacramentum Nov. Test. baptismus Ioannis non est Sacramentum Nov. Test. ideoque non est baptismus Christi; sed Assumptio falsa est, & probatio illius infirma. Nec enim Ioannis ministerium ad Vetus Test. pertinuit ut Bellar. Tom.2. de Sacram. Lib.1. c.14. asserit, sed ad Novum. Etsi enim Christus Nov. Test. sit author, illud tamen à prædicatione illius, qua per se docuit, non primum cœpit: sed à prædicatione Ioannis, per quem tanquam præcursorem suum, Spiritus sui instinctu, & docuit & baptismum instituit in Iudæa: quem postea etiam ad omnes gentes propagavit. Matth.28. *Lex enim & Prophetæ usque ad Ioannem*, Matth.11.v.13. *Ab illo tempore regnum Dei annunciatur*, Luc.16.v.16. Ipse enim adventum Messiæ, regnumque illius, & salutem per ipsum annunciavit, & coram Christum, accedentem ad se, demonstravit, & agnum Dei esse docuit, qui tollit peccata mundi, Joan.1.v.29. Hinc initium Euangelii Jesu Christi dicitur, narratio de Ioannis ministerio, Marc.1. & 2. & Luc.3. v.18. Baptista Ioannes euangelizasse populo asseritur.

Sed quartum objicitur argumentum: baptismus Christi iterari non potest: Atqui Ioannis baptismus potuit iterari, ut exemplum, Actor.19. docet; ubi baptizati à Ioanne, à Paulo deinde baptizati dicuntur, vers.4. Atque hoc præ cæteris est speciosum, & multos insignes interpretes torsit: sed Clariss. Bezæ solutio ex D. Philippi Marnixii, ut ait, indicio, expedita est. nempe Actor.19. hoc non dici, quod objiciunt, de discipulis illis Ephesinis baptismo Ioannis tinctis, quod in nomen Christi baptizati sint à Paulo: sed de Ioannis auditoribus, quod illi ab eo fuerint baptizati, in nomen Domini Jesu. Non enim ea sunt verba Lucæ de Ephesinis, sed verba Pauli de auditoribus Iohannis, quemadmodum relatæ voces, μὲν, *quidem*, & δὲ, *verò* vers.4. demonstrant. *Iohannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ; dicens populo ut crederent in eum, qui venturus erat post ipsum*, hoc est, in Christum Iesum (nempe baptizaturum

rum ipsos Spiritu sancto & igne, Matth.3.) *Qui verò audiverunt*, nempe Iohannem ista dicentem, *Baptizati sunt in nomen Domini Iesu.* Deinde sequuntur verba Lucæ, qui narrat vers. 5. Paulum iis (nempe discipulis Ephesinis, quos alloquebatur) imposuisse manus, & venisse in eos Spiritum sanctum, & locutos linguis, ac prophetasse: quemadmodum Actor.8. 15,16,17. Samaritani primùm à Philippo sunt baptizati: sed missis deinde Petro & Iohanne Apostolis, impositione manuum acceperunt Spiritum sanctum. Atque hæc genuina solutio est. Nonnullis tamen responsio hæc placet, quasi hi discipuli, non à Ioanne ipso, rectè, sed ab imitatoribus ipsius, perperam essent edocti ac baptizati: quia etiam ignorabant an esset Spiritus sanctus: quod tamen Iohannes clarissimè docuerat, & Christum ipsos Spiritu sancto baptizaturum promiserat. Ideoque antea malè baptizatos, postea bene baptizatos à Paulo. Veruntamen hypothesis illa de baptismo, Iohannis nomine ab aliis administrato, mera est, sine ullo Scripturæ indicio, conjectura. Deinde & ratio illius aliena; Nec enim ignorasse dicuntur, an esset persona Spiritus sancti (quemadmodum obtenditur) sed an dona illa extraordinaria (quæ Spiritus sanctus metonymicè dicuntur) essent collata. Respondent enim discipuli illi Ephesini eodem sensu, quo rogati erant à Paulo dicente, *an postquam credidistis, accepistis Spiritum sanctum*, id est, promissa illa credentibus extraordinaria Spiritus sancti dona, ut Ioh.7. v.39. *Hoc autem dixit de Spiritu S. quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Deindè cum & *discipuli* dicantur, hoc est, Christiani, & credidisse in Christum: quis credat eos non credidisse, neque scivisse Spiritum sanctum? Sed objicit Bellarm. Tom.2. de baptism. lib.1.cap.22. Marcus dixit cap.1.v.5. universos Hierosolymitas à Iohanne baptizatos: Atqui ex illis tria millia, Actor. 2. v. 11. & postea quinque millia, Actor.4.v.4. ab Apostolis baptizata. Sed falsum est, Marcum dicere universos Hierosolymitas: tantum enim indefinitè dicit, Hierosolymitas. Et non omnes eos à Iohanne baptizatos testatur Lucas, cap.7.v.30. Deindè non eosdem, sed diversos esse, qui à Iohanne Baptista & ab Apostolis baptizati dicuntur, contraria attributa evincunt. Nam baptizati à Iohanne pœnitentes fuerunt, & credentes in Christum, Actor.19. v.4. Sed baptizati ab Apostolis, ante concionem eorum, nondum erant credentes in Christum; sed Christi hostes, qui ipsum crucifixerant, Actor.2.v.33. & 36. nempe suo jussu, Matth.27.v.20,22,25. & per prædicationem Apostolorum conversi sunt ad fidem in Christum, Actor.2.37. & 41. & 4.4.

Atque hæc de prima quæstione & Pontificiorum refutatione, qui baptismum Iohannis, non fuisse reverà eundem atque Christi baptismum; imò nec Sacramentum fuisse contendunt. Altera est, de vi & efficacia illius, ut Bellarm. distinguit, sed tamen eodem omnino pertinens, & quintum argumentum constituens, hoc modo: Baptismus Iohannis, non habuit eandem vim & efficaciam, quam Sacramentum baptismi Christi: Ergò non fuit idem. Antecedens etiam extat in Concil. Trident. Sess. 7. Can.1. de baptis. *Si quis*, inquit, *dixerit, Baptismum Iohannis habuisse eandem vim, cum baptismo Christi, anathema sit.* Sed negatur antecedens; neque illud ex Sacris literis demonstratur. Nam quod objiciunt, Ioannem sui baptismi vim distinguere ab efficacia Sacramenti baptismi Christi, illis verbis, Marc.1. vers.8. *Ego quidem baptizavi vos aqua: Ille verò baptizabit vos Spiritu sancto & igni:* illud speciem aliquam habet veri, sed veritate destituitur. Nam verba illa sunt Joannis: sed eorum interpretatio Pontificia, falsa est: ludit enim fallacia homonymias. Nam in priori membro vox *baptizare* propriè; in posteriori vero metaphoricè accipitur. Verum ea metaphora bifariam exponi potest. Quidam enim de regeneratione seu sanctificatione per Spiritum sanctum ordinaria accipiunt; ut distinctio fit inter externum Iohannis ministerium, qui signum tinctionis aquæ conferat: & inter conjunctam internam Christi Domini efficaciam: quod regenerationem per Spiritum sanctum signo externo significatam efficiat. Qualis ministerii apostolici & efficaciæ Dei illi conjunctæ distinctio traditur, 1 Cor.3.v.5,6,7. Sed objicitur: verba obstare: Ioannem enim de suo ministerio dicere; *Ego baptizavi*, in tempore præterito, Marc.1.v.8. & apud alios Euangelistas, Matth.3.v.11. Luc.3.16. in præsenti, *ego baptizo vos aqua*: de Christo verò semper in futuro, *ille vos baptizabit.* Contra verò. 1 Cor.3. utrimque de eodem tempore præterito dicitur: *Ego plantavi, Deus dedit incrementum*; adeo ut ea fuerint conjuncta, non disjuncta. Verum responderi potest, futurum tempus, interdum continuationem rei, non autem futuram illius inchoationem notare, quemadmodum Ioan.14. v.20. dicitur, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum & manifestum me faciam ei.* Neque etiam semper de Christo in futuro dicitur, qui baptizabit, sed etiam in præsenti, Ioan.1. vers. 33. *Hic est qui baptizat Spiritu sancto.*

Secunda expositio est, baptizare Spiritu sancto & igni, per metaph. donorum extraordinariorum per Spiritum sanctum effusionem, Actor.2. v.17. denotare: idque constat, ex divina interpretatione, primum ipsius Christi, Actor.1. vers 5. *Nam*, inquit, *Iohannes baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Deinde ex repetitione Petri, Actor.11. v. 15. *Memini autem illius dicti Domini cum diceret, Iohannes quidem baptizavit aqua, vos verò baptizabimini Spiritu sancto.* Quo etiam pertinet promissio Christi, Ioh.7. v.38. & 39. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus: hoc autem dixit, de Spiritu quem accepturi essent credentes in eum: nondum enim erat Spiritus S. quia Iesus nondum erat glorificatus.* Nam quod excipit Bellar. his verbis: *Quod autem attinet ad verba Christi & Petri, non est certum, eodem sensu illa verba dicta fuisse, à Iohanne Baptista & Christo: Voluit enim Dominus alludere ad verba Ioannis, & tamen in alio sensu illa proferre:* Illud, inquam, non est solidè respondere, sed in re sancta ludere indignè; cum manifestè appareat, iisdem verbis, rem eandem, nempe baptismi Iohannis & Christi distinctionem proferri. Alii denique utrumque metaphoræ modum simul complectuntur: quod Christus baptizet Spiritu sancto & igni bifariam. Primum ordinariè: cum gratiam Spiritus sancti (quo Spiritu, tanquam igne purgamur) quatenus Dei filius confert: atque ita dici de Christo, Ioan.1.v.33. ὁ βαπτίζων qui *baptizat*, quod illud jam præstaret in auditoribus Johannis. Secundo extraordinariè, post ascensionem, immisso in Ecclesiam Spiritu sancto, qui & aquæ & ignis instar, eos repurgaret ac scientia illustraret: cui etiam rei significandæ linguarum ignearum species inserviit. Atque hæc uberrima & maximè recepta est expositio. Nam hæc duo, sub eodem genere, donationis Spiritus sancti & ignis, continentur. Quamobrem quod Baptista dicit: *Ego baptizo vos aqua: Ille vero baptizavit vos Spiritu S.* non distinguit baptismum Ioannis à baptismi Christi Sacramento: quasi ille baptismus fuisset separatus à Spiritus sancti gratia: hic verò eam contulisset; sed distinguit in baptismo Iohannem ministrum, à Christo Domino: quod ille externum ministerium in baptismo adhibeat: sed interna ac conjuncta gratia Spiritus sancti tinctione aquæ significata, à Christo Domino tribuatur, atque etiam extraordinaria illa Spiritus gratia conferatur, ut antea ostendimus. Hactenus de tertia quæstione.

Quæstio IV. *ex vers.* 13. *& seqq. de Christo, à Ioanne baptizato.*

DE Baptismo, quem Christus, à Iohanne suscepit, tria ab Euangelista recensentur: antecedens rei, res ipsa, & consequens illius. Antecedens constat Christi ad Iohannem accessu, & inde orta inter utrumque controversia. Accessus autem, & opportunitate sua, & fine describitur, vers. 13. opportunitas autem, tempore & loco idoneo declaratur. Tempus quidem idoneum cum ait, *Tunc*: hoc est, postquam illustre illud, quod præmissum est testimonium, de Christo proposuisset & confirmasset. Propositio fuit Christum, licet Iohannem sequeretur, nihilominus

nus ipso esse validiorem, adeo ut ipse indignum se agnosceret, qui illius soleas portaret: hoc est, vilissimum ministerium præstaret. Confirmatio verò à divinis potentiæ Christi effectis petita est: nempe quod esset baptizaturus Spiritu sancto & igne: & quod mundum universum esset ultimo die judicaturus: Electos primum à reprobis segregando: Deinde illos quidem, instar tritici, in horreum cœleste, congregando, hosce verò, ut paleam inutilem, igne inferni inextinguibili exurendo, vers. 12. conferantur loca similia, Matth. 13. v. 37. ad 42. & 47. ad 51. Quo testimonio de Christo perhibito, opportuno tempore Joannem accessit. Locus verò opportunus etiam adjicitur, *Iordanis*: in quem venit ac descendit, quod Johannes ibi esset & in eo, vers. 5. baptizaret accedentes. Finis vero illius accessus indicatur vers. 13. *ut baptizaretur*, nempe eo tempore & in Jordane & à Joanne. Hæc de accessu Christi ad Joannem: orta verò inde controversia est hæc, an Christus esset à Ioanne baptizandus. Ea autem bimembris est, siquidem Ioannis oppositionem, & illius à Christo refutationem complectitur. Oppositio Ioannis quæ *prohibitio* dicitur, partim facto contigit, quod scil. offerentem se baptismo Christum, non baptizarit: partim sermone, qui duabus constat partibus, propositione & conclusione. Illa rationem habet facti, *Ego opus habeo ut à te baptizer*, nempe Spiritu sancto. Hæc vero indignitatem baptismi, emphatica interrogatione, describit, *Et tu venis ad me?* nempe ut baptizeris, vers. 14. Cui oppositioni Joannis, alterum controversiæ membrum attexitur, nimirum illius à Christo refutatio: qua primum facto Joannis opponit contrarium mandatum, *omitte nunc me*, hoc est, prohibere à baptismo desine: deindè rationi Joannis aliam rationem similiter opponit, qua Joannis consequentiam infirmat; & suum mandatum probat, his verbis: *Ita enim decet nos implere omnem justitiam*, vers. 15. Ubi *Iustitiæ* quidem nomine, debitam mandato Dei obedientiam, intelligit: *nos* verò *implere*, nihil aliud est, quam si expressisset, ut ego & tu eam non minus quam reliquam exequamur: Ego me baptizandum tibi offerendo, tu verò me baptizando. Unde liquet, τὸ πρέπον *decens*, hoc loco non decorum simpliciter notare, quasi baptismus non fuerit ei necessarius, ut quidam observant; sed officium debitum. quemadmodum etiam in Sacris literis plerumque in usu est, Eph. 5. v. 3. 1. Timoth. 2. v. 10. Tit. 2. v. 1. Hebr. 2. v. 10. 7. v. 26. Quibus in locis pro convenientia necessaria usurpatur: etsi pro decoro generalius semel, 1. Cor. 11. v. 13. accipiatur: Et officium in Christi verbis significare, *Iustitia* vox evincit. Baptismus enim Joannis, erat à Deo institutus toti Ecclesiæ: adeò ut ejus neglectus, consilii (hoc est mandati) divini rejectio nominetur, Luc. 7. v. 30. Ac propterea in baptismo hoc, non personæ dignitatem aut indignitatem, sed Dei mandatum esse spectandum & observandum docet Christus. Atque hæc de rei ipsius, hoc est, baptismi à Christo suscepti antecedente: cui secundo loco (Joanne à Christo monito ac persuaso) res ipsa seu baptismus accessit. Nam & Christum prohibere à Baptismo suo desiit, vers. 15. eumque baptizavit vers. 16. Cæterum, licet de re & jure hujus baptismi, τὸ ὅτι seu veritas, ex Euangelistæ narratione & Christi assertione sit certa, nempe quod baptizatus sit: & quidem ut omnem justitiam seu obedientiam erga Dei mandatum impleret: διότι tamen, seu ratio hujus mandati, & causa specialis est obscurior; quod mandatum hoc fini baptismi repugnare videatur. Sic enim objicitur: Cui res signo baptismi significata, prorsus non convenit, illi nec signum baptismi, jure tribui potest. Nam aliàs falsum esset signum ac sigillum. Atqui Jesu Christo res, signo baptismi significata, non convenit: Ergò nec baptismi signum. Assumptio probatur, quia ut signum baptismi est ablutio corporalis per aquam: sic res significata est ablutio seu purgatio spiritualis à peccatis, Eph. 5. 26. cùm ratione maculæ; tùm ratione pœnæ meritæ. Quæ ablutio primum fit Dei beneficio, quod promittitur: Deinde hominis officio, quod exigitur. Beneficium Dei est absolutio, partim per Spiritum sanctum, partim per sanguinem Christi. Illa est regeneratio seu vitiosæ naturæ, per virtutum, fidei, spei, ac charitatis donationem, sanctificatio: qua insita seu innata peccati macula, paulatim abluitur, 1. Cor. 6. v. 11. Tit. 3. v. 5. Hæc verò est peccatorum seu pœnæ iis debitæ, merito passionis & mortis Christi, remissio, 2. Cor. 6. 11. & 1. Joh. 1. v. 7. Hebr. 1. v. 3. Officium verò ablutionis humanæ, baptismo significatæ, est quotidiana nostri à peccati reatu, & reliquiis, per fidei & resipiscentiæ exercitium repurgatio, Actor. 15 9. Jacob. 4. v. 8. Matth. 3. 8. Rom. 6. v. 4. Atqui neutrum horum Jesu Christo convenit. Non enim ablutio à peccatis, per Dei beneficium: quia sanctus est genitus, ac vitiosæ naturæ prorsus expers; ideoque regenerari non potuit; nec etiam remissione peccatorum ablui: quia iis omnino & absolutè caruit. Deinde nec ablutio, per officium suum Christo adfuit: quia nec fide remissionis peccatorum, nec vitæ resipiscentia opus habuit: quandoquidem cum sanctitate naturæ illius, perpetua vitæ innocentia, & sanctitas fuit conjuncta, Philip. 2. v. 8. Hebr. 4. v. 15. & 7. v. 26. Ac propterea cum spiritualis ablutio à Christo abfuerit (utpote natura, Luc. 1. v. 35. & vita perfectissimè sancto, Joh. 8. v. 29.) corporalis ablutio, ad spiritualem illam ablutionem significandam & obsignandam à Deo instituta, Christo tribui non potest. Hæc difficultas non exigua prima fronte apparet: quam nonnulli tollere conantur, negatione assumptionis syllogismi ante positi: Idque hac ratione; Quod licet Christus, in se consideratus, nullum habuerit peccatum, nec à proprio peccato ablui potuerit; in nobis tamen habuisse peccata, quæ fuerint abluenda: ac propterea dictum esse putant, 2. Cor. 5. 21. *Fecit, ut qui non novit peccatum, pro nobis esset peccatum, ut fieremus justitia Dei in eo.* Sed hæc solutio consistere non potest. Id quod vocis distinctione clarius evadet. Peccatum enim propriè acceptum, citra controversiam, ἀνομία, hoc est, legis divinæ transgressio est, 1. Joh. 3. v. 4. & per Synechdochen generis pro specie, peccatum dominans, ibid. vers. 9. designat. Neutrum autem ullibi in S. literis Christo attribuitur, neque etiam sanctè, Sancto sanctorum tribui potest. Nam sive dicant, eum immediatè in se, sive mediatè in nobis habuisse peccata, seu inobedientiam erga Dei legem: inde necessario sequetur fuisse peccatorem. Nam modus mediatus, & immediatus, peccati genus quidem dividit, non autem tollit, sed contrà statuit. Deinde peccatum impropriè, per Meton. duplicem usurpatur. Quarum prima est, causæ efficientis pro effecto: ut pœnam peccato debitam significet. Atque ita Christo peccata nostra adscribuntur, Esai. 53. v. 5. & 1. Petr. 2. v. 24. cum ait: *Qui peccata nostra pertulit corpore suo super lignum; ut peccatis mortui justitiæ viveremus.* Ubi per elegantem antanaclasin *peccata* priori loco impropriè pœnam peccatorum, posteriori verò injustitiam notant: ut oppositio justitiæ demonstrat. Neque etiam remissio peccatorum, (quæ nihil aliud est, quam pœnæ peccatis debitæ omissio ac condonatio,) Christo ascribi potest: quia pœnas, nobis debitas, pertulit, ac plenissimè Dei justitiæ satisfecit. Ideoque remissio ac condonatio locum non habet in Christo. Altera verò in vocis peccati usu Metonymia (quæ ex priori oritur) est adjuncti pro suo subjecto: nempe ut peccatum, non pro pœna peccati, sed pro obnoxio illi pœnæ accipiatur. Atque ita Christus 2. Cor. 5. 21. factus à Deo pro nobis peccatum dicitur: quod pœnis peccatorum pro nobis ut sponsor fuerit subjectus. Quemadmodum etiam victimæ, quæ mactabantur pro peccatis, *peccata* passim apud Mosen & Prophetas appellantur. Quamobrem ex hisce, quæ hactenus disseruimus, satis, ut arbitror, intelligi potest, solutionem primam, quam expendimus, qua dicitur Christus in nobis habuisse peccata & ablutionem peccatorum, esse alienam, ac Christi sanctitati injuriam. Altera verò solutio est, in ea re conveniens, quod assumptio (qua asseritur, rem baptismi signo significatam, Christo prorsus non competere) negatur; sed causa ac distinctione alia: nimirum, quod quamvis specialis baptismi significatio, Jesu Christo non conveniat: generalis tamen, eidem optimè quadret: Ea autem est,

fœde-

fœderis cum Deo, & communionis Ecclesiæ significatio & obsignatio; quod videlicet Deus, fuerit ejus Deus ac salutis dator: ipse vero ad perpetuam obedientiæ gratitudinem, ei præstandam, obstrictus & Ecclesiæ communioni adjunctus. Deinde licet ablutio à peccatis, in ordinario Ecclesiæ baptismo, sit specialis res significata: ea tamen non est res significata, in extraordinario capitis Ecclesiæ Jesu Christi baptismo, quemadmodum sanctitatis illius perfectio evincit, quæ ut peccatis contraria est omnino: sic etiam ablutionem à peccatis neutiquam admittit. Idemque etiam ex eo deducitur, quod baptismus Christi, licet peccato carentis, justitia Dei appellatur. Atque eadem est in reliquis sacramentis, à Christo perceptis (nempe circumcisione, Paschate, cœna Domini) ratio. Quæ Sacramenta communi ac generali modo, ac fine, consentaneè suæ sanctitati perfectissimè observavit: non autem speciali, qui Ecclesiæ ipsius utpote peccatis obnoxiæ, est propria. Atque hoc modo difficultas proposita, sine Scripturæ & sanctitatis Christi læsione, commodissimè expeditur. Cæterum observandum est, quod à quibusdam interpretibus, Christum idcirco baptizatum esse, dicitur, ut baptismum nostrum in se sanctificaret: illud videtur obscurius. Nec enim eam rationem è Scriptura probant; neque etiam sanctificatione baptismus habebat opus: quandoquidem ab institutione Dei mandantis, suam habeat sanctitatem, & pars esset justitiæ, etiam à Christo implendæ: quemadmodum adversus Joannem baptizare recusantem, ipsemet asseruit. Certum quidem est, baptismo, ex Christi eum percipientis facto, non exiguam accessisse commendationem, & apud nos fideles universos eo majori esse debere in pretio, quod ipsemet filius Dei ac Dominus noster eum nullo modo sit dedignatus, sed lubenter amplexus: Veruntamen hæc utilitas, à baptismo Christi promanans, à fine rei destinato videtur distinguenda.

Atque hæc de illustri hac quæstione, uti speramus, sufficient.

Illustratio Versuum 16, & 17.

Explicata, de baptismo à Christo suscepto, difficultate, superest, ut strictim de illustri consequente illius agamus. Quo testimonium de Jesu Christo divinum, partim in facto, partim in sermone consistens, describitur; primum ab adjuncto tempore, quando contigit, & loco unde testimonium processit; deinde à forma sua. Ac prius indicatur his verbis, vers. 16. *Et baptizatus Iesus ascendit statim ex aqua.* Quibus tempus quando accidit explicatur: locus vero unde processit testimonium utrumque subjicitur seqq. verbis: *Et ecce aperti sunt ei cæli.* ubi initio vox *Ecce* rem observandam notat, quod vero *aperti dicantur ei cæli*, rem observandam declarat, objecto observationis, & fine objecti. Objectum est *apertio cæli.* Qualis autem ea fuerit; propria an verò impropria: seu re ipsa, an vero specie quadam; dissident interpretum judicia. Chrysost. enim propriè accipit: Hieron. verò contrà impropriè exponit, quod non re ipsa illud acciderit: sed specie tantum seu visu. Priorem sententiam probat doctiss. Calvinus, quæ etiam videtur magis consentanea attentioni & observationi, quam Euangelista per vocem *Ecce* requirit: & quia Marcus cap. 1. v. 10. exponens id quod Matthæus dicit, *apertos cælos*, ait σχιζομένους τοὺς οὐρανούς. *Fissos cælos.* Deinde, quia simile exemplum occurrit in historia Stephani, Actor. 7. 56. *Video cælos apertos & Filium hominis stantem à dexteris Dei.* Nam quod objicitur à nonnullis, Stephanum solum vidisse, ideoque non reipsa apertos cœlos: alioqui & reliqui omnes vidissent: Illud inquam minimè consequitur. Quia peculiari gratia aciem oculorum Stephani ita potuit Christus acuere, ut ipsi conspicui essent cœli aperti: aut etiam aliorum oculos sic continere, ne viderent. Quemadmodum simile exemplum in conversione Pauli apparet. Nam ipse quidem vocem Christi audivit loquentem; qui verò cum ipso erant, vocem non audiverunt, Act. 22. v. 8. & 9. Quod & opponitur, etiam cœlos ita interdum dici claudi, qui tamen ante non fuerint aperti, Deut. 11. v. 17. *Claudat cælos ut non sit pluvia:* Illud homonymia ludit: quia *cæli* vox pro aëre accipitur à Mose, quia aër aperitur cum nubes in pluviam resolvuntur: clauditur verò, cum pluvia retinetur. De cœlo autem tertio sermo non est.

Cæterum finis ᾧ hoc est, *cui* cœli illi aperti sunt, declaratur cum dicitur αὐτῷ *Ipsi*: quod quidam insignes Interpretes de Joanne exponunt: alii vero de Christo; quia antecedentia verba Christum intelligi demonstrant, nec enim de Johanne, sed de Ipso loquuntur. Christo autem aperti sunt cœli: quia ad ipsius preces, Luc. 3. v. 21. & propter inaugurationem illius, ea apertura facta est: ut testimonium cœleste esse ostenderetur: quæ ratio simplicissima ac verissima aperti cœli. Quod autem nonnulli causas adferunt alias, primùm ut indicaretur cœlestia Christum docturum: Deinde per incarnationem suam & sanguinem humana cœlestibus conciliaturum, Eph. 1. v. 10. & Colloss. 1. 2. Denique Christum esse, qui cœli januis reseratis, aditum ad cœlum & thronum gratiæ fecerit: illæ causæ minus aptè huic loco videntur accommodari. Atque hæc de adjuncto cum tempore *quando*, tum loco *unde* testimonium divinum Christo perhibitum. Forma verò testimonii est duplex, apparitio Spiritus sancti & sermo Patris. Illud hisce verbis indicatur, *& vidit Sp. Dei descendentem tanquam columbam & venientem super ipsum.* Quo primum objectæ apparitionis Spiritus sancti adjunctum: deinde vero ipsa apparitio describitur. Adjunctum notat illius certitudinem cum dicitur *& vidit.* Sed quisnam viderit, disquiritur. Quidam enim interpretantur de Baptista, quoniam Joh. 1. v. 32. ait, *Conspexi Spiritum sanctum descendentem quasi columbam de cælo.* Sed non sequitur; Joannes vidit, Ergò Christus non vidit: imò uterque, tam Baptista, Joan. 1. v. 32. quàm Christus; imò & populus præsens, cujus etiam institutioni inservit. Deinde cum precaretur, tempore apparitionis illius, (ut Luc. 3. v. 21. ostenditur) in cœlum intentos habuisse oculos satis colligitur: atque inde vidisse descendentem Spiritum. Atque hanc expositionem antecedentia ostendunt. Nam de eodem, cui cœli aperti dicuntur, etiam dicitur; *& vidit.* Atque hæc de Spiritus S. apparitionis adjuncto sive certitudine, quod Christus eam vidit. Apparitio vero his verbis describitur, *Spiritum Dei descendentem quasi columbam & venientem* ἐπ᾽ αὐτόν. Ubi observandum quod *Spiritus Dei* vox accipitur non propriè, sed impropriè. Non propriè: quia alias descendisset propriè de cœlo, ut hic de Spiritu narratur: id quod alienum est à divina illius essentia, quæ infinita est. Nam cœlum & terram implet, Jerem. 23. 24. & Psal. 139. v. 5, 7, 8, 9. ac propterea loci mutatio, qualis est descensus, (nempe è superiori loco in inferiorem processus) ei convenire non potest. Impropriè verò per Metonym. Subjecti pro adjuncto, signum Spiritus Dei notat: idque explicatur seqq. hisce verbis: *quasi columbam.* Ubi quæstio oritur, an hæc revera fuerit columba, an verò tantum similitudo quædam. Nonnulli prius affirmant, fuisse columbam à Spiritu sancto è nihilo formatam, ad præsentem usum: qualia fuere ea corpora, quibus & Filius Dei & Angeli duo ipsi adjuncti, ad tempus, apparuerunt, Gen. 18. v. 2. Atque ita sensit Tertull. Sed uti videtur, hypostaticam unionem Spiritus & columbæ perperam statuens: ut à nonnullis etiam est observatum. Sic enim libro de carne Christi, cap. 3. *Qui,* (inquit) *Spiritus cum esset, tam verè erat & columba, quam & Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea. Sed quæras, corpus columbæ ubi sit, resumpto Spiritu in cælum; aquè & angelorum. Eadem ratione interceptum est, quà & editum fuerat. Si vidisses cum de nihilo proferebatur, scisses, cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis. Tamen corporis soliditas erat: quo momento corpus videbatur, non potest non fuisse, quod scriptum est.* Hæc ille. Alii vero non fuisse corpus solidum, sed tantum similitudinem fuisse statuunt, quia dicitur ὡσεὶ *quasi columbam.* Verum responderi potest ratione Spiritus S. significati per columbam sic dici, ut explicetur apparitio per signum. Et Luc. 3. dicitur descen-

descendisse non simpliciter *specie*, sed *corporali specie:* ut species dicatur quod oculis fuerit objecta: Corporalis verò, ut à phantasmate distingueretur. Cæterum hæc columbæ species Spiritui sancto significando, ob similitudinem inter utrumque, fuit adhibita. Columba enim natura est simplex (unde Matth. 10. v. 16. monet Christus: *Estote simplices ut columbæ*) & mansueta: non fera ac rapax; quæ virtutes in Spiritu sancto & in Christo, qui eo donatus fuit, extiterunt conspicuæ, 1. Petr. 2. 22. & 23. Matth. 11. v. 29. & 12. 19. & 20. Unde Tertull. de Baptismo cap. 8. *columba figurâ delapsus in Dominum ut natura Spiritus S. declararetur per animal simplicitatis & innocentiæ: quod corporaliter ipso felle careat columba.* & August. Tom. 3. Lib. de agone Christiano ait, significare innocentiam & amorem spiritualem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. & Tertull. de Monogamia, cap. 8. *Cum ad simplicitatem*, inquit, *columba provocat* (nempe Christus Matth. 10. v. 16.) *avis non tantum innocua, verùm & pudica, quam unam unus masculus novit.* Theophyl. verò præterea etiam munditiæ similitudinem addit Spiritui sancto consentaneam. Sic enim ait: ὡσεὶ περιστερὰν δὲ, διὰ τὸ ἄκακον καὶ πρᾶον, καὶ ὅτι καθαρώτατόν ἐστιν ἡ περιστερά. καὶ ἔνθα δυσωδία ἐστιν, οὐ παραμένει, hoc est, *quasi columbam vero, propter innocentiam & mansuetudinem, & quia mundissima est columba, & ubi malus odor est, non permanet.* Cui illud Ovidii consentit,

Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ;
Suscipiat nullas sordida turris aves.

Hisce denique quidam fœcunditatis convenientiam quoque spectari arbitrantur: quod ut fœcundissima est columba: Sic Spiritus sanctus ubertimus omnium bonorum author, 1. Cor. 12. v. 6. Atque hæc de Spiritu & apparitionis illius modo, nempe quod specie columbæ descenderit. In descensu verò notantur termini duo. Primus, à quo, seu unde initium motus, nempe cœlum, ut Johan. 1. v. 32. exprimitur, quod idcirco fuit apertum: alter terminus, ad quem ac principium quietis, est Christus, quod exprimitur his verbis: ἐπ' αὐτόν. Sed de voce αὐτὸν partim interpretum consensus, partim dissensio est. Consensus quod Christum notet. Dissensus autem est de modo. Quidam enim αὐτὸν idem valere hoc loco, per enallagen pronominis relativi, pro reciproco, quod ἑαυτὸν: vel per κρᾶσιν, αὑτὸν, cum spiritu aspero: ac vertendum *super se*, ut ad Christum, de quo sermo, reciprocè referatur. Quemadmodum Hieron. Matt. 1. & vulgata versio, multique alii interpretantur. Alii verò relative exponunt super ipsum. Sed alii dubiè arbitrantur: alii certò asserunt. Dubiè arbitratur Erasmus, cum ait: *Venientem super se. Ex Græco sermone non liquet utri sint aperti cœli, Christo an Ioanni, tum uter viderit columbam descendentem.* (Hic notandum est, quod Erasmus ait, ex Græco sermone non liquet.) *Atque ex Euangelistæ verbis magis videtur ad Christum referri, quam ad Iohannem, nisi quod sequitur* ἐπ' αὐτόν, *quod interpres vertere debuisset, super eum sive super ipsum. Alioqui si super se sentiendum erat, dixisset,* ἐφ' αὑτόν. Certò verò asserit Clariss. Beza cum ait, Ei, αὐτῷ Iohanni *sc. Novam enim periodum incipio ab his verbis* καὶ ἰδοὺ, *quamvis etiam ad Christum hoc referri possit, si* ἐπ' αὐτὸν *accipias pro* ἐφ' αὑτὸν, *id est, super se, ut habent aliquot veteres Codices Latini & Aug. Sed in Græco inusitata est hæc enallage.* Verùm hisce opponimus usum & authoritatem. Nam LXX. Interpretes (ut Romana editio ex antiquissimo exemplari expressa ostendit) frequentissime relativo αὐτὸς pro reciproco ἑαυτὸς utuntur. Nam, ut plurima omittam exempla, 1. Sam. 17. v. 40. ἔλαβε τὴν βακτηρίαν αὐτοῦ ἐν χειρὶ αὐτοῦ, *accepit baculum suum manu sua.* Ubi bis reperitur, & vers. 43. ἐν τοῖς θεοῖς αὐτοῦ, *per Deos suos*, & vers. 49. τὴν χεῖρα αὐτοῦ, *manum suam*, & cap. 24. v. 7. & 8. τοὺς ἄνδρας αὐτοῦ *viros suos*, & in Nov. Testam. Joh. 1. 47. *Vidit Iesus Nathanaëlem venientem* πρὸς αὐτὸν, & Apoc. 9. 11. ἔχουσιν ἐπ' αὐτῶν βασιλέα, *habent supra se regem.* Nam quod post Stephanum Beza legit ἐφ' αὑτῶν, illud à correctoris opinione, non autem ab antiqua Scriptura esse, inde apparet, quod accuratissima, citra controversiam, editio Complutensis ἐπ' αὐτῶν ponit: & Græci Apocalypseos Interpretes Andreas Cæsariensis. Chrysostomi comment. in epistolas Pauli, edit. Commelin. & Aretas Oecumenio additus, similiter legunt. Quemadmodum etiam editio Haganoënsis Gerbelii anno 1521. & Oecolampadii Basiliensis, & Colinæi editio Græca Parisina, 1534. ex antiquis codicibus eandem lectionem sequuntur. Atque ita conveniet hæc lectio ἐπ' αὐτὸν cum Hebræa locutione עליו: quæ modo relative, *super ipsum:* modo reciproce *super se*, denotare solet. Neque tamen Hebraismus erit: quia & Græcis authoribus in usu esse à Græcæ linguæ peritissimis est demonstratum, exemplis illustribus. Nam in epistola Basilii Magni, quam meditationibus Grammaticis Clenardus illustravit, legitur ex Matth. 16. v. 22. *tollat crucem* αὐτοῦ *suam* (etsi correctores αὑτοῦ legant in Matthæo) Clenardus verò exponens ait; crebrò reperitur αὐτοῦ pro αὑτοῦ, quod per κρᾶσιν dicitur, pro ἑαυτοῦ. Sic Clemens Alexandrin. Pædagogi. lib. 2. pag. 85. edit. Commel. ὁ γὰρ ἁμαρτάνων, παρ' ὅσον ἁμαρτάνει, χείρων καὶ ἀτιμότερος αὐτὸς αὐτοῦ pro αὑτοῦ, hoc est. *Qui enim peccat, quatenus peccat, deterior & vilior ipse seipso.* & idem in Protreptico, pag. 20. αὐτὸς αὐτῷ περιπείρεται, *ipse seipso confoditur.* Quæ loca etiam in Indice Græco doctiss. Sylburgius observavit, & manuscriptorum fide dignorum authoritate probavit. quibus consentanea scribit ac probat de usu relativi αὐτὸς in Græcæ suæ Grammaticæ Syntaxi, pag. 304. *Relativum*, inquit, *hoc cum reciproco sæpe commutatur.* Ut enim apud Iones & Poëtas frequenter οὗ, οἷ, ἓ leguntur pro αὐτοῦ αὐτῷ, sic vice versa in communi lingua. Palæphatus: ἀργεῖοι πολιοῦχον αὐτοῖς τὴν ἥραν ἦγον, hoc est, *Argivi tutricem sibi Iunonem ducebant*, αὐτοῖς pro σφίσιν. itidemque in compositione αὐτοδίδακτος *à seipso doctus*, φίλαυτος *amans sui.* Idemque Henricus Steph. in thesauro ad vocem αὐτὸς ait: αὐτοῦ pro ἐμαυτοῦ vel σεαυτοῦ vel ἑαυτοῦ; itidemque in cæteris casibus & αὐτῶν pro ἑαυτῶν. Quæ repetit Scapula, aitque, pro quo sunt qui malunt scribere αὑτοῦ & αὑτῷ cum spiritu aspero. Quod diligenter observandum: Nam sæpius contra veterum codicum fidem, vitiosa crisi, tenuem spiritum recentiores nonnulli in asperum permutarunt: quod etiam in Nov. Testament. accidisse collatio demonstrat: & in loco Apoc. 9. jam antea ostendimus. Hisce accedit Gretzerus in Græcæ Grammaticæ Syntaxi, cap. 6. reg. 10. Relativum, inquit, αὐτὸς ponitur interdum loco reciproci. Nazianzenus ὁρῶν οὖν τὴν τοῦ δήμου κίνησιν ἐπ' αὐτὸν pro ἐφ' ἑαυτὸν, *videns igitur motum populi contra se:* καὶ ἔχουσιν ἐπ' αὐτῶν βασιλέα, Apoc. 9. pro ἐφ' ἑαυτῶν, *& habent suum regem*, seu *& habent supra se regem.* Item, *hæc relativi in locum reciproci substitutio efficit aliquando orationem ambiguam, ut notat Budæus:* δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, 1. Cor. 15. 25. ubi *dubites* (inquit Budæus) *suis an ejus intelligere debeas. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Locum etiam illum Apocalypseos ad enallagen illam αὐτοῦ pro ἑαυτοῦ probandam, in sua Syntaxi erudita, posuit Martin. Crusius. Quibus omnibus addo locum certum, Hebr. 6. vers. 7. γῆ γὰρ ἡ πιοῦσα τὸν ἐπ' αὐτῆς πολλάκις ἐρχόμενον ὑετόν. *Nam terra quæ imbrem sæpius in se venientem biberit.* Atque ita etiam legit cum aliis Robertus & Henric. Steph. Beza, Casaubonus. Denique si rem spectemus, quid clarius esse potest verbis Marci cap. 1. v. 10. *& statim ascendens* (nempe Jesus) *ex aqua, vidit findi cœlos & spiritum quasi columbam descendentem,* ἐπ' αὐτόν. ubi aperte is qui ascendit ex aqua, is autem est Jesus, vidisse dicitur, spiritum Dei descendentem super ipsum, hoc est, seipsum. Nam super Ioannem, aut alium, non descendit Spiritus, sed super Christum tantum. unde necessario evincitur αὐτὸν sumi reciproce pro ἑαυτὸν, aut per κρᾶσιν, αὑτόν. Idque Erasmum nonnihil movit, cum Matth. 3. ait: *At Marcus, qui Matthæum redegit in compendium, aliquanto etiam obscurius facit, & nisi res ipsa loqueretur & obstarent hæc duo verba,* ἐπ' αὐτόν, *prorsus intelligeremus Christum vidisse, non Ioannem.* Hæc ille: Atqui ἐπ' αὐτὸν non obstat, ut multis antea demonstratum est; neque etiam res ipsa, ut opinatur. Nam quod ait; *non referebat, ut Christus hæc videret, quæ fiebant propter Iudæos, quo evidenti signo intelligerent, ipsum esse Messiam, non Ioannem, ad quem alioqui vox*

patris

patri missa videri poterat; nisi columba palam designasset Iesum. Illud inquam alienum est. Nam Christi visio & Judæorum non sunt opposita. Apparuit enim Spiritus sanctus non solum propter Iudæos, & Baptistam; sed etiam propter Christum: quia precabatur Deum patrem, Luc. 3. v. 21. ideoque more suo in cœlum suspiciens, Iohan. 11. vers. 41. Nec dubium etiam esse potest, pro impetrando Spiritu, ipsi per prophetas promisso, fuisse precatum. & Pater ipsum etiam compellasse dicitur à Marco, cap. 1. v. 11. *Tu es filius meus.* Quare ex hisce omnibus concludimus, vertendum esse ἐπ' αὐτὸν *super se.* Sed quis finis sit illius descensus Spiritus, specie columbæ, & mansionis (ut Ioan. 1. v. 32.) super Christum, paucis explicandum est. Primarius autem fuit, ut notaretur, Iesum esse promissum Messiam; utpote qui & quatenus Deus baptizaret Spiritu sancto: & quatenus homo, eo esset plenissimè donatus, ad munus suum exequendum, Prius indicatur Ioh. 1. v. 32. *Tunc testatus est Ioannes, dicens, Conspexi Spir. descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum, & ego non noram eum, sed qui misit me, ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, super quem videris Spir. descendentem ac manentem super eum, hic est, qui baptizat Spir. S.: Ego igitur vidi ac testor illum esse filium Dei.* Alterum de Christo, promissionibus propheticis prædictum, Esa. 11. v. 2. *Super quo quiescit Spir. Iehova, Spir. consilii & potentiæ, Spir. scientiæ & reverentiæ Iehovæ,* & c. 42. v. 1, 2, 3. quam sententiam sic recitat & exponit Matth. 12. v. 17. ad 22. *Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo acquiescit* (aut quo delectatur) *anima mea, ponam Spiritum meum super eum, &c. arundinem quassatam non confringet, &c. In ejus nomine gentes sperabunt.* Denique c. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me: ut euangelizem pauperibus, misit me; ut sanem contritos corde; ut prædicem captivis dimissionem & cæcis visus recuperationem, & confractos emittam in libertatem; ut prædicem annum Domini acceptum.* Idque Christus repetit, Luc. 4. v. 18, 19. & 21. de se exponit. Atque hanc Spiritus sancti acceptionem requirebat muneris prophetici ac mediatorii ratio. Quamvis enim abunde Spiritus sancti donis esset ante baptismum instructus; ut privatam vitam sanctè & sapienter institueret: post baptismum tamen ad publicum munus inauguratus, plenissimè donis ad illud necessariis fuit à Spiritu sancto ornatus ac perpetuò directus: id quod memoratis hisce prophetiis exprimitur, & signo descensus Spiritus Sancti, specie columbæ, super ipsum, fuit significatum: Hisce addit Theoph. simile, cum ait: *sed & tempore Noë columba indicavit solutionem diluvii ramum oleæ ferens; & hic Spiritus sanctus significat solutionem peccatorum:* ἐκεῖ κάρφος ἐλαίας, ἐνταῦθα δὲ ἔλεος θεοῦ, *ibi ramus oleæ, hic vero misericordia Dei:* Idemque tradit Tertull. de bapt. cap 8. & arcam Noë figuram fuisse Spiritus sancti, ac pacis, cujus oleæ ramus signum esse solet. Verum utut simile sit commune; figuram tamen fuisse propheticam probari non potest.

Atque hæc de primo divino, è cœlis, de Jesu excellentia, testimonio, quo declaratum est, ipsum esse Christum: nempe Spiritus sancti super eum descensu ac mansione. Alterum est sermo patris: de quo Matth. cap. 3. v. 17. ait & *Ecce vox è cœlis dicens; Hic est filius ille meus dilectus, in quo acquiesco,* ubi & præfatio de sermone, deinde sermo ipse describitur. At præfatio primum dignitatem sermonis indicat, cum ait, *Ecce*; ut rem observandam significet. Deinde originem admirandam, quod *vox è cœlis*, nempe extitit, Marc. 1. vers. 11. Luc. 3. v. 22. Sermo vero est: *Hic est filius &c.* In quo prius membrum seu subjectum, de quo loquitur, indicatum voce *hic*, quasi intento digito Jesum notat, utpote super quem descenderat ac quiescebat, columbæ specie, Spiritus sanctus.

Attributum verò seu id quod de hoc Jesu dicitur, reliquis verbis continetur, quæ priori loco personam; deinde verò adjunctum illius declarant. Ac personam quidem ab altera natura, cum dicitur, ὁ υἱός μου, *ille filius meus:* nempe æterna generatione, non autem creationis, neque adoptionis gratiâ; sed proprius Rom. 8. v. 32. unigenitus, Johan. 1. v. 14. ut qui Spiritu sancto baptizat: quod nemo potest, nisi verus Deus, & ordine personarum Spiritu sancto prior. Adjunctum verò est dilectio & approbatio simplex atque absoluta, quæ indicatur cum additur, *dilectus*, & expressius, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Quæ sic exponit Theoph. τουτέστιν ἐν ᾧ ἀναπαύομαι, ἐν ᾧ ἀρέσκομαι, hoc est, *in quo acquiesco, quo delector*: ut de eodem Christo prædictum est à propheta Esaia cap. 42. v. 1. רצתה נפשי supple בו hoc est, *delectata est anima mea in eo:* ut ex antecedenti liquet: quemadmodum Matth. 12. v. 17. recitatur εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, hoc est, *quo delectatur anima mea.* Qualis etiam sententia, quam Pater protulit, in illustri Christi apparitione, Matth. 17. v. 5. *Hic est filius ille meus dilectus*, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Nam ut εὐδοκεῖν activè sumptum propriè *bonum ducere* seu *approbare*; sic etiam quia probatis delectamur, iisque bene volumus, inde per metonym. causæ efficientis pro effecto, *delectari* designat. Quapropter à LXX. Interpretibus Græcis ea vox poni solet pro verbo Hebræo רצה ut Psalm. 45. v. 4. εὐδόκησας ἐν αὐτοῖς & Psalm. 147. v. 11. & 12. & Psal. 149. v. 9. Similiter quoque eadem voce Græca LXX. Interpretes utuntur pro Synonymo prioris Hebræi verbi חפץ ut 2 Sam. 22. v. 20. חפץ בי *delectatur me*, εὐδόκησεν ἐν ἐμοί. Sic etiam hoc in loco Matthæi *dilectus, quo delector.* Id autem intelligendum est non comparatè, neque secundum quid, ut de hominibus: sed absolutè ac simpliciter, cùm ratione personæ totius, tum ratione qualitatum ac sanctitatis perfectæ ac perpetuæ; unde Synecdochicè ratione hujus excellentiæ vocatur ab Apostolo Paulo, *dilectus ille*, propter quem Pater, nos fideles, naturâ filios iræ, in gratiam recipit ac diligit, Ephes. 1. v. 6, 7. Verum scrupulus aliquis hoc in loco occurrit: quandoquidem Matthæus à Marco & Luca prima fronte videtur dissidere. Siquidem Matthæus ait, vocem hanc Patris fuisse hujusmodi: *Hic est filius meus dilectus,* Marcus verò cap. 1. v. 11. cum Luca, cap. 3. v. 22. hæc ponit verba: *Tu es filius meus dilectus.* Sed hæc duo, quæ videntur dissentanea, eo conciliantur, quod alter sensum, alter verba ipsa expresserit: sive enim in tertia persona dicatur: Hic est filius meus; sive in prima, tu es filius meus; utrimque tamen non alius, quam Jesus Christus intelligitur. Neque illud est insolens, ut in recensione dictorum sensus habeatur ratio, non autem singula verba enumerentur. Neque etiam magnopere refert scire, uter verba ipsamet expresserit Matthæus, an verò Marcus cum Luca. neque illud adeo certum est. Interim quidam Marcum & Lucam verba expressisse judicant, idcirco quod ea similiter recitent. Veruntamen inter eos etiam hoc est discrimen, quod Marcus cum Matthæo habet ἐν ᾧ in quo; Lucas verò in secunda persona relatè ad Christum ἐν σοὶ in te. Quamvis non videatur alienum, si dicatur, Matthæum ipsa verba recensere: quandoquidem alibi Pater, Matth. 17. v. 5. Marc. 9. v. 7. & Luc. 9. v. 35. & 2 Petr. 1. vers. 17. iisdem usus sit verbis: quamvis fieri etiam potuerit, ut utrumque ordine sit dictum, repetitione, ad confirmationem majorem.

Atque hæc de vers. 16. & 17. unde orthodoxi Patres & posteri Theologi, non immerito, tres Deitatis personas & quidem inter se distinctas, non solùm ex baptismi nostri institutione in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: sed etiam ex baptizati Christi Spiritu sancto donati & testimonio Patris ornati historia demonstrant.

DE CAPITE IV.

De Christi à Satana Tentati Victoria.

POstquam Euangelista Matthæus privatam Christi vitam exposuit, ad publicam in munere prophetico occupatam accedit, cujus describit præparationem, & executionem. Præparatio inaugurationem & concertationem cum Satana victricem complectitur. Inauguratio autem miraculo facta est duplici, primum Spiritus S. super ipsum specie columbæ descensu ac mansione exteriori, Matth. 3. cum interiori gratiæ plenitudine, qua inunctus est, conjuncta. Luc. 4. v. 1. Concertatio verò cum Satana, hoc quarto capite Matthæi, pugnâ & Christi victoriâ constans describitur. Cujus

jus scopus est, ut agnoscamus & credamus Iesum esse Christum, qui secundum promissionem, Gen.3. caput serpentis esset contriturus: Cujus rei hoc præludium est. Nam ut primus Adam è terra terrenus, 1 Cor.15.v.45. & 47. à Satana tentatus succubuit, Gen.3. sic contra Iesus secundus Adam ac Dominus è cœlo, 1 Cor.15.vers.45.& 47. eundem concertatione crebra devicit. Cæterum in hac concertatione recensentur primùm rei antecedentia, deinde res ipsa, seu modus & eventus. Rei antecedentia vers.1. sunt duo; causa impellens certaminis, & adjuncta. Causa est Spiritus. Nam *subductus* dicitur ὑπὸ τοῦ πνεύματος *à Spiritu*, aut potius, *ab illo Spiritu*, κατ' ἐξοχὴν, & relatè ad capitis tertii vers.16. nempè, Sancto, quo plenus erat, ut Luc.4.1. *Iesus autem Spiritu sancto plenus, reversus est à Iordane, & actus est per eum Spiritum.* Cum autem actus ille accidere potuerit vel interno instinctu ac jussu; vel externo raptu: posterius magis consentaneum apparet: primum ex Matthæo, quia ait ἀνήχθη *sublatus est.* Nam quod vir eruditus ait, *præpositione videtur notari situs deserti: quod situm sit hoc, loco altiore, quam Iordanes fluvius*: illud minus convenit: quia præter Matthæum expressius id exponit Marcus cap.1.v.12. ἐκβάλλει αὐτὸν, hoc est, *ejicit ipsum*: quemadmodum Actor.8.v.39. Spiritus Domini Philippum ab Eunuchi præsentia alio abripuisse dicitur: Sic hoc in loco, *ejecisse*, metaphoricè subitum raptum notat. Spiritum autem causam fuisse certaminis, à fine raptus ostenditur: *ut tentaretur à Satana.* Ad cujus loci & aliorum multorum intelligentiam commodiorem, paucis ac distinctè quid *Satanas*, quidque *tentatio* notet, explicandum. Satanas autem à Syriaco סטנא, addito Sigma, à Græcis dicitur. Hoc autem idem est quod Hebræum (unde oritur) Σατᾶν, 2 Cor.12.v.7. Quæ vox Hebraicè, ut quidam volunt, *apostatam* significat: ut expresse Irenæus asserit adversus hæreses, lib.5. & Theodor. serm. 3. contra Græcos: quasi oriretur à radice שוט vel שטה *declinare.* Sed obstat derivationis analogia: deinde vocis in sacris literis significatio: qua perpetuò *adversarium* atque inimicum notat, nullibi *apostatam.* Deinde etymi indicatio seu etymologia satis clara est Zach.3.v.1. שטן עומד לשטנו hoc est, *Satan stabat ad adversandum ei.* Quare propriè *adversarium* notat generatim, ut 1 Reg.5.v.4. *Non est* שטן hoc est, *adversarius, hostis, qui adversatur*: ubi vulgata versio minus aptè Hebræam vocem retinens vertit, *Non est Satan*, & 1.Reg. 22.v.21,23. Impropriè verò, modo per Synecdochen, modo per Metaphoram accipitur. Per Synecd. primum speciatim dæmonium notat: quod Dei gloriæ, & salutis humanæ, maximus ac perpetuus sit adversarius, 1. Pet.5. vers. 8. cumque inter dæmonia Princeps eorum excellat: Satanæ vox singulariter, per Synecdochen strictiorem, pro eo usurpatur frequentissimè. Utriusque significationis exemplum extat in Christi verbis, Matth. 12.v.26. *Si Satanas Satanam ejicit*, hoc est, si princeps dæmoniorum ejicit dæmonia, ut vers.24. (cui hæc verba respondent) antecessit: qui Satanas princeps etiam *diabolus* appellatur, ut Apoc.12.v.9. ubi à subditis suis Angelis distinguitur: ut etiam Matth.25.v.41. & Apoc.20.v.2. *Serpens antiquus, Diabolus & Satanas* nominatur. Serpens antiquus, quod serpente quasi larvâ usus, Genes.3. astutia sua primos homines seductos, 2.Cor.11.v.3. Peccati veneno infecerit, & interfecerit, Johan.8.v.44. Diabolus, hoc est, calumniator per Synecdochen generis, ac κατ' ἐξοχὴν, insignis ille præ cæteris omnibus; quia primum Deum apud homines, Gen.3.v.4,5. Deinde homines partim apud Deum, Job.1.v.11. Apoc.12.v.10. partim apud homines calumniatur: tanquam mendax, & mendacii pater, Joh.8.v:44. Satanas denique, hoc est, adversarius: ut ante exposuimus. Secundò Satanæ vox per Metaph. ex hac Synecdoche (qua Diabolum notat) ortam, similem Satanæ designat: quemadmodum Christus Petrum, imprudenter, & acrius, contra officium, dictis ipsius adversantem, Matth.16.v.23. ita appellat: *abi retro à me Satana, scandalo es mihi.* quo in loco vox *Satanas*, non generatim *adversarium* significat, ut in Hebræo contextu sæpius accipitur: quia aliàs Euangelista Hebræam vocem, præter morem interpretationis, non retinuisset: sed Græcam posuisset. Neque etiam Diabolum intelligit Christus: quia hoc veritati repugnaret: sed Satanæ similem, nec simpliciter tamen: quia malus animus, & malus finis Satanæ consuetus, defuit: sed secundum quid, ratione medii tantum, seu dehortationis à cruce subeunda: qua, imprudente zelo impegit. Atque ita ut arbitror, satis apparet, quibus modis & vox *Satanæ*, qua in tentationis Christi historia utitur Marcus cap.1.v.13. & vox *Diaboli*, quam habet Matthæus cap.4.v.1. accipiatur. Ideoque pauca jam etiam de *tentationis* voce, & reipsa, ad majorem hujus loci & aliorum multorum lucem, adjungemus. πειράζειν, qua voce utitur Matthæus, Hebræis נסה, Latinis *tentare*, est propriè πεῖραν λαμβάνειν, hoc est, *experimentum capere*: ut Hesychius eruditè, expressa etymologia, declarat. quemadmodum & LXX. Interpretes Græci, vocem Hebræam נסתה tentavit, πεῖραν ἔλαβε, Deuter.28. v.56. interpretantur, ut etiam Latinè in Cicerone, *experiar ac tentabo omnia*, συνωνύμως conjunguntur.

Tentatio autem, qua alicujus experimentum capitur, sive ore, sive opere, alia est ἀδιάφορος seu media: alia διάφορος seu extrema. Media ea est, quæ in utramvis partem libera ac licita, hoc est, ut in ea nec virtus: nec vitium consistat: qualis Deut.28.v.56. *quæ non tentarat, plantam figere super terram*, & 1.Sam.17.vers.39. David de armis quarum erat insuetus ait, *non tentavi.* & 1.Reg.10.v.1. *venit ut tentaret eum ænigmatibus.* Extrema verò tentatio est, in qua, aut virtus inest, aut vitium; ideoque alia bona est, alia mala. Bona est, quæ omnino rectæ rationi consentanea, hoc est, quæ à bono principio, seu animo recto, licito medio, ad finem bonum collimat. Hæc autem pro causæ efficientis diversitate, aut divina est, aut humana. Divina est, qua Deus hominem explorat, ut prodat qualis sit. Non propter se, quasi ignarus esset Deus, ut cognoscat: Est enim omnium gnarus; sed hominum causa: ut tentato, aut aliis etiam, innotescat. Atque ita rectè, tam pios, quam impios tentare dicitur. Impios, ut Israëlitas variis modis tentasse dicitur, ut illi patefacerent, quonam essent erga Deum animo, ut Exod.15.v.25. & 16.v.5.& 20. Deut.8.v.2. & cap.13.v.3. Pios verò, ut Abrahamum: quem tentasse traditur, cum latentem illius fidem, & timorem Dei insignem, gravissimo mactationis filii mandato proposito, examinavit; ut iis patefactis Ecclesiæ imitationi inserviret. Genes.22.v.1.& 22. Hebr. 11. v.17. qualem etiam tentationem David requirit, Psal.26. v.2. *Proba me, tenta me, funde renes meos, & cor meum.* hoc est, instar auri igne fusi, examina meam sinceritatem. Quia verò res adversæ, & persecutiones à Deo immissæ, ut ignis aurum, sic fidem & obedientiam hominum erga Deum probant, 1. Petr.1.v.7. idcircò per metonym. effecti pro efficiente, tentationes appellantur. quemadmodum Luc.8.v.13. *Tempore tentationis*, hoc est, afflictionis, & persecutionis, ut Matthæus in eadem sententia exponit cap.13.v.21. Sic etiam Luc.22.v.28. Act.22.v.19. Jac.1.v.2, & 3. & expressâ eleganter metaphora, πύρωσις πρὸς πειρασμὸν γινομένη, *ustio ad tentationem facta*, hoc est, afflictio ad experimentum probitatis appellatur, 1.Petr. 4.v.12. Hæc de tentatione divina. Humana verò tentatio bona est, quâ ab homine rectè quis exploratur. Ea autem est ratione objecti sui duplex: nempe vel Dei tentati, vel hominis. Dei, ut in exemplo Gedeonis, qui signum velleris primum humidi, Judic.6.v.37. deinde contra sicci à Deo petiit, vers.39. ubi ait אנסה *tentem quæso hac vice hoc vellere.* ubi infirmitatis suæ conscius, ac studio parendi Deo, (& ut videtur instinctu illius) ac fidei suæ confirmationem, & obedientiam alacriorem, in re periculosissima, signum ab ipso petiit, & impetravit. Atque ita Deus se tentari, seu rei promissæ signum postulari à se, Achabo mandavit, Esai.7.v.11. quod perversè rejecit dicens vers.12. *Non petam, neque tentabo Iehovam*: quo aperta contumacia peccavit: sive incredulitate id factum sit, quod fidem promissioni divinæ derogârit: sive malitiosa hypocrisi, quasi omnis tentatio Dei, etiam ab ipso imperata, esset vitiosa. Deinde verò homo hominem rectè tentat:

tentat: cum aut alium, aut sese recto animo, rectaque via seu licito modo, ad bonum scopum, examinat. Alium quidem, sive is sit probus, sive improbus. Probus, ut quum Johan. 6. v. 6. Christus dicitur Philippum tentasse. Improbus, ut de pseudoapostolorum tentatione, Apoc. 2. v. 2. ad Angelum (hoc est, legatum seu pastorem) Ecclesiæ Ephesinæ dicitur: *tentasti*, hoc est, examinasti *eos, qui se dicunt esse Apostolos & non sunt, & invenisti eos mendaces.* Seipsum verò quis rectè tentat, cum fidem suam, & obedientiam, an sincera sit, perpendit diligenter, & ad Dei verbum examinat: de qua etiam Apostolus, 2. Cor. 13. v. 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide:* Quibus eodem sensu subjicitur; *Vos ipsos probate.* Atque hæc quidem de tentatione bona, tam divina, quam humana: quæ, ut antea ostendimus, à bono principio, seu ex probo animo, licito medio, ad bonum finem tendit.

Mala verò est, in qua vel omnia, vel aliquid saltem horum deficit. Eaque ratione causæ efficientis, seu tentantis alia est Humana, alia Diabolica. Nam causa illius malæ tentationis Deus esse non potest: quia solus ac summè bonus est. *Nullus* enim, ut Christus ait, *bonus, nisi unus, nempe Deus*, Marc. 10. v. 18. *Quia lux est, nec ulla in eo sunt tenebræ*, 1. Johan. 1. v. 5. *Nec in eo ulla est mutatio*, Jac. 1. v. 17. quocirca Jac. 1. v. 13. dicitur: *Nemo, cum tentatur, dicat se à Deo tentari. Nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.* Verùm objicitur: Quicunque nos inferre potest in tentationem malam, ille potest esse causa efficiens illius: Atque Deus nos potest inferre in tentationem malam: Ergò causa illius efficiens esse potest. Propositio firma videtur, quia illatio in tentationem, efficientiam, & quidem causæ principalis, notat. Assumptio probatur ex Matth. 6. v. 13. *Ne nos inferas* (sic enim Græcè est εἰσενέγκῃς, non autem inducas) *in tentationem:* quo indicatur Deum interdum hoc facere, aut saltem posse: aliàs injustè ac frustra illud peteretur, si ejus rei periculum, ac potentia abesset. Sed negatur propositio: quia illatio in tentationem est duplex: propria, & Metaphorica. qui proprie dicitur inferre in tentationem, ille causa est: quia potentia, & mandato ad peccata solicitandum tentatori tradit: qui verò Metaphorice dicitur inferre in tentationem, quod ea agat, quæ similitudinem aliquam habent cum illatione propriâ, ille causa efficiens dici non potest. Priori modo Deus inferre in tentationem non dicitur: quia nullam vim nullumque mandatum ad tentationem adhibet: sed secundo tantum modo, quia bona tantum sua ab ingratis justo consilio aufert, unde certò, licet non ablationis illius vi, sed à causa aliunde procedente, consequatur tentatio mala, similitudine effecti è sua causa procedentis: sed diverso modo. Nam tentationis causa propria intus est caro, Jac. 1. v. 14. foris verò mundus & mundi princeps Satanas: quorum tentationes vitiosas Deus coërcet; intus quidem, collatis Spiritus sancti donis, quibus caro reprimitur: foris verò potentia sua, qua providentiæ suæ fræno Satanæ, & mundi tentare studentis, conatus cohibet: cum vero suam illam gratiam adjuvantem, intus & foris, ab ingratis, suo modo, & ad tempus subducit, Metaphorice in tentationem inducere aut inferre dicitur: quod sc. eam gratiæ subductionem tentatio mala consequatur: sicut effectum, posita agente ac sufficiente causa, sequitur. Itaque convenientia est inter causam hanc efficientem, & Deum, in antecessione & adjuncta consecutione: quod ut tentantis actio est tentationis antecedens, & ea posita effectum sequitur: sic etiam gubernatio Dei gratiam suam subtrahentis, antecedens est: eaque posita, tentatio oritur. Sed in eo differentia consistit, quod à tentantis efficaciâ tentatio promanat: eo quod causa illius est: sed actio Dei gubernantis vi sua tentationem non efficit: sed eam tantum ut adjunctum antecedit. Quamobrem tentatio vitiosa, seu mala, ratione causæ efficientis, seu tentantis, est tantum humana, & Diabolica. Humana ratione objecti, seu ejus qui tentatur, alia est Dei, alia hominis. Dei ab homine tentatio mala, imprimis vel diffidentia, vel confidentia nimia contingit. Diffidentia, ut cum contra promissiones Dei, præsentiam, aut potentiam illius in dubium vocando, explorant, quid sit facturus: præsentiam quidem, ut Exod. 17. v. 7. de Israëlitis dicitur, *tentaverunt Iehovam dicendo: Estnè Iehova in medio nostri, aut non:* Potentiam verò; ut de iisdem David, Psalm. 78. v. 18. *Tentaverunt Deum, & dixerunt, an posset Deus instruere mensam in hoc deserto*, & 1. Cor. 10. v. 9. *Ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, & à serpentibus perierunt.* Confidentia verò nimia tentatur Deus, cum promissionum divinarum abusu, neglecto ordine & officio divinitus præscripto, auxilii divini experimentum temere sumitur, ut Deut. 6. v. 16. Matth. 4. v. 7. & Actor. 15. v. 10. Hominis verò ab homine tentatio mala, vel est alterius vel sui ipsius. Alterius, ut cum Pharisæi Christum sæpius tentasse dicuntur, Matth. 16. v. 1. 19. v. 3. & 22. v. 35. hoc est, ex odio illius, insidiosis quæstionibus explorasse, quid dicturus esset: ut ex responsionibus ejus captionis & accusationis materiam arriperent, Joh. 8. v. 6. Matth. 22. v. 15. & 18. Sui ipsius verò tentatio mala est, cum quis ab insita vitiosa sua concupiscentia seducitur, ut Jacob. 1. v. 14. *Unusquisque tentatur, dum à propriâ concupiscentia abstrahitur & inescatur.* Ubi à piscatoribus objecta esca pisces allicientibus ad hamum, ac illectos perdentibus, elegans Metaphora observanda.

Atque hæc de mala tentatione humana, qua quis vel Deum, vel hominem, & quidem alterum, vel seipsum tentat. Diabolica verò tentatio primaria est, ut quæ pro deplorata ac perpetua Diaboli malitia, semper mala est, & humanæ tentationis malæ origo, 2. Cor. 11. v. 2. & 3. cum 13. & 14. Joh. 8. v. 44. Ephes. 2. v. 2. Ea autem est qua homines, ex sua malitia Joh. 8. v. 44. & 1. Petr. 5. 8. pravâ suggestione explorat: ut eos seductos perdat, 1. Petr. 5. v. 8. Suggestio autem illius aut interna est, aut externa. Interna, qua internum hominis sensum seu phantasiam pravis objectis afficit; ut eo modo ac via mentem animumque turbatum, à vero justoque avertat ad peccatum, ut Act. 5. v. 3. Luc. 22. v. 3. & 4. & 2. Cor. 4. v. 4. Nec enim immediate in mente aut voluntate operatur: quia ea Deus solus novit, 1. Reg. 8. v. 39. & homo ipse, 1. Cor. 2. v. 11. sed tantum mediate per phantasiam. Suggestio autem illa, pro objecti seu hominis tentandi ingenio, affectibus ac conditione variatur: quæ insidiose observans, opportune laqueos suos accommodat ac nectit, & idonea rerum & sermonum ad peccatum objecta suggerendo, tentat: ut Judam furem Johan. 12. v. 6. vendendi Christi pretio objecto Luc. 22. v. 3. & 4. & Matt. 26. v. 15. ad proditionem allexit atque adduxit. Sic divitiarum avidos, objecta earum impetrandarum, per fas & nefas, commoditate, tentat & illaqueat, 1. Tim. 6. v. 9. Sic superbos honorum, & libidinosos voluptatum occasione objecta allicit: denique ut hominem affectum, aut variis modis & occasionibus, ac temporibus affici posse conjicit: Sic objecta ad peccatum idonea opportunè suggerit ac tentat: ut Hieron. ad Matth. 15. ostendit & ait: *Diabolus adjutor & incensor malarum cogitationum potest esse: author esse non potest.* Atque hæc de interna tentationis Diabolicæ suggestione, qua phantasiam afficit. Externa verò est, quam externo sensui objicit. Qualis fuit Evæ tentatio, cum eam insidiosis ac falsis verbis, & fructus vetiti elegantia occurrente, ad legis divinæ transgressionem provocavit. Ac talis etiam est, qua Jesum tentavit, sed contrario eventu.

Porrò Diabolus ab hoc indefesso pravæ tentationis studio ὁ πειράζων, hoc est, (participio loco nominis posito) *tentator* appellatur, Matth. 4. v. 3. & 1. Thess. 3. v. 5. cumque tentatio illius sit frequentissima ac maximè noxia, Synecdochicè ac κατ' ἐξοχὴν, *tentationis* voce non rarò intelligitur, ut Matth. 6. v. 13. & 26. v. 41. & 1. Tim. 6. vers. 19.

Hæc de Diabolo seu Satana & tentatione sufficere arbitramur: unde intelligitur finis Christi à Spiritu rapti, nempe, *ut tentaretur à Diabolo*, Matth. 4. v. 1. Exploratione externa illius: ut sequens narratio demonstrat. Sed scrupulus hic occurrit hujusmodi: omnis tentatio Diaboli est mala: Ergò Christus non potuit à Spiritu sancto justè transferri in desertum, eo fine, ut tentaretur à Diabolo.

Quidam idcirco concedunt, non eo fine translatum: quia Matth. utitur voce ἵνα, *ut:* quæ licet sæpe causæ efficientis propositum finem: interdum tamen occasionis antecedentis eventum consequentem notat, ut Apoc. 13. v. 13. *Editque signa magna*, ἵνα, hoc est, *adeo ut etiam ignem faciat è cælo descendere.* Verùm aptius negatur consequentia. Etsi enim tentatio hæc activè sumpta, quatenus Diabolus eam malè obtulit, sit vitium; passivè tamen accepta, quatenus Christus illam fieri tulit, ac sine minima inclinatione constanter rejecit ac superavit, virtus est ac pia fortitudo; quemadmodum indigna Christianorum persecutio, qua infertur, iniquitas & peccatum est: quatenus verò patienter ac constanter perfertur, obedientia est Deo grata, Matth. 5. v. 10. & 2. Thess. 1. v. 5, 6, 7. & 1. Petr. 2. v. 19, 20, 21. & cap. 3. v. 14. Apoc. 3. v. 10. 11, 12. Atque hoc modo, ad probandam Jesu fidem & obedientiam Spiritus sanctus adversario Diabolo, ut tentaretur ab eo, ipsumque sine ulla læsione sui superaret, rectè objecit: ad consolationem Ecclesiæ, quæ ex hac tentatione aliisque quas pro nobis pertulit & superavit, promanat. Nam quatenus Jesus Dominus noster tentationem à Satana & mundo, sine ullo peccato suo, pertulit, exemplum est nobis servis suis patientiæ, & remedium impatientiæ, Hebr. 12. v. 2. & 1. Petr. 2. v. 21. & 3. v. 17. & 18. Matth. 16. v. 24. Deinde fulcrum est spei Christianæ, quod pro nobis tentationes passus eas superavit: ideo & misericors erit erga nos in tentationibus nostris, & ex iis liberare poterit ac liberabit, Hebr. 2. v. 17, 18. & 4. v. 15. & 16. Porrò præter hunc raptus finem, adjuncta etiam temporis & loci indicantur. Tempus, cum dicitur; *Tunc*; & ut Marcus exponit, cap. 1. v. 12. *statim*, nempe simul ac Spiritus sanctus super ipsum descenderat, & vox Patris audita. Locus verò, unde à Spiritu Dei sursum per aërem alio abreptus, est ripa Jordanis: ut tempus raptus ostendit; quia in ea tunc erat, Matth. 3. v. 16. deinde locus, quo raptus fuit, vocatur *desertum:* hoc autem non aliud hic intelligitur, quam ab hominibus omnino secretum: ideoque dicitur, *versatus inter feras*, Marc. 1. v. 13.

Atque hæc de concertationis Christi adversus Satanam antecedente cùm causa, tum adjunctis. Causa fuit Spiritus Sanctus, qui in eum finem Jesum transtulit, & in arenam adversus tentatorem Satanam produxit. Adjuncta verò antecedentia modo exposuimus, nempe tempus, quando cœpit, inde ab accepto Spiritu & Patris testimonio: locus verò ubi certatum est, est Desertum. Quare ad ipsam concertationem & eventum illius paucis illustrandum procedamus.

Cæterum quamvis hæc concertatio *dies quadraginta*, (ut Marc. 1. v. 13. Luc. 4. v. 2. declaratur) durârit: illius tamen postremus & quidem acerrimus conflictus tantum recensetur, Scriptura more, Johan. 20. v. 30. & 31. & 21. v. 25. quod ad nostri institutionem & consolationem sufficiat. In quo triplex concursus accidit, quorum singuli oppugnatione ac tentatione Satanæ, & invicta Christi repugnantia constant. Et oppugnatio quidem partim operta arte, partim aperto Marte instituta est. Nam Diabolus primo & secundo concursu serpentinâ usus astutia, Christum ad defectionem à fide: tertio verò leonina impudentia, ad universalem à Dei cultu defectionem solicitat. Christi verò repugnantia clypeo fidei, & gladio verbi divini, (tanquam armatura tutissima Ephes. 6. v. 16. & 17.) Satanam repellit ac devincit. Fidem autem Christi Satanas bifariam oppugnat. Nam primo conflictu ad defectum illius: Secundo verò ad excessum subdolè provocat: irrito utrumque conatu. Ac prioris conflictus primum proponitur circumstantia: cùm temporis, tum occasionis; deinde verò modus. Ac tempus exponitur à Matth. v. 2. *Postquam jejunasset* 40. *dies & quadraginta noctes*, hoc est, post 40. dies tentationis & jejunii exactos, Luc. 4. v. 2. Ex quo jejunio Pontificii ineptè omnino ac superstitiosè jejunium suum quadragesimale, atque annuum probare nituntur. Nam etsi Christi actiones, secundum legem Dei nobis cum illo communem editas, imitari debeamus: miracula tamen nec imitari debemus, nec possumus. Nec Pontificiorum jejunium quadragesimale Christi jejunio convenit, sed in multis ab eo dissidet. Christi enim jejunium factum est sine ulla esurie, Matth. 4. v. 2. deinde non arbitrio humano; sed divinæ omnipotentiæ miraculo; ideoque, tertiò, non religionis seu cultus Dei opinione susceptum: sed quia satiatus divinitùs victum non desiderabat. Quartò abstinentia ab omni cibo, Luc. 4. v. 2. Denique non quotannis, sed semel tantum. Contra verò Pontificiorum quadragesimale jejunium cum fame aliqua intercedente, atque esu levandâ est conjunctum: deinde, non vi divina, sed humano instituto ac viribus naturalibus; tertiò, non satietatis sensu, sed cultus Dei opinione: quartò, non ab omnibus cibis perpetuò abstinent, sed à solis carnibus ac similibus, atque interim pisces indies & vinum sæpius variaque bellaria absumunt; denique, non semel tantum, sed quotannis jejunium illud suppositititium observant. Quare inepta omnino est ac merè superstitiosa κακοζηλία, quæ occasione à Patribus multis paulatim à Scripturæ simplicitate ad humanas traditiones declinantibus, accepta, in ἐθελοθρησκείαν ac superstitionem rigidam degeneravit: qualem Christus, Matth. 15. v. 9. rejicit, & Apostolus damnat, Col. 2. v. 22. & 23. & 1. Tim. 4. v. 3. Quod autem Christus quadraginta dies à cibo abstinuerit ante promulgationem Euangelii, in eo similis est Mosi, cui ante promulgationem legis idem evenit. Exod. 34. v. 28. & Eliæ Prophetæ, 1. Reg. 19. v. 8. Sed in hoc dissimilis est, quod Moses & Elias non suæ personæ virtute insita, sed externa & aliena, nempe Dei: Christus verò virtute sua interna, nempe divinæ naturæ, confirmatus, non edit. Atque hæc de prima, primi conflictus Satanæ, & Christi circumstantia, nempe tempore: altera est occasio; quæ est consequens post jejunium fames, quæ in fine vers. 2. ita indicatur: *postea esuriit.* Modus verò conflictus, ratione oppugnantis Satanæ describitur, vers. 3. *& quum venisset ad eum tentator, dixit: Si filius Dei es, dic ut illi lapides panes fiant.* Quo Diaboli (qui tentator κατ' ἐξοχὴν dicitur) factum, & tentatio continetur. Factum est quod ad Christum jam esurientem, captata opportunitate, accesserit: unde colligitur, quod licet 40. diebus tentârit, Luc. 4. v. 2. Tamen non continuè, sed per sua intervalla id perpetrasse. Nam quod clariss. Musculus, & ante eum Cyprianus serm. de jejunio & tentationibus, hanc primam accessionem & tentationem statuit, quasi quievisset toto jejunii tempore: illud Euangelistarum verbis, Luc. 4. vers. 2. & Marc. 1. vers. 13. minimè convenit. Rectius verò Hieron. Tom. 6. Comment. in Habac. cap. 3. ubi de Diabolo ait, *qui quadraginta diebus tentavit eum in solitudine.* Tentatio autem hæc est, quâ Dei patris de filio suo testimonium in dubium vocando, Jesum à fide in illum, ad diffidentiam ac desperationem, objecta insidiosè cibi inopia, seducere molitur. Sensus autem latens est: Si esses verè filius Dei, (ut vox è cœlo testata est, & tu credis,) in hoc deserto, fame & cibi inopia laborans diceres: (hoc est, per Synecd. ediceres seu juberes ac præstares) ut hi lapides fierent panis: ne scil. inedia morereris, sed vivere posses. Nam hanc esse Satanæ mentem, etiam Christi responsio ei opposita ostendit. Atqui tu hoc non dices, nec fiet: Ergo non es filius Dei. Ratio consequentiæ propositionis est: quia Deus pater esse non potest, si tibi, translato à se in hoc desertum sterile, panem petenti, lapides tantum objiciat, Matt. 7. v. 9. & non potius ad vitam conservandam efficiat, ut illi in panes convertantur. Quam propositionem sub forma mandati breviter omnino proponit; sed illius probationem, ut & assumptionem, atque conclusionem, ut fallat, subdolè omittit. Qualis tentandi ratio in rebus adversis, ad fidem erga providentiam ac promissiones Dei expugnandam, Satanæ familiaris est ac valde periculosa: adeo ut etiam Davidem penè subverterit, Psalm. 73. v. 2, 3, 13, 14. Quod autem Cyprianus serm. de jejunio & tentationibus statuit Diabolum ignorasse, Christum esse Dei filium proprium, & in eum finem tentasse, ut certitudinem illius inquireret, alienius est. Nam quis credat prophetias de Christo filio Dei, & de Jesu filio Dei testimonia divina ipsi fuisse ignota, aut de veritate eorum dubitasse?

Cæte-

Cæterum huic tentationi Satanæ subjicitur altera primi hujus conflictus pars, Christi sc. repugnantia, de qua his verbis, v. 4. *At ille respondens dixit, scriptum est, Non è solo pane &c.* ubi observanda sunt, primum arma, quibus Christus repugnat; & modus quo iis utitur. Arma sunt clypeus fidei erga Scripturam, & gladius Scripturæ adversus Satanam. Modus autem quo iis utitur, est fidelis citatio Scripturæ, & expressio idoneæ sententiæ. Citatio est, cum respondet, *scriptum est*, hoc est, κατ' ἐξοχὴν, per Prophetam, in Scriptura sacra, ut alibi etiam loqui solet, Matth. 11. v. 10. & 21, 13. & 26. 24. & 31. quo fidem suam de Scripturæ sacræ veritate, cui innitatur, rectè indicat: quia ea est omnium virtutum, seu fidei in Deum, & bonorum operum, perfecta norma, Deut. 5. v. 32. & 33. Sententia autem idonea quam exprimit, extat Deut. 8. v. 3. in fine illius. Integer verò est: *Afflixit enim te, & fecit ut esurires, sed cibavit te manna, quod non cognoveras, neque majores tui: ut notum faceret tibi, non solo pane vivere hominem, sed omni eo, quod prodit ex ore Iehovæ vivere hominem.* Unde apparet hoc Scripturæ dictum esse instar gladii, quo objectum à tentatore telum dissecat ac prosternit. Satanas enim objecerat, si esset filius Dei, dicturum ut lapides fierent panis: quod scil. aliter non posset vivere. Contra verò Christus his verbis docet, falsam esse tentationis Satanæ consequentiam; nec enim sequi, si filius Dei sit, opus esse, ut lapides fierent panis: & hypothesin in tentatione intellectam, falsam: quasi homo solo pane viveret: cum Scriptura sacra per Prophetam, contrarium asserat. Docet enim non solo pane, ut cibo ordinario, hominem vivere: sed etiam, cum Deo placet, cibo extraordinario, & ut Moses loquitur *omni exitu oris Iehovæ*, & ut Christus exponit, *omni verbo prodeunte ex ore Domini.* ubi voce *verbi* (per metonym. adjuncti pro suo subjecto) res verbo significata intelligitur, ut Exod. 29. v. 1. & passim eo sensu usurpatur.

Cæterum hujus extraordinarii victus exemplum à Mose eodem versu præmittitur: quod Israëlitas (ad sexcenta circiter virorum, præter mulieres & parvulos, millia, Exod. 12. v. 33.) non pane ordinario: sed Manna cœlitus defluente Deus annos 40. in deserto paverit, illique vixerint: & Christus post Mosen & Eliam, 40. dies, vi divina, sine pane aut cibo ullo, antea satiatus. Deinde pane etiam Eliam, sed Angeli ministerio, non industria humana procurato aluit, 1. Reg. 19. v. 5, 6, 7. & pane ac carnibus indies mane & vesperi à corvo, licet natura voraci delato, aluit, 1. Reg. 17. v. 4. & 6. & pane à vidua Sareptana altus est Elias, sed extra ordinem farina & oleo, Dei omnipotentia, neutiquam imminutis. Denique Christus aquam in vinum commutavit, ut nuptialis convivii defectum curaret, Joh. 2. v. 9. 11. & quinque panibus, ac duobus piscibus, divina sua virtute auctis, quinque virorum millia, absque mulieribus ac puerulis pavit ac saturavit, ut nihilominus duodecim fragmentorum cophyni pleni superfuerint, Matth. 14. vers. 17. ad 22. & postea septem panibus & paucis pisciculis similiter quatuor virorum, absque mulieribus ac parvulis, millia ad satietatem aluit, ut etiam septem sportæ residuis fragmentis fuerint impletæ, Matth. 15. v. 32. ad 39. Quæ duo miracula uno complexu memorantur Matth. 16. v. 9, 10. unde etiam apparet falsitas tacitæ assumptionis, atque hypothesios Satanæ: quasi Christus non posset, suo dicto seu mandato, lapides istos in panes commutare: potuit enim ut naturæ illius divinæ omnipotentia, & exempla similia mutationis aquæ in vinum, & panum ac pisciculorum incrementum evincunt: Sed tamen Satanæ tentatori, ex odio Christi & pravo fine imperanti, parere justissimè recusavit: quod alia ratione ac fine esset pascendus: Et ut Hieron. ad hanc sententiam ait: *Sic respondit Dominus, quia propositum erat ei humilitate Diabolum vincere, non potentia.*

Hæc de primo modo quo fidem Christi oppugnans Satanas est usus, nempe ut ad fidei defectum seu ad diffidentiam ac desperationem seduceret: Sed à Christo per fidem & Scripturam resistente est confutatus: Id quod in primo conflictu accidit.

Alter verò modus est, quo ad fidei excessum, seu superbam ac temerariam confidentiam adducere, Satanas molitus est, secundo conflictu, de quo vers. 5, 6, 7. agitur: ut quum prima ad sinistram oppugnatio facta esset irrita: altera tamen ad dextram aggressio succederet. Verum difficultas hic emergit, de hujus tentationis h. e. conflictus ordine, & Euangelistarum consensu. Nam Matth. eum secundo: Lucas verò tertio: & tertium Matthæi Lucas secundo loco recenset: ideoque ex hac diversitate dissensio esse videtur. Sed nodus hic eo solvitur, quod ut profana; sic etiam sacra historia interdum promiscuè, seu ordine neglecto, rem gestam narret. Etsi enim aliqua diversitas sit, nulla tamen est oppositio, nulla dissensio, idem uterque narrat. Et ut Lucas in primo conflictu cum Matthæo ordine convenit: sic in secundo & tertio diversum, ut interim tamen nullo modo indicet, eo ordine, quo narrat, rem gestam contigisse: sed Spiritus sancti ductu scribens promiscuè rem ipsam recenset: ideoque dissensio non est. Quemadmodum etiam dum è Veteri Testamento dicta citantur, verborum tamen ordo interdum invertitur sine sensus injuria, qui solus tum spectatur. Cœterum uter eorum, Matthæus an Lucas, rei gestæ ordinem servarit, diversa sunt judicia. Quidam enim Lucam ordinem servasse arbitrantur: sed plerique alii rectius statuunt, hoc à Matthæo fieri: quemadmodum ex descriptione illius apparet. Prima enim ratio est materiæ convenientia: quia prima & secunda apud Matthæum tentatio, eandem partem cultus Dei, nempe fidem oppugnat: sed modo tamen diverso; Prima tentatione ad illius defectum seu diffidentiam: secunda verò ad excessum ejusdem seu confidentiam nimiam alliciens: tertia verò universum Dei cultum evertere conatur. Secunda ratio est à vocibus, quæ rei gestæ connexionem & ordinem indicant ac definiunt. Nam de secunda tentatione dicitur vers. 5. *Tunc assumit eum; tunc*, hoc est, simulac ad primam tentationem data esset illa responsio, quam versu antecedente descripserat: de tertia verò tentatione ait vers. 8. *Rursum assumit eum:* id quod secundam assumptionem notat relatè ad antecedentem, quam primam fuisse etiam ista relatione indicatur: Denique tentationem hanc ordine secundam fuisse sequentia etiam comprobant. Nam tertia tentatione ac secunda assumptione narrata, subjicitur vers. 11. *Tunc omittit eum Diabolus.* Nam vox illa *Tunc*, non aliò, quam ad proxima Christi in montem assumpti verba (quibus tertiam tentationem rejecit ac confutavit) referri potest. Quare ordine hujus conflictus secundi, à Matthæo narrati, demonstrato, ad rem ipsam seu oppugnationem Satanæ & repugnantiam Christi accedamus. In oppugnatione autem duo notantur, Satanæ factum, tentationem antecedens, & ad eam idoneum: Deinde tentatio consequens. Factum autem narratur vers. 5. *Tunc assumit* (id est, per enallagen præsentis pro præterito assumsit) *eum Diabolus in sanctam urbem, & statuit eum super pinnam templi.* Quod factum duobus constat membris: primum est, assumptio in urbem sanctam: alterum est constitutio super pinnam templi. Ac de utroque communis quæstio exoritur, an hæc assumptio seu translatio (ut etiam altera vers. 8.) & constitutio fit propriè, an vero impropriè per metaphoram intelligenda. Quidam enim posteriorem sententiam probant, factam illam assumptionem ac constitutionem, non loci mutatione; sed visione quadam. idque illustrant exemplo Ezechielis, qui dormisse dicitur super latus sinistrum dies trecentos nonaginta, & supra dextrum, quadraginta, cap. 4. v. 5, 6. & è Chaldæa visionibus Dei adductus in terram Israël, & dimissus in montem valde excelsum, cap. 40. v. 2. denique elevatus à Spiritu atque introductus in templi atrium interius, cap. 43. v. 5. Atque ita Christum quoque non propriè assumptum, corporis, è deserto, in alium locum translatione; sed tantum visione atque imaginatione: qua factum, ut illud Christus putarit ita esse: & quidem exhibita visione, non à Satana, sed à Spiritu Christi, ut Cyprian. serm. de jejunio & tentationibus ait: *Suo itaque Spiritu eum credendum est ductum & in desertum & super pinnam templi.* Sed repugnat hac in re apertis Euangelistæ verbis, qui disertè ista Diabolo attribuit,

buit, hoc modo. *Et assumsit eum Diabolus*, vers. 5. & 8. Idcirco alii visionem factam statuunt, non ut in Prophetis à Spiritu Dei, sed à Diabolo per illusionem sensuum, quia Jesus sibi visus est ita transferri, & collocari, modo super pinnam templi; modo super montem. Prima tamen sententia, quæ propriè rem gestam exponi statuit, magis videtur consentanea: Christum reverà, è deserto, à Satana, in pinnam templi, per aërem translatum: quam etiam sequitur author imperfecti operis Comment. Chrysostomo adscriptorum in Matth. Rationes autem hæ sunt: Primò, quia historia narratur: nec à propria significatione recedendum, in explicatione, nisi ratio necessaria obstet, ut citra controversiam est. Atqui nulla apparet necessaria: etsi nonnullas opponant, quarum primariæ sunt duæ, quæ aliquam habent speciem verisimilem, petitæ ex Luc. 4. v. 5. Prima autem est, quod in Christi conspectu ostenderit Satanas *omnia mundi regna*: altera verò quod id præstiterit *puncto temporis*. Quorum prius fieri non potuit: Posterius verò multò minus. Sed hoc negatur, imò utrumque fieri potuit: Si verba Euangelistæ rectè exponantur. Nam *omnia regna mundi* intelligi possunt non absolutè, sed relatè ad illum montem, id est, omnia regna in circuitu posita: quemadmodum, 2. Chron. 20. v. 29. *& fuit pavor Dei, super omnia regna terrarum, cum ista audivissent*, hoc est, regna circumjecta, ut in simili ejusdem libri sententia exprimitur, 2. Chron. 17. v. 10. Deinde vox *omnia* non semper singula notat universaliter; sed interdum per Synecd. *multa* designat, ut Dan. 2. v. 38. Nebucadnezar traditur habere potestatem in omnia, in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri & omnia sub ipsius ditione esse. Denique Diabolus omnia regna ostendisse Christo dici potest, quod quædam, ratione terrarum, ut vicina (quemadmodum Mosi terram promissam è monte Nebo, Deus monstravit, Deut. 34. v. 1, 2, 3.) Reliqua verò remotiora, ratione situs, quem indicarit. Quod verò dicitur secundo argumento ostendisse *puncto temporis*, sententiæ propositæ non obstat: quia verba ea non strictè sunt accipienda; sed per consuetam omnibus linguis hyperbolen, ac tritum sermone proverbium, quando breve tempus comparatione aliqua longioris denotatur: ut Erasmus in adagiis, Chil. 2. cent. 2. adagio 70. (ex Terentio & Cicerone & eleganti Plutarchi περὶ παίδων ἀγωγῆς sententia, *στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστιν ὁ βίος*, hoc est, *tota vita est punctum temporis*) demonstrat. Ac plura similia apud bonos authores occurrunt. Ut etiam in Scriptura, Esræ cap. 9. vers. 8. *Nunc exiguo momento* (כמעט רגע) *facta est nobis gratia*, hoc est, brevi tempore exacto. Atque ita pauci anni intelliguntur comparati cum longo præcedentis miseræ spatio. Quocirca nihil omnino hic est absurdi, si regna mundi puncto temporis ac momento demonstrata narretur propriè. Ac propterea quod doctiss. Scholiastes verba hæc, *puncto temporis*, apud Lucam, cap. 4. v. 5. cum voce prima, nempe assumit, construenda conjicit: non est opus, neque etiam constructionis cohærentia hoc admittit.

Hisce jam duabus rationibus, pro assumptione per metaphoram de sensuum Christi illusione ac visione imaginaria confutatis: reliqua facilius diluuntur. Nam quod objicitur, primum absurdum esse, Christi excellentiam hoc tulisse, ut Diabolus eum pro arbitrio in varia loca transveheret, illud negamus: quia factum illud non solo Diaboli arbitrio contigit, quasi Christus ab eo contra voluntatem vi coactus esset ac raptus: sed Deo, ad majorem Christi victoris gloriam, concedente, Christoque in eundem finem indulgente: quemadmodum, quod est longè majus, corporis sui proditionem, violationem variam, ac crucifixionem, Satanæ suos ministros adhibenti volens permisit, Luc. 22. v. 3. & 4. Johan. 13. v. 27, & 14. 30. ut nos servaret, & ita gloriosè de Satana triumpharet, Hebr. 2. v. 14. & 15. Col. 2. v. 14, 15. deinde si corporis Christi, sine ulla prorsus læsione, translatio, ob indignitatem credenda non est; multo sanè minus credendum, Satanam potuisse (uti statuunt) illudere omnibus Christi sensibus externis, & internis, ut in deserto existens se transferri & collocari existimaret. Altera objecta ratio est, quod talis corporalis translationis à Satana factæ alia exempla in sacris literis non occurrunt; ideoque eam non contigisse Christo, sed negatur consequentia: quia non necesse est, ut omnia, quæ in sacris literis narrantur, habeant similia ibidem exempla: cum certum sit non pauca esse singularia. Imò talis etiam sensuum Christi & phantasiæ illusio (quam statuunt) exemplo simili in sacris literis destituitur. Denique objicitur, omnia in sacris literis scripta ad utilitatem nostram. Atqui nulla inde est utilitas, si Christi corpus è deserto per aërem in pinnam templi, & postea in montem sublimem transvectum describatur: Sed negatur hæc assumptio: quia utilitas est, insignis consolatio ac confirmatio Christianorum ex Christi tentatione & victoria illius promanans: primum cum Dei filius Christus ac Dominus noster ad tempus Satanæ rapienti fuerit permissus à Patre: inde sequitur nos non debere indignè, sed patienter ferre, si Deus in nostra corpora aut bona aliquid potestatis Satanæ concedat. Deinde cum Christus pro nobis illam raptoris Satanæ tentationem patienter tulerit ac tandem victor evasit: hinc certa spes oritur pro sua clementia etiam nobis à Satana tentatis opem laturum, Hebr. 2. v. 17, 18. 4. v. 15. Nam quod excipitur hisce locis Christum per omnia nobis similiter tentatum dici: atqui similis nobis non est; quod non reipsa transferamur: id facilè solvitur. Nam similis tentatio genere convenit, etsi non ratione singulorum modorum. Nam ita Christus neque nobis etiam similiter per omnia passus dici posset, cum certas tentationes seu modos particulares accidisse Christianis constet, quibus Christus non fuit obnoxius.

Atque hæc ad quæstionem de modo facti Satanæ, cùm in translatione, tùm in collocatione, nimirum, eum fuisse proprium, vera loci mutatione; non verò metaphoricum atque imaginarium illusione Satanæ peractum: nunc superest, ut de loco facti pauca dicamus. Locus unde translatus est dicitur *desertum*; quo verò translatus est & collocatus, communis quidem *est urbs sancta*, proprius verò *πτερύγιον templi illius*. Quid urbs sancta notet, caret controversia, nempe Hierosolymam, quæ per periphrasin ita appellatur, Matth. 27. v. 53. quod templo & cultui divino præ cæteris omnibus urbibus fuerit consecrata. Unde etjam Psalm. 48. v. 2. *civitas Dei nostri*, *mons sanctitatis* & vers. 3. ut etiam Matth. 5. v. 35. *civitas magni regis*, hoc est, Dei, appellatur. Sed quid πτερύγιον sit, exponendum. Ac primum illud controversia caret, propriè esse *parvam alam*, & inde per metaph. variè ad ea, quæ aliquam habent extantis alæ similitudinem transferri: unde Hesychius *πτερύγιον, ἀκρωτήριον*, hoc est, *extremitatem* ac *summam partem* exponit. Sed quomodo ab Euangelista usurpetur, diversa est interpretum sententia. Quidam spectata turrium & templorum nostrorum similitudine, vertumnum, venti flatus indicem notare conjiciunt. Sed minus aptè: quia in summo templo Hierosolymitano nihil tale fuit; ut ex descriptione fabricæ templi & tecti liquet, neque quicquam ab antiqua institutione mutatum Christi tempore, ullo probatur documento: ac propterea mirandum est doctiss. Marloratum, hanc etiam sententiam secutum. Alii verò accommodatè ad templi structuram pinnam illius seu ambitum ac loricam tecti interpretantur, quod alæ instar in extremitate tecti circumquaque extaret: quemadmodum de ædificiis omnibus (quæ plano tecto & ambulationi idoneo in Judæa construebantur) Deus præcepit, Deut. 22. v. 8. *Cum ædificas domum novam, tum facito loricam ad tectum tuum: ut non imponas reatum sanguinis domui tuæ, si decidat aliquis.* Unde apparet Satanam hanc Christi in urbem sanctam translationem & collocationem super templi pinnam (tanquam tentationi suæ maximè idoneam) delegisse. Primum, quia templum summo montis Moriæ vertici erat impositum, & pinna summitas erat templi ac tecti: locus hic ac statio sublimis præcipitationis suadendæ occasio fuit speciosa. Deinde cum civitas metropolis esset terræ sanctæ, Deique cultui cum templo consecrata: idcirco huc Christum transtulisse apparet: quod ad superbam confidentiam excitandam reliquis locis videretur opportunior:

tunior: quippe hæc præcipitatio futura erat non in hominum obscurorum ac paucorum præsentia: sed in maxima populi Judaici turba.

Atque hæc de præcedenti secundæ tentationis facto: cui tentatio verbis instituta subjicitur, qua Christum oppugnat vers. 6. *& dixit, &c.* Quæ tentatio constat suasione, & confirmatione illius. Suasio est: *Si filius es Dei, jace te ipsum deorsum:* ut scil. hic in urbe sancta, in frequenti populi Dei Messiam expectantis, confluxu, hoc facto, tuam erga Deum patrem tuum fiduciam, quod illius sis filius, demonstres. Hanc enim esse sententiam, ex confirmatione adjuncta, & Christi etiam refutatione colligitur. Confirmatio autem hujus suasionis indicatur his verbis: *Scriptum est enim &c.* quibus declaratur, unde confirmatio sit petita, deinde quænam ea sit. unde petita sit, ita indicatur: *Scriptum est enim.* Utitur autem Scriptura sacra subdolè: quia in Angelum lucis se transformans, 2. Cor. 11. vers. 14. & Christum Scripturâ pugnantem ac vincentem imitatus eandem prætendit. Quænam autem sit è Scriptura confirmatio, subjicitur his verbis; *quia Angelis suis mandabit de te, & tollent te in manus, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum*, Psalm. 91. v. 11. & 12. Qua in re fraus manifesta apparet, si quis verba Psalmi, & Diaboli inter se conferat. Nam voces nonnullas in medio positas, & ad rectam rei intelligentiam necessarias, perversè omittit, quod scil. suasioni propositæ repugnantes, non ignoraret, quippe post ea verba, *quia Angelis suis mandabit de te,* additur, *ut te conservent in omnibus viis tuis.* Viæ autem tuæ nihil aliud sunt, quam progressus & actiones vocationi atque officio congruentes: ideoque ei contrarium erat, neglecta via legitima & officio suo, seipsum de summo tecto dejicere: id quod Satan sententiæ hujus prætextu suadebat. Atque ita suasio eadem non stabilitur, sed revera evertitur. Quibus accedit, quod ut ante ostendimus, pinna sive lorica templi, ut reliquorum ædificiorum, erat structa, non ut quis in ea cum periculo vitæ insisteret, multò minus, ut quis se de ea dejiceret: sed contra ne quis delaberetur; sed ut tuto posset sine periculo in tecto consistere.

Hæc de secunda tentatione Satanæ, qua Christi fidem oppugnavit: sequitur Christi repugnantia; qua respondens eam confutavit ac devicit. Modus autem generalis illius, est Sacræ Scripturæ citatio, cum ait, *Rursum scriptum est:* quibus verbis non opponit Scripturam Scripturæ: sed eam exponit ex alio loco, & Satanæ fraudem atque impietatem demonstrat. Particularis enim modus est oppositio sententiæ, ex Deut. 6. v. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ideoque non licebat Christo, ut neglectis suis viis ac mediis, è templo descendendi divinitus oblatis, superba confidentia, Dei auxilium, non necessaria præcipitatione exploraret.

Atque hæc de primo & secundo Satanæ, & Christi conflictu: in quorum utroque fidem Christi tentator oppugnavit. In priori quidem ad defectum illius seu diffidentiam: in posteriori verò ad excessum ac superbam confidentiam sollicitavit: sed irrito utrimque conatu. Sequitur nunc tertius ac postremus conflictus, ubi de universa Christi religione concertatur. Cujus prior pars est Satanæ oppugnatio. in qua observanda est præparatio occasionis illius, & oppugnationis modus. Præparatio constat facto duplici, translatione, & ostensione. Illa indicatur his verbis: *Rursum transfert eum Diabolus in montem sublimem valde.* Cujus translationis terminus à quo, est pinna templi, quemadmodum connexio tentationum, cum ait, *rursum assumit*, ostendit: terminus verò ad quem translatus est, *mons sublimis valde:* quem, Scriptura tacente, definire velle, temerarium est: inquirere verò curiosum. hoc tantum ex seqq. constat, idoneum fuisse regnis mundi diversis demonstrandis & tentationi consequenti. Hæc de translatione priori scil. Satanæ facto. Posterius verò declaratur his verbis, *& ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum;* quomodo autem id fieri potuerit, in primæ translationis expositione declaravimus. Atque hæc de Diaboli facto duplici, quo & idoneum tentationi postremæ locum, ad regna mundi ostendenda delegit; & ea inde Christo ostendendo, superbiæ & avaritiæ accendendæ fomitem, ad apostasiam objecit. Oppugnatio verò hoc factum consequens est sermo ad Christum, quod indicat Euangelista cum ait; *dicitque ei.* Quis autem sermo fuerit, ita describit: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Quibus verbis promissionem, & conditionem annexam complectitur. Promissio est: *Hæc omnia tibi dabo*, quo innuit, se habere eam potestatem: idque etiam rationis loco expressit, ut Lucas plenius hoc recenset cap. 4. v. 6. *Tibi dabo potestatem hanc, & gloriam illorum; Nam mihi tradita est, & cuicunque voluero, do eam.* Sed vana est impudentis impostoris promissio, & falsa ratio: Solus enim Deus hanc retinet sibi potestatem, qui solus est Dominus universæ terræ, & regna pro arbitrio distribuit: ut sæpius Scriptura testatur. Nam quod obtendi posset, Diabolum vocari principem mundi, Johan. 12. vers. 31. & 14. v. 30. illud ad rem præsentem minimè pertinet. Nam *mundus* hoc loco metonymicè homines, & quidem infideles, ut 1 Johan. 5. v. 4. quia Diaboli suggestioni serviunt, Ephes. 2. v. 2. & 6. v. 12. non autem Regna mundi designat; quia Diabolus nec Jobo quicquam sine speciali Dei permissione potuit eripere, Job. 1. nec dæmones etiam porcos invadere, nisi impetrata prius à Christo venia, potuerunt, Matth. 8. v. 31. & 32. Quare falsa est hæc Satanæ promissio: *Hæc omnia tibi dabo:* quia nec erat in ejus potestate ea dare; nec Christus Dei filius omnium creator ac possessor ea potuit accipere: conditio verò promissioni annexa summæ etiam est impietatis, & effrontis impudentiæ, cum ait, *si procidens adoraveris me.* Quo in loco duplicem à Christo honorem postulat: primus est, quo petit, ut Christus coram ipso se prosternat, seu procidat; ut ea ratione Satanam ipsum, honore dignum, & cui servire paratus esset, ostenderet. Qui mos prostrationis in civili etiam, & honesta salutatione erat in usu, Genes. 18. v. 2. & 19. v. 1. & 23. v. 7. Qui honor Satanæ nullo modo, nec ipsius, nec Christi ratione convenit. Non ipsius; quia capitalis ac perpetuus est gloriæ Dei, justitiæ ac salutis humanæ adversarius: ac propterea non amore, & honore inde promanante, sed odio, & detestatione omnium dignissimus est. Nec Christi etiam ratione: quia omnium creaturarum est Dominus & creator: ideoque ipse ab omnibus honorandus. Hæc de primo honore. Alter verò honor est *προσκύνησις adoratio*, hoc est, religiosa veneratio. Nam ut vox *κυνεῖν* propriè *osculari notat:* sic *προσκυνεῖν* quasi *adosculari*, pro eodem usurpatur. unde etiam pro venerari accipitur: quod ille vulgo mos esset adorationis, ut Ludovicus Cælius antiquarum lectio: lib. 10. cap. 8. ait: *Plinius, in adorando, inquit dextram ad osculum referimus. Et in apologia item Apulejus: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Quibus addi potest ex Hier. Tom. 6. comment. in Hose. cap. 13. v. 2. ad verba illa; *sacrificant hominem, vitulos osculantur*, sic interpretatur, *vitulos adorantes.* & in comment. ad eum locum, *pro eo* (inquit) *quod juxta Symmachum, & Theodotionem vertimus adorantes, Aquila interpretatus est καταφιλοῦντες, id est, deosculantes. Qui enim adorant, solent osculari manum suam: quod Iob fecisse se negat, dicens* (nempe cap. 31) *si osculatus sum manum meam apponens ori meo: & hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur.* Idem Tom. 5. in Ezech. 8. ad verba ista: *applicat ramum ad nares suas*, sic ait: *ut per hoc eos idola adorare significet. Denique & Iob inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit, quod nunquam aspiciens cælum & solem & lunam & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est, adoraverit creaturas.* Hactenus Hieron. quibus accedit denique locus memorabilis, 1. Reg. 19. v. 18. *Omnia genua quæ non curvaverunt se Baali & omne os quod non osculatum est eum,* quem locum LXX. Interpretes sic reddunt *πᾶν στόμα ὃ οὐ προσεκύνησεν αὐτῷ*. Quam significationem vocis *προσκυνέω* pro *osculor*, Lexicographi etjam diligentiores, quantum observare potui, neglexisse videntur.

Cæterum de hoc venerationis osculo, memorabilis ac memoratus à Pithæo est Apuleii locus de asino aureo, lib. 4. *admoventes*, inquit, *oribus suis dexteram, priori digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adora-*

adorationibus venerabantur. Atque hic unus est ac frequentior in superstitiosa veneratione osculandi modus. Alter verò est, cum ipsum idolum osculantur, qua de re doctiss. Drusius ad Hoseæ cap. 13. v. 2. *Mos*, inquit, *osculandi usitatus erat in cultu divino: osculabantur autem manum aut os, manum inquam non idoli, sed suam (de qua re fuse disserimus in nostris observationibus) contra deosculabantur os idoli, quod verbum* נשק *quando absolutè ponitur, perpetuo significat; ut Aben-Ezra notavit.* 1 Reg. 19. v. 18. *Reservavi mihi septem millia, quorum os Baalem non est osculatum.* Hæc ille, ubi tamen vulgata versio aliter accipiens, paraphrasi quadam ita reddit, *adoravit eum, osculans manum.* Ut autem constet, etiam idolo oscula appressa interdum, audiendus est Cicero in Verrem (ut hujus loci meminit Marcellus Donatus ad Suetonii Tiberium, cap. 34.) ubi de statua Herculis agit: *Rictum*, inquit, *ejus & mentum paulo attritius, quod in precibus ac gratulationibus non solum venerari eum, sed & osculari solent:* Hæc Cicero actione sexta in Verrem. Verùm præter hanc significationem vocis προσκυνεῖν, & ritum: certum est, frequentissima catachresi usurpari, pro corporis totius in terram prostratione, coram aliquo, reverentiæ causa. Atque ita à LXX. interpretibus Græcis vox Hebræa שחה perpetuo redditur. Ea autem prostratio, adoratio vulgo nuncupatur, estque vel civilis Gen. 33. vers. 3. & 1. Sam. 20. v. 41. & 2 Sam. 1. v. 2. Matth. 18. v. 26. ad honorem civilem: vel religiosa, ad cultum divinum pertinens. Quæri autem potest qualem προσκύνησιν seu adorationem Satanas hic poscat; propriamne, quæ osculo fiat; aut impropriam, quæ totius corporis coram ipso reverenti prostratione exhibeatur: ac sanè cum Diabolus prioris, in cultu falsorum Deorum & idolorum, citra controversiam sit author, & eam etiam, ut ferunt, à sagis suis exigere soleat; eam hic intelligendam videri posset. Sed obstat Lucas cap. 4. qui pro eo quod apud Matthæum est προσκυνήσῃς μοι *adoraveris me*, habet ἐνώπιόν μου *coram me*, ideoque de veneratione sine osculo intelligendum, & quidem non civili sed religiosa. Quæ prostratio corporis coram eo fieri non potuit, nec ratione finis generalis, ut amoris & honoris esset testificatio, (qualis Gen. 23. v. 4. Exod. 18. v. 7.) quia Satanas capitalis est Dei hostis, ad cujus caput conterendum, Genes. 3. v. 15. Hebr. 2. v. 14. & ad opera illius destruenda 1 Johan. 3. v. 8. missus erat Christus; neque etiam multo minus ratione finis specialis, ut tanquam omnium regnorum Dominus agnosceretur, & adeo ab ipso impetranda, hanc prostrationis coram eo venerationem exhiberet. Quo modo Deo soli, universæ terræ Domino, Esai. 37. v. 16. & Zach. 4. v. 14. & soli regnorum, pro arbitrio suo, donatori, Daniel. 2. v. 23. gloriam detrahens, eam impudenter atque impiè sibi adscribit. Atque hæc de conflictus tertii inter Diabolum & Christum parte prima, nempe oppugnatione Diaboli.

Altera verò est Christi repugnantia vers. 10. *Tunc dicit ei Iesus &c.* qua in responsione duo continentur, mandatum & confirmatio illius. Mandatum est, *abi vel apage Satana*, quo indicatur, & cui & quid mandet: is cui mandat est Satanas; quo tentatoris nomen à moribus ortum & insita improbitate, recenset opportunè; quod ut adversarium κατ' ἐξοχὴν notat, quod Dei & Christi justitiæ, ac salutis humanæ sit adversarius: sic hac postrema tentatione, illud maximè, atque impudentissimè demonstravit; cum sui adorationem à Christo Filio Dei adorando postulavit: ideoque nomen hoc, in utraque priori repugnantia, consulto tacitum, hoc loco exprimit: ut & notum sibi esse tentatorem ac fallere non posse indicaret: Et causam etiam generalem innueret, cur ipse à Christo non esset ullo modo honorandus, nedum adorandus. Quod ut ille erat adversarius Christi injustè: sic Christus justè à Deo ipsi esset oppositus inimicus ac conculcator, Genes. 3. v. 15. Quid autem mandet, indicat vox ὕπαγε *abi, subduc te*; qua pro imperio à se abire jubet, eoque nec adoratum se coram eo; nec ipsum adoratione dignum, ostendit. Confirmatio verò gravissima subjicitur seqq. quibus indicat primùm, unde rejectionis Satanæ & adorationis illius rationem petat, cum ait: *Scriptum est*, nempe κατ' ἐξοχὴν (ut ante vers. 4. & 7. in Scriptura sacra.) Deinde qua parte ac sententia illius, subjicit, cum ex eodem capite Deut. 6. v. 13. unde secundæ repugnantiæ dictum protulit: sic ait: *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies.* Ideoque hic honor Satanæ tribui non potest. Verum scrupulus hic occurrit, quod Christus in sententia Mosis citanda, partim aliquid mutavit, partim addidit. Mutavit, quia pro eo, quod Moses in primo sententiæ membro ait: *timebis* תירא / Christus ponit *adorabis*, προσκυνήσεις: & in secundo vocem *soli* quod in Mose abest, apponit: ideoque objici posset, non fideliter Scripturam citari. Verum negatur consequentia, quia in illa diversitate vocum summus est rei consensus: & quod recitat Christus, illud reipsa seu sensus ratione, Mosis verbis intelligitur ac significatur. Nam timere Deum hoc loco etiam adorationem ac reverentem venerationem illius complectitur: ut etiam religiosus cultus universus per consuetam synecdochen, timoris Dei appellatione sæpius denotatur: ut quod Esa. 29. vers. 13. *Timor* vocatur, à Christo Matth. 15. vers. 9. σέβονταί *religiose colere* explicatur. Et timor Dei Gen. 20. 11. *cultum Dei* notat, unde LXX. sensu expresso θεοσέβειαν, & Prov. 1. v. 7. εὐσέβειαν rectè interpretantur. Quod autem ad verba illa, *servies illi*, vocem *soli* addiderit Christus: in eo nulla prorsus est corruptela: sed paraphrastica genuini atque indubitati sensus interpretatio. Proximo enim versu à Mose additur explicatio: *Non ambulabis post Deos alienos, è diis populorum, qui in circuitu tuo sunt: quia Deus zelotes Iehova Deus tuus.* Si enim non alienis diis serviendum: Ergò soli Deo. Si non, quia zelotes; Ergò gloriam suam alteri tribui non vult, Esa. 42. v. 8. & Deut. 5. v. 9. alios adorari, aliis servire disertè vetat: quia Dominus Deus est ac zelotes. Quare ut LXX. Interpretes paraphrasticè hanc vocem *soli* huic loco explicando addiderunt; sic & Christus eandem tanquam sententiâ Mosis reipsa comprehensam diserta declaratione expressit. Servitus autem hæc non tollit ordinem œconomiæ & politiæ inter Dominum & servum, neque officia servitutis eo pertinentis excludit: quia religiosa servitus hic intelligitur, qua nos totos animo & corpore ad leges Dei tanquam summi Domini ac legis-latoris observandas, dirigimus.

Atque hæc de Mosis & Christi conciliatione, unde Satanam à Christo solidè confutatum esse apparet. quod idem ad Pontificios (qui Angelos & Sanctos de mortuos, imò & statuas atque imagines adorant, iisque serviunt) confutandos valet. Nam quod excipiunt, servitutem λατρείας prohiberi, non autem δουλείας: inepta est ratio. Nam apud Hebræos, unde hæc sententia deprompta est, una vox est servitutis עבר: quæ generalis est, & pro subjecti atque objecti ratione, modo religiosa, modo profana servitus est, ut Deut. 28. v. 47. *Propterea quod non servieris Iehovæ Deo tuo, &c.* hoc est, mandata ejus ad religionem ac cultum Dei pertinentia, non servaris, & v. 48. *Propterea servies inimicis tuis*, ubi *servire* tam de Deo quam de hominibus citra vocis discrimen dicitur. Deinde si voces ipsas spectemus, servitus major est ac plenior, quæ δουλείας, quam quæ λατρείας voce propriè accepta notetur, ut enim τὰ λάτρον merces, & λάτρις, ut exponi solet, est, μισθῷ δουλεύων *mercede serviens, mercenarius famulus*; sic λατρεύω *mercede servio*: etsi generalius, deinde usurpetur: Contra verò vocem δοῦλος, servum, qui totus in potestate Domini est, notare certum est: etiamsi sæpe generalius usurpetur; ac propterea satis liquet, si vim vocis spectemus, majorem esse servitutem δουλείας quam λατρείας. Ac quamvis creberrimus vocis λατρείας, cum de cultu Dei agitur, in Nov. Testam. sit usus: idcirco tamen digniorem esse λατρείαν, quam religiosam δουλείαν, atque ut volunt alterius generis: illud nullo modo sequitur. Nam quemadmodum idololatria vetatur: sic etiam religiosè δουλεύειν iis, qui non sunt Deus, disertè prohibetur: quemadmodum Gal. 4. v. 8. ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει θεοῖς, *servivistis iis, qui natura non sunt Dii*: quod quis neget, idem prorsus valere, atque ἐλατρεύσατε, quemadmodum etiam pro una voce עבר *servire* promiscuè modo δουλεύειν, modo λατρεύειν LXX. usurparunt, & prius quidem frequentius, ut Deut. 28. v. 47. quia non

ἐλά-

ἐλάτρευσας Κυρίῳ servisti Domino : verſ.48. λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου *servies hostibus tuis* , & 2 Chron.12.v.8. *erunt ei,* לעבדים *Servi, & dignoſcent ſervitutem meam , & ſervitutem regnorum*, ubi eadem vox עבדה : pro qua LXX. utroque loco habent vocem δουλείας. Quare cultus religioſi , in λατρείαν Deo debitam & δουλείαν Sanctis , imò ὑπερδουλείαν virgini Mariæ convenientem , diſtinctio inepta & impia apparet : cum religioſam προσκύνησιν adorationem & gloriam Deo ſoli debitam creaturis communicent : cum contra religioſa & adoratio & ſervitus ſoli Deo , Chriſto judice, conveniat ; ideoque cum Joannes viſo Angelo, quem, ut videtur , Chriſtum exiſtimarit , humilius ſe proſterneret ; Angelus Apoc.19.v.10. προσκύνησιν à ſe rejicit , cauſamque reddit , quod eſſet conſervus : ideoque non ut Dominus adorandus ; ac ſubjecit : *Deum adora.*

Atque hæc de tertia Chriſti adverſus Satanam repugnantia ac victoria ; cui ab Euangeliſta deinde ſubjicitur eventus , ad Chriſti gloriam pertinens duplex. Quorum primus eſt Satanæ devicti receſſus. Alter eſt Angelorum bonorum acceſſus ac miniſterium : Ac prius ita indicatur, *Tunc omittit eum Diabolus. Tunc* autem refertur ad Chriſti mandatum proxime antecedens , quo eum abire juſſit : Omiſſio autem hæc intelligenda eſt non perpetua , ſed ad tempus. Hoc enim indicatur , Luc. 4. verſ. 13. *& finita omni tentatione Diabolus abſceſſit ab eo ad tempus*, aut potius ad *opportunum tempus* μέχρι καιροῦ. Tempus autem illud inprimis fuit , cùm per Phariſæos alioſque crebrius tentavit, deinde per Judam prodidit, & per Sacerdotes in crucem tandem egit , ubi calcaneum Chriſti (infimum perſonæ) ſeu corpus ipſius, illæſa anima, confregit, Joh.14.v.30. ſed capitis contritione devictus eſt , Gen. 3. & imperium tyrannicum illius abolitum , Hebr.2.v.14.15. Coll. 2. v.15. Alter verò ; conflictus Chriſti & Satanæ , eventus ita deſcribitur : *Ecce Angeli accedebant & miniſtrabant ei* ; quæ mutatio cum fuerit admiranda, idcirco præmittitur vox , ad magnitudinem rei obſervandam, *Ecce.* Quale autem hoc miniſterium fuerit , non exprimitur : ſed circumſtantia tamen famis Chriſti hoc videtur indicare : quod quemadmodum Eliæ, per miniſterium Angeli , panis & aqua delata ſunt in deſertum , 1 Reg.19.v.6. ita & ſimile miniſterium Chriſto eſurienti præſtitum, veriſimile eſt. Quemadmodum, cum anguſtia animi graviſſima afficeretur in horto, viſus eſt Angelus ipſum corroborans, Luc.22.v.43. & Petrum angelus è carcere ſolutis vinculis eduxit, Actor. 12.v.7,8,9,11. Ita & angelos miniſtraſſe Chriſto victum opportunè, cum fame laboraret , & illius occaſione, deficiente cibo, in deſerto, à Satana eſſet tentatus, veriſimillimum eſt. Cui & illud addi poſſet : etiam è ſublimi monte, in quem à Satana erat tranſlatus ab Angelis revectum : ut miniſterium ſuum propheticum , jam Satana devicto, inter homines aggrederetur. Veruntamen quia Luc. 4. v.14. dicitur : *Et reverſus eſt Ieſus per potentiam Spiritus in Galilæam* ; inde apparet , quemadmodum à ripa Iordanis primum ſublatus eſt in deſertum, à Spiritu ſancto , Matth.4. v.1. ſic ab eodem, finita omni tentatione, inde relatum.

Atque hæc de Chriſti & tentatoris Satanæ conflictu : & eventu hujus ignominioſo, illius vero glorioſo.

Illuſtratio CAPITIS V. *Euangeliſtæ Matthæi.*

EXimia eſt ac celeberrima illa Chriſti concio , quæ tribus capitibus, quinto , ſexto & ſeptimo continetur ; quæ antecedentibus ſuis *circumſtantiis* , & *forma* atque *effecto* conſequenti, populi admiratione , cap. 7. v.28, 29. deſcribitur.

Antecedentes autem circumſtantiæ recenſentur tres, auditores, locus, & geſtus concionantis.

Auditores, qui auſcultarunt , fuerunt duplices , turbæ multæ confluxus & diſcipuli ſelecti. Prius indicatur voce ὄχλους : quam interpretes elegantiores *turbam* reddunt : quod *turbas* dicere vereantur , quandoquidem in plurali, tantum pro tumultu accipi obſervarunt : vulgatus tamen interpres *turbas* , ſi minus Latinè (ratione ſignificationis uſitatæ) magis certè appoſitè tranſtulit. Nam non una turba notatur, ſed multa , ſeu variæ turbæ ex diverſis locis ad eum confluxus , quemadmodum cap.4. v.25. diſertè exprimit. Cujus confluxus ac conſecutionis cauſa fuit Chriſti doctrina & miracula , partim viſa, partim fama cognita, ibid. v.23. & 24. Hoc autem turbæ multæ Chriſtum conſecutæ viſum ſtudium , occaſio inſignis hujus concionis extitit, quemadmodum dicitur : *Cum vidiſſet autem turbam* (aut potius turbam multam ὄχλους.) Nam meſſis erat multa, operarii verò, nempe fidi, erant pauci : quemadmodum in ſimili turba, Matth.9.v.37. exprimitur : Et Chriſto hominum piſcatori, Matth.4. v.19. eorum quaſi piſcium copia , retis prædicationis Euangelii jaciendi , inſignis erat opportunitas : quam Chriſtus (ad euangelizandum miſſus à patre , Eſa.61. v. 1,2. & Luc.4. v.18. & qui eo erat zelo, ut cibus ei eſſet, opus à patre mandatum exequi) minimè neglexit. Reliqui autem auditores, præter turbam multam , fuerunt ſelecti ipſius diſcipuli, ſeu apoſtoli nonnulli, qui κατ᾽ ἐξοχὴν *diſcipuli* hoc loco appellantur : qui Chriſtum idcirco acceſſerunt propius , ut omnium dictorum & factorum illius futuri tandem teſtes fideles.

Altera verò circumſtantia eſt locus , nempe mons. dicitur enim ; *viſa multa turba, adſcendit in montem:* Cujus cauſa fuit , ut ſine impedimento, à turba & quaſi ex altiori ſuggeſtu , melius , à tanta turba audiretur. unde vulgo ex Auguſt. hæc concio *Sermo Domini in monte* nominatur. Geſtus autem eſt duplex ; corporis & oris. Corporis, quod ſedit. Nam ſtatio in loco declivi minus apta. Similia exempla ſunt , etiam Matth.13. verſ.3. ubi dicitur, quod Chriſtus in navi ſedit ; tota autem turba in littore aſtabat : ut ea diſcretione melius audiretur, & Matth.26. verſ. 55. *quotidiè ſedebam in templo docens.* Ac mos ille fuit docentium apud Judæos, ut ſederent , ut etiam Matth.23. v.2. dicitur , Scribas & Phariſæos *ſediſſe ſuper cathedram Moſis.* Diſſimile verò exemplum , ut in re libera eſt , Joh.7. v. 37. *Stetit in templo clamans , ſi quis ſitit , &c.* Alter verò geſtus eſt oris apertio, cum dicitur καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα , *& cum aperuiſſet os* : quæ loquendi formula cum Hebræis ſit valdè familiaris , quidam pleonaſmum Hebræum ſtatuunt, ea de cauſa , quod nemo loqui poſſit niſi ore aperto : alii verò contra non pleonaſmum , ſed emphaſin eſſe, hoc loco ac tempore accommodatam cenſent, & quidem bifariam. Nonnulli enim clamorem ſeu ſonoram vocem, qualis fuit Joh. 7. v. 37. notari putant, ut à multis aſtantibus rectius intelligeretur ; alii verò initium ſermonis à continuatione diſtinctum ſignificari arbitrantur : ut illud apud poëtam , *in voces ora reſolvit.* Quodſane videtur huic loco maximè conſentaneum. Hæc de concionis circumſtantia ſeu auditoribus, loco, & geſtu.

Concionis verò forma ſequentibus declaratur ; ac primum univerſè indicatur; deinde particulatim exprimitur. Indicatur autem univerſè cum dicitur, *docebat eos*, hoc eſt, non ſolos diſcipulos ſelectos atque ſibi proximos , ſed omnes etiam auditores , ut ex. c.7. v.28. in deſcriptione eventus concionis, ſeu effecti , clariſſimè apparet. Cæterum quæſtio hic exoritur. Cum Lucas cap.6. multa promiſcuè, quæ hac concione continentur, recenſeat ; an eadem ſit concio cum hac, quam Matthæus deſcribit. Quidam inſignes interpretes eandem eſſe arbitrantur : alii verò ſimilem quidem eſſe agnoſcunt , ſed aliam tamen ſtatuunt : quod certum ſit , Chriſtum eandem doctrinam variis concionibus pro ſua ſapientia variè tractaſſe. Argumenta autem pro hac ſententia, quæ minus habet difficultatis , & explicatior apparet, ſunt multa ; quæ proferuntur primum à loco, Matthæus verſ.1. Chriſtum in monte concionatum afferit : Lucas verò cap.6. v.17. concionem quam recenſet in loco campeſtri habitam teſtatur. Deinde à geſtu , Nam Matthæus ſedentem , Lucas verò ſtantem docuiſſe tradit ibid. Denique à tempore , cujus inter Matthæum & Lucam differentia. Nam Matthæi concio fuit ante ſanationem leproſi, Matth.8.v.1. & ante vocationem Matthæi cap.9. Lucæ vero concio habita eſt poſt ſanationem illam leproſi , Luc.5.12. & ante Matthæi

vocationem, Luc.6. v.13. & 17. Ac propterea non eſt cur multum laboremus, ut utramque concionem inter ſe omnino conciliemus : quandoquidem ſimiles quidem ſunt inter ſeſe, non autem una eademque concio. Quamobrem hiſce prius expeditis conſequens eſt, ut primam partem hujus concionis ſuccinctè illuſtrare conemur.

Paradoxorum Chriſti, de hominis beatitudine, Explicatio.

ANtequam autem ad doctrinam Chriſti accedamus, paucis circumſtantia illius duplex, nempe occaſio & ſcopus, indicanda. Occaſio fuit commune plurimorum vitium & bonorum inde impendens periculum. Vitium autem fuit, partim mentis error, ſeu varia ac falſa, de vera beatitudine hominis, in hac vita, opinio : partim animi conſequens depravatio, ſeu ſtudia ac facta perverſa, ex errore illo, promanantia. Periculum verò inde metuendum fuit, fore ut (niſi occurreretur huic vitio) etiam boni, infirmiores inprimis, contagione illius inficerentur. Scopus verò Chriſti eſt; ut (quemadmodum fidi ac ſummi Prophetæ officium requirebat) auditorum ſaluti conſuleret, & vitio atque periculo occurreret : ut & errantes corrigerentur, & reliqui in officio continerentur. Atque hæc de doctrinæ hujus primæ circumſtantia.

Doctrina verò ipſa eſt medium deſtinatum & accommodatiſſimum ad ſcopum illum propoſitum obtinendum. In ea enim genuinam ac veram de hominis beatitudine ſententiam erroribus hominum communibus oppoſitam, octo paradoxis atque aphoriſmis, ad doctrinam & conſolationem bonorum complectitur. Quorum ſingula paradoxa propoſitione & ad majorem intelligentiam ac conſolationem, confirmatione conſtant.

Ac primum paradoxum deſcribitur verſ. 3. Propoſitio eſt, *beati pauperes ſpiritu* : Confirmatio verò *quoniam ipſorum eſt regnorum cœlorum.* ac propoſitionis ſubjectum eſt citra controverſiam, *οἱ πτωχοὶ πνεύματι*, *pauperes ſpiritu* : attributum verò *μακάριοι beati*, ſupple *ſunt* : ut articulus apertè, pro Græcæ linguæ uſu, ſubjectum diſtinguit: quemadmodum Joh.1. v.1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& ſermo erat Deus.* Sic in aliis ſimilibus. Verum quandoquidem de ſubjecti hujus accommodato ſenſu, inter eruditiſſimos interpretes controverſia eſt : idcirco, ut eam & melius intelligamus, & accuratius expendamus, pauca ante rem, de vocis πτωχοῦ origine & ſignificatione præmittenda. Origo eſt à verbo πτώσσω, hoc eſt, *expaveſco, timore perculſus ſum* : unde πτὼξ *pavidum*, & inde metonymicè, *leporem*, animal pavidum notat. Significatio verò πτωχοῦ in ſacris literis alia eſt propria, alia impropria. Propria eſt qua egenum notat : quod egeſtas timidos ac pavidos reddere ſoleat : quemadmodum contrà divitiæ, fiduciæ illex, audaces. Egenus autem intelligitur ſive re ſit nulla, ac mendicus : ut Lazarus πτωχὸς, Luc. 16. v.20. nominatur : ſive re tenui, qui πένης pauper dicitur : ut Chriſtus ſuos diſcipulos, Luc.6. v.20. appellat : qui egeni diſtinctè πτωχοὶ τοῦ κόσμου τούτου *pauperes hujus mundi*, Jac.2. v.5. dicuntur : quibus oppoſiti ſunt *divites in hoc ſeculo ſeu mundo*, 1 Tim. 6. v.17. Impropria vero ſignificatio eſt metaphorica, qua propter ſimilitudinem quandam, à re corporea, ad ſpiritualem tranſlata, ſimilem pauperi ſignificat. Pauperes enim primum opibus externis deſtituuntur: deinde ex inopiæ ac ſuæ infirmitatis conſcientia, & quod aliorum opus habeant auxilio, humiles eſſe ſolent, ut Prov.18. v.28. dicitur; *Supplicationes loquitur pauper, dives verò loquitur dura.* Atque hinc ſimilitudinis prioris, nempè inopiæ, ratione, virtutibus (quæ quaſi ſpirituales ſunt opes) deſtitutum ſeu virtutum egentem indicat, quemadmodum Apoc.3. v.17. *Nam dicis, ditatus ſum & nullius egeo, neque noſti te eſſe ærumnoſum & miſerabilem & πτωχὸν, egenum ſeu pauperem.* Cui egenti opponitur dives, verſ. 18. *Conſulo tibi, ut emas à me aurum ut dives fias*: nempe, ſicut Lucas cap.12. verſ.21. exponit, in re ſimili, *dives apud Deum* & Jacob.2. v.5. *dives fide* dicitur. Similitudine verò poſterioris ſeu humilis conditionis pauperis, pro eo, qui ex conſcientia defectus ac quaſi paupertatis ſpiritualis, quod nihil à ſe habeat, præter miſeriam (cum peccati, tum reatus ac meritæ condemnationis) omnia verò quæ habet bona, à Dei miſericordia acceperit, 1 Cor. 4. v.7. animo humili eſt; quo modo impropriè pauper intelligitur Eſa.61. v.1. *Ad evangelizandum pauperibus*, & Matth.11. v.5. *& pauperibus evangelizatur* & Luc.4. v.18. *ad evangelizandum pauperibus miſit me*, & Eſa.66. v.2. *ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperem & contritum ſpiritu; & trementem ad ſermones meos? pauperem*, id eſt, humilem ut ſeqq. etiam exponunt, & Eſa.57. v.15. *Habitabo cum contrito & humili ſpiritu*, & Pſalm.51. v.19. *Sacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus, cor fractum ac contritum Deus non deſpicies.* Atque hæc de ſignificatione vocis *pauperis*. Quare ad ſenſum illius ut accedamus; in ſubjecto primi hujus paradoxi, quidam propriè interpretantur vocem πτωχὸς; quia Luc.6. v.20. eandem eſſe concionem cenſent, ubi propriè accipitur, ac propterea, hoc etiam in loco, ita accipi debere ſtatuunt. Alii verò contra, ut diverſam concionem Matthæi ab ea, quam Lucas habet, eſſe judicant : ſic etiam metaphoricè, ut ſæpè accipi oſtendimus, conſideratione circumſtantiæ, exponunt : quia Chriſtus non ſolùm dicit *pauperes* ut Luc.6. ſed addit vocem *ſpiritu*; qua metaphoram eſſe declarat. Nam quod excipiunt, eſſe ellypſin : *Pauperes ſpiritu*; pro, *pauperes, qui ſpiritu pauperes ſunt*, hoc eſt, non quoſvis pauperes, ſed qui etiam ſpiritu ſunt pauperes, eſſe beatos : quam inſolens ſit hæc ellypſis, & à conſtructione uſitata recedens, quis non videat? Nec enim dicitur, *οἱ πτωχοὶ οἱ πνεύματι* ſupple *εἰσὶ πτωχοὶ*, pauperes qui ſpiritu, ſupple, ſunt pauperes. Et quid ſi etiam ita diceretur : eadem tamen ratione vox *pauperes* utrimque eſſet accipienda, per quandam expoſitionem : Neque ulla ratio ſolida occurrit, cur ſignificatio hîc eſſet varianda. Quamobrem *pauperes ſpiritu*, ſimilitudine quadam, rectè intelliguntur, qui ſpiritu ſeu anima ſunt demiſſi, & ut Theologi loqui ſolent, humiles; & quidem *κατ' ἐξοχὴν* ſic dicti, ſcil. qui ex agnitione partim ſuæ miſeriæ (ſeu peccati ac condemnationis iis meritæ) partim potentiæ divinæ, ac miſericordiæ, animo ſunt demiſſo, (Pſal.51. v.19. & 131. v.1. & 2.) & ad ſerviendum Dei voluntati & proximi ſaluti ſunt propenſi, 1 Petr.5. v.5. Phil.2. v.3. & 4. Atque hoſce humiles *κατ' ἐξοχὴν* dictos voce *pauperum* intelligi, in propoſitionis primi paradoxi ſubjecto, ex attributo, atque confirmatione illius, conſtat.

Attributum enim eſt, *beati*, ſupple *ſunt*, hoc eſt felices; nec enim ſpeciatim, pro beatitudine æterna re aut ſpe prædito, ut Pſal.32. v.1. Rom. 4. v.6,7,8. ſed generatim pro beatitudine ſeu inſigni bono prædito accipitur : ut confirmatio in hoc & in ſequentibus aphoriſmis, ſpecie beatitudinis allatâ, evincit : quemadmodum in Sacris literis fieri conſuevit; ubi aliquis *beatus* generatim ob diverſam beatitudinis ſpeciem (ut ob bona ſpiritualia aut corporalia, temporalia aut æterna) pronunciatur; ut Pſal. 127. v.5. qui liberis abundat beatus dicitur. Ratio autem à bono externo, nempe ſubſidio adverſus inimicos ab iis futuro, affertur. Sic Matth. 13. v. 6. *beati ſunt oculi veſtri, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt.* Ratio autem eſt à ſpeciali beatitudine ſeu inſigni bono petita; *quia multi Prophetæ & juſti deſiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Sic Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir qui non ambulat in conſilio improborum*, hoc eſt, felix eſt : Rationes verò ſequentes à ſpeciebus felicitatis id probant. Prima felicitas eſt bonorum operum in hac vita fertilitas verſ.3. altera verò eſt conſequens vita æterna, verſ. 6. ſic hoc in loco *beatus* generatim accipitur : ſed ſpeciatim confirmatione probatur, quæ huic propoſitioni ſubjicitur, *quia ipſorum eſt regnum cælorum.* Syllogiſmus integer, quo Enthymema hoc abſolvi poteſt, eſt hujuſmodi : Quorum eſt regnum cœlorum, illi ſunt beati : pauperum ſpiritu eſt regnum cœlorum : Ergò pauperes ſpiritu ſunt beati. Propoſitio eſt certa, quia regnum cœlorum eſt bonum eximium, ac propterea beatitudo quædam : & ea præditus, beatus. Veruntamen quia *regnum cœlorum* diverſa ſignificatione in Sacris literis uſurpatur, & *habendi* modus diverſus : idcirco diſtinctio illius, ad loci illuſtrationem, præmittenda. Nam ut de primo agamus,

Regnum

Regnum cœlorum dicitur bifariam : nempè ut *cœlorum* vox, vel subjectum locum, vel modum notet. Locum quidem, ut sit regnum quod in cœlo est ; atque ita accipitur pro æterna ac gloriosa piorum vita, qua devictis omnibus hostibus, Diabolo, carne, mundo, morte, in cœlis perfruuntur : unde etiam metonymicè & per appositionem grammaticam, *regnum cœlorum*, id est, cœlum, quod regni illius est sedes, dicitur : unde intrare in regnum cœlorum, Matth. 7. v. 21. & Actor. 14. v. 21. usurpatur ; & *multi ab ortu & occasu accubituri* dicuntur *in regno cœlorum*, Matth. 8. v. 11. hoc est, in cœlo, quod regni Dei & Ecclesiæ sedes gloriosa. Atque ita dicitur de regno piorum, 2. Tim. 2. v. 12. *Si toleramus, etiam cum eo regnabimus*, hoc est, gloriæ cœlestis & æternæ erimus participes. Ideoque vulgò regnum cœlorum & vita æterna in cœlis, *regnum gloriæ* appellatur : quod in gloria illa, hoc est, vita æterna gloriosa consistat, & à Petro 1. epist. 5. v. 4. *Immarcescibilis gloriæ corona*, & cap. 1. v. 4. *hæreditas quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis servata* dicitur. Deinde regnum cœlorum interdum dicitur non ratione subjecti loci, in quo est : sed ratione modi, quo est. Atque ita Ecclesiæ, per Dei filium Jesum Christum, hominem factum, cœlestem regem, gubernatio ac regimen, regnum cœlorum, hoc est, cœleste, non mundanum, Johan. 18. v. 36. appellatur. Nam & rex cœlestis, è cœlo missus : & regnandi modus cœlestis, prædicatio Euangelii, & efficacia illius spiritus, quibus potentissimè Ecclesiam Judæorum miserè collapsam restauravit, & nova gentium omnium vocatione amplificavit, & adversus hostes tuetur : de quo regno Matth. 3. 2. dicitur, *appropinquavit regnum cœlorum :* quod jam tempus esset, quo filius Dei patefactus in carne esset Ecclesiæ instauratione & collectione regnaturus, Luc. 19. vers. 11. 27. Quod quia annunciabatur Euangelio ; ideo *Euangelium regni Dei*, hoc est, de regno Dei, quo per filium regnat, nuncupatur, Marc. 1. v. 14. Atque ex hac significatione duplex alia per Metonym. promanat : prima est per Meton. adjuncti pro subjecto, circa quod versatur hoc regnum seu regimen Christi, cum pro Ecclesia Christi, in qua regnat, usurpatur, atque ita dicitur Matth. 5. 19. *minimus vocabitur in regno cœlorum*, hoc est, in Ecclesia : quemadmodum eodem sensu, *regnum Christi* dicitur Matth. 13. v. 41. *Colliget ex regno suo omnia scandala*, hoc est, ex Ecclesia : ut circumstantiæ loci evincunt. Atque ita qui in Ecclesia Dei sunt hypocritæ, quales Judæi vulgo, Matt. 8. v. 12. *Filii regni* dicuntur, secundum quid : quod ad Ecclesiam visibilem pertineant, ratione externæ vocationis, per Euangelium, & externæ communionis verbi & Sacramentorum : alii verò simpliciter *filii regni* appellantur, quod in Ecclesia sunt & simul ex Ecclesia, seu viva illius membra, per prædicationem verbi & internam Spiritus sancti regenerantis efficaciam, ut Matth. 13. v. 38. *Bonum semen sunt filii regni.* Secunda significatio metonymica est, cum *regnum cœlorum*, pro instrumento illius, nempe doctrina Euangelii usurpatur, quemadmodum Matth. 13. v. 31. *Simile est regnum cœlorum grano sinapi*, & vers. 44. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*, hoc est, doctrinæ Euangelii, per quam rex cœlestis Christus regnum Ecclesiæ suæ colligit, ac regnat, & per quod regnum in cœlis Ecclesiæ parat, ut Rom. 1. v. 16. *Euangelium potentia Dei dicitur*, (hoc est, potens Dei instrumentum) *ad salutem.* Hisce igitur de regni cœlorum significationibus explicatis, & cum hujus Christi sententiæ circumstantia collatis, duæ significationes accommodari possunt : nempe ut regnum cœlorum, vel quod in cœlis est, seu vita æterna gloriosa, intelligatur ; vel Euangelii doctrina, per quam Christus & hic regnat in nobis, & nos ad regnum in cœlis deducit. Ac posteriori modo non malè convenit sententiæ jam allatæ ex Esai. 61. v. 1. & Luc. 4. v. 18. *Ad Euangelizandum pauperibus misit me.* Veruntamen prior expositio posteriorem hanc includit, ac supponit necessariò. Nam quorum est regnum gloriæ in cœlis, iis etiam Euangelii doctrina (ut instrumentum ad id necessarium) tradita est, & tradetur in terris : contrà vero multis Euangelii doctrina convenit, atque ex voluntate Dei prædicatur, qui eam tamen adversantur, Johan. v. 11. Quibus propterea regnum in cœlis minimè convenit, Act. 13. v. 46. Ac propterea uberior est prior expositio : Cui rationi deinde accedit, quod similiter regnum cœlorum, quod vers. 10. promissum, declaretur vers. 12. non quod sit Euangelii doctrina in terris, sed merces multa in cœlis.

Atque hæc de regni cœlorum significatione & sensu hoc in loco. Quod vero additur *est eorum*, (nempe pauperum spiritu seu humilium) hoc est, ad eos pertinet, ut Luc. 18. v. 6. hoc intelligendum est non ratione possessionis, quæ in cœlo primum obtinetur : sed ratione hæreditatis, in terris, & quidem non merito, nec dignitate operis acquisita (quia humilitas etiam sanctissimorum hominum, & debita Deo est, & imperfecta ob carnem, & sæpius ob varias tentationes interrupta) sed per Dei gratiam donata : Primum prædestinatione æternâ, ad regnum Matth. 25. v. 34. & 2. Tim. 1. v. 9. Deinde temporali promissione facta humilibus hisce, qui scil. ex agnitione suæ miseriæ, & fide misericordiæ divinæ nihil boni sibi, omnia verò Deo accepta tribuunt, & ad serviendum illius mandatis ac gloriæ, & bono proximi, propensè ac lubentes se subjiciunt : quales promissiones etiam sunt, Esai. 57. v. 15. Psal. 51. v. 19. Matth. 23. v. 12. Luc. 18. v. 14, 16, 17. & 1. Petr. 5. v. 6. Jacob. 4. v. 10.

Atque hæc de primo Christi paradoxo : unde etiam reliqua (quæ eodem omnino attributo, & partim ratione conveniunt) facilius intelligentur : ac propterea, strata jam, in primi paradoxi explicatione, via, in reliquis futuri sumus breviores. Secundum autem de beatitudine hominis, in hac vita, paradoxum vers. 4. hoc modo describitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.* Cujus propositio est *beati qui lugent*, & subjectum ejus sunt οἱ πενθοῦντες, convenienter iis, quæ de primo paradoxo diximus. Quæ vox à πενθέω lugeo, ut hoc à πένθος derivatur. quod primum propriè *mærorem ac dolorem animi ob mortuum* designat : unde Etymologicum magnum ait : πένθος κυρίως ἐπὶ τῶν κατοιχομένων, παρὰ τὸ ἐν βαθυτάτῳ εἶναι τὴν ἐπ' αὐτοῖς λύπην, hoc est, *πένθος propriè in mortuis, ab eo, quod in profundissimo sit propter eos dolor.* Atque hoc sensu accipitur à LXX. Interpretibus, Ecclesiastis, 7. v. 3. οἶκος πένθους. Impropriè verò accipitur primùm per metonym. subjecti, pro adjuncto signo luctus, ut LXX. Genes. 50. v. 11. *Viderunt incolæ terræ*, τὸ πένθος *luctum*, hoc est, signa luctus, seu ritus. Secundò per Synecdochen speciei pro genere accipitur, nempe pro gravi animi dolore Esth. 4. v. 3. *Judæis erat* אבל גדול *luctus magnus*, vehemens animi dolor, LXX. verò habent πένθος, ut cap. 9. v. 22. ἀπὸ τοῦ πένθους εἰς χαράν, *à luctu in gaudium*, & Jacob. 4. v. 9. *Risus vester convertetur* εἰς πένθος *in luctum.* Sic Prov. 14. 13. τελευταῖα τῆς χαρᾶς εἰς πένθος ἔρχεται. *Extrema gaudii in luctum abeunt.* Atque hinc πενθέω similiter propriè *lugeo ob mortuum*, ut Genes. 37. v. 35. *luxit filium* LXX. ἐπένθει & vers. 34. *descendam ad filium* πενθῶν *lugens.* Hinc deinde impropriè sumitur, primum per Metonym. subjecti, ut mœrorem animi, ob mortuum, signis testari significet, ut Matth. 9. v. 15. *An possunt filii thalami lugere quamdiu sponsus cum iis est? dies autem venient, cum auferetur ab eis sponsus, & tum jejunabunt.* Ubi luctus signum (inter alia quæ Esth. cap. 4. v. 3. recensentur) ponitur, & vox πενθεῖν exponitur. Sic 2. Sam. 14. v. 2. πένθησον, *lugeto*, hoc est, lugere te simula, *& indue vestem lugubrem.* Atque hinc per Metaph. πενθεῖν *lugere terra* dicitur, frugibus perditis squallida, Joël. 1, v. 10. Secundò per Synecdochen speciei pro genere usurpatur pro *vehementer dolere*, ut Esr. 10. v. 6. ἐπένθει, *lugebat enim transgressiones eorum*, & Amos. 8. v. 8. *lugebit* πενθήσει *omnis habitator*, 1. Cor. 5. v. 2. *& non potius* ἐπενθήσατε *luxistis.* Atque hoc modo non propriè pro lugentibus mortuum : Sed Synecdochica significatione, pro mœrore animi magno affectis, hoc in loco usurpatur, vox πενθοῦντες lugentes : & quidem non generatim quivis, sed κατ' ἐξοχὴν certi intelliguntur, ut attributum & ratio adjuncta demonstrant. Nec enim quivis lugentes, beati : nec quivis eorum consolationem accipiunt : sed tantummodo quidam eorum. Verum qualesnam hi sint, diversa est interpretum sententia

Quidam

Quidam enim de iis, qui ob pietatem oppressi lugent: quæ sententia uti consentanea est analogiæ fidei, seu puriori doctrinæ, quæ sacris literis traditur; ita non videtur satis analoga ac conveniens orationis contextui. Nam cum Christus hic statuat, uti apparet, diversos aphorismos, unus repeteretur mixtim, ac minus commodè. Nam de talibus agetur vers. 10. ubi beati pronunciantur, qui persecutionem patiuntur. Alii igitur accommodatius, distinctè, de iis, qui peccata lugent, ex serio eorum odio & amoris Dei zelo, exponunt. Verum quidam, lugentes, ob peccata aliena, hoc loco intelligunt: quemadmodum Hieron. in Comment. ad Matth. cap. 5. *luctus, inquit, hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis & vitiis mortuorum. Sic flevit & Samuel Saulem,* (1. Sam. 15. & 16.) *quia pœnituerat Deum, quod unxisset eum regem super Israël. Sic & Paulus flere ac lugere se dicit eos, qui post fornicationem & immunditiam non egerant pœnitentiam,* 2. Cor. 12. v. 21. Alii verò, ut Chrysost. & Theophyl. aptius ob peccata sua inprimis, deinde & aliorum lugentes (nempe ex sancto amore justitiæ, & odio injustitiæ) interpretantur: de quibus Esai. 61. v. 1. & 2. qualis inter alios fuit Petrus, post Christum abnegatum, peccata sua amarè deplorans, Matt. 26. v. 75. Peccatrix, Luc. 7. v. 44. Christi pedes lachrymis irrigans; & auditores Petri, Act. 2. v. 37. & Ecclesia Corinthiaca, 2. Cor. 7. v. 9, 10. Atque hæc de secundi paradoxi subjecto: attributum verò est idem quod in primo, scil. *beati*, supple sunt, hoc est, felices, ut antea exposuimus. Cujus attributionis & *μακαρισμοῦ* veritas, non solum ex authore sententiæ, Christo, *in cujus ore nullus dolus*, 1. Petri 2. v. 22. sed etiam ex subjecti ipsius natura atque honestate elucet. Nam cum omnis ille sit felix, qui bono insigni præditus: & luctus, ob Deum peccatis offensum ex serio amore justitiæ ortus, insigne bonum sit, eoque lugentes, de quibus hic agitur, sint eo præditi: eodem etiam felices esse apparet. Veruntamen præter hanc insitam propositioni huic rationem ab honesto, ad veritatem illius plenius firmandam & hoc officium amplius commendandum, confirmatio additur à bono utili consequente desumpta, hisce verbis; *quoniam ipsi consolationem accipient.* Etsi autem consolatio generatim vocari soleat oratio, aut res aliqua ad dolorem animi graviorem tollendum adhibita: hoc tamen in loco non quævis intelligitur: (quia humana consolatio sæpe vana ac fallax, Zach. 10. vers. 2. aut alioqui inutilis, miniméque accepta, Matth. 2. vers. 18. Genes. 37. v. 35.) sed consolatio divina, vera & efficax, quæ à Deo omnis solidæ consolationis authore, 2. Cor. 1. v. 4. promanat: eaque partim in hac vita, partim in altera contingit, ut Chrysost. rectè observat. Nam in hac vita consolatio constat, partim externa, Scripturæ Rom. 15. v. 4. & inprimis Euangelii (jucundissimi illius, Luc. 2. v. 10. de gratuita, per Christum servatorem, peccatorum remissione, nuntii) prædicatione: partim interna, Spiritus sancti consolatoris efficacia: qua fidem confirmat, & remissionis peccatorum gratiam, in cordibus sanctè lugentium, obsignat: de qua re locus est memorabilis, Esa. 61. v. 1, 2, 3. *Ad Euangelizandum pauperibus misit me, ad obligandum fractos animo, ad proclamandum captivis libertatem, & vinctis aperturam ergastuli, ad proclamandum annum acceptum Jehovæ, & diem ultionis Dei nostri, ad consolandum omnes lugentes, &c.* & Johan. 14. v. 16, & 17. Rom. 8. v. 15. & 16. & 2. Cor. 1. v. 21. & 22. Matth. 11. v. 28. & 29. Alioqui verum etiam est, eos non solum, qui ab hostibus Euangelii, persecutionibus variis ob veram religionem, afflicti lugent; sed etiam eos, qui castigationibus divinis, aut exploratione paterna, egestate duriori, aut morbo graviori pressi, Psalm. 6. v. 7. aliave calamitate affecti, cum fide ac patienti spe lugent, consolationem à Deo in utraque vita accepturos: in hac quidem mali ablatione, Jacob. 5. v. 11. vel levamine, 1. Cor. 10. vers. 12. Psalm. 34. v. 19. & 20. & patientiæ invictæ, ac spei per Scripturam, Rom. 15. vers. 4. & per Spiritum sanctum, 2. Cor. 1. v. 3, 4, 5, 6, 7. confirmatione: in altera verò æternæ liberationis ab omnibus malis, & gaudii inenarrabilis, atque æterni, per resurrectionem gloriosam, & vitam æternam in cœlis donatione. Quo pertinet illud ad divitem epulonem dictum, *Memento te bona tua recepisse in vita, & Lazarum similiter mala; nunc autem hic παρακαλεῖται consolationem habet; tu vero cruciaris.* & Apoc. 21. v. 4. *absterfurus est Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors amplius non exstabit, neque luctus, neque clamor, neque dolor extabit amplius, quia prima abierunt.* De qua etiam re agit Christus in diversa ab hac concione, Luc. 6. vers. 21. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis:* alloquitur autem fideles suos auditores, & contra vers. 25. *Væ vobis qui nunc ridetis:* (nempè in peccatis & mundanis cupiditatibus) *quia lugebitis & flebitis*, nimirum post hanc vitam. Hoc igitur etjam verum est, persecutionibus humanis, & variis ærumnis à Deo affectos, atque lugentes, cum fide ac patienti spe, suam consolationem accepturos: quia tamen, ut anteà ostendi, de persecutionibus distinctè postea, in postremo paradoxo agitur: satius est, ut hoc loco ob peccata sanctè lugentes, aut generalius omnes piè lugentes, extra humanas, religionis odio, persecutiones, (de quibus vers. 10.) intelligamus. Nam hæc duo, lugere ob peccata; & lugere ob ærumnas reliquas divinitus immissas, non sunt dissentanea, sed consentanea, & sub eodem sancto luctu comprehensa communiter: & utrique luctui promissa est consolatio, quæ hic fit verbi, & Spiritus gratiâ; postea verò cœlesti gloria.

Atque hæc de secundo paradoxo, de hominis, in hac vita, beatitudine. Tertium verò est hujusmodi vers. 5. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate terram possidebunt.* De cujus ordine recto controversia est. Nam quidam ordinem hic esse inversum, non quidem Euangelistæ, sed posterorum describentium vitio existimant: Alii verò id merito negant, ordinem autem inversum vel ratione antecedentis, vel ratione sequentis diversè arbitrantur. Ratione quidem antecedentis, quod hunc versum non quintum, sed quartum esse debere: & contrà quartum oportere esse quintum statuunt: id quod inde probant, quoniam non solum vulgata versio Latina, quæ antiqua est; sed etiam Hieron. in Commentariis & contextu, Matthæi quinto, ita legat. Cui etiam addi potest, quod August. Oper. Tom. 4. in explicatione sermonis Domini in monte, similem cum Hieron. ordinem servet. Veruntamen ratio infirma est: quia Latina versio citra controversiam rivus est: Græcus verò contextus fons est; ad quem in rebus dubiis recurrendum, illiusque judicio standum. Atqui constat, ex manuscriptorum codicum consensu, & editione Roberti Stephani, & ex Græcis Patribus, Chrysost. & Theophyl. quod sententiam de lugentibus, alterâ de mitibus, priorem constituunt. Deinde idem etiam apparet ex vetustissima versione Syriaca, quæ etiam Græco contextui convenit. Denique ex Latina etiam versione tempore Tertulliani: quæ eundem servavit ordinem cum contextu Græco: siquidem lib. de patientia cap. 11. convenienter Græcis exemplaribus, hasce duas sententias similiter recenset. Deinde Leo Romanus Episcopus antiquus Homil. in festum omnium sanctorum, in expositione cap. 5. Matthæi, eodem ordine, has duas sententias, vers. 4. & 5. ponit, atque exponit. Denique in Latina vulgata editione codicis Complutensis laudatissimi eodem modo legitur. Quare hinc satis liquere potest, librariorum transcribentium negligentiâ in Latinam versionem, hanc ordinis, à Græco contextu, diversitatem accidisse. Atque hæc de prima, quæ obtenditur ordinis vers. 4. & 5. quasi præposterè positi perversione: quam ut doctiss. Piscator non sequitur; sic aliam ipse statuit. Cujus sententia cognoscenda, & ad textus Matthæi in ordine integritatem, & genuinam lectionem necessariò examinanda, ne authoritate à recto declinemus. *Hic*, inquit, *versiculus cum sequente trajectus est.* De cujus trajectionis origine sic conjicit: *videtur autem trajectio illa per descriptorem aliquem illata esse è similitudine terminorum versiculi quarti & sexti: uterque enim desinit in θήσονται. Itaque cum descriptor versiculum quartum absolvisset, cum deberet ea continuare quæ nunc habentur vers. 6. reflexit oculos in illius finem, qui cum sit similis fini vers. 4. perrexit ad vers. qui nunc est quintus: quo scripto, cum animadvertisset versi-*

versiculum unum qui nunc est sextus, à se præteritum, subjecit illum quinto, qui debebat præcedere. Verum hæc sententia communi omnium tàm Græcorum codicum atque exemplarium, & Syri interpretis, & patrum Græcorum, quam versionis Latinæ & Latinorum patrum consensu confutatur: & conjectura de erroris origine, seipsam variarum hypothesium fictione aliena involvit atque evertit. Nam ut alia omittam, nec unus descriptor exstitit: sed plurimi toto orbe: nec si unus tantum fuisset, ullo modo credibile est, adeò non solum negligentem, sed etiam impium exstitisse, ut hoc versu uno præposterè scripto, & errore suo animadverso, maluerit sciens progrediendo sacri codicis ordinem corruptum servare, quam malè scriptum versum expungere, suoque deinde loco adscribere. Nec quæ de occasione erroris, ex termino simili θήσονται conjiciuntur, ullam habere verisimilitudinem quis non videat? Quare his omissis, argumentum ex materia sumptum expendamus, quo trajectionem atque ordinis genuini mutationem factam esse probare conatur: *Etenim* (inquit in Scholiis) *ex reipsa planum est vers. 6. cohærere cum tertio & quarto.* Sed negatur primùm consequentia: quia nititur hypothesi lubrica atque infirma, quasi in sententiarum, Dei verbo propositarum, positione, semper materiæ convenientis in ordine haberetur ratio. Certum enim est, doctrinam Sacræ Scripturæ sæpè promiscuè tradi: Deo rem ipsam, non autem ordinem illius observante: inprimis verò quando aphorismi, seu distinctæ sententiæ generales proponuntur: quemadmodum in Proverbiis Salomonis apparet. Ideoque à doctissimo Mercero subinde indicatum, non pauca loca minus rectè à nonnullis exposita, quod materiæ connexionem nimis anxiè affectârint. Sic etiam in hac ipsa concione Christi doctrina ab ipso promiscuè, prout ipsi placuit, proposita. Nam primum in hisce octo aphorismis, postremus de persecutione ob justitiam patientibus, ad primam tabulam, & tertium mandatum: Septimus verò ad secundam tabulam, & sextum mandatum pertinet. Deinde ipsemet Dominus Piscator, sua sententia idem probat, cum versu octavo castitatem, nono verò pacem commendari statuit: cum tamen primus ad septimum, posterius verò ad sextum Decalogi mandatum spectet. In vindicatione verò genuinæ legis sententiæ, ordinem similiter neglectum à Christo, rem tantum curante, apertè videmus. Nam in ea primum agit de secunda tabula, & quidem præcepto sexto vers. 21. & de septimo, vers. 27. Deinde verò præposterè de prima tabula, & præcepto Decalogi tertio, vers. 23. ac rursus denique relabitur ad secundam tabulam & præceptum sextum, vers. 38. Ad hæc, in eadem concione cap. 6. doctrinam de Eleëmosyna ad secundam tabulam & octavum præceptum pertinente agit primum: deinde verò subjicit alteram de oratione, seu precatione, quæ ad primam tabulam ac tertium illius mandatum refertur. Imò Marc. 10. v. 19. promiscuè Decalogi præcepta recenset, ac partim expositionem inserit, cum ait, *nosti præcepta, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, nec damno afficito, honora patrem & matrem.* Et Paulus Rom. 13. v. 9. *Non mœchaberis, non occides, non furaberis.* Quare ex hisce perspicuè apparet, Christum & Apostolos, in suis proponendis doctrinis, ordinem rerum non semper observasse; sed sæpe commiscuisse, ac rem ipsam solam curæ habuisse. Ideoque non sequitur, sententiarum à Christo propositarum connexio, ratione materiæ, erit aptior, si sextus versus cum quarto conjungatur, quàm si quintus: Ergò illa est genuina lectio: usitata verò quæ differt ab ea, corrupta ac vitiata. Atque hæc de prima solutionis objecti argumenti, per negationem consequentiæ, ratione: quæ sufficere posset: Altera tamen accidit ad majorem ordinis Græci contextus vindicationem, nimirum negatione antecedentis: neque enim (ut obtenditur) ex reipsa planum est, versiculum sextum cohærere cum quarto, quintum verò minimè. Nam contra constat experientia perpetua, paupertatem spiritus & luctum mites ac mansuetos: superbiam verò Spiritus & mundi gaudium immites ac feroces reddere: ideoque si ordo sit spectandus ac necessariò servandus, effectum suæ causæ hoc loco accommodatè subjicitur: quemadmodum & apud Apostolum πραότης ταπεινοφροσύνῃ, lenitas animi, humilitati subnectitur, Eph. 4. v. 2. Col. 3. v. 12. Sed videamus adversariæ sententiæ confirmationem, qua probare conatur, versum sextum conjungi debere cum quarto: quintum verò minimè: sed cum sequentibus. Ea autem est hujusmodi, *quod* (ut ait hujus sententiæ author) *tribus istis versiculis tertio, 4. & 6. ordine indicentur tres gradus affectionum animi, ad justificationem, (quæ beatitudinis initium est) necessariarum (quæ affectiones sunt paupertas spiritus, luctus, esuries, & sitis justitiæ) Mansuetudo autem cujus hic fit mentio, est in numero illarum affectionum, quæ ex fide (qua homo justificatur atque beatificatur) nascuntur. In quo numero etiam virtutes sequentes videl. Misericordia, v. 7. Castitas v. 8. Studium pacis atque concordiæ, v. 9.* Hæc ille. Verum quæ hic dicuntur de tribus affectionum gradibus ante justificationem necessariis, quasi pauperes Spiritu, lugentes, & esurientes justitiam, de nondum justificatis dicerentur: ut restrictio hæc non probatur: sic contrarium ex loci circumstantia demonstrari potest. Nam quicunque sunt beati, & quorum est regnum cœlorum, illi sunt justificati: pauperes spiritu, de quibus hic agitur, sunt beati, & eorum est regnum cœlorum: Ergo pauperes spiritu de quibus hic agitur, sunt justificati: Eadem sequentium, nempe lugentium, & sitientium justitiam, est ratio: quia beati pronunciantur & regni cœlorum hæredibus subnectuntur. Deinde si, ut author hic ait, justificatio sit initium beatitudinis, & fide nos justificemur & beatificemur, & pauperes lugentes & sitientes justitiam sint beati: quomodo justificatos negabit? Nec enim dicitur, erunt beati. Nam & confirmatio beatitudinis addita hoc ostendit, & confessio Scholiastis: sic enim ait, *Beati, subaudi* εἰσὶ *sunt.* Quod verò in Scholiis exponit, *ipsorum est regnum cœlorum, si scil. reliqua quæ sequuntur accesserint*, item *consolationem accipient, si scil. accesserit tertius ille gradus, ut nimirum esuriant ac sitiant justitiam:* quis inquam non videat, hisce modis, aphorismos hosce generales & absolutè de beatitudine positos, & distincta ratione confirmatos immutari, atque enervari? Primum cum propositionis subjectum (nempe pauperes Spiritu & lugentes) in angustiam redigitur, & beatitudo de iis asserta incerta redditur. Nam si *pauperes spiritu* tantum eos notent, qui agnoscunt paupertatem suam spiritualem, quod natura destituti sint vera justitia, qua possint placere Deo, ut Scholiastes definit sua expositione; falsum est, omnes pauperes spiritu esse beatos. Nam & reprobis multis illud est commune, qui agnoscunt suam injustitiam, ut Judas Matth. 27. v. 4. Sed desperant ac miseri sunt. Eadem est lugentium ratio. Nam si luctus intelligitur (ut exponit) propter injustitiam illam agnitam: non omnes ita lugentes sunt beati; sed quidam eorum miseri, qui percunt, 2. Cor. 7. v. 10. ubi etiam observandum, hunc interpretem non satis sibi in expositione consentire. Nam ad vers. 4. in Scholiis ait, *qui lugent*] *intelligo de luctu propter injustitiam (cujus modo facta mentio) agnitam, de quali luctu loquitur* Paulus, 1. Cor. 5. v. 2. (verba autem sunt: *Et vos inflati estis & non potius luxistis*) & 2. Cor. 12. *vers. ult.* (Verba autem sunt: *Et lugeam multos eorum qui peccarunt;*) atqui hisce duobus citatis locis apertè de justificatis agitur, nempè de Ecclesia Corinthiaca, & Paulo Apostolo. Deinde de luctu ob aliena peccata. Sed hæc hallucinatio ferri posset: sed illud est gravius erratum, quam quod bona fide dissimulari possit, ob seductionis periculum, quod in hisce aphorismis octo (qui à vers. 3. ad 13. continentur) *procreantes beatitudinis causas*, & titulo præmisso declarat, & in analysi inculcat: quarum causarum tres sint hominis beandi gradus, nempe paupertas spiritus, luctus, & fames ac sitis justitiæ, quæ justificationem antecedant: quatuor verò reliquæ justificationem, quæ beatitudinis initium, sequantur; id quod analogiæ fidei apertè repugnat. Nam nullæ hominum affectiones ac præparationes, nullaque opera fidem antecedentia, justificationis causæ, nedum *procreantes* esse possunt: imò nec fides ipsa causa illius est procreans (cum ea laus soli gratiæ Dei, ac merito Christi,

sti, & efficaciæ Spiritus Sancti competat, Rom. 3. v. 24. & 28. Ephes. 2. v. 8.) Sed tantum instrumentalis. Neque fidei *causæ procreantes*, paupertas spiritus, luctus & sitis justitiæ dici possunt: quia fides est merè gratuitum Dei regenerantis donum, Ephes. 2. v. 8, 9, 10. & 1. Pet. 2. v. 22, 23. neque etiam vitæ æternæ, quæ beatitudinis complementum, *causæ procreantes*, mansuetudo, mundities cordis, pacis studium, persecutionis tolerantia, sine gravissimo errore statui possunt: cum vita æterna merè sit gratuita, Rom. 6. v. 23. non autem ulla affectionis nostræ, aut operis nostri effectione procreata. Ideoque & mirandum, & dolendum, in tam gravem errorem, in hujus capitis explicatione, si loquendi modum spectemus, virum doctissimum incidisse: quem errorem, tanquam scopulum, meritò indicandum, pro officii fide, existimavi: præsertim cum alibi contrà ac sanctius scribat. Ac propterea genuinum, ut tandem concludam, hujus de *mitibus* aphorismi ordinem, in omnibus omninò exemplaribus observatum, à corruptela fallò objecta vindicatum satis existimo.

Quocirca ad rem ipsam, seu tertium de beatitudine paradoxum succinctè explicandum procedemus. Cujus propositio est: *beati οἱ πραεῖς*, hoc est, *mites*, (ut Tertull. etiam in libr. de patientia cap. 11. rectè interpretatur) à πραῢς singulari, cui Synonymum est πρᾶος. Accipitur autem; ut Latinis, *mitis*, ac *lenis* bifariam. Nam propriè ad rem corpoream pertinet, atque *aspero* opponitur. Unde teste Henr. Stephano in thesauro apud Galenum, τὰ πραέα κλύσματα, *lenes clysteres*, & πραείᾳ φωνῇ *leni voce* & similia dicuntur. Atque inde, per metaphoram, à propria significatione, ob similitudinem quandam, à re corporea ad animam transfertur, & *mitem* ac *mansuetum* notat. Nam ut mitia ac lenia corpora, nec aliis admota nocent: nec ab aliis tacta, eos lædunt: sed cedunt; sic & animo mites ac mansueti, quiete atque indulgentia sua, ab asperitate & ira immoderata sunt alieni. unde exegesi quadam eodemque sensu, 1. Petr. cap. 3. v. 4. πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος, *mitis ac quieti spiritus* conjunguntur. Ac consentaneè Aristoteles Ethic. Nicomach. lib. 4. cap. 5. βούλεται γὰρ ὁ πρᾶος ἀτάραχος εἶναι, καὶ μὴ ἄγεσθαι ὑπὸ τοῦ πάθους, ἀλλ᾽ ὡς ἂν ὁ λόγος τάξῃ, οὕτω καὶ ἐπὶ τούτοις καὶ ἐπὶ τοσοῦτον χρόνον χαλεπαίνειν, *hoc est, vult enim mitis imperturbatus esse, & non abripi animi commotione, sed quemadmodum ratio ordinárit, eo modo & iis de causis, & tanto tempore indignari.* Et ut de indulgentia mansueti ibid. Aristotel. ait: οὐ γὰρ τιμωρητικὸς ὁ πρᾶος, ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμονικός: *non enim ad ulciscendum pronus est mansuetus, sed potius ad ignoscendum propensus.* Sic etiam in sacris literis μακροθυμία, ad iram tarditas, & aliorum tolerantia, ac condonatio, tanquam effecta mansuetudinis, eidem in hortationibus, ab Apostolo subnectuntur, Col. 3. vers. 12. & 13. Eph. 4. v. 2. Mansuetudo autem de qua hic Christus loquitur, non generalis, & Ethnicis quibusdam communis; sed specialis intelligitur, ea scil. quæ ex vera fide, & serio Deo obediendi studio ac charitate proximi procedit: ut ex attributa beatitudine & ex Psal. 37. unde hæc sententia petita est, constat. Cujus mansuetudinis exemplum excellens fuit Moses mortalium omnium sui ævi, Deo teste, mitissimus, Num. 12. v. 3. Sed excellentissimum est Christus, Mose, ut omnibus virtutibus, sic etjam mansuetudine longè superior, Matth. 11. v. 19. & 21. v. 5. 1. Petr. 2. v. 21. & 22. v. 23. Cæterum mansuetudo hæc Christiana in rebus nostris, zelum gloriæ Dei, ac justitiæ, & sanctam adversus violationem illius iram non excludit; ut ex Mose, Exod. 32. v. 19. & Num. 16. v. 15. & Christo, Marc. 3. v. 5. Matth. 21. v. 12. apparet.

Atque hæc de subjecto propositionis, hujus tertii paradoxi, de quo Basil. Magnus, in ὅροις κατ᾽ ἐπιτομὴν, seu definitionibus contractis, quæst. 191. ait: τίς ἐστιν ὁ πραΰς; ἀμετάθετος ἐν ταῖς κρίσεσιν πρὸς εὐαρέστησιν Θεοῦ σπουδαζομένων, hoc est, *quis est mansuetus? qui firmus est in judiciis eorum quæ ad placitum Dei studiosè aguntur.* Hæc ille. Quæ quàm aptè dicantur, nondum assequi possum. Attributum verò quod subjecto convenit, commune est cum antecedentibus, *beati* supple *sunt*.

Confirmatio verò propositionis, ab utilitate petita est, *quia hæreditate terram possidebunt*, quæ promissio repetita est, ex Psal. 37. v. 11. *Mites hæreditate possidebunt terram.* Quid autem *terræ* nomine designetur, primum est considerandum, deinde quid sit, *possidere hæreditate*. Terram enim quidam propriè interpretantur: alii verò impropriè. Propriè, ut sit promissio boni ac felicitatis temporalis. Impropriè verò vel omninò, ut per metaphoram cœlum tantùm notet: vel partim, nempè ut propriè quidem terram, sed impropriè simul ac præcipuè, per metaphoram, cœlum significet. Primam sententiam ex Græcis Chrysost. & Theoph. & ex Latinis Aug. Tom. 4. Libr. 1. de sermone Domini in monte proponunt. Alteram verò Origenes Homil. 26. in Numeros, quem sequitur Hieron. ad Matth. cap. 5. Postrema denique à D. Piscatore proponitur. Verum secunda expositio ea de causa non convenit: quia *terræ* vox, neque usu communi, neque in Scriptura Sacra, ullibi cœlum notat. neque causa ulla est, cum Christus aliquoties in his aphorismis, regni cœlorum meminerit, cur metaphora illa prorsus insolente (nempe terræ voce pro cœlo) uteretur. Nec causa afferri potest, cur à propria significatione hoc in loco recedatur. Nam quod Orig. & Hieron. aliique nonnulli è Psalm. 27. v. 13. proferunt, *nisi crederem videre bonum Dei in terra viventium*; nihil ad rem facit: Primum quia non dicitur in Psalm. terra simpliciter, ut hîc: sed terra viventium. Deinde *terra* etiam *viventium* non notat metaphoricè cœlum: sed propriè terram, quæ à viventibus incolitur; atque ita à terra mortuorum ac sepulchris diversa distinguitur. quemadmodum Psal. 115. v. 16, 17, 18. *Non qui mortui sunt laudant* יה: *neque ulli descendentes in silentium: Sed nos benedicemus* יה. Atque ita accipitur etiam perspicuè, Psal. 52. v. 7. *avellet te à tentorio, & eradicabit te ex terra viventium*: Eodem sensu Psal. 42. v. 5. & 6. *Non est qui curet vitam meam: clamo ad te Iehovah, dicens: Tu es receptus meus, portio mea, in terra viventium*, hoc est, in hoc mundo, & Esai. 38. v. 10. & 11. *Dicebam non sum visurus Iah, Iah in terra viventium: non intuebor hominem amplius: Privor residuo annorum meorum: dicebam, non sum visurus Iah, Iah in terra viventium: non intuebor hominem amplius inter habitatores mundi*; quæ omnia sunt periphrasis mortis. & de Christi morte, Jes. 53. v. 8. *Exscinditur è terra viventium*, & Ezech. 26. v. 20. *Reponam decus in terra viventium*, & cap. 32. v. 23. *quod terrorem indiderant terra viventium*, & 24. *qui descenderunt præputiati in imas partes terræ, qui indiderant terrorem suum terra viventium.* idemque repetitur vers. 25, 26, 27. & 32. In quibus omnibus apertè *terra viventium* ea, in qua homines vivunt, distinctè à sepulchro intelligitur, neque alia loca sunt, ubi illa phrasis occurrit. Quare cum *terra viventium*, neque in sacris literis, neque Hebrææ, aut Græcæ linguæ usu, per metaph. cœlum notet; insolens illa ab Origene, aliisque post ipsum proposita significatio verisimilitudine caret. Et consequenter tertia, quæ idem in se complectitur: & hoc præterea habet incommodi, quod unius ejusdemque vocis semel tantum positæ, & propriam, & impropriam sive metaphoricam significationem, non gradatim, sed simul statuit. Aptius autem diceretur esse Synecdochen partis pro toto: quod ut in Vet. Testament. promissiones rerum spiritualium ac cœlestium, non rarò promissione bonorum corporalium simul intelliguntur; sic hoc in loco. Cæterum hinc apparet, cum nulla causa justa subsit, cur à propria significatione ad impropriam, Metaphoram, aut Synecdochen transeamus: idcirco primam expositionem esse præferendam. Neque tamen obstat, quod objicitur, alienum fore, si inter promissiones regni cœlestis, & bonorum spiritualium, una de bono terreno ac corporali esset inserta: quia nihil est incommodi: quandoquidem ad consolationem fidelium, utraque bona, tam corporalia, quam spiritualia, modo conjunctim, modo disjunctim pietati sunt promissa, 1. Tim. 4. v. 8. *pietas ad omnia utilis, habens promissionem vitæ præsentis, & futuræ.* Et Christus in eadem hac concione cap. 6. v. 11. inter bonorum spiritualium petitiones, mediam, de donatione panis nostri quotidiani, peti mandavit: & regnum Dei primum quærentibus, reliqua nempe corporalia adjicienda promisit, v. 33.

Atque

Atque hæc de *terræ* significatione hoc loco: *hæreditate verò eandem possidere* notat vitam in terra longam, (quæ sit quasi hæreditas) & pacatam, ut Ps. 37. unde hæc sententia deprompta est, disertè explicatur, v. 11. *Mites hæreditate possidebunt terram, & delectabuntur multitudine pacis*, & v. 9. *Maligni excidentur; expectantes verò Iehovam ipsi hæreditate possidebunt terram*; & vers. 22. *Benedicti ejus ipsi hæreditate possidebunt terram; sed maledicti ejus excidentur*, & vers. 34. *Expecta Iehovam, & custodi viam ejus, & exaltabit te ad possidendum hæreditate terram: dum exciduntur improbi, videbis.*

Cæterum quia hæc promissio est boni corporalis, non autem ad salutem necessarii, imò interdum noxii: idcircò cum conditione intelligenda, quatenus Dei gloriæ, & salutis nostræ ratio (cujus prima cura ac summa est apud Deum, & apud nos esse debet) ferre potest. Alioqui plerumque, ut experientia omnium temporum evincit, ferocibus ac crudelibus & sanguinariis è medio sublatis, mites supersunt: ut Ps. 37. pluribus etiam ostenditur. Et, si interdum ad veritatis divinæ gloriam asserendam, & salutem ipsorum procurandam, aliter eveniat: accedunt tamen, ac substituuntur bona spiritualia, quæ hæreditatem terræ sua præstantia non solum compensent, sed etiam superent; qualia sunt tranquillitas conscientiæ, ex fide in Deum procedens, spes atque expectatio læta auxilii divini salutaris, & vitæ æternæ certò promissæ: animus deniq; sua sorte contentus, qui cum pietate magnus est quæstus, 1. Tim. 6. v. 6. Quibus bonis fideles ac mites per Spiritus Sancti consolationem donantur, ac fruuntur: quemadmodum Paul. de se ait: Phil. 4. v. 11, 12, 13. *Ego enim didici iis, in quibus sum, αὐτάρκης contentus esse. Novi autem deprimi: novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum: & ad saturitatem, & ad esuritionem: tum ad abundantiam, tum ad inopiam: omnia valeo per Christum qui me corroborat.* & 2. Cor. 6. v. 9, 10. *Vt morientes & ecce vivimus: ut qui castigamur, nec occidimur: ut dolentes, semper tamen gaudentes: ut pauperes, sed multos ditantes; ut nihil habentes, sed omnia possidentes.* Quare fideles sunt beati, quia terram hæreditate possidebunt; aut compensatione salutari, meliora bona obtinebunt.

Hæc ad paradoxi tertii de beatitudine hominis sententiam. Quartum verò est vers. 6 Cujus propositio *Beati esurientes ac sitientes justitiam.* Confirmatio verò, *quoniam ipsi saturabuntur.* Propositionis subjectum est, *esurientes ac sitientes justitiam.* De cujus genuina sententia interpretum judicia bifariam differunt; cùm ratione adjunctæ esuriei ac sitis; tum etiam ratione objectæ justitiæ, circa quam versantur. Primum enim quidam *esurientes ac sitientes* propriè, ut 1. Cor. 4. v. 11. & 2. Cor. 11. v. 27. Hebr. 11. v. 37, & 38. accipiunt; & quidem ea de causa, quod arbitrantur eandem concionem eandemque hanc sententiam, quæ hic ponitur, Luc. 6. v. 21. descriptam, ideoque inde expositionem peti debere; ubi apparet absolutè dici, *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini:* Deinde quia esurientibus ac sitientibus saturos opponit, quibus væ denunciat: ideoque non saturos justitiâ, sed cibo & potu affluenti designat. vers. 25. Verum diversa utrimque sententia est, ac diversa Lucæ 6. & Matth. 5. ac sequentibus concio: quemadmodum initio hujus capitis pluribus rationibus ostendimus, quibus deinde accedit objectum circa quod hi esurientes & sitientes hoc loco Matthæi versari dicuntur, nec enim absolutè dicitur *esurientes & sitientes*; nempe cibum & potum, sed *justitiam:* quæ cibus non est nec potus propriè. Neque ut excipitur, fingenda hic est ellypsis præpositionis διὰ: quasi sensus esset διὰ τὴν δικαιοσύνην, propter justitiam, hoc est, ut exponunt, *qui propterea esuriunt & sitiunt, quod illis jus suum non tribuatur, aut quia justi sunt:* talis enim ellypsis insolens est, neque exemplis ullis demonstratur. Deinde esurire propter justitiam, quod exponunt, quod illis jus suum non tribuatur, minus convenit: Nam hi potius dicerentur esurire propter injustitiam: Ea enim in eo posita est, quod jus non tribuatur. Quod verò additur, *aut quia justi sunt*, id etiam alienum est: quoniam hoc modo, distinctum hoc paradoxum à reliquis, cum postremo vers. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, confunderetur.

Quamobrem alii accommodatius, *esurientes ac sitientes*, hoc loco metaphoricè accipiunt, de ardenti desiderio, ut objectum, circa quod versatur, additum, nempe justitia, evincit, & Sacra Scriptura hanc metaphoram crebrò usurpat, ut Psal. 42. 2. & 3. *Sicut cervus glocitat ad alveas aquarum, sic anima mea glocitat ad te Deus. Sitiens est anima mea Dei*, & Psalm. 63. v. 2. *ô Deus, Deus meus es tu, tempestivè te requiro, sitiens est tui anima mea*, & Esa. 55. v. 1. *Quisquis sitit, venite ad istas aquas*, Ioh. 7. v. 37. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat:* Apoc. 22. v. 17. *Qui sitit veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Quamobrem ex hisce perspicuum est, *esurientes & sitientes*, propter objecti circumstantiam, propriè accipi non posse, sed impropriè per metaphoram usurpari, ejusque metaphoræ exempla similia in sacris literis extare illustria.

Sed altera jam de vocis *justitiæ* significatione controversia est. Quidam enim de justitia Dei, alii vero de justitia hominis intelligunt. Qui de justitia Dei interpretantur, illi non essentialem, sed judicialem, quæ præmia bonis, pœnas malis distribuit, exponunt: ut sensus hujus subjecti sit, qui vehementer desiderant, ut causa ipsorum (qui indignè ab aliis oppressi jure suo fraudantur,) à Deo justo judice vindicetur, ut Luc. 18. v. 6, 7, 8. *Ait autem Dominus: audite quid judex ille injustus dicat; Deus autem non vindicabit electos suos clamantes ad ipsum die ac nocte, etiamsi iram differat super ipsis? dico vobis vindicabit eos citò.* Hæc autem vindicta fit, partim in hoc seculo, ut Psal. 37. v. 4, 5, 8. partim in altero, Mal. 3. v. 16, 17, 18. & 2. Thess. 1. v. 5, 6, 7. Quæ expositio analoga est fidei, & contextui, & scopo etiam Christi (qui paradoxa proponit,) consentanea. Nam mundus illos miseros judicat, qui oppressi ab aliis sunt & jus suum à judicibus non assequuntur: quales sunt pauperes, viduæ, pupilli. Luc. 18. v. 3, 4. Esa. 1. v. 23. Sed ad Deum solum refugiunt, ut Mal. 2. v. 17. & 3. v. 14. & 15. quod præjudicium bonos etiam, & insignes viros interdum perturbat, ut Psalm. 37. & Psal. 73, & Jer. 12. v. 1. & 2. apparet. Altera tamen expositio est aliorum, qui de justitia non Dei judicis, sed hominis exponunt. Ea autem, ut res sit illustrior, distinguenda est paucis: alia enim imputata; alia inhærens dici solet. Imputata est justitia Christi mediatoris; 1. Cor. 1. vers. 30. Phil. 3. vers. 3. quæ est solutio debiti totius nostri erga Deum, ut & liberaremur à maledictione legis, & vitam æternam consequeremur. Quæ solutio duobus constat; prius est perpessio maledictionis, seu universę pœnæ nobis ob transgressionem Legis Deo debitæ, secundum sanctionem illius ac comminationem, Deut. 27. v. 27. Cujus perpessionis solutæ vi à debito maledictionis liberamur, Galat. 3. v. 3. Rom. 8. vers. 1. Posterius, est universæ obedientiæ Deo à nobis ad salutem obtinendam debitæ, Levitic. 18. vers. 5. observatio. Cujus vi perfectè justi & hæredes, ac tandem possessores vitæ æternæ constituimur, Rom. 5. v. 17, 18, 19. & 10. vers. 4. Phil. 3. v. 8. Quæ solutio cum debitæ pœnæ perpessione: tum obedientiæ ad vitam debitæ observatione, quoniam in mortis voluntaria tolerantia maximè eluxit, idcirco synecdochicè justitia illi ascribitur, 2. Cor. 5. vers. 20. Quæ justitia instrumento fidei (qua Christo unimur, ejusque bonorum simus participes) acquiritur, & imputatur, unde *justitia fidei* dicitur, Rom. 4 vers. 11. & quia à Deo donatur, κατ' ἐξοχὴν, *justitia Dei*, Rom. 10. vers. 3. appellatur.

Hæc de imputata justitia. Nam quod Scholiastes statuit, justitiam imputatam nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum, illud alienum est. Nam justitia est virtus, remissio peccatorum non est virtus: Deindè remissio peccatorum est consequens justæ solutionis debitæ pœnæ effectum, non autem ipsa solutio: denique ut alia multa omittam, remissio peccatorum nihil aliud est, quam pœnæ peccatis debitæ omissio ac condonatio: quæ hominem injustum non constituit perfectè justum, & hæredem vitæ æternæ; sed à reatu mortis liberum. Ac quamvis individuo nexu remissio peccatorum, & imputatio obedientiæ seu perfectæ justitiæ sint conjuncta: ideoque

ex priori alterum rectè concludi possit: cum eo tamen confundi non debet.

Altera justitia, nempe inhærens est animæ per Spiritum sanctificantem ac regenerantem sanctitas inchoata, in hac vita; post hanc vero perfecta, Rom. 6. v. 13, 16, 18, 19, 20.

Hæc de justitia hominis. ut autem ad rem ipsam accommodemus: quidam de una tantum justitia, eaque vel imputata, vel inhærente: alii vero de utraque exponunt: quod videtur accommodatius; quia sententia redditur uberior, ac locupletior; cum generali *justitiæ* voce utraque intelligi queat: neque ulla causa justa appareat, cur speciatim interpretemur. Ac prioris justitiæ sitis seu desiderii exemplum in Davide extat insigne, Psalm. 133, vers. 2, 3, 4. Posterioris, Psalm. 119. v. 5. & 20. &c. utriusque autem Psalm. 51. Prioris quidem, vers. 3. 4, & 9. Posterioris verò vers. 12. & 13. & in Paulo Rom. 7. vers. 24. Quæ expositio de justitia hominis & fidei analogiæ & hujus concionis circumstantiis etiam convenit, non minus quam prima, de justitia Dei judicis ac vindicis: Eaque tanquam uberior ac magis distincta à reliquis aphorismis, videtur præferenda. Nam quod à nonnullis objicitur, Christum hic paradoxa divina, opinionibus hominum hujus mundi repugnantia, tradere: non fore autem paradoxum, si desideret quis justitiam suam, eoque nomine dicatur beatus: cum multi hoc etiam laudent. Respondemus; desiderantes justitiam Christi crucifixi esse beatos, mundo paradoxum est simpliciter ac ridiculum, partimque odiosum, Rom. 10. v. 3. & 1. Cor. 1. v. 18. & 23. Desiderare verò justitiam, etsi probent nonnulli infideles, eam tamen à Deo propter meritum Christi & per Spiritum sanctificationis desiderare, non beatum; sed miserum, atque inutile, imo vitiosum censent omnes infideles. Quare manet paradoxum.

Atque hæc de propositionis quarti paradoxi subjecto, scil. *esurientibus et sitientibus justitiam.* Attributum est *beati,* supple sunt, hoc est, felices, quod initio exposuimus.

Confirmatio verò propositionis est, *quoniam saturabuntur*, ubi per cœptæ allegoriæ continuationem, desideratæ justitiæ consecutionem, *saturationis* metaphora intelligit. Deus enim viva fide desiderantibus justitiam, primum Christi, eam donat, & per Spiritum Sanctum in cordibus obsignat, Rom. 5. v. 1. & 8. v. 15. 16. Esai. 55. v. 1. Apoc. 3. v. 18. deinde suam desiderantibus justitiam, eandem per Spiritum Sanctum inchoatam paulatim in hac vita auget: in morte vero perficit, Rom. 7. v. 24, 25. Quia in hac vita nemo peccati omnis expers, 1. Ioh. 1. v. 8. & in cœlum nihil ingreditur immundum, Apoc. 21. v. 27. Hebr. 12. v. 23. Ideoq; dum animæ fidelium vinculis corporis morte solvuntur, à corpore peccati liberantur.

Hactenus quartum paradoxum, cui quintum succedit. vers. 7. Cujus propositio est, *Beati misericordes.* Confirmatio illius; *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Propositionis subjectum sunt *misericordes*, qui misericordia sunt prædití. Misericordia autem generatim est amor erga miseros, qua ob miseriam eorum dolemus, & pro virili ab ea liberare conamur: Speciatim vero ea hic intelligitur, quæ ex vera fide & amore Dei promanat, & ad verbi divini normam regitur, & ad gloriam ipsius tendit: ut à communi etiam infidelibus non paucis misericordia, discernatur. Qualem hoc loco intelligi attributum beatitudinis & addita ratio satis indicat: officia autem misericordiæ in descriptione ante posita sunt duo: primum *συμπάθεια*, hoc est, commiseratio, 1. Petr. 3. v. 8. qua ob aliorum miseriam ac dolorem, unà dolemus. de qua re Rom. 12. v. 15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Alterum officium est auxilium, quo miseri, pro virili nostra, à miseria liberentur. Auxilium autem est, partim per seipsum & immediatum, cum verbis factisque succurrimus, Matth. 25. v. 35. & 36. Jac. 2. v. 15. & 16. partim mediatum, cum id per alios commendatione præstamus: partim precibus apud Deum liberatorem: partim hortatu ac rogatu apud homines, qui juvare valeant: ut Paulus præstitit, 2. Cor. 9. v. 5. & 10.

Atque hæc de subjecto: attributum est ut in antecedentibus, *beati* sunt.

Confirmatio verò illius est, *quoniam misericordiam consequentur*, nimirum à Deo, partim in hac vita, cum immediatè sua gratia ac potentia providentiæ suæ, quâ miseros liberat: tum mediatè per homines instinctu Spiritus commotos: plenissimè verò in altera, 2. Cor. 9. v. 6, 7, 8. Matth. 25. v. 34, 35. Jac. 2. v. 13.

Hæc de quinto paradoxo: cui sextum additur, vers. 8. cujus propositio est, *Beati mundi corde.* Confirmatio vero, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Subjectum autem propositionis est: *mundi corde.* *Mundi* autem hoc loco citra controversiam dicuntur, non propriè: de immunitate à corporalibus sordibus: sed metaphoricè, quemadmodum vox *cordis* adjuncta, definit, & attributum beatitudinis ac confirmatio illius demonstrant: quæ ad munditiem corporalem pertinere nequeunt. Deinde illud etiam certum est, mundum corde ac sceleris purum non intelligi, qui inhærente justitia perfecta sit præditus: quia ea in nobis tantum est inchoata in hac vita, ob carnis adversus Spiritum repugnantiam, Gal. 5. v. 16, 17. Idque asserit Salomon, Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, purificavi cor meum, mundus sum à peccato meo?* quia in se ac simpliciter mundum intelligit: quemadmodum idem dixit, 1. Reg. 8. v. 46. *Non est homo qui non peccet.* Veruntamen in eo controversia est, quinam hoc loco dicantur *mundi corde.* Etenim accipi potest ea descriptio vel generatim, vel speciatim. Generatim quidem ut justi intelligantur; quorum corda, imputatione justitiæ Christi, per fidem, sunt purgata. Actor. 15. v. 7. & deinde per Spiritum sanctificationis inchoatè ab inhærentibus peccati dominantis sordibus mundati sunt, atque iis modis corde sceleris puro ac virtutibus prædito sunt ornati. Quomodo dicitur, Psal. 51. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in medio mei*, quomodo non male conveniret cum antecedenti. Nam ut ibi dicti sunt beati, qui esuriunt ac sitiunt justitiam: Sic hoc in loco qui eam sunt assecuti. Veruntamen hoc modo incommodè sententia hæc etiam antecedentes complecteretur. Nam talis cordis puritas generalis est virtus: reliqua verò officia hisce aphorismis proposita ac commendata ad speciales ac distinctas virtutes pertinent. Quamobrem si analogiam contextus diligenter spectemus, accommodatius est, ut de speciali ac distincta virtute interpretemur, nimirum de sinceritate animi ac simplicitate, ut Augustin. lib. 1. de Sermon. Domini in monte, aliique non pauci exponunt: quæ est aut generalis, cujusvis hominis veritas, qua ab hypocrisi seu fallendi studio alienus est: aut specialis, hominis fidelis, quæ ex vera fide & amore Dei ac proximi orta; qualis hoc loco intelligitur: quemadmodum attributum beatitudinis, & promissum præmium solis fidelibus conveniens, perspicuè demonstrat. Ejus autem veritatis objectum circa quod versatur, est cultus Dei, & conversatio humana, & hac virtute præditis cor mundum seu purum in sacris literis tribuitur, ut Psalm. 24. vers. 4. *Innocens manibus, & purus corde, qui non offert ad vanitatem animam suam, neque jurat ad fraudem:* & Jac. 4. v. 8. *Purificate corda vos duplices animo.* Ubi manifestè animi puritas duplici, hoc est, fallaci animo, opponitur ac simplicitas commendatur. & 1. Tim. 1. v. 4. *Finis præcepti est charitas ex puro corde*, hoc est, animo sincero, & 2. Tim. 2. v. 22. *Qui invocant Dominum ex puro corde.* Quod verò Scholiastes, eruditus, *cor mundum*, oppositè impuris libidinibus, castum exponit, sententia quidem pia est, sed antecedente angustior, & phrasi Scripturæ non tantopere conveniens. Nam quod ait, hanc munditiem à Paulo appellari *ἁγιασμὸν*, cum ait 1. Thessal. 4. v. 3. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione*, non simpliciter admitti potest. Nam licet scortatio sit quædam impuritas sanctificationi opposita: latius tamen hæc vox apud Paulum patet: quia sanctificatio, eo in loco, ab Apostolo, non solum scortationi ac similibus fœdis libidinibus; sed etiam fraudibus atque injuriis opponitur, ut vers. 6. & confirmatio illius vers. 7. demonstrat. Quamobrem

obrem hoc loco mundi seu puri corde aptius intelliguntur, qui in Dei cultu, & humana conversatione animo sincero sunt prædíti. De qua re Christus Matth. 10. v. 16. *Estote prudentes ut serpentes, & sinceri seu simplices ut columbæ.* Quæ sinceritas ac simplicitas perperam à fallaci mundo miseria censetur; & ea prædíti quasi miseria traducuntur atque irridentur. Ac propterea illis Christus, ad fidelium consolationem, in attributo propositionis hujus, beatitudinem adscribit, cum ait *Beati* sc. sunt, hoc est, felices.

Atque hæc de propositione: confirmatio vero illius, est, à beatitudinis specie excellentissima, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Nam ubi hæc sinceritas est; ibi etiam viget sanctificatio, quæ videndi Dei conditio ac via necessaria, quia *sine ea nemo videbit Deum*, Hebr. 12. v. 14. Visio autem Dei duplex in sacris literis proponitur, una oculis corporis: altera oculis mentis seu intellectus. Prima est varia: sed præcipua est illa, qua facies illius, hoc est, gloriosissima Dei species, qua sese exterius patefacit conspicitur (nec enim essentia illius videri potest: quia corpus non est, quod solum visibile, sed Spiritus, Ioh. 4. vers. 24. Hinc 1. Ioh. 4. v. 12. *Deum nemo spectavit unquam*) de quali visione dicitur, Exod. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & vivet.* & vers. 23. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* An autem in cœlis, talis etiam sit Dei facies videnda: an vero ea tantum, qua in filii corpore glorioso conspicitur, non curiosè inquirimus; etsi locus ille Exodi, illud quodammodo videtur innuere. Altera vero visio est oculis mentis & cognitionem notat; quæ Dei visio duplex, una est hujus vitæ, eaque imperfecta. *Nam ex parte cognoscimus.* 1. Cor. 13. v. 9. *& quasi in speculo videmus*, de qua re 2. Cor. 3. v. 17. *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes.* Ioh. 14. v. 9. *Qui videt me, videt patrem*, & 3. epist. Ioh. v. 11. *Qui male facit, non vidit Deum*, id est, cognovit. Altera cognitionis visio est perfecta 1. Cor. 13. v. 10. & 12. *Videmus enim nunc per speculum & per ænigma; tunc autem coram; nunc cognosco ex parte; tunc vero cognoscam prout cognitus sum.* Quæritur autem, an essentiam Dei simus in se visuri, seu ipsammet cogniturí in cœlis. Ac Scholastici quidem hoc tuentur: alii verò cum Patribus plerisque negant, freti authoritate, 1. Tim. 6. v. 15. *Deus habitat in luce inaccessa, quam nemo hominum vidit, neque videre potest.* Deinde ratione, *quod nemo norit quæ Dei, nisi Spiritus Dei*, 1. Cor. 2. v. 10. & 11. Secundò quia essentia Dei citra controversiam infinita est: ac propterea à finito intellectu videri non posse, nec hominum nec Angelorum; etsi *faciem Dei perpetuo videre* (hoc est, illustrem Dei notitiam habere, ac gloriam illius cognoscere) dicantur, Matth. 18. v. 10. Nam quod Scholastici excipiunt, essentiam Dei non posse quidem comprehendi, quia infinita est, posse tamen apprehendi: in eo valdè inepta contradictione impingunt. Nam comprehensionis seu simplicis perceptionis, & apprehensionis seu perceptionis secundum quid, distinctio, rei tantum finitæ convenit, in qua totius & partis esse potest distincta ratio: sed infinito ac simplicissimo accommodari non potest. Sed tamen duo insignia (ut ipsi arbitrantur) huic rei firmandæ adferunt argumenta, quibus visionem seu immediatam cognitionem essentiæ Dei demonstrari censent. Primum autem est ex illo loco, cujus meminimus. 1. Cor. 13. v. 12. *Tunc verò cognoscam sicut cognitus sum*, nempe à Deo, unde sic disputant: Deus nos perfectè cognoscit, nostramque essentiam ut condidit ac gubernat; sic penitissimè etiam videt. Ergo & nos ipsam Dei essentiam perfectè cognoscemus. sed negatur consequentia, quæ nititur falsa hypothesi: quasi inter Dei notitiam præsentem, quâ nos novit; & nostram futuram, qua illum cognoscemus, statueretur æqualitas; cum sit tantum similitudo καθὼς *sicut*. Si regeratur, similitudinem nihilominus esse in cognitionis utrimque in Deo, & in nobis perfectione, ut vers. 10. *Cum venerit perfectum, tunc quod ex parte est abolebitur.* Damus; sed perfectio nihilominus est inæqualis; Deus enim cognoscit perfectione suæ infinitæ naturæ immensa: nos vero ipsum cognoscemus perfectione dimensa, pro finitæ naturæ nostræ modulo: quia perfectio pro subjecti ratione intelligi dicitur. Sed alterum argumentum ex loco, ut existimant, longè expressiore addunt, nempe ex 1. Iohan. 3. 2. *Filii Dei sumus, sed nondum patefactum est, quod erimus; scimus autem fore, ut cum patefactus fuerit, similes ei simus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Unde ita concludunt: nos videbimus Deum sicuti est. Ergo ipsam essentiam illius in se videbimus. Verum responderi potest, primum negatione antecedentis. Non enim dicitur: videbimus Deum, sed *eum*, non θεὸν sed αὐτόν. Si autem rursus excipiatur, non de alio, quàm de Deo vocem illam *eum* posse intelligi, quia pronomen est quod suum nomen antecedens requirit, ad quod referatur, neque aliud ullum quam Dei nomen antecedere: respondemus vocem αὐτὸν non semper ad nomen expressum referri, sed interdum ad intellectum κατ' ἐξοχὴν, ob excellentiam. Quemadmodum etiam de Pythagora olim dictum à discipulis, αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*, ob præstantiam. Sic Ioannes vocem αὐτὸς & ἐκεῖνος, eo modo usurpat. Prius quidem, cap. 2. v. 28. *Neque pudefiamus coram eo in ejus adventu*, quod licet Christi non sit expressa mentio, ad ipsum tamen ad judicium venturum necessariò refertur: utrumque verò cap. 3. v. 5. *& scitis illum patefactum esse, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non esse*; & vers. 6. cum 8. ter, & semel vers. 7. vox αὐτὸς sine antecedentis expressione, sed κατ' ἐξοχὴν intellecta de Christo usurpatur. Secundò circumstantia etiam idem suadet, quia dicitur, *cum patefactus fuerit:* atqui ea patefactio non Dei essentiæ, sed Filio, qui semel patefactus est in terris, ut vers. 5. dicitur, & rursum patefiet die ultimo, convenit. Si quis tamen rigidè urgere velit, dici posset, verba illa ἐὰν φανερωθῇ, non esse ad Deum, nec etiam ad Christum referenda: sed ad id quod erimus, τί ἐσόμεθα: quemadmodum ea verba antecedunt: ut non vertamus, *cum patefactus fuerit*, ut noster interpres: *sed cum patefactum fuerit*, supple, *id quod erimus.* Quod autem dicitur cap. 2. v. 28. Rationem esse, cur ad Christum referri debeat, quia antecedens hoc docet, nempè αὐτοῦ, & sequentia de ipsius adventu, evincunt: damus ita posse verti, sed necessariò debere verti, probari non potest: præsertim cum de Christo exponi possit; & antecedentia & consequentia, si non necessariò demonstrant, indicant tamen. Ac propterea solidum argumentum esse non potest: præsertim cum maneat illa solutio, vocem αὐτοῦ ad Christum referendam, cui similes futuri sumus in gloria, eumque ut verum Deum patefactum in carne visuri. Similes loci sunt de similitudine gloriæ Christi, & Christianorum, Phil. 3. v. 21, Col. 3. v. 4. 1. Cor. 15. sub finem. Deinde etiamsi ad Deum referretur, negaretur tamen consequentia: quia *videre ipsum sicuti est*, cognitionem tantum claram, quod *videre faciem* dicitur, notaret, oppositam cognitioni hujus vitæ in ænigmate. Quare visio Dei promissa mundis corde ea est, qua primum corporis oculis videbunt Deum in Christo relucentem, ut Job. 19. 25. & 26. Deinde oculis mentis, qua Deum illustri ac supra omnem hujus mundi cognitionem notitia Christiani cognoscent: quæ notitia captu nostro, in hac vita, longe superior: sed infinita Dei essentia inferior. Nam quod objicitur: si ita est, non erimus beati: quia non satisfiet desiderio videndi Deum: id facile solvitur. Nam tale desiderium videndi Dei essentiam immediatè, in cœlo non erit, ubi nihil ἀδύνατον optabitur: quia illud ex ignorantia infinitæ Dei essentiæ orire-tur, quæ ignorantia in perfectione aberit. Atque hæc de sexto aphorismo.

Septimus vero vers. 9. continetur, cujus propositio est, *Beati pacifici*; confirmatio verò *quoniam filii Dei vocabuntur.* Ac propositionis quidem subjectum est *pacifici*, seu qui pacem faciunt, sive conciliant. Pax autem mutuam innocentiæ concordiam notat, conditionibus suis instructam, sive ea sit privata, sive publica. Eaque rursus vel justa est, vel injusta. Justa, cujus causæ ac conditiones rectæ rationi ac Dei verbo consentaneæ sunt: injusta, cujus causæ aut conditiones contrariæ. Justam autem Scriptura commendat;

mendat: atque ita vel pax propriè accipitur de mutua inter diversos concordia. Eaque pax pro subjectorum ratione duplex statuitur, una est hominum cum Deo: cujus causa est justificatio, Rom. 5. v. 1. Nam quemadmodum peccatum homines Deo exosos reddit; sic contra, justitia Christi imputata, gratiam ac pacem cum Deo conciliat; ibid. Conditio verò est obedientia fidei, & charitatis Deo debitæ quæ pacem illam fovent. Altera vero est hominum cum hominibus, quando ex amore Dei & proximi mutuam innocentiam, patientiam ac beneficentiam amant, ac justè colunt: quæ præcipitur, 1. Pet. 3. v. 11. *Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam*, & Hebr. 12. v. 14. *Pacem persequimini in omnibus*. Conditio autem justitię generatim innuitur, Rom. 12. v. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est*, hoc est, quantum jure potestis, bonaq; conscientia, & usque ad aras, *cum omnibus hominibus pacem colentes*. Cui etiam paci opposita est interna dissensio & inimicitia, Eph. 2. 14, 15. & externæ verborum & factorum offensæ, 1. Cor. 14 v. 33. Rom. 12. v. 18, 19. 1. Petr. 3. v. 11, Atque hæc de pace propriè dicta quæ inter diversos existit: Impropriè verò accepta metaphoricè dicitur, animi ex fide gratiæ Dei, & spe salutis æternæ tranquillitas: cum animus terroribus ac tristitia non conflictatur, sed tranquillus est ac lætus, ut Ioan. 16. v. 33. *Hæc dico vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habebitis*, & Rom. 15. v. 13. *Deus autem spei impleat vos omni gaudio, & pace, credendo, ut vos abundetis spe per virtutem Spiritus Sancti*. Hujus autem justæ pacis triplicis author est Deus per Christum, unde *Deus pacis* appellatur, Rom. 15 v. 33. & 1. Cor. 14. v. 33. & 2. Cor. 13. v. 13. & Christus *Princeps pacis*, Esa. 9. v. 6. & *pax nostra*, id est, metonym. pacis author dictus, Eph. 2. v. 14. & 15. quod etiam docetur, Rom. 5. v. 1. Secunda vero causa, sunt homines, præcipuè quidem Euangelii præcones, qui Euangelizant pacem cum Deo, Rom. 10. v. 5. & ad pacem cum hominibus doctrina, & hortationibus extimulant: & variis consolationibus pacem ac tranquillitatem animi conciliant; & exemplo ad pacem præeunt. Deinde reliqui omnes fideles, qui innocentia, tolerantia, ac beneficentia, ex fide & amore erga Deum, & dilectione proximi, pro suæ vocationis ratione, odia ac dissidia injusta, sive adversus se, sive inter alios, & adversus Deum, tollere pro virili student. Atque hi demum hoc loco intelliguntur in propositionis aphorismi hujus subjecto, *Pacifici*: qui attributo antecedentibus aphorismis communi addito, commendantur, cum *Beati* dicuntur, hoc est, felices.

Confirmatio vero hujus propositionis atque attributionis est, *quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*. Quo in loco, ad pleniorem intelligentiam illius, primum observandum, quid *Filii Dei*; deinde quid *vocandi* vox, hoc loco significet: quia utrumq; non uno modo, sed variè usurpari solet. *Filius enim Dei* dicitur, vel propriè, vel impropriè. Propriè ac generatione, qui naturę & essentię Patris sui communicatione Filius est: quomodo solus Christus Dei Filius est: unde *unigenitus, & proprius Filius*, Rom. 8. nominatur: ut qui patri ὁμοῖος, *unum cum Patre*, Ioh. 10. ac *verus Deus*, 1. Ioh. 5. v. 20. Ioh. 1. v. 1. Impropriè verò Filius Dei dicitur, per metaphoram, is, qui similitudinem habet proprii filii Dei. Nam ut proprius Filius habet imaginem Patris essentialem: sic impropriè dictus non natura ac generatione talis est: sed accidente Dei beneficio, quo imaginem Dei habet accidentalem (quæ in veritate, sanctitate ac justitia inprimis consistit) eamque vel ante lapsum creatione insitam: ut Adam, Gen. 1. 27. qui ideo in genealogia Christi, *Filius Dei* dicitur, Luc. 3. v. 38. & Angeli, qui simili ratione *Filii Dei* Job. 1. appellantur: vel post lapsum hominum, recreatione (seu renovatione, & ut Scriptura appellat metaphoricè regeneratione) restitutam. Atque ita credentes *Filii Dei, & ex Deo nati*, Ioh. 1. & 1. Ioh. 3. v. 1. appellantur, unde rursum, per catachresin, metaphoricè *Filii Dei* dicuntur, qui hisce regenitis sunt similes tantum, non autem renati: nempe hypocritę, qui non fidem veram ac vivam sed fictam habent, & ad externam tantum Ecclesiæ societatem vocati sunt, atque inter renatos Dei filios versantur: verbum Dei similiter audiunt; sacramentis communicant; & honestate vitæ externa se commendant. Qua catachresi *Filii Dei*, Gen. 6. v. 2. oppositi liberis reliquorum hominum ab Ecclesia alienorum intelliguntur, & *Filii* etiam *regni*, hoc est, Ecclesiæ, in qua Christus regnat, Matth. 8. v. 14. dicuntur: qui quidem sunt inter filios Dei in Ecclesia; sed non ex filiis Dei genuinis, & vivis Ecclesiæ membris, 1. Ioh. 2. v. 19. Atque hæc de vocis filiorum Dei distinctione. Hic autem intelliguntur *Filii Dei* non naturâ: quia id Christo proprium est: sed gratiâ seu beneficio imaginis Dei, & quidem non creatione inditæ. (Nam ea per lapsum exciderunt omnes, & amissa imagine mortui facti sunt peccatis, & iræ Filii, Eph 2) Sed accidente regeneratione per imaginis Dei restitutionem: non autem per solam vocationem externam, renatis filiis similes: Nam tales non sunt beati, ut hic de filiis Dei asseritur; sed miseri. Hæc de primo, nempe filiorum Dei significatione, huic loco conveniente. Ad secundum verò quod attinet, nempe quod additur, *vocabuntur*: observandum est, quod, cum quis filius Dei, ac regenitus vocari possit verè vel falsò; prius hic intelligendum, non posterius: illud enim beatum est; hoc verò miserum. Vocans autem hoc loco accipiendus est Deus, & Ecclesia: Nam mundus non ita vocat; quia non novit eos, 1 Ioh. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dederit nobis pater, nempe ut filii Dei vocemur, propterea mundus non novit vos, quia non novit eum*. Cœterum hæc *vocatio* Synecdoch. agnitionem, & rei veritatem simul complectitur, ut. Rom. 9. v. 26. *& erit, in quo loco dictum erat iis, non populus meus estis vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis*: Sic Matth. 5. v. 19. *Minimus &c. Item magnus vocabitur in regno: vocabitur*, hoc est, verè censebitur atque erit. Ratio autem, cur pacifici vocabuntur, ac verè censebuntur, Dei filii, est: quia pacis hominum cum Deo, & cum hominibus conciliatio effectum est proprium filiorum Dei, atque imaginis Dei, cujus gratia filii illius appellantur: Deinde quia imitatio est Dei, qui Deus pacis est ac dilectionis, 1. Cor. 14. v. 33. & 2. Cor. 13. v. 13. Vnde filii dignoscuntur: quemadmodum Joh. 8. v. 39. *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis*, & vers. 42. *Si Deus pater vester esset, diligeretis me. Ego enim à Deo profectus sum*, & vers. 44. contra ait, *Vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis implere*. Sic Matt. 5. v. 44. & 45. Imitationem patris filiorum notam esse ostendit Christus, *precamini pro iis, qui vos infestant & persequuntur vos, ut sitis filii patris vestri, qui est in cœlis, facit enim ut sol suus oriatur super malos ac bonos*. Atque hæc de septimo aphorismo.

Octavus verò, qui est ultimus, continetur per θέσιν seu sententia generali, vers. 10. & traductione ad hypothesin, sive accommodatione ad auditores particulari, repetitur, atque illustratur vers. 11. & 12.

Propositio est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Confirmatio, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Propositionis subjectum duobus constat membris, adjuncto fidelium, & occasione illius. Prius οἱ δεδιωγμένοι *illi quos persequuntur*, seu *qui persecutionem patiuntur*. *Persequi* autem propriè ac communiter est magna contentione insequi ut assequamur, sivè hostes, sivè feram, sivè quid aliud. In Nov. verò Test. bifariam usurpatur, in bonam partem, aut in malam. In bonam, propriè quidem Luc. 17. v. 23. Si opinionem scil. spectemus: metaphoricè verò (persecutione corporeâ ad animi studium ac conatum serium translata) virtutem aut salutem obtinendi studium notat, ut Rom. 9. v. 30. & 1. Tim. 6. v. 11. & 2. Tim. 2. v. 22. *Persequi justitiam* & cap. 12. v. 13. *Hospitalitatem persequi*, & cap. 14. v. 19. *Quæ pacis sunt persequi* & similibus locis, 1. Cor. 14. v. 1. Phil. 3. v. 12, 14. & 1. Thess. 4. v. 15. Heb. 12. v. 14. & 1. Pet. 3. v. 11. In malam vero partem accipitur in reliquis locis, nimirum pro insectatione alicujus, ex odio, ut ipsi vel ejectione, vel apprehensione noceatur: & quidem τὸ διώκειν pro ea insectatione, quæ ex odio religionis veræ, & obedientiæ erga Deum promanat, ut Act. 7. v. 52. *Quem Prophetarum non persecuti sunt patres vestri & occiderunt?* Gal. 6. v. 12. *Ne ob crucem Christi persecutionem patiantur*, Phil. 3. v. 6. *Secundum zelum* (nempe errantem; Act. 22. v. 3.) *Persequens Ecclesiam*, Act. 22. v. 4. *Hanc viam persecutus sum ad mortem*. Atque hoc modo etiam hoc in loco accipitur, id-

quo

que occasio adjecta ad majorem claritatem, & in persecutione consolationem exprimit, cum ait, *propter Justitiam*. Justitiam autem non intelligit imputatam Christi: nec virtutem justitiæ inhærentem: quia utraque persecutoribus est ignota: sed justitiæ hujus inhærentis opera, per metonym. usitatam, qua virtutum nomina pro effectis suis sæpissime usurpantur. Ea autem sunt primum confessio veræ doctrinæ, & falsæ confutatio: & conversatio in vero cultu Dei externo, & officiis erga proximum præstandis, verbo Dei conveniens. Quæ justitia (hoc est, justa opera) per se quidem amorem & amplexum omnium promeretur: sed hostium Ecclesiæ, vel zeli imprudentis, vel impudentis malitiæ vitio, in occasionem persecutionis arripitur. Vnde pii interdum innocentiæ suæ, in hac re conscientia freti, & carnis imbecillitate moti, persecutionis patientiam miseram putant, ideoque impatientius ferunt, Psalm. 37. & 73. & hostes etiam Ecclesiæ eos miseros propterea judicant: Contra vero Christus eosdem in hoc postremo paradoxo, adjecto ad hoc subjectum attributo, adversus hoc præjudicium perversum consolatur, cum *Beatos* pronunciat. Similis est generalis sententia, 1. Petr. 2. v. 19. & 20. & cap. 3. v. 14. expressior; *Si quid patiamini propter justitiam, beati*. De qua etiam re, Jac. 1. v. 2, 3.

Hujus autem propositionis confirmatio, non solum in subjecto latet: quia tolerantia persecutionum, ob cultam justitiam, est laudabilis virtus, ac fortitudo Christiana, Deo grata, 1. Pet. 2. v. 19, 20. Sed etiam expressa subjicitur, petita ab adjuncta utilitate summa. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, hoc est, vita æterna, ac gloriosa in cœlis. Hæc enim justitia, & ejus nomine persecutionis tolerantia, via est regni, non causa regnandi. Act. 14. v. 22. *Per varias enim afflictiones oportet nos ingredi in regnum cœlorum*, 2. Tim. 2. v. 11. & 12. *Fidus est sermo, si una patiamur, una vivemus: si toleramus, etiam una regnabimus*, Jac. 1. *Beatus vir qui tolerat tentationem: quoniam cum probatus erit, accipiet coronam vitæ*. Sed objicitur insignis locus, ut probetur hanc Christianam patientiam esse non solum viam regni, sed etiam causam efficientem regnandi: quia 2. Cor. 4. v. 17. *Oppressio enim nostra, quæ momentanea & levis est, excellentis gloriæ pondus, quod æternum est, in nobis efficit, dum non consideramus ea quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur sunt temporalia, at quæ non videntur sunt æterna*. Quibus verbis tolerantiam oppressionum *efficere æternum gloriæ pondus* asseritur: ideoque vitæ æternæ gloriosæ causam statui efficientem. Verum negatur consequentia, quia nititur lubrica hypothesi, quasi metonymice per *gloriam*, vita æterna gloriosa hoc loco intelligeretur; cum contra potius gloriandi materiam perpetuam de felicitate futura notet, quæ in oppressionibus comperitur, ut Rom. 5. v. 2. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei, neque id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus*. Idque etiam circumstantiæ loci objecti ostendunt, cum dicitur, *in nobis efficit*; non autem efficiet. Deinde causam addit gloriationis, quod æterna bona spectarentur, quæ immensa: Deinde etiamsi hypothesis adversariorum esset vera, ne hac quidem ratione causam obtinerent; quia vox *efficiendi* in sacris literis metaphoricè frequenter usurpatur, non pro causam esse, sed occasionem.

Atque hæc de aphorismo octavo, per thesin generatim proposito, ac confirmato; cui deinde subjicitur illius repetitio, qua thesis hypothesi, seu universalis sententia particulari ad auditores accommodatione ac compellatione eorum illustratur. Ac primum propositio aphorismi reponitur & amplificatur vers. 11. ubi subjecti pars prima amplificatur: nam non solum ait: *cum persecuti fuerint vos*; quod ad corporis & bonorum afflictionem pertinet: sed etiam quæ ad famę & honoris læsionem pertinent, adjungit; quę in duo distribuit: in convitia, quibus scil. piorum religio variè traducitur: & in mendacia, adversus personas Christianorum propriè effusa, quibus quodvis mali ac sceleris ipsis affingunt, ut & ipsorum animis ægrè faciant, & communi hominum odio exponant. Alterum vero subjecti membrum, nempe occasio persecutionis à potiori illustratur. Nam ut in aphorismo statuit *justitiam*: Sic hoc loco pro ea *Christum* substituit: quod ex Christi odio eos, qui fidei in ipsum professione, & vitę secundum mandata illius institutione justitiam colerent, persequerentur, unde Act. 9. *Saul, Saul, quid me persequeris?* Ioh. 15. v. 19, 20. Matth. 10, v. 25.

Hæc de subjecto. Attributum autem est idem atque in aphorismo, sed ad auditores pios accommodatè *beati eritis*. Confirmatio vero propositionis, Primum amplificatur hortatione ad consolationem institutâ, *gaudete & exultate*, hoc est metaphoricè, summopere gaudete, nempe si persecutionem & famæ læsionem illam patiamini, propter Christum, ut Jac. 1. v. 2. *Pro summo gaudio ducite, quoties in tentationes varias incideritis*. Hoc autem gaudium intelligendũ, non qua afflictiones ab adversariis impiè inferuntur, & damna illata sentiuntur: ea enim causa doloris: sed quatenus propter Christum perferuntur: in quo & virtus est patientia, & honor apud Deum & Ecclesiam. Patientia enim est justa gaudii causa, ut Actor. 5. v. 41. de Apostolis propter Christum flagellatis dicitur, *ipsi igitur gaudentes profecti sunt, quod digni habiti essent, qui pro nomine Christi contumelia afficerentur*. Quibus accedit effectum, quod ad profectum patientiæ faciant afflictiones, & virtutum inde consequentium, Rom. 5. v. 3, 4, 5. Jac. 1. v. 2, 3. & 1. Petr. 1. v. 7, 8. Atqui ita sint παθήματα μαθήματα: ut hoc Proverbium etiam Christo afflicto accommodatur, Heb. 5. v. 8. ἔμαθεν, ἀφ' ὧν ἔπαθε, ὑπακοὴν, *ex iis quæ passus est obedientiam didicit*. Veruntamen, hisce hoc loco omissis, Christus hortationem ad gaudium, & exultationem in persecutionibus, & famæ læsione propter Christum, bifariam confirmat: Primum quidem ab utilitate alia, ac sublimiore: Deinde ab exemplo prophetarum. Ab utilitate quidem consequente, nempe regno cœlorum: quod simili quodam illustrat, cum ait, *quoniam merces vestra multa est in cœlis*. Ubi regnum cœlorum, cujus in aphorismo meminit, seu vitam æternam gloriosam in cœlis, vocat *mercedem* & quidem *multam*. *Mercedem*: quod ut merces operæ ac laboris absoluti consequens est pretium, Jac. 5. v. 4. Sic etiam operum justitiæ, & propter eam patientiæ persecutionum præmium, ac quasi merces est regnum cœlorum, cujus præstantia amplificatione describitur: cum non solum *merces* vocatur, sed etiam *multa*: quia pro levi ac brevis temporis afflictione, ineffabilem animæ corporisquę beatitudinem, & quidem æternam, consequimur, 1. Cor. 2. v. 9. & 2. Cor. 4. v. 17, 18. & 1. Pet. 1. v. 4. Quæ justissima est exultationis (dolorem ex sensu persecutionum superantis) causa, 1. Pet. 1. vers. 4, 5, 6, 7. Unde justi afflicti à mundo dicuntur *exultare gaudio ineffabili & glorioso*. ibid. vers. 8. Sed interim oritur hoc loco difficultas. Nam Pontificii hinc colligunt, justos vitam æternam operibus promereri: Omnis merces, inquiunt, operanti data, merito operum tribuitur, atque acquiritur: Vita autem æterna est merces operanti data: Ergo merito operum tribuitur atque acquiritur. Verum negatur propositio: merces enim alia est merita, alia gratuita. Merita est, quæ sic propriè dicitur, & operibus jure ipsorum debetur, ut in parabola mercede conductorum, Matth. 20. v. 4, 13, 14. alia gratuita, quæ ex gratia ac mera liberalitate datur, ut Matth. 13. v. 9, 12, 14, 15. Vita autem æterna merces non est propriè dicta; non est operibus merita, sed gratis data merces. Primò quia omnia opera bona, sunt à nobis Deo, summo bono, & Domino creatori nostro, ac per Christum redemptori, debita obedientia: ac propterea per se nihil iis à Deo jure debetur mercedis, Luc. 17. v. 9, & 10. *Sic & vos cum omnia feceritis, quæ mandata vobis, dicite servi inutiles sumus: nam quod debebamus facere, fecimus*. Deinde non omnia opera bona mandata præstamus. *Nam in multis labimur omnes*, Jac. 3. v. 2. Ideoque ob lapsus debetur non vita, sed mors: *Maledictus enim qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, *Deut*. 27. v. 26. Tertiò opera bona etiam sunt imperfecta in se, ob contagionem carnis repugnantis adversus spiritum, Gal. 5. v. 17. Ideoque ob defectum digna sunt non vita æterna, sed morte: quia Rom. 6. vers. 23. Stipendium peccati mors, & Deut. 27. v. 26. Quarto opera bona non possunt mereri vitam æternam; quia id quod meretur mercedem par esse mercedi debet; atqui non sunt pares afflictiones præsentis temporis futuræ gloriæ in nobis revelandæ, ut asseritur, Rom. 8. v. 18, & 2. Cor. 4.

& 2. Cor. 4. v. 17. & 18. Ergo merito seu jure iis non debetur. Veruntamen excipiunt adversarii: Esto; vitam æternam simpliciter seu omninò non mereantur; merentur tamen secundum quid, seu partim: quemadmodum si quis mille Philippicos deberet, & decem persolveret, minueretur debitum: Idque ex Matth. 20. probari posse videtur: quia merces data iis, qui unam tantum horam in vinea laborarant, etsi per gratiam æqualis fuerit iis, qui duodecim diei horas laborarant: nihilominus vocatur justa merces, vers. 7. & 8. Nam licet denarius integer, ut operæ totius diei merces, non deberetur: unius tamen horæ laborem duodecimam denarii partem erant meriti. Unde etiam sequi videtur, Christianos suis operibus bonis licet imperfectis partem aliquam gloriæ cœlestis mereri. Sed negatur consequentia: quia similia non sunt eadem: & hic est differentia manifesta. Nam mercenarii opera corporalis non est jure necessaria, ac debita ei, à quo postea conducitur, sed arbitraria: non naturæ obligatione, sed voluntario cum conducente contractu debita: ac propterea non semper debita: sed tantum pro ratione mensuræ temporis pacti. Denique si operam non præstet, à mercede quidem excidit promissa: sed pœnæ non est obnoxius: Contra verò nostra bona opera non sunt arbitrio nostro libera; sed jure creationis & redemptionis omnino Deo debita; ac semper, & quidem si vel tantillum desit, non solum mercede excidimus: sed etiam pœnę maledictionis lege statutæ sumus obnoxii, Deut. 27. v. 26. Quare nihil parabola ad meritum particulare statuendum conducit. Sed pressius hoc modo objicitur: Quod nobis reddetur à Deo, justo judice, & ut corona justitiæ, illud meremur. Atqui vita æterna reddetur ut corona justitiæ à Deo justo judice: Ergo eam meremur. Assumptio extat, 2. Tim. 4. v. 8. Verum negatur propositio. Corona enim justitiæ nostræ est gratuita, non merita: quia certamen justitiæ, ut ante ostendimus, Deo debitum. Deinde Deus quidem dabit, ut justus judex: sed non merito nostro: verum secundum pactum ac promissionem Euangelii gratuitam, Matth. 10. v. 22. *Qui perseveraverit ad finem, salvus erit:* Qua promissione Deus gratis sese obligavit: adeò ut justitia Dei in corona reddenda, non merito nostro, sed Christi Domini nostri, & gratuita Dei, quod Christum dedit, promissione, qua se nobis debitorem fecit, nitatur. Nam nostri ratione dicitur, Rom. 6. *Stipendium peccati mors, donum vero Dei vita æterna per Dominum nostrum Iesum Christum.* Idque vel inde etiam liquet, quia vita æterna hæreditas est, fluens ex dono fidei, & adoptionis per fidem gratiâ, Ioh. 1. & Rom. 8.

Sed contra proferunt locum, 2. Thess. 1. v. 5. *Quæ res est manifesto indicio justi judicii Dei, ut digni censeamini regno Dei, pro quo etiam patimini.* Si digni, inquiunt, regno: Ergo meremur. Verum non sequitur: digni enim sumus, hoc est, idonei, non merito nostro & insita dignitate; sed donata in Christo ac propter Christum: quia omnia opera nostra sunt imperfecta, eoq; exclusione regni digni per nos; sed regno Dei digni sumus per & propter Christum, cui fide uniti sumus: & cujus gratiâ defectus operum nostrorum condonantur, & opera grata sunt, Heb. 13. v. 20. & 1. Pet. 2. v. 5. Cujus merito vitâ donamur æternâ, ut vers. 12. docetur. Quare regnum cœlorum non merita, sed gratuita merces, ratione suæ originis: etsi per accidens promissionis Dei indebitæ debita, non autem jure patientiæ nostræ, aut bonorum operum aliorum.

Hæc de prima causa gaudii in persecutionibus. Altera ratio est ab exemplo patientiæ priorum prophetarum, & felicis eventus, quorum conditioni sociari gloriosum est.

Illustratio Capitis Quinti Versus 13, & sequentium trium.

EXplicatis octo de beatitudine hominum aphorismis, ad consolationem adversus mundi præjudicia perversa, à Christo propositis, non alienum videtur, si paucis sequentem, versu 13. & tribus sequentibus, propositam hortationem insignem perstringamus. Cujus occasio videtur fuisse hypocrisis communis quæ inter Judæos, cum doctores, tum discipulos, grassabatur: qui neque in se erant sapientes, ac sinceri Dei cultores: nec aliis ad eam rem sermone & exemplo præibant; sed contra imitationis sui vitii, ac contagionis periculum creabant bonis; undè scopus videtur esse, ut huic malo primum generatim occurrat, suosque discipulos ab eo arceat. Ad quem scopum idonea est ac commodè directa hortatio duplex, una obliqua, altera recta; utraque tamen ejusdem materiæ, licet tractandi modo differant. Ac prima, quæ obliqua, proponitur vers. 13. eaque constat propositione hortationis, deinde apposita confirmatione. Propositio est: *Vos estis sal terræ.* Cujus subjectum indicat, quosnam Christus hortetur: attributum vero ad quid hortetur, innuit. Ac quosnam hortetur denotat, quando ait: *Vos.* Quæ vox citra controversiam præsentes auditores ac discipulos indicat. Quos quidam solos Apostolos intelligunt, quod præ cæteris ad eos hęc spectet hortatio: alii vero etiam reliquos fideles auditores compellari censent. Quæ expositio copiosior est, ut quæ priorem etiam includat; & Apostolos inprimis, reliquos verò deinde simul intelligat: id quod etiam verbis Christi probe convenit. Ad quid autem hortetur discipulos fideles innuit, cum ait, *estis sal terræ*; quo & beneficium vocationis divinæ, & officium indicando, obliquè ad officium pręstandum excitat. Nam hic finis esse solet beneficii, & sua vi etiam eo pellicit. Beneficium vocationis indicat, cum eos *sal* vocat metaphoricè, ob similitudinem cum sale elegantem. Primum ratione sui: deinde ratione usus & effecti. Nam sal insitam habet acrimoniam, qua sapidum est ac simul durabile; unde durabilia sali comparari in sacris literis solent. Quemadmodum *pactum salis*, Num. 18, v. 19. hoc est, salis instar, aut sale conspersi ratione incorruptum ac perpetuum dicitur. Deinde effecta extra se habet similia. Nam cibos conditos sale conservat à putredine, ut durent; deinde gratos sapore suo reddit. Hinc Job. 6. v. 6. *An comedetur insulsum sine sale?* atque hinc etiam fideles *sal* vocantur, quod & in se & in officio erga alios, atque effectis suis, sali sint similes. Nam etsi naturæ vitiositate, per lapsum acquisita, sint insulsi, seu insipientes ac corrupti, Tit. 3. v. 3. Divino tamen vocationis beneficio donati sunt salis instar: utpote à corruptione errorum, ac scelerum alieni, & Deo grati; in qua re, vera sapientia notitiam religionis ac studium illius complectens consistit. Deinde officium & effectum, eorum est, ut alios oratione & vitæ suæ incorruptæ ac sanctæ, quasi sale, condiant, & adversus errorum ac vitiorum putredinem conservent: quod officium indicatur hîc, cum non solum *sal* vocantur, puta in se; sed etiam *terræ*, hoc est per metonym. hominum aliorum in terra, qui opus habent sale hoc spirituali. Atque ita officium indicando, hortatur tacitè seu consequentiæ vi, ad incorruptionem, non solum in seipsis, exercitio fidei & charitatis servandam: sed etiam in aliis hominibus, sermone & opere sancto procurandam, saliendo veritatis integræ propositione, & dictis factisque ad ædificationem proximi utilibus: quod, ut sacrificia Deo grata sale condienda; ut Marc. 9. repetitur: sic & nos, ut Deo simus grata hostia. Ac de priori expresse agitur, Marc. 9. v. 50. *Habete in vobis ipsis sal:* quod etiam typo sacrificiorum fuit adumbratum ac præceptum; *omnem autem oblationem muneris tui sale salito: neque cessare sinito sal fœderis Dei tui*, à munere tuo: *Cum omni oblatione tua offerto sal*, Levit. 2. v. 13. quo denotatum ut nos simus hostia Deo grata, sale sapientiæ veræ, seu sanctitatis, notitiæ, & obedientiæ Dei, debere condiri: ut hostia sit sancta, Deoque grata, & à corruptione mundi insulsi aliena, Rom. 12. v. 1. 2. Idque etiam Christus spectavit atque indicavit, Marc. 9. v. 49. *Quisque igne salietur, & omnis oblatio sale salietur*; ubi per *ignem* afflictiones intelligit, ut Luc. 12. vers. 49. quibus, ut aurum igne: sic fides in Christum sincera, 1. Pet. 1. v. 7. & Sanctitas, Hebr. 12. v. 10. & 11. à corruptione purgata, conservantur. De posteriori vero seu effecto hujus salis spiritualis dicitur, Col. 4. v. 5, 6. *Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes. Sermo vester semper sit sale,* (id est, sapientia) *conditus*, ut *sciatis quomodo oporteat vos unicuique ἑκάστῳ respondere*; ut interpretes hunc locum

cum reddere solent: videtur tamen aptius, quia generalius, ut pro *loqui* accipiamus: quemadmodum ea vox ex Hebrææ vocis ענה usu ita interdum usurpatur; ut Matt. 11. v. 25. Marc. 9. v. 5. & 12. v. 35. Joh. 2. v. 18. Qui sermo sale conditus pluribus, Coloss. 3. v. 16. & 17. illustratur. Cœterum in eo etiam similitudo cum sale existit, quod ut in ejus usu, adhibenda prudentia, & idoneus modus: ut pro subjecti saliendi ratione, quidam cibi nimirum solidiores copiosiore sale condiantur, ut penetret: alii vero teneriores, parciori: ne nimia acrimonia læsi consumantur: Sic etiam in divinæ sapientiæ usu, & reprehensionum sale condiendis, duriores ac pertinaciores, copiosius, & acrius, docendi ac reprehendendi, Tit. 1. v. 13. alii verò parcius, nempe teneriores, Gal. 6. v. 1. ne iis læsis atque offensis, gravius, pax violetur: unde Marc. 9. v. 50. *Non solum*, ait Christus, *habete salem in vobis*, sed etiam addit, *& pacem habete inter vos*: qua prudentia adhibita utrique ab errorum ac vitiorum putredine conserventur. Atque hæc de obliquæ hortationis propositione, qua officium indicando, ad illud præstandum, consequentiæ ratione invitat: ut in se sapientiam habeant, & in aliis recto usu illius promoveant.

Confirmatio vero hortationis est, qua officium fidelium, quatenus sal sunt in se, ne sua negligentia ac vitio à sapientiæ ac pietatis studio deficiant, ratione probat ab infelici eventu triplici: & quidem continuata eleganter per allegoriam metaphora. Prima ratio est, quia si sal insulsum fuerit, *quomodo salietur?* nempè ipsum: ut res ipsa, consequentia & collatio, Marc. 9. v. 50. demonstrat. Ubi primum observanda est vox Græca μωρανθῇ, quæ, *infatuatum fuerit*, propriè notat; sed per metaphoræ rarioris modum, *insulsum fuerit*, significat. Nam ut *insulsum* pro insipiente, in quo non est, ut Poëta quidam loquitur, mica salis, seu sapientiæ, per metaphoram, à re corporea, ad spiritualem, deductam, ac consuetam, dicitur: Sic rariore, ac reciproca à re spirituali, ad corporalem, metaphora, *infatuatum esse*, pro insulsum esse, ut (Marc. 9. v. 50. disertè exprimitur, ἐὰν ἄναλον γένηται,) hoc loco usurpatur. Quemadmodum apud Græcos ἱερὸν pro ναὸν, & vice versa, ναὸν interdum pro ἱερὸν accipitur. Cœterum ad sensum loci quod attinet, docet Christus, quod ut sal, si vitiosum atque insulsum reddatur, aliunde saliri ac condiri nequeat; sic etiam fideles, si amissa spirituali sapientia, fiant salis corrupti instar, aliunde saliri seu sapientia donari nequeant. Id quod non de particulari defectione, sed de universali apostasia, quæ reparari nequit, intelligendum; quæ verè fidelibus nunquam contingit. Nam etsi ratione suæ imbecillioris potentiæ, & adversæ potentiæ hostium, cum carnis intus, tum mundi, & principis mundi Satanæ, foris, ni adesset Dei gratia, contingere posset; per accidens tamen certum, à Deo destinatum, ac promissum, nempe conservationem divinam, Joh. 10. v. 29. 1. Pet. 1. v. 5. nunquam fit. Si quis autem objiciat; si certa conservatio est, ergo inutilis est hortatio, quæ periculum ostendit, & ad officium stimulat, ne periculo pereatur: Negatur consequentia. Nam periculum revera est ratione nostri, id quod indicatur: periculum vero tollitur conservatione Dei, 1. Pet. 1. v. 5. partim per Spiritum Sanctum, qui in nobis, & carnem coërcet, & spiritum seu fidem ac charitatem à Spiritu Sancto acceptam, confirmat, & extra nos tentationes mundi & Satanæ reprimit, ac temperat ne superemur, 1. Cor. 10. vers. 13. partim verbo suo nos officii monet; vitia arguit; & variis rationibus, & inter cœteras, præmiis minisque in officio retinet; & ubi opus, castigatione ad sanctiorem vitam revocat; ne insulsi facti cum mundo pereamus, 1. Cor. 11. v. 30. 31, & 32. Heb. 12. v. 9, 10, 11. Quare doctrina hortationis ad perseverantiam, in sapientia ac sanctitate, conservationi Dei non est adversa: sed modus illius ordinarius, quo divinitus conservamur.

Hæc de prima ratione. Altera vero, cur seriò fidelibus danda sit opera, ne, qui Dei beneficio sal sunt, hoc est, sapientia, seu notitia veræ religionis, & amore illius donati, sua negligentia, aut maleficio eam omittant, his verbis indicatur, *ad nihil valet amplius*: Sic fidelis, qui insulsus seu insipiens factus fuerit, non erit sal terræ, hoc est, alios sale sapientiæ, quo caret, condire atque erudire non poterit.

Tertia ac postrema ratio est à consequente pœna, quæ indicatur, cum additur, *nisi ut abjiciatur foras & conculcetur ab hominibus*, hoc est, quemadmodum sali insulso propriè hoc accidit; sic sali metaphorico, fidelibus, si insulsi reddantur, eveniet, ut à Deo rejiciantur, ac tandem condemnentur, Luc. 12. v. 47. Apocal. 2. v. 17. qua de re locus memorabilis extat, Hose. 4. v. 6. *Exscinditur populus meus: eo quod scientia careat: quia tu scientiam sprevisti, spernam quoque te, ne sacerdotio fungaris mihi: quia oblitus es legis Dei tui, oblivíscar filiorum tuorum ego quoque.* Nam si Matth. 25. v. 30. Servus qui talentum Domini servarit, & eo ad Domini voluntatem, ac commodum non sit usus, in exteriores tenebras ejicietur: multò justius, qui præterea talentum amiserit.

Atque hæc de prima eaque obliqua hortatione. Altera verò quæ recta atque expressa, sequitur, & vers. 14. 15. & 16. continetur enthymemate insigni, cujus antecedens proponit Dei beneficium, seu conditionis fidelium, per Dei gratiam, dignitatem, vers. 14. & 15. consequens vero officii eorum executionem inde concludit vers. 16. Ac dignitatem quidem conditionis fidelium, tribus diversis atque elegantibus metaphoris, sed ad eundem scopum spectantibus, cum antecedenti hortatione describit. Comparat enim eos *luci*, & *monti*, v. 14. & *lucernæ*, 15. Primum indicat, cum ait: *Vos estis lux mundi.* Vbi subjectum *vos*, ut in prima hortatione, communiter de vere fidelibus accipitur. Nam quod de verbi ministris Apostolis non pauci exponunt, huic loco minus convenit: quia Apostoli dicti, nondum ad prædicationem Euangelii erant vocati, sed prius Christi institutione erudiendi, postea vero mittendi cap. 10. Attributum vero fidelium est *lux mundi*, hoc est, similes luci mundi: luci, hoc est, metonymicè luminari, seu substantiæ lucidæ. Luminare autem mundi propriè dictum præcipuè est duplex: majus ac diurnum, Sol, minus seu nocturnum, Luna, ut Gen. 1. v. 16. exprimitur: quorum illud luce sua lucet, eoque κατ' ἐξοχὴν *Lux mundi hujus*, Joh. 11. v. 9. vocatur; hoc verò (ut eclipses ostendunt,) aliena à sole accepta: Ita luminare mundi impropriè dictum per metaph. est duplex: majus quidem, Christus, qui luce sua lucet, ut verus cum patre Deus, & author lucis, qui luce notitiæ, justitiæ, ac vitæ cum naturalis, tum spiritualis, homines mundi illuminat, Ioh. 1. v. 4. & 9. & cap. 8. v. 12. Matt. 11. v. 27. Ioh. 16. v. 13. & 14. Ideoque *lux mundi* κατ' ἐξοχὴν, Iohan. 8. v. 12. & 9. v. 5. & *lux illa*, Joh. 1. v. 8. & *lux vera*, vers. 9. distinctè à creaturis, & *Sol justitiæ*, Mal. 4. v. 2. nominatur. Luminare verò minus, est Christianus quisque seu fidelis, qui lunæ instar à suo sole Christo, donatur lumine notitiæ Dei, & justitiæ: Nam natura sumus alioqui in tenebris ignorantiæ & injustitiæ ac reatus, quo respectu *tenebræ* appellamur: Sed Christi nos per Spiritum illuminantis ratione, à tenebris illis liberati sumus, non perfectè, sed inchoatè: ac tandem morte plenè liberandi. Nam ut *ex parte cognoscimus*, 1. Cor. 13. v. 9, 10. Sic in nobis justi sumus ex parte, ob carnis adversus spiritum repugnantis, reliquias. Gal. 5. v. 17. Hujus autem illuminationis gratuitæ ratione, qua à Christo, notitiâ Dei, & justitiâ illustramur, dicimur *conversi à tenebris ad lucem*, Act. 26. v. 18. & 1. Pet. 2. v. 9. & *lux*, Ephes. 5, v. 8. *Eratis enim olim tenebræ; nunc autem lux in Domino*, hoc est, per Dominum Jesum Christum. Eoque sensu de fidelibus suis auditoribus ait Christus; *vos estis lux*: quo dignitatem eorum beneficio vocationis acceptam, indicat absolutè in se: relatè vero cum addit, *mundi*, hoc est, metonym. hominum, qui in hoc mundo seu terra vivunt: quo dignitatem officii exponit, seu usum ac finem acceptæ lucis, seu gratiæ regenerationis: qua, notitia veri Dei, & inchoata justitia donati erant, ut enim *lux mundi* propriè est, quæ data est ad illustrationem mundi: sic & fideles dicuntur *Lux mundi*; quod dati essent lucis instar hominibus, ut iis prælucerent: & notitiæ, ac justitiæ suæ patefactione, inservirent: ut ab iis illustrati, non impingerent ac perirent: Matth. 15. v. 14. Johan. 11. v. 10. sed cognita recta veritatis ac justitiæ via, in ea incederent,

rent, & ad regnum cœlorum tenderent ac pervenirent.

Atque hæc de prima metaphora, qua Christus fidelium auditorum suorum, ex Dei beneficio, dignitatem describit. Altera vero est, qua *urbi in monte positæ* comparantur: quæ latere non possit, sed conspicua est: quo notatur fideles divina vocatione, à mundo secretos, & quasi evectos supra reliquos homines, ut latere non possint: sed dicta factaque eorum sint conspicua, & ab hominibus observentur; quomodo Ecclesia Christiana, Esa. 2. v. 2. *Mons excelsus super reliquos montes* nominatur. Tertia metaphora est v. 15. qua *lucernæ* comparantur, quod ut *eam non accendunt ut subter modium ponant, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus qui sunt in domo:* Similiter fideles à Deo luce notitiæ, ac justitiæ esse accensos ac donatos, non eo fine, ut lateant, & inutiles sint proximo; sed ut iis præluceant in domo Dei, ac mundo; ut eorum opera homines illustrati, officio suo, sine offensa, rectè perfungantur.

Atque hæc de Enthymematis à Christo propositi antecedente, quo fidelium dignitatem descripsit, quod sint, quasi *lux mundi, civitas monti superstructa, ac conspicua*, & *lucerna.* Consequens verò quod ex hac antecedente dignitate, atque officio concludit, est hortatio ad executionem officii; quam primùm proponit: deinde à finibus illustrat spectandis.

Hortationis propositio est; *sic splendeat lux vestra coram hominibus*: hoc est, vocati estis à Deo, ut sitis lux mundi: Ergo luce vestra splendere debetis coram mundo seu hominibus, 1. Joh. 1. v. 6, 7. & cap. 2. v. 9. Hoc autem fit primum doctrinâ, ad institutionem fidei & charitatis, & reprehensionem errorum, ac vitiorum, & consolationem adhibitâ, deinde vitæ sanctæ exemplo, ut Phil. 2. v. 15. *Ut sitis irreprehensi & sinceri filii Dei inculpati; in medio nationis pravæ ac perversæ, inter quos homines splendetis, ut luminaria in mundo, sermonem vitæ prætendentes*, Ephes. 5. v. 8. *Eratis olim tenebræ; nunc autem lux in Domino: ut filii lucis incedite. Nam fructus spiritus est in omni bonitate, justitia, & veritate, probantes quid sit acceptum Domino; & non communionem habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potius etiam arguite, &c. Omnia dum arguuntur à luce, manifesta fiunt, lux enim illud est, quod omnia reddit manifesta*; Sic. 1. Thess. 5. v. 5. & 6. *Omnes vos filii lucis estis, ac filii Dei: non sumus noctis, neque tenebrarum, nempè igitur ne dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus*, & v. 8. *At nos qui sumus diei, sobrii simus, induti thorace fidei, & pro galea spe salutis.*

Hæc autem officii, in splendendo coram hominibus, propositio, à finibus in eo proponendis illustratur; quorum primus est proximi ædificatio ac salus: alter est, Dei lucis illius authoris gloria. Ac de priori ait: *Vt homines videant vestra bona opera.* Opera autem ea serviunt, partim fidelibus, qui iis visis ac perceptis ad imitationem sanctam excitantur. Quale exemplum, Phil. 1. v. 14. partim infidelibus, ut illorum, adversus fideles vitamque eorum, maledicta reprimantur; & eorum aliqui, ea via ad auditionem Euangelii invitentur; atque ita ex auditu, Deique gratiâ ad fidem & resipiscentiam convertantur: qua de re illustres duo loci, 1. Pet. 2. vers. 12. & cap 3. v. 1. & 2.

Atque hæc de primo lucis splendentis seu bonorum operum faciendorum fine: Alter est gloria Dei, seu lucis ac bonorum operum authoris, agnitio ac celebratio, ut 1. Pet. 2. v. 12. *Conservationem vestram habeatis honestam inter gentes, ut pro eo quod loquuntur adversus vos, velut maleficos, ex bonis operibus quæ spectarint, glorificent Deum in die visitationis.* Unde jam facilè solvitur contradictionis species objecta ex Matth 6. v. 1. *Attendite ne eleemosynam detis coram hominibus, ut spectemini ab iis*: quia non simpliciter prohibet dationem eleemosynæ coram hominibus: sed superbam, quæ oritur non ex sincero Dei & proximi amore, nec ad cultum & gloriam Dei: sed ex perverso sui amore, ad vanam ostentationem ac gloriam ab hominibus captandam, ut versus secundus demonstrat. Eleemosynam vero aliaque bona opera publicè facere, animo humili, ex amore Dei & proximi, & ad proximi ædificationem, seu, in notitia Dei & in obedientia erga ipsum, profectum, & Dei gloriam, non prohibetur; sed jubetur. Nam de ædificatione dicitur, Rom. 15. v. 2. *Unusquisque nostrum placeto proximo in bonum, ad ædificationem*, & 1. Cor. 14. v. 26. *Omnia ad ædificationem fiant*, & Ephes. 4. v. 29. *Nullus sermo putidus ex ore vestro egreditor: Sed si quis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.* De gloria vero Dei quærenda, 1. Corinth. 10. v. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*, & ad eam celebrandam, bonis piorum operibus alios excitari perspicuum, ut ex publica Corinthiorum eleemosyna, 2. Cor. 9. 12, 13. apparet. Atque hæc ad hujus loci illustrationem: in quo duplici hortatione, notitiæ ac cultus Dei in nobis conservandi, & apud alios exercendi studium commendatum.

Doctrinæ Matthæi Quinto, vers. 21, & 22. propositæ, Illustratio.

Antequam de re ipsa agamus, pauca de circumstantiis, occasione & scopo, præmittenda. Occasio autem est legis à Scribis & Pharisæis violatio, & periculum inde dependens. Violatio autem fuit gemina: una, qua male docendo sententiam illius corruperunt: altera, qua per fucatam justitiæ speciem, mandata legis sunt transgressi. Periculum vero inde dependens erat à contagionis in discipulos Christi propagatione. Scopus vero Christi est, occurrere periculo. Medium autem ad hunc scopum adhibet primum universale; deinde particulare. Universale vers. 20. cum justitiam Scribarum & Pharisæorum mutilam esse docet, & majorem ea requiri ab auditoribus, *ut in regnum ingrediantur*, hoc est, non in Ecclesiam; quia in ea jam erant; sed in cœlum, ut vita fruantur æterna. Particulare verò medium est detectio corruptæ justitiæ ab iis Scribis & Pharisæis: primum in expositione legis, cap. 5. v. 21. & seqq. deinde in observatione illius fucata, cap. 6.

Verum controversia hîc exurgit, an hic sit scopus genuinus, Pontificii enim (ut etiam Anabaptistæ,) veterum Patrum authoritate, & rationibus quibusdam moti, alium statuunt: nimirum legis Decalogi correctionem, quasi perfectiorum doctrinam tradat, novamque legem, veteris loco proponat. Alii verò contrà, non decalogi Doctrinam corrigi: sed vitiosam illius expositionem à Scribis & Pharisæis traditam confutari. Ratio prima est quia Christus disertè vers. 17. testatur: cum ait: *ne existimate, me venisse ut dissolvam legem & prophetas, non veni ut dissolvam, sed ut impleam.* Atque si contraria doceret, eam dissolveret, non impleret. Altera ratio est, quia *qui solverit unum ex minimis hisce mandatis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, vers. 19. Atque Christus non minimus est, sed maximus. Ergo non solvit, nec solvenda docuit. Tertia est à cohærentia. Nam quod vers. 20. dixit, non posse discipulos suos in regnum cœlorum ingredi, nisi justitia eorum sit major quam Scribarum & Pharisæorum: id vers. 21. & seqq. probat; quod justitiam lege præscriptam suæ expositionis traditione ipsi mutilarint, & maximam justitiæ partem omiserint, dum synecdochicè dicta propriè ac strictè accipiunt: unde vana justitiæ opinione, se & auditores suos corruperint. Atque hæ rationes tres ex antecedentibus petitæ sunt, quibus accedunt aliæ ex hoc loco & seqq. ac primum ex sententiarum quas Christus corrigit, propositione. Ratio quarta, quia si legem corrigeret, tum diceret, Audistis quod scriptum est, aut quod lex dicit: sed contra ait, Quod dictum est à veteribus. Quinta ratio, quia dicta, quæ Christus corrigit, ea partim à lege non ita traduntur: ut quod vers. 21. ad verba legis; *non occides*, addiderunt, *Quisquis autem occiderit, tenebitur judicio:* quasi externum tantum homicidium, non etiam internum, odium, ira & odiosa convitia, prohiberentur, partim quod sententia legi ac prophetis contraria proponitur, quæ ratio sexta: Nam vers. 43. *Diliges proximum tuum*, ex lege quidem sumptum: additum vero, *& odio habebis inimicum tuum*, legis sententiæ omnino adversum: Nam Levit. 19. v. 17. & 18. dicitur: *Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo: Libere corripito proximum tuum: neque ferto in eo peccatum; ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos: sed diligito*

proximum

proximum tuum sicut te. Sic inimicis etiam benefaciendum mandatur, Exod. 23. v. 4. & 5. & Prov. 25. v. 21. ut Rom. 12. vers. 20. in eandem sententiam citatur. Deinde septima ratio est, quod ex oppositione sententiæ Christi constat, non adversam ab eo: sed consentaneam legi Decalogi doctrinam, rectamque illius expositionem adferri. Nam temeraria in fratrem ira & maledicta, vers. 22. repugnant legi charitatis, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: ut charitatis naturam etiam Apostolus describit, 1. Cor. 13. v. 4. ad 8. & particulatim id ipsum synecdochicè sub homicidio prohibito continetur: quam Synecdochen Scriptura alibi exponit, & perfectio Decalogi, unde lex pendet, & prophetæ, Matth. 22. v. 40 evincunt. Deinde idem etiam probatur ex vers. 28. Nam Christus docet aspectum mulieris libidinosum ac concupiscentiam illius esse vitiosam, ac prohibitam tanquam adulterium cordis: Hoc autem eadem legis perfectione continetur. Nec enim diligit proximum ut sese, qui injustè alterius mulierem concupiscit, & ejus causa libidinosè eam aspicit. Deinde quia ita exponitur etiam Jer. 5. v. 8. & Job. 31. v. 1. ubi ait, *Fœdus pepigi cum oculis meis, & quid advertissem ad virginem?* & Prov. 23. vers. 33. ubi immoderati vini vitia recensens ait: *Oculi tui intuebuntur extraneas, & cor tuum loquetur,* (hoc est, cogitabit) *perversa.* Cumque decimo legis Decalogi præcepto, concupiscentia uxoris proximi simplex, seu non conjuncta cum voluntatis assensu, ut vitiosa prohibeatur: Multò magis concupiscentiam cum voluntatis assensu compositam ac conjunctam, quæ libidinoso aspectu sese exerat, prohiberi, & quidem ubi adulterium prohibetur, necessariò consequitur. Nam hoc vitium ad nullum aliud præceptum propinquius referri potest. Imo licet sapientiores Ethnicorum, primos concupiscentiæ motus indeliberatos vitiosos esse non ita agnoverint; (quod pii ex decimo præcepto cognoscunt) accedente tamen voluntatis assensu vitiosos agnoverunt: ut Seneca in declamat. (quemadmodum Beza annotat) ait, *incesta est, & sine stupro, quæ stuprum cupit.* Eademque sequentium Christi sententiarum est ratio. Octava autem ratio est, quòd Christus rogatus de operum ad vitam æternam justitia, à juvene, non perfectiorem aliquam; sed Decalogo præceptam commendarit, Matth. 19. v. 18. & 19. Nona denique ratio est, quod perfectior justitia insita fingi non potest, quam ut Deum diligamus ex tota cogitatione, corde & omnibus viribus, & proximum ut nos ipsos. Atque hæc summa est justitiæ Decalogo præscriptæ. Matth. 22. v. 36. & 37. Rom. 13. v. 9. & 10. Quæ partim Deut. 6. v. 5. partim Levit. 19. v. 18. proponitur.

Atque hactenus rationes attulimus, quibus probatur, Christum non corrigere hoc loco doctrinam Decalogi: sed perversam Pharisæorum expositionem: qua Synecdochicè in Decalogo dicta, propriè ac strictè (contra perfectionem legis alibi à Mose & Prophetis expositam) interpretabantur: Imo in nonnullis contrariam sententiam inepta consequentia affinxerunt; reliquum igitur est, ut ad majorem veritatis hujus sententiæ confirmationem, ea quæ ab adversariis objiciuntur, expendamus. Contendunt enim Christum non legem interpretari: sed novam condere legem ac doctrinam. Idque probare conantur certis quibusdam argumentis: quorum quædam ex recitatione doctrinæ, quam Christus corrigit, alia ex Christi correctione ducuntur. Primum autem est ex vers. 21. audistis ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, *audistis quod dictum est antiquis*, id est, tempore Mosis: ideoque ad Pharisæos non pertinet, qui tunc non extabant. Sed antecedens negamus. Nam ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, aliter exponi potest, consueta Græcis forma, pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ab antiquis sive veteribus, ut rectè Dominus Beza observat. Quam formam Horat. imitatus, ait: *Prima dicte mihi*, (hoc est, à me) *summa dicende Camœna.* Deinde esto, valeat ista versio, quam vulgatus sequitur: inde tamen non probatur, *dictum antiquis*, significare debere, iis qui tempore Mosis vixerunt. Nam nec Scripturæ facit mentionem, nec Mosis. Non enim ait: *Scriptum est:* neque *dictum à Mose*: sed simpliciter, *dictum.* Deinde ἀρχαῖος *antiquus* eum notat, qui diu fuit, etsi centuriæ annorum non antecesserint. Nam *antiquus*, *minori* variè opponitur, quemadmodum Act. 21. vers. 16. Mnaso Cyprius vocatur ἀρχαῖος μαθητὴς, *antiquus discipulus* oppositè noviitiis, ut qui talis diu fuerat, non recens: Sic etiam hoc loco, *dictum antiquis*, hoc est, majoribus vestris traditum: ut ostendat doctrinam illam corruptam, non recentem esse, sed antiquam. Nam quod regeritur, Pharisæos non fuisse diu ante Christi tempora: illud huic antiquitati non obstat, quo minus illi, qui auditores Christi antecesserunt, eorum tanquam minorum ratione, *antiqui* dicantur. Deinde hoc constat ex Josepho Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 9. Sectam Pharisæorum ortam tempore Demetrii regis Syriæ, & ducis Judæorum Jonathæ, plusquam 140. annis antè Christum. Denique etsi antiquitas major requireretur: non sequitur tamen, Pharisæos horum errorum authoris primos extitisse; cum potius communis iis fuerit cum Scribis, seu legis doctoribus, quorum ordo antiquissimus, & doctrina, post Prophetarum tempora, paulatim vitiata. Sed alterum urgent argumentum; Christus, inquiunt, multa corrigit, quæ tamen constant, non à Pharisæis introducta; sed in lege proposita: quale est primum illud vers. 33. *Non pejerabis*, Levit. 19. v. 12. Nec Pharisæi id corrumpebant. Quod autem additur, *Sed reddes Domino juramenta tua*, hoc est, quæ juraveris: extat pluribus, Num. 30. vers. 2. Verum respondetur, hæc duo nullibi in Scriptura conjungi, sicut hoc loco conjuncta sunt adversative: unde colligitur, hæc verba ut Scribarum & Pharisæorum referri: qui conflata sententia ex Levit. 19. & Num. 30. Doctrinam præcepti tertii exponentes, ita mutilabant, in quo prohibetur assumptio nominis Dei vana, seu in vanum, hoc est, sivè inutilis ac non necessaria sit; sivè etiam falsa: in juramento aut extra: quam generalem sententiam angustius interpretati sunt; quasi in Decalogo, (ut etiam nonnulli Pontificii eos sequuntur hac in re,) perjurium tantum prohiberetur, & quidem non omne. Nam si quis obliquè jurasset, nempe per templum, aut altare, nihil esse, non esse debitorem solvendi promissi; sin vero per aurum templi, aut per donum super altare juraret, debitorem esse, Matth. 23. v. 16. & 18. Leviora verò & obliqua juramenta per creaturas, non fuisse prohibita Dei lege, ex Scribarum & Pharisæorum doctrina; potest colligi, ex Christi oppositione cap. 5. Matth. vers. 34. 35. 36. & simili exemplo, Matth. 23. modò recitato. Alterum exemplum objectant, ex vers. 38. audistis dictum, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, quæ non sunt Pharisæorum, sed Scripturæ verba, Exod. 21. vers. 24. Verum est esse Scripturæ verba, sed perversè à Scribis & Pharisæis vulgò proposita, & exposita, atque accommodata: quasi iis vindicta privata concederetur; cùm ea tantum ad publicam per judices vindictam ac talionem pertinerent. Nam quod objicitur, à Christo opponi vers. 39. non esse resistendum malo: & cædenti unam maxillam, alteram objiciendam: & contendere judicio volenti, ut tunicam eriperet, etiam pallium præbendum: item v. 44. dictum, *Diliges inimicum tuum.* Hæc autem inquiunt nullibi à Mose, aut prophetis tradi: ideoque novam esse legem; non veteris contra Pharisæorum corruptelas expositionem. Verum negatur antecedens. Nam licet totidem verba non extent in Vet. Testamento: Sensus tamen idem traditur. Nam Christus comparatè hic loquitur, ut priusquam injuriam nobis illatam, per nos vindicemus, satius esse eam ferre, quam referre: imo etiam beneficio inimicos afficiendos: id quod etiam docetur locis initio à nobis memoratis, Levit. 19. v. 17, 18. Exod. 23. v. 4. & 5. & Proverb. 25. v. 21. Nam quod objicitur, Israëlitis quidem præceptum, ut inimicis Israëlitis benefacerent; quod hi essent fratres; non autem aliis; ut quod Exod. 23. v. 4. & 5. Auxilium inimico præstandum præcipitur, illud in simili sententia dicitur, Deut. 22. v. 1. & 4. de fratre seu Israëlita. Ad id respondemus. Esto; In Exodo tamen, & in Proverbiis generatim inimicus nominatur: eademque peregrinorum & Israëlitarum hìc ratio fuit, ut Deut. 10. v. 19. docetur. *Vos ergo amate peregrinos.* Neque, ut putant, obstat, quod Deus, Deut. 25. v. 19. memoriam Amalek deleri præcepit: Nam non est illud, quod probandum erat, privata

privata authoritate vindicare: sed Deo publicè jubente, ejus judiciis exercendis, tanquam milites Duci suo inservire.

Sed unum adversariorum Pontificiorum superest ex vers. 31 & 32. Hujus quinti capitis Matth. argumentum, quod Christus primum proponit sententiam corrigendam hoc modo: *Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei libellum discessionis*: Cui opponit correctionem suam: *Ego verò dico vobis, cum qui dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facere, ut ea mœchetur, & eum qui dimissam duxerit, mœchari.* In quibus verbis proposita primum sententia, non est à Pharisæis, sed à Mose tradita, Deut. 24. v. 1. Huic autem Christus oppositam correctionem statuit: ac propterea concludunt, non Pharisæorum doctrinam, sed Mosis ipsius, nova lege corrigi. Sed negatur primum antecedens: quamvis enim verba sint Mosis, ita tamen proposita fuerunt à Pharisæis alio sensu accepta, atque exposita: quasi per se licitum esset uxorem pro arbitrio ac sine peccato, dato libello repudii, dimittere: quemadmodum apparet ex Matt. 19. vers. 19. ubi tentantes Christum Pharisæi quærunt, *Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa?* Deinde rogati à Christo, quid mandasset ipsis Moses, Marc. 10. v. 3. responderunt, *Moses permisit scribere libellum repudii, & dimittere*, vers. 4. Contrà verò Moses non permisit lege morali, seu Decalogi, sed tantum politica; & quidem non probans, sed solummodo tolerans, propter duritiem cordis Israëlitarum, Matth. 19. v. 8. Deinde non absolutè quavis de causa (ut Pharisæi statuebant) sed tantum ea conditione, primum si ob rem turpem in ea inventam displiceret: Deinde ut libellum repudii daret: denique ut non liceret unquam reducere repudiatam, si alteri nupsisset. Causa verò illius additur Christi dictis consentanea: quod repudiata hoc modo sit polluta; & res abominanda coram Deo, ut à Mose. Deut. 24. expresse docetur. Si autem per se licitum fuisset uxorem repudiare: non polluta fuisset altero matrimonio. Ideoque hinc apparet, Mosen sic tolerasse, seu pœna politica non puniisse, ut interim gravissimè improbaret; idemque Christus docuit oppositione sua, & demonstravit ex prima conjugii institutione, Matth. 19. v. 6. Nam quod objicitur, non solum Mosen tolerasse: sed etiam Deum probasse, Mal. 2. v. 16. *Cum odio habueris dimitte*: respondemus, nos quidem agnoscere, eandem Mosis & Dei sententiam: Nam Moses Dei instinctu leges politicas proposuit ac descripsit, tanquam Propheta Dei, & fidelis fuit in tota Dei domo, hoc est, Ecclesia Israëlitica, ut docetur Hebr. 3. v. 5. Sed Deum probasse repudium, uti objectant, illud non constat ex Mal. 2. duabus de causis: Primum, quia verba illa, quæ adducunt, aliter possunt exponi, nempè, *quia odio habens*, (supple est) *dimittere*, hoc est, dimissionem, *ait Iehova*. Et sic clariss. Interp. Tremel. & Junius reddiderunt hoc modo, *sibi odio esse dimissionem*; ut כִּי pro *quod* accipiatur, quemadmodum sæpè fit. Deinde esto, valeat objecta versio, quam probabilem omninò existimo; quia antecedentia Malachiæ verba non loquuntur de dimissione uxoris; ideoque ad scopum hæc versio non videtur pertinere; sed de polygamia impura, quod scil. præter uxorem legitimam & quæ una consenuisset, ejusdemque esset religionis veræ, ea despecta, aliam etiam deducerent, & quidem idololatriæ addictam vers. 11. Nihilominus tamen inde non sequitur, Deum repudium absolutè tanquam licitum probasse: sed comparatè, cum atroci illa in uxorem injuria, repudium ut minus malum indulsisse: iis scil. conditionibus, quibus antea per Mosen, Deut. 24. v. 1, 2. lege politica, ob duritiem cordis ipsorum tolerarat; quam politicam tolerantiam Christus, Matth. 19 v. 8. docet, non esse factam, ut peccatum seu Decalogi transgressio esse desierit. Nam ab initio, in prima illa ac perpetua conjugii instituti lege, ante lapsum, non ita fuisse: & quæ Deus conjunxit, non esse divellenda. Et simul politicam illam tolerantiam, quæ duratura erat ad Messiam, ipse jam exhibitus abrogat, tanquam rex Ecclesiæ, à patre datus, qui Decalogi observationem, neglecta Judæorum duritie, diutius non ferenda, imposterum stabilivit.

Sed hisce, quæ à Pontificiis objiciuntur, Anabaptistæ aliud argumentum adjiciunt ex hoc capite quinto, v. 33. & 34. Certum, inquiunt, est, perjurium lege Mosis vetitum; sed tamen juramentum probatum: ut vers. 33. etiam recitatur: imò disertè imperatum, Deut. 6. v. 13. *Deum tuum timeto, & per nomen ejus jurato.* Contra verò vers. 34. Christus hoc prohibet, dicens: *Ne juretis omnino*: Ergo Christus, veteri lege abrogata, novam dedit. Respondemus ad antecedens, hæc non esse contraria, ut obtenditur: sed convenientia. Nam Moses juramentum verum ac necessarium præcipit: Christus vero legis Decalogi præcepto tertio consentaneè, leve ac falsum prohibet. Quale erat apud Judæos, eo tempore, ex gentilium (ut videtur) imitatione, obliquum, per cœlum, terram, caput ac similia, juramentum: quo leviter ac falsò jurantes, se non esse reos perjurii à Deo prohibiti, perperam arbitrabantur. Sed duo rursus objiciunt. 1. quod Jacobus, cap. 5. v. 12. repetitâ hac Christi sententiâ addit, *neque ullum aliud juramentum.* Agnoscimus: sed hoc non absolutè (ut Anabaptistę existimant ac contendunt) verum ad materiam subjectam relatè dicitur; nempe de omnibus juramentis ejusdem cum antecedentibus modi, seu de universitate non generis sed speciei, de qua agitur. Qualis vocis hujus est usus, Joh. 10. v. 8. *Quotquot ante me fuerunt, sunt fures*: Ergone Prophetæ & Johannes Baptista? 1. Cor. 10. v. 23. *Omnia mihi licent*; an igitur etiam homicidia? & cap. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus sum*; an ergo idololatra? sic hoc in loco universalis particula, ad speciem, de qua agitur, restringenda: hoc est, neque ullum aliud juramentum, supple simile, leve ac falsum: quale etiam erat, quod docebant Pharisæi, quisquis jurasset per templum, aut per altare, nihil esse; hoc est, si quis ita jurando aliquid promisisset, non debere præstare; ideoque levi hujusmodi juramento fallere non esse perjurium, Matth. 23. v. 16, 18. Sed & alterum urgent, quod Christus (ut & Jacobus cap. 5.) Matth. 5. v. 37. dicat: *Esto autem sermo vester, etiam, etiam, non, non, quod supra hæc redundat, à malo est*, id est, (ut & nostri nonnulli exponunt,) quod affirmatis nudè affirmetis, quod negatis nudè negetis. Verum bifariam respondetur, primò sermonem hic pro subjecta materia, ac consuetudine Judæorum leviter jurantium, intelligi familiarem, in quo non necessaria sunt juramenta, neque utilia: ideoque illa prohibere, cum essent in usu vitioso, ac licita judicarentur; non autem omnem sermonem, ut postea liquebit, & ipsius Christi usus, qui præter *etiam & non*, alia quoque ad confirmationem nonnunquam adhibuit, ostendit. Altera responsio est, sensum hujus loci esse, in omni sermone veritatem esse servandam, ut sermo noster (sive affirmemus, sive negemus) sit rei dictæ consentaneus, ac constans; quod *supra hæc redundat*, hoc est, quod aliter est, quam dicitur, ac modo affirmatur modo negatur, à malo illo, scil. Diabolo est, nempè mendacii authore, Joh. 8. idque ex repetitione sententiæ hujus, Jacob. 5. v. 12. clarius apparet: *Sit autem vestrum, τὸ ναί, ναί, καὶ τὸ οὔ, οὔ; illud etiam, etiam, & illud non, non*, hoc est, sermo vester, ne sit falsus, ut modò affirmetis, modò negetis, sed sit constans ac verus, ut 2. Cor. 1. v. 17. *Numquid levitate sum usus, aut num quæ delibero secundum carnem delibero, ut sit apud me etiam, etiam, & non, non?* hoc est, modo fortiter affirmem, modo ut negem, & vers. 18. *Quia sermo noster apud vos non fuit, etiam & non*, hoc est, inconstans ac inter se dissentaneus. Hanc autem genuinam esse Christi mentem, quod levia ac falsa juramenta prohibeat, non autem necessaria ac vera, ex sacris literis solidè demonstratur. Ac primum argumento tripartito ab exemplis sanctis. Nam quod in Nov. Testamento à Christo & Angelo sancto, & Apostolo Paulo, ex divino instinctu est usurpatum, illud non est à Christo absolutè prohibitum, & à malo ortum. Atque juramentum est in Nov. Test. à Christo, & Angelo sancto & Apostolo Paulo usurpatum: Ergo illud non est absolutè ab eo prohibitum. Propositio manifesta est; aliàs Christus, Angeli sancti & Paulus Apostolus ex Spiritu sancto loquens, peccassent: eorumque sermo à malo, hoc est, Diabolo fuisset ortus: quod cum sit absurdissimum, fieri non potuit. Assumptio autem

autem probatur, primum de Christo; non quidem quod usurparit sæpè formulam assertionis: *Amen, amen*: Nam illud non esse juramentum simplex, nedum duplex, aliàs ostendimus: sed quod adjuratus à præside Synedrii Pontifice Maximo, per Deum viventem, ut diceret, an esset Christus ille filius Dei, hoc est, ut sub juramenti religione veritatem rogatus testaretur, paruit, ac juramentum ita firmavit, Matth. 26. v. 63. & 64. Quidam addunt locum, Marc. 8. v. 12. *Amen dico vobis, si dabitur nationi isti signum*, & juramentum esse putant per ellypsin, seu defectum tacitæ imprecationis consuetum: ut Psalm. 95. v. 11. & Heb. 3. v. 11. *Iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Sed dici potest, conjunctionem Græcam εἰ (ut apud Hebræos ejusdem sensus, vox אם) crebrò apud Græcos pro *an* usurpari, ut negationi inserviat; atque ita exponi potest locus ille, Marc. 8. *An dabitur signum?* id est, non dabitur: Quemadmodum in ejusdem sententiæ propositione, Matth. 12. v. 19. exponitur. Huc accedit, quod non solum apud authores bonos Græcos, sed etiam in Nov. Testamento crebrò εἰ pro *an* usurpetur, ut Matth. 12. v. 10. & cap. 19. v. 3. εἰ ἔξεστι, *an licet* & cap. 26. v. 63. εἰ σὺ, *an tu*; & 27. v. 49. & alibi sæpius.

De Angelo quoque sancto jurante idem liquet, Apoc. 10. v. 6. *Iuravit per eum, qui vivit in secula seculorum.* Denique de Apostolo Paulo documenta sunt illustria, in epistolis Spiritus sancti instinctu scriptis. Ac primum, 2. Cor. 1. v. 23. *Testem invoco Deum in animam meam*; ubi & testem Deum invocat, & simul ut judicem; quia in animam suam, hoc est, ut eam puniat, si falsum dicat. Quod expressum esse juramentum negari non potest ullo jure: ut definitio illius evincit; quia juramentum per Deum nihil aliud est, quam illius in testem occultæ veritatis, & in judicem ac vindicem mendacii invocatio. Deinde 1. Thess. 5. v. 27. ait Paulus, *adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus*: quibus similia, etsi non tam plena illa sunt exempla, quibus Deum vocat in testem, Rom. 1. v. 9. Philip. 1. v. 8. Nam licet objici queat, etiam homines citari in testes, non minus quam Deum, & una cum Deo, ut 1. Thess. 2. v. 10. *Vos testes estis, & Deus*, nec tamen propterea per Thessalonicenses jurat, ideoque nec per Deum: responderi potest, diversam esse rationem: Deus enim non solum est testis quorundam, ut homines; sed omnium absolutè; quia omniscius. Deinde idem qui testis, est etiam judex summus ac mendacii vindex: ideoque qui Deum dictorum testem citat, judicem etiam intelligit, etsi illud expresse non enunciet.

Atque hæc prima liciti Christianis juramenti ab exemplis sanctis demonstratio. Altera verò est à testimonio prophetiæ divinæ, de juramento licitè à Christianis observando, Esa. 45. v. 3. *Per me juravi, prodiit ex me justè verbum, quod non revocabitur; mihi incurvabitur omne genu, omnis lingua jurabit*, illud de cultu Dei, in Christo filio, paraphrasticè citatur, Rom. 14. v. 11. ubi pro *jurare* ponit Apostolus *confiteri*: ut ostendat vocem *jurare*, (quæ species confessionis ac laudis Dei) Synecdochicè pro juramento, & reliquis confessionibus Dei, quibus colitur, debere accipi.

Tertia demonstratio est à definitione juramenti hoc modo: Invocatio Dei in veritatis occultæ testem ac judicem omniscium, justum & omnipotentem, qua dissensionibus occurritur; est Christianis licita. Nam ita & gloria Dei ut omniscii, & justi, & omnipotentis celebratur, & ædificatio proximi promovetur. Atque juramentum in Vet. Testamento probatum, nempè quod veritate, jure & justitia præstitum, Jer. 4. v. 2. est tale. Sic enim juramentum citra controversiam definitur, & exempla juramenti legitimi hoc demonstrant & Apostolus, Hebr. 6. v. 16. attestatur. Ergo juramenta in Vet. Testamento probata, sunt Christianis licita.

Quare ex hisce omnibus, cum rationibus, pro Ecclesiarum nostrarum sententia propositis; cum oppositorum à Pontificiis & Anabaptistis argumentorum refutatione, apertè constat, Christum in hoc cap. 5. Matth. non hoc agere, ut legem Decalogi per Mosen, à Deo traditam, nova lege mutet; sed ut falsam Pharisæorum in Decalogi expositione doctrinam confutet; & ab ea auditores suos, ne seducantur, deterreat. Antequam vero vers. 21. & 22. paucis declarem, tollenda Pontificiorum est exceptio adversus rationem, quæ à nostris ex vers. 19. & 20. proferri solet: quod Christus majorem, quam Scribarum ac Pharisæorum, justitiam requiri ad ingressum cœlorum affirmet, hoc est, majorem quam illi & docebant & exercebant. Objiciunt enim hæc à Christo dici, non ut doctrinam eorum, sed ut vitam reprehendat: idque inde probare conantur, quod Matth. 23. v. 2. & 3. dicat: *Super cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis servanda, servate; sed secundum opera eorum ne facite; dicunt enim & non faciunt.* Verum negatur consequentia. Nam hisce verbis, quod obtendunt, non probatur; siquidem quod dicitur, *omnia quæ dixerint vobis servanda servate*, hoc in loco vox *omnia* intelligenda non absolutè: sed relatè; quæ scil. ex Mose petita: quemadmodum præcepta illius expressa proponebant, non autem quatenus expositione sua corrumpebant. Nam Christus Matth. 16. v. 11. & 12. à fermento doctrinæ Pharisæorum abstinendum præcepit, & cap. 15. v. 3, 4, 5. demonstrat & exprobrat eos sua doctrina Dei mandata violare, ideoque vers. 14. relinquendos esse monet, tanquam cæcos cœcorum duces: &, ut alia omittam, eo ipso capite 23. v. 16. eosdem duces cœcos vocat & suis dictis corrupisse doctrinam de juramento demonstrat. Quamobrem, exceptione hac confutata, ad loci Matth. 5. v. 21, 22. explicationem brevem accedamus. In quo continentur primum propositio doctrinæ Pharisæorum de sexto Decalogi præcepto imperfectæ: deinde doctrinæ Christi oppositio; qua imperfectionem illam arguit. Propositio est vers. 21. *Audistis*, &c. In qua observanda præfatio Christi, & Scribarum ac Pharisæorum doctrina. Præfatio describit primum Scribas ac Pharisæos: deindè eorum auditores. Illos quidem, cum vocat eos ἀρχαίοις *antiquos*, qui diu docuerant, ac *senes*, κατ' ἐξοχὴν vocationis & ætatis: qui eodem sensu πρεσβύτεροι Seniores per excellentiam vulgo dicebantur, ut Matth. 15. v. 2. Auditores verò eorum indicat, cum ait: *Audistis dictum ab antiquis*, seu senioribus illis: quo ea, quæ propositurus erat, à conscientia eorum probat. Doctrina verò à Pharisæis tradita continet primum repetitionem veram verborum legis, nempè præcepti sexti; *Non occides*; deinde imperfectam illius expositionem, ab homicidii pœna, quod *quisquis occiderit, tenebitur judicio*, nempe capitali. Quæ verba Scribarum & Pharisæorum non extant quidem in Mose, sed sententia Levit. 24, v. 17. Verùm in eo discrimen, quod Moses ibid. non exponat præceptum sextum: quasi eo tantum homicidium externum prohiberetur: neque pœnam universam; sed tantum politicam. Contra verò Scribæ & Pharisæi legis politicæ sententiam cum Decalogi verbis confusè conjungentes, doctrina sua sententiam illius corrumpebant; quasi lege illa, *Non occides*, externum tantum homicidium prohiberetur, quod à Magistratu punitur. Quare huic propositioni imperfectæ, Christus vers. 22. suam doctrinam opponit. Quæ oppositio præfationem, & legis perfectiorem expositionem complectitur. Ac præfatione primum sua dicta antiquorum seu presbyterorum dictis opponit, cum ait, *Ego verò dico vobis*: hoc est, Ego qui summus sum Propheta, ab omnibus audiendus, Deut. 18. v. 15. & Act. 3. v. 22, 23. Matth. 17. 5. Qui non veni ut legem dissolvam, Matth. 5. v. 17. Sed impleam: & ut dissolventes confutem, vers. 19. & 20. Deinde quibus dicat ostendit, cum ait, *vobis*, hoc est, auditoribus meis, qui antè legem corrumpentes antiquos Scribas & Pharisæos audivistis, & jam mei facti estis discipuli. Cui subjicit Christus expositionem perfectiorem: ut illos à corruptela Pharisæorum, ad rectam intelligentiam justitiæ lege traditæ, magis magisque adduceret; & ut justitiæ secundum mentem legis majori, quam Pharisæorum erat, operam darent. Hæc autem expositio tria indicat vitia disparia, & triplici pœna distincta; quæ homicidii nomine simul fuerunt prohibita, & à Pharisæis omittebantur. Quorum

rum primum est internum vitium: reliqua verò duo externa. Internum est *ira*, non simpliciter, sed temeraria: quam indicat, cum ait, *quicunque irascitur fratri suo temerè.* Nam ira est duplex, una recta, altera prava. Recta est, quæ ex amore Dei & proximi oritur & recto secundum vocationem modo temperata, ad gloriam Dei, & proximi ædificationem tendit: quæ plerumque *zelus*, nempè prudens, appellari solet; qualis in Vet. Test. (inter cœteros) in mortalium sui temporis, Num. 12. v. 3. mitissimo Mose describitur, Exod. 16. v. 26. & 32. v. 19. & in Novo Testamento in Christo omnium absolutè mitissimo, Marc 3. v 5. Alia ira est prava, quæ à rectæ iræ declinat descriptione: cùm vel causa iniqua est, vel modus. Ideoque hæc vox *temerè*, à Christo rectè additur ad distinctionem. Nam quod Hieron. in Comment. ad hunc locum ait: *qui irascitur fratri suo; in quibusdam codicibus additur*, sine causa, *cæterum in veris definita sententia est, ira penitus tollitur, &c. Radendum est ergo*, sine causa. *Nam ira viri justitiam Dei non operatur.* Jacob. 1. Id inquam temerarium est: quippe exemplaribus Græcis confutatur, ut ex Chrysost. vocem illam legente & exponente patet, qui ait: *non ergo ipsum irasci malum; sed importunè irasci.* Et Isidorus Pelusiota epist. lib. 4. ep. 111. Similiter legit εἰκῆ. Et Syrus interpres antiquissimus, & exemplaria omnia Græca manuscripta Rob. Steph. nec iram omnem sed immoderatam & injustam, justitię Dei ad versari convenienter Jacobi sententiæ, quæ ad hanc pertinet, exemplis Mosis & Christi antè confirmavimus. Et ipse Hieron. verba illa, Eph. 4. *Irascimini, & nolite peccare*, Tom. 9. Comment. in epistolam illam exponit hoc modo: *Ira non inebriet mentem, sed veritas dispenset; nec tuam injuriam, sed fratris animadverte peccatum.*

Atque hæc de interno ac primo vitio, quod Christus præcepto etiam sexto contineri rectè docet, tanquam originem homicidii. Ac rectè hoc loco Chrisost. ῥίζα γὰρ τοῦ φόνου ὁ θυμός, hoc est, *Radix enim cædis, ira.* Reliqua verò duo vitia sunt externa iræ effecta, nempè convitia, in fratrem seu proximum, dicta. Quorum prius est levius; posterius verò gravius. Levius est, ῥάκα, quæ vox non est Græca (licet Hesychius eam in Lexico suo ponat, & exponat, ut multa alia non Græca: partim Hebræa, partim Latina) sed Hebræa corrupta, hoc est, ad Syram linguam inflexa: quali post captivitatem Babylonicam ad Christi tempora utebantur: ut vox *Abba*, Rom. 8. v. 15. *Golgotha*, Joh. 19. v. 17. *Talitha*, Marc. 5. v. 41. & similia etiam ostendunt. Ad significationem verò quod attinet, quidam inconditam hominis indignantis vocem esse putant, qualis apud nos (ut id obiter dicam) esse solet vox *Ets* Atque huc videtur Chrysost. & ex eo Theophylactus spectasse, cum simile esse dicunt, ut si quis dicat per contemptum, ἄπελθέ σύ, hoc est, *abi tu.* Alii verò aptius significativam vocem, sed diversè statuunt. Quidam à voce Syra, רקק & contractè רק id est, *spuere*, ut in Testamento Syro, Matth. 27. v. 30. רקו *spuebant*, deducunt. Hinc Theoph. ait, quosdam dicere Syriacè significare καταπτυστὸν *despuendum*, id est, abominandum: id quod nonnulli sunt secuti. Sed duo videntur obstare. Primum res ipsa: quia ut Beza rectè observat, hoc convitium esset atrocius quam sequens: quod non convenit. Nam ex minori adjuncta pœna minus esse, quam sequens, (cui major pœna denunciatur) constat. Alterum est quod tum potius dicendum esset רקא, quam *Raca*: nisi fortè probari queat, Syris non solum in usu esse רקק & רק sed & ירק, ab Hebræo רקק & ירק *spuere.* Alii igitur vocem רקא *vacuum* exponunt, ut Hieron. Matt. 5. *Hoc verbum*, inquit, *proprium Hebræorum est Raca enim dicitur* κενὸς, id est, *inanis aut vacuus, quem nos possumus vulgata injuria, absque cerebro nuncupare.* Hæc Hieron. Et interpres Syrus habet רקא, ad quam vocem, in notis suis, doctiss Tremel. ait: *Hanc vocem objurgantis in Thalmudicis libris, præsertim autem in libro* ברכות *& in libro Sanhedrin Cap.* חלק, *legi semper ita scriptum*, ריקא vel ריקא *& sonat vacuum, subaudi judicio, ratione & cerebro, venitque à* ריק *quod etiam Hebraicè significat evacuare.* Atque hæc de primo convitio leviori. Alterum verò gravius est μωρὸς, quæ vox ut Etymolog. magnum tradit, derivatur ex μὴ, *non*, & ὁρῶ, id est, *cura*, quasi *qui nihil curat*, vel à μὴ & ὁρῶ, *qui non videt quod utile.* Et primum generatim prudenti opponitur, ut Matth. 7. v. 24. & 26. & 25. v. 2, 3. & sapienti 1. Cor. 1. v. 27. & *fatuum* ac *stultum* notat. cumque stultitia sit gemina; una quidem, quæ innocens ac privativa dici solet; quæ prudentiæ defectus est, altera verò nocens ac positiva; qua quis perversè sapit, ac probat: ut inprimis de philosophis & sophistis gentilium accipitur, Rom. 1. v. 26. *Cum profiterentur se esse sapientes*, ἐμωράνθησαν, hoc est, *stulti facti sunt.* Quales fatui improbi Synecdochicè hoc loco intelligendi sunt, voce generali speciatim restricta, ut distinctio aperta à voce antecedente nempe *Raca* evincit. Nam *Raca* vacuum prudentia ac sapientia: μωρὸς verò amplius hic notat, ut ex ampliore pœna declaratur. Atque hæc de secundo convitio, nempe tertio vitio; quod homicidii mentione: (per Synecdochen partis pro toto) sexto Decalogi præcepto prohiberi ostendit: eaque ratione, non legem Dei, (quam exponit) sed fermentum Pharisæorum corrigit, & justitiam eorum mutilam ostendit. Nam in Vet. etiam Testamento non minus, quam à Christo prohibita est ira temeraria, ut Eccles. 7. v. 9. & 10. v. 10. & convitia ex ira temeraria, ac contemptu iniquo proximi orta, Prov. 11. v. 12. & utrumque generatim vetatur in summa legis secundæ tabulæ. Nam proximum non diligit sicut seipsum; qui temerè ei irascitur aut convitiatur. Sed adversus dicta objici potest, Jacobum apostolum, cap. 2. v. 20 dicere, *homo* κενὲ *vacue seu vane*: quod est ῥάκα. Deinde Christum Matthæi 23. vers. 17. & 19. Pharisæos increpantem dicere, μωροὶ καὶ τυφλοὶ, *stulti & cæci.* & Luc. 24. vers. 25. Discipulos suos ἀνοήτους *amentes* vocat: ut etiam Paulus Galatas cap. 3. vers. 1 & 3 Ergo legem suam reipsa solvit; sed negatur consequentia, quia hæc dicta sunt, non ex temeraria, aut falsa ira, & vindictæ privatæ studio, ac malevolentia in homines; sed verè ex sapienti zelo, odio vitiorum & amore justitiæ, pro officio prophetæ, à Deo demandato, ad reprehensionem ac correctionem peccantium, & auditorum cautionem ac salutem. Ideoque facta Christi à verbis ipsius minimè dissident: idemque de similibus ac gravioribus quoque accusationibus Christi, & aliorum intelligendum.

Atque hæc de tribus vitiorum gradibus, à Scribis & Pharisæis, in sexti præcepti explicatione, omissis: quibus gradatim etiam pœnam triplicem adjungit, & quidem divinam ac spiritualem, sed allegoriâ seu metaphorâ à pœnis corporalibus *judicii*, *Synedrii* & *gehennæ ignis* desumptâ. Quæ ut variè exponuntur, sic brevitatis causâ, quod maximè videtur consentaneum, proponemus. Observandum igitur, quod Judicum apud Hebræos ordo fuerit triplex: infimus, medius & summus, ut in *Talmude libro Sanhedrin cap. Dine Mammonot*, initio illius traditur. Infimus ordo judicum, quem Sigonius de republica Hebræorum lib. 6. cap. 5. præterit, fuit trium virorum: qui non de capitalibus, aut gravioribus; sed de pecuniariis ac levioribus litibus judicabant. Medius verò ac summus de capitalibus. Ac medius quidem in singulis civitatibus erat viginti trium virorum, & Synedrium minus dicebatur: de quo Christus Matth. 10. vers. 17. *Tradent vos in Synedria.* Summus verò judicum ordo ac senatus erat in urbe regia, præcipuè Hierosolymis: eratque septuaginta & unius virorum, & Synedrium majus, ac καθ' ἐξοχὴν *Synedrium* appellatur, à judicum maximo numero, dignitate & authoritate maxima. Ad quod Synedrium ea referebantur, quæ in minori Synedrio non poterant rectè expediri: ut judicia de rege, falso propheta, tribu, aut civitate aliqua. Hinc igitur Christus, primum, similitudine ducta, non ab infimo judicio: sed à medio (quale à Scribis intelligebatur, cum dicerent, *reus erit judicio*, nempè Synedrio minori, καθ' ἐξοχὴν, in quo de homicidio judicabatur, ut causa capitali) iram temerariam judicio ac condemnationi divinæ esse obnoxiam: deindè convitium ex ea ira ortum levius ῥακὰ, id est, *vacue ac vane* teneri Synedrio, id est, majori pœna dignum docet: quemadmodum pœna, quæ à Synedrio majore inferebatur, eam quæ à Judicio seu Synedrio minore infligebatur, gravitate, si non cruciatus, adjunctæ saltem ignominiæ magnitudine, superabat. Tertia denique pœna vitii tertii ac gravioris convi-

vitii (quo frater *stultus* nominatur ex ira temeraria) dicitur obnoxium reddere *gehennæ ignis*: ut pœna maxima adumbretur. Nam etsi pœnæ inferni sint duratione pares; intentione tamen, ac gravitate dispares existent, Mat.10.v.15. Hic autem similitudo petitur ab ea pœna, qua infantes, ab idololatris Judæis, solebant olim, superstitiosa, ac crudeli trajectione per ignem comburi. *Gehenna* autem corrupta vox per apocopen, ut Syris *gihanna* deducitur hoc loco ab Hebræo *Gehinnom*, hoc est, *Vallis Hinnomi*, de qua voce Jos. 15. 8. Qua de re operæ pretium puto, si verba Hieron. adducam ex tom. 10. ac comment. in Matth. 10. *Idola* (inquit) *Baal fuisse, juxta Jerusalem, ad radices montis Moriah*, (*in quibus Siloa fluit*) *non semel legimus. Hæc vallis & parva campi planities irrigua erat, & nemorosa, plenaque deliciis, lucusque in ea idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus Israël venerat, ut deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos dæmoniis incenderent vel initiarent, & appellabatur locus ille Gebennom*, id est, *vallis filiorum Hennom. Hoc regum volumen*, (2. Reg.23. v. 10.) *& Paralipomenon* (Lib. 2. cap.28. v.3.) & *Jeremias*, (cap.7. v.30. & 32. v.35.) *Scribunt plenissimè, &c. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ hujus loci vocabulo denotantur.* Hactenus rectè Hieron. sed quod subjicit, minimè est admittendum, cum ait: *Duplicem autem esse Gehennam, nimii ignis & frigoris, in Job plenissimè legimus.* Nec enim Jobi verba, c.24. v.19. quæ spectantur, id statuunt: nempè *siccitas etiam æstus rapiunt aquas nivis*: *sepulchrum*, (vel infernus שאול) *eos qui peccarunt*: Sensus enim clarus est, quod ut terra sicca & calor, sive æstus, aquas nivales quasi rapiunt, ac consumunt: Sic sepulchrum aut infernus peccatores. Quare protasis similitudinis cum sua apodosi perperam, & contra fidei analogiam confunditur. Sacra enim Scriptura apertè docet, ignem inferni esse commune supplicium omnibus damnatis. Ut autem ad rem ipsam redeamus, *gehenna ignis*, id est, ignita, metaphoricè, apud Judæos fuit, atque est in usu, pro inferno: quemadmodum contra hortus *Eden*, seu *Paradisus*, pro cœlo. Sic etiam Christus, ut consueta metaphora *Paradisum* pro cœlo usurpavit, cùm diceret, *bodie mecum eris in Paradiso*: sic etiam *gehennam ignis* Matth. 18. vers. 19. Pro inferno appellavit: & absolutè *gehennam* Matth. 5. v. 29, 30. & 10. v. 28. Hoc tamen in loco cum ait, *obnoxius erit gehennæ ignis*: non generatim, sed distinctè ac speciatim, pro maximis illius pœnis accipit: ut comparatio cum antecedentibus minoribus inferni suppliciis evincit. Nam quod nonnulli judicio & Synedrio obnoxium esse, propriè accipiunt, quasi de temporalibus & corporalibus pœnis intelligerentur; gehennę autem ignis obnoxium esse, pœnas æternas generatim notaret: illud minimè convenit; siquidem inde sequeretur, iram temerariam & convitium ῥακά, puniendum pœna capitali externa: qualis judicio Synedrii minoris, & a Synedrio majori inferebatur: Deinde Christum leges politicas hic etiam tradere, & quidem rigidiores quam per Mosen datæ erant: Quæ prorsus aliena. Et res ipsa ostendit, cum pœnarum inferni, pro peccatorum disparitate, gradus, non possint propriè exponi, Christum prudenter similitudine à judicio & Synedrio ducta, primos gradus duos adumbrasse: tertium verò gehennâ ignis per Synecd. generis pro specie, indicasse.

Atque hæc ad loci hujus, Matth. 5. v. 21. & 22. explitionem necessariam, & difficultatum reliquarum hujus capitis solutionem sufficere speramus.

Cœterum non alienum videtur, si hac occasione sermonis Christi, paucis de idololatrico, ac crudeli in gehenna cultu agamus.

De Trajectione Superstitiosa liberorum infantum per ignem, in Gehinnom, sive Gehenna,

CRebra apud Prophetas trajectionis sive transmissionis filiorum & filiarum infantium per ignem mentio est: Quid autem ea significet, non eadem est inter Hebræos, neque etiam inter Christianos sententia. Locus autem de ea re insignis est, quo illa superstitio vetatur, Deut. 18. v. 10. *Ne inveniatur in te, qui traducat filium suum aut filiam suam per ignem*, ut vulgò interpretantur: מעביר באש Sed simplicissimum tamen est, *in ignem*. Quæritur autem hoc loco, quid hæc traductio designet; quidam lustrationem, hoc est, purgationem intelligunt; atque ita hoc loco & alibi exponit vulgata versio. Atque ita existimant nonnulli, morem fuisse, ut inter duos ignes, aut per ignem infantes raptim trajicerent; atque ita, ut non necarentur, sed vivi idolo consecrarentur: quemadmodum vulgata versio, Lev. 8. v. 21. *De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch*: Hebraicè להעביר למלך est, *ad transire faciendum*, hoc est, ut transmittas Molecho; quod erat Ammonitarum idolum, & 2. Reg. 16. v. 3. *Achas filium suum transmisit in ignem*: ubi vulgata versio habet, *filium suum consecravit, transferens per ignem*. Idemque de Israëlitis, 2. Reg. 17. v. 17. traditur; & cap. 23. v. 10. de Josia dicitur: *Polluit etiam Topheth, quod est in valle filii Hinnom, ne transmitteret quis filium suum aut filiam suam in ignem Molecho*: ubi vulgata versio habet, *ne consecraret per ignem Moloch*. Alii verò contra statuunt hanc trajectionem notare combustionem. Atque ita A. Ezra Levit. 18. v. 21. *Non dabis de semine tuo Molecho*, exponit לשרף *ad comburendum*: Sed ait quosdam exponere de transmissione super ignem, qua fiebat, ut quidam infantes ea non morerentur, alii verò morerentur. Kimchi verò idoli Molech brachiis inditos infantes fuisse combustos tradit in comment. suis, 2. Reg. 23. v. 10. & Rabbi Nathan similiter in lexico Thalmudico suo, quod Baal haruch, vocat; in voce גיא, Sic & Fagius ad Chaldæam paraphrasin Onkelosi, Levit. 18. v. 21. & Tremell. ad hunc locum, Matth. 5. in notis, in Syriaco Testamento, combustos fuisse filios asserit. Quæ sententia maximè consentanea videtur, infantes non simpliciter consecratos idolo, trajectione per ignem; sed combustos trajectione in ignem; idque non solum authoritate insignium authorum sic existimamus; sed etiam imprimis hoc argumento. Talis traductio in ignem intelligitur locis citatis, qualis in usu fuit gentibus profanis, quas ejecit Deus è terra promissa, ut docetur Levit. 18. v. 21. cum 24. & Deut. 18. v. 9, 10, 12. 2. Reg. 16. v. 3. Atqui hic fuit profanarum illarum gentium usus traductionis in ignem, ut infantes, filios suos & filias, non per ignem transmitterent; sed in ignem comburendos mitterent, ut demonstratur, Deut. 12. v. 30, 31. *Ne exquiras de Dis earum* (gentium) *dicendo, quomodo coluerunt gentes istæ Deos suos; sic & faciam ego quoque. Ne sic facito Jehovæ Deo tuo. Nam quicquid abominationi est Jehovæ fecerunt Dis suis. Nam & filios suos, & filias suas diis suis comburunt igne.* Ergo trajectio in ignem combustionem notat. Atque ita etiam videmus illud fuisse in usu, etiam Sepharvæis, qui in ditionem Israëlitarum fuerunt missi coloni, 2. Reg. 17. v. 31. & *Sepharvæi comburebant filios suos igne Adramelecho, & Hanamelecho Dis Sepharvaimorum.*

Atque hæc de ista quæstione, ad multa S. Scripturæ Vet. Test. loca melius intelligenda, sufficere arbitramur.

è CAP. VI.

De Oratione Dominica.

QVum Dei invocatio alia sit oratio, quâ aliquid ab ipso petitur: alia gratiarum actio, quâ ob dona laudatur; prioris perfectissima formula est à Domino nostro Jesu Christo tradita. Vnde oratio Dominica dici solet; quæ quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus, ut recte Tertull. qui & illud addit, in ea breviarium totius Euangelii contineri, lib. de oratione cap. 1. Ea autem describitur primum Matth. 6. v. 9. deinde Luc. 11. v. 2. Re quidem utrimque eadem, sed occasionis, loci & temporis circumstantia diversa. siquidem Matth. 6. Christus primum ultro eam præscripsit communiter suis auditoribus ac discipulis, in concione illa nobilissima, in monte habita, quæ cap. 5. 6, & 7. recensetur: Luc. verò 11. v. 1. postea alio in loco, cum precatus esset, ac rogatu cujusdam è discipulis, eandem formulam, pauculis verbis immutatis, & omissa conclusione repetiit. Constat enim Dominica apud Matthæum oratio, non solum præfatione & propositione, sed etiam conclusione.

Præfatio *quis oretur* declarat, à benevolentia, cum *Patrem*; & ab omnipotentia exaudiendi, cum *cœlestem* nominat. Propositio *quid orandum* sit sex petitionibus notat, & duas partes quasi tabulas complectitur. Prima est precatio boni. Secunda est deprecatio mali. Precatio boni, quatuor petitionibus constat. Nam tribus prioribus bonum spirituale triplex: quartâ vero bonum corporale petitur. Ac spirituale bonum est summum, vel summo subordinatum. Summum est *sanctificatio nominis Dei*, quo tanquam ad finem ultimum omnia referenda: de qua re petitione prima. Subordinatum bonum est, primum, *adventus regni Dei*, quo Ecclesiam regit; in hac quidem vita, per gratiam; post hanc verò vitam, per cœlestem gloriam: de quo petitione secunda. Alterum bonum subordinatum est obedientia Deo Regi, in regno gratiæ, præstanda, imitatione obedientiæ, quæ in cœlo est: de quo petitione tertia. Corporale verò bonum per Synecd. indicatum, est *panis quotidianus, hodiè dandus*, petitione quarta. Atque hæc de precatione boni, cum spiritualis, tum corporalis; cui additur altera parte, ac quasi tabula secunda hujus orationis, deprecatio mali duplicis, primum præsentis, deinde futuri. Præsens malum est debita peccatis nostris pœna, quam deprecamur petitione quinta, de *remissione debitorum nostrorum*, hoc est, peccatorum, ratione pœnæ, Luc. 11. Futurum malum est *tentatio Diaboli*, qua ad peccata solicitat, petitione sexta, *ne nos in eam inducat, sed ab ea liberet*. Atque hæc propositio petitionum sex: cui subjicitur ad confirmationem conclusio: Hæc enim à Deo peti, quod *illius sit potentia, & regnum*, eoque potestas præstandi; & *gloria, in secula*, quod ad eam omnia petita tendant; idque addito *amen* finitur.

Atque hæc strictim de orationis Dominicæ distinctione dicta sunt. Ad cujus illustrationem quædam expendenda. Ac primum de præfatione quæritur, an vox *Pater noster*, notet Deum communiter, seu tres personas, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, an verò primam tantum. Quidam prius, alii posterius probant; in eo tamen utrimque consentiunt, adorationem tribus personis convenire æqualiter, propter unam eandemque Deitatem: Deinde commune iis esse, quod nos regenerarint, & adoptârint in filios, eoque Pater noster communi ratione nominari queant. Sed in eo quæstio versatur, utra sententia sit convenientior huic loco: qui priorem sequuntur, hac ducuntur ratione, quod ea sit uberior, ut quæ alteram etiam includat. Nam si tres personæ Patris nostri appellatione intelligantur, etiam prima persona (etsi non sola) intelligitur. Pro altera verò sententia, ratio est prima, quia in omnibus aliis Nov. Test. locis *Pater noster* perpetuò de prima persona usurpatur: quæ & *Pater Christi cœlestis*, Matth. 18. v. 35. & *pater noster cœlestis*, Matth. 5. v. 48. nominatur; Christi quidem naturâ; noster verò gratiâ, quemadmodum Ioan. 20. v. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum*. Sic & *Pater noster*, à Christo Filio distinguitur, in solenni illa ac frequentissima precatione, ac voto: *Gratia vobis, & pax, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*, Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 3. & 2. Cor. 1. v. 2. 3. *Gratia, & pax, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo; benedictus Deus, ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater inquam ille misericordiarum*, & Gal. 1. v. 3, 4. Eph. 1. vers. 2, 3. Col. 1. v. 2, 3. Phil. 1. v. 2. & 4. v. 20. & 1. Thess. 1. v. 1. & 2. Thessal. 1. v. 1, 2. & 2. v. 16. & 1. Timot 1. vers. 2. Philem. v. 3. Hinc etiam *unus Pater vester in cœlis*, ait Christus, Matth. 23. v. 9. & Paulus Eph. 4. v. 5. *Unus Dominus &c.* & v. 6. *Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis*. Quæ appellatio primæ personæ tribuitur, ob excellentiam, non essentiæ, sed ordinis personalis ratione. Neque ullus in Nov. Test. locus apparet, qui expressè tres personas simul; aut distinctè Filium, aut Spiritum Sanctum Patrem nostrum vocet. Altera ratio est, quia ita Christus ipsemet interpretatur, quem Patrem nostrum intelligat, nempe suum etiam (etsi diverso modo, ut ante exposuimus) Joh. 15. v. 16. & 16. 23. *Quicquid petieritis Patrem, in nomine meo*, (en quomodo à se distinguat) *dabit vobis:* Ubi distinctè satis patrem nostrum orandum à se distinguit, & suum esse declarat; ut cap. 15. v. 15. & cap. 16. v. 26, 27, & 28. ostendunt. Huc etiam pertinet, quod Paulus, Patrem, quem invocamus, *Abba ô Pater*, à Spiritu Sancto distinguat, Rom. 8. v. 14, 15. Atq; ita & hanc expositionem priori (licet ea in se sit pia ac ferenda) tanquam aptiorem prætulit Catechesis Palatina, ac nostra. Nam in expositione petitionis secundæ ad quæstionem 123. dicitur, adveniat regnum tuum, hoc est, *rege nos verbo, & spiritu tuo*. Ergò Pater noster alius est à Spiritu suo. Idque eodem modo dicitur, ut à Davide Ps. 51. v. 12. & 13. *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum rectum innova, &c. ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*: Deinde in sexta petitione, ad quæst. 127, dicitur: *Tu nos sustentes, Spiritus tui robore firmes.* Ubi manifestè Pater noster, quem oramus, distinguitur à Spiritu suo, & alium esse Spiritum ab illo Patre nostro ostenditur. Sic etiam accipit Ecclesia nostra in sacra cantione, orationis Dominicæ, in petitione secunda.

Den Trooster soet / gheeft ons / die Christus ons toeseydt. Ubi Pater noster, qui oratur, distinguitur à Spiritu suo, & à Christo. Sic etiam in conclusione dicitur: **Want u ô Vader is dat Rijck etc. Met Christo uwen Soon alleen / en den Heylighen Gheest ghemeen.** Ubi sole clarius, Pater noster, qui in oratione Dominica vocatur, & invocatur, à Christo filio unico, & à Spiritu Sancto alius statuitur. Idemque eadem ratione distinctè declaratur in universis precationum formulis, publicè receptis; & post Catechesin Belgicam adjunctis, ante, & post concionem, in cœnæ, & baptismi administratione, & universa liturgia sacra, ubi etiam expressè satis indicatur, *Patrem nostrum*, in oratione Dominica primam Deitatis personam, à Filio, & Spiritu Sancto distinctam intelligi: adeo ut hæc sententia, sine aurium multarum offensione, & contradictione, in nostris Ecclesiis, refutari non possit. Hisce accedit consensus Patrum. Nam primum Tertull. Libr. de oratione Dominica, cap. 2. ait: *Item in Patre Filius invocatur, ego enim, inquit, & Pater unum sumus*. Idemque declarat, cap. 3. & lib. contra Praxeam, cap. 23. expressè ait: *Pater noster qui es in cœlis de Patre, ut à Filio suo distinguitur, distinguendum.* & Orig. περὶ ἀρχῶν, de principiis, Lib. 2. cap. 4. sub initium. Deindè Cyprianus de Oratione Dominica, sectione 8. *Quanta autem*, inquit, *Domini indulgentia, &c. qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios, nuncupemus.* Quartò Athanas. in epistola de Synodi Nicenæ decretis, sub finem. Præterea Chrysost. Tom. 4. Homil. 2. in Symbolum: *Videte, inquit in Patre, quod dixistis & in capite orationis, Pater noster qui es in cœlis, hoc dicitis in symboli confessione, credo in Deum Patrem, &c.* Denique August. Tom. 10. Serm. 126. de tempore ait, *Nam quando nos terrestres, & miseri, & imbecilles & inutiles servi auderemus, vultum levantes ad cœlum, dicere, Pater noster, nisi ipse per suum nobis unigenitum, hanc fiduciam præstitisset.*

Quare hisce omnibus consideratis Patrem nostrum de prima persona, in orationis Dominicæ præfatione, aptius explicari apparet.

Illustratio versus 11. *De Pane* ἐπιουσίῳ.

Magna est, inter priscos Patres, non minus, quam inter quosdam recentiores Theologos, ac Philologos, de petitionis quartæ sensu in oratione Dominica, sententiarum discrepantia. Nam primum quæritur, quid panis hoc loco designet. Deindè quid ἐπιούσιος sit. Nam ad prius quod attinet, quidam panem propriè seu sine metaphora accipiunt; ut Chrysost. in Matth. Homil. 20. alii verò impropriè per metaph. exponunt, ut Athanas. Tom. 1. de humana natura Christi, editione Commel. pag. 474. de Spiritu Sancto. *Spiritum inquit, vocat Panem cœlestem, dicens panem nostrum* ἐπιούσιον *da nobis hodiè.* Alii verò Christum, seu corpus Christi; quia dixit. *Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi, & Panis quem ego dabo pro mundi vita*; ut Hier. Mat. 6. exponit & Aug. etiam Tom. 4. de Sermone Domini in monte Lib. 2. hanc sententiam recenset: quam tamen non probat, sed refutat, & suam (quæ tertia est hoc loco) adferens, præcepta

cepta divina exponit, cum ait, *restat igitur, ut quotidianum Panem accipiamus, spiritualem, præcepta sc. divina, quæ quotidie oportet meditari, ac operari. Nam de ipsis Dominus dicit operamini escam, quæ non corrumpitur.* Alii verò primam sententiam, quæ proprium Panem, ac cibum corporis interpretatur, & eam quæ de corpore Christi impropriè accipit, proponunt, & utramque probabilem statuunt; quemadmodum Tertull. lib. de oration. cap. 7. & Cypri. de oratione Dominica, Sect. 13. Nostra verò Ecclesia in Catechesi, primam meritò sequitur. Ratio autem patet, à certissima regula interpretationis rectę deducta; quia à propria significatione verborum non est recedendum ad impropriam, nisi ratio contraria necessariò hoc exigat: atque nulla hic est omninò ratio necessaria, quæ hoc suadeat. Nam propria significatio hoc loco accepta, orationis Dominicæ ordini, perfectioni, ac analogiæ fidei, probè consentit. Ordini, ac perfectioni, quia (ut Tertull. lib. de oratione cap. 6. ait) *quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit? ut post cœlestia,* id est, *post Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret. Nam & edixerat Dominus, quærite primum regnum, & tunc vobis etiam hæc adjicientur.* Analogiæ verò fidei etiam consentire inde apparet, quod non solum, Prov. 30. v. 9. Sapiens similiter precetur, *ale me* Pane חֻקִּי id est, *portionis mihi statutæ*, hoc est, convenientis, seu ut alii interpretantur, demensi mei; sed etiam Paulus 2. Cor. 9. v. 10. idem Corinthiis precatur, cum ait, *Porro qui suppeditat semen serenti, Panem vobis ad escam suppeditet.* Deinde panem, hoc est, Synecdochicè, omnia vitæ corporalis necessaria, indies à Deo precari, est opus fidei, erga Deum, tanquam datorem bonorum omnium, Jac. 1. v. 17. non solum spiritualium, sed etiam corporalium, Psal. 127. & 128 & fiduciæ non in bonis nostris aut industria nostra, sed in Deo omnipotente, ac benigno Patre collocatæ, 1. Tim. 6. v. 17. Denique exercitium est obedientiæ Deo debitæ, qui sua bona peti vult, & petentibus se daturum promisit, Matth. 7. v. 7. Quæ verò huic sententiæ ab August. Tom. 4. de Sermone Domini in monte Libr. 2. objiciuntur, eandem non infringunt. Primum enim est hujusmodi: *Cur*, inquit, *oremus pro his adipiscendis, quæ sunt huic vitæ necessaria, veluti est victus, & tegumentum, cum ipse Dominus dicat, nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini. An potest quisquam de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus, cum tanta intentione oratio dirigenda sit?* Sed negatur consequentia. Licet enim Christus solicitudinem victus prohibeat, ea tamen non generatim de quavis, sed speciatim de anxia atque incredula intelligitur, quæ ex providentiæ divinæ, & paternæ Dei erga nos benevolentiæ diffidentia promanat. Qualis est in iis, qui plus divitiis, quam Deo fidunt, & à sua cura atque industria plus quam à Dei providentia paterna, dependent, ut ex vers. 24. & seqq. inprimis vers. 30. 31. & 32. constat. Alioqui enim cura, ac providentia humana, ex fide providentiæ, & voluntatis divinæ, & agnitionis officii nostri orta, necessaria est: & neglectus illius vitiosissimus: adeò ut Paulus 1. Tim. 5. v. 8. dicat: *qui vero suis, ac præcipue domesticis, non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Ideoque non solum Joseph, cura prudenti, Ægypto panis copiam procuravit imposterum necessariam: sed etiam Christiani Ecclesiæ Antiochenæ, famis obventuræ per Prophetiam Hagabi certiores facti, collecta sua, pauperi Ecclesiæ Hierosolymitanæ sollicitè prospexerunt, per Pauli & Barnabæ legationem Actor. 11. vers. 28, 29, 30. eandemque curam Paulus adhibuit alibi 1. Cor. 16. v. 3. Gal. 2. v. 9, 10. Quare prima Augustini ratio omnino infirma: nec altera firmior, his verbis: *Et illud quod ait, quærite primum regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis; non ait utique, quærite primum regnum Dei, & deinde ista quærite; sed hæc omnia, inquit, apponentur vobis, scil. etiam non quærentibus: quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis, quod ut accipiat, intentissimè Deum precatur, nescio utrum inveniri queat.* Sed solutio non est difficilis; Christus enim hoc loco ordinem quærendorum ostendit, nempe ut prima cura sit regni Dei & justitiæ illius, seu obedientiæ Deo debitæ: non autem eorum, quæ ad corporis sustentationem requiruntur, ut præposterè ac perversè vulgò fieri solet. Atque ita confirmat ac repetit, quod in oratione Dominica docuerat, petere utrumque: priori quidem loco, ante reliqua, nempe *adveniat regnum tuum, & fiat voluntas tua*; Postea vero, *panem nostrum da nobis*; & quamvis promittat Christus, quærentibus regnum, & justitiam illius, reliqua adjicienda: petitionem tamen reliquorum non excludit: imò sua dona petentibus dare vult, & petenda præcipit; ut postea ostendit Matth. 7. v. 7. & 8. Deinde relatio, quâ Christus hic utitur, cum ait: *regnum Dei quærite primum*, demonstrat reliqua secundo tamen loco petenda; ut quæ regnum primum quærentibus danda; sed non (ut Augustinus objicit) sine precibus; nam ut citra omnem controversiam Deo debentur gratiæ pro paterna liberalitate, qua vitam nostram sustentat; sic necessario etiam hunc honorem ipsi debemus, ut hoc beneficium ab eo proficisci agnoscamus, & supplici oratione ab eo, tanquam patre nostro, petamus. Quare rationes Augustini adversus propriam *panis*, pro corporis cibo, hoc loco, significationem, sunt invalidæ. Quemadmodum etiam quod Erasmus (qui de pane cœlesti, quo anima nutritur accipit) ait: *Nec enim in precatione tam cœlesti Christus de hoc opinor loquitur pane, quem à suis parentibus accipiant gentes:* Illud inquam, ut rectè Clariss. Beza notat, omninò repudiandum. Quippe, si quis observet, duplex hic est vitium; primum antecedentis, deinde consequentiæ. Antecedentis: quia primum, parentes etiam gentiles non dant panem, ut causa principalis; sed ut instrumentalis tantum: Deinde non simpliciter, sed secundum quid tantum; quia per Synecdochen panis nomine omnia vitæ sustentandæ subsidia necessaria Christus complectitur; parentes autem, ut ministri Dei, tantum partem eorum suis liberis; Deus vero, & parentibus & liberis omnia largitur, & pacem, bonam valetudinem, fertilitatem soli, opportunum solis splendorem, & pluviam tempestivam solus donat: & cum placet, immissa sterilitate, aut vastatione varia per animata aut inanimata, à parentibus & liberis aufert; Ideoque eâ obortâ, solemni parentum ac liberorum supplicatione, orandum præcepit Deus Joël. 2. v. 15, 16, 17, & gratias deinde agendas pro pane seu frumento impetrato v 23, ad 27. Consequentia etiam est infirma; nam etiam bona, quæ Deus per ministros donat, parentes aut alios, nihilominus ab eo petenda, tanquam authore ac domino. Quamobrem cœlestem hanc precationem non dedecet, ut Deo gloriam tribuamus quotidianam, in precibus, quod ipse sit non solum spiritualis vitæ author, quà redemptor per Christum: sed etiam corporalis, quatenus & creator, ac providentia sua omnium animalium altor; & quatenus per filium redemptor non solum animæ, sed etiam corporis, 1. Cor. 6. v. 20. Ideoque & Paulus 1. Tim. 4. v. 3. ait: *cibos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus.* & v. 5. de cibo ait: *sanctificatur enim per verbum Dei, & preces.*

Atque hactenus de significatione panis, quem in oratione Dominica à Deo patre nostro dari petimus. Quid vero sibi velit, quod addit, ἐπιούσιον, examinandum superest; siquidem de hujus vocis origine, & recta hoc loco significatione, inter Theologos, non solum veteres sed etiam recentiores, & inter Philologos ipsos, diversa sunt judicia; adeò ut vir doctissimus, ac pietate insignis, Doctor Scultetus in exercitationibus Euangelicis lib. 2. cap. 32. de hac difficultate disserens, dicat: *Et Grammaticorum, & Theologorum carnificina hactenus fuit vocabulum* ἐπιούσιος, *ab hac ut utrosque liberem operam dabo.* Hæc ille. Difficultas autem eo major, quod illa vox non alibi, quam apud Matth. cap. 6. & Luc. cap. 11. in oratione Dominica, & apud interpretes, ac lexicographos posteriores, inde petentes reperiatur: quemadmodum inprimis à doctissimo Angelo Caninio, in fine grammaticæ Syriacæ, Assyriacæ, & Thalmudicæ, in tractatu de locis Novi Testamenti Hebraicis, cap. 14. de pane quotidiano asseritur: *ne legi quidem apud ullum authorem, nisi sacros.* Ad originem verò quod attinet, ea bifariam statuitur; quidam enim verbale esse tradunt, alii nomen compositum. verbale quidem ab ἔπειμι *post venio, sequor*, ut hoc ab εἶμι cum significat *eo, venio*: Unde infinitum ἐπιέναι, & participium

ἐπιών

ἐπιὼν ex quo ἐπιοῦσα *subiens, post veniens, succedens, sequens*, ut apud Euripidem Iphigenia in Aulide vers. 651. ἡ μὲν ἀπουσία, *subiens vel proximè futura absentia.* πιὼν pro ἐπιὼν. Quæ vox, ut loco jam adducto, accipitur absolutè ac tantum adjective: ut etiam Actor. 23. vers. 11. τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ, *sequenti verò nocte*, & Actor. 7. vers. 26. τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, *sequenti vero die.* Atque hinc interdum relatè ad vocem ἡμέρα per ellipsin accipitur, ut Act. 16. vers. 11. τῇ δὲ ἐπιούσῃ *sequenti vero* supple *die*, ut etiam Actor. 20. vers. 15. & 21. vers. 18. Atque hoc etymon probasse apparet Athanasium in libro de humana naturâ Christi pag. 474. Editione Commelin: τὸν ἐπιόντα ἄρτον τουτέστι τὸν μέλλοντα, *panem* ἐπιόντα, *hoc est futurum.* Et Antesignanus ad Grammaticam Græcam Clenardi, ubi de verbalibus agit, pag. 128. editione Wechelii anno 1580. qui sic ait: *ab* ἡ ἐπιοῦσα, *proxime sequens dies, fit* ὁ καὶ ἡ ἐπιούσιος *crastinus, quotidianus.* Idque etiam olim secutum est Euangelium Hebraicum, ut Hieronymus Matth. 6. testatur: in *Euangelio*, inquit, *quod appellatur secundum Hebræos, reperi* מחר *quod dicitur crastinum*; idemque sequitur Erasmus annotationibus ad Matthæi cap. 6. & doctiss. Piscator, & Angelus Caninius capite ante citato, qui ait: quod cum Græcus Matthæi, ex Hebræo illo interpres, vocem illam Syriacam דמחר nulla voce Græca posset exprimere, & sciret τῇ ἐπιούσῃ pro *postridie* ab omnibus accipi, nomen novum, aptum tamen, servata analogia formasse, ἐπιούσιος. Sed in eo aliena primum est hypothesis illa, quod Euangelium Matthæi scriptum sit Hebraicè; deinde & altera quod Hebræum illud exemplar Euangelii, cujus Hieronymus meminit, fuerit genuinum Matthæi exemplar. Hæc enim duo à verò omninò dissentire perspicuis demonstrationibus in libello de genealogia Christi, ad calcem operis, ostendimus. Deinde in hoc etymo statuendo analogiam, nec Antesignanus, nec Caninius, insignes licet Grammatici, etiam Græci, observasse videntur: nam ut Doctiss. Pasor in suo Novi Testamenti Lexico notat (cum de voce εἰμι, & ἐπιούσιος eruditè disserit) in lingua Græca à participiis adjectiva nomina non derivantur. Ac sane usus idem confirmat, adeò ut ne à diligentissimis quidem Grammaticis ulla regula, aut exemplum tradatur. Si quis forte objiciat, ab ἑκὼν *volens* derivari ἑκούσιος *voluntarius*; verum est & ἑκὼν ab ἑκὼν etiam formatur; sed hæc non sunt participia, sed potius nomina, quæ participiorum formam imitantur, ut Doctiss. Sylburgius in Grammatica Græca pag. 35. & 262. declarat. Quod vero in exercitationibus Euangelicis, & περιούσιον à περιὼν & ἐπιούσιον ab ἐπιέναι innuitur derivari, analogiæ Grammaticæ repugnat. Nec enim ἐπίειμι sed ἔπειμι in usu est: neque hoc sensu participium ἐπιὼν exstat; nec si in usu esset, adjectivum inde formaretur, ut ante ostendimus. Alii igitur ἐπιούσιον (ut ἡμιούσιον & ὁμοούσιον & ἐπιρρέοντα) non esse verbale, sed compositum censent (ut Clariss. Beza, & Henricus Steph. in thesauro) ex ἐπὶ & οὐσία: quemadmodum ex ὑπὸ & οὐσία, ὑπούσιος ac proximè ex περιουσία, & ex ὑπὸ & ἐξουσία, ὑπεξούσιος *potestati subjectus*: quemadmodum Sylburg. in Grammatica pag. 262. docet, & Dominus Pasor in Lexico Nov. Test. Atque hanc compositionem Theophylactus Græcus etiam expresse in Commentariis ad hunc locum monstravit, & Hieronymus ad hunc locum, & vulgata versio illi attributa: ita tamen, ut vocem ἐπὶ, non ut reliqui, pro *ad*, sed pro *super*, minus commodè accipiat. Verum adversus hanc compositionem vocis objicit Caninius, in loco ante indicato, eam esse contra Græcæ linguæ analogiam, quæ postularet ἐπούσιον, non autem ἐπιούσιον, quem secutus exercitationum Euangelicarum author, ait: *Error, à non intellecta origine Grammatica ortus,* ἐπιούσιον *enim, ab* ἐπὶ, *&* οὐσία, *compositum nomen esse crediderunt; quod si verum esset,* ἐπούσιος, *non* ἐπιούσιος *dicendum fuerat.* Sed error hic omninò nullus:. Nec enim analogia compositionis obstat, cum ea non sit sola hæc, ut vocis ἐπὶ jota ante vocalem compositæ vocis, detrahatur, sicut ἐπεγένετο dicitur non ἐπιεγένετο; sed etiam altera, ut interdum maneat: quemadmodum ex ἐπὶ & ὅρκος *juramentum*, ἐπίορκος, *perjurus & ἐπιορκία, perjurium*: & ex ἐπὶ & ὄψομαι *video, aspicio*, fit primum ἐπιόψομαι *inspicio*, & deinde ἐπιόψομαι ab ἐπιόψ, unde ἐπιόπτης *inspector*, ut usus bonorum authorum, & lexicographi demonstrant. Quod adeo clarum est, ut etiam loco citato Caninius hoc agnoscere tandem cogatur, cum ait: *quamvis igitur demus ab* οὐσία, *dici posse* ἐπιούσιον, *ut* ἐπίορκος *ab* ὅρκος, *significatus ipse verbi Syriaci, quo Christus usus est, repugnat.* Quæ verò de voce Syriaca dicit, rectè refutat D. Scultetus in exercitationibus Euangelicis.

Quare demonstrata recta origine vocis ἐπιούσιος, de significatione genuina agendum paucis. Eam autem cum suo etymo expressit succinctè Theophylact. cum ait ἐπιούσιον τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, καὶ συστάσει ἡμῶν αὐταρκῆ ὄντα h. e. ἐπιούσιον *dicit, qui ad essentiam, & constitutionem nostram sufficiens*; ubi videtur, *essentiam* pro *vita*, quâ sumus, accipere: quemadmodum Aristotel. Metaphys. lib. 4. cap. 5. *necessarium*, inquit, *dicitur, sine quo, ut causa adjuvante, non continget vivere, ut respirare, & alimentum animali necessarium; impossibile enim est* ἄνευ τούτων εἶναι, *sine iis esse*, ubi quod prius *vivere* dixit, postea *esse* vocat eodem sensu. Atque hanc etymologiam, & sententiam ante Theophylactum, Basilius Magnus (ut etiam rectè doct. Beza observavit) in Asceticis ad quæstionem 252. proposuit: τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, τουτέστι τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, hoc est, ut Musculus interpretatur, *qui ad quotidianam vitæ sustentationem, substantiæ nostræ conducit.* Chrysost. verò sensum exprimit: τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, τουτέστι τὸν ἐφ' ἡμέραν, *panem*, ἐπιούσιον, hoc est, *diarium, sive diurnum*; & Suidas, ἐπιούσιος ἄρτος ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων ἢ ὁ καθημερινὸς, hoc est, ἐπιούσιος, *panis, qui ad essentiam nostram aptus est, aut diurnus vel quotidianus.* Nam vox illa; καθημερινὸς alterutrum notat, ut Henricus Steph. in thesauro demonstrat. Latini patres idem etiam spectarunt, quando *quotidianum* verterunt, ut initio, cum de pane agerem, ex Tertull. Cypriano, & August. ostendi, & sic vulgata versio, Luc. 11. 3. *Non supersubstantialem*, ut hoc loco, sed *quotidianum* interpretatur. Quæritur autem an satis rectè. Quidam ita censent, ut Beza: *Vetus*, inquit *interpres satis commodè quotidianum vertit.* (sc. Luc. 11.) *quum sic vocare, quod vulgatum & usitatum est, soleamus.* Alii verò negant, primum quod Græci Interpretes ipsi non verterint καθημερινὸν: attamen homo Græcus Lexicographus Suidas, secundo loco, ut modo ostendi sic exponit. Altera ratio est, quod ταυτολογία, esset vix tolerabilis: quia Luc. 11. pro σήμερον, hodie, ponitur τὸ καθ' ἡμέραν. Si igitur inquiunt, ἐπιούσιον est καθημερινὸν; dicendum fuerit otiosa & odiosa repetitione, panem nostrum quotidianum da nobis quotidiè. Sed dici potest non esse otiosam repetitionem: quia καθημερινὸν Græcè etiam notat *diurnum, diarium, seu diei convenientem*; atque ita fortè per catachresin, latina illa vox *quotidianum*, imitatione Græcæ vocis, initio usurpata. Atque ita simile erit illi Danielis 1. v. 5. *dedit ei rex* דבר יום ביומו *rem diei* (id est, victum diurnum) *in die suo*, hoc est, quotidiè, singulis diebus. Et eadem phrasis etiam extat Jerem. 52. vers. ult. Aut etiam dici potest, cum Clariss. Beza, panem quotidianum, pro vulgari, ac consueto accipi; ut scil. à delitiis ac superfluis distinguatur ut 1. Tim. 6. vers. 8. *Habentes victum, & amictum, eis nobis sufficiant.* Quemadmodum à philologis *cœnam quotidianam alicui apponere* citatur ex Plinio lib. 9. 35. & *victus quotidianus* ex Cicerone pro Roscio Amerino. Atque ita non malè conveniet cum eo, quod Syrus interpres habet: da nobis panem דסונקנן i. e. necessitatum: seu ut Trem. & alii reddunt, necessitatis, hoc est necessarium: ut ita sit plurale pro singulari סונקנא, quod extat 1. Cor. 12. 22. Quamvis dici potest genitivo plurali (ut in hujusmodi constructione fieri solet) superlativum notari, id est maximè necessarium. Quamobrem gravis nulla videtur causa cur vocem illam *quotidianum*, adeò receptam, in aliam mutemus; Id quod etiam Clarissimus Beza similiter judicat, etsi addat: *præstiterit fortasse panem cibarium interpretari, vocabulo latinis usitato quoque, in eadem significatione: vel per periphrasin, panem sustentandis nobis idoneum.* Hæc ille: quamvis ambiguitatis vitandæ causa, si quid forte esset mutandum, cum Chrysostomo (qui ἐφήμερον exponit) *diarium* sive *diurnum* malim, ut sit quod Ia. 2. 15. ἐφήμερος τροφὴ dicitur: & cum Dan. cap. 1. v. 5. (ut ante monui) conveniat. Cœterum, unicum

cum videtur hoc loco dubium, quomodo conciliari possint Matth. & Lucas: cum ille habeat, *da hodie:* Lucas vero *da* τὸ καθ' ἡμέραν supple ἑκάστην, id est *singulis diebus*, quotidie: & ut Syrus rectè vertit, *omni die:* Sed responderi potest primò cum Beza, ut *quotidianum*, *vulgarem* notet: & Luc. 11. τὸ καθ' ἡμέραν sine ellipsi, scilicet in diem, id est, quanto in hunc diem opus est: atque ita idem erit, cum voce *hodie*. Cui videtur simile illud Luc. 19. 17. de Christo; *& docebat* τὸ καθ' ἡμέραν (id est, per diem seu die illo) *in templo*; ut oratio sit perfecta, ac sine ellipsi vocis ἑκάστην. Nam quod communiter interpretes exponunt, per ellipsin potius ἑκάστην *quotidie*, illud sequentibus non videtur satis cohærere: sequitur enim *Sacerdotes verò & Scribæ quærebant eum perdere*, nempè eo die. Deindè esto, valeat communis interpretatio, & sit ellipsis τὸ καθ' ἡμέραν scil. ἑκάστην. *Quotidie*: diversitas erit inter Euangelistas, non contradictio. Nam qui petit panem hodiè, non excludit panem sequentibus diebus, à Deo dandum: & qui panem dari postulat singulis diebus, hodie etiam dandum includit. Neque obstat quod Christus solicitudinem crastini prohibet. Nam de incredula & immoderata solum cura agit: quemadmodum antea demonstravimus. Ac videtur Christus hac diversitate voluisse docere, & hodie & singulis diebus à Deo patre nostro, panem diurnum, ac necessarium expectandum, ac petendum.

Atque hactenus de pane ἐπιουσίῳ.

De Orationis Dominicæ petitione quinta.

PEtitio orationis Dominicæ quinta, constat propositione, & confirmatione. Propositio est: *Remitte nobis debita nostra.* In qua indicatur petitionis objectum, & subjectum, seu de qua re & quidnam petatur. Ac prius quidem sunt τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, id est, debita nostra. *Debitum* autem propriè est æs alienum, quod alicui reddi debet, ut Matt. 18. v. 30. & 32. ubi ὀφειλὴ & τὸ ὀφειλόμενον appellatur. Impropriè verò per metaphoram, vel per metonymiam usurpatur. Per Metaphoram primum bifariam: vel in bonam enim vel in malam partem accipitur. In bonam, ut officium præstandum notetur: quod scil. quemadmodum debitum creditori reddendum; sic & officium ei, cui obstrictus quis est, tribuendum, atque ita Rom. 13. v. 7. ubi prius significatione propria, posterius metaphorica accipitur; sic enim ait: *reddite igitur omnibus* τὰς ὀφειλὰς *debita: cui tributum tributum, &c.* (en proprium debitum) *cui timorem timorem, &c.* en metaphoricum: unde ad officium debitum obstricti *debitores* etiam vocantur, ut Rom. 1. v. 14. c. 8. v. 12. In malam verò partem *debiti* vox ob similitudinem quandam translata, notat peccatum: quod sicut debitum ad æris solutionem, aut ejus defectu ad pœnam obligare solet. Matth. 18. v. 25. & 34. Sic etiam peccatum reum efficiens, debitæ pœnæ obnoxium reddit: quia stipendium peccati mors, Rom. 6. v. 23. & 1. Cor. 15. v. 56. Quæ significatio *debiti*, pro peccato, non Hebrææ, neque Græcæ linguæ, sed Chaldææ & Syriacæ (ut ab eruditis rectè observatum) familiaris. Qua potissimum lingua, ut Christus locutus est, sic vocem illius imitatus Matthæus, Græcè ὀφείλημα debitum, pro peccato usurpavit: Lucas verò ἁμαρτίαν cap. 11. vers. 4. eodem sensu posuit, sine dubio, ut à Christo in repetitione orationis Dominicæ factum. Nam & Christus Matth. 6. v. 14. & 15. quod antea v. 12. ὀφειλήματα dixerat, τὰ παραπτώματα, lapsus, hoc est, peccata appellavit. Atque inde etiam ὀφειλέται debitores pro peccatoribus dicti sunt, Matt. 6. v. 12. & Luc. 13. v. 4. *Putatis debitores fuisse præ omnibus*, id est, peccatores: Quemadmodum ex reipsa, & v. 2. apparet. Similitudo autem debiti, & peccati, Matth. 18. v. 27. & 35. in parabola Christi explicatur. Atque hæc de significatione metaphorica, qua aut officium aut contra officii violationem seu peccatum (ob diversi debiti similitudinem ante explicatam) notat. Unde altera impropria oritur peccati duplex significatio, per metonymiam; primum efficientis, pro effecto: nempe ut non ipsum peccatum, sed pœnam peccato debitam designet: quemadmodum Zach. 14. 9. *Hoc erit Ægypti peccatum, & omnium gentium peccatum*, id est, pœna peccati: & de Christo dicitur Esa. 53. v. 12. *Peccatum multorum tulit.* & 1. Pet. 2. 24. *Similiter, qui peccata nostra pertulit.* Sic etiam Hebr. 9. v. 28. *apparebit sine peccato*, hoc est, pœna peccati. Altera hinc procedens metonymia, est adjuncti pro subjecto, ut pœnam peccati ferentem seu hostiam pro peccato notet; ut Levit. 5. v. 9. *aspergito de sanguine illius peccati*, id est, hostiæ pro peccato: *item peccatum est*, hoc est, hostia pro peccato, & 2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non norat peccatum* (notitia scil. experientiæ suæ, id est, qui nullius peccati sibi erat reverà conscius) *pro nobis fecit peccatum*, h. e. hostiam pro peccato, seu pœnam peccati nostri ferentem.

Hæc de vocis *debiti*, & *peccati* significatione, cum propria, tùm impropria. Hoc autem in loco Matt. non propriè, ut perspicuum est: sed impropriè accipitur: & quidem per Meton. priorem, ut pœnam debitam peccatis notet. Atque ita intelligitur, de qua re petitio quinta instituatur: ut alterum membrum, nempè id quod petimus ostendit. Hoc autem est *remissio* illius, cum dicitur, ἄφες ἡμῖν, *dimitte aut remitte nobis*, hoc est, condona: ne à nobis exige, consueta metaphora, à rerum, quæ vinculo astrictæ tenebantur, dimissione ac liberatione; quemadmodum Ioh. 20. v. 23. *remittere peccata, & ea retinere*, & Matt. 18. v. 18. *solvere & ligare*, eodem sensu opponuntur. Atque hinc constat, debitorum seu peccatorum remissionem nihil aliud esse, quam pœnæ peccatis debitæ omissionem, seu condonationem: & *remitte nobis debita*, seu peccata, notare, ne pœnæ ob peccata debitæ solutionem, seu satisfactionem à nobis exigas: sed clementer condones. Cæterum observandum est, remissionem peccati esse duplicem: unam universalem, alteram particularem, universalis est, quâ omnia peccata, seu pœnæ omnibus peccatis debitæ, ac solvendæ, condonantur. Qualis quam hic petimus, qua omnis satisfactionis pœna, tam temporalis, quàm æterna, vivâ fide præditis, propter solutionem ac satisfactionem perfectam Christi, condonatur: Rom. 3. v. 25. Nam *sanguis Christi purgat nos ab omni peccato.* Hebr. 9. versu 26. Tit. 2. versu 14. 1. Joh. 1. versu 7. & 9. & Actor. 13. versu 38. & 39. & Jerem. 31. versu. 34. & Hebr. 8. versu. 12. & 10. versu 17. Rom. 8. versu 1. Particularis verò remissio est alicujus pœnæ corporalis in hac vita inferendæ omissio. Qualem petiit & obtinuit Pharao, à Mose, & à Deo. Exod. 10. versu 16. & 17. & Israëlitæ hypocritæ, ac fœdifragi, Psal. 78. versu 35. & 37. & Achabus 1. Reg. 21. versu 24. Qualis particularis remissio, orta à lenitate Dei erga reprobos, justum illis judicium futurum non abstulit, sed distulit: quod ea lenitate abutentes post hanc vitam debitas pœnas amplius luant, Rom. 2. versu 4. & 5. Hac autem petitione quinta non intelligitur particularis remissio ob generalem Dei misericordiam: sed universalis, quâ ex speciali ergà fideles solos misericordia, propter Christi nati ac donati solutionem, pœnas omnes, peccatis ipsorum luendis debitas, credentibus ac pœnitentibus condonat. Quod autem Scholiastes eruditus ad hunc Matthæi locum ait: *Christus nomine remissionis divinæ, hoc loco per Meton. subjecti intelligit, sensum illius in animo nostro, qui est sensus fidei*; illud omnino alienum est. Nam talis significatio ex nullo Scripturæ loco probari potest, neque etiam ex bonorum authorum loquendi modo: imò omnia loca in quibus ea phrasis extat, aliam expositionem flagitant: quemadmodum inductione eorum colligi potest. Deinde hac ratione petitio remissionis pœnæ peccatorum ex oratione Dominica imprudenter tollitur. Nam qui sensum seu fidem illius petit, eam jam factam statuit. Quare initio longè melius exposuit, cum dixit, *remitte* id est *condona, noli à nobis postulare persolutionem* aut *satisfactionem.* Quod autem postea subjungit, *Quanquam hic potissimum petimus, ut cordibus nostris per Spiritum Sanctum persuadeat, quod nobis remiserit peccata nostra per Christum: ut percipitur ex annexa ratione & addita post explicatione:* illud inquam primæ expositioni non convenit. Nam quo modo quæso remissio peccatorum & condonationem pœnæ eorum, & simul ac potissimum persuasionem illius denotabit? Deinde an remissio peccatorum facta (ut hic statuitur) peti poterit? cum omnis sapiens petitio objectum habeat rem futuram, non autem præteritam. Neq; sequens ratio aut expositio, à Christo addita, ullo modo hoc probat: quia similiter remittere peccata, pœnam seu vindictam non exigere

exigere seu condonare citra controversiam significat: cum dicitur, *sicut remittimus debitoribus nostris:* non autem significat, ut alteri persuadeatur pœnam seu vindictam ipsi remissam. Quare in eadem petitione declaranda, Luc. 11. insolentem hanc explicationem benè ac prudenter author ille omisit, & communem tantum sententiam rectè proposuit: cum ait, remitte nobis debita, id est, *noli nos punire propter nostra peccata:* & peccatorum remissionem ait per Meton: efficientis significare omissionem pœnæ. Quibus apte dictis accedunt Synonyma in sacris literis varia, ac periphrases diversæ quibus remissio peccatorum non aliter describitur: cujusmodi sunt, *non imputare peccata* scilicet ad pœnam, *tollere, ea non observare, non visitare, non intrare cum peccatore in judicium*, & similia sæpè in sacris literis obvia. Quare remissio peccatorum est pœnæ iis debitæ omissio, seu condonatio.

Veruntamen de hujus amplitudine inter pontificios & orthodoxos contraria est assertio, ac controversia. Nam Orthodoxi sentiunt, remissionem hic peti, & à Deo obtineri, pœnæ peccatorum universæ, (non solum æternæ, sed etiam temporalis) Dei judicio, secundum legis condemnationem, debitæ. Contra verò Pontificii statuunt: quemadmodum liquet ex Concilio Trid. Sess. 6. canon. 30. *Si quis* inquit *post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ*, vel *in hoc seculo, vel in futuro* in purgatorio, *antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit*; & Bell. tom. 3. controv. 3. de bonis operibus lib. 1. cap. 6. *Deus cum nobis peccata dimittit, condonat injuriam, atque ad amicitiam suam nos reconciliat, neque expetit pœnam æternam: (quam sine summo exitio luere non possemus) requirit tamen ut temporalem satisfactionem minimè negligamus.* Hæc ille. Satisfactionem autem hanc duplicem statuerunt; unam per nos: idque aut in hac vita, aut per cruciatum in purgatorio post hanc vitam: alteram pro nobis per alios, quorum satisfactio, pro peccatoribus hic pœnitentibus aut in purgatorio cruciatis, sublevandis succurrat, ut ex Greg. de Valentia in opuscul. Theologico, libro de indulgent. cap. 1. apparet.

Cæterum ab hac satisfactione, vivent̃es, Papæ beneficio, & interdum mortuos, per indulgentiam posse liberari, atque ita peccatorum pœnas temporales vel universas, vel partem earum, pro Papæ potestate, atque arbitrio, certis observationibus præscriptis, condonari affirmant. Indulgentiam verò Gregorius de Valent. loco memorato, definit hoc modo; *Indulgentia Ecclesiastica est relaxatio pœnæ temporalis, judicio divino, peccatis actualibus, post remissam culpam debitæ, per applicationem superabundantium Christi & Sanctorum satisfactionum facta, extra sacramentum, ab eo, qui legitimam ad hoc autoritatem habet.*

Hisce ad intricatæ Pontificiorum sententiæ explicationem præmissis, argumenta eorum primaria expendemus, quibus probare conantur, homini remissis peccatorum pœnis æternis, propter unius Christi satisfactionem, pœnas tamen temporales non esse remissas: sed eas ab homine, per se, aut per alium exsolvendas: nisi scilicet indulgentia Papæ accesserit. Primarium autem, quod adducunt, est Davidis exemplum geminum: primum est 2. Sam. 12. ei enim verè pœnitenti versu 13. remissis peccatis, pœna adhuc inflicta fuit, filii mors. versu 14. Sed negatur consequentia, quia hæc non fuit pœna satisfactionis, à severo judice inflicta: sed pœna castigationis paternæ, ex amore salutis illius, ut corrigeretur, ac sanctior redderetur, Hebr. 12. versu 6. 9. 10. 11. & 1. Cor. 11. versu 32. & blasphemia hostium ea castigatione reprimeretur: & scelera hujusmodi Deo improbari constaret: sicut ex versu 14. apparet. Sed rursus objicitur, pœnam talionis, quam Deus Davidi ante resipiscentiam, comminatus erat, de violandis ipsius uxoribus, versu 11. nihilominus post condonata peccata, immissam. 2. Sam. 16. versu. 22. Verum eadem solutio est; res quidem mansit, sed finis mutatus. Nam pœna irati judicis mutata est in castigationem benevoli patris.

Alterum Davidis exemplum petitur ex 2. Sam. 24. quod Davidi, post resipiscentiam, & petitionem remissionis peccatorum versu 10. ideoque impetrationem illius, tamen pœna temporalis divinitus inflicta, versu 12. & 13. Sed eadem responsio est. Nam pœna ea non fuit satisfactionis, sed castigationis, ad correctionem illius, & exemplum aliorum: ut peccati illius imitationem, castigatione conspecta, vitarent, & ut gloriæ Dei, apud hostes, per famam peccati, læsæ, consuleretur: ne ea peccata Deo quasi probanti ascriberent. Atque eadem Augustini in similibus objectionibus, (quas etiam Pontificii afferre solent, ut ex Gregor. de Valent. de indulg. cap. 1. liquet) solutio, tom. 7. de peccatorum meritis lib. 2. cap. 33. & 34. ubi duo ex Gen. 3. adversariorum nostrorum argumenta proponit. Primum est; mors pœna peccati est, & tamen in hominibus etiam fidelibus, quibus peccata remissa sunt, ea nihilominus manet. (cui addunt Pontificii & illud ex eodem cap. in sudore vultus, panis esum) deinde partus mulierum cum dolore licet pœna sit peccati, in piis etiam mulieribus, Deo per remissionem peccatorum reconciliatis, permanet, eamque ferunt. Solvit verò hæc argumenta Aug. cap. 34. cum ait: *ante remissionem esse illa, supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina, exercitationesque justorum, item mortem, inquit corporis, propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem, propter exercendam justitiam, non ademit.* Hæc ille. Quare Deus peccata remittit non partim, sed omnino: ut 1. Ioh. 1. *Christi sanguis nos purgat ab omni peccato*; & ea confitenti, ac remissionem petenti per veram resipiscentiam ac fidem omnino remittit: quemadmodum etiam universè promittit; *quicquid petieritis à Patre meo, in nomine meo, dabit vobis.* Ioh. 16. v. 23.

Atque hæc de petitionis quintæ, in oratione Dominica, parte prima, nempè propositione. Altera verò est confirmatio his verbis *ὡς καὶ ἡμεῖς remittimus debitoribus nostris:* id quod à Christo apud Lucam cap. 11. in orationis Dominicæ formula (Matth. 6. publica concione proposita) privatim repetita, Apostolis hoc modo tradit, καὶ γάρ. *Nam & ipsi remittimus omni debitori nostro:* unde videtur apud Matthæum similiter vertendum, *Nam & nos:* ut expressius cum Lucæ verbis conveniat, siquidem vox Græca ὡς, quæ propriè *ut* significat, inter alias significationes (quas triginta Henricus Steph. in thesauro suo enumerat, ac probat) etiam pro conjunctione ὅτι sive γὰρ *quia, nam*, usurpatur: quemadmodum Steph. ibidem exemplis aliquot ex Homer. & Thucyd. demonstrat. Quibus addo duo loca insignia, primum Æschyli in Persis edit. Henr. Steph. pag. 138. ὡς πάντα γ' ἐς' ἐκεῖνα πεπραγμένα, hoc est, *quia omnia facta sunt:* quemadmodum Scholiastes doctissimus ait, τὸ ὡς, ἀντὶ τοῦ ὅτι καὶ ἀντὶ τοῦ λίαν, id est, ὡς, pro *quia* & pro *valde.* secundus locus est Sophoclis in Electra edit. Henrici Steph. pag. 132. ὡς οὐκ ἄρ' ᾔδειν τῶν ἐμῶν οὐδὲν κακῶν. Quem versum doctissimus Camerarius ita transtulit; *quia scilicet nihil meorum malorum mihi notum fuit.* Et Triclinius Græcus Scholiastes primarius ad eum locum, ait, *quidam dicunt ὡς ἀντὶ τοῦ ὅτι. alii vero dicunt ὡς pro ὄντως, quod & melius.* Ubi sic usurpari apud Græcos & hoc loco à quibusdam ita exponi, agnoscit: etsi aptius putet, ut hoc loco, pro *revera* accipiatur. Idemque ab Eusth. in Homer. duobus in locis disertè asseritur. Quo etiam ab Homeri interpretibus referri solet, iliad. α versu 182. ὡς ἐμὲ ἀφαιρεῖται, *quoniam à me aufert.* Quare hinc constare satis arbitramur, vocem ὡς & Poëtis & aliis etiam authoribus Græcis interdum ὅτι & γὰρ *quia, quoniam*, significare; ideoque cùm pro ὡς Lucas habeat γὰρ, consentaneum videtur, ut ita apud Matthæum in eadem petitione reddamus. Sin verò vocis ὡς propriam significationem retineamus, similitudo, non autem paritas indicabitur remissionis nostræ, & divinæ: & confirmationem non expressam ac directam (ut antecedens explicatio) sed implicitam, atque indirectam, positione conditionis requisitæ, innuet, nixam non merito aut præstantia remissionis nostræ, (ea enim imperfecta) sed gratuita Dei promissione, ut Christus postea exponit v. 14. *Nam si remiseritis* &c. quibus ostendit, conditionem remissionis divi-

divinitus certè impetrandæ, eam esse, ut nos aliis, qui nos offenderunt condonemus: eaque conditione posita, per fidelem orationem similem à Deo gratiam obtenturos. Atque hæc strictim ad hujus loci intelligentiam dicta.

CAPITIS UNDECIMI
Versuum 20, 21, & 22. *Illustratio.*

MEmorabilis & explicatu dignissimus est hic locus Matth. cap. 11. vers. 20. 21. & 22. descriptus, partim ob rei, quæ ibi continetur gravitatem: partim ob indignam Pontificiorum & Novatorum perversitatem: qui eo ad suum Semipelagianismum, & liberi arbitrii in conversione ad fidem, cum gratia Dei συνέργειαν ac concursum abutuntur.

Constat autem hic locus præfatione Matthæi, & oratione Christi. Præfationis Matthæi scopus est, facilior verborum Christi intelligentia. Medium verò ad eum scopum tendens, est explicatio temporis, & materiæ seu summæ verbis Christi comprehensæ. Ac tempus indicatur cum ait: *Tunc*, id est, postquam Iohannes ad Christum discipulos misisset, & ipse Iohanne commendato contemptum illius, & Christi, populo exprobrasset. unde colligitur, narrationem Lucæ cap. 10. vers. 12. 13. 14. 15. similem quidem esse, sed non eandem. Nam Christi oratio apud Matthæum habita est, postquam Christus, Apostolos ad prædicandum Euangelium mittendos, de officio & eventu monuisset; id quod Matth. 10. ad finem usque describitur. Quibus deinde post discessum eorum successit oratio, de Iohanne Baptista, & indigno populi contemtu, cap. 11. 1. 2. &c. Contra verò oratio Christi quam Lucas describit huic similem, accidit ante illam Apostolorum legationem, ut vers. 11. & 16. quibus includitur, demonstratur.

Materia verò seu summa orationis Christi indicatur: *cœpit exprobrare urbibus, in quibus editæ erant plurimæ virtutes ipsius, quod non μετενόησαν.* quibus verbis quidnam præcipuè in sequenti Christi oratione contineatur, indicat Matthæus generatim primum; deinde exponit speciatim. Ac prius quidem est exprobratio: nam Christus probro increpat urbes, nempè tres, Chorazin, Bethsaidan, & Capernaum, sitas in Galilæa, ad lacum Tiberiadis. Speciatim verò exprobratio declaratur 1. propositione collatæ ipsis à Christo gratiæ; deinde ingratitudinis ipsorum oppositione. Gratia autem est, quod in eis editæ fuerant ejus δυνάμεις, & quidem plurimæ. δυνάμεις autem (quasi diceres *potentias*, *vires*, &, ut vulgo transferunt ambiguè, *virtutes*) miracula significant, per metony. efficientis pro effecto suo, quia ea sunt extraordinaria & miranda potentiæ divinæ opera; ut quæ humanæ naturæ vires superant. Quæ Christus ut verus Deus non aliena, sed sua æterna potentia effecit. ut Luc 9. v. 19. Marc. 16. v. 20. Atque ita observandum est discrimen inter Christi, & Apostolorum miracula perspicuum: Nam licet Apostolis potestatem edendi miracula dederit, Matth. 10. v. 8. potentiam tamen suam, qua propriè facta miracula, iis non indidit, neque communicavit: sed externum ministerium loquendi, & externa signa adhibendi tradidit: quibus suam efficaciam (ut solus miraculorum author) addidit. idque apparet etiam ex Actor. 3. vers. 6. Petrus enim claudum sanans dicit; *in nomine Iesu Nazaræi, surge, & ambula.* ubi præceptum quidem miraculi, est Petri (qui Christo, de miraculis per Apostolos secuturis, Marc. 26. v. 17. credidit) sed miraculi propria effectio, nec omninò, nec partim à Petro; sed à Christo solo processit: quemadmodum diserte populum admirantem ipsemet monet, vers. 12. *Quid miramini super hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria vi, aut pietate effecerimus, ut hic ambularet*, & vers. 16. *& per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmavit nomen ipsius: fides, inquam, quæ per ipsum dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis.* Quibus Christus miraculi solus author, fides verò erga promissionem Christi, de secuturis, Apostolorum ministerio, miraculis, causa impetrans statuitur. Ac propterea ex miraculis à Christo editis, inprimis quæ omnium creaturarum seu hominum, atque Angelorum vires superant (qualis resurrectio mortuorum, potentiæ visus penitus ablatæ restitutio, & similia) meritò concluditur, eum esse verum Deum: non quia miracula illa edidit: sed quia eo modo: quod scilicet vi suæ Deitatis, tanquam author; contra verò ex miraculis Apostolorum hoc concludi non potest, quia illi fuerunt eorum quidem causa impetrans, ac fide miraculorum promissorum impetrans: sed non propriè efficiens. Ideoque cum divina atque infinita potentia, qua miracula effecta sunt, iis non fuerit insita, nec communicata, sed à Christo vero Deo accesserit, (cui miraculorum, vi sua, effectio convenit, Marc. 16. vers. 20. Hebr. 2. vers. 4.) propterea Apostoli authores miraculorum non fuerunt, sed tantum ministri: ideoque nec causa instrumentalis aliter quam impropriè per metaphoram, appellantur. Nam instrumenta, propriè sic dicta (sive naturalia, sive artificialia) etsi non sint causæ effecti sui solæ, nec principales, adjuvantes tamen, insitaque sua vi ad efficientiam illius aliquid conferunt emolumenti; ut securis ad sectionem arboris vim suam exerit, quamvis homo secans, eaque utens, sit causa principalis. Instrumenta verò impropriè dicta sunt adjuncta quædam antecedentia, quæ similitudinem quandam habent cum instrumentis, quod videlicet eorum instar, effectionem, ut requisita conditio antecedant, eamque certò consequentem habeant. ita fides nos Christo unit, ac justificat, ut causa instrumentalis non propriè seu per se insita sua vi (ut naturalis & artificialis) sed impropriè ac supernaturalis, quæ ex promissionis Dei vi, ea beneficia impetrat ac consequitur, virtute Spiritus Sancti. Sic etiam in edendis miraculis Apostoli fuerunt instrumenta eorum, non propriè sic dicta, natura, aut arte, indita vi, quasi vim insitam ad effectionem eorum unà cum principali causa requisitam, ac concurrentem habuissent: sed impropriè, ut instrumenta supernaturalia, quod secundum promissionem, de miraculis per ipsos futuris à Christo factam, credentes, suo ministerio, ac fide, ea ab ipso impetrarint.

Atque hæc de gratia tribus urbibus collata, nempè virtutibus seu miraculis, in iis, à Christo editis, & quidem non paucis, sed (ut ad amplificationem gratiæ additur) *plurimis*, qualia etiam vers. 5. hujus capitis recensentur.

Ingratitudo verò urbium earum, hoc est incolarum, exprimitur ab Euangelista, cum ait, ὅτι οὐ μετενόησαν, *quod non egissent pœnitentiam:* quemadmodum vulgata latina versio exponit; *vel non resipuissent*; ut noster interpres Beza transtulit. Cujus vocis origo, ac significatio distinctè nonnihil explicanda est hoc in loco; ut sententia Euangelistæ, & Christi, eo melius intelligatur, & à corruptela Pontificiorum & Novatorum clarius vindicetur.

Νόος, & contractè νοῦς *mentem*, & indè per Metonymiam subjecti pro adjuncto *sententiam mentis* notat. undè verbum νοεῖν *mente agito*, hoc est, *cogito*, aut *intelligo*, & cum præpositione μετὰ hoc est, *post* aut *trans* μετανοεῖν, hoc est, ut Henricus Stephanus in Thesauro exponit, *post intelligo*: atque ita opponitur voci προνοεῖν, hoc est, *ante rem intelligo*, seu *prævideo* (quemadmodum idem ex Platonis Gorgia & Xenophonte probat) aut *mentem*, hoc est, *sententiam muto*, sicut idem Stephanus ait: Veruntamen ejus significationis exemplum ullum nec ipse adfert, nec alibi hactenus inveni: Videtur tamen innui in libro Sapientiæ cap. 12. vers. 10. *dabas* τόπον μετανοίας *locum pœnitentiæ* (ut interpretes transtulerunt communiter; aut fortè, *mutationis sententiæ*) *non ignorans, pravam esse generationem eorum, & infinitam eorum malitiam, nec mutandam eorum ratiocinationem,* ὅτι μὴ ἀλλαγῇ ὁ λογισμὸς αὐτῶν εἰς *seculum.*

Ab hac propria significatione oritur impropria, quæ longè frequentior est, ut per Metonymiam causæ efficientis, pro effecto suo, *pœnitere*, vel *pœnitentiam agere* significet: quod est, ex conscientia peccati minus ante considerati, mutata jam sententia, dolere. Quomodo μετάνοια frequentissimè apud Græcos authores pro pœnitentia usurpatur; qua de re eleganter Ausonius in epigrammate, de occasione & pœnitentia ait;

Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. dic rogo, quæ sis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Lactantius autem Christianarum Institutionum lib. 6. cap. 24 ait, *μετάνοιαν dicunt quàm nos Latinè possumus resipiscentiam dicere; Resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius vivendum.* Veruntamen μετανοεῖν, & μετάνοια Græcis per se generatim, *pœnitere*, & *pœnitentiam* notat; sive sit mali, sive boni; ut etiam exempla apud Henricum Stephanum in Thesauro adferuntur, aliaque in bonis authoribus occurrunt: frequentius tamen de secundo modo intelligitur. Convenit autem significatione cum verbo μεταμελέω, quemadmodum ex bonorum authorum usu constat; qua de re locus memorabilis Plutarchi, περὶ εὐθυμίας: ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δεινὰ εἰργασμένος, οἷον ἕλκος ἐν σαρκὶ, τῇ ψυχῇ τὴν μεταμέλειαν αἱμάσσουσαν ἀεὶ, καὶ νύσσουσαν ἐναπολείπει; τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος, τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐργάζεται δακνομένην σὺν αἰσχύνῃ τῆς ψυχῆς, καὶ κολαζομένην ὑφ' αὑτῆς, hoc est: *Conscientia qua conscius mihi sum perpetratorum scelerum, ut ulcus in carne, in anima pœnitentiam cruentantem perpetuò ac vellicantem relinquit. Alias enim tristitias aufert ratio: pœnitentiam verò ipsa efficit, quæ à seipsa cum pudore animæ mordetur ac punitur.* Atque hac significatione hujus vocis usus frequens est in sacris literis, quemadmodum Jerem. 4. v. 28. & cap. 31. v. 19. *pœnitebit me* נִחַמְתִּי: LXX. interpretes utroque in loco vertunt μετανοήσω. Sic etiam in Novo Testamento, Luc. 17. v. 4. *Si dicat μετανοῶ pœnitet me, remitte ei*, ut rectè vulgata versio: minus verò aptè noster interpres Latinus transtulit, *resipui*, & vers. 3. si μετανοήσῃ, *pœnitentiam egerit*, & Hebr. 12. v. 17. dicitur de Esavo, μετανοίας, id est, *pœnitentiæ locum non invenit*, quemadmodum interpretes communi consensu ita exponunt, & res ipsa flagitat. Atque ita in hac præfatione Matthæi accipitur hæc vox; ut Christi oratio ei subjecta ostendit. cujus scopus est, occurrere scandalo: ne auditores exemplo hujus impœnitentiæ seducerentur; sed ut hac oratione in timore Dei, & officio continerentur.

Partes autem illius sunt duæ, comminatio & confirmatio illius. Et comminatio quidem est hæc: *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida.* quæ indicat primum objectum, deinde modum, seu quibus, & quid comminetur. Illi autem, quibus minatur, sunt duæ urbes vicinæ, in Galilæa, ad lacum Tiberiadis, Chorazin, & Bethsaida; quibus Metonymicè habitatores earum, hoc est Chorasini & Bethsaidani intelliguntur. Quod verò minatur, est miseria, quam designat Christus, cum ait; οὐαί σοι, *væ tibi.* Quæ vox οὐαὶ apud LXX. interpretes Bibliorum & in Novo Testamento extat. ut etiam Henr. Steph. in Thesauro annotavit, sed usum illius apud alios authores, nec ipse, nec alii ostendunt; puram tamen Græcam vocem esse, vel illud indicat, quod *Væ* latinum inde derivatum. Hæc autem vox, primum ac propriè est interjectio, miseriæ suæ 1. Sam. 4. vers. 7. 8. vel alienæ, Jerem. 34. vers. 5, index: deinde impropriè per ἀντιμοιέαν loco nominis indeclinabilis posita, miseriam notat, ut Apoc. 9. v. 12. *væ unum abiit, duo adveniunt*, & cap. 11. versu 14. *secundum væ, tertium væ*, hoc est miseria; atque ita opponitur felicitati, ut Ecclesiastis cap. 10. vers. 16. cum 17. & Luc. 6. vers. 20. cum 24. collato. Miseria autem hæc vel temporalis est: ut Luc. 21. 23. *væ prægnantibus!* vel æterna: ut Esai. 5. vers. 11, 18. 20. 21. 22. ubi *væ* denuntiatur ebriosis, aliisque improbis hominibus. & 1. Cor. 9. v. 16. *Væ mihi* (supple erit) *nisi Euangelizem.* & Matth 23. v. 13. & seqq. sæpissimè inculcatum illud: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi!* atque ita hoc loco *væ* miseriam; & quidem æternam notat: ut ex altera orationis Christi parte, nempè confirmatione, à pœna, in die judicii ferenda, constat. Confirmatio autem est Enthymematica, cujus & antecedens & consequens comparatione minoris amplificatur. Antecedens autem rationem continet miseriæ, à causa efficiente, nempè Chorazinorum & Bethsaidanorum impœnitentia, quam comparatione cum minori impœnitentiâ Tyriorum & Sidoniorum, (hominum à vera religione, & à republica Israelis alienorum) amplificando non exprimit, sed satis innuit, cum ait: *Nam si in Tyro &c.* Summa autem sententiæ Christi est; vos Judæi Galilæi, hominibus Ethnicis, Tyriis & Sydoniis, deteriores estis. Nam miraculis illis quæ inter vos edita sunt, non estis ad pœnitentiam adducti: Contra verò si Tyriis & Sidoniis ea accidissent, pœnitentiam egissent olim, cum *sacco & cinere*, hoc est, suum ob peccata dolorem, ac luctum solenni more fuissent testati. Nam in majori animi luctu in illis inprimis regionibus hoc erat usitatum, ut saccum induerent 2. Sam. 3. v. 31. & 1. Reg. 20. versu 31. & 32. & præterea interdum in cinere quoque sederent. ut Esth. 4. versu 3. quo de ritu & apud Græcos ex Homer. & Plutarcho nonnulla in major. annotat. à Beza proferuntur. Hæc autem μετάνοια seu pœnitentia Tyriorum, posita miraculorum illorum conditione, futura, intelligitur hujusmodi, quæ communis est electis & reprobis, credentibus in Christum, & non credentibus: qualis fuit Ninivitarum cum sacco pœnitentia. Jon. 3. versu 6. & 11. qui μετενόησαν *pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ*, Matt. 12. v. 41 quæ non ex fide in Christum orta (nam ea ex auditu Euangelii, Rom. 10. versu 16. & 17. quo caruerunt) sed ex fide comminationis, à Deo, per Jonam, propositæ, Jon. 3. versu 5. & 6. qualis etiam pœnitentia Achabi, cum sacco, describitur, comminationibus Dei per Prophetam excitata, 1. Reg 21. 27. sic hoc in loco pœnitentia Tyriorum intelligitur futura, non ex viva in Christum fide: sed ex omnipotentiæ Dei creatoris, in miraculis seu virtutibus Christi, sese patefacientis, cognitione ac timore pœnæ: qualis pœnitentia, ante fidem in Christum requiritur, & interdum sine ea consequente existit, & à fide diserte distinguitur, ut Marc. 1. v. 15. μετανοεῖτε *pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* & Actor. 20. vers. 21. *Testificans in Deum pœnitentiam.* μετάνοιαν, *& fidem in Iesum Christum.* denique Hebr. 6. v. 1 *Non jacientes rursum fundamentum μετανοίας pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum.* Atque hæc prima pœnitentia, quæ nondum credentium & ex fide in Deum creatorem omnipotentem mundi judicem oritur: & à secundâ, quæ credentium in Christum, distinguitur. Nam ut hæc à fide in Christum Servatorem procedit, & certa est ad salutem via, 2. Cor. 7. v. 10. sic illa prior est prævia 2. Tim. 2. v. 25. & partim à Deo, partim ab hominis voluntate procedit, ut & Achabi & Ninivitarum exempla evincunt: atq; ita originis suæ ratione, à fide in Christum (quæ merum Dei donum est, Ephes. 2. v. 8. 9. 10.) distinguitur. Quod autem de futura hac Tyriorum, posita illa conditione, pœnitentia asserit, illius veritas ex indefinita divinæ ipsius naturæ præscientia constat, qua novit, quidnam, quo posito antecedente, fuisset secuturum, etiamsi neutrum evenerit. Nam posita ea conditione alterutrum fuisse eventurum, ut aut pœnitentiam agerent, aut non agerent, omnibus notum est, ex principio illo, quod duo opposita non possunt simul esse vera; sed utrum eorum fuisset futurum, cum res fuerit contingens, solus prævidit, qui infinita sua scientia omnia videt, nec solum necessaria, sed etiam futura contingentia certò prædicit. Similis autem locus est Ezech. 3. v. 6. 7.

Hisce jam expositis non difficulter Pontificiorum & Novatorum nodus, quem hic nectere conantur, dissolvitur. Probare enim hinc student, Deum, homines, ad fidem in Christum, convertere, non gratia merè perficiente, sed sufficiente, quæ demum, quando accesserit liber humanæ voluntatis assensus, fidem efficiat: ita ut duas statuant fidei justificantis causas, Dei gratiam sufficientem, & hominis voluntatem liberè concurrentem. Idque ex hoc loco ita firmari statuunt; quod ea gratia, quæ oblata fuit Galilæis urbibus, seu incolis earum, fuerit sufficiens ad credendum in Christum, & tamen non crediderunt. Sufficientem autem fuisse inde colligunt, quod Tyrii & Sydonii, Christo teste, si ea iis fuisset data, in ipsum credidissent. Verùm negamus Galilæis gratiam collatam fuisse sufficientem, ad credendum in Christum: Sed ad pœnitentiam agendam

potuisse

potuisse sufficere agnoscimus, ad quam virtutes illæ seu miracula Christi erant idonea, nisi voluntatis eorum pravitas tanta obstitisset, quanta non fuit in Tyriis & Sidoniis: ad fidem verò non sufficiebat: quia ad eam inprimis requirebatur doctrinæ Euangelii revelatio, non solum externa, Rom. 10. v. 17. quæ ipsis adfuit: sed & interna per Spiritum regenerantem, Matth. 11. v. 25. 26. 27. & 16. 17. Ioh. 6. v. 44. & 65. Eph. 2. v. 8. 9. 10. & 1. Petri 1. v. 21. 22. & 23. quæ interna gratia ipsis defuit. Ideoque Christus non ait, *si in Tyro &c.* credidissent in me: sed *pœnitentiam egissent in sacco & cinere.* Ea enim miracula, seu virtutes Christi, instrumenta erant, ad considerationem omnipotentiæ Dei judicis, & ad peccatorum conscientiam, Deique metum ac pœnitentiam in Tyriis & Sidoniis, non adeo pravis, excitandam, idonea ac sufficientia; imò si ea miracula evenissent, efficientia; ut Christus testatur. Quare sententia hæc Semipelagianorum errori nequaquam patrocinatur.

Atque hæc de Enthymematis antecedente, prima scilicet confirmationis parte, qua Christus ab impœnitentiæ gravitate, justitiam ac veritatem comminationis miseriæ probat. Consequens verò, seu altera pars, est propositæ comminationis conclusio, ad illustrationem, & amplificationem illius, per comparationem pœnæ minoris Tyriorum & Sidoniorum, quod scilicet horum conditio, in die extremi judicii sit futura tolerabilior, quam Chorazinorum & Bethsaidanorum: quo indicat illud, quod in antecedente non expressit, nimirum impœnitentiam ipsorum fuisse majorem. Nam quamvis in die judicii universalis, pœna damnatorum omnium futura sit, animæ simul & corporis, duratione temporis æqualis: quia communiter erit æterna: ratione tamen gradus, seu gravitatis pœnæ, erit inæqualis, peccatis inæqualibus respondens: quemadmodum justitiæ divinæ & meriti peccatorum ratio exigit, Luc. 12. vers. 46. & 47. & 2. Cor. 5. vers. 10.

Cæterum observandum est, vocem πλὴν quæ *præter* seu *præterquam* primo notat, ut Marc. 12. 32. Joh. 8 vers. 10. deinde *verum veruntamen*, Matt. 26. vers. 39. ut Hensychius rectè exponit πλὴν, ἐκτὸς, ὅμως, hoc est, πλὴν significat *præterquam, veruntamen*; accipi deinde, Ephes. 5. vers. 33. pro *itaque*, ut ex reipsa Beza vertit, & Henricus Stephanus in Thesauro suo idem approbat. Atque hoc modo voce illa hic accepta erit directa conclusio, *itaque dico vobis:* sin vero ut vulgata versio, quæ *veruntamen* transtulit, accipiatur, erit obliqua conclusio hoc modo: Tyrii quidem, si ea miracula apud ipsos fuissent facta, quæ apud vos impœnitentes, pœnitentiam egissent: veruntamen, ut tolerabilior eorum est culpa, ita tolerabilior quoq; eorum erit in die judicii conditio quàm vestra. Beza verò hoc vertit, *quin etiam.*

Atque hæc de sententiæ hujus explicatione breviter dicta; unde similis Christi, de Capernaumitis sententia, vers. 23. & 24. comprehensa, facilè intelligitur.

Illustratio Versuum 25, & 26. ex Matth. XI. Capite.

PRæclara omninò ea est Concio Christi, quæ Matth. 11. inde à vers. 4. ad finem usque continetur. In ea enim primùm est descriptio præstantiæ officii, partim Iesu Christi; partim Iohannis Baptistæ: cui deinde subjicitur gravissima exprobratio adversus ingratos duplex: primum incredulitatis Judæorum plurium malitiosæ; deinde trium urbium Chorazin, Bethsaidæ, & Capernaumi impœnitentiæ magnitudo. Cui tertio loco jam subjicitur inserta Christi ad Patrem oratio succincta. Cui postremo hortatio, ad fidem auditorum, in conclusione concionis adjungitur. Orationem autem Christi ad Patrem Euangelista describit vers. 25. & 26. duabus partibus: præfatione sua, & subjecta propositione orationi Christi.

Præfatio autem Matthæi tempus declarat orationis illius habitæ, cum ait ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, *in illo tempore*, aut potius *opportuno tempore*, nempe cum antecedentem de incredulitate multorum, & impœnitentia, reprehensionem præmisisset, hæc locutus, dixit Christus. Nam vox *respondens*, non propriè accipitur, ut orationem habitam ad interrogata significet, (non enim præcessit ulla hujus rei interrogatio) sed impropriè, per Hebraismum, hoc est; phrasis Hebrææ imitatione, in Euangeliis consueta, generatim pro *locutus est*, accipitur. Causa autem hujus præfationis est, quod Christus in oratione sua, quæ hic subjicitur, Judæorum compellatione interrupta, ab auditoribus paulisper ad Deum Patrem sermonem convertit: unde statim in sequentibus ad auditores redit: ideoque ne quis alio tempore hæc à Christo dicta suspicetur, ejusdem omnino concionis parenthesin esse docet.

Orationis autem Christi interjectæ occasio est, quod exprobratio incredulitatis malitiosæ Judæorum plurimorum, & contra laus eorum qui crediderant vers. 19. ita potuisset accipi, quasi discrimen illud inter utrosque à libera voluntatis humanæ inclinatione processisset; ideoque credentes, qui *filii*, hoc est, morigeri discipuli, *sapientiæ* vocantur, potuissent de se gloriari, & alii gloriam iis tribuere.

Scopus autem Christi est, ut huic injustæ atque impiæ arrogantiæ tempestivè occurrat, & Deo suam gloriam hac in re attribuat. Medium enim ad hunc scopum idoneum est, hæc Christi oratio: quæ constat duobus membris, nimirum exordio, & propositione. Exordium denotat objectum & materiam generalem: seu, ut clarius exprimam, ad quem oratio dirigatur, & quid summatim ea contineat.

Eum autem ad quem oratio dirigitur, describit primum à persona, cum ait *Pater*, nempe cujus sum filius *proprius* Rom. 8. atque *unigenitus*, Joh. 1. quemadmodum v. 27. satis perspicuè declaratur: Deindè ab adjuncta potestate cum ait: *Domine cœli & terræ*, nempe creationis jure: cujus potestatis meminit in eum finem, ut sit fundamentum ac ratio præstructa eorum, quæ deinde subjiciet. Quum enim nulli omnino sit obstrictus, Rom. 11. v. 35. & 36. *Quis prior dedit ei & retribuetur ipsi? nam ex eo, per eum, & in eum sunt omnia:* Idcircò de suo potest facere, sine ullâ injuria, quod velit, bonaque sua dare aut non dare pro arbitrio, Matth. 20. v. 25.

Materia autem generalis seu summa orationis indicatur, cum ait, ἐξομολογοῦμαι, id quod propriè significat *confiteor*; ut Matth. 3. v. 6. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν *confitentes peccata sua*, & Jacob. 5. v. 16. Deindè impropriè per Synecdoch. generis pro specie accipitur, in sacris quidem literis, pro *confiteri laudem alicujus* seu *laudare*, ut Rom. 14. v. 11. *omnis lingua Deo* ἐξομολογήσεται *confitebitur*, pro laudabit, celebrabit, & cap. 15. v. 9. *Propterea te in gentibus* ἐξομολογήσομαι, *confitebor*, hoc est, laudabo. Atque ita, hic secundus Hebraismus occurrit observandus. Nam verbum ידה apud Hebræos, in conjugatione hiphil הוֹדָה, quod propriè ac generatim confiteri significat, sive ad laudem, sive ad vituperium: frequenter per Synecdoch. generis, pro laudare ac celebrare usurpatur: ut Genes. 49. v. 34. Psalm. 6. v. 6. & 9. v. 2. *Confitebor* אוֹדֶה (id est, *laudabo*) *Iehovam toto corde meo:* Explicatio autem sequitur, *narrabo omnia mirabilia ejus.* Cui secundæ significationi tertiam addit Pagn. in thesauro Hebrææ linguæ majore, ut sit *gratias ago*, similiter per Synecd. generis pro specie. Nam gratiarum actio est beneficii accepti confessio, ac celebratio. Veruntamen hujus significationis exemplum idoneum sedulo licet quærenti, nondum mihi occurrit. Neque obstat quod Pagn. ibidem in radice ידה illud Psal. 72. v. 2. הוֹדִינוּ *confessi sumus aut laudavimus*, *gratias egimus*, exponit. Nam priorum duarum significationum exempla sunt obvia, quod de tertia nondum ostensum est; neque sane hic locus hoc requirit, ut vel ipse Pagn. ostendit, qui tres significationes dubiè proponit: Optimè autem fluit secunda significatio, *laudavimus* pro laudamus, celebramus: quemadmodum Tremell. & Jun. eruditè verterunt, & LXX. Interpretes, ἐξομολογησόμεθα trastulerunt. Neque etiam iidem LXX. Interpretes vocem Græcam ἐξομολογοῦμαι similiter, ullibi pro *gratias ago* posuerunt: neque ullus locus ex Nov. Test. adfertur, ubi ita accipi necesse sit. Hoc autem in loco Matthæi ἐξομολογοῦμαί σοι Interpres vulgatus, & alii, *Confiteor tibi* exponunt: quæ significatio

ficatio videtur huic loco maximè idonea. Primum, quia propria est; deinde, quia nulla obstat ratio necessaria cur impropriam statuamus. Ac rectè doctiss. Beza in annotationibus suis exponit *agnosco coram te*; quod verò addit, *aut gratias ago, ut rectè Erasmus*: hoc dicitur quidem, sed quomodo probari possit, non video. Similiter Henric. Steph. in appendice sui Thesauri in voce ἐξομολογέομαι ait, *juxta enim Hebraicum idioma hic ἐξομολογεῖσθαι est publicè agnoscere, ac profiteri: cujusmodi professiones publicæ, quoniam conjunctæ sunt cum laude ejus quem nos agnoscere profitemur, factum inde est, ut ἐξομολογοῦμαι aliquando accipiatur pro gratias ago.* Matth. 10. *ἐξομολογοῦμαί σοι, gratias tibi ago, laudes tibi dico, te prædico.* Hactenus ille. In quo confusio est duarum significationum diversarum. Nam *laudare*, & *gratias agere* inter se differre, perspicuum ac certum est: quod illud latiùs, hoc verò angustius pateat. Deinde quod *confiteri* Hebraicè *gratias agere* notet, asseritur quidem, sed hactenus nondum probatum certis documentis. Quare *confitendi* significatio propria simplicissimè huic loco convenit, quod liberè & apertè Christus, quid de patris actionibus sentiat, profitetur.

Atque hæc de Exordio, quo generatim confessio, à Christo coram patre facta, continetur, propositio verò ei subjecta speciem confessionis exponit: qua rationem reddit illius differentiæ, quod viso Christo, auditaque illius doctrina, quidam non crediderunt, alii verò crediderunt. prioris ratio redditur his verbis, *quod hæc absconderis à sapientibus, & intelligentibus.* Quo in loco per vocem *hæc* intelligit mysteria regni cœlorum, seu doctrinam Euangelii ab ipso propositam: ut res ipsa ostendit. Abscondisse autem ea dicitur Deus, non propriè, quasi jam ante ea fuissent revelata ac nota: sed metaphoricè, similitudine quadam: quod scilicet ea ignota non patefecerit. Cæterum hujusmodi absconsio est duplex: una externa, qua aut Doctrina Euangelii non proponitur omninò: vel obscurè parabolis involvitur, ut non possit intelligi. de qua re Matth. 13. v. 10. 11. Christus enim rogatus à discipulis, quare per parabolas loqueretur eis, respondit, *quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum*: idque factum esse, ob contemptum ante auditi Euangelii, vers. 13. exponitur, *quisquis enim non habet, etiam quod habet*, (id est, quod putat se habere, Luc. 8. 18. sc. firmiter) *auferetur ab eo*: quemadmodum Matth. 25. 28. talentum ab eo ablatum traditur, qui illius usum neglexerat. Interdum etiam abscondi dicitur doctrina, non exterius, sed interius, (quæ altera absconsio est) & quidem bifariam. primùm cùm doctrina non intelligitur, licet clarè proposita, idque vitio, atque errore præjudicii: quemadmodum Apostolis Christi clara illius de passione, & morte doctrina non fuit intellecta, Luc. 18. 34. idque ea de causa, quod regni mundani opinio oculos mentis ipsorum obfuscârat. Alter modus est, quo Euangelii doctrina perspicuè prædicata, intelligitur quidem ratione sententiæ: sed veritatis notitia, per Spiritum S. regenerantem donata, deest: adeò ut, intellectâ doctrinæ sententiâ, veritas tamen illius sit velata atque ignota: quomodo dicitur Luc. 19. v. 42. *Si tu nosses etiam, & quidem hoc tuo die, quæ ad pacem tuam sunt; nunc verò abscondita sunt ab oculis tuis.* id quod exponitur vers. 44. *eo quod non noveris opportunum tempus visitationis tuæ.* Qualis absconsio hoc loco intelligitur; Nam Christus apertè ac clarè cum alibi, tum hoc capite, sese Messiam esse docuerat, ac demonstraverat: adeo ut occulta non esset doctrinæ sententia, sed veritas illius. De qua intelligentia 1. Cor. 2. vers. 14. agitur: *Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritus.* Nec enim Paulus loquitur de intelligentia sententiæ, sed veritatis illius. Nam sensum sæpius increduli accuratius intelligunt ac percipiunt, quam plerique credentes: ut experientia evincit, & oppugnatio veræ sententiæ Scripturæ.

Porrò hujus absconsionis, seu non revelationis Euangelii internæ subjectum, statuuntur *sapientes & intelligentes*, hoc est, in Sacris literis, & multarum rerum scientia versati: quales fuerunt primores sacerdotes, legis doctores, Scribæ & Pharisæi, eorumque eruditi discipuli, ut Joh. 7. vers. 48. *Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?* Hoc autem indefinitè dicitur à Christo, ac de plerisque, non autem universè ac definitè de singulis. Nam Nicodemus Joh. 3. vers. 2. & 7. 50. in Christum credidit, & cum eo Joseph Arimathæus, Joh. 19. vers. 38. 39. Neque propterea tamen Deus incredulitatis author statuitur, cum Euangelii mysteria, non revelando, abscondisse dicitur: quia incredulitatem in hominibus non efficit: sed ipsorum vitio ortam & in iis inventam, sine ulla injuria relinquit, ut qui ad fidei beneficium dandum nemini sit obstrictus, Matt. 20. vers. 15. Rom. 11. vers. 35. & 36.

Atque hæc de ratione prioris partis, cur scilicet auditorum Christi pars una non crediderit. Posterioris verò, nempè quod quidam alii ex iis crediderint, ratio additur, cum ait, *& ea revelâris infantibus.* quomodo partim fidei originem, partim subjectum declarat.

Origo est revelatio Dei Patris, nempè per suum filium, Matt. 11. vers. 27. virtute Spiritus S. 1. Cor. 2. vers. 10. & 2. Cor. 4. vers. 13. Eph. 1. vers. 17. 18. Hæc autem revelatio non externa tantum, sed ei conjuncta interna intelligitur: quæ rursus duplex est: una fidei generalis ac mortuæ; altera specialis ac vivæ. Prior est, qua mens cognitione veritatis Euangelii per Spiritum Sanctum illuminatur. Sed ad fructum fiduciæ seu spei salutis per Christum, & charitatis Dei proferendum est inepta: qualis partim in hypocritis 1. Tim. 2. vers. 19. partim in iis, qui in Spiritum Sanctum peccant, Matth. 12. vers. 32. Hebr. 6. vers. 4. 5. 6. 7. Hæc prior non intelligitur hoc loco: ut collatio scopi vers. 19. ostendit. Posterior verò est, qua Euangelii veritas per Spiritum S. non tantum illuminantem, sed etiam regenerantem, revelatur, donata vivæ fidei virtute, quæ adjunctam habeat cordis in Christum fiduciam, & charitatem, ideoque per eas est efficax, Eph. 3. v. 12. Gal. 5. vers. 6. & 1. Tim. 1. vers. 5. de quali revelatione dicitur, Luc. 2 vers. 32. *Lux ad revelationem gentium*, & Matt. 16. vers. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis*, & Esai. 53. vers. 1. cum Joh. 12. vers. 38. *quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui revelatum est?* ac talis revelatio καθ' ἐξοχὴν accepta, hoc loco intelligitur.

Subjectum autem, cui illa revelatio facta, oppositè, subjecto absconsionis mysteriorum fidei, exponit Christus, cum ait, *infantibus*, quos non propriè sic vocat, ut 1. Cor. 13. vers. 11. Nam illi citra controversiam, per ætatis imbecillitatem, ad eam sunt inepti: sed impropriè, per metaphoram, ac comparatè cum Sapientibus ac Literatis, rudes atque indoctos notat. ut Rom. 2. vers. 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium*, & Eph. 4. vers. 14. *ne simus amplius infantes.* Heb. 5. vers. 13. *rudis est sermonis justitiæ, infans enim est.* cui vers. 14. opponit *adultos*, *qui propter habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali*, 1. Cor. 14. vers. 20. *Ne estote pueri* (aut infantes) Græcè παιδία, *intelligentia.* Tales autem comparatè cum doctis, & longo usu institutis, erant fideles Christi auditores, ut Joh. 7. vers. 48. & 49. *Num quis ex primoribus aut ex Pharisæis in ipsum credidit? sed turba hæc, quæ non novit legem, execrabilis est*, & Act. 4. vers 13. de Pétro & Johanne Apostolis dicitur, *cumque percepissent, eos esse homines illiteratos, & idiotas.*

Cæterum ut in priori parte, sapientes indefinitè de plerisque: sic hoc in loco *infantes*, non universè ac definitè, sed indefinitè, ac de majori fidelium parte intelliguntur. Nam ut ante ostendimus, quidam eorum fidelium non fuerunt infantes, seu illiterati, sed literati: ut Nicodemus Pharisæus ac doctor populi, Joh. 3. vers. 1. & 10. & Josephus Arimathæus Senator, Luc. 23. vers. 50. ut postea Paulus in Scholis egregiè eruditus. Actor. 22. vers. 3.

Atque hæc de differentia, cur quidam auditorum Christi in ipsum non crediderint, alii verò crediderint: nimirum quod illis Deus Euangelium Spiritu suo Sancto, donatione fidei non revelarit: hisce verò revelarit, ac fidem dederit. Id quod Christus illustrat, expositione causæ impulsivæ efficientis, utriusque communis cum ait, vers. 26.

Etiam

Etiam Pater, quia ita placuit tibi, nimirum illis non revelare, hisce verò revelare; Quo ostenditur, fidei causam esse, non voluntatem humanam, sed Divinam: ut etiam alibi dicitur, Joh. 6. v. 44 *Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum* & vers 45. *quisquis audivit, ac didicit à Patre meo, ad me venit*, & 65. *Nemo potest venire ad me: nisi ei datum fuerit à Patre meo*, & Act. 13. v. 48. *crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* & Rom. 9. v. 18. *miseretur cujus vult &c.* Ephes. 1. vers. 9. *patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundum suam εὐδοκίαν.* & cap. 2. vers. 8. 9. 10. *gratia servati estis per fidem: idque non ex vobis; Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, creati*, (hoc est regnerati) *per Christum, ad bona opera, &c.* Finis autem hujus gubernationis divinæ & decreti, quod sapientibus plerisque fidem non dederit, & illiteratis dederit, alibi explicatur, 1. Cor. 1. nempè ut omnis humanæ gloriationis materia eo melius tolleretur.

Atque hæc de genuina hujus loci sententia strictim dicta: idemque prima fronte videtur statuere, Bell. de gratia & lib. arb. lib. 2. cap. 12. cum ait: *fides autem donum Dei, quod non omnibus datur, sed iis tantum, quibus eam Deus dare voluerit:* quod probat ex Epistola ad Philipp. cap. 1. v. 29. *vobis donatum est &c. ut in eum credatis:* & sententiam eorum Pontificiorum, qui docent fidem à Deo iis donari, quos ex bono usu liberi arbitrii dispositos esse videret, jam olim in Pelagianis, (qui gratiam secundum merita nostra dari tradebant) damnatam asserit: ideoque ait, *proinde nemo credidit nisi à Deo doctus*, id est, *tractus ac persuasus:* idque probat ex hoc loco Matth. 11. *confiteor tibi &c.* & *Nemo novit filium nisi pater &c.* additque non agi hic de revelatione externa, sed de interna illa revelatione, quæ persuadet fidem: quæ non datur omnibus, sed quibus placitum est ante Deum, de qua etiam dicitur, Matth. 16. v. 17. *Beatus es &c. quia non revelavit tibi, &c.* Item *donum Dei ipsum velle credere & reipsa credere, quod non habent nisi qui credunt, quoniam eis solis Deus dignatur ita suadere, ut persuadeat.* Hæc Bellarm. videtur omnino sanctè statuere: veruntamen profana & Semipelagiana pontificiorum latet sententia. Quod ut melius intelligatur, quædam de consensione, & dissensione inter pontificios & nostros trademus: ut obscuritas sententiæ pontificiæ illustretur, & nostræ sententiæ veritas confirmetur.

Ac 1. in hisce aphorismis est consensus utrimque.

Primus est; fides in Christum est duplex: habitualis (eoque qualitas permanens) & actualis; ideoque actio transiens.

Secundus; Et habitualis quidem est fidei virtus, à Deo, per regenerationem, infusa, qua homo habilis est, ad credendum in Christum. Cujus fidei homo quidem subjectum est: quia ei divinitus illa inditur: sed non est causa cooperans, nec impulsiva promerens; utpote quæ merè gratuitum est Dei donum, Eph. 2. v. 8, 9, 10. ideoque vulgò hoc sensu dici solet, homines cum fide donantur, habere se merè passivè.

Tertius est. Actualis verò fides est ipsa credendi actio; cujus causa efficiens est duplex: Prima ac remota, & secunda ac proxima. Prima ac remota est Deus, Pater, Filius, Spiritus S. Phil. 1. v. 29. *Vobis datum est non solum in ipsum credere*, & 1. Petr. 1. v. 21. *Qui per ipsum creditis.* Secunda verò ac proxima est homo credens. Nam ut Deus ipsemet in nobis non credit; sed per Spiritum Sanctum efficit, ut credamus, sic nos credimus, seu actionem credendi auxilio Dei, nos proximè producimus, ut 2. Cor. 4 v. 13. *Et quia habemus eundem Spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est, credidi & ideo locutus sum, nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur.* Atque hoc sensu dici solet, ratione fidei actualis, seu actionis credendi, hominem sese habere non merè passivè, quasi tantum esset subjectum operationis divinæ: sed partim passivè, quatenus Deus illam in eo operatur; partim activè quatenus homo cooperatur; alioqui homo non crederet: credere enim (citra ullam controversiam) est proxima credentis actio.

Quartus est. Hominis virtute fidei infusæ donati, credendi actionem seu fidem actualem illius Deus operatur bifariam: Primum, quatenus est virtutis fidei datæ author & conservator; qui enim causa est causæ, idem etiam est causa effecti illius: Secundò quatenus ad actionem fidei concurrit auxilio suo, quo & malum obstans, nempe tentationes, cum carnis intus: tum Satanæ & mundi foris frænat, atque aufert; & contra bonum confert, exterius prædicationem Euangelii; *fides enim ex auditu*, Rom. 10. v. 17. interius verò Spiritus sui gratia mentem illustrando, ad attentionem & amplexum Euangelii excitat ac permovet. Eph. 1. 17, 18. Atque hæc de generali consensione.

Dissensio verò maxima est in speciali explicatione. Nam ad fidem habitualem, seu virtutem fidei quod attinet, eam pontificii statuunt, primum in Baptismo, per regenerationis gratiam infundi, & quidem tam infantibus, quam adultis, ut liquet ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. Contra verò nostri hoc meritò negant, ac fidem ante baptismum adultorum, auditione Euangelii, virtute Spiritus Sancti infundi: baptismo verò (prout sacramentorum natura postulat) excitari, ac confirmari: quatenus signum ac sigillum est gratiæ Dei: nec propriè, sed impropriè per consuetam metonym. (subjecti scilicet pro adjuncto seu rei signatæ pro signo) *lavacrum regenerationis*, Tit. 3. appellari. Deinde Pontificii fidem actualem, qua primum actu credimus, statuunt non esse effectum fidei infusæ; sed precedentem dispositionem, ac præparationem: quemadmodum Concil. Trid Sess. 6. cap. 7. docet, & Bellarm. de gratia & lib. arbit. lib. 1. cap. 2. Atque hanc primam fidem actualem, seu credendi actionem esse ante baptismum, & regenerationem: eaq; hominem nec peccatorum remissionem, neque adoptionem ad vitam æternam consequi: Concil. Trid. Sess. 6. cap. 7. Contra verò nostri illud ex sacris literis probari posse negant: & fidem actualem non solum post baptismum, (quod adversarii etiam agnoscunt) sed præterea ante baptismum, ex fidei infusæ habitu, seu ex virtute fidei, (ut fructum ex arbore, flumen è fonte, & motum vitalem à vita) procedere: eaque hominem remissione peccatorum donari, & in hæredem vitæ æternæ adoptari, Scriptura præeunte, statuunt: quemadmodum Actor. 10. v. 43 generatim dicitur, *huic omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum quemvis, qui crediderit in eum.* Idque exemplis clarissimis etiam demonstratur. Qualia inter cætera sunt hæc; primum Cornelii centurionis & piorum illius comitum, in quos, Euangelio Petri audito credentes, nondumque baptizatos Spir. S. illapsus, Actor. 10. v. 44. & Actor. 11. v. 17. Deinde Zachæus idem docet, qui ante Baptismum, in Christum credens, salutis particeps, & filius Abrahæ factus, affirmatur Luc. 19. v. 9. præterea Latro in cruce, nondum baptizatus in Christum credens, vitæ æternæ promissionem & possessionem obtinuit. Luc. 23. v. 42, 43. denique Paralytico ante baptismum credenti, cum suis bajulis, in Christum Servatorem non minus, quam misericordem miraculorum authorem, sua potentia, remitti peccata, à Christo asseritur. Matth. 9. v. 2. *Videns Iesus fidem eorum, dixit, Confide fili, remittuntur tibi peccata.* quo loco ineptè Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. non ad fidem justificantem, & fiduciam inde promanantem, sed ad præparationem ac dispositionem illius, in prima fide actuali, probandam, abutitur. Nam cui peccata remittuntur, ille, citra controversiam, fide justificante præditus est: atque huic paralytico credenti in Christum peccata remittuntur. Ergo fide justificante præditus. Denique quemadmodum Abrahamus ante circumcisionem, primum scilicet Veteris Testamenti Sacramentum, (cui Baptismus successit) credidit, & justificatus est, & postea accepit circumcisionem, signum ac sigillum justitiæ, qua donatus antea in præputio fuerat: similiter & credentes in Christum, eodem modo justificantur ante baptismum, per fidem: & in baptismo deinde signum ac sigillum regenerationis, ac justitiæ fidei antea obtentæ accipiunt, tanquam genuini Abrahæ spirituales filii: Rom. 4. v. 9. ad 14. & 13. vers. 24. Quod autem Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. ait, *de hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est;*

est, *& quod requirentibus se remunerator sit*; illud omninò vanum est: quia hoc loco Hebr. 11. 6. non agitur ab Apostolo de antecedente ad vivam fidem ac justificationem præparatione: sed de viva ac justificante fide; quemadmodum res ipsa satis demonstrat; loquitur enim de fide qualis Henochi, quam vivam fuisse, ac justificantem constat, quod ad Deum assumptus ac servatus. Deinde agit de fide, qua placetur Deo, ideoque de justificante, qua sola Deo placemus, pacem habentes cum Deo, Rom. 5. v. 1. præterea de ea etiam fide disertè loquitur, qua acceditur ad Deum: quod fit, cum accessum habemus ad illius gratiam, ut Rom. 5. v. 2. *per quem habemus accessum, per fidem, in hanc gratiam, in qua stamus*; unde sequitur etiam accessus non solum per preces fideles, in terris; sed etiam tandem ad illius gloriam in cœlis: de quo etiam ad Deum accessu Ephes. 2. v. 18. & 3. vers. 12. agitur. Quartò de tali fide agitur, qua Deus requiritur, hoc est, vera pietate colitur, quod fidei vivæ solùm convenit. Denique de ea fide agitur, qua creditur in Deum, requirentium, ac verè colentium ipsum, remuneratorem, μισθαποδότην, reddentem mercedem, nempè vitæ æternæ in cœlis, Matth. 5. v. 12. ideoque de viva ac justificante fide agitur.

Porrò de fidei actualis primæ causa efficiente remota, rursus dissensio est. Eam Pontificii statuunt duplicem, gratiam seu auxilium Dei speciale, & deinde liberam hominis nondum regenerati voluntatem, quæ vult credere. Contra verò nostri hanc secundam causam duplici nomine negant. Primò, quia voluntati non regeneratæ (quam Spiritus S. ad bonum spirituale volendum, omninò ineptam tradit, Gen. 8. v. 25. Rom. 8. v. 7. 2. Cor. 3. v. 5. Ephes. 2. v. 1. & 4. v. 18.) optimam pietatis actionem, nempè Euangelium diligere, ac velle credere, idque menti imperare attribuunt: & quidem ita voluntatem esse liberam (teste Bellarmino de gratia & libero arbitrio lib. 6. cap. 15.) ut homo credat si vult, & si non vult, non credat. Secundò quia fatentur quidem, credere in Christum, esse mentis actionem, sed à voluntate imperatam fingunt: id quod meritò rejicimus: quia illud nec solida ratione, nec sacris literis probari potest. Nam ut in genere assensio veritatis, ac fides, ratione rei insita, vel authoritate dicentis tanquam veracis nititur: non autem ab amore veritatis, & imperio illius dependet: sed contrà amorem veritatis, assensio illius, tanquam objectum movens antecedit: sic etiam veritatis Euangelii cognitio, & assensus à revelatione & illuminatione veracis Spirit. S. omninò dependet. Eph. 1. v. 17. 18. per quem etiam *charitas Dei effusa in cordibus nostris* dicitur. Rom. 5. v. 5. hoc est, Charitatis Dei erga nos notitia, ac fides: Ex qua per eundem Spiritum (qui animum, seu volendi potentiam, charitatis virtute, per regenerationem induit) charitas actualis Dei oritur: quemadmodum fides quę charitatem excitat, per eam efficax dicitur, Galat. 5. v. 6. eoque modo voluntas regenerata, sequens fidem mentis, eam diligit & approbat: non autem eam antecedit, & imperat. Imò tantum abest, ut voluntas hominis, sit causa imperans atque efficiens fidei assensum libera electione, aut dissensum libera rejectione, ut etiam fide justificante donati, tentationibus interdum gravioribus pressi, & in fide infirmi, licet maximè desiderent ac velint, eum tamen fidei defectum excutere non possint, nisi nova Dei gratiâ eis succurratur: quemadmodum in lucta carnis adversus Spiritum, experientia demonstrat. Sed nihil est, quod specie quadam objici posset, quam quod Ioh. 5. v. 40. dicitur. *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*: unde videtur posse colligi, fidem à libera voluntate, tanquam à causa efficiente, dependere. Verum negatur Consequentia; quia illis verbis, non declaratur causa efficiens fidei, neq; etiam origo incredulitatis: sed incredulitas à suo consequente amplificatur. Nam ut Iudæis eo loco exprobratur, quod non credebant in Christum, v. 38. sic origo illius erat, quod Mosis de Christo Prophetiam non intelligerent v. 39. ideoque sententiæ illius genuinæ non credebant, vers. 46. eaque statuitur causa efficiens, cur in Christum non crederent, vers. 47. Consequens vero effectum illius ignorantiæ & incredulitatis erat voluntas mala, incredulitatem illam diligens, & Christum odio habens. Nam malam mentem secutus malus animus. Quod autem vers. 44. dicitur, *quomodo vos potestis credere, cum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæratis*; illud non ostendit voluntatem esse causam efficientem impotentiæ credendi: sed effectum, atque argumentum incredulitatis, unde ea rectè concluditur. Nam gloriæ, quæ à solo Deo est, neglectus, & captatio gloriæ ab hominibus, effectum & indicium est certum, pravi judicii & incredulitatis mentis; ut quæ pluris bona terrena ac fluxa, quam æterna æstimet: quæque propterea in Deum requirentibus se remuneratorem, Heb. 11. v. 6. non credat. Quamobrem hic locus adversariis minimè opitulatur: neque probat, liberam voluntatis electionem & imperium, actionis fidei, aut oppositæ incredulitatis, esse causam efficientem.

Altera verò dissensio est, de gratię sive auxilii ad credendum necessarii, explicatione. Primo enim Bell. de gratia, & lib. arbit. lib. 1. cap. 2. & 11. 12 13. gratiam hanc statuit duplicem: sufficientem tantum, qua homini omnia necessaria suppeditantur, ut possit velle credere, ac credere, nec tamen credere velit: & efficacem, quâ iisdem suppeditatis necessariis, homo reipsa velit credere, ac credat. Cujus distinctionis fundamentum est, quod fidem à liberi arbitrii, seu à voluntatis humanæ assensu ac conditione suspendunt. Contra verò nostri sufficientem illam gratiam negant; & solam efficacem agnoscunt. Nam quod Bell. objicit, auxilium Dei verè sufficiens ad fuisse nonnullis, qui tamen conversi non sunt, & per hoc, auxilium illud efficax non fuisse; non rectè, loco citato cap. 13. & alibi, ex sacris literis probat. Nam ex Veteri Test. duo profert testimonia, 1. ex Esa. 5. v. 3. 4. *Habitatores Ierusalem, & viri Judæ, judicate inter me, & vineam meam, quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? &c. an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Sed negatur 1. antecedens. Nam Esaias non ait, *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci*: sed *quid faciendum ultra* מה לעשות quibus verbis non de præterito, sed de futuro opere agit, scilicet quidnam pro illa ingratitudine populi (quem vineæ nomine designat) faciendum Deo: ut sequentia demonstrant, quæ responsionem continent versu 4. *& nunc scire vos faciam, quid facturus sim vineæ meæ*: quæ apodosis pœnas futuras referens, protasin declarat: sicut Ezech. 5. v. 9. *facturus enim sum in te, quod non feci*. Similis locus est Matth. 21. v. 40. & 41. ubi postquam Christus vineæ agricolas ingratos in Dominum, & crudeles in filium illius, descripsit, quærit, *cum igitur advenerit Dominus vineæ, quid faciet illis agricolis?* dicunt illi, *malos malè perdet*. sic hoc in loco dialogismus: hoc tamen ordine, quod judicium quærit Deus, & ad quæstionem ipse deinde respondet. Secundò quamvis verum esset antecedens, ac concederetur solita versio, infirma tamen esset consequentia: quia hic ageretur, non de omnibus, quæ necessaria erant absolutè, ad bonos fidei & charitatis fructus proferendos; sed relatè, hoc est, de omnibus iis, quæ ad culturam vineæ necessaria, ut versus 1. & 2. & 6. demonstrant: non autem de iis, quæ ad malam vineæ naturam in bonam commutandam, ad fructus proferendos necessaria: sed quæ ad ejus vineæ vitiositatem convincendam, contra solitam innocentiæ gloriationem sufficiebant. Quod autem excipit Bell. *quorsum diceret Dominus; Expectavi ut faceret uvas*, si non dedisset ei facultatem germinandi, & omnia necessaria ad proferendas uvas? Resp. negando consequentiam: quia hæc non dicuntur propriè, sed parabola continuata per metaphoram, & ἀνθρωποπαθῶς, similitudine à terrenis vinearum dominis petita: ac denotari patientiam Dei in Judæis ingratis, ac malignis tam diu tolerandis. Denique licet Judæi non potuerint naturam suam vitiosam mutare, per illam Dei culturam externam, (qua partim religionis & reipubl. leges, ac Sacerdotes earum doctores: partim reges defensores attribuit) nihilominus tamen potuerunt ea adjuti, externam præstare obedientiam, abstinendo ab externis illis, ac gravibus sceleribus, quæ in iis Esai. 5. accusantur, ut injustitiâ in judiciis, vers. 7. & 23. avaritiâ in bonis iniquè augendis, vers. 8. ebrietate vers. 11. luxu

vers. 12. profano comminationum vers. 19. & dextræ Dei contemptu, vers. 21. & 24. Ad hanc inquam externam disciplinam, sufficiebat externa illa Dei cultura; non autem ad internam, per veræ fidei, & charitatis actiones, conversionem: de qua re controversia est.

Atque hæc de priori testimonio: Cui alterum à Bellar. de gratia, & lib. arbitr. lib. 1. cap. 11. & 12. & lib. 2. cap. 12. adjicitur. ex Ezech. 3. vers. 6. *Si ad populum ignotæ linguæ mitterem te, audirent te: domus autem Israël noluit audire te, quia noluit audire me.* Sed negatur consequentia: quia hic locus non agit de gratia sufficienti, ad credendum in Christum, aut diligendum Deum: neque enim de obedientia, sed de audientia verbi Dei differit: quod Judæi peccatis addicti, & à Deo aversi, minas & hortationes Prophetæ patienter audire detrectarent, & duriter eas rejicerent: adeò ut terrori essent Prophetæ. vers. 9. ipsumque affligerent, v. 25. ut etiam Jeremiæ accidit, cap. 6. illius v. 10. & cap. 11. vers. 21. Contra verò ostendit gentes audientiam Prophetæ, si ad eas mitteretur, præstituros: ideoque Judæos esse deteriores magisque impios, quam gentes, ostendit: ut etiam cap. 5. vers. 6. dicitur, *mutavit jura mea in improbitatem, plus quam gentes ipsæ; & statuta mea, plus quam regiones, quæ circumstant eam. Nam jura mea spreverunt, & in ipsis statutis meis non ambulaverunt.* Deinde etiamsi de obedientia gentium per Prophetam futura ageretur; ea tamen non simpliciter & absolutè, sed secundum quid, & comparatè esset intelligenda: quod ad pœnitentiam scelerum (ut Ninevitis accidit) potuissent commoveri, Prophetæ sermone, potius, quàm Judæi in sceleribus contumaciores, qui minas & hortationes Prophetæ contemnebant, ipsumque persequebantur.

Quare hæc duo Veteris Testam. loca nihil pertinent ad probandam gratiam sufficientem, ad actiones veræ fidei, & charitatis proferendas, nec tamen efficacem. Quemadmodum etiam neque ea, quæ è Novo Testamento adducuntur, quorum primum est, quod Bell. de gratia & lib. arbit. lib. 1. cap. 11. & 12. ex Matth. 11. 12. de Tyriis & Sydoniis affert: sed illud, jam antea, in illius loci explicatione, solutum.

Secundum igitur quod affert Bell. de gratia lib. 1. cap. 11. est ex Matth. 23. v. 37. *quoties volui,* &c. *& noluisti.* Verum hujus argumenti solutionem, Deo favente, ubi ad caput illud pervenerimus plenius explicare, & à corruptelis vindicare conabimur.

Tertium quod objicit eodem loco, est Act. 7. vers. 51. *Vos semper Spiritui S. restitistis.* undè Bell. ita concludit: *Illud satis apertè significat, quibusdam inspirari bona desideria, & ita inspirari, ut converti possint, & tamen eos nolle converti.* Sed negatur consequentia. Nam quod ait: *si non inspirabantur Judæis illis bona desideria, quomodo resistebant Spiritui Sancto?* id nititur falsa hypothesi, quasi illo tantum modo Spiritui S. resisti possit: cum contra generatim duplex sit modus: unus, quo Spiritui S. per Prophetas loquenti, 2. Pet. 1. v. 21. ideoque externo illius operi resistitur: quomodo revera patres Judæorum restiterunt, 2. Chron. 36. v. 15. 16. alter est quo internæ Spiritus S. operationi resistitur, qualis etiam est cum cognitæ per Spiritum S. Euangelii veritati, mundi amore, odiosè ac pertinaciter resistitur: Quale peccatum in Spiritum S. in Scribis & Pharisæis nonnullis à Christo reprehenditur, Matth. 12. v. 32 ubi tamen nullum boni desiderii indicium extitit; & quamvis in quibusdam audito Euangelio, levis quidam ac brevis desiderii affectus excitetur, Matth 13. v. 20. radice tamen fidei caret: v. 21. eoque ad fidem rectam non sufficit. Cœterum ad primum resistendi modum referendum est, quod Actor. 7. v. 51. dicitur, ut historia arguit: vocantur enim *duri cervice, & incircumcisi corde, & auribus,* qui scilicet ne audire quidem reprehensiones divinas, à Spiritu Dei, per Prophetas, sustinerent; ut etiam exponitur vers. 52. *Patres vestri quem non persecuti sunt, & occiderunt ex prophetis?* Denique experientia etiam demonstrat. Nam Stephano per Spiritum S. loquenti v. 55. restiterunt Judæi, v. 54. & 57 ut & alibi, Actor. 13. v. 45. & 46. Hæc ad hujus loci, Matthi 11. illustrationem ampliorem, dicenda duximus.

Difficultates Cap. XII. Matthæi. Seu Explicatio Loci & Sententiæ Matth. 12. v. 31. & 32.

De Blasphemia in Spiritum Sanctum.

INsignis hæc Christi sententia, & scientiæ, & conscientiæ instruendæ gratia, illustrationem desiderat. Scientiæ quidem, ob rei difficultatem: quæ prima fronte occurrit, ob varia interpretum judicia. Conscientiæ verò, quia multi infirmiores Christiani tentationibus pressi, hujus dicti minus intellecti consideratione, ad desperationem penè rediguntur: quemadmodum experientia in Ecclesiastico consolandi officio exercendo sæpissimè demonstrat: Quare meretur hic locus explicationem genuinam. In quo observabimus primum rei circumstantiam, deinde rem ipsam. Circumstantia autem est duplex, occasio scilicet & scopus hujus loci. Occasio autem prima fuit atrox, ac malitiosum Pharisæorum convitium, qui audito populi, ob miraculum Christi (quo dæmoniacum, mutum, & cæcum sanarat) sermone, *nunquid hic est filius David?* vers. 23. dixerunt contra conscientiam, ex malitioso adversus Christum odio, ejecti dæmonii authorem, non esse Deum, sed dæmoniorum principem Beelzebub, vers. 24. Altera verò orationis Christi occasio fuit, periculum seductionis auditorum, & majoris in Pharisæis audaciæ, ex silentio Christi oriturae. Scopus autem fuit periculi, seu mali metuendi correctio, ut & populi de Christo recta opinio (quod sit Davidis filius, id est, Messias) non subverteretur à Pharisæis: sed à Christo confirmaretur: & ut Pharisæorum impudens maledicentia aliquo modo refrænaretur. Medium autem ad hunc scopum ordinatum est Christi oratio: constans refutatione maledicti Pharisæorum, vers. 25. & seqq. & comminatione gravissima adversus illud: quæ comminatio constat propositione, vers. 31. & illius expositione vers. 32.

Propositio est; *propterea dico vobis,* (hoc est, ob impium illud maledictum) *omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; blasphemia verò in Spiritum Sanctum non remittetur.* In qua propositione maledicti Pharisæorum gravitatem simul, & pœnam describit, & oppositione quadam reliquorum maledictorum exaggerat. Constat enim ea oppositio affirmatione, & negatione. Affirmationis subjectum, seu res de qua affirmat, est *omne peccatum* & *blasphemia.* Quæ verba bifariam exponi possunt: primò, ut genus & species copulentur expositionis causa, ut sensus sit, omne peccatum blasphemiæ: aut secundo modo, ut diversa connectantur, peccati voce speciatim accepta: ut scilicet peccatum reliquum, quod non est blasphemia, intelligatur ex distinctionis ratione: quemadmodum similis loquendi modus, apud bonos authores in usu est. Quemadmodum cum in qualitate explicanda, Aristoteles conjungit ut diversa, *habitum,* & *dispositionem* scilicet speciatim acceptam, ac distinctè, quæ non est habitus; Nam aliàs sine hac distinctione generatim, & propriè, non synecdochicè voce acceptâ, omnis etiam habitus est dispositio. Quod autem non indefinitè dicitur peccatum, nec definitè *aliquod peccatum*; sed *omne peccatum:* illud intelligendum quidem universè (qui enim omnia dicit, ut ajunt, nihil excludit) sed hæc universalitas, pro frequenti Sacræ Scripturæ usu, est generum, non individuorum seu singularium: quemadmodum attributum certò demonstrat. Nam alioqui sequeretur nullum omninò peccatum puniendum; ideoque sensum rectè Beza ita expressit, *quodvis peccatum.* Eademque ratio est, cum additur, *& blasphemia* supple, omnis, id est, omnis generis seu quævis: quod tamen adhuc intelligendum cum exceptione, blasphemiæ in Spiritum Sanctum; ut sequentia demonstrant, id est, omnis alia blasphemia.

Hæc de subjecto. Attributum verò describit suum subjectum, ab adjuncto remissionis, cum additur, *remittetur,* hoc est, pœna ejus omittetur, non punietur, (quemadmodum Matth. 6. in oratione Dominica pluribus exposuimus) ac intelligendum non de omnibus hominibus: nam reprobis peccata nequaquam remittuntur: sed quibusdam: quales sunt soli electi. Ac sensus est; Nullum peccati genus (excepta in Spiritum S. blasphemia) cujus remissi exempla non eveniant: quemadmodum & in Sacris literis,

collatio singulorum mandatorum utriusque tabulæ, cum peccatis eorum, qui conversi ac servati sunt, demonstrare potest.

Atque hæc de affirmatione, primo scilicet propositionis seu oppositionis membro, quod ad amplificationem alterius adducitur. Negatio verò quæ altera oppositionis pars, consequitur hoc modo: *Blasphemia verò in Spiritum S. non remittetur*, ubi subjectum est *blasphemia in Spiritum. S.* quæ verba paucis illustranda. βλασφημία & βλάσφημος ab Etymologico magno, deducitur à βλάβη, noxa, & φήμη fama, ut famæ nocumentum ac læsionem notet. Alii à βλάπτω, noceo, & φήμη derivant; quod etiam videtur Henrico Stephano in Thesauro &c. Vox autem hæc sumitur propriè, aut impropriè. Propriè quidem, & generatim, pro convitio seu maledicto quovis, sive in creaturas, ut Angelos, Jud. vers. 9. homines, Eph. 4. vers. 35. sive in creatorem, Apoc. 13. vers. 6. *blasphemiam*, (en genus) *contra Deum*, (en differentia illud ad speciem restringens.) Impropriè verò sumitur, per Synecdochen generis pro specie, cum maledictum adversus Deum notat, κατ' ἐξοχὴν, quod illud maledictum sit maximum, quod in Deum fertur; qualis βλασφημία Christo objecta, Matth. 26. vers. 65. *audistis blasphemiam.* & Luc. 5. vers. 21. *hic loquitur blasphemiam,* & Joh. 10. vers. 33. *propter blasphemiam &c.* Hic verò (ut etiam in primo oppositionis membro, *omnis blasphemia*) propriè ac generatim sumitur, & cum dicitur, *blasphemia*, genus notatur: id quod addita differentia ab objecto, cum dicitur *Spiritus*, hoc est in Spiritum Sanctum, ad certam speciem restringitur. Nam verba illa, *blasphemia Spiritus*, nihil aliud notant, quam objectum, non autem causam efficientem.

Atque hæc de voce, reliquum est ut de re nonnulla dicamus.

Rem verò ipsam, succinctè, proposita, atque explicata descriptione, complecti conabimur. Sic autem non incommodè, uti videtur, describi potest; *Blasphemia in Spiritum S. est impietas reproborum, quâ ex perverso sui amore, & destinato Euangelii ac Christi odio Spiritum Sanctum de Euangelii veritate, ac Christo testantem, contra conscientiam maledictis oppugnant: ut gloriam Christi opprimant, & cupiditatibus securius inserviant.* In qua descriptione primum genus statuitur illius, nempè *impietas*, hoc est, immediata contra Deum injustitia. Nec enim mediata est, quæ secunda tabulâ vetatur, quâ obedientia Deo debita, per injuriam in proximum violatur, quæ distinctè à *sanctitate* posita, synecdochicè *injustitia* dicitur, Luc. 1. v. 75. Eph. 4. v. 24. qualis est injustitia, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, ac similia: quæ quoniam remitti possunt, & remissa esse in multis constat, hoc loco intelligi nequeunt; sed peccatum, quod directè, ac proximè contra religionem ac Deum committitur: quemadmodum huic generi addita, ex causis suis, differentia demonstrabit. Prima autem causa nempè efficiens, est vel impulsiva, seu agentem excitans ac movens; vel mota atque agens. Impulsiva rursus duplex est, remota, & proxima. Remota ac quasi fons est φιλαυτία, seu perversus sui amor, quo quis suas cupiditates pravas magis quam Christum ejusque Euangelium diligit. Propinquà verò efficiens impulsiva, ex priori orta, est Christi, & Euangelii odium destinatum. Quia enim suis cupiditatibus, avaritiæ, superbiæ, hypocrisi, aliisque vitiis, quibus addicti sunt, omninò atque apertè repugnare sentiunt, idcircò destinata malitia oderunt: ut Christus testatur, Joh. 3. v. 19. *Hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, quia opera eorum sunt mala. Qui enim perversè agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius,* & cap. 7. v. 7. *Mundus autem me odit, quia testor de eo opera illius esse mala*: Qualis φιλαυτία, & indè promanans Christi & Euangelii odium, in Scribis & Pharisæis illis in Spiritum Sanctum blasphemis apparet, Matth. 12. v. 24. & 33. & 21. v. 38. cum 45. & 46. Causa verò impulsa, atque agens propria, sunt *reprobi*, seu non electi ad vitam, & ad justam condemnationem destinati: quia ab iis solis, etsi non omnibus, hæc impietas perpetratur: non autem ab electis ac verè fidelibus: quia attributum hujus impietatis, quod scil. ea non remittatur, electis non convenit: quia quos Deus prædestinavit, atque elegit ad salutem, eosdem vocat ad veram vivamque fidem, & justificat ac glorificat, Rom. 8. v. 29. 30.

Atque hæc de causa efficiente, cùm movente agentem, tum agente. Altera verò causa seu materia propriè dicta, (nempè ex qua res est,) hic non traditur: quia accidens est non substantia, cui soli materia ea convenit: sed impropriè per metapho. sic appellata: nempe objectum circa quod hæc impietas versatur. Hoc autem est Spiritus Sanctus & quidem κατ' ἐξοχὴν, de veritate Euangelii testans, unde *blasphemia in Spiritum Sanctum* vocatur. Cœterum testatur ille duobus modis: Primum doctrinæ Euangelii revelatione, atque illuminatione mentis per cognitionem illius, Hebr. 6. v. 4. deindè miraculis per Christum editis, Mat. 12. v. 28. Joh. 5. v. 36. Nam generatim loquendo, cum Spiritus Sanctus sit æternus unà cum Patre & Filio Deus, omnisque boni legislator, omne peccatum est in Spiritum Sanct. Hic autem specialis impietas intelligitur. Forma verò est adversus hoc Spiritus Sancti testimonium, non solum ex odio destinato, sed etiam contra conscientiam blasphemia. Nam alterutrum, aut odium illud, aut conscientia reluctans, si desit, peccatum hoc in Spiritum Sanctum (in hac sententia à Christo appellatum) dici non potest: quia etiam electis, prius quidem ante fidem: posterius vero post fidem accidere potest. Nam ante fidem Paulus Apostolus ex odio destinato Christum, & Euangelium atque Ecclesiam persequens, blasphemus fuit: sed non contra conscientiam; verum per ignorantiam: ideoque misericordiam à Deo obtinuit, 1. Tim. 1. v. 13. 14. Post fidem verò infirmi quidam contra conscientiam blasphemi fuerunt, non ex odio Christi, & Euangelii, sed metu coacti à Paulo infideli, Actor. 26. v. 11. Ideoque nec Paulo, nec iis, qui ab eo, è Christianis ad blasphemiam coacti sunt, specialis in Spiritum Sanctum blasphemia (quæ hic intelligitur) tribui potest. Id quod etiam consequens eventus in Paulo demonstravit, 1. Tim. 1. 13. 14. *Qui prius eram blasphemus, & persecutor, & injuriosus, sed mei misertus est, nam ignorans hoc faciebam per incredulitatem, superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione in Christo Jesu.* Contra verò hujus blasphemiæ exemplum est in Christi hostibus, sacerdotibus, scribis ac pharisæis, non quidem in omnibus: sed in quibusdam. Non in omnibus inquam: quia Petrus Apostolus quosdam eorum, indefinitè loquens, excusat, cum ait, Actor. 3. v. 17. *Et nunc, fratres, scio vos per ignorantiam fecisse, sicut & primores vestros, scil. nonnullos.* In quibusdam verò, nam tales fuerunt sacerdotes illi, & pharisæi quos Christus describit nomine Agricolarum, Mat. 21. v. 38. *Agricolæ, inquit, viso Filio, dixerunt inter se, iste est hæres, venite trucidemus eum, & obtineamus hæreditatem ejus:* quod de se dictum, tandem illi intellexerunt v. 45. & eo nomine studuerunt Christum prehendere v. 46. Tales etiam fuerunt hi, quos Christus hoc in loco Matthæi increpat: qui licet per Spiritum Sanctum, cum revelatione atque illuminatione mentis, tum miraculis per Jesum editis, scirent, hunc esse Christum Spiritu Sancto actum: nihilominus ex odio illius, audita populi confessione de Christo, filio illo Davidis, (hoc est, Messia ex Davide promisso) commoti, in Spiritum Sanctum fuerunt blasphemi, contra conscientiam: dum miraculorum illius per Christum editorum authorem esse statuunt Diabolum, de Christo dicentes; *Spiritum impurum habet*, Marc. 3. v. 30. *& Beelzebul habet, & per Principem dæmoniorum ejicit dæmonia*, Marc. 3. v. 22. & Matth. 12. v. 24. Eoque modo Spiritum Sanctum, horribili blasphemia, contra conscientiam, impurum Spiritum & Beelzebul, dæmoniorum principem, hoc est, Diabolum appellant. Qualis etiam blasphemia innuitur quidem ab Apostolo, Hebr. 6. v. 5. 6. exprimitur verò cap. 10. Inprimis verò vers. 29. *Quanto, putatis, acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis, ἐν ᾧ ἡγιάσθη, per quem sanctificatus fuit, profanum duxerit & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?* Verùm objiciat aliquis, hic causa efficiens propria ante posita confutatur, ac docetur peccatum in Spiritum Sanctum non

non esse reprobis proprium: sed etiam fide præditis, qui electi sunt, commune: Primum quia hoc loco blasphemus in Spiritum Sanctum dicitur *per sanguinem fœderis* (hoc est, Christi, qui ad novi fœderis confirmationem fusus Matth. 26. v. 28.) *sanctificatus*: quæ sanctificatio fidelibus atque electis propria, à nostris Ecclesiis statuitur. Hujus nodi prima fronte difficilioris, solutio est duplex: prima per negationem consequentiæ, idque bifariam. Quidam enim sanctificatum dici, non propriè ratione veritatis rei: sed impropriè ratione opinionis hominum, id est, per quem videbatur sanctificatus, κατὰ δόξαν, metonym. subjecti, ut eruditus Scholiastes exponit. Verùm ad hujusmodi metonymiam, quam vocat, aut potius metaphoram (ut sanctificatus, pro eo qui similis est sanctificato, ac talis videtur, accipiatur) non temerè; sed tantum cum necessitas cogit, procedendum, quæ hic abest; alioqui vix quicquam erit in sacra Scriptura certum. Altera igitur solutio est, per *sanguinem*, vinum Cœnæ intelligi: per meton. in Sacramentis usitatam: quemadmodum poculum, id est, vinum Poculi, sanguis Christi, Matth. 26. 28 appellatur, & sanctificationem, hic non internam, sed externam, qua per vini Cœnæ usum à mundo quis segregatus est, ac Deo consecratus, intelligi. Verum quia & hæc solutio, à propria significatione, ad impropriam eamque duplicem, sine necessitate recedit, & sanctificationem non ut sanguinis effectum, hoc in loco intelligit; idcirco alia omnino adhibenda est solutio, negatione scilicet antecedentis: quod olim adversus Arminium, hunc locum objicientem, publicè respondimus: Nam verba illa *ἐν ᾧ ἡγιάσθη per quem sanctificatus fuit*, non pertinent ad blasphemum, sed ad Dei filium, cujus sanguis est sanguis Novi fœderis, Matth. 26. vers. 28. quo novum fœdus sancitum: per quem ipse Christus fuit sanctificatus, hoc est Deo in hostiam expiatoriam consecratus, ut Johan. 17. vers. 19. ait: *& pro eis ego sanctifico me ipsum*, id est, ut etiam rectè Piscator exponit, offero me tibi in sanctam victimam. Qui locus cum hoc præsenti egregiè convenit, *ἐν ᾧ ἡγιάσθη*, hoc est, *per quem sanctificatus fuit*, (non autem *fuerat*, ut Beza transtulit) ut ad filium Dei, cujus in antecedentibus meminit, referatur. Eoque modo hujus impietatis magnitudo describitur, ab objecti, quod per eam læditur, præstantia, quod videlicet sit sanguis novi fœderis: deinde quod per eum Christus Dei filius sit sanctificatus, seu in hostiam Deo consecratus: ideoque gravissimum esse peccatum, quod tam pretiosum sanguinem, communem, hoc est profanum duxerint. Sed altera ratione instant adversarii, & objiciunt quod de blasphemo (de quo hic loquitur Apostolus) dicatur, *& Spiritum gratiæ contumelia affecerit*. Ergo inquiunt, intelligitur, accepisse gratiam; eoque justificatum notari. Verum negatur consequentia: quia *Spiritus gratiæ* scilicet author, contumeliæ objectum esse potest; etiamsi contumeliosus illius non fiat particeps: quemadmodum Actor. 3. vers. 15. qui Christum authorem vitæ dicuntur occidisse, illi tamen nec Christi, nec vitæ, erant participes; nec Diabolus Spiritum veritatis contumeliâ afficiens, veritatis illius habet communionem. Deinde esto, licet diceretur, *Spiritum gratiæ acceptæ*; ea tamen non esset de gratia justificationis necessario intelligenda: sed potius de gratia cognitionis veritatis Euangelii, per illuminationem Spiritus Sancti ut vers. 25. ostendit, & Hebr. 6. vers. 6. Nam gratiæ vox (quæ propriè gratuitam, seu immeritam benevolentiam notat) per Metonym. efficientis, pro suo effecto, idem est, quod donum, seu beneficium gratuitum: χάρις pro χάρισμα: ac deinde pro ratione rei varia, de qua agitur, variè specialius accipitur, ut Ephes. 4. vers. 7. *Sed unicuique nimirum data est gratia, pro mensura doni Christi*: ubi *gratia* non justificationem notat; sed dona ad Ecclesiæ ministerium collata, ut sequentibus ministrorum Euangelii gradibus exponitur. Quemadmodum & 1. Petr. 4. vers. 10. 11. *ut quisque accepit donum, ita alii in alios subministrantes, ut boni dispensatores variæ Dei gratiæ: Si quis loquitur, ut eloquia Dei: si quis ministret, tanquam ex viribus, quas suppeditat Deus.* ubi *gratiæ* vox, non notat gratiam justificationis, electis ac verè fidelibus propriam, (de ea enim non agit) sed dona ministerii, quæ etiam reprobis communicantur: sic hoc etiam in loco *gratia* pro subjecta materia convenienter accipi debet. Sed tertiò objici potest, adhuc majori veritatis specie, hoc modo: Apostolus hoc loco Hebr. 10. vers. 26. se annumerat iis, de quibus agit, dicens: *voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam cognitionem veritatis non adhuc pro peccatis reliqua est hostia:* atque Paulus citra controversiam erat fidelis & electus. Ergò & illi, quibus se annumerat. Sed negatur consequentia, nempè Paulum seipsum annumerare. Neque enim illud ex eo sequitur, quod dicit *nobis*: quia ea vox *nos* interdum Synecdochicè accipitur, ac secundum quid, non autem simpliciter; sed pro aliquo ex nobis, hoc est, ex cœtu visibilis Ecclesiæ, quem alloquitur, in quo non solum verè fideles, atque electi, sed etiam hypocritæ ac reprobi, qualis Synecdoche perspicua est, 1. Petr. 4. vers. 3. *Sat enim est nobis, quod anteacto vitæ tempore libidinem gentium patraverimus, incedentes in protervis cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis idololatriis*: quam gravissimam impietatem, ac scelera Petro Apostolo verè tribui non posse omnes agnoscunt. Sensus igitur est, *nobis*, id est, nostrum parti, seu quibusdam nostrum; quales fuerunt quidam ex Judæis dispersis, per varias Asiæ provincias, quibus scribit: qui cum inter gentes versarentur, earum contagione, ante conversionem, hisce vitiis servierunt; ut sequentia Petri verba ostendunt, quæ non sibi, sed illis accommodat, eoque modo Synecdochen declarat. Eodemque modo Paulus, Tit. 3. v. 3. *Eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus, ac voluptatibus variis, in malitia, & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes:* Ubi in illis verbis *eramus nos* synecdoche est, ac secundum quid accipi debet vox ista *nos*, hoc est, pars nostrum. Nam Paulum ante conversionem talem non fuisse, ipsemet demonstrat, Actor. 22. vers. 3. & 23. 1. Phil. 3. v. 6. Denique, ut primam & reliquas objectiones simul confutemus, Esto; loquatur, Paulus de electis ac fidelibus: inde tamen non sequitur, ullos eorum esse causam efficientem hujus blasphemiæ, seu peccatum hoc speciale in Spiritum Sanctum committere, de quo quæstio est, & quod adversariis probandum. Ratio autem negationis est, quia Apostoli oratio non est categorica seu absoluta, sed hypothetica seu conditionalis, Hebr. 6. v. 6. & hoc loco similiter, ut ex vers. 26. constat, *peccantibus nobis*, hoc est, ut Beza sensum rectè expressit, *si peccaverimus*. Veritas autem enuntiationis hypotheticæ, (uti notum est) consistit tantum in connexionis seu consequentiæ, non autem in partis utriusque, vel unius veritate: quia vera esse potest enuntiatio, ut interim utraque pars sit falsa: ideoque ex ea antecedentis, aut consequentis veritas vitiosè concluditur, exempl. gratiâ Johan. 8. v. 55. *Si dixero, quod non norim ipsum, ero similis vestrum, mendax.* Hæc Christi sententia verissima est, & tamen utrumque tam antecedens quam consequens falsum. Nec enim Christus id unquam dixit: nec mendax fuit: imò neque esse potuit. Sic etiam in Pauli enuntiatione: si de verè fidelibus accipiatur, ex conditione posita in antecedenti, veritas illius facti, ineptè concluditur. Nec sequitur, si voluntariè peccaverimus, nempe in Spirit. Sanctum, nulla est hostia reliqua. Ergo ita peccamus. Sed excipitur: si hoc fieri non potest, aut nunquam fit: Ergo frustra ac sine ulla utilitate hæc comminatio ponitur. Verùm negatur consequentia: primùm quia si fieri non posset ullo modo, amplificationi ac confirmationi àre majori inserviret, ut Obadiæ vers. 4. *Si inter stellas poneres nidum tuum, inde dejicerem te*; atqui antecedens fieri non potest: conditio tamen ea ponitur, ut probetur, multo facilius è petris ac rupibus, in quibus degebant Idumæi, ac quibus confidebant, in terram posse dejici. Sic etiam: si verè fideles ita peccarent, ut ab agnita veritate, pertinaci odio deficerent, ac fierent blasphemi in Spiritum Sanctum, ita punirentur; igitur magis alii, aut saltem etiam alii. Deinde non dicimus absolutè esse impossibile, ut viva fide præditi ita pec-

 cent:

tent: sed tantùm relatè, & ex hypothesi. Nam si ipsos per se spectemus sine Dei auxilio, sanè tentationibus, partim internis suæ carnis, partim externis Satanæ, ac mundi, ad hoc peccatum adduci possent, Matth. 26. vers. 41. Luc 22. vers. 31, 32. Sin verò Dei conservantis gratiam multiplicem, conjunctam verè fidelibus, ac perpetuam, spectemus; impossibile est, Ioh. 10. vers. 29. & 1. Pet. 1. vers. 5. Atque hoc pacto in nostris Ecclesiis impossibilem hanc defectionem statuunt. Itaque per se ratione virium nostrarum possibile; per accidens verò gratuiti Dei auxilii, impossibile est, ut verè fideles hanc specialem in Spiritum Sanctum blasphemiam committant. Sed rursus instant: Si ratione conservationis Dei certissimæ est impossibile; Ergò inutiles sunt hortationes ad peccatum illud vitandum; & vanæ comminationes, si committerent. Verùm iterum negatur Consequentia. Nam sub auxilio Dei conservante, & efficiente, ne potentia ita peccandi in actum prorumpat, continentur etiam tanquam modi quidam, & instrumenta utilia à Deo ordinata, hortationes ad officium, & comminationes pœnæ violanti officium propositæ. Quare perperam hæc duo, totum, & partem illius, opposita esse objiciunt. Totum enim est auxilium Dei conservans: pars autem illius una est hortatio & comminatio, quibus Deus utitur, præter refrænationem tentationum, ne vires nostras superent, 1. Cor. 10. & incrementum donorum, Christi intercessionem, & preces nostras, aliaque similia. Atque hæc de occurrente difficultate ex loco Hebr. 10. (ubi de blasphemia seu contumelia speciali in Spiritum Sanctum disseritur) in explicatione formæ hujus peccati diximus.

Finis verò illius blasphemiæ est duplex. propinquus, oppressio gloriæ Christi: id quod partim ex causa efficiente impulsiva in initio explicata; partim ex narratione blasphemiæ, Matth. 12. vers. 24. apparet. Remotus verò finis est, ut oppressa Christi gloria (quæ cupiditatibus eorum obstabat) securius cupiditatibus inservirent. ut enim Diabolus Deum, licet Summum Bonum esse norit, nihilominus tamen odit, non sub specie ac consideratione summi boni; sed sub specie mali, tanquam cupiditatibus ipsi propositis, adversarii: ita etiam Diabolum imitantes, blasphemi hi in Spiritum S. etsi Christum Dei filium, ac summum bonum esse non ignorent: similiter Spiritum S. de Christo testantem; oderunt tamen, quatenus sub specie mali seu fini ipsorum, ac cupiditatibus propositis, adversarium concipiunt.

Atque hæc de descriptione blasphemiæ in Spiritum Sanctum & expositione illius: unde comminationis à Christo propositæ subjectum intelligi potest. Attributum verò est pœna merita, quam indicat cum ait, *non remittetur*, hoc est, punietur, quemadmodum contrà peccati remissio est ab obligatione ad pœnam liberatio, ac pœnæ omissio; ut in explicatione orationis Dominicæ pluribus exposuimus, idque in repetitione hujus comminationis deinde exponitur, distinctione, *non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Vnde Pontificii purgatorium suum probare conantes, ita concludunt: Ergò quædam peccata remittuntur in hac vita, quædam non in hac, sed post hanc vitam: non autem in cœlo, nec in inferno damnatorum ea remissio fit. Ergo in purgatorio. Sed negatur Consequentia, quia sensus est, *Non remittetur unquam* εἰς τὸν αἰῶνα, ut exponit Marc. cap. 3. vers. 29. *non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno judicio*, id est, condemnationi. Distinctio igitur est non remissionis diversæ, sed durationis illius seu æternitatis, divisæ in hoc seculum, & in futurum, ad majorem rei evidentiam & terrorem. idque eo clarius est, quod Pontificii nituntur falsa hypothesi, quasi *hoc seculum* tempus vitæ cujusque notaret: *Futurum verò seculum* tempus post cujusque mortem, & quidem ante ultimum judicii diem. Nam tum temporis, ut fatentur, nullum erit amplius purgatorium, nulla reliqua remissio peccatorum. Atqui sacra Scriptura talem phrasium harum significationem non agnoscit. *Hoc* enim, seu *præsens seculum* oppositum *futuro*, est tempus ad ultimum diem, quo seculum hoc consummatur; *Futurum* verò *seculum* ab ultimo die fluet, unde terminus illius à quo, *consummatio seculi* dicitur, Matth. 13. v. 39 40, 49. & 28. v. 20. & Luc. 20, v. 34. *Filii hujus seculi uxores ducunt, & nuptum dantur* (hoc est, qui ante finem, & consummationem hujus seculi erunt, illi nubent, &c. ut Luc. 17. v. 26. & 27.) quibus opponuntur v. 35. *Qui verò digni habiti fuerint, ut consequantur illud seculum, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur.* Eodem sensu Marc. 10. vers. 30. *Istud seculum, & seculum venturum*, & Eph. 1. v. 21. *hoc seculum* & *futurum* opponuntur. Quare vana est Pontificiorum de hoc, & futuro seculo hypothesis. Deinde etiamsi his verbis, *non remittetur in hoc seculo, neque in futuro*, notaretur distinctio, & hoc seculum hujus vitæ tempus, & futurum post hanc vitam significaret: inde tamen purgatorium minimè probaretur: quia cum non remitti peccatum, sit pœnæ obnoxium esse, ac puniri; sensus erit, fore ut & in hoc seculo & in futuro puniretur: quemadmodum etiam revera fit. Nam pœna hujus seculi est merita desertio à Deo, qua ipsis pœnitentia fidelis nunquam donatur, ut Hebr. 6. v. 4, 5, 6. & plerumque excæcantur, seu luce cognitæ veritatis ob ingratam malitiam privantur, Ioh. 12. v. 39. & 40. 2. Thess. 2. v. 10, 11, 12. Causa autem est hæc pœna, quod nunquam peccatum hoc remittatur, & peccatum ad mortem, idcircò κατ' ἐξοχὴν nominetur, 1. Ioh. 5. v. 16. non simpliciter, ac tantùm, quod mortem mereatur, (hoc enim omni peccato convenit, Deut. 27. v. 26. Rom. 6. v. 23.) sed quod semper mortem æternam inferat. Ad cognitionem verò hujus peccati in Spiritum Sanctum specialis, quod attinet, ea est duplex, una divina, altera humana. Divina est, quæ per revelationem Dei: Humana verò, quæ per effecta hoc peccatum committentis contingit: qui duo modi Apostolorum temporibus fuerunt in usu, de quibus (saltem de priori) agitur, 1. Ioh. 5. vers. 16. 17. *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato, quod non est ad mortem, petet à Deo, & dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget: omnis iniquitas peccatum est, sed est peccatum, quod non est ad mortem*, hoc est, etsi omnis iniquitas sit peccatum, non tamen omne peccatum mortem certò infert. Ac prior quidem cognitionis modus, cessante prophetia, seu divina post Apostolos revelatione, similiter cessavit. Alter verò post eos tantùm superest, quia effecta illius peccati propria esse non desinunt. Et illa quidem cognitio vel est ipsius peccantis, qui mentem animumque suum solus novit, 1. Cor. 2. vers. 11. Judicemque habet conscientiam; vel alterius, de peccante, ex effectis illius propriis; quæ cum rariora sint, rarior etiam est cognitio: nec temerè judicandum, nisi agnitæ veritatis Euangelii, & odii adversus eam destinati ac pertinacis documenta, ac blasphemiæ manifestè appareant. Qualia fuere in Juliano Imperatore apostata Constantini Magni genero, & ex fratre nepote, qui (ut narrat Socrat. Hist. Ecclesi. lib. 3. cap. 1. ut etiam Theodoret. lib. 3.) cum ab initio Christianus esset, ac tandem Libanii sophistæ, Ethnici, scriptis lectis, & accedente Maximi philosophi hominis Ethnici, ac Magi institutione, corruptus, eos imitari cœpisset, & ut malam Constantii Imperatoris de se suspicionem tolleret, monasticam vitam simulavit; & in Ecclesia Nicomedensi lector designatus est, eaque fraude, pietatis fide facta, tandem Imperator creatus est, & publicè deinde Ethnicismum est professus, & variis modis (ut mandatis, promissis, minis, pœnis & scriptis libris contra Euangelia) Christianos oppugnavit, & Christum ac Christianam religionem scriptis, dictisque blasphemis, proscidit, dæmonesque invocavit, magicasque impietates coluit, ac tandem Christianorum perniciem meditans, in prælio cum Persis inito sagitta, incerto authore lethaliter percussus, sanguine ex vulnere suo manu impleta, in aërem sparso, blasphemo ore exclamavit, *Vicisti Galilæe*, ut Theodo. hist. Eccles. lib. 3. cap. 25. recenset. Alterum exemplum hujus perniciosi peccati in Spiritum Sanctum recens, attribui solet Francisco Spiro causidico Italo, cujus historiam Johannes Sleidan. commentar. de statu religionis, lib. 21. anno 1548. recenset.

recenset. Veruntamen, quia Euangelii veritatem Spira abnegavit metu periculi, & amicorum de ipso sollicitorum, & liberorum persuasione, non autem ex odio destinato adversus veritatem Euangelii; idcirco peccatum illius abnegationis, non fuit peccatum in Spiritum Sanctum, de quo Christus loquitur: quamvis secuta sit horrenda desperatio, ex ignorantia peccati in Spiritum Sanctum definitionis; quod illud non aliud esse, quam notæ veritatis voluntariam, (licet tantum periculi metu factam) abnegationem existimaret: idque ut videtur, ex Christi verbis, Matth. 12. & inprimis Apostoli, Heb. 6. & cap. 10. non satis intellectis, per tentationem Diaboli, & conscientiæ terrorem processit: adeò ut diceret, promissiones de Dei misericordia ad se nihil pertinere, & quod agnitam veritatem abjurasset metu periculi, destinatum se cruciatibus æternis, atque illos se animo jam persentiscere, atque videre: neque Deum amare posse, verum horribiliter odisse dicebat: in eoque persistebat, & miser in eo statu ac desperatione vitam finiit: ut Sleidanus recenset. Verum Wolffga. Musculus in Locis communib. de desperatione, hujus exempli meminit; sed se Franciscum Spiram pro reprobo prorsus habere non posse ait, ex historia edita de iis, quæ cum ipso Paduæ acta, quodque quomodo se postea gesserit, & quis illius exitus fuerit ipsum fugeret: Hæc scripsit Anno 1560. post edit. Sleid. hist. in qua de exitu ejus agitur, quem aut nondum legerat, aut illius non meminerat.

Atque hæc de *blasphemia in Spiritum Sanctum.*

Illustratio Versus 40. Matth. 12.

INsignis est Jonæ & Christi comparatio, quæ vers. 40. hujus capitis proponitur his verbis: *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti, tres dies & tres noctes: ita erit filius hominis in corde terræ tres dies, & tres noctes.* Ad cujus commodiorem intelligentiam, consideranda est primum rei circumstantia, deinde res ipsa. Circumstantia est occasio rei, & scopus. Occasio autem vers. 39. est remota, vel propinqua. Remota est petitio hæc Scribarum & Pharisæorum; *Magister volumus ex te signum videre.* Propinqua verò est bimembris Christi responsio, sed altera sui parte obscurior. Prior autem est petentium accusatio: altera est petitionis recusatio. Accusatio hæc est: *Natio malitiosa,* (Nam πονηρὰ non simpliciter est mala, sed talis quæ aliis sua malitia est molesta) *& adulterina, signum requirit.* Qua ratione ostendit, illorum malitiam non esse sibi ignotam, quod scil. petitio eorum à mala origine, medioque, ad finem malum, tenderet. origo enim mala fuit, quia non ex discendi studio; sed ex contumaci adversus Christum odio, processit. Nec enim ad fidem Christo faciendam, apud eos signis ullis erat opus; cum Christus ea abunde edidisset, ipsique vidissent, & invidentes acerbissimis atque horrendis blasphemiis proscidissent. Deinde medium etiam seu modus petitionis malitiam habuit: quia simulationis larva eam subdolè tegere sunt conati, quando Christum (quem apud populum, quasi dæmone agitatum accusarant) nunc *Magistrum*, quasi benevolentiæ & honoris illius studio ducerentur, nominant. Finis denique fuit malus, nimirum ut Christum tentarent, & aliquam traducendi ansam captarent: quemadmodum Matth. 16. vers. 1. in simili exemplo factum est. Huic porro accusationi subjicitur consequens recusatio petitionis; καὶ, *& signum non dabitur ei.* Causa autem illius, non est simpliciter petitio signi tantum. (Nam Gedeon firmandæ suæ fidei signum petens divinitus impetravit. Jud. 6. vers. 37, 39. & Ezechias similiter 2. Reg. 20. v. 10. & contra Achasus oblatum signum recusans increpatur graviter, Esa. 7. vers. 11, 12, 13.) sed causa fuit petentium signum malitia modò explicata: id quod Christus etiam indicavit, cum Scribas hosce & Pharisæos idcircò *malitiosam & adulterinam nationem* nominavit.

Huic tamen petiti signi negationi, aliud ejus loco futurum prædicit Christus, cum ait εἰ μὴ, *nisi signum illud Jonæ prophetæ* supple *dabitur ei,* ubi voces εἰ μὴ, significant, *sed,* ut diversum, non autem exceptum aliquod notetur. Nam Christus non dixit generatim, non dabitur ullum signum. (Nam plurima postea edidisse certissimum est ex Matth. 14. & seqq.) sed de uno signo, & quidem tum petito loquitur; quod quia singulare erat, exceptionem non admittit. Atque hanc interpretationem, ut res ipsa suadet, sic vocum usus optimè fert. Nam quemadmodum vox, *nisi*, apud optimos latinæ linguæ authores pro *sed*, frequenter usurpari notum est: sic etiam εἰ μὴ apud Græcos (quos latini sunt imitati) est in usu, ut 1. Cor. 7. v. 13. εἰ μὴ, *sed*, ut *unicuique partitus est Deus, &c ita incedat.* Gal. 1. v. 7. quod (scil. Euangelium) *non est aliud,* εἰ μὴ, *sed, quidam sunt, qui vos turbant.* Ac similiter Synonymum ἐὰν μὴ Gal. 2. 16. & Rom. 14. v. 14. *Nihil est impurum per se,* εἰ μὴ, *sed ei qui existimat aliquid impurum esse, ei impurum est.* Apoc. 21. v. 27. *Non ingredietur in eam ullum impurum, &c.* εἰ μὴ *sed illi, qui scripti sunt in libro agni.* Sic etiam intelligendum est illud, Ioh. 17. v. 12. *quos didisti mihi ego custodivi, & nemo ex iis periit,* εἰ μὴ *sed filius perditionis.* Nec enim hoc loco est exceptio, ex datis Christo, quorum meminit: sed oppositio; quippe, *quos dedisti mihi,* & *filius perditionis,* hoc est, perditioni destinatus atque obnoxius, si rem spectemus, sunt inter se opposita. Nam *dati à patre Christo*: hic sunt Apostoli non simpliciter, quatenus Apostoli: sed qua electi ac vocati ex mundo ac fide donati; ut toto reliquo capite hæc significatio usurpatur, ut vers. 2 & 6. & 8. & 9. & 11. quibus locis omnibus non intelliguntur quicunque dati sunt in Apostolos; sed qui dati sunt, prædestinatione & vocatione ad fidem: quemadmodum attributa horum datorum evincunt: qualia sunt conservatio, oratio Christi pro iis, sanctificatio & salus. Deinde idem ostendit oppositio mundi (hoc est, cœtus reproborum;) pro quo non orat, vers. 10. ideoque diversa significatio v. 12. non nisi ineptè omninò fingi potest. Sensus igitur hujus loci convenienter huic significationi erit; signum petit: sed non dabitur ei, quod jam petit signum; sed aliud dabitur ei, nempe signum illud Jonæ prophetæ. Quod quia obscurius nonnihil, lucem explicationis desiderabat.

Hæc de loci occasione. Scopus verò est obscurioris illius dicti illustratio; ut res ipsa ad scopum accommodatè comprobat.

Hæc enim v. 40. proposita à Christo comparatio, declarat signum Jonæ prophetæ non esse intelligendum proprie, de signo ac miraculo quod Jonæ accidit: sed de simili signo in Christo exhibendo. Hæc autem comparatio similitudinis non contracta est, ut vers. 29. sed partibus suis propositione & redditione explicata: quarum prior simile illustrans: posterior simile illustratum complectitur.

Propositio est: *Sicuti enim Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes.* De qua re agitur, Ion. cap. 1. vers. 17. Tres autem dies, & tres noctes, periphrasticè tres dies (quorum singuli 24. horis constent ut Gen: 1.) denotant: sive simpliciter sint tres integri: sive secundum quid, non integri, ut hoc in loco redditio ostendit, cum Christus ait: *ita erit filius hominis in corde terræ, tres dies & tres noctes.* Quibus verbis, & is qui comparatur cum Jona, & res in qua comparatur, ostenditur. Qui comparatur est *ille filius hominis*, quo Synecdochicè κατ' ἐξοχὴν certo Christus designatur, ut Matth. 16. & alibi. Cujus nominis ratio est, ut quidam volunt, petita ab excellentia humilis conditionis illius, quæ hoc modo notetur: de qua re Phil. 2 v. 7. Videtur tamen aptius esse, ut excellentia dignitatis officii ea periphrasi innuatur; ut sensus sit, ille promissus ab initio hominis filius, scilicet semen illud mulieris & Abrahami, filius Davidis, Messias promissus, quod omnino videtur declarari, Ioh. 5. v. 27. *& potestatem dedit ei, etiam judicium exercendi,* ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, *hoc est, quia filius hominis est,* nempe promissus Messias, ad cujus officium, tanquam Regis, hoc judicium pertinet. Et licet non esset hoc versu Ioh. 5. is sensus. sed simpliciter *filius hominis* denotaret hominem: dici posset declarari, ad filium Dei, de quo ante actum est, judicium pertinere, quia filius hominis est,

hoc est, verè θεάνθρωπος est, ideoque Messias ille, ad quem judicium pertinet. Id autem quo Christus comparatur Jonæ, est sepultura & duratio illius. Et illa quidem metaphorica periphrasi hoc modo describitur: *erit in corde terræ*, hoc est, intra terram (ut cor in corpore) sicut *cor* alibi usurpatur. Quemadmodum Ezech. 27. v. 40. *Tyrus dicitur in corde maris sita*, quæ tamen non in medio extructa, sed non procul à continente distabat: unde ab Alexandro Magno obsessa, tandem terræ conjuncta est. Sic hoc in loco *in corde terræ* nihil aliud notat, quam in terra, sive intra terram. Ideoque inepti sunt Pontificii, qui hinc colligunt ac contendunt, Christum anima sua descendisse in infernum. Nec enim sequitur, Erit in corde terræ: ergo secundum animam: nec sequitur, in corde terræ; ergò in inferno: quia *cor*, ut ostendimus, non medium speciatim; sed internum spatium qualecunque metaphoricè designat. Nam quod objicere solent Christum non in corde terræ sepultum, quia positus est in sepulchrum è petra excisum, Matth. 27. vers. 6. illud inquam non sequitur: quia hæc non sunt opposita, sed consentanea: quia terræ nomine petra tanquam pars illius meritò comprehenditur. Duratio autem sepulturæ describitur: *Tribus diebus, & tribus noctibus*, hoc est, ut ante ostendimus, per periphrasin tribus diebus (qui singuli 24. horis constant) Synecdo. acceptis: quemadmodum Christus exponit, Matth. 16. v. 21. & 17. v. 23. Cum ait, *tertia die resurget*. Deindè historia Euangelica idem demonstrat. Nam primi diei tribus horis: & secundo die integro, à vespera ad vesperam sequentem: & tertio die à vespera, ad primam matutini temporis partem, hæsit in sepulchro, ac tum resurrexit. Quæ verba ut plenius ac planius cum antecedentibus intelligantur, breviter similitudinem Jonæ, & Christi distinctè describemus.

Ea autem indicatur Jonæ nomine, adjunctis, & effectis consequentibus. Nomine, quia vocatus fuit *Iona*, hoc est, (ut Hebræa vox sonat) columba: Christus verò reipsa moribus est columbæ instar Matth. 10. v. 16. sincerus, atque innocens, mitis & humilis, Matth. 11. v. 29. quod etiam à Deo fuit indicatum, quando in baptismo illius Spiritus Sanctus super ipsum quasi columba descendit, ac mansit, Matth. 3. v. 16. Ioh. 1. v. 32. Altera similitudo posita est in adjunctis, cum miseriæ, tum liberationis. Et in miseria quidem prima similitudo, quod Jonas sese ultrò è medio tollendum obtulit: ut navis, maximis fluctibus agitata, ac periculo submersionis obnoxia, non periret: sed servaretur. Jon. 1. v. 12. eoque in mare projecto, sedata tempestas, ac navis servata, vers. 15. Sic Christus ultrò sese lubens morti exposuit, Ioh. 18. v. 11. Eph. 5. v. 2. & v. 25. 26. ut Ecclesiam suam, ob peccata iræ Dei & exitio æterno obnoxiam servaret. Ioh. 6. v. 51. & 10. v. 15. eoque morte à Judæis & gentibus affecto: Judæorum & gentilium Ecclesia, ab exitio servata est, Actor. 20. v. 28. Johan. 11. v. 50, 51, 52. Apoc. 8. v. 9.

Altera in miseria utriusque est similitudo; quod ut Jonas, in mare ejectus, & à ceto deglutitus, in ventre illius, ac corde maris, tres dies ac tres noctes, sine corruptione hæsit, Jon. 2. vers. 3, 4. Sic Christus morti traditus & sepulchro concluso ac obsignato, Matth. 27. vers. 60. quasi absorptus, tres dies & tres noctes, in corde terræ, Matth. 12. v. 40. corruptionis expers, Act. 2. v. 24, 27. mansit. In liberatione verò est similitudo, quod ut Jonas à Deo liberatus, è ventre ceti die tertio salvus est emissus, Jon. 2. v. 11. Sic Christus aperto divinitus sepulchro, à morte liberatus, tertio die resurrexit, Luc. 24. v. 2, 5, 6, 7.

Atque hæc de similitudine quæ in miseriæ, & liberationis adjuncto apparet. Postrema similitudo in effectis consistit. Nam ut Jonas è Ceti ventre, quasi à morte liberatus, Ninevitas adiens, iis fuit signum Luc. 11. iisque prædicavit Dei verbum, fore scil. ut post dies quadraginta, Nineve subverteretur, nisi scil. (ut Dei mens erat) pœnitentiam agerent: Sic Christus Judæis primum per se, divinum Euangelii verbum prædicavit, & ob neglectum illius, ac pertinacem rejectionem, brevi futuram Hierosolymæ, urbis, & populi, subversionem prædixit; Matth. 21. v. 43. c. 23. v. 38. Datoque circiter 40 annorum ad pœnitentiam spatio, & prædicatione Apostolorum, Primoribus Judæorum, ac plerisque non correctis, sed ferocioribus evadentibus, tandem subversio urbis, & horrenda incredulorum Judæorum pernicies, per Vespasianum & Titum Imperatorem Romanum consecuta est. Credentes verò Christi monitum secuti, Matth. 24. v. 15, 16 & ultra Jordanem, in urbem Pellam sese recipientes, ut hist. Eccl. docet, sunt servati.

Atque hæc de Jonæ & Christi similitudine, vers. 40.

Vindicatio Sententiæ Matth. 12. *vers.* 43, 44. & 45.

QUandoquidem hujus loci explicatio nonnihil videtur habere difficultatis, & doctrinæ de perseverantia sanctorum adversarii, ad oppugnandam eam, hoc loco solent abuti: non importunum fore arbitramur, si genuinam illius sententiam distinctè exponamus; & objectæ difficultatis solutione vindicemus: & primum à rei circumstantia, occasione scil. & scopo, ad rem ipsam aditum præparemus. Occasio autem est antecedens Christi, vers. 41. & 42. oratio, qua primum, Scribarum & Pharisæorum, post cognitum Christum, pœnitentiæ expertem malitiam, oppositè Ninevitis, & reginæ Austri, demonstravit; deindè pœnam in futuro seculo ipsos secuturam, prædixit. Scopus autem est hujus prædictionis amplificatio. Nam ad eum Christi verba vers. 43, 44. & 45. tanquam idoneum medium destinata, diriguntur. Quorum summa est, quod præter prædictam judicii ultimi pœnam, in futuro seculo solvendam, aliam etiam in hoc seculo experientur; atque ita aptissimè declarat Christus, id, quod ante dixerat generalius, vers. 35. *Blasphemiam in Spiritum Sanctum neque in hoc, neque in futuro seculo remittendam*, hoc est, in utroque puniendam. Cæterum illud hoc loco non absolutè, sed ad majorem rei evidentiam ac pondus comparatè exponitur: ut adversariis Christi, ad terrorem meritum, & discipulis, ad salutarem cautionem inserviat. Comparatio autem est non paritatis, sed similitudinis, constatque propositione, ac redditione: quarum illa longior, hæc brevior existit. Propositio, simile illustrans complectitur his verbis vers. 43. 44. & initio 45. *Cæterum cum impurus Spiritus exierit ab homine, &c.* Quod simile quidam tanquam parabolam, à re nunquam facta, sed ficta, docendi gratia depromtam, esse censent: alii verò contra arbitrantur, à re interdum facta similitudinem desumptam: idque magis videtur consentaneum: cum nihil hic recenseatur, quod non interdum usu possit evenire: deinde simili etiam exemplo, ex Ioh. 5. illustrari potest, postquam Christus ægrum, qui annos 38. laborarat, sanavit; ita ipsum, ut vers. 14 traditur, admonuit: *Ecce sanus factus es, ne amplius pecca, ne quid deterius tibi accidat*: sic hoc in loco similiter dicitur; cum is, qui à dæmone liberatus est, ingrato liberationis contemptu, virtutibus vacuus, amplius peccat, ac dæmoni inservit, rursus postea justo Dei vindicis judicio, dæmoni permittitur, & deterior illius viri conditio est, quam antea fuerat. Ac causa justa, cur hoc exemplum à dæmone obsesso potius Christus produxerit, quam aliud simile, duplex apparet. Una, quod propria corporis à dæmone obsessio, similitudine concinna cum metaphorica obsessione animæ, quæ dæmonis suasu aguntur, Eph. 2. v. 2. conveniat. Altera causa, quod simul & Pharisæos simili hoc terret; & sanatum à se dæmoniacum v. 22. periculi ac pœnæ alioqui imminentis metu, ad officium extimulat, ut Ioh. 5. v. 14 in simili re factum.

Porrò ut ad propositionis hujus distinctam explicationem procedamus, ea complectitur primùm subjectum similitudinis, deinde modum: seu quis sit similis, & qua in re. Subjectum est homo, non universè omnis, sed particulatim aliquis, ut res ipsa declarat. Modus verò similitudinis est accidens conditio illius triplex, præterita, præsens, & futura. Ac præterita quidem est ab impuro Spiritu obsessio. *Impurus* autem *Spiritus*, periphrasi in sacra Scriptura frequenti, dæmonium notat; ut Matth. 10. v. 1.

Dedit iis potestatem adversus Spiritûs impuros, id quod v. 8. exponitur, *Dæmonia ejicere*. Et quod Marc. 1. v. 23, 26. dicitur, *Spiritus impurus*, illud Luc. 4. v. 35. *Dæmonium*, & vers. 33. *Spiritus dæmonii impuri* exponitur; quæ impuritas metaphorica, hoc est, malitia, opposita angelorum bonorum seu spirituum electorum sanctitati, non est à creatione Dei: qui omnia bona fecit, Gen. 1. v. 31. sed à voluntaria eorum à sanctitate naturali, declinatione, & lapsu, 2. Pet. 2. v. 4. Jud. v. 6. Hominis autem ab impuro Spiritu obsessio indicatur relatè. Primum cum exitus illius fit mentio. v. 43. & absolutè, cum homo illius domus vers. 44. appellatur. Cujus obsessionis ac potestatis impuri Spiritus origo, non est à naturali, sive jure illius, sive subjectione hominis: sed à merito lapsus, & peccatorum hominis, & à Dei judicis & providentis justa dispensatione: qua hominem dæmoni, non libera potestate illius, sed definitis modis, & terminis, (quos dæmon egredi non potest, Job. 1. v. 12. & 2. v. 6 Matth. 8. v. 31, 32.) obsidendum tradit. Atque hæc de conditione hujus hominis præterita.

Præsens conditio est duplex, nempe collata homini à Deo gratia, & relata ab homine ingratitudo. Gratia autem à Deo collata, est ab illa obsessione liberatio, quæ declaratur his verbis; *Cum impurus Spiritus exierit ab homine:* quo & ante ingressum ipsum, & egressum designatur. Nec enim exire aliud est, quàm illud, quod ante inerat, inesse desinere. Cœterum hic exitus Spiritus impuri non est voluntarius; sed invitus, & Dei potentia coactus, ut ex seqq. etiam constat: qualis illius Spiritus impuri ratio, quem Christus ejecisse hoc cap. 12. v. 22. recensetur. Relata vero hujus hominis ingratitudo, describitur per allegoriam, similitudine ab iis petita, qui hospites expectant: ut enim illi conclavia sua, si ab aliquo occupentur, vacua reddere, & verrere atque ornare solent, ut apta & grata sint iis adventantibus: sic hoc in loco, homo ab obsidente dæmonio liberatus, virtutibus vacuus, & peccatis suis ad excipiendum dæmonem idoneus, & præparatus, proponitur. Nam licet peccata per se sint quasi sordes & fœditates; spiritibus impuris tamen, ob pravitatem eorum, sunt instar nitoris & ornamenti, quo delectantur: quemadmodum lutum & sordes porcis delitiæ sunt.

Et hæc de præsenti conditione. Futura verò est Spiritus impuri primum reditus; deinde obsessio altera hominis illius deterior. Et reditus quidem exponitur occasione, & causa efficiente. Occasio est, quod ejectus spiritus impurus, quærens alium, quem obsideat, non inveniat: id quod per metaphoram, ab homine in exilium terræ aridæ, & desertæ relegato, qui frustra locum ubi quiescat, quærit, declaratur: quod dæmonii, ex homine ejectio sit instar exilii, & loci aridi & deserti. Causa verò est dæmonii de reditu, ad eundem hominem rursus obsidendum propositum, id quod vers. 44. ita describitur: *Tunc dicit* (hoc est, cogitat, & statuit per metaphoram usitatam) *revertar in domum meam, unde exii*. Reditus autem (qui ad propositi executionem principium est) indicatur, cum dicitur, *& cum venit, &c.* Obsessio verò hominis deterior describitur, ab occasione movente & modo. Occasio movens est, quod invenit hominem, quem antea obsederat, quasi *domum vacantem, versam, & ornatam*, hoc est, & à virtutibus, & sancta sollicitudine eum vacuum, & peccatorum suorum studio, dæmonio excipiendo idoneum. Modus autem est, v. 45. quod spiritus impurus assumptis septem, hoc est (per Synecdo. speciei pro gen.) multis spiritibus, quàm ipse sit pejoribus, cum iis hominem occupet, fiatque conditio ultima deterior prioribus. Cui simile est illud, cujus ante memini, Joh. 5. v. 14. *Ecce sanus factus es, ne amplius pecca, ne deterius tibi fiat.* Quod autem hic de spirituum impurorum deteriori obsessione dicitur, illud intelligendum non est, quasi illud ab eorum arbitrio, & libera potestate penderet: sed quod Dei justo judicio, quatenus ipsi placet, hoc illis permittatur. Nam cum ne in porcos quidem eam habeant, sine venia, potestatem, Matth. 8. v. 31, 32. multò minus in homines.

Atque hæc de prima comparationis hujus parte, nempè propositione, qua simile illustrans plenius est descriptum. Altera pars est redditio in fine v. 45. cum dicitur: *ita etiam erit nationi huic malitiosæ*. In qua redditione subjectum est, *natio hæc malitiosa*, quod licet à multis interpretibus, de Judæorum populo (cujus maxima pars erat hujusmodi) exponatur: alii tamen accomodatius, hoc loco, de Scribis & Pharisæis, in Christum, & Spiritum S. blasphemis dici interpretantur. Nam eos ita ante vocavit, v. 39. & postea vocat Matth. 16. v. 4. & quasi intento in præsentes digito indicat, cum non solum ut antea dicit, *γενεᾷ πονηρᾷ nationi malitiosæ*: sed *τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ huic malitiosæ*: Denique cohærentia orationis Christi, cum antecedentibus, ad eosdem hæc referri, declarat. Atque hæc de subjecto, cujus attributum est: *ita erit*, id est, (ut proximè, antecedentia ostendunt) postrema ejus conditio deterior erit prioribus; quòd scilicet ob ingratitudinem, & malitiam in Deum (cujus gratia notitiam Christi acceperant) justo judicio notitia eâ essent privandi, & suis cupiditatibus, & efficaciæ Satanæ tradendi. Quemadmodum Deus, eos, qui ingratâ, contra conscientiam, pertinaciâ peccant, punire solet, Rom. 1. v. 21. 24. 2. Thess. 2. v. 10. 11. Joh. 12. v. 40. Atque hæc de loci hujus explicatione, unde facilior sequetur illius adversus perseverantiæ sanctorum hostes vindicatio. objiciunt enim hoc modo: Ille homo è quo Spiritus impurus hic ejectus dicitur, liber est, atque vacuus ab omni potestate Satanæ, purgatus à sordibus peccati, & ornatus virtutibus: & tamen conditio illius postrema deterior fit prioribus. Ergò verè sanctificati & fideles deficiunt. Sed negatur antecedens. Neque enim de ejectione spiritus impuri ex anima agitur: Sed ex corpore; nec de vacatione ab omni spirituali Satanæ potestate: sed ab obsessione qua corpori nocet: nec de purgatione à peccato, & ornatu virtutum: sed de bonorum, quæ Dæmoni ingrata remotione, & actionibus malis, ipsi gratis instructione hominis, sermo est: ut in explicatione ostendimus: idque etiam redditio similis illustrati, subjecta, evincit. Nam comparat nationem illam malitiosam illi qui ab impuro spiritu est liberatus, atqui malitiosam esse & à malitia purgatam & virtutibus ornatam, non sunt similia: sed apertè contraria. Quare quæ objiciunt, infirma & aliena sunt: cum non agatur de verè per regenerationem sanctificatis, seu viva fide & charitate donatis: sed in utraque comparationis parte sermo est de non renatis. Et in propositione quidem loquitur Christus de eo, qui ab obsessione dæmonis corporali beneficio affectus, ingratus, non Deo sed peccatis inservit: in redditione verò de Scribis & Pharisæis, qui per legem ab impuritate idololatriæ, & per Euangelium, illuminatione Spiritus S. ab ignorantia Christi, ad notitiam illius adducti, ipsum, ingrati & diabolo servientes, Ioh. 8. v. 44. blasphemiis impetebant. Ideoque ut illius à Dæmonis obsessione liberati, sic & horum Scribarum postrema conditio prioribus deterior futura, ut 2. Pet. 2 v. 20. 21. 22. statuitur. Quare frustra ex hoc loco perseverantiam sanctorum (qui Christi sanguine & spiritu regenerationis sunt sanctificati) adversarii oppugnant: quia de hisce neque propositio, neque redditio quicquam loquitur.

Ex Matth. Capite XV. Illustratio Sententiæ Christi vers. 5.

INter eas Christi sententias, quæ variè ob difficultatem, quæ apparet, exponi solent, postrema non est quæ Matth. 15. v. 5. (ut & Marc. 7. v. 11, 12.) continetur: his verbis: *quicunque dixerit patri aut matri, &c.* quocirca explicare conabimur: & brevi analysi, cohærentiam cum antecedentibus, & sequentibus præmittemus. Hoc autem capite ad versum usque 12. describitur certamen Scribarum & Pharisæorum cum Christo, constans oppugnatione Christi v. 1. & 2. & propugnatione Christi, v. 3. & seqq. Et oppugnationis quidem exponitur, primùm, circumstantia temporis, & loci: deinde modus illius. Tempus est, *tunc* cum scilicet Christus plurima ederet miracula, Mat. 14. v. 35. 36. & Marc. 6. v. 56. Locus verò duplex notatur 1. unde venerint Scribæ & Pharisæi, nempè Hierosolymis v. 1. & Marc. 7. v. 1. & quidem Hierosolymitani, hoc est, Hiero-

Hierosolymis degentes, Matt. 15. v. 1. deinde ubi Christum oppugnare cœperint, indicatur, nempe in Galilæa, in qua miracula ista ab eo fiebant, ut ante ostendimus, idque illis verbis indicatur, *accedunt ad Jesum*. Modus autem oppugnationis primum generalis declaratur, quod scilicet non factis, sed verbis Christum sunt aggressi; quod indicans Euangelista v. 1. ait: *dicentes*: Particularis verò modus v. 2. describitur hoc modo: *quare discipuli tui, &c.* in quibus verbis, injusta eorum criminatio est, qua discipulos apertè, & Christum obliquè accusant. Constat autem propositione ac confirmatione.

Propositio est objectio facti, & qualitatis; factum ita exprimitur: *discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum:* qualitas verò cum quæritur, *quare*: quæ interrogatio hoc loco est indignationis nota, quasi dicerent: nullam justam rationem reddere poteris: ideoque & illi peccant, qui hoc faciunt: & tu, quia tui sunt Discipuli, & te ferente hoc faciunt. Confirmatio verò est, *Non enim lavant manus suas, cum edunt panem*; quæ verba non sunt intelligenda, de communi gentium, & ad honestatem civilem pertinente, manuum lotione: sed de propria Judæis, & superstitiosa ex traditione doctorum, quæ plenius Marc. 7. v. 2. 4. recensetur. Ad cujus rei illustrationem, consulendi sunt viri doctissimi Joseph Scalig. in Elencho Serarii cap. 7. & Johann. Druf. annotat. in Novo Testamento seu *præteritorum* parte prima ad Marc. c. 7. v. 3. ubi de modo lotionis, quæ πυγμῇ fieri dicitur, ex Judæorum scriptis differitur.

Hæc de oppugnatione Christi, à Scribis & Pharisæis facta. Cui deinde subjicitur propugnatio, quæ altera certaminis hujus pars. Cujus modus 1. generalis proponitur, quod etiam verbis, ut adversarii, non autem factis sit usus, quod indicatur his verbis: *at ille respondens iis dixit*. Deinde particularis modus subjicitur: quo accusationem Scribarum & Pharisæorum confutat: non negatione facti, sed qualitatis objectæ. Nam primum Christus, universalem eorum sententiam, quâ accusatio objecta nitebatur, diluit accuratissimè à v. 3. ad 9. Deinde particularem, quæ discipulorum esum attinebat. v. 11. & 12. & quidem sermone ad populum converso. Universalis autem sententia erat: qui seniorum traditiones transgrediuntur, illi certò peccant: hoc verò falsum esse docet Christus, quod traditiones eorum partim impiæ essent. v. 3, 4. 5. 6. partim vanæ, v. 7. 8. 9. Et impias quidem esse nonnullas, docet justa gravique recriminatione, quæ constat propositione v. 3. Confirmatione, v. 4. & 5. & conclusione vers. 6. Propositio autem est: *quare & vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestram?* In qua propositione accusationem factam à Scribis & Pharisæis, in eos retorquet, simili modo sermonis; nam & factum objicit, & qualitatem illius. Factum simile quidem in genere facto discipulorum, quod ut discipuli erant transgressores mandati: sic quoque Scribæ & Pharisæi; Quam similitudinem indicat cum ait: καὶ ὑμεῖς, *& vos transgredimini*. In specie verò dissimile omnino ostendit, ratione causæ efficientis mandati: quod Scribæ Dei mandatum transgrederentur, in quo impietas consistit: contra verò discipuli mandatum & traditiones hominum tantum. Qualitatem idcirco facti innuit interrogatione, *quare:* quasi diceret; nulla causa subest justa: sed impia inobedientia est, vers. 3. Cujus propositionis confirmatio, est oppositio mandati Dei specialis v. 4. & transgressionis illius, per traditionem Pharisæorum v. 5. Mandatum autem Dei speciale, proponitur à Christo duplex, commune, ac perpetuum, nempè quintum Decalogi præceptum, Exod. 20. *Nam, inquit, Deus mandavit dicens, Honora patrem &c.* deinde proprium Judæis, & politicum, Exod. 21. v. 16. *qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur.* Cui mandato duplici opponitur Pharisæorum, per traditionem contrariam transgressio, v. 5. cum ait: *vos autem dicitis, quicunque dixerit patri aut matri &c.* de cujus antecedentis inprimis, & deinde de consequentis genuino sensu, multæ & veterum & recentiorum discrepantes sunt sententiæ: ex quibus, brevitatis causa, præcipuas expendemus. Ad antecedens autem subjectum enuntiationis quod attinet: *quicunque dixerit* δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, observandum est primùm vocem ἐὰν usurpari hoc loco pro ἂν, potentiali, ut loquuntur, particula; ut alibi sæpius, Mat. 5. v. 19. ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ, *quicunque igitur solverit*, & cap. 8. v. 19. ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ *quocunque abieris*, & cap. 10. v. 14. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς *quicunque non receperit vos*, & v. 36. ὃ ἐὰν λαλήσωσιν *quod locuti fuerint.* & cap. 16. v. 19. καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, & *quicquid ligaveris &c.* deinde etiam observanda est constructio vocis ὠφεληθῇς, cum accusativo ὃ pro dativo ᾧ per ellipsin vocis κατὰ, quemadmodum Matth. 16. v. 26. τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, Marc. 5. v. 26. μηδὲν ὠφεληθεῖσα &c. ut 1. Cor. 13. v. 3. οὐδὲν ὠφελοῦμαι. deinde & illud certum, quod hic dicitur δῶρον à Christo appellatum Corban, ut Marc. 7. *Corban, hoc est, donum*, expressè dicitur; qua voce donum Deo consecratum designatur. De re verò controversia est. Quidam enim hæc filii ad parentes verba, exponunt de operta fraude, & pietatis, ac benevolentiæ quadam simulatione, hæc dici censent: alii verò de aperta honoris debiti, cum indignatione & ira, negatione, interpretantur. Ac priorem sententiam quidam sic sequuntur, ut vox δῶρον, *donum*, sit enuntiationis hujus subjectum, & ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ad subjectum etiam pertineant: ut sit sensus, donum quod à me offertur, tibi proderit. ut sit prætextus, cur parenti opem non ferat filius, quod pro salute & felicitate non solum sua; sed etiam parentis sacrificium obtulerit: ideoque tantundem esse, ac si in usus illius contulisset. Quam expositionem secuta est Genevensis Gallica editio Novi Testamenti. Alii verò subjectum statuunt diversum nempe ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς *quo à me juvari possis, ac deposcis*: út sit prædicatum, *Corban*, donum est Deo: Ideoque cùm Deo consecratum sit, non licet tibi hoc conferre. Atque ita Chrysost. ad hunc locum de Scribis & Pharisæis loquens explicat, cum ait: *Docuerunt juvenes pietatis simulatione contemnere parentes. Quînam & quônam modo? Si quis parens diceret filio, da mihi hanc ovem quam habes, aut vitulum aut aliud hujusmodi &c. dicebat* δῶρόν ἐστι τοῦτο τῷ θεῷ, ὃ θέλεις ἐξ ἐμοῦ ὠφελεῖσθαι, *donum hoc est Deo, quo ex me juvari vis.* Sic etiam Theophylact. ait: *Christus docet, eos legem Dei transgredi: docebant enim liberos nihil dare parentibus: sed offerre, quæ haberent, in gazophylacium templi*: & post pauca verba subjicit: *Pharisæi igitur suadentes liberis, nihil dare parentibus, sed offerre ea in thesaurum templi, docuerunt eos dicere, donum est, hoc est, Deo oblatum est ô Pater, quo à me juvari quæris.* (Hinc apparet ex Theophyl. antecedentem vocem *nihil*, item, *quæ haberent* intelligi, ab eo, non absolutè; sed relatè ad ea, quæ à parentibus ad subsidium eorum petebantur, ut etiam sequens partitionis mentio indicat) *& ita ipsi partiebantur cum liberis pecunias, & parentes deserebantur, senili alimento destituti. Idem autem etiam fœneratores faciebant: Si quis enim alicui pecunias ad usuram dedisset: deinde difficilis esset debitor, nec debitum redderet, dicebat fœnerator ad illum iniquum debitorem, Corban est, quod mihi debes, id est, bonum Deo oblatum. Debitor igitur ex illo tempore quasi Deo debens, etiam invitus solvebat.* Eodemque modo hunc locum Marc. 7. similiter exponit. Ac quamvis in hac expositione vox δῶρον per ellipsin verbi substantivi, *est*, prædicatum statuatur, cum tamen præcedat ordine verborum suum subjectum: in eo nihil est absurdi: quia hæc inversio ordinis non est insolens: sed in Sacra Scriptura frequentissimè occurrit. Nam ut omittamus quod Matt. 5. vers. 3. ad 11. usque octies prædicatum μακάριοι suis subjectis proponitur, hoc ipso cap. 15. frequenter conspicitur, ut vers. 7. *Prophetavit de vobis Esaias*, & v. 8. *appropinquat mihi hic populus*, & v. 22. *miserere mei Domine*, & 28. *magna* (supple, est) *fides tua*, & 30. *& accesserunt ad eum turbæ multæ*, ὄχλοι πολλοί.

Atque hæc de primo expositionis hujus loci modo, quo fraude operta, & sub benevolentiæ, & cultus Dei specie, honorem parentibus suis liberi subtrahebant; idque, ut vox δῶρον vel sit subjectum, vel prædicatum. Alter verò modus est, quo locus hic declaratur ab aliis, ut verba hæc à filio, subsidia parenti postulanti, denegante, aperta indignatione dicta fuisse intelligantur. Idque ex priscis Judæorum traditionibus (quæ in Thalmudis tractatu de jurejurando, & votis continentur) probant tres viri insignes, & linguarum

Orientalium & Thalmudis callentissimi. Quorum verba, ut observatu dignissima, & quod libri eorum vulgo non sunt in promptu, non ingrata fore, si proponamus, confidimus.

Primus est Paulus è Judæo factus Christianus, & tandem in Hispania Episcopus Burgensis: in Additionibus ad glossam Nicolai de Lira, Matth. 15. *Ad istum*, inquit, *passum bene intelligendum, recurrendum est ad traditiones Pharisaicas, seu Thalmudicas, quas Christus intendebat in proposito reprobare; ad cujus evidentiam sciendum, quod circa materiam votorum, unus liber à Thalmudicis est compositus, qui intitulatur* נדרים id est, *vota: In quo unus error talis est: Tradunt enim quod sicut quilibet potest bona sua consecrare Deo, sic, quod facta hujusmodi consecratione per votum, postea non licet alicui talibus bonis uti, nisi in Dei obsequium, scilicet in servitio altaris vel templi, vel hujusmodi: sic quilibet potest consecrare bona sua singulariter, hoc est respectu unius personæ tantum, verbi gratia, si quis dicat alicui proximo, volo seu voveo quod bona mea sint consecrata respectu tui; tunc dicunt, quod illa bona sint consecrata respectu illius hominis tantum: sic quod nullo modo iis uti possit; ac si essent simpliciter Deo consecrata. Dominus tamen illorum bonorum & alii homines quicunque, possunt uti talibus bonis ac si non essent consecrata, sed merè propria* (aut ut lectio ad marginem habet, *profana.*) *Votum autem hujusmodi secundum eos multipliciter oretenus exprimitur, & specialiter cum verbis significantibus aliquam rem consecratam, ut si dicat aliquis, sicut templum, sic est res mea: Tunc res illa est consecrata, tanquam templum: similiter si dicat, sicut altare, vel sicut corbona, vel hujusmodi: similiter si quis dicat, Munus sit, vel est, talis res, idem est judicium: intelligitur enim de munere Deo oblato. Ex quibus inferunt, quod dicat quis patri suo, munus quodcunque ex me tibi proderit: tunc pater nullo modo potest uti aliquo bono filii sui, etiam filio volente & patre in necessitate existente. Et hoc ideo, quod secundum traditionem suam prædicta omnia bona filii sui sunt consecrata, respectu patris.* Quibus post pauca subjicit: *Cujus sensus est, quod filius vovet, ut sit tanquam munus altari consecratum, quicquid sit* (videtur redundare scriptorum vitio vox *ista*, aut deesse vocem *quod*) *de bonis suis patri proderit, & sic filius taliter vovens, nullo modo potest prodesse patri secundum eos; quod est de directo contra præceptum divinum: & hoc est, quod legitur Marc. 7. quodcunque ex me tibi proderit: & ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri.* Hæc ille.

Alter verò est Andreas Masius, vir in linguis Orientalibus versatissimus, & qui ad Bibliorum Regiorum apparatum, Grammaticam, & Lexicon linguæ Syræ conscripsit, qui in doctissimis in Josuam commentariis anno 1574. editis ad capitis sexti v. 19. eruditè sic ait: *Res enim Deo devotæ (quas Græci* ἀναθήματα *&* ἀνακείμενα *vocant) tam ea sunt, quæ in locis sacris dicantur, quam ea, quæ adolentur atque abolentur. Hebræi ipsas posterioribus temporibus vocaverunt* κορβᾶν, *& elisa durioris soni litera* ר, קובן Coban: *eadem notatione scil. qua Græci* ἀναθήματα *dicunt. Est enim* קרב *offerre, unde extat apud Hebræos doctores (tractatu de jurejurando & votis) hæc jurandi aut vovendi potius, solennis formula* קָרְבָּן כָּל מָה דְּתִתְהֲנֵא מִנַּי hoc est, *anathema & res devota esto, quicquid illud sit, quo ego tibi prosim, aut quam tu utilitatem ex me capias; quo voto cum quis apud aliquem usus est, quamvis necessitudine obligatum atque adeò erga suum ipsius parentem; nefas esse statuunt Rabbini, illum ullo beneficio, aut officii genere juvare: ne, quod Deo devovit, videlicet, id humanis commodis serviat. Atque hæc ipsa est illa traditio, quam citat, damnatque Christus apud Matthæum & Marcum, tanquam Mosis legi adversantem, à nostris Interpretibus formulæ illius ignaris adhuc parum bene (ut mihi videtur) explicata, sivè Græcis sivè Latinis, nam in Syriacis Euangeliis dilucidior apparet sententia.* Hactenus Masius.

Tertius author est, Benedictus Arias Montanus, itidem in linguis Orientalibus & Thalmude exercitatissimus, quique maximam in Bibliis Regiis Tetraglottis, edendis, & apparatu instruendo, navavit operam. Is enim in elucidatione quatuor Euangelistarum, apud Plantinum excusa, anno 1575. ad hunc locum Matth. 15. ad ista verba: *Vos autem dicitis*, sic ait. *Inter alia argumenta libri traditionum* (intellige Thalmuden) *est argumentum de voto, multis partibus & quæstionibus disputatum, integro volumine. In votorum autem generibus duo sunt præcipua: quorum alterum ad hujus loci explicationem facit: ut quis jurejurando ac vovendo neget, se alium juvaturum, vel amicum, vel patrem, vel uxorem, vel virum, &c. Appellatur autem hoc votum* נדר הנאה *Nedar-Hanaah: Latinè ad verbum votum uilitatis,* vel *commoditatis. Cujus multæ sunt species pro circumstantiis verborum: pro materia, quæ præstanda adjuratur. Est autem augustissimum in hoc genere votum, si quis dicat se alii* הנאה id est, *commoditatem omnem abnegaturum. Forma concipiendi voti hujusmodi ea est vel simplex, sine juramento, in hunc modum* קונם אני אם id est, *voveo ego (sivè consecro ego) si. Nam huic orationi & conjunctioni conditionali si, addebatur verbum pro arbitrio voventis. Atque hoc erat votum simplex, firmum tamen. Erat autem aliud firmissimum, & omnino insolulibile, cui præter concepta verba adjungebatur juramentum, &c. Igitur his præcognitis facilè locus hic exponetur, si Græca, simul cum Latinâ, conferatur lectio Nam quod Græcè sic ad verbum legimus,* δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *sic latinè ad verbum lego, & dispungo, munus, quod si ex me juveris; manifeste ostenditur votum* הנאה *conceptum & pronunciatum, adversum parentes, adjuncto juramento per Munus, juxta traditionem, gravissimo, quod ejusmodi esse solet* קרבן שאתא נאנה לי (videtur potius legendum נהנא) *quod ita explicant.* מה שאתה נאנה ממני אסור עליך id est, *ad verbum* ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς ἀπηγορευμένον σοὶ, *quodcunque ex me juveris, (sive ut habet vetus Interpres, quodcunque ex me tibi proderit, vel profuerit) interdictum tibi est. Latine verò jam aperta est oratio, si post vocem Munus, dispungamus: significat enim ille Hebraismus concisus, idem ac si dicatur; sanctum munus juro me esse damnatum, si quicquam proficiscatur ex me quod tibi prosit. Hæc est traditio quam Christus allegabat disertis, ut diximus, verbis, ac satis diffuse in illo libro descripta & repetita.* Hactenus Arias Montanus.

Quare variis jam propositis doctissimorum, veterum & recentiorum, de hujus loci sententia, interpretationibus, eas examinare, & quænam videatur maximè consentanea, explicare conabimur. Ac primum ea sententia, quam initio recensuimus, qua statuitur enuntiationis hujus subjectum esse *donum*, *quod ex me* (supple erit) prædicatum vero *juveris*; non videtur satis convenire. Nec enim reipsa, nec ulla specie illa inter se pugnabant, offerre dona, ut prodessent non minus parenti quam filio; & simul parenti opem ferre: quia utrumque lege Dei probatum: neque etiam ex Thalmude (in quo veterum Pharisaicarum traditionum farrago continetur) aut ullis Judæorum scriptis hoc probatur, ab hujus sententiæ authoribus: & Paulus Burgensis Judæorum, & Christianorum sui ævi doctissimus, contrariam Judæorum sententiam esse tradit, & ex Mose Maimonide comprobat, in Additionibus suis ad glossam Lyræ Matth. 15. Neque sanè credibile est, Judæos ita fuisse impudentes, ut si quis patri dixisset; Ex meo dono, quod Deo offeram, tu etiam utilitatem seu benedictionem Dei percipies, propterea prohiberent, tanquam nefas, ullum subsidium patri conferre: quemadmodum Marc. 7. prohibitum demonstratur. Nam in illis filii verbis, nullum juramentum, nullum votum, si ita accipiantur, ut exponunt, apparet, nihilque quod ullam habeat causæ rationem, aut speciem illius, cur honor parentum, quasi illicitus filiis prohiberi potuerit. Ac propterea quod doctissimus Tremell. ad Nov. Testam. Syriacum, Matt. 15. v. 5. ait: *significat hac excusatione, externo Dei cultu abundè satisfieri, patrio honori, ut qui Deo aliquid obtulerit, nihil amplius parentibus debeat*, illud inquam minus convenire videtur. Quare aptiores expositiones sunt reliquæ, quæ speciosum prohibiti honoris, ac neglecti erga parentes prætextum continent, ac vocem δῶρον *donum* prædicatum esse, reliqua verò, nempè; *quocunque à me juvari posses*, subjectum esse statuunt. Etsi enim hæc præpostera sit constructio; non tamen est contra Hellenismum, neque insolens; sed in Sacra Scriptura usitatissima, ut antea demonstravi, & exempla passim in ea sunt obvia. Et Chrysost. & Theophyl. Græci disertissimi, eodem modo construunt & expo-

exponunt, ut ex ante dictis & citatis ex iis apparet.

Itaque primum probabilis est Chrysost. & Theophyl. sententia, ut sit excusatio omissi honoris erga parentem, pietatis simulatione, quod id esset donum seu consecratum Deo. Nec enim consecrata Deo licebat in usus illius, eoque, neque parentis conferre. Sed tamen altera expositio, ut sit, non excusatio, sed aperta recusatio honoris ac subsidii conferendi, cum indignatione quadam, sub cultus Dei specie, maximè videtur verisimilis, & quidem ut sit votum: quemadmodum ejus usum fuisse apud Judæos, ex Thalmude probatur: ut (quemadmodum tradunt Paulus Burgensis, & Andreas Masius) sensus hic sit; *id quo à me juvari posses, donum esto*, hoc est, Deo devotum: ideoque Marcus cap. 7. vocem, qua Christus usus est, *Corban*, expressit, quod pro sacrato dono usurpatur. In quo voto approbato à Pharisæis violatur utrumque Dei mandatum à Christo propositum: religiosum quidem de honorandis parentibus: cum filii, honorem subsidii se parentibus exhibituros, voti religiosi specie negarent: politicum verò cum spreta lege divina, de pœna civili ac capitali ei inferenda, qui parenti malediceret, obliquè hoc præstarent: quando cum indignatione, & ira, in eos, sub voti servandi prætextu, opem se iis nunquam laturos assererent. Quod autem Arias exponit, *sanctum munus juro, me damnatum esse, si quicquam proficiscatur ex me, quod tibi prosit*; ut hoc modo sit irati in Patrem filii non simplex votum, sed juramentum: illud non videtur satis consentaneum. Primum, quia traditio Pharisæorum, quam ipsemet ex Thalmude ac Judæorum interpretatione ponit; *quodcunque ex me tibi profuerit, interdictum tibi est*, apertè cum Paulo Burgensi, & Masio convenit: & votum, non autem juramentum est. Deinde, aliam habent, quam ipsius expositio, constructionem & sententiam. Nam ita oratio plena est: excepta notissima verbi substantivi ellipsi, donum (supple) esto; ideoque cum Deo consecratum sit, & mihi nefas dare tibi: & tibi accipere. Contra verò Ariæ Montani expositio ellipses habet non necessarias. Nam pro voce *donum* aut *munus*, ponit ista, *sanctum munus juro, me esse damnatum*. Deinde obstant etiam verba Christi: non enim dicit δῶρον ἐὰν *donum si: sed* ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς *quocunque juvari posses*. Nam si ἐὰν, non pro ἂν, sed pro *si* accipiatur, tum pronomen ὃ omninò erit superfluum. Cæterum causa, quæ ad hanc alienam interpretationem, prætermissâ rectâ, virum doctissimum adduxisse videtur, ea est, quod Josephus in medio libri primi, contra Apionem, Theophrastum de legibus citans, ait: *dicit enim quod prohibent Tyriorum leges, peregrinis juramentis jurare, inter quæ, cum quibusdam aliis, & juramentum dictum Corban enumerat. Apud nullum autem invenitur hoc juramentum præterquam apud solos Iudæos. Significat autem (ut si quis ex Hebræorum dialecto interpretans diceret)* δῶρον Θεοῦ *donum Dei*. Quo loco strictim recitato, illustrissimus Josephus Scaliger de emendatione temporum in appendice, seu notis in fragmenta pag. 25. ait. *Et iste locus Theophrasti pulcherrimè interpretatur locum Matth. 23. v. 18. imò sine hoc loco Theophrasti ille Matthæi non intelligeretur.* Sed licet juramentum aliquod fuerit Judæis solenne, *per Corban* seu donum Deo oblatum: ideoque metonymicè à Judæis *Corban* dictum: inde tamen non est statuendum, Matth. 15. & Marc. 7 similiter intelligi oportere, ut ex antecedentibus rationibus, quas attulimus ex usu Judæorum, & ex verbis Christi apparet. Contra verò, rectè à Paulo Burgensi, & Masio, votum statui, & quidem per enuntiationem non imperfectam sed perfectam, ex antiquis Judæorum traditionibus, Thalmude & interpretum Judæorum expositione, traditis, & ante memoratis constare potest. Nam quod vir illustrissimus eam rejicit, quasi præpostera esset contra Hellenismum interpretatio; deinde quasi adeo obscura esset, ut à nemine intelligi queat: iis jam antea ex superioribus testibus gravissimis, & explicatione perspicue satisfactum arbitramur. Quod autem ipsemet ita exponit, in Elencho Serarii cap. 9. δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς πάσης με πρὸς σε τιμῆς ἐλευθεροῖ, *donum quod à me profectum tibi profuit, omni erga te honore me liberat*: illud Masii expositioni præferri debere non videtur. Primum, quia Pauli Burgensis & Masii expositio, sententiam perfectam (subjecto suo & prædicato constantem) servat; hæc verò sine necessitate ulla, imperfectam: ut in qua solum ponatur subjectum: prædicatum vero longiore ellipsi supplendum, statuit. Deinde Masii sententia nititur consuetudine, ac traditione Judæorum veteri: hæc verò authoritate veterum omninò destituitur.

Hæc de orationis antecedente: *vos autem dicitis, si quis dixerit, quodcunque ex me tibi prodesse posset, donum (supple) est, aut esto.* Consequens verò καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ *patrem suum, aut matrem suam*. Quæ verba bifariam exponi possunt. Primùm ut sit oratio conditionalis, & imperfecta, ad quam supplendam, initio vox ἐὰν *si*, & in fine, *insons erit* addatur. Quemadmodum Clarissimus Beza interpretatur, (quem etiam nonnulli viri doctissimi sequuntur) qui verba καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ sic reddit Latinè, *etiamsi nequaquam honoraverit patrem suum, aut matrem suam, insons erit*. Secundo exponi potest, ut sit oratio perfecta, & à conditione absoluta, & libera, hoc modo; *etiam nequaquam honoret*, id est, nequaquam honorato ille: ut Christus non sua, sed Pharisæorum verba, & mandatum recitare intelligatur, ad sententiam cæptam absolvendam: scilicet ut aoristus subjunctivus (qui circa omnem controversiam futuri habet significationem) non conditionaliter, sed absolutè, & quidem pro imperativo, hoc loco accipiatur. Quam modi enallagen, ut Latini imitantur: sic literarum sacrarum, & bonorum authorum Græcorum usus frequens comprobat, ut Matth. 5. v. 17. μὴ νομίσητε *ne existimate* & vers. 36. μήτε ὀμόσῃς *ne jures, seu ne jurato*, & cap. 6. vers. 2. μὴ σαλπίσῃς *ne buccinato*; & vers. 5. οὐκ ἔσῃ *ne sis, vel ne esto* & vers. 13. μὴ εἰσενέγκῃς *ne inferas*, id est, *ne inferto* Sic etiam elegantes, ac prisci authores Græci: ut primum Theognis, μηδεὶς ἀνθρώπων πείσῃ *nullus hominum persuadeat*, hoc est persuadeto p. 10. editio. Lipsiæ anno 1603. opera Wolffgan. Seber. idem μήποτε &c. ἀπολέσῃς *ne unquam perdas* id est *perdito*, pag. 26. Hunc secutus Isocrates in oratione ad Dæmonicum, non procul ab initio; μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, *nulli calamitatem exprobrato*: & sub orationis finem, καὶ μὴ θαυμάσῃς, *neque mireris*, id est, ne admirator. Si quis autem objiciat aliam, quam in locis citatis, apud Matthæum esse orationis formam; quod non simplex sit, sed geminata prohibitionis vox οὐ μὴ: illud inquam nihil orationis formam mutat, etsi prohibitioni, negationis geminatione, addatur pondus.

Nam quemadmodum aoristo subjunctivo eo modo absolutè pro futuro indicativo utitur Matth. 5. v. 26. οὐ μὴ ἐξέλθῃς *nequaquam exibis*: sic eodem modo, pro imperativo accipitur, Gal. 5. v. 16. οὐ μὴ τελέσητε *nequaquam perficiatis*, hoc est, ut rectè Beza, *ne perficite*, sic hoc in loco Matthæi, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ, *& nequaquam honoret*, hoc est, nequaquam honorato ille. Atque eam esse, & horum verborum sententiam ex Marc. 7. v. 11. colligi potest: *Corban*, hoc est, *donum, quodcunque ex me tibi prodesse posset, & non amplius permittitis eum quicquam præstare patri suo, aut matri suæ.* Hinc enim apparet, post ea filii verba, ei à pharisæis fuisse interdictum parenti ullam opem ferre: quod interdictum exprimitur apud Matthæum his verbis, *etiam nequaquam honoret seu honorato ille.* Si quis autem id minus convenire existimet ob copulam præmissam: non enim ita sonare verba, *si quis dixerit donum est, &c. nequaquam honoret*: sed καὶ, *& nequaquam honoret*: quæ copula hoc sensu posita omninò foret superflua atque inanis; ad illud negatione respondetur: Nam vox ista, καὶ, seu *etiam* posita, emphasin & vim suam habet, scil. ut antecedentis dicti, à filio, consequentiam necessariam declaret; quemadmodum non inanis est copula hæc, si judex ita discernat; si promisisti, etiam solvas: si es confessus te crimen illud perpetrasse, etiam pœnam perferas.

Quamobrem, ut tandem concludam; expositio sententiæ videtur hæc commodissima: *Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri, quodcunque ex me tibi prodesse posset, donum est aut esto; etiam nequaquam honoret patrem suum aut matrem suam:* Sic enim oratio non imperfecta, sed perfecta statuitur: & quidem traditioni Pharisæorum antiquæ

quæ in tabulas Thalmudis relatæ, conveniens; cum eam Judæi prisci agnoſcant: ſenſu denique non intricato, non obſcuro, ſed perſpicuo, (ſi quis diligentius attendat) & cum Græcæ linguæ uſu congruente. Nam verbi ſubſtantivi ellipſis adeò trita eſt, ut vix ellipſis cenſeri debeat. Quod autem *donum*, pro dono Deo conſecrato accipitur, ut omnes agnoſcunt, in eo non eſt oratio elliptica; (ut quidam vir doctiſſimus cenſet) ſed ſynecdoche generis pro ſpecie, quæ ut eſſet clarior Marc. 7. v. 11. vocem, qua Chriſtus eſt uſus, ſcil. κορβᾶν expreſſit. Quæ, ſi etymon ſpectemus, generatim donum notaret, ſed in ſacris literis pro dono ſolummodo, quod Deo conſecratum, accipitur, & vox *Dei* rariſſimè additur: ut Levit. 23. verſ. 14. *Corban Dei veſtri*, & Num. 9. v. 13. & 31. v. 50. κορβᾶν Iehovæ. Atque ita quoque expoſuit Origenes Tom 2. in Matth. 15. *Etenim ſi Deus dicit: Honora patrem & matrem, traditio ex adverſo dicebat, eum non debere honorare patrem aut matrem, dono; qui, quod daturus erat parentibus, conſecravit Deo, quippe Corban: palam eſt, Dei præceptum de honore parentibus exhibendo, per traditionem Phariſæorum & Scribarum aboleri, quæ dicit non amplius oportere honorare patrem & matrem dono, eum, qui ſemel Deo conſecravit, quod parentes ſolent accipere.* Quod autem Ptolomæus hæreticus in epiſt. ad Flor. teſte Epiphanio hæreſ. 13. aut 33. editionis Græcæ, pag. 99. hunc locum ita citat: δῶρον τῷ θεῷ, iis verbis non indicat aliam lectionem (ut Camerarius opinatur,) ſed recitationem ſenſus, non verborum: quædam enim omittit, ut καὶ οὐ μὴ; quædam verba mutat, atque addit, hoc modo, καὶ ἠκυρώσατε τὸν νόμον, hæc eſt mutatio: Matthæus enim habet τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ: διὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, (hoc addit) pro ὑμῶν. Quemadmodum poſtea Epiphan. in refutatione Ptolomæi, ſenſum, non autem verba recitans, ait: pag. 101. *Sermo qui à Servatore dictus eſt: ſi quis dixerit Patri ſuo κορβᾶν, οὐκ ὠφεληθήσεται ἐξ αὐτοῦ, nil commodi ex eo percipiet ſcil. Pater è Filio.* Id quod etiam minus attendit latinus Interpres, qui verba ex Marco recenſens, interpretatur (κορβᾶν, hoc eſt, *donum*) *quodcunque ex me in tuum cedet commodum*.

Atque hactenus hujus loci difficilioris illuſtratio pertexta: unde, quid de aliis interpretationibus à nobis prætcritis, cenſendum ſit, facile poterit judicari. Quales ſunt tres inprimis: quarum prima ita recenſetur à Chryſoſtomo, ac rejicitur, *Nonnulli etiam*, inquit, *aliter exponunt, donum quodcunque ex me tibi proderit: (id eſt, honorem tibi non debeo, ſed dono gratis, ſi ego te honoravero.) Verum hujuſmodi contumeliæ Chriſtus nullam feciſſet mentionem.* Altera alienior eſt Auguſt. Tom. 4. Quæſtio. Euangelicarum lib. 1. ſect. 16. qui ſic ait: *Munus, quodcunque ex me, tibi proderit*, id eſt, *munus quod offers cauſa mei, ad te jam pertinebit. Quibus verbis filii ſignificant, jam non ſibi opus eſſe parentum pro ſe oblatione: quod ad eam ætatem perveniſſent, ut poſſent jam ipſi offerre pro ſe: in hac videlicet ætate conſtituti, ut poſſent parentibus ſuis hoc dicere; & cum hoc dixiſſent, negabant Phariſæi reos eſſe, ſi parentibus ſuis non præſtarent honorem.* Poſtrema ſententia & interpretatio eſt, quam ſecundo loco recenſet Hieron. tom. 9. ad cap. 15. Matth. *Poteſt autem & hunc habere ſenſum; Munus quod ex me eſt, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios, ut dicant parentibus quodcunque donum eram Deo oblaturus, in tuos conſumo cibos, tibique prodeſt ô pater & mater: ut illi timentes acciperent, quod Deo mancipatum videant, inopem magis velint ducere vitam, quam comedere de conſecratis.* Hæc interpretatio ut minus commoda; ſic prior, quam Græcis Patribus conſentaneam tradit, magis congruit. *Docuerunt*, inquit, *peſſimos filios, ut ſi quis ea, quæ parentibus offerenda ſunt, vovere voluerit Deo (qui verus eſt pater) oblatio Domini præponatur parentum muneribus: vel certè ipſi parentes, quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egeſtate conficiebantur. Atque ita fiebat, ut oblatio liberorum, ſub occaſione templi, & Dei, in ſacerdotum lucra cederet. Hæc peſſima Phariſæorum traditio de alia veniebat occaſione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes ſibi creditum reddere: delegabant ſacerdotibus, ut pecunia exacta, miniſteriis templi, & eorum uſibus deſerviret.* Hæc Hieron. Quam utramque Hieron. ſententiam, Beda in Marc. cap. 7. iiſdem prorſus verbis tranſcripſit.

Explicatio Dicti, Matth. 16. v. 24.

Antequàm memorabilis, & celeberrimi hujus loci ſententiam genuinam exponamus, ad faciliorem illius notitiam, occaſionis & ſcopi illius circumſtantiam paucis declarabimus.

Occaſio autem gemina eſt, colloquium Petri & Chriſti antecedens, & periculum inde conſequens. Ac colloquii quidem pars prima eſt privata; nam Petrus reverentiæ cauſa Chriſtum aſſumſit, hoc eſt, à reliquis eum abduxit nonnihil: ne dicta ipſius alii præter Chriſtum audirent. Modus autem alloquii illius eſt, temeraria dictorum Chriſti, à Petro inſtituta, reprehenſio: qua Chriſtum, ex imprudenti illius amore, à debita morte ſubeunda, quaſi ea re immitis in ſe eſſet futurus, avertere conatur v. 22. Altera verò pars eſt Chriſti reprehenſio, & quidem publica: qua converſus ad diſcipulos, perperam reprehendentem Petrum, contraria ſententia graviter reprehendit, Marc. 8. verſ. 33. idque in eum finem, ut non ſolum Petrus, ſed etiam reliqui auditores, eo modo cautiores redderentur. Reprehenſio autem mandato, & accuſatione conſtat. Mandatum eſt *ut poſt Chriſtum abeat*: non autem ipſi importuna & indigna reprehenſione, & dehortatione præeat. Accuſatio autem primum proponitur, cum *Satanam*, hoc eſt, adverſarium vocat: deinde veritas & juſtitia accuſationis, confirmatione exponitur: deducta à proprio adverſarii effecto, cum externo, tum interno. Externo quidem, quod Chriſto eſſet ſcandalo: ſeu in via, atque obedientia ſubeundæ mortis, divinitus imperatæ, rectè procedenti, eſſet obſtaculo, ab eaque avertere, & ad lapſum adducere imprudenter conaretur. Interno verò, quod carnali de morte Chriſti judicio abreptus, Dei & Chriſti ſapientiæ, & voluntati contraria ſentiret; eoque modo externi effecti, ſeu temerariæ ac vitioſæ reprehenſionis, & dehortationis fontem indicat Chriſtus. Hæc de Colloquio antecedente. Periculum verò conſequens erat offenſa, & perturbatio diſcipulorum: cum Petri, nondum rem intelligentis; tum reliquorum, ob acerbam hanc increpationem, metuenda. Communis enim erat eorum de Chriſti & Chriſtianorum conditione error; ſiquidem regnum Chriſti non ſolum ſpirituale, ſed etiam mundanum fore, ex recepta Judæorum opinione, perperam ſentiebant: ideoque neque ea, quæ à Chriſto, de morte, ex mandato Patris, & officio ſuo ſubeunda, fuerant ſubinde prædicta, intellexerunt, Marc. 9. v. 22. neque ea, quæ de perſecutionibus, iis, aliiſque credentibus, obventuris propoſuerat monita, Matt. 5. & 10. & alibi, rectè capiebant: ſed mundani Chriſti regni opinione quaſi excœcati, mundanam in eo felicitatem, & inſignes præ aliis dignitates ſibi ſperabant, & affectabant. Adeò ut etiam poſt recentem mortis ſuæ à Chriſto prædictionem, de principatu inter ſe diſceptârint, Marc. 9. v. 34. & Matth. 18. v. 1. Imò Petrus ipſe poſt gravem hanc increpationem, & luculentam inſtitutionem, Chriſto, ad mortem ſæpiſſimè prædictam, & Cœnæ Sacramento obſignatam, jam parato, eam nihilominus inveteratæ opinionis recordatione, & imprudenti Chriſti amore abreptus, gladio feriens, avertere conatus eſt, Joh. 18. v. 10.

Atque hæc de occaſione hujus dicti. Scopus verò Chriſti fuit, ut huic Petri, & diſcipulorum offenſæ & huic gemino, de Chriſti & diſcipulorum illius conditione, errori occurreret & mederetur.

Medium verò & remedium ad hunc ſcopum deſtinatum, & idoneum, eſt hic verſus 24. *Tunc Jeſus, &c.* Conſtat autem præfatione Euangeliſtæ, & Chriſti doctrina. Ac præfatio quidem tempus, & objectum doctrinæ Chriſti; ſeu quando & quibus eam tradiderit complectitur. Tempus indicatur, cùm ait, *Tunc*, nempe poſt patefactum Petri errorem, & acrem illam à Chriſto ſubjectam increpationem; nam tum maximè erat tempeſtivum, ut error ille perſpicua doctrina corrigeretur. Objectum verò, ſeu illi,

illi, quibus Christus hanc doctrinam tradidit, sunt discipuli; *dixit inquit discipulis.* Nam licet error Petri, ratione sermonis ipsius, quo Christum reprehenderat, esset proprius; ratione tamen opinionis atque effectus animi erat reliquis discipulis (ut ante ostendimus) communis; ac propterea non solum Petro, sed etiam reliquis commune erat adhibendum remedium. *Discipulorum* autem nomine, non tantum Apostolos (ut sæpius κατ' ἐξοχὴν accipi solet, præsertim cum ab aliis Christi discipulis distinguuntur) sed etiam reliquos doctrinæ Christi sectatores intelligit: quemadmodum Marcus cap. 8. v. 34. exponit: *Et cum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit iis, &c* ubi specialius, per *discipulos*, Apostolos intelligit; quia à turba, quæ etiam Christum sectabatur, distinguuntur; inter quos discipulos, & Petrum quoque complectitur, ut Luc. 9. v. 23. indicatur; *dixit autem ad omnes.* Cum enim communis omnium, de conditione Christi, & Christianorum, esset error, eos communi doctrina (ut ante ostendimus) erudire & corrigere studens, omnes compellavit auditores.

Atque hæc de præfatione Euangelistæ. Doctrina verò Christi sequentibus verbis continetur: *Si quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis legitimos suos discipulos, ab officio describit, enunciatione hypothetica. Cujus antecedens est, *si quis vult post me venire,* hoc est, per Synecdo. generis pro specie, meus esse discipulus: quia hoc moris est, ut discipuli præeuntem magistrum sequantur, ut Matth. 4. vers. 19. Jesus vocans in discipulos Petrum & Andream, dixit; *venite post me,* & Actor. 20. v. 30. *Ut discipulos post se abstrahant.* Consequens verò est, *abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* quo modo officium discipuli Christi proponit, primum absolutè; deinde comparatè secum exponit.

Officii autem propositio constat abnegatione sui ipsius, & tolerantia crucis mandata: prius indicat, cùm ait; *abneget seipsum.* Id autem non propriè, sed impropriè intelligendum. Non propriè, quia veritati id repugnaret; illud enim nihil aliud esset, quam negare se esse quod est. Quemadmodum Petrus abnegavit seipsum, & Christum quoque cum se illius discipulum esse, eumque nosse negavit, Marc 14. v. 66. 67. Luc. 22. v. 34. Atque ita, ut Deus, qui verax est, ac fidelis, seipsum negare non potest, 2. Tim. 2. v. 13. Sic eadem ratione, neque hoc præcipere propriè homini potest. Impropriè verò per metaphoram, & similitudinem quandam, ab iis deductam, qui aliquem nosse pro suo, ac communionem illius habere seriò abnegant (quales Judæi, qui Christum Actor. 3. v. 13. 14. Joh. 19. v. 15. & Israëlitæ qui Mosen abnegasse dicuntur, Actor. 7. v. 35.) negligere, atque aversari significat: quemadmodum, Tit. 2. v. 12. *abnegantes impietatem* eodem sensu dicitur. Cœterum seipsum Christus abnegare seu aversari jubet non simpliciter; sed secundum quid, & quidem non quatenus homo sanctitate & justitia præditus eamque exercet: hoc enim Deus non vetat: sed lege præcipit; sed quatenus Dei mandato adversatur. Hoc autem fit duobus modis, per se, vel per accidens. Per se adversatur homo, Dei mandato, carne seu vitiositate innatâ, quæ in mentis cœcitate, seu errore, & cordis obduratione, seu affectuum, & voluntatis pravitate consistit. Eph. 4. v. 18. quarum dominium in incredulis: reliquiæ verò in credentibus supersunt, quæ cum Deo, & legi ipsius adversentur per se, Rom. 8. v. 7. 8. & pugnent adversus Spiritum, hoc est, fidei, spei, charitatis sanctitatem, per Spiritum regenerantem insitam, Gal. 5. v. 16. Idcirco earum abnegatio, ut omnino necessaria ibid. præcipitur, Galat. 5. v. 16. & Rom. 12. vers. 2. Ephes. 4. v. 21, 22, 23. & Tit. 2. v. 11, 12. Per accidens vero homo adversatur mandato Dei, quandò id, quod à Deo jussum & bonum est, agit, sed non bene: vel quod per se medium & liberum est, sed contra Dei universale vel particulare interdictum fit; vel ratione circumstantiæ, vel omninò. Prioris exemplum est: diligere parentes & sanguine junctos, vitamque suam, res bona & jussa est divinitus: sed si quis circumstantiam negligat, seu ordinem modumque excedat, ac prius & magis eos amet, quam cœlestem parentem & vitam æternam; ratione circumstantiæ fit malum, non benè faciendo; quod alioqui in se est bonum, ut Matth. 10. v. 37. 38. & 16. v. 25. & propterea eo respectu abnegandum & odio habendum, Luc. 14. v. 26. Atque ita Abrahamus rectè amavit filii sui Isaaci vitam; sed Deo vitæ & necis Domino mactationem illius jubente, amorem filii in ordinem redegit, ac Dei amori postponens, ei renunciavit, Deoque paruit, Gen. 22. v. 12. Heb. 11. v. 17. Posterioris & quidem ratione primi modi exemplum est hujusmodi: Cibus naturæ idoneus, ad esum licitus fuit ac liber ante Mosen; sed per accidens legis, Israëlitis latæ, de discrimine ciborum, ejus desiderium & usus in prohibitis cibis erat vitiosus: ideoque abnegari debebat.

Alterius exemplum est Abrahami obedientia, qui cum patriæ & sanguine junctorum præsentiam amare ei liceret, Deo tamen desertionem eorum imperante, res licita facta est illicita; ideoque amori illi, ob particulare præceptum divinum, erat renunciandum, Deoque, ut fecit, parendum, Gen. 12. v. 1. & Heb. 11. v. 8.

Atque hæc de abnegatione nostri. Alterum officium est crucis tolerantia. *Tollere* autem & ut Matth. 10. v. 38. *accipere,* & Luc. 14. v. 27. *portare crucem,* metaphoricè persecutiones, ab adversariis, pietatis odio inflictas, ad Dei gloriam patienter perferre designat, similitudine à Christo ducta, qui à Judæis religionis odio afflictus, crucem impositam portavit, Joh. 19. v. 17. Quod autem additur *suam,* illud non causam efficientem, sed officium notat, hoc est, non quam immeritus quis sibi accersit, aut sua improbitate meritus, 1. Petr. 3. v. 17. aut temeritate, cum sine officii læsione declinare posset ac deberet, Matth. 10. v. 23. Actor. 8. v. 24. 25. incurrit: sed contrà quam Deus vult, hoc est, officii necessitas seu obedientia Deo præstanda postulat: cum scilicet persecutionis tolerantia, sine pietatis violatione, vitiari non potest, 1. Pet. 2. v. 19. 20. & 3. v. 17. Atque hæc de propositione officii absoluta. Cui subjicitur expositio comparata his verbis; *& sequatur me,* id est, meum exemplum. Nam Christus primò seipsum abnegavit, non ratione mali & vitiositatis, qua omninò caruit: sed ratione boni sui temporalis, seu vitæ, & quietis temporalis, cujus voluntatem seu amorem abnegavit, cum voluntati Dei, & amori illius se subjecit, Matth. 26. vers. 42. deinde crucem pertulit; cum hora ipsius adesset, secundum Dei voluntatem, atque ita exemplo suo nobis præivit, & ad imitationem sui provocavit, 1. Pet. 2. vers. 21. & cap. 3. vers. 17. 18. Hebr. 12. vers. 1. 2. 3.

Atque hæc de hujus loci explicatione.

Capitis Vicesimi Matthæi, à vers. 1. ad 17. Examen.

QUoniam de genuina orationis Christi Matth. 20. vers. 1. ad 17. sententia, & veteres & recentiores Theologi, cum Orthodoxi, tum alii, magna opinionum varietate, inter se dissident: & Pontificii inprimis, ad suos, de operum meritis, errores fucandos abutuntur: idcirco opportunum, atque operæ pretium fore existimavimus; si, quid maximè veritati consentaneum videatur, paucis, à rei circumstantia, ad rem ipsam progressi, exponamus.

Circumstantia rei est occasio, & scopus illius. Occasio autem est duplex: prima est Apostolorum, aliorumque Christianorum, propter Christum, seu præstitam Deo obedientiam, sua commoda negligentium, infirmitas: partim fiduciæ sui, ex officii præstiti conscientia ortæ: partim elationis animi, qua se aliis comparantes primas ambiunt. Idque primum cap. 19. indicatur: ubi postquam Christus juveni opulento atque avaro, si sua bona pauperibus daret, Christumque sequeretur, thesauros in cœlo promiserat. v. 21. Petrus dixit: *Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* v. 27. deinde uterque ille & fiduciæ sui, & elationis animi nævus, in Apostolis etiam postea hæsit: ut ex Jacobo & Johanne cap. 20. v. 21. & 22. & ex omni-

omnibus, Luc. 22. v. 24. apparuit. Altera occasio est Christi, ad Petri interrogationem, responsio; in qua, primum quidem, promissionem, cùm de gloria Apostolis die ultimo eventura, v. 28. tùm de eorum, qui ipsos imitarentur, vita æterna, proponit: deinde verò, ut timorem Dei ac modestiam doceret, ac contraria illa vitia corrigeret, subjicit hanc sententiam: *multi autem primi erunt ultimi; & multi ultimi primi.* Atque hæc de occasione orationis Christi, Matth. 20. à vers. 1. ad 17. Scopus verò est hujus propositæ sententiæ, ad immodestiam, & elationem amplius reprimendam, illustratio: ut ex initio & fine hujus orationis, constat. Ex initio quidem quia illud cum antecedente aptè connectitur, cum dicitur *Simile enim.* Ideoq; à doctissimo Bucero rectè observatum, sedecim hujus capitis versus priores ad cap. 19. fuisse referendos: non autem uti factum, ab eo incommodè separandos. Ex fine verò: quia vers. 16. Christi oratio, de qua agimus, eâdem prorsus sententiâ apertè repetitâ, concluditur.

Ad rem ipsam verò quod attineat, ea est medium, ad scopum propositum, seu illustrationem illius sententiæ, valdè idoneum. Nec enim hæc similitudo defecta est, (qualis Matth. 13. ad vers. 9. turbis tradita, cujus apodosis apud eas consultò supprimitur) sed perfecta: utpote quæ protasi simul, & apodosi gemina constet: seu non tantum generali redditione, ut Matth. 13. vers. 24 & 31. 32. 33. & 44. 45. nec solum speciali, ut Luc. 15. vers. 1. cum 7. 8. & 9: sed utramque, generalem quidem initio: specialem verò in fine (ut Matth. 13. vers. 45. cum 49. & cap. 22. vers. 1. cum 14.) complectitur. Generalis enim apodosis est hoc loco: *Simile enim regnum cœlorum:* quæ habet subnexam protasin, seu simile illustrans, cum additur: *patrifamiliâs, qui exiit prima luce, ad conducendos operarios in vineam suam, &c.* ad vers. 16. sensus autem est: Quod dixi, multos primos fore ultimos, & contra ultimos primos; ea in re regnum cælorum simile est vineæ illi, ad quam colendam operarii vocati, & primi in opere, ultimi facti sunt in mercede, id quod explicatè vers. 16. concluditur. *Regni autem cœlorum* nomine hoc loco, ut circumstantiæ demonstrant, Ecclesia Christiana (in qua Deus verbo suo, & Spiritu regnat) intelligitur: quæ vineæ cujusdam patrisfamiliâs comparatur. Nam quamvis dicatur regnum cœlorum simile patrifamiliâs conducenti operarios in vineam: hypallage tamen est, ac sensus, simile est vineæ, in quam paterfamiliâs operarios conduxit. &c. Qualis hypallage alibi etiam à Christo usurpata: ut primum, Mat. 13. v. 24. *simile est regnum cœlorum homini seminanti semen bonum*, hoc est, Ecclesia Christiana, (quæ filii regni vers. 38. & regnum Christi dicitur vers. 41.) *similis est semini bono* ut v. 38. exponitur, quod homo Christus v. 37. seminat. Deinde ibidem vers. 45. *regnum cœlorum simile est homini mercatori, quærenti, & ementi pulchras margaritas*: hoc est, Euangelium regni simile est pulchris margaritis, quas mercator quærit, & emit. Ecclesia autem vineæ ob egregiam ac variam utrimque similitudinem, frequenter in Sacris literis comparatur, ut Psal. 80. vers. 9. Esai. 3. vers. 15. & 5. vers. 7. Jerem. 2. vers. 21. Matth. 21. v. 33. Luc. 13. vers. 7. quemadmodum etiam hoc loco.

Atque hæc quidem de generali prima apodosi; cui subjecta cohæret protasis; quæ parabolam, seu simile, illustrans Ecclesiæ statum, continet. Antequam autem de ea, atque de apodosi speciali agamus, præmittenda est erudita, & à Pontificiis non minus, quam à nostris probata de parabolis regula, quam Chrysostom. hom. 64. editio. Græc. in comment. ad hunc locum ita præscribit: οὐδὲ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι; ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι' ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω. hoc, est, *Non oportet, omnia, quæ in Parabolis sunt; secundum dictionem curiosè agitare; sed scopum propter quem composita est, edoctos, hunc decerpere; nec ulterius aliena tractare.* Hæc ille rectissimè: alioqui multa, sæpè inepta, & falsa orirentur. Nam in parabolis similitudo interdum est universalis in omnibus dictis, qualis prima Matth. 13. vers. 3. ad 9. quemadmodum apodosis tandem exponit, vers. 18. ad 23. Deinde altera vers. 47. ad 51. Alia verò est particularis, quæ in aliquibus tantum partibus consistit; ut in parabola iniqui dispensatoris, Luc. 16. prudentiâ in amicis comparandis: non autem injustitiâ ab eo adhibitâ, similes nos esse debere, ibidem statuitur. Nam quod Mammona iniquitatis, eo in loco, piis etiam attribuitur, causa non est, quod ipsi (nam contrarium v. 13. traditur) sed quod maxima hominum pars, quæ à justitia aliena, qualis etiam dispensator iste, divitias plerumque iniquitate comparare soleat. Quamvis autem in parabolæ sive similis illustrantis descriptione, plura interdum contineantur, quam rei illustrandæ conveniat: non est alienum: quia ad parabolam circumstantiis quibusdam ornandam id spectare extra controversiam est. Idque etiam in profanis oratorum, & poëtarum similitudinibus comperitur. Deindè ut parabola similibus interdum dissimilia quædam habet adjuncta; sic plura nonnunquam ad eundem ornatum similia continet, quam ad orationis scopum spectant; ac propterea eorum ad rem propositam illustrandam accommodatio in apodosi omittitur: seu nihil in apodosi continetur, quod iis respondeat. Quemadmodum, ut his præmissis, ad protasin seu parabolam à Christo hoc loco propositam redeamus, utrumque in ea observari potest. Nam, ut vineæ, & regni cœlorum seu Ecclesiæ operarii, inter se comparantur: de illis tamen (nempè vineæ operariis) quædam dicuntur, quæ hisce ita tribui jure non possunt. Cujusmodi sunt primùm ratione vocationis, quod operarii vineæ in foro se sistant desiderantes, & expectantes vocantem, vers. 1. 2. & 6. 7. Operarii verò Ecclesiæ, non quærentes neque exspectantes, evocantur, Joh. 6. vers. 44. Ephes. 2. vers. 8. 9. Rom. 10. vers. 22. Deinde ratione vitiorum, in operariis primò vocatis. Qualia recensentur, post mercedis distributionem, primum arrogantia, seu ex dignitatis suæ opinione, supra reliquos elatio, vers. 10. & 12. Deinde murmuratio, ac querela de injuria, adversus patrem-familias instituta vers. 11. & 12. cum 13. Præterea invidia vers. 15. quæ omnia opera ab operariis Ecclesiæ, in universali mercedis omnium distributione, quæ ultimo die continget, prorsus aliena esse, certissimum est. Deinde quædam etiam huic parabolæ insunt, quæ si rem ipsam spectemus similia sunt: sed tamen, non ut similia, in hac comparatione spectantur: sed tantum, ut adjuncta ad parabolam ornandam circumstantiæ: non autem ut intentæ similitudinis illius partes, & apodosin illustrantes, adhibentur. Quale etiam illud est, quod non solum primi operarii, qui sub initium diei, & ultimi, qui sub finem illius vocati sunt, recensentur: sed etiam alii, qui inchoato die gradatim, quadrante diei inter se distantes, (puta hora tertia, sexta, nona,) sunt advocati: quorum tamen nulla in apodosi habetur ratio: quamvis (ut à diversis interpretibus rectè observatum (cum operariorum Ecclesiæ vocatione, operâque, convenientia insit satis concinna. Nam ut horarum illarum quinque, nempè primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, undecimæ intervallis, operariorum vineæ vocatio & opera distinguitur: sic & operariorum Ecclesiæ vocatio quinque spatiis dispesci solet. Quidam enim à pueritia; alii ab adolescentia; alii à virili ætate; alii à senectute; alii ætate jam decrepita, seu sub vitæ finem, ad Ecclesiæ, suâ operâ, sanctoque exemplo inserviendum, evocantur.

Atque hæc de protasi, seu parabola. Apodosis verò (ad quam illa tanquam scopum suum genuinum spectat) subjicitur vers. 16. præfixa voce οὕτως *sic*, communi scil. apodoseos protasi cohærentis, eique respondentis, nota, ac vinculum. Quæ apodosis, hoc in loco primùm proponitur, deinde adjuncta ratione confirmatur. Constat autem duobus membris, quorum primum est: *ultimi erunt primi*; alterum vice versa, *& primi* (supple erunt) *ultimi*. Quinam autem *ultimi*, & quinam *primi*, intelligantur, Interpretum sententiæ maxima varietate inter se discrepant; ut autem brevitati consulamus, quænam genuina videatur sententia, exponemus. Ac primum generatim hoc constat, eadem Christi dicta, quæ in fine capitis 19. allata, hoc in loco (licet ordine inverso) repeti, & parabola præmissa illustrari: quemadmodum reddi-

tionis nota οὕτως, *sic*, verſ. 16. & v. 1. vox *enim*, cum eadem antecedenti ſententia, parabolam ei connectens, ut antea oſtendimus, evincit. Ac propterea eundem utrimque ſenſum eſſe neceſſe eſt. Atque perſpicuum eſt cap. 19. agi de ſolis verè fidelibus, qui Chriſto vocanti parent, eique, fidei, & charitatis, ac tolerantiæ crucis operibus, in Eccleſia militante, inſerviunt, ad finem vitæ: quique & in hac vita, Dei beneficia; & poſt hanc, vitæ æternæ hæreditatem conſequuntur: ut antecedentes verſus 27. v. 28. & 29. demonſtrant: quemadmodum etiam in parabola, quæ cap. 20. ad eam rem illuſtrandam, ſubjicitur: omnes operarii in vineam conducti opera imperata feciſſe, omneſque mercedem promiſſam recepiſſe, ſtatuunt. Deindè & illud quoque clarè apparet, inter hoſce fideles operarios Chriſtum ſecutos, licet iis vita æterna ſit communis, aliquod tamen, hac in re, fore inter eos diſcrimen. Id quod oſtenditur, primum verſ. 30. *Multi autem primi erunt ultimi; & ultimi primi*, hoc eſt, omnes quidem hi fideles, de quibus actum, æternæ vitæ erunt hæredes: ſed non omnes eadem erunt dignitate; multi enim eorum, qui primi ratione vocationis, (ſeu qui diutiſſimè Chriſto ſervierunt) in vitæ æternæ hæreditate erunt ultimi; non quidem ratione temporis: quia omnes illi ſimul ea donabuntur, Matth. 25. verſ. 34. & 46. & 1. Theſſ. 14. verſ. 14. 15. 17. Sed ratione honoris, ſeu gradus gloriæ: & vice verſa, multi qui vocationis & officii præſtiti duratione ſunt ultimi, (quales ſunt, qui ſub vitæ ſuæ finem vocantur,) illi erunt, inter vitæ æternæ hæredes primi: ſeu excellent ratione gradus gloriæ cœleſtis. Cujus diſcriminis occaſio eſt: quod licet operis duratione primis ſunt minores: majores tamen animi demiſſione, ſeu ut vocant, humilitate extiterunt: quod etiam in parabola non obſcurè innuitur, cap. 20. verſ. 10. Cauſa verò eſt Dei ſummi domini, nullique quicquam debentis, Roman. 11. verſ. 34. gratia liberrima, qui omnibus verè fidelibus donat vitam æternam, æqualem duratione, inæqualem verò gloria, 1. Corinth. 15. v. 41. 42. 43. Gloriamque majorem iis, qui ex conſideratione infirmitatis ſuæ, & gratiæ Dei, perpetua animi demiſſione præditi, operibus fidei, ſpei, charitatis, Deo, & Eccleſiæ, bono exemplo inſerviunt. Nam licet eorum humilitas ſit imperfecta, ob carnis ſpiritui repugnantis contagionem: eam tamen, imperfectione propter Chriſtum condonata, acceptam habet: & in cœlo gratis coronat: ac minore animi demiſſione præditis, licet diutius vocatis, & labore functis, præfert. Ut enim Deus humilibus dare gratiam ſolet 1. Petr. 5. verſ. 5. Sic humilioribus majorem. Si quis autem objiciat, Apoſtolorum operibus bonis conjunctam fuiſſe aliquam arrogantiam, (ut initio probavimus,) nihilominus tamen in vitæ æternæ honore, reliquis Chriſtianis præferendos, promittitur Matth. 19. verſ. 28. Reſpondemus, arrogantiam illam initio adfuiſſe: ſed miſſo tandem Spiritu Sancto & afflictionibus variis, in hac vita, fuiſſe correctam: ne honore promiſſo excluderentur. Quemadmodum etiam 2. Corinth. 12. verſ. 7. *Carni*, hoc eſt, corpori, *Pauli datus* dicitur, *aculeus*, nempe *Angelus Satan, qui colaphos ei ſubinde infligeret, ne revelationum excellentia, ſeſe animi ſuperbia ſupra modum efferret*. Hæc de genuina verſ. 30. cap. 19. ſententia. Unde liquet eandem eſſe repetiti hujus bimembris dicti cap. 20. verſ. 16. rationem: ut etiam parabola oſtendit. Nam in ea primi operarii illi dicuntur, verſ. 8. & 10. qui prima luce vocati, totum diem operando, in vinea, occuparant, officiumque, ad quod vocati erant, non minus quam reliqui fideliter perſeverant, verſ. 1. & 12. quibus ſimiles ſtatuuntur in apodoſi ſive accommodatione parabolæ verſ. 16. *primi illi*, de quibus cap. 19. verſ. 30. egerat, & hujus capitis verſ. 1. innuerat, cum regnum cœlorum, hoc eſt, Eccleſiam, ſimile ait vineæ, in quam operarii conducti imperata opera exequuntur: ideoque hic ſimiliter in regno cœlorum, ſeu Eccleſia, eſſe operarios fideles in officio præſtando, de quibus intelligenda apodoſis. Atque hoc ſane in loco, videtur, hoc indicatum ipſa phraſi. Nam in propoſitione hujus dicti cap. 19. v. 30. enuntiationum ſubjectis non adjecit Euangeliſta articulum: hic verò adjecit, dicendo οἱ ἔσχατοι item οἱ πρῶτοι ad rei demonſtrationem, hoc eſt, *illi ultimi, item illi primi*, nimirum de quibus ante actum, cap. 19. v. 30. utpote cum eadem ſententia ibi poſita hic repetatur, & concludatur. Senſus autem eſt: quemadmodum inter eos operarios, qui in parabola dicuntur, à Patre-familias in vineam, diſpari tempore vocati, & in ea ad finem diei fideliter operati, licet inter ſe mercedem acceperint æqualem: ultimi tamen, qui ſub finem diei vocati, primis (qui prima luce conducti, totumque diem gravem ac fidelem operam impenderant) honore ſint prælati, ac in mercedis diſtributione primi facti: Sic inter eos, qui ad Eccleſiam vocati, eique fidei, ſpei, & charitatis operibus inſerviunt, ac vitæ æternæ mercede donabuntur, ea eſt differentia, quod multi ultimi, (ſcil. qui ſub finem demum vitæ vocati) erunt dignitate, & gloriæ gradu primi. Atque hoc modo apparet, id quod cap. 19. verſ. 30. propoſitum erat, adhibita parabola commodè illuſtrari, & in apodoſi concludi. Sed huic expoſitioni omnino obſtare videtur hujus apodoſis confirmatio: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*. Unde plerique ſtatuunt, in antecedenti apodoſi, diſcrimen adferri, non inter ſervandos, ſed inter vocatos, per Euangelium, ad externam Eccleſiæ ſocietatem: quod primum ex iis vocatis multi ſint reprobi hypocritæ, qui à pueritia in Eccleſia educati, ad fidem mortuam adducti, & profeſſione Chriſti, externaque pietatis, ac tolerantiæ crucis ſpecie, commendati, tandem deficiunt; unde primi dicantur facti ultimi, hoc eſt, nulli, ſeu nullum in cœlo locum habituri. Deindè, quod eorundem vocatorum per Euangelium, pauci ſint electi, ſcil. qui viva fide donati: quæ vocatio ſecundum propoſitum, ſcil. ſalutis dandæ appellatur, Roman. 8. verſ. 28. & vocatio prædeſtinatorum, verſ. 30. quemadmodum fides ea electorum dicitur, Tit. 1. verſ. 1. Actor. 13. verſ. 48. Ideoque de iis rectè dictum cenſent, quod ultimi (hoc eſt, qui tardius à vitæ ſuæ priſtinæ ſceleribus, ad pœnitentiam, & vivam in Chriſtum fidem convertuntur) futuri ſint in cœleſti gloria primi. Quales fuiſſe ajunt, quoſdam publicanos, & meretrices reſipiſcentes, qui ſacerdotes & presbyteros in regnum Dei præcedere affirmantur, Matth. 21. verſ. 31. Vidit autem hanc difficultatem doctiſſ. Calvinus, dumque illius occaſione, pleroſque interpretes conſtrictos atque impeditos, à genuina parabolæ & apodoſis illius ſententia, variè abire, animadvertit: nodum hunc non ſolutione, ſed ſectione expedire minus rectè conatur; ut res ipſa evincit. Nam reſectio hujus ſententiæ, qua utitur, fieri non poteſt juſta ratione, Nam quod ait in comment. ad hunc locum: *Itaque minimè quadrat, quæ à quibuſdam inſeritur ſententia: multi vocati, pauci verò electi.* In eo inquam duplex apparet hallucinatio. Prima eſt, quod eam ſententiam hoc loco non à Chriſto ſed à quibuſdam inſertam ait: cum contrà omnium codicum, tam manuſcriptorum Roberti Steph. & aliorum; quam excuſorum, & Syriacæ interpretationis antiquiſſimæ, & patrum Chryſoſt. Hier. Theophyl. conſenſus unanimis, eam lectionem confirmet. Altera hallucinatio eſt, quod ait, hanc ſententiam minimè quadrare; nimirum antecedentibus, Nam contrà ſi genuina, ut modo oſtendimus, eſt Chriſti ſententia, orationi propoſitæ convenire, ac quadrare neceſſe eſt. Origo autem & hujus opinionis, & aliarum diverſarum (ut omninò videtur) hæc eſt, quod *electi* à Chriſto, & Apoſtolis per Synecdochen ſæpius de electis ad vitam accipiantur, & vocati illis oppoſiti, de reprobis: quemadmodum hæc ſententia totidem verbis extat, atque intelligitur Matth. 22. verſ. 14. ſed inde non ſatis rectè colligunt: Ergo & hoc loco voces *vocatorum* & *electorum*, (quæ diverſis in locis pro ambiguitate earum diverſè accipiuntur) eodem modo intelligendæ: habenda enim eſt ratio rei, de qua agitur, & circumſtantiarum illius. Chriſtus enim loquitur de verè fidelibus, qui ad opera fidei, & vitæ æternæ hæreditatem vocati, eam conſequuntur: quorum ultimi erunt primi, & primi ultimi; cap. 19. verſ. 30. deque iis, qui vocati ad mercedem

eedem vitæ æternæ, eam omnes consequuntur, ut ibid. & in protasi hujus similitudinis seu parabola indicatur: ideo de solis electis ad vitam æternam agitur. Cum verò inter hosce vocatos, & servandos, in gloriâ sit discrimen; quod ex eorum numero, relictis mediis, primisque, ultimi ad eum honorem evehantur, ut inter omnes illos fiant primi: quis non videat, jam optimè hic causam reddi, cur ultimi fiant primi; & primi contra, non fiant primi, nec medii: sed ultimi: quod scil. hoc fiat, quia multi quidem sunt ad vivam fidem, & hæreditatem vitæ æternæ vocati: sed pauci eorum, ad eum honorem à Deo sint electi, ut in communi vitæ æternæ consecutione gloriæ gradu sint primi? Atque ita hanc sententiam, cum superiori apodosi, probè consentire, ac quadrare, tanquam causæ discriminis illius expositionem apparet: quod illud scil. non à meritis eorum, sed à libera, ac liberali Dei electione dependeat, ut ultimi multi, primis, gloriæ excellentia, præferantur. Ac quamvis dilucida hæc solutio deesset: de conciliatione tamen non esset desperandum. Dici enim posset, vocem hanc γὰρ, *nam, enim*, non indicare hoc loco probationem sententiæ antecedentis: sed esse tacitæ objectionis solvendæ notam: quæ frequenter in occupationis figura usurpatur, ut communis omnium linguarum usus demonstrat. Ac si hoc in loco diceretur: Non est cur cuiquam mirum illud videatur, quod ex vocatis verè fidelibus ac servandis, ultimi reliquis præteritis deligantur, ut gloriæ gradu primi fiant: cum majus etiam discrimen appareat inter vocatos communiter ad cognitionem Christi, & externam Ecclesiæ societatem: quamvis enim multi sint, pauci tamen eorum ad vitam æternam sunt electi. Quod autem plerique *vocatos* de iis intelligunt, qui vocatione electis & reprobis communi, vocati sunt; & *electos* de iis qui ad vitam æternam electi sunt, hoc loco interpretantur: illud scopo, & parabolæ adversatur. Nam operarii vocati in vineam illam, qui similes sunt vocatis in Ecclesiam, vers. 1. omnes opera imperata perfecerunt, & mercedem omnes acceperunt æqualem, ideoque reprobi hypocritæ iis designari nequeunt. Deinde voces ipsæ in apodosi idem demonstrant. Nam primi vocatione dicuntur futuri ultimi, ratione mercedis vitæ æternæ. Ergo ea non carebunt: sed eam habituri dicuntur. Nam ultimus in mercedis distributione, ab iis, qui eam accipiunt, non excluditur: sed in eorum numero continetur, quamvis omnibus postpositus. Nam quod doctiss. Scholiastes de verbis illis: *Erunt ultimi*, ait: *Est Synecdo. gemina, prior speciei pro genere, ultimi, id est, penè nulli, pro nulli: Posterior generis pro specie, nulli pro prorsus nulli:* Illud omninò alienum esse apparet. Nec enim usus sacræ Scripturæ eam significationem admittit: nec si admitteret, ulla esset Synecdoche, nedum gemina: sed metaphora potius dicenda; denique rationibus antecedentibus diluitur.

Atque hæc quidem ad difficilioris hujus loci expositionem: reliquum est, ut eundem à Pontificiorum impuro abusu vindicemus. Si quidem inter alios Bellarm. controv. Tom. 2. de pœnitent. lib. 4. cap. 8. bona fidelium opera vitam æternam propriè mereri, ex hoc loco, v. 8. *Voca operarios, & da illis mercedem*, his verbis contendit: *Vox mercedis & nomen operariorum, & pactum cum operariis ex denario diurno, non permittunt nos aliter hunc locum exponere, quam de meritis propriè dictis, quibus ex justitia merces debetur, denarium autem illum diurnum, qui pro mercede ponitur, communi consensu Patres esse docent vitam æternam.* Hæc ille. Sed negatur consequentia: quia non omnia quæ in parabola continentur, tanquam rei explicandæ similia, adducuntur: ut ipsemet Jesuita, Tom. 1. de sanctorum beatitud. l. 1. cap. 3. §. *atque hinc*; cum Chrys. de hac parabola differens, ait: *Parabolas non oportere ex omni parte quadrare; sed solum considerandum esse scopum.* Ut etiam ex murmuris, oculi mali, & mercedis operariorum non simul, sed successivè distributæ, narratione demonstrat. Ac subdit; *solum ergo ex illa parabola de operariis habemus, minori tempore patres Nov. Test. laborasse, quam fecerunt patres Vet. Testamenti; & tamen ad eandem beatitudinem pervenire; vel certè, eos qui convertuntur in senectute, breviorem laborem habere, quàm eos qui in adolescentia: & tamen posse non minus præmium adipisci.* Unde sequitur, si, ut ait Bellarm. hoc solum hic habemus, vana igitur sunt ea, quæ de merita bonis operibus vita æterna, (quæ ad scopum, ut apodosis docet, non pertinent) concludit. Deindè negatur etiam consequentia idcirco: quod etsi similitudo sit, non tamen in omnibus. Nam parabola hic est, non autem (ut Esa. 5. v. 1.) allegoria; sicut hæc duo perperam confundere solent Pontificii. Nec similitudo ulterius trahenda, quam rerum ipsarum, quæ comparantur inter se, natura patiatur. Quamvis enim Ecclesia suos habeat verè fideles operarios ut huic vineæ hoc loco attribuitur, & generatim in nonnullis inter se similes sint: sic speciatim tamen in multis dissimiles esse, res ipsa evincit. Similes autem esse agnoscimus, cum in ipsorum vocatione, tum in executione eorum, ad quæ vocati sunt. In vocatone autem conveniunt partim ratione vocantis, quod liberum, & patrisfamilias, & Deo fuerit, vocare aut non vocare: partim ratione vocatorum, quod nec vineæ hujus, neque Ecclesiæ operarii, sine vocatione, ad opera accesserint vers. 1. & 2. & seqq. partim denique in vocationis eorum modo bimembri, nempe postulatione operis ad finem præstandi, & promissione certa mercedis reddendæ, ut in vinea vers. 2. sic in Eccesia, Mat. 10. vers. 22. Heb. 10. vers. 36. & 39. operantibus. Secundo similes sunt in executione vocationis, partim ratione postulationis operum, quæ operarii utrinque præstant ad finem: ut enim de operariis in vinea vers. 8. sic de operaris in Ecclesia, Joh. 10. vers. 27. 28. Phil. 1. vers. 6. & 2. vers. 13. affirmatur: partim ratione mercedis à Domino utrimque operariis redditæ; ut de vineæ Domino, vers. 8. & 9. de Ecclesia verò Matth. 5. vers. 12. & 10. vers. 41. & 42. & 1. Cor. 10. vers. 8. Apoc. 11. vers. 18. docet. In hisce igitur, inter utrosque cum vineæ, tum Ecclesiæ, operarios, similitudo reperitur, ut res ipsæ, & Scripturæ, suis locis cum hac parabola comparatis, ostendunt. In multis verò sunt dissimiles, tam in vocatione, quam in executione. Nam in vocatione differunt primum, si vocatos spectes; quia operarii vineæ sese ad vocationem ultro suisque viribus præpararunt, locoque ac tempore idoneo se stiterunt, & vocationem desiderarunt atque expectarunt, vers. 3. & 7. Contra operarii in Ecclesia sese non præparant propriis viribus, nec vocandos sese ultrò statuunt, nec vocationem desiderarunt, neque expectarunt; sed eam non quærentes vocantur, Rom. 10. v. 20. Eph. 2. vers. 8. 9. 10. Deindè in modo vocationis discrepantia est, cum ratione postulationis operum, tum ratione promissionis mercedis. Nam ab operariis vineæ obedientia postulatur, non absolutè, quasi imperii alicujus jure; sed libera conductione, ac mercedis promissæ intercessione vers. 2. Contra verò Deus ab Ecclesiæ operariis, tanquam Dominus à suis servis, creationis & redemptionis jure, opera exigit, Mal. 1. *Si ego Dominus.* & 1. Corinth 6. vers. 20. ideoque mercedis promissio, operariis vineæ à Domino facta, fuit necessaria, ad opera eorum justè petenda: quia aliàs ei non erant obstricti: contra verò promissio mercedis, à Domino Ecclesiæ facta, non est necessaria, ad opera obedientiæ justè exigenda Luc. 17. vers. 9. & 10. Sed mere gratuita, 2. Tim. 1. vers. 9. Secundò in executione vocationis bimembris, videlicet cum in vocatorum obedientia, secundum postulationem præstitâ, tum in mercedis à Domino secundum promissionem redditione, maximum discrimen elucet. Nam obedientia vocatorum operariorum in vineam, primò fuit libera, licebat enim ipsis vocationem propositam amplecti, vel rejicere; quia patrifamiliâs non erant subditi. Contra verò fidelium obedientia, jure, quod Deo Domino debetur, necessaria. Deindè obedientia operariorum in vineam, propriis ipsorum, non autem Domini viribus fuit præstita: contrà operariorum in Ecclesia obedientia, non nativis ac propriis, sed à Domino acceptis viribus præstatur, Ioh. 15. v. 5. 2. Cor. 3. v. 5. Phil. 2. v. 13. Deindè obedientia operariorum in vinea fuit perfecta, & simpliciter, ac per se accepta. vers. 8. & 12. Contrà vero fidelium operariorum obedien-

obedientia (ob carnis adversus Spiritum repugnantis contagionem, Rom. 7. v. 23. Gal. 5. v. 17.) imperfecta est, 1. Joh. 1. 8. & Jac. 3. v. 2. Ideoque non simpliciter ac per se, sed per accidens gratiæ, propter Christum fide apprehensum, grata, Heb. 13. v. 21. & 1. Petr. 2. v. 5. ut enim Deus, quod in nobis efficit bonum, id agnoscit: sic accedenti à carne nostra contagioni (quæ pœnam meretur, Deut. 27. v. 26.) propter Christum mediatorem clementer ignoscit, 1. Johan. 2. v. 1. & 2. Deindè obedientia operariorum in vineam vocatorum non fuit per se debita, (quia servi patrisfamilias non erant, nec per se obligati ullo beneficio) sed tantum per accidens initi pacti, de mercede, opere peracto ab eo recipienda, v. 2. 4. & 7. Contra vero obedientia fidelium in Ecclesia, Deo, qui vocavit, per se debita: quia per se jure imperata; ut antè etiam ostendimus: quia Deus summum bonum, & creationis ac redemptionis beneficio, eam meritò flagitat, eoque nec quicquam eâ fideles merentur, Luc. 17. v. 9. & 10. Deindè in mercedis redditione differentia est, quod operariis in vinea, propter obedientiam propriis suis viribus, liberoque tantum pacto, ac perfectè præstitam, merces merito ipsorum data, secundum justitiam distributivam; partim simpliciter, ut primis vocatis, qui totum diem operati v. 2. & 13. & 14. partim secundum quid, ut reliquis, qui tantum parte quadam diei in vinea operam impenderant: quibus pars mercedis justa, pro ratione temporis impensi v. 4. 5. 7. data merito; quod videlicet per se ad nullam operæ partem erant obligati: reliqua verò pars mercedis, quâ, prioribus, acceptione integri denari, facti sunt pares, ex mera gratia processit, v. 9. & 15. Contrà verò fidelibus (qui vera fide, spe, charitate, operibus patefacta, ad Ecclesiæ ædificationem, Deo vocanti operam impenderunt) merces vitæ æternæ non ex parte: sed merè gratuita per Christum Rom. 6. v. 22. attribuitur: quia, ut ante ostendimus: Primum obedientia eorum non à propriis viribus; sed à Dei gratis regenerantis, ac sanctificantis beneficio, ac gratia oritur. Deindè quia debita est, Luc. 17. v. 9. 10. Tertiò quia imperfecta: ideoque per se mercedem non meretur vitæ æternæ: sed condemnationis, ex lege, Deut. 27. v. 26. Quartò quia opera fidelium imparia sunt gloriæ revelandæ, Rom. 8. v. 18. Denique quia ea grata sunt Deo non simpliciter, ac per se: sed, ut modo ostendimus, per accidens gratiæ Dei, qui bonorum operum defectus propter Christum fide apprehensum, condonat.

Quod autem objicitur, mercedem operariorum, utrimque, & vocatorum in vineam, v. 4 & 5. & 7. & operariorum Ecclesiæ Heb. 6. v. 10. dici justam, ac propterea utrimque meritam: infirma est consequentia: quia etsi genere conveniant, quod merces utraque sit justa atque debita: specie tamen justitiæ ac debiti differunt. Quia primis vineæ operariis jure dignitatis operæ perfectæ (ad quam ex solo pacto liberè fuerunt obstricti,) merces fuit debita, & par labori, ideoque merita: Contrà verò operariis in Ecclesia fidelibus datur merces non jure operum, & obedientiæ præstitæ dignitate, (quia debita, & imperfecta) sed jure promissionis Dei gratuitæ, qua fidelibus piè viventibus propter Christum vitam promisit æternam: Eodemque modo solvitur hoc affine argumentum: Merces quæ datur justitiæ fidelium, à Deo justo judice, ea est merita: Atqui vita æterna est merces justa fidelium, quæ datur à Deo justo judice, 2. Thess. 1. vers. 5. 6. 7. & 2. Tim. 4. vers. 8. Ergò vita æterna est merita. Negatur enim propositio. Nam Deus ut justus judex mercedem tribuit diversis modis, nempe vel absoluto jure; vel relato tantum. Absoluto quidem, cum & dignitas operum & veritas sententiæ verbo Dei latæ eam exigunt: quo modo infidelibus injustitiæ operariis merces mortis æternæ debita, & jure dignitatis peccati, cujus stipendium est mors, Rom. 6. vers. 23. & jure sententiæ, Dei verbo, cum legis Deut. 27. vers. 26. tum Euangelii, Marc. 16. vers. 16. & Matth. 7. vers. 23. promulgatæ: adeò ut perspicuè gemina justitia in ea mercede appareat: relato vero jure, Deus ut justus judex mercedem tribuit, cum non spectat, quid operibus per se jure debeatur: sed quid iis ex gratia promiserit, atque ita debitorem sese mercedis statuerit. Quomodo Deus tanquam justus judex, vitæ æternæ mercedem ac coronam, fidelibus justitiam exercentibus, dabit: quia eam, ob promissionem gratuitam, iis rectè operantibus factam, jure veritatis, ac fidei suæ inviolabilis, Tit. 1. v. 1. Heb. 10. v. 23. & 6. v. 17. & 18. debet, Marc. 16. v. 16. Rom. 6. v. 23. non autem jure dignitatis operum Justitiæ, quæ debita, & imperfecta sunt. Ac propterea quia merces malorum operum, à justo judice non solum jure veritatis comminationis illius, sed etiam jure dignitatis operum tribuetur: idcirco merita est: Contra verò bonorum operum merces, non jure ipsorum, quia Deo debita, & & imperfecta, ut monuimus: sed solo jure fidelis promissionis gratuitæ divinæ, fidelibus datur: ideoque non merita: sed immerita, ac merè gratuita merito dicenda est: Ac propterea frustra Bellar. aliique Pontificii hanc parabolam arripiunt, ut vitam æternam propriè bonorum operum meritum esse concludant: cum contrà nullum in apodosi seu accommodatione parabolæ illius sit vestigium: & ipsa etiam parabola adversetur: ut quæ exceptis primis operariis, reliquis omnibus partim ex mera gratia mercedem datam demonstrat. Quod autem postremò excipiunt, operariorum in vinea, qui primis accesserunt, sed tardius, merces ex parte merita est operibus eorum: Ergo similiter merces operum fidelium merita; Negatur Consequentia; quia heterogenea confunduntur. Nam opera illorum operariorum in vinea non fuerunt debita: ideoque, pro ratione magnitudinis eorum, conveniens merces fuit debita. Deinde opera eorum fuerunt perfecta. Etsi enim parte diei tantùm præstita: nihil tamen illis adfuit vitii, quo contaminarentur, ac privarentur mercede; neque etiam ad totius diei opera fuerunt vocati atque obstricti. Contra verò operarii Ecclesiæ opera præstant debita Deo: & imperfecta: & quidem tribus modis: primum, quia *non omnia*, quæ debent, præstant (*nam in multis impingimus omnes*, Jac. 3. v. 2.) sed quædam tantum. Secundo quoque *non omnino*, hoc est, non eo perfectionis gradu, quo debemus: quia non ex toto corde, tota anima & omnibus viribus, ut lex præscribit: denique *non semper*. Ac propterea ob hanc imperfectionem trifariam, merentur mortem, non autem vitam æternam, si per se considerentur, sine gratuita Dei condonatione propter Christum, Deut. 27. vers. 26. *Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat*; quemadmodum etiam Apostolus ad Galatas exponit.

Atque hac ratione, explicata jam genuina insignis hujus loci Matth. 20. v. 1. ad 17. sententia, eâque adversus Pontificiorum, ad operum bonorum merita stabilienda, abusum vindicatâ, finiemus.

Digressio de vocis mundi distinctione.

QUandoquidem magna est vocis *mundi* in Sacris literis ambiguitas, ejusque occasione, non pauci ad errores suos fucandos, & pios à veritate avertendos, aut perturbandos saltem, abutuntur: eaque vox apud Matthæum jam anteà cap. 4. v. 8. & 5. v. 14. & 13. v. 35. & 38. & cap. 16. v. 26. & 18. v. 17. & in sequentibus cap. 24. vers. 21. 25. 34. & 26. vers. 13. occurrit: non alienum fore existimavi, si ad horum locorum commodiorem intelligentiam, distinctionem illius proponerem: ut sententiarum Scripturæ veritas sit illustrior, & adversariorum fraudes detegantur commodius, iisque qui id officii à nobis expectant, hac opera communiter inserviamus. Quod & prophanis, & Sacris Nov. Test. scriptoribus *κόσμος* dicitur, à Latinis *mundus* appellatur. Quæ vox propriè ornatum notat, ut 1. Pet. 3. v. 3. *in palliorum amictu, κόσμος*, id est ornatus. Deindè impropriè per tropum Metonym. adjuncti pro suo subjecto, universam cœli, terræ marisque & rerum iis comprehensarum, structuram ornatissimam notat (ut & mundus à munditie similiter dictus) quemadmodum Matth. 13. vers. 35. *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου à fundatione seu origine mundi*, & similiter Joh. 17. vers. 24. & 1. Pet. 1. v. 20. Unde primum, per metapho-

taphoram, à rerum mundi copiâ traductam, multitudinem notat, Jacob. 3. verſ. 6. *mundus iniquitatis*, ut Oecum. tradit; etſi quidam ornamentum exponant. Deinde per Synecdochen totius pro parte, mundi partem majorem, aut minorem ſignificat. Majorem quidem, cum pro cœli, ſolique, mariſque opificio à rebus comprehenſis diſtincto uſurpatur, ut Actor. 17. v. 24. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt*. Minorem verò, cum pro terra accipitur, ut Matth. 4. v. 8. *oſtendit ei regna mundi* & 26. verſ. 13. *Euangelium prædicabitur in toto mundo*, Johan. 16. v. 28. *veni in mundum, & iterum relinquo mundum*, hoc eſt, terram. Ex qua anguſtiori ſignificatione, alia per Metonym. ſubjecti continentis pro contento promanat, ut hom ines qui ſunt in mundo ſignificet. Idque non ſolum frequenter: ſed magna etiam varietate, vel indefinitè, vel definitè uſurpatur. Indefinitè quidem pro hominum cœtu, ut Matth. 5. verſ. 14. *vos eſtis lux mundi*, id eſt, *hominum*, Johan. 7. v. 4. *patefac te ipſum mundo*, id eſt, hominum cætui. & Ioh. 12. verſ. 19. *mundus poſt eum abiit*, quod clariſſimus Beza vertit, *turba eum ſequitur*. Definita verò ſignificatione pro cœtu hominum, vel univerſali, vel particulari accipitur: pro univerſali quidem, ut Rom. 3. verſ. 19. *& totus mundus reus fiat Deo*, id eſt, univerſi homines, meri ſcilicet (nam Jeſus ϑεάνϑρωπος excipitur, Hebr. 4. verſ. 15. & 7. verſ. 26.) *omnes enim peccaverunt*: verſ. 23. Pro particulari verò hominum cœtu, per Synecdochen, nempe κατ' ἐξοχὴν numeri, vel dignitatis, interdum majorem, interdum præſtantiorem hominum partem deſignat: Majorem quidem, quando pro infidelium hominum cœtu, idque vel generatim, vel ſpeciatim accipitur. Ac generatim cœtum hominum tam ex electis, quam ex reprobis conſtantem ſignificat, ut Johan. 15. verſ. 19. *ex mundo non eſtis* (id eſt, ex infidelium hominum turba) *ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus*. Ergò diſcipuli Chriſti fideles antè fuerant pars illius mundi, unde à Chriſto electi, ſeu aliis relictis, per vocationem à Chriſto exempti. Et Eph. 2. v. 2. in quibus (ſcilicet peccatis) *olim verſati eſtis, ſecundum ſeculum* (id eſt, vitam) *hujus mundi*, id eſt, infidelium hominum: quorum cœtus univerſus, relatè totus mundus eodem ſenſu vocatur. 1. Ioh. 5. v. 19. *Scimus nos ex Deo eſſe, & mundum totum in malo jacere*, ubi ex Deo natorum ſeu renatorum oppoſitio, de non renatis, ſeu de infidelium mundo, agi declarat: Speciatim verò mundus non infideles omnes communiter; ſed ex iis reprobos tantum ſignificat; ut Ioh. 17. verſ. 9. *Non oro pro mundo, ſed pro iis quos dediſti mihi*, ubi *mundus* pro reprobis perſpicuè accipitur, ut oppoſitio negationis adjuncti, quod ſcilicet pro eò non orat (eoque ſacerdos pro iis ac mediator non ſit) demonſtrat: deinde oppoſitio conſequens id evincit; nempè, *ſed pro iis, quos dediſti mihi*, hoc eſt, electis & ſervandis, ut Ioh. 6. verſ. 37. Similiter 1. Cor. 11. v. 32. *ſed cum judicamur* (id eſt, punimur) *à Domino erudimur, ne cum mundo judicemur* (id eſt, puniamur ac condemnemur.) unde etiam apparet, mundum damnandorum, eoque non electos, ſed reprobos, (qui ſoli condemnantur) intelligi. Eodemque ſenſu *mundus impiorum*, 2. Petr. 2. v. 5. κατ' ἐξοχὴν appellatur, & *mundus quem damnavit Noë*, Hebr. 11. v. 7. cœtus ille hominum reproborum nominatur, qui in impietate ſua, diluvio periit. 1. Petr. 3. verſ. 19. 20. Atque hæc de ſignificatione mundi, qua ob excellentiam quantitatis ſeu numeri, pro majori eorum parte, pro infidelium cætu, generatim: aut ſpeciatim, pro reprobis accipitur. Altera Synecdoche eſt, qua mundus ſeu cœtus hominum ob excellentiam qualitatis, ſeu dignitatis, pro præſtantiori hominum cœtu, nempè electis ad vitam æternam, ſumitur, ut Johan. 17. v. 21. *ut mundus credat me à te eſſe miſſum*, & verſ. 23. *ut cognoſcat mundus me à te miſſum eſſe, teque eos diligere, ſicut me dilexiſti*; ubi apertè Chriſtus orat, pro fide mundi: unde ſequitur contrarium eſſe reproborum mundo, pro quo Chriſtus non orat, & qui in Chriſtum non credit, verſ. 9. Deinde pro electis jam fidelibus accipitur. 2. Cor. 5. verſ. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans iis peccata ipſorum*: ubi mundus electorum quidem ſed non omnium (nam pars eorum erat adhuc infidelis, imò pars nondum nata) verùm fidelium intelligitur, ut adjunctum reconciliationis, & non imputationis peccatorum, quæ per fidem tantum obtinetur, Rom. 3. verſ. 28. & 5. verſ. 1. apertè demonſtrat: interdum verò diſtinctè à Judæis fideles gentium reliquarum Synecdochicè notat, ut Rom. 11. verſ. 12. *quod eorum (ſc. Judæorum) ruina eſt opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia gentium*, & verſ. 14. *ſi abjectio eorum eſt reconciliatio mundi*, ubi apertè *mundus* Judæis opponitur, & nomine *gentium* exponitur: quemadmodum etiam, quod iis opulentia nempè Spiritualis gratiæ Dei, & reconciliatio attribuitur. Unde apparet fideles reliquarum gentium intelligi.

Atque hæc de vocis mundi in Sacris literis ſignificatione varia, ac diſtincta: quæ ad multa Sacræ Scripturæ loca, etiam alia, quam retulimus, intelligenda conducent, ſi rei circumſtantiæ cum hiſce dictis conferantur. Id quod exemplis nonnullis fiet illuſtrius: primum enim Ioh. 3. v. 16. ſententia eſt celeberrima: *ita enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. De cujus mente controverſia eſt ſatis nota, quid ſcilicet voce *mundi* hoc loco intelligatur. Quidam enim, inprimis Eccleſiæ Orthodoxæ adverſarii, vocem *mundi* ſingulos homines, etiam reprobos notare ſtatuunt; atque ita ex hoc loco, ſalutem per Chriſtum partam, ad eos non minus, quam ad fideles, atque electos pertinere contendunt. Alii contrà hoc merito negant, & *mundi* vocem, quia ambigua eſt, aliter accipi poſſe, imò ex Sacræ Scripturæ analogia aliter debere intelligi, variis rationibus probant. Primum enim illud ex mundi adjuncto, quod ei hoc loco attribuitur, nempe dilectione Dei ſalutari, conſtat: dicitur enim *ſic Deus dilexit mundum*: quæ dilectio reprobis, qui in incredulitate atque impietate permanent, non convenit: ſiquidem, *ſuper eos ira Dei manet*, Joh. 3. verſ. 36. Deinde Chriſtus eoſdem *nunquam agnovit*, Matth. 7. verſ. 23. *nec pro mundo* reproborum *orat*. Joh. 17. v. 9. ideoque nec ità à Deo dilecti ſunt, ut Chriſtus iis datus ſit Servator. Præterea quos Deus juſto judicio ante Chriſtum natum, ac donatum, exitio certò deſtinavit; iis ſervandis Chriſtum poſtea non dedit. Hæc enim ſunt oppoſita, quæ in Deum non poſſunt cadere. Tales autem ſunt reprobi, Matth. 25. v. 41. & Judæ verſ. 4. Ergò reprobis ſervandis Deus Chriſtum non dedit. Denique quos Deus ante Chriſti donationem mortuos damnarat, & exitio æterno inferni irrevocabili tradiderat: ad illos ſervandos Chriſtum dare non poterat; quia falſus eſſe non poteſt, ſibique contrarius. Atqui Deus maximam reproborum partem jam ante Chriſti donationem mortuam æterno inferni exitio tradiderat ac damnarat. Ergò ad eam ſervandam Chriſtum dare non potuit. Secundò ex antecedentis ſequenti expoſitione idem colligitur, quia mundi dilectio & Chriſti donatio ad credentes reſtringuntur. Quocirca *mundus* hoc loco ſingulos mundi homines ſignificare non poteſt. Quoſnam autem Chriſtus ſignificet voce *mundi*, ſervata fidei analogia, duplex eſt expoſitio. Prima eſt, ut mundus electorum, ſeu ordinatorum ad vitam æternam intelligatur, ut Joh. 17. v. 21. & 23. hos enim Deus ab æterno dilexit, iiſque filium ſuum donavit Servatorem, & hoſce quoque, ex univerſo mundo vocatos ad fidem, exitio eximit, ac vita æterna donat. Veruntamen huic expoſitioni adverſarii objectant ſequentia verba: *ut quiſquis crediderit*! quæ omnino repugnare dictis ſtatuunt, idque eo probant, quod mundi cujus eſt facta mentio, diviſio quædam indicetur, nempe in eos qui credunt, & non pereunt, ſed habent vitam æternam: & eos qui non credunt, ac pereunt, vita æterna deſtituti. Ac propterea colligunt mundum debere intelligi, non tantum electorum ac ſervandorum: ſed univerſum prorſus, eoque etiam reproborum & pereuntium. Verum reſponderi poteſt, illa verba, *ut quiſquis* credit, non indicare diviſionem: ſed eſſe expoſitionem dilectionis, & finis Chriſti, electorum mundo donati: nempè ut nullus eorum credens pereat, ſed habeat vitam æternam.

nam: Eoque modo via ostenditur, qua à perditione, cui per lapsum sunt obnoxii, liberentur: nempè per fidem in Christum. Nam ante fidem sunt exclusi à vita æterna, & perditi ratione amissionis imaginis Dei, seu veræ cognitionis Dei ac justitiæ: deinde dominii peccati, ac tyrannidis Satanæ; & merito peccati, rei mortis æternæ; unde perditi ante fidem appellantur, Matth. 10. vers. 6. & 18. vers. 11. fide autem in Christum ipsis datum, à perditione liberantur, & vitam æternam consequuntur: primum ratione initii seu vocationis, sanctificationis, justificationis, ac pacis cum Deo: deinde ratione complementi; hæreditate quidem in hac vita: post hanc verò possessione perfecta. Quare hinc apparet, non esse divisionem electorum & reproborum: sed distinctionem electorum; quâ ut prima ac perdita illorum conditio indicatur; sic altera salutaris ac beata ex Dei dilectione, Christique donatione procedens, explicatur. Quamobrem rectè hoc loco, ut & alibi mundus electorum intelligitur. Atque hic primus solutionis modus. Alter verò deinde est, ut concessa, licet non necessaria divisione, quam obtendunt, vocem mundi non propterea singulos, qui sunt in mundo, tam reprobos quam electos notare: sed indefinitè homines, seu genus humanum; non autem definitè singulos generis, sed secundum quid: ut expositio vocem indefinitam declarat: ita enim Deus dilexit mundum, id est, homines, quod cum posset universos perdere, Christum dederit, ut credentes in eum, vita donaret æterna: ideoque hæc dilectio mundi, & Christi donatio non ad singulos mundi simpliciter: sed secundum quid, ad credituros refertur.

Atque hæc de primo, eoque celeberrimo exemplo, quo usus distinctionis significationum *mundi*, perspicuè demonstratur: alterum exemplum est, in affini ac simili Apostoli Johannis de Christo sententia, 1. Joh. 2. vers. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi*: unde iidem (quos ante confutavimus) adversarii, qui Christi Servatoris dati & mortui gratiam universalem esse docent, ad errorem suum fucandum, sic disputant: qui pro totius mundi peccatis est propitiatio, ille pro singulis hominibus tam reprobis incredulis, quam electis credentibus est propitiatio pro peccatis. Nam qui totum dicit, nullam partem illius excludit: Atqui Christus, teste Johanne, est propitiatio pro peccatis totius mundi. Ergo pro singulis hominibus, tam electis quam reprobis. Sed negatur propositio, quia nititur falsa hypothesi, quasi *totus mundus* tantum universalem hominum cætum designaret in Sacris literis: Cum contra interdum particularem, ac certi generis significet: quemadmodum ex 1. Ioh. 5. vers. 19. initio demonstravimus, mundum infidelium ibidem intelligi: & quidem *totum mundum* vocari, quod ex intellecto, mundi voce, infidelium cœtu, nullus eorum eximatur: sic contra mundus interdum de cætu fidelium usurpatur, ut ex 2. Cor. 5. v. 19. Ioh. 17. v. 21. 23. ostendimus. Atque ita *totus mundus* in hac Johannis Apostoli sententia rectè accipi potest, ut nullus fidelium excipiatur. Nam citra omnem controversiam, quæ hic dicuntur ad fideles pertinent, quorum Christus est advocatus, qui pro iis apud patrem intercedit, eorumque peccata, sui sacrificii merito, & applicatione, per fidem expiat, Hebr. 9. vers. 23. 24. Neque ratio est ulla justa, cur ad reprobos, atque incredulos etiam referatur. Sed objiciat aliquis: si totus mundus plures in hac sententia Johannis complectitur, quam electos ac fideles, tum non solos eos notat: sed etiam non electos ac reprobos. Atqui totus mundus hic plures complectitur, quam electos ac fideles: Ergò etiam propterea non electos ac reprobos. Propositionem certissimam esse agnoscimus: Sed assumptionem negamus. Verum, inquient, ea probari potest, ex oppositione ista, *non pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi.* Nam si hoc loco *peccata nostra*, electorum ac fidelium peccata significarent: *totius mundi peccata* significabunt, tam electorum ac fidelium, quam non electorum ac infidelium: Nam hoc modo totus hic mundus, parti illius, satis apertè opponitur. Atqui hoc loco *peccata nostra* significant electorum ac fidelium peccata: nam talis erat Johannes, qui hic loquitur, & illi quibus scribit, quos secum complectitur, cum ait *ἁμαρτίας ἡμῶν peccata nostra.* Ergò peccata totius mundi, significant non tam electorum ac fidelium, quam non electorum atque infidelium, ut diversitas constet. Sed negatur consequentia propositionis. Nam ad veritatem illius, deest vox *omnium*, hoc modo: Si peccata nostra, hoc loco omnium electorum, ac fidelium peccata significant &c. quâ voce additâ consequentia firma erit: sin verò de parte fidelium intelligatur, prorsus infirma est. Nam pars tantum fidelium, à toto mundo fidelium seu universo eorum cœtu, rectissimè hoc loco distingui potest. Si priori modo corrigatur propositio, additâ voce *omnium*, vera quidem erit: sed eadem vox *omnium* etiam in assumptione est supplenda, quæ hoc modo erit falsa. Nec enim Johannes hic loquitur de universis fidelibus, initio, cum ait, *non solum pro peccatis nostris:* sed tantum de fidelibus Judæis, quibus scribit, & sese annumerat: Quemadmodum illud colligitur & rectè probari solet ex vers. 7. hujus capitis, *fratres, novum mandatum non scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*; hoc enim aperte de Judæis dicitur: quia ipsis lex charitatis Dei, & proximi, initio tradita per Mosen, eamque ab ineunte ætate perceperant: de gentilibus autem dici non potest, quibus ea non erat tradita ab initio. Deinde etiamsi fideles Judæi, non intelligerentur tantum; nihilominus tamen universitatem fidelium non designaret: sed partem eorum, nempè qui tum temporis cum Johanne extabant; à quibus distinguetur totus fidelium cœtus, ab initio mundi ad finem usque futurus: seu quivis omnium temporum fideles: quomodo gratiæ Christi amplitudo illustratur, unamque ac communem esse omnibus omninò fidelibus declaratur: ut nulla temporum, nulla nationum, ætatum, conditionum, sexus, Gal. 3. v. 27. 28. 29. Apoc. 5. v. 9. sit distinctio, Rom. 3. v. 23. Quare hinc apparet voce *totius mundi*, non necessario, ut adversarii contendunt, universalem mundum, seu singulos omninò homines tam reprobos quam electos intelligi: cùm de toto fidelium mundo accipi possit: deindè non posse de reprobis, sed debere de electis ac fidelibus accipi, ex totius mundi attributo etiam evincitur. Hoc autem est, quod *Christus sit propitiatio pro eorum peccatis*: id quod fidelibus solis convenit: iis enim solis Deus propitius redditur, ac peccata remittit, Rom. 3. v. 25. & 5. v. 1. Reproborum verò peccata (quia in impietate, atque incredulitate perseverant) non expiantur: quia, ut ante monuimus, *Christus eos non novit*, Matt. 7. v. 23. *Pro iis non orat*, Joh. 17. v. 9. *sed ira Dei manet supra eos* Joh. 3. v. 36. *eique sine fide placere non possunt.* Heb. 11. v. 5. & Marc. 16. v. 16. Nam Christus est propitiatio per fidem. Qua de re memorabilis est Apostoli definitio Rom. cap. 3. v. 22. 23. 24. 25 *Justitia inquam Dei, per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes credentes: non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei: justificantur autem gratis, ejus gratia, per redemptionem factam in Jesu Christo, quem proposuit Deus ἱλαστήριον propitiatorium, per fidem in sanguine ipsius.* Quo etiam pertinet, Heb. 9. v. 15. & 24. & 10. v. 14. 17. Quare merito concludimus, perperam ab adversariis disputari, cum totum mundum hoc loco singulos homines denotare statuunt: cum *totus mundus* interdum universalis, interdum particularis infidelium aut fidelium denotetur, prout circumstantiæ locorum evincunt. Deinde in hac Johannis sententia illustri, non posse de toto mundo hominum universali (hoc est, ex omnibus electis & reprobis constante) intelligi: sed de toto mundo hominum particulari, & quidem fidelium tantum, qui omnes omnium temporum, ætatum, sexuum, gentium, conditionum fideles, sine distinctione (ut ante probavimus) complectitur. Atque ita usum doctrinæ, initio, de mundi significatione varia, propositæ, allatis duobus, illustrium ac controversorum locorum, exemplis, declaratum satis speramus.

Digress.

Digressio Altera De usu vocis omnis.

QUoniam vox *omnis* diversis modis, in Sacris literis, usurpari solet, & ejus neglectu, Sacræ Scripturæ loca nonnulla ab adversariis veritatis, ad errores suos stabiliendos, & ea, quæ de Christo fidelium tantùm servatore, jam diximus, infringenda adducuntur: non alienum fore existimavi, si antecedentibus illustrandis, & præmuniendis, de significatione vocis *omnis* pauca subnecterem. Quædam enim sunt quæ videntur adversariis prima fronte patrocinari. Cujusmodi sunt sententiæ 2. Cor. 5. vers. 15. *Si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt &c.* & 1. Tim. 2. v. 4. *Qui omnes homines vult servari, & ad cognitionem veritatis venire*, & v. 6. *qui* (*nempe Christus*) *dedit semetipsum, redemptionis pertium pro omnibus*, & 2. Pet. 3. v. 9. *patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* Ergo, inquiunt, Christus Servator est absolutè singulorum hominum, tam reproborum, quam electorum. Sed negatur Consequentia: quia nititur falsa hypothesi, quasi vox *omnis* semper notaret singulos absolutè: cum contrà, pro rei subjectæ, de qua agitur, ratione, diversè accipiatur. Interdum enim idem est quod totus, Marc. 2. v. 13. *omnis turba*, id est, *tota*, nam de una tantum agitur, & Matth. 27. vers. 25. *omnis populus*, & 8. vers. 32. *omnis grex*, id est, *totus*: Nam unus tantum erat, non plures. Deindè interdum singula bifariam notat, nempe vel genera, vel individua. Genera, ut Gen. 7. v. 2. *omnia animalia*, id est, omnis generis, & Luc. 11. v. 43. *Decimatis omne olus*, id est, omnis generis, non singula: ea enim decimari non poterant. Individua verò: *Ut omnis, qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam*, Joh. 3. Denique, per metaphoricam hyperbolen, pro plurimis, qui sint instar omnium, accipitur, Joh. 3. v. 26. *Omnes veniunt ad eum*: quod de singulis intelligi non potest, sed multis, & Joh. 11. v. 48. *Omnes in eum credent.* Hisce jam positis, solutio objectionis propositæ firmatur, nempè rectè negari consequentiam, quia vox *omnis* non semper absolutè accipitur, sed sæpè relatè ad suum genus, ac subjectum, de quo agitur: sic etiam in locis citatis. Nam 2. Cor. 5. v. 15. Omnes intelliguntur, non absolutè, sed relatè ad fideles, de quibus loquitur vers. antecedente 14. *Charitas Christi constringit nos*, & v. 16. *Itaque nos*, & v. 17. *Si quis est in Christo, &c. Ecce, nova facta sunt omnia* & vers. 18. *Omnia facta sunt ex Deo*; quod de fidelibus, merito mortis Christi renatis, & renovatis dicitur. Sic. 2. Petr. 3. v. 9. *Omnes*, electos notat, quod indicat initium, *patiens est erga nos, nolens ullos*, (scil. nostrûm de quibus agit) perire, *sed omnes, scil. nos electos, &c.* ut connexio demonstrat. Denique 1. Tim. 2. v. 4. *Omnes*, non singula hominum, sed genera omnia notat; ut circumstantia loci satis ostendit; ideoque quosvis notat, ut v. 1. *ut fiant deprecationes, & gratiarum actiones pro omnibus*, id est, omnis generis ac conditionis hominibus, non singulis individuis: alioquin etiam precandum esset pro peccantibus in Spiritum Sanctum; id quod absurdum; cum iis peccata non condonentur. Idque etiam sequentia docent, cum dicitur: *pro regibus & omnibus*, id est quibusvis, *in eminentia constitutis*: ut ostendat non solum pro subditis, sed etiam regibus & magistratibus precandum, citra status discrimen: sic vers. 8. ibidem vox *omnis* accipitur: *volo vos precari in omni loco*, hoc est, non in singulis locis individuis; nam illud fieri nequit: sed singulis generibus, hoc est, in quibusvis: atque ita discrimen intelligendum precationis Christianæ, & priscæ Judaicæ, quæ certo loco erat astricta.

Atque hæc strictim de voce *omnis* & eorum locorum intelligentia: quibus addi potest, illud argumentum non posse intelligi de singulis hominibus, quasi Christi morte redemptis. Nam pro quibus Christus mortuus est, illi condemnari non possunt, ut Pauli demonstratio, Rom. 8. v. 34. evincit, *quis est, qui condemnet, &c.* Atqui reprobi condemnantur certo. Ergò pro iis Christus non est mortuus. Propositio etiam inde certa est, quod Deus non possit justè exigere satisfactionem pœnæ æternæ condemnationis ab iis, pro quibus Christus semel legi satisfecit. Hisce jam expositis, succurrit mihi locus, ad ea, quæ de mundo diximus, significata illustranda, Rom. 4. v. 13. *Non enim per legem promissio cessit Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Quæritur enim quid per vocem *mundi*, hoc in loco intelligatur. De qua re duplex est sententia: Prima est, ut *mundus* denotet fideles totius mundi, seu omnium gentium: quorum pater est Abrahamus constitutus promissione divina, v. 17. Quæ sententia fidei quidem est analoga: sed tamen si quis rem penitus introspiciat, circumstantiis hujus loci non videtur satis convenire. Primò, quia vocatur hæres: atque insolens est locutio; si pater hæres filiorum suorum vocetur: interim agnosco excipi posse, vocem *hæredis mundi*, posse accipi, ut mundus non significet eum, à quo hæreditas, sed in quo hæreditas consistit: quemadmodum Christus, Psalm. 2. jubetur petere à patre; eique promittitur hæreditas gentium, hoc est, possessio earum, à Deo quasi jure hæreditario danda. Idcirco altera ratio solidior addenda, quod hæres non de solo Abrahamo dicatur, sed etiam semini postea tribuatur eadem hæreditas. Atqui nemo sui ipsius hæres esse potest. Denique quia hæreditatis communis Abrahami, & seminis ejus causa statuitur justitia fidei. v. 13. qua cœli & vitæ in eo æternæ hæreditas acquiritur. Quare altera afferri solet expositio, magis huic loco consentanea, nimirum ut peculiari significatione, *mundi* voce, per metonym. signi pro re significata, cœlum ipsum, parte mundi, terra scil. promissa, cœli typo, adumbratum, denotetur.

Brevis, sermonis Christi, de Nuptiis habiti, & Matth. 22. à v. 1. ad 15. usque, descripti, Illustratio.

CElleberrima est, ac diligentiori consideratione dignissima, hæc præposita sermonis Christi, *de nuptiis filii Regis, & ad eas invitatis, narratio*: partim ob copiosam doctrinæ, quam complectitur, utilitatem: partim ob difficultatem, quæ in partium illius genuino sensu, & connexione, consistit Quocirca non alienum nec ingratum fore arbitramur, si, ad doctrinæ hujus eximiæ illustrationem, succinctam illius explicationem adjiceremus. Hoc enim modo, & huic parabolæ facilius intelligendæ, & similibus tractandis aliquid commodi accessurum, speramus.

Sublimis omninò est Sacræ Scripturæ, de *Rejectione Judæorum, & vocatione Gentium*, doctrina: ad justitiam, & misericordiam Dei, & officium pietatis cognoscendum, necessaria. Itaque ea primùm à Prophetis, & à Mose, Deut. 32. v. 21. Et ab Esaia cap. 10. v. 22. prædicta; quemadmodum Rom. 10. v. 19. & 9. v. 27. declaratur. Deinde verò à summo Propheta Jesu Christo, eadem doctrina repetita, atque inculcata sæpius: Inprimis verò paulò ante passionem ipsius. Quum enim Principes Sacerdotum, & Seniores populi, ei inique litem movissent, de autoritate, quâ in templo populum docebat, Matth. 21. v. 23. Hac occasione justissimè parabolis usus, non solum illorum incredulitatem, v. 32. & in ipsum crudelitatem, v. 33. Sed etiam pœnam ipsis imminentem, v. 43. proposuit duplicem. Vnam, quod ab iis auferendum esset regnum Dei, hoc est, Deus illis ablaturus esset verbi sui, & Spiritus regimen, ita ut Ecclesia Dei esse desinerent: Altera verò, quod regnum Dei dandum esset genti, quæ illius latura esset fructus: hoc est, fore ut gentes, Dei verbo, & Spiritu vocati, regerentur, atque obedientiæ fructus Deo, regeniti, idoneos proferrent. Quum verò, hac sententiâ Christi adversarii, sacerdotes & Pharisæi essent exacerbati, v. 46. & pii infirmiores potuissent offendi: idcirco Christus utrique incommodo studuit: ut & pios erudiret & confirmaret, & adversariorum suorum impietatem justamque pœnam amplius demonstraret. Modus verò ad hunc scopum idoneus ac destinatus, est novus Christi sermo, quem præmissis duabus parabolis adjunxit, quique cap. 22. ad versum usque 15. narratur. Quæ narratio continet, primum Euangelistæ Matt. præfationem: deinde Christi sermonem.

Præfatio, ad Sermonis Christi meliorem intelligentiam pertinet: ac circumstantiam, & genus illius exponit. Circumstantia sermonis est tempus quando, & personæ quibus est habitus. Tempus autem notatur cum ait: *Tunc respondens Jesus*, hoc est, cùm ea dixisset, quæ ante cap. 21. explicata, ipsumque studerent prehendere. Respondisse autem dicitur, hoc est, sermonem exorsus: ut familiaris hic est Hebraismus, Matt. 11. vers. 25. Marc. 12. vers. 35. Luc. 14, vers. 3. & alibi. Personæ deinde quas Christus allocutus est indicantur, cum dicitur: *locutus est eis*, nempe quorum cap. 21. vers. ultimò proximè antecedente meminit Euangelista. Nec enim aliud est antecedens, ad quod referri potest vox *eis*: ut etiam altero præfationis membro (quo genus sermonis Christi relatè exponitur) ostenditur, cum ait: *rursum locutus est iis per parabolas*. Nam vox *rursum* relatè indicat, ante locutum esse per parabolas: quemadmodum revera duas cap. 21. sacerdotibus similes proposuit; Id quod observandum est idcirco, ne cùm multis interpretibus temere hanc parabolam cum ea quæ Luc 14. vers. 16. & seqq. describitur, confundamus. Quamvis enim ea similis sit, eadem tamen non est: sed diversa, ut circumstantiæ temporis, loci, vocantis & vocatorum evincunt. Cæterum quid parabola sit, & quare Christus parabolis sit usus, explicandum. Ad prius quod attinet, vocis illius origo & significatio observanda. Origo autem est à verbo παραβάλλω: quod ut *adjicio* & *appello* Act. 20. vers. 15. notat: sic inde translata significatione, per metaph. pro *conferre* ac *comparare* usurpatur, quod aliquid cum aliquo collaturi, id illi admovere plerumque soleamus, ut rectè Henricus Steph. in Græc. ling. thesauro observavit: undè nomen, παραβολὴ derivatur, quemadmodum Marc. 4. v. 30. Τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν: *Cui assimilabimus regnum Dei, aut qua collatione conferemus illud*, ut Dominus Beza rectè transfert, Ciceronem secutus. Quemadmodum Quintilianus Instit. Orat. lib. 5. cap. 11. ait: *Nam παραβολὴ (quam Cicero Collationem vocat) longius res quæ comparantur repetere solet*. Ex qua vocis παραβολῆς origine, propria illius significatio est, oratio, quæ rei alicujus conferendæ similitudinem, diversis membris constantem complectitur. Quo sensu dicitur Matt. 13. vers. 10: *quare per parabolas loqueris?* & vers. 24. 31. *aliam proposuit parabolam*. Impropria verò significatio est, quæ à propria, per tropum aliquem, deducta est, primum enim (quod minus vulgo observatum est) per Meton. adjuncti signi pro subjecta re significata, notat parabolæ significationem, ut Matth. 13. vers. 18. *Vos autem audite parabolam ejus qui seminat*, hoc est, parabolæ significationem & expositionem: quemadmodum sequentia hoc manifestè demonstrant. Deinde per Metaph. bifariam accipitur. Nam ut in Parabola & similitudo est, & inde consequens orationis elegantia existit: sic interdum, prioris ratione, ea vox generatim similitudinem significat, Heb. 11. vers. 19. vel speciatim simile Propheticum seu typum atque exemplar, rei alicui simili designandæ, divinitus destinatum significat: quemadmodum Heb. 9. vers. 9, tabernaculum vocatur παραβολὴ, hoc est, typus nempè cœli eo adumbrati: ut v. 8. & 11. declarat. Pro qua voce, ὑπόδειγμα *signum* seu exemplar, & ἀντίτυπος *exemplar ex adverso respondens*, eodem sensu substituitur ibid, vers. 23. 24. a posteriori vero, sive ab elegantia quæ parabolis inest, orta est altera significatio: non quidem in Novo Testamento: sed in LXX. Interpretum versione frequens, nimirum ut sententiam, seu breve ac sapiens dictum, vel generatim quodvis: vel speciatim vulgo tritum, seu proverbium designet. Quemadmodum Hebræa vox משל (quam LXX. παραβολὴν interpretantur) utrumque notat. Exemplum autem prioris est 1. Reg. 4. v. 32. cùm Salomoni tria parabolarum, id est, sententiarum millia adscribuntur, & liber sententiarum Salomonis παραβολαὶ cap. 1. v. 1. & vulgò vocis quadam abusione, *proverbia* appellantur: Posterioris verò exemplum est, 1. Samuel. 24. v. 15. ubi παραβολὴ ἀρχαία, vetus proverbium dicitur: *ab improbis prodit improbitas*. Denique non solum pro brevi sententia, sed etiam pro longiore (ut Hebræa vox משל) ab iisdem usurpatur, ut Num. 23. vers. 11. seq. & vers. 22. cum seqq. Atque hæc de vocis hujus origine ac significatione. Ad rem verò quod attinet: Parabolæ à Christo propositæ, & alibi in Scriptura comprehensæ, vel omissa, vel adjuncta expositione apud auditores tractantur. Prioris modi exempla sunt, Matth. 13. parabola seminantis vers. 1. ad 9. usque: deinde altera zizaniorum v. 24. ad 37. Omissæ autem expositionis causa interdum est claritas parabolæ: quod ex antecedentibus similis argumenti, parabolis expositis, facile intelligi possint. Qualis est parabola filii prodigi, Luc. 15. vers. 12. cujus significatio ex vers. 7. & 10. satis manifesta. Deinde verò cum parabolæ inest obscuritas, tum pro auditorum conditione diversa, omissæ expositionis causa quoque est diversa. Nam ratione reproborum & ingratorum, origo seu causa movens, fuit impia eorum ingratitudo, & justa Dei judicis per Prophetas patefacta voluntas: qua eos mysteria Euangelii celare voluit, ut Christus pluribus, Matth. 13. demonstrat, v. 11. ad 16. Finis verò, fuit justa eorum pœna, v. 12. 13. Ratione verò electorum, & piorum, origo quidem seu causa movens omissæ expositionis fuit benigna ac gratuita Dei ac Christi voluntas, iis seorsim exponendi, ibid. v. 11. 12. Finis verò fuit, ut in iis seriam considerationem excitaret, id quod indicat vers. 9. cum ait: *qui aures habet ad audiendum, audiat*: partim ut ad desiderium & petitionem expositionis à Christo, eo modo invitaret: quemadmodum eventus petitæ ac impetratæ expositionis, primùm parabolæ seminantis (ut ex Marc. 4. vers. 10. 14. & seqq. constat) & zizaniorum ut Matth. 13. v. 36. 37. ostendit. Atque hæc de parabolis sine expositione primum propositis. quæ verò adjunctam habent expositionem, ea est aut simplex, aut duplex expositio. Simplex quidem, cum vel initio tantum: vel in fine adjungitur: duplex verò, cum utrinque id fit. Cum autem initio id fit, tum declaratur partim orationis genus: videlicet quod non sit historia seu narratio propriè intelligenda, sed similitudo: partim primarium parabolæ objectum, seu illud ad cujus similem conditionem declarandum parabola adhibetur. cujus exempla sunt, Mat. 13. ubi Regnum Dei simile dicitur vers. 24. homini seminanti: & vers. 31. grano sinapis: vers. 33. fermento, & 44. thesauro occultato, denique vers. 45. negotiatori. Cùm verò in fine parabolæ expositio auditoribus adjungitur, id fit vel immediatè, ut in plerisque: vel mediatè in nonnullis: & quidem interposito, vel loquentis, vel auditoris, vel utriusque sermone, qui ad judicium de re per parabolam narrata, pertineat. Primi autem modi exemplum est in parabola Dei, per Nathanem Prophetam, Davidi, de oviculæ raptu proposita, 2. Sam. 12. v. 5. 6. Secundi exemplum est Esai. 5. in parabola de vinea, v. 3. 4. Tertii verò modi exemplum manifestum est in parabola de vinitorib. Mat. 12. v. 40. 41. Cæterum quocunque modo expositio in fine parabolæ, immediatè aut mediatè ponatur: aut etiam postea aliis indicetur: ea non est generalis, sicut illa quæ initio ponitur: sed specialis, ut quæ rem parabola illustrandam, de subjecto aliquo, & à loquente intentam complectitur. Id quod fit bifariam: vel ratione omnium partium parabolæ (quando scilicet allegoria est, in qua non duæ res inter se comparantur: sed continuata metaphora per similitudinem una res tantum indicatur) vel ratione quarundam tantum partium: sicut in parabola propriè dicta, in qua distinctè duæ res inter se comparantur. Prioris autem modi exemplum est parabola seminantis, Matth. 13. v. 1. ad 9. quæ omissa apud populum declaratione, postea discipulis seorsim in suis partibus singulis exposita est. vers. 19. ad 24. Qualis etiam parabola illa modo indicata, de ovicula rapta, 2. Sam. 12. Posterioris verò modi exempla sunt in plerisque expositis parabolis in quibus non singula suam habent rei similis declarandæ significationem: sed nonnulla tantum: reliqua verò ad ornatum parabolæ inseruntur, ideoque eorum applicatio in subjecta expositione omittitur. Nam primum illud in parabola humana Joathami, ad Sichemitas de arboribus Regem electuris apparet, Jud. 9. v. 8. ad 16. ubi pleraque, quæ in medio posita, ad parabolæ elegantiam, & ad majorem attentionem inserta sunt, ideoque in apodosi,

apodosi, hoc est, redditione (quæ eidem ut protasi, accommodatur, & expositionem continet) tantum fit collatio cum prima parabolæ parte, proposita vers. 10. initio, & in fine parabolæ vers. 15. quemadmodum versus decimus sextus, eosdem tantum exponens perspicuè demonstrat. Alterum exemplum est in parabola divina Christi, de dispensatore iniquo, cum piis (tanquam bonorum à Deo acceptorum dispensatoribus) collato, Luc. 16. quæ non simpliciter, ratione singularum partium: sed tantum secundum quid, ratione quarundam, similitudinem continet. Quæ enim de malitioso illius consilio, deque infideli ac fraudulenta in dominum injuria narrantur: ea ad ornatum & attentionem majorem tantùm parabolæ inseruntur, non autem ad πρότασιν similitudinis perficiendam pertinent: sed tantum eo spectant, ut prudentia illius, & diligens cura ac operà prompta ad vitæ suæ conservationem adhibita indicetur: atque eatenus tantum à Domino ipsius iniqui dispensatoris probata narratur: quam prudentiam etiam Christus, absoluta parabola, subjuncto corollario generali, indicat comparatè, cum ait: *filios hujus seculi prudentiores esse filiis lucis in suo genere*: ut eo modo parabolæ allatæ, primò occasionem indicaret, esse imprudentiam multorum piorum: deinde necessitatem rei, significatæ per apodosin, hortationis modo, exponit: quæ altera sui parte, infidelitatem ac injuriam in Dominum Deum manifeste reprehendit. Alterum exemplum est in parabola inventi ab homine thesauri, Matth. 13. In quo ardens illius desiderium, & acquirendi rebus omnibus postpositis studium; ac prompta opera, ad collationem officii nostri erga Euangelium pertinent: injuria verò illius, in acquirendi thesauri modo, per occultationem ac silentium inventionis apud Dominum illius, ad ornatum narrationis non ad similitudinem officii nostri indicandum inseritur: quia justissimus Christus, injustitiam probare, ac commendare non potest. Sic in non paucis parabolis circumstantiæ etiam narrantur nonnullæ; quæ licet injustitiam nullam contineant, ad scopum tamen non pertinent: sed tantum ad parabolæ ornatum & ad attentionem majorem: ideoque inepta esset argutia, si quis eas quasi similitudinem à Christo intentam interpretaretur: Quemadmodum si quis Matth. 13. in parabola grani sinapis proposita, in explicandis volucribus & ramis vers. 31. occuparetur: aut in parabola fermenti, in tribus satis vers. 33. mysterium quæreret: aut Luc. 15. v. 4. in parabola ovis perditæ, in nonaginta novem reliquarum ovium numero & similibus argutari vellet, à scopo Scripturæ ineptè aberraret. Ideoque videndum in parabolarum expositione, ne in fidei seu doctrinæ sacris literis explicatæ ac fide percipiendæ analogiam impingatur: Deindè ut in expositione Christi, quatenus expressa est, acquiescamus, & id quod ex illa ac antecedentibus & consequentibus recta ratione colligitur, proponamus. Denique quemadmodum non omnia quæ in parabolis continentur, in expositione parabolæ in Scriptura exposita sunt, neque exponi à nobis debent: sic etiam non omnia quæ similia sunt in parabola, & ad expositionem plenam sunt conferenda, in expositione illius semper exprimuntur: sed sæpius primaria tantum capita, ex quibus reliqua, examine adhibito, non difficulter colligi, intelligi ac explicari possunt. Quemadmodum parabola de vinea, Esa. 5. v. 7. exponitur tantum ratione beneficii Dei in Judæos collati, & contra ratione ingratitudinis atque improbitatis ab iisdem relatæ: Pœnæ verò expositio omittitur, quæ tamen à Deo, per parabolam certò ac citra ullam controversiam significata est; idque ex natura peccati, quæ pœnam tanquam suum stipendium attrahit, & ex ipsa parabola facillimè intelligi potest. Sic in parabola ovis perditæ, Luc. 15. in expositione, tantum amicorum & vicinorum gaudium, ex inventa ove perceptum indicatur v. 7. officium tamen & opera fidelis à Domino in ove sua quærenda, est vera & intenta similitudo: ut officium Christi, & operam fidelem illius in peccatoribus quærendis quasi perditis, & ad resipiscentiam reducendis notet: quemadmodum parabolæ occasio clarè satis demonstrat. Ea enim erat duplex; Primum quod Christus peccatores non fugeret, sed doceret, converteret, ac conversos susciperet & cum iis conversis ederet. Deindè quod Pharisæi & Scribæ, quasi id omninò illicitum esset, idcirco offenderentur atque obmurmurarent, v. 2. In parabola autem declaranda, per primam illius partem de recta quæsitione & inventione ovis perditæ, suam justitiam tuetur: Deindè per narrationem justi gaudii ob perditæ ovis inventionem, injustitiam Pharisæorum refutat: & tamen primum illud collationis membrum, per parabolam certò indicatum, in apodosi seu expositione parabolæ omittit, & alterum tantum membrum declarat. Id quod propterea videtur factum, quod prius ex occasione parabolæ intelligatur; deinde quod etiam ex posteriori necessario consequatur. Quod enim in cœlo gaudium excitat, illud benè fit, & in terris gaudio, non autem offensa neque obmurmuratione dignum. Atqui peccatorum à recta justitiæ via aberrantium ad resipiscentiam reductio (qualis à Christo fiebat) in cœlo gaudium excitabat. Ergo ea bene fiebat, & gaudio, non offensa neque obmurmuratione erat digna. Atque hæc de parabolæ voce, & natura illius, atque tractationis ejusdem in Sacris literis varietate, idcirco plenius explicare conati sumus, partim ut honestæ petitioni & auditorum utilitati communi inserviremus; partim etiam quod hunc de parabolis locum communem, & cognitu necessarium ad sacrarum literarum intelligentiam & explicationem, nondum explicatum invenimus. Ex hisce igitur facilè intelligitur, quid Matthæus cap. 22. in narratione sermonis Christi de nuptiis sibi velit, quando in præfatione parabolæ præmissa, post circumstantiam, cùm temporis, tum personarum primò propositam, deinde genus orationis ostendit esse parabolam. Hoc enim notat orationem, quæ rei alicujus conferendæ similitudinem diversis membris constantem, complectitur.

Unum verò tantùm superesse videtur; nempe ut declaretur, quid sit, quod ait, *Christum locutum* ἐν ταῖς παραβολαῖς, *per parabolas*: Cum tamen ex sequentibus sit certissimum, unam tantum proponi parabolam; adeò ut contradictio quædam prima fronte esse videatur. Cujus nodi propositi solutio duplex esse potest: una ut Phrasis hæc, *in parabolis*, pro parabolarum modo seu parabolicè accipiatur: quemadmodum Marc. 12. v. 1. eam phrasin ita exponendam existimat noster Interpres; quamvis initio responderit; *etsi unam tantùm parabolam Marcus memoret, multas tamen alias quas omittit indicare à Christo propositas*, cum ex Matthæo id perspicuè constet. Quæ sanè in eo Marci loco, priori aptior videtur esse responsio; quia propriam phrasis significationem retinet, & veritati similiter à Matthæo explicatæ, omninò consentanea est. Altera solutio est, esse numeri pluralis pro singulari enallagen, in sacris literis, minimè insolente: ut vel ex ipso Matthæo probari potest. Nam cap. 27. v. 44. ait *exprobrabant ei latrones*, ubi clarissimè unus latro intelligitur: quemadmodum disertè in eadem historia exprimit Lucas, qui unum fuisse tradit, cap. 23. v. 39. Sic etiam in eodem Matthæo, & in eadem phrasi eadem occurrit enallage, cap. 13. v. 10. *Cur in parabolis loqueris*? & v. 13. *Propterea in parabolis loquor*, hoc est, parabola, quia unica tantum parabola seminantis citra controversiam intelligitur. Atque hæc de prima parte narrationis sermonis Christi, Matth. 22. nempè præfatione illius, à Matthæo ad illustrationem proposita v. 1.

Altera verò est Christi parabola, quæ reliquis versibus à 2. ad 15. continetur. Estque ejusmodi ut expositionem illius generalem initiò tantum proponat, non autem in fine. Constat enim primum propositione generali, quæ collationis materiam primariam, seu res quæ inter se comparantur suis modis indicat; & particulari descriptione illius; propositio autem his verbis exprimitur v. 2. *simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Cujus membra sunt duo: primùm est subjectum, quod indicat rem illustratam seu quæ per parabolam declaranda intenditur. Secundum verò est attributum illius, quo simile illustrans, seu rem eam declarans continetur. Subjectum est *Regnum cœlorum*: quod quia non eodem modo in Sacris literis usurpatur; idcirco distinctio ad meliorem illius intelligen-

telligentiam, paucis præmittenda. Interdum enim Regnum gloriæ in cœlis, Matth. 5. verſ. 20. intelligitur: interdum verò Regnum gratiæ in terris: quod cœlorum dicitur, non ratione loci in quo eſt: ſed ratione modi quo eſt, nimirum non mundanum, ſed cœleſte: Atque ita notatur Regnum Dei, quo Eccleſiam verbo ſuo & Spiritu regit: ut Matth. 20. v. 1. unde per Synecd. generis pro ſpecie excellentiori, Eccleſiæ, per Chriſtum Regem illius & Apoſtolos renovationem, & ex omnibus gentibus amplificationem deſignat: ut cum regnum cœlorum appropinquare dicitur, Matth. 3. v. 2. & Marc. 1. verſ. 14. 15. Interdum verò aliter bifariam accipitur per Metonym. primùm adjuncti pro ſubjecto, in quo illud regnum exercetur: & Eccleſiam notat, in qua regnat, Matth. 13. v. 41. deinde verò per Metonym. effecti pro cauſa efficiente inſtrumentali, Euangelium notat, per quod regnat, Matt. 13. v. 33. Cæterum, rebus diligenter perpenſis, hoc in loco, regnum cœlorum, regimen Dei, quo Eccleſiam ſuam colligit ac regit, commodiſſimè deſignat: quemadmodum conſequentium collatio oſtendit. Attributum enim illius (quæ ſecunda propoſitionis pars eſt) ita exprimitur, *ſimile eſt homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo*; Quo indicat primùm Chriſtus, ſe non hiſtoriam, ſed ſimilitudinem & duarum rerum collationem afferre, ab homine rege terreno, ad Deum Regem cœleſtem indicandum: deinde oſtendit, qua in re ea ſimilitudo conſiſtat, nempe in nuptiis filio factis: quæ aptiſſima eſt collatio. Nam ut hic homo Rex dicitur; eoque regnum habere ac ſubditos indicatur, quos regebat, & modum quo regebat: ita Deus rex eſt, qui regnum habet non ſolum univerſale in omnes creaturas, eas communiter ſua ſapientia atque omnipotentia regens Pſal. 147. verſ. 8. 9. Sed etiam particulare, quo Eccleſiæ ſuæ rex eſt peculiariter, eam gratia ſui verbi & ſpiritus amanter colligens, & ad ſalutem regens ac deducens, Eſai. 33. v. 22. Deinde ut homo Rex (cui Deus confertur) dicitur habuiſſe filium, cui nuptias fecit: ac per conſequentiam neceſſariam, cui ut ſponſo ſponſam deſponſarat & conjugio adjunxerat: ſic etiam Deus Pater habet filium ſuum unigenitum Jeſum Chriſtum, cui Eccleſiam deſponſavit, & per miniſterium verbi Euangelii ſui, & per fidem illius, 2. Cor. 11. v. 2. ſpirituali conjugio conjunxit atque univit. Eph. 5. v. 32. unde ſub typo Salomonis Chriſtus *filius regis* vocatur, Pſal. 72. verſ. 1. cujus etiam cum Sponſa Eccleſia conjugium Pſal. 45. & Cantico canticorum typicè deſcribitur. Nuptiale autem convivium ei hic in terris, Joh. 3. v. 29. inſtituit Pater, gratiæ juſtificationis, pacis cum Deo, & gaudii per Spiritum Sanctum inde promanantis: Cui ultimo die accedet nuptiale convivium, gloriæ ac gaudii æterni in cœlis: de quo Matth. 25. v. 1. cum 5. & 10. & Apoc. 21. v. 2. De priori autem nuptiali convivio, non de poſteriori à Chriſto hic agi, ex ipſa parabola ſatis conſtat: etſi non pauci de poſteriore interpretentur. Nam in cœleſtis convivii nuptialis menſa aſſidebunt ſoli verè fideles: in hoc verò etiam hypocritæ, veſte nuptiali deſtituti & è nuptiis ejiciendi: quorum neutrum cœlo convenit. In quod ſicut nullus impurus ingreditur: Apoc. 21. v. 27. ſic nullus qui in cœlum ingreſſus eſt, inde ejicitur, ſed in æternum permanet: quia vita æterna ac beata fruitur. Ac propterea hinc perſpicuè liquet, hoc in loco non agi à Chriſto de convivio nuptiali ipſius & Eccleſiæ triumphantis, (de quo Apoc. 19. v. 7. 8. 9. ſermo eſt) ſed militantis. Atque hæc de prima hujus parabolæ parte nempè propoſitione: quæ collationem ſtatus regni cœlorum in terris, cum nuptiis ab homine Rege filio ſuo factis ſummatim continet.

Altera verò parabolæ pars, eſt particularis nuptiarum illarum, ad Chriſti ſcopum directa deſcriptio. Quæ quidem particularem expoſitionem ſubjunctam non habet: ſed ea ex analogia verſus primi & ſecundi colligi poteſt; & ſuis partibus breviter adjicere conabimur. Ea autem parabolæ pars particularis, nuptiarum illarum conditionem indicat. Narrat enim convivarum ad nuptias vocationem, & eventum illius. Vocatio autem illa, pro diverſo vocatorum genere diſtribuitur: alia enim eſt invitatorum, qui Judæos: alia non invitatorum, qui gentiles notant, vocatio.

Judæorum autem vocatio duplex, indicatur idoneo ſimili. Prima quidem v. 3. *Et miſit ſervos ſuos, qui vocarent invitatos ad nuptias*. Quamvis autem non ſubjiciatur, ſervos miſſos mandatum vocandi executos: illud tamen eventus deſcriptione poſtea indicabitur. Hiſce autem verbis, ſimilitudine apta, vocatos Judæos, & vocationis modum deſcribit. Judæos enim vocat κεκλημένους *vocatos*, id eſt invitatos antea. Quemadmodum enim juſto tempore ante Regum nuptias convivæ invitari ſolent, ut illi ſeſe ad eas tempeſtivè queant præparare; removendo ſcilicet omnia impedimenta: & parando veſtes nuptiales, ſeque ad eas rectè exornando: poſtea verò paulò ante nuptias vocari ſolent, ut opportunè adſint: ita etiam Deus Judæos ad Chriſti filii ſui nati communionem vocaturus, prius Scriptis Moſis & Prophetarum, de Chriſto & officio acceſſus ad ipſum per fidem, invitavit, Joh. 5. v. 39. 46. 47. & Act. 3. verſ. 23. 24. & 10. verſ. 43. Deinde per ſuos ſervos, Spiritu Sancto afflatos, Johannem Baptiſtam, Luc. 1. verſ. 76. & Joh. 1. verſ. 6. 7. 8. 23. & diſcipulos Chriſti, primùm duodecim Apoſtolos, Matth. 10. v. 5. 6. 7. deinde LXX. alios, Luc. 10. v. 1. & 9. prædicatione Euangelii, ad Chriſti atque Eccleſiæ illius communionem, per fidem obtinendam vocavit. Nam licet vera ſit ſententia, quâ hæc de vocatione Judæorum primùm facta per Prophetas interpretari ſoleant, non ſatis tamen videtur huic loco convenire: primùm, quia Judæi ante invitati dicuntur: atqui ante Moſen & Prophetas quomodo Judæi invitati ad Chriſtum dicentur? cum ea vocatio per illos fuerit prima, eoque aliam invitationem non ſequatur? deinde quia regnum cœlorum regimen Eccleſiæ renovatæ per Chriſtum: aut Eccleſiam per eum renovatam, in qua regnat verbo & Spiritu: aut Euangelium Chriſti exhibiti deſignare ſolet: nullibi verò ad tempora ante Chriſtum exhibitum referri probatur: ac propterea prior explicatio videtur præferenda. Atque hæc prima eſt Judæorum, per Euangelium, de Chriſto nato, ad fidem & communionem Chriſti atque Eccleſiæ illius vocatio: quæ ut eximium eſt Dei beneficium, erga Judæos & omni acceptione digniſſimum, 1. Tim. 1. v. 15. ita eventus illius contrarius narratur: nempè maleficium Judæorum: quod vocationi gratuitæ ad cœleſtes nuptias obedire noluerint: id quod in fine verſ. 3. ita indicatur: *ſed noluerunt venire*, nempe ad nuptias filii Regis. Id quod intelligendum, non de ſingulis, ſed pleriſque Judæis; ut hiſtoria Euangelica demonſtrat. Quidam enim ad Euangelium Chriſti audiendum, & Eccleſiæ communionem acceſſerunt, partim per externam fidei profeſſionem: partim etiam per internam, per fidem vivam; maxima tamen populi pars, cum ſacerdotibus ac populi primoribus, à Chriſti confeſſione fuit averſa: id quod hac vocatorum contumacia adverſus vocantem Regem per ſervos ſuos indicatur. Atque hæc de prima vocatione Judæorum & eventu illius, nempe vocationis rejectione.

Secunda verò vocatio poſt mortem & aſcenſionem Chriſti, per Apoſtolos & Apoſtolicos viros inſtituta eſt: quæ ſimili iteratæ à Rege vocationis convivarum, & eventu illius deſcribitur. De priori dicitur verſ. 4. *Rurſus miſit alios ſervos dicens: dicite vocatis, ecce &c.* ubi per ſervos deſignantur ſimili idoneo imprimis Apoſtoli: qui à Chriſto primum miſſi ad Judæos, ad communionem Chriſti vocandos, Act. 1. v. 8. Quod autem hic in parabola ſervi alii dicuntur miſſi, & Apoſtoli, ut ante monuimus, ad primam etiam vocationem fuerint miſſi: illud expoſitioni allatæ non adverſatur; quia circumſtantia tantum eſt parabolæ, quæ ad rem ſignificatam non pertineat. Quamvis etiam ſervi alii dici poſſint non ratione ſubſtantiæ ſive perſonæ: ſed ratione qualitatis: quod Spiritus Sancti cœlitus dimiſſi donis copioſè inſtructi, alii longè fuerint, quam prius. Denique alii etiam præter Apoſtolos, divinitus accepto Spiritus Sancti dono, ad Judæos fuerunt adhibiti. Quales inter alios Stephanus, Paulus, Barnabas, &c. Horum autem ſervorum aliorum miſſio ſeu

lega-

legatio, à re convivis annuntianda describitur duobus membris: quorum prius est beneficium regis; quod prandium paratum sit, hoc est, convivium illud nuptiale, ut specialius indicatur: quod tauri & altilia mactata sint, & omnia parata. Alterum est officium vocatorum, quo vocantis responderent beneficio, his verbis: *venite ad nuptias.* Beneficium autem illud videtur notare, Christum in cruce mactatum, adeò ut consummata sint & parata omnia; ut Judæi ejus carnem ederent ad animæ recreationem & salutem, Joh. 6. v. 54. 55. Quamvis autem non exprimatur, servos hac legatione esse perfunctos, illud tamen (ut in prima legatione ad vocandum, monuimus) consequente eventu primo indicatur. Eventus enim legationis exactæ seu præstitæ duplex hoc in loco statuitur; Primus quidem est, injusta in gratuitæ ad communionem Christi vocationis rejectione inobedientia: alter est justa à Deo Rege, per regem terrenum adumbrato, pœna. Injusta autem hæc inobedientia, gradibus suis differens, alia facta est contemtu solo: alia verò etiam crudelitate in servos Regis adjuncta. Contemtu solo contigit: quod quidam dona corporalia spiritualibus, & mundana cœlestibus præposuerunt, ac curarunt. Id quod v. 5. hoc simili indicatur: *illi autem cum hoc neglexissent*, (nempe vocationem iteratam patientis ac benignissimi Regis) *abierunt: alius quidem in agrum, alius in mercaturam* Altera verò adversus secundam ad nuptias filii regis benignissimam vocationem inobedientia, est reliquorum vocatorum malitia stupenda: quod non simpliciter ut alii, ingrato contemtu eam neglexerint: sed etiam crudelitatem in legatos ac vocantis Regis servos adjunxerint. Quæ duplex recensetur, nempe eorum apprehensio, & in apprehensos violentia seu crudelitas: quæ contumeliis & trucidatione indicatur. Quo simili Christus designat crudelitatem quam primores Judæorum eorumque sectatores erant perpetraturi in servos ac legatos Dei, videlicet Apostolos aliosque, qui ipsos amanter, Dei nomine, per suavem prædicationem Euangelii, ad Christi & Ecclesiæ communionem erant vocaturi. Quemadmodum ea crudelitas perspicuè declaratur, diserta Christi prædictione, Matth. 23. 34. & Joh. 16. v. 2. & prædictionis illius complemento, multis exemplis, in Actis Apostolorum descripto: ut cap. 4. v. 3. 5 18. 40. & 7. v. 57. 58. & 12. v. 2. 3. Atque hæc de secundæ seu iteratæ vocationis Judæorum ad Christum eventu primo, nempe injusta eorum ac malefica inobedientia, qua quidam vocationem contempserunt; reliqui verò etiam in vocantes Dei servos Apostolos crudelitatem exercuerunt. Alter est injustæ ac crudelis hujus inobedientiæ justa à Deo pœna: cujus describitur primùm Occasio, deinde Species duplex. Occasio ita exprimitur. *Cum autem hoc audisset Rex:* quo per similitudinem quandam Dei cognitionem indicat: qua contemtum Judæorum adversus benignam vocationem ad Christi communionem, & in Apostolos legatos ac vocantes crudelitatem novit; non autem eundem cognitionis modum. Nam Reges mortales, ea, quæ legatis ipsorum evenerunt, ex relatione aliorum ac sua auditione primum norunt: quia ab iis absfuerunt: Contra verò Rex cœlestis, quoniam ubique intimè præsens est: & scientia ejus infinita, per se omnia pernoscit penitissimè: nec est ulla creatura, quæ non conspicua sit coram ipso, sed omnia nuda & patentia oculis ejus, Heb. 4. v. 12. Hęc de occasione pœnæ. Species verò ejusdem est duplex: Prima quidem ira cælestis Regis in Judæos, vocationem secundam contemptim & crudeliter aversantes, quæ ira simili regis terreni ita significatur, *iratus est*, nempe primum ob spretam primæ vocationis patientiam, & benignitatem, in secunda inobedientium convivarum ad nuptias filii vocatione: deinde ob crudelem legatorum vocantium occisionem ac trucidationem: Nam reges terreni adversus hujusmodi inobedientiam, & mandati ac Majestatis suæ læsionem justè irasci solent, hoc est ita commoveri, ut illud crimen punire velint: quemadmodum exemplum iræ Regis Ahasueri adversus Reginam Vasthi, ad convivium regale vocatam, ac contumaciter recusantem, ostendit, Esth. 1. v. 12. Sic etiam Deus Rex cœlestis iratus ostenditur, quod Judæi secundò ad Filii sui & Ecclesiæ communionem, per Euangelium benignè vocati, id contempserint: & vocantes Dei servos ac legatos Apostolos apprehensos contumeliis ac morte affecerint. Cæterum ira & homini Regi, & Deo tribuitur, simili, sed non eodem modo. Nam in homine propriè est dolentis animi, ob injuriam (reipsa aut opinione) acceptam, affectus vindictam cupiens: in Deo verò ira per Metaph. simili ab hominibus petito, non dolorem animi, neque ullam perturbationem illius (quia naturæ divinæ, quæ immutabilis ac beata permanet, perfectioni repugnat) sed justam de mandati sui violatoribus puniendis voluntatem designat. Altera verò pœnæ species, est justæ iræ Regis effectum geminum: prius quidem est immissio hostilium exercituum ipsi servientium; posterius verò est homicidarum illorum consequens perditio & urbis eorum incendium. Quo simili, justam, à Deo ad iram provocato, in hostes suos Judæos & Apostolorum homicidas imminentem pœnam perspicuè satis significat: Nam ut ira Regis nuncius mortis, Prov. 16. v. 14. ut exemplum regis Ahasueri in Hamanem irati, Est. 7. v. 7. 8. 9. ostendit, & Davidis in Ammonitas; qui ob violatos ipsius ad consolationem Regis missos legatos, justè iratus fuit, adeò ut misso exercitu, urbem eorum regiam obsidere & destruere jusserit, 2. Sam. 10. v. 2. 4. & cap. 11. v. 1. 25. Sic etiam Deus ob lenitatis, ac benignissimæ ad nuptias Filii sui vocationis contemtum, & trucidationem suorum Apostolorum vocantium, Judæis justè iratus, in locum illorum legatorum ac speciosorum pedum Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona, Rom. 10. v. 15. hostiles ac pernitiosos Romanorum, sub Vespasiano & Tito exercitus, sibi tanquam summo & omnipotenti Domino subditos, occulta providentia regens, homicidis illis Judæis immisit, ipsosque fame, peste, gladio perdidit: urbemque eorum Hierosolymam, regionis caput, incendit ac diruit. Quemadmodum Daniel olim eam populi perditionem & urbis excidium ac desolationem longè antea prophetavit, cap. 9. v. 26: & Christus etiam paulò antè prædixit, non solum hâc, sed etiam aliis concionibus! Nam populi Judæorum perditionem alia parabola, Luc. 19. v. 14 & 27. prænuntiavit: & ibidem v. 42. ad 45. urbis & populi horrendum exitium, sine parabola, apertè ac distinctè declaravit; quemadmodum cap. 21. v. 20. exercitus Hierosolymam cincturos, & desolationem illius, & v. 24 trucidationem populi, & superstitum captivitatem & dispersionem explicavit. Quo etiam spectant Christi dicta, Matth. 23. v. 38. & 24. v. 2. & 15. & 21. A qua populi contumacis, adversus Christum, perditione, clementer Ecclesia fidelium conservata est: & quidem opportunè, simul ac Romanorum exercitus in terram sanctam pervenisset, erepta fuit, secundum Christi admonitionem, Matt. 24. v. 15. 16. quemadmodum præterea Eusebius hist. Eccles. lib. 3. cap. 5. de parte Ecclesiæ Judaicæ primaria, quæ Hierosolymis erat, ait: *populus Hierosolymitanæ Ecclesiæ oraculi cujusdam indicio, (quod probatioribus per revelationem traditum fuerat) antequam bellum oriretur, ex ea civitate migrare & oppidum quoddam trans Jordanem (quod Pellam nominant) inhabitare jussus est: in quod qui in Christum crediderunt, relictis Hierosolymis commigrarunt.* Atque hactenus primum vocationis hominum ad Christi communionem genus, in parabola de nuptiis propositum, exponere conati sumus. ut autem vocatio illa est duplex: sic duplex vicissim eventus. Prima vocatio est, quæ iis, jam ante, per divina eloquia (ipsis credita, Rom. 3. v. 2. & singulis Sabbathis lecta) invitatis contigit, Christo exhibito ac vivente: cujus eventus fuit ingratus ac contumax vocationis contemtus. Altera post Christi mortem, resurrectionem, ascensionem, per Apostolos & alios Dei servos facta est: eventus verò infœlix fuit, primùm inobedientia: partim quorundam qui vocationem (mundi amore seducti) spreverunt: partim aliorum, qui crudeli odio illius, vocantes Dei Apostolos apprehenderunt; & apprehensos contumeliis ac morte affecerunt: Secundus eventus est hujus inobedientiæ ac crudelitatis pœna, nempe Dei ira & populi atque urbis excidium.

Porrò

Porrò huic Judæorum (ante per scripta Prophetarum invitatorum) vocationi, & eventui illius exposito, adjungitur deinde descriptio vocationis eorum, qui antea non erant invitati, hoc est, reliquarum gentium, quæ in locum ingratorum ac rejectorum Judæorum successerunt. In qua, simili à rege terreno continuato, significatur vocationis hujus modus atque eventus. Modus est mandatum vocationis à Deo servis ipsius datum, & fidelis illius mandati per servos executio. Ad mandatum quod attinet, illius primum indicatur causa: deindè forma. Causa verò est duplex: Prima quòd nuptiæ paratæ essent, ut v. 4. dictum, quod prandium paratum esset, tauri mactati & omnia parata; quod significat, Christo (qui non solum convivii nuptialis sponsus, sed etiam cibus est) paschate nostro jam mactato, ad epulas illius jam accedendum esse, 1. Cor. 5. v. 7. non solum Judæis, sed etiam gentibus. Nam ut ante Christi mactationem hoc erat Judæorum privilegium, seclusis ab ea vocatione gentibus, Matth. 10. v. 5. 6. Act. 14 v. 16. Eph. 2. v. 12. Sic contrà per Christi mactati in cruce sanguinem, discrimine sublato, gentes non minus, quam Judæi, erant vocandæ, Eph. 2. v. 13 14. 15. 16. Matth. 28. v. 19. Actor. 13. v. 46. &c Altera causa mandati de vocatione gentium, est Judæorum, ob contumacem inobedientiam indignitas. Quæ ita adumbratur altera v. octavi parte; *sed qui vocati erant, non erant digni*: ut Matth. 23. v. 43. Actor. 13. v. 46. 47. indicatur. Nam quemadmodum, ut ex historia Estheræ patet, regina Vasthi rejecta ob suam contumaciam, quod ad regis Assueri convivium se sistere nollet, ei Esthera in reginæ locum clementer substituta: ita Judæorum Ecclesia à Deo ob contumaciam rejecta, ac gentes clementer vocatæ in eorum locum; ut Paulus Rom. 11. per rejectionem Judæorum, salutem gentibus obtigisse declarat. Mandatum verò Dei ex hisce duabus causis per vocem *Ergo* conclusum exprimitur his verbis, v. 9. *Ite ergo ad compita viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias*: Quo vocatio gentium, similitudine quadam, in hac parabola designatur. Nam ut hi omnes, qui in viarum compitis inveniendi erant, distinguuntur ab iis, qui invitati prius à rege, & deindè bis ab eodem vocati ad nuptias contumaciter ac crudeliter venire recusarunt: & hisce Judæi denotati sunt: ut antea ostendimus: sic contrà illis omnibus, qui promiscuè in compitis viarum invenirentur, gentes reliquæ præter Judæos intelliguntur: quas antea præteritas, nunc vocari ad nuptias, hoc est per Apostolos aliosque servos suos Euangelii prædicatione, ad fidem & communionem cum Christo ac Ecclesia vocari mandavit, Matth. 28. v. 19. Act. 13. v 46. 47. Cui mandato convenit fidelis illius per servos Dei executio: quæ ita in parabola v. 9. describitur; *& egressi servi illi in viam, congregarunt omnes quos invenerunt, malos pariter ac bonos.* Quo significatur Euangelii prædicatione congregari ad Christi & Ecclesiæ externam communionem, non solum bonos, hoc est, verè fideles; sed etiam malos, hoc est, per synecdochen generis pro specie, hypocritas, fucatos fideles, qui externa professione & sacramentorum communione, veram fidem ac pietatem simulant: quemadmodum in parabola Sagenæ, pisces omnis generis colligentis, tales describit Matthæus cap. 13. vers. 47. 48. 49. Nec enim apertos ac palam malos Apostoli, aut ulli sancti Euangelii præcones congregare, & Ecclesiæ communioni per Sacramenta aggregare potuerunt aut congregarunt: quòd tales à communione Ecclesiæ, tanquam pestis illius, sint arcendi; sed congregarunt opertos ac tectos: quos, quia sub ovina pelle sunt lupi, & sub externa fidei & vitæ Christianæ specie, internam fraudem, ac impietatem tegunt, (atque ita verè bonis exterius pares, imò interdum superiores apparent) idcirco ab Apostolis alijsque Euangelii præconibus dignosci non potuerunt, atque hinc omnes ex lege charitatis (quæ interna cordis arcana Deo relinquens, ex rebus externis in optimam partem judicat) eos malos sibi ignotos, pro bonis & verè fidelibus habet, donec latentem hypocrisin videant: ut eos non ex Christi Ecclesiâ, sed in Ecclesia tantum fuisse sentiant. 1. Johan. 2. vers. 19. quales fuere Simon Magus, Hymenæus, Philetus, aliique plurimi. Atque hæc de gentium, ad Christi & Ecclesiæ externam communionem, vocatione. Cujus eventus (continuata vocatorum ad nuptias hominis regis similitudine) describitur duplex: nempè obedientia vocatarum gentium, qua sese Christi & Ecclesiæ communioni adjunxerunt; & consequens Dei de illis judicium. Ac prius quidem hisce verbis v. 10. designatur: *& impletæ sunt nuptiæ*, (hoc est, nova significatione per Meton. adj. pro subjecto, convivii nuptialis locus) *convivis*. Quo adventu & discubitu in regis terreni nuptiis, accessio ad Ecclesiæ communionem, à gentibus vocatis facta adumbratur: Quæ accessio partim digna est quorundam, partim indigna aliorum. Digna est, quæ vocationi conveniens, externam simul & internam obedientiam complectitur. Indigna verò est, quæ simul juncta ac mandata à Deo perperam separans, in sola externa fidei (cùm oris, tùm vitæ Christianæ indiciis) professione & Sacramentorum cum Ecclesia participatione consistit. Quemadmodum autem prædicatio Euangelii, quâ gentes vocantur, ad finem usque mundi durabit, Matt. 28. v. 19. 20. sic etiam earum ad Christi & Ecclesiæ communionem accessio, eo usque duratura, ac tum demum plenæ erunt nuptiæ convivis. Hæc de primo vocationis gentium eventu. Secundus verò est Dei vocantis de iis judicium, plenis jam nuptiis futurum. Id quod describitur bifariam: primum quidem ab antecedente ad illud præparatione: Deinde à consequente præparationem judicis Dei sententia. Præparatio autem constat lustratione convivarum, & eorum examine. Lustratio notatur v. 11. *Ingressus autem rex ut spectaret convivas, vidit illic hominem non indutum veste nuptiali.* Quo simili, à rege terreno deducto, perfectissima Dei judicis scientia adumbratur, non autem singulis similibus circumstantiis respondet: quia nec ingressus, cum Deus ubique sit, nec lustratio ad notitiam comparandam in Ecclesia congregatorum ei necessaria: nam cœlum & terram implet, & corda scrutatur omnia, omniaque in universum habet plenissimè cognita, ut supra etiam ostendimus: Ideoque licet Dei, in Euangelio prædicando servi, hypocritas à verè fidelibus, Christi & Ecclesiæ membris (quia corda eorum ignorant) discernere nequeant; Deus tamen cernit omnes, ac indignos ab indignis discernit accuratissimè. Indigni autem describuntur, qui veste nuptiali carent. Ea autem Christus per fidem vivam (quæ per charitatem efficax, Gal. 5. v. 6.) apprehensus intelligitur, quem fideles induunt, Gal. 3. v. 27. Nam ut Christus & Sacerdos, & victima, & altare, imo & templum; utpote quod iis fuerit adumbratus, diverso respectu vocatur: Sic hoc in loco & sponsus est, & cibus, & vestis, distincta aptaque comparatione. Hic enim vestis instar, nuditatem nostram ac vitiositatem sua justitia tegit: & perfectione suæ justitiæ ac grato ornatu atque optimi odoris suavitate, quasi vestis nuptialis Deo acceptos reddit & benedictionis illius participes: quemadmodum vestitu Esavi primogeniti ornato & suave olenti indutus Jacobus, benedictionem à patre suo Isaaco obtinuit. Quod autem hic rex dicitur in nuptiis vidisse hominem non indutum veste nuptiali: eo non unus tantum intelligitur, (ut res ipsa, & finis parabolæ à Christo positus demonstrat) sed illius exemplo reliqui etiam (quasi specimine totius posito) designantur omnes. Hæc de prima antecedentis præparationis ad judicium parte, nempè convivarum vocatorum & vocationi parentium lustratione, & indigni convivæ observatione. Altera verò pars, est examen illius à rege institutum, v. 12. constans regis quæstione, & indigni convivæ silentio. Quæstio est hæc, *amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* In qua quæstione indicatur is à quo quærit, & quid quærat. Illum autem indicat, cum ait ἑταῖρε quo socium vocat singulari clementia, quod benignè in societatem convivii nuptialis esset vocatus, ac propterea debuerit grato animo ad convivium regis nuptiale dignè accedere. Quid autem ab eo quærat, est his verbis expressum, *quomodo huc venisti, non habens vestem nuptialem?* quibus officium ab eo violatum ostendit, & causam illius quærit. Quo nulla Dei ignorantia, neque

neque etiam propriè quæstio seu interrogatio designatur (qualis tamen à Deo instituta ad Adamum & Evam, Gen. 3.) Sed simili à rege terreno, Dei voluntas, declaratur: quod quemadmodum novit, quinam fucata sint Christi & Ecclesiæ membra: sic etiam hypocritas illos, ut indignos sua gratia, aversetur.

Alterum examinis membrum, examinati silentium est, illius nimirum hominis, qui sine veste nuptiali ad nuptias regis erat ingressus ac discubuerat cum aliis: quo simili notatur, fore ut hypocritæ, qui in Ecclesia jam latent, & Ecclesiæ ignoti sunt, patefiant in judicio ultimo, & propria conscientia sceleris sui convincantur. Atque hæc de examine, secunda videlicet præparationis ad judicium parte; Cui deinde sententia Judicis adversus læsæ majestatis regiæ convictum, mandato comprehensa succedens describitur vers. 13. 14. cum dicitur, *Tunc dicit rex, &c.* Quibus parabolæ verbis futura hypocritarum condemnatio describitur, & ratione addita à Christo declaratur. Condemnatio describitur bifariam: primum quidem à circumstantia gemina: Deinde à modo pœnæ inferendæ. Circumstantia autem prima est temporis, nempè *Tunc*, hoc est, eo tempore, de quo proximè meminit, videlicet, cum plenæ erunt nuptiæ convivis vers. 10. (ut in simili parabola dictum, cum sagena plena erit, Matth. 13. v. 48.) id est, cum vocatio ad Christi & Ecclesiæ communionem, per prædicationem Euangelii finem habebit, & hypocritæ à Deo patefient omnibus, ac convincentur, vers. 11. & 12. nimirum, quando illos Deus per Christum judicem, quasi hœdos ab ovibus separatos, ad sinistram collocabit, Matth. 25. v. 33. eosque convincet ex malis effectis, quod non habeant communionem cum ipso per fidem vivam, eoque non sint ex ovibus ipsius & veris Dei filiis (qui soli sunt hæredes Dei & cohæredes Christi Rom. 8. vers. 17.) ibid. vers. 42. & seqq. Altera verò circumstantia sententiæ condemnationis, sunt causæ exequentes illius, quæ ita indicantur: *dixit rex ministris*, quo simili ministrorum terreni regis, adumbrantur Angeli Dei, qui sunt Spiritus ministratorii, non solum ut bonos seu fideles Dei servos tueantur, Heb. 1. & Psalm. 34. Sed etiam ut in hypocritarum condemnatione Deo serviant: quemadmodum Christus explicat in parabola primum zizaniorum Matth. 13. vers. 39. 40. 41. secundò in parabola sagenæ dejectæ in mare, ibid. vers. 49. Atque hæc de gemina circumstantia, cùm temporis quando, tum causarum instrumentalium, seu eorum quibus executionem condemnationis hujus mandabit: quod scil. ultimo die, & quidem per Angelos sanctos illud fiet. Modus autem pœnæ, mandato judicis præscriptæ, ultima parabolæ hujus parte, apto simili adumbratur his verbis: *Ligatis manibus & pedibus, &c.* Is autem modus constat ligatione, & in tenebras exteriores dejectione. Solebant enim puniendi ligari primum, ne evadere possent: & deinde in carcerem detrudi, ut exemplo Simeonis ostenditur. Gen. 42. v. 19. 24. *Tenebræ* enim *exteriores* hoc in loco, per metonym. adjuncti pro subjecto loco, carcerem notant, quod in eo tenebræ esse ad horrorem soleant: exteriores verò dicuntur, quod sint extra aliorum hominum, utpote in luce versantium, spatium secretæ, atque horribiles, ut adjuncta earum descriptio (nempe: *Illic erit fletus & stridor dentium*) declarat. Quibus similitudine quadam, condemnatorum hypocritarum per Angelos Dei apprehensio firma, & in infernum quasi carcerem perpetuum ac cruciatus æternos illic sustinendos dejectio explicatur: ut Christus ostendit, Matth. 13. vers. 41. 42. 49. 50. Cui etiam consentit dictum Christi de Iudæorum (filiorum regni, hoc est, Ecclesiæ, secundum quid ratione externæ vocationis,) pœna tali simili exposita, Matt. 8. vers. 11. 12. opposita prius Ecclesiæ gentium conditione felici ac beatitudine cœlesti, cum ait: *Dico vobis, multos ab occidente & oriente venturos & accubituros cum Abraham in regno cælorum: Filios vero regni ejectum iri in tenebras exteriores,* (hoc est, quæ extra regnum Dei in cœlis, erunt, ubi mera ac perpetua lux ac felicitas) *illic erit fletus ac stridor dentium.* Cæterum quia Ecclesia è gentibus collecta, occasione parabolę, de rejectione & exitio populi Judaici: & unius ex gentium Ecclesia ob vestis nuptialis defectum, condemnatione, potuisset carnis suæ tentatione contra Iudæos superbè gloriari (ut Rom. 11. malum illud Apostolus innuit, & corrigere multis studet,) quod illis essent longè præstantiores: Deindè quia verè fideles veste nuptiali induti gloriam sibi potuissent arrogare, quasi suis viribus ac virtutibus vocationem non rejecissent, sed amplexi essent, atque ita Judæis ob dignitatem essent prælati: Idcircò utrique malo Christus occurrere voluit his verbis: *Multi enim sunt vocati: pauci verò electi.* Quibus ostendit primùm, causam cur quidam ex gentium Ecclesia credituri sint in Christum eumque amplexuri, non esse, ipsorum præ Judæis præstantiam; sed Dei electionem gratuitam: qua ipsis ab æterno efficaciter vocando fidem donare & Christo unire decrevit. Ac propterea rationem nullam esse, cur de seipsis hac in re glorientur; sed de Dei gratia, quia fides non ex nobis, sed Dei donum est, Ephes. 2. v. 8. ex gratuita electione ad salutem, tanquàm medium eo destinatum à Deo, promanans, 2. Thess. 2. vers. 13. 14. 2. Tim. 1. vers. 9. unde etiam fides electorum vocatur. Tit. 1. v. 1. quod iis, non autem reprobis donetur. Deinde etsi Ecclesia gentium in Iudæorum locum successerit: non omnes tamen servatum iri: nam vocatos multos, sed ex vocatis iis paucos electos, ut per fidei & unionis Christi donum serventur. Ideoque quod de unius ex vocatis è gentibus damnatione dictum est, illud non de unico tantum homine intelligendum; sed de tota hypocritarum multitudine, sub unius exemplo adumbrata. Atque hæc de parabola nuptiarum regis, qua vocatio Judæorum & gentium, & utrique respondens eventus explicatur.

Vindicatio Sententiæ Christi, quæ habetur Matthæi cap. 23. v. 37. Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, &c.

Si quæ in Sacris literis memorabilis extet sententia, qua Semipelagiani, Pontificii & Novatores suum, de liberi arbitrii viribus, & fidei origine, errorem tueri conantur: ea imprimis est, qua Christus Matth. 23. longam impietatis Scribarum & Pharisæorum reprehensionem ac comminationem, tandem finiens, v. 37. sic ait: *Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum, qui ad te ipsam* (αὐτὴν pro σεαυτὴν) *missi sunt: quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas, & noluistis?*

Ex hoc autem loco ita argumentari solent: Si illi quos Christus se seriò convertere voluisse, atque affectu magno vocasse dicit, nihilominus tamen vocanti parere noluerunt: Ergo fidei origo non est à solo Deo vocante, & regenerante: sed etiam à libero voluntatis humanæ concursu. Atqui verum est prius, ut hæc Christi verba testantur: voluisse eum congregare Ierusalem, eos tamen noluisse. Ergo verum est & posterius.

Sed primùm, ut propositionem hoc loco non distinguamus: quia robur argumenti in assumptione consistit: eam probari ex hac Christi sententia negamus. Nec enim Christus dicit, quod illi, quos per internam Spiritus regenerantis efficaciam vocare voluit, congregari noluerint: sed tantùm quod *Jerusalem*, hoc est, primores urbis, quales fuerunt Sacerdotum principes & Doctores, Scribæ & Pharisæi, patres dicti, obstiterint, quominus Christus *ipsorum liberos*, hoc est, subditos, & discipulos congregaret: id quod tamen, invitis etiam illis, à Christo factum. Hanc enim genuinam esse sententiam, oppositio relatorum, nempe *Jerusalem*, & *liberorum illius*, ostendit. Deinde connexio cum antècedentibus, quemadmodum enim initio, reprehensionem & comminationem, adversus Scribas & Pharisæos v. 13. incepit: *væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, quoniam clauditis regnum cælorum coram hominibus: vos enim non introitis, nec in-*

troeuntes sinitis introire: sic hoc loco, eandem concludit, amplificatione quadam, ut etiam principes populi ac sacerdotes comprehendat, qui simul cum Scribis & Pharisæis, ut patres populi, impio conatu vocationem & congregationem eorum variis modis, impedire sunt conati: partim diversis & atrocibus calumniis adversus Christum, & doctrinam, & opera illius; & eos qui Christum sequebantur: partim excommunicationis terrore, quo à libera Christi cogniti confessione, & publica auditione absterruerunt.

Sed adversus hanc genuinam expositionem Novatores objiciunt: Primum, Jerusalem in nullo alio sacrarum literarum loco, sensu hoc accipi, ut primores populi notet; ideoque hoc loco non posse de iis explicari. Sed negatur consequentia: quia nititur falsa hypothesi, quasi necesse esset, ut omnes omnium vocum sacræ Scripturæ significationes, multis in locis extarent; cum contra fieri possit, ut uno tantum in loco, circumstantiis illius hoc postulantibus, usurpetur vox aliqua. Exempli gratia: *Mundi* vox Rom. 11. v. 12.15. certissimè notat gentes omnes mundi, præter Judæos, seu fidelium omnium gentium cætum: quemadmodum distinctio Judæorum incredulorum ibidem evincit. Neque alibi tamen hæc Synecdoche reperitur. Deindè Ecclesiæ vox pro primoribus Ecclesiæ, Matth. 18. vers. 17. ut circumstantiæ demonstrant, certò accipitur, (*dic Ecclesiæ*) & tamen alibi, eo sensu, in sacris literis, non observatur. Sic hoc in loco, nomen *Jerusalem*, per Metonym. incolas illius; ac deinde Synecdochicè, non omnes; sed primores eorum (inter quos etiam erant Pharisæi, & Scribæ) notat, licet eo tropo alibi non reperiatur; quod circumstantiæ hanc significationem, in hac Christi sententia flagitent; alibi verò nequaquam. Neque etiam alienum est ab usu communi, ut à civitate factum dicatur, quod à solis primoribus, seu senatu illius, ut patriæ patribus, factum. Idque amplius ex Novatorum absurda expositione confirmatur, ad quam confugere coguntur; qui vocem Jerusalem, hoc loco, accipi, pro ipsa urbe, & civitate affirmant, quæ matris instar, ut ajunt, cives & habitatores suos omnes, velut liberos, gremio & sinu suo fovebat, & complectebatur, idque probare contendunt ex Luc. 13. v. 34. ubi statim immediatè, post verba illa: *non contingit prophetam perire extra Jerusalem*, id est, extra urbem illam (quæ eo nomine vocabatur) subjunguntur hæc verba: *Ierusalem, Ierusalem &c.* Siquidem infirma est hæc consequentia: nititur enim falsa hypothesi, quasi ejusdem verbi repetitio semper eundem sensum postularet; cum contrà pro circumstantiarum ratione, sæpe diverso sensu accipiatur; quemadmodum illustria exempla demonstrant: ut Joh. 3. v. 17. *Filius hominis non venit in mundum, ut judicet mundum*: ubi in priori loco *mundus* terram: posteriori verò homines notare, apertè constat; & Rom. 2. vers. 25. 26. *Circumcisio tua, facta est præputium, si præputium jura legis servaverit, præputium illius pro circumcisione reputabitur*: ubi primo & ultimo loco *præputium* propriè: medio verò loco, metonymicè, pro præputiato (ut effecti circumstantia evincit) accipitur. Sic etiam 2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non norat peccatum, pro nobis fecit peccatum*: ubi priori loco peccatum propriè; secundò verò per Metonym. in Mose frequentissimam, hostiam pro peccato designat: ut circumstantiæ evincunt. Atque ita alia plurima in sacris literis occurrunt non minus, quam in profanis, quæ acuminis quadam specie, in eadem sententia, diversa significatione usurpantur. Quæ acceptio unius vocis repetitæ, diversa significatione etiam in hoc loco comperitur; quemadmodum 2. Chron. 35. v. 34. *Deduxerunt eum Ierusalem*, id est, in urbem, *& mortuus est, & sepultus est, in sepulchro majorum suorum; & totus Juda, & Jerusalem*, (id est, habitatores illius) *luxerunt eum.* & Matth. 2. v. 1. *Venerunt Hierosolymam*, (id est, in urbem) & v. 3. *tota Hierosolyma*, id est, habitatores urbis illius. Atque ita etiam, 1. Cor. 12. v. 12. & post v. 27. *Christi* nomen ponitur: in priori quidem; *ita & Christus*, pro Ecclesia Christi, quæ spirituale ipsius corpus, v. 27. & quidem, ut nullo alio Scripturæ loco, eo modo usurpetur: quod etiam ad solutionem objectionis primæ, ante allatæ, ac confutatæ pertinet: Posteriori verò: *Vos estis corpus Christi*: *Christi* vox propriè, de persona illius dicitur. Præterea cum Jerusalem, urbis habitatores sæpè notet, per metonym. (ut exempla modo allata à nobis docent, & 2. Reg. 18. v. 22. *Eduxit Juda & Jerusalemo*, id est, Hierosolymitanis.) Sic & hoc in loco Matth. 23. non diversa significationis species est; sed eadem significatio, ut Hierosolymitanos notet Scripturæ more: hoc tamen discrimine, quod non omnes, sed digniorem eorum partem: quia circumstantia oppositorum liberorum (id est, per metaphoram subditorum) ad patres eorum, hoc est, primores, (ut à Paulo Act. 22. v. 1. appellantur) necessariò restringit: ut in aliis vocum significationibus similiter fieri solet; ut etiam ex iis, quæ de vocis *Mundi* usu antea proposuimus, perspicitur. Quare falsa est adversariorum hypothesis, quasi ejusdem vocis repetitio semper eodem sensu fieret: ideoque malè inde colligunt: cum in hac sententia, apud Lucam, eodem sensu posita, quo apud Matth. præcedat vox *Jerusalem* pro ipsa urbe accepta, hic similiter de ea accipi. Nam circumstantiæ ratio aliter docet. Altera deindè est absurditas adversariorum, quod hac vocis Jerusalem pro ipsa urbe expositione, scopum suum, seu sententiam probandam omninò evertunt. Nam si Jerusalem significat urbem propriè, à liberis, hoc est, habitatoribus omnibus (ut volunt,) diversam: Ergo Christus de ea non ait, *Ego volui vos congregare*; quia hoc disertè de liberis ejus tantum dicitur. Deindè repugnat etiam attributis hoc loco Jerusalemi effectis, nempe nolle liberos suos à Christo congregari: id quod urbi ipsi nullo colore tribui potest: Primoribus verò optimè. Denique non urbem ipsam, sed habitatores illius homines significari, sequentia ostendunt: *Relinquetur deserta domus vestra*, quo notatur destructio ædium, quarum erant domini, quasque inhabitabant: Deindè quod Christum videbunt, & vel inviti (ut dæmones, Matth. 8. v. 29.) Christi præstantiam confitebuntur. Quæ non nisi ineptissimè ad urbis structuram inanimem referri possunt. Et in quamcunque formam se verterint adversarii, illud clarum manet, Ierusalemi liberos quos Christus voluit congregare, & Ierusalem, quæ noluit congregari, esse diversos: idque etiam adversarii, cum Ierusalem urbem exponunt, agnoscere coguntur, quia diversam à liberis agnoscunt. Ac propterea falsum est, quod concludunt, Christum hic dicere, eos quos voluit congregare, eosdem noluisse congregari. Ideoque quæcunque præterea adversarii adferunt, mera sunt effugia, aliena à scopo, nihilque probant. Quale est, quod objiciunt, hoc in loco esse prosopopæiam; sed nullo argumento idoneo probant. Et quid si ita esset, hoc tamen permaneret firmum, eosdem quos Christus voluit congregare, & qui congregationem noluerunt, esse diversos. Prosopopæiam autem frustrà ex Luc. 19. v. 41. 42. probare conantur, cum ajunt, ibi dicitur Christus, cum appropinquasset urbi Hierusalem, ea visa, flevisse, ac dixisse, *O si vel tu nosses, hoc saltem die, quæ ad pacem tuam faciunt, &c.* Verum nulla est hic prosopopæia. Nam vox *urbis* vers. 41. Synecdochice urbem cum incolis suis designat, ut attributa demonstrant: quorum pars quædam, ad incolas seu habitatores illius; pars ad urbem ipsam; pars denique ad utrosque pertinet. Nam ignorantia eorum, quæ ad pacem pertinent, ad incolas spectat, vers. 42. Dejectio in solum, ad utrumque; Primò ad urbem ipsam: secundò, ad liberos seu incolas; ut simile indicatur. Ps. 137. v. 9. & rursum lapidum destructio ad urbem ipsam refertur. Causa verò illius, Luc. 19. v. 44. est ignoratio visitationis suæ v. 43. quæ ad incolas pertinet. Atque hinc apparet, destructionem, & urbis, & populi, à populi incredulitate oriri: non autem urbi calamitatem denuntiari, Matth. 23. & Luc. 19. quasi ipsa exitii sui, & suorum esset causa. Hoc enim veritati adversatur; ac propterea vana est, quam hoc loco fingunt, prosopopæia.

Sed alia ratione, & via, ad solius gratiæ Dei efficacem perfectionem oppugnandam, & concursum liberi arbitrii, in conversione ad fidem, probandum, hoc loco abutuntur: si primores (inquiunt) urbis Jerusalem, eos quos Christus seriò, & cum proposito congregandi, id est, salvandi vocavit, impedierunt, quo minus vocationi parerent, & regni cœlestis participes fierent: Ergo cum Deus intendit seriò convertere homines, ea efficacitate gratiæ non

non utitur, qua posita non possint non converti. At verum est prius ex hoc loco. Ergò & posterius. Verum ut de propositione distinguenda in impedimentum secundum quid, & impedimentum simpliciter, nihil dicam: falsa est assumptio; quia etsi impedierunt quosdam eorum, ne publica confessione ac Christi auditione simpliciter vocationi parerent: ut Nicodemi exemplum ostendit. Ioh. 3. v. 2. & parentes cæci nati, Ioh. 9. v. 22. similiter fuerunt repressi à publica confessione: nihilominus tamen quos Christus convertere intendit, eos congregavit eis invitis; etsi eorum internæ, per fidem, ad Christum congregationis, externa patefactio, ad tempus fuerit impedita, ut Matth. 23. v. 13. *Ingredientes non sinitis introire*, hoc est, maledictis in Christum, & dehortatione, Ioh. 9. v. 16. & 10. v. 20. & excommunicatione eorum, qui ipsum confiterentur, v. 22, impedire & à fide avertere studetis. Ergò Christo volenti congregare populum, illi contra hoc noluerunt, & impedire conati sunt: & tamen Christus iis nolentibus, congregavit: ut experientia demonstrat, Joh. 9. v. 20. 21. ut etiam ipsi principes sacerdotum, & pharisæi in synedrio suo apertè agnoscere coguntur, Joh. 11. v. 48. *Si ita sinamus eum*, (*inquiunt*) *omnes credent in eum*. Quemadmodum etiam quo magis impedire conati sunt Apostolos, post Christum, ne Ecclesiam congregarent verbi sui præconio; eo magis congregata est, atque excrevit, Act. 4. v. 27. 33. & 5. v. 42. Neque illud negligendum est, hoc in loco nullum aliud effectum Jerusalemi, adversus Christum congregationem volentem, adferri, quam quod *noluerint*: ac propterea, ut impedivisse eam congregationem probent, ex hoc loco non obtinebunt.

Atque hactenus, objectionis adversariorum initio positæ, minorem falsam esse ostendimus. Deindè quid si ea esset vera, atque ita verba sonarent, *Ego volui te congregare*, *& tu noluisti congregari*: inde tamen non sequeretur, primam hominis conversionem ad fidem (seu qua homo primùm fide donatur) non fieri sola Spiritus Sancti regenerantis efficaciâ, sed etiam accedente ad eam libero voluntatis assensu: adeò ut si homo velit, credat; si nolit, non credat: Ideoque conversionem fieri, sufficiente quidem Dei gratia, non autem perficiente sola. Hæc enim mens est adversariorum genuina. Ratio autem cur hoc non sequatur, est quia ambiguitate vocis *voluntatis* abutuntur. Nam *voluntas*, aut decretum voluntatis, seu certam animi de re futura intentionem, ac propositum notat: quemadmodum Esa. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, & Ps. 115. v. 3 *Omnia quæ voluit, fecit*, & Ps. 135. v. 6. atque hac voluntatis significatione, quoscunque voluit Christus congregare, & servare, eos congregavit & servavit. Deindè vox *velle* interdum notat non decretum, seu animi de re destinata, & voluntatis propositum: sed approbationem, qua aliquid gratum habet, tanquam bonum, ut Ps. 5. v. 5. *Quia Deus non volens improbitatem*, id est, non approbans. Sic Col. 4. v. 12. *Ut sitis perfecti, & completi in omni voluntate Dei*, id est, omni obedientia, quam Deus probat, & gratam habet, & Rom. 12. v. 2. *ut probetis quæ sit voluntas Dei*, hoc est, quod Deus probat, & gratum habet. Cujus voluntatis seu approbationis boni, signum est mandatum officii, undè vulgò distinctione quadam vocis, *voluntas signi* nominatur. Sic Matt. 7. *Qui fecerit voluntatem patris mei*, & Hebr. 10. v. 9. *Ut faciam voluntatem tuam*, id est, mandatum. Atque hoc modo voluntas Dei non semper fit, sed ei frequentissimè hominum voluntas adversatur, ut Matt. 7. v. 21. Luc. 12. v. 47. Sic etiam Deus probat hominum conversionem, tanquam bonum, utpotè officium debitum, idque mandat, & gallinæ glocitantis, pullosque advocantis instar, vocat suo verbo exterius: interius verò in solis electis, fidem per Spiritum Sanctum regenerantem donando, efficaciter congregat. Atque hoc modo dici posset Christum mandasse, ac probasse, congregationem multorum, quos verbo vocavit, etsi eos efficacia interna Spiritus non congregarit.

Sed excipiunt, internam Spiritus Sancti gratiam ad fidem sufficientem, non solum iis, qui congregantur & convertuntur, dari: sed etiam iis, qui non convertuntur: quia scil. contempta gratia illa sufficiente, nolunt converti: Idque probare conantur ex Act. 7. v. 51. *duri cervice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui illi Sancto restitistis, sicut patres vestri, ita & vos*. Sed negatur consequentia: quia Spiritui Sancto resistitur bifariam. Primum exterius operanti per verbum, quo per Prophetas & Apostolos loquitur, ut Matth. 10. v. 40. *Qui vos rejicit, me rejicit*, ait Christus: Ita qui Prophetis resistit, & Apostolis, Spiritui Sancto per eos loquenti, similiter resistit, eumque rejicit. Secundò interius ratione notitiæ veritatis, per Spiritus efficaciam, menti inditæ. Priori tantùm modo quidam restiterunt: quales qui ignorantia peccarunt, ut Act. 3. v. 15. 17. Alii verò utroque modo Spiritui Sancto, & per verbum docenti, & internam notitiam veritatis donanti, contra conscientiam, impiè restiterunt; & multi eorum sine resipiscentia hoc agentes, contra Spiritum Sanctum peccarunt, quemadmodum ex Pharisæis, Matth. 12. v. 24. 31. & 21. v. 38. & 28. v. 14. 15. & Act. 4. v. 16. 17. apparet. Undè manifestè liquet, non sequi: hi Judæi (qui accusantur à Stephano. Act. 7.) restiterunt Spiritui Sancto. Ergò propriæ Spiritus Sancti, regenerationem intendentis, gratiæ restiterunt; quia de vocatione communi Spiritus Sancti ad cognitionem veritatis, accipi potest, & debet. Nam quidam tantum, hoc in loco, verbi ex instinctu Spiritus Sancti prædicationi, restiterunt, ignorantes veritatem: qualis zelus in multis Judæis fuit, de quibus Apostolus, Rom. 10. v. 2. 3. *Testor enim de ipsis; eos zelum Dei habere, sed non ex notitia. Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*. Alii verò eorum, scientes veritatem, impia contumacia ei restiterunt: ut de iis etiam quos alloquitur Stephanus, dicitur Actor. 6. v. 10. 11. *Non potuerunt resistere sapientiæ & Spiritui, quo loquebatur*: ubi *resistere* non pro adversari, propriè: sed synecdochicè, pro obsistere, & subsistere, seu superare ponitur: ut in simili loco, Luc. 21. v. 15. Restiterunt tamen Stephano propriè: ut ex subornatis ab iis falsis testibus, & ex Stephani pertractione ad tribunal ibid. liquet. Nam v. 11. additur: *Submiserunt viros, dicentes: audivimus ipsum loquentem verba blasphema, contra Mosen & Deum*. Atque hoc modo satis indicatur, cum Stephano prædicanti Euangelium, instinctu Spiritus Sancti, restiterint, hoc est, adversati sint, propterea rectè dici eos restitisse Spiritui Sancto. Atque hoc modo, cap. 7. v. 5. objicitur Judæis: *Vos semper restitistis Spiritui Sancto*. (aut potius ἀντιπίπτετε *irruitis in eum*, videl. Spiritum Sanctum, quemadmodum leones in jumentis prosternendis solent) *ut & patres vestri, sic & vos* Idque exponitur versu proximo, quod prophetis (seu à Spiritu Sancto afflatis,) adversati sint: dicitur enim *quem prophetarum non persecuti sunt patres vestri & obstiterunt eis, qui prænunciaverunt adventum hujus Justi, cujus vos nunc proditores, & trucidatores facti estis?* Quamobrem nihil ex hoc loco aliud colligi potest, quam quod in prophetas, & Christum Spiritu Sancto actos, ac veritatem docentes, ferarum more irruerint, non solum verbis contradicentes, ac maledictis impetentes, sed etiam persequentes & occidentes, ut Matth. 23. v. 34. 35. idque à quibusdam ignorantia, ut à Paulo, Actor. 7. v. 58. & 26. v. 10. & 1. Tim. 1. v. 13. ab aliis verò contra conscientiam, ex mera improbitate factum; ut modò ostendimus. Quare hinc nullo modo concludi potest, hominem, in quo Spiritus Sanctus conversionem operari sua gratia intendit, tantamque confert, quantam iis adhibet, quos convertit, nihilominus voluntate sua posse conversionem impedire: idque hoc etiam loco factum.

Nam quod regerunt, illud inde probari, quod illi Spiritui Sancto restitisse dicuntur, cujus voluntas est Sanctificatio nostri, 1. Thess. 4. v. 3. Negatur consequentia; quia homonymia ludunt. Nam *voluntas* hoc loco significat rem Deo placentem, quam approbat, ac mandat: idemque cum eo, quod vers. 1. *placere Deo*, & vers. 2. *mandatum per Dominum Jesum* dicitur; non autem significat rem, quam vult decreto, hoc est, decrevit efficere. Nec enim juvat, quod ajunt, inde probari, quia conferuntur cum patribus, quibus tribuitur illud, quod *dolore affecerint Spiritum Sanctum*. Consequentia enim infirma: quia per Metaph. quæ ἀνθρωποπάθεια vocatur, *dolore afficere*, nihil aliud est, quam ingrata

ingrata ipsi præstare, ac facere contra mandata divina, quæ voluntatis approbantis sunt signa. Atque eo modo *exacerbasse Spiritum Sanctum* dicuntur Psal. 106. v. 32. & *rebellasse Deo, & dolore affecisse Spiritum S. ejus.* Esai. 63. v. 10. quod mandatis Spiritus S. per Mosen datis, & variis Dei operibus conspectis, noluerint tamen parere. Denique quod ex Act. 7. v. 53. objiciunt, ultimum argumentum hoc, quod dicatur, non servavisse legem: illud nihil omninò probat, sed tantum dicta à nobis confirmat: quod videlicet legi, ipsis, à Deo, assistentibus Angelis, exterius latæ, non paruerint, atque ita inobedientia sua mandatis Dei restiterint. Quod autem ajunt, inde concludi, scopum fuisse, ut eam servarent; si de reprobis loquantur, falsum est; Deus enim præsciebat certò non parituros: sed scopus fuit, ut officium doceret, & peccati & reatus mortis eos convinceret, Rom. 3. v. 19. 20. Electos verò præterea (seu præter hunc usum communem) dato Spiritu regenerationis, ad obedientiam, sua lege, tanquam vitæ norma, gradatim deduceret, ut Psal. 19. & 119. copiosè traditur. Ac propterea quod ajunt, certum esse, Spiritum Sanctum à parte sua egisse id omne, quod ad conversionem illorum, & Patrum necessarium, & sufficientissimum erat, id inquam vanum est. Neque illud ex eo rectè probant, quod vi veritatis à Stephano per Spiritum Sanctum loquente fuerint convicti, Act. 7. v. 10. quia ad conversionem major requirebatur gratia: nempè cordis, hoc est, animæ circumcisio, qua caruisse hic dicuntur v. 51. non minus, quam patres eorum, Deo immorigeri, Deut. 29. v. 4. *Nondum dedit Deus Jehova mentem ad cognoscendum* (scilicet, ut oportet, vera fide, per charitatem efficaci) *& oculos ad videndum, & aures ad audiendum, usque in diem hunc* & cap. 30. v. 6. contraria promissio Euangelica idem indicat: *Circumcidet Deus tuum animum & animum seminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum.* Ideoque quod de Judæorum, à Stephano convictorum, notitia veritatis ajunt: quod eâ actione nulla major, nec excellentior à Deo fieri, nec ab homine, (salva mandati divini veritate) requiri poterat: in eo se produnt: ut & in superioribus: quod gratiam operationis divinæ, in hominis conversione, universam ac sufficientissimam, in cognitione veritatis solum statuunt: id quod apertè falsum est: quia ad conversionem ea cognitio non sufficiebat: sed præterea necessaria erat actio regenerationis per Spiritum Sanctum, seu donationis virtutis fidei, & charitatis, Ioh. 3. v. 5. & donatio Christi, ac tractio à Patre ad Christum, sine qua nemo potest ad eum venire, ac credere, Joh. 6. v. 65. 70. & contrà quicunque Christo à Patre donantur, & ad eum trahuntur, illi certò ad Christum veniunt v. 37. 40. 45. Verum objiciunt rursus: Si non potuissent hi Judæi credere sine speciali Spiritus Sancti gratia: Ergò ridicula est hæc querimonia, quod resisterent semper Spiritui Sancto: quemadmodum si cœcus reprehenderetur, quod libros sacros non legeret; & mortuus, quod non surgeret. Sed negatur Consequentia, & exempla, quæ objectant, sunt heterogenea & aliena: quia resistere Spiritui Sancto, non significat simpliciter non parere fide & obedientia Deo debita (quæ ob vitiositatem naturæ in ipsis necessaria erat, non arbitraria) sed voluntaria, liberaque improbitate, Dei verbo reluctari: quam contumaciam peculiarem contra Prophetas, potuissent coërcere. Talis enim fuit repugnantia, quæ externis corporis instrumentis: ore inprimis, & manuum opere fuit occupata, nam de veritate convicti, & conscientia movente potuissent linguam à maledictis, & manus ab injuria abstinere. Quia citra controversiam, externa illa opera in voluntatis potestate consistunt ordinariè. Ideoque alia cœci illius, & mortui objecti ab adversariis ratio. Ac propterea hi non reprehenduntur: quia hoc præstare, ut unus legat, alter per se resurgat, simpliciter illis fuit impossibile, & ad illud non fuerunt obligati; illi vero reprehensione digni, ut ante ostendimus. Verum rursus objiciunt: Si fides sit Dei regenerantis solius opus, ut ante monuimus: Ergo ineptè ea homini præscribitur. Distinguo antecedens, fides enim aut habitualis est, aut actualis. Habitualis est virtus menti inhærens, qua habiles seu idonei sumus ad credendum in Christum, quæ solius Dei donum est, qui per Spiritum sanctificantem, eam in nobis, sine nobis operatur, Eph. 2. v. 8. 10. eamque ut debitam ab hominibus rectè exigit: quia initio homines imagine Dei donati, apti erant ad omne verbum Dei credendum: sed eam potentiam vitio suo excusserunt, ideoque jure suo Deus non excidit: sed justè mandat: ut peccati, & condemnationis meritæ convincat. Actualis verò fides, est à Deo tanquam à causa principali, utpote qui virtutem fidei electis dat, qua ad actionem fidei sunt idonei, & verbo suo & ope Spiritus S. eorum animum ad actionem fidei excitat, & adjuvat: ab homine verò fideli est, tanquam à causa proxima, non quidem ex vi naturali per generationem, sed vi supernaturali per regenerationem acceptæ: ideoque solius Dei actio dici non potest, sed Dei & hominis habitu fidei donati. Nam primùm Scriptura quidem actionem credendi Deo, ut primæ causæ attribuit, à quo ea mediatè est, Phil. 1. vers. 29. *quia vobis datum est, in negotio Christi, non solum in eum credere, sed & pro eo affligi:* ubi obiter observandum, vocem ἐχαρίσθη potius vertendam, *gratis datum*, aut ut vulgatus interpres habet, *donatum*: deinde τὸ ὑπὲρ χριστοῦ, quod noster interpres reddit, *in negotio Christi*, aptius videtur, ut τὸ pro τοῦ accipiamus: quemadmodum apud Græcos valdè frequens: ut hæc sit interpretatio, *vobis gratis datum est illud, pro Christo*, h.e. ad honorem Christi, ut 2. Thes. 1. 11. 12. Deinde actio fidei etiam homini fideli tribuitur, & quidem immediatè seu proximè: non autem Deo immediatè. Deus enim non credit in homine fideli: sed virtute Dei, homo fide donatus, ipsemet credit: Ac propterea ipsi dicitur datum credere, Phil. 1. v. 29. credere autem est actio virtutis fidei. Ac propterea, sicut hæc duo, Deus & Homo, in charitatis obedientia Deo præstanda, concurrunt suo ordine: ut Phil. 2. v. 12. & 13. hæc duo connectuntur ab Apostolo, cum ait: *Cum timore, & tremore salutem vestram ipsorum conficite: Deus enim est is, qui efficit in vobis & velle, & perficere pro suo placito:* sic etiam in actionis fidei obedientia, eadem est duarum illarum causarum ratio. Deus enim ut monui, prima; homo verò proxima causa illius, statuitur in Sacris literis: quemadmodum 2. Cor. 4. v. 13. *Et quia habemus eundem Spiritum fidei; secundum illud, quod scriptum est, credidi, & ideo locutus sum; nos quoq; credidimus.* ubi fides actualis, & Spiritui, & homini fideli tribuitur, ordine distincto. Idemque in principiis Epistolarum Pauli clarè docetur, in gratiarum actione, pro Ecclesia, apud Deum: in qua hæ duæ causæ conjunguntur disertè: quemadmodum 1. Thes. 1. v. 2. & 3. *Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis*, &c. *indesinenter memorantes opus fidei vestræ & laborem Charitatis, & patientiam spei vestræ in Domino nostro Iesu Christo.* sic 2. Thess. 1. v. 3. 4 Eph. 1. vers. 15. 16. & alibi. Ac propterea Deus non est solus fidei actualis causa efficiens, sed etiam homo fidelis. Deus enim causa est remota, ut qui vires regenerando, seu per Spiritum Sanctum fidei habitum donando, ad actionem fidei simul excitat, atque adjuvat: partim carnis, Satanæ & mundi tentationes adversas coërcendo: partim verbo, & Spiritus efficacia juvando: homo verò causa est proxima: adeò ut rectè dici queat, Deum solum esse causam primam, virtutem seu habitum fidei donando: hominem verò solum esse causam proximam. Nam ut Deus solus virtutem seu habitum fidei dedit; sic homo fidelis solus credit. media verò causa primaria, est Deus, gratiâ defensionis, contra tentationes, ut ante monui, & adjumento suo: homo verò fidelis causa secundaria est, ut qui etiam, à Deo adjutus, ad actionem fidei, Euangelii meditatione, & precibus recto judicio sese excitat; quæ diligenter sunt observanda. Neque tamen, ut adversarii contendunt, primum fides actualis in voluntate residet, sed in intellectu. Nam quod Rom. 10. dicitur, *corde creditur ad salutem:* inde non sequitur voluntate credi: quia etsi vox *cordis*, interdum pro subjecti ratione, inprimis quando distinguitur ab intellectu, voluntatem notet, ut Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, & tota cogitatione tua*: per se tamen positum *cor*, metaphorice animam notat, Matt. 15. v. 19. *Ex corde enim exeunt cogitationes pravæ*, (hoc ad intellectum pertinet) *cædes, adulteria, &c.* (hæc ad voluntatem) Sic etiam Rom. 10. nomen

men cordis, ori oppositum, animam notat: & quidem secundum intellectum. Sicut etiam Esai. 6. v. 9. (quod etiam Ioh. 12. v. 40. & Act. 28. v. 27. repetitur) *cor sapiens, & intelligens*, id est, anima, secundum intellectum: Et ut Rom. 10. v. 1. *Placitum cordis mei*, animam notat vox *cordis* secundum voluntatem: sic v. 6. *ne dixeris in corde tuo*, animam secundum intellectum significat, & notat. & cap. 16. vers. 18. *blandiloquentia seducunt corda*, id est, mentem, & 2. Corinth. 4 vers. 6. *Splenduit in cordibus nostris*, (hoc est, mente nostra) *ad illuminationem cognitionis in facie Jesu Christi*. & Matth. 9. v. 4. *quid cogitatis mala in cordibus vestris*, hoc est, in mente. Deinde, neque etiam fides actualis, ut adversarii contendunt, dependet à libera voluntatis electione, quasi hominis fidelis voluntas liberè posset efficere, ut ille crederet, aut non crederet: aut etiam contrarium crederet: quia credere ab habitu credendi, seu à virtute fidei procedit certò: adeò ut si voluntas, carnis repugnantis adversus Spiritum vitio, interdum adversaretur, fidem tamen excutere non posset prorsus. Quemadmodum enim, qui scientia præditus est, conclusionibus ob demonstrationes è principiis, per se fide dignis, fidem adhibet: velit nolit, credit, veritate convictus: sic etiam fidelis luce veritatis divinæ, ac demonstratione Euangelii à Spir. Sancto illustratus, certò credit: nec fides ejus à voluntate orta est, nec ab ea prosus tolli potest, ut quæ divina revelatione nitatur.

Hisce jam expositis, quædam quæ huc etiam adducunt adversarii argumenta, strictim proponemus, & diluemus. Ac primum objiciunt locum Esai. 65. v. 2. 3. *Expandi manus meas, toto die, ad populum perversum, qui gradiuntur per viam non bonam, post cogitationes suas: ad populum qui irasci faciunt me in faciem meam semper*, unde concludunt: Ergò Deus intendit convertere hunc populum, & gratiam sufficientem ad fidem & charitatem ipsis obtulit: & tamen rebellione sua non sunt conversi. Sed negatur consequentia, nam *manus extensio* per Metaph. ab hominibus, qui aliquos seriò vocant, deductam, non internam ac sufficientem ad fidem & charitatem gratiam: sed externam prædicationem significat: qua placitum sibi pœnitentiæ officium, per Prophetas præcipit: cui non solum non paruerint: sed etiam libera ac proterva contumacia exterius rebellarint. Nam via non bona, qua gradiebantur, (ut & majores) fuit publica, variaque idololatria v. 3. 4. & 7. & profusa externorum scelerum licentia, (ut cap. 1. & 2. & aliis indicatur) & Prophetarum contemptus protervus. Qualis etiam fuit Israëlitarum, 2. Reg. 17. vers. 13. ad 18. A qua scelerum externorum licentia abstinere potuissent; eoque pœnas iis meritò comminatur. Sed speciosius objiciunt sententiam Ezech. 18. vers. 31. *abjicite à vobis omnes prævaricationis vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum. Cur enim moriemini ô Domus Israël?* unde concludunt: Deus præcipit domui Israël, ut faciant sibi cor novum; Ergò Deus solus non est causa primæ conversionis, sed homo quoque Deo subordinatus, sua voluntate libera, etiam concurrit, ut si velit convertatur: si nolit, non convertatur. Sed negatur Consequentia: quia Propheta hoc loco non agit de prima hominum à Deo omninò aversorum conversione: sed de lapsorum resipiscentia: quando fides & Charitas ad tempus impedita affectibus carnis, ac sopita, verbo Dei & auxilio Spiritus S. excitatur. Nam cordis novi effectio duplex est, prima & primam consequens. Prima est respectu initii, cum quis fidei & charitatis virtutibus prorsus carens, iis per regenerationem divinitus donatur. Quæ cordis novi effectio prima, à solo Deo est, Ezech. 36. vers. 26. *Dabo vobis*, inquit *cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, hoc est, molle ac ductile, tractanti Deo obsequens, non autem vitiosum. Alia deinde primam consequens, cordis novi effectio, est ratione incrementi illius, seu renovatio consequens, qua habitus virtutum languidi augentur ac firmantur. Cujus causa primaria est Deus, ut Jerem. 31. v. 18. 19. ab Ecclesia Israëlitica conversa dicitur: *converte me* (nempe amplius) *& convertar, quia tu es Jehova Deus meus, nam postquam conversus fuero, pœnitebit me*: sic Ps. 51. v. 12. David ait: *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum rectum innova in medio mei*: ubi non de prima, sed de secunda conversionis gratia loquitur, & animi sui non prima regeneratione, sed renovatione: Nam jam conversus erat ad Deum citra controversiam, cum hunc Psalmũ scriberet, verèque resipiscebat: & augmentum virtutum animi à Deo postulavit, quæ lapsu in homicidium, & adulterium, erant imminutæ. Secundaria verò hujus innovationis causa est homo renatus, quando exercitiis fidei, & Charitatis, hasce virtutes, Dei ope confirmat, atque auget: id quod indicat Apostolus fidelibus Ephesinis, corde novo donatis, & renatis, cum ait: Ephes. 4. v. 23. 24 *Renovari verò spiritu mentis vestræ, & induere novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est, in justitia & sanctitate veritatis*. Cujus efficiendi modum actionibus variis sanctis, describit, sequentibus. Atque ita etiam Ecclesia tempore Ezechielis prolapsa in peccata, Ezech. 18. v. 31. ad eorum abnegationem, & cordis, per bonorum operum exercitia, renovationem provocatur. Secundo respondetur, quamvis Propheta hæc de non renatis pronuntiaret, infirma tamen esset consequentia: quia non sequitur: Deus præcipit, ut cor novum sibi faciant: Ergò illud etiam possunt præstare, præcepta enim hominum officium, non autem efficaciam: seu quid debeant, non autem quid valeant, designant. Quod verò objiciunt rursus, illud pugnare cum sapientia, & justitia Dei, nempe mandare impossibilia: negamus universaliter esse verum. Nam aliquid impossibile est, aut per se, & absolutè: aut per accidens, & relatè, ad certum statum, ac tempus. Quod priori modo impossibile, sapienter & justè non præcipitur: quia ad id, quod per se & absolutè impossibile, nemo obligatur. Quod verò posteriori modo impossibile est, illud sapienter & justè præcipi potest. Quemadmodum cor novum, hoc est, purum habere, homini non per se, & absolutè impossibile est, (nam ante lapsum homo, ut ad imaginem Dei creatus, ac justitia originali donatus, illud habuit, & Deo ad tempus exhibuit) sed per accidens; nempe hominis lapsus vitio, impossibile est, in illo vitiosæ naturæ statu. Idcoque Deus jure suo exigendi cor novum, quod homini dederat, & homo suo vitio perdidit, non excidit: quocirca justè præcipit & sapienter; partim ut reprobos suæ culpæ & condemnationis justæ convincat: partim ut electos, hoc instrumento mandati, officium edoctos, interna per Spiritum sanctificatione additâ, ad officium adducat? Quare cum non-renati sint impotentiæ suæ, in novo corde sibi faciendo, authores; sequitur eos nec à culpa, nec à pæna, per eam merita, posse excusari: nec Deum, ullo modo, hoc impotentiæ hominis prætextu, insipientiæ, aut injustitiæ accusari. Sed excipiunt amplius: Impotentia illa cordis novi exhibendi contracta quidem est ab homine, merito culpæ primi lapsus: adeò ut sit causa quidem impulsiva promerens eam, sed non efficiens proximè. Deus enim ut justus judex, eam tanquam pœnam, proximè intulit, quod hominem ingratum & contumacem imagine Dei seu justitia originali donata merito privavit: unde concludunt, Deum, cum sit justissimus, non posse homini mandare, ut id faciat, ad quod faciendum ipse eum ita impotentem reddidit: & propter id punire. Verùm primùm antecedens non probant adversarii, Deum ut justum judicem ita punivisse hominem proximè ac per se: verum enim est Deum comminatum esse, *quo die comederis, morieris*: quo etiam mors spiritualis, seu privatio justitiæ originalis quasi vitæ cujusdam animæ intelligitur, ut Eph. 2. vers. 1. ea carentes *mortui in peccatis dicuntur*: sed tamen ipsemet homo peccans, eam justitiam suo lapsu violando, illam excussit: quemadmodum contra eandem, si in officio perstitisset, conservasset: adeò ut ipse homo suæ etiam pœnæ non solum fuerit causa promerens, sed etiam justo Dei judicio inferens imprudenter. Quemadmodum de gentilibus seipsos suis peccatis punientibus simile quid traditur: Rom: 1. vers. 27. Deinde quid si antecedens probare possent, consequentia tamen est falsa: quia idem diverso respectu potest simul esse peccatum in se, & pœna peccati antecedentis; sive pœna judicis Dei, (seu ab ipso in-

flicta (& culpa judicati hominis, pœnam aliam promerens: Sicut privatio in homine peccante cognitionis Dei, activè sive respectu Dei infligentis est justa pœna; Passivè verò seu quatenus homo privatus est cognitione illa quam habere debebat, & quam suo merito perdidit, est injusta culpa, ideoque pœnam aliam promerens. Quemadmodum Christus præcipit Judæis officium, Joh. 12. v. 36. *dum lucem habetis, credite in lucem, ut sitis filii lucis.* & tamen v. 37. dicitur, *non credebant in eum:* idque prædictum esse dicitur ab Esaja v. 38. *neque poterant credere*, quia v. 38. ad 42. dicitur: *Deus excæcarat oculos eorum, & corda eorum ne viderent oculis, & intelligerent corde, & converterentur, & sanaret eos:* ubi expressè quod ipsis impossibile erat, nempe credere, à Christo præcipitur, & quidem impotentiæ causa statuitur, excæcatio à Deo facta, antecedentis incredulitatis merito; & pœna consequens, ne intelligant, ne serventur, &c. Sic Deus Rom. 1. gentilium sapientes, quia notitiâ Dei à Deo acceptâ, non ad gloriam Dei erant usi, v. 18. &. 25. propterea tradidit cupiditatibus cordium ipsorum, v. 24. & fœdis affectibus. Ideoque traditio activè judicis Dei punientis, opus justum fuit: cum frænum affectuum fœdorum, & cupiditatum cordium, quo eos Deus compescebat, ab ingratis & impiis abstulit. Traditio verò passivè; qua effrænatæ sunt cupiditates pravæ, & fœdi affectus laxati, est hominis, meriti ratione, injustitia, quæ pœnam meretur; adeo ut diverso respectu idem sit pœna simul à Deo, & culpa ab homine. Hinc v. 28. hæc complexus Apostolus ait: *Et sicut non visum est eis, Deum in notitia retinere, tradidit eos Deus in mentem reprobam; ut facerent quæ minimè conveniebant.* Sic etiam 2. Thess. 2. vers. 10. 11. 12. *pro eo quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis: ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia*: ubi apertè idem, & pœna (ob veritatem non amatam) esse dicitur ratione Dei inferentis, & culpa ratione hominis eam meriti, & habentis: ac denique consequens eam pœna indicatur. Immittit autem Deus ingratis veritatis notæ contemptoribus efficaciam deceptionis; primum cum aufert donum notitiæ veritatis: deinde cum frænum providentiæ, quo deceptorem Satanam coërcebat, laxat & tentare finit. Eaque veritatis notæ privatio activè, ut à Deo est, tanquam justo judice, pœna est: passivè verò; ut in homine est ipsius vitii merito, peccatum est, utpote legi Dei repugnans. Denique præcipitur Israëlitis Deut. 6. vers. 5. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex omnibus viribus tuis*, & tamen hoc præstare erat ipsis impossibile (Rom. 8. v. 3. & Prov. 20. v. 9.) ob privationem imaginis Dei, post lapsum: nec impotentiam illam Deus adhuc ab iis abstulerat, Deut. 29. v. 4. *Nondum dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, usque in diem hunc.* Illa tamen impotentia, ac defectus amoris perfecti Dei, peccatum fuit: quia legi divinæ repugnabat; ideoque pœnam etiam merebatur. Ac propterea vanum est, quod toties adversarii inculcant, idem non posse simul & pœnam esse, & peccatum pœna dignum. Quinimo in ipsis verè fidelibus, etsi sit per donum sanctificationis imminuta illa impotentia, & inchoata obedientia illius amoris Dei, impossibilis tamen est ratione perfectionis, quam lex requirit, idque oritur ex reliquiis impotentiæ, ex privatione imaginis Dei, ob carnem repugnantem Spiritui, Galat. 5. v. 17. quam impotentiam ab homine esse, ut promerente: sic à Deo judice puniente, adversarii ipsimet agnoscere coguntur. Hanc autem residuam impotentiam esse peccatum, certò inde constat, quia legi Divinæ, Deut. 6 v. 5. contraria est. Ideoque ut stipendium peccati mors est, Rom. 6. v. ult. Deut. 27. Sic hæc impotentia licet sit primi lapsus pœna: nihilominus quatenus peccatum est, (utpote lege prohibitum, quæ contrarium mandat) suam etiam meretur pœnam: sed ea in verè fidelibus, propter Christum mediatorem, condonatur, qui nos liberat ab omnibus peccatis, 1. Joh. 1. v. 7. Quare ex hisce jam satis constare potest, mandatum illud Ezech. 18. v. 31. ad Ecclesiam Judaicam, ut cor novum sibi faciat, non probare primam cordis renovationem, non à solo Deo: sed partim etiam à libera voluntatis humanæ cooperatione oriri. Sed alium, è Joh. cap. 5. v. 34. locum objectant, *Hæc dico vobis, ut salvemini* & v. 40. *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis*, unde ita argumentantur. *Hic locus* inquiunt, *manifestè indicat, scopum Christi fuisse salvare eos, quos alloquebatur; & Secundò medium ad scopum illum assequendum, à Christo adhibitum fuisse. Tertiò eos quibus medium illud propositum fuit, potuisse velle, imò voluisse contrarium, tum medio ipsi, tum ei quod per medium illud Christus intendebat. Unde colligitur evidenter, fieri posse, ut is, quem Deus seriò salvare, & per media idonea ad salutem adducere vult, tamen non velit servari, & medium quod ad salutem ducit, amplecti.* Hæc illi.

Sed negatur antecedens, 1. Ratione primi membri. Nec enim hic scopus fuit absolutus, ut adversarii intelligunt, sed conditionalis: si crederent, ut v. 24. ejusdem cap. *qui sermonem meum audit, & credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam.* Sic Christus hoc in loco ait: *Hæc dico vobis, ut salvemini, scil. si credideritis. Nam qui non crediderit, condemnatur*, Marc. 16. Deinde secundum etiam membrum falsum est, quod ajunt à Christo ad scopum illum assequendum medium fuisse adhibitum, nempe quale adversarii intelligunt, scil. sufficiens, quod hic subdolè tacent, postea verò reponunt. Nam agnoscimus quidem externum Johannis Baptistæ, v. 33. testimonium & Christi prædicationem atque opera v. 36. fuisse medium, sed non sufficiens, ad salutem: quia interna gratia donationis fidei defuit: imò quod amplius est, etiam notitia Deitatis Christi, nam v. 18. dicitur, *quærebant Christum occidere, quod Deum diceret esse proprium suum patrem, seipsum æqualem faciens Deo*; Deindè si gratiam sufficientem Christus iis præbuisset, potuissent credere. Atqui Christus, v. 44. hoc negat; *quomodo* inquit, *potestis vos credere cum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæratis?* quo ostendit eos ex effectis, dono fidei & regenerationis esse destitutos: ideoque non posse credere, nisi renovarentur à Deo. Qua de re memorabiles sunt hæ sententiæ Christi, Joh. 3. v. 5. *Nisi quis fuerit renatus ex aqua & spiritu, &c.* & cap. 6. v. 43. & 44. *Ne murmurate inter vos, nemo potest venire ad me, &c.* & v. 64. 65. *Sunt quidam ex vobis qui non credunt &c. Propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Et rursus v. 36. 37. *Sed dixi vobis, vos vidistis me, & non creditis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & venientem non ejiciam foras.* & v. 45. *Omnis igitur, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me, &c.*

Quare adversarii falsò ex hoc loco Johan. 5. ita tandem concludunt: *Vndè necessariò sequitur, Deum aliquandò verè, & seriò intendere salutem quorundam, mediaque ad finem illum sufficientia illis largiri: & tamen non obtinere actu, & reipsa eum finem, quem per media illa obtinere intendit.* Contrà verò ex hoc loco sic ratiocinamur: Quibus Deus non dat sufficientia ad salutem media, eorum salutem, ut finem suum destinatum, non intendit Atqui Deus per filium suum Jesum Christum Ioh. 5. Judæos hosce alloquens, iis media ad salutem sufficientia non dedit: Nec enim fuerunt regenerati per Spiritum Sanctum, sine qua re nemo servari potest, Johan. 3. imò quod amplius est, non habuerunt notitiam Deitatis Christi, ut ante demonstravimus. Ergo salutem eorum ut finem suum destinatum non intendit. Adhæc, quos sciebat Christus, nec credere, nec credere posse, eorum salutem non intendit, ut finem destinatum: aliàs repugnasset sibiipsi, qui solos credentes servandos docuit ac voluit. Atqui Judæos hosce, Ioh. 5. nec credere v. 38. imò etiam incredulitate sua delectari, & nolle credere v. 40 nec posse credere, vers. 44. sciebat. Ergò eorum salutem Christus, ut finem destinatum, non intendit.

Sed rursus ad locum, Luc. 7. v. 30. confugiunt. *Pharisæi & Legis Interpretes aspernati sunt consilium Dei contra semetipsos, non baptizati à Johanne.* Verùm inde probari non potest, uti statuunt, Deum hunc finem intendisse, ut hi Pharisæi per Joannem resipiscerent; & media sufficientia ad salutarem resipiscentiam ipsis dedisse. Neque etiam *consilium* hic impropriè, propositum Dei de fine designat, ut falsò

falsò statuunt adversarii: sed propriè mandatum Dei, per Johannem propositum, quo resipiscentiam & baptismum prædicavit, ac consuluit, argumento ab utili, remissione peccatorum, Marc. 1. v. 4. & à necessario ex hypothesi, ad fugam exitii, Matth. 3. v. 8. & 10. atque ita rejecerunt, uti dicitur, consilium Dei per Johannem. Idque indicatur etiam cum additur *non baptizati à Johanne.* Quæ propria vocis *consilii* significatio in sacris literis frequens observatur; Quemadmodum Paulus dicit Act 20. *Sese annunciasse omne Dei consilium*: quo non æternum Dei decretum sed doctrinam divinam intelligit, quæ officium præcipit, ac suadet. Et Apoc. 3. v. 18. *Consulo tibi, ut emas tibi aurum, igne exploratum, ut ditescas*, & Prov. 1. v. 24. 25. *quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non est attendens: & amovistis omne consilium meum, & increpationem meam.* Ubi etiam consilii vox mandata ac doctrinam apertè notat. & v. 30. *Non voluerunt consilium meum, spreverunt omnem increpationem meam.* Ea autem voce *consilii Dei*, indicatur, rem, quam mandat, & consulit esse bonam in se, & eam velle Deum voluntate approbante, ut bonum ac debitum sibi officium: non autem velle semper voluntate propositi, finis, ac decreti. Hæc enim decreti voluntas, semper fit, Esa. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, &c.* Ideoque consilium illud irritum fieri non potest: Sed executioni mandatur. Quem enim finem sibi Deus proponit ac decernit: illum assequitur: quia omniscius, ac sapiens, & omnipotens; ac propterea si hic finis fuisset Deo propositus, vocando Pharisæos hosce per Johannem, quos præsciebat certò vocationem contempturos: neque hic fuisset finis, ut eos officium doceret, & simul contumaciæ convinceret, sed ut adversarii volunt, ut resipiscerent: Ergò sequetur, Deum insipienter sibi aliquid proposuisse: quia omninò frustra: Id autem absurdum, & sapientiæ illius adversum.

Verum unum superest argumentum, quod objiciunt, ab absurdo uti putant, deductum, idque fortius stringere gloriantur, hoc modo: Qui non poterant non, propter impotentiam (ex sola Dei punitione sibi inhærentem) aspernari prædicationem externam, illi ex illa rejectione pœnam aliquam graviorem attrahere non poterant: At hi non poterant non aspernari externam prædicationem, propter impotentiam ex punitione divina inhærentem: Ergò illi ex illa rejectione pœnam aliquam graviorem attrahere non poterant. Sed negamus propositionem. Nam quod ajunt, *Major clara est, quia pœna pœnam non meretur:* verum est, scil. quatenus pœna est à Deo inferente: sed quatenus in homine promerente est culpa, pœnam meretur consequentem; quia est defectus, legi divinæ, de perfecta obedientia præstanda à nobis, repugnans. Quod autem addunt: *nec actus punitionem necessariò consequens, novum reatum potest inducere*; illud apertè jam antea allatis Scripturæ testimoniis perspicuis confutavimus. Nam Joh. 12. v. 39. & 40. Judæi non poterant credere; quia Deus eorum oculos justè excœcaverat, & tamen exitio puniuntur: & rejectioni Christi hanc pœnam consecutæ, eorum vitio, pœnam minatur, v. 48. *ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, qui rejicit me* (ubi eadem vox quæ in objecto loco, Luc. 7. 30) *& non recipit sermones meos, habet judicantem ipsum; sermo quem ego locutus sum, ille judicabit eum ultimo die.* Deinde assumptio etiam non est simpliciter vera. Nam ἀθέτησις rejectio seu aspernatio prædicationis externæ est duplex: una privativa, alia contraria. Privativa, cum quis non obedit cum obedire deberet: sed tamen se ei non opponit, facto contrario exteriori. Priori modo prædicatio à nonnullis rejicitur, cum eam audire negligunt; aut si audiant, non ex animo parent: quales fuerunt Capernaitæ, Joh. 6. Posteriori verò, cum prædicatio odiosè rejicitur, idque vel zelo imprudenti, Rom. 10. v. 1. vel impudenti malitia, qua prædicationem audire, & examinare ad Dei verbum nolunt, eamque prohibere, & alios ab auditione absterrere conantur: quales fuerunt hi Judæi: qui etsi privati erant post lapsum potentia credendi, vera fide, prædicationi Iohannis, & salutari resipiscentia parendi: habebant tamen potentiam naturalem accedendi Iohannem, & prædicationem illius audiendi, & ad sacras literas sibi concreditas, & familiares, examinandi, & petendi à Iohanne explicationem: denique potentiam compescendi linguam à maledictis; qua tamen potentia quam habebant, ex mera ac voluntaria malitia uti noluerunt, cum possent. Ideoque ut fidei vivæ privatione merebantur pœnam æternam: sic accessione voluntariæ suæ contumaciæ pœnam graviorem sunt promeriti, eoque nomine à Christo etiam reprehenduntur, quod consilium Dei, hoc est, mandatum illius, per Iohannem Baptistam, malitiosè rejecerint Nam ipsi baptismum Iohannis publicè reprehenderunt, Ioh. 1. vers. 21. & austeritatis vitæ illius sanctæ occasione, dixerunt, *habet dæmonium*, Luc. 7. v. 33. Ac propterea falsum esse apparet, quod adversarii, eos publicè & palam Iohannis baptisma, sive doctrinam, quam baptizando repræsentabat, improbasse, & sic quantum in se esset, annihilasse, constare, audacter negant. Nam quamvis, ut objiciunt, Matt. 21. vers. 25. in templo, rogati, à Christo, de baptismo Iohannis, utrum è cœlo an ex hominibus esset, non ausi fuerint dicere, ex hominibus esse, metu populi: Inde tamen non sequitur, nunquam ausos fuisse Johannis baptismum publicè improbare: cum & publico neglectu anditionis illius, atque reprehensione, & impio maledicto ipsum impetierint, ut modo ostendimus: & Matth. 9. v. 11. 18. idem declaratur.

Quod autem diu postea in templo non ausi fuerint similiter maledicere, metu populi, ut objiciunt: ratio differentiæ est evidens: quia tum temporis populus Christum audiens, ab eo pendebat, hoc est, totus ei erat addictus Ideoque cum Christum perdere studerent Pharisæi, impediti sunt, Luc. 19. v. 47. 48. Sic cap 20. similiter populum, Christum avidè audientem & Iohannis observantem, metuebant. Nam v. 6. dicitur, *si dixerimus. Ex hominibus, universus populus lapidabit nos; persuasus enim est Joannem esse Prophetam.* Quemadmodum postea cum Christo manus injicere vellent, v. 19. metu populi illius, abstinuisse dicuntur. Non mirum est igitur, non metuisse antea Iohanni maledicere, ubi inter sibi addictos, aut omninò, aut partim sine eo periculo versati sint; cum pro circumstantiis, aliter, atque aliter affecti fuerint, ut Matth. 22. v. 34. 35. Pharisæi primum tentarunt Christum sua quæstione: sed solutione data, & alia à Christo quæstione proposita ipsis, cui respondere nequibant, non sunt ausi eum amplius interrogare, vers. 46.

Verum inquiunt, si *consilii* vox hoc loco, Luc. 7. propriè acciperetur, tum aliquid boni ex eo ad Pharisæos potuisset provenire: Atqui non potuit ex nostrorum, ut contendunt, sententia. Ergo consilium propriè non intelligitur. Sed negatur assumptio: Hoc enim potuisset bonum ad eos provenire, ut si voluissent, ut poterant, externam præstitissent obedientiam; & ita pœnæ eorum fuissent minores; quemadmodum contra voluntariâ ipsorum contumaciâ, auctis peccatis, pœnæ factæ sunt majores. Ac propterea adversariorum argumentum non stringit, nec solutionem allatam infirmat.

Quamobrem aliud jam examinandum est argumentum ex Esa. 5. cujus vim tantam esse gloriantur, ut illud judicent irrefragabile. Cujus hæc summa est: Si Deus Judæis omnia adhibuit necessaria auxilia, eo fine, ut pietatis & justitiæ officia præstarent, & tamen Judæi ea non præstiterint; ergo gratiæ suæ operationibus, conversionem Judæorum, non operatus est, (ut loquuntur) irresistibiliter. Atqui Deus Judæis omnia adhibuit necessaria auxilia, eo fine, ut pietatis & justitiæ officia præstarent: Ergò Deus non peregit gratiæ suæ operationibus conversionem Iudæorum irresistibiliter. Sed primum in hac argumentatione est stupenda ignoratio Elenchi; quia consequens propositionis quod deinde concludunt, ad rem non facit: nec enim contradicit nostræ sententiæ; imò idem sentimus, nec aliter sentire vel stupidissimus potest: quia apertè Esajas testatur, Judæos non fuisse conversos; ideoque Deum conversionem in iis non peregisse. Conclusio autem hæc esse debebat, aut ejusdem sententiæ: Ergò Deus, primæ conversionis hominum, ad vivam fidem & charitatem, non solus est causa: sed ad

sed ad eam voluntatis (quæ gratiam amplecti aut rejicere potest) libera electio accedens requiritur. Deinde fallacia est homonymiæ medii termini. Nam officia pietatis, & justitiæ in propositione sumuntur simpliciter, ratione obedientiæ internæ, simul & externæ; in assumptione verò secundum quid, ratione externæ obedientiæ; de qua Propheta ait, qui aperta Iudæorum illorum peccata, idololatriam, ebrietatem, comminationum divinarum illusionem, proximi variis injuriis oppressionem reprehendit, à quibus abstinere potuissent; & à Deo variis, in conservatione Reipublicæ & Ecclesiæ, beneficiis corporalibus affecti, & verbo Dei de voluntate illius edocti, & ad officium, hortationum, promissionum & comminationum stimulis excitati, potuissent publicam pietatis & justitiæ disciplinam exercere; quod cum non fecerint, sed ingrata & contumaci malitia in sceleribus illis perdurarint; minatur Deus publicas pœnas: quas Deus interminatus omittere solet, cum ad cognitionem miseriæ suæ, & externam ac publicam contumacium scelerum confessionem, & omissionem, adducuntur, quemadmodum exemplis Israëlitarum, Psalm. 78. v. 39. & Achabi, 1. Reg. 21. v. 26. ad finem usque apparet. Talem etiam conversionem publicam potuissent præstare Judæi hoc loco: & ad illam sufficientia media collata ipsis divinitus fuerant, quibus adjuti parere, & pœnas externas & temporales (de quibus Propheta Esaias agit. v. 5. & 6. & 13. & 15. 26.) evitare. Quod autem contendunt adversarii media ad primam, & salutarem conversionem, & ad internam & externam pietatem præstandam sufficientia (hoc est, ut ipsimet definiunt necessaria) Judæis esse præstita, illud probare conantur.

Primùm, quia eam Deus exspectavit, & speravit. Imò de ea (inquam) non agitur: Sed de publica populi disciplina, & conversione à publica scelerum licentia. Deinde expectatio quæ Deo hoc loco tribuitur, non denotat spem propriè: sed Dei patientiam in toleranda populi contumacia; qua tempore dato, ad resipiscentiam provocavit, ut Rom. 2. v. 4. 5. Nam Deus omniscius præscivit, certissimè fore, ut hi Judæi non converterentur: Ideoque non expectavit conversionem eam, sperando; quia affectus non cadunt in Deum: Deinde quia spes fuisset non solum vana; sed etiam cum præscientia vanitatis conjuncta: quæ omnia indignissima Deo. Quare quod in ea expectatione vim argumenti sitam esse asserunt, inde imbecillitas ejus constat.

Sed addunt secundò, in eo etiam robur argumenti consistere, quod Deus de Judæis conqueritur, & eo nomine pœnas populo suo denuntiat. Sed indè non sequitur: Ergò potuerunt internam & salutarem non minus, quam externam obedientiam præstare; quia de externa & publica imprimis obedientia, ad externas publicasque pœnas evitandas, hic agitur.

Sed tertium urgent, quod dicatur, *quid erat faciendum vineæ meæ, quod non fecerim ei?* Ergò, inquiunt, omnia ad salutarem conversionem necessaria, & bonos fructus internos non minus quam externos proferendos præstitit. Verùm solutio duplex. 1. Negatione antecedentis, quia textus Hebræus est propriè sic reddendus: *quid faciendum vineæ meæ?* ut ipsi adversarii coguntur agnoscere, non autem *faciendum erat*, de præterito, sed de futuro. Nam vox עוד quæ sequitur, accipi potest, non solum pro *amplius:* sed etiam (ut rursus adversarii agnoscunt) pro *deinceps*, & ita accipi oportere hoc loco, ostendit quæstionis, & responsionis convenientia. Nam postquam per parabolam beneficia Dei, & ingrata maleficia Judæorum proposuit, ad Judæorum (quos mutato nomine descripserat) judicium provocat, ac postulat, vers. 3. & quæstionem proponit, vers. 4. *quid faciendum deinceps vineæ meæ?* ac v. 5. Responsionem ipse Deus subjicit, cum ait: *Nunc ostendam vobis, quid ego facturus sum vineæ meæ?* Similis locus extat Matth. 21. in parabola agricolarum improborum, quibus paterfamilias vineam suam, sepe munitam elocarat; de quibus quærit Dominus noster Jesus Christus, vers. 20. *Cum igitur venerit Dominus vineæ, quid facturus est argricolis istis? dicunt ei,* (Pharisæi) *malos male perdet.* Eoque modo parabolam de se, mutato nomine, narratam, ignorantes, seipsos condemnarunt imprudentes: ut David audita Nathanis de ipso dicta, sed non intellecta parabola, 2. Sam. 12. v. 5. 7. Hic verò Deus, in hac prophetia, parabola narratâ & quæstione habitatoribus Jerusalem, & Judæis reliquis proposita, ipsemet respondet, de eo quod facturus erat, non quod fecerat. Sed tria objiciunt adversarii. Primò non esse verisimile judicium Judæorum postulari, super re ipsis ignota, & quam Deus illis postmodum notam fecit, sc. se punire velle: Secundò quia verba hoc non videntur ferre: quia additur immediatè, *& non feci ei.* Tertò, quia post quæstionem illam immediatè repetitur querela de non editis fructibus, vers. 2. proposita: idque per voculam מדוע *quare*, ut justam querelam ostendat. Sed respondemus ad primam objectionem, non quæri judicium de re ignota Judæis: Nam ex parabola beneficii Dei, & maleficii Vineæ, satis nosse poterant, quid faciendum esset Deo justo judici: quemadmodum Judæi in simili quæstione, Matth. 21. (*Quid facturus est agricolis istis?*) cognoverunt. Idque eo magis his Judæis notum esse potuit, quia additur, *& non feci ei*, quo ostendit Deus, se non consuetas pœnas, sed insolitam ruinam illaturum, cùm sc. per Chaldæos inprimis vastavit regionem, & urbem Jerusalem, & populum captivum in Chaldæam transtulit: quod ita factum antea non erat universo populo. Et ne fortè diceretur à Judæis, ut adhuc expectaret ad tempus, dum vinea uvas ferret: quemadmodum Domino vineæ, dicenti ad vinitorem, ut ficum quæ fructum non tulerat, exscinderet, vinitor respondens petiit, ut eo adhuc anno eam permitteret, donec fodisset circa eam, & fimum adjecisset, ut nisi tum fructum ferret, eam exscinderet, Luc. 13. v. 6. ad 9. ne quid inquam hoc loco simile judicaretur, Deus per ἀνθρωποπάθειαν, seu per Metaphor. ab hominibus rei alicujus pœnitentibus deductam, ut Gen. 6. v. 6. conqueritur, quasi nimis diu expectasset, scil. ratione meriti Judæorum, cum ait: *quare expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ideoque post longam patientiam contumaciâ improbâ læsam, expectationi non esse locum ostendit: quare ipsemet ad quæstionem respondet, & quid deinceps facturus sit, indicat. Quamobrem exceptiones illæ tres objectæ solutionem allatam, qua antecedens negavimus, non infirmant. Secundò etiamsi antecedens esset certum: ac Deus per Esaiam dixisset, *quid faciendum erat amplius vineæ meæ, & non feci ei?* ac de beneficiis præteritis ageretur: consequentia tamen esset infirma, quam inde deducunt. Nec enim, ut ante ostendimus, hic agitur de prima conversione salutari, interna simul & externa, deque mediis omnibus ad eam necessariis; sed de publica atque externa (ad publicas & externas pœnas vitandas) conversione, ab idolatria, aperto verbi Dei contemptu, ebrietate, & proximi per varias injurias oppressione, ut sequentia demonstrant: ad quam publicam conversionem ipsos Deus, multis beneficiis in eos collatis, idoneos reddiderat: illi tamen voluntaria contumacia, in primis illis sceleribus perdurarunt. Deum autem non omnia hisce Judæis lapsis, & contumacibus tribuisse necessaria media, ad salutarem conversionem, seu vivam fidem & charitatem, inde constat; quod eos per Spiritum Sanctum non regeneraverat; nec cor lapideum ab eis abstulerat, neque cor carneum, (hoc est, molle, ac Deo cedens, atque obtemperans) dederat; quod tamen ad salutarem conversionem medium erat necessarium, Ioh. 3. v. 5. 6. Ez. 36. v. 25. 26. Eph. 2. v. 10. *Nam quicunque natus est ex Deo, non facit peccatum,* (scil. dominans) *quia semen ejus* (scil. Dei) *manet in ipso, & non potest peccare, quia ex Deo natus est*, 1. Ioh. 3. v. 9. Sed Iudæi contumaces, qui Esa. 5. arguuntur ac describuntur, potuerunt peccare, ac se peccatis mancipare, atque revera manciparunt. Ergo non fuerunt ex Deo nati. Item: quicunque natus est ex Deo, vincit mundum sua fide, 1. Ioh. 5. vers. 4. Atqui hi Iudæi non vicerunt mundum sua fide: Ergo non fuerunt ex Deo nati; ideoque non habuerunt tum omnia media necessaria ad salutarem conversionem, & internos externosque fructus bonos proferendos; sed quantum ad scelerum suorum cognitionem,

nem, & externam obedientiam (quæ etiam in non renatos cadit,) sufficiebat. Denique, etsi sermo hic esset, non solum de externis publicisque, sed etiam de internis fructibus bonis proferendis, & simul etiam Deus dixisset, quid faciendum erat amplius vineæ meæ & non feci in ea? inde tamen non sequitur, Deum Judæis lapsis omnia media necessaria, (ut adversarii volunt) ad bonos fructus internos externosque proferendos, tùm contulisse: sed quantum ad gratuita Dei beneficia demonstranda, & ingratam Judæorum malitiam convincendam, justèque puniendam, sufficiebat: quia primum Deus initiò eos, (ut & universum genus humanum) in Adamo sic creârat, cum vera sanctitate, ac justitia habituali, ut tum possent bonos omninò fructus proferre: sed eam potentiam sui lapsus culpa excusserunt. Deinde etsi non potuerint post lapsum edere fructus bonos internos, ex viva in Deum fide, & charitate promanantes; quia non erant renati; potuerunt tamen edere fructus bonos secundum quid, ratione externi cultus Dei, & justitiæ externæ: provocati Dei beneficiis, primum Ecclesiasticis, vocatione externa ad Ecclesiam, per veram, de Deo, & officio hominum erga Deum, doctrinam, & per stimulos, ad officium præstandum, nempè per promissiones & minas varias Prophetarum: Secundò beneficiis politicis, per constitutionem, conservationem, & locupletationem Reipublicæ in terra divinitus data, admirandam: quibus beneficiis adjutæ etiam profanæ gentes, ad externam obedientiam potuissent adduci: ut vel Ninivitarum exemplum testatur. Ideoque merè fuit voluntaria Judæorum malitia, quod externos illos fructus non ediderint: justeque Deus eos potuit accusare ac punire, non solum, quod internis bonis, per excussionem imaginis Dei, seu justitiæ originalis, carerent, ex vitio, per primum peccatum, in Adamo contracto: sed etiam quod exterius fructibus bonis fuerint destituti, quos tamen illis Dei beneficiis affecti, potuissent proferre: Proferre autem voluntaria contumacia noluerunt.

Verùm postrema superest adversariorum objectio duplex, qua hanc responsionem elevare conantur; quarum prima fidem spectat hoc modo: Quas vires (inquiunt) Adamus à Deo ante lapsum non accepit, eas lapsu suo non amisit: ideoque neque posteri ipsius in ipso. Atqui vires credendi in Christum, Adamus à Deo ante lapsum non accepit; Ergò etiam eas non amisit, ac propterea neque posteri illius in ipso. Propositionem veram esse agnoscimus, sed falsa est assumptio. Nam quod ajunt Christum redemptorem ipsi tunc fuisse omninò ignotum: quia primùm post lapsum revelatus est; ideoque non potuisse credere in Christum: Damus, non potuisse actu credere ante revelationem: habuit tamen potentiam, quâ, si Christus fuisset ipsi verbo Dei revelatus (ut hominibus lapsis contigit) haud dubiè credidisset. Nam quemadmodum Deus Abrahamo futuram posterorum post aliquot annorum centurias, servitutem miserrimam, & secuturam tandem per Dei gratiam liberationem, patefecit, Genes. 15. v. 13. 14. Cui Abrahamus fidem adhibuit: Sic etiam, si Deo placuisset, Adamo revelare, fore ut laberetur in peccatum, & mortis reatum; & deinde fore, ut filium daret redemtorem, omnibus verè in ipsum credentibus, Deo credidisset: quia imagine Dei donatus, & vitii omnis expers, omne Dei verbum sibi revelatum potuit credere. Ideoque ut dixi, si Deus ei revelasset futurum ipsius lapsum, ac miseriam, & secuturam per Christum redemptionem, potuisset sanè credere: Ac quamvis actu non crediderit: non propterea tamen potentia illius (ut objiciunt) fuit frustrà: quia ut illa in actum deduceretur, (pro potentiarum natura,) requirebatur objecta revelatio Christi; quemadmodum visu præditus habet potentiam videndi omne subjectum visibile, & per consequens regem quoque Persarum, etiamsi actu nunquam videat. Nec tamen frustra est ea potentia videndi; primùm quia ea non ad illud tantum objectum restringitur: sed ad omnia visibilia objecta extenditur, quorum quædam etiam percipit. Deinde, quia ut ad actum suum ea potentia deducatur, objecti visibilis præsentia requiritur. Sic etiam Adam ante lapsum habuit potentiam, seu vires credendi omni verbo Dei, tàm de Deo creatore, quam de Deo per Christum redemptore: quorum prius quidem ei fuit revelatum, atque ita actu credidit: posterius verò ante lapsum non fuit revelatum: ideoque actu non credidit: Idque non ob defectum potentiæ credendi: sed propter absentiam objectæ revelationis Christi, per verbum, quæ necessaria erat, ut potentia illa in actum deduceretur.

Atque hæc ad primam objectionem contra amissam in Adamo credendi potentiam. Altera verò, contra amissionem virium, & potentiæ à peccatis resipiscendi, objectio, cui plurimum fidunt adversarii, hæc est: Quod Adam à Deo ante lapsum non accepit, illud suo lapsu non amisit; atqui vires, quibus à peccatis potuisset resipiscere, ante lapsum à Deo non accepit; Ergò eas lapsu non amisit; & per consequens neque posteri in illo. Propositio certa est: Assumptionem autem eo probant; quia si Adam eas vires accepisset, non opus habuisset novis post lapsum viribus, ut resipisceret. Verum negatur Assumptio, & probationis consequentia: quia vires tales accepit, quibus servatis potuisset resipiscere; sed lapsu eas amisit, cùm originalis justitiæ habitu, (quo manente, potuisset ab actuali lapsu resipiscere,) privatus est: ideoque nova Dei gratia ad resipiscentiam requirebatur. Quare hoc loco Esa. 5. satis perspicuè, uti speramus, adversus abusum adversariorum vindicato, ad alium procedamus.

Nam novum argumentum desumunt ex Ezech. 12. v. 2. *Fili hominis, in medio domus rebellis habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, aures ad audiendum, sed non audiunt; quia domus rebellis sunt.* Undè sic colligunt: Si fieri potest, ut Deo nos ad conversionem vocante, habeamus quidem aures ad audiendum, tamen ex inobedientia non audiamus: oculos habeamus ad videndum & tamen non videamus: consequens est, conversionem non fieri à Deo in nobis, per vim irresistibilem. At illud fieri potest fitque reipsâ. Ergò conversio non efficitur per vim irresistibilem. Verum priusquam respondeamus, observandum est in conclusione omissum, *in nobis*: Deinde obscuritate captata, statum quæstionis involvunt, cum vim irresistibilem ponunt, pro actione Dei omnipotente, quæ non solùm ad conversionem salutarem sufficit, sed eandem etiam potenter efficit, ut Eph. 1. v. 19. 20. dicitur. *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius, in nobis, qui credimus, pro operatione fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo, cum excitavit eum ex mortuis. Resistere* enim, (eoque & *irresistibile*) bifariam accipi potest; vel propriè, ut adversari notet generatim, etiamsi eum, cui quis adversatur, non superet, ut Act. 13. vers. 7. 8. quærenti Sergio audire sermonem Dei à Paulo & Barnaba, restitit iis Elymas; sed conatu irrito, vers. 12. ut & 2. Tim. 3. vers. 8. Deinde resistere per synecdoch. speciatim notat resistendo superare, atque impedire, ut Luc. 21. v. 15. Act. 6. v. 10. Rom. 9. v. 19. Deinde ambiguitas est, in voce *nos*. Nam aut potest referri ea vox ad fideles, qui revera jam conversi sunt: aut ad homines indefinitè. Priori modo si accipiatur, assumptio erit falsa: nec enim de fidelibus agitur à Propheta, qui convertuntur. sed de infidelibus qui non convertuntur. Sin vero secundo modo accipiatur, negatur propositio: Secundo autem modo accipi, exponunt tandem adversarii: *Nos*, inquiunt, *contendimus, multos, quos interna actione ad conversionem Spiritus vocat, & disponit, hoc est, in quibus internè, ut se convertant, operatur, posse, nolle se convertere; adeoque etiam posse actu non converti: quia hic de Israëlitis dicitur, quod aures ad audiendum acceperint, ut se converterent, audire tamen, & videre noluerint.* Hæc illi: quo sensu falsa est propositio. Nam quamvis multi ad conversionem vocentur, & aures habeant ad audiendum, & tamen non audiant; non propterea tamen sequitur, conversionem non fieri in iis, qui convertuntur, omnipotente Dei actione, & ut loquuntur, per vim irresistibilem: quia plura ad conversionem sunt necessaria, & plura à Deo adhibentur in iis, quos convertit, quem vocatio, & orta inde attentio & intelligentia, quæ auditu & visu hic notantur: quia præterea requiritur regeneratio, seu donatio cordis novi, & ablatio cordis lapidei: ut

dei: ut in superioris objectionis solutione demonstravimus. Sed excipiunt adversarii: oculos habere ad videndum, aures ad audiendum, gratiam regenerationis ac conversionis, qua possunt converti, significat: ut etiam nostri exponunt, Deut. 29. v. 4. *Sed non dedit vobis Iehovah cor ad sciendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum usque ad hunc diem.* Sic etiam Ezech. 12. accipi debere contendunt. Verum respondemus non sequi: quia phrasis eadem quidem est, sed sensus diversus ob diversas loci circumstantias. Nam Deut. 29. Verba illa non possunt accipi propriè, de attendendi & intelligendi potentia, atque scientia simpliciter: sed synecdochicè, de ea auditione, visione, ac notitia, quæ conjuncta cum vera fidei, & charitatis obedientia: nam præcedentia hoc demonstrant, v. 2. & 3. *Vos vidistis omnia, quæ fecit Jehova ante oculos vestros, in terra Ægypti, probationes illas maximas, quas viderunt oculi tui, signa & prodigia illa maxima.* quibus proximè subjungitur: *Sed non dedit vobis Deus, &c.* Similia etiam loca de visu, & auditu operum, & verborum Dei extant, Deut. 4. v. 2. 9. 11. & 7. v. 18. & Exod. 19. v. 16. & 20. v. 19. Ac propterea non propriè, sed synecdochicè verba Mosis, Deut. 29. accipienda esse, res ipsa demonstrat. Hoc vero loco Ezech. 12. v. 2. alia ratio est, quia de visione, & auditione, cum obedientia conjuncta, intelligi non posse liquet: quia vocantur disertè rebelles. Ideoque oculos ad videndum, & aures ad audiendum habere nihil aliud hic notat, quam ex institutione verbi, facultatem habere ad audiendum illud, attentè, atque intelligendum officium: sed tamen contumaciter, ac contra conscientiam rebellarunt; quemadmodum iis exprobratur, Ezech. 3. v. 7. *Domus Israel non cupit audire te, quia ipsi non cupiunt audire me. Nam tota domus Israel duri fronte, & duro corde sunt*, & cap. 5. v. 6. *Mutavit judicia mea in improbitatem, magis quam gentes, & statuta mea magis quam terræ, quæ in circuitibus ejus sunt, quia judicia mea reprobaverunt, & in statutis meis non ambularunt.*

Sed quod dicimus, ad rectam obedientiam, & fructus resipiscentiæ bonos proferendos, requiri regenerationis gratiam, qua Deus det cor novum; objiciunt: talem nihilominus posse non ambulare in statutis Dei. *Quando enim dicitur.* Ezech. 11. v. 19. *Deum daturum eis cor, ut in statutis ejus ambulent: explicandum, ut finis tantum dationis exprimatur: ut autem eum finem certò obtineat, Deum omnipotente actione effecturum, id verò non dicitur.* Hæc illi. Verum in hac exceptione, adversarii, in angustias redacti, insignem produnt immodestiam; & quod aures habeant ad audiendum, sed audire recusent Scripturæ sententiam: siquidem ex prophetæ verbis apparet, obedientiam non tantum ut finem: (quemadmodum asserunt) sed etiam ut effectum Dei, ex novo corde secuturum, denotari: idque probatur primùm ex verbis antecedentibus, præcedente v. 18. *amovebunt*, (inquit) *omnia detestabilia ejus, omnesque abominationes ejus ab ea.* Quibus verbis ambulaturos in statutis Dei, prædicitur. Causa autem hujus effecti ita describitur vers. proximo 19. de quo inter nos agitur. *Nam*, inquit, *Dabo ipsis cor unum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & amovebo cor lapideum à carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in statutis meis ambulent, & judicia mea custodiant, & faciant ea; & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus*; Ideoque conjunctio illa, *ut*, eventum & effectum denotat, ut aliàs solet, 2. Cor. 1. v. 17. & 7. v. 9. Apoc. 8. v. 12. quia causa redditur præcedentis, ac propositæ vers. 18. obedientiæ. Idem secundò patet ex hoc vers. 19. Nam in illis quibus Deus dat cor novum, & Spiritum novum, & amovet cor lapideum, & dat cor carneum, hoc est, molle, in illis inquam efficit certò obedientiam. Nam sublata causa, tollitur effectus. Causa autem cur obedientiam multi vocati non præstent, sed sint rebelles: est cordis eorum duritia: qualis fuit in Judæis, quod Ezech. cap. 12. v. 2. (de quo disceptatur inter nos, & adversarios) Deus perstringit. & cap. 2. v. 3. 4. 5 *mitto ego te ad filios Israelis* (sic Judæos intelligit hoc loco,) *ad gentes rebelles, quæ rebellarunt contra me, qui ut patres ipsorum defecerunt à me, usque ad hunc ipsum diem; & ad filios duros facie, & obfirmatos corde ego mitto*, & cap. 3. vers. 7. *Domus Israel non volunt audire te, quia non volunt audire me:* Ecce inobedientiam eorum indicat Deus; causam verò declarat proximis verbis, *quia tota domus Israelis, sunt obfirmati fronte & duri corde.* Præterea idem etiam probatur ex connexa promissione: quorum enim Deus est Deus, & quos Deus pro suo populo, regenerans agnoscit, illi non sunt rebelles; sed obedientes, & Deo grati ac peccatorum eorum non recordatur amplius, Jer. 31. v. 31. ad 35. & Heb. 8. vers. 10. 11. 12. At omnes illi quibus Deus dat Spiritum novum, & cor carneum, eorum etiam Deus est, & illos Deus pro suo populo agnoscit. Ergo, illi non sunt rebelles sed obedientes, & Deo grati, ac peccatorum eorum non recordatur amplius. Ideoque illa verba, *ut in præceptis meis ambulent*, non finem tantum: sed effectum Dei eventurum notant. Idem denique clarissimè Ez. cap. 36. (ubi eandem omninò promissionem Israelitis, hoc est, Judæis factam repetit,) demonstrat, vers. 25. 26. 27. 28. *Et aspergam super vos aquas mundas, & mundabimini* וטהרתם *ab omnibus impuritatibus vestris, & ab omnibus stercoribus vestris*, hoc est, (ut interpretantur,) stercoreis diis, *mundabo vos.* En expressè Deus dicitur facere, ut in statutis ipsius ambulent: hoc enim mundare est à sordibus peccati, liberare mentem, animum, actionesque. Causa deindè subjicitur proximis verbis: *Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio vestri, & amovebo cor lapideum è carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam, quod in statutis meis ambulabitis,* את אשר בחקי תלכו *& judicia mea custodietis, & facietis, & habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris, & eritis mihi populus, & ego ero vobis Deus.* Idemque demonstrat perspicuè versus proximus 29. *Et servabo vos ab omnibus impuritatibus vestris:* ubi expressè obedientiam Judæorum futuram, effectum Dei certum statuit. Quare ex hisce satis superque liquet, Deum non solum cordis novi donationem promittere, sed etiam obedientiam, tanquam cordis novi fructum in conversione efficere. Ac propterea Deus non solum gratiam sufficientem ad conversionem, in iis quos convertere intendit, præbet: sed etiam efficientem. primùm, quatenus dat Spiritum novum, & cor novum, & cor lapideum amovet; deinde quatenus verbo excitat ad obedientiam, & Spiritu Sancto adjuvat; partim adversarios refrænando sua potentia: externos quidem, mundum improborum, & mundi hujus principem Satanam: internum verò carnem, seu vitiositatem insitam; partim confirmando fidei & charitatis habitus, sanctis motibus. Cœterùm discrimen hic est observandum in modo operationis divinæ, in regeneratione, & in effectione novæ obedientiæ. In priori enim operatur Deus omnipotente actione; cum id quod prædicatione verbi novum cor præcipit, ipsemet solus efficit, Eph. 1. v. 19. & 2. v. 8. 9. 10. In posteriori utitur, partim vi omnipotente, quatenus immediatè Satanam tentatorem providentiæ suæ fræno coërcet, ne gravius tentet: partim vi potente, sed finita, quatenus mediatè per Spiritum novum, & cor novum, seu fidei & charitatis habitus donatos, & conservatos, & deinde per sanctos menti animoque inditos motus, ut obedientiam præstemus, excitat, ac perducit. Ac propterea subdolè adversarii statum controversiæ corrumpunt, cum ajunt, Deum non dicere, se omnipotente actione effecturum, ut in statutis ipsius ambulent. Ita enim perperam regenerationis, & novæ obedientiæ, seu bonorum operum effectionem confundunt, quasi eundem utriusque efficiendi modum statueremus.

Cœterum quia ad argumenti ex Ezech. 12. v. 2. petiti ac pluribus jam confutati confirmationem, similia loca adferunt, ex Zach. 7. vers. 11. & Esa. 6. v. 2. Item Mat. 13. v. 14. & Actor. 28. v. 25. 26. idcircò paucis adversariorum error confutandus. Primus enim locus, Zach. 7. v. 11. 12. hic est: *Sed renuerunt attendere, & præbuerunt humerum declinantem,auresque suas aggravarunt, ne audirent, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audiret legem ipsam, & verba quæ mittebat Jehova exercituum, Spiritu suo per prophetas.* At frustrà, inquiunt, instituitur talis querela adversus populum, quorum cor Deus potuit per Spiritum suum emollire, ut atten-

ut attenderent. Sed negamus consequentiam; quia Deus conqueritur de publica protervaque legis suæ, & Prophetarum, (quos ad pœnitentiam vocantes audire recusabant,) rejectione, à qua abstinere non minus, quam Ninivitæ poterant. Nec enim hoc loco de interna ac salutari ad Deum conversione agitur; sed de externis erga proximum officiis, & abstinentia à nocendi proposito, ut vers. 9. & 10. antecedentes proximè ita declarant: *Sic locutus fuerat Jehova exercituum dicendo, judicium verum judicate, & benignitatem, & misericordiam facite quisque cum fratre suo: viduamque aut pupillum, peregrinum aut pauperem, ne opprimitote, & malum quisque in fratrem suum ne cogitate, in corde vestro.* Quis hinc concludat? Potuerunt ab illo scelerato nocendi proposito, & istis externis maleficiis abstinere, & externam disciplinam (Dei beneficiis variis, ac conspicuis, & legis institutione ac prophetarum hortatu, promissis, minisque excitati) exercere; Ergo habuerunt sufficientem, ad salutarem conversionem gratiam. Nam quamvis Deus per Prophetarum prædicationem, interdum hypocritas externa sanctitatis specie superbos, & interni cultus Dei contemptores, acriter reprehendat: plerumque tamen adversus apertè sceleratos querelam instituit, minasque de publicis pœnis proponit, ut eorum voluntariam contumaciam, & pœnarum secuturarum justitiam demonstret, & hac ratione electos suos (quasi triticum in paleis latentes) à contagione illorum avertat. Atque hæc de primo loco.

Alter verò est ex Esai. 6. v. 9. Cujus sententiæ periphrasis repetitur Matth. 13. v. 14. & Actor. 28. v. 25. 26. quibus, inquiunt, locis Esaias expressè dicit, Judæos oculis connivendo, auribus graviter audiendo, cor suum incrassando, impediisse suam conversionem, cordisque sui sanationem. Voluit itaque Deus eos convertere, & sanare: illi impedivere, quod Deus effectum dare voluit. Noluit itaque Deus id operari irresistibiliter. Sed negatur consequentia. Nam loca illa Matthæi & Pauli actor. 28. tantum testantur de contumacia Judæorum, quod illi noluerint converti, & ita servari, quod scilicet notam veritatis doctrinam rejicerent. Deum autem voluisse (hoc est, approbasse ut debitum officium) conversionem, verum est: voluisse verò, hoc est, decrevisse, ac tanquam finem destinantum sibi proposuisse, & intendisse, ut adversarii tradunt, hoc falsum est. Deus enim omniscius, sapientissimus, atque omnipotens, quicquid vult suo proposito, illud assequitur, Ephes. 1. vers. 11. Esai. 46 vers. 10. Si ergo hoc loco ita voluisset, tum necessaria omnia media, ad conversionem (nempe fidem vivam, & resipiscentiam) per regenerationem dedisset, & potuissent credere & resipiscere. Sed media illa necessaria iis non sunt data: nec illi potuerunt credere: non solùm ob innatam vitiositatem: sed etiam, quia Deus illos magis excæcârat justo suo judicio: partim quod eâ notitia officii, quam habuerant, & quam contempserant, eos privârit: partim quod Prophetam ad eos miserit, cujus rectæ doctrinæ odio exacerbati, sese magis magisque opponendo, excæcarunt, atque obdurarunt: quemadmodum Esaiæ verba, & Johannis interpretatio demonstrant Sic enim ait Esai. cap. 6. v. 9. & 10. *Dic populo isti, audite audiendo & non intelligetis, & videte videndo, & non cognoscetis: fac pingue cor populi hujus, & aures illius aggrava, & oculos claude ne videant oculis suis, & auribus suis audiant, & sanem eos:* Quorum verborum sententia, paraphrasticè explicatur à Johanne cap. 12. vers. 39. 40. 41. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, ac sanem eos. Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Hactenus Johannes. Nam quamvis cognitæ veritatis contemptus, sit sufficiens causa, cur quis non convertatur, ac servetur; sed à Deo justè puniatur, privatione cognitionis, & traditione in mentem reprobam, seu judicii expertem, & in potestatem Satanæ, 2. Thess. 2. v. 11. & 12. Cognitio tamen privationem illam antecedens, non sufficit, ut quis se convertat ac servetur, sed requiritur præterea regeneratio, seu Spiritus novus, cor novum, & ablatio cordis lapidei. Ezech. 3. & 36. hoc est, sanctificatio mentis, per vivæ fidei; & voluntatis, per sinceræ charitatis habitum: & adjunctum Spiritus Sancti auxilium, ut inde possint actu credere in Christum, & Deum ac proximum rectè amare, & interius atque exterius in statutis Dei ambulare; sine qua regeneratione, hoc fieri non potest. *Nisi enim quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei*, Joh. 3. v. 5. *quisquis autem renatus fuerit, vincit mundum fide*, 1. Johan. 5. vers. 4. *non peccat* (scilicet peccato dominante) *sed servat seipsum & malus ille non tangit ipsum*, quominus scilicet servetur: seu non lædit lethaliter: Quo etiam spectat illustris locus 1. Joh. 3. *qui natus est ex Deo &c.* Quæ sententia adeò clara est, ut eam adversarii partim agnoscere cogantur: partim verò, distinctione quadam elabi conentur. Agnoscunt enim cum ajunt hoc modo: *fatemur requiri cor novum, & ablationem cordis lapidei, ad conversionem: fatemur etiam Israëlitas, de quibus Ezech. loquitur, non habuisse cor novum*, id est, *cor quod conversum sit.* Ex qua adversariorum propositione, & assumptione, conclusio necessario sequitur: Ergo Israëlitæ illi, de quibus Ezech. 12. vers. 2. loquitur, non habuerunt à Deo quicquid requirebatur ad conversionem. Elabi verò conantur cum ajunt, *sed ideo universè perperam negatur: eos habuisse conversionis gratiam.* Sed in eo ambiguitate ludunt. Nam si *gratiam conversionis* intelligant, quæ ad conversionem actualem sufficiat, (ut status controversiæ flagitat) tum negant quod modo fassi sunt: sin verò gratiam, quæ ad conversionem non sufficiat, intelligant, à scopo ineptè aberrant: Illud enim extra controversiam est, conversionis actualis principium esse situm in cognitione veritatis salutaris; idque non solum iis omnibus qui sunt conversi, donatum: sed etiam multis aliis, qui ad conversionem non perducuntur: quosque Deus non convertere omninò decrevit: alioqui quod decrevit, exequeretur: neque enim temerè ac frustra quicquam decrevit. Antequam verò finiamus hujus loci Ezech. 12. tractationem, expendendæ sunt adversariorum distinctiones, quas comminiscuntur, ut effugiant vim argumenti, adversus ipsos ex Ezech. 3. & 36. petiti, ubi de novo corde in conversione salutari agitur. Prima autem distinctio est gratiæ conversionis: deinde altera Spiritus regenerantis: quas cum prolixè & obscurius proponant, clarius ex ipsorum mente exponemus, ac discutiemus. Gratiam enim conversionis statuunt duplicem, unam quidem perfectam, ac plenam, alteram verò inchoatam tantum, ac imperfectam seu non plenam. Perfecta ac plena est, inquiunt, qua Deus conversionem in homine efficit: illaque rectè dicitur, non esse, nisi ubi ablato corde lapideo, novum in homine, id est, carneum, fecit. Inchoatam verò statuunt, qua Deus hominem non plenè ad fidem, & resipiscentiam convertit: sed illius principium donat, vires scilicet sufficientes ad credendum: quod ut ajunt, ubicunque prædicatur verbum, ibi in cordibus eorum omnium, quibus verbum Dei prædicatur, Deum adesse Spiritu suo, & internè, ejus operatione, sufficientes vires suffundere, ad apprehendendum illud verbum prædicatum, ut se convertant.

Verùm hæc distinctio conversionis, & cordis novi, in hac materia vana est: nec enim ex Sacræ Scripturæ usu ea deprompta est, de quo usu agitur in locis, quæ adversariis opponuntur, Ezech. 3. & 36. & Jerem. 31. cap. quæ cor novum, quod revera tale est, describunt, quodque lapideum non est: sed cordis lapidei ablationem includit: quo corde novo, in statutis Dei, Deo efficiente, ambulant: quemadmodum antea demonstravimus. Et quod in Novo Testamento *nova creatura*, 2. Cor. 5. v. 17. & Gal. 6. v. 15. & *novus homo qui secundum Deum*, (id est ad imaginem Dei) *conditus est, in justitia & sanctitate*, Eph. 4. v. 24. Col. 3. vers. 10. & *spiritus etiam*, Gal. 5. vers. 16. 17. appellatur: ideoque habitualis justitia, & sanctitas notatur, cujus effecta ac fructus sunt internæ, ac externæ bonæ actiones Gal. 5. vers. 22. Cui novo cordi, novæ creaturæ, ac novo homini, ac Spiritui, opponitur *cor lapideum*, Ezech. 3. & 36. *homo vetus*, & *caro*, hoc est, peccatum originale, seu vitiosæ, atque inhærentes, agnatæque qualitates pravæ, quæ à suis actionibus vitiosis distinguuntur, ut Col. 3. v. 9. Galat. 5. v. 19. Neque ullo alio in loco conversio salutaris, & cor novum in Sacris literis; pro sola cognitione veritatis (quæ

fides

fides historica vulgo dici solet) accipitur, neque eam sufficientem esse gratiam, ad fide vivâ credendum, Deumque rectè colendum, ullibi traditur: sed contrà regeneratio ad eam rem (ut antè multis demonstravimus) necessaria est: qua regeneratione, virtutum fidei, & charitatis habitibus donentur, ut habiles atque idonei sint, ad vivas fidei, & & charitatis actiones producendas. Ideoque falsum est, quod ajunt, vires sufficientes, quibus credere possint, à Deo dari omnibus iis, quibus Euangelium prædicatur. Quod inde etiam confutatur, quia Scriptura docet, Joh. 12. v. 39 quosdam non potuisse credere, qui tamen à Christo Euangelium audiebant, & miracula ejus videbant. Nam quod ajunt, phrasin illam non posse accipi absolutè: sed pro eo, quod est ab animo alienissimum, hoc est, ut alii tradunt, valde difficile: id inde refutatur, quia dicitur ibidem, quod Deus oculos eorum excæcârat: eaque causâ statuitur, cur non potuerint credere, quod scilicet cum veritate cognita, contra conscientiam, prædicationi Christi adversarentur, seque ita excœcarent quodammodo: hinc inquam, Deus justo judicio eos privarit ea cognitione, ac propterea multo minus potuerint credere. Sed aliud effugium jam quærunt, *Non agitur* inquiunt, *eo loco Johannis 12. de iis, qui primitus vocabantur ad Euangelium audiendum, sed qui jam dudum vocati fuerant, & diu multumque Deo vocanti restiterant, eaque ratione animum ita obfirmaverant, ut de ipsis verè dici potuerit, quod non potuerint credere. Si enim is, cui nova potentia semel data est, abutatur eadem, & malè agendo novum peccandi habitum sibi comparet, & quasi secundò se impotentem reddat: non dicimus ei semper novas rursus vires à Deo dari, ut singulis momentis credere possit quando velit; sed tantum ei, qui spreti Euangelii nondum reus est, antequam pœnæ Euangelio denuntiatæ mancipetur, vires à Deo sufficientes primùm dari asserimus, quibus credere, & sic pœnam denuntiatam evadere possit.* Sed hoc effugium nihil juvat adversarios: primùm quia jam ante ostendimus, solam notitiam veritatis non esse sufficientem, ut viva fide credatur; & fructus boni proferantur: quemadmodum Christus docet, Matth 13. v. 20. ex iis, qui cum gaudio verbum accipiunt, sed radice carentes fructum ferre non potuerunt imò v. 19. *quidam sunt, qui audiunt sermonem de regno illo* (hoc est Euangelium) *& non intelligunt, & venit ille malus, & rapit quod satum est in corde ipsius*, hoc est, mente. Ergo non omnibus quibus prędicatur Euangelium primùm, intelligentia illius, multò minus sufficientia ad credendum media, donantur. Præterea cum Judæis multis Euangelium primum prædicatum fuerit, cognitio tamen Euangelii, hoc est, veritatis illius notitia, iis non est data, multò minus sufficiens gratia ad credendum. Nam Rom. 10. v. 2. ait Apostolus: *testor de ipsis eos Zelum Dei habere, sed non ex cognitione: nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti* Quare hinc concludimus, distinctionem illam conversionis, & donationis cordis novi, in perfectam seu plenam, & in inchoatam, non pertinere ad argumentum solvendum ex Ezech. 3. & 36. & Jerem. 31. quo demonstravimus promitti à Deo cordis novi donationem, & lapidei ablationem, ad conversionem salutarem necessariam, quæque conjunctam habeat remissionem peccatorum, & pacem cum Deo, Jer. 31. v. 33. 34. & liberationem ab omnibus impuritatibus, Ezech 36. vers 29. ideoque & vivam fidem promitti, sine qua hæc non possunt existere, Rom. 5. v. 1. Heb. 11. v. 6. 1. Tim. 1. v. 5. Jacob. 2. v. 19. 20. Atque hoc etiam modo altera adversariorum distinctio tollitur, quæ verbis diversa, eodem redit, cum ajunt: *Spiritus regenerationis duobus modis dicitur, vel quatenus regenerat*, hoc est, *ad regenerandum in homine operatur: vel quatenus jam regeneravit, & opus suum*, hoc est, *regenerationem perfecit, ideoque ejus dicuntur facti particeps, vel ii, qui regenerati sunt: vel ii qui adhuc regenerantur.* Verum quod statuunt Spiritum S. ad regenerandum in iis etiam operari, qui nunquam regenerati sunt, quia Spiritum regenerantem impediunt, falsum est. Nec enim Spiritus Sanctus finem sibi proponit ac decernit quem non assequatur: quia sapiens atque omniscius frustra non agit: & regeneratio, opus ipsius integrum est, non partim ab ipso, partim ab homine promanans: neque regenerare volentem homo impedire potest: quia regenerando aufert cor lapideum, Ezech. 3. & 36.

Atque hæc de hujus loci Ezech. 12. vers. 2. contra adversariorum perversionem vindicatione. Atque ita expendimus eas objectiones, quas vario abusu Scripturæ, ab illius authoritate, ac sententiis depromunt. Supersunt aliæ à rationibus ductæ; quæ etiam ad pleniorem hujus materiæ intelligentiam, & ad fraudes adversariorum retegendas, examinandæ.

Quarum prima hæc est: Actus obedientiæ nón potest esse is, qui producitur ea efficacitate, qua positâ, non potest non existere actus. At actus quem Deus in conversione nostri, in nobis producit, est actus obedientiæ Ergo ille non producitur ea efficacitate, qua posita non potest non existere actus.

Verum ut de majori nihil dicam (quam falsam esse Angelorum, Psal. 103. vers. 21. obedientia evincit) paralogismus est ignorationis elenchi: quia aberrant à scopo: concludunt enim, non ejus, quod statuimus, oppositum (ut in vero Elencho fieri debebat) sed quod controversia caret. Nam quamvis conversionem ad fidem, & charitatem habitualem fieri omnipotente Dei actione, qua ab eo solo in nobis, sine nobis (hoc est, sine actionis nostræ concursu) cor lapideum aufertur, & novum datur (cum Ezechiele cap. 3. & 36. & Apost. Ephes 1. & 2.) statuamus: actualem tamen fidem & charitatem (hoc est, actionem credendi in Christum, & Deum amandi) non dicimus fieri immediatè, omnipotente Dei actione: sed mediatè quatenus homines habitibus fidei, & charitatis, à se, ad credendum & amandum Deum, factos habiles, atque idoneos, verbo suo exterius docendo, & Spiritus efficacia interius confirmando, excitat accommodatè, ad fidei & charitatis actiones producendas. Ac quamvis, Euangelio primùm proposito, ad fidei & charitatis actiones excitet, & eæ propter carnis reliquias, & tentationes Satanæ & mundi possint non existere; Deus tamen ita gubernat sapienter, ac potenter renatos, eosque confirmat, ut fidem & charitatem habitualem exerant, hoc est, ut revera credant in Christum, & Deum diligant. Neque enim ut adversarii nobis affingunt, actiones fidei & charitatis soli Deo adscribimus, quasi ab ipso solo nobis imprimerentur omnipotente illius actione: sed, quemadmodum habituum fidei, & charitatis, Deum solam esse causam: homines verò tantum subjectum statuimus: sic contra actionum fidei & charitatis duas causas agnoscimus, subordinatè, ut supra ostendimus: primam quidem ac remotam Deum, partim quatenus habitus illos nobis indidit regeneratione, quibus habiles atque apti sumus, ad actiones fidei & charitatis edendas: partim quatenus verbo suo, & Spiritu nos adjuvat, ac confirmat: secundam verò ac proximam causam, esse hominem renatum: non enim Deus credit in nobis, sed nos credimus virtute Dei, qui & vires ad illud dedit regeneratione, & verbi & Spiritus sui auxilio. Credere enim actio est immediata credentis hominis. Cæterum hic observandum est: quod illam actionem fidei quam in prima conversione Deus intendit, ac destinat efficere, certò etiam efficiat; verùm, si quando postea officii nostri (nempe auditionis, & meditationis verbi, usus sacramentorum & invocationis Dei &c.) negligentiâ peccemus; non semper proposito Euangelio sequitur fides actualis; sed interdum Deo, Spiritus auxilium ad tempus ab ingratis subducente, & carnis, Satanæ & mundi tentationibus habenas laxante, fidei actiones impediuntur: & dubitationes fidei adversæ oriuntur. Veruntamen Deus pro fideli sua clementique fœderis novi promissione, nobis ad tempus ita castigatis, succurrit, ne succumbamus, & tentationes temperat, ac Spiritus auxilio confirmatos, victores reddit, cujus rei exemplum in Davide Psalm. 51. & clara assertio divina est, 1. Cor. 10. 13. *Tentatio vos non cepit nisi humana, fidelis est autem Deus &c.* Deinde & illud non est prætereundum, quod ut propositio Syllogismi objecti ad rem propositam non facit; eamque falsam esse, exemplo obedientiæ angelorum ostendimus: sfalsa est etiam illius ratio, quam ei firmandæ adjungunt, cum dicunt: *quod actus obedientiæ sit actus voluntatis liberæ ab ipsa (quatenus principium electionis est) elicitus.* Nec enim, quod falsò hic statuunt, omnis obedientiæ actus ad voluntatem perti-

pertinet: sed quidam ad intellectum, idque inde liquet, quia virtutes harum facultatum sunt distinctæ, ideoque propriæ utrimque sunt actiones, obedientiæ divinitus imperatæ: ut enim vivæ fidei habitus, virtus est mentis: sic obedientia fidei, qua actu credimus, est mentis actio. Nec enim in voluntate est, ut in subjecto: neque à voluntate, ut causa efficiente: sed in mente, ut subjecto suo, & à fide habituali illius promanans; ut supra ostendimus. Quam fidei obedientiam actualem, ut mentis conscientia rectam judicat; sic consequens voluntas (charitatis habitu donata ac renovata) eandem, ut bonum debitumque Deo officium amat, eaque delectatur, ut enim mens regenita credit; sic voluntas quatenus regenita, actioni fidei non adversatur, ullo odio: sed eam diligit, & carnis cupiditates Spiritui repugnantes, Galat. 5. vers. 16. Dei ope accedente reprimit, ac superat; quia non caro, sed Spiritus in renatis (hoc est, vivâ fide & charitate habituali præditis) dominatur, Rom. 6. vers. 4. 5. 6. 14. & 1. Ioh. 3. vers. 9. & 5. vers. 18. Quare à vero aliena est adversariorum sententia, qua ajunt, Quod voluntas, actus fidei causa proxima, immediata, & physica sit. Hanc autem intelligunt quæ Ethicæ opponi solet, quæ mediata, & suasionibus constat. Nec enim voluntas vi naturali insita, sed regenita, ut volunt, immediatè credit. Regenita autem voluntas, non est causa efficiens actus fidei: sed causa amans illum actum fidei, & ad verbum fidei porrò audiendum movens. Deinde multo magis à vero recedit, quod dicunt, actum obedientiæ fidei, à voluntatis libera electione oriri: quasi in potestate illius sit, viribus jam ad credendum sufficientibus à Deo acceptis, credere vel non credere; cum credere sit mentis actio; voluntatis autem velle: non credere. Atque hæc ad primæ objectionis à ratione petitæ confutationem suffectura speramus: quibus illustrandis ac firmandis etiam responsiones nostræ ad superiora argumenta inservient. Sequuntur nunc duo reliqua argumenta, à duobus enormibus (ut gloriantur) absurdis: quæ ex sententia nostrarum Ecclesiarum, ut objiciunt, consequantur, deprompta.

Primum est, quod ex ea sequeretur, quod non alii converti possint, quam qui actu & reipsa convertuntur, ubi observandum, conversionem hic debere accipi, non de notitia Euangelii, & pœnitentia quadam, atque externa disciplina, ad quam pertingere potuissent non pauci, etsi ea caruerint; sed de conversione ab incredulitate, & peccati dominio, ad vivam fidem, atque salutarem resipiscentiam: de hac enim re inter nos controversia est. Negamus autem illud esse absurdum, quod non alii quam qui ita convertuntur (hoc est, viva fide, & salutari resipiscentia Euangelio obediunt,) converti possint. Nam, quod objiciunt, hoc absurdum esse ex eo colligi, quia alioqui omnes illi, qui non convertuntur, frustra, id est, nullo fine vocarentur ad salutem. Nec enim finis esse potest, ut salventur, quia aliàs eandem circa illos efficacitatem Deus adhiberet, quam circa electos. Qui enim vult finem, vult media ad finem certò ducentia. Respondemus primùm; quotquot vocantur ad salutem, non proximè, nec absolutè: sed primum ad fidem & resipiscentiam, eaque conditione, ad salutem vocantur. Marc. 16. vers. 15. 16. Rom. 10. v. 8. 9. 10. Ideoque non propterea necesse est, ut vires credendi reprobis non minus, quam electis Deus tribuat. Finis enim Dei vocantis electos (quos solus Deus novit, non autem ministri Euangelii) destinatus est, ut eos servet: quam ad rem prædicationi Euangelii addit operationem Spiritus Sancti, qua virtutem fidei donat, & ut in Christum credant actu efficit. Eaque gratia ab electione ad vitam fluens, iis est propria: non autem reprobis communis. Johan. 6. vers. 37. 44. 65. Actor. 13. vers. 48. Rom. 8. v. 29. & 30. Neque propterea tamen reproborum à Deo vocatio, frustra est, hoc est, nulla utilitate, nulloque fine instituta: quia utilis est diversis modis. Nam inter eos qui vocati sunt, & ad cognitionem Euangelii adducuntur, quidam minus mali sunt: qui ea vocatione, ab idololatria ac scelerum licentia, ad externam Ecclesiæ societatem & vitæ honestatem, ac probitatem se componunt: eoque modo, secundum quid, ac pro viribus Euangelio obediunt: unde fit, ut quamvis illis non sit datum, ut viva fide credant, tamen imminutis sceleribus, pœnæ gradus post hanc vitam minores sint futuri in inferno, Matth. 11. 22. & 24. In iis verò qui malitiosi sunt, ut cognita Euangelii veritate, eam nihilominus oderint, aut contemnant & in peccatis suis pertinaciter procedant, utilis tamen est vocatio illorum: partim ut amplius retegatur eorum contumacia ac malitia; partim ut Dei gloria illustretur. Primum quidem benignitatis; quod eos Euangelio vocarit, & veritatis illius notitia donarit: qua adjuti, potuissent minus peccare, ac secundum quid Euangelio obedire: nempe pœnitentiâ scelerum, ex consideratione fœditatis illorum, & justi judicii Dei: deinde auditione verbi, & vitæ honestate. Deinde μακροθυμίας, hoc est, lenitatis Dei gloria; in illorum, contra conscientiam, malitia ac contumacia, adversus Euangelium, diu in hac vita perferenda. Denique utilis est hæc vocatio, ut gloria justitiæ Dei, ob contumaciam eorum, in iis puniendis exercendæ, clarius patefiat. Qua de re sequentia Scripturæ dicta testantur, Ioh. 9. vers. 39. *Ego ad judicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, & videntes cæci fiant* & cap. 3. vers. 19. & 20. *Hoc est judicium mundi, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim opera eorum mala. qui enim mala operatur, odit lucem, nec venit ad lucem: ne redarguantur opera ipsius*: Sic cap. 7. v. 7. *Me odit mundus, quia testor ejus opera esse mala*, & 15. vers. 22. *si non venissem, & non locutus essem eis, peccata non haberent*, (scilicet non absolutè, sed comparatè, hoc est, tam magna) *nunc verò non habent quod prætexant peccato suo*, & vers. 24. *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt, tum me, tum patrem meum*, Rom. 2. vers. 4. 5. *An copiam benignitatis, & tolerantiæ ac lenitatis Dei contemnis, ignorans benignitate Dei ad pœnitentiam te duci? sed pro duritia & corde pœnitere nescio. thesaurizas tibi ipsi iram, in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei.* Atque hæc de utilitate vocationis, cùm minus malorum; tum malitiosorum, ac contumacium eorum, quibus per Euangelium, & virtutem Spiritus datur notitia veritatis Euangelii. Eorum verò vocatio, qui Euangelii prædicatione ad notitiam veritatis illius non adducuntur, non est etiam frustra: quia utilis est partim ut communis hominum vitiositas eo magis patefiat: cum eam, scilicet suo vitio, in Adamo amissa Dei imagine, acquisiverint: partim ut propria ipsorum ac voluntaria inobedientia convincatur, ad majorem Dei in iis puniendis, justitiæ declarationem: quod videlicet Euangelio vocati, illud attentè audire: aut eo audito, sacras literas examinare (ut debebant Ioh. 5. vers. 39.) recusarunt, Rom. 2. vers. 3. aut ad pœnitentiam scelerum, doctina Euangelii de justitia & judicio extremo stimulati, eam sine metu ullo contemserunt, ut Actor. 17. vers. 31. & 32: aut metu brevi inde affecti, in sceleribus suis nihilominus perstiterunt, Actor. 24. vers. 24. 25. & 26. Quare in nullis Euangelio vocatis, & tamen viva fide destitutis (etiamsi in ea vocatione vires sufficientes ad credendum non acceperint) vocatio divina frustrà instituta dici potest. Nam in omnibus vocatis (sive fide historica, ut vocant, hoc est simplici veritatis Euangelii cognitione donentur: sive ea non donentur) suam tamen habet utilitatem partim communem, partim propriam. Nam (ut claritatis causa, ac memoriæ facilioris, summatim pluribus ante explicata, nunc concludam) primum in iis qui cognitione Euangelii præditi sunt, si malitiosè contumaces sint, & Euangelio adversentur; interna eorum malitia amplius innotescit: in iis verò qui sunt minus mali, nec contumaces, sed dociles se præbent, & peccatorum Euangelii doctrina convicti ad pœnitentiam, & vitæ honestatem, externumque Dei cultum pro virili adducuntur, imminutis hoc modo peccatis, ac vitiorum cursu pristino, minus ac mitius, quam reliqui, nempe contumaces, ob fidei defectum punientur. In iis verò; qui cognitione ea Euangelii non donantur: vocatio tamen utilis est, ut eorum voluntaria ac libera partim negligentia Euangelii, partim improbitas adversus illud, ut paulò ante ostendimus, plenius patefiat, ad majorem, justitiæ Dei ipsos punientis,

declarationem. Communis verò vocationis eorum omnium, sine vivæ fidei donatione, utilitas duplex est: una quod ea ratione gratia Dei vocantis electis specialis (quod scilicet non solum cognitione Euangelii; sed vivâ etiam fide, per regenerationem Spiritus Sancti donentur) comparatè cum reproborum vocatione, amplius declaratur, ad majorem in illis gratitudinem excitandam, ut Matt. 11. v. 25. 26. 27. & cap. 13. v. 11. & Joh. 6. v. 43. 44. & 65. & cap. 10. v. 26. & 27. Rom. 9. v. 22. & 23. Philip. 1. v. 28. 29. unde *fides non omnium*. 2. Thess. 2. v. 2. quod non omnibus detur, sed *electorum* dicitur, Tit. 1. v. 1. *quia quos prædestinavit, eos etiam vocavit*, Rom. 8. v. 30. hoc est vocatione efficaci, quæ efficit id, ad quod vocat, nempe fidem vivam, 2. Thess. 2. v. 13. & 14. quæ *vocatio secundum propositum*, (nempè salutis conferendæ) vocatur ibidem Rom. 8 v. 28.

Altera utilitas est, quod eo modo insita hominibus vitiositas, qua ad vivâ fide credendum sunt inepti, ipsorum inprimis conscientiis patefiat, & partim etiam aliis, qui ex certis effectis eos in incredulitate morientes, non rarò experiuntur. Nam quamvis illud (ut adversarii objiciunt) ex universali Scripturæ de reprobis sententia non cognoscatur: particulari tamen experientia, reprobi in seipsis, & alii in nonnullis eorum, ordinariè cognoscunt. Nam extraordinariè de nonnullis particularibus reprobis, illud in Sacris literis declaratum constat. Atque ita apparet, universalem illam de reproborum incredulitate, in Sacris literis sententiam, particularem ejusdem experientiam minimè tollere: sed ab ea (utpote subordinata) amplius illustrati. Verùm adversus ea, quæ de credendi in Christum potentia, in Adamo amissa, ante diximus, objiciunt adversarii: Adamum eam non habuisse potentiam, neque habere potuisse; ideoque à posteris in ipso amissam dici non posse, id quod hac ratione apertè demonstrari contendunt: Qui nulla habebat peccata, ille non habebat potentiam verè credendi remissionem peccatorum per Christum: quia aliâs habuisset à Deo potentiam credendi mendacio: quia ubi verè creditur remissio peccatorum, ibi verè fuerunt peccata. Atqui Adamus in statu integritatis nulla habebat peccata. Ergo Adamus in statu integritatis non habebat à Deo potentiam verè credendi remissionem peccatorum per Christum. Sed negatur hoc loco propositio, & ratio illius. Nam quamvis Adamus in statu integritatis non haberet potentiam verè credendi remissionem peccatorum præsentium, quia iis carebat; de qua re agunt adversarii; potentiam tamen habebat, qua idoneus erat, ut crederet remissionem futurorum peccatorum. Etsi autem actu id tum non crediderit: inde tamen non sequitur credendi impotentia: sed objecti, ad potentiæ illius actionem necessarii, hoc est, revelationis Euangelii absentia. Nam si (ut supra ostendimus) Deo placuisset, Adamo futurum lapsum illius, & consequentem gratiam redemptionis per Christum revelare, potuisset actu credere. Quia cæcitas mentis, quæ causa incredulitatis, aberat, & imagine Dei prædicus, poterat omni Dei verbo ipsi revelato, ac credendo, & per consequens etiam Euangelio (si ei fuisset à Deo revelatum) credere. Atque ita in hac credendi actione, non mendacio, sed veritati credidisset. Quare corruit adversariorum objectio. Verùm ad aliud effugium se convertunt: primùm enim excipiunt. *Esto tamen, statuatur hominem quemlibet, etiam potentiam in Christum credendi habuisse, & amisisse; nondum sequitur inexcusabilem eum reddi, cum non facit id, quod sine potentia illa fieri nequit: quia ad impossibile nemo obligatur.* Reponsio est, & propositionem, & rationem illius esse falsam. Nam verum quidem est, ad aliquod impossibile nempè ad illud quod alicui impossibile est per se, sine sua culpa, eum non obligari; Sed ad id quod non per se, sed per accidens amissionis potentiæ, sua culpa, alicui impossibile est factum, rectè obligari potest; idque apud Deum obtinere, Scriptura demonstrat. Nam certissimum est, observationem perfectam legis esse impossibilem homini post lapsum, & per lapsum, propter carnem, Rom. 8. v. 3. seu innatam peccati originalis vitiositatem: *quia* ut *non percipit homo animalis ea, quæ sunt Spiritus Dei.* 1. Cor. 2. sic etiam *intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum; legi enim Dei non subjicitur: Nam ne potest quidem*, ut Rom. 8. expressè docetur: & tamen ad perfectam illius legis observationem omnes homines nihilominus sunt obligati: quia eam Deus Decalogi lege perpetuâ, & expositione illius repetita sæpius, præcepit, & transgressionis illius, omnes arguit, Rom. 3. vers. 20. *ut omne os obturetur, & totus mundus obnoxius fiat judicio Dei*: idque secundum sententiam legis, qua transgressioni illius condemnationem denuntiat, Deut. 27. v. 26. Quare universaliter verum non esse, quod objectant, ad impossibile nemo obligatur, clarissimè apparet. Idque etiam ratione Euangelii, ita probatur. Si Judæi illi (de quibus Johan. 12. agitur) non potuerunt credere, & quidem ea etiam ratione, quia excæcavit Deus oculos eorum, & tamen obligati fuerunt ad credendum, & puniti etiam ob incredulitatem; Ergo falsum est neminem ad impossibile obligari. Atqui verum esse prius, traditur à Johanne cap. 12. de credendi quidem impotentia (non prima, sed aucta, ob cæcitatem immissam, seu privationem notitiæ Euangelii datæ, qua erant abusi) v. 39. & 40. obligationem verò ad credendum ostendit mandatum illius vers. 36. & transgressionis mandati seu incedulitatis accusatio vers. 37. ubi etiam observandum est ex Esai. 53. vers. 1. in eodem loco Johannis causam etiam reddi, cur multi non credant, quòd scilicet *Brachium Dei* (hoc est per Metaph. potentia Dei ad salutem, hoc est, potens instrumentum, Rom. 1. v. 16.) *iis non sit revelatum*; cum illud speciale sit, non universale ac commune, Dei Euangelio vocantis, beneficium, ut Matth. 16. vers. 17. Petro Apostolo à Patre fuit revelatum Jesum esse Christum ac Dei filium; cum tamen plerique Euangelio vocati, utrumque & Jesum esse Christum, & filium Dei ignorârint; ut ibidem vers. 14. & 15. apparet. Quocirca falsum est, quod adversarii universaliter objiciunt, ad impossibile neminem obligari. Neque juvat illa restrictio, *quod ex pœna antecedente positiva, impossibile est*: ut de obedientia legis & Euangelii naturali, post lapsum modò demonstravimus. Quo etiam spectat illud Christi Joh. 6. vers. 44. 45. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Scriptum est enim in Prophetis; Et erunt omnes docti à Deo: omnis igitur qui audivit à patre, & didicit, venit ad me*: atqui non omnes, quibus Euangelium primùm prædicatur, veniunt ad Christum, hoc est, credunt in Christum: Ergo non omnes illi, quibus Euangelium primum prædicatur, trahuntur à patre. Ideoque neque venire possunt ad Christum, & vers. 60. ait Christus Capernaïtis, aliisque auditoribus: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, & vers. 65. *propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me, nisi ei datum fuerit à patre meo*: ideoque impossibile ipsis fuit, credere, quod necessaria ad fidem tractione, & virtutis fidei donatione, carerent; & tamen ad fidem fuerunt obligati; quia Christus illis fidem mandavit vers. 29. *Hoc est inquit opus Dei* (quod scilicet præcipit) *ut credatis in illum, quem ille misit*: & tamen nôrat Christus (cum fidem mandarat) ab initio, eos nec credituros, nec posse credere vers. 64. & 65. Non posse autem credere, quod primi lapsus vitio, ac culpa impotentes essent, & potentia nova, à Deo iis non esset data. Neque temerè tamen mandat: ut ex diversis causis vocationis reproborum, in antecedentibus ostendimus.

Hisce jam confutatis, opportunum omninò videtur, ut adversariorum ulcera ac blasphemiæ retegantur, & paucis gloriam Dei & veritatem Euangelii vindicemus. Sic autem argumento ab impossibili proposito (quod modo refutavimus) subjiciunt: *Et certe, inquiunt: num juste Deus hominem in æternam condemnationem abjicere possit, qui primò reus constitutus est peccati, quod in propria persona non commisit, sed quod ipsius est, per solam imputationem divinam: deinde qui propter hoc peccatum sic imputatum, à Deo punitur impotentia omni credendi in Christum, & per consequens mortem evadendi. Tertiò cui mandatur fides, quam propter inflictam impotentiam exercere non potest: quamque exercendo, falsum crederet: & quam ni exerceat, graviori condemnationi addicendus sit. Quartò cui mandatum illud fidei servit ex prima Dei intentione, ut per hoc non credat, sed induretur. Quinto qui per hanc ipsum*

ipsum processum, & administrationem divinam, non credit: Theologorum (Scripturas rectè examinantium) conscientiis judicandum relinquimus. Nobis non tantum excusabilis hujusmodi homo; sed is, qui cum homine ita agit, tyrannus sævissimo Phalaride immanior, & truculentior futurus esse videbitur. Anima nostra non sit in cœtu talium.

Hactenus adversariorum argumentorum congeries, & in conclusione animi ulcera, ac venenum. Quare argumenta objecta ordine breviter percurremus: quia jam antea in variorum argumentorum solutione copiosius egimus. Primum autem quod statuunt, Deum justè hominem in æternam condemnationem abjicere non posse, qui primò reus constitutus per solam imputationem divinam: in eo si suam proponant sententiam, falsa est: si nostram, calumnia. Nec enim qui damnantur, per solam imputationem divinam rei constituuntur: sed sua culpa, quia in Adamo, ut in principio, ac radice generis humani fuerunt, & in eo peccarunt: ut Scriptura testatur, Rom. 5. v. 12. Deinde, quod secundo loco dicunt, qui propter hoc peccatum sic imputatum, à Deo punitur impotentiâ omni credendi in Christum, & per consequens mortem evadendi: illud inquam justitiam condemnationis divinæ non confutat. Nam causa promerens hanc impotentiam, non est divina imputatio peccati: sed liberum hominis peccatum, quod justa imputatio illius, & pœna consequitur: ut jam suprà multis ostendimus. Quod præterea tertio loco subjiciunt, ut injustum, quod mandatur fides, quam propter inflictam impotentiam exercere non potest; & quam ni exerceat, graviori condemnationi addicendus sit: Respondetur, non injustum esse, ut Deus fidei obsequium ob homine exigat, qui sua voluntaria culpa ejus præstandi impotentiam sibi acquisivit: quemadmodum superioribus ex lege, & Euangelio, fusius demonstravimus. Quod verò in hac tertia injustitiæ objectæ specie, interserunt adversarii, *quamque* (scil. fidem) *exercendo falso crederet*, illud negamus. Veruntamen, ut res sit clarior, paulò plenius illustranda est. Sic enim probare solent: Quibus Christus sua morte peccatorum remissionem non acquisivit, illi non possunt sine mendacio credere Christum sua morte ipsis eam remissionem acquisivisse. Atqui reprobis &c. Ergo &c. Propositio clara est: quia quod falsum est, sine mendacio credi non potest esse verum; quia crederetur ac judicaretur aliter, quam res ipsa est. Assumptionem probant ex hypothesi nostrarum Ecclesiarum & communi sententia, quæ etiam Synodo Nationali definita; qua statuitur, Christum mortuum esse quidem pro omnibus & singulis hominibus electis: non autem pro reprobis; unde conclusionem, ut invictam à nobis concedendam statuunt. Similiter hoc modo ratiocinantur: Quibus peccata propter Christum non sunt remissa: illi non possunt sine mendacio credere in Christum. At reprobis non sunt propter Christum peccata remissa. Ergo, &c. Propositionem inde probant quia credere in Christum nihil aliud est, quam certò statuere ac fidere, sua peccata propter Christum sibi esse remissa; quod videl. fiducia remissionis peccatorum per Christum obtentæ, sit forma fidei, sine qua fides non est, & per quam propriè fides est. Assumptio autem ex hypothesi nostra & communi Ecclesiarum nostrarum sententia, uti volunt, probatur: unde firmam conclusionem esse contendunt. Sed ad primum syllogism. respondemus, in eo esse fallaciam ignorationis elenchi. Nam probatur non illud, quod à nobis negatum; sed id, quod asserimus: ut enim à nostris Ecclesiis statuitur, Christum tantùm mortuum pro electis, in Christum viva fide credituris, non autem pro reprobis: sic etiam reprobis non esse credendum, Christum pro ipsis mortuum. Nemo enim ad credendum falsum obligatur: neque Scriptura falsum credendum præcipere potest: quia sancta ac vera est. Sed objiciunt nonnulli: fides in Christum, quæ Euangelio ad salutem præcipitur, à Paulo definitur eodem objecto, Gal. 2. *Vivo per fidem filii Dei, qui &c.* Verum negamus, eo in loco fidem definiri: sed fidei vivæ objectum consequens denotari agnoscimus. Describit enim suam fidem, quam jam habebat: qui enim fidei vivæ probè sibi conscius est, ille inde merito colligit, Christum pro se mortuum. Nam notitia ac fiducia dilectionis, ac mortis Christi pro nobis, fidem non antecedit: sed ejus sensum consequitur tanquam fructus. Ideoque Paulus ut electionis suæ, & vivæ fidei sibi fuit conscius: sic ex eadem verè hoc statuit, Christum pro se mortuum: non autem docet hoc commune esse omnibus, quibus Euangelium prædicatur.

Ad alterum verò Syllog. quod attinet, negatur propositio illius, & ratio quam ei firmandæ adducunt. Nec enim verum est, credere in Christum, nihil aliud esse, quam certò statuere, sua peccata propter Christum esse remissa. Nam quod ajunt, fiduciam peccatorum propter Christum remissorum, esse fidei formam: id Sacris literis doceri, non agnoscimus; sed contrà, eam consequentum esse fructum, idque res ipsa demonstrat. Nam si remissio peccatorum est effectum fidem in Christum consequens: Ergò fiducia remissorum peccatorum, (quæ antecedentem remissionem eorum, ut objectum suum præsupponit) multò magis sequitur: At verum est illud ex Rom. 3. vers. 22. 25. cap. 15. vers. 1. Ergo fiducia remissionis peccatorum multò magis fidem consequitur: ideoque causa ac forma fidem constituens rectè dici non potest. Idque hoc etiam modo constat: Quod reprobis non minus quam electis mandatur, illud non est propriè fiducia peccatorum sibi remissorum per Christum: at credere in Christum, non minus reprobis quam electis mandatur: Ergo. Propositio clara est: quia reprobis peccata nunquam remittuntur: propterea que non possunt etiam verè credere, ea sibi esse remissa: Deinde cum Christus non sit mortuus, ut pro reprobis peccatorum remissionem acquireret: illis nunquam sunt remissa peccata: quia non est in alio salus, neque aliunde peccatorum remissio, quam merito mortis illius obtineri potest: ac propterea cum reprobis propter Christi mortem peccata nunquam remittantur: nunquam verè possunt id credere, eique remissioni fidere.

Atqui credere in Christum jubentur ex officio: non igitur credere in Christum, propriè loquendo est fiducia remissionis peccatorum. Neque tamen cum jubentur credere in Christum, falsum jubentur credere, sed verum. Fides enim quæ ad remissionem peccatorum obtinendam præcipitur, est agnitio veritatis Euangelii de Jesu Christo filio Dei Ioh. 20. v. 31. omnium vivâ fide credentium servatore, Ioh. 3. v. 16. charitatis effectiva, Gal. 5. v. 6. quæ fides *viva* (*mortuæ* opposita, Jac. 2. vers. 20. & 26.) rectè appellatur. Ex cujus fidei vivæ sensu ac conscientia, oritur certa remissionis peccatorum notitia, in mente, & ex ea fiducia illius, in corde: quatenus cor pro voluntate accipitur. Euangelium enim passim, uti notum est, propositionem universalem hanc suggerit: quicunque fide per charitatem effectiva prædictus est, ille habet remissionem peccatorum. Conscientia autem credentis assumptionem singularem subjicit: Ego fide per charitatem effectiva, sum prædictus. Unde certam conclusionem colligit; Ergo ego habeo remissionem peccatorum, unde voluntas regenerata fiduciam concipit. Atque hinc fidei effectum ea statuitur, Eph. 2. vers. 12. *In quo habemus libertatem, & aditum cum fiducia, per fidem ipsius*, scilicet Christi, ut objecti, hoc est, per fidem in Christum. & 2. Corinth. 4. v. 13. 14. *& quia habemus eundem Spiritum fidei, secundum illud, quod scriptum est: Credidi, & ideo locutus sum, nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur, scientes fore, ut qui excitavit Dominum Jesum, nos quoque per Jesum excitet, & sistat vobiscum.* Sic Christus Matth. 9. vers. 2. credenti in ipsum paralytico, dicit, *Confide* (θάρσει) *fili, remittuntur tibi peccata.* Quare hisce jam expositis, satis liquet, vanum esse, quod in tertio objectionum membro, adversarii exprobrabant, quod reprobi credendo in Christum (ex nostrarum Ecclesiarum hypothesi) falsum crederent. Nam credere remissa sibi peccata, ut ostendimus, ad essentiam fidei constituendam non pertinet: sed effectum illius est consequens: unde in voluntate fiducia promanat. Quod autem quartò objiciunt, mandatum illud fidei reprobis inservire, ex prima Dei intentione, ut per hoc non credant, sed indurentur: illud negamus. Nam jam antè ostendimus, quosdam, qui non sunt contumaces, & rebelles, sed æquiores, hoc mandato, ope

Spiritus Sancti accedente, adduci ad fidem generalem, simplicis notitiæ veritatis Euangelii: quam historicam vulgo vocant: quæ inservit iis, non ut indurentur: sed ut quodammodo emolliantur: & ad pœnitentiam scelerum pristinorum adducantur: & peccata eorum atque pœnæ imminuantur. Ad contumaces verò quod attinet, injustum non est, si Euangelium iis proponatur; ut detecta illorum impietate, & in conscientia sua amplius de ea convicti, suo merito, justoque Dei judicio, ea occasione indurentur. Quemadmodum Pharao Dei mandato sancto, rectaque gubernatione, suo vitio, justoque Dei vindicis proposito induratus demonstratur, Exod 7. v. 3. & 9. v. 16. & Rom. 9. v. 17. & 18. Quod denique quinto loco subjiciunt adversarii: eum qui per hunc ipsum processum, & administrationem divinam non credidit, justè puniri non posse: in eo nihil adferunt novi à superioribus quatuor objectis: & hypothesibus falsis nituntur ante consutatis. Nam primùm Deus tali simpliciter processu non utitur: quia falsum credere non præcipit: ut tertio membro objecerunt: neque per reliquum processum (quatenus eum exposuimus secundum Scripturas) Deus causa est, cur non crediderint: sed ipsimet suo vitio, aut simplici, quod scilicet in Adamo peccantes, credendi potentia sese privarint; aut duplici, scilicet quod ad id accesserit contumacia voluntaria: ut suprà pluribus probavimus.

Atque ita satis consutatam hanc adversariorum farraginem objectionum arbitramur.

Veruntamen quia adversus ea, quæ de forma fidei objecta ab adversariis diximus, eam non esse propriè fiduciam obtentæ remissionis peccatorum: Scrupulus aliquis ab attentis nonnullis auditoribus est motus, non quidem ratione argumenti, quo usi sumus: sed ratione diversæ formæ fidei à nobis propositæ; idcirco, ut eum plenius eximam, utile fore omninò, ac necessarium existimo, ut rem ipsam penitius, sed succinctè tamen, expendamus. Nobis enim hac in re, sola veritatis illustratio, & adversariorum refutatio, cum timore Dei spectanda. Scrupuli moti sententia hæc est: Si effectivum esse charitatis, sit forma fidei, nullus in ea erit Christi respectus: id quod à natura fidei in Christum alienum. Sed negatur Consequentia: quia Charitas, cujus fides effectiva dicitur, non solum fertur in Deum creatorem: Sed etiam redemptorem, per Christum. Sed rursus excipi potest: Si effectivum esse charitatis, sit fidei forma, tum illud justificationis erit causa: Atqui citra controversiam justificationis non est causa: Ergo nec fidei forma. Propositionis ratio hæc est: quia operatio rei à formæ illius vi promanat: ideoque etiam justificatio fidei, à forma fidei promanat. Verùm negatur propositionis consequentia, & ratio illius: quòd videlicet eam non demonstret: quia particularis est, non autem universalis: seu de quibusdam, non de omnibus operationibus vera. Nam operatio est vel naturalis, vel supernaturalis: operatio naturalis à vi formæ suæ oritur: non autem omnis supernaturalis: qualis ea etiam est, quæ à sua causa procedit, non per se, vi interna: sed per accidens, vi externa. Quemadmodum miracula edere, opus est supernaturale, quod modò per se, modò per accidens efficitur. Nam ut Christus ratione divinitatis suæ operantis, miracula fecit per se, vi interna, Luc. 6. vers. 19. & Joh. 5. vers. 17. 19. Sic contra, cum Apostoli miracula ediderunt, non vi sua, ac potentia formæ suæ, ea effecerunt, Actor. 3. vers. 12. sed accedente potentia Christi qui ad fidem Apostolorum, & nominis Christi (secundum promissum Marc. 16. vers. 17. 18. 19.) invocationem, ea propriè effecit, Marc. 16. vers. 20. & Actor. 3. vers. 16. sic etiam justificatio est effectum fidei, tanquam instrumenti supernaturalis, & per accidens: quia non per se, interna illius vi justificamur: sed per accidens promissionis divinæ gratuitò credenti factæ, Marc. 16. v. 16. Adeò ut propriè Deus causa efficiens; fides verò causa impetrans dici queat: quod videlicet ea justificatio, non à fidei dignitate aut efficacia propria: sed à mera gratuita Dei promissione, & efficacia oriatur. Sed esto, dicat aliquis; sit justificatio fidei operantis effectum, tantum per accidens: saltem erit etiam effectum tale fidei, quatenus ea effectiva est Charitatis: aut tantum quatenus est agnitio Jesu Christi, filii Dei, Servatoris fidelium. Atqui justificatio non est effectum fidei tantum, quatenus est talis Christi agnitio. Ergo justificatio etiam effectum fidei est, quatenus est effectiva Charitatis: Si negetur assumptio (ut verè negatur) tum ea videtur hoc modo probari: quia aliàs sequeretur reprobos, etiam fide sua, quæ huic similis est, justificari. Negatur Consequentia: Quamvis enim etiam talis fides agnitionis Jesu Christi in quosdam reprobos cadat: ac generali hac forma fidei, cum electis conveniat: Speciali tamen differt: nempe quia fides eorum non est effectiva charitatis Gal. 5. v. 6. Ideoque species illa fidei non est, quæ justificat, Jacob. 2. vers. 14. & 17. Sola enim illa agnitio Jesu Christi justificat, quæ est effectiva charitatis: Etsi forma generali sua, non autem speciali justificet. Forma enim specialis ratione justificationis, est tantum conditio, in fide justificante requisita; non autem justificationis efficiens, & ut clarissimè dicam, agnitio illa Christi filii Dei Servatoris fidelium sola justificat: etsi ea non sit sola, & à forma sua separata: sed habet vim effectivam charitatis connexam, quæ vis non est αἴτιον, seu causa cooperans ad justificationem, sed res necessaria, ad vivam fidem justificantem constituendam. Fidei enim justificatio, ut ante ostendimus, non oritur ex vi formæ fidei specialis, aut generalis: sed ex Dei libera ac gratuita promissione, vivæ fidei facta: & quidem, quatenus viva fides credit Jesum esse Christum, Filium Dei, servatorem viva fide præditorum, Joh. 20. vers. 31. & Act. 8. vers. 37. Rom. 10. vers. 9. & 10. Neque necesse est, ut quicquid justificationem antecedit necessario, propterea causa sit illius: alioqui pœnitentia fidem necessariò antecedens, & justificationem, etiam causa justificationis esset, non minus quam fides: sic etiam vis effectiva charitatis, ad fidem justificantem constituendam necessaria est; etsi fides non eatenus justificet; sed quatenus est agnitio Christi, servatoris fidelium, ut antea explicavimus. Atque ita hanc de fidei forma sententiam, difficultatum solutione, clariorem redditam speramus. Ut autem ad reliqua adversariorum argumenta procedamus: quia iis responderi à nostris solet, proposito mandato fidei in Christum reprobos reddi inexcusabiles, quod Euangelium sibi non esse prædicatum, aut sese innocentes esse obtendere nequeant: idcirco nova quædam, uti vocant, argumenta opponunt: quæ ad pleniorem veritatis defensionem, & errorum confutationem (ne quis hæreat scrupulus) etiam sunt expendenda.

Sed altero inquiunt argumento probamus, Deum non posse reprobis (quos vocant) offerre gratiam suam, & salutem eum in finem, ut inexcusabiles eos reddat: quia si eum in finem Deus offerat gratiam alicui, quem gratiæ participem facere non vult, ut omnis ipsi excusatio eximatur: jam non est, respectu illius vocati, verbum prædicatum sermo gratiæ & vitæ, ex propria, & prima Dei intentione: sed est sermo mortis & condemnationis. Hæc illi. Sed respondemus, primùm, adversarios, & in præmissa conclusione, & in argumenti antecedentis propositione, ei probandæ subjecta, statum controversiæ mala fide corrumpere. Nec enim nostri statuunt Deum offerre reprobis gratiam absolutè, sed sub conditione fidei: atque ita, quemadmodum offert cum conditione, sic etiam cum conditione vult, neque oblatio voluntati ullo modo repugnat. Quare corrigenda est conclusio hoc modo; *Deum non posse reprobis offerre gratiam, conditione fidei, ut eos magis inexcusabiles reddat.* Deinde similiter corrigendum propositionis illius hypotheticæ antecedens hoc modo: *Si Deus alicui, quem gratiæ sine fide participem facere non vult, gratiam conditione fidei offerat, ut omnis excusatio ei adimatur.* Hisce jam expositis, Consequentia, quam adversarii nectunt, partim vana est: partim etiam infirma. Vana autem est, & à disputatione aliena; quandoquidem id probare conantur, quod ultrò statuimus; nempe, quando Euangelium hominibus reprobis prædicatur, finem illius à Deo intentum, eum non esse, ut eo verbo Euangelii vitam æternam iis conferat; sed ut officium illorum ostendat; & officii præstiti, ac vitæ connexionem certam. Neque propterea tamen (ut exprobrare solent) reprobos hoc pacto

hoc pacto simulatione falsa deludit; sed verè viam vitæ docet. & debitum officium iis imperat: imò verò, quod absurdum statuunt (quamvis, ut ostendimus, absurdum non sit) ex ipsorum etiam adversariorum sententia idem necessario consequitur, ut res ipsa demonstrat. Nam cum Deus Euangelium proponit, & gratiam conditione annexa fidei iis offert, quos tamen antea præscit certò nunquam crédituros, sed Euangelium perpetuò rejecturos: finis illius prædicationis nullo modo esse potest collatio gratiæ justificationis, & vitæ æternæ; quia alioqui Deus sapientissimus, frustrà ac temerè contra omnis sapientiæ legem ageret. Nullus enim finis ab aliquo sapienter proponi potest, atque intendi, quem nunquam sese assecuturum certò prænovit; hoc enim vanum ac stolidum omninò esse, communi sensu cognoscitur. Deinde consequentia etiam partim infirma est: quia ex antecedente illo non sequitur, verbum prædicatum reprobis, esse sermonem mortis & condemnationis, hoc est, ut adversarii sese exponunt, cujus finis & effectum est mors & condemnatio: & cujus efficiens sit verbum prædicatum, tanquam medium efficax ad id ordinatum. Quia etsi Deus conditione fidei proposita, reprobis offerat gratiam: neque tamen gratiam ipsis incredulis velit dare: inde tamen non sequitur, finem à Deo intentum esse mortem, & prædicatum verbum oblatamque conditione fidei gratiam, esse medium, mortem & condemnationem efficiens, quia mors non sequitur Euangelium & oblationem gratiæ per se, vi illius: sed per accidens, vitio incredulitatis reproborum. Neque Deus eam mortem per se, ut finem intendit: sed justitiæ suæ, in ea, merito incredulitatis inferenda, patefactionem: quia mors per se malum est: ac propterea finis Dei, summi boni, esse non potest: nec morte delectatur: neque etiam prædicatum Euangelium tanquam medium efficiens mortis sibi proposuit atque intendit. Alio tamen modo, quàm adversarii hic intelligunt, ac sese exponunt, verè dici potest, verbum prædicatum, etsi ex Dei intentione, scopus illius non sit mors: reproborum tamen eorum, qui pereunt, ratione, esse eventum. Atque hoc sensu revera verbum prædicatum reprobis est verbum mortis, ac condemnationis: quemadmodum idem Apostolus disertè demonstrat. 2. Cor. 2. v. 15. 16. *Nam Christi bonus odor sumus Deo: in iis qui servantur, & in iis qui pereunt. his quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam:* ubi diligenter observandum est eventum utrimque intelligi; non verò effectum. Nam quamvis vita, ratione prædicati à Paulo Euangelii, fuerit effectum in iis, qui servantur fidelibus: hoc tamen in loco non ita consideratur: sed tantummodo, ut consequens illius eventus. Quemadmodum altero membro, mors non est effectum odoris Euangelii, in iis qui pereunt: sed tantum eventus, ex contemptu Euangelii, non ex vi Euangelii promanans. Sed secundo objiciunt. Quibus verbum suum Deus prædicari vult, ut occasionem ab ipsis habeat, justitiam suam vindicatricem exercendi; illis ea intentione prædicari vult, ut sit verbum condemnationis, non ut sit verbum gratiæ, & salutis. Atqui Deus vult verbum suum prædicari, eum in finem reprobis, &c. Ergo. Respondemus primò, distinctione antecedentis partis propositionis, *quod justitiam vindicatricem exercere alicujus occasione*, vel simpliciter, vel secundum quid accipi possit. Priori modo non convenit rejectioni Euangelii à reprobis. Nam ante Euangelium, ab iis auditum, nedum rejectum, Deus justam habet causam exercendi justitiam suam vindicatricem, ob peccatum in Adamo commune, & propriam atque innatam singularem vitiositatem, culpa ipsorum acquisitam: post Euangelium vero rejectum, non primùm redditur homo justitiæ vindicatrici obnoxius: sed tantum ratione majoris gradus illius obligationis, ob culpam accedentem novam ad veterem atque antecedentem. Quibus jam explicatis, negamus hypotheticæ propositionis consequentiam: Nec enim ex antecedente consequens necessariò sequitur. Nam quamvis Deus intendat justitiam suam vindicatricem in iis, quos prædicatum Euangelium rejecturos præscit, exercere: non propterea tamen verbum prædicatum, ex intentione Dei, est verbum condemnationis, scil. efficiens, ut adversarii intelligunt. Nec enim Euangelium condemnationem efficit unquam: sed reproborum inobedientia, qua rejiciunt Euangelium, causa est per se. Ideoque condemnatio effectum non est Euangelii; sed tantum, per reproborum culpam, consequens adjunctum. Ideoque condemnatio non intenditur, ut sit Euangelii effectum; quemadmodum paulò ante ex 2. Cor. 2. demonstravimus.

Veruntamen rursus hisce occurrunt adversarii hoc modo: *Qui verbum suum iis prædicari curat, quibus gratiam nullam facere, ne potentiam quidem credendi (quam ipse per pœnam iis eripuisse dicitur) restituere vult; unde fit, ut ii, quibus verbum prædicatur, non possint non verbum prædicatum rejicere: ex illius intentione, verbum prædicatum est verbum, non gratiæ, sed condemnationis. Atqui Deus, cum verbum suum curat prædicari reprobis, curat prædicari iis, quibus gratiam nullam facere, & ne potentiam quidem credendi, (quam ipse per pœnam iis eripuit) restituere vult; unde illos rejicere verbum necesse est. Ergo*, &c. Respondemus primùm ad propositionem, distinctione antecedentis: quia *nolle gratiam facere*, accipi potest, vel absolutè sive crederent, sive non crederent: vel ob incredulitatem. Priori modo non statuunt nostri. Nam Euangelii doctrina universalis ac constans est, *quicunque crediderit, salvus erit*. Marc. 16. v. 16. Sed secundo modo; ut ibidem docetur, *qui non crediderit, condemnabitur*. Deinde, quod addunt, *unde fit ut ii, quibus verbum prædicatur, non possint non rejicere:* si vocem illam, (*unde*) statuant propriam primamque causam; tum falsò illud nobis affingunt. Nec enim causa illius prima, ac propria, est Deus, per suam pœnam; sed homo reprobus, per suam culpam, ac meritum atque effectum. Ideoque non Deo, sed homini vitium ascribendum. Denique rejectio Euangelii est duplex; una simpliciter; altera vero secundum quid. Simpliciter enim rejiciunt Euangelium illi, qui primùm pœnitentiæ doctrina contempta, in pristinis suis vitiis hærent & acquiescunt; deinde non credunt, Jesum Christum esse Filium Dei, servatorem viva fide præditorum: denique, ad Dei in Christo servatoris charitatem, sunt inhabiles, quales plurimi Euangelium rejiciunt. Alii verò secundum quid tantum, quales illi, qui pœnitentia ex lege concepta, ac Dei judicis justitia; deinde eatenus credunt Euangelio, ut statuant Jesum esse Christum, Filium Dei, Servatorem viva fide credentium; & quidem non suis viribus, sed Spiritus Dei, communi secundum quid, cùm electis gratia, nempe illuminationis mentis: sed ad Dei, in Christo redemptoris, charitatem (sub qua etiam fiducia salutis continetur) sunt inepti. Qui à contumacibus Euangelii rejectoribus sunt distinguendi. Hisce jam explicatis, in antecedenti, ambiguis, negamus consequentiam propositionis. Nam verbum prædicatum non est propterea ullo modo, neque ex intentione Dei (ut adversarii obtendunt) neque contra intentionem illius, verbum condemnationis scil. effectivum, ut perpetuò intelligunt, sicut modo ostendimus. Nam per se est verbum salutis; sed ad salutem requiritur fides, Rom. 1. v. 17. cui accidit consequens reproborum, ob rejectionem illius, condemnatio. Quamobrem confidenter nimis dicunt adversarii, *ratio majoris ex terminis liquet*. Nam termini partim, ut demonstravimus, sunt ambigui, partim etiam falsi, connexio verò eorum infirma.

Sed objiciunt, *Si verbum gratiæ per accidens, ipsis reprobis est verbum condemnationis: Ergo iis per se, est verbum gratiæ, & salutis. Atqui hoc absurdum. Ergò & illud:* Respondemus 1. Esse ignorationem elenchi, quia verbum gratiæ, hoc est, quod gratiam annunciat, infidelibus nullo modo, neque per se, neque per accidens, vera causa est condemnationis; ut adversarii intelligunt. Nam phrasis illa, *causa per accidens*, vel propriè accipitur: vel impropriè. Propriè quidem, cum præter intentionem efficientis, aliquid ab eo fit; quemadmodum fodiens agrum culturæ tantum causa, si eruat fodiendo thesaurum, eumque inveniat, effectum quidem est fossoris, apertio thesauri, & inventio illius: sed quia accidens antecedens fuit depositio thesauri, fossori ignota, & quia non eo fine fodit, (etsi fossione, ut causa efficiente invenit) idcircò dicitur causa per accidens. Secundò impropriè per metaphoram, ac similitudine consequentis eventus,

ventus, causa per accidens sumitur pro occasione, effectum aliquod non efficiente, sed antecedente, cujus abusu, ac vitii alterius efficacia, sequatur effectum. Atque hoc modo, multi nostrûm dicunt, Euangelium prædicatum, reprobis esse causam condemnationis per accidens, hoc est, occasionem, cujus abusu ac contemptu, merito inobedientiæ suæ, ac contumaciæ, reprobi condemnantur. Deinde ad propositionem quod attinet, negatur consequentia. Nam quamvis Euangelium sit occasio condemnationis reprobis lapsis, per accidens vitii ipsorum:quod scilicet & impotentiæ credendi, & contumaciæ suæ sint authores: non inde tamen sequitur, Euangelium post lapsum iis prædicatum, esse per se, ipsis verbum gratiæ, & salutis effectivum. Nam quod objiciunt: *Id quod per accidens alicui inest; illud potest ei non inesse*; falsum est: si enim propter accidens inseparabile, aliquid alicui insit; illud non potest ei non inesse, ut si cæcitas alicui insit per accidens, non potest ei non inesse. Quare corrigenda est ratio: *potest inesse, aut potuit non inesse*: atque ita nihil efficiet. Sic enim reprobis per accidens culpæ lapsus, & amissionis imaginis Dei, inest impotentia credendi Euangelio; unde tamen non sequitur, posse iis non inesse: quia licet ratione omnipotentiæ Dei, accidens illud tolli possit: non potest tamen ratione decreti Dei, nec ratione virium naturæ; sed potuit non inesse, si non fuisset lapsus, neque impotentiam sibi peperisset credendi Euangelio.

Sed excipiunt iterum: *Esto, impotentia sit in iis reprobis, per accidens, propter culpam eorum: ita tamen est in ipsis, ut inflicta sit iis ab ipso Deo. Etenim impotentia non sequitur culpam, ut causam, ex qua emanat physicè, velut calor ex igne: sed ut meritoriam causam, propter quam, à Deo, gratia supernaturali privari homo meritus fuit: unde impotentiam deinde fluere necesse erat.* Ex quibus aliàs concludere solent. *Ergo cum impotentia credendi sit ab ipso Deo inde sequi, nisi ipse impotentiam illam in homine tollat, & potentiam credendi restituat, non posse hominem jure condemnari: sed Deum, & Euangelium causam fore condemnationis efficientem.* Verum ad antecedens quod attinet, prior illius pars ponitur quidem quasi certa; sed non probatur. Nam quamvis homo fuerit suo peccato meritoria causa privationis justitiæ originalis, & per consequens potentiæ credendi omni Dei verbo: nihilominus etiam fuit causa efficiens illius, quatenus, quasi veneno peccati sui, originalem justitiam expulit: quòd Dei ordinatione ita esset data, ut sanctis operibus servaretur: Legis verò transgressione periret. Nam si homo habitum virtutum moralium, crebris actionibus, rectæ rationi consentaneis, acquisitum, perdere potest vitiosis actionibus crebrò iteratis: & si vitam corporis sibi potest adimere: quidni potuit etiam ex Dei ordinatione, & comminatione, *qua die comederis, &c.* sibi adimere originalis justitiæ vitam, atque habitum. *Nam per unum hominem peccatum intravit, &c.* Rom 5. v. 12. Peccando pœnam privationis justitiæ meritus est, eamque sibi justo Dei judicio imprudens intulit; ut de peccatis gentilium simile quid asseritur, Rom. 1. v. 27. 28. quod ob impietatem dati à Deo in reprobam mentem, pœnam inferant sibi, & ferant. Deinde, esto (quod tamen probatum non est,) homo sit tantum causa meritoria privationis justitiæ originalis, eoque modo potentiæ obediendi Deo: inde tamen non sequitur, Deum propriè esse causam impotentiæ, & hominem non posse ob impotentiam
,, condemnari. Nam Deus est causa potentiæ, homo causa
,, impotentiæ, quia suo merito eam impotentiam acquisi-
,, vit: Deus verò ut justus judex, potentiam, propter
,, hominis culpam, illi abstulit, & hominem in sua impo-
,, tentia reliquit. Sed exemplum urgent politicum à judiciis humanis desumptum: si judex ob meritam culpam aliquem excœcasset, non posset ab eo justè exigere ut videret; & quidem pœna capitis proposita, nisi videret. Sic etiam cum Deus hominem obediendi potentia privarit, non potest ab eo exigere, ut obediat: & si non obediat, justè punire: nisi potentiam obediendi ablatam restituerit. Sed negamus hæc comparata esse paria: ad videndum enim homo non est absolutè obstrictus, nec legibus etiam magistratus: sed ad obediendum Deo, homo est natura, & absolutè obstrictus. Deinde differentiam inter humana & divina judicia justa, ex superioribus constare satis arbitramur. Nam illud inter nos, & adversarios controversia caret, hominem sua culpa amisisse potentiam servandi perfectè legem Dei: deinde Deum eam potentiam in hac vita nullis hominibus infidelibus (imò nec fidelibus) restituere: & tamen lege sua, eam obedientiam, additâ condemnationis transgressoribus pœna, præcipere; & quidem justè: justeque infideles propterea condemnare, Deut. 27. v. 26. Rom. 3. v. 19. Deinde iis, qui ob cæcitatem quoque promeritam, sua culpa, & à Deo inflictam, non poterant credere, Ioh. 12. v. 39. & 40. mandatur tamen ut credant, vers. 36. & reprehenduntur, quod non crederent, vers. 37. & exitium eorum justum declaratur, vers. 40. ut supra etiam ostendimus. Ac propterea falsum est, quod toties inculcant adversarii, Deum non eos justè ob inobedientiam punire, qui suo merito obediendi potentia sunt privati. Deum enim juste id posse ex lege & Euangelio demonstravimus, ubi interim observandum est, præter impotentiam parendi legi & Euangelio, esse in reprobis actus obedientiæ contrarios, ac voluntarios: à quorum multis, vel omninò, vel partim poterant abstinere: Et quamvis potentia credendi, ac viva fide destituantur, fide tamen historica donati, ea poterant non ita abuti, quemadmodum solent; & ea carentes, poterant prudenter ἐπέχειν, nec contraria Euangelio (utpote argumentis necessariis destituti) credere, sed assensum sustinere.

His jam refutatis, tertia probatio quam adferunt spectanda. *Cui, inquiunt, eo fine offertur verbum ut rejiciat illud, & respuat; ei non potest adimi excusatio, cum illud rejicit. Atqui cui eo fine offertur verbum, ut per eam oblationem excusatio omnis adimatur, ei offertur eo fine, ut rejiciat. Ergo ei non potest adimi excusatio, cum illud verbum rejicit.* Verum falsa est assumptio; quamvis enim Deus offerat, eo etiam fine reprobis Euangelium, ut eò magis inexcusabiles reddantur: non propterea offert eo fine, ut rejiciant: hoc enim peccatum est. Deus autem peccatum non intendit: quia malum est, legi ipsius repugnans: id quod summè bonus approbare non potest: sed ut prava ac latens rejiciendi Euangelii in reprobis propensio patefiat; & ut rejectionem verbi, ab iis fieri permittat: atque ita magis inexcusabiles reddat, ad justitiæ suæ, in iis magis excæcandis, & merito puniendis illustrationem. Quemadmodum, Joh. 12. v. 37. 38. 39. & 40. & 2. Thess. 2. v. 10. 11. 12. docetur. Nam quamvis hisce in locis, excæcationis finis videatur statui, reproborum ignorantia, & impœnitentia, Joh. 12. vers. 40. & credere mendacio. 2. Tess. 2. vers. 11. revera tamen finis non statuitur; sed eventus justo Dei judicio permissus, denotatur. Nam quod dicitur hic (2. Thessal. 2.) *ipsis mittere efficaciam erroris, ut ipsi credant mendacio*; hæc missio metaphoricè permissio est: non otiosa tamen, sed judicialis, qua privat Euangelii contemptores sua notitia, & Diabolo mendacii authori, ac seductori, illiusque instrumentis habenas laxat, ut ita permittat eos credere mendacio ac justè deinde puniat. Nec enim Deus fidei mendaciorum est author: quia illius justus est ultor: author autem illius esset, si finis Dei esset ut crederent mendacio. Ex quibus omnibus satis liquit, finem oblati à Deo reprobis verbi Euangelii, non esse, ut illi rejiciant, sed tantum eventum; quem Deus permittere vult, bono gubernationis modo, ad bonum finem, ut eo magis inexcusabiles reddantur. Quare rectè à nostris dictum, Deum verbo Euangelii non offerre gratiam suam cuiquam, eo fine, ut eam rejiciat: nec absolutè, sed sub conditione fidei, & resipiscentiæ. Sed adversarii regerunt, hoc modo: 1. *Qui offert gratiam suam sub conditione, per se, sive ex pœna ab eo ipso, qui offert, jam antea inflicta, impossibili eis quibus offertur: ille offert illis gratiam, eo tantum fine, ut rejiciant. Atqui Deus offert gratiam sub conditione, per se, ex inflicta ab ipso pœna, impossibili reprobis, quibus offertur. Ergo eo fine offert, ut eam rejiciant.* Respondemus, assumptionem esse falsam: nec enim per se conditio gratiæ est impossibilis, sed per accidens vitii reproborum, quod lapsus sui culpa potentiam conditionis præstandæ, amiserint: ut supra ostendimus. Ideoque falsò (quasi

sò. (quasi essent eadem,) componuntur ista; *per se impossibile, & ex pœna inflicta.* Nam quod impossibile reprobis pœnâ, illud per accidens culpæ eorum, propter quam inflicta pœna, est impossibile. Deinde impotentiæ hujus causa prima, ac præcipua, ex qua oritur, est hominis culpa; ideoque non ex Deo, sed ex homine est. Hic enim origo est, qui causa & amissionis potentiæ credendi prima, & rejectionis Euangelii sola. Ea enim effectum est hominis, non Dei. Sed secundum syllogismum objiciunt hujusmodi: *qui offert gratiam suam, eo fine, ut in iis, quibus offertur, principalem suum finem ab æterno constitutum assequatur, ille offert, ut rejiciatur. Atqui Deus offert reprobis eo fine gratiam, ut in iis principalem suum finem ab æterno constitutum assequatur. Ergò.* Respondemus, propositionem esse falsam Nam certum est electis offerri Dei gratiam, ut principalem finem assequatur: & tamen non offerri, ut rejiciatur, caret controversia. Quare corrigenda est propositio: Si Deus offert gratiam suam reprobis eo fine, ut in iis principalem suum finem ab æterno constitutum assequatur, offert ut rejiciatur. Atqui ita rursus propositio est falsa. Nam quod ajunt, *prædicationem verbi ratione reproborum esse medium tendens ad declarationem justitiæ Dei vindicatricis:* Verum est. Sed quod inde colligunt, vanum: Sic autem inferunt: *qui finem illum principalem suum assequi non potest in reprobis, nisi ab ipsis verbum rejiciatur, ille cum offert verbum & gratiam suam iisdem, ut finem istum suum assequatur, ideo offert, ut rejiciatur. Atqui Deus finem istum suum principalem assequi non posset in reprobis, nisi ii verbum rejicerent. Ergò.* Negatur propositio: quia in prima Logices principia, nempe finis definitionem impingit. Nititur enim hac falsa hypothesi, quod omne id, sine quo efficiens finem suum principalem assequi non potest, sit finis; cum contra finis sit causa, cujus gratia res est: ideoque bonum est, & vi sua causam efficientem, ut ipsum assequatur, ad efficiendum movens? Alioqui si adversariorum hypothesis vera esset; quandoquidem chirurgus vulneratum curans finem suum principalem, in eo, sine illius dolore, assequi non possit: illius curæ finis esset, ut vulneratus dolore afficeretur. Breviter: accidentia subjecta, & adjuncta varia sæpe sunt hujusmodi, ut sine iis finis principalis obtineri non possit; & tamen inde non sequitur, ea etiam esse finem, hoc est, causam cujus gratia (seu propter quam intentam) efficiens operatur. Et jam ante demonstravimus, Dei, verbum Euangelii offerentis, finem esse non posse, rejectionem Euangelii; quia nullius sapientis, ac justi finis, est malum: multò minus Dei summi boni & sapientissimi. Sed illa rejectio à reprobis est accidens objectum, circa quod Deus versatur, illud decernendo permittere & regere. Ideoque non rejectio illa, sed permissio ac gubernatio illius justa, finis est Dei Euangelium offerentis, principali, atque ultimo fini, nempè justitiæ vindicatricis patefactioni inserviens. Quare prædicati reprobis Euangelii finis dici non potest, ut ab iis rejiciatur: Ideoque nec Deus accusari, ut causa illius: nec reprobi à culpa sua excusari possunt.

Sed objicitur, reprobum suam verbi divini rejectionem excusare posse, ex nostrorum sententia, hoc modo: *Qui facit quod Deus vult, ille non peccat: Ego Euangelium rejiciendo, facio, quod Deus vult. Ergo ego Euangelium rejiciendo non pecco.* Respondemus, fallacia est homonymias. Nam vox *velle*, aut amare notat, Psalm. 5. v. 5. *Deus non est volens improbitatem*, hoc est, non amat, seu odit: Cujus amoris Dei signum est mandatum officii nostri, unde vulgo illud *voluntas signi* vocatur. Hoc sensu, quod Deus vult, non semper fieri, illud sole clarius est. Atque hoc modo verum est, qui facit quod Deus vult, (hoc est, amat ac præcipit) ille non peccat. Atque ita vera propositione existente, assumptio erit falsa. Nam qui rejicit Euangelium, facit quod Deus non vult, sed quod odit ac prohibet. Secundò vox *velle* sumitur pro decernere: idque vel efficere vel fieri permittere ac regere, Esa. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, hoc est, quicquid decrevi. Atque hoc sensu accepta propositio est falsa. Quia qui facit, quod Deus vult, hoc est, decrevit non efficere, sed permittere ac justè regere, ille peccat. Nam decretum ac voluntas permissionis habet objectum suum peccatum, circa quod versatur. Atque ita assumptio; Ego rejiciendo Euangelium, facio quod Deus vult, scil. permittere, vera est. Neque hac distinctione voluntates duas in Deo contrarias, (ut falsò objicitur) statuimus, quasi esset divisio generis in suas species; sed tantum vocem ambiguam, in sua significata, ex Scripturæ usu, adversariis non ignoto, distinguimus. Voluntas enim interdum amorem, interdum decretum, & quidem vel effectionis boni, vel permissionis mali notat. Unde clarè dici posset, distinctione vocis ambiguæ in sua significata; voluntas alia est amoris, alia decreti: Et quidem decreti effectionis, aut permissionis. Quare impiorum illa ab adversariis objecta excusatio, vana est & impia. Cui rei illustrandæ Christi crucifixio inservit, de qua Act. 2. v. 23. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei deditum, cum accepissetis, manibus iniquis affixum, interemistis*, & cap. 4. v. 27. *Congregati enim sunt verè adversus sanctum filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel, ut facerent quæcunque manus tua, & consilium prius definierat facienda.* Ubi interemptores Christi dicuntur fecisse, quæ Deus pro sua manu, hoc est, potestate, & definito consilio statuerat: & tamen à scelere non excusantur, sed accusantur ejus nomine. Ac quamvis sua providentia Christum iis tradiderit Deus: hoc est, potestati hostium permiserit: tamen alienus est à culpa: illi vero meritò culpandi. Hinc Christus Joh. 19. v. 11. ait Pilato: *Non haberes potestatem adversus me, nisi tibi datum esset supernè: propterea qui me tradidit tibi*, (nempè synedrium Judæorum) *majus peccatum habet*: utrique igitur peccarunt, sed Pilatus minus. Nam quod adversarii voluntatem decreti, cum omnipotente voluntate, (ex nostrorum ut statuunt sententia) confundunt: in eo sanè non imperitiâ, sed calumnia impingunt. Nam verè à nostris dicitur, quod Esa. 46. continetur, *consilium Dei stabit & omnis voluntas illius* (sc. decreti) *fiet*: sed modus præfinitus, non est semper omnipotens vis: sed sæpius gubernatio sapiens, & suo modo potens. Ut enim ab æterno Deus prænovit perfectissimè omnes omnium rerum possibilium consequentias, seu quo antecedente, sive causa, sive occasione, certo aliquid sit consecuturum: ita eum ordinem decreto præstituit seu præfinivit, quo res decreta evenit; idque in decreto permissionis ac gubernationis peccati apparet. Nec enim vi omnipotenti, imò nulla vi, id decrevit efficere: sed sapienti ac justa occasionum gubernatione, permittere in bonos fines. Sic libera voluntatis electione, sine ulla Dei cooperatione, in scelere, hostes Christi ipsum interemerunt. Nec solum in malis permittendis; sed etiam in bonis cooperandis, Dei agendi modus non est semper omnipotens, ut necessitate efficientis effectum procedat: sed sæpe sic suo modo potens est, ut effectum certò quidem, sed contingenter oriatur, hoc est, ut libera voluntate hominis potuerit non oriri. Exempli gratia: Deus bonum opus, puta eleemosynam pauperibus dandam, hominibus piis ac misericordi animo præditis, objecto pauperum aspectu miserabili, & suasu sui verbi, excitat ad officium: quod lubenti animo, sed tamen libero præstant (ut etiam interdum præter officium negligant) idque eo modo contingenter agenti, certo pios illud præstituros, Deus ab æterno prænovit ac decrevit. *Quia omnia facit secundum consilium voluntatis suæ*, Eph. 1. v. 14. Quare non quicquid Deus decrevit, idem omnipotente modo, efficiendum constituit. Verùm rursus adversarii, ex nostrorum de vocatione reproborum ad salutem sententia, objiciunt, inde sequi scil. *Si Deus non det iis potentiam credendi, quibus hoc præcipit, ut credant, ipsum simulatè agere. Videtur enim*, inquiunt, *intendere salutem eorum, atque idcirco eos vocare: cum tamen eos reprobaverit, ac proinde salutis participes fieri noluerit.* Sed negatur consequentia: quia non vocat primùm ad salutem, nec absolutè; sed primum ad pœnitentiam & fidem; deinde ea conditione, non alia, ad salutem, quàm si credant. Hac enim conditione promisit tantum. Ideoque cum constans illa sit Dei voluntas, ut *quicunque crediderit, servetur; quicunque non crediderit, condemnetur*, Marc. 16. in hac vocatione agit verè, non simulatè. Sed inquiunt, *hinc colligitur fidem esse conditionem in Euangelio requi-*

lio requisitam, non promissum. Nam si promissum esset, crederent tam reprobi, quam electi. Verum nihil ad rem. Nam in vocatione, cum homines jubentur credere Euangelio,& credentibus promittitur salus, communis est ratio tam electorum quam reproborum. Sed præter hanc promissionem salutis conditione fidei, Euangelii doctrina etiam præterea docet, hanc fidem & salutem esse donum Dei, Eph. 2. v. 8. 9. 10. quod solis electis detur, Joh. 6. v. 44. & 65. & 10. v. 26. 27. Rom. 8. v. 30. Tit. 1. v. 1. Sed urgent amplius; *fidem ut conditionem fidelibus proponi, & à Deo ipsis promitti: simul stare non posse. Si enim conditio proposita est, postulatur: si promissum est, non potest postulari, aut frustra etiam postulatur.* Sed negatur præmissa propositio. Nam ista duo optimè convenire possunt. Conditio enim ostendit officium hominis, non autem potentiam illud præstandi: promissio verò docet, unde potentiam illam consequantur. Sic ab electis postulatur non minus quam à reprobis, ut credant in Christum: quia hoc officium est eorum commune. Sed cum præstare id non possint, communi lapsus primi vitio, in electis Deus se effecturum promittit, ut Joh. 6. v. 37. & 44. & 45. Ezech. 36. v. 25. 26. 27. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & amovebo cor lapideum è carne vestra, & indam vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in statutis meis ambuletis.* Unde apparet, Deum ab electis, qui convertuntur ab eo, non solum postulare ut officium faciant: (prout passim ad id hortatur,) sed etiam promittit, se Spiritu suo Sancto id ipsum effecturum. 1. Regenerando spiritum & cor, hoc est, mentem & voluntatem: donatione scil. habituum fidei, & charitatis, quibus homines novi & habiles electi redduntur ad credendum, & diligendum: deinde effecturum ut ea ratione, adjuvante Spiritu, etiam actu credant ac diligant. Hæc enim duo primaria sunt Dei statuta. Quemadmodum etiam Hebr. 8. v. 10. 11. 12. idem promittitur ex Jer. 31. in novi fœderis descriptione. Imò & adversarii, hac in re, seipsos confutant: Fatentur enim Deum conditionem fidei ad salutem postulare, & tamen promissionem accidere agnoscunt, cum ajunt: *Neque tamen negamus, Deum à parte sua promittere, se effecturum quicquid necessarium est ad fidem, quam postulat ac præscribit, ingenerandum.* Ergò inquam conditio, & promissio simul stare possunt. Quamvis, quod hic de Dei promissione agnoscunt, ut electorum ratione est verum: sic reproborum respectu (quibus commune esse passim tradunt adversarii) falsum est. Exceptio autem qua huic contradictioni suæ mederi conantur, hæc est: *Sed*, inquiunt, *quod Deus promittat, se immediatè, & vi omnipotente, effecturum fidem in iis, à quibus eam postulat: id ab omni ratione nobis alienum videtur, & cum natura conditionum consistere non posse.* Verùm, primum est ex parte, fallacia ignorationis elenchi: quia statum controversiæ corrumpunt. Nam fides vel habitum notat, quo ad credendum habiles sumus, atque idonei: vel actum illius. Et fidei habitum quidem fieri à Deo, vi omnipotente, non autem mediatè per nos, hoc est vi nostra, statuimus, ex Eph. 1. v. 18. 19. & formulis novi fœderis, Ez. 36. & 31. & Joh. 6. & cap. 10. & Rom. 8. Alioqui, si immediatum opponatur prædicationi Euangelii, tanquam antecedenti necessario, quo posito Spiritus Sanctus fidem solus ingenerat: falsum est, nos statuere Deum immediatè efficere. Fidem verò actualem, seu fidei actum τὸ πιστεύειν non fieri immediatè, vi omnipotente: sed mediatè per hominem, fidei virtute donatum, & Dei verbo ac Spiritus auxilio excitatum, ut proximam & immediatam causam. Non enim dicimus, Deum credere, sed hominem fidei habitu præditum. Quare hunc credendi actum Deus & mandat homini verbo exterius, & interius per suum Spiritum donando fidei habitum, ad credendum, idoneum reddit; & audito verbo, suoque auxilio ad credendum actu excitat. Et ut de fidei virtute, seu habitu agamus, absurdum etiam non est, Deum illam electorum ratione postulare, & simul in iis eandem immediatè efficere. Postulatio enim seu præceptio notat, ac docet officium quod Deo debent, non autem quid præstare valeant: promissio verò ut antea monui, undenam illud promanet, declarat. Quemadmodum post Lazari mortem, Christus promiserat suscitationem illius, Iohan. 11. vers. 23. & cum ille per se non posset Christum audire, nec surgere, utpote vita carens: Christus tamen simul & exterius prodire Lazarum jussit, v. 43. & vitam interius dedit, ac vires, ut audire & secundum promissionem prodire posset, eoque modo mandato parere, v. 44. Quemadmodum etiam paralytico omnino impotenti, per se, Matth. 9. v 6. exterius jussit Christus, ut lectum tolleret, & abiret domum, & simul interius, vi sua divina, valetudinem & vires restituit, quibus potens factus, Domini mandato paruit, v. 7.

Atque hæc ad primi absurdi, adversus orthodoxam de conversionis gratia doctrinam, refutationem. Alterum verò enorme (ut vocant) absurdum, quod objiciunt, est hujusmodi: *Si ad conversionem hominis requiritur actio quædam irresistibilis gratiæ divinæ, non poterit quisquam ante converti quam reipsa convertatur. Atque consequens est absurdum. Ergò & antecedens.* Respondetur negatione assumptionis: ideoque ut eam probent adversarii, sic disputant: *Quo posito suppeditatur quibusdam materia ad securitatem, negligentiam, contemptum & fastidium mediorum, quæ Deus adhibere solet, ad gignendum, efficiendumque conversionem (uti sunt prædicatio verbi, &c.) quibusdam verò materia perpetuarum dubitationum: illud absurdum est. Atqui posito, neminem ante converti posse quam reipsa actu convertatur, id fit*: Ergò, &c. Verum rursus merito assumptio tanquam falsa negatur. Nam quod ajunt, *minor ex terminis liquet*: Illud ratione utriusque membri vanum est: & neutrum ab adversariis solidè probatur. Objiciunt quidem ratione primæ partis hoc pacto: *Si ante illam gratiæ irresistibilis actionem, non potest homo converti & illâ positâ statim necessariò convertitur: Ergò non necessaria, imò inutilis est omnis cura de mediis. Atqui verùm est prius. Ergò, &c.* Verum antequam respondeamus, tollenda est ambiguitas. Conversionis enim gratia est duplex, habitualis, & actualis. Prior est, qua homo virtute Spiritus Sancti regeneratur: seu fidei & charitatis virtutibus donatur. Altera est actualis, qua homo jam regenitus, Dei verbo, & Spiritus auxilio, virtutes illas, actu credendo, & diligendo, exerit. Si habitualis intelligatur, damus, ei gratiæ resisti non posse, eamque non solùm certam sed etiam necessariam esse: Sin vero de prima conversione actuali sit sermo; eam certam quidem esse agnoscimus: quia Deus in eum finem convertit, mentem fidei, & cor chatitatis virtute imbuens, ut in actum deducatur: Sed necessariam esse eam operationem negamus. Quia neque necessitate interna, neque externa, sive coactione peragitur. Ac quamvis ei resisti possit & impediri per carnis reliquias, & Satanæ mundique tentationes: ea tamen Deo sapienter, verbo & Spiritu protegente, & adjuvante, non impeditur. Hisce jam distinctis respondemus propositionis consequentiam esse falsam, quia subordinata non pugnant. Nam medium prædicationis Euangelii ad conversionem utramque ordinariè necessarium est; ad habitualem quidem, quoniam licet solus Deus, propriè regeneret, sine cooperatione humanæ voluntatis, (quod volunt adversarii) verbi tamen prædicatio ad eam requiritur, ordinariè, ut antecedens medium efficax ad intelligentiam sensus Euangelii, & ut antecedens adjunctum necessarium, cui Spiritus Sanctus convertere volens, vim regenerationis, in electis ad vitam æternam, conjungit. Unde Euangelium *ministerium Spiritus* dicitur, 2. Cor. 3. v. 8. qui Spiritus, cum Euangelium ab electis auditur, ac sensus illius ex verborum perspicuitate, & attentione intelligitur, eosque convertere intendit, fidem habitualem, erga Euangelium, vivam (qua & veritatem Euangelii intellecti agnoscant, & ad charitatis opera proferenda sint idonei) in iis creat, Eph. 2. v. 8. 9. 10. secundum Novi fœderis promissionem, Jerem. 31. v. 33. Hebr 8. v. 10. & Ezech. 36. v. 26. 27. Atque ita etiam traditur 1. Petr. 1. v. 23. *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per sermonem Dei vivi*: Ubi sermo Dei (id est, τὸ ῥῆμα, Euangelium v. 25.) medium, ac via statuitur regenerationis: Cujus quasi semen est Spiritus Sancti vis, seu efficax operatio, qua regenerat, ut 1. Joh. 3. v. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non perpetrat, quia semen ejus in ipso manet*: Ut utrumque ad Spiritum Sanctum eruditè, & aptè à Clarissimo Beza refertur. Nam quod alii nonnulli insignes interpretes, ad Euangelium accommodant: illud non vi-

non videtur satis constructioni orationis Petri convenire. Non enim expositione quadam ait, *ex semine, ex verbo:* sed distinctè, *ex semine, per verbum.* Sin verò de verbo acciperetur, metaphora esset, qua antecedenti rei adjuncto necessario, rei effectio, per similitudinem antecessionis & eventus, tribuetur, ut 1. Cor. 4. v. 15. *Per Euangelium ego vos genui,* hoc est, Euangelium vobis prædicavi: quo audito, virtute Spiritus Sancti estis regeniti. Atque ita intelligendum quod nostri Doctores, prædicationem Euangelii, regenerationis instrumentum vocant: scil. non propriè: Nam propriè instrumentem est reverà, causa ministra, principali inserviens: sed impropriè, ex usu Scripturæ; quo per metaph. antecedenti adjuncto necessariò, eventus consequentis effectio, tribui solet, ob similitudinem, ut ante diximus, quam cum causa habet Quare licet conversio habitualis omnipotenti Spiritus Dei gratiâ efficiatur; non propterea tamen prædicatio & auditio verbi Euangelii ad eam est inutilis, ut adversarii objectant: imò necessaria, tanquam antecedens adjunctum, quod ad illam Spiritus Sancti regenerantis gratiam, ex ordine divinitus instituto requiritur. Ad conversionem verò actualem quod attinet: eadem verbi prædicatio, & auditio necessaria est, ut fidei & charitatis habitus, regeneratione donati, ad actiones credendi, & diligendi promoveantur. Hoc enim modo, non solùm prædicati Euangelii auditio, est antecedens adjunctum necessarium, ut de conversione habituali ostendimus: sed etiam revera efficax instrumentum, ad fidei & charitatis opera (doctrinæ de Christo propositione, & hortatione promissionum stimulis accedentibus) excitanda ut Rom. 10. v. 14. *quomodo credent de quo non audiverunt* & v. 17. *fides igitur ex auditu, auditus per verbum Dei* & 1. Cor. 3. v. 5. *quid igitur Paulus, quid Apollo, nisi ministri per quos credidistis, & cuique prout Dominus dedit.* Nàm Pauli prædicatio, non solum fuit antecedens, quo posito consecutum, ut Corinthii crederent: sed etiam revera efficax antecedens, seu causa efficiens instrumentalis, idonea, ad actionem virtutis fidei excitandam: quemadmodum causa principalis fuit Spiritus Sanctus, quatenus habitum seu virtutem fidei immanentem dederat, & eam ad actionem proferendam, suo auxilio promovebat, ut 1. Cor. 3. v. 6. 7. *Ego plantavi, Apollos rigavit: sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat, est aliquid* (nempe principale) *neque qui rigat, sed Deus dans incrementum.* Quæ non absolutè, sed comparatè dicuntur, ut v. 9. ostenditur. *Nam Dei sumus administri: Dei arvum, Dei ædificium estis.*

Veruntamen adversus ea, quæ de conversione habituali diximus, alia quædam sunt, quæ objiciuntur ab adversariis: etsi nulla harum distinctionum facta mentione. Ajunt enim *hæc implicare manifestam contradictionem, vi irresistibili, sive immediate conversionem in voluntate hominis effici, per media externa.* Sed primum hypothesi nituntur falsa: quasi conversio ad fidem & charitatem, tantum haberet locum in voluntate: cum ut aliàs ostendimus, fides ad intellectum, charitas ad voluntatem convertendam pertineat. Deinde negamus in hisce contradictionem esse: quia *immediatè efficere* accipi potest bifariam, vel ut significet proximè: ut sensus sit, quod inter efficientem Dei vim, seu actionem & effectam conversionem, nulla media, sive voluntatis liberè eligentis, ut adversarii contendunt: sive alia actio intercedat: vel ut immediatè accipiatur, relatè ad media antecedentia: quo modo nostri non accipiunt: sed priori modo. Ac propterea contradictio non est: sed adversarii, homonymias sophismate ludunt, non ignorantia: sed fallendi studio: ut imprudentes ipsi demonstrant, cum dicunt, *vi irresistibili, sive immediatè conversionem efficere.* Nam cum hæc duo tanquam Synonyma proponant, & vim irresistibilem intelligant eam, quam operantem voluntas humana impedire non potest: satis apparet, nullam esse contradictionem: quia immediata actio, priori modo, media tantum sequentia, seu inter vim efficientem conversionis, & ipsam conversionem intercedentia, excludit. Si quis objiciat non posse dici media antecedentia: solutio est in promptu. Nam si absolutè illud accipiamus, verum est: sin relatè, falsum: hoc enim modo idem potest esse & antecedens medium, & consequens, pro relatione terminorum diversa. Nam ut medium est ac dicitur propriè quod inter duo extrema existit: sic si in conversione hominis habituali (qua mens, fidei, & voluntas, charitatis habitu donato, convertitur) Deum spectemus, ut causam convertentem, atque extremum primum, seu terminum à quo: & actionem Dei, qua convertit, ut effectum illius, atque extremum secundum, seu terminum ad quem: tum horum extremorum ratione, Euangelii prædicatio est medium, ratione quidem prioris extremi, consequens: ratione verò secundi, seu actionis ac gratiæ conversionis est antecedens medium, & quidem adjunctum ex ordinatione divina necessarium, ac metaphoricè instrumentum: non autem propriè loquendo est causa efficiens, quia vis tota conversionis à Spiritu Sancto procedit: Ideoque jam satis clarè patet, uti arbitramur, vanitas Sophistica adversariorum, cum dicunt: *immediata enim actio medium excludit.* Nam verum quidem est, de actione immediata absolutè, hoc est, quæ nec antecedens, nec consequens habet medium: falsum verò est de actione immediata ratione medii consequentis, seu inter illam actionem & effectum intercedentis. Immediata enim actio, hoc est, proxima, seu inter quam & effectum, nullum intercedit medium, habere potest medium antecedens, quod inter agentem Deum & actionem illam intercedat: atque ita una eademque actio, uno modo erit extremum primum: altero verò modo extremum secundum. Ac propterea diversa hæc relatio, omnem contradictionis speciem tollit. Unde perspicuè adversariorum objectiones propositæ diluuntur. Quemadmodum & illa similis, quæ ex verbis Apostoli 1. Cor. 3. v. 9. profertur. *Se,* inquiunt, *appellant ministros, per quos crediderant Corinthii. At si fides est effectum operationis divinæ, & immediatæ, irresistibilis: falsum est, illos ministros fuisse, per quos crediderant.* Negatur Consequentia: quia Apostolus non loquitur de fide habituali, cujus causam immediatam, hoc est, proximam (non autem antecedenti medio carentem) nostri statuunt, actionem Dei regenerantis: sed de fide actuali, Apostolus ait, *per quos credidistis:* Credere autem actio fidei est habitualis, quę per Meton. efficientis, pro effecto, fides, & fides actualis appellatur, cujus causa immediata, hoc est, proxima, non est Deus, nec Dei actio: sed homo fidelis, seu fide habituali donatus, ut supra ostendimus: aliàs non homo fidelis, sed Deus in homine crederet: quod perquam absurdum est. Ac probatio quam adjiciunt adversarii, cum ajunt; *immediata enim operatio ministerium excludit:* ex antepositа distinctione vanitatis convincitur. Unde etiam facile nodus quæstionis, ab iis, adversus nostros, propositę solvitur: *Explicet,* inquiunt, *qua ratione intelligat, externam prædicationem medium esse conversionis, non ut causam, sed ut instrumentum: eo tandem, velit nolit, dilabetur, ut prædicationem externam dicat concurrere, ut medium, ad repræsentandum sensum eundem, quem antea immediatè sine prædicatione impressit Spiritus:* id est, *neutiquam, nec ad sensum nec ad consensum, per se producendum, in voluntate, concurrere: quod est totum ministerium exinanire, & curam ac solicitudinem omnẽ de mediis irrita reddere.* Hactenus illi. In qua nimis confidenti quæstione, ac gloriatione inani, 1. observandum est, sensum ac consensum, (qui actio est mentis propria) voluntati, pro more suo, ineptissimè attribuere. Consentire enim, seu tanquam verum agnoscere, & velle, duo sunt quę subjecto & genere differunt. Deinde confundunt etiam fidem habitualem, & actualem. Deinde falsò nostris affingunt, quasi dicerent, fidem imprimi (sive habitualem, sive actualem) à Spiritu Sancto ante prædicationem Euangelii, cujus contrarium à nostris, cum Scriptura, traditur: ut antea explicuimus. Non concurrere autem Spiritum Sanctum cum hominis operatione, ad fidei habitualis effectionem, tanquam *συναίτια* seu conjunctas causas, verum quoque esse demonstravimus: quia solus Deus causa est illius efficiens; Sed tamen præcedente Euangelii prædicatione, ut medio destinato, & quasi instrumento; non autem propriè accepto: ac si insita sua vi ad efficiendum fidei habitum concurreret: Spiritum tamen Sanctum cum homine concurrere, ad fidei actionem, seu fidem actualem, non negamus: quia remota ac primaria quidem actionis credendi causa, est Spiritus S. tanquam author habitus

bitus fidei, & prædicationis Euangelii: denique auxilii, quo & defendit hominem regenitum, ab adversariis tentationibus, & simul confirmat. Secunda verò ac proxima actionis credendi causa, est homo fidei habitu à Deo præditus. Euangelii vero prædicatio non solum antecedens illius est necessarium, ex ordine divinitus instituto; Sed etiam propriè instrumentum; utpote quod vi insita, hominem habitu fidei præditum, excitat ac stimulat, ad fidei actionem exercendam, ut suprà declaravimus. Ideoque ministerium verbi hac nostrorum doctrina, ut adversarii falso exprobrant, non exinanitur, neque cura ac solicitudo omnis de mediis irrita redditur: sed contrà stabilitur, ut quod medium sit à Deo ad fidem, cum habitualem tum actualem efficiendam, ordinariè institutum. Quare ex hisce satis liquere arbitramur, prosyllogismi adversariorum (quo absurdum è nostrorum sententia enorme sequi contendunt) assumptionem, ratione primæ partis (quasi prædicationis Euangelii contemtus materia suppeditaretur) esse falsam. Quemadmodum etiam, & alteram esse vanam, probationis illius, ab adversariis allatæ, examen, fidem faciet: Siquidem altera pars probanda est hæc: *Si nemo potest converti, antequam reipsa convertatur*, hoc est, (ut initio exposuerunt) *Si ante illam gratiæ irresistibilis actionem, non potest homo converti: eo posito, directè suppeditatur quibusdam materia perpetuarum dubitationum.* Probatio verò quam adferunt, duobus constans membris, hæc est; *quia tum ante, tum post conversionem, dubitandi justa causa dabitur. Ante conversionem, quia qui certus non est, ex ipsa vocatione, an vocetur à Deo, eo fine ut salvus fiat; an eo tantum fine, ut ipsi omnis excusationis ansa adimatur: ille dubius relinquatur necesse est.* Respondemus, illud est alienum à re proposita. Non enim alteram minoris prosyllogismi partem probant: sed aliud, quod non nisi per ambages, & obliquam quandam consequentiam ad rem potest accommodari. Deinde ut obiter nihilominus respondeam: Dei vocatio externa, per prædicationem Euangelii, non suppeditat materiam dubitationis: quia vocatio ad salutem, etsi sit conditionalis, (ut quæ cum conditione fidei vivæ eam promittat) est tamen verissima, cui tutò vocati innitantur. Nam quod excipiunt, *hujusmodi certitudo non sufficit ad hoc, ut quis certus sit, se à Deo vocari, eo fine ut salvetur; an eo tantum fine, ut ἀναπολόγητος reddatur.* Respondemus, vocantis Dei finis est, ut omnes & solos vocationi obedientes seu credentes servet. Quemadmodum Marc. 16. v. 15. 16. non autem omnes absolutè, etiam non credentes. Ac propterea etiam nemo vocatus per Euangelium, jure potest certò statuere, se vocatum ad salutem indubitatò obtinendam, nisi prius fide viva sit præditus; neque propterea tamen Deus, ut obtendunt, simulatè agit, cum eos, qui in incredulitate nihilominus permansuri sunt, vocat: quia vocatione revera viam salutis & officium docet; licet ad illius præstationem vires solis electis suis, promittat ac conferat. Deus enim suo verbo nominatim non revelavit, exceptis paucis, quosnam elegerit, ac fidei virtute donare (ut medio ad salutem efficaci) decreverit: neque quosnam non elegerit, sed in incredulitate relinquere statuerit: qua ratione vocatis nulla occasio suspicionis suppeditatur, quasi Deus simulatè ageret. Nam vocatio seria ac vera est, hypothetica propositione nixa; *si credideris, servaberis*: & ad finem destinata rectum: salutem quidem, si vocatus credat, sive crediturus: sin vero non crediturus, ad ampliorem inobedientiæ ipsius, & in ea punienda, justitiæ Dei patefactionem. Verùm ad alterum probandum procedunt adversarii: nempe eandem dubitationum materiam relinqui, post conversionem: *quia conversi, quantisper non sentiunt vim talem irresistibilem, dubitandi causam habent, an verè conversi sint nec ne.* Verum quia hoc à nostris negari non ignorant; hoc modo probare conantur; *quod alias qui conversi sunt operationem Dei sensissent, qua efficax vel quod esset efficax & irresistibilis operatio.* Respondemus autem, *sentiri aliquid* posse bifariam: vel immediatè per se, vel mediatè per suum effectum aut adjunctum proprium. Lazarus mortuus, à Christo vita donatus, eam donationem non immediatè sensit: sed mediatè, ex motu & actione vitali, Ioh. 11. Sic Sauli cor Deus mutavit, & ille mutatus est in alium virum. 1. Sam. 10. v. 6. & 9. quam tamen mutationem non per se, & immediatè: sed mediatè ex effectis, prophetia, & heroicis motibus ad regendum idoneis, cognovit. Sic etiam regenerationem sui, seu ad fidei & charitatis habitum conversionem (quæ sine cooperatione virium humanarum, intellectus aut voluntatis, à Dei Spiritu peragitur) immediatè nemo cognoscit: ut & Christus quodammodo innuit Ioh. 3. vers. 8. Sed ex effectis & adjunctis propriis sentitur. Effecta sunt fides actualis viva: & charitatis actiones: Ac propterea non opus est, ut immediatè conversionem habitualem sentiant conversi, ut se conversos esse sciant immediatè, & à dubitatione illius sint liberi, ut adversarii obtendunt. Quemadmodum enim ex bonis fructibus arbor bona certò cognoscitur: sic regeneratio ex bonis ac propriis ipsius fructibus, quos in se conversi sentiunt: quemadmodum Johannes Apostolus in prima Epistola copiosè docet, ut cap. 2. v. 29. *Nostis, quicunque exercet justitiam, ex ipso natum esse.* Similiter cap. 3. vers. 7. *qui exercet justitiam justus est, sicut ille justus est*, & vers. 14. *Nos scimus nos translatos esse à morte ad vitam, quia diligimus fratres nostros*, & v. 19. *per hoc*, nempè dilectionis opera, *cognoscimus nos esse ex veritate, & coram ipso reddimus secura corda nostra*, Et v. 13. & 14. *hæc est igitur doctrina ejus, ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios, sicut mandavit nobis. Nam qui servat ejus mandata, in eo habitat, & ipse in eo, & per hoc novimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit*, & cap. 4. vers. 13. *per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.* & cap. 5. vers. 4. *Quicquid natum est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra*, Ex vers. 10. & 11. *qui credit in filium, habet testimonium in seipso, &c. Est autem hoc testimonium, nempe quod vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio est* vers. 19. & 20. *Scimus nos ex Deo esse, & totum mundum in malo jacere: Scimus autem filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus illum qui verax est: sumus in illo verace, filio ejus. &c.* Et Rom. 8. vers. 13. 14. *Si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur, ii sunt filii Dei.* & v. 16. *ipse Spiritus testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei.* Quare ex effectis regeneratio cognoscitur. Quod autem rursus excipiunt; *Si ita est, tum omninò qui convertuntur, sentiunt & experiuntur se irresistibili* (hoc est, omnipotente) *Dei gratia regenitos*: agnoscimus: quia nemo regeneratur (seu fidei & charitatis habitu donatur) à Deo, quin eâdem gratia, ad vivæ fidei & charitatis actiones deducatur; unde certo se regenitum novit. Sed quod addunt, *& per consequens, qui eam non sentit, conversum non esse: ac proinde causam habere dubitandi, an sit conversus* ad illud respondemus: *sentire* accipi posse vel absolutè vel relatè. Qui absolutè, seu nunquam sentit ex fructibus conversionem habitualem, conversus non est: qui verò post primum sensum, postea interdū non sentit, carnis scilicet & Satanæ tentationibus ad tempus impeditus, conversus tamen esse non desinit. Quemadmodum enim ignis sub cineribus densioribus latens non sentitur: & tamen extinctus non est, sed cinere amoto, vires suas exerit: sic etiam in lucta spirituali, idem conversis interdum accidit: quando Deus Spiritus sui gratiam (qua tentationes carnis, Satanæ & mundi graviores frænat,) interdum ad tempus subducit; ut vel castiget, vel probet, atque ad majorem humilitatem, & timorem Dei excitet. Tum enim tentationis vi impediti, ad tempus de conversione sui, interdum dubitant. Sed nec ea dubitatio, ex vitio doctrinæ, de habituali, per solam Dei gratiam, conversione oritur: sed ex infirmitate carnis: Matt. 26. vers. 41. nec perpetua est, sed ad tempus tantùm: quia Deus *non permittit tentari suos, supra vires* (scilicet ut pereant) *sed unà cum tentatione evasionem largitur*, 1. Cor. 10. v. 13. Cum discussa tentatione, fidei vivæ actionem, in iis rursus, suo verbo, & Spiritu opitulante, excitat, ut Psal. 51. vers. 12. 13. 15. Atque ita absurdi enormis exprobratio & probationes illius (quibus adversarii erroris sui probationem concludunt) confutatæ.

Reliquum jam est, ut Orthodoxorum fundamenta (quibus sanam de conversionis gratia doctrinam tuentur) ab adver-

adversariorum objectionibus vindicemus. Prius tamen ad clariorem rerum intelligentiam observandum est, conversionem hominis, citra controversiam esse duplicem: unam habitualem, alteram actualem: & illam quidem, qua habitus fidei & charitatis efficitur: hanc verò qua credendi, & Deum redemptorem per Christum diligendi actiones producuntur. Quemadmodum fides & charitas, vel propriè virtutes immanentes, vel impropriè actiones earum transeuntes notant. Sed de ordine, & efficiendi modo controversia est. Nostri ordine præcedere conversionem habitualem, ad fidei & charitatis virtutes, statuunt; sine qua non simus idonei ad actiones fidei & charitatis exercendas: Contra verò adversarii, actualem conversionem præcedere contendunt. Nostri deinde docent, causam solam conversionis habitualis (seu qua in homine fidei & charitatis habitus efficitur) esse Deum suo Spiritu regenerante: medium verò antecedens & ordinarium adjunctum, esse Euangelii prædicationem, & sensus illius ex eo percepti intelligentiam: Actualis vero conversionis causam principalem esse Deum: proximum verò hominem, fidei & charitatis virtutibus à Deo donatum, ac renatum, earumque potentiâ agentem, verbo Dei excitatum, & Spiritu S. adjutum. Contra verò adversarii contendunt, conversionem habitualem ex crebris antecedentibus credendi & diligendi actionibus acquiri: actualem verò conversionem, partim à Dei gratia sufficiente: partim à naturali liberæ voluntatis potentia & electione oriri docent, adeò ut, à Deo, omnibus iis collatis, (quibus conversionis causa esse solet) liberum sit hominis voluntati credere in Christum ac Deum redemptorem diligere, vel non credere nec diligere Deum, idque etiam à multis fieri.

Hisce jam præmissis, ad fundamenta nostrorum procedemus vindicanda, quæ adversarii adducunt: & in tres classes distinguuntur. Prima est, quod in Sacris literis peccator convertendus, vel ante conversionem suam, ita describatur, ut nihil in eo sit, quod ad conversionem facere, aut conferre quicquam possit; hoc est, conversionis primæ συναίτιον, seu causam cooperantem, non esse ullas naturales hominis non renati vires. Ad quod probandum, ut res sit clarior, prius magis propria Scripturæ dicta adducemus, ex quibus deinde metaphorica facilius cognoscentur. Ac primum de conversione ad fidem, deinde de conversione ad charitatem. Etsi enim hæc sint conjuncta, distincta tamen sunt suis subjectis. Ad prius pertinet locus 1. Cor. 2. v. 14. *animalis autem homo non capit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia; nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* Qui locus est memorabilis, ideoque in eo detorquendo, valdè laborant adversarii. Ac primum distinctione utuntur. *Primò*, inquiunt, *si per animalem sive ψυχικὸν hominem, merè naturalis homo, & omnis divinæ cognitionis expers, intelligatur: perque cognitionem & dijudicationem, theoretica tantum intelligentia sive speculatio divinæ voluntatis, certum esse agnoscimus, hominem animalem non percipere, nec percipere ea posse, quæ ad spiritualem cultum Euangelio revelatum pertinent. Si verò per animalem, homo intelligatur sensibus suis planè & omninò, instar bruti animalis, ut in Epistola Judæ legitur, mancipatus, Spiritum non habens: per cognitionem autem cognitio practica, sive approbatio eorum quæ Euangelio continentur, & à Deo patefacta sunt: certum est, talem non percipere nec cognoscere ex sese,* id est, *suopte judicio approbare non posse, ea quæ Euangelio continentur. Cæterum ex eo non rectè concluditur, animalem hominem, cum ei per Euangelium patefit, & revelatur Dei voluntas, non adipisci à Deo potentiam, qua possit Dei voluntatem clarè patefactam intelligere, & relicto animali genere vivendi, spiritualem vivendi rationem sequi, probare & insistere.* Verùm aliena est præmissa distinctio, & consequentiæ negatio. Nam ad distinctionem quod attinet, ea est duplex; una vocis hominis ψυχικοῦ: altera perceptionis eorum quæ sunt Dei, seu quæ ad salutem pertinent. Ac prima distinctio vitiosa: quia non tam latè patet, quam sententia Apostoli: sed angustior est longè. Apostolus enim universaliter loquitur, de homine ψυχικῷ, animali seu naturali, qualis jam post lapsum naturâ corruptâ existit: anima quidem rationali præditus, sed interna ac spirituali Dei revelatione nondum illustratus: opponitur enim spirituali, qui à Spiritu Sancto veritatis Euangelii notitia donatus, ut de rebus spiritualibus ad salutem pertinentibus rectè possit judicare. ut v. 10. & 12. 13. & 15. Talis autem revelatio veritatis Euangelii, vel est fidei generalis nudæ ac mortuæ: vel specialis ac vivæ. Priori modo reprobis ac damnandis quibusdam convenit. Quales primùm illi, qui in Spiritum Sanctum peccare dicuntur, qui scilicet cognitam Euangelii veritatem, per internam revelationem Spiritus Sancti ad verbum accedentem, eam, suarum cupiditatum amore ducti, contra conscientiam, odio destinato oppugnant, Mat. 12. v. 20. 21. 38. deinde multi in Ecclesia Christianis veris immixti hypocritæ; qui vel sub veritatis professione latent, Matth. 7. v. 25. vel ab ea deficientes se produnt, 1. Tim. 4. v. 1. Contrà verò adversarii sua distinctione particulariter de duobis tantum modis hominum animalium loquuntur. Primus est eorum, qui (ut ajunt) omnis cognitionis divinæ expertes; quales sanè Apostolus, hoc loco, ea circumstantia, non intelligit: sed eos quibus Euangelium prædicatur, & à quibus intellectum est, etsi non creditum, ut sequentia demonstrant. Nam verbis illis: *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, subjicitur, *stultitia enim ei sunt*, ut etiam 1. Cor. 1. v. 18. 21. 22. 23. docetur. Quamvis enim gentiles Deum non nossent plenè, nec salutari usu, 1. Cor. 1. v. 21. aliquam tamen habuerunt Dei notitiam, Rom. 1. v. 19. 20. 21. Judæi quoque principes, licet Dominum gloriæ non cognovisse dicantur: quod non crediderint eum esse verum Dei filium ac Messiam: 1. Cor. 2. v. 6. intellexerunt tamen doctrinam Euangelii de Jesu Christo Dei filio, eaque de causa ipsum condemnarunt, Mat. 26. v. 63. 64. 65. Deinde, quod secundo loco *homines animales* accipiunt, ut in Epistola Judæ vers. 19. ψυχικοὶ, pro hominibus impiis, atque impudenter sceleratis, qui doctrina libertatis Christianæ, 2. Pet. 2. vers. 19. ad Magistratuum contemptum, & luxum, & libidines abutebantur: ita ad paucos tantum animales pertineret, quomodo generalis hæc Apostoli sententia restringi non potest. Quare prima hæc distinctio hominis ψυχικοῦ vitiosa est: partim quia aliena, partim quia angustior. Altera vero distinctio est cognitionis & perceptionis, quòd una sit theoretica tantum intelligentia, aut speculatio divinæ voluntatis: altera verò sit cognitio practica, sive approbatio eorum, quæ Euangelio continentur. Atque hominem ψυχικὸν priori modo ipsorum acceptum, non percipere, nec percipere ex se posse ea, quæ ad spiritualem Dei cultum, Euangelio revelatum pertinent, certum esse, sese agnoscere testantur. Ubi observanda est adversariorum sententia. Nam *ex sese* intelligunt sine prædicatione Euangelii: ut postea clarius patefaciunt: quod prorsus à verbis Apostoli alienum est. Nam ille loquitur de Euangelii prædicati & intellecti perceptione: quia veritatem illius non agnoscunt, sed Euangelium iis stultitia esse dicitur. Deinde si homo animalis secundo ipsorum modo intelligatur, nempe qui sensibus suis planè & omninò, instar bruti animalis, mancipatus, Spiritum non habet: certum esse ajunt, si de cognitione practica, sive approbatione eorum, quæ Euangelio continentur, & à Deo patefacta sunt, agatur; talem non percipere nec cognoscere ex sese, id est, suopte judicio approbare non posse. Quomodo partim, quod è Scriptura à nostris concluditur, confirmant prima fronte: sed fraus latens postea patefiet. Atque hæc de distinctionibus. Ad negationem verò Consequentiæ quod attinet, sic ajunt: *ex eo non rectè concluditur animalem hominem, cum ei per Euangelium patefit & revelatur Dei voluntas, non adipisci à Deo potentiam, qua possit voluntatem Dei clare patefactam intelligere: & relicto animali genere vivendi, spiritualem vivendi rationem sequi, probare & insistere.* Respondemus autem primò, in hac bimembri conclusione prius membrum falsò nobis attribui: docemus enim distinguendam intelligentiam sensus Euangelii, ab assensu veritatis illius. Ad prius enim non necessariam esse vim supernaturalem, ac potentiam aliquam internam Spiritus S. sed sufficere externam Euangelii clarè propositi prædicationem, & attentam hominis, etiam animalis, ingenio valentis, considerationem: Quemadmodum etiam incredulorum Judæorum & gentilium

lium experientia evincit, qui Euangelii (de persona, officio & beneficiis Christi) doctrinam intelligentes, eandem Scriptis suis oppugnarunt. Quamvis interim à præjudicio occupatis ac minus attentis, prædicatio Euangelii perspicua, peculiari vitio non intelligatur. Matth. 13. v. 10. Imò & aliqua ex parte conversis Apostolis ad tempus illud accidisse dicatur, Luc. 18. v. 32. 33. & 34. De intelligentia autem sensus Euangelii non est controversia: neque eam, ex hoc Pauli loco, ab omnibus hominibus animalibus abesse concludimus: sed de perceptione veritatis Euangelii, seu assensione erga Euangelium, quæstio est. Atqui hanc Apostolus hominis animalis viribus naturalibus detrahit & Spiritui Sancto adscribit, 1. Cor. 2. vers. 12. 13. 14. Ideoque meritò concludimus, omnem veritatis Euangelii assensionem generatim à vi non naturali, sed supernaturali ac spirituali procedere: falsoque ab adversariis statui, naturales voluntatis humanæ vires, causam esse cooperantem, ad perceptionem veritatis Euangelii, & cum Spiritus operatione concurrere: ut interim taceam, voluntatem ne quidem renatam, causam fidei rectè dici posse: ut quæ ab ea non oriatur. Ad alterum verò membrum conclusionis quod attinet, illud obscurè ponitur, cum dicunt: *ex eo non rectè concludi, revelato Euangelio hominem animalem, non adipisci à Deo potentiam, qua possit relicto animali genere vivendi, spiritualem vivendi rationem sequi, probare & insistere:* cum clare ex nostrorum sententia, quam oppugnant, dicendum esset, non posse Euangelii veritatem cognoscere: nempe ratione virium naturalium. Nam Spiritui S. per illuminationem mentis, vires præbente, id fieri posse, ac fieri reipsa, oppositione spiritualium apud Apostolum demonstratur. Ineptè igitur argutantur, cum rationibus suis, conclusionis ab ipsis allatæ, contrarium probare student. Prima enim est, quod *quibusdam hominibus animalibus potentiam credendi dari nostri asserant.* Sed hæc ratio nihil ad rem: quia nemo nostrum negat, quibusdam hominibus animalibus potentiam dari credendi fide generali, seu assentiendi Euangelio: Sed contrà statuunt. Deinde quod adversarii, quasi ex nostrorum sententia excipiunt, *at illi sunt electi:* ineptè dicitur. Nam cognitio veritatis Euangelii, seu fides generalis aut est viva, aut mortua, Jacob. 2. Vivam seu per charitatem efficacem electis solis convenire, ex Sacris literis nostri tradunt: mortuam verò quibusdam reprobis: & hæc non minus, quam illa, ex Spiritus Sancti potentia, atque illuminatione procedit. Atque ita secundum quid, ratione notitiæ veritatis Spiritum habent, ac spirituales sunt: etsi maxima ex parte sint animales, ac carnales. Deinde quod attinet ad verba illa, *at illi sunt electi*, respondent quidem, sed ita ut contradictio sit mera sententiæ ipsorum. At, inquiunt, hoc est τὸ κρινόμενον: *nisi electi ad gratiam dicantur. At nos statuimus, in omnibus, qui vocantur*, id est, *ad gratiam eliguntur, potentiam credendi, & assentiendi dari à Deo.* Hæc adversarii. Atqui electi à nostris intelliguntur etiam ad gratiam fidei & justificationis, tanquam salutis medium. Et agnoscimus eis omnibus, qui ita vocantur, id est, ad gratiam eliguntur, potentiam credendi & assentiendi Euangelio dari à Deo. Quarè omnino imprudentes adversarii, dum sententiam oppositam confutare student, eandem, suæ sententiæ repugnantes, suo testimonio confirmant. Altera ratio etiam inepta est hujusmodi, *quod de his expressè dicitur, quod verbum Euangelii pro stultitia habeant, sicut pro offendiculo Judæi,* 1. Cor. 1. *at Euangelium stultitia, & offendiculum esse nequit iis, qui cognoscere non possunt, cum illis revelatur Euangelium, quid sit & quid sibi velit.* Vera hæc quidem agnoscimus, & conclusionis ab adversariis nobis attributæ, prius membrum probant: sed cum in ea re ignoratione elenchi peccent, & nostris falsò tribuant, quod negemus animalem hominem posse Euangelii clarè propositi sensum sua industria intelligere: ineptè in eo confutando occupantur. Tertia ratio est hujusmodi: *quia, si ex eo impotentia percipiendi ea, quæ Dei sunt, concluderetur, quod dicatur aliquis non percipere, quæ Dei sunt: tum de ipso Petro Apostolo jam regenito, dicendum foret, quod non posset intelligere ea quæ Dei erant; quia de illo dicitur, quod non saperet illa, quæ sunt Dei: sed quæ hominum erant, Matt. 16. v. 23.* Sed negatur Consequentia, 1. quia de homine animali simpliciter hoc dicitur opposité spirituali: & Euangelium ei stultitia esse dicitur: Contra verò hoc de Petro dicitur secundum quid, ratione mortis Christi, quam brevi futuram ac destinatam (præjudicio communi Judæorum occupatus) nondum intelligebat. Deinde non solum dicitur ab Apostolo de hominis animalis actu, *non percipit:* sed etiam de potentia illius, *nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur:* quo demonstrat, cognitionem illam non ab humanis, sed à Spiritus Sancti viribus ac gratia procedere. Sed adversarii excipiunt, *illud non obstare, quod dicatur eum non posse cognoscere: quia si de nuda scientia intelligatur, certum est*, inquiunt, *hominem non posse sine Spiritu Dei,* id est, *revelatione quæ per verbum fit, mentem Domini intelligere, uti est versu ultimo: Si de scientia approbationis accipiatur, certum est, rectissime dici, non posse percipere aliquid, vel approbare rem aliquam, qui alienissimo animo est, à re aliqua percipienda: et si fieri possit, ut eam approbaret, & opinione prava deserta, eam amplecteretur, auxilio divinæ gratiæ: quæ in principio, nulli denegatur, qui ad communionem divinorum bonorum vocatur.* Hæc illi: quæ etsi ex superiori distinctionis examine, diluuntur; ut veritas tamen magis illustretur, & adversariorum errores clarius confutentur, paucis ea expendemus. Nam ad prius membrum quod attinet, de intelligentia mentis Domini per prædicationem Euangelii: de ea Apostolus non loquitur: Sed de scientia qua non solum Euangelium intelligitur, sed etiam rectè dijudicatur, ac veritas illius cognoscitur: quemadmodum versus 12. 14. & 15. demonstrant. Ac propterea perperam ab adversariis citatur versus ultimus; quia ille de cognitione mentis Domini loquitur, quæ non solum in illius intelligentia, sed etiam in scientia atque assensione veritatis versatur: *quis*, inquit, *Apostolus novit mentem Domini? nos autem mentem Domini habemus.* Quo dicto, *nos*, distinguit ab hominibus merè animalibus; quorum tamen plurimi sensum Euangelii prædicati intelligebant: sed (quod Spiritualibus Apostolus tribuit) non erant *interius docti à Spiritu Sancto, Spiritualibus Spiritualia conjungentes*, v. 12. nec *Spiritualiter omnia dijudicantes*, v. 14. & 15. utpote, *qui non acceperant Spiritum, qui ex Deo est, ut scirent quæ nobis Deus est gratificatus*, vers. 12. Deinde neque hoc prætereundum, quod ineptè ac falsò adversarii intelligentiam sensus, *scientiam* vocant: quæ tamen sine veritatis rei scitæ certitudine, esse non potest. Neque excusat quicquam, quod additur, *nuda*: ea enim praxin tantum excludit approbationis, ex adversariorum sententia; quæ tamen approbatio rei intellectæ, nisi adsit, scientia non est. Denique quod addunt de homine animali, eum non posse *sine Spiritu Dei*, id est, *revelatione, quod fit per verbum*, mentem Domini intelligere; si verba illa, *Spiritum Dei & revelationem per verbum*, tanquam Synonyma accipiant, ut sensus sit, sine prædicatione ac revelatione Euangelii externa, quæ à Spiritu Sancto habet originem, ut qui docet ac mittit Euangelii ministros: tum omninò alienum hoc est à scopo. Nam ipsi adversarii fatentur (ut ante ex ipsorum verbis ostendimus) Apostolum loqui de iis, quibus Euangelium stultitia est, quique propterea Euangelium ita prædicatum intellexerunt, quid sit & quid sibi velit. Sin vero tanquam diversa statuant, ut sensus sit, sine revelatione interna Spiritus Sancti, conjuncta cum externa Euangelii revelatione seu prædicatione, non posse hominem animalem intelligere sensum Euangelii: tum inquam Scripturæ Sacræ & experientiæ, imò suæ confessioni ante propositæ repugnant. Quare hoc primum distinctionis membrum, à scopo & verbis Apostoli, de quibus agitur, alienum est omninò aut falsum. Alterum verò partim verum, partim falsum. Verum primum est, quod dicunt: *Si de scientia approbationis agatur, certum est, rectissimè dici, non posse percipere aliquem, vel approbare rem aliquam, qui alienissimo animo est à re aliqua percipienda.* Deinde quod agnoscunt, *fieri posse, ut eam probaret, & opinione prava deserta eam amplecteretur auxilio divinæ gratiæ.* Hæc duo rectè nobiscum profitentur: Sed tamen in secundo latet anguis in herba: Subest enim fallacia in auxilii divini definitione; eo enim intelligunt auxilium non perficiens, sed sufficiens: ut homo eo præcedente, naturalibus liberi sui arbitrii viribus possit illud, vel reddere

irritum

irritum & non aſſentiri Euangelio: vel cum eo cooperari, & aſſenſum ſeu approbationem Euangelii perficere. Falſum verò eſt quod attexunt hæc verba: *quæ* (ſcilicet gratia auxilii divini) *in principio nulli denegatur, qui ad communionem divinorum bonorum vocatur:* quo, veritati adverſarios repugnare, ex iis, quæ ab initio hujus controverſiæ diſſeruimus, apparet. Quemadmodum etiam Apoſtolo Paulo, imò & ſuis dictis diſertè contradicunt. Nam ſi homini animali Euangelium prædicatum, & intellectum, nihilominus eſt ſtultitia ante converſionem, & in pleriſque manet opinio ſtultitiæ: quomodo datur omnibus gratia auxilii divini, qua Euangelium poſſint probare, & quidem quod amplius, animalibus ſeu naturalibus voluntatis libere eligentis, viribus? Cur autem addant, *in principio:* ex ſupra dictis patet. nam illud effugium eſt adverſariorum: ut eo argumenta illa eludant, quibus ex Scriptura docetur, multos non potuiſſe credere, Johan. 12. verſ. 39. & alibi, quod ſuo loco ante confutavimus.

Atque hæc ad vindicationem argumenti Orthodoxorum, ex 1. Cor. 2. v. 14. quo probatur hominem, viribus ſuis animalibus ſeu naturalibus non eſſe cauſam cooperantem fidei, atque aſſenſionis Euangelii.

Alterum eſt ex 2. Cor. 3. verſ. 5. ubi Apoſtolus ait: *Nos idoneos non eſſe ex nobis ipſis, ad cogitandum quicquam* (ſcilicet boni) *velut ex nobis ipſis: ſed quod idonei ſumus, ex Deo eſt.*

Ex quo loco noſtri ſic diſſerunt: Qui ex ſeipſis non ſunt idonei, ad cogitandum quicquam boni, velut ex ſe ipſis: ſed quod idonei ſunt, ex Deo eſt: illi multò minus ex ſeipſis, velut ex ſeipſis idonei ſunt ad actum credendi & aſſentiendi Euangelio: Atqui nos fideles, teſte Apoſtolo, ſumus tales. Ergò multò minus ſumus idonei, ex nobis ipſis, velut ex nobis ipſis, ad actum credendi, & aſſentiendi Euangelio: Sed quod idonei ſumus, id ex Deo eſt. Ideoque falſum eſt, quod adverſarii ſtatuunt, ad actum credendi & aſſentiendi Euangelio nos idoneos reddi, partim auxilio gratiæ Dei: partim animali, ſeu naturali liberi arbitrii potentia. Nam ex nobis velut ex nobis, idoneos eſſe: & quod idonei ſumus, id ex Deo eſſe, non autem ex nobis velut ex nobis, manifeſtè hic ſunt oppoſita. Nam idoneos eſſe, nobis quidem tribuitur, tanquam ſubjecto, ſed origo illius potentiæ à Deo eſt, nobis verò derogatur. Atque hæc vis eſt argumenti. Adverſarii verò ſtrictim tantum adferunt locum à noſtris objectum: & ad eum excipientes, primùm: *in textu*, inquiunt, *non legitur vox* boni: *ſed dicitur, non ſumus idonei λογίσασθαι, ſupple dignum, aut par tam grandi & gravi miniſterio* Sed reſpond. vocem *boni* non exprimi quidem, ſed tamen intelligi. Nam quicquid eſt, illud aut eſt extremum, (nempe bonum vel malum) aut medium, quod neque bonum, neque malum. Hic autem neque malum, neque medium intelligi poteſt: quia ad utrumque ex nobis ipſis, à natura ſumus idonei: Ergo ut vera ſit oratio Pauli, bonum intelligitur. Quod etiam inde colligitur, quia id *ex Deo eſſe dicitur.* Deinde quia ſententia univerſaliter à Paulo proponitur, ideoque univerſaliter etiam accipi debet: niſi ratio neceſſaria eandem reſtringat: quæ ratio hoc in loco omninò abeſt, neque ab adverſariis profertur. Nam quod objiciunt, *Apoſtolum loqui de miniſterio ſuo, quo Corinthios ad fidem Euangelii adduxerat, & quaſi Epiſtolam ſuam fecerat, ſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, ante* v. 2. & 3. &c. id eſt, *fecerat prorſus ſpirituales homines:* fatemur in antecedentibus, Apoſtolum loqui de ſuo miniſterio, & fructu illius: Sed inde non ſequitur. Ergo ſententia hæc: *non ſumus idonei &c.* quæ univerſaliter propoſita eſt, non eſt univerſalis: ſed particularis: cum contra conſtet, univerſalem particularem includere, & fortius etiam ad ſcopum probandum pertinere. Deinde contra ſequentia oſtendunt ſententiam hanc univerſaliter poſitam etiam eſſe univerſalem, non particularem: quia à particulari apertè diſtinguitur. Nam ut verſu hoc quinto (de quo diſceptatur) dictum eſt: *ſed quod idonei ſumus*, (ſcilicet ad cogitandum quicquam) *id ex Deo eſt*: ſic particularis ac diſtincta ſententiâ ſubjicitur verſ. 6. *qui etiam fecit nos idoneos miniſtros Novi Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus:* ubi vox illa *etiam*, oſtendit, non ſolum idoneos factos, ad aliquid, ſupple boni ſpiritualis cogitandum; ſed etiam particulare hoc bonum miniſterii. Idque ex eo quoque apparet, quod aliâs inanis foret omninò Tautologia, ſi ex adverſariorum ſententia ſenſus eſſet: quod idonei ſumus ad Euangelii miniſterium, id ex Deo eſt: qui etiam facit nos idoneos miniſtros: unum enim idemque repeteretur. Deinde obſervandum eſt, quod adverſarii de Paulo dicunt, *quod Corinthios quaſi ſuam Epiſtolam fecerit, ſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, &c.* id eſt, *fecerit prorſus ſpirituales:* illud diſertè ab Apoſtolo 1. Cor. 3. v. 1. negatur, cum ait: *non potui loqui vobis, ut ſpiritualibus, ſed locutus ſum vobis, ut carnalibus*, id eſt, ut infantibus in Chriſto. Deinde Paulus quidem ſe miniſtrum Euangelii & converſionis eorum nominat: ob Euangelii prædicationem, qua fidei objectum (ſcilicet doctrinam de Chriſto) propoſuerat perſpicuè, ut eam intelligerent: ſed vim converſionis, ad veritatem Euangelii prædicati atque intellecti, cognoſcendam, Spiritus Sancti illuminantis mentem actioni internæ attribuit, non ſuæ, cum ait, *Corinthios eſſe Epiſtolam à ſe quidem ſubminiſtratam, ſed inſcriptam Spiritu Dei vivi in tabulis non lapideis, ſed cordis carneis.* ut Ezech. 36. verſ. 26. 27. & Jer. 31. verſ. 33. & Hebr. 8. verſ. 10. & cap. 10. verſ. 16. Quam vim Spiritus Dei non eſſe communem, omnibus iis, quibus Euangelium initio proponitur (ut ad locum 1. Cor. 2. v. 14. ante examinatum aſſerunt adverſarii) Apoſtolus hoc loco 2. Cor. 3. v. 14. & 15. declarat, cum de Judæis incredulis (quorum plerique Euangelium audierant) ait: *itaque occalluerunt mentes eorum; Nam uſque ad diem hodiernum, in lectione Veteris Teſtamenti, manet non retectum velamen: quod per Chriſtum tollitur. Sed ad hunc uſque diem, cum legitur Moſes, velamen cordi eorum impoſitum eſt: poſtquam autem converſum fuerit ad Dominum, tolletur velamen.* Præterea ipſimet adverſarii veritatis claritate coacti, ita porrò reſpondent: *Secundò concedimus etiam lubentes, nos ex nobis ipſis idoneos non eſſe ad cogitandum*, id eſt, *excogitandum & inveniendum ullum bonum, ſcilicet ſpirituale & ſalutare: ſed potentiam ſupernaturalem nobis à Deo, ex gratia, ad ſpiritualia intelligendum, volendum ac faciendum ſubminiſtrari. Tertio ad actus etiam graves & miniſterium Apoſtolatus obeundum, ſpecialem rerum multarum revelationem, & inculcationem neceſſariam fuiſſe. Ad gerendum etiam munus tam difficile, Spiritus ſingularem aſſiſtentiam, & corroborationem ſimiliter requiſitam fuiſſe.* Hæc illi: quæ ſi ſincerè intelligant: ſententiam ſuam de animalibus, ſeu naturalibus liberi arbitrii viribus, ad Euangelio prædicato aſſentiendum, cum ſupernaturali Dei gratia concurrentibus, ſubvertunt: ac ſibi contradicunt. Sed fraus in ſermonis ambiguitate latet. Nam potentia ſupernaturalis, à Deo ex gratia data ex adverſariorum mente, primùm eſt prædicatio Euangelii, ſine qua doctrina de Chriſto à nobis intelligi non poteſt: quia prorſus ignota, niſi à Deo per verbum revelетur. Secundò loco, potentia etiam ſupernaturalis eſt ipſis Dei ſufficiens auxilium, quo voluntas hominis adjuta, pro libertate naturali, doctrinam de Chriſto prædicatam, & intellectam, aſſenſu ſuo, ut veram amplectatur aut quaſi falſam rejiciat. Noſtri contrà Scripturæ ductu aſſenſionem Euangelii non à potentia naturali, ſecundum quid, ſed à ſupernaturali omninò oriri ſtatuunt. Atque hæc ad antecedens argumentationis, quod ex 2. Corinth. 3. verſ. 5. petitum. Ad conſequens verò quod inde deduci ſolet, ſic excipiunt. *At verò ex eo non concluditur, neceſſarium fuiſſe, ut Deus actum etiam ipſum, tum fidei, tum functionis Apoſtolicæ, in iis, ea vi efficeret, qua poſita non poſſent non credere, & miniſterio rectè fungi: ſed contrarium potius; quia de idoneitate, ſive aptitudine tantum diſerte textus loquitur.* Verùm reſpondemus, eam non eſſe argumenti, quod adduci ſolet, concluſionem: ſed hanc (ut ſuprà poſuimus, & poſtea in ſequentibus adverſarii agnoſcunt.) Ergò multò minus ſumus idonei, ex nobis, velut ex nobis ipſis, ad actum credendi & aſſentiendi Euangelio: & per conſequens, falſum eſt, quod adverſarii conten-

contendunt, ad actum credendi, & assentiendi Euangelio, nos esse idoneos, partim auxilio gratiæ Dei, partim animali, seu naturali liberi arbitrii potentia: hoc est, partim non ex nobis, partim ex nobis ipsis, id quod Apostoli sententiæ, (cum ait, *non sumus ex nobis ipsis, velut ex nobis ipsis, ad quicquam* supple *boni spiritualis idonei*;) apertè repugnat, ut particularis affirmans universali neganti. Sed excipiunt adversarii, *Hoc non repugnat*, (inquiunt) *iis quæ diximus. Ad actum enim tum cogitandi, tum credendi prærequiri idoneitatem, seu aptitudinem, à Deo ipso, in nobis productam, ad cogitandum & credendum nos non inficiamur, cum in textu disert contrarium dicatur.* Verum hac confessione repugnantiam non tollunt: quia aptitudinis causas fingunt duas, ut ex statu controversiæ liquet: Primam quidem Dei gratiam supernaturalem sufficientem, ac præcedentem: alteram verò animalem, seu naturalem liberi arbitrii potentiam: cum Scripturæ sententia, de qua agimus, expresè homini eam omninò, detrahat, ac Deo opposité ascribat. Verùm alterum addunt commentum: Secundò, inquiunt, *actus cogitandi hic significat actum excogitandi, prout ex verbis textus apparet*, λογίσασθαι ὡς ἐξ ἑαυτῶν. *At verò actus excogitandi plus in se habet, quam actus intelligendi & credendi. Difficilius enim est excogitare, & invenire primum aliquid, quam rem inventam, & excogitatam intelligere, & percipere, ubi clare proponitur: Itaque argumentum à minori ad majus, quod ex hoc loco desumi solet, nullius momenti est, & falsæ hypothesi innixum.* Hæc adversarii, in quibus suis modò dictis satis apertè contradicunt. Nam si verum est, quod ante dixerunt: *Ad actum tum cogitandi, tum credendi, prærequiri idoneitatem, seu aptitudinem à Deo ipso, in nobis productam, ad cogitandum & credendum, nos non inficiamur: cum in textu contrarium dicatur*: Si inquam hæc vera sunt, (uti reipsa vera sunt) quomodo conantur hic contrarium probare, quasi Apostolus sub cogitatione, non actum credendi: sed aliquid amplius nobis derogaret? Deinde vana etiam est probatio, quam ex significatione vocis λογίζεσθαι adducunt, quasi non significaret *cogitare*; sed *excogitare*, & *invenire primùm*: prout sine ullo authore, sine ullo exemplo confidenter nimis asserunt. Nam λόγος à λέγω *dico*, significat propriè *sermonem*, seu *orationem*; & inde metaphoricè, pro *cogitatione*, seu *ratione*, quæ mentis quasi oratio, accipitur. Atque hinc propriè λογίζομαι idem est quod φημίζω, ut ait Hesychius in suo lexico, hoc est, λέγω i. e. *dico*: quemadmodum vocem φημίζω suo loco exponit, inde metaph. notat generatim *cogitare, arbitrari, putare*: ut Hesych. exponit, ἐνθυμοῦμαι. Unde per Synecdo. *rationem subduco*, *computo*, item *imputo*, 2 Cor. 5. vers. 19. aut passivè *imputor*, Rom. 4. vers. 3. & alibi. Denique per metaph à rationibus nummariis, *quasi subductis omnibus colligo*, seu *statuo*, Rom. 3. v. 28. & 8. v. 18. λογίζεσθαι vero significare, *invenire primum aliquid*, ut adversarii exponunt, non facilè ejus probationem invenient, neque in Scriptura, neque in veteribus Græcorum hominum Lexicis, neque in accuratissimo Henrici Stephani Græcæ linguæ thesauro, quicquam hujusmodi comperient: sed contrà, quæ à nobis proposita sunt, luculenter etiam confirmantur. Quamobrem ineptè adversarii in voce λογίζεσθαι effugia quærunt; cum ex communi interpretum consensu, & reipsa, *cogitare*, significet: & frequenter Scripturæ usu ita accipiatur, ut Marc. 11. vers. 31. Actor. 19. v. 27. & 1. Cor. 4. v. 1. & 13. v. 5. & 2. Cor. 12. vers. 6. Neque causa redditur, ab adversariis justa, cur ab hac significatione sit recedendum; præsertim cum jam antea adversarii, ut ex ipsorum verbis ostendimus, rem ipsam concesserint. Perstat igitur nostrorum ex 2. Cor 3. vers. 5. contra adversariorum, de cooperatione naturalium liberi arbitrii virium, in conversionem hominis, ad fidem, argumentum.

Quum non simus ex nobis ipsis, velut ex nobis ipsis idonei, ad quicquam boni, scil. spiritualis cogitandum: multo minus ad assentiendum, & credendum Euangelio. Quod enim obtendunt λογίσασθαι, majus seu difficilius esse quam credere Euangelio; falsa nituntur hypothesi significationis vocis illius, ut modò ostendimus. Ac propterea quod nobis exprobrant, argumentum illud à minori ad majus nullius esse momenti, & falsæ hypothesi innixum: illis ipsis merito competere apparet.

Atque hæc ad secundi argumenti primæ classis ex 2. Cor. 3. v. 5. petiti vindicationem diximus. Consequens est, ut ad alia etiam procedamus.

Tertium argumentum est, ex Luc. 6. v. 18. & similibus locis. Qui mente sua sunt cæci, & tenebræ, seu omninò obtenebrati, respectu lucis doctrinæ Euangelio traditæ; illi non habent in se vires ullas, quibus esse possunt causa cooperans assensionis Euangelii, ac fidei. Hæc enim sunt opposita. Tales autem sunt omnes non regeniti, ante conversionem: ut probat Scriptura, Matth. 4. v. 16. Joh. 1. v. 5. Luc. 6. v. 18. Actor. 28. v. 18. Eph. 4. v. 18. & 5. v. 8. 1. Pet. 5. v. 9. Ergo ante eam, non habent in se vires ullas, quibus esse possint causa cooperans assensioni Euangelii ac fidei.

Adversariorum responsio primum posita est in explicatione phrasis; cum inquiunt, *homines irregeniti dicuntur cæci, in tenebris positi, &c Si metaphoricam hanc vocem vertas in propriam, aliud nihil denotabit quàm rerum divinarum, & voluntatis salutiferæ ignaros, & nescios: ac proinde etiam à timore Dei alienos. At ex eo nihil aliud concludi potest quam eos indigere clara veritatis propositione, ut scientiam consequantur.* Imo verò, inquam, propria cœcitas non solum videndi actum; sed etiam videndi potentiam tollit. Atque ita metaphoram quoque intelligendam, hominis animalis, seu naturalis, non regeniti descriptio evincit, locis jam ante citatis, 1. Cor. 2. vers. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim ei sunt, neque cognoscere potest: Quia spiritualiter dijudicantur.* & 2. Cor. 3. v. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam (sc. boni spiritualis) velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, &c.* Ideoque ut scientiam Euangelii, non renati consequantur, non solùm indigent clara veritatis propositione: Sed etiam interna oculorum mentis illuminatione, seu fidei donatione: ut visu illius, veritatem, clarè, prædicatione Euangelii, oblatam, cognoscant: adeò ut, quemadmodum cœcis ut actu videant, non sola lux oblata sufficit, sed videndi etiam potentia restituta requiritur: Sic etiam se habet in hominis non renati cœcitate spirituali. Quia Euangelium prædicatum, & intellectum ab homine animali, percipi non potest, seu verum agnosci: nisi à Spiritu Sancto cæcitas, donatione lucis fidei interna tollatur. Nam quod adversarii objiciunt: *Si ita argumentum formetur, tum præcise ex proprietate vocis formabitur: unde concludetur, omnes eos, qui cæci dicuntur in Scripturis, non tantum intelligendi potentia opus habere: sed ne posse quidem intelligere: ac proinde nova semper intelligendi potentia opus habere: quod falsum esse evincit clare locus* Apoc. 3. v. 17. *ubi fideles Laodicenses cæci esse dicuntur; non quia nullo modo possent intelligere Euangelium: credebant enim jam Euangelio, & illud profitebantur: sed quod negligentiores erant, in officio faciendo.* Respondemus autem primò, ineptè ac falsò intelligentiam Euangelii, cum fide illius confundi. Prius enim, audito Euangelio, naturales hominis vires non excedit: sed ex Euangelii claritate, adhibita industria, intelligere potest, quænam illius sit sententia, seu quid sibi velit, ut supra demonstravimus, & adversarii agnoscunt. De posteriori verò solum controversia est, an homo suis viribus naturalibus Euangelium intellectum verum agnoscere, ac credere possit. Deinde ad rem ipsam quod attinet, negatur consequentia: quia non simpliciter ex voce argumentamur; quasi cœcus, in Scriptura, metaphoricè semper significaret potentiâ credendi Euangelio omninò destitutum: sed cum de homine non renato, & velut ex seipso considerato, agitur: idque secundum expositionem Scripturæ sacræ, quæ de homine naturali ante conversionem loquens, cœcum mente ita describit: ut non solum ipsi adimat credendi actum, sed etiam potentiam naturalem credendi: ut supra demonstratum. Idque veritatis vi, (licet ei reluctentur hic adversarii) postea etiam fateri coguntur: Sic enim ajunt: *Sed esto, & nos supponimus, à Deo potentiam assentiendi & credendi, concedi iis, qui vocantur.* Ergo inquam frustrà conati sunt, ante dictis suis probare, cum non renati cœci vocantur, propterea potentiam videndi iis non derogari. Quod verò subjiciunt, *At*

quæritur

quæritur de ipso actu visionis, an Deus illum ita efficiat in homine, cum Deus actu videntem illum videre facere vult: non possit nolle videre, sive exempli gratia oculos mentis jam apertos iterum claudere ad conspectum lucis, id est, veritatis. Sed respondemus primò, adversarios ineptè hic tergiversari: quia à scopo quæstionis, ab ipsismet initiò proposito, sophistarum more, declinant ad aliud, de quo hic non disceptatur: ideoque causæ suæ infirmitatem prodere. Nam cum antea tres classes fundamentorum sententiæ nostrorum proposuerint examinandas, ac confutandas; sic de prima classe ab initio loquuntur: *Prima est, quod in Scripturis sacris peccator convertendus, vel ante conversionem suam, ita passim describatur, ut nihil in eo sit, quod ad conversionem ipsius facere ac conferre quicquam possit.* Quo in loco adversariorum notanda est vox *possit.* Cujus rei probandæ argumenta nostrorum è Scriptura subjiciunt, inter alia; quod homo ante conversionem, in sacris literis cœcus vocetur. Quare hinc apertè conspicitur, quæstionem esse de potentia videndi, & potentia ad conversionem valente: non autem de actu solo videndi, ut adversarii fingunt. Cujus autem viribus potentia videndi derogatur, ei etiam actus necessariò derogatur: quia is non nisi à potentia videndi procedere potest ac procedit. Quare quæstio est, ac manet, An homo non renatus suis viribus naturalibus, esse possit, aut sit, causa cooperans conversionis suæ, ad fidem. Adversarii affirmant, nostri negant. Idque ex eo etiam probant, quia cœci instar, omni videndi (hoc est, credendi Euangelio) potentia naturali destituatur. Quæ igitur ab adversariis aberrantibus à scopo præfixo, proferuntur, ea merito omittemus. Hoc tantum observato, quod iterum eorum effugium inane ostendit, quod exempli gratia ponunt, quasi hic de hujusmodi re quæreretur, *An homo oculos mentis jam apertos, iterum claudere possit, ad conspectum lucis, id est, veritatis:* In quo vanitatem suam produnt adversarii, dum statum quæstionis pervertunt. Quæstio enim est, ut ex ipsorum verbis ostendimus, de peccatore ante conversionem, ideoque de cœco, qui lucis conspectu caret. Contrà vero hic fingunt adversarii, quæri de eo, qui jam habet apertos oculos mentis, & conspectu lucis veritatis præditus est, hoc est, secundum quid conversus à tenebris ignorantiæ Euangelii, ad lucis veritatis illius notitiam. Quare reliquis, quæ præter scopum adversarii adferunt, neglectis, & alibi partim tractatis, reliqua expendemus. Objiciunt enim adversus descriptionem illam hominum non renatorum, quod *tenebræ* appellantur: ut Johan. 1. vers. 5. Judæi tenebræ vocantur, quæ non comprehenderunt Lucem: Respondent autem, *nihil aliud notari, quam quod fuerint homines mundani, partim suis præjudiciis, partim suis affectibus, studiisque carnalibus, toti mancipati, qui non aliter vivebant & agebant, quam si omni prorsus divinæ voluntatis cognitione destituti essent.* Respondemus, hanc exceptionem & expositionem veritati repugnare; etsi enim quidam fuerint hujusmodi: id tamen de bona Judæorum parte dici non potest, quia zelo Dei, etsi non secundum scientiam, fervebant, & operum suorum justitiam statuere conabantur, ut Apostolus de iis, Rom. 10. vers. 1. 2. & 3. disertè attestatur. Johannes autem non de paucis, κατ' ἐξοχὴν sceleratis: sed de plerisque loquitur, ut etiam vers. 11. generatim dicit, ratione incredulorum Judæorum: *Ad suos venit, & sui eum non acceperunt.* Sed addunt adversarii: *Sic non comprehendisse lucem dicuntur, non quod beneficio lucis, & gratiæ concessæ comprehendere non potuerint, id est, non potuerint credere Euangelio, quod est verbum, & doctrina lucida, & splendida, tenebrarum, id est, impuritatis omnis expers,* ut 1. Joh. 1. vers. 4. *legere est; sed quod noluerint aut non curaverint credere ei & obedire.* uti Joh. 3. v. 19. *exponetur.* Verùm ut adversarii actum credendi Judæis illis defuisse, non autem potentiam illius statuunt; sic contrà refutantur, eo ipso, quod tenebras dici, (hoc est, omninò obtenebratos) agnoscunt; ac propterea caruisse mentis luce concedunt: ideoque videndi seu credendi potentia. Nam quod regerunt, *Euangelium esse doctrinam lucidam, & splendidam:* fatemur. Sed ea videri à cœcis, & obtenebratis mente non potest. Idque etiam Apostolus Johannes cap. 1. citato satis declarat. Nam ut vers. 14. dixit: *ad suos venit, & sui eum non acceperint.* Et vers. 12. alios contra, qui acceperunt, definivit, *qui credunt in nomen illius, id est, filii Dei;* exponit deinde, unde fides illa oriatur, seu à qua potentia procedat, v. 13. qui (inquit) *non ex sanguinibus, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.* Ac propterea ostendit neminem posse credere, nisi ex Deo sit genitus: ut de ea re postea erit agendum. Deinde qui non habuerunt notitiam Christi, & Euangelii, illi non potuerunt credere. Tales autem fuerunt plurimi Judæi, ut Actor. 3. vers. 17. cap. 13. vers. 27. dicitur. Quod denique adversarii objiciunt, *ex proprietate vocis tenebrarum, hoc non posse colligi, potentiam ad credendum iis defuisse: quia aliàs sequeretur, cum fideles vocentur lux in Domino, etiam illos, nulla ignorantia, nullo errore, nulla macula aut peccato laborare: Imò ne quidem errandi aut peccandi potentiam in iis locum habere posse.* Respondemus, argumentum à nostris non duci, à sola vocis proprietate: scimus enim aliquid posse dici, hoc modo simpliciter, vel secundum quid: sed ratione expositionis vocis metaphoricæ, in sacra Scriptura; quæ hominem, ratione lucis spiritualis doctrinæ Euangelii, cæcum, & prorsus obtenebratum statuit ratione oculorum mentis: ut sine visus, in mente, per Spiritum Sanctum restitutione, actu videre, & credere non possit: ut jam antea ex. 1. Cor. 2. v. 14. & 2. Cor. 3. v. 5. aliisque similibus Scripturæ dictis demonstratum. Quare argumenti à nostris (ex cœcorum & tenebrarum epithetis, secundum Scripturas intellectis) petiti firmitas apparet.

Quartum argumentum ex Matth. 8. v. 22. & similibus.

Qui vitæ spiritualis seu justitiæ salutaris respectu, omnino sunt mortui, illi ad vivificationem sui, & ad actiones vitæ spiritualis seu ad conversionem ad fidem, & charitatem suam, & actiones earum, nihil virium habent, quibus possint cooperari. Atqui omnes homines peccatores, ante sui conversionem, respectu vitæ spiritualis, seu justitiæ salutaris, sunt omninò mortui. Ergò nulli homines peccatores, ante sui conversionem possunt suis viribus cooperari, ad sui vivificationem, seu conversionem ad fidem, & charitatem, & opera earum. Propositionis negativæ veritas, ex aperta subjecti, & attributi oppositione privativa, constat. Assumptionem probant loca sacræ Scripturæ. Nam non conversi ad fidem, seu increduli peccatores, idcirco mortui, Matth. 8. vers. 22. dicuntur: *sine ut mortui,* (hoc est, vita fidei & charitatis privati) *sepeliant suos mortuos* (hoc est, vita corporis cassos) & 1. Pet. 4. v. 6. *Propterea quoque & mortuis* (hoc est, incredulis, ac vita spirituali destitutis) *prædicatum est Euangelium: ut damnarentur quidem secundum homines, carne; viverent autem secundum Deum, Spiritu,* & Ephes. 2. v. 1. *& vos cum essetis mortui, offensis, & peccatis,* & v. 5. *Cum offensis mortui essetis, unà vivificavit cum Christo, &c.* Ut autem huic argumento respondeant adversarii, primò generatim de metaphoricis vocibus, non aliter quam res, & scopus requirunt, exponendis, multa quæ sunt extra controversiam, disserunt. Et deinde ex eo, quod homo peccator ante conversionem mortuus peccatis dicitur, à nostris concludi objectant: *Ergò ineptus est ad sui conversionem: Ergò novæ vires, & nova potentia ei danda est qua converti possit: Ergo non tantum potentia, sed etiam actus conversionis à Deo est.* Deinde ad singula hæc respondent; *concedimus.* Sed interim sub specie consensus, conclusionem pervertunt. Conclusio enim est ea, quam ipsimet adversarii nobis attribuunt initio, nempè *hominem peccatorem ante conversionem sui, nihil in se habere, quod ad conversionem ipsius facere aut conferre quicquam possit,* hoc est, non esse causam Deo cooperantem: sed vires conversionis esse supernaturales, à quibus solis ea procedat: ac propterea non etiam à naturalibus liberi arbitrii viribus, ut adversarii ostendunt: quasi Deus sufficientem ad conversionem gratiam daret; sed ut ea existat, seu ut homo convertatur, concurrere debere naturales, liberi arbitrii vires, Deo cooperantes. Unde satis liquet adversarios sophistarum more, statu controversiæ corrupto, causæ suæ imbecillitatem detegere. Sed spectanda sunt sequentia. Nam attribuunt nobis præter præpositas conclusiones etiam hanc: *Ergo homo non magis impedire potest conversionem*

sui, quam is qui mortuus est sui ex mortuis resuscitationem. At inquam his verbis, rursus adversarii à scopo status controversiæ aberrant: hoc enim à nostris probandum proponitur, *peccatorem nil conferre virium naturalium ad sui conversionem:* ideoque quæstio est, non de potentia resistendi Deo, conversionem operanti: sed de potentia ad cooperandum conversioni. Hanc negamus: illam concedimus, quia carnis cogitatio inimicitia est adversus Deum: adeò ut reliquiæ illius, etiam in renatis, resistant, ac repugnent spiritui, Galat. 5. vers. 17. Sed quamvis insit talis potentia vitiosa peccatori convertendo: ea tamen, à Deo, destinatam conversionem operari volente, superatur: dum carnem seu vitiositatem naturalem, cui auditum Euangelium stultitia est, Spiritus sui regenerantis potentia, bona parte tollit: & cor novum ac Spiritum novum largitur, ut Ezech. 36. vers. 26. 27. 29. & Jerem. 31. & inde, Heb. 8. vers. 10. Tit. 3. vers. 3. 4. 5. 6. de qua re pluribus supra in refutatione superiorum egimus. Deinde quod ajunt: *En hac ratione in proprietate vocis mortui, totum præsidium argumenti positum habent:* Illud apertè falsum est. Nam vis argumenti posita est, ut ostendimus in similitudine, seu convenientia mortui, ratione vitæ corporis propriè, & mortui ratione vitæ spiritualis metaphoricè: quemadmodum similitudinem sacra Scriptura exponit Ea autem est hæc, quod ut mortuus propriè ad vivificationem sui cooperari non potest, nec actiones vitales edere, quia vita corporali destituitur: Sic etiam peccator convertendus, ac spiritualiter mortuus, vita spirituali imaginis Dei, seu justitiæ ac sanctitatis, omninò privatus, non potest actiones ullas vitales justitiæ ac sanctitatis edere, ut de viribus naturalibus, 1. Cor. 2. v. 14. & 2. Cor 3. v. 5. disertè traditur. Et Ephes. 2. vers. 2. Homines convertendos, *mortuos peccatis* vocat, non moribus tantum: sed naturâ etiam: unde *natura filios iræ*, id est ob vitiositatem naturæ, iræ Dei obnoxios asserit, Et v. 8. *Fidem non ex nobis, sed Dei donum esse: non ex operibus, ne quis glorietur.* Cujus rationem reddens ait: *Ipsius enim opus sumus, creati per Christum Jesum, ad bona opera, quæ præparavit, ut in iis ambulemus.* Quocirca quod adversarii objiciunt, ineptè hoc à nobis fieri quod totum præsidium argumenti in proprietate vocis *mortui* ponamus: ipsimet contra ineptè falsa nituntur hypothesi; quia non absolutè vocis proprietatem, sed expositionem Scripturæ spectamus, & eatenus vocem illam accipimus: atque ex ea, sic exposita, solide argumentamur. Quare paralogismo elenchi impingunt adversarii. Interim tamen non inutile erit, si argumenta ipsorum nonnihil ad clariorem veritatis defensionem expendamus. Primum est hujusmodi: *Si conversionem hominis Deus eodem modo efficit, quo mortuum suscitat: Ergò Deus non mandaret nec præscriberet homini: ut se convertat, & resurgat à mortuis, sub seria promissione præmii excellentissimi, & comminatione pœnæ atrocissimæ. Atqui Deus præscribit, & mandat, sub seria promissione vitæ æternæ, & comminatione æternæ mortis homini, ut se convertat & resurgat ex mortuis. Ergo. Minor est in Epist. ad Eph. 5. v. 14. Excitare qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus. Ratio majoris, ex figura petitur, quia stultè præscriberetur mortuo sub comminatione pœnæ æternæ, & promissione præmii maximi, ut ex morte & sepulchro resurgeret.* Sed respondemus, primò supplendam & exponendam esse conclusionem adversariorum; ea autem plena est hujusmodi: *Ergo conversionem hominis Deus eodem modo non efficit, quo mortuum ex morte suscitat.* Ad sensum verò quod attinet; si verba illa, scil. *eodem modo*, pro absolutè, & omni modo intelligant; tum paralogismum elenchi, ut dictum est, committunt. Nec enim dissentaneam à sententia nostra, sed consentaneam conclusionem inferent. Nec enim nostri id statuunt, quod adversarii negant: Agnoscimus enim differentiam nonnullam esse inter mortuum propriè, seu vita corporali destitutum, & mortuum Spiritu metaphoricè, seu vita imaginis Dei ac justitia privatum. Nam prior non est obligatus ad suscitationem sui: ideoque ei mandari suscitatio, proposito obedientiæ præmio, & inobedientiæ pœna, jure non potest. Posterior verò ad sui vivificationem & actiones vitæ est obligatus: quia à Deo, in creatione, imagine ipsius seu vita spirituali justitiæ, donatus, eam servare, eâque Deum, ut summum bonum & creatorem suum beneficum, ac Dominum, vita spirituali colere; ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus est obligatus: & ab eo vinculo, imaginis ac justitiæ per lapsum amissione, minimè liberatur: Sed nisi obedientiam illam præstet, iram Dei subire tenetur, ut in superioribus suo loco, pluribus est demonstratum. Sin vero illa verba, in conclusione, nempè *eodem modo* adversarii intelligere velint, ut à Scriptura & nostris exponuntur, nempè, eodem modo; non absolutè & universaliter; sed certo modo; eodem videlicet, quod mortui propriè; & peccatores ante conversionem mortui metaphoricè, eodem modo certo suscitentur: Primum, quod neutrius potentia naturali insita, sed sola Dei omnipotentia suscitentur ac vita donentur; tum in eo sententiam nostrarum Ecclesiarum agnoscimus, & quidem (ut antea ex Ezech. 36. Jer. 31. & utraque ad Corinth. probavimus) Scripturæ consentaneam. Quod etiam Apostolus, Eph. 1. 19. & 20 declarat: cum ait: *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius, in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortitudinis roboris,* (id est, fortitudinis robustæ, per Hebraismum) *ipsius, quam exeruit in Christo, cum excitavit eum ex mortuis.* Deinde eo etiam modo conveniunt utrique illi mortui propriè, & impropriè, nimirum quod quamvis per se utrique sint omnino impotentes, ad actiones vitæ suæ edendas: quod nihilominus tamen nec frustra, nec insipienter, iis, quos Deus vivificare vult, mandetur ab eo, ut suscitentur à mortuis: quandoquidem simul cum mandato externo, reddens per divinam suam potentiam, vitam internam, idoneos ac potentes efficit ad mandato parendum: ut exemplo Lazari patet, Johan. 11. Nam ut vers. 43. Christus præcepit, ut foras prodiret mortuus: sic vers. 44. obedientia præcepti exprimitur, cum subjicitur: *& mortuus ille* (aut potius qui mortuus fuerat) *exivit.* Quale etiam exemplum Luc. 7. vers. 14. 15. Sic eadem hac ratione hominibus vita spirituali carentibus, atque ita mortuis, officium mandatur à Deo per verbum, ut surgant: seu actiones vitæ spiritualis, fidei & charitatis exerceant, & simul in electis interius per Spiritum Sanctum regenerando, & sanctificando mentem ac voluntatem, seu fidei & charitatis virtutes, tanquam vitam spiritualem donando, idoneos ad actiones vitales edendas reddit. Atque hac in re convenientia est; hæc spectantur à nostris: & hujus contrarium erat adversariis concludendum. Quare ut ad antecedens strictim accedamus, si in propositionis antecedente, verba illa: *eodem modo efficere,* intelligantur absolutè, & simpliciter, eo prorsus modo: (ut probatione subjecta, & à nobis modo relata, sese intelligere exponunt) tum paralogismo elenchi ineptè ludunt, neque nostram sententiam, sed suum figmentum oppugnant: Sin verò ea verba (nempè *eodem modo efficere*) accipere velint, quemadmodum ex nostrorum explicatione debebant, ut rectè dissererent, tum falsa erit propositio. Nam licet mortuus corpore & mortuus Spiritu, seu ratione imaginis Dei, ac vitæ justitiæ, eodem solius supernaturalis potentiæ Dei, non autem naturalium virium modo, vivificentur & actiones vitæ suæ edant: inde tamen non sequitur: Ergò Deus non mandaret homini, sub comminatione, & promissione, ut se convertat, & resurgat à mortuis; quia etsi peccator ante sui conversionem non possit resurgere à mortuis, ac se convertere suis viribus: juste tamen & sapienter Deus hoc ei ita mandat: quia hoc est hominis officium, qui vires illas in creatione à Deo accepit, ut obedire posset, & suo vitio perdidit: Sed Deus jus suum ea ratione nequaquam perdidit. Ideoque mandando declarat hominis officium, quod sibi debetur: non autem hominis efficaciam seu parendi vires. Eas enim in convertendo non invenit, sed in eo quem convertere destinavit, efficit: cum vitam spiritualem per regenerationem donat, atque ita hac vita donatum ad actiones vitæ illius, idoneum reddit, & adjuvat; partim exterius verbo, per declarationem officii, & stimulum promissionis, & comminationis excitando: partim interius, Spiritu suo Sancto tentationes frænando, & motibus sanctis firmando, ad actiones vitæ spiri-

spirituales edendas promovet. Quemadmodum Lazaro mandavit, ut surgeret, externa voce: & interius vita donando, ut mandato pareret, effecit, ut ante monuimus. Quod enim objectant adversarii, *mandatum hoc, non fuisse propriè dictum mandatum; quia comminatione, & promissione non fuit sancitum*: illud inquam vanum est. Nam mandare propriè est generatim aliquid alicui præscribere: sive conditio promissionis præmii, & comminationis pœnæ adsit, vel absit. Hoc enim ad mandandi significationem nihil pertinet. Sic Christus obedientiam prodeundi foras, & per consequens ante surgendi à Lazaro postulavit; & Lazarus Christi potentia, vita donatus, illud præstando obedivit: ac propterea mandatum non fuisse propriè, quonam pudore negant adversarii? Quod deinde secundo loco addunt, *mandato huic*, (nempe ut surgeret, quemadmodum ante ab adversariis propositum) *non obediebat propriè Lazarus, cum reviviscerer: non magis quam infans, cum nascitur, aut mundus, cum crearetur*. Respondemus, elenchi paralogismo rursus, ut antea sæpius, ludere adversarios, cum vocem *surgendi*, cum voce *reviviscendi*, seu *recuperandi vitam* confundunt: quasi scil. nostri, ea pro Synonymis haberent, aut necessariò habenda essent: cum contra hæc duo inter se, ut effectum & causa illius, manifestè differant. Nam vivificatio Lazari actio fuit potentiæ divinæ Christi, non Lazari: eamque ei non mandavit: quia Lazarus ad id non erat obligatus, nec etiam idoneus: sed surgendi actionem, ac prodeundi foras (ad quam vivificando idoneum reddiderat) ipsi mandavit: & ipse jam vita donatus, mandato obediens, eandem surgendo præstitit. Quod autem à nostris dicitur, *quod mandando Deus efficiat, ut se convertant homines*: Adversarii objiciunt, nostros dicere, *mandando, Deum non posse efficere, ut mortuus peccatis convertatur, quia mandare, tantum actus externæ gratiæ est, quæ per se, ad conversionem ut causa non magis facit, quam lux ad cæcum illustrandum*. Respondetur adversarios, eodem elenchi paralogismo, impingere. Nostri enim loquuntur de conversione actuali, quæ est jam conversione habituali donati: ut verba jam proposita ostendunt; nempè *ut se convertant homines*. Cujus actionis instrumentalis est mandatum, ut ante ostendimus. Contra verò adversarii opponunt, quasi huic repugnantem, aliam nostrorum sententiam, quæ de conversione habituali agit, qua mortuus in peccatis convertitur. Cujus conversionis causam efficientem, propriè Deum solum nostri statuunt: non autem mandatum Dei; quod tantum est antecedens, adjunctum, in iis, qui vita spirituali, seu habituali conversione à Deo donantur, hoc est, regenerantur. Impropriè verò per metaph. ob similitudinem adjuncti proprii, cum causa instrumentali efficiente, mandato ac doctrinæ Euangelii, quasi causæ instrumentali, regeneratio nostri, 1. Pet. 1. v. 23. & ministro Euangelii, apertio oculorum, conversio à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum Act. 26. v. 18. tribuitur. Et quia in convertendis conjunctam habet Spiritus Sancti efficaciam, qua vita spiritualis à Deo donatur; idcircò Euangelium etiam *ministerium Spiritus, qui vivificat*, 2. Cor. 3. v. 5. 8. appellatur, non autem quasi in omnibus, quibus Euangelium illud primum annunciatur, eadem vis adesset; ut adversarii falsò statuunt. Nam alioqui ratione insitæ externo Euangelii mandato potentiæ, non magis mortuo in peccatis ad vivificandum est efficax per se, quam lux externa ad internam videndi oculorum potentiam cœco dandam: sed ut lux, visu reddito, ad actionem videndi est efficax: sic lux Euangelii homini per conversionem habitualem, visu spirituali donato, ad actum videndi efficiendum, cooperatur. Sed rursus excipiunt adversarii, *imò eo ipso, quod Deus mandat, sub promisso præmii, & comminatione pœnæ, ut homo se convertat, non potest velle efficere conversionem ea efficacitate; quæ vi sua effectum necessariò sortitur*. Verùm respondemus, si conversionem actualem intelligant, elenchi paralogismus est: nam licet nostri dicant, in iis, quos Deus primum conversione habituali donavit, quod hoc in eum finem fecerit, & eò etiam dirigat, ut homo actu convertatur certò: non tamen statuunt, necessariò: ut suo loco ostendimus. Verùm si de habituali accipiant, sententia adversariorum falsa est: neque rationes eorum, quas adducunt, firmæ sunt. Prima enim est: *quia* (ut inquiunt,) *Deus eodem tempore vellet, ut homo se converteret, & nollet. Ratio est*, (ut addunt) *quia si Deus ipse ea potentiâ vellet hominem convertere, hoc ipso nollet hominem se convertere: quia utrumque simul velle non potest; vellet enim ut unus idemque effectus, uno eodemque tempore, à duabus totalibus causis dependeret*. Respondemus, sophisma esse homonymias, in voce *volendi*. Nam *velle*, aut *amare*, seu *approbare* notat: & per metonym. subjecti signati, pro adjuncto signo, *mandare*, aut decernere. Atque ita, pro diversa illa significatione vocis, Deus, sine ulla contradictione, idem potest velle, & non velle. Sicut vult, id est, ut bonum probat & mandat conversionem peccatoris, Ezech 33. v. 11. & tamen plurimorum peccatorum conversionem non vult, hoc est, non decrevit: sed contra decrevit, in peccatis suis eos relinquere: quemadmodum revera reliquit: ut omnes gentes ante Christi, & Apostolorum tempora, sivit ambulare in viis suis. Actor. 14. v. 16. ut igitur hæc ad objectionem accommodemus: optimè hæc conveniunt, ut Deus dicatur, eodem tempore, posse velle, approbando, scil. & mandando officium, ut homo se convertat: & tamen non velle, hoc est, non decernere, ut homo hoc efficiat: alioqui sequeretur, nullam posse esse inobedientiam: quia Deus *impietatem non vult*, Psal. 5. v. 5. hoc est, non amat, sed odit, v. 6. & tamen impietatem decrevit, seu vult: non quidem efficere, sed justè permittere ac regere: ut experientia probat, ut etiam 1. Sam. 2. v. 25. dicitur: *Filii Eli non audiverunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*. Ad eos autem quod attinet, quos Deus ipse regenerat, eorum regenerationem à se fieri vult, hoc est, decrevit: *omnia enim facit secundum consilium voluntatis suæ*, Eph. 1. v. 11. Atque hoc sensu ab homine convertendo ea fieri non vult: quia hoc non decrevit. Alio tamen sensu, ab eodem hoc fieri vult, hoc est, tanquam officium probat, ac mandat; ut homines, quid debeant, norint: imò ut aliàs ostendimus, etiam à verè fidelibus, in hac vita, non minus, quam ab infidelibus vult Deus amorem ex toto corde, tota cogitatione, & omnibus viribus: quia hoc probat & mandat: & tamen hoc ipsum Deus non vult, hoc est, non decrevit, in iis sua potentiâ efficere; neque etiam decrevit ut ab iis fieret. Hoc enim in hac vitâ à fidelibus, ob carnis reliquias, adversus Spiritum reluctantes, & quia nemo peccato caret, fieri non potest. Quare hinc etiam apparet, adversarios ambiguitate vocis *volendi* abutentes, frustra veritati reluctari: dum hæc duo inter se convenire posse, impossibile esse objectant. Sed alteram adjiciunt rationem hujusmodi: *quod ipse Deus per actionem insuperabilem operari vult in homine, illud non cadit sub actum hominis: at quod mandatur, cadit sub actum hominis. Ergò*. Propositionem majorem, quæ controversa non est, operosè probant adversarii: Minorem verò quæ falsa est, quasi certissimam, ac confessam, ne verbo quidem firmare conantur. Nam mandata officium notant; non autem semper vires eorum, quibus mandatur, ut jam anteà ostendimus: Idque vel ex illo etiam evincitur, quod Christus, Joh. 12. vers. 36. Fidem auditoribus incredulis mandat, cum ait, *dum lucem habetis, credite in lucem*, & tamen Euangelista non solum ait, v. 37. *Eos non credidisse in ipsum*. Sed etiam v. 39. subjicit, *non potuisse credere in ipsum*. Tertia etiam ratio invalida est, cum ajunt: *quia ridicula foret promissio præmii, & pœnæ comminatio. Nec enim pro argumento serviret, quo moveri posset homo ad conversionem: nec pro instrumento, quo conversio quæ mandatur effici potest*. Verùm negamus ridiculam fore promissionem præmii, & comminationem pœnæ: quia Deus mandando officium, promissione sua eventum obedientiæ illius felicem: & comminatione in obedientiæ infelicem docet generatim: Speciatim verò electos convertendo suo Spiritu, ad officium reddit idoneos, & salutis promissæ capaces. Neque enim ad conversionem habitualem seu regenerationem, tanquam argumento movere vult peccatores, ut seipsos convertant, seu vivificent; hoc enim solius Dei opus: etsi sit hominis officium, Deo debitum: ideoque mandatum Dei, ad hanc rem ut homo seipsum regeneret, instrumentum non est propriè loquendo: (ut supra pluribus à nobis declaratum) sed tan-

 tum im-

tum impropriè ac Metaphoricè, ut adjunctum antecedens: cui in convertendis electis, certò à Spiritu Sancto regeneratio accedit. Quod autem ad actualem conversionem (seu credendi & Deum diligendi actionem) attinet; ad eam excitandam, mandatum Euangelii, promissione & comminatione adjuncta, inservit, & revera illius instrumentum est efficax. Ac propterea infirmitas etiam hujus rationis elucet. Atque hæc de rationibus tribus, quibus adversarii nostrorum, adversus primum ipsorum argumentum, responsionem refutare nituntur; quo argumento probare conati sunt, Deum conversionem hominis, non eodem modo efficere quo mortuum suscitet. Secundum autem argumentum, quo idem probare moliuntur, est hujusmodi: *Si actus conversionis sive conversio à solo Deo producente, & efficiente dependeret, uti resuscitatio mortui à resuscitante: jam actus conversionis, vel conversio ipsa, homini converso ab ipso Deo tribui nullo modo posset; nedum præmium aliquod respectu actus illius homini converso tribui. Atqui tribuitur homini converso actus, & præmium respectu actus illius ei à Deo dandum dicitur. Ergo.* Respondetur, distinctione propositionis; Conversionem quatenus habitus est, à solo Deo fieri, qui virtutes fidei & charitatis regeneratione per Spiritum Sanctum solus efficit; atque ita homini non renato minimè tribuitur; quia privatus vita Spirituali justitiæ, ejus à Deo infundendæ, subjectum quidem est: sed causa cooperans esse non potest. Atque ea in re, impotentiâ mortuo similis est. Atque ita intellecta propositio confirmatione opus non habet. Sed assumtio tum est falsa. Sin vero conversio intelligatur actualis: seu actiones virtutum fidei & charitatis; tum est sophisma elenchi, nec enim concluditur sententia nostræ contradicens: quia Deum statuimus, actualem in nobis conversionem efficere, non eo modo quo suscitationem mortui: quasi solus ipse efficeret. Nam causa prima quidem est ac principalis atque etiam adjuvans: sed homo causa cooperans proxima: quia actualis conversio est actio Dei & hominis, non mortui in peccatis, sed suscitati ac conversi, seu vita spirituali à Deo jam donati; cujus vitæ vi & à Deo adjutus, actiones vitales credendi & diligendi Deum edit. Quare vanum omninò est, quod ad hæc adversarii respondent: *Hæc est*, inquiunt, *quorundam Contraremonstr. Theologia.* Imò constans est omnium nostrorum sententia. Nam Catechesis Ecclesiarum nostrarum, ad quæst. 8. responsione, regenerationem, qua ad benè agendum reddimur idonei, ut causam, apertè distinguit à bonis actionibus, ut effectis consequentibus. & quæst. ac respons. 43. conjuncta cum 45. & respons. 70. & 87. Ex quibus locis doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, quam adversarii à teneris didicerunt, ac diu docuerunt, perspicuè etiam apparet, calumniam esse quod ajunt, *quosdam nostrum pressos argumentis pluribus, huc tandem venire compulsos.* Quis enim nostrum hanc doctrinam toties inculcatam in Catechesi, & ex verbo Dei petitam negavit? & quomodo credibile est, quenquam dixisse Deum in nobis fidei actionem efficere, ut vitam in mortuo efficit; cum sole clarius sit, hominem credere in Christum, ac Deum per Christum Redemptorem diligere: idque omnes fateantur: quo modo solum Deum illius actionis causam efficientem, excluso homine, vocabunt? Hoc igitur non est controversum, an homo credens in Christum, & Deum ut Redemptorem diligens, actionum harum etiam sit causa efficiens: sed de viribus quæstio: an actiones illæ ex naturalibus voluntatis liberæ eligentis viribus, (ut adversarii volunt) efficiantur. An verò ex supernaturalibus Spiritus Sancti viribus, habitum justitiæ seu fidei, & charitatis indentis, & ad actiones earum adjuvantis, oriantur tantum. Ut enim Lazarus (quod aliàs monuimus,) mortuus, à solo Christo vero Deo vivificatus est: non autem ad vitam suam est cooperatus; quod viribus esset destitutus: vita tamen donatus vi illius vitæ jam acceptæ, & mandati Christi instrumento, surgendi & prodeundi actionis causa fuit: Eodem modo se habet in vivificatione seu regeneratione spirituali nostra, & vitalibus (seu fidei & charitatis) actionibus. Illius enim Deus solus est effector; harum verò Deus ut vitæ, tanquam principii author, & ad actiones vitales excitandas adjutor, causa earum est principalis: homo verò vita spirituali jam donatus à Deo, & auxilio illius præeunte ac comitante, illius viribus, actionem vitæ proximè producit: seu credit in Christum, & Deum suum redemptorem diligit. Cæterum Adversarii objiciunt: *Sed tamen nihil ipsos juvare potest*, inquiunt, *ipsorum εὕρημα. ratio est: quia dato, sed non concesso, fidem in primo instanti conversionis, ut habitum infundi; quæreretur nihilominus semper, annon homo verè conversus & regenitus dicatur, quod habitum illum habeat?* Respondetur autem, eo modo conversum esse verè: non tamen simpliciter, sed secundum quid, ratione scilicet habitus: nondum verò ratione actus ex eo promanantis: qui actus seu quæ actio finis est habitus illius, atque effectum consequens. Eoque modo diluitur id, quod adversarii excipiunt; *si concedant* (inquiunt) *jam necessariò sequetur, actum illum non mandari: nec ex mandato necessarium esse, ad hoc ut homo convertat se: quia conversio absoluta ac perfecta jam est.* Hoc inquam responsione data diluitur. Nam ut mandatum conversionem antecedit; sic utramque & habitualem & actualem ut officium hominis præscribit: ut eo modo perfecta sit & absoluta conversio, si partes spectemus. Et illam Deus ex gratia regenerando solus efficit: hanc verò in homine & cum homine renato cooperatur. Ac propterea quod refutare conantur: si negemus hominem verè conversum dici, eo ipso quod habitum illum habeat, illud alienum est: quia talem verè conversum agnoscimus: sed conversionem absolutam ac perfectam negamus: quia actus ad eam rem requiruntur. Imò ne ipse quidem habitus conversionis ratione graduum absolutus ac perfectus est ratione sui: sed inchoatus tantum, ac paulatim absolvendus; quia carnis seu vitiositatis nativæ adversus Spiritum repugnantis, reliquiæ in conversis illis (seu fidei, & charitatis virtutibus donatis) hærent, Rom. 7. Gal. 5. Quare hæc frustrà ab adversariis dicta. Non abs re tamen erit, si probationem eorum, quæ obliquè partimque nostros attingit, paucis expendamus. *Si negent*, inquiunt, *tum necessariò sequitur, actus illos, vel fluere necessario necessitate consequentiæ ex habitu illo; vel liberè ita produci, à voluntate habitu illo informata, ut possit eos non producere. Si illud dicatur, eadem manet difficultas: Si hoc, tum evertitur dogma eorum de absoluta quorundam electione, ex ipsis Contraremonstrantium principiis.* Resp. ad propositionem, quoniam antecedens illius concedimus, consequentia nos non attingit. Sed ad consequens quod attinet, agnoscimus membrum illius primum, nempe actum conversionis (id est, actualem fidem & charitatem) non fluere necessitate consequentis, ex habitu illo, hoc est, ex fidei & charitatis virtutibus: sed persuasione verbi, & auxilio defendente & firmante Spiritus Sancti. Alterum verò membrum ex parte falsum est: neque etiam sequitur ex antecedente; ideoque consequentia nulla. Falsam autem esse, ex parte inde constat: quia primæ partis conversionis, seu habitus fidei subjectum non est voluntas; ideoque eam non informat; sed subjectum habitus fidei est intellectus; ac propterea voluntas dici non potest, actionem fidei liberè producere: cum illius non sit actio credere. Quod verò ad charitatis habitum attinet, illum in voluntate (seu rationali appetendi potentia) esse, eamque informare, ut accidens suum subjectum, & actionem illius liberè producere, verum est. Neque propterea tamen (ut objectant) *dogma nostrorum de electione certa*, (quam ambiguè ac captiosè adversarii *absolutam vocant*) *evertitur:* neque syllogismo suo, quem adducunt, illud demonstrant, hoc pacto: *Qui se liberè* (inquiunt) *habet ad medium electionis executioni destinatum: ita ut possit illud producere, & non producere, is potest non salvari. At qui se libere habet, ad actus illos, quibus conversio perficitur & absolvitur, vel sine quibus conversio hominis absoluta non est, ita ut possit eos producere, ille se habet liberè ad medium electionis executioni destinatum. Ergo.* Sed respondemus ignoratione elenchi, adversarios à re proposita declinare. Probandum enim erat, posita conversione actuali libera, dogma nostrorum de electione certa everti; eo verò relicto, probant, conversionis habitu donatum, posse non salvari: quod ambiguè dicitur, nempe vel per se considerando, vel per accidens: Si per se consideremus tantum, agnoscimus hominem conversum posse non salvari:

quia

quia habet in se causam illius efficientem, nempe carnem (seu reliquias vitiositatis nativæ) repugnantem Spiritui, Gal. 5. seu fidei & charitati à Spiritu Sancto donatæ: adeò ut licet Spiritus sit carne solâ potentior in renatis: Si tamen accedat externa Satanæ & mundi tentatio, Spiritus succumberet, nisi auxilium Dei accederet: atque ita homo consideratus, & posset perire & periret, Matth. 26. v. 41. Luc. 22. v. 31. & 32.

Per accidens verò destinati, promissi, atque accedentis tempestivè auxilii divini exterius per verbum & castigationes: interius verò per refrænationem tentationum, & confirmationem Spiritus) fieri non potest, ut vere conversi non salventur. Quo respectu dicitur Matth. 24 v. 14. *Si fieri posset, etiam electi seducerentur: sed propter electos* (ne scilicet pereant) *contrahentur dies*: ut traditur v. 22. scilicet afflictionis, ne illæ graviores sint, quam ut ferre valeant, ut 1. Cor. 10. v. 13. & 11. v. 32. Matth. 26. v. 41. Luc. 22. v. 32. & electos potentiæ suæ præsidio conservat, per fidem ad salutem 1. Pet. 1. v. 5. & quasi in manu sua potentissima, adversus raptores, carnem, Satanam, mundum retinet, ac tuetur, Joh. 10 v. 28. 29. Quare verè conversus per se, ratione virium, quas in se habet, posset à carnis, Satanæ, mundi tentationibus superari, ac perire: per accidens verò gratię conversis promissæ, seu potentię Dei conservantis, non potest perire: & quia ea gratia certò adest, idcirco etiam nunquam perit. Unde quoque apparet, falsò ab Adversf. dici: *Secundo evertitur dogma de perseverantia.* Nam quod ajunt illi: *Si fieri potest ut actus omnes fidei, & spei cessent: jam fieri potest, ut homo totaliter excidat: quia habitus fidelem non facit. Actus autem omnes cessare possunt, imò sæpius cessant: quo modo ergo fidelis manet semper fidelis:* Hæc illi. Verum in propositione secundę hujus objectionis est idem error elenchi, qui in antecedente convictus. Nam relatione ac respectu ad hominis conversi vires, per se consideratus homo, ille sine gratia Dei adjuvante, totaliter excidere posset: sin vero relatione & respectu ad Dei auxilium, per accidens gratię promissæ ac pręsentis, consideremus hominem conversum, totaliter excidere non potest, ob sapientem non minus, quàm potentem Dei operationem. Deinde falsa est etiam Consequentia: quia licet omnes actus fidei & spei possint cessare, non inde tamen sequitur, posse totaliter excidere; quia habitus, cessante actu, nihilominus manet: ut noctu, cum homo dormit; aut interdiu, cum aliud agenti, Euangelium cogitationi illius non objicitur, tum sanè omni actu fidei caret: & tamen virtute fidei præditus ac fidelis est: quæ fides objecto Euangelii proposito actionem fidei producit. Nam quod propositionis illius consequentiam, eo probare nituntur, *quia habitus fidelem non facit*, illud vanissimum est. Nam appellationes hujusmodi durantes, ab habitu desumi solere ac debere, & communis Doctorum sententia & res ipsa evincit. Nam habitus manent & sunt principia actionum: actio autem transit ac perit; ideoque denominationes, quæ durationem rei denotant, non propter actionem, sed propter habitum tribuuntur: ut justus non ab actione justa transeunte, sed à virtute justitiæ permanente nominatur: quemadmodum etiam liberalis, fortis, frugalis: sic etiam fidelis qui virtute fidei præditus: cujus virtutis signum & argumentum est actio fidei propria, seu ipsum credere. Quare quod objiciunt: *actus omnes cessare possunt, imò sæpe cessant: quomodo ergo fidelis manet fidelis?* Resp. actiones fidei, ad tempus quidem sæpè cessant, habitus tamen permanet: ideoque verè ab eo habitu, seu à virtute fidei durante, fideles, id est, virtute fidei prædìti nominantur. Quemadmodum ab actione credendi, cum jam credunt, *credentes* rectè dicuntur: sed actione credendi præterita, atque absente, credentes propriè dici non possunt: licet impropriè interdum nomen actionis significativum, pro nomine qualitatis atque habitus indice accipiatur. Deinde adversariorum dicta in ipsos merito retorquemus. Nam si cessante omni actu fidei, fidelis esse desinit fidelis; (ut adversarii statuunt) Ergo uno eodemque die, homo conversus interdum erit fidelis eoque justificatus, & Christi membrum atque hæres vitæ æternæ: videlicet cum de Euangelio cogitans illi credet: Sæpius verò (nempe noctu, somno, aut interdiu cum aliis rebus occupatus, de Euangelio non cogitabit, eoque actus credendi cessabit) erit infidelis, ac propterea à justificatione & Christo, ac vita æterna alienus, & sub ira Dei constitutus: similiter si ab actu fidei, fidelis dicatur, & eo cessante, non sit fidelis; Ergo omnes illi, qui aut casu subito opprimuntur, de Euangelio minimè cogitantes: aut in extremo vitæ, deficientibus sensibus ac viribus & cogitatione (ideoque & actu fidei) moriuntur, à salute excludentur. Quotusquisque autem est, cui hoc non accidit? Quare ex his apparet, adversariorum objectionem omnino esse vanam, dum ab actu fidei: non autem ab habitu virtutis fidei, hominem fidelem esse ac vocari contendunt. Idque clarius etiam evadet ex eorum, quæ porro urgent adversarii, examine. *Sed* (inquiunt) *ut pressius adhuc respondeamus: nullo fundamento nititur, quod quidam Contraremonstrantes asserunt, Deum in homine convertendo primò operari habitum, & quidem irresistibiliter.* Sed primum statum quæstionis (cujus antea meminerunt) hic confundunt adversarii. Nec enim hic quæritur, de modo operandi habitum, an is fiat insuperabili Dei vi; sed de ordine illius, an prius habitus, quam actus efficiatur à Deo. Deinde falsum est, quod statuunt, *quosdam nostrûm in ea esse sententia*: cum constans sit ac communis, ut ex locis Catecheseos Ecclesiarum nostrarum antea demonstravimus. Denique quod objiciunt *hanc sententiam nullo niti fundamento*, falsum est. Nam fundamentum hoc invictum est: omnis causa suâ naturâ prior est suo effectu. Atqui Scriptura teste, conversionis habitus est causa: actus, vi conversionis illius, effectum. Ergo conversionis habitus prior est natura conversionis actu. Assumtio extat iis in locis, ubi describitur conversionis habitus, seu permanens qualitas renovationis nostræ, ut in formula novi fœderis promissi, Ezech. 36. v. 26 27. *dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio vestrûm: & amovebo cor lapideum è carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum dabo in medio vestrûm, & faciam, quod* Hebraicè את־אשר *in statutis meis ambulabitis & judicia mea custodietis & facietis*; Quibus verbis duo inter se distinguuntur suo ordine; primum est donatio cordis novi & Spiritus novi, quæ soli Deo tribuitur: deinde actio illius statuitur, in statutis Dei ambulare: id quod & Deo tribuitur, & homini renovato. Deo ut causæ primæ; cum dicitur, *faciam*: homini verò corde & Spiritu novo jam donato, cum ait: *quod in iis ambulabitis & judica mea custodietis & facietis ea. Cor* autem *novum*, & *Spiritum novum* non actionem, quæ transit: sed qualitatem manentem atque habitum renovationis denotare, ostendit, præter phrasin ipsam, primum oppositio contrarii, nempe *cordis lapidei*, quo non actio transiens, sed qualitas permanens, seu habitus vitiosus peccati originis denotatur. Ideoque & *cor novum, cor carneum*, (id est, molle atque admittens impressionem verbi Dei) & *Spiritus novus*, non actionem, sed habitum renovationis & imaginis Dei, seu habitus sanctitatis inhærentis restitutionem designant. Deinde effecta idem demonstrant; primum enim est, *cordis lapidei ablatio*: quam actioni transeunti tribui non posse perspicuum est: una enim actio hominis bona abolere non potest habitum vitiosum acquisitum, multo minus innatum, qui pertinacius inhæret. Secundum effectum idem comprobat, nempè *facere Dei statuta*: quæ à corde novo, tanquam effecta à causa sua præcedente, clarè satis distinguuntur. Secundò idem etiam Apostolus testatur, Eph. 2. v. 9. *ipsius enim opus sumus, creati per Christum Jesum, ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*: quibus verbis, habitus conversionis, creatio à Deo per Christum, ut principium & causa statuitur: finis verò & effecta, bona opera: quæ credendi & diligendi actionibus continentur. Neque hic excipi potest, *creationem quidem hanc præcedere multa bona opera, sed non omnia*: Imò contrà Apostolus antecedentia omnia nostra bona opera excludit apertè: quia scopus illius est, probare præcedens, suum dictum, vers. 8. & 9. nempe fidem Dei donum esse, non ex operibus, ne quis glorietur: cujus rationem proximè hanc subjicit, *ipsius enim opus sumus, creati per Christum, ad bona opera*: quo perspicuè docet, nulla bona opera hoc opus Dei, seu creationem per Christum antecedere; sed ea inde promanare. Denique ut alia omittam, Gal. 5. vers. 16. ut caro à suis concupiscentiis: sic Spiritus seu conversionis habitus à sua ambulatione, seu actionibus,

nibus, ut causa ab effecto posteriore distinguitur. & v. 19. ut caro, à suis operibus: sic Spiritus seu regenerationis gratia, à suis fructibus, charitate, fide, (nempe actuali) aliisque distinguitur. Per Spiritum autem non actionem transeuntem: sed ut principium actionum immanens describi, res ipsa arguit. Quemadmodum vitam spiritualem, ab actione illius vitali etiam disertè distinguit, vers. 25. *Si Spiritu vivimus, Spiritu etiam incedamus.*

Quare inani confidentiâ adversarii afferunt, nullo fundamento niti nostros, asserentes, Deum in homine convertendo, primò operari habitum. Quod autem porro rationi manifestæ repugnare asserunt, illud solidè non demonstrant: ut ex propositi ab adversariis Syllogismi examine apparebit, qui est hujusmodi: *Quod primò & rigide Deus ab homine exigit, ad salutem obtinendam, & pœnam evadendam: illud primo Deus in homine operari vult, & ad id primùm gratia concurrit: atqui non habitum fidei & conversionis Deus primò & rigide exigit ab homine ad salutem obtinendum, & pœnam evadendam: Ergo non habitum, sed actum primo operatur, & ad actum gratia Dei primum concurrit.* Majorem prætermus, & assumtionem utpote falsam negamus. Interim tamen observandum, propositionem majorem ab adversariis vero argumento minimè firmari. Nam quod ajunt, *majoris veritas manifesta est; quia illud primo operatur Deus, quod ad salutem obtinendam necessarium est & sufficiens, at vero id quod Deus primo rigide postulat, illud ad salutem obtinendam necessarium est, Ergo.* In hoc Syllogismo falsa est propositio. Nam justificatio ad salutem est necessaria, ac sufficiens: & tamen eam non primò operatur Deus: sed fidem, quâ deinde justificamur. Ergo non quicquid ad salutem necessarium ac sufficiens, id primò operatur Deus. Hæc enim est recta subjecti & attributi dispositio; quam adversarii, si ordinem verborum spectemus, invertunt. Deinde assumptio imperfectè posita: quia vox omissa quæ supplenda. Nam medius terminus ex propositione perficiendus est hoc modo: *at quod Deus primo ac rigide postulat, illud ad salutem obtinendam necessarium est & sufficiens*, unde patet, assumptionem esse falsam. Nam Deus primò & rigidè postulat auditionem sui verbi, ut antecedens conversionis necessarium, Rom. 10. vers. 14. *quomodo credent nisi audierint?* & tamen ad salutem obtinendam non est sufficiens. Matt. 13. v. 19. ad vers. 23. ut & Luc. 11. v. 28. dicitur, *beati qui verbum Dei audiunt, & observant illud:* qua conjunctione notatur à Christo, auditionem verbi, sine observatione non solum non sufficere, sed etiam esse inutilem; ut expressius docetur, Heb. 4. v. 2. *Etenim Euangelizatum nobis est, quemadmodum & illis, sed sermo auditus non profuit iis; quia non commixtus erat fide in iis qui audiverant.* Quamobrem prosyllogismum hunc quo Syllogismi propositi ab adversariis propositio major firmata, vitiosum omninò esse, & propositione sua & assumtione apparet. Quod autem attinet ad anticipationem objectionis, quam à nostris adversus majorem Syllogismi objici posse censent adversarii: & quod respondent, omitto; quia jam suprà rem eam expendimus, & quæ hic repetuntur, confutavimus. Minorem igitur negatam quo modo porrò probent examinandum. *Minor*, inquiunt, *probatur hoc modo: quod in fœdere primo ab homine exigitur, id primo ab homine Deus exigit ad salutem: at actus fidei, non habitus (nisi quatenus per actus comparandus est) in fœdere primò ab homine exigitur.* Ergo. Resp. ut illud quod probandum est, rectè probetur ac plenè, assumtionem oportet pleniorem fieri: & saltem ad voces illas; *nempe actus fidei*, addendum erat, *& conversionis:* ut etiam hoc distinctè ad actus charitatis referatur; atque ita de tota conversione (de qua in Syllogismo egerunt) intelligatur. Resp. autem assumtionem esse falsam, neque eam firma ratione ab adversariis probari. *Verum*, inquiunt, *minor probatur ex fœderis Euangelici consideratione, in quo perpetuo legitur, ambulate coram me, resipiscite, & credite Euangelio, convertimini, &c.* Verum minorem probari negamus; quia & propositio non est vera, quod perpetuò ita legitur *Ambulate*, quasi nunquam expresse etiam habitus conversionis præciperetur: nam contrarium postea liquebit. & falsa etiam est Consequentia: Nam verum est, hæc esse prædicationis Euangelii mandata, eaque conversionem actualem notare: sed non solam, seu ab habituali sive inhærente virtute, fidei & charitatis separata: sed cum ea, & ex ea procedentem. Nam ex novi fœderis formula, jam antea ex Ezech. 36. Ephes. 2. & Gal. 5. demonstravimus, primum fœderis servandi officium ab homine debitum ac mandatum, esse Dei beneficium: scilicet quod cor novum donat, unde actiones bonæ (seu fidei actualis & charitatis opera) Gal. 5. v. 22. promanant. Hæc enim Spiritui seu regenerationis per Sp. S. dono, Gal. 5. tribuuntur. Quo etiam pertinet illud Ioh. 1. vers 12. ubi, quemadmodum in filios Dei adoptionem, fidei, velut instrumento, ascribit: sic causam illius vers. 13. generationem ex Deo statuit. ut & cap. 3. vers. 6. *quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. & vers. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei.* Hoc autem est hominis officium & ei præcipitur, ut Eph. 5. v. 14. *Excitare qui dormis & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* & Deut. 10. v. 16. *Circumcidite ergo præputium cordis vestri*, (ecce mandatum habitus conversionis) *& cervicem vestram ne obdurate amplius* (en actum conversionis consequentem præcipit) quemadmodum utriusque Deus author statuitur, prioris quidem solus: (ut Rom. 2. v. 29. & Coloss. 2. v. 11. 12.) posterioris verò Deus, cum homine renovato; ut apparet Deut. 30. vers. 6. *Circumcidet Jehova Deus cor tuum & cor seminis tui*, (ecce habitum conversionis) *ad diligendū Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & tota anima tua*; en conversionem actualem, ex habituali manantem. unde apparet, cum opera Charitatis præcipiuntur, etiam charitatis virtutem unà intelligi; ut antecedens ac conjunctum officium necessarium, ex quo effecta postulata procedant. Ac propterea cum præcipitur dilectio Dei, seu ut diligamus Deum, additur *ex tota anima, & omnibus viribus:* quo disertè sanctificatio interna animæ inhærens, & charitatis virtus tanquam actus dilectionis origo intelligitur. Quare ut paucis concludam, mandato conversionis actualis, (seu actionum fidei & charitatis) habitualis etiam conversio (seu virtus fidei & charitatis) simul, & quidem ut antecedens causa necessaria includitur; quia sine ea actus (ut ostendimus) esse non potest. Sed adversarii alia rursus via urgent, cum ajunt. *Huic rationi adjungi altera potest: quod Scriptura ipsi homini mandat, Ezech. 18. ut faciat sibi cor novum & Spiritum novum.* Esa. 1. v. 16 *ut sese lavet & mundus sit.* Sed negatur Consequentia: quia ex hisce verbis non probatur negata minor, quasi scilicet Deus non habitum, sed actum fidei & conversionis, primò & rigidè ab homine exigeret ad salutem: quia verba Ezechielis de habitu conversionis agunt. Quod autem dicitur, *facite*; illud non effectum hominis, nec potentiam illius præsentem: sed officium tantum designat. Quod verò Esai 1. v. 16. præcipitur hominibus prorsus sceleratis, *lavate vos*; illud ad utrumque officium & habitum, & actum (seu ad animæ & actionum purgationem) generatim pertinet: & similiter officium, non efficaciam neque potentiam hominum sceleratorum demonstrat. Quare frustrà adversarii gloriantur, cum addunt: *hoc argumentum inprimis validum est, si per cor novum intelligatur fidei habitus: ut auctores isti volunt, quasi scilicet indicaretur istis verbis, habitum fidei & charitatis, hominum crebris actionibus primum acquiri, quia dicitur, facite:* quod minimè sequi ostendimus. Habitum enim Deus in omnibus præcipit, tanquam officium, & in solis electis efficit, ut merum solius Spiritus beneficium. unde alterum etiam oritur beneficium, quod corde novo donati, adjuvante etiam Deo, in statutis illius ambulant, ut Ezech. 36. & aliis locis antè propositis, plenius explicatur. Atque hoc modo secundum adversariorum argumentum concidit, quo probare conati sunt ex eo, quod non conversi, *mortui*, & *mortui in peccatis* dicuntur in Sacris literis, atque exponuntur, concludi non posse, eorum ad bonum Spirituale, impotentiam. Nam hunc statum controversiæ postea agnoscunt: etsi eum mirificè (ut ex ante dictis cognosci potest) depravârint.

Quocirca ad tertium, quod adferunt argumentum transeamus, hujusmodi: *Si, ex proprietate vocis quod homo convertendus mortuus dicatur in peccatis, solidè colligitur, eum nihil poss*

hil posse conferre ad sui conversionem: Ergo non minus solide, ex ejusdem vocis proprietate colligetur hominem regenitum peccare non posse, neque quicquam conferre posse ad peccandum: quia ille in Sacris literis dicitur mortuus peccato, mundo crucifixus &c. ubi enim eadem ratio militat, ibi idem jus: atqui hoc ex ipsorum Contraremonst: sensu absurdum. Ergò. Verum respondetur ad propos. 1. In illius antecedente esse Sophisma ignorationis elenchi. Nec enim, ut supra ostendimus, ex sola vocis *mortui* proprietate nostri id colligunt; sed simul ex conjuncta in Sacris literis expositione multiplici: quæ tradit, ut in præceptis Dei ambulemus, auferendum prius cor lapideum, ac dandum divinitùs cor carneum, hoc est, molle & idoneum ad Dei verbi impressionem excipiendam, & Spiritum novum, Ezech. 36. & hominem ante regenerationem esse carnem, Joh. 3. animalem hominem non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim sunt ei: nec potest cognoscere: quia spiritualiter dijudicantur, 1. Cor. 2. v. 14. adeò ut etiam de conversis ac verè fidelibus, si ratione potentiæ suæ naturalis, per generationem, non autem supernaturalis, per regenerationem considerentur, dicatur, *non sumus idonei ex nobis ipsis, velut ex nobis ipsis, sed ἱκανότης aptitudo, seu quod idonei sumus, ex Deo est*, 2. Cor. 3. v. 5. *Nam cogitatum carnis inimicitia est adversus Deum: legi enim Dei non subjicitur: neque enim potest*, Rom. 8. v. 7. & Ephes. 2. cum fideles *mortuos in peccatis*, v. 1. & *naturâ filios iræ*, v. 5. hoc est, ob vitiositatem innatam, à vita Dei alienos & iræ Dei obnoxios vocasset: opponit *vivificationem cum Christo*, v. 5. & *creationem ad bona opera*: Deique opus appellat v. 10. Ex quibus omnibus satis apparet, *mortuos* dici infideles, quod mortuorum instar, vita spirituali imaginis Dei destituti, impotentes omnino sint, ad ullum opus bonum, nisi vita spirituali, per regenerationem donentur: ut actiones Spiritus proferant: quemadmodum antea probavimus. Atque hæc de propositionis Syllogismi objecti vitio, nempe ignorationis Elenchi sophismate. Sin verò adversarii antecedens intelligere velint de collectione, seu conclusione ex proprietate vocis *mortui* non sola; sed conjuncta cum expositione Scripturæ; tum falsa erit Consequentia; quia diversa est in Sacris literis vocis *mortui*, & *mortui peccato* metaphoricè accepti expositio: ut vel simpliciter, vel secundum quid usurpetur, prout subjecti nempe fidelis, & infidelis diversitas: aut relatio ejusdem fidelis diversa, hoc exigit. Quemadmodum in re præsenti, de qua agimus, infideles dicuntur in Sacris literis mortui, ut 1. Pet. 4. v. 6 *propterea quoque euangelizatum est mortuis; ut damnarentur quidem secundum homines carne, viverent autem secundum Deum Spiritu*; id quod simpliciter intelligendum esse, Scripturæ expositio evincit; quæ docet expresè homines infideles ratione vitæ spiritualis, esse mortuos & mortuos peccatis, non secundum quid tantùm, sed simpliciter: quia ad nullum bonum spirituale idoneos esse, 1. Cor. 2. aliisque locis antepositis apertè declaratur. Fideles verò *mortui* dicuntur *peccato*, pro diversa ratione seu relatione, modò secundum quid, modò simpliciter: Nam ratione sui, & qualitatis insitæ, mortui dicuntur peccato, Rom. 6. v 11. quod in ipsis peccatum originis antea vixerit, ac plane viguerit, iis dominando, Rom. 6. v. 17. & 20. & 7. v. 5. postquam verò per efficaciam Spiritus regenerantis, vita justitiæ donati sunt, peccatum in iis non simpliciter, sed secundum quid, majori scilicet ex parte, quasi lethali vulnere accepto abolitum, & dominium illius in hominibus regenitis ereptum: unde *mortui peccato, viventes Deo*, Rom. 6. v. 11. & *ex mortuis vivi* dicuntur, v. 13. & quod *peccatum iis non dominabitur*, v. 14. & *liberati à peccato*, v. 22. Non autem simpliciter, sed secundum quid ita mortuos peccato dici, Scriptura demonstrat: quia regeneratio ac vita Spiritualis, seu justitia, in nobis inchoata est: suosque indies habet progressus, non autem perfecta est: sed paulatim perficienda: quia insunt adhuc reliquiæ carnis, quæ repugnant adversus Spiritum seu regenerationis donum, hoc est fidei & charitatis virtutem, Rom. 7. & Gal. 5. v. 16. *Dico verò Spiritu ambulate, & carnis concupiscentiam ne perficite*: quo ostendit Apostolus carnem in verè fidelibus reliquam adhuc inesse, & concupiscentias pravas excitare: quibus sit obsistendum Spiritu, seu fide & charitate. Et. vers. 17. *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem; hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, ea faciatis*, & Ephes. 4. vers. 22. officium fidelium declaratur, *deponere quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem.* Ergò si deponendus, suo modo inest, & vers. 24 *& induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad justitiam & sanctimoniam veritatis*: Quia igitur novus homo in verè fidelibus, secundum Deum est conditus; Ergo regeniti sunt, ac vita spirituali donati: & quia adhuc induere novum hominem jubentur, (hoc est, justitiæ & sanctitatis exercitiis ac precibus fidelibus dare operam, ut quod opus regenerationis, seu fidei & charitatis Deus in iis cæpit, illud, gratiâ Dei rectè utentibus, secundum promissionem, *habenti dabitur*, magis magisque perficiat) inde apparet, vitam spiritualem in verè fidelibus nondum esse perfectam: ac propterea neque mortuos peccato simpliciter seu perfectè, si in se considerentur; sed secundum quid, quod peccatum scilicet majori ex parte sit abolitum, & dominium illius (licet repugnantia superfit) ablatum, ne amplius dominetur. Rom. 6. Deinde verò si fidelis mortuus peccato dicatur, ratione originis habita, nempe meriti Christi, tum simpliciter mortuus peccato dicitur, hoc est, quod Christus morte sua id sit promeritus, ut Deo reconciliati à pœna vitiositatis naturæ, per restitutionem imaginis Dei, virtute Spiritus regenerantis, à peccati dominio & inhæsione omnino liberaremur, servato gradu & ordine: Hæc enim promissa est gratia novi fœderis, Ezech. 36. Jer. 31. Hebr. 8. non solum justificatio, sed etiam sanctificatio, Hebr. 10. v. 15. 16. Cujus fœderis & beneficiorum causa est Christus sua morte, v. 10. 11 14. & 2. v. 11. & 7. v. 22. & 9. v. 14. 15. Ioh 17. v. 19. *pro iis sanctifico me ipsum* (id est, in sacram victimam consecro) *ut & ipsi sanctificati sint per veritatem.* ut v. 17. *sanctifica eos per veritatem tuam, sermo tuus veritas est.* ubi Deus tanquam causa principalis; verbum Dei ut instrumentalis; & Christi in cruce oblatio, ut causa promerens nostræ sanctificationis statuitur. Hinc Rom. 6. vers. 6. *illud scientes veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato.* Quod autem regerunt adversarii, *meritum tollit reatum, non ipsum dominium peccati & peccandi potentiam*: nullam omnino Scripturę authoritatem, nullamque rationem, ad id probandum, adferunt: & contra claram sacræ Scripturæ definitionem, locis ante citatis expressam, & argumenta illius solida, meriti Christi efficaciam, altera sui parte enervant. Quod autem illud inculcant; *Si jam mortui peccato*, id est, plenè, *renovati sunt* (fideles scilicet) *proinde peccare amplius non possunt*: negatur Consequentia; quia ut antè demonstravimus, mortui sunt fideles peccato & renovati simpliciter, seu plenè ratione meriti Christi: ratione verò effectionis illius per Spiritum Sanctum fideles mortui sunt peccato, & renovati in hac vita tantùm secundum quid, ratione initii & quotidiani incrementi: in morte verò simpliciter ac perfectè renovantur, cùm à corpore mortis omninò liberati per Christum, Rom. 7. v. 24. in cœlum (*in quod nihil immundum ingreditur*, Apoc. 21. v. 27.) transferuntur. Ideoque illud, quod adversarii postea inculcant: *Si mortui sunt, non dicuntur adhuc mori: alioqui enim essent, & non essent mortui*: illud inquam nullius esse momenti apparet; quia hæc non sunt opposita, sed tantum diversa; quia diverso respectu dicuntur, ut ostendimus. ideoque suis exceptionibus frustra conati sunt argumentum nostrorum eludere à vocis *mortui*, & *mortui in peccatis*, Ephes. 2. appellatione & expositione, ad hominis infidelis ad bonum spirituale impotentiam probandam, desumtum. Quare quod porro objectant, operæ pretium est, ut expendamus. *Hæc ita breviter*, inquiunt, *disputavimus, tanquam si Phrasis hæc, mortuum esse in peccatis, procul omni dubio significaret ineptitudinem & impotentiam hominis ad bonum spirituale.* Sed falsa est hæc oratio, & mera contradictio. Nam hactenus disputarunt adversarii quasi hæc phrasis illud procul omni dubio non significaret: ut ex objectionibus supra allatis & confutatis perspicuè apparet. Deinde altera rursus contradictione, causæ suæ iniquitatem produnt, cum addunt hæc verba: *quod etsi concedi posset*

posset & non illubenter concedimus: tamen nihil obstat, quominus alio longè sensu accipiatur. Atqui si concedi potest, illam hominis ante conversionem, ad bonum spirituale, impotentiam, illa phrasi, *mortui in peccatis*, procul omni dubio significari: & non illubenter concedunt: quomodo igitur contrarium hactenus probare conati sunt: & quomodo sibi non contradicunt, dum subjiciunt, *tamen nihil obstat, quominus alio longe sensu accipiatur?* nam ista duo dicta, nempe *procul omni dubio significare*, & *nihilominus alio longè sensu accipi posse*, ut opposita se mutuo tollunt. Sed significationem spectemus, & quem alium sensum intelligant. Id autem declarant his verbis: *ut significet eum, qui reus mortis & condemnationis est, propter peccata sua; sic enim disertè dicitur Ezech.* 18. *v.* 24. *morietur enim in peccatis suis, id est propter peccata sua, hic punietur, & tandem æterna morte afficietur.* Verum respondetur, illud nihil ad rem præsentem pertinere; agitur enim de sensu phrasis, *mortui in peccatis*, loco citato Eph. 2. v. 1. Deinde locus Ezech. non agit de morte præterita, aut præsenti, quæ per conversionem tolli potuit: sed de futura, cum temporali, tum æterna, quæ tolli non potest: sed excipiunt ulterius: *eo sensu accipiendam esse phrasin*, Eph. 2. v. 1. *non obscurè demonstrari potest ex Conseqq.* v. 2. 5. & 6. *ubi mortui in peccatis dicuntur illi, qui in illis ambulaverant, &c.* Resp. 1. certum esse, quòd iidem dicuntur fuisse mortui peccatis & in illis ambulavisse: eaque ut consentanea quidem proponi, sed tamen tanquam diversa. Prius enim causa est; posterius verò effectum illius. Nam ex morte spirituali, seu carne, hoc est, peccato originis (quod vitæ Spiritualis, seu justitiæ originalis privatio & ad offensas ac peccata propensio) opera injusta, quæ *ambulare in offensis, & peccatis*, Apostolus appellat, sequuntur; ut etiam indicatur his verbis v. 3. *nos omnes conversati sumus in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant*: quibus verbis, ut caro à suis cupiditatibus, & cogitationibus: sic etiam utraque à factis (tanquam causa, & effecta) distinguuntur. Deinde vero negamus consequentiam: neque eam probant, cum dicunt: *at si mortuum esse in peccatis est idem, quod in peccatis ambulare, non satis commodè* v. 2. *subjiciuntur illa verba, in quibus ambulastis*: at inquam, jam antea ostendimus, ea non esse idem, sed diversa. Nam mortui dicuntur in offensis & peccatis propter peccatum originis, quod uti diximus, vitæ spiritualis, seu justitiæ originalis privatio est; atque offensarum & peccatorum omnium habitualium quasi hydra, & congeries: & simul actualium peccatorum fons. Sed alteram rationem objiciunt hujusmodi: *deinde mortuum esse opponitur τῷ vivificari cum Christo, & suscitari cum eo, & collocari in cœlis, imò (ut in parallelo loco,* Col 2. v. 2. & 13. *videre est) τῷ condonari peccata. ibi enim legitur, vosque mortuos in peccatis, præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, vobis condonatis omnibus peccatis: quæ omnia*, inquiunt, *satis arguunt, per mortuos in peccatis, designari reos mortis, ac condemnationis; ac proinde à spe omni vitæ immortalis alienos ac seclusos.* Verum respondemus, opponi quidem mortuos peccatis, vivificationi unà cum Christo, Ephes. 2. hanc autem notare nostri regenerationem ac sanctificationem, res ipsa ostendit, ut Rom. 6. v. 4. *Sepulti igitur sumus unà cum eo, per baptismum in mortem: ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, & v. 6. *illud scientes, veterem illum nostrum hominem, cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato*, & v. 11. *Colligite vos ipsos tum mortuos esse peccato, tum verò viventes Deo, per Christum Jesum Dominum nostrum.* Deinde responderi potest, etiamsi vivificatio, Eph. 2. citra controversiam designaret liberationem à mortis æternæ reatu: non propterea tamen hoc solum notaret: sed generatim liberationem à morte spirituali, cum culpæ, tum pœnæ peccati: ut sanctificationem & justificationem complectatur, seu vitam gratiæ Dei, & vitam justitiæ. Atque ita perstabit adhuc oppositio, mortuos in peccatis, seu vita justitiæ destitutos vivificari à Christo, donatione vitæ justitiæ & gratiæ, seu justificationis atque hæreditatis vitæ æternæ. Neque illud sequentibus adversatur, quibus utrumque beneficium describit Apostolus: justificationem quidem, cum gratia servatos docet, v. 5. & 8. & regenerationem seu sanctificationem v. 10. cum ait: *nam ipsius opus sumus, creati per Christum Jesum* (hoc opponitur mortuis in peccatis, v. 1.) *ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*; hoc opponitur ambulantibus in peccatis, v. 2. Ac propterea utrovis modo vivificandi vox accipiatur, aut speciatim pro sanctificatione, aut generatim pro vitæ spiritualis donatione, nempe sanctificatione & justificatione: perstat sententia, atque expositio à nostris posita, de mortuis in peccatis. Quamobrem ex hujus loci Eph. 2. circumstantiis sententia nostrorum non infirmatur, sed confirmatur; quemadmodum etiam ex loco parallelo quem objiciunt. Col. 2. v. 13. Quod enim adversarii contendunt, *in eo opponi mortuos in peccatis, τῷ condonari peccata*: illud meritò negamus. Nam disertè Apostolus opponit eos τῷ vivificari (ut etiam Ephes. 2.) Hoc autem apertè distinguit à condonatione peccati. Nec enim dicit, cum eo vivificavit, hoc est, condonavit vobis omnia peccata: sed vivificavit χαρισάμενος, cum condonasset, seu condonatis vobis omnibus peccatis. Nam mortis Christi fructus duo statuuntur, meritum condonationis peccatorum, & vivificationis seu regenerationis, quæ ex merito condonationis peccatorum & reconciliationis cum Deo, ut effectum è sua causa promanat. Nam Deo, per mortem filii, electis reconciliato, regeneratio ac vivificatio per spiritum in illis oritur, ut supra ex fœderis Dei formula, & illustribus Scripturæ dictis, contra adversarios meritum Christi mutilantes ostendimus. Quæ vivificatio in nobis, describitur ab Apostolo, suis membris, circumcisione Spirituali per Christum, qua corpus peccati exuitur, v. 11. & resurrectione spirituali, per fidem efficaciæ Dei, qui excitavit Christum à mortuis, v. 12. quam vivificationem deinde exponit v. 13. à sua causa, condonatione peccatorum.

Atque hæc ad exceptiones adversariorum (quibus primum nostrorum fundamentum generale infringere conantur) confutandas pertinent: unde etiam apparet, quam sæpè, & contradictione & elenchi ignoratione sese implicarint; à quo sophismate, ne in conclusione quidem, sibi temperare potuerunt; cum fundamentum nostrorum primum *prorsus invalidum esse* concludunt, *ad stabiliendam thesin, qua irresistibilis actio Spiritus in voluntatem ad actum fidei & conversionis, necessaria esse statuatur*: cum tamen primo fundamento nobis probandam, initio, ipsimet adversarii hanc thesin, non aliam proposuerint: quod *scilicet in sacris literis peccator convertendus, seu ante conversionem suam ita passim describatur, ut nihil in eo sit, quod ad conversionem ipsius facere aut conferre quicquam possit.* Ideoque à scopo aberrant, quòd de irresistibili Spiritus actione loquuntur; & eam, non in actu fidei & conversionis reliquæ, seu charitatis actu: sed in habitu utriusque statuimus: neque actum fidei ad voluntatem referimus, sed ad intellectum: ut supra satis ostendimus.

Quocirca ut primo fundamento generali multis argumentis gravibus instructo) impotentia hominis peccatoris ante conversionem ipsius, demonstrata est: Sic secundo fundamento generali, potentiam conversionis esse à solo Deo, non à viribus partim (ut adversarii contendunt) naturalibus, voluntatis liberè eligentis. Cum autem conversio hominis peccatoris sit vel habitualis (qua quis fidei & charitatis virtutibus, per regenerationem, instruitur) vel actualis, qua quis actu credit & charitatem exercet; utriusque efficiendæ potentiam, à solo quidem Deo oriri: sed effectionis modum diversum statuimus. Quod scilicet omnipotenti sua vi, habitualem conversionem operetur solus, adeò ut fieri non possit, ut, Deo eam operante, homo non convertatur: actualis verò conversionis diversa est ratio. Eam enim Deus non vi omnipotentiæ suæ immediata, sed mediatè operatur: cum partim per verbum Euangelii exterius: partim per Spiritus sui auxilium interius, virtutes fidei & charitatis (à se conversione habituali infusas) excitat, & confirmat ad actiones fidei & charitatis producendas. Inter auxilia autem quæ Spiritus Sanctus confert, continetur etiam benigna & sapiens ac potens tentationum carnis, Satanæ, mundique refrænatio, ne actiones earum virtutum (quod aliàs fieret) arceantur: ut supra ostendimus.

Hisce

Hisce jam positis (ut tenebræ adversariorum discutiantur) videndum, quam bona fide, nostrorum argumentorum, secundi fundamenti, summam Syllogismo includant: & quam rectè respondeant. Syllogismus autem ab iis ita proponitur.

Cui in conversione hominum tribuitur, quod creet & faciat in iis cor novum, quod regeneret illos, quod excitet ex mortuis, quod vivificet & illuminet eos, quod oculos & corda eorum aperiat, quod det illis resipiscentiam & fidem, & trahat illos, & circumcidat corda eorum: illi talis operatio tribuitur, quâ positâ non potest non existere hominis conversio ex intrinseca operationis vi & potentia.

Atqui Deo in conversione hominum hi actus & similes plures tribuuntur. Ergo &c.

Hic est syllogismus; in quo observandum est, primò, in assumptione conversionem habitualem à nostris, non actualem intelligi; deinde illa effecta, quæ Deo tribuuntur, intelligenda non propriè, sed per metaphoram: nec simpliciter, sed convenienter expositioni Scripturæ in illis locis ac similibus. Ac propterea quod primùm adversarii probare conantur, *proprietatem harum vocum absurdè urgeri:* alienum est. Hoc enim urgemus hisce locis, ubi hæ sententiæ extant (ut Ezech. 36. & similibus) doceri conversionem habitualem, à solo Deo, omnipotenti vi oriri: non autem singularum vocum metaphorâ, similitudinem absolutam, in omnibus, notari. Secundò verò objiciunt: *Si efficacitatem Dei omnipotentem, in convertendo, illis phrasibus demonstrari statuamus, non poterit dici in Scripturis, peragere in conversione (Deum,) hoc per ipsos homines: quia his irresistibilis & omnipotens hujusmodi agendi ratio tribui nullo modo potest. Atqui passim legitur in sacris literis, quod homines (quorum ministerio Deus in conversione aliorum utitur) aperiant oculos eorum, qui in tenebris sunt,* Actor. 26. v. 28. *quod gignant eos in Jesu Christo,* 1 Cor. 4. v. 15. *quod cogant sive ἀναγκάζωσι alios, ut ingrediantur,* Luc. 14. v. 23. *quod salvent homines,* 1. Tim. 4. v. 10. *Ergò.* Respondemus primò, ad propositionem, distinctione consequentis. Nam aliquid dici potest Deus *per homines agere* bifariam, nimirum vel propriè, ut homines sint causa efficiens subordinata: atque ita propositionem concedimus: vel impropriè, per metaphoram, ut per homines intelligatur Deus agere, ut adjuncta tantum, utque actiones eorum non sint propriè operis causa efficiens instrumentalis, sed tantum antecedentia adjuncta, quibus positis, secundum promissionem suam, Deus solus sua potentia promissum opus propriè efficiat. Quomodo miracula dicuntur facta per Apostolos Act. 2. v. 43. & Rom. 15. v. 18. 19. Christus miracula per Paulum fecisse dicitur: non quod Pauli vi facta sint, sed per potentiam Spiritus Dei conjunctam illius prædicationi, v. 19. Neque Apostolorum reliquorum potentia aut pietate, Act. 3. v. 12. sed Dei, qui secundum promissionem (de miraculis ad Euangelii confirmationem futuris, Marc. 16. v. 17. Actor. 2. v. 19.) fide ab Apostolis perceptam, Actor. 3. v. 16. ea ad Christi gloriam edidit, v. 13. ideoque per Apostolos ea fecisse dicitur metaphoricè, ob similitudinem consequentis: quod ut effectum causam suam sequitur: Sic Apostolorum dicta aut facta, tanquam adjunctam ac precedentem occasionem subordinatam, secuta sint miracula: non autem insita eorum, aut verbis, aut factis efficacia. Si hoc modo propositio intelligatur metaphoricè, & conversionem per homines Deum eo sensu peragere, tum falsa est. Nam verissimè, pro significatione diversa, & Deus peragere dicitur propriè, ac solus: quod tamen homines etiam agere dicantur impropriè per metaphoram: quod sint non propriè, sed quadam similitudine, instrumenta operum Dei: non verò significatione propriâ.

Quemadmodum in sacris literis occasio antecedens (tam in malis quam in bonis) non rarò aliquid agere dicitur, non quod sit revera causa: sed tantùm antecedens adjunctum, quo posito, alterius vi effectum consequitur. Unde etiam impropriè vulgò *causa per accidens* dicitur. Nam propriè loquendo causa per accidens dicta, verè causa est efficiens, sed præter scopum efficientis. Ad assumptionem verò quod attinet: Verum est, Deum ministerio aliorum uti, ad conversionem: eamque in sacris literis, à Deo, per eos effici, asseritur: sed diverso modo: habitualem quidem impropriè quia homines tantum sunt illius occasio & antecedens conditio; quod prædicato Euangelio resipiscentiæ & fidei, Deus Spiritu regenerante, virtutem fidei & resipiscentiæ animis electorum indat, ut habiles sint ad parendum Euangelio: actualis verò conversionis sunt causa instrumentalis Nam ut Euangelium prædicatum, in electis, conjunctam habet à Spiritu Sancto donationem virtutum fidei & charitatis: sic illæ donatæ, statim ad actum credendi, & diligendi, juvante Spiritu, per Euangelium prædicatum excitantur: Atque utroque modo, sed distincta acceptione phrasis, Deus conversionem per homines peragere dicitur. Atque ita Paulus se 1. Cor. 4. v. 15. *Corinthios fideles genuisse* dicit per Euangelium: non propriè: sed impropriè: quod scilicet prædicato Euangelio ab ipso, Deus fuerit simul in iis, per Spiritum regenerationis, efficax. Eodemque modo dicitur *aperuisse oculos eorum, qui in tenebris sunt,* Actor. 26. v. 28. Nam Paulus suo verbo lucem quidem Euangelii exterius pretulit: sed internam lucem, seu visum oculorum mentis, cœcis restituere non potuit; ut ea ratione externam Euangelii lucem prædicatione oblatam viderent, hoc est, ut intellecti Euangelii veritatem cognoscerent: sed illud opus fuit Dei proprium. Quo sensu Apostolo Petro (licet per prædicationem Johannis Baptistæ & Christi edocto, & Euangelio exterius revelato) dicitur; *quod caro & sanguis,* hoc est, homo *ei non revelarit: sed pater cœlestis,* Matth. 16. v. 17. Quod porrò exceptioni suæ firmandæ obtendunt, ex Luc. 14. vers. 23 *quòd cogant,* ἀναγκάζειν *alios ut ingrediantur:* illud à re proposita alienum est: nihil enim hoc loco aliud docet Lucas, quàm homines, Euangelii prædicatione, externæ vocationis, ad visibilem Dei Ecclesiam, esse ministros, per quos Deus primum intelligentiam Euangelii, operatur: & donata per Spiritum Sanctum notitia veritatis habituali, ad actum illius & professionem, in Dei Ecclesia, prædicationis doctrina ac stimulis excitat. Denique non obstat quod ex 1. Tim. 4. v. 16. proferunt, *quod homines salvent:* illud enim non de habituali conversione ac fide, quam Deus solus regeneratione per Spiritum Sanctum propriè efficit: sed de actuali fide, & salute consequente intelligendum: quod illius efficiendæ, & confirmandæ, prædicatione Euangelii, sint instrumenta. Quamobrem confutata jam satis adversariorum exceptione secunda, ad tertiam procedemus. Ea autem est hujusmodi: *Tertiò,* inquiunt, *quia alioquin actiones illæ passim ipsis hominibus, quos Deus convertere vult, non possent ab eo præscribi & mandari sub pœnæ comminatione, videl. ut faciant sibi homines cor novum, ut circumcidant corda sua, ut excitentur à mortuis, ut accipiant gratiam, nisi æternum puniri velint: Si inquam actiones illas Deus ipse secundum proprietatem verborum, & phrasium metaphoricarum producat in hominibus.* Hæc illi. Negamus verò consequentiam, quia ut supra demonstravimus, Deus hominibus nondum conversis mandat officium debitum: ut Deum non solum diligant, seu colant actu: sed etiam habitu, nempè ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus, Deut. 6. & non præstantibus maledictionem justè comminatur, Deut. 27. quod impotentiæ suæ homines sint authores: ideoque Deus neque jure mandandi, neque puniendi excidat. Quod autem ipsemet cor novum (quod hominibus justè mandat) in electis efficit, mera gratia est, ad salutem eorum collata.

Sed quartam addunt rationem: *quia alioquin,* inquiunt, *actiones illæ ipsæ, quæ per istam omnipotentem efficacitatem, à Deo in conversione hominum effici creduntur, inepte tribuerentur iis ipsis, qui convertuntur. Atqui passim in Scripturis tribuitur iis qui convertuntur, quod se convertant, cor suum circumcidant, sibi faciant novum cor, & Spiritum novum, seipsos servent, seipsos mortificent, novum hominem induant, scribant in tabulis cordis sui, & similia alia infinita.* Respondemus autem assumptionem in hoc syllogismo esse falsam, neque ullo Scripturæ loco probari ab adversariis. Nec enim iis qui convertuntur (hoc est, hominibus nondum conversis, in prima sui conversione, ac cordis renovatione, de qua hic agitur) ea tribuuntur effecta, quæ ab adversariis recensentur: quando-

quandoquidem falsâ nituntur hypothesi. Nam hominibus ante conversionem ipsorum mandatur quidem, ut se ex toto corde ad Deum convertant, cor circumcidant, &c. Sed talibus verbis neque effectum, neque efficacia operis illius ipsis tribuitur: sed tantum officium seu debitum illorum indicatur: & ut impietatis suæ convincantur, justè ac sapienter exigitur. Quod autem quidam dicantur *seipsos mortificare*, *novumque hominem induere*, illud non dicitur de iis, qui nondum sunt conversi: sed de iis, qui conversi sunt: ideoque non de prima conversione, sed de primæ incremento: ut ex hortatione ad Eph. 4. 22. 23. 24 apparet. Quod autem jam conversis, & corde novo per regenerationem donatis, incrementum illius tribuitur, in ea re Deo, omnipotenti sua actione efficienti, nihil derogatur. Nam verè conversi, dum officium faciunt, (hoc est, fidei & charitatis operibus, carnis suæ cupiditatibus resistunt, Deumque pro renovationis incremento precantur) illud incrementum, secundum promissionem *habenti dabitur*, Matt. 13. v. 12. & secundum fœdus gratuitæ vocationis ad fidem, & salutis hæreditatem, à Deo impetrant, 1. Thess. 5. v. 23. & 24. Adeò ut, quemadmodum Spiritum, & cor novum Deus solus in non conversis inchoat: sic solus in conversis officium facientibus, vi sua, secundum gratuitam promissionem, conservet, augeat ac perficiat. Ideoque hoc opus soli Deo tribuitur propriè: quia vi sola illius efficitur: conversis verò adscribitur impropriè tantum, ac per metaph. ob similitudinem quandam cum causa efficiente; quod scil. illorum pietas ac preces sint adjuncta propria consecutionis incrementi Spiritus, & cordis novi, per Dei gratiam, à quo promanat: quemadmodum contra negligentibus officium pietatis & precum, & prolabentibus in peccata graviora hominibus conversis, ac regeneratis, Deus cordis novi donum imminuit, & Spiritus sui auxilium ad tempus subducit, ut ingratos filios castiget: contraque castigatis & seriò resipiscentibus restituit ac confirmat. Quemadmodum utrumque Davidi accidisse sacræ literæ testantur, ut Psalm. 51. v. 12. 13. 14. dicitur: *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum rectum innova in medio mei. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi gaudium salutis, & Spiritu voluntario sustentes me.* Ac propterea ex hisce satis liquet, assumptionem adversariorum esse falsam: partim quia neque effectio neque efficacia cordis, & Spiritus novi, ullibi in sacris literis, homini, ante conversionem ipsius, tribuitur: sed tantùm officium illius: partim quia ubi homini illud tribuitur, sermo est non de nondum converso, sed de converso. Deinde tribuitur ei non propriè (ut Deo convenit) sed impropriè ac per metaphor. qua adjunctum antecedens proprium conversionis notatur. Postrema porrò ratio adversariorum quinta hæc est: *quia verbo* (inquiunt) *quod instrumentum Dei est, illæ actiones & effecta earum passim, in Scripturis tribuuntur. Atqui si proprietas eorum verborum presse attendatur, impossibile est, ut actiones illis designatæ, per verbum tanquam per instrumentum peragantur: cum actiones illæ omnes irresistibiliter fiant; verbi verò actio tota moralis, & proindè resistibilis sit. Ex quibus evidenter colligimus, invalidas esse omnes illas argumentationes, quæ ex proprietate vocum, & phrasibus istiusmodi præcisè desumuntur.* Respondemus autem, hoc ultimum adversariorum argumentum cum secundo concurrere: ac propterea, eo jam confutato, verbo tantum perstringemus: nempe negari consequentiam illius; quia illas actiones conversionis habitualis, seu regenerationis (nam de effectis regenerationis non agimus) ut verbi præconibus, Actor. 26. v. 28. & 1. Cor. 4. v. 15. tribui impropriè per metaph. jam antè demonstravimus: Sic etiam verbo, Jac. 1. v. 18. & 1. Petr. 1. v. 23. impropriè adscribitur: Propriè verò Spiritui Sancto, sanctitatis animæ inhærentis ac permanentis, (seu fidei & charitatis) tanquam seminis incorruptibilis, authori, 1. Pet. 1. v. 22. Tit. 3. v. 5. Unde fideles *ex Deo nati*, Joh. 1. v. 13. & 1. Joh. 3. v. 9. *& ex Spiritu*, Joh. 3. v. 6. Ac propterea non sequitur, regeneratio impropriè tribuitur verbo: Ergò cum propriè tribuitur Deo, non significat omnipotentem actionem. Nam ut Spiritus venti, libero & efficaci motu perrumpens spirat: Sic & Spiritus Sanctus, Joh. 3. v. 8. Cæterùm observandum est, quomodo adversarii subjiciant causam, cur Deo regeneratio hominum tribuatur: eam autem ita declarant: *quod usitatum sit, ac familiare ubique gentium ut nobilia semper effecta, causæ primæ principali accepta referantur: adeò, ut omnium reliquarum intermediarum, ab illa dependentium ratio fermè nulla habeatur, ut autem singularis illa excellentia clare indicari possit, hinc est, quod voces exquisitissimæ adhiberi soleant, ad istam ἐξοχὴν, & præstantiam quasi digito indicandam.* Ex qua adversariorum expositione liquet, eos statuere Deum regenerationis nostræ causam esse non solam: sed primam ac principalem: ideoque κατ' ἐξοχὴν ipsi tribui: Liberam verò voluntatis humanæ electionem esse causam secundam ac proximam; adeò ut, Deo tanquam principali causæ regenerare volenti, & ea omnia operanti, quæ in hominibus regeneratis adhibuit, opera, nihilominus liberum esse hominis voluntati, gratiam illam Dei, vel amplecti vel omninò rejicere; & à nonnullis recipi liberè, ab aliis verò liberè rejici: atque ita conversionis gratiam, qua homo regeneratur, revelatione Euangelii, & donatione, non habitus fidei, & charitatis; sed motionis bonæ, in anima, transeuntis, seu auxilii sufficientis, non autem perficientis definiunt: libero verò hominis arbitrio hanc laudem adscribunt, ut causa regenerationis sit perficiens. Verùm quia sacra Scriptura regenerationis gratiam non actione Dei transeunte: sed habitu seu qualitate permanente ac semine manente, 1. Joh. 3. definit, & aliis locis passim; Deumque illius non solum sufficientem, sed etiam perficientem causam esse tradit: idcircò loca illustriora eludere suis exceptionibus conantur, quæ à corruptelis & effugiis illorum sunt vindicanda.

Primus autem locus memorabilis extat, Ezech. 36. v. 26. quem adversarii ut corrumpant, nobisque hoc argumentum eripiant, sic primum proponunt: *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio vestri, & auferam cor lapideum à carne vestra, daboque vobis, &c.* Ad quem locum adversarii respondent: *ex eo argumentum solidum, pro modo operationis irresistibili, peti non potest, ob rationes hasce manifestissimas. 1. Quia promissio hæc dirigitur ad totum populum captivum, vel eos ex populo, qui istis temporibus; quibus promissio hæc à Deo implenda erat, victuri essent. At verò illi toti populo irresistibilis gratiæ operatio, promissa non est, fatentibus Contraremonstrantibus:* Ergo. Respondemus vero, & propositionem & assumptionem esse vitiosam. Propositionem quidem; quia non est sufficiens disjunctio. Nam 1. quidem promissio hæc non pertinet ad totum populum: quia illi, quibus promissio hæc fit, per Prophetam, à Deo, congregati sunt, ex omnibus gentibus, & reducti in terram suam, v. 24. v. 28. Deinde mundati sunt à suis iniquitatibus, & Spiritu, ac corde renovati, & ad cultum Dei adducti vers. 25. 26. 27. & 33. Quorum neutrum toti populo convenit: cum non omnes reversi sint in patriam, neque omnes ab omnibus iniquitatibus suis mundati. Deinde non pertinet etiam ad omnes eos, qui isto tempore, quo promissio hæc à Deo implenda erat, victuri erant: quia neque hi omnes reversi sunt in terram promissam; sed ad solos reduces spectat: imò denique neque ad omnes reduces; quia in omnibus illis promissio hæc non fuit impleta. Quare corrigenda propositio hoc modo: *Promissio hæc dirigitur vel ad totum populum captivum Judæorum, vel ad reducendos è captivitate in patriam electos ad sanctitatem & salutem.* Atque ita correcta propositio vera erit: aliàs generatim posita, falsa est. Assumptio vero etiam vitiosa est; quia quatuor constat terminis syllogismus. Partem enim tantum argumenti disjunctivi, ex propositione assumit hoc modo: *At vero toti illi populo irresistibilis gratiæ operatio promissa non est:* addendum erat, *neque iis ex populo, qui istis temporibus, quibus promissio hæc à Deo implenda erat, victuri essent*; hæc est enim altera pars argumenti in propositione præmissi. Et quia nihilominus propositio, ut ab adversariis proponitur, mutila est, ut antè ostendimus; sic ex ejus correctione hæc esse debebat assumptio: *atqui hæc gratia irresistibilis, nec toti populo, nec parti illius reducendæ in patriam, & ad sanctitatem ac salutem electæ à Deo promissa est.* Atque ita falsa est, ratione negationis secundi membri. Quamvis enim hæc promissio non pertineat ad totum populum;

pulum: pertinet tamen ad partem illius: nempe ad electos ad salutem, in patriam reducendos. Quia Scriptura docet, regenerationem (quæ cordis lapidei ablatione, & Spiritus ac cordis novi, seu virtutis fidei & charitatis donatione constat, vitæque sanctitatem parit: & de qua hic agitur. vers. 26. ad 30. usque) esse Dei opus, & electis proprium: quia quicunque salutem æternam consequuntur, illi sunt ad eam electi: atqui & soli & omnes regeniti à Deo, salutem æternam consequuntur: *Soli* inquam, quia, *nisi quis fuerit regenitus, non poterit videre regnum Dei, neque ingredi in illud*, Ioh. 3. v. 3. 5. *Omnes* verò: *quia quicunque natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen ejus in ipso manet, & non potest peccare: quia ex Deo natus est*, 1. Ioh. 3 v. 9. Tales autem in quibus semen regenerationis manet, & qui non faciunt peccatum, nec possunt peccare, scil. peccato dominante, illi certo servantur, Rom. 8. v 1. 3. & regeneratis salutem æternam destinatam, & dandam esse, 1. Pet. 1. v. 3. 4. 5. disertè traditur his verbis: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia, regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis servatam: qui potentia Dei custodimur, ad salutem quæ parata est patefieri ultimo tempore.* Quo in loco, ut regenerationis author statuitur Deus: sic ejusdem consequentia adduntur, 1. Spes viva; ea autem non pudefacit, Rom. 5. v. 5. hoc est, non vana est (qualis pudorem habet comitem) sed salutem speratam assequitur. Unde *spe salvi facti* dicimur, Rom. 8. v. 24. Deinde hæreditas in cœlis, ut finis regenerationis. Præterea docetur eam hæreditatem servatam, hoc est, tutam ac certam. Denique non solum hæreditatem seu salutem in cœlis servatam regenitis: sed etiam regenitos servari, ac custodiri ad salutem, Dei potentia (Dei potentia autem invicta & constans est in suis servandis, Ioh. 10. 19.) & quod regeniti reportent finem fidei suæ, salutem animarum, v. 9. Quare ex hisce omnibus concludimus, cum hoc loco Ezech. describatur, cùm regenerationis tum sanctitatis vitæ, populo Judæorum facta promissio: eam non ad totum populum (totus enim non est sanctificatus, nec servatus) sed ad partem illius, nempe electos ad salutem (qui soli regenerantur ac servantur) pertinere: & quidem (ut circumstantia promissionis reditus in patriam evincit) ad electos reducendos è captivitate in patriam. Unde perspicuè apparet vanum id esse, quod adversarii primò respondent, hoc modo: *Dato sed non concesso, id verum esse (neque enim ullo argumento vel verisimili id probari potest, &c.)* Nam solidè inquam contrarium jam demonstravimus. Sed quid eo concesso, nihilominus concludant adversarii expendendum: ajunt autem, *ex isto fundamento sequi, non contineri hisce verbis ullam singularem promissionem beneficii alicujus novi, quod populo huic suo Deus faciat: promissio enim illa de fide danda, non minus ad electos, qui tum temporis erant, quam ad eos, qui futuri adhuc erant, pertinebat: & quidem tam ad gentiles quàm ad Judæos.* Respondemus autem, beneficium dici posse novum vel simpliciter & absolutè: vel secundum quid & relatè. Priori modo regeneratio electorum, per Ezechielem promissa, novum beneficium non est: quia omnibus ad salutem æternam electis, inde ab initio, commune est; atque eo modo neque singularis hæc est promissio: posteriori verò modo rectè novum dicitur secundum quid, ratione circumstantiæ amplioris gratiæ, & quidem relatione, hoc est, comparatione instituta, populi Judaici liberati, cum captivo ac liberando. Neque enim adhuc omnes eo tempore Ezechielis, ad regenerationem & vitæ sanctitatem electi, conversi erant, ac novo Spiritu novoque corde donati: sed tandem renovandi promittuntur: quemadmodum etiam in conversis renovationis gratia futura erat uberior. Quemadmodum illud Esræ & Nehemiæ, præ cæteris, pio ac ferventi religionis studio procuratum esse, libris eorum demonstratur. Quare prima hæc exceptio corruit.

Altera verò est hujusmodi, quia (inquiunt) *in loco huic parallelo*, Ezech. 11. v. 19. (legendum vers. 21.) *manifestum signum reperitur, fieri posse, ut stante illa promissione, imo Deo juxta promissionem illam jam indente cor, & Spiritum novum tribuente, nihilominus tamen aliqui cor contaminationum retineant, & ad Deum suum, ex animo suo, se non convertant.* At, inquam, qua ratione apertius & Dei verbis & sibi ipsis contradicere possent? Nam 1. Deus expresè, cum Spiritus & cordis novi promissione, primum ablationem cordis lapidei, hoc est, contumacis, Deoque resistentis, (ut lapis sua duritie) & donationem cordis novi, & carnei, hoc est mollis, ac Deo obedientis, (opponitur enim non Spiritui, sed lapideo ac duro) conjungit: quæ beneficia è diametro cordi contaminationum repugnant. Deinde Deus etiam cordi novo promisso adjungit etiam purgationem vers. 25. *& aspergam super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus contaminationibus vestris*, & v. 29. similiter: *Servabo vos ab omnibus contaminationibus vestris.* Unde apertè sequitur, falsum esse, & huic doctrinæ Ezech. 36. cap. repugnans, quod adversarii objiciunt, quod *Deo, juxta promissionem illam, jam indente cor novum & Spiritum novum tribuente, nihilominus tamen aliqui cor contaminatum retineant, & ad Deum suum, ex animo, se non convertant.* Quod ut probandum est adversariis; ita in ea re ex Ezech. 11. vers. 21. confirmanda, errores committunt insignes. Etenim hæc prima est eorum ratio: *Statim enim inquiunt, post recitatam, substantia prorsus eandem cum ea, quæ hic* (intelligunt Ezech. cap. 36) *repetitur, promissionem, subjungit Deus proxime, per particulam quæ copulativa est, hanc comminationem: Et quorum cor ambulat ad cor contaminationum eorum & abominationum eorum, viam eorum dabo in caput eorum dixit Jehovah: Ex quo apparet præcedentem promissionem illis tantum factam esse, quorum cor non ambulat, &c.* In qua confirmatione infirma, primus error existit, ac se prodit sophisma ignorationis elenchi: quia à scopo omnino aberrantes, aliud prorsus probandum proponunt, aliud verò concludunt; imò (quod amplius mirandum) contrarium. Probandum enim erat, Deo cor & Spiritum novum indente, juxta promissionem illam Ezechielis 36. (ac propterea cor lapideum auferente, & à contaminationibus mundante, ac servante, & faciente ut in præceptis ejus ambulent,) nonnullos tamen eorum nihilominus retinere cor contaminatum: quam contradictionem apertam, nova contradictione probationis loco augent: cum asserunt, ex parallelo loco Ezech. 11. apparere, præcedentem promissionem, illis tantum factam esse, quorum cor non ambulat ad cor contaminationum eorum. Ergo inquam, huic perspicuè contradicit, quod ante posuerunt, & probandum statuerunt, nempe secundum promissionem illam jam Deo indente cor, & Spiritum novum, retineri nihilominus à nonnullis eorum cor contaminatum, vetus scil. ac novandum. Atque hæc de priori adversariorum errore.

Alter verò est falsæ consequentiæ; neque enim, ut objectant, ex sententia Ezech. 11. v. 21. probatur, promissionem illam cordis novi, & ablationem cordis lapidei, &c. illis tantum factam esse, quorum cor non ambulat ad cor contaminationum: quasi scil. hominum sanctæ actiones præcederent novi cordis donationem à Deo, & cordis lapidei ablationem: Contrarium enim docet Propheta. Nam expresè distinguit eo in loco, cap. 11. Judæos in terram Israëlis reversuros, in convertendos, & non convertendos. Ac convertendos ita describit, primum à vitæ ipsorum mundatione, vers. 18 *& venient illuc, & amovebunt omnia detestabilia ejus* (scil. terræ Israëlis) *omnesque abominationes ejus ab eâ.* Cujus actualis conversionis ac mundationis vitæ ipsorum causam proximè Propheta subjungit; nempè efficientem Dei gratiam, qua *cor unum, & Spiritum novum iis indet, & cor lapideum amovebit, ac donabit cor carneum*, (hoc est, molle ac docile) *ut in statutis ipsius ambulent, & sint ipsius populus, & ipse sit eorum Deus*, vers. 19. & 20. quemadmodum etiam plenius, Ezech. 36. explicatur. Quare cum ambulatio in statutis Dei sit finis, & effectum ablationis cordis lapidei, & donationis cordis novi, inde luculenter apparet, antecedens illius objectum, (quod adversarii colligunt) dici non posse. Huic porrò convertendorum Judæorum descriptioni vers. 18. 19. & 20. opponit Propheta descriptionem

nem non convertendorum v. 21. ab effecto contrario priori & eventu illius. Effectum est *cordis ambulatio ad cor detestabilium eorum* (de quibus v. 12.) *& abominationum eorum:* eventus verò est, quod *viam eorum*, (hoc est, mercedem, ac pœnam viæ eorum, seu vitæ improbæ) *in capite eorum reponet.* Unde satis constat, hinc non probari, bonas hominis actiones præcedere ipsam regenerationem seu cordis novi donationem, & cordis lapidei ablationem: quod adversarii contendunt temerè. Sed ad aliud argumentum majori confidentia procedunt: *Quod* (inquiunt) *ex eo solidissimè confirmatur, quod Scriptura Vet. Testamenti passim promissiones divinas, de dando populo suo cor unum, & de circumcidendo corde populi sui (quæ unum & idem sine dubio significant, quod hæc de qua agitur) sub conditione hac facere solet: Si conversus fuerit populus ad Jehovam Deum suum, & obediat voci ejus, tum circumcidet Jehova cor populi ut diligat Jehovam toto cordo suo*, Deut. 30. v. 2. 3. 4. 5. 6. Levit. 26. v. 38. 39. &c. Hæc illi. Respondemus autem, nihil hoc facere ad locum, Ezech. 11. & 36. quia diversa est utrimque promissionum ratio. Ezechiel enim loquitur de iis, qui omninò erant incircumcisi corde: utpote quod lapideum erat, quique abominationibus scatebant atque impuritatibus; iisque promittit cordis lapidei ablationem, & novi donationem: ut verba ipsa expressè attestantur. Contra verò Moses, Deut. 30. de conversis ad Deum agit, ut vers. 2. dicitur, & (nempè כ *quum* ex v. 1.) *conversus fueris ad Jehovam Deum tuum, & auscultaveris voci ejus, in omnibus, quæ ego præcipio tibi hodiè, tu & filii tui ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, hoc est, sincerè, ut interdum hæc phrasis non absolutam perfectionem; sed relatè sinceritatem notat: ut *totum cor, duplici cordi*, hoc est, insincero ac fallaci opponatur. Ideoque non loquitur de iis, qui habent cor lapideum & impurum, sed de regenitis, novoque corde à Deo donatis ac circumcisis Spiritu inchoatè, secundum omnia Dei mandata sincerè, etsi non perfecto gradu. Ac propterea Deus hujus gratiæ continuationem & incrementum iisdem pollicetur v. 6. *& circumcidet Jehovah Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum, toto corde tuo & tota anima tua, ut vivas.* Quemadmodum etiam David jam ad Deum conversus, & ei reconciliatus fide & resipiscentia, citra controversiam, corde novo erat prædítus, in precatione, Psalm. 51. nihilominus tamen illius in se creationem à Deo, non initii, sed augmenti ratione precatur, v. 12. Quare hic locus, Deut. 30. nullo modo probat bonas hominis actiones, esse primæ conversionis & regenerationis conditionem antecedentem, ut adversarii volunt. Alter verò Livit. 26. v. 38. &c. quem adjiciunt omninò est alienus. Nam Deus pœnam Israelitis ob peccata minatur, v. 39. & resipiscentibus ac peccatorum veniam orantibus vers. 40. & 41. pœnarum liberationem pollicetur, v. 43. 44. 45. non autem docet conversionem eorum actualem esse conditionem, quæ præcedat primam cordis à Deo circumcisionem, ac regenerationem. Eademque prorsus est ratio sententiæ Jerem. 29. vers. 10. 11. 12. 13. 14.

Quod autem tandem objiciunt ex Jes. 24. v. 4. 5. 6. 7. Contrarium docet. Nam vers. 7. dicitur, *Dabo iis cor, ad sciendum me esse Jehovam: eruntque mihi populus, & ego ero iis Deus: quia revertentur ad me, in toto corde suo:* quo nihil aliud traditur, quam quod postea distinctè, cap. 32. vers. 38. 39. 40. *erunt mihi populus, & ego ero iis Deus, & dabo iis cor unum, & viam unam ad timendum me, omnibus diebus, ad bonum ipsorum, & filiis ipsorum post ipsos, &c. & timorem mei dabo in corde ipsorum, ut non recedant à me, &c.* Unde apparet conversionem ad Deum & obedientiam, esse donationis cordis novi à Deo effectum: ac propterea vanissimum est, quod adversarii jactant: *Id ex eo solidissimè confirmari, quod Scriptura Vet. Testamenti passim promissiones divinas, de dando populo suo cor unum, & circumcidendo corde populi sui, sub conditione hac facere solet, si conversus fuerit populus ad Jehovam Deum suum:* Cum contra hæc actualis conversio, seu bona opera consequens effectum regenerationis, ac circumcisionis cordis primæ statuatur disertissimè, Ezech. 11. & 36. & Jerem. 32. & alibi. Quemadmodum & ex circumcisione cordis aucta, operum quoque bonorum augmentum promanare traditur, Deut. 30. v. 6. ut & initium bonorum operum, & progressum ex regeneratione oriri constet. Hæc de secundo adversariorum argumento.

Tertium verò est: *quia idem actus faciendi cor novum præcipitur à Spiritu Sancto homini, tum eadem planè phrasi*, Ezech. 18. v. 31. *Facite vobis cor novum: tum synonymis*, Psal. 95. v. 8. *Nolite obdurare corda vestra*, Jerem 4. v. 4 *Circumcidite vos Jehovæ & auferte præputia cordis vestri, viri Jehuda*, 1. Chron. 22 v. 19. *Præbete nunc cor vestrum, & animam vestram ad requirendum Deum, &c.* Jerem. 4. v. 14. *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias, & similibus aliis infinitis, &c.* Respondemus autem consequentiam esse invalidam. Nam quamvis à Spiritu Sancto idem actus faciendi cor novum præcipiatur homini, inde tamen non sequitur, illud effectum esse hominis, sed tantum officium, quod Deus Jure suo exigit: etsi sua injuria homo sese id faciendi potentia privârit.

Sed quartò objiciunt experientiam, *quod ea non docuerit, hanc promissionem impletam esse post reductionem populi in terram Chananæam; nec temporibus ipsius Messiæ, ita ut magna, imò multò maxima pars Judæorum hac ratione ad Deum conversa sit: quin contraria omnia evenisse, quia obduratio Israeli obtigit, ita ut reliquiæ quædam tantum servatæ sint; in quibus, suo tempore populus quasi redintegrabitur. Quod signum est promissionem absolutam non esse habendam. Etenim si absoluta promissio talis intelligeretur, impletam, sine dubio, eam fuisse experientia docuisset.* Respondemus, propositionem hanc postremò positam esse veram: assumptionem verò initiò præmissam esse falsam. Nam revera experientia promissionem Ezechielis impletam docuit, partim post reductionem populi in terram Cananæam: partim atque inprimis, temporibus Christi & Apostolorum, non quod maxima populi Judæorum pars sit conversa: sed quod magna; licet ea comparatè cum maxima, reliquiarum nomen obtineat. Et perspicuum est, post liberationem Judæorum à captivitate Babylonica eos nunquam ita idololatriæ fuisse addictos, ut anteà. Deinde promissio hæc pertinet ad electos futuros, magno numero, Rom. 11. vers. 24. 25. 26. Nam quod regerunt, *omni tempore & hoc ipso etiam quo promissionem hanc faciebat, suos habebat, qui ipsum ex animo colerent, & diligerent.* Verùm id quidem est, sed si comparemus statum Ecclesiæ ante captivitatem & in ea, cum statu post captivitatem; item ante Christum exhibitum, & post eum exhibitum, quam plurimi, admirandâ Dei potentiâ ac gratiâ, ad verum Dei cultum (à quo ante erant alieni:) sunt conversi, ut primum historia Esræ, & Nehemiæ, cum secundo Lib. Regum comparata; Deinde Euangelia, Matth. 3. vers. 5. & 4. vers. 16. atque Acta Apostolorum cap. 2. vers. 41. & 4. vers. 4. ostendunt. Paulus denique Hebr. 8. v. 8. 10. 11. 12. 13. & 10. v. 15. 16. 17. Rem promissam impletam partim, ac tandem implendam plenius, Rom. 11. v. 25. 26. 27. testatur. Quare frustra quærunt adversarii, *quid igitur singulare promitteretur?* Nam licet non sit absolutè singulare: comparatè tamen singulare esse apparet beneficium, quod promittitur à Propheta. Deinde quod colligunt hoc modo: *Ex quibus omnibus liquet, phrasi hac metaphorica, dabo iis cor novum, non denotari eam operationis divinæ efficaciam, qua posita non possent non resipiscere, & se convertere Judæi; sed talem cui resistere, & voluntariam contumaciam opponere semper poterant:* illud inquam non liquet ex ante dictis: & simul statum quæstionis hoc modo perturbant. Nostri enim asserunt, cor novum & Spiritum novum omnipotenti Dei gratiâ dari, adeò ut operationem illam gratiæ divinæ, is, in quo eam Deus operatur, impedire nequeat. Idque Deus apud Ezechielem apertè demonstrat, cum ait, *auferam cor lapideum & dabo cor carneum*, hoc est, non durum, ac resistens Dei voluntati: sed molle, docile, ac obediens. Deinde ea datione adjunctoque Dei auxilio, hominem ita regi, ut licet carnis reliquiæ, post regenerationem, Spiritui resistant, Galat. 5. vers. 17. non tamen dominentur, Roman. 6. vers. 14. sed domentur; & homo renatus certissimè ad obedientiam erga Deum adducatur, ut ibidem Ezech. 36. vers. 27. subjicitur, *& Spiritum*

Spiritum meum dabo in medio vestrum, & faciam quod in statutis meis ambulabitis; & judicia mea custodietis, & facietis ea. Quare mera verbi Dei corruptio est, cum dicunt: *Sensus enim loci est, Deum à parte sua tot ac tanta facturum circa populum suum, longo captivitatis tempore fractum, & supplicem factum, per quæ non tantum in officio contineri possent, sed certo certius (nisi planè refractarii esse velint, & nova rebellione Deo suo benefactori se opponere) in officio continendi essent:* Atque ita adversarii gratiam regenerationis dubiam, & à libero voluntatis humanæ arbitrio suspensam tradentes, Scripturæ manifestè contradicunt. Nam Deus hoc Ezechielis loco Spiritum novum, & cor novum, (eoque rectam intelligentiam & voluntatem) se daturum promittit: & ablaturum cor lapideum, ac daturum cor carneum, & facturum quod in mandatis illius sint ambulaturi: ideoque non potentiam, ac sufficientem solum, sed etiam efficientem & perficientem gratiam asserit: quam adversarii contra negant. Nam quod excipiunt contra vocem *dandi: quod dare aliquando dicitur ille, qui quantum in se est dat, etsi fieri possit ut non sequatur eventus, ut ex* Deut. 29. vers. 4. *manifestum est*, & Iohan. 6. vers. 32. 34. Illud sanè nihil ad hanc rem pertinet. Primò, quod ex illo Deut. loco non est manifesta, ut gloriantur, ea vocis *dare* significatio: Sic enim ait Moses. *Et non dedit vobis Deus cor ad sciendum:* ubi *dedit* nihil aliud quam participes fecit, significat. Et Joh. 6. vers. 32. offerre quidem; sed Joh. 6. vers. 34. *Da nobis hunc panem*, conferre, ac participem reddere apertè significat. Deinde hæc consequentia, *dare interdum significat offerre, licet ab alio non acceptetur: Ergò ex hac promissione dandi cor novum, non potest vera communicatio atque effectio concludi*, meritò negatur. Nam loci Ezechielis circumstantiæ dationem talem describunt, qua Deus indit donum revera: quemadmodum demonstrant ista, *auferre cor lapideum, facere quod in præcepto Dei ambulent, & mundare ab omnibus impuritatibus*, vers. 25. 29. quæ omninò cum nova rebellione (quam accidere posse, & interdum accidisse contendunt,) perspicuè pugnant.

Atque hoc modo vindicato, adversus Adversariorum exceptiones, Orthodoxorum pro merè gratuita regeneratione, ex loco Ezech. 36. argumento, ad alterum procedemus.

Secundus enim locus (ut ajunt adversarii) *est*, Ioh. 6. v. 44. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* Unde Orthodoxi contendunt, gratiam conversionis ad fidem, non esse solum sufficientem, (ut adversarii volunt:) sed etiam sua potentia invicta perficientem: Ideoque non ab ancipiti liberi arbitrii sententia pendentem, ut adversarii statuunt. Ad quod respondent:

1. *Id probari non posse ex hoc loco; sivè proprietas vocis trahendi consideretur, sivè rei ipsius (phrasi ista, quem Pater traxerit significatæ) natura. Nam si proprietas vocis consideretur, ea in rigore significat motionem violentam. At eam in conversione adhiberi nolunt Contraremonstr. quanquam si consequenter loqui velint, eam admittere cogantur. Si rei natura consideretur: quia tractio Patris significat actionem aliquam in homine productam & effectam, antequam venire possit ad Christum, &c. At si illa actio est ipsa actualis conversio, (ut Contrarem. volunt,) jam dicetur necessum esse, ut homo prius conversus actu sit, antequam venire possit ad Christum: quod absurdum est. conversus enim esset homo antequam posset converti.*

Hæc adversariorum prima, eaque bimembris ratio: sed utrimque infirma. Nam primò negamus *trahere* proriè significare motionem violentam. Nam *violentum* immoderatam vim notare, & vocis à *violo* etymologiæ; & usus communis bonorum authorum testatur: Idque etiam rectè à doctissimo Giphanio ad 3. Ethic. Arist. cap. 1. observatum; quod Deo tribui non potest, à quo omnis immoderata actio ac vis (utpote semper rectissimè agente) omninò abest. *Trahere* autem generatim potentem actionem notat: quæ propriè versatur circa rem corpoream, sivè inanimatam, ut Johan. 18. vers. 10. & 21. vers. 6. & 11. sivè animatam, Actor. 16. v. 19. 21. v. 30. Unde, ab hac corporali potenti, ac majori vi & operatione, per metaph. ad animam transfertur, ut Ioh. 6. v. 44. & 12. v. 32. *Omnia traham ad me ipsum:* quo non violentam actionem, sed invictam notari agnoscimus, à qua tractus excludatur: ut qui trahitur, non trahat. Hæc autem tractio regeneratio est, qua Deus homini Spiritum novum, & cor novum, ideoque habitum ac virtutem vivæ fidei donat; atque ita idoneum reddit ad actionem credendi, eamque suo verbo, & Spiritus sui auxilio suaviter excitat, atque ex homine renato producit. Ideoque verum est, hanc tractionem Patris ad Christum, in homine antecedere ordine adventum ad Christum, hoc est, credendi in homine actionem: ea enim ex tractione illa, seu regeneratione atque habitualis fidei donatione procedit: neque ullum est hac in re (ut objiciunt) absurdum, quasi homo esset conversus, antequam posset converti. Nam conversio habitualis, seu donatio novi Spiritus & novi cordis, ordine, non tempore, primam conversionem actualem, ut causa suum effectum, ac potentia suam actionem præcedit. Quemadmodum etiam Ezech. 36. illa ita distinguuntur, eodem ordine; ut etiam supra demonstravimus pluribus; atque ex epist. ad Ephes. cap. 2. vers. 10. liquet. Ideoque hæc confusio habitus seu virtutis fidei, & actionis illius, in adversariorum objectionibus, observanda, qua passim ac subdolè statum controversiæ corrumpendo, fallere conantur. Hæc ad primam objectionem.

Altera verò est hæc: *Quia tractio Patris talem significat actionem, qua fit, ut quis veniat ad Christum. Atque is qui irresistibili actione trahitur, non potest dici venire ad Christum; neque enim qui trahitur, venit.* Respondemus, propositionem quæ verbis Christi nititur agnoscimus; assumptionem verò negamus & probationem illius: cujus causa est, quod adversarii, Iohan. 6. tractionem Patris, cum adventu ad Christum, quasi idem essent, confundant: cum ea inter se, tanquam causa efficiens & effectum, ut modo ostendimus, distinguantur. Tractio enim Patris ad Christum, est donatio habitualis fidei: quæ fit actione Dei omnipotenti, ideoque non solum invicta, & insuperabili, sed etiam (ut post Socinum loquuntur adversarii) irresistibili: quia id, quod aliàs resistere posset, nempe cor lapideum aufert, & dat cor novum, seu novas bonasque animi qualitates: adeò ut in hac conversione habituali, homo qui convertitur, nec sit causa efficiens: nec officiens & resistens: sed patiens tantùm subjectum, ut in aliis etiam habitibus infusis divinitus accidit: ut 1. Sam. 10. v. 6. *irruetque super te Spiritus Jehovæ, ut prophetes cum eis, & mutaberis in alium virum:* cum scilicet heroicis ac regiis virtutibus donaberis, &c. Venire autem ad Christum est tractionis illius effectum. Quum enim electis ac convertendis Deus verbum Euangelii exterius prædicat, suo etiam Spiritu Sancto interius virtutem fidei vivæ efficit, hominemq; eo modo ad actu credendum verbo Euangelii objecto adducit. Nam ut actio credendi non excitatur vi omnipotente: sed ei à carnis reliquiis resistitur, Rom. 7. vers. 23. & 8. vers. 7. Gal. 5. vers. 17 (ac propterea irresistibilis actio hæc dici non potest) sic tamen ne caro, à mundo & mundi principe Satana adjuta, ita verbo & Spiritui seu dono regenerationis habitus fidei resistat, ut superet: propterea accedit conjunctum Spiritus Dei auxilium, quo & tentationes carnis repugnantes Spiritui refrænat, Matth. 26. vers. 41. Luc. 22. vers. 31. 32. 1. Cor. 10. vers. 13. & verbi objecto assistens actionem credendi elicit. Quare hæc secunda objectio sententiam nostrorum minimè confutat: Quemadmodum nec tertia firma est; cum addunt: *Tertiò, quia alioquin dicendum foret, Christum indicare voluisse, causam, per quam fieret, ut illi de quibus loquitur, murmurarent, & increduli manerent, fuisse quod Deus Pater illos ad fidem aut trahere non vellet, aut actu non pertraheret; ac proinde non culpa ipsorum fieri, quod non crederent: sed defectu voluntatis & gratiæ divinæ.* Verum negatur hoc loco Consequentia. Nam licet ea ratio sit, cur dicantur non credidisse: quod credere illi solùm valerent, qui à Patre regenerantur, ac virtutem credendi accipiunt; causa tamen per quam fit, ut non credant, non est defectus tractionis Patris: sed hominis vitium insitum: quod imaginem Dei sua culpa excusserit, & inde fiat, ut animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei: sed stultitia sint

ei, &c. 1. Cor. 2. verſ. 14. adeo ut etiam ipſi regeniti, non ſint apti à ſeipſis quicquam (ſcilicet boni) cogitare, tanquam ex ſeipſis; ſed aptitudo noſtra ex Deo ſit, 2. Cor. 3. verſ. 5. ut qui & virtutes donat, & actiones virtutum ſuo verbo, adjunctoque auxilio Spiritus S. excitat, atque per hominem efficit; adeò ut Deus ſolus ſit cauſa potentiæ credendi in Chriſtum: actionis verò cauſa non ſola nec proxima, ſed remota: utpote qui potentiam credendi dedit: & auxilio ſuo eandem verbo excitat, & ad actiones producendas adducit: homo verò renatus ſeu habitu & potentia credendi donatus, à Deo, cauſa eſt proxima; quia homo credit; non autem Deus: credere enim actio eſt credentis: Ergo ab homine credente eſt actio credendi: ſed non ex ſeipſo, ut 2. Cor. 3. verſ. 5. hoc eſt, non vi naturali, aut acuminis mentis aut liberæ voluntatis, aut etiam inſtitutionis humanæ: Sed origo ac vis eſt ἱκανότης aptitudo ex Deo: qui fidei habitualis dono hominem habilem aptumque ad credendum reddit. Ideoque fides habitualis (quæ virtus eſt in animo habitans & permanens, 2. Tim. 1. v. 5. utpote per quam Chriſtus inhabitat in cordibus noſtris, Epheſ. 3. verſ. 17.) non ſola dicitur donum Dei, ut reipſa Apoſtolus docet, Epheſ. 3. verſ. 16. 17. ſed etiam ipſa actio credendi, ex ea fide habituali, ut ex nova creatura promanans, Eph. 2. v. 8. 9. 10. Phil. 1. v. 29. ſimiliter appellatur. Quemadmodum etiam ut charitatis virtus donum Dei ſtatuitur. Eph. 3. v. 16. 18. Sic etiam actiones illius, nempe amare ſeu bonum velle, & operari, Phil. 2. v. 13. Deo meritò tribuuntur. Nam licet homo amet ſeu velit bonum, & efficiat: & à natura habeat vim volendi, & efficiendi: quia tamen natura poſt lapſum corrupta eſt, & à bono averſa, Rom 8. v. 6. 7. & ad malum tantum propenſa, Gen. 8. v. 21. vis bonum volendi ac faciendi eſt à ſola Dei regenerantis gratia: qui Deus ut regeneratione novi hominis, fidei virtutem menti, ſic etiam charitatis habitum voluntati infundit: quo habitu habiles atque apti ſimus ad actiones charitatis perficiendas? Quemadmodum Gal. 5. v. 22. oppoſitè carni, *Spiritus* (hoc eſt, ſanctitatis, per regenerationem à Sp. S. acceptæ) *fructus* dicuntur *charitas & fides*, hoc eſt, fidei & charitatis actiones: nam habitus hi, voce *Spiritus*, quod à Spiritu Sancto ſint, per Metonymiam continentur.

Sed quarto objicitur ab adverſariis, *ſententiam noſtrorum in hujus loci uſu non poſſe conſiſtere: quia, ut ajunt, hæc ipſa tractio exponitur verſ. ſeqq. per audire à patre & diſcere: ita quidem ut is qui primo audivit à Patre, & didicit, venire dicatur ad Chriſtum.* Sed negatur Conſequentia: quia hac ratione indicatur, Deum eſſe, qui Euangelium per miniſtros ſuos proponit, ut electi audiant, ſimulque virtute Spiritus interna, atque omnipotente conjunctâ, fidei habitum in iis efficit, objectoque Euangelio, fidei actionem docet eamque promovet: unde fides actualis, ſeu venire ad Chriſtum procedit. Atque hoc modo, Deus Electos docere dicitur, & hi diſcere, cum doctrinam ſuam mentibus eorum indit, eandemque cordibus inſcribit, Heb. 8. v. 10. atque ita idoneos reddit, ut veniant ad Chriſtum. Neque, ut ajunt adverſarii, ea in re quicquam eſt abſurdi, quod à noſtris dicitur, neminem, niſi fide donatus ſit, venire poſſe ad Chriſtum: ſiquidem, cum rationem addunt hanc; *quia ſenſus hic foret ineptus: quod nihil aliud notaret, quam quiſquis jam credit vel crediderit in me, ille credit in me, vel credere in me poteſt*; in eo, inquam, homonymia ludentes, falſam nectunt conſequentiam: quia fides vel propriè habitum ſeu qualitatem mentis durabilem: vel actionem illius tranſeuntem impropriè notat: hoc eſt, vel virtutem qua quis ad credendum idoneus eſt, vel actionem credentis ex iſta virtute promanantem. Quemadmodum reliqua bonorum habituum, ac virtutum nomina, propriè qualitatem manentem ſignificant; impropriè verò per Metonym. cauſæ efficientis pro effecto, actiones earum notant. Quare cum fides propriè loquendo & credere, inter ſe tanquam habitus & actio illius differant, fide donatum eſſe, & credere non ſunt idem, ſed diverſa: ac doctè dicitur, non autem ineptè (ut objectant) nemo poteſt venire ad Chriſtum, ſeu credere, niſi fide ſeu virtute, qua idoneus reddatur ad credendum.

Quod autem porrò addunt adverſarii, *Quare neceſſum omninò eſt, ut tractio hæc Patris aliud nihil notet, quam diſpoſitionem illam animi, quæ Patris cœleſtis indolem æquitatis & juſtitiæ amantem, vel ab improbitate alienam refert; ut planè conveniat cum reliquis phraſibus, quæ paſſim, inprimis apud Johannem occurrunt, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, Joh. 8. v. 47. Ad hæc inquam reſpondemus. 1 Adverſarios, ut confutatione præcedonti oſtendimus, ex falſo antecedente malè concludere, primam tractionem hanc Patris, nihil aliud eſſe, quam diſpoſitionem: cum revera ſit habitus permanens. Eſt enim regenerationis ex Deo pars: ut vel ipſi agnoſcunt, cum locum Ioh. 8. v. 47. *qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, plane convenire aſſerunt: Quamvis, (ut obiter hoc dicam) *natum eſſe ex Deo*, non fidem ſolam, ſed etiam charitatem, tanquam partes ſuas, ut duo novi hominis membra complectitur. Quemadmodum Eph. 3. v. 16. novus homo proponitur, & verſ. 17. 18. in hæc duo dividitur: quemadmodum etiam definitur Col. 3. verſ. 10. renovatione ad agnitionem ſecundum imaginem ejus qui condidit ipſum. & Eph. 4. v. 24. juſtitia & ſanctitate veritatis: quæ ad charitatem pertinent, ut agnitio ad fidem. *Natum autem ex Deo* non eſſe diſpoſitionem, ſeu qualitatem levem, ac facile mobilem, ſed perdurantem, ideoque habitum, demonſtratur, 1. Ioh. 3. v. 9. *Nullus* (πᾶς οὐ per Hebraiſmum eſt univerſalis negatio, *nullus*: non autem particularis, pro *quidam non*, ut Græcis & Latinis) *natus ex Deo peccatum facit; quia ſemen ejus in ipſo manet; & non poteſt peccare; quia ex Deo natus eſt.* unde conſtat primùm, cum tractio Patris, & natum eſſe ex Deo, ut adverſarii profitentur, conveniant, nativitatem ex Deo (ſeu habitualem converſionem ad fidem & charitatem) non ſequi, & acquiri ex crebris actualis fidei & charitatis actionibus, ut adverſarii paſſim contendunt: ſed eas omnino præcedere: quia *niſi Pater traxerit, nemo poteſt venire ad Chriſtum*; item quia ut Joh. 8 verſ. 47. dicitur, *qui eſt ex Deo* (ſupple natus) *verbum Dei audit*; ſic etiam ibidem ſubjicitur, *propterea vos non creditis* (in textu eſt auditis) *quia ex Deo non eſtis*; quo declaratur, niſi quis renatus fuerit ex Deo, verba Dei non audire, hoc eſt, non obedire fide, ſeu non credere: ut altera pars verſus exponit, cum dicitur, *vos non creditis*: nam eos propriè loquendo audiviſſe verba Dei, Chriſto docente, certiſſimum eſt, ut vel ex verſ. 45. & 46. conſtat. ideoque regenerationem non acquiri longo uſu obedientiæ fidei: ſed obedientiam, qua Chriſto creditur, ex regeneratione ex Deo oriri deſignatur. Secundò etiam hinc ſequitur, cùm natus ex Deo (hoc eſt, tractus à Patre, ut hæc inter ſe convenire adverſarii agnoſcunt) 1. peccatum non faciat; deinde quia ſemen ejus manet in eo: 3. nec peccare (ſcilicet peccato dominante) poſſit; 4. denique quod ideo peccare non poſſit, quia ex Deo natus: Ex hiſce cunctis & ſingulis ſequitur, falſum eſſe quod adverſarii ſtatuunt, hominem qui à Patre trahitur ſeu natus eſt ex Deo, nihilominus poſſe non converti, ac ſæpè etiam non converti (eoque peccare) ſeu tractionem illam eſſe tantum gratiam non perficientem actionem fidei, ſed tantum ſufficientem, cui homo ita tractus nihilominus reſiſtere poſſit: & ſæpe reſiſtat, ita ut non veniat ad Chriſtum: ut in hujus etiam loci, Ioh. 6. examine Adverſarii tradunt. præterea ut in eo errant, quod tractionem hanc non habitum, ſed diſpoſitionem eſſe affirmant: ſic etiam ſecundo loco, quod eam non intellectui; ſed animo ſeu voluntati (cum diſpoſitionem animi vocant) adſcribunt: qua (ut loquuntur) *indolem Patris cœleſtis, & naturam æquitatis & juſtitiæ amantem, vel ab improbitate alienam refert*: cum tamen fidei & habitualis & actualis ſubjectum ſit mens ſeu intellectus: non voluntas: quemadmodum contrà, charitas non in mente, ſed in voluntate exiſtit: & juſtitiæ amor habitualis, non eſt cauſa fidei habitualis; ſed hæc duo membra regeneratione, atque animæ ſanctificatione ſimul donantur, ut antea oſtendimus: fides verò habitualis cauſa eſt actionis fidei, atque etiam eo modo per charitatem efficax, Gal. 5. v. 6. quod eam ad actiones amoris Dei, & proximi promovet. Sed fidei actualis cauſa eſt proxima: actionis vero charitatis remota. Quod autem loca, Ioh. 7. verſ. 17. & 3. v. 20. (quaſi eadem ſignificarent) adjungunt, omnino à ſcopo

no à scopo suo (qui est probare Patris tractionem esse dispositionem) aberrant: quandoquidem Christus, in hisce duabus sententiis, non de dispositione (quæ qualitas est) sed de actionibus volendi facere voluntatem patris & operam dandi veritati, disertè loquitur: quæ actiones etiam ex gratia regenerationis oriuntur.

Atque hæc ad vindicationem argumenti Orthodoxorum ex Ioh. 6. v. 44. à corruptelis & effugiis, quæ ab adversariis proponuntur.

Tertius denique locus excutiendus, ejusque genuina similiter sententia asserenda. is autem locus est, Actor. 11. vers. 18. *nempe ergo Deus gentibus etiam dedit resipiscentiam ad vitam*, quem etiam sibi objiciunt adversarii: cui addimus reliquos duos, Act. 5. v. 31. *hunc Deus principem & servatorem erexit dextra sua, ad dandam resipiscentiam Israëli.* deinde 2. Tim 2. v. 25. *cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo sunt affecti, ecquando det iis Deus resipiscentiam, ad cognitionem veritatis.*

Ad primum quidem respondent, *eum non probare nostrorum thesin, sive proprietas vocis dandi, sive loci ipsius sententia consideretur.* Ac prius eo probare conantur, *quod dare alicri aliquid propriè nemo dicitur, nisi cum relatione ad accipientem, sive is actu accipiat sive accipere saltem potuerit, imò etiam ex officio accipere debuerit.*

Sed negamus *dationem*, cum relatione ad talem activam acceptionem, propriè dici: sed potius per Synecdoch. generis pro specie. Generalis enim *dationis* vox est, etiam ubi subjecti illius, cui accidit, nulla, nisi passiva receptio est, ut Actor. 17. v. 25. de Deo dicitur, *dans omnibus vitam & halitum & omnia.* & Ioh. 14 v. 16. *dabo vobis alium Consolatorem.* De donis etiam à Spiritu Sancto infusis, quorum subjectum quidem recipiens est homo, sed non causa cooperans, 1. Cor. 12. v. 7. 8. *unicuique verò datur declaratio Spiritus ad utilitatem, nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, &c.* quæ sane propriè etiam dici, res ipsa ostendit; ac dona Dei, quæ in nobis, sine actionis nostræ concursu, operatur, non minus dari, ac revera dona esse, sed etiam magis & absolutius, quam ea, quæ actione nostra accipiuntur. Alias verò significationes vocis dandi, quas proferunt omittimus: quia non ex sola & separata voce argumentamur: sed simul ex subjectæ materiæ circumstantiis. Quamobrem quod adversus hanc objiciunt, expendendum. Ajunt enim, *sententiam loci nihil habere, quod nobis faveat: neque enim hic personarum certarum rationem haberi, quibus datum dicatur donum resipiscentiæ: sed tantum totius cujusdam communitatis in genere, cui à Deo, ex pura puta gratia, beneficium datum esse agnoscitur, propterea quod in ea reperti fuerint, qui Euangelio crediderunt, quod sine speciali gratia, & auxilio Dei fieri non potuit. Neque enim dicitur propriè in textu, huic aut illi inter gentes, sed gentibus, id est, populo gentilium gratia facta à Deo. id quod duobus indiciis demonstratur. 1. quia iis Euangelium, sicut hactenus Iudæis prædicabatur. 2. quia interfuerunt, qui prædicationi Euangelii fidem adhibuerant & resipuerant, Deoque etiam grati eo nomine declarati fuerant.* Hæc adversariorum verba eo plenius posui, ut admirabilis eorum tergiversatio, & immodesta Scripturæ depravatio clarius pateret. Nam non solum gentium sed etiam certarum personarum rationem (contra atque contendunt adversarii) haberi hoc loco res ipsa evincit. Nam ex verbis etiam Petri, vers. 17. (*postquam igitur par donum dedit iis Deus ut & nobis, cum credidissemus in Dominum nostrum Iesum Christum, ego porrò quis eram qui Deum possem prohibere?*) manifestè apparet, de singularibus, certisque personis (Cornelio scilicet & comitibus illius, ut etiam Act. 10. v. 44 47 48.) propriè dici. Qua positâ ac concessa, de certis gentilibus hypothesi antecedenti, concludunt, ut vers. 18. traditur: *His autem auditis quieverunt, & glorificavêre Deum, dicentes*, Ergo sanè (Græce ἄραγε) *& gentibus Deus resipiscentiam dedit in vitam.* Quo in loco, per gentes, Synecdochicè homines gentiles quidam intelliguntur, ut cap. 10. v. 45. Judæi dicuntur obstupuisse, *quod etiam in gentes*, (id est, in Cornelium & comites illius gentiles) *effusum esset donum Spiritus Sancti.* Sic cap. 11. v. 1. *audiverunt Apostoli & fratres, qui erant in Judæa, gentes etiam recepisse sermonem Dei.* quæ vox *gentium* non de populo aliquo universo: sed de iisdem omnino intelligitur, & v. 3. *Viri præputium habentes, ad quos Petrus esset ingressus, similiter vocantur.* Deinde, quid si etiam vox gentilium, cap. 11. v. 18. non gentiles personas singulares certò notaret, sed populum: nihilominus tamen de gentilium populo intelligeretur, non simpliciter, sed secundum quid: ratione quorundam singularium: idque ex hypothesi, de Cornelii & sociorum illius conditione, à Petro narrata, & ab auditoribus approbata concluditur. Approbatio enim his verbis: *His autem auditis quieverunt & glorificaverunt Deum:* Conclusio verò sequentibus, nempe *dicentes, Ergo etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit in vitam.* Quare responsio hæc adversariorum corruit, & genuina sententia nostrorum adhuc perstat.

Sed alia via effugere conantur adversarii, & quidem voce *gentium* pro quibusdam accepta, cùm ajunt: *quanquam dedisse etiam resipiscentiam gentibus dici possit Deus, quia beneficio divino adductæ erant ut resipiscerent & doctrinæ de Jesu Christo crederent. Quicquid enim boni efficitur in hominibus, quocunque tandem modo efficiatur, id à Deo dari dicitur, sive efficiatur à Deo immediatè, sive per verbi ministerium, sive per miracula, sive per afflictiones, sive per benedictiones, sive per exempla, sive alia quacunque ratione.* In qua adversariorum exceptione, dum fatentur, *dici posse Deum dedisse resipiscentiam gentibus, quia beneficio divino adductæ erant, ut resipiscerent, & doctrinæ Christi crederent*; in eo, inquam, prima fronte, cum nostris consentiunt: sed addita beneficii Dei, seu vocis dandi distinctione, frustrà elabi conantur. Nam Deus hoc loco dare dicitur resipiscentiam, & quidem non quovis modo: sed ex gratia, & oppositè naturalibus hominum viribus, ut Scripturæ analogia partim alibi demonstrat; partim in loco parallelo (quem adduximus jam antea) indicatur, 2. Tim. 2. v. 25. 26 *ecquando det eis Deus resipiscentiam, ad agnitionem veritatis, ut ad sobrietatem redeant, ex Diaboli laqueo à quo captivi detinentur:* quibus verbis declaratur status impotentiæ eorum, qui à Deo convertuntur: nimirum quod sint primo instar ebriorum; deinde quod laqueo diaboli sint capti; ideoque liberari sola vi divina, quæ sobrietatem animi dat, & è laqueo Satanæ eripit, seu à potestate Satanæ eximit. Quemadmodum etiam hoc graviter explicatur, Col. 1. v. 12. 13. *gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit, &c.* quo satis declaratur, ad eam rem ex nobis ipsis non esse nos idoneos: nec liberationis è diaboli laqueis adjutores: sed Dei gratuita potentia, atque invicta hoc fieri. Sic Ephes. vers. 19. 20. *quæ sit excellens magnitudo, &c.* & cap. 2. vers. 8. 9. *gratia enim servati estis &c.* ubi primum fides Dei donum esse dicitur, & modus donationis oppositione nostrarum virium explicatur, nempe *non ex nobis*: atque etiam modi operationis finis, *ne quis glorietur*, hoc est, ne quis salutis & fidei laudem suis viribus ullo modo adscribat. Præterea fidem non ex nostris operibus, sed ex Deo solo esse probat Apostolus, cum addit v. 10. *ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Jesu* (hoc est, per Christum) *ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in ipsis ambulemus.* quibus verbis demonstratur, originem bonorum operum, esse à Dei regenerantis efficacia: Ac propterea resipiscentia ac fides, hominum quidem sunt: sed non ex humana ac naturali vi adjuvante; sed ex sola vi divinitus accepta procedunt; quia & regeneratio (seu fidei & charitatis habitus) ex solo Deo est, & à solo Deo est. Ex solo Deo quidem; quia vis effectiva ex solo Deo oritur; à solo Deo verò, quia solus regenerat, non partim homo. Effecta verò regenerationis, seu resipiscentiæ & fidei opera, ex solo Deo etiam sunt. 2. Cor. 3. v. 5. & 1. Cor. 2. v. 14. Sed non à solo Deo; sed etiam ab homine, & quidem, ut causa proxima. Nam actio credendi est hominis, qui credit: sed vis, atque aptitudo, qua is credit, non est naturalis liberi arbitrii (quasi arbitri fidei) facultas; sed gratiæ & potentiæ divinæ, quæ regenerando hominem idoneum ac potentem ad credendum reddidit: qua potentia homo jam donatus, credere potest, ac reipsa objecto Euangelio credit. Ne verò carnis (à mundo & Satana firmatæ) tentationibus vis illa virtutis fidei impediatur, quominus

minus audito Euangelio actionem fidei proferat, idcirco Deus suo auxilio succurrit; cùm primùm potentia sui Spiritus tentationes illas refrænat; & deinde virtutem fidei regeneratione datam corroborat. Ex quibus, facilius, ea quæ ab adversariis coronidis loco subjiciuntur, dilui possunt. *Quod autem*, inquiunt, *hic datio intelligatur talis, quæ non immediatè, nec irresistibiliter, sed per ministerium hominum facta sit, historia indicat: quia per Petrum ad fidem vocatus fuit Cornelius: cujus facti occasione, hæc hoc loco narrantur. Atqui per Petrum Deus resipiscentiam dare Cornelio irresistibili aut invincibili operatione non voluit, nec potuit: quia hominis actio immediatè non pertingit usque ad voluntatem ipsam, ut ei imprimere possit actum illum, quem Dei nomine ab illo cui imprimeret, postulat, &c. Sic de Apostolis dicitur, quod suaserint ea, quæ ad regnum Dei pertinent*, Actor. 19. v. 7. *quæ profecto ratio agendi supervacanea prorsus, & ridicula fuerit necesse est, si actum ipsum credendi Deus ea efficacitate operabatur, qua posita non poterant non credere.* Hæc illi.

Resp. autem paucis, Sophisma esse Elenchi: nec enim actum ipsum credendi dicimus Deum operari irresistibili atque invincibili sua potentia, primùm quia resistit caro nostra, Gal. 5. v. 17. & cum mundo Satanas, Luc. cap. 22. v. 31. suis tentationibus: sed eas invincibili Spiritus sui potentia refrænat, Luc. 22. v. 32 & 1. Cor. 10. v. 13. 1. Joh. 4. v. 4. eademque potentia datam per regenerationem credendi vim, seu fidei habitum conservat; ut Eph. 3. v. 16. 17. dicitur, ut *det vobis secundum divitias gloriæ suæ, ut potentia roboremini per Spiritum ipsius, in interiore homine, ut habitet Christus in cordibus vestris*, & Col. 1. v. 11. *Potentia omni facti potentes secundum robur gratiæ ipsius, ad omnem tolerantiam*, & 2. Thess. 3. v. 3. *Fidus est Dominus, qui stabiliet vos & custodiet à malo*, & 1. Pet. 5. v. 10. *Deus omnis gratiæ* (scilicet author) *qui vocavit vos, &c. vos perficiat, stabiliat, roboret, fundet*, & cap. 1. v. 5. *qui potentia Dei custodimini per fidem ad salutem.* Atque ita Deus primum tentatione, quæ resistit, per Spiritus sui vim refrænata, hominem fidei virtute donatum ac firmatum, simul etiam verbi sui prædicati instrumento, ad actionem credendi suaviter excitat atque adducit, suaviter, inquam, quia Euangelio in se nihil suavius est: ut quod gratuitam salutem credentibus in Christum promittit. Deinde quia fidei habitus (quo ad credendum propensi reddimur) hoc objecto Euangelio gratissimo ad credendi actionem producendam pellicitur. Ideoque actionem ipsam credendi, nec irresistibili, nec invincibili Dei potentia effici apparet; licet invincibili potentia contrarias ac resistentes carnis tentationes refrænet. Ad habitum verò fidei quod attinet, eum & invincibili & irresistibili potentia efficit: Invincibili quidem, quia vinci non potest virtus illius omnipotens: *potentior enim est qui in nobis est, quam qui in mundo*, 1. Joh. 4. v. 4. *& excellens est ea magnitudo potentiæ ipsius in nobis, qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipsius, Eph.* 1. v. 19. Ea autem efficacitas est, qua cor novum dat, Ezech. 36. Irresistibili verò, quia simul aufert cor lapideum, ibid. quod resistere alias potuisset, ut supra pluribus declaratum.

Sed quærat aliquis, Annon Euangelium etiam sit medium regenerationis, eoque habitus fidei, ut actionis fidei est citra controversiam. Resp. medium propriè esse, quod inter duos terminos (à quo & ad quem) intercedit. Sed medium hoc est duplex, vel enim intercedit tanquam accidens adjunctum, consequens terminum à quo, & antecedens terminum ad quem: vel intercedit ut causa termini ad quem; atque ita breviter, medium vel est accidens adjunctum, vel est causa: utroque autem modo, sed distinctè Euangelium medium est fidei; habitualis quidem, tanquam medium per quod intercedens Deus eam sola sua potentia operatur. Nam intelligentiæ doctrinæ de Christo, Euangelium instrumentum est: sed virtutis fidei, qua quis possit actu credere, causa sola est Deus: Euangelium vero tantum adjunctum medium, per quod tanquam viam, Deus fidem habitualem donat: quo sensu Euangelium dicitur *ministerium Spiritus*, 2. Cor. 3. v. 8. & *regeniti nos ex semine incorruptibili per sermonem Dei vivi.* 1. Pet. 1. v. 23. Jac. 1. v. 18. Actualis verò fidei Euangelium prædicatum & intellectum est medium, & causa, seu medium effectivum: medium quatenus inter Deum causam efficientem, & inter fidei actionem intercedit: causa verò quatenus fidei actionem, (ut instrumentum idoneum) ex fide habituali (Deoque cooperante) doctrinâ sua ac suasione elicit. Atque hinc fides ex auditu Euangelii esse traditur, Rom. 10. v. 17.

Atque hactenus gratiæ divinæ, in fide danda, operationem, contra adversarios asseruimus.

Illustratio Loci Matth. 24. vers. 15.

Cum magna sit, in celebris hujus sententiæ expositione, tam priscorum, quam novorum interpretum varietas; non abs re futurum existimamus, si eam paucis explicemus, & quid maximè videatur vero consentaneum, demonstremus.

Ac primò verba Christi, quæ extant v. 15. & 16. observanda. *Cum ergo*, inquit, *videritis abominationem desolationis dictam à Daniele Propheta, stantem in loco sancto*, (*qui legit, ille animadvertat*) *tum qui in Judæa fuerint, fugiant in montes:* Quibus parallela extant apud Marc. & Lucam. & Marcus quidem pro illis verbis, *in loco sancto*, ait, *ubi non oportet:* Lucas verò cap. 21. v. 20. sic refert. *Cum autem videritis Jerusalem cingi ab exercitibus, tum agnoscite appropinquare desolationem illius; tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes.* Atque hæc sunt Christi verba, de quibus duo potissimum quæruntur. Primùm, ex quo Daniel. capite ea sint desumpta. Quidam ex cap. 12. v. 11. plerique verò aptius paulo ex cap. 9. v. 27. petita statuunt. Nam quod objicitur cap. 9. de temporibus Antiochi, & desolatione abominabili per eum perpetrata agi (de qua Joseph. antiquit. lib. 12. cap. 7. ait: quod vastata urbe, in templo ara posita, porcos mactavit) illud circumstantiis loci minimè consentit. Nam post Christi adventum & mortem, hæc futura desolatio statuitur: non autem ante illius adventum. Altera, quæ sensum loci attingit, controversia difficilior est, quidnam scilicet *abominatio desolationis* significet? quidam enim ad rem: alii verò ad homines significandos pertinere censent. Ad rem quidem bifariam. Sunt enim primò, qui abominationem desolationis, pro desolatione abominanda, per hypallagen Hebræorum interpretantur: ut 2. Thess. 2. v. 11. *operationem erroris* simili Hebraismo, pro errore operante, seu efficaci. & Apoc. 17. v. 11. *damnatio meretricis* pro meretrice damnata. Sed hoc non satis consentit cum verbis Christi. Is enim loquitur de signo futuræ, atque instantis desolationis: ut Lucas disertè exponit: *tunc agnoscite &c.* hæc autem interpretatio de visa, ideoque præsenti desolatione: quæ duo inter se non conveniunt. Altera verò ad rem relata interpretatio est hæc: abominationem desolationis Metony: significare rem abominandam, quæ desolationem adferat: atque ita, Scripturæ more appellari idola ab adjuncto, quod sint abominanda. Atque ita quidam de imagine aut etiam statua Cæsaris exponunt, eamque quidam Tiberii à Pilato in templo positam, ajunt: ut Euseb. de demonstratione Euangelica lib. 8. demonstrat. 2. ex Dan. 9. affirmat, Pilatum noctu in templum imaginem Cæsaris intulisse: additque Philonem id confirmare, qui ait, Regias imagines Pilatum noctu in templo dicasse. Eusebium in hac narratione de Pilati facto sequitur Theodoretus com. in Dan. cap. 12. Sed hæc sententia similiter à recto aberrat: quia hæc narratio primùm falsa est, errore, ut credibile, memoriæ Eusebii. Nam Joseph. antiquit. Jud. lib. 18. cap. 4. tradit, Pilatum signa militaria, imagine Cæsaris insignita, in urbem intulisse: non autem statuam ullam: neque etiam in templum. Deinde etiam inepta est expositio. Nam Christus loquitur de futura post mortem suam urbis & templi desolatione: hæc verò abominatio Pilati, quam obtendunt, jam acciderat Christo vivo, ante hanc concionem: ut colligitur ex Josephi de Bel. Juda. lib. 2. cap. 8. aliàs cap. 14. *Missus* inquit *à Tiberio in Judæam Pilatus, cum curandam accepisset Regionem, nocte intempesta, opertas in Hierosolymam intulit imagines Cæsaris.* Quas Josephus, quia in militaribus signis seu vexillis erant depictæ (ut ex antiquit. lib. 18

lib. 18. cap. 4. ante ostendimus) σημεῖα, id est, signa vocat: idque minus appositè interpres *statuas* vertit. Deinde quod Euseb. idem à Philone confirmari ait, alterum, ut videtur, memoriæ vitium. Nam Philo in lib. suo de legatione ad Cajum Caligulam (qui imaginem suam in templo collocari, seque pro Deo haberi jubebat) Pilatum ait auratos clypeos dedicasse, eosque nulla insignitos imagine, nec habentes quicquam vetitum: Deinde non in templo, sed in Herodis regia. Neque hoc in loco, neque alibi in Scriptis illius, imaginis Cæsaris in templo à Pilato præside positæ ulla extat mentio. Quare hæc Eusebii sententia consistere non potest: ideoque nec Clarissimi Bezæ, qui in suis ad hunc locum Matth. annotationibus, Eusebium, ut videtur secutus, ait: *sic autem designat Propheta profanationem templi, collocata ibi aquila & multis patratis, quæ per legem non licebant: unde etiam mox secutum est & templi & urbis excidium, ut ex historicis patet.* At inquam, contrarium patere jam antè ostendimus. Nam quod Herodes supra majorem templi portam aquilam auream dedicarit, illud non solum ante Christi concionem accidit: sed etiam ante Christum natum: ut ex Josepho apparet, Antiquit. lib. 17. cap. 18. nec alterius aquilæ meminit. Neque etiam post signa militaria, à Pilato cum imagine Cæsaris impressa, mox secutum est & templi & urbis excidium: sed anni plus quam 40. intercessere: ut ex collatione Joseph. de bell. Jud. lib. 2. cap. 8. comparatâ cum Luc. 3. v. 1. 2. apparet.

Secundo porrò loco Chrysosth. quoque comment. in Matth. 24. homil. Lati. 76. Græc. 75. (ut etiam Theoph. similiter) abominationem desolationis de statua quidem Cæsaris explicat: sed alia quam Tiberii, ac posteriori, nempe de statua Titi, qui eam, ut ait, desolata urbe ac subverso templo intus statuerit. Sed illud primum non videtur credibile: Nam cum Joseph. captæ urbis & templi fuerit spectator, ac descriptor fidelissimus, & accuratissimus, nullam tamen positæ in templo aut loco illius, statuæ Titi mentionem facit. deinde etsi id factum probari posset, consequentis tamen desolationis indicium, de quo Christus loquitur, esse non potuit. Atque hæc de secunda etiam statua Titi sufficient, ut inde cognoscatur, eam per abominationem desolationis non designari.

Tertia verò statua, ab aliis hac voce intellecta, nempe Adriani Imperatoris, longè post templi desolationem erecta est Hierosolymis; ideoque multo minus abominatio desolationis dici potest. Nam ut alia dicta omittam, abominatio de qua & Christus & Daniel loquuntur, non est accidens desolationis factæ; sed futuræ efficiens causa: ideoque à Christo, ut signum proponitur, quo præmoniti discipuli desolationem instantem effugerent: ut ex Matt. & Luc. verbis constat, idemque Daniel etiam demonstrat, qui cap. 9. v. 27. ait, *& per alam*, (id est, exercitum) *abominationem desolantem.*

Quare alii abominationem desolationis non de re aliqua, (sive ipsa desolatione, sive imagine Tiberii, aut Titi aut Adriani) intelligunt: sed vel de singulari homine abominando: vel hominum cætu interpretantur. Qui ad hominem singularem referunt, Antichristum interpretantur, ut Irenæus contra hæres. lib 5. Hilarius Comm. in Matth. 24. & Hieronym. similiter in Matth. 24. quamvis hic in ea sententia proposita non plane acquiescat: sed postea repetita ea, alias etiam jam confutatas (quasi probabiles) similiter apponat his verbis: *potest autem quod dicitur abominatio desolationis, stans in loco sancto, simpliciter aut de Antichristo accipi: aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo; aut de Adriani Equestri statua, quæ in ipso sanctorum loco usque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque, secundum veterem Scripturam idolum nuncupatur, & idcirco dicitur desolationis, quod in desolato templo atque destructo idolum positum.* Verùm hæc de Antichristo expositio à sententiæ Christi scopo, & circumstantiis aberrat: Christi enim scopus est discipulos præmonere, ordine, de urbis & templi primùm, deinde de orbis in suo adventu excidio; & quidem convenienter duabus discipulorum quæstionibus, cap. 24. vers. 3. Ac prius prædixerat cap. 23. vers. 38. *Ecce relinquitur vobis domus vestra* ἔρημος *desolata seu deserta*, & cap. 24. v. 2. de templo ait, *non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non dissolvatur.* Deinde hujus desolationis proponit signa; ac primum remota, eaque partim communia: ut calamitates varias ab hominibus aut à Deo infligendas: partim propria, Ecclesiæ per falsos Prophetas, & persecutores afflictionem; deinde propinquum desolationis signum, nempe *cum viderint* (hoc est, cum noverint) *abominationem desolationis, stantem in loco sancto*; ut auditores Christi commonefacti eam evadere possent: quæ ad Antichristi adventum, longe post futurum, non pertinent.

Quocirca reliqui interpretes hanc abominationem desolationis non de uno homine Antichristo: sed de hominum cœtu exponunt, & quidem bifariam. Quidam enim, ut Tostatus ad hunc locum, de Zelotis, hoc est, Judæis seditiosis & sceleratis, qui Zelum libertatis patriæ prætexentes, templo occupato ac cæde polluto, inde (tanquam ex arce) rapinis ac cædibus horrendis grassantes, multa millia è populo trucidantes, urbem afflixerunt, ut de iis narrat Joseph. de bell. Jud. lib. 4. cap. 5. & 7. & lib. 5. cap. 1. Qua etiam de re cap. 2. ait: *Vetus quidam sermo ferebatur, tunc demum civitatem captam iri, sancta etiam flammis exurenda esse lege belli, cum seditio fuisset exorta, Deique fanum propriæ manus ante violassent, quibus Zelotæ nihil de eorum fide dubitantes, ministros se præbuerunt.* Quæ sanè expositio antecedentibus longè verisimilior, & Christi verbis paulò accommodatior. Nam hæc abominatio, desolationem ac destructionem urbis, populi ac templi, per Romanos factam, antecessit, signumque fuit imminentis desolationis clarissimum. Quam sententiam etiam sequitur è nostris Theologis Lambert. Danæus Comm. ad hunc locum Matth. Verum quia hæc Zelotarum seditiosa im pietas ac crudelis violentia non fuit causa efficiens, desolationis totius urbis ac populi, & subversionis templi (de qua re Christus apertè agit) sed tantùm antecedens illius indicium: propterea reliqui interpretes abominationem desolationis, id est desolantem (ut ante exponi debere ex Daniele demonstravimus) aptissimè de exercitu Romano, à quo Jerusalem destructa, interpretantur. Ac primum quidem orig. tract. 29. in Matt. 24. & Chrysost. à priori sua jam ante proposita sententia declinans hom. 24. ait; *Tunc qui in Judæa sunt, ad montes fugiant. Tunc; quando? quando hæc fient? quando abominatio desolationis stabit in loco sancto, unde mihi videtur exercitus dicere.* Et Aug. Tom 2. Epist. 80. ad Hesych. eruditè declarat, ac probat eandem sententiam hisce verbis. *Lucas verò ut ostenderet, Tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est, quando expugnata est Jerusalem, hæc eodem loco Domini verba commemorat: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus. Apparet itaque Tunc ibi positam desolationis abominationem, de qua duo illi Euangelistæ (Matth. & Marc.) locuti sunt; &c. Lucas ergo patefacit, quod esse posset incertum, non ad seculi finem, sed ad expugnationem Jerusalem pertinere, id quod dictum est de abominatione desolationis.* Atque hanc interpretationem secuti sunt in Commentariis suis in Matth. 24. Theologi insignes Bucerus, Musculus, Aretius, Junius, Piscator. Idque non immeritò, quia & Danielis & Christi verbis optimè convenit. Nam exercitus Romanus Titi Imperatoris Hierosolymam obsidentis, rectè vocatur abominatio, hoc est, Metonym. abominandus, quia ex hominibus abominandis constabat: scilicet profanis, & idolorum cultoribus, quos Deus, hominesque pii eo nomine abominantur, atque aversantur: ut Prover. 15. v. 9. *abominatio* (id est, abominanda) *Jehovæ est via improbi*, & cap. 29. vers. 27. *abominatio justorum* (id est, abominandus justis) *vir iniquitatis.* Deinde hic exercitus desolationem urbis, & populi antecessit, & revera effecit. Denique Lucas etiam illud declarat, ut ex Aug. ostendimus. Nam pro verbis illis obscurioribus Matth. (nempe *cum abominationem desolationis videritis stantem in loco sancto*) Lucas clariora hæc posuit, *Cum videritis Jerusalem cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare desolationem ejus.* Et Danielis verba idem quoque indicant, cum illam abominationem desolationis vocat alam abominationum desolantem, hoc est, exercitum Romanorum idololatrarum abo-

rum abominandum, ac vastatorem. Quemadmodum ala (ut rectè Clar. Junius observavit) etiam in Sacris literis, Metaph. pro exercitu, Esai. 8. v. 8. usurpatur: quod scilicet ut ala avium se expandit, sic etiam exercitus. Cujus interpretationis veritas, ex Contrariarum objectionum examine ac confutatione reddetur illustrior.

Prima est contra interpretationem ipsam, petita ex Scripturæ verbis, cum Danielis, tum Christi. Illius quidem, *& erit in templo abominatio desolationis*, ut Hiero. & vulg. versio interpretantur. Christi vero *abominationem desolationis stantem, in loco sancto:* unde concluditur, non posse intelligi de exercitu Rom. obsidente urbem Jerusalem, ac stante extra templum, atque urbem in loco profano. Sed negatur prima pars antecedentis. Nam Daniel templi non meminit, & Hier. versio, non Hebræa Danielis verba sequitur, sed LXX interpretum paraphrasin, ἐπὶ τὸ ἱερὸν. Deinde hæc etiam verba potius transferenda sunt, *adversus templum*, non autem *in templo*, nam ἐπὶ cum accus: non *in* sed *ad*, vel *adversus* notare certissimum est. Quod verò Christus ait *abominationem desolationis stantem in loco sancto*, non propterea inde sequitur, templum debere intelligi. Nam sanctum pro varia relatione variè accipitur: ut templum sanctum dicitur per excellentiam comparatè cum urbe Hierusalem: & hæc propter templum (in quo sacra peragebantur) in ea comprehensum, respectu regionis urbs sancta nominatur. Sic etiam Judæa, populo sancto, & sancto Dei cultui consecrata, terra sancta comparatè cum regionibus gentium profanis, in quibus idololatria vigebat, communi usu nominata est: ut 2. Maccab. 1. v. 7. etiam appellatur. Quare non mirum, si pars terræ sanctæ, & quidem pomærium urbis sanctæ Jerusalem, locus sanctus appelletur, Matth. 24. ubi abominationem stare non decebat, Marc. 13. v. 14. utpote sanctitati repugnantem. Hæc prima objectio.

Altera verò est adversus probationem ex Luca allatam, quod inde non sequitur idem esse abominationem desolationis, apud Matth. & Marc. & exercitum cingentem seu obsidentem Hierosolymam, apud Lucam. Hæc enim duo diversa esse, non eadem statuunt: abominationem enim desolationis stantem in loco sancto (de qua Matth.) in Zelotis præcessisse: obsidionem verò (de qua Luc.) post secutam: quemadmodum Euangelistæ non rarò in eadem historia variant, ut quæ tradita ab aliis Euangelistis omittant, & omissa (ad pleniorem rerum notitiam) recenseant. Resp. Agnoscimus diversa, (non autem adversa) interdum in Euangelistis describi: sed in hac Christi prædictione idem à Matth. descriptum, jam antea ex eo ostendimus: quod eædem utrimque circumstantiæ (nempe consilium Christi de fuga celerrima) hoc demonstrant. Nam si ad evitandam desolationis calamitatem, subita fuga (Zelotis seditiosis in urbe & templo impiè grassantibus) à Christo mandata: tum sanè superflua esset admonitio de fuga postea demum maturanda, cum Jerusalem ab exercitu Romano cingi videretur. Deinde Zelotas seditiosos non posse per abominationem desolationis, hoc est, desolantem intelligi, jam antea ostendimus: quod urbis & templi desolatio, seu vastatio, & exitium non à Zelotis, sed ab exercitu Romano processit, ut etiam à Daniele, cap. 9. v. 26. prædictum est: *Et urbem, & sanctuarium perdet populus ducis venturi*, hoc est, Titi Romanorum ducis exercitus. Quod autem postremò (ut vim argumenti ex Luca petiti effugiant) objiciunt nonnulli, Lucam quidem exercitum Romanum atque obsidionem Hierosolymæ intelligere, sed tamen non de ultima obsidione per Titum, sed de priori per Syriæ legatum Cestium loqui; illud alienum est; Nam 1. obsidio de qua Lucas agit, signum fuit proximæ instantis desolationis, hoc est, interitus urbis & templi; deinde causa fuit justa & à Christo proposita, cur ad eam evadendam opus esset subita, ac moræ experti fuga. Quorum neutrum obsidioni Cestii convenire historia evincit. Nam ea diu antecessit urbis & templi desolationem, ideoque fugæ tam celeris de qua Christus agit, nulla erat necessitas. Denique obsidio de qua Lucas loquitur, causa fuit illius desolationis: id quod de Cestii obsidione dici nequit, quæ neque templum, neque urbem desolavit; sed contra exercitus illius deserta obsidione, à Judæis cæsus ac profligatus: ut Joseph. de bell. Jud. lib. 2. cap. 24. describit. Ac quamvis post Cestii casus adversos (ut Joseph. ibid. cap. 25. testatur) nobilium Judæorum multi, velut è navi pessum itura è civitate enatabant, & desolatio sit postea consecuta, ea tamen non à Cestii, sed à Titi exercitu effecta, cui omnia, quæ ex Luca allata, ad amussim conveniunt. Nam præter captivorum toto bello nonaginta septem millia, & urbis & templi destructionem, undecies centena millia Judæorum peste, fame, incendio, aliisque horrendis mortis generibus Hierosolymis perierunt, ut Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. cap. 17. expressè declarat: à qua calamitate Hierosolymitana Ecclesia, ante bellum Titi divinitus monita, in urbem Pellam, trans Jordanem sitam migrans, servata est, ut Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 5. recenset. Quare ex hisce omnibus liquet per abominationem desolationis, Matth. 24. Romanorum, Tito duce, exercitum Jerusalem obsidentem designari; unde genuina loci sententia cognosci potest.

Appendix loci Explicati.

QUandoquidem Joan. Calvini eximii Theologi Commentarii in Euangelistas, apud omnes veritatis amantes maximo sunt in pretio, & eruditorum manibus non immeritò præ cæteris teruntur ac probantur; aliamque hujus loci interpretationem in iis proponit, eamque quæ à nobis tradita & asserta est, rejicit ac refutare conatur; ac præterea eundem aliis omissis secutus sit & expresserit vir egregius Marloratus; non alienum neque ingratum fore speramus, si quasi laciniam, breve illius examen adjungamus: ut genuina sententia eò sit illustrior, & ab objectis difficultatibus amplius expediatur. Idque eò fiet commodius, quod insignis authoris dicta priora posterioribus atque aptioribus conferemus: quod ut mora examinis judicium acuit; sic δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Sententiæ autem illius pars prima est de verbis Danielis, quæ à Christo citantur: ait enim eos falli qui ex Dan. 9 hoc testimonium à Christo petitum esse tradunt. Ratio autem illius duplex: una, quod eo in loco, verba ista, *abominatio desolationis* non extent. Respon. Fatemur, sed consequentiam negamus: quia in locis prophetarum citandis nec Christus, nec Apostoli, Christi Spiritu directi, in omnem veritatem, eadem semper verba eorum recitant, sed sæpè sententiam tantum exprimunt, id quod sufficit, quemadmodum hoc in loco factum est. Nam Danielis verba sunt כנף שקוצים משומם id est, *alam abominationum desolantem.* Christus verò pro *ala* (hoc est, exercitu) *abominationum*, eodem sensu *abominationem desolationis*, id est, desolantem, trito Hebraismo posuit, & exposuit per exercitum cingentem Jerusalem, ut ex Luca colligitur. Atque eodem modo LXX. Interpretes antea reddiderant. Neque mirum esse debet, si per enallagen numeri, pro abominationum voce, abominatio ponatur. Quare hæc ratio minimè obstat, quemadmodum nec altera quam adjungit, cum ait: *Certum est Angelum, non de ultima vastatione, (cujus hic Christus meminit) disserere, sed de temporali dissipatione per Antiochum, sed cap. 12. de finali.* Verum hæc objectio à nobis initiò refutata est, & ab ipsomet Calvino, re melius postea considerata, contrarium laudabili candore statutum. Nam ut ex præfationibus illius liquet, Commentarios in Euangelistas scripsit. 1555. in Daniel. vero 1561. in hisce autem sic ait: cap. 9. *Alii sequuntur Græcam versionem, quam Christus citavit*, Matth. 24. *& aliis locis, quanquam videtur potius respicere ad* 12. cap. *sed quoniam utroque loco eandem abominationem designat*, (nota bene) *ego in ea parte non insisto.* Ubi obiter tamen observandum, sententiam Danielis cap. 12. de abominatione desolationis, hoc est, desolante: non autem de ea quæ per Titi exercitum accidit (de qua Dan. 9.) agi, sed de priore per Antiochum Epiphanem; ut tempora designata dierum 1290. indicant, quæ à vastatione templi per Antiochum ad mortem illius intercesserunt, ut clarissimi Theologi Junius & Piscator rectè observarunt. Atque hæc de Danielis verbis, à Christo citatis. Altera verò pars sententiæ Calvini, sensum verborum Christi spectat, cum ait, Locandam in templo abominationem esse, quæ si-

quæ signum sit ultimæ desolationis. Verùm illud jam confutavimus antea. Christus enim Danielem secutus, loquitur non solum de abominatione quæ signum sit, sed etiam causa efficiens desolationis, ut ex Daniele probavimus.

Illustratio Sententiæ Matth. 24. v. 24.

INsignis, difficilis, ac dignus vindice nodus, in hoc loco duplex occurrit: Quæstio enim prima est de miraculis: altera de seductione.

Prima quæstio est, An hæc miracula à falsis doctoribus edenda, propriè sic dicantur, an verò impropriè. Quidam impropriè, per metaph. quod veris similia sint, dici tradunt, ac simpliciter esse falsa: hoc est, ratione cùm finis, tum etiam rei ipsius: utpote, quod ad homines fallendos, seu à veritate seducendos fiant: & quod speciem habeant fallacem, seu non revera id sint, quod videntur, sed meræ præstigiæ. Idque probare conantur bifariam. 1. Scripturæ authoritate; deinde ratione. Illa est ex 2. Thess. 2. v. 9. ubi de Antichristi miraculis dicitur, hoc modo: *Cujus adventus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & signis, ac prodigiis mendacii*, id est, mendacibus. Ratio verò est, quod miracula sint opera infinitæ potentiæ Dei propria, Psal. 72. v. 18. & ad veritatem testandam edita: Johan. 5. v. 36. Marc. 16. v. 20. Ideoque Satanæ, & instrumentis illius adscribi non possint: quod Deus gloriam suam alteri non tribuat, Esa. 48. v. 11. Nec mendacium suo testimonio approbare possit, qui est ἀψευδής. Tit. 1. v. 2. Ideoque miracula tantum vocari per catachresin seu vocis abusionem metaphoricam: quod videl. speciem tantum miraculorum, non autem rem ipsam habeant. Alii verò aliter sentiunt; quorum sententiam adhibita distinctionis luce illustrare, & ab aliis omissa nonnihil supplere conabimur. Primùm enim falsorum doctorum miracula omnia sunt suo modo falsa, videl. ratione finis, qui est fallere, seu à veritate salutari, rectoque Dei cultu, seducere. Ratione verò rei, quædam falsa, quædam vera: quædam denique mixta, seu partim falsa, partim vera. Falsa re sunt ea, quorum res aliud est, & aliud videtur: ut cum Diaboli præstigiis, fallax rei species oculis vel phantasiæ objecta, homines fallit. Vera re sunt ea, quorum res falsorum doctorum atque universæ naturæ humanæ ordinem ac vires excedit & superat: qualia miracula describuntur; Deut. 13. v. 1. 2. *Cum surgens in medio tui, &c.* Quo in loco prædictioni signi eventum illius convenire, eoque verum reipsa signum esse denotatur, etsi falsum habeat finem. Mixta verò sunt, quorum res partim falsæ, partim veræ sunt, qualia fuerunt Magorum Ægyptiorum miracula. ut conversio baculorum in dracones, Exod. 7. v. 14. 15. ubi baculi conversio fuit specie tantum, non re: dracones verò non sola specie, sed etiam reipsa, quod scil. baculi per operam Diaboli, celeritate incredibili ac sensum spectatorum fallente fuerunt ablati, & vi ejusdem dracones subito aliunde substitui, quos Mosis draco revera deglutivit. Nam quod insignes aliqui interpretes illud de præstigiis evanescentibus exponunt, non videtur Mosis verbis, nec Dei gloriæ consentaneum: aliàs enim divinum Mosis in dracone miraculum fuisset etiam hac in parte illusio. Neque hic rectè statuendæ sunt præstigiæ, cum nulla prorsus sit necessitas, quæ hoc urgeat: quandoquidem hæc res naturales Diaboli vires minimè superat, ut similia eorundem miracula sequentia (nempe aquæ in sanguinem conversio, ibid. vers. 25. & ranarum in terram Ægypti productio, cap. 8. vers. 6. 7.) idem arguunt: ac rectè August. de Trinit lib. 1. cap. 7. & 8. Magorum Ægyptiorum dracones, sanguinem, ranas, reverà fuisse indicat. Neque enim ad meras præstigias, atque externam tantum sanguinis, & ranarum speciem ea referri queunt: quia Diabolo non fuerunt difficilia. Etsi enim sæpè, Deo illius potentiam refrænante, eam exequi non valeat, Exod. 8. v. 18. Luc. 22. v. 31. Deo tamen aliàs permittente, suas vires exerit, ut Job. 1. & 2. Marc 5. v. 12. 13. ostenditur. Neque obstant primæ sententiæ argumenta. Nam ad Scripturæ authoritatem quod attinet. 2. Thess. 2. v. 9. ea prodigia mendacia dicuntur generatim, ratione finis: quod mendacio firmando fiant. Ac licet inter ea quædam sint, simpliciter mendacia, seu non solum ratione finis, ut fallant, edita: sed etiam ratione rei, quod non id sunt, quod videntur esse, sed meræ præstigiæ: priora tamen à Paulo potissimum intelligi, nempè quæ secundum quid, seu ratione finis mendacia sunt, non autem ratione rei, apparet ex antecedentibus illis verbis, *cum omni potentia*, hoc est, omnibus Satanæ viribus: quæ de meris præstigiis (in quibus exigua omninò potentia consistit) verè dici nequeunt. Quare hæc Pauli authoritas sententiæ à nobis propositæ minimè adversatur: quemadmodum nec ratio, quæ obtendi solet: Nam miracula quædam agnoscimus esse potentiæ infinitæ propria: qualia sunt mortuorum suscitatio, & naturalis videndi & audiendi potentiæ extinctæ restitutio: quæ Deo creatori conveniunt, cujus solius viribus, à naturalis potentiæ privatione ad habitum datur regressio. Quædam tamen non sunt potentiæ infinitæ propria: sed potentiæ finitæ communia: ut pestis, ulcerum, ignis, pluviæ, & grandinis per Mosen miracula, Exod. 9. v. 3. 10. & 23. Illa enim dæmonis potentiam non excedere, ex iis, quæ, Deo permittente, contra Jobum perpetravit, demonstratur, Job. 1. v. 12. 16. 19. & 2. v. 6 7. Talia etiam fuerunt quædam Christi miracula: ut quod febrim ex tempore sanavit, Matth. 1. v. 15. & ventum sedavit, v. 26. quæ humanas quidem vires excedunt; sed Satanæ non superant. Quod autem Psalm. 72. v. 18. de Deo dicitur: *facit mirabilia solus*, illud non absolutè de omnibus miraculis, sed particulatim pro subjecta materia (de qua in antecedentibus illius loci agitur) de admiranda Ecclesiæ, per Christum, Salomone adumbratum, salute, & adversus Diabolum & mundum conservatione, intelligitur. Neque etiam omnia miracula, sed sola divina, veritatis sunt testimonia. Neque ea in re Christi miraculis authoritas sua detrahitur, quasi ex iis non constaret ipsum esse Christum. Nam miracula ipsius præcipua, fuerunt potentiæ infinitæ propria: reliqua verò de futuro Christo per Prophetas simul prædicta, & cum divina Euangelii doctrina conjuncta, & ad gloriam Dei facta sunt: unde Jesum esse Christum verè probatur Matth. 11. vers. 3. 4 5. Quare ea demum miracula, de quibus egimus, vera esse concludimus, si rem spectemus, etsi finis ratione omnia falsa: Ideoque cum à vera doctrina sint aliena, & ad mendacia firmanda pertineant, facillimè à divinis miraculis illis quæ Angelicam potentiam non superant, distinguuntur & cognoscuntur.

Hæc de prima quæstione, orta ex vers. 24. initio. Altera seductionem spectat, & ex fine versus promanat. Verba autem Christi de pseudoprophetis (magna signa & prodigia seu miracula edituris) sunt hæc: ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς: de quorum interpretatione, ante rem ipsam, quædam præmittenda. Ea enim est duplex: una Latini Veter. Interpret. atque etiam Hier. hoc modo: *Ita ut in errorem inducantur, (si fieri potest) etiam electi.* Verùm obstat ad accuratam versionem statuendam, vox πλανῆσαι: quæ vox non passivam, sed activam solum habet significationem. Πλανάω enim est tantùm *in errorem induco* seu *seduco*: ut bonorum Græcorum authorum & Scripturæ sacræ, ac LXX. Interpretum usus demonstrat, non autem *in errorem inducor*, aut *seducor*. Altera igitur expressior est translatio, à nostro interprete D. Beza proposita, hujusmodi. *Adeò ut seducant, (si fieri possit) etiam electos*; Vel ut Clarissimus Piscator aptius reddit, *adeò ut seducturi essent, &c.* Tertiam verò ab utraque in vocis ὥστε declaratione discrepantem, ac vulgò præteritam addi posse arbitramur hanc nimirum, *ad seducendum, si fieri possit, etiam electos.* Nam vox ὥστε, id est, *ut*, licet sæpius pro *ita ut* vel *adeò ut*, per ellipsin, pro οὕτω ὥστε, *ita ut* accipiatur, atque eventum consequentem notet, non causam: non raro tamen finem significat, ut Matt. 15. v. 33. *Unde nobis in deserto tot panes* ὥστε χορτάσαι ὄχλον τοσοῦτον, hoc est, *ad saturandum turbam tantam*, ut optimè Doct. Henr. Steph. ad oram hujus loci in Testamento suo Græco minore interpretatur. Deinde Roman. 7. v. 6. *Nunc autem liberati sumus, &c.* ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς, *ut serviamus*, ubi vox ὥστε pro ἵνα, id est, *ut* (quemadmodum Oecumenius rectè exponit,) finem indicat, idemque est, quod ἵνα, v. 4. & εἰς v. 5. Idque scopus Apostoli demonstrat, qui est, ut servia-

mus

mus Deo ac justitiæ: argumentum autem allatum est beneficium liberationis, ut ex cap. 6. v. 18. & 22. & 7. v. 4. perspicuum. Denique hanc interpretationem convenire huic loco ex Marci expositione in ejusdem sententiæ descriptione apparet. Nam pro eo quod Matthæus habet, ὥστε πλανῆσαι, ponit πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, *ad seducendum*.

Hæc de interpretatione: ad rem verò quod attinet, si ὥστε pro *adeò ut* accipiamus, & ad eventum referamus, sensus erit, miracula magna pseudoprophetas edituros, adeò ut non solum reprobos, sed etiam (si fieri possit) electos essent seducturi. Quo in loco observandum, quid vox *electi*, deinde quid *seducere* hoc loco significet. Ad prius quod attinet, non quivis universè, sed electi à Deo ad vitam æternam τῇ ἐκλογῇ intelliguntur: quemadmodum etiam antea, vers. 22. & post v. 31. Marc. 13. v. 20. 2. Thess. 2. v. 13. Cum autem hi electi, sint vel vocandi ad fidem, vel vocati: de prioribus hic non agitur. Nam tales à pseudoprophetis non rarò seduci (quod de electis hisce hoc loco negatur) experientia & vocatio eorum ab erroribus, sacris literis consignata demonstrat. ut 1. Petr. 2. v. 22. *Eratis enim omnes ut oves errantes, &c.* Ideoque de electis vocatis, seu fidelibus hic agi apparet: quales fuerunt etiam Christi discipuli, quibus Matth. 24. *videte, ne quis vos seducat. Seducere* autem propriè est à recta via abducere, ut Deut. 27. v. 18. *Maledictus* משגה *errare faciens, seu seducens cæcum in via.* Unde per metaph. eleganti similitudine ab actione corporis deducta, decipere animum significat, seu à recta veritatis, ac justitiæ doctrina à Deo tradita, ad errores avertere: ut 2. Petr. 2. v. 15. De seductis, expressa metaphora dicitur, *qui relicta recta via, erraverunt, secuti viam Balaam.* & Psalm. 119. v. 10. *Improbi posuerunt mihi laqueum, sed à præceptis tuis non aberravi.* Atque ita hoc loco *seducere* intelligitur à recta, veraque Christi doctrina, tanquam via salutari & ad vitam tendente, ad pravam, falsamque, & ad exitium ducentem abducere. Cœterum hæc seductio duplex est: Prima, secundum quid, & ad tempus tantum; secunda simpliciter, & semper. Prior hoc loco non denotatur; quia electos fideles ita seduci posse, ut ad tempus, & in nonnullis à recta veritatis & justitiæ doctrina, diaboli arte, & humana imbecillitate seducantur, certum est: sed non penitus à recta via declinant: neque in errore persistunt, sed in viam reducuntur rectam; ut exemplum Davidis demonstrat, Psalm. 119. v. 176. *erravi*, (LXX. habent ἐπλανήθην) *sicut ovis perdita, quære servum tuum.* Quemadmodum etiam electi fideles Galatæ, à pura Euangelii doctrina ad errorem, de circumcisione, & ceremoniis legis observandis, à falsis doctoribus seducti, non tamen à fundamento Christo abstracti: quia à primariis religionis capitibus non defecerunt, neque in errore eo perstiterunt: ut ex Epistola ad Galatas, quos adhuc fratres Paulus agnoscit, & ex Ecclesiarum Galatiæ propagatione cognoscitur. Quamobrem cum hic agatur de seductione, quæ electis accidere non potest, idcircò altera intelligenda est: nempè qua quis Christum deserit, seu à primariis doctrinæ de Christi persona, officio ac beneficiis dogmatibus, ad contrarios errores abducitur: talem enim intelligi hoc loco res ipsa arguit. Nam seductionis hujus objectum statuuntur quidem communiter omnes vocati ad cognitionem, tam electi, quam non electi: atque indicatur, scopum ac conatum pseudoprophetarum esse, ut utrosque seducant. Id quod vox illa relationem notans, nempè (*etiam*) designat. Deinde eventus discrimen, oppositione quadam, & ratione illius, demonstrat: quod scil. seducendi sint non electi, contra verò electi seduci non possint. Nam cum Christus ait, *ut seducerent* aut *ad seducendum etiam, si fieri posset, electos*, eo modo ostendit, non electos posse seduci, ac seducendos, sed illud (*etiam*, hoc est, unà cum illis) non accidere electis ob privilegium ipsorum, quod scil. seduci non possint: quemadmodum in simili re, Apoc. 13. v. 8. *Adorabunt eam &c.* & 2. Thess. 2. v. 9. 10. de Antichristo ac seducendis ab eo reprobis (qui periphrasticè, *illi qui pereunt*, vocantur) distinctè ab electis dicitur: *Cujus adventus est secundum efficaciam Satanæ, &c.* De electis verò, quod non possint simpliciter, neque secundum quid, ad finem & exitium seduci, docetur, 1. Joh. 3. v. 9. *Quisquis natus est ex Deo, &c.* Verùm quæstio hic oritur explicatione dignissima, quonam sensu hic dicatur, *si fieri possit*: & quomodo conciliari hoc Christi dictum possit cum antecedenti ipsius ad discipulos hortatione, aliisque Scripturæ sententiis similibus. Nam hoc eodem cap. 24. v. 4. & 5. ait, *videte ne quis vos seducat; multi enim &c.* Unde hæc struitur, atque objicitur ratiocinatio. Quos Christus hortatur, ut videant ne à pseudoprophetis seducantur, ii ab illis seduci possunt: atqui electi sunt, quos Christus hortatur, ut videant, ne à pseudoprophetis seducantur. Ergò electi à pseudoprophetis seduci possunt: Ideoque cum vers. 24. contrarium statuat, dissentire videtur. Propositio hac ratione probatur, quod stultum sit hortari aliquos ad accuratam vitationem ejus rei, quæ ipsis fieri non potest: & consequenter ubi nullum est omninò periculum; neque ullus esse potest curæ, ac cautionis humanæ fructus. Ideoque hæc stultitia in neminem sapientem: nedum in Christum sapientissimum, summaque sapientia semper agentem, cadere potest, ut hortetur ad id cavendum, quod fieri non potest. Assumtio autem liquet ex Christi hortatione modò proposita: Nam hortatur discipulos suos Apostolos, ut vers. 3. & 4. apparet, qui omnes excepto Juda Iscariote fuerunt electi, Johan. 17. v. 9. 12. Eodem etiam pertinent similes Scripturæ sententiæ. Solutio verò hujus nodi in conciliatione sententiarum Christi, (diversarum, sed non adversarum) in distinctione consistit. Utrumque enim distinctè verum est: Electos & seduci omninò posse, & non posse, diverso respectu, qui contradictionem tollit. Posse quidem si per se tantum, hoc est, sine concurrente Dei auxilio, considerentur. Nam quamvis in iis Spiritus dominetur, ideoque sola carne repugnante, sit potentior: tamen si accederet Diaboli & mundi tentantis potentia varia, & recederet Dei tuentis ac confirmantis gratia, non solum possent electi seduci, sed etiam revera seducerentur. Non possunt verò seduci per accidens proprium auxilii divini, quod ipsis electione ad vitam æternam est decretum & Christi morte partum, & Spiritus Sancti efficaciâ interna, externaque præstatur. Ac propterea licet per se tantum considerati, seduci possint electi; ratione tamen accidentis auxilii Dei, non possunt: quia accidens illud est proprium, quod electis fidelibus promissum à fideli Deo, semper adest, Joh. 10. v. 28. *Non peribunt in æternum, nec rapiet quisquam è manu mea, &c.* & 1. Petr. 1. v. 5. *Virtute Dei custodimur, &c.* Auxilium autem Dei est duplex: defensio à malo, & conservatio in bono, ut 2. Thess. 3. v. 3. distinctè indicatur: *est Dominus qui stabiliet vos, & tuebitur à malo.* Defensio autem est, quod seductores, Satanam, & pseudoprophetas refrenat occulto gubernationis suæ freno, ne omnes suas vires, quando, atque ubicunque volunt, ad electos seducendos, exerceant: sed tantum, quantum, quando, & ubi Deo ad suos probandos atque exercendos videtur commodum, 1. Cor. 10. v. 13. Alterum auxilium est electorum fidelium in bono confirmatio, partim externa, partim interna. Externa est per verbi Dei doctrinam; cum prædicatione illius, & veritatem docet, & variis hortationum, & reprehensionum stimulis adjunctis, ad amorem illius & errorum odium ac fugam extimulat. Quo pertinet Christi hortatio, Matth. 24. v. 4. & Actor. 14 v. 22. de Paulo & Barnaba dicitur, confirmasse eos, animas discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & cap. 15. v. 32. *Judas quoque & Sylas cum essent & ipsi Prophetæ multo sermone &c.* Sic v. 41. de Paulo additur, quod confirmarit Ecclesias: Denique Rom. 1. v. 11. *Expeto enim videre vos; ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut vos stabiliamini.* Nam ut fidei origo est ex auditu prædicationis Euangelii, Rom. 1. v. 16. & 10. v. 17. Sic etiam confirmatio ejusdem. De reprehensione verò dicitur, Tit. 1. v. 13. *Redargue eos præcisè, ut sani sint in fide.* Interna verò electorum adversus seductionem à Deo confirmatio est efficacia Spiritus Sancti, qua cognitionem veritatis, & fidem datam servat atque auget, ut seductores vincant: ut 1. Cor. 1. v. 8. qui Deus, *etiam confirmabit vos, &c.* & 1. Thess. 3. v. 13. *ut* (nempè Deus) *corda vestra stabiliat, &c.* Cœterum huic, & defensioni à malo, & confirmationi in bono inservit cum primis (tanquam medium à Deo ordinatum)

natum) precatio cum Christi, tum Christianorum electorum pro se aliisque electis. Nam ad defensionem à malo pertinere primum precationem Christi docetur, Luc. 22. v. 31. 32. *Satanas appetiit, &c.* & Johan. 17 Christus orans pro electis fidelibus, ait v. 11. *Pater sancte serva eos, &c.* & v. 15. *Non rogo ut tollas, &c.* & v. 20. *Non tantum autem pro iis, &c.* Hoc autem precibus Christi impetrari, quod petit, generatim agnovit, ac de Christo confessa est rectissimè Martha, Joh. 11. v. 22. Et Christus ipse attestatur idem vers. 42. De Christianorum verò electorum precatione efficaci similiter loquitur Christus, Joh. 16. v. 23. atque etiam auxilium Dei in refrænanda tentatione Satanæ, solenni oratione peti jussit, Matth. 6. v. 13. *ne nos inferas in tentationem,* (hoc est, ne Satanæ tentatori habenas laxa) *sed libera, &c* & 26 v. 41. *Vigilate, &c.* Ad confirmationem verò in bono à Deo impetrandam, pertinet etiam precatio, primum Christi, Johan. 17. v. 17. Deinde Christianorum electorum, à Christo præscripta ac mandata, pro ipsis, & aliis electis oratio, Matth. 6. *Adveniat regnum tuum,* item *fiat voluntas, &c.* & 1. Pet. 5. v. 10. Ita precatur Apostolus pro Ecclesia; *Deus omnis gratiæ, qui vocavit vos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos, is perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet,* Hisce autem causis ac modis, conservationis fidelium à seductione & exitio, expositis, solutio argumentationis propositæ facilis est. Negatur enim consequentia conclusionis syllogismi. Nam qnamvis electi seduci possint, non propterea tamen sequitur contrarium à Christo tradi, cum seduci posse negat: quia hæc duo diverso respectu dicuntur. Nam fideles imbecillitatis suæ ratione, absque auxilio Dei, seduci possunt: sed ratione auxilii divini ipsis semper accedentis, seduci non possunt. Sed objicere rursus solent; si per accidens proprium potentiæ auxilii divini defendentis ac confirmantis electos fideles, fieri non possit, ut seducantur à fide in Christum: Ergò hortationes, ut videant ne quis ipsos seducat, sunt inutiles & prorsus inanes. Verùm negatur consequentia: quia hortationes, ut ostendimus, sunt media potentiæ divinæ externa, & modus quidam quo electi excitantur, ut videant, hoc est, prospiciant, ne pseudoprophetæ eos seducant: quo scil. ad Scripturam diligenter legendam, atque audiendam: & ad eam tanquam ad lapidem Lydium examinandam, noscendam ac fugiendam, seductorum doctrinam, adducuntur, 1. Joh. 4. v. 1. 2. & 4. Quo etiam pertinet hortatio Christi Matth. 7. v. 15. 16. *Cavete vobis, &c. à fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus autem intelligit prophetiam eorum falsam, seu falsa religionis dogmata, & facta iis consentanea: ut quod gregi Domini, luporum rapacium instar, non parcant, sed quod eum à vera religione ad falsam avellere, ac perdere satagant. Ideoque ut hic Christus, sic etiam Paulus, Actor. 20. v. 28. 29. 30. hortatur Presbyteros, ut attendant seipsos & totum gregem, quod lupi graves non parcentes gregi, essent in eos ingressuri, & ex ipsismet exorituri, qui loquantur perversa & discipulos post se abstrahant. Ut igitur rem concludam paucis: Electi si per se, remoto Dei auxilio considerentur, seduci possunt à vera religione in exitium: sed per accidens proprium auxilii divini accedentis perpetuò, non possunt. Cujus auxilii divini externi pars aliqua est hortatio ad fugam seductionis: quia hâc etiam inter cætera media utitur Deus, ut electi qui per se seduci possent non seducantur. Quamobrem ut Christus hortatione ad cautionem seductionis, seduci posse per se ostendit: sic in hac sententia, quod fieri non possit, ut seducantur, respectu accedentis gratiæ Dei adjuvantis, quæ electis fidelibus propria, intellexit.

De Mundi interitu ex Matth. 24. vers. 35. Dissertatio.

MEmorabilis, & explicatu dignissima est de mundi interitu controversia, utpote de qua discrepantes sunt Theologorum sententiæ. Ac propterea opportunum atque utile fore arbitramur, si eam ad clariorem verborum Christi, Matth. 24. 35. *Cælum & terra præteribunt,* intelligentiam, paucis examinemus. Quod ut fiat distinctius, à consensione exorsi, ad dissensionem procedemus. Consensio autem est, partim in subjecto verborum Christi, partim in attributo. In subjecto quidem ratione sensus vocum, *cœli & terræ:* Primùm, quod cœlum non invisibile ac summum, (quod *cælum cælorum,* 1. Reg. 8. & *tertium* 2. Cor. 12. v. 2. dicitur) intelligatur: quia illud est duratura in æternum beatorum sedes, Matth. 25. v. 34. 46. Joh. 14. v. 2. 3. & 2. Cor. 5. v. 1. Sed visibile solum, & quidem duplex, aëreum & æthereum. Deinde terram hoc loco, ut alibi sæpè, per synecdochen partis primariæ, pro toto, mare etiam complecti, ac totum terræ marisque globum designare. In attributo verò; nempè *præteribunt,* consensio est ratione veritatis: quod cœlum & terra reverà interibunt. Nec enim pii Theologi in dubium vocant, an hoc sit futurum (ut de profanis irrisoribus futuris prædictum, 2. Pet. 3. v. 3. 4.) quia Christi & Scripturæ dicta vera esse ac divina agnoscunt. Dissensio verò est tantùm de modo interitus: cujus dissensionis occasio est, quod modus ille in quibusdam Scripturæ locis non tanta claritate, quanta ipsemet interitus exponatur. Quæstio autem est, an cœlum & terra secundum quid, seu partim, hoc est, ratione accidentium tantum interibunt: an verò simpliciter seu omninò, hoc est, ratione simul & accidentium & substantiæ sint in nihilum redigenda? Priorem sententiam plerique sequuntur, non solùm recentiores Theologi, sed etiam præstantissimi veteres Patres; ut Orig. Chrysost: Basil. mag. Cyrill. Alexan. Theodor. Oecum. Ambr. Hier. August. Posteriorem verò pauci olim & nonnulli nostra memoriâ magis probant. N[illegible] verò priorem, ut veritati maximè consentaneam meritò amplectimur: ut ex confirmatione illius, & ex argumentorum adversariæ sententiæ confutatione apparebit. Confirmatio autem partim ex Vet: partim ex Novo Testamento extruitur. Ex Veteri enim imprimis occurrit, Ps. 102. vers. 26. 27. ut Apostolus, Hebr. 1. vers. 10. 11. 12. interpretatur: *Tu initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes ut vestimentum veterascent, ac veluti amictum circumvolves & mutabuntur.* unde primum argumentum, hoc est; Quæ præteribunt mutatione, vestis instar, eorum substantia ac materia manebit, non autem in nihilum redigetur: hæc enim sunt opposita: quia mutationis omnis terminus est mutatum, ideoque aliquid à priori diversum, non autem nihilum. Atqui cœlum & terra præteribunt mutatione, ut Psaltes ait. Ergò eorum substantia ac materia manebit, non autem in nihilum redigetur. Sic etiam Origenes. περὶ ἀρχῶν, lib. 1. c. 6. & Basil. & Theodor. in Psalm. 102. disserunt & Hieron. in Esa. 66. eundem locum Psalmi exponens ait: *In quo perspicuè demonstratur, perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius.* In Novo verò Testamento rationes perspicuæ suppeditantur. Primùm, Rom. 8. v. 19. ad 23. *Etenim creaturæ, (id est, mundi conditi) exerto capite observatio, exspectat revelationem filiorum Dei. Nam vanitati creatura subjecta est, non sua sponte, sed propter eum qui subjecit eam. Sub spe quod & ipsa vindicabitur ex servitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim creaturam unà suspirare, & unà parturire usque ad hoc tempus.* In quâ descriptione mundi creati certum est (ut Chrysost. Oecumenius, aliique rectè observarunt) per prosopopæiam (similitudine quadam, quæ à persona humana deducitur,) describi conditionem illius, præsentem quidem miseram, futuram verò felicem: unde hoc argumentum universale oritur. Cujus conditio jam misera, ultimo die futura est à miseria immunis, ac felix: illud non omninò interibit, seu in nihilum non redigetur, sed in melius mutabitur: Atqui mundus est, cujus conditio jam misera, ultimo die futura est à miseria immunis, & felix: ut Apostolus pluribus hoc loco demonstrat. Ergò mundus non omninò interibit, seu in nihilum non redigetur, sed in melius mutabitur; ut totum hunc locum rectè Chrysost. de mundi non abolitione, sed restauratione exponit. Particularia verò argumenta sunt multa. Primùm enim est hujusmodi: Quod quis cupidè, & quasi exerto capite rectè exspectat, illud eo præsente, non prorsus interibit: alioqui contra

contra naturam (quæ bonum suum appetit perpetuò) appeteret tempus sui interitus, & redactionis in nihilum. Atqui mundus cupidè, & quasi exerto capite exspectat revelationem filiorum Dei, v. 19. quæ ultimo demum die futura. 1. Joh. 3. v. 2. Ergò mundus, præsente revelatione filiorum Dei, ultimo die, non prorsus interibit. Alterum argumentum est; quod vanitati subjectum est, ac rectè sperat vindicationem sui ex servitute corruptionis; illud non prorsus interibit, seu in nihilum non redigetur, sed è misero in felicem statum mutabitur. Nam cum spes, sit læta boni futuri expectatio, objectum ejus, cum recta est, malum esse non potest: multoque minus universalis interitus: neque vindicatio à vanitate & corruptione, cum redactione in nihilum potest consistere; nihilum enim summa est vanitas. Atqui mundus vanitati subjectus rectè sperat vindicationem sui à corruptione v. 20. 21. Ergò mundus non prorsus interibit, sed è misero in felicem statum mutabitur. Tertium verò argumentum est; quod requiritur ad libertatem gloriæ filiorum Dei, illud futurum est, scil. ne gloria illa sit imperfecta. Atqui liberatio mundi à vanitate corruptionis requiritur ad libertatem gloriæ filiorum Dei: v. 21. Nam ut mundus propter hominem conditus: sic propter hominem in peccata lapsum, vanitati corruptionis ad hominem puniendum, obnoxius factus est, v. 20. adeò ut & terræ fœcunditas, & cœli ad terræ ubertatem vires, sint nonnihil imminutæ ad dedecus, & pœnam hominis: sic ad libertatem ac gloriam plenam illius mundi redintegratio requiritur. Ideoque rectè Cyrill. Alex. comm. suis in Esa. 34 ait: *liberandam verò esse creaturam, divinus etiam Paulus ait, à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Itaque mundus non penitus abolebitur: nam universalis interitus, liberationi à corruptione, adversatur. Quartum denique ex hoc loco argumentum est; quod una nobiscum rectè suspirat, ad liberationem sui, & una nobiscum parturit: illud liberabitur à sua miseria, ideoque non redigetur in nihilum, sed in melius liberatum, mutabitur. Atqui mundus una nobiscum parturit, &c. v. 22. 23. Ergò liberabitur à sua miseria, eoque non in nihilum redigetur. Alter Nov. Testam. locus est, Matth. 24. v. 29. 30. *Statim autem post oppressionem dierum illorum, sol obscurabitur, nec dabit luna splendorem suum, & stellæ cadent è cœlo, &c.* Unde hoc modo in suis comment. Matth. 24. v. 35. argumentatur Hieron. ad ista verba; *cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.* Subjicit enim: *cœlum & terra transibunt immutatione, non abolitione: alioquin quomodo sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent: si cœlum in quo ista sunt, terraque non fuerit.*

Alterum deinde argumentum hinc deducimus hoc modo: Quod post suum interitum adhuc supererit, illud non prorsus in nihilum redigetur: hæc enim sunt opposita, superesse, & nihil esse Atqui cœlum & terra post suum interitum adhuc supererunt. Ergò non prorsus in nihilum redigentur. Assumptio demonstratur verbis Christi, quibus docetur, post hanc obscurationem solis & lunæ, & stellarum (scil. secundum quid) casum, & virium cœli concussionem v. 19. quæ interitum mundi notant, (ut etiam Apoc. 6. vers. 12. ad 15. describitur) nihilominus tamen cœlum, terram ac nubes superfutura, Matth. 24. vers. 30. Nam ille interitus antecedet proximè Christi adventum ad judicium, quo adveniente, ut cœlum, terra ac nubes, teste Christo; sic etiam aër supererit: ut Paulus 1. Thess. 4. v. 17. tradit, cum ait, *Deinde nos vivi, &c. rapiemur simul cum iis ἐν νεφέλαις nubibus* (quasi curru triumphali ut Christus, Act. 1. hinc vulgata versio *in nubibus*, nostri verò interpretes *in nubes* non tam commodè) *in occursum Domino in aërem: & ita semper cum Domino erimus.* Quibus argumentis (ut alia omittamus, quæ post Orig. aliosque ab Hieron. in Matth. 24. & in Esa. cap. 51. & 65. adducuntur) coronidis loco hoc subjiciemus clarissimum: Si in mundi interitu nihil supererit, præter cœlum beatorum, ut nonnulli volunt, adversus quos disseruimus: evidentissimè sequitur, post mundi interitum, omnes dæmones, omnesque condemnatos, imò infernum quoque, aut fore cum Christo, & beatis in cœlo; aut fore, ut omninò in nihilum simul redigantur. Atqui consequens utroque suo membro absurdissimum est: quia maledicti non cum Christo erunt in cœlo, sed à Christo rejecti abibunt in ignem æternum cum Diabolo & angelis ejus Matth. 25. v. 41. 46. & in cœlum nihil quod inquinat, aut abominandum patrat, ingreditur, Apoc. 21. v. 27. Matth. 5. v. 20. & 7. v. 21 23. sed soli electi & pii, cum Christo, cœlo fruentur, Matth. 7. v. 21. & 25. v. 34. 46. Ergò etiam antecedens absurdum, nempe in mundi interitu, nihil superfuturum præter cœlum beatorum. Atque hæc ad confirmationem prioris de mundi interitu sententiæ: quam etiam probat Ambrosius, libr. 5. epistolarum, epist. 2. cum præter alia sic ait: *Cœlum & terra præteribit, postea autem & sol & luna & cætera stellarum lumina requiescent in gloria filiorum Dei.* Quam sententiam, secundæ ac contrariæ opinionis confutatio amplius illustrabit. Quidam enim statuunt cœlum visibile, & terram interitura simpliciter, hoc est, & substantiæ, & accidentium respectu, in nihilum redigenda: quod partim Scripturæ authoritate, partim rationis consequentia, probare conantur. Scripturæ autem authoritas prima est ex 2. Petr. 3, v. 7. *Qui verò nunc sunt cœli ac terra, &c.* & v. 10. *Veniet autem sicut fur in nocte dies ille Domini, quo &c.* & v. 12. *Expectantes & properantes ad adventum diei, in quo cœli conflagrantes solventur, &c.* Unde hoc modo ratiocinantur: Quæ ultimo die cum stridore præteribunt, & æstuantia solventur, atque exurentur, ea peribunt omninò & substantiæ & accidentium respectu; atqui cœli ultimo die, &c. Ergò ea præteribunt omnino, ac substantiæ atque accidentium ratione in nihilum redigentur. Sed negatur propositio, eamque meritò invertimus & retorquemus. Quæ exurentur, & liquescent, eorum substantia non redigetur in nihilum: sed mutabitur eorum conditio: quemadmodum aurum igne ustum liquescit, non autem perit; sed expurgatur, & renovatur; sic etiam cœlo & terræ accidet, unde postea additur v. 13. *Sed cœlos novos, &c.* Idque etiam non malè à priscis Patribus observatum, ut Cyrill. Alex. in comment. Esa. 34. ait: *mundi consummationem adducit in medium & inquit, convolvetur quasi liber cœlum, instar foliorum stellæ cadent: sicut etiam discipulus Servatoris dixit de extremo die; quia in ea cœli, procellæ in morem, transibunt, & elementa æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera, exurentur omnia. Et novos cœlos, & novam terram juxta promissionem ipsius expectamus. Igitur illud, convolvendos esse cœlos & casuras stellas, hujus universitatis renovationem potest ostendere; liberandam verò esse creaturam divinus etiam Paulus ait, à servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei.* Similia habet Hieron. in Esai. 51. & 65. Sed scrupulus hic exiguus est. Objicitur enim: cœlum novum & terra nova hic sunt intelligenda, in quibus (ut additur) justitia habitat. Atqui hoc tantum convenit cœlo beatorum. Ergo cœlum beatorum est illud cœlum novum & terra nova. Sed resp. primò, propositionem esse falsam; quia nititur constructione non necessaria, quasi verba illa, *in quibus*, ad cœlum & terram essent referenda, tanquam justitiæ memoratæ subjectum: cum potius ad vocem *nos* in verbo *expectamus* inclusam, per ellipsin usitatissimam pertineat: expectamus nos in quibus justitia habitat. Idque etiam ostendit verbum *habitat*, quod ad nos seu fideles rectè pertinet, non autem ait habitabit. Neque Phrasis illa infrequens est. Nam ut Paulus negat *in carne sua habitare bonum* Rom. 7. v. 18. sic contra *in Loide* dicit *habitasse fidem*, 2. Tim. 1. v. 5. Denique insolens est, ut cœlum summum vocetur cœlum novum & terra nova: neque veritati consentit: nam cœlum beatorum renovationis expers idem omnino permanet. Quod autem vulgo eruditi interpretes verba illa ἐν οἷς, ad cœlos novos tantum referunt; id quidem ferre potest constructio; sed non commodè satis fert res ipsa. Nam cœlum novum distinctè à terra nova, cœlum renovatum, non summum notare agnoscunt: ideoque ad aëreum & æthereum pertinet, sed quomodo quæso in eo justitia habitare aut habitatura esse dicitur? Quare prior solutio magis est consentanea. Altera Scripturæ authoritas, quæ pro universali mundi abolitione obtenditur, est Johannis Apostoli Apoc. 20. v. 11. *& vidi thronum magnum candidum, & quendam ei insidentem, à cujus conspectu fugit terra*

terra & cœlum, quorum locus non est inventus. Deinde cap. 21 v. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra præterierat, & mare non amplius* (ἦν pro ἔτι) *erat.* Ex qa authoritate ita disputant: Quæ à conspectu Christi ultimo die judicaturi fugiunt ac prætereunt: & quorum locus non est inventus: quæque non erunt amplius: illa omnino interibunt, seu in nihilum redigentur. Atqui cœlum, terra, mare sunt hujusmodi, ut Johannis verba testantur. Ergo ea omnino interibunt, atque in nihilum redigentur. Verùm negatur propositio; quia illa non est universaliter vera. Nam quæ prætereunt ac fugiunt, & loco omnino destituuntur, neque sunt amplius simpliciter & absolutè, illa prorsus interire, certum est: quæ verò tantùm secundum quid & relatè talia sunt, illa non prorsus, ac substantiæ suæ ratione, intereunt; quale est cœlum, cujus vires concutientur, partesque illius (quas Petrus elementa vocat) stellæ liquescent ac pristino loco deserto decident, Matth. 24. vers. 29. & mare resonabit, ac fluctibus agitabitur, Luc. 21. v. 25. Ideoque non simpliciter & absolutè non esse, & locus eorum non amplius inventus, sed tantum secundum quid& relatè, ad conditionem pristinam, Scripturæ more dicuntur: ut Psam. 37. v. 16. de improbo dicitur: *deinde præterii, & ecce non erat amplius: nam quæsivi eum & non inventus est.* & v. 10. *& adhuc paululum, planè non erit improbus: quod si consideraveris locum ejus, etiam non erit.* Atqui certissimum est improbum quidem interire, sed non in nihilum redigi; & locum pristinum relinquere: non autem omnem absolutè. Sic etiam cœlum, terra, mare, interitum mutationis sentient, non autem abolitionis: id quod non solum ex Matthæo & Paulo (ut ante ostendimus) sed etiam ex eadem Apocalypsi liquet. Nam interitus mundi, quem Johannes Apoc. 20. v. 11. describit, antecedit judicium extremum, ut v. 12. etiam expressè docet: & mortui in conspectu Christi veri Dei stare dicuntur postea: quod citra controversiam non futurum est in cœlo beatorum, sed extra illud in mundo visibili: ideoque non interiturum in nihilum solidè concluditur. Quod etiam clarius indicatur in descriptione pleniori interitus mundi, Apoc. 6. v. 12. usque ad finem: *Ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger, ut saccus cilicinus: & luna tota facta est, ut sanguis: & stellæ è cœlo ceciderunt in terram, sicut ficus abjicit grossos suos, cum vento magno concutitur, & cœlum abcessit sicut liber qui convolvitur, & omnes montes & insulæ suis locis motæ sunt, & reges terræ &c. absconderunt se in speluncis &c. & dixerunt montibus, & petris, Cadite super nos à conspectu ejus, qui insidet throno, & ab ira agni.* Quibus verbis perspicuè docetur mundi interitum futurum ante judicium ultimum: & tamen post eum interitum speluncas & petras montium, licet suis locis commotæ fuerint, nihilominus fore, ut extent. atque ita apparet, neque Apocalypsis authoritatem, cœli, terræ aut maris abolitionem, sed mutationem tantùm confirmare.

Verùm argumentis ab authoritate Scripturæ petitis addunt postremum à ratione consequentis absurdi deductum hujusmodi: Si cœlum hoc & terra non interibunt penitus, sed renovabuntur: Ergo Deus faciet ea, quorum nullus erit usus; quia in cœlum beatorum recepti, ac perfecta gloria donati iis non habebimus opus. Atqui consequens est absurdum; quia Deus nihil facit frustra, utpote sapientissimus. Ergo cœlum & terra interibunt penitus, non autem renovabuntur. Sed negatur propositio; quia cœli & terræ renovatio non erit frustra, sed utilis ad libertatem gloriæ filiorum Dei, teste Paulo Rom. 8. vers. 21. deinde ut sit cœlestis aulæ vestibulum ornatissimum, & hominibus glorificatis omnipotentiæ, sapientiæ ac bonitatis Dei ad eorum gloriam exercitæ, theatrum jucundissimum.

Quare merito ex hisce omnibus concludimus, cæli, terræ, marisque interitum non esse simpliciter, & absolutè redactionem in nihilum, sed in melius mutationem. Verum cum in aquis & terra sint etiam animalia bruta, quæri possit, quid de iis sit sentiendum; an ea etiam sint immutanda cum cœlo & terra in melius, an vero prorsus interitura. Prius enim videtur statui, Rom. 8. v. 20. 21. ubi de creaturæ liberatione à servitute corruptionis ultimo die disseritur: animalia autem bruta creaturas esse controversia caret. Verum est, animalia bruta etiam esset creaturas, generatim voce accepta: non autem speciatim per Synecd. qua utitur hoc loco Paulus, creaturæ nomine non quasvis complectens: sed cœlum & terram designans: ut attributa in descriptione illius demonstrant. qualis est, quod vanitati ac corruptioni sit obnoxia, non propter se, sed propter hominem, qui peccato suo hoc ipsum promeritus, ea ratione est punitus, v. 20. & Gen. 3. v. 17. 18. *Maledicta est terra propter te, cum molestia comedito ex ea omnibus diebus vitæ tuæ & spinam & carduum proferat tibi.* unde etiam colligitur satis, vires cœli ad terram fœcundam reddendam fuisse similiter imminutas. Sed bruta animalia propter hominem reddita vanitati subjecta ac corruptioni obnoxia, nullibi traditur in Sacris literis. Deinde cum Petrus Apostolus 2. Epist. cap. 3. doceat, Terram & opera quæ in ea, exurenda esse; videntur & bruta ut Dei opera, & urbes aliaque ædificia, & opera humana contineri, neque æternitas brutis ullibi in Sacris literis promittitur. Quomodo autem ea sint interitura, an in nihilum, an verò potius in sua unde desumpta sunt elementa (quæ mutabuntur deinde in melius) sunt redigenda, Scriptura Sacra tacente non definimus, neque multis indagamus: etsi posterius magnis probabile videatur, ut nihil creatum in nihilum redigatur: sed in sua principia ad integritatem universi mundi, resolvatur. De exustione etiam terræ qualis & quanta futura sit, cum Deus id nos celare voluerit, non inquirendum curiosè arbitramur. Si cui tamen placeat audire, quid de hoc Petri loco, & terræ conflagratione, Aug. de Civitate Dei lib. 20. vers. 18. sentiat; verba illius coronidis loco attexam: *Qui autem nunc sunt,* inquit, *cæli & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservandi, in diem judicii, & perditionis hominum impiorum. Proinde qui cæli, & quæ terra, id est, qui mundus pro eo mundo qui diluvio periit, ex eadem aqua repositus est: ipse igni novissimo reservatur in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Nam & homium propter magnam quandam commutationem, non dubitat dicere perditionem futuram, cum tamen eorum, quamvis in æternis pœnis, mansura sit natura. Quærat forsitan aliquis, si post factum judicium, mundus iste ardebit.* (notanda est hoc loco August. hallucinatio: nam mundi interitus ante judicium factum, imò inchoatum eveniet, ut initio ex Matth. & Apoc. jam ante perspicuè demonstravimus.) *antequam pro illo cœlum novum & terra nova reponantur eo ipso tempore conflagrationis ejus; ubi erunt sancti: cum eos habentes corpora, in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quo ita non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint ubi esse voluerint: Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales atque incorruptibiles facti: sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illæsa potuerint.* Hactenus Augustinus.

Illustratio Sententiæ Christi Matth. 24. v. 30.

EXplicata jam plenius superiori de interitu mundi controversia, strictim vers. 35. indicata: uberius verò vers. 29. expressa: Consequens est ut ad insignis versus 30. illustrationem procedamus. Verba autem hęc sunt: *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, &c.* Ex quibus hęc oritur vetus quęstio, quidnam signum filii hominis (id est, Christi) significet. Nam quidam per appositionem Grammat: sive expositionem; signum, & filium hominis idem notare: alii verò diversum existimant. Idem esse censet Clar. Piscator, *Id est,* (inquit) *ipse filius hominis, tanquam signum certissimum adventus sui ad judicium. Syntaxis est qualis in illo: accepit Abraham signum circumcisionis,* Rom. 4. Alii verò diversum statuunt: & quidem bifariam, vel de interno, vel de externo signo interpretantur. De interno, quod scilicet in ipso Christi corpore futurum: nempe de clavorum in pedibus, manibus, & lanceæ in latere foraminibus exponunt: quæ etiam post resurrectionem tanquam signa Christi permanserunt, & Thomæ demonstrata, Johan. 20. vers. 27. Idque inde videtur probari, quod dicitur Zach. 12. v. 10. & Ioh. 19. v. 37. *videbunt in quem fixerunt.* & Apoc. 1. v. 7. *Ecce venit*

venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, &c. De externo verò signo alii exponunt duobus modis. quidam de figura crucis, quæ in aëre quasi vexillum regium sit apparitura, ut fideles consoletur, & infidelibus crucis suæ hostibus terrorem incutiat. Quo etiam referunt quod Constantinus Magnus signum crucis ex lucis splendore figuratum, in ipso cœlo soli imminens, manifestè aspexisset, cum hac inscriptione: *in hoc signo vinces:* idque ab Imperatore, sibi juramento firmatum, privata ratione, narrat Euseb. de vita Constantini cap. 22. quam sententiam non pauci Patres sequuntur. Alii de admirabili majestate Christi, quæ adventus ad judicium signum sit futura clarissimum, exponunt. Nam ut primò advenit humilis, ut judicaretur ac pro nobis condemnandus: sic secundò venturus ad judicandum sublimi gloria ac majestate admiranda conspicuus, omniumque Angelorum satellitio stipatus, Matth. 28. vers. 31. & in nubibus throno insidens sublimi, Matth. 24. vers. 30. Nam ut nube quasi triumphali curru in cœlum est subvectus: sic eodem ipsum rediturum, ad conspiciendum, ab Angelo est prædictum. Actor. 1. vers. 11. ut signum adventus Christi. Huc etiam pertinet Apoc. 16. v. 16. quod de reprobis dicitur, inde Christum cognovisse cnm horrore; *Et dixerunt montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos, &c.* Hinc etiam hoc signum proposuit suis hostibus Christus Matth. 26. v. 64. *Videbitis filium hominis sedentem ad dextram potentiæ, venientem in nubibus cœli.* Atque hoc etiam modo, hoc loco de quo agimus Mat. 24. v. 30. Nam signum filii hominis, addita sequentibus verbis expositione, ita declaratur. Atque hæc sententia videtur maximè consentanea.

Explicatio Sententiæ. Matth. 24. v. 36. & Marc. 13. v. 32.

QUoniam de hoc loco discrepantes sunt veterum & recentiorum Theologorum sententiæ: & res ipsa momenti est non exigui, sed ad doctrinam de persona Christi melius intelligendam plurimùm conducit: idcirco illius examen breve instituentes, primum verba proponemus. Matthæi autem sunt hæc: *De die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum; sed Pater meus solus.* Marci verò *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli qui in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Hieronym. verò in suis ad locum hunc Matt. commentariis, duplicem esse lectionem indicans, sic ait: *In quibusdam Latinis codicibus additum est, neque Filius, cum in Græcis & maximè Adamantii & Pierii exemplaribus hoc non habeatur ascriptum.* Similiter Athanas. in disputatione habita in Concilio Niceno contra Arium Edit. Commel. Græco-lat. pag. 97. objicienti hæc verba Ario respondet: *Et in Matthæo non refertur: neque Filius novit diem illum: & cæteri Euangelistæ omiserunt istius rei mentionem; à Marco autem solo relatum est, neque filius novit diem illum.* Hisce accedit Græcorum omnium codicum consensus; ut ex Roberti Stephani præstantissimo Testamento Græco majori forma excuso., & sedecim exemplarium manuscriptorum collatione, & variarum lectionum annotatione instructo, aliisque apparet. Quemadmodum etiam verba illa, nec Syrus interpres neque Theophyl. agnoscit. Chrysostomus verò ita legit hisce verbis adjunctis atque exponit: & ante Chrysost. Origenes in Matth. cap. 24. tractatu 30. eadem habet verba, *neque filius:* & in expositione repetit sæpius ac declarat. unde apparet olim fuisse variam lectionem hujus loci. Et Eras. quidem in annotat. suis Matth. 24. hanc Origenis lectionem genuinam esse arbitratur. Ratio autem illius infirma hæc est, *Cum Marcus*, inquit *Epitomen scripserit Matthæi, consentaneum est eum hæc non addidisse de suo: proinde suspicor inquit, hoc à nonnullis subtractum, ne Arianis esset ansa confirmandi Filium esse Patre minorem, qui nobiscum aliquid ignoret.* Sed quod ait Marcum epitomen scripsisse Matthæi (etsi non pauci ita loquuntur) meritò negamus: quia licet sit brevior, ejusdem tamen Spiritus S. instinctu Euangelium scripsit: non autem breviarium ex Matthæo descripsit: hoc enim Sacræ Scripturæ Majestati, quæ tota θεόπνευστος est, 2. Timot. 3. repugnat. Deinde etiamsi epitomen scripsisset Matthæi; quod falsum: inde tamen minimè sequeretur, omnia verba utrimque convenire, nec quicquam extare posse in Marco, quin similiter in Matthæo extiterit: quia nil vetat quominus sensu servato, ex vi illius intellectum exprimatur. Siquidem ut alia omittamus, in hac eadem Christi concione, pro eo quod Matth. ait cap. 24. v 42. *vigilate igitur,* Marcus amplius habet; hæc nimirum, *Videte & vigilate, & orate.* cap. 13. v. 33. Deinde quod Eras. suspicatur è Matth. has voces: *neque Filius*, ab Orthodoxis subtractas (nam hos intelligit, quia Arianis opponit) ut Arianis ansa deitatem filii oppugnandi prænriperetur, illud omnino indignum ac temerarium est: cum ex conjectura levi, nulla autem gravi ratione sacrilegium Orthodoxis tribuit. Nam si illud fuisset eorum studium, in Marco eadem verba, ibidem occurrentia, non reliquisset integra. Contra verò credibile potius est, Origenem ea verba (*neque filius*) in suis in Matth. comment. adjecisse ex Marco, atque Chrysostomum, tanquam admiratorem, atque imitatorem *Origenis* summum, eundem esse secutum. Nam Græca exemplaria, quæ Hieron. tempore extabant, & ea, quæ ab Adamantio & Pierio erant collecta, ut ostendimus, ea verba non habebant. Ideoque Theoph. qui ex Chrysost. commentariorum suorum opus, tanquam epitomen illius, citra controversiam contraxit, veterem lectionem sequitur, non Chrysostomum. Deinde Arius, ut impias quasdam Orig. de Filio Dei sentias est amplexus, & sui erroris perniciosi fundamenta inde hausit: sic credibile est eundem ex iisdem Orig. commentariis hunc Matth. locum adversus Athanasium errori suo amplius fucando protulisse. Ideoque jure meritoque ut ante declaravimus, ab Athanas. ei respondente, disertè negatum est, ea verba in Matthæo expressa: etsi in Marco extare agnoscat. Quod autem Latini Codices quidam, olim ea verba in Matth. sic habuerint, & Hilar. comment. in Matth. canon. 26. & August. tom. 10. de verbis Domini, sermone 21. ita legerint Latinè: id ex Orig. commentariis profluxisse videtur, quandoquidem pleraque ac meliora exemplaria iis caruerint. Quod autem Erasmus objicit Hieron. in suæ enarrationis progressu sequi hanc lectionem: nihil magnoperè ad rem facit. Siquidem hoc non ideo facit, quod genuinam lectionem esse censeat: (Nam contrarium ante docuit) sed quod sensus esset verus, & reipsa ac bona consequentia in Matthæi dicto contineri statuerit: quia Marcus ita exponit, dum Spiritus S. instinctu, eandem Christi concionem narrat: & quia Pater solus nosse diem judicii affirmatur à Matthæo.

Atque hæc de genuina hujus loci lectione: ac propterea ad illustrationem illius procedemus. Ac primum de sententiæ hujus circumstantiis: deinde de sensu genuino, & assertione veritatis adversus Arianos agemus. Circumstantia autem hujus sententiæ est occasio illius, & scopus. Occasio est discipulorum Christi aperta quæstio, & operta ac latens animi curiositas. Nam ut quæstio ab iis proposita est de signo adventus Christi, & interitus mundi vers. 3. cui Christus accurata responsione respondens, satisfecit: sic vitiosa curiositate tacitè desiderabant diem & horam illius adventus cognoscere: idque etiam inde colligitur, quod post Domini resurrectionem eodem vitio illo adhuc laborarent, ut ex diserta quæstione Actor. 1. v. 6. 7. apparet. Scopus verò est, 1. intempestivæ hujus curiositatis correctio; deinde officii stimulus, scilicet providentiæ, vigilantiæ, precum, & mandatorum Dei observatio; quemadmodum conclusio ex hujus sententiæ propositione, à Christo deducta Marc. 13. v. 33. & Matth. 24. v 42. & 46. demonstrat. Medium autem ad hunc scopum destinatum, atque idoneum, est hæc sententia Christi: quâ latenti ac tacitæ curiositati non expresè, sed argumenti positione prudenter occurrit: Nam quod nemo novit: neque Angeli quidem (& ut Marcus addit, neque Filius) nisi solus Pater: illius cognitio non est postulanda. Atqui de die & hora adventus Christi nemo novit. Ergo illius cognitio non est postulanda. Atque hoc modo tacitam quæstionem anticipatione quadam, per contrariæ rationis assertionem, convenientissimè confutat Christus. Quemadmodum postquam à resurrectione ipsius expresè curiositatis hujus vitium

quæstione

quæstione proposita declararunt Apostoli: Christus similiter expressâ reprehensione contrariâ eos apertè repressit, Actor. 1. v. 7. *Non est*, inquit, *vestrum, nosse ipsos temporum articulos, quos Pater in propria potestate posuit.* Hactenus de circumstantia hujus loci, seu de occasione & scopo, quem ex ipsa sententiâ probavimus. Reliquum porrò est, ut ad sensum progrediamur, & omissis facilioribus, verba illa Marci *neque Filius*, & Matthæi, *sed solus Pater*, ob suam prima fronte difficultatem & interpretum varietatem expendamus: ut ea ratione è multis veterum & recentiorum quorundam tricis, melius expediamur, & adversariorum Deitatis Christi argutias solidius diluamus. Cum enim Filius dicatur nescire diem judicii, inde concluserunt Ariani eum esse Patre minorem: ac propterea non verum & æternum cum Patre Deum: quandoquidem Deus citra controversiam omniscius est, neque ullius rei in eum cadere possit ignorantia. Cujusmodi solutio generalis ac communis est Theologis Orthodoxis, aliisque Deitatem Christi profitentibus, concessione quidem antecedentis: quia in Scriptura continetur: sed negatione consequentiæ. Deinde communis etiam est negatæ consequentiæ ratio generalis in distinctione vocis posita. Veruntamen in voce distinguenda, & in distinctionis illius modo statuendo magna est discrepantia. Quidam enim *sciendi*, alii verò *Filii* vocem distinguunt: atque ita demonstrare conantur hæc duo, Filium non scire diem judicii, & tamen scire atque omniscium esse, non pugnare inter se ob diversam vocis acceptionem: etsi primâ fronte secus videatur. Qui autem ad hanc solutionem distinctione vocis *sciendi* utuntur, inter se variant. Primum enim non pauci veterum, & inprimis Augustinus Tom. 1. de Genesi contra Manich. lib. 1. cap. 22. verbum *scire* non propriè, sed impropriè per Metonym. exponit, pro scire facere: quali tropo Rom. 8. Spiritum Sanctum gemere dicit, & Deum interpellare pro nobis: quod nos gemere & orare faciat; & ait Augustinus, *quia utiliter occultabat discipulis*, *nescientem se dixit*, *quia illos nescientes occultando faciebat.* Verùm hæc solutio licet à Pontificiis multis avidè arripiatur, infirma est: primùm quia Filius hic se Angelis conjungit quod nesciat. Atqui Angelos revera ac propriè nescire (cùm non sint omniscii, nec ullibi ea notitia iis attribuatur) controversia caret: ideoque de filio similiter intelligendum. Deinde Christus se à Patre distinguit eo modo, quod diem illum nesciat, sed Pater sciat: ideoque si *non scire*, significet hoc loco, non scientem facere & occultare, tum etiam Pater nesciret: quia eam notitiam non communicarat, sed suæ potestati reservarat, Actor. 1. vers. 7. Deinde quamvis verba, quæ actionem notant Metonym. ita interdum accipiantur: aliorum tamen quæ passionem indicant, diversa est ratio: neque illa vocis non sciendi significatio, aut usu communi, aut Scripturæ probatur. Nam quod Augustinus Tom 4. quæstionum 83. quæst. 60. ait: *Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est, tentat vos Deus, ut sciat si diligatis eum*; illud à reipsa alienum est: quia Metaphoricè per ἀνθρωποπάθειαν, dicitur quasi Deus hominum more experientiam caperet; atque ita rem cognosceret. Neque Bellarmini tomo 1. de Christo, lib. 4. cap. 5. probatio adjuvat, cum ait, *Scriptura passim ita loquitur ut Gen. 22. nunc cognovi, quod timeas Deum.* Nec enim ut asserit adversarius, ea verba significant nunc ostendi tibi, & aliis, quantum me colas: sed contra potius, nunc ostendisti mihi, quantum me colas, atque expertus sum, ac quasi cognovi. Quare hæc expositio non potest consistere. Ac propterea alii vocem *Filii* distinguunt (non autem vocem *sciendi*, quam propriè accipiunt) idque bifariam. Cum enim Christus sit filius hominis & simul filius Dei: nonnulli veterum Patrum, filium hoc loco priori modo intelligunt: quia non definitè dicitur filius Dei, sed filius indefinitè. Atque hoc modo Gregorius Nazianzenus oratione trigesima sexta, seu secunda de Filio, ac quarta de Theologia ait: *Eccui igitur dubium esse potest, quin horam quidem ut Deus cognitam habeat, ignoret autem ut homo? si quis partem aspectabilem* (intelligit autem naturam humanam visibilem) *ab ea disjungat, quæ mente sola perspici potest*, (id est, divina). *Nam quia absolute hoc loco, ac sine relatione filii nomen ponit, nec adjungitur cujus, idcirco hinc nobis ansa porrigitur ita existimandi: ut ignorantiam hanc sensu maxime pio interpretemur, eamque humanitati non divinitati ascribamus.* Qua in sententia Athanasius præivit oratione quarta contra Arianos edit. Commel. pag. 283. cum ait; *Siquidem homo factus non erubuit, propter carnem ex natura istarum rerum insciam, se ignarum fateri: ut ostenderet se ejus rei conscium, ut Deum, sed tamen carnaliter ignorare. Quapropter non dictum est, ab eo, nec filius quidem Dei, ne divinitas ignorare videretur, sed simpliciter nec filius: ut filio hominis ista ignoratio remaneret.* Quæ expositio si rem ipsam spectemus, analoga quidem est fidei S. literis traditæ: & mentem Christi de subjecto ignorantiæ fideliter exponit; eo tamen excepto, quod vocem filii non relatè ad Patrem, pro filio hominis accipit: quod neque locutioni Scripturæ, quæ nullibi voce *Filius* sine adjunctione Dei vel hominis, aliter quam pro Filio Dei accepit; neque hujus loci circumstantiæ satis congruit. Nam si loquutionem spectes, nullibi ὁ υἱὸς *filius*, de Christo absolutè usurpatum, idem est atque filius hominis; sed ubicunque occurrit, filium Dei designat: sin verò circumstantiam hujus loci attendas, vocis Patris (quem non alium, quam suum intelligit) relatio, idem comprobat. Quamobrem alii accommodatius voce Filii, non Filium hominis, sed Filium Dei designari judicant. Neque propterea hæc sententia favet Arianis: sed eorum argumentum solidè diluit: quia confundunt turpiter nomina personæ Christi, cum nominibus naturarum. Nam Filius Dei, non est nomen naturæ Christi: sed personæ, à divina natura (quam per æternam generationem à Patre habet) desumtum. Sensus autem est Filium Dei Patris, non scire diem ultimi judicii, non simpliciter ratione divinæ & humanæ naturæ, sed secundum quid, ratione humanæ naturæ. Quæ Phrasis de Christo, (ut similes) communicatio idiomatum dici solet; quæ est enuntiatio, in qua de persona Christi denominata ab una natura, prædicatur quod ei convenit secundum alteram naturam. Cujus Phrasis fundamentum est duarum naturarum in persona Christi unio: propterea quod cum illa persona constet divina & humana natura, & utriusque attributa ei conveniant, idcirco utraque verè de eadem pronuntiantur: non solum cum significatur Christi persona, nomine ab utraque natura desumto: sed etiam ab una tantùm: ut exempli gratia filius hominis descenderat de cœlo, & in terra existens dicitur esse in cœlo, Joh. 3. v. 13. id est, Christus, qui est filius hominis, sed non secundum eam naturam, qua est filius hominis, sed secundum quod est Filius Dei, hoc est, non qua homo, sed qua Deus: quemadmodum contrà (ut ibidem traditur à Johanne) ascendit in cœlum, qua filius hominis seu secundum humanam naturam. Similiter Filius pro nobis à Patre traditus, nempe in mortem, Rom. 8. sed non qua Filius Dei: sed quatenus filius hominis, seu secundum humanam naturam. Sic etiam hoc loco diem judicii nescit filius, hoc est, Christus qui est filius Dei: sed nescire dicitur, non secundum quod est Filius Dei (ita enim sapientia est Patris Proverb. 8. & 1. Cor. 1.) sed secundum quod est filius hominis, seu secundum humanam naturam, ut etiam Paulus distinguendo exponit hujusmodi locutionem, Rom. 1. v. 3. *de Filio*, inquit, *ipsius facto ex semine David, secundum carnem.* Atque hæc est genuina hujus loci sententia, & primi argumenti Arianorum, quod ex hac sententia arripiunt, solutio. Antequam verò ad alterum quod addunt, confutandum procedamus, ad majorem veritatis illustrationem, reique certitudinem, quasdam alias etiam magnorum quorundam virorum responsiones adjungemus. Quidam enim utuntur quidem generatim, ut Aug. distinctione vocis *scire* ac *nescire*, sed aliis tamen modis. Ac primùm quidem Ambrosius in Luc. cap. 17. non absolutè, sed relatè dictum arbitratur cum ait: *horam novit, sed novit sibi, mihi nescit.* Eodem etiam spectat Hieronymus in Matth 24. Et eruditus Pontificius Ferus in Matth. cap. 24. similiter ait: *sciebat: sed sibi, non nobis, hoc est, non acceperat mandatum, ut ea nobis manifestaret.* & Bellar. Tom. 1. de Christo. lib. 4. cap. 5. respondet, *nec Angelos, nec filium scire ad dicendum.* Quæ responsio inepta, si rem spectes; sensus enim esset, Nemo novit, id

vit, id est, nemo novit aliis. Deinde Phrasi etiam repugnat: Nec enim *non scire* significat ex usu linguæ non scire aliis, non scire ad dicendum. Præterea cum Pater solus scire dicitur, sensus esset, solum scire nobis, solum scire ad dicendum, atqui hoc falsum: quia Pater noluit nobis dicere, Act. 1. vers. 7 sed occultum nobis relinquere. Quare hæc expositio nullius est momenti. Altera etiam vocis sciendi declaratio, nempe non scire id est nolle scire, similiter insolens & inepta est. Insolens; quia illa significatio nullo usu Scripturæ, aut bonorum authorum probatur. Inepta verò, imò & falsa: quia analogiæ Scripturæ adversatur. Sensus enim esset, de die & hora illa nemo scit, id est, nemo vult scire (atqui Apostoli volebant scire) nisi solus Pater vult scire: atqui Pater scit, non autem vult scire. Ideoque graviter ac verè illa interpretatio à Luthero, tanquam ineptum ac vanum commentum rejicitur, ut Bellar. libro ante citato, etiam ex concione, de natali Domini in Marc. cap. 13. *de die illo &c.* ita Lutherum dicentem adducit, *Intempestivam narrationem quidam hic afferunt, dicentes; Filius nescit, id est, noluit scire. Quid opus est istis commentis? &c.* plura autem si quis requirat, consulat Postillam Lutheri Ecclesiasticam de festis, in parte hyemali, in expositione loci Heb. 1. A qua recta Lutheri sententia, Ubiquitarii turpiter recedunt, ut ex Luca Osiandro, in Bibliis ad hunc locum apparet. Quare distinctione Filii, ratione naturarum in eo diversarum, optimè primum Arianorum contra Filii & Patris æqualitatem argumentum diluitur: videlicet quod quamvis Filius Dei secundum humanam naturam, in unitatem suæ personæ assumptam, non sciverit diem, nec horam judicii, cum hæc in statu humilitatis diceret: (quod scilicet ea scientia ad munus illius nondum requireretur) sciebat tamen secundum divinam naturam: utpote qui in Patre esset, Joh. 14. v. 10. unumque cum eo. Joh. 10. v. 30. & solus nosset Patrem, Matth. 11. v. 27. & in quo tota plenitudo Deitatis habitabat, Coloss. 2. v. 9. quique ut verus Deus, 1. Joh. 5. v. 20. unà cum Patre, & Spiritu S. ultimum judicii diem, ab æterno decreverat, ideoque divina sua natura eum ignorare non potuit. Quocirca rectè Cyrill. Thesauri lib. 9. cap. 4. ait: *Sicut ergo voluit, tanquam homo fame & siti, cæterisque hujusmodi laborare: Sic etiam, ut homo diem illum ignorat. Aliquando enim ut Deus; aliquando ut homo loquitur: ut & Deum & hominem se verum ostendat.* Et paulò post; *diem illum & horam & ignorat & scit: alterum ut homo, alterum ut Deus.* Hæc ille. Antequam verò ad secundam objectionem Arii diluendam procedamus, observandum est, quod Ambrosi. lib. 5. de fide cap. 8. ad objectum locum ab Arianis, *de die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nec Filius, nisi solus Pater,* respondet; *primum veteres non habent codices Græci:* (scil. Matthæi) *quod nec Filius scit. sed non mirum si & hoc falsarunt qui Scripturas interpolavere divinas. Qua ratione autem videatur adjectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur.* Hactenus Ambros. Quare initio non temerè diximus, Erasmum in eo esse iniquiorem, quod depravationem hujus loci Orthodoxis ascribat, & corruptam Arianorum lectionem probet.

Porrò secundum urgent Ariani argumentum, ex sequentibus illis verbis, *nisi solus Pater,* hoc modo. Si solus Pater novit diem judicii: Ergo nullus alius: ideoque neque Filius simpliciter; sed tam secundum divinam, quam secundum humanam naturam eum ignorat: quia si nosset, non igitur solus Pater nosset. Hujus autem nodi solutionem quandam adfert Aug. Tom. 1. de genesi contra Manichæ. cap. 22. & Tom. 4. quæstionum octoginta trium quæst. 60. & alibi cum ait: *secundum hanc figuram etiam Patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eundem Filium scire faceret.* At inquam ea solutio omninò & aliena est, & ut ante ostendimus, nititur falsa hypothesi, quasi *scire* significaret, *scire facere*: ideoque refutationem ampliorem non desiderat. Vera autem solutio est altera, nempe negatione Consequentiæ propositionis Arianorum, ac distinctione vocis, *nisi,* & *solus*: quæ licet excludat alios, illud tamen fieri potest duobus modis: vel absolutè vel relatè tantum. Absolutè quidem, cum omnes in universum citra ullum discrimen excludit; quomodo Deus dicitur solus nosse corda hominum, 1. Reg. 8. v. 39. & extendisse cœlos solus, Job. 9. v. 8. & Esai. 44. v. 24. quod ea nulli prorsus præter Deum conveniant. Relatè verò tantum, cum vox *solus* aut *nisi*, alios non absolutè, sed certi generis excludit, nempe creaturas: ut Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cuicunque voluerit filius revelare.* Qua sententia, notitia Filii, soli Patri: & Patris, soli Filio attribuitur: oppositè creaturis, non autem inter se. Nam nec Pater nec Filius, seipsos possunt ignorare, neque eosdem Spiritus Sanctus; qui scrutatur etiam profunda Dei, 1. Cor. 2. v. 10. Sic etiam nemo novit ea, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei ibid. v. 11. Pater tamen & Filius, ab ea cognitione minimè excluduntur: sed creaturæ solæ. Omniscientia enim non est proprietas personalis Patris, nec Filii, nec Spiritus Sancti; sed essentialis Deitatis proprietas; ac propterea cùm uni personæ ex tribus attribuitur, exclusiva voce, *nisi*, aut etiam addita voce *solus*, creaturæ tantum excluduntur: ut hoc in loco, nullus, nempe è creaturis, novit diem judicii: ideoque nec Angeli, nec filius quatenus creatura est humana, sed Pater, qui oppositè creaturis, ac relatè ad eas solus nosse, non autem oppositè Deitati Filii & Spiritus Sancti asseritur: ut in similibus locis, Matth. 11. & 1. Cor 2. similiter intelligi ostendimus. Nam vox *nisi* excludit, sive addatur vox *solus* sive omittatur, neque est ullum in Phrasis sensu discrimen. Sic Rom. 16. v. 27. de Patre dicitur: *soli sapienti Deo sit gloria, per Jesum Christum in secula.* Nec tamen Filius, quatenus est Deus, ipsaque sapientia, Prov. 8. excluditur, quemadmodum demonstratur Apoc. 5. v. 13. *Sessori Throni,* (id est, Patri) *& agno* (id est, Filio) *benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* & 1. Tim. 6. v. 16. solus δυνάστης Rex regum, & Dominus dominorum vocatur Pater: quod idem tamen Filio Dei attribuitur, Apoc. 19. vers. 16. Et 1. Tim. 6. vers. 17. Pater dicitur solus habere immortalitatem, & tamen Filius Dei 1. Joh. 5. vers. 20. dicitur verus Deus, & vita æterna; & Johan. 5. vers. 26. *ut Pater habet vitam in seipso: sic etiam dedit Filio* (scilicet per æternam generationem) *vitam habere in seipso.* Denique Apoc. 15. v. 4. Pater dicitur solus sanctus, & tamen nec Filius, Sanctus Sanctorum, nec Spiritus Sanctus excluditur: sed creaturæ omnes, etiam Angeli, & humana filii natura: qui licet Sancti sint sanctitate temporali, atque accidente, finita; non tamen essentiali, æterna atque infinita: hoc enim essentiæ divinæ proprium est. Quamobrem rectè responsum est adversus Arianorum argumenta, quæ ad inæqualitatem Deitatis Filii, & Patris probandam adducunt. Ad primum, scilicet quod Filius Dei sit nomen non naturæ, sed Personæ Christi, à divina natura desumtum: cui per κοινωνίαν ἰδιωμάτων tribuitur quod ei convenit tantùm secundum humanam naturam: Ideoque inde concludi non potest, filium Dei simpliciter nescire diem judicii: siquidem quà homo nescit, quà verò unus cum Patre Deus, eundem cognoscit. Deinde ad alterum argumentum: cum dicitur à Christo, nullum scire nisi solum Patrem, intelligi non absolutè, sed comparatè ac relatè ad creaturas: quarum nulla, ne Angeli quidem, aut filius (nempe secundum humanam naturam) licet inter creaturas illi excellant, cum Patre norunt. Antequam verò eas objectiones, quæ huic sententiæ opponuntur à Pontificiis, confutemus, non alienum fore existimamus, si Maldonati Jesuitæ, viri quidem docti, sed in nostros, Calvinum & Bezam inprimis, perquam acerbi, atque iniqui, interpretationem proponamus atque examinemus paucis, ut eo melius appareat quam miserè, atque indignè à Jesuitis primariis illustris hæc sententia detorqueatur, ut suum de omniscientia humanæ naturæ Christi, inde ab initio ortus illius, errorem tueantur. *Animadverto*, inquit Mald. *nunc non solum negare Filium hominis diem judicii scire: sed etiam affirmare solum Patrem scire: quo verbo non solum filium, sed etiam Spiritum Sanctum videtur excludere. Sed nisi fallor eodem modo Christus loquitur quo supra cap. 20. vers. 23. sedere autem ad dextram aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Itaque indicat, quod magis est, se non solum ut hominem, sed etiam ut Deum modo quodam diem judicii ignorare: non quod ignoret, sed quod*

non ipsius sit officium scire: sicut non dixit quibus paratum est à me, sed à Patre meo, non quod non etiam ab ipso paratum esset: sed quod regnum parare, id est, *prædestinare, non ipsius, sed Patris officium sit. Sic etiam Patris est constituere, quando solvendus sit mundus, quando dies judicii futurus sit. Hoc est quod Apostolus dicit*, Act. 1. v. 7. *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Propterea solus ipse scire significatur. Atque hic, nisi fallor, verus est sensus.* Hæc Mald. qui multis modis fallitur. Primùm quod illis verbis *nisi solus Pater*, Filium excludi putet; deinde quod etiam Spiritum Sanctum insolenti paradoxo, à notitia diei judicii excludi existimat: quorum utrumque jam ante ex reipsa, seu divina utriusque essentia omniscia, & ex locis similibus confutavimus. Tertiò fallitur, dicendo quod eodem modo Christus loquatur Matth. 20. *Non est meum dare, sed quibus paratum est à Patre meo.* Nec enim eo modo excluditur absolutè Filius (ut Jesuita perperam arbitratur) sed tantùm secundum quid, quà homo. Quartò fallitur, quod altero paradoxo absurdo asserit, Christum etiam, ut Deum, modo quodam diem judicii ignorare, non quod ignoret, sed quod non ipsius officium sit, scire. In eo enim mera apparet, & phrasis ipsius, & rei perversio. Phrasis quidem, cum nescire exponit (contra omnem rectè loquendi usum) non esse officium scire; Rei verò perversio est: quia impium est dicere, Filii ut Dei, non esse officium, scire diem judicii. Nam inde sequitur esse officium illius, non scire: atque ita officium illius per scientiam quam habet, & agnoscit adversarius, violabitur. Quintò fallitur cum ait, quod regnum parare, id est, prædestinare non ipsius, sed Patris officium sit: hoc enim confessis Theologiæ principiis manifestè repugnat. Nam opera Dei ad extra sunt tribus personis communia: ideoque non minus Filius & Spiritus Sanctus præpararunt regnum, ac prædestinarunt quàm Pater: etsi ad Patrem ut primam personam ordinis ratione soleat referri; non excludendo, sed includendo reliquas personas, quia una eademque communis est earum actio. Qua de re rectè Athan. Orat. 4. contra Arianos; *Quod si jam definita est dies, & hora à Patre, clarum est quod per Filium destinata: & novit ipse, quod per ipsum est destinatum.* Idemque post nonnulla ait: *Sic igitur interrogantibus discipulis de fine, pulchrè tum dixit, neque Filius, propter carnem: ut ostenderet quod ut homo nesciret. Hominum enim proprium est ignorare.* Et Cyrill. Alex. thesaur. lib. 9. cap. 4. *Non oportet igitur propter hanc vocem ignorationem Dei verbo inurere, sed potius misericordiam ejus admirari, quod non recusaverit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet.* Sexto. In eo similiter fallitur Jesuita, quod ait Patris esse constituere, quando solvendus sit mundus, quando dies judicii futurus sit, quasi illud à Filii officio esset alienum: cum contrà ut unum essentia est Filius cum Patre: sic una eademque est voluntas & actio illius; ut quæcunque Pater facit, Filius faciat similiter, Joh. 5. v. 19. Septimo denique in eo fallitur, quod ex dicto Christi, Act. 1. v. 7. quod temporum momenta Pater in potestate sua posuerit, concludat eo significari Patrem solum ea scire: scil. non Filium: cùm contra potestas Patris, potestati Filii, qua homo quidem est, opponatur, non autem qua Deus. Hac enim ratione ut eadem est utrimque essentia, eædemque proprietates, ac perfectiones essentiales: sic eadem necessariò est potestas.

Sed objiciunt Pontificii, non posse de Filio secundum humanam naturam propriè, verè dici, nescivisse eum diem judicii, quod in anima Christi fuerit omniscientia, inde ab ipsa creatione illius: idque ex sacræ Scripturæ tam propheticæ quam Apostolicæ authoritate probare conantur. Nam ex Prophetis Bellarm. Tom. 1. de Christo, lib. 5. cap. 2. citat testimonium Esaiæ 11. ubi de Christo dicitur: *Requiescet super eum Spiritus domini, Spiritus sapientiæ, &c.* Sed negatur consequentia: quia Spiritus sapientiæ non est omniscientia, sed scientia finita, ut humanæ finitæ naturæ ratio indicat, & Scriptura, quæ eam sapientiam suos habuisse progressus, atque incrementa testatur, Luc. 2. v. 40. *Puerulus autem crescebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturque sapientia.* Cujus argumenti vim vidit Bellarm. atque elabi conatur lib. 5. de Christo cap. 5. variis modis, sed frustrà. Primùm respondet vocem πληρούμενος aliquando significare *redundans*, quod est idem quod πλήρης, quod secutus est interpres vulgatus, qui vertit *plenus*. Veruntamen abusionem illam vocis asserit quidem Bell. sed non probat. Deinde antecedentia verba Lucæ interpretationem illam confutant, cum dicitur: *crescebat, & corroborabatur Spiritu:* non igitur jam inde ab initio conceptionis ac nativitatis, ut Pontificii contendunt, fuit plenè corroboratus. Altera verò responsio quam adfert, hæc est: *dico*, inquit, *si legamus passivè, implebatur, sensum hunc esse, quod sapientiâ tam increatâ, quam creatâ quæ in ipso erat, replebantur indies magis organa corporea & movebantur atque aptabantur ad opera excellentiora facienda.* Sed quid ineptius fingi potest, quam statuere organa corporis impleri sapientia: cum sapientiæ subjectum non sit corpus, sed sola anima? Tertiam itaque adfert responsionem; *replebatur sapientia acquisita per experimentum proprium. Tametsi enim nihil ignoraret theoricè, cum haberet infusam scientiam omnium rerum; tamen practicè ignorabat illa omnia, quæ non fuerat expertus. Quomodo Paulus dicit, eum didicisse obedientiam, per ea quæ passus est*, Hebr. 5. Sed respondemus verba Lucæ, non de acquisita per experientiam, sed de infusa per Spiritum Sanctum sapientia loqui, quam Spiritus ipsi infudit, & qua corroboravit: unde dicitur quoque, *implebatur*: ut sapientiam insitam crevisse appareat. Idemque deinde ostendit versus ultimus, *Iesus autem proficiebat sapientia, & ἡλικίᾳ, ætate*, aut potius *statura, ac gratia apud Deum, & apud homines.*

Quod autem Bellarm. ibidem cap. 5. ait: quod Christus profecerit sapientia, opinione hominum quibus indies magis aperiebat sapientiam suam, alienum est. Nec enim loci circumstantiæ hujusmodi expositionem admittunt, ut *proficere* per abusionem vocis significet putari proficere: dicitur enim v. 40. *Corroborabatur Spiritu*, item, *implebatur Spiritu*, & vers. 52. *Proficiebat sapientiâ & ætate*, aut potius statura. Atqui illa corroboratio & staturæ profectus dicitur ratione ipsius Christi, non autem ratione opinionis hominum. Deinde fingat licet adversarius, Christum dici profecisse opinione hominum: tamen argumenti hujus vim non evadet. Nam opinio illa aut vera fuit, aut falsa. Si vera, tum fuit rei consentanea: hoc est, revera Christus profecit sapientia, non minus quam opinione hominum: id quod à multis inde probatur, quod postea subjicitur *coram Deo & hominibus*: Sin falsam dicat adversarius, blasphemus erit in Euangelistam, cum verba illius demonstrent, ipsum, ea quæ scribit, narrare ac probare. Nam ut illud v. 40. *Puerulus autem crescebat, & corroborabatur Spiritu* narrat tanquam verum, (nec enim sola opinione humana crevit, *& corroborabatur Spiritu*) sic quod sequitur, *implebatur sapientia*, simili modo conjunctim narrat. Et vers. 52. ait: *Proficiebat sapientia, & statura*, atqui statura revera proficiebat, non sola hominum opinione. Ergò & sapientia similiter profecisse communi voce proficiendi, designat. Ac propterea Athanasius contra Arrian. orat. 4. pag. 230. eruditè, ac distinctè ita hunc locum exponit: οὐχ ἡ σοφία, ἣ σοφία ἐστιν, αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν προέκοπτε, ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον ἐν τῇ σοφίᾳ προέκοπτε: hoc est, *non sapientia, quatenus sapientia est, ipsa secundum seipsam, progressus fecit; sed humanitas in sapientia profecit.* Et Cyrill. Alex. thesaur. lib. 10. cap. 7. *Si ergo Christus, qui est sapientia, profecisse in sapientia scribitur, non ipsa profectò, sapientia enim in seipsa proficere non potest* (intellige infinitam, qualis Christus est) *non ergò ipse: Sed humana proficiebat natura.* Et paulò post ait, *undique ergo patet, non sapientiam ipsam, in quantum est sapientia, sed humanam naturam in sapientia profecisse.* Generatim verò duo profert ibidem Cyrill. theoremata observatu digna: primùm cum adversus Arrianos, qui objiciebant, hac distinctione, unum Christum dividi, sic ait: *Unus profectò Dominus Jesus Christus, & non duo: & unus hypostaticè atque personaliter, in duabus naturis.* Alterum theorema est: *Sic igitur quæ de Christo scribuntur intelligenda sunt, ut nec quæ Deitati conveniunt, humanitati ejus attribuantur: nec quæ humanitatis propria sunt ad Deitatem ipsius detorqueantur.* Tertio loco accedit Theodo. dialog. 2. ἀσύγχυτος, ubi verbis

verbis Eranistæ, quæ ipsemet approbat ac laudat, sic sententiam, Luc. cap. 2. v. 52. exponit: *Ætate enim corpus proficit, sapientia verò anima.* Denique Ambros. comment. in Luc. 2. de Christo ait: *qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur, & gratia.* Idemque explicatius lib. de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. ait: *Et Jesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines. Quomodò proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum; profectus ætatis, profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideò ætatem præmisit, ut secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergò si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis.* Pluraque eodem pertinentia ibidem inculcat. Quare ex hisce satis apparet, quam vana sit Bellarmini jactatio, Tom. 1. de Christo lib 4. cap. 1. quod ait: *Catholicorum communis sententia, semper fuit, Christi animam in ipsa sui creatione, repletam scientia, & gratia, ita ut nihil postea didicerit, quod antea nesciret:* & ait ita docere omnes Patres. Soluto igitur hoc ex Veteris Testamenti authoritate argumento, reliqua quæ ex Novo testamento adducit, breviter expendamus. *Christus,* inquit, *ab initio accepit gratiam sine mensura, Job 3. v. 34. Ideoque non potuit proficere.* Negatur consequentia, Johannes quidem dicit, *non enim ex mensura dedit ei Deus Spiritum,* sed ea phrasis *non ex mensura* seu *sine mensura dare*, per metaph. significat, non parcè, sed affatim ac copiosè dare, consueta loquendi forma: ut in libro Judit. cap. 7. & *non habebant ut biberent ad satietatem aquam die uno, quoniam in mensura dabant iis.* & Apul. asino aureo lib. 4. *hordeum affatim, & sine ulla mensura largita est.* Sic Christo, qua homo, Spiritus copiosè datus. Nam Christianis quidem non omnia Spiritus Sancti dona: sed quædam tantum dantur, pro mensura donationis Christi, Ephes 4. v. 7. *Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii verò sermo cognitionis, per eundem Spiritum, &c.* 1. Cor. 12. v. 7. 8. 9. 10. Omnia verò hæc Spiritus Sancti dona, & copio[illegible] quidem Christo secundum humanam naturam tradita, [illegible] 11. v. 2. Inde tamen non sequitur, illa copiosa Spiritus Sancti dona fuisse infinita, ut augeri non potuerint: imò contrarium asseritur, Luc. 2. v. 40. *corroborabatur Spiritu.* Sed tertiò pro infinita humanę naturę Christi sapientiâ objicitur illud Ioh. 21. v. 17. *Tu omnia nosti.* Sed id dicitur secundum divinam Christi naturam, à qua humanæ ipsius naturæ omnia ad officium præsens pertinentia revelabantur. Denique objicit Bellarm. ibidem locum Col. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei.* Sed negatur consequentia, quemadmodum ipsemet Bellarminus dum Lutheranos confutat, similiter facit: quia licet in Christo sint, non inde sequitur, ergo ratione ipsius humanæ naturæ: Deinde etsi ratione ipsius humanæ naturæ diceretur, intelligendum esset, inesse unione personali, non autem ut qualitatem in suo subjecto proximo. Quemadmodum ibid. Apostolus v. 9. ait, in Christo habitare totam plenitudinem Deitatis. Atque hæc ad illustrandam genuinam, Matth. 24. v. 36. & Marc. 13. v. 32. sententiam suffectura speramus.

Illustratio Locorum Quorundam Matthæi, è Capite 26.

INter ea, quæ distinctam atque accuratam explicationem Matth. 26. desiderant, est etiam tristitiæ Christi & precationis illius adjunctæ descriptio. De utroque enim & prisci Theologi & recentiores diversis sententiis inter se discrepant. Quas breviter proponere & excutere, ad genuinam Scripturæ intelligentiam, conabimur.

Quæstio 1. de Christi tristitia.

IN quâ expendenda, primum occasio illius, deinde modus ac causa: Occasio autem quæstionis oritur ex verbis, partim Matthæi, partim Christi, quibus tristitia hæc describitur: Quæ verba proponenda ac paucis explicanda; ut rei tractatio sit clarior. Verba autem Matthæi hæc sunt vers. 37. *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & gravissime angi:* Græcè λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν; ut etiam Marcus, *& assumit Petrum & Iacobum & Iohannem secum, cœpitque* ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, hoc est, *expavescere, & gravissime angi:* ut rectè omnino noster interpres doctiss. Beza reddidit. vulgatus verò Latinus minus expressè ἀδημονεῖν in Matthæo vertit, *cœpit mæstus esse.* & dilutius adhuc in Marco *tædere* exponit. Hoc enim modo & verbi illius, & rei gravitatem enervat. ἀδημονῶ enim, ut doctiss. Hesychius explicat, est ἀγωνιῶ *angor*, seu *cum gravi dolore luctor:* ut de hac Christi tristitia, Luc. 22. v. 44. ait: *eum fuisse* ἐν ἀγωνίᾳ, *angore*, seu quasi luctæ cum dolore angustia. unde etiam Suidas ait, ἀδημονῶ, λίαν λυποῦμαι *valde tristis sum*, à nomine ἀδήμων, qui quasi nimia doloris satietate fatiscit, ac concidit, ut ex Eusth. in Homer. Henr. Stephanus fideliter in thesauro suo expressit. Atque hoc etiam ex Christi verbis constat, quibus tristitiam suam describit, quæ vers. seq. 38. Matth. 26. continentur: quemadmodum etiam Marc. 14. v. 34. περίλυπός ἐστιν *anima mea usque ad mortem.* Nam primum περίλυπος non generatim tristem significat quemvis, ut vulgata versio reddidit: sed valde tristem: unde noster interpres posuit, *undiquaque tristis*, sed brevius ac concinnius *pertristis*, exponi potest. Quemadmodum propositio περὶ in compositione significationem augere solet; sic etiam in hac voce; ut Arist. 4. Ethicorum ait, καὶ οὔτε εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, οὔτε ἀτυχῶν περίλυπος, ut à Bud. in Græcæ linguæ commentariis proponitur. Extat autem sententia hæc cap. 3. hoc est, *neque in secundis valde lætus erit, neque in adversis valde tristis.* Idemque ostendit, quod non otiosè, sed ad majorem validæ tristitiæ amplificationem additur: *usque ad mortem*, hoc est, lethaliter: nec valdè tantum, sed etiam maximè tristem: quemadmodum hæc phrasis tali sensu in sacris literis usitata est, ut Esa. 38. v. 1. *ægrotabat Ezechias usque ad mortem*, hoc est, lethaliter, gravissimè: non autem, quod ea ægritudo ad mortem usque duraverit: & Jon. 4. v. 9. dicitur Jonas fuisse iratus *usque ad mortem*, & Phil. 2. v. 30. *Nam propter opus Christi accessit ad mortem usque*, & v. 27. *ægrotavit proxime mortem.* Atque hæc de Euangelistæ, & Christi verbis, quæstionis occasione. Modus verò illius hic est. Quæritur enim primùm de hujus tristitiæ Christi magnitudine: deinde de origine, ac causa commovente. Ad magnitudinem quod attinet, quidam existimant, hanc tristitiam fuisse tantum tristitiæ alicujus gustum, & initium: quia de ipso dicitur *cœpit contristari.* Atque ita Origenes ait comment. ad hunc locum, *cœpit pavere, vel tristari, nihil amplius tristitiæ vel pavoris patiens, nisi principium tantum. Nec enim scriptum est, quia pavit vel tristatus est. Sed cœpit pavere, & cœpit tristari. Quando & dixit: tristis est anima mea usque ad mortem, quod ipsum tale aliquid significare videtur, tanquam si dicat, tristitia cœpta est in me, ut non omni modo sim sine gustu tristitiæ, non semper, sed usque ad tempus mortis in me est: ut cum mortuus fuero peccato, moriar & universæ tristitiæ, cujus principium tantum fuit in me.* Hęc Origenes. Cujus sententia, primum Euangelii verbis abutitur; quia, cum Matthæus ait de Christo *cœpit contristari*, initium temporis tristitiæ illius, non autem tristitiæ magnitudinem notat: quasi tantum esset tristitiæ initium ac gustus, ut Origenes censet. Deinde iisdem quoque confutatur, cum testantur, Christum non solum contristatum fuisse, sed etiam gravissimè anxium; nec tristem tantum, sed pertristem & quidem usque ad mortem, hoc est, lethaliter seu gravissimè ac mortis instar: ut David eo sensu, *dolores mortis*, Psalm. 116. v. 3. & alibi appellat. Idemque evincit tristitię illius effectum geminum: Primum quidem deprecatio Christi vehementissima, de poculo passionis, & mortis horrendæ, Joh. 18. v. 11. auferendo, Matth. 26. v. 39. Alterum verò, quod, ut ait Lucas cap. 22. v. 44. *in ea ἀγωνίᾳ sudor ejus erat, quasi grumi sanguinis, descendentes in terram;* Denique huc accedit consequens subsidii Angelici adjunctum: Nam ut ibidem v. 43. traditur, *visus est Christo Angelus, è cælo corroborans ipsum.* Quæ omnia maximam atque eximiam quandam tristitiam, ac dolorem demonstrant: ideoque perperam atque injuriè in Christi passionem, non tristitiam, sed initium tristitiæ ac gustum illius, nominat Origenes: ut in ejus sententia sequenda similiter impingit Hieronymus. Neque dictis obstat quicquam, quod Hieron. Tom. 2. in

dialogo

dialogo adversus Pelagian. libr. 2. ait. *In quibusdam exemplaribus tam Græcis quam Latinis invenitur, scribente Luca, apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum, haud dubie Dominum Salvatorem.* Etsi enim Hieronymus iis verbis indicet in quibusdam exemplaribus id abfuisse, illud tamen aut descriptorum negligentia: aut forte imperita audacia factum: quod scil. ea verba gloriæ Christi adversari, & ab adversariis illius inserta existimarent. Nam Hieronymus rectum agnoscit, cum ait: *Salvator in passione ab Angelo confortatur & Critobulus meus, non indiget auxilio Dei,* Deinde consentaneum est officio Angelorum, qui ministerium Christo inde ab initio præstiterunt, ut Matth. 4. vers. 11. & alibi. Quare hæc prima Orig. & Hieron. sententia aliena est. Altera vero huic repugnans vera est, Christum scil. non tantum initium, & gustum aliquem tristitiæ, sed ingentem, supra reliquos mortales, anxietatem fuisse expertum: ut argumenta supra posita evincunt. Atque hæc quidem de prima hujus quæstionis controversia: nempè de hujus Christi tristitiæ magnitudine. Altera verò est, de causa illius, ac primùm quæritur an libera, an verò necessaria fuerit. Prius asserunt Pontificii, quod Christus hac tristitia ratione naturæ suæ humanæ carere omninò potuerit: sed libera voluntatis suæ electione eam susceperit. Alii verò hoc meritò pernegant: quia ea tristitia fuit pars pœnæ pro nobis debitæ, ac subeundæ necessariò: ut decreti Dei firmitati, & prophetiæ veritati satisfieret, Luc. 22. v. 22. Matth. 26. v. 54. Ideoque Christus patienter quidem pertulit, sed non libera electione eam suscepit: quia gemino illo vinculo fuit obstrictus. Quo etiam pertinet, quod ait Luc. 12. v. 50. *Baptismo oportet me baptizari, & quo modo constringor* (hoc est, angor) *quo usque hoc perficiatur?* & Marc. 8. v. 31. & Luc. 24. v. 7. & 26. ubi necessitas hæc declaratur. Deinde cum tristitiæ causa generatim esse soleat mali præsentis sensus; vel futuri metus; vel denique utrumque; quænam harum fuerit disquiritur. Plerique enim metum mali futuri, causam esse statuunt; ac sanè mirandam illius esse vim experientia multorum demonstrat; sed in eo definiendo dissident interpretes. Nonnulli enim veterum patrum, Christum tristitia affectum, non sua, sed aliorum causa statuunt; & quidem partim ob futurum discipulorum in passione, & morte scandalum; partim ob Judæ proditoris, & Judæorum peccata, & futurum eorum ac templi urbisque Hierosolymæ horrendum exitium: ut Ambros. in Luc. cap. 22. ait: *Tristis videbatur & tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: Percutiam pastorem & dispergentur oves: tristis enim, quia nos parvulos relinquebat, &c. Neque distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos.* Sic etiam Hier. comment. in Matth. 24. *Contristabatur,* inquit, *non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timoris arguerat, sed propter infelicissimum Judam, & scandalum omnium Apostolorum & rejectionem populi Iudæorum, &c. Tunc ait illis tristis est anima mea usque ad mortem, &c. quæ contristatur anima est, & non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec Apostolos sua liberet passione.* Hæc Hieron. Alii vero contrà statuunt tristitiam hanc Christi, & anxietatem gravissimam, hoc in loco, fuisse ortam, non ex miseriæ peccati ac pœnæ aliorum consideratione, sed ex passionis & mortis suæ horrendæ atque instantis animoque occurrentis metu: ut alia etiam similia loca Luc. 12. v. 50. & Ioh. 12. v. 27. 28. cum 23. & 24. ostendunt, & in deprecationis Christi explicatione, clarius apparebit. Nam quod obtenditur, metum passionis & mortis, Christi potentiæ, & officio, ac sacris literis repugnare, alienum est. Nec enim potentiæ Christi adversatur: quia etsi quatenus Deus avertere poterat, potentiam tamen suam continuit: ut secundum decretum æternum & veritatem Scripturæ, humana natura assumpta, pro salute electorum omnium, pateretur ac moreretur. Deinde verum quidem est, cum milites ipsum essent capturi, Christum eosdem prostravisse ad brevem sermonem suum occulta divinæ naturæ suæ operatione: sed in passione & morte, ut etiam hujus tristitiæ tempore, hanc potentiam divina Christi natura exerere noluit: ut ita humana natura ad tempus deserta à subsidio illo, pateretur; atque ita nos Deo reconciliaret. Unde eruperunt ei in cruce illa verba: *Deus mi, quare me deseruisti?* Neque officio etiam Christi repugnat: sed ei maximè consentit. Nam ut verus erat homo, nobis per omnia similis, excepto peccato: ita similiter lege naturæ, & lege Decalogi suam incolumitatem, & vitam amavit: & contrarias perpessiones, ac mortem horrendam eo respectu metuit, sine ullo desperationis aut excessus vitio. Neque etiam Euangelii historiæ repugnat. Quod enim objicit Ambros. *Cæterum quàm constanter se morti obtulerit, consequentia declarant, quandoquidem quærentibus occurrit,* illud inquam verum quidem est, sed inde sententia illius non confirmatur. Neque enim antecedens passionis metus, studium Deo parendi excussit: sed sibi conjunctum habuit: & confirmatus ab Angelo, metum superavit, ac sese militibus constanter ac pacatè obtulit. Quod autem Hieron. obtendit, Christum ad hoc venisse, ut pateretur, & Petrum timoris arguisse: utrumque agnoscimus: inde tamen non sequitur, Christum non metuisse passionem. Nam metus ille pars fuit passionis non exigua: & ex instantis passionis expectatione orta. Deinde Petri exemplum prorsus dissentaneum est. Illius enim metus, quo Christi mortem metuit, cum inobedientia erga Deum conjunctus fuit, Matth. 16. vers. 22. 23. quemadmodum cum ipse mortis suæ periculum adeò immoderatè metuit, ut Christum abnegarit: Christi verò metus naturæ & rectæ rationi fuit consentaneus. Ac quamvis dixerit: *anima mea tristis est usque ad mortem,* inde tamen colligi non potest, ipsum non propter mortem fuisse tristem: hæc enim optimè possunt convenire: sive ea phrasis tristitiæ durationem notet, ut Hieron. ac nonnulli veterum sentiunt: sive magnitudinem, ut ex usu Scripturæ accipiendam esse, jam ante ostendimus. Quare ex hisce apparet, alteram sententiam esse aptiorem, qua scilicet ab aliis statuitur, causam tam ingentis metus Christi, fuisse passionem & mortem horrendam, ipsi imminentem animoque objectam. Cœterum reliqua est tertia propositæ quæstionis, de causa tantæ tristitiæ, & anxietatis Christi, responsio ac sententia: videl. causam fuisse non solum imminentis passionis horrendæ metum, sed etiam præsentis sensum. Siquidem à Deo pœna nostra ei imposita est: antequam ut pecus ad mactationem duceretur, Esa. 53. vers. 6. 7. ac dolores inferni primum sensit: ut postea in cruce, cùm exclamaret, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* & ut videtur, non multo minores, ut præ animi dolore guttæ sanguinis in terram procidentes indicant. Idque ex deprecationis Christi sequentis examine clarius patebit.

Quæstio 2. De Christi precatione.

QUemadmodum tristitia Christi, Matth. 26. v. 37. & 38. descripta, variis interpretationibus agitatur: sit etiam Christi precatio v. 39. sequente, subjecta, quæ est hujusmodi: *Pater mi, si possibile est, transeat à me poculum hoc; veruntamen non ut ego volo, sed ut tu* & Marc. 14. v. 36. *Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer à me hoc poculum; verùm non quid ego velim, sed quid tu:* Et Luc. 22. v. 42. *Pater si vis,* παρένεγκεν (infinitum pro imperativo,) *transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quæ precatio objectum, & subjectam materiam, seu quem, & quid precetur, designat. Objectum, seu is, quem precatur, est *pater* prima Deitatis persona. Cui voci Marcus præmisit *Abba* vocem Syriacam, idem significantem; sive indicare voluerit, qua voce Christus sit usus, nempè *Abba*, quam additione Græcæ vocis Pater interpretetur: sive quod eandem vocem, ad auxesin geminatam à Christo declarare studeat. Quemadmodum Syrus interpres accepit, qui ponit *Abbah abbi, Pater, Pater mi:* ut etiam idem interpres, Roman. 8. v. 15. pro *Abba pater* & Gal. 4. v. 6. quia oratio est multorum nomine, vertit *Abba Abbun*, id est, pater noster. Quod etiam similiter Tremell. ad locum Marci, sequens, ait: *Hæc amabilis Dei appellatio pluribus locis recurret*, Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. Porrò ingeminatio non solum in Hebræa lingua, sed in quibusvis etiam linguis vehementiam notat; sicut etiam, quod ea simplex non est, sed aliquid additur, ut hic: *Pater, Pater mi*, vel *noster*: quod melius fiducia declaretur.

Subjecta verò materia, seu id, quod Christus à Patre precatur, duabus constat partibus: diversis quidem, sed pro diverso respectu, minimè adversis, videl. deprecatione, & approbatione. Deprecatio his verbis continetur: *Si fieri potest, transeat à me poculum hoc:* quibus indicatur quidnam deprecetur: & quo modo. Prius est, ut poculum hoc transeat ab ipso. Cum autem *poculi* vox sit ambigua, ut aut propriè aut impropriè accipiatur: illud citra controversiam constat, non propriè hoc loco, sed impropriè per metaph. appellari. Verùm in explicatione illius cum generali, tum speciali, hoc loco diversa sunt interpretum judicia. Quocirca ad rei illustrationem, observato Scripturae usu atque explicatione, paucis, distinctione adhibita, illustrare conabimur. Nam *poculum* metonym. pro vino acceptum, inde per metaph. translatione duplici usurpatur. Prima enim est à Patrefamilias ac pocillatore sumpta, qui pro convivarum ratione, vinum ad necessitatem ac modestam hilaritatem, iis distribuit. Atque ita similitudine quadam, à poculo hujusmodi, sitim ac tristitiam discutiente, in bonam partem, vox ea accepta, Dei beneficia, quae hominibus alendis ac recreandis tribuit, designat; ut Psalm. 16. v. 5. *Jehovah est portio praedii, & poculi mei,* hoc est, portionis illius author, seu bonorum eorum. Altera deinde translatio à vini potoribus, & poculo inebriante ducta; qui alios majoribus poculis exhauriendis, urgendo inebriant, adeo ut & mentis quaedam insania, atque ignominia vomitus, ac nuditatis, consequi soleat. Atque ita similitudine quadam accipitur primum pro impia doctrina, ac peccatis, quibus homines à recta ratione, ac fide & cultu Dei seducti quodammodo inebriantur, atque impietate sua ignominiae sese exponunt: ut Apoc. 17. v. 4. De muliere (Antichristi figura) dicitur: *Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia scortationis ejus*, & v. 2. *Cujus scortationis vino inebriati sunt incolae terrae.* Secundo accipitur pro afflictione gravi, divina, aut humana: quod ex ea (instar haustus poculi vini grandioris) animi perturbatio, bonorum denudatio, & hominum contemptus oriatur. Cujus significationis illustria in sacris literis extant testimonia, ut Psalm. 75. v. 9. *Nam poculum in manu Jehovah, & vinum turbidum, est, & plenum mixtione, ex quo fundit; veruntamen faeces ejus quas expresserunt, bibent omnes impii terrae*, & Lament. 4. v. 21. *O filia Edom, &c. Etiam ad te transibit poculum, inebriabis te, & nudabis te.* Deinde Ezech. cap. 23. v. 31. & seqq. locus est observandus, *Quod*, inquit, *in via sororis tuae ambulas, ideò trado poculum ejus in manum tuam. Sic ait Dominus Jehovah, poculum Sororis tuae bibes profundum, & latum, & capacissimum, ad risum, & subsannationem, ebrietate & moerore repleberis, &c. Bibes illud & exsuges.* Sic Haba. 2. v. 15. 16. *Vae potum praebenti proximo suo, adhibenti utrem tuum, & etiam inebrianti, ut intuearis nuditatem eorum. Saturaris ignominiâ prae gloria, bibe tu quoque & retege praeputium: & divertet ad te poculum dexterae Jehovae, & vomitus ignominiosus ad gloriam tuam.* Et Jerem. 25. v. 15. *Sume poculum istud vini, excandescentiam istam* (Junius per ellips. *poculi* ex antecedente vertit *poculum aestus*) *è manu mea: & bibendum dato istud omnibus gentibus, ad quas ego mitto te. Ut bibant & concutiantur atque insaniant propter gladium, quem ego missurus sum inter eas.* Sic in Novo Testamento, Apoc. 18 v. 6. *Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate ei duplum, secundum opera ejus: in poculo quod propinavit, propinate ei duplum,* hoc est, ut reges terrae, pro propinato impiae doctrinae poculo, poculum afflictionis atque exitii, Antichristo bibendum vice versâ redderent. Quare ex hisce satis liquere arbitramur, eam quae vulgò obtinet, hujus vocis *poculi* ac phrasis *bibere poculum* interpretationem, non esse satis aptam; quasi à poculo amarae potionis aegris tradito, & ingrato, similitudo esset deducta, ad afflictionem gravissimam denotandam. Nam quamvis sensum pariat satis concinnum: Scripturae tamen usu probari non potest, ut omnium locorum inductione non minus, quam eorum, quae attulimus, illud demonstratur. Verum interim est, afflictiones gravissimas notari: sed non à medico poculo, sed à poculo vini inebriante metaphorâ deductâ. Quo etiam modo frequenter Christus eâ significatione poculum suum appellat, ut Matth. 20. v. 22. *Potestisne bibere poculum quod ego bibiturus sum? &* v. 23. *Poculum quidem meum* (id est, meo simile, non par) *bibetis.* Joh. 18. v. 11. *Annon bibam ipsum poculum quod dedit mihi Pater?* Sic etiam hoc loco, Matth. 26. v. 39. *Transeat à me poculum hoc*, id est, gravissima passionis & mortis afflictio: quemadmodum interpretes generatim hanc sententiam agnoscunt; qui tamen in causa speciali hujus petitionis definienda, inter se plurimum dissentiunt. Quamvis enim generatim metum mali, ac tristitiam ingentem, de qua ante actum est, causam hujus deprecationis extitisse tradunt; alii tamen in speciali explicatione aliud tradunt. Quidam enim (ut de tristitia ante ostendimus) non de Christi: sed de aliorum passione, metum exponunt, ut Ambrosius in Lucam cap. 22. ut supra retulimus: & Hieron. ad hunc Matthaei locum, qui ita ait: *Postulat, ut si possibile est, transeat ab ipso passionis calix, de quo supra diximus; postulat autem non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde & signanter non dixit: transeat à me calix, sed calix iste, hoc est, populi Judaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, si me occiderit habens legem & prophetas, qui me quotidiè vaticinantur.* Verùm haec sententia primùm Scripturae authoritate destituitur, ideoque merito, quod ipsemet Hieron. in comment. iisdem ad Matth. 23. ait: *Hoc quia de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*; illud inquam ei reponendum. Deinde quia passionis Christi per se horrendae gravitatem elevat, atque enervat. Sed multò adhuc indignius antè impegit Hilar. comment. ad Matth. cap. 26. *Pro his*, inquit, *rogat, qui passuri post se erant, dicens, transeat calix iste à me: id est, quo modo à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Quibus verbis (ut etiam alibi) passionem Christi reverà tollit. Quare alii sanctius sentiunt, poculum hoc loco passionem & mortem Christi designare; transitionem autem illius liberationem ab ea; ejusque deprecatae passionis causam fuisse horrendae gravitatis illius metum, quod scil universae omnium peccatorum electorum poenae onus ipsi esset perferendum, ut Esai. 53. v. 4. traditur, *dolores nostros bajulavit*, & v. 5. *dolore afficitur ex defectionibus nostris, atteritur ex iniquitatibus nostris: castigatio pacis nostrae imponitur ei*, & v. 6. *Jehovah facit ut incurrat in eum poena omnium nostrûm.* Ideoque non solum corporis dolores ab hostibus, sed etiam poenas inferni (quia nobis debitae erant) animo ac corpore pertulit, à Deo inflictas. Atque hinc Luc. 12. v. 5. ait Christus *baptismo oportet me baptizari, & quo modo constringor* (seu angor) *usque quò perficiatur?* & Ioh. 12. v. 27. & 28. (postquam mortis suae antea meminisset v. 24.) commotus animo ait: *nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater conserva me ab hac hora; sed propterea veni in hanc horam.* Eodem etiam pertinet, quod Luc. 22. in tanta fuisse narratur tristitia atque angore, jam passioni propinquior, ut sudorem instar grumorum sanguinis ipsi expresserit, & Angeli coelestis adventu fuerit corroborandus, & in cruce exclamarit, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Et Heb. 5. v. 7. dicitur de Christo: *Qui in diebus carnis suae, cum deprecationes & supplicationes apud eum, qui poterat ipsum servare à morte, cum clamore valido, & lachrymis obtulisset, & exauditus esset* ἀπὸ τῆς εὐλαβείας *ex metu*; Et licet vulgatus interpres *pro sua reverentia* interpretetur, nihilominus ex antecedentibus patet, Christum in cruce non minus quàm in horto liberationem postulasse: non Judaeorum causa (qui jam suam crudelitatem impiam in ipsum compleverant) sed sua: eandemque completa passione impetrasse, solutis à Deo doloribus mortis, Actor. 2. v. 24. seu anima illius non relicta in inferno, v. 17. Verum duo inprimis adversus hanc sententiam objiciuntur argumenta. Primum, quod fortitudini ac constantiae; alterum, quod pietati illius adversetur: cui tertium accedit, quod sapientiae repugnet. Nam fortitudini adversatur, quod eo modo multis Martyribus, (qui passionem ac mortem non sunt deprecati, sed intrepidè subierunt) erit inferior. Idque urgent Augustin. Tom. 8. in Psalm. 21. exposit. secunda, cum ait: *Nisi fortè putatis fratres, quando dixit Dominus, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, mori timebat! Non est fortior miles, quam Imperator. Sufficit servo,*

ut sit sicut dominus ejus: Paulus enim dicit miles regis Christi: compellor è duobus, concupiscentiam habens dissolvi & esse cum Christo. Ille optat mortem, ut sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem? Inde erat illa vox: membrorum ipsius vox est, non capitis. Quo loco fundamentum erroris apparet doctrinæ de passione Christi: quod distinctione subvertitur. Negatur enim hæc consequentia: nempè martyres, ut Paulus, non timuerunt, sed desiderarunt mortem: Ergo Christus non deprecatus est suam passionem & mortem metu ejusdem. Illorum enim passio & mors fuit, corporis tantum & inflicta ab hominibus: Deinde habuerunt auxilii Dei in animis ipsorum confirmationem: contra verò passio Christi non fuit simplex, sed duplex; externa quidem ab hostibus: & interna dolorum inferni, quos Deus pro omnium nostrorum peccatis ipsi imposuit, Esa. 53. Deinde in ea passione ab auxilio Dei non fuit confirmatus, sed desertus, donec pro nobis patiendo satisfecisset, ut nos ad Deum adduceret, 1. Petr. 3. v. 18. Ideoque Christi passionis metus fortitudini illius debitæ non adversatur. Sed altera difficultas obtenditur, quod pietati Christi repugnet. Cum enim propterea natus esset, & novi fœderis Mediator datus, ut morte intercedente nos redimeret, Hebr. 9. v. 15. Idcircò officium ejus erat, ut mortem lubenter subiret: idque antea testatus est, Matt. 16. v. 21. oportere se multa pati, & occidi. Idemque postea cum caperetur à militibus, Petrum iis obsistentem increpans, confirmavit his verbis, *Annon bibam poculum istud quod Pater mihi dedit?* Quare hæc passionis & mortis deprecatio pietati seu debitæ Deo obedientiæ repugnavit. Verum negatur consequentia: quia debita à Christo obedientia constabat amore Dei & sui ac proximi: utrumque autem rectissimè pro diversi objecti respectu ac consideratione, in hac deprecatione exercuit. Nam quatenus Christus, mente sua considerabat horrendos illos cruciatus, quos partim jam præsentes anxiè sentiebat: partim imminentes prævidebat: eos ex amore sui ipsius recto (utpote à Deo naturæ insito, & secundâ legis tabulâ præcepto) tanquam naturali suo bono adversos, jure meritoque aversabatur. Amorem vero Dei, in modo deprecationis demonstravit. Nec enim absolutè cruciatus illos transire desideravit; sed relatè ad naturæ bonum, & cum conditione voluntatis divinæ: ideoque amorem sui, amori Dei, tanquam primo ac maximo mandato, servans rectum ordinem, subjecit. Nec enim ait simpliciter, & absolutè, *Pater transeat à me poculum hoc*: sed, *si possibile est*, nempè per tuam voluntatem: ut Lucas exponit; *Pater si vis.* Possibile enim est aliquid vel re, vel jure. Re; cum illa operandi potentiam non excedit: jure, cum ei consentit. Sic Galatis re quidem ipsâ possibile erat, ut oculos suos erutos Paulo darent; Sed jure non erat possibile: quia legis Dei jus repugnabat, Gal. 4. v. 15. Sic possibile erat Deo (si rem spectemus & cum ea divinas vires) passionis poculum à Christo auferre: quia ad id præstandum vires aderant: unde Christus ait, Matt. 26. v 53. *Annon putas me posse nunc precari Patrem meum, & sistet mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Sed tamen jure constantis æternæ Dei voluntatis, & veritatis prophetiæ ipsius, non erat possibile: ut Christus ibidem proximè v. 54. subjicit, *quomodo ergo implerentur Scripturæ, quod sic oporteat fieri?* Nam Deus seipsum abnegare non potest, 2. Tim. 2. v. 13. Ideoque nec immutabile voluntatis decretum mutare: nec veritatem verbi prophetici violare: quia immutabilis est, Jac. 1. & ἀψευδὴς mentiri nescius, Tit. 1. v. 2. Eaque impotentia, vera potentia est: mendacio, & mutationi non posse esse obnoxium. Sed difficultas sese offert, quæ ex narratione Marci promanat, unde videtur Christus absolutè passionem simpliciterque declinasse. Nam propositio illius est, Marc. 14. v. 35. *Precatus est, ut si possibile esset, transiret ab ipso illa hora*, hoc est, poculum passionis. Assumptio verò v. 36. *& dixit, omnia* (ideoque & horæ hujus ac poculi translatio) *tibi sunt possibilia.* Conclusio denique subditur: *transfer à me hoc poculum.* Sed negatur hanc syllogismi constructionem extare. Nam v. 35. continentur verba Marci, quibus sequentis precationis Christi, v. 36. sensum indicat: sed v. 36. Christi verba recenset: quæ rationem petitionis & petitionem continent. Ratio præmissa est, omnia tibi possibilia sunt, scil. si velis (ut Marc. 1. v. 40. dicitur, *si vis, potes me servare*) atque eo sensu hoc loco, *si possibile est*, scil. per tuam voluntatem, & ut Lucas exponit, *si vis.* Nam ut transferretur poculum, requirebatur non sola Dei potentia, sed etiam operum potentiæ directrix voluntas; quæ quidem potentiæ vires non imminuit, sed modum operandi definit. Verum rursus objicitur. Esto, non pugnet hæc Christi deprecatio, cum pietate atque obedientia Deo debita: sapientiæ tamen adversatur. Petit enim à Deo sub conditione voluntatis illius, quod tamen per Dei voluntatem ac decretum possibile non esse optimè sciebat atque prædixerat: ideo frustra atque insipienter petit Sed negatur consequentia: Etsi enim voluntatem Dei optimè sciret: memoria tamen illius divinitus est obscurata, partim immisso præsenti dolore: partim objecta imminentis passionis horrendæ cogitatione, quæ animam Christi turbavit, (ut antea etiam professus fuerat, Johan. 12. v. 27.) & memoriam ad breve momentum sine vitio tamen avertit: quia pars ea fuit perpessionis Christi pro nobis: & statim definitæ voluntatis Dei de passione recordatione, ab ea petitione destitit, & in illa voluntate Dei objecta animo acquievit: ut altera precationis hujus pars, nempe approbatio demonstrat: cum ait, *veruntamen non ut ego volo, sed ut tu*, & ut Lucas cap. 22. expressius ponit: *Pater si vis transfer à me hoc poculum: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Idque etiam ex repetitione hujus approbationis, in secunda precatione & tertia apparet, Matth. 26. v. 42. cum 44. *Rursus*, inquit, *secundò abiit, & precatus est, Pater mi, si non potest* (nempè jure, seu per tuam voluntatem) *hoc poculum transire à me, quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.* Atque hac ratione apparet Christi deprecationem de poculo transferendo nec constantiæ debitæ, nec pietatis, nec sapientiæ officio repugnasse. Atque hactenus de tota Christi precatione.

Difficultatis ex Matth. 27. v. 9. & 10. Examen.

Dignus est, citra omnem controversiam, vindice nodus in verbis Matth. 27. v. 9. *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem; Et acceperunt triginta argenteos pretium illius æstimati, qui æstimatus est à filiis Israël, & dederunt eos pro agro figuli, sicut constituit mihi Dominus.* In cujus dicti explicatione admiranda varietate interpretes, cum prisci, tum novi certarunt. Duplex enim est quæstio; una de citato Jeremia Propheta: altera de recta prophetiæ sententia. Prima enim fronte in utroque impegisse videtur Matthæus Euangelista.

De Prima Quæstione, An rectè Jeremias Propheta hic citetur.

Occasio hujus quæstionis est ea difficultas, quod in Jeremia Propheta (cujus hic meminit Euangelista) nullibi hæc prophetia invenitur, sed apud Zachariam. Nam quod de agro à Jeremia jussu Dei empto cap. 32. traditur, citra omne dubium omninò ab hac re, quæ à Matth. narratur, alienum est: ac propterea in citatione illius error videtur manifestus. Quem nodum ut expediant interpretes, quidam excusatione; alii negatione utuntur. Excusatio autem adfertur duplex inprimis: Quidam errorem Euangelistæ esse posse agnoscunt: veruntamen non animi, sed memoriæ lapsu. Quemadmodum Erasmus ait in annotat. ad hunc locum: *Cæterum*, inquit, *etiamsi fuisset in nomine duntaxat memoriæ lapsus, non opinor quenquam adeo morosum esse oportere, ut ob eam causam totius Scripturæ Sanctæ labascat authoritas.* Verum ista excusatio principio Theologiæ repugnat αὐτὸς ἔφα, *sic ait Dominus.* Quippe tota Scriptura divinitus inspirata, 2. Timot. 3. ideoque morositas non est, sed pietas, si quis in scribendo Apostolum nullo modo errasse asserat: cum Ecclesia superstructa sit super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, Ephes. 2. v. 20. Ideoque hic etiam apparet, alienum magis esse quod Aug. de consensu Euangelistarum lib. 3. cap. 7. ait, *Quid ergo intelligendum est, nisi hoc factum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Euangelistarum sunt gubernatæ. Potuit enim fieri ut*

animo

animo Matthæi Euangelium conſcribentis pro Zacharia, Jeremias occurrerit: ut fieri ſolet quod tamen ſine ulla dubitatione emendaret ſaltem ab aliis monitus, qui ipſo adhuc in carne vivente, hoc legere potuerunt, niſi cogitaret recordationi ſuæ, quæ Spiritu Sancto regebatur, non fruſtra occurriſſe aliud pro alio, nomen Prophetæ, niſi quia ita Dominus hoc ſcribi conſtituit. Ratio autem quam adfert Auguſtinus aliena eſt, quod ob Prophetarum unum Spiritum & conſenſum, quæ ab uno dicta, ſingulis tribui poſſint. Sic enim ait: *Cum igitur, & quæ dicta ſunt per Jeremiam, tam ſunt Zachariæ, quam Jeremiæ: & quæ dicta ſunt per Zachariam, tam ſunt Jeremiæ, quam Zachariæ; quid opus erat, ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio ſibi nomen occurrens à ſe ſcriptum relegiſſet.* Quam excuſationem commentus eſt Auguſt. quia antea in eodem opere de conſenſ. Euangeliſt. lib. 2. cap. 12. aſſeruerat, *omnem falſitatem abeſſe ab Euangeliſtis, non ſolum eam quæ mentiendo promitur, ſed etiam obliviſcendo.* Sed quam aliena ſit ab omni uſu Scripturæ hæc excuſatio, per ſe patet, nam alioqui promiſcuè, & alibi eadem adhiberi potuiſſet ratio. Quare alii interpretes non Euangeliſtæ, ſed librariorum ſeu deſcribentium errorem ſtatuunt; vel quod nimis raptim deſcribentes Jeremiæ prophetiam, hoc dictum negligenter omiſerint: vel eſſe in Euangelio, negligentius ab aliquo deſcripto, σφάλμα γραφικὸν, ſeu deſcriptionis lapſum; & pro Zacharia Jeremiam eſſe poſitum. Quos duos modos *ſolutionis* hujus nodi proponit Euſeb. Cæſarienſ. Epiſcopus de demonſtratione Euangelica lib. 10. deſtratione 7. edit. Græc. edit verò Latinæ 4. Nam quod in annot. ad hunc locum, Beza Euſebium ait cenſere cum Auguſt. eſſe ἁμάρτημα μνημονικὸν: in eo ipſo ἁμάρτημα μνημονικὸν, bona cum venia dictum ſit, commiſit, ut verba Euſebii evincunt. Priorem autem Euſebii ſolutionem non immerito ab aliis neglectam apparet. Neminem enim invenio qui vitium in Jeremiæ codice negligentia commiſſum ſtatuat; neque cauſa juſta ſubeſt. Alteram verò non pauci adducunt, ut ante Euſeb. Origenes in Matth. cap. 27. eam etiam producit, & Auguſt. cum ait de conſenſ. Euangeliſtarum lib. 3. cap. 7. *ſi quis autem movetur, quod hoc teſtimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ Prophetæ, & ideo putat fidei Euangeliſtarum aliquid derogandum: Primò noverit, non omnes codices Euangeliſtarum habere, quod per Jeremiam Prophetam dictum ſit, ſed per Prophetam. Poſſemus ergò dicere his potius codicibus eſſe credendum, qui Ieremiæ nomen non habent; dictum eſt enim hoc per Prophetam, ſed Zachariam, unde putatur codices eſſe mendoſos, qui habent nomen Ieremiæ: quia vel Zachariæ habere debebant; vel nullius; ſicut quidam; ſed tantum per Prophetam dicentem, qui utique intelligitur Zacharias.* Hoc autem ut probabile ponit, etſi aliud ipſi, ut oſtendimus modo, placuerit. Placet tamen non paucis Theologis magni nominis: ſicut Calvino, hoc loco; cum ait, *Quomodo Ieremiæ nomen obrepſerit me neſcire fateor, nec anxiè laboro: Certè Ieremiæ nomen errore poſitum eſſe pro Zacharia, res ipſa oſtendit.* Et Wolf. Muſc. ait; *Apparet pro Zacharia poſitum Ieremiam à Scriba forte, qui putaverit Euangeliſtam de Ieremia ſentire, qui agri emti mentionem facit* cap. 32. *Nam gloſſa ordinaria admonet in pleriſque codicibus Latinis non haberi Ieremiam, ſed ſimpliciter, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem.* Sic etiam Beza arbitratur alicujus imperitia, olim Jeremiæ nomen adſcriptum, cum Euangeliſta, ut alibi ſæpe, ita etiam hoc loco, tantùm ſcripſiſſet διὰ τοῦ προφήτου. In qua conjunctura ſe eo quoque confirmari ait, quod in Syriaca verſione vetuſtiſſima, non aſcribatur ullius Prophetæ nomen; & tamen ſecundam addit conjecturam, quod in literarum compendiis facilè potuit ζου in ιου mutari. Quam conjecturam clariſſ. Piſcator, & alii non pauci ſequuntur. Veruntamen quemadmodum hanc, Scribarum culpâ, mutationem nominis, ut probabilem initio Aug. propoſuit: ut antea oſtendimus prolatis illius verbis: ſic eam tamen non ſequitur, certaſque rationes adducit, cum ait; *ſed utatur iſta defenſione cui placet, mihi autem cur non placeat hæc cauſa eſt; quia & plures codices* (Latinos intelligit) *habent Jeremiæ nomen: & qui diligentius in Græcis exemplaribus Euangelium conſiderarunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhibent inveniſſe, & nulla fuit cauſa cur adderetur nomen, ut mendoſius fieret. Cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit itaque cauſa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæſtione, quod hoc teſtimonium apud Jeremiam non inveniretur.* Hæc Auguſt. de conſ. Euangeliſt. lib. 3. cap. 7. Ac ſanè cum Origenes antiquiſſimus author, in hujus nodi ſolutione comment. in Matth. cap. 27. nullius variæ lectionis faciat mentionem, quâ alioqui potuiſſent commodè uti: an ulla tum fuerit codicum diverſitas in Prophetæ nomine, dubitari poteſt. Quare alii nulla excuſatione, ſive memoriæ Matthæi; ſive Scribarum imperitiæ, uſi, genuinam ac veram eſſe nominis Jeremiæ lectionem arbitrantur: ſed bifariam. Quidam enim Jeremiam eundem, cujus extat ſub eo nomine Prophetia (quamvis in ea non reperiantur hæc verba) intelligi opinantur: ſed in ſcripto apocrypho fuiſſe conſervata: quod plura dixerit, quam ſcripſerit. Idque primùm conjicit Orig. ad hunc locum, cum ait: *ſuſpicor aut errorem eſſe Scripturæ* (hoc eſt, deſcriptionis, quod Euſeb. ut antè oſtendimus, Scribæ σφάλμα γραφικὸν vocat) *aut eſſe aliquam ſecretam Jeremiæ Scripturam, in qua ſcribitur.* Et poſt nonnulla ſubjicit: *ſi autem hæc dicens aliquis exiſtimat ſe offendere, videat ne alicubi in ſecretis Ieremiæ hoc prophetatur. ſciens quoniam Apoſtolus ſcripturas quaſdam ſecretorum profert, ſicut dicit alicubi* (ſcilicet 1. Cor. 2. v. 9.) *quod oculus non vidit, nec auris audivit; In nullo enim regulari libro hoc poſitum invenitur niſi in ſecretis Eliæ Prophetæ. Item quod ait ſicut Iohannes & Mambres reſtiterunt Moſi* (ſcilicet 2. Tim. 3. v. 8.) *non invenitur in publicis Scripturis, ſed in libro ſecretorum, qui ſupraſcribitur Iannes & Mambres. unde auſi ſunt quidam Epiſtolam ad Timoth. repellere, quaſi habentem in ſe textum alicujus ſecreti: ſed non potuerunt, primam autem Epiſtolam ad Corinth. propter hoc aliquem refutaſſe quaſi adulterinam, ad aures noſtras non pervenit.* Hæc Orig. ubi obiter obſervandum, Latinum interpretem pro *Apocrypho* ſæpius *ſecretum* obſcurius vertiſſe, deinde quod verba illa 1. Cor. 2. v. 9. in nullo libro regulari, hoc eſt, Canonico inveniri ait, non rectè aſſeritur. Quamvis enim in editione LXX, interpretum non ita appareat (id quod Originem movit) extat tamen Eſai. 64. v. 4. Hebraicè: ut Hieron. Tom. 2. de optimo genere interpretandi, ad Pammachium, rectè obſervans ait: *ſed ſicut Scriptum eſt, quod oculus non vidit, &c. ſolent in hoc loco, apocryphorum quædam deliramenta ſectari, & dicere, quod de apocalypſi Eliæ teſtimonium ſumtum ſit, cum in Eſaja juxta Hebraicum ita legatur.* Cæterum conjecturam Orig. de apocrypho Ieremiæ firmat Hiero. cum ait in Matth. cap. 27. *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ ſectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ apocryphum; in quo hæc ad verbum ſcripta reperi.* Alii verò in eo conſentiunt, ab Euangeliſta vocem Ieremiæ poſitam, Matth. 27. & quidem ſine ullo memoriæ vitio: quòd ſcilicet hæc à Ieremia ſint dicta: ſed non ab eo cujus ſub Jeremiæ nomine extat prophetia: ſed ab alio, qui ut Eraſmus in annot. conjicit, ac multi ſequuntur, binominis fuerit, Jeremias ſimul, & Zacharias appellatus: in cujus Prophetia quæ hic recitantur, reipſa extant. Nam plurimos olim fuiſſe binomines extra omnem controverſiam eſt. Atque hæc de variis hujus difficultatis ſolutionibus. Reliquum eſt, ut de iis meam quoque ſententiam communicem. Primum igitur probabile videtur, culpâ Scribarum, Ieremiæ nomen pro Zacharia poſitum: ac veriſimilis eſt Clariſſimi Bezæ conjectura, cum errorem accidiſſe ex veteri compendio ſcriptionis, ac pro ζυ, Ιυ, hoc eſt, Zacharia, Jeremia lectum. Atque ita putarim ſalvo meliori judicio, Apoc. 7. v. 6. ſimiliter pro nomine Δάν, Μανασσῆ (quaſi Μάν contractum legerit Scriba) obrepſiſſe: quod primùm ex eo liquere videtur, quod v. 4. dicitur ex omni tribu Iſraël obſignator *mactatos* recenſeri: quod alioqui, tribu Danis omiſſa, non conſtabit. Deinde quod cum v. 7. tribus Joſeph numeretur, illa Manaſſen cum Ephraimo ſimul complectitur, atque inde apparet Manaſſis nomen redundare: præſertim cum intervallo majore ſeparatum à tribu Joſephi hoc loco numeretur. Nam quod Lyranus lib. de Antichr. ait, propterea Danem omiſſum, quod ex ejus tribu Antichriſtus eſſet oriturus, quod Gen. 49. *Dan coluber in via* dicatur, ineptiſſima conjectura eſt, & propoſita argumenta minimè attingit. Secundo loco probabile etiam eſt,

nullum

nullum hic esse apud Matthæum descriptionis errorem; sed vocem Jeremiæ esse genuinam, & quidem vel ut Jeremias, sub cujus nomine extat prophetia, intelligatur: vel Zacharias Propheta. Ac priori modo tollitur objecta difficultas, quod Matthæus dicat impletum esse, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem; non autem quod scriptum est. Ideoque licet in scripta Prophetia non extet: inde tamen non sequitur, ab eodem non fuisse dictum. Plura enim Prophetæ dixerunt, quàm scripserunt. Scripserunt autem ad Ecclesiæ usum perpetuum, quæ Spiritus Sanctus delegit, atque ipsis scribenda inspiravit ac direxit. Quemadmodum Euangelistæ Christi dicta & facta singula scriptis non tradiderunt: sed quæ saluti nostræ sufficerent, Deo inspirante, consignarunt, Joh. 20. v. 30. 31. & 21. v. 25. Sic dictum Christi memorabile, *beatius est dare, quam accipere*, quod à Paulo citatur, Actor. 20. v. 35. illud ab Euangelistis nullibi expressum est; etsi ex similibus colligi queat. Deinde 1. Cor. 15. v. 6. Christum post resurrectionem simul ac semel esse visum plusquam 500. fratribus, & v. 7. quod postea visus sit Jacobo: quorum neutrum tamen ab Euangelistis describitur. Sic in Veteri Testamento quædam à Mose omissa, quæ in Novo tamen recensentur: ut 2. Tim. 3. v. 8. Magorum duorum, qui Mosi in Ægypto restiterunt, nomina Jannes & Jambres: ut Ionathanis dicta paraphrasis Chaldæa Exod. 7. v. 11. eosdem ex traditione nominat: & Plinius histor. naturalis lib 30. cap. 1. cum ait, *Est & alia Magices factio, à Mose & Jamne & Jothape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* In quo ut impiè Mosen Magum statuit: sic imperitè & Magorum patriam & annorum calculum numerat. Si quis objiciat hæc omissa, ad historiam, non autem ad fidei dogma pertinere: ac propterea diversam esse rationem; Responderi potest, quæ hic narrantur à Matthæo, ad historiam quoque pertinere: neque fidei dogma constituere, sed tamen ad circumstantiam proditionis Christi pertinere. Deinde illustris illa Enochi, septimi ab Adamo, Prophetia, epistolæ Iudæ v. 14 ad fidei articulum de ultimo judicio pertinens; nullibi tamen in Veteri Testamento traditur: sed ut sententiam traditione longa propagatam, & Apocrypho Henochi libro, ut veteres indicant, insertam ac vulgo notam, Spiritus S. Apostolo Iudæ inspiravit, & ea ratione à falsis traditionibus secernendo, sanctificavit. Quod idem in hoc Testimonio Ieremiæ Prophetæ accidere potuit, ut quod traditione acceptum, libroque Hebræo apocrypho insertum, atque ita, ut vulgo non ignotum: per eundem Spiritum Matthæo dictatum, atque ut verum ad Ecclesiæ ædificationem declaratum sit. Quo etiam quidam referunt locum Matth. 2. v. 23. *Nazaræus vocabitur*; qui ut existimant, nullibi extet in scriptis Prophetarum; Sed contrarium aliàs explicuimus Atque hæc, servata voce Ieremiæ, sententia prior verisimilis. Posterior verò (quæ etiam ordine tertia est) est, quæ statuit Zachariam Prophetam fuisse binominem, atque etiam Ieremiam dictum. Eamque expositionem tanquam simplicissimam & minimis difficultatibus obnoxiam, lubenter amplectimur. Nam licet Zachariæ alterum nomen, nempe Ieremiæ, in Veteri Testamento nullibi ei tribuatur; inde tamen non sequitur, eò caruisse, aut vulgo etiam id non fuisse traditione notum, & à Spiritu Sancto, hoc loco, libero delectu nominis positum. Neque homonymia (quasi erroris periculum esset) hic objici potest: quia verba Ieremiæ hic attributa, cum sint non ex altero Ieremia, sed ex Zacharia desumpta, eundem satis indicant, & ab altero Ieremia Propheta citra erroris periculum distinguunt. Quemadmodum idem ex aliis similibus ac perspicuis exemplis constat, in quibus pro nomine uno in Veteri Testamento posito, alterum ibidem omissum, pro arbitrio Spiritus S. in Euangelio est positum: ut binomines fuisse ex circumstantiis appareat. Primum illustre exemplum est Matt. 23. vers. 35. ubi Zachariæ occisi Pater vocatur Barachias, qui tamen non eo, sed altero tantùm nomine, Iojada in Veteri Testamento, 2. Chron 24. v. 21. nominatur; de quo intelligendum esse alterum nomen Barachiæ, propria illius circumstantia evincit, nempe Filii Zachariæ cædes inter templum & altare; ut in Chronicis traditur, & à Matthæo demonstratur. Alterum exemplum non minus perspicuum extat, Marc. 2. v. 26. ubi idem sacerdos vocatur Abiathar (filio suo Abiathari cognominis) qui 1. Sam. 21. v. 2. & seqq. tantùm vocatur Achimelech, ut ejusdem omnino proprii facti, in Marco & Samuele, historia, nempe panis sacri, Davidi ab ipso porrectio, certò evincit. Atque ita nihil etiam absonum est, si Sp. S. similiter è duobus Zachariæ Prophetæ nominibus, alterum Ieremiæ pro suo arbitrio delegerit (ut Matt. 23. & Marc. 2.) & adjuncta Prophetia propria Zachariam intelligi ac binominem fuisse, hoc nomine indicet. Atque hac ratione, satis clarè, primam hujus loci, de nomine Ieremiæ Prophetæ difficultatem, expeditam arbitramur; scil. quod Zacharias Propheta designetur: Superest ut alteram de Prophetiæ & Matthæi convenientia expendamus.

De secunda Quæstione, an Zachariæ Prophetia à Matthæo rectè citetur.

PRophetia autem extat Zachar. 11. v. 12. 13. hoc modo: *& dixeram illis, si bonum videtur in oculis vestris, datè mercedem meam; si non, desistite: & appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Dixit autem Iehova mihi, projice eos ad figulum, magnificentia pretii* (id est, *magnificum pretium*) *quo æstimatus sum ab illis: & accepi triginta illos argenteos, & projeci eos in Domo Jehovæ, ad figulum.* Matthæi verò verba quæ ille Prohetæ ascribit, hæc sunt: ἔλαβον, *& accepi triginta argenteos, pretium æstimati, quem æstimaverunt, à filiis Israël, & dederunt eos ad agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Hæc Zacharias & Matthæus Quæ inter se collata, primo intuitu scrupulum non exiguum lectori movent, quomodo scilicet inter se consentiant: id quod Hieron. quoque Comment. in Matth. 27. observavit, cum ait: *Hoc testimonium in Jeremia non invenitur, in Zacharia verò,* (qui penè ultimus est 12. Prophetarum) *quædam similitudo fertur: & quanquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo & verba diversa sunt.* Unde ita objicitur; qui verba diversa & diverso ordine proponens Prophetiam citat, ille non fideliter eam citat. Atqui Euangelista Matthæus hoc facit. Ergo non fideliter. Sed negatur propositio: quia citatio non solum Prophetiæ, sed etiam cujusvis sententiæ, aut narrationis fidelis esse potest duobus modis: unus est ratione rei & circumstantiæ expressæ: alter ratione rei ac sensus tantum, quæ non minus fidelis est, quam prior: quando scilicet in citatione non additur totidem verbis, & ordine eodem, hæc prædicta: quemadmodum hoc loco Euangelista ait, *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam:* non autem ait, quod dictum est totidem verbis & eodem ordine; hoc enim non spectavit, nec spectare necesse erat; sufficit enim ei sensum seu summam rei, (ut sæpe fieri solet) fideliter referre; id quod etiam fideliter præstitit. Nam primùm ait: *accepi triginta argenteos,* quod idem est cum eo quod Propheta dixit, *appenderunt mihi triginta argenteos,* & ut post ait *pretium.* Si quis objiciat à Matthæo dici, *acceperunt,* non autem *accepi*; respondemus (ut doctè Dominus Piscator observat) ἔλαβον ambiguè dici, & tam posse verti in singulari accepi, quam in plurali acceperunt. Idem quod Matthæus ait; *pretium æstimati quem æstimaverunt,* convenit cum Prophetæ verbis ironicis, *magnificum pretium, quo æstimatus sum ab illis.* utrumque enim intelligitur de æstimatione venditi & empti à Judæis Dei Filii patefacti in carne. Verba autem sequentia apud Matth. *à filiis Israel,* durius videntur cohærere cum præcedentibus: sed constructione duplici ab interpretibus difficultas tollitur. una est ut cohæreant cum voce ἔλαβον; atque ita clarior foret interpretatio, si ei conjungeretur in versione latina hoc modo, Et accepi à filiis Israël triginta argenteos, pretium, &c. Altera verò est, ut suo loco manens, cum proximo per ellipsin vocis τινες *quidam* connectatur: quem æstimaverunt quidam è filiis Israel: quemadmodum Clarissimo Bezæ placet. utrumque autem probabile est, & Propheticæ sententiæ consentaneum: sed secunda hæc constructio, verba prophetæ magis sequitur, *æstimatus sum ab illis* nempe Israëlitis: quod idem est passivè cum

vè cum activa oratione Matthæi, *æstimaverunt me quidam è filiis Israël.* Atque hæc de cohærentia versus noni Matthæi. Versus autem decimus est: *& dederunt eos ad agrum figuli;* pro quibus Propheta habet, *& projeci eos in domo Jehovæ ad figulum*, eodem sensu. Nam *dederunt*, impersonaliter, Phrasi Hebræis usitata, pro datus est, ponitur, ut Luc. 12. v. 20. *auferent animam tuam*, id est, auferetur, & alibi. A Propheta enim projectum pretium in templo: & datum deinde ad figulum, ut eo pretio accepto, agrum traderet. Quem sensum confirmant verba sequentia, *sicut constituit mihi Dominus.* Nam ea conveniunt cum Dei mandato, quo illud Prophetæ statuit faciendum, cum ait, *projice eos* (argenteos scilicet) *ad figulum*, id est in templo ad figulum, quemadmodum factum Prophetæ, quo Deo obtemperavit, consequens exponit. Quidam tamen putant, non legendum apud Matth. ἔδωκαν id est, *dederunt*, sed ἔδωκα *dedi;* quod ita legerit Syrus interpres: & aptius conveniat Prophetæ verbis. Veruntamen quamvis hoc doctè dicatur, antecedens tamen solutio nodum etiam solvit, & præterea consensu omnium Græcorum codicum comprobatur: à quo sine necessitate, ad lectionem corrigendam non est recedendum. Cæterum reliqua est primaria difficultas, quomodo historia Matthæi de triginta argenteis acceptis conveniat cum Prophetæ verbis: inprimis quod Zacharias narrat, se à Deo accepisse triginta argenteos, & in templo jecisse ad figulum. Atqui Matthæus narrat, id factum à Juda venditore Christi, & non ipsum ad emendum figuli agrum hoc fecisse, sed id consecutum per sacerdotes hypocritas ac superstitiosos. Verum solutio ab interpretibus commoda affertur; id quod tandem futurum erat Filio Dei in carne patefacto, non expressis omnibus circumstantiis narrari, sed summam rei per typum, ac similitudinem quandam Propheticè adumbrari. Deus enim apud Prophetam comparat se Pastori: quod ut pastor pro cura sua mercedem laboris requirere solet: sic fore ut ipse Filius Dei, homo factus, pro impensa sua opera (qua Judæos, verbi sui prædicatione, fideliter pavisset) quasi mercedem ac fructum laboris, resipiscentiam ac fidem reposceret: (ut in parabola vineæ, Matth. 21.) ipsos verò contra ingratos, odio acerbissimo, mercedis loco appensuros adversario ipsius Judæ proditori argenteos triginta. Deinde Judæ proditoris, factum, quo argenteos desperante pœnitentia relatos in templo projecit: eo non fine, sed eventu, ut ad agrum figuli, pro eo emendo, deferrentur: illud per simile Prophetæ factum, fuit adumbratum. Neque enim necesse est, ut in hoc typo aut aliis singula minutatim conveniant: sed tantum ut summa capita, quæ divinitùs intenta ac proposita. Neque tales typi Prophetici sunt insolentes; qui vel extra visionem, vel in visione aliqua de rebus futuris contingunt. Ut in hoc ipso capite Propheta vers. 15. ostendit his verbis: *Tandem dixit mihi Jehova; sume tibi instrumentum pastoris stulti:* id quod typus fuit futuræ tandem stultæ gubernationis Judææ, ut rectè Clariss. Junius ibidem exponit, & versus ipse 16. sequens ostendit. Sic apud Ezechielem complures Prophetici rerum futurarum typi cap. 3. v. 1. de esu voluminis, & cap. 4. de urbis Hierusalem obsidione; & v. 4. 5. & 6. de cubatione in latus sinistrum trecentis nonaginta diebus, & in dextrum 40. multaque alia ejus generis recensentur. Sic etiam Hose. 1. v. 2. & seqq. jubetur Propheta à Deo, ut assumat uxorem scortationum, & natos scortationum, cum omninò scortetur hæc terra aversata Jehovam: Deinde Prophetam hoc fecisse, & ordine ternos liberos ita procreasse, ac nomina rem futuram Judæis designantia iis indidisse: id quod non propriè factum, quia justitiæ Dei repugnabat: sed in visione Prophetica populi scelera sunt adumbrata. Sic etiam hoc in loco typo quodam, ac parabola Prophetica, id quod in venditione & emtione Christi erat futurum, ratione pretii triginta argenteorum, & usus illius pretii, fuit significatum: & summam rei è Propheta Matthæus fideliter retulit, etsi neque eodem ordine, neque eodem verborum numero, nec singulis circumstantiis expressis. Ideoque Matthæus eum Prophetæ locum, cùm ait: *Tunc impletum est id, quod dictum erat per Prophetam* fideliter retulit; quia sensum illius summatim rectè expressit, nihilque protulit, quod non typo Prophetico fuerit significatum: quemadmodum ex collatione Matthæi v. 9. & 10. cum Prophetæ verbis atque sententia jam ante probavimus.

Atque hæc strictim, quemadmodum necessitas postulabat, ad hujus etiam secundæ quæstionis solutionem pertinent. Concludimus ergò verè scopum ac sensum Prophetiæ Zachariæ expressum: ut quæ rei futuræ non propriam descriptionem continet; sed impropriam; quod scilicet typo ac Parabola Prophetica actionum Dei, & populi Israëlitici atque Prophetæ, adumbratur id, quod Filio Dei, à populi Judaici primoribus, & Juda similiter erat obventurum. Quemadmodum Joh. 19. v. 33. dicitur: Christi crucifixi crura non fuisse fracta: id quod v. 36. factum dicitur, ut Scriptura impleretur; *illius os non confringes.* Id quod primò atque immediatè de agno Paschali dictum Exod. 12. Verùm nihilominus etiam de Christo, mediatè per agnum Paschalem (tanquam typum Propheticum, 1. Cor. 5. v. 7.) adumbrato, prædictum: adeò ut illorum verborum Exodi sensus sit bimembris: primum enim membrum est, agni propriè dicti Paschalis os non frangendum; alterum est, nec Christi eo agno adumbrati. Causa autem cur agni Paschalis os vetitum sit fangi, non alia fuit, quàm ut ea re integritas crurum Christi, divinitùs destinata, hac similitudine ac typo significaretur. Unde etiam videmus in hujusmodi typis esse convenientiam partim similitudinis, partim generis: similitudinis, ut agni Paschalis propriè sic dicti, & Christi agni metaph. generis verò, ut adjunctæ occisionis, sine crurifragio, utrimque communis Sic etiam Deus Pater, Christi; & Propheta Jeremias, Judæ fuit typus, partim similitudine quadam acceptę pecuniæ; partim projectione ejus in templo actione conveniente. Atque hactenus de difficultatis Matth. 27. v. 9. 10. Examine, Reliquum est ut quędam è capite ultimo discutiamus.

Vindicatio genuinæ Sententiæ Matth. 28. Ac primum de modo Exitus Christi è sepulchro.

Christum à mortuis resurrexisse & è sepulchro exiisse caret controversia: sed quia modus exeundi non est expressus, de eo quęritur an sepulchro omninò clauso atque obsignato permanente, per illud corpore suo penetrarit, necne. Prius enim contendunt Ubiquitarii: idque probari asserunt, primùm rerum serie, quod nulla hic fiat mentio modi resurrectionis, sed tantum suscitati Christi: atque ad factam jam resurrectionem è sepulchro probandam, Angelum removisse lapidem ab ostio monumenti v. 2. & 6. Deinde à facto simili: nam Joh. 20. v. 19. per clausas fores corpore suo repente penetravit in conclave, & discipulis apparuit. Contra verò Orthodoxi hanc corporis Christi per clausum sepulchrum & obsignatum penetrationem meritò negant: quia talis penetratio dimensionum, corpori verè naturali ac solido omninò repugnat: deinde è nullo Sacræ Scripturę loco probatur. Nam historię resurrectionis series, (ut falsò obtendunt) hoc non demonstrat: quia exitus è sepulchro modi alii, naturę corporis integritate servata, esse possunt, quam per naturę solidi corporis repugnantem dimensionum penetrationem. Primus enim est, quod perquam probabile, per Angelum id esse factum, ut v. 2. dicitur: *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini cum descendisset de cœlo, & accessisset, devolvit lapidem ab ostio.* Sed objicit Ægid. Hun. (ut etiam Lucas Osiander in Bibliis ad hunc locum recitat) non eo fine lapidem ab Angelo revolutum, ut resurgere posset Christus: sed hoc duntaxat consilio, ut vacuum sepulchrum ostendi posset: Et ratio, quam adducit, hæc est, quod in hac resurrectione declaratus fuerit Filius Dei cum potentia Rom. 1. Sed negatur Consequentia. Nam resurrectio Christi, de qua Paulus agit, est vivificatio illius: quam vi suâ divinâ effecit, ut Joh. 10. v. 17. & 18. eâque ipsum Filium Dei esse demonstravit: exitus verò è sepulchro est consequens resurrectionis à mortuis: quem efficere potuit primum mediatè, per Angeli ministerium: ut *Angeli potentiæ illius* vocantur, 2. Thess. 1. vers. 7. Ideoque potentiæ Christi Filii Dei minimè

minimè repugnat, si ad dominii sui ac potentiæ declarationem, Angelo cœlesti usus sit, tanquam ministro suo, ad lapidem sepulchri amovendum, Deinde etsi Christus ante amotum ab Angelo sepulchri lapidem redivivus è sepulchro exivisset, quod tamen nullâ ratione probari potest: inde tamen corporis illius per sepulchri clausi lapidem penetratio non necessariò sequeretur: quia potuit Christus divina sua potentia subito lapidem sepulchri (ut ad exitum viam patefaceret) removere, & rursus adhibere, ac sigillum integritati suæ restituere. Cujus rei ab Angelo quoque factæ simile exemplum in historia liberationis Petri & Iohannis è carcere apparet, Actor. 5. vers. 19. Quo in loco narratur, Angelum, aperto carceris ostio, eos eduxisse: & v. 23. Carcerem nihilominus manè conclusum quam tutissimè inventum, & custodes astantes. Quare hoc Vbiquitariorum argumentum omninò infirmum est, & rectè vulgò traditur, Christum è sepulchro, lapide per Angelum remoto, exiisse.

Altera similiter adversariorum ratio nequaquam stringit. Nec enim (ut objicere solent) Iohan. 20. v. 19. asserit, Christum per fores permanentes clausas, suo corpore penetrasse: sed tantùm advenisse, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων *foribus clausis*, sive cum fores jam clausæ essent. Quibus verbis ab Euangelista declaratur tempus ingressus Christi: non autem modus: quasi fores mansissent clausæ, & per eas corpore suo penetrasset. Verba enim hæc sunt; *Et foribus clausis, propter metum Iudæorum, venit Christus, & stetit in medio:* non autem ait per clausas fores venisse: neque illud fuit necessarium. Potuit enim fores divina sea potentia subito aperire, ut Actor. 12. v. 10. Angelo cum Petro procedenti, porta ferrea ultrò aperta, viam in urbem præbuit. Deinde etsi disputandi gratia daretur, manentibus foribus clausis Christum venisse in medium discipulorum: inde tamen non sequeretur, per eas fores solidas corpore suo solido penetrasse, quia alia via esse potuit, nempe ut paries vi divina illius fuerit apertus rursusque conclusus subito, ut minimè animadverteretur, ut de aperto carcere & concluso similiter antea ostendimus. Quare quod Vbiquitarii ex hoc loco velut simili, suam de penetratione lapidis sepulchri sententiam confirmare nituntur, omninò alienum est: quia antecedens eorum est falsa interpetatio, & consequentia quam inde deducunt, etiam infirma.

Vindicatio Genuinæ Sententiæ Dictorum Christi, Matth. 28. v. 18. 19. 20.

ATque hæc ad ilustrationem Matth. 28. vers. 2. & 6. & genuinæ illius de exitu Christi è sepulchro sententiæ, adversus Vbiquitarios vindicationem suffectura speramus: Reliquum est, ut duos præterea eorum errores, de Omnipotentia & Omnipræsentia, humanæ naturæ communicata, confutemus, ac deinde Anabaptistarum contra pędobaptismum argumentum expendamus, ac diluamus. Vtrique enim falsis suis dogmatis patrocinium quærunt, ex Apostolorum ad omnes gentes legatione, quæ Matth. 28. v. 18. 19. 20. describitur. Quæ descriptio duabus constat partibus. Prima est nova institutio ministerii Ecclesiastici apud omnes gentes exercendi. Deinde promissio præsentiæ Christi: ut eo stimulo quasi lubentius ac constantius officium peragerent. Institutio autem ministerii illius describitur à fundamento suo, seu causa efficiente, ac ratione primaria; deinde à ministerii partibus. Causa ac ratio institutionis, tanquam per idoneam prętationem, proponitur à Christo v. 28. *data est mihi omnis* ἐξουσία *potestas in cœlo & in terra*; unde v. 19. officium Apostolorum concludit. De cujus loci genuina sententia disceptatur.

Quæstio est; An ex hoc loco probari possit, Humanam Christi naturam esse omnipotentem.

UBiquitarii hoc affirmant: Orthodoxi verò negant: quod illorum fundamentum sit falsum, & argumentatio ex hoc loco perperam deducatur. Fundamentum quidem falsum est, cum statuunt, quod per unionem personalem communicatæ sint humanę naturæ, proprietates divinæ: ut est omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, &c. ut totidem verbis D. Jacob. Herbrandus in Compendio Theologiæ, loco, de Christo, asserit Hoc enim falsum est: quia proprietas communicari non potest. Nam proprium alicui esse seu soli convenire: & alteri communicari, seu non soli convenire, sunt manifestè repugnantia. Deinde proprietates hæ divinæ sunt infinitæ, & ipsa Dei essentia ex communi omnium Patrum & Orthodoxorum consensu: ideoque humanæ naturæ Christi non sunt communicatæ, quia ea nec infinita est, nec Deus Deinde argumentatio etiam adversariorum, qua ex hoc Matthæi loco errorum suum stabilire conantur omnino vitiosa est Sic enim disserunt; Cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, ei simul data est inhærens omnipotentia, ideoque est omnipotens Atqui humanæ naturæ Christi (ipsomet teste) data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ergò humanæ naturæ Christi simul data est inhærens omnipotentia, ideoque est omnipotens. Verùm negatur hujus Syllogismi & propositio & assumtio. Propositio quidem: primùm, quia nititur falsa hypothesi, quasi, potestas esse non posset sine potentia eam exequendi: cum hæc interdum sint separata, ut exempla illustria demonstrant. David enim Saulo Rege vivo, habuit omnem potestatem necessariam ad regnum, utpote à Deo per Prophetam Rex unctus: & tamen potentiam non habuit ante Sauli Regis obitum, sed tum demum eam est consecutus, nec tamen omnem initio: quia ad tempus, decem tribus Israelitarum Sauli filio paruerunt. Sic etiam humana Christi natura, licet potestate Angelis fuerit superior in statu humiliationis ante mortem: potentiâ tamen fuit inferior, Hebr. 2. v. 9: ut etiam ab Angelis fuit corroborata: quemadmodum traditur Luc. 22. v. 43. & à Dei auxilio ad tempus (ut pro salute nostra pateretur) deserta Matth. 27. v. 46. Sed post resurrectionem, Angelis ei subjectis, ac glorificata, iis facta est superior, Eph. 1. v. 21. 22. Unde etiam patet vanam esse exceptionem, qua Ubiquitarii uti solent: Si potestas data destituatur sua potentia, tum frustra est: hoc enim non consistit. Nam licet frustra esset, si perpetuo sua potentia ad potestatis executionem destitueretur, frustra tamen non est, quæ ad tempus tantum ea caret: quemadmodum Davidis, & humanæ naturæ Christi exemplis modò demonstravimus. Secundò vitiosa etiam est propositio: quia non est universaliter vera. Nam omnis potestas intelligi potest, vel simpliciter & absolutè: quæ prorsus nulli subest, omnia autem sibi habet subjecta: alia verò relatione tantùm, ut quæ potestati alteri subest, & omnibus sibi subditis præest. Ac prior potestas infinita est ac solius Dei propria: cui soli summa in omnia potestas & regnum competit. Posterior verò potestas est subordinata, atque finita: qualis humanæ naturæ convenit, ut quæ potestati divinæ naturæ infinitæ subest atqui inferior existit. Ideoque omnis potestas non absolutè, sed relatè tantum humanæ naturæ convenit. Quocirca licet potentiam habeat glorificatus, ut potestatem suam exequatur; ea tamen omnis finita est, non autem eadem cum omnipotentia divinæ naturæ, quæ infinita est, ac propterea communicari naturæ finitæ non potest; quia Deo propria soli convenit, utpote essentia illius, non accidens, nedum commune. Atque hæc de propositionis vitiis. Assumtio quoque falso laborat testimonio. Nam Christus non ait hoc loco Matthæi, humanæ meæ naturæ data est omnis potestas; sed *mihi*; quæ vox non naturam, sed personam notat, ut Ioh. 8. v. 88. *antequam Abraham esset, ego sum:* unde non sequitur, ergo secundum humanam naturam: Nam hoc apertè falsum est; sed secundum divinam, utpote quæ æterna, omninò verum est. Sed rursus excipiunt hic adversarii: Christo omnis potestas data, aut quà Deus, aut quà homo: non autem quà Deus, potestas ei data. Ergo quà homo. Assumtionem ita probant; qui habet per se omnem potestatem: & per se summum est bonum: nullius indigens: illi omnis potestas dari non potuit. Christus, quà Deus, habet per se omnem potestatem, & per se summum est bonum, idque perfectissimum, nullius indigens. Ergo Christo, quà Deus, omnis potestas dari non potuit. Sed respondemus,

primi Syllogismi propositionem esse vitiosam: quia in ea non est sufficiens enumeratio. Nam disjunctio illa habet medium; omnis potestas Christo data est, aut secundum divinam, aut secundum humanam naturam; medium enim seu tertium est, aut secundum utramque. Nam Christo data est ab æterno omnis potestas absolutè sumta, seu infinita, quatenus est Deus, per generationem æternam, qua Pater, filium generando, eandem singularem divinam essentiam, ac propterea omnem etiam infinitam potestatem ut Deitati propriam communicavit. Quo etiam sensu dicit Joh. 5. v. 26. *Ut Pater habet vitam in seipso, ita etiam Filio dedit vitam habere in seipso.* Deinde eadem potestas Christo, quà filius Dei, in tempore data dici potest, per Metaphoram in similibus Scripturæ locis usitatam, *quando aliquid dicitur fieri, cum incipit patefieri*: ut alicubi monet Augustinus, quomodo nomen Dei sanctificari dicitur, non quod è profano fiat sacrum, sed quod tale patefiat, Mat. 6. v. 9. & sapientia à filiis suis justificari, cùm justa declaratur ibid. c. 11. v. 19. & anima Dominum magnificare, cum magnitudinem illius patefacit, Luc. 1. Sic etiam Joh. 17. v. 5. loquitur Christus: *Glorifica me Pater eâ gloriâ, quam apud te habui, antequam hic mundus esset*: hoc est, eam gloriam quæ carnis assumptę atque afflictæ velo, ad tempus latuit, patefacito. Atque ita patefacta omnis potestas data dici potest, id est, datam esse declarata est: cùm liberatus est ab humili naturæ humanæ statu, & Filius Dei declaratus est potenter, per resurrectionem à mortuis, Roman. 1. v. 4. Humanæ verò naturę, ut antea ostendimus, data est à Deo omnis potestas, non absoluta, atque infinita: sed relata ad creaturas, ac finita: quod scil. cœli, terræque, Angelorum & hominum Dominus sit constitutus. Itaque potestas Christo data bifariam, primum propriè seu ratione actionis: Deinde impropriè ac metaphoricè ratione patefactionis illius. Propriè enim inde à nativitate data est illi ea omnis potestas, quia Christus seu unctus à Deo Patre in Regem, ac Dominum est evectus, Psalm. 2. v. 1. 2. Actor. 4. v. 26. 27. Metaphoricè verò per similitudinem data est patefactione: quia latens illius potestas, ac dominium in cœlo & in terra, resurrectione ac glorificatione declarata est. Quo sensu etiam dicitur, Jesus crucifixus à Deo factus Dominus & Christus Actor. 2. v. 36. non propria actione; nam talis erat ab initio, Luc. 2. v. 11. 26. sed impropriè seu patefactione, cum suscitatus est à mortuis, & amplius cum postea ascendit in cœlum, ac sedit ad dextram Dei, & Spiritu Sancto misso; & collectione Ecclesię ex omnibus gentibus omnis illius potestas magis magisque patefacta est. Quare inde etiam prosyllogismi adversariorum propositionem falsam esse apparet. Nam quamvis Filio Dei genito dari non potuit propriè omnis infinita potestas; quia genitus eam habet; potuit tamen ei dari, ac data est, etiam, generatione æterna, quà Pater Filio suam essentiam divinam ideoque & proprietates essentiales communicavit, ut antè ostendimus. Atque hęc de prima inter Ubiquitarios & nostros ex Matth. 28. v. 18. quęstione.

Secunda Quæstio
Ex vers. 22.

An ex illis Christi verbis, Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, rectè probari possit, Corpus Christi esse ubique?

Lutherus, & asseclæ illius affirmant; Orthodoxi vero merito negant; quia & occasio sententię illorum: & modus probandi sacris literis adversatur. Occasio enim quę eos movit antecedens ac prima, est error (ut vulgo vocant) de consubstantiatione: seu de corporis Christi, in pane & sub pane Cœnę latentis pręsentia. Altera vero consequens, est commentum Ubiquitatis, seu omnipręsentię corporis Christo, quo dum errorem priorem probare conantur, eundem geminant. Ac de priori quidem memorabilis est ipsius Lutheri confessio, Tom. 2. edit. Witt. de captiv. Babyl. pag. 66. his verbis: *Dedit mihi quondam, cum Theologiam Scholasticam haurirem, occasionem cogitandi Dominus Cardinalis Cameracensis lib. sentent.* 4. *acutissimè disputans, multò probabilius esse, & minus superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis, & verum vinum non autem accidentia esse astruerentur; nisi Ecclesia determinasset contrarium: postea videns quæ esset Ecclesia, quæ hoc determinasset, nempe Thomistica, hoc est, Aristotelica, audacior factus sum, & qui inter saxum & sacrum hærebam, tandem meam conscientiam stabilivi, verum panem verumque vinum, in quibus Christi vera caro, verusque sanguis non aliter nec minus sit, quam illi sub accidentibus ponunt.* Hęc ille. Cardinalis autem cujus meminit est Petrus de Aliaco, qui quęstionibus in sententias, lib. 4. quęst. 6. art. 2. ea proponit. De posteriori vero errore idem Lutherus de Eucharistia tom. 7. Sermone, de Sacramento corporis & sanguinis Christi pag. 337. sic ait: *Nam quamquam nusquam non sit Christus, in omnibus etiam creaturis: & ego illum in silice, in igne, in aquis. addo etiam in laqueo invenire possum; sicut certò inest etiam laqueo; citra tamen verbum illic quærendus non est, nec vult ut in flammas, aut in fluctus me ipsum, de scopulo aliquo præcipitem, aut obstructo collo literam longam ex me faciam.* Ex qua corporis Christi ubiquitate (quod vulgo minus videtur observatum) etiam Christianorum ubiquitatem deducit, ibid. pag. 336. *Ego docendum prædico, Christum sedere ad dextram Dei Patris sui dominantem omnibus creaturis, peccato, morti, vitæ, mundo, inferis, & superis, diabolis & Angelis. Hæc ubi credideris jam in corde tuo, Christum habes, ita fit ut tuum cor in cœlo sit, non in speciem, aut per somnium, sed plane veraciter; ubicunque enim locorum ille est, ibi te quoque esse necesse est.* Ut autem hanc ubiquitatem corporis Christi adversarii probent, hanc imprimis Christi promissionem, *Ego sum vobiscum*, urgent: sed modus argumentandi vitiosus hic est. Christus dicit: Ego sum vobiscum omnibus diebus ad consummationem seculi: Ergo Christus secundum utramque naturam nobis est præsens, & per consequens etiam suo corpore: ac propterea illud est ubique. Negatur enim consequentia: quia nititur falsis hypothesibus; quarum prima est in explicatione vocis *ego*: nempè quod quęcunque Christus sibi sub voce *ego* tribuit, ea intelligi debere simpliciter, seu secundum utramque naturam, quod apertè falsum. Nam quamvis nomen *Ego*, ut objectant, sit nomen personę: & tota, hoc est, indivisa persona θεάνθρωπος, divina & humana natura constans, denotetur: inde tamen minimè sequitur, simpliciter, seu secundum utramque naturam esse intelligendum. Nam interdum quidem simpliciter secuudum utramque naturam, pro attributi ratione communi accipitur; ut Johan. 8. vers. 12. *Ego sum lux mundi*, & Actor. 9. vers. 5. *Ego sum Jesus:* Sępius verò secundum quid, ratione alterius tantum naturę, sive divinę, sive humanę intelligitur. Divinę quidem; ut Ioh. 8. v. 58. *Antequam Abraham esset, ego sum:* & 10. v. 30 *Ego & Pater unum sumus*, id, est eadem essentia. Humanæ verò, ut Marc. 10. v. 38. *Potestisne bibere poculum, quod ego bibiturus sum & baptismo baptizari, quo ego baptizor*, Matth. 26. v. 39. *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* Secunda falsa hypothesis est: in expositione phrasis (seu prędicati de subjecto *Ego*) *sum vobiscum*; quasi designaret tantum propriè essentię pręsentiam; cum sępius per metaphoram auxilium designet: quemadmodum Genes. 48. v. 21. *Eritque Deus vobiscum*, & Exod. 10. v. 10. *Ita erit Jehova vobiscum:* & Phil. 4. v. 9. *Deus pacis erit vobiscum.* Quę pręsentiâ non propria essentię est: nam ita citra discrimen, Deus est cum omnibus creaturis, utpote infinitus: sed de pręsentia auxilii, qua Ecclesię peculiariter adest: quemadmodum pręsentis auxilii destitutio, desertio dicitur: quo etiam modo Christus ait; *Deus mi, Deus mi, quid me deseruisti?* Deinde quod secundo, ex consequentia prima, Christus nobiscum est omnibus diebus, ergo secundum utramque naturam, colligunt. Deinde, ergo Christi corpus est ubique: similiter vitiosa est hęc consequentia: quia Christus potest merito secundum utramque naturam dici pręsens. Primùm quia pręsentia essentię alicujus est duplex: immediata: sicut Deus, quia essentia illius est infinita, cœlum & terram implet, Ierem. 23. vers. 24. ac propterea immediatè ubique pręsens, essentia sua nobiscum est, Psalm. 139. v. 8. 9. 10. Actor. 17. v. 27. 28. vel mediata,

mediata, per vinculum aliquod intercedens: quomodo caput præsens est omnibus membris: quia ab eo separatum non est, sed eadem anima & nervis cohærens, unitur. Similiter Christus secundum humanam etiam naturam caput suæ Ecclesiæ, cum ea unum est, Ephes. 5. v. 31. & 32. Unione mystica per eundem Spiritum Sanctum. 1. Cor. 12. v. 20. & 27. qui Spiritus per fidem nos ipsi conjungit. Ideoque licet Christus sit in cœlo suo corpore, nos verò in terra, hoc tamen unionis vinculo conjunctus nobiscum semper est. Deinde ratione præsentiæ auxilii etiam adest nobis, quatenus & suâ apud Patrem intercessione, 1. Johan. 2. vers. 1. semper interpellat pro nobis, Roman. 8. vers. 34. & Hebr. 7. vers. 25. & orat Patrem, ut alium consolatorem det nobis, ut maneat nobiscum in æternum, Spiritum, illum veritatis. Deinde Ecclesiam defendit variis modis: ut cum hostes illius interdum è cœlo prosternit, ut Paulum Actor. 9. vers. 4. & 5. partim Angelorum ministerio curat, ac tuetur, Heb. 1. vers. 14. Actor. 5. vers. 19. & 12. vers. 11. Atque ita Christus est nobiscum suo auxilio, secundum utramque naturam, divina natura faciente quod suum est; nempè Spiritus sui efficacia ministros Euangelii idoneos efficiendo, vocando, consolando, & fidem ac charitatem per regenerationem in auditoribus operando, Ecclesiamque totam adversus tentationes atque insultus Satanæ & mundi defendendo: Deinde humana quoque natura faciente quod suum est, partim intercedendo apud Patrem, pro ministerii & Ecclesiæ per Spiritum Sanctum propagatione, ac defensione; partim eam, ut antè monuimus, variis mediis, finita etiam sua virtute, Angelis & hominibus superiori, confirmando. Nam corporis Christi in his terris immediatam præsentiam, & ubiquitatem non posse hoc loco intelligi, analogia fidei evincit, ut Christi dicta ac facta testantur. Dicta; ut Johan. 11. vers. 15. *Gaudeo propter vos, ut credatis,) quod ibi non fuerim, sed eamus ad eum*; & cap. 12. vers. 8. *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me verò non semper habebitis*: & cap. 14. vers. 3. *Si ivero, parabo vobis locum, & rursus veniam, & assumam vos, ut ubi ego sum, & vos, sitis*: & cap. 16. vers. 28. *Rursus relinquo mundum* (hoc est, terram) *& proficiscor ad Patrem.* Idemque facta declarant, quia cum Christus hisce verbis ministerium Euangelii instituit, & præsentiam suam est pollicitus, è terra per aërem susceptus est in cœlum, & sedit ad dextram Dei, Marc. 16. vers. 19. Nec in terra, sed ibi est in cœlo, Coloss. 3. vers. 1. 2. Atque ibidem manere oportet ad ultimum diem restitutionis omnium, Actor. 3. vers. 21. ac tum demum inde rediturus, Actor. 1. vers. 11. ut etiam articulis fidei continetur. Denique veritati corporis Christi ubiquitas adversatur. Nam cum ad veritatem corporis humani requiratur distinctio membrorum & capitis, (ut caput non sit in calcaneo, sed suo loco; nec calcaneus in capite, sed suo loco) ea prorsus tollitur, si corpus Christi statuatur ubique, & manifestam contradictionem implicat: ut Christi corpus non sit corpus, imo totum Euangelium de Christi corpore evertit. Nam si ex unione hypostatica oritur necessariò ubiquitas Christi corporis, (ut Ubiquitarii contendunt) inde sequitur, id non solum esse conceptum in Mariæ virginis utero, sed etiam (ne quid amplius dicam) in omnium fœminarum utero; imò non natum esse ex Maria virgine, quia nativitas est ex utero in quo erat, in lucem, ubi non erat, productio: quod ubiquitate corporis Christi positâ omninò negatur. Nam quod ubique est, illud è nullo loco egredi, nec in locum ullum pervenire potest: hæc enim sunt repugnantia. Sic omnia humanæ naturæ Christi dicta & facta, non certis tantùm locis, sed omnibus ubique contigissent; nec solum in Judæa fuisset crucifixus, nec in unico ligno, sed in omnibus ubique terrarum, imò cruci affigi (quia loci mutationem requirit) non potuisset: neque etiam à cruce auferri: nec sepulchro inferri ac concludi; neque inde etiam resurgere atque exire; ac falsa esset Angeli oratio: *exivit, non est hic*: nec relicta terra, per aërem nube subvectus ascendere potuisset in cœlum, nec inde redire: quia hæc omnia loci mutationem, seu recessum ab uno loco & accessum ad alium, necessariò notant, quæ ubiquitati repugnant. Nam quod objicere solent, modo naturali seu præsentia locali Christi corpus tantum esse uno in loco: sed modo cœlesti, ac præsentia supernaturali esse ubique seu omnibus in locis, illud contradictionem non tollit, sed confirmat. Fingit enim duos veri corporis propriæ in loco præsentiæ modos contrarios. Nam corpus Christi pro corporis naturalis, & quidem nobis per omnia similis ratione, pro triplici sua dimensione (id est, longitudine, latitudine, & profunditate,) & membrorum vera, ac necessaria, locis diversis positione (ut cerebrum sit in capite, non in corde, nec cor in cerebro) necessariò suo loco circumscribitur. Ideoque idem corpus (ac per consequens, omnia illius membra, atque articulos eorum) omnibus esse in locis, naturæ veri corporis humani, ut quæ distincta est ac finita, clarissimè repugnant. Ac proptere a modus, quem fingunt, supernaturalis ac cœlestis, mera sunt verba ac merum figmentum: quia non solum diversus est à natura, ac supra eam; sed etiam è diametro adversus naturam; quia idem corpus statuit finitum simul, ac circumscriptum suisque membris loci diversitate distinctum, & nihilominus contra infinitum & incircumscriptum, nec suis membris loci diversitate distinctum: adeò ut exempli gratia, cor Christi non solum sit extra cerebrum in corpore medio, sed etiam simul modo cœlesti in cerebro, & singulis corporis membris, quod ubiquitas statuit, ut alia absurda omittamus. Quare ex hisce satis apparet, ex illis Christi verbis: *Ego sum vobiscum usque &c.* non posse rectè concludi, corpus Christi esse ubique; sed contra, illud ab hac sententia alienum, & simul analogiæ Scripturæ, & corporis veritati repugnare. Reliquum est, ut genuinam v. 19. sententiam, adversus Anabaptistarum perversionem vindicemus.

Quæstio est,

An infantum Baptismus ex hisce verbis queat confutari?

UBi primùm extra controversiam est, infantes non Christianorum, Turcarum, Judæorum, aliorumque à professione Christi alienorum, non esse baptizandos: quod à fœdere Dei sint alieni: sed de baptismo infantum ex Christianis parentibus natorum quæstio est, an is ex hac Christi sententia queat confutari. Anabaptistæ quidem hoc statuunt, & pertinaciter propugnant: Contra verò Orthodoxi rectè hoc pernegant, & ad examen argumentationis illorum provocant. Ea autem hæc est; qui doceri non possunt, illi non sunt baptizandi: Ratio, quia doctrina præcedere debet baptismum, teste Christo, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Atqui infantes doceri non possunt, ob intellectus immaturi imbecillitatem: adeò ut ne discrimen quidem dexteræ & sinistræ suæ norint, Jon. 4. vers. 11. Ergò infantes non sunt baptizandi, ubi constructio, obiter observanda. Nam vox ἔθνη, *gentes*, est neutri generis, & pronomen αὐτοὺς *eos* masculini: quia est, ut vocant σύνθεσιν, qua vocis synonymæ genus attribuitur, ut hoc in loco vocis λαοῖς. Qualis constructio est Matth. 21. vers. 28. τέκνον neutro genere, cum quo v. 29. ὁ masculino genere jungitur, & Galat. 4. vers. 19. τεκνία μου οὓς πάλιν ὠδίνω, ubi constructio refertur ad vocem synonymam παῖδας. Respondetur autem negatione propositionis bifariam: Primum quia probatione è Scriptura sacra distituitur: Christus enim non ait, *docete*, sed μαθητεύσατε, hoc est; *Discipulos facite*: ut à quibusdam eruditis interpretibus observatum. Et sane ea voce hoc notari, inductione locorum Scripturæ, ubi ponitur, non minus quam etymo vocis constat: ut Matth. 27. vers. 57. ὃς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ id est, ὢν μαθητὴς τοῦ Ἰησοῦ, *erat discipulus Christi*, ut Johannes, cap. 19. v. 38. De eodem Josepho Arimathæensi exponit. Deinde, Actor. 14. vers. 21. εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην καὶ μαθητεύσαντες ἱκανούς, *cum euangelizassent illi urbi, & discipulos fecissent multos.* Nam quod interpretes, vulgatus & alii, *docentes* vertunt, illud huic loco minus convenit: quia vox μαθητεύσαντες tanquam consequens

sequens prædicati Euangelii, à prædicatione ipsa distinguitur Quamobrem vocis hujus usus non est alius in Scriptura, quam ut significet, *discipulos facere*. Deinde ut Christus non dicit; *docete & baptizate*, sed *discipulos facite baptizantes, &c. Docentes eos servare, omnia quæ mandavi vobis*: Sic hisce verbis, faciendi discipulos modum, duobus gradibus definit, baptismo & doctrina Christi universa. Ac propterea si verba urgeantur Matthæi, seu ordo eorum, inde potius concludendum, baptismum debere præcedere doctrinam. Si forte objiciatur Marc. 16. verſ. 25. & 16. dici, *Prædicate Euangelium universæ creaturæ* (nempè humanæ κατ' ἐξοχὴν,) *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; ac propterea inde sequi quod prædicatio & fides præcedere debent baptismum: illud minimè sequitur, nec solutionem datam infringit: quia Marcus alteram tantum partem faciendi discipulos breviter exprimit, cum ait, *prædicate Euangelium*, hoc est, doctrinam de Christo, & hominum resipiscentia ac fide: Matthæus verò plenius ac distinctius utrumque modum faciendi discipulos gradatim proponit: nempè primum baptismum, quo infantes obligantur, disciplinæ, simulac capaces erunt, suscipiendæ: Deinde doctrinam Euangelii, quæ fidei in Christum & resipiscentiæ observationem exigit. Quod autem à Marco dicitur, *qui crediderit & baptizatus fuerit*, ita ut credendi vocem baptismo præponat: inde tamen non sequitur, fidem necessariò debere præcedere: quia non semper verborum ordine, nativam rerum seriem, & ordinem Euangelistæ indicant, sed promiscuè; ut Euangelistarum in eadem re narranda ordinis diversitas crebra ostendit. Deinde ne longius abeamus, idem ex ipso Marco cap. 1. v. 4. demonstratur, cum ait: *Baptizabat Johannes in deserto & prædicabat baptismum resipiscentiæ*. Si objiciatur, eodem modo dici posse, etsi apud Matthæum dicatur: *baptizantes in nomine Patris, &c. docentes observare, quæ præcepi vobis*, ordinem rerum necessariò inde non posse concludi, agnoscimus: at hoc sufficit ad probandum argumentum adversariorum non esse necessarium. Verùm ut hæc responsio ad insolentem Anabaptistarum jactationem retundendam idonea est; sic altera deinde responsio, quæ adferri solet, solida: qua scil. etiam negatur propositio, quia ea non est universaliter vera. Quamvis enim vocem μαθητεύσατε sumeremus cum plerisque, pro *docete omnes gentes, baptizantes illos*; tamen non juvat. Christus enim hic loquitur, non de infantibus; sed de adultis, qui doctrinæ sunt capaces; & quidem de incredulis à fœdere, & signo ac sacramento illius, (quo fœdus obsignatur) alienis; qui propterea per doctrinam Euangelii, ad fidem in Christum erant adducendi, ut per eam fœderati facti, baptizarentur: Ac propterea in omnibus incredulis gentibus, tam Judæis, quam reliquis adultis, hanc rationem servarunt Apostoli: In Judæis quidem ad fidem conversis, Actor. 2. v. 41. *qui libenter sermonem illius acceperunt, baptizati sunt*. In reliquis verò similiter, ut Actor. 8. v. 35. Æthiopi dynastæ primùm Euangelium à Philippo prædicatum est Dei jussu, & baptismum, eo audito, postulanti, post fidei in Christum professionem editam, baptismus est collatus verſ. 37. Postquam igitur per fidem facti sunt Deo fœderati, baptismum susceperunt, fœderis & promissionis divinæ sigillum. Ac similiter, liberi ex iis nati, facti sunt fœderati Deo, ut Genes. 17. v. 7. *Ego sum Deus tuus, & seminis tui post te*. Ut enim ea causa fuit, cur Abrahamo adulto circumciso, liberi illius & posteri infantes, etiam sunt circumcisi: sic eadem causa est, cur adultis parentibus ad fidem conversis, baptismus sit conferendus, & liberi eorum infantes etiam sint baptizandi: quemadmodum ex Apostoli Petri argumentrtione ad Judæos adultos proposita, apparet, Actor. 2. v. 38. & 39. *Resipiscite, & baptizetur quisque vestrum in nomine Jesu Christi, ad remissionem peccatorum & accepietis donum Spiritus sancti. Vobis enim & liberis facta est promissio*: Ubi idem omninò argumentum baptismi recipiendi à Petro, commune adultis & liberis, statuitur. Sic enim plenus erit syllogismus: quibus promissio illa est facta à Deo, illi sunt baptizandi: vobis & liberis vestris facta est illa promissio. Ergò vos & liberi vestri baptizandi. Nam quamvis de adultis tantùm concludat Apostolus: ob communem tamen rationem, necessariò de liberis etiam concludi potest ac debet. Ac propterea, ex hac Christi de gentibus sententia, μαθητεύσατε omnes gentes, baptizantes eos, concludi non potest, infantum Christianorum baptismum confutari: Primùm, quia ut ostendimus μαθητεύσατε non necessariò hic (imò nullibi in sacris literis certò) significat *docete*: sed *discipulos facite*. Deinde licet illud non significaret, hic ordo tamem ad solos adultos, eorumque baptismum esset referendus: non autem absolutè universale baptismi subjectum definiretur: quemadmodum antea ostendimus. Veruntamen objici posset contra primam solutionem, Si ea recta esset, tum in adultis baptismus etiam præmittendus doctrinæ & fidei eorum, id quod citra controversiam omninò alienum est. Verùm rursus negatur consequentia. Nam quamvis vox *baptizantes* post vocem μαθητεύσατε, *discipulos facite*, priori ordine ponitur: *docentes* verò posteriori, non sequitur tamen, universè in quibusvis eundem hunc ordinem observandum: quia hoc modo partes officii ministrorum Euangelii, proponuntur, quæ pro baptizandorum ratione diversa, diversum in praxi ordinem postulant: ut scil. in his, qui doctrinæ capaces sunt, doctrina & fides præcedat baptismum: in aliis verò, qui doceri non possunt per naturam, & quia parentibus Christianis nati, Deo fœderati sunt, baptismus, in signum fœderis illius, ad futuram fidem obligans, præcedat doctrinam.

Atque hæc adversus Anabaptistarum errorem dicta.

FINIS EXPLICATIONIS

LOCORUM MATTHÆI.

FRANCIS-

FRANCISCI GOMARI

S.S. Theologiæ Doctoris & Professoris,

SELECTORUM, EUANGELII LUCÆ

*Locorum, (*CAP. 1. & 2.*)*

ILLUSTRATIO.

PRECLARE Irenæus adversus hæres. lib. 3. cap. 1. ait: *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem, in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Hæc ille. Ac propterea, in eò declarando, pro modulo nostro, operam nostram conferendam duximus. Nam ut in Matthæo antea versati sumus; ita simile studium in Lucæ Euangelio (quod non pauca habet singularia) adhibere, nec inutile, neque ingratum fore speramus. Antequam verò telam illam exordiamur, nonnulla de titulo prætexenda. siquidem duo in eo expendenda occurrunt, *authoritas illius, & sententiæ veritas.*

De Authoritate Tituli.

QUæritur an ea sit divina, an verò humana? Prius nonnulli; Posterius verò alii non temerè statuunt: idque probari potest, ex maxima illa brevissimi in ipso limine tituli varietate, quæ in exemplaribus Græcis ad MSS. codices expressis, atque impressis, apparet: Quippe non solum in verborum ordine, sed etiam numero, inter se discrepant. Nam *Haganoensis editio* anno 1521. ita habet εὐαγγέλιον κατὰ Λουκᾶν: ut etiam *Basiliensis Bebelii*, anno 1531. cum præfatione *Oecolampadii*: & Novum Testamentum *Roberti Stephani filii*, minori forma in 16. anno 1569. & *Plantini*. Contrà verò in aliis, inverso ordine & voce, τὸ, addita legitur; τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγέλιον ut in laudabili illa *Henr. Steph.* minori forma, editione 1576. Deinde etiam in reliquis inseritur vox ἅγιον, ut in illustri illa editione Complutensi τὸ κατὰ Λουκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον: & in Nov. Testamenti *Roberti Stephani Patris* ad 16 MSS. codices collati editione, forma majori, & in *Parisiensi* Simonis Colinæi anno 1534. & in *Basiliensi Brillingeri* anno 1558. Quibus alium, ab hisce omnibus diversum, in *Syriacâ* versione, titulum adjungemus אונגליון קדישא סברמא דלוקס סברתא *Euangelium sanctum prædicationis Lucæ Euangelistæ*; quibus verbis etiam annectitur, *qui locutus est & prædicavit in Alexandria magna.* Ex qua multiplici varietate tituli, ab opere secreti, satis constare potest, nullum ab Euângelista titulum operi præmissum: alioqui in illa brevitate, tantam diversitatem, neque descriptores, qui in initio laboris diligentiores esse solent, neque Ecclesia unquam admisissent. Nam si genuinus aliquis ac divinus exstitisset titulus, sine impietate magna, ista verborum additio, detractio, & transpositio, nec fieri, nec ferri potuisset. Deinde si Euangelista noster in altero suo Actorum Apostolicorum libro titulum non præfixit, quid mirum, si huic operi non præmiserit? Non præfixisse autem non solùm ex codicum varietate, sed etiam ex editione Compl. quæ ex antiquissimis & præstantissimis exemplaribus expressa, patet. In qua hic titulus: πράξεις τῶν ἀποστόλων τοῦ ἁγίου Λουκᾶ τοῦ εὐαγγελιστοῦ. Quis autem credat Lucam Euangelistam, pro sua modestia, tam insolenti Apostolis & Euangelistis titulo, sese sanctum nominasse. Quare autoritas tituli Euangelio huic præfixi, non divina est; sed humana: ut qui non à Luca; sed ab Ecclesia, illud Euangelium, ab aliis distinguente, promanavit; ut in reliquis libris sacris accidisse, alibi ostendimus. Cœterùm in tanta varietate, ut simplicissimum, sic antiquissimum hunc titulum initio memoratum aabitramur, *Euangelium secundum Lucam.* Atque hæc de authoritate hujus tituli: sequitur.

De veritate Sententiæ illius.

QUum autem hæc *veritas* nihil aliud sit, quam tituli cum opere, cui præponitur, convenientia; ea, ob communem omnium consensum; non tam probationem, quam declarationem requirit: quæ in partium indicio atque explicatione consistit. Partes autem sunt duæ, prior libri *subjectum*, seu rem, quæ eo describitur, posterior *causam efficientem*, seu eum, qui descripsit, complectitur: *Subjectum* est Euangelium, seu de Christi *nativitate, vita*, (id est, dictis ac factis) & *morte* illius, ac *resurrectione*, historia, ut Act. 1. v. 1. 2. scriptor testatur, & scriptum etiam perspicuè demonstrat. Quæ verò ad Euangelii vocem & naturam cognoscendam amplius requiruntur, ea *thesibus disputatis* plenè sunt exposita. *Causa* verò *efficiens* indicatur his verbis, κατὰ Λουκᾶν, hoc est, *per Lucam*, ut κατὰ *secundum*, pro διὰ interdum usurpari constat: ut non primus author, sed primi minister indicetur: qui Euangelium Deo authore descripsit. Quod licet post antiquissimum Irenæi, lib. 2. cap. 11. interpretem, *secundum Lucam*, vulgò etiam transferatur, non satis Latinè dici videtur: cum talis vocis, *secundum* significatio, nondum, veterum authorum Latinorum exemplis, confirmata appareat. Ac propterea hoc considerasse videtur Cyprianus, cum vitata istius vocis insolenti abusione, Græcam ita retinuit, Euangelium κατ̀ Matth. κατ̀ Lucam &c. lib. 2. sect. 8. adversus Judæos. Tertull. verò adversus Marcio. lib. 4. cap. 2. sensum Latinè ac rectè exprimens, *Euangelium Lucæ* appellat ut etiam Ruff. in explic. Symboli. Nam ut Pauli, & aliorum Apostolorum Epistolæ, in eorum titulis, nominantur, non quod earum sint causa principalis (quod soli Deo convenit) sed ministra, quod per eos Deus illas tradidit: sic etiam Euangelium Lucæ & aliorum eâdem ratione nominatur. quemadmodum & Christus libros Mosis Marc. 12. v. 16. & Stephanus Actor 7. v. 42. librum Prophetarum appellavit.

Ad Lucam verò Euangelistam quod attinet, ejus descriptionem nobis exhibuit primùm Hieron. tom. 1. Catalogi Script. Ecclesiasticorum Sect. 17 *Lucas* inquit *Medicus Antiochensis, ut ejus Scripta indicant, Græci sermonis non ignarus, Sectator fuit Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comes; scripsit Euangelium de quo idem Paulus; Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio, per omnes Ecclesias: & ad Coloss. salutat vos Lucas medicus: & ad Timoth. Lucas est mecum solus &c.* Deinde Dorotheus Martyr Tyri Episcopus, in Synopsi, vitam Lucæ Græcè descripsit; quam Rob. Steph. in præfatione Lucæ exhibet: cujus hæc sententia est; Lucas Euangelista Antiochensis quidem fuit genere; medicus verò arte. conscripsit quidem Euangelium procuratione Petri Apostoli: Acta verò Apostolorum procuratione Pauli: peregrinatus enim est cum Apostolis ac maximè cum Paulo. cujus etiam mentionem facit Apostolus in Epistola; *Salutat vos Lucas Medicus*: mortuus est Ephesi, & ibidem sepultus. Denique Theoph. quoque in præfatione sua ante Euangelium Lucæ, vitam illius

lius descripsit. Sed hęc sufficiant. Qua in re, certum est ac citra controversiam, duobus locis, ab Apostolo Paulo, Lucam Euangelistam commendari, Phil. v. 23. 24. *Salutant te &c. Aristarchus, Demas, Lucas, οἱ συνεργοί μου adjutores mei.* & 2. Tim. 4. v. 11. *Lucas est mecum solus.* Sed an aliis duobus in locis Col. 4. v. 14. & 2. Cor. 8. v. 18. idem intelligatur, judicia doctorum variant. De prior Col. 4. v. 14. *Salutat vos Lucas medicus ille dilectus*, communis penè omnium sententia est, non alium, quam Euangelistam eundem intelligi, ut ex Hieron. & Doroth. antè ostendimus. cui Theodoretus & Theophylactus ad eum locum, aliique Patres consentiunt. Contra verò doctissimus interpres, alium esse Lucam contendit. Ratio autem illius est, quod Lucas notior fuerit, quam ut opus esset tali indicatione; deinde quod splendidiore elogio fuisset insignitus; puta, coadjutoris, aut fidi saltem comitis, & certaminum participis: ideoque conjicit ipsum tum abfuisse. Verùm ea rationis neutrius firmitas est, ut à communi consensu recedere debeamus. Nec enim idcirco statuitur Medici nomen fuisse additum, quasi id opus esset, sed liberè atque opportunè. Nam ut 2. Tim. 4. v. 11. solo nomine contentus Paulus, nihil addidit; sic contra Phil. v. 24. eadem libertate, coadjutoris vocem adjecit: sic hoc in loco vocem medici non importunè conjunxit: non quidem quod opus esset, sed ad gratiæ Dei commendationem. Nam ut Matth. 19. v. 3. se Matthæum publicanum, ab ante acta conditione (ad misericordiæ Dei professionem) nuncupat; sic Lucam ex Medico corporis, à Deo in medicum animæ vocatum, commodè ad Dei laudem, à priori officio medicum vocat: quemadmodum de Luca Hieron. Tom. 9. in Comm. Epistolæ ad Philem, ait: *Quomodo Apostoli de Piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita de medico corporum, in medicum est versus animarum.* Deinde etiam non opus fuit, ut insigniori titulo insigniret, puta *Adjutoris*, quum id semel tantum adhibuerit: multo minus *comitis*, & *certaminis participis*, cum id nullibi adjungatur. Denique aliud etiam insigne elogium additum est ὁ ἀγαπητὸς *dilectus ille*, nimirum ob pietatem & fidelitatem, ac constantiam in Paulo comitando, adjuvando, & reliquis deserentibus, apud eum permanendo. Qua de re Irenæus advers. hæres. lib. 13. cap. 14. quali etiam periphrasi, inter Apostolos, insignitus est Johannes, Euangelii cap. 21. v. 7. *Discipulus ille quem diligebat Jesus.* Quare conjectura illa de duplici Luca apud Paulum, *Medico* uno, & altero *Euangelista*, & illo cum ad Coloss. scriberet præsente, hoc verò tum absente, omninò infirma est; neque ex ullo Scripturæ loco probatur. Ad hæc, cum Paulus, ubi certam Lucę Euangelistæ mentionem facit, Demam ei conjungat, ut Philem. v. 24. Sic se à Dema desertum, conqueritur, eo tempore, quo Lucam fideliter permanere asserit, 2. Tim. 4. v. 11. & ante hanc desertionem, Lucam & Demam Col. 4. adfuisse indicat. Quare quomodo verisimile est, alium Lucam ab Apostolo designari? Concludimus itaque, non immerito, communem Patrum & aliorum Theologorum sententiam, in hujus loci explicatione, retinendam.

Superest, ut etiam non nihil differamus de posteriori loco 2. Cor 8 v. 18. *misimus autem unà cum illo fratrem, cujus Laus est in Euangelio, per omnes Ecclesias.* Quæritur enim an hac periphrasi Lucas Euangelista, an verò alius designetur? judicia enim interpretum sunt diversa: Quidam veterum Patrum Lucam Euangelistam intelligunt, ut Chrysostomus testatur. Idemque postea asseruit Hieronym. Catalogo Script. Ecclesiasticorum in fine operis: & Theoph. 2. Cor. 8. & alii complures. Contra verò Chrysost. & Theodoret. Barnabam describi arbitrantur: quam sententiam multi sequuntur. Sed tamen priorem non solum esse antiquiorem, sed etiam magis consentaneam, collatis argumentis, omninò existimamus; quia hæc descriptio commodissimè Lucæ Euangelistæ attribui potest, quoniam ei ad amussim convenire res ipsa indicat; Barnabæ verò nequaquam. Nam. 1. hoc certum est, Lucam Pauli fuisse comitem & adjutorem constantem cum hanc Epistolam scriberet: ideoque ad Corinthios mitti potuit: Barnabas verò jam exacerbatus, antea à Paulo discesserat, Actor. 15. v. 39. neque ullibi Paulo postea adfuisse scribitur. Neque obstat, quod 1. Cor. 9. v. 6. sui & Barnabę meminit, quod gratis Euangelium annuntiarunt; hoc enim non dicitur de pręsenti: sed de absente, ratione antecedentis cum eo peregrinationis Actor. 13. v. 4. loquitur. Quemadmodum etiam de se & reliquis Apostolis, licet absentibus, agit, 1. Cor. 9. vers. 5. Deinde ille, de quo 2. Cor. 8. fit mentio, dicitur missus à Paulo: id quod Lucę probè convenit, ut etiam antiqua & recepta Epistolę illius subscriptio hoc testatur.

Barnabam verò à Paulo unquam missum, aut mitti potuisse, minimè probabile est: utpote, qui ob præclaras Spiritus Sancti dotes, maximi apud Apostolos fuit habitus, Actor. 11. vers. 22, 23, 24. neque reipsa Paulo fuit postpositus, vers. 30. & cap. 12. vers. 25. & 13. 1. & 27. & 14. vers. 12, 14, & 15. 2. vers. 12, 25. Deinde quod additur; *fratrem illum, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*, de Luca Medico intelligi potest, qui sicut propter Euangelium, cum Paulo prædicatum, multis Ecclesiis erat celebris (quod etiam de Barnaba dici potuit) per omnes tamen Ecclesias laudem illius viguisse, ob scriptum ac propagatum Euangelium, minimè dubitandum; id quod de laude Barnabę dici potuisse, non videtur verisimile: ut qui non Euangelium scripserit, & nonnullis Ecclesiis adhuc ignotus esse potuerit. Neque enim obstat locus 2. Cor. 8. v. 19. qui Chrysostomum permovit, quo dicitur de eadem fratre, *Nec id solum, sed etiam suffragiis delectus est, ab Ecclesiis, socius peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia, quæ administratur à nobis ad Dei gloriam.* Nam ea Pauli verba Lucæ rectè tribui potuerunt, quia cum esset fidissimus, ac compertus Ecclesiis, peregrinationum Pauli comes, ipsiq; charissimus, prudenter ab Ecclesiis ad Eleemosynam, quam collegerant, Hierosolymam perferendam, delegari cum Paulo potuit: non minus quam longè antea, primam Ecclesia Antiochena collectam suam pecuniam, per Barnabam & Paulum ibidem præsentes, Hierosolymam miserat: quod tempore deferendæ Eleemosynæ (de qua 2. Cor. 8. agitur) ob Barnabæ separationem à Paulo, aliasque quas antè attulimus rationes, fieri non potuit. Nec majoris sunt momenti rationes, quas profert Theod. Prima enim hæc est, quod Barnabas Antiochiæ, ab Ecclesiæ Prophetis & Doctoribus, Spiritus Sancti jussu ad opus destinatum, cum Paulo missus sit. At inquam legatio & societas Barnabæ & Pauli, tempore & scopo, atque opere, ab hac legatione differt: quia illa facta est, ante Barnabæ à Paulo separationem, cum adhuc simul essent Antiochiæ. Deinde nec ad deferendam eleemosynam ad Ecclesiam Hierosolymitanam missi sunt; sed ad ministerium prædicationis Euangelii extra Judæam, ut operis executio, Actor. 13. & 14. & conclusio cap. 14. v. 25. & 26. demonstrat. Hæc verò legatio, de qua Paulus agit, in objecta sententia 2. Cor. 8. v. 19. post separatum à Paulo Barnabam, facta est; deinde non ad prædicandum Euangelium, sed ad ministerium perferendæ Hierosololymam eleemosynæ destinata, 2. Cor. 8. v. 19. Altera verò Theodoreti ratio est, quod Barnabas fuerit Pauli, in legatione Hierosolymam, socius; eique & Paulo ab Apostolis pauperum Ecclesiæ Judaicæ memoria commendata. Verum hoc à Scopo alienum est, qui hic spectandus. Nam illa legatio facta est ante separationem, cum uterque esset Antiochiæ, unde ad Concilium Hierosolymam missi, non autem ad eleemosynam deferendam, Actor. 15. v. 2. & ibidem pauperes suæ Ecclesiæ Jacobus, Petrus, Johannes Paulo & Barnabæ commendarunt, Gal. 2. v. 10. Ex quo non sequitur, eos illud simul, in commendandis & perferendis eleemosynis, postea præstitisse. Neque hoc Paulus, de utroque, loco illo ad Gal. sed de se tantum subjicit, *quod etiam studui facere.* Nec immerito, quia cum ab hac legatione Antiochiam essent reversi, Actor. 15. vers. 30. & Petrus venisset Antiochiam, & non ob dogma, sed ob imprudentem simulationem (in quam etiam Barnabam pertraxerat suo exemplo) à Paulo esset reprehensus, Galat. 2. vers. 11. & 13. post aliquos dies, Paulus & Barnabas, oborta offensione, alter ab altero discessit, Actor. 15. vers. 36. 39. & 40. Quod vero quidem Silam notari conjiciunt, non est verisimile, quia etsi in multis Ecclesiis ejus fuerit laus celebris,

celebris, non tamen probari potest, quod in omnibus, ut de Luca 2. Cor. 8. dicitur: deinde licet initio Silas, cùm Paulus Corinthum venit, ei adfuerit, Actor. 18. v. 5. non tamen ibi cùm eo mansisse dicitur, cùm Paulus annum & sex menses ibi manserit, v. 11. Huc etiam accedit, quod neque postea ullibi inter Pauli comites recenseatur, cum illi tamen nominatim exprimantur v. 18. & Actor. 19. v. 22. & 20. v. 4. ac propterea Silam Paulo tum temporis non adfuisse, cum postea ad Corinthios, primam conscriberet Epistolam; multo minus cum secundam per fratrem (cujus laus in Euangelio dicitur fuisse per omnes Ecclesias) mitteret. Concludimus igitur hanc Pauli 2. Cor. 8. v. 18. & 19. sententiam de fratre illo, cujus laus in Euangelio, per omnes Ecclesias, non Barnabæ, nec Silæ, sed Lucæ convenire; nec de simplici Euangelii prædicatione, sed de Scriptione intelligendam: quo modo hæc Pauli sententia, ad Euangelii Lucæ divinam authoritatem commendandam pertinet: id quod plenius erat explicandum. Atque hæc de *tituli* Euangelii Lucæ *authoritate*, & *veritate*. Nunc, Deo propitio, de Euangelio agemus: ac primùm.

De præfatione Lucæ Euangelii.

ABsoluta hujus libri inscriptione, sparsim librum ipsum explicandum aggrediemur. Quum autem universali hujus operis *præfatione*, & *rei tractatione* constet; à prioris, pro modulo nostro, examine, ob illustrem illius difficultatem atque utilitatem, ordiemur: quæ prioribus quatuor versibus continetur. Eaque in re, Lucas à reliquis Euangelistis differt; quod illi præfatione hujusmodi careant, & à re ipsa, initium sumant. Nam quod Matth. cap. 1. præmittit, *liber generationis Jesu Christi, Filii David &c.* & Marcus cap. 1. *Principium Euangelii Jesu Christi*; Præfationes quidem sunt, verùm non universales totius operis, ut hic apud Lucam, sed particulares primæ partis, ut connexio sequentium declarat; hujus autem differentiæ origo non ab aliqua necessitate, sed à libera Spiritus Sancti voluntate dependet. Nam ut ei placuit in reliquis Euangeliis hujusmodi præfationem omittere; sic hoc in loco liberè atque utiliter adhibere voluit; ut ex partium explicatione constabit.

Præfatio enim *occasionem* & *causas* hujus libri complectitur.

Occasio autem est multorum, in Euangelii de Christo compositione, infelix, ac periculosus conatus: qui primis duobus versibus proponitur, & exponitur his verbis: *Quoniam multi aggressi sunt, componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est, prout tradiderunt nobis, qui à principio* αὐτόπται *spectatores ipsi & ministri fuerunt* τοῦ λόγου. quæ paucis explicanda. Ac 1. certum est, occasionis, ad scribendum à Luca Euangelium datæ, authores à numero indicari, cum ait, *multi*: sed illud ambigitur, quinam intelligantur eâ voce. Plerique adversarios veritatis esse censent, qui malitia ac veritatis odio, ut hæreses suas stabilirent, sub Apostolorum nominibus Euangelia supposuerint. Verùm hoc non est satis verisimile, quia alioqui Lucas eam malitiosam, noxiamque impietatem tam leviter non notasset; sed pro officio, & ad seductionis fugam necessariam, graviter accusasset. Quare alii non de malitiosis atque hæreticis accipiunt; sed de imprudentibus veritatis fautoribus, qui præmaturè atque imperito veritatis Euangeli propagandæ Zelo, movebantur. Occasio autem, ab illis data authoribus, est conatus infelix in componenda Euangelii historia, sine Spiritus Sancti inspiratione ac directione. Idque descriptione hac notatur, cum ait: *componere narrationem earum rerum, quarum plena fides facta est nobis*, (nempe ab Apostolis, ut sequentia exponunt) *prout tradiderunt, qui à principio spectatores ipsi, & ministri fuerunt* τοῦ λόγου. Res enim quas Apostoli tradiderunt est Euangelium, Matth. 28. v. 19. 20. Marc. 16. v. 15. & 20. Conatus autem indicatur, cum ait: ἐπεχείρησαν: ἐπιχειρεῖν enim propriè significat *in manus sumere*, seu *manum admovere*, & inde *conari* seu *incipere, aggredi*. Cum autem conatus sit duplex, vel felix quum ei propositus scopus respondet, eventu: vel infelix, cum nequaquam eventus succedit, talis hoc in loco intelligitur, quemadmodum partim hac voce innuitur: quoniam effectum conatus seu aggressionis reticetur: quemadmodum in reliquis duobus locis (ubi eadem vox tantùm occurrit) Actor. 9. v. 29. ἐπεχείρουν αὐτὸν ἀνελεῖν *conati vel aggressi sunt eum interficere.* & 19. v. 13. ἐπεχείρησαν ὀνομάζειν, *conati sunt nominare*, irritus utrimque conatus designatur: partim verò oppositio Lucæ, hoc in loco idipsum indicat, cùm rerum illarum, de quibus conati erant scribere, certitudinem non illis, sed sibi aliisque similibus attribuit: *non enim ait conati &c. quarum plena fides facta est* ipsis aut in ipsis, sed *in nobis*, id est, in animis nostris seu nobis: nec ait: *prout tradiderunt* ipsis, sed *nobis*; utrimque eos Euangelii Scriptores, à se, aliisque rectè institutis, segregans; ut qui res ad Euangelium pertinentes nondum rectè edocti, temerario ausu describere aggressi essent. Atque hęc de prima hujus præfationis parte, nempe *occasione scriptionis* hujus libri.

Altera verò pars *causas scriptionis* continet, *efficientem* ministram, & *materiam* subjectam, deinde *formam* externam, & cum objecto *finem*. *Efficiens causa*, à qua origo rei est, proponitur cum *remota*, tum *proxima*. *Remota* est, quæ ad scribendum movit, estque 1. doctrinæ Euangelii ab Apostolis traditę v. 1. & 2. & à Luca animo accuratè ἄνωθεν acceptę cognitio v. 3. quę vox παρηκολουθηκότι hic notat. Nam ut propriè *consequi* significat, sic ab actione corporea ad animum translata, metaph. *cognoscere*, seu *intellectu consequi* generatim notat (sive res sit facilis sive difficilis) ut etiam *consequi*, atque *assequi*, simili metaphorâ, Latinis dicitur. De qua significatione plura Budę. in Comm. Gręcę Ling. & Henr. Steph. in Thes. exemplis illustribus comprobat. Quemadmodum etiam 2. Tim. 3. v. 10. accipitur. Unde εὐπαρακολούθητον & contrarium δυσπαρακολούθητον. Aristot. Eth. 2. cap. 7. Cœterum, ex hac Lucę sententia, error eorum convellitur, qui Lucam unum, ex 70. Christi discipulis fuisse (quos Apostolorum discipulos non fuisse certò constat, quod Lucę hic tribuitur) asserunt, ut Epiph. hęres. 20. deinde eorum etiam error, qui Lucam Pauli discipulum statuunt, ut Tertul. advers. Marc. lib. 4. cap. 5. & à Paulo genitum, id est, ad Christi notitiam conversum affirmant, ut Hieron. in Esai, cap. 60. sub finem. Deinde ad hanc ab Apostolis acceptam, accuratam ac universam Euangelii notitiam, additur *proxima causa efficiens*, scribendi propositum, cum ait: *Visum est etiam mihi* (ut à multis illis factum, sed aliter) *scribere*, nempe ea omnia, quę accuratè de Euangelio sum consecutus; hoc autem notari, ex connexione cum antecedentibus, & ex vers. sequente quarto apparet. Atque hoc modo scripti hujus causa altera, nempe *materia subjecta*, seu res quam describit, nimirum *Euangelium* indicatur: & quidem non mutilum, neque alienis insertis corruptum, ut ab aliis factum, sed integrum & sincerum, cum ait *omnia*. Qemadmodum etiam cum tertiam causam nempe *formam externam*, seu tractandi modum indicat, voce καθεξῆς *ordine*, nam ἑξῆς adverbium ab ἔχομαι hęreo derivatur, ut à doctissimis rectè observatum: sic ex propositione κατὰ secundum & adverbio ἑξῆς, id est, *ordinatum*, compositum, propriè significat *cohærenter* (ut etiam Clar. Beza notat) id est, ordine; ut etiam Actor. 18. v. 23. *ordinem autem*, si primarias Euangelii partes consideremus (puta *Prædecessoris Christi historiam*, ac *Christi conceptionem, nativitatem, vitam* (dictis factisque constantem) *passionem, mortem* ac *resurrectionem*) egregiè observavit: licet historicorum more, in particularibus quibusdam, ordinem, sine rei jactura, nec inutiliter neglexerit: cum illud, ad scrutationem & collationem Scripturę, sit instar stimuli. Atque hęc de hujus libri forma externa seu tradendi modo: Cui cum objecto finis postremo conjungitur. *Objectum*, seu is ad quem liber hic scriptus ac destinatus est, *suo nomine*, & *dignitate*, explicatur, *nomen est* Θεόφιλος, quę vox ex etymi ratione, *Dei amantem* notat; unde, pro substantivo ac proprio nomine, interdum accipitur. Atque ita hoc in loco & Actor. 1. v. 1. sicut epitheton adjunctum evincit; non autem pro quovis Christiano, ut quibusdam etiam veterum placuit, intelligitur.

Dignitas verò hujus Theophili ex epitheto patet, cum κράτιστε vocat. quę vox *fortissimum* seu *optimum*, & *dignitate pollentem*

pollentem notat, ac magistratum gerenti attribui solet. Quemadmodum præsidibus Romanis, ut Felici, Actor. 23. v. 26. & 24. v. 3. & Festo cap. 26. v. 25. quo modo etiam apud Romanos Candidati, *boni viri* (ut Seneca ostendit Epistolarum lib. 1. epist. 3.) & magistratum adepti, *optimates* olim dicti, ut Baronius annal lib. 1. anno Christi 58. sect. 33. observat. Atque ita ex hoc epitheto colligitur, Theophilum fuisse virum singularem, & quidem dignitate ac potentia præstantem; atque ut ex seqq. patet, in religione Christiana recte institutum: ideoque ut Acta Apostolorum, sic etiam Euangelium suum eidem prudenter inscripsit, ac misit, ut ad custodiam autographi, & ad Exemplarium ex eo propagationem sinceram inter fideles, ob pietatem ac potentiam, valde idoneum: adeò ut hoc modo, dum ad unum scripsit, ad omnes (ut Tertull. de similibus scriptis alicubi loquitur) scripsisse merito (si usum communem spectemus) dici possit: ut finis communis (licet unius meminerit) ostendit. *Finis* enim seu causa, cujus gratia hoc Euangelium Lucas conscripsit, & ad Theophilum misit, exprimitur v. 4. cum ait, *ut agnoscas earum rerum*, *de quibus κατηχήθης, ἀσφάλειαν*. Quæ dictiones, ad rei intelligentiam, paucis explicandæ. Ac prioris quidem origo est ab ἠχέω sono, unde κατηχέω (ut Henr. Steph. in Thes. Græ. Ling. notat) propriè significat *insono*, & per Synecd. generis pro specie *doceo, indico*, ut 1. Cor. 14. v. 19. & κατηχοῦμαι *voce disco*, ut generatim Actor. 21. v. 24. κατήχηνται περὶ σοῦ, ut vulgatus reddit, *audiverunt de te*, Beza. *famam perceperunt de te*. In reliquis verò locis Novi Testamenti κατ' ἐξοχὴν, ad primam in religione, viva voce, institutionem refertur: ur Actor. 18. v. 25. κατηχημένος vulgatus *edoctus* Beza expressiùs *initiatus*. & Rom. 2. v. 18. Calat. 6. v. 6. in quibus locis melius *initiari*, aut *voce erudiri* (ut etiam hoc loco) exprimeretur, quam à vulgar. & Beza factum est. Nam quod noster interpres, & alii transferunt, hic in hoc Lucæ loco, *auditione accipere*, illud tanquam nimis generale minus videtur convenire. Propius accedit vulg. interpres, *de quibus eruditus es*; accomodatius verò erit, *de quibus voce eruditus es*. Hæc de prima dictione.

Altera deinde dictio consideranda est, nempe ἀσφάλεια: cujus origo est à σφάλλω, *Labi facio*, *everto* (unde σφάλμα *lapsus*) & per Metaph. *fallo*, sic inde compositum nomen ex privativa part. α, ἀσφαλὴς *firmus*, & fallaci ac dubio opponitur. Actor. 2. v. 34 & 22. v. 30. unde ἀσφάλεια *firmitas*, *à fallacia immunitas*: hinc vulgatus interpres & post eum Beza, *veritatem* hoc loco transfert, Erasmus verò *certitudinem*, eodem ferè utrimque sensu. Atque hoc modo Lucas Euangelii sui viritatem, ac certitudinem à fallacibus multorum Euangeliis, quorum initio meminit, discriminat: nimirum ut eo Theophilus instructus, in percepta ab initio veritate, adversus fallacias aliorum præmunitus, constanter persisteret. Qui finis non solum Theophilum spectat: sed etiam omnes fideles, pro natura Euangelii, Johannis 20. v. 31. & totius Sacræ Scripturæ scopo, 2. Tim. 3. v. 16.

Atque hæc quidem de præfatione (quæ occasione, & causis libri constat) diximus. Quia verò duarum Græcarum vocum, videlicet τοῦ λόγου. v. 2. & αὐτόπται v. 3. significationem non satis explicuimus, sed ad finem distulimus: neque etiam descriptionis hujus Euangelii, cum tribus aliis collati, tempore, quicquam monuimus; illud jam non inutiliter, ac ad pleniorem ac certiorem veritatis notitiam, examinari posse, ac debere, arbitramur.

De sensu vocis τοῦ λόγου *v. 2.*

VOx λόγος *Sermo*, diversas habet in Sacris Literis significationes, eaque occasione, hoc in loco, variè ab interpretibus explicatur. Quidam *de persona Christi*, ut Ioh. 1. vers. 1. & 14. & 1. Ioh. 1. v. 1. & 5. v. 7. & Apoc. 19. v. 13. alii verò aliter: ac, plerique de Euangelio exponunt: quod similiter κατ' ἐξοχὴν ita appellatur, Actor. 8. vers. 4. & 11. vers. 19. & 14. vers. 21. & 16. vers. 8. quidam tamen generalius *rem* interpretari malunt, ut objecta quædam incommoda vitent facilius: ut sit idem, quod v. 2. πράγματα Hebræorum more, rpud quos דבר *verbum* pro re usurpatur: ut etiam vox λόγων, id est, rerum vers. 4. & cap 2. vers. 15 *videamus τὸ ῥῆμα verbum illud*, id est, rem illam dictam. Prima autem sententia est Patrum, ut Orig. & Ambros. ad hunc locum, & Athan. Oratione 3. contra Arianos; quam non immeritò amplectimur: ut rationes fidem faciunt: quia illa hujus loci circumstantiis ad amussim consentit: Reliquæ verò duæ iisdem repugnant. Nam revera Apostoli ab initio, quo Christus Propheticum hoc munus exercere cœpit, ipsi adfuerunt, Ioh. 15. v. 27. & quidem illius αὐτόπται, spectatores ipsi, qui suis oculis ipsum spectarunt, & ministri ipsius fuerunt Luc. 6. v. 13. Actor. 1. v. 3. & 4. vers. 20. & 10. vers. 39. & disertissimè, 1. Ioh. 1. v. 1. contra verò Apostoli non fuerunt Spectatores sermonis Euangelii, neque etiam esse potuerunt: quoniam naturæ illius repugnat; sed fuerunt auditores, ac deindè præcones. Sed objicitur, *videre* per Catachresin *pro audire* nonnunquam accipi: Quemadmodum Exod. 20. v. 18. *& populus videbat tonitrua, & lampades*; ac propterea etiam hoc in loco rectè dici potest, Apostolos fuisse spectatores Euangelii, pro eo quod est auditores. Verùm hæc difficultas tollitur duobus modis. Primò, negatione Consequentiæ, quia licet verbum Hebraicum, ea significatione, in Exodo acciperetur, non propterea sequitur, in Græco verbo idem valere; multò minus in nomine composito αὐτόπται, de quo hic quæstio est. Deinde negatur etiam antecedens: nec enim verum est Exod. 20. *Videre* pro *audire* usurpari per ab abusionem vocis, sed per Synecd. Speciei pro genere, pro *sentire* seu *experiri*. nam vox ea apud Mosem *videbant*, non solum de tonitruis, sed etiam de lampadibus similiter dicitur; tonitrua audiebant, lampades videbant, utraque verò communiter sentiebant id quod *videndi* voce per catachresin Synecdoch. notatur. quo etiam modo dicitur Ioh. 8. vers. 51. *mortem non vedebit in æternum*, & Luc. 2. v. 26. *videre mortem* pro sentire & experiri: quemadmodum etiam in alia sensus specie Luc. 9. vers. 26. *gustare mortem* simili Synecdoche dicitur. Quare firmum perstat argumentum propositum, spectatores ipsos τοῦ λόγου, non posse intelligi, anditores sermonis Euangelii. Neque eo excusari potest, si dicant: vocem αὐτόπται ad miracula referri; ὑπηρέται verò ad Euangelium: quia illud, ipsa vocum constructione confutatur; quæ hoc modo convellitur. Nec enim ulla hic miraculorum, ad quæ relationem habere possint, facta est mentio. Sed constructione perspicua τοῦ λόγου vox, ad utrumque, cùm spectatores tum ministros refertur. Ideoque non Euangelium de Christo, sed ipsum Christum significat. Atque ita secunda hujus vocis interpretatio corruit. Quemadmodum & tertia; quæ *sermonem* per Hebraismum *rem* interpretatur; seu ea, quæ ab Apostolis tradita, & quorum fides facta, hoc enim cum Lucæ verbis non consentit. Nam primùm dicuntur Apostoli fuisse Spectatores sermonis: atqui Apostoli præcipuarum rerum, quæ ab ipsis traditæ, & quarum fides ab iis facta est, non fuerunt spectatores: utpote *conceptionis*, *nativitatis*, *mortis* (nam solus Johannes adfuit, Joh. 19. v. 27.) & *resurrectionis* Christi, nec etiam doctrinæ Christi, quæ videri non potuit. Deinde Apostoli dicuntur fuisse sermonis hujus ὑπηρέται ministri, id est, illi subservientes, ac causa adjuvans. Atqui neque rerum earum, quarum certa fides facta est per Apostolos, (quas *sermone* notari putant) Apostoli fuerunt ministri; quia sine eorum opera ac ministerio Christus conceptus, natus, vixit, docuit, miracula suâ divinâ potentiâ edidit, passus est, &c. ac propterea per *sermonem* hoc in loco res, seu ea, quæ ab Apostolis tradita, intelligi nequeunt. Sed objicitur, neque primam etiam sententiam suâ carere difficultate; adeò ut etiam egregii interpretes inter nos, eâ commoti, non primam, sed secundam accipientes, nutent atque hæreant Agnoscimus sanè: sed ratio, quæ eos commovit, omninò infirma est; si quis, rectâ lance, accuratè expendat. Ea enim hæc est; quod præter hunc locum Luc. 1. nullus alius in utroque illius libro extet, in quo λόγου nomen, Christum significet: ideoque neque hic ita accipi posse. Verùm negatur primò Consequentia, quia nulla causa est necessaria, cur non possit aliqua vox una significatione, uno tantùm libri loco usurpari: in reliquis verò omnibus aliud notare, Deinde contrà ipsa experientia Scripturæ, eam hy-

eam hypothesin confutat. Quod vel duobus illustribus exemplis demonstratur. I. Ex Matth. 8. v. 22. ubi *mortui*, Metaph. infideles, in prima parte sententiæ, significant: in priori verò & reliquis Euangelii illius locis, aliter usurpatur. Alterum exemplum est ex ipso Luca, & quidem in eadem voce λόγου, de qua disceptatur. Nam cap. 16. verf. 2. *rationem* ac *modum administrationis* notat: non autem alibi in Euangelio: neque in Actis. Nam etsi quod hic dicitur ἀπόδος τὸν λόγον. & Actor. 19. v. 40. ἀποδοῦναι λόγον Phrasi conveniat, sensu tamen differt, quia prius Luc 16. *rationem administrationis*: posterius verò *causam* notat. Hisce addi potest, quod eadem λόγου vox à Luc. Actor. 20. v. 24. peculiari significatione usurpatur, cum ait, οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι ubi *respectum* seu *curam* notat, ut vulg. interpres, *nihil horum vereor*. Eras. *nihil me movet*, Beza *nullius rei habeo rationem*: nec ullibi præterea hac significatione utitur. imò in eadem Phrasi Actor. 1. v. 1. λόγον ἐποιησάμην *sermonem feci*, per Synecd. generis pro specie, *librum feci*, denotat nec tamen alibi, in Luca, eo sensu, λόγου vox exstat. Quare objecta difficultas confutata est. Accedit deinde (licet non sit necessaria, sed ad uberiorem scripturæ intelligentiam accommodata) altera etiam responsio, negatione antecedentis: quia vox λόγου à Luca, in Actis, pro filio Dei, Christo, similiter accipitur, cap. 20. v. 32. *commendo*, inquit, *vos Deo, & τῷ λόγῳ sermoni gratiæ ejus, qui potest superstruere, & dare vobis hæreditatem cum sanctificatis omnibus*. Nam quod, communi interpretum sententiâ, vulgo de Euangelio interpretantur: quod alibi etiam *sermo gratiæ*, per periphrasin interdum vocatur, ut Actor. 14. v. 3. illud, ex hujus loci sententia, duobus modis, refelli potest: quia & adjunctum, & effectum *sermoni gratiæ* attributum, ei adversatur. *Adjunctum* quidem, quia *Sermoni gratiæ*, de quo hic agitur, fideles commendantur: Euangelium verò contra fidelibus commendatur, ut 1. Tim. 1. v. 18. cum 2. Tim. 2. v. 2. ac propterea *sermo gratiæ*, hoc loco non Euangelium, sed Christum notat: ut hac ratione evincitur. Cui altera accedit ab effecto. *Effectum* enim sermonis gratię hic statuitur, quod possit superstruere, & dare nobis hæreditatem &c. Id quod Christo omninò convenire, perspicuè constat: utpotè qui nos (ut & totam Ecclesiam) super se, (ut vero Ecclesiæ fundamento Eph. 2. verf. 21. & 4 verf. 12.) struit, ac conservat, Matth. 16. v. 18. & dat nobis hæreditatem, id est, vitam æternam, cum sanctificatis omnibus, Euangelium verò nos non superstruit Ecclesiæ fundamento: sed instrumentum est Christi, quo nos sibi superstruit: neque hæreditatem illam nobis dat. Nam licet Euangelium sit instrumentum fidei, per quam vita æterna datur: Christus tamen is est, qui eam nobis dat, Col. 3. v. 24. Ioh. 6. v. 33. & 10. v. 28. Neque obesse potest, quod hic vocetur *sermo gratiæ ejus*; quia ita Christus ab effecto describitur, quod gratiæ Dei causa sit. Quemadmodum etiam 1. Ioh. 1. v. 1. idem λόγος ζωῆς *Sermo vitæ* citra controversiam nominatur; quod vitæ sit author, Hebr. 4. v. 9. quali etiam Phrasi, *Deus omnis gratiæ* 1. Pet. 5. verf. 10. & *Spiritus gratiæ*, Heb. 10. v. 29. vocatur: quod gratiæ origo.

Merito igitur concludimus Lucam Euangelistam in hac præfatione verf. 2. voce λόγου, Christum designare. Ac propterea hac priori maximi momenti voce jam explicata, ac firmata sententia genuina, tribus etiam verbis agemus,

De voce ἄνωθεν

QVæ, ab ἄνω *supra*, derivatur, & propriè ad locum pertinens, significat *supernè*, sive *à summo*. Idque vel relatè, pro à summa parte, ut de velo templi, Marc. 15. v. 38. deque Christi tunica Ioh, 19. v. 23. vel absolute (quod in Sacris Literis frequentius est) κατ' ἐξοχὴν è cœlo seu à Deo, ut Ioh. 3. v. 31. ἄνωθεν ἐρχόμενος, id est, *quod supernè venit*, id quod in eadem periodo exponitur ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, *qui è cœlo venit* item Ioh. 18. v. 11. *nisi tibi datum esset* ἄνωθεν *supernè*, id est, è cœlo, à Deo, & Iacob. 3. v. 15. *sapientia* ἄνωθεν *superne* id est, cœlitus, id est, à Deo *descendens*: interdum verò. sed rarissimè, pro ἀπ' ἀρχῆς, à principio usurpatur, ut ad tempus referatur: quemadmodum Actor. 26. v. 5. *ut qui noverint me* ἄνωθεν, *à principio*, aut *à superiori tempore*. vel pro *denuò* accipitur, ut vulgò reddi solet. Ioh. 3. v. 3. & 7. atque hæc de vocis hujus usu in Sacra Scriptura. Quonam verò sensu, hoc in loco, à Luca accipiatur, merito disquiri potest. Ac communis quidem omnium interpretum (quantum observare potuimus) sententia est, vocem ἄνωθεν hic significare idem, quod ἀπ' ἀρχῆς *à principio, jam antea*. Verùm bonâ bonorum atque eruditorum veniâ, non temerè, neque novitatis ullius, sed solius veritatis studio, aliam interpretationem substituendam arbitramur: nempe *superne*, id est, cœlitus, seu à Deo. Rationes autem sunt hæ: Primùm, quia hoc modo propria hujus vocis significatio, ut sit adverbium Loci, (convenienter vocis etymo, sive origini) retinetur: à qua secundum probatam interpretationis regulam, non est recedendum ad impropriam, ni justa causa obstet. Contra verò communis interpretatio à propria significatione deflectens, per Metaph. ad tempus relata, pro superiori tempore, impropria est. Deinde, quia non solum prior, quam posuimus, significatio, longè frequentior est, quam altera; quæ semel tantum, ut Actor. 26. v. 5. occurrit: sed etiam prior sententia sensum efficit uberiorem. Nam si auferatur illud *à principio*, nihilominus hoc ex reliquis intelligetur: quia Lucas dicit, *se omnia consecutum*; ideoque & principium eorum: & ait, se scripturum *ordine*, quod sine principii & consequentium cognitione, rectaque dispositione, fieri non potuit. Contrà cum additur vox, *supernè*, id est, è supernis locis, novum accedit pondus ad commendationem hujus scripti. Id quod ex reliquis verbis, non ita demonstrari potest. Siquidem eo denotabitur divina hujus Euangelii authoritas, quod non solum accuratè totam Euangelii doctrinam, ab Apostolis traditam, sit consecutus, sed etiam supernè, id est, cœlitùs ac divinitùs Dei gratia inspirante ac dirigente: non verò humanitùs ac merâ suâ industria. Cumque res ipsa hoc flagitet, ut, quæ de notitia Euangelii, tradentibus Apostolis, accepta, deque scribendi proposito, à Luca referuntur, ea instinctu ac directione Dei, per Spiritum Sanctum interpretes intelligant, suaque explicatione verba ista, *visum est mihi*, suppleant, *& Spiritui Sancto*, ut Apostoli loquuntur. Actor. 15. Cur ergo non potius (cum vox ἄνωθεν crebrius hoc significet) hoc etiam in loco, sine supplemento intelligendum? Quare cum hæc significatio vocis ἄνωθεν, *supernè*, id est, è supernis locis, sit propria; altera verò impropria. deinde hæc in Scriptura frequentior, altera verò rarissima: & hæc sententiam reddat uberiorem atque augustiorem; illa verò angustiorem: hæc denique cœlestem authoritatem (quæ Euangelio rectè convenit) exprimat; illa verò nequaquam: Idcirco speramus fore, ut justi rerum æstimatores, non temerè nos, à communi interpretatione vocis ἄνωθεν, recessisse: Sed eam, quam vox ipsa, & insigne rei momentum suggessit, esse amplexos, cognoscant. Quare hoc explicato reliquum est, ut nonnulla adjungamus.

De Scriptionis Euangelii Lucæ, cum Matthæo & Marco collati, tempore:

IOhannis autem mentionem hoc loco præterimus: quia omnium veterum & posterorum consensu, postremus inter quatuor Euangelistas (ut qui diutissimè vixerit) Euangelium conscripsit, & præcedentium trium Euangelistarum scripta cognoscere, ac comprobare potuit; ut veritatis corruptoribus, ad majorem Ecclesiæ securitatem, occurreret. ideo de reliquis tribus tantum agimus collatione videlicet Lucæ, cum Matthæo & Marco instituta. Plerique autem veterum Patrum, Matthæum ante Marcum, & hunc ante Lucam Euangelium suum scripsisse, statuunt: adeo ut vel inscitia, vel temeritate laborare videri possit, qui non iis assentiatur. Doctissimus tamen Beza in contrariam sententiam inclinat: Sic enim in annot. majo. ad. v. 1. ait: *sed hoc forsitan ex hoc loco utcunque colligi potest, Lucam ante Matth. quoque & Marcum hanc suam historiam edidisse*: quod sanè non solum, ut verisimile, sed etiam verum omninò arbitramur. Primùm quia (ut v. 1. demonstratum) ante Lucam, qui Euangelicam historiam componere aggressi sunt, eam non

non rectè composuerunt. Matthæus & Marcus verò eam rectè composuerunt. Ergo illi non ante Lucam Euangelii historiam composuerunt. Nam quod Mald. Jesuita objicit, verbum ἐπιχειρεῖν non propriè significare *aggredi temerè*; sed generaliter *aggredi, suscipere, manum ad opus admovere:* id inquam non negatur, si absolutè verbum illud consideretur; Sed relatè ad hujus loci circumstantias, nempe subjectam oppositionem cognitionis, & Scriptionis Lucæ, speciatim accipitur. nam quamvis Lucas cum illis Scriptoribus, quorum meminit, in *genere* operis, (quod ut illi, sic ipse Euangelium conscripsit) conveniat: in *specie* tamen differre indicatur: quod nimirum Lucas ea, quorum ipsi plena fides facta: & quæ ab Apostolis tradentibus omnia, & accuratè percepta cognovisset, *ordine* scripserit; alii verò Scriptores, quod ipse præstitit, conati sint, non præstiterint: quemadmodum ex distinctione opposita; communis interpretum consensus observavit, & finis scripti huus, agnitio certitudinis Euangelii vers 4. demonstrat: ut postea clarius docebimus. Neque enim, cum Scriptorum Euangelii meminit, eo modo, quasi exemplum, quod imitetur, proponit Lucas: sed contra, ut ad temerariam illam Scriptionem cavendam præmuniat. Ac sanè παράδοξον illud Jesuita iste commentus, non veritatis, sed calumniandi nostrorum studio, quemadmodum hisce verbis ostendit: *quod si*, inquit, *hæc sententia, aliud nihil haberet commodi, tamen illud haberet, quod si eam sequeremur, facillimè hæretici cujusdam interpretis* (Bezam intelligit) *errorem refelleremus, qui colligit ex his verbis, primum omnium Euangelistarum scripsisse Lucam: quod etsi omnis antiquitatis repugnet historiæ, tamen alio argumento ex Scriptura sumto refutari non potest, quam quod hoc loco Lucas significet Matthæum & Marcum ante se Euangelium scripsisse. Nolo tamen* (*ut monere soleo*) *opinionem meam, aut suspicionem potius, nisi non benè probatam* (*tam multis præsertim dissentientibus authoribus*) *lectorem sequi.* Hæc ille. Cujus sententiæ non convenit quod Lucas ait: *Multi conati sunt*: duo autem multi non sunt: nempè Matthæus & Marcus. Deinde quod vers. 2. dicitur, *prout tradiderunt nobis, &c.* quo Apostoli ab illis, qui vers. 1. dicuntur conati componere historiam Euangelii, apertè distinguuntur. Cumque traditio hæc, ad prædicationem, non autem ad scriptionem referatur; ut res ipsa indicat & communis omnium consensus: inde etiam clarè cognoscitur, Apostolos tum temporis, Euangelia sua scripto nondum promulgasse, quos alioqui, ut à temerariis illis ac multis scriptoribus distinguerentur, Lucas non fuisset præteriturus. Denique si Matthæus & Marcus, ante Lucam, sua scripsissent Euangelia, Theophilus ad quem scripsit non opus habuisset ut eorum, quibus de doctrina Euangelii fuerat eruditus, *veritatem* seu *certitudinem* agnosceret: Nam jam antea ex Euangeliis Matthæi & Marci, si exstitissent, agnovisset. Atqui opus habuisse ex fine scripti, ad ipsum, à Lucâ, Euangelii, apparet: ac propterea Matthæus & Marcus non ante Lucam; sed Lucas ante eos, Euangelium scripsit. Sed obtenditur veterum Patrum consensus, qui uno ore omnes Matthæum Euangelistam primum conscripsisse Euangelium, asserunt. Verùm ut rationes ex divinis Lucæ verbis ante allatas, narrationi Patrum simplici, omnique probatione destitutæ, non temerè præponimus: Sic eos unanimi consensu illud asserere negamus. Nam Tertull. hoc, non ut certum omninò, asserit: sed ut verisimile proponit, adversus Marcio. lib. 4. cap. 4. Quum de Euangeliis Apostolorum ait; *quasi non & hæc à primordio fuerit, quemadmodum & Lucæ. atque hæc magis à primordio fuisse credibile est, ut priora quam Apostolica, ut cum ipsis Ecclesiis dicata.* Deinde contrarium antiquissimus Irenæus indicat lib. 3. cap. 1. adversus hæreses, ubi ita inquit: *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua, Scripturam edidit Euangelii, cum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Post verò horum excessum, Marcus discipulus, & interpres Petri, & ipse, quæ annunciata erant perscripta nobis tradidit, posteà & Johannes, &c.* Vidit hoc Baronius Cardinalis: & dum ex eo testimonio sese extricare conatur, suis ipsemet laqueis amplius involvitur. Sic enim suam sententiam primùm proponit Annal. lib. 1. anno Christi 41. sect. 15. *Hoc anno*, inquit, *Matthæus Euangelista, primus omnium, ut author est Eusebius, Hebraico sermone Euangelium conscripsit. Sed quod ad tempus hoc spectat, his contradicere videtur Irenæus:* Verba autem illius à nobis ante posita recenset, ac subjicit; *Sed utra horum authorum sententia probetur verior, diligenti studio perquiramus. Si igitur Irenæi verba, eo sensu quis putet accipienda, ut non nisi post Petri ac demum Pauli Romam adventum, Matthæum Euangelium scripsisse dicat, magna profectò sequerentur absurda. Siquidem Paulus non ante tertium Neronis annum, Romam accessit, anno scilicet Domini* (*secundum initam à nobis rationem*) *quinquagesimo nono. Quod si, ex sententia Irenæi, velimus, non ante dictum tempus, à Matthæo scriptum esse Euangelium; illud inprimis, quod est in confesso apud omnes, negari opus esset: Matthæum primum omnium Euangelistarum scripsisse Euangelicam historiam. Siquidem non Marcus tantùm, sed etiam Lucas ante Matth. Euangelium scriptis mandassent: Quandoquidem* (*ut ex his, quæ inferius, suis locis, dicentur apparebit*) *ante adventum Pauli Romam uterque edidisse suum Euangelium, reperitur.* At inquam illud, quod Baronius putat, absurdum non est, nimirum: Si potius Irenæo, Patrum penè antiquissimo, in historia de Euangeliorum scriptoribus (quem etiam Andrad. orthodox. explicationum lib. 2. pag. 28. sequitur) quam aliis posterioribus credatur. Neque propterea sibi contradiceret, *quod*, (ut Baronius loquitur) *ipse* (*sicut alii*) *omnes Euangeliorum scriptores recensens, primo loco Matthæum numerat.* neque enim sequitur, primùm inter omnes numerat: ergo primùm scripsisse censuit. Deinde neque hoc probatum est: nam lib. 3. cap. 1. tres tantum recenset, Matthæum, Marcum, Johannem, & ubi omnium Euangelistarum meminit, lib. 3. cap. 11. promiscuè recenset. Matthæum, Lucam, Marcum, Johannem. Postea verò primùm Euangelium Johannis (etsi Johannis nomen non exprimat) nominat, deinde Lucæ: tertiò Matthæi: & postremo Marci. Quare hæc Baronii ratio corruit. Nec altera majoris est momenti, quam proximè adducit, ab absurdo petitam, cum ait: *Rursus & illud, quod omnes æquè affirmant, irritum reddatur ac falsum*, nimirum, *Matthæum antequam Apostoli in diversas orbis provincias proficiscerentur, Euangelium scriptis tradidisse, siquidem ante adventum Pauli Romam fuisse divisos per orbem terrarum Apostolos, nulla est dubitatio:* At inquam, quod illud absurdum sit, quomodo probabit? nam ejusdem est, cum antecedente, ponderis. Verum operæ pretium est, observare, quam ridiculè verba Irenæi, ad suam sententiam tuendam, detorquere conetur: sic enim supradictis continuo subjicit: *Cæterum, quod ad Irenæi sententiam cum dicit, tum à Matthæo Euangelium scriptum esse, cum à Petro & Paulo Romana Ecclesia fundaretur: non sic accipienda putamus esse verba, ut non nisi post Pauli Romam adventum id factum esse voluerit significare: sed potius intellexisse, ipso initio fundationis Romanæ Ecclesiæ, à Matthæo Euangelium esse conscriptum: Cum nimirum Petrus Romam accessit, & tantæ molis erigendæ posuit fundamentum, Quod factum est post quatuor annos, anno scil. secundo Claudii Imperatoris, Dominique quadragesimo quinto* At inquam, quis adeo stupidus, ut credat idem esse, cum Petrus & Paulus Romæ fundarent Ecclesiam, atque cum solus Petrus inciperet fundare. Hæc enim expositio sententiæ exponendæ apertè contradicit. Deinde saltem illud, quod statuit antea Baron. Matthæum anno Christi 41. scripsisse Euangelium, hoc modo, ex verbis Irenæi, falsi convincetur. Nam si primum scripsit (ut Baron. hic asserit,) quatuor annos post, anno 45. non igitur annos 4. ante, anno 41. ut paulo ante asseruit. Hisce proximè conclusionem, non minus viro docto indignam, atque ineptam, connectit, cum ait: *Nec enim sic Irenæum de Paulo meminisse credimus, quasi non ante Pauli Romam adventum Matthæus scripserit, sed communi potius* (*tum ipsius, tum cæterorum Patrum*) *usu loquendi cum de Romanæ Ecclesiæ fundatione fit mentio, Paulum æque ac Petrum nominasse: non quod Paulus eodem, quo Petrus tempore, Romam venerit, ac simul cum Petro fundamentum jecerit: sed quod desuper ædificaverit, ac denique eandem Ecclesiam, unà cum Petro, consecraverit.* Hæc ille. Sed quum tam perspicuè tempus scripti Euangelii Matthæi, ab Irenæo definiatur; nempe cum Petrus & Paulus Romæ

Romæ Euangelizarent, & Ecclesiam fundarent: quis credat, Baronium hoc revera non credere, & non potius, quæ in animo convictus credit, erroris antiqui, & Pontificis tuendi studio negare? neque talem interpretationem, quam fingit, aut Irenæi aut aliorum Patrum, ullo exemplo probat, aut probare poterit. Etenim ab Irenæo non simpliciter fit mentio Petri & Pauli, quod Romæ euangelizarint, & Ecclesiam fundarint, omissa temporis circumstantia, sed etiam convenientia indicatur temporis illius, & editi Euangelii Matthæi. Quare malam causam pessimè Baronium defendisse, apparet. Atque illud etiam observandum, quod cum contendat Marcum scripsisse ante Lucam:, illud ex hoc Irenæi loco perspicuè confutatur: Nam ut Irenæus Matthæum scripsisse asserit, tum cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, (de qua re actum) subjicit: *Post verò horum excessum, Marcus etiam, quæ annunciata erant, perscripta nobis tradidit.* Quæ adeò clara sunt, ut Baronius responsionis inops, ea verba in tacta relinquere maluerit, quam perfrictâ fronte tergiversari. Atque hæc sufficere arbitramur ut constet probari non posse, Matthæum aut Marcum scripsisse Euangelium ante Lucam: sed contra Lucam ante reliquos Euangelistas: ob rationes, initio, ex ipso Luca, adductas. Cæterum quod non videtur vulgò animadversum, apud Eusebium Hist. Eccles. lib. 5. cap. 8. in Irenæo, loco citato, post mentionem Euangelii Marci, inserta sunt hæc verba: Λυκᾶς δὲ ἀκόλυθος Παύλυ, τὸ ὑπ' ἐκείνυ κηρυσσόμενον ἐυαγγέλιον, ἐν βιβλίῳ κατέθετο: *Et Lucas verò sectator Pauli, Euangelium ab eo prædicatum libro disposuit.* Quæ verba videntur potius Eusebio indita, quàm in codice Irenæi defecta: ut codicum ab Erasmo, aliisque collatio ostendit: & si verè essent Irenęi, Baronii tamen sententiam, de Euangelio Matthæi anno 41. conscripto confutarent, ut antè demonstratum. Quibus non incommodè, quasi corollarium adjici poterit, Baronii, de Euangelio Lucæ, quasi à Propheta typicè prædicto, narratio. Sic enim ad annum Christi 58. sect. 34. ait: *Inter typica, ac symbolica illa quatuor Euangelistarum insignia, (quæ primum Ezechieli, inde verò Iohanni Euangelistæ fuerunt divinitus demonstrata, & à Patribus divino plane Spiritu declarata) facies bovis, ob ministerium sacerdotii, à quo Lucas Euangelium auspicatur, ab omnibus ipsi tribuitur. cum alioqui (si licet sacris profana conjungere) antiqua voce, in Italia (ut author est Varro, de ling. Lat. lib. 6.) Bos, luca consueverit appellari.* Sic antea Bar. ad annum Christi 31. sect. 2. de quatuor Euangelistis loquens, ait: *Quorum admirabilem excellentiam atque præstantiam, Ezechiel propheta, sub quatuor animalium symbolicis speciebus, in divina illa cælitus ostensa visione gloriæ Domini præcognovit.* Hæc ille, quæ partim falsa, partim ridicula. Falsa, quia in Ezech. visione cap. 1. animalia illa quatuor, contra disertam Dei ipsius explicationem, quæ Cherubim notare asserit, cap. 10. 16. & 20. de quatuor Euangelistis dici statuit. nam licet Irenæus advers. hæres. lib. 3. cap. 11. (quem plurimi sequuntur) hoc affirmet: in eo veniam potius erroris, quam assensum rectæ explicationis promeretur. Quemadmodum & primum illius argumentum, quo ibidem, nec plura esse, nec pauciora Euangelia, ex eo probat, quod quatuor sint regiones mundi, & quatuor principales Spiritus seu venti. Neque id sanè ulla verisimili ratione ex Ezechiele probari poterit, cum nec scopus prophetæ, nec animalium illorum distincta suis circumstantiis descriptio, Euangeliis quatuor accommodari queat, & Dei, ut ostendimus, expositio de Cherubim, adversetur. Ideoque non solum è Patribus Theodor. in Ezech. Deo præeunte, similiter exponit: sed etiam Pontificiorum interpret. primarii, Mald. & Mariana, idem neglecta vulgari sententia, statuunt. Nam licet ea sit antiqua, non tamen vera: ut quæ, ab antiquiore divina expositione, falsi convincatur. Ridiculum etiam est, quod ex Varrone refert, quasi Bos, *luca*, antiqua voce, in Italia consuerit appellari. Hoc enim non solùm est ἀπροσδιόνυσον: sed etiam apertè falsum. Nec enim Varro de voce *luca* agit: (quasi ea bovem notasset) sed de periphrasi, nempè *luca bove.* Sic enim Varro ait: *apud Ennium: atque prius pariet locusta Lucam bovem. Luca bos, elephas:* & explicatione sequenti, originem periphrasis hujus, & vocem, *Luca*, adjectivum esse docet. Idemque Plinius naturalis histor. lib. 6. cap. 6. Similiter Elephantem, vocatum *bovem lucam*, id est, Lucanam, tradit: id quod adeò clarum est, ut etiam Mariana, 1. cap. Lucæ, hunc Baron. errorem nominatim perstrinxerit: quare nobis vitio verti non potest, si non solùm ineptum, sed etiam falsum hoc, *de bove luca*, commentum confutemus. Hoc enim inter alia plurimum conducit: ut, quemadmodum ex antedictis sic ex hoc specimine, appareat: quam partim mala fide, partim quanta negligentia, in autoribus, non solùm sacris, sed etiam profanis adducendis, utatur. Ut ea cautione instructi, non temerè dictis illius fidem adhibeamus. Atque hoc modo absoluta Euangelii Lucæ præfatione, ad tractationem, seu historiam Euangelicam, selectioribus locis, Deo favente, illustrandam, accedamus. Quæ cum primùm agat de Johanne Baptista, Christi præcursore: Deinde de ipso Christo; in priori quædam expendemus, quorum primum erit.

Sententiæ vers. 6.
Contra Origenis & Pontificiorum abusum defensio.

QUum Lucas Euangelium de Christo, à præcursore illius Johanne Baptista ordiatur, non immeritò excellentiam parentum illius Zachariæ, & Elizabethæ, (ad majorem sequentium intelligentiam, & Johannis, ac Christi Domini illius commendationem) primo loco describit. Ea autem excellentia, partim generis nobilitate, partim insigni justitia, declaratur. Ac prior quidem v. 5. posterior v. 6. his verbis exprimitur. *Erant autem justi ambo, in conspectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & statutis Domini inculpatè.* Quibus, Zachariæ & Elisabethæ justitia, cum habitualis ac sincera: tum actualis, tanquam fructus illius, atque index continetur. Habitualis quidem, quod *erant justi*, id est, justitia præditi, eaque *coram Deo*, hoc est, sincera: quia Deus omniscius cordium scrutator, 1. Reg. 8. externa specie falli non potest, 1. Sam. 16. v. 7. Actualis verò est, quod *incederent in omuibus mandatis, & statutis*, sive constitutionibus, *Domini inculpati*, id est, quod utramque legem, tam charitatis, quam ceremoniarum, sine fuco, inculpati observarint. Prior enim vox ἐντολαὶς *præcepta*, legem decem præceptorum, seu decalogi, distinctè notat, quando cum ea, vox δικαιώματα *statuta* copulatur. Quæ duobus Hebræis nominibus מצות & חקות omnino significatione respondent. Quemadmodum à LXX. Interpret. hæc duo similiter ἐντολαὶ & δικαιώματα transferuntur: & à vulgato Interpret. *Præcepta & ceremoniæ*, Deut. 10. v. 13. & 28. v. 4. & 30, v. 10. Quibus duobus, ast triplicem legem (Decalogi. Ceremon. & Judic.) simul notandam, sæpè addi solet vox Hebræa משפטים: quam vocem LXX. κρίματα vel κρίσεις vertunt, Latini *judicia*, Deut. 5. v. 31. & 7. v. 11. & 8. v. 11. & 30. v. 16. Atque hæc strictim de sensu hujus loci: quem ut paulò plenius intelligamus, duplex illius, ad errores stabiliendos, abusus indicandus, ac diluendus occurrit. Primus autem est Origenis, qui inter Patres celebris, non solum ob doctrinam; sed etiam ob indignam sacræ Scripturæ, per ineptas allegorias, & impura dogmata non pauca, depravationem. Qualis etiam in comm. ad hunc locum perspicua est. ut autem speciosius hoc ageret, fundamentum distinctione quadam, præstruit, cum ait: *Absque peccato esse, in sacris literis dupliciter intelligitur, ut sit alterum, nunquam omninò peccasse: alterum, peccare desiisse.* Unde priori sensu fatetur Origenes, nullum esse absque peccato: de posteriori verò negat his verbis: *Si verò sic intelligant, hominem non esse absque peccato, ut negent quempiam, post vitia, ita se ad virtutem conferre, ut nunquam omninò peccet, falsa eorum sententia est.* Idque probare conatur ex Ephes. 5. v. 26. *Christus*, inquit, *exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam; non quia Ecclesiasticus vir nunquam habuerit maculam, sed quia nequaquam ultra maculatur: non habentem rugam: non quod ruga veteris hominis in eo aliquandò non fuerit; sed eam habere desierit.* Atque eo etiam modo hanc Lucæ sententiam accipiendam statuit: *hæc*, inquit, *idcirco diximus, ut doceamus, posse hominem, ob id, quod peccare desierit, vocari absque*

absque peccato, & immaculatum. Unde & manifestissime de Zacharia & Elizabetha scribitur; erant justi ambo in conspectu Dei, &c. urgetque illa verba: *in conspectu Dei: utpote qui corda solus videt, & justus est judex.* Hæc Origenis sententia: qui distinctionis suæ membrum secundum exponens, sacræ Scripturæ clarissimis decretis è diametro adversatur; & dicta Pauli, & Lucæ perperam exponit. Nam ad prius quod attinet: falsam ait esse sententiam: si quis neget, quempiam à vitiis ad virtutem ita sese referre, ut nunquam omninò peccet. Contra verò disertè pronuntiat Apostolus Johannes 1 ep. 1. Nec enim tantum ait, v. 10. *Si dicimus nos non peccasse, mendacem facimus eum:* quod Origenes agnoscit; sed etiam, quod Origenes negat ac damnat, v. 8. ait Apostolus, *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis,* & Proverb. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* & Ecclesf. 7. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet;* & communis Ecclesiæ totius, atque quotidiana precatio, Luc. 11. v. 4. & Jac. 3. v. 2. contrarium ostendit. Quamobrem Origenes Pauli, & Lucæ verba pervertit. Nam primò & verba Pauli & sensum violat. Verba quidem, quia Paulus non ait de Christo *exhibuit sibi*, sed ut *exhiberet*, παραστήσῃ sisteret sibi. Sensum verò etiam corrumpit: quia, quod Paulus expressè loquitur de Ecclesia gloriosa, (qualis futura primùm est in cœlis) illud Origenes detorquet ad Ecclesiam, cum infirmitate militantem in terris. Et gloriosa rectè dicitur, non habere maculam, nec rugam, nec quicquam ejusmodi; sed sanctam & inculpatam esse: militans verò veterum macularum ac rugarum habet reliquias. Quamvis enim ea exuisse veterem hominem, cum factis ipsius, & induisse novum Col. 3. v. 9. 10. affirmetur: utrumque tamen, non simpliciter, sed secundum quid; seu non omninò: sed majori parte intelligitur. Idque eo perspicuè demonstratur: quod fideles jubentur adhuc deponere veterem hominem, & renovari Spiritu mentis suæ, & induere novum hominem, Ephes. 4. v. 22. 23. 24. & mortificare membra sua terrestria Col. 3. v. 5. vide etiam Rom. 12. v. 2. & 2. Cor. 7. v. 1. quod autem sine macula est simpliciter, illud purgari non potest, sed totum purum est; & quod non est, illud deponi, exui, transmutari non potest; sicut nec indui, id quo perfectè induti sumus. Quare cum reliquiæ carnis seu veteris hominis adversentur Spiritui, & Spiritus carni, Galat. 5. v. 17. Rom. 7. v. 23. & Caro tamen non dominetur, sed Spiritus, Rom. 6. v. 14. & 18 idcircò patet Ecclesiam militantem non esse simpliciter, seu omni parte sine macula, & sine veteris hominis ruga. Ac propterea falsum est omninò, quod de Ecclesia militante affirmat Origenes, eam esse sine ruga veteris hominis, quod eam habere desierit. Neque illud, ut obtendit, manifestissimè de Zacharia & Elizabetha scribitur, à Luca: neque etiam ex ejus verbis rectè concludi potest; quod ut clarius constet, syllogismo rem constringemus. Quicunque justi sunt coram Deo, & in omnibus illius mandatis, ac statutis incedunt inculpati, illi peccare desierunt: atqui Zacharias & Elizabeth fuerunt tales: Ergò peccare desierunt. Speciosa quidem, sed vitiosa oratio, ob sophisma amphiboliæ, in medio termino; qui diversis modis accipitur. Nam homo, justus coram Deo, & inculpatus dicitur, vel per se, vel per accidens. Per se, qui talis est propriæ justitiæ jure; qualis solus Christus, Heb. 7. v. 26. *Christus dicitur Pontifex sanctus; innocens; impolutus; segregatus à peccatoribus,* & 9. v. 14. *qui se ipsum obtulit inculpatum Deo.* & 1. Pet. 1. v. 19. *Ut agnum immaculatum, & incontaminatum.* Per accidens verò justi coram Deo, & incedere in omnibus mandatis & statutis, inculpati dicuntur Christiani veri, seu verè fideles, nimirum per accidentem Dei, per Christum, gratiam, seu expiationem ac condonationem. Quia licet quis (per sanctificationem, à Spiritu Sancto inchoatam) habuerit internam justitiam & externam, secundum omnia Dei mandata: non tamen eo perfectionis gradu, qui jure legis requiritur, id est, non ex toto corde, tota cogitatione omnibusque viribus, Matth. 22. v. 37. ob carnis adversus Spiritum concupiscentiam, Gal. 5. vers. 17. Idcircò ob hunc defectum, si hæc justitia fidelium per se tantum spectetur, peccatum, seu legis transgressio est; sed per accidens gratiæ Dei, hunc defectum, per fidem in Christum condonantis, justi coram Deo & inculpati dicuntur. Qua de re duæ sunt memorabiles sententiæ; una 1. Pet. 2. vers. 3. ubi fideles dicuntur esse *Sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo, per Jesum Christum.* Altera & quidem expressior est sententia de Deo, Hebr. 3. v. 21. *Perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam illius voluntatem: efficiens in vobis, quod acceptum sit in conspectu suo, per Jesum Christum.* Nam licet bonum in nobis efficiat Deus, & eatenus probet: quia tamen illud carnis nostræ rebellantis contagione inficitur, non nisi per & propter Christum, gratuita condonatione acceptum est. Neque causa est, cur quispiam excipiat: Deus (ut Apostolus ait) nos perficit in omni opere bono: ac propterea nihil in nostris operibus est imperfectionnis: quia Apostolus non loquitur de perfectione, ut appellant graduum, seu obedientia ex toto corde, tota cogitatione, & omnibus viribus intenta: sed de perfectione partium; seu quod Deus Spiritu suo sanctificante, carnis dominatu sublato, obedientiam secundum omnia legis præcepta in nobis inchoet, non autem carnis reliquias penitus tollat, sed per Christum condonet: ut sequentia exponunt. Atque ita ut fideles per se considerati, à Deo jure legis culpari meritò possunt: sic non nisi per accidens gratiæ, culpam remittentis, justi coram Deo, & inculpati vocantur: ut Luc. 1. v. 74. 75. 76. *Ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ.* & 1. Cor. 1. vers. 8. *Deus etiam confirmabit vos, usque ad finem, inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi.* Quare ex hisce apparet, vanam esse syllogismi objecti consequentiam: quia justum esse coram Deo, & inculpatum, in propositione, per se intelligitur, ex Origenis sententia antea proposita; in assumptione verò ex Lucæ verbis proposita non per se, sed per accidens gratiæ Dei per Christum, accipitur. Idque etiam ex vers. 20. constat, ubi peccatum incredulitatis Zachariæ indicatur, ac culpatur ab Angelo Dei. Deinde August. tom. 1. Epistol. 95. *Quia sacerdos erat Zacharias, peccatum habuisse docet: quod summi sacertodes quotidie pro peccatis propriis, totiusque populi victimas offerrent, ex Dei lege,* Hebr. 7. v. 27. Ideoque falsum est, quod Origenes Zachariam inculpatum fuisse per se, seu justitiæ propriæ perfectione, ac peccare desiisse, contendit. Atque ut nonnullis dictis Ario viam stravit; sic hoc exemplo Pelagianis prævivit: de quibus August. lib. de hæres. cap. 88. ait; *in id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum iu hoc seculo nullum omninò habere peccatum, & ex his (nempe justis,) Ecclesiam Christi, in hac mortalitate, perfici; ut sit omninò sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: dimitte nobis debita nostra.* Hæc August. Hoc igitur abusu primo hujus loci plenius confutato: facilius alterum diluemus; is autem est Pontificiorum. Cujus abusus primò occasio & scopus; Deinde forma, seu modus considerandus est. Occasio quidem est, Orthodoxorum adversus Pontificios, de justificatione hominis coram Deo, ex operibus, argumentum hujusmodi: Nulli peccatores ex operibus suis justificantur coram Deo: omnes homines sunt peccatores. Ergò nulli ex operibus suis justificantur coram Deo. Scopus autem est, ut ex hac Lucæ sententia assumptionem confutent, atque ita contrarium stabiliant. Modus autem est oppositio hujus exempli, Luc. 1. vers. 5. quia Zacharias & Elizabeth dicuntur fuisse justi coram Deo, incedentes in omnibus illius mandatis & statutis, inculpati. Verùm negamus inde sequi illos non fuisse peccatores: quia non per se, id est, jure dignitatis justitiæ eorum propriæ, justi coram Deo, & inculpati dicuntur (ut antea demonstravimus) sed per accidens gratiæ Dei, imperfectionem bonorum operum propter Christum, condonantis. Quod adeò perspicuum est, ut ipsimet adversarii hoc fateri cogantur; quemadmodum Thom. Staplet. in Antid. Euangelicis ad hunc locum ait: *Docet hic locus, justitiam bonorum operum coram Dea talem esse, & sic in omnium mandatorum observatione consistere, ut à gravioribus tantum peccatis immunis*

munis sit; non quod iam exacta observatio necessariò requiratur, quæ cum nullis levioribus peccatis consistat. Hæc ille: unde apparet demonstrationem Orthodoxorum inconcussam perstare. Deinde hæc Lucæ verba in Pontificios retorquemus; Qui habent peccata, illi non sunt jure operum suorum justi coram Deo: Zacharias & Elizabeth fatentibus adversariis (ut est Concil. Trident sess. 6. cap. 11.) habuerunt peccata; quod etiam ex Luca jam ante ostendimus de Zacharia: Ergò non fuerunt jure operum justi coram Deo. Neque distinctio valet, quam adducunt, inter peccata levia ac venialia, & gravia seu crimina & mortalia: quia generatim peccatum omne repugnat justitiæ, quam Deus præcipit: quia est transgressio legis, 1. Joh. 3. vers. 4. & stipendium peccati mors, Rom. 6. vers. 23. Ac licet non omnia peccata sint æqualia: omnia tamen & legis jure, & merito suo, sunt mortalia, id est, mortem merentur, Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Sed credentibus in Christum, confitentibus, & resipiscentibus, ex Dei gratia, propter Christum, condonantnr, 1. Ioh. 1. v. 9. Ideoque David orans ait: Psal. 143. v. 3. *Ne venias in judicio cum servo tuo: quia non erit justus coram te ullus vivens.* Quod autem Stapleton. Luc. 1. v. 6. respondet nostris; *si nemo coram Deo justificabitur: Ergò nec per suam, nec per alienam justitiam, ipsi imputatam, nec per opera, nec per fidem aliquis justificabitur.* Hoc inquam, vanum est effugium: quia David non potuit deprecari judicium Dei per fidem: quia illud fit per Dei misericordiam ac gratiam, peccata, propter Christum, remittentem, Rom. 3. v. 24. ac beatus David prædicat, quibus remissa sunt peccata, Psam. 32. v. 1. 2. ideoque nec sapienter, nec piè, hoc misericordiæ, per fidem in Christum, judicium, deprecari potuit; sed contrà pro eo precatus est; quemadmodum de omnibus sanctis ibidem testatur, Psal. 32. vers. 6. Judicium verò Dei, ex operibus hominis, declinavit rectè, ac deprecatus est, ut est Psal. 130. *Si iniquitates observaveris Jah, Domine quis stabit?* Et sanè de hoc judicio verba Davidis quæ frustra corrumpere Stapleton. conatur, intelligenda esse Apostolus, Rom. 2. v. 20. 21. 22. & Gal. 2. v. 16. proponens, disertè ac perspicuè exponit. Præterea, ut initium sententiæ, Luc. 1. v. 6. quo Pontificii abutuntur, in eos retorsimus: ita reliquum, iis refutandis, retorquemus hoc modo: Qui habent peccatum, illi suorum operum jure, non possunt dici justi coram Deo, nec incessisse in omnibus Dei mandatis, inculpatè: quia peccatum omne culpa est, & culpari ac reprehendi potest: atqui Zacharias & Elizabeth, (ut de his & omnibus sanctis agnoscunt Pontificii) habebant peccata. Ergò suorum operum jure, non possunt vere dici. incessisse in omnibus Dei mandatis, & statutis inculpatè. Cum autem verè dicantur ab Euangelista inculpati, quod intelligi cum non possit. de jure operum: sequitur intelligendum ratione gratiæ Dei, condonantis imperfectionem operum, propter Christum. Nam quamvis Stapleton. *ἄμεμπτον inculpatum*, sive *irreprehensum*, aut cum vulgat. interpr. *sine querela*, hominum ratione, dici censeat; ut Phil. 2. vers. 15. & 3. v. 6. & 1. Thess. 2. vers. 4. accipitur; & in eo etiam Augustin. tom. 7. contra Pelagianum & Cœlestinum lib. 1. de gratia Christi cap. 47. & tom. 2. epistola 95. sequatur: ut & Bellarminus tom. 4. de amiss. gratiæ, lib. 1. cap. 6. Maldonatus tamen Jesuita generatim accipit; *ut*, inquit, *sensus sit, adeò diligenter Dei mandata, institutionesque servasse, ut nihil in eorum observatione desiderari, nihil neque apud homines, neque apud Deum reprehendi posset.* Unde inquam sequitur, cum agnoscat fuisse peccatores, non jure operum, sed Dei munere ac gratia, inculpatum dici, ut supra ostendimus. Ac licet ea sententia, quæ inculpatos apud homines exponit, sit probabilis, & adversariis nullo modo faveat; tamen non est necessaria: quia etiam alibi, ratione Dei, fideles in hac vita dicuntur inculpati, & ab eo tales confirmandi, ut Luc. 1. v. 74. 75. 76. & 1. Cor. 1. v. 8. de qua antea, & 1. Thess. 3. v. 13. dicitur, *ut corda vestra inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo, & Patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis*, & ibid. c. 5. v. 23. *Ipse autem Deus sanctificet vos totos, & integer vester Spiritus, & anima & corpus, inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.* Qualis sanctitas inculpata, sine conjuncta remissione peccatorum, propter Christum, esse non potest: Ideoque tales de fidelibus sententiæ, non aliter sunt accipiendæ quam per accidens gratiæ Dei, defectus condonantis. Quomodo etiam intelligenda sententia Hiskiæ, de sua justitia, quam objicere solent, Esa. 38. v. 3. *Memento Jehova quæso, quod ambulaverim in veritate, & corde perfecto & bonum in oculis tuis fecerim*, & tamen postea v. 7. *Sua* in Deum peccata confitetur. Quemadmodum etiam, 2. Reg. 18. de eodem dicitur, v. 6. *& adhæsit Jehovæ, non declinavit ab eo, custodivitque præcepta, quæ præcepit Jehovah Mosi*; & tamen v 14. peccatum suum injustitiæ, in regem Assyriorum, agnoscit, & consequens etiam v. 16. in Dei templum injustum fuisse, coram Deo, describit. Quare illa justitia coram Deo, quæ ei attribuitur, non de jure operum per se accipienda, sed per accidens, ratione accidentis veniæ, defectus sc. peccati, intelligenda.

Atque ita, non solum Origenis, sed etiam Pontificiorum in hac celeberrima Luc. 1. v. 6. sententia corrumpenda, abusum detectum, ac confutatum arbitramur. Quamobrem ad alia illustranda procedimus. Primùm,

De Missione Angeli ad Virginem MARIAM.

QUemadmodum præcursoris Christi Iohannis Baptistæ conceptionem admirandam, missio cælestis Gabrielis ad Zachariam, & annuntiatio illustris, ac fidelis antecessit, idque ab Euangelista, unà cum eventu consecuto, hactenus explicatum: sic rectò ordine, de Christo acturus, similia, eodem nuntio accidisse describit. Ac primò, missionem Angeli Gabrielis ad virginem Mariam, ad conceptionem & nativitatem Christi nuntiandam: deinde fidelem Angeli obedientiam declarat. *In missione* autem observanda est *causa illius efficiens*, (nam finis, seu nuntium, cujus gratia missio instituta, hic ad ταυτολογίαν vitandam, omissa, in executionis narratione explicatur) & *circumstantia*. Causa *efficiens* est Deus. *Circumstantia* est accidens temporis & loci: & persona cùm missa, tùm ea, ad quam missa est. Tempus quando contigit, est mensis sextus, scil. conceptionis Johannis Baptistæ, ut v. 24. indicatur, *Post illos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, & occultavit se mensibus quinque:* ad quod refertur, quod vers. 26. sequitur, *mense autem sexto.* Locus verò quo missio instituta, est urbs Galilææ *Nasareth.* Persona deinde missa notatur primò appellatione officii, *Angelus* id est, nuntius καὶ ἐξοχὴν, cœlestis, ut Hebr. 1. v. 14. Deinde proprio nomine, cum additur, *Gabriel*; qui ante ad patrem Johannis Baptistæ fuerat similiter missus, Luc. 1. v. 11. & 19. Persona autem ad quam missus est, describitur, à conditione sua, & nomine. Condonditio est partim interna, quod virgo: partim externa, quod viro Iosepho, è domo, id est, genere Davidis, desponsata. Nomen verò est Græcè Μαριάμ, Latinè Maria. Atque hæc strictim de hujus loci analysi. Sequitur jam quæstio de nomine Gabriel, & Maria. Non enim inutilis est verborum concertatio, si quis nomina hæc nonnihil examinet: sed hoc partim ad diversa Sacrarum litterarum dicta accuratius intelligenda: partim ad errores Pontificios communes clarius retegendum & confutandum conducit.

Ad 1. quod attinet, Certum est Angelum Gabrielem memorari Dan. 8. v. 16. & Luc. 1. 19. & 26. & vocem esse Hebræam, & quidem compositam. Sed de compositionis modo, & de nominis significatione diversa sunt judicia, quidam enim ex tribus vocibus constare putant אל גבר & affixo pronomine primæ personæ י. Atque ita in Appendice bibliorum Complut. in libro interpretationis nominum Hebraicorum tertio modo, *fortis meus Deus*, exponitur. Alii verò ex duabus tantum vocibus formatum judicant, ex גבר & אל: Ita ut י in medio sit epenthesis, euphoniæ causa: ut in quibusdam aliis, ad suaviorem compositionem, fieri solet, ut in nomine מַלְכִּיצֶדֶק ex מלך & צדק id est, interprete Apostolo, Hebr. 7. v. 3. βασιλεὺς δικαιοσύνης, rex justitiæ. Quæ sententia maximè communis. Sed in significatione exprimenda variatur. Primùm enim

 Hieron.

Hieron. tom. 5. in Danielem, cap. 8. ait. *Gabriel enim in linguam nostram vertitur, fortitudo, vel robustus Dei.* Quem sequitur Complutensis nominum interpretatio, in secunda expositione sua hac: *Foritudo Dei.* Idemque tradit Theophilus Lebæus in onomastico Theologico: ut etiam illustres quidam Danielis interpr. Verùm obstat vocis גבר in sacris literis usus, quod nullibi *fortitudinem* notet, sed *virum*; licet (ut vox Latina *vir*) à viribus nomen habeat nempe à verbo גבר *fortem esse* Quare alii non fortitudinem, nec fortem (qui גבור dicitur,) sed virum exponunt: atque ita quidem interpretatio Complut. prima est, *vir Deus*, ut sensus sit, Deus est vir, metaph. id est, fortis: quo tropo dicitur,. Exod. 15. vers. 3. *Jehova vir belli*, id est, bellicosus. Deinde multi simplicius explicant, *vir Dei*, à virili specie, qua Angeli, ut ministri Dei, apud homines apparere solent. Unde etiam crebrò, à prophetis, idcircò *viri* appellantur, Genes. 12. v. 2. & 19. v. 10. Cœterum hoc etymo statuto, disquiritur an hoc nomen, *Gabriel*, sit proprium; an verò commune, seu an singularem personam; an verò accidens illius officium, cum aliis Angelis commune, significet? Prior sententia, (quam Hier. comment. in Daniel. cap. 4. aliique Patres tradunt) magis consentanea est, ob nominis unius ex duabus vocibus compositionem: qualis in nomine proprio sæpius adhiberi solet; in accidentis verò periphrasi insolens est. Sed pro altera secunda sententia objicitur. Insolens omninò esse in sacris literis, ut ulli Angelo nomen proprium tribuatur. Cui argumento non opponemus Angelum Raphaëlem ex libro Tobiæ, cap. 12. vers. 15. neque Jeremiëlem ex libr. 4. Esræ cap. 4. vers. 36. neque Uriëlem cap. 5. vers. 20. (quia libri hi sunt apocryphi. & fabulosi:) Sed cum Hieron. in Daniel. cap. 8. opponimus Archangelum Michaëlem: de quo Dan. 10. vers. 13. & 21. & in epistola Judæ, vers. 9. & Apoc. 12. v. 7. Nam quod insignes interpp. hac voce, non Angelum creatum; sed filium Dei intelligi statuunt; illud, si quis diligenter expendat, suis rationibus minimè evincunt. Quarum prima est, à nomine ipso petita מיכאל id est, *qui sicut Deus*, qui honor soli Deo competit, Respondemus autem, interpretationem hanc meritò negari: quia מי vox Hebræa, non est propriè nomen relativum (*qui* nempè) sed interrogativum, *quis*, sicut usus vocis demonstrat. Ac licet sic accipiatur ab interpp. Ecclesf. 7. vers. 14 ex ea tamen rarissima catachresi, statui non potest, ita in aliis vocibus, & in hac intelligi oportere: præsertim cum in similibus dictis, ubi Deus celebratur, vox מי interrogativè semper accipiatur, Exod. 15. v. 11. מי *quis sicut tu inter Deos*, & Psalm. 35. vers. 10. *Jehovah* מי id est, *quis sicut tu*, & Psalm. 71. v. 19 & 89. v. 9. Esa 44. v. 7. Jerem. 49. v. 19. & 50 v. 44. Neque Dei majestas læditur, cum hoc nomen Michaël, id est, *quis sicut Deus*, Angelo tribuitur: quia est confessio Majestatis Dei, non autem alienatio illius à Deo. Quod inde etiam probatur, quod idem nomen Michaël, à piis parentibus ac laudatis suis filiis crebrò impositum est; ut Num. 13. v. 14. & 1. Chro. libro sæpius, ut cap. 5. v. 13. & alibi 2. Cher. 21. v. 2. Esra. 8. vers. 8. Alterum quod adferunt argumentum ob attributo principis populi, quo vocatur Dan. 10. v. 21. petitum simile, non stringit. Nam licet Christus sit jure summus, & absolutus populi Judaici princeps: huic tamen probè consentit, quod Angelus Michaël princeps populi illius, Dan. 10. v. 21. vocatur: quia hoc fit, quod populo Judaico, ad Filii Dei nutum, esset institutus Princeps. & sic principatus etiam, nomina Angelis tribuuntur, Ephes. 1. v. 21. Col. 1. v. 16. Quare argumentum hoc invalidum est; ut etiam postremum ex Apoc. 12. v. 7. quod Michaëlis & Angelorum ejus fiat mentio: Angeli autem Christo subdidi sint. Fatemur nos Christo subditos, tanquam summo Domino: Michaëli verò ut Archangelo, qui Christo subjectus est: quemadmodum adversarius Michaëlis Diabolus, & Angeli ejus ei opponuntur v. 9. Confutatis igitur hisce rationibus, quibus probare conantur, per Michaëlem debere Filium Dei Christum intelligi: contra superest, ut demonstretur, non solum non debere, sed etiam non posse ita intelligi. Primùm, quia Michael vocatur Archangelus. epist. Judæ, vers. 9. Atqui Archangelus disertè distingiutur à Christo, 1. Thess. 4. v. 17. Deinde quia Michael unus è numero Archangelorum vocatur, Dan. 10. v. 13. cum ait: *Michael unus Principum primorum venit, ut me adjuvaret.* Hoc autem de Filio Dei dici rectè non potest: ut qui non sit è numero Archangelorum, sed extra numerum eorum, Deus omnipotens ac creator. Neque excusari potest, si quis *unum* pro *primo* (ut interdum fit, Gen. 1. & alibi) accipi objiciat: quia eodem res redibit. Nam primus principum primorum, è numero & ordine eorum est. Præterea Angelus Gabriel, loco Danielis citato, facti sui difficultatem describens, ait: v. 21. *Ne unus quidem est, qui confirmet se mecum, nisi Michael Princeps vester.* Atqui si ea voce Filius Dei intelligeretur, inepta & illo indigna esset oratio: quoniam nullum majus auxilium, quam Filii Dei, cujus potentia infinita, excogitari potest. Denique quod in epist. Judæ v. 9. de Michaële dicitur, quod *non ausus fuerit Diabolo maledictum ingerere: sed dixerit, increpet te Deus:* id ad Dei Filium omnipotentem omnium Dominum ac judicem, referri indignum est. Nam licet talis increpatio (qualis Jehovæ adscribitur, Zach. 3. v. 2) Filio Dei tribui possit; quo modo, non ausum fuisse maledictum ingerere, dici potest: cum & Christus, Joh. 8. ipsi perspicuè maledixerit, & judex sit dæmonum, quos ultimo die in æternum condemnaturus sit supplicium. Quamobrem ex hisce satis patet, falsum esse, quod objicitur; nulli Angelo in sacris literis nomen proprium adscribi; ideoque perstat communis Patrum sententia, qua vocem Gabriel, singularis Angeli nomen proprium esse censent. Id quod etiam attributa duo, cum nomine Gabriel conjuncta, suis locis demonstrant, nempe *vir*, Dan. 9. v. 12. & *Angelus*, Luc. 1. v. 26. quia si Gabriel non personæ nomen esset, sed officii, communis aliis Angelis, nempe *vir Dei*, tautologia esset inepta, *vir*, *vir Dei*, si sensum consideremus, quem obtendunt. Porrò observatu dignum est, quod idem Angelus Gabriel, olim à Deo missus, ad Danielem prophetam, ut tempus futuri adventus Christi, & salutem per eum *pronunciaret*, Dan. 9. Et deinde completo tempore, à Deo missus ad virginem Mariam, ut conceptionem Christi instantem, & nativitatem rectè secuturam *annunciaret.* Atque hæc de Angelo Gabriële, quibus pauca adjungemus.

De Nomine Mariæ.

UT autem de hoc nomine paucis etiam agamus; eò nos provocat indigna Pontificiorum, ad superstitionem, translatio. In nomine autem spectanda est vox & significatio illius. Vox enim aut integra aut contracta est: Integra est in Grçco Μαριὰμ, in Nominativo, Accusativo & Vocativo, Luc. 1. v. 27. 34. & 30. In genitivo Μαρίας Luc 1. vers. 41. vel Μαριὰμ Luc. 2. vers. 5. In Dativo Μαρίᾳ Actor. 1. v. 14. Contracta verò vox est Μαρία per apocopen ultimæ literę μ. Ac licet Μαριὰμ de sola Virgine Maria, in Euangeliis, & de alia pia muliere, Rom. 16. v. 6. dicatur: Μαρία verò de sorore Lazari Ioh. 11. v. 2. aliisque Marc. 16. v. 1. idem tamen nomen esse reipsa, Syrus interpres declarat: qui sine discrimine, utriusque loco habet מרים. Hæc de voce ipsa. De significatione verò illius controversia est. Nam ad Patres quod attinet, Hieronym. Tom. 3. de nominibus Hebraicis in Exodo. *Maria*, inquit, *illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut Smyrna, aut Stella maris.* & ibidem de nominibus in Matthæo ait: *Mariam plerique æstimant, interpretari, illuminant me isti, vel illuminatrix, vel Smyrna maris: sed mihi nequaquam videtur. Melius autem est ut dicamus sonare eam, stellam maris, sive amarum mare. Sciendum Maria Syro sermone Domina vocatur.* In quibus verbis postremis, error videtur observandus Hieronymi: nam Syris *Domina, Hera*, non vocatur Maria מריא sed מרא vel מרתא (ut doctissimi hujus linguæ lexicographi testantur) quæ vox à Maria diversa est, Ioh. 11. vers. 19. Deinde libro interpretationis nominum in Bibliis Complut. de eodem nomine hæc habentur: *Maria exaltata; vel amaritudinis mare, aut Myrrha maris, sive doctrix, vel magistra maris, aut ex Syro & Hebræo, Domina maris.* In qua varietate memorabilis

morabilis est Pontificiorum abusus, quod Stellam maris interpretantur, & in suis idololatricis, ad Virginem Mariam, precibus, ita invocant, in Bonaventuræ opere, quo ea, quæ in Psalmis Davidis Deo tribuuntur propria, ad Virginem Mariam detorsit, ac Psalterium appellavit: id quod Constantiæ anno 1661. cum canticis aliisque precibus ac litaniis, ab Episcopo Constantiensi probatum, & recusum est. Sic enim in Psalmo 66, vers. 4. *illumina me stella maris &c.* & in Litania ad Virginem Mariam, pag. 357. *Maria stella maris Maria porta cæli &c. ora pro nobis.* Quem appellationis fucum incrustare conantur duobus argumentis. 1. ex sententententia Hieronymi ante proposita, qui Mariam *stellam maris* interpretatur. Sed negamus: quia error est ab imperitia aut negligentiâ descriptorum illius libri: quia legendum est, non *Stella*, (quæ Hebraicè כוכב dicitur) sed *Stilla*. Nam ut ים Hebræis mare, sic מר Esai. 40. v. 15. *stillam* notat. Quo spectavit Chytræus, Comm. in Matth. cap. 1. quia ad vocem Maria ait, *Stilla maris*, vel *amarum mare*, vel *doctrix populi*, à ירה & עם. Nec alterum argumentum firmius est, quod nomen illud Maria compositum sit ex מאור *luminare* & ים *mare* ut Costerus conjicit: sic enim nomen esset מארים non autem מרים. Cæterum ut & Pontificiorum error peculiaris, & vulgaris eorum, aliorumque (quos legere contigit) corrigatur: duo sunt statuenda. Primum est, מרים suavioris pronuntiationis gratia, à Græcis LXX. interpret. (ut initio ostendimus) & in Novo Testamento Græco, & in Syra interpretatione poni pro Hebræo מרים. Quam vocem, ut suis vocalibus non mutatam Chaldæi paraphrastæ retinuerunt. Exod. 6. vers. 20. & 15. vers. 20. Sic LXX. interpretes exilem atque obscuriorem vocalem Chirick seu i breve, in a pleniòris ac clarioris soni vocalem mutarunt. id quod Apostoli & Euangeistæ secuti sunt. Quemadmodum in pluribus aliis à LXX. interpretibus factum est, verbi gratiâ, Bileam, in Balaam: quomodo etiam Apostolus Iudas vers. 11. enuntiavit. Quamobrem cum Hebræorum vocem מרים & Græci LXX, interpretes & Syri mutarunt, in מרים, significatio illius non ex hac posteriori: sed ex priori sumenda: quia, litera, A, hic non est nativa vocalis, ad vocis primæ naturam pertinens: sed tantum nativæ vocalis vicem supplet, ad sonum suaviorem. Qua in re, primus interpretationum hujus vocis error communis consistit. Alter est, quod genuinam compositionem & significationem vocis מרים (bona cum venia dictum sit, veritatis studio) non observarunt. Componitur enim ex nomine מרי i. e. *rebellio* proverb. 17. v. 11 (à verbo מרה *rebellis fuit*) & pronomine affixo ם - *eorum*: quemadmodum vox integra מרים extat Nehem. 9. vers. 17. במרים *in rebellione sua.* aut *eorum*: ut ex nomine פרי fructus & ם - eorum, פרים *fructus eorum*, Esai. 37. vers. 30. componitur. Cur verò illud nomen, primum sorori Mosis impositum sit; non minus incertum est, quam cur frater Mosis, & illius, Aaron sit nominatus. Quare ex hisce apparet, Pontificios inepto errore deceptos, quod falsò Marriam sive Mariam significare stellam maris contendunt, & hoc quasi imperio ei attributo, impiè, hoc titulo, Virginem Mariam invocare. Atque hæc quidem de Angeli Gabrielis, ad Virginem Mariam, *missione*. Sequitur deinde fidelis illius, per Gabriel, *executio*. Quæ in facti & sermonis imperati obedientia consistit: ita tamen, ut consequentes utrimque eventus, commodo ordine, interserantur. *Factum* autem est ingressus Angeli ad virginem versu 28. initio. qui non sensim, ut homines solent, sed repente, pro more & potentia Angeli: cui omnia pervia, tanquam Spiritui: id quod ex apparatione illius v. 19. colligitur: Cujusmodi etiam fuit accessus Angeli, Dan. 6. v. 32. & Actor. 5. v. 19. & 10. v. 3. & 11. vers. 13. & 12. v. 7. cum 10. collato. *Sermo* verò Gabrielis, salutationem ad Virginem Mariam & annuntiationem conceptionis & nativitatis Christi complectitur. *salutatio* autem est sermonis initium, quo salutem alicui optamus, ad testandam & acquirendam benevolentiam. Qualis, hoc in loco, Angeli Gabrielis ad Mariam describitur, propositione, & expositione atque amplificatione constans. *Propositio* vers. 28. hæc est: χαῖρε κεχαριτωμένη: quibus describitur virgo Maria, quæ salutatur, & modus salutationis.

Atque illud quidem Græcè est κεχαριτωμένη: cujus vocis origo est à χάρις *gratia*: unde oritur χαριτόω *gratum* sive *acceptum facio*, & χαριτόομαι *gratus* seu *acceptus fio*, unde κεχαριτωμένη. de qua voce noster interpres ait: *Heraicè est* נרצה *quod participium Lucas, novo vocabulo Græco, expressit.* idemque etiam in annot. ad Eph. 1. v. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ait, הרצה *ficto quidem verbo, sicut etiam finxit alibi verbum* ἱκανῶσαι. Verum licet, ex profanis authoribus Græcis, usus earum vocum nondum appareat; non novam tamen, neque à Paulo fictam esse demonstrari potest, quia verbum ἱκανόω duodecies à LXX. interpretibus usurpatur, ut Num. 16. v. 7. Deut. 1. v 6. & alibi. Sic etiam χαριτόομαι usurpatur à Jesu Siracide Ecclesiastici cap. 18. v. 18. παρὰ ἀνδρὶ κεχαριτωμένῳ, *apud virum gratiosum, gratiâ præditum.* Ad sensum verò quod attinet, latini patres, & vulgata versio vocem κεχαριτωμένη reddunt *gratiâ plena*, ut etiam Syrus interpres: quasi significaret gratiam inhærentem, sive dona collata in Mariam; cum contra notet gratiam, seu gratuitam dilectionem, in Deo, erga Mariam ut etiam Angelus postea exponit: *invenisti enim gratiam apud Deum:* sic etiam vox ea accipitur, Ephes 1. v. 6. *ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos sibi* ἐχαρίτωσεν *gratos fecit in illo dilecto. Quippe qui ex ejus plenitudine omnes accepimus & gratiam pro gratia*, Joh. 1. v. 16. neque sine Christo ad gratiam, neque ad gloriam Dei patet accessus, Joh. 14. v. 6. Actor. 4. v. 12. neque sine fide in illum possumus placere Deo, Heb. 11. v. 6. Marc. 16. v. 16. Atque hæc de salutatæ Mariæ descriptione, ab adjuncta Dei, erga eam, gratiâ. *Formula* verò seu *modo salutationis* est, χαῖρε; quæ vox propriè significat *gaude*, ut LXX. interpretes Lament. cap. 4. vers. 21. χαῖρε (Hebr שישי) *gaude filia Edom.* & Matth. 5. v. 12 χαίρετε *gaudete.* unde per Metonym. adjuncti pro subjecto. *salvere*, seu *prosperum esse* notat. Siquidem prosperitas gaudium parit. Atque hoc modo χαῖρε & χαίρειν solennis ac communis est, apud Græcos, salutandi formula. De qua elegantissima ac lectu digna extat Luciani oratio, Tom. 3. *de lapsu in salutatione.* Quam formulam ac tropum Horat (Græcos imitari solitus) expressit Epistolarum lib. 1. epist. 8. cum *Celso gaudere, & bene rem gerere Albinovano, Musa rogata refer.* Latini verò *salve*, & *salutem* frequentius usurpant: & in alloquio, etiam *ave* pro χαῖρε usi sunt: quemadmodum Martial. lib. 5. epigram 53. ait: *Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant, ave Latinum, χαῖρε non potest Græcum.* Quod autem Festus Pompejus ait, *avere, nihil aliud, esse quam cupere, cum significet & gaudere:* illud, inquam, si *gaudere* Metonymicè acceperit, cum Horatio, verum est: Sin verò ut videtur, propriè intelligat, quasi verbum *avere*, & *salvere*, & *gaudere* (ut Græcis χαίρειν) significaret, illud non est verisimile: quia nullo prorsus exemplo probat: neque tale, à diligentissimis Latinę Linguę magistris profertur. Porrò, ut Græci authores profani, hac salutationis formula sunt usi, nempe χαῖρε: sic etiam talis in Novo Testamento recensetur; ut *fucata* Judę proditoris Matth. 26. v. 49. χαῖρε ῥαββί. *Ave Rabbi*, & militum cap. 27. v. 42. & *sincera*, Actor. 15. v. 23. & 23. v 26. & Jac. 1. v. 1. 2. Ioh. v. 10. Sic hoc etiam in loco. At quęrat aliquis: quanam voce usus sit Angelus, cum Gręcè non sit locutus? Resp. non usum voce Hebræa (sub qua & Syram, Scripturæ usu, Ioh. 5 v 2. & 19. v. 13. 17. comprehendimus) quæ gaudere notat: ut ironicè lament. 4. v. 21. שישי *gaude filia Edom*, quod LXX. vertunt χαῖρε: quia ista vox non est, eo modo, salutationis formula Hebræis, qualem hic contineri res ipsa, & versus sequens demonstrat. Ideoq; consentaneę significationi vocis χαῖρε, cum Metonym. *salvere* significat, videtur omninò respondere solemni, in salutatione, voci שלום *pax:* ut 2. Sam. 18. v. 28 & dixit Regi שלום: pro quo tamen Regum usitatior salutatio, sed eodem sensu יחי *vivat Rex:* ut 2. Sam. 16. v. 16. & alibi sæpius, id est, καλῶς ἐξοχῶς prosperè vivat. Atque ita vocem שלום, 2. Sam. 18. v. 28. *Et dixit Regi* שלום scilicet tibi sit, & Judic. 6. v. 23. שלום לך *pax tibi*, & Esai. 48. v. 22. *non est* שלום *pax* (prosperitas, vera scilicet) *improbis:* LXX. transferuntur χαίρειν: quo sensu, in salutatione, vox ea adhiberi solet Hebræis. Atque ita quoque Syrus interpres χαῖρε, in hac salutatione Gabrielis שלם לכי *pax tibi*, rectè transtulit. Atque ea salutandi,

tandi, Hebræo, Syroque more, formula à Christo indicata quod enim dicitur Matt. 10. v. 12. *Salutate eam* (scilicet domum) illud Luc. 10. v. 5. exprimitur *dicite pax huic domui*. Eoque modo usus est in salutatione ipsemet Christus Luc. 24. vers. 36. *pax vobis*. At inquies, pax, seu salus, ac prosperitas quæ salutando optatur, absens est; Virgini verò Mariæ ea erat præsens: ut quæ corpore animoque salva ac prospera erat: ideoque Salutatio hæc non videtur ei rectè convenire. Verùm respondetur, pacem seu salutem non optatam ab Angelo ratione initii, hoc enim aderat; sed ratione continuationis, & incrementi futuri. Sicut Apostoli eodem modo, fidelibus, spirituali salutatione, optant pacem & gratiam à Deo, Rom. 1. vers. 7. & alibi: non quatenus ea jam fruebantur; sed ratione augmenti futuri: ut exprimitur sensus Dan. 6. v. 25. שלמכון ישגא *pax vobis multiplicetur*. 1. Pet. 1. v. 2. & 2. Pet. 1. v. 2. *gratia vobis, & Pax multiplicetur*. Atque hæc de salutationis Angelicæ propositione: Cui subjicitur *expositio & amplificatio*. Nam ut Virginem Mariam salutans Angelus, eam gratam (id est, acceptam) factam indicavit; eique salutem est precatus: sic causam illius efficientem, feudatorem utriusque, declarat: & peculiaris etiam beneficii adscriptione amplificat, cum ait: *Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres*. Quæ utraque enuntiatio ob verbi substantivi ellipsin, imperfecta est: ideoque, pro temporis illius modo diverso, variè exponi potest ac solet: Id quod explicationem atque examen aliquod desiderat, Et ad prius quod attinet: de *subjecto* enuntiationis, seu voce, *Dominus*, dubium non est, Deum denotari. De *attributo* verò quæritur: quia verbum substantivum suppleri potest, vel ut affirmatio, uel ut optatio sit. Affirmatio rursus vel rei præsentis, vel futuræ. Præsentis quidem, ut Judic. 6. v. 12. *Jehova tecum* (supple) est, quemadmodum versus proximus supplens hoc docet. Sic etiam 2. Samuel. 7. v. 3. Esai 41. vers. 10. Jerem. 1. vers. 8. Hagg. 1. v. 13. quod plenissimè expressit Christus, Mat 28. v. 10. & Actor. 18. 10 Futuræ vero rei affirmatio est hoc sensu: *Dominus tecum*, (supple) erit, ut Amos 5. vers. 41 *Quærite bonum, sic Jehova Deus exercituum vobiscum* (supple) erit. & 2. Chron 20. 17. id quod plenè dicitur, 1. Chron: 22. v. 11. & 16. Sic Gen. 48. v. 21. Optatio verò indicatur his verbis, cum intelligitur verbum, *sit*, ut Ruthæ 2. v. 4. *Jehova vobiscum* (supple) sit: est enim certa salutatio. Quod etiam in successus felicis voto plenè exprimitur, 1. Sam. 13. vers. 37. & 20 vers. 23. *Jehova sit tecum*. Cum autem hæc enuntiatio, *Dominus tecum*, cum ellipsi verbi substantivi, vel est, vel erit, vel sit, pro Scripturæ usu, diverso accipi possit: quidam tertio modo exponunt: ut sit salutationis formula. verùm circumstantiæ hujus loci non satis consentit: nam plena salutatio, χαῖρε, *salve* antecessit: quæ Hebrææ salutationi, *pax tibi*, respondet: atque ita duplex salutatio poneretur: id quod in Sacris Literis insolens. Secundo modo aptius explicari posset: *Dominus erit tecum*: ut sit promissio. Optimè verò convenit primus modus, *Dominus est tecum*, ut Beza transtulit Cæterum observandum est, *Deum cum aliquo esse*, bifariam accipi. Primùm, propriè ratione essenriæ illius infinitæ, quâ cœlum & terram implet, Jer. 23. vers 24. & Psal. 139. v. 8. 9. 10. Actor. 17. v. 27. 28. atque ita omnibus creaturis adest. Secundò accipitur impropriè, per Metaph. pro favere atque adjuvare: quod qui alicui præsentes sint, ac se sistant, favere soleant, atque opem ferre: qnemadmodum & Latinis eâdem Metaphorâ, verbum *adesse* usurpari certum est. Huc pertinent ista loca, Esai. 41. vers. 10. Ier. 1. vers. 19. *ne timeas, quia ego sum tecum*. & Actor. 18. vers. 9. 10. *ne timeas &c. nam ego sum tecum*, scilicet favore & auxilio. Atque hoc modo, verba Angeli, *Dominus tecum*, hoc in loco rectè intelliguntur. nam inde gratia Mariæ Virgini facta promanavit, quod Deus cum ea esset, & gratam in Christo sibi reddidisset: unde merito ab eodem salus seu prosperitas salutatione Angeli petita. Cui expositioni adjungitur amplificatio descriptionis Mariæ salutatæ: quia ut gratam (id est, acceptam) factam, nempe à Deo appellavit: quod beneficium commune omnibus verè fidelibus, viris ac mulieribus, Ephes. 1. vers. 6: Sic proprium, ad exaggerationem gratiæ beneficium adjungit, cum ait Angelus; *benedicta tu in mulieribus*. Cujus enuntiationis subjectum & attributum illustrationem aliquam requirit, ob diversas insignium authorum explicationes. Nam primum vox *benedicere* propriè ad sermonem refertur, & vel *laudare* notat, ut Luc. 2. v. 28. *benedixit Deo*. (unde per antiphrasin, *maledicere*, 1. Reg. 21. v. 10. & Iob. 1. vers. 11.) & Iacob. 2. vers. 3, *benedicimus Deo*, ac per Syned. generis pro specie, *gratias agere*: quod est laudare ob beneficia, ut Matth. 26. vers. 26. & Marc. 14. vers 22. & Luc. 22. v. 19. εὐλογήσας *quum benedixisset*; quod Paulus 1. Cor. 11. repetens exponit εὐχαριστήσας, *quum gratias egisset*; vel, denique *bona optare* notat, ut Matth. 5. vers. 24. *benedicite iis, qui execrantur vos*. & Rom. 12. vers. 14. & Luc. 24. vers. 51. Deinde hæc vox interdum non ad sermonem refertur, sed per Metonym. effect. pro efficiente *benefacere* designat: quod scilicet beneficia laudem ac gratiam provocent, ac procreent: atque ita ut nos benedicimus Deo, cum eum laudamus, eique gratias agimus; sic contrà nobis Deus benedicere dicitur, cum beneficia, laude ac gratiarum actione digna confert, ut Gen. 12. vers. 2. *Benedictam tibi*. & 22. v. 18. & Actor. 3. v. 25. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. & cap. 26. v. 12. Galat. 3. vers. 9. *benedicentur cum fideli Abrahamo*. Ephs. 1. vers. 3. *Benedixit nobis*. Atque hinc εὐλογημένος *benedictus*, bifariam accipi potest: vel à propria significatione, ut *laudatum* notet, ut Psal. 132. vers. 2. 1. Chron. 16. vers. 36. deinde à significatione Metonym: notat *beneficio affectum*, ut Ruth. 3. v. 10 *benedicta tu Jehovæ*. Sic Matth. 25. vers. 24. *benedicti Patris mei*. Atque hinc quidam in Angelica salutatione, vocem εὐλογημένη interpretantur *laudata*, ut Jud. 5. vers. 25. *benedicatur præ mulieribus Iaël*, id est laudata sit. Alii verò benedicta, id est, beneficio à Deo affecta, seu beata, felix, exponunt. Quæ expositio priori accommodatior: quia non solum (ut prior) Mariæ Virgini convenit; sed etiam majoris est ponderis, ac cum seqq. optimè cohæret. Quænam autem benedictio seu beatitudo hic intelligatur, quæstio est. Quidam è Pontificiis de beneficio spirituali exponunt: quod Maria virtutibus illustribus à Deo donatis excelleret: alii verò loci hujus circumstantiis rectè consideratis, de singulari aliquo beneficio, ac beatitudine interpretantur; quod destinata esset à Deo, ut fieret *Mater Christi*. Nam ratione hujus beatitudinis, cum Maria concepisset, Elisabeth Spiritus Sancti afflatu dixit vers. 42. & 43. *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, quod veniat mater Domini mei ad me?* & vers. 45. *beata quæ credidisti: nam perficientur ea, quæ dicta sunt, &c.* Unde excitata Virgo Maria exultans Deum celebrat Servatorem suum, & causam reddit, vers. 48. *quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc tempore beatam prædicabunt me omnes γενεαὶ generationes* Quod sanè, ut apparet, dixit ob filium Christum futurum, longè justius, quàm Lea Gen. 30. v. 12. ob natum sibi filium Aser, dixit, *propterea beatam me dicent omnes mulieres*. Cæterum hujus beatitudinis magnitudinem, comparatione reliquarum mulierum declarat, cum non ait simpliciter Benedicta seu fœlix es, sed addit, *in mulieribus*, id est, felicissima mulierum: ut Cant. 1. v. 8. & 5. v. 9. 17. talis ferè phrasis extat, *pulchra in mulieribus*, seu inter mulieres, id est, mulierum pulcherrima. Cœterum ex hac comparatione conatur Iesuita Maldon. infringere propositam vocis *benedicta*, expositionem, hoc modo: Si Virgo Maria diceretur benedicta seu beata, ratione conceptionis ac nativitatis Christi, seu quatenus mater illius: tum ea ratione non posset dici omnibus aliis mulieribus beatior: quia major beatitudo est, Christum fide & Charitate concepisse, quam utero, ut Christus ipsemet testatur, Luc. 11. v. 27. 28. Sed negatur Consequentia. Nam cum mulier illa solum illud externum Christi, in utero gestati & educati, beneficium (non habitâ vivæ fidei, & gratiæ Dei ratione) æstimaret: Christus illud non negat, esse conditionem felicem, sed ei spirituale obedientiæ fidei, & gratiæ Dei donum præfert: in Virgine verò Maria utrumque extitit: cum spirituale beneficium (quod commune habuit

cum

cum aliis piis mulieribus, ut Elisabeta cap. 1. v. 6. & Anna Prophetissa, Luc. 2. vers. 36.) tum corporale, quod proprio Dei dono, Christi destinata ac facta sit mater: ideo revera fuit beata, id est, fœlix, quod per vivam fidem in Christum venturum, facta esset Deo grata, & quod promissioni Angeli de conceptione Christi crediderit. Deinde etiam, quod eundem Christum conceperit. Ac *prior* quidem beatitudo, id est felicitas, major erat, ut quæ ad salutem necessaria, & salutem adferens: quę piis Deoque gratis mulieribus communis fuit, & sine comparatione aliarum, voce præcedente κεχαριτωμένη, *grata facta*, fuit indicata. *Posterior* verò minor quidem erat, nec ad salutem æternam sufficiebat: Sed tamen ut proprium ac singulare Dei beneficium commendatur, comparatione aliarum mulierum omnium, quibus illud non contigit. nec enim *beatum esse* semper notat, κατ' ἐξοχὴν, æternæ beatitudinis (re aut spe) compotem, ut Psal. 32. v. 2. Rom. 4. v. 8. sed generatim *felicem*, seu bono aliquo insigni, sive spirituali, sive corporali præditum. Quemadmodum 1. Reg. 10. vers. 8. *beati verò stantes coram te*, & Psal. 127. v. 5. Beatus dicitur cui bonorum liberorum copia. & Luc. 10. v. 23. *Beati oculi, qui vident, quod videtis*. & 23. v. 29. *Beatæ steriles*. qualis etiam corporalis beatitudo Virgini Mariæ, quod Mater Christi facta est, rectè attribuitur. Atque hæc de salutationis Angelicæ sententia, atque usu: ad cujus illustrationem, à contrario abusu ampliorem, sequitur, per Digressionem non importunam.

Succincta Angeli Gabrielis, & Pontificiorum, in Salutatione Virginis Mariæ,

OPPOSITIO.

EA autem generatim in eo consistit, quod *Angelus Gabriel*, ea salutatione usus est *rectè*, secundum Dei voluntatem, & personæ opportunitatem. Contra verò *Pontificii perversè*. Angelus enim *recto principio, modo & fine* eâ est usus. *Principio* quidem *recto*, quoniam *ex Dei mandato semel: Pontificii* contrà, *sine Dei mandato quotidiè*. deinde Angelus *recto medio* ac *modo*: Quia Virgini Mariæ præsenti, in primo accessu, *sapienter* ac *justè* salutem, revera futuram optavit, eamque honore tituli convenientis honoravit: Contra verò *Pontificii stultè*, atque *injustè* salutem optant: cum certò sciant, eam salutem jam ante multa secula, in hac vita, fuisse inchoatam; & post hanc vitam, perfectam in cœlis, ipsi donatam: ac propterea *stultè* ei, hac salutatione Angelicâ optant, id quod revera jam habet: & rursum, necessaria Consequentia, eidem *injustè* detrahunt, id quod habet, ut salutationis natura evincit: *Salutatio enim est salutis seu prosperitatis optatio*. Quicquid autem sapienter optatur, non præsens, sed futurum statuitur. Ac propterea, dum Virginem Mariam honorare contendunt, eam indignè dedecorant.

Finis denique *Angeli* fuit *rectus* & *pius*, ut Deo obediret, atque ita eum glorificaret & ut Virgo Maria salutem optatam à Deo obtineret, eamque consolaretur, addita gratulatione gratiæ (seu immeritę dilectionis à Deo acceptę) unde κεχαριτωμένη, id est, *gratiam nactam apud Deum*, vers. 28. appellat: Contra verò *Pontificiorum finis est perversus* atque *impius*. *Perversus* quidem, quia is non est, ut Virgini Marię salutem seu prosperitatem à Deo optent, (quod natura salutationis flagitat) sed contrà ut eam invocent, & salutem, ac bona quævis sibi aliisve, ab ea danda precentur: Quemadmodum preces eorum, & publicæ & privatæ perspicuè demonstrant. Quam salutationem Angelicam idcirco precationi Dominicæ ordinariè subnectunt: quemadmodum etiam libri precum à Pontificiis probati Doctoribus, ut *Hortulus animæ*, aliique abundè testantur. Quale est *Psalterium Beatæ Mariæ*, Constantiæ, minima forma editum, & ab Episcopo probatum pag. 237. & 264. & 265. Cujusmodi stultitia cum impietate conjuncta committitur, cum invocantes Rochum contra pestem, ita salutant: *Ave Roche sanctissime*. item, *Vale Roche*. ibid. pag. 407. Atqui quid quæso absurdius fingi potest quàm ei (quem in cœlis beatum, & à peste liberatorem, ad salutem dandam invocant) salutem & valetudinem optare? Nec finis Pontificiorum in abusu salutationis Virginis Marę, solum est perversus; sed etiam *impius* in Dei Majestatem, & Christi unici servatoris gratiam ac meritum. *In Dei Majestatem* quidem, quoniam scopus eorum est, ut Dei gloriam Virgini Mariæ communicent: quia ipsam salutantes invocare student: quasi in cœlis constituta esset omniscia, cordium scrutatrix, & omnipotens, bonorum donatrix, quæ Dei sunt proprietates, soli ipsi convenientes, 1. Reg. 8. vers. 39. Rom. 16. v. 17. 1. Tim. 6. v. 13. Ideo ille solus invocandus, *ut & illi soli serviendum* Matth. 4. vers. 10. Deut. 6. v. 13. Et Actor. 10. Petrus à Cornelio adorari noluit, rationemque solidam adjecit, dicens; *Surge, quia ipse ho no sum*; quâ disertè docet, hominem non esse adorandum: alioqui ratio illius, quod absit, esset vana. Similiter Angelus Dei Apoc. 19. v. 10. Johannem adorare se parantem prohibuit, dicens, *vide ne* (supple *feceris*) rationemque addit hanc, *conservus tuus sum, &c. Deum adora* Quo demonstrat, conservum non adorandum, sed solum Deum. Pontificii contra Mariam Virginem, quæ homo, & serva Dei, sive *ancilla*, Luc. 1. vers. 38. (non minus quam reliqui homines & servi Dei) horrenda idololatria adorant: atque invocando, Majestatem Dei violant. Quibus blasphemiis scatet, inprimis, *Psalterium Beatæ Mariæ*, cujus antea meminimus; in quo, quæ Deo, in Psalmis attributa gloria propria, ad Virginem Mariam transfertur. Ex quo, & annexis canticis, & precationibus, quam plurima exempla impietatis illius horrendæ colligere facile est. Deinde finis Pontificiorum in adoratione atque invocatione Virginis Mariæ est, ut ipsi gloriam Christi (quam Scriptura Christo propriam esse docet) communicent. ibidem in Litania Beatæ Virginis Mariæ pag. 116. *Maria advocata nostra: Maria propitiatorium universæ terræ: Maria Dei & hominum mediatrix: Maria in qua omnis spes vitæ, & virtutis. & pag. 357. Maria porta cœli: & pag. 204. sic placitum est unigenito filio tuo, Virgo sanctissima, ut maxima devotionis affectu te velit à nobis venerari*: (NB.) *qui totius boni plenitudinem in te posuit: &c* Sic Ps. 2. & 80. & 81. &c. quam impietatem numerosam Epiphanius adversus hæreses, gravissimè damnat, hæres. 69. contra Antidico-Marianitas. *Sit inquit in honore Maria; Pater, filius & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret: non dico mulierem, imo neq; virum: Deo debetur hoc mysterium. neq; Angeli cupiunt talem glorificationem*. & paulò post ait: *etsi pulcherrima est Maria. & sancta, & honorata*; *at non ad adorationem*, Hæc ille. Unde liquet, orationem illam de laudibus Beatæ Virginis Mariæ Bibliothecæ Patrum Tom. 7. falsò adscribi Epiphanio: quia illi è diametro adversatur, cum ait: *Conspicio eam ab Angelis adorari*. Cui impietati accedit totius orationis stylus & Materia: quæ non doctum Ephanium: sed indoctum, atque ineptum Monachum autorem arguit. Ideoque non bonâ fide eam orationem Baronius, tanquam genuinam Epiphanii (&, ut vocat, luculentam) commendat, Annal. Tom. 1. in apparatu ad annales sect. 45. Hæc speciminis loco sufficiant ad demonstrationem oppositionis salutationis Virginis Mariæ ab Angelo rectè factæ, & Pontificiorum, stultè impièque ad invocationem detortæ. *Absoluta* igitur, *digressione* ad *rem ipsam* redıemur; & post salutationem Virginis Mariæ explicatam atque illustratam à contrario, succedit apparitionis Angeli, & Salutationis Virginis Mariæ ab eo factæ, *Eventus*. Is autem est animæ Virginis Mariæ *motus*, & *sedatio* illius per Angelum. *Motus* v. 29. proponitur *duplex: Cordis timor, & mentis dubia cogitatio*. Ac *timor* quidem, per Synecd. generis pro specie, notatur his verbis: *illa verò perturbata est*, timore scilicet, ut admonitio Angeli v. 30. *ne time*: & causa perturbationis adjuncta demonstrat. Ea autem fuit Angeli subitò atque inopinatò apparentis visus, & sermo. id quod ita describitur: *illa verò cum vidisset, perturbata est, in sermone ejus*, id est, cum eam sermone compellaret. Quum enim Angeli ministri sint Dei, ad piorum defensionem, & impiorum pœnam: & piis, illustri vultu ac vestitu splendente, sese patefacere soleant, ut Luc. 24. v. 4: inde fit, ut eorum inopinatus atque admirandus conspectus ac sermo, simulque peccatorum conscientia, subitum iræ Dei, ac pœnæ timorem incutiat, ut Luc. 24. vers. 5. & cap 1. v. 12. Daniel. 8. v. 16. 17. 18. Atque hæc de cordis Mariæ motu. *Mentis* verò *motus* fuit *dubia illius cogitatio*, seu discepta-

seu disceptatio: *qualisnam esset salutatio*. Cujus disceptationis causa fuit, quod salutatio esset insolita. Nam non solum communis erat salutatio, quâ salutem seu prosperitatem ei optabat: sed etiam propria, propter adjunctam laudem, quod *grata* esset *reddita, & Dominus cum ipsâ*, & quod *benedicta* esset *inter mulieres*, id est, mulierum beatissima: ideoque qualisnam esset illius salutationis sensus, mente suâ disceptabat, seu variè cogitabat. Nam quod verbum διαλογίζεσθαι hoc in loco à vulg. interp. aliisque transfertur, *cogitare* illud non videtur hujus vocis, atque hujus loci vim satis plenè explicare. nam ut vox λογίζεσθαι generatim est, *cogitare, æstimare*: sic addita vox διὰ propriè vim specialem indicat, ac *diversa cogitare*, seu *disceptare* significat: quemadmodum Matth. 16. v. 7. 8. & 21. v. 5. Atque hæc de primo apparitionis, & salutationis Angeli eventu, nempe animæ Virginis Mariæ motu, timore nempe cordis & dubiâ cogitatione seu disceptatione mentis.

Alter verò *eventus* est *utriusque motus sedatio* per Angelum. Ac prioris quidem vers. 30. Timorem autem (ut fieri solet) ex vultu commoto, & silentio Mariæ, cognoscere potuit Angelus. Modus autem est, primùm dehortatio à timore, quæ his verbis indicatur: *Tunc dixit ei Angelus, ne time Maria*. Deinde confirmatio hortationis additur: quod Deum haberet non iratum, sed propitium ac faventem: ideoque nullam esse justam timendi causam. hoc enim notat, dicens: *invenisti enim gratiam apud Deum*: quo modo anceps epitheton κεχαριτωμένη *grata* seu *accepta facta*, in salutatione positum, clarè exponit: indicans à quo & apud quem grata esset reddita. Ac sensum noster interpres ita feliciter expressit, *es enim in gratia apud Deum*. Nam hæc phrasis *invenire gratiam* ex usu Sacræ Scripturæ, non semper propriè notat, eam quærendo suo studio ac labore, obtinere: sed sæpe per Metaph. *invenire*, pro *alicui evenire*, generalius usurpatur. ut apud homines, Laban Iacobo ait, Gen. 30. v. 27. *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis*: cum tamen eam nec meritus esset, nec quæsivisset. contra Iosephus suâ fidelitate & opera, dicitur invenisse gratiam apud suum Dominum, Gen. 39. v. 3. 4. Gratia verò ab homine apud Deum invenitur, id est, homini evenit, non solum gratis, seu sine illius merito, Ephes. 1. v. 6. sed etiam contra meritum: quia omnes peccaverunt, ac meriti sunt suis peccatis, iram Dei & condemnationem, Rom. 3. v. 23. 24. Hæc de modo sedationis cordis seu timoris Virginis Mariæ. Sequitur deinde *sedatio motus mentis illius*, nempe dubiæ atque anxiæ cogitationis de insolitâ atque obscuriore salutatione: Quâ Angelus ipsam non solum gratam redditam: sed etiam benedictam inter mulieres, id est, mulierum beatissimam prædicarat, *Modus* autem *sedationis* hujus, est Angeli ad Virginem Mariam annuntiatio: quæ quidem proponitur v. 31. 32. & 33. sequentibus verò explicatur. *Annuntiatio* autem est promissio filii, Virgini Mariæ facta, cum annexo mandato, de nomine *Jesu* ipsi dando: deinde summæ excellentiæ filii descriptio. Quæ duo cum sint admiranda, idcirco præmissa voce demonstrativa, ἰδὲ *Ecce*, ad majorem attentionem, ac considerationem ordine proponuntur.

Promissio autem est v. 31. *Et ecce concipiens in utero & paries filium* Ubi vis conjunctionis, nempe καὶ *&*, quæ cum antecedente copulat, observanda hoc modo: *in gratia es apud Deum, & concipies &c.* id est, non solum in gratia es apud Deum: quod tibi commune cum aliis mulieribus sanctis: sed etiam (ut sequentia ostendunt) quod mater futura es Jesu Christi filii Dei: ac propterea meritò mulierum omnium beatissima. Cui promissioni annexum est mandatum de nominis filii impositione, cum ait; *Et vocabis nomen ejus Jesum*; de qua re egimus in Matth. cap. 1. v. 21. Descriptio verò istius filii est à summa excellentia. Quæ generatim indicatur, cum ait, v. 32. *hic erit magnus*, nempè κατ' ἐξοχὴν præ omnibus; & speciatim exponitur, 1. Ratione personæ: deinde ratione adjuncti regni. Ac *personæ* quidem: quia filii Virginis Mariæ excellentia declaratur, cum dicitur: *& Filius altissimi vocabitur*. Per *altissimum* autem, hoc in loco, Deus Pater, ex opposita relatione filii, intelligitur. Nam quia Deus suam in cœlo potissimam gloriam patefacit, idcirco in eo esse, & habitare dicitur, tanquam summus Dominus: ideo *Deus altissimus*, Gen. 14. v. 18. & Heb. 7. v. 1. comparatè cum creaturis, Psal. 97. v. 9. & per ellipsin vocis Dei *altissimus*, Psal. 9. v 3. Quod nomen cum absolutè sumitur, tribus personis commune est; quia unus essentiâ est Deus, licet trinus personis. Cum verò relatè ad Filium (ut hic *Filius altissimi* dicitur) Deus Pater altissimus intelligitur: id est, altissimi vox primam personam divinam, non autem Deum absolutè significat. Hoc enim absoluto modo, filius, utpotè verus Deus, Ioh. 1. 1. & 1. Ioh. 5. 20. non minus, quam Pater altissimus est. Filius autem altissimi, quod si phrasin spectemus bifariam quis dici potest, vel propriè, seu natura, is, qui à Patre ex ipsius substantia genitus est, eoque ejusdem est essentiæ; vel impropriè per Metaph. similitudine quadam, non naturâ, sed gratiâ: & quidem vel creationis, ut Angeli boni, Job. 1. v. 6. & Adam Luc. 3. v. 38. vel regenerationis, ut fideles, Luc. 6. v. 35. filii altissimi nominantur, & Joh. 1. v. 12. 13. Propriè autem Jesus Christus filius altissimi est, ac dicitur: *quia proprius Dei Patris filius*, Rom. 8. v. 32. & *unigenitus qui est in sinu Patris* Ioh. 1. v. 18. ὁμοούσιος, ejusdem essentiæ & potentiæ cum Patre, Ioh. 10. v. 30. Quod autem additur, *vocabitur*: multi eam vocem, per Metonym. adjuncti pro subjecto, exponunt, *erit*: ut apud Esai. 1. v. 26. *vocaberis civitas justi*, id est, *eris*. Et cap. 4. v. 3. *Residuus in Jerusalem sanctus vocabitur*, id est, erit. Quidam verò per Metonym. effecti pro sua causa, pro agnosci accipiunt, ut Matt. 5. v. 9. *filii Dei vocabuntur*, id est, agnoscentur tales. Sed tamen nulla apparet gravis causa, cur à propria significatione hujus verbi declinemus: quum ea & locis illis Esai. & Matth. citatis probe conveniat; & his Angeli verbis similiter *vocari*, pro vere vocari, commode accipi potest. Nam Jesus Filius Mariæ, ut etiam revera fuit Dei filius, in una persona; ita quoque vocatus fuit à Deo Patre, Luc. 3. v. 22. & 9. v. 35. & à Spiritu Sancto afflatis, Johanne Baptista Ioh. 1. v. 34. & ab Apostolis Matth. 16. v. 16. Ioh. 6. v. 69. & 10. v. 30. & ab aliis verè fidelibus, Ioh. 1. v. 50. Actor. 8. v. 37. Atque hæc de priori descriptione Jesu, filii Mariæ, ratione personæ suæ.

Altera est, *ab adjuncto regno*: cujus jus & regimen prædicit. Ac *jus* quidem in fine vers. 32. *dabitque*, inquit, *ei, Dominus Deus Thronum* seu regiam sedem *Davidis Patris ipsius*. Sedes autem Davidis, pro regno illius (per Metonym. adjuncti signi pro subjecta re significata) ut 2. Sam 3. v. 10. accipitur, & illa per Metonym. similem, Ecclesiæ regnum Spirituale. Joh. 18. v. 36. per Davidis externum regnum, adumbratum typo Prophetico, intelligitur: quemadmodum Psal. 132. v. 11. ut Actor. 2. v. 30. exponitur, quo etiam spectat Esa. 9. in illustrissima illa, de Christo θεανθρώπῳ, & regno illius, Prophetia v. 7. *ad multiplicandum principatum, & pacis non erit finis*: *super solium David, & super regnum ejus ad parandum illud &c.* Quemadmodum Christus Ecclesiæ rex promissus, Jerem. 30. v. 9. David rex vocatur, his verbis: *& servient Jehovæ Deo suo, & Davidi Regi suo, quem suscitabo eis.* sic Ezech. 34. v. 23. 24. & 37. v. 24. 25. Hose. 3. v. 5. *Davidem* autem *Patrem Jesu* vocat Angelus Gabriël, non quod ex eo proximè sit genitus: sed quod ex virgine Maria, quæ ex sanguine Davidis, longâ serie, erat orta. Unde Christus Psal. 132. v. 11. & Actor. 2. vers. 30. *fructus lumborum Davidis.* & Rom. 1. v. 3. *factus ex semine David, secundum carnem*, nominatur. Jus autem regni dependet à personæ majestate; quà filius Dei rex Ecclesiæ à principio: & quà filius hominis, factus est Rex, ex decreto, & donatione Patris, Psal. 2. v. 6. & 8. Atque hoc indicatur ab Angelo, quum ait, de hoc throno, id est, regno Davidis: *dabitque ei Dominus.* Atque hæc de regno Christi, ac jure illius.

Cui deinde *regiminis descriptio* adjungitur, v. 33. *regnabitque super domum Jacob, in æternum, & regni ejus non erit finis.* In qua descriptione *populus regni*, & *modus ac duratio regnandi* observanda est. *Populus* autem vocatur, *domus Jacob.* Jacob autem filius fuit Isaacii, duodecim Patriarcharum Pater, à Deo ipso *Israël* vocatus, Gen. 32. v. 28. unde populus, ab eo ortus, vocatur *Jacob* & *Israël*, per Metonym. efficientis pro effecto, id est, Jacobitæ, & Israëlitæ, Esai. 14.

Esai. 14. v. 1. & eodem sensu *domus*, id est, familia *Jacob*, ut Esai. 2. v. 5. & *domus Israël*, Esai. 5. v. 7. Cum autem ille populus esset à Deo electus, ac segregatus in populum peculiarem, Deut. 14. v. 27. ad ipsum colendum; hinc, per Metaph. Ecclesia Christiana, ea periphrasi, intelligitur: quod ut Christus, *rex David* à Prophetis dictus est, quod semini illius esset promissus, & per Davidem, tanquam typum Propheticum adumbratus; & *thronus David* thronum seu regnum Christi spirituale, simili typo designat: sic etiam domus Jacob, id est, populus Dei, super quem David regnavit, fuit typus populi Christi, seu Ecclesiæ electorum, ipsi subjiciendæ, cum ex Judæis, tum ex gentibus, Luc. 2. vers. 32. Atque ita Ecclesia Christi, *Israël Dei* vocatur Gal. 6. v. 16. & *genus electum, ac populus acquisitus*, 1. Pet. 2. v. 9. super quem Christus, regnaturus dicitur hoc loco 1. dum peregrinatus est in terris: deinde cum triumphat in cœlis. In terris quidem ordine differenti: & quidem pro diverso Christi statu. Nam, in humili statu, ad mortem usque, regnavit super Israëliticum populum solum, Matth. 15. v. 25. Abolita verò per mortem, diuturna illâ gentilium, à Christo & regno illius separatione, in statu gloriæ cœlestis, ad dextram Dei collocatus, super utrosque tam gentiles, quam Judæos regnat, Actor. 14. v. 15. 16. Joh. 11. v. 52. Ephes. 2. v. 12. 13. 14. & 3. v. 5. 6. Hæc de populo super quem Christus regnat: *Modus* deinde *regnandi*, est *vocatio* à Christo in populum suum, ad gratiam in terris, & gloriam in cœlis obtinendam, Rom. 8. v. 30. & *vocati populi conservatio* ad salutem. *Vocatio* autem in populum Christi, fit partim exterius: partim interius. Exterius, quum per Euangelium, prædicatum leges fidei, & resipiscentiæ, ac charitatis, quibusvis hominibus, tam reprobis, quam electis, inter se mixtis præscribit: & promissione gratiæ ac salutis obedientibus: & comminatione iræ, ac condemnationis inobedientibus & regnum ejus aversantibus sancit, Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 36. Luc. 19. v. 27. Interius verò per animæ sanctificationem, Spiritu suo Sancto solis electis, leges suas, menti & cordi eorum inscribit, Heb. 8 v. 10. id est, veræ fidei, & charitatis virtutes donat, & obedientes suis legibus efficit, Ezech. 36. vers. 26. 27. Atque hæc de vocatione populi, primo scilicet quo super eum Christus, in terris, regnat, modo. Alter verò *est populi hujus electi ac vocati conservatio*: qua in veræ fidei & charitatis obedientia, adversus hostes, carnem intus, & mundum infidelium, ac mundi illius Principem Diabolum foris, Spiritus sui potentia, defendit ad salutem, Matth. 16 v. 18. Ioh. 10 v. 28. 29. v. & 16. vers. 33. & 1. Pet. 1. v. 3. 4. 5. 1. Ioh. 5. v. 4. 5. Atque hoc modo regnat Christus supra populum suum, vocando efficaciter: & deinde in regnum æternum, per glorificationem animæ & corporis, adducendo. Alter modus est, quo super populum suum, nempè Electorum Ecclesiam, triumphantem in cœlis, regnat, non ut hic in terris, per vocationis & conservationis, adversus hostes, gratiam: sed subjectis omnibus hostibus nostris, per gloriam: qua Ecclesiam suam, maculæ omnis expertem, ac perfectè sanctam ac gloriosam, Deo Patri, ac sibi, in æternum, perfectissima charitate servientem, Ephes. 5. v. 27. Phil. 3. v. 20. 21. ac pro salute accepta celebrantem, sistet. Cujus præludium illustre extat, Apocal. 5 v. 9. Atque hæc de modo secundo, quo Christus regnaturus est. Duratio verò regni Christi indicatur ab Angelo, cum non solum ait: *regnabit*, sed addit: *εἰς τοὺς αἰῶνας, in secula, & regni ejus non erit finis.* Quibus infinita regni Christi duratio ostenditur, duplici quidem phrasi; sed eodem tamen sensu: & quidem ut posterior phrasis priori explicandæ egregiè inserviat, ne quis perperam interpretetur. Nam in priori vox *αἰῶνας* variè accipi posset. *Αἰὼν* enim propriè tempus sempiternum, ac termini expers notat; quasi *ἀεὶ ὤν semper existens.* Et quidem vel absolutè, ac simpliciter, quod utroque termino, id est, principio & fine caret: quo modo solus Deus *αἰώνιος* æternus, Rom. 16. v. 26. vel secundum quid, ac relatè tantum ad finem: & ita vita in cœlis, æterna, in inferno verò pœna, seu mors æterna, Matth. 25. vers. 46. Unde per metaph. *αἰὼν*, continuum, ac longum tempus, principio & fine suo terminatum, variè notat; exempli gratia, tempus usque ad annum Iubilæum; spatium vitæ humanæ: & sic tempus illud usque ad primum Christi adventum: quo modo ceremoniæ dicuntur duraturæ in æternum. Quare ut omnis tollatur ambiguitas, additur, hoc loco, explicatio genuina, his verbis: *Et regni illius non erit finis:* quo declaratur, fore illud in æternum, duratione infinitâ. Sed objicitur ex 1. Cor. 15. v. 25. *Oportet eum regnare, usque quo omnes inimicos subjecerit pedibus ejus:* quæ ex Psalm. 110. v. 1. petita, & Act. 2. v. 35. & Hebr. 1. v. 13. repetuntur. Ergò quando hoc factum erit, ultimo die judicii, tunc Christus non amplius regnabit: Ideoque non durabit in æternum, sed illi erit finis. Verùm negatur consequentia, quia nititur falsa hypothesi, sive fundamento significationis vocis, *usque quo*, seu *donec:* quasi non solum, eo modo, res antecedens affirmata, vel negata includeretur: sed etiam sequens continuatio rei excluderetur. Contra enim illud non cognoscitur ex hac voce, sed ex rei ipsius natura, aut ex Scripturæ sententia expressa, vel per loci circumstantias expositione: quemadmodum exempla perspicua evincunt, quæ rectè adferri solent, ut Genes. 28. v. 15. *Non deseram te, usque quo perfecero id, quod locutus sum tibi.* Unde falsò concluderetur, ergò posteà deseruit. 2. Sam. 6. v. 23. *Et Michal filiæ Saul non fuit proles, usque in diem mortis.* Nec inde inferri potest. Ergò post mortem, &c. 1. Sam. 15. vers. 35. *Non perrexit Samuël invisere Saulum, usque ad diem mortis suæ.* Inde non sequitur, ergò post mortem suam perrexit eum invisere, sive invisit eum. Ioh. 5. v. 17. *Pater meus usque adhuc operatur:* Quod sequentem operationem excludere, citra controversiam, non potest. Sic Rom. 5. v. 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo.* & 14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen.* Atqui certissimum est, inde concludi non posse: ergò post legem peccatum non fuit in mundo: & mors post Mosem non regnavit. Utrumque enim falsissimum esse constat. Veruntamen rursus excipitur, ex antecedentibus Pauli verbis, 1. Cor. 15. vers. 14. Christus traditurus regnum Deo Patri, cum aboleverit omne imperium, & omnem potentiam, & virtutem; ideoque regnare ipse tum desinet. Nam tradere Patri regnum, & sibi retinere, sunt contraria. Sed negatur consequentia: quia nomine *regni* intelligitur, non regnandi potestas, sed Ecclesia, quam ut à Patre acceperat colligendam, defendendam, & glorificandam: sic, superatis omnibus hostibus, eam non peccato seu morti obnoxiam, sed gloriosam, Patri plenissimè subjectam sistet. Adeò ut, sicut Pater, cum Filio regnum dedit, sibi regnum non ademit; sic nec Filius regno se exuet, cum Patri tradet. Licet modus regnandi futurus sit diversus: non per verbum, & gratiam conversionis, ac defensionis, adversus hostes in terris, sed per gloriam in cœlis, ut supra explicavimus. Nam Christum regnaturum sine fine, non solum Angelus Gabriel hoc loco expressè asseruit; sed etiam prophetæ hoc disertè tradiderunt, ut Psalm. 45. vers. 7. sicut ab Apostolo, Hebr. 1. vers. 8. proponitur, cum ait: *Ad Filium autem* (dicit) *thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* & Esa. 9. v. 7. *Amplitudini illius principatus & pacis non erit finis, in solio Davidis, & in regno ejus, stabiliendo illud, & fulciendo, illud jure, & justitia, ab isto tempore in seculum usque,* & Dan. 7. v. 14. De Christo dicitur: *Et huic datus est dominatus, gloriaque ac regnum: ut omnes populi, nationes, & linguæ ei serviant: Cujus dominatus est perpetuus, qui non præterit: & regnum ejus, regnum quod non corrumpitur.* Quare hæc tam illustria sunt, ac perspicua, de æterno atque infinito Christi regno, prophetarum, & Angeli Gabriëlis, & Apostoli ad Hebræos testimonia, ut ea, quæ idem Paulus alibi tradit, contradicere non possint: sed alium convenientem habere sensum necessum sit. Sed postremò objici potest, ex 1. Cor. 15. v. 38 *Postquam verò subjecta fuerint ei omnia, tum & ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* Ergò Christus tum non amplius dominabitur: eoque non regnabit in æternum: sed tum regni illius erit finis. Verum negatur consequentia, quia Filius Dei, secundum divinam naturam, Patri subjectus esse non potest: quia secundum eam, illi est *ὁμοούσιος*, ejusdem omnino essentiæ, potentiæ, & majestatis, cum

Patre, Deus: sed intelligitur qua homo factus, & eatenus Patre minor ac subjectus, tanquam creatura creatori. Deinde consideratur synecdochicè, quatenus, tanquam spirituale caput ac Dominus, cum Ecclesia tanquam membris ipsius, unum mysticum corpus constituit, Ephes. 5. 30. 31. atque ita Christus (qui in unitate personæ, & Filius Dei, & Filius hominis est) ipsum cum Ecclesia simul significat, ut 1. Cor. 12. v. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: Omnia autem membra corporis unius multa cum sint, unum sunt corpus: Ita & Christus.* Atque hoc modo *Filius Dei*, personam Christi θεανθρώπου notans, tali synecdoche, cum Ecclesia intellectus, ante subjectos omnes hostes, Diabolum, peccatum, mortem, nondum erat secundum quid, ratione suæ Ecclesiæ, Patri plenè subjectus: sed hoc demum erit, cùm se non solum secundum humanam naturam (quod semper fecit) sed etiam secundum Ecclesiam suam, sibi mysterio quodam unitam, per fidem, plena glorificatione illius, Patri subjectam exhibebit. Atque ita nihilominus perpetuò, super Ecclesiam, tanquam spiritualem domum Jacob, in æternum, sine fine, licet alio modo, regnaturus (ut Angelus Virg. Mariæ prænuntiavit) in æternum, caput Ecclesiæ suæ ac Dominus: quem Ecclesia, in æternum, Dominum agnoscet, & celebrabit, ac colet. Atque hæc de annuntiationis ab Angelo ad virginem Mariam factæ propositione.

Sequitur deinde illius *annuntiationis Expositio*: cujus occasio indicatur primùm, deinde modus. *Occasio* autem describitur v. 34 *Dixit verò Maria ad Angelum, quomodo erit istud, quandoquidem virum non cognosco?* Quibus quæstio Mariæ, Angelo proposita, & ratio illius continetur. Quæstio est, *quomodo erit istud?* ubi observandum, de quo, & quid quærat. Prius notatur, cum ait, *istud*, nempè quod Angelus dixerat v. 31. fore ut conciperet, & pareret filium: ut ratio sequens, & Angeli etiam responsio declarant. Posterius verò seu id quod quærit, est modus conceptionis, cum ait, *quomodo erit hoc?* seu ut vulgata versio, *fiet hoc?* Hoc autem quærit, non incredulitate, ut Angelo contradiceret: quemadmodum Sara, Genes. 18. v. 33. & Zacharias, Luc 1. v. 18. & 20. (quod tamen Gregor. Nyssenus de sancta Christi nativitate statuit) sed rem ipsam credidit v. 45. ubi dicitur, eam beatam esse, quę credidit? quamvis fortè Greg. Nyssenus hanc vocem *credidit*, potuerit intellexisse, non ratione initii, cum hanc quæstionem proponeret: sed ratione consequentis assensus: quando explicatione Angeli auditâ, dixit: *fiat mihi, &c.* Causa autem cur probabile magis sit, eam etiam hanc quæstionem, non incredulitate, sed discendi studio proposuisse, hæc est: Quod alioqui Angelus Gabriel, non minus Mariæ, quam Zachariæ Luc. 1. v. 20. incredulitatem exprobrasset, aliquo saltem modo. *Modum* verò conceptionis ignorans, de eo, discendi studio, rectè quærit. Cui quæstioni ratio subjicitur, *quoniam virum non cognosco*, id est, hactenus à conjugali viri congressu immunis sum. Quam significationem vocis *cognosco*, rectè doctissimus Beza, Matth. 1. v. 25. explicavit. Cœterum Pontificii verba illa, *virum non cognosco*, de voto virginitatis, à Maria ante facto, interpretantur vulgò. Sic enim, inter alios Doctor Parisinus Johannes Gagnæus, ad hæc Mariæ verba, exponit, id est, *quamvis desponsata sim, deliberavi tamen apud me & constitui, nullius viri copulæ adhærere. Deo enim inspirante decreverat in virginitate degere, præter sui populi morem, cui nulla major esset gloria, quam in Israël relinquere semen: at contra, non relinquere, ignominiæ.* Et Maldon. *Virum non cognosco*, exponit, *non soleo cognoscere, nec possum: & quidem non natura, aut lege prohibente, sed voto.* Verum ista expositio nullo modo ex sacris literis probari potest: *virum non cognosco:* id est, non possum cognoscere, propter virginitatis votum; quum sit insolens, ac violenta, verbi *cognosco*, perversio. Deinde repugnat illud naturæ ac juri despensationis Mariæ: cujus generalis finis est cognitio mariti. Atque hinc doctissimus Calvinus nervose ait: *Perfidè passa fuisset marito collocari, sanctumque conjugii fœdus, non sine Dei ludibrio, sprevisset.* Sed excipit contra Calvinum Maldonatus. *Paulus*, inquit, *vult conjuges orationis causa abstinere conjugio*, 1. Cor. 7. vers. 5. *non sprevit igitur Maria sanctum conjugii fœdus, sed meliorem elegit partem, quæ auferri ab ipsa non possit, nec virum lusit, cui, declarato voto, consentientique in ejus observationem, nupsit.* Verum, ut omittamus vanum illud, de Josephi consensu, figmentum: falsum omninò est, quod ait: Paulum velle conjuges abstinere à conjugio, 1. Cor. 7. v. 5. nam loquitur tantum Apostolus, de brevi abstinentia à congressu conjugali, ut verba illius diserta hoc demonstrant: *Ne*, inquit, *fraudate alii alios, nisi si quid ex consensu, ad tempus: ut vocetis jejunio, & precibus: & rursum simul convenite, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* Quod autem objicitur Patrum quorundam sententia: ea non nititur sacra Scriptura: sed hominum opinione, ex antiqua & fabulosa narratione concepta: qua factum, ut hac in re, & in quibusdam aliis, patres antiquitatis specie decepti, vero fundamento, non aurum, sed stipulas superstruxerint: quales sunt stipulæ, ea, quæ de hac re ex Greg. Nysseno, Serm. de nativitate Christi fabulosa recenset, inter alios, Baronius annal. tom. 1. in apparatu ad annales, Sect. 44. Nam initium illius, quod citat, est: *Audivi arcanam, & occultam quandam historiam, talem de ea re prodentem narrationem.* Quibus Nyssenus non ait, se eam historiam, ut fide dignam, approbare: quemadmodum sanè nemo sanæ mentis jure probare potest. Nam ut omittamus figmentum illud miraculi, quo Annam (quam Christi matrem vocat) è sterili fœcundam, Dei gratia, & è viro gravidam esse factam tradit: quod nullo vero documento probari potest; quid quæso hisce verbis vanius esse comperitur? quibus de Anna sic loquitur; *Sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio privetur, quæ nihil in legem peccasset: sed ut mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret.* Ubi primò apertè hæc fabulosa historia sacris literis repugnat: quando Annam Sanctum sanctorum ingressam ait: cum constet certò, hoc fuisse solius summi Pontificis privilegium, & quidem semel tantum quotannis, Hebr. 9. v. 7. & 25. quas nugas vetus & suppositititium proto-euangelium Jacobi, (quod orthodoxographorum, tom. 1. extat in editione Basiliensi) recensens, cautius paululum, non in Sancto sanctorum, sed in horto supplicasse Annam asserit: quamvis illius fœdior adhuc sit lapsus, cum virginem Mariam ait, educatam in Sancto sanctorum, & cibum ex Angeli manu sumsisse: quare hinc constat, quam falsa ac fabulosa illa sit, quam Gregorius Nyssenus narrat, historia: & quam indignè lectorum patientia abutatur Baronius, qui figmenta illa vanissima, & apertè sacris literis adversa, quasi fide digna testimonia, adducere non erubescit. Quum ne ipsi quidem doctiores Pontificii, eam narrationis Nysseni partem, de Mariæ, ad perpetuam virginitatem, à matre facta consecretione, probent: sed ab ea, & inter se, dissentiant. Quare vana est eorum sententia, qui virginem Mariam, ante desponsationem, vel post eam, ante salutationem Angelicam, virginitatem, Deo vovisse; vel à matre, antequam nasceretur, ad eam fuisse consecratam, contendunt: cum ex sacra Scriptura nullo modo probari possit. Sed objicitur August. qui non traditionibus, sed Scripturæ verbi nititur, tom. 6. lib de sancta virginit. cap. 4. cum ait: *quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco: quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.* Hæc ille. Sed negatur consequentia; quia sine ullo antecedenti tali voto, potuit modum, quem ignorabat, discendi studio, quærere. Quum enim promissioni Angeli, de filii conceptione instante (ut etiam eventus, v. 39. cum 42. 43. collato, ostendit) fidem adhibuisset, ac sciret, se virum non cognovisse hactenus: ideoque ordinario modo non esse intelligendum: recto modo, verum discere desiderat. Nam quamvis Esa. 7. Christi conceptio & nativitas ex virgine, prædicta esset, mirum non est, si perturbata rei admiranda magnitudine, de prophetia ista non cogitarit: aut cogitans, explicationem desideraret: quia modus ab Esaia, quo virgo paritura dicitur, ibidem non exprimitur. Neque id mirum in Maria, cum non desit simile admirantis Abrahami exemplum, qui audita Dei promissione, de Filio, sibi ex Sara nascituro, Genes. 17. v. 17. *Cecidit in faciem suam, & risit, dixitque in corde suo, an nato centum annos nascetur (Filius scil.) an etiam Saræ? an nata*

an nata annos nonaginta pareret? quę dubitationem aliquam, non de promissionis veritate, sed de rei promissæ modo designant. De qua re Athanasii memorabilis sententia, tom. 1. edit. Græco-lat de sanctissima virgine Deipara, pag. 815. *Quin*, inquit, *& hic hæsitat virgo, utpote ad naturam respiciens, & de Josepho cogitans, cui desponsata erat, tale responsum dedit: quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco: & quandoquidem*, inquit, O *Angele virum non cognosco, tu autem per hoc adverbium*, ἰδοὺ *ecce, quod demonstrandi vim habet, ecce, inquis, concipies: quasi de tempore jam instanti mihi loqueris: quomodo istud fieri possit?* Atque hæc de virginis Mariæ quæstione: quæ responsionis & expositionis Angeli occasio est.

Responsio autem, verba ante proposita, de Mariæ conceptione & nativitate Filii declarat & confirmat. Declarat autem conceptionis Mariæ modum, ac defensionem illius, & personæ Filii præstantiam ante positam plenius repetit. Modus autem est Efficacia Spiritus Sancti: quem modum ita recenset Lucas; *& respondens Angelus, dixit ei, Spiritus Sanctus superveniet super te Supervenire autem* non propriè accipi debet: quia Spiritus Sanctus verus est Deus, ubique præsens, Psalm. 139. v. 7. Ideoque propriè loquendo, nec venit, nec abit. Sed venire dicitur metaphoricè: quando operatione peculiari præsentiam suam patefacit. Cumque cœlum sit gloriæ Dei locus præcipuus, inde descendere & supervenire dicitur; id quod etiam interdum, externa signi, super aliquem, specie indicatur: ut super Christum, Matt. 3. v. 16. Johan. 1. v. 33. 34. descendisse dicitur Spiritus Dei, specie columbæ. Et super Cornelium, & comites illius, Act. 10. v. 44. & Act. 1. v. 8. *Recipietis virtutem*, id est, potentiam, *Spiritus Sancti supervenientis super vos*: ut Actor. 2. eventus respondet. Quibus in locis agitur de donis, operatione Spiritus Sancti infusis: ut loci circumstantiæ ostendunt. Hic verò cum Angelus ait: *Spiritus Sanctus superveniet super te* aut *in te*, indicatur illius efficaciâ virginem concepturam: quia de modo conceptionis virgo quæsierat; *quomodo id fiet?* tum dixit ei Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, i. e. Spiritus Sancti operatione hoc fiet, non autem generatione è sua substantia: quia alias esset Pater Christi, & humana Christi natura esset essentia divina; aut essentia divina, quæ immutabilis, mutata esset in naturam humanam: quæ omnia sunt absurda. Neque obstat, quod Matth. 1. v. 18. de Maria dicitur, *inventa est uterum ferre ex Spiritu Sancto*, quia, licet vox illa, *ex*, causam materialem notet, sæpe tamen causam tantum efficientem significat, ut Rom. 11. v. 36. & alibi. Neque etiam contrarium probat, quod apud Matthæum sequitur v. 20. *quod in ea γεννηθὲν, genitum ex Spiritu Sancto est*. Ergò *ex* materiam hic notat, quia generatio ei tribuitur: generatio autem est, ex sua substantia productio similis. Negatur enim consequentia, & ratio addita eam non probat; quia licet generatio, propriè accepta, id notet; impropriè tamen efficere significat, ut apud Henr. Stephan. in thesauro Græc. ling. tom. 1. pag. 838. exempla videre licet. Theophrastus ait: πῦρ γεννᾷ, *quod ignis gignat*. Et Isocrates in Panathenaico πόλεις γεννήσασαι, καὶ θρέψασαι τοιούτους ἄνδρας, *urbes quæ genuerunt & aluerunt tales viros*. Plato Epist. βλάβην ἡδονὴ καὶ λύπην γεννᾷ, *voluptas damnum & tristitiam gignit*. Sic etiam 2. Tim. 2. v. 23. γεννῶσι μάχας. *Gignunt*, id est efficiunt, *pugnas*, Johan. 3. v. 8. *Quisquis genitus est ex Deo*. In quibus locis, neque vox Græca ἐκ, id est, *ex* materiam notat, sed efficientem tantum: neque *genitum*, propriè, è substantia sua productionem: sed generatim effectionem notat, citra controversiam: quia veritas orationis, propriam significationem admittere non potest, quemadmodum etiam, in objecta Matthæi sententia, ob plurima absurda, quæ aliàs inde orirentur, ut ante ostendimus. *Ex Spiritu Sancto igitur genitum dicitur*, quod operatione Spiritus Sancti, in Maria, & ex Maria effectum: non autem ex substantia Spiritus Sancti. Id quod etiam Menno Simonis, Anabaptistarum Princeps, in colloquio Wismariensi, agnovit: nimirum non ex substantia Spiritus verbum carnem factum: quod aliàs Pater esset Jesu Christi. Qua de re videri etiam poterunt ea, quæ Matth. 1. v. 20. & Johan. 1. v. 14. adduximus. Atque hæc de declaratione modi, quo fieret, ut Maria conciperet filium: nimirum operatione ac formatione Spiritus Sancti, iis verbis indicata: *Spiritus Sanctus superveniet in te:*

Sequitur deinde declarationis altera pars, ad consolationem virginis Mariæ pertinens. Quia enim ipsi gravidæ seu prægnanti futuræ (ob ignotam aliis, ex Spiritu Sancto conceptionem) periculum imminebat, suscipionis adulterii, & dimissionis à Josepho (ut eventus docuit Matth. 1. v. 19.) & supplicii capitalis ex lege Deut. 22. v. 23. 24: Idcircò promissione defensionis Dei, periculorum cogitationi occurrit, his verbis: *&* δύναμις, id est, *potentia* (vulgò ambiguè *virtus*) *altissimi* ἐπισκιάσει σοι *inumbrabit te*. De cujus sententiæ antecedente subjecto, & consequente attributo, diversæ expositiones extant. Antecedens enim subjectum est *potentia Altissimi* in quo, per *Altissimum*, Deum Patrem notari, certum est: sed quidnam, per *potentiam* intelligatur, disquiritur. Quidam enim Deitatis personam certam notari censent: & quidem, vel Filium, ut 1. Corinth. 1. v. 24. *Christus Dei potentia & sapientia* appellatur: vel ut Spiritum Sanctum significet, quæ δύναμις, potentia similiter vocatur, Luc. 24. v. 49. *Donec induamini virtute ex alto*. Sed priori interpretationi obstat, quod attributo & circumstantiis hujus loci non satis videatur consentire: posteriori vero, quæ plerisque probatur, obstat, quod ita statueretur inutilis ejusdem rei, clarioribus verbis propositæ, obscura repetitio. Utrique denique obstat: quod, sine ulla ratione necessariâ, à propriâ vocis significatione, ad impropriam, receditur: Potentia enim, cum de Deo, sive absolutè, sive Deo Patre dicitur, propriè non personam certam Deitatis, sed attributum illius proprium, nempè omnipotentiam, aut omnipotentem actionem, notare solet: ut Matth. 22. vers. 29. 1. Cor. 2. vers. 5. & 2. Cor. 4. vers. 7. Quo modo optimè, sine ulla prorsus difficultate, accipi potest: & (pro communi interpretationis regula) propria significatio, cum nulla justa causa impropriam postulet, servanda. Nec enim ulla obstat loci, aut rei circumstantia: & consequens enuntiationis, seu prædicatum egregiè quadrat: hoc autem est ἐπισκιάσει σοι. Quæ vox variè accipitur, primò quidem propriè, ut Matth. 17. vers. 5. *Nubes lucida* ἐπεσκίασεν αὐτούς, *obumbravit eos, &* Actor. 5. v. 15. *Umbra* ἐπισκιάσῃ, *obumbraret aliquem*. Deinde metaphor. & quidem ex nominis σκιὰ, *umbra*, translata similitudine: ut enim umbra, eos, qui in ea sunt, adversus æstum tuetur: ut Jonæ accidit, cap. 4. vers. 5: sic pro eo, quod à malis, quasi ab æstu tuetur, similitudine quadam, umbræ vox accipi solet: ut Esa. 25. v. 4. De Deo dicitur, quod fuerit *receptus ab inundatione, umbra ab æstu*. & cap. 30. vers. 2. 3. recipiunt se *in umbram Ægypti*. & Lament. 4. v. 20. *In umbra illius vivemus inter gentes*. Sic Dan. 4. v. 12. ubi, in visione, rex, arboris specie, designatur; dicitur *sub ea bestias umbram captare* Atque ab hac umbræ significatione, verbum ἐπισκιάζειν, *obumbrare*, metaph. accipitur, pro à malo, quasi æstu quodam defendere: ut Hebræam vocem סכך *tegere, protegere, tueri*. LXX. Interpret. Græci ἐπισκιάζειν *obumbrare* interpretantur, eâdem, cum Angelo, hoc in loco, metaphora: sic etiam Psalm. 91. vers. 4. *Alâ suâ* ἐπισκιάζει σοι, *obumbrabit te*. & Psalm. 140. vers. 8. *Jehova Domine robur salutis meæ* סכות *texisti caput meum*, LXX. ἐπεσκίασας ἐπὶ τὴν κεφαλήν *obumbrasti super caput meum*. Atque ita etiam voce *obumbrare*, pro *defendere* utitur Virgilius Æneid. 11. in illis verbis: *Et magnum reginæ nomen obumbrat*, id est, *ut doctissimus Servius explicat, subaudi Turnum, tuetur, defendit: & est translatio ab arboribus*. Hæc Servius. Ex quo vocis *umbræ* in sacris literis, & verbi ἐπισκιάζειν in LXX. Interpret. usu crebro, & eleganti, facilè percipi potest, eam significationem esse consuetam: deinde huic loco convenientissima est, ac sensum parit uberiorem, quam communis ac vulgata expositio: quasi idem, quod in antecedente dictum, *superveniet* demonstraret: cum tamen hujus significationis nullum omninò proferatur exemplum. Denique *eventus* etiam præclarè consentit. Nam cum, ob conceptionem, Josephus, adulterii suspectam haberet Mariam virginem; ac propterea dimittere vellet: potentiâ, Dei obumbrata; id est, defensa est,

cum

cum per Angelum missum, de conceptione per Spiritum Sanctum, Josephus edoctus est; ac jussus, citra difficultatem, Mariam ducere, Matth. 1. vers. 20. Quod autem Stapletonus, in antidotis Euangelicis in Lucam, hæc verba Angeli exponens, ait: *ad hanc quæstionem respondet Angelus, ostendens, quod loco virilis seminis, superveniet in eam, & illabetur Spiritus Sanctus, & loco virilis amplexus obumbrabit, & complexabitur illam virtus altissimi*; illud inquam, purissima Scripturæ verba, impurâ similitudine, corrumpit: cum neque prima phrasis, *Spiritus Sanctus superveniet super te*; neque *obumbrandi* vox illam significationem habeat: neque illam ex Scripturæ usu neque ex bonis authoribus, probaverit. Ideoque Jesuita Maldon. hujusmodi depravationem, hoc modo, non malè accusat, ad hunc locum, cum ait: *Qui, nescio quid turpe, hoc loco, significare somniant, non solum parum mihi religiosi, sed penè impudentes videntur.* Hæc ille. Atque hoc modo, de conceptionis modo, & defensione illius, adversus pericula futura, actum.

Cui accedit, *descriptionis Filii promissi, plenior repetitio.* Nam ut v. 32. significavit, Filium Mariæ vocandum Filium Altissimi: sic eam descriptionem, insertâ pleniori explicatione, utilissimè repetit, cum ait: *propterea* τὸ γεννώμενον *ex te sanctum, Filius Dei vocabitur.* Quibus verbis primùm subjectum descriptionis Christi, ante positæ: Deinde rationem attributi illius exponit. Ac subjectum quidem, cum Filium Mariæ repetit periphrasi quadam, cum ait: τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον. Quæ verba singula nonnihil expendenda. Primum enim τὸ γεννώμενον *genitum* seu *natum*, id est, quod gignitur vel nascitur, non accipitur propriè, de tempore præsenti: nam nec natus, nec conceptus erat Mariæ Filius: sed per temporis enallagen frequentem, in omnibus linguis, præsens, pro paulò post futuro usurpatur pro nascituro proximè, ideoque interpretantur vulgo, commodè, *id quod nascetur*: quod nihil aliud, quam filium notat. Nam licet τὸ γεννώμενον neutrum sit genus, sensu tamen masculino usurpatur, Scripturæ more: quemadmodum Joh. 3. vers. 6. τὸ γεγεννημένον, *quod natum est*, bis ponitur pro ὁ γεγεννημένος, *qui natus est*, & 1. Iohan. 5. v. 4. πᾶν τὸ γεγεννημένον, idem quod cap. 3. v. 9. πᾶς ὁ γεγεννημένος, *quisquis natus.* Ideoque Cyprianus lib. 2. testimon. adversus Iudæos num. 10. vertit. *Qui nascetur.* Deinde verba illa ἐκ σοῦ *ex te*, quidam, non à Luca Euangelista, sed ab alio addita, putant: ut Erasmus in annot. ad hunc locum *quia*, ut ait: *ea neque in ullis Græcorum exemplaribus reperit; nec apud Theophylact. quidem; neque in antiquis codicibus Latinis.* Hæc ille. Ac sanè quindecim manuscript. exemplaria Robert. Steph. ea non habent, nec libri Græci Novi Testamenti editi Hagonoæ, Basileæ, Parisiis, Lipsię: habet tamen (ut etiam Erasmus fatetur) editio laudata Aldi: Deinde Complutensis, ex antiquissimis ac præstantissimis manuscriptis edita: quę tanti pretii est, ac momenti; ut Robertus Stephanus eam manuscriptis suis exemplaribus 16. annumerarit & primo loco ob excellentiam posuerit. Deinde Biblia etiam Regia, & ibidem è regione versio Syra, *qui nasciturus ex te* Ac mirum profectò, quod in appendice ad Biblia Regia, in interlinearibus Bibliis, in Luca, ἐκ σοῦ omissa. Huc accedit Græcus codex, quo usus Tertullianus, lib. 4. contra Marc. cap. 7. item codex Cypriani, lib. 2. testimoniorum contra Judæos num. 10. & Hieronymi, tom. 9. in translatione Euangelii Lucæ. Sic Athanasius tom. 1. epistola ad Epictetum, item contra hæreses, pag. 850. 882. Quare hanc lectionem vocum ἐκ σοῦ tot antiquorum ac probatorum Patrum testimoniis innixam, non alienam, sed genuinam esse, & descriptorum quorundam negligentia olim omissam, vel, ut clarissimus Beza loquitur, temerè aut malitia expunctam. Unde apparet, doctrinam, ea dictione indicatam, oppugnatam fuisse ab adversariis. neque mirum est, cum longo tempore, toto penè orbe, Arriani, aliique hæretici dominarentur, hæc verba esse detracta; ac propterea restituenda, ut à Beza, & Casaubono, in Græco Testamento factum. Sensus igitur verborum, quibus subjectum, (nempè Filium Mariæ,) periphrasi quadam, repetit Angelus, est, *quod nasciturum ex te*, id est, filius tuus, è tua substantia, superventu, (id est, operatione) Spiritus Sancti, nasciturus. Quemadmodum Filius Dei dicitur γενόμενος, *factus ex muliere*, Galat. 4. v. 4. & *factus ex semine Davidis, secundum carnem*, Rom. 1. v. 3. Hoc autem subjectum, ab adjuncto, declarat, cum vocat, *Sanctum*, à sanctitate perfectâ: qua peccati originis omninò expers, perfectissimo justitiæ habitu fuit prædítus, Hebr. 7. vers. 26. & 1. Pet. 1. v. 19. Unde perfecta, ac perpetua ad mortem usque obedientia, seu justitia actualis promanavit, Phil. 2. v. 8. Origo autem primùm hujus absentiæ peccati est, quia non est conceptus potentia naturali, viri generantis, quo modo tantum peccatum originale, seu vitiositas naturæ, per lapsum corruptæ, propagatur in posteros Johan. 3. v. 6. & Rom. 5. v. 12. Deinde sanctitatis origo est Spiritus Sancti, sanctam humanam naturam, ex virginis Mariæ substantia, operantis, efficacia. Atque hæc de antecedentis, seu subjecti, descriptionis personę Christi, repetitione periphrastica, & annexa declaratione, ab adjuncta sanctitate, his verbis, *Quod ex te nascetur sanctum.*

Sequitur *consequentis*, seu *prædicati*, de nascituro ex Maria Filio, *repetitio*, cum de filio Marię dicitur: *Filius Dei vocabitur*: & *illius declaratio* à ratione, cum pręmittitur *propterea*, id est, propter illam, è Spiritu Sancto superventuro, operationem: quę ex Maria virgine effectionem humanæ naturæ Sanctæ, & efficiendo, conjunctionem illius, cum Filio Dei, in unitatem personæ, continet. Eaque causa est, cur Filius Mariæ sit, ac vocetur Filius Dei Patris: quia Filius Dei, per Spiritum Sanctum, naturam humanam sibi, ex eâ, formavit; & formando, in unitatem suæ personæ, assumpsit: ita ut unionis illius personalis, ut operis externi Deitatis, sit cum Patre (qui corpus ei aptavit Hebr. cap. 10.) & Spiritu sancto, causa efficiens: solus verò filius illius subjectum est, adeò ut solus sit ac dicatur Immanuel θεάνθρωπος, *Deus patefactus in carne*; & Filius Mariæ, Filius Dei proprius verè vocetur, ea phrasi, quæ unionis duarum naturarum in unam personam index est, & communicatio idiomatum, à Theologis, appellari solet, quæ est enunciatio, in qua, de personâ Christi, ab una natura, nomine personali nominatâ, prædicatur, quod ei convenit secundum alteram naturam; exempli gratia, Iohan. 3. v. 13. Filius hominis dicitur esse in cœlo. Ubi Filius hominis personam Christi notat, appellatione personali, à natura unâ nempè humana, in concreto desumpta; deque ea prædicatur, quod non secundum humanam naturam, sed secundum divinam conveniebat. Sic vicissim de persona Christi, à natura divina, nomine personali, denominata, quum Filius Dei vocatur, rectè prædicatur, quod ei, non secundum divinam, sed secundum humanam naturam solùm convenit: Sic enim Filius, (nempè Dei Patris, ut relatio ostendit) diem ultimum ignorasse dicitur, nempè secundum humanam naturam. Marc. 13. v. 32. Atque ita etiam rectè dicitur Filius hominis, seu Filius Mariæ, est Filius Dei: & Filius Dei, est Filius hominis Ioh. 5. vers. 26. collat cum 27. utrumque enim est nomen personam Christi notans: unum quidem à natura humana, alterum verò à divina, quâ prǽditus est, desumptum. Sic Filio Dei, Rom. 5. vers. 10. attribuitur mors, & cap. 8. vers. 32. dicitur pro nobis traditus, nempè in mortem, id est, Christus, secundum humanam naturam. Quem sensum Scripturæ veritas omninò requirit: & expositio illius distinctè in sacra Scriptura demonstrat, in similibus: quemadmodum Rom. 1. v. 3. videre est. Atque hoc modo Filius Mariæ, natus ex Maria, Filius Dei vocatur: quia Filius Mariæ, non naturam humanam singularem absolutè, sed personam Christi, humanâ naturâ præditam, significat. Ideoque cum sit nomen personæ, meritò id, quod personæ est, de eo prædicatur. Similis quodammodo enuntiatio de hominibus extat, in sacris literis. Nam ut homo constat carne, seu corpore, & anima: sic de persona humana, ab una eorum denominata, prædicatur, quod convenit secundum alteram: ut cum anima sumitur, pro anima prædito, seu pro persona animata, (ut Genes. 46. v. 15. 18. 22. 25. & alibi) ei interdum tribuitur, quod convenit secundum carnem, seu corpus, ut Genes. 46. vers. 26. *Omnes animæ, quæ ingressæ sunt, cum Jacobo in Ægyptum.* & Levit. 17. v. 15. *Omnis anima*, id est, persona animata, *quæ comederit.* Quæ non secundum animam, sed secundum corpus, intelligenda.

ligenda. Sic etiam de homine à carne denominato, ut personam humanam notet, dicitur, Esa. 49. v. 26. & Ezech. 21. v. 5. *& sciet omnis caro*, id est, homo, non secundum carnem, sed κατ' ἄλλο secundum aliud (ut Patres loquuntur,) nempè secundum animam. Quare cum Filius Mariæ sit appellatio personæ, nempè personam Christi notans: non mirum, si Filius Dei vocetur, nempè secundum divinam naturam. Quo modo etiam Filius Davidis, est Dominus Davidis, Psalm. 110. v. 1. Matth. 22. vers. 44.45. Atque hæc, de propositæ conceptionis Mariæ expositione.

Cui confirmatio adjungitur, ad confirmationem fidei Mariæ. Primò, ab exemplo similis miraculi facti: Deinde à Dei loquentis potentia. Exemplum est vers. 36. ubi præmisso, ad rei admirandæ attentionem, voce *Ecce*, ait: *Ecce, Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis & sextus ipsi, quæ vocabatur sterilis.* Quibus miraculi *subjectum*, *modus* & *tempus* notatur. *Subjectum*, seu persona, in qua miraculum factum statuitur, describitur *nomine*, *cognatione*, & *qualitatibus*. *Nomen* est Elizabeth, de qua ante vers. 5. uxor Zachariæ sacerdotis. *Cognatio* indicatur, quum dicitur, *cognata tua*, Græcè συγγενής. Unde quæstio, de cognationis hujus veritate, moveri solet. Cum enim Elizabeth, (ut vers. 5. dictum) esset ex genere Aaronis sacerdotali, ideoque ex Levitica tribu: Inde videtur sequi, Mariam cognatam illius, etiam fuisse ex eadem tribu, non autem ex tribu Judæ, & familia Davidis: neque etiam ullibi hoc, expressis verbis, in Novo Testamento affirmatur. Verùm rectè negari solet Consequentia; quia Elisabetha, ex tribu & familia Aaronis esse potuit, genere Paterno, & ex tribu Judæ, ac familia Davidis, genere Materno; atque ita cognata Mariæ, non absolutè, sed relatè ad matrem suam. Quod autem obtenditur Lex, Num. 36 v. 6.7. 8.9. de filiabus Zelapheadi, ex qua sequi videtur, Elisabeth fuisse, simpliciter, ex tribu Aaronis, id est, Patrem & matrem ipsius; non autem ex tribu Juda: quod aliàs non potuisset nubere viro, ex alia tribu. Sed negatur Consequentia: quia illa lex tantum agit de filiabus, quæ fratribus carentes, idcirco hæredes erant paternæ possessionis, quæ nubere vetantur extra familiam tribus paternæ: cujus sola ratio additur, ne possessionis è tribu in tribum averterentur. Quamobrem ubi filia, è tribu Juda, hæres possessionis non erat, non prohibebatur nubere viro, ex alia tribu. Quemadmodum Michal filia Saulis, è tribu Benjamin, non hæres (quia fratres habebat) nupsit Davidi viro piissimo, 1. Sam. 18. v. 27. sic etiam mater Elisabethæ, de qua agimus, è tribu Iudæ nubere potuit viro, ex familia Aaronis, si hæres non fuit: atque ita possessio, à tribu & familia Davidis, in aliam non fuit translata. Similia exempla sunt in Aarone, Exod. 6. v. 23. & Jojada, 2. Chron. 22. v. 11. Imò etiamsi Elizabeth fuisset hæres, viro, è tribu Levi, nubere potuisset: sed eâ conditione, ut hæreditas ad proximos ejusdem familiæ transiret: quia Levitæ ab omni hæreditate possessionis, in terra Canaan, Dei lege, erant exclusi, Deut. 18. v. 1. ideo hæreditas ad eos transferri non poterat. Quare si mulier, hæres possessionis Levitæ nupsisset, hæreditas ipsius reditura erat ad sanguine proximos. Deinde etiamsi Elisabeth virginis Mariæ cognata fuisset simpliciter, & absolutè, id est, non solum respectu Patris sacerdotis, sed etiam Matris ratione ex tribu Levi ac sacerdotali: inde tamen nondum posset demonstrari: Mariam Virginem non fuisse ex tribu Juda: quia fieri potuit ut esset ratione Patris sui, ex tribu Iuda, & familia Davidis; ratione verò Matris, ex tribu Levi, atque familia Aaronis. Quæ tribus cum caruerit hæreditate, sine violatione legis, potuit filia illius tribus, viro è tribu Iuda, vel aliâ nubere. Ac licet, ut objicitur etiam ab Anabaptistis, non disertis verbis exprimatur in Scriptura: Mariam Virginem fuisse è tribu Iuda & familia David: Consequentia tamen necessariâ id demonstratur; cum filius Virginis Mariæ, Iesus, filius Davidis vocatur, Matth. 1. v. 1. & Luc. 1. v. 32. & è semine Davidis secundum carnem, Rom. 1. v. 3. 2. Tim. 2. v. 28. ideoque matrem virginem ex eadem familia fuisse necesse est. Cæterum observandum, à viro doctissimo, ad hunc locum novam responsionem ad objectionem propositam, ex voce *cognatæ* petitam, adferri: nimirum vocem συγγενὴς *cognata*, sumi generalius, pro congenere, seu Israëlitica muliere, quæ ex Israële, communi Patriarcha duodecim tribuum, genus duceret: ut accipitur ea vox, Rom. 9. v. 3. & 4. *Pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem, qui sunt Israëlitæ.* Quæ ingeniosa quidem est interpretatio: prima tamen, quam attulimus (quam idem secundo loco proponit) responsio, uti communis est, sic videtur, non non levibus de causis, præferenda: quia vox συγγενὴς, & apud LXX. Interp. & communi linguę Græcæ usu, propinquum cognatum, notare solet: non autem eum, qui à communi gentis authore remotiùs prognatus: quemadmodum etiam accipitur in Novo Testamento, excepto unico illo Rom. 9. v. 3. Deinde, quia Angelus cum Elisabetham nominat: ac plures essent, in populo Israëlitico, eo nomine, dictæ: ob celebritatem illius; distinctè ad cognitionem illius, ait: *cognata tua.* Si autem ea vox tantùm significaret cognatam ipsius, quæ ex eodem Patriarcha Israële esset orta, distinctio fuisset inutilis. Quum credibile omninò sit, plures, ex Israële ortas, vocatas fuisse Elisabethæ nomine. Denique cùm cognatam inviserit Maria Virgo, & tres circiter menses, apud eam diverterit vers. 56. nullo modo credibile est, cognatam ejus dici ratione Israëlis, remotissimâ ac generalissima significatione: sed potius cognatam fuisse propinquam: utpotè cui tam familiaria, ac tam diuturna propinquitatis officia sunt exhibita. Hactenus igitur de illius, quæ in exemplum similis miraculi adducitur, descriptione: ex nomine nempe Elisabeth & cognatione Virginis Mariæ. *Altera* verò est, *à qualitate*, nempe concipiendi impotentia duplici: una ætatis, quod esset senex; altera naturę, quod esset sterilis: ut antè à Luca vers. 6. propositum: & utrumque etiam hoc loco ab Angelo traditur: prius quidem, cum ait: *in senectute sua.* Posterius verò, dicendo, *quæ vocabatur sterilis*: id est, non solum erat, sed etiam talis verè nota erat, & cum aliqua ignominia (ut Luc. 1. vers. 25. indicatur) *sterilis vocabatur.* Quo modo absolvitur descriptio subjecti, in quo miraculum factum erat.

Praeditatum verò miraculum ipsum indicat, cùm de vetula & sterili, quæ vi naturæ concipere non poterat, ait: *concepit filium:* & circumstantia temporis addita, illustrans, ait: *Et hic Mensis est sextus:* Cæterum miraculosæ hujusmodi, per Dei omnipotentiam conceptionis, exempla antiqua extant in Sacris Literis: quemadmodum in Rachele, Gen. 29. v. 35. cum 30. v. 22. in uxore Manoæ cui stirili per Angelum Domini promissum est, fore ut conciperet & pareret filium. Iud. 13. vers. 3. & 5. denique in Sara, quæ sterilis naturâ Gen. 11. vers. 30. & senectute grandiori ad concipiendam prolem inepta Gen. 17. v. 17. & 18. v. 10. 11. 12. Tamen ex eâ Deus filium Abrahamo promisit Gen. 17. 16. & 19. & promissum implevit, Gen. 21. vers. 1. Veruntamen, his antiquis miraculis præteritis, Angelus exemplum novi ac præsentis miraculi (ut eo magis Virginis Mariæ fidem erga conceptionem promissam stabiliret) adducit in Elisabetha cognata ipsius: quæ licet & naturæ, & senectutis impotentia, ad prolem concipiendam, esset inepta, Dei tamen omnipotenti gratiâ, fœcunda reddita filium conceperat.

Altera confirmationis ratio est, à Dei promittentis omnipotentia, v. 37. cum ait, *quia apud Deum non erit impossibile ullum verbum.* Quo in loco, *verbum*, bifariam accipi potest, sensu utrimque vero, vel per Hebraismum, ut Luc. 2. v. 15. *rem* notet: atque ita generalis sit sententia: ut Iob. 42. v. 2. כי־כל תוכל *quod omnia poteris.* & Marc. 10. v. 27. *omnia possibila Deo.* & Luc. 18. v. 27. vel ut *verbum*, significatione consueta, intelligatur: ut sensus sit: nihil impossibile, quod Deus dixerit. Quę expositio proprietatem vocis retinet. Et huic sententię favere videtur *eventus* sermonis Angeli vers. proximo 38. constans primum responsione Mariæ Virginis, quâ audito Dei verbo credidit. Deinde Angeli, absoluta legatione, discessu. Prius enim notatur, cum Lucas ait. *Dixit autem Maria, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi κατὰ τὸ ῥῆμα secundum verbum tuum.* quo se (præmisso ad majorem evidentiam adverbio demonstrandi, *Ecce*) ancillam Domini, eoque subjectam ipsi profitetur, & verbo Dei, per Angelum, audito) ut possibili, ob Dei potentiam, & futuro,

& futuro, ob ejus veritatem) omninò acquiescit: & effectum illius expectat. Atque ita Angelus ab ea discessit. Quomodo *legatio* Angeli Gabrielis, & *annuntiatio* Virgini Mariæ proposita, & colloquio exposita, unà cum suo *eventu* à nobis explicata est. Ad cujus rei pleniorem confirmationem, sequitur.

Erroris Anabaptistarum, quo abutuntur v. 32. & 35. Confutatio.

ILlustris est Angeli Gabrielis, in descriptione personæ filii Virginis Mariæ, oratio v. 32. *hic filius altissimi vocabitur* & 35. *propterea quod gignetur, vel nascetur, ex te sanctum, filius Dei vocabitur.* Quam orationem, Anabaptistarum antesignanus Menno Simonis, ad suum errorem, de incarnatione Verbi, fucandum, obscurare, variis modis, est conatus. Quemadmodum inprimis ex Wismariensi, illius & Martini Micronii, Orthodoxam sententiam eruditè defendentis, colloquio, perspicue apparet. In quo observandus primùm consensus partium: deinde dissensio & examen illius. Consensus autem in hisce hypothesibus præcipuè observandus. Primum in eo convenit, in Christo tantùm unam esse personam. deinde in ea duas esse naturas, divinam & humanam, pag. 527. tertiò Christum esse verum Deum & verum hominem, verumque Dei & hominis filium. Dissensio verò est in humanæ illius naturæ origine. Orthodoxi eam esse ex substantia Virginis Mariæ, si carnem spectemus, ortam: Contra Menno ait, carnem Christi ex substantia cœlestis Patris esse, qui est Pater Jesu Christi, etiam juxta humanam naturam, pag. 474 & 511. *dicimus*, inquit, *Patrem suum verbum, & semen ex sua substantia, in Mariam, tanquàm in agrum præparatum seminasse, in qua sit factus homo.* Ratio autem illius prima ac primaria est, ex Joh. 1. v. 14. *Verbum caro factum est*, ubi per *carnem*, hominem rectè intelligit: sed *factum* perperàm interpretatur, hoc modo pag. 538. illius colloquii, *Verbum carnem esse factum, perinde ut aqua facta est vinum, Joh. 2. & Lothi conjunx facta est in statuam salis Gen* 19. Sed primùm negatur consequentia: quia aliquid factum dicitur, non tantum mutatione in aliud: sed etiam alterius accessione, sive accidentis sive substantiæ. Accidentis quidem? quemadmodum Christus dicitur factus pro nobis maledictum, Gal. 3. vers. 13. & factus Pontifex. Hebr. 6. v. 20. Accessione verò substantiæ, ut Genes. 2. v. 7. & 1. Cor. 15. v. 45. (Adam, id est, corpus Adami) factus dicitur in animam viventem. Sic *verbum factum est caro*, id est, homo, accessione humanæ naturæ, ut Scriptura exponit, quum Philip. 2. v. 6. 7. de Christo dicitur: *quum esset in forma Dei, ipse se exinanivit, formà servi assumpta.* & Hebr. 2. v. 16. *semen Abrahæ assumsit*, id est, non in gratiam & communionem suscepit, ut ex Epistola Rom. 14. v. 1. & 15. v. 8. objicitur: sed in unitatem suæ personæ: ut antecedens versus 14. ostendit: quo disertè, non communio gratiæ, sed carnis & sanguinis, denotatur: ut etiam v. 17. *unde per omnia debuit similis fratribus fieri.* Atqui nec similis factus esset nobis per omnia, nec frater noster, nisi ejusdem nobiscum esset generis homo, quamvis enim sit frater fidelium, ratione imaginis Dei, & hæreditatis cœlestis: tamen participatione carnis similiter hoc loco frater esse dicitur. Deinde Mennonis expositio falsam reddit Johannis sententiam: cum attributum, seu prædicatum illius, *factum est*, exponit; ut aqua vinum facta, Joh. 2. hoc est, revera mutatum est. Primùm enim subjectum illius sententiæ, nempe *verbum*, agnoscit ex Joh. 1. v. 1. esse verum Deum: inde necessariâ consequentiâ negat fuisse verum Deum, antequam caro factum est. Nam verus Deus est æternus, *in æternum manet*. Lam. 5. v. 19. *non mutatur*, Num. 23. v. 19. & Malach. 3. vers. 6. *apud quem non est transmutatio, nec mutationis ἀποσκίασμα, adumbratio.* Jac. 1. v. 17. Contra verò ex Mennonis sententia, ut aqua vinum facta, Joh. 2. vers. 9. & Lothi uxor statua salis facta, Gen. 19. vers. 26. mutatione substantiæ unius in aliam; Sic *verbum caro factum*, per mutationem verbi in carnem: ac propterea *verbum*, ante illam mutationem, non fuit Deus; quia Deus mutari non potest. Secundò, Scriptura docet, *verbum* esse Deum ab initio, Ioh. 1. v. 1. & postquam factum est caro, *verbum* esse adhuc *verbum*, 1. Ioh. 1. v. 1. & 5. vers. 7. & Apoc. 19. vers. 13. & esse *verum Deum & vitam æternam*, 1. Ioh. 5. v. 20. & permanere: ac licet cœli mutentur, semper tamen eundem esse, Heb. 1. v. 10. 11. 12. Contra verò expositio Mennonis, *Verbum*, postquam caro factum est, & *Verbum* & Deum permanere, consequentiæ necessitate, negat. nam si mutatum est *Verbum* ac verus Deus, in carnem, quum homo factum est (ut statuit:) *Verbum* & verus Deus esse desiit: nam quod mutatum est in aliud, idem non permanet: sed aliud jam est, quam prius: ut aqua, cui comparat *Verbum*, quæ mutata in vinum, non amplius aqua fuit, sed aliud fuit, nempe vinum: & Lothi uxor, mutata in statuam salis, desiit mulier esse uxor, quod erat prius. Denique cum una numero sit essentia divina, æterna & immutabilis, Patri, Filio, Spiritui Sancto communis: sequetur per hujusmodi essentiæ divinæ mutationem, nec verum Deum antea extitisse: nec jam exstare. Atque ita Deum, necessaria consequentia, Menno, cum suis, in depravatione hujus loci Iohannis, prorsus tollit. Quare hæc prima erroris illius ex Iohan. 1. v. 14. petita, ratio, non solum invalida est, sed etiam prorsus impia: ut quę Scripturę S. & confessę ab adversario hypothesi, de Christo vero Deo, omninò adversetur. Sed alterum ex Angeli verbis, antè à nobis explicatis, Luc. 1. v. 35. rapit argumentum. *Appellatur*, inquit pag. 526. *filius Dei. Ergò carnis suæ originem habet à Deo Patre, aliàs filius esse non posset.* Verùm hoc sequi, omninò negamus. Nam ex hypothesi quarta communi, ac confessa à Mennone, Christus æternus est Dei filius, ex substantia Patris ab æterno genitus: propterea causa cur sit ac dicatur filius Dei, non est, quod carnis Christi origo sit ex substantia Patris: quia jam ab æterno erat filius Patris: ideoque dici non potest factus Dei filius in tempore, ex substantia Patris genitus (quod enim quis est, illud ipsum non fit: quod enim fit, nondum est) sed quia filius Dei æternus, humanam naturam ex Maria, operatione Spiritus S. formavit, ac formando, in unitatem personę suę assumsit: idcirco filius Marię, ob hanc unionem personalem, vocatur filius Dei: quia, filius Marię, nomen est, non absolutè humanam naturam significans; sed est nomen personę, Christum, naturâ humana prędìtum, significans; quemadmodum suprà plenius ostendimus. Ideoque de persona Christi verè prędicari potest, quod ei, secundum utramvis naturam, convenit. Quod autem Menno objicit, pag. 508. *Christus est Dei filius. Ergò Deus etiam Pater ipsius est, secundum humanam naturam.* Illud non sequitur: neque eo probat, quod ait: *nam nullus existit Filius absque Patre.* Respondetur: naturali potentia, omnis filius habet Patrem; sed omnipotentia Dei fieri potest, & futurum esse prędictum est, Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Idq; impletum in Matre Christi, Virgine Maria demonstratur, Matth. 1. v. 23. Luc. 1. v. 27. & 35. ideoque si Virgo concepit, ergo non est ex alterius semine, sive virili, sive alio. Ququmq; filius sit genitus ex virgine, quę mater illius vers. 43. cujus ventris fructus est ibid. vers. 42. idcirco. Christus adumbratus per Melchisedecum, cujus neque Pater, neque Mater idcirco à Mose recensentur, ut sit similis filio Dei, qui etiam revera sine Matre est, quatenus ab æterno, à solo Patre, ex substantia illius genitus: & sine Patre, quatenus ex Maria Virgine, sine Patre, in tempore genitus. Quare falsum est, qnod Menno ex naturalis potentiæ ratione urget: *nullus infans existit sine Patre:* cum ex sola Matre, Dei potentiâ existere posse, atque existere, Scriptura, ut ostendimus, doceat. Aliâs, eodem modo ac jure, concludi posset, nullus infans nascitur, naturali potentia, ex Virgine. Ergo Christus non est natus ex Virgine. Et quemadmodum Christus, filius Dei Patris propriè est, quia ex ejus substantia genitus: pari ratione est filius hominis, quia ex hominis, Mariæ scilicet substantiâ genitus.

Sed objicit Menno; hac ratione, duas in Christo, contra Scripturam, statui personas: unam, ex hominis: alteram ex Dei substantia genitam. Negatur autem rectè sequi: quia unam statuimus personam, unum filium: duas verò naturas, unione personali conjunctas. Una enim eademque

Christi

Christi indivisa persona, & filius Dei est, & filius hominis est, ut & Menno fatetur: sed relatione diversâ, pro duplici natura illius divina & humana, unde denominatur; prioris relatione, vocatur Christus filius Dei, quod ex Dei substantia; posterioris verò relatione, filius hominis, quod ex hominis (puta Virginis Mariæ) substantia genitus. Error autem Mennonis est, quod personam & naturas: & nomina, personam Christi unicam notantia, cum nominibus naturæ confundat.

Sed objicit rursum; mulieres carere semine, ac propterea malè à nostris dici: Christum esse ex semine matris. Id quod probare conatur ex Sacra Scriptura, 1. Cor. 11. v. 12. *Sicut enim mulier ex viro est: ita & vir per mulierem: non autem dicitur ex muliere.* Sed illud alienum est: quia Apostolus loquitur de excellentia viri supra mulierem, ratione primæ originis: quod mulier, *Eva* scilicet, è costa Adami, non autem Adam ex Eva, vers. 8. Deinde ratione finis creationis: vir enim creatus non est, propter mulierem: sed mulier creata est propter virum, vers. 9. quibus paritatem tamen, certo respectu, viri & mulieris, indicat: ne dictis illis, mariti, ad superbiam & contemtum uxorum, abuterentur, cum ait vers. 11. *Attamen neque vir absque muliere, neque mulier absque viro*, scilicet quod vir & uxor, ad propagationem generis humani, simul requirebatur. Hisce subdit vers. 12 *sicut enim mulier ex viro* scilicet creata, ut vers. 9. *ita & vir per mulierem*, scilicet vir est, quod idem, quod versu præcedente dixit: *neque vir absque muliere.* Mulieres verò habere semen, non solum ex Philosophis Aristotele, aliisque: & Medicis, Galeno aliisque demonstratum est: sed etiam ex Sacris Literis perspicuè apparet; ut Levit. 12. vers. 2. *Mulier cum* תזריע *seminificaverit, & pepererit Masculum.* quod sole clarius testimonium est. Cui simile extat Heb. 11. vers. 11. *Sara vim accepit, ad dejectionem seminis* εἰς καταβολὴν τοῦ σπέρματος: non autem εἰς σύλληψιν ad conceptionem seminis viri, & Esai. 51. vers. 1. Judæi dicuntur non solum *ex rupe excisi*, sed *ex cavo foveæ effossi*, id est, allegoricè ex Abrahamo & Sara sterilibus v. 2. ideoque ex utriusque substantia. Eodem etiam refertur communis benedictio. Gen. 1. vers. 28. qua Deus eis (mari & fœminæ) benedixit ac dixit eis, *crescite & multiplicamini, & implete terram.* Ubi crescere, seu fructum ex se facere, & multiplicari, tam mulieri, quam mari tribuitur. Quemadmodum ex uno grano plura multiplicatione oriuntur: sic ex mulieris non minus, quam viri semine, plures posteri multiplicatione propagantur. Quæ multiplicatio non potest esse simpliciter ratione totius personæ, sed ratione seminis, sicut Exod. 32. vers. 13. *multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli.* & Gen. 17. vers. 2. *multiplicabo te*, exponitur cap. 22. vers. 17. *multiplicabo semen tuum.* Præterea in prima promissione Messiæ, Gen. 3. v. 15. *Semen mulieris* nominatur, & contriturum caput serpentis promittitur. Cujus diserta explicatio de Christo. Heb. 2. v. 14. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est.* Deinde v. 17. ait: *unde debuit per omnia fratribus similis fieri.* Quare, ex hisce Scripturæ testimoniis, perspicuè demonstratum, mulieres non minus quàm viros, habere semen. Deinde Christum carnem suam habere ex substantia humana, quam assumsit, Phil. 2. vers. 6. 7. Heb. 2. v. 16. Et ne quis hoc cum Anabaptistis nonnullis, de assumptione in gratiam, & communionem, ut Rom. 15. vers. 7. interpretari posset, vocatur *semen Abrahæ*, id est, Meton. filius illius, Matth. 1. vers. 1. & Gen. 2. vers. 11. Actor. 3. vers. 25. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ad Gal. 3. vers. 16. ita exponitur: *Abrahæ verò dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit & seminibus ut de multis. sed ut de uno, & semini tuo, qui est Christus.* Quemadmodum & Apostolus de se ait: *Semen Abrahæ sunt, & ego*, 2. Cor. 11. v. 22. id est, ex semine Abrahæ. Præterea Christus est filius Iudæ, Gen. 49. v. 10. unde Apoc. 5. v. 5. *Leo ex tribu Judæ* dictus est, sic etiam Heb. 7. v. 14. *manifestum est ex tribu Juda exortum esse Dominum nostrum*: Ad hæc Christus *filius Davidis* vocatur, Matth. 1. v. 1. quia ex illius semine genitus, ut Actor. 13. vers. 23. & 2. Tim. 2. v. 8. & Actor. 2. vers. 30. Christus vocatur *fructus lumborum ipsius secundum carnem.* Sic etiam Christus *germen Davidis* vocatur, Ier. 23. vers. 5. & 33. vers. 15. & *radix Davidis* Apoc. 5. vers. 5. & *genus Davidis* cap. 22. vers. 16. quæ omnia clarè demonstrant, Christum secundum carnem esse ex semine David. Ac similiter, quia David ex Patre Isai genitus, Ruth. 4. & Matth. 1. vers. 6. Sic Christus ex Davide ortus, vocatur *virga ex trunco Isai, & surculus ex radicibus ejus*, Esai. 11. vers. 1. unde per Metonym. causæ pro effecto ibid. v. 10. *radix Isai* (ut Rom. 15. vers. 12. ex Esaia, de Christo dictum repetitur) sic dictus, quod sit ex radice illius: ideoque ex substantia illius: quemadmodum surculus è substantia radicis. Et quia Christus ex Abrahami semine, ex tribu Iuda, ex Isai, ex Davide, & ex patribus ortus est, propterea Rom. 9. dicitur generatim vers. 45. *quorum sunt Patres, ex quibus est Christus* τὸ κατὰ σάρκα (*secundum carnem*, vel quod ad carnem attinet) *qui est super omnes Deus benedictus in secula.* Unde copiosè & perspicuè apparet, Christum carnem suam habere ex substantia humana, non autem divina; & ex humana substantia Virginis Mariæ, quæ ex Patribus illis orta; cujus ratione solum superiora de origine carnis Christi dicta, vera sunt, atque intelligi debent. Ac Christus non solum dicitur genitus in Virgine Maria, Matth. 1. v. 20. quod urgent Anabaptistæ; sed & ex ea, Matth. 1. v. 16. & Luc. 1. v. 35. & afflatu Spiritus S. Christus *fructus ventris ejus* v. 42. & Maria Mater Domini, vers. 43. & Christus filius ejus, v. 31. verè nominatur. Nam quod Menno objicit, fructum appellari, quod è substantia Patris, Verbum, aut semen Patris conceperit: quod Maria foverit, nutrierit, gestarit, ac tandem pepererit: quemadmodum ager semen aliunde injectum fovet, nutrit, ac tandem producit, & tamen fructus illius dicitur, etsi non sit ex illius substantia. Respondetur, similitudinem illam non esse ex Sacris Literis petitam, neque rei, de qua agitur, convenientem: Sed similitudo desumta est ab arboribus fructiferis, quæ ex sua substantia proferunt fructus, ut Psal. 128. v. 3. *Uxor tua ut vitis fructifera.* Quemadmodum antea ostendimus, Christum appellari *germen & surculum ex radice & trunco*: quæ substantiæ originem demonstrant. Atque ita etiam Gal. 4. vers. 4. dicitur filius Dei à Patre missus, *factus ex muliere.*

Sed rursus instat Menno alia via. Si, inquit, Christi caro esset ex carne Virginis Mariæ: Ergo Christus esset peccator: quia, post lapsum hominis, caro illius peccato obnoxia. Sed negatur Consequentia: quia hominis caro, per se considerata, creatura Dei est, ratione suæ essentiæ, & eatenus substantia illius est bona: sed per accidens propagationis peccati originis, vitiosa redditur: quæ peccati propagatio, tantum fit conceptione naturali ex viro & fæmina: & idcirco conceptio Christi, ne esset vitiosa, per Spiritum Sanctum supernaturali potentia supervenientem, è substantia Virginis Mariæ sanctè peracta est. Unde etiam dictum ab Angelo, *quod nascetur ex te Sanctum*: atque ita Christus, naturâ humanâ suâ, omninò nobis est similis, excepto peccato, Hebr. 2. vers. 14. & 4. vers. 15. id est, quia non ex vitiosa substantia, sed ex substantia sine vitio, per potentiam Spiritus Sancti conceptus, ac natus est sanctus. Si autem (ut Menno nostris objicit) ex eo, quod Christum, secundum carnem, ex Mariæ substantia, ortum statuunt, rectè sequeretur, ipsum statui peccatorem: tum à nostris meritò retorqueretur, simili ratione, ex Mennonis sententia (qua Christi carnem ex Matris substantia nutritam, atque etiam auctam statuit) similiter Christum esse peccatorem. Quare cum Consequentiam hanc infirmam esse agnoscat, priorem etiam illius infirmam esse, nullo jure, negare potest. Reliqua argumenta Mennonis (ut antea monuimus) ex eo sunt orta: quod personam & naturam non distinguat: & nomina personalia, seu quæ personam Christi notant, cum nominibus naturam, non autem personam notantibus, confundat. Quemadmodum cùm objicit: *filius Dei mortuus est. Ergo caro, quæ mortua, est filius Dei. Ideoque ex substantia Dei Patris.* Negatur verò Consequentia: Nam filius Dei est nomen personæ Christi: mortuus autem dicitur non secundum Spiritum æternum, seu divinam naturam, sed secundùm carnem: quemadmo-

admodum Christus dicitur, *mortificatus carne, sed vivificatus Spiritu*, 1. Pet. 3. v. 18. & *passus pro nobis carne*, cap. 4. v. 1. Sic filius Dei non norat diem judicii, Marc. 13. v. 32. nempe secundum humanam naturam, non secundum divinam: secundum eam enim norat omnia. Sic filius Dei distinctè dicitur factus ex semine David, secundum carnem, Rom. 1. v. 3. non autem secundum divinam naturam ex eo factus. Quâ etiam distinctione Christus dicitur, Actor. 2. v. 30. ex fructu lumborum Davidis secundum carnem. Sic filius hominis, nomen est personæ Christi, à natura humana personaliter denominati. Unde Joh. 3. v. 13. dicit Christus de se, *filius hominis, qui est in cœlo*, nempe, non secundum carnem, seu humanam naturam (Sic enim anima & & corpore tantùm erat in terris) sed secundum divinam, qua ut verus Deus, cœlum & terram implet, Jerm. 23. vers. 24 Sed aliud præterea argumentum Mennonis (quo plurimum confidit, & discipuli illius: ac videtur speciocissimum) etiam hoc loco, ad pleniorem veritatis illustrationem, proponendum ac confutandum. Est autem hujusmodi: *Quicquid de cœlo descendit, illud ante erat in cœlo: Christi caro de Cœlo descendit: Ergo erat in Cœlo: & per consequens, non est facta è substantiâ Mariæ.* Verum totum antecedens (seu, & propositio & assumtio) negari potest. Propositio; quia licet ea, si propriè *descensus* & *cœli* vox accipiatur (ut Apoc. 18. 1.) sit vera, impropriè tamen accepta, ut sensus sit, à Deo, qui in cœlis est, effectum esse; falsa est: ut Jac. 1. v. 17. *Omne perfectum donum superne est, descendens à patre luminum.* & c. 3. 16. *Sapientia descendens superne*, id est è cœlo, à Deo, ut Johannis baptismus è cœlo, id est, à Deo esse dicitur, Luc. 20. v. 4. dona autem illa & sapientiam effecit Deus in terris: neque ea antè fuerunt in cœlis. Atque ita, licet caro Christi diceretur descendisse de cœlo; inde tamen non sequeretur, antè fuisse in cœlis, multo minus ex substantia Patris (quod Anabaptistæ sentiunt) sed sensus esset, carnem Christi à Deo tanquam causa efficiente, non autem ex Dei substantia factam. Deinde assumptio etiam falsa est. Neque enim, ut Menno, aliique Anabaptistæ statuunt, ex eo probatur, quod Christus ait, Joh. 6. v. 51. *ego sum panis qui de cœlo descendit:* quandoquidem vox, *Ego*, personam Christi notat, qui descendisse dicitur è cœlo, secundum divinitatem: non propriè (quia ubique existens, cęlum ac terram implens, locum mutare non potest, eoque nec descendere propriè) sed impropriè, cum Deus patefactus in carne, 1. Tim. 3. vers. 16. assumtâ servi formâ, Phil. 2. vers. 7. Neque adversarium juvat, quod Joh. 3. vers. 13. dicitur, *qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo:* nam *Filius hominis* est appellatio personalis, nominans Christum, qui ex homine natus, nempe ex Maria Virgine: non autem abstractè & absolutè humanitatem Christi, ut adjunctum demonstrat: nam dicitur, *qui est in cœlo, & qui descendit è cœlo:* quod de persona Christi secundum divinitatem, non autem secundum humanitatem dictum. Eodem sensu, idem de persona Christi loquendi modus personalis est, Joh. 6. v. 62. *Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Cum enim *Filius hominis* sit nomen personæ Christi, constantis divina & humana natura, de eo rectè dicitur, quæ secundum hanc aut illam: aut secundum utramque naturam conveniunt. Sic filius hominis, secundum humanam naturam, verè ascendit in cœlum: & secundum divinam naturam, erat prius in cœlo.

Sed solutis hisce assumptionis probationibus: alia est reliquis speciosior: & quam, tanquam palmariam, obtendit Menno in Colloquio Wismar. & ejusdem factæ socius, Theodoricus Philippi, in Enchiridio doctrinæ Christianæ Belgico, fol. 66. 67. eosque secutus Petrus Coloniensis, in colloquio Franeque. cum Ruardo Acronio, pag. 185. Probatio autem illa, uti objiciunt, clarè notatur verbis Christi, Joh. 6. v. 51. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Verum meritò hoc negatur, carnem Christi hoc loco dici descendisse de cœlo: & quod inde colligitur, falso nititur fundamento, nempe quod etiam panis, qui de cœlo descendit, est caro Christi. Ergò caro Christi non est ex substantia Virginis Mariæ. Antecedens enim in hisce Christi verbis minimè continetur. Nam Christus de persona sua, ait: *ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit.* de carne verò non ait, & panis qui de cœlo descendit, caro mea est: sed distinctè ait, & panis quem ego dabo. Ideoque Theodor. Philippi in Enchiridio fol. 67. ita colligit: *Si Christus est panis cœli, & si panis cœli est caro Christi: sic etiam est impossibile, quod Christi caro facta sit ex semine Mariæ.* Sed assumtionem ponit, quæ neque hoc loco: neque ullibi, in Sacris Literis continetur: ac propterea textum orationis Christi pervertit. Quemadmodum etiam Petrus Coloniensis, loco antè à nobis citato, folio 185. Sic enim (ut verba ejus ad verbum latinè translata sonant) ait: Joh. 6. 51. *Si Christus ipse testatur, quod ipse panis vivus de cœlo venit, & quod ille idem Panis erat ipsius caro, non igitur potest ea esse ex substantiâ Mariæ.* In quibus verbis similis corruptio: Christus enim ait: *& panis, quem ego dabo, caro mea est:* non autem ille idem panis, qui de cœlo descendit, caro mea est. Christus enim secundum utramque naturam panis est, per Metaph. id est, similis pani: quod ut panis vitam corporalem conservat: sic Christus spiritualem: secundum divinam quidem naturam, ut causa principalis; secundum carnem verò seu humanam naturam, ut principali inserviens. Ac prius indicatur hoc loco cum Christus de sua persona, secundum Deitatem considerata, ait: *Ego sum panis vivus, qui è cœlo descendi.* Nam Christus est verus Deus & vita æterna, 1. Joh. 5. vers. 20. qui à Deo Patre missus in mundum Ioh. 10. v. 36. factus ex muliere Galat. 4. v. 4 De carne verò loquens, distinctè ait: *& panis quem ego dabo, caro mea est:* quo ostendit non solum suam Deitatem esse panem, sed etiam carnem. Verum hoc discrimen ostendit, quod de persona dixerat: *ego sum panis, qui de cœlo descendit.* Hic verò distinctè, *panis quem ego dabo*, nam dicere carnem Christi descendisse de cœlo, illud & Sacris Literis, & fundamentis adversariorum apertè repugnat. Nam Sacra Scriptura docet, Sermonem, qui verus & æternus est Deus, Iohan. 1. vers. 1. factum carnem, vers. 14 per conceptionem Virginis Mariæ ex Spiritu Sancto, Matth. 1. vers. 20. & Luc. 1 vers. 31. 35. Idemque Menno, colloquii Wismar. fol. 13. pag 2. ait: *Non sentio, quod caro Christi fuerit ab æterno, sed quod in plenitudine temporis, in Maria (in qua verbum caro factum est) principium suum habuit, ac propterea non è cœlo carnem detulit.* & Petrus Colon. Colloq. Franeq. pag. 159. & 160. & Theod. Philip. in Enchir. fol. 66. utrâque pag. Ergò, ante conceptionem illam, non fuit caro Christi in cœlo: ideoque neque ex cœlo descendit. Nam quod est, illud non fit, idem quod est: quia jam est: & quod fit illud nondum est id, quod fit. Fatetur autem Menno, & asseclæ illius, ut ante ostendimus, verbum carnem factum in Maria, ex Matth. 1. v. 20 *Quod in ea genitum ex Spiritu Sancto est.* Ac propterea fieri non potest, ut verbum carnem è cœlo detulerit. Deinde, ex eo etiam sequeretur, Verbum habere duas carnes, seu duplicem humanam naturam: unam in cœlo, antequam conciperetur in Virgine, & alteram deinde conceptam in virgine tum primum, cum Verbum caro factum est. Quæ absurda, à ratione ac S. Scriptura omninò aliena esse, perspicuè apparere potest. Origo autem erroris est, ut aliàs & antè monuimus, quod Menno, & Mennonitæ personam Christi, & naturam illius humanam confundant, ut etiam divinam. Cujus rei illustre exemplum præbet Petrus Colon. Colloquio Franeq. pag. 192. in perversione loci Joh. 9. v. 37. & 38. *Cæcus*, inquit, *videbat Christum corporalem, palpabilem, visibilem, quod corpus ipse adoravit; quod si verum est (ut Ruardus ait) simul fuisse Mariæ carnem & substantiam, Dominus cæcum verbis bene reprehendisset, dicens: nihil præter Deum adorari debere: qua de re me rotunde declaro, quod intelligam, Christum fuisse Deum, & unigenitum Dei Filium, quem cæcus adoravit; nec enim convenit, ut quis adoret id, quod è terra suam habet originem.* Hactenus ille, ubi primùm Christum, & corpus Christi, quasi unum essent, confundit: cum Christus sit in una persona, verus Deus, & verus homo: id est anima & corpore prędiţus: qui rectè adoratur, quia Deus: corpus verò Christi Deus non est, sed pars tantum naturę humanę; ac propterea non est Christus: ac falso ex Ioh. 9. asserit, cœcum adorasse corpus Christi. Nam vers. 38.

vers. 38. de cœco dicitur, *ille verò dixit*, *credo Domine*, *& adoravit eum*, nempè Dominum,(id quod adversarius deinde agnoscere cogitur, cum ait: *Christum fuisse Deum*, *& unigenitum Dei filium*, *quem cæcus adoravit*) non autem dicitur, quemadmodum objicit,adoravit corpus Christi:nam Deus solus adorandus, Matth 4. v. 10. ut adversarius hic rectè notat: ideoque quod non est Deus, non est adorandum; corpus Christi non est Deus: Deus enim est Spiritus, Joh. 4. v. 24. Spiritus autem carnem & ossa non habet, ut corpus Christi, Luc. 24. v. 39. Deinde Deus est ab æterno Rom. 16. v. 26. corpus Christi formatum in tempore, operatione Spiritus Sancti, Matth. 1. & Luc. 1. Denique, ut alia multa omittamus, Deus est invisibilis, & immortalis; 1. Tim. 1. v. 17. & cap. 6. v. 16. contra verò corpus Christi visibile & mortale, ac mortuum est. Ergo corpus Christi non est Deus. Ac propterea adversarius, corpus Christi, & Deum perperam confundens, Christum esse Deum, necessariâ consequentiâ, negat: licet verbis illud fateatur. Nam quod objicit ex Joh. 9. v. 37. *vidisti eum*, scilicet filium Dei; verum est, nempe secundum carnem ab eo assumtam, quæ visibilis erat: non verò secundum essentiam divinam, quæ invisibilis, citra controversiam: *Filius* enim *Dei*, nomen est personam Christi notans. sicut filius Dei factus ex semine David: sed, ut addit Apostolus, distinctè, secundum carnem, Rom. 1. v. 3. Quo etiam modo intelligendum illud, quod objici solet, 1. Joh. 1. v. 1. *quod erat ab initio*, *quod audivimus*, *quod vidimus oculis nostris*, *spectavimus*, *& manus nostræ palparunt de sermone vitæ*. Ea enim verba, de sermone vitæ, qui homo factus est, dicuntur, quod visus auditus, ac palpatus sit, nempe, secundum carnem: non secundum essentiam divinam, quæ Spiritus est invisibilis, inpalpabilis. Quemadmodum contrà, secundum divinam naturam, intelligendum, quod præmittitur: nempe, *quod erat in principio*, ut Joh. 1. v. 1. Nam cum *sermo vitæ* sit nomen personæ Christi, illi rectè attribuuntur, partim quæ conveniunt secundum divinam naturam, partim quæ conveniunt secundum humanam. Atque ita corruit ejusdem erroris de corpore Christi repetitio adversarii Petr. Colon. colloqu. Leovardiens. pag. 194. *hoc*, inquit, *corpus ante declaratum*, *confiteor indignus cum Petro*, Mat. 16. v. 16. *esse filium viventis Dei.* Ubi manifesta falsitas, atque impietas apparet: nam Petrus Apostolus, de Christo, filio hominis, rogatus non ait: corpus tuum est filius Dei: quod apertè falsum & impium: Sed *tu es*, quod personam Christi significat. Filius etiam hominis non est idem, quod humana essentia: multo minus idem quod pars humanæ essentiæ, nempe corpus: sed personam Christi, ex homine, nempe Maria Virgine, natum, denotat: ac propterea cum persona sit eadem, non solum homo, sed etiam Deus, Deique filius, rectè Dei filius nominatur. Sicut filius hominis dicitur fuisse in cœlo Joh. 3. secundum divinitatem suam, non secundum humanam essentiam: quia secundum eam tantùm erat in terra: quod nondum ascendisset ad Patrem Joh. 20. v. 17. Atque hæc ad confutationem Anabaptistarum: qui verbis Angeli, de filio Mariæ, Dei filio, ad errorem suum, de origine carnis Christi ex Patris substantiâ, fucandum, indignis modis abutuntur, ut autem selectis hujus Capitis locis, ad explicandum propositis, finem imponamus, brevis subjicietur

Versus LXXVII. *ejusdem Capitis* ILLUSTRATIO.

PRæclarum omninò est Zachariæ, patris Iohannis Baptistę canticum, non solum propter autorem Deum, cujus Spiritu repletus prophetavit, vers. 67. Sed etiam ratione materiæ, seu ipsius Prophetiæ, quam proponit: qua primùm Dei redemptoris per Christum beneficium celebrat, vers. 67. ad 75. usque: deinde filium Iohannem, compellando describit, ab adjuncto Prophetico officio, & futura fideli illius executione, quod Domini Christi futurus esset præcursor, & suo ministerio (nempe prædicationis & baptismi) Domino viam esset paraturus, vers. 76. eo fine, *ut daret cognitionem salutis populo Christi*, *in remissionem peccatorum.* In quibus verbis utraque pars declarationem aliquam desiderat. In priori autem observandum, quid sit *cognitio salutis*, nempe æternæ: & quo modo eam Johannes daturus dicatur.

Cognitio enim *salutis* duobus modis intelligi potest 1. ut salus sit subjectum cognitionis, seu rem cognitam notet: quemadmodnm Phil. 3. 8. *cognitio Christi* & 2. Pet. 1. v. 2. *agnitio Dei.* Deinde ut cognitionis effectum significet, id est, quæ cognitio salutis efficiens instrumentalis. ut Psalm. 18. v. 48. *Deus salutis meæ*, id est, salutis meæ causa efficiens. Prior explicatio usu Phrasis præfertur: & tum non generatim, *cognitio salutis* intelligitur, sed per Synecd. generis pro specie cognitio viva, seu vera fides, quæ per Spiritum regenerantem datur & effectiva est Charitatis Gal. 5. 6. ac sola remissionem peccatorum, justificationem ac salutem consequitur. Quo modo etiam *cognitio* usurpatur, Esai. 53. v. 11. *cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* & Joh. 17. v. 3. *hæc est vita æterna*, *ut cognoscant te*, *illum verum Deum*, *& quem misisti Jesum Christum*, quibus locis cognitio viva, seu viva fides intelligitur, quæ ad vitam æternam citra controversiam, necessaria est. Marc. 16. v. 16. Sed *quibus* & *quomodo* Johannes Baptista daturus hanc cognitionem æternæ salutis vivam, seu fidem veram dicatur, non immerito quæritur. Prius enim indicatur (nempe quibus) cum dicitur, *populo ejus*, nempe Domini Christi, id est, solis electis ad vitam æternam, quibus fides viva propria Tit. 1. v. 1. Actor. 13. v. 48. Joh. 10. v. 26. quos Christus etiam, ut populum suum distinctè appellatum, solos servat, Matth. 1. vers. 21. & Joh. 6. Cum verò cognitionem salutis daturus populo Domini, Johannes dicatur: disquiritur deinde, quomodo hoc fiat, ac verè de Johanne pronuntietur: quoniam hoc videtur Scripturæ adversari, quæ hanc datæ fidei gloriam soli Deo vindicat: ut qui solus hominem regenerat, & cognitionem salutis donat: Matth. 11. vers. 27. *Nemo novit filium nisi Pater*, *neque Patrem quis novit nisi Filius*, *& cui filius voluerit revelare.* & 16. v. 17. Joh. 6. vers. 44. Eph. 2. vers. 8. Phil. 1. vers. 29. unde videtur necessariò sequi, cum fides sit Dei donum non potuisse à Johanne Baptista dari. Sed negatur Consequentia, ob vocis *dandi* significationem diversam. Ea enim accipitur vel de causa principali, vel de causa instrumentali & adjuvante subordinata, qui modi optimè inter se consentiunt. Cognitionis enim salutis, de qua hic agitur, seu veræ fidei causa efficiens est Deus per Spiritum Sanctum, unde *Spiritus fidei*, 2. Cor. 4. vers. 13. ut author illius, vocatur, & Ephes. 1. vers. 17. 18. dicitur: *ut Deus Pater det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis*, *per cognitionem ipsius*, *illuminatis oculis mentis vestræ.* Sed tamen ad eam rem utitur instrumentis (seu causis subordinatis, suo modo adjuvantibus) duobus, proximo quidem verbo Euangelii, remoto verò Euangelii ministris. Et utrumque hoc instrumentum demonstrat Apostolus, Rom. 10. v. 14. *Quomodo crederent de quo non audierint? Quomodo ergo audirent absque prædicante?* En, præcones Euangelii causæ instrumentales fidei. & v. 17. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei.* En causam instrumentalem proximam, Sic 1. Cor. 3. v. 5. *Quis igitur Paulus*, *quis autem Apollos*, *nisi ministri Dei*, *per quos credidistis*, *& ut cuique Dominus dedit.* Cæterùm inter dationem cognitionis salutis, id est, fidei vivæ à Deo, & dationem ab instrumentis Dei, nempe verbo Euangelii, & Euangelii ministris, maximum est discrimen. Nam ea in re consideranda sunt duo, primùm intelligentia doctrinæ salutis: deinde agnitio veritatis illius, & quidem viva, seu charitatis effectiva. Prioris nempe intelligentiæ doctrinæ salutis causa prima, ac primaria est Deus: qui Euangelii (utpote doctrinæ, naturâ prorsus ignotæ) author, & Euangelii ministros instruit, ac mittit. Causa verò ministra, atque instrumentalis proxima quidem est verbum Euangelii: remota verò sunt ministri illius: ita ut Euangelium lectum aut prædicatum, & diligenter auditum ac consideratum intelligi possit etiam ab hostibus illius incredulis, ob claritatem doctrinæ illius, ratione capitum primariorum: ut experientia eorum hostium, in veræ Euangelii ac salutis doctrinæ propositione & oppugnatione evincit. Posterioris verò, seu assensus, per quem

per quem Euangelio tanquam vero quis aſſentitur, actio propria eſt Dei: id quod loca antè poſita demonſtrant: & Apoſtolus 1. Cor. 3. v. 7. indicat. *neque is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum.* Veruntamen, ſicut aſſenſus, quo Euangelii veritas agnoſcitur (ſeu intelligentia veritatis illius: non autem intelligentia ſenſus) per Spiritus Sancti revelationem exiſtit, ac communis eſt electis ad ſalutem, & multis reprobis, 2. Pet. 2. verſ. 21. 22. Heb. 10. v. 16. ſic, ne hæc agnitio veritatis Euangelii ſit mortua fides, atque inutilis ad ſalutem Jacob. 2. verſ. 17. propterea requiritur, ut ſit effectiva charitatis, Gal. 5. ut viva ac ſalutifera fides exiſtat: quod etiam à Deo per Spir. Sanctum regenerantem tantummodo promanat, & electis proprium eſt; qualis fides hoc in loco *cognitionis ſalutis* Phraſi, per Synecd. intelligitur. cujus dandæ inſtrumentum, ac miniſter futurus ſtatuitur, ſuo nimirum, ut oſtendimus, modo, Johannes Baptiſta; quemadmodum etiam eventus comprobavit. Nam quemadmodum prædicavit Euangelium de Chriſto, Joh. 1. v. 29. & fidem in illum, Actor. 19. verſ. 5. ſic per eum crediderunt, Matth. 21. v. 32. Joh. 1. v. 37. & 42. Atque hæc de primo hujus ſententiæ explicandæ membro, quo finis prior miniſterii Iohannis Baptiſtæ declaratur, nimirum, *ut daret cognitionem ſalutis*, id eſt, ad fidem in Chriſtum, ſalutis authorem, inſerviret.

Alterum verò membrum, ſecundum finem, ex priori oriturum, deſcribit, cum ait: ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν. Quod variè exponitur. Cujus occaſio eſt propoſitionis ἐν, id eſt *in*, diverſa ſignificatio. Nam vox ea accipitur ſæpiùs, vel pro διὰ, id eſt, *per*, ut 1. Cor. 12. v. 3. & 9. ut verſ. 8. exponitur, & 2. Pet. 1. v. 13. vel eadem vox ponitur pro εἰς, *in*, *ad*, ut terminum aut finem notet, ut Rom. 2. verſ. 5. & 1. Theſſ. 1. v. 8. indicat enim ibi motum ad locum: ut etiam Hebr. 4. v. 11. Priorem ſignificationem ſequitur noſter interpres in hoc loco, Luc. 1. v. 77. *ut des cognitionem ſalutis populo ejus*, ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν, *per remiſſionem peccatorum*: ut hæc verba conſtruantur tantùm, cum proxima voce *ſalutis*, & ſenſus ſit: quod ſalus per remiſſionem peccatorum contingat. Poſteriorem verò vulg. verſio retinet, *in remiſſionem peccatorum*, ut terminum ac finem notet: & conſtruatur non cum voce ſalutis, ſed cum cognitione ſalutis, id eſt, vivâ fide: cujus finis, atque effectum inſtrumentale eſt, remiſſio peccatorum, Actor. 10. verſ. 43. & alibi. Atque ita Luc. 3. v. 3. Iohannes Baptiſta dicitur prædicaſſe baptiſmum reſipiſcentiæ, in remiſſionem peccatorum. Sub qua reſipiſcentia, per Synecd. fides erga Euangelium ſimul continetur: quemadmodum etiam Luc. 24. verſ. 47. & Actor. 19 v. 4. Sic Petrus Actor. 2. v. 38. *Reſipiſcite, & baptizetur quisquis veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Utraque interpretatio pia ac probabilis eſt: poſterior tamen, ob loca, de miniſterii Iohannis fine, jam adducta, videtur præferenda non immerito: præſertim cum prior interpretatio illa, non neceſſariam ellipſin ſtatuat, τῆς σωτηρίας ἐν ἀφέσει, pro τῆς ἐν ἀφέσει, *quæ per remiſſionem*, ſupple *eſt*, poſterior verò interpretatio ſimplex eſt, neque ellipſin illam requirit. Atque hæc de interpretatione.

Supereſt, ut ſuccedat, ad majorem loci, de quo agimus aliorumque intelligentiam, *remiſſionis peccatorum explicatio.* Hæc enim ad illuſtrem illam ac primariam, de juſtificatione hominis coram Deo, doctrinam, accuratius dignoſcendam, multaque Scripturæ loca illuſtranda, conducit plurimùm. Quod ut ordine, ac diſtinctè expendamus: duo, pro ordine illorum, conſideranda, nempe, *peccatum* & *remiſſio* illius: quorum illud *ſubjectum* eſt, hoc verò illius ſubjecti *adjunctum*. Ad prius quod attinet, initio vocis origo & ſignificatio (quæ, ad rei notitiam, ac tollendam ambiguitatem, viam ſternunt) præmittenda. Origo vocis *peccati* unde proximè oritur, citra controverſiam, eſt *peccare*: ſed an hoc verbum ſit primum, an verò aliunde ortum, merito diſquiritur. Veteres enim Latinæ Linguæ authores, (quantum hactenus obſervatum) prius ſtatuunt, quum nullius etymi nominis meminerint. Quidam verò recentiores literarum reſtauratores, poſterius ſequuntur: ſed diverſam tamen originem definiunt. Perottus in laudatiſſimo Cornucopiæ libro, *peccare* à *pellicare*, id eſt, cum pellice coire ſeu adulterium committere, derivat: unde generalius, ait, de omnibus delictis, & erroribus dictum. Id quod probant & ex Perotto recenſent Ambr. Calep. & Theſaurus Latinę Linguę, ſeu forum Romanum Cœlii. Julius verò Cęſar Scaliger vir acutiſſimus, de cauſis Linguę Latinæ, lib. 1. cap. 31. à nomine, *pecus*, geminata litera, c, *peccare* derivat; Id quod probat Becmannus in eruditis Latinę Linguę originibus: quod ſit (ut ait) quaſi in pecuinam indolem degenerare. Quidam verò alii, à nomine pecus quidem, ſed proximè, à *pecucare*, per Syncopen: quaſi pecudis inſtar aberrare. Veruntamen neque *peccare*, neque *pecucare*, priſcis Latinæ Linguæ authoribus nota. Neque etiam prior Etymologia Perotti videtur conſentanea: nam licet hac parte ſit ſuperior, quod *pellicatus* Latina ſit vox, quæ à *pellico*, citra controverſiam, voce obſoletâ, deducitur; inſolens tamen eſt illius in verbum *pecco*, deflexio, quaſi duplex l, in c, mutaretur, quod autem *peccare*, pro adulterium committere, interdum accipitur à Poëtis, Synecdoche eſt generis pro ſpecie: quare ſimplicius eſt, ut cum priſcis autoribus, *peccare* thema eſſe, ſeu vocem primam, originis expertem, dicatur. Deinde ad ſignificationem quod attinet; quidam idem notare cenſent, quod tranſilire lineas, obtento Ciceronis dicto paradoxo 3. cum ait: *ſiquidem eſt peccare, tanquam tranſilire lineas: quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: quam longè progrediare cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet.* Sed inquam primùm obiter notandum: pro verbo *tranſilire*, Lambinum notare ad oram libri loci citati, è veteri codice, *tranſire*; ut etiam Nizolius, ac deinde forum Romanum Cœlii legunt: & ſequentes voces repetitę ac conjugatę, *tranſieris*, ac *tranſeundi* ſatis clarè comprobant. Deindè Cicero, iis verbis, non exponit quid ſit peccare: ſed componit, ſeu comparat cum tranſitu linearum. Quare potius ſtatuendum. *peccare*, propria ſignificatione, nihil aliud eſſe, quam malè, ſeu contra officium facere: & *peccatum*, malè factum, ſeu contra officium factum: quemadmodum Ciceronis paradoxo 3. eleganti oppoſitione, apparet: *rectè facta* (inquit) *à virtutibus proficiſcuntur: peccata ex vitiis manant.* Hæc de Latina voce: quibus pauca tantum de Græcâ, & Hebręâ addemus. ἁμαρτία & ἁμάρτημα *peccatum*, Gręcis ab ἁμαρτέω (pro quo in uſu eſt ἁμαρτάνω) *aberro*, ſive à via, ſive à ſcopo deſtinato: ut rectè Henricus Stephanus ait, in Theſauro Græcæ Linguæ, & exemplis multis demonſtrat. Inde per Metaphoram *peccare* ſignificat, quaſi à via legis aberrare. Quam ſignificationem in Novo Teſtamento ſemper obtinet, ſic Hebræis חטא quod aberrare notat propriè: ut Jud. 20. verſ. 16. *fundâ jaciens lapidem ad capillum* ולא יחטא & *non aberrabat.* Quæ propria ſignificatio, unico tantum illo loco, extat. ſecunda verò inde per Metaphoram orta eſt, *peccare*, quaſi à via juſtitię ac legis propoſitâ aberrare. Ex qua ſignificatione ſit nomen חטא & חטאה *peccatum*: cujus ſynonymum eſt עון propriè *perverſitas, iniquitas.* Sic Pſal. 32. v. 2. pro quo Rom. 4. ἁμαρτία ponitur. Sic פשע *defectio*: quia peccatum à Deo defectio eſt: quę tria conjuncta ſunt, Exod. 34. v. 7. Atque hęc de peccati voce & ſignificatione. Quo modo ſtrata jam eſt, ad rem ipſam ſeu definitionem peccati, via. Quę definitio ex 1. Joh. 3. verſ. 4. contractius produci ſolet: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία *peccatum eſt legis* (divinę ſcilicet) *transgreſſio.* quemadmodum 1. Samuel. 15. verſ. 24. חטאתי כי־עברתי את־פי־יהוה *peccavi, quia trangreſſus ſum os*, id eſt, verbum *Jehovæ* ut LXX. ἡμάρτηκα ὅτι παρέβην τὸν λόγον κυρίου. & Dan. 9. verſ. 11. עברו תורתך LXX. παρέβησαν τὸν νόμον σου, *transgreſſi ſunt legem tuam.* Unde periphraſis peccati eſt, Rom. 2. v. 23. *tranſgreſſio legis* & κατ᾽ ἐξοχὴν Heb. 2. verſ. 2. *transgreſſio*, dicta; quemadmodum peccator, *transgreſſor legis*, Jac. 2. v. 10. eleganti Metaph. ab illicita, uti videtur, terminorum transgreſſione, deſumta: quemadmodum ἁμαρτία peccatum, expoſitione naturę illius, ἀνομία dicitur: ut liquet ex Jerem. 31. verſ. 34. *peccati eorum non recordabor amplius.* Quod ab Apoſtolo Heb. 8. verſ. 12. citatur, poſt verba illa, *peccatorum illorum*, addita explicatione καὶ τῶν ἀνομιῶν *& transgreſſionum legis eorum*, illuſtratur. Quamvis enim hęc duo, *peccatum & legis transgreſſio*, eandem rem de-

rem declarent, modo tamen significandi differunt. ἀνομία enim ab ἄνομος deducitur: quæ vox ex particula ἀ, & nomine νόμος, id est, *lex*, composita est, & ut ἀ privativum vel *absque* notat, vel *adversus*: sic ἄνομος dicitur, qui vel *absque lege* est, sive *ex lex*, ut 1. Cor. 9. vers. 21. vel qui est *adversus legem* (ut idem sit quod παράνομος, unde παρανομῶν *legem transgrediens*, Actor. 23. vers. 3.) ut 2. Thess. 2. v. 8. & 1. Tim. 4. v. 9. ubi *justo* opponitur: ut 2. Pet. 2. vers. 8. opera ἄνομα, id est, legi adversa, justitiæ opponuntur. Atque ab hac secunda significatione, vox ἀνομία non carentiam legis (quæ peccati expers esse potest) sed repugnantiam, ac transgressionem legis, seu inobedientiam significat. Ac propterea merito justitiæ opponitur. 2. Cor. 6. v. 14. & Heb. 1. v. 9. & bonis operibus. Tit. 2. v. 4. Quod sicut justitiæ norma, lex: sic violatio illius, injustitia. & quemadmodum lex omnem justitiam, tam habitualem, quam actualem præcipit, Matth. 22. v 37. & 39. sic generatim omnis illius transgressio peccatum est, & ἀνομία: licet per Synecd. interdum pro specie una accipiatur, ut Rom. 6. v. 19. *sicut stitistis membra vestra τῇ ἀνομίᾳ, εἰς ἀνομίαν*. geminum exemplum est illustre, ubi priori loco peccatum habituale, seu originale; posteriori verò actuale è priori enatum intelligitur. Cœterum ut paulò plenius peccati definitio percipiatur, hoc modo à genere & differentia duplici describi posse, non incommodè, videtur: *Peccatum est actus, vel habitus malus, legi Dei repugnans, maledictionis reum constituens.* Genus autem est actus vel habitus malus: Differentia primum essentialis est ἀνομία, seu repugnantia adversus legem, qua differentia genus propositum restringitur, & ab actu atque habitu malo, qui illegitimus non est; sed aut naturalis tantum aut artificialis, distinguitur: sic etiam accidentalis differentia est effectum peccati proprium, quod reum maledictionis constituat: id quod justa Dei comminatio, legi addita, perspicuè demonstrat, Deut 27. v. 26. *Maledictus qui non* יקים *stabiliat (id est perseveranter observet) verba legis istius, ut faciat ea.* Quod dictum non solum LXX. interpretes, sed etiam Apostolus ita exposuit Galat. 3. v. 10. *Maledictus qui non permanet* (ἐμμένει) *in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* ideoque ut omnis peccans reus est mortis, seu ad pœnam mortis ferendam obligatus: sic etiam ob Dei judicis justitiam vindicatricem, & comminantis veritatem, ut pœnam illam peccator ferat, absolutè necessarium est, Gen. 2. v. 17. Rom. 1. vers. 32. & 5. vers. 12. & 6. vers. 23. Jac. 1. vers. 15. Ac propterea, quæ Lucæ 11. v. 4. dicuntur *peccata*, eadem à Matth. 6. v. 12. *debita* appellantur: non quod ea debeantur; sed Metonym. quod peccantes pœnæ debitæ obnoxios reddant: quemadmodum debita pecuniaria, eum, qui solvendo non est, ad pœnam obligant, Matth. 18. Quæ debiti Metaphora etiam Dan. 1. vers. 10. Atque ita peccantes idcirco *debitores* appellantur, Luc. 13. v. 4. nempe pœnæ mortis solvendæ: quales propriè dicuntur *digni morte*, Rom. 1. vers. 32. & *rei gehennæ ignis*, Matth. 5. vers. 22. ἔνοχοι. *rei æterni judicii*, id est, condemnationis, Marc. 3. v. 29. Atque hinc fit, ut *peccati* vox (ut etiam Synonymorum illius) per Metonym. duplicem usurpetur. Prima est Metonym. causæ pro effecto, cum pœnam peccati notat; ut Gen. 19. v. 15. *ne consumaris in iniquitate* (id est, pœna iniquitatis) *hujus civitatis*. & 1. Pet. 2. v. 24. *peccata nostra sustulit in lignum.* Altera Metonym. ex priori orta, est adjuncti pro suo subjecto, cum sacrificium peccati, quod pœnam peccati perfert, significat, ut Levit. 4 vers. 3. & vers. 33 ut etiam Psal. 40. v. 7. *peccatum noluisti* id est sacrificium (supple legale) pro peccato, seu pro solvendâ peccati pœna: Quod Apostolus ad Hebr. 10. vers. 8. transtulit per ellypsin περὶ ἁμαρτίας, *pro peccato*, scilicet θυσίαν *sacrificium*. Qualis phrasis apud LXX. Levit. 6. vers. 30. πάντα τὰ περὶ ἁμαρτίας *& omnia* (scilicet sacrificia) *pro peccato*. Eadem Metonymia est 2. Cor. 5. 21. *fecit eum peccatum*, id est, sacrificium pro peccato, ad pœnam peccati, debitam nobis, ferendam. Ea autem pœna est mors prima, & secunda. Prima est vitæ corporis privatio per animæ ex eo migrationem, 2. Cor. 5. 8. 9. & 2. Pet. 1. v. 5. & 15. Secunda verò mors Apocal. 2. v. 11. & 20. vers. 6. sunt animæ & corporis (ob infinitam Dei legislatoris, ac summi judicis, Gen. 18. vers. 25. & Jac. 4. vers. 12. Majestatem læsam) cruciatus infiniti valore: aut compensatione quadam (ob finitam peccatoris naturam) duratione infiniti, seu æterni. Prioris exemplum est in Christo, Esai. 53. v. 4. 5. 6. & Galat. 3. v. 13 posterioris in reprobis omnibus Dan. 12. v. 2. Matth. 25. v. 41. Siquidem pœnæ utriusque mortis perferendæ modus est duplex: aut per ipsum peccatorem; aut, Deo acceptante, per sponsorem, ac vadem Christum. Ac prior quidem modus lege expressus Deut. 27. v. 26. posterior verò in lege suppressus, sive tacitus: sed ex Dei legislatoris mente intellectus: & Euangelio Christi, cum promissi, Gen. 3. v. 17. & 22. v. 18. Actor. 10. vers. 43. tum missi, revelatus, Galat. 3. v. 13. Heb. 2 v. 14. Actor. 3. v. 25. Cujus Christi perpessio mortis, est valoris infiniti: quia persona infinita est, θεάνθρωπος, unde humanæ naturæ passæ dignitas accedit infinita: *Deus enim, qui Ecclesiam suo sanguine acquisivit.* Actor. 20. v. 28. *Qui per Spiritum æternum* (hoc est, divinam suam naturam) *seipsum obtulit inculpatum Deo*, scilicet Patri, Heb. 9. vers. 14. Hactenus de peccato.

Consequens est, ut de *remissione* illius agamus: à voce similiter exorsi. Ea autem Græcè est ἄφεσις. Cujus origo est ab ἵω, pro quo in usu est ἵημι *mitto*: unde ἀφίημι *dimitto, remitto.* Atque ex hoc nomen ἄφεσις *dimissio, remissio*: & per metaph. *condonatio*, ob similitudinem, ut videtur, quandam, à captivorum è carcere, & vinculis dimissione ac liberatione. Quemadmodum allegoria tali (seu continuata quadam metaphora) peccatorum remissio describitur, Esa. 61. v. 1. *Ut prædicem captivis* דרור *libertatem, & vinctis apertionem carceris.* Id quod Luc. 4. v. 18. exponitur, *ut prædicem captivis* ἄφεσιν, *dimissionem, & confractos emittam* ἐν ἀφέσει, Beza, *in libertatem*, id est, in remissionem: Erasmus *per remissionem.* Hebraicè verò pro ἀφίημι (cum hoc condonare significat) propriè est verbum סלח cui plena constructione addi solet, *peccati*, aut *iniquitatis* vox, ut 2. Chron. 6. v. 27. Exod. 34. 9. Jerem. 31. v. 34. & 33. v. 8. vel per ellypsin reticetur: & condonare peccata significat; ut Levit. 4. vers. 20. וְנִסְלַח לָהֶם *& condonabitur iis*, scil. peccatum: ut expressè LXX. καὶ ἀφεθήσεται αὐτοῖς ἁμαρτία, *& remittetur iis peccatum.* Sic etiam Lam. 3. v. 42. & Esa. 55. v. 7. Ex qua significatione nomen extat סליחה *condonatio*, pro condonatio peccatorum, ut Psalm. 130. vers 4. *apud te* הסליחה *condonatio*, id est, condonatio peccatorum. Et Daniel. 9. vers. 9. *apud Dominum sunt miserationes* רחמים והסליחות *& condonationes*, id est, remissiones peccatorum. Denique Nehemiæ 9. vers. 17. אלוה סליחות *Deus condonationum*: quod LXX. exprimunt Θεὸς ἀφίων τὰς ἁμαρτίας. Quo etiam modo Græcè, ἄφεσις, pro ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν accipitur, Marc. 3. vers. 29. *Non habet ἄφεσιν*, id est, *remissionem* peccatorum, *in æternum*. Et Hebr. 9. v. 22. *Sine sanguinis effusione non fit* ἄφεσις, *remissio*, nempè peccatorum. Hæc etiam de remissionis voce.

Ad rem verò quod attinet: ut *remittere*, condonare significat: sic *peccata*, per metonym. effic. pro effecto, pœnas peccatorum notat, ut rectè, cum aliis Theologis, Dominus Piscator, Luc. 11. v. 4. in scholiis agnoscit. Et sanè usus Scripturæ idem comprobat, diversis metaphoris, eodem sensu intellectis. Quales sunt *delere, auferre, tollere, non imputare, non recordari. Post tergum aut in profundum maris projicere peccata*, id est, peccatorum pœnam non inferre, seu condonare: quemadmodum etiam apud Latinos remittere peccata, & pœnas peccati remittere, eodem sensu usurpari solent. Remissio ergò peccatorum, est pœnæ, peccatis debitæ, absolutio, seu condonatio. Quæ pro efficientis ratione, aut humana est, aut divina. Humana est, qua homo homini, jure mandati divini, Matt. 6. vers. 14. 15. peccati in se commissi, pœnam condonat: ut fecit Joseph, Genes. 50. v. 16. 17. Divina verò peccatorum remissio ea est, qua Deus, ex misericordi gratia pœnam peccatis debitam, condonat, quo modo inter se opposita sunt, Psalm. 89. vers. 8. *Deus tollens*, supple peccatum, id est, condonans & absolvens; *& vindicans*, id est, pœnam pro peccato inferens. Porro hæc divina remissio aut particularis est, aut univer-

universalis. Particularis est, qua partim, seu pœnam tantum temporalem hominibus reprobis condonat. Quale exemplum illustre in Israëlitis rebellibus, ac præsentem pestem promeritis, Num. 14. v. 12. pro quibus, ut Moses orat, v. 19. Sic etiam Deus condonavit: non simpliciter, & absolutè: sed pœnam temporalem tantum; non autem æternam: quia increduli permanserunt, ac perierunt, Hebr. 3. v 18. 19. & 4. v. 3. & quidem particularem, de qua agitur, nempè præsentem pestis mortem: quam Deus non inflixit: non omnem tamen temporalem condonavit, quia aliam iis minatur, nempè pœnam exclusionis ex terra promissa. Talis etiam antea fuit iisdem reprobis remissio peccatorum facta particularis, cujus Moses in loco jam citato meminit, cum ait: *condonasti populo ab Ægypto, huc usque.* Qua de re etiam videre est, Psalm. 78. v. 34. 35. 36. 37. 38. Tale etiam exemplum in Achabo comperitur: cui Deus, licet non ex viva fide pœnitenti, pœnam, quam minatus ei erat, illius temporis ratione, condonavit: non autem absolutè, quia eam non abstulit: Sed in posteros ipsius distulit: neque omnem pœnam temporalem reliquam ei condonavit, sed eam tandem intulit, ut 1. Reg. 21. v. 27. 28. Cujusmodi denique pœnæ temporalis remissiones extant frequentes, in improbis ac reprobis: quum meritas pœnas Deus non infert: sed iis parcit, imò multis beneficiis afficit: id quod justitiæ Dei primâ fronte non videtur consentaneum; adeo ut in Ecclesia Dei, non rarò, ea re perturbentur, non tantum hypocritæ, Mal. 3. v 13. 14. 15. Sed etiam interdum verè pii, Psalm. 73. v. 12. 13. 14 Jerem. 12. v. 1. 2. Sed tamen Deus nihilominus est justus judex: Nam licet, ad tempus, pro sua patientia ac lenitate iis parcat: suo tamen tempore, patientiâ divina abutentes, justè punit, ac tarditatem supplicii gravitate illius compensat, Psalm. 73. v. 17. idque vel in hac vita, Psalm. 37. v. 32. 35. 36. & Jerem. 12. v. 3. vel post hanc vitam, Mal. 3. v. 18. & 4. vers. 1. quo spectat Apostolus, Rom. 2. 4. & 5. *An copiam benignitatis ejus, & tolerantiæ, & μακροθυμίας, tarditatis ad iram, contemnis? ignorans quod benignitas Dei te ducit ad resipiscentiam? Sed pro duritia tuâ, & corde resipiscentiæ experte, thesaurizas (id est, accumulas) tibi iram, in diem iræ, & patefactionis justi judicii Dei.* Atque hæc de remissione peccatorum particulari. Universalis est, quâ Deus, ex speciali gratia, omnibus ac solis hominibus electis, ac fidelibus, debitam, pro peccatis eorum pœnam universam (tam temporalem, quam æternam,) propter Christi sponsoris, ac Mediatoris ab eo dati, plenam passionis & mortis, pro iis, solutionem, per fidem in ipsum, condonat. In qua descriptione, *genus* & *differentia* observanda. *Genus*, (seu id quod ei cum particulari remissione commune est,) est pœnæ, pro peccatis hominum debitæ, à Deo, ex gratia, condonatio. *Differentia* verò distinguens, subjecto, adjuncto, & causis propriis, continetur. *Subjectum proprium* sunt electi, Johan. 10. vers. 11. 16. & Rom. 8. v. 30. ut ex adjuncto, & causis etiam liquet. *Adjunctum* enim est remissionis magnitudo: quod pœnam universam; temporalem simul & æternam, simpliciter condonet; non autem temporalem tantùm, nec partim, & ad tempus, ut, in particulari fieri solere, ante demonstravimus. Id quod illustria sacræ Scripturæ dicta evincunt: qualia sunt Jer. 31. v. 34. *Condonabo iniquitatem eorum & peccatorum eorum non recordabor ampliùs*, hoc est, non puniam, per metaph. similitudine ab hominibus ac judicibus ducta, qui oblivioni tradita, ac ignota malefacta non puniunt. Quod similiter dicitur, Ps. 51. v. 11 *Absconde faciem tuam à peccatis meis:* & alterâ metaph. declaratur, cum additur: *& omnes iniquitates meas dele:* simili à debitorum è libro deletione, qui non exiguntur. Et Esa. 43. v. 25. Sic etiam cap. 44. v. 22. & 38. v. 17. & Neh. 7. v. 19. quibus in locis omnium peccatorum remissio, variis metaphoris, luculenter demonstratur. Id quod distinctè ex *causis* etiam remissionis illius, in descriptione antecedente positis, confirmari potest. Quarum causarum alia prima, alia secunda: *Prima* est, specialis, erga electos Dei, gratia; seu gratuita, erga electos, peccatores, ac mortis reos, dilectio, qua primò, Christum pro iis vadem, seu sponsorem (Hebr. 7. v. 21 cum 22.) & Mediatorem dedit, cap. 9. v. 15. & pœnas, iis debitas, ipsi perferendas imposuit, Esa. 53. v. 6. Rom. 3. vers. 24 & 5. vers. 8. & 2. Cor. 5. v. 21. Deinde propter ejusdem Christi satisfactionem pœnæ dictæ, à peccatorum pœnis absolvit. 2. Cor. 5. v. 19. *Secunda* verò causa efficiens remissionis universalis, est *principalis*, vel *instrumentalis*. Principalis est Christus perfectâ pœnarum, electis debitarum, per passionem & mortem solutione. Esa. 53. v. 4. 5. 6. 8. Siquidem Christus dedit *animam suam*, (id est, vitam,) λύτρον, *redemptionis pretium pro multis*, Matth. 20. vers. 28. & quidem ἀντίλυτρον, id est, *ex adverso respondens*, seu *æquale redemptionis pretium*, 1. Timoth. 2. v. 2. quomodo vox ἀντὶ, in nomine ἀντίῤῥοπον, id est, *æquilibrium* usurpatur: *Christus enim ad abolitionem peccati, per sacrificium sui ipsius, patefactus est*, Hebr. 9. v. 26. & *sanguine suo æternam* λύτρωσιν, *redemptionem nactus*, ibid. v. 12. *in quo habemus*, ἀπολύτρωσιν, *redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex divite ipsius gratia*, Ephes. 1. v. 7. Coloss. 1. v. 14. Nam licet ratione Christi (qui passione & morte suâ pretium plenum persolvit) remissio sit merita: electorum tamen ratione, est ex mera Dei gratiâ: ut qui pro peccatoribus, atque ita suis hostibus, mortem promeritis, Christum sponsorem dedit, Rom. 5. v. 8. & fidem, per quam Christi & remissionis peccatorum communicatio obtinetur, gratis donat, ut Ephes. 2. v. 8. Atque hæc de causa remissionis peccatorum secunda principali, nempe eam promerente.

Instrumentalis verò, est fides viva; quæ agnitio est Jesu Christi, filii Dei servatoris, Ecclesiæ, per regenerationem Spiritus Sancti donata, charitatis (ideoque fiduciæ & spei) effectiva, Johan. 20. vers. 31. Actor. 8. v. 37. Ephes. 2. vers. 8. 9. Johan. 1. vers. 12. Galat. 5. v. 6. Jacob. 2. v. 17. Cujus fidei effectum (ideoque fide, naturæ ordine, posterius) est remissio peccatorum, Actor. 10. v. 43. & 13. v. 38. 39. Roman. 3. v. 24. 25. Galat. 2. v. 16. Cœterum adversus hanc universalem peccatorum remissionem, per fidem in Christum, satisfactione illius meritam, statuunt Pontificii, eam locum quidem habere, in prima remissione, quæ fiat per baptismum (ut concilium Trident. Sess. 14. cap. 2.) non autem in secunda remissione, quæ lapsis post baptismum datur: in qua pœnitenti pœna æterna quidem condonetur, non verò pœna temporalis: quæ homini hic, vel in purgatorio, luenda: quemadmodum ibid Sess. 6. can. 30. statuitur: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Atque ita Bellarm. tom. 2. de pœnitentia l. 4. cap. 10. utramque & primam & secundam illam, quam statuunt remissionem, distinctè exponit, his verbis: *In baptismo non requiritur satisfactio ex parte nostra, &c. ut tamen requirat ex parte nostra opera laboriosa, quibus, pro reatu pœnæ temporalis divinæ justitiæ satisfiat.* Hæc ille. Opera autem illa *laboriosa* declarat Concil. Trident. Sess. 14. cap. 13. nempè pœnas à Deo inflictas patienter toleratas: vel à sacerdote injunctas; item sponte susceptas vel jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus. Sic etiam Bellarm. memorato lib. cap. 5. rationem adducit, *Siquidem*, inquit, *maximè consentaneum est rationi, ut sic Deus, ex misericordia, peccata condonet, ut etiam justitiæ, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit.* Sed contra ab orthodoxis rectè respondetur: respectu nostri peccata ex mera misericordia condonari: respectu verò Christi, sponsoris nostri, Deus illas pœnas ab ipso exegit, & Christus, eas perferendo, plenissimè satisfecit. Sed addit Jesuita: *Neque solvitur argumentum, Christum pro nobis Deo Patri abundè satisfecisse. Nam etiamsi ad amicitiam Dei recuperandam, & pœnam sempiternam evadendam, congruens fuerit, ut nobis Christi satisfactio applicaretur, cum nos tantò oneri omninò impares essemus, tamen ad expiandam pœnam temporalem, per Christi gratiam idonei effecti, par erat, ut nos ipsi, qui Deum offenderamus, eidem, nostro labore satisfaceremus.* Hæc ille. In quibus verbis duo errores gravissimi continentur. Prior de Christi satisfactione: posterior de nostrâ. prior enim est, quod negat Bellar. Christum pro pœnis temporalibus peccatorum, post baptismum à nobis commissorum,

missorum, satisfecisse: cum contrarium Sacra Scriptura (ut supra demonstravimus) asserat, nimirum *in Christum incurrisse iniquitatem* (id est, iniquitatis pœnam) *omnium nostrûm*, Esai. 53. vers. 6. & Jerem. 31. v. 34. Hebr. 8. v. 12. *condonabo iniquitatem eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius*: si autem condonatis peccatis, ea punit, eorum recordatur: & ut Psal. 51. v. 11. David petit hoc modo à Deo: *absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*: Sic Esai. 38. v. 17. dicitur, *projecisti post tergum omnia peccata mea*, & Mich. 7. vers. 19. *projicies in profundum maris omnia peccata*. & Hebr. 9. v. 26. *Christus ad abolitionem peccati &c.* & Actor. 13. v. 38. 39. & 1. Joh. 1. v. 7. Ergo Christi satisfactio pro peccatis nostris integra est, & absoluta. Quare à Bellar. aliisque Pontificiis violatur perfecta Christi satisfactio, cum illius merito temporalem pœnam, peccatis nostris post baptismum debitam, deleri negant. Posterior error Bellarmini est de satisfactione nostra: quod laboriosis operibus nostris, pro reatu pœnæ temporalis, justitiæ Dei satisfiat: hoc enim similiter Sacris Literis adversatur. Primum, quia eo modo injustitiam Deo manifestè attribuit. Cum enim Christus, pro omnibus peccatis nostris, sua passione & morte, abundè satisfecerit Dei judicio, *factus pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato, *ut fieremus justitia Dei in eo*, 2. Cor. 5. vers. 21. & *nos redemerit ex maledictione, factus pro nobis maledictum*, Gal. 3. v. 13. *Nullaque sit condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu*, id est, fidelibus, Rom. 8. v. 1. atque ita Dei justitiæ plenissimè pro nobis sit satisfactum: Dei justitia non fert, ut pœnam satisfactionis ullam, pro peccatis à nobis, exigat: quemadmodum creditor, debiti solutionem à Sponsore integrè præstitam, à debitore sine injustitia, exigere non potest. Secunda erroris demonstratio est, quia satisfactio, qua pœnam temporalem, peccatis nostris debitam ferendo, justitiæ Dei satisfiat, impossibilis est nobis: nam ea deberet esse omnis vitii expers, ac perfectè sancta: alioqui non tolleret pœnam, sed merito eam augeret. Contra verò omnes actiones nostræ sunt vitio contaminatæ, ob repugnantiam carnis (id est, vitiositatis reliquæ) adversus Spiritum Gal. 5. v. 17. Ideoque justitiæ Dei, pro peccatorum expiatione, satisfacere non possunt: sed satisfactione Christi, per fidem apprehensâ, expiandæ sunt, ut Deo placeant, Heb. 13. v. 21. 1. Pet. 2. v. 5.

Cæterum quia Pontificii (ex Concil. Trid. Sess. 6. Can. 30. & Sess. 14. Can. 13. sententia) summo consensu docent, post remissam culpam id est peccatum, sæpe remanere reatum pœnæ temporalis: idque perspicuis & illustribus Sacrarum Literarum exemplis demonstrari gloriantur: idcirco primaria quibus potissimum nituntur, paucis expendemus, ac diluemus. Duo autem in Davide proferunt exempla: Primum quidem 2. Reg. 12, 13. 14. ubi (ut ait Ballarm. tom. 2. Controverf. lib. 4 c. 2.) David post impetratam veniam adulterii atque homicidii, punitus est morte filii. Secundum exemplum est, 2. Reg. 24 ubi iidem Davidi, ob numeratum populum, post peccatum remissum, pœnitenti optio datur, ut eligat in pœnam peccati, bellum, famem aut pestem. Sed respondetur, hasce afflictiones non esse propriè pœnas judicis vindicantis, ad satisfactionem illatas; sed castigationes Patris, ad peccantis, & aliorum correctionem adhibitas: peccantis quidem, ut ea castigatione resipiscat ad salutem, 1. Cor. 11. v. 32. & Heb. 12. v. 10. 11. & data hostibus blasphemiæ occasio præcideretur, 2. Sam. 12. v. 23. Aliorum verò correctio, ut castigationis hujusmodi exemplo moniti, à peccatis iis imitandis absterrerentur. Atque hæc, pro instituti ratione, adversus Pontificiorum de remissione peccatorum errorem diximus. Superest illustris atque utilissima, ad rei propositæ declarationem, quæstio,

An remissio peccatorum sit tota fidelium, coram Deo, justificatio, ad vitam æternam obtinendam?

RESponderi autem potest duobus modis, pro duplici remissionis peccatorum significatione. Prima enim est à reatu seu debita peccati pœnâ, absolutio: quemadmodum supra, ex S. Literarum usu, ostendimus: & communis veterum, ac recentiorum Theologorum, Matth. 6. v. 12. & Luc. 11. v. 4. expositio consentit. Atque hoc quidem modo remissio peccatorum accepta, non est tota fidelium, coram Deo, ad vitam æternam justificatio. Hæc enim tantum est, qua perfectè justi, coram Deo judicantur, justi autem perfectè non sunt, nec verè tales judicari possunt, nisi totum Deo debitum persolverint. Debitum enim est duplex; unum per accidens peccati, nempe pœnæ, ob legis divinæ transgressionem, perferendæ, Deut. 27. v. 26. Rom. 1. v. 32. & 6. v. 23. Alterum verò debitum est per se, nempe obedientiæ legi Dei, perfectè, ad finem usque præstandæ. Quorum debitorum solutio necessaria nobis est: prioris quidem, ad remissionem peccatorum, seu pœnæ mortis debitæ absolutionem: Posterioris verò ad imputationem justitiæ, ad vitam æternam. Ideoque Christus, qui se vadem ac sponsorem, pro nobis, obtulit, utrumque debitum persolvit: pœnæ quidem ad remissionem peccatorum, Esai. 53. vers. 4. 5. 6. Ephes. 1. vers. 7. Obedientiæ verò universalis ad justificationem vitæ, Rom. 5. v. 17. 18. Secunda verò remissionis peccatorum significatio est, quâ, per Synecd. partis pro toto, simul justitiæ imputationem complectitur: quo modo. Psal. 32. v. 1. 2. usurpatur: ut Apostolus Rom. 4. recitat, & Synecdochen explicat. Recitat autem v. 7. & 8. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum.* Synecdochen verò explicat v. 6. præcedente, cum ait: *Sicut etiam David pronuntiat beatum illum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus.* Quibus verbis indicat, non solum remissionem peccatorum, seu non imputationem eorum, ad pœnam: Sed etiam imputationem justitiæ, seu utramque justificationis partem, positione primę, denotari. Id quod & ejus, cui remissa sunt peccata, attributum: & remissionis prima significatio, demonstrat. Attributum, quod ei, cui Deus non imputat peccatum, id est, cui pœna peccati remissa est, conveniat beatitudo, beatusque sit. Atqui ad perfectam, ad finem, justitiam, & vitæ æternæ beatitudinem (de qua hîc agitur) non sufficit remissio peccatorum (absque Synecdoche accepta) id est, pœnę, peccatis debitę absolutio: sed etiam perfecta justitia, seu plena legis Dei ad finem, impletio: ut antea probatum est. Nec enim alius quàm ex fide justus, vivet, seu vitâ æternâ fruetur, Rom. 1. vers. 17. & perfecta justitia, seu plena, ad finem, legis obedientia, necessaria ad justificationem vitæ, Levit. 18. vers. 5. Rom. 5. v. 18. 19. Ac propterea cùm remissioni peccatorum beatitudo adscribatur; & justitiæ imputationem, à qua dependet beatitudo, includat, ut Apostolus testatur: ut vera sit illius expositio: Synecdochen esse necesse est. Neque excipi potest, remittere peccata, & non imputare peccata, sensu esse diversa; quia, ex usu Scripturæ suprà ostendimus, hæc duo, idem, licet diversis metaphoris, significare: ut etiam, cum Ambrosio, D. Paræus, Rom. 4. v. 7. confirmat: cum ait, *tribus phrasibus* (nempe *remittere*, *tegere*, *non imputare peccata*) *idem dicit David*: & paulò post, *imputat Deus peccatum, cum punit: non imputat, cum non punit.*

Sed objicitur: quicunque est non peccator, seu non injustus, ille est perfectè justus, id est, universam Dei legem, ad finem usque, implevit. Is autem, cui remissa sunt peccata, non est peccator, seu, non injustus. ergo is, cui remissa sunt peccata, est perfectè justus, seu legem Dei perfectè implevit. Verum totus hic Syllogismus est vitiosus: utraque enim & propositio, & assumtio, meritò negatur. Nam primum propositio nititur falsâ hypothesi: quod non peccatorem esse, & perfecta legis impletione, ad finem justum esse, necessariò atque immediatè consentiant. Contrarium enim ex Adami, ante lapsum exemplo, demonstratur. Nec enim eo tempore erat peccator, quia non erat transgressor legis: & tamen nondum perfecta legis ad finem observatione justus. Quia licet relatè ad illud tempus, continuasset justitiam, non tamen ad finem. Ac propterea, quemadmodum illi, tunc temporis, non debebatur pœna mortis: quia nondum peccarat: sic nec ei debebatur præmium vitæ æternæ; quia in sua justitia cæpta, & ad tempus continuatâ, non permansit ad finem. Quæ permansio, ad vitæ æternæ jus ac possessionem acquirendam, erat necessaria,

Deut. 5. v. 35. & 39. & 19. v. 9. & 27. v. 26 & Levit. 18. v. 5. deinde assumtio etiam veritati repugnat: cui enim remissa sunt peccata, is non desinit esse peccator, sed reus pœnæ, peccato debitæ: quemadmodum Matt. 6. v. 12. & Luc. 11. v. 4 remittere peccata, & Deo, & nobis tribuitur, eâdem significatione generali: pro pœnam peccati condonare. Quemadmodum quum iis, qui in nos peccarunt, peccata remittimus, eo ipso non judicamus esse justos: sic nos Deus, cum peccata nobis remittit, id est, pœnam peccatorum condonat, eo ipso non justos, sed non reos, seu à pœna peccati liberos, statuit. Quemadmodum humana remissionis peccatorum exempla particularia, idem docent. Quale inter cætera primum Josephi, qui Fratribus suis, scelerum pœnas metuentibus, ac remissionem petentibus, Gen. 50. v. 17. peccata remisit: nec tamen eos non peccatores ac justo, judicavit: sed contra disertè peccata illorum indicasses traditur, v. 20. Alterum exemplum est Davidis, quem cum Simei ita precaretur, 2. Sam. 19. v. 19. *ne imputet mihi Dominus meas iniquitates: neque recorderis, quæ iniquè egit servus tuus*; hoc non petiit, ut non injustum judicaret: sed ne pœnam mortis, peccatis meritam, exigeret, ut v. 21. intellectum: sic etiam David, ipsum exaudiens, pœnam illam peccati condonavit, jurans: *non morieris*, v. 23. sed tamen hominem sceleratissimum, non judicavit justum; Sed tantùm à pœna absolutum. similiter in remissione peccatorum à Deo, quum orantibus Israëlitis reprobis, in deserto, peccata remisit, à præsenti quidem pœna absolvit: eos tamen propterea nullo modo statuit non peccatores: sed tantum non reos illius pœnæ; quia peccata eorum nôrat, & disertè exprobrat, Psalm. 78. v. 36. 37. 38. Sic etiam quum Deus, propter Christum sponsorem nostrum, absque Synecdoche, dicitur peccata remittere, nihil est aliud, quàm pœnas, peccatis nostris debitas, (quia Christus eas pro nobis pertulit, ac comminationi legis, Deut. 27. v. 27. satisfecit, Galat. 3. v. 13.) condonare; non autem judicare non injustos, seu justitiam imputare, id est, universam totius legis, ad finem usque, impletionem attribuere. Quia pœnæ, peccatis debitæ, perpessio, non constituit justos, sed impunes, à reatu absolutos, non autem peccati expertes. Excipitur quidem, legem Dei perfectè impleri, duobus modis: vel obedientia, vel pœna. Sed falso: quia legis impletio definitur, in sacris literis, perfecta omnium mandatorum illius, ad finem, obedientia (ut supra demonstravimus) non autem pœnæ, pro inobedientia debitæ, perpessio. Sicut generatim pœnæ, pro peccatis, perpessio, non est perfecta legis impletio. Quemadmodum qui ob commissum furtum, à magistratu, pœnas furto debitas, & inflictas pertulit; eo ipso non fit, nec judicatur justus, seu immunis à peccato: sed liber à reatu, seu à pœna peccato debita absolutus. Quemadmodum etiam, qui eruto alterius oculo, parem pœnam passus est, secundum comminationem legis Exod. 21. v. 24. Ea tamen pœnâ non factus est observator legis, quæ læsionem alterius prohibet; sed contrà injustus esse non desinit, ut qui legem violavit, & violationis illius perpetuum, in alterius oculo, stigma, ac testem injustitiæ suæ reliquit.

Sed ad assumptionem confirmandam, tandem quasi sacra anchora profertur: quod homines obligentur tantùm ad obedientiam legis, vel ad pœnam: ac propterea qui pœnas, pro inobedientia erga legem, pertulit, legem perfectè implevit. Verùm antecedens illius probationis manifestè religionis fundamento repugnat: Nam ut, citra controversiam, homines peccatores, per accidens peccati, obligati sunt ad pœnam mortis: sic generatim omnes homines absolutè ac perfectè, ad obedientiam legis Dei, indissolubili vinculo, sunt obligati: Deo enim obedientia ab hominibus perfecta necessariò debetur; ratione & ipsius Dei, & rei, seu ipsius obedientiæ. Dei quidem, quia & summum est bonum, Matth. 19. vers. 17. ideoque summè amandus: & summus ac perpetuus Dominus, obedientia perpetuâ colendus, Mal. 1. v. 6. Ideoque ab ipsius amore & obedientia (in qua legis impletio posita, Matth. 22. v. 37. & 40.) neminem absolvere potest, quia se ipsum abnegare non potest, 2. Tim. 2. v. 13. Rei verò seu obedientiæ ipsius ratione, homo similiter est obligatus necessariò ac semper: quia in ea maxima hominis perfectio ac bonum, & primaria cum Deo similitudo consistit, Eph. 1. vers. 24. Col. 3. vers. 10. 1. Pet. 1. v. 16. Adeo ut æterna naturæ & Scripturæ lege, ad eam appetendam ac præstandam, obstringatur. Ac propterea in homine peccatore utraque obligatio concurrit: *Ad pœnam* quidem mortis, *per accidens* peccati, Deut. 27. vers. 26 *Ad obedientiam* verò legis, *per se*, cum Dei, tum rei seu obedientiæ ipsius ratione necessaria, ut modò demonstravimus. Quorum prioris solutio, ad maledictionem tollendam, pertinet, Deut. 27. v. 26. Posterioris verò ad necessarium officium præstandum, & ad vitæ præmium consequendum, Levit. 18. v. 5. Quod enim obtenditur, pœna est impletio legis: Ergò ad justitiam sufficit: antecedens omnino falsum esse, supra abundè ostendimus. Nam pœnæ perpessione, comminatio, legi adjuncta, impletur; non autem lex ipsa, seu mandata de obedientia amoris Dei, & proximi perfecta ac perpetua. Ideò & ratio annexa, quæ affertur vana est; nimirum quod dupliciter lex impletur, vel per obedientiæ perfectæ præstationem: vel, cum hæc est violata, per sufficientis pœnæ perpessionem. Nec verius est, quod additur: utrâque satisfit justitiæ Dei: utraque igitur est legis impletio, & justitia & δικαίωμα. Antecedens enim homonymiâ ludit. Nam perpessio pœnæ satisfacit quidem justitiæ Dei vindicatrici, quæ pœnam mortis, transgressoribus legis, comminatur: non autem justitiæ, à Deo, per legem, hominibus mandatæ; de qua controversia est: ideoque ea pœnæ perpessio non est impletio legis: non justitia, sed tantum meritum injustitiæ effectum. Neque duplex illa impletio legis ex sacris literis rectè probatur. Obtenditur quidem, de priori dici, 1. Joh. 3. v. 7. *Qui facit justitiam, justus est*; de posteriori Rom. 6 v. 7. *Qui mortuus est, justificatus est à peccato*. Sed posterius illud Rom. 6. v. 7. minimè traditur. Id quod etiam D. Paræus, ad hunc locum, observavit, cum ait: *neque hoc vult*, nempè *Apostolus, nos mortuos peccato, non amplius peccare, sed peccato non amplius servire*, id est, *ejus dominio exemptos esse*. Ac rectè sanè: quia aliud est legem perfectè implevisse, (de quo quæstio est,) & aliud justificatum esse à peccato, id est, (ut idem exponit) liberatum esse à reatu, aut dominio peccati. Similiter, quod Rom. 8. v. 3. dicitur, *Condemnavit peccatum in carne, ut justificatio legis, τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου impleretur in nobis*: Illud, inquam, est alienum: quia δικαίωμα τοῦ νόμου, non impropriè, hoc loco, justificationem legis significat, (cum nemo à lege justificetur) sed propriè *jus legis*; & quidem non quatenus, suâ comminatione adjuncta, pœnam peccati justè exigit, Deut. 27. v. 26. (hoc enim non in nobis, in quibus nulla condemnatio, Rom. 8. v. 1. sed in Christo, pro nobis impletum, Gal. 3. v. 13.) sed quatenus tanquam justitiæ norma, obedientiam Deo debitam, suis mandatis, jure à nobis requirit. Hoc autem jus paulatim in nobis impletur, merito mortis Christi, Rom. 6. v. 6. & efficacia Spiritus sanctificantis; inchoatè quidem in hac vita; perfectè verò post hanc vitam, in morte: ut anima, plene sancta, cœlo donetur: in illud enim nihil immundum ingredi potest. Ap. 21. v. 27. Quod etiam Christus asseritur factus pro nobis peccatum, id est, sacrificium pro peccato, ut fieremus justitia Dei in eo, 2. Cor. 5. v. 21. quodque justificati dicimur Christi sanguine, Rom. 5. v. 9. per Synecdochen, tota Christi obedientia ad mortem, mortem autem crucis, intelligitur: in qua, justitia, lege mandata, à Christo præstita, continetur. Nam nec mortis perpessio, nec sanguinis effusio, est perfecta justitia, lege mandata, (quia hæc est perfectus, ac perpetuus Dei & proximi amor) nec pars illius justitiæ; quæ passio non est, sed habitus, aut actio legi Dei conformis. Idque adeò clarum est: ut propterea, per Synecdoch. obedientiam Christi, in conditione humili, inde ab initio ad mortem usque perferenda, mortis & sanguinis vocibus notari agnoscant: quam obedientiam crucis, *obedientiam passivam* propterea, ineptâ phrasi, aut contradictione aperta, nominant: passivum enim est, quod passionem notat, non autem quod circa passionem versatur: ut ex ling. Latin. authoribus, & usu, constat. Iustitia autem de qua hic loquuntur, est obedientia actionis divinitus imperatæ: ac propterea activa dicenda esset. Verum cum obedientia illa, in perpe-

tione subeunda, sit tantum pars obedientiæ, legi debitæ,& quidem per accidens peccati: idcircò perfecta obedientia dici non potest, qualis pro nobis præstanda erat, ad justitiam & vitam æternam obtinendam, Levit. 18. v. 5. qualemque Christus prò nobis præstitit, quia *per ejus obedientiam justi constituuntur multi* Rom. 5. v. 19. nullus autem justus est, nisi qui perfectam mandatorum legis obedientiam habeat, Jac. 2. v. 10. seu perfectum Dei & proximi amorem, ad finem usque, servavit. Et ut ad vitam æternam perfecta etiam justitia requiritur: sic *donum justitiæ Christi accipientes, regnabunt in vita per unum Jesum Christum*, Rom. 5. v. 17. *& per unius obedientiam est justificatio vitæ*, ibid. v. 18. Ideoque justitia illius nobis per fidem donata, absolutè perfecta est; atque adeò ubicunque justi dicimur per Christum, & Christi habere justitiam, perfecta totius legis, ad finem, obedientia intelligatur, necesse est: quia particularis illa obedientia, seu voluntaria subjectionis actio, quâ pœnam patienter pro nobis tulit, per accidens peccati debita, justitia perfecta non est: imo si reliqua legis obedientia deficiat, ob hunc defectum, ne particularis quidem justitia erit, Jac. 2. 10. ac propterea nec justum constituere potest: sed universalis quoque obedientia ad justitiam requiritur, Deut. 27. v. 26. Levit. 18. v. 5. quæ, sine perfecto Dei, & proximi amore, ex toto corde, tota animâ, & omnibus viribus, esse non potest, Luc 10. v. 27. 28. & Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. Quare obedientia Christi, quâ justi sumus, & à Deo justificamur, id est, justi judicamur, non est tantum obedientia particularis, in pœna nobis debita, ob peccatum, perferenda; sed universalis totius legis obedientia. Vnde etiam sequitur, remissionem nostrorum peccatorum, sine Synecdoche, acceptam, id est, pœnæ pro peccatis nostris debitæ absolutionem, ob Christi pro nobis passi & mortui satisfactionem, per fidem nobis imputatam, non esse totam justificationem, ad vitam æternam consequendam, necessariam: sed etiam universalem legis, à Christo pro nobis præstitam justitiam, ad justitiam & vitam æternam esse necessariam. Vnde meritò communis Ecclesiarum *Palatinatus*, & *Belgii* Catechesis, ad quæst. 62. ait: *quod oporteat eam justitiam, quæ in judicio Dei consistat, perfectè absolutam esse, & omni ex parte legi Dei congruentem.* Ac propterea justitiam Christi, quæ nobis imputatur ad justificationem, talem omninò disertis verbis, eadem Catechesis explicat, atque inculcat, quæstione 60. & 61. Sic etiam in liturgia, Catechesi annexa, & solemni Ecclesiarum Palatinatus & nostrarum usu, constantur approbata, in formula administrationis cœnæ: quæ omnibus ei communicaturis ad institutionem & consolationem, tam rudiorum quam doctiorum, perpetuò prælegi solet, eadem sententia, disertè proponitur, sub initium. *Secundò*, inquit, *perscrutetur quisque cor suum, &c.* Idemque postea perspicuè ac distinctè inculcatur his verbis: *Jesum Christum, &c. iram Dei, &c. & omnem obedientiam divinæ legis, & justitiam pro nobis implevisse.* Quæ sanè dicta adeò clara sunt, ut quasi solaribus radiis scripta videantur; adeò expressa, ac distincta, ut omnem dubitationis ansam præcidant ac tollant. Quod autem excipitur, in quibusdam locis Catecheseos ejusdem, passioni & morti Christi non solùm liberationem ab æterna morte, sed etiam justitiam & vitam æternam attribui: ideoque ex iis locis hæc dicta exponi debere. Respondetur: antecedens, sed rectè intellectum, concedimus: nam passione & morte, per synecdoch. intelligitur tota Christi obedientia, cum in pœna pro nobis perferenda; tum in justitia perfecta, legi debitâ, ac pro nobis ad salutem observanda: ut supra ostendimus ac demonstravimus. Ratio autem hujus synecdoches est; quia licet obedientia Christi, in passione & morte perferenda, non fuerit universalis justitia, lege mandata: sed tantùm pars illius, per excellentiam tamen, pro tota obedientia, rectè usurpatur: utpotè in qua primarius Dei, Heb. 10. v. 9. 10. & proximi amor, Rom. 5. v. 6. 7. Ephes. 5. v. 2. eluxit. Atque ita mirum non est in nonnullis Catechesis locis, quæ objectantur, synecdochen eam usurpari. Id quod apparet ex iis locis, quæ ante produximus; ubi Catechesis, disertè, justificationis doctrinam tractat, & ex professo definit. Quamobrem objectionis consequentia rectè negatur: quia expressa ac distincta definitio non ex aliis locis, sed alia ex iis intelligenda, ut etiam justitiæ perfectæ natura idem flagitat: quæ nec pœnæ perpessio est; nec obedientia particularis in pœna perferenda, perfecta justitia dici potest: quia ad eam universalis totius legis observatio, ut antè ostendimus, requiritur.

Quod autem objicitur adversus synecdochen antè positam: talem non esse posse partis pro toto, ubi partes sunt planè ἑτερογενεῖς: illud, inquam ex artis præceptis probari non potest: & exemplis, & Scripturæ usu confutatur. *Anima* enim & *caro*, sunt partes planè diversi generis, hominem constituentes: & tamen frequentissimè per Synecdochen, modò *anima*, modò *caro* totam hominem designat. Sic etiam nihil est absurdi, si particularis Christi justitia, in passionis & mortis illatæ obedientia consistens, pro universali justitia, per synecdochen & κατ' ἐξοχὴν, usurpetur. Quemadmodum etiam vulgò, & apud philosophos, *justitiæ* vox, quæ particularem virtutem notare solet, interdum per synecdochen, pro universali omnium virtutum complexu, accipitur, unde illud ab Aristotele laudatum, ἡ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι: *Justitia verò comprehensè*, (vel *summatim*) *universa virtus est.* Universalis autem, lege mandata, justitia, habitum justitiæ perfectum, & actiones omnes legi conformes, requirit; ut ex summa legis apparet. Nam in ea actiones quidem justitiæ præcipiuntur, cum dicitur: *Diliges Dominum tuum, & proximum tuum;* habitus verò justitiæ, cum dilectioni additur: *ex toto corde, totâ anima, & omnibus viribus*, Luc. 10. vers. 27. & 28. Quemadmodum etiam non solùm actiones vitiosę: sed etiam naturę vitiositas, ut legi Dei repugnans, Rom. 8. v. 7. per legem prohibetur, Rom. 7. v. 7. Sic contra, per eam prohibitionem etiam contraria naturę sanctitas mandatur, ut sine eâ, actionum justitia, seu obedientia, legis Dei sit imperfecta. Quamvis enim naturæ justitia, ante lapsum fuerit Dei donum, non autem ratione suæ originis, mandatum hominis officium; ad eam tamen, ratione conservationis illius, & usus, ad actiones bonas exercendas, fuit obstrictus: & quia homo per lapsum justitiam originalem excussit, eam Deus, jure suo, à nobis reposcit, ad perfectionem justitiæ ac salutem; & in Christo pro nobis exhibitam per fidem donat. Quæ perfecta naturæ, & actionum Christi justitia, est instar vestis pretiosę, & suaveolentis, primogeniti Esavi. Nam ut Jacobus frater illius eâ indutus ac tectus, non à maledictione (cui non erat obnoxius) exemptus est; sed primogenituræ benedictionem, quâ destituebatur, obtinuit: sic etiam fideles, per passionis & mortis Christi pœnam, à maledictione liberati: ejusdem, tanquam fratris ipsorum primogeniti, Rom. 8. v. 29. perfecta obedientię justitia, per fidem induti atque ornati, benedictionem hęreditatis cœlestis, à Deo Patre, consequuntur. Quę duo meriti Christi beneficia, (nempè pœnę pro nobis debitę solutio, ad absolutionem ab ea; & impletę obedientię ad justitiam,) quum individuo nexu inter se cohęrent, mirum non est, si prioris positione, etiam posterius, per Synecdochen, (ut suprà ostendimus) una comprehendatur. Licet hęc duo sint partes totius debiti, pro nobis soluti, toto genere differentes, ut natura eorum evincit. Nam, per pœnam mortis, satisfit, legis comminationi, ad liberationem à maledictione: per obedientiam verò implentur legis mandata, ad justitiam & vitam. Sic etiam, quę ex hisce duobus distinctè dependent, nimirum remissio peccatorum ob pœnam, pro nobis, à Christo sponsore, solutam: & justitię, ob perfectam ejusdem pro nobis obedientiam, imputatio, sunt partes justificationis nostrę coram Deo: quę inter se ad unum totum constituendum necessariò conveniunt; sed definitione tamen, atque etiam genere differunt. Ideoque, sine naturę utriusque violatione, absque Synecdoche, pro eodem censeri non possunt. Atque ita satis patere existimamus: remissionem peccatorum nostrorum, non esse totam justificationem nostram, coram Deo, ad salutem: sed tantum partem illius; quâ, à pœna, peccatis nostris debitâ, absolvimur; non autem ea pars, quâ, justitia perfecta Christi, nobis per fidem imputata, justi judicamur.

Cœterum, ut quorundam piorum, & eruditorum expectationi

tioni clarius satisfiat; ea, quæ ex scripto typis excuso & recuso, incommoda opponuntur, paucis ordine expendemus: licet superioribus satis arbitremur sublata. Primum autem est; *Confundi hoc modo justitiam personæ*, & *meriti Christi, quam Scriptura frequenter conjungit quidem, sed & manifestè distinguit, ut causam efficientem, vel sine qua non; & causam materialem justitiæ nostræ*, Esa. 53. *Servus meus justus, &c.* Hebr. 7. v. 26. 2. Cor. 5. v. 21. 1. Pet. 3. v. 18. Respondemus, nullam fieri hujusmodi confusionem, qualis objicitur: sed rectam universalis bimembris meriti Christi distinctionem, Prius enim membrum est pœna passionis & mortis, qua liberationem à pœna nobis est promeritus: alterum verò est perfecta justitia, seu legis obedientia, ad mortem usque absoluta, quâ nobis meritus est vitam æternam. Ideoque contrà non rectè justitia meriti Christi, perpessioni pœnæ, (quæ propriè nec habitualis, nec actualis justitia est) tribuitur. Neque etiam obedientia particularis, absolutè perfecta justitia (cùm universalis non sit) dici potest: Ac quamvis perfecta Christi obedientia, seu justitia, fuerit conditio necessaria, ut per pœnam ipsius, à maledictione absolveremur, Hebr. 7. (alioqui si voluntati Dei inobediens, eam pertulisset, peccasset: eoque modo pœnam ipsemet sibi fuisset promeritus) nihilominus tamen obedientia universa Christi, nostra justitia est, ad justificationem vitæ, Rom. 5. Quemadmodum etiam pœnæ mortis, pro nobis debitæ, perpessio, conditio fuit necessaria, ut obedientia sua vitam posset nobis acquirere; quia mortis pœnæ obnoxius, sine illius, per se, aut per sponsorem Christum, solutione, ex justitiæ Dei vindicantis, & absolutè comminantis jure, per obedientiam sequentem, jus vitæ æternæ obtinere non potest.

Secundum, quod objicitur incommodum, est hujusmodi: *Distinctiones inter non injustum, & justum esse: inter legem non transgredi, & legem implere: inter non mortuum & vivum esse, plus habent subtilitatis, quam veritatis; quum, revera sint termini æquipollentes.* Verum ad illud jam ante responsum, in Adamo ante lapsum, eam distinctionem extitisse: ut qui non erat injustus, relatè ad id tempus: eoque nec morti obnoxius; sed tamen non fuit absolutè justus, (quod intelligitur in quæstione,) seu non implevit perfectè legem: quia ad impletionem, & jus vitæ, ex pacto legis, permansio in illa justitia erat necessaria. Deinde nititur hæc objectio hypothesi non vera, & antè refutata: quasi scil remittere peccata notaret, judicare non habere peccata, non esse legis transgressorem, non esse injustum: cùm ipsimet contra definiant, remissionem peccatorum esse à reatu pœnæ debitæ absolutionem: & remittere peccata idem, quod non punire: aliud autem est, liberum esse à legis transgressione; aliud, liberum à pœna, ob transgressionem debitâ: ideoque hæc meritò distingui debent.

Tertium incommodum obtenditur: *Si, passivæ obedientiæ imputatione, nondum sumus justi: sed tantum non injusti: quomodo verum illud; justificati per sanguinem Filii ejus: reconciliati per mortem?* Sed, antecedens hypothesi non rectâ nititur. Nec enim hoc dicitur; obedientiæ Christi, in perpessione & morte ferenda, imputatione, nos esse propriè non injustos: sed à pœna peccati absolutos: obedientia enim illa particularis fuit, ideoque non potuit justum perfectè reddere. Quod autem sanguine filii Dei justificari dicimur, Synecdochen esse supra ostendimus: quod, nec pœnæ debitæ perpessio sit per se justitia; nec etiam obedientia particularis, in ea perferenda, perfecta, seu universalis justitia, sine contradictione, statui potest.

Quartum incommodum est hujusmodi: *Si remissio peccatorum non est tota justificatio: quomodo verum illud: beati quorum remissæ sunt iniquitates? & quomodo Apostolus ibidem pro eodem sumit, imputare justitiam, & non imputare peccatum?* Ad illud jam supra ostendimus: hæc per Synecdochen intelligi, non solum posse, sed etiam necessariò debere, ex definitione remissionis peccatorum, & imputationis justitiæ, & ex beatitudine ei attributa.

Quintum est: *Si omissio obedientiæ legis, & imperfectio sanctitatis nostræ, non expiantur passiva obedientiâ Christi; sed necesse est, illam quidem actuali Christi obedientia; hanc vero nativa sanctitate tegi. Quomodò rursus verum illud: Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato: nisi forte imperfectio, & omissio illa non sint peccata?* Respondemus autem, antecedens omninò esse alienum; nec enim hoc statuitur; sed agnoscimus peccata solum expiari sanguine Christi, id est, pœnam eorum debitam tolli, atque eo sensu tegi Christi passione & morte; ideoque quæstionem frustrà proponi. Sanguis enim Christi purgat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1. vers. 7. id est, passio illius & mors remissionem peccatorum, vers. 9. id est, à pœna peccati absolutionem obtinuit merito suo: quod sanè aliud est, quam justum coram Dei tribunali efficere.

Sextum est: *Si non passiva, sed activa obedientiâ Christi justificamur: quomodo non est Christus frustra mortuus?* Sed frustra hoc etiam quæritur: quia utrumque, & passio Christi utilis ac necessaria, ad pœnam peccati tollendam: & totius legis perfecta, ac perpetua obedientia utilis ac necessaria, ad perfectam justificationem nostram. Ideoque nec frustra Christus mortuus; quia nos per mortem ipsius à morte liberavit: nec frustrà obedientiam perfectam præstitit; quia per eam, nobis, morte Christi expiatis, vitam acquisivit: utrumque autem debitum, & pœnæ, & obedientiæ perfectæ, ut supra ostendimus, necessarium; neq; unum sine altero, ad justificationem & salutem sufficit. Ac propterea frustra etiam quæritur: *Quid enim necesse esset Christum mori, & moriendo meruisse remissionem peccatorum; si justè ac sanctè vivendo, jam meritus nobis erat justitiam? Justitia enim remissionem peccatorum necessariò præsupponit.* Respondemus enim, Christi passionem, & obedientiam, ab initio vitæ ad mortem usque, convenisse; ac licet passionis complementum, in morte positum, postremum *tempore* occupet locum, in *ordine* tamen justificationis, remissio peccatorum præcedit: imputatio verò obedientiæ justitiæ perfectæ succedit; quia ea remissionem peccatorum supponit, ut in fine objectionis dictum. Utrumque tamen, licet ordine differant, simul, à Deo justificante, peragitur.

Septimum, quod objicitur incommodum, hoc est: *Manifestum esse, omnem illam partitionem meriti Christi in duo, vel tria, &c. aut morti Christi aut justitiæ Dei plurimum derogare.* Verùm id meritò negamus. Neque contrarium sequentibus rectè probatur, cum dicitur: *Nam duæ vel tres justitiæ nostræ partes: vel sunt tres perfectæ justitiæ Christi, satisfacientes legi per se singulæ; vel sunt totidem imperfectæ, ad unam perfectam constandam concurrentes. Si imperfectæ, annon apertè derogatur morti Christi? Si perfectæ, quomodò tres vel duas satisfactiones postulant, cum justitia Dei non nisi unam requirat?* Respondemus, justitiam universalem, quæ requiritur, esse unam ac perfectam (ut quæ sit totius legis absoluta, ad finem usque, obedientia) cujus partes sunt justitia originalis, & actualis: quæ singulatim per se non sunt perfecta totius legis observatio: sed ad perfectam, seu universalem justitiam constituendam, simul concurrunt. Neque eâ ratione ullo modo, nedum apertè, derogatur morti Christi: quia mors Christi, quatenus eam Pater inflixit, fuit justa Dei judicis, peccata nostra in sponsore punientis, actio: quatenus verò Christus eam passus est, per se justitia (ut quæ vel habitus, vel actus est, lege Dei mandatus) dici non potest: quatenus verò Christus Patri obediens, eam mortem volens subiit, Ioh. 18. v. 11. Phil. 2. v. 8. Hebr. 10. vers. 9. 10. & se in sacrificium pro peccatis nostris obtulit Eph. 5. v. 2. Hebr. 10. v. 12. & cum vitæ passiones essent consummatæ, Ioh. 19. v. 30. animam suam in manibus Patris tradidit, Luc. 23. v. 46. ea obedientia non fuit tota, Deo debita, obedientia, sed pars illius excellens; ideoque à tota, quam lex requirit, & Christus præstitit, distinguenda. Quod autem Deus pœnam, peccatis nostris debitam, Christo imposuit, ut nos ab ea absolveret; & simul perfectam mandatorum obedientiam, ab eodem acceperit, ad nostram justitiam & salutem perfectam: eo ipso minimè injustus est, ut malè objicitur; quia ad utrumque & pœnæ, & obedientiæ debitum, eramus obligati: ac quemadmodum Adami obedientia ante lapsum, fuit etiam nostra: ut & lapsus illius noster quoque; & licet Adamus ipse in obedientia

tia perstitisset ad finem, & ita nos cum illo; nihilominus tamen, ad obedientiam Deo præstandam, ipsimet fuissemus obstricti: Sic etiam licet Christi obedientia sit etiam nostra: nihilominus nos ipsi etiam obedientiæ debitores sumus: non quidem ut vitæ æternæ jus acquiramus (hoc enim solus Christus præstare potuit, ac præstitit) sed ad officium, Deo, Christoque perpetuò debitum, præstandum. Licet enim perfectè Deo obedire nequeamus, tamen per accidens gratiæ Dei, ob passionis & mortis Christi meritum, pœna debita condonatur.

Octavum incommodum ita proponitur: *Si pars justitiæ nostræ querenda hic; pars ibi; pars in morte; pars in activa obedientia Christi; pars in nativa sanctitate Christi: quomodò non periculose distrahitur fides nostra, & labefactatur conscientia?* Respondemus distinctione passionis & mortis Christi, & justitiæ universalis, ut ante ostendimus, fides non periculosè distrahitur, nec conscientia labefactatur: Sed rei veritas, & conscientiæ tranquillitas stabilitur. Quod autem justitia universalis, (quam lex, citra controversiam, mandat) cum originalem naturæ, tum actualem operum justitiam complecti dicitur, (quemadmodum contrà injustitia universalis, quam lex prohibet, originalem, & actualem injustitiam in se continet) quis quæso hanc distinctionem verissimam & utilissimam non agnoscat? Quod autem justitiæ universali eæ partes tribuantur, in sacris literis, jam antea ostendimus ex Luc. 10. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum*, &c. Sic etiam Paulus distinguit veterem hominem à factis ipsius; & novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia, & sanctitate veritatis, ab actionibus justis ac sanctis Col. 3. v. 9. 10. 12. 13. 14. & seq. Eph. 4. v. 22. ad finem capitis.

Nonum ac postremum incommodum ita proponitur, atque exaggeratur: *Denique, quod unum me maxime hic impedit, nusquam legi Scripturas sic tripartiri aut bipartiri justitiam nostram.* Sed contrà meritò dicitur, bipartitam esse justitiam perfectam (ut quæ necessariò duabus partibus, ad universalem legis impletionem, constet) ante primi incommodi propositionem, distinctè in Scriptura legi, ex Luc. 10 v. 27. & 28. & proximè ad antecedens incommodum ex Col. 3. & Ephes. 4 perspicuè demonstravimus. Ideoque cum citra controversiam primum legatur, Christi justitiam esse nostram, 1. Cor. 1. vers. 30. & 2. Cor. 5. vers 9. Deindè eam esse perfectam, ut qui venit, ut legem impleret, atque implevit, Matth. 5. v. 18. 19. ac Patri fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. vers. 8. & finis sit legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4. perfecta justitia alia esse non potest, nisi universalis legis; quæ habituali, & actuali justitiâ perficitur. Cujus actualis justitiæ pars primaria quidem est Christi obedientia, (i. e. voluntaria subjectio) in pœna pro nobis perferenda; neutiquam verò est tota actualis justitia, nedum universalis justitia; quæ ad justitiam nostram perfectam ac vitam æternam necessaria. Deut. 27. 26. Lev. 18. v. 5. Quod autem objectum est, *nusquam id etiam lego de actuali justitia* (nempe ut ex antecedentibus liquet) *esse justitiam nostram, aut partem illius justitiæ*; quis, inquam, hæc verba non miretur? Cum enim idem postea Christi ad mortem obedientiam apertè definiat, voluntaria demissione ad mortem usque, peccatis nostris à lege statutam, nonne perspicua contradictio est? Nam voluntaria demissio quid aliud est, quàm actio voluntatis, sese Deo submittentis; sicut etiam hanc obedientiæ actionem declarat in seipso Christus, Matth. 26. v. 42. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* & Hebr. 10. v. 9. *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam.* Quare obedientiam hanc non fuisse actualem, & tamen eandem fuisse voluntariam, seu ab actione voluntatis profectam, asserere, manifesta contradictio est. Deinde quis in sacris literis versatus verè dicere queat, se non legisse illud Rom. 5. v. 9. *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius justi constituti sunt multi.* Nam quod excipitur, illud de obedientia exinanitionis, & mortis tantùm dici, quæ formæ servilis assumptione & mortis obedientia continetur; illud, inquam, alienum est. Primùm, quia formæ servilis assumptio, non est humanæ naturæ Christi obedientia, (de quâ agimus,) sed propria actio, quatenus Filius Dei: nec enim humana natura se assumpsit, sed assumta est, quæ formâ servili continetur: Deinde obedientia, quam Apostolus hoc loco intelligit, absolutè ponitur, & absolutè intelligi debere, effectum, quod illi attribuit, demonstrat. Nam nulla particularis obedientia potest justum constituere, sed sola universalis, ut suprà probatum: Obedientia autem illa in humiliatione, & passione, ac morte perferenda, est particularis; ac propterea justum, coram Dei tribunali, (ubi perfecta & absoluta justitia requiritur) constituere non potest. Neque sanè παρακοὴ, inobedientia Adami, & Christi ὑπακοὴ, obedientia, ut morbus & remedium, (sicut objicitur) æqualiter opponuntur. Nam Christus longè plus boni nobis contulit, quàm Adami peccatum abstulit. Nam Adami unus lapsus, secundum Dei comminationem, Genes. 2. vers. 17. inobedientiâ suâ mortem promeruit: (quia ad eam unius mandati transgressio sufficiebat, Deut. 27. vers. 26. Iac. 2. v. 10.) Sed jus vitæ æternæ, (quod solis in justitia ad finem perseverantibus adest: Adamo verò defuit) auferre non potuit. Christus verò Sponsor noster, sua obedientiâ, non solum volens, pœnam peccato, in Adamo commisso, debitam pertulit: sed etiam proprii nostri peccati originalis, inde orti; & omnium actualium nostrorum supplicium persolvit: ut nos à meritâ tot nominibus pœna absolveret. Deinde non solum nos ab universâ hac pœna liberavit, sed etiam perfecta mandatorum Dei impletione, tanquam universali sua justitia, pro nobis præstita, jus vitæ æternæ, (quod nec in Adamo habuimus, ideoque neque in eo amisimus) acquisivit: ut ibidem Apostolus Rom. 5. v. 17. *Etenim, si per unius lapsum mors regnavit per unum: multò magis qui redundantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Vitæ autem illius æternæ & jus, & possessio, solis perfectâ justitia præditis, competit, Deut. 27. v. 26. Levit. 18. v. 5. Ideoque justitia universalis Christi, quæ nobis ad salutem donatur, seu obedientia totius legis universalis intelligitur: Ideoque Apostolus non de sola particulari Christi obedientia, seu voluntaria passionis & mortis perpessione; sed de universali obedientiâ loquitur; quæ sola perfecta justitia, ac sola vitam æternam producit. Quare cum hæc tam clarè ac solidè in sacris literis tradantur, lecta ea sunt, sed quod minus intellecta à nonnullis, illud ex hypothesium falsarum principiis promanavit. Quales sunt inprimis hujusmodi: pœnæ pro peccatis debitæ perpessionem, esse legis totius impletionem, seu perfectam justitiam: Deinde homines peccatores obligari tantùm ad pœnam; vel tantum ad obedientiam: præterea, eum cui peccata remissa sunt, eo ipso cessare esse peccatorem; quæ omnia Sacris Literis adversari ex antè dictis apparet. Atque hactenus de remissione peccatorum, ad veritatis illustrationem egimus: eamque sine synecdoche acceptam, non esse totam coram Deo justificationem probavimus: sed tantùm partem illius; nempè à pœna mortis æternæ, peccatis nostris debitæ, propter Christi satisfactionem, absolutionem: per Synecdochen verò acceptam, etiam justitiæ imputationem ad vitam æternam, simul complecti.

De Capite Secundo.

Quoniam hactenus, in selectioribus locis primi capitis, sumus versati (in quo ea, quæ nativitatem Christi antecesserunt, nempè conceptio ipsius, & memorabilia illius adjuncta continentur) ac pro modulo nostro, expendimus: idem quoque institutum, in secundi capitis locis illustrioribus, prosequi conabimur. Quumque inter ea primum occupet locum nativitatis Christi descriptio, brevem illius declarationem (Deo favente) proponemus. Quia verò ea in re, prophetiarum de adventu Christi, cum ipso eventu, collatio, ad rectam intelligentiam, & fidei confirmationem, est necessaria: eoque cum primis Jacobi Patriarchæ prædictio, Genes. 49. v. 10. (*non recedet sceptrum, &c.*) pertineat, atque adduci communiter soleat: non abs re nos facturos arbitramur, si distinctam illius prophetiæ explicationem præmittamus: ut genuina illius sententia melius ac tutius percipia-

percipiatur, & justæ quorundam petitioni inserviamus. Si quæ enim prophetia in sacris literis extat, non solum diversis, sed etiam adversis veterum Patrum, & recentiorum Theologorum sententiis exposita, (ut de Judæis, pertinacibus ac subdolis Christi adversariis, nihil dicamus) hæc profectò, præ cæteris, excellit. Ac propterea dignissima est, ut aliqua, in illius illustratione, opera impendatur: ut ea ratione graves, quæ objectari solent, difficultates, facilius expediri: & Judæorum, aliorumque hominum profanorum corruptelæ, clariùs ac solidiùs confutari, ac dilui possint. Quia verò admirandæ hujus expositionum varietatis, & corruptelæ occasio, est vocum Hebræarum hujus Prophetiæ, partim ambiguitas, partim ob raritatem earum obscuritas: idcirco operæ pretium esse videtur, ut ab earum explicatione exorsi, ad sensus indagationem, atque examen deinde procedamus.

Vocum autem harum, ordine constructionis, prima est שבט: quæ propriè notat virgam, Prov. 23. v. 13. de puero dicitur; *cum percusseris eum* בשבט *virga, non morietur: & animam ejus ab inferno erues*. vel *baculum*: ut Exod. 21. v. 20. *Quum qui percusserit servum suum &c.* בשבט *virga & moriatur* impropriè verò per tropum usurpatur ac 1. quidem per Synecd. generis pro specie, *sceptrum* notat, seu *baculum regentis*, sive *regis*, ut Amos 1. vers. 5. & 8. & Esth. 5. v. 2. Deinde per Metaph. pro eo, quod virgæ aut baculo simile est: nam ut, quod interdum *stylum* seu *calamum* notat, Iud. 5. v. 14. & Psal. 45. v. 1. prætereamus; quod huc non pertinere constat; translatio frequentissima est, ut *tribum Israëliticam* notet: quod ut ex una stirpe, multæ virgæ oriuntur: sic ex uno Israële Patriacha tanquam stirpe, multi populi distincti (quos tribus vocant) exorti sunt: qui 12. שבטי Israelis appellantur, Exod. 24. v. 4. Altera verò translatio à virga desumpta, afflictionis ministrum significat: quemadmodum Deus Senacheribo ait, Esai. 10. v. 5. שבט אפי *virga iræ meæ*: quod scilicet eo quasi virga usus, populum suum afflixerit: unde secundo tropo, per Meton. efficientis pro effecto, *afflictionem* significat, ut 2. Sam. 7. v. 14. sic Job. 21. v. 9. Psal. 125. v. 3. Deinde rursus per Metonym. adjuncti, partim signi pro re signata, *regimen* notat, ut Psal. 45. v. 7. Esai. 14 vers. 5. partim etiam, pro regiminis subjecto, seu *Rege*, accipitur. Ezech. 19. v. 14. Sicut etiam Latinis apud Horat. *mors sceptra*, id est, reges *ligonibus*, id est, fossoribus *æquat*. Hæc de primæ vocis שבט significatione propria, & impropria.

Secunda vox facilior est, יסור à verbo סור derivata, ac propriè est, *discedere, recedere*, ut Exod. 3. v. 4. 5. 2. Sam. 2. v. 21. impropriè verò per Metaphoram, ad rem inanimatam transfertur: & inter cœtera *amoveri, auferri, deficere* significat, ut Ezech. 10. v. 11. Altera verò metaphorica significatio est, qua סור *peccare* notat, relatè ad Deum, ut ducem sequendum, Ier. 17. v. 5. vel ad legem Dei, quæ quasi via est: ut Deut. 5. v. 32. 33. eaque elegans significatio est, sed ad hunc locum, citra controversiam, non spectat.

Tertia vox est, יהודה quæ propriè nomen est filii Jacobi, Gen. 49. vers. 34. deinde impropriè, per Metonym. vel causæ efficientis pro effecto, usurpatur pro populo Iudaico, ex illo procreato: ut cum Rex Iudæ, id est populi Iudaici vocatur passim in libris Regum: vel per Metonym. adjuncti pro subjecto, pro terra populi Iudaici, sive Iudæa, ut 1. Sam. 23. vers. 3. ut 2. Chron. 36. vers. 23. sed hęc significatio postrema, ut huic loco non quadrat: sic neque ab interpretatione ulla, ad hanc Prophetiam accommodari comperitur.

Quarta vox est מחקק à radice חקק: quæ propriè est *sculpere*: ut Esai. 22. vers. 16. impropriè verò primum per Metaph. pro *scribere* accipitur, Esai. 30. vers. 8. deinde per Metonym. adjuncti pro subjecto *statuere*, quod decreta seu statuta sculpi, vel scribi soleant: ut Jud. 5. vers. 9. in Pual, participium pro nomine, est מחקק *scriptum*, *statutum*: ut Prov. 31. vers. 15. *per me reges regnant*, seu *scribunt*, ut LXX. interp. & Valent. Scindlerus in lexico: aut ut alii malunt, *statuunt, decernunt*, *justitiam*. Unde participium loco nominis positum מחקק *Scriba*, ex significatione propria: aut ex tropicâ, *judex*, *legislator*, qui statuta condit. Quæ vox sexies extare comperitur: videlicet 1. hoc loco Genes. 49. vers. 10. deinde, Num. 21. vers. 18. tertiò, Deut. 33. v. 21. quartò, Jud. 5. vers. 14. quintò, Psal. 60. vers. 9. sextò, Esai. 33. vers. 22. Et prætereundum non videtur, quod D. Kimchi in Comm. in quatuor locis à nobis inter cætera memoratis (nempe Gen. 49. Num. 21. Deut. 33. Iud. 5.) ait, *omnium illorum significatio est Scriptura*, id est, Scribam notant. Cujus explicationis utilitas, in sensu dignoscendo, magni est momenti. Atque hæc de quarta voce.

Quinta difficultas consistit in hac Phrasi מבין רגליו ad verbum, *ex inter*, vel *in medio pedum ejus*: בין enim aut adverbium est: atque ita frequentius est in usu, & *inter* notat: aut nomen, id est, *medium* (ut Esai. 44. vers. 4. בבין חציר *in medio graminis*, (licet alii, *inter gramen*, ut litera ב redundet, sed citra necessitatem) ut pluralis numerus בנים & בנות, & dualis בינים demonstrant. רגלים propriè *pedes* significat, impropriè verò (præterquam quod *vices* notat, quod huc non spectat) per Synecd. partis pro toto pedes cum cruribus & femoribus designat, ut 2. Sam. 9. vers. 13. *claudus utroque pede*. Unde LXX. interpr. Gen. 49. vers. 10. ἐκ τῶν μηρῶν αὐτῦ, *ex fæminibus* sive *femoribus illius*, interpretantur: unde honestatis causa, per meton. adjuncti pro subjecto, à situ, sic appellari verenda arbitrantur. Idque spectasse videtur paraphrasis Chaldæa, Ionathani ascripta, cum exponit, *ex semine ejus*: & Hierosol. versio, *ex filiis filiorum ejus*. Atque huc à nonnullis refertur, quod Chaldæus Jonathan, id quod Hebraicè dicitur: שיניהם *urinas suas* 2. Reg. 18 v. 27. & Esai. 36. v. 12. honestatis causa reddiderit periphrasi, מימי רגליהון *aquas pedum suorum*: id quod Masorethę secuti ad marginem hujus loci lectionē posuerunt, מימי רגליהם, & harum vocum puncta (ut ita legeretur) supposuerunt voci textus: quemadmodum etiam in voce præcedente חריהם, quod *foramina sua*, seu *anos suos* notat, honestatis causa, sensum metonymicum, Ionath, Chaldæus מפקתהון *excrementa sua*, posuit: quod Masorethæ ad marginem Hebraicè secuti legendum monent, *excrementa sua* צואתם & puncta hæc voci contextus, ut antea, nimis audacter, supponunt, hoc modo, חריהם. Cœterum Scripturæ Sacræ usu nondum constat satis, *pedes*, pro viri verendis, usurpari. Nam quod afferunt ex Deut. 28. vers. 57. *etiam* (*oculus ejus malignus erit*, ex v. 56. id est, invidebit) *in secundas ipsius*, *quæ prodeunt ex inter vel è medio pedum ejus*: illud non de viro, sed de fœmina dicitur, & uterum notat, quem, honesta voce, *interfeminium*, Apulejum vocare tradunt: quod positus sit inter femina, hoc est, femora, quæ pedum nomine Synecdochicè continentur. unde fortè hic commodè verti posset, *ex interfeminio*: ideoque LXX. hic pro iis, *femora*, ut etiam Gen. 49. transtulerunt. Deinde per Metaph. (ex hac significatione Synecdochica, qua *pedes & crura, ac femora* notat, promanantem) populum subditum distinctè significat, in allegoria, Esai. 7. v. 20. *Novacula ista*, Rege Assyriæ, *pilum capitis, & pilum pedum, & barbam etiam consumet*. Ubi rectè doctiores interpretes *capitis* nomine gubernatorem; *pedum* verò mentione relata, ei subjectos designari ostendunt: *pilorum* autem *& barbæ abscissione*, facultatum spoliatio videtur denotari.

Porrò sexta vox nobis explicanda est, עד: quæ propriè significat *usque*, cui addi solet אשר aut כי *quod*, pro *usque quo*, seu *donec*: & interdum sine additione eorum. Estque continuativa dictio (ut rectè Marcus Marinus in Arca Noe) reique subjectæ, de qua agitur continuationem ad terminum adjunctum notat. An verò res illa ultra terminum additum tendat, vel non tendat, illud ex reipsa, de qua agitur, & ex circumstantiis, cognosci potest, Gen. 6. v. 7. & 8. v. 5. & 46. v. 34. & 33. v. 14. Num. 25. v. 28. 2. Sam. 6. v. 23. Sic cum אשר Genes. 29. v. 8. & alibi sæpe. deinde cum כי Gen. 26. v. 13. Altera verò significatio vocis עד est *seculum, æternitas, continua duratio, usque & usque*; nomen scilicet ex adverbio natum, ut Esai. 9. vers. 6. & 67. vers. 15. & cum ל *ad* seu *in*: Proverb. 12. vers. 19.

Septima porrò vox est כי, & propriè significat, *quia*, vel *quod*, frequentissimè verò, pro adverbio temporis *quando*, *cum*, pro כאשר (quemadmodum Græcis ὅτι, & priori, & hoc modo etiam usurpatur) ut Deut. 4. v. 25. Exod. 12. vers. 26.

Octava

Octava vox est שילה: quæ alibi in Sacris Literis semper est nomen loci, seu urbis in tribu Ephraim, in qua erat arca Domini, post ingressum in Chananæam, Josuæ. 18. vers. 1. 8. 9. & 19. vers. 51. שלה sine Jod, & Jud. 18. v. 31. *in domo Dei, quæ est in* שילה cum Jod. & Iud. 21. v. 19. שלו cum ו pro ה sine Iod. in qua urbe arca Dei mansit usque ad Heli Sacerdotem magnum, 1. Sam. 4. vers. 4. 17. Altera hujus vocis significatio, si originem spectemus, anceps est: quidam compositam esse, & quidem vel ex tribus vel ex duabus vocibus: alii verò simplicem statuunt. Qui compositam ex tribus sentiunt, secundam esse docent præpositionem ל, genit. aut dativ. notam. tertiam verò pronomen affixum & ה pro ו positum quale exemplum est Gen. 13. vers. 3. אהלה *tentorium ejus*. Sed in prima voce definienda discrepant. Nam primum LXX. sic exponunt, ut legisse videantur, non שי sed ש pronomine præfixo, & contracto ex אשר, *qui, quæ, quod*: ut Cant. 4. vers. 2. Sic. enim LXX. interp. ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *usque dum veniant, quæ ei reposita*: ut editio Romana habet, & in notis suis ostendit, ita etiam legisse Clement. Alex. Origen. Euseb. Cæsari. & Cyprian. Sed in hanc lectionem defectum irrepsisse subjecti, de quo agitur, eruditè observans Mercerus monet, ac legendum ᾧ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ *cui sunt ea quæ reposita sunt*. Hæc ille. Sed aliam deinde lectionem Notæ editionis Romanæ indicant: quæ extat apud Ignatium, Irenæum, Tertull. (addo Theodoretum) nempe ᾧ ἀπόκειται *cui repositum est*: & utramque lectionem, eædem notæ ajunt, agnoscere Iustinum Martyr. cui adjungimus non solum Iulianum Apostatam contra Christianos: sed etiam Cyril. Alex. Tom. 3. contra Iulianum lib. 8. pag. 178. deinde & Athanasium, sed diversis in locis: primam enim profert lib. de incarn. verbi Dei, edit. Græco-Lat. pag. 68. Secundam verò in passionem & crucem Domini pag. 807. Ac videtur secunda hæc lectio, utpote clarior, ac plenior, substituta: partim ob defectum illius vocis ᾧ (quo subjectum orationis notatur) *cui* (id est, *is cui*) deinde ob Hebraismum pleonasmi pronominis antecedentis αὐτῷ, Græcè redundantis: Sed apud Hellenistas Hebræos, Grecè loquentes, non insolentem. Græcos autem secuti sunt Paraphrastę Chaldæi, Onkelos, & Ierosolymitanus, qui similiter שילה interpretati sunt, ac si idem esset quod שלו pro אשר לו sicut etiam Aben Esra testatur, *Sunt* (inquit) *qui dicunt esse modo expositionis Chaldaicæ, secundum sensum* שלו *quia illius. Sic enim explicant, quia illius est regnum.* Sic R. Salomo, *donec veniat Schilo*, exponit, *Rex Messias: quia regnum illius est.* Fortasse occasionem & Græci & Chaldæi paraphrastæ arripuerunt ex simili, de Messiæ regis adventu, promissione Ezech. 21. vers. 27. *donec veniat* אשר־לו *cujus* המשפט *est ius.* Verum hæc expositio Hebrææ voci non convenit: etsi enim ה pro ו affixo poni non sit insolens: alienum tamen est ut ׃ sit loco ׳ & dagesch. Quare hæc prima vocis שילה ex tribus compositio, minus apta est. Altera verò est ex שי (ab inusitata radice שיה aut שוה æquare ut D. Kimchi in lib. Rad.) & לו, id est, *munus ei*, ut Psal. 76. v. 12. quam expositionem refert R. Salomo. Sed hæc expositio similiter in vocis Hebrææ vocalem impingit; nec enim est שַׁילֹה sed שִׁילֹה. Deinde dictionem unam atque individuam in duas separatas, ineptè, ac nimis temerariè dividit, in שי & לו. Denique orationem etiam destitutam suo subjecto, & simul obscurissimam reddit; quis enim sensus illius *donec veniat munus ei*? Quare expensis iis expositionibus, quibus vox שילה ex tribus composita statuitur: Sequitur jam eorum probabilis sententia, qui ex duabus vocibus compositam arbitrantur, nempe ex nomine שיל, id est, *filius*, & pronomine affixo ו hoc est, *ejus*, ut ה sit pro ו, *filius ejus*, ut Paraphrasis Chaldaica Ionathanis transtulit זעיר בנוי *parvus filiorum ejus*, id est, filiolus ejus. Atque ita Rabbini quidam (ut hic Aben Esra tradit) בנו *filius ejus*: & post hosce D. Kimchi in lib. radicum, qui statuit tres voces, idem significare שיל, שילה, & apud Rabbinos שליל (quod tamen David de Pomis, *abortivus, embryo*, exponit ex Hebræo נפל. quod ea vox Eccl. 6. v. 3. in Targum reddatur שלילה, id est, *fœtus abortivus*: ut & R. Nathan in Baalharuch in radice שלל in Thalmude exponit.) Eas autem tres voces à tribus diversis radicibus derivari significatione una, ut aliàs in diversis ordinibus verborum fieri solet: ut דמה, דום, & דמם, & similia synonyma. שיל autem *filium* notare colligit Kimchi ex significatione vocis שליה in illis verbis ובשליתה (per paragogen pro שליו) quod extat Deut. 28. vers. 57. *& in secundas suas, quæ prodeunt, &c.* licet enim שליה à שלה *quietum* aut *salvum esse* derivetur, & *secundas* (id est, ut Aben Esra hîc definit, pelliculam, in qua fœtus in utero continetur, ac servatur) propriè designet: per Meton. tamen subjecti continentis pro adjuncto contento, *prolem* notat: quemadmodum Onkelos transtulit *filiolum suum*, quo etiam modo Ionathanem, Gen. 49. שילה interpretatum ostendimus. Atque ita etiam Rab. Salomon בנים קטנים *filios parvos* exponit: ac sanè circumstantiæ antecedentium, hunc sensum necessariò flagitant. Nam dictione שליתה non possunt propriè *secundæ* intelligi: quia secundis mater non potest invidere esum carnis (de quo tamen disertè agitur) quia esus solùm animali convenit. Quod non immeritò hic observandum. Ac propterea probabile est, vocem שיל quoque *filium* notare, & sensum reddit commodum. Ut enim Messias jam antè in Genesi *Semen*, id est, filius, *Abrahami, Isaaci & Jacobi*, à Deo fuit nominatus: sic consequenti patrum ordine (ex quibus Christus oriundus erat) rectè *filius Judæ* dicetur: quemadmodum postea *filius Davidis*. Sed tamen aliqua est hic difficultas: Cum enim שיל & שליה Kimchi rectè statuat, è radicibus diversis oriri: quomodo ejusdem esse significationis constabit? deinde cum idem Kimchi dicat 1. significare *secundas*, 2. *filium* è secundis ortum: quomodo viro secundæ convenient? Nam quod doctissimus Porchetus, in sua victoria contra Iudæos, cap. 2. quem secutus est Petrus Galat. de arca. Cathol. verit. lib. 4. cap. 4. in eo statuit mysterium, cum ait: *nominatur Silo, id est, Messias à Matre, non à Patre, contra consuetudinem Sacrarum Literarum, denotatur ipsum esse de materia matris absque carnali patre*; illud inquam multis valdè arrisit: sed ut rectè à Forstero, viro eruditissimo, aliisque notatum, pronomen affixum [1] eos refutat, quod masculini sit generis & ad Iudam referatur, non autem ad matrem. Ideoque D. Kimchi, & alii שילה Schiloh exponunt non בנה filius ejus, scilicet mulieris, sed בנו filius illius Iudæ, de quo antè actum. Quamobrem, ad difficultatem tollendam, potius dicendum, primâ quidem significatione vocem שיל significare *Secundas*: secunda verò significatione communiter *filium*: sive relatio sit ad Matrem, sive ad Patrem. Quum tamen Onkelos, Deut. 28. שליתה filiolum verterit: videtur statuisse שיל non idem, sed aliud denotare; ac propterea aliter Gen. 49. vertisse. Antequam verò ulterius procedamus, non inutile nec ingratum fore existimamus, si varias Iudæorum hujus vocis expositiones, quasi in fasciculum breviter ab Aben Esra collectas, transferamus. *Sunt* inquit *qui dicunt ad modum interpretationis Chaldaicæ esse secundum sensum* שלו: *& sunt qui dicunt ex derivatione* בשליתה Deut. 28. v. 57. *sunt qui dicunt ex vocabulo antecessorum nostrorum benedictæ memoriæ* שליל: *& est, qui exponit illud de urbe, & exponit* יבא *sicut* ובא *& occidit Sol*, Eccl. 1. v. 5. *donec veniat finis* שילה, *quia sic scriptum* Psal. 78. v. 60. *& reliquit tabernaculum* שלה, *& postea vers* 70. *elegit servum suum David: & hoc non est remotum; aut* שילה *erit ut* בנה *filius ejus, &* ה *pro* ו, *ut in medio* אהלה *tabernaculi sui* (Gen. 9. vers. 21.) *ex derivatione me* תשלה *cujus expositio est parere facies* תוליד. Hactenus Aben Esra. Primam autem expositionem jam antè expendimus, & secundam, simulque tertiam & quintam; eo excepto, quod novum hic argumentum affertur, ex significatione verbi תשלה: sed alienum est, nec enim שיל à verbo שלה oritur, neque hoc verbum significat *parere*, nec in Hiphil. *parere facere*, sed *quietum esse*, & per Antiphrasin *errare*: quod qui errat, minimè quietus sit. Quo etiam referri solet. 2. Chro. 29. v. 11. ut Da. Kimchi ad hunc locum exponit, & Rab. Salomon, affertque similem verbi hujus apud Chaldeos usum. & 70. similiter vocem תשלה transferunt πλανήσῃς *errare facias*. idemque res ipsa quę citatur, evincit. Ac propterea optandum fuisset, ut doctissimus concordantiarum Hebr. instaurator, in hac sua interpretatione

tatione recta, *errare facias, fallas*, acquievisset; & non postea, eodem loco repetito, aliam & alienam hanc expositionem præmisisset; *Secundines, in secundina pones:* quod ad cautionem tantum monendum est. Ad quartam expositionem, de urbe Silo, quod attinet, ea suo loco postmodum erit diluenda.

Hisce jam alter interpretationis modus succedit, eorum scilicet qui vocem *Silo* non compositam esse judicant, sed simplicem: idque diversis modis. Quidam enim lectionem rectam à Judæis, Christi odio esse corruptam, nempe mutato ח in ה: ac legendum שׁלוח, id est, *mittendus*, ut versio vulgata legit: quæ Hieronymo adscribi solet. Quæ sententia est etiam August. Steuchi, Episcopi Eugubini in Comm. Genes. 49. vers. 10. Sed hoc minimè credibile est: sed potius versionis vulgatæ authorem exemplar Hebræum habuisse vitiosum, cum ח loco ה. nam nec Patres ulli, qui Hieron. antecesserunt, aliter quam cum ה legerunt: ut nec ante Christi tempora LXX. interpretes, nec Chaldæus Onkelos, ut eorum interpretatio evincit. Deinde licèt superstitione quadam, in paucis vocibus, *aliena puncta* (sensum tamen non corrumpentia) supposuerint; ipsum tamen Scripturæ Hebraicæ contextum consonantibus constantem religiosissimè intactum reliquerunt: ut à doctissimis viris rectè observatum. Adeo ut R. Saadias immenso & curioso labore (ad lectionis veritatem conservandam) quoties in Bibliis singulæ alphabeti literæ extent, numerarit, & celebri suo carmine expresserit. Deinde Judæos hanc lectionem non corrupisse, Christi & Christianorum odio, inde patet: quia Chaldæam paraphrasin (quæ expressè hoc loco de Messia exponit) non corruperunt: sed illibatam, magnâque cum reverentiâ, conservarunt, ac plerique secuti sunt. Denique quia D. Kimchi, apertus Christianorum hostis, aliique ante ipsum, vocem Silo interpretati sunt, *filius ejus*, scilicet Judæ: id quod, ad personam Christi describendam, plùs habet momenti, quam שׁלוח, quæ vox generatim *missum* notat, sive ab homine, sive à Deo, & ad quævis ministeria missum. Neque etiam Siloah in Scriptura aliter usurpatur, quàm de fonte Siloë, qui unicus fuit Hierosolymis, ut Hier. Tom. 5. in Jer. cap. 14. tradit: de quo Esai. 8. vers. 6. Quem fontem Siloë, quidam (ut inter alios Cyrill. in Joh. cap. 9.) Christi missi à Patre, ut Spiritualem nostram cæcitatem curaret, typum fuisse, ex nominis addita Joh. 9. vers. 6 interpretatione, missus, & ex eventu liberationis à cœcitate, conjiciunt. Atque eo accommodant, quod Genes. 49. v. 10. dicitur Siloh: unde videri potest, vulgatæ interpretationis authorem, codicem habuisse vitiosum, cum Gen. 49. vertit *mittendum*. Eam autem interpretationem non esse Hieronymi puram, ac sinceram, verisimile est: quia de Siloah agens Ier. 14. nec Prophetiæ Iacobi, nec Christi ullo modo meminit: ut nec alibi, nec etiam in Quæstion. suis in Gen. 49. (ubi multa tamen minoris momenti observat,) ullam hujus lectionis varietatem indicat: multo minus à Judæis depravatam, & *Siloah* legendum statuit. Altera verò de voce *Silo* sententia, quæ eam simplicem, & incorruptam statuit, derivatam vult à radice שלה quæ propriè *quietum esse* notat, ut Job. 3. vers. 26. שלותי *quietus fui*. Unde per metaph. prosperum seu salvum esse, Psalm. 122. vers. 6. ישליו *Felices, seu salvi sunt diligentes te*: & vers. 7. שלוה *quies*, pro salute seu felicitate accipitur. Unde etiam *Silo* secundùm analogiam ac formam vocum קיטור *suffitus* & קימוש *carduus* (ut Val. Schindlerus rectè observavit) derivatur, & *felicem* ac *Salvatorem* convenientissimè significat, ut σωτὴρ, Luc. 2. vers. 11. & Esa. 52. vers. 10. Christus salus metonym. id est, salutis author, (in quo solo est salus, Actor. 4. vers. 12.) nominatur. Quæ erudita declaratio videtur Forstero in Diction. Hebraic. deberi, qui ad vocem *Silo* sic exponit, *Salvator felix, quod ei scil. omnia adversus mortem, Satanam, mundum feliciter succedant, ac verti posse germanicè, Wolfahrt.* Quem secutus est Avenarius in suo lexico Hebraico; & doctiss. Mercerus, commentar. in Genes. 49. ita exponit, *tranquillus, felix, cui omnia prosperè succedant, devicta morte, Satana, mundo*: & Sebast. Castellio in bibliis vertit Sospitator: & Valent. Schindlerus: *Salvator, felix, cui feliciter omnia succedunt, pacificus,* *pacis & felicitatis author*. Quam etiam sententiam post Hebræorum explicationes recenset in suo Lexico clariss. Buxtorf. & Germanica Lutheri versio prima, *Heldt*. Uti etiam nostra Belgica vetus. Ac sanè, si quis omnia, quæ de vocis *Silo* origine ac significatione proferuntur, consideret, in reliquis omnibus non exigua est difficultas; in hac verò postrema expositione omnia egregiè fluunt, ac quadrant. Nam (ut ostendimus) I. Radix שלה usitata est. II. Formatio vocis analoga. III. Significatio ipsa, Messiæ, (de quo agitur) attributo in Sacris Literis nomini ac beneficiis, ad amussim congruit. Hoc unicum tantum videtur posse obtendi, nimirum eam vocem aliis Scripturæ locis non extare. Sed hoc nullius est momenti: quia non paucæ voces sunt, quæ semel tantum inveniuntur. Nam hoc idem probat nomen ab eadem radice שלה *quietum esse* deductum שלי *quies*: nam semel tantum extat, 2. Samuel 3. vers. 27. בשלי *in quiete*. Deinde שליה Deuteronom. 28. vers. 57. & non alibi; imò שיל cujus nec radix extat, nec per se in Sacris Literis ullibi reperitur. neque enim שילה est שילה cum affixo ה pro ו (ut quidam putant,) quia dicendum esset שילו, vel per anomaliam שילו: ut à פשתה *linum*, contractè dicitur פשתי *linum meum*, pro פשתתי Hos. 2. vers. 9. Deinde quia verbum, cum ea voce constructum, est masculinum, nempe יבא, hoc refellit; aliàs enim dicendum fuisset תבא. Neque etiam שיל à שלה derivatur: quia Hebraicè masculina à fœmininis minimè derivantur, sed contra fœminina à masculinis. Ac propterea postrema vocis שילה expositio, etsi à priscis Patribus minimè sit explicata, meritò reliquis præferenda, atque amplectenda, veritatis studio.

Superest ultima vox explicanda יקהת: in qua plerique ut Jod esse statuunt radicale, ab inusitata radice derivant, nempè יקה cum ה mobili, non autem quiescente & antecedente patach, non autem camets, ut utrumque malè notatur, significare autem *audire & obedire*, ut Pagn. in thes. maj. Ling. Sanctæ ait: etiam Arabicè idem significare, teste R. Ionathane, & inde esse יקהה & forma contracta, seu in regimine יקהת (ut à דבר est דברה ratio, & contractè דברת) sed ק habere dagesch, euphoniæ gratia, ut Kimchi aliique rectè observant; & significare *auditum, obedientiam*, & Kimchi ait, *auditionem & acceptionem mandati*. Atque ita Onkel. Chald. Paraphrastes, *audient*, sive *obedient*, exponit; & paraphrasis Hierosolymitana, sensu expresso, *servient ei omnia regna terræ*: illam significationem probat Kimchi, ex Proverb. 30. vers. 17. de qua voce Mercerus ad eum locum; & doctissimi Lexicographi. Alii verò Jod non radicale, sed formativum putant; sed diversa origine & modo, à קוה (ut ו mutetur in ה) derivant, id est, *expectare*, Psalm. 37. vers. 9. & 40. vers. 2. aut *congregare*, Genes. 1. vers. 9. Hinc à LXX. hîc exponitur προσδοκία, *expectatio*; à R. Salom. verò *congregatio*: alii rursum à נקה *purum* esse derivant, ut purgationem notet: quod Messias purget peccata: ut ita dagesch in ק sit loco Nun. Sed obstat, quod ו in ה mobile non mutetur: ideoque non convenit radix קוה. Denique alii à קהה *obtusum fieri, debilitari*, de ferro propriè Eccles. 10. vers. 10. & metaphor. de dentibus, *obstupescere*, Jerem. 31. vers. 29. & sic Rab. Salomo, ex usu Thalmudis etiam exponi posse, ait: apud quos *obtusio, debilitatio gentium* exponitur: & periphrasis, Jonathani ascripta, exponit, *propter eum liquefient gentes*. Sed hæc interpretatio aliena est, quia non solum verbum Hebræum קהה nullibi in Sacris Literis de alio dicitur, quam de ferro, aut dentibus obtusis: neque liquefactionem, aut debilitationem hominum notat. Deinde quia eo modo fingitur, Messiam venturum ad afflictionem, & perditionem gentium; cum contra in antecedentibus & consequentibus de eo prophetiis, vocatio earum ad obedientiam, & benedictio ac salus per Messiam promittitur. In antecedentibus quidem, Geneseos 22. vers. 18. cum Galat. 3. vers. 16. Deinde Genes. 25. vers. 14. quæ benedictio obedientiam (sine quâ esse nequit) certò includit: Sic etiam consequentibus prophetiis explicatum est. I. Per Mosen, Deut. 32. vers. 21. id quod de gentium, ad obedientiam

erga

erga Christum, vocatione, exponitur, Rom. 10. vers. 19 Cui convenit deinde Esaiæ prophetia, cap. 65. vers. 1. 2. cum Rom. 10. vers. 20. Inprimis verò clarissima est, de confluxu omnium gentium, & obedientia earum erga Messiam, prophetia, cap. 2. vers. 3. 4. 5. seqq. & 42. v. 1. 4. 6. ut Matth. 12. v. 18. & Luc. 2. v. 30. 31. 32. & Esai. 49. v. 6. ut Luc. 2. declaratur. Unde apparet alienam esse eorum Judæorum expositionem, qui promissionem gentibus factam, de earum vocatione ad obedientiam, & per eam benedictione ac salute, in comminationem, de earum oppressione interpretantur. Quare prima hujus vocis יקהת expositio, pro obedientia, reliquis præferenda. Atque hactenus in vocum hujus gravissimæ, ac celeberrimæ prophetiæ de Messiâ, declaratione, versati sumus: Consequens jam est, ut ad sensum illius (qui variè à Christianis, & Iudæis statuitur) examinandum, procedamus: ac primum de Christianorum sententiis.

Hi autem in eo consentiunt omnes, hanc prophetiam describere adventum Messiæ, & adventus illius tempus: dissentiunt verò in circumstantia temporis definienda. Plerique enim statuunt, adventum Messiæ promitti, ablato jam à Iudæis sceptro, id est, regno. Idque primum factum cum Herodes non Iudæus, sed Idumæus, rex Iudææ constitutus est; quo regnante Christus est natus, Matth. 2. vers. 1. quam sententiam proposuit Origenes in Genes. 49. Homil. 15. quem plerique tam Græci, quam Latini Patres & posteri eorum sunt secuti. Contra verò alii non ablato, sed manente ac stante sceptro שבט Christum adventurum, hac prophetiâ tradi, statuunt: ita tamen ut in re ipsa consentientes, vocem שבט & *Juda*, diversa significatione, exponant. Quidam enim שבט non *sceptrum*, sed *tribum* interpretantur, quod eo sensu plerumquè à Mose accipiatur: & Iuda de Patriarcha Iuda: quod propria hæc sit significatio, & huic loco probè conveniat: quam insignem explicationem debemus acceptam ferre doctissimis nostris interpretibus Tremellio & Iunio, qui primi ita transtulerunt: *Non desistet tribus à Juda, neque legislator in medio pedum ejus, usque dum venturus erit filius ejus.* (Sic enim *Silo* interpretantur, ut suprà ostendimus,) & in annot. sensum, ex collatione, ut ajunt, eventus, cum vaticinio, hoc modo, exponunt; *hic esse videtur sensus: non prius Jehudæ gens confundetur; & distinctæ tribus nomen amittet, neque prius regnum Dei ab ea ad alias gentes derivabitur, quàm ex se, promissum humani generis Servatorem, qui lux est gentium, genuerit: Nam cum regnum decem tribuum diu ante captivitatem Babylon.* (*ut Vaticinium*, Esai. 7. v. 8. *docet*) *planè dissipatum fuerit, & populus esse desierit: tribus tamen Judæ, &c. manserit impermixta semper, usque ad exhibitionem Christi.* Hæc illi. Quam interpretationem candidè Dominus Piscator, in quæstion. suis in pentateuchum, anno 1624. editis est amplexus, cum ait: *Magis probanda videtur versio nostrorum: vaticinii porrò sensus est, non desituram tribum Iudæ, neque etiam potestatem omnem imperandi ademptum iri, antequam venerit Christus in regnum suum: id quod factum est post ipsius ascensionem, die Pentecostes. Post autem hoc initium regni Christi ad dextram Dei, tribus Judæ, omnisque in ea imperandi potestas, desiit, per eversionem Hierosolymæ à Tito.* Secundo modo alii vocem שבט sceptrum, *Iudam* verò tribum Iudæ significare judicant: atque ita Athanasius accepit de incarnatione verbi adversus Iudæos disserens, tom. 1. pag. 68. editio. Græco-Lat. cum ait: *Præsente igitur sancto sanctorum meritò obsignata est visio, & regnum Hierosolymitanum desiit: tam diu enim ungebantur reges donec ingrederetur sanctus sanctorum: & Moses quoque ad eumusque, Judæorum stetisse regnum prophetat, dicens: non deficiet Princeps ex Juda, & Dux è femoribus ipsius, donec venerint quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium.* Sic etiam doctissimus D. Chytræus in narrationibus in pentateuchum, Genes. 59. ubi ad hunc locum ait: *Perspicuè definit tempus adventus Christi Patriarcha Iacob, cum inquit: stante politia Iudaica, & durante ministerio docendi publico, Messiam venturum esse:* Atque ita etiam, ante Messiæ adventum non abolendum sceptrum, Chaldæus Paraphrastes Onkelos exponit: *Non recedet exercens potestatem à domo Iuda, & Scriba ex filiis filiorum ejus usque in seculum, usque quo veniat Messias, quia ejus est regnum.* Atque hæ sunt repugnantes, de circumstantiis temporis adventus Christi, sententiæ: quæ paucis, ad rei veritatem illustrandam, necessariò expendendæ.

Ac prima quidem (quâ Messiam venturum promitti tradunt, cum sceptrum à Iuda fuerit ablatum) ita ferè omnium consensu recepta est: ut, qui eam non probarit, & temeritate in antiquam, & communem doctorum sententiam impingere, & armis Ecclesiæ contra Iudæos detractis, in eam injurius esse videatur. Sed temerarius non est, qui antiquiorem habet veritatem prophetiæ insitam, & eventu comprobatam; neque injurius est in Ecclesiam, qui, pro vitreis armis, sive fragilibus, adamantina, contra Judæos subministrat: ut, ex sequenti examine, cognosci poterit. Nam communis illa sententia, si prophetiam Iacobi diligenter introspiciamus, ex ea nullo modo est derivata; sed negationis illius, *non auferetur, &c.* contraria affirmatio est; quod statuunt, auferetur sceptrum à Iuda, antequam veniat. *Donec* autem continuationem rei affirmatæ aut negatæ ad terminum appositum pertingentem designat: ut in vocis explicatione, supra ostendimus. Neque ullum, ex universa Scriptura, contrarium exemplum, ubi donec ad tempus refertur, hactenus adductum. Ut autem res sit clarior, similibus contradictionibus, illustrabimus 1. Quod Genes. 29. vers. 8. dicitur, *non possumus* (scil adaquare pecudes) *usque quo*, sivè, *donec congregati fuerint greges*: Ejus contradictio est; possumus antequam congregentur greges. Deinde 2. Sam. 6. vers. 23. *Non fuit ei proles, donec mortua est*: Cujus certè contradictio est: fuit ei proles antequam mortua est. Sic in Novo Testamento, Matth. 1. vers. 25. *Non cognovit eam, donec peperit:* Contradictio est illius: cognovit eam antequam peperit. Sic Matth. 5. v. 18. & v. 27. In hisce, & similibus omnibus, quis non apertam contradictionen agnoscat? Sic etiam: *Non auferetur sceptrum à Juda, donec veniat &c.* Et auferetur, antequam veniat, certa contradictio est. Cujus prior pars est, quæ in Scriptura ponitur, ideoque vera est: posterior verò, quæ ei, communi ferè opinione, opponitur, vera esse non potest. Sed quia prophetiæ veritas, in consensione illius, cum rei prædictæ impletione, consistit: ideoque, ex eadem, prophetiæ sententia illustratur, ac dignosci solet: Secundò jam quoque eventum spectemus. Hujus enim minus recta observatio imprudentem illam contradictionem peperit. Siquidem spectata tribus Judæ, ante natum Christum, conditione, quod Herodes, non Judæus, sed Idumæus proselytus, esset rex Judæorum, inde concluserunt, sceptrum, (quod regnum interpretati sunt,) jam à Juda ablatum, per Herodem M. Sed illud Scripturæ manifestè repugnat. Sceptrum enim regium omninò ablatum fuit à Iuda, capto rege postremo, Iechonia, ut Ierem. 22 vers. 30. dicitur: *Nullum ex semine ejus sessurum in solio Davidis, & dominaturum amplius in Judam.* Et Ezech. 21. vers. 26. De Zedekia ultimo Rege, *Tolle coronam: hæc futura non est*: quod repetitur & exponitur, vers. 27. *Hæc non futura est, donec venerit is cujus jus ipsum,* (id est, Messias) *& tradam ei.* Quibus locis asseritur de regno Iudæ, illud tollendum, nec futurum, donec Messias (rex Iudæ spiritualis) adveniat. Ac propterea, cum, inde à Zedekia rege capto, Iuda non habuerit regium sceptrum, seu regnum, illud ab eo posteà auferri non potuit. ubi etiam observandum, cum propheta ait, de *corona*, (id est, regno per met. sign. adj. pro subj. significato.) *Ea non erit, donec veniat is, cujus est:* Contradictio illius est: ergò erit, antequam veniat. At, inquiunt, Iuda habuit reges quinque, quorum postremus fuit, Antigonus, Aristobuli regis filius, qui regnum authoritate Iudæorum ac potentia ab Herode alienigena ablatum, possedit. Verùm respondetur: Iudam non habuisse reges ex se ortos; sed ex tribu Levi ac Sacerdotali: Ideoque non legitimos reges, qui (quod ad tribum Iudæ pertinebat) regnum injustè usurpabant; quemadmodum etiam summum sacerdotium, contra legem à Deo institutam, invaserunt. Quare Herodes regnum, non à tribu

à tribu Juda, sed à tribu Levi, seu ab Assamonæis Levitis, injustè regnum usurpantibus, abstulit. Ex quibus omnibus apparet: primam illam, de sceptri regii, ante Christum, per Herodem, ablatione, sententiam, & prophetiæ contradicere; & eventu ipso confutari: Ideoque eam minimè probandam: Sed veritate comperta, meliori commutandam: quam & prophetia, & eventus probant; nimirum, sceptrum non auferendum ante Messiæ adventum. Cumque duplex modus, in hac sententia explicanda, sit observatus: Prior quidem sensum habet insignem, & eventu prophetiæ hujus consentaneum. Sed una tamen difficultas ei objecta comperitur: nimirum quod Patriarcha Jacob vers. 1. in præfatione suæ prophetiæ, se ea prædicturum ait, quæ posterioribus temporibus essent eventura: ideoque non filiis ipsius, sed eorum tribubus. Huic autem rationi addimus, idem ex ipsa prophetia demonstrari: quia res prædictæ in ea, non ipsis Jacobi filiis, sed tribubus eorum convenire, perspicuum est. Denique idem etiam demonstrat expositio Jacobi, vers. 16. *Dan judicabit populum suum, ut quævis tribuum Israëlis.* Deinde Mosis vers. 28. *Omnes istæ sunt tribus Israëlis duodecim, & hoc est, quod elocutus est eis Pater eorum, cum benediceret eis.* Quibus attentè consideratis, per vocem Iudæ, hoc in loco, non Patriarcham Iudam propriè: sed illius posteros, seu tribum Iudæ intelligendam, demonstratur. Unde necessariò etiam sequitur, vocem Hebræam שבט non *tribum* in hac prophetia, sed *sceptrum* potius denotare: quia, si tribum notaret, inepta foret tautologia, hoc sensu; non auferetur tribus, à tribu Iuda. Nam quod vir doctissimus, in quæstionibus suis ad pentateuchum, ad quæstionem hanc; utra recta versio, non desistet tribus à Iuda: aut non recedet sceptrum à Iuda, respondet, *vocabulum ipsum* שבט *utramque admittit; nec non Vaticinii sensus. Veruntamen, quia vocabulum illud tribum sæpè significat; Sceptrum verò (id est, regiam potestatem) nunquam quod sciam; magis videtur probanda versio nostrorum:* Sed tamen invenitur vocabulum שבט eo sensu, Zachar. 10. vers. 11. שבט *Sceptrum Ægypti recedet.* Et (ut alia omittam) Num. 24. vers. 17. Quemadmodum ipsemet vir doctissimus, in eodem opere, ad eum locum, rectè exposuit. Deinde licet ea vox nullibi in Sacris literis *regnum* notaret; tamen pro regimine (quod hoc loco sufficit) accipi constat, ex Psalm. 45. vers. 7. *Sceptrum rectum, sceptrum regni tui.* Amos 1. vers. 8. שבט *Sceptrum Askalone.* Posterior verò secundæ sententiæ modus (qui scil. שבט à Iuda, ante Christum natum, non ablatum statuit,) in duarum vocum diversa expositione, à priori modo differt. Nam שבט *Sceptrum*, de regimine; & Iudam, de tribu Iudæ, intelligit. Ac sane, si quis accuratè rem expendat, comperiet hanc sententiam, ab omnibus antè memoratis incommodis, esse immunem: & verbis, atque explicationi prophetiæ, & eventui illius, probè consentire. Nam cum, per *sceptrum*, intelligatur regimen: idque vel unius, nempe regis, vel principis; vel plurium, nempe Magistratus, ac judicum: illud hoc loco neque de regis, neque de principis regimine, verè exponi potest. Non de regis, quia illud, per Nabuchodonosor, capto rege Zedekia, fuit ablatum, sicut prædictum disertè, Ezech. 21. vers. 26. 27. ut antè ostendimus. Neque etiam, de regimine Principis, rectè accipi potest: quia illud à Iuda, per Assamanæos (alias Makkabæos) Levitas, ac Sacerdotes, ablatum; & ad tribum Levi, iniquè translatum, ac propagatum. Nam quod multi Assamonæos fuisse ajunt, ex tribu Iuda, materno genere, ortos: ideoque sceptrum Principum à Iuda non ablatum: illud merâ nititur conjecturâ. Nam licet interdum Sacerdotes, è tribu Iuda, uxores (lege id non prohibente) duxisse constet: unde tamen illud perpetuò factum, aut Assamonæos id imitatos, probabitur? Deinde filii, non à tribu Matris, sed à tribu Patris, in Sacris Literis, censentur. Quemadmodum licet mater Eleazari, Sacerdotis summi, esset soror Nahason, Exod. 6. vers. 23. qui erat ex tribu Iuda, Matth. 1. vers. 4. tamen non pertinuit Eleazarus ad tribum Iudæ; sed Levi tantum: nec Iudæis, sed Levitis Sacerdotibus, à Deo accensus. Nam aliàs Pontifex esse non potuisset. Idque etiam perspicuè traditur, Heb. 7. v. 13. nullum ex tribu Iuda curasse altare: & vers. 14. *Palam est enim è tribu Juda exortum esse Dominum nostrum. Cujus tribus respectu nihil de Sacerdotio locutus est Moses.* Denique jus successionis in regimine, non pertinuit ad fœminas; sed ad mares tantum: (ut de regno docetur, Deut. 17. vers. 14. 15.) jus regiminis igitur à matre, quæ eo caruit, ad filium propagari non poterat.

Ad tertium verò gradum regiminis, quod attinet; nempè magistratus & judicum (quos Græci συνέδριον, Iudæi verò corruptâ voce *Sanhedrin* vocant) illud regimen, ante Christum, non est ablatum: etsi variè Synedrium paulatim sit imminutum. Exemplum autem memorabile est, in politia, ac judicibus: postquam subacta Iudæa, à Romanis, per Pompejum, tum primum (ut Iosephus conqueritur antiquit. lib. 14. cap. 8.) Iudæi libertatem amiserunt, subjecti Romanorum imperio. Nam cum antea Synedrium summum esset tantùm Hierosolymis: misso Romá Gabinio, potestas illius imminuta. Nam ut Iosephus eod. lib. cap. 10. testatur: *Constitutis quinque juridicis conventibus, in totidem æquales partes, totam Provinciam distribuit: ita ut alii jura peterent Herosolyma, alii Gadara, Amathunte alii, quarti Hierochunte, quinti Saphora, quod est Galileæ oppidum: Sicque liberati Dominis sub Optimatum dominatione degebant.* Hæc ille. Posteà verò cum Principatus Hircano, à Cæsare, esset redditus: restituta etiam Synedrii summi potestas. Objicitur quidem Sanhedrin seu judices summos, excepto Samea, omnes, paulò antè Christum, ab Herode, teste Iosepho occisos; ac propterea sceptrum, seu regimem judicum, (quod solum tribui Iudæ supererat,) ante Christum esse ablatum. Verùm primùm, antecedens non esse simpliciter verum, respondemus: quia Iosephus quidem antiquit. lib. 14. c. 17. unius Sameæ meminit: sed postea tamen, seipsum exponens, lib. 15. cap. 1. Pollionem quoque ei annumerat. Deinde neque probari potest, paulò ante Christi nativitatem, judices illos esse occisos. Producitur quidem, ad primam ac communem sententiam probandam, & eam, quam genuinam esse ostendimus, confutandam, testis Philo de temporibus, qui (ut centuriæ Magdeb. cent. 1. libr. 1. recitant ac sequuntur) ita tradit: Herodem trigesimo anno sui regni, Sanhedrin, Græcè συνέδριον, (id est, ordinarios judices LXX. ex domo Davidis, constitutos: penes quos summa authoritas, in cognoscendis, ac dirimendis controversiis, erat) occidisse: substitutis aliis, suo arbitrio, & quos in sua potestate futuros sciebat. Sed, inquam, testis ille, qui profertur, non est fide dignus: nec enim est verus ille Philo Judæus, sed alius quispiam suppositius: ut non solum à nostris viris insignibus nonnullis; sed etiam ante, à doctissimis Pontificiis, observatum, atque assertum. Ac tandem à Benedicto Pererio, in Comm. in Daniel. libr. 11. pag. 659. & 660. eruditè, ac multis argumentis, est demonstratum. Deinde, ad rem ipsam quod attinet: hujus testimonii objecti falsitas, ex Iosepho, solidè confutari potest. Nam antiquit. lib. 15. cap. 1. occisos, præter Pollionem, & Sameam, Judices ostendit, captis vi Hierosolymis. Id quod factum, non trigesimo Herodis anno, (ut Pseudo-Philo affirmat,) sed tertio (id est, non septem annos ante natum Christum: sed 36. circiter annos) ut ex Josepho antiquit. lib. 14. cap. 26. coll. cum cap. ultimo, apparet: qui & initium regni Herodis, & occupationem Hierusalem, cum Judices occisi sunt, cum annotatione, cum Olympiadum, tum consulum Romanorum, describit. Atque hæc de falso enthymematis oppositi antecedente. Deinde etsi illud verum esset, vitiosa nihilominus esset consequentia: quia licet illos judices summos omnes, & quidem eo tempore, quo obtenditur, occidisset: inde tamen non sequeretur: Herodem etiam judicum successionem sustulisse. Nam objectum etiam, ex Philone illo spurio, testimonium, (quo nonnulli decepti, primam sententiam, de ablato sceptro à tribu Juda, tueri; & contrariam confutare student) alios ab Herode substitutos tradit. Sed quid opus est eo? Cum

Herodes

Herodes ipsemet, agens de causa cædis Hircani; longè post judices illos sublatos, Synedrium extitisse, fatetur; cum in suis commentariis scripserit: se literas Malchi, ad Hircanum missas, Synedrio ostendisse; quemadmodum Josephus ex comment. illius recenset, antiq. lib. 15. cap. 9. etsi alios aliam causam afferre adjungat: Synedrium tamen fuisse, quod Herodes asserit, nullo modo negat. Deinde neque causa fuit, cur judices alii non substituerentur. Nam quod judices illos priores occiderit, hoc factum est tantùm ob offensam eorum, & conceptum inde ab Herode odium, & vindictæ studium: quod ortum fuerat; partim, quia ipsum antequam rex esset, tanquam cædis reum, ad causam dicendam citârant: & probè norat, se, nisi armatis satellitibus fuisset stipatus, ac nisi Hircanus aliis obstitisset, capite multandum: partim, quod cum postea, à Romanis, rex esset constitutus, eum admittere noluerint: eique Hierosolymorum urbem oppugnanti, Antigono adversario faventes, hostiliter repugnârint: ut ex Josepho satis superque constat, Libr. 15. cap. 1. Quod enim obtenditur; Judices illos priores fuisse ex familia Davidis; posteriores verò iis substitutos, fuisse exteros proselytos: illud est commentum, priori simile, ac probe teste omninò destitutum. Ajunt quidem, idem ab Herode, in Pontificis, pro arbitrio, abrogatione, & novi surrogatione, factum. Cavens enim ne quis illustrium crearetur Pontifex: idcircò Ananelo, viro obscuri & peregrini generis, familiariter noto, Pontificatum dedit: ut Josephus antiquitat. libr. 15. cap. 2. & 3. testatur. Sed respondetur primùm, per *illustres*, intelligi Assamonæos (qui diu, & Reges, & Pontifices, fuerant; & populi gratia pollebant) ne, si aliquem ex iis ad Pontificatum admitteret, generis regii fiduciâ, regnum affectaret: ut Josephus libr. 20. antiquit. cap. 8. ait: *Herodes autem accepto à Romanis regno, non amplius ex Assamonæo genere creavit Pontifices.* Deinde libr. 15. cap. 17. de Herode, periculum ab Assamonæo genere metuente, ait: *Videns neminem superesse regii generis, præter Hircanum, utile ratus est, non amplius permittere, ut impedimento sit:* Aut (ut Latinus Interpres vertere maluit,) *è medio tollere.* Hoc autem periculum Herodi non erat metuendum, à judicum Judæorum successione. Deinde Ananelus Pontifex, etsi non esset ex illustribus ortus, comparatè cum Assamonæis, sed obscuri generis: nihilominus tamen è Pontificibus erat oriundus, etsi extra Iudæam natus; ut Josephus antiquit. lib. 15. cap. 3. testatur. Neque etiam Herodes Pontifices, ut obtenditur, ex proselytis, sed ex genere sacerdotum ortis, constituit: Quemadmodum Josephus libr. 20. cap. 9. disertè affirmat. Denique, quod observandum in hac controversia, etiamsi fingeretur, Herodem non solum judices summos, excepto uno atque altero, occidisse; sed etiam successionem aliorum sustulisse: imminutum quidem esset sceptrum judicum, sed non ablatum: quia magistratus, ac judices inferiores, Synedrio magno subditos, nec defecisse ante Christum, nec auferri potuisse, sine totius reip. Iudaicæ confusione, atque exitio, perspicuum est. Quare sententiam ante positam, de sceptro regiminis judicum, à Iuda, ante Christum natum, non ablato, demonstratam, & adversus exceptiones (quas hactenus observare potuimus,) satis vindicatam, speramus. Alterum igitur superest, ut subjiciamus breve

Examen errorum, quibus Judæi recentiores, Prophetiam Jacobi, Genes. 49. v. 10. detorquent.

Horum autem Judæorum spectandus est primùm consensus, adversus Christianos: deinde inter eos, dissensio varia. Consensus est, 1. Messiam nondum venisse: neque hac Prophetia Iacobi illud significari: sed expectandum adhuc Messiam. Dissensio verò est, in diversis depravatæ hujus Prophetiæ modis. Quidam enim priora verba perperam interpretantur: alii verò posteriora. Ac priora quidem illi, qui שבט *afflictionem*: & מחקק *exactorem*, seu *oppressorem* exponunt, hoc sensu; non auferetur à tribu Iuda virga, id est, afflictio: neque exactor, atque oppressor, donec veniat Messias. Quo etiam modo antiqua illa Hispanica translatio Iudaica Ferrariensis, quæ Kimchio attribui solet, interpretatur. Sed illud repugnat Prophetiæ, multis modis. Ea enim continet benedictionem tribus Iudæ: ut Gen. 49. v. 28. de tribubus singulis, testatur Moses: & antecedentia, vers. 8. 9. & sequentia vers. 11. 12. omnia apertam benedictionem continent. Contra verò afflictio perpetua, usque ad Messiam, quam hæc depravatio fingit, maledictio est continua. Deinde vocem מחקק falsò *exactorem*, seu *oppressorem* interpretantur, contra vocis significationem: cum *scribam*, vel *legislatorem*, notet. Nec solùm Prophetiæ, sed etiam eventui ejus adversatur: nam, regnante Davide, Iudæi floruerunt victoriis perpetuis, adversus hostes; & toto Salomonis tempore, in alta pace quieverunt felices. Denique universo etiam veterum Hebræorum magistrorum consensu contrario confutatur. Eandem autem objectionem vir doctissimus, sibi datam à quodam Rab. Francofurtensi, suis in Genesin quæstionibus postremis, declarat: nimirum *virgam, id est, castigationem hic ex Rabbini sententia significari.* Respondisse autem se, *vocabulum illud, hic significare sceptrum regium: quod vox* מחקק *ostenderet: deinde non solum tribum Judæ, sub virga illa esse: sed omnes etiam tribus Israëlis: hoc autem loco de sola tribu Judæ sermonem haberi. quibus inquit, addo nunc* שבט *pro virga, id est, afflictione, nusquam (quod sciam) in Scriptura occurrere.* Hæc ille. Cujus secunda responsio recta est, ut res ipsa & v. 28. ostendit: sed prima non convenit, ut supra demonstratum: nec tertia, ut exempla plura ejus significationis vocis שבט antea, de vocibus agentes protulimus.

Posteriora verò verba alii Iudæi pervertunt: ac primùm nonnulli עד *æternitatem*: & vocem כי *quando*, seu, *cum* interpretantur: ut sensus sit: Sceptrum à Iuda non auferetur in æternum, cùm venerit Messias. Sed primò obstat S. Scripturæ usus, in qua עד sequente proximè voce כי nusquam *æternitatem*: sed *usque* significat: ut עד כי idem sit quod עד אשר *usque quò*: ut Genes. 26. v. 13. עד כי גדל *donec creverit.* Deinde has duas voces perperam in constructione dividunt. Nam ad illud, quod doctissimo Amando Polano, à Iudæo, objectum est, accentum Iethib sub voce עד indicare, particulam hanc, ad constructionem præcedentis membri, pertinere: rectè respondit, illam, de accentu, rationem esse falsam: ut exemplis demonstrat contrariis Gen. 2. v. 5. 11. & 3. v. 1. 5. 5. & 11. v. 10. Hæc ille. quibus addi potest, inter alia, Genes. 49. vers. 24. præterea contrarium etiam probat antecedens pausa seu accentus distinguens Atnach, in voce antecedente רגליו: unde apparet, vocem sequentem עד, non cum antecedente, sed consequente כי, esse construendam. Denique huc accedit paraphrasis Chaldæa triplex. Nam Onkelos habet, *non recedet &c. in æternum*, עד עלמא id est unquam. & deinde verba illa עד כי exponit *usque quò veniat:* עד דמתי & Hierosolymitana, & Ionathanis exponunt: עד זמן דמית *ad usque tempus, quo veniet.* Neque proferunt ullam veterum Hebræorum contrariam expositionem. Quare hæc prima Iudæorum, in posterioribus hujus Prophetiæ verbis, depravatio, subsistere non potest.

Altera est in voce Silo depravatio Iudæorum: quæ ad duo genera referri possunt. Primò, ut perfecta sit oratio; secundò, ut defecta. Qui perfectam statuunt: eorum quidam Silo Nebucadnezarem esse contendunt: quia is est, qui sceptrum à Iuda primus abstulit, capto Zedekia, ultimo Iudæorum Rege; & populo è Patria in Babyloniam translato. Sed inepta omninò hæc sententia est: 1. quia sceptrum quidem regium abstulit; sed non Iudicum. deinnulla ratio reddi potest, cur ille Silo vocaretur: nec enim filius ejus, supple Iudę, fuit: neque etiam servator populi: sed oppressor. præterea quod additur in Prophetia; *& ipsi erit obedientia gentium* (quo voluntaria subjectio notatur) ei non convenit: quia vi populi coacti, ipsi subjecti sunt. Denique obstat universalis vetustissimorum Hebraicorum Doctorum, cum Paraphrasium Chaldaicarum: tum Rabbinorum, contraria expositio. Ac propterea alii deinde vocem Silo, non de Rege, sed de urbe Silo interpre-

tantur: & בא non propria significatione ut *veniat*, notet: sed impropria per antiphrasin, & metaphoram quasi *interire*, hoc est, per arcæ Domini translationem, in alium locum, à Deo relinqui: ut Psal. 78. v. 60. *& reliquit tabernaculum Silo*: & v. 70. *& elegit servum suum Davidem*. Sed hæc interpretatio (quam Aben Esræ D. Kimchi in lexico tribuit; ipse verò cujusdam esse, atque etiam probabilem ait) probabilis non est: primum, quia vocis Hebrææ significationem alienam affert. Nam בא impropriè per antiphrasin, pro *abire*, vel *subire*, & quidem de sole tantum usurpatur: nullibi vero pro *interire* accipitur. Deinde per translationem arcæ Domini, non periit Silo, sed mansit nihilominus, etiamsi gloria illius eo modo perierit. Denique hæc sententia, si rem spectemus, vanissima est. Nam Sceptri Judæ finem statuit, ante illius initium: seu ablationem sceptri, ante collationem. Nam arca translata est è Siloh, sub Eli Sacerdote, ac judice populi, plus quam 50. annis ante regnum Davidis: qui primus è Juda, regium Sceptrum habuit. Nam ante id tempus habuit Rex Saul è tribu Benjamin: & ante hunc Judex Samuel regimen habuit, qui erat è tribu Levi. Quare hæc sententia mera depravatio est. Reliquæ verò interpretationes Judæorum, non perfectam, sed defectam orationem statuunt. Silo enim per ellipsin præpositionis ב, pro in Silo accipiunt. deinde subjectum non esse Silo: sed subjectum deesse, idque diversè supplent. quidam enim de Saulo: alii verò de Jeroboamo exponunt: hoc est, antequam Saulus, vel Jeroboamus veniret, ungendus in regem, in Silo. Atqui præterquam, quod præter Scripturæ usum, collationem sine subjecto fingunt, (quod neque ex textu, neque aliunde probari potest) Saul non in Silo, sed in Mispa in regem unctus, 1. Sam. 10. v. 17. deinde ab eo sceptrum à Juda non est ablatum: quia id Juda nondum habebat, sed sub Davide demum: neque etiam Jeroboam in urbe Silo, sed in Sichem rex factus, ut 1. Regum. 12. colligitur. Deinde licet defectione decem tribuum à Roboamo, ad Jeroboamum, sceptrum Judæ ex parte transiit, atque ita imminutum: non tamen ablatum penitus: quia pòst Roboam, Rex Iudæ esse non desiit, sed regnum Iudæ continuatum usque ad captivitatem Babylonicam. Ac propterea Rab. Salomon Iarchi, & quidam Iudæi posteriores, fatentur, Sceptrum tribus Iudæ, ad Messiam, Servatorem populi sui, duraturum, à Iacobo prædici: sed nondum Messiam advenisse. Atque licet Iudæa diu multùm sit vastata, tamen in Babylone perpetuo hactenus mansisse regium Iudæ sceptrum. Sed falsa est ea assertio: quæ neque ex Iosepho, qui antiquitates Iudaicas accuratè scripsit: neque experientiâ probari potest: Sed merum figmentum. Deinde per tribum Iudæ intelligitur populus, qui suam habuit politiam in Iudæa, inde à tempore Davidis: & quem populum Deus promiserat, se post 70. annos captivitatis, in patriam reducturum. Qui populus inde jam dispersus, & destructa urbe Ierusalem, in varias regiones abductus, Rempubl. habere destitit. Atque hæc de erroribus Iudæorum. Quare hisce jam confutatis: finem hujus Prophetiæ explicationi imponemus.

Narrationis Lucæ Euangelistæ, Capite Secundo,

De Nativitate Christi,

EXPLICATIO.

QUemadmodum olim Christi Servatoris, è Virgine, conceptio, & nativitas, divinitùs per Prophetam, Esai. cap. 7. v. 14. prædicta: sic etiam jam instantem utriusque eventum, in Virgine Maria complendum, Deus, per Angelum Gabrielem, ad eam missum, promisit: Luc. 1. v. 31. *Concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Quorum impletio, ab eodem Euangelista Luca, enarratur. Conceptio quidem Christi c. 1. Nativitas verò cap. 2. septem prioribus versibus. Cujus narrationis observandus est, 1. Scopus, ad quem tendit: deinde modus, ad eum institutus. *Scopus* autem est idem, qui totius Euangelii Scriptis traditus est: nimirum ut cognoscamus *Jesum esse Christum Servatorem, divinitùs promissum, & credentes vitam æternam per eum habeamus*. Joh. 10. vers. 21. *Modus* autem narrationis ad hunc scopum directus, atque idoneus, est summa nativitatis Jesu Christi, à Luca descriptæ, & nativitatis Messiæ Servatoris, propriis suis notis, à Deo, per Prophetas, promissæ, convenientia. Quæ ex partium narrationis *expositione*, & Prophetiarum *collatione* facta, perspicuè apparebit. *Partes* autem primariæ sunt *duæ*: quarum prima circumstantias nativitatis Jesu Christi: altera nativitatem declarat.

Circumstantiæ inprimis sunt tempus *quando*: & locus, *ubi* ea evenit. *Tempus* autem distinctis tribus, dispari claritate, gradibus, vers. 1. & 2. proponitur. Quorum *primus* generalior est, scil. tempus imperii Cæsaris Augusti; de quo Augusto, Suetonius, in illius historiâ, consulendus. Verùm, quia annos imperavit 56. specialiùs additur *secundus* temporis gradus, nativitatem Christi paulisper antecedens, nempe, *quum edictum à Cæsare Augusto prodiit, ut describeretur tota οἰκουμένη*, supple γῆ, id est, *habitabilis terra*: nempe, per Synecdochen, pro magna illius parte, quæ Romano imperio erat subjecta: & inde, per Metonym. loci pro locato, homines regionum illarum. Descriptionis autem eorum mandatæ finis, fuit notitia capitum, & tributi solutio consequens opportunè. Hoc autem edictum factum dicitur, *in diebus*, (hoc est temporibus) *illis*, nempe, de quibus actum cap. 1. id est, post Johannem Baptistam natum. *Tertius* verò temporis nati Christi gradus, expressissimus est: quia tempus non antecedens, sed præsens designat vers. 2. cum descriptio illa, edicto promulgata, atque imperata, *præsidente Syriæ Cyrenio*. Quem enim Latini scriptores Quirinum vocant, Tacit. Annal. lib. 3. pag. 130. edit. Paris. Lipsii, & in notis 162. ille à Græcis, mutatâ parumper voce (ut in aliis etiam nominibus fieri solet) Cyrenius dicitur. Qui erat, à Cæsare Augusto, ad hanc descriptionem, legatus: ut hac in re, non autem absolutè, Syriæ præsideret: quia præsidem suum habuit Quintilium Varum; ut rectè in annotationibus, à doctiss. Beza observatum. Sub Syria autem annexa Judæa simul intelligitur: ut etiam ex v. 3. constat. Neque huic descriptioni, jussu Cæsaris peractæ, adversatur: quod Herodes tum temporis Iudææ Rex fuerit, Matth. 2. v. 1. quia à Romanis, quasi precariò, regnum obtinuit: ut summam interim potestatem sibi reservarint. Porrò hæc descriptio, Cyrenio præsidente, vocatur *prima*: ut à secunda, quæ ab eodem facta, distingueretur. Prima enim fuit universalis, totius terræ, Romanis subjectæ vers. 1. scilicet cum Christus nasceretur, ac vivente Herode Magno, Matth. 2. vers. 1. Contra verò secunda descriptio, quam memorat Lucas Act. 5. vers. 37. & Ioseph. describit Antiquit. lib. 18. cap. 1. fuit particularis Syriæ & Iudææ: deinde post Christum diu natum, atque Herodis Magni obitum: imò etiam post filii illius Archelai, in Regno Iudææ, successionem Matth. 2. v. 22. & ejusdem relegationem, è regno, Viennam: quemadmodum Ioseph. antiquit. lib. 17. cap. 15. & lib. 18. cap. 1. & 3. diserte testatur. Quod discrimen primæ & secundæ descriptionis, rectissime à Beza, in annot. observatum: à plerisque verò, ante, & post ipsum, interpretibus, non rectè confusum apparet. Hæc de tempore nati Jesu Christi: quod cum circumstantiis promissi adventus Christi, per Prophetiam Jacobi Patriarchæ, Gen. 49. v. 10. probè consentit, cum ait: *non auferetur Sceptrum à Juda, &c. donec veniat Silo*, id est, Messias, Servator. Nam ut promittitur populi Judaici, & Sceptri, id est, regiminis illius, conservatio, usque ad Christi adventum: sic revera utrumque, ad Jesu Christi nativitatem, permansit. Sed post Christi mortem demum, & ob eam, à Judæis illatam, & pertinacem Euangelii rejectionem, utrumque esse desiit. Per Romanos enim vastatâ Judæâ, & Jerosolymis dirutis; populus Judæus, antea suis familiis distinctus, dispersus, ac mirifice confusus factus est: & regimen magistratus sui antecedens amisit: de qua re Dan. 9. vers. 26. Matt. 23. vers. 38. & 24. v. 2. 15. quemadmodum etiam experientia à Josepho pluribus explicata testatur. Verùm objiciat aliquis: Christum natum, cùm Iudæa, regno Herodis, & imperio summo Cæsaris Augusti, subjecta esset: ideoque sceptrum Iudæ, ante Iesum Christum,

Christum, fuisse ablatum. Sed hoc minime sequitur: quia licet sceptrum summum, hoc est, regimen regis, capto Zedekia, per Babylonios, ablatum sit, usque ad Messiæ adventum, Ezech. 21. vers. 26. 27. Et regimen medium, hoc est, Ducum, per Levitas Maccabæos, & ab illis, per Romanos ablatum sit, tamen infimum regimen, per suos judices, & magistratus (licet potestate paulatim imminuta) ad Christum usque relictum, experientia & historia Iosephi, ut etiam Euangeliorum, demonstrat. Neque obstat, quod Herodes superiorem, ac communem Iudæorum senatum, Indicum LXX. occiderit, duobus exceptis. Inde enim non sequitur, alios in eorum locum, è Iudæis, ad Reipubl. conservationem necessariam, non fuisse substitutos. Nam quod, de proselytis substitutis, ex conficto Philonis Iudæi libro obtenditur, vanum est omninò: nulloque, fide digno, Scriptore probatur. Quare Iesus Christus, *tempore* prophetiæ Iacobi conveniente natus est.

Qumadmodum etiam & *loco* destinato, *Bethlehem Judæ*: quæ *secunda* est nativitatis Jesu Christi *circumstantia*. Cùm autem Virgo Maria habitaret Nazarethæ, in Galilæa, Luc. 1. vers. 26. *Causæ duæ humanæ* recensentur, quibus factum est, ut Iesus Christus Bethlehemi nasceretur. Quarum *prior*, est obedientia Iosephi, & Mariæ erga Cæsarem: *altera* verò Mariæ prægnantis status.

Obedientia autem est, qua edicto Cæsaris, ut quisque in urbe sua, id est, familiæ suæ, describeretur, obtemperarunt, quæ, ut vers. 3 aliorum Iudæorum simili obedientia, declaratur, his verbis: *ibant omnes ut describerentur, quisque in urbem suam*: sic etiam Iosephi, & Mariæ Virginis obedientia indicatur, profectione Bethlehemum: & causis illius.

Profectio quidem initio vers. 4. perspicuè ita proponitur. *Ascendit autem etiam Joseph, à Galilæa, ex Urbe Nazareth in Judæam, in Urbem David, quæ vocatur Bethlehem.* Ubi notandum profectionem hanc, *ascensum* vocari, eo quod Iudæa altior sit, quam Galilæa. Deinde *Civitatem David* dici, non quam condidit (sicut arx Sionis vocatur, 2. Sam. 5. vers. 7. & 9.) Sed in qua natus, & educatus 1. Sam. 16. v. 1. & 18. Quod etiam hic distinctè explicatur, additâ voce, *Bethlehem*: quod Hebraicè significat *domum panis*, propter agrorum fertilitatem. Quemadmodum, eodem sensu, vetustiore nomine, Ephrata, id est fructifera (à verbo פרה *fructificare*) vocatur, Genes. 35. v. 19. Ruth. 4. v. 11. Atque ita David dicitur filius viri Ephratæi Isai, 1. Sam. 17. v. 12. id est, Bethlehemitæ: quemadmodum Isai vocatur ibid. cap. 16. v. 1. Veteres autem Theologi tradunt: Christum, panem vitæ, in Bethlehem, id est, loco panis convenienter natum: quod sanè similitudine quadam dici potest: non autem ac si esset Prophetici typi mysterium: quasi hic scopus fuisset inditi nominis, ut Christum ibidem nasciturum esse designaretur. Atque hæc de Iosephi & Mariæ Bethlehemum profectione. Cui deinde *causa*, cùm movens, tum finalis, adjungitur. *Movens* quidem v. 4. in fine illius; *propterea quod esset ipse ex domo & familia Davidis*, ortus. Ideoque Bethlehemum, ut in Urbem suam, unde familię origo, profectus est; quemadmodum alii omnes, in suam quisque urbem: ut vers. 3. indicatur. *Finalis* verò causa notatur v. 5. *ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat prægnans.* Unde ex priori horum verborum parte, apparet, profectionis Marię (non minus, quam Iosephi) necessitas: quod descriptio fuerit capitum, ex edicto Cęsaris. Ex posteriori verò parte, obedientię magnitudo apparet, ex eo, quod cum esset *prægnans*, & partui vicina (ut sequentia ostendunt) iterque longum (circiter quatriduum) & anni tempore difficili, susceperit: ut Cęsaris, Domini sui, mandato obtemperaret.

Cæterum præter hasce causas humanas profectionis Bethlehemum, ab Euangelista expressas, *primaria efficiens ac cælestis*, fuit *Dei decretum*, & *providentia illius*. Decretum enim erat à Deo, ut Christus nasceretur, non in Urbe Nazareth, (quæ Luc. 4. vers. 16. cum 23. patria illius, per Metaph. tantum, quod ibi sit educatus, dicitur:) Sed Bethlehem: ut index decreti, Prophetia, Mich. 5. vers. 1. Messiam in ea Urbe nasciturum, prædixit. quod etiam Matth. 2. v. 5. 6. repetitur. Providentia verò Dei, hoc decretum, sapienti sua directione, executa est: quippe, ut *rivi aquarum, cor regis in manu Jehovæ, quocunque vult, inclinat illud*, Prov. 21. v. 1. Sic etiam & Cæsaris Augusti animum inclinavit, ut eo tempore, quo Maria virgo erat prægnans, descriptionem capitum mandaret, & Judæorum, in sua cujusque urbe, peragendam, statueret: & Josephi ac Mariæ animos pios, ad obedientiam profectionis Bethlehemum, ut ibidem describerentur, inflexit: ut decretum suum, per Prophetam patefactum, adimpleret; quamvis instrumentum illius, Cæsar Augustus, hoc minimè sibi haberet propositum: neque etiam (ut verisimile) Josephus, neque Maria: alioqui non tam diu suum iter Bethlehemum, usque ad partum vicinum, & periculosum, ac permolestum hyemale tempus, distulissent: sed Dei providentia, rem totam, eo modo gubernavit. Atque hæc de *prima causa*, qua factum est, ut Iesus Christus Bethlehemi nasceretur: nempe Iosephi & Mariæ, ergà edictum Cæsaris, obedientia: qua Bethlehemum profecti sunt, ut ibi describerentur.

Altera verò *est Maria Virginis prægnantis status*, cùm Bethlehemum pervenisset: qui vers. 6. indicatur: *factum est autem cum essent illic, completi sunt dies, quibus ipsa pareret*, hoc est, mensibus novem à conceptione, pro communi parientium natura, exactis, ut de Elisabetha dicitur Luc. 1. vers. 57. *Elisabethæ verò impletum est tempus pariendi.* Atque hæc de prima hujus, de nativitate Christi, narrationis parte: nempe temporis, & loci circumstantiis.

Altera verò est, *de ipsa nativitate*; quæ. 1. *proponitur*: deinde, ab adjuncta humili conditione, *declaratur*. Proponitur autem initio vers. 7. his verbis *& peperit filium suum primogenitum. Primogenitum* vocat Euangelista, non relatè, ac distinctè à postgenito, sed absolutè: quod ante eum, è Maria nullus sit natus, quemadmodum usus vocis primogeniti demonstrat, Exod. 13. v. 2. 12. 15. Luc. 2. v. 23. ubi de primogenitis omnibus absolutè, sine aliorum succedentium, aut non succedentium ratione, Deo offerendis mandatum. Primogenitus enim propriè dicitur primùm genitus, sive alius postgenitus sit, sive non. Ut priori modo Esau primogenitus vocatur, Genes. 27. vers. 32. Iacob verò postgenitus: posteriori verò Christus, quatenus ab æterno à Patre genitus, primogenitus vocatur, Hebr. 1. vers. 6. & tamen est unigenitus à Patre, Ioh. 1. vers. 14. Sic etiam, quatenus homo est, filius Mariæ Virginis, primogenitus dicitur: quod primus, ex ea, natus: &, ut communis, ac pius Ecclesiæ consensus agnoscit, unigenitus. Neque enim credibile est, Iosephum pro sua pietate, ac reverentia, Mariam Virginem (utpote à Deo consecratam, ut Messias, virtute Spiritus Sancti, in ea, conciperetur ac nasceretur) cognoscere ausum: quod impurè Helvidius olim contendebat. Neque obstat, quod dicitur, Iosephum *non cognovisse Mariam, donec peperisset filium suum primogenitum* Matt. 1. vers. 25. Nec enim aliud ex voce, *donec*, colligi potest, quam ante partum non cognovisse: unde non sequitur, ergò pòst cognovit: ut usus vocis *donec*, 2. Samuel. 6. vers. 23. & aliis in locis, demonstrat. Quod autem Christo *fratres* tribuuntur, Matth. 12. vers. 46. 47. & nominantur, cap. 13. v. 55. Iacobus & Ioses, & Simon, & Iudas, & sorores ejus: id non de fratribus, ex iisdem parentibus, proximè natis; sed de cognatis intelligitur. Quorum tres fuerunt fratres inter se, Iacobus filius Alphei, Apostolus, Luc. 6. vers. 15. distinctè à Iacobo Zebedei, *minor* dictus, Marc. 19. v. 40. & frater illius Iudas Apostolus, Lebbæus etiam dictus, cognomine Taddæus, Mat. 10. vers. 3. & distinctè à Juda Iscarioth, Iudas Iacobi, scilicet frater, vocatus, Luc. 6. v. 16. & Epist. Iud. v. 1. Tertius est Ioses, de quo Marc. 15. v. 40. Nam Maria (alia quam virgo) vocatur Mater Iacobi minoris; & Iose ibid. Quartus est Simon, qui etiam fuit Apostolus, Cananites, distinctè à Petro, dictus Matth. 10. vers. 4. qui Iacobo & Iudæ, fratribus, ordine subnectitur, Marc. 3. vers. 18. & à Luca cap. 6. vers. 15. Actor. 1. vers. 13. inter Iacobum & Iudam, fratres interponitur: unde, fratrem eorum fuisse, colligitur; denique quod Christus dicitur *primogenitus inter multos fratres*, Rom. 8. vers. 29. Per fratres multos, multitudo fidelium intelligitur; non propriè, sed impropriè: quia

quia sunt ei cognati, ratione communis naturæ humanæ;& ratione imaginis seu sanctificationis, Hebr. 2. vers. 14. 17. & communis hæreditatis, Rom. 8. vers. 17. Hæc de nativitatis Jesu Christi propositione: quæ ab adjuncto statu humili, atque abjecto declaratur, altera hujus 7. versus parte: *& fasciis eum involvit; reclinavitque eum in præsepi: eo quod non erat eis locus in diversorio. Humilis* autem *hic status* describitur duobus quasi gradibus: ministerio matris puerperæ: & loci quietis vilitate. *Ministerium matris* est, quod Jesum filium, obstetricis ope destituta, ipsamet curavit, fasciis involvendo, & involutum ad quietem reclinando. Id quod à puerpera recenti, sine gravi molestia, ac dolore, fieri non potuit. Nam etsi partus, in calidioribus regionibus, qualis Iudæa, non tam difficilis, quàm frigidioribus: nunquam tamen dolore carere potest: ut naturæ ratio, & experientia universalis, probat: & comminatione certâ, Deus generatim mulieribus indixit Genes. 3. vers. 16. *in dolore paries filios tuos.* Ideoque vana est veterum quorundam, & Pontificiorum inprimis, opinio: quâ Mariæ partum, sine dolore, factum: & sine molestia, hanc curam filio nato præstitisse, miraculo quodam, extra Scripturam, confícto, temerariè statuunt.

Alter humilis status gradus est, in *loci quietis vilitate:* quod non in domo natus, sed in stabulo: nec in cunis, sed in præsepi repositus. Cujus ratio hæc redditur: *eo quod non erat locus in diversorio*; Ideoque factum id, non Mariæ vitio, sed necessitate, & hominum inclementia: quod nullus è diversorio, neque ex vicinis, commiseratione ductus, locum cesserit. Qui status humilis nati Christi, generatim, à Prophetis prædictus, Esai. 11. v. 1. & cap. 53. v. 2. Zachar. 9. v. 9. *Rex tuus venit &c. pauper,* עני pro quo citatur Matt. 21. vers. 5. *mansuetus:* quod mansuetudo paupertatis soleat esse comes. unde 2. Cor. 8. vers. 9. dicitur: *Christus pro vobis pauper factus est, ut vos paupertate illius dites fieretis.* cui convenit etiam pauper Christi viventis status, Matth. 8. vers. 20.

Quare ex hisce omnibus, jam expositis, generalis hic usus meritò concluditur: Iesum esse Christum, promissum per Prophetas: quia omnia; quæ de Messiæ nativitate prædicta, eique soli conveniunt, in Iesu Christi nativitate, impleta sunt. Nam ut conceptus, ita natus è Virgine, desponsata quidem Iosepho: sed non cognita: ut Esai. 7. v. 14 prædictum: eo tempore quo populus Iudaicus inconfusus ac distinctus erat: & Politia, seu regimen illius, licet imminutum, nondum tamen plenè ablatum: sed in suis magistratibus, ac judicibus, permanens, ut Gen. 49. vers. 10. prædictum: & primùm post ipsius mortem, utrumque ablatum, Dan. 9. v. 26. 27. Et natus, in loco Bethlehem ut Mich. 5. vers. 2. denique in statu humili atque abjecto, Esai. 11. v. 1. & 53. v. 2. Zach. 9. v. 9. ac propterea in eum credendum, ut vitam æternam habeamus.

Præterea, historia nativitatis Christi, etiam ad opera fidei exercenda, Iosephi & Mariæ exemplo, Christianos extimulat. Nam 1. edicto Cæsaris, tanquam Domini sui, secundùm 5. Decalogi præceptum (ut & reliqui Iudæi v. 3.) paruerunt, egregia sua obedientia: sic etiam omnes, eadem communi lege obstricti, Cæsari, seu omni potestati superiori, subjecti esse debent, Matt. 22. v. 21. 1. Pet. 2. v. 13. 14. adeo ut nemo excipiatur, Rom. 13. v. 1. seq. ut ad hunc locum consentaneè Chrysost. ait: *omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, sive Euangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Hæc verè Chrysost. Quibus addatur, quod Iesus Christus, licet, qua filius Dei, esset Cæsaris Dominus, & ab omni subjectione liber: tamen, quatenus filius hominis, pro se, & Petro, tributum solvens, Cæsari obtemperavit, Matthæi 17. vers. 27. Ac propterea detestanda est Pontificis Romani inobedientia, atque injustitia: quod non solum se, & suos Ecclesiasticos, à potestate omni politicâ, omninò excipit; sed etiam omnem Politicam potestatem, omnesque homines, sibi subjectos esse debere, statuit: ut in extravag. epistolis communibus, de *majoritate & obedientia,* lib. 1. cap. 1. *unam sanctam, &c.* Bonifacius 8. Papa, ita concludit, ac decernit; *porrò, subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus, omninò esse de necessitate salutis.* Hæc Pontificis in Cæsarem inobedientia, ac rebellio, Dei verbo, & obedientiæ Iosephi & Mariæ, erga Cæsarem, contraria: ideoque illam fugere ac detestari: hanc verò sequi, & imitari debemus. Quemadmodum etiam & alterum eorum fidei opus, nempe patientiam: qua partim Iosephus, & Maria Virgo, ut obedirent Cæsari, iter difficile, ac permolestum, & stabuli hospitium vilissimum; hominumque inclementiam, ac despectum, sine ullo murmure in Deum, aut homines, rectè pertulerunt: sic & nos, in officio præstando, molestias, & injurias, patienter ferre: & hoc exemplum justum imitari debemus. Et ut Maria Virgo amorem suum erga Iesum natum, in eo, exercuit: quod, licet puerperio imbecillis esset, eum tamen non neglexit: sed, pro tenuitate sua, fideliter curavit: sic, suo hoc exemplo, non solum damnavit crudelitatem earum matrum, quæ liberos natos lædunt, aut exponunt, aut negligunt: sed etiam dilectionem, ac curam maternam commendat.

Denique cum Christus, pro nobis factus sit pauper, & contemptus: ut nos, suâ paupertate, ditaret, 2. Cor. 8. v. 9. æquo animo, cum Christo, & pro Christo, paupertas & contemptio hominum ferenda, ut cum eo regnemus, Rom. 8. v. 18. 19. 2. Tim. 2. vers. 22. Hactenus explicatio & usus hujus historiæ nativitatis Christi.

De Nati Jesu Christi patefactione.

QVoniam, post nativitatis Christi historiam ab Euangelista traditam, illustris illius patefactio, ad eandem fidei, & operum fidei institutionem, proximè subnexa, describitur; ac solenni, annuoque festo enarrari solet: non abs re, nec ingratum fore arbitramur: si succinctam illius analysin, ac declarationem proponamus: ut honestæ quorundam petitioni obtemperemus. Ea autem *patefactio* est duplex, una quidem *divina*: altera verò *humana* inde orta.

Ac *divina* quidem, à vers. 8. ad 15. comprehensa, describit *personas*. quibus, & per quem, patefactio ea facta est: deinde *modum* illius.

Ac *personæ*, quibus primùm ea gratia indulta, designantur vers. 8. à communi, partim officio, partim effecto. *Officium* quidem, cum pastores vocantur; *effectum* verò, quod in eadem Bethlehemitica regione, fideliter suo, in curando grege, officio fungerentur: cùm excubando tum vigilias noctis agendo, super gregem suum. Causa autem cur sapientibus, divitibus, ac potentibus hujus mundi, & Bethlehemi versantibus, neglectis, Christi nativitas hisce pastoribus primùm sit patefacta, hæc est; ut eo modo ostenderetur, Christi regnum in terris non esse mundanum, Ioh. 18. vers. 36. & communis Iudæorum error, qui contra sentiebant, confutaretur. Ideoque ut Iesum Christum, in statu humili & abjecto, nasci voluit Deus: sic eundem unicum, summum animarum pastorem, Ioh. 10. vers. 16. 1. Pet. 5. vers. 4. cap. 2. vers. 25. per Ezechielem cap. 34. v. 23. promissum, primùm humilibus ac pauperibus gregis pastoribus voluit patefieri. Quemadmodum etiam postea, ad eundem scopum spectavit Euangelium, per Christum pauperibus prædicatum, Matth. 11. vers. 5. & 25. & per Apostolos, pauperum potissimum vocatio; ut Apostolus testatur, 1. Cor. 1. vers. 27. & Iacob. 2. vers. 5. *nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites fide?* quales etiam fuerunt hi pastores, Messiam expectantes: ut ex fidei illorum operibus, promptâ scilicet erga verba Angeli obedientiâ, confessione, ac celebratione Dei, viso paupere Christo, sequentibus indicatur. Hæc de personis, quibus Iesus Christus natus, primo loco patefactus est; nempe pastoribus, in regione Bethlehemi, gregem, fideliter, noctu curantibus.

Persona verò, *per quam* divinitùs patefactio illa contigit vers. 9. indicatur: nempe, *Angelus*, id est, nuncius: & quidem non hominis, sed *Domini*, id est, Dei. Angelus autem, πνεῦμα λειτουργικόν, Spiritus cœlestis dicitur, ab officio suo (de quo Heb. 1. v. 14.) cœlitus à Deo ad Pastores hosce missus; ut Iesum Christum natum, iis, ad salutem, revelaret. Describitur autem Angelus ab apparitione admirandâ; & eventu illius.

illius. Apparitio autem admiranda primum generalius innuitur, cum dicitur; *Ecce.* Specialius verò exponitur, partim repentino, & inopinato adventu, cum additur; *adstitit*, hoc est, cum nihil minus expectarent: partim conjuncta *gloria Dei*, (seu illustri fulgore, Dei præsentiæ, & Angeli signo) quę *circumfulsit eos*; ut hunc Angelum lucis, sive cœlestem; ac sermonem illius verum esse, ostenderetur: ac Majestas Jesu Christi, sub humili atque abjecto humanæ naturæ statu velatam, revelaretur: ad fidem ac salutem Ecclesiæ. Quemadmodum etiam primaria Euangelii mysteria, in eundem finem, per Angelos Domini, patefacta sunt: ut conceptio, & nativitas futura Christi, Luc. 1. v. 26. 31. & facta primùm conceptio, Matth. 1. v. 20. 21. deinde nativitas, hoc loco: & resurrectio Matt. 28. v. 5. 6. Ascensio denique in cœlum facta: & futurus, è cœlo, ejusdem Christi reditus, nempe ad judicium, Actor. 1. vers. 10. 11. Eventus autem hujus apparitionis gloriosæ Angeli est *duplex: primus* est magnus pastorum timor: ortus, partim ex imbecillitate naturæ: quæ, novis, ac repentinis commoveri solet: partim ex imperfectione fiduciæ in Deum: quæ oriri solet, ex justitiæ, ac potentiæ Dei, & peccatorum nostrorum conscientia: cùm subitò præsentiæ divinæ, aut Angelorum, judicii Dei ministrorum signa, inopinatò apparent, ut hoc loco. Qua de re, inter alia, exempla sunt, Luc. 1. v. 12. 29. Marc. 16. vers. 5. *Alter eventus*, est *consolatio* adversus metum, ab Angelo proposita, duplex: *prima* est dehortatio à metu vers. 10 *Tunc dixit eis Angelus, ne metuite.* qualia exempla, in simili metu, Luc. 1. v. 13. 30. & Matth. 28. v. 5. *Altera* consolatio, est ratio dehortationi subjecta ab utilitate insigni, quam suo adventu afferat, cum ait: *ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo.* Unde sequitur: pastores hosce non debere metuere; sed contra tranquillo, lætoque animo esse. Quibus verbis, rationi præmittit vocem *ecce*: ut attentos reddat, & præstantiam rei, observatu dignam, denotet. Ac deinde rationem ipsam proponit: quod *Euangelizet eis*, id est, bonum nuntium afferat. Quod bifariam declaratur: 1. ab effecto, scilicet gaudio inde consecuturo: deinde à præstantia illius gaudii, quam describit, ab adjuncta magnitudine illius, cum ait: *gaudium magnum:* & ab objecti amplitudine, nimirum *quod erit*, non privatum illorum pastorum, eo tempore: sed commune παντὶ τῷ λαῷ. quod vulg. interp. reddit *omni populo:* Eras. verò, ut & noster interpres, *toti populo*, ut ad Judæos referatur. Quamvis autem utraque expositio, & veritati, & hujus loci circumstantiis, sit consentanea: prior tamen, non immeritò, videtur præferenda: 1. quia propriam vocis παντὶ significationem retinet: 2. quia sensum habet pleniorem: & gaudii magnitudinem, de qua agitur, magis demonstrat. Nam licet Euangelium Christi nati, & gaudium inde ortum, prius quidem tempore, ad Iudæos pertineat, Matth. 10. vers. 5. 6. postea tamen communiter, ad omnem populum pertinuit. Matth. 28. vers. 19. Actor. 1. vers. 8. quemadmodum Prophetiis divinis olim prædictum, ut Genes. 22. vers. 18. & 26. v. 4. Psal. 117. v. 1. collato cum Rom. 15. vers. 10. quam etiam ob rem Propheta Aggæus, cap. 2. vers. 8. Christum promissum, *omnium gentium desiderium*, vocat. Unde etiam *Simon Justus*, viso Christo ait, Luc. 2. vers. 30. 31. 32. *Viderunt oculi salutem tuam, quam parasti in oculis omnium populorum, lumen revelandum gentibus, & gloriam populi tui Israël. &c.* Neque hinc tamen, universalis gratiæ salutis, per Christum natum, Patroni, probare possunt: eam, ad singulos omnium populorum, pertinere: cùm illud, de solis electis, ac fidelibus, ex omnibus populis intelligendum sit, ut Rom. 4 vers. 16. 24 Apoc. 5. v. 9. Quibus etiam solis, Christus patefactus, solidum affert gaudium, 1. Cor. 1. vers. 23. 24. ac quamvis παντὶ τῷ λαῷ impropriâ significatione (licet frequenti) idem quod ὅλῳ τῷ λαῷ, notare concederetur: ex eo tamen, universalis ista Christi gratia, quam tantopere obtendunt, nullâ solidâ consequentia, probaretur, 1. Quia *totus populus*, per Metaph. consuetam, accipi potest, pro magna populi parte: quemadmodum ipsemet Lucas, eodem modo, hanc phrasin usurpat: cum in Euangelio cap. 19. v. 48. & 21. v. 38. tum etiam in Actis cap. 2. vers. 47. ut res ipsa evincit. Deinde non solum ita exponi posset: sed etiam deberet necessariò; ad veritatem verborum Angeli retinendam: quæ aliàs falsa esset: quemadmodum attributum populo gaudium magnum, perspicuè demonstrat. Nec enim singulos è populo Iudæorum Christo patefacto, gavisuros: sed multos contra eum aversuros prædictum, Esai. 8. vers. 14. Sicut hoc de Christo exponitur, à Iudæis rejecto, Luc. 2. v. 34. Rom. 9. vers. 33. deinde Esai. 53. vers. 1. ut exponitur, Ioh. 12. vers. 38. id quod similiter experientia docet, & Euangelica historia describit, Matth. 2. vers. 3. 4. nato Christo & nativitate illius audita, primores Iudæorum non gavisos, sed perturbatos valde: sic cap. 21. vers. 38. & alibi. Atque hæc de Angelo, per quem natus Christus, patefactus est pastoribus.

Sequitur jam *patefactionis modus* vers. 11. 12. propositus; & illius, per connexum aliorum Angelorum consensum admirandum, confirmatio. Modus autem patefactionis Christi nati, ut probatio antecedentis versus, connectitur: & primum *Christum* describit; deinde *nativitatem* illius. *Christum* autem describit, *tribus suis titulis:* quorum *primus*, beneficium illius indicat, cum ait: *Servator*, nimirum populi sui, id est, Ecclesiæ, Matth. 1. v. 21. Luc. 1. v. 33. & quidem solus, & perfectus, Actor. 4. vers. 12. *Secundus* titulus est, *Christus*, κατ' ἐξοχήν, hoc est, Messias, promissus ad salutem: quo officium illius comprehenditur triplex. *Tertius* titulus est *Dominus*, quo potestas illius, & imperium, in Ecclesiam, declaratur. Atque hæc strictim de *Christi descriptione.*

Altera est *nativitatis*: quæ primum proponitur, cum dicitur: *natus est.* deinde exponitur, partim à fine, partim à circumstantiis accidentibus. Ac *finis est*, cum ait: *vobis*, id est, natus est vestro bono, ad salutem vestram: pro credentibus enim Christus natus, Esai. 9. v. 6. quales hi fuerunt pastores: ut antè, ex fidei operibus certis ostendimus; & sequentia monstrant. *Circumstantiæ* autem indicantur duæ, tempus & locus. *Tempus* nativitatis notat vox *hodie*, seu hoc die, quæ vox ad rem propositam, non exiguum habet momentum. Quod ut melius percipiamus, ac nonnullis Scripturæ locis lux accedat: *diei* significatio duplex observanda; quia interdum latius; interdum strictiùs usurpatur. Latius quidem, quando tempus horarum 24. (nempe ab uno solis occasu ad alterum) designat; ut Gen. 1. v. 19. *Et fuit vespera, & fuit manè, dies quartus*, quomodo dies, in hebdomadum, mensium, aliorumque temporum numeratione, citra controversiam intelligi solet Strictius verò *diei* vox accepta, oppositè nocti, usurpatur; & secundam diei 24. horarum partem, tantum notat; quemadmodum Genes. 1. vers. 14. *ad distinctionem faciendam inter diem & inter noctem.* Ac quamvis, pro inęquali, quatuor anni temporum, ratione, tempus diei, dispari magnitudine, varietur; unde pauciores, vel plures horæ diei esse solent; apud Iudæos tamen, in duodecim horas æquales, dividi solebat. Quemadmodum eo sensu, voce *diei* Christus utitur, atque ita distinguit ac definit Ioh. 11. v. 9. *nonne duodecim sunt horæ diei?* Hoc verò in loco, Angelus, significatione latiore accipit; nec enim sole jam lucente, Christus est natus; sed nocte: nimirum eo tempore, quo Angelus pastoribus illis apparuit: id quod factum nocte vers. 8. neque intelligi potest de die, hanc noctem præcedente; quia initium diei, latius accepti, non à Solis ortu antecedente, sed ab occasu Solis ad alterum illius occasum censetur; uti ex Scripturæ usu ostensum. Ideoque Christus, non tempore diei, sed noctis natus est; quod indicatur voce, *hodie*. Id quod etiam ad difficultates declarandas, quas & mater Christi puerperio sensit; & Christus infans perpessus est, facit: quod hyberno tempore, & quidem nocte, quę frigidior esse solet, nativitas accidit. Atque hęc de prima nativitatis Christi circumstantia, nempe tempore, quando natus, & patefactus.

Altera verò, est *locus*, in quo natus est; & quidem primò communis: deinde proprius. Communis ita indicatur; *in urbe David*, id est, Bethlehem: quemadmodum expositum supra vers. 4. Atque ita Prophetiam de familia, ac patria

tria Messię, vulgò notam Ioh. 7. verſ. 42. hac periphraſi, ad fidem firmandam, in memoriam revocat. Cum autem hujus declarationis ſcopus fuerit: ut paſtores, ea occaſione invitati, Chriſtum quęrerent, atque inviſerent: neque tamen Chriſti inveniendi, clarum ſatis eſſet ſignum: idcirco Angelus Dei, pręter hunc locum pluribus communem, proprium quoque, tanquam Chriſto nato ſoli convenientem adjungit: cum verſ. 12. ait; *Hoc vobis erit ſignum, invenietis infantem, faſciis involutum, & jacentem in præſepi.* Quia verò ea humilis, ac abjecta prorſus, Chriſti conditio, indicata, potuiſſet Paſtores offendere: quod ex communi Judæorum errore (à quo ne Apoſtoli quidem, aliquamdiu, fuerunt immunes) credebatur, regnum Meſſiæ promiſſi etiam fore mundanum: idcirco, ſapienti Dei providentiâ, adhibitum eſt ſalutare remedium. Nam propoſito, ab Angelo, de humili ipſa Chriſti nativitate, Euangelio: Lucas Euangeliſta deinde annexam oſtendit aliorum Angelorum *confirmationem*, verſ. 13. Qua ſuis teſtimoniis, Euangelii, ab uno illo Angelo propoſiti, veritatem, ac excellentiam, comprobant. Qua in re obſervanda eſt, accurata teſtium *Angelorum deſcriptio:* deinde *teſtimonii modus*. Angelos enim deſcribit ab adjuncto duplici, nempe officio, & copiâ admirandâ. Officium eſt, quod ſint miniſtri Dei, ei fideliter inſervientes: id quod per Metaph. *exercitus* ſimilitudine indicatur. Ut enim exercitus hominum, principi ſuo, atque imperio ejus ſubditus eſt, atque obtemperat: ſic etiam Angeli *omnes ſunt miniſtratorii Spiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur &c.* Heb. 1. verſ 14. unde etiam ſimiliter, ut hoc loco, *exercitus Dei*, & *miniſtri, qui faciunt voluntatem ejus*, appellantur, Pſal. 103. verſ. 20. 21. Cumque omnes creaturæ Deo exercituum ſubſint, diſtinctè *exercitus cæleſtes* nominantur: ut à terrenis diſtinguantur. Copia verò horum admiranda declaratur: non ſolùm quod *exercitus;* ſed etiam quod *multitudo exercituum* nominantur. Nam ut Daniel. 7. verſ. 10. de Angelis Dei dicitur: *millies mille miniſtrabant ei, & myrias myriadum coram eo ſtabant:* Sic hoc in loco, ſingulari exemplo immenſa Angelorum copia, à Deo miſſa cœlitùs, ad Chriſti nati Euangelium, ab Angelo uno propoſitum, & ad paſtorum fidem confirmandam. Atque hæc de teſtium Angelorum deſcriptione.

Modus verò *teſtimonii* eſt duplex: primus in opere: poſterior in oratione eorum conſiſtit. Opus eſt acceſſus eorum admirandus, atque opportunus. Admirandus notatur: cùm dicitur: *& repente adfuit:* opportunus, cum additur, *cum illo Angelo:* qua, cum Angelo, ſocietate, conſenſum ſuum cum illo reipſa ſunt teſtati. Oratio verò Angelorum (qua explicatius teſtimonium præbuerunt) proponitur: 1. generatim, cum dicitur: eos *laudaſſe Deum:* nempe ob Chriſti nativitatem, quam Angelus annuntiarat. Deinde ſpeciatim, cùm *forma laudationis* (brevis quidem, ſed nervoſa) recitatur: nimirum quod dixerint verſ. 14. *gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax,* ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Antequam verò ad hujus cantici Angelorum explicationem accedamus: quædam de lectione præmittenda. Ea enim obſervatur duplex: una eſt, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: altera verò eſt, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Et utraque ſuis authoribus, ac fautoribus nixa: quemadmodum, poſt Eraſmum, accuratè Doct. Beza in ſuis annotationibus maj. ad hunc locum annotavit. Quæ primùm diſtinctè proponenda, nonnulliſque illuſtranda, atque augenda: deinde verò ea ad examen revocare conabimur.

Priorem autem lectionem probat, I. communis exemplarium Græcorum conſenſus; quem etiam Pontificii, aliique omnes, qui de hac re diſſerunt, agnoſcunt. Deinde Patres Græci illuſtres; ut 1. Euſebius Cæſarienſ. de demonſtratione Euangelica lib. 4. cap. 10. deinde Baſilius Mag. in anaphora; quæ extat in bibliotheca Patrum, tom. 4. ex præſtantiſſimi viri Andreæ Maſii verſione, ex antiquiſſimo codice. III. Greg. Naz. Orat. 2. in Paſcha. IV. Chryſoſt. Col. 1. homil. 3. & Tom. 2. homil. 56. ad populum Antiochenum. Epiphanius etiam contra Ebioneos, à Beza citatur; ſed nec in Græco exemplari; nec in Latina verſione adhuc obſervavi. V. Andreas Hieroſolym. ſermone in nativitatem S. Mariæ, Bibliotheca Tom. 7. cap. 1. VI. Nicephorus Caliſtus hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 12. VII. Denique Theophylactus Luc. 2. verſ. 2. Altera verò lectio eſt ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας: quam proponit primum vulg. verſio Latina, *in hominibus bonæ voluntatis;* deinde patres Antiqui, 1. Græci, Origenes. Tom. 2. Comm. in Luc. homil. 13. & Chryſoſt. Tom. 2. Sermone de nativitate Domini, & alibi. Præterea Origenem ſecuti Latini Patres, Cyprian. lib. de nativitate Domini; Ambroſ. lib. 2. in Lucam, Hieron. Tom. 1. Epiſt. ad Theodoram; & Auguſt. Tom. 5. de Civitate Dei. lib. 14. cap. 8. Utra autem lectio præferenda ſit, diſceptatur. Pontificii ſecundam genuinam eſſe contendunt, ob vulgatæ verſionis authoritatem (quam Concil. Trident. ſancivit) Origenem & Latinos Patres ſecuti. Quemadmodum Jeſuita Mald. ait, ad hunc locum: *Non dubito, multis fretus authoribus, affirmare, Græcos nunc codices hoc loco eſſe corruptos, legendumque eſſe* εὐδοκίας *bonæ voluntatis: ut noſter legit interpres,* & rationem addit, quod aliâs non erit commodus ſenſus, ſi legatur, *in hominibus bona voluntas.* Noſter verò interpres modeſtiùs loquitur: ſed nihilominus tamen, ad ſecundam tandem lectionem, inclinat, cum ait: *ad me verò quod attinet: quamvis, ut ante dixi, in omnibus exemplaribus, excepto illo meo vetuſtiſſimo, legerim* εὐδοκία, *& ita ſim, in contextu, interpretatus, tamen Origenis, Chryſoſt. veteris interp. authoritatem, ipſam denique rationem ſecutus, non recuſem legere* εὐδοκίας, *& totam hanc orationem, in duo tantum membra, partiri, hoc modo: gloria in (cælis) altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus dilectis ſeu placitis; neque enim hæc pax ad alios pertinet, quam ad eos demum, quos gratia ſua dignatur.* Hęc ille. Veruntamen, cum aliis interpretibus non immeritò, primam lectionem præferendam, arbitramur; quia ea lectio, quæ communi omnium Gręcorum exemplarium, quæ extant, conſenſu probatur, & veritati, locique circumſtantiis convenit, recta eſt, ac retinenda. Hæc autem lectio, in qua εὐδοκία continetur, communi omnium Græcorum exemplarium conſenſu, probatur; & veritati, locique circumſtantiis convenit. Ergo ea recta eſt ac retinenda. Propoſ. controverſiâ caret. Verum, adverſus primum aſſumpt. membrum, objici poteſt exemplar antiquum, cujus meminit Beza: in quo legitur non εὐδοκία, ſed εὐδοκίας: ſed illud & unicum eſt, & fidem non meretur: quia non eſt ſincerum, ſed ab antiquo deſcriptore, temerario auſu corruptum, quemadmodum exempli gratia vel genealogia Chriſti, Luc. 3. verſ. 23. contra omnium codicum, & patrum, ac poſterorum Theologorum conſenſum, fœdiſſimè interpolata, evincit: quemadmodum illius exemplaris verba, in annot. Bezæ ad eum Lucæ locum, cum admiratione illius recenſentur. Ac quamvis in Origine, latinè (nam Græca non extant) *bonæ voluntatis* legatur: inde tamen non ſequitur, eandem fuiſſe communem & antiquam codicum Græcorum lectionem: quia potuit audacia quadam critica, interpres judicaſſe aliter ſcribendum, quam codex illius Græcus ferebat. Aut ſi ita legit, in ſuo codice, rectè dici poteſt: ut una hirundo non facit ver: ſic neque unus codex communem conſenſum: pręſertim, cum contra ante à nobis demonſtratum ſit, aliam lectionem proborum exemplarium extitiſſe: ut ex Euſeb. Cæſ. Baſil. mag. Greg. Nazian. Chryſoſt. aliiſque memoratis, oſtenſum. Neque mirum eſt, ſi, ut Latinus interpres, ſic etiam Latini Patres, lectionem Origenis, ob doctrinæ illius admirationem, ſint ſecuti: cum errorem illius, de humanarum virium dignitate ſequerentur nonnulli: & hujus etiam lectionis occaſione ſtabiliri perperam exiſtimarunt. Quemadmodum etiam ex Ambr. ad hunc locum apparet, qui Tom. 3. Serm. de Nativitate Domini, ſic ait: *Videte quid dicat ipſa ſententia, pax in hominibus bonæ voluntatis: non in quibuſcunque hominibus, ſed bonæ voluntatis hominibus: ut intelligas pacem Chriſti non debiti eſſe, ſed meriti.* Qua in re Sacris Literis, de gratuita hominum vocatione, ac ſalute, adeò manifeſtè repugnat: ut etiam Jeſuita Mald. cavendum eſſe, aſſeruerit. Quod autem Chryſoſt. lectionem illam Origenis pluribus in locis ſequi dicitur: illud ex Græco illius contextu nondum probatum: ſed ex homiliis quibuſdam Latinis, de quarum & authoritate, & fideli verſione non ſatis conſtat: cum appareat, Patrum interpretes Latinos, ſi

quando occurrat Scripturæ testimonium productum, versionem vulgatam ejus loco ponere consuevisse sæpius. Quemadmodum etiam quod producit Beza, Chrysost. in Matth. Hom. 37 id quidem in Latina versione, quæ tum extabat, sic legitur: sed in Græco Exemplari, quod postea primum in lucem, cum accuratiore versione, prodiit, ibidem omninò non additur ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας; neque etiam εὐδοκία. Sed opponitur receptæ lectioni ratio duplex, ad eam confutandam: una est à phrasi petita, altera à sensu. A phrasi, quod aliàs copula, quæ secundo membro apponitur, ultimo loco poni debuisset, pro communi sermonis ratione, hoc modo: *gloria in altissimis Deo, in terra pax, & in hominibus εὐδοκία.* Sed illud non necesse est, quia per ellipsin copulæ, ante ultimum membrum, optimè phrasis constare potest: hoc modo: *gloria in altissimis Deo, & in terra pax, & in homines benevolentia, seu bona voluntas.* Quemadmodum etiam Syrus interpres copulam supplevit: quod & rectè à Beza annotatum. Atque ita sensus quoque, non ut obtenditur, incommodus erit, sed veritati Euangelii, & loci hujus circumstantiis, omninò consentaneus. Laudatur enim Deus, ab hac Angelorum multitudine, tribus modis. 1. ab adjuncto Dei; deinde à duobus illius effectis. Adjunctum est gloria, quæ Deo erat in altissimis, supple, locis, seu cœlo: hoc est, quod ab Angelis, & beatis animabus, gloria illi tribueretur in cœlo. Qualis etiam gloriæ, Deo, ab iisdem attributæ, descriptio illustris, Apocal. 5. v. 11. ad finem, continetur, Hujus autem glorificationis ratio annectitur: quod Christus esset in terra; quod secundum hujus hymni membrum: quod ita indicatur: *& in terra pax* Quo modo Christus, per elegantem ac momentosam, effecti pro sua causa, Metonym. intelligitur: ut Ephes. 2. v. 14. *pax nostra* vocatur: & v. 17. explicatur ratio, quod *veniens Euangelizaverit pacem*; & Rom. 5. v. 1. quod *per eum pacem habeamus apud Deum*: sicut etiam *Princeps pacis*, Esai. 9. v. 6. dicitur; & quidem v. 7. *cujus pacis non erit finis*. Cœterum quod Christus hoc in loco impropriè ac per tropum, potius, *pax*; quàm propriè pacis author, vel effector vocetur: illud ad excellentiam, ac perfectionem pacis, quam affert, indicandam, pertinet. Quemadmodum simili ratione non solum σωτὴρ hoc est, ut Patres interpretantur, *Salvator*, ab Angelo, Luc. 2. v. 21. sed etiam simili tropo σωτήριον, id est, *salus* à Spiritu S. per Simeonem, v. 30. & per Esai. cap. 49. v. 6. *salus Dei, ad extremum terræ* nominatur: quod in nullo alio sit salus Actor. 4. v. 12. Sic & pax nostra, quod ab eo solo, pax nostra universa procedat. Cui nativitati Christi (ut pacis nostræ spiritualis authoris) rectè convenit: quod tum temporis, cum totius terræ descriptio fieret, pax esset externa, in tota terra, quæ Romanis subjecta: ut historiæ Romanæ testantur. Quod autem Matth. 10. v. 34. Christus ait: *non veni missurus pacem in terram*, & v. 35. *nam veni facturus, ut dissideat filius adversus Patrem suum*: illud sententiæ propositæ minimè adversatur. Angeli enim loquuntur, hoc loco, de pace cum Deo; Christus verò de pace cum hominibus infidelibus. Angeli Christum pacem, id est, pacis effectorem, propriè intelligunt: Christus verò *faciendi* verbo Metaph. utitur, similitudine quadam: quod ut causa antecedente, sequitur effectum: sic antecedente actione Christi, qua Euangelium pacis prædicat, sequitur infidelium, adversus fideles odium, & persecutio: non vi actionis Christi bonæ; sed vitio infidelium, qui occasione illius, ad dissidium, & cædem fidelium, abutuntur: ac propterea non propriè: sed impropriè ea Christus efficere dicitur. Quod autem vulgo responderi solet: Christum pacis cum Deo, causam esse, per se: dissidii verò hominum causam per accidens: illud sensu quidem recto, sed Phrasi minus recta dicitur: quia causa per accidens, est species causæ efficientis: ideoque revera causa. Quemadmodum si quis fodiens, thesaurum inveniat; revera inventionis causa efficiens est, etsi illud non spectarit, sed agriculturam. Hinc etiam rectè definiri solet causa per accidens, quando præter efficientis scopum, aliquid ab ea efficitur. Atque hæc de secundo hujus laudationis membro, ab effecto primo, nempe beneficio Dei. Cujus merito in cœlis ei tribuitur gloria, nempe, quod *pax*, i. e. Christus pacis author, *esset in terra*.

Alterum Dei effectum, quod membro laudationis tertio denotatur, his verbis continetur: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *in homines benevolentia.* Benevolentia autem intelligitur Dei: qua electos suos, gratis, ita dilexit, ut Filium suum, pacis ac salutis authorem, pro eorum salute, nasci voluerit: ut Eph. 1. v. 5. & 6. de Deo dicitur: *Qui prædestinavit nos ad adoptionem in filios per Jesum Christum in sese, secundùm* εὐδοκίαν *benevolum affectum voluntatis suæ: ad laudem gloriæ gratiæ ipsius, quâ nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.* Electos enim intelligi, quod hi solùm fruantur pace, non solum alii, sed etiam Iesuitæ celebriores agnoscunt. Quod autem ἐν ἀνθρώποις, non, *in hominibus*, sed *in homines* (ut non subjectum, sed objectum notetur) interpretamur: cum tamen in antecedenti, ἐν ὑψίστοις *in altissimis*: ut etiam Synonymum ἐπὶ γῆς *in terra*, subjectum designetur: ex eo, inquam, non sequitur, eodem modo in hoc secundo loco intelligendum. Quia ut aliarum; sic hujus præpositionis, ἐν, usus est diversus: qui, pro rerum, quibus adjungitur, ratione diversa, diversimode etiam est exponendus. Quemadmodum in antecedenti, per vocem ἐν, subjectum notari, res ipsa evincit: quia loco præponitur, in quo gloria est: hic verò homines non sunt subjectum, in quo εὐδοκία, Dei benevolentia inest: sed objectum, in quod ea fertur. Atque ita ἐν pro εἰς, frequenti in Sacris Literis significatione, (etiam vice versa) usurpatur, ut citra controversiam, 1. Thess. 4. v. 7. & Hebr. 4. v. 11. Et in eadem etiam periodo, significatio diversa, extare comperitur, 2. Timoth. 1. v. 13. ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, *in fide, & charitate*, τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *quæ est in Christum Jesum*, Utrumque enim in nobis est, non in Christo: sed ut ab eo est, sic etiam in eum tendit.

Quare commodo omninò est, & phrasis, & sensus ratione, proposita hujus laudationis Angelorum explicatio: quâ in cœlis gloriam Deo tribui asseritur; & effecta Dei recensentur, quæ gloriam illam merentur atque excitant, nempè beneficium Dei, quo pax, id est, pacis author, Christus, esset in terra, & in homines esset benevolentia Dei: è qua beneficium illud procedebat. Cujus scopus est, ut pastores aliique pii, ob Christi in terris nati beneficium, & benevolentiam Dei, Angelorum exemplo præeunte, ad gloriam Deo, in terris, tribuendam, excitarentur. Cœterum disquiri potest, cum hoc in loco sit, citra controversiam, verbi substantivi ellipsis: eaque esse queat, vel præsentis temporis, nempè *est*: ut sit affirmatio, (quemadmodum ante explicuimus:) vel futuri temporis, ut suppleatur, *sit* aut optatio notetur: quare priore potiùs, quàm secundo modo exponatur? nempè hoc sensu: *gloria sit in altissimis*, &c. *Pax sit*, &c. Respondetur: Lucam, præmissâ rei summâ, priori modo intelligendum esse, declarare, cum ait: *Angelos laudasse Deum*: laudatio autem & optatio sunt orationes, quæ genere suo, differunt. Laudatio enim affirmatio est, & bona præterita, aut præsentia, aut utraque, celebrat: optatio verò affirmatio non est, nec boni præteriti, nec præsentis celebratio: sed tantùm boni futuri apprecatio. Ac propterea hæc angelorum oratio affirmatè intelligenda. Interim, si quis distinctè quærat: an non oratio possit esse partim optatio, ut initio, *Gloria Deo*, supple sit, *in altissimis*: partim verò affirmatio in seqq. duobus membris? Negatur: quia obstat copula, secundum membrum cum priori connectens, cum dicitur; *Et pax in terra*; per quam, cum eodem verbo, conjungitur. Atque ita, ut in priori verbum substantivum optationi inservit; sic etiam hoc in loco inserviret: atque ita etiam esset optatio: alioqui sensus idoneus non esset, gloria sit Deo in altissimis, & in terrà pax est hominibus; nisi *&*, pro *etenim*, seu *quia*, accipere, per ellipsin, velimus: ut ita quodammodo similis sit, Psalm. 148. vers. 1. 2. 3. 4. 5. *Laudate Deum è cœlis, &c.* Veruntamen obstat hoc loco insolentia significationis copulæ proposita, quæ rarissimè, pro *etenim*, in Novo Testamento usurpatur. Præterea huc accedit, quod proposita explicatio, ac probata, simplicior est, atque usitata: quæ affirmationem etiam in primo membro statuit. Nec dubitari potest, quin, cum Angeli, in terras missi, Deum laudarint: etiam reliqui Angeli in cœlis eundem celebrarint. Denique rei illius affirmatio multo magis ad sco-

ad scopum pertinet, quam optatio: quia plus habet virium, ad fidem pastorum confirmandam; eosque ad similem laudationem provocandos: cùm exemplum laudantium Angelorum proponatur, ad imitandum. Atque hæc prima est, ac divina nati Jesu Christi patefactio, proposita per Angelum, & multitudine Angelorum accedente, ac Deum laudante, confirmata. Sequitur

Quæstio ex versu 23. An Christus Natus sit aperiendo Matris uterum.

HAc enim de re adversæ sunt sententiæ: quas ad veritatem Scripturæ melius intelligendam, proponemus primùm; deinde paucis examinare conabimur. Pontificii enim & Ubiquitistæ pernegant: veteres quosdam Patres secuti. Quorum Patrum mentem Erasmus, ad hunc locum, commodè expressit ac repressit; imbecillitatem illius detegens, cum ait: *Iam olim pia credulitas, omnium animis infixit: Christum sine sordibus, sine nixu, ac labore parturientis, clauso virginis utero, prodiisse. Quæ sanè, ut sunt dictu plausibilia, nec irreligiosa: ita certis Scripturarum testimoniis doceri non possunt.* Hæc ille.

Alii verò contra sentiunt: ut etiam Patres antiquissimi; Tertull. lib. de carne Christi c. 23. *Quis*, inquit, *propriè vulvam adaperuit: quam qui clausam patefecit?* Sic alia ibidem similia profert. Secundò Orig. tom. 2. in Lucam. Homil. 14. ait; *Matris Domini, eo tempore, vulva reserata est, quo & partus editus.* Hisce consonant insignes Patres sequentes. 1. Ambrosius, Luc. 2. ad hunc locum, *Quia*, inquit, *omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: Verbis enim legis promittebatur Virginis partus.* Deinde in fine, ait, de Christo: *Hic est, qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Deinde Hieron. tom. 1. ep. ad Eustachium, de custodi. virginitate, ait, de Christo: *Cruentus egreditur: pannis involvitur.* Sic etiam tom. 2. adversus Pelagian. lib. 2. *Solus Christus portas vulvæ virginalis aperuit: quæ tamen clausæ jugiter permanserunt.* Intelligit autem Hieronymus ab eo tempore; ut ostendat, Virginem peperisse aperto utero; & rursus Theophyl. ad hunc locum, de Christo ait, αὐτὸς γὰρ διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς παρθένου *Ipse enim adaperuit matricem virginis.*

Atque hæ duæ, inter se, adversæ sunt sententiæ: quarum posterior non immeritò amplectenda; prior verò rejicienda, gravibus de causis. Quarum prima est, (quemadmodum Erasmus rectè observavit) quod ea Scripturæ testimoniis probari non potest. Deinde quia Scripturæ repugnat, Luc. 2. v. 22. ubi dicitur: *Cum impleti fuissent dies purgationis Mariæ secundum legem Mosis.* Undè sequitur; ergò ante illud tempus exactum, fuit impura, nempè secundum ceremonias legis, ob menstruorum fluxum, ideoque, aperto utero, Filium peperit. Deinde idem v. 23. affirmatur, cum causa redditur, quod Jesus Hierosolymam sit adductus: *Prout* (inquit, *scriptum est, in lege Domini: Omnis masculus* διανοῖγον μήτραν, *aperiens matricem, sanctus Domino vocabitur*: id est, erit. Quo demonstratur convenientia nativitatis Jesu, & masculi: de quo lex Dei loquitur. Si enim Christus non aperuit matricem: ergò neque oblatus est secundum legem illam; atqui, secundum legem illam, oblatus dicitur. Ergò matricem aperuit. Tertiò, universaliter mulieri parienti dolor debetur, ex comminatione Dei, Gen. 3. & eadem ratione, per consequentiam naturalem, infantibus nobis nascentibus, ex justitiâ comminationis Dei, ob peccata nostra, dolor in partu debitus: idcircò, ut Scriptura impleretur necesse fuit, ut mater Christi cum dolore pareret: & Christus sponsor noster, non sibi, sed nobis debitum partus dolorem perferret. Itaque qui contrà statuunt, veritati, & justitiæ Dei, Sacris Literis expressæ, adversantur; & dum Christum honore afficere student, apertè dedecorant: cum gratiam humiliationis Christi, qua dolores nostros pertulit, & pœnas, iniquitati nostræ debitas, persolvit, Esa. 53. v. 4. 5. 6. imminuunt. Quod autem Cyprianus de nativit. Christi objicit, Mariam non fuisse obnoxiam dolori partus, de quo Gen. 3. quod concepisset sine culpa: nihil ad rem. Nam partus dolorem, non ob conceptionem; sed ob primum lapsum, Deus comminatus est. Denique eâ ratione fingunt miracula, Dei verbo, & corporis Christi veritati, contraria: cum Christus verum corpus, carne & ossibus, habuerit, & servarit, Luc. 24. v. 19. Cui contrarium est dicere: eum exivisse ex utero, illo manente clauso: solidum enim ac integrum, & illæsum corpus manens, per solidem corpus, tale manens, penetrare posse, citra contradictionem, dici non potest.

Historiæ De Circumcisione Christi Luc. 2. v. 21. Declaratio.

QUoniam solenni ritu, hæc historia, quotannis, post *Natalem* Servatoris in Ecclesiis nostris, explicari solet: eamque intactam præterivimus: non ingratum fore speramus, si illustrem hanc materiam, expectationi quorundam obsecundantes, nonnihil examinare, atque illustrare conemur. Quare ordinis ratio flagitat, ut primùm communiter de circumcisione: deinde propriè de circumcisione Christi disseramus. Ad prius autem quod attinet: à voce ordiemur: ut, ad rem ipsam clarius explicandam, via præstruatur.

Vox autem *circumcisio*, quam etiam LXX. Interpret. & Sacræ Nov. Testam. literæ περιτομὴν vocant; Hebraicè מולה dicitur: pro quo singulari, per enallagen numeri, plurale מולות usurpatur, Exod. 4. vers. 26. Origo autem unde derivatur, est מול: quod propriè quidem notat *omninò resecare*, seu *amputare*, quod Græcè περιτέμνειν *circumcidere* dicitur. Quemadmodum ita de herbæ, aut fœni resectione dicitur, Psalm. 90. vers. 6 *Manè florebit & mutabitur vesperi* ימלל *resecabitur & arescet.* Imprориè verò usurpatur primò per metaph. & notat *perdere*, *interficere*, ut Psal. 37. vers. 2. *Ut herba* ימלו *resecabuntur*. Deinde per Synecdoch. generis pro specie *resecare præputium* significat, Gen. 17. vers. 10. 12. ut etiam Græcè περιτέμνειν, ibid. apud LXX. & in Nov. Testam Luc. 1. v. 59. cap. 2. v. 21. & aliis in locis, ubi occurrit perpetuò similiter usurpatur. Unde etiam περιτομὴ, *circumcisio* specialiter accipitur: & per metonym. adj. pro suo subjecto, circumcisum interdum significat, ut Rom. 15. vers. 8. Galat. 2. vers. 7. 8. quæ Synecdoche, propria phrasi expressa, est *circumcidere præputium*, Gen 17. v. 23. Exod. 4. v. 25. aut eodem sensu, genere præmisso, *carnem præputii*, Gen. 17. v. 11. Lev. 12. vers. 3. Præputium autem cui circumcisio accidit, est pellicula, sive cuticula, quæ summam membri virilis partem, seu glandem, tegit, ob cujus pellis, seu cutis resectionem, contemptim Judæus à Romanis Apella, & recutitus, quasi absque pelle, seu cute illa nudatus, appellari solet. De Latinæ verò vocis præputii etymo, Grammatici certant; Hebraicè autem vocatur, ערלה, Gen. 34. vers. 14. à naturali suo usu, à verbo ערל quod Rabbini, & inter illos Rab. Nathan, *obturare*, *claudere*, exponunt. Unde etiam ערל Gen. 17. vers. 14. id est, *præputiatus*; quod LXX. non solùm plerumque reddunt ἀπερίτμητος, *incircumcisus*: sed etiam nova voce eleganti, & ad Hebræam exprimendam necessariò formata, ἀκρόβυστος, ut Jos. 5. vers. 7. ערלים *præputiati*. LXX. ἀκρόβυστοι. Unde ab iisdem nomen Gen. 17. vers. 11, derivatur ἀκροβυστία, (quod etiam Actor. 11. v. 3. Rom. 2. vers. 25. usurpatur) id est, *præputium*. Quemadmodum Etymologicum magnum ait: ἀκροβυστία, ἐκ τοῦ ἀκρόβυστος. Quod rectè post illum exponit Varinus, ὁ τὸ ἄκρον βεβυσμένον ἔχων, *qui summum*, (scil. membri virilis, seu glandem) *tectum habet*: ἄκρον enim, *summum*, & βύω *tego*, & βεβυσμένον, *tectum* designat. Unde constat, conjecturam viri insignis (qui putat vocem ἀκροβυστία, esse corruptam, è Græca pura & antiqua apud Aristotelem ἀκροποσθία,) nequaquam convenire: Præsertim, cum Græci antiqui caruerint nomine, quo propriè præputium, seu pelliculam, quæ glandem tegit, notarent: ut ipsemet Aristot. de historia animalium, libr. 1. cap. 13. disertè testatur, de glande agens; cum ait:

τὸ δ᾽ ἐπὶ

τὸ δὲ περὶ αὐτὴν ἀνώνυμον δέρμα, *quæ autem circa eam est cutis, nomine caret*: & ut Gaza interpretatur, *quam quæ integit cutis, vacat nomine*. Ideoque Herodotus in Euterpe, defectu nominis proprii, *pudenda circumcidere*, pro cute eorum, dixit. Contraque ἀκροποσθίην, ibid. Aristoteles declarat, cum ait: κοινὸν τούτῳ, (scil. δέρματι, cuti, quæ glandem tegit,) καὶ τῇ βαλάνῳ ἀκροποσθία, hoc est, *commune verò huic* (scil. cuti,) *& glandi est ἀκροποσθία*. Quorum verborum sensum Gaza transtulit, hoc modo: *Totum tamen, quod ex ea cute glandeque constat, præputium est*. Ubi tamen obiter observandum, virum longè doctissimum, defectu vocis Latinæ, quæ Græcam plenè exprimeret, per Synecdoch. partis pro toto, catachresi quadam, exposuisse: *præputium*, enim Latinè, prius tantùm, nempè cutem glandis, quæ præputari seu amputari solet, non etiam glandem, quam tegit, significat. Posteriores verò Græci, cutem illam, quæ Aristotelis tempore, nomine carebat, πόσθην vocarunt: ut Dioscor. lib. 4. cap. 15. & Pollux Onomastic. lib. 4. cap. 36. & Hesychius. Deinde πόσθην idem etiam notare Henric. Stephan. ex Aristophan. demonstrat.

A Polluce deinde loco memorato ἀκροποσθία & ἀκροπόσθιον definitur, τὸ πόσθης προῦχον, id est, *præputii prominentia*: ita ut partem tantum præputii Polluci notarit: ideoque angustius apud eum, quam ἀκροβυστία, accipitur, quæ totum præputium (aptissimè à LXX. Interpp. formata voce) designat. Atque hæc de circumcisionis & præputii voce ad pleniorem intelligentiam præmittenda duximus.

Ad rem verò quod attinet, circumcisio præputii, propriè dicta, alia sacra est: alia non sacra. Sacra, quæ à Deo imperata: de qua postea agemus. Non sacra, quæ à Deo non imperata: eaque vel superstitiosa; vel superstitionis expers. Superstitiosa est, quæ, prava sacræ imitatione, ad superstitionem suscepta; estque vel gentilium, vel Judæorum post Christum quorundam. Quam, licet attingere sufficeret, in gratiam tamen accuratorum auditorum, brevem illius declarationem subnectemus: quod notitia illius non solùm sit digna scitu; sed etiam, ad sacræ circumcisionis, à contrariis, illustrationem, conducat. Ac primum, de superstitiosa gentium quarundam circumcisione: quæ à priscis authoribus memoriæ tradita, proponemus. Inter eos autem familiam ducit Herodot. qui in Euterpe, seu libr. 2. edit, Henric. Stephan. Græcè, pag. 65. & latine p. 45. sic ait: *Virilia alii talia relinquunt, qualia naturâ sunt, præter eos, qui ab istis (scil. Ægyptiis,) didicerunt: Ægyptii circumcidunt*; & paulò post, addit: *Virilia circumcidunt, munditiæ gratiâ: pluris facientes se mundos esse, quam decoros*. Deinde eodem libro Græcè pag. 80. Latin. 56 *Soli omnium hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes, ab initio statim pudenda circumcidunt*. Quod autem Herodotus subjicit: *Nam & Phœnices, & Syrii, qui sunt in Palæstina, didicisse id ab Ægyptiis, & ipsi confitentur*: Illud, inquam, vanum est: cum contra Ægyptii, cacozeliâ Israëlitarum, qui inde ab Ahrahamo circumcisi, & Ægyptiorum fuerant incolæ, ab iis didicerunt. Porrò Herodot. addit: *Syri verò qui Fluvium Thermoduntem, & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, à Colchis, se nuper didicisse, ajunt*. Nec solus Herodotus: sed etiam Judæus Josephus, contra Appionem libr. 2. ait, de sacerdotibus Ægyptiis: *Circumciduntur omnes, & à porcinis carnibus abstinent*. Denique veteres etiam Theologi similia statuunt: ut Origenes contra Celsum libr. 5. *Circumcisionis*, inquit, *causa non eadem est Iudæis, quæ Colchis aut Ægyptiis: ac proindè non eadem Circumcisio*. Deinde Theodoretus in comment. ad Ezech. 20. v. 13. *Circumcisionem*, inquit, *Idumæi quoque habebant, qui ab Esau genus ducebant, & Ismaëlitæ similiter, Ægyptii item, à Iudæis hanc edocti observare studebant. Quod per Prophetam Ieremiam Deus declaravit, cum dixit: & visitabo super omnes circumcisos, &c.* De quibus etiam Hieronymus in comment. Jerem. 9. v. 25. sic enim interpretatur locum Ezech. 20. v. 13. *Multarum ex quadam parte gentium, (& maximè quæ Iudææ, Palæstinæque confines sunt,) usque hodiè populi circumciduntur, & præcipuè Ægyptii, & Idumæi, & Ammonitæ, & Moabitæ, & omnis natio Sarracenorum, quæ habitat in solitudine, &c.* Quod autem postea dicitur à Propheta, omnes gentes habent præputium; illud de reliquis, præter eas, quas memoraverat gentibus, non incommodè, cum Theodoreto, intelligit. Denique ut Testimonium Epiphanii de circumcisione gentium prætereamus, quod extat de Idumæis, hæres. 30. non omittenda videtur, miranda Ambrosii de prophana gentilium quorundam circumcisione, narratio; Primum tom. 4. De Abrahamo Patriarcha, libr. 2. cap. 11. *Ægyptii*, inquit, *quarto decimo anno circumcidunt mares: Fœminæ apud eos, eodem anno, circumciduntur: quod eo, scil. anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua sumant exordia*. Sed de hac narratione (nisi fortè de suo, ut videtur, tempore, loquatur) non immeritò, ob priscam historiam dissentientem, dubitari posset. Deinde verò idem, tom. 3. ep. 77. contra impios gentiles, antiquam circumcisionis Israëlitarum religionem contemnentes, disserens, ait: *Sed etiam ipsorum (scil. gentilium) sapientissimi quique, ita circumcisionem approbant, ut electos suos, erga cognoscenda & celebranda mysteria, circumcidendos putent. Denique Ægyptii, qui & Geometriæ, & colligendis Syderum cursibus, operam intendunt suam, impium judicant sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne: Nam neque magici carminis sapientiam, neque Geometriam, neque Astronomiam, judicant viam suam obtinere, sine circumcisionis signaculo, &c.* Hactenus Ambrosius. Ex quibus memoratis testimoniis omnibus apparet; quandam præputii circumcisionem profanam, apud nonnullas gentes fuisse olim in usu: ut etiamnum apud Mahumetanos. Atque hæc de primâ superstitiosa circumcisione, quæ gentilium.

Altera verò est Judæorum: qui circumcisionem, post Christi mortem, ad salutem, necessariò observandam, contendunt. Quales fuerunt primùm quidam Christum profitentes, Actor. 15. vers. 1. Concilii Apostolorum decreto refutati, v. 24. & 28. & Pauli, Galat. 5. v. 2. sententia damnati. Deinde reliqui Judæi Christi hostes, & olim, & nostris temporibus, falsò religionis prætextu. Nam quamvis circumcisio fœdus seculi, Gen. 17. v. 13. vocetur; inde tamen non sequitur, semper observandum; quia vox עולם *seculum*, continuum quidem, & longum tempus notat, sed sæpius termino aliquo finitum: idque vel anno jubilæo, ut Exod. 21. vers. 6. *Erit ei servus in seculum*, hoc est, ad annum usque jubilæum. ut Levit. 25. vers. 40. vel tempore vitæ, quod morte finitur, ut Psalm. 75. vers. 10. *Annunciabo in seculum*, id est, ad mortem usque. Sic & tempus continuum, ad Messiam usque, vocatur seculum: quemadmodum observatio festi Paschatis vocatur *statutum seculi*, Exod. 12. v. 17. 24. & lucernarum accensio, cap. 27. vers. 21. & similes ceremoniæ, *statuta in seculum* dicuntur, hoc est, perpetuò ad Messiam usque duratura; qui novum fœdus, novas ceremonias allaturus, ut Jeremias prædixit cap. 31. v. 23. Ut etiam, ex illius verbis, idem colligit, ac demonstrat Apostolus, Heb. 8. vers. 7. 8. 9. 13. nimirum veteribus ceremoniis abolitis. De ritibus autem, quos Judæi in circumcisione, superstitiosè, & ridiculè observant, vide Sebastianum Munsterum, Josuæ cap. 5. in annotat. suis, ad Biblia Hebræo-Latina anno 1546. edita: & Buxtorfium seniorem, in Synagog. Iudaic. cap. 2. ubi inter alia tradit, circumcisorem non solùm particulam præputii anteriorem, cultello, abscindere: sed etiam, sanguinis fluxu paulatim sedato, unguibus suis (quos super pollice utroque acuminatos habet,) pelliculam pudendi puerilis truncatam, arreptam dilaniare. Hæc ille. Unde apparet, hanc dilacerationem, à Iudæis, circumcisioni superstitiosè adjungi: quia eam Deus non instituit; neque adhuc, tempore Cornelii Celsi, Romani Medici, in usu, fuisse, ex ea arte constat, quam libr. 7. cap. 25. tradit, de nova circumcisorum formatione præputii, per attractionem, sectionem, & emplastra. Cujus formationis novi præputii causa invenitur duplex: impietas, vel error. Impietas quidem prima fuit, ante Christum, in Judæis apostatis; qui, ut Antiochi illustris tempore, defectionem suam ad gentium idololatriam, amplius testarentur, (ut 1. Maccab. cap. 1. vers. 16. asseritur) præputia sibi

sibi publicè fecerunt. Quod similiter Josephus antiquit. libr. 12. cap. 6. testatur. Secunda impietas post Christum (abolita jam circumcisionis religione) fuit partim Judæorum, partim Samaritanorum, de qua re memorabile Epiphanii, libr. de mensuris, & ponderibus, in medio testimonium extat, his verbis: *Hujus* (scil. Severi Imperatoris) *temporibus, Symmachus quidam Samarita, ex numero sapientum apud ipsos, cum non reperisset fidem apud propriam gentem, Principatus studio ægrotans, & contra propriam tribum indignatus, accedit ad Iudæos, & fit Proselytus, & circumciditur, secunda circumcisione. Et ne mireris de hoc, optime auditor, contingit enim hoc. Qui enim à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rursus circumciduntur: Similiter & qui à Samaritis ad Iudæos confugiunt. Ad hoc adhuc gravius est, quod etiam à circumcisione primum præputiati fiunt, arte quadam medica, per instrumentum attractorium, quod σπαςῆρα appellant, internam membrorum cuticulam attrahentes; futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdantes, præputium rursus superinducunt.* Hæc ille. ubi obiter observandum, legendum videri σπαςῆρ à σπάω *trabo, attrabo.* Nam si à σπαθάω, id est, *texo, struo*, oriretur, (quasi dicatur *textorium*, sive *compositorium*, scil. præputii,) dicendum esset σπαθητῆρα, per τ non per ς ut analogia formationis, ex σπαθᾶται, flagitaret. Atque hæc de impietate in novi præputii, per attractionem, formatione Error verò illius rei causa fuit, in quibusdam, tempore Pauli, Judæis, in Christum credentibus; qui præputium, in homine Christiano sanctitatis ratione, circumcisioni præferendum, putabant. Quem errorem Apostolus prohibet, ac refutat, 1. Corinth. 7 vers. 8. *Circumcisus aliquis vocatus fuit? ne attrahat,* (scil. præputium) *In præputio aliquis vocatus fuit? ne circumcidatur;* vers. autem 19. subjicit rationem hanc: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed mandatorum Dei observatio.* ut etiam Gal. 5. v. 6. Quam Pauli sententiam Epiphanius loco ante memorato etiam ita explicat. Atque hæc de circumcisionis, non sacræ, specie prima, nempè superstitiosa: eaque, vel ex impietate, vel ex errore, orta.

Altera verò est superstitionis expers: quæ in Judæis credentibus infirmioribus, non religionis necessitate: sed vitandæ offensæ, & plenioris, de libertate Christiana, institutionis studio, ad tempus tolerata. Qualis etiam fuit illa, à Paulo Apostolo, Timothei (matre Judæa, sed Græco patre nati) circumcisio: quæ non fuit sacra, quia ex mandati divini religione non erat observanda, neque etiam superstitiosa, falsâ Dei cultus opinione suscepta; sed liberè, ac prudenter, ad præsentem Ecclesiæ utilitatem, tum temporis, adhibita: ne apud Judæos fideles infirmiores, Timothei incircumcisi in prædicando Euangelio, ministerium, redderetur inutile, Actor 16. vers. 3. Quemadmodum contra Titum (matre Judæa, patre non Judæo natum) liberè, ac prudenter circumcidere noluit Apostolus, ad Ecclesiæ utilitatem; ne falsi fratres, libertati Christianæ insidiantes, ea occasione abuterentur, Galat. 2. v. 3. 4. 5. Hactenus de circumcisione non sacra, cum superstitiosa, tum superstitionis experte.

Circumcisio verò sacra, est Sacramentum Veteris Testamenti ordinarium, ac primum: quo Abrahamo, ac familiæ illius & posteris, & infantibus quidem, octavo nativitatis die, præputii amputatio à Deo mandata, spiritualem à peccato circumcisionem signans, & obsignans: ad fœderis, ac pacis cum Deo, & aggregationis ad Ecclesiam Dei, & segregationis à profanis gentibus professionem, ac conservationem, destinata.

In qua descriptione, genus, & differentiam strictim proposuimus; quæ nonnihil, ad pleniorem intelligentiam, distinctè illustrare conabimur. Genus remotum est Sacramentum: quia est visibile signum, ac sigillum fœderis salutis, per Christum, Rom. 4. vers. 11. Unde non solum proprie signum fœderis inter Deum, & circumcisos, Gen. 17. v. 11. Sed etiam per metonym. subj. signati pro signo, fœdus vocatur, vers. 13. Ut autem genus hoc remotum restringatur, & fiat proximum, duo gradatim adduntur. Primo, cum dicitur, *Veteris Testamenti:* ut à Sacramentis Nov. Testam. Christo exhibito, institutis, discriminetur: Deinde *ordinarium*, ut ab extraordinariis Veteris Testamenti, (de quibus 1. Corinth. 10. vers. 1. 2. 3.) distinguatur Differentia verò huic generi proximo adjuncta, illud ad certam speciem contrahens, atque ab aliis ejusdem generis discernens, sequentibus descriptionis verbis, indicatur: Quæ partim propriis hujus Sacramenti circumstantiis: partim suis causis, continetur. Circumstantia autem propria, est adjunctum tempus, & subjectum. Ac tempus quidem denotatur, duobus modis: uno, cum hoc Sacramentum vocatur *Primum*: Prius enim est paschate, non solùm institutione, Genes. 17. v. 10. 11. cum Exod. 12. collato: sed etiam observatione, ante Paschatis usum, necessaria, Exod. 12. v. 48. Alter temporis modus, in infantibus definitus, est *dies nativitatis octavus* Genes. 17. v. 12. cap. 21. vers. 4. Exod. 12. vers. 3. Cujus ratio colligi solet ex Levit. 12. vers. 3. coll. cum 3. quod scil. mater septem dies à partu masculi, (ceremoniali lege) contactus ratione, esset impura, & partum eo tempore impuraret: octavo verò die eatenus pura; ut etiam filius; adeò ut, circumcisione sacrâ, Deo consecrari posset. Atque hæc de temporis circumstantia.

Subjectum verò proprium circumcisionis sunt soli mares, Gen. 17. v. 10. quia soli præputium habent: quod solùm circumcidi debuit, ibid. vers. 11. Deinde non solùm adulti; sed etiam infantes. Atque ita circumcisio, bifariam, à Paschatis Sacramento, differt, ac distinguitur. Nam Pascha non solis masculis, sed etiam fœminis, neque infantibus (utpote ad solidiorem agni cibum ineptis,) sed solis adultioribus institutum, Exod. 12. quamvis autem ad solos mares circumcisio pertinebat; non tamen promiscuè ad omnes; sed ad Abrahamum cum familia (seu filiis, ac servis, tam natis domi, quam emtis) & posteris, Gen. 17. vers. 10. 11. 12. Sub quibus etiam proselyti, ex alienigenis, pii Dei cultores, Ecclesiæ Israëliticæ sese aggregare volentes, continentur: Quemadmodum Exod. 12. vers. 48. disertè exprimitur. Cujusmodi proselytorum exempla, Actor. 2. vers. 10. & cap. 6. vers. 5. & cap. 13. v. 43. Atque hæc de propriis circumcisionis circumstantiis; nimirum, tempore, & subjecto; quibus ea, ab aliis Sacramentis, differt.

Sequuntur deinde causæ ejusdem: quæ non absolutè & simpliciter; sed relatè, ac partim ad differentiam pertinent; ut earum expositio demonstrabit. Quarum causarum prima est efficiens: eaque duplex; principalis, aut principali inserviens. Principalis est Deus: qui, pro suo jure, circumcisionem hanc instituit, Gen. 17. & institutam confirmavit, Lev. 12. vers. 3. ac solus instituere potuit. Ad eum enim solum, cultus divini præscribendi authoritas, tanquam ad unicum legislatorem, Deut. 12. v. 32. Jac. 4. vers. 12. pertinet. Quæ causa efficiens principalis, omnibus Sacramentis (ut quæ cultus Dei species sunt) communis est. Principali vero inserviens causa propria est: qua circumcisio, ab aliis Sacramentis, differt. Estque minister; vel ministri instrumentum. Minister est Abrahamus, Gen. 17. v. 23. 24. & ejus posteri patresfamilias. Nam quod Zippora, uxor Mosis, filium suum circumciderit, Exod. 4. vers. 25. illud non recta ratione, sed perturbatione animi, atque errore, factum. Quod etiam Josua, jussu Dei, totum populum Israëliticum circumcidisse dicitur, Jos. 5. vers. 2. 3. illud non immediatè, ac per se: sed mediatè, suo mandato, per alios, nempe patresfamilias, effecisse intelligendum, immensa myriadum populi copia persuadet. Judæis verò nunc alius mos est: quia non paterfamilias, sed alius, ejus loco, circumcisor peritus, & assuetus, adhibetur: ut clariss. Buxtorfius in Synagog. Judaic. loco supra à nobis memorato, describit. Ac sanè, si quis accuratè perpendat, idem videtur olim, in circumcisione Johannis Baptistæ, observatum. Nam Luc. 1. vers. 59. dicitur: *Et die octavo venerunt, ut circumciderent eum, & vocabant nomen ejus Zachariam:* Quibus verbis, & circumcisio, & prima nominis impositio, advenientibus tribuitur: quæ Zachariæ patri, (ut qui non advenerat; sed domi erat: neque illud nomen imposuit, sed impositum mutavit,) non conveniunt. Hæc de circumcisionis ministro. Ministri verò instrumentum erat culter acutus, non autem

autem lapis, quod quidam existimant. Quamvis enim Exod. 4. vers. 25. vocatur צר: eaque vox, Ezech. 3. vers. 9. *lapidem* notet: alibi tamen *acumen*: & illo loco Exodi, metonymicè, *cultrum acutum* significat: ut Aben Ez. ibid. & D. Kimchi in libr. radicum, exponunt. Sicut etiam Josu. 5. vers. 2. cultri circumcisionis חרבות צרים *gladii*, id est, cultri, *acuminum* seu *acierum*, id est, acuti vocantur: ut etiam Chald. paraphrasis ibidem interpretatur, אזמילין חריפין *Scalpella acuta*. Quam interpretationem ibidem in comment. sequitur D. Kimchi, & Rab. Levi: qui *cultros chalybeos* exponit. Atque hęc de prima causa circumcisionis, nempe efficiente cùm principali, tum ei inserviente, scil. ministro, & ministri instrumento.

Secunda deinde causa est materia, nempè præputii amputatio; quæ non absolutè (nam & gentibus quibusdam convenisse supra ostensum,) sed relatè ad reliqua Sacramenta: propria est: quia nulli eorum convenit. Quum autem circumcisio sacra pro communi sacramentorum natura, sit signum, ac sigillum fœderis cum Deo, Gen. 17. v. 17. Rom. 4. vers. 11. Forma illius (pro relati natura) generalis, in relatione ad rem significatam, & obsignatam, tanquam ad suum correlatum, consistit. Res autem significata, & obsignata, est animæ spiritualis à peccatis, quasi ab impuro præputio, circumcisio, Rom. 2. vers. 29. Quæ pro duplici, Dei & hominum in fœderis salutis, obligatione, duplex etiam existit: nempe beneficium Dei gratuitum; & hominum fœderatorum officium necessarium. Quæ res significata, circumcisioni non est propria, sed etiam baptismo communis: ut distinctè postea cognoscemus. Beneficium autem Dei gratuitum est: quo gratis, per Christum, à peccatis liberat: cum ratione debitæ pœnæ; tum ratione culpæ seu vitiositatis. A debita autem pœna peccatorum Deus homines fœderatos liberat, ac circumcidit, per justificationem: quâ, propter Christum sponsorem (qui pœnam debitam pro iis persolvit, Esai. 53. vers. 5. 6.) peccata remittit, Rom. 3. v. 25. & propter perfectam obedientiæ Christi justitiam, Phil. 2. vers. 8. pro iis, ad salutem præstitam, per fidem justos judicat, Rom. 5. v. 18. 19. qua de causa Rom. 4. v. 11. dicitur: Abrahamum accepisse signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei, quod etiam beneficium, baptismo significatum, per Metaphoram à circumcisione petitam notatur, Col. 2. v. 13. *Vosque mortuos in peccatis, & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.* A culpâ verò seu vitiositate peccatorum liberat Deus, per sanctificationem, seu regenerationem, in hac vita inchoatam, & paulatim auctam: post eam verò perfectam, de qua agitur Deut. 30. v. 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum & cor seminis tui: ad diligendum Iehovam Deum tuum toto corde & tota anima tua, propter vitam*, id est, ut vivas. Cum autem hęc sanctificatio à Deo efficiatur, Christi merito, Rom. 6. vers. 6. & Spiritus ejus efficaciâ, & baptismo communiter significetur: idcirco Metaphora eleganti continuata, à circumcisione petita, circumcisio Christi nominatur: ut ex memorabili Apostoli sententia apparet, Col. 2. v. 11. 12. *in quo* (id est, per quem scilicet Christum) *etiam circumcisi estis, circumcisione* ἀχειροποιήτῳ *sine manibus facta in* ἀπεκδύσει *detractione corporis peccatorum carnis per circumcisionem Christi: consepulti cum eo per baptismum &c.* Atque hæc de prima spirituali à peccato circumcisione: quæ gratuitum est Dei beneficium, externa carnis circumcisione primò significatum. Altera peccati circumcisio, est necessarium hominum fœderatorum officium, quod fidei, & charitatis exercitiis, certantes, reliquiarum peccati originis, cogitationes, & cupiditates, Deo adjuvante, resecant. Quod officium externa circumcisione significatum, & obsignatum per Meton. signi pro signato, declaratur, atque exigitur, Deut. 10. v. 16. & Ierem. 4. v. 4. Quemadmodum contra hujus officii, circumcisione prępútii carnis, signati & obsignati, contemtores, in Sacris Literis *præputiati*, & *incircumcisi corde* appellantur, Ierem. 9. vers. 24. Ezech. 44. v. 5. Actor. 7. vers. 2. ut etiam circumcisio eorum factum præputium (id est, præputii instar impurum) asseritur, Rom. 2. v. 25. Atque hæc de signi ac sigilli circumcisionis, re significata, & obsignata: in cujus significatione & obsignatione forma non propria, sed baptismo communis. Propria verò in significandi modo diverso consistit. Nam in circumcisione, liberatio à peccato, similitudine circumcisionis præputii: in baptismo verò similitudine immersionis, vel ablutionis aquæ, significatur & obsignatur. Hæc de forma.

Finis verò (sive bonum illud, cujus gratia sacramentum circumcisionis institutum ac destinatum) primarius est, vel secundarius. Primarius est fœderis, ac pacis cum Deo, professio, ac conservatio: quemadmodum omnium fœderum finis generalis est, ut conditiones fœderis, inter fœderatos, observentur. Secundarius verò est inprimis, aggregationis ad Ecclesiam Dei, & segregationis ab impiis gentibus professio & conservatio. Nam Abrahami familiæ, & posteris, ad communionem Ecclesiæ & sacrorum, circumcisio necessariò erat observanda: quoniam eâ contemtâ, à gratiâ Dei, populo illius, ac sacris divinis, excommunicabantur, Gen. 17. v. 14. Exod. 12. v. 48. deinde, ab impiis gentibus, eâdem circumcisione, segregabantur: idque & Deus, imperata circumcisione: & Abrahami posteri, circumcisione observata, profitebantur, atque firmabant. Quem circumcisionis usum, ac finem, Apostolus quoque exponit, Ephes. 2. vers. 11. 12. *Mementote vos quondam gentes in carne, (qui dicebamini præputium ab ea quæ vocatur circumcisio in carne, quæ manibus facta) illo tempore fuisse absque Christo, alienos à Repub. Israëlis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo.* Unde etiam eleganti similitudine circumcisionem, & ceremonialem legem reliquam (quibus Israëlitæ à gentibus ante Christi mortem segregabantur) vocat intergerini parietis septum, jam à Christo solutum, v. 14. per mortem ipsius, v. 15. 16. Atque hactenus de circumcisione sacra, generatim, actum.

Quare superest, ut de circumcisione singulari Christi, paucis etiam agamus: quæ Luc. 2. vers. 21. ita proponitur: *& cum impleti essent dies octo, ut circumcideretur puerulus, etiam vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum fuerat ab Angelo priusquam ipse in ventre conciperetur.* Quibus verbis circumcisio Christi & adjuncta nominis impositio describitur. Ac circumcisionis quidem *tempus*, & *res ipsa* exprimitur: Tempus, cum dicitur: *& cum impleti essent dies octo*, ubi dies octo à nativitate: & quidem non simpliciter, sed per Synecdoch. quandam, secundum quid, intelliguntur. Non simpliciter: quia aliàs sequeretur Christum fuisse non octavo, sed nono die contra legem, circumcisum. Per Synecdochen igitur septem dies, & octavi pars impleta, denotantur. Quo etiam modo lex, Gen. 17. v. 12. loquitur, *filius octo dierum circumcidetur*, & cap. 21. vers. 4. similis locutio, id est, octavo die: quemadmodum disertè exponitur, Levit. 12. v. 3. *& in die octavo circumcidetur caro præputii illius.* Hæc de tempore. Circumcisio verò ipsa Christi non exprimitur: Sed posito antecedente per ellipsin, innuitur: cum dicitur: *ut circumciderent puerulum*, supple, *& circumciderunt.* Qualis etiam omninò ellipsis, Luc. 1. vers. 59. ubi de Baptistæ circumcisione tantum dicitur: *& die octavo venerunt, ut circumciderent puerulum:* intelligitur autem, *& circumciderunt eum.* Cæterum disquiri solet; cur Christus fuerit circumcisus? constat enim eum non habuisse peccata; quæ à Deo & ab ipso essent circumcidenda; quia ipse is est, qui à pecccatis suo merito, & Spiritus sui efficaciâ, circumcidit, Col. 2. vers. 11. 12. 13. quocirca etiam Iohannes Baptista Christum baptizare initio recusavit, Matth. 3. v. 14. dicens: *ego necesse habeo à te baptizari*, nempè Spiritu Sancto, *& tu venis ad me?* Causa autem, cur Christus fuerit circumcisus, prima fuit ea, quam similiter significavit Baptistæ, de suo baptismo, respondens: nimirum, quod oporteret omnem justitiam implere, seu, omnem legi divinæ obedientiam (cujus pars erat circumcisio, Levit. 12. vers. 3.) pręstare, Galat. 4. v. 4. 5. Ac licet specialis formæ ratione, circumcisio Christi, ab aliorùm circumcisione, differret: ut qui iis similis, excepto peccato, Heb. 2. v. 17. & 4. v. 15. generali tamen formâ conveniebat: nempe significatione, & obsignatione fœderis cum Deo, Genes. 17. v. 11. Quod fœdus in eo consistebat, partim quod Deus, Christi esset Deus, secundùm promissionem generalem, ei quoque (ut semi-

ni Abrahami, Galat. 3. v. 16.) factam, Genes. 17. v. 7. & secundùm sententiam de eo singularem, Psal. 45. v. 8. & Hebr. 1. v. 9. partim quod Christus ad voluntatis Dei obedientiam, esset obstrictus, Joh. 6. vers. 38. Matth. 5. v. 17. Altera causa circumcisionis Christi fuit, ut Ecclesiæ Israëliticæ aggregaretur, & cum eâ communionem haberet, sine qua, ab eadem fuisset alienus, & è populo Dei exterminandus, Gen. 17. v. 14. Tertia denique causa, cur Christus circumcidi debuerit, fuit officium Propheticum: ut *esset minister* (id est, Propheta) *circumcisionis* (id est, Judæorum circumcisorum) *pro veritate Dei, ad confirmandum promissiones patrum*, Rom. 15. v. 8. Qualis promissio Deut. 18. v. 15. *Prophetam in medio tui, è fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Iehova Deus tuus: ei auscultate.* Is autem Propheta est Christus, Actor. 3. v. 22. quem, sine circumcisione, Judæi nunquam pro fratre, nedum pro suo propheta, agnovissent: sed quasi profanum, atque è populo exterminandum, fœderis Dei violatorem, omninò rejecissent. Atque hæc strictim de circumcisione Christi: quæ, ad rei intelligentiam, suffectura speramus. Plura, hac de re, vide, in explicatione locorum illustrium, Matth. 3. Conjecturas verò tam veterum Patrum quam recentiorum quorundam Sacrarum Literarum interpretum, eò quod probatione è Sacris Literis destituantur, brevitatis causa prætereunda, existimavimus. De nominis verò Jesu impositione, quæ circumcisioni adjuncta fuit, Matth. 1. copiosè à nobis explicata, non repetemus.

De Scientia Christi, ad vers. 52. Cap. 2. Lucæ illustrationem, & genuini sensus confirmationem, DISSERTATIO.

IN Domino nostro Jesu Christo, scientiam esse sive cognitionem, extra omnem controversiam est. Sed, in ea explicanda, multi hoc loco, aliisque abusi, graviter, & olim, & nostra memoria, aberrarunt. Ac propterea oportunum, atque utile existimamus: ut, quid, hac de re, piè credendum sit, succinctè declaremus.

Ac 1. quidem duæ sunt, in una Christi persona, distinctæ, & intelligentes naturæ: divina, quæ increata, & infinita est: & humana, quæ creata, & finita. Quarum prior communis, & eadem numero cum Patre, & Spiritu Sancto, utpote singularis, atque individua: per quam hæ tres personæ, unus sunt Deus. Altera verò natura communis, & eadem, non numero, nec dignitate: sed specie, cum aliis hominibus. Christus enim *Immanuel*, θεάνθρωπος, Matth. 1. v. 21. *verbum*, assumtione seminis Davidis, vel Abrahæ, *caro factum*, Rom. 1. v. 2. Heb. 2. v. 16. Joh. 1. v. 14. Unde necessariò adversùs Monothelitas, sequitur: duplicem esse in Christo scientiam: nempe infinitam, qua Christus Deum, & omnia, absolutè cognoscit, & infinitè: eaque scientia Deitati illius convenit. Atque hoc modo Christus, non solum sapiens, & sciens: sed etiam scientia, & sapientia, communiter cùm Patre, & Spiritu Sancto, dicitur, Prov. 8. v. 12. 19. Quemadmodum etiam relatè ac distinctè, per Synecd. connotata persona, *Sapientia Dei*, nempe Patris, Prov. 8. v. 12. cum 22. & 1. Cor. 1. v. 24. nuncupatur; quod Filius à Patre, per ejusdem essentiæ, & per consequens scientię communicationem æternam, sit genitus: & Patrem etiam, in tempore, patefaciat, Matth. 11. v. 27. Ex quibus error 1. Themistii, & sectatorum ejus, convincitur: qui docuerunt, divinam Christi naturam, quędam ignorasse, unde non solum Themistiani, ab authore: sed etiam ab errore suo Agnoëtę dicti, quod divinę naturę Christi ignorantiam aliquam attribuerint. Eadem deinde ratione Arrius & Eunomius confutantur: qui scientiæ Filii modum, cum Patre ὁμοούσιον coessentialem, & æqualem, negarunt.

Testimonia autem quibus Agnoëtę, & Arrius communiter abutebantur, sunt ea, quibus Christus ignorantiam sibi attribuit, ut cum ait: diem, & horam judicii, nec Angelos nosse, nec filium: sed solum patrem, Marc. 13. vers. 33. Quem nodum Orthodoxi Patres, variis modis, conati sunt dissolvere, quod ad majorem judicii in eorum lectione prudentiam, succinctè ostendemus. Primùm enim Hilarius de Trinit. lib. 9. sic ait; *In eo quod nescit, dispensatio potius absconditæ scientiæ, quàm natura est nesciendi.* Item, *scienter nescit.* Item, *Filius nescire se dicit, ne & alii sciant.* Quare ex hac sententia *nescire*, erit *nolle revelare*: ideoque nec Patrem etiam scire, quod similiter noluit revelare. Eandem tamen sententiam proposuit Basil. Magnus contra Eunomium lib. 4. Deinde aliter respondent Epiphanius in Ancorato, & Chrysostomus Tom. 3. Homil. de Trinit. scientiam esse duplicem, Theoricam & practicam: Patrem nosse diem judicii utroq; modo, quod judicium tradiderit Filio: Filius tantum theoricè: quia nondum exercet judicium: Angelos verò neutro modo. Sed hæc interpretatio, verborum Christi scopo repugnat. Deinde sequitur nec Patrem similiter nosse diem judicii; quia nondum illud per Filium exercet. Tertiò igitur alii doctiùs respondent, hoc dictum Christi non ad divinam, sed ad humanam naturam pertinere: ut Gregorius Nazianzenus oratione secunda de Filio ait; *Novit quidem ut Deus, ignorat autem ut homo.* Et ante Nazianzenum Athanasius Sermon. 4. contra Arrianos. *Sed quod ait* (ut etiam alii post ipsum) *non dictum esse, ne Filius quidem Dei, ne divinitas ignorare videretur: sed simpliciter, Ne Filius, ut filii hominis ista ignoratio maneret*: id inquam argutum potius, quàm solidum. Cum enim dicat; *nullus novit, neque Angeli qui in cœlo, neque Filius, nisi Pater*; Filium Patris, ex relatorum natura, intelligendum apparet. Expedita autem & clara est quæ adferri solet, responsio, per eam phrasin, quæ communicatio idiomatum dicitur: qua scilicet personæ Christi, nomine personali, ab una natura denominatæ, tribuitur quod ei convenit secundum alteram: ut Filius hominis erat in cœlo: cùm loqueretur in terra, Ioh. 3. v. 13. & Rom. 1. v. 3. *de Filio ejus* (id est, Dei) *facto ex semine Davidis* non qua filius Dei, sed qua Filius hominis; quemadmodum distinctè additur, *secundum carnem*. Sic etiam Filius Dei Patris rectè dicitur diem judicii ignorare, secundùm humanam suam naturam; Filius enim Dei nomem est non absolutum, quod naturam tantum notat divinam: sed concretum, quod personam Christi divinâ naturâ, per generationem à Patre, constantem significat: ideoque Christo ita denominato ignorantia & omniscientia, secundum aliud & aliud (ut Patres loquuntur) distinctè tribuitur. Quemadmodum doctè & eleganter Cyrillus Thesauri lib. 9. cap. 4. & libro altero *ad Reginas* explicavit. De qua etiam re graviter atque eruditè Augustinus de Trinit. lib. 1. cap. 11. ait: *Quapropter cognita ista regula intelligendarum Scripturarum, de Filio Dei, ut distinguamus, quid in iis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est Patri; & quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre: non conturbabimur tanquam actibus repugnantibus inter se, sanctorum librorum sententiis.* Hæc ille. Quæ adversus eos, qui hæc duo confundunt, cùm veteres hæreticos, tum Anabaptistas & Ubiquitarios meritò observanda.

Atque hisce, de essentiali hac divinę naturę Christi scientiâ, præmissis: ad humanam animæ illius scientiam, transeamus, Quam ad rem, ut ordine agamus, observanda est prius, scientiæ distinctio, in *supernaturalem*, & *naturalem*.

Supernaturalis est, quæ supra naturæ ordinem, immediatè, à solo Deo, promanat. Estque aut triumphantium in cœlo, perfecta, 1. Cor. 13. vers. 10. quæ *scientia beatorum*, vulgo, dici solet: aut militantium in terris, per revelationem divinam: quæ, & comparatè, & in se, *scientia ex parte*, vocatur, 1. Cor. 13. vers. 9. 12. Qualis in Prophetis. *Naturalis* verò scientia, quæ naturæ ordine contingit; quæ vel insita est, seu congenita (qualis est principiorum quorundam scientia, seu *notitiæ naturales*) vel acquisita: & quidem doctrina, aut experientia: quam idcirco *experimentalem* vulgò vocant. Quomodo illud de Christo dictum, 2. Cor. 5. v. 21. *qui non sciebat peccatum*: à Patribus nonnullis exponitur: quod nullum peccatum in se esset expertus: sed immunis à peccato. Quibus strictim præmissis: de scientia Christi, in hac vita quęritur: 1. An habuerit scientiam beatorum; omnisq; ignorantiæ fuerit expers. Scholastici quidem communiter, in 3. sent. lib. dist. 13. affirmant: eamque definiunt, *qua ipsa Dei essentia, & omnia in ipsa, (quasi in speculo)* viden-

videntur. Atque ita statuunt, Christi animam, cum *verbum*; tum res omnes in *verbo*, inde à principio conceptionis, in hac vita, fuisse contemplatam. Sed ut definitionem illam, visionis Dei, vanam esse, aliàs ostendimus, sic assertionem etiam hanc refellit Scriptura, quæ Christo, in hac vita, ignorationem aliquam adscribit: & statum gloriæ Christi, in cœlis, ab humiliationis statu in terris, passim dividit. Quod ut magis fiat perspicuum, argumenta Scholasticorum succinctè confutanda. Ea autem potissimum Thomas Aquinas Summ. Theol. pag. 3. q. 19. artic. 2. & quæst. 10. art. 2. adducit. Sunt autem ea partim Scripturæ testimonia: partim rationes.

I. Testimonium est Joh. 8. v. 55. *ego scio eum*: Sed inde non sequitur: animam Christi, scientiam habuisse beatorum in cœlis, multò minùs vidisse suâ animâ essentiam Dei, & omnia in Deo: quia illa infinitæ & indivisibili essentiæ adversatur: vanumque est effugium distinctio scientiæ comprehensionis, & apprehensionis Dei: quæ nullum habet locum, in objecto infinito, & partitioni minimè obnoxio: sed tantum in objecto finito. Atque ita, pravâ hac distinctione, in Deo, ipsum finitum, & divisibilem, partibus constantem, constituunt.

II. Testimonium est, ex Apoc. 5. v. 12. *Dignus est Agnus accipere sapientiam &c.* ubi glossa ad vocem sapientiam addit: *omnium rerum cognitionem*. Sed illud nihil ad rem propositam: quia eo in loco agitur, de statu gloriæ Christi, post mortem: non autem de statu humiliationis, ante mortem: ut liquet ex connexis verbis; ut etiam ex v. 9.

III. Est Joh. 2. v. 24. *ipse sciebat quid esset in homine*. Verum est, sed quà Deus, & qui solus καρδιογνώστης. deinde licet quà homo, seu de anima humana illius acciperetur: ex eo, tamen visio essentiæ Dei, & omnium rerum in ea relucentium: neque etiam scientia beatorum, probari potest. Nam omnia quæ ad officium rectè exsequendum, pertinebant, (qualis erat auditorum animus) ea natura divina Christi, humanæ suæ naturæ revelabat: adeo ut non externo ullius indicio haberet opus, neque etiam fictitio illo divinæ essentiæ speculo.

IV. Desumit ex Joh. 21. v. 17. *tu nosti omnia*. quod eadem ratione explicandum est: divina scilicet sua scientia, & quantum, ad officii executionem, requirebatur, revelatione divinâ, secundum humanam naturam factâ.

V. Christus dicitur, *plenus gratiâ & veritate*, Johan. 1. v. 14. Rectè quidem: sed primùm hæc plenitudo gratiæ, non formaliter, sed efficienter intelligenda: non enim loquitur Euangelista de gratia, Christo inhærente: sed de gratia, quam confert Ecclesiæ: & de veritate, non qua præditus erat: sed quam exhibet, implendo umbras, & promissiones: quemadmodum ex Atithesi Legis Mosis v. 17. (quæ maledictionem nuntiabat, & ceremoniarum umbras continebat) apparet. Deinde non agit de altera natura, & quidem anima Christi (de qua, inter nos, quæstio est) sed de persona: λόγος enim caro factus dicitur, plenus gratiâ & veritate. Nam ad hanc gratiæ redemtionis collationem, & ceremoniarum impletionem, agit utraque natura, quod suum est, & suo modo. Denique quamvis concederetur, de anima Christi esse sermonem, ab Euangelista institutum; Scholasticorum tamen sententiam nequaquam probaret. Quoniam hæc gratia & veritas, aut infinita & increatâ; aut finita & creata, intelligitur. Si autem infinita, & increata, ea est ipsamet essentia Dei; quæ accidens rei finitæ, & creatæ, animæ scilicet Christi, esse non potest: sin verò finita dicitur inde tamen beatorum gratia, & scientia concludi non potest; quia gratia ea, & scientia, duplex est generatim, absoluta, vel relata. Alia enim plenitudo earum est, quæ viæ, seu huic vitæ in terris convenit: alia, quæ patriæ, & vitæ cœlesti. Ac prior quidem, pro ætatis & muneris ratione, aliorumque comparatione, ita appellatur. Quemadmodum Apostoli jubentur eligere Diaconos, *plenos Spiritu, & sapientia*, Actor. 6. v. 3. & Stephanus dicitur *plenus Spiritu & sapientia*, ibid. vers. 8. & Barnabas, *plenus Spiritu & fide*, Actor. 11. v. 24. ac Tabitha, *plena bonis operibus*, Act. 9. v. 36. Denique Romani fideles, *pleni beneficentia, & omni cognitione*, Rom. 5. v. 14. Sic Christus secundum animam suam, cum versaretur in terris, fuit plenus gratiâ, & veritate hujus vitæ, pro ætatis & officii exequendi ratione, aliorumque omnium comparatione.

VI. Testimonium desumit ex Joh. 1. v. 16. *Ex plenitudine ejus accepimus omnes*: sed eodem modo, cum superiori solvitur: quia de persona τοῦ λόγου agitur; à qua accepimus gratiam, pro gratiâ, nimirum à divinâ & humanâ naturâ, utrâque distinctè agente, quod suum est, ad commune gratiæ, & veritatis ἀποτέλεσμα, seu complementum.

VII. Quod objicitur est, quod *Christo, ad mensuram, Deus Spiritum non dederit*, Joh. 3. v. 34. Verùm illud nihil ad beatorum scientiam; multò minùs ad omnium rerum scientiam, in anima Christi, in terris probandam, pertinet: quia (ut loci hujus antecedens circumstantia demonstrat) Euangelista loquitur, de Spiritu Prophetico, quo aliis omnibus prefertur: videlicet quod Deus Spiritus Sancti dona, quę ad summi Prophetę, & capitis Ecclesię, officia exequenda requirebantur: non quasi ex mensura, hoc est, quędam tantum (ut de Prophetis & Apostolis dicitur, Ephes. 4. v. 7.) sed omnia plenissimè in Christum effuderit, Esai. 61. v. 1. 2. & Luc. 4. v. 18. 19.

VIII. Testimonium adjicit Canus, in locis communibus, ex Joh. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Si quis excipiat fortè, id dici, non ratione humanæ, sed divinæ naturæ: regerit ille, unigenitum Filium exponere Patrem, non solum, quà Deus, omni tempore: sed etiam quà homo, post assumtionem carnis; ac propterea quà homo etiam videt Patrem. Respondemus: Christum vidisse Patrem, utraque sua naturâ, & utraque exposuisse nobis: sed diverso videndi, & exponendi genere. Vidit enim, hoc est, cognovit, secundum divinam naturam, per se, immediatè, atque infinitâ scientiâ: quo modo solus Patrem videt, sive cognoscit, Matth. 11. v. 27. & Ioh. 6. v. 46. Secundùm humanam verò naturam, per accidens gratiæ revelationis, & quidem finitæ: quatenus ad illius perfectionem, ac salutem, & ad officii Prophetici executionem, requirebatur: quæ innoxiam, seu peccati expertem, quorundam ignorantiam, non excludit: ut initio, partim ostendimus, & suo loco postea clariùs apparebit. Deinde Patris expositio ea est, quà nobis doctrinæ de Patre, & voluntate illius salutari, notitiam confert: utraque quidem naturâ: sed modo prorsus diverso. Primus enim humanæ naturæ conveniens, est externus atque organicus tantùm: quum prædicatione Euangelii, Patrem, & doctrinam illius salutarem omnem, proponit, Esai. 61. v. 1. 2. Luc. 4. v. 17. 18. Ioh. 15. v. 15. Secundus verò modus est internus, ac principalis, & naturæ ipsius divinæ proprius: quo prædicationis illius externæ notitiam, ac fidem, illuminatione mentis, operatur: Sine quo interno, Patrem exponendi, modo, externus humanæ naturæ Christi (ut etiam Apostolorum illius) nihil est, 1. Cor. 3. v. 7. Neque ex illa expositione, per prædicationem Euangelii, concludi potest, visio essentiæ Dei, & omnium in ea, de qua controversia est. Quare argumentum adversarii corruit.

Neque validius est nonum, quod sequitur, ex testimonio Christi, Ioh. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cœlo. Tunc*, inquit Canus, *anima, in cœlum ascendere, dicitur; cum videt Deum.* Sed negatur expositio, & consequentia illius. Expositio quidem, quia licet quosdam etiam è nostris, de notitiâ, exponere constet: ea tamen exemplo ejus significationis omninò caret. Sed obtenditur sententia Deut. 30. v. 11. 12. quo de præcepto Dei dicitur; *Non est occultum neque longinquum. Non est in cœlis, ut dicas quis ascendet nobis in cœlum, ut sumat illud, & nobis annuntiet?* Verùm manifestè propriè ascensio in cœlum designatur, quia longinguo opponitur, & finis distinctus ostendit; *ut sumat illud, & nobis annuntiet.* ubi ascensio, ut antecedens, & notitia præcepti, ut consequens finis ac fructus disertè diversa statuuntur. denique sequentia propriè accipienda, idem probant v. 13. *neque est ultrà mare, ut dicas, quis transibit nobis ultrà mare, & sumat nobis?* Deinde neque quod Rom. 10. v. 5. dicitur; *quis ascendet in cœlum &c.* quicquam probat: quia ut è Mose citatur

tatur locus, ita circumstantię utrimque eundum sensum arguunt. Sed objicit Canus: locum, de quo agimus, non posse, de ascensione humanæ naturæ, propriè intelligi: quod obstet verbum pręteriti temporis, *ascendit*; ideoque quando additur, *nisi qui descendit Filius hominis*, ellipsis verbi supplenda est ex antecedenti, nempe *ascendit*: id quod verè de humana Christi natura dici non poterat, quia illa nondum ascenderat, sed demum post resurrectionem ascensura. Sed negatur consequentia. Nam licet verbum in antecedenti positum, & in consequenti per ellipsin sit omissum ac repetendum: non est tamen necessarium ut eâdem temporis circumstantiâ repetatur; sed vel eadem vel diversa, prout rei veritas postularit. Cujus rei exemplum est, Apoc. 2. vers. 17. ubi Christus ait: *novum nomen scriptum, quod nemo cognovit, nisi ὁ λαμβάνων accipiens*, sive *qui accipit*: ubi, in fine sententiæ, certa est ellipsis verbi *cognoscere*: quæ, pro rei veritate, supplenda est, non eodem tempore præterito, sed præsenti, aut futuro, *cognoscet*, aut *cognoscit*. Nam cognitio (ut verba ostendunt) non antecedit, sed sequitur, aut comitatur acceptionem. Si enim nemo cognovit, nisi qui accipit; sequitur, eum, qui nondum accepit, non cognovisse. Sic etiam hoc in dicto Christi, verbum, *ascendere*, in secunda parte deest; & ex prima parte, ad sensus perfectionem, supplendum; sed non est necessarium, ut eodem tempore præterito, *ascendit*, repetatur: sed futuro, *adscendet*: ut ascensionis Christi nondum factæ, sed futuræ, veritas requirebat. Quemadmodum etiam eruditè Theophylactus exposuit. Atque ita exceptio adversarii diluitur. Quibus etiam illud addimus: licet, *ascendere*, ex antecedenti; & quidem voce prętereti temporis, esset expressè repetita: inde tamen non sequeretur necessariò, significationem debere esse rei prętoritæ: quoniam, ut frequentissimum est apud Prophetas, ut, per temporis enallagen, prętoritum, pro futuro, usurpetur: Sic etiam in Novo Testamento illud non est insolens, ut Ioh. 15. v. 16. clarissimè comperitur: *nisi quis in me manserit* ἐβλήθη, *ejectus est foras*, καὶ ἐξηράνθη, *& exaruit*, id est, ejicietur, & exarescet. Cui non absimile in Epist. Jud. v. 11. *contradictione Core* ἀπώλοντο *perierunt*, hoc est, peribunt; ut res ipsa ostendit: quia comminatio est exitii, non prętoriti, sed brevi futuri: ut etiam finis v. 13. demonstrat. Cujus enallages usus est, ut rei futuræ certitudinem indicet; quod adeo vera esset ac si jam evenisset. Quare quod excipit adversarius, quocunque se vertat, nihil, ad suam sententiam probandam, obtinebit. Atque hactenus primum argumentorum genus à Pontificiis, cum Scholasticis, tum posteris Theologis, ex Scriptura petitum, expendimus, ac diluimus.

Quamobrem ad secundum, à rationibus quibusdam petitum, procedemus. Quarum prima hęc est: *Christus dicitur omnium judex constitutus à Deo, quia filius hominis est, Johan. 5. v. 27. & ideo anima Christi* (ut concludit Thomas Aquinas,) *cognoscit omnia existentia, secundum unumquodque tempus*. Sed hoc nihil ad rem; quia non concludit, quod probandum susceperat; nempe animam Christi, inde ab initio, in his terris, habuisse scientiam beatorum in cœlis: vidisse essentiam Dei; & omnia in ea. Deinde negatur etiam consequentia: quia subjectum hujus sententiæ Christi, est *Filius Dei*, ut ex v. 26. liquet; attributum verò, quod *Pater ei potestatem dedit faciendi judicium*; & ratio additur, *quia* (scil. Filius Dei) *est filius hominis*, promissus ille Emmanuel; verbum caro factum; Deus patefactus in carne. Judex enim est Christus totius mundi, ratione officii regii, divinâ naturâ agente quod suum est, & humanâ quod suum; ad unius judicii ἀποτέλεσμα, complementum. Persona enim Christi, id est, Filius Dei homo factus, est judex mundi constitutus: non autem humana natura Christi: licet, ad idem judicium, distinctè concurrat. Deinde Christus Iudex est totius mundi, pro diverso suo statu, diverso etiam modo. Nam, in statu humiliationis, Iudex fuit constitutus, ratione potestatis, seu juris ad universale judicium, suo tempore exercendum: non autem ratione facti, seu executionis judicii: ideoque, in eo statu, nondum, ad officium judicis Christi, in terris versantis, notitia omnium judicandorum, & circumstantiarum, in anima Christi, requirebatur: neque ei adfuit; quia ipsemet Christus, qui, quatenus Deus omnia ab æterno novit, tum temporis diem judicii sibi ignotum fuisse, nimirum ratione humanæ naturæ, disertè testatus est, Marc. 13. v. 32. In statu verò glorificationis, ultimo die, judicium exerciturus, Iudex erit utroque modo, & jure, & facto: seu officii demandati, & executionis illius ratione. Ideoque judicandorum notitia, tum ei, secundum humanam naturam, quæ judicium pronunciabit, per revelationem divinæ ipsius naturæ, non deerit; sed inde tamen non sequitur: Ergò anima Christi, in statu glorioso, videbit essentiam Dei, & omnia in ea: (nam scientia judicandorum finita est: visio verò illa, quam statuunt, infinita est) multò minus in statu humili, de quo, inter nos, controversia est. Quare prima hęc ratio corruit.

Secunda autem hæc est, *Christi humanitas, gloriæ sanctorum* (*quæ in visione Dei consistit*,) *causa est, Hebr. 2. v. 10. Ergò ea excellentissimè Christo convenit*. Respondemus, si de statu Christi glorioso, in cœlis, loquantur, ineptè à scopo aberrant: quoniam de eo non est quęstio: Sin verò de statu humili intelligant, vitiosa est consequentia: Nam Christus, humiliatione sua in his terris, gloriæ sanctorum causa fuit: & tamen gloriâ minor extitit, non solum Angelis, Heb. 2. v. 7. & beatis (ut qui in cœlis ab omni molestia liberi, ineffabili gloriâ fruuntur) sed etiam aliis hominibus, in terris, Psalm. 22. v. 7. Esai. 53. v. 2. 3. Oportebat enim, ex Dei voluntate, gloriæ sanctorum causam, per passionem ad gloriam pervenire, Heb. 2. v. 10. Ac licet reliquis hominibus in terris, scientiâ fuerit major: non omnia tamen absolutè cognovisse (nedum per visionem essentiæ Dei & omnium, quæ in Deo) sed quędam, sine peccato, ignorasse, & sapientiâ profecisse, Scriptura demonstrat: ut plenius apparebit è seqq. Atque ita etiam secunda hęc ratio evanescit.

Tertia quoque ejusdem est momenti: *vidimus*, inquit, *gloriam ejus ut unigeniti à Patre, Joh. 1. v. 14. Ergò non potest gloria major cogitari, quam qua Christus plenus fuit: eoque & essentiam Dei vidit, & omnia in ea, non minus, sed præstantius, quam sancti & Angeli in cœlis*. Sed negatur consequentia: Nam Euangelista hic non loquitur, de gloriâ, insita humanæ naturæ Christi: sed de divinæ naturæ ac potentiæ illius, per miracula patefacta. Idque ostendit Euangelista, cum addit: *Vidimus gloriam illam*: quemadmodum etiam exponitur, Johan. 2. v. 11. Matth. 17. v. 2. 2. Petr. 1. v. 16. 17. Miracula autem illa Christi facta sunt quidem, adjuncto ministerio humanæ naturæ; sed effectio eorum, à sola divinæ naturæ potentia, promanavit.

Quartam porrò rationem Thomas Aquinas adducit, summ. part. 3. quęst. 7. art. 9. cum ait: *Quanto aliquid receptivum, propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit. Atqui anima Christi, reliquis creaturis rationalibus, propinquius conjungitur Deo, gratiæ fonti. Ergò maximam recipit influentiam*. Respondemus, à scopo aberrari: Hæc enim debebat esse conclusio, (ut status controversię demonstrat,) ergò anima Christi, in his terris, vidit essentiam Dei, & omnia in ea. Deinde falsa etiam est propositio: quæ licet rectè intellecta, locum habeat, in causis naturalibus, necessariò agentibus: tamen in voluntariis, diversa est ratio: quemadmodum in Deo, qui non necessitate naturæ, sed libertate voluntatis, dona distribuit. Neque unio personalis humanæ naturæ cum divina, in unitatem personæ, causa est necessaria summæ illius gloriæ: sed liberum ac sapiens Dei decretum, quo eam, pro statu diverso, diversis gradibus, dispensavit: ut, nonnisi per ignominiam passionis, gloriam cœlestem Mediator noster Christus obtineret, ut Luc. 24. vers. 20. astruitur. Ac quamvis Dei, in cœlis, visio, sit gratia, ac donum, Christo, jam conveniens: visio tamen essentiæ Dei, & omnium in ea, non est gratia: quia neque datur à Deo, neque dari potest creaturæ rationali: quæ finita, infiniti capax esse non potest. Imò neque etiam visio Dei, rerum omnium finitarum notitiam designat: beati enim in cœlis Angeli Deum vident semper, Matth. 18. v. 10. ut etiam sancti homines, in cœlesti gloria, Matth. 5. vers. 8. & tamen, Christo teste, diem judicii nullus norat: neque Angeli in cœlo; ut nec ipsemet, scil. qua homo, Marc. 13. v. 32.

Quintam porrò rationem affert Melchior Canus, in locis communibus: *Si*, inquit, *Christi anima non vidisset Deum, inde ab initio à facie ad faciem, fuisset imperfecta*, 1. Corinth. 13. v. 12. *atqui ab utero fuit perfecta: quia Christus non sapiebat, ut parvulus: sed vir erat ab initio*, Jer. 31. v. 22. *Fæmina circumdabit* גבר *virum*, hoc est, *Maria Christum*. Sed negatur Consequentia; quia גבר vir non semper ætatem perfectam norat, sed interdum sexum, nempè marem; ut Job. 3. v. 2. *conceptus est* גבר id est, *masculus*. Deinde ad locum Jerem. quod attinet: quamvis latini Patres, *fœminam*, de Maria, *virum*, de Christo, interpretentur: illud tamen necessarium non est. Nam, ut varias Theologorum explicationes omittamus, consentaneum omninò videtur: ut, per fœminam, Judæorum Ecclesiam intelligamus: quæ ut antè fuerat, à Deo aversa, tandem adventu Christi, novo Dei beneficio erat convertenda: & Christum virum, seu, maritum suum, Ephes. 5. vers. 29. 30. 32. circumdatura, atque amplexura per fidem, sub novo fœdere; Id quod ab eodem propheta, paulò post, vers. 31. 32. proponitur: ut Hebr. 8. v. 9. seqq. Apostolus explicavit. Nam, toto illo capite Jeremiæ, duplex redemptionis modus Ecclesiæ Judaicæ promittitur: quorum prior est corporalis è captivitate Babylonicâ: alter Spiritualis, per Christum, typo prophetiæ, adumbratum: scil. redemptio à captivitate peccati, ac Satanæ, per Christum; quemadmodum etiam in aliis prophetiis idem observatur: id quod ex subjecta promissione novi fœderis, à prophetâ, disertè declaratur. Atque ita quintæ rationis infirmitas apparet.

Sexta autem est etiam Cani: *Cui*, inquit, *communicatur esse, ei etiam communicatur operatio, quæ consequitur esse: ut cui datur esse ignitum, ei etiam communicatur, ut calefaciat. Atqui propria Dei actio est, videre seipsum: hac autem visione beatus est: Ergò cum anima Christi habeat esse divinum: habebit etiam, suo modo, divinæ naturæ propriam actionem; Atque adeo videbit Deum.* Verùm dum confusè adversarius ita argumentatur; in Eutychetis, atque Ubiquitariorum errorem, (ut alia omittamus) incidit. Nam si humana Christi natura, in terris, habebat esse divinum; erat Deus: & si propriam Dei actionem, ut ait, habebat; ea actio non erit Dei propria: proprium enim est, quod soli convenit: ideoque manifesta contradictio est. Aut si propriam Dei actionem habebat, erat Deus; proprium enim & id cui proprium, citra controversiam, convertuntur. Cœterum ad argumentationem ipsam respondetur: falsam esse assumptionem. Nam essentia divina non est communicabilis creaturæ: quia unica atque individua Patris, Filii, & Spiritus Sancti propria: ideoque humana quidem natura ei unita est: Sed non una est: unio enim facta ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, citra confusionem, citraque divisionem; & licet plenitudo Deitatis, in humana Christi natura, sit; non tamen ut forma, in materia sua, nec ut qualitas in subjecto inhærens; ut calor ab igne in ferro, sed ut forma Dei diversa, ac distincta, à forma seu natura humana, personaliter unita, Phil. 2. vers. 6. 7. quemadmodum licet corpus Salomonis, unione personali, animæ illius junctum, unam constituerit personam: tamen animæ illius sapientia, non est communicata corpori: sic neque essentia, neque operatio Dei propria, humanæ naturæ communicata, nec communicari potuit: quia propria. Denique cum corpus Christi, in terris, non minus, quàm anima esset unitum Deitati ipsius, tamen neque omniscientia, neque immortali vita fuit præditum, communicatione quadam.

Septima porrò ratio, quæ à Cano etiam objicitur, hæc est: *Christus fuit caput, in his terris, non solùm hominum, sed etiam Angelorum*, Ephes. 1. Coloss. 2. *Absurdum est igitur, membra caput, scientiâ & claritate, antecellere.* Verùm negatur consequentia: quia ad tempus, dispensatione divinâ, ad salutem nostram procurandam, minor factus est Angelis, Hebr. 2. v. 7. & reliquis hominibus, Psalm. 22. Esa. 53. v. 2. 3. Sed

Octava ratione excipit adversarius: *Christus*, inquit, *tamen præstantior factus dicitur Angelis*, Hebr. 1. vers. 4. *Ergò anima Christi non solùm parem, sed majorem etiam habuit gloriam.* Verùm negatur consequentia: Apostolus enim loquitur non de Christi anima, sed de persona: quæ in eo præstantior Angelis, dicitur, quod filius Dei sit, scil propriè: cum Angeli sint, per gratiam, metaphoricè. Et tamen iisdem Angelis, in terris, ob statum suum humilem, in assumpta natura, minor, (ut modò diximus) appellatur, Hebr. 2. v. 7.

Nonam & ultimam rationem objicit Canus, deductam ex Col. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri, sapientiæ, & cognitionis absconditi. Atqui*, inquit, *in Christo non fuissent omnes, si scientia beatorum animæ illius defuisset.* Respondemus, bifariam, 1. Quod ratio hæc nititur hac hypothesi; verba Pauli, ἐν ᾧ, construenda necessariò, cum voce Christi: cùm potius ad vocem, *mysterii*, (cui descriptio additur distincta, *Dei Patris & Christi*) referenda sint; ut ex iis, quæ Apostolus antè exposuit, elucet, cap. 1. vers. 25. 26. 27. cap. 4. vers. 3. Cui constructioni, atque expositioni sequentia etiam conveniunt: quia huic mysterio Dei (seu doctrinæ Euangelii) opponitur, *deceptio probabilitatis sermonis*, v. 4. & *Philosophia, & inanis deceptio, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum*, vers. 8. Quemadmodum etiam, 1. Cor. 2. v. 7. *Sapientiam Dei in mysterio occultam* (id est, doctrinam Euangelii) sapientiæ hominum opponit, vers. 5. Altera responsio est; etsi necessariò, de Christo, accipi debere, probari possit: si ita tamen accipiamus, analogiæ, & fidei, & hujus loci, non male convenit: atque, hoc modo, negatur consequentia; quia Christus nomen personæ est: in qua persona, revera, sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis: sed inde non sequitur; Ergò secundum humanam naturam, in eo, sunt omnes thesauri: de qua re quæstio est. Neque obstat vers. 9. quo de Christo dicitur: *In eo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter*: quia unio naturæ divinæ & humanæ, non autem confusio proprietatum denotatur. Denique licet de sapientia, & cognitione Christi, ageretur, respectu humanæ naturæ, seu animæ (quod probari non potest) intelligeretur aliter, quam adversarii contendunt: nimirum non de omniscientia absolutè: sed relatè, de omni ea scientia, de qua egit, ad salutem necessaria, ut cap. 1. vers. 9. *Ut impleamini omni agnitione voluntatis ejus, cum omni sapientia & intelligentia spirituali*, & 28. *Erudientes omni sapientia, ut quemvis hominem sistamus perfectum in Christo Jesu.* & cap. 2. v. 2. *& omni opulentia certò persuasæ scientiæ, ad cognitionem mysterii Dei & Patris & Christi*, quibus proximè subjicitur vers. 3. *in quo sunt omnes thesauri scientiæ & cognitionis scil. mysterii Dei & Christi.* Unde apparet agi, hoc loco, de sapientia, & cognitione salutifera, quæ à Christo, & per Apostolos nobis revelata: de qua in antecedentibus etiam egit: ut ostendimus. Atque hic fuit Apostoli scopus, ut ostenderet, extra Christum, salutiferæ doctrinæ fontem, nullam sapientiam salutiferam esse quærendam: sed in ea, per Euangelium revelata, acquiescendum: ideoque humanam sapientiam, ac doctrinam fallacem, esse fugiendam: ut ex seqq. vers. 4. & 8. cum 22. & 13. apparet.

Quamobrem cum neque testimoniis Scripturæ sacræ, neque rationibus prolatis à Pontificiis, probari possit: Christum in terris versantem, scientia beatorum cœlestium fuisse præditum: multo minus Dei essentiam, & omnia in ea vidisse: concludimus, eam opinionem esse vanam, atque impiam: naturæ divinæ cum humana: & status Christi humilis cum glorioso, confusionem: diversisque contradictionibus implicatam. Atque hæc de scientia beatorum, quam in visione essentiæ Dei, & omnium in ea, definiunt falsò Pontificii: quamque attributam animæ Christi, in terris versanti, contendunt, disseruimus.

Secunda deinde quæstio est, de scientia Christi in terris, infusa, seu revelata. De qua re Bellarminus libr. 4. de Christo, cap. 1. sic ait: *Catholicorum sententia communis semper fuit: Christi animam, ab ipsa sui creatione, repletam fuisse scientia: ita ut nihil postea didicerit, quod antea nesciret.* Idque probare nititur, 1. Scripturæ testimoniis, quorum primum est Esa. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: requiescet super eum Spiritus sapientiæ, &c.* Deinde conjungit loca reliqua: quibus Christus à Deo dicitur

dicitur unctus Spiritu, Psalm. 45. verſ. 8. Eſa. 61. v. 1. Actor. 4. verſ. 27. & 10. v. 38. Verùm reſpondent noſtri primùm, Unctionem perſonæ, non autem tempus unctionis notari. Nec enim ullo horum locorum, eam Chriſti unctionem factam eſſe, in ipſa conceptione, indicatur. Imò potius id eveniſſe potiſſimum anno trigeſimo ætatis, cum ſuper eum (ut muneri prophetico obeundo inauguraretur) deſcendit Spiritus, Luc. 3. v. 22. 23. ut etiam Hieronymus exponit, Eſa. 61. & à Chriſto ſatis declaratur, Luc. 4. v. 8. Deinde licet de conceptione ageretur: potuiſſe tamen poſtea augeri ſapientia, & gratia, ut aſſeritur, Luc. 2. verſ. 52. non negaretur. Quemadmodum etiam Baptiſta, in utero matris, repletus fuit Spiritu Sancto, Luc. 1. verſ. 15. Neque tamen profeciſſe negari poteſt: ita Chriſtus accepit Spiritum variorum donorum: ſed dona, pro ætatis, & officii obeundi ratione, ſuum habuerunt incrementum. Quæ fruſtra diluere conatur Bellarminus: Nam quod excipit contra primam ſolutionem; conjungi, in eadem ſententia, incarnationem, ſeu conceptionem, & hanc unctionem; rectè reſpondetur, Vanam eſſe conſequentiam; quia rerum diverſarum, in eadem ſententia, conjunctio, momenta temporum non neceſſariò conjungit, verbi gratia, Eſa. 7. v. 14. & 15. dicitur: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis, &c. Butyrum & mel comedet:* nihilominus tamen hęc tria, non eodem, ſed diverſo tempore, accidiſſe conſtat. Sed inſtat adverſarius; Chriſtum non ſolum unctum Spiritu Sancto, anno trigeſimo, ſed etiam ab utero, unde Luc. 2. verſ. 11. *Chriſtus*, id eſt, unctus dicitur. Non negatur: ſed diverſus fuit unctionis gradus, uti oſtendimus. Quod autem adverſus ſecundam ſolutionem objicit, ex Joh. 1. & Col. 2. ad illud, in præcedenti quęſtione, reſpondimus.

Quibus teſtimoniis Bellarminus rationes quaſdam addit, quę minus habent coloris, quam illæ, quas antea, ex Scholaſticis, & Cano allatas, confutavimus. Earum autem prima, ab unione hypoſtatica deſumpta eſt, hujuſmodi: *Non eſt ullo modo credibile, ut verbum perſonaliter factum ſit homo, & non ſimul effuderit in ipſa incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat.* Imò, inquam, id maximè credibile, ac credendum eſt: quia diſpenſatio ſalutis noſtræ procurandę, & officii Chriſti in terris ratio, ac ſtatus humiliationis hoc poſtulabant Hebr. 2. verſ. 7. 9. 17. 18. Quod autem objicit abſurdum eſſe, *animam Dei, & ſapientiæ, non eſſe ſapientiſſimam:* Illud non eſt magis abſurdum, quam animam Dei, ſeu, quæ à Deo aſſumpta, fuiſſe triſtem uſque ad mortem, Marc. 14 verſ. 34. & corpus Dei immortalis eſſe mortuum.

Secunda Ieſuitę ratio eſt: *Sapientia, & gratia homini Chriſto naturalis fuit; ut docet Auguſt. Enchir. cap. 40. Ergo ea accepit Chriſtus in incarnatione.* Reſpondemus, Auguſtinum non facere ſapientię mentionem, ſed tantum gratię, id eſt, Spiritus Sancti. Deinde non ſequitur: Chriſtus à nativitate habuit Spiritum: Ergò omnia dona, & quidem ſummo gradu: id quod adverſario probandum eſt.

Tertia ratio paris eſt momenti: *Homo in incarnatione, cœpit eſſe Filius Dei. Ergò tunc debuit repleri omnibus donis, quia filius eſt hæres.* Negatur antecedens: Nam Chriſtus homo, fuit Filius Dei ab ęterno: homo enim nomen perſonę eſt Chriſti: quod imperitè, aut potius improbè, cum nomine humanæ naturæ (quæ Filius Dei non eſt,) confunditur. Deinde negatur conſequentia: nec ratio illius quicquam probat: Filius enim hæres eſt ſemper jure, non autem ſemper facto: ſic etiam Chriſtus, pro officii Mediatoris conditione, per ignominiam ingredi debuit in gloriam, & hæreditatis cœleſtis poſſeſſionem, Luc. 24. v. 26.

Quarta quæ obtenditur ratio eſt: *Quod Chriſtus ſit factus caput non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum*, Quam jam ante, à Cano allatam, ſatis refutavimus.

Atque hæc ad rationes Bellarmini ſtrictim dicta: reliquum eſt, ut noſtrorum (Lutheri, Zuinglii, Buceri, Calvini, Bezæ, quos nominatim traducit,) ſententiam confirmemus; & ab exceptionibus illius vindicemus. Docent enim noſtri Chriſtum, pro ætatis & officii ratione, reverâ, ac ſucceſſivè, creviſſe ſcientia; cum revelata; tum acquiſita, reliquorum hominum inſtar: ſed tamen, obſervatis certis differentiis: quod ſcientiam numero, & gradu præſtantiorem longè, acceperit. Deinde quod non ab externo principio, ut reliqui prophetæ, ſed ab interno, propriæ Deitatis patefactione. Nituntur autem noſtri diſertis Sacrarum Literarum teſtimoniis, & rationibus inde deſumptis; quas colligere breviter, & illuſtrare nonnihil conabimur.

Teſtimonia autem ſunt partim è Veteri, partim è Novo Teſtamento deprompta. E Veteri quidem à noſtris Interpp. non contemnendis in ſuis Comm. ad Eſa. contra Pontificios affertur, cap. 7. v. 15. ubi propoſita conceptionis vel nativitatis Chriſti promiſſione, verſ. 14 ſubjicitur: *Butyrum, & mel comedet,* לדעתו *ad cognoſcere*, id eſt, donec cognoſcat, *reprobare malum, & eligere bonum.* Ergò non ante erat cogniturus. Veruntamen adverſarii quidam eodem loco, ad ſuum dogma probandum, abutuntur: quia vocem לדעתו vulgatus interpres vertit: *ut ſciat.* Cum autem conjunctio, illa, *ut*, vel cauſam notet; vel eventum, (ut uſus oſtendit,) Lyranus ad Eſajam 7. cap. ait. *Non cauſaliter, ſed conſecutivè accipiendum:* ac ſi declararetur, Chriſtum, ab infantia, habuiſſe plenitudinem ſcientiæ, ad reprobandum malum, & eligendum bonum. Sed licet conjunctio, *ut*, finem non rarò notet, aut eventum: ל tamen *ad*, ſeu, *donec*, notare, res ipſa arguit. Nam finis eſus butyri, & mellis, (de quo agitur,) non fuit, ut cognoſceret reprobare malum: ſed ut nutriretur: & tamen, ſi finem notaret (ut quidam putant) ſententia contra Pontificios perſtaret. Finis enim rei, ſi executionem ſpectemus, rem ſequitur; non autem præcedit. Deinde neque eventus, ut Lyranus putat, rectè notari poteſt; nam eventum butyri & mellis notando, conſequens notaretur, non autem antecedens: eventus enim rei, re poſterior. Contra verò ſenſus commodiſſimus eſt hujuſmodi: forè ut Chriſtus edat butyrum & mel, donec cognoſcat reprobare malum, & eligere bonum, id eſt, donec ex infantia diſceſſerit, & ętate & cognitione adoleverit. Ideoque Achaſo regi metuendum non erat, futurum, ut à Syris, & Iſraëlitis, regnum illius ſubverteretur. Idem probat alterum Eſaiæ teſtimonium, non quidem abſolutè, ſed relatè ad Pontificiorum hypotheſin: quod extat verſ. 16. quem illi de Chriſto exponunt: nempè, *antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum:* quo à Pontificiis conceſſo, & poſito, ſequitur: Scientiam, de qua agitur, poſteriorem eſſe conceptione, & nativitate Chriſti. Sed excipit Lyranus; *hanc phraſin, (antequam ſciat,) idem notare, atque ante conceptionem; quod iſtam ſcientiam habuit in inſtanti conceptionis; ideò de ſcientia humana ſic dicitur, (antequam ſciat.)* Sed, inquam, illud omninò à phraſi Scripturæ, & omnium bonorum authorum, abhorret, atque ineptum eſt; & ſimul manifeſtam contradictionem continet. Si enim ante conceptionem: ergò non in inſtanti conceptionis, ſcivit: quomodo autem ſcire potuit humana Chriſti natura, antequam concepta. Obſervandum autem eſt, tertii teſtimonii loco, non quidem abſolutè, ſed ex hypotheſi ſententiæ Patrum, quam Pontificii vulgò ſequuntur, nimirum, Eſa. 8. verſ. 4. ubi dicitur: *Antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum, & matrem ſuam;* quod de Chriſto intelligunt. Quod quamvis non ſatis rectè exponatur: interim tamen, ex eo, Patres colligunt, Chriſtum, quæ ignorabat, didiciſſe. ut Ambroſius de incarnationis Sacramento, cap. 7. Idemque confirmat Epiphanius in Ancorato. Et ſanè, (hypotheſi hac poſita, de Chriſto agi,) inde ſolide, contra Pontificios, Patres docent, Chriſtum paulatim ſcientiam majorem acquiſiviſſe.

Porrò ad Novi Teſtamenti loca quod attinet: Primum teſtimonium eſt de Chriſti ſcientia, paulatim auctâ, ex Luc. 2. verſ. 40. *Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturque ſapientia: & gratia Dei erat cum eo.* Quod argumentum, quia perſpicuum eſt, & adverſarios maximè premit: idcircò Bellarminus contra, tribus modis, reſpondere conatur.

Primùm, vocem πληρούμενον aliquando idem ſignificare, quod πλήρης *plenus*, ut vetus interpres vertit. Verùm antecedentia verba, *creſcebat & corroborabatur Spiritu:* & expreſſius verſ. 52. hanc interpretationem refutant. Quemadmodum etiam Ambroſius loco antè memorato; & addit: *Qui igitur in-*

tur *implebatur*, *erat non Dei*, *sed nostra sapientia*. Quo etiam dicto secunda Bellarmini ratio diluitur. Ait enim: *Si legamus passivè, sensum esse, quod sapientia tam creatâ, quam increatâ, quæ in ipso erat, replebantur magis ac magis organa corporea & movebantur ad opera excellentiora facienda.* Sed ridicula hæc est vanitas: quia organa corporea, non sunt scientiæ subjectum, sed anima sola. Quod autem Athanasium sermone quarto, contra Arrianos testem adducit, alienum est. Nam cum Arriani profectum, Christo, quà verbum Dei, tribuerent, illud refutat, & de persona, secundùm humanam naturam dici ostendit, Tom 1. edit. Commel. & pag. 290. ait: *Ideoque non sapientia quatenus sapientia est, ipsa per seipsam profecit: Sed* τὸ ἀνθρώπινον, *humanitas in sapientia profecit*. Et paulò post: *Non dicit*, λόγος, *profecit*, *sed Jesus: quo nomine homo factus, Dominus vocatus fuit*, ὡς εἶναι τῆς ἀνθρωπίνης οὔσης τὴν προκοπὴν, *ut sit humanæ naturæ profectus: quemadmodum superiùs admonuimus*. Hactenus Athanasius, quem Bellarminus pro se adducit, cùm contrarium disertè statuat. Quare ad tertiam responsionem delabitur adversarius, Christum profecisse, non scientia infusa, sed acquisita tantùm, & quidem non theoricè, sed practicè, experimento proprio. Sed illud antecedentia refutant. Ut enim crevit & roboratus est Spiritu, ratione incrementi & virium: ita implebatur sapientia, pleniùs accedente: & sanè, neque usu communi, neque Scripturæ exemplis hujus phrasis interpretatio probari potest; nempè *implebatur sapientia*: id est, experiebatur magis ac magis suam sapientiam; sed reverà insolens & inepta expositio. Nam quod Bellarminus verba Ambrosii de incarnationis Sacramento cap. 7. adducit hujusmodi; *Christum habuisse naturam humanam initio perfectam, & tamen sensu humano profecisse*: Nihil inquam nobis obest; quia perfectam intelligit, substantiæ, (disputat enim contra eos qui Christum anima caruisse fingebant,) non autem omnium accidentium aut scientiæ ratione. Sic enim proximis verbis se exponit; *Quomodo*, inquit, *proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum; profectus ætatis, profectus sapientiæ, sed humanæ est.* Et paulo post, *sensus igitur proficiebat humanus.* Ubi per *sensum*, intellectum intelligere apparet. Idemque sequentia, quibus infantiæ Christi ignorantiam ex Jesaia attribuit, demonstrant. Quare primum Novi Testamenti è Luca petitum testimonium, invictum perstat.

Alterum est ex eodem Luc. cap. 2. v. 2. 52. *Jesus proficiebat sapientia, &c. ætate, & gratia apud Deum & homines.* Ideoque cùm sapientia divina, (ut quæ infinita atque immutabilis est, (non creverit: humanam crevisse, necessarium est. Sed argumentum hoc bifariam eludere conatur Bellarminus. Primùm ait: Christum profecisse opinione hominum, quibus indies magis aperiebat suam sapientiam. Et ad eam rem, Athanasium, Oratione quarta, De Filio, nobis objicit. Verum in eo fides adversarii desideratur; quia non simpliciter negat, Christum sapientia profecisse; agit enim Athanasius contra Arrianos: qui Christum non solùm, quà Filius hominis, sed etiam, quà Filius Dei, profecisse contendebant. Idque agnoscere cogitur Bellarminus, cum addit: *Athanasius præcipuè de Christo, quà Deus erat, negat profecisse.* Quod verò subjicit: *eum solum admittere profectum, quoad externam demonstrationem sapientiæ; & simpliciter negare Christum interno profectu ullo modo auctum esse*: id de divina quidem natura verum est: sed de humana hoc negare, falsum. Id quod, inter cætera, hæc verba ostendunt: *Quemadmodum enim passus est carne, & carne esuriit, & carne fatigatus est: ita quoque pro ratione, conditioneque suæ carnis, in sapientia profecisse: Non enim, segregato verbo, abjunctoque à corpore, profectus iste, qualis is est, de quo loquimur, obvenit: Sed quia in carne erat, quæ proficiebat: ideò ejus, quod in carne ipsius contingebat, dicitur.* Deinde paulò post disertè distinguit: *Non*, inquit, *Sapientia, quatenus ipse sapientia est, progressus fecit: Sed humanitas in sapientia profecit.* Quare Athanasius hoc Lucæ testimonium, non ut Pontificii, sed ut nostri, exponit. Sicut etiam Vigilius, libr. 3. & 5. contra Entychen. Secundò, refutatur etiam Bellar. interpretatio, adjunctis Lucæ verbis, quibus Christus dicitur *profecisse, sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Sed idem excipit: *apud Deum & homines*, debere conjungi, cum profectu in gratia; non autem cum profectu in sapientia & ætate. Idque inde probare conatur: quod non soleamus dicere aliquem profecisse sapientia vel ætate, apud Deum & homines; quia sapientia & ætas res absolutæ sunt, nec ab alio pendent. Verùm hoc refutatur Scripturæ usu, Genes. 6. vers. 11. *Et corrupta est terra coram Deo*, & cap. 10. vers. 9. *Erat fortis venator coram Deo.* & Luc. 24. vers. 19. *Jesus fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & populo.* Sic etiam hac phrasi, *coram Deo, & hominibus*, veritas rei declarari solet, 2. Corinth. 8. vers. 21. Cui opponitur, *coram hominibus*, Luc. 16. vers. 15. Cœterum, quod addit adversarius, Christum dici, gratia apud Deum, & homines profecisse: quia quotidie magis diligebatur ab hominibus, & recipiebat signa benevolentiæ Dei: Illud causæ nostræ non adversatur: Sed in eo tamen errat, quod profectum gratiæ apud homines, de dilectionis erga Christum incremento; profectum verò gratiæ apud Deum, de externorum divinæ benevolentiæ signorum augmento, exponit: & hac ratione *gratiam*, diversa omninò significatione, in eodem loco, interpretatur. Quod quum ineptum esse animadvertat, longè tamen ineptius addit: *Sive quod idem est, crescebat quotidie, in externis signis benevolentiæ Dei, & hominum*: Quippe hanc, à superiori explicatione, diversam esse, res ipsa loquitur. Aliud enim est, magis indies diligere, id quod ad animam pertinet: aliud, dilectionem exterius significare; quemadmodum etiam declaratur eo loco, quem tamen in eum finem, ex 1. Sam. 2. vers. 26. adducit: *Et puer crescebat, & placebat, & coram Deo & coram hominibus.* Ideoque tandem adversarius, diffidens huic responsioni suæ, altera via elabi conatur; agnoscit enim Christum profecisse sapientia, apud Deum & homines: sed exponit operibus sapientiæ, judicio Dei & hominum. Sed natura hujus phrasis obstat: quia opera sapientiæ non sunt sapientia, sed effecta illius. Deinde vox *ætatis*, quæ annectitur sapientiæ, à Luca, cum eodem verbo, *profecit*, constructa, refutat eum; ait enim, *profecit sapientia & ætate.* Ætate autem incremento vero profecit, non sola patefactione illius: ideoque sapientia similiter crevisse indicatur: non autem externa tantum illius significatione: sed interno sapientiæ incremento. Et quemadmodum, judicio Dei & hominum, Christus crevit ætate, (ob virium & staturæ incrementum conspicuum,) sic etiam sapientia crevit reipsa, & judicio experientiæ aliorum: quemadmodum rectè Ambrosius, de incarnatione cap. 7. ex ordine verborum, hoc demonstrat: Quare adversus Bellarmini effugia, stabilitum est, ac perstat secundum nostrorum argumentum.

Tertium verò è Novo Testamento testimonium extat, Matth. 24. vers. 36. Cujus testimonii confirmationem, & ab exceptionibus adversarii vindicationem vide in dictatis ad Matth. 24. vers. alleg.

Consequens jam igitur est, ut rationes etiam, quibus utuntur nostri, ad eandem, de scientia Christi, in terris crescente, sententiam probandam, adjungamus: Licet non paris sint momenti, ac claritatis. Quarum prima est, ex Johan. 11. vers. 34. ubi Christus quærens de Lazaro, ait: *Ubi posuistis eum?* Unde videtur ipsum ignorasse locum. Verùm quia objici posset: quæstionem Christi non arguere semper ignorantiam illius, ut ex Johan. 6. vers. 6. constat; nec videri probabile, ipsum sepulchri locum ignorasse: qui antea præscivit ac prædixit morbum, ac mortem Lazari. Ideoque argumentum non necessarium. Interim tamen vix ulla verisimilis ratio hujus quæstionis, præter ignorantiam, dari potest. Ac propterea ita etiam intellexit, & exposuit Cyril. Alex. de Trinit. libr. 9. cap. 4. *Aliquando*, (inquit de Christo,) *ut Deus; aliquando ut homo loquitur: ut & Deum, & hominem se verum ostenderet. Ut Deus dixit ad discipulos: Lazarus amicus noster dormit; cum nullus ei nunciasset: ut homo interrogabat, ubi posuistis eum?* Et paulò post ait: *Utrumque, ut Deus, scivit; & utrumque, ut homo ignoravit.* Quod intelligendum est, per se; nam per se ignorans ut homo, prius revelatione suæ Deitatis percepit; posterius, hominum, ad quæstionem illius, indicio.

Altera

Altera deinde nostrorum ratio est, ex Matth. 21. 19. Marc. 11. 12. 13. *Christus esuriens venit ad ficum: ut inveniret aliquid in ea, & cum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia:* Ergò ignoravit abesse fructus. Si enim scivisset ante, non adesse fructus: non in eum finem venisset, ut inveniret eos. Neque, ut quidam exponunt: rectè dici potest Christum hic tantummodo captasse occasionem, ex absentia fructus, & vacua foliorum copia: ut discipulis fructus pietatis sinceræ commendaret: hæc enim explicatio scopo accessus Christi, ut inveniret fructus, repugnat. Verùm objiciunt, non esse credibile ipsum ignorasse, quandoquidem subjicitur, *non erat tempus ficuum.* Respondetur, à nonnullis: Christum ignorasse speciem arboris, atque illam erroris innoxii extitisse causam: Nam aliæ arbores citius; aliæ tardius fructus ferunt: ac propterea Euangelistam causam reddere, cur non invenerit fructus in ficu: nimirum, quia non esset tempus ficuum. Sed obstare huic expositioni videtur, quod non dicat Euangelista, cum ad arborem pervenisset, ficum comperisse: Sed μακρόθεν *eminus*, seu *procul* vidisse ficum, & ad eam venisse. Sed alii respondent; non fuisse alienum, si præteriti anni reliquias aliquas retinuisset. Nam & nostris, & longè frigidioribus regionibus, fœcundæ arbores, aliquando suæ fertilitatis præteritæ reliquias aliquas diutius, ultra maturitatem, fertilitatis suæ preteritę argumenta, retinent. Denique memorabilis est Alberti Magni expositio, Matth. 21 *Non enim, inquit Marcus, erat tempus ficuum: & hoc videtur: quod circa Pascha fuerit: & tum videtur, quod injuria fiat maledictæ arbori: quod non est signum sterilitatis, quando non habet poma, tempore, quo non debet habere. Sed respondendum est: sicut est Jerusalem in terra calida, & maximè in clivis montium, in quibus est reverberatio solis, ficus in Pascha habent fructum præcoquum, quem desideravit Dominus. Et, quod dicit Marcus: intelligitur de fructu communi. Ficus enim duo genera emittit: præcoquas, & sequentes. Ficus præcoquas semel emittit: & alias continuè. Itaque semper habent fructum.* Hæc Albertus. Quam sententiam confirmasse videtur Plinius, libr. 15. cap. 18. qui ficus tradit esse *biferas*, imò *triferas*. Denique experientia etiam, apud nos, Alberti sententiam confirmat. Atque hæc de secunda ratione, pro innocenti Christi, in re, ad officium, nec pietatis, nec prophetiæ pertinenti, ignorantia.

Tertia ratio est, ex precatione Christi, in agone constituti, & quidem maximè seriâ, Matth. 26. vers. 39. *Pater, si possibile est, transeat à me poculum istud: veruntamen, non ut ego volo, sed ut tu.* Unde apparet, Christum, licet habituali scientia, poculum illud passionis, & mortis, à se transferri non posse, norat, Matth. 16. vers. 21. & 20. vers. 22. actualis tamen scientiæ ratione, ad breve momentum, horrendæ passionis terrore, ac præsensione, Marc. 15. v. 33. & Matth. 26. vers. 37. turbatâ ipsius animâ, illud tum ignorasse: quemadmodum & deprecatio, & revocatio deprecationis evincit. Nam si voluntatis Dei irrevocabilis, & officii necessarii memoria fuisset præsens, actuque novisset, per Dei voluntatem, fieri id non posse: profectò sanctè contrarium precari nequivisset; sanctè autem precatum fuisse, constat. Deinde revocatio illa deprecationem corrigens, restitutam voluntatis Dei memoriam, ac notitiam, demonstrat: quia in ea acquiescit, &, ad poculum bibendum, paratum se offert. Quod autem gravissimo imminentium dolorum terrore, ad momentum, voluntatis Dei notitia offuscata est, ut eam non consideraret; peccatum illud non fuit: sed pars pœnæ peccatorum nostrorum, quam pertulit. Revocatio autem Christi, per Angeli ministerium; à quo in agone isto fuit confirmatus, processisse videtur, Luc. 22. vers. 43. Ideoque per intervalla, repetita, secundo & tertio loco, precatione, omisit deprecationem, firmatâ jam memoriâ, & in Dei voluntate acquievit, Matth. 26. vers. 42. 44. Quod autem Bellarminus Tom. 1. de Christo libr. 4. cap. 5. excipit: *Christum dicere; si vis*, Luc. 22. v. 42. *non quod ignoraret Patrem nolle: sed uti ostendat affectum naturalem suæ voluntatis, ad fugiendam mortem, conjunctum cum omni subjectione ad Patris voluntatem:* illud, inquam, vanum effugium est. Qui enim aliquid precatur à Deo, quod certò scit, non esse possibile; sed, irrevocabili Dei voluntate, Deum nolle; ille & stultè precatur, cum sciat id non posse obtineri: & injustè, quia sine fide, quæ promissionem exauditionis requirit: imò contra fidem; id quod à Christo alienissimum est. Quare deprecatio illa, affectum naturalem Christi, omnibus à Deo, ad conservationem sui, insitum, cum memoriæ de voluntate Dei, & officio ipsius necessario, perturbatione conjunctum patefecit: alioqui nec sapienter, nec sanctè passionis & mortis poculum potuisset, sciens, volens, ullo modo, deprecari, aut in dubium vocare, ut antè ostendimus. Ac propterea in eo, quod affectu naturali, ignorantia quadam, ex terroribus animi procedente, precatus est, non obtinuit à Deo, Psalm. 22. vers. 3. Non tantùm, quia relatè, cum conditione, petit: ut transiret poculum, si possibile esset, si Pater vellet: ut Bellarminus de Christo, libr. 4. cap. 5. statuit; sed quia petit cum conditione, quam, extra hunc terrorem, impossibilem esse, antea norat: & quam, citra ignorantiam, ex perturbatione ortam, nunquam proposuisset: nec proponere sapienter, neque ex fide, potuisset.

Quarta denique nostrorum ratio (qua Christum, secundum humanam naturam, in terris, non omnia, à conceptione, scivisse, probant,) desumpta est, ex Hebr. 2. vers. 17. & 4. vers. 15. *Christum, per omnia, nobis similem factum, excepto peccato.* Sed contra respondet Bellarminus, *omnium* nomine intelligi ea, quæ ad perfectionem pertinent: vel ad redemptionem faciunt. Respondetur, id esse verum, quamvis non satis firma ratione illud comprobet. Nam ad redemptionem nostri pertinuit, ut Christus ignorantiam nostram, quatenus sanctitati non obstabat, neque muneri ipsius exequendo, in se susciperet; quia pœnas, nobis debitas, luit. Neque inde sequitur, ut adversarius contra objectat: *debuisse febri, podagra, cæterisque morbis affligari:* quia neque hi morbi singulis hominibus obveniunt. Et satis fuit habuisse corpus, quod morbis affligi potuerit: etsi credibile omninò, nullum horum, quod muneri prophetico exercendo obstarent, pertulisse: quia, (ut inquit Athanasius sermone de incarnatione verbi) *neque morbo laborare Dominum decebat, ut qui aliorum morbos sanabat.*

Atque hanc, de aliqua, & innoxia Christi ignorantia, ad redemptionem, & consolationem Christianorum, utili, sententiam, orthodoxi Patres confirmant. Sic enim Athanasius, Orat. 4. contra Arrianos: *Siquidem* (inquit) *hominis proprium est ignorare, ac præcipuè ea, quæ sunt istius generis: & in eo ipso, proprium quiddam est benevolentiæ Salvatoris nostri, adversus nos homines; siquidem homo factus non erubuit, per carnem, ex natura istarum rerum, insciam, se ignarum fateri; ut ostenderet, se ejus rei conscium, ut Deum; sed tamen carnaliter ignorare.* Deinde Cyrillus thesauri, libr. 9. cap. 4. *Non oportet igitur, per hanc vocem, ignorationem Dei Verbo inurere: sed potius misericordiam ejus adorari: qui non recusavit, propter nos, ad tantam humilitatem descendere; ut omnia nostra, & etiam ignorantiam humanam, susciperet.* Item: *Vere se dixit, ut hominem ignorare, infirmitates enim nostras omnes accepit: hac de causa ignorasse se dixit.* Hæc Cyrillus. Quare meritò, Pontificiorum temeritatem (qui asserunt Christum, ab initio conceptionis suæ, perfectam omnium rerum habuisse scientiam: adeò ut nihil omninò ignorarit,) Sacris literis repugnare concludimus. Atque hactenus, ad quandam versus ultimi cap. 2. Lucæ illustrationem, ac confirmationem, de scientiæ Christi incremento, disseruimus.

FINIS eorum, quæ author in LUCAM commentatus est.

FRAN-

FRANCISCI GOMARI,

S.S. Theologiæ Doctoris & Professoris,

SELECTIORUM EUANGELII JOHANNIS Locorum, ILLUSTRATIO.

PRÆFATIO.

ANtequam ad rem propositam accedamus, non alienum fore duximus, si brevi descriptione totius operis præmissa, ac succinctè explicata, viam quodammodo præmuniremus. Ac descriptio hæc est: Euangelium Johannis *est Nov. Testamenti historia, de exhibito Messia, per Johannem Apostolum, divino afflatu ac directione, Græcè conscripta, ad doctrinæ salutaris, sufficienter per tres reliquos Euangelistas exaratæ, propagationem ad finem mundi, & pleniorem ac sublimiorem explicationem: præsertim verò ad divinitatem Christi contra Antichristos asserendam, ad Dei in Christo gloriam, & Christianorum fidem ac salutem. Hæc autem historia constat titulo, & tractatione; seu inscriptione & scripto. Nam cùm tituli librorum sacrorum, alii sint genuini, nempè qui à sacris scriptoribus sunt præfixi, quemadmodum Esa. 1. v. 1. et Apocal. 1. v. 1. Alii verò ab Ecclesia aptè adjecti, sive ab operis initio, ut duo libri Mosis Brescbith, Velle Schemoth, à Judæis: sive à rei materia, ut Genesis, Exodus, à Græcis & Latinis appellantur; hunc genuinum esse, ex collatione Marc. cap. 1. v. 1. apparet. Aptum autem & verum esse, res ipsa docet. Titulus enim est:* Euangelium secundum Johannem: *quo materia seu subjectum hujus operis indicatur, & causa efficiens instrumentalis. Materia est* Euangelium: *Quæ vox, cùm propriè generatim lætum nuntium significet, in Theologia usurpatur bifariam. Primùm enim per Synecdochen generis pro specie, doctrinam de salute per fidem in Christum absolutè notat. Quomodo verbum conjugatum* εὐαγγελίζω, Euangelium prædico *accipitur, Hebr. 4. v. 2.* Nam & nobis euangelizatum est, quemadmodum & illis, *nempè Israëlitis antiquis. Verum hæc doctrina de salute per Christum venturum, non Euangelium, sed* ἐπαγγελία *promissio* κατ' ἐξοχὴν *dici solet, ut Galat. 3. v. 17. sed doctrina salutis per Christum exhibitum vocatur distinctè, Euangelium, ut Roman. 1. v. 1. 2.* Euangelium Dei quod ante promiserat in Scripturis sanctis. *Euangelium autem, id est, bonum nuntium duplici de causa merito appellatur. Prima est, quia salutem & vitam æternam afflictis conscientiis, per fidem in Christum annuntiat; id quod commune habet cum promissionibus Prophetarum de Christo. Neque obstat, quod Hebr. 11. v. 39. fideles Veteris Testamenti dicuntur* non reportasse promissionem: *quia impropriè hoc loco rem promissam, nempè Christum exhibitum & pro nobis mortuum ac glorificatum, notat, ut sequens versus, & cap. 12. v. 2. & res ipsa, alibi explicata, satis indicant. Altera verò nominis causa, est propria, quia peculiariter promissionum Patriarchis & Prophetis factarum ac scriptarum, de optato Messiæ adventu, complementum annuntiat, Matth. 3. v. 2. Luc. 1. v. 54. 55. & 2. v. 10. & 10. v. 24. Johan. 8. v. 56. Rom. 10. v. 15. Hebr. 11. v. 39. & 40. Denique 1. Petr. 1. v. 10. 11. 12. Secundò ex hac metonymica significatione deducta est altera, cum quatuor libri, quibus hæc doctrina Euangelii divinitus perscripta est, Euangelia appellantur: ut Marc. 1. v. 1. & quidem* κατ' ἐξοχὴν, *si quis cum reliquis Novi Testamenti libris comparet. Nam ex historia personæ, vitæ, mortis, resurrectionis & ascensionis, promissum Messiam venisse: & Jesum Mariæ virginis Filium hunc esse Messiam demonstrant. Reliqua verò scripta, licet Christi adventum non dissimulent, dictorum tamen & verborum ac passionum Christi historiam (quod ab Euangelistis ea satis esset descripta) prætereunt, & dogmatis explicandis potissimum insistunt. Ac propterea, quamvis revera Euangelium contineant: hoc tamen nomen peculiariter quatuor prioribus Novi Testamenti libris attributum. Quemadmodum enim quinque libri Mosis, sunt Veteris Testamenti, quasi fundamentum, ac primus, à Deo datus fidei canon perfectus, cujus explicationi cætera Prophetarum scripta inserviunt: sic etiam quatuor Euangelia, reliquis Novi Testamenti scriptis, instar Canonis fidei & morum perfecti, simili ratione, substernuntur, & operis pleni perfectione antecellunt: Nam legis sententiam, fidei articulos, Sacramentorum (cum Baptismi, tum Cœnæ Dominicæ) & disciplinæ Ecclesiæ institutionem, atque orationem Dominicam, (quibus Novi Testamenti Theologia absolvitur) sola plenè tradunt. Qua de re rectè Cyrill. præfatione in Johannem ait:* Exquisita profectò, divinitusque defluxa omnium Euangelistarum doctrina. Nam cum quasi ab alta specula cuncta circumspiciat, auditorum undique commodum ita diligenti studio colligit, ut qui veritatem divinorum sitiunt dogmatum, (si recto animo sacrarum literarum sensum inquirunt) facilè quicquid eis conferat, inveniant. *Hæc ille de Euangeliorum perfectione. Hujus autem Euangelii Johannis causa instrumentalis efficiens, est Johannes Apostolus, Alphæi filius, & Jacobi majoris frater, Matth. 10. vers. 2. qui duo à Christo ab Effectis ministerii, quasi tonantis, metaphoricè nominati sunt Boanerges, hoc est, (ut ait Marcus 13. vers. 17.) filii tonitrui. Johannes autem Christo præ cæteris discipulus fuit dilectus, unde & in sinu illius recubuit, Johan. 13. vers. 23. & periphrasticè vocatur, discipulus, quem Christus diligebat, nempe præ cæteris, eodem in loco & cap. 20. vers. 2. & cap. 19. v. 26. Ubi etiam Christus jam cruci affixus, Johannem quasi filium futurum Matri suæ; & vers. 27. Matrem vicissim quasi Matrem futuram Johanni, commendat. Eum autem esse hujus Euangelii scriptorem, ipsemet demonstrat, eadem periphrasi consueta, Johan. 21. vers. 20.* Videt discipulum, quem Jesus diligebat, &c. *et vers. 24. subjicit:* Hîc est discipulus ille, qui de his testa-

testatur, & hæc scripsit. *Vnde etiam causa efficiens principalis cognoscitur, nempe Deus, qui ut totius Sacræ Scripturæ, Spiritus sui inspiratione, atque directione, est author, 2. Tim. 3. v. 16. Sic et hujus Euangelii: utpote quod Apostoli est Christi, in omnem veritatem deducti, Johan. 16. v. 13. quique propterea Johan. 21. v. 24. de se, dilecto Christi discipulo, in tertia persona loquens, ait:* & scimus verum esse testimonium ejus. *Ideoque & impiè & ineptè olim circa annum mortis Christi 167. odio doctrinæ Johannis, de Jesu Christo λόγῳ vero Deo, hæreticus Artemo cum sectatoribus, Euangelium Johannis, quasi à Cerintho scriptum rejecit. Vnde sectatores illius ἄλογοι ab Epiphanio hæres. 51. & Alogiani ab August. lib. de hæres. cap. 30. nominantur. Qua de re pluribus Danæus in annot. ejusdem libri disserit. Cujus Artemonis impiæ ineptiæ inde apparent, quod Johannis Euangelio Cerinthii errores (de quibus August. de hæresib. cap. 8.) maximè confutentur. Deinde Euangelii Johannis Apostoli, Ecclesiæ traditi, αὐτόγραφον, tum adhuc extitisse, brevitas temporis & Ecclesiæ fides, satis arguit: ut etiam ἀπόγραφα, seu exemplaria inde descripta, & toto penè orbe propagata evincebant; & hostium etiam Ecclesiæ consensus accedit: qui licet hoc Euangelium (ut & alia) magno studio oppugnàrint, Johannis tamen esse agnoverunt, ut ex Juliano Imperatore Apostata (qui tres libros adversus sancta Euangelia scripsit, ut Cyrill. monet,) satis constat: quemadmodum verba illius contra λόγον, cap. 1. Johannis prolata, & deinde à Cyrillo confutata testantur, ut ex Cyrill. apparet contra Julian. pag. 181. edit. Basiliens. lib. 8. Atque hæc de Euangelii Johannis efficiente causa, seu scriptore, Johanne Apostolo; & authore Deo. Occasio autem scriptionis, ut prisci Theologi observarunt, fuit duplex. Vna, quod ab antecedentibus Euangelistis tribus, quædam scripta essent obscurius, & quædam omissa, quæ utiliter illustrari & explicari poterant: altera verò, fuit periculum contagionis errorum, cùm præsentium Ebionis & Cerinthi, qui Jesu Christi divinitatem negantes, eum Josephi & Mariæ filium esse (abusi genealogiis Christi, à Matthæo & Luca exaratis) contendebant; adeò ut salus Ecclesiæ hoc remedium à Deo & Johanne postularet; Neque solùm ut periculo præsentium errorum; sed etiam futurorum occurreretur, Dei providentia singulari, quartum hoc Euangelium, tribus prioribus accessit; ut veritas Euangelii de Christo, hac quasi quadriga subvecta triumpharet. Finis denique scriptionis hujus Euangelii proximus quidem, est Euangelicæ veritatis, de persona Christi θεανθρώπου, & attributis illius, cùm officio, tum beneficiis (præsertim de divina illius natura,) illustratio ac propagatio, ad finem usque mundi, Johan. 20. v. 31. & Matth. 28. v. 20. Vnde Cyrill. præfatione in Johannem, ait:* Hac re commotus Johannes, par esse putavit, tam præsentibus, quam futuris, hujus Euangelii conscriptione consulere. *Remotus verò finis est duplex: nempè medius quidem Ecclesiæ utilitas, cùm in vera fide accuratior institutio, & adversus Christi hostes confirmatio; tum salus æterna, Iohan. 20. v. 12. Deinde ultimus, Dei in Christo gloria, inde redundans.*

Atque hæc quidem de causis hujus Euangelii. Circumstantiæ verò descriptione à nobis simul indicatæ sunt duæ: lingua, qua conscriptum est hoc Euangelium, & tempus quando. Ac lingua statuitur Græca, quâ & reliqua scripta erant Euangelia: & quidem ratione, novo fœderi omnibus gentibus proponendo, convenientissima. Primùm ob communem illius intelligentiam. Nam de suis etiam temporibus Hieron. præfatione lib. 2. in Epistolam ad Galatas ait: Sermone Græco omnis Oriens loquitur. *Quinimò, inquam, & pars Occidentis. Nam in Italia & Gallia, Græcam linguam non ignotam fuisse, ibidem ostendit, & ex historiis constat. Secundò ob versionis in alias linguas commoditatem: quod Græca lingua præ cæteris omnibus maximè esset communis. Vnde & hoc Euangelium in Hebræum sermonem conversum est, ut Epiphan. hæres. 51. tradit. Cui consentanea, de Græco Iohannis Euangelio translato, referens Chrysost. in Ioban. Homil. 1. ait:* Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, & innumeræ aliæ gentes in suam linguam transtulerunt. *Atque hæc prima est Euangelii hujus circumstantia: altera verò est tempus, quo conscriptum. Quod generatim Patres statuunt, nempè post edita tria reliqua Euangelia, (nam plurima ab illis posita, tanquam satis jam explicata omittit) & quidem, uti sentiunt ætate senili, ut Epiphanius inter cæteros hæres. 51. tradit. Iohannes enim Apostolus diutissimè vixit, adeò ut anno demùm centesimo, à Christi nativitate obierit, ut Chronologi diligentiores ostendunt. Atque hæc ad tituli & descriptionis declarationem pertinent: sequitur porro scriptum ipsum, quod (si materiam ac scopum communem spectes,) dividitur in descriptionem primùm personæ; deinde eorum, quæ ad personam pertinent. Vt autem persona est Immanuel θεάνθρωπος, constans divina & humana natura; sic utramque, cap. 1. luculenter demonstrat. Ac divinam inde à cap. 1. vers. 1. ad 14.*

DE

DE PRIMA PARTE

CAPITIS PRIMI.

Constat autem duabus partibus, propositione & confirmatione illius. Propositionis scopus, est fidem Deitatis Christi, contra Ebionis & Cerinthii, (ut ante ostendimus,) & aliorum hæreticorum errores, stabilire. Summa verò est: Jesus est Filius Dei æternus, unum cum Patre essentia, persona verò distinctus. Propositio autem hæc continetur v. 1. & 2. Plenius quidem v. 1. hoc modo: *In Principio erat, ὁ λόγος & ὁ λόγος erat apud Deum, eratque ὁ λόγος Deus.* propositio autem est trimembris: Tres enim sunt enuntiationes: quæ unum quidem ac commune habent subjectum: tria verò attributa. Subjectum est ὁ λόγος; quo nomine Johannes, Dei instinctu, Filium Dei appellat, non hic tantum, sed in aliis etiam scriptis suis, ut 1. epist. cap. 1. v. 1. *Quod erat à Principio, quod audivimus, quod vidimus, &c.* περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, *de λόγῳ vitæ*, & Apocal. 19. v. 13. *Vocatur nomen ejus ὁ λόγος τοῦ θεοῦ*: Nec Johannes solus, sed etiam Lucas & Paulus ita nominant. Lucas quidem (etsi vulgò minus observetur) Euangelii cap. 1. v. 2. *Quemadmodum tradiderunt nobis qui à principio spectatores & ministri facti sunt*, λόγου, id est, *Jesu Christi*: ut loca illustria idem ostendunt, 1. Joh. 1. v. 1. & 2. Petr. 1. vers. 16. Atque ita ex Patribus rectè interpretatus est Epiphanius, contra Marcellianos, hæres. 72. & Athanasius Oratione 3. adversus Arrianos pag. 187. edit. Commel. & Ambrosius in Lucam: & ex recentioribus Valla, in annotat. ad hunc locum, & Budæus, Tom. 1. in Pandectas. Paulus verò duobus in locis. Primus est in oratione quam habuit, quæ narratur Actor. 20. vers. 32. *Commendo vos fratres Deo* (scil. Patri) *&* τῷ λόγῳ *gratiæ illius, qui potest vos superstruere & dare vobis hæreditatem inter sanctificatos omnes.* Nam quod objici potest, ea periphrasi λόγου *gratiæ Dei*, Euangelium significari: quia illud est sermo Dei quo gratia illius annuntiatur, unde *Euangelium gratiæ Dei*, ibidem vocatur, Actor. 20. v. 24. imò eadem omninò periphrasi dicitur Actor. 14. v. 3. *Freti Domino, qui testimonium dabat*, λόγῳ *gratiæ suæ*, id est, Euangelio: Ac propterea hic similiter de Euangelio, non autem de Filio Dei accipiendam hanc periphrasin: Negatur consequentia: quia non sufficit ad hanc rem, ut quod eadem periphrasi Euangelium alibi intelligitur, propterea hoc etiam in loco ita intelligatur: quia eadem phrasis, non eodem, sed diverso sensu, diversis in locis accipi potest, pro analogia fidei aut contextus. Quemadmodum circumstantia hujus sententiæ diversum sensum requirit: quia fideles huic λόγῳ gratiæ Dei commendantur; atqui Euangelio fideles non possunt commendari: quia commendatio est, qua aliquid fidei & curæ alicujus committitur, qualis Euangelio tribui non potest.

Deinde contrà Euangelium commendatur fidelibus, tanquam depositum fideliter servandum & observandum, Luc. 12. vers. 48 1. Timoth. 6. v. 20. ut etiam Paulus, 1. Tim. 1. vers. 18, propositâ Euangelii summâ, ait: *Hoc mandatum commendo tibi*, & 2. Timoth. 2. v. 2. *Ista commenda hominibus fidis*, & 2. Timoth. 1. v. 13. 14 *Exemplar teneto sanorum sermonum, quos à me audisti in fide & charitate quæ est in Christo Iesu, bonum depositum serva.* Ideoque nullibi, ab Apostolis aut Euangelistis, fideles Euangelio commendantur; sed contrà, uti ostendimus, Euangelium fidelibus. Deo verò, cujus fidelitate & cura custodimur, meritò commendamus nos: ut Christus, Luc. 23. v. 46. *In manus tuas commendo Spiritum meum*: & 1. Petr. 4. vers. 19. vel alios, ut Actor. 14. vers. 26. & cap. 15. vers. 40. Quod autem Filius Dei, hoc loco Pauli, non simpliciter λόγος; sed λόγος gratiæ Dei appellatur, descriptio est ab effecto proprio, quo ab omni alio λόγῳ distinguitur, quod author sit gratiæ Patris, per quem nos Pater sibi reconciliavit, & in quo nos gratos habet, Rom. 5. v. 1. Ephes. 1. vers. 6. & 7. Quod epithetum rectè adjicitur, ut causa notetur obliquè, cur fideles Filio Dei τῷ λόγῳ, commendentur. Quemadmodum, 1. Johan. 1. v. 1. distinctè etiam ab effectu suo, ad consolationem fidelium, Filius Dei, *sermo vitæ*, supple author appellatur. Quare hic meritò, Actor. 20. in Pauli verbis, per λόγου *gratiæ Dei* periphrasin, Filium Dei significari concludimus.

Alter Pauli locus, ubi per λόγον, Dei Filium intelligit, est Hebr. 4. v. 12. *Vivus enim est λόγος Dei & efficax, penetrantior quovis gladio ancipiti & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque ac medullarum, & dijudicat cogitationes cordis. Nec est ulla creatura, quæ non manifesta sit oculis ejus*, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, *ad quem* (vel πρὸς pro περὶ *de quo*, ut πρὸς τοὺς ἀγγέλους de angelis, Heb. 1. v. 7.) *nobis sermo.* Etsi enim hunc locum vulgò, de externo mei verbo ac Sacris Literis interpretentur: non omnes tamen circumstantiæ ei conveniunt; Christo verò optimè ut Apocal. 2. v. 12. 16. Nam primò *dijudicare cogitationes*, instrumentaliter quidem externo Dei verbo attribui potest: sed quod *nulla creatura sit, quæ non sit conspicua coram eo, sed oculis ejus omnia sint patentia*, verbo Dei externo tribui non potest. Hæc autem ad λόγον esse referenda, orationis series, & constructio demonstrat: & res ipsa λόγῳ æterno optimè convenit, ut qui verus Deus corda & renes scrutatur, ac judex est totius mundi & fidelium Servator. In cujus descriptione procedit proximè, cum ait: *habentes igitur Pontificem Iesum Filium &c.* Quibus accedit Patrum qui ita interpretantur consensus. Sic enim inter alios Athanas. contra Arrianos Oratione 3. pag. 189. edit. Com. & Cyril. Alexan. dialogorum de Trinitate lib. 1. declarant. Denique in Veteri Testamento locus est perspicuus, quo etiam filius appellatur דבר i e. λόγος, & Trinitas non minus disertè ponitur, quam 1. Ioh. 5 vers. 7. Is autem est Hagg. 2. v. 4. 5. *Sum enim vobiscum, dictum Jehovæ exercituum, cum Verbo quo pepigeram vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo stante in vobis, ne timeatis.* Cujus loci, illustris sanè, observationem Clarissimorum Tremellii & D. Iunii interpretationi acceptam ferimus, qui primi, nisi fallor, eum illustrarunt. Similis sententia est Psal. 33. v. 6. *Verbo Jehovæ cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Quam unanimi consensu Orthodoxi Patres, de Patre, Filio & Spiritu Sancto interpretati sunt. Calvinus verò, Trinitatis aliàs egregius assertor, hoc etiam in loco censuit Jehovam Patrem, & Verbum, Filium Dei designare: sed Spiritum oris opinatur non tertiam personam, sed secundam; idemque significare, Verbum Jehovæ, & Spiritum oris ejus. Cui rei probandæ adducitur dictum Esai. 11. v. 4. *percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum percutiet impium.* Sed bifariam responderi potest 1. negando antecedens: Nec enim idem hic sunt, *Verbum & Spiritus*: quia Spiritus latius patet, nec apud Esaiam necessariò sunt Synonyma, *virga oris & Spiritus labiorum*: Sed potius diversa, nempe Christi verbum & Spiritus: quibus duobus revera impios conterit, hoc est, devincit: quo etiam modo locus ille accipitur, 2. Thes. 2. v. 8. *quem Deus conficiet Spiritu oris sui.* Spiritum autem Sanctum, rectè appellari *Spiritum labiorum & oris Christi*, tùm ex reipsa, tum ex Sacris Literis apparet. Nam Spiritus Sanctus, non minus à Filio, quam à Patre procedit: & ut Pater per Spiritum; sic Filius per eundem operatur, unde *Spiritus Filii* dicitur, Rom. 8. vers. 9. & *Spiritus oris*, similitudine quadam appellatur: quod, ut ex ore Spiritus seu flatus: sic à Filio Dei primùm ab æterno Spiritus, deinde in tempore operatio illius procedat; ut indicatur Ioh. 20. v. 22. *afflavit* (nempe Christus) *eos, & dixit, accipite Spiritum Sanctum.* Deinde etsi locus Esaiæ (ut vulgo accipitur) hæc duo, *virgam oris & Spiritum labiorum*, eodem sensu usurparet: inde tamen non necessariò sequitur, in hoc Psalmo *Verbum Iehovæ & Spiritum oris* Synonyma esse debere: cum hæc verba diversa sint, & diversa significatione sensus sit congruentior.

Atque hæc per occasionem, ad hujus Psalmi de Trinitate memorabilem sententiam illustrandam pertinent. Unde illud constat, Iehovam & verbum Iehovæ distingui, & hac periphrasi Filium Dei ita appellari. Quemadmodum etiam & illud rectè est observatum, Chaldæum paraphrasten plurimis in locis, quæ de Messia loquuntur, pro Iehovę nomine מימר,

ne מימר, id eſt, λόγον, ſubſtituiſſe; quemadmodum doctiſſ. Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis, contra Iudæos lib. 3. cap. 4. & 5. demonſtrat. Ex hiſce igitur omnibus apparet, Filium Dei, non inſolenter à Iohanne λόγον appellari. De cujus vocis, hoc loco & ſimilibus, cùm interpretatione, tùm genuino ſenſu diſquiritur. Nam ad interpretationem vocis quod attinet, vulgò plerique *verbum:* alii verò cum quibuſdam Patribus Latinis *ſermonem*, plenius atque expreſſius Latinè transferunt. *Verbum* enim propriè Græcè eſt ῥῆμα & pars tantum λόγου. Veruntamen, per Synechochen partis pro toto acceptum, idem quod λόγος notat, ut Matth. 26. v. 75. *& recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod ipſi dixerat: priuſquam gallus vocem ediderit, ter me abnegabis:* & Rom. 10. v. 8. *propè eſt* ῥῆμα *verbum in ore tuo.* item: *hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* & Heb. 6. v. 5. *poſtquam guſtaverint bonum* θεοῦ ῥῆμα *Dei verbum.* denique 1. Pet. 1. verſ. 25. ῥῆμα *verbum Dei manet in æternum: hoc autem eſt verbum Euangelii.* Quare hoc modo idem valent *verbum* & *ſermo.* Verùm ad ſenſum genuinum quod attinet, major ſanè eſt difficultas. Nam licet in eo ſit interpretum conſenſus, Filium Dei appellari *verbum* vel *ſermonem*, non propriè; ſed impropriè per tropum: in tropi tamen explicatione, ſeu nominis impoſiti ratione, diverſa ſunt judicia. Diverſitatis autem hujus occaſio, eſt vocis τοῦ λόγου ambiguitas, & probabilis, pro varia ſignificatione convenientia. λόγος enim propriè *ſermo* eſt, ſeu oratio, & λόγος προφορικὸς ſermo prolatus & externus dici ſolet: unde per Metaphoram ad animam transfertur, & primùm *cogitationem* notat, quæ eſt quaſi tacita mentis oratio: atque inde, per Metonym. effecti pro ſua cauſa, *rationem*, ſeu cogitandi ac ratione utendi facultatem animę inſitam ſignificat: ut uſus communis Græcorum ac Philoſophorum inprimis declarat. Quo ſenſu homo definitur animal λογικὸν ratione preditum. Haſce ſignificationes etiam Ariſtotelis nota diſtinctio, inter τὸν ἔξω λόγον, καὶ τὸν ἔσω λόγον, externum oris, & internum animę ſermonem declarat. Quemadmodum rurſus, à Gręcis Patribus, λόγος, internus diſtinguitur; ut unus ſit ἔμφυτος καὶ οὐσιώδης, inſitus & eſſentialis, nempe ratio ſeu cogitandi facultas: alius verò ἐνδιάθετος inditus ſeu acquiſitus mentis conceptus, ac rationis operatio ſeu cogitatio. unde Heſychius Lexicographus: ἐνδιάθετος inquit λόγος, πᾶς λόγος ὁ ἐν τῷ νῷ λαμβανόμενος: *inditus ſermo, eſt omnis ſermo mente conceptus.* Atque hinc varię hujus vocis λόγου Ioh. 1. verſ. 1. interpretationes ſunt exórtæ, è quibus primariam excerpam. Nam primùm communis ea maximè eſt ſententia, Filium Dei λόγον à Iohanne appellari, per Metaphoram ab interno ſermone derivatam, & quidem à ratione: unde ipſum λόγον ἔμφυτον *ſermonem inſitum* vocant. Qua de re memorabilis ac celebris eſt Gregorii Nazianzeni ſententia, oratione ſecunda de Filio, quæ quarta eſt de Theologia, & Oratio 36. edit. Græco-Latinę: Sic autem ait: Secunda ante finem pagina: δοκεῖ δέ μοι λέγεσθαι, &c. λόγος, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα οὕτως ἔχει, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν: h.e. *Videtur mihi, &c.* λόγος *dici, quia ita ſe habet ad Patrem* λόγος, *ut ratio ad mentem, non ſolum propter generationem paſſionis expertem: ſed etiam conjunctionem & enuntiandi vim.* Quæ ſententia analoga quidem fidei eſt ſeu doctrinæ Sacris Literis explicatæ: Sed an Phraſi Scripturæ ſit conſentanea, diſquiritur. Quidam enim inſignes Theologi aliter opinantur, ut doctiſſimus Beza, in annotationibus ad hunc locum ait: *Mihi non ſit veriſimile, tam ſubtiliter illum voluiſſe hoc loco diſſerere;* & rationem addit: *Habenda, inquit, potius fuit opinor, ratio idiomatis Hebræi quam Græci. Quamvis enim Iohannes Græcè ſcripſerit, tamen in tradenda Theologia, ac præſertim in illis tradendis arcanis, neque à verbis, neque à locutionibus receſſit, quæ in verbo Dei & in Synagogis ita erant uſitatæ, ut ab ipſo etiam vulgo, ſi non res ipſa, at certè vocabula intelligerentur. Iam verò apud Syrum interpretem, pro* λόγος *legitur* מלתא *quâ voce ſignificatur* λόγος προφορικός: *quam linguam multi exiſtimant ętate Chriſti fuiſſe in Iudæa popularem, & in editione Chaldaica innumeris penè locis, pro eo quod in contextu ſcribitur Iehova, ſcriptum invenimus* מימר *& Chaldæus interpres ſæpè pro eadem habet Pithgam Adonai.* Hæc eruditè Beza; quibus hanc addo rationem: ſi cauſa, cur Filius Dei appellatus ſit λόγος, eſt quod ſit rationi menti inſitæ ſimilis: tum eadem erit cauſa, cur à Davide Pſal. 33. vocetur דבר *verbum aut ſermo.* Atqui non eadem eſt cauſa cur ita vocetur à Davide Pſal. 33. Ergo neque ea eſt, cur à Iohanne. Propoſitio nititur hypotheſi confeſſa ac probata ab Orthodoxis, cùm priſcis, tum poſteris: nempe quod eodem utrimque ſenſu Filius Dei vocetur *verbum* ſive *ſermo.* Aſſumtio verò probatur ex vocis Hebrææ & conjugatæ ſive thematis illius uſu. Nam דבר *verbum*, & דבר *verba facere* ſeu *dicere*, propriè ad externum verbum pertinere, ut Pſal. 18. verſ. 1. deinde per Metaphoram, ad internum ſeu ad cogitationem, quæ eſt quaſi ſermo intellectus, transferri, ut Pſal. 12. v. 3. & 14. verſ. 1. notiſſimum eſt: tertio vero modo, ut ſermonis intellectus cauſam, ſeu rationem inſitam menti (à qua cogitatio procedit) ſignificet, nullum prorſus documentum apparet, ideoque hęc ſignificatio, uſu omni deſtituta, non eſt admittenda, Pſalm. 33. Atque hęc de prima hujus vocis λόγου expoſitione atque examine.

Altera eſt, ut internus quidem ſermo intelligatur, ſed ita tamen, ut Metaphora ſit, non à ſermone inſito ſeu naturali mentis ratione: ſed ab effecto illius, cogitatione nimirum, ſeu oratione mentis, qui λόγος ἐνδιάθετος dictus, ut antea oſtendimus. Quo modo inſignis Theol. Wolffgangus Muſc. ad hunc locum ait: λόγος *ita ſermonem ſonat, ut nihilominus & rationem & ſapientiam ſignificet, qua quæ ſonitu proferuntur, intus in corde diſponuntur. ut igitur verbum, conſilium & ſapientia; mentis conceptu & partu, velut imago quædam in lucem profertur, & rectè cordis proles dici poteſt: ita & Chriſtus ſapientia, conſilium & verbum Patris, filius ac proles Dei eſt, imaginem Patris oſtendens, & in lucem ad mortalium cognitionem proferens.* Quo etiam Calv. ſpectat, cum ait Com. in Ioh. cap. 1. v. 1. *Quod ſermonem vocat Dei Filium, hæc ſimplex mihi videtur eſſe ratio, quia primum æterna ſit Dei ſapientia & voluntas, deinde expreſſa conſilii ejus effigies.* Nam *ut ſermo character mentis dicitur in hominibus: ita non ineptè transfertur hoc quoque ad Deum, ut per ſermonem ſuum dicatur nobis ſeipſum exprimere.* Verùm hęc expoſitio, etſi doctrinam complectatur veram, hoc tamen habet incommodi, quod unius ejuſdemq; vocis λόγου ſignificationem, non ab una metaphora (uti fieri oportebat) ſed à duabus ſimul derivet, nempe à ſignificatione duplici τοῦ λόγου: una, qua mentis orationem impropriè: altera, qua orationem ſeu ſermonem oris propriè deſignat. Deinde (ut de prima expoſitione dictum) primum hujus ſecundæ expoſitionis membrum, ſubtilius videtur, quam ut ſimplicitati doctrinæ Euangelicæ conveniat: ut omittam, quod non ſolum in eo ſtatuitur Metaphora, ſed etiam Synecdoche: cum mentis ſermo ſpeciatim, pro recta & ſapienti cogitatione accipitur. Ideoque multò minus, viri alioqui inſignis, Aretii expoſitio congruit: qui hujus vocis λόγου cauſas haſce, aliis etiam accumulat. Quod ad cautionem ſolum monemus: nam hac ratione adverſariis ridendi præbetur occaſio, cùm in cauſa nominis λόγου aſſignanda ea aggregantur, quæ in recto vocis uſu minimè concurrunt.

Atque hæc de primo expoſitionis genere, quo cauſa redditur, quamobrem Filius Dei vocetur λόγος, videlicet quod ſit ſimilis ſermoni hominis interno: ſive rationi inſitæ, ut quibuſdam videtur, ſive conceptæ, ſeu cogitationi, ut aliis placet. Alterum verò expoſitionis genus, eſt ut per tropum, à ſermone externo deſumtum, Filius Dei, λόγος appelletur: Sed modus tropi diverſè ab eruditis exponitur. Primus eſt, ut ſit Metonym. adjuncti pro ſuo ſubjecto, circa quod verſatur, nempè à verbo Dei externo petita: ut Beza in annot. explicat, his verbis: *Vt mihi veriſimile videatur Iohannem hoc nomen velut è medio ſumſiſſe, quo ſoliti fuerint veteres illi Meſſiam vocare, quaſi cum dicas de quo locutus eſt, ſive quem pollicitus eſt Dominus: ne quis fortaſſe me exiſtimet ſtatuere Filium, non eſſe ἔμφυτον λόγον, & Patri ὁμοούσιον. Itaque ὁ λόγος, benedictum illud Semen, Deum & hominem, hoc ſenſu declarat, de quo Adæ, Abrahæ, Iſaaco, Iacobo, Davidi, & electis omnibus locutus eſt Dominus, quaſi ſermonem ſeu promiſſum Dei voces.* Quam ſententiam ſequitur Lamb.

Dan.

Dan. in opusculis suis lib. de visibil. Ecclesia, pag. 1614. Verùm licet expositio hæc sit pia, non est tamen satis apta: quia eodem sensu λόγος à Davide Psal. 33. quo à Johanne usurpatur, ut antea etiam ostendimus, cui tamen Psalmo, hæc expositio eo modo non convenit. Quare alter modus est, ut Filius Dei dicatur λόγος sermo, per Metaphoram, non ab interno, sed ab externo sermone desumptam. Nam ut sermo hominis, est quasi character & index cogitationis mentis (unde ἄγγελος νοήματος nuntius cogitationis dici solet) sic Filius Dei is est, per quem Pater se patefacit. Quam expositionem proposuit August. Tom. 3. duobus illustribus locis. Quorum prior extat lib. 7. de Trinitate cap. 3. cùm de hoc verbo ait; *Illud enim æternum est, & illuminando dicit nobis de se & de Patre, quod dicendum est hominibus. Ideoque ait, nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare: quia per Filium revelatur Pater*, id est, *per verbum suum*. Posterior verò est lib. de fide & Symbolo cap. 3. *Verbum autem Patris ideo dictum est: quia per ipsum innotescat Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus cum verum loquimur, ut animus noster innotescat audienti, & quicquid secretum in corde gerimus. per signa hujusmodi ad alterius cognitionem perferatur: sic illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, verbum ejus convenientissimè nominatur.* Ex recentioribus deinde Theologis, idem omninò declarant, duo insignia Ecclesiæ reformatæ Lumina. Primum Petrus Martyr, Comm. in lib. Judic. cap. 6. & locis Comm. Class. 1. cap. 4. sect. 6. ita explicat, *Filius quippe Dei seu λόγος ab Euangelista nominatur, quod ab eo temerè fieri credendum non est: sed quia per ipsum Deus intelligatur loqui, cum Scripturæ testantur illum fuisse locutum. Ego toties Filio Dei Christo Domino nostro, id attribuendum censeo: nempe ut Deus per eum Patribus & Prophetis locutus fuerit.* Idque Martyr probat ex Joh. 1. v. 18. & 12. v. 41. qui locus etiam est memorabilis: *ista locutus est Esaias cum vidit gloriam ejus & dixit de eo.* Ubi voces istas *ejus* & *eo* ad Christum relatas, observandas monet. Deinde accedit Zacharias Ursinus, qui Tom. 1. in loco de Trinit. postquam Filium Dei vocavit personam, per quam Deus exerit suam efficaciam, & voluntatem suam patefacit ac perficit, proximè subjicit. *Hæc enim quamvis & ipsa nominatur sermo, quia Deus per eam loquitur; tamen de ea dictum est sermo ille erat Deus.* Quæ expositio etiam prioribus sententiis (licet alteram etiam conjungant) comprobatur, & à doctissimo Piscatore, postquam geminam nominis hujus rationem cum multis, initio in analysi proposuit: alteram tantùm in Scholiis non immerito reponit. Quam sanè simplicissimam, & præ cæteris, à difficultatibus liberam arbitramur: & scrupuli, qui à Clariss. Beza, aliquo modo moventur, facile eximi possunt. Nam primum ait: *Postrema hæc notatio, videtur nonnihil impropria: quia λόγος, nusquam alibi quod sciam accipiatur pro interprete, seu pro eo qui loquatur; sed pro eo potius, quod aliquis loquatur. Deinde quod eadem ratione posset quoque Spiritus Sanctus dici verbum*, id est, *interpres Filii, ex eo quod scriptum est infra Ioh. 14. v. 26. & 16. v. 13.* Verum responderi potest ad primam rationem, negari Consequentiam. Quia nititur hac hypothesi seu tacita propositione, nempe quæ vox non alibi in Scriptura accipitur eo modo quo illic exponitur, illa non ita est exponenda. At inquam hæc propositio non est solida, neque probata. Quid enim vetat quominus aliqua vox, per aliquem tropum & accommodatè ad rem ipsam, uno tantum in loco usurpetur? Quia possunt quædam dici per tropum aliquem, puta Metaph. Metonym. Synecd. semel tantum; neque necesse est, ut ad probandum tropum alia loca adhibeantur. Sufficit enim probare primùm propriam significationem non convenire: deinde tropum illum analogiæ, cùm doctrinæ fidei Sacris Literis traditæ; tum circumstantiæ contextus consentaneum: tertiò denique nullam expositionem aliam esse aptiorem. Ex. grat. Exod. 4. v. 16. ait Deus, *alloquetur pro te populum, eritque tibi pro ore.* An hic vox *oris* interpretem non significavit, antequam Jeremias cap. 15. v. 19. eodem sensu est usus? Et quid si non fuisset usus, an propterea ea vox aliter esset exponenda? Deinde Mal. 3. v. 23. Elias Propheta vocatur Johannes Baptista; Atqui nullibi in Veteri Testamento ea voce significatur. Deinde ibid. v. 20. Christus vocatur *Sol justitiæ*, cum tamen nullibi in Sacris Literis ita vocetur, etsi aliis eodem sensu; & *Sapientia*, Prov. 8. An verò alibi ita in Veteri Testamento usurpetur, disquiri potest. Deinde Iohannes Baptista ex Esaia ait; *Ego sum vox clamantis in deserto* Ioh. 1. v. 23. hoc est vocem edens, verba faciens, prædicans: atqui quantum observare potuimus non alibi ea significatione nomen *vocis* accipitur. Deinde negatur assumtio. Nam jam antè ostendimus verbum ita accipi in V. Testamento Ps. 33. & Hag. 2. quod significationes reliquæ ei non conveniant. Altera similiter ratio negatione Consequentiæ solvitur. Nam licet Spiritus S. sit interpres Dei, ideoque verbum Metaphoricè dici posset: inde tamen non sequitur, verbum hoc in loco Iohannis & similibus, non significare Filium Dei: quia circumstantia loci ostendit Synecdochicè Filium ita nominari, ut qui solus est Verbum caro factum. Alioqui etiam sequeretur sapientiam Prov. 8. non esse nomen Filii Dei: quia etiam Spiritus S. est sapientia Dei, & omnis sapientiæ author: sed hoc discrimen, quod sapientia Filium significans Prov 8. v. 24 25. à Spiritu S. generationis mentione distinguitur. Sic Spiritus S. Consolator dicitur, quod fideles consoletur Ioh. 15. v. 26. & tamen Filius etiam Consolator est, uti notum, & illis etiam verbis, *alium Consolatorem*, indicatur, hoc est, alium Consolatorem quam Filius est. Quamobrem ex hisce satis apparere arbitror, has rationes non esse solidas: sed Filium Dei, per Metaphoram, à sermone externo (tanquam conceptus mentis indice) derivatam, rectè *verbum* appellari: quod nimirum Pater per eum sese hominibus patefaciat, ut Ioh. 1. v. 18. & Matt. 11. v. 27. Verùm de tempore hujus patefactionis ac sermonis controversia est.

An Filius Dei, sermo Patrem patefaciens, in Sacris Literis vocetur absolutè, ratione omnis temporis; an verò relatè tantum, ratione temporis à nativitate sua ex Maria Virgine.

QUæ quæstio nec curiosa est, neque inutilis; quia ad rectam personæ Christi notitiam pertinet. & Orthodoxi quidem unanimi consensu prius statuunt. Contra verò Samosateniani, posterius affirmant. Sic enim eorum antesignanus Faustus Socinus in explicatione primæ partis capitis primi Johannis, id est, usque ad v. 15. hoc contendit. Causa autem efficiens, quæ ipsum movit, est illius de persona Jesu Christi hæresis; quasi is non sit æternus Dei Filius, ejusdem cùm Patre essentiæ: sed in tempore factus, cum ex Maria conceptus ac natus est: ac merum esse hominem, neque antea in rerum natura extitisse. Finis verò affirmationis illius fuit, ut argumentum Orthodoxorum, pro veritate tuenda ab iis propositum eluderet, & errorem suum (quem eo confutari animadvertebat) fucaret ac tueretur. Id quod facit, magnâ sanè animi arrogantiâ, quam ipso præfationis initio desertè patefacit, cum ait: *multa profectò sunt, in quibus adhuc Christianus orbis cæcutit, & plura fortasse quam quis vel credere vel etiam cogitare possit.* Hæc ille. Cùm contrà Socinum cæcutire, examen hujus controversiæ propositæ, satis, uti speramus, demonstravit. Orthodoxorum enim sententia est, Filium Dei, non solum, postquam è Virgine Maria natus est, extitisse ac locutum esse: sed etiam jam antea fuisse sermonem, & Deum Patrem partim interius, partim exterius, patefecisse. Idque probatur ex analogia fidei, seu ex Sacræ Scripturæ locis, ut ex brevi specimine apparebit. Prima enim inde deducta ratio hæc est. Ille, cujus Spiritu Prophetæ fuerunt edocti: ille eo tempore extitit, & Deum patefecit hominibus. Atqui sermo seu Iesus Christus Filius Dei, is est, cujus Spiritu Prophetæ fuerunt edocti, 1. Pet. 1. vers. 11. Ergo ille tempore eo extitit, ac Deum hominibus patefecit: Ideoque non primùm post nativitatem ex Virgine Maria. Deinde ille, cujus gloriam vidit Iesaias, & qui Iesaiam est allocutus, eumque misit, & de quo Propheta loquitur, is eo tempore extitit, Deique voluntatem patefecit. Atqui Filius Dei is est, cujus gloriam Iesaias vidit, & ipsum allocutus est, ac misit, & de quo Propheta locutus est. Ergo eo tempore extitit & Deum patefecit. Propositio perspicua est: quia cujus gloria videtur, ejus

ejus gloria & ille, necessitate consequentiæ existit: deinde qui loquitur & Prophetam mittit, non potest non existere. Assumtio similiter certa est, ex Esaia & Iohanne Apostolo. Ille enim cap. 6. initio describit gloriam Dei Jehovæ, v. 1. 2. 3. 4. Deinde dicit se vidisse eundem v. 5. & v. 8. & 9. ait: *Deinde audivi vocem Domini dicentis, quem missurus sum, & quis iturus est nobis?* (hic observandum, personarum distinctionem & numerum esse) *Cui dixi: En ego, mitte me. Tunc dixit, ito, & dic populo isti, &c.* Johannes autem Apostolus, cap. 12. v. 41. ea exponens ait: *Hæc dixit Esaias cum vidit gloriam ejus & locutus est de eo*; Ubi gloriam Domini Jehovæ apud Esaiam, Christi fuisse gloriam: & quæ de Domino illo dicuntur, de Christo locutum esse testatur. Nam pronomen *αὐτοῦ ejus*, item *eo*, de Christo perspicuè dici ex antecedentibus vers. 36. & proximè sequenti v. 42. apparet. Præterea ille, qui Israëlitas est allocutus, & quem tentarunt illi in deserto: is tum temporis extitit, ac Dei voluntatem patefecit. Atqui Christus est is, quem tentarunt Israëlitæ in deserto. Ergò tum temporis extitit, ac Dei voluntatem patefecit. Propositio per se clara est. Nam quod non est, non loquitur nec tentatur: & quod loquitur, necessitate consequentiæ existit. Assumtio autem extat, partim Exod. 23. vers. 20. ubi Christus vocatur Angelus seu nuntius Dei, nempe Patris, ad Israëlitas servandos missus: cujus voci obtemperandum, nec eum exacerbandum, quod non laturus esset defectionem impunitam, quia *nomen Dei in eo est*, hoc est, verus est Deus. partim Num. 21: v. 5. ubi Israëlitæ dicuntur murmurasse contra Deum: Jehovam autem immissis serpentibus eos punivisse. Eum autem esse Christum, Paulus 1. Cor. 10. v. 9. attestatur, cùm ait: *Ne tentemus Christum, quemadmodum & quidam eorum tentarunt & à serpentibus perierunt.* Nam quod adversus hunc locum contra Wiekum excipit Socinus, per Christum Mosen intelligi, qui Christus vocetur, quia fuit electus à Deo in populi ducem, unde etiam alicubi Rex vocatur: absurdissimum est. Nam de Iesu Christo agi, non de Mose, res ipsa loquitur. Nec enim Christiani Corinthii, quos à tentatione Christi absterret, potuerunt Mosen tentare: Nec etiam in sequentibus ulla Mosis mentio. Quare ex hisce satis constare potest, Filium Dei, sermonem vocari absolutè, non autem relatè tantum ad tempus, ex quo è Virgine Maria natus est. Nam quod adversus hæc objicitur, Heb. 1. v. 1. dici: *Deum olim multis partibus & modis locutum esse Patribus per Prophetas, ultimis verò hisce diebus locutum esse nobis per Filium*: sententiæ antè confirmatæ non repugnat. Nec enim hinc sequitur; Ergo olim non est ullo modo locutus per Filium: sed tantum per Prophetas: quia non absolutè, ac generatim, de omni locutione Dei agit: sed de ea, qua Ecclesiam exterius docet: atque ea in re, conditionem Ecclesiæ Novi Testamenti præstantiorem esse docet quam Veteris Testamenti. Quod videlicet in Veteri Testamento Prophetæ meri homines & quidem partitò atque obscurius; in Novo verò, Filius Dei, verbum homo factum, Ioh. 1. v. 14. Deus patefactus in carne, 1. Tim. 3. v. 16. plenius ac clarius voluntatem Patris patefecerit, Ioh. 1. vers. 16. 17. & 18. Unde etiam Hebr. 3. vers. 3. 4. 5. 6. Christum Christianorum Apostolum seu legatum à Deo missum ac Doctorem summum, Mosi, tanquam Dominum servo, & tanquam Deum creatorem omnium, creaturæ opponit. Idemque ex objecto capite primo ad Hebr. apparet. Nam. v. 2. Apostolus ait: *per Filium secula condita*, & v. 10. eum *Dominum esse, qui terram fundavit, cujus manuum opera sunt cœli*: Unde sequitur, ex hoc proprio solique vero & æterno Deo convenienti opere, Filium hunc esse verum & æternum Deum; ideoque olim locutum esse Patribus mediatè per Prophetas; tandem verò hominem factum immediatè, per seipsum, ad posteros Patrum peculiari gratia locutum. Pater enim per Filium & Spiritum Sanctum Prophetas, & per illos Ecclesiam, olim ante Filium hominem factum, est allocutus: ut 1. Pet. 1. vers. 11. & 12. traditur, Spiritum Christi in Prophetis fuisse ac pronuntiasse doctrinam salutis per Christum venturum. Idemque Joh. 12. v. 41. & 1. Cor. 10. v. 9. (ut ante ostendimus) comprobatur. Denique sequentia Ioh. cap. 1. attributa huic sermoni, v. 1. 3. & 8. demonstrant, Filium Dei semper extitisse, & Deum Patrem patefecisse, quemadmodum ex eorum examine constabit.

Atque hæc de subjecto λόγῳ. Ad attributa transeamus. Primum est: *Erat in principio.* Quo prima Euangelistæ enuntiatio absolvitur; unde hoc citra controversiam concluditur, Filium Dei λόγον dictum, ante principium extitisse, quia non ait; in principio esse cœpit, sed erat. Idque adeò clarum est, ut ipsemet Socinus in explicatione hujus capitis pag. 14. loquens de sermone: *In principio*, ait, *jam erat, & erat à Deo huic muneri, voluntatem suam scilicet patefaciendi, destinatus.* Deinde principium mundi seu rerum creatarum intelligi etiam confessum, quia Johannes disertè v. 3. asserit: *omnia per hunc facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit.* In hisce est consensus: sed de mundi & rerum creatarum significatione, controversia est.

An Principium Creationis proprè dictæ seu primæ, de qua Geneseos cap. 1. agitur; an vero impropriè per Metaphoram ac secundæ creationis, seu spiritualis renovationis mundi per Euangelium; principium hoc loco intelligetur.

PRius asserunt Orthodoxi plerique. Nam quod Cyril. Alex. & quidam alii veterum, *per principium*, Deum Patrem intelligunt: ut sensus sit, quod Filius in Patre erat, illud alienius esse, res ipsa satis declarat. Nam imperfecta redditur hoc modo Iohannis oratio, & inconcinna: ob tautologiam quæ committeretur. Id enim ostendit quod sequitur, *& sermo erat apud Deum*, quod nihil aliud, quam in Deo Patre. Denique intelligitur in Principio quod vers. 2. conjunctim enunciatur, *hic erat in principio apud Deum.* Ideoque si Cyrilli interpretatio constaret, sensus esset, in Patre erat apud Patrem: quod inanem repetitionem complecteretur. Quare alii meritò principium creationis primæ exponunt. Contra verò posterius, seu principium creationis secundæ ac spiritualis per Euangelium, intelligi debere Socinus contendit, ut ex pag. 8. constat, cum ait: *Johannes, cum de spirituali mundo per Christum creato scripturus esset, usus est illa ordinis voce, non autem æternitatis notâ: ut intelligamus verbum hoc fuisse, non quidem ab omni æternitate, sed anteres creatas omnes novi mundi*, & pap. 13. ait: *in principio erat verbum, hoc est, Christus Dei Filius in principio Euangelii, eo nimirum tempore quo Johannes Baptista ad frugem Israëlitarum populum revocare cœpit, & antequam ipsius Baptistæ prædicatione innotuisset, jam erat.* Hæc de statu controversiæ utrimque; quem paucis expendemus. Ac priorem sententiam, de principio creationis primæ mundi, de quo Gen: 1. vers. 1. veritati consentaneam esse ex iis quæ de λόγῳ Deitate, & locutione per Prophetas adduximus, comprobatur: & ex sequentibus Johannis verbis amplius postea elucebit. Socini verò expositionem esse meram Scripturæ perversionem, demonstrat inconstantia, & vanitas illius. Inconstantia quidem, cum voci *principii* hoc in loco duas ad scribit diversas significationes, nempe principium novi mundi & principium Euangelii. Quæ inter se perspicuè differunt, tanquam consequens effectum, & antecedens causa instrumentalis. Euangelii enim principium fuit ante principium novi mundi, seu restauratæ Ecclesiæ: quia creatio illius spiritualis seu regeneratio fit præcedente Euangelio, 1. Pet. 1. v. 23. & Jacob. 1. v. 18. Si igitur *principium* Joh. 1. v. 1. significat principium novi mundi, non significat principium Euangelii: sin verò significet principium Euangelii, non significat principium novi mundi: quia hæc natura & ordine differunt. Neque excipi potest meritò, hoc in loco, hæc duo probè convenire: quandoquidem Euangelium est principium seu causa efficiens novi mundi: quoniam ea exceptione ac ratione, ineptâ homonymiâ luderetur. Cum enim hic agitur de principio, vox hęc accipitur significatione propria, pro prima parte rei, de qua agitur: non autem Metaphoricè, pro causa efficiente, quæ similis principio; Quæ ut principium rei alicujus reliquas illius partes antecedit: sic causa efficiens rei, rem ipsam. Quare inconstans

hæc est

hæc est expositio. Deinde vana etiam est, quia prorsus inepta, falsa, ac probatione Scripturæ destituta. Ineptam enim esse inde apparet, quod cùm Euangelium, significet veram annuntiationem Christi Servatoris nati; sensus erit ex Socini mente; In principio annuntiationis Christi nati, Christus erat seu existebat: quæ insolens omninò, & ridiculè superflua oratio. Quis enim adeò desipit, ut qui verè aliquem natum annuntiari credat, ut non multò magis existere intelligat? quod vera ea annuntiatio esse non possit, nec talis credi, nisi res ipsa existat. Deinde falsam etiam esse apparet, quia Euangelii principium perperam definit, cum ita ait pag. 14. *Euangelii principium à Baptistæ prædicatione ducendum esse.* Nam quamvis publica Euangelii prædicatio inde cœperit initium: falsum tamen est, Euangelium generatim inde cœpisse, & principium illius non ante extitisse. Quia illud Angelis Dei in Sacris Literis adscribitur: ut enim conceptionem Christi proximè futuram Luc. 1. v. 30. & seq. & factam Matt. 1. v. 20. & 21. Sic nati Christi Euangelium pastoribus annuntiarunt, ut Luc. 2. v. 10. *dixit Angelus: ne timete, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo: quia hodiè vobis natus est Servator, qui est Christus Dominus in civitate Davidis.* Imò & ante Johannem Baptistam post Angelos Euangelium annuntiavit in templo Symeon, Luc. 2. v. 29. 30. & Anna Prophetissa, eodem tempore, in templo, ut Luc. 2. v. 38. *Hæc igitur cum eo ipso momento supervenisset, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem in Jerusalem.* Ac propterea falsum est absolutè, principium Euangelii, fuisse prædicationem Johannis Baptistæ, ut Socinus contendit. Deinde ex hoc etiam apparet falsum esse, principium novi mundi seu restauratæ Ecclesiæ esse à prædicatione Johannis Baptistæ: Nam ut Euangelii principium, ante fuisse ostendimus; Sic non fuit inutile, sed ad pastorum & aliorum conversionem efficax, Luc. 2. v. 16. 17. 18. & 38. Denique hujus expositionis adversarii vanitas, inde etiam demonstratur, quod thrasonicè ait pag. 4. *Quæ dicenda sunt, ut majore ex parte nova, & nostro seculo inaudita*: & efficaces suas rationes jactat temerè, ut ex examine constabit. Ratio autem est pag. 4. *Nam Euangelii principium à Baptistæ prædicatione ducendum esse ex Marco cap. 1. vers. 1. liquidò constat, quem hic noster (quod ad principii nomen attinet) authorem habet.* Verum quod probandum erat, minimè hic demonstratur. Asserit enim tantùm, quod noster (scilicet Johannes) Marcum, quod ad principii nomen, authorem habet: nec enim sequitur: meminit Marcus principii Euangelii: Ergo Johannes ipsum imitatus est, & nomine principii idem intelligit. Deinde etsi Euangelii, ratione publicæ ac solennis prædicationis, principium fuerit à Johannis Baptistæ ministerio: generatim tamen loquendo, jam antea principium illius fuisse, multis perspicuè demonstravimus. Quod autem ait contra Wiekum pag. 329. principium significare initium aliquod, idque pro subjecta materia varium ac diversum: illud agnoscimus; sed quod postea subjicit: *Cùm igitur subjecta materia hic sit Euangelium, nulli dubium esse potest, quin hoc loco, in principio, Euangelii initium significet.* Negatur antecedens: quia circumstantiæ hujus loci ostendunt agi de principio mundi, seu rerum creatarum, ut antè ostendimus, & Socinus ipsemet exponit, (etsi mundum, & res creatas metaphoricè accipiat) ac propterea non intelligi principium Euangelii (ut antea ex differentia mundi & Euangelii clarissimâ demonstravimus) sed principium hujus mundi, seu rerum creatarum per Dei Filium. Unde concludimus, sermonem hunc seu Filium Dei esse æternum: quia ante creatum hunc mundum nullum fuit tempus, hoc est, duratio rei præsens, præterita & futura: sed mera æternitas, seu infinita ac successionis omnis expers duratio. Atque ita primum τῷ λόγῳ attributum, nempe, quod in principio erat, adversus Socini corruptelas assertum. Alterum verò est, quod de sermone eodem ait Johannes: *Erat apud Deum.* In cujus loci explicatione, consensus est triplex. 1. Declarari his verbis, ubi erat λόγος. Deinde Dei nomine hîc intelligi Patrem; Denique sermonis à Deo Patre distinctionem notari, quod videlicet Filius alius sit à Patre, apud quem erat; idque hac etiam phrasi designari, ut etiam adversarius contra Wiekum, pag. 335. disertè affirmat his verbis: *Respondeo distinctionem apertissimam personarum Patris & Filii jam ab Euangelista fuisse factam, cum dixit: hunc fuisse apud illum.* Hæc ille. Verùm oritur jam

Quæstio, quid hoc loco significet: *Erat apud Patrem.*

IN qua dissolvenda, inter Orthodoxos & Socinum dissensio est. Illi enim, ut ante principium hujus mundi, sermonem extitisse, (quia erat in principio) statuunt: sic apud Patrem, hoc est, in Patre extitisse exponunt, ut Johan. 14. vers. 11. Christus ait, se esse in Patre, unius scil. ejusdemque essentiæ singularis utriusque ratione: Id quod etiam asseritur Iohan. 17. vers. 5. *Glorifica me Pater apud teipsum ea gloria, quam habui apud te, antequam mundus esset.* Socinus verò contra exponit hoc modo, pag. 14 *Et verbum erat apud Deum, hoc est, Jesus, quatenus Dei verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat.* In qua expositione, duplex est Sacræ Scripturæ perversio: una ratione doctrinæ; altera ratione phrasis illius Doctrinæ quidem: quoniam Sacra Scriptura tradit, multis prædicatum ac notum fuisse jam antea, Iesum esse Christum Servatorem Ecclesiæ; ut Mariæ virgini, & Iosepho, & Elizabethæ ac Zachariæ, parentibus Baptistæ, etiam ante nativitatem, & postea pastoribus, Magis, Symeoni, Annæ prophetissæ, & multis Christum expectantibus, quibus ipsa hoc Euangelium annuntiavit; ut ex Matt. cap. 1. & 2. & Luc. 1. & 2. apparet. Unde constat, ante & post nativitatem, Iesum esse Christum, fuisse notum hominibus non paucis ante Iohannis Baptistæ prædicationem. Objicit quidem Socinus, pag. 14. ad sententiam suam probandam Baptistæ verba. Primùm: *Ego baptizo vos aquâ, medius autem vestrum stat, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est,* Iohan. 1. vers. 26. Deinde addit: *Imò & Baptista, quisnam esset Christus, se ignorasse fatetur, dum inquit: & ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur in Israël, propterea ego veni aquâ baptizans.* vers. 31. Verùm homonymias sophismate ludit adversarius. Nam notitia alia est mentis, alia est sensus. De priori inter nos quæstio est: Hæc autem testimonia de posteriori loquuntur. Nam licet Pharisæi, ignorarent Christum utroque modo, alterum tamen hic spectat Iohannes; quod in medio ipsorum stantem Christum, non cognoscerent: quemadmodum etiam Iohannes de se similiter ait, *non noram eum*, quia faciem ac formam illius ignorabat. Nam Filium Mariæ virginis esse Christum, eoque Prophetam ac sermonem Patris, ignorare non potuit: partim, quia miraculo quodam cùm adhuc in utero esset materno, ad matris Christi salutationem exultavit, Luc. 1. v. 41. & 44. partim, quia nullo modo credibile est, Iohannis parentes piissimos, cognitionem quam de Iesu Christi adventu, officio, & effecto, & Baptistæ filii ministerio in via illi præparanda habebant per revelationem divinam, contra officium reticuisse, & Euangelium salutis tantopere expectatum dissimulasse: quod tamen tam illustri Cantico prædicarat: sed potius contra, pro officio institutionis filii patefecisse, ut ab Anna prophetissa, in Euangelio prædicando omnibus iis, qui Hierosolymis redemptionem expectabant, Luc. 2. vers. 38. factum esse recensetur. Undè perspicuè etiam apparet, quamvis Iohannes venerit ut Christus manifestaretur Israëli, nimirum publico & continuo ministerio: ante tamen ab Angelis & sanctis hominibus manifestatum ad tempus, non paucis. Deinde falsa etiam est Consequentia: quidam ignorarunt Iesum esse sermonem: ergò omnes: omnes enim ignorasse, probandum; cum illud apertè asserat adversarius, & probandum susceperit. Hoc enim notat cum ait: *Erat apud Deum: hoc est, soli Deo notus erat.* Ergò prima Socini perversio Scripturæ, ratione doctrinæ illius conspicitur. Altera autem est perversio phrasis Scripturæ, cùm insolentem prorsus significationem illi affingit: quasi *apud Deum esse*, significaret, Deo soli notum. Nam quod ait: *Constat in Sacris Literis dictionem* apud, *in hac significatione usurpari*, meritò negamus.

Objicit quidem dictum, 1. Iohan. 1. verf. 2. *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis.* Sed respondemus, hoc nihil ad rem. Sensus enim est perspicuus, ac Scripturæ consentaneus: Primùm *vitam æternam* hoc loco denotare personam τῦ λόγε, nempè Filium Dei, ut verf. 1. vocatur *sermo vitæ:* & 1. Iohan. 5. verf. 20. *verus Deus ac vita æterna:* in quo vita est, ut in fonte, à quo vita æterna derivatur, verf. 12. & Ioh. 1. v. 4. Hanc autem vitam æternam, seu Filium Dei, Iohannes ait se annuntiare; describit autem duobus membris, primum est, quod erat apud Patrem, hoc est, in Patre, ut verus & invisibilis Deus; alterum quod assumptâ humanâ naturâ, visibilis factus est ac manifestatus, ut verf. 1. *Quod audivimus & vidimus & contrectavimus de sermone vitæ,* & initio hujus versus objecti; *vita patefacta est, & vidimus.* & Iohan. 1. verf. 14. *Sermo caro factus est, & habitavit inter nos & vidimus gloriam ejus, ut gloriam unigeniti à Patre.* & 1. Timoth. 3. v. 16. *Magnum pietatis est mysterium, Deus manifestatus est in carne.* Quare ex hoc dicto 1. Iohan. 1. verf. 2. Vita æterna erat apud Patrem, non rectè probatur, Ioh. 1. v. 1. *erat apud Patrem* significare, notum esse soli Patri. Neque opponitur directè, ut adversarius statuit, manifestationi: sed ei potius componitur: quod qui apud Patrem erat, & in Patre est ac manet, homo factus in carne sit conspicuus, quem Apostoli viderunt. Contrà verò hic locus retorqueri ita in adversarium potest: qui est vita æterna: seu verus Deus, & vita æterna; ille est æternus, principii temporis & finis expers. Filius Dei est talis, ut ostendimus. Ergò æternus: ac propterea non est merus homo, ut Socinus contendit, quasi scil. ante nativitatem è Virgine Filius Dei non extitisset. Neque alter etiam, quem ad phrasis hujus perversionem adducit, locus idoneus est, Luc. 2. v. 52. *Et Jesus proficiebat sapientia, ætate & gratiâ apud Deum & & homines;* Quod idem est (ait Socinus) ac si diceret, in Dei & hominum conspectu. Respondetur enim non eandem esse phrasin, de qua agimus; sed aliam, ut etiam expositio Socini arguit. Non enim dicitur, erat apud Deum, sed proficiebat sapientia apud Deum; quæ, sanè valdè diversa sunt. Deinde *apud Deum*, non significat, soli Deo notus erat: nam contrarium statuitur proximis verbis, cum additur, *& apud homines.* Contrà verò, adversario probandum est, *apud Deum* significare, soli Deo notum. Ergò à scopo suo ineptè aberrat, & error turpis est ignorationis elenchi. Quare temerè toties inculcat: *Quòd verbum, & Christus esset, id verò omnibus prorsus ignotum erat*, pag. 14. & ibid. *Erat apud Deum, hoc est, soli Deo notus erat*, & pag. 15. *Quæ* (vita æterna) *prius omnes penitus latebat, mundo innotuit:* item: *Ante Baptistæ prædicationem in mundo ignotum fuisse, adeò ut jure non secus ac vita æterna tunc temporis apud Deum fuisse dicatur.* Quæ crebra, tam crassi erroris (jam ante perspicuis testimoniis confutati,) indignitas evincit, Christum Socino fuisse ignotum, si seriò egit: sin secus, impio ausu in eo laborasse ut notum Christum, ignotum redderet. Atque hæc ad vindicationem secundi attributi, quod de λόγῳ enunciatur, nempe quod sermo ille *erat apud Deum.*

Tertium est, ϗ θεὸς ἦν ὁ λόγος, de quo consensus est inter orthodoxos & Socinum, in nonnullis. Primùm, quod hujus enunciationis subjectum (ut etiam articulus indicat,) sit ὁ λόγος, etiamsi præposterè, ut sæpe fieri solet, ponatur. Attributum verò, quod de eo prędicatur esse, ἦν θεὸς, ut ordo genuinus sit, *& sermo ille erat Deus.* Deinde in secundo attributo: *Erat apud Deum*, vocem *Dei*, Deum Patrem notare: in hoc verò, *erat Deus*, Deum Patrem non notare, quia Filius non est Pater, sed apud Patrem, ab eo distinctus. Dissensio verò est de genuina vocis *Dei*, in hoc attributo, significatione.

Quidnam vox *Deus* in his verbis: *& sermo erat Deus*, significet.

Antequam verò hanc quæstionem discutiamus, quædam de propria vocis Dei significatione præmittenda; ut rei tractatio magis illustretur, & adversario uberius occurratur. Quidam enim censent, hoc nomen, Hebræis אלוה & plurale אלהים pro singulari usurpatum, propriè *judicem* significare, atque communem esse significationem, vero atque æterno Deo, & creatis Angelis ac magistratibus: quemadmodum vulgò Rabbini tradunt, & inter alios D. Kimchi in Comment. in Psalm. 4. verf. 2. *Omne*, inquit, *Elohim significat judicem.* Quæ sententia plurimis viris piis atque eruditis comprobatur. Alii verò statuunt, eam vocem in Sacris Literis significare propriè ipsummet æternum atque omnipotentem Deum: Impropriè verò, per metaphor. ob similitudinem quandam aliò transferri: & quidem primùm ad eos, per quos Deus, quasi per vicarios suam potentiam ac potestatem exercet. Quomodo hoc nomine vocantur Angeli, Psalm. 8. v. 6. cum epistola ad Hebr. 2. v. 7. & magistratus Exod. 22. verf. 28. & Psalm. 82. v. 1. Deinde transfertur etiam vox *Dei* ad idola ac falsa numina, per vocis abusionem: non quod sint Deus propriè, aut vicarii Dei; sed quod ea pro Deo vero, à suis habeantur ac colantur, atque ea in re, externam aliquam, ob hunc cultum, similitudinem habeant veri Dei. Unde in Sacris Literis distinctè *Deus*, epitheto *veri* ac *viventis*, ab omnibus distingui solet: quemadmodum Jerem. 10. verf. 10. *Iehova Deus veritas* (aut veritatis, hoc est, verus.) *Ipse verus Deus & Rex sempiternus:* & eodem sensu, *naturâ Deus*, iis qui natura non sunt Dî, Galat. 4. verf. 8. opponitur: Atque ita 1. Corinth. 8. v. 4. dicitur, *nullus est Deus alius, nisi unus.* Quæ sententia priori præfertur. 1. Quia si אלוה & אלהים pro singulari usurpatum aut plurali, *judicem* propriè significaret; tum oriretur à radice quæ *judicare* significat, ut apud Hebręos nomina officii & actionum verbalia sunt, quę à verbis derivantur. Atqui vox אלוה non derivatur ab aliqua radice: quia est radix ipsa. Nam quod nonnulli ab אלה *execratus est*, item *juravit*, deduci statuunt, quod per Deum solum sit jurandum: illud quidem, si rem spectemus, concinnum est: sed Grammaticæ repugnat; quia in hoc verbo, ה est quiescens, in אלוה verò mobile, hoc est, pronunciatum. Deinde neque etiam ratio Davidis Kimchi, quam in Comment. ad Psalm. 4. verf. 2. adducit, hoc rectè demonstrat: *omne Elohim significare judicem: quia ita judices in terra appellantur.* Nam licet ita appellentur interdum, inde tamen non sequitur, esse appellationem propriam, sed potius, quemadmodum ante dictum, metaphoricam: ut ea ratione, Magistratuum origo & potestas à Deo accepta indicaretur, ad majorem erga eos reverentiam & obedientiam excitandam: quod scil. sint quasi vicarii Dei in terris: unde etiam *potestates à Deo ordinatæ* appellantur, Rom. 13. v. 1. 2. Non enim sequitur, judices vocantur dii in terris: Ergo eadem significatione Deus in cœlis. Quia etsi hoc nomen de utrisque dicatur: non propterea tamen eadem est nominis utriusque ratio: quia ὁμωνύμως, ac diversâ ratione accipi posse ostendimus: propriè de Deo vero, seu æterna & omnipotente substantia: metaphoricè verò de Magistratu; quod ut verus Deus, sua potentia ac sapientia omnia gubernat: sic magistratus, quasi vicarii Dei, accepta ab eo potestate, ei in hominum gubernatione sint similes.

Præterea si ea vox propriè *judicem* significaret: quomodo sine tautologia, judex de eo Prædicaretur: ut Psalm. 7. v. 12. & 50. v. 6. *Deus est Judex.* Quare non rectè Socinus ait, p. 16. *In divinis literis nomen hoc κατ' ἐξοχὴν (seu, ut quidam loquuntur, per antonomasiam) tanquam ejus proprium, illi summo omnium authori Deo tribuitur, quippe qui sit omnium Dominus atque judex, & fons atque origo ac largitor omnium bonorum.* Nam quod uni κατ' ἐξοχὴν tribuitur, illud aliis, (quibus hoc nomen commune est) eadem significatione convenit, exceptâ tantùm excellentiâ. Atqui Deum de vero Deo, & creatis rebus dici, non eadem judicis significatione aut dominii, sed diversa ratione apparet; cum de illo propriè: de hisce non nisi metaphoricè dicatur. Qualis etiam metaphora est Latinis, in eo exemplo quod Socinus indicat; *Homo homini Deus*; hoc est, Deo collatione auxilii ac beneficiorum similis.

Quare hisce jam præmissis, ad quæstionem de significatione vocis Dei, Ioh. 1. v. 1. procedamus. Orthodoxi enim propriè, de vero & æterno Deo accipi affirmant: & ex analogia

nalogia seu convenientia, primum contextus (seu orationis propositę) deinde S. Scripturę reliquę, jam antea citatę, demonstrant: quia sermo hic fuit ante res omnes creatas, v. 1. easque omnes fecit v. 3. & Coloss. 1. v. 16. Ac Dominus est, qui initio terram fundavit, & cujus opera sunt cœli, Hebr. 1. v. 8. Coll. cum 10. *Verus Deus & vita æterna*, 1. Ioh. 5. v. 20. quod *veri Dei nomen*, soli æterno Deo, in Sacris Literis attribuitur. Contrà verò Socinus hoc confidenter, p. 16. negans, ait: *At verò asserere, Christum ita Deum esse, ut summus ille sit altissimusque rerum omnium author, qui cœlum terramque condidit, suprema est inscitia. Nam in Sacris Literis, solus ille Iesu Christi Pater atque omnipotens Iehovah, hoc honore insignitur.* Imò inquam contrarium jam ante demonstravimus, Filium esse omnipotentem cœli terræque conditorem, ac Jehovam. At objicit 1. Corinth. 8. v. 5. & 6. *Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra: quemadmodum sunt dii multi & domini multi: nobis tamen unus est Deus, Pater ille, ex quo omnia.* Quidam viri eruditi ac pii respondent, fallaciam esse homonymias: nomen *Patris*, in quæstione sumi personaliter de persona Patris, relatè ad Filium: in hoc verò Pauli loco, eam vocem essentialiter & metaphoricè, pro creatore omnium usurpari, ut Malach. 2. v. 10. Ideoque tribus personis commune esse epithetum. Veruntamen distinctio Patris ex quo omnia: & Jesu Christi, per quem omnia; hanc responsionem non videtur satis admittere. Quare *Patris* voce, de prima persona accepta, respondemus negatione consequentiæ. Primùm quia Pater hic est subjectum, ut additus articulus ὁ (cum dicitur ὁ πατὴρ) indicat; & εἷς Θεὸς prædicatum. Jam verò agnoscimus Patrem esse Deum unum: sed inde non sequitur, quod Filius & Spiritus Sanctus excludantur, quia & Filius est Deus unus, & Spiritus Sanctus similiter. Nec propterea tamen sunt plures dii, sed una ac singularis trium personarum deitas; atque ita singulæ divinæ personæ sunt unus Deus. Quomodo etiam Christus ait: *Ego & Pater unum sumus.* Secundò etiamsi subjectum hujus sententiæ Pauli, esset *unus Deus*, prædicatum verò, est *Pater*, non tamen rectè ex eo concluderetur, unus Deus est Pater, ergo est Pater solus. Denique etiamsi hoc rectè sequeretur: inde nihilominus nondum obtineret Socinus id quod contendit, nimirum Filium, à Deitate Patris hoc loco excludi; quia vox *solus*, quæ alios excludit, de Patre etiam (ut de reliquis,) potest accipi bifariam, vel absolutè, ut omnes citra exceptionem excludat: vel relatè ad creaturas, quæ à nomine Dei propriè accepto, seu à vero, & natura Deo excluduntur: ut hoc in loco multis diis dictis, opponitur unus Deus. Idque ex hoc ipso loco probatur: Nam si ex eo, quod dicitur: *Vnus Deus Pater*, rectè concludatur, Filium excludi à deitate: sequetur etiam, cum proximè subjiciatur: *Et unus Dominus Iesus Christus.* Patrem non esse Dominum, sed voce unius Domini, Christo attributi, excludi. Atqui hoc omninò absurdum est, (quia citra controversiam, Pater, est Rex regum, & Dominus dominantium, 1. Timoth. 6. v. 15.) Ergo & illud absurdum est. Denique retorquemus hunc locum in adversarium, hoc modo: Qui unus est Dominus, ille est verus Deus: Christus unus est Dominus; Ergo verus est Deus. Sed aliam rursus sententiam, & majori (ut videtur) specie, opponunt adversarii ex Ioh. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* unde sic argumentantur: Qui solus in sacris Literis dicitur esse verus Deus, præter illum nullus est verus Deus. Atqui Pater solus, in sacris Literis dicitur esse verus Deus, ut patet Iohan. 17. v. 3. Ergo præter Patrem nullus est verus Deus; ac propterea inde sequitur, Filium non esse verum Deum. Hac ratione freti exultant adversarii: sed temerè: quia error est duplex: siquidem & propositio, & assumptio, falsa est. Propositio quidem, quia non est universaliter vera. Nam *solus* potest dici (ut modò ostendimus) vel absolutè: & sic prorsus omnes pręter suum subjectum excludit: vel relatè tantum, & sic non absolute, sed convenienter relationi, quosdam tantum excludit. Quemadmodum soli Patri, soli Filio, & soli Spiritui Sancto, intellecta oppositione creaturarum, non personarum Deitatis reliquarum, quædam attribuuntur: quemadmodum Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater*, hoc est, solus ille novit: atqui Filius seipsum ignorare non potest: nec Spiritus Sanctus eundem: quia scrutatur etiam profunda Dei: 1. Cor. 2. v. 10. sed creaturæ excluduntur. Deinde ibidem ait Christus. *Neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cui Filius volet revelare.* Atqui certissimum est, Patrem non excludi à sui ipsius cognitione, nec Spiritum Sanctum. Denique 1. Cor. 2. v. 11. *Quæ Dei sunt nemo novit nisi Spiritus Dei*: & tamen citra controversiam est, nec Patrem, nec Filium ab ea cognitione excludi. Sed in his omnibus soli Patri, notitia Filii: soli Filio, notitia Patris; & soli Spiritui Sancto, notitia Dei sic tribuitur, non ut reliquis personis duabus notitia ea detrahatur: sed tantùm, ut creaturæ ab ea excludantur. Unde satis apparet voces: *nemo nisi*, & quod eodem sensu dicitur, *solus*, Personæ alicui divinæ tributum non necessariò absolutè accipi, ut reliquas personas excludat: sed non rarò relatè, ut creaturas tantùm excludat. Quare ut propositio fit universaliter vera, ita reformanda ac restringenda est: Qui solus absolutè in Sacris Literis dicitur esse Deus verus. Atque hoc modo etiam corrigenda erit assumptio, Atqui Pater solus, absolutè in Sacris Literis dicitur esse verus Deus, quod negamus: & ab adversariis probari non potest, ut plenius constabit. Atque hinc error propositionis convincitur, quod ad syllogismi objecti refutationem potest sufficere. Deinde assumptio etiam falsa est, quæ asserit, solum Patrem in Sacris Literis dici esse verum Deum: quia in probatione allata, ex Joh. 17. v. 3. sophismate compositionis & divisionis ludunt. Nec enim à Christo dicitur, ut te solùm cognoscant esse verum Deum: quasi vox *solum*, ad subjectum pertineret; sed *ut cognoscant te* (supple esse) *illum solum verum Deum*: ut Græca verba ostendunt; *ut cognoscant te*, scil. esse τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, non autem, σὲ μόνον *te solum*, sed cum articulo σὲ τὸν μόνον, *te illum solum*, quo ambiguitas tollitur, & vocem, *solum*, ad prædicatum pertinere ostenditur.

Nam quod objicitur, non dici expressè ut cognoscant σὲ εἶναι *te esse*, sed simpliciter *te*; neque ellipsin esse hoc loco verbi substantivi: sed ita transferri debere: ut cognoscant te solum verum Deum; atque ita per appositionem Grammaticam Patrem (voce illa *te* significatum,) describi: Illud inquam meritò negamus: quia ellipsis illa verbi substantivi, à nostris indicata, nullâ regula Syntaxeos, neque circumstantia ullâ hujus orationis confutari potest; cùm optimè utrimque consentiat: neque ulla necessaria adfertur hujus objectæ oppositionis ratio. Deinde etsi probari posset, ea verba ita esse constructa, & eo modo debere intelligi, nihil tamen obtinerent, sed eadem foret sententia. Nam sensus esset: ut cognoscant te, scil. ὄντα τὸν μόνον Θεὸν, te existentem, hoc est, *te esse illum solum verum Deum*: quia non dicitur, σὲ μόνον, supple ὄντα, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν: sed σὲ, supple ὄντα, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν. Ideoque inde apparet, vocem istam τὸν μόνον, positâ licet illa appositione, fore partem appositionis & epithetum veri Dei: non autem Patris epithetum, quasi diceretur, solum te verum Deum. Imò ex hoc ipso loco, aptius ita concludi solet; Filium hic declarari etiam esse illum solum verum Deum, quia forma orationis copulatæ hoc indicat: *ut cognoscant te esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, supple, esse illum solum verum Deum. Idque consimili loco probari potest, 1. Iohan. 5. vers. 20. *Scimus Filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum Deum: & sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est* ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, *verus Deus & vita æterna*, ubi priori loco *verus Deus*, Deum Patrem, voce Dei personaliter accepta, (seu per ellipsin vocis Patris) significat: quemadmodum relatio ad Filium ejus ostendit: Posteriori verò Filius (qui primum vocatur *verus*,) *verus Deus*, essentiali significatione, ac sine ellipsi ulla dicitur. Nam quod contra Wiekum pag. 315. contendit adversarius, cum dicitur, *hic est*, pronomen hoc, non ad Filium sed ad Patrem referendum; illud inquam genuina constructio ac propria refutat: Neque ulla ratio est necessaria, cur à propria constructione cum proximo nomine

recedamus. Nam quod objicit, *non simpliciter hic agi de vero Deo: Sed illo vero Deo, ut articulus in Græco appositus, ὁ ἀληθινὸς, apertè indicat, Christus autem etsi verus est Deus, non tamen est ille verus Deus, ille inquam solus verus Deus, ille solus perfectissimâ ratione Deus, nam Pater tantum iste Deus est.* In eo inquam error est duplex: primùm, quod verum Deum sine articulo, & verum Deum cum articulo, tanquam reipsa differentes statuit: cum tamen verus Deus nullibi in Sacris Literis (ut locorum omnium inquisitio & examen demonstrat) pro alio quàm pro æterno Deo accipiatur: sive adsit articulus, ut hoc loco: sivè absit, ut 1. Thes. 1. vers. 9. Servire θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, & Iohan. 17. v. 3. non dicitur τὸν ἀληθινὸν θεὸν; sed sine articulo, ἀληθινὸν θεὸν; ut etiam in Vet. Testamento, 2. Chron. 15. vers. 3. & Ierem. 10. vers. 10. Esa. 65. vers. 16. *Deus veritatis*, hoc est, verus, sine Hebræo articulo nominatur, & LXX. Interpretes, Esa. 44. vers. 6. πλὴν ἐμοῦ οὐκ ἔστιν ὁ θεός. & v. 8. εἰ ἔστι θεὸς πλὴν ἐμοῦ. & cap. 45. v. 5. οὐκ ἔστι πλὴν ἐμοῦ θεός. Atque ita apparet, adversarium suam assertionem pro regula falsò adducere. Eademque opera diluitur hoc argumentum, quo probare conatur, quia Christus Iohan. 1. v. 1. vocatur θεὸς sine articulo: Pater verò ὁ θεὸς cum articulo: propterea non esse eundem cum Patre Deum, sed alium: non naturâ Deum seu non æternum & omnipotentem Deum, ut Pater est ὁ θεὸς; sed gratiâ factum in tempore. Quomodo olim (vir quidem insignis, sed erroribus scatens) Origenes, Arrii & Arrianorum imprudens origo, ineptè atque impiè exposuit, Tom. operum 2. & in Euangelium Iohannis Tom. 2. cùm tradit, Patrem esse Deum verum, cum articulo: λόγον verò & alios Deos, participatione ac sine articulo. Ac subjicit: *Ille λόγος, qui est apud Patrem, in principio existens, quia est apud Deum, semper manens Deus; haud quaquam id habiturus, nisi apud Deum esset. Et haud quaquam Deus mansurus, nisi perpetuò mansisset in explicatione paternæ profunditatis.* Plura de Orig. erroribus tradit Epiphan. contra hæreses, contra Origenem hæres. 63. Ut autem ad rem redeamus, discrimen hoc duplicis Dei, articulo hoc non demonstratur: quia promiscuè, (nomini Dei, verum Deum significantis,) articulus adest aut abest, ut exemplis Scripturæ modo ostendimus, qualia prætereà ad pleniorem demonstrationem è multis sunt hæc, Matth. 27. v. 46. θεέ μου, θεέ μου, *Deus mi, Deus mi*, clamat Christus ad Patrem, quod idem repetitum à Marc. cap. 15. v. 34. ponitur cum articulo ὁ θεός μου, ὁ θεός μου: Sicut etiam de vero Deo, Marc. 12. v. 32. εἷς ἐστι θεὸς, *unus est Deus*: ut etiam 1. Corinth. 8. v. 6. & Ephes. 4. v. 6. & 1. Tim. 2. v. 5. Rom. 3. vers. 30 εἷς ὁ θεὸς. Ad Gal. autem 3. v. 20. ὁ γὰρ θεὸς εἷς ἐστιν, ut etiam Iac. 2. v. 19. Deinde falsum etiam est, quod Filius Dei, ut ait adversarius, non vocetur Deus cum articulo: quia contrarium apparet Ioh. 20. v. 28. in confessione Thomæ, de Christo, & ad Christum, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου, *Dominus meus & Deus meus* (supple es) & sole clarius id etiam patet ex Act. 20. v. 28. *Constituit vos ad pascendum* τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ *Ecclesiam Dei quam proprio suo sanguine acquisivit*, ubi τοῦ θεοῦ non de Patre, quia nullum habuit proprium sanguinem: sed de Filio, qui solus sanguine suo Ecclesiam redemit, necessariò intelligitur. Ac propterea perspicuum est, primùm, discrimen illud θεοῦ cum articulo & sine articulo, esse vanum. Deinde, non solum Patrem vocari Deum cum articulo, sed etiam Filium: & propterea ex hypothesi & argumento adversariorum sequeretur inde, Filium esse verum illum & æternum Deum.

Sed aliis Scripturæ locis probare contendit Socinus, Filium Dei non esse eundem cum Patre Deum: seu propriè ac naturâ Deum; sed gratiâ & metaphoricè, ob similitudinem aliquam cum Deo: & quidem excellentiorem reliquis creaturis. Primus locus est Ioh. 10. vers. 34. 35. 36. *Cum*, inquit, *apud Johannem Christus à Judæis accusaretur, quod cum homo esset, se Deum faceret, respondit: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis me blasphemare, quia dixi Filius Dei sum? Quibus verbis Christus se Dei Filium esse, non negavit, imo asseruit: sed Deitatis suæ divinæque (ut ita loquar) filietatis rationem explicuit, eamque primariam & verissimam; & quia homo erat, non aliam deitatem & divinam filietatem sibi ausus est vendicare, quam quæ à Deo per sanctificationem ipsi ut homini concessa fuisset.* Hæc adversarius. Respondemus autem negatione Consequentiæ; Christus enim se testatus erat esse proprium Dei Filium; quia non solùm Deum vocaret suum Patrem, sed etiam unum cum eo essentia, v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Hoc autem offendit Iudæos auditores incredulos, qui sublatis lapidibus tanquam blasphemum obruere studebant v. 31. ut exponunt v. 33. *ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quod cum homo sis, facias te ipsum Deum.* Hic est igitur status controversiæ, *An Christus sit in eo blasphemus, quod se Filium Dei, proprium scil. & eundem cum Patre Deum, appellarit?* Id quod Christus, ut benè à se dictum, in defensione probat, primùm comparatione minoris: Si illi, ad quos sermo Dei factus est, Psal. 82. vers. 6. sine blasphemia vocantur Dii: malè vos dicitis me blasphemum, quod dixerim Filius Dei sum, nempe proprius. Atqui verum prius: *quia Scriptura solvi non potest*, hoc est, vera est ac constans. Ergo & posterius. Consequentiam probat, quia sanctificatus est à Patre, & missus in mundum: ideoque ante sanctificationem seu ordinationem ac segregationem ad mediatoris officium, & antequam veniret in mundum, seu antequam homo factus esset, jam exstabat, ut Ioh. 6. v. 51. *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi.* Galat. 4. v. 4. *misit Deus Filium suum factum ex muliere.* & 1. Timot. 3. vers. 16. *Deus patefactus est in carne*, & Hebr. 2. v. 16. *Semen Abrahæ assumsit*, & Philip. 2. vers. 6. *Qui cum esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse Deo; sed ipse se exinanivit, forma servi accepta, similis hominibus factus.* Ergo non verus tantum homo, sed etiam proprius Dei Filius. Alterum argumentum Christi, est ab operibus deductum: Qui facit opera Dei Patris propria: ille est unus cum Patre Deus. Atqui ego facio opera Dei Patris propria. Ergo sum unus cum Patre Deus. Quo pertinent illa verba vers. 37. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: sin verò facio, etiamsi mihi non credatis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in Patre*, hoc est, unum essentiâ cum Patre: ut vers. 30. dixerat, *Ego & Pater unum sumus.* Idque Iudæi satis intellexerunt, ac propterea dicitur v. 39. *Rursus ergo studebant eum prehendere: Sed exivit ex ipsorum manu:* Similis locus est Ioh. 5. v. 17. *Pater meus adhuc operatur, & ego operor*, & additur v. 18. *propterea magis studebant eum Judæi trucidare, quia non solum solvisset Sabbathum: sed etiam Patrem proprium dixisset Deum, parem seipsum faciens Deo.* Christus verò hoc minimè negat: sed contrà probat v. 19. *Amen amen dico vobis, non potest Filius à semetipso* (hoc est sine Patre) *operari, nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Quo ostendit omnia quæ facit, facere cum Patre, eadem Patris potentia, ideoque & essentia præditus, quemadmodum v. 21. subjicit: *Sicut Pater vivificat mortuos, ita & Filius quos vult vivificat.* Quamobrem tantum abest, ut hic locus Ioh. 10. vers. 34. & seq. Christum Filium Dei gratia factum, probet; ut contrà, proprium Dei Filium esse (ut etiam disertè Rom. 8 vers. 32. nominatur) & unum cum Patre Deum demonstret. Sed rursus ad alium Scripturæ locum confugiens, ait Socinus: *Christus igitur Deus est, quia est Dominus, Princeps, Benefactor noster: quæ omnia Deo Patri suo accepta refert: Sic enim ait Petrus, Actor. 2. vers. 36. Certissimè ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Sed negatur Consequentia, quia hic locus Petri Apostoli, de officio Iesu Christi agit, ac dominio in tempore dato, Luc. 1. v. 32. 33. & Hebr. 1. vers. 8. 9 non autem de universo ejus dominio quod habet, quâ Filius Dei est. Sic enim ab initio mundi, totius mundi est Dominus, ut Heb. 1. v. 10. distinctè subjicit: *Et tu Domine ab initio, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli:* Neque idem est, Dominum esse & Deum esse (quemadmodum ab adversario hæc duo perperam confunduntur) prius enim relatè ad subditos creatos tanquam servos refertur: sine quibus non est Dominus; sed Deus absolutè essentiam æternam atque omnipotentem

potentem designat, ut supra ostendimus. Atque ita Pater etiam Deus fuit ab æterno: sed per creationem creaturarum (tanquam servorum) in tempore cœpit esse Dominus: ita etiam Filius Dei, antequam secula fecit, Filius erat, Patri ὁμοούσιος, verus Deus; postquam autem secula fecit, Heb. 1. vers. 2. factus est primùm Dominus. Qua ratione Filius Dei, non est factus Dominus à Patre: sed creationis, à se eadem cum Patre omnipotentia factæ, jure.

Verùm urgent: qui factus est à Patre Dominus, ille ante non erat Dominus. Atqui à Petro Apostolo Christus dicitur factus Dominus: Ergo Christus non erat antè Dominus. Sed negatur Consequentia ob duplicem homonymiam: unam quidem in voce *Dominus*: alteram in voce *factus*. Dominus enim in propositione intelligitur de eo, qui summum in omnes res creatas habet imperium: id quod Deo (utpote Creatori) soli convenit: In assumtione verò de eo, qui Ecclesiæ Dominus. Ideoque hæc duo à Petro conjunguntur in objecta sententia: *Dominum & Christum.* Deinde *factus*, in propositione accipitur propriè, de eo, qui tum esse id cœpit cùm factus esse dicitur; in assumptione verò impropriè, per Metaphoram, pro patefactus est. Nam Apostolus Petrus, in concione objecta, Actor. 2. disertè loquitur de statu Christi glorioso, quo excellenter patefactum est, ipsum esse Dominum & Christum, sessione ad dextram Dei, & missione Spiritus divina & admiranda v. 33. 34. 35. 36. ut etiam in simili loco, Eph. 1. v. 20. 21. & 22. *& omnia pedibus ejus subjecit, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.* Atque ita non propriè de effectione; sed metaphoricè de patefactione intelligendum. Idque ex eo etiam perspicuè demonstratur, quod Luc. 2. vers. 11. ab Angelo asseritur: *Natus est vobis hodiè servator, qui est Christus Dominus, in urbe David,* & Matth. 11. vers. 27. ait Christus; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Sed esto (inquiunt) hoc saltem constat, à Patre accepisse dominium in Ecclesiam. Ergo non est verus & æternus Deus: quia Deus est omnis boni fons ac perfectè beatus, cui nihil dari potest. Sed negatur Consequentia, quia dicitur accepisse, non quasi eo ante caruerit (quia etiam ante assumtam humanam naturam Filius Dei, fuit Ecclesiæ Dominus inde ab initio) sed quia secundum Patris, suum, & Spiritus Sancti decretum, in assumpta humana natura, se Dominum Ecclesiæ patefecit, eamque sanguine suo redemit, Actor. 20. *Deus*, id est, Deus Filius per ellipsin, & ut vulgo loquuntur, personaliter voce accepta, *redemit Ecclesiam suo sanguine.* Quod enim id Patri tribuitur, ut objicitur, reliquis personis non adimitur: Christus enim non solum à Deo Patre, sed etiam à Spiritu Sancto missus dicitur & unctus, Esai. 61. vers. 1. & ipse venit dominator ad templum suum. Mal. 3. vers. 1. Sic etiam Pater Filio corpus adaptavit Hebr. 10. vers. 5. & ipsemet tamen assumsit semen Abrahæ, Heb. 2. seu, cum esset in forma Dei, formam servi assumsit Phil. 2. unde apparet ante nativitatem & conceptionem fuisse, & quidem dominatorem. Patri autem acceptum fert, quod in humana natura assumpta dominium exercet, quia prima persona est ordine, ad quam id refertur. Neque tamen Spiritus Sanctus aut ipsemet excluditur: quia una eademque singulari voluntate ac potentia naturam humanam assumsit; ut in ea peculiari ratione, ut θεάνθρωπος, Ecclesiam regeret. Cœterum licet duabus constet naturis: una tamen est persona, atque ita unus est Dominus, cui dominium convenit, & qui dominium exercet: sed diversa ratione: secundum divinam naturam, divino modo atque infinito; secundum humanam verò, finito modo, ut in officio Mediatoris, utraque natura agit quod suum est, cum communicatione alterius ad commune apotelesma. Sicut cum Ecclesiam ut Dominus regit, miraculis naturæ finitæ suæ vires excedentibus: item cum Sp. Sanctum mittit & per eum operatur, ad colligendam, ac propagandam Ecclesiam: id facit secundum divinam naturam: secundum humanam verò ad id concurrit, intercessione sua: ut Johan. 15. v. 26. *Cum venerit Spiritus, quem ego mittam*, & 16. vers. 7. *mittam eum ad vos*, nempe qua Filius Dei ac secunda Deitatis persona: sic cap. 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem*, nempe qua filius hominis, rogat enim secundum humanam naturam. Deinde Christus qua Filius Dei, Dominus est Angelorum simpliciter, quia eos creavit, ideoque eorum non solum est Dominus, ratione debiti ab ipsis ministerii: sed etiam ratione essentiæ: quam ut è nihilo creavit, sic etiam sustinet ac conservat divina sua potentia, & in nihilum etiam potest redigere; secundum humanam verò est Dominus Angelorum, ratione ministerii: quatenus Dei donatione illis est præfectus, eoque ad ministeria obeunda mittere potest iisque imperare, Eph. 2. v. 21. Secundum divinam etiam naturam dominium summum ei convenit, quatenus ab Angelis etiam adorari jubetur, Heb. 1. vers. 6. ut omniscius & omnipotens Deus, vers. 8. & 10. quatenus verò Homo, Deum adorat, Joh. 17. vers. 1. & Rom. 8. vers. 34. Quare ex hisce omnibus satis apparet, ex eo quod Jesus ab Apostolo Petro dicitur factus Dominus Actor. 2. inde minimè sequi, qua Filius Dei est, non ante fuisse Dominum: eoque non esse verum illum Deum.

Sed aliud præterea objicit Socinus *Pater*, inquit, *ille gloriæ apud Paulum* Eph. 1. 17. *Deus Domini nostri Jesu Christi esse dicitur.* Resp. 1. fallaciam esse compositionis & divisionis, hoc est, constructionis. Verba enim hæc sunt: *ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater ille gloriæ det vobis &c.* ubi vox *Domini*, non cùm antecedente voce *Deus*, sed cum sequente, *Pater ille gloriæ*, construenda. Nam Paulus vocem *Dei*, hac descriptione declarat, se scilicet Patrem Domini nostri Jesu Christi intelligere: Ideoque vocem eam, non οὐσιωδῶς sed ὑποστατικῶς intelligendam, de prima persona Deitatis: & ad consolationem, & fidem in Christum confirmandam, addit: Domini nostri Jesu Christi esse Patrem, ideoque Jesum Christum ei ὁμοούσιον, ejusdem cum Patre essentiæ; ut antecedentia satis declarant. Nam Pater Domini nostri Jesu Christi similiter v. 3. dicitur: & ut Christum, verum etiam Deum ostendat, subjicit: *is elegit nos in ipso ante fundationem mundi.* Ergo ipse extitit ante mundum, & in ipso ac per ipsum nos elegit; quemadmodum etiam *in ipso*, id est, per ipsum nos & omnia creavit, & ipse est ante omnia, & omnia per eum subsistunt, Col. 1. vers. 16. 17. Quæ opera sunt veri Dei propria. Deinde fides & spes salutis in ipsum, honor est soli Deo debitus; quæ duo Christo hoc capite tribuuntur. Spes quidem vers. 12. fides v. 15. Deinde quemadmodum Pater v. 17. (de quo agimus) vocatur *Pater gloriæ*: sic etiam Christus *Dominus gloriæ*, 1. Cor. 2. vers. 8. & ut Patri adscribitur donatio Spiritus sapientiæ: quod opus Dei proprium est: sic & Filius eundem donat, Joh. 15. vers. 26. Ephes. 4. vers. 7. & 8. & ut nos creavit: sic recreat ac regenerat eodem Spiritu Sancto. Eph. 2. vers. 10. & pacis, charitatis ac fidei est author, Ephes. 6. v. 23. Quare hæc Pauli sententia, Eph. 1. v. 17. perperam à Socino detorta. Deinde quamvis recta adversarii esset constructio ac necessaria, quod probare non potest; nihilominus tamen, adhibita solida distinctione, consequentiæ falsitas evinceretur; & distinctio, ex allatis, in eadem Epistola, Christi effectis divinis, & adjuncto cultu Dei proprio probaretur: quemadmodum ex alterius loci, rectè quidem propositi, sed malè expositi examine constabit. Sic enim objicit præterea Socinus magna confidentia & majori specie, cum ait: *Magister ipse veritatis Christus, ore proprio, id clarè testatus est Ioh. 20. v. 17. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Unde hic ex adversarii sententia oritur Syllogismus: is, cujus Deus Pater Deus est, non est idem cum Patre Deus: Sed si sit Deus, alius est atque inferior ac factus ab eo Deus. Atqui Christus est is, cujus Deus Pater Deus est: Ergo non est idem cum Patre Deus: sed cum dicitur Deus, alius atque inferior ac factus Deus intelligitur: nempe Deus non ab æterno, sed in tempore: non natura ac generatione, sed gratia. Verùm negatur propositio, quia non est universaliter vera. Nam Pater Deus alicujus dicitur, vel simpliciter considerati: vel secundum quid tantum. Simpliciter considerati Deus est meræ creaturæ bifariam. Primùm generatim jure creationis, quo pro numine ab ea agnoscendus ac colendus, quemadmodum Num. 16. v. 22. *Deus spirituum omnis carnis*, Ier. 32. v. 27. *Ego sum Jehova Deus universæ carnis.* Speciatim verò deinde jure fœderis salutis Deus est

Ecclesiæ;

Ecclesiæ: quomodo piorum Deus esse dicitur: ut Abrahæ, Isaaci, Jacobi. Quo pertinet Dei oratio ab Abrahamum, Gen.17. v.7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, & Mat.22. v.32. Secundò Pater Deus dicitur alicujus, secundum quid, non autem simpliciter: nempe Jesu Christi. Nam Christus est Deus patefactus in carne, 1. Tim.3. v.16. seu θεάνθρωπος: ideoque quatenus Deus creator est, eatenus non habet Deum, sed unum est cum Patre Ioh. 10. seu unus cum Patre Deus: quatenus verò homo ac creatura Dei, eatenus habet Deum: à quo creatus & ad imaginem illius sanctus formatus, ad eum colendum. Atque ita dixit Christus quà homo: *Deus mi, Deus mi quare deseruisti me*? Matth. 27. vers. 49. & hoc loco Ioh. 20. ait: *ad Deum meum & Deum vestrum*. Sed rursus objici solet ex priori membro: qui Deum tantum habet Patrem, eodem omninò sensu, quo quidam meri homines: ille non est naturâ Filius Dei æternus, sed gratiâ: ideoque non verus naturâ Deus, sed gratiâ; & Deum habet colendum ut superiorem, non minus quam homines. Atqui Christus Deum tantum habet Patrem, eodem omninò sensu, quo quidam meri homines. Ergo non est naturâ Filius Dei, sed gratiâ: neque est naturâ verus Deus æternus, sed Deum habet superiorem, ut reliqui. Propositio certa est: quia aliàs quidam meri homines, qui Deum similiter habent Patrem, essent dii, quod absurdum: quia Deus est unus. Assumtio probatur ex Christi verbis: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*, ideoque eodem omninò sensu Deus Pater, est Pater Christi, quo merorum hominum est Pater, quales fuere discipuli quos alloquitur. Verum negatur assumtio, neque ea Christi verbis probatur. Nam hoc tantummodo iis asseritur, eundem esse Patrem Christi, & discipulorum: non autem dicitur eodem modo: multò minùs additur, tantùm. Nam Deus Pater verè est Pater Christi & noster: sed diverso modo. Deus enim Pater, non est Pater noster propriè: seu natura ac generatione, ex illius essentia: sed tantum impropriè, per Metaph. ac gratia sola: partim creationis Mal. 2. vers. 10. partim recreationis seu regenerationis ad imaginem Dei, Ioh. 1. vers. 12. & 1. Petr. 1. vers. 23. Christi verò Pater est duobus modis, quemadmodum duplici constat natura: unde etiam Filius Dei, & distinctè Filius hominis appellatur. Nam quatenus est filius hominis, impropriè ac communi ratione cum hominibus aliis, Dei Filius est per similitudinem dictus: quatenus creatus ac formatus est ab eo ad imaginem Dei, Hebr. 2. v. 11. 12. *qui enim sanctificat* (scil. Christus) *& qui sanctificantur* (Christiani) *ex uno* (scil. Patre) *omnes sunt, quam ob causam non pudet ipsum eos fratres vocare*. Quà verò Filius Dei distinctè à filio hominis dicitur, propriè Filius est Dei, & Pater propriè ipsius est Pater. Hoc enim respectu nullos habet fratres: quia & proprius est Dei Patris Filius, Rom 8. v. 32. & unigenitus Ioh. 1. v.14. eoque modo solus est Dei Filius. Quæ distinctio, qua modò Filius Dei, modò filius hominis dicitur, declaratur in Sacris Literis passim, ut Rom. 1. v. 3. 4. *de Filio ejus facto ex semine David secundum carnem, declarato Filio Dei per potentiam, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, & cap. 9. v. 5. *quorum sunt Patres, ex quibus est Christus secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in secula*. & 1. Tim. 3. v. 16. *Deus patefactus est in carne*. & 1. Pet. 3. v. 18. *mortificatus carne, vivificatus Spiritu*, id est, divina sua natura, quæ Spiritus supernaturalis ac æterna essentia: ut Ioh. 10. v. 17. ea etiam distinguit: *ego pono animam meam, & rursus assumam eam*. Quod opus nisi veri Dei esse non potest. Verum confugiunt tandem Samosateniani ad verba Angeli, Luc. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus supervenient in te: & virtus altissimi inumbrabit te: propterea quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Unde sic colligunt: Qui propter conceptionem è Spiritu Sancto tantùm vocatur Filius Dei: ille ante eam non fuit Filius Dei. Atque Iesus propter conceptionem è Spiritu Sancto tantum vocatur Filius Dei. Ergo ante conceptionem non fuit Filius Dei; Ideoque non est Filius Dei per æternam generationem, neque ejusdem cum Patre Deitatis. Propositio probatur hac hypothesi; quia conceptio è Spiritu Sancto, nihil est aliud, quam miraculosa humanæ naturæ, è Virgine formatio: Ac propterea, si ea causa est sola, cur filius Dei vocetur, Ergo ante eam, effectum illius, nempe esse & vocari Dei Filius, esse non potuit. Assumtio exprimitur Angeli verbis ante mem oratis. Verum negatur propositio, & (ut alia omittam quæ dici poterant) etiam ratio illius. Nam conceptio illa Christi non solum formationem humanæ naturæ: sed etiam simul unionem illius cum persona τοῦ λόγου seu Filii Dei complectitur. Quæ unio propria causa est cur filius Mariæ vocetur Filius Dei: quia nimirum æternus Dei Filius, virtute Spiritus Sancti (qui Spiritus non minus est Filii quam Patris, Rom.8. v.9. & per quem etiam operatur) humanam naturam è Virgine, in unitatem personæ suæ formando assumsit, ut antea ex Epistola ad Phil 2. v. 7. & Hebr. 2. v. 16. & aliis Scripturæ locis demonstravimus. Ac quamvis Filius Mariæ sit nomen à natura humana desumptum, personam tamen Christum, divina & humana naturâ constantem significat. Unde per communionem idiomatum, Filius Dei rectè vocatur: ut etiam in Petri confessione, Matth. 16. vers. 16. *Tu* (scilicet Fili hominis) *es Filius Dei* idque etiam res ipsa ostendit; nam si causa propria ac sola (ut Socinus contendit) cur Filius Dei vocetur, sit illa humanæ naturæ formatio: sequitur non solum, Patris esse filium: sed etiam Spiritus Sancti, imò sui ipsius filium; quandoquidem opus illud tribus personis commune est: Patri, Hebr. 10. vers. 5. *Corpus aptasti mihi*; ubi diligenter Filius Dei, cui corpus aptatum est, à corpore distinguitur, contra Socinum. Spiritui Sancto etiam commune est, ut locus Luc. 1. modo adductus demonstrat; & Filio, quia humanam naturam assumsisse docetur, Phil. 2. Hebr. 2. Ad hæc Filius Dei, secundum humanam naturam est sine Patre, quemadmodum secundum divinam sine matre, ut Melchisedeci historiâ adumbratum, Hebr. 7. v. 3. Ac propterea Filius Dei, non est distinctè appellatus, quatenus è matre virtute Spiritus Sancti natus, alioqui ἀμήτωρ καὶ ἀπάτωρ verè dici non posset. Denique non esset alioqui unigenitus Dei Filius: Nam quod objiciunt, ob miraculosam è Virgine formationem ipsius, vocari unigenitum: quod eo ab omnibus hominibus disjungatur, falsum est: quia non minus, imò magis miraculosa est Adami & Evæ formatio: ideoque *unigeniti* vox, ea de causa Christo tribui non potest. Neque dici potest unigenitum dici, non ratione modi miraculosi, sed quod è Virgine ortus. Nam pari jure dicetur Adamus unigenitus, ratione modi miraculosi è terra: & Eva unigenita, ratione formationis ex Adami costa: Atque ita tribus hisce esset eadem supernaturalis & divina formatio: & singulorum è diversa materia. Quare ex hoc Lucæ loco probari non potest, Christum distinctè ab omnibus Filium Dei dici ob formationem miraculosam è Virgine: cum Adami & Evæ formatio ejusdem sit generis. Denique quomodo poterit Christus dici filius unigenitus, ob miraculosam formationem è Virgine, cum magis sit miraculosa Angelorum è nihilo formatio? qui etiam filii Dei vocantur. Nam qui post myriades Angelorum innumerabiles minori miraculo est formatus: quomodo unigenitus dicetur, & Filii Dei nomine ab iis separabitur? ut Heb. 1. vers. 4. & 5. *Tantò præstantior Angelis factus, quantò præstantius supra eos assecutus est nomen. Cui enim Angelorum unquam dixit, Filius meus es tu, ego hodiè genui te? & rursus: ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius*, & cap. 3. Mosi ut creaturæ præfertur tanquam Deus creator existens, vers. 3. & 4. v. 5. & 6. Moses famulus fidelis, Christo, ut filio domus totius, postponitur.

Sed adversus hæc objicit Socinus pag. 17. cum ait: *Neque aliud intendit author Epistolæ ad Hebræos, dum Christum Dei Filium cum Angelis & Mose confert; Ex qua collatione clarè apparet, Christum non minus quam Angelos & Mosen, quicquid habet, id omne Deo acceptum referre; sed tamen, ut ille ait cap. 1. vers. 4. tantò præstantior factus est, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen. Periret enim collatio illa, si Christus non à Deo, sed à seipso cuncta haberet quæ possidet*. Sed negatur Consequentia; quia cùm Filius Dei, homo factus, accepisse aliquid à Patre affirmatur, illud non propriè dicitur: sed Metaphoricè, ut suprà ostendimus: quod secundum

dum decretum commune Patris, suum, ac Spiritus S. ea habere sit patefactum, ut Joh. 17. v. 5. *Pater glorifica me ea gloriâ, quam habui apud te, antequam hic mundus esset.* Nam cum esset in forma Dei, acceptâ servi (seu humanæ naturæ) formâ, ac statu humiliationis, etsi interdum, scintillæ quædam gloriæ divinæ naturæ in miraculis emicantes, Filium unigenitum ostenderent, Joh. 1. vers. 14. latuit tamen ad tempus splendor illius, seu deitatis gloria illustris, quæ postea per glorificationem humanæ naturæ revelata est illustrius. Atque inde satis constat, Christum, quà Filius Dei est, non accepisse propriè, quasi ante non habuerit, dominium in res creatas: sed à se aut à divina suâ naturâ habere non minus quàm Patrem, utpote per quem Pater secula condidit, Hebr. 1. vers. 2. ideoque Dominus dicitur, qui initio terram fundavit, & cujus manuum opera sunt cœli, vers. 10. Sed potestatis patefactio, donatio illius dicitur, Ioh. 17. v. 2. Quemadmodum simili phrasi, glorificatio Patris, qua Filius Patrem glorificat. v. 1. non effectionem, sed patefactionem gloriæ designat. Quæ verò quà homo accepit à Patre, ea, ut non habenti propriè sunt donata à Patre: sed non à solo; verum etiam per Filium ac virtute Spiritus Sancti: adeò ut quatenus Filius hominis est, ea dona acceperit; quatenus verò Filius Dei, eadem dederit: ut idem, sed non secundum idem, simul sit dator & acceptor. Quemadmodum quà Filius hominis, anima corpori rursus unita est ac vitam recepit: quà verò Filius Dei, divinâ suâ potentiâ eandem vitam restituit, Joh. 10. vers. 17. *Ego pono animam meam & rursus assumam eam*, & cap. 2. v. 19. *distruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.* Quod cum sit opus Deo omninò proprium: idcircò ad Rom. 1. Christum, qui è semine David secundum carnem vers. 3. declaratum ait Apostolus Dei Filium, per potentiam secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Quare ex hisce satis constat, falsum esse quod contendit Socinus: nihil habere Christum, quod verè & propriè, ut homo ille non habeat. Nam quod objicit, *Adoratio etiam ab ipsis Angelis Christo ut homini à Deo donata: Ergo multò magis reliqua omnia.* Negatur antecedens. Christus enim, qui homo, jussus est adorari: sed non quà homo, sed quà unigenitus ac primogenitus Dei Filius, ac Deus, qui patefactus est in carne, ut Hebr. 1. vers. 6. asseritur his verbis: *rursus autem cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei.* Idque à sua causa declarat Apostolus, quod Angeli sint Spiritus creati ac ministri Dei, vers. 7. Filius verò, Deus in seculum seculi, vers. 8. & creator ac Dominus, qui initio terram fundavit, & cujus manuum opera sunt cœli, vers. 10. idque res ipsa etiam evincit. Nam adoratio, quatenus cultum religiosum notat, quo ex fiducia omniscientiæ, omnipotentiæ, & omnipræsentiæ, illius, qui adoratur, opem illius imploramus, aut pro beneficiis gratias agimus, mero homini tribui non potest; quia illa fiducia, & omnipræsentiæ, omnipotentiæ atque omniscientiæ gloria, soli æterno Deo conveniunt. Hinc Jer. 17. vers. 3. *Maledictus vir ille qui confidit in homine & statuit carnem brachium suum, à Jehova autem recedit animus ejus.* Deinde solus Deus ubique præsens est, Psal. 139. vers. 7. & seq. qui etiam cœlum terramque implet, Ierem. 23. vers. 24. Nulla verò creatura ubique esse potest: quia definita, non infinita: ideoque Angeli licet creaturæ præstantissimæ, è cœlo mittuntur in varia loca, ad sua ministeria in terris obeunda, Hebr. 1. v. ult. & in cœlum redeunt: & homines circumscripti suis terminis, ubique esse nequeunt. Sic Christus humana sua natura in terris non est præsens; sed in cœlo, quo ascendit, & unde venturus est ad judicium, Actor. 1. & Col. 3. vers. 1. Solus etiam Deus omniscius est, solus corda filiorum hominum novit, 1. Reg. 8. vers. 39. solus omnipotens 1. Tim. 6. vers. 15. ac propterea fiducia in eo solo collocanda, solusque religiosè adorandus seu invocandus, Matth. 4. vers. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* & Esai. 42. v. 8. *Ego Jehova: hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Quamobrem cùm gloria adorationis, quæ Deo propria est, Christo tribuatur: necessariò sequitur id fieri, quatenus unus cum Patre Deus, ubique præsens, omnipotens & omniscius, cui illa gloria convenit. Hisce jam demonstratis, facile refutatur, quod à Socino ad fucandum errorem adducitur. cum probare conatur, Christo (quem hominem tantum esse agnoscit) tribui adorationem quatenus homo, seu secundum humanam naturam: non divinam, quam impugnat. Verùm authorem suæ opinionis citat Paulum, Philip. 2. vers. 9. 10 *Propter quod & Deus exaltavit ipsum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut ad nomen Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Sed negatur consequentia. 1. Quia licet adversarius obtineret, hæc de Christo dici secundum humanam naturam, nihil tamen efficeret; quia responderetur, hoc loco non agi expressè de adoratione, quatenus invocationem religiosam notat, de qua quæstio, & quod sibi probandum suscepit adversarius: sed de agnitione dominii Jesu Christi. Atque ita etiam secundum humanam naturam Christus Angelorum & hominum Dominus est constitutus ac declaratus; cujus imperio sit parendum: Id quod religiosam, ut omnipotentis & omniscii cordis scrutatoris invocationem, non includit; de qua adoratione tamen quæstio est. Nam humanæ naturæ Christi dominium supra Angelos & homines, non est simplex & indefinitum: seu ratione & naturæ eorum & ministerii: nec enim creavit eos, neque in nihilum redigendi potestate Christus præditus qua homo; hoc enim soli creatori, ac divinæ naturæ proprium: sed dominium habet ratione juris imperandi ipsis, & ministerium eorum cum dominii agnitione exigendi, ut Ephes. 1. vers. 21. 22. Hoc autem indicat Paulus Phil. 2. Nam ut vers. 9. ait, *ut ad nomen Jesu se flectat omne genu*: sic v. 11. additur, *omnisque lingua confiteatur Dominum Jesum Christum, ad gloriam Dei Patris.* Hoc autem dominium supra Angelos & homines habet Christus secundum humanam naturam, quia est humana natura Filii Dei, assumpta carne, crucifixi in ea. Ideoque ob dignitatem unionis hypostaticæ, & mortis obedientiam, hoc dominium, quod ab initio incarnationis habuit, Luc. 2. vers. 11. & Matth. 11. v. 27. glorificatione patefactum est illustrius. Atque hinc liquet ex hoc loco Pauli, non necessariò consequi adorationem invocationis Christo tributam qua homo: quia flexione genuum (per Metaphoram à servis dominos suos honorantibus desumtam) agnitio Christi Domini declaratur. Deinde etiamsi genuflexio necessariò adorationem significaret, & phrasis (quæ propriè tamen latius patet) hoc flagitaret, inde tamen minimè sequeretur, Christo quatenus homo, seu humanæ naturæ illius, sed contrà quatenus Deus, illud attribui. Primum quidem; quia jam ante, & ratione, ab attributis adorandi (nempe omniscientia, omnipotentia & omnipræsentia) & Scripturæ testantis authoritate demonstravimus, adorationem soli Deo competere. Deinde etiam circumstantiæ hujus loci, hanc genuflexionem ad Christum ut Deum referri posse admittunt. Nam quod ab adversario objicitur, Christum dici factum obedientem usque ad mortem crucis, de eo ut homine dici: ideoque & genuflexionem seu adorationem secundum humanam naturam ei similiter attribui: negatur consequentia. Paulus enim describit personam Christi: & modò ei attribuit, quod ipsi convenit quatenus Filius Dei ac verus Deus: modò qua filius hominis ac verus homo. Qua Filius Dei, quod initio ante assumptam servi formam esset in forma Dei: nec rapinam existimaret parem esse Deo: Deinde quod se exinanivit forma servi accepta, seu in unitatem suæ personæ assumta natura humana Deo subjecta: ideoque secundum eam impar Deo Patri, & sub statu illius humili velata fuit divinæ naturæ gloria. Quatenus verò homo, persona Christi describitur ab effecto: quod fuit obediens ad mortem usque crucis. Quod autem additur: *propterea eum exaltavit*, ad personam pertinet, secundum utramque naturam; sed diverso tamen modo. Nam secundum humanam naturam exaltatus est, cum omni miseria ea est exemtus, & resurrectione à mortuis: & vitæ æternæ ac gloriæ cœlestis, supra omnes etiam Angelos donatione decoratus: qua verò Deus non in se gloriosus factus: sed gloria divina antè velata, sub humili, afflicta ac crucifixa natura humana, per illius glorificationem revelata est, ut Rom. 1. vers. 4. Adoratio

ratio verò, eidem etiam Christo tribuitur, non respectu humanæ, sed divinæ naturæ ratione, utpote cui ea propria est, quemadmodum ante demonstravimus. Atque hoc in simili sententia ab Apostolo exponitur, Rom. 14. vers. 10. 11. *Omnes enim sistemur ad tribunal Christi: scriptum est enim, dicit Dominus, quoniam mihi se flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Quæ verba ad amussim convenire cum hisce ad Philip. apparet. Quamobrem ex hisce omnibus satis perspicuè cognosci potest, adorationem Deo convenientem, Christo non secundum humanam naturam, sed secundum divinam attribui: & Christum Deum & hominem in una persona existentem adorari: seu Deum in carne patefactum, sed non secundum humanam naturam, sed divinam: quatenus æternus ac verus est cum Patre Deus. Ideoque hoc adversarii argumentum ab adoratione Christi ductum ita in ipsum meritò retorquetur. Is qui à Deo Patre jubetur adorari, est verus ille Deus: solus enim Deus adorandus, eique religiosè serviendum, Matt. 4 & gloriam suam alteri non tribuit, Esai. 42. Atqui Deus Pater Christum jubet adorari, Hebr. 1. & Phil. 2. Ergo Christus est verus ille Deus. Nam quod objicitur: accepit à Patre hanc gloriam, Ergo per se non habuit: ideoque non ut Filius Dei, seu verus ille Deus, sed ut homo tantùm accepit. Negatur Consequentia: quia donatio Patris & acceptio Filii, ut supra ostendimus, patefactionem notat. Sic cùm Filium primogenitum introduxit in orbem terrarum, jussit ut eum Angeli adorent: non quasi gratiâ ei tribueretur, id quod antea non haberet: sed ut patefieret gloria unigenito debita, & officium Angelorum præscriberetur. Utque Filius glorificat Patrem, patefactione gloriæ illius: sic & Pater Filium, patefaciendo gloriam ejus, quam habuit ante fundationem mundi, Joh. 17. Atque hæc ad primi versus Johannis sententiam, adversus Socini perversionem vindicandam, suffectura arbitramur; unde æternitas Filii Dei: deinde à Patre distinctio; & eadem tamen cum Patre Deitas elucet.

Vindicatio versus 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

QUemadmodum antecedentibus descripta est Christi Deitas: sic hoc in loco eadem ab effecto describitur ac probatur: nempe omnium effectione. Sed de genuino universalis hujus dictionis, *omnia*, sensu, controversia est. Orthodoxi enim Deitatis Christi assertores hanc vocem, de prima cœli, terræque, & rerum iis contentarum complexu interpretantur: & de creatione illa agi, quæ Genes. 1. pluribus describitur. Idque primum loci circumstantiâ comprobant, quia non solum dicitur sine ulla restrictione, *omnia per ipsum facta sunt:* sed etiam *omnia* exponuntur sequentibus: *& sine ipso factum est nihil quod factum est.* Quo ostendit Apostolus, voce illa *omnia* significari omnes res, quæ factæ sunt, ut nihil excipiatur quod factum est: ideoque Christum non factum, sed omnium factorem & creatorem. Deinde idem expressâ Scripturæ authoritate demonstrant. Nam de Christo dicitur Heb. 1. v. 2. *Per quem & secula fecit*, & v. 10. *Tu Domine in initio terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt cœli:* & Col. 1. v. 16. *Nam per eum creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive principatus, sive potestates, omnia per eum & in eum creata.* Hoc autem opus est merè divinum: solus enim verus ille Deus creator est, Esai. 44. v. 24. *Facio omnia, extendo cœlos solus, expando terram per meipsum.* Contra verò tam perspicuam sententiam, Socinus universalem hanc dictionem, nempe *omnia*, non ita latè accipiendam contendit, ut cœli terræque creationem comprehendat: sed de spiritualis mundi structura; qui non corporeis, sed spiritualibus rebus, id est, Euangelii verbo construitur, quo homines instaurantur & spirituali quadam ratione creantur: quo pertinere ait id quod dicitur ab Apostolo, 2. Cor. 5. v. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura est, vetera præterierunt, nova facta sunt omnia*, item Joh. 15. vers. 5. *sine me nihil potestis facere*: qui locus (ait Socinus) hunc nostrum explicat elegantissimè. Verum hæc expositio hujus loci vitiosa est: quoniam neque ex loci circumstantiis: neque ex aliis Scripturæ dictis probari potest. Nam ad loci circumstantiam quod attinet, nihil antecedit unde probari possit: contrà verò cum descripta sit æternitas Christi: quod in principio non factus est, sed erat: & quidem apud Patrem, & erat Deus: inde sequitur necessariò, ut antea in eorum verborum vindicatione ostendimus, esse unum cum Patre Deum ac mundi creatorem. Ideoque descripta persona τοῦ λόγου, anteaquam caro factus est, aptissimè effecta describuntur: primò creationis: deinde verò assumtionis carnis, & recreationis ac redemptionis. Deinde à propria vocum expositione non est recedendum: neque universaliter dicta, sunt restringenda, nisi necessaria subsit ratio: quemadmodum expositionis rectæ norma requirit: alioqui nihil à perversione esset tutum. Atqui hic nulla necessaria subest ratio, neque ulla ab adversario adfertur: cur cùm dicatur universaliter, *omnia per ipsum facta sunt*, ut vox *omnia* restringatur ad pauca, nempe ad novam creaturam, & conversionem hominum Christo exhibito factam. Nam quod citat adversarius dictum Apostoli, 2. Cor. 4. v. 17. nihil ad rem facit; quia primum initio loquitur de iis, qui sunt in Christo, seu Christianis jam existentibus, & Christo per fidem unitis: eosque dicit esse novam creaturam: & vetera præteriisse seu veterem hominem, omniaque non simpliciter facta, sed nova, hoc est, renovata per regenerationem; adeo ut ex hisce omnibus appareat, agi de recreatione ac regeneratione spirituali, adeò ut hic locus non possit aliter accipi: sed Joh. 1. simpliciter dicitur de Christo, *omnia per ipsum facta sunt*, non autem nova facta sunt. Et ne quis restringat, ait; *sine ipso nihil factum est, quod factum est.* Præterea falsa est etiam adversariorum expositio: quæ seipsam quoque evertit. Nam cum statuant, Christum esse tantùm hominem, & universam novam creationem per ipsum factam, illud experientia confutatur. Nam certum est, ad fidem in Christum Johannis ministerio fuisse conversos plurimos ac novas factos creaturas, Luc. 1. v. 76. 77. Matt. 3. Joh. 1. Actor. 19. v. 4. sine Christi, ut hominis, opera aut mandato. Nam Johannes suum ministerium auspicatus est, immediatè à Deo ad id vocatus: & viam Christo, prædicatione Euangelii homines conversuro, præparavit; sed neque illius opera humana, neque mandato hoc fecit. Ideoque sic contrà adversariorum expositio retorqueri potest: Si omnis nova creatura quæ Christo exhibito facta est, per ipsum facta: & tamen non omnis facta est per eum quatenus homo est, seu per humanam illius naturam: Ergo necessariò facta est quatenus Deus: nullum enim est medium. Deinde qui effector est novæ creaturæ, & omnia, quæ eò pertinent, facit: ille non est merus homo, sed verus Deus, ideoque omnium etiam creator. Atqui Christus (fatente adversario, & hunc locum Johannis explicante) est effector novæ creationis, & omnia, quæ eo pertinent, facit: quia sine eo nihil factum est, quod factum est. Ergo Christus non est merus homo, sed verus Deus ac verus creator. Propositio clarissima est, quia nova creatio, est mentis & voluntatis, per Euangelii ministerium, & efficaciam internam Spiritus Sancti, fidei & charitatis donatione renovatio; Quæ fieri non potest nisi à vero Deo. Primùm quia fidei & charitatis donatio interna, in Sacris Literis, soli Deo adscribitur, Ioh. 1. vers. 13. & 1. Cor. 3. vers. 5. 6. 7. & Eph. 2. vers. 8. & omnipotentiæ Dei opus est, Eph. 1. v. 18. & 19. Deinde operatio per Spiritum Sanctum (qui Spiritus Dei est, & in Deo est, 1. Cor. 2.) est opus Deo proprium, à quo procedit, utrumque autem Christo convenit; fidei quidem & charitatis donatio; Eph. 6. v. 23. ideoque *per Christum creati dicimur ad bona opera*, Eph. 2. v. 10. operatio verò per Spiritum Sanctum ei tribuitur, Joh. 1. vers. 33. *baptizabit vos Spiritu Sancto.* & quia eum mittit à Patre, Joh. 15. v. 26. & 16. v. 7. & 13. 14. 15. ait: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquitur à semetipso; sed quæcunque audierit loquetur, & quæ ventura sunt, renuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet quod renuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accepturum quod renuntiabit vobis.* Sic Actor. 2. v. 33. Christus dicitur effudisse

disse Spiritum Sanctum; & dona Spiritus Sancti, 1. Cor. 12 vers. 11. & 12. Christo attribuuntur, Ephes. 4. v. 7. 8. & 16. unde etiam Spiritus Sanctus, non solum Patris, sed etiam Filii nominatur, Rom. 8. v. 9. quia ut à Patre procedit, & Pater per eum operatur, Johan. 15. v. 26. sic etiam à Filio procedit, qui per eum operatur, eumque mittit. Ideoque de Spiritu Sancto dicitur, eum à Filio audivisse, & à Filio accepisse (per metaphoram, similitudine ab hominibus ducta) quæ Filius per Spiritum Sanctum patefacit. Eademque metaphora de Christo Dei Filio (quod objicere solent adversarii) intelligendum illud Baptistæ dictum, Johan. 3 vers. 31 *Qui è cœlo venit*, (id est, Filius Dei homo factus. Nam nec anima nec corpus ejus è cœlo venit) *supra omnes est, & quod vidit & audivit hoc annuntiat*: Item v. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manum*: quia scilcet Pater per Filium operatur, sibi ὁμοίως: ut & Pater & Filius per Spiritum Sanctum. Quomodo etiam Christus ait Johan. 5. v. 19. *Non potest Filius à semetipso operari nisi viderit Patrem operantem* (hoc est, Filius omnia operatur à Patre per se, *quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius similiter facit*, & v. 21. *Sicut enim Pater excitat mortuos & vivificat: sic & Filius quos vult vivificat*. Quibus verbis denotatur eadem Patris & Filii singularis potentia & operatio, servato tamen ordine personarum. Nam ut Pater est à se: sic à se operatur per Filium: ut Filius est à Patre: sic à Patre dicitur operari, per se, essentiæ suæ omnipotentia: quâ unum est cum Patre, per Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus verò à Patre & Filio per se eadem essentia & potentia. Qua loquendi formula indicatur (ut antè de Spiritu Sancto,) Filium esse à Patre & à Patre operari: quemadmodum mittere dicitur Spiritum Sanctum à Patre, Joh. 15. v. ult. quod Pater per Filium operetur.

Quare ut ad rem redeam, sequitur ex adversariorum expositione, si per Christum, Joh. 1. v. 3 ideo dicantur omnia facta, & sine ipso factum esse nihil quod factum est: quod sit author novæ creaturæ, adeo ut nihil eo pertinens ab eo non sit factum, ipsum esse verum Deum ideoque quocunque tandem se vertant, veritate constricti convincuntur. Cœterum ut veritas amplius illustretur, operæ pretium est, ut paucis etiam allata Scripturæ testimonia, (quibus creatio mundi Christo tribuitur) ab exceptionibus Socini vindicemus. Primùm autem locum adduximus illustrissimum, Col. 1. v. 16. *in ipso*, id est, per ipsum, *creata sunt omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, &c. Omnia per ipsum & in ipsum creata sunt; & ipse est ante omnia: & omnia per ipsum subsistunt*. Adversarius contra Wiek. de divinitate Filii & Spiritus Sancti, pag. 363. hoc argumentum solvere conatur his verbis: *Sensus igitur totius loci est, per Christum omnes res, tam cælestes quam terrestres intelligentia præditas reformatas fuisse: & primum quidem earum omnium Dominum ipsum Christum esse factum: ita ut omnes jam, ab ejus nutu pendeant, & quicquid virtutis, aut potestatis habent, in ejus manu sit positum*. Sed vanum est hoc effugium, quia & sententię Pauli, & perfectioni Angelorum repugnat. Nam Paulus disertè ait, omnia per Christum creata, tam quæ in terra, quàm quæ in cœlo; tam visibilia quam invisibilia; & esse ante omnia; non autem restringit ad res intelligentia præditas, ut adversarius fingit, non autem probat. Deinde si de reformatione intelligatur facta, per Christum hominem tantum (ut adversarius contendit) falsũ erit, ea omnia per Christum, quà homo reformata. Nam quę in cœlis sunt, nulla reformatione habebant opus, utpote perfectè beata; & quę in terris, non omnia reformata; sed plurima non potuerunt reformari, ut reprobi, qui deformes ac peccatis corrupti permanserunt: & qui reformati fuerunt, multi nativitatem Christi antecesserunt; & eo nato non omnes ab humanâ ipsius natura reformati, quia jam antè demonstravimus per ministerium Angelorum & hominũ, Simeonis & Annę prophetissę conversos, antequam humana Christi natura ad intelligentiam rerum, nedum Euangelii prędicationem esset idonea: & à Johanne immediatè divinitus vocato sine humanę naturæ Christi opera aut mandato, ad fidem conversos plurimos ac reformatos constat: ideoq; de humana Christi natura dici non potest, quod omnia per ipsum & in ipsum creata sunt. Deinde cum dicatur Christus hoc loco, *esse ante omnia*; illud humanæ naturæ illius tribui non potest, sive de creatione prima, sive de secunda accipiamus. Nam prius caret controversia, Angelos omnes, & plerosque homines ante Christi conceptionem creatos ac formatos. Secundum etiam inde constat, quod plurimi facti sunt novæ creaturæ spirituales, seu renati ex Deo, antequam humana natura Christi extaret. Nam (ut de sanctis Prophetis ac Patriarchis nihil dicam) Josephi, virginis Mariæ, Elizabethæ & Zachariæ, Simeonis & Annæ Prophetissæ, aliorumque piorum exempla id evincunt: ideoque per humanam Christi naturam omnia reformata dici non possunt. Pręterea cum creatio nova & creaturæ novæ sint invisibiles (ut quæ non in corporis, sed in Spiritus, per fidem & charitatem renovatione internâ consistat) hæc autem creatio, de qua Paulus Col. cap. 1. loquitur, sit non minus visibilium, quàm invisibilium creatio, inde perspicuè sequitur, non de secunda creatione, quæ metaphorica est; sed de propria ac prima rerum omnium creatione agi. Ideoque ex hisce omnibus satis liquet, ex circumstantiis hujus loci, expositionem adversarii apertè falsitatis convinci, nec circumstantiis solum; sed etiam Angelorum cœlestium perfectione eandem confutari: quandoquidem Angeli non sunt facti nova creatura, quia nunquam fuerunt vitiati: sed in creationis primæ integritate perstiterunt: unde & sancti Angeli, qui voluntati Dei semper parent, in Sacris Literis passim describuntur. Ac propterea reformati dici non possunt, qui nunquam fuerunt deformes: sed illud solis hominibus convenit, utpote qui soli, lapsu suo se deformarunt & reformatione habuerunt opus. Quamobrem falsum est omnino, quod adversarius statuit, Angelos à Christo reformatos eoque recreatos: contrà vero cùm & eorum essentia, & qualitates, sanctitas perpetua, & potentia eorum insita, manserint integra: ab humana Christi natura rursus creatos ac reformatos, quonam quæso colore aut verisimilitudine dici potest? Ac propterea quod de eorum creatione non minus quam reliquorum creatione ab Apostolo dicitur, illud de prima creatione intelligendum. Idque amplius etiam inde apparet, quod omnia, etiam Angeli à Christo creati, per Christum consistere, in hoc illustrissimo loco, Col. 1. dicuntur, hoc est in sua essentia atque integritate per Christum sustentari: Atqui per humanam Christi naturam Angeli cœlestes non consistunt: sed in sua essentia & integritate, ut ante nativitatem Christi, Dei creatoris omnipotentia sustentati constiterunt: Sic etiam Christo nato similiter consistunt, neque quicquam iis hac in re decessisse probari potest, nam oppositè sanctis Angelis, Angeli apostatę dicuntur non servasse suam originem; à qua sancti Angeli, neque per se declinarunt, neque ab ullo remoti sunt. Quare cùm dicantur consistere per Christum, inde constat illud ei non attribui secundum humanam, sed secundum divinam naturam. Neque etiam colorem habet veritatis quod adversarius excipit: sed contrà ad illius errores amplius convincendos pertinet. Nam excipit adversarius, *omnia dici reformata per Christum* (intelligit autem humanam ejus naturam) *primum, quia omnium Princeps ac Dominus est constitutus*. Atqui inepta omninò hæc est ratio. Nam dominii hujus constitutio, non est Christi effectum, sed adjunctum: effectum verò Dei: ideoque creatio ac reformatio rerum omnium à Christo facta dici non potest. Neque altera etiam ratio quam adducit, convenit: nempe *ideò etiam dici reformasse omnia, quod per Christum pacificati sunt Angeli cum hominibus*. Atqui hic dicitur, omnia creata per Christum: pacificatio autem creatio dici non potest; neque Scripturæ, neque bonorum authorum usu. Deinde non omnia per Christum pacificata, quia maxima pars hominum sunt reprobi, qui nec Deo (sub cujus ira manent ob incredulitatem, Iohan. 3.) nec Angelis cœlestibus pacificati dici possunt. Et licet Angeli serviant benignè iis qui servandi sunt Hebr. 1. v. ult. propterea tamen dici non potest, ipsos esse reformatos (quia in iis nulla erat deformitas ac vitium,) multò vero minus dici potest, idcirco creatos. Quę adeò perspicua sunt, ut adversarius contra Wiekum pag. 365. coactus fuerit non obscurè illud agnoscere, & postea turpi contradictione sibi adversari-

Sice-

Sic enim ait: *Quod Angeli cum hominibus sint pacificati. non eam vim per se fortasse habet, ut propterea ipsi Angeli reformati dici possint; nec nos id dicimus: sed neque etiam affirmamus, pacificare esse condere & creare. Verùm affirmamus, eo quod per Christum omnes res cœlestes & terrestres intelligentiâ præditæ, inter se conjunctæ & pacificatæ & reconciliatæ erga Deum sunt, meritò dici posse, hanc rerum universitatem, novam quandam formam accepisse. Quid enim magis pertinere potest ad reformationem universitatis earum rerum, quæ intelligentia sunt præditæ, quam si, ubi antea inter se dissidebant, ac disjunctæ erant, in unum & eundem finem consentiant ac conspirent, quasi in unum corpus conjungantur, ac coalescant?* Hactenus adversarius, qui sibi egregiè contradicit, si quis hęc inter se, & cum sequentibus conferat. Nam si pacificare, ut agnoscit, non sit reformare: ergò reformati dici non possunt, quia pacificati sunt: nec reformatio in pacificatione consistit. Deinde si Angeli propterea reformati dici non possunt: quia pacificati sunt cum hominibus, ut agnoscit. Ergò in pacificatione reformatio non consistit: sequeretur enim aliàs, cùm homines pacificati sint cum Deo per Christum: non minus Deum esse reformatum quam homines, quo nihil excogitari potest pietati magis adversum. Ac propterea etiamsi vox *creandi* absolutè posita, interdum in Sacris Literis significaret reformare, tamen hoc in loco Col. 1. v. 16. ita accipi non posset: quia circumstantiæ antè à nobis propositæ, & Angelorum cœlestium perfectio, repugnant. Deinde series etiam sequentium idem ostendit. Nam ut vers. 16 omnia per ipsum creata & vers. 17. per ipsum omnia subsistere docuit: sic distinctè creationi huic subjicit Christi dominium in Ecclesiam universam, vers. 18. & reconciliationem ac pacificationem cœlestium & terrestrium per mortem v. 20. & 21. & sanctificationem, qua merito mortis Christi novæ simus creaturæ, vers. 22. Quæ omnia perversè ab adversario confunduntur: & ex distincta oratione Pauli Apostoli, inepta redditur tautologia. Quibus etiam addi potest, alienum esse, quod ait adversarius: *omnia optimè inter se cohærere, si vox condita seu creata sunt, reformata sunt, interpretemur, quod ex usu Sacrarum Literarum fieri posse ostendunt hi loci, Esa. 45. v. 8. & cap. 65. v. 18. Ephes. 2. v. 10. & 15.* Nam licet eam vocis creandi significationem hæc loca, ab adversario objecta, certò probarent: sententiæ tamen Pauli minimè conveniret; ut antea pluribus demonstravimus. Deinde neque hæc loca etiam, ut adversarius contendit, id solidè probant. Nam Esa. 45. vers. 8. *Ego Jehova creavi eum*: effectionem seu formationem notat: quod scil. Deus Cyrum (de quo initio capitis agit, in promissione de ipso futuro data,) formaret; ita ut creare hoc loco, efficere; non autem factum ac formatum reformare designet, ut etiam vers. 7. antecedens proximè similiter loquitur: *formans lucem & creans tenebras: faciens pacem ac creans malum; Ego Jehova facio omnia hæc.* Quo in loco perspicuè eodem sensu, ut Synonyma, *facere* & *creare* usurpantur. Neque etiam alter locus, Esa. 65. v. 18. aliud evincit. Verba enim sunt hęc: *Ecce ego creo Ierusalem & populum ejus gaudium.* Nam sivè vocem Hebræam, את pro nota accusativi accipiamus: sivè pro ל præpositione, dativi casus nota, (ut sæpè fieri certum est, & Lexicographi demonstrant, & lectio Scripturæ evincit,) *creandi* vox, idem notabit, quod facere. Ac priori modo sensus erit, *ego Jerusalem & populum ejus facio gaudium*: hoc est, per metonym. adjuncti, gaudio plenam; posteriori verò, *ego faciam Jerusalem & populo ejus gaudium*, seu gaudio afficiam. Nec denique Ephes. cap. 2. vers. 10. (licet de sanctificatione agatur) vox *creandi* aliud per se notat, seu vi sua, quam facere, sed per subjectam circumstantiam restringitur ad novam creationem. Postquam enim dixit Apostolus; *Ipsius enim opus sumus, creati in Christo*, additur *ad bona opera*, hoc est, idonei facti ad ea; quod fit renovatione seu regeneratione, v. 15. *Creati in unum novum hominem*, hoc est, effecti; sicut alibi quoque creaturæ vox, additione vocis, nempè novæ, restringitur, 2. Corinth. 5. v. 17. & Ephes. 4. vers. 24. & Col. 3. vers. 10. *Novus homo creatus secundum Deum in vera justitia & sanctitate*, hoc est, *factus novus homo*: Modus autem efficiendi, suo subjecto & addita forma describitur ac restringitur. Contra verò Coloss. 1. v. 16. absolutè ponitur vox *creandi*: neque ulla loci circumstantia restringitur, quia dicitur simpliciter: *Omnia per ipsum creata sunt, quæ in cœlis & quæ in terra; visibilia & invisibilia*: quemadmodum etiam dicitur de Christo, Ephes. 3. vers. 9. *Qui omnia creavit per Christum*, hoc est, mundi totius universitatem, quod accommodatè traditur, ut inde constet, eundem rectè rerum omnium restauratorem constitui. Quare hinc liquet, ex locis hisce ab adversario objectis, non probari, vocem *creandi* significare idem quod reformare: deinde etiamsi significaret, tamen Col. 1. v. 16. ita accipi non posse, ut diversis ac solidis argumentis anteà demonstravimus. Atque hoc modo vindicato hoc illustri loco adversus Socini exceptiones, inde concludimus Christum esse ante omnem rem creatam, & universum hunc mundum per eum conditum. Quare ad reliqua duo testimonia, quibus idem probavimus & probare solent Orthodoxi, progrediemur. Ea autem petita sunt ex epistola ad Hebr. cap. 1. Ac primùm quidem continetur vers. 2. his verbis: *Per quem* (nempè Filium, ut citra controversiam, vers. 1. demonstrat) *& secula fecit.* Objicit autem adversarius 1. verba ipsa: nimirum non dici ab Apostolo: per quem cœlum & terram, sed secula; deinde non addi *creavit*, sed *fecit*: aitque contrà hæc ad futurum mundum seu seculum referri debere; quod nomen *secula*, sivè, ut in Græco est, αἰῶνες æternitatem illam quam speramus, & qua futurum nobis seculum continetur, quodammodo ob oculos ponit, & idcirco futurum illum mundum evidentius significat. Verùm respondemus 1. etsi vocibus illis non utatur, aliis tamen, ejusdem valoris ex usu Scripturæ, idem significari. Nam *secula*, per metonym. adjuncti pro subjecto, in Novo Testamento *mundum* significant; cui mundo duo tribuuntur secula: unum quidem, quod à creatione mundi ad finem quo renovabitur, fluit; &, *hoc seculum*, dicitur: alterum verò, quod post finem hujus mundi & renovationem illius in æternum durabit: & distinctè ac oppositè, *illud seculum* & *venturum seculum* appellatur: quemadmodum perspicuè apparet, Matth. 12. vers. 32. *Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Similiter Luc. 18. v. 30. ait Christus, *qui non recepturus sit multiplicia, hoc tempore: & in seculo venturo vitam æternam.* Atque ita mundus (seu cœlum & terra & res iis comprehensæ) à duratione generatim in Novo Testamento vocatur *seculum*, & etiam *secula* eodem sensu, ut 1. Corinth. 2. v. 7. *ante secula*, id est, ante mundum creatum, & Hebr. 11. vers. 3. *Fide intelligimus constructa fuisse secula, ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta. Secula*, id est, mundum universum, quæ, cœli terræque & omnium rerum complexu continetur. Deinde *facere* non minus de prima cœli terræque & omnium rerum creatione, quam *creare* usurpatur, ut Genes. 2. v. 2. *Cum autem perfecisset Deus die septimo opus suum quod fecerat, die septimo quievit ab omni opere quod fecerat*: & v. 3. *quia in eo quievit ab omni opere, quod faciendo crearat*: & v. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ quando creata sunt, quo tempore Jehova fecit terram & cœlum.* Deinde Exod. 20. v. 11. *Sex diebus fecit Deus cœlum & terram.* Imò cum de creatione cœli & terræ agitur; non solum eodem sensu, pro voce *creandi*, *facere* in Prophetis usurpatur sæpè, sed etiam longè frequentius *faciendi*, quàm *creandi* voce utuntur: quemadmodum locorum inductio demonstrat. Sic in Novo etiam Testamento, *creare* & *facere cœlum & terram ac mundum*, eodem sensu accipiuntur; ut Actor. 14. vers. 15. *Qui fecit cœlum & terram, & mare & omnia quæ in iis*, cap. 17. vers. 24. *Deus fecit mundum, & omnia quæ in eo.* ubi certo constat, *fecit*, tantundem notare atque creavit. Quod autem excipit adversarius contra Wiekum adversus allatum testimonium ex Hebr. 11. vers. 3. non ibi dici facta esse secula: sed aptata, id est, concinnata & aptè composita, atque accommodata: ad illud respondetur, unum idemque reipsa utraque voce designari. Nam cum Genes. 1. v. 31. dicitur: *Quicquid fecerat, ecce erat valdè bonum*, illud indicatur, quod cœlum & terram perfecerit, Genes. 2. vers. 2. 3. 4. nec enim fecit secundum quid, sed omninò ac perfectè; quia perfecit. Quod etiam propriè vox

καταρτίζω. Hebr. 11. verſ. 3. quam urget adverſarius, ſignificat. Nam ἄρτιος eſt *æqualis* & *integer*: unde ἄνθρωπος ἄρτιος *homo perfectus*, 2. Tim. 3. dicitur, & inde oritur ἀρτίζω & καταρτίζω, *perficio, conſtruo*. Quare etſi *facere* & *perficere*, ſi ſolùm ponantur, differunt ut genus & ſpecies; quod non omnia quę fiunt, perficiuntur, & integrè coaptantur; tamen cùm additur circumſtantia mundi, aut cœli & terræ, idem denotatur, ut jam anteà oſtendi ex Gen. 1. & 2. quemadmodum etiam Prov. 3. verſ. 19. dicitur, *Sapientia fundavit terram, & ſtabilivit cœlos intelligentia*: ubi idem quod *creare* notant *fundare* & *ſtabilire*, quæ, etſi modo ſignificationis differant, reipſa tamen conveniunt: cap. 8. verſ. 26. eodem ſenſu: *adhuc non fecerat terram*: quod idem eſt quod crearat, & verſ. 27 *Cum aptaret cœlos*: quod LXX. Interpretes reddunt ἑτοίμαζε; etſi enim diverſa ſint verba, eodem tamen ſenſu inter ſe uſurpantur. Quare alienum eſt quod diverſam vocem, Hebr. 11. verſ. 3. nempè *aptare*, non autem *facere* uſurpari objectat. Nam etſi circumſtantiâ aliquâ differant: idem tamen reipſa notant: quemadmodum citata à nobis Scripturæ loca oſtendunt. Sed rurſus ita excipit adverſarius: *Finge*, (inquit,) *in iſto loco* (*Hebr.* 11. *verſ.* 3.) *disertè ſcriptum eſſe: facta eſſe ſecula, quid hoc ad rem noſtram: cum iſtius loci, ad noſtrum nulla prorſus appareat relatio, & tanto intervallo*, (id eſt, *decem capitibus interpoſitis*) *alter ab altero diſtet*; *Non ſatis eſt probare facere ſecula, ſignificare cœlum & terram creare: ſed conjecturas ſaltem afferre oportet, cur hæc ſignificatio in loco noſtro* (Hebr. 1.) *agnoſcenda ſit, At nullæ unquam afferentur.* Hæc adverſarius. Reſpondemus autem, non fingi ab Orthodoxis (ut objicitur) unum eſſe ſenſum reipſa, cum dicitur, facere ſecula vel perficere aut aptare: ut ex locis Scripturæ modò demonſtravimus; deinde nimis contemptim ac confidenter ait adverſarius, quod nullæ unquam conjecturæ afferentur, quibus hæc ſignificatio in hoc loco ſit agnoſcenda.

Nam, ut alia hoc tempore omittam, primùm hoc extra controverſiam ponimus, tanquam utrimque agnitum, *ſecula* hoc loco ſignificare mundum: unde hoc argumentum ſtatuimus: *Fecit ſecula*, hic ſignificat primum mundum fecit, aut alium mundum: puta ut adverſarius ait, mundum futurum. Atqui non ſignificat, mundum futurum fecit: ergò mundum primum. Aſſumptio certa eſt: quia mundus ille futurus nondum eſt factus: mundus de quo Paulus Heb. 1. loquitur eſt factus: ergò mundus hic non eſt ille futurus: Propoſitio confirmatur; quia hæc ſunt contradictoria, futurum eſſe, oppoſitè pręſenti; & eſſe factum: futurus enim mundus erit ultimo die, nempè cœlum novum & terra nova, 2. Pet. 3. v. 13. Aſſumptio verò verbis Pauli continetur disertè, cùm ait: *Fecit ſecula*: ac proptereа firma eſt concluſio. Deinde in ſacra Scriptura ſeculum venturum, hoc eſt, futurum, notat durationem perpetuam poſt mundi renovationem; quæ duratio communis eſt inferno ac cœlo, ut disertis verbis, Matth. 12. verſ. 32. & Luc. 18. verſ. 30. traditur. Neque vitam æternam notat; ſed ab ea diſtinguitur expreſsè Luc. 18. v. 30. ut à tempore, id quod in tempore datur. Neque denique Eccleſia glorioſa ullibi in ſacris literis mundus futurus aut venturus vocatur: neque hoc loco intelligi poteſt: quia illam ultimo demum die Chriſtus efficiet: ſed nondum effecit, Rom. 8. verſ. 21. Phil. 3. verſ. 21. & 1. Petr. 1. v. 4. & 5. & 1. Johan. 3. verſ. 2. Nec denique cœlum beatorum, ſeculorum voce hoc loco intelligi poteſt: quia illud jam eſt, non autem futurum eſt; imò inde ab initio factum eſt, Matth. 25. v. 34 Quamobrem meritò concludimus, non conjectura ulla; neque ſolùm ex circumſtantia aliqua: ſed etiam (ut vulgò loquuntur) ex ſubſtantia ſeu ex rei ipſius natura, cùm dicitur: *per quem ſecula fecit*; de creatione mundi hujus, non de futuri mundi effectione neceſſariò intelligendum.

Quocirca jam ſatis vindicata hac, de rerum omnium effectione, ſeu mundi hujus creatione, ſententia, ad proximam ſimiliter adverſus corruptelas Socini muniendam, procedemus.

Examen verſus quarti: *In ipſo vita erat & vita erat lux hominum*

IN quo loco enunciationes ſunt duæ: unde totidem oriuntur quæſtiones: una de prioris ſubjecto: ſeu quidnam *vita* hoc loco ſignificet: altera de poſterioris attributo, quid *lux hominum* denotet; quæ ordine paucis expendemus.

Ac primùm, ad *vitam* quod attinet, noſtri, cauſam ac fontem vitæ, tam animalis quam ſpiritualis exponunt: quæ cum omnia fecit λόγος, jam erat: quod omnium creatori & conſervatori convenit propriè; ideoque Deitas Chriſti hoc etiam modo declaratur. Contrà verò Socinus contendit, tantum de vita æterna, & immortali (quam per Chriſtum homines conſequuntur,) agi: Chriſtum autem perpetuò intelligit merum hominem, ſeu ſolâ humanâ naturâ conſtantem, non autem divinâ. Expoſitionem autem probare conatur duobus argumentis: Primum eſt, 1. Iohan. 5. verſ. 11. quo id dilucidiſſimè explicari ait his verbis; *Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc in Filio ejus eſt.* Verùm negatur Conſequentia: Nam etſi Chriſtus ſit author vitę æternę: inde tamen minimè ſequitur, eum non eſſe authorem quoque vitæ animalis; hęc enim non ſunt oppoſita, ſed παράλληλα, quę ſub eodem nomine vitæ generatim continentur: & alterum ex altero conſequatur. Indeque Deitatis Chriſti aſſertores, hoc retorquentes in adverſarios, meritò concludunt, ac ſententiam ſuam probant, hoc modo: Si Chriſtus eſt author vitę æternæ Ergo etiam verus eſt Deus, ideoque & vitę animalis author, Atqui (fatente adverſario cum Scriptura,) Chriſtus eſt author vitę ætęrnę, Ergo verus eſt Deus, ac per conſquens author etiam vitę animalis. Propoſitio inde probatur, primum; quia regeneratio ſeu ſanctificatio per Spiritum Sanctum (quę principium eſt vitę ętęrnę, Iohan. 5. verſ. 24. & 25.) eſt opus Dei proprium, 1. Corinth. 3. verſ. 6. & 7. Epheſ. 2. verſ. 8. 1. Pet. 1. v. 22. & 23. Ac propterea cum Chriſto hoc in Scriptura tribuatur, Johan. 15. verſ. 16. & 16. v. 14. & Epheſ. 2. verſ. 10. Idemque adverſarius agnoſcat, velit, nolit: ſequitur eum eſſe verum Deum, ideoque & vitæ animalis authorem. Deinde cum vitæ æternæ pars, ſit corporis glorioſa ultimo die ſuſcitatio à morte; idque opus Deo ſit proprium, puræ ſcil. omnipotentiæ effectum, Rom. 4. verſ. 17. & 24. & Chriſtus illud efficiat Ioh. 6. verſ. 39. & 40. Phil. 3. verſ. 21. (ut etiam agnoſcit adverſarius) inde ſequitur Chriſtum eſſe verum Deum, ac per conſequens non ſolum vitæ æternæ authorem (unde 1. Ioh. 5. verſ. 20. verus Deus & vita æterna vocatur) ſed etiam vitæ animalis: ut quæ æterna vita longè eſt inferior, 1. Cor. 15. v. 53. Quare ſententia 1. Iohan. 5. v. 11. perperam ab adverſario adducitur, ut probet, in ſermone ſeu Chriſto dici, Iohan. cap. 1. vitam eſſe, tantum ratione vitæ æternæ: & quidem quod vitam æternam non per divinam naturam (quam negat) ſed per humanam naturam, (quam ſolam agnoſcit) hominibus conferat.

Alter vero locus, quem adverſus rectam ſententiam objicit, eſt Ioh. 5. v. 25. *Amen amen, dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei & qui audiverint, vivent; Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſeipſo. Ex quibus* (inquit Socinus) *verbis apertiſſimè conſtat, & à Deo Chriſtum hæc accepiſſe, ut vitam in ſemetipſo habeat: & quo ſenſu id dicatur, nimirum, quia vocem ejus audientes, vitam adipiſcuntur.* Reſpond. autem, verum eſſe, cum Deus Filio ſuo dederit vitam habere in ſemetipſo, eam Filium accepiſſe à Patre: quemadmodum relatorum natura poſtulat: ſed inde non ſequitur: Ergò Filius eam primùm accepit in tempore: quia eandem omninò vitam, quam habet Pater, communicatione per generationem æternam, dedit Filio, non autem novam vitam efficiendo. Ac propterea Filius etiam fons eſt omnis vitæ, cùm corporis, tum animæ, ſicut Pater. Pater autem ſic vitam ſeu vitæ fontem in ſemetipſo habet: Ergò & Filius ita habet. Nam paritas utriuſque denotatur: *& ut Pater vitam dat, ſic & Filius*, ut Joh. 5. verſ. 19. *Quæcunque enim facit*

facit Pater: eadem & Filius similiter facit, & vers. 21. *Ut enim Pater suscitat mortuos; sic & Filius quos vult vivificat.* Deinde quod ait adversarius, *Patrem dedisse Filio habere vitam in seipso; inde constare apertissimè, eo sensu dici, nimirum, quia vocem ejus audientes, vitam adipiscuntur*: illud est commentum inane adversarii, & omni probatione destitutum: contraque apparet ab Euangelista Johanne, primùm proponi hoc loco effectum Christi, quod auditores vivificet seu sanctificet: Deinde propositum illud à causa efficiente illustrari, non vice versa. Causa autem traditur hæc, quod scil. vitam habeat in semetipso, ut Pater: ideoque non mirum, si opus illud divinum, nempè vivificationem sibi attribuat, cum ipse sit fons omnis vitæ pariter cum Patre: utpote à quo omnis vita (sivè naturæ, sive gratiæ, sivè gloriæ) promanet: Quare hinc etiam constat, adversarii expositionem, objectis illis sacræ Scripturæ locis, minimè probari. Hac igitur ratione vocis *vitæ*, (quæ primæ enuntiationis vers. 4. subjectum est) genuina sententia vindicata: ad alteram similiter asserendam procedemus. Quæ his verbis continetur: *Et vita erat lux hominum.* De cujus attributo quæritur, quid scil. *lux hominum*, hoc loco significet. Et quidem in eo generatim consensus est, vocem *lucis*, non propriè externam ac corpoream lucem designare: sed impropriè per metaphoram ad aliud, quod huic luci simile est, translatum: nimirum, quod ut lux illuminat, sic vita, quæ in Christo est, spirituali modo homines illustret. Sed speciatim de modo simul ac tempore dissensio est. Quippe Deitatis Christi assertores statuunt, Christum lucem dici hominum, quod ab eo, quasi fonte, & prima essentia intelligente, omnis vis rationis atque intelligentiæ hominum, cùm naturalis, tum supernaturalis, (quasi lumen quoddam spirituale) inde à mundi initio promanarit: Contra verò Socinus (ut suam de Christo, humana tantum natura constante, sententiam tueatur) sic exponit: *Est igitur* (inquit) *vita illa æterna, quæ erat in Christo, lux hominum: quatenus, ut mox dicemus, Christus hujus vitæ patefactione illuminat omnem hominem; cum alioqui omnes hujus mundi homines in umbra mortis sedeant, nullam vitæ æternæ firmam certamque spem habentes:* Quibus proximè subjicit, tanquam titulum à se exponendum, Joannis verba, *Et lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cui titulo subjicit expositionem hanc: *Christus lux dicitur, non solum quod cœlesti doctrina homines ad vitam æternam illuminet: sed etiam quod vita irreprehensibili, atque sanctissima illis præluceat, ut ipsum imitentur: exemplum enim, inquit Johan. cap. 13. v. 15. dedi vobis, ut quemadmodum ego feci: ita & vos faciatis.* Hæc Socinus: quibus lucem hanc hominum, suis tenebris, obscurare conatur; sed frustra: ut ex hisce etiam rationibus constabit. Nam 1. lux hominum, quam Johannes intelligit, illuminat omnem hominem venientem in mundum. Atqui cœlestis humanæ naturæ Christi doctrina; & vitæ illius irreprehensibilis ac sanctissimæ exemplum, quibus homines illuminat ad vitam æternam, non illuminant omnem hominem venientem in mundum. Ergo doctrina humanæ naturæ Christi, & sanctissimæ illius vitæ exemplum, quibus homines illuminat ad vitam æternam, non sunt lux illa hominum, quam Johannes intelligit. Propositio expressè extat vers. 9 *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Idque adeo clarum est, ut adversarius verbis modò citatis agnoscat, Christum illuminare omnem hominem. Assumptio verò experientia notissima demonstratur, 1. Quia maxima hominum pars, ante humanæ Christi naturæ doctrinam & vitæ illius exemplum, non illuminata est per eam, aut alium, ad vitam æternam, sed in tenebris ignorantiæ doctrinæ salutis periit, Ps. 147. v. 20. Act. 14. v. 16. Deinde quia per Christum natum, docentem ac sancta vita præeuntem, minima pars Judæorum (ut gentiles taceam) illuminata: sed maxima pars in tenebris ignorantiæ permansit, Joh. 3. v. 19. 20. Rom. 10. v. 3. & 11. v. 5. 7. & 8. Neque exceptio ea habet locum, qua obtenditur, Christum doctrina & exemplo præluxisse Judæis illis: sed ipsos hanc lucem salutarem non comprehendisse, ut Johan. 3. v. 19. *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim opera eorum mala.* Nam illuminare inquam, non solum est lucem prætendere seu prælucere; sed etiam lumen indere atque illustrare. Nam quamvis sol præluceat etiam cæcis, eos tamen non illuminat: quia oculi eorum luminis capaces non sunt, nec redduntur; similiter nec Christus eos illuminat, quibus in cæcitate spirituali manentibus, doctrinâ & exemplo tantùm prælucet. Tertia assumptionis probandæ ratio est, quod plurimi, inde à Patriarchis ad Christum natum, luce doctrinæ ad vitam æternam sunt illuminati: quemadmodum etiam Christo jam nato, antè illius doctrinam & vitæ exemplum: partim ministerio Angelorum: partim hominum, (ut Johannis Baptistæ & aliorum) Spiritus S. instinctu sunt illuminati ad vitam æternam: Ergo non omnes homines sunt per Christi hominis doctrinam & vitæ illius exemplum illuminati. Nam quod Socinus de Johanne Baptista his verbis objicit: *Is vera lux non erat, quæ Euangelium Dei verè nobis patefacit, & ejus prædicatione tenebrosas hominum mentes illustravit: Baptista enim baptismum pœnitentiæ tantummodo prædicavit; Christus autem per Euangelium & mortem abolevit, immortalitatemque in lucem protulit*, 2. *Tim* 1. *v.* 10. Verùm respondetur, certum esse, quod Scriptura asserit: Christum esse veram lucem: Johannem non esse veram illam lucem, ut v. 8. traditur, & ratio additur, v. 9. (qua lucem illam veram, ut luminis omnis fontem describit) à proprio effecto, quod non aliquos tantum, sed omnem hominem venientem in mundum illuminet: quod neque Johanni, neque ullæ meræ creaturæ: sed soli Deo tribui potest.

Deinde malè Socinus veram hanc lucem describit, vera Euangelii patefactione. Nam ea non omnem hominem illuminat, ut ante ostendimus, quod tamen huic veræ luci proprium: præterea nec Christo soli, quatenus est homo, convenit: sed etiam Iohanni Baptistæ, qui publicè ac verè divino instinctu ac vocatione immediata, Euangelium prædicavit, eoque modo complures ad vitam æternam illuminavit: Nam quamvis baptismum pœnitentiæ prædicarit, ut Scriptura docet; falsum tamen est, quod ait Socinus, id tantum prædicasse. Nam Ioh. 1. vers. 7 dicitur *venisse ut testaretur de luce, ut omnes per eum crederent*; deinde doctrinam Euangelii de persona, officiis & beneficiis Christi prædicavit, ut vers. 29. ad 37. usque, & cap. 3. v. 28. ad finem usque; copiosè ac perspicuè docetur. Ideoque cum dicitur prædicasse baptismum pœnitentiæ, per Synecdochen fides Euangelii simul intelligitur, ut Marc. 1. v 4. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; atqui ea, fide tantum obtinetur. Et Act. 19. v. 4. dicitur: *Johannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, ut crederent in eum, qui post ipsum veniret, hoc est in Christum Jesum.* Idemque ex Spiritus S. instinctu ante prædictum est à Zacharia Baptistæ Patre in Cantico, Luc. 1. v. 76. & 77. *Propheta Altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus, & des cognitionem salutis populo ejus in remissionem peccatorum.* Ubi obiter notandum vocem ἐν pro εἰς (ut sæpe solet) usurpari, & cognitionis effectum ac finem denotari: ut Luc. 3. v. 3. in ejusdem sententiæ repetitione dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ, εἰς in, seu ad remissionem peccatorum.* Quare cum vera Euangelii patefactio & per eam illuminatio ad salutem, non solum humanæ naturæ Christi prædicationi: sed etiam Iohannis Baptistæ ministerio, in Sacris Literis tribuatur ac conveniat; inde sequitur falsam esse Socini expositionem: qua Christum opposité Iohanni Baptistæ lucem hominum, & lucem veram dici definit, quod Euangelii patefactione hominum mentes in tenebris ignorantiæ constitutas liberat, & in veram resurrectionis vitæque æternæ lucem ac certam spem traducit. Hoc enim, ut modo demonstravimus, humanæ Christi naturæ, & Iohanni Baptistæ commune est: quod verò Christus lux omnium hominum, & lux vera dicitur, Christo proprium est, ut ipsemet adversarius agnoscit, cum ait ibidem: *Solus ergo Christus est lux vera.* Cæterùm vera appellationis hujus causa, est non illa Socini, nempè humanæ naturæ Christi doctrina & vita; sed alia, nimirum, quod Christus est fons lucis & omnis veræ intelligentiæ: Iohannes verò Prophetæ & Apostoli, suo modo lux

fuerunt

fuerunt hominum: sed non absolutè omnium; nec omnis lucis: sed quorundam hominum, & ratione cognitionis doctrinæ salutis per Christum. Deinde lux seu notitia Euangelii, qua aliis præluxerunt, rivus tantum fuit, à Christi fontis gratiâ promanans. Nam per Spiritum illius Prophetæ olim 1.Pet.1. v. 11. & Apostoli postea Ioh.15.v.26. & 16.v.13.& 14.& 2.Cor.13.v.3. sunt illustrati: & quidem ex parte, 1. Cor. 13.v.9. pro mensura donationis Christi, Ephes.4.v.7. Denique neque aliter illuminarunt, quam ut causa ministra; Christus verò, ut causa principalis, Ephes.2. v. 10. & 6. v. 23. Rom. 15. v. 18. Sine cujus divina atque interna oculorum mentis illustratione, omnis eorum externa Euangelii prædicatio, inutilis fuisset atque impotens, 1.Cor. 3. v. 5. 6. 7. Unde etiam sequitur, mutilam esse veræ lucis definitionem qua eam adversarius restringit ad prædicationem & exemplum vitæ Christi; quia hoc modo non illuminat omnem hominem venientem in mundum, ut supra demonstravimus. Neque effugium Socini hoc argumentum solvit, sed perplexa atque æstuante dubitatione opposita, magis confirmat. Responsiones enim adducit quatuor diversas: Quarum tres priores constructionem horum verborum receptam sequuntur: postrema verò novam in ejus locum substituit: sed quocunque se Protei more vertat, manifestè constringitur. Nam Prima responsio est, orationem esse defectam: *Illuminat omnem hominem*, nempè per ellipsin qui illuminatur: ac sensum esse tradit, quod quicunque ex hominibus hujus mundi ad vitam æternam illuminantur, non alia ratione illuminentur, quam per Christi Euangelium: ubi primum fraus adversarii, ambiguitate ludentis observanda. Nam cum Euangelium Christi accipi possit, vel pro doctrina de Christo: vel pro Euangelii prædicatione à Christo homine facta: priori modo vera est sententia. Nemo enim aliter ad vitam æternam illuminatus est unquam, inde ab initio mundi, quam per Euangelium de Christo: utpote quod à Deo in Paradiso primum prædicatum. Posteriori verò modo, quo accipit adversarius, falsa est sententia. Nam quamvis Christus, quatenus Deus, omnes eos, qui illuminantur ad vitam æternam, illuminet, non omnes tamen, nec omnino, per humanam suam naturam. Non omnes, inquam: quia multos & ante nativitatem è virgine: & post eam: antequam doctrina & exemplo vitæ præluceret, Euangelii doctrinâ, Angelorum & Johannis aliorumque piorum hominum ministerio, quatenus Deus, illuminavit, ut supra demonstravimus. Neque omninò, quia etsi humana natura, externa doctrina & vita præluxit: cæcitatem tamen mentis non abstulit, neque lucem indidit: sed sola divina sua natura oculos mentis, cœcos regenerando illustravit, donata virtute fidei: ut ea instructi, externam Euangelii lucem amplecterentur. Deinde adversarii expositioni obstant verba à Johanne addita; quia non simpliciter dicitur: *Omnem hominem*, sed additur, *venientem in mundum*, hoc est, dum homo oritur: non autem, tum demum, postquam ortus est atque adolevit. Atqui nullus homo, dum venit in mundum, illuminatur notitia Euangelii (ad quam intelligendam per ætatem tenerrimam est ineptus) sed omnis homo à sua origine, ratione, quasi lumine quodam spirituali donatur: unde homo animal rationale meritò definitur. Quare prima hæc solutio Socini, qua ellipsin seu defectum orationis statuit, à veritate perspicuè deficit. Secunda similiter responsio infirma, quæ sine ellipsi in vocis *omnis* distinctione consistit. Nec enim de omni individuo, seu omni singulari homine: sed de omnis generis hominibus, posse intelligi ait, hoc sensu, quod citra personarum acceptionem, cujuscunque generis homines, gentes ac Judæos, doctos atque indoctos, nobiles atque ignobiles illuminet. Atqui obstat huic expositioni; Primùm, quòd ut ante monuimus, nulli venientes in hunc mundum prædicatione Euangelii illuminentur: quia videlicet usu rationis insitæ adhuc careant. Deinde falsum etiam est Christum prædicasse Euangelium sine acceptione, hoc est, distinctione personarum, Gentilium & Iudæorum: Ipse enim contrarium, cum in terris versaretur, docuit ac præcepit. Nam licet speciali quadam gratia nonnullis Gentilium Euangelium obiter prædicarit, Ioh. 4 v. 40. 41. & 42. illud tamen ab Apostolis fieri vetuit, Matth. 10.v.5. *In viam Gentilium ne iveritis: & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini: Ite verò potius ad oves perditas domus Israëlis*, & Mat.15.v.24. *non missus sum* (scil. ordinariè) *nisi ad oves perditas domus Israëlis*. Post mortem verò Christi primùm, sublato discrimine populorum, ex Christi mandato, Euangelium anuntiatum est omnibus gentibus, Matth.28.v.19. Quamobrem secunda hæc adversarii responsio confutatur, ejusque (ut & primæ) infirmitas, tertiæ quam subjicit indicio, amplius declaratur. Sic enim adjicit Socinus: *Tertiò & hoc fortasse est verius, quod Christus quantum in se est, synecdochicè tamen, Euangelii luce omnium mentes illustret*. At inquam illud à vero alienius esse res ipsa evincit. Nam primum falsum est, Christum etiam omnium mentes illustrare, quia plerique in tenebris manent, & plurimi ante eum, & sine illius prædicatione ac mandato illuminati: ut supra probavimus. Deinde Christus sua prædicatione Euangelii, non omnes suos auditores (nedum omnes homines,) quantum in se est illuminavit. Nam qua Filius Dei est, divina sua virtute poterat omnes per Spiritum Sanctum viva fide donare, Matth. 11. v. 27. quod tamen non in omnibus auditoribus, sed in electis suis solum præstitit, Ioh. 10. v. 16. & 26. Deinde etsi Christus prædicatione Euangelii & vitæ exemplo fecerit, quantum in humana ipsius natura (quam solam agnoscit Socinus,) ad illuminandum pertinebat: inde tamen dici non potest illuminasse omnes homines, multo minus omnes venientes in hunc mundum: quia externa illa prædicatio in iis qui in incredulitate sua perstiterunt, nihil luminis attulit: quia externa lucis Euangelii prætensio, cæcos infidelium animos non illustrat, si interna Spiritus Sancti illustratio, qua visum spiritualem restituit, desit, 1. Corinth. 3. vers. 7. Quarè vana est illa ellipsis, quam fingit adversarius: Christus illustrat quantum in se est. Quemadmodum etiam, quod secundo loco subjicit: *Synecdochicè tamen Euangelii luce omnium mentes illustrat*. Id enim, & obscurè & ineptè dicitur: obscurè quidem, quia exceptio hisce verbis expressa; *Synecdochicè tamen*; si ad priora pertineat, significabit Christum, quantum in se est, & secundum quid illuminasse: sin vero ad posteriora referatur, sensus erit, omnes homines Synecdochicè acceptos, hoc est, pro majori hominum parte, vel parte aliqua, hoc est, plerosque, vel aliquos illuminasse. Ineptè verò quia neutra acceptio; neque cum verbis Euangelistæ: (*illuminat omnem hominem venientem in mundum*) conveniet, neque cum rei veritate, ut ex ante dictis apparet. Atque hoc modo refutatis tribus prioribus adversarii responsionibus, quibus hanc sententiam pervertere studet, quæque in eo conveniunt, quod receptam ab omnibus constructionem sequuntur; superest ut quartam atque ultimam, in qua acquiescit, expendamus. In ea autem, nova constructione atque interpretatione posita, elabi conatur his verbis: *Præterea hæc verba aliter legi possunt, nimirum hoc pacto: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum. Vox enim Græca ἐρχόμενον, tam luci, quam homini accommodari potest. In hanc sententiam alicubi Christus ait: Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat; & hæc sine dubio est germana hujus loci lectio & interpretatio.* Hactenus Socinus. Respondemus verò primùm, verba Euangelistæ duplicem quidem posse ferre constructionem: cùm illam, quam interpretes communi consensu proponunt; tum alteram, quam hoc loco reponit adversarius: sed prior tamen genuina est: quam sententiæ hujus veritas flagitat. Nam posterior parit sensum falsum; quia Christus, veniens in mundum, non illuminat omnem hominem: quia multi in tenebris ignorantiæ permanserunt, & non pauci postquam venit in mundum, hoc est, homo factus, ab aliis illuminati sunt; ut jam ante demonstravimus. Quamobrem ex hisce satis superque apparet Socini error, qui illuminationem hoc loco, de illustratione hominum, per prædicationem Euangelii ab humana Christi natura propo-

propositi exponit. Contrà verò perstat interpretationis ante positæ veritas: nempe Christum oppositè Iohanni & aliis ministris vocari lucem veram: quod scil. tanquam fons lucis, omnem hominem illuminat, lumine rationis naturalis. Nam id solum omnibus hominibus, & quidem venientibus in mundum, seu ab ipso ortu eorum commune est, quo illuminantur; ac propterea illud solum, non aliud hoc loco intelligendum; unde etiam, velit nolit Socinus, Ceitas Christi demonstratur. Nam solus Ceus, citra controversiam, rationis naturalis in hominibus est author: cùm creatione prima Adami & Evæ: tum etiam propagatione consequente: unde meritò Deus peculiariter, parentibus nostris oppositè (quibus corpora debemus proximè) *Pater spirituum* Hebr. 12. verſ. 9. nominatur. Verùm quia adversarius, contra hanc veritatis hujus lucem, sinuosum, objectionis cujusdam, velum obtendit, illud postremo loco discutiendum. Abutitur autem occasione verſ 7. quo de Iohanne Baptista dicitur: *Venit ad testimonium, ut testaretur de luce: ut omnes per eum crederent*, subjicit enim hoc argumentum cum ait: *Sed quodnam testimonium huic luci dedit Baptista? Num eam ab omni æternitate fuisse, vel cœlum terramque creasse? quam longè absunt ista ab illius verbis. Num eam omnibus rebus creatis Spiritum vitamque hanc naturalem semper administrasse? Nihil minus: testatus enim tantummodo est de Iesu, quod esset Christus & Agnus Dei, qui mundi peccatum aufferret: quod baptizaturus esset Spiritu Sancto & igni, cum ipse aqua tantum baptizaret; quod se major ac præstantior esset; & alia hujusmodi. Quare vel alium sibi Christum, ab eo cui testimonium dedit Iohannes Baptista fingant necesse est: vel invidum Christi gloriæ Baptistam fuisse dicant; vel saltem ejus dignitatis atque præstantiæ ignarum, & porrò nullius momenti ejus testimonium fuisse: cum illa de Christo reticuerit, quibus si destitutus foret, nihil penitus eum humano generi profuturum existimant omnes ii, qui Christum cœli terræque conditorem, animantiumque omnium sempiternum vivificatorem & unicum Deum nostrum esse contendunt.* Hactenus Socinus. Cujus orationis pars prima, quæ negatione præfidenti constat, falsa est. Nam Christum esse ab æterno creatorem cœli ac terræ, vitæque & spirituum authorem, Johannes Baptista constanter docuit: etsi non totidem verbis, sensu tamen eo tendente. Quia ut hæc attributa Deo vero conveniunt, ac propria sunt: sic etiam Christum non merum, sed verum hominem, ac verum simul Deum testatus est multis: quemadmodum inductione testimoniorum comprobatur, quæ, partim antequam Christus Euangelium prædicasset; partim posteaquam prædicare cæpit, protulit. Antequam enim prædicasset Christus Euangelium, Johannis Baptistæ testimonium primum extat, Johan. 1. verſ. 15. 16. & 17. In quo tria divinitatis Christi argumenta extant. Primum est, v. 16. *Ex plenitudine ipsius* (scil. Christi, ait Johannes,) *omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Atqui Johannes Baptista ex plenitudine Christi, quatenus homo est tantum, nihil acceperat, imò nondum Iohanni conspectus erat, verſ. 33. Ergo ut vera sit sententia, acceperat ex plenitudine Christi, quatenus Deus; nullum enim est medium. Alterum Deitatis argumentum est, quia Christum, oppositè omnibus, unigenitum Dei Filium vocat, verſ. 18. ideoque ejusdem cum Deo Patre essentiæ. Tertium Deitatis Christi argumentum est, quod Baptista testatur Christum esse in sinu Patris, hoc est, ipsi intimum esse, & omnium conscium: & quod Patrem exposuit: Atqui secundum humanam suam naturam Christus non erat in sinu Patris: neque eum adhuc exposuerat seu patefecerat. Ergo inde ostendit Baptista, Christum esse non merum hominem, sed verum Deum: ut Matth. 11. verſ. 27. Christus consentaneè ait, *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Atque hæc de primo Johannis testimonio, unde Christi Deitas & æternitas apparet. Alterum verò testimonium ab eodem prolatum, describitur v. 21. ad 29. in quo Deitatis Christi documentum est clarissimum, verſ. 23. ubi ex Esai. 40. verſ. 3. officium suum prædictum exponit: *Ego,* inquit, *sum vox clamantis in deserto: complanate viam Domini:* Qua voce *Domini*, more recepto, pro voce Iehovæ, quam Iesajas ponit, utitur. Is autem Dominus seu Iehova est Christus, qui Iohannem sequebatur, & cui venturo, ad docendum viam parabat; ut Luc. 1. verſ. 77. traditur: *Præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus.* Cui etiam consentit id quod traditur Matth. 11. verſ. 10 Tertium testimonium est à verſ. 29. ad 35. ab Euangelista explicatum, in quo tria similiter Deitatis Christi argumenta adducuntur, quorum primum est verſ. 29. cum Christus vocatur à Baptista, *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi:* quo, ut verum hominem per Metaphoram agni mactandi, ut 1. Pet. 1. indicat, sic verum etiam Deum esse eo demonstrat, quod tollat peccatum mundi, id est, omnium credentium totius mundi; Hoc enim opus à mera creatura (qualem Socinus Christum fingit) provenire non potest; neque redimendo, neque sanctificando; sed à Deo solo, unde etiam Christus redemptor, Actor. 20. verſ. 28. *Deus, qui redemit Ecclesiam suo sanguine*, vocatur. Alterum argumentum est quod Baptista testatur, verſ. 33. Christum Spiritu Sancto baptizare; quod opus est merè divinum. Nam per Spiritum, neque sanctificando mentem, neque miracula varia edendo operari (quod baptismo Spiritus denotatur) nulli creaturæ: sed soli Deo, cujus Spiritus est, & qui in Deo est, convenit: ut supra etiam suo loco ostendimus. Tertium denique argumentum, est non novum, sed renovatum, seu repetitum, cum ait v. 34. *Ego igitur vidi, & testor hunc esse illum Filium Dei*, scilicet unigenitum (ut primo testimonio verſ. 18.) & proprium, Rom. 8. v. 32. ut ea appellatio nulli Angelorum eo modo tribui potest, Hebr. 1. v. 5. Atque hæc sunt præcipua Iohannis Baptistæ testimonia, antequam Christus Euangelium prædicaret. Postquam verò prædicare cœpisset, testimonium ei Iohannes Baptista perhibuit illustre, quod describitur. Ioh. 3. à verſ. 27. usque ad finem. In quo Deitatis Christi argumenta sunt imprimis duo. Primum quidem verſ. 29. cum testatur, Christum esse sponsum Ecclesiæ: quemadmodum etiam à Paulo describitur, 2. Cor. 11. verſ. 2. & Ephes. 5. verſ. 23. cum 25. & 32. Hic enim honor Sponsi Ecclesiæ, soli Deo proprius est, Hos. 2. verſ. 19. & 20. qui gloriam suam alteri non tribuit, neque rivalem fert, utpote Zelotes Exod. 20. verſ. 5. adeò ut Ecclesia, si alterum sponsum admittat, non casta, sed adultera merito censeatur. Ac propterea cum Christus sit justus Ecclesiæ sponsus: eundem cum Patre Deum esse necesse est: & per consequens mundi creatorem. Alterum deinde argumentum Deitatis Christi extat verſ. 31. quo Baptista, Christum *supernè*, & eodem sensu, *è cœlo venisse* testatur, quemadmodum etiam Christus Iohannis 3. verſ. 13. se descendisse è cœlo profitetur: unde sequitur, ipsum antequam homo factus est, extitisse & quidem in cœlo: ideoque verum esse Deum. Nam cum in cœlo tantùm sint creati Angeli, & piè mortui, deinde Deus: Christus autem citra controversiam nec Angelus creatus, nec mortuus tum fuerit: sequitur fuisse verum Deum. Si quis verò excipiat, Christum dici è cœlo venisse ratione doctrinæ, quæ cœlestis: aut ratione formationis miraculosæ ac potentiæ cælestis: utraque exceptio infirma est, etsi speciem aliquam habeat primâ fronte. Nam Iohannis doctrina erat etiam è cœlo, Matth. 11. v. 9. 10. & 21. v. 25. Iohan. 1. verſ. 33. Luc. 1. verſ. 17. & formatio illius è matre sterili, fuit etiam miraculosa, ac cœlesti Dei virtute peracta, Luc. 1. verſ. 7. nihilominus tamen idem Baptista oppositionem inter se & Christum instituens, ait: se è terra esse; Christum verò è cœlo. Quemadmodum Adamus, licet cœlesti creationis virtute esset formatus; nihilominus ab Apostolo, primus homo è terra; Christus verò, secundus homo Dominus è cœlo, 1. Cor. 15. verſ. 47. appellatur: quod scilicet ille merus esset homo: hic verò verus Deus patefactus in carne, 1. Timot. 3. v. 16. Ex quibus constat, cum Christus è cœlo esse dicitur oppositè Baptistæ, indicari verum esse Deum. Quare inde necessariò sequitur, esse cœli & terræ Creatorem, omniumque Spirituum vivificatorem, quia hoc Deo proprium: ac propterea Iohannem illud docuisse, cum Christum verum esse Deum, variis argumentis solidis est testatus.

Atque hoc modo asserta est genuina Euangelistæ doctrina: qua Christum, lucem hominum & veram lucem esse ostendit,

ostendit, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Atque ita à vers. 8. & 9. hujus capitis primi Iohannis, ad vers. 10. adversus errores vindicandum procedemus.

Assertio genuinæ sententiæ vers. 10. *In mundo erat, & mundus per eum factus est: & mundus* (vel ut Beza sensum rectè expressit, sed mundus) *eum non cognovit.*

Hujus autem loci, citra controversiam sunt tres enuntiationes: quæ oppositionem Christi & mundi continent: Duabus enim prioribus proponitur Christi beneficium erga mundum nempe præsentia illius in mundo, & illius effectio. Postrema verò enuntiatione, opponitur mundi ingratitudo & maleficium, quod Christum sibi præsentem ac benefacientem multis modis, & factorem suum non cognoverint, scilicet notitia debita, cum cultu justo conjuncta; Hac in re consensus est. Veruntamen quidnam mundus, & effectio illius significet, disquiritur. Qua de re duæ sunt sententiæ inter se dissentaneæ. Ac primùm communis Ecclesiæ sententia est: *mundum* in duabus prioribus enuntiationibus simpliciter, seu omnino intelligi: hoc est, cœlum terramque & omnia quæ iis continentur designare; quemadmodum versu antecedente, quo dictum est, *venientem in mundum*, & Ioh. 17. v. 5. *antequam hic mundus existeret*, & v. 24 *ante fundationem mundi* Deinde vocem ἐγένετο, hoc est, *factus est*, notare creationem illius, quemadmodum Genes. 2. v. 2. & Actor. 17. v. 24. *Deus qui fecit mundum.* In tertia verò enuntiatione, vocem *mundi* non simpliciter, sed secundum quid, seu Synecdochicè pro hominibus mundi accipi, idque controversiâ caret; ut etiam attributum illius demonstrat, scilicet quod Christum non cognovit: id quod tanquam reprehensio ponitur; quæ in ratione destitutis non habet locum. Deinde & illud constat, homines non singulos: sed plerosque intelligi; idque attributionis veritas etiam evincit. Nam cum multi homines pii extiterint, qui Christum verâ religione cognoverunt: si de singulis hominibus hoc dictum intelligeretur, sententia foret falsa: id quod à Sacræ Scripturæ veritate perpetuò alienum est. De plerisque verò est vera: ut experientia & Scriptura testantur; ideoque non de singulis, sed de plerisque hominibus accipi oportet. Sensus autem jam positus: & loci circumstantiis: & rei veritati (partim antecedentibus verbis, partim alibi in Sacris Literis explicatæ) convenit. Nam mundum per Christum factum esse seu creatum, jam antè traditum est, vers. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit:* atqui mundus, cœlo terraque constans, citra controversiam factus est, Ergo sine Christo factus non est: ut etiam pluribus antea, in refutatione objectionum adversarii demonstravimus; deinde quia in ipso vita erat & lux hominum vers. 4. quæ etiam illuminat omnem hominem venientem in mundum vers. 9. Ideoque cum vitæ sit fons, omnibus viventibus vitam præbens, atque etiam luminis rationis, in omnibus hominibus in mundum venientibus, mundi creatorem esse, verumque Deum (ut supra ostensum) necesse est. Idemque alia Sacræ Scripturæ loca Col. 1. v. 16. & Heb. 1. v. 2. & 10. supra allata & adversus exceptiones vindicata, perspicuè evincunt. Contra verò Socinus tradit. Nam & expositionem antepositam negat, & oppugnat: & aliam opponit ac propugnat, errore duplici; c[illegible], & quid *mundus:* & quid, *factus est*, designet, perperam exponit. Nam ad prius quod attinet, vocem *mundi* in tribus hisce enuntiationibus pro hujus mundi hominibus accipi, nulli dubium esse debere asserit: ac ratio illius est hæc; *Id enim* (inquit) *manifestissimè apparet, dum inquit, & mundus eum non cognovit. Nam de hominibus hoc tantum dici, nemo inficias ibit.* Verum negatur Consequentia; quia nititur falsâ hypothesi, quasi necesse esset, ubi eadem vox repetitur, eundem debere esse utrimque sensum. Nam circumstantiæ locorum sæpè diversam significationem, & in profanis, & in Sacris Scriptoribus esse demonstrant; & elegantiæ atque acuminis cujusdam modus, in tali diverso usu comperitur. Quale ingeniosum carmen in Neronem sparsum Sueto. in vita illius cap. 39. recenset.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic Matrem, sustulit ille Patrem.

Ubi vox *sustulit*, primo in loco *occidit*; posteriori *gestavit*, significat. Sic Matth. 8. v. 22. *Sine mortuos* (hoc est, incredulos) *sepelire mortuos suos* (hoc est, vita defunctos) & Rom. 8. v. 24. *Spe* (propriè accepta) *servati sumus: Spes verò* (per Metonym. pro re sperata) *quæ videtur, non est spes:* ut etiam Psal. 53. v. 6. *Expavescunt pavore, ubi non est pavor*, id est, pavoris causa: & vers. 5. *Edunt populum meum* (hoc est Metaphoricè comminuunt ac consumunt) *ac si ederent panem*, nempe propriè. Et ut alia omittam, vox mundi bifariam accipitur, Joh. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.* Ubi primo loco *mundus* inferiorem hanc mundi partem, hoc est, terram notat: quemadmodum Joh. 16. v. 28. *Egressus sum à Patre & veni in mundum: rursus relinquo mundum & proficiscor ad Patrem.* Secundo verò & tertio loco mundus significat homines fideles totius mundi: quia hi soli non condemnantur; solique servantur. Quare hypothesis adversarii falsa est: quasi vox eadem repetita, deberet eodem sensu utrimque intelligi. Id quod etiam, sibi contradicens, tandem ipsemet innuit sequentibus cum ait: *Si modò vox mundus hic significationem non variat: ut nunc quidem quodammodo pro concesso sumimus.* Quibus verbis dubitat, an *mundus* hîc significationem non variet, & tamen initio (ut ante citavimus) dixit: *Mundum pro hujus mundi hominibus accipi nulli dubium esse debet: id enim manifestissimè apparet, cum inquit: & mundus ipsum non cognovit.* Atque hanc contradictionem non tollit, quod ad marginem ad vocem, *si modo*, ab operis editore annotatur, in Racoviensi editione pag. 31. *hæc verba ita in alio exemplari leguntur; hoc intellige verum esse, si modo vox mundi, ter hoc loco à Johanne prolata, semper in eundem sensum sit accipienda, ut accepta est in hoc scripto paulò antè cum hic locus explicaretur.* Atque hactenus annotatio, & argumenti Sociniani, ab ipsomet authore confutatio. Unde liquet primus error Socini, quo significationem vocis mundi, in tribus hisce enuntiationibus, pro hujus mundi hominibus accipi asseruit. Alter error in perversa vocis ἐγένετο, hoc est, *factus est*, explicatione consistit. Nam Hebraismum esse statuit, quo verba simplicia pro compositis (quibus Hebræi carent) accipiantur, quasi scilicet factus est, pro refectus est acciperetur, ut Ephes. 3. vers. 9 *qui omnia creavit per Iesum Christum: id est instauravit; iterum condidit: & Ephes. 2. v. 10. ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in bonis operibus: ubi nemo non videt & fatetur, non de prima nostri creatione, sed de recreatione, ut ita loquar, seu nova creatione facta, sermonem esse, ut 2. Cor. 5. Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia.* Hæc ille. Verum ineptè primum hoc loco Hebraismum fingit, quasi simplex pro composito acciperetur: neque ea, quæ adducit loca, ei rei probandæ sunt idonea: quia *facere* & *creare* in locis citatis, non Hebraismo: sed Metaphora quadam accipiuntur. Deinde expositio etiam quam adfert, verbis Euangelistæ repugnat. Mundus enim qui hic à Christo factus dicitur, eum non cognovit: contra verò mundus qui à Christo renovatus est, ipsum cognovit Ergò mundus à Christo renovatus non est mundus, qui hic à Christo factus dicitur. Propositio verbis Johannis constat. Assumptio per se clara est: quia renovatio illa & nova creatio in mentis illuminatione & voluntatis sanctificatione consistit: & veteri homini seu tenebris ignorantiæ mentis, & cordis obdurationi opponitur. Nec diffitetur adversarius, qui hanc novam creationem, ex tenebris & morte in lucem immortalitatemque translationem exponit; & postea ait: *nonne qui vitam dat, rem facit atque creat: item cur vicissim per Christum, qui vitam hominibus confert, qui humanum genus à morte liberat æterna, mundus factus non diceretur?* Quamobrem cum propositio Syllogismi ante à nobis positi Euangelistæ testimonio contineantur: Assumtionem verò res ipsa, & adversarii confessio comprobent: inde conclusio

necessariò deducitur. Cœterum postremo loco probare conatur verba illa, *mundus per ipsum factus est*, non significare ipsum esse cœli terræque creatorem. 1. quod sit inauditum dogma, quod nec quisquam de illo: nec Christus ipse de se id unquam protulit: imò ne cogitare quidem unquam est ausus. Sed impudentem hanc blasphemiam jam antea, inprimis verò in vers. 1. 3. 8. ac 9. explicatione abundè refutavimus. Alterum argumentum est: quia Christus Patrem suum solum esse creatorem agnovit: quod quia à nostris constanter negatur, duo profert Christi, ex Johannis Euangelio, testimonia. Quorum primum est, quod cap. 20. vers. 17. eum qui omnia creavit, nobiscum & Patrem & Deum suum appellarit: deinde quod cap. 14. v. 28. se Patre minorem esse apertè fassus sit. Verum quia prius argumentum, jam ante ab adversario propositum, suprà distinctè & abundè confutavimus: eadem non repetam. Alterius verò consequentia negatur; quia est Sophisma à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Christus enim Patrem majorem se agnoscit, non simpliciter, quatenus Filius Dei est, & quatenus Filius hominis: sed secundum quid: seu quatenus filius hominis. Quomodo etiam dicitur Phil. 2. vers. 6. *Qui cum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo, sed seipsum exinanivit servi formâ acceptâ, similis hominibus factus.* Ita licet quà Filius Dei, par sit Patri: utpote unum cum eo, Joh. 10. v. 30. nempe essentia: eoque modo Pater etiam est in ipso, & ipse in Patre, Joh. 14. v. 11. Quatenus tamen Filius est hominis, minor est Patre: qui tantum Deus est; non autem ϑεάνθρωπος Deus homo factus. Et quatenus Filius Dei est filius hominis: eatenus Patri, ut Deo & Domino suo, à quo formatus est, obedientiam debebat, Ioh. 14. v. 31. & 6. vers. 38. Cujus ea erat voluntas, ut per mortem tenderet ad Patrem & cœlestem gloriam, Luc. 24. v. 26. & pro suis fidelibus in cœlo intercederet, Ioh. 14. vers. 16. & tandem cœlo bearet vers. 3. & cap. 6. v. 39. & 40. Atque hæc sincera maximè ac simplex, locique circumstantiis aptissima argumenti hujus (olim ab Arrianis objecti, & à Socino nunc repetiti) solutio; licet præterea diversæ olim à priscis atque Orthodoxis Patribus responsiones fuerint allatæ. Interim ab insigni Theologo, nova hujus loci interpretatio adfertur, quæ tribus verbis expendenda. Ea autem est: *Pater major*, id est, *beatior*, *Synecdoche generis, ut Job. 15. vers. 10. me*] *nempe qualis nunc sum, donec mortuus fuero. Significat se, ubi profectus fuerit ad Patrem participem fore cœlestis illius beatitatis, qua Pater fruitur: quo nomine discipuli merito gaudere debeant, non autem ipsi hanc beatitatem invidere: si modo ipsum diligant.* Verum non videtur ea ratione adversariis satisfieri: Nam ut alia omittam, Christi, qua Deus, beatitudo, (quæ in perfectione divinæ essentiæ illius sapientissimæ, justissimę & potentissimę consistit) nec minor nec major est quàm Patris: sed una eademque atque immutabilis utriusque beatitudo est: quatenus verò homo, licet beatitudo illius ascensione in cœlum, qua profectus est ad Patrem, facta sit major: semper tamen atque infinitâ discrepantiâ Pater beatitudine major permansit; nec illius beatitatis, nisi similitudinis cujusdam ratione, Christus, qua homo particeps dici potest. Deinde universa Christi oratio ad discipulos Joh. 14. eò tendit, non ut Christus suum per profectionem ad Patrem commodum declaret: sed ut discipulorum utilitatem indicet vers. 3. 12. 14. 16. 17. & 26. & humanæ suę naturæ officium, quo Patri suo, tanquam majori seu Domino suo erat obstrictus: ut mandato illius pareret vers. 31. Quas duas causas indicat Christus v. 28. de quo agimus. Ac primam quidem, cum ait: *audivistis me dixisse vobis, abeo* (nempe in cœlum, ad Patrem, ut ab eo inde consolatorem Spiritum Sanctum vobis impetrem, v. 16. 17. & 27.) *& redibo ad vos* (nempe ut dixerat vers. 3.) *ut assumam vos ad meipsum: ut ubi sum ego & vos sitis.* Altera causa est, proficiscor ad Patrem: quia Pater major me est, utpote Dominus meus, qui mihi hoc mandavit vers. 31. ideoque discipulos, si Christum diligerent, non debere ob illius abitum tristari, sed gaudere, quod ea res & Patris voluntati, & ipsorum saluti conveniret. Quemadmodum in consentanea ejusdem doctrinæ repetitione, Ioh. 16. vers. 5. 6. & 7. traditur. *Nunc autem abeo ad eum, qui me misit, sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego abeam. Nisi enim abiero, Consolator ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Quamobrem ex hisce satis apparere arbitror, minus aptè exponi illud dictum: *Pater major* id est, *beatior est me:* nempe *qualis nunc sum, donec mortuus fuero*: Sed optime convenire, *major est me*, secundum quid, quatenus sum Filius hominis: utpote eatenus Patris tanquam Domini mei servus, ideoque minor; quatenus verò Filius Dei, eatenus non minor Patre, sed ei æqualis. Atque ita etiam quà Filius hominis rogaturum se ait Patrem, ut det Spiritum Sanctum, Ioh. 14. 16. & 17 & ita minor est Pâtre: quatenus verò Filius Dei, ait v. 13. *si quid petieritis in nomine meo, ego faciam, ut glorificetur Pater per Filium*, & v. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam:* & cap. 16. v. 7. de Spiritu Sancto Consolatore ait; *Sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos:* Atque ita non minor, sed æqualis Patri declaratur. Quia ut Spiritus Dei est unus: sic communis est Patris & Filii Spiritus, Rom. 8. v. 9. ideoque uterque per Spiritum operatur: quemadmodum etiam Spiritu Christi Prophetæ olim prophetarunt, 1. Pet. 1. vers. 11. Atque hac demum distinctione naturarum Christi, & probatione distinctionis ex eodem etiam capite, Sophisticum Socini argumentum confutatur. Quamobrem ex hisce omnibus, ad versus 10. cap. 1. Johannis vindicationem, allatis, perspicuè apparet, quid de ista Socini gloriatione sit judicandum, quâ suam versus illius expositionem producturus ait: *Quid autem hoc loco sibi velit Johannes, à nemine quod sciam adhuc rectè expositum fuit. Quare conabimur nos verum sensum ex ejus verbis elicere, & omnibus apertissimum facere.* Contra enim genuinam Apostoli sententiam, mirificè à Socino corruptam, clarè demonstravimus: Et ut paucis summam rei complectamur: hanc veram Euangelistæ esse sententiam ex dictis constat: nempe cum λόγος, Dei Filius, in mundo esset præsens, non solum essentia sua, qua cœlum & terram, (ut verus cum Patre Deus) implet, Jer. 23. v. 24. sed etiam sua gubernatione sustentans omnia, Hebr. 1. v. 3. & bonitatis atque omnipotentiæ suæ donis variis (homines inprimis) cumularet, Act. 14. v. 17. cumque mundus universus per ipsum factus esset: & in eo, tanquam speculo, ipsius Deitas, omnipotentia, sapientia ac bonitas relucerent, Psal. 19. vers. 1. & Rom. 1. v. 18. 19. & 20. quod nihilominus plerique homines mundi, ingrati erga Filium Dei creatorem suum, ipsum non rectè cognoverint, nec debito honore sint prosecuti; ut Rom. 1. v. 18. & 21. de gentibus & inprimis de sapientibus eorum traditur: Quemadmodum etiam de gentibus communiter, Actor. 14. v. 16. & 17. clarissimè verò Actor. 17. v. 25. ad 31. mundi à Deo creatio, & in eo præsentia illius, atque in homines à se creatos beneficentia: & contraria eorum ingratitudo atque ignorantia Dei describuntur.

Atque hactenus de vers. 10. & communi hominum plerorumque in Filium Dei creatorem & benefactorem suum ingratitudine; sequitur

Quæstio de Versus 11. sententia.
Ad sua venit: & sui eum non receperunt,

IN eo autem consensus est omnium, describi hoc loco τοῦ λόγου seu Filii Dei peculiare erga Israëlitas beneficium; cum dicitur: *ad sua venit*; & contraria Israëlitarum ingratitudo, quod Filium Dei non *acceperint*: hoc est, in eum non crediderint, seu non verâ fide sint amplexi: ut v. 12. ad finem exponitur. Quæstio verò, si cum antecedentibus conferatur, minoris est momenti: ideoque brevius tractanda; Et quidem duplex; Prima est, quid significet vox *sua*, cum dicitur: *in sua venit.* Quidam enim quia neutro genere ponitur, non Israëlitas, sed terram Israëlitarum exponunt; quod quia populus Dei in ea degebat, peculiariter Dei esse censeretur: Alii contra perinde esse statuunt, *ad sua venit*, atque ad suos: quod Israëlitæ essent quasi Dei bona & peculium. Deinde quod etiam adjectivum neutrum absolutè positum, non solùm pro rebus inanimatis;

sed

sed etiam pro animatis & hominibus usurpetur, ut Eph. 1. v. 10. dicitur, in Christo tanquam capite recolligi omnia, & 2. Cor. 5. v. 18. *hæc omnia ex Deo, qui nos sibi reconciliavit per Jesum Christum*; Ideoque sensum non malè expressit Beza: *ad suos venit.*

Altera verò quæstio, est de tempore ac modo hujus adventus Filii Dei. Ac primum communior illa est sententia, ut intelligatur de adventu Christi in carne: quo natus in Judæa, & Euangelium Judæis prædicavit, de quo Joh. 3. v. 19. *Hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem.* Altera sententia est adventum Filii Dei ad Israëlitas denotari, qui, antequam homo esset, contigit. Quam expositionem genuinam esse, & rei convenientia indicat, & loci circumstantia demonstrat. Nam si rem ipsam spectemus, ea ad amussim quadrat. Nam Sacræ Literæ utrumque ostendunt: & gratiam Filii Dei, qua ad Israëlitas tempore Mosis & Prophetarum venit: & ingratitudinem eorum atque impietatem, quâ ipsum incredulitate sua plerique rejecerunt. Filius enim Dei venit ad Israëlitas, patefactione sui admiranda ac benignissima; cum eos ex Ægypto eductos columna nubis & ignis, per mare algosum: ac deinde per desertum, annos 40. prævius ac præsens deduxit: & Euangelium salutis, partim promissionibus, partim typis variis per Mosen & Prophetas promulgavit. Contra verò Israëlitæ plerique, ingrata contumacia atque incredulitate ipsum rejecerunt. Hæc enim duo membra inde probantur, primò quod 1. Cor. 10. v. 9. dicitur, *neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt.* Certum autem est, verum ac merum Jehovam fuisse eum, quem Israëlitæ tentarunt in deserto, Psal. 95. v. 8. & Hebr. 3. v. 9. eumque Jehovam tentatum Christum esse, Paulus affirmat: Ideoque ante incarnationem suam ad eos venisse apparet: Deinde etiam Euangelium à Filio Dei ante incarnationem Israëlitis promulgatum asseritur, 1. Pet. 1. v. 10. & 11. *De qua*, inquit, *salute inquisiverunt, & scrutati sunt Prophetæ, qui de gratia erga vos prophetarunt, scrutantes in quem temporis articulum, prænuncius ille, qui in ipsis erat, Spiritus Christi declararet futuras in ipso perpessiones & gloriam illas consecuturam.* Sic etiam Esaias cap. 6. tradit se gloriam Jehovæ vidisse: eam autem fuisse Christi gloriam, ideoque Christum illum Iehovam, Ioh. 12. v. 41. affirmatur. Ingrata verò & incredula Israelitarum, erga ductorem ac doctorem suum contumacia, similiter describitur Hebr. 3. v. 9. 10. 11. 19. & 4. v. 2. Et quemadmodum Iohannes Euangelista sequentibus verbis, cum ait: *quotquot autem eum acceperunt &c.* declarat rejectum quidem esse Dei Filium à suis plerisque, sed non omnibus: quia quidam eum receperunt, ac Filii Dei facti sunt vera fide: sic idem olim Israelitis ante accidit, quia Filium Dei, ipsis variis illustribus signis ac beneficiis patefactum, nondumque hominem factum rejecerunt plerique, ut ex 1. Cor. 10. vers. 10. & Hebr. 3. & 4. ostendimus; sed tamen non omnes, ut Heb 3. v. 16. expresse dicitur: *Nam quidam cum audissent, exacerbarunt Dominum, non omnes tamen ii, qui ex Ægypto exierunt per Mosen:* de reliquis verò, parte maxima & incredula contrà subjicit v. 18. & 19. *Quibus autem juravit, non ingressuros in requiem suam, nisi iis qui non obedierunt? & videmus, non potuisse ingredi propter incredulitatem.* Quare ex hisce satis apparet, hanc expositionem hujus adventus Filii Dei ad suos, hoc est, Israelitas, ante incarnationem illius, ingratos & incredulos, rei veritati optimè convenire. Deinde loci circumstantiis indicari ac probari, inde patet: quod & antecedentibus Euangelistæ verbis optimè conveniat, & sequentia eum sensum flagitent. Nam ut antea præsentiam Filii Dei in mundo à se condito communem & communem ingratitudinem mundi Euangelista descripsit; ut res indicat & contra Socinum probavimus: sic aptissima connexione specialem ac propriam quandam præsentiam, adventu ad Israelitas sibi confœderatos: & eorum peculiarem incredulitatem subnectit. Quemadmodum Apostolus Paulus ad Romanos, omnes homines reos peccati ac condemnationis convicturus, de gentibus id primum cap. 1. de Judæis deinde cap. 2. demonstravit. Ac sanè, cum in Novo Testamento sæpius incredulitas veteris populi Israelitici describatur: quo modo credibile est, illud hoc loco maximè opportuno à Johanne neglectum? Quicquid sit, hoc saltem constat, propositam hanc expositionem antecedentibus egregiè cohærere, & ad amplificationem gratiæ ac misericordiæ Christi erga Israelitas contumaces pertinere. Sequentia verò idem amplius demonstrant. Nam vers. 14. dicitur: *& λόγος caro factus est, & commoratus est inter nos:* Quibus verbis satis clarè res nova distinctè describitur. Nam cum hic adventus Christi in carnem (de qua 1. Joh. 4. v. 3.) describatur: & subnectatur antecedentibus; diversum ab iis esse apparet, ac describi id, quod post priorem adventum τοῦ λόγου ad suos contigit. Alioqui si, *ad suos venit*, significaret venit incarnatione & Euangelii prædicatione: ineptè subjiceretur postea, *& λόγος* seu Filius Dei *caro*, id est, homo *factus est, & commoratus est inter nos*, cum idem jam antea, secundum priorem expositionem, dictum foret copiosius. Quare ex hisce liquere arbitramur, hæc verba Johannis, de adventu Filii Dei ad Israelitas, antequam homo factus esset, non autem postquam caro factus est, debere intelligi; ideoque & Socinum hac in re etiam errare ac confutari, cùm asserat Sermonem seu Filium Dei, antequam caro factus esset, non extitisse omninò. Reliquum igitur est, ut ad sequentia illustranda, & adversus errores præcipuos vindicanda procedamus. Quæritur enim de versu 14,

Quidnam significet, *Et sermo ille caro factus est?*

De qua re primum consensus est, quod subjectum sit *sermo ille*; attributum verò *caro factus est*. Ac de priori etiam constat, eundem sermonem intelligi, qui hactenus à vers. 1. est descriptus, nimirum qui erat à principio apud Deum Patrem, & quidem Deus: per quem omnia facta sunt, & vita & lux hominum, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, per quam mundus conditus est, quem tamen mundus bona parte non agnovit, imò neque sui, hoc est, Israelitæ plerique ad quos venit: hic inquam sermo certò intelligitur, ideoque verum & æternum esse cum Patre Deum, ex hisce, Orthodoxi demonstrant: ut ex ante dictis, & argumentorum Socini confutatione demonstratum. Quare ea re satis stabilitâ, attributum plenius expendendum. De quo Orthodoxis duplex cum Anabaptistis disceptatio existit: una quidem cum Mennonitis, τῷ λόγῳ Deitatem atque æternitatem agnoscentibus, Christumque verum Deum simul & verum esse hominem profitentibus: altera cum Socino aliisque Samosatenianis Anabaptistis: qui λόγον æternum Deum esse negant, & merum esse hominem contendunt: ut qui ante nativitatem ex virgine non extiterit. Ac primum Orthodoxi exponunt verba illa: *Caro factus est*, hoc est, homo factus est, assumtione humanæ naturæ in unitatem personæ suæ, quemadmodum breviter ænigmate pio tritoque de Christi persona dici solet:

Sum quod eram (Deus) *nec eram quod sum* (homo) *nunc dicor utrumque*, nempe Deus homo, θεάνθρωπος. Quæ expositio primùm ex Sacris Literis petita est: ac primum è consentaneis dictis, Hebr. 2. v. 16. ubi de Filio Dei dicitur, *semen Abrahæ assumsit*, & 1. Tim. 3. v. 16. *Deus patefactus est in carne*, & Rom. 1. *de Filio suo, facto ex semine David, secundum carnem, declarato Filio Dei per potentiam, secundum Spiritum Sanctificationis, ex resurrectione ex mortuis*, & Rom. 9. vers. 5. de Christo dicitur: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Deinde idem ex hac ipsa, de qua agitur sententia apparet: ut examen sententiæ Mennonitarum demonstrabit. Hi enim hoc modo explicant: sermonem illum factum esse carnem, mutatione in carnem: quemadmodum Ioh. 2. v. 9. aqua dicitur facta vinum, hoc est, mutata in vinum: sic etiam sermonem factum carnem, hoc est, mutatum in carnem. Verùm hęc expositio attributi, subjecti sui naturę repugnat: ideoque falsa est. Nam verus Deus est immutabilis, Iac. 1. vers. 17. *apud Deum non est mutatio, nec conversionis obumbratio.* Atqui sermo ille, fatentibus Mennonitis, fuit & est verus Deus; Ergo immutabilis. Idque etiam disertè de Filio Dei; Creatore cœli & terræ asseritur è Psal. 102.

Heb. 1. verſ. 11. *ipſi peribunt, tu verò permanes*, & verſ. 12. *& mutabuntur, tu verò idem es*. Deinde qui caro factus, adhuc verus eſt Deus, & vita æterna; ille non eſt mutatus in carnem. Sermo ille caro factus, adhuc verus eſt Deus & vita æterna, 1. Joh. 5. verſ. 20. & 1. Tim. 3. verſ. 16. Ergo ſermo ille non eſt mutatus in carnem. Denique quod in aliud mutatum eſt, illud eſſe deſiit quod ante erat: quemadmodum aqua facta vinum, hoc eſt mutata in vinum, aqua eſſe deſiit. Atqui ſermo ille caro factus, verus Deus eſſe non deſiit ac ſermo Dei Patris: Ergo in carnem non eſt mutatus. Ideoque falſum eſt, quod adverſarii Mennonitæ contendunt, factum eſſe carnem, hoc loco denotare mutatum eſſe in carnem. Ideoque alium eſſe ſenſum horum verborum oportet, ſi mutatio non intelligatur; nempe cùm Sermo ab æterno extiterit, ac ſemper maneat idem, carnem factum eſſe aſſumtione humanæ naturæ in unitatem ſuæ perſonę, ut alibi, nempe Hebr. 2. explicatum oſtendimus. Verùm ſcrupulum hic movent Mennonitæ, & eo dicto Heb. 2. minimè probari objectant. Cum enim dicitur: *Non enim utique Angelos aſſumſit, ſed ſemen Abrahæ aſſumſit*; illud non propriè de aſſumptione humanę naturę ex ſemine Abrahę intelligendum; ſed impropriè per ſimilitudinem, de aſſumtione in gratiam ac reconciliatione. Senſum enim eſſe: cum & Angeli apoſtatæ: & homines à Dei gratia & ſalute, ob ſua peccata eſſent rejecti, iræque Dei obnoxii; non Angelos illos apoſtatas ſeu dæmones à Filio Dei in gratiam aſſumtos ac reconciliatos Deo, ſed ſolos homines credentes in ipſum, qui ſunt ſpirituale Abrahæ ſemen, Rom. 4. verſ. 16. & Galat. 3. verſ. 29. Eamque vocis *aſſumendi* ſignificationem probare conantur ex Epiſt. ad Rom. 14. verſ. 1. *Eum verò qui infirmus eſt fide, aſſumite*, & cap. 15. verſ. 7. expreſſius: *aſſumite alii alios, ſicut & Chriſtus aſſumſit nos in gloriam Dei*. Verùm reſpondetur, hæc loca non obſtare ſententiæ ante poſitæ: quia diverſę utrimque circumſtantię, diverſum etiam ſenſum flagitant. Nam ut Apoſtolus Hebr. 1. Filii Dei divinam naturam deſcripſit: ſic cap. 2. humanæ naturæ, ad ſalutem hominum neceſſariæ, participem factum tradit, ut verſ. 12. Chriſtus hominum frater dicitur, quod ex uno omnes, & v. 14. & 15. *Quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſanguinis: ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem: ut per mortem aboleret eum, qui mortis haberet imperium, & liberos redderet quotquot metu mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti*. Quibus verbis perſpicuè duo notantur: primum eſt; Filium Dei humanæ naturæ participem factum eſſe: & quidem nobis ſimiliter, & ideo fratrem noſtrum eſſe. Atqui ſi Chriſti humana natura eſſet ex mutatione Sermonis: non eſſet ſimiliter particeps, nec frater noſter: ſed genere differret. Deinde neceſſitas hujus participationis humanę naturę nobis cognatæ indicatur: nempe ut mori poſſet, & morte ſua fratres ſuos ejuſdem carnis & ſanguinis participes liberaret. Quibus verbis deinde proximè ſubjicitur: *non enim utique Angelos aſſumſit, ſed ſemen Abrahæ*, hoc eſt, non enim ullum ex Angelis aut Angelicam aliquam naturam in unitatem perſonæ ſuæ aſſumſit; ſed ſemen Abrahæ aſſumſit, hoc eſt, carnem & ſanguinem ex Abrahæ poſteritate ſecundum promiſſionem, Gen. 22. v. 18. & Gal. 3. verſ. 16. è Virgine ſcilicet Maria; unde etiam Galat. 4. v. 4. dicitur: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*, & Rom. 1. v. 3. *de Filio ipſius facto ex ſemine David*: & Rom. 9. verſ. 5. *ex Patribus ſecundum carnem, qui eſt, &c*. Quare ea omnia oſtendunt, Filium Dei eſſe idoneum Servatorem hominum: ut qui non Angelicam naturam aſſumſit, quæ mori non poterat, & ab hominum natura & peccatis eorum aliena: ſed humanam, & quidem ſecundum promiſſionem Dei, ſemen mulieris, Gen. 3. caput ſerpentis contriturum, hoc eſt, poteſtatem, Hebr. 2. Semen Abrahæ, ſeu carnem & ſanguinem ex Abrahamo procedentem, ut mori poſſet & veritati promiſſionum divinarum ſatisfieret, & noſtræ naturæ particeps nos Deo reconciliaret: ut etiam proximus verſus demonſtrat: *unde oportuit eum per omnia fratribus ſimilem fieri*. Ideoque ſi per omnia ſimilis factus & frater noſter eſt ejuſdem humanæ naturę eſt particeps non alterius, quæ cognata non eſt, ſed ex mutatione τῦ λόγυ Filii Dei, ut Anabaptiſtæ fingunt, promanarit. Atque hęc ad Mennonitarum Anabaptiſtarum in hoc loco pervertendo errores diluendos ſatis. Nam altera quę ſupereſt exceptio, quia à Samozatenianis repetitur, eaque nititur ac proponit Socinus, commodè in illius examine ſolvetur. Socinus enim, quia Deitatis Chriſti hoſtis eſt acerbiſſimus, idcirco vocem ἐγένετο, non ut omnes interpretes communi conſenſu, ſed alia ratione exponi poſſe ac neceſſariò debere contendit. Ac poſſe quidem aliter verti indicat, cum ait: *Nemo ignorat hæc verba non minus, & verbum caro fuit, quam & verbum caro factum eſt, & benè, & propriè verti poſſe*. idq; ex Luc. 24. v. 19. probat, ubi de Ieſu Chriſto dicitur, à diſcipulo quodam: ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, *qui fuit vir Propheta*: ubi vox ἐγένετο, non *factus eſt*, ſed *fuit* neceſſariò exponi debere conſtat. Verùm reſpondetur, ſi vocis uſum ſpectemus in genere, nemo interpretum negat, quin ἐγένετο interdum *fuit*, non autem *factus eſt*, notet; idque etiam demonſtrant, cum hoc cap. 1. Iohannis v. 6. ἐγένετο ἄνθρωπος vertunt, *fuit homo miſſus à Deo, &c* Sed ſi hujus loci, de quo controverſia eſt, circumſtantiam conſideremus, hanc vocem ſignificare *factus eſt*, quemadmodum antecedentium & conſequentium materia & connexio demonſtrat. Nam id antecedentibus, ſicut ante probatum eſt, τῷ λόγῳ ſeu Filii Dei attributa ſunt poſita, quæ ad Deitatem Chriſti ſolam pertinent; unde gradatim ac conſentaneè ad humanam naturam deſcribendam procedit: quod Sermo ille, nimirum in plenitudine temporum, caro factus ſit: ut Galat. 4. dicitur, *in plenitudine temporis*, hoc eſt, expleto prædicto divinitus tempore, Deum Filium ſuum miſiſſe factum ex muliere: atque ita Deus patefactus in carne eſt, eâ in unitatem perſonæ aſſumtâ. Quo ſpectant etiam conſequentia: *& commoratus eſt inter nos; & ſpectavimus gloriam ejus, ut unigeniti à Patre*: Quo ſatis clarè oſtendit, Filium Dei ſic factum eſſe hominem, ut nihilo minus Deus eſſe non deſierit: ſed divinam omnipotentiæ ſuæ gloriam miraculis, naturæ humanæ vires ſuperantibus, reddidiſſe conſpicuam. Cui ſolidæ veritati hypotheſes quędam & rationes à Socino opponuntur; ſed fruſtrà: ut ex earum examine conſtabit. Nam ad hypotheſes quod attinet, earum prima eſt, quæ his verbis indicatur, cum ait; *hoc loco itaque non caro factum eſt, ſed caro fuit, verbum iſtud* (intelligit autem ἐγένετο) *interpretari debemus. Superius enim demonſtratum eſt, verbi nomine, hominem illum, qui ex Maria Virgine natus eſt, intelligi oportere, qui caro fieri non potuit, ſed caro erat*. Verum hujus hypotheſeos falſitas jam antè ex Sacris Literis, & argumentorum Socini refutatione demonſtrata eſt multis. Nam ut reliquis omiſſis, breve aliquod indicium referamus, de ſermone illo dictum eſt, per eum omnia facta & ſine eo factum eſſe nihil quod factum eſt: deinde illuminare omnem hominem venientem in mundum. Atqui hęc talia ſunt attributa, quæ humanæ naturæ Chriſti, ſine falſitate manifeſta, tribui nequeunt: ne quidem, ſi de renovatione ac regeneratione hominum, ex falſa Socini interpretatione, intelligantur: cum regenerationis interna operatio, ſit opus non humanum, ſed divinum: & externo miniſterio, & ante Chriſtum natum, & eo nato, multi fuerint regenerati, ſine humanę illius naturæ ulla opera: ut ſupra copioſè & perſpicuis exemplis demonſtravimus. Quare hęc prima hypotheſis adverſarii à vero aliena eſt: quemadmodum etiam altera, quę in occaſione & ſcopo prolatæ hujus ſententię conſiſtit. Occaſionem enim ſtatuit periculum offenſæ duplicis ex lectione antecedentium verborum Iohannis orituræ: Scopum verò eſſe, ut periculo huic occurreret, eique mederetur: Modum autem medelę, eſſe expoſitionem conditionis Chriſti, his verbis: *& verbum caro fuit*; ne quis ęternum cum Patre Deum, cęli terręque creatorem in antecedentibus intelligi exiſtimaret. Hęc ſumma eſt hypotheſeos ſecundę adverſarii. Verum quia operę pretium eſt, ut verba illius cognoſcamus, quibus tantopere confidit: Deinde quia ad diſtinctam refutationem, & ampliorem veritatis vindicationem conducit: idcirco verba illius non diviſim, ſed conjunctim, etſi prolixiora, proponemus; ne conſultò vim argumenti à nobis omiſſam exiſtiment. Sic autem ait: *Duabus autem potiſſimum de cauſis, iis, quæ prius dixerat, hoc addidit Johannes: Primùm enim hoc ſpectabat, ne ſi quis*

si quis ea quæ de Christo superius scripserat, legeret, nimirum quod sit Deus, per quem omnia sunt facta: & tamen vel ex aliis, qui de Christo scripsissent, vel ex notissima fama percepisset: vel etiam ipsemet vidisset, Christum fuisse hominem abjectum, Israelitici populi Sacerdotibus & Senatoribus invisum, à quibus etiam vitam suam tutatus non esset, prima fronte offenderetur, existimans, vel Johannem de alia re quapiam scripsisse: vel hominibus imponere atque illudere voluisse: vel ea vera non esse, quæ cæteri de Christo scripserunt; quo fieret, ut si jam Christo nomen dare cœpisset, vel saltem quænam esset ejus religio, diligenter inquireret: hæc quæ certè absurda sunt, secum animo reputans, protinus Christi religionem fere omnem abjiceret, & penitus falsam suspicaretur. (Hactenus occasionem seu periculum exposuit, addit verò deinde scopum Iohannis, hoc modo:) *Quocirca postquam tot laudibus Christum decoravit, aperte deinde confessus est eum fuisse carnem, hoc est, hominem imbecillem, ærumnosum, despectum, humilem, contemptum, mortique obnoxium. Carnis enim nomine in Sacris Literis hominis imbecillitatem atque humilitatem significari apertissimum est: Hinc illa hymnographi verba: & recordatus, quia caro sunt,* (Psalm. 78. vers 39.) *Hinc illa Esajæ; Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Hinc illa Hieremiæ: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Innotescitque hoc modo magis Dei gloria atque potentia, qui per Christum, licet caro fuerit, hoc est, humilis atque abjectus homo, admiranda tamen tot opera patraverit, quæ superius Johannes exposuit.* Hactenus Socinus. Unde primò apparet, eum laciniosa, ac verbosa orationis circuitione, veritatem conatum obscurare; sed frustra. Nam offensa illa, quam proponit, locum habere non potuit in verè fidelibus; quibus Euangelium suum post reliquos omnes Apostolos, divino afflatu conscripsit: quia jam antea ex Euangelistarum, & Apostolorum reliquorum doctrina ac scriptis didicerant, Christum esse Filium hominis, & simul Filium Dei unigenitum, Immanuelem, id est, Deum nobiscum: Deum patefactum in carne: Deum, qui Ecclesiam redemit suo sanguine, per quem omnia visibilia & invisibilia creata: & per quem omnia consistunt, ideoque ex lectione verborum antecedentium Johannis nullam poterant concipere opinionem, quasi de alio, quam Christo loqueretur: quod nossent Johannem Baptistam venisse tantùm, ut de Christo, non de alio testaretur: qui etiam Deitatem, non minus, quam humanam naturam multis erat testatus: ut suprà probavimus. Deinde non potuissent etiam de veritate verborum Johannis, ut Socinus fingit, dubitare; quoniam jam antea, ex aliis Apostolis Christum θεάνθρωπον esse didicissent. Quod attinet verò ad infideles, non erat curanda iniqua eorum offensa. Paulus enim ait, 1. Cor. 1. v. 23. *Nos verò prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Græcis* (hoc est, per Synecdochen speciei, gentilibus) *stultitiam, ipsis verò vocatis Judæis & Græcis Christum, Dei potentiam & Dei sapientiam.* Unde etiam deinde patet, hisce verbis à Iohanne, de humana Christi natura additis, non potuisse corrigi infidelium offensam. Nam etsi dictum fuisset & sermo ille fuit homo, non autem factus est caro: inde tamen colligere non poterant certò, doceri tantum hominem fuisse: Sed utrumque hoc capite indicari: antecedentibus quidem, ipsum verum esse Deum, factorem omnium: sine quo nihil factum: factorem mundi: & in quem credendum ac fidendum sit: ideoque necessariò æternum Deum: quia ut Ierem. 17. v. 5. *Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum.* Hic verò dici hominem esse: & rursum sequentibus declarari Deum esse, cum additum sit: *& vidimus gloriam ejus ut unigeniti à Patre:* qui solus Patrem vidisse, & in sinu Patris esse dicitur: quemadmodum initio dictum: *& sermo erat apud Deum.* Idque multo magis ex his verbis judicassent meritò, quam Judæi, Iohan. 5. vers. 28. ex Christi verbis, v. 17. rectè collegerunt, quod Patrem suum dixisset Deum, parem se faciens Deo. Quod objectum Christus non negavit; sed sua responsione ab omnibus, & iisdem cùm Patre operibus communibus, & eodem honore confirmavit à vers. 18. ad 24. Neque opus erat infidelibus, qui de Christo audivissent, aut eum vidissent: ut docerentur ipsum esse hominem & crucifixum. Ideoque ad scandalum eorum tollendum non necessarium erat, neque utile ut diceretur fuisse hominem, & quidem imbecillem, ærumnosum, despectum, humilem. Hæc enim erat in incredulis Euangelii auditoribus (ut ex 1. Cor. 1. ostendimus) arrepta scandali ac rejectionis Euangelii potissima occasio. Ubi & illud observandum obiter, quod Socinus vocem *carnis*, hoc loco Johannis, ad humilem hominis Christi conditionem designandam restringit, illud justa probatione destituitur: neque etiam ex vocis illius usu evinci potest. Nam cùm homo constet anima & corpore, (quod carnis voce, oppositè spiritui designari solet, 2. Cor. 4. v. 11. coll. cum v. 10. & Hebr. 12. v. 9.) totus homo interdum unius partis nomine, sine significationis discrimine appellari solet. Modò enim anima vocatur: ut Genes. 46. v. 15. 18. 22. 26. Ezech. 18. v. 4. & 20. Actor. 7. v. 14. Rom. 13. v. 1. modo caro dicitur: ut Esa. 40. v. 5. *Revelabitur gloria Jehovæ, & videbit omnis caro pariter:* ac similiter, Luc. 3. v. 6. *Et videbit omnis caro salutem Dei:* Johan. 17. v. 2. *Dedisti ei potestatem omnis carnis:* Rom. 3. v. 20. *Non justificabitur ulla caro*, id est, vivens homo: ut ex loco unde hæc sententia desumpta, Psal. 143. v. 2. & reipsa liquet. Quibus in locis, multisque aliis, *caro*, per synecdoch. partis pro toto, simpliciter hominem notat: non autem speciatim cum adjuncto, hominem despectum & humilem. Quo etiam modo ab Euangelista hic accipitur; *Sermo ille caro*, id est, homo *factus est*, seu assumpsit semen Abrahæ, Hebr. 2. Carnis ac sanguinis particeps, ibid. Nam licet etiam humilis sit factus & ærumnosus nostrâ causâ; illud tamen hoc in loco non spectatur. Neque ea dicta quæ profert adversarius, probant vocem carnis, hoc loco significare hominem imbecillem, ærumnosum ac despectum. Nam licet alicubi ita acciperetur: inde tamen non sequeretur, etiam hîc debere accipi: cùm plerumque hominem simpliciter: sive humilem & despectum, sive potentia & honore eminentem significet, ut antè ostendimus. Deinde si quis etiam dicta objecta spectet, ea non certò istam, quam obtendit Socinus, habent significationem. Nam Psal. 78. v. 39. *Recordans eos carnem esse*, vox *carnis* non homines imbecilles, sed simpliciter imbecilles notat, ut Esa. 31. v. 3. *Ægyptius vero, homo est, non Deus: & equi eorum caro; non Spiritus.* Deinde neque locus, Esa. 40. vers. 6. hoc confirmat, cum dicitur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus*, (sic cum vulgata versione, sensu non male expresso, legit Socinus: sed Hebraicè est, חסדו, id est, benignitas ejus) *quasi flos agri.* Hîc enim *omnis caro*, non hominem imbecillem tantum & ærumnosum (ad quod probandum adducitur) sed omnem hominem generatim notat, quacunque etiam potentia & benignitate ac gloria præditum: & per comparationem cum flore agri, non durabilem esse sed corruptioni obnoxium declarat. Ideoque non solum homines ærumnosi, ut Socinus sentit, sed etiam ac præcipuè potentia atque opibus florentes intelliguntur: quemadmodum etiam hanc sententiam, Jac. cap. 1. v. 10. & 11. de hisce exponit. Atque huc etiam pertinet Psal. 103. v. 14. 15. 16. *Nam ipse novit figmentum nostrum, memor nos pulverem esse, quod hominis ipsius* (אנוש *ipsius mortalis*, exponit clarissimus Junius) *dies sunt similes fœno, sicut flos agri sic florebit.* Denique alienum etiam est Jeremiæ dictum, à Socino prolatum è cap. 17. v. 5. *Maledictus homo* (Hebraicè est הגבר vir ille) *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Nam quis adeo cæcutiat, ut non observet, *carnem* in hac sententia non posse significare speciatim hominem humilem, ærumnosum & abjectum (id, quod probandum suscepit Socinus) sed hominem, & quidem, ut circumstantiæ ostendunt, florentem atque humana potentia præditum: in quo suum brachium, hoc est, robur ac præsidium collocet: quod ærumnoso & abjecto homini, qui ipsemet alieno opus habet auxilio ac robore, minimè convenit. Quare ineptè omninò hæc loca à Socino sunt producta, quasi vox *carnis* in iis tantum significaret hominem humilem, ærumnosum ac despectum: multoque magis impingit, cum inde concludit, etiam hoc loco Johannis debere intelligi. Cùm verum quidem sit Filium Dei, factum esse hominem ærumnosum: sed tamen hoc in loco, voce *carnis* designari, probari non potest.

poteſt. Et quid ſi etiam probari poſſet, tamen eam, quam ex antecedentibus orituram alioqui offenſam obtendit Socinus, minimè ſuſtuliſſet, imò potius auxiſſet, ut ante oſtendimus. Vana igitur eſt prima, quam adfert, horum verborum à Johanne poſitorum cauſa, ſeu occaſio & ſcopus. Quemadmodum multò magis cauſa altera quam ſubjicit. Eam enim hoc modo exponit: *Voluit deinde Johannes his verbis ſeipſum quodammodo interpretari, & dubitationem omnem tollere, quæ in legentium animis (eorum præſertim, qui de Chriſto nondum audiverant) oriri potuiſſet. Nam ſi ea non addidiſſet, potuiſſet aliquis, & quidem jure in eum errorem incidere, in quem pleroſque omnes, ſed nunc maximo ipſorum vitio, incidiſſe videmus. Hoc eſt, ut exiſtimaret verbum hoc, de quo ſcribit Johannes, aliud quid diverſum eſſe, vel aliquando fuiſſe ab homine illo Jeſu. Et Platonica philoſophia fortaſſe imbutus, cum videret & Deum hic appellari, & in principio apud Deum fuiſſe, quin & mundum per id factum eſſe, ſtatim perſuaſus foret, Euangeliſtam noſtrum procul dubio Platoni conformem eſſe.* Hæc ille. Quibus perſpicuè in explicatione, cùm occaſionis antecedentis hujus dicti Johannis, (*& verbum caro* ἐγένετο:) tum etiam ſcopi conſequentis, aberrat. Nam ad occaſionem quod attinet, ea falſâ hypotheſi, & inepta principii petitione nititur: nimirum, quaſi error eſſet credere τῷ λόγῳ initio non fuiſſe carnem, hoc eſt, hominem, ſed tantum Deum. Hoc enim contrà verum eſſe, jam antea ſolidè probavimus: quod antecedentia τῷ λόγῳ attributa, humanæ naturæ Chriſti, ſine perſpicuis erroribus attribui non poſſint, imò nec ulli creaturæ, ſed ſoli Deo creatori. Neque propterea (ut Socinus iniquè exprobrat) abſurdum eſt, ſi Philoſophi quidam, nonnulla dictis Johannis quodammodo conſentanea ſcripſerint. Nam ut Pſalm. 33. v. 10. verbo Jehovæ cœli facti dicuntur; quid mirum ſi Mercurius Triſmegiſtus in Ægypto ea à vicinis Judæis hauſerit, & ex eo Plato ac Platonici? Neque etiam Chriſtiani, in iis dictis Philoſophorum citandis aliud ſpectarunt, quàm ut oſtenderent adverſus gentiles, ex gentilium Philoſophorum ſcriptis etiam veræ hujus doctrinæ, quaſi ſcintillas quaſdam & indicia elucere: ideoque cum hæc à gentilium ſapientibus tradita ſint, quos tanti faciunt: non eſſe juſtam cauſam, cur tantopere hanc Johannis doctrinam, quaſi abſurdam ſtatuant. Quare vana eſt illa Socini concluſio, quâ ex inepta petitione principii, & conjecturis alienis, nulloque argumento munitis ita colligit: *Huic itaque malo, &c. ut occurreret, apertè teſtatus eſt, verbum hoc, non ſubſtantiam quandam incorpoream, vel naturam divinam atque æternam, ſed hominem fuiſſe, & hoc pacto omnem dubitationem ſuſtulit.* Hæc ille. In quibus falſa eſt conſequentia. Nec enim ſequitur; Sermo eſt homo: Ergò non eſt Deus: quia utrumque diverſo reſpectu eſt verum. Nam & Filius hominis eſt: & ſimul Filius Dei unigenitus: Deus patefactus in carne: Deus qui redemit Eccleſiam ſuo ſanguine. Unde etiam atrox Socini blaſphemia apparet, cum ait: *Et licet hoc ipſe, apertiſſimis verbis utendo optimè præſtitit, non deſtitit tamen nobis & veritati adverſarius Satan, quoad hominibus perſuaſit, vocem* ἐγένετο, *non fuit, ſed factum eſſe, hoc loco ſignificare: atque effecit, ut quod validiſſimum argumentum fuiſſet ad errores hoſce Platonicos, ex Chriſti Eccleſia exterminandos, omnis fallaciæ potiſſimum fundamentum extiterit.* Hactenus Socinus. Cujus blaſphema confidentia, accuſatione temeraria, non autem probatione ſolida, ut antè oſtendimus, aſſeritur. Nec enim ſequitur, ut modò diximus, Sermo fuit homo: Ergò non etiam Deus æternus. Deinde neque hoc ſequitur: Sermo ille fuit homo: Ergò fuit prnicipio homo. Nam ſi (ex hypotheſi Socini) verba antecedentia: *ad ſuos venit, & ſui eum non receperunt*, de Chriſti adventu in carne, & deinde prædicatione inter Judæos intelligantur: ſenſus erit, Sermonem illum de cœlo veniſſe ubi erat, Joh. 3. v. 31. deſcendiſſe de cœlo, Johan. 6. v. 38. ubi erat prius verſ. 62. & factum in terra ex ſemine David ſecundum carnem, Rom. 1. v. 3. factum ex muliere, Galat. 4. v. 4. magnoque myſterio Deum patefactum in carne, 1. Tim. 3. v. 16. Ideoque ſi hic intelligendum eſſet, verbum caro fuit: ſenſus eſſet: poſtquam ad ſuos venit. Nam ante illum adventum ita intellectum ſermonem fuiſſe & extitiſſe: & carnem tum non fuiſſe, ex dictis liquet. Ideoque ex hypotheſi expoſitionis Socini, concludi non poſſet verba illa: *Sermo caro fuit*, ad omnia antecedentia, quæ de ſermone dicuntur, eſſe referenda. Deinde expoſitionis hujus vocis ἐγένετο, ab Orthodoxis prolatæ, authorem non eſſe Satanam; ut Socinus objicit, ſed contra potius expoſitionis Socini, (ut alia ante dicta omittam) ex demonſtratione hac, ex ſuperioribus nota, conſtare poteſt: Quæ expoſitio, Deum, per Johannem Euangeliſtam verè loquentem, ſtatuit ea loqui, quæ ſunt aperta mendacia: ea Satanam habet authorem. Atqui expoſitio Socini, qua ſtatuit verba illa: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, vertenda omninò eſſe: *& verbum caro fuit:* illudque referendum eſſe ad omnia antecedentia, à primo verſu dicta; eoque denotari Sermonem, antequam homo eſſet, non fuiſſe æternum cum Patre Deum: imò nihil omninò fuiſſe: ſed omnia quæ ei tribuuntur, ut mero homini tribui ac convenire; hæc inquam expoſitio ſtatuit Deum, per Iohannem Euangeliſtam verè loquentem, ea loqui, quæ ſunt aperta mendacia. Ergò Socini expoſitio Satanam habet authorem. Propoſitio per ſe, ex Dei & contrario Satanæ ingenio, perſpicua eſt. *Deus enim verax eſt*, Rom. 3. verſ. 4. & ἀψευδὴς *mentiri neſcius*, Tit. 1. verſ. 2. *lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*, 1. Iohan. 1. verſ. 5. Satan contra Iohan. 8. verſ. 44. *in veritate non perſtitit, quia non eſt veritas in eo: cumque loquitur mendacium, ex propriis loquitur: mendax enim eſt & pater illius.* Ideoque Chriſtus veræ ſuæ doctrinæ oſores, ex Diabolo eſſe ibidem affirmat. Aſſumtio vero ſupra multis demonſtrata eſt. Nam quod ſermoni tribuitur, nempè (ut reliqua prætercam) omnium rerum effectio, eſt Deo propria: ſive rectè cùm Orthodoxis generatim de prima creatione ac gubernatione (ut Col. 1. v. 16. 17. & Hebr. 1. verſ. 2. 3. 8. cum 10.) ſive perperam ex Socini expoſitione, de creatione nova, ſeu regeneratione accipiamus. Nam quemadmodum Chriſtus, quatenus homo eſt, nullius rei creator eſt, multò minus omnium: ſed creatura à Deo creata; ſic etiam hominum internam renovationem ſeu regenerationem Chriſtus, quatenus homo eſt, in nullo perfecit: quia opus eſt omnipotentiæ divinæ, per Spiritum Sanctum, Epheſ. 1. verſ. 17. 18. 19. & 1. Corinth. 3. v. 7. Neque ſolus, qua homo, cauſa fuit miniſtra adjuvans (quod pro hujus ſententiæ veritate ex Socini mente eſſe deberet) quia ſine illius prædicationis miniſterio & opera, renovati ac illuminati ſunt non pauci: partim per Spiritum prophetiæ, ut Anna propheteſſa & Symeon Luc. 2. & Johannes Baptiſta, Johan. 1. v. 6. & 7. & Luc. 1 v. 77. partim per creaturarum miniſterium: ac primum Angelorum, Matth. 1. verſ. 20. ad 24 & 2. verſ 2. & 12. & Luc. 1. & 2. deinde hominum, ut Zachariæ ſuo cantico, Luc. 1. Deinde Symeonis Luc. 2. verſ. 25. ad 33. & Annæ propheteſſæ, ut egregiè declaratur illius in Euangelio prædicando populo ſedulitas, verſ 36. & 38. Denique Johannis Baptiſtæ, Johann. 1. Quare ex hiſce concluſio poſita ſolidè deducitur, expoſitionem Socini, qua ſenſum horum verborum: καὶ λόγος σὰρξ ἐγένετο, eſſe ſtatuit: & verbum caro fuit, inde ab initio ſuo, non autem Deus æternus Satanam habere authorem: & per conſequens Orthodoxorum explicationem, illi ex adverſo contrariam, Deum habere authorem. Ideoque eam non eſſe, ut adverſarius calumniatur, errorem Platonicum, ex Chriſti Eccleſia exterminandum; nec omnis fallaciæ potiſſimum fundamentum: Sed contrà veritatis argumentum invictum. Ac vana eſt, quam ſubjicit cenſura, cùm ait: *Mirum eſt tamen, tot Theologos viros eruditos & præſtanti ingenio præditos, in hanc ſententiam conceſſiſſe, ut ſcilicet vox* ἐγένετο *factum eſt, hoc loco interpretari debeat.* Mirum verò contra eſt, Socinum apertam ac demonſtratam veritatem auſum eſſe oppugnare, & quidem hactenus accuſatione mera & conjecturis cauſarum vanis. Verùm ne ſine juſta cauſa hæc dixiſse videatur: admirationis ſuæ cauſas ſubjicit; nempe quod hinc duo (præter infinita alia, quæ abſurdiſſima ſunt) perſpicua abſurda efficiantur. Prius ita deſcribit. *Nam quid abſurdius dici poteſt, quam Euangeliſtam prius narraſſe verbum in mundo fuiſſe: ad ſuos veniſſe, & poteſtatem, ut Filii Dei fiant, iis dediſſe, qui ei fidem ad-*

dem adhibuerint; deinde subjungere ipsum verbum carnem factum esse, quasi ad nos venerit antequam natum foret: & prius in mundo fuerit, postea verò caro sit factum? Respondemus, Socinum falsa niti hypothesi: quasi quod dicitur *in mundo fuit;* deinde, *& ad suos venit*, intelligendum esset, de præsentia & adventu in carne. Nam illa, de præsentia Sermonis ante assumptam carnem in mundo dicuntur; qua non solum Deitatis suæ essentia: sed etiam variis generalibus ad omnium hominum conservationem beneficiis iis adfuit, ac præsentem se ostendit, Actor. 14. v. 17. & 17. v. 25. & 28. cum epistola ad Coloss. cap. 1. v. 16 & Hebr. 1. v. 3. sed etiam deinde ad Israëlitas fœdere sibi junctos, peculiariter venit: non quidem in carne, sed illustribus præsentiæ suæ signis: columna nubis & ignis, aliisque signis admirandis, ut antè exposuimus; & verbo suo ad ipsos, & per Mosen ac Prophetas, Euangelii promissiones proponens, 1. Pet. 1. v. 11. quod Euangelium non acceperunt sed rejecerunt, Hebr. 4. v. 2. plerique; non omnes tamen, cum quidam crediderint & servati sint, Heb. 3. v. 16. 17. Quare primum hoc absurdum, quod ex nostrorum interpretatione sequi objicit Socinus, hoc modo diluitur; Ac propterea scopulus non est, in quem impingimus: quemadmodum temerè exprobrat. Sicut neque etiam alterum, quod fingit esse absurdum & quidem gravius, consistit: *Quid magis*, inquit, *absonum existimari potest, quid magis ἀσύστατον, quam Deum carnem factum fuisse? quis ad hæc non horret & contremiscit?* Sed rursus falsâ nititur hypothesi: quasi verè dici non posset: Deus factus est caro, nisi sui mutatione; Neque enim hoc sensu ab Orthodoxis exponi probè novit, sic enim subjicit: *At dicunt, licet verba istud præ se ferant, nos tamen commodiore explicatione adhibita, nihil aliud verbum carnem factum esse, significare dicimus, quam id in virginis Mariæ utero carnem assumpsisse.* Vera sanè oratio; & hæc nostrorum est sententia, quam indigno sarcasmo frustra exagitat Socinus, hoc modo: *Elegans sanè interpretatio: sed undenam illam hauserunt? quemnam locum huic similem (qui interpretationem istam patiatur) ex Sacris Literis adducere poterunt? ut non omninò ineptè & inerudité divina miracula interpretati fuisse videantur.* Respondemus eam interpretationem nostri hauserunt ex Scripturę ipsius declaratione, Heb. cap. 2. Quo loco modus, quo Filius Dei caro seu homo factus est, generatim definitur, cum dicitur v. 14. *Carnis & sanguinis particeps factus est*, & v. 16. *Assumpsit semen Abrahæ.* Idque etiam subjecti hujus orationis ratio flagitat. Nam λόγος hic (ut antecedentibus describitur, & ex aliis Scripturæ locis probatum) homo existens, nihilominus in principio fuit Deus, & homo factus, verus est Deus & vita æterna, Joh. 1. v. 1. & 1. Joh. 5. v. 20. & à Thoma Apostolo homo Christus, nihilominus etiam ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου, Johan. 20. vers. 28. jure vocatur; qui cœlum & terram creavit, Hebr. 1. vers. 8. & 10. qui Deus existens & homo, una tamen est persona: unus Dominus, non duo, Ephes. 4. vers. 5. Immanuel, Deus nobiscum, Matth. cap. 1. Deus patefactus in carne, 1. Timoth. 3. vers. 16. Ac propterea hisce declaratur, non mutatione sui in carnem; sed illius unione seu assumptione carnis in unitatem personæ suæ carnem factum. Ac propterea Scriptura exponente, & Sermonis, seu Filii Dei persona hoc postulante, ita meritò exponitur: eum carnem factum, non mutatione in carnem, sed assumptione seu unione illius hypostatica. Quod verò objicit Socinus, ex Sacris Literis similem locum, qui istam interpretationem patiatur, adduci non posse: Respondetur niti hypothesi non certa: quasi nullus vocis alicujus usus esse possit singularis: præsertim in singulari mysterio, quale hoc in loco esse Scripturæ expositione demonstravimus. Deinde locus etiam est similis, Genes. 2. vers. 7. *& factus est Adam anima vivens*; sicut sensum rectè vetus interpres reddidit, non autem, Adam seu corpus factum animatum, mutatione corporis in animam, sed unione animæ. Sed rursus Socinus subjicit: *Addo quod non multò minus absurdum est, si quis dicat Deum carnem assumpsisse, quam si diceret carnem factum esse, quod & ipsi indicant, cum docent quomodo hoc factum sit, nullo modo explicari vel percipi posse; Hac scil. ratione Satan errores suos, licet manifestos tuetur.* Respondemus, Socinum petere principium, & niti falsa hypothesi: quasi revera absurdè diceretur: Verbum caro factum est; cum jam antea ex Sacra Scriptura id sit probatum: & modus generalis inde explicatus, factum, non mutatione sui: quia idem permanet Deus, Hebr. 1. vers. 11. 12. Sed assumptione carnis in unitatem personæ, ut multis demonstravimus. Filius enim Dei existens, factus est nihilominus ex semine David, secundum carnem, Rom. 1. vers. 3. Deus misit Filium suum (è cœlo nimirum, existentem) factum ex muliere, Galat. 4. vers. 4. Et quemadmodum Filius Dei (quasi assumendæ carnis similitudine,) olim visibili veroque corpore formato & assumpto, sine anima & sine unione hypostatica, ad tempus conspicuus factus est, Genes. cap. 18. Sic tandem veram humanam naturam, in unitatem suæ personæ assumens, Deus conspicuus factus est in carne, 1. Tim. 3. vers. 16. Ideoque neutrum absurde à nostris dicitur: sed Sacris Literis declaratur utrumque: cùm verbum carnem factum esse; tum modum effectionis illius, esse assumptionem carnis in unitatem personę suæ: adeò ut homo verus factus, nihilominus Deus esse non desierit, sed verus sit Immanuel θεάνθρωπος, homo simul ac Deus. Neque absurda hæc esse indicant nostri, ut ineptè objicit Socinus, cum assumptionem humanæ naturæ in unitatem personę Filii Dei, nec explicari, imò nec percipi posse docent. Nititur enim adversarius falsâ omninò hypothesi: quasi omnia quæ percipi nequeunt, essent absurda. Cùm certissimum sit, primùm multarum rerum naturalium abditas esse causas, quæ nullo modo percipi queunt: Et ut alia omittam, personalis animæ cum corpore suo unionis modum, an Socinus unquam percepit? & tamen unionem veram fuisse quis neget? Deinde certum est, multa de Deo in Sacris literis tradita & nominata esse mysteria, quorum modum percipere non possumus, Rom. 11. vers. 33. quæ tamen verissima: Et ut plurima mysteria: quorum Apostoli meminerunt, taceamus, de re proposita disertè ait Paulus, 1. Timoth. 3. vers. 16. *Sine controversia mysterium pietatis magnum est, Deus patefactus in carne:* quod tamen verissimum, ut à Spiritu Sancto profectum, constat. Quamobrem hinc satis superque apparet, quàm impiè Socinus (ut veram doctrinam exosam redderet) expositionem nostrorum, sacræ Scripturæ consentaneam, errorem Satanæ appellet. Quod verò hoc pietatis Dei, in carne patefacti mysterium, cum ficto impietatis Pontificiæ, de conversione panis Eucharistici, in Christi corpus mysterio confert: quasi utrumque cœco, ut appellat, errore, similiter traderetur: putida calumnia est. Nam prius mysterium, ut ostensum, sæpius Scriptura tradit ac nominat: Posterius verò eâ non traditur, sed multis modis confutatur: quod & verbis institutionis Cœnæ: & corporis Christi existentis, (non autem formandi) veritati ac proprietatibus repugnet. Ac propterea falsò à Socino dicitur: *Idem & in iis quæ* (legendum, *in eo quod*) *de Deo & Christo nobis credendum est, evenisse perspicimus.* Neque rationes quas subjicit hoc probant, ut ex earum examine patebit. Quod ut fiat majori perspicuitate, conjunctim primò verba adversarii proponemus, ne quid omissum videatur, quod alicujus sit ponderis. Verba autem sunt hujusmodi: *Quamvis enim manifestissimè appareat, nullâ ratione fieri posse, ut divina illa essentia, indivisibilis, atque incommutabilis: sive quod ad personam, ut ipsi loquuntur: sive quod ad substantiam attinet, carnem assumpserit, ita ut unum suppositum, ut ajunt, cum homine sibi assumpto sit facta: & multò minus, ut Filius hoc tantummodò fecerit, non etiam Pater & Spiritus Sanctus: quos tamen tres, simplicissimum illum atque unicum nostrum Deum constituere contendunt. Nihil præterea absurdius excogitari posse (cui quidem tota reclamat natura,) quam ut tres sint unus; & unus tres sint. Ex qua opinione, innumera portenta oriri necesse est longè absurdissima: Unde sacra divinaque oracula penitus subvertantur, ita tamen nescio quo pacto Christianorum vulgus fascinatum fuit, vel ita stupidum est, ut omnia hæc non solum constanter credat: verum etiam ab hac fide salutem suam omninò pendere existimet: & sibi ipsis homines illudentes*

dentes atque imponentes, quod vident, se non videre; quod autem non vident, se penitus videre sint persuasi. Hæc Socinus: qui tribus argumentis ab absurdis consequentibus, ut contendit, nostros in doctrina de Sermone homine facto fascinatos esse concludit: iisque confidens, nostris acerbè insultat. Primùm est, quod simplicitati & immutabilitati personæ & essentiæ divinæ repugnet assumptio carnis, ut unum suppositum cum homine sibi assumpto sit facta. Sed respondetur primò, Falsa adversarium niti hypothesi: quasi nostri docerent, Filium Dei assumpsisse hominem, hoc est, personam humanâ naturâ præditam. Quamvis enim quadam nominis abusione, Patres nonnulli Orthodoxi, & quidam è nostris eos secuti, interdum ita voce *hominis*, pro humana natura intellectâ, non autem pro persona, utantur: propriè tamen loquendo, (ut in controversia definienda ac disceptanda requiritur) nemo hominem seu humanam personam assumptam tradit. Quippe concors eorum adversus Nestorium (duas in Christo personas fingentem) est sententia, Deum non assumpsisse hominem propriè, sed formam hominis, seu naturam humanam: quodque Filius Dei, cum esset in forma Dei, formam servi assumpserit, Phil. cap. 2. vers. 6. 7. seu semen Abrahæ, Hebr. c. 2. vers. 16. eamque formam seu naturam humanam formando, in unitatem personæ suæ assumpserit: adeò ut non duo sint Christi; sed unus tantùm: una persona, non duo. Deinde etiam negamus simplicitati & immutabilitati divinæ naturæ hanc assumptionem adversari. Nam hæc naturæ humanæ assumptio, insitam Filii Dei simplicitatem non sustulit; neque in ea mutationem ullam attulit. Quod ut antè fuit in se simplex & immutabilis; sic etiam jam homo factus, idem omninò permanet, Hebr. cap. 1. v. 11. 12. Nam assumptio hæc compositio non est, sed quasi appositio, qua integra, & immutata manente persona filii Dei, humana natura personaliter ab ea assumpta est, & in ea sustentatur. Neque enim humana natura ad personalem Filii Dei subsistentiam: neque ad essentiæ illius perfectionem quicquam contulit; sed tantum ad officium mediatoris peragendum. Ad quod requirebatur; & natura humana, quæ pro salute hominum pati & mori posset; & divina, quæ infinitam passioni & morti huic dignitatem adderet, & mortem superaret. Atque ita primum à Socino objectum absurdum confutatur. Alterum verò, (quod à veritate longè alienius censet,) est hujusmodi: *multo minus*, (scilicet fieri posse) *ut Filius tantummodo hoc fecerit*, (id est, humanam naturam assumpserit,) *non etiam Pater & Spiritus Sanctus.* Rationem verò addit: *quia tres simplicissimum illum atque unicum nostrum Deum constituere contendunt.* Respondemus autem, formationem naturæ humanæ, & unionem cum λόγῳ communem esse Patri, Filio & Spiritui Sancto: quia opus est unius ejusdemque communis omnipotentiæ; Sed terminus ac subjectum unionis, seu persona assumens sibi, solus est Filius. Ac quamvis humana natura unita sit divinæ naturæ; quæ unica ac tribus personis communis; non est tamen unita ei in persona Patris aut Spiritus Sancti: sed in persona solius Filii: ideoque simplicitas essentiæ divinæ, personarum distinctionem non tollit. Ac quamvis Pater sit Deus, & Spiritus Sanctus sit Deus & Filius Deus, una eademque deitate communi tribus: non tamen Pater, neque Spiritus Sanctus est Deus patefactus in carne, Deus qui redemit Ecclesiam suo sanguine: Sed solus Filius is est, Actor. 20. vers. 28. 1. Timoth. 3. vers. 16. Ac licet cum Patre & Spiritu Sancto in eadem forma Dei esset, quæ unica; solus tamen servi formam accepit, Phil. 2. vers. 6. 7. Sed postremum adjicit adversarius ab absurdo argumentum: *Nihil*, inquit, *absurdius excogitari posse (cui quidem tota reclamat natura) quam ut tres sint unus: & unus tres sint.* Verùm negatur id esse absurdum: totique naturæ adversum. Hæc enim quæ prima specie contradictoria videntur; quia tamen ratione diversa dicuntur, probè inter se conveniunt: unus est enim Deus, non tres dii, hoc est, una est essentia æterna, omniscia, sanctissima atque omnipotens, non tres: tres verò personæ hac essentia præditæ, non autem una tantum persona. Atque ita ratione unius ejusdemque essentiæ, Filius Dei ait: se & Patrem unum esse. Johan. 10. vers. 30. Ratione verò personæ ac subsistentiæ, qua Filius, non Pater: Patrem alium esse affirmat, Johan. 5. vers. 32. quemadmodum utrumque distincta ratione dicitur, 1. Joh. 1. vers. 7. *Tres sunt qui testantur in cœlo, Pater & λόγος, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt;* tres personæ scil. & una divina essentia. Quare falsò conqueritur Socinus, ex hac sententia innumera portenta oriri longè absurdissima. Neque ut objicit, hæc fascinatio aut stupiditas nostrorum est censenda: cùm distinctè Sacra Scriptura præunte ac prælucente, unam divinam essentiam, & tres personas eâdem essentia præditas agnoscimus ac profitemur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quibus fides nostra innititur, & baptismus consecratur: Contraque satis apparet, Socinum omnem pietatem ac pudorem in hac doctrina, de æterna Christi Deitate, & humanæ naturæ assumptione excussisse: cùm horrendis ante positis blasphemiis conclusionem hanc non absimilem subjicit: *Sperandum est*, inquit, *ut monstrosa hæc de Deo nostro & Christo ejus figmenta, quæ hoc tempore Sacrosancta, & omni veneratione dignissima præcipuaque religionis nostræ arcana esse creduntur, aliquando tandem (fremat licet mundus interea, & igni ferroque sæviat) Deo volente ita cunctorum oculis retegantur & unicuique tanto sint ludibrio, ut neminem non pudeat se his fabulis, non dicam fidem habuisse, sed aurem accommodasse.* Hæc est impia ac proterva Socini (qua hujus sententiæ: *& λόγος caro factus est*, depravationem concludit) invectiva: cujus vanitas, ex iis quæ ante in examine illius dicta sunt, facile perspici potest. Ut autem admiranda Socini & Socinianorum dogmata & errores, in doctrina de persona & naturis Christi, melius retegantur: utque appareat, non solum divinam illius æternamque essentiam negari, sed etiam doctrinam de humanæ illius naturæ origine ac materia fœdissimè corrumpi, verba Sociniani, (hoc est, Socini, ut communis opinio & stylus arguit) contra Wiekum, p. 220. 221. producemus: quæ sententiam illius vulgò minus notam complectuntur. *Quamvis autem Christus*, inquit Socinus, *in utero virginis, ex substantia virginis & Dei non sit generatus, negari tamen non potest, quin Dei virtus in Christo homine formando viri vicem suppleverit. Nam cum ipsa virgo ad Angelum dixisset: quomodo fiet, quoniam virum non cognosco? statim Angelus respondit: Spiritus Sanctus superveniet te & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod omninò perinde est, ac si dixisset: Quod viri operâ in homine gignendo fieri solet: hoc virtutis divinæ operâ fiet. Nec sanè consequitur, quia Christus homo in Virginis utero ex ipsa Dei substantia non sit genitus, idcirco ex sola Virginis substantia eum fuisse generatum. Nec Mennonitis danda est occasio, ejusmodi malè conclusis rationibus in suo errore perseverandi: Sed quemadmodum urgendum est, Christum hominem ex Virgine matre, non minus sumpsisse, quàm alii homines ex suis matribus sumant: sumere autem ex ipsis Sacris Literis, & Physicis etiam si opus sit rationibus demonstrandum. Sic non est negandum Dei virtutem, in Virginis uterum, substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse: ex qua Christus, juncto eo quod ex ipsius Virginis substantia sumpsit, verus homo generatus fuerit: qui propterea ut homo, non matrem tantum, nempè Virginem ipsam habuerit: sed Patrem quoque, nempè ipsum Deum.* Hæc Socini sententia, quæ ut nova: sic omninò impura, 1. quia ex Sacris Literis non est petita, deinde quia iisdem repugnat. Ex iis enim petita non est: quia verba Angeli, quæ ei rei probandæ præmittit, neque alia, hoc non demonstrant. Nam. Luc. 1. v. 35. Angelus, adventu Spiritus S. & virtutis altissimi obumbratione, non indicat materiæ alicujus, ut seminis fœcundi immissionem: aut in virginis utero creationem, ut adversarius somniat: sed operationem divinam solummodo: cujus potentiâ conceptura erat Virgo. Quemadmodum simile conceptionis miraculosæ recens exemplum, ad fidei confirmationem, adjicit Angelus proximo versu: *Et ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit Filium in senectute sua, & hic mensis est sextus ipsi quæ vocabatur sterilis*, nempè revera; nam vers. 7. dicitur: *non erat ipsis proles, eo quod Elizabeth esset sterilis.* Et sanè cum Deus Adamum (è terra,) & Evam ex Adami

Adami costa formârit; nonne facilius è Virginis substantia corpus humanum formaverit? Neque ratio probabilis hujus figmenti adfertur, de materiæ alicujus novæ creatione, & cum substantia Virginis conjunctione ad corporis Christi constitutionem. Scopus autem hujus impuri figmenti est, ut errorem suum stabiliat; quasi Christus non dicatur Filius Dei ratione generationis æternæ à Patre; sed ratione generationis temporalis corporis, ex quadam creata substantia nova: & ejusdem cum substantia Virginis conjunctione, ad corporis formationem efficiendam: quasi ita dicatur Filius Dei à Deo generatus. Quod ut è Sacris Literis minimè probatur: sic deinde iisdem etiam adversatur. Illæ enim docent Filium Dei ab initio extitisse verùm Deum, Joh. 1. vers. 1. mundi, seu cœli teræque omniumque visibilium & invisibilium creatorem, Col. 1. vers. 16. Heb. 1. 10. atque ita sine matre: factum verò in tempore ex muliere, Gal. 4. vers. 4. & quidem Virgine: ideoque sine patre propinquo. Nam si Spiritus sanctus non solum vi divina virginem fœcundam reddidit, sed etiam substantiam aliquam creatam immisit, quæ seminis virilis loco, vim generandi habuerit: sequitur Mariam desiisse esse virginem concipiendo talem substantiam: atqui Christum natum ex Virgine controversiâ caret, Matth. 1. vers. 23. Quare æternitas Filii Dei, antè demonstrata: & nativitas è Virgine intacta, gravissima sunt argumenta, quibus adversarii novum figmentum confutetur. Quod etiam per Melchisedecum Christi typum indicatum, Hebr. 7. de quo dicitur vers. 3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia: nec principium dierum, nec finem vitæ habens, assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.* Quibus verbis Melchisedec similis statuitur Filio Dei bifariam. 1. Ratione personæ: deinde ratione sacerdotii. Personæ; quod sit sine patre; quatenus scil. Filius hominis, natus ex Virgine Maria: eoque non ex alia quàm matris substantia genitus: Deinde sine matre; quatenus Filius Dei: ut etiam eo modo, quia erat in principio Deus, Joh. 1. v. 1. nec principium dierum nec finem vitæ habet. Sed objicit adversarius: *Animadvertendum est, non dixisse divinum istum scriptorem, Christum seu Filium Dei fuisse assimilatum Melchisedeco: sed contrà Melchisedecum Filio Dei: ut scil. intelligamus, non omnia quæ de Melchisedeco dicit, eadem in Christo esse: sed illis ea omnia contineri quæ de Christo in Mechisedeco vult fuisse adumbrata.* Verùm impingit hoc loco Socinus in naturam relatorum reciprocam; simile enim simili suo vicissim simile est: alioqui simile non est; Ideoque si in iis Melchisedeck Christo est assimilatus: Ergo Christus Melchisedeco in iis similis est; ut inter typum & archetypum sit mutua similitudo. Deinde frustra alterum effugium hic quærit adversarius ut æternitatis attributum Filio Dei deroget, cum ait: *initium dierum ipsius, intellige in sacordotii munere obeundo*: Hoc enim alienum est. Quis enim non videat æternitatem personæ, & æternitatem sacerdotii ordine proponi, ac distingui suis modis? Æternitatem quidem personæ, primo loco: quod ea sit absoluta, ratione utriusque termini: quod scil. & termino à quo careat: quod principium dierum non habeat, quia videl. erat in principio, Joh. 1. v. 1. nec etiam terminum ad quem, habeat: quod vitę fine caret. Sacerdotii verò æternitas deinde subjicitur, ac describitur: quod manet Sacerdos in æternum: non autem est Sacerdos ab æterno. Neque obstat ratio quam subjicit adversarius, cum ait: *Nam si de initio vitæ author loqueretur, vox dierum fuisset omissa, & dictum fuisset: nec initium, nec finem vitæ habens.* Resp. nullam hujus dicti esse necessitatem. Nam alterutro modo, eodem sensu loqui potuit Apostolus: nam non habere initium dierum, est ęternum esse: non quod dies attribuantur ei, sed negantur. Deinde quid si etiam attribuerentur, per metaphoram essent intelligendi, pro duratione: quemadmodum non dissimili metaphora, Filii Dei, veri Dei creatoris anni, non defecturi dicuntur, Heb. 1. v. 12. Quod verò præterea objicit Socinus: *Quid quæso ad rem, de qua ibi agitur, pertinere potest, quod Christus aliquo modo revera sine patre & sine matre fuerit? Præsertim si hoc ad istum modum interpretemur, sine patre in terris, sine matre in cœlis.* Respondetur illud à scopo non esse alienum, sed ei maximè consentaneum: quia talis requirebatur Novi Testamenti sacerdos: qui simul esset homo & Deus. Homo quidem; qui pro hominibus reconciliandis posset mori, Hebr. cap. 2. vers. 14. & 17. & quidem è Virgine, Matth. cap. 1. vers. 23. & per consequens sine patre, virtute Spiritus sancti, ibid. vers. 20. & 21. ut nobis per omnia similis esset, excepto peccato Hebr. cap. 2. vers. 17 & 4. vers. 15. Deinde quoque requirebatur ut sacerdos Novi Testamenti esset æternus Filius Dei, ideoque sine matre, Psalm. 2. vers. 8. & Hebr. cap. 5. vers. 5. & 6. Verus Deus: ut passioni & morti assumptæ suæ carnis, dignitatem adderet infinitam: & mortem ejus superaret, eam suscitando à mortuis, vitamque æternam tribuendo, atque etiam fidelibus omnibus tribueret: quemadmodum, Heb. cap. 9. vers. 14. dicitur Christus per Spiritum æternum se obtulisse immaculatum Deo, hoc est, divinâ sua natura. Quemadmodum Act. cap. 20. vers. 28. etiam dicitur Deus redemisse Ecclesiam suo sanguine; & 1. Petr. cap. 3. vers. 18. mortificatus carne, vivificatus Spiritu asseritur, hoc est, divinâ sua natura. Quo etiam Spiritu, dicitur iis qui in carcere sunt spiritibus prædicasse, cum olim immorigeri essent temporibus Noachi. Quemadmodum etiam 1. Petr. cap. 1. Prophetæ Spiritu Christi acti prophetasse dicuntur. Et sicut Christus, Johan. cap. 10. vers. 17. & 18. suscitationem sui à mortuis, quæ opus merè divinum, sibi attribuit, ut antè attribuerat, Johan. cap. 2. vers. 19. & 21. Sic etiam suscitationem omnium fidelium ultimo die, sibi meritò vindicat, Johan. cap. 6. vers. 39. 40. Deinde talis Sacerdos requirebatur qui nos sanctificaret, ac Spiritu Sancto baptizaret, Heb. cap. 9. vers. 14. & 15. & Joh. cap. 1. vers. 33. quod sanè solius Dei (cujus solius est Spiritus) proprium est. Denique cùm Christus, secundum carnem, non sit à Patre, ex ipsius substantia procreatus: non esse eatenus Filium ipsius ab eo genitum apparet: cùm generatio, non sit creatio ex aliena substantiâ: sed ex sua substantia, secundum naturæ convenientiam propagatio seu productio. Quamobrem ex hisce manifestè apparet, falsum esse omninò, quod adversarius fingit, humanæ naturæ materiam non constare ex sola Virginis substantia: sed simul ex adjuncta & immissa à Spiritu Sancto, nova quadam substantiâ, aut in utero Virginis formata; atque ita Filium Dei dici, quod ab eo sit generatus.

Atque hæc ad vindicationem veritatis horum verborum Johannis: *Et Sermo caro factus est*, suffectura speramus. Quare ad reliqua, quæ supersunt procedemus, ex quibus etiam utraque unius ejusdemque personæ Christi natura, & divina & humana demonstrabuntur.

De Genuino sensu verborum, vers. 14. *Et habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre.*

AD rectam hujus dicti sententiam, primùm observandus est scopus illius: Deinde modus, seu medium, quo ad eum tendit Euangelista. Scopus est, probare sententiam antecedentem, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Modus verò ac medium quo Euangelista hoc præstat, est ab experientia sua & aliorum Apostolorum. Nam 1. Christum hominem factum, probat ex eo, quod ait, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *tabernaculum in nobis fixit*, hoc est, inter nos ad tempus habitavit. Nam naturale vitæ suæ curriculum non absolvit: sed, illud violenta, ab hostibus Iudæis, illata morte est abruptum, id quod per ἐσκήνωσεν videtur expressum. De qua humanæ naturæ Christi experientia ait idem Apostolus, 1. epistola cap. 1. v. 1. *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus & manus nostræ contrectarunt de Sermone vitæ.* Secundò λόγον sic hominem factum, nihilominus mansisse λόγον, Dei Filium, experientia etiam comprobat, cum ait, *& vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre.* Siquidem voce *gloriæ*, non propriè celebrem illius à multis rectè judicantibus laudem, sed impropriè per metonym. excellentiæ τοῦ λόγου gloriosam patefactionem intelligit. Quo etiam pertinet illud, Ioh. 1. epistola, c. 1. v. 2. *Nam vita illa conspicua facta est, & illam vidimus, & testamur, & annun-*

& annuntiamus vobis vitam illam æternam, *quæ erat apud Patrem & patefacta est nobis*. Ubi diligenter notandum est, Apostolum similia iis, quæ Euangelii cap. 1. v. 1. proposuerat, his locis repetere. Nam ut in Euangelii initio dixit, *in principio erat Sermo*; sic etiam hoc loco v. 1. *quod erat à principio.* Et ut in Euangelio sequitur: *& Sermo erat apud Deum*, item, *vita erat:* sic hoc in loco ait: *annuntiamus vitam illam æternam*, *quæ erat apud Patrem*, *& patefacta est nobis.* Quo modo perspicuè docet, λόγον, ante patefactionem in carne, extitisse, & carnem factum, sine mutatione sui extare; ideoque non primum extitisse, cùm patefactus est in carne hominibus. Ad gloriam verò, hoc est, excellentiam Christi gloriosam quod attinet, illa consistit in duobus, nempe in effectis illius & adjunctis. Effecta sunt opera miraculosa ac divina, quemadmodum ipsemet Johannes interpretatur cap. 2. Nam post narrationem, editi à Christo, in conversione aquæ in generosum vinum miraculi, subjicit: *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ, & manifestam fecit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* Adjuncta verò excellentię Christi gloriosæ sunt multa; inprimis verò, in baptismo & in monte, testimonium divinum de personæ Christi excellentia. In baptismo quidem Matth. 3. vox Patris audita: *hic est Filius meus dilectus, in quo acquiesco*, seu quo delector; & Spiritus Sancti super Christum specie columbæ descensus ac quies: quo designatum est, Christum esse, qui baptizaturus erat Spiritu Sancto, Johan. 1. Ex quibus, λόγον esse æternum ac verum Deum clarissimè demonstratum. Huc accedit alterum in monte adjunctum, in gloriosa Christi transfiguratione, & Patris in nube collucentis testificatione: *Hic est Filius meus, &c.* quod etiam à Petro, 2. ep. c. 1. v. 16. commemoratur cum ait: *Non enim arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris aspeximus illius Majestatem; Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce cœlitus ad eum delata, à magnifica gloria: hic est ille Filius meus dilectus, in quo ego acquiesco: & hanc vocem nos audivimus è cœlo delatam; cum essemus unà cum eo in monte.* Quam gloriam Christi, in effectis ab eo miraculis, & adjunctis hisce consistere, Socinus etiam agnoscit, si genus ipsum spectemus. Quæstio autem existit, an ex iis probetur, Christum esse verum & æternum Deum? Socinus enim hoc negat: Orthodoxi verò constanter meritoque hoc affirmant. Idque solidè ex miraculorum illustrium natura demonstrant. Nam qui insitâ sua potentia, fecit ea miracula, quæ sunt opera Deo propria: ille est verus & æternus Deus. Atqui Christus fecit ea miracula; Ergo Christus est verus Deus. Propositio certa est: quia propria Dei sunt, quę soli Deo conveniunt. Assumptio autem inde probatur: quia vitæ omninò amissæ restitutio, seu suscitatio à mortuis, & visus omninò amissi renovatio; sunt miracula omnipotentiæ Dei propria. Deus enim est solus, qui ista præstare potest: cùm à privatione visus & vitæ, per finitam potentiam ad habitum non detur regressio. Ideoque licet dæmones multa ediderint opera, quæ si ab hominibus facta fuissent, essent miracula: nulla tamen fuerunt infinitæ potentiæ opera; sed illorum potentiæ magnæ, sed finitæ convenientia: qualis est variorum morborum curatio subita. Ideoque visus & vitæ omninò amissæ restitutio nunquam eorum potentiâ, quia finita est, effecta est, neque effici potuit. Christus verò hæc potentiâ suâ perfecit: cùm & cœco nato visum restituit: & mortuos suscitavit: non solùm ut instrumentum aliquod, sed ut causa efficiens vi sua insita, Johan. 5. vers. 21. *Ut Pater excitat mortuos: sic Filius quos vult vivificat.* Nam licet quidam Prophetæ & Apostoli mortuos suscitarint: ejus rei non fuerunt causa efficiens per se, hoc est, sua potentia: sed tantùm causa instrumentalis & impetrans. Christus contrà insita sua vi miracula edidit: Apostoli per accidens concurrentis potentiæ Christi. Nam Luc. cap. 6. vers. 19. dicitur; *Potentia ab eo exibat & sanabat omnes:* & Marc. cap. 16. vers. 20. *Illi verò egressi prædicarunt ubique, Domino unà operante, & sermonem confirmante per signa subsequentia*, & Actor. 3. v. 12. ait Petrus: *Quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria vi (scilicet efficiente) aut pietate (scilicet impetrante) effecerimus, ut hic ambularet?* & v. 16. *Per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmavit nomen ipsius.* Deinde ut ostendimus, Christus non solum alios suscitat à mortuis, & suscitabit ultimo die omnes fideles, Johann. cap. 6. v. 39. 40. sed etiam seipsum suscitavit, Iohann. 2. vers. 10. cum 21. & 10. v. 16. Quo clarissimè demonstratur, ipsum esse non solum mortuum, secundum carnem, hoc est humanam naturam: sed etiam vivificatum secundum Spiritum, 1. Pet. 3. v. 18. seu secundum essentiam ac potentiam suam divinam: Ideoque manifestè sequitur, non solum, λόγον seu Filium Dei hominem esse factum; sed etiam verum Deum permansisse: & ut 1. Iohan. 5. vers. 20. dicitur: verum Deum esse & vitam æternam. Atque ita ex hac miraculorum Christi gloria, Socini hæresis de Christo homine tantùm, non etiam Deo, confutatur: & Deitas Christi asseritur; idque sequente expositione gloriæ etiam declaratur cum additur: *gloriam ut unigeniti à Patre* Verùm hîc oritur quæstio minimè negligenda, quæ summam salutis attingit:

Quid vox illa, *Unigenitus à Patre*, hoc loco significet?

De hac enim re Socino primùm cum Orthodoxis; deinde secum controversia est. Cum Orthodoxis quidem; quod hi Christum Filium unigenitum à Patre propriè dici statuunt: quòd revera à Patre sit solus genitus, hoc est, ejusdem essentiæ divinæ communicatione editus: Idque primùm ex antecedentibus liquere: quia Filius in principio erat apud Deum Patrem: & quidem verus Deus: factor mundi, ac propterea ejusdem cum Patre essentiæ Filius. Deinde Filii Dei, hominis facti, primùm effecta miraculosa, quæ gloria ejus dicuntur, soli Deo propria, ut antè ostendimus, evincunt hunc Filium esse verum Deum: ideoque proprium seu geniturâ Filium. Secundò adjuncta Dei Patris testimonia, quæ ad alteram gloriæ partem pertinent, idem comprobant: iis enim non solum de Christo testatus est, eum esse Filium; sed etiam ipsum baptizaturum Spiritu Sancto Iohan. cap. 1. vers. 33. ideoque verum esse Deum. Neque enim his verbis notatur, fore ut Spiritus Sanctus, per ipsum agat; sed contrà fore, ut ipsemet per Spiritum Sanctum, ab ipso procedentem, operetur. Iohan. cap. 15. vers. 26. & 16. vers. 13. 14. ut suprà plenius exposuimus. Nec solum antecedentia Christum Filium esse geniturâ, ideoque ejusdem essentiæ Filium esse ostendunt: Sed alia etiam Scripturæ sacræ loca similiter evincunt. Nam ut Rom. cap. 8. vers. 32. Filius Dei proprius dicitur: Sic Iohan. cap. 5. vers. 28. dicitur: *Propterea ergo magis studebant Iudæi eum trucidare, quia non solum solvisset Sabbathum: sed & Deum dixisset Patrem proprium, parem se faciens Deo.* Nam quod vocem ἴδιον vulgatus & noster interpres vertunt *suum*; non solùm à propria significatione vocis illius, citra necessitatem, recedunt; sed etiam vim sententiæ, ut apparet, enervant. Nam ut se parem facit Deo, qui Deum dicit Patrem proprium; sic non propterea quis se parem facit Deo, qui Deum dicit suum Patrem; Suum enim, aliorum non excludit Patrem. Nam ipsi Iudæi etiam hoc sibi tribuebant Ioh. cap. 8. vers. 41. Sese tamen impares Deo agnoscebant. Neque est quod objiciatur, hæc verba esse, non Euangelistæ vera, sed Iudæorum falsa: ac calumniam, quæ narretur, non autem probetur. Contrarium enim ex antecedentibus, & consequentibus liquet. Ex antecedentibus: quia verba Christi, Ioh. cap. 5. vers. 17. fuerunt hæc: *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor:* quo ostendit, (ut & v. 19. exponitur,) *quæcunque ille* (scilicet Pater) *facit, hæc etiam Filius similiter facit*, ideoque ex perpetuis ac communibus Filii cum Patre operibus, Deum, proprium Patrem dici, rectè intellexerunt; quamvis in eo gravissimè errarunt, quod illud non crediderint. Quorum incredulitatem secutus est Socinus; sed in sensu verborum, ab illis, rectè intelligentibus, perverso studio declinavit. Deinde in sequentibus, Christus nullo indicio hanc intelligentiam Iudæorum ullius erroris

erroris arguit: sed contrà confirmat, inter alia, ab operibus Deo propriis, quæ sibi attribuit speciatim, ut verſ. 21. ait: *Sicut enim Pater excitat mortuos: ita & Filius, &c.* Quare cum Judæi Christi mentem rectè intelligerent, solam incredulitatem eorum reprehendit, verſ. 46. 47. Alioqui si malè mentem illius cœpissent, & calumniam blasphemiæ ipsi impegissent: ad gloriam Dei, calumniam illam, pro officii ratione apertè removisset. Atque hæc Orthodoxorum est sententia, Filium Dei vocari unigenitum, non temporali gratia; sed genitura, & quidem æterna: quod patri suo sit ὁμοούσιος, ejusdem singularis essentiæ. Cui Orthodoxæ è Sacris Literis petitæ sententiæ adversatur Socinus, ac contendit: Christum non vocari Filium Dei unigenitum, quod ab æterno; sed quod in tempore ab eo sit genitus: & quidem expositione duplici. Quarum ut utraque nostris, sic posterior priori contradicit. Priorem autem proponit in libello explicationis primæ partis cap. 1. Johannis. Exponit enim Filium unigenitum significare, dilectissimum ac præcipuum Dei Filium esse, ac deinde subjicit hæc verba: *Vox unigeniti hoc loco non illud videtur significare quod vulgò creditur, Christum videlicet natura Filium Dei esse; cum alii scilicet adoptionis filii sint, sed potius (ut nos exposuimus) illi acceptissimum esse, & aliis dignitate præstantem.*

Verùm quia illud à nostris negatur, ac probationem desiderat, propterea hanc adfert: *quod μονογενὴς respondet Hebrææ voci* יחיד*: quæ cùm de Filio dicitur, unicum quidem significat, sed non tantum genitura, verum etiam dilectione, successione, vel singulari quadam proprietate; qua cæteris fratribus suis antecellat & ab illis meritò distinguatur.* Verùm negamus vocem Hebræam יחיד, & Græcam μονογενὴς, cùm de filio aliquo dicitur, idem significare; quia primùm Filius potest esse יחיד, hoc est, unicus, ut tamen non sit unigenitus. Qui enim primus ante alios nascitur: eatenus unicus est, donec alii nascantur: & si plures quidem sint geniti, sed unicus tantùm superstes, reliquis defunctis, unicus verè dicitur, non autem unigenitus. Deinde vox μονογενὴς, nullibi in Sacris Literis aliud significat, quam eum qui solus est genitus; non autem unicè dilectum: etsi dilectio illa sit consuetum unigeniti consequens adjunctum. Contrà verò vox יחיד *unicus*, unicè dilectum interdum notat, ut adversarius ex Proverb. cap. 4. verſ. 3. probat: ubi Salomon (licet plures ex eadem matre haberet fratres, 1. Chronic. 3.) se tamen *unicum inter filios matris suæ* appellat: non propriè, sed metaphoricè: quod esset quasi unigenitus, aut similis unico filio, id est, summoperè dilectus. Quod autem adversarius objicit, eundem Isaacum, Geneſ. 22. verſ. 2. 16. vocari Filium unicum: & Hebr. cap. 11. verſ. 17. μονογενῆ, illud dictis minimè adversatur. Nam Geneſ. 22. Isaacus vocatur *Filius unicus:* non metaphoricè, sed propriè; siquidem reipsa erat Filius unicus & unigenitus. Licet enim (quod objectat adversarius) Abraham duos habuerit filios, Ismaëlem scilicet & Isaacum: ei tamen non repugnat, Isaacum fuisse unicum, nempè non absolutè, sed relatè, ad Saram; Erat enim unicus Abrahami ex Sara filius: quia ex ea ipsum solum habuit, non plures. Atque hoc respectu verè μονογενὴς, *unigenitus* vocatur. Ideoque vanum est, quod hisce verbis, Geneſ. cap. 22. *Non pepercisti filio tuo unico:* adversarius asserit, *demonstrari, eum non genitura unicum, sed dilectione potissimùm, Isaacum Abrahami filium appellari:* ubi etiam insignis adversarii hæsitantis inconstantia apparet, cum ait, *potissimùm*, quo alias etiam esse rationes hujus appellationis significat, nempe, ut ante proposuit totidem verbis; *vel videlicet quod unicè ab Abrahamo diligeretur & (hanc quidem potissimam hujus rei causam credimus.) Nam LXX. Interpretes vocem* יחיד *ἀγαπητὸν, id est, dilectum ibidem sunt interpretati: vel quod ad eum solum promissiones pertinerent, & is solus Patris hæres futurus esset; vel etiam quod mirabili quodam modo non vulgari, ut Ismael natus erat.* Ubi primum observandum, tres modos expositionis proponi, significationis genere discrepantes, ideoque non convenire simul, unaque voce minimè denotari, quod tamen indicat cum ait: *potissimùm.* Deinde potissima etiam illa ac prima significatio, quam adfert, licet Prov. 4. locum habeat; quemadmodum subjecti Salomonis, de quo ibidem agitur, conditionem flagitari ostendimus: huic tamen loco Geneseos non convenire, ex Apostoli ad Hebr. cap. 11. verſ. 17. interpretatione apparet: qui μονογενῆ, id est, *unigenitum* (quæ vox solum genitum, ut usus illius vocis evincit, significat) interpretatur. Deinde ex reipsa etiam apparet; quia genitus unicus fuit Abrahami, non absolutè sed relatè ex legitima uxore Sara filius. Denique verba etiam Dei per Angelum, filium unicum & dilectum distinguunt, tanquam subjectum & adjunctum illius: cum non solùm ait: *Filium tuum unicum*, sed etiam ad amplificationem adjungit *quem diligis*; quis enim non videat fore alioqui ταυτολογίαν inanem, hoc modo, filium dilectum, quem diligis Ideoque interpretatio LXX. Interpretum, quam adducit Socinus, hoc loco, ut multis aliis, non est idonea: quia imprudenter loco subjecti, epithetum, inani repetitione reponit; & loco propriæ significationis, metaphoricam sine ulla necessitate exprimit. Quemadmodum & alibi iidem interpretes similiter errarunt, ut Amos 8: 10. *Disponam eam quasi luctum unici* i. e. unigeniti: LXX. interpretati sunt πένθος ἀγαπητοῦ *luctum dilecti:* quo modo vis sententiæ non parùm enervatur. Nam etsi omnis filius unicus & unigenitus soleat esse dilectus: non omnis tamen dilectus est unicus aut unigenitus; imo neque omnis dilectus est à diligente genitus. Deinde minùs fenè est dicere luctum dilecti, quam unigeniti: quia cum eximiè diligatur unigenitus: ideo luctus ea voce gravissimus indicatur: Ideoque post verba ista: *quasi luctum unici:* Subjicitur explicatio hoc modo: *ut finis illius sit tanquam diei amarissimi* Quemadmodum contra etiam LXX. Interpretes errarunt, cum vocem μονογενῆ inepto prorsus abusu pro יחידה unica, posuerunt Psalm. 22. verſ. 1. *Eripe à gladio animam meam, à cane unicam meam*, hoc est, solitariam, adjutore omni destitutam, ut querela verſ. 12. ostendit: ac propterea etiam Aquila Græcus interpres rectè μοναχήν, id est, solitariam: LXX. verò ineptissimè μονογενῆ transtulerunt. Quare frustra Socinus LXX. Interpretum versionem hoc loco infidam & sæpè paraphrasticam ad errorem suum fucandum obtendit. Neque inde probari potest, vocem *Vnigeniti*, idem esse quod unicum: cum *unici* vox de filio dicta latiùs pateat quàm unigeniti: & non nisi per Synecdochen generis pro unigenito usurpetur: quam Synecdochen loci circumstantia Geneſ. cap. 22. demonstrat & evincit. Ideoque ex falso antecedente, falsum hoc & inconstans consequens deducit Socinus, cum ait: *Quare & Christus inter tot fratres, unigenitus Dei Filius dicitur. Nam & Deo unicè charus fuit (nec alio præstantiore titulo eum Pater, dum adhuc in terris ageret unquam ornavit, quàm cum Filium suum charissimum esse dixit) & solus ante omnes universorum hæres est constitutus: & tot tantisque præterea dotibus magis quàm cæteri omnes exornatus fuit. Nam & oleo exultationis præ consortibus unctus fuisse dicitur, ut merito Filius Dei unicus fuerit appellatus: adde etiam admirabili illum & cœlesti, non autem naturali & humana ratione (sicut alios omnes) natum esse, propter quod etiam Dei Filium vocatum iri Gabriel Angelus Mariæ ejus matri prædixit*, Luc. cap. 1. v. 32. Hæc Socinus. Quæ diruto antecedente fundamento concidunt, & dissentanea sunt inter se. Nam ut alia omittam, si unigenitus notet admirabili ac cœlesti ratione genitum ac natum: Ergo non significat dilectum: propria enim & metaphorica significatio non conveniunt. Deinde unigenitum Dei Filium non dici ratione formationis humanæ naturæ, superioribus satis demonstratum, & verba Angeli, Luc. cap. 1. adversùs Socini abusum vindicata: atque ostensum est, Filium Mariæ vocari Filium Dei, quod eadem persona, quæ est Filius hominis, sit etiam Filius Dei: sed diversa ratione: Filius hominis quidem, quatenus genitus è matre, humanæ naturæ est particeps: Filius verò Dei, quatenus ejusdem essentiæ paternæ ac divinæ communicatione ab æterno est genitus. Quia enim λόγος Dei Filius, assumptione humanæ naturæ, ex virgine Maria, in unitatem personæ suæ, caro seu

ro seu homo factus est; idcircò Filius Dei dicitur Filius hominis: Et Filius hominis Filius Dei vicissim appellatur: quia utrumque nomen, non naturæ est nomen, sed personæ, à natura altera denominatæ. Filius enim hominis seu Mariæ, notat humanâ natura ex Maria matre præditum: Filius verò Dei, divina natura, ex Deo Patre præditum. Nam unio duarum naturarum in Christo hypostatica, qua Filius Dei humanam naturam ex Maria virgine, in unitatem personæ suæ, virtute Spiritus Sancti assumpsit (ideoque utraque naturâ præditus est) causa est efficiens communicationis proprietatum: qua fit, ut eidem personæ conveniant reverà, quæ utriusque naturæ sunt propria. Ideoque phrasis illa, qua Christi personæ, denominatæ (in concreto ut vocant, seu voce personam notante) ab una natura, attribuitur, quod ei convenit secundum alteram: Idcircò peculiariter communicatio idiomatum dici solet, quia illius est effectum & indicium: ut Iohan. cap. 3. Filius hominis in terra existens, erat in cœlo: non quatenus Filius hominis: nam eatenus erat extra cœlum tantum; sed quatenus Filius Dei, qui cœlum & terram implet. Et Marci cap. 13. vers. 32. Filius Dei ignoravit diem judicii: non qua Filius Dei: eatenus enim fuit omniscius; sed quatenus Filius hominis. Idque etiam distinctè ab orthodoxis Patribus exponi solet, cum subjecto personali, ab una natura denominato, quædam attribui dicunt κατ' ἄλλο, secundum alteram naturam. Idque ex Sacris Literis depromptum, ut Rom. cap. 1. v. 3. *Filius Dei* dicitur *factus ex semine Davidis κατὰ σάρκα secundum carnem*, hoc est, secundum humanam naturam. Sed objicit Socinus hoc modo: *Quod autem Johannes, cum Christum Dei unigenam nuncupavit, genitura illum unicum esse neutiquam intellexerit, dubitari non potest: alioqui sibi ipsi contrarius fuisset: qui paulo antè Christo fidentes, ex Deo natos esse dixerat:* Sed negatur consequentia: quia homonymiæ sophisma est. Christus enim Dei unigenitus dicitur genitura propriè sumpta: quia Deus verus, ejusdem cum Patre essentiæ, ut supra multis ostensum: Fideles verò nati ex Deo, & filii Dei appellantur, per metaphoram, seu similitudine quadam: ob gratuitam regenerationem spiritualem, qua imagine Dei sunt donati. Denique quod ait: *Vocis etiam unigeniti sensus ex eo clarè percipi potest, quod Deus ita mundum dilexisse dicitur, ut Filium suum unigenitum dederit: Nam si istic unigenitum aliter quam unicè dilectum atque omnium charissimum interpretatus fueris, plurimum ponderis illi sententiæ detraxeris.* Negatur Consequentia: Nam licet vox *unigenitus*, non notet unicè dilectum: id tamen connotat, per consequentiam necessariam, quia Deus Pater non potest non maximè amare Filium suum unigenitum, unius ejusdemque essentiæ communione sibi conjunctissimum. Hactenus jam confutata est prima Socini expositio: qua Christum, non geniture sed dilectionis causa, Filium Dei unigenitum appellari asseruit. Verùm quia alias etiam expositiones subjunxit, non ut consentaneas, sed ut dissentaneas; usus disjunctiva particula *vel*, non autem conjunctiva *&*, ipsum sibi contradicere ostendimus, cum concludit, non geniturâ unicum, sed dilectione potissimum, Dei Filium unicum appellari. Cui sententiæ suæ, disertè contradicit, in refutatione Wieki de divinitate Filii & Spiritus Sancti; cum genitura filium dici statuit, & quidem triplici, ut vocat filiationis gradu. Cui errori quasi fundamentum præmittit doctrinam de generatione filiorum Dei: quod quia ad illustrationem pertinet, ipsius verbis proponemus. *Filii dicuntur ab eo geniti, per similitudinem aliquam, quam cum iis habent, qui ex alicujus substantia generantur; hæc siquidem propriè dicta est, tum generatio, tum filiatio. Habent inquam, considerati respectu Dei: quemadmodum illi respectu ejus, ex quo sunt geniti. Hæc autem similitudo duplex esse potest: aut videl. in ipsa persona: aut in modo existendi. In ipsa persona intelligo: ut quemadmodum ii, qui ex substantia alicujus generantur, similes sunt, & substantia, & qualitatibus illi ex quo sunt geniti, sic isti Deo sint similes in iis quæ Dei sunt propria, cujusmodi sunt sapientia, sanctitas, immortalitas, dominatio, &c. In modo autem existendi intelligo; vel quia ut existerent tales, Dei actio & operatio intervenerit, ut actio & operatio intervenit illius, ex cujus substantia quis sit generatus, ad hoc ut ei similis existeret: vel quia ipsum suum esse, seu quod simpliciter extiterint, ex tali Dei actione & operatione habeant, quæ aliqua ratione actioni & operationi respondeat illius; ex cujus substantia quis generatus, unde habuit, ut existeret.* Hisce à Socino substratis, proximè subjicit: *Hujus autem rei quam postremo diximus, nullum revera exemplum habemus, nisi in Christo Jesu, qui ut suprà docuimus hoc ipsum quod extiterit*, id est, *conceptus & natus fuerit; ex tali Dei actione & operatione habet, quæ viri gignentis actioni respondet, quod nec in Angelis, nec in ulla alia re creata contigit, adeò, ut quatenus simpliciter existunt, non geniti à Deo, sed creati tantum dici possunt, quicunque præter Christum Filii Dei appellantur. Christus verò quatenus simpliciter existit, non creatus modo à Deo, sed etiam ab ipso genitus meritò dicatur. Ex quo, ut dictum fuit, consequitur, ut naturalis Dei Filius jure appellari queat, & quidem solus naturalis ac propterea unigenitus, ac præsertim inter homines, quorum respectu unigenitus Dei Filius est appellatus.* Hactenus Socinus: unde aliis omissis, quæ ex superioribus confutantur abundè, sic breviter concludimus: Si Christus idcircò dicatur unigenitus, quia solus generatus est à Patre: Ergo falsò Socinus anteà tradidit, eum non geniturâ, sed dilectione Filium unigenitum appellari. Deinde veritati etiam repugnat. Nam Christus proprius est Dei Filius, Rom. cap. 8. & Deus Pater proprius illius Pater, Johan. cap. 5. ut antè probavimus: Ergo ex illius substantia genitus: non autem improprius similitudine tantum Filius, ut Socinus tradit. Deinde neque etiam genitus dici potest ratione humanæ naturæ à Patre; quia eatenus ἀπάτωρ, Heb. cap. 7. & quia à Virgine genitus; Eoque falsum est, aliquam creatam substantiam, ut Socinus vult, utero Virginis à Spiritu sancto immissam, aut in eo creatam, quæ cum Virginis substantia conjuncta carnis Christi sit materia; quod merum Socini, sine Scripturæ authoritate figmentum. Denique neque illud etiam ipsum efficeret unigenitum Dei Filium, imò neque Filium. Nam creatio partis materiæ corporis, non magis dici potest generatio: quam totius naturæ rationalis creatio: Et ad generationem veram requiritur ejusdem naturæ rationalis communicatio.

Verùm quia causas & gradus, quibus Christus Filius Dei, & quidem unigenites dicatur, plures constituit Socinus: neque plenè ac perfectè Christum Filium Dei fuisse ab initio conceptionis ac nativitatis contendit: operæ pretium erit, si explicationem illius proferamus. *Videamus* (inquit contra Wiekum p. 238.) *Quomodo Jesus Christus sit Dei Filius. Jam dictum est, eum Dei Filium naturalem esse, propterea quod natus sit Dei Filius. Verùm cum filiatio ex Deo, similitudine potissimum contineatur, quam quis cum Deo habeat: potest ipse Christus, quatenus propter hanc causam (præter illam quod existentiam suam per Dei actionem & operationem habet similem, ei, per quem existunt ii, qui ex Patris sui substantia sunt geniti) Filius est, non modo naturalis, sed etiam adoptivus Dei Filius dici, eo sensu, quo, ut dictum est, Scriptura homines Christianos adoptivos Dei filios vocat, nempè quia similitudinem quam cum Deo habet, non in ipso conceptione & nativitate habuit, sed postea ex Dei dono & gratia illam adeptus est. Quæ quanto major & multiplicior, ut ita dicam, indies in illo fuit: tanto excellentior Dei Filius est factus, & non semel, neque una ratione à Deo genitus, &c. per adeptionem ejus cum Deo similitudinis, quam anteà vel omninò non habuit, vel non tantam.* Quæ duo postrema, quia probationem desiderabant: idcircò eam adferre conatur adversarius; prius quidem hoc modo: *Similitudinem cum Deo immortalitatis non habuit Christus ante resurrectionem suam, propterea merito, Actor. 13. v. 33. verba Psalmi: ego hodie genui te, ad Christi resurrectionem retulit.* Sed negatur Consequentia: Nam resurrectione Christus genitus dicitur non propriè, sed impropriè, per metonym. subjecti pro adjuncto, id est, à Deo Patre genitum, ac Filium ejus esse, declaratum notat: quemadmodum Rom. cap. 1. dicitur *declaratus Filius Dei, per potentiam, secundum Spiritum Sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Nam quod Socinus ait: dici *definitum*, idque constitutum propriè significare: ideoque indicare ante resurrectionem Filium Dei plenè ac perfectè non fuisse: figmentum est, ratione destitutum & à vocis ὁρίζειν significatione & usu alienum. Nam ea vox, à nomine ὅρος h. e. *terminus* ac *finis* deducta, propriè *terminari* ac *finiri*

finiri notat: & per metaphoram, à re corporea petitam, *decernere*, vel *definire* seu *declarare* significat. Quo postremo Chrysost. Græcæ suæ linguæ optimè gnarus, hoc loco similiter exposuit. Sic etiam nihil est magis usitatum, quam ut definitio, quia rem declarat, ὁ ὁρισμὸς à Græcis appelletur. Quod autem ὁρισθέντα *definitum*, id est, constitutum, atque effectum propriè significet, temerè ac sine ulla probatione ab adversario asseritur: ut res ipsa etiam indicat, fictam eam significationem huic loco minimè congruere. Nam cum Filius Dei dicatur disertè factus ex semine David ante resurrectionem: inde apparet, non dici postea factum esse Filium per resurrectionem: sed contrà declaratum, id quod erat: nempè non solùm Filium Davidis secundum carnem: sed etiam Filium Dei, secundum Spiritum, per resurrectionem à mortuis: cum carnem assumptam potentiâ Spiritus, seu divinæ suæ naturæ, à mortuis suscitavit ut Joh. 2. v. 19. & 21. & 10. v. 17. & 18. Quamobrem falsò & ineptè Socinus ita concludit: Christum ante resurrectionem Dei Filium plenè ac perfectè non fuisse: cum illi & immortalitatis, & absolutæ dominationis cum Deo, similitudo deesset. Nam immortalitatem humanæ naturæ, vel dominationem supra reliquas creaturas tributam, Filium Dei effecisse, nec probat, nec probare potest adversarius: & Filium Dei ante carnis suæ resurrectionem non fuisse immortalem, neque universorum Dominum, omninò falsum est & S. literis contrarium. Nam in principio erat Deus: & vita erat in ipso: & omnia per ipsum facta sunt, Joh. 1. cum visibilia tum invisibilia, Col. 1. v. 16. & potentiam habebat in se ante resurrectionem carnem suam suscitandi, ut ante ostendimus: quemadmodum revera suscitavit eâ potentia. Id quod à solo Deo & vitæ immortalis fonte peragi potuit. Et tanquam Deus, cœli & terræ creator, ac Dominus omnium absolutus, Heb. 1. v. 2. 10. 14. ab Angelis, ut ministris suis, cum in orbem terrarum introducitur, adorandus statuitur, Heb. 1. v. 6. Quare falsum est Christum resurrectione factum revera Filium Dei: cum per eam tantùm sit declaratus, id quod ante erat. Deinde falsum est etiam ipsum, qua Filius est Dei, tum primùm, adeptum immortalitatem & absolutum imperium; cùm æqualis Patri, ut verus Deus ab initio utrumque habuerit. Ideoque vana est Socini assertio, cum in resurrectione Christi, illius, uti loquitur, filiationem quoque positam esse; nec antè plenè ac perfectè Filium Dei fuisse, contendit. Deinde alter etiam modus, quo Christum à Deo genitum ac Filium ejus unigenitum dici statuit (quasi ille in similitudine perfectæ sanctitatis & sapientiæ humanæ, post nativitatem accedentis consisteret) manifestè falsus est. Nam 1. Christus qua Filius Dei est, nec sanctitate nec sapientiâ, neque ante nativitatem, neque post eam crevit: sed utramque ab æterno, ut verus Deus habuit apud Patrem & cum Patre: & illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum, & Spiritu suo Prophetas imbuit: utpote sapientia prima, quæ ante mundum creatum erat apud Deum Patrem, Prov. 8. Deinde falsum est, humanæ naturæ Christi sanctitatem, in conceptione & nativitate fuisse imperfectam; post nativitatem verò factam esse paulatim majorem & perfectam, ut Socinus asserit. Nam imperfecta hominis sanctitas est ἀνομία seu legis transgressio: Lex enim sanctitatem perfectam ex toto corde, toto animo, tota cogitatione, & omnibus viribus requirit, Luc. 10. v. 27. ac propterea imperfectam damnat, in qua aliquid deest, Deut. 27. vers. 26. Gal. 3. 10. Atqui in Christo concepto & nato nulla fuit ἀνομία, legis transgressio: quia natus est sanctus, *nobis per omnia similis, excepto peccato*, Hebr. 4. vers. 15. *quia talis nobis conveniebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Heb. 7. vers. 26. Unde necessariò sequitur: ergò in Christo concepto & nato nulla fuit imperfecta sanctitas, ideoque post conceptionem & nativitatem non est demum paulatim perfecta reddita. Neque quod Socinus è Scriptura obtendit, contrarium demonstrat. Nam quod objicit, Luc. 2. vers. 52. dici: *Jesus autem proficiebat sapientiâ, & statura, ac gratia apud Deum & homines*, illud nihil ad rem; quia sanctitatis, Christo in conceptione & nativitate collatæ, nulla fit mentio: ideoque à statu controversiæ aberrans, in limine impingit adversarius. Si enim objiciatur, sapientiam (cujus hoc in loco fit mentio) sanctitatis esse partem, quod mentis sanctitas in sapientia consistat, illud merito negamus. Nam sapientia quæ sanctitatis pars est, ea non est aliud, quam vera Dei & cultus illius ad salutem mandati agnitio. Cui si accedat donum propheticum, Sacras Literas plenius intelligendi, quod ad alios docendos necessarium; id quidem sapientiam auget: sed sanctitatem insitam non auget, quia illa ab omnibus hominibus, ad sanctitatem seu conformitatem cum lege Dei, non requiritur. Sic Christus ab initio, seu à conceptione & nativitate fuit sapientia, quatenus ad sanctitatem seu legis observationem erat necessaria ac sufficiens, plenè instructus; sed sapientiæ incrementum, quod ad Euangelii prædicationem, & accuratam Sacrarum Literarum notitiam atque explicationem requirebatur, postea accessit opportunè, cum ad munus propheticum exercendum fuit missus. Cujus sapientiæ incrementum paulatim inde à teneris, Luc. 2. v. 40. inprimis verò anno duodecimo eluxit: cum doctores in templo, suis de religione quæstionibus, exerceret vers. 46. de quo etiam profectu consequente agitur, vers. 52. cum dicitur: *Jesus autem proficiebat sapientiâ & ætate.* Quæ sapientia prophetica in Christo perfecta est, postquam à Johanne baptizatus Patris cœlestis voce, & Spiritus Sancti super ipsum descensu ac quiete, ad munus propheticum est unctus supra consortes & inauguratus, Johan. 1. v. 33. Esa. 11. v. 2. & 61. v. 1. Quamobrem sapientia sanctitatis, quæ in Christo, ad perfectionem legis & salutem requirebatur, in eo fuit ab initio perfecta; aliàs ipse non fuisset perfectè legi conformis, sed ejus transgressor ac peccator. Sapientia verò prophetica, quæ ad munus propheticum exercendum requirebatur, illa antea ad sanctitatem non erat necessaria: neque paulatim suis incrementis ante missionem ad hoc munus accedens, nec deinde missione perfecta, sanctitatem Christi insitam adauxit; utpote lege Dei minimè præscripta (quæ sanctitatis tamen norma est) sed tantum tanquam conditio, ad munus propheticum rectè obeundum pertinuit. Hæc quidem de sapientia aucta, ad sanctitatis incrementum in Christo probandum, non objicit Socinus: sed tantum ait: *Quod si perfectam sapientiæ cum Deo similitudinem ab ipso ortu habuisset, certè sapientia, ut ætate, proficere*, id est, *augeri apud Deum & apud homines non potuisset*; Veruntamen quoniam ab aliis objici speciosè, & ingeniosis auditoribus in mentem venire & scrupulum movere potuissent, solutionem opportunè adferendam existimavimus. Cæterum vocem *gratiæ* urget adversarius ex Lucæ sententia ante posita, cum ait contra Wiekum pag. 243. *De sanctitate*, id est, *justitia & vitæ integritate divina & cœlesti res ipsa loquitur, quandoquidem ea in infantem non cadit, & rationis usum in homine ejusque actionem requirit. Hancque non minus quam sapientiam unà cum ætate in Christo auctam fuisse (quamvis prout ætas ferebat semper perfecta fuit) illud indicat quod gratia apud Deum ipsum profecisse Christum Lucas scribit*, id est, *indies illi gratiorem fuisse, quod fieri non potuisse videtur, si ab ipso ortus initio non solum pro ætate, sed etiam omnino absolutè perfectâ justitiâ & vitæ integritate illa, de qua loquimur, Christus fuisset præditus.* Hæc Socinus: qui statum controversiæ ineptè corrumpit; cum causam & effecta; seu habitum sanctitatis inhærentem, cum actionibus illius sanctis transeuntibus sophisticè confundit. Nam sanctitas inhærens perfecta est per se considerata: & vitæ integritatem, seu sanctas actiones (ut causa suum effectum,) certò antecedit, easque perficit; non autem ab iis perficitur, sed perfecta indicatur: adeò ut sine ulla imperfectione actionibus sanctis ad tempus interdum careat: scilicet cùm eas officium à Deo præscriptum, ob naturalem à Deo creatam ac vitii expertem conditionem, non requirit. Quemadmodum Christus in infantia sua actiones sanctas nondum edere poterat, nec debebat: quia usu rationis ad eas necessario, sine ullo suo aut aliorum vitio, ex naturali à Deo creata conditione carebat: ac propterea ad actionum sanctitatem non erat obligatus: ideoque sanctitas propterea non erat imperfecta. Deinde etiam Christus jam adultus, Marc. 4. v. 38. in navi dor-

vi dormiens, sanctitate perfectâ erat præditus: quamvis nullas illius actiones ederet. Neque etiam rationis usu post infantiam, neque excitatione ac vigilia post somnum accedente, perfecta est illius sanctitas; sed actionibus suis talis declarata est: in se verò perfecta, sine ullo sui decremento aut incremento perduravit. Ideo satis hinc liquere arbitramur, quàm vanum sit illud, quod de imperfecta Christi sanctitate in infantia illius adversarius objectat. Quemadmodum etiam nullius est momenti, quod ex incremento gratiæ argutatur, quia posita expositione falsa nititur. Nam quod dicitur apud Lucam Jesus profecisse gratiâ apud Deum, illud explicat hoc modo: *indies illi gratiorem fuisse*, quasi gratia, de qua sermo est, passivè acciperetur, & in Deo atque in hominibus fuisse diceretur, non autem in Christo: sed tantùm erga Christum; Id quod nec probat, nec probare potest adversarius: cum Christus inde ab initio fuerit Filius Deo charissimus, & perfecta sanctitate præditus, ut modò ostendimus, ideoque perfectè Patri dilectus. Quare perperam ex falso hoc antecedenre, concludit fieri non potuisse, ut Christus ab ortus initio, omninò absolutè perfecta justitia fuerit præditus. Quocirca ut falsa expositio corrigatur, apparet ex reipsa, non gratiam quæ in Deo erat & & hominibus: sed quæ in Christo erat crevisse, ut non favorem & benevolentiam Dei & hominum erga Christum: sed per metonym. adjuncti pro subjecto, Christi officium Deo, hominibusque gratum significet, quemadmodum, 1. Petr. 2. v. 19. *τοῦτο γὰρ χάρις*, *hoc enim gratia est*, (id est, res grata) *si quis propter conscientiam Dei suffert*: & similiter vers. 20. *Si cum benefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc gratia apud Deum*, id est, res grata Deo, seu officium Deo placitum. Sic etiam hoc loco, crevit Christus gratiâ apud Deum & apud homines: gratiâ hoc est, re grata, nempè sanctarum actionum officio, quæ creverunt: non gradu, quasi imperfectæ essent (cum singulæ fuerint legi Dei perfectè conformes: quia omni ἀνομίᾳ caruit Christus) sed tantùm numero, quia quo diutiùs vixit, eo plures sanctas actiones, pro officii continuandi ratione & occasione oblata edidit. Quomodo, cum vitæ Christi sanctitas non sit ex imperfecta reddita perfectior, sed continuata: nihil Socinus efficit. Quemadmodum & Angeli electi plures indies sanctas actiones peragunt: & tamen neque sanctitas naturæ eorum, neque sanctitas vitæ seu actionum ex imperfecta fit perfectior: sed perfectionem suam perpetuò retinent. Similisque beatarum animarum & ipsius Christi in cœlis (sanctas actiones, continuo Dei & Ecclesiæ amore, exercentis) est ratio: An ideo tamen Socinus aliquam imperfectionem sanctitatis Christi in cœlo arguere, & inde (ut disputat) Christum nondum plenè ac perfectè esse Dei Filium, concludere ausit? Quare falsa est Socini expositio, de sanctitate Christi, paulatim ex imperfecta perfectiore reddita: & sententia etiam de triplici Christi, ut loquitur, filiatione, quasi ab initio non plenè ac perfectè fuisset Dei Filius: sed paulatim suis gradibus in terris ea in re profecisset, & primùm tandem in cœlo collocatione ad dexteram Dei fuisset plenè ac perfectè Filius Dei unigenitus effectus. Atque ita Socini explicationem: qua initium Euangelii Johannis de divina & humana natura impio ausu corrumpere conatus est, satis clarè ex Sacris Literis confutatam speramus. Reliquum est ut ad majorem veritatis illustrationem ea, quæ in calce illius operis ad defensionem illius adjecit, excutiamus.

Examen responsionis Socini, ad objecta quædam Martini Czechovitii: offensi explicatione illorum verborum: *Erat apud Deum ille λόγος homo Christus, id est, soli Deo notus.*

OBjectio prima est: *Quomodo erat in mundo, si soli Deo notus erat?* occasio objectionis est, quia Socinus p. 14. expositionis initii capitis 1. Johannis ait, *Verbum erat apud Deum*, hoc est, *Jesus quatenus Dei verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat*, item, *in mundo erat*: hoc est, *inter homines versabatur*, p. 30. Responsio autem Socini ad primam hanc quæstionem hæc est; *Imò dici potest soli Deo fuisse notus: quia in mundo esset, & tamen nullus hominum, ne Johannes quidem Baptista illum tunc temporis nosset.* Verùm frustra elabi conatur adversarius. Nam cum inter homines versaretur; quemadmodum nomine & facie, illis omnibus ignotus esse non potuit, (ut Socinus agnoscit,) nisi cœcos fuisse dicamus: sic etiam omnibus: ratione personæ & officii ignotus esse non potuit: quia nonnullis antequam inter eos versaretur aut natus esset, Angeli prædicatione fuit notus: ut Josepho, & virgini Mariæ, atque Zachariæ; & recens natus pastoribus, Annæ prophetissæ & auditoribus illius ac Symeoni; quemadmodum suprà ex Matth. 1. & Luc. 1. & 2. distinctè demonstravimus. Quod autem Johanni Baptistæ eo tempore ignotum fuisse objicit; illud de facie illius, non de persona & officio dici posse, suprà multis perspicuè probavimus. Quia verò elumbem hanc responsionem videtur satis animadvertisse Socinus: aliud effugium quærit: ut opposita conciliet, cum ait: *quod si in mundo esse pro eo accipiatur, quod est munus suum exercere, non eodem tempore dicit Euangelista illum fuisse in mundo, quo erat apud Deum: sed hoc in principio: illud autem postea.* Sed quo modo probabit, ut alia omittamus, phrasin hanc generalem, *in mundo erat*, speciatim pro eo accipi debere quod est munus suum exercebat: si probare non potest, quorsum conditionem hanc ineptè proponit? quare constrictus manet adversarius. Atque hæc de prima responsione ad objectionem primam.

Altera est: *Cur Angelis erat notus, si soli Deo erat notus? Angeli enim cecinerunt: natus est vobis Salvator.* Respondet Socinus, *vox soli voci Deo conjuncta, posita est, ad exclusionem hominum, non Angelorum. Præterea, etiamsi noverant Angeli eum esse Servatorem, non tamen noverant qualis & quantus Servator esset.* Verùm neutra responsione argumentum solvit. Nam ut secundam (brevioris explicationis gratiâ) expendamus, merum est sine ulla probatione distinctionis figmentum, quod neque cum doctrina Socini antecedente, in expositione cap. 1. proposita, neque cum Sacris Literis consentit. Nam ad prius quod attinet, verba illa: *in principio erat apud Deum*, p. 14. exposuit, quod Jesus, quatenus Dei verbum, antequam Baptistę prędicatione patefieret, soli Deo notus erat: item quod Jesus verbum & Christus esset, omnibus ignotum prorsus erat. Quare cum hic fateatur adversarius Angelis notum fuisse Jesum esse Servatorem: inde sequitur novisse eos Jesum esse Christum: Ideoque non Deo soli id erat notum. Sacris etiam Literis idem repugnat: Nam quomodo ignorare potuerunt Jesum Filium Virginis esse Christum Servatorem, & qualis ac quantus esset Servator; cum clarè à Prophetis id esset prædictum, Genes. 3. & 22. Psalm. 2. & 22. & 110. Esa. 7. v. 9. 11. 53. & 61. Dan. 9. Mich. 5. Deinde quia sua Euangelii prædicatione id patefecerunt. Nam ad personam Christi quod attinet, esse Filium Virginis virtute Spiritus Sancti conceptum ac sanctum, & simul filium Dei, Matth. c. 1. & Luc. cap. 1. ac propterea θεάνθρωπον Immanuëlem, Matth. 1. Deinde ad officium quod attinet, esse Christum Dominum, Luc. 2. Denique ad beneficia quod attinet, esse Servatorem, Luc. 2. & quidem qualis esset ac quantus Servator, nempe qui populum servaret à peccatis ipsorum, ac Jesus, hoc est, Servator ideò vocaretur, Matth. cap. 1. annuntiarunt: unde meritò concludimus, qui omnino norant Iesu personam, officium & beneficia, illi non ignorabant, qualis & quantus esset Servator. Atqui Angeli ante prædicationem Baptistæ illud norant. Ergo non ignorabant, &c. Nam talem ac tantum Sacrę Literę nobis describunt, ut Prophetarum locis memoratis & Johan. 20. v. 31. apparet. Atque ita vanitas effugii secundi responsionis hujus Socini conspicitur: quemadmodum & primi similis est ratio, cum ait, *cum dictum est soli Deo fuisse notum, homines, non Angelos excludi.* Atque cum Angeli noverint Jesum esse Christum, & illud ipsum clarè annuntiarint hominibus pluribus, Matth. 1. Luc. 1. & 2. quomodo quæso illud soli Deo notum esse potuit. Atque hoc modo Socini ad secundam quæstionem responsio satis confutata. Reliquas verò quęstiones & responsiones, exceptâ ultimâ, brevitatis causâ, cum ex antè dictis satis diluantur,

luantur, recensebimus tantùm, ut adversarii sententia melius intelligatur, & impietas illius retegatur.

Tertia objectio est: *Et Sermo erat Deus, quomodo Deus, si ignotus erat?* Responsio Socini est hęc: *Christi divinitas non in operatione ipsa, sed in operandi potestate consistit: & praeterea in exactissima rerum divinarum scientia, utraque autem istarum praeditus erat Christus, etiam antequam mundo patefieret.*

Quarta quaestio: *Erat in principio apud Deum. Quomodo erat, cum nondum passus, nondum mortuus erat, nondum resurrexerat, nondum in cœlum ascenderat.* Responsio est Socini, *imò si erat & ignotus usque ad annos 30. quomodo non apud Deum* (id est, *soli Deo notus*, *in principio erat?*

Quinta quaestio est, *omnia per ipsum facta sunt: quomodo omnia, cum nondum passus, nondum mortuus erat, nondum resurrexerat, nondum in cœlum ascenderat, &c.* Responsio Socini est, *imò cum Euangelista scripsit, ista jam omnia facta erant.*

Sexta quaestio: *Et sine ipso factum est nihil, quomodo cum illa quae superius dicta sunt per ipsum non facta sunt?* Responsio est: *dictio universalis ad subjectam materiam*, id est, *ad negotium Euangelii referenda est. Deinde nihil suprà narratur, quod factum sit, praeter ipsum Sermonem, per quem eundem non potuit ipse Sermo fieri.*

Septima quaestio, *in ipso vita erat, ille illuminat omnem hominem venientem in mundum: quomodo illuminat, cum adhuc tunc temporis, etiamsi homo erat, soli Patri notus erat?* Responsio est, *soli Patri in principio notus erat, non autem postea, cum cœpit illuminare.*

Octava quaestio: *fuit homo missus à Deo: quomodo Johannes de illo testatus est, si jam omnia per ipsum facta sunt, aut si jam docuerit, quid opus erat testificari de eo?* Responsio est Socini: *hic & hujus, & proximè praecedentis, & quinti argumenti fallacia cernitur. Neque enim unica & simplicissima est narratio Euangelistae, eaque summo ordine digesta, ut ex toto contextu unicuique patet. Igitur etiamsi prius dictum fuerit, per Sermonem facta fuisse omnia; & postea missum fuisse Johannem, non tamen illud prius fuit, hoc posterius: Postquam enim Euangelista de Sermone quaedam in universum dixisset, iterum de ipso narrare incipit, & quaedam quae obscurius antea attigerat, aliquanto clarius exponere.* Haec (inquam ego) Socini verba antè posita recitare suffecerit: quod observatâ scripti Socini confutatione antecedente, ea simul corruant.

Nona & ultima quaestio: *In mundo erat & mundus eum non cognovit, quid hoc rei est, quod renatus mundus non cognoscat Christum, cùm per ipsum factus sit.* Responsio Socini est haec: *mundus etsi per Christum quantum in ipso Christo fuit, factus*, id est, *reformatus, tamen eum non cognovit. Nam & Servator mundi Christus dicitur, licet pauci sint, qui serventur. Deinde nihil impedit, quo minus vox mundus varia significatione hoc loco accipiatur.* Hęc ille. Secundam responsionem hanc suprà satis plenè diluimus: prima verò contradictionem includit apertam. Nam mundum à Christo factum esse, id est, reformatum ex sententia Socini; & eundem mundum Christum non agnovisse, hoc est, non reformatum è diametro sibi mutuò adversantur. Nullus enim Christum non agnoscens, reformatus dici potest: quia nova ei forma, manente veteri, non est indita. Quod autem Christus dicitur Servator mundi: sensus non est, omnium hominum in universum, sed electorum: populi sui: Matth. 1. Qui ei dati sunt à Patre, Joh. 10. qui mundus seu universitas electorum reconciliatur Deo, 2. Cor. 5. v. 19. pro quo mundo electorum tantum orat Joh. 17. ideoque eorum tantum est Servator; quia eorum tantùm mediator: pro mundo verò reproborum non orat, Joh. 17. ac propterea vanum omninò est, quod de Christo mundi Servatore objicit Socinus.

Atque haec ad hujus responsionis Sotini confutationem diximus.

Examen loci insignis ac controversi, Johan. 1. vers. 12. & 13.

HActenus distinctae in una Christi persona naturae, divinae, & humanae descriptionem, ab Euangelista Johanne cap. 1. ad vers. 15. propositam, adversus varias Socini corruptelas vindicavimus: Consequens est ut illustrem illam, de fide & regeneratione sententiam, vers. 12. & 13. comprehensam, nonnihil expendamus, & adversus gratiae Dei hostes, ejus authoritate abutentes, tueamur. Quod ut commodius peragatur, prius antecedentem rei circumstantiam, (ut connexio cum superioribus rectius intelligatur.) Deinde verò rem ipsam exponemus.

Ad circumstantiam autem antecedentem, quod attinet: ea est duplex: occasio & scopus. Occasio est, partim narratio antecedens, de ingrata Israëlitarum in Filio Dei (qui ad ipsos peculiari supra omnes gentes, gratiâ sese patefaciendo advenerat,) non accipiendo, contumacia: partim erroris & offensae incautiorum lectorum periculum; qui putare potuissent, ea quae de Israëlitarum vitio dicta sunt, ad omnes eos universè citra exceptionem pertinere. Scopus verò est, hujus erroris atque offensae anticipatio atque aversio. Medium verò ad hunc scopum destinatum, ac remedium idoneum, est res ipsa, quae hoc dicto Johannis continetur: *Quotquot autem eum acceperunt, dedit iis ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, iis, (nempe) qui credunt in nomen ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Cujus succincta paraphrasis ac summa totius sententiae haec est: quod licet plerique Israëlitarum, Mosis & Prophetarum tempore olim Dei Filium (peculiaris gratiae adventu ipsos ducentem, ac viam salutis docentem,) non acceperint, ideoque perierint: illud tamen ad omnes Israëlitas universè non pertinere: quosdam enim eorum ipsum vivâ fide accepisse, ejusque dono ac gratia regenerationis, non autem ullis suis viribus Filios Dei fuisse; ideoque haeredes vitae aeternae ac servatos. Talem autem methodum ac cautionem, in eadem prorsus re tractanda, ab Apostolo observatam, Hebr. cap. 2. apparet. Nam cum v. 9. 10. & 15. incredulitatem ac contumaciam priscorum Israëlitarum, oratione indefinitâ accusasset: illud non de omnibus iis universè vers. 16. Sed de magna eorum multitudine intelligendum v. 17. 18. & 19. exponit. Porrò haec Johannis oratio constat propositione, & expositione illius. Ac propositio est bimembris; cujus subjectum est: *Quotquot autem eum acceperunt:* Attributum verò seu praedicatum est: *Dedit iis ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι.* Quia verò subjecti expositio deinde subjicitur: idcircò eam, ante attributi explicationem, majoris & perspicuitatis & brevitatis causa praemittemus. Expositio autem haec subjectum illustrat definitione; & causae illius efficientis explicatione. Definitio enim declarat quinam sint, qui Filium Dei acceperunt. Cum enim acceptio Filii Dei; alia sit propria; ac corporis manibus peragatur, (ut Matth. cap. 21. v. 39. sub vinitorum parabola Principes Sacerdotum & Pharisaei, Filium Dei accepisse, & vineâ ejecisse atque occidisse dicuntur,) alia verò impropria, ac metaphorica, per similitudinem à corporis ad animi actionem derivata; idcircò Euangelista opportunè exponit, non illo, sed hoc modo intelligendum, cum ait: *Iis qui credunt in nomen ipsius*; qua phrasi metaphoricâ similiter usus est Christus, Joh. cap. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius in nomine proprio venerit, ipsum accipietis:* ubi bis *accipere* pro credere usurpatur, ut etiam Johan. cap. 12. v. 48. *Qui rejicit me, & non accipit verba mea*, hoc est, qui non crediderit iis, ut versu antecedente propriè expresserat. Idemque aliis etiam metaphoris alibi declaratum: qualis est, *venire ad Christum*, Johan. cap. 5. v. 40. & cap. 6. v. 35. & 44. hoc est, in eum credere: Sic hoc in loco Filium Dei accipientes, per metaphoram explicatam, credentes in nomen ejus definiuntur: quòd illi sint qui Filium Dei, sese Euangelio patefacientem, & Ecclesiae servatorem sese offerentem, vivâ fide, quasi manu quadam spirituali amplectuntur. Nam cum credentes in nomen Christi sint duplices: quidam mortuâ & inutili ad salutem fide praediti, Jac. cap. 2. v. 14. 17. 20. 26. (quales multi illi, Johan. cap. 2. v. 23. de quibus disertè dicitur: *Qui credebant in nomen ejus: quibus tamen Christus seipsum non credebat*, vers. 24.) alii verò vivâ ac salvificâ fide (Galat. cap. 5. v. 6. Heb. cap. 10. v. 39. quae *non simulata* appellatur, 1. Tim. cap. 1. v. 5.) credentes: posteriores hoc loco necessariò intelliguntur, quemadmodum

admodum attributi tituli *filiorum Dei* (oppositè reliquis Israëlitis incredulis) ratio evincit, & eorum credentium ex causa efficiente (divina scilicet regeneratione) expositio clarius adhuc demonstrat: ut quæ solis, vivâ fide præditis citra controversiam convenit. Atque ita apparet, Euangelistam subjecti hujus positione & expositione indicare: quod de Filio Dei, à suis Israëlitis non accepto, sed incredulitate rejecto dictum est, non universè de omnibus pronunciatum: nonnullos enim ex iis ipsum accepisse, hoc est, viva fide illum amplexos. Nam licèt non ita expressè totidem verbis illud significet, illud tamèn propositionis hujus subjecto perspicuè satis includitur, & orationis non conditionalis, sed absolutæ forma consueta, & orationis sanctæ gravitas necessariò requirit. Nam nisi Filium Dei aliqui recepissent, ineptè atque inutiliter omninò diceretur: *Quotquot autem eum receperunt:* & attributum præstantiæ eorum atque expositio consequens frustra fuisset adjecta. Atque hæc de prima expositionis subjecti parte, seu definitione: qua declaratum, quinam sint, qui Filium Dei acceperunt: nimirum credentes in ipsum: quæ pars ad illustrationem phrasis ambiguæ pertinet. Altera verò causam illius efficientem exponit: remotione primùm causæ falsæ, ut consuetum hominibus errorem corrigat, & quasi noxiam herbam primum evellat: deinde positione causæ veræ, ut rectè sentientes confirmet, & veritas in eorum animis magis radicetur: utroque verò modo Dei gloriæ, & credentium modestiæ, consolationi, ac saluti inserviat. Ac falsam quidem credentium (quatenus scilicet credentes seu fide præditi sunt) causam removet, cum ait v. 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* (supple geniti sunt:) Veram contrà ponit, cum addit; *sed ex Deo geniti sunt.* Quorum verborum summa est; non ex generatione aut voluntate humana: sed ex regeneratione divina credentes oriri. Cæterum in remotione tria negantur: quæ diversè ab interpretibus exponuntur præstantissimis; ideoque examen desiderant. Primum (quod negatur scilicet) est, origo credentium *ex sanguinibus.* Quod quidam per enallagen pluralis pro singulari, sanguine usurpari censent: alii verò citra enallagen interpretantur: quod ex sacræ Scripturæ testimoniis, & Medicorum consensu, non ex solo patris, sed etiam matris semine generatio existat. Quemadmodum Genes. cap. 3. dicitur: *Semen mulieris conteret caput serpentis,* hoc est, Christus ex virginis sanguine natus, ut Heb. cap. 2. v. 14. explicatur: & Levit. cap. 12. v. 2. *Mulier cum semen dederit* (תזריע Hebraicè) *& pepererit masculum*; Denique Heb. cap. 11. v. 11. *Fide etiam ipsa Sara potentiam ad dejectionem seminis accepit, & præter tempus ætatis peperit.* Quod enim vulgatus interpres, *in conceptione seminis*, quemadmodum etiam noster, post Erasmum, *ad concipiendum semen*, verterunt, id phrasi Apostoli non quadrat: quia Græcè non est εἰς σύλληψιν σπέρματος, hoc est, *ad conceptionem seminis*: sed εἰς καταβολὴν σπέρματος, hoc est, *ad dejectionem seminis*: ut non de viri illius, nempe Abrahami: sed de ipso Saræ semine intelligatur. Reliqua duo, quæ ab origine credentium ac fidei removentur, hoc loco Euangelistæ, sunt *voluntas carnis & voluntas viri.* Quæ *carnis* & *voluntatis* voces diversè explicantur. Nam ad carnem quod attinet, quidam cum Augustino, *carnis* nomine fœminam indicari statuunt, quasi id, quod initio generatim dictum esset, *ex sanguinibus*, jam distinctè explicaretur. Aliis verò, ut clarissimo Bezæ, minùs id placet, & hominis conceptionem naturalem ac carnalem, quæ Spiritui opponitur Joh. cap. 3. exponit: atque ita etiam quidam, verborum quadam congerie, unum idemque, *voluntate carnis*, & *voluntate viri* significari, ut idem sit quod *ex sanguinibus*, arbitrantur. Verùm *carnis* voce fœminam hoc loco posse ac debere exponi, certis de causis existimamus. Posse quidem: quia illud nihil omninò, si rem ipsam spectemus, habet incommodi, & ad distinctam amplificationem aptum est. Deinde debere etiam sic accipi, quoniam disjunctio carnis à viro, (cum dicitur: *non ex voluntate carnis: neque ex voluntate viri*) id ostendit. Eo enim modo res diversæ per vocem *neque* distingui solent. Si quis autem objiciat, vocem *carnis* in Sacris Literis frequentissimè hominem notare generatim, non autem speciatim fœminam, verum est: sed non est tamen insolens, ut vox generalis, pro una tantum specie accipiatur, per Synecdochen generis pro specie (quemadmodum etiam generalis vox *carnis*, per Synecdochen pro homine speciatim accipi solet) inprimis verò quando expressè ab altera specie distinguitur: ut hoc in loco *caro*, quæ voluntatem habet, seu homo, distinguitur â viro: unde perspicuè apparet virum ea voce hic non intelligi: sed eam carnem, quæ vir non est, quæque non alia est quam fœmina. Quare hic Synecdoche est generis pro specie, eamque distinctio carnis à viro certo demonstrat. Altera interpretum discrepantia, in vocis *voluntatis* expositione consistit. Quidam enim generationis libidinem intelligunt, atque pro voce *voluntatis* in illius locum, *libidinem* substituunt sua interpretatione: quemadmodum clarissimus Beza eumque secuti nonnulli transtulerunt. Verùm hæc interpretatio non videtur probabilis, hisce de causis: Primùm quia hoc modo voci Græcæ, qua Iohannes utitur, nempe θέλημα (quæ propriè *voluntatem* notat) impropriam significationem, sine solida probatione usus illius, attribuunt. Nam quod noster interpres, in suis majoribus ad hunc locum annotationibus, ait; Marc. cap. 10. vers. 35. τὸ θέλειν accipi pro ἐπιθυμεῖν: illud primùm non est necessarium, dicitur enim θέλομεν, hoc est, *volumus, ut quicquid petierimus præstes nobis.* Nec enim ea vox, solùm desiderium aut optationem designat (ut eo in loco in notis suis noster interpres tradit) sed firmam voluntatem, quam imprudenti ac vana fiducia Christo patefaciunt. Deinde quid si etiam significaret hoc loco tantùm desiderium; inde tamen non sequeretur, libidinem illam carnalem notare, quod tamen erat probandum. Secundò licet etiam alicubi libidinem generationis significaret: propria tamen voluntatis significatione relictâ, impropria non esset admittenda, nisi aliqua gravis causæ necessitas hoc postularet. Atqui ea hoc loco nulla est, neque ulla profertur. Præterea quomodo credibile est, Euangelistam unam eandemque generationem carnalem tam operosè voluisse tribus vocibus, *sanguinum, libidinis carnis, & libidinis viri* explicare, & quidem cum eas, diversitatis nota (nempe voce *neque*) inter se distinguat? Quocirca *voluntatis* vox, hisce de causis, & quia doctrinam suppeditat uberiorem ad Dei gloriam, meritò retinenda. Ad sensum enim quod attinet, Euangelista in remotione causæ falsæ, humanas vires à fidei & fidelium origine excludit, quarum prima est generatio propria ac corporalis, ex sanguinibus, hoc est, quod non generentur credentes naturæ vi, quia illa omninò vitiosa est, quemadmodum asserit Psaltes, Ps. 51. *Ecce in iniquitate sum formatus & in peccato concepit me mater mea,* & Ephes. 2. propterea naturâ filii iræ appellamur; nimirum ob insitam naturæ nostræ, ex primo lapsu corruptæ, vitiositatem. Altera falsa causa, quæ removetur à credentium ac fidei origine, est voluntas hominis. Ut autem omnem voluntatem hominis clarius excludat, idcircirco adhibita distributione illustrat cum dicitur, *neque ex voluntate carnis,* (hoc est, fœminæ, ut ante demonstravimus) *neque ex voluntate viri:* ut eo modo disertè omnem exceptionem tollat. Quo etiam pertinet illud Christi, cum audita fidei Petri confessione subjecit, Matth. 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi,* id est, nullus homo tibi revelavit. Atque hæc de remotione falsæ efficientis causæ seu originis credentium in Dei Filium: cui positio veræ causæ opponitur ad Dei gloriam, cum additur: *sed ex Deo geniti sunt,* hoc est, à Deo. Nam vox illa *ex* sæpissimè non materiam, sed efficientem notat, non solum in authoribus prosanis, sed etiam in Sacris Literis frequenter: ut Rom. 11. v. 36. *quia ex eo* (id est, ab eo) *per eum & in eum sunt omnia;* & 1. Cor. 11. v. 12. *At enim mulier ex viro: omnia verò ex Deo,* ubi in priore parte versus vocula *ex* materiam: in secunda verò efficientem certò notat. Sic 1. Joh. 3. v. 8. *qui facit peccatum, ex Diabolo est:* & vers. 12. *Cain ex malo illo erat.* Sic hoc in loco credentes dicuntur geniti ex Deo, id est, à Deo: & quidem non propriè, sed impropriè per metaphoram. Nam si propriè dicerentur geniti ex Deo: essent ex Dei essentia nati: & per consequens ὁμοούσιοι ejusdem cum

Deo

Deo essentiæ, ac veri Dii, quod falsum est: cum ea sit simplicissima, ideoque omnis partitionis expers. Quare credentes non propriè, sed metaphoricè & impropriè ex Deo geniti dicuntur, hoc est, regeniti: ob similitudinem quæ inter carnalem generationem, & spiritualem regenerationem existit. Ea autem similitudo est gemina, quarum una est in semine: altera in vi illius, ad formationem prolis efficaci. Nam primùm, quemadmodum in generatione carnali, ab homine generante, procedit semen carnale, tanquam origo prolis: sic in regeneratione spirituali, à Deo regenerante procedit semen spirituale, nempe verbum Euangelii, tanquam fidei ac credentium origo quædam: sicut de credentib. 1. Petr. 1. v. 23. dicitur: *Renati non ex semine corruptibili per sermonem Dei vivi* (hoc est, ut v. 25. exponitur) per Euangelium. Deinde quemadmodum ad generationem carnalem prolis, non sufficit semen per se: quia sæpe infœcundum est, adeo ut inde proles non generetur: sed etiam requiritur insita potentia ad formationem prolis efficax: sic etiam in generatione spirituali seu regeneratione, non sufficit per se Euangelii prædicatio, tanquam spirituale semen, ut inde credentes fiant; sed requiritur non insita, sed conjuncta Dei efficacia: hoc est, interna sanctificatio per Spiritum Sanctum, quâ menti habitum fidei, & voluntati habitum charitatis infundat, ut inde actiones sanctæ, virtutis cum fidei; tum charitatis, Euangelio excitatæ oriantur. Atque hac demum efficaci Dei gratiâ concurrente, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. sine ea verò inefficax est, quemadmodum, 1. Cor. 3. v. 7. dicitur: *neque qui plantat, quicquam est, neque qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum*: & 1. Corinth. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim ei sunt, neque potest nosse: quia spiritualiter dijudicantur.* Ideoque Christus, Matth. 16. ait: *Caro & sanguis non revelavit tibi: sed Pater meus cœlestis.* Ad quam regenerationem illustrandam eximius omninò est locus Ezech. 36. v. 26. 27. *& dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in medio vestrum, & amovebo cor lapideum è carne vestra, & indam vobis cor carneum: & spiritum meum dabo in medio vestrûm: & faciam hoc quod in præceptis meis ambulabitis, & jura mea observabitis & facietis ea.* Sic etiam Eph. 2. v. 8. 9. 10. *Gratia enim estis servati per fidem: & hoc* (id est, hæc res, ut 1. Cor. 11. v. 24. *hoc est corpus meum*, id est, hæc res, nempe hic panis) *non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, creati in Christo ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in iis ambularemus.* Unde manifestè apparet, primùm regenerationem oriri non à natura generationis carnalis, neque à bona ullius hominis voluntate: sed à mera Dei gratia; deinde bona fidei & charitatis opera, esse regenerationis illius fructus, ideoque gloriam eorum, non hominib. sed Dei & Christi operantis gratiæ tribuenda. Etsi enim credere, sit actio credentis; ea tamen non ex ullis hominis viribus naturalibus, sed ex sola regenerationis gratiâ procedit. Atque ita perspicuum est, Euangelistam Johannem meritò ac sapientissimè (ut homini arrogantiam detrahat, & Deo gloriam ascribat debitam) originem credentium explicuisse, quînam factum sit, quod reliquis Israëlitis incredulis manentibus, quidam crediderint; quod scil. illud non à generatione è parentum sanguinibus, neque ab ullius fœminę aut viri voluntate promanârit: sed quod à Deo sint geniti, hoc est, regeniti, non ratione substantiæ, sed qualitatum: quod ab eo sanctificati, & fidei habitu quasi vita spirituali sint donati, è qua actiones vitales fidei processerint, seu actu crediderint. Unde consentaneè ait Christus, Joh. 6. v. 65. *Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo*, & Phil. 1. *Vobis datum est, ut credatis.* Ideoque ut falsæ causæ fidei remotio, opportunè ad hominum arrogantiam, in fide & salute, omnino aut partim sibi ascribenda, avertendam pertinet: sic veræ causæ illius positio, gloriam gratię Dei amplificat: & ad gratitudinem obedientię provocat: ac solida consolatione credentium animos, ex cognitione gratiæ imbuit. Atque hactenus de propositionis hujus subjecto, (nempe *quotquot Filium Dei acceperunt*) & expositione illius: reliquum jam est, ut attributum seu prædicatum, quo felicitas eorum, [illegible] propria, sed omn. similiter credentib. communis declaratur, his verbis: *dedit iis* ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. De quorum verborum & interpretatione & sensu genuino movetur controversia: quæ ex iis, quæ de subjecti expositione protulimus, nunc facilius expedietur. Quidam enim, gratię adversarii, & virium humanarum cum Pelagio patroni, ἐξουσίαν *licentiam*, hoc est, potestatem in utramque partem liberam, hoc est, quæ eligere aut rejicere possit: & τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, *ut fiant filii Dei* interpretantur: atque inde concludunt, Deo per Euangelium gratiam & salutem offerente, & gratia sua præveniente, à libero arbitrio, seu à libera in utramque partem ad eligendum vel rejiciendum voluntate existere, ut credant & filii Dei fiant. Alii verò, contra Pelagianos meritò utrumque negant: & verba ita transferunt: *dedit iis potestatem quod filii Dei facti sint*: ut vox γενέσθαι indicat. *Potestatis* autem voce dignitatem intelligunt, quæ in eo posita sit, quod filii Dei facti sint. Qua potestate ac dignitate inter homines major esse non potest: quod qui ea sint donati, habeant jus, Deum Patrem suum vocandi, & cœlestis hæreditatis. Liberam verò eligendi aut rejiciendi potestatem non designari, hinc liquet: Nam quod ortum est, non ex voluntate carnis: neque ex voluntate viri, sed ex Deo regenerante: illud non est in libera in utramque partem hominis potestate situm. Atqui quod nonnulli credant in Christum, illud non est ex voluntate carnis, neque viri ortum, sed à Deo regenerante, ut Johannes tradit. Ergo quod quidam credant in Christum, illud non est in libera hominis in utramque partem potestate situm. Deinde quod actionem credendi antecedit, & credentium origo est, illud non est in libera credentium voluntate positum. Atqui Filium Dei fieri, actionem credendi antecedit. Ergo fieri Filium Dei, non est in libera hominis voluntate positum. Propositio inde constat, quod contraria sint inter se: antecedere, & consequi: factum esse, & tamen esse in potentia libera, ut fiat vel non fiat. Quod enim est, non fiet; quod fiet, nondum est. Assumptio quoque inde probatur, quia fieri Filium Dei, nihil aliud est quam à Deo regenitum esse: quemadmodum filium hominis fieri, nihil aliud est quam gigni ab homine: & filium hominis esse, nil aliud quam ab homine genitum esse. Nam filii definitio certa est, qui à parente gignitus est: sic qui credit in Christum, Filius Dei est, qui à Deo genitus est, spirituali scilicet regenerationis gratia: Ex qua gratia antecedente credentes sunt geniti, hoc est, habent suam originem, ut Johannes hîc tradit. Ergo credentes sua origine non sunt priores, multò minus ut in eorum libera potestate sit positum, ut gignantur ex Deo aut non gignantur, hoc est, ut filii Dei fiant, aut non fiant. Atque illud etiam non ignorarunt Pontificii doctores semipelagiani, licet orthodoxorum odio à vera sententia declinarint. Cujus rei memorabile in Maldonato Jesuita ad hunc locum exemplum: cujus verba, quia plenius hanc materiam, quam Bellarminus antecessor, tractant, proponenda, & ad majorem ac clariorem veritatis vindicationem examinanda paucis. Sic enim ait: *Placuerat mihi aliquando, quod apud quendam postea interpretem legi* ἐξουσίαν, *hoc loco non potestatem sed dignitatem honoremque significare, & verbum* γενέσθαι *non fieri, sed esse. (Nam id quoque utrumque verbum significat) ut esset sensus: iis qui credidissent in nomine ejus; quique non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, hunc honorem, hanc dignitatem tribuisse, ut filii Dei non postea fierent, sed etiam essent. Displicuit postea, cum magis consideravi, cumque hæc apud hæreticum interpretem legi.* Hæc ille. Hæreticum autem intelligit Bezam, quem cum Calvino passim indignis caluminiis proscindit. Atque inde patet, quod Jesuitæ non rarò veritatem vident sensus Scripturæ; sed quia illa ab orthodoxis est explicata, iis invident atque eo nomine rejiciunt. Verùm ut hunc nodum adversus virium humanarum patronos, hoc Johannis loco nexum, solvat idem Jesuita, aliam affert interpretationem, nimirum: *Filios Dei hic non intelligi eos, qui ex Deo geniti, sed* (ut ait) *eos, qui filiorum fruuntur hæreditate, qui in cœlo, quasi in domo Dei sunt: Eos enim Scriptura propriè filios appellat; intra nos* (inquit) *gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, Rom. 8 vers. 23. Itaque perinde est ac si dixisset: dedit iis potestatem hæredes Dei & cohære-*

& cohæredes Christi & suos fieri. Quos enim Paulus, Rom. 1. *v.* 23. *Filios futuros dixit, eodem capite vers.* 16. *dixerat futuros hæredes. Hac ratione nihil in hoc loco manet difficultatis. Nam iis qui jam verè erant filii Dei, quique non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati erant, potestatem, id est, jus dedit ut hæredes quoque illius fierent, quod est alio sensu, filios Dei fieri.* Hæc Jesuita. Quibus verbis objectum sibi nodum non solvit: sed vana expositione ac contradictione seipsum magis implicat, nodumque fortius astringit. Nam 1. cum sole sit clarius, *filium* generatim propriè significare eum, qui ex parente est genitus: quemadmodum pater propriè est, qui filium genuit; ut definitio utriusque evincit: Jesuita agnoscit quidem natos ex Deo, verè filios Dei esse: sed aliam præterea *filiorum* Dei significationem affingit, ut idem sit quod hæreditate Dei in cœlo frui. Deinde absurdius etiam addit, quod eos Scriptura propriè filios appellet; Neutrum enim ex Scriptura probatur: quia quod ex Apostolo, Rom. 8. v. 23. objicit *gemimus adoptionem filiorum expectantes:* illud nihil omnio ad rem facit. Nam *adoptio filiorum* hoc loco non potest accipi propriè (ut adversarius statuit) quia omnes credentes, cùm Spiritu Dei agantur, sunt filii Dei, ib. v. 14. & acceperunt Spiritum adoptionis in filios, quo clamant Abba Pater: & ipse Spiritus testatur una cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei, v. 15. & 16. Sed *adoptio in filios* in loco objecto impropriè accipitur, pro adoptionis illius, per resurrectionem gloriosam, patefactione: ut verba proximè subjecta definiunt, qua resurrectione gloriosa non fient, sed patefient filii Dei, ut 1. Joh. 3. v. 2. *Nunc filii Dei sumus, & nondum patefactum est, quod erimus. Scimus autem cum ipse patefactus fuerit, fore ut videamus eum sicuti est.* Idemque antecedentia Pauli verba demonstrant v. 19. *Nam creatura quasi exerto capite expectat revelationem filiorum Dei:* Ergo credentes filii Dei facti sunt, sed nondum gloria eorum patefacta: ut v. 21. memoratur, sperari gloriam filiorum Dei, utpote qui non filii sperentur futuri, sed sint reipsa; nec tamen gloriosi sint, sed demum futura expectetur gloria. Deinde quod dicit Jesuita: *Itaque perinde est, ac si dixisset, dedit iis potestatem hæredes Dei & cohæredes Christi ac suos fieri:* illud sententiæ ab ipso propositæ manifestè contradicit. Nam hæredem fieri, in terris contingit, non autem in cœlo: hæreditate vero frui, in cœlo fit, non in terris. Quicunque enim filii Dei sunt, sunt etiam hæredes: hæredes Dei, cohæredes verò Christi, Rom. 8. v. 17. atqui omnes in terris credentes sunt filii Dei, vers. 14. 15. 16. ut etiam adversarius profitetur: Ergo omnes in terris credentes, sunt hæredes Dei. Quod autem sunt, ejus rei liberam potestatem non possunt accipere, ut in cœlis id demum fiant. Quod enim, ut ante monuimus, fiet, illud nondum est; & quod est, non fiet. Deinde falsum etiam est, quod subdit: *Quos Paulus Rom.* 8. *v.* 23. *filios futuros dixit, eodem capite vers.* 17. *dixerat futuros hæredes:* Imo verò inquam contrarium ab eo dictum, jam ante evicimus. Quare falsa omninò est assertio qua ait: *hac ratione, nihil in hoc loco manet difficultatis.* Contra enim ex falsa illius expositione, & elumbi probatione: denique ex perspicua contradictione, auctam difficultatem jam modo demonstravimus. Ac vana etiam est, quam inde deducit, conclusio hujusmodi: *Cum enim dicit, alios recepisse, alios non recepisse, quis utrorumque non videt libertatem, qua illi noluerunt recipere, isti voluerunt? Et cum dicit, dedit iis potestatem filios Dei fieri, quis non animadvertit liberam eorum indicari voluntatem, si perseverare velint, si non, degenerare?* Hæc Jesuita. Quæ jam, confutatis hujus conclusionis fundamentis simul corruunt: ideoque merito contrarium ex iis coronidis loco deducimus. Cum enim Euangelista asserat, quosdam Christum recepisse, hoc est, in eum credidisse; eosque esse, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri; sed ex Deo geniti sunt; quis non videat causam hujus discriminis tradi, cur cùm alii non crediderint, quidam crediderint, non à voluntate ullius hominis; sed à Dei voluntate ac regeneratione gratuita oriri? ut etiam Jac. 1. v. 18. de Deo dicitur: *Is sermone veritatis, quia voluit, progenuit nos.* Atque inde ex hac generatione spirituali fides (hoc est, fides actualis) oritur, ac fructus Spiritus (id est, doni regenerationis seu infusæ sanctitatis per Spiritum S.) appellatur, Gal. 5. v. 22. ac Dei donum, qui nos per Christum creavit ad bona opera, Eph. 2. v. 8. 9. 10. statuitur. Deinde cùm à natura, voluntati inditam eam statuant potestatem Pontificii, ut Euangelio prædicato & communi Dei auxilio præcedente, homines credant vel non credant; ejusque potestatis usum causam esse proximam, cur quidam credant, alii verò non credant: sequitur non esse donum Dei credentibus proprium; & contrà si sit donum Dei credentibus proprium, non esse à voluntatis liberæ natura. Cumque illam potestatem communem statuant etiam iis qui audito Euangelio non credunt; quomodo quæso credentium donum, opposite non credentibus, hoc loco verè dicetur? Præterea quis non videt Jesuitam versione sua, cum ait: *Dedit iis potestatem filios Dei fieri, aut ut fiant*, sententiam Euangelistæ pervertere. Nam verbum γενέσθαι, cum sit aoristus 2. medius, non solum significationem habere potest temporis futuri, sed etiam (pro aoristi natura) significationem præteriti, quod adversarius ipsemet agnoscit in hujus loci explicatione: cujus etiam exemplum perspicuum apparet, 1. Thess. 1. v. 7. ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους, hoc est, (ut vulgatus interpres rectè vertit:) *ita ut facti sitis forma:* seu ut noster interpres habet *exemplar:* non autem *ut fiatis.* Atque hoc modo debere apud Johannem significatione præterita accipi, ex reipsa demonstratum. Deinde ex verbis Euangelistæ quoque probatum est, non posse vocem *potestatis*, hoc loco significare liberam hominum voluntatem; sed jus ac certam dignitatem supra alios: quod scil. facti sint filii Dei. Cujus potestatis & in alios juris amplitudo, in eo posita est, quod carne, Satana ac mundo sint superiores, 1. Joh. 5. v. 4. & 18. Deinde quod omnia eorum saluti inservire oporteat, unde Paulus, 1. Cor. 3. v. 22. & 23 ait: *sive Paulus: sive Apollos: sive Cephas: sive mundus: sive vita: sive mors: sive præsentia: sive futura, omnia vestra sunt.* Denique quis etiam non videat Jesuitam, altero conclusionis suæ membro, veritati, Sacris Literis disertè explicatæ, contradicere, quando ex potestate filiorum Dei concludit indicari, quasi perspicuum, liberam perseverandi aut degenerandi voluntatem. Etenim Sacræ Literæ contrarium docent: quemadmodum expressa Iohannis sententia demonstrat, 1. ep. 3. v. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen manet in eo, nec potest peccare,* (peccato scil dominante, quod ad mortem ducit) *quia ex Deo natus est.* Verum quidem est, credentes habere potentiæ defectionis à sanctitate sua & hæreditate salutis principium duplex (quod tamen Dei donum non est, sed creaturæ vitium Deo repugnans) unum internum atque insitum: nempe carnis (seu vitiositatis naturæ corruptæ) reliquias, quæ spiritui (seu sanctitati fidei & charitatis, per regenerationem Spiritus S. donatæ) adversantur, Gal. 5. v. 17. Alterum est externum: nempe mundi infidelium, ac principis illius mundi, Satanæ, tentationes; partim fraudulentæ; partim violentæ: adeo ut licet Spiritus sit promptus, subsidio tamen divino si destitueretur, succumberet: atque ita credentium sanctitas non solum secundum quid deficeret, hoc est, quod imminueretur (quod interdū, Deo auxilium Spiritus sui, castigatione justa, ad tempus subducente, accidit, quemadmodum Davidis, Psal. c. 51. v. 12. & 13. & Petri, Matth. cap. 26. v. 70 72. 74. exemplis constat) sed etiam simpliciter seu omnino extingueretur, Luc. 22. v. 31. & 32. Nunquam tamen illud evenit: neque per accidens proprium, carni, mundo, & Satanæ oppositum, atque potentius, evenire potest, hoc est, propter adjunctum conservantis potentissimæ Dei gratiæ auxilium: quo credentium sanctitatem fovet ac tuetur: ut carne, mundo, Satana superiores evadant. Johan. 10. v. 28. & 29. *Oves meas nemo rapiet è manu mea, &c.* & 1. Pet. 1. v. 5. servari dicimur præsidio virtutis Dei, per fidem ad salutem: & Luc. 22. vers. 32. *Oravi pro te, ne deficiat fides tua.* Cujus auxilii divini succurrentis ratione, de credentibus etiam dicitur, Rom. cap. 6. vers. 14. *Caro vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia*, scilicet servante ac conservante, adversus peccati vires: ut vers. 6. & 7. declaratum: & 1. Johann. 4. vers. 4. *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos quia potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo*

mundo est: & 1. Joh. 5. v. 18. *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum: & malus ille non tangit eum.* Ideoque vanum est, quod nonnulli, ut locum Joh. 10. v. 28. eludant, objiciunt, fore quidem ut nemo oves Christi ex manu ipsius eripiat, ipso invito; sed tamen si ipsæ oves sua stoliditate & malitia, è manibus Christi recedere velint, invitas non retinebit. Quasi verò inter hostes, qui oves è manu Christi eripere student, caro propria hominis non contineretur. Deinde cùm Christus sit pastor bonus, non solùm ab hostibus, sed etiam à stolido errore oves, licet interdum invitas revocat: & ne prorsus deficiant, conservat: aliâs fidus pastor non esset, qua ratione, locis jam citatis, credentes etiam sese servare, quod amplius est, dicuntur: quod ad eam rem Deus iis vires suggerat necessarias & efficaces. Quamobrem ex hoc examine satis liquere arbitramur, Jesuitæ conclusionem, ex perversa verborum Euangelistæ expositione deductam, omnino esse falsam. Antequam verò finem faciam, ut omnis scrupulus removeatur, & veritas explicata sit clarior: non alienum erit, si duo, quæ ante dictis obstare videntur, nonnihil expendamus. Unum est ex Matth. 5. ubi v. 44. & 45. dicitur: *Benefacite iis qui oderunt vos, &c.* ὅπως γένησθε, *ut sitis filii Patris vestri*: Ergo υἱοθεσία, seu filiorum Dei effectio, est effectum antecedentis obedientiæ ac beneficentiæ credentium. Verùm negatur consequentia: quia hæc phrasis non necessariò significat tantum ejus, quod nondum est, effectionem; sed interdum per metonym. subjecti pro suo adjuncto, ejus quod est, patefactionem: ut Joh. 15. v. 8. *In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum adferatis, & eritis mei discipuli*; hoc est, patefiet vos tales esse: Id quod res ipsa demonstrat: Nam Christus hac tota concione alloquitur tantum Apostolos suos ac revera discipulos: ut inde à c. 13. apparet, ac propterea quod jam ante erant, non demum postea fieri poterant: sed patefieri, ut cap. 13. v. 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.* Deinde non solum ita potest hoc loco Matth. similiter exponi: quia sententiam veram continet: sed etiam debet: quia contraria expositio, quæ obtenditur, orationis contextui repugnat. Nam non solum dicitur: *ut sitis filii*, (quasi jam non essent) sed addit Christus, *Patris vestri*: Ergo reverà ostenditur eos esse filios; filii enim definiuntur (ex relatorum natura) qui habent Patrem. Deinde benefacere osoribus suis & pro iis rectè precari; sunt effecta filiorum Dei, non autem causa efficiens eorum. Nam bonos fructus facere, nisi ex Deo natus & fide Christo insitus, nemo potest, Ioh. cap. 15. vers. 4. & 5. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita & vos, nisi in me manseritis; Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego, hic fert fructum multum: Nam absque me nihil potestis facere*: & Ephes. cap. 2. vers. 10. *Per Christum creati sumus ab bona opera, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus.* Atque hac objectione soluta, solvitur eâdem operâ, quod Jesuita statuit de duplici credentium υἱοθεσίᾳ: antecedente quidem per regenerationem facta, qua geniti dicimur ex Deo: consequente vero, qua in cœlo hæreditate cœlesti fruemur. Etsi enim de iis qui filii Dei jam erant, dicitur: *ut sitis filii*: altera tamen υἱοθεσία non indicatur, sed primæ atque unicæ patefactio in terris, per bona opera facta declaratur. Nam Christus hic non loquitur de eo, quod in cœlis, sed quod in terris futurum erat, nimirum si inimicis & infestis benefacerent (quod in hac vita fit, non autem in cœlo fiet) tum fore filios Dei, cum hoc facient: ut etiam v. 48 ait. *Estote igitur vos perfecti, ut Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est*: Ubi perfecti, eoque & filii Dei, non in cœlis, sed in terris: distinctè à Patre (qui in cælis esse dicitur) intelliguntur. Sed alter accedit locus, quem Socinus contra Wiekum, p. 238. adducit ex Luc. c. 20. v. 36. *Neque enim mori possunt amplius: Pares enim sunt Angelis & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Unde concluditur: Ergo qui regeneratione sunt filii Dei,: alio postea modo fiunt Dei filii, nempe resurrectione: Ideoque rectè à Jesuita ante dictum, duplicem esse υἱοθεσίαν seu veram filiorum Dei effectionem, eamque à Iohanne indicatam, cum natis à Deo credentibus, datam potestatem ut filii Dei fiant, asseruit. Verùm negatur Consequentia: Nam in hisce verbis objectis scopus est, probare id, quod vers. antecedente, contra Sadducæorum objectionem, de incerto (posita resurrectione) conjugio futuro in altera vita dixerat: nimirum, quod *qui digni habiti fuerint, qui seculum illud consequantur & resurrectionem ex mortuis, neque ducant uxores, neque nuptum dentur.* Medium seu argumentum ad illum scopum probandum hoc versu subjicitur: *neque enim mori possunt amplius*, ac propterea neque conjugia celebrantur. Hoc enim tanquam certum & notum ex Genes. 1. v. 28. præsupponitur, Conjugia divinitus instituta ad generis humani propagationem, ut crescant & multiplicentur homines: & post lapsum, ut ab interitu vindicarentur, quod in altero seculo ac vita, cum non amplius mori possunt, non erit opus. Quod autem non amplius mori possunt, probat Christus bifariam. 1. Quia sunt pares Angelis; qui omninò immortales: Deinde quia sunt filii Dei, filii resurrectionis existentes, hoc est, non simpliciter filii Dei: sed etiam *resurrectionis filii*, hoc est, per tritam Scripturæ phrasin, participes illius, ut Matt. 13. v. 38. & Ephes. 5. v. 6. & 8. & 1. Thessal. 5. v. 5. seu tales qui resurrexerunt, ac propterea immortales ac gloriosi effecti. Qualis filiorum Dei resurrectio, quemadmodum 1. Corinth. 15. v. 53. & 54. dicitur: *Oportet enim hoc corruptioni obnoxium induere incorruptam naturam: & hoc mortale induere immortalitatem. Cùm autem hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturam, & immortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet illud quod scriptum est: Absorpta est mors ad victoriam.* Ideoque in objectione proposita, illorum verborum τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες, *cum sint filii resurrectionis*, interpretatio, etsi vulgo recepta: tamen neque necessaria est, neque sententię satis consentanea. Non necessaria: quia magis propriè reddi potest, *filii resurrectionis existentes*, ut ante ostendimus: ut eo modo non causa exponatur efficiens, qua filii Dei fiant: sed ut filii Dei in altero seculo ac vita, à seipsis in hoc seculo constitutis, distinguantur hoc adjuncto resurrectionis; ut modo exposuimus. Deinde illa interpretatio vulgata, eo sensu qui objicitur à Socino non est sententiæ Christi satis consentanea. Nam sequeretur Christum uti hoc loco, hac ratione infirma; In altero seculo viventes, non posse amplius mori, duabus de causis: Prima, quia sunt pares Angelis: Deinde quia sunt filii Dei. Atqui etiam in hoc seculo sunt filii Dei, & tamen morti obnoxii, atque ita infirma esset hæc ratio secunda: aut si ratio non esset, temerè poneretur: quorum utrumque à gravitate Christi & sanctitate alienum. Contra verò firmissima est ratio, addita sequenti descriptione filiorum Dei, ab adjuncto resurrectionis: quia ut filii Dei in hoc seculo mori possunt; sic contra filii Dei in altero seculo, post resurrectionem mori amplius non possunt; quod scilicet ea fit non ad mortalem, sed ad immortalem ac beatam æternamque vitam. Quare quod ait Socinus: *Christus siquidem ipse affirmat, eos qui digni fuerint habiti seculo illo futuro & resurrectione ex mortuis, fore Dei filios, ob id quod resurrectionis sint filii Luc. 20. v. 36.* (ubi vocem ὄντες, ut errorem suum de Christo, per resurrectionem facto Dei Filio fucaret, perperam interpretatur) consistere non potest. Contra verò ex hoc loco, Ioh. 1. v. 12. 13. meritò non solùm Orthodoxi, sed etiam Iesuitæ rectè adversus Socinum aliosque Deitatis Christi hostes concludunt, Iesum Christum non solum esse hominem, sed etiam verum & æternum Deum: quia dare potestatem filiorum Dei seu regenerare, est opus Dei proprium, quod Christo tamen hoc in loco tribuitur.

Examen illustris doctrinæ quæ Iohan. 1. vers. 14. fine & sequentibus quatuor continetur.

Memorabilis atque explicatu dignissimus hic est locus, non solùm ob rem ipsam, quæ eo proponitur; sed etiam ob expositionem, quæ à non paucis tradi solet insignibus interpretibus; partim ut videtur minus plenam; partim varietate quadam intricatam. Quamobrem ut genuina illius sententia uberius intelligatur, & difficultas quæ movetur, facilius discutiatur: illius etiam examen, succincta brevitate, instituere conabimur.

Ut autem illud commodius prestetur, methodum Euangelistę

angelistæ strictim præmittemus. Etenim ut summatim, initio hujus Euangelii, Christi descriptio continetur; sic distinctè in ea duo primaria sunt capita. Primum enim persona: deinde qualitatis personæ præstantia declaratur. Ad personam quod attinet, ea ab essentia divina simul & humana describitur, quod scilicet sit θεάνθρωπος seu Deus homo factus. Ac Deum quidem esse, à primo versu ad 14. Hominem verò factum, vers. 14. ad finem explicatur: & utrumque patefactum atque Euangelistæ aliorumque Apostolorum experientia compertum, ibidem ad majorem rei fidem designatur. Alterum verò, quod in descriptione Christi subjicitur, nempe qualitatis personæ illius præstantia, in fine vers. 14. recensetur, quod Christus plenus sit gratiæ ac veritatis. Quæ duo descriptionis Christi membra, sequentibus confirmantur. Persona quidem θεάνθρωπος vers. 15. Præstantia verò qualitatis illius vers. 16. & sequentibus. Quorum omnium scopus est ut credamus Jesum esse Christum Filium Dei, & credentes vitam æternam habeamus in nomine ipsius, Iohan. cap. 20. vers. 31. Ac priorem partem descriptionis Christi, quæ de persona illius, divina & humana natura constante, agit, jam antè in Socini confutatione exposuimus: posterior verò, cum utriusque partis distincta probatione, restat explicanda. Posterior autem descriptionis Christi pars, quæ qualitatis illius præstantiam tradit, in fine vers. 14. comprehensa est his verbis: *Plenus gratiæ & veritatis*. Quæ non cum proximis verbis: *Vidimus gloriam ejus ut unigeniti à Patre*: sed cum prima parte sunt construenda: alioqui vitiosa foret constructio, ut rectè interpretes observarunt. Hæc autem descriptio est bimembris: prius autem membrum naturâ, est subjectum: nempe personæ Christi qualitas; *gratia & veritas*: adjuncta verò præstantia, est utriusque plenitudo. Ad prius quod attinet, quia *gratia & veritas*, pro materiæ subjectæ ratione, diversâ significatione usurpantur, propterea ante rem ipsam distinctè vocum explicationem præmittemus. Nam χάρις Græcè, hoc est *gratia*, interdum benevolentiam ex mera liberalitate promanantem notat: atque benevolentiæ, operibus debitæ, opponitur, quemadmodum Rom. cap. 11. vers. 6. *Si autem ex gratia, non jam ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia: sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus non est opus*. Interdum verò per metonymiam efficientis pro suo effecto χάρις nihil aliud est quam χάρισμα sive δωρεά, hoc est, donum ex gratia illa profectum: & quidem vel generatim quodvis: vel per Synecdochen speciatim donum, ob excellentiam suam, generali significatione intellectum. At generalis quidem significationis exemplum extat, & expositio illius luculenta, Ephes. cap. 3. vers. 8. *Mihi data est gratia hæc Euangelizandi inter gentes*: hoc est, donum gratiæ Dei, sicut vers. 7. antecedente propriè, de eadem prorsus re expressum est. Specialis verò significationis exemplum est, Rom. cap. 1. vers. 5. *Per quem accepimus gratiam & apostolatum*: ubi *gratiæ* vox, donum justificationis ac reconciliationis cum Deo notat: de qua re, 1. Timoth. cap. 1. vers. 13. & 14. ut etiam eadem vox accipitur Rom. cap. 5. vers. 20. *ubi auctum est peccatum, superabundavit gratia*. Atque hæc de voce gratiæ; quantum quidem ad hujus loci intelligentiam necessarium.

Quare strictim voce *gratiæ* explicatâ, ut ambiguitas tolleretur, ad rem ipsam procedemus. Cum autem hæc qualitas, Deo homini facto, seu Christo tribuatur, quæstio duplex emergit: una de subjecto, seu quatenus Christo tribuatur: altera de ipsa attributâ qualitate, quidnam ea hoc loco significet. Ad priorem quæstionem quod attinet, (quantum observare potui) plerique doctiores interpretes prisci novique in eo consentiunt, hoc attributum gratiæ (ut etiam veritatis) de Christo non simpliciter hoc loco, secundum utramque naturam: sed secundum quid, seu secundum alteram duntaxat intelligi. Veruntamen in eo dissentiunt, quod quidam ad Christum, secundum divinam naturam referunt: quomodo Cyrill. Alexan. in suis in Ioh. ad hunc locum commentariis, & è nostris insignes quidam interpretes exponunt. Alii verò contrà ad humanam naturam restringunt. Deinde ad vocem *gratiæ* quod attinet, eam Christo tribui priores exponunt: quod Christus secundum divinam naturam sit omnis gratiæ ac donorum fons: posteriores verò, quod humana ipsius natura, dona Spiritus Sancti ex divina gratiâ collata habeat. Veruntamen magis omninò consentaneum arbitramur, ut λόγος caro factus, seu Christus, in quo gratia esse dicitur, non secundum quid, seu secundum unam tantum naturam (divinam vel humanam) accipiatur: sed secundum utramque: quemadmodum etiam res ipsa considerata satis superque demonstrat: quia gratia hæc in Christo, statuitur fons & causa gratiæ in nobis vers. 16. dicitur enim: *ex plenitudine ejus accepimus omnes, gratiam pro gratia*. Atqui gratiam, non solum à divina, neque solum ab humana Christi natura accepimus: sed ab utraque. Siquidem citra controversiam unum est, utriusque naturæ, quod suum est (cum communione mutua) facientis, ἀποτέλεσμα, confectum opus. Ac propterea sensus hujus loci mutilari omninò videtur, cum de una tantum natura exponitur, quod ad utramque conjunctim pertinet. Cœterum ad significationem vocis *gratiæ*, quod attinet, ea hoc loco videtur denotare gratuitam salutis conferendæ benevolentiam. Nam ea gratia intelligitur, ex cujus plenitudine tanquam fonte gratiam accipimus, ut asseritur v. 16. Atqui ex Christi benevolentiæ hujus plenitudine tanquam fonte, gratiam accipimus. Siquidem totius salutis nostræ origo est gratuita Christi benevolentia & amor erga salutem nostram, sive ad salutem nobis conferendam. Etenim quatenus est Deus, gratia illius in eo elucet: primum quod caro factus, Joh. 1. 14. sese pro nobis humiliavit, forma servi seu natura humana servili assumtâ, Phil. 2. 7. & carnis ac sanguinis particeps factus est; ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, h. e. Diabolum Hebr. 2. 14. & 15. ut adoptionem in filios acciperemus, Gal. 4. vers. 4. & 5. ac vita æterna donaret, Joh. 6. vers. 51. Deinde reipsa etiam hanc propositam salutem gratuitam complevit. Deus enim acquisivit Ecclesiam suo sanguine, Act. 20. vers. 28. h. e. Deus Filius, non Pater, non Spiritus Sanctus; quia solus Filius habet (ob assumptam humanam naturam) sanguinem. Denique divina Christi gratia, est salutis meritæ collatio. Nam regeneratio (seu animæ per fidem & charitatem sanctificatio ac renovatio) justificatio, reconciliatio, adoptio, & vitæ sanctificatio, ac denique glorificatio (quibus salus nostra continetur,) à divina Christi gratia potissimùm promanant: Ideoque gratia hæc, divinæ inprimis Christi naturæ tribuenda. Deinde etiam suo modo humanæ naturæ gratia, seu gratuita salutis nobis conferendæ benevolentia convenit: quia ex ea nos etiam accipimus gratiam. Nam sic nos dilexit, ut justus pro injustis atque hostibus, mori voluerit, ut nos ad Deum adduceret, 1. Pet. 3. 18. Rom. 5. 6. 7. & Eph. 5. vers. 2. *Christus dilexit nos & tradidit seipsum pro nobis, oblationem ac victimam in odorem bonæ fragrantiæ*. Sic etiam deinde doctrinâ sua & Apostolorum missione, Matth. cap. 28. nos vocat, & salutis partæ participes reddit, suaque intercessione apud Patrem pro nobis, Johan. 17. Rom. 8. vers. 34. 1. Ioh. 2. vers. 1. in salute conservat, ac tandem in possessionem salutis æternæ nos vocabit atque immittet extremo die, Matth. 25. vers. 34. Quare cùm gratia, quam accipimus ex plenitudine gratuitæ dilectionis Christi, tam secundum divinam naturam, quàm secundum humanam (suo utrimque modo distincto, sed tamen conjuncto ad unum apotelesma seu perfectam salutem nostram) profluat: inde meritò concludimus, hanc gratuitam Christi, secundum utramque naturam, ad salutem nobis conferendam dilectionem, voce *gratiæ*, hoc in loco, ab Euangelista Iohanne designari: neque aliter, quàm utriusque concurrentis efficacia, gratiam ac salutem in nos potuisse redundare & à nobis percipi. Atque hæc quidem de *gratiæ* significatione, ac sensu.

Ad *veritatem* vero, gratiæ hoc loco copulatam, Christoque attributam quod attinet; ea non propriè de convenientia verborum illius aut signorum aliorum cum re significata hic accipitur (etsi ea fuerit in Christo plenissimè) sed per metonym. causæ pro effecto: pro rei, verbo signifique in-

que indicatæ, impletione: quia ea impletio efficit, ut verba & signa sint vera, non falsa ac fallacia. Atque hoc loco ita accipitur: ut eo modo indicetur, quod quæcunque olim Dei Filius de persona sua & attributis (cùm humilis & gloriosi status, tum in Ecclesiam beneficiis) Spiritu suo per Prophetas futura significarat, 1. Petr. cap. 1. vers. 11. ea omnia impleverit. Modus autem significandi fuit, partim verbo, partim signis visibilibus. Verbo: ut Iohan. 5. v. 39. *Scrutamini scripturas, & illæ testantur de me:* & vers. 46. *Si Mosi crederetis, mihi crederetis, de me enim ille scripsit.* Cujus modi impletio passim ab Euangelistis & Apostolis declaratur ac probatur, convenientiæ eventus, & prophetiæ antecedentis descriptione. Undè illud creberrimè occurrit: *hoc factum est, ut impleretur quod dictum est, &c.* & similes formulæ collationis utriusque: quemadmodum cum de persona Christi & beneficiis agitur, Matth. cap. 1. vers. 22. & cap. 8. vers. 17. Luc. cap. 4. vers. 21. & cap. 24. vers. 27. Iohan. cap. 12. vers. 38. & 41. & 19. vers. 24. & 36. Actor. 10. vers. 43. Rom. 15. vers. 8. & 2. Cor. 1. vers. 20. generatim dicitur: *quotquot enim promissiones Dei sunt, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt Amen:* Hoc est, verè sunt ac complentur. Signa verò visibilia, sunt typi varii, partim personarum, partim rerum. Personarum quidem; ut Melchisedechi, Hebr. 7. vers. 1. & 2. deinde Davidis Psalm. 2. vers. 1. ad 7. (reliqua enim, quæ nonnulli interpretes Davidi & Christo communia statuunt, ad solum Christum pertinent: ut circumstantiæ demonstrant, & Novi Testamenti expositio) de cujus impletione, Actor. cap. 4. vers. 25. & 26. Deinde prophetia de Davide, ut typo Christi, Psalm. 41. vers. 10. cujus impletio, Ioh. 13. vers. 18. Tertiò, Salomonis Regis sponsi, & reginæ illius sponsæ, Psalm. 45. typi Christi regis ac sponsi, & reginæ ac sponsæ illius, Ecclesiæ 2. Corinth. cap. 11. vers. 2. Ephes. cap. 5. vers. 27. Apocal. 21. vers. 2. ut etiam ex eo Psalmo sententiæ ad Christum accommodantur, Heb. cap. 1. vers. 8. & 9. cum quo capite etiam prophetia conferenda, 2. Samuel. cap. 7. Denique Ionæ typus: cujus impletio in Christo indicatur, Matth. cap. 12. vers. 40. Res verò quæ typi fuerunt Christi, partim sunt extraordinariæ, ut in deserto primùm serpens æreus, cujus typus proponitur & explicatur, Iohan. cap. 3. vers. 14. 15. Deinde Manna, Iohan. cap. 6. vers. 32. & 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 3. Denique petra, aquam emittens ad sitim Israëlitarum sedandam, quæ 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 4. Christus dicitur, hoc est, Christi ac gratiæ illius typus, Iohan. cap. 4. vers. 14. & cap. 7. vers. 37. partim ordinariæ, ut tabernaculum Mosaicum: Deinde summi sacerdotis officium & sacrificia: aliæque ceremoniæ legales diversæ, tanquam ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν verorum exemplaria, adumbrantia Christi qualitates, officium, ac beneficia: quorum veritas, hoc est, complementum, in Christo esse demonstratur, partim Iohan. cap. 19. vers. 36. 1. ad Corinth. cap. 5. vers. 7. Colossen. cap. 2. vers. 17. plenissimè verò in epistola ad Hebræos, & imprimis cap. 7. & tribus sequentibus, unde cap. 10. vers. 1. de horum typorum usu summatim dicitur; *Legem umbram obtinuisse futurorum bonorum, non expressam formam rerum:* quam formam & antè, & eodem cap. in Christo extare ostendit.

Atque ita etiam apparet, Christo non solum gratiam, sed etiam veritatem hoc loco secundum utramque naturam attribui: dum ea quæ Christus per Spiritum suum (partim verbo, partim signis personarum & rerum visibilibus) olim significârat, eadem (utrâque naturâ quod suum est operante) compleverit. Unde etiam ex dictis præstantia hujus gratiæ & veritatis, voce *plenitudinis* explicata, satis intelligitur: quia ad plenam nos gratuitò servandi benevolentiam nihil omninò in Christo defuit, eamque donatione salutis obsignavit: quod salutem perfectam conferat, & quidem solus hoc præstet ac præstare potuerit, Actor. cap. 4. vers. 12. unde Ephes. cap. 1. vers. 23. dicitur: *omnia* (nempe ad salutem necessaria) *implere in omnibus* scilicet Ecclesiæ, de qua agit, membris; Ac similiter plenum veritatis constat: quia omnia, quæcunque de sua persona & attributis atque beneficiis salutaribus, Ecclesiæ conferendis, verbis, signisque variis prædixerat ac significarat, reipsa implevit. Quæ & gratiæ & veritatis plenitudo ipsi est propria: quia nulli, neque Angelo, neque homini convenire potest.

Atque hactenus de persona Christi θεανθρώπου, & qualitatis illius præstantia, nempe gratiæ & veritatis plenitudine. Cui descriptioni bimembri subjicitur utriusque confirmatio. Ac personæ primum vers. 15. à testimonio Iohannis divino: quod primum ab adjuncto suo declaratur, deinde forma sua seu modo definitur. Adjunctum quidem indicatur his verbis: *quod Johannes* (Baptista scilicet) *testatus est de eo* (nempe Christo) *& clamavit.* Quo indicatur, testimonium hoc non fuisse privatum, sed publicum, in magna scilicet auditorum undique concurrentium ad Baptistam frequentia, Matth. cap. 3. vers. 5. ideoque ut ab omnibus audiri posset, clamore pronunciatum. Forma verò, seu modus expressus Baptistæ verbo definitur; cum additur: *dicens: Hic est de quo dicebam, qui post me venit,* ἔμπροσθέν μου γέγονεν ὅτι πρῶτός μου ἦν. Quod testimonium propositionem, & rationem illius complectitur. Propositio, primâ sui parte (hoc est, subjecto suo) de quo testetur, indicat: altera verò parte (hoc est, attributo suo) quid testetur, designat. Ac prius quidem indicatur his verbis: *hic est, de quo dicebam, qui post me venit;* Quibus Iesum Christum describit, obscurius quidem, sed certò tamen: ut sequentia verba, in fine hujus versus demonstrant: quia illa soli Jesu Christo quadrant. Cœterum quo sensu hæc periphrasis Jesu Christo tribuatur, diversæ sunt eruditorum sententiæ. Quidam enim de tempore: alii de loco exponunt. Tempus autem nonnulli prædicationis; reliqui verò ætatis (quod Christus sex mensibus junior esset quàm Baptista) intelligunt. Verum neutra hæc de temporis ratione interpretatio, vocis ὀπίσω significationi videtur satis convenire. Nam neque in Novo Testamento ullibi ad tempus; sed ubique ad locum refertur: Deinde nec LXX. Interpretes, quantum ex Concordantiis Græcis colligi potest, aliter quam ad locum referunt: si unum exceperis, ubi metaphoricè ad tempus refertur, Daniel. cap. 2. vers. 39. ubi pro Chaldæo בתר, *post te exurget regnum,* vertunt ὀπίσω σου, quasi à tergo tuo, post tua tempora. Quare aptior apparet secunda expositio: *Is qui post me venit,* id est, à tergo, ut auditor me sequitur: quod à Christo factum, ex sequenti historia constat. Hæc de subjecto: nempe Iesu Christo, de quo Iohannes Baptista est testatus. Attributum verò est ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Quæ verba, cùm diversè usurpari soleant, prius exponenda, significationum distinctione ac probatione: ut sensus deinde melius intelligatur. Nam ad primam vocem quod attinet, ἔμπροσθεν, *ante* quidem significat: sed bifariam usurpatur. Primum: ut ad loci situm referatur; qua significatione, non autem alia in Novo Testamento usurpari, rectè à Theodoro Beza observatum, & locorum omnium in Concordantiis Græcis examen hoc quoque demonstrat. Deinde temporis antecessionem notat. Nam quamvis in Novo Testamento eâ significatione alibi non occurrat: à LXX. tamen interpretibus in Veteri Testamento longè frequentius hac significatione, quam prima illa usurpatur. Nam pro Hebræo קדם (cùm *ante*, relatè ad tempus notat,) Job. cap. 29. vers. 2. Lamentationum Ierem. cap. 5. vers. 21. Mich. cap. 7. vers. 20. & alibi sæpius: deinde pro בראשונה *ante, prius,* Iosuæ cap. 8. vers. 5. Iud. cap. 20. vers. 32. & 39. Ierem. cap. 7. vers. 12. & aliis in locis, Græcam vocem ἔμπροσθεν posuerunt. Altera vox quæ à Iohanne posita ambiguitatem habet, est γέγονεν. Nam γίνεσθαι cum suis conjugatis, bifariam accipi solet: vel passivè, ut significet factum esse, ut Johan. 1. vers. 3. *Omnia per eum* ἐγένετο *facta sunt,* & vers. 14. *& sermo caro* ἐγένετο, *factus est:* vel activè, ut significet *esse*, non autem *fieri;* ut Iohan. 1. v. 6. ἐγένετο *fuit homo missus à Deo,*

& Rom. 3. verſ. 4. γινέσθω δὲ, hoc eſt, *Eſto autem Deus verax*. Atque hæc de vocum ἔμπροσθεν & ἐγένετο, ſignificatione duplici, ad ſenſum hujus attributi inveſtigandum, obſervanda. Antequam verò hoc agamus, quia preſſius ac conciſius de priori membro diximus: ut ea expreſſius & plenius, ad certiorem intelligentiam illuſtrentur; ea nonnihil prius expendemus, ut ſequentia aptius connectantur. Ac primùm, ſi Iohannis Baptiſtæ, de Chriſto teſtantis hoc loco ſcopum ſpectemus, proximus quidem, eſt prius teſtimonium obſcurius in animis auditorum firmare, & ſimul declarare; ut ex reipſa apparebit: remotus verò, eſt auditorum in Chriſtum θεάνθρωπον ac ſervatorem fides, ut Johan. cap. 1. verſ. 7. dicitur, Johannes veniſſe ad teſtimonium, ut teſtaretur de luce (hoc eſt, de Jeſu Chriſto v. 4. & 5.) ut omnes per eum crederent, & Actor. 19. v. 4. *Johannes quidem baptizavit baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo, ut in venientem poſt ipſum crederent*, hoc eſt, Chriſtum. *Qui verò audierant:* (nempe auditores Johannis è populo illo, ut μὲν & δὲ, mutua relatio oſtendit,) *baptizati ſunt in nomen Ieſu.* Ad quem ſcopum attingendum, teſtimonium Baptiſtæ, hoc v. 15. deſcriptum de Chriſto θεανθρώπῳ, egregiè adhibetur. Nam ante dati teſtimonii repetitio, illud inculcando confirmat: & illius, de quo teſtatur, digito facta oſtenſione, obſcuritatem teſtimonii tollit. Duæ enim hic ſunt partes: antecedentis teſtimonii de Jeſu Chriſto, nondum noto, repetitio: & illius expoſitio. Repetitio teſtimonii in his verbis: *qui poſt me venit ἔμπροσθέν μου γέγονεν, quia prior me erat:* Hoc enim non jam ab ipſo primum pronunciatum, ſed anteceſſiſſe indicatur, cum ait: *de quo dicebam:* Dixerat autem ante Chriſti baptiſmum, & priuſquam is populo eſſet oſtenſus ac notus, Matth. cap. 3. verſ. 11. cum 13. & Johan. cap. 1. verſ. 26. Idque ad majorem veritatis confirmationem repetivit, ac ſimul declaravit poſt Chriſti baptiſmum, Iohan. 1. verſ. 30. Nam quod initio hic ab Euangeliſta ſummatim proponitur, illud ſequentibus plenius, narratione circumſtantiarum verſ. 19. ad 35. declaratur. Porro ad partes antecedentis ac repetiti teſtimonii quod attinet, eæ, ut oſtendimus, & res ipſa arguit, ſunt duæ: propoſitio, ac ratio illius. Ac propoſitionis bimembris pars prima, ſeu de quo Baptiſta teſtatur, eſt Ieſus Chriſtus, ut ex præfatione Euangeliſtæ præmiſſa, qua dicitur, *Johannes teſtatus eſt de eo* (nempe Filio Dei homine facto) & ex attributo, ac ratione (quæ nulli quàm Ieſu Chriſto convenire poſſunt) conſtat. Ieſum autem Chriſtum indefinitè atque obſcurius deſcribit, cùm ait: *qui poſt me venit:* ut paulatim errorem populi, de ſe quaſi Chriſto promiſſo, corrigat, & veri Chriſti notitiam inſtillaret. Cœterum hujus piriphraſis (pro vocum ὀπίσω & ἐρχόμενος acceptione varia) diverſa interpretum expoſitio profertur: quæ ad judicium de iis confirmandum expendenda. Primum enim Cyril. Alexand. in comment. hujus loci, non propriè, ſed metaphoricè exponit, per ſimilitudinem quandam, à ſolito progredientium ordine deſumptam (in quo honoratiores antecedunt: reliqui verò poſt & à tergo ſequuntur) ut ſenſus ſit: qui me honore jam poſterior eſt apud populum, utpote ignotâ illius dignitate atque excellentia. Quo etiam referri poſſet quod Baptiſta ait poſtea, Iohan. cap. 3. verſ. 30. *Illum oportet creſcere: me verò minui.* Veruntamen quia à propria vocis ſignificatione ad impropriam ac metaphoricam, ſine gravi urgente cauſa, non eſt recedendum (ut certa interpretandi regula flagitat) idcirco alii aliter explicant. Nonnulli enim vocem ὀπίσω *poſt*, ad tempus referunt: ut ex Græcis Patribus ad hunc locum Chryſoſt. (qui per vocem μετὰ exponit) & Theophylactus: & contra Ariomanitas hæreſ. 49. in Græco; 69. in Latino codice, Epiphan. in ea re conſentiunt: ſed in tempore (quodnam ſcilicet intelligatur) definiendo diſſentiunt. Nam Epiphanius de conceptionis, & Theophylactus de nativitatis tempore (quod eodem redit) interpretatur: quod ſcilicet ſex menſes Chriſtus poſt Iohannem Baptiſtam eſſet natus. Chryſoſtomus verò non de nativitatis tempore id dici contendit, atque illud, ait, à *Matthæo* innui, (corrigendus hic eſt memoriæ lapſus, & legendum eſt *Johanne:* extat enim cap. 1. v. 30.) dicente ὁ ὀπίσω μου ἔρχεται: *quod ſi enim de nativitate locutus fuiſſet, non dixiſſet ἔρχεται, ſed ἦλθε.* Alteram rationem addere potuiſſet, quod licet vox ἐρχόμενος (quâ Euangeliſta utitur) non ſolum *venientem*, Matth. 26. v. 64. aut *venturum*, Iohan. 18. v. 4 Luc. 18. v. 30. ſed etiam *eum qui venit*, Ioh. 3. v. 31. ſignificare poſſit, & *venire in mundum*, Ioh. 1. v. 9. & c. 6. v. 14. & c. 9. v. 39. aut *venire in carnem*, 1. Ioh. 4. v. 2. & 2. epiſt. Ioh. v. 7. pro naſci uſurpetur: *venire* tamen abſolutè, aut *venire poſt aliquem*, ea nativitatis ſignificatione, omnino eſſe inſolens. Alteram igitur expoſitionem adfert, quam non pauci ſequuntur: nimirum, ut Chriſtus Iohanne poſterior dicatur prædicationis Euangelii ratione; quia eam primum poſt Iohannis cæptam prædicationem, & baptiſmum ab eo ſuſceptum eſt exorſus, ut ex Matth. cap. 3. verſ. 1. cum cap. 4. v. 1. & Actor. 19. v. 4. conſtat. Quæ ſententia priore probabilior: ſed tamen quandoquidem ea vocis ὀπίσω (de poſteriori tempore intellectæ) ſignificatio rariſſima eſt: adeo ut nullibi in Novo Teſtamento, nec alibi in Veteri apud LXX. Interpretes, quàm Daniel. cap. 2. verſ. 39. reperiatur: idcirco alii accommodatius ad loci ſitum, hoc ſenſu referunt: qui ut auditor (eoque quaſi inferior) me docentem ſequitur. Quæ explicatio nullam videtur parere difficultatem; ut quæ, & phraſis ſignificationi propriæ (ut Matth. cap. 16. verſ. 24. *Qui vult poſt me venire*,) & analogiæ, cùm fidei, tum hujus orationis contextui atque etiam hiſtoriæ, Iohann. cap. 1. verſ. 26. & 27. ad amuſſim conveniat. Ideo D. Beza vocem ὀπίσω, non vocula, *poſt*, ambiguè cum vulgato interprete: ſed diſtinctè loci circumſtantiâ expreſsâ, *ponè*, id eſt, à tergo tranſtulit.

Atque hæc de expoſitione partis antecedentis ſeu ſubjecti propoſitionis: quæ eſt periphraſis Ieſu Chriſti, de quo Baptiſta teſtatur, obſcurior quidem per ſe: quia eum neque nominat, neque oſtendit: ſed quæ parte conſequente ſeu attributo, imprimis verò ratione illius illuſtratur. Attributum autem eſt id, quod de Chriſto teſtatur his verbis: ἔμπροσθέν μου γέγονεν. De quorum verborum interpretatione (quod ea, ut antè explicuimus, bifariam uſurpentur,) & genuina ſententia diſceptatur. Nam ad interpretationem quod attinet, quidam ut verba ſonant: alii verò metaphoricè interpretantur. Ac priores quidem, vocem ἔμπροσθεν, ad anteceſſionem temporis, non autem loci (quia hoc modo Iohannes Chriſtum anteceſſit) referunt: γέγονεν verò Epiphan. pag. ante citatâ activè exponit, & de Chriſti in terris perpetua acceſſione ac præſentia: ut ſignificet, *fuit*. Verum licet vox γέγονεν hoc ferre poſſit; tamen huic loco non convenit: quia inepta foret ταυτολογία: ante me fuit: quia prior me erat. In illa igitur vocis γέγονεν, pro *factus eſt*, acceptione, quidam conſentiunt: ſed contrariis inter ſe ſententiis, expoſitione ſua diſſident. Nam primum Arriani (ut Chryſoſtomus & expreſſius æmulus illius Theophylactus tradit) expoſuerunt: *ante* γέγονεν *factus eſt, hoc eſt,* ἐκτίσθη *creatus eſt:* quaſi filius Dei prima eſſet creatura, per quem deinde mundus & omnia in mundo creata. Verum hæc expoſitio analogiæ doctrinæ fidei, Ioh. 1. v. 1. de Chriſto Deo traditæ, & aliis Scripturæ locis repugnat: & ſequentibus etiam verbis confutatur. Nam hoc ſenſu poſito, oratio & ratio Baptiſtæ ſeria ac ſolida, redderetur inanis, inutilis, & omninò inepta. Inanis, quia eſſet mera ταυτολογία. Inutilis, nam qui dicit, *ante me factus eſt*, ille ſimul priorem fuiſſe aſſerit: imò amplius, quia modum etiam ſpecialem indicat, nempe per effectionem. Inepta verò ac ridicula eſſet ratio: factus eſt ante me, quia prior me erat: cùm potius contrà fuiſſet dicendum: prior me erat, quia ante me factus, hoc eſt, creatus eſt, ut rectè Chryſoſt. hanc Arrianorum abſurditatem vidit ac diluit. Altera verò (ſervata illa interpretatione vulgata) expoſitio, non communis eſt, ſed propria, ac ſolius (niſi fallor) Martini Buceri, qui in comm. in hunc locum, *factus eſt*, idem ſignificare exiſtimat, quod genitus eſt: additque: *Neque offendit, quod factus eſt potius quam genitus Euangeliſta ſcripſerit: utrumque enim nonniſi μεταφορικῶς Verbo tribuitur: & Schelomo formatam atque conſtitutam ſapientiam dixit*, Prov. 8. verſus autem ſunt 24. & 25. Verum licet errori Arrianorum ſententiam contrariam, ac fidei analogam

analogam tueatur: expositionis tamen modus, non solum παράδοξος est, sed etiam periculosam erroris Arrianorum (licet preter authoris mentem) ansam arripiendam prębet; Ideoque hac in re non probandus; præsertim cum nullibi in Sacris Literis *facere* pro gignere (multo minus, cùm de Filii generatione æterna agitur) usurpetur. Nam quod ait Prov. 8. dici, *formatam esse sapientiam* (licet quidam sic interpretentur) negamus; dicitur enim, חוללתי quod propriè significat *genita sum*, vel *partu edita*: unde non aliter nisi per metaph. cum de rebus creatis agitur, *formari* interdum significat. Ideoque cùm prima significatio ac propria Filio Dei à Patre ab æternitate genito conveniat, Psal. 2. & in Vest. Test. passim genitus: nullibi vero formatus, nedum factus dicatur: Idcirco hęc singularis expositio aliena est: nec minus quam prior etiam Arrianorum, sequentibus Baptistę verbis refutatur. Nam eadem esset inepta oratio hoc modo: ante me factus est, hoc est, genitus, quia prior me erat; qui enim ante genitus dicitur, idem etiam prior fuisse dicitur, & quod amplius est, modus etiam specialis indicatur, nempe generatione. Deinde ratio esset invertenda: prior me erat, quia ante me genitus est, ita enim probaretur rectè genus per speciem: ineptè vero expositione generis, certa species concluderetur à Baptista. Quare hic nævus eximio Theologo condonandus: sed ne quis impingat, indicandus: & ne Arriani eo abutantur, diluendus. Ac propterea cum prima attributi ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ut verba propriè sonant, expositio, huic rei non possit convenire (ut modo demonstratum) sequitur impropriè ea verba esse intelligenda. Atque hæc jam est altera à doctissimis priscis novisque Theologis prolata ac probata explicatio per metaph. *ante me factus est*, hoc est, majori honore ac dignitare affectus est: ut è Patrib. Chrys. & Theoph. & Aug. in Joh. tract. 3. eosque secuti, similiter explicarunt non pauci, è Pontificiis antiqtioribus, Nicolaus à Lyra; & è nostris clariss. Beza, qui etiam postremò, *antepositus est mihi*, transtulit, secutus omnino August. ad hunc locum Johannis. Cœterùm hæc metaph. inde est desumpta, quod ante alios progressio & collocatio, honoris majoris causa fieri soleat: unde Cyril. ait, *ab imagine & similitudine rerum humanarum sermonem captum: Solet enim qui præcedit posterioribus gloriosior semper videri.* Quod etiam Christi de convivis monitum illustrat. Nam Luc. 14. v. 8. & 9. ait, *cùm vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accubito primo loco, ne fortè honoratior te sit vocatus ab eo, & veniens dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum ignominia ultimum locum tenere.* Verùm de tempore & definitione hujus gloriæ discrepantes sunt sententiæ: Quidam enim per enallagen præteriti temporis pro futuro, mihi antepositus est, pro anteponetur, exponunt: ut Chrys. quem probat ac sequitur Dominus Beza in Annot. Alii verò aptius, de honore non dando, sed dato (proprietate phrasis observata) accipiunt. Deinde in definiendo honore non pauci gloriam ab hominibus intelligunt, quam postea sua doctrina & miraculis, majorem quàm Iohannes est assecutus, Ioh. 3. v. 26. 27. 30. & 10. v. 41. 42. Sed phrasis potius & res ipsa ostendit gloriam non ab hominibus dandam, sed à Deo Patre datam intelligi: nempe inprimis quod esset constitutus Christus & Jesus; ideoque Iohannis Baptistæ ac totius Ecclesiæ Dominus ac Servator, Luc. 2. v. 11. Matt. 1. v. 21. ut Baptista ipse profitetur, Ioh. 3. v. 28. 29. 31. Hæc de testimonii propositione. Ratio autem illius, quæ subjicitur hæc est: quia πρῶτός μου ἦν, *prior me erat.* Nam quod Bucerus; *me erat primus, seu princeps meus*, vertit, id rectè à Domino Beza confutatur; quia phrasis usus hoc non fert. Priorem autem quidam dignitate, ut Beza, *præstantior me est*, interpretantur; deinde Cyrillus, non tempore sed naturâ priorem indicari. Alii denique de tempore priori simplicissimè intelligunt, secundum quid; non quatenus homo, sed quatenus λόγος qui erat in principio, Ioh. 1. v. 1. ideoque verus Deus; nam cùm Christus quatenus homo, Iohanne esset posterior: & interim ante Iohannem erat, hoc est, existebat: non merum hominem, sed etiam verum Deum esse, non quidem exprimitur, sed innuitur: ut Christus, Ioh. 8. v. 58. ait, *antequam Abraham esset, ego sum.* Ad cujus loci intelligentiam succinctè & rectè. Chrys. ibidem ait: *Cur non dicit ἦμην sed εἰμὶ, hoc est, non eram sed sum. Resp. autem quemadmodum Pater hoc verbo εἰμὶ utitur: sic etiam ipse, quia hoc significativum est perpetuæ essentiæ, liberum ab omni tempore.* Hæc de testimonii Iohannis de Christo dati repetitione. Expositio vero illius, est ad præsentem Christum accommodatio, his verbis: *hic est:* Nam ut indefinitè Christum advenisse & post se venire Baptista testatus erat: sic jam quisnam ille esset, quemque dato testimonio intelligeret, definitè coram demonstrando indicat, ut hic sit sensus: is de quo dicebam, qui ante me, &c. est hic quem demonstro, ut v. 29 & 36. simili demonstratione est usus, cum dixit: *ecce agnus Dei.* Atque hæc strictim ad hujus v. 15. explicationem diximus.

Anacephalæosis antecedentis explicationis vers. 15. ac brevis Illustratio.

Ex iis, quæ initio hujus examinis diximus, perspicuum est Euangelistam v. 14. complexum descriptionem pręstantiæ Christi, primùm personæ, deinde qualitatum. Ad personam quod attinet, esse λόγον seu Filium Dei hominem factum: id quod experientia sua & aliorum compertum ostendit. Eum enim versantem inter ipsos ut verum hominem, & simul gloriæ ipsius divinæ, patefactæ ex miraculis ac divinis signis observatione, Filium Dei unigenitum agnovisse. Qualitas verò declarata est, cum dicitur: *Plenus gratiæ & veritatis:* Cujus bimembris descriptionis confirmatio subjicitur; prioris quidem partis, de persona Christi, divina & humana natura constante vers. 15. à testimonio divino per Iohan. Baptistam. Testimonium autem illud est antecedentis de Christo θεανθρώπῳ testimonii repetitio & illius expositio. In repetitione enim humanam ejus naturam indicavit, cum ait, *is qui post me venit*, hoc est, me, ut auditor atque homo conspicuus sequitur. Officium verò, quod Christus sit, obscurius indicat, cum ait: *antepositus est mihi*, nempè à Deo Patre, quod esset Christus Dominus ac servator, Johannes verò servus illius indignus, Matth. 2. vers. 11. ac per eum servandus. Divinam verò naturam innuit, *quia prior me erat*, id est, prior me exstabat: quo causam reddidit Baptista, cur sibi antepositus sit à Deo honore, ac Christus constitutus, Joh. 3. v. 28. 29. quod scilicet Johannes esset homo tantum, non adeo diu natus, è terris: Christus verò Filius Dei, qui in principio erat Deus, Ioh. 1. v. 1. & è cœlo venerat, ac supra omnes erat, Ioh. 3. v. 31. Ideoque non tantum humana natura constare: sed etiam alia antiquiore ostendit, nempe æterna & divina; cum alia pręter hanc fingi non possit. Quo modo in descriptione Christi jam nati & exhibiti, imitatur prophetiam de venturo Messia, Mich. 5. v. 2. propositam: *Tu Bethlehem Ephrata, annon minima es in ducibus Judæ? ex te mihi egredietur dominator in Israële, & egressus ejus à principio, à diebus seculi.* Quæ prophetia Iudæis non erat ignota, ut ex Mat 2. v. 5. 6. constat: Ideoque Iohannis Baptistæ testimonium, de exhibito Christo cum hoc conveniens, ab attentis auditoribus rectè perpensum, facilius intelligi potuit; atque cognosci, Iohannem Baptistam hoc testimonio docere; Christum olim promissum jam exhibitum; & licet posterior esset qua homo, & qua præco Euangelii futurus: nihilominus tamen ipsi esset antepositus, ut qui prior eo extiterit, scil. à diebus seculi, qua Deus. Quam antecedentis testimonii à se dati repetitionem, recto ordine ac gradu, expositione illustrat. Nam cum dubitatio illa, multorum auditorum & aliorum animos occupasset, an Iohannes Baptista esset Christus; quandoquidem cultum baptismi religiosum instituisset; idcirco negavit primò se esse Christum, Ioh. 1. v. 18. 20. & contrà causam reddidit, quod is tantum esset qui pararet viam adventanti Domino, v. 23. hoc est, Christo. Tertiò Christum jam venisse, & in medio auditorum stare ignotum vers. 26. eumque describens quartò ait: *ipse est qui post me venit*, v. 27. Quod testimonium, ut videtur, est antecedens, v. 15. summatim præmissum; hoc tantum observandum, quod post illa verba: *ante me factus est*, v. 15. sequitur, *quia prior me erat:* sed vers. 27. additur: *quo ego non sum dignus ut corrigiam soleæ ejus solvam:* quæ verba vers. 15. omittuntur: quemadmodum ratio illa, *quia prior me erat*, vers. 26. omissa:

ut in ejusdem rei narratione similiter, non raro fieri, collatio Euangelistarum inter se demonstrat. Quamvis fortè testimonium antecedens, quod vers. 15. recitatur, non est idem omnino, quod vers. 27. describitur. Nam hoc datum est in responsione ad quæstionem Pharisæorum vers. 19. 24. 25. illud verò à Baptista antè potuit esse discipulis ipsius propositum. Quale etiam describitur, Matth. cap. 3. vers. 11. *Ego quidem baptizo vos aquâ ad resipiscentiam: qui verò post me venit, potentior me est, cujus non sum dignus, qui soleas ejus portem: ipse vos baptizabit spiritu & igne.* Nam cum Baptista baptizandis diceret, ut crederent in venientem post ipsum, hoc est, (ut Paulus interpretatur) Christum Jesum, Act. 19. vers. 4. hinc colligitur idem testimonium de Christo (etsi aliqua verborum diversitate) fuisse sæpius iteratum, ac propterea testimonium, quod hic repetitur, diversum esse ab eo, quod v. 27. narratur. Atque hæc de repetitione ante dati testimonii: Ex quo personæ Christi, ut hominis & Dei, præstantia & adventus intelligi potuit: sed quisnam ex eorum, qui ponè ipsum veniebant, numero is esset, distinctè nondum explicarat: idcirco gradatim, infirmos auditores docens, secundo loco jam expositionem hic subjicit, nempe; *de quo dicebam, is qui post me venit, &c. hic est*, nempe hic Iesus, quem videtis, quem vobis ostendo.

Atque hæc est ἀνακεφαλαίωσις vers. 15. de testimonio Iohannis Baptistæ, priori nimirum confirmationis vers. 14. membro, quo probatum Iesum esse Christum διαιρετῶν. Alterum vero membrum est, quo qualitas gratiæ & veritatis illius probatur, vers. 16. & seqq.

Discussio vers. 16. *Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

ILlustris hujus loci, cum scopus sit, ut modò indicavimus, probare Iesum Christum esse plenum gratiæ & veritatis: modus eò destinatus ac medium argumentum, est ab effecto, seu beneficio proprio in nos redundante desumptum. Cujus orationis partes duæ sunt perspicuæ. Prima est subjectum: *nos omnes.* Quod quidam de Iohanne Baptista (continuante hoc modo suum testimonium) & Vet. Test. Patriarchis, Prophetis, reliquisque fidelibus exponunt. Alii verò accommodatius de Iohanne Euangelista, prosequente jam ac confirmante quæ v. 14. dixerat, interpretantur, ut sit sensus; ego & reliqui omnes credentes in Christum. Hoc enim suadet arctissima horum verborum: *ex plenitudine ejus accepimus*, cum vers. 14. *plenus gratiæ & veritatis*, connexio; ut etiam alia argumenta, quæ à Domino Beza adducuntur, hoc comprobant. Quibus & illud addi potest, non tantùm oppositionem illam comparatam (quę sequitur) gratiæ & veritatis Christi, cum lege Mosis, ostendere, non intelligi de eo, quod commune est Vet. Test. Prophetis; sed etiam quia, cum Iohannes hoc testaretur, gratia illa & veritas minima ex parte extabat: sed postea ministerio, obedientia & sacrificio Christi maxima ex parte erat demum extitura. Attributum verò his verbis continetur: *ex plenitudine ejus accepimus, & gratiam* (hoc est, *& quidem gratiam*) *pro gratia.* Quibus fidelium felicitas describitur duobus modis. Primum enim indicatur quidnam ea sit: deinde expositione causæ declaratur. Indicata felicitas est acceptio gratiæ. *Gratiæ* autem vox, licet variè accipi soleat (ut in vers. 14. explicatione ostendimus) hoc tamen loco donum Christi gratuitum significare, ex loci circumstantiis apparet: quia accipi dicitur, & quidem ex plenitudine ejus. Cum autem ea dona sint varia, tamen ex vers. 14. & 17. comparatione apparere omninò videtur, intelligi gratiam seu donum justificationis κατ' ἐξοχὴν: quod scil. inde vita æterna dependeat; unde vitæ justificatio, Rom. 5. dicitur. Quomodo vox gratiæ usurpatur Rom. 1. vers. 5. *per quem accepimus gratiam:* quam 1. Tim. 1. v. 13. 14. 15. plenius explicat Apostolus; & Rom. 5. v. 20. dicitur: *ubi auctum est peccatum, superabundavit gratia*, h. e. gratuita justificatio ac reconciliatio cum Deo. Acceptio autem hujus gratiæ fit per fidem: quæ quasi spiritualis quędam est manus, qua eam donatam amplectimur, ut Act. 26. v. 18. *ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem in me*, & Rom. 5. v. 1. *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum.* Hæc de felicitatis fidelium indicio: expositio vero adjuncta eandem illustrat & amplificat, à causa illius efficiente duplici, remota & propinqua: Efficiens remota his verbis continetur: *Ex plenitudine ejus*, nempe Christi, qui autor est & fons gratiæ justificationis ac pacis cum Deo. Eam autem fundit ac donat ex plenitudine, scil. gratiæ suæ, de qua ante dictum vers. 14. *plenus gratiæ & veritatis*, ut etiam in ejus loci explicatione jam antea demonstravimus; ex gratia illius, hoc est, ex gratuita salutem æternam & media illius nobis conferendi benevolentia, eorum collationem promanare. Propinqua vero causa efficiens gratiæ justificationis innuitur, cum dicitur: *pro gratia*, hoc est, propter gratiam; quemadmodum vox ἀντὶ non solum vicem indicat, ut Matth. 2. v. 22. ἀντὶ Ἡρώδου, *loco Herodis*, & 5. v. 38. *oculum* ἀντὶ *loco oculi, & dentem* ἀντὶ *loco dentis*: sed etiam causam notat impulsivam: rarò quidem finalem, 1. Cor. 11. v. 15. & Heb. 12. vers. 2. qui ἀντὶ *propter propositum sibi gaudium* (hoc est, ut eo potiretur) *crucem pertulit*, non autem *vice gaudii*: ut rectè à prima sua versione, in postremis ad hunc locum notis, recessit noster interpres: quia in Christi potestate libera non fuit, crucem declinare: quia illud decreto Dei atque prophetiæ illius veritati, Luc. 24. v. 26. 27. & humanæ naturæ, à Filio Dei assumptę scopo destinato, Hebr. 2. vers. 14. & assertioni illius, Matth. 20. vers. 16. & alibi, apertè repugnat. Sæpius verò causam impulsivam efficientem vox ἀντὶ notat: ut frequens illud & apud LXX. Interpretes & in Nov. Test. usurpatum ἀνθ' ὧν, ut Luc. 1. vers. 20. ἀνθ' ὧν *propterea quod non credidisti*: & 19. 44. & alibi: sicut & Eph. 5. vers. 31. ἀντὶ τούτου, *propter hoc*, pro quo Marc. 10. v. 7. ἕνεκεν τούτου, *ejus causa*, dicitur. Quo sensu vox ἀντὶ accepta, optime huic loco convenit: ut gratia, pro qua gratiam justificationis accepimus, intelligatur Christi mediatoris gratis pro nobis pręstita justitia, qua omne debitum nostrum, ad liberationem à morte ac maledictione, & ad vitæ æternæ jus obtinendum persolvit: dum & passus & mortuus est pro nobis: & obediens factus est Patri ad mortem usque crucis. Quam justitiam suam universam nobis, ex plenitudine gratiæ suæ, seu amore salutis nostræ pręstitit, Ephes. cap. 5. v. 2. eamque per fidem nobis applicat & donat; qua fide nos sibi unit ut membra capiti, ut ipsius justitia fiat etiam nostra, ob mysticam hanc unionem, unde communio justitiæ oritur, atque ita simus revera in Christo justi, 2. Corinth. cap. 5. v. 21. Eaque justitia causa impulsiva est, cur à Deo justificemur, hoc est, perfectè justi judicemur, & hæredes regni cœlestis constituamur. Quæ gratia justitiæ Christi pro nobis præstitæ describitur, Roman. 5. vers. 15. *Nam si unius offensa multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ est unius hominis Jesu Christi, in multos redundavit.* & vers. 17. *Etenim si per unius offensam mors regnavit per unum, multo magis ii, qui abundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* & vers. 18. *Sicut per unius &c.* ubi per δικαίωμα, justitia, nempe Christi intelligitur, ut oppositio antecedentis offensæ, & consequens effectum, justificatio evincit. Atque hęc simplex (ut patere omnino existimo) hujus loci expositio est; ut quæ & vocum significationem usitatam retineat, & analoga sit fidei & contextui, & ad scopum Apostoli probandum, summamque Euangelii ac beneficii Christi explicandam, maximè idonea. Nam licet eam in nullo veterum Patrum, neque etiam recentiorum Theologorum scriptis observarim: non dubito tamen quin ea non paucis viris eruditis in mentem venerit. Ad plerasque explicationes (quæ adduci solent) quod attinet, non immeritò usurpari posse videtur vetus illud dictum: *quem fugiam video, quem sequar non habeo.* Cujus rei specimen breve adjiciam. Qui propius ad scopum videtur accessisse, est Aug. tract. 3. in Johan. *ipsa* inquit, *fides gratia est: & vita æterna gratia est pro gratia.* Quo indicat, nomine gratiæ quam accepimus, significari vitam æternam (cujus initium hic habemus re, complementum verò spe) cum verò dicitur *pro gratia*, indicari antecedens fidei donum, ut causam efficientem atque instrumentum, quo vitam æternam consequimur.

mur. Sed clarior foret (eadem manente sententia) ac plenior expositio, si diceretur, accepimus gratiam fidei, pro gratia vitæ æternæ hoc est, ad eam obtinendam: ut ἀντὶ finem notet. De reliquis interpretationibus videantur interpretes.

Declaratio Verborum Johan. cap. 1. v. 17.

UT insignis hujus sententiæ explicatio (quæ ad antecedentium illustrationem requiritur,) commodius instituatur, paucis ante rem ipsam, exordii loco, circumstantia illius exponenda. Ea autem est causa proponendæ hujus sententiæ impulsiva duplex: occasio nimirum, unde oriatur: & scopus seu finis, quo ea tendit. Occasio autem est antecedens prĕstantiæ qualitatis Christi descriptio, propositione & expositione constans. Propositio enim vers. 14. hęc erat: Christum esse plenum gratia ac veritate. Expositio verò ab effectis petita, v. 16. subjicitur; nempè à collatis in nos beneficiis; quod ex plenitudine illius nos omnes (post Christum exhibitum fideles) accepimus gratiam pro gratia, hoc est, donum gratuitum justificationis pro meriti illius ac redemptionis gratia, non exhibenda ut in Vet. Test. sed exhibita: qua Christus justificationem nostram, sua inde ab initio vitæ perpessione & obedientia ad mortem usque crucis jam promeruit. Quę prĕstantis gratiæ & veritatis Christi descriptio, cùm propter intellectus humani imbecillitatem, pleniorem aliquam explicationem desideraret: idcirco ex hac occasione memorata, scopus Euangelistę proximus est illius amplior declaratio ac probatio: medius autem est per eam fidei nostrę & gratitudinis erga Christum confirmatio: ultimus est Christi, gratię datoris gloria.

Atque hæc de impulsiva hujus sententiæ causa gemina. Modus autem ac medium, quo Euangelista, hac occasione, ad scopum illum tendit, accommodatissimum, est hæc sententia, quâ ait vers. 17. *Nam lex per Mosen data est: gratia ac veritas per Jesum Christum facta est.* Collatione enim legis per Mosen latæ, quid gratia & veritas data & accepta significent, ostendit; ac simul Jesum Christum Mose majorem: & conditionem nostram, quam fidelium ante Christum præstantiorem esse comprobat. Partes autem hujus sententiæ (pro communi collationis natura bimembri) sunt duæ: prima quæ rem propositam, oppositione quadam declarat: altera, quæ ab hac declaratur. Et illa quidem est, *Lex per Mosen data est.* Cujus orationis subjectum est *lex*: quæ hoc loco primùm non humana, sed divina intelligitur κατ' ἐξοχὴν, ut attributum, cum dicitur: *per Mosen data*, evincit; deinde & illud perspicuum est, non propriè singulari hac voce legis, unicam ac particularem aliquam legem intelligi (quales multæ Lev. 6. v. 7. 11. & alibi apud Mosen distinctè recensentur) sed per consuetam numeri singularis, pro plurali enallagen; leges generali significatione intelligi. Leges autem divinæ sunt duplices; religiosæ, quæ religionem, seu rectum Dei cultum imperant: deinde politicæ, quæ politiæ seu gubernationis civilis Israëlitarum modum præscribunt. Ac de politicis quoque hoc loco non agi, sed de religiosis, gratiæ & veritatis oppositio ostendit. Illæ autem sunt vel omnibus hominibus communes ac perpetuæ: vel Israëlitis propriæ, & ad tempus usque Messiæ duraturæ. Ac priores quidem vocantur *decem verba* seu Decalogus, Exod. 24. v. 28. & à materia sua, vulgò angustius atque obscurius apud populum, *lex moralis*. Pro qua appellatione plenius ac planius, & ad Ecclesiæ captum accommodatius, *lex Charitatis*, à materia sua appellanda. Posteriores verò leges religiosæ, sunt statuta de ceremoniis seu ritibus sacris cultus Dei; unde per Synecdoch. generis pro specie חקים *statuta ac decreta*; Deut. 4. v. 5. & ab Apostolo Eph. 2. v. 15. *lex mandatorum ἐν δόγμασιν in decretis* (nempe ceremoniarum seu rituum sacrorum) *posita*, & Heb. 7. v. 16. *lex mandati carnalis*, & Heb. 9. vers. 10. *ad tempus correctionis imposita* vocatur. Utraque autem hæc lex religiosa, communi legis voce, ab Euangelista in hac sententia denotatur: ut ex sequentis membri collatione constat. Quis autem fuerit illarum usus & efficacia, succinctè, ad hujus sententiæ intelligentiam, exponendum. Ac prima quidem lex Decalogi seu Charitatis, tan[q]uam recta perfectæ ac debitæ à nobis justitiæ norma, pravitatem atque injustitiam nostram (tam innatam, quam ex ea enatam) indicat: unde ex lege agnitio peccati dicitur existere, Rom. 3. vers. 20. & addita maledictionis in transgressores comminatione, peccati convictos condemnat, Deut. 27. v. 26. unde prædicatio illius legis, *ministerium condemnationis*, 2. Cor. 3. v. 9. appellatur. Secunda verò nempe lex ceremonialis, typus fuit & index, primum miseriæ nostræ, cum peccati, tum meritæ per illud mortis, unde *chirographum decretorum* (seu ceremoniarum) *nobis adversarium*, Col. 2. v. 14. appellatur. Quo pertinuerunt inter alia multa, ablutiones variæ: sordium spiritualium, nempè peccatorum nostrorum indices. Hebr. 9. vers. 10. & 14. & mactationes ac sanguinis effusio, & carnis victimarum adustio: quæ mortis, & ignis inferni pœnas nobis debitas ac solvendas, designabant. Atque hic primus quidem fuit: sed secundarius tamen legis ceremonialis usus. Secundus verò ac primarius erat, ut nos ab illis sordibus atque pœnis, per Christi obedientis ac patientis victimam liberandos, visibili quadam promissione adumbraret, Heb. 10. v. 1. 2. 3. & 9. 13. 14. & 22. & 23. Atque hactenus de primæ partis institutę ab Euangelista collationis subjecto, nempe lege, Decalogum & ceremonias, complectente. Attributum verò illius est: *per Mosen data est*: quo legis adjunctum indicatur, & causa illius adjuncti. Adjunctum est quod data est, hoc est tradita populo Israëlitico. Causa verò hujus adjuncti, seu dationis legis ministra exprimitur Moses, ut etiam Joh. 7. v. 19. Princeps verò causa est ipsemet Deus: ut qui solus illius est author, & primus ac primarius dator: ut phrasis etiam hæc indicat, cum lex data dicitur, non à Mose, sed *per Mosen*: ac propterea eadem lex & Mosis Luc. 2. v. 22. & Actor. 15. vers. 5. & simul Dei, Luc. 2. v. 23. & 24. & Rom. 7. vers. 22. distincto hoc sensu appellatur.

Atque hęc de primo institutę collationis membro, nempe *Lex per Mosen data est*, quod ad rei propositæ declarationem pertinet. Alterum verò quod prioris oppositione declaratur, est: *gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quibus verbis, *gratia & veritas* legi: & effectio per Christum (tanquam authorem) dationi per Mosen, ut ministrum, confertur ac præfertur. Nam ad prius quod attinet, gratia Christi, opponitur suo modo, legi Decalogi: & veritas, legi ceremoniarum. Nam primum lex Decalogi per Mosen data, perfectam justitiam, ad jus vitæ requirit, Levit. 18. v. 5. & Gal. 3. v. 12. non autem eam donat: deinde ob injustitiam nostram, maledictioni adjudicat, Deut. 27. v. 26. Galat. 3. 10. non autem ab ea nos liberat, nec liberare potuit. Contra verò, gratia per Christum facta est, qua passione & morte, maledictionem legis pro nobis perferens, ab eadem nos exemit, Gal. 3. v. 13. & sua ad mortem usque obedientia Phil. 2. v. 8. ac perfecta justitia, ad salutem pro nobis præstitâ, nobisque per fidem donata, justos nos constituit, & jus vitę æternę confert, Rom. 5. v. 17. 18. & 19. Deinde lex ceremonialis per Mosen data, futuram quidem redemptionis ac justitię acquirendæ & conferendæ gratiam significavit: sed eam non contulit; veritas verò illius (seu complementum) per Christum facta est. Quamobrem ceremoniæ legis dicuntur, Col. 2. v. 17. *umbra rerum futurarum, at corpus est Christi*, & Heb. 10. v. 1. *Lex enim umbram obtinens futurorum bonorum, non expressam formam rerum, iis hostiis, quas singulis annis continenter offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare.* Ideoque παραβολὴ *similitudo*, Hebr. 9. v. 9. & ὑποδείγματα *signa* seu *exemplaria*, vers. 23. denique ἀντίτυπα verorum vers. 24. appellantur: quorum veritas per Christum facta, Hebr. 9. v. 14. & 26. & 10. vers. 14. & passim in illis capitibus, explicatur. Ac propterea fidelium post Christum, meliorem esse conditionem quam antecedentium, asserit Apostolus, cum Heb. 11. vers. 39. & 40. de fidelibus omnibus ante Christum exhibitum ait: *atque hi omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissionem* (hoc est, rem ipsam Prophetiis ac Ceremoniarum umbris promissam) *quod Deus de nobis melius quid providerat, ne absque nobis consummarentur*; Quamvis enim Christi jam nati, passi, crucifixi,

fixi, mortui, suscitati, & in cœlos subvecti, fructum, nempe gratiam justificationis ac salutis perceperint: gratiam tamen, quæ justificationem ac salutem promeruerit, non habuerunt præsentem, sed futuram expectarunt. Quemadmodum Prophetæ dicuntur, 1. Pet. 1. v. 11. & 12. *scrutati, in quem, aut cujusmodi temporis articulum, prænuntius ille, qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet eventuras in Christo perpessiones, & gloriam illas consecuturam. Quibus patefactum est, non sibi sed nobis administrare, quæ nunc annuntiata sunt, &c.* Ac propterea ex hac collationis (legis per Mosen datæ, & oppositæ gratiæ ac veritatis per Christum factæ) explicatione, satis apparet, quid gratiæ & veritatis vocibus ab Euangelista significetur. Ut autem ad majorem intelligentiam, summatim rem complectamur: gratia Christi ab Euangelista recensita, est triplex; quarum prima est, ipsi inhærens, de qua dicitur vers. 14. *plenus gratia*, hoc est, gratuita, salutem mediaq; illius nobis conferendi, benevolentia; quæ gratia est fons & origo, ex cujus plenitudine reliqua gratia promanat, & à nobis accepta est vers. 16. ac per Christum facta vers. 17. Ea autem duplex statuitur; una quidem gratia meriti justificationis: qua mediatoris officio fungens Christus, omne debitum nostrum, quo ad liberationem à morte, & ad jus vitæ acquirendum, legi obstricti eramus, pro nobis, in se gratis suscepit, ac plenè persolvit. Altera verò, est gratia justificationis, qua per fidem, meriti solutionis suæ justitiæ participes reddit: quę duplex gratia, distinctè vers. 16. ita expressa est; *accepimus gratiam, pro gratia*, hoc est donum justificationis, pro dono redemptionis. Sic veritas Christi ab Euangelista duplex indicatur: una quidem inhærens, qua de causa *plenus veritate* dicitur vers. 14. quia omnia, quæ de Christi persona & adjunctis illius, tam qualitatibus, quam Mediatoris officiis, per Mosen & Prophetas promissa & adumbrata erant, in eo sunt completa, Matth. 2. v. 23. & Luc. 1. v. 70. 72. & 73. Altera verò veritas est, quæ ex prioris veritatis plenitudine orta: cum tanquam verus Mediator omnia ea præstitit, quæ præstanda lege Mosis variè sunt adumbrata ac promissa: de quo vers. 17. dicitur: *Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Nam ut ea propria est vocis ἐγένετο significatio: sic vim illius, ad hunc locum rectè agnovit Chrysostomus, dum antithesin esse inter legem datam, & factam gratiam ac veritatem observat. Hactenus versus 17. explicatio. Cui succinctè nonnulla subnectemus.

De sensu versus 18. *Deum nullus vidit unquam, unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit.*

Occasio hujus dicti est duplex: prior quidem antecedens prætantię Christi demonstratio, per collationem cum Mose institutam: quæ in ea re consistit, quod per Mosen tanquam ministrum lex utraque, cum decalogi, tum ceremonialis data, quarum illa justitiam perfectam ad vitam æternam obtinendam exigit; non autem donat: & ob injustitiam nostram maledictioni adjudicat; non autem ab ea liberat. Lex verò ceremonialis Servatorem venturum & futuram per eum redemptionem ac salutem adumbrat; non autem exhibet. Contra verò per Iesum Christum tanquam Dominum & Servatorem facta est gratia & veritas. Gratia quidem, qua universum nostrum Decalogo exactum debitum exsolvit, partim dum maledictionem nobis ob injustitiam, seu legis transgressionem debitam pro nobis perferendo, ab eadem nos exemit; partim dum perfectam justitiam seu ad mortem usq; obedientiam pro nobis præstitit, ut jus vitæ nobis acquireret, ac per fidem donaret. Veritas verò per eum facta est, quatenus hanc gratiam (seu salutis meritæ beneficium) ceremoniis legis adumbratam, ac futuram reipsa implevit. Altera hujus dicti occasio est tacita objectio, quæ à nimiis Mosis admiratoribus cogitari ac proponi poterat: nimirum quamvis Iesus Christus sit gratia, qua præstitit, quod exigebat Decalogus, & veritate, hoc est, complemento rei per legis ceremonias adumbratæ, Mose præstantior, in eo tamen Mosem excellere, quod primus inter Prophetas fuerit, cui Deus se cognoscendum peculiari alloquio ac familiariter præbuit, & per eum sui notitiam Israelitis primum promulgavit, Exod. 33. v. 11. & Num. 12. v. 6. 7. 8. Scopus autem est præstantiam illam Christi supra Mosem, amplius & plenius declarare, & simul tacitæ huic objectioni occurrere: ut constet, omnibus modis Iesum Christum Mose excellentiorem: ut fides nostra in Christum amplius stabiliatur. Modus autem qui ad hunc scopum collimat ac dirigitur, est altera Christi supra Mosen excellentia, hoc dicto expressa, *Deum nullus vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille exposuit.* Cujus summa est, quod Jesus Christus non solum quatenus redemptor est gratiæ salutaris merito & donatione illius per fidem, Mose major sit; sed etiam ratione cognitionis Dei & patefactionis illius, qua non tantum Mosem & omnes homines, sed etiam Angelos exsuperat. Partes autem sunt duæ: prima, quæ hanc præstantiam aliis derogat omnibus, altera quæ eandem Jesu Christo attribuit. Et illa quidem est hæc: *Nullus Deum vidit unquam:* Cujus orationis subjectum est οὐδεὶς, non unus seu nullus, neque hominum neque Angelorum: quemadmodum attributi veritas, & proprietas Filio Dei ascripta ostendunt, ideoque vocem οὐδεὶς aptius hoc loco vox generalis *nullus*, quam specialis *nemo* (quam homines tantùm excludere tradunt) exprimit. Attributum verò est, *Deum vidit unquam. Dei* autem voce hoc loco non communiter essentia divina, tribus personis communis intelligitur: Sed propriè Deum Patrem significat, ut antea Johann. 1. vers. 1. λόγος *erat apud Deum:* idque relatio unigeniti Filii, in altera parte expressa, demonstrat: ut etiam alibi frequenter: Quemadmodum Joh. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, & vers. 17. *Non enim misit Deus Filium &c.* Eodemque modo Deus Pater hoc loco intelligitur. Deinde quod additur *vidit*, illud non propriè de visu oculorum dicitur. Verum quidem est, quod nulla creatura Deum oculis corporis viderit, neque etiam videre possit, 1. Tim. 6. v. 16. quia Spiritus est Joh. 4. v. 24. ideoque essentia incorporea atque invisibilis, & objecti visibilis accidentibus carens: illud tamen Euangelista hoc dicto non indicat; ut sequentia comprobant; loquitur enim de tali visione, quæ soli Filio Dei propria est. Atqui secundum divinam naturam oculis corporeis Patrem non videt, quia eatenus iis caret: nec etiam secundum humanam naturam oculis Deum Patrem vidit, quia Deitas incorporea & infinita, corporei & finiti visus objectum esse non potest. Nam quod quidam olim (ut Mosis & Prophetarum scripta tradunt) Deum vidisse dicuntur, illud non de Dei essentia; sed de visibili aliqua specie, ac præsentiæ illius signo pronuntiatur. Quamobrem cùm visio Dei non propriè intelligatur, metaphoricè accipienda est, ut cognitionem significet, quemadmodum Joh. 8. v. 56. *Abraham Pater vester gestivit videre diem meum* (nempe oculis corporis Messiam exhibitum, ut multi Prophetę) *& vidit* (id est, oculis fidei cognovit) *& gavisus est*; & Joh. 6. v. 46. *non quod Patrem viderit quisquam.* Quibus etiam locis *videre* pro *cognoscere* certò usurpatur, eleganti similitudine. Nam quemadmodum oculus in corpore rem visibilem; sic intellectus in anima rem intelligibilem percipit. Unde etiam in Sacris Literis *oculus* metaphoricè appellari solet; quemadmodum etiam *videre* pro *cognoscere* accipitur; id quod sequentibus locis illustratur. Ac primum Luc. 19. v. 42. *Si etiam tu cognovisses, etiam hoc ipso die, quæ ad pacem tuam sunt! nunc verò occulta sunt ab oculis tuis.* ubi *cognoscere*, & *ab oculis occultum esse*, hoc est, intellectui ignotum, inter se opponuntur, ac mutuò se exponunt: ut contraria contrariis illustrentur. Similiter Apoc. 3. v. 18. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*, hoc est, remedium intellectui tuo adhibe, ut intelligas: & Actor. 26. v. 16. à Christo dictum Apostolo hoc modo, *ut aperias oculos eorum, ut se convertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum.* Denique Ephes. 1. v. 18. *Illuminatis oculis cordis vestri* (hoc est, animæ) *ut sciatis, &c.*

Quamobrem concinna hoc loco Metaphora inde deducta est, cum vox *videndi* ab Euangelista in proposita sententia cognitionem designat. Cum autem cognoscendi modus sit duplex; vel per se, seu sua vi; vel per accidens revelationis

lationis aliunde acceptæ: posterior modus in hac propositaſententia nequaquam intelligi poteſt: quemadmodum hujus loci veritas evincit, quæ alioqui conſtare non poſſet, ſed aliis Scripturæ Sacræ dictis manifeſtè repugnaret. Nam ipſemet Euangeliſta 1. Epiſt. cap. 2. v. 14 ait, *Scribo vobis filioli, quia noviſtis Patrem*; & ſimiliter Chriſtus Joh 14. verſ. 7. diſcipulis ſuis ait; *jam nunc cognoſcitis eum*, ſcilicet Patrem, *& vidiſtis eum*, & Gal. 4. v. 8. &. 9. *Tunc quidem non cognoſcebatis Deum: nunc verò cùm noveritis Deum &c.* denique Moſem, Prophetas, Apoſtolos, Eccleſiamque fidelium univerſam Deum Patrem non ignoraſſe ſed cognoviſſe certiſſimum eſt, quoniam ea cognitio ad vitam æternam neceſſaria declaratur Joh. 17. v. 3. Quocirca hic cognoſcendi modus ſecundus non deſignatur, quia & Angelis & hominibus fidelibus omnibus convenit. Contra verò is qui ab Euangeliſta intelligitur, nulli ineſt, ut diſertè affirmatur, *Deum nullus vidit unquam.* unde perſpicuum eſt de primo cognoſcendi modo accipiendum, quod dicitur *nullus Deum vidit*, hoc eſt, cognovit, ſcilicet per ſe, ſeu ſua vi: ideoque quotquot viderunt ac cognoverunt, illud aliunde ſeu aliena revelatione contigit. Neque alio modo Moſes, Prophetæ & Apoſtoli, Dei Patris notitiam perceperunt. Cœterum ne quis hanc negationem (qua Dei Patris viſio, hoc eſt, cognitio, omnibus creaturis detrahitur) ad certi tantum temporis circumſtantiam pertinere exiſtimet: idcirco non ſolùm de omnibus: ſed etiam de omni tempore intelligendum declaratur, cum additur *unquam.* Atque hæc quidem de primo oppoſitionis hujus membro, quo omnes creaturæ, tam Angeli quam homines, & inter hoſce Moſes, Prophetæ, Apoſtoli, Deum Patrem ſua vi non vidiſſe, hoc eſt, cognoviſſe dicuntur. Alterum verò eſt oppoſitio Chriſti, qua laus iſta ipſi aſcribitur his verbis: *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille expoſuit.* Cujus orationis ſubjectum, continet Jeſu Chriſti deſcriptionem, à natura divina petitam: deinde ab adjuncto illius. Ac prius quidem indicat cum ait: *unigenitus Filius ille*, ſcil. Dei Patris, de quo jam actum in ſuperioribus Euangeliſtæ verbis, quibus Deo Patri ὁμοούσιον ac verum cum Patre Deum oſtendit, ut verſ. 14. expoſuimus. Cauſa autem cur hoc in loco non poſita ſit vox Jeſu Chriſti, ſed periphraſis hæc perſonæ, à natura divina deducta, ſit adhibita, ea eſt, ut hoc modo cauſam attributæ cognitionis Patris ſubindicaret, quemadmodum id prudenter in Sacris Literis, in aliis ſimilibus locis obſervari ſolet.

Adjunctum verò perſonæ Filii Dei unigeniti ſubjicitur his verbis: *qui eſt in ſinu Patris:* id quod non propriè dici perſpicuum eſt: quoniam Deus Pater cum ſit Spiritus, ſinu, qui corpori humano proprius, deſtituitur: ſed impropriè per metaphoram, quę tamen diverſè ab eruditis interpretibus exponitur. Quidam enim de naturæ conjunctione atque adeò eſſentiæ unitate hanc phraſin interpretantur: quo modo Ioh. 14. v. 11. Chriſtus ait diſcipulis, *credite mihi, quod ego ſum in Patre, & Pater in me eſt.* Alii verò de conjunctione intimi amoris exponunt: quo parentes & nutritii liberos ſummo affectu in ſinu ſuo continent ac fovent: quemadmodum Num. 11. v. 12. *an ego concepi totum populum hunc? an ego peperi illum? quod dicis ad me, porta eum in ſinu tuo, quemadmodum portat nutritius lactentem.* Sic etiam Lucæ 16. v. 22. dicuntur Angeli portaſſe Lazarum *in ſinum Abrahæ.* Quo modo Eſai. 40. v. 11. dicitur: *velut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachium ſuum congregabit agnellos, & in ſinu ſuo portabit.* Quo etiam modo Ioh. 13. v. 23. dicitur de Iohanne Euangeliſta, *erat autem unus è diſcipulis Ieſu recumbens in ſinu ipſius, is quem diligebat Ieſus.* Atque ab hac conſuetudine humana, ſimilitudo deducta eſt hoc loco, ad intimum Patris erga Filium ſuum unigenitum, amorem & mutuam præſentiam ac notitiam declarandum. Hæc de ſubiecto orationis. Attributum verò quod de hoc Filio unigenito in Patris ſinu exiſtente, ſeu pręſentiſſimo ac dilectiſſimo prædicatur, eſt effectum illius, ſeu beneficium ab eo promanans, cum dicitur: *expoſuit.* Ad cujus pleniorem intelligentiam duo ſunt obſervanda: primùm ſenſus expoſitionis: deinde objectum illius, ſeu quinam illi ſint, quibus expoſuerit. Ad prius quod attinet, certum eſt per ellipſin vocis ex antecedenti membro intellectæ dici, *expoſuit*, nempe *Patrem:* quem præter ipſum nullus novit, per ſe. Expoſitio autem illa poſita eſt in declaratione perſonæ Patris, eoque eſſentiæ illius divinæ, & proprietatis perſonalis, quod Filium genuerit ſibi ὁμοούσιον: deinde operum creationis & gubernationis: & in iis mandatorum illius ac redemptionis Eccleſię: quatenus ea expoſitio ſaluti hominum conducit. Filius enim Dei ſolus Patrem per ſe novit perfectiſſimè: ut Ioh. 6. v. 46. *non quod Patrem viderit quiſquam, niſi qui eſt à Deo, hic vidit Patrem*, quia una eademque illius & Patris eſt eſſentia, ac notitia: adeo ut ſeipſum ut Filium Patris noſcens, Patrem ſuum ignorare non poſſit: unde Ioh. 14. v. 9. 10 *qui vidit me, vidit Patrem:* item, *non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe*? Homines verò (imò & ipſimet Angeli) non niſi revelante Filio Patrem norunt: ut Matth. 11. verſ. 27. *nullus cognoſcit Patrem niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Quomodo ſoli Filio (non oppoſitè reliquis perſonis Deitatis, ſed creaturis) Patris notitia attribuitur, nempe per ſe: hominibus verò per accidens tantùm gratuitæ revelationis, à Filio pro voluntate illius factæ. Cæterum de hujus patefactionis objecto, hoc eſt, de iis quibus ea contigit, diſquiritur: an de fidelibus Novi Teſtamenti, an verò de omnibus omnium temporum universè ſit intelligendum. Prius ſequitur cum multis aliis noſter interpres: qui propterea hiſce verbis vocem, *nobis*, ad ſententiam explendam, inſerendam duxit, atque etiam inſeruit. Veruntamen poſterius omninò videtur præferendum: quod illud ſupplementum vocis *nobis*, nulla ratione neceſſaria comprobetur: deinde quia altera ſententia eſt plenior, ut quæ priorem illam ſimul ſuo ambitu (tanquam genus ſuam ſpeciem) complectitur: Neque temerè amplitudo phraſis Scripturæ in anguſtias contrahenda. Denique ex priori oppoſitionis membro ſatis clarè apparet, Euangeliſtam Iohannem non loqui de nobis tantùm: ſed etiam de omnibus omnium temporum Dei cognitoribus; quia non dixit: nullus noſtrûm vidit Deum, ſed, *nullus unquam vidit Deum*, nempe per ſe ſuaque vi: Ideoque cùm hic ſubjiciatur *Filius Dei unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ille expoſuit:* ſenſum eſſe apparet, nempe iis, qui unquam, inde ab initio mundi huc uſque, Deum cognoverunt: adeo ut Filius, tanquam ὁμοούσιος Patri, naturâ ac per ſe: omnes vero reliqui, qui Deum Patrem cognoverunt, tantùm expoſitionis illius ac revelationis gratiâ cognoverint.

Atque hæc de genuina hujus dicti Iohannis 1. verſ. 18. ſententia.

De viſione Dei.

QUia de hoc argumento variæ non ſolum hæreticorum: ſed etiam Orthodoxorum ſunt ſententiæ; ut hic locus penitius intelligatur, quædam de viſione Dei, ſalvo interim meliori judicio, explicaturus ſum. Quod ut fiat melius, à diſtinctione exordiar.

Viſio bifariam diſtingui poteſt: primùm ratione cauſę efficientis in externam corporis, & internam cordis: deinde ratione objecti in viſionem eſſentię & ſigni illius. Unde cùm de Deo diſſeritur, duplex emergit controverſia: quarum prima eſt de viſione Dei externa. Cùm enim Deus oculis corporis viſus dicatur ſæpius, quæritur an eſſentia divina videri poſſit ac viſa ſit, aut tantum ſignum illius. Prius negant Orthodoxi, alterum affirmant ac probant. Primùm Scripturæ authoritate, Exod. 33. v. 20. Joh. 1. v. 18. Rom. 1. verſ. 20. Col. 1. verſ. 15. 1. Tim. 1. verſ. 17. & 6. v. 16. 1. Johann. 4. verſ. 12. Deinde rationibus naturæ, primùm quod ſola finita: deinde compoſita: denique corporea oculis videri poſſint: quia ut objecta ſenſuum naturam generis ipſorum non excedunt; ſic potentia viſus corporis objecto ſimili ac corporali terminatur. Deus verò eſt ſimpliciſſimus, infinitus, incorporeus, Johan. 4. v. 24. Idem denique declaratur Patrum conſenſu communi, quem partim adducit Auguſt. Epiſt. 111. ad Fortunatianum, & ſequenti ad Paulinam. Quare triplex hinc error refutari poteſt. Primùm eorum qui Deum corporeum & forma humana præditum (unde dicti ſunt Anthropomorphitæ) adeoque viſibilem oculis noſtris finxerunt, idque

quæ rationibus frivolis, quas paucis diluemus. Prima fuit, quod Deo membra ascribuntur humana in Sacris Literis. Verum est, sed similitudine quadam & Metaphoricè, non propriè ex rei natura. Altera, homo ad imaginem Dei fuit conditus: Ergo Deus formam habet humanam. Non sequitur, quia imago Dei non in forma externa corporis, sed in justitia, sanctitate & veritate constituitur, Eph. 4. v. 24. Tertia est, Deus sæpius forma humana apparuit ac conspectus est. Fateor, sed non tanquam essentiâ & natura sua; sed ut externo præsentię suę signo, quo vel foris oculis corpus humanum exhibuit, vel intus animo speciem illius impressit: ut præsentiam suam aliquo modo adumbraret, Gen. 18. v. 1. & 28. vers. 12. Num. 12. v. 8. Esai. 6. v. 1. Dan. 7. vers. 9. 13. Quare non valet hæc ratio, alioqui cum Deus forma ignis & nubis apparuerit, ejusdem esse formę concluderetur. Sed plura de his Aug. Epist. 111. 112. &c. Alter error fuit Arrianorum, qui Patrem quidem invisibilem, sed filium visibilem asserebant, ut ὁμουσίαν everterent: unde stabilita doctrina de æterna deitate Filii, eadem opera error ille concidit, ut ex Augustino liquet. Tertius error est, Deum esse Spiritum: sed tamen oculis corporeis posse conspici. Qua de re duæ opiniones. Prima eorum qui etiam in hac vita id evenire posse statuerunt: abusi testimoniis, quibus Deus facie ad faciem visus dicitur Jacobo, Genes. 32. v. 30. & Mosi Num. 32. v. 8. Jobo, qui oculis suis Deum vidit Job. 42. v. 5. Sed loci illi non de essentia Dei loquuntur: sed de signis illius & forma corporea qua Deus apparuit, ut liquet Genes. 32. v. 24. Et quidem non ea gloria, qua eam illustrare non potuisset, ad testandam præsentiam suam: quia summam illam lucem nemo mortalium ferret, Exod. 33. v. 18. 20. Secunda sententia est eorum qui statuerunt Deum in hac quidem vita non conspici posse oculis: sed in cœlo tantùm: atq; huc retulerunt promissiones illas de visione Dei, Matt. 5. v. 8. Hebr. 12. v. 14. 1. Ioh. 3. v. 2. Quas non ad corporis, sed ad mentis oculos referri debere demonstrat August. Epist. 111. & 112. Quod autem ex Iobo objicitur: *carne meâ visurus sum Deum, & oculi mei aspicient*, cap. 19. v. 26. 27. id inquam nihil efficit. Non enim loquitur de visione essentiæ divinæ, sed gloriæ: quæ & in cœlo relucet: & in Christo, qui Deus est patefactus in carne, in quo Pater tanquam in imagine sua refulget. Huic errori affines sunt, qui agnoscunt nos quidem, non visuros oculis Dei essentiam in cœlis: sed videre posse, absolutâ Dei potentia. Nam hęc opinio contradictionem implicat, quum Dei & oculorum naturę repugnet: ut August. docet Epist. 111. & 112. etsi in lib. de Civit. Dei c. 29. dubitet. Hæc de visione Dei externa; sequitur altera quæstio de visione interna, quę pro duplici statu nostro, nempe vię & patrię, gratię & glorię, duplex existit. Primum enim quæritur, an essentia Dei à mente videri possit etiam in hac vita; deinde an in altera. Ad prius quod attinet, consentiunt plerique Deum ordinariè in hac vita videri non posse; sed quidam putant extraordinariè privilegio quodam & in raptu videri posse (Aug. ep. 112. c. 13. idque probare conantur exemplis duobus, primum est Mosis: sed hoc refellitur. Exod. 33. 18. 20. Alterum est Pauli: verum nec illud quidquam probat. Etsi enim viderit & audierit mysteria in cœlo, essentiam tamen Dei vidisse non dicitur: ut falsò Bonaventura exponit lib. 3. dist. 14. q. 21. §. 24. Itaque alii contrà sentiunt, essentiam Dei in hac vita videri non posse: idque probant ex his locis. Exod. 33. 20. *Non enim videbit me homo & vivet*. Ioh. 1. 18. & 1. Ioh. 4. 12. *Deum nemo vidit unquam*. & 1. Cor. 13. 12. *videmus nunc per speculum in ænigmate*. 1. Ioh. 3. 2. *cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Denique quia visio Dei tanquam fidei præmium & beatitudo promittitur. Sed de hac quæritur, an visuri simus ipsam essentiam Dei in cœlo. Qua de re orthodoxorum diversæ sunt sententiæ. Ac primum id negat Basilius, cum inter cætera ait, neque intelligibilem neque effabilem esse naturæ hominis essentiam Dei lib. 1. contra Eunomium. Secundo Theodoretus, cum ait: *Dico, etiam ab Angelis videri non potest divina natura*. Ac paulo post. Eran. *Quomodo ergo intelligemus, quod Angeli eorum vident faciem Patris vestri?* Orth. *Sicut intelligere solemus dicta quæ testantur Deum ab hominibus conspectum esse*. Orthod. *Mentiuntur ergo affirmantes se Deum vidisse?* Eran. *Absit. viderunt enim quæ ipsos cernere fas erat*. Orth. *Ergo Dominus in quo est suavitas humanitatis, attemperat revelationes ad captum spectatorum. Non sane Dei essentiam viderunt, qui revelationum illarum spectatores fuerunt. Nos verò & piis cogitationibus utentes, & divinis asseverationibus credentes, quæ diserte affirmant Deum à nemine conspectum esse, dicimus ipsos non divinam naturam vidisse, sed imagines quasdam captui ipsorum accommodatas. Sic etiam de Angelis cogitemus, quoties audimus hoc dictum, quod semper videant faciem Patris nostri. Non enim divinam essentiam cernunt, quæ nec circumscribi, nec contineri, nec cogitatione comprehendi potest, quæque omnia continet, sed lucem quandam naturæ ipsorum accommodatam*. dial. 1. immutabilis. Tertio Chrysost. in Ioh. 1. Homil. 14. *Nam id quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt: sed neque Angeli neque Archangeli. Solus autem ipsum videt Filius & Spiritus S. Quod si omnis natura creata est, quanam ratione increatam videre poterit? Ad illa autem loca, Angeli vident faciem Patris, quænam erga ea sententia? quæ illo in loco, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, cogitationem namque atque imaginationem, quam pro viribus nostris de Deo capimus, eam visionem appellat. Neque aliter de Angelis intelligendum est, propter puram ipsorum & nullo somno obnoxiam naturam, cum nihil aliud quam Deum mente semper agitant. Propterea Christus, nemo inquit agnoscit Patrem nisi Filius. Quid igitur, num omnes in ignorantia vivimus. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius: ut igitur multi quisque pro captu suo ipsum viderunt, substantiam autem nemo vidit: sic multi Deum cognoscimus, non tamen substantiam qualis est, nisi solus ejus unigenitus, qui certam notionem visumque ac comprehensionem habet, qualem filium de patre habere par est*. Et alibi. *Quando ne in cœlo quidem virtus aliqua sit creata, quæ cernit divinam substantiam. Audiamus igitur Angelos, Sanctus, sanctus, sanctus, concinunt, & suos avertunt oculos cum ne condescensum quidem & indulgentiam Dei valeant tolerare*. Hom. 1. de incomprehensibili Dei natura. Hanc sententiam repetit ac probat ex 1. Timoth. 1. & 6. quod Deus non solum invisibilis dicatur, sed etiam habitare lucem inaccessibilem. Idem docet Ursinus tomo 1. expositione præcepti. 3.

Contrà alii sentiunt, Dei essentiam in cælo ab Angelis & piis mente videri; ut Aug. epist. 112. & post eum scholastici, qui visionem aliam esse dicunt apprehensionis, quæ consistit in manifestatione veritatis rei cognitæ; aliam comprehensionis in inclusione totalitatis. Sic Bonavent. in Magistrum lib. 1. dist. 3. qu. 1. quemadmodum etiam in l. 3. dist. 14. quæst. 1. §. 14. ait: *Plus enim dicit comprehensio, quam cognitio plenitudinis vel perfectionis: supra enim cognitionem addit inclusionem*. Sic Thomas in Magist. lib. 4. dist. 49. quæst. 1. ait: *quando essentia rei cognoscitur secundum modum sui cognoscibilitatis, tunc res comprehenditur*: & in summa p. 1. quæst. 12. artic. 7. *illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur. Perfectè autem cognoscitur quod tantum cognoscitur quatenus est cognoscibile*. Atqui hinc sic sese explicant, altero modo videri Deum à se solo ut infinito infinitè, & ut loquuntur totaliter: à creatura verò tantum priori modo solùm, sed non totaliter: *videt enim finitè* (ut ait Thomas) *quod de se est visibile infinitè*. Sic Aug. Epist. 112. Atque hac ratione respondent ad dictum Chrys. loqui eum de visione comprehensionis qua solus Deus se videt. Sed hæc responsio cum Chrysost. non convenit, ut ex superioribus illius dictis constat. Nec enim comprehensionem ab apprehensione verbis aut re distinguit. Nam *comprehendere* aut *penitus comprehendere* nihil aliud Basilio, Chrys. Theod. significat, quam ipsammet essentiam immediatè contemplari, ut distinguatur comprehensio essentiæ immediata à comprehensione illius mediata ex effectis aut signis. Nec melior est altera Bonaventuræ responsio lib. 3. dist. 14. quæst. 3. qui quod Chrysostomus ait, *Angelos non vidisse quid sit Deus*, interpretatur, *non manifestant, ut* Matth. 24. *de die illo nemo novit neque Angelus: sicut etiam fovea cæca dicitur quod non manifestat quod habet in se*. Hæc enim explicatio-

plicatio verbis Chrysostomi apertè adversatur, & locum Matthaei pervertit: alioqui si *non nosse* sit non patefacere, nosse Patris erit patefactio, cum contrarium Christus apertè statuat. Act. 1. v.7. Verum ad priorem Scholasticorum responsionem probandum excipit Thom. pag. 1.quæst.12. art. 1. Chrysostomum loqui de visione comprehensionis, idque inde probare contendit, quod post verba illa de Angelis subdit Chrys. Joh.1. *Visionem hic dicit certissimam Patris considerationem & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.* Fateor: sed comprehensionis vocem non distinguit ab apprehensione: nec aliud intelligit quàm visionem essentiæ Dei: quam non duplicem facit; sed unicam statuit, quæque soli Deo conveniat: ut ea quæ supra attulimus evincunt, & homiliis quinque de incomprehensibili Dei natura copiosè Chrysostomus demonstrat. Sed jam argumenta utrimque perpendamus. Qui non videri immediatè ipsam essentiam Dei statuunt, hæc testimonia divina adducunt, Joh. 1 v. 18. *Deum nemo vidit unquam*, 1. Tim. 6. v. 16. *Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Sed bifariam respondet Bonaventura lib. 3. dist. 14. quæst. 3. Primò Deus non potest videri, scilicet viribus nostris, potest tamen munere Dei: unde super illud 1. Tim. 6. *Lucem habitat inaccessibilem*, glossa, *inaccessibilis est viribus nostris, accessibilis muneribus suis.* Secundò non potest videri substantia, scilicet in via: ut Exod. 33. *non videbit me homo & vivet.* Sed hanc interpretationem refutant Patres iis locis quibus Deo soli ea laus tribuitur, ut Matth. 11. v. 27. & Joh. 6. v. 46. & 1. Cor. 2. v. 10. 11. At contra excipiunt Scholastici. Non potest substantia Dei videri, id est, plenè comprehendi: hæc autem loca agere non de apprehensione, sed de comprehensione essentiæ Dei, quæ nec plenè à nobis potest comprehendi, nec sine Dei beneficio apprehendi. Quare nec nostris viribus, nec plenè Deum videmus. Sed huic responsioni opponuntur alia testimonia & rationes. Angeli non possunt ferre splendorem illum quo Deus apparet Es. 6. Ergo multò minus ipsammet essentiam. Secundò si non plenè videbimus essentiam Dei, ergò nec essentiam, quia simplicissima est. Tertiò claritas divinæ essentiæ cum infinita sit, magis excedit oculum mentis, quam solis fulgor oculum corporis: unde concluditur, sed hic non potest solis intueri essentiam propter fulgoris excellentiam à quo hebetatur, ergo nec ille contemplari divinam essentiam. Respondet Bonaventura lib. 3. dist. 14. quæst. 3. *Est excellentia conservans, & est excellentia corrumpens. Excellentia conservans est in spiritualibus: sed corrumpens in objectis corporalibus*; itaque esse dissimilitudinem solis & Dei. Sed contra potest urgeri, Deum lucem habitare inaccessibilem, 1. Timoth. 6. itaque esse eandem rationem. Quartò infinitum à finito percipi non potest, quia nulla est proportio: Sed essentia Dei infinita est, anima nostra finita. Verum respondet Bonaventura: *infinitum est duplex, unum quod opponitur simplici (hoc est, infinitum compositum) & tale non capitur à finito, quale est infinitum molis: aliud est simplex quod habet infinitatem cum simplicitate ut Deus, & tale infinitum quia simplex est, ubique totum est: quod infinitum in nullo sic est, quin extra illud sit, & sic intelligendum est in cognitione Dei. Et ideo non sequitur quod si cognoscitur totus, quod comprehendatur, quod intellectus ejus totalitatem non includit, sicut nec creatura immensitatem.* Hæc ille lib. 1. distinct. 3. quæst. 1. Docta quidem hæc responsio est: sed contra objicitur. Cum igitur Deus sit infinitum simplex, ergo à quocunque videbitur ejus essentia, videbuntur ea quæ in Deo sunt omnia. Nam infinitum compositum videri potest, ut non omnia quæ in eo sunt videantur: sed simplex minimè. At non omnia quæ in Deo sunt videntur: quia scientia Dei non videtur: alioqui sancti in cœlis essent omniscii. Adhæc visa Dei essentia, videtur necessariò ejus scientia: quia potentia, scientia cæteraque attributa & operationes essentiæ internæ sunt ipsamet essentia Dei: qui est actus purus simplicissimus. Quemadmodum hisce & aliis argumentis demonstrant Lombardus lib. 1. dist. 8. & 22. & ad ea loca Scholastici, Bonaventura & Thomas: & hic præsertim in summa sua part. 1. quæst. 14. art. 4. Et ex nostris Zanchius fusè docet scientiam & scire esse Dei essentiam, de attrib. Dei lib. 3. quæst. 10. & 11. Idemque de actionibus Dei internis & essentialibus demonstrat lib. 5. c. 1. Eademque est communis Theologorum sententia. Superest itaque ut fundamenta eorum proponam qui Dei essentiam in cœlis immediatè videri censent. Ea autem sunt partim testimonia Scripturę Sacrę, partim rationes. Testimonium primum est ex 1. Cor. 13. v. 12. *Cernimus autem nunc per speculum in ænigmate: tunc autem à facie ad faciem.* Ergo inquiunt essentiam Dei in se videbimus. Verum negatur consequentia. Nam primum dici potest cum Oecumenio, loqui Apostolum de Filio. Deinde si de Deo & rebus divinis absolutè agatur, notari clariorem veritatis & glorię Dei cognitionem, quam in hac vita est: non autem essentię visionem: quemadmodum Deus Mosis cognitionem aliorum Prophetarum notitię iisdem verbis præfert Num. 12. v. 8. Sed instant Paulum subjicere; *Tunc autem cognoscam, sicut cognitus sum.* Sed quidam respondent vocem *sicut* notare hoc loco non modum cognitionis nostræ, sed causam: ac vertendum potius: tunc autem agnoscam, id est, plenius cognoscam sicut agnitus sum: hoc est, vocatus à Deo & approbatus. Quæ Chrysostomi sententia est: quem sequitur Wolfg. Musculus, quum ait; *Erit ergo futuri seculi cognitio non simpliciter* γνῶσις *sed* ἐπίγνωσις: *qua res antea in hac vita tenuiter & ex parte cognitas, adhuc quidem agnoscemus in futuro: sed amplius ac perfectius quam nunc.* Quam ad rem adfert Musc. elegantissimam similitudinem Reginæ Sabæ, 1. Reg. 10. v. 7. additque *juxta quod & agnitus sum. Sicut electi inde ab initio mundi, ubi tempus vocationis venit, agnoscit nos Dominus quos olim elegit.* Hæc Musculus. Loci similes sunt, Matth. 7. vers. 23. *nunquam novi vos*: Phil. 3. v. 12. *Persequor ut apprehendam, cujus causa sum apprehensus à Christo.* Sed objici potest, hanc expositionem non posse constare, quia verbum *agnoscendi* aliter de Deo quam de nobis accipitur. Verùm nihil in eo absurdi: nam ut in aliis antanaclases crebræ: sic in hoc dicendi genere, quemadmodum Gal. 4. v. 5. *Nunc verò postquam cognovistis Deum, aut potius cogniti estis à Deo.* Sed alii admittunt vocem *sicut* hoc in loco notare modum & similitudinem: sed inde non sequi: Deus cognoscit essentiam nostram, ergo & nos illius: alioqui sequeretur, Deus cognoscit nostram scientiam, ergo & nos divinam. Itaque Photius apud Oecumenicum rectè ait; *Sicut & cognitus sum; hoc est, exactè & perfectè. Ad hoc enim ego ab initio cognitus sum, ut & ipse perfectè & exactè qui me cognovit dominum cognoscam, quemadmodum homini possibile est.* Hæc de priori testimonio.

Alterum est, 1. Joh. 3. vers. 2. *Videbimus eum sicuti est:* ergo divinam essentiam. Sed negatur consequentia: ac duplex adfertur ad eum locum responsio. Primum verba illa non de Deo absolutè; sed de Deo in carne patefacto: h. e. de Christo esse accipienda: ut interpretes agnoscunt & ex vers. 5. & 8. demonstratur. Deinde etiamsi ageretur de Deo absolutè, non aliud tamen notaretur, quam longè excellentior gloriæ Dei patefactio: *videbimus eum sicuti est*, hoc est, sicut in cœlo gloriam suam patefacit. Credimus enim hic nos esse filios Dei, Deum esse Patrem nostrum: ibi videbimus eum sicuti est; nim. patrem nostrum in cœlesti gloria. Nam de ea re agit Apostolus. At inquiunt si gloria Dei videtur, ergo Dei essentia: Sic Bonavent. excipit, *non est, inquit, aliud claritas, aliud natura*, lib. 3. dist. 14 quæst. 3. Sed hoc negatur; quia gloria & claritas Dei alia est naturalis; quæ cùm sit ipsamet Dei essentia simplicissima ac compositionis & accidentis omnis expers, in se videri nequit: sed tantùm in effectis: alia est gloria voluntaria, quę videri potest, partim oculis corporis, partim mentis. Et corporis quidem; aut à tergo imperfectius, in hac vita, ut Mosi contigit: aut facie ad faciem perfectè ut in cœlo: de qua visione propriè agit Deus, Ex. 33. v. 20. 23. etsi secus Augustinus Ep. 112. & quidam alii accipiant. Mentis verò oculis videtur gloria Dei eâ patefactionis ratione quam sola docebit experientia. Denique videbimus Deum & essentiam Dei non in se, sed in gloria cœlesti & perpetua, alioqui sequeretur, ut antè demonstravi, nos visuros scientiam Dei eoque fore omniscios.

Hæc

Hæc de testimoniis: ad rationes transeamus.

Prima autem est; si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit: vel in alio ejus beatitudo consistet quàm in Deo: quod est alienum à fide. In ipso enim est ultima perfectio rationalis creaturæ, qui est principium essendi. Hæc Thomas part. 1. quæst. 12. art. 1. Sed negatur consequentia: quia beatitudo in Dei visione & fruitione consistit, non absolutè, sed quatenus capere potest creatura rationalis, ut enim internam & spiritualem Dei patefactionem non capient oculi corporis, quia naturam eorum omninò excedit, nec propterea felices esse desinent: sic & oculi mentis, quamvis ipsammet divinam essentiam (quæ infinita est, & mentis aciem infinitè superat) immediatè et in se visuri non sint: non propterea tamen beatitudine sua carebunt. Visuri enim sunt essentiam Dei, eaque fruituri in gloria qua Deus se toti homini patefaciet et communicabit: adeo ut futurus sit hac ratione, ut Paulus loquitur, *omnia in omnibus*, hoc est beatorum summum bonum et beatitudo. Altera Thomæ eodem loco ratio, quam etiam habet Bonavent. lib. 3. dist. 3. quæst. 3. hæc est; Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium, unde simpliciter concedendum est, quod beati Dei essentiam videant. Verùm negatur hypotheseos illius consequentia: nec enim ullum remanebit in cœlo inane essentiam Dei immediatè videndi desiderium sed tranquillitas erit summa: quia si quod tale est in hac vita desiderium, illud non est insitum à natura, sed à corruptione & ignorantia naturæ: quæ nec modulum suum, nec Dei immensitatem intelligit. Nam ut Thomas ipsemet definit part. 1. quæst. 12. art. 8. naturale desiderium rationalis creaturæ est quod spectat ad perfectionem naturæ. At inquam videre immediatè in se Dei essentiam, non est perfectio hominis. Itaque desiderium illius non est naturale. Inest homini quidèm desiderium naturale cognoscendi causam, cum videtur effectus: sed quatenus causa cognosci potest. Alioqui non minus erit desiderium primam causam comprehendendi (quod fieri non potest) quam apprehendendi, quod Scholastici volunt.

Tertia ratio ex Bonav. lib. 3. dist. 13. quæst. 3. colligi potest: unio hypostatica humanæ naturæ cum Deo plus est quam unio gratiæ, quâ cognoscitur divina essentia. Itaque cum prior unio facta sit in Christo, altera etiam fieri multò magis potest. Sed negatur etiam consequentia. Etsi enim unio hypostatica majoris sit dignitatis, quàm unio visionis ipsiusmet essentiæ Dei, non propterea tamen sequitur eam facilius posse, aut ullo modo posse fieri. Quia ut illa unio naturæ Dei convenit; ita hæc repugnat: quare prior unio facta est quia Deus est potens, altera non fit, quia impotens esse non potest, ut ante disputatum est. Nec enim potest essentia Dei videri, quin scientia Dei & omnia quæ in Deo sunt videantur, atqui hoc fieri non posse Scholastici agnoscunt: Ergo nec illud. Sed excipit Thomas part. 1. quæst. 12. art. 8. ac negat consequentiam: *quia sic*, inquit, *aliqua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa. Sed quanto causa perfectius videtur, tanto plures ejus effectus in ipsa videri possunt.* Sic in addit. ad pag. 3. quæst. 92. art. 3 *Quanto* inquit *aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plura sciuntur in illo. Sicut in uno demonstrationis principio, ille qui est perspicacioris ingenii plures conclusiones videt quàm alius qui est tardioris.* Hæc Thomas. Sed primum respondetur, malè effecta divina cum conclusionibus principiorum conferri: illa enim sunt voluntaria eoque libera, hæc verò necessariò ex principiis deducuntur.

Deinde negatur assumtio. Nam omnia non solum sunt in voluntate aut potentia Dei ut causa: sed etiam in Dei scientia, quæ res omnes in sua voluntate aut potentia sitas, in iis contemplatur perfectissimè. Quare visa Dei essentiâ, videbitur etiam scientia. Sed objici potest, scientiam sumi bifariam: pro actu primo, & sic videri posse aut pro actu secundo & scientiæ operatione seu contemplatione; & sic videri non posse, eoque visa scientiâ, non omnia videri quæ in ea. Verùm respondetur, etsi in nobis actus sit geminus: in Deo tamen propriè non habet locum, quia est actus purissimus & simplicissimus, in quo idem est esse & essentia, scire & scientia, actio interna & essentia, ut nostri graviter probant, & à Thoma quoque pluribus in locis asseritur ac demonstratur, Summæ part. 1. quæst. 14 art. 4. & quæst. 19. art. 4. & quæst. 25. art. 1. & quæst. 30. art. 2. quæst. 41. art. 4. & alibi frequentissimè. Cæterùm obiter observanda est magna sententiæ Scholasticæ de visione Dei temeritas, quia dicitur summa Thomæ, additionibus ad part. 3. quæst. 92. art. 3. *Ideo unusquisque videntium Deum per essentiam, tantò plura in ejus essentia conspicit, quantò clarius divinam essentiam intuetur: & inde est, quod de his potest unus alium instruere: & sic scientia Angelorum & animarum sanctarum potest augeri usque ad diem judicii, sicut & alia quæ ad præmium accidentale pertinent: sed ulterius non pertinet, quia tunc erit ultimus status rerum, & in illo statu possibile est, quod omnes omnia cognoscent, quæ Deus scientiâ visionis novit.* Hactenus de visione Dei.

Brevis de agni Paschalis & J. Christi Comparatione tractatio.

MEmorabile atque explicatu dignissimum est Johannis Baptistæ de Christo testimonium, quod extat Joh. 1. v. 29. *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* & v. 36. *Ecce agnus Dei.* Ad cujus non minus quam multorum aliorum S. Scripturæ locorum similium intelligentiam, plurimum conducit recta agni Paschalis & Christi, tanquam typi adumbrantis, & archetypi hoc typo adumbrati, comparatio. Ac propterea non ingratum neque inutile fore existimamus, si eam distinctè ac succinctè proponamus. Qua in re tractanda, curiosis atque ineptis allegoriis (quibus aures quidem titillari, sed sancta Theologia contaminari solet) omissis, S. Scripturæ præeuntis vestigia sequemur. Ex illius autem indicio comparatio in quatuor præcipuè capitum similitudine, *naturæ* scilicet, *usus*, *adjunctorum*, & *finis* atque *effectus* consistit. Si *naturam* spectemus, innata innocentia & perfectio utrimque similis. Nam ut agnus, ex communi sua natura mansuetus atque innocens est, & agnus Paschalis ex proprio Dei mandato perfectus, hoc est, membris integer, & immaculatus esse debuit. Exod. 12. v. 5. & 6. Sic etiam Christus agno illo Paschali adumbratus, mansuetus Matt. 11. v. 29. Atque innocens est, agni instar Esa. 53. v. 7. & defectus ac maculæ peccati omnino expers. Heb. 2. v. 17. & 4. v. 15. ac perfectè sanctus. Ideoque Heb. 7. 26. Christus vocatur sanctus, innocens, incontaminatus, separatus à peccatoribus: ac causa redditur, quod talis nobis conveniret pontifex: deinde expositio agni Paschalis typo 1. Pet. 1. 19. agnus inculpatus & incontaminatus dicitur. Deinde non solum in *natura*, sed in *usu* etiam, utriusque convenientia apparet varia. Nam primum, ut agnus Paschalis erat mactandus, & sanguis illius effundendus: ita & Christus vocatur agnus ille mactatus Apoc. 5. 6. & 12. Cujus agni sanguis effusus, ibidem v. 9. & 1. Pet. 1. 19. memoratur. Deinde ut agnus ad mactandum deductus, pro insita sua mansuetudine, ducenti non reluctabatur; sic & Christus ad mortis victimam petitus, ultrò ac prompta voluntate sese obtulit Johan. 18. 4. & 8. Heb. 10. 9. unde Propheta hoc prædicens, ait: *ipse afflictus fuit, & non aperuit os suum, ut ovis ad mactationem ductus est, & ut agnus coram suo tonsore mutus, ita non aperuit os suum*, ut diserte Esa. 53. 7. prænuntiatum, & de J. Christo repetitum atque expositum Act. 8. 32. Tertius usus erat, quod agni mactati sanguis, hyssopi fasciculo, duobus postibus & superliminari domus aspergendus erat, Ex. 12. v. 7. Sic Christi sanguis aspergitur & applicatur animis nostris à Spiritu S. per obedientiam fidei, qua Christi & sanguinis illius effusi participes reddimur, quemadmodum 1. Pet. 1. 2. dicitur: *per sanctificationem Spiritus, ad obedientiam & aspersionem sanguinis Christi.* Quartus usus est, quod agnus Paschalis debebat assari, Exod. 12. v. 8. Sic Christus ignem iræ Dei (qui ignis consumens Heb. 12. 29.) in cruce sustinuit Esa. 53. 6. Matth. 27. 46. Quintus usus est, quod

ossa

ossa agni Paschalis integra erant relinquenda, non frangenda, ut præcipitur Exod. 12.46. Sic etiam Christi ossa non sunt fracta Joh. 19.33. Licet illud in crucis supplicio esset usu receptum, (& quidem ut videtur, ne diuturnior crucifixi vita pœnæ modum excederet) & unà cruci affixis id acciderit v.31. & 32. quæ res Dei providentia contigit, ut agni Paschalis typus Christum respiciens, revera adimpleretur, ac propterea dicitur v.36. *Illa facta sunt, ut impleretur Scriptura, Os illius non conteretur.* quæ verba de agno Paschali. Exod. 12.46. & Num. 9. 12. immediatè dicuntur; deinde mediatè de Christo, per agnum Paschalem, tanquam typum propheticum adumbrato. Sextus denique usus agni Paschalis fuit, ut illius carnes assæ ab Israëlitis ederentur. Exod. 12.9. sic etiam Christi crucifixi, & mortui carnem, imò totum Christum ore fidei edere nos necesse est Ioan. 6. 53. & 54. Atque hæc de secundo institutæ comparationis capite, nempe usus agni Paschalis, & Christi similitudine varia. Tertium vero est quod in *adjunctis* similibus consistit. Nam in esu agni Paschalis duo erant adhibenda: quorum primum erat absentia fermenti duplex; una quidem à panibus, qui cum agno edendi, quos azymos seu non fermentatos esse oportuit. Exod. 12.8. & 18.20. altera ab ipsis etiam domibus, ut v.15. *Septem dies panes azymos comedite, veruntamen ipso die primo jam amovebitis vetus fermentum è domibus vestris* & v.19. *Septem dies vetus fermentum ne reperitor in domibus vestris.* Sic etiam in hoc Christi per agnum Paschalem adumbrati esu, ac festo spirituali perpetuò celebrando, abesse debet fermentum spirituale duplex, primum in nobis, alterum deinde à domo nostrâ. In nobis quidem, ut simus expertes falsę doctrinę & improbę vitę; quę panum fermento adumbrata. Nam quemadmodū fermentum, massam farinę inflat ac tandem tumidam reddit: sic falsa doctrina & improba vita homines inflat, & contra Deum elatos ac superbos reddit, ideoq; per fermentum sunt adumbrata: sicut etiam à J. Christo metaphoricè *fermenti* voce designata, ut exponitur Matt. 16.12. & Luc. 12.1. Deinde non solum in nobis abesse debet fermentum, sed etiam à domo nostra, hoc est, Ecclesia; quod fermentum sunt homines, falsa doctrina aut improba vita imbuti, qui disciplina Ecclesiæ à presbyterio, communione Cœnæ Christi arcendi. Nam ut fermentum, vel exiguum cum tota massa comparatum, totam nihilominus massam fermentat, inflat ac tumidam reddit: sic vel unicus hujusmodi homo perversus, nisi ab Ecclesiæ communione excludatur, totam Ecclesiam, pravo exemplo tolerato, perturbat & vitiis tumentem reddit ac corrumpit: quemadmodum Gal. 5.7.8.9. dicitur: *Currebatis pulchrè, quis vos interpellavit, ut non obsequeremini veritati? Hæc persuasio non est ex eo, qui vocat vos; paululum fermenti totam massam fermentat.* Quam utriusque fermenti (cum in nobis, tum à domibus nostris) removendi absentiam plenè satis Apostolus describit. 1.Cor. 5.6.7.8. his verbis: *an nescitis quod parum fermenti totam massam fermentat? Expurgate igitur vetus fermentum.* (i.e. hominem incæstuosum) *ut sitis nova massa.* (Hæc de fermento veteri, à domo Ecclesiæ per disciplinam Ecclesiæ removendo) *sicut estis fermenti expertes* (hoc respondet panibus azymis) *Etenim Pascha nostrum sacrificatum est, Christus. Itaque festum agitemus, non cum fermento veteri* (id est, in aliis hominibus, scandalum præbentibus) *nec cum fermento malitiæ, & malignitatis* (in nobis scilicet) *sed cum azymis* (hoc est, non fermentatis panibus) *sinceritatis & veritatis.* Atque hæc de primo adjuncto esus agni Paschalis, & Christi eo adumbrati: nempe absentia fermenti gemini, cum in nobis, tum à domo nostra. Alterum verò adjunctum esus agni Paschalis, fuerunt herbæ amaræ, unà cum panibus azymis edendæ: sic etiam in Iesu Christi agni nostri spiritualis esu, per veram fidem, toleranda ac devoranda est afflictio, quæ piè in Christo viventes comitatur, 2. Tim. 3. v. 12. Act. 14 v.22. Ac propterea Christus suos discipulos ad crucem ferendam, ipsumque ea in re sequendum, paratos esse debere demonstrat ac præcipit, Matth. 16. v. 24. Quæ crux, cùm sit animis nostris amara ac difficilis, non immeritò herbis amaris videtur significata. Quibus herbis amaris, etiam abnegatio nostri (quam similiter Matth. 16. cum cruce ferenda necessariam esse demonstrat) non incommodè designari, videri possit. Cum enim ea abnegatio nostri, occisio veteris hominis, & mortificatio membrorum nostrorum appelletur: magnam sanè esse amaritudinem illius apparet, & experientia comprobat. Veruntamen quia ea abnegatio nostri (hoc est, cùm judicii mentis corruptæ, tum voluntatis cupiditatum Deo repugnantium) fermenti remotione adumbratur: idcirco satius est, ut distinctè, per herbarum amararum cum agno Paschali esum, crucis (seu persecutionis ob Christi fidem) conjunctę tolerantiam solummodo intelligamus. Atque hæc de esus agni Paschalis & Christi, adjunctis similibus, tertio scilicet comparationis hujus capite.

Quartum verò in *fine* & *effectis* consistit. Nam agni Paschalis sanguis, postibus & superliminari fuit aspersus, ut esset signum ac sigillum Israëlitis, quo domi manentes, moniti, crederent promissioni Dei de iis clementer in communi primogenitorū cæde prętereundis: & simul ut esset medium, quo viso, Deus ipsorum vitæ parceret, atq; primogenitos cæsurus, pręter eos transiret, quemadmodum Exo. 12. v. 13. dicitur. *Erit autem sanguis ille vobis in signum super illas domos, ubi eritis, & videbo sanguinem illum, & transibo præter vos: sic non erit in vobis plaga exitialis cum percutiam* (hoc est, cædem committam) *in terra.* Qua etiam de causa agnus ille, cujus sanguis aspergendus, Metonymicè Hebraicè *Pesach*, Exod. 12. v. 21. & Chaldaicè *Pascha* Luc. 22. v. 7. & 15. h. e. *transitus* appellatur: quod esset transitus Dei interficientis signum ac medium: ut etiam effectum fini suo respondens demonstravit, Exod. 12. v. 23. 27. cum 29. Sic etiam Christus (agno Paschali tanquam typo Prophetico adumbratus, & Sacramento Veteris Testamenti obsignatus) est verus agnus Dei, cujus morte & sanguinis aspersione, omnes in Ecclesia (tanquam Dei domo) fideles, eorumque liberi, ut veri Israëlitæ Dei, Gal. 6. v. 16. redempti ac tecti sunt ab ira Dei. Quæ ut infideles perdit: sic fideles ob Christi sanguinem, ipsorum animis fide aspersum, 1. Pet. 1. v. 2. præterit Ioh. 3. v. 36. Rom. 3. v. 25. & 8. v. 1. Heb. 2. v. 14. & 1. Ioh. 1. v. 7. ideoque per Metonym. adjuncti signi pro subjecto, seu re significata, *Pascha* & *agnus* appellatur. Quemadmodum 1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatum est, Christus,* & Ioh. 1. v. 29. & 35. *agnus Dei* & 1. Pet. 1. v. 18. 19. *agnus inculpatus & immaculatus: cujus pretioso sanguine redempti sumus:* & Apoc. 5. v. 6. *agnus qui mactatus est, & redemit nos sanguine suo:* & Apoc. 7. v. 14. *agnus in cujus sanguine stolas lavarunt ac dealbarunt fideles.* Quibus consentit Justinus Martyr Dialog. cum Tryphone Judęo, cum ait pag. 200. Edit. Commelini, *mysterium igitur agni, quod Pascha mactare jussit Deus, typus erat Christi, cujus juxta rationem fidei in ipsum, aspergunt domos suas, hoc est, seipsos credentes in ipsum.* Plura ibid. & pag. 264. Ideoque ut Christi per agnum Paschalem adumbratio memoriæ melius inhæreret, eodem recurrente agni mactandi die festo, Christus Pascha nostrum pro nobis sacrificatus est, suamque Ecclesiam ab ira suo sanguine tutam conservat, Rom. 5. v. 9.

Atque hactenus de agni Paschalis ut typi propheticè adumbrantis: & Christi ut archetypi eo adumbrati comparatione. Cui addenda brevis

De voce Pascha

APPENDIX.

QUamvis ea, quæ strictim de voce Pascha declaravimus, ad rei intelligentiam ac popularem explicationē sufficiant: quia tamen hac de re prisci Theologi diversis sententiis inter se discrepant, non alienū erit, si eas paucis discutiamus, ut in iis legendis prudenter versemur: utq; relictis nævis, rectè dicta amplectamur. Nam de origine, & significationis vocis ratione quęstio est. De origine enim quidā statuerunt *Pascha* esse vocem Gręcam à πάσχω *patior* derivatam; unde Tertull. lib. 3. adversus Judæos c. 10. ait: *& adjecit, Pascha esse domini,* i. e. *passionem Christi.* Quam sententiam rectè rejicit Aug. Epist. 119. ad Ianuarium, cum ait: *Vocabulum ipsum quod Pascha dicitur, non Græcū (sicut vulgò videri solet) sed Hebræum esse dicunt, qui linguam utramq; noverunt.*

 Altera

Altera sententia est Greg. Nazian. qui rectè quidem Græcam vocem esse negat, sed dum Græci sermonis imitatione corruptam esse asserit, à recto aberrat, cum oratione 42. in sanctum Pascha ait: *Pascha hoc magnum & venerandum, φάσκα ab Hebræis juxta eorum vocem nominatur*, & paulò post subdit: *quod verò in multis Scripturæ locis accidisse comperimus, ut vocabula quædam ab obscuriori sensu ad aptiorem, atque à duriori sono ad elegantiorem commodioremque immutata sint, idem hîc quoque contigisse animadvertimus: quidam enim salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde per literæ φ in π, & κ in χ mutationem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem Pascha nominaverunt, atque hæc vox postea consuetudine, atque usu confirmata est, multitudine videlicet hoc verbum, ut magis pium, calculo suo comprobante.* Hæc ille, in quo error est manifestus duplex, ex ignorantia linguæ Hebrææ profectus. Primus quidem est, quod vocem φάσκα ait Hebræam esse: cùm contra ex Mose constet Hebraicè, Exod. 12. esse פסח, pro qua voce 2. Chro. 30. sæpius, & cap. 35. sæpissimè apud LXX. interpretes φασὲκ vitio haud dubiè scriptorum, ut ex aliorum locorum collatione percipi potest, reperitur; unde φάσκα illud amplius corruptum videtur. Alter error est, vocem Pascha ex φάσκα literarum φ & κ commutatione Græcorum imitatione corruptam. Contra enim vocem eam esse Chaldæam puram putam liquet. Etenim pro Hebræo פסח Chaldæus Paraphrastes Onkelos Exo. 12. v. 21. & Jonathan Ezech. 45. v. 21. habet פסחא, quod etiam servata analogia Pascha dicitur: ut pro Hebræo כסף h. e. *argentum*, Exo. 12. v. 44. Chaldæus Onkelos habet כספא. Quo modo etiam LXX. interpretes Exo. 12. & alibi Chaldæa voce usitata ac molliori utuntur; Idemque ab Euangelistis & Apostolis pro sermonis tum consueti ratione, similiter usurpatū. Atque ita etiam doctissimus Judæorum sacerdos Josephus, Antiquit. Jud. lib. 2. c. 5. ait, τὴν ἑορτὴν πάσχα καλοῦντες *festum Pascha vocantes*: & Philo Judæus lib. de Decalogo ait: Ἑβραῖοι πατρίῳ γλώττῃ πάσχα προσαγορεύουσι; *Hebræi patria lingua Pascha appellant*. Atque hæc de voce Pascha: quæ in S. Literis Græcè, genere neutro, & indeclinabilis est: ut in vocibus barbaris fieri consuevit, ut Ioh. 11. v. 55. *prope erat* τὸ πάσχα, item πρὸ τοῦ πάσχα, & c. 18. v. 39. ἐν τῷ πάσχα, & ante v. 28. ut ederent τὸ πάσχα. Latini verò Theologi hoc interdum imitati sunt: interdum declinarunt, ut Tertull. adversus Psychicos c. 14. *Pascha celebramus: in Pascha jejunamus:* Sed lib. adversus Judæos c. 10. & alibi ait: *diei hujus Paschæ.* Quæ duplex loquendi ratio à sequentibus Latinis Patribus & à vulgato interprete promiscuè usurpatur. Non paucis placet declinare Pascha, Paschatis. Ad interpretationem verò vocis quod attinet, ea non *passionem*, ut ante ostendimus; sed *transitum* designat: quemadmodum etymon vocis Hebrææ à פסח deductæ evincit, & Exod. 12. v. 11. & 12. demonstratur. Atque hinc rectè Josephus Antiqu. Judaic. lib. 2. c. 5. de Pascha ait: significat autem ὑπερβασίαν: & Philo περὶ ἑπταδος exponit διάβασιν. Sed quamobrem ita vocetur, & cujusnam transitum designet, diversæ sunt Theologorum sententiæ. Nam primum Gregor. Nazianzen. Oratione 44. in sanctum Pascha ait: *ita dici historica quidem ratione propter Israëlitarum ex Ægypto in Chananæam regionem fugam & migrationem: sin autem spiritualem sensum spectemus, propter nostram ex his inferioribus ad superiora & promissionis terram progressionem, & ascensum.* Hæc ille. Cujus primam rationem refutat disertè Moses Exod. 12. v. 11. 12. 26. 27. quibus apertè ostendit transitum Jehovæ, non autem Israëlitarum (qui Dei transeuntis mandato domi tum concludebantur v. 22.) intelligendum. Id quod Josephus loco jam commemorato commode expressit, cum ait: *idcirco transitum dici, quod eo die præteritis illæsis Hebræis, Ægyptios morbo*, (hoc est, peste, ut postea exponit) *percusserit.* Ac sanè historia Mosis testatur, non Israëlitarum officium atque effectum: sed Dei beneficium voce transitus denotari. Qua prima ratione destructa: altera etiam (quę ei tanquam fundamento innititur) necessariò corruit. Deinde similis quoque in August. observanda ac cavenda est hallucinatio: qui multis in locis, imprimis verò Tom. 8. in Psal. 120. ait: *Pascha Hebræum verbum est & non interpretatur passionem, sed transitum; per passionem enim transit Dominus à morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in resurrectionem ejus.* Quod etiam in Psal. 68. & Tom. 2. Epist. 119. ad Ianuarium probare conatur ex Ioh. 13. v. 1. dicens: *Pascha transitum commendat: quod admonuit etiam Iohannes Euangelista, &c. Cum autem venisset hora qua transiret Iesus de mundo ad Patrem: expressit ergo transitum Paschæ.* Quæ aberrationes Patrum in tanta Scripturę luce iis prælucente, accuratè sunt observandæ, ut cum judicio ac prudentia in iis legendis atque imitandis versemur: & ut exemplo eorum discamus, quam periculosum sit à simplici ac sincera Scripturæ veritate, ad argutas humani ingenii allegorias deflectere. Cujus vitiosæ consuetudinis in Ecclesiam invectæ propagator fuit præcipuus Clemens Alexandrinus, eumque secutus ac longius multo evagatus est Origenes, qui reliquis deinde Patribus (eruditionis suæ, & scriptorum copia commotis) viam ad similem, allegorias, sine Scripturæ authoritate captandi, licentiam, stravit. Author verò hujus corruptelæ fuisse videtur Philo Iudæus, Orator disertus, & Philosophus, Platonis imitator insignis, de quo illud olim elogium ferebatur: ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει. Is enim historiam Mosis sacram, & præcepta legis ceremonialis arguto ingenii sui lusu, variis allegoriis, à genuino sensu detorsit. Id quod etiam in doctrina de Pascha apparet, ut in libro τίς ὁ τῶν θείων πραγμάτων κληρονόμος pag. 344. Edit. Græcæ: Πάσχα δ᾽ ἐστιν, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ: τὸν δὲ εὔλογον ἑκουσίως πάσχῃ, hoc est, *Est autem Pascha, quando anima irrationalem affectum dediscere meditatur: rationalem verò rectum affectum, volens patitur.* Sic περὶ συνόδου pag. 298. ait, ψυχικὸν πάσχα, ἡ παντὸς πάθους, ἡ παντὸς αἰσθητοῦ διάβασις, id est, *animæ Pascha dicitur, omnis affectus & omnis sensus transitus.* Hujusmodi autem allegoriarum scopus fuit, ut profanarum gentium homines, latentium mysteriorum opinione, ad Sacrarum Literarum & religionis reverentiam amplius allicerent: & simplicitatis contemtum averterent. Sed ad rectum scopum prava ratione contenderunt: cùm pro vera verbi Dei sententia, ingenii sui figmenta substituerunt indignissimè. Quæ etiam ratio magnum variarum ceremoniarum humanarum cumulum, in Ecclesiam invexit, & sinceritatem veri cultus Dei, post Apostolorum tempora paulatim magis magisque corrupit; adeò ut allegoriarum fingendarum licentia, & ceremoniarum humanarum institutio, duo primarii corruptæ religionis fontes existant.

Atque hactenus de voce Pascha: superest ut ad majorem eorum, quæ de Christo per agnum Paschalem adumbrato diximus, illustrationem paucula subnectamus.

De verbis Apocalypseos 13. vers. 8. Quorum nomina non sunt scripta, in libro vitæ, agni illius mactati, à jacto mundi fundamento.

De hisce enim discrepantes sunt eruditorum interpretum sententiæ. Primùm enim plerique verba illa, *à fundatione mundi* construunt, cum proximè præcedentibus vocibus, *agni mactati*: ut hoc antiquitatis adjuncto, agni mactatio describatur. Alii verò accommodatius ad priora illa referunt, *scripta in libro vitæ, à fundatione mundi*: quemadmodum è Patribus Aretas in Commen. ad hunc locum exposuit. Id quod ex repetitione hujus sententiæ Apoc. 17. vers. 8. comprobatur. *Quorum* (inquit Johannes) *non sunt scripta nomina in libro vitæ, à fundatione mundi.* ubi manifestissimè verba illa, *à fundatione mundi*, ad nomina scripta referuntur: hoc tantum est discriminis, quod Apocal. 13. vers. 8. interseratur libri vitæ author, nempe agnus mactatus: qui quatenus unus idemque cum Patre & Spiritus S. Deus est, hujus descriptionis & electionis ad vitam æternam est author, ut etiam sanguine suo, quatenus agnus mactatus, redemptor. Quo etiam modo Apocalyps. 21. vers. 8. dicitur de civitate cœlesti, quod *in eam nihil ingrediatur, quod polluit, & quod abominandum est facit, sed ii tantum, qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Cur autem Johannes non *Filii Dei*, aut *Christi* usus sit voce, sed periphrasi, *agni mactati*: illud videtur omnino factum, ut Chri-

ut Christianos (quorum ob Christum cædes ac martyria, cum ante, tum postea recenset) Christi similiter pro nobis mactati exemplo, non minus quam electione ad vitam ab eodem facta, consolaretur; quemadmodũ Heb. 12. v. 1. 2. 3. eandem consolationis & hortationis rationem sequitur. Atque ita Apoc. 5. v. 6. 8. 12. 13. & singulis penè sequentibus capitibus Christus *agnus* appellatur. Deinde & illud obiter observandum, quod qui hæc verba: *à fundatione mundi*, ad agnum mactatum referunt, minus tamen dextre videntur explicare; quasi scilicet sensus esset, Christum mactatum prædestinatione divina, & typis sacrificiorum Propheticis: ac denique ratione mactationis Christi fide apprehensæ: quemadmodum Abrahamus Ioh 8. v. 56. Christi diem vidisse asseritur. Contra enim si scopum hujus loci consideremus, aptior ad consolationem, quę spectatur, esset interpretatio hujusmodi: Christum dici à fundatione mundi in suis membris (ipsi tanquam capiti per Spiritus S. & fidei vinculum conjunctis) mactatum, ut in Abele, aliisq; impiè olim occisis Matt. 23. v. 35. quorum catalogus numerosus Heb. 11. recensetur: ideoque cap. 12. v. 1. *martyrum* seu testium *nubes*, hoc est, densa copia appellatur: unde sequitur crucem à nobis quoque patienter esse ferendam; ut Hebr. 12. v. 1. & 2. concluditur. Quemadmodum & Christus Paulo Christianos persequenti dixit Act. 9. v. 4. *Saul, Saul, quid me persequeris?* & Paulus postea Col. 1. v 24. hoc imitatus: *Reliquias*, inquit, *afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea.* Cum enim Christus & Ecclesia illius, mysticum corpus constituant 1. Cor. 12. v. 12. & 27. ob unionem illam, communio quædam passionum, & gloriæ existit; adeo ut, quæ membris Christi fiunt, ipsi facta dicantur, ut Matt. 25. v. 35. 36 40. & vicissim, quod Christo convenit quasi capiti & exemplari, nobis etiam ut membris secuturis in ea re attribuitur. Ut Eph. 2. v. 6. Deus dicitur, *nos unà suscitasse & collocasse in cœlis in Christo Iesu*: quia scilicet Christus caput nostrum est, & causa resurrectionis ac vitæ cœlestis nobis donandæ, 1. Cor. 15. v. 20. 21. 48. cum 49. & 50. Atque hæc obiter ad hujus loci Apocal. 13. vers. 8. illustrationem dicta, sequitur jam

Explicatio succincta Iohannis 1. v. 29. Postero die videt Iohannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

QUemadmodum Ioh. 1. v. 6. & 7. Iohannis Baptistæ officium divinum explicatur, his verbis: *fuit quidam missus à Deo, cui nomen Iohannes, is venit ad testimonium, ut testaretur de luce; ut omnes per eum crederent*; sic etiam fidelis muneris illius executio, propositis testimoniis, comprobatur. Quorum priora indefinita de Christo Iohannem sequente v. 26. & 27. posteriora verò definita de Christo coram præsente ac demonstrato proponuntur. Quorum primum v. 29. & quinq; seq. continetur: Cujus scopus, est planior ac plenior pręstantię Christi descriptio, & fidei in ipsum excitatio. Modus autem est officii ac beneficii illius, deinde testimonii ante dati explicatio, & personę divinę illius confirmatio. Prius continetur, vers. 29. quo primùm testimonii circumstantiæ; deinde testimonii forma proponitur.

Circumstantię autem sunt tres: testis, tempus, & occasio. Testis est Iohannes Baptista, ob munus propheticum & fidelitatem fide dignissimus, Matth. 11. v. 11. & 14. Tempus est dies posterus, nimirum à legatione Judæorum ad Iohannem, & responso illius quo Christum advenisse, & in medio ipsorum ignotum stare, illoq; se inferiorem, atq; indignum servum asseruerat. Occasio denique testimonii, est adventus Iesu ad Iohannem, & Iohannis visus: *Vidit enim Iohannes venientem ad se.* Cur autem Christus advenerit non explicatur: sed ex reipsa colligi potest, id factum, ut per Iohannis ministerium amplius innotesceret, ad Dei gloriam, & ad Ecclesiæ fidem, ac salutem; quemadmodum etiam Iohannes gradatim doctrinam de persona & officio Christi explicans, hac Christi præsentia est usus, ad clarius de illo testimonium perhibendum. Atque hæc strictim de testimonii circumstantiis. Testimonium verò ipsum est hujusmodi: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Cujus partes sunt duę; subjectum & attributum: seu is de quo testatur: & illud quod testatur; Ac prius quidem adverbio demonstrandi, nempe *Ecce*, designatur: idem enim est, ac si dixisset: Hic quem intento digito vobis ostendo, scil. Iesus ille, quem ad me venientem coram videtis. Atque ita doctrinam de Iesu Christo, prudentia insigni, auditoribus instillat. Nam antea quidem Christum advenisse, ac ponè se venire testatus erat primùm populo Matth. 3. vers. 11. deinde legatis Judæorum Iohan. 1. sed quisnam is esset reticuerat: hic verò expresse intento digito ostendit, & ad ipsum contemplandum provocans, definit Christum esse Iesum: ut attributum declarat, quo Iesus describitur; nimirum quod sit *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, hoc est, Christus ille, promissus generis humani, sua victima, redemptor, à peccatis. Qua descriptione officium & beneficium Iesu exponitur. Prius quidem cum dicitur *agnus Dei*; posteriùs verò, cum additur; *qui tollit peccatum mundi*: Quę brevis est, sed nervosa oratio: ideoq; distinctius expendenda. Ac primum Iesus vocatur *agnus* à Baptista, ut etiam ab Euangelista in Apocalypsi frequentissimè, & 1. Pet. 1: v. 19. non propriè, ut res ipsa docet, sed impropriè per tropum. Quisnam autem sit tropus interpretum sententię discrepant. Quidam enim Metaphoram statuunt, quod ob similitudinem naturę agni, agnus appellatur, videlicet ob similem innocentiam, ac mansuetudinem, Matt. 11. v. 29. ut Esai. 53. v. 7. Actor. 8. v. 32. agno comparatur. Alii verò convenientius ac sententia uberiori Metonym. esse censent, qua vox signi pro re significata accipitur; quod scilicet is sit, qui agno mactato, in Veteri Testamento, est adumbratus. Cæterum cum agnus legalis fuerit inprimis vel quotidiè, vel tempore Paschę mactandus: non pauci de priori interpretantur: de quo Num. 28. v. 3. & 4. dicitur, *hoc est igne absumendum, quod offeretis Iehovæ: agni anniculi integri bini, quoque die, in holocaustum jugiter. Agnum illorum unum parato mane, agnum alterum parato inter duas vesperas.* sic Exod. 29. v. 38. Alii verò de agni Paschali, in Ægypto primùm mactato, & quotannis eodem die recurrente offerendo, de quo Exod. 12. quo prophetico typo Christus fuit inprimis illustri similitudine adumbratus: ut 1. Cor. 5. v. 7. ideo dicitur: *Pascha nostrum sacrificatum est, Christus.* quemadmodum antea in collatione agni Paschalis & Christi, copiosius exposuimus. unde etiam constat verisimilius omninò esse Jesum agnũ vocari: quod agno Paschali (cujus mactati sanguis postibus erat aspergendus, & caro edenda) fuerit designatus. Quo modo Christi officium denotatur: quod sit ad id ordinatus, ut velut agnus inculpatus & immaculatus pro nobis fieret victima; 1. Pet. 1. 19. Quod verò Jesus non simpliciter agnus, sed *agnus Dei* dicitur, ea voce à Paschali ac legali agno distinguitur. Hic enim ex Dei quidem mandato: sed hominum studio atque opera fuit secretus, ac paratus in victimam, Exod. 12. 3. Contra verò Jesus est agnus, sine ulla hominum opera, solâ Dei gratia destinatus, ac datus, ut pro nobis mactaretur, Joh. 3. v. 16. & 1. Joh. 4. v. 9. & 10. ideoque hoc loco, ab authore ac datore suo, meritò distinctè à typo suo (nempe agno Paschali) *agnus Dei* appellatur. Atque hæc de prima, descriptionis præstantiæ Jesu Christi, attributo comprehensæ, parte, videlicet officio illius, quod appellatione *agni Dei* indicatum. Altera verò pars beneficium illius explicat proximis verbis hisce, *qui tollit peccatum mundi.* Quibus modus beneficii, & objectum illius (hoc est, quidnam boni præstet, & quibusnam) indicatur. Ac prius quidem est: *qui tollit peccatum.* Cum autem *peccati* & *tollendi* voces in Sacris Literis, diverso sensu usurpari soleant, hinc diverso modo à Theologis hoc loco explicantur. Peccatum enim, aut legis Dei transgressionem, ut 1. Joh. 5. 17. *omnis iniquitas peccatum est*; aut per Meton. efficientis pro effecto, pœnam peccati notat, ut Lev. 24. 15. *quicunque blasphemaverit Deum suum, omninò ferto peccatum suum*, i.e. pœnam. unde postremò per Meton. adjuncti pro subjecto pœnam ferentem victimam, Lev. 14. 19. & alibi sæpe designat: quo sensu 2. Cor. 5. 21. Christus factus peccatum dicitur. Deinde vox αἴρειν *tollere*, vel attollere ac ferre notat, ut Matt. 9. v. 6. *tolle lectum tuum*: vel auferre, ut Luc. 19. 22. αἴρων *auferens, quod non posui.*

Hac ambiguitatis vocum *peccati* & *tollendi* occasione, & verisimili utrimque convenientia, diversis modis *peccatum tollere* exponitur. Quidam enim *peccatum* legis transgressionem notare censent, & *tollere* auferre exponunt, & quidem bifariam. Nonnulli enim speciatim de peccato originis: quia illud κατ' ἐξοχὴν, ut peccatorum reliquorum origo ita nominari solet, Rom. 6. 12. 13. 14. & c. 7. v. 8. 11. & 20. Non enim hic dici peccata, sed peccatum tollit. Alii verò commodius vocem *peccati*, indefinitè hic positam, non strictè ac speciatim, sed generatim de omni peccato intelligi posse ac debere arbitrantur. Posse quidem, quia usus Scripturæ hoc fert: in qua peccatum non rarò generatim accipitur, ut Rom. 3. 20. *per legem agnitio peccati*, & 1. Joh. 3. 4. *peccatum est legis transgressio*, Gal. 3. v. 22. *Conclusit Deus omnes sub peccatum:* & quod Rom. 4. v. 7. dicitur: *beati quorum tecta sunt peccata*, illud eodem sensu repetitur numero singulari v. 8. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Debere autem ita accipi generatim hoc loco inde probatur; quia nulla ratio solida est, cur speciatim accipiamus, & contrà S. Scripturę explicatio hoc requirit. Nam ut Christus dicitur Heb. 9. v. 26. per sacrificium suum patefactus ad abolitionē peccati: sic illud v. 28. & c. 10. v. 12. peccatorum voce, & 1. Ioh. 1. v. 7. *omni peccato*, explicatur, & c. 3. v. 5. de Christo dicitur: *Annon nostis quod ille patefactus est, ut peccata nostra tolleret.* Deinde quidam non peccatū propriè dictum seu legis transgressionem: sed pœnam illius, per Meton. causæ pro effecto suo acceptę, interpretantur: quam pœnam universam Christus tulerit, h. e. pertulerit in se, ut 1. Pet. 1. v. 24. de Iesu Christo dicitur: *qui peccata nostra ἀνήνεγκεν pertulit super lignum*, ut prædictum Esai. 53. v. 6. *Jehova facit ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrûm*, h. e. pœna iniquitatis: & v. 12. *& ipse peccatum multorum pertulit:* & Heb. 9. v. 28. *ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata* (i. e. pœnas peccatorum) *ferret, altera vice absque peccato* (i. e. pœna atque humiliatione omni, per glorificationem, liber) *conspicietur, iis qui ipsum exspectant ad salutem.* Veruntamen licet hæc tertia sententia sit fidei omninò consentanea (quia Christus revera, in cruce inprimis, pœnam peccati pro nobis pertulit) huic tamen dicto Baptistæ non satis videtur convenire. Nec enim dicit tollet peccatum, sed tollit, ut etiam præsens ac continuum, non autem futurum solum semelque tribuendum beneficium indicaret. Deinde media sententia, ante posita; longè est uberior ac magis propria: ut peccatum tollere, sit transgressiones legis auferre. Id quod à Christo factum bifariam. Primùm extra nos per sacrificii sui dignitatem, quâ promeritus est, ut peccata nostra auferantur: deinde in nobis per efficaciam sui Spiritus, qua peccata nostra, secundum meriti sui satisfactionem revera aufert. Ac prior quidem modus hoc loco non videtur intelligi: quia Christus, sacrificio suo nondum peracto, abolitionem peccatorum nondum erat promeritus, sed postea promeriturus: eoque modo peccatum non auferebat, sed ablaturus erat, tempore passionis & mortis secuturo; quemadmodum Hebr. 9. v. 26. dicitur, *nunc semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius, patefactus est.* Posterior vero modus peccata nostra auferendi optimè convenit. Nam quamvis ordine causæ, meritum abolitionis peccati ipsam abolitionem antecedat: temporis tamen ordine, ipsa abolitio non solum sequitur in multis, qui post Christi passionem per fidem à peccatis suis servati sunt: sed etiam inde ab Euangelio primùm Patriarchis promulgato, secundum Dei decretum, passionem ac meritum Christi in iis antecessit. Quemadmodum enim debitores à vinculis suis & carcere liberari solent, si fide dignus atque acceptus sponsor solutionem promiserit, etiamsi ea nondum sit præstita: sic etiam, quia Filius Dei post lapsum hominum in peccatum, factus est electorum sponsor, & à Patre suo ad illud destinatus atque acceptus, ut humana natura, constituto tempore assumpta, pro iis satisfaceret, idcirco vi illius sponsionis fide perceptæ, ac certò tandem futuræ solutionis, à vinculis peccati, etiam ante Christi solutionem, non minus quam postea, sunt exemti Act. 10. vers. 43. Heb. 11. vers. 39. & 40. Idque etiam sacrificiis expiatoriis Vet. Testamenti aliisque sacramentis fuit confirmatum; eoque modo etiam ante Christum Abrahamus, & fideles eorum posteri, Rom. 4. justificati dicuntur. Cœterum Christus in nobis peccatum aufert duobus modis, quemadmodum utrumque extra nos suo sacrificio est promeritus. Primus est per sanctificationem, qua peccatum originis, & vitiosæ illius actiones abolentur: ut Rom. cap. 6. vers. 6. dicitur, *Vetus noster homo cum eo* scilcet Christo *crucifixus esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccatis.* Sic etiam Heb. 9. vers. 14. *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram, à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo?* Quæ peccati ablatio inchoatur; liberatione à dominio peccati, Rom. 6. 12. & 22. perficitur verò cùm reliquiæ illius Christi virtute, tandem in morte omninò deleantur, Rom. 7 v. 24. 25. Atque hic primus modus est, quo Christus pro sacrificii sui merito, vi sui Spiritus, peccatum in nobis aufert. Alter verò modus est, cum peccati vim mortiferam, quia iræ Dei, & maledictioni obnoxios reddit Deut. 26. 27. Rom. 6. 23. in nobis abolet: cum scil. Spiritus sui S. efficacia, per obedientiam, nos sibi unit Eph. 3. 17. ac sanguine suo aspergens 1. Pet. 1. 2. satisfactionis sui sacrificii communionem donat, & maledictionem ac stipendium peccati Rom. 6. 23. tollit Gal. 3. 14. Rom. 8. 1. Quo etiam sensu ab Apostolo Joan. 1. epist. 1. 7. sanguis Christi dicitur nos purgare ab omni peccato, ratione scil. reatus, seu obligationis ad mortem æternam: quia hic non de sanctificatione à peccati vitiositate, ut Heb. 9. 14. sed de justificatione ab illius condemnatione agitur: quemadmodum satis perspicuè ex sequente v. 9. apparet. Reliqua, quæ ad hæc illustranda pertinent, ex collatione agni Paschalis & Christi innotescunt. Atque hæc de Iesu Christi (ut agni Dei) beneficii modo: seu quidnam boni præstet. Cui objectum, seu illi quibus hoc præstat, adjungitur, cum ad verba illa, *tollit peccatum*, Baptista adjicit vocem *mundi*, hoc est mundi electorum seu universitatis eorum, qui à Deo ad vitam æternam electi: pro quibus omnibus & solis Christus natus & victima factus: id quod adjunctis duobus mundi, jam explicatis, demonstratur. Ea autem sunt peccatum, & ablatio illius. Peccatum enim primùm omnes creaturas irrationales, à voce *mundi* hoc loco intellecti, excludit: quia leges iis ob defectum rationis non sunt latæ ac mandatæ: ideoq; nec peccare in eas potuerunt, nec possunt Rom. 4. 15. 1. Ioan. 3. 4. Deinde Angelos etiam bonos ac sanctos excludit: quia illi nec peccarunt, nec peccabunt; sed Deo semper obtemperant Psal. 103. 21. Ablatio vero peccati, mundum reproborum, hoc est universos reprobos, *mundi* nomine interdum per Synecd. significatos, tam Angelos, quam homines excludit: quod eorum peccatum maneat, non autem tollatur Ioan. 3. 36. quia Christus eorum non est Servator, sed severus judex Matth. 25. 41. neque pro mundo reproborum mediator est, siquidem eos ab oratione sua mediatoria excludit Ioan. 17. 9. & in incredulitate justè relinquit Ioan. 6. 65. & 12. 39. Ex quibus necessariò sequitur per *mundi* vocem, hoc loco à Baptista non universè omnes homines, tam reprobos, quam electos intelligi: sed per Synecd. mundum electorum, id est solam electorum universitatem: Quæ per excellentiam quandam, per Synecdochen totius pro parte primaria, mundi nomine designatur: quia iis omnibus & solis fidem donat, & peccata aufert: quos enim elegit, eos vocat ac justificat Rom 8. 29. 30. unde Christus Ioan. 17. 9. ait; *Non oro pro mundo, sed pro iis quos dedisti mihi:* In qua sententia mundum reproborū, datis sibi à Patre seu electis opponit, quod non pro illorum, sed pro horum sanctificatione ac conservatione v. 17. precatur; sicut expressè pro mundo electorum orat. v. 20. *non pro iis tantum oro; sed etiam pro eis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me:* & v. 21. *ut mundus credat quod me misisti:* & v. 23. *ut mundus cognoscat, quod me misisti.* Sic etiam Ioan. 10. 15. Christus dicit, se animā ponere pro ovibus: h. e. electis, partim tum credentibus, à quibus cognoscebatur v. 14. partim pro in ipsum ac per ipsum crediturus v. 26. Sic reprobos contra à fide & ovium suarū numero excludit v. 26. quemadmodū similiter Ioan. 6. 36. 37. eosdem inter se opponit. Hinc divinitus Christus dicitur vocandus Jesus, quod servaturus sit populum suum (h. e. electos sibi à Patre,

Patre, ut eos servet datos) à peccatis ipsorum, atque ita ait Christus: *ego animam dabo pro vita mundi*, hoc est, universitate electorum, præstantissima mundi parte; quia hi omnes & soli vitam æternam consequuntur. Quocirca Eph. 5.25. dicitur Christus se ipsum dedisse pro Ecclesia, ut eam sanctificaret. Quo etiam modo *mundi* vox, pro mundo electorum intelligitur 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo* (hoc est per Christum) *mundum reconcilians sibi, non imputans iis peccata ipsorum*: quia non imputatio peccatorum, propria est electis, ac beandis Rom. 4. 8. Atque hujus mundi electorum totius, inde ab initio ad finem seculi, propitiatio atque intercessor est, ac dicitur Christus 1. Ioan. 2. 1. & 2. Ex quibus omnibus constare satis potest, Iesum Christum meritò, à Ioanne Baptista, hoc testimonii elogio decoratum, *hic est agnus Dei, qui tollit* (h.e. sacrificii sui merito ac spiritus efficacia aufert) *peccatum* (universum) *mundi* (electorum.)

Brevis Conciliatio locorum Ioann. 1. 33. & 34. *cum Matth.* 3. 13. & 14.

IOannis primo cap. v. 33. & 34. narratur Ioannis Baptistę, de origine ac modo cognitionis J. Christi testimonium, his verbis: *Et ego non noveram eum: sed qui me misit, ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat: super quem videris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Sp. S. Ego igitur vidi, & testor hunc Filium Dei esse.* Matt. verò ait c. 3. 13. & 14. *Tunc advenit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo: At Ioannes prohibebat eum, dicens: ego necesse habeo, à te baptizari, & tu venis ad me?* Quæ duæ narrationes, quo modo inter se consentiant, non satis prima fronte apparet. Ioannes enim docere videtur, Jesum Christum, Baptistę, non solum non fuisse familiarem ante descensum Sp. S. super eum: sed etiam vultu omnino ignotum: & hoc signo primũ innotuisse se. Matthęus verò antea notum fuisse ostendit; quia ante baptismum & illum Sp. S. descensũ, Iesum ea notitię producta causa, baptizare renuit, quod baptismo ipsius opus non haberet, sed contra ipsemet opus haberet, ut à Jesu Christo baptizaretur, nimirum Sp. S. Ideoq; hanc difficultatem movet Chrysost. hoc modo: *quod si ante baptisma eum non cognovit, cur prohibebat eum dicens; ego à te opus habeo baptizari? hoc enim signum erat certissimæ cognitionis*: Verùm licet hæc dicta Ioannis & Matthęi, inter se diffidere videantur: optimè tamen consentiunt. Nam Baptistæ verba, quæ apud Ioannem Euangelistam extant, hoc tantum affirmant, Jesum Christum non fuisse sibi notum, ante divinum illud testimonium, de signo descensuri ac mansuri super eum Sp. S.: non autem ait non noveram eum, ante baptismum, & Sp. S. descensum; Matthęus verò tradit id, quod post illam prædictionem antecedentem, de descensu Spiritus evenit: nempe accessum Christi ad Baptismum, & notitiam illius ac recusationem Baptistę. Id quod à Chrysost. etiam rectè observatum, his verbis: *itaque cùm inquit, non noram eum, superiora tempora respicit, non quæ circa baptisma fuerant. Nam quo pacto prohibuisset dicens, ego debeo à te baptizari*? Cæterum quomodo Ioanni Christus notus factus fuerit, ab Euangelista non exprimitur: veruntamen ex reipsa satis colligitur, illud nova Spiritus Dei revelatione, post primam intercedente, contigisse. Cujus rei simile exemplum multiplex reperitur 1. Sam. 16. Cum enim Samuel à Deo esset missus Bethlebemum, ut unum è filiis Isai, à Deo in Regem destinatum inungeret, neque cognosceret quemnam ex iis omnibus Deus delegisset; primum accedentem, Jehovæ monitu, eum non esse percepit v. 8. accedentibus deinde reliquis sex, suo ordine vocatis, de singulis horum dixit: *neque hunc Iehova elegit*. Dixit autem illud, non ex ingenio; sed ex tacita revelatione divina, sine qua cognoscere non potuit, ut v. 8. docetur: Et ut priores septem non electos à Iehova, singularibus revelationibus ordine didicit v. 11: sic quisnam esset electus, accedente primum Davide, per Dei revelationem cognovit v. 12. Sic etiam Ioannes, accedente Iesu ad baptismum, vel paulo ante, ipsum esse Messiam, qui Sp. S. baptizaret divina revelatione didicerat, etiamsi revelatio illius divina nullibi memoretur. Atque ita hæc duo, Ioannis & Matthæi loca, inter se minimè dissidere, ex collatione constat.

Quæstio ex Ioan. 1. 52. *de ascensu & descensu Angelorum super Iesum Christum.*

DIfficilis intellectu sententia occurrit Ioan. 1. v. ultimo: *Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes, super filium hominis.* Obscurum enim, quid cœli apertio, & hic ascensus ac descensus Angelorum super Christum significet: & quando id contigerit. De hac enim re diversę veterum & recentiorum expositiones apparent: quas paucis proponere atq; examinare conabimur: ut quid veritati maximè videatur consentaneum, facilius intelligatur. Prima autem expositio, hoc loco eventum rei, Prophetico Iacobi Patriarchæ somnio adumbratę, à Christo promitti censet: Extat autem illud descriptum Gen. 28. 12. 13. *Et ille somniavit: & ecce scala constituta in terra, ac summitas illius pertingebat ad cœlum: & ecce Angeli ascendebant ac descendebant per eam; & ecce Iehova stans supra eam dicebat, &c.* Veruntamen bifariam accommodant. Quidam enim scalam hanc mysticè Christũ designare censent; quod quemadmodum scala, infernè terram, supernè cœlũ, Deumq; supra scalam astantem, contingebat: sic Christus mediator ac conciliator est unicus, inter Deum & homines 1. Tim. 2. & Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Atq; ita Christi beneficio, Angeli cœlitus missi, Ecclesię saluti inserviunt, Heb. 1. 14. Quam sententiam inter alios doctiss. Calvinus loquitur, cùm præter alia sic ait: *Non dubito, quin ad scalam alludat, quæ monstrata fuit Patriarchæ Iacob per somnium: verè enim in Christo præstatur, quod visio illa adumbrabat. Deniq; hujus loci summa est: Cum esset totum genus humanum extraneum à regno Dei; nunc cœlorũ januam nobis esse patefactam, ut simus cives sanctorum, & Angelorum socii: atq; ut hi, ordinati salutis naturæ custodes, ex beata quiete ad opem miseriis nostris ferendam descendant.* Quam explicationē etiam Wolf. Musc. celebris Theologus Gen. 28. est secutus. Verùm, quoniam Christus, hoc loco Ioannis, citra controversiam, ea quę hic visuros discipulos recenset, tanquam majus ac conspicuum Deitatis suę, à Nathanaële confessę, argumentum pollicetur: illud ad invisibile Christi Mediatoris ac Servatoris Ecclesię beneficium commune, non satis commodè aptari videtur. Quamobrem alii aliter accommodant: & Angelorũ ascensum & descensum, non ad beneficium per Christum, erga Ecclesiam: sed ad personę Christi dignitatē, propriè referunt; cui tanquam Domino Angeli inserviant. Atque ita, re ipsa (ut apparet) melius perpensa, Wolf. Musc. in suis ad hæc verba Christi commentariis, explicat, & deinde subdit: *Videtur autem Christus his verbis, figuram illam, quæ in Iacob Patriarcha præcessit, exponere, ut in ipso implendam fuisse moneat: jam enim tum prælineatum est per somnium, ex lumbis Iacobi venturũ, qui cœlos aperiret, & super quem Angeli ascenderēt & descenderēt. Quando id sit impletũ in Christo, Euangelicæ testantur historiæ, Angelorũ ascensum & descensum cōmemorantes, ut in illius nativitate, in deserto, in horto cum esset capiendus, in ascensione; Quando autem discipuli ista adimpleta viderunt, non ita cōmemoratur ab Euangelistis, nisi dicamus, id esse factum in resurrectione & ascensione.* Hactenus Musculus. Verum ut ea, quæ initio, impleta statuit, non examinemus; quia ad rem nostram non faciunt: nec enim ea Apostoli viderunt: in resurrectione descendit quidem Angelus è cælo: sed descensus ille discipulis non est visus, neque etiam ascensus: In ascensione vero Christi, visi sunt quidem Angeli duo, viri specie: sed super Christum descendentes visi non dicuntur Act. 1. 10. Deinde etsi à Jacobi somnio, aliqua similitudo de Christo peti possit, non videtur tamen typum de eo propheticum continere. Nam res ipsa ostendit, hujus visionis scopum esse; ut demonstraret, Deum Angelorum suorum ministerio, Jacobo adversus pericula præsentem, subsidio futurum ut Gen. 28. 15. exponitur: *Ecce ego tecum sum, ut custodiam te, quocunque iveris, & reducam te ad hanc ipsam terram: non enim deseram te.* Atque ita, si hic typus foret propheticus (quod nullo certo argumēto probari potest) hæc foret illius significatio: Deum Christo similiter per Angelos suos auxiliaturum; quod quamvis revera sæpius factum constet, Matt. 4. v. 11. & Luc. 22. v. 43. non videtur illud ad Deitatem Christi probandam

(quod hic ſpectatur) ſatis idoneum argumentum: quod talis Angelorum ſubſidiaria apparitio, ante Chriſtum Patriarchis (ut Abrahamo Gen. 22. 12. Lotho c. 19. 1. Iacobo c. 32. 1.) & poſtea Apoſtolis Actor. 5. 19. & c. 12. 7. & 10. acciderit. Quamobrem altera eſt interpretum ſententia; hæc verba Chriſti Ioan. 1. v. ult. non continere impletionem viſionis in ſomno Iacobo factæ Gen. 28. 12. 13: ſed aliam Chriſti promiſſionem, de diverſo ab illo Angelorum aſcenſu, ac ſuper ſe deſcenſu. Atque in ea re merito conveniunt: id quod Chriſtus prædixit hoc loco abſolutè, id verè dixiſſe; neque de eventu dubitandum: quia *in ejus ore nullus inventus eſt dolus* 1. Pet. 2. 22. ſed de tempore impletionis ambigitur. Nonnulli enim id jam factum, alii vero futurum adhuc ſtatuunt. Qui factum putant, temporis circumſtantia differunt. Quidam enim ad id, quod abſolutâ tentatione Chriſti, in deſerto factum dicitur Matth. 4. 11. (*Tunc omiſit eum Diabolus, & Angeli accedebant & miniſtrabant ei*) referunt. Verum hic deſcenſus Angelorum non convenit; quia jam contigerat, antequam Chriſtus diſcipulis eum promitteret: confeſtim enim à baptiſmo ſuo & Patris de ipſo, ut Filio dilecto ac delectabili, teſtimonio, in deſertum Spiritus inſtinctu tentandus proceſſit: poſtea vero demum ad Baptiſtam regreſſus eſt Ioh. 1. 29 & 35. ac deinde deſcenſus Angelorum futuri meminit verſ. ult. deinde etiam diſcipulis conſpicui; quod in deſerto fieri non potuit, diſcipulis nondum collectis. Alii igitur ad aptiora tempora accommodant, quorum plerique ea definiunt: alii verò, ut incerta, indefinita relinquunt. Inter eos autem qui definiunt, ſunt Chryſ. & Theoph: qui illud tempore paſſionis Chriſti in horto, & reſurrectionis ac aſcenſionis illius factum eſſe ſtatuunt. Sed ad primum illud non videtur pertinere, quia ut Luc. 22. 43. traditur: *viſus eſt autem ei Angelus è cœlo, corroborans eum*; Nec enim diſcipuli Angelum illum dicuntur vidiſſe, ut qui jactu lapidis aberant v. 41. & quidem ſomno oppreſſi v. 45. ſed Chriſtus. Deinde corroboratio per Angelum facta, non Deitatis Chriſti, ſed humanæ imbecillitatis erat argumentum. Quemadmodum deinde Matth. 28. 2. die reſurrectionis quidem Angelus Domini deſcendiſſe è cælo dicitur, ſed diſcipulos id vidiſſe neutiquam aſſeritur: neque dici poteſt, quia omninò aberant. denique de Angelorum, tempore adſcenſionis Chriſti, deſcenſu intelligi non poſſe, jam ante etiam demonſtravimus: quia nulla fit deſcenſus ſuper Chriſtum mentio, multoque minus illius à diſcipulis viſus recenſetur. Quapropter aliis ſimplicior videtur & periculi omnis expers ſententia, ut illud quod hoc loco narratur, factum quidem agnoſcant; ſed tempus eſſe incertum judicent: neque ea in re quicquam eſſe difficultatis: quia Euangeliſtæ non omnia quæ acciderunt, ſed quæ ad ſalutem noſtram ſufficerent, inſtinctu divino perſcripſerunt, ut expreſſè docetur Ioa. 20. 30. & 21. 25. Contra vero alii hunc promiſſum ac videndum à diſcipulis Angelorum aſcenſum & ſuper Chriſtum deſcenſum, non de facto aliquo, ſed de futuro demum die ultimo, adventus Chriſti ad judicium interpretantur: & metaphoricè ſimpliciter Angelorum miniſterium notari cenſent: ſimilitudine à Regum ſervis deductâ, quia aſcendere & deſcendere ſolent, ut ſua miniſteria à Rege imperata exequantur. Veruntamen ea metaphora non videtur neceſſaria; quia propria ſignificatione, vera etiam eſt oratio: ut ſenſus hic ſit: quod Chriſtus ut Angelorum Dominus, caterva eorum circumquaque ſtipatus, è cœlo in aerem deſcendet; Angeli verò divino ejus imperio ſervientes, ad electos imprimis colligendos, & coram tribunali Chriſti ſiſtendos, in terram deſcendent, & ad Chriſtum aſcendentes eos ipſi ſiſtent. Nam de Angelorum caterva dicitur Matth 25. 31 *Cum autem venerit Filius hominis in gloria ſua & omnes ſancti Angeli cum eo* & 2. Teſſ. 1. 7. ejuſdem hoc modo fit mentio, cum dicitur: *in revelatione Domini Jeſu, de cælo, cum Angelis potentiæ ſuæ.* Venturum autem Chriſtum in aërem 1. Theſſ. 4. 17. aſſeritur: mittendos denique ab eo Angelos in terram, ac reverſuros ad ipſum traditur Marc. 13. 26. *Et tunc videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli, cum potentia multa, & gloria: & tunc mittet Angelos ſuos, & cogent electos ejus à quatuor ventis, à terræ extremo ad extremum cœli*: & Matth. 13. 41. *mittet filius hominis Angelos ſuos, qui colligent ex ipſius regno omnia offendicula*, & v. 49. *prodibunt Angeli & ſeparabunt malos è medio juſtorum.* Quod ſane illuſtriſſimum eſt argumentum, quo probatur, Ieſum eſſe Dei Filium: quemadmodum illud ſimiliter propoſuit Matth. 26. 64. adjuratus enim ut diceret, an eſſet ille Filius Dei, reſpondit; *ab hoc tempore videbitis Filium hominis ſedentem ad dextram potentiæ, & venientem in nubibus cæli.* Quamobrem in propoſitis variis, de hoc Chriſti dicto Ioan. 1. 52. ſententiis (ut quænam maximè videatur vero conſentanea, exponamus) duas poſteriores cæteris antecellere arbitramur: quæ in eo conſentiunt, quod hic non narratur impletio aliqua ſomnii Iacobi Patriarchæ Gen. 28. ſed diverſæ rei promiſſio. Prima autem veriſimilis eſt ſententia: quâ ſtatuitur, Chriſti verba propriè accipienda, & citra controverſiam, ob Chriſti veritatem, impleta ſuo tempore: ſed impletionem illius ut multa alia, cognitu ad ſalutem noſtram non neceſſaria, ab Euangeliſtis conſultò omiſſa. Verum una difficultas obſtare videtur: quod talis Angelorum deſcenſus & aſcenſus, etiam Patriarchis & Apoſtolis, ut antè oſtendimus, fuerit communis: ideo inde probari non poſſe, Ieſum eſſe Filium illum Dei, qui tamen hujus promiſſionis citra controverſiam eſt ſcopus: ſed ad illud reſponderi poſſet, hunc deſcenſum, Chriſti juſſu factum (ut Cyrillus explicat) debere intelligi: aut ſaltem, cum reverentiæ Angelorum, tanquam Domino ſuo debitæ, teſtificatione. Altera vero, quæ aſcenſum atque deſcenſum hunc nondum factum eſſe, ſed ultimo demum judicio futurum, exponit, maximè videtur idonea: ut quæ ſolidè ac perſpicuè Jeſum filium hominis, eſſe ſimul filium illum Dei demonſtrat. Sed tamen aliqua etiam ſupereſt difficultas, quod non videatur hæc expoſitio verbis Chriſti ſatis convenire: ait enim, *videbitis Angelos deſcendentes ſuper filium hominis*, Angeli vero, ultimo judicii die, deſcendent quidem à Chriſto in terram, hominibus ad judicium colligendis, & cum iis ad Chriſtum aſcendent, ut jam ante ex Euangeliſtarũ teſtimoniis probatum; ſed tamen deſcenſus ſuper Chriſtum non videtur poſſe quadrare. Reſpondemus autem bifariam. 1. vocem ἐπὶ cum accuſ. conſtructam non ſolùm notare *ſuper*: ſed interdum *ſupra*, ut à doctiſſ. Lexicographis ac Grammaticis demonſtratur. Atque hoc modo rectè conveniet, quod caterva Angelorum, è cœlo cum Chriſto deſcendens, partim ipſum (ut ſtipatores, regem) præcedent: partim à tergo ſecuti deſcendentes ſupra ipſum conſiſtent, ut in ſimili Eſa. 6. 1. & 2. viſione dicitur: *vidi Dominum inſidentem ſolio & Seraphim aſtantes ſupernè*. Ideoque in hujus ſententiæ expoſitione ſupra diximus, Chriſtum è cœlo deſcenſurum Angelorum caterva circumcirca ſtipatum. Deindè reſponderi etiam clarius poteſt, ἐπ' αὐτὸν ſignificare *ad ipſum:* quod quemadmodum alii Angeli præibunt, alii ſequentes, ad ipſum deſcendent. Nam vox ἐπὶ, cum accuſ. non raró idem notat, quod præpoſitio Græca πρὸς, h. e. *ad:* quemadmodum Luc. 3. 2. *fuit verbum Domini ἐπὶ Ἰωάννην ad Ioannem*, & cap. 10. 9. *appropinquavit ἐφ' ὑμᾶς ad vos.* Quæ loca, ut ad hanc ſignificationem in N. Teſt. Lexico à doctiſſ. Paſore citata ſunt rectè: ſic alia ad rei ampliorem illuſtrationem addo, Act. 8. 26. *vade ἐφ' ὁδὸν ad viam*, & 10. 11. *deſcendens vas ἐπ' αὐτὸν* ad (non autem *ſuper ipſum*) ideoque exponitur cap. 11. 5. ubi eadem res repetitur: *& vas pervenit ἄχρις ἐμοῦ ad me uſque.* Neque huic expoſitioni obſtat, quod promittatur à Chriſto illud, quod demum ultimo die futurum: quia glorioſus Chriſti ad judicium adventus, conſpicuus, pertinet non minus ad conſolationem piorum, quam ad impiorum terrorem excitandum: ut Matth. 26. 27. *futurum eſt enim ut filius hominis veniat cum gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus.* Eademque prædictione uſus eſt Chriſtus coram impio Judæorum Synedrio c. 26. 46. ut ante oſtendimus. Quare ex his omnibus apparet, hanc de deſcenſu & aſcenſu Angelorum ad Chriſtum ſententiam, huic dicto Ioan. 1. 52. maximè conſentaneam eſſe.

Ex

Ex capite Ioannis secundo Quæstio prima è verſ. 11. orta.

POſtquam Ioannes Euangeliſta, illuſtre Chriſti miraculum (quo aquam copioſam, in nuptiis,in vinum generoſum converterat) deſcripſit, ſubjicit deinde præſtantiæ illius declarationem his verbis: *hoc initium ſignorum fecit Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtam fecit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Quo modo hujus miraculi ordinem,& effecta indicat, ordinem quidem,quod initium fuerit ſignorum Ieſu, h. e. primum illius miraculum: Effecta verò ejuſdem duo adjungit. Quorum primum, eſt manifeſtatio gloriæ ipſius, h. e. potentiæ glorioſæ; alterum verò, ex hoc procedens, eſt fides diſcipulorum, qui crediderunt in eum. Id quod non de fidei initio intelligendum: Nam jam antea credebant: ſed de illius continuatione, atque incremento, ut Ioan. 14.29. & 20.31. Quæſtio autem hic exſurgit: An hoc miraculum à Chriſto factum ſit juſta fidei in ipſum cauſa: qua ſc.credatur,ipſum eſſe Chriſtum, Filium Dei, ejuſdem cum Deo Patre eſſentiæ, ac verum Deum, cui ſoli cultus fidei convenit. Quæſtionis autem hujus ratio eſt duplex; prima; quod mutatio unius ſubſtantiæ in alteram, etiam à meris hominibus effecta: quemadmodum à Moſe & Aarone Exod.7.10. mutatus etiam baculus in ſerpentem, & verſ. 20. fluminis totius aqua, in ſanguinem, & cap. 8. 17. totus pulvis in pediculos mutatus. Deindè & altera etiam ratio eſt, quod Apoſtoli etiam majora fecerunt opera, ut Chriſtus teſtatur Ioan. 14. 12. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora iis faciet: nam ego ad Patrem proficiſcor.* Sicut Actor. 5. 12. dicitur: *per manus autem Apoſtolorum, edebantur ſigna & miracula multa in populo,* & verſ. 15. & 16 *adeo ut in plateas afferrent ægrotos, & ponerent in lectis ac grabatis,ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum. Conveniebat autem etiam vulgus vicinarum urbium in Ieruſalem, adducens ægrotos ac vexatos à ſpiritibus impuris, qui ſanabantur omnes.* Verum ſolutio eſt; mutationem aquæ in vinum à Chriſto factam: & mutationem aquæ in ſanguinem, à Moſe & Aarone,plurimum inter ſe differre: Moſes enim & Aaron eam nequaquam fecerunt ſuâ potentiâ: Nam ſola aquæ percuſſio iis attribuitur Exod. 7. 23. mutatio verò aquæ in ſanguinem (ut & reliqua omnia eorum miracula) à ſola Dei omnipotentia proceſſit ut verſ. 6. dicitur: *Ego verò obdurabo cor Pharaonis, ut multiplicem ſigna mea,& prodigia mea in terra Ægypti:* Eademque miraculorum à Prophetis editorum ratio eſt: qui tantum cauſa fuerunt miniſtra, efficiens antecedentia adjuncta, quibus Deus propriâ ſua potentia miraculi effectionem conjunxit. Ac propterea ex Moſis & Prophetarum miraculis, concludi non poteſt eorum omnipotentia, & fidei in ipſos cultus: Chriſtus verò inſitâ ſua ac divina potentia, ut Deus, caro factus, ac patefactus in carne, hanc mutationem, ut & alia miracula effecit. Idque indicatur à Joanne hoc loco, cum dicitur, manifeſtaſſe ſuam gloriam, h. e. glorioſam Deitatis ſuæ potentiam, ut Ioan. 1. 14. dicitur: *vidimus gloriam ejus ut unigeniti à Patre.* Quemadmodum etiam Luc. c. 6. 19. *& tota,* inquit, *turba ſtudebat eum tangere, quia potentia ab eo exibat, & ſanabat omnes,* & c. 8. 46. de ſanata à fluxu ſanguinis fœmina ait Chriſtus: *tetigit me aliquis, nam ego cognovi virtutem* ſeu vim *ex me exiiſſe.* Eademque eſt miraculorum Chriſti & Apoſtolorum differentia. Etſi enim majora Apoſtoli (teſte Chriſto Ioan. 14.) ediderint miracula: ea tamen non fuerunt inſita eorum vi facta, ſed per divinam Chriſti potentiam, miniſterio illorum conjunctam, ut Marc. 16. 20. aſſeritur: *Illi autem egreſſi prædicarunt ubique, Domino una operante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis:* & Act. 14. 3. dicitur Dominus teſtimonium perhibuiſſe ſermoni gratiæ, & dediſſe ut ſigna ac prodigia fierent, per manus eorum. Idemque diſertiſſimè Petrus Apoſtolus, miraculis maximè clarus, bifariam oſtendit: Primùm populo, ad claudi ſanati miraculum ab ipſo editum ſtupenti, profeſſus eſt Act. 3. neque propria vi, aut pietate ſeſe hoc effeciſſe verſ. 12. ſed nomen Chriſti verſ. 16. h. e. Chriſtum per metonym. adjuncti pro ſubjecto, ut Ioan. 2. 23. *crediderunt in nomen ejus* h. e. in eum. Deinde Act. 9. 34. paralytico dixit Petrus: *Ænea, ſanat te Ieſus Chriſtus, ſurge.* Quare cum Apoſtoli fuerint tantùm miraculorum, ratione accidentium, miniſtri: & quidem non ad ſuam gloriam,ſed ad Chriſti gloriam manifeſtandam: Chriſtus verò non minus horum, quam ſuorum miraculorum inſita ſua potentia extiterit author: & utraque ſint edita, ut probarent Euangelium, ſc. Jeſum eſſe Chriſtum Dei Filium Marc. 16. 20. & Act. 14. 3. & miracula Chriſti in eum etiam finem ſint conſcripta, ut id credamus Ioan. 20. 30. & 31. inde clariſſimè ſequitur, miraculis Chriſti rectè probari, ipſum eſſe Dei Filium, omnipotentem atque æternum cum Patre Deum, cui fides omnium Chriſtianorum merito innititur. Atque hactenus de prima hac quæſtione.

Altera quæſtio, de verſ. 23. & 24. conſenſu.

QUoniam de horum verſuum convenientia difficultas aliqua exiſtit: idcirco eam ſuccinctè explicare conabimur. Nam cum v. 23. dicatur: *multi crediderunt in nomen ejus,* hoc eſt, in Chriſtum: ſequenti verſ. 24. ſubnectatur, *ipſe autem Jeſus non credebat eis ſemetipſum, eo quod noſſet omnes:* ex hiſce diſſenſio quædam oriri videtur. Siquidem, uti objicitur, *credere in Chriſtum,* eſt amplius quàm *credere Chriſto,* nempe ſincera vivaque fide eum amplecti. Id quod hiſce Chriſti auditoribus tribuitur: & tamen iiſdem Chriſtus dicitur, ſeipſum non *crediдiſſe,* hoc eſt, commiſiſſe, quod noſſet omnes: quomodo non viva & ſincera fide præditos fuiſſe denotatur. Ac propterea hinc ſequi videtur, eoſdem Judæos viva fide crediдiſſe in Chriſtum, & ſimul tamen judicio Chriſti non crediдiſſe. Hunc nodum negatione conſequentiæ interpretes ſolvunt; ſed in ratione negationis inter ſe differunt. Quidam enim agnoſcunt, aliud eſſe credere in Chriſtum, quàm credere Chriſto, ſi propriè priorem phraſin illam accipiamus: impropriè verò per catachreſin, ſeu vocis quandam abuſionem idem denotare; atque hoc demum modo hoc Joannis loco accipi debere: ideoque quoniam non quicunque ita credit in Chriſtum, hoc eſt, Chriſto ſive doctrinæ illius ut veræ aſſentitur, ſit ſincerâ vivaque fide præditus, non mirum eſt, ſi Chriſtus ab hujuſmodi auditoribus tanquam infidis ſibi caverit. Alii verò negant illam objectionis hypotheſin antecedentem, videlicet quod credere in Chriſtum, & credere Chriſto, inter ſe differant: quaſi prius propriè ad vivam fidem pertineret; impropriè verò per catachreſin etiam ad mortuam ac temporariam ſeu inconſtantem accommodaretur. Atque ita clariſſ. Beza in annotat: ad hunc locum exponit: *in nomen ejus Hebraiſmus,* inquit, *pro ei, vel in eum: inter quæ duo vel nullum certè, vel non ita magnum eſt diſcrimen.* Quo etiam modo & Laurentius Valla ante explicarat in cap. 1. Joannis, & Bucerus præfatione in epiſtolam ad Rom. idem tradidit ac probavit: & poſt eos doctiſ. Druſius obſerv. lib. 3. c. 1. qui idem etiam locis aliquot rectè demonſtravit: in eo tamen nonnihil opinione ſua deceptus eſt, cum illud à doctiſſimis viris ignoratum, & à ſe primo inventum ſibi videri affirmat. Nam contrarium, non ſolùm ex Valla & Bucero: ſed etiam ex clariſſ. virorum Tremell. & Junii interpretatione communi, conſtat: qui Hebræam hanc phraſin: *credere in aliquem,* cum in prophetis occurrit, verterunt, *credere alicui:* ut uſus etiam ſcripturæ requirit. Nam Gen. 15. 6. de Abrahamo dicitur: *credidit in Iehovam,* pro Jehovæ, ut LXX. interpp. atque etiam Apoſtolus exponunt, ἐπίστευσε τῷ θεῷ, Rom. 4. 3. Id quod etiam collatione facta Moſis & Pauli, à Bucero in præfatione commentariorum in epiſtolam ad Rom. obſervatum: idemque ab Apoſtolo repetitur Gal. 3. 6. & Jac. 2. 23. quibus locis credere in Deum, & Deo, idem notant: & ut circumſtantia loci evincit, per Synecd. generis pro ſpecie, de viva fide dicitur utrumque. Deinde Exod. 14. 31. *Iſraëlitæ crediderunt in Iehovam, & in Moſen,* h. e. Jehovæ & Moſi, ut Iunius, & LXX Interpp. Deo & Moſi: Id quod non de viva fide, ſed de mortua ac fluxa intelligendum, ut in ejuſdem omninò hiſtoriæ repetitione exponitur diſertiſſime Pſal. 106. 12. & 13. *crediderunt in verba ejus* (id eſt, verbis ejus)

ejus) *cantaverunt laudem ejus: citò obliti sunt operum ejus, non perdurarunt ad consilium ejus*, & vers. 24. *non crediderunt verbo ejus*, sic 1. Sam. 27. 12. *& credidit in David*, id est, Davidi seu verbis illius fidem adhibuit, Prov. 26. 25. *ne credas in eum*, i. e. ei, & Jer. 11. 6. *ne credite in istos*, id est, istis: & Mich. 7. 5. *ne credite in amicum*, id est, amico, sic Jon. 3. 5. *& crediderunt in Deum*, h. e. (ut LXX. interpp. exponunt) Deo, seu verbis Dei per Prophetam Jonam. Id quod relatè intelligendum, ratione objecti verbi iis prædicati, nempè comminationis legalis, de interitu Ninives: non autem promissionis Euangelii, de remissione peccatorum & salute per venturum Messiam: quia id ipsis ignotum ac minimè prædicatum fuerat; Ideoque credidisse in Deum dicuntur, non quod fide in Christum promissum fuerint prædití, sed quod Prophetæ, interitum minantis verba, divina ac vera esse statuerint: ut alibi etiam ostendimus. Sic eodem omninò sensu, de Judæis iisdem dicitur Ioan. 8. 30. *multi crediderunt in eum* & v. 31. *dixit Iudæis qui crediderant ipsi*, & cap. 14. 11. *credite mihi*: pro quo v. 12. dicitur, *credens in me*. Deinde quod Actor. 9. 42. dicitur credere in Dominum, illud Actor. 5. 14. & 18. 8. credere Domino, diversâ constructione, sed manente eadem sententiâ exprimitur, ut etiam cap. 16. 31. mandatur commentariensi à Paulo: *crede in Dominum*, & de obedientia mandati dicitur v. 34. quod crediderit Deo; & 1. Ioan. 3. 23. *ut credamus nomini Filii ejus*: pro quo Ioh. 5. 13. dicitur: *ut credatis in nomen Filii Dei*, denique 1. Ioan. 5. 10. ait Apostolus: *qui credit in Filium Dei habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credidit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo*. Ubi perspicuè, credere cum præpos. *in*, & sine ea cum dativo constructum, eodem prorsus sensu adhibentur. Quamobrem ex copiosis ac perspicuis hisce, Sacrarum literarum documentis, constare potest, credere in Christum; & credere Christo, significatione non differre, sed convenire; ut sit generatim, fidem ei habere. Id quod per Synecdo. generis pro specie, pro subjecti, cui attribuitur diversitate, interdum de viva fide: interdum de mortua ac temporaria fide, ut hoc loco Iohannis, distinctè intelligendum. Deinde & illud observandum de hac phrasi: πιστεύειν εἰς αὐτὸν, Ioa. 3. 15. & 16. & 18. & 36. ἐπὶ τὸν κύριον Actor. 9. 42. & 16. 31. & 22. 19. ἐπ' αὐτῷ Rom. 9. 33. & 10. 11. & 1. Tim. 1. 16. hoc est, *credere in ipsum*: & *credere in ipso*, neque Græca phrasi, neque Latina, sine Solæcismo usurpari: Est enim merus Hebraismus à puritate Græci & Latini sermonis citra controversiam recedens: adeo ut nullum hujusmodi phrasis Græcæ, neque etiam Latinæ, in bonis ullis authoribus exemplum sit observatum. Quo hebraismo, cùm LXX. interpp. & Iudæi Græcè loquentes, sæpius uterentur; Apostoli similiter ut recepta phrasi in Ecclesia, Deo dirigente, sunt usi, & Græci Latinique Patres imitati sunt. Ideoque phrasis illius vis, non ex Græco sermone, multo minus ex Latino, ut à plerisque factum (quasi propriè esset fiduciam in aliquo collocare, eique quasi fundamento inniti, quemadmodum vim præpositionis *in* exponendam existimant) sed ex Hebrææ linguæ proprietate atque usu exponi debet: ut modo explicatum. Cœterum corollarii vice, & ad hujus loci Ioan. 2. 23. & 24. intelligentiam ampliorem, vocis πιστεύειν significatio generalis, strictim explicanda. Ea enim est triplex: una quidem propria, fidem adhibere seu assentiri: duplex verò impropria: prima, ut significet fidere, per meton. efficientis pro effecto: cui enim fidem adhibemus, ejus dictis fidere solemus. Altera impropria significatio, ex secunda illa modò explicata per similem tropum derivata, est concredere, seu fidei alicujus committere: hoc enim ex fiducia erga aliquem oritur. Prima autem significatio, quæ propria est, tam profanis, quàm sacris literis, citra controversiam est tritissima; secundæ verò (licet ea Græcis authoribus sit frequens) in Sacris tamen N. T. scriptis exemplum adhuc quærimus: unum autem eò spectare videtur Marc. 5. 36. & Luc. 8. 50. ubi Christus Jairo dicit: *ne metue, crede solummodo & servabitur*, sc. filia tua. Cum enim credere & metuere opponantur: credere non videtur aliud significare hoc loco quàm fidere, seu firmiter sperare. Verùm illud non necessariò sequitur; quia cum metus ex incredulitate oriatur; non solum fiduciæ, sed etiam fidei opponitur; quæ fiduciam parit & metum tollit. Et sanè Jairus credens Christo, opem illius petiverat: quam etiam Christus annuerat, & cum eo idcirco domum illius contendebat. Hanc autem fidem, mortis filiæ illius nuncius, ut importunam atque inutilem esse monuerat Luc. 8. his verbis *filia tua mortua est, ne fatiga magistrum*. Quocirca ne de filiæ salute dubitaret, atque ita metueret, Christus præcipit, ne metuat, sed solummodo credat, h. e. filiam suam per ipsum servandam sibi persuadeat. Tertia denique significatio, ut bonis scriptoribus Græcis usitata: sic hoc loco Joan. 2. 24. perspicuè usurpatur: *non credidit seipsum iis*. Nullum tamen aliud exemplum in N. T. in conjugatione activa observamus: in passiva cum alibi, tum Rom. 3. 20. ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, h. e. *iis credita sunt eloquia Dei*: & Gal. 2. 7. ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, *quod creditum mihi esset Euangelium*. Obiter denique quæri posset, quid significet Ps. 119. 66. *credidi mandatis tuis*. Ratio quæstionis est, quia credendi objectum, est illud quod pro vero habetur: atqui mandata nihil enuntiant veri, sed tantummodo imperant officium ideoque iis credi non posse videtur. Solutio autem est duplex: prima, ut voce *mandatorum*, per catachresin, verbum Dei enuntiativum intelligatur: altera, ut sit metony. subjecti pro adjuncto: quia mandata non nuda à Deo per Mosen sunt proposita: sed simul Dei nomine tradita, & adjunctis cùm obedienti, promissionibus, tum inobedienti minis firmantur. Atque horum adjunctorum respectu, David iis credidit: quod ea & à Deo verè profecta, & promissiones ac minas veras esse statuerit. Hactenus quæstionis ex Ioan. 2. 23. & 24. explicatio.

Quæstio tertia ex vers. 22. de convenientia experientiæ & fidei.

Digna est Euangelistæ Ioannis c. 2. 22. sententia: quæ paucis illustretur. Ea autem hæc est: *cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quod hæc dixisset, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem Jesus dixerat*. Occasio autem hujus sententiæ est primum antecedens Christi oratio, vers. 19. quâ mortem à Iudæis sibi inferendam: seque sua vi resurrecturum allegoriâ hac declaravit v. 19. *destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud*: in quo maximè miraculum consistit: & opportunè petentibus miraculum proponitur. Deindè eventus illius in Iudæis, nempè ignorantia, qui templum propriè de lapidea, ad cultum Dei structurâ, perperam intelligerent: cum Christus loqueretur de templo metonymicè accepto, hoc est, corpore suo, per pronomen *hoc* monstrato, & per templum adumbrato: quod in Christo non solùm Deitas esset sua gratia, ut in templo: sed etiam unitate hypostatica plenitudo Deitatis in eo habitaret corporaliter Col. 2. 9. Alia verò fidelium est ratio, quorum corpora Dei templa appellantur; quod ad cultum ejus sint sanctificata, & Spiritus sanctificantis gratia in iis sit. Scopus autem hujus sententiæ, est hanc Christi orationem, & eventum illius in Iudæis, amplius declarare: id quod fit ab eventu in Apostolis gemino, cùm præsente ante resurrectionem; tum consecuto post eam. Præsente quidem simili, quod sc. Christi verba non intelligerent. Licet enim illud non expressè dicatur: innuitur tamen consequente demum notitia ac fide: idque inde etiam probatur, quia Euangelistæ testantur Apostolos, etiam post hanc Christi orationem, cùm suam resurrectionem non obscurè sed planis ac perspicuis verbis prædixisset Matth. 16. 21. Luc. 9. 22. & alibi, nondum tamen intellexisse: ut Luc. 18. 31. 32. & 33. Christus prædixit discipulis, secundum prophetarum scripta se trucidandum, & tertiò die resurrecturum: & tamen vers. 34. subjicit Euangelista: *ipsi verò nihil horum intellexerunt: erantque ista verba ipsis occulta, nec cognoverunt quæ dicebantur*. Consecutus verò horum verborum Christi in Apostolis, post resurrectionem eventus, est utilitas orationis Christi duplex: Prima recordatio: altera verò fides habita, cum Prophetis (mortis & resurrectionis Christi prænuntiis) tum sermoni hujus Christi. Hoc tamen etiam post resurrectionem

nem

nem ipsis nuntiatum,non ante crediderunt, quam idem experientia didicissent, ut Luc. 24. cum mulieres resurrectionis Christi reipsa, & Angeli testimonio consciæ, Apostolis eam narrassent, dicitur v. 11. *sed visa sunt apud eos quasi deliramentum verba earum, neque crediderunt iis* : deinde licet Christus à resurrectione visus esset, Mariæ Magdalenæ, & jussu Christi resurrectionem, & ascensionem secuturam indicasset Ioan. 20. 17. & 18. Nihilominus nondum crediderunt ut Marc. 16. 11. dicitur : *illi verò cum audissent eum vivere & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt*, & v. 12. & 13. ne quidem duobus discipulis quibus Christus apparuerat & multis suę resurrectionis fidem fecerat ut Luc. cap. 24. docetur) credidisse dicuntur. Idemque probat v. 14. secuta à Christo, ea occasione Apostolis se patefaciente, exprobratio illius incredulitatis, cum dicitur: *Postremò unà sedentibus ipsis undecim, exhibuit sese, & exprobravit incredulitatem eorum & cordis duritiem, quod iis qui ipsum conspexerant excitatum, non credidissent.* unde jam quæstio exurgit, quomodo potuerint tum credere? Ratio quæstionis est, quia experientia, quæ sensu : & fides, quæ dicentis authoritate nititur, non videntur posse consistere. Nam quemadmodum ex Aug. vulgò dici solet, *si vides, non est fides.* Verum solutio est, non esse contradictionem in hisce, si quis accuratè consideret ac distinctè: quia experiri ac videre, & credere, non dicuntur ad idem, seu respectu ejusdem objecti: sed diversi. Nam experientiæ ac visus objectum, fuit hac in re apparens ac visum Christi corpus: fidei verò objectum, fuit aliud, nempe verbum Christi : quemadmodum hoc loco Ioan. 2. dicitur : *& crediderunt Prophetis & sermoni Christi.* Quod autem dicitur Ioann. 20. 29. à Christo : *quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt*; eo non indicatur objectum fidei esse visum : sed causam, quæ in memoriam revocavit Christi dicta, & fidem excitavit, ut de Apostolis communiter hoc loco Ioan. 2. dicitur: *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quod dixisset : & crediderunt scripturæ*, (quam scil. iis Christus, & ante resurrectionem, & post exposuit, & ut eas intelligerent effecit Luc. 24. 44. & 45.) *& sermoni quem Jesus dixerat.* Scripturę autem credidisse dicuntur ante mortem à Christo memoratæ, partim repetitione dictorum post resurrectionem facta, & partim interna mentis illustratione per Spiritum Sanct. ut Luc. 24. 44. & 45. *dixitque iis: hi sunt sermones quos locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum: oportere impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, ac Psalmis de me. Tunc aperuit eorum mentes ut intelligerent scripturas.* Ex quibus etiam verbis colligitur, causam incredulitatis Apostolorum, non fuisse pravitatem: sed ignorantiam: quod quæ de Christi resurrectione in Prophetis prænuntiata, & à Christo consentaneè indicata, nondum intelligerent : sed tam propriè, quam allegoricè à Christo de ea dicta, latentem aliquam significationem habere existimarent: præjudicio communi Iudæorum ex parte abrepti: quod regnum Christi, non solum spirituale, sed etiam corporale in his terris futurum sibi fingerent, ut Matth. 20. 21. cui errori Christus ibidem passionem & mortem suam opponit v. 22. Imo licet Christus iis mortem suam & resurrectionem prædixisset, nihilominus primum ipsi ignorabant hoc dictum & timebant eum interrogare Mac. 9. 31. & 32. ac deinde nihilominus de magnitudine atque honoris præstantiâ apud Christum inter se contendebant v. 33. & 34. denique in cœna etiam ultima, postquam Christus corporis sui fractionem, & sanguinis effusionem prædixisset, & unum ex ipsis proditorem fore; deque eo inter se disquirerent : nihilominus regni mundani opinione quasi fascinati, inter se de dominatu contendere cæperunt Luc. 22. 23. & 24. Sed quærat hic aliquis; Cum resurrectionem Christi etiam ipsis annuntiatam primum non crediderint : an igitur nullam omninò habuerunt resurrectionis Christi fidem? Resp. ipsos resurrectionem illius, non absolutè dici non credidisse, sed relatè tantum, respectu nempe temporis præteriti : hoc est, non jam factam tertio die : obliti enim erant sermonum Christi, quorum postea viso Christo, ipsisque in memoriam eos revocante atque illustrante mentum Luc. 24. 44. & 45. recordati sunt atque intellexerunt Ioann. 2. 22. Sed cum mortuum certò scirent, futuram illius resurrectionem saltem ultimo die, pro communi Iudæorum, exceptis Sadducæis, fide Ioan. 11. 24. Actor. 23. 8. crediderunt. Atque hactenus de capitis secundi Ioannis versu ultimo.

Ex Capite Tertio Iohannis, Quæstio Prima, Quid sit, genitum esse ex aqua & spiritu?

Celeberrima est Christi ad Nicodemum responsio Ioa. 3. 5. *Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Cujus occasio est duplex: remota & proxima. Prior est antecedens ejusdem materiæ doctrina v. 3. proposita : *Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo &c.* Quibus verbis Nicodemo viam ad salutem à Christo cognoscere desideranti, eam indicavit : nempe regenerationem ad salutem esse necessariam. Proxima verò occasio, est Nicodemi ignorantia: qui regenerationem hanc, metaphoricè à Christo dictam, indoctè omninò, significatione propria accepit vers. 4. Scopus autem seu finis est, ut errorem hunc corrigat. Modus autem, quo ad eum tendit, idoneus, est hæc responsio : quia antecedentem suam doctrinam, expositione interpositâ, repetit, atque ita docet, eam non de corporali, sed de spirituali regeneratione esse intelligendam. Constat autem hæc, ad Nicodemum responsio Christi, duobus membris; nempe exordio, & propositione doctrinæ. Exordium autem accommodatissima est ad rem ipsam introductio, quæ ad attentionem & docilitatem, ac fidem illius excitandam, authoritatis & veritatis rei proponendæ declaratione, pertinet. Authoritatem enim indicat cum ait : *ego dico tibi.* Quibus testatur se esse authorem sequentis dicti : se inquam, quem Nicodemus ex miraculis editis, à Deo missum esse, ac dirigi v. 2. cognoverat ac professus erat. Veritatem verò cum ad vocem *dico* addit, *amen.* Cujus vocis significatio prima, est *verus*; altera, *verè* : idemque notat quod ἀληθῶς Luc. 9. 27. λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς : idem enim Matth. 16. 28. exprimitur voce Hebræa in Ecclesia consueta, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, & eodem sensu alia phrasi Luc. 4. 25. ἐπ' ἀληθείας λέγω ὑμῖν. Geminatur autem ad certitudinis amplificationem, & majorem attentionem ac fidem excitandam *amen, amen*; verè, verè, id est, verissimè. Ac propterea ob dicentis Christi authoritatem, & dicti illius qualitatem, nempe veritatem insignem, Nicodemo attentè ac docili fide amplectendum illud esse, hoc exordio indicatur. Propositio autem responsionis est ; *nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest videre regnum Dei*; quâ eadem, quæ de regeneratione brevius antè dixerat, expositione clariori illustrat. Cujus propositionis hypotheticæ partes sunt duæ: antecedens, & consequens ex eo. Antecedens est: *nisi quis genitus fuerit ex aqua & spiritu.* Quibus Christus exponit, quid præmissis illis verbis : *nisi quis genitus fuerit denuo*, intelligat, expositione causæ regenerationis efficientis, ex aqua & spiritu, quod scilicet regenitum esse, sit genitum esse ex aqua & spiritu : ideoque non propriam ac carnalem generationem intelligi : sed impropriam ac spiritualem, quæ non ejusdem sit generis, cum carnali: (qualem sibi fingebat Nicodemus) sed alterius; utpote quæ similitudine quadam, à carnali generatione deducta, ita appelletur. Quæ non in hominis formatione; sed in qualitatum illius reformatione sive sanctificatione consistit. Et quidem ut una est generatio carnalis, quod homo semel tantum generetur : sic una tantum est spiritualis; quod homo ex spiritu semel tantum generetur, quæ secunda generatio seu regeneratio, non ratione sui, quasi eadem bis fieret, sed ratione oppositionis primæ, quæ carnalis est, sic dicitur; ideoque ne duplicem regenerationem fingeret Nicodemus, non ait : nisi quis fuerit genitus denuo ex aqua & spiritu, sed genitus. Quæ generatio non homo : sed novus homo Eph. 4. 24. & Coloss. 3. 10. & nova creatura 2. Cor. 5. 17. metaphoricè vocatur, quod ea regeneratione, mens erroribus impura : & cor desideriis immundum, sanctitate nova reformantur. Cujus causa efficiens hoc loco exponitur : *aqua* nimirum *& Spiritus.* De qua re, inter interpp. partim consensio est; partim dissensio. Consensio

sensio quidem est, voce *Spiritus* tertiam Deitatis personam, nempe Sp. S. intelligi, eumque revera esse regenerationis seu sanctificationis authorem, 1. Pet. 1. 2. & 22. 23. de qua re simili metaphora, locus illustrissimus extat Ezech. 36. 26. *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & amovebo cor lapideum: indam vobis cor carneum* (i. est, non vitiosum, sed molle ac docile, ut oppositio lapidei cordis docet) hæc regeneratio: causa verò subjicitur versu proximo 27. *& spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam, ut in statutis meis ambuletis &c.* Dissensio verò est inter Theologos de significatione vocis *aquæ*. Quidam enim eam de aqua corporali: & quidem per Synecd. generis pro specie excellentissima, seu κατ' ἐξοχὴν, de aqua Baptismi interpretantur: unde non solum Ubiquitarii, Pontificios secuti: sed etiam olim communi, Augustini tempore, opinione, baptismum ad salutem absolutè necessarium esse statuerunt, ut sine eo nemo, ne infantes quidem, vitam æternam consequatur: quemadmodum ex Innocentii Pap. Romani ad Concil. Milevita. epistola (quæ inter Augustini epistolas posita est. 93) & ex variis Augustini & aliorum dictis apparet. Alii vero contrà *aquam & spiritum*, hoc loco, idem notare: & *aquam*, metaphoricè accipi, additaque voce *spiritus* exponi judicant. Quæ sententia antecedenti non immerito præferenda. Primum quia analoga est scripturæ & contextui: neque refutari potest ullo argumento solido. Analogam autem esse ex eo liquet: quia complectitur doctrinam S. literis, & huic loco, citra ullam controversiam, consentaneam, & phrasin etiam usitatam: quemadmodum Esa. 44. 3. *effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum*; ubi *aqua* & *spiritus*, eodem sensu proferuntur: & Ezech. 36. 25. *& effundam super vos aquam mundam &c. & spiritum meum ponam in medio vestri* & Ioan. 7. 38. & 39. *aquæ* voce Christus spiritum intelligit. Qualis etiam Phrasis (ut à Calvino aliisque rectè observatum) extat Matth. 3. 11. *baptizabit vos Spiritu S. & igni.* Quo in loco *ignis*, non significat aliquid à Sp. S. diversum: sed idem omninò, per metaphoram: quia vis Spiritus Sancti, ignis similitudine, eleganter adumbratur. Nam quod objiciunt, ignem hoc loco non Sp. S. significare: sed signum linguarum externum, cum interna linguarum notitia conjunctum Actor. 2. illud omninò alienum est. Nam baptismus Spiritus & ignis, à Ioanne Baptista, auditoribus, eoque Dei Ecclesiæ communiter promittitur: contra verò linguarum illarum ignearum signum, & eo signatum cognitionis linguarum efficacis donum, non fuit commune: sed Apostolis ac paucis aliis proprium; ut 1. Cor. 12. 10. & 11. dicitur, *Alii vero* (scil. donatur) *prophetia: alii descretiones spirituum: alii vero gratia linguarum: alii verò interpretatio linguarum: sed omnia hæc efficit unus ille spiritus, distribuens privatim singulis sicut vult*, & v. 30. *num omnes donum habent sanationum, omnes linguis loquuntur, num omnes interpretantur?* Quomodo autem hæc sententia etiam extendatur ad dona illa extraordinaria, ad Matth. cap. 3. exposuimus. Cœterum antecedentibus argumentis, probabile addi solet, nempe voce *aquæ & Spiritus* idem denotari: quod cum Christus rationem subjiciat, cur ad regnum obtinendum oporteat regenerari aqua & spiritu, nihilominus solius generationis ex spiritu meminit vers. 6. Deinde solidum argumentum est præterea: Aqua quæ hic intelligitur, certò regenerat. Aqua baptismi non certò regenerat. Ergo aqua baptismi non est aqua quæ hic intelligitur. Propositio verbis Christi, & confessione adversariorum nititur. Assumptio exemplo Simonis Magi demonstratur, qui Act. 8. 13. baptizatus dicitur, & tamen non fuit regenitus, ut descriptio illius demonstrat, & Petrus declarat v. 20. & 21. Præterea regeneratio (quæ fide, spe, charitate, ut adversarii etiam agnoscunt, constat) in adultis antecedit baptismum Marc. 16. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit*, & Act. 8. 37. *si credis ex toto corde, baptizari licet*, & 10. 47. exemplum etiam Cornelii demonstrat, qui fide & Sp. S. ante baptismum fuit præditus. Ergo regeneratio non est effectum baptismi proprium, quod Advers. contendu. ~ Quod autem baptismus nos servare dicitur: illud non ratione originis atque inchoationis, sed confirmationis dicitur: quia fidem excitando, sanctificationem confirmat per Sp. S. efficaciam. Verbum enim Euangelii, causa instrumentalis est regenerationis per Sp. S. 1. Pet. 1. & potentia Dei ad salutem Rom 1. sed sacramenta sunt causa confirmans instrumentalis: idque mediatè per fidem, quam excitant ac firmant. Denique necessarium argumentum deducitur ex consequente hujus sententiæ; nimirum *non potest introire in regnum Dei*, hoc est, vitâ æternâ in cœlis frui, unde hic oritur verus elenchus, quo sententia adversariorum confutatur, hujusmodi: Aqua, de qua hîc Christus loquitur talis est, ut sine ea nullus possit introire in regnum Dei. Atqui aqua baptismi talis non est, ut sine ea quis non possit introire in regnum Dei. Ergo aqua baptismi non est aqua, de qua Christus hic loquitur. Propositio est Christi sententia: Assumtio probatur 1. ex adversariorum expositione, qui agnoscunt defectum baptismi, martyrio & voto baptismi, cum obtineri non potest, suppleri, atque ita hominem regenerari ac servari. Deinde vulgò, & quidem rectè assumtionem etiam probant 1. exemplo latronis non baptizati: cui precanti Christum in cruce his verbis, *Jesu Domine! memento mei, cum veneris in regnum tuum*, dixit Jesus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* Luc. 23. 42. & 43. deinde quod distinctè Christus dicat Marc. 16. 26. *qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui verò non crediderit condemnabitur.* Quo discrimen statuitur fidei, ut omninò ad salutem necessariæ, & baptismi, ut mandati quidem, sed sine quo, si absit contumax contemptus, salus obtineri possit. Quibus addimus, ex hypothesi Pontificiorum contra ipsos argumentum, ab Apostolorum exemplo petitum. Hypothesis enim eorum est Concilio Trid. definita sess. 7. baptismum Joannis, fuisse alium, quàm Christi; illo Spiritum S. non datum: hoc verò dari: & per aquam hoc in loco baptismum Christi intelligi statuunt. Unde assumtionem hoc modo confirmamus: Apostoli introierunt in regnum Dei: Apostoli non fuerunt baptizati aquâ baptismi Christi. Ergo aliqui non baptizati aqua baptismi introierunt in regnum DEI. Propositio certa est Luc. 10. 20. & confessa etiam ab adversariis. Assumtio inde constat, quia solo baptismo Joannis baptizati sunt: aqua verò à Christo non sunt baptizati: sed Christus alios baptizavit Joann. 3. 26. *ipse baptizat, & omnes veniunt ad ipsum*: sed tantum per discipulos, ut cap. 4. 2. *quamvis Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus*: quos Apostolos fuisse, selectos nimirum ad ministerium discipulos, controversia caret. Nam quod Bell. de Baptismo lib. 1. c. 9. ait, *Christus autem non baptizabat quidem ordinariè per se, sed per discipulos Joan. 4. tamen aliquem vel aliquos sine dubio baptizavit, ut scribit Aug. in epist. 108. ad Seleucianum: & Evodius Apostoli Petri successor in Antiocheno episcopatu scribit, beatam virginem & S. Petrum ab ipso Christo baptizatos, ut refert Nicephorus lib. 2. hist. c. 3. & Euthy. in 3. Joan.* Id inquam humanum est figmentum, scripturæ adversum: quæ diserte verba illa, quibus c. 4. 1. Christus baptizasse dicitur, exponit vers. 2. Christum ipsum non baptizasse, sed discipulos: neque ullum omnino extraordinarii baptismi facit indicium. Ideo postea Bell. ait: *Christus & Paulus majoribus rebus intenti, baptizandi officium aliis committebant, ut patet de Christo Joan. 4. & de Paulo Act. 19.* Quare ex hisce omnibus consequitur, *aquam* in hac Christi sententia, non significare aquam baptismi: sed Spiritum Sanctum. Ac propterea quod Concil. Trid. ei, qui baptismum ad salutem non necessarium dixerit, anathema (obtentu hujus sententiæ: *nisi quis natus fuerit &c.*) denunciat Sess. 7. de baptis. can. 2. & 5. ut brutum fulmen meritò contemnendum. Nam quod consensum Patrum obtendunt plurimorum, ei cum Luthero aliisque Theologis S. Scripturæ consensum jure meritoque opponimus, præsertim cum in doctrina de necessitate sacramentorum ita aberrarint illi, ut ne ipsi quidem Pontificii, sine insigni dissensione, iis consentiant. Id quod illustrissimo Papæ Romani antiqui exemplo comprobatur. Nam Innocentius I. Pontifex in epistola sua ad Patres Concilii Milevitani (quæ inter August. epistolas est 93.) sic ait: *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos ætern-*

los æternæ vitæ præmiis sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducarint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habent vitam in seipsis. Qui autem hanc iis, sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant, hoc habere, quod in eos creditur non nisi baptismo conferendum. Quibus verbis Innocentius, pro illius ævi errore communi, baptismi & Eucharistiæ ad salutem consequendam necessitatem etiam in infantibus, scripturæ abusu statuit: baptismi quidem, ex Joan. 3. *nisi quis genitus fuerit, &c.* Eucharistiæ vero ex Joan. 6. *nisi manducaveritis.* Quorum alterum, nempe de Eucharistiæ necessitate, contra Papæ sui definitionem, & communem Patrum illius ævi sententiam, non solum Concil. Trid. improbat, sed etiam anathemate ferit, sess. 21. can 4. *Si quis dixerit parvulis antequam ad discretionis annos pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit.* Priorem vero, de baptismi ad salutem necessitate, errorem, ut veram sententiam tuetur, & contradicentibus anathema denunciat idem Concil. sess. 7. de baptis. can.2.& 5.ut ante ostendimus. Nostri verò illud decretum, ex abusu Joan. 3. 5. extructum & gravibus rationibus ante confutatum, meritò aversantur. Atque hactenus de prima hac quæstione ex Ioan. 3. 5. petita, quod baptizari aqua & spiritu idem significent.

Digressio, qua succinctè narratio missionis Spiritus Sancti, Actor. 2. v. 1. 2. 3. 4. proposita, explicatur.

QUoniam de regeneratione per Sp. S. egimus non abs re futurum arbitramur, si de missione Spiritus Sancti Actor. 2. versibus quatuor prioribus explicata, brevi digressione, expendamus: ita enim fiet, ut quæ jam ante de baptismo Spiritus & ignis à nobis sunt proposita, melius intelligi queant: & scrupuli, qui occurrere possunt, facilius removeantur. Ut autem ab idoneo exordio initium faciamus, & ad rem deinde commodius perveniamus, ita non inconcinnè formari posse videtur. Ut Apostoli Euangelium omnibus gentibus rectè prædicarent, duo erant necessaria: primùm vocatio divina: deinde dona ad fidelem illius executionem necessaria. Ac propterea Christus utrumque iis conferre voluit, atque etiam contulit. Nam primùm ante ascensionem suam, ad Euangelium omnibus gentibus prędicandum vocavit Matth. 28. & Actor. 1. v. 8. deinde cum donis, ad eam rem præstandam nondum essent præditi: sed in fide, charitate & constantia necessaria, omninò infirmi, & docendi facultate ac linguarum necessariarum notitia destituti: donis hisce omnibus abundè instruere voluit, atque reipsa per Sp. S. admirandam operationem instruxit. Voluntas enim ex promissione: res ipsa verò ex impletione illius declaratur. Promissio enim primum ante mortem facta describitur Ioan. 14. 16. 17. *Ego, inquit, rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: spiritum illum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non novit eum, neque cognoscit eum: vos vero cognoscitis eum, quia apud vos manet, & apud vos erit:* & c. 16. 12. & 13. *multa habeo vobis dicenda: sed nunc ea ferre non potestis, cum verò venerit spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Deindè eandem promissionem repetivit Christus post resurrectionem, & Apostolorum officium simul præscripsit Actor. 1. 4. 5. *denunciavit iis ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum Patris: quod inquit audistis ex me. Nam Ioannes baptizavit quidem aqua: vos autem baptizabimini Sp. S. & igni, istis non multis post diebus.* Cujus promissionis & mandati impletio Actor. 2. quatuor prioribus versibus describitur: quæ descriptio duabus constat partibus: quarum prima, est de adjuncta donationis Spiritus S. circumstantia: altera verò de donatione ipsa. Circumstantia autem est duplex ac v. 1. exponitur, tempus nimirum & Apostolorum ad Spiritum S. accipiendum præparatiò. Tempus autem exprimitur his verbis: *& cum compleretur dies Pentecostes.* Quibus & dies certus, & pars illius definitur. Dies erat Pentecostes: quæ Græca vox πεντηκοστὴ, *quinquagesimam* notat; & per ellipsin vocis ἡμέρα *dies*, τὴν ἑορτὴν festum è tribus anniversariis secundum significat, ut etiam Actor. 20. 16. & 1. Cor. 16. 8 quod die quinquagesimo, initio ducto post diem primitiarum, seu inde à tertio die Paschatis, Hierosolymis ab omnibus Iudæis masculis eo congregatis erat celebrandum, ad peractæ messis gratitudinem testandam Levit. 23. 15. & 16. Exod. 23. 16. & 17. & 34 22. & 23. Deut. 16. 9. 10. 16. Pars autem hujus diei Pentecostes; quâ missus Spiritus, declaratur, cum additur: *cum compleretur.* Nam licet multi ad initium diei referunt, atque interpretantur, *cum advenisset*: ut prolixè hanc rem tractat clarif. Beza: potius tamen significatione magis propria, de die ad finem vergente, intelligendum arbitramur. Nam diei illius quinquagesimi, (qui à vespera ad vesperam extendebatur Genes. 1. 5.) bona pars erat jam completa, hora nimirum tertia diei, à solis ortu Act. 2. 15. adeo ut novem tantum, è viginti quatuor horis, superessent complendæ. Hoc autem tempus, fuit valde idoneum, ad Sp. S. donationem: primùm ratione promissionis illius: deinde ratione finis. Promissionis quidem ratione: quia Christus die quadragesimo à resurrectione Apostolis suis Sp. S. promiserat, post paucos dies mittendum Act. 1. 5. pauci autem sunt, dies decem: decimus enim à Christi ascensione fuit dies Pentecostes. Deinde dies hic fuit idoneus, ratione finis donationis Spiritus: nempè ut prædicatione Apostolorum, Sp. S. donati miraculum omnium nationum hominibus piis, ad festum congregatis innotesceret: & Ecclesiæ ex iis colligendæ inserviret, ut etiam trium circiter millium conversione v. 41. inserviit. Cui etiam rei matutinum tempus, cum festum hoc compleretur, fuit opportunum: ut majorem attentionem bonorum, in donorum Spiritus patefactione excitaret: & maledicorum ora fortius obturaret, sicut factum esse vers. 12. & 15. traditur. Atque hæc de temporis, nempè diei Pentecostes; & quidem matutini, circumstantia. Altera verò, est recta Apostolorum ad Spiritus Sancti receptionem præparatio, quæ his verbis strictim continetur: *erant omnes concorditer in eodem loco;* quibus ostenditur eorum sese præparantium numerus, & modus. Numerus, cum dicitur, *omnes*, h. e. Apostoli, duodecim, nemine eorum excepto, neque officium negligente: quorum scil. versu proximè præcedente cap. 1. v. ult. meminerat: ad quos duodecim Apostolos vox *omnes*, sua constructione omninò refertur, ut etiam cap. 2. 14. exponitur: adeo ut missi Sp. S. hoc die, subjectum fuerint omnes & soli Apostoli: sicut etiam iis peculiariter Sp. S. donatio cap. 1. promissa, ut pluribus rectè à clarif. Beza observatum. Ex quo pleno Apostolorum numero, discrimen apparet, ab antecedente eorum numero à Christo selecto. Nam ut ait Ioan. 6. 70. *duodecim quidem elegerat: sed unus eorum erat diabolus*, h. e. metaphoricè Diabolo similis, mendax & homicida Joann. 8. 44. Matth. 26. 47. 48. Actor. 1. 19. sed Matthia jam in locum ejus recens electo Actor. 1. 26. omnes fuerunt sancti Apostoli, Apoc. 18. 20. & 21. 14. qui sese ritè, Sp. S. expectantes præpararunt: ut deinde modus præparationis ostendit, cum dicitur: *erant concorditer in eodem loco.* Qui modus duplici convenientia describitur, primum loci, deindè cordis seu animi. Quibus modis, Christi, Sp. S. promittentis mandato, paruerunt; quo cœlum ascensurus præceperat, ut Hierosolymis commorarentur, donec induerentur potentiâ ex alto Luc. 24 49. & Actor. 1. 4. *denunciavit ne abscederent Hierosolymis sed expectarent promissum Patris, nempe Sp. S.* Quod mandatum duobus gradibus complêrunt Apostoli. Primùm quod eo accepto, Christoque in cælum ascendente, ipsum adorarint, & reversi sint Hierosolymam cum gaudio magno Luc. 24. & in eadem domo sint commorati. Actor. 1. 13. & die Pentecostes omnes in eodem loco erant, ut hoc loco Actor. 2. 1. traditur. Quæ convenientia loci ac congregatio, ad Sp. S. expectandum fuit opportuna: quia Christus iis non separatis: sed in unum congregatis ac conjunctis (ut ad unum munus destinatis) Sp. S. donare statuerat: quemadmodum etiam congregatis in nomine suo præsentiam suam communiter addixerat Matth. 18. 20. Altera convenientia Apostolorum, est cordis seu animi, cum dicuntur non tantum unâ fuisse, sed etiam *concorditer.* Quæ concordia fuit duplex, una in charitate mutua inter

inter se: altera in communi eorum charitate erga Deum, seu pietate: ut plenius exponitur, c. 1. 14. *Hi omnes perdurabant concorditer in oratione & deprecatione.* Ubi concordiæ perseverantia, & effecta illius, sc. officia pietatis communia declarantur, nempe oratio pro bonis promissis; deinde deprecatio pro malorum aversione; Quo modo ad Sp. S. dona illa copiosa, atque admiranda accipienda rectè sese præpararunt. Nam charitas mutua necessaria iis erat ad rem promissam obtinendam Matth. 18. 19. & 35. & 6. 12. 14. & 15. quemadmodum etiam charitatis erga Deum ac fidelis precatio Luc. 11. 9 *petite, & dabitur vobis* & v. 13. *quanto magis Pater cœlestis dabit vobis Sp. S. petentibus ipsum,* & Iacob. 1. 5. *si cui desit sapientia, postulet eam à Deo:* & v. 6. *postulet autem cum fide.* Ac propterea etiam Apostoli, ut Sp. S. dona miraculosa ipsis promissa, obtinerent, rectè precibus, iisque constantibus sunt usi: ut fidem suam erga promissa Dei testarentur, ipsumque tanquam Spiritus datorem agnoscentes celebrarent. Unde evenit, ut quemadmodum Apostoli hac præparatione convenientiæ in eodem loco Hierosolymis, & concordiæ in charitate, cùm mutuâ, tum erga Deum pietatis exercitiis: debita obedientia Christi mandatum impleverunt, sic vicissim Christus suam promissionem de Spiritus S. missione fideliter adimplevit, ut v. 2. 3. 4. docetur his verbis: *Tunc extitit*, &c. quibus secunda hujus descriptionis de Sp. S. missione pars continetur: qua donationis Sp. S. modus, & eventus declaratur. Modus est autem prorsus miraculosus: qui consistit, partim in adjunctis donationis Sp. S signis externis: partim in ipsa significata internæ donationis illius gratiâ. Signa autem externa sunt duplicia: quorum primum fuit auditum; alterum visum: ut pluribus sensibus eruditi, in officio præstando amplius confirmarentur. Et auditum quidem signum, fuit ventus vehemens ac resonans, ut v. 2. declaratur: *Et extitit repente è cœlo sonitus, tanquam delati flatus violenti: & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Ventus autem hic describitur à magnitudine sua, & ab effecto. Magnitudo indicatur, cum dicitur *tanquam* (vel utpote) *flatus delati violenti.* Effectum vero est sonitus quem edidit: qui declaratur adjuncto suo, & subjecto. Adjunctum est celeritas, quod scil. non paulatim ac sensim, sed repente; seu ex improviso, ἄφνω, id est, ἀφανῶς, cum nihil minus appareret, aut expectaretur, sit ortus. Subjectum verò est locus duplex: unus è quo & alter ad quem pervenerit. Primus est cælum, h. e. ex alto: alter est tota domus, in qua Apostoli sedebant: quam implevit, non autem alia loca. Quibus simul indicatur, non naturalem, sed præternaturalem ac particularem illi domui ventum extitisse Sp. S. potentia, è sublimi, in Apostolorum gratiam excitatum: quo signo Sp. S. & illius in Apostolis efficax operatio, denotatur. Nam primò, ut ventus delatus seu ruens, & violentus pervadit libero suo ac forti impetu eique obsisti non potest: sic Spiritus Sanctus non solùm in regeneratione, de qua agitur Iohann. 3. 8. potentiâ sua insuperabili utitur, afflatu suo interno Ephes. 1. 17. 18. 19: sed etiam extraordinario miraculo eandem in Apostolis augens, & dona ad Euangelium omnibus gentibus prædicandum conferens, iis sapientiam & fortitudinem invictam contulit: ut promissio & experientia probavit. Promissio Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere ulli, qui se vobis opponunt.* Experientia verò prædicatione Euangelii, & reprehensione libera, animoque adversus pericula, ad pervadendum, in officio constanti comprobavit, Actor. 2. 15. & 23. & 3. 15. & 4. 8. 10. 11. 19. Deinde ut ventus ac sonitus illius fuit repentinus, & è cœlo delatus, domumque ubi considebant Apostoli, implevit: sic etiam omnes Apostoli Sp. S. potentiâ sunt induti ex altò (id est cælo) secundum promissionem, Luc. 24. 49. ut etiam experientia comprobatur Act. 2. 4. eorumque ministerio sonitus Euangelii per afflatum Spiritus S. ad fines orbis pervasit: ut Rom. 10. 18. traditur. Atque hæc de primo donationis Spiritus S. signo, nempe audito: alterum est signum visum, nempe linguæ, de qua re v. 3. *& visæ sunt iis dispertitæ linguæ, instar ignis, seditque super unumquemque eorum.* Linguæ autem signum describitur 1. ab adjuncto, deinde à subjecto, seu quales sint visæ, & super quosnam. Adjunctum autem indicatur duplex: unum quod fuerint *dispertitæ*: alterum quod fuerint *instar ignis*. Subjectum verò statuuntur singuli Apostoli: nam super unumquemque eorum sedisse dicuntur. Cujus signi gratia significata fuit per linguas quidem dispertitas, infusa per Sp. S. variarum linguarum notitia adumbrata, quæ ad Euangelium omnibus gentibus (pro mandato officio Matth. 28.) prædicandum, erat necessaria. Nam quemadmodum, cum una initio esset omnium hominum lingua, ad superbam turris Babylonicæ structuram impediendam, hominesque dispergendos varietas linguarum divinitus, pœnæ loco, fuit introducta Gen. 11. 6. 7. 8. 9. sic contrà ad homines variis linguis divisos, prædicatione Euangelii congregandos, atque uniendos, & ad Ecclesiam Dei, ex omnibus gentibus extruendam, variarum linguarum notitia singulis Apostolis benignè fuit donata, ut omnes intelligerent, & ab omnibus eo beneficio intelligerentur; quemadmodum experientia demonstrat Actor. 2. 6. 7. 8. Deinde quod linguæ fuerunt instar ignis, ea re designata fuit internæ gratiæ vis quasi ignea, simul cum linguarum variarum notitia, per Sp. S. infusa. Nam ignis duas habet qualitates, lucem & calorem. Ac luce quidem illuminat, & recreat sive exhilarat: calore verò accendit & purgat. Sic etiam Apostolis infusa fuit primùm quasi lux spiritualis, interna scilicet gratia, qua & & mens illustrata à Spiritu S. à quo (secundum promissionem Christi Ioh. 16. 13.) deducti sunt in omnem veritatem: & cor eorum eadem luce recreatum atque exhilaratum, cùm consolatore, veritatis Spiritu in æternum cum iis mansuro, sunt donati, Ioan. 14. 16. Secundò ignis hujus spiritualis calore partim accensi sunt amore Dei, & Ecclesiæ, ad officium Apostolicum intrepidè, atque in mediis afflictionibus cum gaudio præstandum, Actor. 5. 29. & 41. partim ut aurum externo igne à suis scoriis purgatur: sic Apostoli hoc spirituali igne interno à suorum præcedentium vitiorum consuetis sordibus repurgati sunt: adeò ut neque terrenum Christi regnum amplius cum vulgo Iudæorum sibi finxerint: neque de dignitatis inter ipsos præstantia præ cæteris obtinenda contenderint: neque in periculis, terrore ullo (ut antea) perculsi, ab officio declinarint: ut historia hujus libri Actorum copiosè demonstrat. Cæterum cùm hac spirituali lucis & caloris Spiritus S. gratia, ad Ecclesiæ, ex Iudæis & gentibus colligendæ, ædificationem sint donati Actor. 1. 8. idcircò hoc linguarum ignearum signo, non solum quid in ipsis Spir. S. efficeret: sed etiam quid per ipsos quoque in auditoribus ipsorum esset operaturus, designatur: nempè fore, primùm ut Apostoli suæ doctrinæ & vitæ luce homines converterent à tenebris ad lucem, ut de Paulo dicitur Actor. 26. 18. & gratuita per Christum peccatorum remissione ac salute prædicata, perculsos recrearent, ac consolarentur. Cujus exemplum illustre extat Actor. 2. 37. & 38. deinde & hoc designabat, fore, ut ignei sui zeli exemplo, & prædicationis Euangelii fervore (ut ante Luc. 24. 32. à Christo factum dicitur) auditorum animos amore veritatis ac sanctitatis inflammarent. Cujus rei miranda inprimis demonstratio est, primùm, quod unica Petri concione tria auditorum millia ita sunt accensa, ut ad fidem & sanctam Ecclesiæ societatem sint conversa, Actor. 2. 41. Deinde altera etiam Iohannis & Petri prædicatio, de Christo, adeò Spiritus igne fuit prædita, ut quinque auditorum millia fide sint illustrata, & ardore pietatis facta ferventia Actor. 4. 4. ut multitudo credentium fuerit cor unum & anima una, ibid. v. 32. Atque hæc de primo donationis Spiritus Sancti modo; nempe adjunctis illius signis externis, cùm auditis, tum visis. Alter modus est ipsa interna, iis signis declarata, donorum Spiritus Sancti collatio: quæ v. 4. describitur his verbis: *Repleti sunt autem omnes, Spiritu Sancto &c.* Quibus donationis Spiritus subjectum, seu quibus ea contigit, & præstantia illius indicatur. Subjectum sive illi quibus Spiritus Sanctus donatus, sunt *omnes* nempe Apostoli, & quidem nemine excepto, ut vox ἅπαντες designat. Nam ut signa externa, venti violenti ac sonori, & linguarum dispertitarum, atque ignearum, ad eos omnes pertinuisse

nuisse antè declaratum est, disertis Lucæ verbis: sic etiam signorum illorum veritas postulavit, ut omnes illi similiter gratiæ Spiritus Sancti internæ, per ea significatæ, fierent participes. Prętantia verò hujus donationis Spiritus in eo consistere ostenditur, quod *Spiritu repleti sunt*, non absolutè quidem, sed relate, hoc est, à Spiritu Sancto omnium donorum (quæ ad apostolicum munus perfectè obeundum requirebantur) plena copia iis fuerit infusa: adeo ut eatenus illis nihil eorum defuerit. Id quod per metaphoram seu similitudine quadam, ab aquâ in vas effusa, & illud replente, ex usu scripturæ indicatur, ut hic vers. 17. de ea re ex Joële profertur promissio, *Effundam de spiritu meo in omnem carnem*: ita enim prępositionem Gręcam ἐπὶ aptius *in* quàm *super* vertendum arbitramur, ut res ipsa ostendit: Nec enim super nos, sed in nos effunditur. Quæ spiritus effusio Apostolis plenè contigit: ut in explicatione signorum antecedenti, distinctè ostendimus: quemadmodum etiam promissionis Christi veritas Joan.14.26. & 15.26. & 16.13. requirebat. Quæ plena donorum extraordinariorum Spiritus S. copia, ante non fuerat collata propterea, quod ea ad statum Christi in celęstem gloriam ascensione suscepti, ex Dei sapienti ac constanti decreto pertineret: ut ex Psalm.68.19. Apostolus demonstrat Eph. 4. v.8. *quapropter dicit* (supple scriptura) *cum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus*. Idque etiam Christus prædixerat Ioan. 16. v.7. *ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego abeam. Nisi enim abiero, consolator ille non veniet ad vos; sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos*. Ac propterea etiam dicitur ab Apostolo Ioan. 7. 39. *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum, nondum enim erat Sp. S.* (id est, admiranda atque extraordinaria illa donorum Sp. S. copia, in Apostolos primùm, & illorum deinde ministerio in Ecclesiam effusa) *quia Iesus nondum erat glorificatus*. Nam quamvis Christus jam primùm à resurrectione ante ascensionem suam in gloriam cęlestem, afflaverit Apostolos ac dixerit, *accipite Sp. S.* illud tamen non pertinuit ad dona illa admiranda, ac plenam Sp. S. copiam, de qua hoc loco agitur, sed ad primitias quasdam, ac quasi gustum quendam Spiritus illius; ut ejus gubernatione, usque ad Plenam die Pentecostes receptionem, in officio, partim communi constantis pietatis confirmarentur, partim in Apostolici muneris proprio, ad duodecimi, in Judę locum, Apostoli electionem tutò dirigerentur. Quemadmodum Spir. instinctu, è S. Lit., officium suum intellexerunt, ac fideliter executi sunt; ut Act.1.14. & 15. ac reliquis, ad finem usque capitis describitur. Atque hęc de modi donationis Sp. S. (cùm externis signis, tum internę gratię significatæ dono comprehensi) descriptione. Cui postremùm eventus, nimirum consequens ex eo effectum (quo interna Sp. S. donatio exterius, ad utilitatem Ecclesię patefacta est) subjicitur in fine v.4. his verbis; *cæperuntque loqui aliis linguis prout Spir. ille dabat eis eloqui*. Quibus effectum acceptionis Sp. S. donati primùm proponitur: deinde à causa efficiente principali exponitur atque amplificatur, propositio autem est, quod Apostoli *cæperunt loqui aliis linguis*. Quo prędicationis Apostolorum, & initium, & adjunctus modus declaratur. Initium est, quod *cæperunt loqui*, scil. κατ' ἐξοχὴν *loquendi* voce accepta, de Christo, hoc est, cœperunt prædicare Hierosolymis Euangelium de Jesu Christo servatore, quia ad id erant vocati Marc.16. 15. & in eum finem acceperant Sp. S. Act.1.8. & 2.11. dicuntur *locuti magnifica Dei facta*: nempe in missione Filii, traditione in mortem, suscitatione & glorificatione, exhibita. Modus autem prędicationis adjunctus est, quod non una lingua, suâ nimirum Hebræâ, sed (ut linguarum dispertitarum signo fuerat significatum) aliis etiam linguis, pro auditorum, quos alloquebantur ac docebant, ratione locuti fuerint. Cujus rei utilitas erat primaria tum temporis Hierosolymis, ut auditores eo miraculo comperto attentiores ac dociliores redderentur, & ad divinam Apostolorum vocationem cognoscendam melius præpararentur: quemadmodum vers. 7. & 8. dicitur: *Nonne omnes isti qui loquuntur sunt Galilæi? quomodo igitur nos audimus eos sua quisque linguâ, in qua nati sumus, Parthi, Medi, &c.* & v. 11. & 12. *Cretes, Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei facta; obstupescebant autem omnes, & hæsitabant dicentes, quid hoc rei esse posset?* Hoc autem linguarum miraculum, non in auditoribus, ut nonnulli fingunt: sed revera in Apostolis variarum linguarum notitiâ donatis, extitisse, res ipsa, & multa scripturæ loca ad Corinthios, & alibi demonstrant. Cœterum hæc propositio, expositione causæ principalis explicatur. Nam quamvis Euangelium variis linguis loquerentur, illud tamen ab iis solis non est factum, sed inprimis à Spiritu Sancto ac propterea additur à Luca hoc loco; *prout Spiritus ille dabat eis eloqui*. Quibus verbis declaratur Spirit. S. non solum fuisse datorem donorum scientiæ Euangelii, & notitiæ variarum linguarum; sed etiam moderatorem ac directorem linguæ eorum, adeo ut iis dicenda, ex ampla rerum notitia peculiariter suggesserit, atque ad suggesta proferenda perduxerit: sicut promissum erat à Christo Apostolis Marc. 13. v.11. *ne ante soliciti estote, quid locuturi sitis, neque meditamini: sed quicquid datum fuerit vobis illo momento id loquimini, non enim vos estis, qui loquimini, sed Sp. S.* Atque hæc de secunda descriptionis donati Apostolis Sp. S. parte. Prima enim fuit circumstantia idonea cùm temporis, diei Pentecostes, tum præparationis Apostolorum: qua officium à Christo ad Sp. S. acceptionem mandatum præstiterunt, convenientia, cum loci, tum cordis. Loci, quod Hierosolymis in eadem domo congregati fuerint. Cordis, quod concorditer, nempe charitate tum mutua inter se, tum communi erga Deum exercitio precum perseveranti. Qua in re officium sibi à Christo mandatum, obedienter impleverunt. Altera vero pars, est Christi Sp. S. ipsis donantis beneficium, quo vicissim suam promissionem admirando modo atque eventu implevit: Modus enim fuit partim signorum externorum, cùm auditi venti sonantis, tum visarum linguarum miraculum, partim interna ac significata plenæ donationis Sp. S. gratia, quam eventus atque effectum illius, Euangelii variis linguis Sp. S. directione stupenda prædicatio, confirmavit. Atque hactenus hujus descriptionis missi in Apostolos Sp. S. explicatio, cui paucis, ad præsentem Ecclesiæ statum, applicationem seu consequentem ex ea utilitatem subjungemus. Ex prima autem hujus narrationis parte utilitas ad nos promanans, est cognitio duplex, una, officii à nobis præstandi, altera vitii in nobis corrigendi. Officium enim nostrum hinc discimus, quia Apostolorum erga Christi mandatum obedientia, quâ sese ad promissa illa extraordinaria Sp. S. dona recipienda præpararunt, propositum nobis est exemplum quod imitemur. Quemadmodum enim mala impiorum exempla in S. literis recensentur, ut ea vitemus 1. Cor. 10. v. 6. & 2. Pet. 2. v. 6. sic contra bona piorum exempla proponuntur ut ea imitari studeamus Jac. 5. v. 10. Heb. 6. v. 12. & 1. Cor.11. v. 1. Ac propterea nobis etiam, ut promissam per Sp. S. regenerationis (seu fidei & charitatis) confirmationem atque incrementum à Deo obtineamus, Apostolorum exemplo, mandatum, ad eam rem consequendam, officium, sedulo præstandum est, nimirum ut cum fidelium Ecclesia (cui Sp. S. promissus) in domum Dei convenientes aggregemur: & concordi, cùm mutua inter nos, tum communi erga Deum charitate ac precum perseverantia uniti Spiritus S. incrementum, secundum promissionem expectemus: Matth. 18. 19. & 20. Luc.11. 13. & Heb. 10. 25. docetur. Vitium verò, quo ab hoc officio variè declinamus, ex iis quæ ab Apostolis facta, & contra à nobis fiunt, inter se oppositis, perspicuè cognosci potest. Nam 1. Apostoli, Christo obedientes, Hierosolymis congregati in unam domum, Sp. S. expectarunt; Contra verò non pauci nostrum ex eorum sunt numero, de quibus Apostolus Heb. 10. 25. ait, quod mutuam nostri aggregationem deserere consueverunt: quemadmodum pulpita domus Dei, die sacro, imprimis post meridiem, deserta, quodammodo exprobrant. Deindè Apostoli Sp. S. expectantes fuerunt concordes, cum mutua erga se, tum communi, erga Deum charitate, corde & ore ab eo Spiritus gratiam promissam perseverantibus precibus implorando: Contra verò non pauci nostrum, etsi convenientes in Dei domum eodem loco, reliquis fidelibus exterius aggregentur. Longissimè tamen interna animi discordiâ ab iis sunt disjuncti; partim quod pro mutua cum proximis charitate, odia aperta aut clandestina fovent; partim dum in commu-

nes cum fidelibus (ad Spiritus S. gratiam obtinendam) preces variè peccant, ac charitatem Deo debitam violant. Primùm enim nonnulli nostrum peccant neglectu, dum consultò post primas preces ab Ecclesia habitas, in domum Dei primum veniunt: & ante postremas eam deserere consueverunt. Alii verò peccant hypocrisi, qui sanctarum precum cum Ecclesia communionem simulantes, non Apostolorum, sed Pharisæorum exemplum imitati, ore quidem Deo appropinquant, & labiis honorant, sed cor eorum ab eo procul remotum est, Matt. 15. 8. Alii deniq; etsi seriò precentur, in eo tamen ab officio declinant, & Apostolorum exemplum negligunt, dum contra officium mandatum à Christo, Luc. 18. 1. & à Paulo 1. Thess. 5. 17. non semper ac sine intermissione precantur; neq; cum Apostolis in precibus perdurant: sed subinde segnescunt. Quamobrem hoc seriò nobis agendum est, ut hæc vitia receptioni Sp. S. (ut pacis authoris Rom. 14. 17.) & Apostolorum exemplo contraria agnoscentes, ea deploremus ac vitemus, & Apostolos imitati nos sanctè, pro officio mandato præparemus, h. e. ut sacris diebus in sanctam Dei domum nos Ecclesiæ aggregemus: & concorditer in charitate mutua inter nos, & communi erga Deum, ipsum pro gratia Spiritus impetranda, vera fide ac perseverantia oremus. Id quod non solum officii nostri justitia, ante demonstrata, flagitat; sed etiam consequens nostra felicitas inde promanans persuadet, quæ ex secunda hujus contextus parte cognoscitur. Utilitas enim illius est insignis, fidelium, officium hoc demandatum obedienter præstantium, consolatio. Quod quemadmodū Apostolis, peculiaria Spir. S. dona, officium rectè facientibus, secundum promissionem sunt collata: sic etiam nobis, Apostolorum exemplo rectè præparatis, ac Christi mandato obtemperantibus, promissam Sp. S. regenerantis ac dirigentis gratiam ampliorem similiter conferendam, minimè dubitandum: quia unum utrimque est fundamentum: nimirum quod Deus est verus ac fidelis, qui hominibus officium mandatum præstantibus, promissa fideliter præstat, 1. Tit. 1. 2. 1. Thes. 5. 24. sed hæc consolatio ad eos non spectat qui (contra Apostolorum exemplum, & officium à Deo mandatum) sacras fidelium congregationes, & charitatis mutuæ ac pietatis concordiam negligunt. Ut enim qui Deum obedientia honorant, ab eodem ipsius gratia honorantur; sic contra qui ipsum inobedienter dedecorant, eosdem dedecorat 1. Sam. 2. 30. unde experientia docet, complures, quia Sp. S. hoc contemtu afficiunt, illius ope destitui: adeo ut neq; scientia, neque pietate proficiant; sed contra Hebræorum instar Hebr. 5. 11. & 12. segnitie suâ in pristina ignorantia hæreant: & carnis suæ atque impuri spiritus tentationi justæ traditi, linguas habeant dispertitas, & igneas, non Apostolorum instar, ad Ecclesiæ unionem & veritatis ac charitatis in ea illustrationem, atq; inflammationem pertinentes: sed ad Ecclesiæ damnum gravissimum. Divisa enim eorum est lingua, dum ut Jac. 3. 10. dicitur, *ex eodem ore procedit benedictio & maledictio*: & v. 9. *& lingua benedicunt Deo & patri & eâdem hominibus maledicunt ad similitudinem Dei conditis*. Ignea deinde eorum est lingua ad nocendum, & perdendum comparata, qualis Jac. 3. 6. describitur: *lingua etiam flamma est, & mundus iniquitatis &c. inflammans orbem conditum, & inflammata à gehenna*. Quamobrem cum omnium nostrum, ob carnis adversus Spiritum repugnantis reliquias, Gal. 5. v 17. fides & charitas sit imperfecta, ideoque Sp. S. regenerantis & sanctificantis confirmatione opus habeamus, summa nitendum est vi ac studio, ut Apostolorum exemplum imitemur, non deserentes aggregationem nostri mutuam Heb. 10. v. 25. sed eam colentes: nec solum in eandem sacram Dei domum conveniamus lubenter, sed etiam concorditer charitate mutuâ conjuncti ac devincti, fidelibus ac constantibus precibus Sp. S. gratiam ampliorem petamus, & cum Davide dicamus Ps. 51. v. 12. *cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in medio mei*; Deinde hac consolatione nos sustentemus, fore ut Deus vicissim, tanquam benignus, & in promissionibus fidelis Pater Spiritu suo inchoatam in nobis regenerationem adaugeat, ac confirmet, ut in doctrinæ salutis notitia, fide & charitate & pietate in Deum, ad illius gloriam, proximi utilitatem, & salutem nostram proficiamus.

Corollarium, De Usu ac fine Festi Pentecostes.

Quoniam in explicatione historiæ missionis Spiritus S. quædam à priscis atque recentioribus Theologis de Pentecoste, tempore & usu sunt tradita, quæ à nobis sunt omissa: idcirco non inutile fore exstimavimus, si ea paucis primùm proponeremus, deindè ad normam S Scripturæ examinare conaremur. Ad usum autem quod attinet seu finem institutæ Pentecostes, illa vetusta est, etiam Hebræorum Rabbinorum non minus quàm veterum Patrum sententia: Festum Pentecostes, inprimis, ad memoriam latæ à Deo è monte Sinai legis, institutum. Atque hinc historiæ missionis Spiritus S. in Apostolos Acto. 2. interpretes plerique inter Pentecostes Judæorum & Apostolorum, discrimen usus, hac ferè ratione exponere solent: quod inter utramq; Pentecosten, quidnam intersit, facilè cognosci possit ex discrimine, quod est inter legem Mosaicam, & legem Euangelii: inter Sinai montem & inter Sionem inter horribilem Spirit. fragore suo Sinai montem concutientē, & eum Spiritum, qui convocatos Apostolos Hierosolymis, à recepto cum majestate in cælum Christo, afflavit; & inter terribilem ignem in Sinai flagrantem, & eum ignem, qui in dissectis linguis apparuit, in novi fœderis sanctione, qui ignem eum divini amoris significavit, quo Apostolorum linguæ inflammatæ denuntiaturæ essent non legem & literam occidentem sed legem Euangelii per Spiritum Christi vivificantem, æternamque pacem, salutem ac gloriam afferentem: de quibus linguis vates: *quam speciosi sunt pedes Euangelizantium pacem*. Horum linguæ in novo Pentecostes die expeditæ, promtæ, amabiles, suaves, quas Israëlitæ in cœlis scripti cives ferrent, redditæ sunt, quæ in animos eorum doctrinam plenam pace, salute vera, gloria, velut stylo imprimerent; de qua lingua, quæ Messiæ lingua est, his verbis vates, *lingua mea velut stylus est notarii velocis*: Contra lingua Mosis legislatoris fuit lingua tarda & impedita, veluti ipse in Exodo conqueritur, lingua inamabilis, dura, insuavis, a qua abhorrerent Israëlitæ. Atque hæc quidem e doctiss. Theologo Martino Borrhao in comment. Levit. 23. cujus sententiæ fundamentum est, quod eodem die quinquagesimo lex data divinitus, & Pentecostes festum celebrandū. Veruntamen si quis accurate rem perpendat, comperiet, ubi arbitramur, neq; consequentiam, neq; rationem antecedentē esse solidam. Non consequentiam, quia etsi eodē die, quo lex lata est, Pentecostes festum celebrandū fuisset: non propterea tamē hujus finis esset legis latæ memoria, grata mente celebranda: quia fines festorum ex hujusmodi temporum convenientia definiri non debent: sed ex S. Literarum declaratione. Cum autē frequens festi Pentecostes fiat mentio, finis quidē (ut in superiori explicatione ostendimus) is declaratur, ut gratitudine Deo, ob messem donatā ac peractam, primitiarum oblatione præstarent Lev. 23. 10. (unde *primitiarum dies* Num. 28. 26. vocatur) sed eum esse finem ut legis latæ memoriam colerent, nullibi indicatur. Deindè etsi consequentia valeret, antecedens tamen ratio ex scripturis probari non potest, sed potius contrarium. Nam ut probabilis omninò est sententia ac recepta, legem Dei quinquagesimo die ab exitu ex Ægypto latam: Pentecostes tamen diem esse posteriorem, non autem eundem, initium illius demonstrat, unde supputatur. Nam Pascha die 14. mensis primi erat celebrandum Exo. 12. sequenti verò die nempe 15. erat primus, è septem, dies azymorum & quidem festus: ut disertè traditur Lev. 23. vers. 5. 6. *primo quoque mense, decimoquarto illius mensis inter duas vesperas, Pascha est Jehovæ: decimoquinto verò die, ejusdem mensis festum est azymorum Jehovæ, septem diebus panes azymos edetis*: Atque hoc die primo azymorum, prima illius parte quæ erat nox, Pascha ante mactatum & assatum erat comedendum ea ipsa nocte Exod. 12. v 8. postero deindè illius festi azymorum diei, nempe decimo sexto initium est dierum quinquaginta festi Pentecostes, quemadmodum disertè Lev. 23. v. 15. 16. explicantur. Quare hoc primum observandum, quod vulgo à multis traditur, Initium dierum Pentecostes esse à die Paschatis ducendum, minime convenire. Nec enim inclusivè, ut loquuntur, convenit: quia si dies

fuit 14.

fuit 14. primi mensis: neque exclusivè, hoc est, post proximè; quia tum initium esset à die 15. statuendum, contra decimum sextum fuisse, jam ante sit demonstratum. Hæc de initio dierum quinquaginta, quorum postremus fuit Festum Pentecostes: Dein latæ legis, eadem ratione cum Pentecoste fuisse quinquagesimum, dicitur quidem vulgo, sed probationem solidam hactenus frustra requirimus: Imò potius latam legem diverso die, nempe antecedente, colligitur ex libro Exod. 19. 1. collato cum v. 11. Nam v. 1. dicitur בחדש השלישי *in mense tertio exitus filiorum Israëlis è terra Ægypti, eo ipso die pervenerunt in desertum Sinai.* Quo in loco cum dicitur *eo ipso die*, sensus est, tertio: ut quemadmodum mensis tertii meminerat, sic etiam diem numero cum mense convenientem, tertium fuisse: unde colligitur adventus Israëlitarum è regione montis Sinai diem fuisse ab exitu ex Ægypto quadragesimum quintum. Nam dies illius exitus fuit decimus quintus mensis primi, qui constabat triginta diebus. Ideoque ad secundum mensem sunt dies sexdecim: secundus verò mensis habuit dies viginti novem (ut Calendaria Hebræa ostendunt, imprimis Caroli Sigonii in republica Hebræorum, deinde idem ostendit Calendarium Hebræum Genebrardi in præfatione in Psalmos: denique Doctoris Mulerii p. m. Calendarium) qui juncti simul sunt dies 45. Hisce addantur tres dies mensis tertii Exod. 19. 1. & cum hoc tertio horum trium jungantur duo, erunt dies quinquaginta. Nam Exo. 19. v. 10. & 11. dicitur *sanctifices eos hodie* (id est, die tertio mensis tertii, v. 1.) *& cras, ut sint parati in diem ipsum tertium, nam ipso die tertio descensurus est Jehova super montem Sinai.* Quare ex hisce apparet initium dierum à quo quinquagesimus latæ legis recensetur, esse diem exitus ex Ægypto, id est, diem mensis primi decimum quintum; dierum verò Pentecostes initium est dies decimus sextus, Ergò non eodem die conveniunt. Unum interim hic observandum, clariss. nostros interpp. ne quidem quinquagesimo die exitus ex Ægypto latam legem statuere: ut etiam alter eorum D. Junius in analytica Exodi explicatione c. 19. v. 1. ait; *incidit autem illa dies in quatriduum ante Pentecosten.* Causa hujus dicti est, quia illi interpretes verba Mosis: בחדש השלישי non exponunt mense tertio, sed in novilunio tertii, & addunt (quasi per ellipsin omissum) mensis. Cujus rei occasio est, quod vox חדש *mensem*, vel per Synec. principium mensis neomeniam seu Calendas notat. Verum licet alibi interdum hoc significet, tamen apud Mosen ea significatione semel tantum Num. 29. 6. ita usurpatum comperi; deinde sine necessitatis specie ellipsis statuitur vocis, *mensis*, denique servata orationis Mosis sine ulla ellipsi, integritate, LXX. interpp. vertunt τοῦ δὲ μηνὸς τοῦ τρίτου, id est, tertio autem mense, eosque sequuntur Onkelos paraphrastes chaldæus, & doctissimi interpp. alii. Ideoque quod, eo ipso die, pro sua interpretatione exponunt nostri interpretes, sc. novilunii, illud minus videtur consentaneum, licet Aben-Ezra opinione sua præiverit: de tempore tamen latæ legis aliter sentit, traditione majorum citata; nempè legem latam sexto die mensis Sivan, qui mensis tertius. Verum hoc modò, non die quinquagesimo ab exitu ex Ægypto, sed quinquagesimo primo die lex esset lata, ut ante tradita computatio evincit. Calculus enim Aben-Ezræ non convenit, quia Neomenia mensis tertii fuit dies ab exitu ex Ægypto quadragesimus quintus, ut ante demonstravimus, & tertio die ab eo inclusivè lex lata, v. 11. Ergo dies legislationis esset tum quadragesimus septimus. Nam conjectura Aben-Ezræ, qua elabi conatur, quasi triduum duplex esset intelligendum: prius quod duravit donec ad Deum ascenderet Moses, alterum postquam descendisset, usque ad legem latam, illa inquam nullà ratione scripturæ probatur, sed contra Mosis verbis repugnat. Neque etiam Rabbi Mosis Ben-Maimon (Aben Ezram & traditionem potius quam rationem secuti) authoritas in eodem Pentecostes, & latæ legis die statuendo obstare potest, cum tertia parte (seu libro 43. ait hoc modo: *& septimanarum* (sc. festum) *est dies donationis legis, & ad magnificandum diem illum numerantur dies à primo festo ad illud.* Hoc enim jam antea confutatum: Ac contra S. Literis convenientius de festo Pentecostes tradit Josep. Jud. ac sacerdos doctissimus. Quippe Antiquitatum Jud. lib. 3. c. 10. ait: *secundo die azymorum, qui est decimus sextus, Deo primitias hordei offerunt: agnumque in sacrificium mactant:* Ac deinde Pentecostes originem exponens ait: ἑβδόμης ἑβδομάδος διαγενημένης μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν (αὗται δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα,) τῇ πεντηκοστῇ (ἣν Ἑβραῖοι ἀσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν) προσάγουσι τῷ θεῷ ἄρτον ἀλφίτων μὲν πυρίνων ἀσσάρωνας δύω μετὰ ζύμης γεγονότων. Quę verba ita interpretatus est Sigismundus Gillenius: *Post Paschale sacrum elapsis septem septimanis, hoc est, 49. diebus quinquagesima (quam à numero Asartha Hebræi vocant) offerunt Deo panem è farinæ triticeæ duobus assaronibus, cum fermento confectum.* Ubi observandum inprimis, verba illa Josephi μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, non satis aptè versa esse hoc modo *post Paschale sacrum:* dicendum enim erat, *post illud sacrificium*, nempe secundi diei azymorum, seu diei decimi sexti mensis primi, ut antecedentia perspicuè evincunt, & Mosi congruit Levit. 23. 15. & 16. & Deut. 16. 9. qui Moses ibidem, illud quinquaginta Pentecostes dierum numeratorum principium esse declarat. Quare ex hisce omnibus consideratis, perspicuè apparet, diem Pentecostes, non fuisse eundem cum die latæ legis, sed diversum; ideoque quod propterea & olim & nostro ævo, à plerisque quasi certum statuitur, diei Pentecostes consecrati finem esse memoriam legis, eodem die latæ, illud nulla ratione probabili innititur. Interim verum est, ad gratiæ Spiritus S. die Pentecostes ad Euangelii notitiam ac promulgationem collatæ, amplificationem dici posse, eam dono latæ legis longè præstantiorem; quod lex à Deo horribili cum sono, tum igne præmisso Exod. 19. 18. & 19. lata; auribus populi cum terrore magno excepta, non autem cordi illius inscripta: contra verò Euangelium, præmisso sono flatus confirmante, & læto linguarum ignearum conspectu præcedente, Apostolorum menti ac cordi suaviter inscriptum: ut illius promulgatione suavissimâ Ecclesiam colligerent ad salutem. Cœterum festi Pentecostes, à Deo instituti, fine alieno jam satis, uti speravimus, confutato; non inutile erit, si paucis genuinum explicare conemur. Is autem vel perspicuè expressus est, vel rectè adumbratus. Expressus atque apertè explicatus est, publica officii gratitudinis erga Deum ob duo eximia corporalia beneficia collata, testificatio: quorum primum erat messis triticeæ donatio: gratitudinis autem officium, pro eo præscriptum, erat primum publica primitiarum illius messis oblatio, unde etiam *festum primitiarum* vocatur Num. 28. 26. quia duos ex messe panes offerebant, primitias Deo, cum suis sacrificiis Levit. 23. 16. & seqq. & Deut. 16. 10. Alterum deindè fuit sacri epuli hilaris cum liberis ac servis & Levitis ac peregrinis invitatis, ad Dei gloriam celebratio, Deut. 16. 11. Secundum Dei beneficium erat liberatio ex servitute Ægypti, & introductio in terræ promissæ ac bonorum illius possessionem: gratitudinis verò officium erat illius gratiæ utriusque præstitæ justa recordatio. Deut. 16. 12. & publica illius coram Deo & Ecclesia protestatio, quæ accuratè ac plenè Deut. 26. à 1. ad duodecimum describitur. Hęc de fine festi Pentecostes perspicue expresso: Cui alter adumbratus hoc typo accedit, nimirum beneficii spiritualis per Christum conferendi, & officii gratitudinis ei pręstandi prophetico hujus festi typo significatio: ut Col. 2. 16. & 17. dicitur, *ne quis igitur vos damnet, ob cibum vel potum, aut respectu diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbræ rerum futurarum, corpus autem est Christi*, hoc est, res significata ad Christum pertinet, Beneficium enim Dei, spirituale per Christum, externo Pentecostes signo adumbratum est duplex: primum donorum Spiritus S. (quasi messis cujusdam) primùm Apostolis, deindè per eos Ecclesiæ collatio Ephes. 4. vers. 8. alterum est liberatio è spirituali servitute peccati, Joan. 36. 8. Rom. 6. 6. & 18. ex potestate Satanæ Col. 1. 13. ac translatio in regnum filii ipsius dilecti, & hæreditatem cælestem Col. 1. 12. & 1. Pet. 1. 3. Gratitudo verò, pro hoc beneficio duplici, Deo per Christum debita, & per Israëlitarum in Pentecoste graditudinem adumbrata, prima est, ut donis illis spiritualibus acceptis, Deo per Christum primitiæ eorum, sancta recordatione ac celebratione offerantur: & ad gloriam illius ad vitæ spiritualis ac verę sanctitatis, cum nostræ, tum proximi, incrementum, iisdem utamur

Eph. 4. 12. Altera est, ut liberati à servitute peccati & Satanæ, ac translati in regnum Christi, hęreditatem cęlestem, grato animo hoc recolamus, & coram Deo atque Ecclesia profiteamur, & quemadmodum scriptura pręcipit) ut *gens sancta, ac populus acquisitus, virtutes illius annuntiantes, qui nos è tenebris in lucem suam admirandam vocavit* 1. Pet. 2. 9. *gratias agentes Patri, qui nos idoneos fecit, ad participandam sortem sanctorum in luce, qui liberavit nos à potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sui dilecti, in quo redemptionem habemus per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Col. 1. 13. 14. Quæ gratiarum actio, non solum animo & ore, sed etiam opere peragenda est, ne liberati à servitute illa peccati ac satanæ, contemtâ gratiâ ac fœda ingratitudine serviamus rursus peccato: sed Deo ac Christo redemptori, in vera sanctitate ac justitia ipsi debita, grati serviamus; Luc. 1. 74. & 75. & Rom. 6. 6. & 19. & 22. Atque hęc de usu ac fine Pentecostes.

Corollarium Secundum, de Distinctione donorum Spiritus Sancti.

QUoniam Spiritus S. extraordinaria, per Christum in cœlos subvectum, donatio, diversis facta est modis; eos succincte perstringemus; ut ante dicta magis illustrenrur. Modus autem est duplex: unus immediatus: alter mediatus. Immediatus est, qui à Deo solo, sine intercedente creaturæ adjumento, dispari gradu contigit. Primarius enim fuit Judęorum, duodecim scilicet Apostolorum, qui (ut muneris Apostolici gravitas requirebat) repleti sunt Sp. S: signis stupendis ea plenitudo iis confirmata est Actor. 2. Secundarius atque inferior fuit gentilium quorundam, nempè Corn: Centurionis & amicorum illi adjunctorum: qui ante baptismum acceptum, Sp. S. donis repente sunt donati Actor. 10. 44. & 47. ac statim locuti sunt linguis (scilicet variis) & magnificarunt Deum v. 46. Mediatus verò donationis Sp. S. modus est, quo Baptizati, precibus & impositione manuum, dona Sp. S. extraordinaria subitò infusa, varie acceperunt: ordinarie quidem per solos Apostolos. Act. 8. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. 6. & 2. Corinth. 11. 4. Galat. 2. 2. & 5. & quidem non plene ut ipsi Apostoli, sed ad Ecclesiæ utilitatem distributione varia 1. Cor. 12. 6. ad 12. Hebr. 2. 4. Extraordinarie verò Paulus per Ananiam, singulari Dei jussu, impositione manuum, & ante baptismum repletus est (utpote Apostolus destinatus) Sp. S. Act. 9. 17. Rom. 15. 18. & 19. & 1. Cor. 14. 18. Atque hæc de modorum donationis Sp. S. extraordinariæ distinctione.

Illustratio verborum Christi Ioan. 3. v. 10. & 11. & quæstionis ex v. 12. ortæ explicatio.

QUoniam eam quæstionem, quæ ex Ioan. 3. 12. verbis exurgit, explicare nonnihil, ob maximam veterum & recentiorum interpretum varietatem decrevimus: idcirco ad meliorem illius tractationem, oportunum fore existimamus, si brevem v. 10. & 11. analysin pręmitteremus, à communi occasionis & scopi verborum Christi circumstantia exorsi. Occasio quidem est indocta Nicodemi quæstio v. 9. proposita *quomodo possunt hæc fieri?* Hæc enim stupidam illius ignorantiam, & ex ea profluentem incredulitatem ostendit: nimirum quod Christi, de regeneratione ex spiritu doctrinam, perspicua venti similitudine illustratam, nondum intelligeret. Scopus verò est, ut ipsum ad sui vitii agnitionem ac correctionem adducat. Ad quem scopum sibi propositum collimando, tanquam medium valdè accommodatum, responsionem dirigit vers. 10. & duobus sequentibus: quæ gravem ac nervosam reprehensionem complectitur. Ea autem est duplex: prior, qua solum Nicodemum arguit ignorantiæ; posterior, qua ipsum cum similibus Pharisæis incredulitatis insimulat. Ignorantiæ autem reprehensio v. 10. proponitur hoc modo: *respondit Jesus & dixit ei; Tu es magister ille Israëlis, & hæc non nôsti?* Qua responsione ignorantia illius, primùm ab objecto, deinde ab adjuncta indignitate describitur. Objectum ita indicat; *& hæc non nosti?* Hæc scilicet de regeneratione ex spiritu, tam clarè à me exposita: id quod culpam ignorantiæ satis demonstrat: ideoque ut vim vocis illius amplius ostendat, non ait tantum, *hæc*, sed, *& hæc*, hoc est, etiam hæc non nosti? hoc est non solum quæ prima vice non ita clarè proposui, sed etiam, quæ jam reposita perspicuè declaravi: quæ non abdita ac sublimia religionis sunt mysteria: sed illius elementa. Cujus ignorantiæ adjuncta indignitas, partim interrogationis figura innuitur, qua rem mirandam atque indignam esse (quasi provocatione ad Nicodemi conscientiam) ostendit; partim argumento ab officii illius repugnantia ducto demonstrat: *Tu es magister ille Israëlis*, hoc est, unus ex Pharisæis & primoribus Judæorum (ut v. 1. dicitur) magister insignis, ad Israëlitas Dei verbo erudiendos præfectus: ideoque indignissimum est, quod doctrinam de regeneratione ex spiritu, tam clare expositam, & ad rudimenta doctrinæ salutaris pertinentem adhuc ignoras. Atque hæc de prima reprehensione solius Nicodemi, nempe indignæ ignorantiæ illius. Altera ei ac similibus Pharisæis communis reprehensio est incredulitatis duplicis; quarum prima est ratione doctrinæ traditæ: altera verò ratione doctrinæ tradendæ. Ac prima quidem exprimitur hoc modo, vers. 11. *Amen, amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis.* Quibus verbis pluralis numeri, incredulitatem Nicodemi & similium Pharisæorum describit ab objecto, & ab adjuncta iniquitate. Ab objecto, cum ait *testimonium nostrum non accipitis*. *Testimonii* autem voce, intelligit doctrinam Euangelii, qua de veritate salutari erat testatus Ioan. 18. 37. quo etiam modo usurpatur c. 3. 32. *Nostrum* autem vocat: ut Ioannem Baptistam unà testantem secum annumeret, quia ille etiam divinitus venerat, ut testaretur de illa luce (hoc est, Christo) ut omnes per eum crederent Ioan. 1. 7. quemadmodum etiam revera de veritate est testatus v. 27. & 5. 33. & 3. sub finem. Hujus autem testimonii incredulitas, metaphora insigni, à donis oblatis & non acceptis petita, declaratur, cum dicitur, *non accipitis*; tu scilicet Nicodeme, & reliqui similes Pharisæi, qui & Ioannis & meam doctrinam audivistis, non creditis. Neque obstat quod Nicodemus v. 2. de se & similibus Pharisæis est professus, *scimus te magistrum venisse à Deo*: quia testimonium de persona Christi, vero Deo & agno tollente peccata mundi, à Ioanne propositum sæpius, & à Christo confirmatum, nondum intelligebant, neque acceperant fide: sed miraculis ejus commoti Prophetam duntaxat credebant; ut ibidem Nicodemus declarat: ideoque illi cum aliis vere dictum: *testimonium nostrum non accipitis*. Cœterum metaphora vocis *accipiendi*, pro credere, proposita & simul exposita extat etiam Ioan. 1. 11. & 12; & 3. 32. Fides enim est quasi spiritualis animæ manus, quâ doctrinam Euangelii, & promissa illius bona ac dona amplectimur, eorumque participes simus, Act. 26. 18. Hujus autem non accepti testimonii, seu adversus Euangelii prædicationem incredulitatis iniquitas demonstratur, à testimonii Christi ac Ioannis veritate: quam præfatione, & subjecta rei assertione describit. Præfatio est: *Amen, amen dico vobis*, hoc est, veritatem, aut vere, vere, dico; ut qualitatem sequentis sermonis indicet; & quidem ad majorem attentionem ac fidem comparandam vocem *Amen*, sic geminat, ut in reliquis omnibus Christi dictis, ubi apud Joannem occurrit. Nam quod nonnulli veterum Patrum, & vulgò non pauci, pii atque eruditi viri juramenti, & quidem gemini formam esse statuunt, cum dicitur: *Amen amen dico*: illud à veritate omninò alienum esse, res ipsa demonstrat, & Hebræorum ac doctiss. virorum consensus attestatur. Res ipsa: quia juramenti definitio ei non convenit: Juramentum enim est Dei, tanquam omniscii testis, & justi atque omnipotentis judicis, in occultæ veritatis vindicem invocatio: Atqui Amen, & amen amen dico, hoc est, veritatem aut verè dico, non est invocatio Dei &c. Sed tantum asseverationis forma: qualis est, cum dicitur sanè, reverà, certe, aut veritatem dico: Ideoqe juramentum non est. Propositio definitione juramenti ex 2. Corinth. 1. 23. & 1. Thess. 2. 5. & reipsa, communi consensu citra controversiam recepta, ac certa est, ac probationem non desiderat. Assumptionem usus scripturæ, & omnium lexicographorum Hebræorum expositio confirmat. Deinde expositio etiam Euangelistarum idem demonstrat atque evincit. Nam senten-

sententiam Christi Matth. 16. 28. *Amen dico vobis*, Lucas c. 9. 27. repetit & exponit ἀληθῶς, id est, *verè dico vobis*. Sic Matth. 24. 47. *amen dico*, Luc. 12. 44. repetitur: *verè dico*: & Mar. 12. 43. *amen dico*, Luc. 21. 3. dicitur, *verè dico*, in ejusdem utrimque sententiæ Christi, recensione. Sic etiam Jer. 28. 6. dicitur *amen*, hoc est, verè, aut veritas, supple sit, quod exponitur seqq. proximè verbis, *sic faciat Jehova*, ubi & LXX. interpp. vocem Amen transferunt ἀληθῶς. Sic Psal. 41. 14. & 72. 19. & 89. 53. similiter ponitur: *Amen & amen*, id est, verum, supple sit; quod LXX, γένοιτο, γένοιτο sensu expresso, nempè, *fit*, interpretantur: & 2. Cor. 1. 20. *promissiones Dei in ipso* (sunt) *etiam*, & *in ipso* (sunt) *amen*, id est, veritas. Præterea neque ex Veteris neque ex N. T. ullâ probâ ratione firmari potest, *Amen* esse juramenti formam. Nam quod à quibusdam obtenditur Esa. 65. 16. dici; *jurabunt in Deo amen*: illud omninò alienum est: quia manifestè conjuncta, perperam dividunt. Amen enim hoc loco est epithetum Dei, ac veritatem notat: non autem est forma juramenti: quemadmodum constructio perspicuè evincit, *jurabit* (inquit Esajas) באלהי אמן *per Deum veritatis*, hoc est verum: ut à falsis diis distinguatur: ut ibidem similiter dicitur, *benedicet sibi* באלהי אמן *per Deum veritatis i. e. verum*, ut rectè LXX. interpretes in utroque θεὸν ἀληθινὸν *Deum verum* transtulerunt: ac propterea objecta interpretatio omninò aliena est. Atque hoc etiam modo vox Amen Apoc. 3. 14. usurpatur, ubi Christus ait *Ego sum ὁ ἀμὴν*, id est, *veritas*, aut verus, ut sequitur *testis fidus & verax*. Deinde è N. T. proferunt exempla ad Hebr. c. 6. 13. *Deus enim pollicitus Abrahæ, cum non posset per quemquam majorem jurare, juravit per seipsum*: & 14. subjicitur *dicens ἦ μὴν benedicendo benedicam tibi*: Verum illud etiam ad rem ipsam non facit. Quæstio enim est, an *Amen* in sacris literis ullibi sit forma juramenti: atqui hujus vocis hîc nulla prorsus extat mentio, siquidem ἦ μὴν non Hebraicè, sed Græcè dicitur: neque una est dictio, ut Amen, sed duæ sc. ἦ *certè, profectò* (ὄντως, ut Eustat. in Homerum aliique exponunt) & μὴν, idem, significans, quod μὴν *quidem*. Sed excipere possit aliquis, ἦ μὴν *certe quidem*, hic juramentum ab Apostolo vocari: Ergo etiam Amen idem significans, nempè, *certe, vere*, juramentum erit. Verùm negatur antecedens. Nam Apost. Dei juramentum verbis antecedentibus v. 13. descripsit, cum ait: *juravit per seipsum*. Cui juramento, rem eo promissam distincte subjicit, *certe benedicendo benedicam tibi*; Idque etiam collatio verborum Mosis (quæ ab Apostolo citantur) perspicue evincit. Nam Gen. 22. 16. dicitur, *per meipsum juro, dictum Jehovæ: quandoquidem fecisti rem hanc, & non subtraxisti filium tuum, unicum tuum*: & v. 17, deinde additur proxime כי id est, *certe benedicendo benedicam tibi*: ubi expresse ac distincte primum forma juramenti ipsius præponitur, *juro per me ipsum*; pro quo Paulus in 3. persona posuit *juravit per seipsum*. Deinde verò res ipsa, juramento promissa exprimitur: *benedicendo benedicam tibi*, eique promissioni, non ut novum juramentum (id enim præcesserat) sed ut qualitatis seu veritatis rei juratę indicium prǽmittit, nempe asseverativum adverbium כי id est, *certe*, quod licet proprie sit conjunctio, *quia*; interdum tamen per enallagen partis orationis, fit adverbium significans *certe, profectò, vere*, ut Gen. 27. 36. הכי *nonne recte vocatum est nomen ejus Jacob*; D. Jun. vertit *quam recte*, Hiero: *juste*: & Chaldæus Onkelos, יאות id est, *pulchre recte*, & Jonathani adscripta Chaldæa paraphrasis, בקושתא, hoc est *in veritate*, i. e. vere, & Es. 7. 9. *si non credatis*, כי, id est, *certè non eritis firmi*, seu stabiles: ut Mercerus in magno Thesauro Pagnini exponi posse ait, & alii etiam doctissimi viri, atq; inter eos clariss. Ursinus explicant. Atq; ita etiam Gen. 22. 17. de quo agimus, vox כי exponitur per ἦ μὴν à LXX. interpp. & ab Apostolo ad Hebræos. Cum autem citra omnem controversiam non sit juramentum: Ergò neque etiam ἦ μὴν voces duæ ei interpretandæ divinitus adhibitæ hoc significant. Quare licet hę asseverandi voces, nempe ἦ μὴν antecedenti juramento subnectantur (ut etiam apud profanos authores non rarò fit) inde tamen non sequitur juramentum esse; cùm eadem maneat etiam citra juramentum significatio: quemadmodum usus harum vocum evincit. Ad cujus etiam rei illustrationem referri potest locus Apostoli 1. Tim. 2. 7. *veritatem dico per Christum, non mentior*: in qua sententia juramentum est illud, *per Christum* sc. juro: rei verò juratæ qualitatem indicat quod ait; *veritatem dico, non mentior*, quod idem est atque *amen dico*. Atque hæc de voce Amen, unde constat amen amen (id est, vere, verè) dico tibi, esse asseverationem veritatis sententiæ seu assertionis sequentis, qua Christus testimonii (seu doctrinæ à se & Baptista traditę) veritatem designat. Assertio vero clarius exponitur ad majorem attentionem ac fidem bifariam, propriè primum: cùm ait: *quod scimus, loquimur*; deinde per metaphoram idem illustrando ait *quod vidimus testamur*: hoc est, quod certò scimus: Nec enim Euangelii doctrinam, quæ hîc intelligitur à Christo, oculis corporis (qui ad id inepti erant) sed animi oculis, seu intellectu suo, cum Baptista vidit ac percepit. Nam quod nonnulli pluralem illam vocē, *scimus*, de Christo & Prophetis interpretantur, non adeo aptum est, atque si de Christo & Baptista exponamus. Similis ferè locus est infra in sententia Baptistæ de Christo v. 32. *quod vidit inquit, & audivit, hoc testatur: & testimonium ejus accipit nemo*, hoc est, pauci: quod comparati cum incredulorum multitudine quasi nulli essent: Nemo enim non propriè, sed per hâc metaph. intelligitur. Quod autem Christus ait pręsenti tempore usus, *scimus, loquimur*: item eodem sensu, *videmus, testamur*, eo modo doctrinam antè propositā, & indies continuari significat. Nam eo tempore adhuc & Christus & Ioannes eandem Euangelii doctrinam docebant Ioa. 3. 26. cum 4. 12. Atq; hęc de prima incredulitatis Nicodemi & similium Pharisęorū reprehēsione, respectu doctrinæ traditæ v. 11. Cui altera adjungitur, ratione doctrinę tradendæ v. 12. *si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Quę reprehensio constat duobus membris, consequente, & antecedente illius confirmatione. Consequens est: *quomodo, si dixero vobis cælestia credetis?* confirmatio verò deducta est ex antecedentis incredulitatis magnitudine, ratione ab objecto, nempe rebus terrenis comparatè petita: *cùm terrena dixi vobis & non creditis*. Hæc enim est mens hujus loci: sive Græca vox εἰ sumatur propriè, pro *si*, conjunctione conditionali, conditionis veritas supponitur ex antecedentibus, perinde ac si subjiceret: *atq; terrena dixi vobis, & non creditis*: sive εἰ per ἐπεὶ & ὅτι, hoc est, *siquidem, quia*, accipiatur, ut etiam Act. 4. v. 9. εἰ ἀνακρινόμεθα, *siquidem* (aut ut Beza, *quandoquidem*) *de nobis quæstio habetur*, ut etiam Græca Scholia, eodem Beza teste, similiter εἰ per ἐπεὶ hoc loco exponunt. Ea autem scholia intelligit, quę Oecumenius collegit ex Patrum scriptis, in opere Veronæ edito p. 22. & rectè Dominus Piscat. Rom. 8. 31. εἰ, *si Deus pro nobis*, ait: *si poni, pro quia, ut in illo Catonis, si Deus est animus &c. Vel potius est ellipsis assumptionis quâ repetitur propositionis connexæ antecedens, si Deus pro nobis est, ut est, quis igitur erit contra nos*. Hæc ille. Prius tamen, ut Act. 4. omninò præferēdū videtur, quia ellipsi caret ac plena est oratio. Atque ita Enthymema erit hujusmodi: quia terrena dixi vobis, & non creditis, cælestia quomodo credetis, h. e. multo minus credetis. Nam interrogatio illa quâ ait *quomodo*, negationem firmiorem indicat, quasi provocatione ad Nicodemi conscientiam: h. e. nequaquam credetis, ac consequentiæ ratio solida est, qui enim minora non intelligit, ad majora ac graviora intelligenda aptus esse non potest. Verum hic oritur.

Quæstio, quid terrena, & cælestia hoc loco significent.

De hac enim re interpretum diversa extant judicia: quorum præcipua tantum paucis expendemus, à vocum ambiguarum distinctione exorsi. Nam ἐπίγεια, & ἐπουράνια aliter atque aliter usurpari solent. ἐπουράνιον enim (cui contrarium est ἐπίγειον) significat, quod in cœlo, vel è cœlo vel cœlo conveniens; In cœlo autem vel imo, seu aëreo (ut Eph. 6. 12. *spirituales malitias in cælestibus*; Beza *in sublimi* exponit, h. e. in aëre, ut Eph. 2. potestas in aëre tribuitur) vel medio seu æthereo (ut 1. Cor. 15. 40. corpora cœlestia, qualia Sol, Luna, stellæ, & terrena opponuntur) vel deniq; in summo beatorum cœlo, ut Phil. 2. 10. *omne genu cælestium, terrenorū, & subterraneorum*. & c. 3. 19. *terrena curantes*, id est, quæ in terra sunt, *quorum*, ut ait, *Deus venter*. Secundo cœleste significat

significat quod è cælo: Heb. 3. 1. κλήσεως ἐπουρανίου, id est, *vocationis cælestis participes*, & 6. 4 *donum cæleste*, id est, quod à Deo, qui in cælis: quemadmodum contra Iac. 3. 15. *sapientiæ terrena* (quam animalem & dæmoniacam vocat) opponitur ei, *quæ supernè*, id est, è cœlo, à Deo est. Tertiò cœlestia designant ea, quæ cœlo conveniunt: ut qualitate cœlesti prædita 1. Cor. 15. 49. *Sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cælestis*, h. est, qualitate v. 48. & 53. ac gloria cælesti præditi: ut Phil. 3. 21. exponitur. Præter hasce significationes, in S. literis usitatas: vox *cælestia* interdum per metaph. usurpari solet, pro rebus valde excellentibus: quod quemadmodum cœlum æthereum terrâ immenso spatio sublimius est; sic etiam illæ rebus aliis præstent. Atque hæc de vocum ambiguarum distinctione, cujus occasione discrepantes hujus Christi sententiæ expositiones in medium proferuntur. Quidam enim interpretes primâ significatione spectata, *terrena* exponunt res quæ in terra sunt: qualis est resipiscentia, baptismus, regeneratio ac similia: *cælestia* verò quæ in cœlo sunt, idque notari putant voce Græcâ ἐπὶ, quandoquidem Christus non ait γήινα *terrena*, sed ἐπίγεια, *quæ in terra sunt*: neque ait οὐράνια *cælestia*, sed ἐπουράνια *supercælestia*. Atque sic *terrena* dici resipiscentiam, & baptismum, ac regenerationem, quod sint rudimenta quædam cælestis doctrinę, quę in hac terra in credentibus absolvantur; *cælestia* verò quę in cælis sunt, & non in mortalibus perficiuntur, qualis est Christi divinitas, atque eadem cum Patre & Sp. S. majestas, & si quæ alia sunt hujusmodi, qualia ferè ab Apostolo Ephes. 1. 2. 3. & Col. 1. de Christo traduntur. In qua erudita expositione, ratio tamen non est satis solida; quia usus scripturę docet simplex οὐράνιος, & compositum ἐπουράνιος, eodem sensu non rarò usurpari: quemadmodum etiam ex collatione Matth. 6. 14. & 26. & 32. & ex cap. 18. 35. apparet. Hæc prima expositio, quæ proprietatem vocis servat: secunda verò est, qua nonnulli has voces per metaph. interpretantur; & quidem alii absolutè in se: alii verò comparatè inter se consideratas accipi arbitrantur. Absolutè quidem & in se consideratę secundum quid, ut *terrena & cælestia* dicantur, non ratione materiæ, seu rei, quam Christus docuit; sed ratione formæ ac modi docendi. Nam res, quam Christus Nicodemum ac similes docuerat, non erat terrena, sed cælestis: nempè doctrina resipiscentiæ, regenerationis ac fidei: quam credere homo terrenus atque animalis, sine cælesti Spiritus gratia, non poterat. Modus verò docendi fuit terrenus, h. e. more hominum rudes instituentium humilis ac facilis intellectu; utpote quia subinde similibus ab hominum consuetudine desumtis, usus fuerat: qualis etiam fuerat proposita proximè Nicodemo, doctrinæ de regeneratione per spiritum, illustratio: qua venti liberè ac potenter flantis similitudine erat usus. Contra alii terrena & cęlestia non absolutè in se, sed comparatè inter se intellecta dici arbitrantur: quod scil. ea, quæ à Christo & Joanne Baptista erant tradita, continebant tantum religionis Christianæ rudimenta: quę comparatè cum sublimioribus, quæ supererant mysteriis, *terrena*, similitudine quadam, h. e. humilia; sublimiora verò, *cælestia*, quasi à captu hominum rudium remotiora, nuncupantur. Quæ expositio illustrari posse videtur ex Apostoli reprehensione Hebr. 5. 12. *Vos enim; quos oportuit pro temporis ratione, doctores esse, rursus opus est doceri, quæ sint prima elementa eloquiorum Dei, factique estis ij, quibus opus est lacte & non solido cibo*: & c. 6. 1. & 2. *quapropter omisso sermone initii Christi ad perfectionem feramur, non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptismatum &c.* Alii denique utramque hanc metaphoricam interpretationem simul videntur componere & in unum conflare: quemadmodum D. Beza, ad illa verba in major. annot. *si terrena &c.* ait: *si crasso & plebeio stylo loquentem non intelligitis, & ideo loquentem repudiatis; Nec enim doctrinam suam terrenam vocat, sed ejus elementa, & ejus tradendi modum ruditati nostræ accommodatum, & similitudinibus, desumtis à rebus communibus & sensui nostro obviis (qualis erat illa de venti flatu) illustratum.* Hactenus ille. Porro hæ metaphoricæ expositiones, & aliis scripturæ locis satis concinnè conveniunt, & huic Christi sententiæ: Veruntamen quędam iis obstare videntur. Quorum primum est, quod vox *cælestia* à bonis authoribus pro rebus excellentibus interdum usurpetur, sed in S. literis hæc significatio non reperiatur: deinde quod amplius est, nullum ex antiquis Græcis authoribus à nobis observatum exemplum, neque à doctioribus ac diligentioribus prolatum, quo voces illæ *terrestria & cælestia* inter se, ut in hoc Christi dicto opposita, humilia & sublimia, h. e. res intellectu faciliores & difficiliores significent. Deinde etiamsi alicubi fortè talis harum vocum significatio reperiretur, à propria tamen earum significatione ad impropriam & metaphoricam, nullo modo esset recurrendum, nisi doctrinæ S. literis comprehensæ veritas, aut loci circumstantiæ illud evincerent; quorum neutrum hoc loco comperitur. Nam prima illa sententia, qua voces istæ propriè accipiuntur (quod etiam clar. Wolf. Musc. ut simplicem maximè probat) & doctrinæ sacræ, & circumstantiis hujus loci probè consentit; ut terrena, ea que sunt aut erunt in terris: cęlestia, quæ sunt, aut futura in cęlis intelligantur. Nam pœnitentia, regeneratio, sanctificatio inchoata, fides, baptismus ac similia quæ docebat Christus, in terra peraguntur: ideoque terrena rectè dici potuerunt: in cęlo verò erat Deitatis Christi majestas, ac myriades Angelorum cum quibus Christus è cęlo venturus ad judicium Matth. 26. 64. pręterea in cęlo partim erant animæ piè defunctorum & cęlestis eorum conditio, nempe perfecta sanctificatio & beatitudo æterna; partim futura erant corporis Christi & Christianorum cęlestis æternaque gloria, atque felicitas Phil. 3. 20. & 21. & 1. Cor. 15. 48 49. & Matth. 13. 43. Hæc & similia nondum erant à Christo, cùm religionis rudimenta traderet, explicata, sed explicanda: quemadmodum postea suis locis explicuit, & proximè sequentibus explicare cœpit. Qua de re M. Bucerus ait: *cælestis magister omnia cælestia dixit, ut certè renasci ex Spiritu nihil minus quam terrena res est, attamen terrenum & crassum dici potuit, si id conferas, cum eo, quod nos per omnia conformes fieri oportet imagini unigeniti: & prorsus esse Deos.* Ubi observandum expositionem hanc videri partim ad 2. metaphoricam expositionem referri, partim ad primam propriam. Deinde observandum postrema verba per hyperbolem majorem ac duriorem dicta, pro divinę naturæ esse participes ut 2. Pet. 1. 4. nempe non ratione essentiæ, sed ratione similium qualitatum. Quomodo Bucero pręivisse Athanasium comperimus, quod de incarnat: filii Dei pag. ult. edit. Gręcolat. Commel. de Filio Dei ait; *homo factus manens Deus, ut homines Deos redderet, manentes homines.* Sed pręstat ab hujusmodi hyperbolis abstinere, & clarius loqui; ne erroribus ulla detur occasio: quamvis metaphoricè in S. literis Magistratus *dii* dicantur. Cœterùm interpretatio prima, quam antea posuimus, longè aptior est, quàm ea, quæ ab Aretio (fortasse solo) proponitur: qui terrena ad exemplum de vento referre mavult, ἐπουράνια autem intelligit doctrinam de regeneratione, quæ res cęlestis est. At inquam de vento dicta non attingit Nicodemus sua dubitatione antecedente: neque credibile est, ipsum adeò fuisse sensus expertem, ut quæ de venti flatu libero clarissimè à Christo dicta, non intellexerit. Atque hæc de proposita quæstione, ad illustrationem illius, strictim diximus.

Ex Joan. III. vers. 13.
Quæstio de sensu verborum Christi: Nullus ascendit, &c.

MEmorabilis est atque explicatu dignissima Christi, Joh. 3. 13. sententia, quâ ait: *& nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo; filius hominis, qui est in cælo.* Constat autem duabus partibus. Quarum prima est propositio, his verbis comprehensa: *& nullus ascendit in cælum*, altera verò expositio, qua ut errori occurratur seqq. verbis subjectum propositionis (nempe *nullus*) exceptione sui declarat. Ac de subjecto, hoc inter interpp. convenit, eâ voce non Angelos intelligi, de quibus in hac oratione tota non est sermo: ut qui in cælo sunt, cælestia norunt, & è cœlo descendere, atque in cælum rursus ascendere, à Christo

Christo dicuntur Ioan. 1. 52. sed homines designari: quocirca vulgatus interpres commodè vocem οὐδεὶς, quę generatim *nullum* significat, exposuit, *nemo*, quę vox hominem solum excludit. De prædicato verò sive subjecti hujus attributo controversia est, quidnam *ascendere in cœlum* significet hoc loco. De ea enim re duplex est explicatio. Prior quidem communior, utpote à priscis Theologis, & plerisque recentioribus proposita: nempe hanc phrasin propriè de ascensu, h. e. è terra infima, in summum cœlum penetratione ad vitam æternam, accipi. Posterior verò nonnullis insignibus Theol. propria, qui hæc verba metaphoricè exponunt: quæ sententia doctis. M. Buceri est, quem nostri Theologi ferè reliqui omnes sunt secuti, ut sit sensus; Nemo mysteria regni cælorum cognoscit, vel unquam cognovit: quemadmodum dicitur Ioan. 1. *Deum nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis*, & Matth. 11. *nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Hujus autem sententiæ authores, duo adversus priorem objiciunt argumenta. Primum est, quod posita ea propriâ expositione, necessariò inde sequeretur, orationem Christi fore falsam, ac propterea metaphoricè intelligendam: Nam Christus, cùm addit, *nisi qui discendit è cœlo, filius hominis &c.* indicat, se jam ascendisse; atqui ascensu propriè accepto, illud erat falsum: nondum enim ascenderat eo modo, sed primum post resurrectionem erat ascensurus. Verùm responderi potest bifariam: primum non dici à Christo, quod in cælum ascenderit; Est enim hoc loco elliptica oratio: *Nemo ascendit nisi filius*: & non necesse est, ut verbum *ascendit* eodem tempore præterito subintelligatur: sed potest, ac debet etiam (ut veritas rei postulat) in futuro tempore repeti: quemadmodum à Theophylacto in commentariis ex Chrysost. in compendiis contractis factum est, qui hoc modo breviter exponit: οὐδεὶς τῶν προφητῶν ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ἐγὼ μέλλω μόνος ἀναβῆναι, ὡς καὶ κατῆλθον, h. e. *Nemo Prophetarum ascendit in cœlum, nisi ego solus ascensurus sum in cælum, sicut etiam descendi.* Deinde alteram etiam solutionem addimus, hypothesin objectionis (licet communi expositione quasi certa probetur, nempe ἀναβέβηκε vocem præteriti temporis, significationem præteriti servare, ac vertendum *ascendit*) non esse necessariam: quia potest accipi significatione, ut loquuntur, potentiali: ascendit, pro ascenderit, h. e. poterit ascendere. Nam verba non solùm reliqua, sed etiam præteriti perfecti indicativi (ut exemplis eruditè ab Henrico Stephano in Græcę Linguę Thesauro docetur) cum conjunctione potentiali ἂν juncta, non actum rei, sed rei futurę potentiam interdum denotant: idemque nonnunquam fieri per illius conjunctionis ellipsin: Ad quam constructionem hic etiam locus Ioannis referri potest, ut sit sensus: Nemo ascendit, hoc est, ascendere poterit, in cœlum, εἰ μὴ *nisi* filius hominis, qui sc. ascendere poterit. Hanc alteram etiam expositionem verisimilem adducere visum: ut inde plenius cognoscatur, etiam hanc secundam objectionis hypothesin in expositione vocis ἀναβέβηκε non esse necessariam; utraque igitur solutio objectionem confutat; prior tamen responsio, sufficere potest. At objici potest, insolentem esse expositionem, nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis, supplendo ascendet: quia ubi antecedentis verbi ellipsis est, ibi illud ipsum eodem tempore est repetendum sive supplendum. Verum hoc negatur: neque insolens est, si ipsa verbi significatione manente, circumstantia temporis pro rei hoc flagitantis ratione, mutetur: ut vel ex eo loco, qui ad contrariam expositionem illustrandam adducitur, apparet, nempe Matth. 11. 27. *neque Patrem quisquam novit nisi Filius*, supple novit, *& cuicunque voluerit*, hoc est volet, *revelare*, sc. noscet. Sed alterum argumentum, à scopo loci deductum profertur: quod ea expositio ab illo aliena sit, quia doctrina de ascensione in cœlum, propriè accepta, proximè præcedentibus verbis non cohæret: Contra verò posterior optimè convenit: cum enim antè dictum sit: *si dixero vobis cœlestia, quomodo credetis*? supponitur, Christum posse cœlestia dicere: Id autem oppositione aliorum omnium hominum demonstratur, quia nemo novit cœlestia, nisi solus filius hominis, ut qui è cœlo descendit, & in cœlo sit. Ac propterea D. Beza, pro hac, quam probat sententia interpretatur ista verba: καὶ οὐδεὶς, *Nullus enim*: ut καὶ & copula, pro causali ὅτι: seu *&*, pro *etenim* (quod interdum fit) accipiatur. Hanc difficultatem objectam viderunt etiam prisci Theologi, eamq; indicat ac solvere conatur Theophyl. (Chrysostomum ut solet secutus) hoc modo: *Nemo ascendit, &c. Neque hoc videtur habere communionem cum iis, quæ ante ipsum sunt: si quis verò accuratè mentem Domini viderit, valdè etiam cum iis, quæ ante illud sunt, communionem habere apparebit. Cùm enim Magistrum & prophetam nominasset Nicodemus; ne me, inquit, puta quasi prophetam è terra existentem à Deo missum ut doceam, sed supernè me descendisse, puta ut filium, non è terra esse, nemo igitur prophetarum ascendit in cœlum, nisi ego solus ascensurus sum, ut etiam descendi.* Hæc ille. Summa est connecti hanc sententiam cum antecedentium initio, ut corrigatur primus Nicodemi error à Christo antè intactus, non autem cum proxime antecedentibus. Neque enim necesse est, ut in oratione omni sequentia semper cum proxime antecedentibus cohæreant, cùm ad ea quæ antea dicta sunt utiliter explicanda, regressio nonnunquam institui soleat. Quo posito, secundo loco, aptius paulò responderi potest, Christum reprehensâ ignorantia atque incredulitate Nicodemi, ut attentiorem redderet, & ad fidem provocaret, postea redire hoc vers. 13. ad explicationem ingressus in regnum cœlorum, hoc est, anima & corpore in cœlum ascensionem ad vitam æternam, & modum illius duplicem ostendere; unum per se, insitâ vi, qualis solius Christi futura ascensio: alterum per alium, vi Christi: qualis fidelium. Prius vers. 13. posterius seqq. explicari. Denique si quis accuratè rem ipsam spectet, cum proxime antecedenti versu, commode etiam cohæret. Nam ut cœlestium meminit explicandorum à se; sic ea ex parte explicat, ascensione in cœlum, descensione è cœlo, & præsentia in cœlo. Quamobrem primam expositionem secundę pręferendam meritò concludimus: primum quia propriam significationem vocum retinet: altera verò metaphoricam, quæ admittenda non est, nisi causa necessaria cogat: Ea autem hic nulla est, ut ex objectionum confutatione constat, quia & veritati Scripturæ, & loci circumstantiis probè congruit. Deinde, quia phrasis usum, in S. literis observatum retinet: contra verò metaphorica ab eo recedit. Nam quod objicitur locus Deut. 30. 12. & similis Rom. 10. 6. quasi eodem modo improprie acciperetur, *quis ascendet in cœlum*, id est, quis cœlestia cognoscet; illud negatur. Proprie enim accipi verba Mosis demonstrant, antecedentia & consequentia: postquam enim vers. 11. dixit, *mandatum quod præcipio tibi, &c. illud non est longinquum*: hoc proximè v. 12. exponit, *non in cœlis est ut dicas, quis ascendet nobis in cœlum, & accipiat illud, &c. neque trans mare, &c.* Quæ diserte de ascensu proprie agi demonstrant. Atque hæc de prima hujus loci quæstione; sensu videlicet verborum Christi: *Nullus ascendit in cælum*, sequitur

Secunda Quæstio, quomodo ascensio in cœlum, soli Christo tribuatur?

Sacræ literæ disertissimè tradunt 2. Reg. 2. 11. Eliam igneo curru subvectum, ascendisse in cælum; & animas piorum mortuorum in cælum ascendere, & cum Christo esse, Ioan. 14. 3. Phil. 1. 23. & corpora post resurrectionem ascensura, 1. Thess. 4. 17. & Apo. 21. 27. ac propterea ex hac re prima fronte videtur consequi, non esse verum, ascensionem in cælum soli Christo tribui. Cum autem verba Christi citra controversiam sint vera, 1. Pet. 2. 22. quæritur, quomodo hæc inter se queant conciliari? Respondemus autem, distinctione nodum hunc solvi. Nam ascensio in cælum: aut sumitur generatim, pro quavis è terra in summum cælum translatione, atque ita verè Christo & piis communiter convenit: aut speciatim. Ascensio enim in cœlum dividitur ratione causæ efficientis oppositę, in eam quę per se, seu propriis viribus ascendentis fit: & in eam quę per alium, seu alterius viribus contingit. Atque ita hęc conciliantur inter se: Nemo nisi Christus ascendit in

in cœlum, propriis suis viribus. Ipse enim ascendit, primùm vi dignitatis suæ, seu obedientiæ ad mortem usque crucis, secundum pactum Dei, Lev. 18. 5. *hoc fac & vives.* Atque ita fuit efficiens remota, nempe causa impulsiva, ut Phil. 2. 9. & Hebr. 12. 2. exponitur. Deinde vi divinæ suę naturæ, qua, ut se à mortuis suscitavit, Ioan. 2. 19. 21. & c. 10. 17. sic etiam in cœlum tandem ascendit. Atque ita, ut solus est causa remota ac movens: sic etiam solus proxima atque exequens. Et hunc specialem ascensionis modum, non autem generalem, soli Christo attribui ex antecedentibus & ex consequentibus apparet. Ex antecedentibus quidem, quia regenitum posse videre regnum Dei, & in id introire, hoc est, ascendere in cœlum, asseruit vers. 3. & 5. sequentibus verò vers. 16. dicitur: *ut credentes in Christum habeant vitam æternam:* Ea enim in cœlo est, & præcedentem ascensionem in cœlum necessariò includit: & credentibus contingere, non per se, sed per Christum declaratur. Quo etiam pertinent ea, quæ initiò proposuimus testimonia. Hæc de secunda, sequitur

Tertia Quæstio, quid filius hominis hoc loco significet?

ORigo hujus quæstionis est, quod licet certum sit, filium hominis distinctè dici, ab Adamo, qui homo fuit, sed non filius hominis: utpote qui creatus à Deo, non verò à patre homine generatus, tamen bifariam usurpatur: propriè, aut impropriè per tropum, qui diversus etiam esse potest. Propriè quidem, atque universali significatione denotat ab homine genitum: atque ita accipitur Psal. 115. 16. *cœli sunt Jehovæ, & terram dedit filiis hominum*, & Psalm. 144. 3. *Jehova, quid est homo ut agnoscas eum: filius hominis, ut rationem ejus habeas?* & Esai. 56. 2. *beatus homo qui fecerit illam, & filius hominis, qui prehenderit illam.* Quo etiam modo Ezech. 2. 1. & singulis ferè capitibus Ezechiel à Deo *filius hominis*, id est, homo vocatur. Deinde *filius hominis* per Synecd. accipitur bifariam: primùm generis pro specie, cum opponitur filio viri, & hominem plebeium, distinctè à potentiori designat, ut Psalm. 49. 3. *etiam filii hominis, etiam filii viri*, hoc est, tam plebeii, quam præstantes. Secundo per Synecdoch. generis pro individuo, seu certo homine generali. Atque ita Christus seipsum vocat passim ad humanæ suæ naturæ veritatem indicandam: ideoque plerumque distinctè additur articulus ὁ emphaticus, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius ille hominis:* ut non quemvis, sed singularem aliquem denotari ostendat: Quocirca excellentia quædam indicari videtur: unde nonnulli egregii interpretes, excellentiam infirmitatis Christi, humilisque conditionis nostræ causâ susceptæ, notari putant: hominem nimirum afflictum & contemtum: ut de Christo dicitur Esai. 52. 14. *Cum obstupuerint de te multi, dicentes, adeo corruptum esse præ ullo aspectum istius, & formam istius præ filiis hominum:* quod etiam plenius explicatur Esai. 53. 2. & 3. quomodo de Christo dici existimant Ioan. 19. 5. *Ecce homo.* Verùm obstat, uti videtur, huic explicationi; quod Christus etiam jam in gloria constitutus cœlesti vocatur eadem periphrasi filius ille hominis, ut Actor. 7. 56. *Ecce conspicio cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei.* Altera igitur expositio est, sic vocari, ut excellentiam non infirmitatis, sed dignitatis illius significet: ut sit sensus, homo ille olim promissus Adamo & Patriarchis, futurus Messias, & per Prophetas prædictus. Atque ita videtur Psalm. 8. 5. *filius hominis*, accipi: ut Hebr. 2. 6. & seqq. exponitur. Et fortè eo spectat, quod Ioan. 12. 34. à Christi auditoribus dicitur: *Nos audivimus ex lege quod Christus maneat in æternum: & quomodo dicis, oportere filium hominis extolli? quis est ille filius hominis?* atque ita videtur accipi Ioan. 5. 27. *& potestatem ei dedit judicium etiam exercendi:* ὅτι; id est, *quia filius hominis est*, id est, promissus ille homo Messias, cui judicium divinitus destinatum: de quo, suo loco, Deo favente, plenius sumus acturi. In qua expositionum diversitate hoc interim certum ac citra controversiam est, humanæ naturæ Christi veritatem designari hac phrasi: an verò præterea aut abjectæ conditionis, aut muneris excellentia denotetur, disquiri potest: posterius verò; ob causam allatam, comparatè magis videtur consentaneum: etsi Matth. 16. 13. *quem me dicunt esse filium hominis*, non videatur satis quadrare, si quis circumstantias expendat. Nam hoc quasi notum præsupponitur, se esse filium hominis, de quo quid judicent homines quærit.

Quarta Quæstio, quo sensu de filio hominis dicatur, quod descenderit de cœlo: & tamen quod esset nihilominus in cœlo.

QUa de re duplex est sententia: Prior quidem, quod ea Christo tribuantur κατ' ἄλλο, nempè secundum divinam naturam: seu non quatenus homo, sed quatenus Deus, Dei filius: ut orthodoxi Patres, & nostræ etiam Ecclesiæ consentaneè exponunt: ac descensum non propriè sed metaphoricè accipi, quod Dei Filius sit patefactus in carne, seu sit caro factus assumtâ servi forma, Phil. 2. Tum enim Deus, ex scripturæ usu, descendere è cœlo dicitur, cum in terris peculiari aliqua ratione præsentiam suam patefacit, quod excellentissimè in naturæ humanæ assumtione in terris factum est. Unde 1. Tim. 3. dicitur: *magnum est pietatis mysterium; Deus patefactus in carne;* Altera verò de attributi descensus è cœlo, & præsentiæ in cœlo sensu, sententia est, quæ priorem expositionem (qua utrumque ad Christum, secundum divinam naturam refertur) partim concedit; partim negat: sed contrario tamen modo à diversis explicatur bifariam. Anabaptistæ enim Mennonitæ posterius attributum, nempe præsentiam hanc in cœlo, non ad humanam naturam: sed ad divinam tantùm pertinere agnoscunt: prius autem de humana interpretantur, atque inde probare conantur, Christum suam carnem, non ex virginis Mariæ substantia in terris assumsisse; sed eam è cœlo descendentem utero illius intulisse, matremque Christi nihil aliud, præter gestationem, nutritionem atque partum contulisse: ut olim Marcion (adversus quem eruditè scripsit Tertull.) aliique nonnulli, ac per eam quasi canalem conceptum, & ad tempus partus servatum transiisse. Contra verò Luthori discipuli, Ubiquitatis, ut vocant, corporis Christi assertores, prius attributum, nempe descensum è cœlo, Christo convenire tantùm secundum divinam naturam concedũt, ac statuunt descensum illum non propriè, sed metaphoricè intelligendum: posterius verò ad humanam naturam pertinere contendunt: atque inde probare conantur, Christi corpus multis esse in locis, imò ubique: utpote quod eodem tempore fuerit in terra, Nicodemum alloquens: & nihilominus simul in cœlo præsens. Utriusque autem sententiæ argumentatio & hypothesis illius vana est; imò sua expositione satis perspicuè eandem, si attendere velint, refutant. Argumentatio enim est, quia non dicitur filius Dei descendit de cœlo: sed filius hominis, propterea non secundum divinam naturam, sed secundum humanam descendit è cœlo, ut Mennonitæ concludunt. Deinde Ubiquitarii similiter sic disputant: filius Dei hic non dicitur esse in cœlo, sed filius hominis: ac propterea illud non secundum divinam, sed secundum humanam naturam intelligendum est. Verùm fragilis utrimque consequentia: quia hypothesi ac fundamento falso nituntur. Nec enim quæcunque de filio hominis dicuntur, necessariò secundum humanam naturam sunt intelligenda; quia filius hominis, & humana natura non sunt idem omninò; Filius enim hominis, personam humanâ natura præditam significat: humana verò natura, personam non notat. Ac propterea cum filius hominis hic personam Christi, ab una natura humana denominatam significet: verè omnino de eo dicuntur attributa, quæ personæ Christi tantum conveniebant secundum alteram, nempe divinam naturam. Sive enim Christus, Filius Dei, à divina natura: sive filius hominis, à natura humana denominetur, persona Christi indicatur. Ac propterea quia in persona Christi utraq; natura existit: verissimè utriusque naturæ attributa de ea, per vocem personalem denominata, dici possunt: sive vox personam notans sit desumta à tota persona, ut Immanuel, seu θεάνθρωπος, Christus, & Jesus, ac similes voces:

voces: sive ab una natura, ut Filius Dei, & filius hominis. Quemadmodum exempli gratia de Christi persona, denominata à natura divina, seu de Filio Dei dicitur: eum esse in sinu Patris Ioan. 1. 18. & tamē ignorasse diem judicii Marc. 13. 32. Quorum prius, quatenus Filius Dei est, seu secundum naturam divinam: alterum verò, non quatenus Filius Dei, sed quatenus Filius hominis: seu non secundum divinam naturam, quia omniscia est: sed tantum secundum humanam intelligendum. Quemadmodum etiam similiter Filius Dei Rom. 1. 3. dicitur esse ex semine Davidis, non secundum divinam naturam: sed, ut Apostolus interpretatur, secundum carnem, hoc est, humanam naturam. Sic etiam de Christi persona, denominata voce personali ab humana naturâ desumta, rectè dicuntur ea, quæ conveniunt, non solùm secundum humanam naturam (ut cum filius hominis tradendus dicitur in manus hominum Matth. 17. 22.) sed etiam quod personæ Christi convenit secundum alteram, nempe divinam naturam, ut cum dicitur, filium hominis esse filium Dei. Qualis de Christi persona phrasis (qua personæ Christi voce personali ab una natura denominatæ tribuitur, quod ei convenit secundum alteram tantùm) communicatio idiomatum appellari solet; quod talis phrasis ex eo oriatur, quod utriusque naturæ Christi propria, sint personæ illius communia, & illa phrasi convenienter significentur. Idemque sese confutantes imprudenter expositione sua utrique; & Anabaptistę, & Ubiquitarii, suæ probationis hypothesin fundamentum omninò destruunt. Nam filio hominis præsentiam in cœlo Anabaptistæ attribui exponunt, non quà filius hominis, seu non secundum humanam naturam: sed secundum divinam: & rectè ac consentaneè cum orthodoxis: Et Ubiquitarii, filium hominis descendisse de cœlo, non quatenus filius hominis, seu non secundùm corpus & humanam naturam: sed quatenus filius Dei, seu secundum alteram nempe divinam naturam, rectè exponunt. Ergo utrique hanc hypothesin nostram confirmant: nempe, non quæcunque de filio hominis dicuntur, ea esse de ipso secundum humanam naturam intelligenda: sed interdum debere secundum divinam naturam explicari: tum scilicet quando rei veritas hoc flagitat; sive attributi & subjecti consensio. Atque ita suam falsam hypothesin, qua eorum expositio atque argumentatio nititur, perspicue ab ipsismet evertitur. Nam si descensus è cœlo, filio hominis convenit secundum naturam humanam idcirco, quia dicitur filius hominis: ejusdem rationis vi sequetur, etiam fuisse secundum humanam naturam in cœlo, cum esset in terris, quod tamen Anabaptistę negant. Et contra: si quia dicitur, *filius hominis qui est in cælo*, inde sequitur secundum humanam naturam fuisse in cœlo: eodem omninò fundamento sequetur, eandem descendisse de cœlo, quod tamen Ubiquitarii negant. Quamobrem ex hisce perspicue concluditur, neque Anabaptistarum, neque Ubiquitatiorum interpretationem ab ipsis probari, neque etiam probari posse: ut fidei analogia, seu doctrina S. Literarum de Christi persona satis demonstrat: ut contra Anabaptistas Ioan. 1. ostendimus; & contra Ubiquitarios, veritas corporis Christi (quod triplici sua dimensione, & partium unitarum, pro locorum intervallo, distinctione constat) evincit. deinde cum esset in terris, non fuisse suâ naturâ humanâ in cœlo: quia aliâs non potuisset proprie ascendere in cœlum: quemadmodum revera, motu locali, è terra, videntibus Apostolis in aërem, ac porro in cœlum ascendit Act. 1. Quod autem ubique est, locum non mutat, quia jam in omni loco est: ac propterea locus nullus est quem deserat: nec locus ullus in quem accedere valeat. Et rursus, cum jam secundum humanam naturam, post ascensionem, in cœlo sit, non est amplius in terra Coloss. 3. 1. *quærite quæ supra sunt, ubi Christus est* & v. 2. *quæ supra sunt quærite, non quæ in terra*; Et cum in terra esset Christus, certo fuit in loco, pro natura veri sui corporis circumscripti, & membris distincto loco positis, non alibi, eodem tempore: ut Ioan. 11. 15. *gaudeo quod non ibi* (nempe apud Lazarum) *fuerim, sed eamus ad ipsum.* Imò omnes articuli fidei de Christo, hoc monstro Ubiquitatis corporis Christi, violantur. Nam si Christi corpus, ob unionem hypostaticam (ut contendunt) cum divina naturâ ubique est, & ab initio sui extitit: sequitur necessariò, non in solo utero virginis conceptum ac gestatum, sed ubique fuisse conceptum: neque natum seu ex utero virginis in lucem egressum, sed in eo & ubique mansisse; quia quod ubiq; est, locum omnem implet, seu locum nullum deserit, nec ab ullo loco abest. Hęc enim sunt contradictoria: abesse à loco, & in eodem esse seu non abesse. Deinde si corpus Christi ubique est; non est cruci uni affixum in Judęa: sed omnibus crucibus toto orbe: imo quod amplius est, nulli cruci affigi potuit: quia jam antè in cruce hac omnibusque aliis ubique fuerit. Neque etiam mortuus fuerit: quia morte anima à corpore separatur, & corpus ab anima. Atqui corpus quod ubique est, ab anima separari non potest, aliâs ubique esse desineret. Neque etiam à cruce removeri, ac sepulchro imponi potuisset, quia ubique existens, in eo jam antea fuisset. Neque etiam corpus mortuum potuisset animæ rursus uniri ac vivificari, si fuisset ubique: quia ab anima nunquam fuisset separatum. Neque è sepulchro suscitati atque exire potuisset, quia ubique existens, locum nullum deserere, nec locum alium adire potuisset, quia verò suscitatus est è sepulchro, non fuit ubique, ut etiam Angelus ait, Matth. 28. v. 5. 6. *Scio vos Jesum mortuum quærere, non est hic, nam suscitatus est, prout dixit: venite, videte locum, ubi jacebat Dominus.* Præterea si corpus Christi ob unionem hypostaticam cum natura divina sit ubique, neque etiam (ut ante ostendimus) ascendere potuisset in cœlum, quia jam ante ubique existens, fuisset etiam in cœlo. Nec etiam inde redire posset ad judicium; quia ubique existens, cœlum deserere, seu ubique non esse simul non potuisset. Hæc enim omnia disertè sunt contradictoria: ubique manere; certo loco esse, locumque aliquem deserere, novumque occupare. Atque hæc brevis speciminis causa adduximus, ut Ubiquitatis sententiam (pro qua, tanquam pro Helena sua decertant) hujusque loci perversam interpretationem, monstrosis contradictionibus, veri corporis Christi (suis terminis ac membris circumscripti ac distincti) veritatem, & articulorum fidei de Christo doctrinam universam violare, perspicuè demonstraremus. Ideoque quæ ad Ubiquitatem corporis Christi probandam adferuntur ab iis, vana esse necesse est: inprimis verò, quod quasi primarium argumentum objectare solent, ab unione hypostatica desumtum hujusmodi: Eorum quæ hypostatice sunt unita, uno existente ubique alterum etiam ubique esse necesse est; quia aliâs non unio esset, sed divisio. Atque divina & humana natura in Christo hypostatice sunt unita: & earum una nempe divina est ubique: Ergò & alteram, nempe humanam, ubiq; esse necesse est. Verum nostri merito propositionem negant. Nam ad unionem hypostaticam servandam, non requiritur ut utraq; natura sit ubique; sed sufficit, ut una tantum nempe divina sit ubique. Ac propterea humana natura, licet non sit ubique, nunquam tamen à divina, quia illa ubique est, separari potest. Atque hæc ad perversam hujus loci expositionem confutandam sufficere arbitramur. Corollarii loco, me moratam à nobis Lutheri, de Ubiquitate corporis Christi sententiam, subnectere visum est: ut ejus certior sit atque utilior, ad differendum cum ubiquitariis memoria. Sic autem tom. 7. oper. Latinæ editio: Wittenberg. sermone de Sacramento corporis & sanguinis Christi pag. 337. *Illi autem stolida imaginantur, Christo ascendendum & descendendum esse per aërem, sinenti se detrahi in panem, quoties ejus corpus manducamus; atque hujusmodi quidem cogitationem parens est stolida (solida inquam) illa humanæ sapientiæ ratio. Neque enim opus est ut verbis quæ dicuntur cælitus, detrahatur, sed nostræ fidei & securitatis confirmandæ gratia nobis data sunt, ut sciamus illum certò invenire. Nam quamquam nusquam non sit Christus, in omnibus etiam creaturis: & ego illum in silice, in igne, in aquis, adde etiam in laqueo invenire possim, sicut certo etiam inest laqueo: citra tamen verbum illic quærendus non est, nec vult, ut in flammas aut in fluctus me ipsum de scopulo aliquo præcipitem, aut obstructo collo literam longam ex me faciam. Est quidem passim in omnibus locis, neque tamen vult, ut passim illum captes, aut quæras; sed ubi verbum esse audieris, ibi*

ibi captato & illum rectè & certo capies, alioqui impia persuasione Deum tentabis atque idolatriam committes. Hactenus Lutheri verba. Cujus absurditatis profanæ, plurima similia in eodem sermone comperiuntur. Ad absurditatem Lutheri in doctrina de cœna cognoscendam (ut obiter hoc dicam) consideretur locus in confessione de cœna, tom. 3. Jenensi, operum Germanicorum pag. 487. ubi impiam Nicolai Papæ sententiam, Berengarii confessione præscriptam laudat, & glossam Pontificiam eam damnantem rejicit.

Quæstio ex vers. 14. & 15.

De similitudinis ibidem propositæ genere, & partibus illius primariis.

Egregia omninò est Christi sententia, Joan. 3. v. 14. & 15. *Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis credens in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ egregiè antecedenti connectitur. Nam ut modum ascensus in cœlum, vi sua, sibi soli v. 13. Christus vendicavit; sic sese quoque ascensus in cœlum, seu vitæ æternæ credentibus authorem esse declarat, similitudine eleganti. De cujus genere & partibus primariis, quædam strictim explicanda.

Ad prius quod attinet, similitudines quæ ex V. T. in Novo proferuntur sunt duplicis generis: quædam enim indefinitę sunt ac communes, alię verò definitę ac proprię. Communes sunt, quando simile ad aliud simile illustrandum adfertur, quod multis accommodari potest, neque in eum finem factum est, ut ad proprium aliquid designandum, divinitus destinaretur; quemadmodum 1. Cor. 10. de Israëlitis, ob impia facta in deserto divinitùs occisis, dicitur v. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt; ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiverunt*, hoc est, exempla sunt justi judicii Dei; ut iis etiam moniti, alii redderentur cautiores ac sanctiores, non autem ut rem futuram (quasi prophetici typi) certo indicarent: Definitæ vero ac propriæ similitudines sunt, quando simile aliquod, ad aliud simile illustrandum adfertur, ad quod peculiariter adumbrandum ac significandum divinitus est institutum, ut ceremoniæ V. T. quæ propterea *antitypa verorum* Heb. 9. v. 24. appellantur; & *umbra futurorum, cujus corpus est Christi*, hoc est, ad Christum pertinet Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. qualis fuit Jonæ, ventre Ceti excepti, & triduum commorati, atque inde ejecti, Christum adumbrantis similitudo Matth. 12. v. 40. Quomodo etiam multa Davidis & Salomonis Christi fuerunt typi, ut aliàs ostendimus. Utra autem sit similitudo in hac Christi sententia, disquiri potest, nempe an indefinita sit ac communis: an verò definita ac propria. Quorum postremum maximè verisimile ab eruditis, non temerè statuitur, si quis rem diligenter spectet, quia non solum convenientia est elegans in utroque comparationis membro: sed etiam, quia nullum tale nec specie nec genere, remedii adversus meritas pœnas exemplum extare apparet: ideoque ad beneficium Christi adumbrandum pertinere videtur. Neque ratio probabilis alia apparet, cur ad serpentum morsum, serpentem æneum erigi atque aspici voluerit Deus, & quidem Israëlitis ad idolatriam propensis: ut etiam posteris temporibus, eodem serpente æneo, ad idololatriam sunt abusi, ideoque Rex Hiskias eundem propterea confregit. 2. Reg. 18. v. 4. Deinde destinatum etiam ac propheticum typum, seu rei futuræ, ex Dei instituto, significationem esse, Christus satis indicare videtur, cum non ait simpliciter: sic exaltabitur: sed, *sic oportet filium hominis exaltari:* quod scilicet illo etiam prophetico typo ac simili, illud divinitus esset olim adumbratum: ideoque cum Deus sit verus, impleri oportuit, ut aliàs Christus de prophetiarum impletione loqui solet Matth. 16. vers. 21. & 26. vers. 54. & Luc. 24. vers. 27. & 46. Hæc de genere similitudinis. Partes autem illius sunt duæ: protasis seu propositio: & apodosis seu redditio. Propositio simile illustrans, ac simul prophetìcè probans proponit contractius hoc modo: *sicut Moses in deserto exaltavit serpentem:* omittit enim tanquam rem (ex Num. 21. 5. ad 10.) notam; ut à serpentibus læsi eum aspiciendo, à morte imminente liberati viverent. Apodosis autem explicatior est his verbis: *ita exaltari oportet filium hominis: ut quisquis crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. sic enim dilexit Deus, &c.* In qua duorum similium, serpentis ænei, & Christi comparatione illustris similitudo observanda est triplex: nempè antecedentis originis, præsentis conditionis, & consequentis finis. Primum enim origo utrimque est duplex, occasio & causa impulsiva. Illa quidem fuit miseria hominũ, hæc verò misericordia Dei. Miseria autem fuit peccatum & pœna illius. Nam ut Israëlitæ sua incredulitate, & injusta impiaque murmuratione adversus Deũ, justè ab ipso, serpentibus immissis, lethali morsu puniti sunt Num. 21. sic omnes homines in Adamo, graviter peccaverunt Rom. 5. 12. deinde generatione naturali illius propagati, vitiositatis naturalis seu peccati originis veneno ab ipso Rom. 5. v. 12. & 14. atque à majoribus suis Ps. 51. v. 7. Eph. 2. v. 1. infecti sunt, ac morti temporali atque æternæ obnoxii. Hæc de miseria cùm Israëlitarum, tum omnium hominum simili: quæ una antecedens origo. Altera verò est misericordia Dei, hoc est, illius erga miseros dilectio, seu benigna liberandi à miseria voluntas: ut de serpentis ænei origine Num. 21. 8. & de Christi donatione Joan. 3. v. 16. disertè explicatur. Hæc de antecedenti utriusque origine. Altera deinde comparationis pars, est pręsentis conditionis convenientia: Nam ut serpens æneus, similis fuit figurâ serpentibus venenatis, à quibus Israëlitæ læsi, sed non similis veneno, siquidem eo caruit; sic Christus hominibus, peccati veneno infectis, similis factus est figura atque habitu Phil. 2. v. 7. & 8. utpote à Deo missus in similitudine carnis peccati, id est, peccatricis Rom. 8. v. 3. sed peccatis omninò carens, Heb. 4. v. 15. In qua tamen comparatione differentia declaratur ea, quod serpens æneus figuram, non autem formam seu essentiam veri serpentis habuit, Christus verò (qui cum eo comparatur) non solùm figuram, sed etiam formam seu essentiam hominis veri habuit, Phil. 2. v. 7. ideoque ibidem homo v. 8. & hoc loco *filius hominis* expresè nominatur. Hæc de secunda, nempe præsentis seu insitæ conditionis convenientia. Tertia verò in consequente fine consistit, hoc est, in causa propter quam, & serpens æneus, & Christus exortus est. Finis autem est duplex, prior, est usus: alter est fructus illius, ex usu promanans. Usus autem est duplex, Proximus & remotus. Proximus, est utriusque secundum Dei voluntatem exaltatio, illiusque patefactio. Exaltatio autem; est è terra in lignum sublime erectio: serpentis quidem ænei in perticam, jussu Dei Num. 21. vers. 8. de quo hîc dicitur brevius, *ut Moses exaltavit serpentem:* Christi verò in lignum crucis, ut hic additur, *sic exaltari oportet filium hominis*, hoc est, in crucem tolli. Oportuit autem ita fieri primùm ob voluntatis Dei decretum, ut Act. 2. v. 23. *Hunc definita voluntate & præscientia Dei traditum, cum accepissetis per manus exlegum (vel impiorum) cruci affigentes sustulistis.* Deinde crucifigi oportuit, propter divinam S. Literis pędictionem, signis certis factam, quale signum propheticum fuit 1. erectio serpentis ænei in deserto in perticam: deinde damnatorum quorundam apud Israëlitas mandata crucifixio, ut eo supplicio, Christi, pro nobis damnati, crucifixio, prophetico signo præfiguraretur Galat. 3. vers. 13. Christus dicitur factus execratio, *scriptum est enim: Execrabilis quisquis pendet in ligno*, hoc est, Christi execrabilis figura, metonymice. Et quia Christum secundum decretum Dei, eodem die de cruce tolli oportebat, idcirco etiam in figura crucifixorum apud Israëlitas, idem fuit à Deo imperatum Deut. 21. 23. *ne pernoctato cadaver ejus in ipso ligno: sed omninò sepelito ipsum eodem die, nam suspensus execratio* (id est, execrabilis) *est Deo: ne ergò polluito terram tuam, quam Jehova Deus tuus dedit tibi in possessionem.* Quę strictim ad difficilis hujus loci Galat. 3. & Deut. 21. illustrationem (ab interpretibus, in varias sententias distractis, minus observatam) adjicienda existimavimus. Quare Christum exaltari in lignum crucis oportuit, ob immotam voluntatis Dei constantiam Es. 46. 10. & scripturæ ac propheticæ figuræ veritatem: Scriptura enim solvi non potest Joan. 10. 35. ideoque etiam hac in re eandem impleri oportuit Luc. 24. 26. & 27. Unde Christus etiam postea Judæis

eandem

eandem sententiam proposui: nempè: *oportet filium hominis exaltari*; ut Joan 12. 34. ab auditoribus Christi indicatur, ubi obiter observandum, ista verba Christi in antecedenti orationis illius narratione, à Joanne esse omissa; quia Euangelistæ non integras Christi conciones perpetuò, sed frequenter selectiora tantùm ad usum Ecclesię inprimis pertinentia, compendii causâ describunt, quemadmodum de Christi factis Ioan. 20.30. 31. & 21. 25. similiter traditur. Deinde ut exaltatio serpentis, facta est non in obscuro loco: sed coram Israëlitis aperto, in deserto in quo erant, ut conspici posset; sic Christum exaltatum ac crucifixum Euangelii prædicatione palam etiam proponi ac quasi crucifigi Gal. 3. 1. oportuit, ut cognosci posset. Ubi obiter observandum, minus rectè à nonnullis magni hominis interpretibus, hanc Christi exaltationem, ad solam Euangelii prædicationem referri, cum potissimum ad crucifixionem referendam esse typus erecti ænei serpentis, & Iohannis Euangelistę expositio c. 12. 32. & 33. perspicue demonstret, cum ait (post ista verba Christi: *cum exaltatus fuero è terra, omnes*, sc. electos, *traham ad me ipsum* (*hoc autem dixit, significans quali morte esset moriturus*. Atque hæc de primo ac proximo, serpentis ænei & Christi usu simili: nempè utriusque exaltatione in lignum, ejusque exaltationis patefactione. Remotus verò est, ut omnibus & solis inserviret aspicientibus: serpentem quidem æneum, oculis corporalibus: Christum verò oculis fidei spiritualibus: quemadmodum de priori dicitur Num. 21. 8. *fac tibi serpentem, & impone eum perticæ: eritque ut quisquis morsus fuerit, cum aspexerit eum, vivat*: de posteriori verò dicitur hoc loco: *sic exaltari oportet filium hominis, ut quisquis crediderit in eum*, & ut in simili sententia Christus loquitur Ioan. 6. 40: *ut omnis qui videt Filium & credit in eum*: neque omnis tantum, sed etiam solus qui credit, Ioh. 3. v. 18. & 36. quia ut pro mundo infidelium oratione mediatoriâ non oravit Ioann. 17. 9. sed pro fidelibus ibid. & vers. 21. & 23. sic pro infidelibus non est in crucem exaltatus in victimam: sed pro fidelibus, pro quibus se sanctificavit (hoc est, Patri in cruce in sacram victimam obtulit) Ioann. 17. 19. & Eph. 5. 2. & 25. & 26. Atque hæc de primi finis, nempè usus ænei serpentis & Christi convenientia: alter verò finis utriusque, est fructus ex hoc usu (scilicet exaltatione eorum in lignum & aspectu) propositus ac promanans: nempè à morte liberatio, & vita: temporalis quidem, à serpentis ænei conspectu: æterna verò à Christi crucifixi intuitu seu fide. De priori, ratione fructus illius propositi dicitur Num. 21. 8. *impone eum perticæ: eritque ut quisquis morsus fuerit, vivat*: deindè ratione fructus promanantis v. 9. *& faciens Moses serpentem æneum imposuit eum cuidam perticæ, eratque cum momordisset serpens aliquem, ut intuens in serpentem illum æneum, viveret*. De posteriori verò dicitur à Christo, hoc loco v. 15. *ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*.

Atque hactenus de serpentis ænei & Christi comparatione: quâ declaratum est, Christum esse fidelibus authorem ingressus in regnum cælorum, seu ascensus in cælum ad vitam æternam. Ne quis autem eam Christi exaltandi donationem & salutem per ipsum, credentium merito, aut fidei dignitati insitæ ascribat, causam illius primam seu impulsivam (ut suprà indicavimus (subjicit v. 16. cum ait: *ita enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, &c.* Quibus docet, Christi pro nobis nati ac crucifixi ad salutem nostram donationem, non è nobis: sed è prævia Dei dilectione, hoc est, salutis nostræ amore promanasse: ut eleganter, 1. Ioan. 4. 9. & 10. explicatur his verbis: *in hoc patefacta est charitas Dei in nobis, quod filium illum suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum; In hoc est charitas; non quod nos dilexerimus Deum: sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris*. Verùm hic oritur.

Quæstio ex Joan. III. v. 16. *Quidnam mundi voce significetur*.

De varia vocis *mundi* significatione, hoc tempore plenius non agam, quia aliàs illud à nobis præstitum: sed tantummodo quantum ad controversiæ explicationem brevem pertinere videtur. Ac primum, in eo Theologorum interpretum consensus est, *mundi* vocem hoc loco homines, ut mundi incolas designare: Sed quæstio est, an universè singuli particulares homines intelligantur, nec ne. Primam enim sententiam adversarii nostri sequuntur diversi: quod videl. Deus singulos homines, nemine prorsus excepto (tam infidelem Judam proditorem, quasi fidelem ac beatum Petrum) ita dilexerit, ut Christum ipsis servatorem dederit. Quo etiam accommodatur illud 1. Johan. 4. 14. *testamur Patrem misisse Filium servatorem mundi*: & c. 2. v. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi*. Verùm non sequitur inde, singulos mundi homines intelligi. *Mundus* enim interdum gentes mundi notat: atque ita totus mundus, non unam aliquam gentem, ut Iudæorum, sed omnes gentes notat. Unde non sequitur; Ergò singuli homines gentium intelliguntur: quemadmodum gentes, oppositæ Judæis, Rom. 11. v. 11. *mundus* vocantur, & imminutio Iudæorum, opulentia mundi v. 12. & reconciliatio mundi dicitur v. 15. quod de corpore gentium, non de singulis illius partibus seu singulis hominibus, sed electis intelligendum: quos ad fidem & salutem destinavit, & suo tempore vocat ac servat. Nam hæc explicatio de singulis hominibus analogiæ S. Sacræ repugnat: quæ Christum tantum intercessorem & servatorem mundi electorum atque fidelium tradit, ut antea ostendimus, & alibi fusius exposuimus. Altera igitur sententia est, mundum non universè omnes & singulares homines notare. Atque ita bifariam, servatâ doctrinæ sacræ veritate exponunt. Quidam enim nomine mundi, omnes electos ad vitam, seu mundum electorum intelligunt: quia illos solos Deus primùm dilexit, speciali amore, h. e. servare voluit (Ioan. 6. 39. & 44. & 65. & 17. 2. & 9.) & solis illis medium salutis, Christum & fidem, atque per eam salutem donat Rom. 5. 9. & 10. & 1. Ioan. 4. 9. & 10. Eph. 1. 3. ad 8. 2. Thess. 2. 13. & 14. Sed objicitur 1. vocem mundi pro electis ad salutem, in S. literis non usurpari alibi: ideoque hanc expositionem vocis hoc loco esse alienam. Verum respondetur, contrarium liquere ex Ioan. 17. ubi v. 9. Christus ait: *non oro pro mundo: sed pro iis quos dedisti mihi*: ubi vox *mundus* opposite datis à Patre (seu electis, ut Ioan. 6. 37. *omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet*, & v. 39.) reproborum universitatem notat, pro qua non orat: Contra verò Christus orat pro mundo, ut credat. v. 21. & 23. unde constat mundum hoc loco c. 17. his versibus, nullos reprobos, sed solos & universos electos designare, eos videl. quos ad fidem secundum electionem erat vocaturus. Idem etiam liquet ex 2. Cor. 5. vers. 19. *Deus est in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans iis lapsus eorum*. Atque illi, qui reconciliantur Deo, & quibus non imputat peccata, non sunt omnes homines: alioqui nulli sub ira Dei manerent: sed soli electi, quos fide data sibi reconciliat Rom. 5. v. 1. & cap. 8. v. 29. & 30. sic etiam Joan. 1. v. 29. Christus dicitur *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*: Atqui reproborum peccata non tollit, sed electorum tantum, qui soli justificantur. Et Joan. 6. v. 33. *Christus dat vitam mundo*; reprobis autem non dat vitam, quia pereunt. Ergò electi tantum intelliguntur ea mundi voce. Sed rursus objiciunt, quia hoc loco dicitur à Christo: *quisquis credit in ipsum, non pereat*, inde sequi vocem *quisquis* distributionem aliquam notare: quod scil. ex hoc mundo, de quo loquitur, non singuli serventur; sed tantùm credentes: ideoque mundum universè omnes & singulos homines denotare: alioqui Christum dicturum fuisse *ἵνα πιστεύων ut credens*, non autem *πᾶς ὁ πιστεύων omnis credens*, seu quisquis *credit*. Quæ exceptio tanti apud adversarios est momenti, ut nullo modo confutari posse glorientur: Imò multos è rectè sentientibus commovit, ut electos, quorum nullus perit, voce *mundi*, minimè intelligi posse hoc loco existimarint. Atque hujus nodi solvendi difficultas vulgo præteriri solet. Sed responderi potest commodè, distributionem quidem esse mundi, de quo Christus loquitur: non tamen in diversa subjecta, sed ejusdem subjecti, in diversos status: quia voluntas Dei est constans, ut electi quamdiu non credunt, sint perditioni obnoxii, &

xii, & à vita æterna exclusi, contra verò, quando credunt in Christum, ut tum non pereant, sed habeant vitam æternam, primum hæreditatis jure: deinde reipsa per glorificationem, quemadmodum hic duplex electorum, cum perditionis, tum salutis status; prior ante, posterior post fidem distinctè explicatur, Rom. 3. 23. & 24. & 5. 8. 9. 10. & Eph. 2. 1. 3. 4. 5. & 8. & 12. cum 13. Col. 1. 13. Atque hæc prima est ac solida objectionis solutio, ut vox mundi, electos notet. Altera verò similiter satis accommodata est; quod videl. quamvis voce *mundi* non definite electorum mundus seu universitas eorum intelligeretur: inde tamen non sequatur, homines singulos denotare: quia genus humanum, seu gentes mundi, notare potest: quemadmodum supra Rom. 11. usum vocis illius ostendimus. Atque hoc modo verum est, Deum genus humanum dilexisse, etsi non singulos generis: omnes gentes, etsi non singulos gentium: dilectio enim mundi, hac significatione posita, non simpliciter, sed secundum quid intelligi debet: ut etiam Rom. 11. constat. Nec enim singulos mundi dilexit, h. e. servare voluit; sed eos tantùm quos Filio suo per fidem servandos dedit; ut etiam sequentia ostendunt verba: nempe, *ut omnis credens in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ideoque dilectio mundi eo continetur & describitur, quod ex eo credentes omnes & solos, vita æterna donare voluerit atque donet. Atque hæc de quæstione ex Joh. 3. 16. petita, quid voce *mundi* significetur: sequitur jam ut horum sedecim versuum, qui una Dominica, pro more quotannis explicari solent, in gratiam & usum auditorum, rogati, strictim proponamus.

Analysis succincta Euangelii Joan. III. à v. 1. ad 17.

CHristus à Patre tanquam summus Propheta constitutus, fideliter suo munere functus est. Siquidem Euangelium, & publicè, & privatim, ad salutem auditorum docuit. Prioris quidem exemplum c. 2. Joh. à v. 12. ad finem usque describitur: posterioris verò hoc loco; ubi prima religionis fundamenta Christus catechesi quadam tradidit: & Euangelista ad communem Ecclesiæ institutionem descripsit. In qua descriptione primò circumstantiæ antecedentes: deinde institutio consequens declaratur.

Circumstantia autem, est partim persona, quæ instituta est à Christo: partim tempus, quando ea institutio contigit. Persona autem v. 1. denotatur, non solum à communi natura, cum dicitur *homo*: sed inprimis ab adjuncto duplici, sc. nomine & officii præstantia. Nomen fuit *Nicodemus*, voce Græca, quæ sensu convenit cum inversa voce Δημόνικος (qualis ille ad quem Isocrates suam parænesin scripsit) & cum altera Νικόλαος: quæ omnes voces Græcæ, *victorem populi* notant. Neque mirum, Judæum hominem, Græcum nomen habuisse: quia postquam Alexandro Magno & successoribus ejus Syriæ Regibus Græcis paruit Judæa, non solum voces multas Græcas alias, suæ linguæ immiscuerunt Iudæi: sed etiam nomina Græcorum propria liberè suis liberis indiderunt, atque usurparunt, ut Act. 6. 5. non solum in recensione Diaconorum, unus ipsorum utpote proselytus Antiochenus Nicolaus dictus: sed etiam reliqui Græca habuerunt nomina: ut Stephanus, h. e. *corona*, Græcè: & φίλιππος *equorum amator*, & cæteri similiter, quemadmodum & inter Apostolos Matth. 10. 3. unus fuit similiter appellatus Philippus, & v. 2. alter nempe frater Petri, Andreas, hoc est, *virilis* dicitur. Alterum verò adjunctum nempe officii Nicodemi instituendi præstantia est, quod fuit *princeps Judæorum*, non solus nec summus; sed unus ex Senatoribus Ioh. 7. 49. & doctoribus populi Ioh. 3. 10. Atque hæc de persona à Christo instituta. Secunda circumstantia est tempus, quando sc. Christus eum instituit, quod v. 2. primum proponitur: quod sc. noctu id contigit: deinde à causa importuni illius temporis exponitur, quod Nicodemus tum primum, institutionis gratia accesserit; idque haud dubiè metu statuti Iudæorum, Ioh. 9. v. 22. & infirmitate fidei accidit, ut palam se Christi discipulum profiteri nondum sit ausus, ut colligitur ex Ioh. 7. 50. & 19. 38. 39. Porro hisce duabus personæ & temporis circumstantiis præmissis, institutio Catechetica Nicodemi, ex Christi (arundinem quassatam non confringentis, & linum fumigans non extinguentis, Matth. 12. 20.) clementi gratia promanans, describitur colloquio de vita æterna consequenda: quod quæstionibus Nicodemi discipuli, & responsionibus Christi Magistri alternis, catecheseos more constat. Hoc autem colloquium agit primùm de ingressus in regnum cælorum, seu salutis obtinendę conditione: deinde de modis ac causis illius. Prius autem à v. 2. ad 13. constat tribus partibus: quarum singulæ bimembres: utpote quæstionem Nicodemi, & Christi responsionem continentes. Primæ partis prius membrum, nempe quæstio Nicodemi, non expresse ponitur: sed confessione de Christo, & ad Christum facta, tanquam ex antecedente consequens innuitur. In qua confessione primum officium Christi: deinde causam efficientem illius agnoscit. Officium quidem, cùm eum *Rabbi*, h. e. magistrum rectè vocat Matt. 23. 8. Causam verò efficientem officii proponit, cum *à Deo venisse Magistrum* dicit: & confirmat; primùm à sua, & aliorum similium conscientia, cum addit, *scimus*: deinde ex effectis, nempe Christi miraculis prophetæ Dei indiciis comprobat v. 2. Quo Nicodemus tacite indicat, quod doctrinam de regno cœlorum, seu salute obtinenda, à Christo tanquam Propheta, ad illud divinitus misso, audire (non minus quam alius à Paulo Act. 16. v. 30.) desideret. Etsi enim quæstionem non expresse proponat; eam tamen fuisse illius mentem; non solum confessio hæc eò tendens: sed etiam Christi responsio, ad eam quæstionem accommodata ostendit: quæ responsio alterum est primæ hujus colloquii partis membrum v. 3. Quo 1. præfatione asseverationis geminatæ, *amen amen*, ad majorem attentionem præmissa, deinde conditionem ad regnum Dei videndum, h. e. eo fruendum, seu ad vitam æternam consequendam necessariam esse ait, ut quis denuo gignatur. Eoque modo Pharisaicę de naturalibus humanę naturę, ad salutem viribus, opinioni Mat. 19. v. 16. 17. occurrit: ut miseriam atque imbecillitatem suam Nicodemus agnoscat. Atque hęc de prima quęstione & responsione. Altera verò pars ei succedit, ac primùm Nicodemi quęstio, ex crassa ignorantia metaphorici sermonis Christi orta: qua regenerationem de propria ac carnali generatione intelligens, de modi illius potentia quęrit vers. 4. Responsio verò Christi, suam de regeneratione responsionem malè intellectam exponit: & Nicodemi errorem refutat. Exponit autem responsionem datam repetitione ejusdem, atque insertione declarationis illius: qua eam regenerationem à causa efficiente Sp. S. (quod instar aquæ animas purgat ac renovat sanctitate indita) describit v. 5. Errorem autem Nicodemi duplicem corrigit. 1. quod regenerationem ex carne intelligeret: Christus verò illud eo refutat v. 6. quod illud, quod ex carne (h. e. homine naturali, peccato & iræ Dei obnoxio) genitum est, similiter caro est Psal. 51. vers. 7. Eph. 2. vers. 1. 2. 3. ideoque à Dei regno & vita æterna alienum: Contra verò, quod ex Spiritus Sancti, per sanctificationem genitum, Spiritus (hoc est spiritualis) est, seu à spiritu sanctificatus: ideoque ad regni Dei seu vitæ æternæ fruitionem idoneus: qua expositione necessitas regenerationis etiam ostenditur. Alter error Nicodemi, est quod regenerationis modum omninò, rerum sensibilium instar, percipi posse existimaret: Cui errori Christus occurrit, docendo regenerationem ex spiritu esse actionem arcanam. Nam primum admirationem & errorem Nicodemi corrigit v. 7. & causam reddit: quod modus regenerationis sit arcanus: quod renati, ex sensu fidei & charitatis Dei, eam quidem factam sentiant: sed modum operationis non percipiant: id quod comparatione venti flantis, & Spiritus regenerantis illustrat v. 8. Atque hæc de secunda quæstione & responsione. Tertia pars sequitur: cujus prius membrum est ultima Nicodemi quæstio v. 9. qua rursum indignâ ac stupida ignorantia de modo regenerationis quærit: *quomodo hæc possunt fieri*? Posterius v. membrum, est responsio Christi, non universa: sed quatenus gravem meritamque Nicodemi reprehensionem continet duplicem, 1. ignorantiæ illius particularis: deinde communis, cum aliis similibus incredulitatis. Nam ignorantiam illius reprehendit vers. 10. cum ait; *Tu es magister* &c. Quo indicat indignam & admiratione

mirationе dignam, & quidem interrogatione efficaci usus, duabus de causis. 1. Propter claritatem doctrinę de regeneratione, à Christo propositę & expositę, cum ait: *& hæc non nosti?* hoc est, non solum quæ primùm proposui: sed etiam quæ jam perspicuè illustravi: deinde propter ipsius Nicodemi munus, cui repugnabat: ut qui erat Magister seu doctor Israëlis; ideoque admirandum & indignum, quod ipse ea religionis rudimenta à Prophetis toties explicata, & à Christo reposita nondum intelligeret. Altera verò reprehensio, nempe communis ei & similibus Pharisæis (quos sibi sociarat vers. 2. cum diceret *scimus*, nempe ego & similes) continetur sequentibus. Incredulitatem autem geminam arguit, 1. Quidem præsentem: deinde futuram. Præsentem vers. 11. quo primum incredulitatis illius objectum, circa quod ea versatur indicat: deinde modum. objectum, seu id quod non credebant, est doctrinę Euangelii veritas iis proposita, cum ait: *quod scimus loquimur & quod vidimus testamur*, scil. ego & Baptista: Idque præmissa asseverationis formula præmuniens ait: *amen amen dico tibi*. Modus verò incredulitatis est, quod testimonium illud non reciperent fide. Incredulitas verò futura, ex præsenti hac concluditur, vers. 12. *si terrena non creditis, si dixero vobis cœlestia, quomodo credetis?* nempe vestris viribus. Nam spiritus regenerationis gratia, ad utraque credenda, necessaria, eaque redduntur homines idonei ad credendum. Atque ita absoluta est responsio Christi tertia, ac prima hujus Euangelii doctrina: quæ est de conditione ingressus in regnum cœlorum ac salutis æternę necessaria, nempe regeneratione. Altera v. sequitur, quę de modis ac causis illius agit: atque ita à terrenis ad cœlestia etiam, explicanda, accedit Christus. Modum autem salutis seu ingressus & ascensionis in cœlum, ac vitæ æternæ obtinendę, duplicem exponit: primum per se, insitaque sua vi, quem Christus sibi soli attribuit vers. 13. ut qui solus sit omnipotens θεάνθρωπος, Filius Dei, qui è cœlo descendit, & in cœlo est, suamque humanam naturam in cœlum erat subvecturus. Alter modus ingressus in regnum cœlorum ad vitam æternam obtinendam, est viribus non suis, sed alienis nempe Christi. Quem modum expositione causarum ingressus in regnum, seu salutis nostræ describit. Primùm enim exponitur causa salutis nostræ propinqua: deinde remota: Propinqua, est primum meritoria, Christus crucifixus, quod typo serpentis ænei illustratur ac probatur. vers. 14. deinde instrumentalis fides vers. 15. Remota verò ac prima, est Dei Patris dilectio: quâ salutem nostram voluit, & deinde Christum nobis misit, & ad salutem donavit vers. 16.

Explicatio ac Vindicatio loci Ioan. cap. 3. vers. 34.

INsigne est Baptistæ de Christo testimonium, quod extat Johan. 3. v. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Quo testimonio quoniam Ubiquitarii indignè abutuntur; idem paucis illustrare, & adversus errorem eorum vindicare conabimur. Quocirca ad faciliorem intelligentiam, primum circumstantiam illius antecedentem: deinde testimonium consequens expendemus. Circumstantia autem observanda, est duplex: occasio & scopus. Occasio, est antecedens descriptio fidei in Christum à suo fructu, nempe gloria Dei: videlicet quod is qui Christum recipit (spirituali scil. fidei manu) obsignavit quod Deus est verax v. 33. hoc est, quasi sigillo suo comprobavit. Scopus verò seu finis ad quem tendit, est occasionis illius, seu fructus fidei explicati, illustratio ac confirmatio. Atque hæc strictim de testimonii hujus circumstantia. Testimonium vero ipsum, est medium ad eum scopum destinatum atque idoneum. Continet enim rationem, quâ antecedentem de fructu fidei sententiam (quod qui credit in Christum, obsignavit quod Deus verax est) solidè confirmat. Partes autem confirmationis illius sunt duæ: nempe rationis propositio, & deinde rationis illius probatio. Propositio autem rationis primum universè indicatur voce *Nam*; quæ causalis conjunctio est, & rationis, sive argumenti ad conclusionem probandam indicium: deinde particulariter exprimitur his verbis: *quem misit Deus, verba Dei loquitur.* Quæ enuntiatio constat subjecto, de quo Baptista loquitur: & prædicato, quod de eo dicitur.

Subjectum autem est: ὃν ὁ θεὸς ἀπέστειλεν, hoc est, *Quem misit Deus.* Quibus verbis personam de qua agitur, & officium illius indicat. Personam quidem, Jesum Christum, de quo in antecedenti versu locutus. Nam citra controversiam posito tantum relativo pronomine ὃν, *quem*, est ellipsis pronominis antecedentis nempe οὗτος. Ideoque licet vulgatus interpres ellipsin retineat hoc modo: *quem misit Deus*, Erasmus tamen, eumque secutus D. Beza, & alii defectum, claritatis causâ, suppleverunt vertentes, *is quem misit Deus.* Veruntamen quia Latinum *is*, ambiguè usurpatur: nempe quod interdum non solum idem notet quod pronomen demonstrativum, *hic*: sed etiam non rarò idem significet indefinitè, quod *ille*, vel *talis*: ideo vitandę ambiguitatis causâ, & claritatis gratiâ, satius arbitramur, ut vocem οὗτος supplendam Latinè, per pronomen demonstrativum *hic* (ut revera definitè significat) vertamus: *hic quem misit Deus:* hic, nempe de quo locutus sum modò: sicut in simili phrasi plenè exprimitur Joh. 5. v. 38. ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε, hoc est, *huic, quem misit ipse, non creditis*, ut hanc vocem τούτῳ ita propriè cum vulgato interprete reliqui exposuerunt. Quamobrem ex hac demonstrativi pronominis deficientis atque intellecti ratione, constat Christum distinctè intelligi: ut unam ex prædicato & sequente probatione constat, personam Christi hoc loco designari. Nec enim omnis qui à Deo missus, verba Dei loquitur (ut vel Jonę Prophetę fugitivi exemplum arguit) neque ullus præter Christum, spiritum non ex mensura accepit. Persona autem Christi periphrasi ab officio deducta, nominatur his verbis: *Quem misit Deus.* Quo officii efficiens: & officii genus indicatur. Efficiens causa dicitur *Deus:* Quę vox hoc loco, non communiter essentia divina prędituṁ, sed propriè Deum Patrem significat: quemadmodum ex loci hujus circumstantiis distinctè apparet. Nam Deus hoc versu ut dans spiritum, à spiritu dato distinguitur: & similiter à Christo quem misit, quia ipse missus non est: & vers. sequente expresse Pater exponitur, & à filio Christo relatione mutua distinguitur: quemadmodum etiam antea Johan. 3. vers. 16. eodem sensu dictum, *Deus misit filium suum.* Ut contrà alibi, Dei nomen propriè essentiam divinam communem non notat, sed personam secundam, nempe Deum filium, non autem Patrem, nec Spirit. Sanctum, ut Act. 20. vers. 28. *Deus redemit Ecclesiam:* quia circumstantia adjuncti illius, cum dicitur *proprio sanguine*, quo Pater & Spiritus S. carent, soli personæ Filii, ob assumtam humanam naturam & sanguinem effusum convenit. Quæ missio Christi, Deo Patri, non exclusis tamen reliquis personis, sed tanquam primæ personæ tribuitur ordinis causâ. Aliàs enim una tantum est mittendi voluntas, & actio communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto, utpote unius veri Dei: quemadmodum de vocatione Esaiæ dicitur Esai. 48. v. 16. *Jehova* (nempe Pater & Filius) *mittit me, & Spiritus ejus.* Atque hæc de officii Christi causa efficiente sive authore illius, nempe Deo Patre: officii verò genus indicatur, cum dicitur; ὃν ἀπέστειλεν, *quem misit.* Unde etiam ab hac missione, *Apostolus & Pontifex professionis nostræ*, Hebr. 3. v. 1. appellatur. Ut autem quænam missio hic indicetur, dignosci possit, distinctio illius exponenda. Missio enim seu legatio Filii à Patre in S. literis duplex memoratur: una è cœlo in terram, ad humanam naturam assumendam. Quæ missio non propriâ significatione dicitur, in qua locus primus deseritur: medius transitur, & ad tertium pervenitur: Filius enim Dei sic missus est è cœlo, ut tamen in cœlo nihilominus suâ essentiâ permaneret; sed impropriâ significatione, per similitudinem quandam, petitam ab iis, qui aliquò mituntur, ac se ibi patefaciunt: Sic Filii Dei incarnatio atque in carne seu humana natura patefactio in terris 1. Timoth. 3. vers. 16. missio illius à Patre nominatur. De qua agitur Rom. cap. 8. vers. 3. *Deus misso filio suo in similitudine carnis peccati*, hoc est, peccato obnoxiæ, & Galat. 4. v. 4. *emisit Deus Filium*

suum, *factum ex muliere*, 1. Ioan. 4. v. 9. *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Atque hæc prima missio est. Altera verò missio Christi, propria significatione sic dicta, est qua homo jam factus, à sua habitatione atq; privata vitæ conditione, ad publicam Euangelii in Galilæa & Judæa prædicationem, divina vocatione emissus est. De qua agitur Esai. 61. v. 1. *ut Euangelizem pauperibus, misit me:* id quod Christus Luc. 4. v. 18. repetit & de seipso dictum esse ostendit vers. 21. & Ioan. 4. v. 34. similiter ait: *cibus meus est ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, & perficiam ejus opus,* hoc est, impetratam Euangelii prædicationem: quemadmodum etiam Ioan. 20. v. 21. *sicut misit me Pater: ita mitto vos.* Mittebat autem Apostolos ad Euangelium prædicandum: atque ita se missum intelligit. Hæc de duplici Christi à Patre missione: unde etiam duplex, veterum & recentiorum, hujus sententiæ Baptistæ interpretatio est. Quidam ejus significatione prima de Christi incarnatione exponunt: ut conveniat verbis antecedentibus vers. 31. *qui supernè venit:* ac sensum esse, qui missus est, ut nasceretur. Alii verò significatione secunda exponunt de Christi missione, non in carnem, sed ad officium prædicationis Euangelii: quemadmodum antecedentia & consequentia Christi effecta, nempe testimonium, & loqui verba Dei, videntur postulare. Deinde quia primæ missionis, quæ è cœlo est, jam antè vers. 31. meminerat, cum supernè venisse affirmaret, videtur magis consentaneum, ut hanc missionem, non de eadem, sed de secunda ac succedente intelligamus: ut ea ratione sanctitas officii illius designetur: nimirum quod sese in legati Dei ad Euangelium prædicandum officium non falsorum prophetarum more Jerem. 14. v. 14. ingesserit: sed ad illud sit à Deo vocatus & missus, convenienter ordinationi divinæ: sicut Rom. 10. v. 15. dicitur: *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* ut similiter de officio Christi sacerdotali, Heb. 5. v. 4. & 5. asseritur. Ut autem hæc concinna interpretatio est; sic neque analogię fidei, neque contextui repugnat, ut utrumque expositione conjungamus. Siquidem hi duo missionis modi diversi quidem sunt, sed non contrarii: quoniam Christo gradatim, seu ordine temporis diverso similiter conveniunt. Atque ita subjectum hujus sententiæ seu rationis Baptistæ, solum Christum designabit bifariam: nimirum non solùm intellecto pronomine demonstrativo *hic:* sed etiam adjuncta missione hac: quod licet Ioannes & Prophetæ à Deo etiam essent missi ad verbum illius prædicandum: solus tamen Christus è cœlo, in carnem missus, ad illud officium. Atque hæc de Christi missione in carnem, & ad officium propheticum, seu verbum Dei prædicandum: id quod subjecto primæ partis hujus versus continetur. Prædicatum verò, effectum Christi, nempe fidelem hujus officii executionem designat, cum additur: *verba Dei loquitur.* Ut autem hoc prædicatum melius intelligatur, duo disquirenda sunt: primum quid *Deus*, & *Dei verba*: deinde quid *loqui* significet hoc loco. Ad prius quod attinet: Quidam nomen *Dei* de Filio exponunt: ut sit sensus: Loquitur ut Deus: seu verba ipsius non sunt meri hominis, sed veri Dei verba. Sed argutior & coactior est expositio: neque ullo simili Scripturæ loco confirmatur, etsi verba Dei creberrimè in S. literis memorentur. Aptius igitur omnino est, ut aliter exponamus, nempe ut quamvis revera verba Dei sint communia Patri, Filio & Spir. Sanct. si ipsa per se consideremus: hoc tamen in loco, *Dei* nomine, Patrem intelligi, ut circumstantia loci demonstrat: quia missus dicitur à Deo, nempe Patre, ad verbum illius prædicandum: ut antè demonstravimus. Ergo cum dicitur, *loqui verba Dei*, Dei nomine Patrem intelligi apparet; & probatio addita evincit, cum Deus ei spiritum dedisse asseritur: Pater nimirum Filio, ut vers. 35. traditur. Quare *Deus* hoc loco Deum Patrem notat, qui sua verba locutus est per Filium Hebr. 1. vers. 1. *Verba* autem *Dei* non generatim quævis, sed speciatim doctrinam Euangelii designant: quia ad hanc rem missus erat à Patre, Esai. 61. vers. 1. & Luc. 4. v. 18. & v. 21. quemadmodum etiam Actor. 13. vers. 5. & 7. & 15. & 44. & 46. & alibi passim *verbum Dei*, verbum Euangelii, seu Euangelium significat, ut 1. Pet. 1. v. 23. quemadmodum disertè explicatur vers. 25. Sic autem vocatur Euangelium per Synecdoch. generis, pro specie excellentiori, quod κατ᾽ ἐξοχὴν ob excellentiam dici solet: quod scil. Euangelium sit eximium præ cœteris Dei verbum, ut epitheta illius seu periphrases demonstrant: quia est *verbum gratiæ* Actor. 14. vers. 3. *verbum regenerationis* 1. Petr. 1. v. 23. *verbum fidei* Rom. 10. v. 2. *verbum reconciliationis cum Deo* 2. Cor. 5. v. 19. *verbum salutis* Act. 13. v. 26. *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. unde Christo Petrus tribuit *verba vitæ æternæ* Johan. 6. v. 68. *verba* igitur *Dei*, Euangelium hoc loco, & quidem merito notant: ut enim ad illud prædicandum erat missus: sic historia Euangelica demonstrat, id à Christo propositum. Deinde vox *loquendi* hoc loco, non de uno aliquo actu, aut ad tempus tantum: sed de perpetuâ constantia Christi intelligenda. Quamvis enim indefinitè dicitur, *loquitur:* adeo ut si vocem spectamus per se, tam particulariter, quam universaliter accipi possit: universè tamen accipiendam, & Christus testatur Joan. 7. v. 16. & 12. v. 48. & 49. & res ipsa ostendit: quia qui testimonium ejus recipit, obsignat quod Deus sit verax; & quia Christus, ut ipse asserit, est veritas, Joh. 14. v. 6. in cujus ore nullus est dolus, 1. Pet. 2. v. 22. Atque hæc quoque de sententiæ hujus prædicato: nempe effecto Christi: quod verba Dei loquatur ac doceat. Unde, quod probandum erat, sequitur: eos qui Christi testimonio credunt, Deum veracem esse, comprobare: quia testimonium Christi sunt Dei verba, ideoque qui ea credit ac vera statuit, Deum verum esse agnoscit. Hactenus de prima hujus versus parte: quæ rationem antecedentis v. 33. complectitur: sequitur deinde pars altera, quæ his verbis continetur: *Non enim ex mensura dat Deus spiritum.* Quibus rationis allatæ probatio primùm indicatur voce, *enim:* deinde verò exprimitur, cùm dicitur, quod *Deus non ex mensura dat Spiritum.* Cujus probationis subjectum est *Deus*, nempe Pater: ut circumstantia & antecedens & consequens, & prædicatum quoque ostendit. In quo distinguitur Deus, ut dans spiritum, à spiritu qui datur: & à Christo, cui datur. Est enim hoc in loco (ut ante in prima parte) ellipsis pronominis demonstrativi τούτῳ, hoc est, huic scil. Christo: quam ellipsin rectè interpretes supplent: quia illa vox intelligi debet, quemadmodum veritas sententiæ (quæ solo hoc modo conservatur) requirit. Ad rem autem quod attinet: hujus prædicati partes sunt duæ: prima indicat donum Christo datum: altera vero modum illius adjungit. Ac donum quidem est spiritus, sicut exponitur, cum dicitur: *dat spiritum.* Quid autem hoc designet, ob vocis spiritus ambiguitatem, diversæ sunt Theologorum sententiæ. Nam licet in eo sit consensus, nomen spiritus, Spirit. Sanct. κατ᾽ ἐξοχὴν hîc notare: bifariam tamen hoc sensu in Sacris Literis usurpatur. Primùm enim tertiam Deitatis personam notat, quemadmodum Johan. 3. vers. 5. & 6. genitus ex Spiritu & Matth. cap. 28. vers. 19. in nomine Patris, filii, & Spirit. Sanct. & alibi. Secundo per Meton. causæ efficientis pro effecto, operationem ac dona Spirit. Sanct. significat, ut Johan. cap. 7. vers. 39. *hoc autem loquebatur de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spirit. Sanct. quia Jesus nondum erat glorificatus;* id quod non de persona Spiritus Sanct. accipi potest: Ea enim est æterna: sed de operatione illius, ac donis inprimis extraordinariis, de quibus Actor. 2. vers. 4. & 17. & cap. 10. vers. 44. ubi dicitur: *illapsus est Spirit. Sanct. in omnes:* idque vers. 45. exponitur, effusum esse donum spiritus. Atque hæ primariæ sunt significationes. Cujus duplicis significationis Spirit. Sanct. occasione, duplex etiam interpretum est sententia: una quidem, ut ipsa persona Spirit. Sanct. notetur: altera verò, ut operatio illius seu dona Spirit. Sanct. intelligantur. Ac priorem quidem proponit Theophylact. ac de Christo non secundum humanam naturam, sed secundum divinam exponit: ideoque hanc sententiam ita declarat: *Prophetis enim Deus spiritum, nempe orationem spiritus, & ex mensura dat: Christo verò, neque ad mensuram neque omninò dat: habet enim ipsum essentialiter Christus.* Quo

Quo exponendi modo, negationem dati Spiritus absolutam, non relatè tantum ad unum modum constituit. Verùm illud minus rectè convenit: quandoquidem si ille sensus esset, omnino spiritum Christo non esse datum: frustra modus adderetur, *non ad mensuram:* deinde ad rem quoque propositam confirmandam (cui tamen inservit) non esset accommodata ratio, imò potius eandem videretur evertere. Nam si Christo, de Deo testanti, Spiritus Sanctus non est datus: quomodo verba Dei locutus dicetur? Denique cum & prophetarum prędictionibus Esa. 11. & 61. & Psal. 45. vers. 8. & Christi Luc. 4. vers. 18. atque Apostolorum Hebr. 1. vers. 9. assertionibus, Christo spiritum esse datum, ad Christi descriptionem & gloriam asseratur: idcirco altera expositio magis convenit, ut Christo dicatur datus spiritus, hoc est, dona Spirit. Sancti, idque non secundum divinam naturam, quæ cum sit perfectissima, ei nihil dari potest: sed secundum humanam. Modus autem indicatur hujus dationis spiritus, cum distinctè additur: *non ex mensurà.* Qua distinctione donationis spiritus modum duplicem esse innuit: unum quidem ex mensura: alterum absque meusura. In qua phrasi, metaphorica ac proverbialis quędam loquendi forma est, similitudine à re corporea, quæ mensurari potest ac solet, ad spiritualem deducta. Quę enim dantur mensura quadam, ea non omnia dantur: sed ex omnibus quędam: contra vero quę sine mensura dantur: illa copiosè dari solent: ut Esræ 7. vers. 22. Rex, Esræ jussit dari argenti, frumenti, vini & olei, non quantum desiderare vellet, sed certam mensuram tantum: ad sal vero quod attinet, de eo ait: *sal vero absque mensura, quantum velit.* Similiter hîc Christus, à Christi ministris omnibus: Prophetis, Apostolis, reliquisque fidelibus distinguitur. Hi enim acceperunt Spirit. Sanct. dona, certa quadam mensura: quia non omnia, sed quędam: eaque non paria inter se, nec ullus eorum excellentissimo gradu: quemadmodum Rom. 12. vers. 3. Apostolus jubet nos sapere ad sobrietatem, *prout Deus cuique partitus est mensuram fidei:* & Eph. 4. v. 7. *sed unicuique nostrûm data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Quod distincta donorum à Christo datorum enumeratione declarat seqq. & 1. Cor. 12. vers. 4. ait: *discrimina donorum sunt: sed idem spiritus:* ut illud distributione varia ad vers. usque 11. explicat: in quo versu, summatim ea complectens, ait: *sed omnia hæc efficit unus & idem spiritus, distribuens privatim singulis prout vult:* Qualem etiam mensuræ spiritus distinctionem mensura disparem, in Elia & Elisæo Propheta, sacræ literæ, 2. Regum cap. 2. ostendunt. Nam Elisæus spiritum Eliæ duplicem postulavit vers. 9. eumque obtinuit vers. 10. cum 11. Ac quamvis Paulus omne Dei consilium (nempe ad salutem utile ac necessarium) annuntiarit Actor. 20. vers. 20. & 21. & 27. sibi tamen aliisque Prophetis, datum esse Spirit. Sanctum ex mensura, seu ex parte fatetur, cùm ait 1. Corinth. 13. vers. 9. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Atque hæc de primo dati Spirit. Sanct. modo, scilicet ad mensuram seu ex parte, quæ Christi ministris variè convenit: à quibus Christus secundi modi attributione discernitur, nimirum quod licet in eo habeat Christianos consortes: quod ut illis, sic etiam ipsi Spirit. Sanct. est datus, in hoc tamen differt ac præ omnibus, iis donis excellit, quod non certa mensurâ spiritus ei sit datus: sed sine mensura, hoc est, cumulatissimè, quantum scilicet excellentia muneris ipsius, & ejusdem sancta voluntas requirebat: Id quod prædictum à Propheta Davide Psalm. 45. vers. 8. *unxit te Deus, Deus tuus, oleo gaudii, præ consortibus tuis:* Quod de Christo dictum Hebr. cap. 1. vers. 9. ostenditur, idque enumeratione quadam donorum spiritus explicatum est, ab Esaia Propheta cap. 11. vers. 1. 2. & 3. his verbis. *Nam prodibit virgula è trunco succiso Isai, & surculus è radicibus ejus efflorescet: super quo quiescet spiritus Jehovæ: spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, spiritus consilii & potentiæ, ac timoris Jehovæ.* Quibus verbis prophetia de Christo, Spirit. Sanct. donando continetur: Quam prophetiam cum sequentibus, ad ipsum pertinere diserta vers. 9. 10. citatione & de Christo expositione Rom. 15. vers. 12. & ex reipsa constat. Cæterum de tempore disquiri potest: an inde ab initio spiritus Christo non ex mensura datus intelligatur, an vero postea. Ad quod distinctè respondemus, si spiritum seu dona sanctificationis consideres, quo & mens, salutaris notitiæ Dei requisitæ, & voluntas amoris ac timoris Dei virtutibus fuit imbuta: inde ab initio eum spiritum accepit Christus, conceptus enim est è Spiritu Sancto, & omnino sanctus natus est, Luc. cap. 1. vers. 35. & sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus permansit, Hebr. cap. 7. vers. 26. adeo ut sanctificationem habuerit non ex mensura, seu ex parte tantùm, sed sine mensura universam. Sin verò reliqua Spiritus Sancti dona consideremus, ea Christus non habuit initio sine mensura: sed convenienter ætati ac statui privato: quemadmodum Lucæ. cap. 2. vers. 40. de ipso dicitur: *puerulus autem crescebat & corroborabatur spiritu, πληρούμενος plenus* (ut sic dicere liceat) *fiens sapientiâ.* Nec enim *πληρούμενον plenum* notat (ut vulgatus interpres vertit) sed *quod impletur* ideoque sensum Dominus Beza fidelius expressit *& implebatur.* Nam licet postea, cum factus esset annorum duodecim v. 42. in medio magistrorum, respondentem, omnes ipsum audientes sint admirati, ob intelligentiam illius, postea tamen vers. 52. profecisse dicitur sapientiâ & statura ac gratia apud Deum & homines. Postquam verò jam circiter 30. annos esset natus, Luc. cap. 3. vers. 23. & ad destinatum munus propheticum exercendum mittendus: Spiritus propheticus sine mensura ei est datus, eoque unctus atque idoneus ad munus suum exercendum redditus. Eaque interna Spiritus Sancti donatio, externo spiritus signo, quasi columbæ super Christum descendentis ac manentis specie Matth. 3. vers. 16. & Luc. 3. vers. 22. adumbrata: quemadmodum idem etiam signum fuit Ioanni Baptistæ indicatum, ut eundem esse, qui licet ut homo Spiritum Sanctum acciperet, tamen ut verus Deus aliis Spiritum Sanctum esset daturus cognosceret, Iohan. 1. vers. 33. & v. 34. Quia verò hæc donatio spiritus prophetici fuit non ad tempus aliquod facta: sed à Deo continuata: idcirco dicitur hoc loco, *dat ei,* nempe quod datum semel spiritum non auferat, nec imminuat, sed continuet ac conservet. Atque hæc de genuino hujus loci sensu: superest ut eundem à corruptela Ubiquitariorum breviter vindicemus. Illi enim sic colligunt: Cuicunque datus est spiritus: seu dona spiritus, sapientia & scientia, &c. non ex mensura: illi communicata est scientia ac sapientia Dei infinita. Atqui humanæ naturæ Christi datus est spiritus, seu dona spiritus, sapientia, scientia, &c. non ex mensura. Ergo humanæ Christi naturæ communicata est scientia ac sapientia Dei infinita. Verum negatur propositio: primùm quia nititur falsa phrasis illius, *non ex mensura,* interpretatione, quasi idem significaret atque infinitum, seu quod quis non potest metiri, sive ut sic dicam, immensurabile: quo sensu loqui solent adversarii, cum dicunt: hominibus aliis dona dari dimensa: Christo immensa, hoc est, ut ipsi quidem interpretantur, infinita. Contra verò jam antea ex libro Esræ cap. 7. vers. 22. demonstravimus, aliam esse significationem illius phrasis, ut copiam non infinitam significet, sed indefinitam, seu non certa mensura circumscriptam; sed pro conditione ac voluntate libera ejus cui datur: seu ut Esras ibidem loquitur, *quantum velit.* Atque ita similiter Deus Pater humanæ Christi naturæ dicitur dare spiritum (hoc est, dona Spiritus Sancti) non definitâ quadam mensura: sed quantum illius officium & sancta voluntas requirebat. Secundò propositio etiam idcirco vera esse non potest: quia & subjecti, & prædicati natura eandem falsi convincit. Subjecti quidem; quia natura humana, cui datur spiritus, finita est: ac propterea contra suæ naturæ limites, infinitæ Dei scientiæ capax esse non potest.

potest. Prædicati verò, quia scientia Dei infinita, est ipsamet Dei essentia: ideoque naturæ humanæ communicari non potest: quia nulla humana natura Deus esse potest. Tertiò, illud in quo quis habet multos homines consortes, non est infinita Dei scientia: quia iis convenire non potest, ut certò constat. Atqui spiritus Christo datus, est illud in quo multos habet consortes. Hebr. 1. vers. 9. Ergo spiritus Christo datus, non est infinita Dei scientia: sed cumulata supra consortes Spiritus Sancti dona. Denique quod Deo soli convenit, illud humanæ Christi naturæ (ut quæ Deus non est) convenire non potest. At scientia cordis humani (eoque multo magis infinita omnium scientia) soli Deo convenit, quemadmodum dicitur 1. Reg. 8. vers. 39. *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominis.* Ergo scientia cordis, eoque multo magis scientia Dei infinita, humanæ naturæ Christi convenire non potest. Verum quia nonnulla speciosè opponuntur, ea veritatis illustrandæ gratiâ paucis expendemus. Objicitur enim primum, ad infinitę Dei scientię, Christi humanæ naturę communicatę probationem assertio Apostoli Coloss. 2. vers. 3. qua dicitur: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi:* Sed respondetur primum, hunc locum non pertinere ad rem: quæstio enim inter nos est de scientia, quæ Christi humanæ naturæ à Spiritu Sancto data: hîc verò Coloss. 2. ut quidam eruditi interpretes rectè observant, non de Christo, sed de doctrina Christi, seu Euangelii (quod mysterium vocatur) agitur. Nam cum dicitur: *in quo:* intelligendum est ex antecedenti, ac supplendum *mysterio:* cujus commendatio tractatur, ut cap. 1. vers. 28. dicitur: *quemvis erudientes omni sapientia, ut quemvis sistamus perfectum in Christo Iesu,* & c. 2. v. 2. *charitate compactis, & omni opulentia certo persuasæ intelligentiæ ad cognitionem mysterii Dei & Patris & Christi;* quibus subjicitur: *in quo, sunt omnes thesauri sapientiæ, &c.* ubi satis ex scopo Apostoli apparet, voces, *in quo*, construendas cum voce antecedenti, *mysterii*, non autem *Christi*, licet hæc vox sit propinquior: Sequentia etiam, idem ostendunt: quibus ad retinendam hanc mysterii Euangelii cognitionem hortatur vers. 4. Secundò etiamsi, ut non pauci exponunt, objecta illa verba, non ad mysterium seu Euangelium: sed ad Christum pertinerent, inde tamen non sequetur necessariò, Ergo illud non ad divinam, sed ad humanam ejus naturam pertinet. Tertiò etiamsi ad humanam naturam necessario referri oporteret, inde nihilominus minimè sequeretur, eam infinitâ Dei scientiâ & sapientiâ esse præditam: quia omnes thesauri sapientiæ & cognitionis, non absolutè, sed relatè ad finem certum, hoc est, ad salutem necessariæ intelligentur, ut ex cap. 1. vers. 28. & cap. 2. vers. 2. colligitur. Denique etiamsi & Christus, & secundum humanam naturam intelligeretur, & omnes thesauri sapientiæ & cognitionis, infinitam scientiam Dei designarent, inde tamen non sequeretur necessario, Ergo humana Christi natura infinitâ Dei scientiâ est prędita, seu infinitè omnia cognoscit: quasi ea esset in natura humana, tanquam forma in subjecto, quod informaret atque idoneum ad intelligendum omnia universè redderet; sed quod insit, quasi anima in corpore, personali unione, non autem proprietatum ulla communione: quia unio illa, ut orthodoxus Patrum consensus testatur, facta est ἀσυγχύτως *inconfusè*, quemadmodum contra Eutychem è Sacris literis statuerunt: ita ut in Christo, pro natura illius duplici, divina & humana, sic etiam duplex distincta scientia, voluntas, potentia; divinæ quidem naturæ, quæ infinita est, infinita: humanæ verò, quæ finita est, finita scientia, &c. Atque ita dicitur vers. 9. sequente, *in ipso inhabitat πᾶν πλήρωμα θεοῦ σωματικῶς*, quod vulgo interpretantur, *inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter:* sed expressius reddendum videtur, hoc modo; *tota plenitudo:* non quod corpus Christi sit deitas: sed quod corpori, totique humanæ naturę deitas personaliter sit unita: adeo ut in Christo duę insint naturæ, divina & humana. Quamvis etiam cum nonnullis Patribus aliisque exponi posset vox *corporaliter* per metaphoram, pro, *revera*, quemadmodum *corpus*, *umbræ* ea significatione opponitur, pro re adumbrata in Veteri Testam. quemadmodum in hoc ipso capite 2. ad Coloss. vers. 17. perspicuè apparet. Atque ita prima adversariorum objectio confutatur. Altera verò hæc est: Quicunque novit corda hominum, ille infinitâ Dei scientia præditus est, 1. Regum 8. Atqui humana natura Christi novit corda hominum Johan. 2. vers. 24. 25. *ipse autem Jesus non credebat eis seipsum, eo quod nosset omnes: nec opus esset ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ergo humana natura Christi infinitâ Dei scientia prędita est. Verùm respondetur negatione propositionis: quia ea non est universaliter vera: siquidem non quicunque novit corda hominum, ille infinita Dei scientia prędıtus est: ut Prophetarum exempla demonstrant. Neque obstat quod solus Deus καρδιογνώστης appellatur. Sic enim κατ' ἐξοχὴν vocatur, non autem significatione generali: quemadmodum ex distinctione notitiæ cordis hominum clarius apparebit. Ea enim est duplex: una per se, seu vi propria: altera per accidens, seu vi aliena. Quæ per se est, seu vi sua, ea est immediata cordis, hominum notitia universaliter ac simpliciter, ac soli Deo convenit: eoque sensu *cordium scrutator* dicitur: videlicet primò, quod sua vi; deinde quod omnes tertiò quod omnium hominum (ut 1. Reg. cap. 8. dicitur) tam cogitationes in mente, quàm actiones in voluntate latentes, non ex parte, sed simpliciter, seu omnino infinita sua sapientia, quasi oculo, ubique intimè præsens, sine ulla imagine intercedente intuetur: Nam ut Hebr. 4. vers. 13. dicitur: *Nec est ulla res creata, quæ non conspicua sit coram ipso: imò omnia sunt nuda & patentia oculis ejus.* Atque hæc de priori cordium notitia, soli Deo propriâ. Posterior verò cordis notitia Prophetis etiam tribuitur: qui occultas cogitationes atque voluntates hominum cognovisse leguntur. Quemadmodum exemplo Prophetæ Abię, qui cogitationes & affectus uxoris Jeroboami cognovit, apparet 1. Regum 14. vers. 5. Ac similiter Elisæi exemplo idem patet, qui servi sui, nomine Gihesi, cogitata falsa, & avara studia novisse traditur 2. Regum cap. 5. vers. 26. Qualis cordis notitia in hisce aliisque à divina cordis notitiâ plurimum differt. Primò enim non fuit per se, hoc est, vi ipsorum humana: sed vi aliena, nempe gratuitâ revelatione divina. Deinde non etiam fuit immediata, sed mediata: quia animæ cogitationes & voluntates cognoverunt quidem, non tamen in ipso corde hominum, cui inerat, eas intuentes: neque etiam ratione proprietatis earum: sed contrà tantùm in sua mente cognoverunt: deinde non nisi in imagine seu specie cogitationum & voluntatum simili, per revelationem divinam impressa. Tertio hujusmodi, Prophetis data cordis cognitio, non fuit cordis omnium hominum, sed tantum paucorum. Quartò neque universaliter paucorum illorum, omnes cordis seu animæ motus, cogitationes scilicet & voluntates eorum: nec denique simpliciter, sive omninò cognoverunt eas quas cognoverunt, sed tantummodo quantum Deus iis voluit revelare. Ideoque talis cordis notitia, multis modis finita, nullo modo infinita Dei scientia dici potest. Ac propterea propositio objecta, quod quicunque corda hominum novit: infinita scientiâ sit præditus, meritò à nobis negata est. Si autem propositionem restringere velint adversarii ad primum illum notitiæ cordis modum, tum falsa erit assumtio. Nec enim humana Christi natura, eo modo corda hominum novit; neque locus Joannis, quem opponunt & cui plurimum fidunt, illud comprobat: siquidem quod ait. *non credebat eis semetipsum, eo quod nosset omnes:* illud inquam, de notitia omnium quidem dicitur, sed non absolutè, verùm relatè, scilicet ad eos omnes auditores de quibus sermo est ibidem: deinde etiam norat humana Christi natura omnes eos, non per se, seu insita sua vi: nec

nec immediatè in illis intuens: sed mediatè in se, seu mente sua, per revelationem divinæ suæ naturæ personaliter ipsi humanæ unitæ, quæ omnia ea, quæ ad officii, in natura humana executionen conducebant, revelabat. Ac propterea non opus erat, ut quisquam alius, humanæ naturæ Christi testaretur de homine, quia ipse norat, quid esset in homine; nempe secundum divinam naturam, quæ humanæ naturæ illius id pro conditione officii & illius voluntate revelabat. Quemadmodum hoc loco, ut humana natura sibi ab infidis illis, ac levi fide præditis auditoribus caveret; corda eorum revelabat, adeo ut nullius alterius opus haberet testimonio. Sed alia probatione urgent, quia Johan. 21. vers. 17. dicitur expresse, *Domine, tu omnia nosti*: sed respondetur primum: hæc de persona Christi dici, unde non sequitur, Ergo secundum humanam naturam: quia ad divinam naturam referri potest, quę citra controversiam omnia novit: & quę humana natura ipsius desiderat, ei patefacit, adeo ut ad eam rem, nec Petri, nec ullius hominis indicio ac responsione opus habeat. Deinde etsi ad humanam naturam tantum referant, nihil inde evincent; quoniam vox *omnia* non absolutè, sed relatè ad rem propositam, quam quærebat Christus, erit intelligenda: quod scil. ea omnia nosset. Nam Petri (pro cujus fide ne deficeret, orârat, & conversionem prædixerat. Luc. 22. vers. 32.) amorem erga se ignorare non poterat. Atque ita in multis Sacrę Scripturę locis, vox *omnia*, non absolutè accipienda: sed ad materiam de qua agitur, sive ad rem propositam restringenda est relatè: alioqui sententiæ multæ verissimæ, forent falsæ: ut exempli gratia ex paucis hisce perspicuum est; ut Ioan. 2. vers. 15. *ejecit ex templo omnes*; nempe illos de quibus v. 14. venditores scilicet & nummularios: non autem cultores Dei: & Ioan. 4. v. 25. *ille annuntiabit nobis omnia*, nempe non absolutè: sed quæ ad rectum Dei cultum pertinent, de quibus agitur in antecedentibus: & 1. Cor. 2. vers. 15. *Spiritualis dijudicat omnia*: non absolutè, sed relatè ad ea quę à Deo nobis gratis data. v. 12. & 10. v. 23. *omnia mihi licet*, nempe adiaphora illa, de quibus egit: & 2. Cor. 5. vers. 17. *nova facta sunt omnia*, quod de fidelibus renatis ac renovatis per Spiritum S. dicitur tantum: & v. 18. *omnia sunt ex Deo*, & Rom. 11. v. 36. *Ex Deo sunt omnia*, nempe omnia bona vers. 35. non absolutè, ut etiam peccata complectatur. Sic hoc in loco, *nosti omnia* scilicet hæc, quæ quæris. Humanam autem naturam Christi non omnia absolutè novisse ex Marc. 13. vers. 32. constat: ubi dicitur: *de die autem illo, & hora nemo novit (neque Angeli qui sunt in cælo, neque Filius) nisi Pater*. Filius autem secundum divinam naturam tanquam æternus cum Patre Deus diem judicii, utpote à se decretum ignorare non potuit: sed ignoravit secundum quid, κατ' ἄλλο, secundum humanam naturam: cui id nondum erat revelatum, neque etiam sibi revelari voluit, quod illud esset intempestivum ut Act. 1. ostendit, Patrem hoc sibi reservasse. Atque hæc ad loci hujus Ioan. 3. vers. 34. de Spiritu, Christo non ex mensura dato, illustrationem, ac vindicationem ab Ubiquitariorum erroribus diximus: sequitur jam.

Capitis quarti à v. 1. usque ad 43. succincta Analysis.

Superiori capite tertio, explicata est à Ioanne Euangelista rerum à Christo in Iudæa gestarum historia: sequitur hoc quarto capite reditus illius in Galilæam, ad Euangelium prædicandum, descriptio. Ea autem constat duobus membris: primum est declaratio causæ impulsivæ: alterum est narratio illius reditus. Causa impulsiva fuit cognitio invidiæ Pharisęorum: quorum avaritiam atque ambitionem lux Euangelii Christi arguebat: ideoque ipsum oderant, eique nocere studebant, Johann. 3. vers. 19. & 20. unde autem cognoverit eam invidiam, reticetur, sed ex capite secundo vers. 24. & 25. intelligi potest, revelatione divinæ suæ naturæ ipsi innotuisse, quoniam hoc ad pericula & insidias prudenter declinandas pertinebat: quamvis etiam ex effectis, scilicet dictis minisque eorum cognoscere potuerit. Cœterum invidiam Pharisæorum non exprimit Euangelista, sed innuit occasione; quæ ponitur vers. 1. & explicatur vers. 2. Narratio verò reditus posita est in propositione vers. 3., & expositione illius bimembri. Primùm quidem viæ, deinde adventus in Galilæam, cum utriusque eventu. Ac via quidem explicatur vers. 4. & 5. De Samaria autem & Samaritanis legi possunt secundus liber Regum cap. 17. & Joseph. atiquitat. lib. 9. cap. 14. & 18. & lib. 12. cap. 1. Eventus verò in via, est conversio duplex; nempe mulieris Samaritanæ: & deinde per eam popularium illius. Ac prior quidem explicatur, suis accidentibus, & causis, atque effectis. Accidentia sunt subjectum seu locus, & adjuncta occasio, quæ partim fuit fatigatio Christi ex itineris labore, & calore meridiano (erat enim hora sexta ab ortu solis) & sessio illius ad puteum vers. 6. partim Samaritanæ mulieris accessus vers. 7. Causæ verò conversionis explicantur duæ, efficiens instrumentalis, & forma ejusdem. Efficiens, est colloquium Christi cum Samaritana, quo eam instituit: ut fides esset ex auditu verbi, Rom. 10. Hoc autem colloquium tribus constat partibus, quarum prior de aqua, posterior de vero veri Dei cultu, & tertia de Messia disserit. Quibus partibus gradus conversionis respondent. Ac de aqua quidem duplici agitur: primum de externa putei, de qua petitio Christi proponitur vers. 7. & à causa impulsiva illustratur, quod ut haustro carebat; sic discipuli, quibus uti potuisset, aberant vers. 8. Deinde subjicitur Samaritanæ responsio: qua petitionem Christi quasi absurdam arguit, Syllogisticè, sed loco propositionis (ut sæpe fit) probationem illius substituit. Argumentum autem illius est à gentis utriusque dissidio ductum. Nam Judæi à Samaritanis tanquam profanis hominibus, abhorrebant, neque cum iis usus intercedebat, vers. 9. causa autem generalis illius dissidii erat duplex: prima in Semaritanis, odium unius Dei veri, seu superstitio summa in fovenda idololatria cum gentibus communi 2. Reg. 17. & hæresi singulari, qua verbum Dei & cultum illius adulterabant. Nam & Saducæos secuti, solum Pentateuchum Mosis probabant: ut Tertull. de præscriptionibus adversus hæreses docet; & neglecto templo Hierosolymitano, ad cultum Dei destinato divinitus, aliud contra Dei decretum alibi in monte Garizim extructum colebant: quemadmodum Josephus antiquit. lib. 11. cap. 8. & lib. 12. cap. 1. testatur. Altera causa erat morum eorum perversitas, atque odium in Judæos acerrimum atque inveteratum, & maleficia plurima, ut Josephus antiquit. lib. 12. cap. 1. declarat. Atque hinc Samaritanus proverbiali convitio, pro homine profano ac scelerato apud Judæos usurpabatur: ut ex blasphemia in Christum Ioan. 8. vers. 48. apparet. Huc etiam accedebat quod Samaritani terram Samariæ, Israëlitis à Deo datam, iis ejectis, voluntate Regis Assyrii occuparant, summa cum Iudæorum offensione. Atque hæc de vers. 9. unde ab hac muliere, de aqua putei responsione, transitur ad doctrinam de aqua viva. Cujus doctrinæ propositio à Christo primum ponitur, deinde examinatur: & à fructu suo exponitur. Propositio Christi mulieris ignorantiam arguit: quod Christum, qui Dei donum est salutiferum, negligat: deinde officium illius, & beneficium suum docet, nimirum quod aquam vivam à Christo datore petere debuerat, vers. 10. Atque hujus propositionis, de beneficio & efficacia Christi, examen & expositio subjiciuntur. Examen autem continetur objectione mulieris: quæ interrogatione opposita, modestiæ gratia, disputat Christum non habere aquam vivam: quod ex puteo illo haurire non posset, ob profunditatem illius, & haustri aut situlæ defectum: nec aliam aquam præter istam meliorem dare posset. vers. 11. Consequentiam autem probat comparatione, (ut ipsa quidem putabat) majoris; *cum non sis major Jacobo Patriar-*

cha, qui hunc puteum tradidit, & ex eo cum liberis bibit, v. 12. Hæc de examine propositionis Christi de beneficio aquæ vivæ; sequitur ejusdem expositio, responsione Christi comprehensa. Qua errorem mulieris corrigit, ac docet, se non de corporali putei aqua: sed de longe alia ac præstantiori, nempè spirituali agere; eaque ratione non verbis (ut rectè monet Cyrillus, sed reipsa, majorem se Jacobo declarat, comparatione aquæ putei Jacobi, & aquæ suæ. Cujus comparationis partes sunt duæ: protasis & apodosis, hoc est, propositio, & redditio. Propositio est v. 13. quod aqua illa corporalis putei, corporis sitim ad tempus tantùm tollat: non verò perpetuò, quod scil. *quisquis bibit ex aqua ista, sitiet rursus*. Redditio verò est, quod aqua spiritualis, quam Christus daturus erat, spiritualem animæ sitim sic sedat, ut qui eam biberit, non sitiat in æternum, sed aqua ista in eo fiat fons aquæ salientis in vitam æternam v. 14. De cujus aquæ allegoria insigni, distinctè, absoluta hujus historiæ Analysi, Deo favente, acturi sumus. Hujus autem responsionis Christi fructus, est petitio mulieris, quam proponit Christo cum ait: *Domine da mihi aquam istam*; & à fine declarat, cum addit: *ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum*, v. 15. Petitionem autem hanc quidam ironicam esse existimant atque incredulam: Chrysost. verò seriam, & ex fide dictorum Christi profectam: idque aptius apparet: quia in re dubia, de mente proximi charitas credere ac sperare jubet meliora, 1. Cor. 13. 7. Cæterum in eo erravit Samaritana; quod Christi, de aqua spirituali dicta, de aqua corporali interpretatur: etsi petitionis obedientia, & fiducia de Christi potentia, ad fidem veram fuit quasi quædam via: ad quam Christus eam magis præparat responsione sua: qua ipsam ad agnitionem peccati abducit, duobus modis: primùm mandato, ut abeat & virum suum advocet, & ad Christum veniat v. 16. deinde postquam ingenuè habere se negavit v. 17. patefactione conditionis & peccati illius v. 17. & 18. Atque hæc Christi responsio describitur à consequente suo effecto, primo fidei mulieris quasi gradu, seu conversionis initio, cùm Christum prophetam esse fidelem agnoscit ac profitetur, v. 19. Quâ ratione posita transitur ad alteram colloquii partem, de vero veri Dei cultu & Messia: quarum utraque alloquio mulieris, & Christi responsione constat. At de priori quidem primùm Samaritana Christum, (quia Prophetam esse certo animadvertit) interrogat. Quæstio autem est de ritu & loco colendi Deum; utri rectè, & suo loco Deum colant, Samaritani an vero Iudæi? Quæ quæstio non exprimitur quidem, sed per aposiopesin innuitur: propositâ utriusque gentis diversa sententia. Ac primùm Samaritanorum: *Patres*, inquit, *nostri in hoc monte adorârunt*: Ad cujus loci intelligentiam tria sunt paucis exponenda, quid primùm *mons*; deinde *adoratio*; denique *Patres* hoc loco significent. Ad montem autem quod attinet, fuit is Sichari aut Sichemo urbi proximus, cœteris montibus illius tractus sublimior: ex quo benedictiones illæ legis eam observantibus, coram populo universo sunt promulgatæ, Deut. 27. vers. 12. in quo Sanballat Chuthæus, Samariæ Satrapa, templum permissu Alexandri Magni, post devictum Darium extruxit, eique generum suum Manassem, Iaddi pontificis Hierosolymitani fratrem præfecit: ad quem multi Sacerdotes & Israëlitæ externis conjugiis intricati defecerunt. Id quod posteris etiam temporibus similiter accidit: si quis enim apud Hierosolymitanos aut illiciti sumti cibi, aut violati Sabbathi reus agebatur, Sichemum transfugiebat, ut Iosephus Antiquit. lib. 11. cap. 8. tradit. Ac postquam Ptolomæus Lagi filius, occupatis Hierosolymis multos captivos ex montano Judææ tractu & Hierosolymorum vicinia, Samariaque ac Garizim monte in Ægyptum traductos, jussit sedes ibi figere, seditiones continuæ fuerunt inter Judæorum posteros & Samaritanos patria instituta pervicaciter retinentes, pugnabantque inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum Spiritum S. esse asserunt, & victimas à Judæis non alio mittendas: Samaritæ autem in montem Garizim mitti debere contendunt; quemadmodum describit Joseph. antiquit. lib. 12. cap. 1. Ideoque Christum & discipulos noluerunt, eo nomine, divertentem recipere: quia Jerosolymam tendere videbatur, Luc. 9. v. 52. 53. Hæc de monte & religione illius, ad totam hanc historiam plenius intelligendam pertinent. Deinde quod attinet ad vocem *adorandi*, ea hoc loco non propriè ac promiscuè de quavis adoratione accipitur. Ea enim fine controversia erat ubique licita: ideoque impropriè per Synecdoch. de solenni atque cum sacrificiis conjuncta intelligitur. Denique *Patres*, quorum mulier meminit: quidam Abrahamum & Jacobum sic appellari putant, à quibus originem sese ducere Samaritani falsò gloriabantur ut v. 12. Jacobum patrem suum nominat, & Ioseph. lib. 11. antiquit. cap. 8. tradit. Alii verò probabilius de majoribus Samaritanis, post templi illius in monte Garizim ædificationem interpretantur. Atque hæc Samaritanorum, de adorationis seu solennis Dei cultus loco, sententia. Cui ex adverso Iudæorum opponitur adoratio, *vos* (nempe Iudæi) *dicitis, Hierosolymis esse locum illum* (hoc est, templum) *ubi oporteat adorare*. vers. 20. unde quæstio ex controversiæ hujus antecedentis propositione talis intelligitur, utri, igitur, Samaritani ne an verò Iudæi rectè Deum adorent. Atque hactenus quæstio Samaritanæ. Cui subjicitur Christi responsio, quæ de adorationis loco, & modo agit. De loco quidem primùm futuro, deinde præsenti. Ad futurum quod attinet vers. 21. præfatione hortationis ad fidem præmissa, loci discrimen illud in adoratione Dei, brevi abolendum docet, ut Malach. 1. v. 11. prædictum, & 1. Tim. 2. v. 8. postquam scilicet Christus in sancta sanctorum & cœlestem Ierusalem ingressus fuerit Hebr. 9. v. 24. & 12. 22. Alioqui eo usque, & Christus, & Apostoli Hierosolymis, secundum Dei verbum solennibus festis adorarunt necessariò, Matth. 21. 13. Luc. 2. 24. Neque obstat quod Apostoli etiam post Christi resurrectionem & acceptum Sp. S. in templo Hierosolymis adorarunt, Actor. 2. v. 46. & 3. 1. & 22. 17. quia hoc ab iis factum est, non legis Dei necessitate, de qua Christus disserit: sed Christiana libertate: & quidem, ut ea populi in templum concurrentis frequentia, ad Ecclesiæ propagationem melius uterentur. Hæc de futura Dei adoratione, quam v. 21. proponit & postea exponet. De præsenti vero agit Christus v. 22. ubi directè satis ad quæstionem mulieris respondet, ac judicium suum de adoratione & religione utraque, cùm Samaritanorum, tum Iudæorum adjungit, ne eos antecedenti sententia, inter se æquasse videretur. Ac Samaritanorum adorationem atque religionem damnat, cum ait: *vos adoratis quod nescitis*, hoc est, verum & unicum Deum ignoratis, ac propterea in adoratione illius impingitis. Nescire autem eos dicit, non quidem absolutè: sed relatè, scil. si officium eorum spectetur & cum Judæis comparentur. Nec enim Dei naturam: nec voluntatem in verbo patefactam ritè norant: ut qui etiam falsos Deos ei adiungerent ac colerent, & mandata divina de religioso illius cultu, multis modis violabant. Contrà Judæorum cultum Christus probat, cum ait, *nos adoramus quod scimus*, nempe ex Dei verbo, naturam illius & voluntatem edocti. Ut enim Deus se solum adorari ac coli voluit Matth. 4. v. 10. & deinde arbitrarium cultum semper vetavit: sic templum & domum solennis orationis ac sacrificiorum, non quolibet in loco fieri, sed certo & à se præscripto in V. T. mandavit Deut. 14. v. 23. & 16. 5. nimirum Hierosolymis 1. Chron. 22. v. 10. Cœterùm hanc Judæorum, de recto Dei cultu notitiam, à causa illustrat: *quia salus ex Judæis est*. *Salutis* autem nomine quidam salutarem Dei cognitionem, per Meton. effecti, pro instrumentali sua causa accepti, intelligunt ut Es. 2. v. 3. *Ex Sion exibit lex, & verbum Dei è Jerusalem*. Alii verò (ut Cyril. Alexan. ad hunc locum) per Meton. effecti pro causa principali, Christum intelligunt, qui salutis author, & ex Iudæis esse dicitur Rom. 9. v. 5. ut sit sententia, quod Iudæi sint fœderati Dei, quibus promissus est Christus: cujus gratia Ecclesia & verbi Dei cognitio apud Iudæos conservata Psalm. 147. v. 20. & Rom. 3. v. 2. de quibus Iudæorum privilegiis, Rom. 9. 4. 5. & Eph. 2. v. 11. & 12. agitur. Atque hæc de præsenti Dei adoratione v. 22: Quibus futuræ adorationis antea v. 21. propositæ, expositionem ac declarationem uberiorem subjicit: quod licet Iudæi præsenti illo tem-

illo tempore religionis necessitate, rectè Deum Hierosolymis, adoratione ac sacrificiis in templo colerent: id tamen non fore jus perpetuum: sed aliam fore colendi Dei rationem, cum ait: *sed venit hora & nunc est* (h. e. metaphoricè, brevi erit, ut sit præsens, pro paulo post futuro) *cum veri adoratores adorabunt Patrem spiritu & veritate. Sp.* a. opponitur hypocrisi: quâ lingua tantùm oratur, cor autem procul abest: quo vitio non minus quam Samaritani, ipsi Judæi laborabant, quemadmodum Christus iis exprobrat Matt. 15. *Veritas* autem hoc in loco, non opponitur mendacio (nam hoc ipsum spiritus voce antecedente exclusum est) sed figuris & umbris legalibus, ut Joan. 1. v. 17. Qualis fuit figura & umbra in templo ad arcæ propitiatorium aspiciens adoratio solennis; & privatis in precibus, ad illa loca vultus conversio 1. Reg. 8. v. 48. & Dan. 6. v. 11. deinde sacrificia: quibus omnibus Christus, tanquam verum propitiatorium, Rom. 3. vers. 29. & sacrificium simul ac summus pontifex Heb. 8. 9. 10. deinde ad illum conversio, & per eum ad throni divini gratiam adorantium accessio, in N. Testam. præstanda, fuit adumbrata. Quare veritas, Meton. in hac sententia notat typicarum promissionum ac ceremoniarum impletionem; quæ impletio earum veritatem constituit. Atque hinc liquet, Patres quidem V. Test. adorasse Deum in spiritu & veritate propriè sic dictâ, hoc est, ex animo ac verè, sed non hac veritate, de qua Christus hic loquitur: quia ceremonias loci & temporis ac sacrificiorum, secundum mandatum Dei in adoratione solenni observarunt. ideoque hæc adoratio, de qua Christus loquitur, N. Testam. propria est. Idque à voluntate Dei Patris probat Christus, v. 24. quod *tales quærit, qui ipsum adorent*, Spiritu quidem seu animi sinceritate, semper, veritate verò, hoc est, sine ceremoniarum legalium necessitate, post Christum. Idemque secundo demonstrat à natura Dei, cum ait πνεῦμα ὁ θεὸς, *Deus est Spiritus*. In qua enuntiatione subjectum, *Deus*, ab attributo, *Spiritu*, licet præposito distinguitur suo articulo ut Joan. 1. v. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& sermo erat Deus: Sermo* enim, subjectum esse, articulo demonstratur. Deus autem vocatur Spiritus, hoc est, essentia incorporea atque intelligens. Ideoque Spiritu, quem intuetur, seu sincero animo coli vult: & veritate, seu ea adoratione quæ ceremoniali adumbrata est. Atque hæc interpretatio maximè à Theologis comprobatur, ut scilicet veritas non mendacio, sed ceremoniis legalibus opponatur. Quę ut magis illustretur, rationibus hanc expositionem confirmare conabimur. Prima autem est, quod distinctio futuri temporis & pręteriti illud indicat v. 23. *venit hora*; alioqui Christus nihil hic novi diceret, si veritas hypocrisi ac mendacio esset opposita, quia omnes veri adoratores ita ab initio Deum adorarunt; & talem adorationem semper flagitavit Ps. 50. v. 8. 14. 15. & alibi. Deinde quia hęc sententia refutari non potest solidis argumentis. Si quis verò objiciat, verba Christi de tempore præsenti loqui, non autem de futuro: quia utitur voce præsentis temporis nempe ἔρχεται ὥρα, *venit hora*. Respondetur negatione consequentię; quia etsi ἔρχεται propriè sit præsentis temporis, tamen per enallagen temporis præsentis pro futuro crebrò usurpari solet; ut etiam in antecedenti Christi sententia v. 21. ἔρχεται ὥρα, hoc est, *veniet hora, cum neque in hoc monte, neque Hierosolymis adorabitis Patrem* & postea v. 25. *novi quod Messias* ἔρχεται hoc est, *veniet*, & v. 35. *adbuc quadrimestre est, & messis* ἔρχεται, id est, *adveniet*: & alibi sæpius. Sed rursus sequentia verba urgeri possunt: quod addatur, *& nunc est* scilicet hora: ac propterea non loquitur de eo quod futurum est, sed quod pręsens. Verum rursus negatur consequentia: quia eadem est temporis enallage quæ in antecedenti, ut Joan. 5. 25. ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστιν, *venit hora & nunc est*, id est, veniet & imminet, ut sequentia disertè evincunt, quæ de re futura loquuntur, cum dicitur: *cum mortui* (scilicet metaphor. peccatis mortui seu spirituali justitiæ vita destituti) *audient vocem filii hominis*. Ubi prior phrasis, *venit hora*, tempus futurum significat: posterior v. nempè *nunc est*, futuri temporis quantitatem indicat, quod scil. non longo post tempore, sed paulò post seu brevi futurum esset: quemadmodum hoc secundum omittit Christus, quando de mortuorum propriè dictorum resurrectione loquitur sequentibus v. 28. cùm ait ἔρχεται ὥρα, hoc est, *veniet*, non autem addit: & nunc est, quia illa resurrectio propriè dicta, non paulò post, sed in fine mundi futura erat. Quamobrem ex his satis liquet propositæ vocis *veritatis* expositionem, ut ceremoniis legalibus opponatur sententiæ Christi convenire, & adversus exceptiones firmam consistere. Atque hæc de recta Dei adoratione præsenti scilicet & futura: quæ secunda colloquii Christi & Samaritanæ parte examinata est; sequitur denique tertia: quæ de Messia agit. Constat autem mulieris de eo professione v. 25. & Christi responsione sequenti. Professionis illius occasio, fuit Christi doctrina, de abolenda ceremoniali adoratione, certo in loco astricta, & de salute è Judæis, hoc est, de Christo venturo v. 21. & adorationis alio modo brevi futuro v. 22. Hac enim occasione verborum Christi propinquum Messiæ adventum colligens fidem suam de Christo futuro, Samaritana profitetur bifariam: primùm de personę illius adventu: deinde de ejusdem effecto, seu beneficio ab illo conferendo: Quæ Samaritanæ confessio ac fides, fuit secundus ad veram conversionem illius gradus. In prioris autem confessione, primum fidei suæ certitudinem indicat, cùm ait *scio*: nempe ex prophetiis Mosis de Christo apud Samaritanos notis ac prædicatis. Deinde objectum fidei, seu quidnam crederet designat, quando ait, *quod Messias* ἔρχεται, hoc est, *veniet*, seu *venturus est*. Quod autem additur: *qui dicitur Christus*: ea verba sunt interpretatio vocis Hebrææ Messias: non à Samaritana; quæ Gręcam linguam ignorabat: nec ad Christum dicta, qui cum Hebręus esset, interpretatione vocis Hebrææ; Gręca linguâ opus non habebat: sed ea verba sunt Ioannis Euangelistæ, qui Græcè scribens omnibus gentibus, hoc ad lectorum Hebręæ linguæ imperitorum, intelligentiam inservit, ut alibi: Ideoque per parenthensin hæc verba sunt notanda. Posterius verò confessionis fidei de Christo membrum, de effecto illius, nempe beneficio, conferendo indicatur his verbis: *cum venerit ille, nobis annuntiabit omnia*: nimirum ea omnia, quæ ad verum Dei cultum & salutem pertinent: quemadmodum circumstantia loci, & sententiæ veritas inprimis evincit. Nec enim universaliter & absolutè omnia annuntiaturus erat Christus: ut certa experientia concionum illius probavit, sed ea solùm, quæ ad munus illius propheticum requirebantur; scil. ad veram religionem ac salutem necessaria. Similis locus est Ioan. 14. 26. ubi Christus ait: *Sp. S. docebit vos omnia*: nemnon absolutè (ea enim nunquam perceperunt Apostoli) sed relatè omnia, scil. quæ ad salutem ipsorum & ad executionem officii Apostolici pertinebant: sicut subjecta materia exigit. Hęc de Samaritanæ mulieris confessione de Messia: Cui Christi responsio subjicitur, priorem illius partem corrigens, cum dicit: *Ego is sum, qui loquor tibi*; Messias, quo ostendit adventum Messiæ non futurum, ut illa putabat, sed jam præsentem v. 26. Hactenus Christi & Samaritanę mulieris colloquium: quod declaratur ab intercedente adjuncto: partim à consequente effecto. Adjunctum intercedens est primum discipulorum (qui emendi cibi causâ abierant in urbem Sichar v. 8.) ad Christum, cum Semaritana adhuc loquentem, reditus, ut dicitur, *interea autem advenerunt discipuli ejus*: deinde admiratio eorum, quod cum muliere loqueretur: cujus admirationis conjuncta silentii modestia indicatur, quod nemo tamen dixit, *quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* v. 27. Consequens v. colloquii effectum, est conversio Samaritanæ seu vera illius in Christum fides: quæ ex fructu suo, gemina scil. charitate declaratur: primùm quidem charitate & gratitudine in Iesum Christum: cujus cognitionem ac regnum propagare sedulò studet: deinde charitate in populares suos Samaritanos, quos ad Christum & fidem in ipsum adducere studet: utrumque autem ostendit, primum ardenti affectu, quo *statim relictâ hydriâ*, ne quid ipsam moraretur, & ut Christo, qui aquam petierat inserviret, *abiit in urbem* nempe Sichar seu Sichem, in regione Samariæ sitam, & populares suos est allocuta v. 28. secundo eandem charitatem geminam erga Christum & populares patefecit v. 29. oratione seu sermone fideli: qua primum populares suos ad Jesum secum accedendum

dendum & videndum vocat: deinde ratione vocationis illius. Quam subjicit, qua ipsum Messiam seu Christum esse ostendit enthymemate: cujus antecedens, est ratio probans, *ille dixit mihi quæcunque feci*: consequens verò probandum est; *numquid iste est Christus*? Ad prius quod attinet, argumentum illud fuit probabile: non necessarium: neque Samaritana ipsa ex eo aliud antea conclusit, quam Jesum esse Prophetam v. 19: sed ex doctrina Christi, de vero Dei cultu, & de seipso assertione, quod esset Christus v. 26. per Sp.S. illustrationem accedentem, fidem concepit, & eodem modo popularibus suis persuadere haud dubiè conata est atque persuasit. Ad posterius vero quod attinet: consequens conclusio, interrogatione quadam firmata, dubitationem non arguit: sed assertionem firmiorem, Hebræorum phrasi consueta designat, quasi testimonio, à conscientia eorum petito: Idque ex eo patet, quod propter sermones Samaritanæ, multi primum in eum credidisse dicuntur ut v. 39. & 42. apparebit. Atque hactenus de Samaritanæ conversione: Sequitur deinde Samaritanorum conversio: cujus primùm inchoatio, ex hac mulieris oratione orta: deinde confirmatio illius per Christum describitur. Inchoatio autem fidei innuitur primum ex effecto: postea vero disertè exprimitur. Innuitur autem suo effecto, nempe obedientia: quâ mulieris popularis suæ de Christo adeundo hortationi paruerunt: cum exierunt ex urbe, & venerunt ad eum v. 30. Cujus accessionis narrationi, adjunctum atque intercedens Apostolorum cum Christo colloquium interseritur: Constat autem gemino discipulorum & Christi sermone: quorum prior hortationem discipulorum, & Christi responsionem continet. Hortatio autem illorum est qua Christum ad cibum meridiano jam tempore manducandum invitant, ut v. 31. dicitur; ἐν τῷ μεταξὺ supple χρόνῳ *medio tempore seu interim* (hoc est dum Samaritani in itinere sunt, ut ad Christum perveniant) *rogabant eum discipuli dicentes, Rabbi* (hoc est magister quod Christo propriè convenit Matth. 23. 8.) *comede*. Responsio vero Christi est illius recusatio: qua id renuit, adducta ratione allegorica, ex sermone discipulorum, per similitudinem translata, cùm dixit, *Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis*, v. 32. Quo modo suum, ad regni Dei propagationem, zelum seu fervens studium declarat. Quemadmodum enim Samaritana properè, relictâ hydria, & neglecto illius usu ac prandio suo, populares secum ad Christum adducere studuit atque adduxit: sic Christus licet fatigatus, dilato prandio, eosdem avidè, prædicationis Euangelii & salutis eorum desiderio, expectavit, v. 32. Ex qua Christi, cibum ab ipsis oblatum recusantis responsione altera colloquii pars promanat: constans discipulorum quæstione inter se, & Christi responsione ad ipsos. Quæstio autem est v. 33. *dicebant ergo discipuli alii ad alios: Num quis attulit ei quo vescatur*? Cujus dubitationis atque inquisitionis causa, fuit sensus verborum Christi ignorantia: quod allegoricè ab eo dicta, seu similitudine quadam enuntiata, propriè intelligerent. Responsio vero Christi, ad hanc à se observatam discipulorum ignorantiam corrigendam dirigitur: quę primum sententiam suam, malè ab illis intellectam, interpretatur: deinde vero eosdem ad similem diligentiam extimulat. Interpretatio autem hæc est; *cibus meus* (de quo scil. locutus sum) *est, ut Patris, qui me misit, voluntatem exequar, & opus ipsius perficiam*, v. 34. voluntatem autem Patris vocat; per Meton. consuetam, rem ab eo mandatam: quia voluntatis Dei, officium debitum approbantis, objectum est: unde mandatum illius, distinctione vocis, *voluntas signi*, vulgo dici solet: quia mandato suo Deus significat, id quod voluntate approbat. Ea autem res à Deo probata, ac Christo mandata, erat prædicatio Euangelii, auditorum illius conversio ad fidem ac salutem æternam; Ad illud enim erat à Patre missus, Esai. 61. vers. 1. & Luc. 4. vers. 18. & 21. unde etiam consentaneè, Ioan. 6. v. 37. & 38. ait: *quidquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras, quia descendi è cælo ut faciam non meam voluntatem* (scilicet solam, oppositè Patris voluntati, ut adversarii falsò judicabant) *sed voluntatem ejus qui misit me*. Quam voluntatem Patris intelligit Christus, eamque exponit, dicens: *& opus ipsius perficiam*, hoc est, opus ipsi debitum, utpote ipsi probatum atque ab ipso mihi imperatum. Quo etiam modo hac phrasi utitur Christus, Ioan. 6. vers. 29. *hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*, Opus Dei, non quod efficit (etsi illud sit verum (sed quod ei debetur ex mandato ipsius justo, ut versus antecedens, ubi eadem phrasis præcessit (quæque hic repetitur) demonstrat. Quemadmodum etiam Ier. 48. v. 10. *maledictus qui facit fraudulenter opus Dei*, hoc est, Deo mandanti debitum. Sic opus Dei, Deo, ex mandato illius, à Christo ad prædicandum Euangelium misso, debitum erat, ut Euangelium prædicaret, hominesque converteret. Cujus rei occasione oblata, illi cibum postponit: quia dilectio Dei, (quę primum ac summum est mandatum Matt. 22.) hoc postulabat. Eam autem occasionem differendi prandii ac cibi sumendi optatissimam fuisse indicat, quod Samaritana & populares illius, Christi præsentiam & doctrinam avide desiderantes accedebant; quorum institutio atque amplior conversio, Christo fuit quasi cibus animæ suavissimus: cujus delectatione cibum esurientis corporis lubenter differebat. Atque hæc de v. 34. prima responsionis Christi parte, nempè verborum suorum à discipulis malè intellectorum, clara interpretatione. Altera vero pars est, qua discipulos ad similem fidem ac diligentiam, argumentis quibusdam ac nova allegoria excitat atque extimulat. Primum autem argumentum, est temporis opportunitas ex auditorum accedentium ad audiendum Euangelium promptitudine: quam comparatione minoris declarat, quod messis frugum terrenarum quatuor adhuc menses aberat, ac propterea omninò immaturæ essent ad metendum: spiritualis verò (seu similitudine quadam dicta messis) jam aderat, idque à sensu visus probatur, cum ait: *attollite oculos vestros & spectate regiones, nam albæ jam sunt ad messem*: Qua allegoria Samaritanos Sichemitas ad audiendum Euangelium (conceptâ de adventu Christi fide promptos) atque avidos, maturæ messi comparat: Ideoque quemadmodum cum matura est messis, metendi festinatione sedula est opus: ne grana è suis glumis, hoc est, folliculis concidant ac corrumpantur: sic etiam maturâ jam spirituali messe, scilicet auditoribus Euangelii avidis, Christo & discipulis maturandum, ut eam falce prædicationis Euangelii, quasi demetant, & in Ecclesiam, quasi in aream congregent; ne neglecta eorum cura, dilabantur ac pereant v. 35. Simili allegoria usus est Christus Matth. 9. v. 37. & 38. cum dixit discipulis suis, magna auditorum turba accedente: *ipsa quidem messis multa est; operarii autem pauci: rogate igitur Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam*. Atque hæc quidem de 1. argum. quo Christus Apostolos suos, ad sui, in diligenti Euangelii prædicatione imitationem excitat, nempè à temporis opportunitate: sive ab auditorum idoneorum promptissima copia, quasi messe eorum jam matura. Alterum vero geminum, à prædicationis Euangelii utilitate duplici deductum est: prima utilitas est, Euangelium prædicantium adjunctum: scilicet quod qui *metit, mercedem accipit*. v. 36. Metere autem dicitur, qui animos fide exhibiti Messiæ jam præparatos, non sola prædicatione Euangelii (ut ex Mat. 7. v. 22. & 23. apparet) sed etiam vivę fidei exemplo. 2. Tim. 4. v. 7. 8. amplius erudiunt, & à mundo aberrantium quasi resecant, & Ecclesiæ aggregant. Merces autem dicitur non propriè: sed per metaphoram, à conductis operariis Mat. 20. 1. inprimis verò ac speciatim, à messoribus, ut Matth. 9. v. 37. 38. derivatam. Nam ut messores vocantur pacta mercede, ad opera sua pręstanda: quibus peractis redditur pacta merces: sic etiam Apostoli vocati à Deo sunt, ad opus prędicationis Euangelii, conditione salutis æternæ; & peracto fideliter opere, salutem etiam obtenturos indicatur hac allegoria: ut Matth. 25. vers. 21. & 23. clarius exprimitur. Merces autem est non merita (ut Pontificii objectant) sed gratuita, quemadmodum cuncta bona opera ab Apostolis aliisque (solo Christo excepto) præstita, multis de causis evincunt; primùm quia fuerunt Deo creatori ac redemptori debita, justeque ab eo mandata, quemadmodum Christus Apostolis ait Luc. 17. v. 10. *sic & vos cum omnia feceritis quæ mandavi vobis, dicite, servi inutiles sumus, quia quod facere*

cere debebamus, fecimus. Ideoque Deo non beneficium indebitum, sed debitum officium præstituros docet. Quo modo relatè, hoc scil. respectu, non autem absolutè *inutiles* dicuntur: alioqui ad gloriam Dei utiles, 2. Tim. 2. 21. & ad beneficia gratuita à Deo obtinenda sibi etiam utiles 1. Tim. 4. 8. Tit. 3. 8. extiterunt. Secundò opera bona omnia Apostolorum (multoque magis prædicatio Euangelii, quæ tantum pars eorum extitit) fuerunt imparia mercedi vitæ æternæ, Rom. 8. 18. & 2. Cor. 4 17. & 18. ideoque non merita illius. Tertiò opera illa fuerunt imperfecta: primùm quia non fecerunt omnia mandata: *in multis enim labimur omnes*, ait Iacobus Apost. cap. 3. 2. & 1. Ioan. 1. 8 ideoque Apostoli etiam jussi sunt precari, *remitte nobis debita nostra*, Matth. 6. 12. h. e. peccata Luc. 11. 4. deinde ea etiam opera bona quæ fecerunt, fuerunt vitiata, ob carnis reliquæ, spiritui repugnantis contagionem Gal. 5. 17. ideoque si meritum eorum spectemus per se, ob imperfectionem suam merentur non vitam, sed mortem æternam Rom. 6. 23. & maledictionem, Deut 27. 26. Gal. 3. 10. Neque bona opera Apostolorum, aut aliorum, bona dicuntur, nisi per accidens imputatæ operantibus fidelibus satisfactionis Christi, ob quam imperfectio eorum à Deo condonatur, ut Hebr. 13. 21. & 1. Pet. 2. 5. declaratur. Ac quamvis ea ratione, opera per se imperfectè bona (ideoque maledictionem merita) per accidens remissionis culpæ defectus à mortis reatu, propter Christi mortem fide apprehensam sint liberata: vitam tamen æternam promereri non possunt; quoniam in se imperfecta nihilominus permanent. Ad vitam autem operum dignitate obtinendam, perfecta requiritur omnium obedientia, Matth. 19. 17. & 22. 37. 38. 39. & Lev. 18. 5. cum Rom. 10 5. & Iac. 2. 10. Denique bona, eatenus non sunt ex nobis, sed sunt gratuita Dei dona Ioan. 15. 5. & 2. Cor. 3. 5 & 6. Hebr. 13. 21. Eph. 2. 8. 9. 10. quibus propterea homines pii nihil promerentur apud Deum: sed contra Deus, iis gratuitò datis, ab hominibus meretur gratitudinem. Quamobrem merces vitæ æternæ quam Christus Apostolis, quasi messoribus spiritualibus promittit, non merita est; sed meritè gratuita; quia stipendium peccati mors, donum vero Dei vita æterna Rom. 6. vers. 23. Neque aliter operibus hominum bonis debita, aut à justo judice danda dicitur 2. Tim. 4. v. 8. quàm ratione gratuitæ promissionis Dei, qua debitum officium præstantibus, indebitam vitam promisit; ideoque ex veritatis justitia (quæ rei promissæ præstationem requirit) debitorem vitæ æternæ gratis dandæ sese constituit Deus ac gratis donat. Ideoque merces, quæ Apostolis (quasi auditores Euangelii prædicatione metentibus atque in Ecclesiæ aream congregantibus) addicitur à Christo, non est merita: sed gratuita, neque operi illi per se debita (quia prædicatio Euangelii non est universalis obedientia) sed per accidens gratuitæ promissionis divinæ: ut pluribus demonstravimus. Atque hæc de prima utilitate prædicationis Euangelii, nempe Apostolorum mercede, hoc est, salute æterna, fidis operariis, à Deo messis Domino promissa & obtinenda. Altera vero utilitas, est effectum prædicationis Euangelii instrumentale in auditoribus, per eam conversis, quàm Christus indicans ait. *Et cogit*, hoc est congregat, *συνάγει fructum in vitam æternam*, Quæ verba nonnulli, idem cum antecedentibus, per expositionem quandam, significare statuunt quasi iis merces Apostolorum indefinitè memorata, definiretur hoc modo: nempe merces non in terris danda, sed in cœlo (ut Matth. 5. v. 12) vita æterna. Alii verò diversum esse censent, & utilitatem auditorum fidelium, ex prædicatione Euangelii ad eos redundantem intelligunt. Quæ interpretatio priori non immeritò videtur præferenda; quia sententiam Christi reddit pleniorem: siquidem pro unica prædicationis Euangelii utilitate, duplicem ponit: deinde etiam quia scopo Christi (hoc est, excitationi Apostolorum ad fidelem promptamque Euangelii prædicationem) stimulum addit acriorem. Is enim est, quod auditores, jam fide aliqua de Christo venturo imbutos (quasi sementis fructus Matt. 13. v. 8.) prædicatione Euangelii demessos, & in Ecclesiæ aream congregatos, collecturi essent in granarium cœleste, ad vitam æternam. Prædicatio enim Euangelii, ut fidei inchoandæ ac confirmandæ est instrumentum 1. Cor. 3. v. 5. sic etiam salutis, tanquam effecti ex fide promanantis Marc. 16. v. 16. Eoque argumento Apostolus quoque Paulus ad fidelem promptamque Euangelii prædicationem fuit commotus, ut declarat Rom. 1. v. 15. & 16. *Et ita*, inquit, *prompta est mea facultas vobis quoque qui Romæ estis Euangelizare: non enim me pudet Euangelii Christi: potentia enim Dei est ad salutem omni credenti:* Et Timotheum à gemina salute, cum sua, tum auditorum ipsius (ut Christus hoc in loco facit) extimulat, cùm ait 1. Tim. 4. v. 16. *Attende tibi ipsi & doctrinæ; persiste in istis; id enim si feceris: & teipsum servabis, & eos, qui te audiunt.* Porrò hæc auditorum Euangelicæ prædicationi credentium utilitas, seu vita eorum æterna, declaratur ab effecto illius: quæ utilitas tertia ac tertium argumentum est, quo Christus Apostolos suos, ad fidam promptamque Euangelii prædicationem excitat, nempe à gaudio messorum & seminantium communi: cum ait, *ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Per seminantem autem (ut veteres & recentiores Theologi exponunt) Moses & Prophetæ designantur, quod prædictionibus suis de Christo, & viva voce, & deinde scriptis suis, ad perpetuam lectionem Ecclesiæ traditis, ad Christi adventum credendum viam straverint. Quemadmodum Samaritana ex Mosis doctrina, vulgo recepta, scivit, Christum venturum: deinde, cum venerit, omnia ipsis annuntiaturum, ut vers. 25. indicatur, qua de re ut (etiam de tota hac allegoria) memorabilis est Cyrilli Alexandrini ad hunc locum explicatio, cum ait: *Sata intellectualia & spicæ spirituales sunt, qui prophetarum voce culti, ad fidem Christi perveniunt; quæ seges albescit tunc, cum jam maturus & promptus est, ad suscipiundam fidem Christi & veram religionem, animus: messoria verò falx; est Apostolorum splendida prædicatio, quæ à legalibus figuris auditores abscindens, ad arcam, id est, ad Ecclesiam Dei transponit: ubi labore virtutis contriti, fulgens in triticum ac divino dignum horreo efficiuntur.* Hact. Cyrillus. Veruntamen plenior futura est, & ut arbitramur, etiam convenientior expositio, si non solum seminantis, hoc est, seminantium voce, Prophetæ V. T. sed etiam Johannes Baptista & Christus inprimis ac præcipuè intelligatur: qui Christus miraculorum suorum famâ & doctrina, viam ad pleniorem messem Apostolis præparavit. Nam ut Christus, concursu populi, doctrina ipsius & miraculis excitati, Matth 9 v. 35. & 36. observato, discipulis dixit: *messis quidem multa, operarii verò pauci, orate igitur dominum messis: ut emittat operarios suos in messem suam* vers. 37. & 38 sic post resurrectionem eosdem ad metendum emissurus, ait Act. 1. v. 8 *eritis mihi testes Hierosolymis, in tota Judæa & Samaria, usque ad fines terræ:* Ideoque commodissimum videtur, ut per seminantes non solum Prophetæ intelligantur, sed etiam Joannes Baptista & præcipuè Christus, qui Apostolis, Euangelii prædicatione Judæos & Samaritanos ad fidem ac salutem conversuris, quasi messoribus eorum futuris, doctrinæ semina antea jecit, & ad maturitatem fæcundavit ac promovit. Atque hæc de seminantibus & metentibus: quorum laboris effectum est auditorum fidelium salus. Cujus salutis fructus est gaudium, quod ad laborem, in officio prædicationis Euangelii ab Apostolis præstando, libenter perferendum, incitamentum est. Gaudium enim hoc in loco intelligitur, quod ex hac ad fidem conversione ac salute, post resurrectionem existit: quia Prophetis etiam seminatoribus defunctis, cum Apostolis messoribus commune ac simul fore dicitur, ideoque non in hac vita, sed post hanc. Quale gaudium, præter præsens, futurum ab Apostolo memoratur 1. Thessalo. 2. vers. 19. *Nam quæ est nostra spes aut gaudium aut corona de quâ glorier: annon & vos in conspectu Domini nostri Jesu Christi in ejus adventu?* Hoc autem gaudium, de salute auditorum, causam habet amorem triplicem, Dei primum, quia ex salute hac regnum illius & gloria augetur; deinde proximi, quia summo illius bono ac gaudio (ex lege communionis sanctorum) quasi proprio gaudendum; denique ex amore sui gaudebunt; quod labor seminationis & messis non erit frustrà impensus, sed finem propositum assecutus. Atque hæc de tertia prædi-

prædicationis Apostolorum utilitate, tertio scilicet argumento ac stimulo, ad prædicationis officium, prompto animo faciendum. Quartum ac postremum argumentum, est à facilitate laboris Apostolorum; quam comparatè cum Prophetis, Baptista, & Christo, continuata allegoria seu similitudine ab agricolis deducta, describit, primum propositione, deinde expositione illius. Propositio continetur v. 37. constans proverbio celebri, & accommodatione illius: proverbium est, *alius est qui seminat, & alius qui metit:* quod proverbium non solum apud Judæos, sed etiam Græcos fuit in usu: ut Erasmus in Adagiorum Chiliadibus recitat: ἄλλοι μὲν σπείρωσιν, ἄλλοι δ'ἀμήσονται, id est, *alii quidem serunt; alii vero metent.* Quo significatur, non quod semper: sed id quod sæpe fieri solet, ut scilicet unus laboret: alius emolumentum laboris illius percipiat. Accommodatio autem hujus proverbii est, cum Christus illud in Apostolis usu venire testatur, dicens: *illud dictum verum est* (hoc est, verum comperitur) *in hoc*, scilicet quod dixi, vos metere, messemque colligere in vitam æternam, ut expositio vers. 38. subjecta declarat; *Ego*, inquit, *misi vos ad id metendum, in quo vos non laborastis*, nempe antea, ut seminantes solent: quorum est diuturnior ac major labor, quem impendunt, dum agrum arant, rastro glebas illius comminuunt, stercorant, semina jaciunt, unde seges exurgit, ac paulatim ad maturitatem succrescit. Alios verò, labores hosce pertulisse, nempe Prophetas, Joannem Baptistam & Christum: Apostolos verò in labores eorum (hoc est, in segetem ab illis satam, copiam scilicet auditorum ad fidem in Christum, doctrina eorum laboriosa præparatam) intrasse, ut meterent. Verùm hoc in loco difficultas prima fronte non exigua emergit, nimirum quod Christus dicit Apostolis: *ego misi vos ad metendum*; deinde, *vos in labores eorum introistis.* Hoc autem experientiæ adversari videtur, quia missio hæc postea demum facta est, Matth. 10. v. 1. & 5. Responsio autem ad hanc difficultatem solvendam profertur duplex; quarum (ut eas nonnihil illustremus) in eo quidem est consensio, quod utrimque negatur consequentia; quoniam ea quasi repugnantia statuuntur, quæ tamen reipsa non adversa sunt, sed tantum diversa, quæ diverso tempore acciderunt: sed in temporis illius expositione responsionum illarum est dissensio: quidam enim missionem Apostolorum à Christo ad metendum (de qua hoc loco agitur) de antecedente interpretantur; quod antequam Christus hæc diceret, ea accidisset: atque ita vocem *misi*, propriè accipiunt de tempore præterito: missionem verò quæ Matth. 10. vers. 1. & 5. narratur, postea factam: ideoque nullam esse in hisce duobus repugnantiam. Alii verò censent hic agi à Christo, non de missione Apostolorum jam tum præterita, sed suo tempore futura, ac vocem *misi* idcirco non propriè, sed impropriè per Metony. accipi tradunt, ut significet mittere decrevi. Cui interpretationi probandæ ratio adfertur duplex: una ex Matth. 10. vers. 5. ubi dicitur: *hos autem duodecim emisit Jesus:* & tamen non statim miserit. Verum ex hoc loco Matthæi, neque etiam aliunde illud probatur; imo contrà tota legationis historia ostendit revera factam missionem, non autem decretam tantùm in animo Christi, aut promissione designari: advocatis enim iis dedisse potestatem in Spiritus immundos, aliaque miracula edendi ostenditur vers. 1. & eos emisit ad Judæos tantum: & abire ac proficisci jussit vers. 5. & 6. & officia cùm prædicationis Euangelii, tum edendorum miraculorum iis præscripsit v. 7. & 8. ut alia omittam. Idemque ex Marco & Luca, eandem historiam narrantibus, evincitur. Marcus enim cap. 6. v. 7. dicit, Christum vocatis duodecim Apostolis, cæpisse eos emittere binos; & explicato Christi mittentis mandato subjicit v. 12. *Et egressi prædicarunt, ut resipiscerent:* Lucas similiter cap. 9. v. 1. & 2. ait: *convocatis duodecim discipulis suis, dedit iis potestatem, & misit eos, ad prædicandum regnum Dei*, & v. 6. missionis executio exponitur, cum ait, *egressi vero obierunt singulos vicos, euangelizantes & sanantes ubique.* Quare cum dicatur, Apostolos missioni Christi, de qua agitur, egressos paruisse, inde sequitur missionem impropriè, de electione & destinatione, ut suo tempore mitterentur, accipi non posse, ac falsum esse, quod Christus Matth. 10. non statim miserit. Prima igitur hujus expositionis ratio aliena est: & altera similiter infirma, quæ petita est ex Mar. 3. 15. quod ibidem dicitur Christus duodecim Apostolis dedisse potestatem spirituum immundorum; quam tamen non tunc dederit, sed postea cum eos mitteret ad prædicandum cap. 6. 7. Idcirco verò dictum esse, dedisse illam potestatem tunc: quia tunc eos elegit, ut suo tempore eam illis potestatem daret, eaque ratione & Christum Joann. 4. dicere, *ego misi vos*, hoc est, elegi ac destinavi, ut mitterem vos. Verùm inquam falsum prorsus est Marc. c. 3. sic locutum: Non enim utitur verbis præteriti, sed futuri temporis significationem habentibus. Nam vers. 14. & 15. ait: *Et constituit duodecim ut secum essent, & ut eos mitteret* κηρύσσειν καὶ ἔχειν ἐξουσίαν, *ut prædicarent & haberent potestatem.* Nam quod vulg. interpres vertit, *& dedit illis potestatem*, verborum Marci perversio est, qui non habet vocem ἔδωκεν, sed ἔχειν; ideoque res ipsa evincit; quia ut ex Matth. 10. & Luc. 9. constat, hæc duo, scilicet prædicationis officium, & potestas miraculorum, conjunctim à Christo tradita sunt, non vero temporibus divisa. Quemadmodum etiam ex Marc. 6. 7. in finis (cap. 3. præpositi) executione, nempe promissa missione Apostolorum apparet, ubi dicitur: *& advocatis duodecim, cæpit eos mittere, & dedit iis potestatem spirituum immundorum.* Atque hæc ad confutationem duarum rationum, quibus probare studet Maldon. Jesuita, verba Christi hoc loco Johann. 4. vers. 38. *ego misi vos*, intelligi posse impropriè, hoc est elegi ac destinavi, ut vos mitterem. Cæterum ad hanc expositionem alioqui probabilem aptius adferri posset locus 2. Tim. 1. 9. *qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris: sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo ante tempora secularia*, hoc est, ab æterno. Vnde perspicuè apparet, quod gratia dicatur data hoc loco, non propriè, sed impropriè per metony. effecti pro causa; hoc est, decreta ab æterno eo, ut daretur; quia additur: *ante tempora secularia*; Æterni enim, gratiæ dandæ per Christum, decreti effectum, est datio gratiæ in tempore per vocationem efficacem. atque hæc de secunda objectæ difficultatis responsione verisimili. Cui tertia addi posset, nimirum esse hoc in loco enallagen temporis præteriti pro futuro, *misi vos*, id est, mittam: quemadmodum Prophetæ frequentissimè res futuras præterito tempore, ad rei certitudinem indicandam enuntiant; quo sensu, & Aug. & Theoph. intellexisse videntur, ut ex seminantium & metentium expositione colligi potest, etsi vocem, *misi* non exponant. Veruntamen primam expositionem sine ratione propositam, & à Mald. rejectam, aptissimam arbitramur. Nam si quis accuratè investiget, rationes non desunt graves; prima est, quod servat hæc interpretatio proprietatem vocum, à qua, sine solido argumento, ad tropum recedendum non esse constat: quod hoc in loco desideratur. Nam quod objici posset, Euangelistas alios nullibi hujus primæ missionis Apostolorum facere mentionem: inde tamen minimè sequitur, Ergo ea non accidit: quia certissimum est, non pauca à reliquis Euangelistis omissa, à Ioanne tandem exposita. Neque etiam sequitur, Legatio Apostolorum postmodum à Christo facta narratur Matth. 10. v. 1. & 5. Ergo alia nulla antecessit: quia inquam Apostoli Christo vivente non habuerunt missionem seu legationem perpetuam, sed temporariam: ideoque sæpius pro occasione, & Christi voluntate mitti potuerunt. Nec denique obstat quod dicitur Marc. 6. vers. 7. *Et advocat duodecim illos, cæpitque eos mittere binos, deditque iis potestatem adversus Spiritus impuros.* Nam his verbis non indicatur initium omnis missionis absolutè: sed relatè hujus missionis particularis, quod ea tum temporis cœpit, ut Mar. 6. vers. 2. *cæpit in Synagoga docere*, & tamen cap. 1. v. 39. dictum, *prædicabat in Synagogis eorum in tota Galilæa:* & vers. 21. *ingressus Jesus in Synagogam docebat*: quæ temporum & locorum distinctione conciliantur: sic etiam Marci verba, cum Ioannis dicto distinctè conveniunt. Idque altera etiam ratione nostra, ad primam expositionem probandam, amplius confirmabitur. Ea autem suppeditatur à Ioanne hoc ipso cap. 4. vers. 2. cum dicitur; *quanquam*

quam Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus. Ergò ad baptizandum à Christo fuerant missi, quia baptismus eorum vocatur v. 1. baptismus Christi, & per consequens, missi etiam fuerant ad Euangelium annuntiandum: quia baptizare & prædicare sunt duo ministerii Euangelici effecta, individuo mandati nexu conjuncta, Matth. 28. 19. ut cui unum mandatum, alterum similiter imperatum sit. Ac propterea quod Christus hic ait: *misi vos ad metendum: & vos in labores eorum introistis*, de antecedente missione: quam secuta est alia Matth. 10. v. 1. & 5. ut etiam Marc. 6. v. 7. & Luc. 9. v. 1. & 2. rectè intelligatur. Cæterum eo firmiter posito, illud adjungi posse videtur: per synecdochen quandam, partem ministerii Euangelici positam pro toto, hoc est, ut simul reliquam sequentem missionem connotet, primùm quod ante Christi mortem ad solos Iudæos, non autem gentes, neque Samaritanos sint missi, Matt. 10. v. 5. & 6. deinde quod post Christi mortem & resurrectionem Matth. 28. 19. ad omnes gentes, hoc est, Act. 1. v. 8. ad Iudæos, Samaritanos reliquosque ad fines terræ, ut plenus hic sit sensus; Ego misi vos & missurus sum: introistis in eorum labores; & introibitis postea. Atque illud hujus loci circumstantiæ indicare videntur, cum dicitur v. 35. *Ecce regiones jam albæ sunt ad messem, & qui metit, mercedem accipit:* Quo etiam Apostolos messores fore indicat, ut prædictum ac mandatum Act. 1. v. 8. & completum Act. 8. v. 14. 15. 17. & 25. qualis synecdoche Ioan. 16. v. 11. extat, cum dicit Christus: *princeps mundi hujus condemnatus est.* Hæc enim condemnatio cœpit Christi prædicatione; qua Diabolum damnans, ex animis multorum, & miraculis è corporibus ejecit: perfecta verò est postea merito mortis ipsius, ut explicatur Ioann. 12. vers. 31. Heb. 2. v. 14. & Col. 2. v. 15. deinde potentia spiritus Col. 1. vers. 13. & Rom. 16. v. 20. in hac vita; & tandem ultimo die 1. Cor. 15. v. 25. & Matth. 25. v. 41. Neque illud ei contrarium est, quod ante diximus, dictum Christi, *ego misi* proprie accipi, hîc verò per synecd. partis pro toto: quia synecd. partis proprietatem vocis non tollit: sed ea conservata accessione impropriæ amplificat significationem. Totum enim omnes suas partes continet, nullam excludit, aliàs totum esse desineret: sed synecdoche totius pro parte, significationem propriam non retinet, neque auget sed imminuit, quia totum pro una parte tantum acceptum, reliquas non designat. Atque hactenus ad hujus loci difficultatam expediendam disseruimus; quæ occasionem, uti speramus, dabunt ad similia penitius discutienda. Atque hactenus de discipulorum cum Christo colloquio: quod profectioni Samaritanorum ad Christum intercessit. Ad quam profectionem rediens Ioannes. Causam illius declarat, & Eventum. Ac Causa quidem illius ponitur v. 39. fides scilicet in Christum quæ primum proponitur; quod multi Samaritanorum illius urbis Sichar crediderunt in eum, scilicet eum esse promissum Messiam: deinde exponitur ab efficiente instrumentali, cum additur: *per sermonem illius mulieris testantis* eum ipsi dixisse, quæcumque ipsa fecerat. Quo in loco brevitatis causa omissum est primum quod hortata erat, ut secum ad Christum venirent, ipsumque viderent: deinde quod emphatica interrogationis forma concluserat vers. 29. *numquid ipse est Christus?* Et quidem non exprimitur; sed facile intelligitur, ipsam addidisse, Iesum de se hoc affirmasse, seipsum esse Messiam. Atque hæc profectionis Samaritanorum causa: ut cùm mulieris sermone credebant esse Christum, ejusdem hortatione cum ipsa Christum adirent: finis autem fuit, ut ab eo doctrina salutis erudirentur. Eventus verò profectionis hujus triplex subjicitur; nempe petitio eorum à Christo; deinde impetratio rei petitæ: denique fructus inde promanans. Petitio eorum describitur hoc modo: *Cum ergo venissent ad eum Samaritani, rogarunt eum, ut apud ipsos maneret:* Quo scilicet præsentia illius & doctrina salutari fruerentur. Impetratio verò rei petitæ est, quod Christus mansit ibi duos dies v. 40. doctrinam scilicet salutis docens, pro vocationis suæ ratione, Esa. 61. v. 1. & Samaritanorum voto; ut fructus consequens demonstrat. Fructus enim præsentiæ & doctrinæ Christi duplex proponitur; quorum primus, est numeri credentium Samaritanorum maximum incrementum: quod licet antea multi crediderint v. 39. multo plures tamen crediderunt per sermonem ipsius Christi v. 41. Quo indicatur mulieris illius sermone ad Christum videndum fuisse commotos, non solum multos illos credentes: sed etiam alios non credentes, multo plures fortè curiositatis causa: quod indicatur illis verbis, *& multo plures crediderunt per sermonem ipsius.* Alter fructus, est multorum eorum, qui antea crediderant, confessio fidei, ad Samaritanam mulierem directa; qua conversionis suæ, ad veram ac salutarem fidem, causam efficientem explicant ἀναιρέσει καὶ θέσει, hoc est, remotione alienæ causæ, & positione veræ, v. 42. Remotio alienæ causæ est, quod mulieri illi dicebant, οὐκέτι *non adhuc* seu *non amplius*, ut ante, *propter tuos sermones credimus*, nimirum ipsum esse Christum: positio autem veræ causæ, ad probationem remotionis illius pertinens, est quod addunt, *ipsi enim audivimus, & scimus hunc* scilicet Iesum, *esse verè Servatorem illum mundi Christum*; quibus verbis fidem sermonibus mulieris, non derogant; sed veritatem eorum profitentur, eamque amplificant, distinguendo fidem antecedentem, à præsenti. Prior enim fides eorum per mulieris illius sermonem, erat tantum rudis quædam de Messia jam exhibito opinio: quoniam non nitebatur nisi mulieris testimonio: non autem demonstratione ex Dei verbo ac notitia certa. Contra verò hac rudi ac quasi informi fide ad Christum audiendum præparati, ex auditu doctrinæ Christi plenius omnino instituti, & à Spiritu Sancto interius illuminati ac renati: non opinati sunt, ut antea, sed sciverunt Jesum hunc esse illum verè Christum & Servatorem mundi. Atque hactenus de Christi in Galiæam profectione, & intercedente conversione ad fidem, primum Samaritanæ, deinde Samaritanorum urbis Sichar. Quia vero quæ de aqua viva v. 10. & 13. & 14. dicuntur, obiter tantùm attigimus, & distinctam illius explicationem, post absolutam analysin propositam distulimus, idcirco succinctè, eam, quæ superest, quæstionem discutiemus.

Quidnam per aquam vivam, v. 10. 13. & 14. à Christo memoratam, significetur?

QUa de re præcipuæ Theologorum sententiæ sunt duæ: prima quidem, ut de doctrina Euangelii: altera ut de Spiritus Sancti gratia intelligatur. utrimque enim aquæ vivæ appellatio, ejusque attributa, quæ hîc recensentur convenire possunt. Idque de priori etiam (licet alteram sequatur) agnoscit doctissimus Calvinus cum ait: *sunt qui de Euangelii doctrina exponant: cui ego hanc appellationem congruere fateor.* Hæc ille. utrumque enim egregiam habet cum aqua viva naturali similitudinem; quod ut darius ac distinctius patefiat, prius explicandum est, quidnam aqua viva naturalis sit: ac quænam illius utilitas insita, atque effectum inde procedens. Ad primum quod attinet, quid aqua sit naturalis, nemini dubium; *viva* autem ea dicitur, distinctionis causa; ut discernatur ab aqua quieta, ac quasi mortuâ: & è fonte fluentem designat. Quo sensu viva dicitur, non propria significatione, quasi revera viveret, quia aqua substantia est inanimis, ideoque vita (quæ actus animæ est in corpore animato) destituitur: sed impropriè per similitudinem quandam à corpore animato seu vivente derivatam. Quemadmodum enim corpus animâ carens non movetur, sed contrà vivum, animæ vi movetur: sic aqua è fonte profluens non quiescit: sed movetur. Deinde utilitas insita illius est, ut sit remedium idoneum vitæ, adversus sitim conservandæ. Sitis enim est corporis, ex interno siccitatis atque caloris cruciatu orta, humidi ac frigidi potus cupiditas; quæ nisi restinguatur, mortem certò parit. Cujus mali medela est imprimis aqua viva: ut quæ insito suo humore, ad siccitatem, & frigore suo, ad calorem sitientis tollendum, atque ita in vita conservandum accommodata est. Effectum autem illius est, ut sitim reipsa tollat. Quam ad rem duo requiruntur: primum ut aqua illa sitienti offeratur, ut bibi possit: deinde ut præsens atque oblata ad bibendum, à sitiente quantum sufficit imbibatur: absens enim, aut sitienti prohibita, aut præsens oblata, & à sitiente spreta, vel non rectè pota: non prodest. Atque hæc de aquæ

aquæ naturalis insita potentia atque utilitate, deinde effecto, modoque illius necessario: unde illustri similitudine, & doctrina Euangelii, & Spiritus sancti gratia, aqua viva Spiritualis, ea appellatione intelligi potest, quemadmodum utriusque distincta comparatio declarabit. Primum enim si doctrinam Euangelii consideremus, ea aquæ vivæ similis est; primum ratione originis: quod ut illa à fonte corporali promanat: sic & Euangelium à Deo aquæ vivæ fonte spirituali, procedit, unde *Euangelium Dei* Rom. 1. v. 1. appellatur. Deinde similis est ratione insitæ utilitatis. Nam quemadmodum aqua viva naturalis, insitâ sua potentia utilis est ad corporis sitim tollendam; sic etiam Euangelii doctrina utilis est ad sitim animæ spiritualem aufferendam, & ad vitam spiritualem conferendam. Sitis enim animæ, est avidum salutiferæ justitiæ & vitæ æternæ desiderium, ex conscientia, propter justitiæ illius vacuitatem & condemnationis reatum, cruciante promanans. Cui desiderio tollendo Euangelium Dei, veram justificationem ac salutem per Christum proponit, & utriusque ad consolationem conferendæ instrumentum est: ideoque *verbum gratiæ Dei* Act. 20. 24. *& gratiæ Christi* Act. 14. 3. & *verbum reconciliationis* 2. Cor. 5. v. 19. *verbum vitæ* Philip. 2. v. 16. *& verbum salutis* Act. 13. 26. denique *potentia Dei ad salutem* Rom. 1. v. 16. multiplici ac nervosa periphrasi nominatur. Denique doctrinæ Euangelii cum aqua viva naturali comparatæ similitudo, est in effecto atque in efficiendi modo. Nam quemadmodum aqua viva naturalis, sitim tollit quidem: sed non in omnibus, verum in iis, quibus & ea præsens offertur & à sitiente rectè ac sufficienter bibitur: sic etiam spiritualis doctrinæ Euangelii aqua viva, eorum tantum sitim spiritualem, justitiæ Christi & salutis promissione ac collatione tollit, consolatur ac servat, qui eam non mortuâ fide, quæ inutilis est Jac. 2. vers. 14. sed viva, amplectuntur atque imbibunt Marc. 16. v. 16. Gal. 5. v. 6. Ex eo enim justificationis & salutis fiducia, hoc est, spes firma ac spirituale gaudium promanat, Rom. 5. vers. 1. 2. Ephes. 3. v. 12. Porrò quemadmodum doctrina Euangelii, aquæ vivæ naturali similis 1. ratione insitæ cum facultatis, tum utilitatis: deinde ratione effecti ac modi illius, uti demonstravimus: sic simul, peculiari præstantia, (quam Christus aquæ spirituali vivæ tribuit) ab eadem discernitur, eique præcellit. Primum enim aqua viva naturalis, quam quis semel imbiberit, corporis quidem sitim, sed ad breve tantùm tempus tollit, non autem perpetuò; deinde ipsa etiam aqua naturalis in eo qui bibit, non permanet, sed corrumpitur ac perit. Contra verò Euangelii doctrina, quam quis viva fide semel imbiberit, efficit, ut non sitiat in æternum, priori scilicet siti spirituali: quia non amplius, ut antea, à vacuitate justitiæ salutiferæ & condemnationis reatu cruciatus, eorum liberationem desiderat, etsi gratiæ progressum sitire in hac vita nunquam desinat. Deinde Euangelii doctrina in eo, vivâ fide semel percepta, non perit neque corrumpitur: sed in ipso fit fons aquæ, salientis in vitam æternam: hoc est, in eo, qui vivâ fide Euangelium percipit, illud fit in eo instar fontis qui non exarescit, sed in eo ad salutarem consolationem & ad vitam æternam perdurat: fructumque in eo profert, 1. Thess. 2. 13. Quæ duo, nempe effecti salutaris ac perdurationis attributa, & quæ prolata à nobis expositione sunt proposita, aliis etiam similitudinibus à Christo & Apostolis egregiè illustrantur ac confirmantur, adversus loci hujus perversionem. A Christo quidem, Luc. 8. 15. cum metaphora seminis tritici, in bonam terram insiti, radicati & fructum perferentis, Euangelium designat, quod corde honesto ac bono, quasi bona terra, hoc est, fideli excipitur, & in eo permanens fructum profert ἐν ὑπομονῇ, hoc est, cum perseverantia, ut ea vox accipitur Matth. 10. 22. Deinde idem Apostolorum sententiis illustribus declaratur, similitudine seminis humani ad Euangelii potentiam ac perseverantiam in verè fidelibus designandam: Ac primùm Ioan. 1. epist. cap. 3. 9. ait; *omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum* (nempe dominans. Rom. 6. 6. & 14. seu ad mortem per synecd. generis pro specie, alioqui enim etiam renati peccatum, generatim pro transgressione legis. 1. Ioh. 3. 4. sumtum, habent omnes 1. Ioan. 1. 8.) *sed semen ejus* (nempe quo renatus est, Euangelium scilicet) *manet in eo, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Deinde Petrus 1. Pet. 1. 23. de fidelibus ait, eos esse *renatos ex semine, non corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem Dei viventis & manentis in æternum*, hoc est. ut vers. 25. exponitur, per Euangelium prædicatum. Vnde perspicuè apparet doctrinam Euangelii, viva fide receptam à fideli anima, non excuti nec perire, sed retineri, in eoque exuberare ac permanere, & ad salutem usque credentis, efficacem esse. Ex qua comparatione aquæ vivæ naturalis, & doctrinæ Euangelii satis perspici posse existimamus; quæcumque hoc loco à Christo de aqua viva spirituali, à se donanda dicuntur, ei satis aptè convenire, ac primam hanc expositionem esse valde verisimilem. Altera vero est, ut per aquam illam, gratia (hoc est donum Sp. S. non quævis: sed salutaris, & eorum qui justificantur propria intelligatur. Veruntamen in hujus gratiæ seu doni definitione, sive distincta illius explicatione, sententiæ inter se discrepant. Primum enim quidam gratiam regenerationis esse statuunt: sed ei obstare videtur, quod ea non bibatur, sed à Spiritu Sancto infundatur; dum virtutem suam divinam, prædicationi Euangelii conjungendo, fidei, charitatis & spei firmæ seu fiduciæ habitus seu virtutes infundit, atque ita simul habiles reddit ac permovet ad Euangelium prædicatum, vivâ fidei actione, confestim amplectendum. Ac propterea cum regeneratio fidem actualem hanc vivam antecedat, tanquam causa suum effectum, idcirco hac fide regeneratio bibi, hoc est, percipi non potest. *Bibere* autem esse credere, communis est sententia, & similibus locis scripturæ comprobata, ut Ioan. 6. 35. *qui credit in me, non sitiet unquam* & c. 7. 37. dicitur: *si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; idque exponitur proximis verbis v. 38. *qui credit in me, flumina aquæ vivæ è ventre ejus fluent.* Verùm pro hac sententia responderi posset, vocem *bibere* eo quidem sensu, locis modo adductis pro credere accipi: sed hoc in loco accipi posse per metaph. latiorem, pro infusione Spiritus Sancti percipere; quomodo Esa. 44. v. 3. promittitur à Deo cum ait; *effundam aquas super sitientem & fluenta super aridam, effundam Spiritum meum super semen tuum.* Atque hoc spectasse videtur doctiss. Calvinus cum ait; *Nomen aquæ ad Spiritum transtulit; trita enim in Scripturis metaphora, & optimam rationem habet, sumus enim instar aridæ sterilisque terræ, nullus in nobis succus, nullus vigor, donec Spiritu suo nos Dominus irriget.* Alii verò gratiam consolationis Spiritus sancti (qua testimonium nobis perhibet de remissione peccatorum & pace cum Deo per Christum, atque de adoptione nostri gratuita in filios & hæredes Dei Rom. 8. v. 15. 16. eoque modo conscientię cruciatum tollit animamque spirituali gaudio afficit) intelligunt. Veruntamen hæc cosolatio strictius explicata, non videtur hoc Christi dicto satis commodè intelligi: quia aqua, quam promittit se daturum, res est, quæ fidem vivam, tanquam objectum illius percipiendum antecedit: utpote quæ datur, sive offertur, ut fide imbibatur, intimisque animi recessibus recondatur, ad sitim spiritualem extinguendam. Illud autem Spiritus Sancti, de justificatione & adoptione obtenta testimonium, quo fideles consolatur, fidem vivam non præcedit; sed eandem consequitur. Ac propterea, ut hæc sententia melius constare posset, oporteret τὸ *bibere* hoc loco non de prima fidei actione: sed de consequente accipi: seu de actione fidelium, quâ postquam illam Spir. S. de justificatione & salute ipsis acquisita consolationem perceperunt, ei fidem adhibent, atque fiduciam concipiunt. Verùm cum Christus hîc videatur de primo aquæ potu ac fide illius loqui, qua ista sitis spiritualis simul ac semel tollitur, idque fide prima fieri, jam ante sit probatum; aptius est, ut de dono, Spiritus consolatoris primo, accipiamus; nimirum Euangelii doctrina, ut initio explicuimus. Illa enim, non est doctrina naturâ nota: aut humana inquisitione percepta: sed à Spiritu sancto (tanquam aquæ vivæ fonte) promanans: è quo etiam aqua viva in animam Christi profluxerat, ut auditoribus eam sitientibus ad bibendum, & ad animæ requiem ac salutem daret ac communicaret: quemadmodum res illa declaratur

Esa. 61. vers. 1. qui locus refertur & ad Christum accommodatur Luc. cap. 4. vers. 18. his verbis: *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut Euangelizem pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visus receptionem, & confractos emittam in libertatem, ut prædicem annum Domini acceptum.* Quo in loco, sitientes Spiritus Sancti gratiam, vocantur pauperes, contriti corde, captivi, cæci, confracti: fons aquæ vivæ, Spiritus Sanctus: aqua viva, Euangelium: sitis denique ablatio, sanatione, prædicatione dimissionis è captivitate, visus restitutione ac libertate declaratur. Eaque Spiritus Sanct. aqua viva, nempe doctrina Euangelii, illius afflatu ac prædicationis ministerio data (ut supra ostendimus) bibitur, cùm viva fide (quam Spiritus Sanctus etiam efficit, unde *Spiritus fidei* vocatur 1. Cor. 4. v. 13.) ea recipitur: cujus consequens effectum, est sitis spiritualis (seu desiderii liberationis è statu injustitiæ ac maledictionis) abolitio: ut nunquam in eum statum incidant, ac propterea ab illo semel liberati, liberationem eam non amplius desiderent. Nam hæc Sp. S. aqua viva, fide percepta, fit in verè fidelibus fons scaturiens in vitam æternam: utpote qui fiduciam pacis cum Deo, & salutis obtinendæ, adjuvante Spiritu S. magis magisque pariat, ac conscientiam pacatam foveat. ut Rom cap. 5. v. 1. & 2. docetur, deinde v. 5. ait Apostolus: *porro spes non pudefacit, quod charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanct. qui datus est nobis*: & c. 8. 15. & 16. *Accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater: quippe Spiritus testatur unà cum spiritu nostro nos esse filios Dei*, & 2. Cor. cap. 1. v. 22. de Deo dicitur: *qui etiam obsignavit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris*; ut etiam cap. 5. 5. & Eph. cap. 4. vers. 30. ait Apostolus; *ne tristitia afficite Spiritum Sanctum Dei per quem obsignati estis in diem redemptionis*: Unde satis apparet, quomodo doctrina Euangelii, ut aqua spiritualis, fiat in iis, qui eam viva fide perceperint, quasi fons saliens in vitam æternam: quoniam instrumentum est, quod à Spir. S. ortum, ab eodem conservatur in verè fidelibus atque efficax redditur, accidente ipsius gratia: qua carnem, Satanam, mundumque refrænat, ne supra vires tentati fideles, ab Euangelii doctrina deficiant: deinde sanctis cogitationibus inditis, memoriam doctrinæ Euangelii subinde renovat, fidemque in eam confirmat ac fiduciam inspirat, donec ad salutem promissam tandem deducat. Quippe cùm in verè fidelibus ad diem usque redemptionis, pignoris instar divini perduret (ut ante ex Apostolo ostendimus) bonum opus quod in iis cæpit, perficit ad diem Christi. Hoc enim non solum à Deo, pro fidelibus precatur Apostolus Philipp. 1. vers. 6. & 2. Thes. 1. vers. 11. sed etiam Deum præstiturum testatur, quia fidus est, nimirum quòd id promisit, ac certò secundum promissionem fideliter sit executurus 1. Thes. 5. vers. 23. & 24. Atque hæc ad propositam hanc quæstionem, quidnam *aqua viva* Ioan. 4. designet, nonnihil illustrandam diximus: unde perseverantia sanctorum nervoso argumento ab orthodoxis stabilitur. Nam quod objicitur, verba illa: *qui biberit ex hac aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum*, hoc est, nunquam; non absolutè, sed hac conditione dici, nisi qui biberit eam, rursus evomat, idque interdum evenire; illud, inquam, meritò negamus, quia à Christo, verbis proximè sequentibus refellitur. Nec enim ait tantum; *quisquis autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: sed etiam causam reddit, cur sitire non possit, cum ait: *sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, quo perspicuè docet, eam aquam nunquam evomi, quia fit in eo fons (ideoque pro fontis natura res permanens est,) & quidem qui non obstruitur, quia salit in vitam æternam. Quo satis declaratur, Euangelii doctrinam viva fide susceptam nunquam evomi: sed gratiâ Spirit. S. in fideli augeri ac permanere. Quemadmodum etiam disertis Scripturæ locis, omnino consentaneis, antea à nobis demonstratum, inprimis 1. Ioh. 3. vers. 9. ubi expresse dicitur: *qui natus est ex Deo non peccat, quia semen ejus* (hoc est, doctrina Euangelii, sicut definitur 1. Pet. 1. vers. 23.) *in eo manet; imo peccare etiam non potest, quia ex Deo natus est.* Quod autem Bellar. de justificatione lib. 3. cap. 25. excipit: *fons ille siccari & obstrui potest, dum sumus in hoc loco tentationis*; illud verbis sequent. Christi, quibus hic fons describitur, manifestè repugnat: quia vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam, ideoque non obstruitur, & 1. Cor. cap. 10. docetur, Deum non ferre, ut tentemur supra vires; sed cum tentatione eventum felicem dare. Deinde frustra etiam Bellar. sententiam 1. Ioh. cap. 3. de certa renatorum ac viva fide præditorum perseverantia conatur eludere. Observandum autem est primùm, quod vim illius argumenti sentiens fatetur disertè, hunc locum omnium esse difficillimum, ideoque varias aliorum explicationes à se prolatas, minus probans, tandem agnoscit Ioannem loqui de peccatis lethalibus, atque ita difficultatem tollere conatur cum ait: *Igitur sententia Apostoli hæc est: qui natus est ex Deo, non peccat, nec peccare potest lethaliter, dum perseverat filius Dei; quoniam semen illius, id est charitas &c. in ipso manet*: item, *quoniam si maneat, efficit ut homo non peccet nec possit peccare, tamen potest non manere, si quis (ut diximus) eam abjiciat, & cupiditati sponte succumbat.* Verum manifesta apparet inter Bellarmini & Ioannis verba contradictio: quia ex Iohannis clara assertione, duæ quas proponit exceptiones, ad hujus argumenti vim declinandam, falsi arguuntur. Prima enim exceptio est hæc, qui natus est ex Deo non peccat, scilicet lethaliter, dum perseverat filius Dei: quasi non omnes nati ex Deo permanerent filii Dei. Quæ exceptio ex Ioanne hoc modo diluitur, ea quam addit ratione: *quia semen ejus manet in eo.* Unde hæc oritur demonstratio: omnis ille in quo semen regenerationis ipsius manet, manet etiam filius Dei; Atque omnis ille qui natus est ex Deo, est is in quo semen regenerationis ipsius manet. Ergo omnis qui natus est ex Deo, manet filius Dei. Propositio per se clara & à Bellar. confessa, quia de semine illo ait; *si maneat, efficit ut homo non peccet, nec peccare possit*: Ideoque inquam nec filius Dei esse desinit. Assumtio est Apostoli Ioannis. Deinde secunda exceptio magis adhuc perspicuè Apostolo repugnat, quia Iesuita ait: *si maneat semen, efficit ut homo non peccet nec possit peccare: tamen potest non manere, si quis illud abjiciat.* At inquam Iohannes disertè testatur: semen hominis nati ex Deo, in ipso manere: Ergo non peccat nec peccare potest; non rejicit illud semen: manere enim & rejici, hoc est non manere, sunt contradictoria. Præterea qui peccare non potest lethaliter, in illo semen regenerationis manet, quia solum ita peccando excuti potest, ut Bell. agnoscit; sed qui natus est ex Deo, peccare non potest, teste Ioanne. Ergo in nato ex Deo, semen ipsius manet, non autem excutitur: Ideoque falsum est quod excipitur, interdum non manere, sed abjici. Denique si natus ex Deo peccare ad mortem non potest; quia natus est ex Deo: Ergo nullus natus ex Deo, potest desinere esse natus ex Deo. Nativitas enim ex Deo, causa hoc modo statuitur à Ioanne perseverantiæ illius: quia scilicet hæc est voluntas Dei, ut quemadmodum, nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto non possit ingredi in regnum cælorum, Joan. 3. v. 5. sic etiam voluntas est Dei, ut omnis qui ita renatus est, per gratiam ipsius (regenerationis donum adversus carnis, mundi ac Satanæ tentationes conservantem ac foventem.) perseveret vitamque æternam obtineat, ut 1. Pet. 1. 3. 4. 5. dicitur; *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos, in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælis servatam; qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ parata est patefieri tempore ultimo*: Idemque sententia Joannis parallela 1. Ioan. 5. 18. expressius demonstrat, cum ait; *scimus quod quisque natus est ex Deo, conservat seipsum: & malus ille non tangit eum*: scilicet lethaliter, ut peccet ad mortem: unde sequitur cùm nati ex Deo se conservent à peccato ad mortem (Dei scilicet virtute confirmati 1. Pet. 1. 5.) Ergo falsum est quod abjiciant regenerationis semen, ut fingit Bellarminus. Sic etiam idem demonstrat insignis Christi promissio Ioan. 10. de ovibus suis, scilicet renatis ac viva fide præditis vers. 28.

Ego, inquit, *vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* unde sequitur: si Christus dat vitam æternam, Ergo ea perpetuò durat, alias æterna non esset: deinde si non pereunt in æternum, hoc est, nunquam, Ergo non peccant ad mortem, neque filii Dei esse desinunt. denique si manu Christi & Patris omnipotenti continentur, neqùe quisquam inde eas rapiet: Ergo nec regeneratione neque adoptione in filios Dei excidunt. Nam quod excipitur, nemo adversarius rapiet è Christi manu: sed aberrare volentes ac perire, Christumque ultro deserentes, invitas non retinebit: multiplex est in hac exceptione vitium. Nam primum falsa nititur hypothesi duplici: quarum prima est, quod adversarios ovium Christi, duos tantùm statuunt, eosque externos, mundum & Diabolum; tertium vero, qui internus atque infensissimus est, omittunt, nempe carnem, quæ repugnat spiritui Gal. cap. 5. vers. 17. quæ ut internum defectionis principium à Christo nos abducere satagit, & omnium actualium peccatorum origo est. Idcirco si nemo adversariorum fideles è Christi manu eripiet; Ergo nec foris mundus, nec Diabolus: neque intus caro nostra, ideoque oves Christi à defectione, ab illo omnino conservantur. Nam defectio, & à Christo in exitium aberratio, ex nullis aliis causis, quam ex hisce adversariis procedere potest. Altera deinde falsa hypothesis, est de Christi officio & fideli executione illius: sive amore ac cura salutis ovium; quasi Christus hoc officium negligendo, oves perire volentes permitteret; officium enim illius est, ut oves suas à Patre sibi commissas, tanquam pastor bonus non solum tueatur adversus lupos: sed etiam ut ultrò aberrantes quærat, & in rectam viam, ne pereant, pro viribus reducat. Quemadmodum ipsemet demonstrat, primum Luc. cap. 15. vers. 4. & 5. pastorum fidelium more, cum ait; *quis ex vobis, si habeat centum oves & perdiderit unam ex illis, non relinquit illas nonaginta novem in deserto & pergit ad eam quæ periit, usque dum eam inveniat & inventam imponit in humeros suos gaudens.* Deinde Ioan. cap. 6. vers. 39. *hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Quod etiam officium secundum Patris voluntatem, fideli amore ac cura exequitur, quia profitetur verè, se pastorem esse bonum, qui animam suam ponit pro ovibus suis, Ioan. cap. 10. vers. 11.14. & 15. quod etiam prædictum est per Ezech. cap. 34. vers. 16. ubi Dei nomine, per Christum pastorem, oves suas pascente dicitur: *pereuntem requiram, & depulsam reducam* & vers. 23. per quem id facturus sit exponens, ait; *Excitabo iis pastorem unum, qui pascat eas, servum meum Davidem* (sic autem Christum, ex Davidis semine promissum, & per eum adumbratum, metonymicè intelligit) *ipse pascet eas: & ipse iis erit pastor.* Denique cum Christus ante hæc verba: *& nemo rapiet eas è manu mea*, expresŝè, ut ante ostendimus, præmiserit, se ovibus suis dare vitam æternam; deinde neque in æternum perituras, nullo modo è suis manibus ad exitium elapsuras solidè demonstravit, & omnem exceptionem, quæ adferri poterat, exclusit. Ideoque certo hinc constat oves Christi (hoc est, renatos ac viva fide præditos) non ultrò à Christo aberraturas, ut omnino eum deserant aut pereant. Quamvis enim ad tempus, ac certis vitiosis actionibus aberrent (ut Davidis & Petri exempla ostendunt) nunquam tamen è manu, seu potentia Christi conservante exiliunt; sed eas ita freno suæ providentiæ curat ac retinet, ne penitus excidant ac pereant, quia tempestivè suo verbo & Spiritus potentiâ interna externaque excitat, ac perducit ad resipiscentiam salutarem: ut Davidis & Petri conversio, & è sopore peccati excitatio indicat. Unde 1. Cor. cap. 10. vers. 13. dicitur: *fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed præstabit una cum tentatione etiam evasionem, ut possitis sufferre.* Quare ex hisce satis superque apparet, ex sententia Christi, de aqua viva (quæ in æternum, sitim bibentis, hoc est, fide viva eam haurientis, tollit; & in eo fit fons vitæ æternæ) solidum peti argumentum geminum, ad sanctorum perseverantiam demonstrandam, & exceptiones adversariorum ex eo loco, & ex parallelis sive consentaneis modo citatis, ac confirmatis, omnino confutari. Unde utilitas hujus sententię, ad consolationem fidelium perspicuè elucet.

Atque hactenus de quæstione proposita, quidnam scilicet sit *aqua viva*, ad illustris Christi sententiæ declarationem diximus.

SECUNDA QUÆSTIO *ex vers. 10. An ex illis verbis probari possit, quod liberæ voluntatis humanæ vires cum Dei gratia, in prima hominis conversione, cooperentur?*

QUa de re Pontificiorum & inter alios eorum Maldonati, & Orthodoxorum contrariæ sunt sententiæ. Illi enim id affirmant: hi vero meritò negant: quod nulla recta consequentia ex illis Christi verbis demonstrari possit. Verba enim hæc sunt: *si scires donum illud Dei: & quis sit qui dicit tibi, da mihi potum, tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* In quibus de antecedente enuntiationis conditionalis, scilicet *si scires donum Dei, & quis sit qui dicit tibi, da mihi potum*, controversia non est. Nam ut Iesuita ille etiam agnoscit, donum Dei Christum notat: & sequentibus exponitur, cum dicitur: *& quis sit qui dixit tibi, da mihi potum:* Cumque dicitur; *si scires*, sensum esse; si scires me (qui à Deo datus loquor tibi) non solùm Iudæum, sed etiam verum Messiam, regem ac Deum Iudæorum. De consequente vero disceptatur, quia dicitur σὺ ἂν ᾔτησας αὐτόν, quod vulgatus interpres vertit: *tu forsitan petiisses ab eo & dedisset tibi aquam vivã.* Unde sic objicit: *quod dicitur forsitan, Græce est, σὺ ἂν ᾔτησας tu petere ab eo potuisses, &c. significatur autem facultas liberi arbitrii, qua poterat mulier aquam petere, vel non petere, si vellet.* Hæc adversarius. Sed primùm negatur antecedens. Nam licet conjunctio ἂν, interdum sit potentialis particula. Sæpe tamen non est potentiæ, sed actus ipsius indicium, ut 1. Iohan. 2. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis,* μεμενήκεισαν ἂν *permansissent utique nobiscum*, ut rectè vulgata, & Pontificiis approbata atque authentica versio ostendit: & sic noster etiam interpres rectè reddit, quemadmodum sententia ipsa hoc flagitat; quia si quis verteret, potuisset nobiscum manere, sententiam perverteret, quia eam redderet ineptam. Nam initio dicitur, rationis loco adversus scandalum defectionis: *egressi sunt ex nobis: sed non erant ex nobis:* quo indicat si ex nobis fuissent, non egressuros. Ideoque confirmatur expresse, cum dicitur: *nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*; quia non de potentia, sed de actu quæstio; deinde subjicit Apostolus: *sed ut manifesti sint, quod non omnes sunt ex nobis*; Ideoque qui ex nobis sunt, non exire è nobis indicantur, sed perseverare. Deinde alia multa, & in sacris, & in profanis authoribus loca reperiuntur, unde constat, conjunctionem ἂν, sæpius actum notare, ut hoc etiam in loco: non autem potentiam, multo minus liberam potentiam. Sic hoc in loco σὺ ἂν ᾔτησας, *tu petiisses*: Idque etiam sequens phrasis ostendit: & res ipsa evincit, cum additur, ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν *& dedisset tibi aquam vivam*, ut vulgata versio (quam ex decreto Concilii Tridentini probare conguntur Pontificii) interpretatur. Unde evincitur vocem ἂν, non semper potentiam: sed actum etiam significare posse. Ac propterea si falsum est, Christum omni qui potest petere aut non petere aquam vivam, ipsum eandem esse daturum: falsum etiam est, hanc hujus loci esse sententiam, potuisses petere aut non petere ab eo aquam vivam, & dedisset tibi. Atqui prius falsum esse, adversarii etiam agnoscunt: qui solis petentibus aquam dari, non omnibus potentiâ petendi præditis: quam omnibus Euangelium audientibus adesse statuunt: quorum multi tamen non petunt, eoque nec impetrant aquam vivam. Si autem etiam verba illa ἔδωκεν ἄν σοι, quis interpretetur potentialiter, inepta & inutilis omnino erit sententia: neque etiam pro liberi arbitrii

arbitrii viribus, in conversione hominis cum gratia Dei, ut volunt, concurrentibus, quicquam feret adjumenti; sensus enim esset, potuisses liberè petere aut non petere ab eo, & potuisset tibi liberè dare aut non dare aquam vivam. Quamobrem ex hisce apparet, quàm meritò antecedens negemus: quo statuunt conjunctionem *ἂν* hoc loco potentiam notare liberam, hoc est, potuisses petere, non autem actum significari, sidel. petiisses. Deinde consequentia etiam non est firma: quia etiamsi sensus esset, potuisses petere: inde non sequeretur, agi de potentia logica indefinita, ac libera in utramque partem: quia accipi posset ac deberet potius de potentia supernaturali, ac definita ad agendum hoc est, vim habuisses, qua revera petiisses, quia si Samaritana cognovisset certo, sive scivisset quis esset Jesus, nempe Immanuelem seu Deum patefactum in carne, ac Christum promissum, (quę notitia fit solâ Dei per Spiritum S. revelatione Matth. 16. v. 17. & 1. Cor. 12. v. 3.) illa etiam quia electa erat à Deo ad fidem in Christum, ut eventus demonstrat, ejusdem Sprit. Sanct. operatione excitata, vim petendi accepisset, ac reverâ petiisset. Denique etiamsi potuisset viribus liberi arbitrii naturalibus petere vel non petere aquam vivam, inde tamen nondum sequeretur, conversionem ad fidem vivam esse, partim ex Dei gratia, partim ex libera voluntatis potentia; quia ut antea multis demonstravimus, aqua viva non significat hoc loco spiritus regenerantis gratiam, neque ipsam fidem actualem, sed doctrinam Euangelii, Dei gratiâ per Spiritum Sanctum revelatam, quae conversionem antecedit: & ad quam dandam (hoc est praedicatione ad credendum offerendam) quibusvis Christus erat missus, non solum petentibus, sed etiam non petentibus Johann. 3. vers. 19. & 5. vers. 40. Rom. 10. vers. 20. Ergo multis modis vitiosum est Pontificiorum, ac similium gratiae salutaris adversariorum, ex hoc loco, adversus conversionem ad fidem merè gratuitam, argumentum. Restat jam, ad reliquam hujus capitis illustrationem,

Analysis succincta narrationis, sanatae miraculo Christi, febris lethalis, Iohan. 4. vers. 46. ad finem usque.

QUemadmodum Euangelistae, in vitae Christi narratione, duo haec capita complectuntur nim. quae Christus caepit facere, & docere Act. 1. v. 1. sic etiam hoc cap. 4. Ioannes in expositione reditus Christi in Galilaeam, haec duo etiam complectitur; primum doctrinam illius salutarem, qua rediens in ipso itinere convertit ad fidem Samaritanam, & Samaritanos urbis Sichar: deinde factum illius, nempe sanationis lethalis febris miraculum. Id quod à v. 46. ad finem usque capitis recensetur; cujus recensionis partes sunt tres; antecedentia miraculi: deinde miraculum ipsum: denique consequentia illius. Antecedentia autem miraculi, sunt duo; occasio illius, & causa illud impetrans. Occasio, est adventus duplex: primus quidem Christi, in Canam rursus. Quod oppidum, quia nomen habet commune duabus urbibus, uni; quae vicina Sidoni Jos. 19. & alteri, quae Nazarethae propinqua, idcirco ad intelligentiam rei distinguitur, partim subjecta regione in qua sita erat, partim adjuncto Christi miraculo, ibidem antea edito. Subjecta regio, est Galilaea, dicta hoc loco κατ' ἐξοχὴν *inferior* scilicet, in qua Cana haec erat sita, & vicina ei Nazaretha, & itinere diei circiter distans Capernaum; in eaque etiam erant Bethsaida & Chorazim; non autem superior Galilaea quae Tyro & Sidoni vicina, unde altera Cana Sidoniorum vulgò dicta. Adjunctum verò Christi miraculum ibidem editum indicatur cum dicitur: *ubi fecerat ex aqua vinum*, quo causa aliqua adventus Christi indicari videtur, nimirum quod cum Christus antea in illa urbe benignè fuisset in nuptiis exceptus: eamque miraculo liberali donasset, credentes in ipsum in fide confirmare & altero miraculo etiam cohonestare voluerit, ut etiam ex versu ultimo colligitur. Alter verò adventus est aulici ad Christum: qui describitur à loco unde venerit, nempe Capernaumo; & ratione quare venerit duplici, vers. 46. prima est filii aegritudo: quae fuit febris, vers. 52. & quidem lethalis, v. 47. & 49. secunda fuit auditio adventus Christi medici divini in Galilęam, nempe Canam, ut v. 47. dicitur. *Is cum audivisset Iesum advenisse ex Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum.* Atque hęc de primo antecedente miraculi, nempe occasione illius. Alterum vero antecedens, est causa, quae miraculum impetravit, nimirum petitio aulici, patris aegroti, duplex. Ac prima quidem describitur à suo modo, & eventu illius. Modus petitionis designatur his verbis: *& eum rogavit, ut descenderet ac sanaret ipsius filium.* Hujus autem petitionis duo sunt membra: primum est, ut descendat Jesus è Cana Capernaumum, ad filium ipsius sanandum: alterum est finis descensus, nempe ut deinde sanaret: cujus ratio ab Euangelista subjicitur; *quod esset moribundus*, seu morti vicinus: adeo ut nisi divina ope succurreretur, brevi esset moriturus; hoc enim indicatur per verba illa, ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν, ut in simili re Luc. 7. vers. 2. ἤμελλε τελευτᾷν *moriturus erat*, morti vicinus; sic in historia Jairi Mat. 9. vers. 18. *filia mea* ἄρτι ἐτελεύτησεν (hoc est, *modo vitam finiit*) scilicet metaphoricè (ut etiam Luc 8. vers. 42. ἀπέθνησκεν) quod perinde est, quasi mortua est, seu lethaliter aegra, & ut explicatur Marc. 5. v. 23. ἐσχάτως ἔχει *in extremum adducta est.* Nam Jairo de morte filiae tum nondum constitisse, ex Marc. 5. v. 35. & 36. apparet. Caeterum in hac aulici, pro filio moribundo petitione, partim fidem, partim infirmitatem illius fidei patefecit. Fidem quidem, quod Iesu tribueret, & potentiam sanandi, & voluntatem, quâ rogatus sanaret: Haec enim duo petitionis illius fuerunt fundamenta, quibus ea innitebatur: alioqui de alterutro diffidens minimè rogasset. Origo autem eorum fuit celebris miraculorum à Christo potenter & benignè, nemine repulso, factorum fama: cum ante festum in tota Galilaea Mat. 4. vers. 23. & 24. tum recenter in festo Hierosolymis peracto. Ioan. 2. v. 23. & 4. 45. Haec de fide aulici. Infirmitas verò fidei est, quod Iesum non crederet absentem sanare posse: sed tantùm praesentem, ut modi praescriptione indicat, dum petit, ut ad filium descendat. Ac propterea non ut Deum omnipotentem agnoscebat; sed tantùm ut merum hominem ac Prophetam, miracula coram edendi potentiâ praeditum. Qualis etiam infirmitas extititIairi Marc. 5. 23. Contra vero firma fides fuit Centurionis, qui Christo sanationis omnipotentiam attribuit Matth. 8. vers. 8. 9. Haec de petitionis modo. Eventus vero, est Christi ad aulicum reprehensio: qua incredulitatem hanc, cum aliis non paucis communem, ipsi exprobrat, quae v. 48. haec est: *Nisi signa & miracula videritis* (sc. tu & tui similes Galilei) *non credetis*, nempe doctrinae meae, me esse filium Dei in carne patefactum, officio Christum, beneficio Iesum, Ecclesiae à peccatis servatorem, quemadmodum Christi doctrina praedicabat: quam tamen vulgò, in miracula potissimum intenti, negligebant: miraculis vero impetratis excitati electi, doctrinae attendebant, eamq; Deo per Spiritum regenerantem operante, viva fide amplectebantur: ut etiam in hoc aulicò paulò post factum esse, in consequente miraculi declarabitur. Haec de prima petitione, ratione & modi & eventus illius. Cui altera, eodem cum priori spectans adjungitur, ut v. 49. dicitur: *dixit ei Regius ille, Domine descende, priusquam moriatur filius meus:* quo ut antea, partim fidem, partim infirmitatem fidei, seu adjunctam incredulitatem divinae Christi potentiae ac naturae plenius rursum patefacit. Fidem; quod crederet Christum sanare posse: ac licet incredulitatem ipsi exprobrasset, nihilominus tamen benignitate suâ sanaturum. Infirmitatem verò fidei ostendit duplicem: prima est quod praesentiam Christi ad sanationem necessariam adhuc existimaret: idque declarat, cum urget ipsum, ut sine mora ad filium sanandum descendat: altera verò est, quod Christum posse mortuum filium suscitare non crederet: ideoque ait: *descende antequam moriatur filius meus*, quasi eo mortuo vitam ei restituere nequiret. Qualis omninò fuit incredulitas domesticorum Iairi Marc. 5. v. 35. cum dixerunt ei: *filia tua mortua est, quid amplius vexas magistrum?* Similis etiam quodammodo fuit, in vera ac viva fide praedita Martha, brevis incredulitas actualis, cum acerbo Lazari fratris mortui dolore, quasi nebula quadam, mens illius esset offuscata; tum enim dixit Christo Joan. 11. v. 21. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:* sed colli-

colligens se ac corrigens nonnihil, ait vers. 22. *sed & nunc scio fore, ut quæcunque petieris à Deo, det tibi:* neque tamen post Christi promissionem suscitandi fratris, cum ille lapidem sepulchri tolli juberet, tum quidem suscitationem fratris credebat futuram vers. 39. ideoque à Christo ob promissæ suscitationis oblivionem reprehenditur ac corrigitur vers. 40. Hic vero regius sive aulicus de quo agitur, habitu fidei in Christum omnipotentem Dei Filium omnino destitutus, nullo modo credidit Christum posse absentem sanare & mortuum suscitare. Atque hęc de antecedentibus miraculi hujus,cum occasione illius,tum causa impetrante, scilicet petitione aulici: quod antecedens, prima est hujus historiæ pars. Altera verò est miraculi, per Christi responsionem significatio vers.50.*dixit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit*, quæ responsio mandato constat, cum ait: *Vade* seu proficiscere, nempe Capernaumum ad filium: & ratione, qua clementer condonata priori incredulitate, sanationis miraculum petitum, jam à se impetratum atque effectum asserit, cum ait: *Filius tuus vivit*, hoc est, τὸ ἐξοχὴν, benè vivit seu rectè valet: pristinæ valetudini à me, licet absente, supra opinionem tuam restitutus est. Tertia vero ac postrema hujus historiæ pars, sunt consequentia miraculi: primum fructus, ex Christi sermone, miraculum indicante ortus: deinde scientia miraculi facti. Ac fructus quidem est duplex: nempe aulici fides, & obedientia. Fides quidem, qua primo errore (de necessaria Christi ad sanationem filii præsentia) correcto, affirmationi Christi, de vivente, hoc est, rectè valente filio, credidit, ut dicitur: *credidit ille homo sermoni quem dixerat ei Jesus.* Obedientia verò est, qua fide miraculi excitatus, mandato Christi (ut proficisceretur domum ad filium) paruit: ut hic dicitur; *& profectus est.* Atque hoc primum miraculi est consequens. Alterum vero est scientia miraculi, hoc est, sanationis filii, & quidem à Christo factæ, cognitio. Cujus scientiæ describitur origo, seu causa unde ea sit orta: deinde effectum ex illa scientia promanans. Causa vero cognitionis illius duplex memoratur: prima quidem, per quam sanationem filii; altera vero per quam eandem à Christo factam cognovit. Prior fuit officiosa, servorum occurrentium Domino suo, de sanato filio annuntiatio: quæ ut ex fidelitate & amore Domini suo processit: sic ad consolationem illius tendebat, vers. 51. altera vero causa fuit prudens servorum examen, de hora sanationis, ab aulico institutum, constans quæstione ipsius, & responsione servorum, horam hesternam septimam (scilicet ab ortu solis) indicantium vers. 52. unde agnovit filium, eadem hora à febri lethali liberatum, qua Christus hoc ei dixerat: ideoque factum illud, non vi naturæ aut artis alicujus: sed Christi potentia. Hæc de causa cognitionis miraculi sanationis filii aulici à febre lethali. Effectum illius est fides aulici ac familiæ vers. 53. quæ fides non fuit miraculi præstiti (nam jam antea illud crediderat, vers. 50.) sed doctrinæ Christi, de ipsius persona, officio ac beneficiis. Nam cum Christus, & in tota Galilæa, & Capernaum, Euangelium antea prædicasset: cujus summa erat, Jesum esse filium Dei, patefactum in carne, promissum Christum ac servatorem fidelium; Miraculum hoc Christi, ad eam doctrinam celebrem, sed neglectam, in memoriam revocandam inserviit: cui accessit interna Spiritus Sancti animam regenerantis gratia: qua fidei habitum indendo, ad Euangelii fidem actualem habilem reddidit atque excitavit; sine qua gratia, & miracula, & renovata auditi Euangelii memoria nihil omnino ad fidem profuissent, 1. Cor. 3. vers. 5. 6. 7. Atque hactenus historia miraculi sanationis filii aulici à lethali febri, Christi omnipotentia ac bonitate clementi, perfectæ. Quod miraculum ab ordine suo versu ultimo describitur: quod nimirum fuerit secundum signum, à Christo, cum venisset è Judæa in Galilæam, editum; nimirum non absolutè, sed relatè in oppido scilicet Cana Galææ, ut vers. 46. Primum enim, mutationis aquæ in vinum, primo adventu accidit, Joan. 2. alterum vero sanationis hujus miraculum secundo adventu cap. 4. 3. factum est. Nam antea in Galilæa plurima fuisse edita miracula, ex Marth. cap. 4. apparet. Atque hæc est hujus historiæ à vers. 46. ad finem analysis.

Prima Quæstio, De illis verbis: Ex Cap. 5.
Est autem Hierosolymis ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ.

HActenus Christi, è Judęa in Galilęam digressi doctrina & miraculum cap. 4. explicata: sequitur porrò, hoc quinto capite, descriptio reditus, religionis caussa, Hierosolymam, & res ibidem gestæ. Ac prius quidem vers. 1. proponitur, & adjuncta temporis circumstantia illustratur (ut causa reditus cognoscatur, & res gesta sit illustrior) nempe festo Judæorum. Veruntamen cum tria solemnia fuerint divinitus instituta festa, quæ quotannis ab omnibus Iudæis masculis erant celebranda Hierosolymis; festum Azymorum seu Paschatis, festum hebdomadum seu Pentecostes, & festum denique tabernaculorum, Deut. 16. vers. 16. quidam de priori, τὸ ἐξοχὴν dicto, plerique verò cum Chrysostomo, Cyrillo, Theophyl. de secundo: reliqui verò de tertio festo, tabernaculorum scilicet, agi censent: ut Mercator in harmonia sua Euangelica multis disputat. Res autem Hierosolymis gestæ, sunt duæ: miraculum sanationis ægri, qui annos 38. morbo, lecto erat affixus: & consequens eventus. In descriptione miraculi, & quidem antecedentibus illius examine non indigna est brevi circumstantia loci, qui ab Euangelista describitur. Locus autem communis sunt Hierosolyma: proprius vero partim propinquus, partim proximus, propinquus indicatur illis verbis: *Est Hierosolymis* ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. De quarum vocum interpretatione diversa sunt judicia. Quidam enim sic exponunt: erat *ad pecuariam, piscina:* & quidem ut vox προβατικῇ dicatur per ellipsin, quam quidam putant suppleri additione vocis ἀγορᾷ, hoc est, *ad forum pecuarium*; quemadmodum & olim Clarissimus Beza; & Henricus Stephanus ad N. Testamenti, Sidneo inscripti, marginem, exponit. Verùm quia de hoc foro, neque ex Sacris literis, neque aliunde constat; idcirco Dominus Beza postea aliam vocem aptius intellexit cum nonnullis nostrorum, nempe πύλῃ, hoc est, ad portam pecuariam, de qua Nehem. 3. vers. 1. ut etiam LXX. Græci interpretes ibidem (ut rectè monet) hac voce sunt usi, siquidem Nehem. 3. vers. 1. שער הצאן interpretantur τὴν πύλην τὴν προβατικὴν, *portam pecuariam*, ut etiam vers. 32. & 12. 39. Altera aliorum expositio, sine ulla ellipsi utramque vocem in nominativo casu (ut adjectivum cum suo substantivo constructum) accipiens, aliam habet lectionem, nempe ἐστὶ δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. Quomodo legerunt Chrysostomus & ejus imitator Theophylactus, & ut videtur, etiam Hieronymus de locis Hebraicis (tom. 3.) à litera B. incipientibus, sub finem: *Bethesda* (inquit) *piscina in Jerusalem, quæ vocabatur προβατικὴ, & à nobis interpretari potest pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit, ostenduntur que gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis impleri solet, alter mirum in modum rubens quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in ea lavari à sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit.* Hæc Hieronymus. Veruntamen etsi in hac lectione, si rem spectemus, nihil insit difficultatis, omnium tamen Græcorum codicum Roberti Steph. sedecim, & aliorum etiam, lectio (quæ habet voces, ἐπὶ τῇ προβατικῇ) adversatur. Tertia expositio est eorum qui receptam hanc lectionem sequuntur, de qua initio egimus, eo excepto, quod vocem κολυμβήθρα in dativo per ᾳ, cum jota subscripto legunt. Verum huic obstat, primum constans lectio manu scriptorum codicum, quorum memini, in quibus illud jota abest: deinde res ipsa etiam adversatur, quia hoc modo redderetur oratio Euangelistæ imperfecta. Nam neque verbum *est*, initio positum, neque λεγομένη habebit nomen substantivum ad quod referatur. Verùm quia illam sententiam tueri contendit Matth. Flaccius Illyricus, illius interpretatio (qua substantivi defectum, à nobis objectum supplere conatur) expendenda est. *Opinor*, inquit, *hanc sequentem esse verissimam lectionem. Erat autem Hierosolymis ad probaticam piscinam ea* (scilicet *domus aut ædificium*) *quæ Hebraicè vocatur Bethesda, habens quinque*

quinque porticus &c. ut utraque illa prior vox sit dativi casus in Græco, dependens à præpositione ἐπὶ. Verùm hac ratione imperfecta futura oratio, novo & insolenti supplemento curatur: quasi ἔςι δὲ &c. ἡ λεγομένη, perinde esset atque ἔςι δὲ &c. οἰκία aut οἰκοδομὴ, ἡ λεγομένη. Ac quamvis hujusmodi ellipsis non esset insolens, sed exemplo aliquo probari posset, ea tamen sine ratione necessaria non esset admittenda. Ea autem hic desideratur: Nam quæ ab Illyrico proferuntur rationes, sunt infirmæ; quarum ut ait *prima est*, quia *veteres* (Chrysost. & Theoph.) *conjunxerunt probaticam & piscinam tanquam adjectivum & substantivum*. Verum est; sed illud nihil ad rem. Negatur enim consequentia: quia voces hasce in nominativo posuerunt, non autem in dativo: neque verba sequentia ἡ λεγομένη ad vocem οἰκίαν (quasi ea supplenda foret) retulerunt, sed ad expressum nomen, scilicet piscinam: Neque etiam legerunt præpositionem ἐπὶ, neque dativum τῇ. Altera etiam ratio non stringit, cum ait, *quia non piscina, sed adjunctum ædificium habuit quinque porticus, in quibus jacerent languentes*: At inquam assumitur hic perperam, quod erat probandum: nempe Bethesdam fuisse nomen ædificii, sive ut postea loquitur, *hospitalis*, habentis quinque porticus: cum contra, ut ostendimus, veterum Patrum & communi ferè interpretum sententia, Bethesda nomen piscinæ fuerit. idque etiam communis codicum Græcorum lectio, quam antea citavimus, comprobat. Neque obstat quod quærit Illyricus; *quomodo enim in piscina jacerent? aut quis esset porticuum usus in piscina?* Respondemus, ex eo, quod dicitur, piscinam habuisse quinque porticus, inde non sequitur, eas fuisse in piscina: sed quod habuit eas in suo ambitu adjunctas, & ad usum sanationis in piscina pertinentes; ut ex v. 4. & 7. apparet. Qua phrasi, mare sua littora, & flumina suas ripas habere dicuntur, non quod insint, sed quod adsint. Tertia ratio est, quid inquit, *illud adjectivum* προβατικὴ *pecuaria faceret, aut significaret sine omni substantivo? Nam quod alii domum, alii forum subintelligunt, quid attinet tertiam aliquam rem extra negotium hic describere: sola piscina satis notare poterat locum ubi illi ægroti jacuerint.* Resp. substantivum concinnè intelligi ac suppleri à doctioribus voce πύλη; ad pecuariam portam: & causa distinctionis rectè adhiberi, ut hæc piscina à reliquis distingueretur, quæ Hierosolymis fuerunt: qualis inter alias piscina Siloe Ioan 9. 7. Quam licet Dominus Beza eandem cum hac fuisse conjiciat, obstare tamen videtur nominis utrimque diversitas, & Nehem. 3. 15. cum v. 1. collatio, unde remotiorem fuisse piscinam Siloe à *porta pecuaria*, vicinam vero *portæ fontis* colligitur. Quarta ratio simili infirmitate laborat, cum ait: *certum est duas distinctas res describi: piscinam scilicet & adjunctum hospitale seu domum pauperum.* Fatemur piscinam & porticus distinctas fuisse: inde tamen non sequitur, vocem οἰκίας esse intelligendam per ellipsin: id quod probandum erat. Deinde quod de hospitali & domo pauperum ait, conjectura est, omni probatione destituta; Euangelista enim porticus piscinæ adstructas nominat: nullam vero domum pauperum indicat. Quinta ratio est, *illud*, inquit, *indicium est verioris lectionis, quod ante* κολυμβήθρα *non adest articulus discretivus distinguens hanc piscinam ab aliis.* Respondemus vero articulum discretivum non esse ubique necessarium, ut (inter alia exempla) Matth. 26. 36. venit Jesus εἰς χωρίον λεγόμενον γεθσημανῆ, pro quo potuisset dicere; τὸ χωρίον τὸ λεγόμενον. sic hoc in loco potuisset etiam dicere Euangelista ἡ κολυμβήθρα ἡ λεγομένη, sed non necesse fuit, distinguitur enim satis à situ, *ad pecuariam*, scilicet portam; & ab adjuncto proprio nomine Hebraico, Bethesda. Postremam rationem hanc objicit Illyricus: *plerique interpretes etiam inviti, & contra suam lectionem eo devolvuntur, quod piscina sit vocata probatica seu ovilla, idque ideo quia Levitæ ibi oves offerendas natare fecerint & laverint, non domum aut forum, ubi oves sunt venditæ aut servatæ.* Verùm primùm id, quod de interpretibus ait nonnullis (Nam de plerisque fidem non facit) eo suam lectionem non probat; Nam sunt nonnulli, qui ob duplicem, lectionem; etsi primam (ob Græcorum condicum consensum) præferant, alteram tamen cum Chrysost. & Theophylacto, ut probabilem non rejiciunt: ut Henricus Stephanus, cujus supra memini, ad hujus loci marginem notat interpretationem duplicem his verbis: *ad (forum) pecuarium est piscina: vel sequendo lectionem alteram, pecuaria est piscina.* Deinde negatur etiam consequentia: Nam multorum etiam consensus, certo veritatem non constituit. Hæc de prima difficultate.

Secunda quæstio. De genuina lectione & significatione nominis Bethesda.

QUoniam jam ante demonstratum satis arbitramur, piscinam, de qua Ioan. 5. agitur, dictam fuisse Hebraicè Bethesda: deque vocis illius lectione & significatione genuina discrepant magnorum interpretum sententiæ; idcirco breviter, ad illustrationem veritatis, & in similibus prudentem cautionem, eas expendemus.

Ac primum quidem de lectione vocis dissensio est, quæ lectio triplex profertur. Prima βηθεσδά: secunda βεθσαΐδα: tertia: βηθσαϊδά: Nam quod quartam addit Wolf. Musc. ביתעדר, Erasmi commentum est: non autem ullius codicis lectio. Quarum prima confirmatur communi manuscriptorum Rob. Step. codicum scriptione: deinde Chrysostomi & exemplarium variorum N. T. Græci, Basileæ, Tiguri, & Parisiis editorum, aliorumque, & Syri etiam interpretis consensu, ideoque genuina ista lectio non immerito statuitur; secunda vero & tertia, corruptæ; quia neutra manuscriptis exemplaribus comprobatur, neque excusis, quæ fidem mereantur. Secundam enim tantum in Theophylacto Romano (qui pressè tamen Chrysostomum sequi solet) invenimus; idque haud dubiè descriptoris aut typographi vulgatam editionem sequentis, vitio: quemadmodum in Hieronymo de locis Hebraicis (ut rectè in Annotat: Erasmus monstravit) factum est. Ac verisimile est, nominis urbis *Betsaidæ* affinitate hoc vitium irrepsisse Unde etiam tertia lectio promanavit βηθσαϊδα, quam in sola editione Græca Novi Testam. Haganoæ anno 1521. ad Aldinum (ut quidem indicatur) exemplar excusa, hactenus observavimus: licet eam Isidorus Clarius in bibliorum cum suis scholiis editione vulgata, sit secutus: & pro vulgata scriptura Betsaida,. substituit Bethseda. Et è nostris D. Mart. Bucerus in commentariis ad hunc locum ponit, cum ait: *Græce scriptum* βηθσαϊδα, sed sine ulla antiquorum codicum Græcorum & Latinorum authoritate, ideoque Calvinus hanc lectionem ratione carere rectè monet. Quare prima quæ passim extat lectio, genuina est. Ad significationem verò quod attinet, in eo quidem consensus est, Bethesda nomen esse compositum ex duabus vocibus, ac priorem esse בית (quæ propriè *domum*, deinde per synecdoch. usitatam *locum* notet, ut etiam Luc. 19. v. 29. pro Græca voce ἐλαιῶν olearum, Syra versio habet בית זיתא *locus olearum* sive *olivetum*.) De altera verò voce cum בית composita, dissensio est. Quidam enim (ut inter eos D. Calvinus) putant vocem esse Chaldæam אשדה, ex Hebræo אשד deductam: quæ *defluxum* seu *effusionem* notet, *quod*, ut ait, *aqua per canales ducta sit: unde sacerdotes haurirent: nisi forte nomen impositum loco fuerit, quod per siphones aqua funderetur.* Altera verò sententia est Bethesda compositum ex בית & חסדה lingua Syriaca: quæ, quod Hebræis potissimum esset post Babylonicam captivitatem usitata, Hebraica etiam appellatur. Quæ lectio & expositio maximè idonea: quia eandem Syrus interpres expressit, & rei optimè convenit, בית חסדה enim significat *locum benignitatis* vel *misericordiæ*, quod Deus in ea piscina, per miraculosam sanationem, suam exerceret misericordiam. Alienum verò omnino est: quod hanc vocem, primum Lyranus (qui perperam etiam Bethsaida legit) exponit, *domum ovium*: deinde etiam Erasmus (quod magis mirandum) in paraphrasi sua; in qua, ad hunc locum sic ait: *Græce dicitur probatica, nimirum à pecudibus: quod illic sacerdotes hostias immolantes abluere soleant; & ab eodem argumento Hebraice dicitur Bethesda, quasi dicas domum pecuariam.* Error autem utriusque inde ortus est quod Hieronymi verba, supra à nobis memorata, malè intellexerunt, ut etiam ex Erasmi annota-

annotationibus in Novo Test. apparet, ibi enim recitatis illis Hieronymi verbis, quorum postrema sunt hæc; *nam hostias in ea lavari à sacerdotibus solitas ferunt, unde etiam nomen acceperit*: quæ verba ad hostias ovium mactatas referuntur & rationem indicant, cur piscina hæc probatica, id est, ovina vel pecuaria fuerit dicta. Nam quod Erasmus loco Annotat: citato ait; *id non solum pertinet ad vocem Græcam* προβατον *quæ pecudem aut ovem significat, verum etiam ad Hebraicam* בית עדר *domum gregis*: illud inquam ab Hieronymi verbis alienum est; qui nominis Bethesda in verbis postremis, de quibus agitur, non meminit: nec etiam ita meminisse potuit, quia Bethesda nullo colore dici potest significare *domum gregis*, neque etiam nisi valdè ineptè pro Bethesda nomen בית עדר (quod neque Johannes habet, neque Hieron. neque ullus quod sciam alius author) substitui potest. Ideoque ut eam sententiam tanquam duriorem M. Bucerus meritò refutat; sic minus rectè, Erasmum secutus, eam Hieronymo adscribit. Quemadmodum & hunc secutus Dominus Calvinus ad hunc locum: *quod autem*, inquit, *ad nominis rationem attinet, merito à doctis rejicitur Hieronymi commentum, qui Bethheder facit ex Bethesda & gregis domum interpretatur*. commentum esse fateor, sed Erasmi, ut ante ostendimus, non autem Hieronymi: apud quem nec Hebræa vox illa Bethheder, neque interpretatio illa invenitur. Atque hæc de lectione & significatione vocis Bethesda. Reliquum est, ut de consueto sanationis in piscina miraculo, paucula subnectamus.

Prima quæstio. De adjuncto tempore.

QUæritur enim primum, quando hujusmodi sanationis miraculum originem cæpit: Deinde quo anni tempore contigerit; denique quando desierit. De primo verisimilis est Tertull. sententia lib. de anima cap. 50. cum ait: *fuit etiam Judææ lacus medicus ante Christum*. Sed quando primùm cæperit, non indicat; desiisse autem brevi post Christum ob incredulitatis Judæorum pertinaciam à Deo vindicatam, tradit lib. adversus Judæos cap. 3. *Piscina*, inquit, *Bethsaida* (sic enim vitio descriptorum, & hic & alibi legitur) *usque ad adventum Christi curando invaletudines ab Israël, desiit à beneficiis, deinde ex perseverantia furoris sui, ne nomen Domini per ipsos blasphemaretur*. Quo autem anni tempore, ac quoties hoc miraculum acciderit, incertum est: quia nulla profana historia hujus miraculi meminit (fortè, ut à nonnullis conjicitur, quod non diu durarit: ideoque ignotum fuerit exteris) sed solus Euangelista Ioannes recenset; qui etiam hoc tantum indicat, illud factum esse, postquam ab Angelo turbata esset aqua, κατὰ καιρὸν, quod vulgata versio nimis generatim transtulit, *secundùm tempus*, ut etiam apud Ambrosium legitur; sed aptius esset, *opportunè* vel *opportuno ac stato tempore*; ideoque Dominus Beza vertit *certo momento*. Verùm an illud sæpius; an verò semel tantùm quotannis contigerit, & an in festo, aut aliâs; nihil est certi. Probabilis autem est sententia Tertulliani lib. de baptis. cap. 5. cum ait: *unum semel anno liberatum*: & Ambrosii lib. de his qui initiantur mysteriis cap. 4. ubi de hac piscina ait; *in qua unus annuus sanabatur*. Hæc strictim de tempore.

Secunda quæstio. De causa miraculi Sanationis hujus efficiente.

AD Efficientem quod attinet, certum est Deum fuisse miraculi authorem: sed de modo efficiendi, an mediatus, an verò immediatus fuerit, hoc est, an per instrumenta cooperantia, an verò sola suæ potentiæ operatione, aquæ perturbationem consecutâ effecerit, disquiritur. De primo modo Tertull. libro de baptism. cap. 5. exponens ait: *Proficiente itaque in hominibus gratia Dei plus aquis & Angelo accessit, quia vitia corporis remediabant*. Ex quibus verbis, ut etiam antecedentibus aliis apparet, eum statuere causam instrumentalem sub Deo, causa principali, cooperantem fuisse duplicem: primam quidem remotam, Angelum scilicet qui vim sanandi aquis piscinæ indidit sua perturbatione: Deinde instrumentalem proximam fuisse vim aquæ ab Angelo inditam. Quam sententiam nonnulli alii sequuntur. Verùm Euangelista neutrum hoc loco affirmat. Siquidem testatur solùm post Angeli descensum & aquam ab eo turbatam, deinde primum in aquam ingressum ægrum, fuisse sanatum: Quo beneficium Dei consequens notatur, non autem causæ instrumentalis effectum. Quemadmodum accidit simile Jordani aquis, cum Naaman Syrus septena lotione, jussu Elisæi peractâ, à leprâ suâ est sanatus, 2. Regum. cap. 5. vers. 14. Non quod in illis Iordani aquis, aliqua vis fuerit ab Elisæo indita: neque etiam quod naturalis aut supernaturalis vis in iis aquis, potius, quàm in aliis fluminibus inhæreret: sed adjuncta tantùm fuit conditio mandata, ad cujus observationem, divina potentia sola accedens, lepram in aqua sanavit. Sicut etiam cœci oculos Christus luto oblevit, & ille in piscina Siloë sese jussus abluit ac visum recepit; non per inditam aliquam vim aquę, sed divina Christi potentiâ: à qua potentia sola, à cœcitate universis naturæ viribus incurabili, liberatus est, Iohan. cap. 9. v. 6. & 7. Ac sanè, cum hæc sanatio in aquis piscinæ Bethesda momento contigerit, non fuit naturalis: sed prorsus supernaturalis; ac propterea nec ab aqua naturali, neque etiam ab Angelo, sed à Deo naturæ authore solo promanavit. Deinde si Apostoli miracula sanationum, non sua vi ediderunt, Actor. cap. 3. v. 12. sed fide in Christum ea tantùm impetrarunt: Christus verò invocatus ea præstitit, vers. 16. sequitur, multo minus eam vim aquæ inditam attribui posse. Denique licet Deus vim sanandi diversas ægritudines (quæ vires naturæ non superabant) aquis piscinæ indere potuerit, non tamen ad quascunque, de quibus vers. 4. agitur, curandas: quia earum nonnullæ vires naturæ omninò superabant, & à sola Dei omnipotentia (quæ incommunicabilis est,) curari potuerint. Qualis fuit cœcitas, seu totius naturalis videndi potentiæ privatio; quæ ut in aquis Siloë, Johan. cap. 9. sic etiam in aquis Bethesda, Johan. cap. 5. vers. 3. & 4. sed non ab aquis, neque ab Angelo curata, aut curari potuit; sed à sola omnipotentiæ Dei creatoris operatione: motum aquæ & primum ægri ingressum secuta: adeò ut ea sanatio fuerit operationis Angeli & descensus ægri, non effectum, sed tantum consequens adjunctum. Quemadmodum cùm cadaver sepulchro Elisæi injectum, contactis ejus ossibus revixit ac resurrexit, 2. Reg. 13. v. 21. illud non est factum vi aliqua ossibus illis inditâ: sed sola Dei omnipotentia accedente atque efficiente. Siquidem citra controversiam suscitatio mortuorum, est Dei operatio propria atque incommunicabilis. Quare ex hisce omnibus merito concludimus, aquis piscinæ Bethesda nullam neque ab Angelo, neque etiam à Deo inditam fuisse vim aut indi potuisse, quæ cœcis visum restituere & primos quoscunque ægros ingressos sanare valeret: sed eam gloriam soli omnipotenti Dei operationi attribuendam. Atque hæc de secunda hac quæstione, de miraculorum in aquis piscinæ Bethesda editorum, causa efficiente; sequitur jam

Tertia Quæstio. De causa ejusdem finali.

UT autem finis commodius intelligatur, spectanda est 1. Miraculi occasio. Ea autem fuit miserrimus populi Judaici status, quo post variam, sub exteris Regibus servitutem, tandem Romanorum dominio subjecti sunt: unde periculum erat ne animi eorum calamitatum nebulis obscurati, de promisso Messiæ adventu diffiderent, & à Deo se omninò desertos existimarent. Quare cùm opus haberent in his malis Dei consolatione, ut eâ confirmati redemptionem spiritualem per Messiam patienter expectarent, in eum finem Deus duplex extraordinarium remedium & beneficium Iudæis contulit. Quorum primum fuit prophetiæ jam longo temporis intervallo desideratæ restitutio: quo & de brevi venturo Messia minimè dubitarent, & postea de jam noto certiores redderentur: ut exemplum prophetæ Symeonis justi, & Annæ prophetidis, Luc. cap. 2. multis declarat. Alterum extraordinarium Dei beneficium, ad consolationem populi Judaici miseri pertinens, fuit miraculum sanationis ægrorum quorumvis in aqua piscinæ Bethesda, Iohan. cap. 5. quo Deus reipsa peculiarem suam erga Iudæorum populum misericordiam demonstravit; ut eorum

in Deum

in Deum fidem & spem confirmaret, & adversus præsentis miseriæ acerbitatem consolaretur. Cœterum hoc jam disquiritur, an prȩter hunc finem, qui ex reipsa satis apertus, alius etiam fuerit absconditus; nimirum an hȩc miraculosa in aquis piscinæ ægrorum quorumvis sanatio, fuerit, ex Dei voluntate atque ordinatione, typus quidam propheticus, spiritualem à peccatis sanationem ac liberationem adumbrans. Ac primum quidem antiqui Patres nonnulli & Pontificii, ut certum statuunt: alii verò quasi probabile tantum existimant: quia hic finis typicus nullibi ab Euangelista exprimitur: neque ullo indicio certo innuitur. Probabile quidem videri posset, primùm ex simili, Ioh. 9. v. 7. ubi cum cȩci sanatio describitur facta in aqua piscinæ Siloë, Euangelista subjicit vocis Hebræȩ interpretationem, cum ait: *quod exponitur missus*, seu *legatus* (שילוח enim pro quo corruptè *Siloam* scribitur; ut videtur ex usu, hoc ipsum notat,) quo videtur indicare, latere in ea voce ac re aliquod mysterium: quod fuerit typus Christi à Deo Patre primùm mittendi, deinde missi ad animæ cȩcitatem Spiritualem tollendam; quod ut incertâ, tanquam probabilis conjectura ex reipsa colligitur. Deinde sanatio miraculosa per Christum facta, fuit signum sanationis spiritualis à peccatis tanquam animȩ morbis, unde quod de ablatis per Christum morbis nostris, Esa. 53. traditur allegoricè, illud in Christo, morbos curante varios, impletum dicitur, Matth. 8. v. 17. quod nimirum curationis morborum corporalium finis esset, ut significaretur, Christum spirituales animi morbos seu peccata curare. Cœterum eo posito, hanc sanationem in aquis piscinæ corporalem, typum fuisse sanationis animæ à peccatis: adhuc disquiretur, quid per aquam sit adumbratum, & reliqua. Primùm Patres non pauci, ut Terr. Chrys. Ambros. Theophyl. baptismi sacramentum significari censent; deinde verò dissentiens ab iis August. de sermone Domini, serm. 42. ait: *Hæc ergo quod nobis præstitit, piscina illa significat. Breviter dico, aqua illa Judaicus populus erat, quinque porticus, lex: quinque enim libros scripsit Moses, ergo aqua quinque porticibus cingebatur: sicut ille populus lege coërcebatur. Aquæ perturbatio in illo populo, est Domini passio; qui descendebant, sanabantur.* Sic Tom. 9. tract. 17. in Joh. similia habet, & hoc etiam addit: *descendere ergo in aquam turbatam est humiliter in Domini passionem credere.* Verùm si hîc admittenda esset significatio aliqua typica, ea potius esset statuenda, ut per aquam intelligeremus Christum, qui passione quasi turbatus est, in cujus sanguinem verâ fide sese quasi immittentes, ab omnibus peccatis suis liberantur: quemadmodum allegoria non dissimili à Zacharia, cap. 13. vers. 1. dicitur; *die illo erit fons apertus domui Davidis, & habitatoribus Jerusalem pro peccato & pro separatione ex immunditia.* Verùm quemadmodum antea diximus, quoniam hic finis significationis rei spiritualis, per sanationem in piscina miraculosam, ex Scriptura probari non potest: propterea in sola historia est acquiescendum, & à typis divinis temerè fingendis abstinendum. Qua in re ut veteres Theologi Origenem inprimis aberrantem secuti sunt; sic hosce Pontificii imitati graviter impegerunt, sinceramque Theologiam multis modis, ut rectè ab eruditis Theologis observatum, corruperunt.

Hactenus miraculosæ in aquis Bethesdæ sanationis causam, primùm efficientem, deinde finalem, examinavimus. Quia verò Pontificii inde suam de sacramentorum & baptismi imprimis, efficacia, sententiam tueri conantur: non inutile, nec ingratum fore speramus, si ad uberiorem veritatis illustrationem à nobis subjiciatur brevis ac perspicua

Digressio, qua proponitur ac strictim excutitur Bellarmini, de efficacia Sacramenti Baptismi sententia, & ejusdem ex hoc loco probatio.

AD sententiam autem quod attinet, ea est, Baptismum nostrum, esse veram, propriam, atque immediatam causam instrumentalem remissionis peccatorum & regenerationis, seu perfectæ sanctificationis animæ, per infusionem habituum fidei, spei ac charitatis, ac denique animæ spiritualem atque indelebilem characterem imprimere; ut apparet ex Bellarmini lib. 1. de baptism. cap. 12. cùm ait: *Primò enim baptismus tollit ac delet verè omnem culpam & pœnam: Secundò, confert ex opere operato gratiam & dona divina, quibus verè ac formaliter justificatur,* (observanda hîc est Pontificiorum corruptela, qui vocem *justificandi* in Sacris Literis positam, pro sanctificare usurpant) *homo: Tertiò, imprimit indelebilem characterem, ob quem iterari non potest.* Deinde idem de Sacramento Eucharist. libr. 1. cap. 7. ait: *In baptismo non sola interna ablutio, sed etiam externa mundat animas: illa formaliter: ista efficienter atque instrumentaliter:* & lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 4. ait, *Sacramenta verè & immediatè sanctificare:* & ibid. eod. libro cap. 1. ait: *Ex his omnibus id, quod activè & proximè atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa externa, quæ sacramentum dicitur; & hæc vocatur opus operatum (accipiendo passivè, operatum) ita ut idem sit, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis, à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis, &c.* Deinde subjungit pleniorem expositionem hanc, *Nam voluntas Dei, quæ Sacramento utitur, concurrit quidem activè, sed est causa principalis: passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cum non sit actu, sed præterierit, licet maneat objectivè in mente Dei: potestas & voluntas ministri concurrunt necessariò, sed sunt causæ remotæ, requiruntur enim ad efficiendam actionem Sacramentalem, quæ postea immediatè operatur. Probitas ministri requiritur, ut ipse minister non peccet Sacramenta ministrando, non ipsa tamen est causa gratiæ in suscipiente, nec juvat suscipientem per modum Sacramenti, sed solùm per modum impetrationis & exempli. Voluntas, fides & pœnitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ: non enim fides & pœnitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramenti, sed solum tollunt obstacula quæ impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam exerere possent.* In qua doctrina Bellarminus secum minimè consentit. Nam quod ante baptismum, ex illius sententia fit, illud non fit primùm baptismo. Atqui ex illius sententia justificatio fit ante baptismum: Ergò non primùm per baptismum, ut ipse contendit. Assumptionem probat, de sacramentis, libro 2. cap. 13. cum ait: *Non est autem consequens veteres Patres non habuisse gratiam, aut habuisse sine organo applicante Christi merita. Nam etsi non habuerunt eam per Sacramentum, tamen habuerunt per fidem: ut etiam* (NB.) *nunc adulti per fidem & contritionem veram justificantur, antequm reipsa ad Sacramentum accedant.* Sic etiam Thomas Aquinas part. 3. quæst. 69. artic. 1. ad secundum ait: *Quando aliquis adultus pœnitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali perceptione baptismi:* & ibidem artic. 4. ad secundum: *Remissionem,* inquit, *peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicitè, & tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quantum ad liberationem à tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius & alii similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi & desiderium baptismi explicitè vel implicitè; postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur.* Idem denique ibidem artic. 5. ad 1. *Adulti,* inquit, *prius credentes in Christum, sunt ei incorporati mentaliter; sed postmodum cum baptizantur, incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile Sacramentum, sine cujus proposito nec mentaliter incorporari potuissent.* Quo etiam pertinere è jure pontificio illud in decreto Gratiani de consecratione c. baptismi vocem: ubi inter alia ex Augustino dicitur: *quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus: corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est: Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Quo etiam spectat Papæ Innocentii tertii sententia, Decretalium, libr. 3. tit. 43. cap. 3. *Nam,* inquit, *cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etiamsi baptismum non habeat, habet* utique

utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus; & ibidem cap. 2. ad quæstionem de salute presbyteri non baptizati, qui se baptizatum putabat, & in fide Ecclesiæ Christi ac confessione obierat, sic respondendo decernit Innocentius: *Ab originali peccato solutum, & cœlestis Patris gaudium esse adeptum asserimus incunctanter*. Hæc ad sententiam Bellarmini de efficacia baptismi, quę ut ostendimus antea, & ipsius verbis, & Thomæ Aquinatis, ac Papę dictis, confutatur. Ad probationem verò (quam ex hoc loco, Johan. cap. 5. de Sacramentis, libr. 2. cap. 4, & 11. deducit) quod attinet, ea est; aquam scilicet Bethesdę ab Angelo turbatam, (in qua primùm ingressus à quacunque corporis sui ægritudine sanabatur) fuisse figuram à Deo ordinatam, ad baptismi efficaciam significandam: ac propterea quemadmodum ab ea omnes morbi corporales sanabantur; sic à baptismo omnes animę morbos seu peccata sanari, integramque illius valetudinem seu sanctitatem perfectam restitui. Verùm in hac probatione primùm duplex in antecedente falsa est hypothesis: prima, quod statuit quasi certum, aquam illam Bethesdę fuisse baptismi figuram, à Deo ordinatam: deinde altera, nempe aquę illi inditam fuisse vim, quâ sanavit quosvis corporis morbos. Nam licet utrumque à nonnullis Patribus dicatur; Augustinus tamen, & quidam alii aliter statuerunt. Deinde obstat etiam res ipsa, quia cœcis visum restituere, solius omnipotentiæ Dei operationi est tribuendum; quæ nulli creaturæ communicari potest, ut suprà ostendimus. Ideoque in aqua illa, ut loco subjecto ad id ordinato, & post turbationem illius per Angelum, ut adjunctum antecedens, æger primus ingressus est sanatus, non autem ab aqua, sed in aqua, neque ab Angelo. Deinde consequentia vitiosa est. Nam licet aqua illa piscinæ turbata typus fuisset baptismi; inde tamen minimè sequeretur, baptismum esse verè ac propriè causam instrumentalem proximam atque immediatam sanationis animæ ab omnibus peccatis, & perfectæ sanctificationis; quia aqua illa non fuit causa sanationis instrumentalis, sed locus tantum ordinatus, in quo Deus sanabat per se solum. Opus enim omnipotentiæ proprium erat, cæcitatem sanare ac visum omninò amissum restituere, quod in illa piscina factum, ideoque hoc argumentum retorqueri potest: Si aqua piscinæ illius ab Angelo mota, non habuit vim sanandi cæcitatem corporis & quoscunque morbos corporis: multò minus aqua baptismi eam habet efficaciam, ut animæ cœcitatem ac morbos spirituales seu peccata tollat, & mentem notitiâ Dei salutari illuminet, & prorsus sanctificet animam. Unde satis apparet, Bellarmini aliorumque Pontificiorum probationem ex Johan. cap. 5. petitam, esse inanem. Ut autem Pontificiorum, ac Bellarmini inprimis, in hac de Sacramentorum efficacia disceptatione errores, perplexa vocum obscuritate intricatos, facilius intelligamus, eosque commodius confutare valeamus, expendenda est quæstio:

Quonam sensu, & an rectè dicant Pontificii, Sacramenta Novi Testamenti continere ac conferre gratiam, non ex opere operantis, sed ex opere operato.

Ad cujus declarationem primùm spectandum est, quomodo opus operantis, & opus operatum ab iis exponantur. Qua de re Bellarminus lib. 7. de Sacramentis cap. 1. ait: *Omnes Catholici opponunt opus operatum operi operantis; & per opus operatum intelligunt opus bonum seu meritorium ipsius operantis*, ac postea ibidem ait: *id quod activè & proximè atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa Sacramentalis, quæ Sacramentum dicitur: & hæc vocatur opus operatum, (accipiendo passive opus operatum) ita ut idem sit Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad hoc institutæ*. & Doct. Johannes Viguerius in institut. ad Christianam Theologiam cap. 16. v. 13. ait: *opus operatum intelligunt ipsum opus aut rem ipsam in se: & valere ex opere operato dicitur, cum ex re ipsa applicata aliquis effectus utilis sequitur, & non solum ex opere operantis, hoc est, propter sanctitatem aut ejus qui applicat, vel recipit aut utitur: quemadmodum panis habet ex se, sive ex natura sua vim nutriendi*. Idemque rursus opus operatum distinguit ibidem v. 11. cum ait: *Et sic gratiam conferre ex opere operato, potest dupliciter intelligi; uno modo ex opere operato ex pacto & ordinatione divina solùm: alio modo ex opere operato, ex pacto & ordinatione divina, & per virtutem inhærentem: & hoc solum convenit Sacramentis Novæ Legis.* Quæ distinctio à Bellarmino neglecta, sed rectè ex scholasticorum aliorumque, phrasis illius authorum, diversa usurpatione deprompta est. Siquidem omnes, virtutem conferendi gratiam Sacramentis attribuunt; sed tamen in illius virtutis explicatione dissentiunt: adeò ut Gregorius de Valentia suorum ut vocat Catholicorum opiniones quinque recenseat; in opere de rebus fidei, lib. de efficacia Sacramentorum. Quarum primam ita exponit: *Opinio est multorum Catholicorum, Sacramenta gratiam conferre, non quia illa producant ullo modo illam, sed quia ipsis adhibitis Deus, ex pacto & promissione quadam gratiam producat ac conferat. Fuit hæc sententia Bonaventuræ & Scoti, qui tamen verbis concedit, posse nihilominus appellari Sacramenta causas instrumentales, quia necessariò propter pactum movent Deum, ut vi illorum conferat & producat gratiam.* item: *ea opinio est Durandi, Occami, Gabrielis & Richardi*; Quam opinionem rejiciens Gregorius de Valentia ait: *Sed revera hæc opinio nihilo plus tribuit Sacramentis quam hæretici, ut rectè Soto annotavit.* Contra tamen Bellarm. de Sacramentis, lib. 2. cap. 11. ait: *Hæc responsio salvâ fide defendi potest. Secunda opinio est*, inquit, *Sacramenta causas esse gratiæ non nisi mediate & quodam ordine, quia scilicet proxime efficiunt antecedentem quandam formam in anima, ad quam consequitur gratia divinitus producta, neque videntur alia ratione duci, nisi ut declarent quemadmodum non concurrant Sacramenta ad ipsam immediate productionem gratiæ, quam creari putant, &c. Sic Halensis & aliquando D. Thomas, Capreolus, Paludanus & Franciscus Ferrariensis. Tertia opinio*, ut ait, *est, Sacramenta esse causas gratiæ tantum morales, quæ scilicet ex pacto propter promissionem & merita Christi (cujus tanquam instrumenta & canales sunt) movent Deum ad producendam & conferendam gratiam. Ita Canus. Quarta opinio est*, ut ait, *Soti, Sacramenta esse causas gratiæ, non quia qualitatem illam quæ est gratia producant; sed quia sunt causæ, ut homo fit gratus Deo. Quinta opinio est*, ut ait, *Cajetani, nempe Sacramenta esse veras causas qualitatis gratiæ non principales, sed instrumentales, hoc ipso videlicet quod Deus illis utitur ad productionem illius effectus, qui est gratia, tametsi super naturam seu efficacitatem naturalem ipsorum, quo fit ut censeri à nobis possint instrumenta gratiæ quasi physica, id est, quæ ad productionem gratiæ prævio quodam modo conferant, hoc ipso, quod sic exercentur & usurpantur ad eam rem divinitus.* Hæc ille. Quibus addo quod Johannes Viguerius institut. cap. 16. vers. 11. ait. *Est in ipsis Sacramentis aliqua virtus instrumentalis à Deo impressa, quæ continet & causat etiam attractive ipsam gratiam justificantem*, & paulo post: *in Sacramentis novæ legis causatur gratia ex opere operato, & per virtutem inhærentem illis.* Cœterùm quintam illam sententiam, Cajetani scilicet, quam Gregorius de Val. probat, Bellarminus etiam ait, se putare probabiliorem & tutiorem, de Sacramentis, lib. 2. cap. 11. quod (ut exponit) *Sacramenta sint causæ efficientes etiam physicæ; sed instrumentales: Virtus autem divinitus indita non sit aliqua qualitas inhærens spiritualis vel corporalis: sed sit solum motus sive usus Dei, per hoc enim quod Deus utitur hac actione Sacramentali ad gratiam producendam, elevat eam & facit eam attingere effectum supernaturalem quam non posset attingere, si à quocunque alio moveretur*: & paulò post: *Quare motio illa, qua Deus movet Sacramenta, est sola applicatio Sacramenti ad opus, & est in ipso Sacramento, non in Deo*: & ibidem paulo post: *Ex quo sequitur, ut motio seu usus Dei in Sacramentis sit, non solum virtus agentis instrumento impressa, sed sit tota virtus & ratio, per quam agunt. Id enim quod est in securi acies & vis agendi illi impressa, id totum est in Sacramentis sola motio Dei.* Veruntamen Bellarminus in hac sententia nondum acquievit ut apparet, cum de Sacramentis libr. 2. cap. 1. ait: *Notandum, non esse controversiam de modo quo Sacramenta sint causæ*, id est, *an physicè attingendo effectum, an moraliter tantum; & rursum*

rursum si physicè, an per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei motionem: ista enim ad quæstionem fidei non pertinent: sed solum generatim an Sacramenta sint veræ & propriæ causæ instrumentales justificationis, ut vere ex eo quod quis baptizatur, sequatur ut justificetur; Nam in hoc conveniunt omnes Catholici. Et paulò post subjicit: *In hac re satis est, probari posse, ex fide Scripturarum, ut ostendamus Sacramenta esse causas gratiæ, quomodo id fiat difficillimum est intelligere, nedum explicare* Qua in re sequitur Catechismum Roman. Concilii Tridentini decreto, & Pii V. Pontificis jussu, editum: in quo capite de Sacramentis dicitur: *quo autem pacto tanta res & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut (quemadmodum sancti Augustini sententia celebratum est: aqua corpus abluat & cor tangat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest.* Hisce jam explicatis ad sensum dogmatis Pontificii, quo statuunt Sacramenta continere ac conferre gratiam, non ex opere operantis, sed ex opere operato: reliquum est, ut an rectè id dicatur, paucis expendamus; siquidem id affirmat, ac decernit Concil. Trident. Seff. 6. Can. 8. *Si quis* (inquit) *dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta, ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Contrà verò nostri meritò id negant, quia & phrasis ista, & res ipsa est absurda. Phrasis quidem: partim quod vocem, *operatum*, passivè usurpantes perversè ac sine ulla necessitate significationem illius corrumpunt: cùm rectè dici potuisset, *opus efficiens*, & *effectum*; pro *operante & operato*; partim verò quia *opus operantis*, obscura atque insolenti, & bonis Linguæ Latinæ authoribus, & priscis Patribus significatione, bonum opus ministrantis vel suscipientis Sacramentum intelligunt. Res verò etiam absurda est: quia expositio quam afferunt confutatur atque evertitur: ut hic Syllogismus, ex ea deductus, demonstrat: Sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, est opus operatum, & activè ac proximè atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, teste Bellarmino de Sacramentis libr. 2. cap. 1. Atqui opus operantis ministri est actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur. Ergo opus operantis ministri est opus operatum & activè ac proximè atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis. Assumptio per se clara est, & à Bellarmino de Sacramentis libr. 2. cap. 11. traditur, cum ait: *Nam actio Sacramentalis propriè est actio ministri dantis sacramentum*; item: *itaque actio ministri est illa, qua Deus utitur tanquam instrumento ad justificandum: quando ergo minister utitur rebus & verbis, ut in baptismo, confirmatione, & unctione extrema, tunc etiam Deus utitur rebus & verbis, & proinde virtus Dei est in utrisque, & oportet illa duo simul concurrere, alioqui nihil fieret.* Hæc Bellarmin. Quare si quis excipiat, ipsum dicere de sacramentis l. 2. c. 1. quod *potestas & voluntas ministri concurrunt necessario* (intelligit autem ad efficiendam justificationis gratiam) *sed sunt causæ remotæ, requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem sacramentalem, quæ postea immediate operatur.* Respondemus 1. hoc ipso non infirmari: sed bifariam argumentum à nobis positum confirmari. 1. quia argumentum nostrum non loquitur de causa remota, putà voluntate ministri: sed de proxima, nempè actione sacramentali, quæ immediatè (ut agnoscit Bellarmin.) gratiam efficit: quæ actio est opus operantis ministri. Secundò, quia si voluntas ministri sit causa proxima actionis sacramentalis: remota verò causa gratiæ quam actio illa efficit, Ergo non uno tantum, sed duplici modo opus operantis ministri causa est gratiæ, primùm remota quidem voluntas illius recta; proxima verò est voluntatis illius executio, nempe actio sacramentalis, seu recta sacramenti effectio: utraque enim, & voluntas illa, & actio ex ea promanans, sunt opera operantis ministri, prius internum, posterius externum. Quare ex hisce meritò concludimus, reipsa opus operantis ministri & opus operatum unum idemque Pontificiis esse, & utrumque gratiæ justificationis causam declaratione eorum constitui. Ideo propositum Pontificiorum dogma, expositione Bellarmini solidè evertitur. Deinde quod idem de Sacramentis lib. 2. cap. 1. (ut ante ostendimus) affirmat: in hoc consentire omnes Catholicos, sacramenta esse veras ac propriás causas instrumentales justificationis; illud primum Catholicorum multorum prima ex Gregorio de Valentia recitata opinione falsi arguitur: quia diserte negat ea ullo modo producere gratiam, sed Deum ex pacto iis adhibitis eam producere. Ac licet causam instrumentalem Scotus vocet, impropriè tamen eam intelligere Gregorius de Valent. satis indicat, cum ait: *verbis eum id concedere*, hoc est, non reipsa. Deinde res ipsa arguit, quia omne proprium instrumentum effectum instrumentale reverà producit. Secundò, seipsum etiam Bellar. falsi arguit, cùm de Sacramentis lib. 2. cap. 11. fatetur disertè: ex sententia recentiorum, Cani (quæ tertia est ex Greg. de Valent. à nobis recitata opinio) & L'edesmii, sacramenta esse causas justificationis, sed morales (intelligit autem causas impulsivas, non effectivas) non physicas (hoc est, vi ulla illis ad producendum effectum indita præditas) quomodo vera causa est homicidii qui illud fieri jubet, licet ipse hominem, qui occiditur, non attingat: additque Bellar. *Idemque sensisse videntur antiqui Scholastici multi, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Ockam, Marsilius, Gabriel in quartam distinct. 1. vol. 2. qui docent sacramenta vere justificare, & tamen volunt solum Deum producere gratiam ad præsentiam sacramentorum: ita ut neque sint sacramenta causæ physicæ, nisi* (videtur vocem *nisi* pro *sed* usurpare) *sine quibus non fieret effectus.* unde sequitur ex Bellarmini confessione, tam multos insignes doctores Catholicos non agnoscere Sacramenta esse proprias causas efficientes instrumentales: ideoque subjicit etiam, *tutiorem esse sententiam, quæ dat Sacramentis veram efficientiam.* Ideoque falsum est, quod asseruit, contrarium omnes Catholicos sentire. Atque hoc sufficit tanquam contradictionum Bellarmini de Sacramentorum efficacia breve specimen.

Quæstio de sensu verborum Christi, Ioan. V. 27.

INsignis est sententia Christi Joan. 5. v. 27. *Et potestatem dedit ei, etiam judicium exercendi, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί.* In qua sententia Christus personæ suæ dignitatem exponit. Constat autem propositione & declaratione illius. Propositionis pars prima, sive subjectum illius, per ellipsin, ex antecedenti v. 26. perspicuam, est *Pater*, scilicet Christi proprius, prima Deitatis persona. Consequens verò seu prædicatum est: *dedit ei etiam potestatem judicium exercendi.* Quo in loco *judicium exercere*, κατ' ἐξοχὴν, de universali ultimo die judicio intelligitur: quemadmodum versus sequentes 28. & 29. distinctione judicii illius & eventus declarant. Cujus judicii potestatem Pater dicitur dedisse ei, hoc est, Filio nempe suo proprio: ut relatio ad Patrem v. 26. ostendit. Dicitur autem potestatem dedisse exercendi judicium ultimum, non ratione rei; sed ratione modi. Non rei inquam, quia cùm una eademque sit Filii & Patris potestas in omnes creaturas, utpote ab iis eadem omnipotentia creatas: eatenus Filio non est data, sed eam habuit per se; sed ratione modi tantum, quo Pater cum Filio & Sp. S. ab æterno decreverunt, ut Filius homo fieret, & redemptor atque rex Ecclesiæ: qui universale judicium sua persona immediatè exerceret, adeo ut, licet Pater judicaturus sit mundum per filium, nihilominus tamen vers. 22. dicitur: *Neque enim Pater judicat quemquam*, nempè immediatè sine Filio. *Sed omne judicium dedit Filio.* Filius autem exercet secundum utramque naturam, unde Act. 10. v. 42. de Jesu suscitato à mortuis ait: *præcepit autem nobis ut prædicaremus populo ac testificaremur, eum esse, qui definitus sit à Deo judex vivorum & mortuorum:* ut etiam forma judicii illius Matth. 25. v. 31. & seq. demonstrat. Quæ propositionis hujus expositio, altera sententiæ Christi parte etiam confirmatur: hæc enim est illius subjecta declaratio ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Quæ verba duobus modis transferri solent. Plerique enim cum veteri interprete vertunt vocem ὅτι, *quia*, nonnulli verò *quatenus*: ut ὅτι, idem sit quod καθ' ὅτι per ellipsin præpositionis κατὰ: ut interdum à bonis authoribus Græcis usurpari rectè comprobant: ut sensus sit, Christum regem & judicem esse, etiam quatenus homo est. Quæ explicatio quamvis per se sancta sit: prima tamen videtur præferenda, quandoquidem ea scopo & circumstantiis hujus loci probè convenit,

convenit, & vocis ὅτι significationem propriam, & Sacris literis usitatissimam retinet; ideoque ab ea non est recedendum, nisi causa necessaria eò nos adigat, quæ hoc loco deest. Nam quod objicitur, Christo quatenus est Filius Dei, non convenire datam esse potestatem: quod eam habuerit in se ac per se: neque dici posse eam esse datam generatione æterna, quia licet omnipotentia & omnis potestas ita sit data per æternam ejusdem essentiæ communicationem, non tamen potestatem judicandi, quæ certam ad judicandos habet relationem: illud inquam (ut alia omittam) distinctione ante propositâ diluimus; datam scilicet potestatem dici, ratione decreti, quo Filius rex ac judex Ecclesiæ immediatus communi Patris, Filii & Spiritus Sancti voluntate destinatus est: quomodo Filio dedit oves (seu electos) servandas Ioan. 10. & 17. Sic Filium iisdem dedit servatorem, Ioann. 3. & Esa. 9. Quare causa non est cur ὅτι per ellipsin exponamus, cum propriè sine defectu, sensus sit accommodatus. Quocirca vox ὅτι, non *quatenus*, sed *quia*, seu rationem notat, qua probat Filium Dei esse judicem immediatum: quia hoc officium proprium est Filio Dei incarnato: quod homo factus est ex Dei decreto in eum finem, ut esset judex universorum, ac servator Ecclesiæ: Quæ simplicissima est sententia.

Quæstio brevis an ex v. 29. Pontificii Ecclesiarum nostrarum, de fidelium operibus, doctrinam rectè confutent.

SIc quidem illi contendunt: nostri verò merito negant, ut argumentorum objectorum examen ostendet. Duo enim ex hoc loco colligunt: primùm ajunt, falsum esse quod nostri statuunt, omnia fidelium opera, si ad severi judicii divini libram examinentur, fore peccata: quod hoc loco refutari objectant, quoniam ea à Christo bona appellantur, *qui bona*, inquit, *fecerint*. Deinde perperam à nostris negari bona opera mereri vitam æternam, id quod à Christo affirmari ajunt, his verbis, *prodibunt in resurrectionem vitæ*. Verùm ad prius respondetur, negatione consequentiæ: quia homonymia est in voce *bona*. Nam vel simpliciter ea accipitur, vel secundum quid tantum. Priori modo nostri negant bona fidelium opera sic dicta esse bona; Christus verò posteriori intelligit. Nam opera nostra sunt imperfecta: quia ad perfectionem eorum requiritur, ut ex amore Dei ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus procedant, contra verò caro fidelium (seu reliquiæ vitiositatis naturalis, hoc est, peccati originis) pugnat adversus spiritum Galat. 5. hoc est, regenerationis donum; ideoque opera bona fidelium si per se considerentur, ob imperfectionem suam, justo Dei judicio mala sunt, quia sunt ἀνομία, legis divinæ (quæ omnibus modis perfecta opera requirit) transgressio. Bona autem appellantur, partim secundum quid, partim per accidens. Secundum quid, quatenus legi Dei consentanea: per accidens verò, quatenus imperfectio ac contagio adhærens, per & propter sacrificii Christi satisfactionem condonatur. Sed objici posset, mala posse remitti per Christum, sed per eum bona fieri, Deoque placere non possunt: quia Christus perpessione pœnæ, nobis pro peccatis debitæ, reatum quidem peccatorum nostrorum sustulit: sed peccatorum naturam non mutavit: ideoque cum sola bona Deo possint placere, mala ei displicere necesse est. Verùm respondetur, mala (nempe moralia seu peccata) sunt duplicis generis: alia per se ac simpliciter, seu omninò mala sunt, nimirum quæ Deus lege sua prohibuit: & à principio malo seu à vitiositate naturæ promanant: unde *opera carnis* dicuntur, quæ per fidem & resipiscentiam quidem fidelibus propter Christum remittuntur; nunquam tamen bona fiunt in se, aut judicio divino, quod secundum veritatem est: quoniam summum bonum ac summa veritas sibi adversari non potest. Alia verò mala sunt non simpliciter & absolutè: sed tantùm secundum quid ac relatè: qualia sunt opera fidelium lege præcepta, quæ Deus in hac vita spiritu suo in nobis efficit: quæ bona dicuntur, ratione sui principii nempe Dei, & ratione rectitudinis eatenus insitæ: sed carnis nostræ spiritui repugnantis contagione inficiuntur: eoque respectu, ob imperfectionem accidentem bono Dei operi, mala sunt judicio Dei: nihilominus tamen à potiori parte atque etiam origine, quatenus à Dei regenerantis ac juvantis gratia sunt orta, & lege Dei mandata ac consentanea, bona nominantur eique grata sunt: quatenus verò carnis nostræ contagione imperfecta sunt, eatenus per fidem propter Christi satisfactionem condonat, ut Hebr. 13. v. 21. *Deus perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo per Jesum Christum.* Ecce bonum opus vocatur quatenus Deus efficit in nobis: quia tamen id caro nostra inficit, propterea gratum esse dicitur per Christum, quia id quod bonum in nobis efficit Deus, eatenus illud agnoscit ac probat: quod autem à nobis contagionis accedit, agnoscit etiam atque improbat, sed tamen propter Christum fide apprehensum ignoscit ac condonat: ut etiam 1. Petr. 2. v. 5. *ipsi quoque veluti vivi lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas hostias spirituales acceptas Deo per Jesum Christum.* Id quod fuit prophetico typo adumbratum per bracteam seu laminam auream Aaronis summi sacerdotis, de qua Exod. 28. v. 38. *Sic esto super frontem Aaronis, ut auferat Aaron iniquitatem rerum sacrarum quas consecraverint filii Israëlis, omnium donorum, rerum consecratarum ab illis: Esto ergo super frontem illius jugiter, ut sit benevolentia erga illos coram Jehova.* Id quod Clariss. D. Junius rectè exponens ait: *auferat non in persona sua, sed in summo Pontifice Christo, quem typicè referebat.* Notantur enim hic duo beneficia solius Christi, remissio peccatorum, & reconciliatio æternaque benevolentia, quæ eodem versu subjicitur. Atque hinc etiam refutari potest quod objicitur: mala non sunt facienda; bona fidelium opera, ex nostrorum sententia sunt mala, Ergo bona fidelium opera non sunt facienda. Negatur enim consequentia propter homonymiam vocis, *mala*; quæ in propositione accipitur de malis per se & omninò: in assumptione de malis per accidens ac secundum quid: alioqui falsa erit propositio. Nam quæ mala sunt per se & omnino, ea non sunt ullo modo facienda: nec etiam quæ mala per accidens sunt & secundum quid, facienda sunt quatenus mala; sed tantùm quatenus bona, eaque ratione bona fidelium opera, quatenus per accidens contagionis carnis repugnantis sunt mala & imperfecta, eatenus non sunt facienda: hoc est, tollendum est illud accidens vitium, non autem subjectum bonum seu actio lege præcepta. Atque hæc ad confutationem primæ objectionis, quam Pontificii ex hoc loco proponunt. Ad alteram verò quod attinet, qua meritum vitę ætternę operibus bonis idcirco adscribunt, quod teste Christo, qui ea fecerint, prodibunt in resurrectionem vitæ. Respondetur vitiosam esse consequentiam. Nam hisce verbis non meritum aut causa vitæ æternæ indicatur, sed antecedens conditio & via. Cum enim bona opera sint effecta veræ fidei, ex iis fideles judicabuntur, Neque voces istæ usurpatæ, *nam, quoniam*, & similes, in tribuenda gloria cælesti, ut Matth. 25. v. 34. ea esse non solum viam regni, sed etiam causam regnandi, comprobant: quia, ut alias monuimus, luditur homonymia vocis *causæ*, quæ aut argumentum quodvis notat seu rationem, qua aliquid probatur: quæ causa consequentiæ dici solet: aut argumentum essentiale, cujus vi res est, puta efficientem materiam, formam vel finem designat. Quæstio autem est inter nos, non de ratione, sed de causa, & quidem efficiente ac promerente. Bona enim opera sunt antecedens conditio ad salutem necessaria, cujus certum consequens, non autem effectum, est vita æterna: Ideoque ratio est vitæ æternæ dandæ secundum promissionem: sed illius vi aut merito non datur, sed vita donum Dei est per Jesum Christum, Rom. 6. v. 23. qui imperfecta nostra opera suo sanguine expiat, & gratuito præmio coronat: quod non nos, sed ipse suis operibus bonis, perfectè legem implendo, promeruit. Sed urgent sequentia verba Christi, quod non solum ait: Eos qui bona fecerint vitam consecuturos: sed etiam oppositè, qui mala fecerint in resurrectionem condemnationis prodituros, unde sic colligunt: mala opera merentur mortem. Ergo bona, vitam: quia contrariorum, quatenus

quatenus contraria sunt, contraria sunt consequentia. Respondetur bona & mala opera absolutè ac simpliciter sumpta sunt contraria, sed in hominibus non ita sunt contraria: quia mala damnatorum, sunt simpliciter & absolutè mala; utpote lege vetita, ideoque ex legis sententia Deut. 27. v. 26. maledictioni sunt obnoxia. Bona verò servandorum, sunt bona non simpliciter, sed partim tantum; quia ob carnis contagionem sunt imperfectè bona. Deinde etiamsi singula hominum bona opera quæ faciunt, essent per se & omnino bona: meritum tamen vitæ æternæ inde concludi non posset: quia diversa est vitæ & mortis conditio. Nam ad mortem vel unicum sufficit peccatum, Deut. 27. 26. Gal. 3. v. 10. *maledictus omnis* &c. contrà verò ad vitam non sufficit unum aut alterum bonum opus, immò nec plurima, sed omnium præceptorum, ex omnibus viribus, omni tempore requiritur obedientia: adeo ut si quis novem præcepta perfectè servarit, reliquum verò violet, meretur mortem, ex comminatione legis, & natura peccati, Deut. 27. v. 26. Jacob. 2. vers. 10. ideoque rectè dicitur Rom. 6. v. 23. *stipendium peccati mors est, donum verò Dei est vita æterna per Iesum Christum Dominum nostrum.* Idque duplici de causa: primùm quia non servamus omnia, sed in multis impingimus omnes, Jacob. 3. 2. deinde quæ servamus sunt imperfecta: quia non ex omnibus viribus (ut Matt. 22. v. 37. requiritur) Rom. 8. v. 5. Gal. 5. v. 17. Ideoque nostris bonis operibus Deum non habemus debitorem, sed nos ei debitores sumus ac peccatores: qui jure quidem non vitam, sed mortem meremur: verùm per gratiam Christi, condonatis peccatis, vita æterna, licet imperfectè bona opera præstantibus, secundùm promissionem gratis datur. Atque hæc ad hujus loci vindicationem contra Pontificios, sufficient: reliquum est, ut explicata ratione miraculi à Christo præstiti, & Digressione quadam interposita, ad miraculi illius eventum, & quædam dicta illustranda procedamus.

Illustratio eventus miraculi facti ac patefacti: qui eventus v. 10. & seq. continetur.

DEscriptionem miraculi à Christo editi, & patefactionem illius, per sanatum hominem, gestatione grabati, cui antè æger incubuerat, sequitur eventus illius, nempe duplex Judæorum ob eam rem offensio ac concertatio sive controversia. Quarum prima fuit cum sanato: altera cum Christo. Prior autem constat duabus partibus; quarum prima bimembris est: nempè Judæorum accusationem: & sanati defensionem complectens. Accusant enim ipsum, quod grabatum gestaret, expresso Enthymemate, cujus antecedens est: *Sabbathum jam est*, consequens verò. Ergò *non licet tibi tollere grabatum* v. 10. Quæ ratio desumpta est à religione Sabbathi, de qua Exod. 20. v. 10. & Ier. 17. vers. 21. cujus violatio fuit crimen gravissimum: primum propter finem Sabbathi duplicem, nempe externum ac publicum Dei cultum, ad quem observandum otium illud præscripserat Deus: & propter fœdus Dei obsignandum, quietem scilicet à peccato & omni miseria per Christum, ut liquet, Exod. 31. vers. 13. Ezech. 20. vers. 12. Col. 2. v. 16. ideoque mortem Sabbathi violati pœnam constituit Deus Exod. 31. v. 14. & 15. & reipsa mortem violatori intulit, Num. 15. v. 35. Secundò gravitas hujus peccati elucet ex adjuncta præcepti facilitate: unde patet violationem illius non infirmitatem fuisse, sed contemtum contumacem. Hæc de vers. 10. & Iudæorum accusatione, qua sanatum, Sabbathi violati nomine arguunt. Sequitur jam illius defensio tacita consequentiæ negatione: cujus loco probationem adducit, ab authore seu præcepto illius, qui sanàrat. Quo ostendit, opus hoc sanationis esse non humanum (quo solo violabatur Sabbathum) sed divinum, & ex præcepto Dei, per servum suum, ad miraculi divini gloriam ac Dei cultum gestationem grabati rectè præceptam v. 11. Huic verò defensioni subjicitur altera controversiæ cum sanato pars: constans quæstione Judæorum, & sanati responsione. Quæstio Iudæorum est: *quis est ille, qui tibi dixit, tolle grabatum tuum & ambula* v. 12. Quam quęstionem, non sincero animo ac discendi studio: sed fallaci odio sciscitantur. Responsio autem sanati describitur, primùm ab adjunctis antecedentibus; deindè à forma suâ. Adjuncta antecedentia sunt duo: primò silentium; deinde responsionis occasio. Silentium indicatur à suis causis, scilicet quod Iesum Christum non nosset nomine; deinde quod ob digressionem seu secessum Christi ipsum ostendere nequiret, vers. 13. Antecedens verò responsionis occasio, est gemina: primùm Christi conspectus in templo, quo se sanatus contulerat, ut Deo gratias ageret, pro more, ut Actor. 3. v. 8 deinde admonitio Christi: qua explicatur, primùm Dei beneficium in ipsum collatum, *Ecce sanus factus es:* secundò sanati officium, id quod primùm proponitur his verbis: *ne amplius pecca,* quo originem morbi peccatum fuisse indicat: deinde confirmatur sequentibus, comminatione majoris pœnæ cum ait: *ut ne deterius quid tibi contingat*, vers. 14. Hæc de responsionis antecedente. Forma verò illius declaratur vers. 15. *abiit ille & nuntiavit Iudæis, Iesum esse qui sanum ipsum fecerat.* Nam quamvis antè Iesum non nosset nomine, ut v. 13. ostensum, cognoscere tamen postea hoc potuit, vel Christi indicio (licet hoc loco ea circumstantia non explicetur brevitatis causa) vel populi indicio. Cœterum hac responsione, suam indicat erga Iesum Christum gratitudinem: nec enim ullo pacto credibile est, ipsum malo animo atque ingrato, utque Christum traduceret, rem ad Iudęos detulisse; sed contrà ut grato animo Christum iis commendaret, quemadmodum Chrysost. Cyrill. & August. rectè exponunt. Non enim ait id, quod rogatus fuerat, Iesum jussisse ut grabatum tolleret, sed Iesum esse, à quo sanatus fuerat, vers. 15. Atque hęc de priori Iudęorum concertatione ac controversia cum sanato habita: unde altera cum Christo orta est, quę deinceps explicatur. Constat autem duabus partibus: quarum utraque bimembris est: siquidem & Iudæorum Christum oppugnantium malitiam, & Christi sese defendentis innocentiam denotat. At prima quidem parte, malitiæ Iudæorum initium describitur, vers. 16 ex persecutione Christi, & causa illius injusta duplici; finali quidem, ut occiderent eum: impulsiva verò efficiente, quod ista fecisset Sabbatho, hoc est, quod eo die sacro sanasset ægrum, & grabati gestationem eidem mandasset: quorum utrumque lege vetitum perperam statuebant, ut etiam alibi Matth. 12. v. 10. Luc. 13. v. 14. Ioan. 9. v. 16. Ideoque Christum prehendere atque occidere studebant, & hic, & eadem omnino de causa Ioan. 7. v. 1. 32. & 34. sed frustra; quia nondum *hora illius* (hoc est, passionis destinatum tempus) venerat, Ioan. 7. v. 30. Siquidem divinæ providentię freno animi eorum, injecto timore, ut Matt. 21. v. 26. coerciti sunt, ne id quod quærebant, hoc est, per metaph. studiosè moliebantur, exequerentur. Hæc de Iudæorum Christum oppugnantium malitia vers. 16. Innocentia verò Christi, defensione prima illius describitur. Cujus modus responsione continetur: quæ primum generatim indicatur, deinde particulatim exprimitur. Ac generatim indicatur, cum dicitur: *Iesus autem respondit eis*; Quæri autem non immeritò hîc potest, quonam sensu hîc Christus dicatur *respondisse iis*, cùm tamen sermo Iudæorum nullus præcessisse videatur, cui responderet: sed tantum cogitationes illorum ac perversa voluntas recensentur? respondere autem est ad sermonem, alicujus sermonem reponere. Verum id esse agnoscimus, si vox ea propriè accipiatur, ut Ioan. 1. vers. 49. & 51. Impropriè tamen per Synecd. speciei pro genere, *loqui* significat. Atque ita interdum citra controversiam, Matth. 11. v. 25. & 12. v. 1. Marc. 9. v. 5. & 12. v. 35. pro sermonem incipere usurpatur: ut apud Hebræos verbum ענה. Solvi igitur difficultas potest bifariam: primùm *respondendi* vocè impropriè accepta pro loqui: ut sensus sit, locutus est, aut dixit iis: vel propriè, quod scilicet Christus responderit ad Iudæorum sermonem, vel externum, quem brevitatis causa Ioannes (ut in similibus circumstantiis fieri solet) omiserit; vel potius internum, seu animo conceptum, non ore expressum: quod videlicet illorum cogitationes perversas sciret; & qua Deus, & qua homo, sed distinctè: qua Deus quidem, omniscientia naturali, qua corda eorum intuebatur; quatenus homo verò per revelationem divinæ suæ naturæ, quæ

ræ, quæ omnia, ad officium propheticum illius pertinentia, animæ Christi revelabat: Adeo ut omnia, quà Deus, absolutè & immediate noverit: quà verò homo, non omnia absolutè, sed relatè, seu ea omnia, quæ ad officii ipsius executionem pertinebant, & quidem mediatè in se atque in speculo revelatæ notitiæ menti inditæ cognovit, ut Marc. 2. vers. 8. Luc. 9. vers. 47. Joann. 18. v. 4. Qua de re pluribus Ioan. 2. à nobis actum. Porrò modus responsionis particulatim exprimitur, cum ait Christus: *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor*, hoc est, omnibus diebus, tam Sabbathi, quam aliis, inde à creatione mundi huc usque operatur Pater, & ego operor, scilicet ταῦτα καὶ ὁμοίως, *Hæc & eodem modo*, seu potentia eadem, ut postea Christus exponit, v. 19. Quorum verborum vim, ad scopum pertinentem, Cyrillus ita expressit: *si creditis, opificis Dei voluntate, Sabbathi quoque die, omnia gubernari; cur temerè accusatis eum per quem Pater operatur?* Hæc ille. Quod enim opus divinum est, illud Sabbathum non violat, eoque neque accusari jure potest. Atque sanatio miraculosa ægri, opus divinum est, quod Pater in me & per me, ut omnia reliqua, operatus est: quemadmodum Ioan. 10. vers. 37. dicitur: *si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*, & cap. 14. v. 10. *Pater qui in me manet, ipse facit illa opera.* Quare cum opera miraculosa Filii, sint opera Patris ac divina, non violant Sabbatum, ideoque jure accusari non possunt: Neque etiam gestatio grabati, à Filio Dei homini sanato præcepta (siquidem ad certam valetudinis & virium virtute divina restitutionem patefaciendam, & ad Dei gloriam celebrandam pertinens) rectè reprehendi potest. Sed objiciat aliquis: cùm Deus quieverit die septimo ab omnibus operibus suis, Gen. 2. v. 2. quomodo convenit Christi dictum, *Pater meus usque adhuc operatur?* Optimè inquam: quia quievisse dicitur, non absolutè ab omnibus operibus: sed relatè tantùm: nempe à creationis mundi operibus, antè capite primo descriptis: ideoque non solum dicitur: *quievit ab omni opere suo*, sed etiam distinctè additur, *quod fecerat:* non autem ab opere conservationis & gubernationis mundi operibus variis. Quod autem vulgo dici solet: quievisse ab omni opere; quod nullas novas species postea produxerit, solidam illius probationem hactenus desideramus. Hæc de vers. 17. primaque concertationis Iudæorum, cum Christo, parte: qua detectum est Iudæorum malitiæ adversus Christum, initium, & Christi innocentia, ipsius responsione probata. Altera verò pars è priori orta jam succedit: quæ partim malitiæ Iudæorum Christo adversantium incrementum, partim Christi innocentiam planius ac plenius demonstrat. Ac primum quidem proponitur v. 18. his verbis: *propterea ergo magis quærebant eum Judæi trucidare, quod non solùm solvisset Sabbatum: sed & Patrem suum dixisset Deum, parem se faciens Deo.* Quibus verbis malitiæ contra Christum continuatio & incrementum indicatur. Continuatio, quod Christi responsione non sunt mitigati ac correcti, sed propterea adhuc ipsum occidere quæsiverunt. Incrementum verò malitiæ declaratur voce *magis*, quod magis hoc quæsierint. Secundo causa impulsiva utriusque redditur: prima quidem continuationis malitiæ, quod Sabbathum (opinione ipsorum) solvisset, hoc est, non observando violasset: altera verò causa est incrementi malitiæ, *quod etiam Patrem proprium dixisset Deum, parem se Deo faciens*, hoc est, (per usitatam metaphoram) dicens, ut Iohan. 10. vers. 33. *Homo cum sis, facis te ipsum Deum*, & 19. v. 7. *Filium Dei se fecit*, id est, dixit; & Ioh. 8. v. 53. *quem te ipsum facis*, denique 1. Ioh. 1. vers. 10 *Si dicamus quod non peccavimus, mendacem ipsum facimus*, hoc est, eo modo dicimus. Quarum causarum propositarum prima, falsa est, quia opus Christi Sabbatho præstitum, non fuit humanum & servile, quod Sabbatho prohibitum: sed divinum, quod Pater per ipsum, usque adhuc cum Filio operans, etiam fecisset: ut antecedens Christi responsio ostendit: ideoque non mortem, quam moliebantur, sed gratiam merebatur. Altera verò causa, vera quidem erat: sed vitiosa illius consequentia. Nec enim sequitur idcircò Christum trucidandum, quod Patrem proprium dixisset Deum, faciens (hoc est, dicens) se parem Deo, ut etiam perperam hoc concluserunt, Johan. 10. v. 33. & 19. v. 7. Hoc enim verum est, non blasphemum: quippe proprius est Dei Filius Rom. 8. v. 32. & unigenitus, Joh. 1. v. 14. Deus creator & conservator omnium, Ioh. 1. v. 2. & 3. (ut pluribus ibidem demonstratum) æqualis Deo Patri, Phil. 2. v. 6. quemadmodum passim in Sacris Literis Christo Dei Filio, quæ soli Deo conveniunt, propria nomina, attributa, opera, cultus religionis ac gloria æqualiter tribuuntur. Quamobrem in mente verborum Christi intelligenda non errarunt Iudæi, sed quod ea falsa esse statuerent: ipsumque Christum propterea morte dignum judicarent. Unde etiam perspici potest, veteres & novos æternæ Deitatis Christi hostes, inprimis Arrianos gravissimè impegisse, quod Iudæos Christi mentem non rectè interpretatos esse, sed insigni calumnia eandem pervertisse confinxerunt. Contrarium enim ex antecedentibus Christi verbis constat. Nam qui dicit Patrem suum & se usque adhuc operari, scilicet eadem & similiter; ille dicit se Dei filium proprium, & parem Deo. Proprium enim est Dei, huc usque operari. Atqui Christus hoc dixit, ut ante ostendimus v. 17. Ergo dixit Patrem proprium esse Deum, parem se faciens Deo. Nam quod Arriani objectant, Christum hanc Iudæorum interpretationem quasi falsam, sequentibus confutare: contrarium ex iis liquebit, nimirum ipsum demonstrare se esse Patri æqualem, multis argumentis, quibus se Deo Patri confert: ideoque mortem, quam inferre quærebant, propterea non mereri; sed amorem & obedientiam. Qualia argumenta sunt, primùm quod quæcunque Pater facit, hæc faciat Filius similiter: 2. quod ipse sicut Pater, quos vult vivificat. 3. quod pariter cum Patre honorandus. 4. quod ut Pater, habeat vitam in seipso, ut vivificandi principium seu fontem. Atque hæc de secunda Iudæorum adversus Christum concertatione; cui deinde Christi defensio additur, responsione illius, quæ primum generatim (ut in priori factum) proponitur; deinde particulatim exponitur. Proponitur quidem v. 19. *Respondit ergo Jesus ac dixit eis*, verba scilicet eorum, non ore expressa, sed mente suppressa atque agitata respiciens ac confutans: ac docens se revera Deo Patri parem, responsionis modo, qui varia Patris & Filii collatione constat. Cujus 1. membrum operum paritatem, quam v. 17. prius indicarat, plenius describit reliquo hoc versu, præfatione præmissa, *Amen amen* (hoc est verissimè) *dico vobis*. Collatio verò duabus constat membris: primùm est, quæcunque Filius operatur, eadem etiam operatur Pater: secundum est vice versa: quæcunque operatur Pater, hæc Filius operatur similiter; Quibus eadem omnino omnia Patris & Filii opera statuuntur. Ac propterea, cum sub iis omnibus creationis & gubernationis omnipotentis opera & miracula, per divinam omnipotentiam edita contineantur, Filium eorundem cum Patre operatorem, Deo Patri parem esse omnipotentia, ideoque & essentia eundem esse, necesse est. Ac secundum quidem membrum licet suam aliquam habeat difficultatem, primum tamen longe difficilius, ideoque pressius explicandum. Verba autem sunt hæc: *non potest Filius à seipso operari quicquam*, ἐὰν μή τι, *nisi quid viderit Patrem operantem*, unde Arriani Deitatis Christi hostes, duo argumenta deducunt: primum est ex prioribus, alterum verò ex posterioribus verbis. Ex prioribus quidem hoc modo: quicunque æternus Deus est, ille potest operari à seipso. Filius autem non potest operari à seipso. Ergo Filius non est æternus Deus; cujus nodi solutio generalis est negatione consequentiæ: quia vitiosus est syllogismus, ob quatuor terminos: sed in expositione eorum particulari, nonnulla est discrepantia. Quidam enim statuerunt minorem terminum, seu vocem Filii, aliter atque aliter accipi: in assumptione, Filii vocem intelligi quatenus homo est, per communicationem idiomatum, qua personæ Christi, ab una natura denominatæ, tribuitur, quod ei convenit secundum alteram: quemadmodum, Marc. 13. 32. Filius non norat diem judicii, scilicet qua homo, seu secundum humanam naturam: aliàs Filius Dei omnia norat, qua Filius Dei seu Patri ὁμοούσιος per æternam generationem. Sic Filius Dei factus ex semine Davidis, secundum carnem Rom. 1. v. 3. Contrà verò in conclusione quæ controvertitur, vocem

cem Filii accipi, quatenus Filius Dei est. Verùm hæc veterum quorundam ac partim recentiorum, solutio, neque antecedentibus neque sequentibus convenit, utraque enim ostendunt de Filio Dei, quà Filius agi. Antecedentia quidem, quod eadem ab initio Patris & sua opera esse asseruit, v. 17. Atqui Christi opera quà homo fuit, ut edere, bibere, ambulare, &c. quomodo dicentur opera Patris? aut quomodo, quæ usque adhuc operatur, humanæ naturæ tribuentur? consequentia verò etiam obstant, quia dicitur: *quæcunque operatur Pater, Filius hæc similiter operatur:* quod non secundum humanam naturam, sed secundum divinam tantum Filio tribui posse, perspicuum est, ut Joh. 1. 3. *omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quare plerique meritò aliter respondent, nimirum non minorem terminum, sed medium, h.e. non vocem *Filii*, sed phrasin ἀφ' ἑαυτοῦ, *à seipso operari*, diverso sensu usurpatam, quatuor parere terminos. Nam à seipso aliquid bifariam dicitur, vel ut efficiendi potentiam notet, ut idem sit, quod sua vi; ut opponatur potentiæ alienæ: quo modo accipitur, Ioh. 18. v. 34. ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, *ex te ipso tu hoc dicis, an alii dixerunt de me?* & 2. Cor. 10. v. 7. *Cogitet* ἀφ' ἑαυτοῦ, *ex seipso*, id est, non meo instinctu. Ioh. 11. v. 51. *hoc verò* ἀφ' ἑαυτοῦ, *ex seipso non dixit*, h. e. non vi insita, sed alienâ, h e. instinctu divino: & 2. Corinth. c. 3. v. 5. *non quod idonei simus ad cogitandum*, ἀφ' ἑαυτῶν, *ex nobis ipsis*, id est, insita vi: vel accipi potest hæc phrasis ut non efficiendi vim: sed tantum ordinem ac primum terminum efficiendi designet. Priori autem modo accipi in propositione: quicunque enim æternus Deus est, ille ita operatur à seipso, hoc est, per se, non aliena ulla vi, sed sua: posteriori verò modo in assumptione è verbis Christi petita; quod à seipso non potest operari, hoc est, quod ordinis operandi primus terminus sit, non ipse, sed Pater. Quod quemadmodum à Patre ab æterno genitus existit: sic etiam à Patre operatur. Quod Pater, ut ratione ordinis personarum divinarum à se est, non ab alio: sic etiam in operandi ordine à se operatur, non ab alio: neque ab alio operari potest. Filius verò, ut personæ ratione est à Patre, sic operationis ordine non à seipso, sed à Patre operari dicitur, ut Johan. cap. 8. vers. 28. *à me ipso nihil facio*, & cap. 14. vers. 10. *Pater qui in me manet, ipse facit opera.* Quam ordinis, in eadem omnino operatione, distinctionem, Christus declaravit, Johan. cap. 15. vers. 26. *quem* (scilicet consolatorem Spiritum) *mittam vobis à Patre:* & 16. vers. 13. de Spiritu Sancto ait: *non enim loquetur à seipso: sed quæcunque audiverit, loquetur:* & v. 14. *de meo accipiet & annuntiabit vobis:* Neque rectè excipi potest, etiam priori modo phrasin, *à seipso*, pro eo, quod est suâ potentia, accipi debere in Christi verbis: quia contrarium ex sequentibus (ut alia præteream,) evincitur. Nam qui, quæcunque Pater operatur, hæc operatur similiter, & qui vitam habet in semetipso: denique qui quos vult vivificat, is non alienâ, sed sua potentia operatur. Talis autem Filius asseritur. Etsi enim operetur potentiâ Patris: ea tamen non est aliena, ac Patri propria: sed Filio per generationem æternam, non minus quàm ipsa essentia, communis. Ut enim unica est essentia divina: sic unica est potentia tribus personis communis; eaque etiam essentia ac potentia, non est à Patre, in Filio, effectione ipsius, sed sola communicatione.

Hactenus ad primi argumenti Arrianorum, ex primis hujus sententiæ Christi verbis arrepti confutationem. Alterum vero est ex sequentibus verbis desumptum: *nisi quid viderit Patrem operantem*, unde ita urgent: qui non potest quicquam à seipso operari, nisi quid Patrem viderit operantem, ille non est Patri æqualis. Filius autem Dei non potest quicquam à seipso operari, nisi quid viderit Patrem operantem. Ergo Filius non est Patri æqualis. Assumptio verba Christi continet. Propositionem autem confirmare conantur hoc modo: Qui non potest quicquam operari, nisi quid viderit Patrem operantem: illius operatio est posterior Patris operatione, ideoque non eadem, sed facta per imitationem operationis. Atqui Filius non potest quicquam operari, nisi quid viderit Patrem operantem: Ergò Filii operatio est posterior, ideoque non eadem, sed pro imitationem facta. Assumptionem agnoscimus: sed propositionem negamus: neque allata ratione rectè probatur. Nam primùm nititur infirma hypothesi: quasi verba illa ἐὰν μή τι viderit Patrem operantem, essent pars una enuntiationis hypotheticæ: antecedentia verò, pars altera; cum contrà antecedens sententia sit integra ac simplex: cujus ut subjectum est *Filius*, sic prædicatum, *non potest quicquam à seipso operari.* Cujus prædicati deinde expositio subjicitur, his verbis: *nisi quid viderit Patrem operantem.* Quibus verbis duo exponuntur: primum quid præcipuè significet, non à seipso posse operari: nempe nisi Patre operante, utpote qui per Filium operatur; secundum verò est operationis illius adjunctum, quod Pater non operatur, nisi id viderit Filius, hoc est cognoverit, seu non operari Filio inscio; Novit enim, ut Ioh. 7. v. 29. dicitur, Patrem, quia à Patre est. Neque inde rectè infertur. Ergo Patris operatio prior est, Filii posterior, ut qui Patrem, quem videt operantem, imitetur: quia hæc notitia non est operatione posterior, sed ei conjuncta. Nec ideo etiam opera Patris & Filii sunt diversa, sed prorsus eadem: quemadmodum hujus cognitionis subjecta probatio demonstrat, cum dicitur: (*quæcunque enim Pater facit*, ταῦτα *hæc* (ideoque non alia) *facit Filius similiter*, id est, eodem modo, eadem potentiâ: ac propterea Patrem, ob eandem cum ipso operationem, operantem videt, h. e. cognoscit. Deinde etsi necessariò ex Christi verbis sequeretur opera Patris, visionem Filii antecedere, quod falsum esse ostendimus: consequentia tamen adversariorum non esset necessaria: diceretur enim vocem *operantem* significare (per meton. effecti pro causa) volentem operari. Quemadmodum verba, quæ propriè effectionem significant, crebrò per velle efficere usurpantur: ut cum Judæi vellent Christum lapidare, Ioh. 10. 31. illud vocatur à Christo, & à Judæis lapidare, v. 32. & 33. Deinde, Ioh. 13. v. 27. dicit Judæ: *quod facis, fac citò: quod facis*, hoc est, quod vis facere, nimirum ut me tradas Iudæis: Qualia sunt apud Græcos multa, ut apud Eurip: in Orest. edit. Græcolat. p. 22. ἢν δ' ἐκτείνῃ σε, *Si te occiderit*, h. e. occidere velit. Atque hoc modo dici posset sensum hîc esse, nisi viderit Patrem operantem, h. e. velle operari: ut voluntas seu decretum operandi antecedat, non tempore, sed ordine notitiam illius: ideoque objectio etiam hac ratione tolleretur. Atque hoc ad defensionem solutionis datæ: quod verba illa: *nisi quid viderit Patrem operantem*, non sunt pars enuntiationis hypotheticæ (quasi altera pars esset, *Filius non potest quicquam operari à seipso*) sed expositio integræ sententiæ antecedentis, ideoque brevi paraphrasi Dominus Beza interposuit claritatis causa; *id est*, quemadmodum similis expositio requiritur, Ioh. 15. v. 4. *Palmes non potest ferre fructum à seipso, nisi manserit in vite*, ubi rectè similiter ante vocem *nisi*, perspicuitatis causâ, idem interpres voces, *id est*, interposuit. Quo etiam spectat quodammodo locus Iohan. cap. 16. vers. 13. *cum venerit* ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *ille* (id est,) *Spiritus veritatis.* Ac propterea non imperitè Dominus Beza (ut perperam objicit Maldonatus,) sed eruditè vertit: neque melior est, quam Maldonatus affert, interpretatio, ut εἰ μὴ pro *sed* accipiamus. Nam quamvis hoc modo (ut Latinis *nisi*) interdum usurpatur, ut 1. Cor. 7. v. 17. Gal. 1. vers. 7. & 2. vers. 16. Apoc. 21. vers. 27. hoc tamen in loco minus rectè congruit: quia non dicitur simpliciter εἰ μὴ, *nisi*, sed additur vocula τί, hoc est, εἰ μή τι, *nisi quid.* Neque dici jure potest vocem τι hîc redundare; quasi tantum intelligeretur μὴ; quia neque ex Sacris Literis, neque ex ullis Græcis authoribus, ab iis, qui hoc statuunt, probatur, μή τι significare simpliciter *non.* Neque huc referri potest, μή τι cum interrogationem notat, tum enim μὴ nequaquam significat, *non*, sed *an*, seu *nunquid.* Quod autem vulgatum interpretem secutus Iesuita, τί interpretatur *quod*, quasi τί poneretur, pro ὅτι: illud inquam dici quidem agnoscimus: sed hujus significationis non conjecturam, sed solidam è Græcis probationem adhuc desideramus: alioqui si ea extaret, commodissima sanè foret expositio. Quare præstat Bezæ expositio, ut verba illa, *nisi quid*, propriè accipiantur: & *nisi quid viderit Patrem*

operantem, superioribus addi, ut sint eorum interpretatio atque illustratio. Sed postremò objicitur ab Arrianis vers. 20. *Pater enim diligit Filium: & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & opera ipsis majora demonstrabit ei, ut vos miremini.* Unde sic concludunt: Pater demonstrat Filio omnia quæ ipse facit: Ergo Patris opera sunt priora, quàm Filii, eaque diversa; ac per consequens non est æqualis Patri. Verùm negatur consequentia, quia non dicitur: demonstrat ei omnia opera, quæ fecit, (ut de operibus antè factis) sed quæ facit. Demonstrare autem Filio opera illa, est Filio conscio operari: cum enim Pater omnia per Filium operetur, de quo Iohan. cap. 1. vers. 3. & quæcunque facit Pater, hæc operetur Filius similiter, hoc capite 5. (vers. antecedente, sequitur quæcunque facit Pater, ea Filium nosse: atque ita Filio demonstrabit, istis (nempe miraculis, cùm in ægri sanatione, tùm in virium integrarum restitutione editis) majora, quod per Filium, Patris facta videntem, cœcis visum, Iohan. cap. 9. vers. 7. & mortuis vitam restituit, Luc. 7 v. 14. & 15. & cap. 8. vers. 54 & 55. Iohan. cap. 11. vers. 43. & 44. Sed excipiunt Arriani: Pater operatur per filium: Ergo Filius est Patris instrumentum, ac propterea inæqualis est Patri. Verùm negatur consequentia: quia vox illa, nempe *per*, notat hic ordinem tantum diversum operandi (ut etiam aliàs frequenter) non operationis ullam diversitatem. Pater enim operatur à se: Filius à Patre per se, virtute sua, non alienâ. Nec enim solum operatur eadem quæ Pater: sed etiam similiter eademque potentia, ut v. 19. explicatum: instrumentum contrà, non similiter operatur ei, qui instrumento utitur; neque instrumentum habet insitam vim operandi, nisi à principali agente motum recipiat. Atque hac ratione loci hujus sententiam, adversus varias objectiones munire atque illustrare studuimus.

Capitis sexti vers. 1. ad 15. brevis expositio.

QUoniam hujus cap. 6. pars prima, à vers. 1. ad 15. descripta, quotannis in hisce Ecclesiis explicari solet: non alienum fore existimavimus, si eam strictim illustrare conaremur. Hactenus quæ à Christo Hierosolymis gesta sunt, & Iudæorum crudelis ingratitudo, quâ ipsum sunt persecuti, ac trucidare studuerunt: licet Dei providentiâ sint prohibiti, quo minus id exequi potuerint, ut ex anteced. cap. apparet; sequitur jam eventus illius declaratio, quod Christus suæ prædicationis & miraculorum gratiam, ab indignis alio transtulit. Duo enim hoc cap. 6. declarantur: primùm Christi è Judæa reditus in Galilæam: secundo ejusdem gesta ibidem. Reditus autem indicatur, partim tempus, partim locus. Tempus, cum dicitur; *post hæc*; id est, post illam Iudæorum Hierosolymis ingratam incredulitatem ac malitiam, & Christi defensionem oppositam. Locus est, quod *abiit trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.* v. 1. Gesta vero Christi, ut à Luca, Act. 1. dividuntur in opera & doctrinam: sic eadem hoc loco ordine recensentur commodis exemplis; nempe Christi miracula, & concio illius gravissima. Ac miraculorum describitur primùm occasio, sc. populi ad Christum concursus, quod eum turba multa sequebatur; deinde diversitas. Nam primum multa ejusdem generis describuntur: deinde singularia duo alterius. Multa quidem cum dicitur: *quia videbant, quæ edebat in ægrotis* (nempe sanandis) *signa*, i. e. miracula. Hæc enim sunt opera, præter & supra communem naturæ ordinem ac vires, à Deo edita, potissimum ad omnipotentiæ & veritatis divinæ significationem ac confirmationem, Ioh. 5. 36. Marc. 16. v. 20. Act. 14. 3. omnipotentiam enim indicant, quod causis secundis Deus non sit astrictus: veritatem verò, quia mendacii testimonium summè verax perhibere non potest: unde miracula ab effectu suo, *signa* etiam appellantur. Ut autem hæc sanationis hujus ægrorum multorum dignitas melius intelligatur, duo consideranda videntur, primùm discrimen illius à sanatione Medicorum: deinde causa, cur potius hoc miraculi genus quam alia ediderit. Ad sanationem enim Christi quod attinet: ea à medicorum sanatione differt plurimum. Medicorum enim arte sanatio facta naturam non excedit: Christi verò supernaturalis est, ac divina: sæpe quidem ratione subjecti seu morbi curati: semper verò ratione modi. Medici enim curant non omnes morbos: sed eos tantùm, qui naturali medicamentorum efficaciâ tolli possunt; deinde curant modo naturali, si instrumentum & tempus consideres. Nam medicamentis utuntur quæ insitam curandi vim obtinent, & paulatim tantum curant, lenteque vires restituunt: Christus verò curat quosvis morbos, etiam maximè naturâ incurabiles, & quidem virtute supernaturali ac divina, quod ex modo demonstratur: Ac primùm ex adhibitis quasi instrumentis, quæ aut nullam sanandi vim habent in se, ut cùm voce curat ac sanat: aut interdum contrariam habent ac nocentem vim, ut cùm cœci oculos luto oblitos aperit, Joh. 9. Secundò tempore: nec enim valetudinem neque vires restituit paulatim, sed momento. Quamobrem rectè non artem declarasse: sed signa, hoc est, potentiæ Dei documenta in ægrotis edidisse hoc loco asseritur. Atque hac etiam ratione miracula Christi à Satanæ operibus admirandis distinguuntur, forma nimirum & fine. Ac forma quidem bifariam. Nam Christi miracula fuerunt præter naturæ, seu causarum secundarum ordinem ac vires. Contra verò Satanæ opera secundum naturam seu naturalibus causis fiunt, etsi sæpe occultis: quas ipse pro ingenii sui sublimitate & usu longo, tanquam optimus physicus exploratas habet, & pro summa agilitate sua ad effectum producendum accommodat. Atque hinc sæpè fit, ut ex causarum ignoratione id verum miraculum esse falsò putetur, quod ejus tantum similitudo est ac larva: qualia miracula fuerunt Magorum in Ægypto. Deinde Christus multa edidit miracula, quæ Diabolus ne specie quidem, sine præstigiis seu oculorum fascinatione imitari potest: Cujusmodi sunt omnia quæ naturalibus causis fieri non possunt, sed sola Dei omnipotentia, ut visus & auditus omnis extincti restitutio, & mortuorum vivificatio. Hæc de discrimine miraculorum in forma ipsa posito: cui alterum, in fine consistens, accedit. Nam Christi miracula, facta sunt potissimum ad doctrinæ antè à Deo traditæ, & ad potentiæ illius gloriam, & hominum salutem. Contrà verò Satanæ miracula ad ipsius & pseudoprophetarum honorem impium, & ad erroris patrocinium, hominumque exitium eduntur. Ideoque Christi miracula, cùm immediatè, tum mediatè per Apostolos, facta, omnibus modis forma ac fine, meritò *vera* appellantur: contrà verò Satanæ miracula ob formæ & finis vitium *falsa* appellantur, 2. Thess. 2. vers. 9. 10. 11. ac propterea illa non propriè, sed impropriè per metaphoram (ob quandam verorum miraculorum similitudinem) *miraculi* nomen in Sacris Literis obtinent. Denique ad hujus loci & similium illustrationem, etiam observandum est discrimen, inter Christi & sanctorum Apostolorum aliorumque piorum hominum miracula, duplex: partim in efficiendi, partim in finis destinati modo consistens. Nam efficiendi modus diversus est: Christus edidit miracula propria sua virtute atque authoritate, tanquam verus Deus, Marc. cap. 2. vers. 10. & 11. & cap. 5. vers. 30. & cap. 16. vers. 20. & Iohan. cap. 5. vers. 19. 21. 23. Apostoli verò aliique sancti, ut ministri, non suo, sed Christi Domini sui authoris nomine atque virtute, Matth. 10. vers. 8. Act. 3. v. 6. & 12. & 9. vers. 34. Eaque virtus non ipsis Apostolis inhærebat: sed tantum exterius conjuncta erat, atque ad ipsorum petitionem, vel præsentiam miracula effecit. Alterum verò discrimen, in finis modo consistens, est quod miracula quæ Christus ipsemet edidit, in eum finem facta sunt, primùm ut ostenderet seipsum esse Messiam promissum, Deique Filium, Matth. 11. vers. 2. 3. 4. 5. Iohan. 5. vers. 36. unde secundus finis promanans fuit, ut in Iesum, tanquam salutis authorem crederetur, Ioh. 10. v. 37. & 38. & 14. v. 11. in quem etiam finem Christi miracula, ab Apostolis sunt descripta. Ioh. 20. v. 30. & 31. Contrà verò Apostoli quamvis miracula ediderint, ut causa ministra, in eundem reipsa finem, modus tamen illius fuit diversus. Non enim idcirco ea edebant, ut seipsos esse Messiam Filiumque Dei ostenderent: sed ut Iesum, cui ministrabant, eum esse testarentur: neque etiam ut in ipsos crederetur, sed ut in Iesum credendum demonstrarent, cujus nomine & virtute accedente fierent

miracula,

miracula, Act. 3. verf. 6. 12. & 16. Atque hactenus miraculorum sanationis ab ipsomet Christo editorum dignitas, quæ ex discrimine sanationis Medicorum: & miraculorum Satanæ, atque etiam Apostolorum demonstrata. Alterum verò hoc loco explicandum superest, nempè causa, cur potius hoc miraculorum genus à Christo sit editum (ut Matth. 4. verf. 23. & 24. cap. 15. v. 30. 31.) quam alia, estque multiplex: Prima enim fuit, quod Christus, pro sua sapientia noluit curiositati hominum inutili, & vano desiderio (ut Matth. 16. verf. 1. & 4.) sed utilitati eorum inservire, quemadmodum Act. 10 verf. 38. dicitur: quod *Jesus obambulavit beneficiis afficiens & sanans.* Altera causa fuit, quia talia erant à Deo decreta ac per Prophetam prædicta de Messia, ut Esa. 35. v. 4. 5. 6. *Ipse advenit servaturus vos, tum aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patefient, tunc saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti.* Ideoque Christus à Iohanne Baptista per discipulos ejus rogatus, an esset Messias qui venturus erat, ex iisdem miraculis, & ex doctrina Euangelii illud comprobavit, Matth. 11. verf. 4. & 5. dicens, *renuntiate Johanni quæ auditis & videtis: cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, & mortui excitantur, & pauperibus euangelizatur.* Tertia causa hujus generis miraculorum sanationis corporalis, fuit ut eo modo adumbraret, se esse verum illum Messiam, qui merito passionis suæ, pœnas peccatis nostris debitas perferendo, ab iisdem pœnis nos sanavit, ut Matt. 8. 16. & 17. explicatur: *obtulerunt ei* (Christo sc.) *dæmoniacos multos, & ejecit Spiritus verbo: omnesque malè affectos sanavit: ut impleretur quod dictum est per Jesaiam prophetam: ipse invaletudines nostras accepit, & morbos portavit*, nimirum ut ipso ferente iniquitates nostras, h. e. pœnas iniquitatum nostrarum, ab iisdem sanaremur seu liberaremur, ut Esa. 53. v. 4. & 5. docetur. Postrema denique causa talium miraculorum in sanandis afflictis ea fuit: ut benevolentiam atque attentionem populi sibi compararet, eoque gradu ad fidem alliceret. Nam divina potentia in miraculis relucens, movet quidem spectatores, sed ei conjuncta preterea admiranda illa erga plurimos homines miserrimè afflictos misericordia ac beneficentia, majores animis addit stimulos ac promovet ad Christum sequendum: ut cùm alibi, tum Matt. 4. v. 24. & 12. v. 15. & 15. v. 30. & 31. ut etiam ex eventu horum miraculorum apparet. Nam ut adventus populi ad Christum, occasio fuit prædicati à Christo Euangelii & sanationis ægrorum. Luc. 9. v. 10. & 11. sic ea doctrina & miracula edita causa fuerunt, ut ex hoc loco Iohannis v. 2. apparet, cur Christum, à populo sese in locum desertum recipientem, nihilominus sint secuti. Atque hactenus primum miraculorum genus, in sanatione ægrorum multorum consistens, explicatum est: sequuntur deinde duo singularia, diversi generis: quorum primum est multorum millium admiranda cibi multiplicatione, saturatio, quod à verf. 3. ad 16. describitur tribus modis: primum suis circumstantiis; deinde causis: denique eventu. Circumstantia est miraculi locus, tempus & præparatio illius. Locus quidem communis, est Galilæa, in quam Christus venerat, ut ex verf. 1. constat: proprius verò fuit urbis Bethsaidæ desertum, (Luc. cap. 9 verf. 10.) monti, in quem Christus cum discipulis ascenderat, subjectum, verf. 3. Id quod omninò factum videtur, ut ea loci deserti, ac populi sequentis fatigati, ciboque destituti, occasione, miraculum hoc efficeret: quemadmodum etiam postea simili occasione à Christo factum, Matth. 15. v. 32. & 33. Tempus autem miraculi indicatur à Ioanne indicio mensis, quod festum Paschatis esset propinquum v. 4. id quod mense Nisan seu Martio celebrabatur. Lucas verò c. 9. v. 12. etiam tempus, ratione partis diei indicat, nempe quod dies jam declinaret ad vesperam. Atque hæc de miraculi circumstantia utraque, cùm loci, tum temporis. Tertia verò, nempe præparatio illius, primùm explorationem Apostolorum: deinde Christi mandatum, & adjunctam ejus obedientiam complectitur. Quorum prius constat Christi quæstione, & Apostolorum responsione. Quæstionis autem primùm proponitur occasio (nempe turbæ multæ ad ipsum adventantis conspectus) & modus, *unde ememus*, &c. v. 5. deinde exponitur à fine suo, seu cur quæstionem illam proposuerit: nimirum ut *tentaret*, hoc est, exploraret Apostolum Philippum, quem compellavit: non autem ut illud, quod quærebat, sciret: *ipse enim sciebat quid facturus esset*, v. 6. Ac rectè ad hunc locum Aug. *Interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes, ut discamus: aliquando interrogamus, quod scimus, scire volentes utrum & ille sciat quem interrogamus. Utrumque hoc noverat Dominus, & quod interrogabat sciebat, & quid esset futurum ipse noverat, & hoc nescire Philippum sciebat similiter: quare itaque interrogabat? nisi quia illius ignorantiam demonstrabat.* Hæc August. Nec malè addit Cyrillus: *rudiorem ad sublimiora ingenio consequenda, & ad fidem vocans & roborans, rogat.* Hæc de Christi quæstione: cui succedit Apostolorum responsio: quæ imbecillitatem fidei eorum declarat, quod rei difficultatem & humanas vires potius considerarent, quam Christi Filii Dei potentiam. Ea autem responsio est duplex: prima quidem Philippi, quem Christus nominatim interrogarat verf. 7. altera Andreæ fratris Simonis Petri verf. 8. & 9. Atque ita exploratio Apostolorum finitur: cui deinde additur alterum præparationis miraculi membrum, nempe Christi mandatum: & adjuncta illius obedientia prompta. Mandatum proponitur & exponitur verf. 10. proponitur quidem his verbis: *dixit autem Jesus, facite ut isti discumbant*, scilicet distinctè per centenos & quinquagenos, ut Luc. 9. verf. 14. dicitur. Quo gemina actio exigitur; primùm Apostolorum, ut Christi nomine turbæ imperent ut ea discumbat humi: & turbæ deinde ut pareat. Exponitur autem hoc mandatum à facilitate illius, seu à discumbendi in terra commoditate: *quia erat multum gramen eo in loco.* Obedientia verò promta Apostol. & turbę exprimitur cum dicitur: *discubuerunt ergo:* & numeri adjuncto describuntur discumbentes, cum dicitur: *viri numero circiter quinquies mille*, h. e. (ut Matth. 14. v. 21. declaratur) absque mulieribus & pueris. Cujus explicationis numeri finis est, ut obedientia turbæ magis ad imitationem nostram commendetur: & deinde inprimis, ut miraculi magnitudo ac potentia eo amplius, ad Christi gloriam cognoscatur: quemadmodum in simili miraculo describendo factum, Mat. 15. v. 18. denique ut Apostoli Christum sequentes, in ejusdem potentia & bonitate comperta fidem ac spem suam firmius collocarent; & de victu obtinendo magis essent securi, ut Mat. 16. 8. 9. 10. Christus hunc usum exponit. Atque hęc de tertia circumstantia, sc. præparatione illius, quæ exploratione Apostolorum, & Christi mandato adjunctaque obedientia continetur, ac prima est narrationis hujus singularis miraculi pars. Altera verò pars succedit: qua exponitur causa efficiens, materia & forma: seu quis miraculum fecerit, in qua re, & quomodo. Ac primùm efficiens persona indicatur, nempe Jesus, qui id solus edidit: impulsiva verò causa efficiens interna fuit, illius misericordia: externa verò, populi, gregis instar, pastore destituti miseria, Marc. 6. v. 34. Materia deinde subjecta, seu res illa in qua miraculum effectum, est cibus exiguus, quinque scilicet panum & duorum piscium. Qui cibus describitur ab adjuncta actione gemina; primùm Christi: deinde Apostolorum, Christi quidem, quod eos panes, ut hic dicitur, & pisces (ut Matt. 14. 19. exprimitur) acceperit; deinde quod gratias egerit (Deo scilicet Patri, in cælum suspiciens Matt. 14. v. 19.) ut ad usum & esum, pro officio pietatis, & more suo sanctificaret 1. Timoth. 4. v. 4. & 5. præterea (ut Matt. 14. 19. & Mar. 6. v. 41. & Luc. 9. 16.) fregit: denique distribuit discipulis seu Apostolis, ut sc. apponerent discumbenti turbæ Marc. 6. 41. Actio vero Apostolorum fuit, quod Christi potentiæ credentes, & mandato ejus obtemperantes, cibum turbæ apposuerunt ac distribuerunt. Forma verò seu modus miraculi est cibi fracti inter Apostolorum distributionem, virtute Christi divina multiplicatio, turbæ abunde sufficiens. Qualis etiam postea à Christo facta Mat. 15. 37. & olim ejusdem filii Dei virtute, ad votum Eliæ, in farinæ & olei modici viduæ Sareptanæ longa accretione 1. Reg. 17. 14. & v. 16. & in olei modici viduæ cujusdam Prophetæ, secundum Elisæi prædictionem & consilium incremento admirabili, 2. Reg. 4. verf. 5. 6.

Cœterùm hæc fracti panis & piscium multiplicatio, non exprimitur quidem: sed effectis suis duobus perspicuè demonstratur. Quorum primùm, est saturatio totius turbæ: alterum vero est residuorum fragmentorum collectio ac copia. Saturitas autem declaratur à Ioanne. vers. 11. quod discipuli dederint iis cibi tantum, quantum volebant: & vers. 12. additur quod expleti sunt, & Matth. 14. 20. dicitur: *& comederunt omnes & saturati sunt*, scilicet numero viri circiter quinquies mille absque mulieribus & pueris, ut vers. 21. ibidem traditur. Residuorum verò fragmentorum collectio quidem à Christo Apostolis, ad frugalitatis commendationem, ne quid periret: & ad miraculi splendorem mandata vers. 12. atque ab Apostolis facta vers. 13. copia verò fragmentorum indicatur his verbis: quod *compleverunt duodecim cophinos* (*sive corbes*) *fragmentorum ex quinque illis panibus*, (& ut Marc. 6. vers. 43. declaratur ex piscibus illis, scilicet duobus) *quæ superfuerant iis qui comederant*, vers. 13. Hæc de hujus miraculi forma seu modo, panum scilicet & piscium paucorum admiranda multiplicatione, ad turbæ satietatem abundè facta. Finis verò hujus miraculi à Christo facti non exprimitur quidem, sed ex iis quæ de miraculis generatim ante diximus, & ex sequentibus etiam satis colligi potest, nempe communis finis, ut eo miraculo omnipotentiæ suæ opere ostenderet Iesus seipsum esse Christum; & ut auditores crederent in ipsum ad salutem æternam, Ioan. 20. 30. 31. Matth. 11. 3. 4. 5. Proprius verò finis videtur fuisse: ut quemadmodum miraculosa sanatione morborum, sese liberatorem nostrum à pænis æternis significarat ac probarat, ut ex Matth. 8. v. 16. & 17. constat: sic etiam miraculosa panum multiplicatione ac corporis nutritione, se esse panem cælestem designasse videtur: ut in ipsum credentes, eumque fidei ore manducantes, saturarentur ac vitam æternam obtinerent: quod indicari omninò videtur hoc capite sexto, cum postea saturatis hisce objicit vers. 26. *quæritis me, non quod vidistis signa* (iisque scilicet commoti in me credatis) *sed quod edistis è panibus & saturati estis*, hoc est, quod non Christum tanquam cibum mentis, sed panes tanquam cibum ventris requirerent: ideoque vers. seq. 27. hortatur, ut contrà cibo mentis (nempe Christo) acquirendo darent operam, hoc est, vers. 29. in ipsum crederent. Quæ verò alia, in consectandis diversis allegoriis, nonnulli veterum & recentiorum huc adducunt, ea à Sacr. literarum sinceritate multum recedunt: in quibus tamen, ob sacrosanctam earum dignitatem, ingenii humani lusus omnes sunt fugiendi. Atque hæc de secunda historiæ hujus singularis miraculi parte, nempe causis omnibus; superest tertia pars atque ultima, nempe miraculi eventus duplex. Prior est vers. 14. populi ex eo ortum judicium, nempe Iesum esse Christum, cum dicunt: *hic est verè* (non falsò, ut quidam antè pseudoprophetæ) *propheta ille, qui venturus erat in mundum*. Hæc enim est Messiæ periphrasis, petita (ut omnino videtur) ex Deut. 18. v. 15. *prophetam è fratribus vestris excitabit vobis Deus*. Quo modo κατ' ἐξοχὴν Christus intelligitur prophetarum princeps: hæc enim verba sunt illustris de Christo prophetia, quemadmodum disertè Actor. 3. vers. 22. 23. & 24. demonstratur. Quo etiam pertinet primùm illud Samaritanæ Ioann. 4. vers. 25. dictum: *novi quod Messias veniet: cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia*. Deinde illud etiam Baptistæ Matth. 11. v. 2. Christo propositum per discipulos, non sua causa (hoc enim norat, & jam ante testatus erat) sed discipulorum causa; *Tune*, inquit, *is es, qui venturus erat, an alterum expectamus*? Cœterum ne quis impingat, observandum est, quod hæc fides turbæ non fuit satis recta: quia ex communi Iudæorum errore, nec personam hujus prophetæ, neque attributum illius officium ac beneficium sincerè credebant. Nam ad personam quod attinet, non Immanuelem seu θεάνθρωπον, Deum patefactum in carne: sed ψιλὸν ἄνθρωπον merum hominem esse credebant: deinde ad attributum officium quod attinet: prophetam quidem agnoscebant, sed reliquorum tantùm more, (etsi præstantiorem gradu) quasi exterius tantum docere posset, non autem mentes pro arbitrio ac divina sua virtute illustrare, animosque convertere: deinde talem prophetam, qui miracula non vi sua insita efficere possit: sed ea à Deo tantum impetrare valeret. Qualis fuit initio fides cæci nati ac sanati à Christo Ioan 9. v. 31. deinde Sacerdotem fore credebant, qui bruta offerret Deo, non autem seipsum ad redemptionem Ecclesiæ: denique ad Regium officium quod attinet, regnum illius mundanum credebant, ac beneficia mundana: victoriam de hostibus omnibus, pacem, alimentorum copiam, opesque & honores expectabant. Id quod ex altero, miraculi hujus in eadem turba, eventu, apparet, vers. 15. Is enim est propositum illorum ut ad Christum venirent, eumque correptum, regem statuerent, vers. 15. nimirùm non ut ab illo tanquam rege spirituali gubernarentur verbo & Spiritu Sancto, ipsosque adversus omnes spirituales hostes tueretur, ac regni sui cælestis tandem participes efficeret, sed in regem mundanum, à quo beneficia mundana expectarent: quemadmodum hoc perversum eorum judicium ac propositum Christus ipsis exprobrat hoc capite vers. 26. Ideoque etiam effectum ex hoc proposito consequens confirmat; quia ut Euangelista ait vers. 15. *Jesus ergo cùm hoc nosset* (scilicet per divinæ suæ naturæ internam revelationem) *secessit rursus in montem solus*, hoc est, è planitie (in quam descenderat ad turbam) relictis ibidem discipulis, jussuque suo coactis navigio præire Bethsaidam Marc. 6. vers. 45. rursus se subduxit in montem solus. Id quod ob vesperam (quæ ex vers. 16. apparet) secretius fieri potuit: eoque etiam modo, sua à discipulis absentia, alteri miraculo singulari, in mari præstando, viam præparavit, quod sequentibus explicatur. Atque hactenus horum quindecim versuum explicatio.

Adversus 19. & 20. illustrationem, succincta doctrinæ de Timore adumbratio.

QUoniam hoc cap. 6. v. 19. & 20. timoris discipulorum, à Christo reprehensi, fit mentio: & alibi etiam interdum timor reprehenditur: interdum verò commendatur ac præcipitur, non importunum fore speramus, si paucis doctrinam *de Timore* complectamur: ut eo facilius, quid de eo in explicatione S. literarum sit distinctè statuendum, dignoscamus. Ut autem à definitione ordiamur: Timor est animi affectus, quo malum futurum mente apprehensum, aversatur: aut (ut Ciceroni in Tusculanis visum) *futuræ ægritudinis solicita recordatio*. Cujus timoris objectum statuitur malum, futurum nimirum; sive reipsa, & malum sit & futurum sit; sive opinione tantum. Unde pro distinctione mali duplicis: timor alius est mali culpæ, sive peccati: alius mali pœnæ ac supplicii. Ac timor peccati est, qui ex periculi illius conscientia oritur: & distinguitur in eum timorem qui per se est: aut per accidens, seu per aliud tantum. Per se quidem, cum timetur peccatum tanquam malum, duplici bono repugnans: primùm bono gloriæ Dei, seu justitiæ à Deo mandatæ, quia peccatum est legis transgressio 1. Ioann. 3. vers. 4. alterum bonum est perfectio nostra, quæ in perfecta animæ justitia atque obedientia erga Deum potissimum posita est: qui timor præcipitur Philipp. 2. vers. 12. & 2. Corinth. 7. 1. Timor verò peccati per accidens seu propter aliud tantùm, est cum peccatum metuitur quidem, sed non quatenus peccatum est, seu Dei legis violatio, sed ratione effecti, seu quatenus stipendium illius est pœna. Prior peccati timor *filialis*, hoc est, liberalis: posterior *servilis*, vulgò dici solet. Atque huc distinctè illud referunt Poëtæ dictum.

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ, scilicet tantum.

Hæc de timore peccati seu culpæ. Timor verò pœnæ, ratione causæ efficientis, aut naturalis est, aut moralis. Naturalis, qui à natura insitus est: quæ sicut sui conservationem, insita à Deo facultate appetit: sic contrà dolorem & destructionem sui eadem ratione aversatur, & periculum ejus reformidat. Quare hic timor absolutè ac per se consideratus peccatum non est: quia à naturæ authore Deo promanat: sed per accidens circumstantiarum moralis fit, cum

sit, cum à bono more aut malo existit: unde etiam bonus vel vitiosus pœnæ timor appellatur. Bonus is est, qui à bono principio, bono modo, bonoque fine regitur. A bono principio, cùm ex certa veri mali notitiâ, & ex verbi Dei fide, secundum illius normam, ad gloriam Dei tendit. Qualis fuit Christi timor Matth. 26. v. 37. & 38. naturâ ipsi inditus, & fide in Deum, modo ac fine bono directus: ut Christi perfecta sanctitas evincit. Vitiosus verò est, qui ab hisce conditionibus declinat. A principio quidem bono: si timor cum incredulitate ac diffidentia misericordiæ Dei sit conjunctus; quomodo 1. Joann. 4. v. 18. dicitur: *timor non est in charitate; sed perfecta charitas ejicit timorem, timor enim cruciatum habet, qui verò timet, non perfectus est in charitate.* Timorem enim Joannes intelligit, qui opponitur fiduciæ Christianæ, ut ex vers 17. antecedente apparet. Deinde à principio etiam recto declinat timor, cum causa impulsiva illius, seu objectum movens vel bonum est ac metuitur quasi malum (quemadmodum Apostoli Joan. 6. vers. 19. & 20. Christum quasi spectrum æstimantes metuerunt perperam) vel malum est, quod tamen non futurum docetur verbo Dei: idque aut promissione generali, aut speciali. Sic malè metuebant Apostoli ob tempestatem in mari suum interitum, Christo servatore cum ipsis in nave præsente, Matth. 8. vers. 25. 26. Secundò timor à modo recto declinat, cum aut minor est, aut major quam debebat. Minor; cum ex vana confidentia & inobedientia non satis timetur, quantum ad fugam peccati timendum erat. Qualis est timor in hominibus qui temerè neglectis legitimis mediis, pericula non necessaria incurrunt. Quemadmodum Petrus, virium suarum imprudenti præfidentia, Luc. 22. vers. 33. neglectoque Christi, de trina ipsius futura abnegatione monitu: in aulam summi sacerdotis, inter Christi hostes capitales sese intulit, & periculo tentationis, cui impar erat, temerè sese exposuit, Joan. 18. vers. 16. 17. Major verò timor est quam esse debebat, qui ex incredulitate, vel ex impatientia procedit, modumque justum excedit. Incredulitate quidem, aut plenâ aut aliquâ: Plena quidem, cùm promissionibus Dei omninò fides derogatur, qualis timor in hominibus infidelibus, Caino, Juda proditore, cæterisque similibus apparet. Aliqua verò incredulitate timetur, cum non plenè sed partim de promissionibus Dei dubitatur. Qualis timor est etiam in verè fidelibus: in quibus, ut regeneratio nondum absoluta est: sic fides & spes seu fiducia adhuc imperfecta est, ob carnis adversus spiritum repugnantis contagionem, de qua re Galat. 5. vers. 17. Impatientia verò peccat timor, cum Dei auxilium, illius invocatione & rectis mediis non expectatur patienter: sed malis mediis eorum loco arreptis, imminenti pœnæ aut periculo occurritur: ut Saul instantis prælii periculo perterritus, contra Dei voluntatem, sacrificia ad sui liberationem ac populi, perperam obtulit 1. Samuel. 13. vers. 9. cum 13. Atque hæc de timore pœnæ vitioso, ratione modi. Denique timor vitiosus est ratione finis, cum homines bona terrena, nempe vitam, commoda, aut honores suos, summo bono scilicet Dei gloriæ & saluti suæ præferunt. Qualis eorum est timor, qui tyrannos veritatis & sanctitatis persecutores plus metuunt quàm Deum ipsum, & mortem temporalem amplius timent, quam æternam. Quem timorem Christus, Matth. 10. v. 28. gravibus rationibus prohibet, ac Dei timore imperato, corrigit. Atque hæc strictim de timore diximus.

Observatio, ad historiæ miraculi Johan. 6. v. 16. ad 22. & similium historiarum, sensum sincerum conservandum, conducens.

Illustris omninò est hæc navigantium Apostolorum nocturno tempore, vento adverso, & miraculorum Christi (quibus recreati & in fide confirmati sunt) historia; quæ collatione Matth. 14. & Marc. 6. plenius intelligitur. In qua explicanda, Veterum allegoriæ (ingeniosæ magis, quam aptæ) ne iis à sinceritate scripturæ seducamur, cavendæ sunt. Quamvis enim in Vet. Testamento extent non solum historiæ nudæ: sed etiam quædam simul typicæ, quæ præter proprium rerum sensum, secundariò etiam rem aliam adumbrabant, illud tamen non est mirandum, quia umbræ tales, Christo nondum exhibito, conveniebant, Coloss. 2. vers. 17. & Hebr. 10. v. 1. Neque tamen typi prophetici, nisi Scripturæ expositione præeunte, sunt statuendi. At illud de Novi Testamenti historia, nisi certa ejus sint indicia, probari non potest. Sed objicit Augustin. in explicatione hujus historiæ Joann. 6. ut probet naviculam Apostolorum, significasse Ecclesiam, cum dicit: *Si non hoc primò in Ecclesia intelligimus, quod illa navicula patiebatur, non erant illa significantia, sed simpliciter transeuntia: si autem videmus exprimi in Ecclesia, veritatem illarum significationum: manifestum est hæc facta Christi genera esse locutionum, &c.* Hactenus ille. Sed negatur meritò consequentia. Etsi enim similitudo quædam est inter Ecclesiam, mundi hujus adversitatibus obnoxiam: & naviculam Apostolorum, vento adverso & fluctibus impetitam: & inter utriusque per Christi gratiam ac potentiam, felicem exitum: quæ similitudo ad conditionem Ecclesiæ, comparatione quadam illustrandam, non autem probandam, docendi gratia, utiliter adferri potest, inde tamen non sequitur, hunc esse propheticum ac mysticum hujus historiæ aut rei gestæ scopum. Alioqui quot similitudines ex gestis Novo Testamento narratis peti possent, tot essent mysteria, quo nihil absurdius esse constat. Altera verò objectio Augustini est: cùm facta Christi probabili ratione carent, mysterium in iis latet. At hoc interdum fit, quod Augustin ex vers. 15. probat: *Neque enim (inquit) verè, si nollet, teneretur: si nollet, raperetur: qui si nollet, nec agnosceretur. Nam ut noveritis esse mysticè factum, non ex necessitate, sed significante dispositione, &c.* Hæc inquam ratio Philonem Iudæum & post eum Christianos Theologos, Clement. Alexandr. & maximè Origenem ejusque imitatores movit, ut ubicunque in Sacris Literis probabilis, facti aut historiæ, ratio obscurior est, ea loca allegoricè variis conjecturis interpretati sint: partim imprudenti quodam zelo, ut scilicet Sacr. Literarum simplicitatem adversus fastum & contemptum Ethnicorum tuerentur (quo etiam modo externo Dei cultu præscripto, varias ceremonias in eundem finem affinxerunt) partim infirmitate quadam humana, ut ingenium suum monstrarent. Sed respondemus jam ad Assumptionem, facta Christi semper esse cum ratione conjuncta, etiamsi rationem non semper capiamus: ideoque reticente Scriptura, vitanda est temeritas. Nec sequitur quod opponit August. si Christus non necessitate secessit, ergo mysterium in eo latet: nam interdum Christus conatus adversantium vi divina repressit immediatè: interdum mediis uti voluit atque usus est, moderatione prudentissima: ut in hoc loco objecto, Christus recessu suo in montem consilia auditorum (imprudenti zelo, spirituali suo regno adversantium) dissipavit: partim mora injecta, qua subitus atque inconstans turbæ impetus deferbuit: partim testificatione animi sui à dominatione mundana aversi: denique ut eo recessu ac dimissis navigio Apostolis, ad novi & multiplicis miraculi occasionem commodè uteretur, seque Filium Dei, ac domitorem maris & ventorum, verum Deum ac Dominum demonstraret, eoque modo Apostolos in vera fide & fiducia in Iesum Christum Filium Dei, infirmiores, confirmaret, ut eventus clarè ostendit, Matth. 14. vers. 31. 32. Hactenus observatio, ad Historiæ Ioann. 6. v. 16. ad 22. sinceritatem conservandam pertinens.

Illustratio sententiæ Christi Joan. 6. vers. 29.

Celeberrimum est Christi dictum Ioan. 6. vers. 29. τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς, (supple αὐτὸν) ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος: *Hoc illud est opus Dei: ut credatis in eum, quem misit ille.* Ad cujus intelligentiam disquiritur, quidnam *opus Dei* hoc in loco significet: Hâc enim de re diversa sunt Theologorum judicia. Nam primum multi opus Dei exponunt quod ipse operatur, ut Actor. 15. v. 18. & alibi passim: idemque succinctè ac clarè ita dici arbitrantur quod pluribus traditur vers. 44. *Nemo potest*

venire ad me nisi Pater &c. & vers. 65. *nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo*, & Philipp. 1. v. 29. *vobis ἐχαρίσθη gratis datum est, pro Christo, non solum in ipsum credere*; Ephes. 2. v 8. *καὶ τοῦτο & hoc* (id est, hæc res, fides hæc) *non ex vobis, Dei donum est:* Ideoque locum hunc Ioan. 6 idem omninò designare censent; ac propterea hoc argumento uti solent, ad fidei causam efficientem, contra gratiæ Dei adversarios demonstrandam. Verùm hæc sententia etsi per se considerata, sine loci circumstantiis veritati sit consentanea, quia Deus fidem operatur: & fidei opus perficit, Philipp. 1. v. 4. 5. 6. & 2. Thessal. 1. v. 11. hujus tamen loci circumstantiis non rectè convenit. Scopus enim Christi est, non ut Dei beneficium, quod ipse in hominibus operatur: sed ut hominis officium declaret: quemadmodum hoc constat, primum ex vers 27 *operamini* (hoc est, operam date) *non cibo qui perit, sed cibo qui permanet in vitam æternam:* deinde ex quæstione Capernaitarum inde orta vers. 28. *quid*, inquit, *faciemus, ut operemur opera Dei?* Ergo opera Dei non significant hic ea, quæ Deus operatur, scilicet quatenus operatur: sed opera ab hominibus Deo præstanda: ad quam quæstionem explicandam pertinet hæc Christi descriptio cum ait: *Hoc est opus Dei* (nempe de quo locutus sum, & cujus vos interpretationem quęritis) *ut credatis in eum quem misit ille.* Unde satis perspicuum est, per opus Dei, non significari id quod Deus ipsemet operatur, sed quod auditores operari vult. Verùm objiciat aliquis, hoc non videtur Sacris literis convenire, nam id quod homo operatur, illud non est opus Dei: Atqui fides seu credere in Christum, est opus Dei, citra controversiam ex locis ante citatis: Ergo fidem homo non operatur. Sed negatur propositio: quia unum idemque, diverso causarum genere, & Dei, & hominis potest esse opus. Dei quidem, tanquam causæ primæ ac primariæ: hominis verò ut causæ secundæ ac secundariæ: ut Philipp. 2. 12. dicitur: *cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem κατεργάζεσθε conficite*, & vers. 13. *Deus enim is est qui efficit in vobis* (ecce opus Dei indicatur ut causæ principis) *ut velitis & efficiatis* (en opus hominum fidelium tanquam causarum secundarum.) Sed rursus excipi potest: Fidem solius Dei opus ab orthodoxis appellari, verum illud est, ac scripturæ consentaneum; sed distinctè tamen intelligendum. Nam fides in Christum est duplex: habitualis & actualis. Habitualis, est virtus divinitus per Spirit. Sanctum audito Euangelio infusa: quo habitu virtutis fidei habiles seu idonei redduntur, ut actu Euangelio credant: quæ fides actio est non hominis: sed qualitas permanens, à qua fideles nominantur, & solius Dei per Spirit. S. regenerantis est opus, non autem hominis qui fide donatur. Atque hoc est quod vulgo in Scholis dici solet: homo ratione hujus habitus se habet merè passivè: hoc est, subjectum est, cujus animæ ea fides divinitus inditur; non autem causa efficiens, nec prima nec secunda. Actualis verò fides, est ipsa credendi actio transiens: cujus causa efficiens prima ac mediata est Deus, qui fidem habitualem indidit, atque Euangelii prædicatione & Spirit. S. efficacia eandem ad actum credendi producendum excitat ac dirigit sua potentia & sapientia: proxima verò & immediata est homo, fide habituali per regenerationem donatus: ille enim credit & credere dicitur in Sacris Literis: Deus autem in homine non credit: credere enim reverà est opus hominis, non ex naturalibus arbitrii aut ingenii viribus, sed ex donatæ virtutis fidei & auxilii divini viribus. Atque ita dicitur Phil. 1. ipsis datum esse credere: ut & opus eorum, tanquam causæ proximæ: & opus Dei per gratiam donantis tanquam causæ primæ ac primariæ intelligatur. Quare ex hisce omnibus non immeritò concludimus, opus Dei, de quo Christus hic loquitur, non significare opus, quod Deus operatur (quamvis etiam ipsius quoque ut causæ primæ sit opus) sed quod homo Deo præstat. Ideoque altera expositio hujus loci circumstantiis magis consentanea est: nimirum ut opus illud Dei significet id quod mandat, eoque ipsi debitum, ut Ier. 48. 10. *maledictus qui facit opus Jehovæ fraudulenter:* sic etiam 1. Cor. 6. 10. *opus enim Domini operatur, ut & ego:* hoc est, opus à Domino mandatum, nempe prædicationem Euangelii. Quo etiam modo interdum justitia Dei accipitur Iac. 1. 20. *ira viri justitiam Dei non operatur*, id est ipsi debitam seu ab eo mandatam. Id enim verè Dei esse dicitur, quod ipsi mandati jure debetur. Quod autem nonnulli exponunt opus Dei quod Deo gratum, ut Psal. 51. 19. *sacrificia Dei*, id est, ipsi accepta, illud si rem ipsam spectemus eodem prorsus redit: sed tamen si quis accuratè consideret, comperiet usui phrasis hujus accommodatius esse, ut opus Dei, nempe mandantis, seu quod Deus pręscribit, & sacrificia Dei quæ Deus mandat (nempe præcipuè) intelligamus: etsi verum sit, Deum nihil mandare, nisi quod probat atque gratum habet. Cui expositioni congruit etiam Christi dictum Ioan. 4. 34. *Esca mea est, ut exequar voluntatem ejus qui misit me, & perficiam ipsius opus*, hoc est, quod mihi mandavit scil. Euangelii prædicationem, Ioan. 12. 49. Atque hactenus subjecti hujus sententiæ Christi, Ioan. 6. 29. nempe operis Dei explicatio: cui attributum, quod de illo subjecto dicitur succedit, hisce verbis comprehensum: *ut credatis in eum, quem misit ille.* Quibus verbis illud opus Dei definitur genere suo & differentia. Genus est *ἵνα πιστεύσητε ut credatis*: In quo observanda est vocis ἵνα significatio, ne ambiguitate implicemur. Hæc autem præcipue est triplex: prima est quod sæpius finem notat, ut Ioan. 20. 31. *Hæc autem scripta sunt, ἵνα πιστεύσητε, ut credatis Jesum esse Christum filium illum Dei, καὶ ἵνα πιστεύοντες, & ut credentes vitam habeatis æternam.* Secundo, ut non finem propriè, sed eventum tantum significet (hoc est, Latine *adeo ut, ita ut*, ut Græcum ὥστε etiam usurpatur) 2. Cor. 7. 9. *nam tristitiâ affecti fuistis secundum Deum, ut nulla in re detrimento sitis affecti*, denique expositionem rei notat, ut Ioa. 6. 39. *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut quicquid mihi dedit, non perdam ex eo* & v. 40. *hæc est voluntas ejus qui misit me, ἵνα ut omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam.* Quibus duobus in locis voluntas Dei, de qua Christus agit, definitur expositiva particula *ἵνα ut*, non autem finis neque eventus voluntatis indicatur. Sic etiam hoc in loco, *ut credatis*, opus Dei describit à suo genere, ac si diceretur; opus illud Dei, ad quod vox exhortatus sum, & de quo quęritis, est credere vestrum seu actio fidei. Differentia verò hoc genus restringit, & opus Dei clarius ac proximè exponit, additione objecti, hoc est, illius in quem credendum, his verbis: *in eum quem misit ille*, scil. Deus Pater. Qua periphrasi seipsum Christus designat κατ' ἐξοχὴν atque emphaticè, ut sit rationis instar, cur in ipsum credendum sit; quia nimirum missus est à Deo Patre, ideoque ipsi tanquam Filio legato Patris credendum. Missus autem dicitur bifariam: primùm incarnatione & patefactione in carne Rom. 8 3. Gal. 4. 4 in quam sententiam rectè Cyrillus in Ioan. cap. 1. ait: *venisse in mundum (quamvis in eo præsens semper sit) dicitur incarnationis mysterio.* Deinde missus etiam dicitur, ratione vocationis ac legationis, ad munus Mediatoris obeundum, Ioan. 4. 34. & Luc. 4. 18. unde non difficulter Arrianorum solvitur objectio: Filius, inquiunt, cum mittatur à Patre in mundum, mutat locum: ideoque non est ubique & idcirco non est verus Deus. Sed negatur consequentia. Nam in mundum missio non est propria: sed metaphorica, novumque atque admirandum patefactionis modum significat: quod Deus Filius seipsum carne assumptâ sive humana natura patefecit in hoc mundo seu in terris, ut 1. Tim. 3. 16. & Ioan. 1. 14 & Gal. 4. 4. Nam in terra patefactus, nihilominus tamen cælum non deseruit Joann. 3. 13. Et quemadmodum Filius suo modo: sic & Spiritus S. suo etiam modo mitti dicitur Ioan. 15. 26. Et Deus descendere dicitur in montem Sinai, Exod. 19. 11. 18. ob peculiarem sui patefactionem conspicuam. Sed excipiunt iterum: is qui mittitur, minor est mittente: Filius autem mittitur à Patre: Ergo minor est eo. Verum negatur propositio, quia æqualis ab æquali consensu communi potest mitti: Ideoque rectè vulgo dicitur: Missio non tollit æqualitatem essentiæ. Atque hæc ad sententiam Christi, Ioan. 6. 29. illustrandam strictim diximus: sequitur jam ad majorem etiam trium sequentium versuum lucem,

Collatio

Collatio brevis, Mannæ & Chriſti.

DUo extraordinaria ac miraculoſa Iſraëlitis in deſerto tradita fuiſſe ſacramenta: tanquam externa ac viſibilia Chriſti & beneficiorum illius ſigna ac ſigilla, nempe Mannam, & Petram, aquam fundentem in deſerto, tradit Apoſtolus 1. Cor. 10. 3. 4. 5. ubi vult Corinthios non ignorare, *Patres noſtros omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe, & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe, biberunt enim ex ſequenti ſpirituali Petra, Petra verò erat Chriſtus: ſed plerosque eorum non approbavit Deus.* Ac propterea non inutili curioſitate, ſed pro debito ſcrutationis ſacrarum literarum officio facturi videmur, ſi utriusque, Mannæ ſcilicet & Chriſti, ut ſigni & rei ſignificatæ collationem inſtituamus: & quæ in hac Ioan. 6. oratione videntur diſſentanea, breviter conciliare conemur. Collatio autem in ſimili occaſione, cauſis, & effectis præcipuè conſiſtit. Occaſio enim Mannæ fuit ut Exod. 16. deſcribitur, in populo Iſraëlitico, cibi, in ſterili deſerto, defectus,& inde fames;ac ſine divino remedio, ſecutura certa mors, populique murmuratio, Moſiſque ad Deum oratio. Sic occaſio Chriſti Mediatoris, fuit hominum poſt lapſum, juſtitiæ penuria ac fames illius ſpiritualis, mortem æternam, niſi divinitus ſubveniretur, certò allatura. *Omnes enim peccaverunt & deſtituuntur gloriâ* Dei, Rom. 3. 23. omnes peccati accuſat lex: *ut omne os obturetur, totusque mundus Dei judicio reddatur obnoxius* ibid. v. 19. & 20. Altera convenientia eſt in cauſis ſimilibus, efficiente ac fine. Ac primùm quidem in efficiente: cum impellente, tum exequente. Nam impellens cauſa utrimque fuit in danda Manna & in dando Chriſto, non meritum ullum nec dignitas ulla hominum: ſed mera ac gratuita Dei miſericordia: qua ut Mannam populo Iſraëlitico indigno, contumaci atque adverſus Deum incredula tentatione murmuranti promiſit, Exod. 16. ſic nobis omnibus, ob carnem & opera illius, Deo adverſantibus, Rom. 5. 8. 10. & 8. 7. Chriſtum Gen. 3. ab initio in paradiſo promiſit. Deinde ut promiſſæ Mannæ efficiens cauſa exequens fuit miraculoſa Dei operatio; non autem vis ulla naturæ: unde Iſraëlitæ, ignorantes quid eſſet, ſeu quæ ſpecies eſſet, & Dei donum extraordinarium obſervantes, Mannam pluvia dimiſſam, generali voce מן appellarunt, hoc eſt *portionem*, ſcilicet à Deo quaſi cibum conſtitutum, paratam: à qua voce maſculina fœmin. מנה *portio* omninò derivata videtur. Sic etiam Chriſti Mediatoris incarnatio (qua ex virgine Maria conceptus eſt) fuit non naturalis, ſed miraculoſa per Spiritus Sancti omnipotentiam ſolam effecta, Luc. 1. Altera cauſa, in qua ſimilitudo Mannæ & Chriſti apparet eſt finis. Nam primùm, ut Manna data eſt divinitus ut piſtillo contunderetur, atque igne (in olla aut ſub cinere) coqueretur, ut cibus corporis fieret idoneus Iſraëlitis, Num. 11. v. 8. ſic etiam Chriſti corpus frangi, & animam illius doloribus quaſi conteri ac concoqui neceſſe fuit, ut cibus animarum ſalutaris efficeretur, Eſai 53. v. 4. & 5. & 1. Corinth. 11. v. 24. Id quod etiam pane Cœnæ fracto ſignatur. Secundus finis ſimilis eſt, quod ut Mannam edi oportuit ad corporis famem tollendam, & vitam ejus conſervandam: ſic etiam Chriſtus ſpirituali fidei ore (ut Manna ſpiritualis) nobis neceſſariò percipiendus atque edendus, ut ad vitam æternam juſtitiæ illius alimento ſatiemur Ioan. 6. v. 35. & 53. Atque hæc de ſimilitudine Mannæ & Chriſti in cauſa, cùm efficiente, tum fine. Tertia porrò collationis pars, in ſimilitudine effectorum utriusque conſiſtit, nimirum quod quemadmodum Mannam edentes, à fame corporis & imminente morte liberati fuerunt: & in vita corporali conſervati: ſic etiam Chriſtum (ut Mannam ſpiritualem) ore fidei comedentes omnes, ab eo ſpirituali juſtitiæ alimento perpetuò ſatiantur, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam, Ioann. 3. v. 16. & 6. 35. & 54. & 56. primùm hæreditatis gratuitæ jure, poſtea verò reipſa. Quæ ſimilitudines Mannæ cum Chriſto, non ſolùm ex mutua collatione inſtituta apparent: ſed etiam divinitus à Deo ſunt deſtinatæ, quia Manna data eſt Iſraelitis, ut Chriſtum cibum ſpiritualem & beneficia illius ſpiritualia ſignificaret ac credentibus confirmaret, tanquam ſacramentum ſive ſignum ac ſigillum fœderis Dei ſalutaris per Chriſtum initi in eum finem inſtitutum. Qua etiam de cauſa ab Apoſtolo, 1. Corinth. 10. 3. reliquis extraordinariis Vet. Teſtam. Sacramentis annumeratur, & ab eo ſpirituali uſu (non autem ab eſſentia) cibus ſpiritualis, hoc eſt, ad rem ſpiritualem (nempe ad Chriſtum & beneficia illius) ſignandam & obſignandam donatus, appellatur. Hiſce additur ſimilitudo in Mannæ & Chriſti abjunctis duobus. Quorum prius eſt, quod ut Manna colore fuit candido, inſtar pruinæ Exod. 16. verſ. 15. & bdellii Numer. 11. 7. ſic Chriſtus ab omni nigra peccatorum maculâ immunis eſt, 1. Petr. 1. v. 19. & 2. 22. Hebr. 4. v. 15. candore virtutum præditus: quemadmodum de eodem ſub typo Salomonis dictum eſt Cantic. 5. v. 9. *dilectus meus candidus eſt.* Deinde alterum adjunctum eſt, quod ut Manna ſuavis erat cibus, quodque ſapor ejus eſſet tanquam ſapor humoris præſtantiſſimi ex oleo, Numer. 11. verſ. 8. deinde præterea ſapor erat velut cruſtuli melliti, Exod. 16. Sic Chriſtus (Manna noſtra ſpiritualis) ſuaviſſimus eſt, utpote qui author eſt ſalutis: & cujus jugum benignum & onus leve, Matth. 11. verſ. 30. & humilis ac mitis, & Euangelii ac Spiritus Sancti operatione, ſuaviſſimam perterritis (peccatorum & meritæ condemnationis conſcientiâ) credentium animabus conſolationem ac requiem adfert, ibid. v. 29. unde de Chriſto Petrus 1. Epiſt. cap. 2. verſ. 3. ait, *ſiquidem guſtatis quàm benignus ſit Dominus.* Atque hactenus Mannæ (tanquam typi & ſacramenti extraordinarii) & Chriſti ut rei ſignificatæ collatio; unde etiam Mannæ hujus Iſraëlitis datæ, & Mannæ Arabum ac Medicorum diſcrimen perſpicuè apparet. Nam Manna Iſraëlitarum 1. miraculoſa fuit, 2. dura erat, ideoque piſtillo tundebatur, 3. in craſtinum ſervata vermibus corrumpebatur, 4 cibus erat idoneus, non autem medicamentum, 5. ſaporem habebat mixtum, partim quaſi olei præſtantiſſimi, partim quaſi cruſtuli melliti, 6. per annos 40. quotidie, excepto Sabbatho, decidebat, 7. in deſerto Sinai. Manna verò Medicorum (quam Arabes imitatione quadam, ut Aben Ezra docet Exod. 16. etiam Manna vocant) naturalis eſt, 2. mollis eſt, non autem dura; 3. ſervatur diu incorrupta; 4. medicamentum eſt, non autem cibus; 5. nec ſaporem eundem habet nempe mixtum, quaſi olei præſtantiſſimi ſeu quaſi cruſtuli melliti: nec etiam 6. (ut Aben Ezra teſtatur) in deſerto Sinai reperitur ſed alibi; 7. nec toto anni tempore, ſed duobus tantùm menſibus ex aëre decidit, nempe menſe Martio & Aprili. Quamobrem ex hiſce ſatis ſuperque apparet, adverſus miraculi Mannæ contemtores homines profanos maximum diſcrimen Mannæ Iſraelitis datę & Mannę Medicorum. Hiſce jam ad ſimilitudinis Sacramenti extraordinarii Mannæ, & Chriſti, ea re adumbrati, collationem explicatis: reliquum eſt ut paucis differentiam utriusque conſideremus, & Chriſti Ioan. 6. 32. & 33. de Manna judicium, cum Mannæ hiſtoria conciliemus. Siquidem aliqua primo intuitu oriri videtur repugnantia: quæ ut commodè tollatur, ac conſenſio mutua declaretur, duo paucis ſunt expendenda, nimirum occaſio illius judicii Chriſti: & judicium ex ea conſecutum. Occaſio autem eſt incredulorum Iudęorum contra Chriſti, ad fidem in ipſum hortationem reſponſio, conſtans objectione & confirmatione illius. Objectio continetur v. 30. his verbis: *dixerunt ergò ei, quodnam ſignum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?* Cujus objectionis contractius poſitæ explicatio ac ſenſus hic eſt: ſi rectè jubes, ut tibi (hoc eſt, doctrinæ tuæ, quâ te Meſſiam eſſe, & panis vitæ æternæ datorem doces) jure credamus: Ergo edendum tibi eſt tale ſignum, quod videamus & jure tibi docenti te talem eſſe credamus; Atqui tu tale ſignum, quod videamus, & te talem eſſe, docenti credamus, non edis. Ergo non rectè jubes, ut tibi (nempe docenti te eſſe Meſſiam & panis vitæ æternæ datorem) credamus. Cujus argumentationis propoſitione & concluſione omiſſa (ut in objectionibus brevioribus non rarò fieri ſolet) aſſumtio tantùm, quæ rationem hortationi objectam continet, exprimitur; & ad majorem fiduciam atque evidentiam illius indicandam interrogatione & repetitione illuſtratur ac ſimul

 amplifi-

amplificatur. Interogatione quidem; quia non dicunt simpliciter, Tu non edis tale signum: sed *quodnam edis signum, ut videamus & credamus tibi?* scilicet docenti te esse Messiam ac datorem panis vitæ æternæ: quasi ad Christi conscientiam provocantes dicerent: nonne verum agnoscis, quod nullum hujusmodi signum edideris, quo viso tibi ea de te docenti, credamus? Repetitione verò cum dicunt: *quid operaris?* nempe dignum, ut jure tibi, talia de te dicenti credamus. Quoniam vero iis objici poterat, inter cætera, recens Christi miraculum ac beneficium: quod quinque panibus & duobus pisciculis circiter 5000. ipsorum, incremento admirabili paverat; unde Jesum esse Christum collegerant, ideoque regem creare studuerant vers. 14. & 15. idcirco mutatæ sententiæ, & cur signum illud ipsis non satisfecerit, ut eum esse Messiam & panis vitæ datorem crederent, confirmatione hoc loco subjecta demonstrare conantur. Quæ petita est, à comparatione majoris, nempe Mannæ, quam Deus per ministerium Mosis rogantis, Israelitis olim dederat, id quod indicatur vers. 31. *Patres nostri*, inquiunt, *comederunt Manna in deserto, sicut scriptum est: panem è cælo dedit iis ut vescerentur*, ut Exod. 16. 4. & nominatim Psal. 78. 24. traditur. Unde innuunt Christum non esse Messiam panis vitæ æternæ datorem, quod ipse panem terrenum & pereuntem semel tantùm ipsis dederat: quam rem perpetuam fore frustra speraverant vers. 26. qua de re ait August. *Tu promittis cibum qui non perit, sed permanet in vitam æternam: & non talia operaris qualia Moses: panes hordeaceos ille non dedit: sed dedit Manna de cælo*: & quidem, ut observat Cyrill. *in deserto*, hoc est 40. annos, non semel tantùm. Hæc de objectione & confirmatione illius: cui succedit Christi responsio vers. 32. & sequentibus, qua objectionem propositam confutat comparatione quadam, qua seipsum opponit ac præponit Mannæ, ac docet cibum illum quem promisit ac donat, longè præstantiorem esse Manna, multis de causis. Nam 1. Manna data est ministerio Mosis, hoc est, ad petitionem Mosis, de populi cibo destituti murmure conquerentis apud Deum: sed panis quem Christus promittit, à sola Dei dantis gratia procedit, nullius verò petitione. Quam præstantiam indicat cum ait: *Moses non dedit vobis, sed Pater meus dat vobis*, hoc est, vobis, ut credatis, offert; sed solis eum Euangelio oblatum recipientibus confert. Deinde Manna à Mose impetrata non est data è cœlo: contrà panis quem Christus promittit, datus est è cœlo. Verùm illud videtur repugnare historiæ Mannæ, Exod. 16. 4. *dixit Jehova ad Mosen: Ecce ego faciam, ut pluat vobis panis, ex ipso cælo*, & Psal. 78. 23. & 24. *& præcepit superioribus nubibus supernè, & januas cælorum aperuit, & depluit super eos Mannam ad comedendum, & frumentum cælorum dedit iis*. Verùm hæc probè inter se consentiunt: quæ si verba tantùm spectes, non sensum, dissentanea evadent. Nam Scriptura locis objectis *cælum* intelligit de cœlo aëreo, quoniam è nubibus superioribus Manna decidit; Christus verò de cœlo summo, κατ' ἐξοχὴν *cælo* appellato, in hac sententia loquitur: è quo panis ille ab ipso promissus descendit: quatenus Filius Dei in cœlis existens supremis, homo in terris factus sese patefecit. Neque obstat quod Manna, Psal. 78. 25. vocatur *panis robustorum*, hoc est, ut exponi solet, Angelorum: quia per hyperbolen quandam hoc dicitur, quod panis ille fuerit præstantissimus, qualis, si Angeli edere possent, iis convenire posset: Angeli enim Spiritus sunt, quibus panis non convenit: Quare in hac objectione fallacia est homony: quod autem Christus alio sensu voce *cæli* usus sit, quàm Capernaitæ, illud non fallendi, sed eos ad altiora excitandi studio præstitit. Ac sanè cœlum aëreum, cum cœlo supremo comparatum tanquam longè præstantissimo, cœli nomen non meretur. Tertia præstantia est quod Manna non fuerit panis ille verus sed typicus, signum scilicet alterius: panis verò quem Christus promittit, est *verus ille*, hoc est, typo sacramenti Mannæ adumbratus. Quæ triplex hujus panis oppositio, & præ Manna excellentia denotatur v. 32. his verbis: *Moses non dedit vobis panem è cælo: sed Pater meus dat vobis panem è cælo, verum illum*; Id quod quartâ addita excellentia probatur ab effecto, non cum Manna communi, sed proprio. Nam panis ille è cœlo verus est, qui dat vitam mundo, hoc est, non solis Israelitis, ut Manna data: sed omnibus totius mundi fidelibus, hunc panem non dente & ventre, sed mente ac vivâ fide edentibus: & quidem dat vitam, non corporis temporalem, ut Manna Israelitis, qui mortui sunt v. 49: sed animæ & corporis æternam. Quæ excellentia, repetitis simul (ad majorem attentionem) duabus prioribus, ita recensetur vers. 33. *Nam panis Dei* (cujus scilicet donati causa impellens & exequens solus est Deus) *is est qui descendit de cælo* (scilicet summo) *& dat vitam mundo.* Quibus præmissis, sequitur jam panis illius vivifici descriptio. Cujus occasio primùm proponitur, deinde descriptionis modus additur. Occasio, est Judæorum incredulorum, cibum ventris adhuc quærentium petitio, v. 34. *dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum*: nimirum ut eum edamus ac vivamus: cui errori corrigendo inservit Christi responsio vers. 35. qua panem illum vitam dantem ac malè ab iis intellectum commodo descriptionis modo exponit, ac docet; primùm quid sit: & deinde quibus vitam conferat. Ac prius indicat cùm dixit iis: *Ego sum panis ille vitæ*, hoc est, vitam efficiens. Quibus verò hanc vitam conferat ac conservet, exponit seqq: *qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.* Quibus ostendit hunc panem de quo loquitur, verè fidelibus vitam perfectam tribuere, & quidem perpetuo; Nam qui venit ad Christum, non propriè, sed metaphoricè intelligitur, scilicet de adventu non pedum (sic enim etiam Capernaitæ advenerant) sed fidei: qua à Christo primùm alieni, ipsi per fidem uniuntur. Idque exponitur, cum sequitur postea: *qui credit in me*; vita autem perfecta indicatur metaphoricè: Quemadmodum enim vita corporis conservatur cibo, qui famem; & potu, qui sitim tollit: sic ait Christus de eo qui venit ad ipsum fide, seu qui credit in ipsum, nec esuriet, nec sitiet: & quidem *unquam.* Qua voce perseverantiam gratiæ ac vitæ donatæ demonstrat, & Mannæ tacitè opponit ac præponit, quod scilicet qui Mannam semel ederant, rursus esurierint; deinde quod ea famem quidem ad tempus abstulerit, sed non sitim: ideoque ad corporalem vitam conservandam pertinebat, sed sola tamen non sufficiebat; quemadmodum contrà Christus ad vitam spiritualem omnibus modis sufficit. Hæc de Mannæ & Christi primùm similitudine: deinde differentia.

Explanatio succincta Illustrium verborum Christi, Joan. 6. 37.

Postquam Christus sui tanquam panis verè cælestis percipiendi ad vitam æternam modum explicuisset, nempe fidem in ipsum vers. 35. ejusque defectum Capernaitis objecisset vers. 36. ac propterea panis illius promissi, & ab ipsis malè intellecti ac petiti, vers. 34. non posse fieri participes innuisset; idcirco scandalo illius incredulitatis, ad stabiliendos infirmos suos discipulos, occurrere studet: ad quem scopum hæc verba Christi, tanquam medium accommodatum diriguntur, cum vers. 37. ait: *quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & venientem ad me non ejiciam foras.* Quibus verbis fidei originem & fructum duplici sententia proposita declarat. Ac prius quidem sententiâ primâ, cujus subjectum seu pars antecedens est, *omne quod dat mihi Pater*; In quo Synecdoche generis pro specie gemina est observanda: prima in voce πᾶν *omne.* Cum enim ea vox universè sumpta, de omnibus rebus tam inanimis, quam animatis accipiatur, ut Ioan. 1. 3. *omnia per ipsum facta sunt*, hoc tamen in loco speciatim omnem hominem significat, ut alibi Ioan. 12. 32. *& ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me. omnia*, id est, omnes homines, & quidem electos, & c. 17. 2. consentaneè huic loco dicitur: *ut omne quod dedisti ei, det iis vitam æternam*, id est, omni homini quem dedisti. Atque ita hoc loco accipi debere ex attributo, adventu ad Christum, & adjuncta promissione (quæ solis hominibus convenit) constat. Altera Synecdoche est in his verbis, *quod dat mihi Pater*: Nec enim generatim quosvis homines, potestati ac dominio Christi à Deo Patre subditos intelligit, (quia non omnes illi veniunt ad Christum) sed solos eos, quos Christo dat, hoc est, dedit: ut ea præsentis

pro

pro præterito enallage exponitur v. 39. *omne quod dedit mibi*: ut secunda sententia & versus 39 clarissimè exponit. Verum homines Christo ad salutem iis conferendam dati, duplices sunt: Quidam enim dati sunt, æternæ electionis ratione, hoc est, prædestinati, ut per fidem Christo darentur, ac fierent Christi membra, & per eundem servarentur: quo modo 2. Tim. 1. 9. dicitur gratia nobis donata per Christum Iesum ante tempora secularia: hoc est, prædestinata. Alii verò prẹterea sunt dati per vocationem Euangelii, & Sp. S. ad fidem, qua Christi membra existunt. Quomodo Apostoli Christo dati dicuntur, non solùm decreto seu electione, sed etiam vocatione: ut Ioan. 17. 6. *Patefeci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi è mundo: tui erant* (nempe ratione gratuitæ electionis ut 2. Tim. 2. 19. *novit Dominus qui sunt sui*) *& mihi eos dedisti, & sermonem meum servaverunt.* Quomodo mundo reproborum opponuntur v. 9. his verbis. *Ego pro iis rogo, non pro mundo rogo; sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Idcirco Christus etiam oves suas à Patre datas, Ioan. 10. duplices statuit: alias quæ tantùm oves erant ratione electionis ad fidem & salutem, non autem ratione executionis illius seu vocationis, ad communionem Christi, & Ecclesiam, per fidem: alias verò etiam vocatione efficaci. De prioribus loquitur, Ioan. c. 10. 6. *alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula*, (scilicet Ecclesia fidelium Iudæorum) *illas quoque oportet me adducere, fietque unum ovile & unus pastor*: quæ de gentilium electorum vocatione futura dicuntur: qui oves erant non re ipsa, sed electione sola, hoc est, prædestinati, ut suo tempore, oves & membra Christi & Ecclesiæ fierent. De posterioribus verò loquitur Christus v. 27. *oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* ideoque dicuntur esse in manibus Christi, & conservari v. 28. & 29. Priores verò nondum erant in manibus illius, sed oves tantùm destinatæ atque aberrantes absque Christo Eph. 2. 12. Quales dati Christo (seu prædestinati, ut per eum crederent ac servarentur) in proposita ac prima sententia, de qua agimus, intelligendi sunt, non autem dati reipsa per vocationem efficacem ad fidem, ac communionem Christi atque salutem: quemadmodum prædicatum hujus sententiæ demonstrat, cum dicitur, *veniet ad me*, hoc est metaphoricè, credet in me (ut ante v. 35. expositum) eoque modo fidem electionis sequentem fructum esse declarat, non autem conditionem antecedentem, ut sectarii contendunt. Nec enim Christus ait, omne quod venit (hoc est credit) ad me, dat mihi Pater: sed quicquid dat mihi Pater, hoc est, ab æterno destinavit, veniet ad me, hoc est credet. Quos enim prædestinavit Deus, hos ad fidem vocavit, Rom. 8. v. 30. Actor. 13. 48. *& crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*, & 2. Tim. 1. 9. *qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum Jesum, ante tempora secularia.* Sic etiam 2. Thess. 2. 13. & 14. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus, ab initio, ad salutem, per sanctificationem spiritus & fidem veritatis, ad quod* (hoc est, ad quam rem) *vocavit vos per Euangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini nostri Jesu Christi.* Hæc de prima Christi in hoc loco sententia, qua fidei originem ac subjectum exponit. Altera verò pars est: *& venientem ad me non ejiciam foràs.* Quibus verbis fructus fidei demonstratur, per quandam *μείωσιν*: minus enim dicit, quam intelligit: sensus enim est, admittam eum, ac conservabo ad vitam æternam. Quemadmodum probatio sequens à fine descensus Christi è cœlo evincit, cum ait eum esse, ut faciat voluntatem non suam, (scilicet tantum, ut, *doctrina mea, non est mea*, Iohan 7. 16. 17.) sed Patris, qui ipsum misit, v. 48. Eamque voluntatem (hoc est metonymicè, rem quam vult) definit v. 39. *Hæc est autem voluntas ejus, qui me misit Patris, ut omne quod mihi dedit, non perdam ex eo, sed suscitem illud* (scilicet ad vitam æternam) *in ultimo illo die*: Idemque declarat subjectum medium, seu instrumentum, quo datos à Patre vita donat, nempe fides, cum ait: *hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt filium*, (id est, oculis fidei, ut ea metaphora sequenti voce exponitur) *& credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum ultimo illo die.* Atque hactenus succincta verborum Christi, Ioan. 6. 37. explicatio: sequitur jam

Versus 44, adversus veteres & recentiores corruptelas vindicatio.

CEleberrima sanè, magnaque interpretum contentione agitata est Christi sententia Joan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit ipsum*: ac propterea operæ pretium fore existimamus, si genuinam illius sententiam breviter expendamus. Ad cujus intelligentiam commodiorem primùm occasionis & scopi circumstantiam, deinde rem ipsam distincta partium explicatione ostendemus. Occasio autem est Iudæorum adversus Christum murmur: cujus objectum & modus antecessit. Objectum quidem fuit Christi doctrina; partim de ipsius persona, quod à Patre cœlesti missus descendisset è cœlo, ideoque Filius esset Dei: partim de officio ac beneficio ejusdem, quod esset panis, scilicet vitæ æternæ, hoc est, Christus salutis author promissus vers. 41. Modus verò objectionis est: Jesus est filius Ioseph: Ergo non descendit de cœlo. Antecedens probant à communi ac confessa inter ipsos notitia Patris illius, imò etiam matris: quod interrogatione illustrant vers. 42. Scopus autem Christi est, hac occasione oblata, huic scandalo in discipulorum credentium gratiam potissimum occurrere. Ad quem scopum, tanquam medium idoneum pertinet Christi responsio bimembris, prima ejus pars est dehortatio à murmuratione inter ipsos orta vers. 43. altera pars est dehortationis à murmure ac rejectione doctrinæ Christi ratio; nempe quod ejus fides, sit peculiare gratiæ Dei donum, quo innuit, cùm eo destituerentur, ipsos non esse idoneos doctrinæ Christi judices. Fidem autem esse Dei donum v. 44. tradit, cum ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit, traxerit eum: & ego suscitabo illum ultimo die.* Quibus verbis fidei originem, & fructum illius, salutem describit. Ac prioris quidem sententia assertionem conditione definitam complectitur. Assertio est, *Nemo potest venire ad me.* Cujus subjectum, *nemo*, perspicuè idem est quod nullus homo: sic etiam attributum, nempe *potest venire ad me*, significat potentiam habet credendi in Christum, ut antecedentia & consequentia Christi verba demonstrant. Antecedentia quidem vers. 35. ubi quod dixerat, *qui venit ad me*: ibidem exponit, *qui credit in me*: sequentia vero, quia pro eo, quod dixerat, v. 45. *venit ad me*, ponit, v. 47. *credit in me*, & vers. 64. *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*: & v. 65. *propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me.* Idemque attributa venientium ad Christum evincunt. Quocirca & Greci Patres ac Latini & Pontificii quoque hanc *veniendi* vocem communi consensu nobiscum de fidei actione exponunt, ut idem sit hoc loco *venire* & *credere*. Hęc de assertione: quæ ut vera non esset, si absolutè poneretur (quia multos ad Christum posse venire ac credere, scriptura & experientia comprobat) idcirco addita hac conditione restringitur, nempe: *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quorum verborum priora ex antecedentium explicatione satis sunt perspicua, ac controversia carent: posteriora verò declarationem desiderant. Ac primum illud constat, *trahere aliquem ad Christum*: non propriè de externa ac violenta corporis ad aliquid motione accipi; sed impropriè, per metaphoram ad similem operationem incorpoream, qua homo ad credendum redditur idoneus, transferri. Deinde & hoc etiam apparet, hanc tractionem ad Christum, non idem esse quod credere; sed diversum ab eo, nempe illius antecedens, ac causam aliquam. Sed hoc jam quęritur, an sit causa efficax, quam actio credendi certò consequatur: an verò causa tantùm sufficiens: adeo ut ea licet præcedente, in voluntatis humanæ libertate positum sit, credere, vel non credere. Prius à nostris, scriptura præeunte statuitur. Nam ut propria tractio trahentis solius est actio, tractum verò est subjectum patiens, non causa cooperans; sic etiam spiritualis hęc Dei, ad Filium tractio; de qua Hieron. lib. 3. contra Pelagian. ait: *quando dicit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem liberi arbitrii libertatem, quod etsi velit ad Christum*

ad Christum pergere: nisi Pater meus cælestis traxerit eum, nequaquam cupiat, & frustra nitatur. simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut retrectans & tardus, aut invitus adducitur. Quibus verbis saltem tractionem efficacem, non sponte factam intelligi docet. Hæc autem tractio, est habitus fidei, per regenerationem merè gratuitam, à solo Deo, omnipotenti operatione, donatio; quo habitu donati, ad actionem credendi facilem ac certam producendam habiles aptique redduntur. Nam credendi actionem ex regeneratione oriri, constat ex Christi verbis Ioann. 1. 13. ubi de credentibus ait: *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, quemadmodum ad illum locum pluribus exposuimus: & cap. 8. 47. *qui ex Deo est, verba Dei audit*, (id est, credendo obedit) *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, hoc est, non regeniti ex Deo. Omnipotenti autem Dei actione fidei habitum donari testatur Apost. Eph. 1. 19. & 20. cum ait; *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius: quam exeruit in Christo, cum suscitavit eum ex mortuis.* Quo etiam spectat novi fœderis promissio, Ierem. 31. ac repetita Hebr. 8. 10. & 11. *indam leges meas* (scilicet fidei & charitatis) *menti eorum & cordi eorum inscribam &c. & omnes cognoscent me*; & Ezechiel. 36. 26 27. *dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in medio vestrum, & auferam cor lapideum, de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in medio vestrum, & faciam ut in præceptis meis* (hoc est, fidei & charitatis) *ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Quorum verborum authoritatem secutus Aug. similiter hanc tractionem Patris, de virtutis fidei per regenerationem gratuitam dono interpretatur tom. 7. de prædestin. sanctorum lib. 1. cap. 8. Cujus verba illustria, ut Pontificiis, qui Patribus potissimùm nituntur, & Augustinum reliquis præferunt, occurramus, referemus. *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occultè hominis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideoque quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut propheta prædicante promisit: sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam: Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, judicio non docet, quoniam cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et paulò post rursus ait August. *Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt, prædicatore forinsecus sonante, intus à Patre audiunt atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur, quia nemo inquit, venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, quod apertius postea dicitur &c. propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à Patre meo. Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est quam donum accipere à Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Euangelium, à non audientibus; sed credentes à non credentibus discernebat, qui dicebat, nemo venit ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo.* Hactenus August. unde satis constare potest, ipsum etiam hanc tractionem ad Christum, de efficaci ac merè gratuita Dei solius operatione exponere: qua fidei virtutem per regenerationem seu animæ sanctificationem donat; ut ea donati, re ipsa in Christum credant: ideoque etiam ex Sacris Literis comprobavit. Neque obstare potest quod in comment. suis in Joan cap. 6. aliud tradat: quia quæ in suis concionibus, vulgi more popularius ac minus accuratè tractat, ea in seria ac gravi contra Pelagianos disceptatione solidius explicat. Qua genuina sententia jam proposita ac stabilita, reliquum est, ut eandem nonnihil à noxiis multorum corruptelis, ad gratiæ Dei gloriam, vindicemus. Nam primùm sunt nonnulli, qui fatentur quidem tractionem hanc, de qua Christus loquitur, denotare efficacem Dei motionem, sed tamen in ea definienda indignè impingunt: alii verò eam efficacem negant. Ac priorem quidem sententiam Græci Patres Chrysost. & Cyrill. quos alii nonnulli sequuntur, probant, ac de vocatione efficaci non præveniente, sed sequente hominis dignitatem interpretantur. Sic enim Theophyl: qui sua potissimum ex Chrysostomo contraxit, rem plenius exponit: *illos*, inquit, *trahit Pater, qui habent propositi aptitudinem: Eos autem qui seipsos faciunt ineptos, non trahit ad fidem. Nam sicut magnes non omnia ad quæ propius applicatur, sed solum ferrum trahit: ita Deus ad omnes quidem appropinquat: eos verò, qui magis idonei, & familiaritatem erga ipsum demonstrantes, trahit.* Hactenus Theophyl. Alii verò, ut doctiores etiam Pontificii, hanc sententiam velut gratię Dei (ut quæ ex mera detur misericordia) adversam meritò rejiciunt: ut inter alios Thomas Stapleto: in antidotis Euangelicis ad Ioan. c. 6. 37. qui ait, *Euthymii sententia apertius respondet, eos à Deo non excitari qui se indignos gratiâ exhibuerint, excitari verò qui aliqua præparatione se faciunt dignos: in quam sententiam propendet Chrysost: & alii Græci, & ipse Cyrillus lib. 3. cap. 39. in Ioann. Cæterum cavenda hæc doctrina & repudianda est, & sancti August. imo Ecclesiæ Catholicæ sententia tenenda est, neminem seipsum ad gratiam præparare, ut se gratia Dei dignum faciat, sed ipsam præparationem à Deo esse.* Ut etiam Jesuita Maldo. ad h. l. cur pater non omnes trahat, ait: *Cyrill. Theoph. Euthym. respondent, quia non omnes digni sunt: quod nimis affine est Pelagianorum errori.* Pontificii verò hanc tractionem ad Christum, de præveniente Dei gratia exponunt: sed in ea describenda, partim Pelagio consentiunt, partim inter se, imò & à se ipsis (si quis expendat diligenter) mirificè dissentiunt: id quod paucis demonstrandum. Ac primùm duplicem ferè statuunt tractionem ad Christum, unam efficacem, qua cor lapideum aufertur ac fides inditur; quæ peculiaris est paucis: aliam sufficientem, quæ communis est omnibus; quam hoc loco à Christo intelligi, plerique Pontificii statuunt: ut Ioannes Ferus Ioann. 6. cum ait, *nemo dicere potest, quod à Deo non trahatur. Sicut enim medicus aut doctor aliquis insignis, homines ad se trahit, non vi sed scientiâ suâ; item, sicut ovem attrahis ramo viridi canem pane, puerum nuce, & generaliter, sicut trahit sua quemque voluptas; sic Deus trahit beneficiis, promissis, manifestatione veritatis, imò etiam flagellis: quamvis potius flagellis cogat nos; maximè autem trahit ad filium manifestatione veritatis.* Et Bellarm. de gratia & libero arbitr. lib. 2. cap. 8. ait, *trahit omnes pater, sed pro loco & tempore: at non omnes veniunt, licet revera possint*; Et paulò post ait, *trahi, esse audire: non autem venit omnis, qui audit: sed omnis qui audit & discit.* Item, *posse tamen omnes credere, ac proinde omnes à Deo audire ac trahi perspicuum est ex illo eodem cap. 6 Ioannis, ubi Dominus hortabatur omnes ad fidem, quod non fecisset, nisi scivisset omnes potuisse credere.* Verùm ipsemet ab hac sententia proximis verbis recedit, *potest*, inquit, *tamen alia responsio adhiberi, quæ ut verum fatear magis congruere videtur Euangelicæ sententiæ, si dicamus Dominum loqui de gratia efficaci, quæ ita suadet, ut persuadeat: dicitur autem non posse venire, qui non trahatur per efficacem gratiam, non quod absolutè non possit, sed quia infallibiliter non veniet, sicuti etiam contra qui trahitur, potest absolutè non venire, tamen infallibiliter trahitur.* Ex quibus Jesuitæ verbis patet ipsum statuere in conversione hominis ad fidem, præcedentem quidem credendi causam esse tractionem Patris, non tamen solam, sed adjuvantem: naturales verò liberæ voluntatis vires ea gratia adjutas, esse causam alteram, liberè cooperantem; adeò ut eandem tractionem, nihilominus rejicere potuerit. Deinde tractionis illius efficaciam in opportuna tantum suasione sufficienti consistere statuit, cum (ut ait) *ita vocantur, ut Deus videt aptum fore, ut sequantur vocantem.* Deinde, cum nemo possit venire ad Christum, nisi efficaciter à Patre trahatur: sequitur scripturæ repugnare quod Bellarmin. ait lib. 2. memorato c. 12. *Nam tametsi pie credamus, omnibus dari pro loco & tempore auxilium sufficiens, quo possint credere: tamen scriptura docet, reipsa non credere, nisi illos, qui habent auxilium efficax, quo fit, ut homo non solum possit credere, sed etiam credat.* Ioan. 6. 45. & 37. & cap. 10. 6. Hæc referre ob apertam contradictionem, refutare est. Quod autem excipit: *nemo potest venire, id est, sine dubio nemo veniet*; ineptè omninò actum credendi cum potentia illius confundit, quippe

seipsum

seipsum ibid. de gratia & liber. arbit. lib. 6. cap. 2. priorum oblitus, refutat: *observandum*, inquit, *non dixisse Dominum, nemo venit, sed nemo potest venire*; & paulò post, *si venire est credere, & nemo potest venire nisi trahatur à Patre: certe nemo potest credere, nisi trahatur à Patre*; Deinde ibid. illud quoque quod lib. 2. cap. 12. objecerat, etiam diluit ac refutat. Quæ autem de voluntatis cum Dei trahentis gratia cooperatione statuunt Pontificii, ea in explic. cap. 23. Matthæi diluimus. Cœterùm illud prætereundum non est, quod non pauci de subjecto & proxima fidei causa disserentes, nec rei veritati, nec sibi ipsis consentiant. Nam fidem esse in voluntate, tanquam in subjecto. & à voluntate, tanquam à causa efficiente, statuunt. Quo spectat illud quod ait Augustinus de prædestinat. sanct. lib. 1. cap. 5. *non quia credere* (inquit) *vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ: sed in electis præparatur voluntas à Domino, ideo ad ipsam quoque fidem. quæ in voluntate est, pertinet: quis enim te discernit, & quid habes quod non accepisti?* Quæ sententia ex iis quæ ex Aug. supra retulimus, confutatur. Nam si à nullo corde duro gratia respuatur, quod duritia illius per Dei gratiam auferatur, & fides detur, ut ipse statuit, & ex S. literis probavit: non est igitur fides in arbitrio voluntatis humanæ posita. Deinde cum in eodem de prædest. sanct. lib. 1. cap. 2. dicat; *ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare*; sequitur necessariò, cum nec cogitatio neque assensus sit in ipsa voluntate, sed in mente: fidem in voluntate non esse sitam. Quod autem obtendi solet, & opinioni illi causam præbuisse videtur Roman. 10. 9. *& credideris corde tuo*, & v. 10. *corde creditur ad justitiam*, quibus addi potest dictum Actor. 8. 37. *si credis ex toto corde*, & cap. 15. 9. *fide purificans corda eorum*: & Ephes. 3. 17. *ut habitet Christus, per fidem in cordibus vestris*, & Hebr. 3. 12. *cor pravum, incredulum*; inde malè concludunt: Ergo fides non in mente, sed in voluntate, & à voluntate existit, quam voluntatem *cordis* vox significat Negatur enim consequentia: quoniam vox *cordis* non una significatione usurpatur. Nam præter significationem propriam, qua internam corporis partem nobilissimam significat, per metaphoram quandam interdum notat animam, quæ intima hominis est, & nobilissima illius pars, quemadmodum Matth. 15. 19. dicitur: *Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes* &c. quorum prius est mentis, posterius voluntatis, utrumque verò animæ opus. Interdum verò animæ facultatem designat, ac primùm voluntatem, ut Joann. 16. 6. *Tristitia implevit cor vestrum*, & v. 22. *gaudebit cor vestrum*, & 2. Petr. 2. 14. *cor habentes ad avaritiam exercitatum*: quemadmodum etiam, cum menti & cogitationi cor opponitur, Hebr. 8. 10. Matth. 22. 37. simili modo accipitur. Deinde verò ad mentem significandum sæpissimè transfertur, quemadmodum cum dicitur, *corde intelligere* Matt. 13. 15. & Joan. 12. 40. Actor. 28. 27. *cor insipiens obscuratum est* Rom. 1. 21. *dicere* (id est, cogitare) *in corde* Matth. 24. 48. Rom. 10. 6. item *cogitationes cordis* Hebr. 4. 12. & *qui luxit in cordibus nostris* 2. Cor. 4. 6. *cordibus suadere* 1. Ioan. 3. 20. & v. 21. *si nos condemnat cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia* &c. Atque hoc modo in locis objectis etiam vox *cordis* mentem significat. Deinde ex S. literis apparet, bonam voluntatis actionem non esse causam fidei: sed contrà bonam voluntatis actionem seu dilectionem ex fide viva oriri demonstrat Apostolus, Galat. 5. 6. *fides per charitatem efficax*, & 1. Timoth. 1. 5. *finis mandati est charitas, ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata*: quemadmodum Heb. 11. bonæ voluntatis seu dilectionis Dei & proximi opera plurima, piorum veterum, fidei ipsorum effecta fuisse demonstratur. Quamobrem bona voluntas non efficit fidem: sed ex fide viva promanat, & fidem amat. Atque hæc ad celeberrimam hanc de tractione ad Christum sententiam illustrandam ac vindicandam diximus: sequitur porro

Versus 51. *adversus Anabaptistarum abusum illustratio.*

Memorabilis ac gravissima est hæc Christi sententia; *Ego sum panis vivus, qui è cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Cujus dicti occasio est antecedentis præstantiæ Christi propositio, qua comparatione Mannæ, ut rei minoris, Christus suæ personæ, officii ac finis illius, atque beneficii excellentiam, continuata panis metaphora, descripsit δεικτικῶς, cum quasi digito intento in seipsum ait: *hic est*, sicut etiam vers. 58. similiter concludit. Personæ autem excellentiam indicat cum se è cælo descendisse ait: hoc est, filium esse Dei, à Patre, è cœlo in terris patefactum, in carne, ad personæ suæ unitatem assumtâ. Officii verò, cum se quâdam similitudine panem vocat, hoc est, ordinatum, & aptum ad vitam spiritualem conservandam. Finis verò est, ut quicunque ipsum fide ederit, eundem à morte æterna conservet. Qua descriptione Christi posita, scopus Christi hoc loco est, ut eam amplius declaret. Medium autem seu modus, quo ad scopum illum contendit, est repetitæ ejusdem sententiæ adjuncta expositio. Nam primum illius subjectum, deinde attributum ejusdem exponit. Subjectum quidem, quia quod dixerat vers. 50. *hic*, expressè notat, cum ait *ego*, quo personam suam denotari ostendit. Attributum verò personam & officium describit ac repetit iisdem verbis, nempe *sum panis, qui è cælo descendit*: declarat verò, cùm pro pane vitæ, hoc est, vivifico, reponit *vivus*: ut ostendat, inde oriri, quod vitam conferre possit, quod sit vivus, hoc est, vitam in se habeat, videlicet vitæ æternæ fontem. Deinde repetit finem & beneficium suum, & quidem exponit, cum certitudinem illius statuit, & simul beneficium expressius designat. Nam certitudinem ostendit, cum non ait, *ut qui*, sed *si quis ex eo ederit*: ut non solum eum esse finem destinatum: sed etiam certò eventum illum consecuturum, indicaret. Deinde beneficium expressius designat, cum pro liberatione à malo, nempe quod non morietur: reponit collationem boni, dicens, *vivet in æternum*. Quibus Christus subjicit uberiorem expositionem: cum enim dixisset, se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, seu secundum divinam naturam, quæ è cœlo descendit, & carnem assumsit: ne quis secundum eam naturam tantum panem vivum existimaret, igitur ostendit panem vivum esse etiam carnem, cum ait, *& panis quem ego dabo* (scilicet ad edendum fide) *caro mea est*. Quo modo autem vivifica sit, exponit, cum ait: *quam ego dabo, pro mundi vita*, id est, ego Filius Dei, summus sacerdos, per Spiritum æternum offeram carnem meam in victimam, pro mundi (scilicet electorum & credentium) vita æterna, Heb. 9. 14. 15. Eph. 5. 2. In ea enim datione & oblatione exstitit complementum passionis Christi ad expianda peccata, & liberationis à morte; & actionis obedientiæ, ad nostram justitiam, & vitam æternam, Rom. 5. 19. Phil. 2. 8. ut hæc duo Christi beneficia, *expiatio iniquitatis*, & *adductio justitiæ sempiternæ* recensentur Daniel. 9. 24. Quibus jam obiter explicatis, superest ut Anabaptistarum errori, qui hac Christi sententia abutuntur, occurramus. Ex ea enim probare conantur, corpus Christi è cœlo, non ex Maria ortum: hoc est, verbum quod è cœlo descendit, mutatum esse in carnem. Sic enim argumentantur: Quod descendit de cœlo, illud non est ex substantia virginis Mariæ: Caro Christi descendit de cœlo, ut hoc loco Ioan. 6. 51. doceri asserunt. Ergo non est ex substantia virginis Mariæ. Ad cujus nodi solutionem præmittendum est, phrasin hanc, *descendere è cælo*, accipi vel propriè, ut Angelus descendisse dicitur è cælo Matth. 28. 2. vel impropriè per metaphor. idque bifariam, 1 ut effectionem Dei, qui in cælis est, notet, ut Joannis Baptismus dicitur esse è cælo, Matth. 21. 25. quod Deum haberet authorem, & Iacob. 1. 17. *omnis donatio bona, & omne donum perfectum superne est, descendens à Patre luminum*: & cap. 3. 15. *non est ista sapientia superne* (id est, è cœlo) *descendens*, sensus est, Deum non habet authorem: deinde extraordinariam Dei in terris patefactionem significat, ut Psal. 18. 10. *inclinavit cœlos, & descendit*: & Esai. 6. 41. *utinam disrumperes cœlos & descenderes*. Hisce jam ad phrasis intelligentiam præmissis, solutio est duplex: prima, per negationem consequentiæ syllogismi, quia vitiosus est: quippe medius terminus seu argumentum in propositione sumitur propriè, de vera

de verâ rei è cœlo, per loci mutationem descensione: In assumtione verò ex Ioan. 6. 51. petita, impropriè de Dei extraordinaria operatione, seu formatione ac conceptione carnis Christi cœlesti, per Spiritus Sancti potentiam, Luc. 1. 35. quia substantia illius est ex virgine Maria: Christus enim fructus est uteri illius, Luc. 1. 42. & idem factus ex muliere, Galat. 4. 4. factus è semine David secundum carnem, Rom. 1. 3. Veruntamen quamvis hæc responsio vim argumenti Anabaptistarum suo modo retundat: huic tamen opponi posset; Adamum è terra, & Evam è latere illius, virtute Spiritus Sancti omnipotente formatam, & tamen nullibi dici descendisse è cœlo: imo cùm Christus & Adamus inter se conferuntur, oppositione quadam 1. Cor. 15. 47. primus homo dicitur ex terra pulvereus: secundus homo Dominus ipse è cœlo: si autem esse è cœlo seu descendisse è cœlo significaret omnipotentem corporis Christi à Deo formationem: oppositio non videretur conveniens, quia primus etiam homo similiter formatus est, ideoque non minus dici potest esse è cœlo. Ac propterea altera responsio commodior ac simplicior est, ut negetur syllogismi objecti Assumtio: licet enim eandem ex hac Christi oratione, Joan. 6. 51. disertè confirmari glorientur: contrarium tamen, examine instituto, apparebit. Sic enim disputant: Panis vitæ de cœlo descendit: caro Christi est panis vitæ: vel quod reciprocum est, panis vitæ est caro Christi, Ergo caro Christi de cœlo descendit. Sed negatur propositio: quia non est universalis. Non enim verum est, quicquid est panis vitæ de cœlo descendit: quia *panis vitæ* notat similitudinem quandam id quod idoneum vitæ dandæ seu conservandæ medium. Sic Christus est panis vitæ secundum utramque naturam: Id quod etiam distinctè exponitur, quia ad illud apotelesma, seu vitæ effectionem complendam, divina & humana naturà concurrunt: humana natura quidem quatenus ea Patri fuit obediens ad mortem, mortem autem crucis, atque ita pro nobis & maledictionem legis pertulit, & perfectam justitiam pro nobis implevit: ut liberati à morte vitam æternam consequeremur. Christus verò quà Filius Dei, humanam naturam sibi hypostaticè univit propterea, ut illa obedientiam ad mortem usque pro nobis præstaret; & ad illam obedientiam & mortem, eandem direxit & obtulit: & infinitam dignitatem iis contulit, & promerita beneficia per obedientiam illam & mortem, divina sua efficacia vocando, sanctificando, justificando, glorificando, confert, unde Heb. 9. 14. dicitur: *Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo purgabit conscientiam vestram*, & hac de causa dicitur Actor. 20. Deus (id est Filius) Ecclesiam suo illo proprio sanguine acquisivisse. Ex quibus apparet Christum esse panem vitæ, hoc est, vitæ æternæ authorem, non solum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam, utraque natura faciente quod suum est, ad commune vitæ æternæ opus absolvendum. Ac primùm quidem, cùm Christus ait: *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendit*, subjectum est *ego*, id est, persona Christi, de qua attributum dicitur secundum quid, nempe secundum divinam naturam, seu quatenus Filius Dei est: quia non tantùm dicit, *sum panis vitæ*: quod aliâs secundum utramque naturam intelligi posset: sed addit descriptionem illius, qua restringit his verbis: *qui de cœlo descendit*: Filius autem Dei citra controversiam descendit de cœlo, missus à Patre, & in terra è virgine matre homo factus, Galat. 4. 4. 1. Tim. 3. 16. Ac propterea Adamo, tanquam homini tantum è terra orto, Christus opponitur 1. Cor. 15. 47. quod licet sit homo, nihilominus tamen etiam sit Dominus è cœlo, hoc est, verus etiam sit Deus. Cum autem dicitur: *& panis quem ego dabo, caro mea est*, sensus est, etiam panis quem ego dabo, &c. nam per anticipationem quandam dubitationi occurrit, atque ostendit se quidem esse panem vitæ secundum divinam naturam, qua è cœlo, descendit: sed tamen non solum secundùm eam, verùm etiam secundum humanam naturam, quam in victimam erat daturus pro mundi electorum ac credentium vita. Neque objici jure potest, dici hoc loco: ϗ ὁ ἄρτος, *& panis*: non verò, *etiam panis*: quia hæc significatio non est insolens, sed longè frequentissima, ut vel hæc exempla petita ex Euangelistis communi consensu declarant, nimirum Matth. cap. 12. vers. 8. Marc. 4. 25. & 13. 22. Luc. 9. 54. 10. 11. 17. 39. 11. 34. 40. 45. & 12. 59. 13. 7. 24. 23. Ioann. 5. 27. & longè plurima, ut de reliquis N. Test. scriptis, & exemplis plurimis in iis extantibus nihil dicam. Deinde longè plura ex solis Euangelistis proferri possent exempla, inprimis ubi vertunt Latinè *&* pro *etiam* quia hæc conjunctio Latina similiter pro *etiam* frequentissimè usurpatur, sed in hisce jam citatis exemplis, & D. Beza & vulgata versio rectè transtulerunt pro ϗ *etiam*, ut non si simpliciter connexionis conjunctio, sed ut connotet eorum, quæ connectit, aliquam præterea similitudinem, seu convenientiam, in aliqua re. Quare non sequitur, Christus hoc loco Ioan. 6. 51. dicit: ϗ *panis quem ego dabo est caro mea*: ergo eadem est omnino caro, de qua ante Christus dixit: *ego sum panis vivus qui è cœlo descendit*: Hoc enim nititur infirmo prorsus fundamento, quasi necesse esset, ut conjunctio ϗ hoc loco significaret expositionem ejus quod præcessit: quasi sensus esset ϗ ὁ ἄρτος hujusmodi, id est, panis quem ego dabo; cum contra hæc significatio vix ullibi extet in N. Test. quàm ubi dicitur Θεὸς ϗ πατὴρ, quod declarare solent, *id est, Pater*. Et quamvis sæpius extaret, quia illa impropria est ac rarior significatio, ideo, nisi urgente ratione necessaria, non esset admittenda: quæ hoc loco omninò adversariis deest. Deinde & illud observandum est, Christum non dicere: & panis quem ego dabo edendum, scilicet fide, est caro mea tantum: nam Christus secundum utramque naturam fide percipiendus est ad vitam æternam, ac secundum utramque naturam consequenter est panis vitæ, ut supra pluribus exposui. Quare ex his omnibus satis liquet, Anabaptistarum argumentum ex hoc loco Ioan. 6. 51. petitum; ut Christi carnem è cœlo descendisse probent, non posse consistere. Sequitur jam

Succincta sententiæ Christi, Joan. 6. 53. vindicatio.

Celeberrima est hæc Christi sententia: *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In quibus verbis explicandis discrepantes sunt sententiæ. Prisci enim Theologi, tempore Augusti. ea de esu sacramentali Cœnæ Domini interpretati sunt; ideoque etiam infantibus ad salutem necessariam Eucharistiam censentes, iis communicarunt: ut ex Aug. ep. 23. ad Bonifacium, etiam ex Cypriani sententia declaratur: adeo ut etiam Ecclesia Romana idem crediderit, ut ex epistola Innocentii Papæ ad Concilium Milevitanum exarata constat, tom. 2. August. ep. 93. *Illud*, inquit Innocentius, *quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismi gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis*; Contra verò doctiores Pontificii rectè censent, hanc Christi sententiam, non de sacramentali, sed de spirituali carnis Christi manducatione intelligendam: & quod amplius est, Pius IV. Papa Roman: cum Concilio Trident. sess. 21. cap. 4. reipsa eam Innocentii Papæ & aliorum sententiam damnat his verbis: *si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* & cap. 4. ejusdem sessionis dicitur: *denique eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt.* Quod autem ad Innocentii Papæ & aliorum excusationem additur, vanum omninò est effugium, cum subjicitur: *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres, sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Hæc conciliatio Patrum & decreti Concilii Tridentini hoc loco facta, ex Innocentii & Augustini epistolis, antea à nobis citatis, apertè confutatur, & vanitatis illius impudentia luculenter

luculenter etiam ex aliis August. locis convincitur, ut ex tom. 7. contra Pelagianos lib. 1. cap. 20. Cujus verba hæc sunt: *Dominum audiamus inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento Sanctæ mensæ, quo nemo rectè nisi baptizatus accedit: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis; quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendat, an verò hoc quisquam etiam dicere audeat, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat?* Hæc Aug. item tom. 7. contra Iulianum lib. 1. de Innocentio Papa Romano ait: *qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse:* unde etiam ut Concilii Tridentini; sic Stapletoni pervertentis Patrum & Augustini sententiam audacia perspicitur, quia hæc affirmare non erubescit in antidotis Euangelicis Joan. 6. *fuit quidem*, inquit, *in veteri Ecclesia consuetudo, parvulis Eucharistiam porrigendi, (ut patet apud Cypr. Sermon. de lapsis, cujus testimonium citat Aug. epist. 23.) sed falsum est veterem Ecclesiam hac consuetudine, tanquam re ad salutem parvulorum necessaria usam fuisse.* Quæ verba è diametro Augustini explicationi utrique postremum propositæ repugnant: & quod contra ejusdem diserta verba, ipsum loqui, ait, non de Sacramentali manducatione, sed de fructus illius perceptione in baptismo, falsi convincitur. Quæ diligenter, ad Concilii Trident, Stapletoni, ac similium in Patrum sententiis corrumpendis ac negandis effrontem impudentiam demonstrandam observanda sunt. Cæterum rectam esse secundam sententiam, quæ initio posita est à nobis, quæ verba Christi proposita, *nisi manducaveritis*, non de Sacramentali, sed de Spirituali carnis Christi manducatione interpretatur, res ipsa demonstrat. Primùm quia sacramentalis manducatio tum nondum erat instituta, ideoque ignota: deinde quia sine sacramentali manducatione fideles multi vitam consecuti sunt: sine hac autem, de qua Christus loquitur, vita haberi non potest: denique quicunque manducationis hujus particeps est, ille vitam æternam consequitur, ut sequentia proxima verba ostendunt: *qui manducaverit carnem meam, habet vitam æternam.* At multi habent Sacramentalem manducationem, qui tamen vita æterna carent. Nihilominus tamen Pontificii quidam secundam ac contrariam expositionem sunt secuti: & inter alios Thom. Staplet. scriptor clarus, & si quisquam, maledicus. Hic enim in antidotis in Euangelia ad hanc sententiam, contendit Christum loqui de Sacramentali manducatione. Quia verò prioris sententiæ fautores Pontificii hoc etiam argumento usi sunt, quod non solùm hic manducatio carnis, sed etiam sanguinis simul juncta sunt, & ad salutem necessaria pariter dicuntur: ideoque de Sacramentali manducatione si ageretur, fore ut Eucharistia necessariò sub utraque specie esset ad salutem necessaria (quod tamen decreto Conc. Trid. repugnat) idcirco novam expositionem comminiscitur, ut hanc difficultatem solvat, cum ait: *hæc Christi verba tametsi conjunctivè legantur, sunt tamen disjunctivè intelligenda: ac si dixisset, nisi manducaveritis carnem filii hominis, vel biberitis sanguinem ejus. Est enim Hebraismus in sacris frequens, quem Ioannes more suo sequitur; Exo. 21 ubi nostra versio habet, qui percusserit patrem suum, aut matrem, et qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur: in Hebræo est conjunctio &, sed interpres sensum secutus est.* Hæc ille, adductis præterea ad id probandum quibusdam locis ex Job. 31. Ps. 129. & imprimis Ez. 18. *qui in montibus comederit, & uxorem proximi polluerit, & pauperem oppresserit, & pignus non reddiderit &c. morte morietur, ubi certum est singulis illis sceleribus deberi mortem.* Hæc ille. Verum cum dixerit præfidenter Stapletonus, Joannem more suo id sequi, nullum tamen ex eo, imo neque ullum ex aliis N. T. scriptis adducit exemplum. Ac quamvis conjunctio *&*, ubi rei necessitas hoc postulat, disjunctivè per enallagen acciperetur pro *vel:* hoc tamen in loco nulla ratio necessaria extat, deinde cùm proxima verba, v. 54. *qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam,* de eadem re loquantur, hoc tantum discrimine, quod prius necessitatem, posterius utilitatem carnis & sanguinis notet: inde apparet, si in priori, vox *&*, pro *vel*, capiatur, & hoc similiter in loco accipi debere, quod absurdum esse Stapletonus sua expositione (qua vocem *&* copulativè cum Aug. accipit) perspicuò indicat. Dicit quidem Staplet. *hæc verba disjunctivè accepta nullam habent difficultatem; & disjunctivè accipi debere illud probat, quod supra diximus, Christum uni speciei effectum vitæ æternæ assignare:* loquitur autem Staplet. de his verbis Christi, *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, panis quem ego dabo, caro mea est, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Verùm ineptè principium petit: hoc enim controversum ac primum probandum erat, in illis Christi dictis agi de manducatione sacramentali: cum contra de Spirituali sermonem esse ex præmissis à nobis argumentis constet, & præterea ex modo illius manducationis nempe per fidem, ut antecedentia evincunt. Deinde *carnis* voce non excludi sanguinem, sed Synecd. includi, patet: quia non sola caro data pro mundi vita, sed etiam sanguis. Sic cum ait Christus: *qui ederit ex hoc pane*, simul etiam sanguinem Synecd. complectitur, ut v. 35. huic pani, & famis & sitis ablationem, attribuit. Quia verò ad v. 51. hujus sexti capitis Joannis, sex profert argumenta, quibus Christum de Sacramento loqui contendit, ea paucis sunt diluenda. Primum autem est hujusmodi: *Duplicem hic donationem ponit: alteram nobis: panis quem ego dabo, de quo prius dixerat, quem filius hominis daturus est vobis: alteram pro nobis, caro mea est, pro mundi vita. Hæc posterior est corporalis: ergo & prior: ideo enim posterior adjecta est ut priorem exponeret.* Verùm negatur consequentia. Nam licet idem panis detur & nobis & pro nobis: alius tamen est utrimque donationis & acceptionis modus: prior quidem spiritualis, qua Euangelio edendus offertur, & fidei ore percipitur, Joan. 6. 35. *ego sum panis vitæ, qui venit ad me, nequaque esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam:* posterior verò corporalis est Act. 2. v. 23. *Hunc definito consilio, & providentia Dei deditum, cum accepissetis manibus iniquis affixum interemistis.* Quod autem adversarius ait: *posterior adjecta est, ut priorem exponeret*, sibi ipsi non consentit. Nā cum duplex sit, ut ait donatio, quarum una non est altera, quomodo posterior priorem exponit. Hæc ad primum. Secundum deinde argumentum est: *Hæc*, inquit, *donatio panis futura dicitur, quem ego dabo, sicut donatio carnis pro mundi vita futura erat; unde in Græco repetitur, quem ego dabo: sed non nisi corporaliter utrumque tum futurum erat, quia ad spiritualem donationem quod attinet fide donandam, ab initio mundi, utraque* (legendum videtur, *utique*) *facta erat &c. Quare Calvinus, & qui de Spirituali per fidem manducatione hæc verba exponunt, verbum Christi, dabo, prorsus evacuant falsique arguunt.* Sed negatur hic etiam consequentia. Nam licet utraque donatio & panis & carnis, pro mundi vita, futura promittatur, cum ait Christus, *dabo*, inde tamen minimè sequitur, eandem prorsus esse utrimque rationem. Nam caro danda erat non sæpius, sed semel in victimam pro mundi vita Hebr. 9. v. 26. & 1. Pet. 3. v. 18. neque etiam ante data, sed in posterum danda tantum, contra vero panis & dandus erat, & datus atque dabatur bifariam; primùm oblatione per Euangelium, quo omnibus conditione fidei promittitur illius collatio: Quemadmodum Capernaitis incredulis licet, datus dicitur v. 32. *Pater meus dat vobis panem illum verum è cælo.* Deinde datio fit collatione, qua pane illo fruuntur ad vitam ęternam: quę donatio solis credentib. convenit. Quomodo Christus ostendit eum nondum esse datum Capernaitis, sed si crediderint, dandum, vers. 27. ut v. 35. *ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, non esuriet, qui credit in me, non sitiet unquam*, & v. 47. & 48. *qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ.* Atqui credentes tum fuisse tùm alibi, tum etiam inter incredulos illos Capernaitas certum est, non solum Apostolos, v. 69: sed etiam alios quosdam auditores; nec omnes dicuntur fuisse increduli, sed multi ex iis v. 60. quo aliquos credidisse hac distributione indicatur. Deinde manducationem hujus panis spiritualem intelligi, quæ fit per fidem, liquet ex initio hujus doctrinæ Christi v. 27. *operamini*, inquit, *non cibo qui perit, sed cibo manenti in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*, operari autem cibo dando, est credere in Christum v. 28. & 29. quia vero Capernaitæ increduli erant, datum quidem hunc cibum oblatione per Euangelium, postea indi-

indicatur: non tamen dederat Christus collatione, qua fruerentur, idque ob conditionis fidei necessariæ ab ipsis neglectæ defectum: quemadmodum contra verè credentibus ab initio dedit, & credituris omnibus ad finem mundi virtute Spiritus Sancti dabit. Tertium Argumentum ab adversario fusius propositum contrahemus; Donum Christi per fidem manducandi, est commune toti Trinitati: panis quem Christus promittit, non est communis toti Trinitati, sed proprius ut filio hominis secundum humanam naturam: Ergo panis quem Christus promittit non est donum Christi per fidem manducandi. Sed negatur Assumptio: nam Filius hominis nomen est personæ Christi, ab una natura denominatæ, ut Johan. 3. *Filius hominis qui est in cælo*: ideoque non sequitur, vers. 27. dicitur Filius hominis daturus illum cibum: ergo secundum humanam naturam tantùm, imò verò etiam secundum divinam naturam dat: & Pater per Filium communionem illius donat vers. 32. Sed proprium esse Christi, inde probare conatur, quia talis est donatio carnis pro mundi vita; sed ut alia omittamus, negatur id proprium esse Christo secundum humanam naturam; quia secundum divinam etiam naturam, per spiritum æternum, carnem suam dedit pro mundi vita, Heb. 9. vers. 14. & Deus redemit Ecclesiam suo sanguine Act. 20. vers. 28. & Pater etiam dedit Filium pro nobis, mediatè, Rom. 8. vers. 32. Quartum argumentum est: *Hunc*, inquit, *cibum præfert Mannæ, Ergo in veritate cibi & manducationis corporalis conveniunt.* Sed negatur consequentia: neque probatio, quam subdit, solida est, cum ait: *non enim constituitur differentia, nisi inter ea, quæ aliquo modo conveniunt. Nullo autem prorsus alio modo conveniunt Manna & caro Christi in sacramento, nisi in sola manducatione corporali utrique communi.* Verum hic est sophisma petitionis principii: Nam quod in quæstione est ac probandum, illud quasi concessum substernit, nempe in hac differentia Mannæ & Christi proposita agi de Sacramento Eucharistiæ: deinde falsò ac sine ulla probatione asserit, Mannam & Christum, nullo prorsus alio modo convenire, quam in manducatione corporali: cujus vanitas ex distincta Mannæ & Christi collatione, à nobis proposita, perspicuè confutatur. Quintum Argumentum est cum ait: *Hunc cibum promittit Christus daturum credentibus in se nec nisi prius credentibus, quam ob causam de fide disputavit tam multa: prius est igitur credere in Christum, & postea hunc cibum accipere: Ergo aliud est credere, aliud accipere.* Verum inquam hic est sophisma elenchi, quia aliud probat quam quod probandum erat: hoc enim probandum proposuit disertè, Christum de Sacramento hic loqui: non autem quæstio est an credere præcisè sit manducare. Si verò excipiat aliquis, si credere sit aliud, quam manducare: Ergo manducare ore corporis fit, non autem fide. Negatur Conseq. Nam quamvis credere præcisè ac propriè non sit manducare, ejus tamen actio spiritualis ac propria est manducare panem hunc cælestem, hoc est, Christum redemptorem Evangelio oblatum accipere: ut Joh. 1. vers. 12. *quotquot ipsum acceperunt*, exponitur ibid. *qui credunt in nomen ipsius*, & Eph. cap. 3. vers. 17. *Christus* dicitur *per fidem habitare in cordibus nostris*: quo significatur, quod virtute Spiritus Sancti per fidem Christo uniamur. Neque ignorat Staplet. præcisè loquendo, Calvinum, quem indignè & immerito proscindit, Joan. 6. apertè distinguere inter hæc duo, scilicet credere in Christum, & edere Christum, tanquam causam instrumentalem & effectum illius. Quod autem vulgo dici solet, *credere esse edere*: oratio est metonymica usu trita: ut *credere est vita æterna*, Joan. 17. vers 3. & cap. 12. 50. *mandatum ejus vita æterna*, & 14. vers. 6. *ego sum vita*, id est, vitæ efficiens: sic etiam edere pro edendi causa. Denique hoc argumentum non immeritò in adversarium retorqueri potest hoc modo: Manducatio, de qua Christus hic loquitur, convenit solis credentibus; ut Staplet. hic asserit; Atqui manducatio in Sacram. Eucharistiæ non convenit solis credentibus: quia etiam non credentes hypocritæ fidem simulantes manducant: Ergo, manducatio in Sacram. Eucharistiæ non est manducatio, de qua Christus hîc loquitur. Sextum atque ultimum est his verbis expressum: *fides non in carnem, sed in totum Christum est. Divinitas & tota Christi humanitas objectum est, fideque percipitur: nulla igitur causa esset cur hunc cibum carnem suam & quidem toties vocaret, nisi de carnis proprietate & proprio manducationis officio loqueretur.* Verum respondemus, invalidam esse omninò consequentiam; causa enim cur hunc cibum carnem suam vocet Christus, est ut ostendat, se non solum esse cibum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam, quod utraque natura ad redemptionis ac vitæ cælestis complementum concurrat, ut supra ostendimus. Nam is manducat carnem Christi, qui credit filium Dei carnem suam, in unitatem suæ personæ assumtam, pro vita mundi credentium in sacrificium obtulisse: adeò ut manducando carnem Christi, simul totam personam manducemus, seu communionem illius habeamus. Unde hujus etiam argumenti infirmitas apparet. Atque hæc de hujus sententiæ Joan. 6. vers. 53. adversus corruptelas vindicatione. Reliquum jam est, ut ad hujus capitis absolutionem explicetur

Quæstio de recto verborum Christi sensu Joan. 6. 63. Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam: verba quæ loquor ego, spiritus sunt & vita.

ILlustris omninò est hæc Christi oratio, de cujus genuino sensu varia omninò sunt interpretum judicia. Ac propterea operæ pretium esse arbitramur, ut ea, quæ præcipua sunt, nonnihil, præmissis occasionis & scopi circumstantiis, expendamus. Occasio autem est incredula Judæorum ex doctrina Christi arrepta offensio duplex: prior quidem, ratione personæ, quod non crederent Christum esse proprium Dei Filium, qui è cœlo descendisset, v. 41. & 42. posterior verò quod non crederent carnem illius edendam ac vivificam v. 60. Scopus autem Christi est ut huic offensæ occurrat; atque illos malè offensos, interrogatione quadam indicat vers. 61. Modus autem seu medium ac remedium, quod ad hunc scopum dirigit, pro duplici offensa est duplex; primùm enim ostendit se descendisse è cælo, quia ascendet in cælum, scilicet sua vi: ideo si id conspicerent quærit, an hoc eos offenderet? hæc enim per ellipsin è superiori versu intelligenda, hoc est, annon cognoscetis me verè dixisse, quod prius in cælo fuerim atque inde ut Filius Dei descenderim? quia nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo, Joa. 3. ubi Christus etiam ut hîc per communicationem idiomatum, de sua persona, denominata à natura humana prædicat, non solùm quod ipsi convenit secundum humanam naturam, nempe ascendere in cælum: sed etiam secundum alteram, nempe divinam, scilicet quod prius erat in cælo, hoc est, descendisset de cælo, nempe ratione modi peculiaris præsentiæ, in assumta humana natura: sed tamen ratione ipsius essentiæ & gloriosæ patefactionis in cælo esset. Adeò ut, diverso respectu, utrumque consentiat, filius hominis est in cælo Johan. 3. & filius hominis erat prius in cælo Johan. 6. qua de re Aug. locum Johan. 3. conferens sic eruditè ait: *Sic erat Filius hominis in cælo, quemadmodum Filius Dei erat in terra: Filius Dei in terra suscepta carne: filius hominis in cælo, in unitate personæ.* Deinde causam hujus phraseos (quæ communicatio idiomatum dicitur) esse docet, ut intelligamus unam personam esse Deum & hominem. Atque ita Christus priorem offensionem Judæorum refutat, quod rectè dixerit, quod prius erat in cælo, indeque descenderit: quia vi suâ ascendet, divina natura humanam subvehente, in cælum. Posteriorem verò offensionem diluit hoc vers. 63. quo sensum verborum suorum de carnis suæ manducatione & vivificandi efficacia, declarat. Primùm enim mentem suam explicat: deinde antè à se dictis applicat: ut consensus utriusque appareat. Ac prius quidem continetur his verbis: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* In

quibus

quibus maxima consistit difficultas, ac diversis modis sententia illrus exponitur. Cujus varietatis occasio est verborum *spiritus* & *carnis* significatio, in S. Literis pro locorum circumstantiis varia: & quod probabili quadam ratione ad Christi sententiam diversis modis videantur posse accommodari. Ac primò quidem nonnulli *spiritum* & *carnem* non propriè, sed metaph. de spirituali & carnali verborum Christi intelligentia exponunt, sed duplici modo: unde duplex interpretatio exurgit. Quidam enim voce *Spiritus* sensum allegoricum: *carnis* voce verò proprium, & ut vocant literalem sensum intelligunt: quod quemadmodum Spiritus sive anima hominis sub carne latet: ita sensus allegoricus sub verbis propriè aliud significantibus, sit inclusus. Quam explicationem simili scripturæ usu probare conantur ex duobus locis; primum quidem ex Apoc. 11. vers. 8. ubi de Roma Antichristiana dicitur, *& cadavera eorum* (scilicet jacebant) *in plateis urbis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus crucifixus est.* Ubi *spiritualiter* idem est quod allegoricè atque occultiore significatione. Deinde 2. Cor. 3. vers. 6. dicitur *litera occidit, spiritus verò vivificat:* ubi inquiunt litera literalem sensum; spiritus verò spiritualem seu allegoricum sensum designat. Veruntamen hæc sententia à multis minus probatur, 1. quod caro & spiritus, opposita inter se, ut hoc loco, nullibi in Sacris Literis hoc sensu accipiantur. Nam Apoc. 11. conjugatam vocem *spiritualiter* ita usurpari agnoscimus, non autem spiritum. Ad locum verò quod attinet 2. Cor. 3. *spiritum*, *literæ* opponi apparet, non carni: nec spiritualem sive allegoricum sensum denotat, ut ipsemet Aug. qui ita erat interpretatus, postea re melius considerata, in libro de spiritu & litera agnoscit, *literam* significare legem: *spiritum* verò Euangelium: quod nimirum Spiritum Sanctum habeat conjunctum, unde *ministerium spiritus* 2. Cor. 3. appelletur. Præterea adversus illam expositionem etiam objicitur ab eruditis nonnullis, quod res ipsa eandem quoque refutet. Nam spiritus de quo Christus hic loquitur, est qui vivificat: sensus spiritualis seu allegoricus non vivificat: quia plurimi eo præditi, tamen increduli sunt, ac pereunt, ergo sensus spiritualis seu allegoricus, non est spiritus, de quo hic Christus loquitur. Veruntamen pro hac sententia dici posset: primùm sensum allegoricum intelligi fide perceptum: vel deinde, per sensum allegoricum intelligi rem eo sensu explicatam, nempe spiritualem Christi manducationem. Cœterum alia gravior ratio opponi potest: nimirum quod à propria & usitata significatione, ad impropriam non est discedendum, nisi ratio solida id evincat: qualis hoc loco nulla apparet: neque etiam ab hujus sententiæ fautoribus adducitur. Quo etiam argumento, & alter exponendi modus, qui à nonnullis de spirituali & carnali intelligentia profertur, confutatur: cùm metaph. voce *carnis* vitiositatem hominibus innatam: *spiritus* verò nomine sanctificationem, qua homo virtute spiritus renatus est, interpretantur: ut spiritualis intelligentia sit, quæ ab illo spiritu seu interna sanctitate; carnalis quæ à carne, hoc est, vitiositate, oriatur. Verum licet hæ voces ita nonnunquam oppositæ in Sacris Literis usurpentur, ut Rom. 8. vers. 13. Gal. 5. vers. 16. & 7. & 19. collato cum 18. & 22. ut etiam *spirituales* ac *carnales* 1. Cor. 3. vers. 1. opponuntur: à propria tamen significatione, sine ulla necessitate hoc modo receditur. Deinde si caro vitiositatem nativam significaret in verbis hisce Christi: tum non solum dixisset, *caro non prodest*, sed contra potius, cùm hoc omninò controversia careat, occidit: quemadmodum oppositio spiritus, qui vivificat, & natura vitiositatis carnis postularet. Atque hæc de prima expositionis ratione, quæ duos modos in se complectitur. Altera verò expositio est, ut sine metaphora, vera caro verusque spiritus, & quidem vel Christi, vel aliorum hominum intelligatur. Quidam enim hisce *spiritus* & *carnis* vocibus divinam & humanam Christi naturam intelligi statuunt: quemadmodum eo sensu hæ voces distinctè accipiuntur. Rom. 1. vers. 3. & 4. & 1. Tim. 3. vers. 16. & 1. Pet. 3. vers. 18. Atque ita sensus erit hujus loci; caro mea seu humana natura non prodest ad vivificandum per se, sine divina natura (qualem tantùm Capernaitæ à Christo intelligi perperam opinabantur) sed spiritus, hoc est, divina mea natura (quæ *spiritus æternus* ad discrimen ab anima ipsius, Heb. 9. vers. 14. dicitur) est, qui vivificat, ut fons vitæ: cujus accidente gratia, caro, per se ad vitam æternam dandam inutilis, utilis redditur. Ac propterea Christum non errasse apparet, cum carni suæ, divinæ naturæ unitæ, vivificandi vim tribuisset: sed Capernaitas iniquè offendi, quod carnem Christi à divinitate separatam statuebant; ac talem dici à Christo ore corporis ad vitam æternam esse manducandam, falsò existimabant. Alii verò carnis & spiritus voces non de Christo, sed de hominibus reliquis interpretantur: ut *caro*, corpus, *spiritus* verò animam significet. Quemadmodum etiam in Sacris Literis distinctè hæc duo opposita nonnunquam intelliguntur: ut Heb. 12. vers. 9. *patres carnis*, hoc est, corporis: & *pater spirituum*, hoc est, animarum, nempe Deus, inter se discernuntur. Quo modo sensus erit luculentus ac facilis, & ad scopum Christi accommodatus. Is enim est ut confutet Judæorum offensionem, qui verba Christi de carnis suæ manducatione ad vitam æternam propriè, ore corporis peragenda accipiebant: ac propterea (quia id sexto Decalogi præcepto *non occides*; ideoque multò minus hominem comedes, adversabatur) ut durum & intolerabile aversabantur vers. 52. & vers. 60. contra verò Christus hic docet, carnem, hoc est, corpus humile ad hanc carnis suæ manducationem ac vivificationem non prodesse: sed spiritum: ideoquè non cibum carnis esse, seu oris & ventris: sed mentis per fidem, quæ causa efficiens illius est instrumentalis: ut multis antea à Christo explicatum vers. 29. collato cum 27. & 28. & vers. 35. & 40. si quis verò objiciat adversus hanc declarationem: *carnis* hoc sensu pro corpore hominum acceptæ nulla ante facta est mentio: sed tantùm carnis Christi: ac propterea non de carne Capernaitarum, & hominum aliorum generaliter; sed de carne Christi singulariter intelligendum. Negatur antecedens: Nam licet vocis *carnis* eo sensu, non sit facta mentio expressa, tamen implicite indicata est: cum error Capernaitarum ita descriptus est, ut citra ullam controversiam ex eo constet, illos manducationem carnis Christi de manducatione carnali, seu quæ carne & ore corporis fit, perperam intellexisse: ideoque ad illum errorem corrigendum, aptissimè carnem hominum ad eam manducationem & vitam conferendam esse inutilem, rectè ostenditur. Deinde cùm Christus in Anteced. de carne sua agens, semper distinctè dixerit, *caro mea*, vers. 51. 54. 55. 56. *& carnem filii hominis ederitis*, vers. 53. hic omissa omni distinctione generatim dicit, *caro*, quemadmodum illud à D. Beza contra antecedentem de carne Christi sententiam observatum: propterea probabile est, eo modo hic indicari Christum non suam carnem singulaliter, sed carnem seu corpus hominum Capernaitarum, & aliorum generatim intelligere. Denique ne temerè D. Bezæ expositionem novam præteriisse videamur, ea paucis ex Annot. ad hunc locum repetenda, & strictim, ad majorem rectæ interpretationis cognitionem expendenda: siquidem ait Christum refellere Capernaitas, *ratione à communi sensu petita, ac si diceret? Qui fit, ut me de naturali & usitato illo comedendi & bibendi usu locutum somnietis, quo cibus & potus in ventrem ingeruntur? Vos enim sensus ipse docet, ne hanc quidem vitam animalem manare à carne quæ dentibus comeditur, sive à cibo & potu, qui in ventrem ingeritur, neque hanc vitam præstat vel adimit, utpote quæ aliunde nempe ab hominis spiritu corpus vivificante proficiscatur. Itaque quorsum ego vitam tali manducationi carnis meæ, & tali sanguinis mei potui attribuerim? Scitote igitur, me non de corporali edendi vel bibendi modo, imò ne de animali quidem vita, cujus unius retinendæ studio teneri vos video, sed de mei spirituali perceptione, quæ non dente sed mente peragitur, & ad vitam illam*

spiritualem

spiritualem & æternam spectat, translatitiè fuisse locutum. Et sic quidem ego appositissimè explicari Christi verba existimo. Hactenus claris. viri paraphrastica verborum Christi nova expositio: quæ salvo meliori judicio antecedenti, proximè à nobis propositæ longè videtur postponenda. Primum quia nova ista expositio, *carnem* de carne generaliter quæ editur, & spiritum de anima hominis interpretatur: Atqui talis oppositarum vocum hac significatione usus, nullo in loco Scripturæ observatur. Deinde Christus locutus est de vita æterna tantùm, non autem de vita animali: ac propterea cum dicitur spiritus vivificat, si de vita animali illud intelligatur, aberrabit oratio à scopo proposito Christi, & à mente Capernaitarum, qui satis clarè audiebant Christum loqui de vita æterna conferenda. Neque sane video qua ratione ad eum scopum accommodari possit, nisi per longiorem atque obscuram consequentiam: ut ex paraphrasi antecedente perspici potest. Denique quo modo rectè dici potest cibum & potum vitam non præstare, sed spiritum, hoc est, animam? Nam etsi id verum sit ratione causæ procreantis, ac primæ effectionis vitæ; cibus tamen & potus tanquam causæ conservantes vitam præstant. Quamobrem huic novæ expositioni antecedens omninò videtur præferenda, ut quæ perspicuè Christi verba explicat, & Capernaitarum de carnali carnis Christi ad vitam manducatione errorem solidè refutat: Quod caro seu corpus ad vivificationem, eoque ad manducationem carnis Christi non prodest: sed spiritus, seu anima humana, ore fidei carnem Christi manducando, vivificet. Deinde meritò etiam expositio illa de carne & spiritu Christi similiter huic novæ videtur proponenda; utpote quæ ad eandem carnem, de qua Christus ante locutus erat, pertinet, & Capernaitarum, ut ostendimus, errorem refutat graviter. Quod autem antea à nobis ex D. Beza ut probabile argumentum adductum est; nimirum non videri intelligi carnem Christi, quia non dicitur caro mea, nec caro filii hominis distinctè ac singulariter, ut in præcedentibus verbis; sed alio modo, scilicet generali, cum dicitur simpliciter caro, ideoque alium esse significationis modum: ad id inquam responderi posset, etiam hoc in loco, cum dicitur ἡ σάρξ, non necessariò generatim accipi debere de quavis carne: articulum enim sumi posse hoc loco pro pronomine αὐτὴ, ut ὁ ποιητὴς *ille poëta*, de Homero dici solet, ex frequenti in hujusmodi Græcæ linguæ & Scripturæ usu. Quemadmodum hujus significationis inter alia multa hæc exempla sufficere possunt: ὁ λόγος *sermo ille*, Joan. 1. vers. 1. 2. 14. τὸ φῶς *lux illa*, vers. 8. ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, *agnus ille Dei*, vers. 29. item σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ; σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ; *Tu es rex ille Israëlis?* vers. 50. *Tu es* ὁ χριστὸς, *Christus ille* Matth. 16. vers. 16. quemadmodum etiam hæc omnia dicta ita accepta D. Beza rectè interpretatur. Ac propterea ἡ σάρξ intelligi potest hoc loco *illa caro*, ut non generaliter, sed singulariter ad antecedentem Christi carnem referatur, sicut vers. 52. *quo modo potest hic nobis dare*, τὴν σάρκα *carnem illam*, scilicet suam, de qua locutus est. Quo etiam modo vulgatus interpres & D. Beza τὴν σάρκα *carnem suam* interpretantur. Quare utraque expositio valde accommodata est, ut *spiritus & caro*, vel de Christo: vel de aliorum hominum anima & corpore intelligantur: sed tamen posterior sensum videtur & faciliorem & clariorem continere.

Quidnam Christi verba Joh. 6. in fine vers. 63. designent.

QUoniam hic versus celeberrimus ac gravissimus duabus constat partibus: quarum priori doctrinam à se, de carne sua ad vitam æternam manducanda propositam, maléque à Capernaitis (qui id carnis dente & ventre peragendum opinabantur) intellectam explicat: posteriori verò expressè ad eandem doctrinam applicat, propterea ut illam jam antea exposuimus; ita hanc quoque, ob varias ac discrepantes interpretum sententias examinare ac declarare nonnihil conabimur. Nam licet ex priores partis enarratione, ac præcipuarum de ea opinionum discussione, difficultas maximè sit imminuta: nonnulla tamen ad accuratiorem hujus intelligentiam sunt observanda. Quod ut majori fiat perspicuitate, primo loco eam quam simplicem ac priori parti & scopo maximè consentaneam arbitramur sententiam, distinctè proponemus ac confirmare conabimur; deinde opiniones diversas, delectu quodam habito, excutiemus paucis. Præmisso autem prius horum verborum scopo & divisione, ad expositionem procedemus. Ad scopum autem quod attinet: initiò hujus versus Christus, ad erroris Capernaitarum (quo Christi carnem ad vivificationem, carne seu dente & ventre manducandam dici putabant) refutationem contrarium docuit: nempe spiritum (seu mentem, fidei ore Christi carnem manducantem) vivificare: carnem vero (seu dentem & ventrem) ad manducationem & vivificationem illam non prodesse. Quo quasi fundamento quodam, prima parte hujus versus posito, alteram ad sui defensionem subjicit, & doctrinæ antecedenti, quâ Capernaitæ offensi fuerant, applicat. Declarat enim se de spiritu & vita: non autem de carne & vita locutum: ideoque Capernaitas imperitè & iniquè iis offendi. Dividitur autem Christi sententia in subjectum & attributum. Subjectum seu illud de quo agit est hujusmodi, *verba quæ ego loquor*. In quo duo sunt observanda, ad clariorem rei cognitionem: primùm quidem quid *verba* hoc loco significent; deinde quid sit, *loquor*. *Verba* enim accipi possunt bifariam: primùm propriè; ut dictiones & orationem designent: vel impropriè, per metonym. adjuncti pro suo subjecto, nempe ut rem verbis significatam notent, ut 2. Sam. 14. vers. 15. *Rex faciat verbum ancillæ suæ*, & vers. 21. *feci verbum hoc*, hoc est, rem verbo significatam; Quo etiam modo dicitur, *facere omne præceptum* Deut. 6. vers. 24. hoc est, facere omnia, quæ præcepta sunt. Exod. 29. vers. 35. & Joan. 15. vers. 10. *custodire præcepta*, exponitur vers. 14. *facere ea quæ præcipio*. Sic Rom. 2. vers. 13. *factores legis*, id est, rerum lege significatarum ac mandatarum. Atque per hujusmodi metonym. *verba* hoc loco intelliguntur: hoc est, res verbis significatæ, ut ex attributo *spiritus & vita*, colligitur: quod non dictionibus ipsis, sed rei significatæ convenit. Deinde cum dicitur: *quæ ego loquor*, enallage est temporis, hoc est, quæ modò locutus sum. Nam quia id quod paulo post futurum est, & quod paulo ante præteritum, quasi præsens æstimatur: idcirco utrumque præsentis temporis verbo, sæpius cùm vulgò, tùm etiam in Novo Testamento indicatur: paulo post futurum quidem, Johann. 14. vers. 1. *proficiscor*, & vers. 4. *abeo*, & vers. 5. *nescimus quo abis*, & alia plurima: paulo antè præteritum verò, Matth. 13. vers. 10. *Cur iis loqueris per parabolas* & vers. 13. *per parabolas loquor eis*, & Johan. 4. vers. 26. *ego is sum qui loquor tibi*. In quibus omnibus paulo ante præteritum citra controversiam intelligitur. Sic etiam hoc in loco: Christus enim ea intelligit, quæ de necessaria manducatione carnis suæ ad vitam, Capernaitis modò dixerat: ut scopus hujus sententiæ (nempe confutatio Capernaitarum) vers. 61. indicatus ostendit; quo pertinet expressa hæc applicatio, *verba quæ ego loquor vobis*: sensus enim est, res, verbis quæ ego locutus sum, significatæ, sicut non potuerunt à me dici de carne vestra & aliorum, quia ea ad vivificandum & ad edendum carnem meam non prodest: sed tantum spiritus seu mens per fidem vivifica: propterea etiam ea quæ verbis meis significavi, non sunt caro, sed spiritus & vita; quibus attributum continetur, secunda hujus sententiæ pars. *Spiritus* porrò & *vita* accipiuntur propriè, ut antea in prima hujus versus parte, de mente & vita æterna, ut sensus sit: quod antea dixi, vobis & omnibus hominibus necessarium ad vitam, ut manducetis carnem meam, id non dixi de carne vestra seu dente ac ventre: sed de spiritu seu mente, carnem meam per fidem manducante, & vita æterna inde consecutura. Atque hæc prima est planior ac plenior expositio: si quis verò *spiritum* & *carnem* in priori hujus versus

parte

parte de Christi divina, & humana natura interpretetur, ut antea retulimus; eodem modo non incommoda erit secunda expositio; ut etiam in altera hac parte spiritus eadem significatione intelligatur: nimirum ut sensus sit, cùm caro mea (si consideretur, ut à vobis Capernaitis fit, secreta à suo Spiritu æterno, seu Deitate sua) ad vitam non prosit: sed vivificatio sit opus Deitatis (quæ Spiritus vivificus. 1. Cor. 15. 45. nominatur) similiter non de talis carnis manducatione carnali & vivificatione: sed de spiritu & vita ęterna inde promanante sum locutus. Verùm pręter hasce duas expositiones (quarum prior facilitate atque ubertate longè videtur præferenda) aliæ etiam proferri solent: sed tamen minimè conferendæ cum prioribus, quoniam à propria vocis, *spiritus* non minus quàm *carnis*, significatione, sine ulla ratione necessaria recedunt: idque vel ut eodem sensu spiritus accipiatur quo in priori parte interpretati sunt: vel diverso. Eodem quidem, ut significet sensum allegoricum: vel ut animæ per spiritum regenerationis sanctitatem (carni, h. est vitiositati innatæ oppositam) intelligamus. Diverso verò sensu accipiunt, qui spiritum metonymicè Euangelium notare existimantes, ita explicant, quod eodem sensu Christus hunc sermonem suum de pane cęlesti (qui summam Euangelii continet) spiritum & vitam appellaverit, quemadmodum Paulus Euangelium vocavit spiritum, qui vivificat 2. Cor. 3. 6. h. e. efficax Sp. S. instrumentum (unde ministerium spiritus ibidem v 8. dicitur) quo fidem in nobis electis accendit, nosque ita vivificat Rom. 10. 17. & 1. 16. Veruntamen quemadmodum à propria significatione ad impropriam, sine ulla necessitate hoc modo declinatur: sic etiam ad scopum, nempe refutationem Capernaitarum, non ità commodè pertinet: neque satis cum prima hujus versus parte, ubi spiritus carni opponitur, cohæret. Ac propterea uberior harum expositionum refutatio non requiritur, quemadmodum multo minus, quod maximus alioqui inter Patres Theologus, Cyrillus, spiritum hoc loco, carnem Christi significare statuit: cum & ea significatio sit insolens, & Christus spiritum carni disertè prima parte opponat.

Hactenus de difficultatibus Cap. sexti.

Ad Cap. 7. v. 2. illustrationem, de σκηνοπηγίᾳ explicatio.

CUm tria annua ac solennia fuerint Israelitis à Deo per Mosen instituta festa: nempe Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum: quibus celebrandis omnes masculos convenire Hierosolymas oportuit, Exod. 23. Deut. 16. & 2. Chro. 8. ac de prioribus, nempe Paschate & Pentecoste, antea suis locis à nobis actum est plenius: non inutile fore arbitramur, neque ingratum, si etiam de tertio, nempe tabernaculorum festo, ad hujus loci ac similium illustrationem, paucis ac distinctè disseramus. Festum autem tabernaculorum hoc loco σκηνοπηγία dicitur, à figendis tabernaculis, ex pulcherrimarum arborum ramis, sub quibus dies septem, à mensis septimi die decimo quinto degebant, & honestę hilaritati se dabant: quemadmodum describitur institutio illius Levit. 23. & illustre ejus exemplum profertur Neh. 8. Finis autem cum reliquis festis, Paschatis nimirum & Pentecostes communis, fuit beneficiorum Dei corporalium & spiritualium recordatio, & publica pro iis Deo gratiarum actio præstanda. Proprius vero finis, pro beneficiorum aut modi diversitate distinguitur. Proximus enim hujusmodi finis spectavit beneficia corporalia duo. Quorum primum erat, quod cùm olim in deserto incertis sedibus, sub vagis tabernaculis vixissent; inde à Deo per Josuam in terram promissam & urbes ac domos stabiles essent introducti, Levit. 23. vers. 43. Deinde quod cum antea in deserto, terræ fructibus & horreis ac cellis fuissent destituti, tandem in Chananæa uberem terræ proventum, eumque recondendi facultatem essent consecuti. Unde non solum *festum tabernaculorum*: sed etiam *festum collectionis* à Mose appellatur Exod. 23. vers. 16. ad eandem rem significandam, ut apparet Deut. 16. vers. 14. & 15. In quam sententiam sic ait Theophilact. ad hunc locum: *σκηνοπηγίᾳ celebrabant in gratiarum actionem propter convectas fruges mensis septembris, ideo & tabernacula figebant & sub dio degentes lætabantur. unde Psalmos quosdam qui inscripti sunt, pro torcularibus, quidam compositos esse dicunt in hoc festum. Nam tunc torcularia sua implebant, & uvas premebãt, propterea agebant gratias, & psalmis utebantur atque aliis in gratiarum actionem; talis psalmus est octavus.* Hæc de sententia Theophilacti, & fine hujus festi proximo: nimirum ut esset grata beneficiorum corporalium illorum recordatio, Deique eo nomine celebratio. Remotus vero finis fuit ut esset typica ac prophetica futurorum, per Christum beneficiorum spiritualium adumbratio, quemadmodum communiter de festis illis dicitur Colos. 2. v. 17. Verum quænam propriè sit res significata, diversa videtur Theologorum esse sententia. Augustinus enim cum nonnullis aliis sentit: quemadmodum Israelitæ typi fuerunt fidelium (qui Israel Dei dicuntur Galat. 6. vers. 16.) & Pharao, Diaboli: mare rubrum, baptismi: hostes Israelitarum Ægyptii, peccati typi extiterunt: sic tabernacula & desertum, hujus mundi: & terram promissam, cæli typum fuisse, pluribus exponit. Cyrillus tabernaculorum festum, resurrectionis corporis & vitæ æternæ umbras fuisse dicit: sed probationes quas adducit, non sunt adeo firmæ. Ait enim Christi carnem esse tabernaculum illud Davidis, quod erectum Amos. 9. v. 11. resurrectione. Sed doctiores interpretes rectè demonstrant, humile Christi regnum à Propheta denotari: ut circumstantiæ declarant, & Actor. 15. v. 16. Neque etiam melius convenit id quod ex Zach. 14. vers. 16. adfert, reliquæ gentium celebrabunt festum tabernaculorum. Nec enim in eo loco agitur de vita æterna, sed de statu Ecclesiæ Novi Testamenti in hoc mundo, & quidem pro more Prophetarum, qui cultum spiritualem Dei in Novo Testamento futurum, corporalibus illis umbris exponunt, concinna allegoria. Idque etiam confirmatur ex ejusdem loci vers. 18. quo pœnam iis minatur, qui festum illud non celebrarint: id quod sanè nullo modo vitæ æternæ convenit, in qua nullum transgressionis periculum, neque ulla pœna habet locum. Interim tamen, si rem ipsam, remota probatione illa consideremus, pia est Cyrilli de fine hujus festi sententia. Quam etiam sequitur Theophil. cum ait: *Scenopegia autem significat resurrectionem, quando omnes quidem fructus nostrorum operum consummantur, tabernaculaque nostra per mortem destructa iterum construentur.* Cœterùm ut propositam de fine hujus festi remoto sententiam absolvamus, arbitramur utramque, & Augustini & Cyrilli sententiam consentaneè S. Lit. commoda ratione posse conjungi, hoc modo: ut tabernacula, mundum hunc & corpus nostrum mortale & humile adumbrarint, in quo quasi peregrini extra patriam constituti versamur, Hebr. 11. vers. 13. & 14. unde Christi per Josuam adumbrati beneficio liberamur. Nam quemadmodum pii dicuntur hic non habere manentem civitatem, sed futuram inquirere, Hebr. 11. 14. 15. & 13. 14. & municipium πολίτευμα nostrum in cœlo esse, Phil. 3. 20. sic corpora nostra tabernacula appellantur, 2. Cor. 5. 1. & 4. & 2. Pet. 1. 13. Quocirca rectè dici potest, quod scenopégia, quatenus festum erat tabernaculorum, & liberationem à terrenis tabernaculis, & fixæ in cælis sedis beneficium typicè designabat. Adumbrabat enim liberationem, primùm animæ à vinculis tabernaculi corporis mortalis, & à deserto mundi: deinde etiam corporis, à morte & corruptione in statum gloriosum, atque ascensionem in stabilem ac cælestem civitatem, Hebr. 11. v. 10. & 16. & 13. 14. Quatenus vero hæc scenopégia festum erat collectionis, & proventus annui beneficium notabat, & magna hilaritate, non in vetustis ac consuetis, sed in amœnissimis ramorum tabernaculis, omni luctu tristitiaque à Deo prohibita, Deut. 16. 14. 15. Neh. 8. 11. festisque conviviis ex bonis partis celebrabatur: sic etiam adumbravit hoc festum eo modo, felicem fidelium in cælis conditionem: quod in æternis illis cælorum atque amœnissimis tabernaculis, Luc. 16. corporibus suis gloriosis, æternis summisque gaudiis (quæ etiam conviviis à Christo metaphoricè significata, Matth. 8. 11. & Luc. 22.

Luc. 22. 30.) perfruentur. Atque hæc breviter de Scenopegiæ seu tabernaculorum festo.

Quo sensu Christi fratres Ioh. 7. 3. & 5. vocentur.

DE hac enim quæstione duplex est sententia: prima quidem Helvidii: qui Mariæ ex Iosepho filios, post Christum genitos, & uterinos illius fratres intelligi tradidit: sedh ujus errorem Hieron: tom. 2. lib. de perpetua Mariæ matris Christi virginitate refutat, & eleganter adversus vocis unius aucupium distinctè ait; quatuor modis in scripturis divinis *fratres* dici, naturâ, gente, cognatione, affectu; Altera vero est recepta omninò sententia: ut in hoc Joannis loco *fratres Christi* consanguineos notent, qui scil. ex eodem quidem parente, non proximo (quales germani aut uterini fratres dicuntur) sed remotiore sunt prognati. Quinam vero hi fuerint consanguinei, diversa est interpretum sententia. Quidam enim (ut loco jam memorato Hieronymus) fratres Domini, hoc est, cognatos appellari, filios materteræ Christi, nempe Mariæ Cleopæ: cujus liberi fuerint Iacobus minor, (qui frater Domini dicitur Gal. 1.) & Iudas, duo Apostoli, & Ioses; qui antea non credentes postea crediderint. Epiphanius quoque eosdem intelligit, sed ex Iosepho è priori illius conjugio genitos fuisse ait, contra hæreses lib. 3. tom. 2. hæresi 78. Eandemque sententiam habet Cyrillus in comment. ad hunc Euangelistæ locum, & ad eam confirmandam adducit sententiam Ier. 12. 6. *fratres etiam tui & domus patris tui spreverunt te.* Veruntamen hoc alienum est, siquidem Propheta eo in loco, de Christo non loquitur, quemadmodum Cyrill. putavit, sed de seipso, à suis contemto conqueritur. Deinde in eo etiam cum Hieron. Epiphanio. Chrys. aliisque hallucinatur, quod Iacobum & Iudam, *fratrum* voce, in hac Euangelistæ sententia designari statuit: quemadmodum etiam quod ait, postea credidisse & in Apostolorum numerum relatos: illud enim clarissimè refutatur, non solùm temporis ratione, quia hęc, quæ hoc c.7. recensentur, postremo vitæ Christi anno contigerunt: contra verò Christus ab initio sui muneris duodecim Apostolos jam vocarat: sed etiam quia apertè jam antea, Ioa. 6. 70. duodecim Apostolorum vocatorum ac fidelium (uno excepto Iuda Iscariota) facta erat mentio. Quamobrem hisce consideratis certū illud est, consanguineos Christi intelligi, non tamen Iacobum nec fratrem ejus Iudam. Ideoque alii melius sentiunt, eos fatres seu consanguineos incredulos alios ab his fuisse: sed quinam illi nominatim fuerint, omninò ignorari: quia eorum nulla in S. Lit. explicatio reperitur. Atque hæc paucis de hisce fratribus Christi.

De Capitis 8. vers. 1. ad 12. authoritate ac sententia, disceptatio.

POstquam Euangelista superiori capite septimo, Christi Hierosolymam ad festum tabernaculorum profectionem, & gesta in eo festo descripsit: deinceps hoc capite octavo, eorum quæ postero die festi contigerunt, narrationem subjicit. Quæ duabus constat partibus primariis: videl. historia adulteræ, ad vers. 12. & sermone ac colloquio Christi cum Iudæis, reliquo capite. Ad historiam autem quod attinet, in ea primum consideranda est illius authoritas: deinde sensus. De priori enim quæstio est magni momenti: An hæc, de adultera ad Christum adducta narratio, ab Euangelista Ioanne sit conscripta: atque ita divinam habeat authoritatem, & pars sit Euangelii illius genuina: nec ne? Quidam enim tam ex antiquis, quam ex recentioribus, tam nostris, quam Pontificiis Theologis magni nominis, de totius hujus narrationis fide dubitant. Cujus dubitationis suæ varia habent argumenta, quæ primum ab Erasmo: deinde ab aliis, ipsum minus consideratè secutis plenius proferuntur. Quæ licet à D. Piscatore sint satis rectè discussa, si pleraque spectemus; non alienum tamen fore arbitramur, si eadem hoc loco penitius expendamus, & nonnullis observatu dignis, ad clariorem historiæ veritatem, corroboremus.

Ac 1. objiciuntur veterum testimonia duplicia, partim eorum, qui eam apertè rejecerunt: partim aliorum, qui eam præterierunt. Ad prius autem probandum, profertur testimonium Eusebii histor. Eccl. lib. 3. cap. ultimo, quasi disertè diceret, à quodam Papia, hanc de muliere adultera historiam fuisse scriptam, quę habebatur in Euangelio, quod dicitur *secundum Hebræos.* Id quod quasi certum ab Erasmo in Annotat. ad hunc Ioannis locum ponitur: idque ab Eusebio dictum, similiter à doctissimis Pontificiis & nostris interpretibus asseritur: sed si rem diligenter examinemus, meritò negabimus, illud ab Eusebio scriptum esse: Verba enim ejus Græca de Papia, antiquissimo authore, sed exigui judicij hæc sunt: ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον περιέχει, hoc est, *Exposuit autem & aliam historiam de muliere accusata de multis peccatis apud Dominum, quam Euangelium secundum Hebræos continet.* Quæ verba priora olim Rufinus, quemadmodum malè intellexit: ita malè (ut multa, citra controversiam, alia) vertit ac pervertit hoc modo; *simul & historiam subjungit de muliere adultera, quæ accusata est à Judæis apud Dominum*; Id quod omninò à sententia Eusebii Græca alienum esse, oppositio utriusque mulieris arguit. Nam apud Eusebium, Græcè loquentem, nulla fit adulteræ mentio: deinde ea cujus meminit, de multis peccatis fuit accusata; hæc autem de qua Iohan. 8. agitur, fuit accusata de adulterio, & quidem solo; non autem de multis peccatis. Ac propterea Eusebius de alia omninò muliere, non de hac, de qua controvertitur, locutus est. Ac propterea mirandum est, Erasmum virum literatissimum hic passum esse sibi à vitiosa interpretatione Rufini ita imponi, ut Græcum exemplar non consuleret: nisi forte illud ipsi nondum fuerit visum. Cujus etiam Erasmi, in plerisque egregia diligentia freti, & Pontificii & nostri, maximi nominis Theologi, credulitate quadam, ac neglecto examine, in eundem lapidem impegerunt. Quod auditores sincerè ad ipsorum utilitatem monere cogimur: ut in rebus inprimis controversis, ipsos authores Græcos consulamus, ne quid temerè interpretationi, (quæ non semper pari diligentia instituitur) fidamus. Quare hoc primarium argumentum, ut probetur ab antiquis Patribus hanc historiam rejectam, nullius esse momenti, sed prorsus alienum, satis demonstratum existimamus.

Alterum vero est, quod à multis fuerit præterita; atque ita quodammodo ad Euangelium non pertinere indicarint. Quales citantur primum Patres, inprimis Orig. & Chrys. sed non sequitur, illi eam historiam in explicatione cap. 8. Ioannis præterierunt: Ergo non existimarunt eam fuisse à Ioanne scriptam. Respondemus autem Origenem multa in Ioannis explicatione omisisse: Nam à capitis quarti explicatione, omisso quinto, sexto, & septimo, transilit ad cap. 8. v. 19. Nec Chrysost: omnia exposuit, in suis illis ad populum concionibus in Ioannem, sive facilitatis, sive delectus alicujus causa, ad brevitatem, aut etiam descriptoris negligentia. Deinde, ut rectè Erasmus agnoscit, illius mentionem facit in Ioan. homil. 60. cum inter exempla, quibus Pharisæi malitiosè ac subdolè, ut Christum accusarent, ipsum interrogarunt, recenset, cum ait: *rogarunt an liceret censum dare Cæsari: & an lapidanda esset adultera: & de ea quæ septem viros habuisse deprehensa erat, percunctati sunt:* quemadmodum Latinus interpres reddidit, & ab Erasmo aliisque citatur. Nam quamvis Græca verba sint alia, nempe καὶ περὶ ἀφέσεως γυναικὸς διελέγοντο: *& de mulieris dimissione collocuti sunt:* eodem tamen verba de mulieris dimissione redeunt, an adultera illa esset impunita dimittenda, nec ne; quoniam nulli præterea mulieri in Euangelio accommodari potest, de qua Christus à Pharisæis sit rogatus. Ad Nonnum autem & Theoph. ac similes non adeo antiquos etiam objectos quod attinet, credibile est, illos malè intellecta Eusebii sententia (non minus quam de Rufino antea ostendimus) similiter aberrantes hanc historiam prę teriisse, aut exemplar mutilum secutos. Sed præter Patrum eorum omissionem, etiam exemplaria antiqua objectant, in quibus hæc historia abfuerit, & in nonnullis absit. Verum idem ex memorato jam errore processisse verisimile est: & tali Codice Syrus interpres videtur seductus, ut hanc historiam

riam omiserit; tamen in multis codicibus extitisse agnoscit Hieron: tom. 2. dialog. 2. contra Pelag. cum ait: *in Euangelio secundum Ioannem, in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera, historia, quæ accusata apud Dominum:* atque inde etiam contra Pelagian: tanquam ex verè divina scriptura argumentatur. Deinde eandem etiam legit Athanasius, qui in Synopsi S. Scripturæ, exposita primùm septem priorum capitum summa, ait de capite octavo; *subjicitur de muliere super adulterio accusata.* Deinde (quod ab aliis videtur minus annotatum, sed tamen addendum) Cyrill. Alexan. historiam hanc ut revera Joannis, sine ulla dubitationis significatione distinctè proponit ac multis explanat. Adeo ut appareat, virum aliàs doctissimum Benedictum Aretium hoc loco memoriâ lapsum, cum à Cyrillo hanc historiam omissam concedit. Quibus etiam accedunt (uti rectè ab aliis quoque observatum) Ambros. tom. 3. epistolarum lib. 7. epistola 58. & lib. 9. epist. 76. & August. in Ioann. cap. 8. & alibi quoque. Quod autem Erasmus ait: *non habetur in plerisque Græcis exemplaribus*, illud de nonnullis cum Hieronymo agnoscimus: quæ scilicet à scriptoribus ex mutilato exemplari derivata: de plerisque verò admittere nequimus: primùm, quia in omnibus sedecim Græcis manuscriptis antiquis exemplaribus Roberti Stephani, nullo excepto, reperitur. Deinde in septendecim D. Bezæ exemplaribus antiquis, unico tantum excepto, ut in quarta annotationum majorum edit. an. 1588. testatur. Quemadmodum etiam olim Leidæ in antiquo manuscripto codice Euangeliorum Græco-Latino, à Nobilissimo Dn. Georg. Douza Constantinopoli allato mihique monstrato, eandem historiam quæsitam inveni. Hisce accedunt Græcæ N. T. editiones consentaneæ, eæque diversæ: ut vel ex hisce liquet: prima est Haganoënsis Gerbelii, anno 1521. deinde Græcum Testamentum Basiliense, apud Bebelium, anno 1533. præterea Parisiense Colinæi, anno 1534. & alterum Basiliense priori præstantius Brylingeri, anno 1558. ex non paucis (ut in titulo indicatur) venerandæ fidei exemplaribus accuratissima lima editum: denique hisce accedit etiam accuratum illud, ex variis insignis fidei codicibus Græcum Testam. Lipsiæ cum variis lectionibus editum anno 1564. Ac propterea quorundam codicum veterum N. Test. hujus historiæ (aut per negligentiam, aut per errorem describentium) omissio, authoritatem illius non infringit. Quare à testimoniis ad alias, ex reipsa petitas atque objectas rationes confutandas procedemus. Quarum prior est, quod in hac de adultera narratione dicatur, Jesum solum fuisse relictum, & mulierem in medio stantem v. 9. id quod non videtur verisimile, ob templi celebritatem, & discipulorum fidem atque populi in re nova curiositatem, Christo in templo permanente. Verùm negatur consequentia: quia antecedens nititur falsâ hypothesi: quasi v. 9. Christus relictus diceretur solus absolutè: cum id dicatur tantùm relatè, non ad populum, neque multò minus ad fideles discipulos: sed tantùm ad Pharisæos accusatores mulieris; quemadmodum illud ex antecedentibus verbis satis apparet: ubi dicuntur illi, tactâ eorum per Christi sermonem conscientiâ, singulatim exiisse, & Christum relictum solum, scil. ab illis. Sed objicitur rursum v. 10. dici, erexisse se Jesum, & neminem conspexisse præter mulierem: ideoque absolutè hoc dici. Verùm negatur rursus hæc consequentia: quia id relatè dici, Christi verba satis demonstrant, quæ propterea subjicit: *ubi sunt tui accusatores?* Neminem igitur accusatorum intellexit. Altera vero ratio quæ obtenditur, est, nempe quod inter se non consentiant v. 9. & 10. cum 12. Nam prioribus traditur Christum sine Pharisæis fuisse solum, neminemque eorum conspexisse, & tamen v. 12. dicitur dixisse eis: *ego sum lux mundi*, idque audientibus & responsantibus Pharisæis v. 31. Ideoque iidem dicuntur, eodem tempore, & absentes & præsentes fuisse: quæ contradictio est. Sed negatur etiam consequentia, quia non sequitur, egressi fuerant: ergo non potuerunt postea regredi. Quid enim vetat quominus primùm inopinata Christi responsione, conscientiam ipsorum vellicante, attoniti discesserint: paulò vero post, pro sua malitiâ resumto animo (ut alia via Christo insidiarentur) redierint? Nec enim dicitur quod Christus eo ipso discessus & absentiæ eorum tempore dixerit, *ego sum lux mundi*, sed dicitur: *rursum ergo Iesus locutus est iis*: non autem continuavit sermonem de muliere cæptum: sed eo absoluto ac postmodum iis jam regressis locutus esse indicatur. Porrò tertia ex historia hac, adversus divinam illius authoritatem ratio, ex v. 8. objicitur, quo Christus dicitur scripsisse in terra; id quod non videatur credibile: quia id Christus aliâs fecisse nullibi legitur. Sed negatur consequentia, quoniam non omnia Christi facta sunt repetita: quasi nulla, semel tantum potuissent fieri. Contrarium enim variis exemplis clarissimis evincitur: quemadmodum primum inter alia, Mat. 17. 2. Christi gloriosa transformatio, & cum Mose atque Elia colloquium: deinde Joan. 9. 6. & 7. quod è sputo & terra luto facto, oculos cæci oblevit & ablutione in piscina Silöe imperata ac facta visum restituit: denique Marc. 7. 33. & 34. quod surdum ac difficulter loquentem insertis in aures ejus digitis, & sputo linguam attingens auditum ei restituit, & linguæ vinculum solvit. Atqui ea semel tantùm fecisse legitur, non minus quam semel hic scripsisse in terra; id quod etiam recta ratione non caruit: ut postea indicabitur, ideoque & hæc objectio quoque vana est. Quarta denique ratio, est magna lectionis varietas, quæ non videtur potuisse in historiam divinam à Ioan. Euangelista scriptam cadere. Sed negatur consequentia: cum enim olim typographis carerent, & librarii tantum essent, qui libros describerent, potuit fieri ut eorum negligentia varietas aliqua inciderit, utpote memoria casu aliquo aberrante, vel aliquid omiserint; vel pro voce in textu expressa ac scribenda Synonymum quod ejus loco occurrerit substituerint; vel denique quod in margine erat scholium, in textu omissi esse signum arbitrantes, propterea addiderint: Quemadmodum in Latinis Græcisque authoribus accidisse sæpius à doctissimis viris, multis in locis demonstratum est. Idque in hac historia describenda olim etiam contigisse, in nonnullis codicibus, non est mirandum: quemadmodum in hac historia variæ lectiones codicum manuscriptorum studiosè à D. Beza collectæ, quarum septem ad omissionem: quinque ad additionem, & decem ad mutationem aliquam pertinent: ita tamen ut sensus historiæ inviolatus in illis variantibus codicibus nihilominus permanserit. Quod vero editio Basileensis à D. Beza adducitur v. 9. ea de editione anni 1533. intelligenda & varietas illius perquam exigui est momenti; sed altera anni 58. ex venerandæ fidei exemplaribus accuratissimè adornata, lectionem receptam sincere exhibet. Deinde ut hujus objectionis infirmitas pateat, quod videl. ex codicum quorundam in nonnullis vocibus varietate, fidem hujus historiæ elevare student: idcirco necessarium hoc loco duximus ut perspicuis exemplis, ex aliis certæ atque indubitatæ fidei scripturæ partibus similem aut etiam majorem lectionis varietatem accidisse, demonstremus: & quidem ex magno ac laudatissimo Roberti Stephani Testamento Græco majori. Ac primum Joan. 6. versibus quinque à 55. ad 60. sex, & quidem majoris quam hoc in loco momenti, occurrunt: & Actor. 6. 8. 9. & 10. quinque variæ lectiones majores similiter apparent: & cap. 16. in solis quatuor versibus à 35. ad 39. longe major extat varietas, quam in tota hac adulteræ duodecim versuum historia. Et ut cap. 25. & 26. varias lectiones prætereamus, Ioan. 4. versibus sex ab 11. ad 17. octo variæ sunt lectiones, magis sanè à textu differentes, quem illæ quæ in hac historia obtenduntur. Et 1. Pet. 2. in tribus tantum versibus 19. 20. & 21. septem variæ extant lectiones: & c. 3. versibus quindecim à 5. ad 21. sunt septendecim: & 2. Pet. 1. v. 1. ad 12. sunt duodecim (& quidem majoris momenti quam Ioan. 8.) lectiones discrepantes: & cap. 2. versibus 21. nempe à 1. ad 22. si quis rectè computet, variæ lectiones sunt 23. quis tamen ex hujusmodi codicum quorundam lectione ac neglectione varia authoritatem harum Scripturæ partium in dubium vocare possit? Ac propterea argumentum illud à varia quorundam codicum lectione (& imprimis quæ sensum nullo modo lædit) deductum, hisce exemplis clarissimis confutatur. Atque hæc de prima sententia, eorum scil. qui de hujus historiæ fide dubitant.

Contra vero ſecunda atque alia, quæ recepta in Eccleſiis ſententia eſt, qua ſtatuitur, hanc hiſtoriam eſſe Ioan: Euangeliſtæ genuinam. Ratio autem eſt à materia, ſtylo,& præſtantiſſimorum Patrum ac codicum antiquiſſimorum teſtimonio. Materia quidem,quia ea & aliis inſidioſis Phariſæorum tentationibus, & conſuetæ Chriſti in iis percipiendis ac ſapienter ſuperandis ſapientiæ, & erga peccatores manſuetudini atque hortationi ad reſipiſcentiam optimè congruit. Deinde ſtylus etiam, Ioan. Euangelio egregiè conſentit, ut rectè ab eruditis obſervatum.Denique antiquorum ac præſtantiſſim. Patrum, & codicum antiquorum conſenſus accedit, non ſolum Athanaſii, Chryſ. Cyril. Alex. Ambr. Hier. & Aug. ut ſupra oſtendimus: ſed etiam hiſce omnibus longè antiquioris patris, Ammonii Alexandrini, Chriſtiani Philoſophi ac Theologi doctiſſimi, præceptoris Origenis: ut teſtatur Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 19. edit. Græcæ, Roberti Steph. verſionis vero Latinæ recognitæ, cum notis Grynæi cap. 18. in veteri denique Latina operum Euſebii verſione cap. 15. qui Ammonius harmoniam 4. Euangeliſt. compoſuit:unde Euſeb.nova methodo canones Euangeliorum,ut fatetur, contraxit; ideoque Ammonii fidem & diligentiam probavit: qui etiam præmiſſi ſunt Teſt.Græco à Roberto Steph.majori forma excuſo. In qua Ammonii harmonia (quæ in Micropresbytico, & in monumentis Patrum orthodoxographis, ac ſimul Bibliotheca S. Patrum tom. 2. inſerta extat) in ea parte, quæ geſta Chriſti anno prædicationis tertio recenſet, ſic ait: *ingreſſo autem templum Domino, Scribæ & Phariſæi adulteram in opere nefario deprehenſam producunt, captiosè quærentes, quid fieri ſtatueret. Porrò Jeſus ita reſponſum temperavit, ut neque illam abſolvens, Moſis legem abrogare, neque condemnans, in tanta peccantium multitudine vindictam à ſola hac paupercula expetere videretur.* Denique addimus, quod Ammonio multo antiquior Tatianus Alexand. Juſtini martyris (teſte Euſebio Eccl: hiſt. lib. 4. cap. 27.) diſcipulus, in harmonia Euangeliorum, quæ extat in Monum. Patrum orthodoxographis Baſil. excuſis cap. 120. totam de muliere adultera hiſtoriam, Euangeliſtæ verbis deſcribit. Si quis fortè objiciat, hunc Tatianum factum hæreticum & Encratitarum ducem, ac tum hanc Harm. conſcripſiſſe; ejuſque Theodoretum exemplaria pluſquam CC. in Eccleſiis ſuis inventa depoſuiſſe,& eorum loco quatuor Euangelia repoſuiſſe, ac propterea inde hanc de adultera hiſtoriam, illius teſtimonio non poſſe probari,in Eccleſia fuiſſe Joanni attributam: Negatur conſequentia. Nam Theodoretus hoc quidem refert, hæreticarum fabularum lib. 1. cap. de Tatiano; ſed in ea harmonia nihil aliud omninò reprehendit, niſi quod,ut ait,amputarit genealogias & alia quæcunque oſtendunt Dominum natum ex Davide ſecundum carnem: non autem arguit, quod Euangeliis aliquid alienum addiderit. Atque ita ſanè ſatis clarè demonſtrat Theodoretus,ſe agnoſcere illam de adultera hiſtoriam, in illa Tatiani harmonia poſitam, ad Euangelium revera pertinere: aliâs, ut detractionem ex Euangelio aliquam nominatim reprehendit: ſic additionem, ſi quæ fuiſſet, ſimiliter arguiſſet: cùm Joannes æqualiter utrumque graviſſima comminatione damnet Apoc. 22. 18. & 19. Quare cùm nulla ſolida ratio contra authoritatem hujus hiſtoriæ, Joan. 8. 1. ad 12. proferatur: & aliæ contrà à nobis ſint allatæ fide dignæ, meritò concludimus de ea non eſſe dubitandum. Cœterum cum quædam olim etiam Hieronymi ætate extiterint Euangelii Joannis exemplaria, in quibus hæc hiſtoria defuit: quæri meritò poteſt, quænam illius rei fuerit cauſa. De qua re Eraſmus tres diverſas conjecturas proponit: Quarum *prima* eſt, quod fieri potuerit, ut quod ab Euangelio Joannis perierat, in apocrypho extaret: *altera* quod Joannes hanc partem poſt editum Euangelium illi adjecerit, itaque factum, ut in quibuſdam codicibus haberetur,in quibuſdam non haberetur: *Tertia*, fieri poſſe, ut in apocryphis multa vera referantur,ex veris igitur hanc hiſtoriam adjectam: quod jam authoritatem habet, non quod in apocryphis ſcripta fuerit, ſed quod Papias à ſuo doctore audierit: quodque hanc Eccleſiæ conſenſus, ut Euangelio dignam comprobarit. Hactenus Eraſm. Sed primæ conjecturæ repugnat Patrum & fidelium aliorum diligentia: nec credibile eſt periiſſe ex omnibus exemplaribus hanc hiſtoriam, nemine animadvertente ac nemine prohibente. Altera etiam conjectura licet ingenioſa ſit, tamen refutatur ex Joan. 20. 30. & 31. quo in loco cauſam cur multa præterierit, reddit; & Euangelii ſui perfectionem aſſerit: deinde hæc quæ fingitur interpoſitio hujus hiſtoriæ ſcriptionem conſequens, humanæ memoriæ ac judicii fragilitati convenire poteſt, ut quemadmodum dicitur, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι; ſed illud Deo, Euangeliorum authore atque inſpiratore, omninò indignum eſt. Denique tertia conjectura minus probabilis eſt: partim quia temerarium omninò fuiſſet, ſi qui divino operi hujus Euangelii perfecto,aliquid interpoſuiſſent,quod conſultò author divinus Euangeliſta, imò Deus ipſe omittere voluiſſet: partim quia fuiſſet ſacrilegium in Dei Euangelium, authoritatem hujuſmodi uſurpare, & ſine revelatione divina Deique mandato, S. Literis aliquid pro arbitrio addere Apoc. 22. 18. & 19. Denique hæc conjectura nititur falsâ Euſebii de Papia loquentis interpretatione: neque Papias etiam ob judicii defectum maximum,quem arguit Euſebius,fidem ullam meretur. Alia vero præterea Auguſt. extat ſententia de hac re tom. 7. de adulterinis conjugiis lib. 2. cap. 7. cum ait: *ſed hoc videl. infidelium ſenſus exhorret, ita ut nonnulli modicæ, vel potius inimici, veræ fidei (credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis) illud quod de adulteræ indulgentia Dom. fecit, auferrent de codicibus ſuis: quaſi permiſſionem peccandi tribuerit, qui dixit: deinceps noli peccare.* Ut vero rem concludamus, cauſa omiſſionis hujus de adultera hiſtoriæ, ut antea indicavimus, omninò eſſe videtur, quod Euſebii hiſt. Eccl. ſcriptoris celeberrimi ac doctiſſimi verba ex lib. 3. c. ultimo,& hiſtoriam, de muliere apud Dominum accuſata (quam expoſuiſſet Papias, quæque in Euangelio ſecundum Hebræos extaret) de hac muliere adultera malè intellexerunt, ut ex Rufini verſione oſtendimus,ideoque tanquam apocrypham & à Papia, Euangelio Joan: temerè additam cenſentes, in deſcriptione Euangelii Joannis omiſerunt: quemadmodum hæc ratio imprimis Eraſmum, & alios viros eruditos nonnullos de hac re dubitare fecit. Idque eo magis credibile: quod nullo documento probatum comperimus,ante Euſebium, neque in Euſebio, ullam exemplarium Joannis, in quibus hæc adulteræ hiſt. deeſſet, fieri mentionem: contra vero & ex Tatiano Juſtini Mart. diſcipulo, & ex Ammonii Alex: præceptoris Origenis Harmonia Euangeliorum, ſine ulla dubitatione aut ullius unquam reprehenſione, hiſtoriam hanc contineri, ſupra oſtendimus: & haud dubiè in diſcipulo ejus Origene, in Joannem Comment. ab hoc ſcriptis, extaret, niſi capitis quinti, ſexti & ſeptimi explicatio omninò, & capitis octavi octodecim priores verſus eſſent præteriti, initio primum facto à v. 19. Quibus omnibus (id quod ab aliis notatum non meminimus) adjiciendum, Euſebium in ſuis Euangeliorum canonibus, quos imitatione Ammonij Alexandrini (induſtriam illius diſertè commendans) conſcripſit, hanc adulteræ hiſtoriam canone 10. (ubi tribus ultimis columnis, quæ à ſolo Joanne ſcripta ſunt,oſtendit) referre: columna 2. num. 3. capitulo πς, hoc eſt 86. deſignatur etiam hæc hiſtoria: quemadmodum apparet ex Teſt. Græco Stephani ſupra memorato, ubi vetera illa capitula (in quæ Euangelia olim ab Euſebio diſtincta) exprimuntur. Idemque etiam ex Hieronymo probatur, qui canones illos decem Euſebii interpretatus eſt, & Latinis numeris expreſſit, ut indicat præfatione in 4. Euangelia ad Damaſum; quæ hiſtoria etiam tom. operum illius 9. unà cum tabulis decem illorum canonum, ex Euſebio uti diximus verſorum, canone 10. cap. 86. deſignatur: & in Euangelio Ioannis ab Hieronymo recognito (quod eodem tom. 9. extat) capitulum 86. à cap. Ioan. 7. v. 45. uſque ad v. 19. cap. 8. pertinet: verſu v. 19. annotavit Hierony: capitulum 87. Ex quibus perſpicuè apparere poteſt, Euſebium poſt Ammonium hanc hiſtoriam, non à Papia additam, ſed à Ioanne editam ac genuinam, ſine ulla dubitatione ſtatuiſſe. Ac propterea ſi ex malè intellectis hiſtoriæ Eccleſiaſt: verbis, ſupra memoratis, factum eſt, ut poſtea in nonnullis codicibus hæc hiſtoria à deſcri-

descriptoribus sit omissa, illud temerariam ipsorum imperitiam ostendit (cùm Eusebius in canonibus suis capitulorum Joannis, eam distinctè agnoscat) sed authoritatem historiæ hujus non imminuit. Quare hac re jam satis, uti speramus, adversus objectiones stabilita, explicationem illius succinctam subjiciemus. Ac primùm scopus Euangelistæ observandus est geminus. Prior est ut demonstret pertinacem Iudæorum in Christo persequendo improbitatem: quod non solum aperta vi eum à medio tollere conati sint, ut cap. 7. declaratum: sed etiam, divina providentia impediti, non quieverint tamen, sed eum dolo malo perdendi occasionem captarint. Alter est, ut cognoscatur Christi sapientia, justitia ac potentia, qua perversos ac subdolos adversariorum conatus, in ipsorum dedecus, evasit, & contrà ad suam gloriam, & peccatorum salutem convertit. Cœterum partes hujus narrationis sunt tres: nimirum rei inter Pharisæos & Christum gestæ circumstantiæ, deinde modus, denique eventus. Circumstantiæ autem sunt quatuor, prior est tempus: nempe postridie festi tabernaculorum: altera est locus, nempe templum: tertia testes, totus scil. populus, hoc est, per Synecd. magna populi multitudo: quarta denique, occasio rei, videl. Christi actio, quod populum doceret, de quibus v. 1. & 2. agitur. Quod autem Christus sedens populum docuisse dicitur, id liberè ab eo factum est, ac fortasse quod vigiliis lassus consuetum scribarum morem sit secutus: quemadmodum & alibi Matth. 5. v. 1. cum doceret, sedisse dicitur: alibi verò stetit Joa. 7. 37. Hisce porrò circumstantiis, modus rei inter Pharisæos & Christum gestæ, secundo loco adjungitur: qui duobus quasi gradibus ostendit, quomodò Pharisæi se erga Christum, & Christus vicissim erga Pharisæos se gesserit. Et in priori quidem gradu primùm Pharisæorum facta & dicta, quibus Christum aggressi sunt, describuntur. Facta enim sunt, quod mulierem in adulterio deprehensam adduxerunt ad Christum, & coram eo constituerunt v. 3. Dicta vero eorundem, narrationem & quæstionem continent. Narratio autem primum v. 4. accusationem adulterii manifesti mulieris cujusdam; deinde pœnæ lapidationis, secundum Mosis legem (scil. Lev. 20. 10.) promeritæ declarationem continet. Quæstio vero proponitur, qua judicium Christi de ea pœna requirunt v. 5. deinde ab Euangelista v. 6. exponitur, à fine quærentium duplici: primus enim fuit ut tentarent ipsum. Cum autem tentatio sit latentis animi alicujus exploratio: eaque vel bona, quæ ex bono principio, ac bono medio seu modo, ab bonum finem tendit: alia vero mala quæ talis non est (sivè omninò, sive partim) hoc loco Synecdo. posterior intelligitur: quia principium illius non fuit Dei & justitiæ ac veritatis noscendæ amor: sed Christi odium. Medium autem non fuit sermonis sinceritas, sed subdola, amoris, justitiæ & veritatis à Christo ut vero doctore cognoscendæ, simulatio. Finis denique fuit, ut Christum illaquearent, & ad noxiam ipsi responsionem allicerent. Qualis etiam prava Pharisæorum in tribus similibus vitiis tentatio. Matth. 22. 15. 16. & 18. continetur. Atque hæc de quæstionis Pharisæorum fine primo, nempe tentatione Christi. Secundus vero ac præcipuus (utpote cui tentatio inserviebat) fuit, ut Christum accusarent: nimirum vel apud Magistratum: vel saltem apud populum. Apud magistratum quidem; ut si mulierem adulteram non lapidandam respondisset, tum quasi sceleratum Mosis ac Dei adversarium, & mortis reum arguerent. Apud populum vero, ut si lapidandam respondisset, tanquam non mansuetum erga peccatores (ut tamen se prædicabat, Matth. 11. 29. & vulgo talis habebatur) sed severum convincerent, & populo eo modo odiosum redderent; quod improbum illorum consilium ac dilemma breviter & rotunde ita exponit Aug: hoc loco: *si (inquit) eam jusserit lapidari, mansuetudinem non habebit: si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit. ut autem mansuetudinem non perdat (in qua jam populo amabilis est factus) sine dubio eam dimitti debere dicturus est, hinc nos inveniemus accusandi occasionem, & eum reum faciemus tanquam legis prævaricatorem*: Hactenus Aug. Atque hæc de Pharisæorum primis erga Christum rebus gestis, scil. factis & dictis. Sequitur jam alterum, nempe, quomodo Christus primùm erga hosce insidiosam quæstionem proponentes se vicissim gesserit: id quod in fine v. 6. ita exprimitur: *Iesus autem incurvatus deorsum, digito scribebat in terra.* Quid autem Christus hac inclinatione & scriptione voluerit, disquiri solet. Quidam enim id suspectum habent quasi insolens: neque conjicere possunt qua ratione id commode possit explicari: Alii vero causas aliquas, sed non pari felicitate exponunt. Quas nonnihil colligemus, ut res plenius intelligatur, & quod maximè vero consentaneum videatur, facilius queat dignosci. Ac 1. quidem Aug. videtur omninò ad discrimen legis & Euangelii hanc in terra scriptionem referre, videl. quod lex sit olim lapidi propter duros inscripta: Euangelium vero hominum cordibus tanquam terræ fructiferæ, unde Christus fructum ferat. Alii vero conjiciunt hoc factum eodem fine, sed diversam similitudinis rationem afferunt: quod sc. homines sint terra & cinis. Verùm licet hæ interpretationes aliquam præ se ferant subtilitatem, tamen à re proposita alienæ ac coactiores apparent. Hieron. verò paulò probabilius, & propius ad rem ipsam accedens, disserit, dial. 2. contra Pelag. Ait enim Christum eorum qui accusabant & omnium peccata mortalium terræ inscripsisse: secundum quod scriptum est Jer. 17. vers. 13. *relinquentes autem te in terra scribentur.* Veruntamen illud obstare huic expositioni apparet, quod Pharisæi non scriptura Christi, sed sermone illius commoti, peccata sua cognoverint, & pudefacti discesserint: deinde dictum illud Jeremiæ alienius est. Nam scriptio illa de qua loquitur, non est propria: sed metaphorica. Nam ut scriptio in cælo, Luc. 10. vers. 20. electum inter hæredes regni cælestis notat; sic in terra scriptum, inter homines à Deo alienos & mundo addictos ac reprobos designat, ut ex loci circumstantiis colligi potest: & convenit cum dicto illo simili, Psalm. 69. vers. 29. *deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Ideoque conjectura Hieron. fuisset verisimilior, si dixisset, Christum hac scriptione in terra voluisse indicare Pharisæorum justitiam & gloriam non esse veram & in cælo inscriptam: sed in terra tantùm, & externa tantum specie atque hominum opinione, non Dei approbatione niti, Luc. 16. vers. 15. atque ita Pharisæos esse terrenos ac terrena tantum sapere, quemadmodum, hoc cap. 8. vers. 22. & 23. illos hoc nomine reprehendit. Quod verò nonnulli, Christum terræ inscripsisse suo digito, ajunt, ut ostenderet se eundem esse, qui legem illam in tabulis digito suo scripserit ac Mosi tradiderit, ac propterea Mosis authoritate non teneri; illud omninò à re proposita alienum apparet, & apertæ professioni Christi Matth. 5. v. 17. repugnat. Eadem ratione temerarium est, quod nonnulli Christum terræ inscripsisse ajunt; *terra estis & de terra judicatis*: Quemadmodum etiam quod alii idem scriptum volunt, quod postea respondit, etsi cum re melius consentiat, mera tamen est conjectura. De incurvatione verò in terram, multæ etiam adferuntur causæ. Primam enim ajunt esse, quod Christus ita significare voluerit humiliationem suam: quod non solùm è cælo in terram descenderit, sed etiam ad infirmitates nostras se demiserit: sed ea expositio à scopo hujus loci alienior est. Alteram deinde causam adducunt, quod Christus hac ratione docuerit fastum esse demittendum, & propriam infirmitatem esse contemplandam: sed ea similiter rei propositæ minus quadrat. Tertiam aliquantò probabiliorem addunt, id factum, ut ostenderet, in judicio non esse præcipitandam sententiam. Quartam ad hæc proferunt, ut ostenderet, se non venisse ad judicandos, sed ad salvandos peccatores. Quintam apponunt, ut quasi aliud agendo, & velut ancipiti quæstione dubius factus & circumventus, quæstionem declinando, ipsos importuniores in ipsorum dedecus, repetita quæstione redderet: denique quod faciei aversione illa adversarios responsione indignos, & abominatione dignissimos esse, judicaret. Atque hæc de diversis inclinationis & scriptionis Christi expositionibus. Quibus propositis, quidnam maximè vero consentaneum arbitremur, paucis perstringemus. Ac primùm hoc certum esse apparet, Christum adversariorum suorum insidiosè tentantium contemtum aliquem inclinatione ac silentio suo indicasse:

indicasse; scriptione autem in terra similiter eos responsione indignos significare voluisse omninò videtur, aliudque agendo, quæstionis eorum neglectum (ut vulgò in similibus fieri solet) indicasse. An autem inscriptio illa facta sit figuris, an verò literarum notis (utrumque enim & *scribo* & *pingo*, voce γράφειν denotari potest) incertum; Ac prius videtur probabile, & ad Pharisæorum neglectum indicandum accommodatum. Quid verò Christus scripserit, quoniam scriptura hoc prorsus silet, conjecturis non est indulgendum. Licet enim nonnulli, novitate atque argutia quadam, imperitorum aures titillante, prurientes vulgo placeant; tamen nec solidum, nec sanctum est, Origenis & imitatorum illius more, à sincera verbi divini simplicitate recedere, & humanis commentis eandem profanare. Atque hæc de primo rerum inter Pharisæos & Christum gestarum gradu: cui alter à Joanne subjicitur, tribus constans partibus. Quarum prima est Pharisæorum, eandem quæstionem a se propositam, & à Christo neglectam repetendo perseverantia, initio, v. 7. Altera verò, quid Christus egerit cùm sermone, tùm facto declarat, tribus membris. Primùm quidem, quod tandem ea Pharisæorum quærendi perseverantia motus sese erexit: deinde quid dixerit, nim. *qui vestrum immunis est à peccato, primus in eam jaciat lapidem*, in fine v. 7. Qua responsione subjecto quidem, eum cui pœnæ executio convenit: attributo verò ordinem puniendæ mulieris adulteræ, & modum pœnæ indicat, sapientia ac justitia admirabili. Hac enim ratione Pharisæorum consilia reddens irrita, justitiam æquitate temperat: ne aut legis Mosaicæ violator; aut solitæ & promissæ mansuetudinis immemor videretur. Subjectum autem responsionis notatur cum ait: *qui vestrum immunis est à peccato*: Græcè ἀναμάρτητος. Qua periphrasi hypocrisin Pharisæorum perstringit, quod in aliorum peccatis conspiciendis acuti, in suis verò cæci essent. Cæterum quid *peccati* nomine intelligatur hoc in loco, diversa interpretum est sententia: quidam enim verisimili explicatione eam vocem absolutè & generatim omne peccatum, hoc est, quamvis legis transgressionem denotare putant: quasi Christus hac via procedens hypocriticam Pharisæorum justitiam, (qua se velut peccati expertes, & totius legis observatores, ostentabant ac gloriabantur, Matt. 19. v. 16. & 23. v. 28. & Luc. 16. v. 15. & 18. v. 11.) patefacere & confutare voluerit: Alii verò peccatum speciatim exponunt: & quidem bifariam. Quidam enim de adulterio (pro subjecta materia de qua agitur) interpretantur: sed dispari tamen modo. Sunt enim qui de externo opere: & sunt qui de interna illius concupiscentia, ut Mat. 5. v. 28. exponunt; quasi Christus diceret: mulier peccavit opere, vos cordis concupiscentia. Verùm neutrum videtur satis accommodatum: Non prius, quia verisimile non est, hos omnes aut plerosque Pharisæos (quos conscientia peccati arguebat) fuisse adulteros: Neque etiam posterius, quia cordis impuritatem ac concupiscentiam, nihili, aut parvi omninò æstimabant, ut ex oppositione Mat. 5. v. 27. & 28. apparet: ideo conscientia ipsorum eo sensu posito, ipsos non perculsisset. Quare alia specialis expositio est, ut *peccatum* κατ' ἐξοχὴν pro scelere accipiatur: quo sensu non rarò in S. Literis ἁμαρτωλὸς *peccator*, pro scelerato, seu eo qui gravioribus criminibus est addictus, usurpatur: ut Ps. 1. v. 1. Luc. 7. v. 39. Joan. 9. v. 24. & 31. Atque ita ἀναμάρτητος peccati, hoc est, sceleris expertem notat. Quæ declaratio cæteris videtur magis idonea. Atque hæc de responsionis Christi subjecto: nimirum ad quosnam mulieris adulteræ punitio pertinet. Attributum verò ordinem indicat & modum. Ordinem, cum ait *primus*: quia ex lege Mosis, testes criminum capitalium lapidationis initium facere tenebantur, Deut. 13. v. 9. & 17. v. 7. Sed objiciat aliquis, quæcunque tandem interpretatio adferatur, inde videtur omninò consequi, judicia publica non esse exercenda ab iis, qui peccati aut criminis alicujus sibi sunt conscii: eaque ratione vel omnes, vel pars aliqua judicum à judicii executione arceri videtur. Verum id minimè sequitur: quia Christus hoc in loco non regulam generalem proponit: sed ad improbos atque insidiantes adversarios sese accommodat; ut cum Christum peccati arguere student, ipsi contrà hoc modo, suæ conscientiæ judicio atque indicio convincantur. Eos enim tantum alloquitur ac docet, quid in hoc singulari, de adulteræ mulieris judicio, ab insidiosè quærentibus observandum censeat. Deinde, etiamsi aliorum judicum eadem omninò esset ratio, iisque idem præscriberetur, nihil inde incommodi sequeretur: quia Christus hoc loco non agit de judicio, sed de executionis illius ordine, & exordium ab innocente fieri debere indicat. Nec enim dicit his verbis, ut soli immunes à peccato peccatores puniant: sed ut insons initium faciat: reliquos verò nullo modo excludit, sed potius initii mentione facta includit, cum ait, *primus jaciat lapidem*, atque ita ordinem statuit. Quamobrem judices, qui sceleratos plectunt, justè quidem faciunt, quia id Deus ipsis præcepit, & salus Reipub. idem postulat: sed in eo injustè faciunt ac graviter peccant, si ab iisdem aut similibus sceleribus, quæ in aliis puniunt, ipsi non abstineant. Atque hæc de ordine pœnæ, adulteræ inferendæ, seu primo attributi membro: Alterum verò est pœnæ declaratio, cum in fine vers. 7. ait: *in eam jaciat lapidem*: Quibus verbis, suum cum Mose consensum omninò ostendit, & insidias Pharisæorum simul evadit. Atque hoc modo rerum à Christo, secundo gradu cum Pharisæis gestarum priora duo membra (nempe facta Christi, cùm inclinatio, tùm scriptio in terra, & deinde responsio illius) exposita sunt. Tertium verò ac postremum iis adjungitur: id autem est facti illius repetitio, ut v. 8. dicitur: *& rursus incurvatus deorsum, scribebat in terra.* Cujus facti rationes adferuntur tres. Quarum prima quidem arguta magis quàm probabilis: quasi scilicet Christus bis scribendo significare voluisset: se legem & Euangelium dedisse: quod primùm verba legis, deinde Euangelii protulit, cum primò meritam pœnam v. 7. postea immeritam gratiam v. 11. annuntiavit. Reliquæ verò duæ rationes quæ adjunguntur, magis sunt verisimiles: nimirum Christum hac ratione adversariorum mentibus deorsum sese incurvando, atque aliud rursum agendo altius voluisse imprimere: deinde hoc etiam egisse, ut liberiorem haberent exeundi, in ipsorum tamen dedecus, facultatem. Hactenus rei inter Pharisæos & Christum duplici congressionis gradu gestæ narratio, quæ secunda totius hujus historiæ pars est. Cui tertia duplici eventu constans subjicitur. Quorum prior est in Pharisæis: alter verò in Christo. In Pharisæis quidem sermonis Christi effectum duplex: primùm quidem stimulus ac morsus conscientiæ peccatorum ipsorum: secundum verò inde procedens, est singulorum Pharisæorum illorum, à senioribus usque ad ultimos, discessio à Christo, & simul à muliere quam adduxerant & accusarant, v. 9. Alter verò eventus, scilicet in Christo notatus, est erectio corporis illius, ac discessionis Pharisæorum, ac relictæ mulieris observatio: & deinde colloquium consecutum cum muliere adultera. Cujus partes sunt tres, Christi quæstio: mulieris responsio: & Christi conclusio. Quæstio Christi est gemina: una, *ubinam essent accusatores illius.* Id quod non ignorantiæ testandæ gratiâ factum: sed potius, ut hypocrisin & malitiam eorum, auditoribus patefaceret: quod scil. non justitiæ nec legis Mosis amore mulierem adduxerant, atque accusando judicium Christi rogarant: sed tentandi atque insidiandi vitæ Christi studio hoc fecisse: ideoque relinquendo mulierem id satis declarasse. Altera quæstio est, de condemnatione mulieris, *an nemo*, inquit, *te condemnavit?* v. 10. Mulieris verò responsio, ad secundam quæstionem Christi pertinens, est, quod ipsa dixit, *Nemo Domine.* Denique conclusio Christi, ex hac responsione procedens bimembris est: primum enim membrum ad consolationem mulieris pertinet: alterum verò ad ejusdem correctionem. Ad consolationem quidem refertur, quod primùm ait: *nec ego te condemno.* Qua ratione Christus nec judici politico munus condemnandi detrahit: neque illud sibi contra Prophetici muneris sui rationem, Luc. 12. v. 14. arrogat. Neque obstat id, quod monuit antè Pharisæos, dicendo: *qui vestrum immunis est à peccato, primus projiciat in eam lapidem*: Siquidem ista responsione mulierem politicâ authoritate judiciaria (qua carebat, Luc. 12. v. 14.) non condemnavit: sed sententia Prophetica, tantum

tum

tum quid juris esset divini, à Pharisæis interrogatus, simpliciter explicavit. Deinde cum illi, quorum munus erat judicium exercere, & mulierem punire, illud omitterent: Christus meritò, cum politicus Magistratus non esset, quantum ad ipsum attinebat, eam impunitam reliquit. Unde etiam apparet Anabaptistas hoc Christi dicto imperitè atque iniquè abuti, cum ex eo gladii in sceleratis puniendis usum Magistratui interdictum atque illicitum esse contendunt. Hæc de primo conclusionis Christi membro: nempe consolatione mulieris. Alterum verò ad correctionem illius pertinens, est hortatio, qua ad discessum & peccati fugam, sive ad resipiscentiam, pro officio Prophetico, Marc. 2. vers. 17. & more suo, Ioh. 5. vers. 14. hortatur, cum ait vers. 11. *Vade & ne amplius pecca.*

Atque hactenus de historię hujus authoritate & genuina sententia a[illegible]m. Sequitur jam ad illustrationem vers. 44.

Brevis, De Diaboli, & Angelorum ejus lapsu, Dissertatio.

QUandoquidem octavo hoc capite Iohannis perquam illustris de Diaboli lapsu extat sententia: adeò ut vix ulla in S. Literis exstet præstantior: opportunum fore existimamus, si paucis, quid de hoc argumento sobriè ac piè credendum sit, ex Dei verbo declaremus. Ac primùm quidem illud extra controversiam statuimus, Spiritus creatos (qui Angeli, hoc est nuntii κατ' ἐξοχὴν dicuntur) alios esse bonos, alios verò malos, qui *impuri Spiritus* passim in Scriptura appellantur. Deinde etiam horum malorum Spirituum ordines esse varios satis patet, vel ex Epist. ad Eph. cap. 6. v. 12. ubi *imperia*, *potestates*, *mundi rectores* vocantur: sed eos definire & inter se distinguere, Scriptura tacente, temerarium est omninò. Hoc interim omni controversia caret, inter eos impuros Spiritus, unum excellere cæterisque omnibus præesse: ac propterea illi distinguuntur accommodatè in principem & subditos illius. Princeps autem eorum variis nominibus à qualitate imprimis perversa, atque ab effectis suis κατ' ἐξοχὴν describitur: quorum duo primaria sunt, reliqua secundaria. Et è primariis quidem frequentissimum est Græcum διάβολος Matth. 4. 1. Ioh. 8. hoc est, criminator seu accusator ac calumniator: quia Deum apud homines Gen. 3. 4. 5. & homines apud Deum, Iob. 1. v. 9. & 2. 5. & Apoc. 12. 10. hominesque apud homines accusat ac calumniatur, unde Ioh. 8. v. 44. dicitur *mendacium loqui*, *& mendax ac Pater ejus*, nempe mendacii, nominatur. Cujus nominis ratio rectè à Chrysost. in 2. ad Cor. cap. 1. homilia 2. & à Theodoreto de affectionibus Græcanicis sermone 3. observatum. Alterum deinde primarium nomen è duobus, est Hebræum שטן & *Satanas* addita terminatione Græca, Luc. 11. v. 18. hoc est adversarius, ut Hieron. in commentariis suis, Esai. 27. rectè statuit ac probat ex Zach. 3. 1. ubi dicitur stetisse Satan à dextris ejus לשטנו *ut adversaretur ei.* Sic autem convenienter suis moribus appellatur, quia nimirum & Dei gloriæ & hominum saluti continuò adversatur. Dei quidem gloriæ, cum verbi illius veritati, & mandatorum sanctitati, suas contradictiones ac mendacia, Gen. 3. v. 4. & 5. & impia sua præcepta, quibus gloriam Dei sibi arrogat (ut Matth. 4. vers. 9. & 10.) opponit. Hominum verò saluti adversatur, cum à notitia verbi Dei, Matth. 13. v. 19. & à fide illius ac mandatorum Dei obedientiâ debita eos avertendo, Gen. 3. v. 4. & 5. à semita salutis, in deviam incredulitatis atque impietatis viam, ad exitium pertrahere satagit, Ioh. 8. v. 44. & 1. Ioh. 3. v. 10. & alibi. Idque interdum aperta vi: interdum verò operta fraude: unde & leoni comparatur, atque *adversarius noster* dicitur, 1. Pet. 5. v. 8. & *serpens antiquus* ac *draco* Metaphoricè nominatur, Apoc. 12. v. 9. Quod autem Theodoretus de Græcanicarum affectionum curatione Serm. 3. Satanam ait secundum Hebræam vocem *apostatam* denotare, ac si שטן non à שטן *adversari*, sed à שטה, hoc est, *declinare*, *deficere*, derivaretur: ingeniosè quidem & appositè ad Satanæ lapsum, sed tamen non genuina derivatione: quia, uti ostendimus, שטן *adversarium* notat ex noto themate שטן, id est, *adversari*. Præter hæc duo primaria & [illegible]equentiora Principis malorum Angelorum nomina, alia etiam secundaria in S. Literis extant: qualia sunt nomina duo Hebræa, quorum prius Metaphoricum est *Beelzebub*, quod *Dominum Muscæ* significat, & ad detestationem nominis idoli Accaronitarum sic vocati, 2. Reg. 1. v. 2. (ut in fabulis Græcorum *ἀπόμυιος sine muscis*, Iovis cognomen) Satanę impositum: pro quo vulgò majoris abominationis gratiâ, uti ferunt, Beelzebul, id est, *dominum stercoris* appellarunt, Luc. 11. v. 18. & 19. ut idola Ezech. 22. 3. *stercora*, id est, dii stercorii, per contemptum dicta. Alterum nomen Hebræum est בליעל, quod duriore aspiratione omissa dicitur Belial, 2. Cor. 6. 15. Quod nomen commune quidem est sceleratis hominibus: sed Diabolo tanquam omnium sceleratissimo, Synecdochicè per excellentiam attribuitur. Quæ vox citra controversiam composita est ex adverbio בלי, id est, *sine*, *absque*, & deinde ex altera voce: quam quidam Hebręi esse nomen עול, id est, *jugum* statuunt, ut hæc vox Belial idem significet quod Latinis, *injugis*, *jugi expers*: ut Hieron. Esai. 27. ait *Belial*, id est, *apostata*, *prævaricator*, *& absque jugo*, quod scilicet jugo mandatorum Dei per inobedientiam semel excusso, totus sit Deo rebellis. Verùm alii secundam compositionis vocem esse יעל censent à Themate. יעל *utile esse. prodesse*, in Conjugat. hiphil: ut sensus sit, *nequam*, *improbus*, Belg. *Deuge-niet*, Gall. *Vaurneant*: ut ita vocetur diabolus, quod omninò sit inutilis: nihil boni seu virtutis in eo sit, sed vitiis omninò mancipatus. Cui expositioni favet, quod, si prima expositio esset genuina, potius dicendum fuisset בליעול aut בליעל: nunc verò dicitur geminato jod consonante per dagesch forte בליעל: atque eo indicatur jod secundum, esse secundæ vocis pri[illegible] literam: utramvis verò sequamur etymologiam, ejus vocis sensui alia nomina, diabolum Græcè notantia, probè conveniunt, qualia sunt ὁ πονηρὸς, *malus ille*, Mat. 13. 19. & ὁ πειράζων *tentator ille*, Matth. 4. 1. & 3. & ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων: *mundi hujus Princeps*, Ioh. 14. 20. hoc est, infidelium mundi, Eph. 2. v. 2. non quod eos creaverit, aut absolute pro imperio regat (quemadmodum Manichæi impiè olim docuerunt) sed quod tanquam carnifex secundum judicis Dei decretum occultum, ac traditionem, 2. Thess. 2. 9. puniat: deinde quod infideles non minus libenter, quàm impiè legibus illius se subjiciant, Eph. 2. 2. eumque pro Deo suo habeant. Qua etiam de causa alio nomine, *Deus hujus seculi*, 2. Cor. 4. v. 4. h.e. impiorum hujus mundi nominatur. Atque hæc de spirituum malorum principe: subditi verò spiritus mali *dæmones* dicti sunt, Marc. 5. v. 12. hoc est, ut exponi solet, quasi δαήμονες, id est, periti, à magna scientia & peritia: & dæmonia eodem sensu, Matth. [illegible]. v. 22. dicuntur. Ac licet apud gentes infideles *dæmonum* vox generatim pro diis (sive bonis sive malis) usurparetur: eosque quasi revera Deos colerent: nihilominus tamen falsi erant dii: ideoque dæmoniis (hoc est spiritibus impuris) non autem Deo sacrificasse dicuntur, 1. Cor. 10. v. 20. Quod verò dæmonia Satanæ sint subdita, inde liquet quod Satanas (sub nomine Beelzebul notatus) princeps dæmoniorum, Matth. 12. vers. 14. dicitur, & mutua relatione dæmonia illa Angeli (hoc est, nuntii diaboli, Mat. 25. vers. 41. & Apoc. 12. v. 7. & 9.) appellantur. Inter quos quidam etiam sunt gradus; licet hominibus occulti: aliique dæmones aliis sunt potentiores & nequiores, ut Luc. 11. v. 26. ubi de spiritu impuro semel ejecto vers. 24. ac redeunte dicitur v. 26. *accipit septem alios Spiritus*, *pejores quàm ipse sit.* Et de dæmonio à Christo ejecto, & quærentibus discipulis, cur id non potuerint ejicere, Mat. 17. 18. respondit v. 21. *hoc verò genus* (scilicet dæmoniorum) *non egreditur*, *nisi per precationem & jejunium.* Ad numerum verò horum quod attinet, maximum esse indicatur, cùm vel unum hominem legio dæmonum occupasse dicitur Matt. 5. 9. Quantus autem præcisè sit numerus Scriptura apertè non definit: quemadmodum etiam, neque an tot sint Angeli mali, quot boni. Quod enim Thom. Aquinas (ut & alii Scholastici Pontificii) part. prim. quæst. 63. art. 9. pauciores esse probat ex 2. Reg. 6. ubi Propheta ait: *plures nobiscum sunt quam cum illis*, id inquam non est solidum; quia in eo loco ab Elisæo Propheta

non

non instituitur comparatio Angelorum bonorum cum malis, cum plures nominat; sed cum militibus Syris, quos metuebat illius famulus. Quod etiam inter alios Gregor. de Valentia adducit locum Apoc. 12.4. *Draco traxit secum tertiam partem stellarum: non igitur*, inquit, *mediam partem aut majorem*; illud inquam nihil ad rem, siquidem nititur vana hypothesi, quasi per stellas hasce notarentur Angeli illi, qui cum Diabolo lapsi sunt: cùm contra homines ad præclaram Euangelii cognitionem vocatos, (qui in Ecclesia stellarum instar sua doctrina ac confessione aliis præluxerant) designet; Quos quia vivâ fide destituti erant, seductione sua ab externa Ecclesiæ communione ad mundi amorem pertraxit. Nam Angeli Satanæ non dicuntur ab ipso Satana, sed cum ipso Satana à Michaele & Angelis ejus è cœlo in terram projecti, vers. 7. 8. 9. Interim verisimile est, plures esse bonos quam malos Angelos, quandoquidem ad consolationem nostram Dan. 7. v. 10. de Angelis bonis dicitur: *millies mille ministrabant ei, & myrias myriadum stabant coram eo*, & Matt. 26. v. 53. Christus plus quàm duodecim legiones Angelorum roganti mittendas fore asserit: de malis verò Angelis nullibi tam immensus numerus indicatur. Cæterum horum omnium dæmonum scelera non immerito passim in S. Literis Diabolo tribuuntur: quemadmodum ea quæ à nuntiis vel ministris fiunt principi ac domino eorum adscribi solent, quando ea imperio illius peraguntur. Atque hæc quidem de Diabolo & Angelis ejus non adeò controversa sunt: sed de lapsu illius, si naturam ejus & effecta consideremus, graviores extant quæstiones. Nam de natura illius lapsus quæritur: primùm an sit: deinde quid sit. An sit quidem disquiritur: quia primùm hæretici nonnulli olim eum lapsum esse omninò negarunt: quod Diabolum malum esse statuerent non accidente lapsu, sed natura sua, & quidem vel ab æterno (quemadmodum Manichæi, qui duo æterna & contraria principia rerum omnium, Deum & Diabolum asserebant) vel in tempore per Dei creationem. Sed Manicheorum errores pereruditè ac prolixè Augúst. explicavit, ac diluit, & quidem potissimum in libris contra Faustum Manichæum. Nam solus Deus æternus atque immortalis 1. Tim. 6. v. 16. primus & ultimus Es. 41. v. 4. omniaque quæ in mundo sunt visibilia & invisibilia, Angelos, homines, cæteraque quæ extant à Deo habere originem creationis, Scriptura asserit, Act. 14. v. 15. Col. 1. v. 16. Alter etiam error refutatur à natura Dei, quæ summè bona est, ac propterea mali causa esse non potest, 1. Johan. 1. v. 5. & Jac. 1. v. 13. & à testimonio Scripturæ quod omnia valdè bona creata sunt, Gen. 1. v. 31. utrumque denique errorem solida ratione à pœna divina diluit Theodoretus, hæreticarum fabularum lib. 5. c. de diabolo, cum ait: *quomodo enim justè puniretur, qui talem ab initio naturam esset sortitus? item satis est, quod Diabolo minatus est Christus supplicium ad ostendendum eum sponte sua improbitatem elegisse: Non est enim justi Dei proprium eum punire, qui necessitate malus fuit.* Hæc ille. Quibus accedunt præterea clarissima Scripturæ testimonia, 2. Pet. 2. v. 4. *Deus Angelis, qui peccaverunt non pepercit*: & in Epist. Judæ v. 6. *Et Angelos qui non servaverunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Nam quod objicitur ex Joh. 8. v. 44. *Diabolus in veritate non stetit*: Ergo non est lapsus. Negatur Consequentia, quia verbum *stetit*, ponitur pro perstitit: simplex pro composito: ut ex locis Petri & Judæ Apostoli jam memoratis liquet. Ideoque rectè Augustinus de Civit. Dei lib. 11. cap. 15. ait: *oportet illud, quod dictum est, in veritate non stetit, sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit.* Quod etiam secundò objicitur: *Diabolus ab initio peccat*, 1. Joh. 3. v. 8. Ergo non fuit sine peccato, negatur consequentia: quia non intelligitur initium essentiæ aut ortus diaboli, sed ut Augustinus & cum eo Scholastici vulgo exponunt, peccati initium: aut potius dicendum initium mundi absoluti. Verum tertiò objicitur ex Job. 40. v. 14. *hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis*: Sed illud omninò alienum est, quia Jobus loquitur de Elephante. Quod autem veteres Theologi allegoricè de Diabolo interpretati sunt, illud non convenire Scripturæ, res ipsa satis declarat: & responsio quam Augúst. adducit de Civitate Dei lib. 11. cap. 15. pia quidem, sed minus apta: deinde verba illa: *ad illudendum ab Angelis suis*, non in Hebræo fonte, sed in LXX. interpretum versione in multis non satis fideli (ut Hieronymus sæpius demonstrat) proponitur. Denique similis est ratio loci qui objicitur ex Ps. 104. v. 26. *Draco hic quem finxisti, ad illudendum ei*: Nec enim de Diabolo, imò neque de dracone agitur ibidem: sed de balæna: *balæna*, inquit, *quam formasti ad ludendum in eo*, scilicet mari: quod nihil ad Angelos pertinet. Quare Augustini & aliorum quorundam Patrum allegorias consectantium studium, veniam potius, quam imitationem meretur: quia Scripturæ simplicitas eo modo contemnitur, & commentis humanis indignè corrumpitur. Si quis verò Diaboli & Angelorum illius nomina objecerit, quasi naturalis eorum malitia hoc modo designaretur: Contra id meritò negatur: quia ea nomina non naturam, sed voluntariam naturæ corruptionem & effecta illius denotant: ut ante demonstratum est. Quare ex hisce omnibus concludimus, aliquem lapsum esse Diaboli, & Angelorum ejus, quo à Deo & justitia originali, in qua ante steterant, desciverunt. Priusquam verò ad alteram quæstionem, quid sit, accedamus, quædam de adjuncta temporis circumstantia, & loci præmittemus. Ac de tempore lapsus non disquiremus, an in momento creationis potuerint labi (quemadmodum Scholastici curiosius, & contrariis inter se sententiis disputant) sed quando reverà lapsi sint: Qua de re Petrus Lombardus sentent. lib. 2. dist. 3. ait: morulam aliquam inter Angelorum creationem & lapsum intercessisse: quod etiam sequutus est cum aliis non paucis insignis inter Scholasticos Gregorius Ariminensis ad eand. distinct. Contra verò Thomas Aquin. id negat, ac docet, in primo instanti post creationem sui Angelos esse lapsos; Summæ Theol. part. 1. quæst. 63. artic. 6. Sed neutram sententiam alii sinceriores Theol. approbant; quod non S. Scripturæ definitione, sed humanis atque infirmis quibusdam ratiunculis nitatur. Addunt deinde certi nihil de tempore lapsus posse statui, præterquam quod Evæ & Adami lapsum (qui mendacio ac fraude Satanæ contigit, Gen. 3. & 2. Cor. 11. v. 3.) antecesserit. Ac prius sanè meritò amplectimur: Veruntamen de secundo, salvo meliori judicio, aliter sentiri posse, sine ulla temeritate existimamus. Quamvis enim articulum lapsus, Scriptura nihil explicante, definire nequeamus, eum tamen post hominis, ac totius mundi ceationem accidisse, ex testimonio divino colligimus. Nam Gen. 1. 31. dicitur: *Cum inspiceret Deus quicquid fecerat, ecce erat bonum valdè.* Sed ut duo objici possunt: sic ea, ad rei claritatem, paucis diluenda. Primum enim est, id à Mose non simpliciter dici, sed secundum quid, quatenus à Deo factum: deinde Mosen non absolutè locutum de omnibus creaturis: sed tantum de rebus externis, & in oculos incurrentibus, quorum antè meminerat: non autem de Angelis. Sed ad priorem scrupulum objectum respondetur, eam quæ adfertur interpretationem esse coactam: quia ex antecedentium operum approbatione divina liquet, Deum non judicasse diebus creationis singulis, de bonitate operum, secundum quid, sed simpliciter ratione naturæ & conditionis rei creatæ, ac propterea in hac etiam conclusione atque universali Dei judicio de mundo universo seu creatorum universitate eadem debet esse sententia. Ad alterum verò quod attinet; dictum Mosis, non solum simpliciter: sed etiam absolutè esse intelligendum de omnibus in universum Dei creaturis, tam invisibilibus atque Angelis, quàm visibilibus: quia omnia illa à Deo sunt creata, Col. 1. v. 16. ut ex verbis apparet: quia dicit generatim, *omnia quæ Deus fecerat*: sub quibus etiam Angelicæ creaturæ continentur: easque *cœli* nomine Gen. 1. v. 1. synecdochicè erat complexus, & cap. 2. v. 1. sub exercitu cœlorum designantur: ut in Disp. de creatione mundi pluribus demonstravimus. Deinde statim à perfecta totius mundi creatione Satanam cum suis Angelis lapsum ex 1. Joh. 3. 8. colligitur: *Diabolus*, inquit, *ab initio* (supple mundi) *peccat*: & Joh. 8. v. 44. ex effecto consequente declaratur, *ab initio* inquit, *fuit homicida*. Atque hæc de lapsus tempore, quan-

re, quantum ex S. Literis sobriè colligi potest. Ad locum verò quod attinet in quo contigit lapsus ille, exigua est quæstio: Nam vulgo ea sententia communi consensu statuitur, eum in cælo beatorum accidisse: Id quod ex duobus Scripturæ locis colligitur: quorum prior est, 2. Pet. 2.4 *Deus Angelis qui peccarant non pepercit sed* ταρταρώσας h. e. ut interpretantur, *in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit damnationi servandos*, Alter est Iud. v. 6. *Angelos qui non servarant suam originem, sed reliquerant proprium domicilium, ad judicium magni diei vinculis æternis sub caligine servavit.* Quibus sententiis, lapsus Angelorum indicatur: à Petro quidem, cum ait: *Angelos qui peccarant:* à Iuda verò: *Angelos qui non servarunt suam originem*, h. e. originalem sanctitatem, sed ab ea declinantes peccarunt. Deinde pœna, lapsus comes, & à Deo inflicta, à Petro quidem bifariam indicatur: generatim quidem cum ait, quod iis peccantibus Deus non pepercit; & deinde speciatim cum ait, in tartarum detrusisse &c. A Iuda verò speciatim tantùm declaratur, cum ait: reliquisse proprium domicilium, nempe non sua sponte, sed præcipitatos à Deo, ut Petrus definit. unde satis apparet Angelos in cœlis lapsos, quia propterea inde deturbati dicuntur. Nam quod Aug. Eugubinus de perenni Philosophia, lib. 8. c. 38. tradit, malos Angelos nunquam fuisse in cœlo beatorum, sed creatos in aëre, ibique peccasse: paradoxum illud non meritò à doctioribus refutatur, quia disertè proprium suum domicilium reliquisse, à Deo inde præcipitatos, dicitur: & tamen in aëre adhuc versari ac dominari, Eph. 2. 2. asseritur; Ergo domicilium eorum primum non fuit aër. Quare exposita temporis & loci lapsus circumstantia, ad alteram quæstionem primariam, nim. quid lapsus sit, procedemus. De ea enim rè diversæ sunt sententiæ: quarum prima ut verisimilis est, sic plerique eam amplectentes, superbiam fuisse affirmant: idque divina S. Scripturę authoritate probare conantur. Ac primum quidem ex Ecclesiastici 10.14. *principium omnis peccati est superbia:* Sed negatur consequentia: partim quia authoritas Ecclesiastici non est divina ac prophetica, sed humana: ac liber non Canonicus sed apocryphus: partim quia malè recitatur, & pejus quoque applicatur. Nec enim in fonte Græco est ἀρχὴ πάσης ὑπερηφανίας, sed sine voce πάσης, *initium superbiæ*, non autem omnis. Neque etiam ibidem sermo est de peccato Angelorum, sed hominis ut ex v. 14. apparet, & ex v. 15. fine: *qui tenet eam subvertetur*: atqui Angeli mali omnes jam subversi erant; quare ad rem non facit. Deinde alter locus profertur ex Ies. 14. 11. 12. 13. 14. *detracta est ad inferos superbia tua, & quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui manè oriebaris &c.* Verum licet hęc sententia authoritatem habeat divinam: tamen ad controversiam propositam non pertinet; quia certò loquitur de Rege Babyloniæ, ut propositio v. 4 exprimit; & narratio sepulchri ac vermium quibus subjiceretur v. 11. & 15. & 19. deinde mactationis filiorum illius, v. 21. & conclusio expresè loquens v. 22. Sed inquiunt historiam quidem esse de Rege Babyloniæ; sed allegoria quadam ac sensu latente Diabolum describi. Verùm fatemur quidem veteres Patres sic accepisse, ut Tertullianum contra Marcionem lib. 5. c. 11. ubi de Diabolo ait; *qui dixerit, Propheta referente, ero similis Altissimi, ponam in nubibus thronum meum.* Locus autem est Esaï. 14. 14. ut etiam repetit ibid c. 17. Deinde Origenes etiam contra Celsum in ea historia allegoriam esse contendit: sed solida ratione probari non potest. Nam quod περὶ ἀρχῶν lib. 1. c. 5. urget illa verba v. 12. *Cecidisti è cælo Lucifer* nihil habet momenti. Nam casus ille non accipitur propriè, de lapsu è summo cœlo: sed Metaphoricè de lapsu è sublimi ac quasi cœlesti imperii Babylonici throno ac fulgore: similitudine quadam in S. Lit. usitata: ut Lamet. Ier. 2. v. 1. dicitur: *dejecit è cælo in terram ornatum Israëlis:* & Dan. 4. 22. similiter de Rege Babyloniæ dicitur; *magnitudo tua crevit & pervenit usque ad cælum*, & Matt. 11. 23. *Tu Capernaum, quæ es ad cælum sublata, ad inferos deprimeris.* Deinde ut reliquas circumstantias prætereamus, quomodo verba illa, *in cælum ascendam*, Diabolo labenti convenient, qui ante lapsum in cęlo erat & ibidem, ut supra ostendimus, lapsus? Nam quod Tho. Aquinas in Magist. sentent. lib. 3. dist. 5. exponit, *ascendam in cælum*, non Empyreum, in quo erat, sed in cœlum S. S. Trinitatis; illud inquam inane est novi cæli figmentum, & à loci hujus circumstantiis aliena interpretatio, quia additur, *supra stellas Dei fortis*, ideoque infra eas constitutus dicitur. Quod verò Petrus Lomb. l. 2. dist. 2. exponit *cælum* vocari Dei celsitudinem: ut sensus sit; ascendam ad æqualitatem Dei; contrarium sermonis series ostendit, nim. de eo dici, qui stellis sit inferior, quia dicit: *ascendam in cælum supra stellas.* Denique quamvis hoc non obstaret, & probabilis illa esset de Diaboli lapsu allegoria, ex ea tamen nisi à Sp. S exponeretur, firmum non posse argumentum deduci constat. Quapropter quod Patres, & Origenem inprimis secuti Scholastici cum vulgo, Diabolum *Luciferum* appellant, ex aliena atque inepta hujus loci interpretatione promanavit. Atque ita ex hoc testimonio Scripturæ nihil de Diaboli lapsu concludi solidè potest. Tertium verò ab Orig. eodem in loco adducitur ex Ez. 28. & ante Orig. à Tertul. contra Marcion. lib. 2. c. 10. ubi ait: *in persona enim principis hoc ad Diabolum pronuntiatur: Fili hominis &c.* Ez. 28. v. 12. Quam Prophetiam, cum prisci Patres alii, & Scholastici Pontificiorum Theologi, primarium esse de Diaboli lapsu argumentum statuant, idcirco rationes, quibus potissimum Origenes utitur, expendemus. Eæ autem sunt numero sex. Quarum prima est quod v. 12. dicitur; *signaculum similitudinis & corona decoris*; & Hieron. in Comment. ad hunc locum exponit de similitudine Dei. Sed primùm mala est Tertull. & Orig. interpretatio inde orta, quod LXX. interpretes legerunt חוֹתָם *signaculum* cum sit חוֹתֵם *obsignans:* & תבנית *similitudinem*, cum sit תכנית *summa* seu *numerus* à radice תכן: nec *corona decoris*, sed *perfectus pulchritudine*, etsi eodem sensu, dicitur. Deinde quamvis ita locutus esset Propheta, nihilominus tamen Regi Tyriorum, quem expresè designat, cum ait: *profer lamentationem de Regē Tyri*, probè conveniret. Nam cum judices ac principes ob muneris pręstantiam Metaphoricè *Dii* vocentur, quid mirum, si Rex Tyri *signaculum similitudinis Dei* appellaretur? & cum opum copia, atque omni ornatu excelleret, consentaneè *perfectus pulchritudine* & *corona decoris* dici possit? quemadmodum Jerusalem Lament. 2. v. 15. & Ezech. 16. v. 12. 14. Esa. 62. v. 3. similibus modis describitur. Imò ipsa Tyrus urbs illa Ez. 27. v. 3. *perfecta pulchritudine*, & Jes. 23. v. 8. suos coronare & quasi Reges efficere traditur. Neque solùm ut ostendimus Regi Tyri convenire potest hæc sententia: sed etiam soli ipsi, non verò Diabolo attribui posse res ipsa arguit. Nam lamentatio quę hoc versu pręcipitur Prophetę: non potest piè, pro Diabolo, æternis suppliciis ob hostilem in Deum animum damnato, institui: quia lamentatio amoris effectum: contrà verò Diabolus, hostis est Dei & hominum irreconciliabilis, cujus pœnam justissimam & irrevocabilem lamentis prosequi nefas est: Regis verò Tyri pœnam licuit deplorare: quia homo ac vicinus Judæis, & à quo commoda non pauca ob vicina commercia ad Judæos redundarant: ideo commiseratione quadam dignus erat. Quare primum hoc argumentum corruit. Alterum verò quod adjungit, est ex v. 13. quod in deliciis Paradisi fuisse dicitur: id quod in Comm. ad hunc locum contra Judęorum interpretationem similiter urget Hier. & loco jam antè memorato Tertull. contra Marcion. libro secundo, capite decimo. Sed hoc nihil omninò evincit: ut enim omittamus, quod alia verba in Hebræo contextu extant, hoc neq; ad Paradisum terrestrem, de quo Moses agit, Gen. 2. 8. nec ad paradisum cœlestem, de quo Johannes agit, Apoc. 2. 7. sed Metaph. ad Tyri præstantiam & externam Regis felicitatem adumbrandam pertinet. Quemadmodum enim Sodomorum regio, paradiso Dei (quia omninò irrigua erat) comparatur, Gen. 13. v. 10. & Rex Babylonis, propter summam opum copiam vocatur Cedrus, & arboribus Paradisi præfertur, Ezech. 31. 3. 8. 9. iisdemque Rex Ægypti confertur, Ezech. 31. 18. ita etiam Tyrus paradisus vocatur, similitudine quadam, ob mirabilem rerum ex toto orbe insignium convectam abundantiam, quæ prolixè describitur ab Ezech. toto c. 27. Atque hactenus Regem Tyri fuisse in paradiso, commoda & eleganti metaphora dicitur. Tertium porrò ex Ezech. 28. petitum argumentum, est ex verbis hisce v. 14. *Ex quo die creatus es, cum*

Cherubim posui te, in monte sancto Dei:id quod Regi Tyri attribui non potest. Verùm respondetur: Primum quod Prophetæ verba non satis rectè citentur. Nam quod dicitur, *in die quo creatus fuisti*, pertinet ad v. 13. ut Hier. etiam exponit & distinctio pausæ atque accentuum verborumque circumstantię ostendunt.Deinde non est in Hebręo:*cum Cherub*, sed *tu Cherub*; neque tamen vel hoc modo, quod Cherub vel cum Cherub dicatur rectè colligi potest, propterea de diabolo intelligi, non verò de homine: siquidem continuata est excellentiæ regis Tyri per allegoriam descriptio. Appellatur autem *Cherub protegens:* quod ut Cherub arcam Dei tegebat superne suis alis: ita Rex Tyri populum suum, ut quidam exponunt: aut potius ut alii declarant, quod ut Cherub versatili gladio aditum paradisi observasse legitur, Gen. 3. ita Rex Tyri urbem & populum suum potentiâ suâ ab injuria tueretur. præterea non dicitur:*posui te in monte sancto: ut ex* LXX. interpretibus Origenes recitat: sed *dedi* aut *posui te*; Id quod ad antecedentia pertinet: ita ut sequatur distinctè: *in monte sancto fuisti*. Verum quia nonnulli interpretes eruditi ita exponunt,ut ad seq. referantur: utrovis licet modo sumant, Regi tamen Tyri rectè conveniunt. Quidam enim explicant de Rege Hiramo,qui ad ædificationem templi in monte Sion (qui *mons Dei* dicitur, Psal. 48. 2.) ligna submisit, & ad sapientiam Salomonis audiendam Hierosolymas accessit. Si quis objiciat, hoc in loco ejusdem Regis Tyri felicitatem pristinam & ruinam imminentem Prophetam describere: ac propterea de Hiramo (qui jam diu obierat) intelligi non posse: Responderetur, de eodem quidem Rege agi,ratione dignitatis quamvis diverso,ratione personę:ac si Deus omnes Reges Tyri quasi unum corpus compellaret; quemadmodum Israëlis nomine de Israëlitis, ita nonunquam loquitur, ut cum majoribus ipsorum complectens contraria iis interdum ascribat attributa.Quare non opus est,ut cum Iudęis fingamus,Hiramum vixisse annos 1000. quemadmodum fabulam hanc recitat ac meritò deridet Hieron.Secundò alii tamen accommodatius hanc *in monte sancto positionem*,non propriè, sed impropriè per Metaph. explanant bifariam. Quidam enim seriò atque in laudem gratiæ Dei,& gloriæ regis dictum interpretantur: ut sensus sit:Tu ad summos honores evectus es,ac si in monte Dei Hierosolymis esses collocatus:in monte scil.Sionis, quem in domicilium suum Deus selegerat: aut in cœlo, quod (eo monte adumbratum) mons Dei, Psal. 15. 1. vocatur. Quâ loquendi forma Dan. 4. 19. de Nebucadnezare dicitur: *fortitudo tua crevit, & pervenit usque ad cœlum*, & Lam. 2. 1. *projecit è cœlo in terram pulchritudinem Israëlis*. Ergo indicatur eam prius fuisse in cœlo,h. est,per Metaph. summæ dignitatis,& Mat. 11. 23. ad cœlum usque sublata Capernaū dicitur.Quam expositionem,& verborum series, & v. 16. confirmare videntur. Contra tamen alii non seriò ad laudem, sed per ironiam,ad vituperationem dictum esse statuunt:quod scil.Propheta Regis superbiam arguat,quod ipse suo judicio ac gloriatione in monte Domini sederit. h. e. sibi visus fuerit esse Deus. Quæ expositio de Rege Tyri cum v.2. rectè consentit, ubi impia illius superbia his verbis exprimitur: *Elatus est animus tuus adeò ut dicas Deus fortis sum, habitationem Dei inhabito*. Neque illud insolens: nam & similis omninò superbia regis Babylonici describitur, Esai. 14. 13. 14 Ironicam autem, superbiæ contra Deum, reprehensionem usitatam esse, vel illud primum ostendit exemplum, Gen.3.22. *Ecce Adam factus est, ut unus ex nobis:* quæ irrisio acerbam & apertam reprehensionem superat. Atque hæc ad tertium Origenis argumentum. Quartum verò, ut non de rege Tyri, Ezech. 28. agi, sed de diabolo, probet, est ex v. 14. petitum: *in medio lapidum ignitorum ambulasti*.Verum & hæc quoque verba regi Tyri rectè possunt attribui:quamvis obscuritas aliqua loci hujus variis interpretationibus occasionem dederit. Nonnulli enim, quid hi *lapides igniti* sint ignorare se ingenuè profitentur: ac conjiciunt per Metap. sic appellari Israëlitas,quod fidei & charitatis igne eos quibuscum versabantur, illustrarent atq; inflammarent: ideoque Regem Tyri ob consuetudinem cum Israelitis dici posse,inter ignitos lapides ambulasse. Alii verò simplicius atque accommodatius hosce lapides ignitos de veris lapidibus interpretantur, & quidem pretiosis, qui instar ignis splendebant: idque disertè ex v. 13. antecedente probatur, ubi inter reliquas etiam gemmas illustres, pyropus seu carbunculus recensetur,de quo in Metamorp.Ovidius appositè dixit, regiam solis micasse auro, *flammasque imitante pyropo*.Quod autem nonnulli de lapidibus non pretiosis, sed fulminis exponunt, id neque cum anteced. satis convenit: neque ab Aristotele tales esse, de meteoris lib. 3. conceditur; etsi Plinius historiâ naturali,ejus lapidis meminerit & Brontiam vocet,sed ut apparet dubitatione quadam lib. 37. cap. 10. *Brontia*, inquit, *capitibus testudinum similis, & cum tonitruis cadens (ut putant) fulmine icta restinguit, si credimus*. Quare propria expositio de pretiosis lapidibus simplicissima ac longè aptissima est, atque ita hoc quartum argumentum diluitur. Quintum verò est ex v. 15. *fuisti immaculatus, à die quo creatus es*. Verum non sequitur,propterea de Diabolo accipi debere: quia regi Tyri, non minus quam antecedentia probè convenit. Nec enim id dicitur simpliciter & absolutè, sed secundum quid & comparatè. secundum quid, ratione sapientiæ, sinceritatis atque honestatis civilis:& comparatè cum pręsenti superbia,fraude & improbitate magna,ut v.16.& 17.declaratur.Denique sextum Origenis argumentum est, quod in terram projectus dicitur, v. 17. Sensus tamen optimè regi Tyri convenit, quod è sublimi dignitate deturbatus sit: adeò ut ipsius (qui ante gloriatus erat, se in monte atque habitatione Dei versari v.2.) jam agnoscatur ab omnibus non minus, quam à seipso, vanitas atque abjectissima conditio. Ex quibus omnibus satis jam constat,errasse cum Tert.Origenem aliosque illius imitatores: qui c.28.Ezech. de diaboli per superbiam lapsu intelligendum contenderunt. Neq; deinde magis apta est Scholasticorum quorundam sententia:qui hunc Ezechielis locum de rege Tyri primùm ac propriè:secundario autem & typo quodam Prophetico de diabolo hęc dici opinantur. Contra enim Propheta apertè regem Tyri nominat v.12.Atqui diabolus non fuit rex Tyri:neque majorem cum eo,quam cum aliis multis regibus fidelibus habuit similitudinem: neque typi Prophetici ullum apparet indicium.Quod autem Orig. περὶ ἀρχῶν,l.1.c.5. ait: hęc de Angelo quodam dici,qui Tyriorum gentis dispensandę sit sortitus officium:cui etiam animę eorum procurandę videntur esse commissæ: illud nulla probabili ratione confirmari potest.Diabolus enim(quem Angelum hic intelligit,ut contra Cels. l. 6. demonstrat) princeps quidem mundi dicitur, & dæmones κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου *Domini mundi,tenebrarum hujus seculi*.Eph.6.eo quem supra exposui sensu appellantur: sed quam Orig.iis curam peculiarem certarum animarum attribuit,ea à S. Literis nullo modo probatur. Nam quæ ad eam rem à nonnullis veteribus Patribus adducuntur,ea omninò aliena sunt. Sic enim Ruf.in Symb. apost.expositione ait:*Ut breviter aliqua etiam de secretioribus perstringamus,ab initio Deus cum fecisset mundum,præfecit ei & præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates,quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum, Moses indicat in Deuteronomij cantico,ubi dicit:cum divideret excelsus gentes,statuit terminos gentium,secundum numerum Angel.Dei. Sed horum nonnulli,sicut & ipse qui princeps appellatus est mundi,datam sibi à Deo potestatem non his quibus acceperant legibus temperarunt, nec humanum genus divinis obedire præceptis, sed suis parere prævaricationibus docuerunt*. Quibus similia habet Hier.in Dan.10.& Ez. 28. Sed tamen fateri cogitur in Hebræo esse *secundum numerum filiorum Israël*: ac propterea nihil prorsus ad rem facit. Quemadmodum etiam alienum est, quod Hier. iisdem in locis *principes seculi*,de quibus 1. Cor.2. v.6. & 8. agitur, de Angelis lapsis exponit, contra loci circumstantiam. Nam *principes seculi* homines sapientia ac potentia excellentes notat: qui Christi & Euangelii illius veritatem ignorasse dicuntur: Id quod neque Diabolo, neque Angelis illius quadrat,qui Christum cognoverunt & inviti confessi sunt, Luc. 8. 28. 31. Neque etiam alterum testimonium,Dan.10.13.& 20. quicquam probat:quia *princeps Persarum*, eo in loco, non malum Angelum (ut Hier. videtur accipere) nec bonum (ut alii exponunt) sed regem Persarum Cambysem notat; ut eruditè à nostris Theologis proba-

probatum est. Atque hæc de prima, adversus veterum interpretationem ratione: Altera est, quod hic rex de quo agitur, est idem qui initio cap. v. 2. princeps Tyri dicitur. At ille homo tantum est, ut ex ipsis verbis apparet, *homo es*, item, *sedi in corde maris*: quæ diabolo non conveniunt. Tertia, quod Propheta jubetur tollere lamentum super rege Tyri: quod ut antea ostendimus, Diabolo tanquam perpetuo & irreconciliabili Dei & salutis humanæ hosti, ac irrevocabili & notissimæ damnationi obnoxio attribui non potest. Quarta est, quod Propheta jubetur verba sequentia prædicere regi Tyri: Ergo Diabolus per eum typicè non intelligitur, quia Prophetarum vocationi & scopo repugnaret. Nec enim illi legati fuerunt Dei ad Angelos, sed ad homines, nec alio fine pœnas iis prædixerunt, nisi ut aut lapsi converterentur, aut retecta eorum contumacia, clarius justitia Dei punientis patefieret. Quinta ratio est, quod Propheta minatur principi pœnam futuram, & ejectionem ex Paradiso: At illa Diabolo jam suo modo contigerant, non autem futura erant: ac propterea quod Hier. ait: *Nec mirabimur in parte contraria pessimos reges in typo prævaricatorum præcedere principum: cum optimos reges Davidem, & Salomonem, & Josiam ac Patriarchas & Prophetas in figura Domini Salvatoris præcessisse doceamus:* Id inquam nihil probat, quia horum multis modis diversa est ratio. Primum enim, non est absurdum, reges nonnullos, homines pios, fuisse hominis Christi typos: & quæ de regibus illis prædicuntur futura, Christi venturi fuisse umbras: sed illud insolens est, homines statui Angelorum typos: ac Prophetam de futura regum impiorum ruina adumbrasse præteritum diaboli lapsum. Deinde quæ in Prophetiis typicis de Davide, & Salomone ac similibus dicuntur, ea Christo rectè suo modo conveniunt, & ei convenire in N. T. declaratur. Sed contrà Ez. 28. plurima à Propheta dicuntur, quæ diabolo convenire, neque ullibi in Scriptura exponitur: neque verè attribui possunt, ut ante ostendimus. Quamobrem ex hisce omnibus meritò concludimus hanc Prophetiam, Ez. 28. de Diaboli lapsu non esse intelligendam. Porrò ut antecedentia è V. T. objecta testimonia aliena esse demonstravimus: sic postremum, quod è N. T. adducitur, ad lapsus Satanæ genus denotandum, magis accommodatum est, petitum ex 1. Tim. 3. v. 6. *Non neophytus, ne inflatus incidat* εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου, hoc est, εἰς τὴν αὐτὴν τῷ διαβόλῳ καταδίκην, in eandem cum diabolo condemnationem: nempe in quam ille ex superbia etiam incidit: ut Chrysost. & Theod. declarant, quemadmodum etiam Hier. & Theoph. Sed objici potest, voces κρίματος & διαβόλου esse ambiguas: ac quosdam, διάβολον *accusatorem* vel *calumniatorem*, & κρίμα *criminationem* κατ' ἐξοχὴν, non per Meton. *condemnationē* exponere. Verùm *Diaboli* vocem non generatim, sed singulariter pro Satana accipi apparet è v. 7. ubi de eadem re agens Apostolus ait; *in laqueum Diaboli incidat*. Deinde κρίμα etiam in Nov. Test. *judicium, reatum*, aut *condemnationem* notat; sed *criminationem* seu *accusationem* significare nondum probatum. Quare ex hac demum Apostoli sententia maximè veritati consentaneum videtur, Diaboli lapsum fuisse superbiam: sed de modo superbiæ, seu qualis ea fuerit, quæstio est. Ac generatim quidem in eo ferè consentiunt plerique, quod similis Deo esse voluerit: idque probant ex Esai. 14. & Ezech. 28. quæ opinio, uti probabilis est, quoniam homines ad talem superbiam seduxit Gen. 3. certa tamen non est: licet id confidenter cum Scholasticis suis Pontificii asserant. Siquidem loca illa, quæ ex Prophetis adducunt, aliena esse supra demonstravimus. Quare temerè modum specialem definire conantur. Quidam enim censent Diabolum peccasse, quod instar Dei esse voluerit, secundum æqualitatem: non quidem simpliciter & absolutè; sed secundum quid: quod partim in naturalis suæ perfectionis fruitione, tanquam in summo bono (neglecta beatitudine supernaturali futura) acquieverit, sicut Deus in perfectione sua naturali, tanquam in beatitudine sua acquiescit: partim quod nulli subesse & omnibus sua authoritate præesse voluerit: quemadmodum Thom. Aquinas sentit: præsertim in magist. sent. l. 2. dist. 5. Alii verò putant in eo lapsum, quod ut Deus esse voluerit, non secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem: nempe quod beatitudinem supernaturalem appetierit, non divinæ gratiæ auxilio, sed suæ naturæ virtute. Quam sententiam probabilem putat Thom. Aquin. summæ part. 1. quæst. 63. art. 3. quam ex libro Anselmi de lapsu diaboli cap. 6. proponit. Tertiò Thomista non obscurus Johannes Viguerius Instit. Christianar. cap. 3. v. 15. in eo lapsum diaboli peculiarem statuit, quod pro Christo mediator esse voluerit: quod unionem hypostaticam cum Filio Dei & mediationem, & locum humanitatis Christi appetierit. Sed quia hæ tres de speciali labentis Satanæ superbia sententiæ, humana tantum conjectura, nulla verò Scripturæ authoritate, neque ullis solidis rationibus nituntur, idcirco recitationem tantùm non refutationem desiderant. Atque hęc de prima maximè probabili ac probata à plerisque sententia: nempe primum Diaboli lapsum seu peccatum, quo à Deo defecit, fuisse superbiam, etsi speciem ac peculiarem illius modum definire, Scriptura id non revelante nequeamus. Altera verò opinio est Scoti, subtilis dicti, in sent. lib. 2. d. 6. qu. 2. qui illud Satanæ peccatum primum, non superbiam fuisse statuit, sed luxuriam spiritualem, & inordinatam ex præstantiæ suæ contemplatione delectationem. Verùm quod impropriè loquendo luxuriam vocat spiritualem, id clarius à Gabr. Biele in sent. lib. 2. dist. 6. inordinatus amor sui, hoc est, φιλαυτία dicitur. Verùm hic primus est superbiæ gradus ac modus: ac propterea hæc opinio à plerisque Scholasticis rejicitur. Tertia denique sententia est Satanæ lapsum fuisse illius (ob hominis ad imaginem Dei creati dignitatem, & in creaturas inferiores dominium) invidiam: sed invidia ex superbia & malevolentia oritur: ideoque primum peccatum esse non potuit. Atque hactenus de primo Diaboli lapsu seu peccato egimus: quibus pauca etiam de Angelorum illius peccato adjungenda. Ac 1. communis & probabilis est sententia, illos eodem peccati genere cum principe suo esse lapsos: quemadmodum ex iis locis colligi posse videtur, quibus peccatum Angelorum citra discrimen ullum summi & subditorum recitatur, 2. Pet. 2. v. 4. & Jud. v. 6. an autem eodem tempore, an verò postea sint lapsi, curiosior quam utilior est disceptatio. De causa verò quæri solet an ea sit interna vel externa. Quidam enim arbitrantur dæmones interno motu suaque sponte, sine ulla externa suggestione, ac sine ullo exemplo simul peccasse; alii verò non sponte, sed diabolo hortante, aut occasionem prębente pariter peccasse. Quæ communis plurium opinio probabilis, quia Angeli Diaboli dicuntur, & in lapsu ac pœna conjunguntur, ut 2. Pet. 2. v. 4. & Iud. v. 6. & Math. 25. 41. Quod autem Scholastici & vulgo Pontificii ad eam rem confirmandam adducunt dictum Apoc. 12. *draco traxit secum tertiam partem stellarum:* illud supra, cùm de numero lapsorum Angelorum ageremus, confutavimus: & Origenes etiam in Matt. tract. 30. stellas hasce homines, operum splendore illustres exponit: id quod scopo loci magis accommodatum. Ac propterea Durandus sent. libro 2. dist. 6. hunc quidem locum citat, interim tamen ingenuè ait, cum Scriptura nihil de hoc (scil. an Diaboli lapsus fuerit aliis Angelis causa vel occasio peccandi) dicat: nihil esse certi. Quamobrem à diaboli & Angelorum ejus lapsu in peccatum, ad consequens illius effectum, nempe lapsum in pœnam transeamus. Is autem est multiplex: primus enim est lapsus è gratia ac favore Dei, in iram illius perpetuam, Matth. 25. 41. & Iud. v. 6. Alter est lapsus è cœlo in aërem, naturâ sua caliginosum, ubi velut catenis quibusdam vincti, à cœlestis gloriæ luce arceantur, ac judicio universali servantur, quemadmodum dicitur, 2. Pet. 2. vers. 4. *Deus Angelis qui peccarant non pepercit: sed* ταρταρώσας *catenis caliginis tradidit damnationi servatos*, & Iud. vers. 6. *Angelos qui non servaverunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Verum cùm Deus dicatur Angelos peccantes ταρταρώσας, idque propriè videatur esse, *cum in Tartarum dejecisset*: & vulgatus interpres, *detractos in tartarum*; & noster D. Beza *in tartarum detrusos*, vertant, quasi idem sit, quod ῥίπτειν εἰς τάρταρον: ut ex Homer. Iliad. θ. profertur ab interpretibus, & tartarum, more Græcorum, imum infernum intelligunt, difficultas quædam emergit: Si-

quidem objicitur, dæmones in sublimi seu in aëre, Eph. 2. 2. & 6. 12. & in terra versari, Iob. 1. 7. & 2. 2. nec adhuc in infernum detrusos, Luc. cap. 8. vers. 31. Quem nodum alii aliter solvere conati sunt. Primùm quidem Bened. Aretius hanc Petri sententiam in Comment. ait intelligendam de Archidæmone, qui in tartaro servetur. Sed unde id probabitur, cum (ut alia omittamus) in terris hominem seduseduxerit: Gen. 3. & Christum tentarit? Matth. 4. Altera autem solutio magis verisimilis adsertur à D. Piscatore: Deum initio quidem, statim scilicet à commisso Angelorum peccato & rebellione, detrusisse eos in tartarum, seu in infernum: sed ita tamen, ut quoties ei visum est, ante ultimum judicium eos inde exire permittat in terram, & liberum hunc aërem: rursusque ad tempus saltem, aliquam eorum partem in tartarum includat; ne hominibus super terram possint nocere. idque confirmat duobus Scripturæ locis primum Apoc. 9. vers. 11. & deinceps: ubi dicitur, aperta abysso exiisse locustas, id est, Spiritus infernales, quippe qui impositum sibi habebant regem Angelum abyssi Abaddon: illisque datum, ut cruciarent homines, certo tempore; Deinde cap. 20. narratur descendisse è cœlo Angelum, qui habebat clavem Abyssi, id est, inferni, tartari, item vinxisse Satanam annos mille. *Ex his*, inquit, *duobus locis clarè apparet, spiritus tartareos ita inclusos esse carceri suo (qui nominatur abyssus & tartarus) ut interdum ad tempus inde emittantur in terram, tum rursus includantur & vinciantur: unde legio illa cacodæmonum Luc. 8. Dominum rogavit ne sibi imperaret, ut irent in abyssum.* Quia verò objici poterat, quod Judas vincula illa (quibus mali Angeli sub caligine ligati sunt) nominat æterna: respondet post D. Bezam; id referendum esse ad perpetuum ipsorum horrorem, quo velut constricti, instar maleficorum in carcere inclusorum, judicium illud ultimum exspectant, ut cacodæmones clamabant: *venisti ad torquendum nos ante tempus?* Matt. 8. 29. item Iacob. 2. 19. *dæmonia credunt Deum esse unum, & horrescunt.* Hæc erudita magis ac verisimilior est objectæ difficultatis solutio, quàm antecedens. Cui nonnulla tamen, salvo meliori judicio, videntur obstare. Nam posita hac declaratione, statuitur, Diaboli & Angelorum ejus locum ordinarium esse infernum, in quem sint detrusi: extraordinarium verò esse hunc aërem, quando Deus hoc ad tempus interdum permittit; id quod non videtur convenire cùm locis objectis ac solvendis. Nam Ephes. 2. v. 2. Diabolus vocatur *princeps potestatis aëris*: & 6. v. 12. Angeli illius vocantur *spirituales malitiæ, quæ sunt in cælestibus*, supple locis, hoc est, in cælo aëreo: ideoque locus eorum non extraordinarius, sed ordinarius est aër. Deinde quæ ex Apoc. 9. & 20. adducuntur, ea aptissimè per allegoriam intelliguntur, ut pleraque alia & hic & in aliis locis Apocalypsis. Nec enim Satanas propriè catena vinciri potest: sed similitudine quadam vinciri dicitur, & in abyssum concludi, cum potestas homines seducendi refrænatur: quemadmodum contra solvi atque emitti; cùm Deo justo judice illud permittente ac quasi vincula laxante, seducit. Quare si vox ταρταρόω, pro ῥίπτω εἰς τάρταρον *in tartarum dejicio*, accipiatur, uti ab interpretibus fit, aptius videtur: ut primùm è cœlo in infernum dejectum esse dicatur: non ut ibi puniretur ac detineretur: sed inde exiens in aëre, non autem in cœlo, ad diem judicii servaretur. Sed cum ταρταρόω non alibi occurrat, neque tartari in S. Liter. ulla fiat mentio, non incommodè, uti arbitramur, significatione metaphorica, pro *præcipitare ex alto cælo in aërem* accipi posset; eamque significationem videntur objecta etiam loca postulare: imò deinde etiam res ipsa omninò videtur persuadere. Nam cùm infernus damnatorum, iis, qui in eum dejiciuntur, sit certus ignis ac cruciatus eorum æterni, etiam ante judicium ultimum, locus, Luc. 16. v. 23. & 24. & contra Diabolus ab ignis æterni cruciatu ipsi parato, ante diem judicii sit liber, Mat. 25. v. 41. quomodo potuit in eum Diabolus dejici & in eo quasi carcere, sine ignis æterni cruciatu detineri? ideoque legio dæmonum rogavit, Luc. 8. v. 31. Christum, ne mandaret ipsis, ut abirent in abyssum, non quasi in carcerem ac custodiam tantùm, sed ne discruciarentur in eo, ut apparet ex declaratione v. 28. & Mat. 8. v. 29. etiam asseritur, eos dixisse Christo, *Venistine ut nos cruciares* seu torqueres, βασανίσαι, *ante tempus*? quod scilicet nollent, dejectionem in abyssum seu infernum, tormenta inferni simul adferre. illorumque tempus nondum ipsis advenisse: sed eam tandem à justo judice inferendam die ultimo cognoscunt; idcirco etiam exhorrescunt, Jac. 2. v. 19. Quod autem catenis caliginis traditi, 2. Pet. 2. v. 4. & catenis æternis sub caligine servari, ad judicium magni illius diei, dicuntur; illud non videtur ad horrorem illum, ut quidam statuunt, sed potius ad aërem (per se natura sua caliginosum, & comparatè cum cœlesti ac perpetua luce merito caliginem dictum) pertinere: quod eo aëre, quasi catenis per Dei providentiam injectis à cœli, unde ejecti sunt, regressu arceantur. Catenæ autem æternæ dicuntur, hoc est, perpetuæ, non absolutè; sed relatè ad diem judicii, ut Apostolus exponit: tum enim primùm nunquam desituris inferni tenebris, (quæ per excellentiam, non ζόφος, sed ζόφος τοῦ σκότους *caligo tenebrarum*, hoc est, densissimæ tenebræ, 2. Pet. 2. v. 17. dictæ) mancipabuntur. Atque hæc de secundo Diaboli & Angelorum ejus in pœnam lapsu. Tertius verò ex duobus prioribus necessariò consequens, est ex damni (amissæ Dei gratiæ & cœlestis gloriæ) sensu, & ex supplicii æterni imminentis scientia horror ac conscientiæ tormentum, Jac. 2. v. 19. Mat. 8. v. 29. Luc. 8. v. 30. & 31. Quartus lapsus est à sanctitate naturę, quam peccando excussit, in perpetuam obdurationem in malo: unde diabolus, *malus* vel *malignus ille*. Mat. 16. v. 13. in quo veritas non est, & cujus cupiditates & opera sunt mentiri & occidere, Joh. 8. 44. & Angeli illius *spirituales* malitię Ep. 6 v. 12. appellantur. Cęterùm hujus in malo obdurationis partes sunt duæ: ut à Gregorio Ariminensi in secundum sententiarū librum dist. 7. qu. 2. statuitur, nimirum non habere bonam voluntatem; & non posse carere malâ. Prioris causam esse ait universalem subtractionem gratiæ, & auxilii specialis Dei, sine quibus nullus habere potest unquam bonam aliquam voluntatem. Posterioris verò causam esse conscientiam ac sensum pœnæ atque desperationem absolutam. Ideoque Dei ratione, Angelos malos suâ gratiâ privantis, hæc pœna justa est: dæmonum verò sese ultrò obdurantium ratione, injusta culpa. Quare meritò impiam Aureoli Scholastici sententiam damnat, qui Deum authorem peccati fecit. Ait enim, Deum infundere habitum intensissimum malitiæ, inclinantem ad actum displicentiæ & odii Dei, & necessitantem voluntatem ejus ad malum: ut recenset ac refutat Scholasticus non indoctus Marsilius ab Ingen, in lib. 2. sent. quæst. 5. art. 3. Quintus denique sequetur lapsus in infernum ac flammas illius præcipitatio; quæ pœna non infertur iis hoc tempore, sed in diem judicii differtur, Matth. 25. 41. & 2. Pet. 2. v. 4. & Jud. v. 6. Luc. 8. v. 31. Quamobrem probabilis non est glossæ ordinariæ, Jac. 3. v. 6. & Scholasticorum quorundam sententia, qua statuitur, Diabolum ubicunque sit, vel in aëre, vel sub terra, secum ferre tormenta suarum flammarum. Quod verò Bell. de summ. Pontif. lib. 1. cap. 9. pœnam Diaboli statuit, quod cùm ante lapsum omnibus Angelis præesset, post lapsum hanc dignitatem amisisse, ac sanctum Michaelem principem omnium esse factum, idque ex Apocal. 12. colligit, ubi Michael & Angeli ejus Diabolo & Angelis ejus opponuntur, & hanc sententiam certam & exploratam vocat, id inquam egregia est temeritas. Nam quamvis Michael dicatur Archangelus, Judæ v. 9. eique Angeli attribuantur boni, quasi subditi illius, Apoc. 12. inde tamen non sequitur hoc primum esse factum post Diaboli lapsum: neque etiam Diabolum antea Ecclesiæ omnium Angelorum fuisse principem ex Scriptura probari potest: etsi dæmonum princeps dicatur, Matth. 12. v. 24. eique regnum in eos attribuatur, v. 26. illique Angeli ejus dicantur, Matth. 25. v. 41. Nam quæ ad hanc rem probandam adfert Bell. ibidem, nihil aliud sunt, quam merus S. Scripturæ abusus. Verum enim est, behemoth Job. 40. *principium viarum Domini* vocari: sed vanum & ineptum est, quod Diabolum notari ait, cùm & nomen & circumstantiæ Elephantem describi, evincant. Alienum etiam est, quod Esai. 14. Luciferum (qui pulchritudine inter stellas excellere apparet) dici affirmat: & Ez. 28. omnem lapidem pretiosum esse operimentū

ejus.

ejus. Prius enim ad Babylonis, posterius verò ad Tyri Regem pertinere, jam antea ex reipsa demonstravimus.

Hæc de Diaboli & Angelorum illius pœna irrevocabili: de qua quæri solet, quænam illius discriminis sit causa, quod Deus non minus misericors, quàm justus, Diabolo & Angelis ejus peccantibus non pepercit, sed sine spe veniæ condemnavit: hominibus verò lapsis in peccatum pepercit, ac Christum Servatorem iis dederit. Verum duplex è S. Literis causa colligitur: prima ac primaria quidem est in Deo, nempe liberrimum ac rectum illius placitum. Utrique enim suo lapsu in peccatum, stipendium illius nempe condemnationem erant promeriti: ideoque utrosque condemnare potuisset justè, sed illis merito eorum parcere noluit per justitiam: hisce verò Christum donando & pro iis damnando ad mortem, parcere voluit per misericordiam: Cujus misericordiæ opera, ut nulli sunt debita, sic à Dei potestate liberrima dependent, Matt. 11. v. 27. Rom. 9. v. 14. & 15. Secunda verò discriminis causa, est extra Deum, in dæmonibus & hominibus: nempe peccati utrimque discrimen. Nam homines in terris, seductione Diaboli decepti, in peccatum sunt prolapsi: Contrà verò Diabolus in cœlo excellentioribus donis præditus, sua sponte à justitia defecit contumaciter: ideoque hominum peccatum remissibile fuit, & gratia Dei immerita remissum fidelibus: Diaboli verò quasi peccatum in Spiritum S. Matth. 12. v. 32. irremissibile, sine spe veniæ, partim punitum, partim ultimo die puniendum: quia ignis æternus Diabolo & Angelis ejus paratus dicitur, Matth. 25. v. 41. Ideoque non immeritò jam olim damnata fuit Orig. sententia, qui Diabolum tandem liberandum ac servandum statuit. Hactenus de lapsu Diaboli.

Analysis Iohan. 8. *vers.* 46. *ad finem usque.*

Memorabilis est Christi sententia, Ioh. 3. v. 20. *quisquis perversè agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus*; Cujus rei exemplum in Iudæis Christi adversariis, Ioh. 8. perspicuum est. Etenim nec doctrinæ, nec vitæ Christi lucem (utpote erroribus ac vitiis suis adversantem) ferre potuerunt: ideoque eandem odiosè sunt aversati, & Christum interficere studuerunt. Quamobrem utrumque iis, licet reluctantibus, Christus exprobrat, & Abrahamo ac Deo Patre suo gloriantes, ex hisce effectis refutat: & simul à Diabolo Patre esse, collatione facta, demonstrat: quod ut ille homicida & mendax ac mendacii pater: sic illi cupiditates ejus imitarentur, dum & Christum occidere molirentur, & propterea ipsi non crederent, quia veritatem iis dicebat: eoque modo apertè mendacii amorem & veritatis odium demonstrarent. Quibus expositis subjicitur reliqua colloquii & actionis Christi cum Iudæis narratio, à v. 46. ad finem usque constans descriptione, primùm colloquii: deinde eventus illius, qui vers. ultimo continetur. Colloquium autem, ratione rei subjectæ, de qua disceptatur, in duas partes distribuitur: una enim de Christo & Iudæis: altera de Christo solùm agit. Ac prior quidem est oratio solius Christi, constans defensione sui, & accusatione Iudæorum adversariorum. Defensionem autem sui contra adversarios proponit Christus his verbis initio v. 46. *quis ex vobis arguit me de peccato*, scil. jure. Quibus & suam in doctrina veritatem, & in vita sanctitatem, remotione contrarii peccati objecti indicat: & interrogationis figurâ ad examen adversarios provocando confirmat: atque ita se indignum odio ipsorum, dignum, verò amore ac fide demonstrat. Cui defensioni opportunè adversariorum accusationem duplicem subjicit: unam quidem interrogatione: alteram responsione: comprehensam. Interrogatio in fine v. 46. hæc est: *Si veritatem vobis dico, quare vos non creditis mihi?* Cujus antecedens pars, prima quidem specie conditionem incertam videntur notare: sed tamen rem certam designare, ex hujus loci circumstantiis, apparet. Primùm ex antecedenti v. 45: *quia*, inquit, *ego veritatem dico vobis*, non igitur eam statuit dubiam, sed certam supponit. Deinde ex Christi v. 46. defensione ac provocatione, *quis* inquit, *ex vobis arguit me de peccato?* Modus autem quo certitudo denotatur, est, ut Conjunctio Græca εἰ sumatur pro ἐπεὶ vel ἐπειδὴ, hoc est. *quandoquidem*: ut apertè Actor. 4. 9. εἰ ἀνακρινόμεθα, *quandoquidem dijudicamur*, & Rom. 8. 31. εἰ *si Deus pro nobis* i.e. quandoquidem, quoniam. & c. 7. 16. & 20. conjunctio εἰ non dubiè pro *si*: sed pro *quandoquidem*, seu *quoniam*, de re certò supposita dicitur: ut etiam Eust. in Homer. Iliad ό. edit. Roman. pag. 1025. lin. 15. apud Homerum εἰ per ἐπειδὴ exponit. Consequens verò hujus sententię est; *quare non creditis mihi?* Quibus verbis primùm includitur obliqua accusatio impietatis Iudæorum, quod non crederent Christo vera docenti; quia quæstio, de rei alicujus ratione, rem illam extra controversiam supponit: deinde ratio quęritur hujus incredulitatis, non ignorantia quadam: nam jam antea nôrat: neque ut illi responderent: sed ut ipse responsione subjecta (quemadmodum fecit v. 43.) gravius ac justè accuset, & gloriationem eorum (qua se Patrem habere Deum jactatione quadam objecerant) amplius confutaret. Quam responsionem v. 47. hisce verbis complectitur: *qui ex Deo est, &c.* Ejusque responsionis primum fundamentum: deinde forma seu modus explicatur. Fundamentum est descriptio nati ex Deo, à proprietate illius: adeò ut in subjecto vox *omnis* & *solus* intelligatur, *qui*, inquit, *ex Deo est, verba Dei audit. Ex Deo* autem *esse*, hoc loco à Deo regeneratum esse significat, ut Ioh. 1. v. 13. & alibi. *Audire* autem est per Synecd. generis pro specie, audire cum obedientia fidei, h. e. credere (ut Matth. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, hunc audite*, & Actor. 3. 22. ex Mose dicitur: *audietis eum* & v. 23. *quisquis non audierit*, i. e. in Prophetam Christum non crediderit) ut sequentia etiam demonstrant cum ait: *non auditis*, cum tamen propriè loquendo audirent: Sensus igitur est: omnis ac solus qui natus est ex Deo, verbum Dei audit verâ fide. Credere enim Christo, est regenerationis (quæ dono habitus seu virtutis fidei & charitatis constat) effectum proprium, quod omni & soli regenito convenit: ut Joh. 1. v. 13. 1. Pet. 1. v. 22. & 23. Quo fundamento jam proposito ac substrato, ipsa responsio huic innixa subjicitur his verbis, *propterea vos non auditis* (scilicet cum fide, seu non creditis) *quia non estis ex Deo*, nempe renati, seu Deum non habetis Patrem, ut falsò estis gloriati: aliàs audiretis cum fide: atque ita secundum hoc accusationis membrum ex primo, nempe incredulitate, demonstratur. Hæc de oratione Christi solius; prima scilic. colloquii parte, quæ de Christo & Judæis simul agit: & illius quidem defensionem: horum verò geminam accusationem (nempe quod neque Christo veritatem docenti crederent: neque propterea ex Deo nati sint) complectitur. Altera pars sequitur, in qua de Christo alternis objectionibus Judæorum, & Christi responsionibus tribus modis disceptatur. Prioris modi prius membrum, nempe objectio Judæorum proponitur v. 48. quâ propter defensionem & accusationem Christi jam explicatam offensi concludunt, se benè dicere: primùm, ipsum esse Samaritanum, h.e. Metaphoricè hominem impium, piorumque consortio indignum, ut Joh. 4. v. 9. deinde dæmonium habere, quo sc. regeretur, ut Mat. 12. v. 24. Joh. 7. v. 20. & 10. v. 20. Cui impiæ objectioni ac blasphemiæ secundum membrum, nempe responsio Christi, quâ se defendit, subjicitur v. 49 50. & 51. negatione & probatione illius constans. Negatione quidem criminis objecti secundi, cum ait: *Ego Dæmonium non habeo:* Probatione verò etiam sese Samaritanum non esse, h.e. impium, similiter ostendit. Ea autem probatio tribus constat rationibus, quarum extremæ ab effectis suis: media verò ab adjuncto desumuntur. Prius enim effectum est propositum v. 50. quod scil. honoraret Deum Patrem, doctrinâ sc. & sanctę vitę obedientiâ: id quod neque Samaritano neque dæmoniaco attribui posset: ac propterea ostendit se omninò esse indignum, quod ipsum contumelia afficerent: cum ait, *& vos dedecoratis me.* Cæterùm observandum est hæc verba, quę affirmatè vulgò leguntur, videri potius per interrogationem legenda: licet enim idem utrimq; sit sensus, ad rei tamen indignitatem vehementius demonstrandam interrogatio accommodatior est. Atque hęc de prima ratione Christi ab effecto, nempe quod Patrē suum Deum honoret. Antequam verò secundā subjiciat, tacitę objectioni occurrit, quę adversus Christi, de suis

suis effectis testimonia opponi potuisset, ut v.13. factum, quasi ea ex vana arrogantia essent orta, & ad rei probationem non essent idonea: idcirco ait, se non quærere suam gloriam, eâ in re, sed Dei gloriam. Deinde secundum rationem affert (qua probat se non esse Samaritanum, neque dæmoniacum, sed Deo gratum) à Dei Patris contrario hisce conviciis testimonio, cum ait, *est qui quærat & judicet*, hoc est ut ego honoro Patrem, & illius gloriam quæro: sic ille gloriam meam quærit, Ioh. 5. 22. & 23. ac de me judicat, partim cœlesti voce Matth. 3. 17. Ioh. 5. 32. partim divinis per me miraculorum operibus, Joh. 5. v. 36. Tertia ratio est ab effecto obedientiæ fidei sermonis seu doctrinæ ipsius, scilicet, liberatione à morte, nempe secunda, hoc est, ab æternis animæ & corporis cruciatibus. Quæ ratio v. 51. continetur: ubi *conspicere mortem*, per Metaph. pro sentire atque experiri usurpatur: ut Psal. 89. v. 49. *quis vivet, & non videbit mortem*, sic Luc. 2. vers. 26. *non visurum mortem*. Atque hæc de primo disceptationis inter Judæos & Christum modo. Secundi verò modi prius membrum, seu objectio Judæorum, est, qua primùm blasphemiam præcedentem repetunt: scilicet Christum dæmonium habere, & ejus cognitionem asserunt, dicentes: *nunc cognovimus te dæmonium habere:* deinde rationem hujus cognitionis afferunt, quod oratio Christi esset falsa, & arrogans hoc modo: *Abrahamus mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis, qui sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum:* quasi dicerent, audesne hæc dicere; malè dicis, v. 52. Dixerat quidem Christus. *non conspiciet:* sed idem sensus est, quemadmodum *gustare mortem*, pro mori, Metaphoricè, Matth. 16. 28. & Heb. 2. vers. 9. usurpatur, Consequentiam autem probant v. 53. quia tu non es major Abrahamo, neque Prophetis, qui mortui sunt. Hoc enim interrogatio notat: Ergò sermonem tuum servantibus, falsò promittis eos non morituros unquam: Atque ut acrius Christum arguant, ei vanam gloriam exprobrant, dicentes: *an major es Abrahamo patre illo nostro? quem teipsum facis!* hoc est judicas? per consuetam Metaphoricam, ut Matth. 12. 33. *facite arborem bonam* Joh. 10. vers. 33. *homo cum sit, facis te ipsum Deum*, Ioh. 19. v. 7. *Filium Dei se fecit*, & v. 12. *omnis qui se Regem facit*, id est, dicit. Hæc de secunda objectione, In cujus probatione error duplex: Primus quod Metaph. de morte secunda à Christo intellecta, de prima accipiunt: alter quod eundem Abrahamo & Prophetis minorem statuunt. Sequitur deinde ad illam Iudæorum objectionem Christi responsio: qua primùm objectam arrogantiam diluit, & deinde in adversarios retorquet. Diluit quidem v. 54. distinctione, qua ait: *Si ego meipsum glorifico, &c.* Quibus verbis duplicem glorificationem esse ostendit: primam vanam, qua quis seipsum glorificat solus, sine Dei approbatione: alteram veram seu approbatam à Deo; ostendit autem si prior adesset, eam fore vanam, cum ait: *si ego me glorifico;* scilicet solus, sine voluntate & approbatione Dei Patris: ut similes phrases alibi extant, Ioh. 7. v. 16. *Doctrina mea non est mea*, nempe solùm, *sed ejus qui misit me:* deinde oppositio quam Christus adjungit, hunc sensum demonstrat cum ait: *sed Pater ille meus is est qui me glorificat*, scilicet testimonio suo & operibus, ut vers. 50. expositum: quare glorificatio Christi non erat vana. Deinde contrà Christus, objectam falsam gloriationem retorquet: scilicet quod dicerent ac gloriarentur Deum, qui Pater Christi erat, Deum esse ipsorum vers. 54. sed falsò: quod non nossent eum, scilicet neque ut Patrem Filii, neque voluntatem ejus esse doctrinam Euangelii: contraque Christus, sese fore similem ipsis mendacem, si se eum non nosse diceret: cum contrà eum nosset & sermonem ejus servaret, vers. 55. Secundo, se Abrahamo majorem ostendit: ab Abrahami Patris ipsorum (non secundum Spiritum v. 39. & 40. sed secundum carnem ut v. 37.) desiderio, Christi adventum videndi (scilicet oculis corporis, ut Luc. 10. vers. 24.) & vidit (oculis scilicet fidei Rom. 4. vers. 20.) & gravisus est, vers. 56. Hæc de secundo disceptationis inter Judæos & Christum modo: quem tertius postremo sequitur. Cujus primum membrum est objectio Iudæorum: qua Christum falsi arguere student: quod cum 50. annos nondum haberet diceret se Abrahamum vidisse: quod inde colligunt, quod dixerat Abrahamus diem meum vidit. In quo error, quod visum fidei Metaphoricum, propriè interpretarentur v. 57. Alterum membrum est Christi responsio v. 58. qua se Abrahamo priorem esse asserit: *Amen amen*, id est, revera *dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum:* nempe secundùm divinam naturam: nam secundum humanam erat ex Abrahamo. Matth. 1. v. 1. ideoque posterior. Atque hæc de colloquio. Cui secunda pars hujus narrationis principalis subjicitur versu ultimo, scilicet eventus duplex: nempe Iudæorum impia crudelitas veritate offensorum: quæ in eo consistit, quod lapides sustulerint, ut in Christum jacerent. Deinde contra Christi prudens evasio, quâ se occultavit, & è templo exivit, transiens per medium eorum, ac sic præteriit seu evasit; Dei scilicet providentia adversarios coërcente, quod scilicet hora, seu tempus decretum passioni ac morti, nondum adesset, Ioh. 7. v. 30. & 8. vers. 20. Hactenus hujus Dominicæ analysis.

Capitis Noni, Versuum priorum septem Illustratio.

POstquam Euangelista Johannes sermonem Christi mutuum cum Judæis habitum, & eventum illius, seu ex eo ortam persecutionem capitalem, Christique evasionem exposuit cap. 8. pergit deinde; & Christi in officio Prophetico, partim miraculis, partim doctrinâ salutari exercendo, continuationem describit. Ac primùm quidem historiam, seu narrationem miraculi, in curatione cæci proponit, prioribus versibus septem: deinde eventum illius adjungit seqq. Narratio autem illa primum antecedentes miraculi circumstantias, deinde modum ejusdem consequentem complectitur. Ac circumstantia indicatur quadruplex: nimirum tempus, subjectum, occasio, v. 1. & ortum inde discipulorum & Christi colloquium, versibus quatuor seqq. Tempus autem quando hoc miraculum à Christo sit editum, indicatur his verbis: *& præteriens*, hoc est, cum à Judæis ipsum lapidare molientibus, sese è templo subduxisset, & per eos transiens præteriisset; atque ita extra eorum esset conspectum, ut ex vers. ult. cap. 8. intelligitur. Hoc autem tempus amplius seqq. declaratur, cum v. 14. & 16. dicitur: *erat autem Sabbathum*. Ex qua temporis circumstantia, Christi fidelitas erga Deum prompta, & invicta adversus hostes constantia elucet. Quamvis enim Iudæi Sabbatha miraculis violari contenderent, Luc. 13. 14. eoque nomine Christum odissent, & acerbè accusarent Ioh. 9. 16. atque occidere molirentur, Matth. 12. 10. & 14 & Ioh. 5. v. 16. nihilominus in miraculis edendis Deo constanter paret, hoc tempore non minus, quàm antea diebus Sabbathi, Matth. 12. 15. Atque hæc de miraculi tempore. Subjectum verò, seu persona, in qua factum miraculum dicitur, à natura sua, & miseria declaratur. A natura: cum *homo* vocatur: à miseria verò, cum *cæcus natus* dicitur, hoc est, non ex vidente factus; sed quod miserrimum est, inde à nativitate. Nam ea cœcitas, est simpliciter & absolutè, potentiæ videndi privatio: ideoque nullius creaturæ vi curabilis. Tertia porro circumstantia est occasio miraculi: partim objecta, partim adjecta. Objectum enim fuit cæci illius, Christo prætereunte, præsentia, Dei providentia ita dirigente. Adjuncta verò occasio fuit Christi intuitus: dicitur enim vidisse eum. Id quod primùm non de simplici visu, sed de intento intelligendum: ac deinde cum misericordi sanandi voluntate conjuncta. Prius enim ex sequenti, de hac cæcitate, colloquio: posterius verò ex ipsa sanatione consequente clarissimè colligitur. Quarta denique & ultima est discipulorum & Christi colloquium, ex hac præsentis hominis cæci nati, & aspectus in eum attenti, occasione promanens. Constat autem hoc colloquium duabus partibus: discipulorum quæstione & Christi responsione. Ac quæstio vers. 2. primum universaliter indicatur his verbis: *& interrogaverunt* &c. deinde particulatim exprimitur: *dicentes Rabbi*, &c. Qua quæstione declaratur objectum quæstionis, seu is, à quo quæritur: & materia illius, seu res quæsita. Objectum est Christus, quem designant Apostoli appellatione Rabbi, hoc est, interprete Apo-

te Apostolo διδάσκαλε, Johan. 1. vers. 39. seu καθηγητὴς, Mat. 23. v. 8. hoc est, *doctor*, seu *magister*. Qua voce generatim accepta, etiam Iohannes Baptista, à discipulis suis rectè vocatus fuit, Ioh. 3. v. 26. sed Christus à suis discipulis Ioh. 4. v. 31. & cap. 11. v. 3. & alibi speciatim (quia Messiam esse credebant) κατ' ἐξοχὴν appellatur: quod esset doctorum verbi Dei Princeps ac dominus. Quo etiam sensu Christus unicum se doctorem seu magistrum appellat, Matth. 23. v. 8. Hæc de quæstionis objecto, Christo doctore ac Propheta summo. Quæstionis verò materia, seu res ipsa, quam quærunt, hæc est, *quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus nasceretur*? hoc est, quænam causa impulsiva hujus à nativitate cæcitatis? an ea peccatum parentum, an verò ipsius cæci? Qua in re hypotheses quasdam extra controversiam supponunt: quarum prima vera; eam cæcitatem à Deo inflictam, & quidem rectâ causa: Altera verò falsa, causam impulsivam hoc loco fuisse peccatum: hoc enim indicant discipuli Christi, cum quærunt, an hic peccârit, an verò parentes ejus, ut cæcus nasceretur. Nam vox ἵνα non significat hoc loco finem, sed eventum ac consequens effectum, ut res ipsa ostendit. Neque expositioni antè positæ obstat, quod omnium afflictionum origo sit peccatum: aut quod hoc eas mereatur: quia illud non semper est causa Deum movens, ut afflictiones immittat: neque finis perpetuò est, ut peccatum puniat: sed aliæ interdum sunt causæ: nim: ut vel homines probentur; vel ut virtutes eorum reddantur illustriores; vel ut ab iis vitiorum rubigo abstergatur: vel Dei gloria peculiariter eo modo illustretur, ut ex seqq. apparebit. Tertia denique hypothesis discipulorum fuisse videtur, ut eruditi interpretes observant, quod statuerint illi Pythagoricam μετεμψύχωσιν, *animarum per mortem è corporibus suis, in alia nascitura transmigrationem*. Quem errorem tum viguisse inter Iudæos, ex hisce verbis colligunt, quibus discipuli indicant fieri potuisse, ut ante nativitatem anima cæci peccaverit, aliquo actu: quod sine ista animæ transmigratione, qua in antecedenti corpore peccatum commiserit, non videtur posse intelligi: cum nondum natus actu peccare nequiverit. Deinde idem probant ex Matth. 14. v. 2. ubi Herodes de Christi miraculis famâ audita dicitur suis servis dixisse: *hic est Iohannes Baptista ipse excitatus est à mortuis, ac propterea virtutes agunt in eo*; & clarissimè cap. 16. v. 14. quidam Iudæi de Christo (testibus Apostolis) judicabant, eum esse Iohannem Baptistam: alii verò Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Verùm adversus hanc sententiam duo objici possunt: primum quidem ex Theoph. non esse verisimile, rudes & indoctos discipulos Græcorum nugas credidisse. Verùm respondetur, postquam ab Antiocho, Philosophorum Scholis Judæa corrupta fuit, ad religionem veram subvertendam, varios inde errores in legis divinæ doctores, & per eos in vulgus emanasse. Atque ita animarum per mortem è corporibus suis in alia corpora nascitura transmigrationem, vulgò notam & contagione quadam receptam fuisse, ex citata Matth. 16. vers. 41. sententia constat; cumque errorem ad posteros Iudæos propagatum constat ex Elia Levita, qui in libro Tisbi in voce גלגול, revolutionem duplicem tradit: unam corporum mortuorum extra terram promissam, per cavernas terræ, usque dum eo pervenerint, necessariam ut possint resurgere: alteram verò animarum: cùm Cabalistæ tradant, unamquamq; animam se volvere per tria corpora hominum: & locum Scripturæ, undè id probant, esse Iob 33. 29. *Ecce ista omnia operatur Deus tribus vicibus*. unde (ut ait;) *Sic dicunt, quod anima primi hominis volutaverit se in corpus David Regis: & inde reversura sit in corpus Messiæ. Idque significari per literas, quæ sunt in voce* אדם *quarum unaquaque integram dictionem constituit: Adam, David, Messias. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, unaquæque secundum peccatum suum*. Et in ejusdem libri fine, in explicatione vocis *Tisbi*, ex Judæorum ac sua sententia ait, Eliam Prophetam (quem tempore Achabi extitisse Scriptura tradit) etiam tempore Iudicum extitisse ac Pinchasum fuisse: *dixerunt*, inquit, *Rabbini nostri quod Pinchas fuerit Elias: jam constat Pinchas extitisse, quando designatum fuit facinus illud, cum concubina in Gibea, sicut dicitur: Et Pinchas Filius Eleazar, filii Aaron, stabat coram eo in diebus illis: quod si verum est, sequitur Eliam tum eo tempore supervixisse*. Hactenus Elias Levita.

Quare mirum non est si Christi Discipuli, ista vulgari Iudæorum contagione, animarum transmigrationem aliquam fuerint opinati: & hujus hominis animam, in corpore suo præcedente, aliquo opere scelerato promeritam, ut in corpus cum cæcitate nasciturum, Deo vindicante, intrusa migraret. Sed altera objectio est, etiamsi ea fuerit vulgi opinio: aliud tamen spectasse Christi discipulos: quod scilicet peccatum cæci nati de peccato originis intellexerint. Eo enim non solum cœcitatem, sed æternum etiam exitium & detrusionem in infernum fuisse promeritum. Verùm responderi potest, ex proposita disjunctione oppositi peccati parentum & peccati hujus cæci nati, apparere, non quæri de peccato originis (in eo enim parentes & cæcus conveniebant) sed de aliquo unius partis actuali peccato seu scelere, quod alteri non conveniret, quemadmodum disjunctio hęc: *quis peccavit, hic an parentes ejus?* distinguit. Neque rectè dici potest, ob peccata cæci actualia prævisa ipsum fuisse punitum: quia illud ordini justitiæ divinæ repugnaret. Nec enim pœna actu inflicta, justè suam causam promerentem tempore antecedit, sed ei succedit; quia pœna est peccati perpetrati stipendium. Quare Apostoli in quæstione sua, Christo proposita aberrarunt: partim in causa hujus cæcitatis, quasi ea esset peculiare aliquod peccatum: partim in intellectu peccati ipsius cæci: quasi anima ipsius ante nativitatem aliquo scelere peculari cæcitatis fuisset causa. Quemadmodum ex secunda colloquii hujus parte, nempe Christi responsione amplius confirmatur: qua causam hujus cæcitatis declarat ἀναιρέσει & thesi, seu negatione ac remotione causæ falsæ, quam discipuli statuebant: & contraria affirmatione seu positione veræ causæ, quam ignorabant. Ac negatio quidem indicatur, cum ait Christus: *Neque iste peccavit; neque parentes ejus*. Id quod non absolutè dicitur (utrique enim & in Adamo, & vitiositate naturæ peccârant) sed relatè ad effectionem cæcitatis, nempe ut cæcus nasceretur, sicut quæstio Apostolorum, non minus quàm rei veritas hoc demonstrat: quippe non absolutè quæsierant, an ipse vel parentes peccassent: sed an ita peccassent, ut Deo puniente, inde cæcus esset natus. Cui negationi ac rejectioni causæ, falsò creditæ: affirmationem annectit, qua veram, & discipulis ignotam causam finalem (unde etiam impulsiva cognoscitur) 1. proponit, deinde exponit. Proponit autem vers. 3. cum ait: *Sed* (nempe cæcus natus est) *ut opera Dei manifesta fiant in eo*. Opera autem Dei intelligit non justitiæ punientis: hoc enim Christus negavit: sed misericordiæ & omnipotentiæ divinæ effecta, quæ in hoc sanatæ, per Christum, cæcitatis miraculo eluxerunt. Ideoque Dei placitum, & gloriæ Christi atque doctrinæ illius confirmandæ amor: non autem hominis peccatum, illiusque odium, hujus cæcitatis causa impulsiva dici debet. Quemadmodum finalis etiam causa fuit non justitiæ vindicantis, sed bonitatis & omnipotentiæ Dei ac Christi gloria. Bonitatis quidem; quod cum Deus potuisset justè in ea cæcitate relinquere, ob primi lapsus in Adamo (in quo omnes peccavimus) & vitiositatis eo acquisitæ reatum, clementer tamen ab ea voluerit liberare. Omnipotentiæ verò; quod cæcitatis occasione & sanatione, ea innotuit ac quasi publico præconio sit patefacta: ut eam vel inviti hostes Christi agnoscere cogerentur. Simile exemplum est in Lazaro, cujus morbus & mors divinitus accidit: non pro pœna, sed pro Dei gloria, ut Filius Dei glorificaretur suscitatione illius Joh. 11. vers. 4. Sed objiciat aliquis: Si Deus sine meriti peccati ratione, in hac vita, afflictiones immittit hominibus, ad suam gloriam patefaciendam; Ergo injustè affligit. Negatur Consequentia; primò, quia nullum affligit, quin peccato perpetrato, aut agnato ac originali, amplius supplicium sit promeritus: Deinde nulla esse potest injustitia, si Deus dona sua non omnibus communicet (quale hic fuit videndi potentia naturalis) aut si data auferat ad suam gloriam: quia ea ipsius potestati summæ sunt subjecta, neque per se, neque per accidens promissionis omnibus debita, Matth. 20. vers. 15.

annon licet mihi quod volo facere in meis, & Rom. 11. v. 35. *quis prior dedit ipsi & reddetur ei?* Nulla est igitur injustitia, si Deus quibusdam ad tempus visum non donet, ut gloriæ ipsius inserviant: quemadmodum in hac cæcitate seu visus naturalis omissa communicatione contigit: qua etiam plus commodi & honoris cæco accessit, quam commodi defuit: quoniam eundem Deus hoc bono affecit, ut ad tempus cæcitate sua illustrandæ gloriæ Dei esset occasio, subjectum ac speculum; & eâ via ad fidem in Christum, visumque animæ salutarem converteretur. Quo modo Jobum bonorum & liberorum ac valetudinis privatione afflixit: non ut peccata illius (à quibus non erat penitus immunis) puniret: sed ut pietatem & patientiam illius velut aurum igne probaret,& probatum liberaret,longèque feliciorem quam antea redderet: illiusque exemplo ad fidem, patientiam ac spem extimularet & consolaretur, Jacob. 5. ut etiam prophetas (licet peccati non expertes) variis adversariorum injustis persecutionibus permissis exercuit: non ut peccata eorum puniret: sed ut eorum virtutes redderet illustriores, eorumque martyrio seu veritatis confessione ac patienti constantia, suam illustraret gloriam,& toti Ecclesiæ quasi exemplaria perpetua ad imitationem salutarem proponeret, Jac. 5. v. 10. & Matt. 5. v. 12. Denique omnes pios variis afflictionibus, rectè atque utiliter exercet Deus, 2. Tim. 3. v. 12. non ut peccata eorum pro meritis ac pro sua justitia vindicet, Rom. 8. v. 1. sed ut pro paterna dilectione castiget, eaque viâ à peccatis atque exitio avertat, 1. Cor. 11. v. 32. & sanctitatis suæ ac vitæ æternæ participes reddat, ad gratiæ suæ gloriam, Heb. 12. v. 6. 7. 8. 9. Quare ex hisce liquet, Christum non malè dixisse, hominem illum natum fuisse cœcum, non ob suum, neque ob parentum peccatum: sed ut opera Dei manifesta fierent in eo, id est, ut ea cæcitas esset occasio gloriosi, Dei Patris, per Christum, miraculi,ad cæci & aliorum conversionem conducens. Atque hæc de causæ finalis, cur homo iste cæcus fuerit natus, propositione: cui deinde subjicitur expositio: qua Christus, quænam sint ea Dei opera, quorum meminit, primùm à causa proxima, deinde à temporis circumstantia declarat. Causam autem proximam seipsum esse ostendit, initio versus 4 cum ait; *oportet me opera ejus operari qui misit me*, hoc est, miracula illa, quæ ad confirmationem Euangelii, per Messiam efficienda, Deus per Prophetam prædixerat: inter quæ etiam recensetur aperire oculos cæcorum, Esai. 35. v. 5. & Matth. 11. 5. nimirum non omnium: ut ex multis cæcis, ad probaticam piscinam à Christo non curatis, sed præteritis, Joh. 5. v. 3. apparet: sed certorum, quos Deus pro libera sua potentia ac voluntate, ad suæ misericordiæ & omnipotentiæ gloriam, per Filium suum patefaciendam, delegerat. Quales multi describuntur Matth. 9. v. 28. 29. 30. &c. 12. 22. & inprimis cap. 15. v. 30. & cap. 20. 34. & 21. 14. denique talis etiam fuit hic cœcus natus. Hæc autem opera Dei Patris, nempe miracula, Christus facere dicitur secundum utramque naturam: sed diverso tamen modo. Nam si vim, qua propriè facta sunt spectemus, ea est omnipotens: quia omnes creaturæ vires excedit: eoque tantum secundum divinam naturam communem eandemque cum Patre. Quo modo ait, se opera Patris facere, Ioh. 10. v. 37. & Patrem, qui in ipso manet, facere opera, Ioh. 14 vers. 10. Secundum humanam verò naturam: quatenus externa adhibuit, vel imperavit miraculorum divinâ vi efficiendorum signa: ut ex seq. hîc apparebit. Atque hæc de prima expositionis operum Dei parte, qua proxima eorum causa impetrans indicatur. Altera verò est circumstantiæ temporis expressio: qua docetur, quamdiu ipse Christus miracula hujusmodi, nempe immediatè per humanam suam naturam & mediatè per Apostolos sit effecturus, cum ait v. 4. reliquo & quinto; *donec dies est*, *&c.* Qui locus variè ab interpretibus exponitur: adeò ut scrupulus non exiguus videatur: quid Christus *diei* & *noctis* vocibus designet. Nam 1. quidam utrumque ad Christum referunt: ut *dies*, vitam illius: *nox* verò, mortem designet. Alii verò utrùmque non ad Christum, sed ad homines referunt, quia dicitur: *venit nox cum nemo potest operari*: non autem dicitur, cum ego non potero operari. Verùm hi rursus in modo explicationis specialis non conveniunt. Chrysost. enim & Theop. *diem* & *noctem* communiter omnium hominum intelligunt: & *diem* de tempore hujus seculi ad diem usque judicii interpretantur: quod ut dies aptus est laboribus, sic hoc tempus fidei & resipiscentiæ congruat. Contra verò *noctem* de die judicii exponunt; quod ut nox ob tenebras inepta fit laboribus: sic dies judicii ad fidem & resipiscentiam sit importuna. Alii verò maximè ut videtur accommodatè ad hujus loci scopum, *diem* & *noctem* ad Iudæos, inter quos Christus versabatur referunt, & *diem* exponunt tempus cognitionis Euangelii per Christum, cùm immediatè, tum mediatè per Apostolos: cum inter Iudæos ut sol luceret doctrinâ & miraculis, eosque illustraret: *Noctem* verò contra tempus ignorantiæ secuturum, quo lucem doctrinæ & miraculorum per se, & deinde per Apostolos traditam ob impium Judæorum contemtum iis erat subducturus, eosque in tenebris ignorantiæ relicturus. Quo etiam pertinet dictum Ioh. 12. vers. 35. & 36. & Act. 13. 46. & expositio Christi v. 5. *quamdiu*, inquit, *sum in mundo ego*, *lux sum mundi*: hoc est, homines doctrina & miraculis illustro, ut rectè Theoph. Id quod appositè dicit ante proximum miraculum: adeo ut quemadmodum vers. 4. officium suum esse ostendit, ut opera Dei operaretur: sic illius effectum, nempe fidelem officii executionem sibi hoc loco attribuit. Atque hactenus de hoc discipulorum & Christi colloquio, ultima scilicet hujus miraculi circumstantia, quæ proximè antecessit: sequitur deinde opportunè efficiendi miraculi modus; externus, & internus. Externus, seu causa instrumentalis est duplex: prima seu remota in Christo: secunda verò seu proxima in cæco extitit: In Christo quidem, est factum & dictum illius. Factum indicatur, v. 6. nimirum quod *spuit humi*, *& fecit lutum è sputo*, *idque illevit oculis cæci illius*. Cur autem illud lutum adhibuerit oculis, non adeo certum est. Chryś. & Theop. quidem putant id factum, ut ostenderet se fuisse qui primum Adamum ex luto formârit. Quàm sententiam plerique sequuntur: sed ea arguta magis videtur, quàm vera. Alii verò aliud conjiciunt diversimodè. Simplicissimum verò hoc videtur, quod Christus contrario medio uti voluerit: ad majorem cùm declarationem potentiæ, tum populi attentionem. Lutum enim potius excæcandis quam sanandis oculis convenit. Hæc de Christi facto: Mandatum verò illius v. 7. ita describitur, *dixit ei*, *vade*; *lava*, *in piscina Siloam* (*quod est*, *si interpreteris*, *missus*.) Qua de re movetur quæstio, cur non confestim ac præsentem cœcum, ut alios similes cæcos sanarit. Qua de re Hier. Esai. 8. vers. 6. ad illa verba: *aquas* שלוח (pro quo LXX. omissa ultima litera ob asperitatem, & addita litera μ euphoniæ causa σιλωάμ, ut Iohannes, ponunt) *quæ lentè procedunt*; & ut Hiero. interpretatur, *vadunt cum silentio*, sic ait: *Siloam autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus equis*, *sed incertis horis diebusque ebulliat*, *& per terrarum concava & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat*, *dubitare non possumus*: *nos præsertim*, *qui in hac habitamus provincia*: Et postea exponens hujus missionis causam addit Hiero: *Legimus in Euangelio secundum Johannem, quod cæcum à nativitate*, *cujus oculos luto ex saliva suâ facto Dominus linierat*, *miserit ad aquas Siloæ*; *quibus cum cæcus lavisset lutum*, *cæcitate detersa clarum oculorum lumen accepit*. *Quod*, *post signi magnitudinem*, *indicat non aliter cæcitatem Judæorum & omnis increduli posse sanari*: *nisi doctrinâ aquarum Christi*, *quæ absque strepitu & clamore verborum leniter fluit*, *tenebræ prioris fugentur erroris*. Hæc Hiero. Theophylactus verò tres hujus missionis causas recenset: prima est, ut discamus cæci, fidem & obedientiam. Secunda, ut Christus confundat Iudæorum (qui luto obsitum videre potuerunt) ingratitudinem, ita ut non potuerint postea dicere, hic est, hic non est. Tertia, ut ostendat se non esse iniquum legi veteri: propterea inquit Theoph. *Euangelista interpretationem Siloæ ponit*: *ut discas quod & illic Christus eum sanarit*: *& quod Siloa figura sit Christi*. *Sicut enim spiritualis petra est Christus*: *sic & spiritualis Siloa*. *Et sicut torrens ille Siloa repentinus & vehementior apparebat terribili quodam fluxu*: *ita & adventus Domini*

occultus,

occultus, & Angelis incognitus, omne peccatum virtute diluit. Hæc ille. Atque hoc ab interpretibus quasi extra controversiam ponitur, aliquid inesse mysterii, in illa missione ad piscinam Siloæ: idque ob Apostoli interpretationem adjunctam, quod hoc in loco non temerè factum esse perspicuum est: quia Siloam non fuit nomen à Christo primùm impositum, ut interpretationem aliquam desideraret: sed antiquissimum, & Prophetæ Esaiæ cap. 8. vulgoque usitatum: deinde fontem illum & piscinam fuisse Christi, à Deo Patre missi, ad nos à peccatis abluendos ac sanandos typum. Ac de priori non videtur dubitandum: posterius etiam probabile videtur, & Hieronymi explicatio ad scopum accommodata: ut & missionis rationes priores, duæ è Theophylacto recitatæ, cui similes quædam missiones, miraculum antecedentes, sunt Naamani Syri ab Elisæo Propheta missi, ad abluendum se in Iordane, ut à lepra sua purgaretur, 2. Reg. 5. v. 11. & seq. & leprosorum decem à Christo ad Sacerdotes ablegatio, & in itinere curatio, Luc. 17. v. 14. Atque hæc de prima seu remota causa externa instrumentali, nempe Christi facto & mandato. Altera verò est cæci fidelis erga Christi mandatum obedientia miraculum impetrans: quæ in fine v. 7. indicatur hoc modo: *abiit ergo & lavit:* ubi vox *ergo*, obedientiam & fidem: *lavit* verò effectum denotat. Atque hæc de modo ac medio miraculi efficiendi externo: internus verò est latens ac divina Christi virtus: quæ sola oculorum visum in cæco creavit: Id quod ex effecto describitur, cum additur, *reditque* (nempe à piscina illa Siloæ & lotione) *videns.* Atque hactenus narratio sanationis cæci nati, miraculo Christi effectæ, ac Joh. 9. versibus septem prioribus descriptæ explicatio. Ad cujus uberiorem intelligentiam non alienum fore speramus, si ei à nobis subjiciatur.

Quæstio. An & quatenus filii propter peccata parentum à Deo puniri possint?

QUa de re Sacræ Mosis & Ezechielis literæ contraria videntur statuere: sed re perspecta, consensio eorum apparebit; quia non de iisdem, sed de contrariis filiis loquuntur. Nam Ezechiel. 18. vers. 20. dicitur: *Filius non portabit patris sui iniquitatem*, hoc est, tritâ Metonymiâ efficientis pro effecto pœnam iniquitatis. Id quod non de quovis filio generatim: sed de pio filio, qui patris sui peccata nec sequitur nec probat: sed contra improbat ac contrariis operibus bonis Deum colit, intelligendum: ut ibidem vers. 17. & 19. à Propheta disertè explicatur. Moses verò Exod. 20. v. 5. ait, Deum visitare iniquitatem Patrum in filios: Id quod non generatim de quibusvis piis & impiis: sed speciatim de solis impiis intelligit: ut subjuncta verba perspicuè demonstrant, cum addit speciatim: *in eos, qui oderunt me.* Sed objici potest: Si justi sint, omninò injustè puniri: sin injusti, posse quidem justè ob sua peccata puniri, quod iis pœna debita tribuatur: sed nullo modo ob peccata parentum, quæ sunt aliena: ac propterea manere vim argumenti hoc modo: Ob peccata aliena nulli puniendi sunt, quia justitia suum cuique tribuit, non autem alienum, non suum: sed patrum peccata sunt filiis tam impiis, quam piis aliena. Ergo neutri filii ob peccata patrum puniendi. Verum negatur assumtio: quia peccata patrum, non sunt filiis impiis aliena, sed sua: quia peccata patrum, quæ aliena sunt origine, fieri possunt filiorum propria duobus modis: primùm consensu, quando ea approbant, ut Rom. 1. vers. 32. deinde imitatione, dum eorum exemplo ad similia perpetranda stimulantur. Ergo filii impii communicando hisce modis parentum sceleribus, eadem reddunt sua: & vicissim parentes filiorum peccata sequendo aut probando, ea similiter sua efficiunt. Quamobrem filii impii, & propter sua quæ ipsimet perpetrarunt, & propter parentum peccata justè puniuntur. Propter sua quidem per se: quoniam ea ipsimet effecerunt eorumque authores sunt: propter parentum verò peccata per accidens: quatenus ea à parentibus facta, approbatione aut imitatione, aut utroque modo faciunt sua. Sic etiam impii patres, & propter sua peccata per se quæ ipsi commiserunt, & propter filiorum suorum impiè facta, quatenus imitatione aut approbatione eorum fecerunt sibi propria, vicissim justè puniuntur. Sed excipiat aliquis, hanc responsionem locum habere posse in adultis, qui peccata aliena imitatione aut consensu suo approbant, eoque modo sua efficiunt: sed in infantibus aliam esse rationem. Nam primùm ob Adami peccatum omnes infantes puniuntur: naturâ enim mortales & iræ Dei obnoxii sunt: quomodo igitur hæc pœna cum Dei sententia, Ezech. cap. 18. conveniet? Si quis respondeat, infantes, licet non actu Adami peccatum imitentur, habitu tamen similis naturæ corruptæ, hoc est, contagione peccati originalis imitari. Contrà regeri potest: peccatum originale non esse tantum culpam ratione hominis: sed etiam pœnam ratione Dei judicis: ac propterea iniquè videri privatione imaginis Dei posteros Adami puniri. Ac propterea conciliatio ac responsio plenior esse poterit: Ezechielem, cum ait, *filius non portabit iniquitatem patris*, loqui de peccatis certorum hominum propriis, qui suam tantum personam sustinent: sed peccatum Adami, non fuit ei proprium, sed commune etiam totius posteritatis ab ipso generandæ, & in ipso tanquam in radice humani generis conclusæ, omniumque filiorum ab ipso generandorum personam, ex Dei instituto, sustinente: ideoque sibi & omnibus naturaliter propagatis generatione posteris peccavit, & pœnam sibi, suisque omnibus est promeritus: unde Rom. 5. vers. 12. dicitur: *per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt:* Et ne quis ad adultos ea restringeret, omnes etiam infantes intelligi ostendit, v. 14. *Sed regnavit mors ab Adamo usque ad Mosen, in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami.* Id quod de adultis intelligi non potest: qui in multis similiter labuntur omnes: sed de solis infantibus, qui similibus vitiosis actionibus carent. Ideoque etiam Adamus, futuri (scilicet hominis Christi, 1. Cor. 15. vers. 47.) typus ibidem idcirco dicitur: quod ut omnes ab Adamo naturaliter generati peccati illius & condemnationis sunt participes, sic omnes à Christo supernaturaliter regenerati fideles, eorumque electum semen, justitiæ illius & vitæ æternæ sunt participes: quemadmodum hic typus sequentibus ab Apostolo plenius explicatur. Verum objicitur præterea exemplum filii Davidis ex Bersabea procreati, qui morte sublatus est ob patris sui peccatum, 2. Sam. 12. vers. 14. ac propterea liberos innocentes, ob merè alienum peccatum, interdum à Deo puniri. Sed neganda est Consequentia: quia Scriptura ostendit Davidem castigatum morte filii: sed inde non sequitur: ergo mors ea, filio fuit pœna. Deus enim in una actione, pro ratione diversorum objectorum, diversas habere potest causas concurrentes. Si Davidem spectemus, mors ea fuit non pœna pro peccato satisfaciens, à Deo justo judicio inflicta, vers. 13. Sed paterna castigatio: sin verò filium illius consideremus, mors ea fuit, ut minueretur scandalum, & memoria deleretur adulterii à Davide perpetrati, vers. 14. & infans electus (ut ex charitate speramus) eo citiùs, vita mortali ærumnosa, cum immortali atque gloriosa commutata bearetur. Sin verò fuisset reprobus: ut ob reatum primi lapsus, & peccati originalis per illum acquisiti vitium, occasione ac via hujus peccati Davidis, ad justam pœnam deduceretur: Ideoque filii Davidis infantis mors: aut non fuit propriè ut pœna, hoc est, perpessio ad satisfactionem pro peccato, à Deo justo judice ac vindice orta: sed tantum impropriè, hoc est, vitæ ad tempus tantùm indultæ, à Deo, tanquam Patre privatio, ad Davidis, in ea re, amissione filii, castigationem: & filii celeriorem ad cœlestem gloriam evocatio: aut si mors fuit ut pœna infantis, non ea à Deo inflicta est, ut pro Davidis Patris peccato satisfaceret: sed pro peccato primo in Adamo perpetrato atque originali id promerente, & ad castigationem Patris. Quemadmodum cum ob numerati à Davide populi transgressionem, multa Israëlitarum millia Deus per Angelum occidit, 2. Samuel. 24. v. 17. finis fuit respectu Davidis, ut numerosa ea subditorum privatione ipse castigaretur: respectu verò subditorum finis fuit, ut electi eo modo per mortem in cœlestem patriam ac vitam

vitam æternam traducerentur Dei gratia; reprobi verò ob concurrentia sua peccata meritis inferni suppliciis, Dei severitate justâ afficerentur. Atque inde satis apparet, neminem nisi ob sua peccata puniri propriè loquendo, Deumque in omnibus esse justum, neminemque, neque adultum neque infantem injustè affligere.

Capitis x. Johannis, Illustratio.

PRimariæ hujus capitis partes sunt duæ: quarum prima est concio Christi atque eventus illius à vers. 1. ad 22. altera verò est disputatio cum Judæis, illiusque consequens eventus, inde à vers. 22. ad finem usque capitis. Antequam autem de priori agamus, duo ad commodiorem illius intelligentiam sunt præmittenda, occasio nimirum & scopus. Occasio fuit Pharisæorum præsentium perspecta malitia. Nam cum Christus illis peccatum exprobrasset, cap. 9. v. 41. quod de veritate doctrinæ ac miraculorum Christi, divina potentia convicti, ipsi nihilominus incredulitate sua sese opponerent: ad se excusandos objicere potuissent, se non peccare: sed sapienter & sanctè Christum aversari: quod nec divinam haberet Ecclesiam docendi vocationem, neque fideliter eam exequeretur: quemadmodum utrumque Christo in Senatu suo antea derogarant, vers. 24. 28. & 29. & sibi contrarium arrogarant, v. 28. & 34. Scopus verò est quod Christus huic tacitæ & frequenti Pharisæorum calumniæ respondet, demonstrando & muneris sui Prophetici ad Ecclesiam docendam authoritatem, & in eo exequendo fidem: contraque objecta iniquè crimina justè in eos retorquet, ut fideles confirmentur.

Cœterum ad concionem quod attinet, ea constat parabola allegorica, prioribus versibus quinque: & expositione illius à vers. 6. ad 19. Ac parabolam quod attinet, in ejus narratione, primum rei circumstantia: deinde res ipsa describitur. Circumstantia autem est duplex: nimirum adjuncta rei qualitas, & objectum: hoc est, qualisnam ea sit; & quibus proposita. Hæc autem qualitas est rei veritas: quæ indicatur non juramenti (ut pluribus aliàs demonstravimus) sed seriæ assertionis formula hac, *Amen, amen dico:* hoc est, verè, verè, seu verissimè dico. Nam quamvis in Christi ore non sit inventus dolus, 1. Pet. 2. vers. 22. ideoque omnia ejus dicta sint vera: ad majorem tamen attentionem comparandam, hac assertione veritatis rei dicendæ, cum alibi, tum hoc etiam in loco uti voluit. Objectum verò hujus parabolæ, seu illi, quibus ea à Christo fuit proposita, sunt Pharisæi illi, qui Christum quæstione sua tentarant, quosque versu proximè antecedente nempe in fine capitis noni reprehenderat, ac pœnam iis comminatus erat, quod cognitæ veritati ac Christo impiè resisterent; & sic eosdem, continuando orationem, hac parabola alloquitur, cum ait, *dico vobis*. Atque hæc de circumstantia parabolæ. Ipsa verò parabola Pharisæos & Christum, falsi & veri pastoris descriptione, opponit. Ac prioris quidem descriptio continetur his verbis: *qui non ingreditur per ostium in caulam ovium: sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Assumtionem autem & conclusionem Pharisæorum conscientiæ addendam relinquit: nempe; at vos non ingredimini in caulam ovium per ostium: sed ascenditis aliunde; Ergo fures & latrones estis. Quæ verba non propriè, sed Metaphoricè per similitudinem quandam intelligenda: quemadmodum propterea parabola vocatur, vers. 6. idque à Christo sequenti expositione docebitur. Hæc autem falsi pastoris descriptio, partim orationis subjecto, partim attributo ejusdem continetur. Subjectum enim falsum pastorem à propria quadam nota designat: primùm omissione boni, quod non ingrediatur per ostium in caulam: deinde commissione mali, quod ascendat, ut ab iis fit, qui per fenestram irrumpunt, Joel. 2. vers. 9. ut autem *ovium* vox fideles: sic *caula* locum congregationis ad quietem spiritualem. Deique cultum; & *ostium* Christum significat, per quem solum rectus in Ecclesiæ & societatem & gubernationem ingressus datur. Denique ut ingressus in caulam per ostium, ratione ingredientium est duplex, pastoris quidem ad gubernationem; ovium verò ad quietem & conservationem: ita in Ecclesiam per Christum ingressus similiter est duplex. Fideles enim ingrediuntur per Christum, cum in ipsum credunt & sacramentis Ecclesiæ initiantur: hac enim ratione recipiuntur in Ecclesiam, Actor. 2. vers. 41. & 47. Pastores verò Ecclesiæ per Christum ingrediuntur, quando vocationem habent legitimam (hoc est, secundum Christi institutionem, ad pascendum Domini gregem accedunt) & doctrinam illius fideliter proponunt, Rom. 10. vers. 15. Heb. 5. vers. 4. Matth. 28. vers. 20. Contrà verò ingressus aliundè, ac quasi per fenestram, eorum est, qui in alterutro, vel in utroque peccant. Quidam enim doctrinam habent veram, sed vocatione legitima carent: alii vocationem habent rectam, sed non doctrinam: alii denique utroque destituuntur. Quales olim extitere Pseudoprophetæ, qui currebant in caulam ovium & Ecclesiam docebant, cum tamen à Deo non essent missi, & simul falsam doctrinam pro vera obtrudentes Ecclesiam vastabant, Jer. 14. vers. 14. Hoc autem in loco secundi generis pastores mali inprimis intelliguntur (quales Pharisæi, quos Christus compellat) qui vocati ad docendum, salutis doctrinam, à Filio Dei per Prophetas traditam, neque ipsi credebant, neque Ecclesiæ fideliter proponebant; sed eam fermento suo corrumpentes, Matth. 16. vers. 12. auditores à salutis doctrina, & à Christo salutis authore seducebant, Matth. 15. vers. 14. Joh. 9. vers. 22. & 24. Atque hæc de orationis hujus, qua falsus pastor describitur, subjecto: quo illius τεκμήριον seu certissima nota designatur: quod sine fide in Christum, ac sine doctrinæ illius veritate in congregationem Ecclesiæ irrumpens, docendi munus sibi arripit. Attributum verò eundem à moribus ipsius describit cum ait: *fur est & ληστὴς, latro.* Nam quamvis vox Græca ληΐζω (orta à nomine ληΐα per Ionicam dialysin pro λεία, id est, *præda*) generatim λεΐας ἄγειν *prædas agere* seu *prædari* notet: atque inde nomen ληϊστὴς, & per Synæresin contractè ληστὴς *prædonem* propriè significet: quia tamen prædones solent non raro etiam raptam prædam trucidare, idcirco per Synecdochen interdum speciatim talem prædonem, hoc est, *latronem* notat: ut Matth. 21. vers. 13. & cap. 27. v. 38. Quemadmodum etiam Iohan. 18. vers. 40. Barrabas vocatur ληστὴς, hoc est, latro seu trucidator, ut Marc. 15. v. 7. & Actor. 3. v. 14. disertè exponitur. Atque hoc etiam sensu in hac sententia accipitur: In qua etiam per Synecdochen generis pro specie, *furis* nomen similiter hoc loco accipitur, ut v. 10. declaratur. Cœterum hæ voces *furis* & *latronis* ita acceptæ, Metaphoricè, seu quadam similitudine, falsorum doctorum mores ac scopum declarant, quod videlicet sua falsa doctrina auditores, à cultu Dei & Ecclesiæ communione, quasi prædam aufferre ac perdere studeant, ut v. 10. exponetur. Atque hæc de falsi pastoris descriptione vers. 1. Sequitur deinde veri ac boni pastoris opposita descriptio, ejusque illustratio plenior. Descriptio autem notam illius propriam tradit, nimirum quod per ostium ingreditur, hoc est, legitima vocatione & vera Christi doctrina instructus, ad Ecclesiam docendam ad ducendam accedit: ideoque de hoc prædicatur, apposito attributo sententiæ, eum esse ovium pastorem v. 2. scilicet legitimum, qui non titulo tantùm, sed reverà pastor est: ut hujus & antecedentis sententiæ oppositio ac descriptio ostendit, & sequens illustratio ex adjunctis & effectis, cùm pastoris, tum ovium ostendit: iisque tanquam notis à falso pastore & à falsis ovibus distinguit. Primum autem pastoris adjunctum est, quod *janitor* ei aperiat. Is autem est Deus: qui sua potestate, tanquam Ecclesiæ Dominus, destinatum Ecclesiæ suæ pastorem, pietate ac cognitione Christi, ad pascendam Ecclesiam sufficienti donatum, ad muneris illius executionem vocat: vel immediatè per se, (ut Prophetis & Apostolis contigit) vel mediatè per Ecclesiam, ut Actor. 20. v. 28. atque ita vocatum per Ecclesiam suam, in congregationem illius, ut verum pastorem admittit. Alterum verò adjunctum veri pastoris, est simul officium atque effectum ovium fidelium erga ipsum, nempe quod vocem ejus audiunt. *Vox* autem per Metonym. adjuncti pro subjecto notato, doctrinam salutarem, vocis prædicatione propositam, denotat: quam oves, hoc est, verè fideles dicuntur *audire*, non generatim quovis modo, sed speciatim per Synecd.

eccl. audire cum obedientia, ex frequenti Scripturæ usu: ut etiam res ipsa arguit, & versus octavus demonstrat: ubi contrà de voce falsi doctoris dicitur, oves vocem furis non audire, hoc est, ei non obedire. Deinde hisce duobus veri pastoris adjunctis, tria ejusdem ad gubernationem pertinentia adduntur effecta. Quorum primum est ovium evocatio: alterum eductio: tertium denique antegressio. Ac de priori dicitur: *& suas oves vocat nominatim*, nempe ut ipsum sequantur: quemadmodum consequens effectum ostendit. Quo modo Christus indicat veri pastoris officium atque effectum: ut non solum publicè, sed etiam privatim, instituendorum & confirmandorum fidelium curam gerat: quemadmodum illustre in Apostolo Paulo exemplum, qui ad conscientiam presbyterorum Ecclesiæ Ephesinæ provocans ait; *vos scitis*, Actor. 20. 18. & subjicit v. 20. *ut nihil subterfugerim eorum, quæ vobis conducerent, quo minus ea vobis annunciarem, & docerem vos publicè & per domos*, & v. 31. *Idcirco vigilate, memores me per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis monere unumquemque.* Hæc de primo: De altero verò pastoris veri effecto dicitur: *& educit eas*, v. 3. nempe (ut vers. 9. exponetur) ad pascua spiritualia, Euangelii scilicet doctrinam, Christum & beneficia illius ore fidei manducanda ac ruminanda, ad vitam æternam. De tertio denique boni pastoris effecto ait Christus, versus quarti initio: *Et cum oves suas emiserit, antegreditur eas:* nempe ad pascua, ad quæ vocarat atque eduxerat. In quo pastoris proprii, seu brutarum ovium: & pastoris Metaphorici, Ecclesiæ scilicet fidelium, discrimen observatur: Ille enim gregem suum sequitur: nisi ingruentis lupi aut alterius feræ periculum urgeat: Contra verò Ecclesiasticus pastor antegredi dicitur: quod salutis doctrina vitæque exemplo, & constantia in periculis, verbi Dei gladio ab Ecclesia avertendis: & cum opus est, ad salutem illius conservandam fidemque confirmandam, fortiter perferendis, ducis instar præcedit: qua de re insignis locus Heb. 13. 7. Atque hæc de pastoris boni effectis; quibus subjiciuntur fructus eorum consequentes, ovium scilicet effecta: partim erga suum pastorem, partim contra alienum. Erga suum pastorem in fine v. 4. cum dicitur: *& oves eum sequuntur*, nempe vocantem, educentem, atque antegredientem, hoc est, fide ac charitate doctrinæ illius obediunt, & in utroque pium pastoris exemplum imitantur: quemadmodum de Thessalonicensibus dicitur, 1. Epist. c. 1. v. 6. & Paulus hoc requirit, 1. Cor. 11. v. 1. cum ait: *imitatores mei estote: ut & ego Christi.* Quia autem sequendi pastorem causa in genere esse potest duplex: nempe vel imprudentia ac temeritas, seu incerta de probitate pastoris opinio: vel prudentia seu sinceritatis ac probitatis illius, ad normam fidei exploratæ notitia, Actor. 17. 11. 1. Joh. 4. 1. idcirco Christus hoc loco declarat, qualem pastoris sequelam intelligat: indicata causa illius recta, cum ait, *quia norunt vocem ejus. Nosse* autem non generatim de quavis notitiâ hic intelligitur: sed de tali, qua sciunt ipsum vera, seu Sacris Literis consentanea docere, & quem tuto sequi possunt ac debeant, 1. Thess. 5. v. 21. Heb. 13. v. 17. Atque hæc de primo ovium spiritualium seu verè fidelium effecto, nempe erga pastorem suum bonum. Alterum est contra alienum v. 5. his verbis. *Alienum autem nequaquam sequentur: sed fugient ab eo.* Quo in loco *alienus* non intelligitur verus ac pius alterius particularis Ecclesiæ pastor: quia inter utrumque est convenientia, & cum occasio est, audiendi ac sequendi potestas est: sed intelligitur falsus pastor: qui falsâ doctrinâ Ecclesiam corrumpere ac perdere conatur, ideoque eum nequaquam sequuntur, quasi pastorem, sed fugient ab eo quasi à depastore ac lupo rapace, Matth. 7. v. 15. Gal. 1. v. 8. & 9. & 1. Joh. 4. vers. 1. Cujus rei etiam causam adjungit: *quia non norunt vocem alienorum*, ubi similiter, ut antea, verbum *nosse*, non generatim accipitur: siquidem doctrinam alienorum seu falsorum doctorum à Christi doctrina, alienam esse ex comparatione utriusque cognoscunt, aliâs temerè eam fugerent: sed speciatim pro vera non agnoscere significat. Atque hactenus parabola: sequitur deinde parabolæ expositio. Sed præmissa prius atque inserta per Euangelistam sententia: qua antecedentis orationis modum, & deinde expositionis consequentis occasionem declarat, v. 6. Modus autem indicatur cum ait: *Hanc παροιμίαν dixit eis Jesus*: ubi observandum vocem παροιμίαν, propria significatione *proverbium* denotare, ut 2. Pet. 2. v. 22. accipitur. Quia verò non pauca proverbia eaque acutissima, allegorica esse solent, ac similitudinis quasi tegmine rem aliam, non expressam significant: hinc Johannes Euangelista solus παροιμίας vocem non pro proverbio, sed pro parabola (ut Hebræis משל utrumque complectitur) per Metaph. quandam usurpavit: ut cap. 16. v. 25. & v. 29. τὴν παροιμίαν, τῇ παῤῥησίᾳ hoc est, liberæ apertæque orationi opposuit. Quo etiam modo, ut res ipsa arguit, hoc in loco accipitur: ideoque claritatis causa *parabolam* eruditè interpretantur: quia collatione quadam aliud dicitur, & aliud ea similitudine adumbratum designatur. Atque hæc de orationis ante propositæ modo loquendi. Expositionis verò occasionem Iohannes ostendit esse stupidam Pharisæorum, quos Christus compellârat, ignorantiam, cum ait: *illi verò non cognoverunt, quænam illa essent quæ loquebatur eis*: cum tamen crebrò in Prophetis ut Ecclesiæ membra oves; sic ministri verbi, pastores, eleganti similitudine atque explicata appellentur, ut Esai. 63. vers. 11. Jer. 23. 1. & seq. inprimis verò Ezech. 34. vers. 1. & reliquo toto capite: cui hæc Christi concio egregriè omninò convenit. Ac propterea mirandum est, Pharisæos, qui se videntes ac sapientes jactabant, hanc parabolam non intellexisse de se partim, partim de Christo dictam. Ideoque addit Iohannes: *Jesus ergo rursum dixit eis.* Atque ita parabolæ expositio à Christo data narratur: quæ præcipua capita declarat. Ac primum quia in utraque, tam falsi, quàm veri pastoris descriptione, *ostii ovium* meminit: idcirco *ostii* explicationem præmittit: ac deinde descriptionem utramque declarat. Ad ostii verò explicationem quod attinet, ea primùm præfatione munitur: deinde exprimitur. Præfatio qualitatem illius, nimirum veritatem (assertione eadem qua vers. 1. erat usus) indicat, cum ait initio vers. 7. *amen, amen dico vobis*: id est, etsi illud non creditis, verissimum tamen est, quod vobis dico, id est, jam sum dicturus, ut præsens, pro paulò post futuro accipi solet. Explicatio verò exprimitur in fine vers. 7. *ego sum ostium ovium*: nimirum de quo locutus sum: quia per solum Christum Dei Filium aditus est ad Ecclesiæ fidelium, non solum societatem: sed etiam ad fidele ministerium: quia fide in ipsum Ecclesiæ membra facti, ei aggregantur: & vocatione ac doctrinâ salutis, de eo & ab eo accepta, ad ministerium Ecclesiæ rectè exercendum pervenitur. Cum enim Christus non sit tantùm homo, sed etiam verus cum Patre Deus, & unicus inde ab initio Dei hominumque Mediator, 1. Tim. 2. 5. non solùm post incarnationem, per ipsum fide apprehensum oves ipsius membra Ecclesiæ fiunt: sed etiam inde ab Ecclesiæ initio, Rom. 4. v. 23. 24. & toto cap. Heb. 11. & 1. Cor. 10. v. 1. 2. 3. 4. Similiter non solùm per Christi jam nati vocationem & doctrinam acceptam, per eum quasi ostium Ecclesiæ pastores intrant. Matth. 28. v. 19. 20. Eph. 4. v. 11. 12. Sed etiam Prophetæ ab initio extra ordinem Spiritu Christi edocti, & ab eo missi prophetarunt, 1. Pet. 1. vers. 10. 11. & pastores Ecclesiæ fideles, per illius vocationem ordinariam & doctrinam illius per Prophetas traditam, ad Ecclesiam rectè pascendam sunt ingressi. Ideoque Christus eleganti ac recta similitudine sese ovium (seu Ecclesiæ fidelium) ostium appellavit. Atque ita ostio ovium explicato, ad alteram partem accedit, nempe descriptionis falsi, & veri ac boni pastoris distinctam expositionem. Nam primùm notam falsi pastoris in descriptionis illius subjecto v. 1. propositam, nempe quod non ingreditur per ostium in caulam, sed ascendit aliunde, explicat, cum ait, versus octavi initio: *quotquot πρὸ ἐμοῦ ante me venerunt*, (nempe in caulam ovium, ad Ecclesiam docendam, ut ab Ecclesia audirentur) *fures sunt & latrones*, ut vers. 1. Verùm hic non exigua difficultas oriri videtur: quæ ex hac phrasi πρὸ ἐμοῦ moveri solet. Nam primum hæretici Manichæi, authoritatem Prophetarum eo prætextu rejecerunt, quod ante Christum fuerint: ideoque contenderunt eos non veros fuisse pastores, sed fures & latrones, qui minimè sint audiendi: ut Theo-

Theophylactus etiam hanc impietatem narrat. Contra verò Orthodoxi de Prophetis agi negant: sed in modo expositionis hujus phrasis, ad objectæ difficultatis solutionem, nonnihil discrepant. Quidam enim ellipsin esse putant ex antecedenti supplendam hoc modo: Quicunque ante me venerunt, scilicet tanquam ostium ovium: Quo modo accepisse videtur Chrysostomus, cujus hæc sunt verba: *non de Prophetis hoc intelligendum est, ut ajunt hæretici: illos enim audierunt & per eos Christo crediderunt: sed de Theuda & Juda & aliis seditiosis:* Alii verò, licet eodem sensu de pseudochristis Christum antegressis etiam accipiant, in eo tamen differunt, quod vocem πρὸ ἐμοῦ non interpretandam censent, ut vulgò fit, *ante me*, sed *pro me*, id est, meo loco. Verum hujus significationis probationem allatam, neque ab iis, neque in præstantioribus lexicis adhuc observavi: Euripides tamen in Alcestide (quæ mariti, aliâs morituri, loco mortem obiit) suppeditat: ubi in editi: Græco-Lat. Pauli Stephani, initio illius tragœdiæ, dicitur pag. 607. *θανεῖν πρὸ κείνου, mori pro ipso*, seu ejus loco: & de eadem, eodem sensu, pag. 636. *ἀντὶ σοῦ ἀποκατθανεῖν, pro te mori*: quemadmodum etiam pag. 643. & 45. Veruntamen etsi hæc vocis πρὸ significatio esse possit: videtur tamen expositio angustior esse, quam Christi scopus ferat. Nam hoc modo hæc oratio nihil ad Pharisæos pertineret, qui nunquam eo sensu pro Christo venerunt: id est, nullus eorum se Christum promissum esse jactavit: & tamen illud satis apparet, non frustra hæc Christum asserere, sed Pharisæos inter cæteros ut falsos pastores ac Christi adversarios in proposita parabola generali sententia descriptos reprehendi. Tertia igitur est aliorum explicatio plenior, & ad scopum accommodatior: nimirum ut qui venerunt ante Christum, nempe in caulam ovium, intelligantur illi, qui ipsum non sunt secuti: id est, qui salutis doctrinam à Christo per Prophetas traditam negligentes, ad Ecclesiam docendam ac regendam falsa doctrina proruperunt: atque ita per ostium non intrarunt, sed aliunde: Ideoque in orationis hujus attributo ait, tales esse fures & latrones, ut vers. 1. monuit, id est, non veros Ecclesiæ pastores, sed illius quasi direptores. Quam falsi pastoris initio descripti expositionem in fine vers. 8. ab adjuncto eorum ex sententia vers. 5. ad attentionem repetito declarat, cum ait, *sed non audierunt eos oves:* Quo in loco *oves* Metaphoricè atque κατ' ἐξοχὴν verè fideles seu viva fide præditos intelligit, ut antea: Quemadmodum etiam attributum ostendit, cum dicitur *non audierunt eos*, scilicet cum obedientia, per Synecdoch. ut ante vers. 3. ut similiter accipitur audiendi vox, Matth. 17. v. 5. & Joh. 8. vers. 47. Actor. 3. vers. 23. Etsi enim quidam verè fideles, Christo, ad eos castigandos ac cautiores reddendos, aliquantum sinente, à falsis pastoribus ad tempus & secundum quid decepti, eos audiant: non tamen perpetuò neque etiam simpliciter audiunt, sed ne omninò per suam fragilitatem seducantur à falsis pastoribus, idcirco à Christo summo pastore tempestivè ab errore revocati conservantur, v. 28. & Ezech. 34. v. 16. & 22. 23. 24. ac Matth. 24. v. 24. Atque hæc de falsi pastoris, vers. 1. descripti expositione. Cui altera nempe oppositæ, vers. 2. veri pastoris descriptionis expositio succedit, vers. 9. & ad majorem attentionem ac declarationem prius repetendo se esse ostium, scilicet ovium, deinde ait; *per me si quis introierit, servabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* Quibus verbis primùm quid sit quod v. 2. dixerat, *qui verò ingreditur per ostium*, declarat orationis hujus antecedente parte, cum ait: *qui per me introierit*, scilicet in caulam ovium, ad Ecclesiæ ministerium, à me scilicet vocatus, & doctrina à me accepta instructus. Deinde eum esse verum pastorem exponit parte consequente, à fructu adjuncto & ab effectis. Fructus est quod *servabitur*, 1. Timoth. 4. v. 16. Effecta verò sunt duo: primum quod *ingredietur & egredietur*, hoc est, Deus Ecclesiæ suæ quasi janitor, ingredienti ad oves, & egredienti ut oves educat in pascua, aperiet, ut vers. 3. dictum: seu Deo probante, ac secundante, officio suo fungetur securè. Alterum effectum est, quod *pascua inveniet*, nempe ovibus suis, doctrinam scilicet Euangelii & bona eo annuntiata, Christum, & justitiam illius, ore fidei, ad vitam æternam manducanda & ruminanda, ut vers. 3. Nam quamvis ea quæ hoc vers. 9. dicuntur, suo modo commodè ovibus seu membris Ecclesiæ per fidem in Christum conveniant: ex ipsa tamen parabola, quæ exponitur, & ex antecedenti & consequenti versu, de pastore agi, non immeritò à doctioribus colligitur. Quæ enim antea de bono pastore dixerat, ea sibi oppositione duplici accommodat. Primùm enim furi, deinde etiam mercenario infido opponit. Ac per furem quidem falsum pastorem notat, ut v. 1. expositum: cujus advenientis finem suo fini opponit v. 10. cum ait: *fur non venit, nisi ut furetur, & mactet ac perdat*, quæ vers. 1. exposuimus. Christi verò venientis finis est contrarius geminus: nempe ut fideles vitam habeant, & abundantiam habeant, hoc est, salutem æternam, & omnia ad eam necessaria abundè per Christum consequantur, Actor. 4. vers. 12. & 1. Cor. 1. v. 30. Altera Christi oppositio est, quâ se à mercenario discernit: quæ oppositio contrariis duabus descriptionibus constat. Ac prioris quidem parte prima seipsum describit, vers. 11. I. Ab officio; deinde ab effecto beneficio erga oves: Officium indicat cum ait, *Ego sum ὁ ποιμὴν ὁ καλός, pastor ille bonus.* Pastorem autem se etiam (non minus quam antea ostium diverso respectu) vocat, non propriè brutarum ovium: sed per similitudinem quandam fidelium, unde *pastor & episcopus animarum* dicitur, 1. Pet. 2. vers. 25. deinde *bonum illum* vocat κατ' ἐξοχὴν, hoc est, promissum per Prophetas Messiam, Davidis nomine adumbratum, unicum illum Ecclesiæ pastorem, Ezech. 34. vers. 23. & 37. vers. 24. & Matth. 26. vers. 31. scilicet summum, ac Dominum & Deum ovium, Esai. 40. v. 10. & 11. Heb. 13. vers. 20. 1. Pet. 5. vers. 4. Deinde effectum beneficium erga oves indicat, cùm ait: *pastor ὁ καλός, ille bonus, ponit animam suam pro ovibus:* Ita enim Christus emphaticè de se, eadem cum initio versus phrasi, sed in tertia persona loquitur: ut aliâs de se, modò in prima, modò in tertia persona loqui solet, ut Joh. 3. v. 12. cum 13. & cap. 5. vers. 23. cum 25. & v. 37. cum 38. & cap. 6. vers. 67. cum 58. *Animam* verò *ponere*, notat mori, ut Johann. 10. vers. 15. 17. 18. & cap. 15. vers. 13. Mori verò pro ovibus, hoc est, fidelibus, non significat in hac sententia, ut iis sua passione & morte, pro veritate & justitia perferenda, exemplar imitandum præberet, ut ex 1. epist. Petri cap. 2. vers. 21. Sociniani contendunt: quia hoc commune fuit Christo cum multis martyribus, pro veritate ad Ecclesiæ ædificationem mortuis; deinde secundarius tantum fuit finis & fructus ad Propheticum munus pertinens: sed primarium fuit, quod ad proprium officium sacerdotale requirebatur, neque priori fuit exclusum, nimirum quod pœnas nobis debitas, nostro loco, pertulit: ut ibidem 1. Pet. 2. v. 24. & cap. 3. vers. 18. ex Esaja cap. 53. v. 5. & Hebr. 9. v. 25. & 26. & Rom. 3. vers. 24. 25. apparet. Hæc prima Christi descriptio: cui contrariam mercenarii opponit vers. 12. cum ait; *Mercenarius autem &c.* Quo in loco *mercenarium* non Ecclesiæ, falsa doctrina, adversarium: sed pastorem infidum, ut sequentia ostendunt, intelligit: nec eum generatim, qui Ecclesiam vera doctrina pascens mercedem laboris ab Ecclesia recipit, hoc enim justum & à Christo institutum, 1. Timoth. 5. vers. 18. Luc. 10. vers. 7. & 1. Cor. 9. vers. 7. à communi jure; & vers. 8. ad 14. ex lege Mosis, & vers. 14. ex Christi ordinatione probatur: sed per Synecd. speciatim eum intelligit, qui mercedem ac lucrum tantùm captans, Ecclesiam pascit; ut Ezech. 34. vers. 2. 3. ut descriptio mercenarii ostendit: primum per negationem, deinde per affirmationem. Negatio est: *& qui non est pastor*, scil. bonus: *cujus oves non sunt propriæ.* Quo autem sensu hoc dicatur, præmissa vocis illius distinctione, illustrabitur. Nam *proprium* in S. Literis vel speciatim, vel generatim accipitur. Speciatim pro eo quod soli convenit, ut Matth. 22. 5. proprius ager, Tit. 1. 12. proprius Propheta: quo sensu expressè etiam proprium communi opponitur, Actor. 4. 32. Generatim verò per Synecd. eadem vox, pro eo quod alicui convenit, usurpatur, ac *suum* notat, alienoque opponitur, ut Luc. 2. 3. civitatem *ἰδίαν propriam*, id est, suam: nam multis erat communis, & 1. Thess. 2. v. 14.

à con-

à contribulibus propriis, id est, suis: quod scilicet ad ipsos propter communem gentem & civitatem pertinerent tanquam concives: & vers. 15. ibidem impiorum Judæorum dicuntur Prophetæ proprii, id est, sui, qui communes tamen erant Judæis etiam piis. Qua secunda significatione in hac mercenarii descriptione oves dicuntur non esse illius propriæ, hoc est, non suæ, sed alienæ: non quidem simpliciter seu omni ex parte, sed secundum quid, maximaque parte. Nam licet ad illum pertineant oves ratione officii, quatenus vocatus est ad eas fideliter pascendas ac regendas: ratione tamen effecti, seu executionis officii non sunt ipsius: quia eas nec amat, neque fideliter regit: sed ut alienas à se æstimat ac tractat. Qua generali significatione oves negantur illius esse propriæ: ut contra in antecedente parabola v. 3. & 4 oves dicuntur veri pastoris propriæ, h. e. suæ, seu quod ad eum pertineant: non quidem jure dominii (quod soli Christo pastori summo convenit) sed ratione vocationis ad eas pascendas ac rectè gubernandas; & ratione executionis fidelis, eas pro officio amando, pascendo, & antegressione fida ac forti defendendo. Atque hæc de mercenarii per negationem descriptione: quod non sit pastor, scil. bonus: & oves non sint ipsius, sed alienæ. Altera verò est descriptio per affirmationem perfidiæ illius; qua conspecto *lupo* (h. e. Ecclesiæ adversario, qui falsa doctrina, & persecutione concitata, verè fideles à recta fide avertere ac perdere studet, Matt. 7. v. 15. & 10. 16. 17. & Act. 20. 29.) Ecclesiam sibi commissam non defendit, sed deserit: & securitatem suam hominumque gratiam pluris æstimans, quam salutem Ecclesiæ, ea deserta perfidè fugit, eamque rapiendam ac dissipandam lupo permittit. Qui raptus verè fidelium non simpliciter, neque ad finem usque est intellgendus, ut v. 8. ostendimus; & ex sequenti v. 28. & 29. perspicuè constat: sed secundum quid & ad tempus tantum. Atque hæc de prima descriptionis Christi & mercenarii oppositione. Sequitur deinde altera, qua mercenarium describit priori loco, ut antecedentem de eo sententiam opportunius illustret atque amplificet, v. 13. Reddit enim rationem, cur viso lupo mercenarius Ecclesiam deserat ac fugiat contra officium: *quia* inquit, *mercenarius est*, scil. κατ' ἐξοχὴν, tantùm: seu qui mercedem tantùm amat, non verò Dei Domini sui gloriam, neque Ecclesiæ fidei ipsius commissæ salutem: ac quia Ecclesiam non curat, fugit. Deinde huic mercenarii descriptioni, altera Christi contraria subjicitur: propositionem, & expositionem illius complectens. Propositio autem est v. 14. cum ait: quod sit bonus pastor, non autem mercenarius, & quidem ille bonus pastor: nempe Propheta summus, Deut. 18. v. 15. Act. 3. v. 22. & 7. 37. verusque Messias promissus, ut omnium pastorum princeps & Ecclesiæ Dominus, Ezech. 34. 23. & 24. quemadmodum v. 11. declaravimus. Deinde quod ovium habeat curam, ostendit ex sua atque earum notitia mutua: non quavis (nam ita & hircos & lupos novit) sed per Synecd. ea scil. quæ cum amore conjuncta, ut nosse Psal. 1. v. 6. Matt. 7. 23. & 25. 12. & 2. Tim. 2. v. 19. usurpatur. Novit autem Christus omnes oves suas, i. e. omnes verè fideles, quia Deus est καρδιογνώστης, Apoc. 2. v. 23. Ecclesiam amans ac vivæ fidei dator: Norunt verò oves Christum per fidem, ex verbo ipsius, & Spiritus Christi virtute conceptam, eamque vivam seu per charitatem efficacem. Hæc de bimembri descriptione Christi qua mercenario opponitur. Expositio verò illius utrumque membrum declarat, initio ducto à secundo, nempe mutua sua & ovium cum amore notitia. Eam enim comparatione similis inter Patrem & seipsum notitiæ declarat v. 15. deinde se esse pastorem illum bonum demonstrat ex effectis suis duobus, de solo Messia bono illo ac summo pastore promissis. Primum est, quod animam suam ponat pro ovibus, hoc est, earum loco morti sese volens exponat, Deo Patri in sacrificium pro Ecclesia expiatorium, Esai. 53. v. 5. & 6. Eph. 5. v. 2. Alterum est vocatio electorum inter gentes: qui oves erant Christi ratione electionis divinæ, qua Christo dati: nondum verò ratione vocationis: sed tandem per Christum, ad fidei obedientiam & ad Ecclesiam, post Christi mortem atque ascensionem, jussu ac virtute illius per Apostolorum ministerium vocandi. Id quod de bono illo pastorum principe Messia erat prædictum, Gen. 22. 18. Actor. 3. v. 25. Esai. 42. v. 1. & c. 11. 10. Mat. 12. v. 18. Rom. 15. v. 9. ad 15. adeò ut unum futurum esset, ex Iudæis & gentibus credentibus ovile seu ovium grex, id est, una Ecclesia, ex utrisque constituta, Eph. 2. v. 15. & pastor etiam unus, nempe summus, Ezech. 34. v. 23. & 24. Quibus indicatis effectis, subjicit tandem Christus prioris nempe positionis animæ (h. e. voluntariæ mortis pro suis ovibus) adjunctum, & finem atque eventum. Adjunctum est vers. 17. amor Patris: siquidem mors Filii pro Ecclesia, est ipsi sacrificium gratissimum, Eph. 5. v. 2. Finis verò & eventus futurus dicitur, non ut animam in morte relinquat: sed ut eam depositam rursus (scilicet ad salutis per mortem promeritæ consummationem) resumat v. 17. Quam animæ positionem & assumtionem à causa concurrente duplici declarat, v. 18. Prima est potestas utriusque, & quidem cum potentia conjuncta: quod ut animam illius nemo tollit ab eo invito, quia omnipotens est Deus, sed ultrò cum voluit deposuit: sic etiam ut omnipotentis Dei Filius suscitandi sese habuit potestatem ac potentiam, quia etiam se suscitavit, Ioh. 2. v. 19. Altera causa utriusque est mandatum Patris, qui Filium pro salute Ecclesiæ mori voluit, Psal. 40. v. 8. 9. Heb. 10. v. 8. 9. & à mortuis resurgere, Psal. 16. v. 10. 11. Actor. 2. v. 31. Esai. 53. vers. 10. 11. Hactenus Christi concio parabola & expositione illius constans: qua se bonum ac summum Ecclesiæ pastorem ac Messiam promissum declaravit. Eventus verò est dissidium inter auditores ea occasione ortum vers. 19. Cujus partes sunt: hostium Christi in ipsum blasphemia, qua auditores Christi ab eo avocare conantur v. 20. illiusque deinde ab auditoribus probis negatio, & argumento à divina Christi in cæco sanando potentia consutatio vers. 21. Atque ita absolvimus primam hujus 10. cap. Iohannis partem: quæ habitam à Christo in tabernaculorum festo (ut apparet ex Iohan. 7. vers. 2.) concionem, & eventum illius complectitur. Cui altera pars, & quidem de re, alio tempore consecuta, succedit: quæ duplici Christi cum Judæis disputatione, & utriusque eventu constat. Ac disputatio quidem à suis circumstantiis, modo suo describitur. Circumstantiæ autem sunt tres, tempus, locus, occasio. Tempus autem, festo Encæniorum, & anni parte, videlicet hyeme, qua illud celebrabatur distinctè definitur vers. 22. Locus deinde proponitur templum, per Metonym. subjecti pro adjuncto acceptum: ideoque ne quis erret exponitur à Iohanne, cum *porticum Salomonis* appellat. Salomonis autem dici videtur, non propriè ea porticus, quæ ab ipso antea extructa, 1. Reg. 6. vers. 3. (ea enim à Babyloniis destructa fuerat) sed Metaphoricè, quod ad similitudinem illius esset rursus ædificata, & deambulationi ad sacra imprimis colloquia inserviens. Denique occasio disputationis Christi cum Judæis, fuit Christi in ea ambulatio: qua Iudæis ad festum Encæniorum congregatis sese conspiciendum, & ad docendum præsentem atque obvium exhibuit, vers. 23. ut autem ea melius ac plenius intelligi queant, paucis dicendum

De ENCÆNIIS.

Ἐγκαίνια Græca vox est, à Latinis patribus priscis & Ecclesiæ usu trita: quæ ab ἐν & καινὸς certò derivatur. Quam nonnulli, etymon secuti, *renovationes*: alii verò, sensu vocis accuratius expresso, *dedicationes* interpretantur. Hac enim ἐγκαινίων voce LXX. interpretes Græci reddiderunt Hebræam חנכה: quæ *initiationem* seu *dedicationem solenni consecratione peractam* designat: quemadmodum Esdræ 6. v. 16. 17. *Encænia*, id est, dedicationes *domus Dei*, & Neh. 12. v. 27. *Encænia muri Jerusalem*; sic etiam vocibus conjugatis inde deductis eodem sensu transtulerunt. Nam ut ex nomine ἐγκαίνια oritur ἐγκαινίζω, *dedico, consecro*, Hebr. 10. vers. 20. & ἐγκαινίζομαι, *dedicor* seu *consecror*, Hebr. 9. vers. 18. Sic eodem sensu à Græcis LXX. interpretibus Num. 7. vers. 88. ἐγκαίνιον τοῦ θυσιαστηρίου *dedicatio altaris*, & vers. 84. ἐγκαινισμὸς τοῦ θυσιαστηρίου similiter pro חנכה usurpatur; unde per Metonym. subjectæ rei significatæ, pro

tæ, pro signo ei adjuncto, vox ἐγκαίνια, id est, dedicationes, pro festo, ad dedicationis templi Dei atque altaris memoriam quotannis celebrandam, instituto, usurpatur in hac Euangelistæ sententia. Cœterum dedicatio hujusmodi triplex reperitur: quarum duæ priores in Sacris Literis, tertia verò extra eas memoratur. Prima enim dedicatio fuit templi primi à Salomone extructi, quæ 1. Reg. 8. capite toto describitur copiosè. Secunda verò fuit secundi templi, post primi destructionem, ac reditum ex captivitate Babylonica, rursus ædificati consecratio, Esr. 6. 16. 17. Postrema denique dedicatio facta est, cùm à duce Juda Macchabæo, secundum illud templum à gentibus pollutum, & ex parte dirutum, diligenter repurgatum, reparatum, novoque altari instructum fuit, 1. Macch. 4. v. 59. Ex qua triplici hujus dedicationis seu consecrationis solennis templi occasione, triplex etiam doctiorum interpretum, de hoc dedicationis festo, sententia promanavit. Quidam enim ad primam dedicationem templi Salomonis: alii ad secundam celebrandam, Encænia instituta statuunt; ut Theoph. etiam recenset: alii denique ad tertiam spectasse affirmant: quæ sententia rei consentanea non immerito censetur ac cœteris præfertur. Nam hæc Encænia de quibus Johannes agit, celebrata sunt hyeme, ut ipsemet hoc loco testatur: ideoque nec primæ, nec secundæ dedicationis festum, Encæniorum voce, hic intelligi apparet. Nam prima dedicatio facta est, non in hyeme, sed in antumno, mense septimo, 1. Reg. 8. secunda verò mense Adar, Esr. 6. v. 15. qui duodecimus fuit, ac partim Februario, partim Martio (ut lunares Hebræorum erant menses) respondet, &, inprimis in Judæa, ad ver inclinat. Deinde nec primæ, nec secundæ dedicationis templi festum annuum institutum aut observatum in Sacris Literis memoratur: neque illius ex Hebræorum scriptis, aut usu ullum documentum producitur. Contra verò tertiæ dedicationis templi atque altaris, octo dierum festum annuum, à Juda Macchabæo & fratribus illius & tota Ecclesia Judaica statutum traditur, 1. Macc. 4 vers. 59. cum 56. & quidem in hyeme celebrandum, nempe mense nono (qui partim in Novembrem, partim & quidem maximè in Decembrem incidit) die verò vigesimo quinto & septem seqq. ibidem v. 52. & 56. unde ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου, *dies dedicationis altaris* v. 59. appellantur: & festum hoc ad sua usque tempora solenniter observatum fuisse Josephus etiam antiquit. lib. 12. cap. 11. pluribus declarat. Atque hæc de festi hujus historia: unde quæstio brevis, de religione illius emergit. Videtur enim prima fronte festum superstitiosum, quia cultus Dei institutio ad solum Deum, unicum legislatorem, pertinet, qui idcirco mandata hominum, Matt. 15. vers. 9. ex Esai 29. & ἐθελοθρησκείαν seu arbitrarium cultum, Col. 2. vers. 20. 23. rejicit. Verum negatur, novum Dei cultum hisce Encæniis institutum: sed cultui divinitus imperato, circumstantia temporis licita Ecclesiæ, & ad gloriam Dei pertinens, addita. Nam ut pro beneficiis à Deo in recuperatione & dedicatione templi acceptis, gratiam ac perennem debebant memoriam; sic eidem fovendæ, annuum illius tempus, non necessitatis jugo; sed libera Ecclesiæ voluntate institutum inserviebat. Quale festum Purim, id est, *sortium* ab Hestera & Mardochæo unanimi Iudæorum consensu quotannis institutum, Esther. 9. vers. 23. & à Iudæis observatum, 2. Macchab. 15. vers. 37. ubi etiam ἡμέρα Μαρδοχαϊκή *dies Mardochaicus* appellatur. Quibus accedit, quod Christus hoc etiam festum cum Iudæis observavit. Atque ita in Ecclesia Christiana, singularium quorundam ac eximiorum beneficiorum divinitus acceptorum occasione, festa quædam ad ea grato animo memoranda ac celebranda, sine superstitione, ordinis, non necessitatis causa, alicubi instituta observantur. Quod autem Pontificii horum Encæniorum prætextu, suorum templorum dedicationes Encænia similia esse, & sanctè quotannis celebrari probare conantur, omninò alienum est: quia ea non sacra, ad solius Dei gloriam, & cultum ab ipso præscriptum, sed profana est dedicatio, cum templa eorum pleraque creaturis sint consecrata, & impiæ Missæ cultu polluta. Atque hæc de Encæniis celebratis, tempore scilicet hyberno. Quare propositis tribus circumstantiis, temporis, loci & occasionis, reliquum est, ut ad modum disputationis Christi cum Judæis procedamus, qui seqq. declaratur. Disputatio enim prima agit de Christi officio: altera verò de ejusdem innocentia & persona. Ac prima quidem subdolum Iudæorum accessum ac sermonem ab iis Christo objectum & sinceram Christi responsionem continet. Accessus autem Iudæorum his verbis describitur: *Judæi igitur cinxerunt eum.* Quo in loco per Iudæos κατ' ἐξοχὴν quosdam primarios eorum Scribas & Pharisæos reprobos, Christi adversarios, intelligit: quemadmodum ex antecedentium, (cap. 9. v. 40. & cap. 10. v. 20. 26. 39. cum cap. 7. v. 32. & 44.) collatione colligitur. Horum autem ad Christum accessus subdolus, à modo illius indicatur: quod eum cinxerunt, id est, non solùm Christum à fronte, sed etiam à tergo & à lateribus aggressi sunt, ne ulla ratione elabi posset: & quidem capta ambulationis illius in porticu templi occasione: quod etiam voce *igitur* (quæ conclusionem ex antecedenti notat) indicatur. Sermo verò ad Christum quo ipsum insidiosè adorti sunt, constat quæstione & petitione. Quæstio est quod dixerunt: *quousque animam nostram suspendis*, id est, Metaphoricè, anxiam dubiamque relinquis: nimirum an sis Christus ille promissus nec ne, ut sequentia hoc demonstrant. Atque ita primùm falsò exprobrant Christo in doctrina de officio ipsius obscuritatem, & quidem diuturnam, quam indicant voce illa, *quousque*. Petitio verò hæc est: *Si tu es Christus ille, dic nobis* παῤῥησίᾳ, id est, *sermone libero*, seu liberè atque apertè: in qua re geminus latet dolus. Primus quidem, quod simulant discendi ac credendi studium: alter verò quod insidias suas ac malitiam dissimulant, dum hoc captant, ut Iesus confiteatur se esse Christum illum, i. e. regem Iudæis per Prophetas promissum, eaque ratione quasi Cæsareæ Majestatis reum peragerent: quemadmodum etiam eo modo postea factum est, Luc. 22. 66. & 23. 2. & Ioh. 19. 12. Atque hæc de prima hujus disputationis parte, Iudæorum scilicet accessu ad Christum & sermone quem Christo objecerunt. Cui altera, nempe responsio Christi subjicitur: qua duplici (cum officii ac testimonii sui, tum Iudæorum contumacia) oppositione facta, sese ab objecta doctrinæ obscuritate excusat, & culpam in ipsos retorquet. Prior autem oppositio, est sermonis Christi, ante propositi, & incredulitatis Iudæorum, cùm dicitur: *respondit iis Jesus: dixi vobis* (nempe παῤῥησίᾳ, seu liberè atque apertè, me esse Christum illum) *& non creditis*: Quo demonstrat non in se, sed in Iudæorum contumacia incredulâ culpam residere. Altera verò oppositio, est operum suorum divinorum, quæ de se testata esse asserit, id est, ipsum esse Christum v. 25. (ut etiam Matt. 11. 3. & 5. Ioh. 5. 36. & 10. v. 37. 38. & 14. 11.) & contrariæ incredulitatis Iudæorum, cùm ait, v. 26. sed *vos non creditis*: Quo similiter vitium eorum & hypocrisin confutat: qualis oppositio, Ioh. 5. 36. & 38. explicata. Sed oritur hic difficultas, de hoc operum testimonio. Objici enim potest, à Christo dici, Ioh. 14. 12. *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet & majora iis faciet.* Ergò ea non fuerunt testimonia certa Iesum esse Christum, alioqui & Apostoli fuissent Christi. Sed negatur consequentia: quia eadem quidem numero majora Apostoli ediderunt miracula: sed efficiendi modo omninò diversa. Christus enim vi sua divina, causa fuit miraculorum suorũ, Ioh. 5. v. 19. 21. Luc. 6. 19. Apostoli v. tantùm fuerunt instrumenta externorũ signorum, non internæ potentię; Contrà Christus causa fuit princeps, cujus potentia, externo ministerio Apostolorũ conjuncta, eorum miracula effecit Mar. 16. v. 20. Actor. 3. v. 12. 16. Ac propterea ex Christi miraculis meritò concludi potuit, ipsum esse Deum patefactum in carne, promissum Messiam: Apostolos verò tantùm ministros illius. Cœterùm Christus anticipatione quadam objectionis, scandalo incredulitatis horum & similium Iudæorum occurrit, ad consolationem fidelium, & quidem bifariam: primum redditione rationis, qua ostendit eos ineptos ad fidem, remotione subjecti proprii verę fidei, cùm ait: *Non enim estis ex ovibus meis*, id est, prędestinatis ad fidem & salutem per Christum. Oves quippe sunt illi, qui à Deo Patre, Chri-

Christo summo animarum pastori, ad pascendum & servandum electione dati sunt æterna, Ioh. 6. v. 37. Idque vel sola adhuc prædestinatione seu electione ad fidem, & Ecclesiam: vel etiam vocatione efficaci ad fidem & ovile Christi, id est, Ecclesiam: adeò ut priores oves ad Christum & Ecclesiam suo tempore sint adducendæ: posteriores verò adductæ, quemadmodum vers. 16. distinctè dicitur. Oves autem priori modo hic intelliguntur oves prædestinatione: seu homines electi ad fidem in Christum & Ecclesiæ societatem: qui omnes & soli, suo tempore efficaciter vocantur & adducuntur Euangelio, & virtute Spiritus Sancti ad fidem in Christum & Ecclesiæ communionem, Joh. 6. v. 36. 37. 39. 44. 65. Ideoque fides electorum vocatur, Tit. 1. v. 1. & credidisse dicuntur quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Act. 13. v. 48. Tales autem non fuisse Judæos hosce, norat Christus bifariam. 1. per se infinitâ sua scientia, qua Deus est. 2. revelatione Deitatis suæ, qua homo ac Propheta summus; unde August. in Joh. tract. 48. ad hujus loci explicationem ait, *Videbat eos ad æternum exitium prædestinatos.* Quod autem Christus subjicit: *sicut dixi vobis*, vers. 26. ad sententiam hanc referri potest, & conferri cum loco simili, Joh. 6. vers. 36. 37. 65. & cap. 8. vers. 21. vel ad sequentia, quibus partim vers. 4. & 16. dicta repetit: Sed prius videtur magis consentaneum. Atque hæc de primo modo, quo Christus periculo scandali, ex Iudæorum illorum incredulitate metuendi, occurrit, redditione rationis, nempe quod illi non essent ex ovibus ipsius, id est, electis seu prædestinatis ad fidem in Christum & Ecclesiæ communionem. Alter verò modus sequitur, nempe opposita proprietatis ovium Christi descriptio: primùm ab earum effectis: deinde à Christi pastoris in ipsas beneficiis. Effecta autem ovium sunt duo; vocem Christi audire & Christum sequi. Prius est hujusmodi; *oves meæ vocem meam audiunt*; Quo in loco *vox Christi*, doctrinam Euangelii (ad quam promulgandam erat missus, Luc. 4. v. 18. 19. 21. & Matth. 11. v. 5. designat. Auditio verò illius non generatim auris perceptionem indicat (quia ea etiam Iudæis, qui tamen oves Christi non erant, conveniebat) sed speciatim per Synecd. generis pro specie auditionem cum benevolentia ac obedientia fidei conjunctam: ut antè v. 3. similiter dictum: *& oves vocem ejus audiunt:* & v. 16. *& vocem ejus audient:* & Joh. 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis* (nempe obedientia fidei; nam aure percipiebant) *quia ex Deo non estis.* Sic hoc in loco sensus est, oves meæ vocem meam audiunt, id est, electi à me vocati per vocem Euangelii & Sp. S. gratiam aure & fide illud amplectuntur: id quod prius est ovium effectum. Posterius verò his verbis indicatur: *& sequuntur me*, id est, Metaphoricè, doctrinæ & vitæ exemplo me præeuntem fidei operibus seu vitæ sanctitate imitantur, ut supra v. 4. & 1. Pet. 2. v. 21. Atque hęc prima est ovium Christi descriptio, nim. ab effectis earum: audientia, id est, obedientia, seu fide vocis Euangelii Christi, & imitatione illius. Altera verò est à Christi in oves ipsius beneficiis: nimirum agnitione earum, & fructu inde promanante. Agnitionem autem indicat cum ait, v. 27. *Et ego eas agnosco:* Id quod non accipitur hoc loco generatim, de simplici notitia: quia ea communis est etiam reprobis (quos noverat non esse oves suas) imò omnibus etiam rebus: sed speciatim, per Synecd. generis, notitiam cum amore conjunctam denotat: quę ovibus propria statuitur: qua eas pro suis agnoscit (ut 2. Tim. 2. 19. Deus novisse dicitur qui sint sui) & diligit; quo sensu Ps. 1. 6. Deus viam justorum nosse asseritur: & contra Matt. 7. 23. reprobos non nosse dicitur: quorum tamen iniquitatem ibidem novisse indicatur. Fructus verò ac beneficium alterum ex agnitione hac promanans, est donatio vitæ æternæ, & exitii remotio perpetua. De vitæ autem æternæ donatione ait v. 28 *Et ego vitam æternam do eis* Quæ vita per gratiam vocationis & justificationis inchoatur: per gloriam verò cùm animæ, tum corporis sempiternam perficitur, ut in catena salutis, Rom. 8. 30. describitur. Deinde exitii contrarii remotio propositione & confirmatione describitur. Propositio autem hæc est: *& non peribunt in æternum*, id est, nunquam: ut usus hujus phrasis, Matt. 21. 19. Marc. 3. 29. Joh. 4. 14 & 11. 26. & 1. Cor. 8. v. 13. arguit, & antecedens promissio evincit. Nam ubi vita æterna est, quæ hic promittitur, ibi nullo tempore exitium esse potest: alioqui vita non esset æterna, quæ aliquo tempore esse desineret. Cui sententiæ de immunitate à perditione consentit illa Ioh. 3. 16. *Sic Deus &c.* & 6. 39. *hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud ultimo die*, nempe ad vitam æternam, v. 40. Confirmatio verò hujus propositionis à Christo adjungitur in eum finem prudentissimè ut tacitam cogitationum difficultatem eo modo dilueret, & ovium suarum fidem stabiliret. Etenim objici poterat, oves esse infirmas per se: hostes verò præpotentes: ideoque illas non esse extra perditionis periculum positas. Idcirco Christus oppositâ suâ potentiâ ac benevolentia, seu benignâ voluntate oves suas conservandi, propositum beneficium confirmat, & objectionem istam solidè confutat, dicens: *neque eas rapiet quisquam è manu mea:* Quibus verbis significat, quod licet oves ipsius, ac fideles, per se, ob insitam imbecillitatem, & majores hostium vires, auxilio Christi destitutę perire possent: nunquam tamen reipsa perituros, quod à Christo pastore suo perpetuò conserventur. Conservationem autem hanc ita exprimit, cùm oves in manu sua esse indicat: perpetuitatem verò invictam, cùm neminem eas inde rapturum asserit. Atque hæc de beneficii Christi, quo oves suas ab exitio conservat, confirmatione: quę nova amplificatione amplius comprobatur ab eadem Patris conservatione. Cujus summa hoc Enthymemate continetur. Nemo eas potest rapere è manu Patris: Ergo nemo eas rapiet è manu mea. Antecedens est v. 29. Consequens probandum antecessit, v. 28. & utriusque cùm antecedentis, tum consequentię probatio hîc adjungitur. Antecedentis, cum ait: *Pater meus qui dedit mihi, major est omnibus*, i. e. potentior omnibus hostibus ovium: nec iis solùm, sed etiam omnibus creaturis, utpote omnipotens Deus; ideo absolutè dicit, *major omnibus:* In qua Patris periphrasi, novum simul observandum est argumentum, quod hisce verbis includitur: *qui dedit mihi*, nempe prædestinatione æternâ, & deinde vocatione efficaci tradidit. Is enim finis est illius donationis datarum ovium, salus æterna, & ab exitio præservatio, Ioh. 6. v. 39. 40. ideo nulla earum è manibus Patris eripietur, cum voluntas illius æterna, irrita fieri non possit, Esai. 46. v. 10. nec potentia superari, ut qui sit major omnibus. Consequentiæ verò probatio ab unitate Christi cum Patre deducta hoc modo subjicitur v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Quod intelligendum est non ratione personæ; nam ita alius est à Patre (i. e. alia persona) ut Ioh. 5. v. 32. affirmat. Idemque Christus demonstrat hoc loco per relationem: primùm cùm ait: *Ego & Pater.* Filius enim omnis à Patre citra controversiam distinctus est: deinde plurali numero declarat, cùm ait: *sumus*, denique quia non dicit *unus*, quod personam notat, sed *unum.* Ac propterea cùm unum sit cum Patre: & ex Patris manu oves ejus eripi nequeant: inde probat consequi, neque ex sua manu quenquam eas rapturum. Cæterum hic quæstio exurgit, quonam sensu dicatur: *Ego & Pater unum sumus* Occasio illius quæstionis, est diversa Phrasis acceptio. Hinc enim quidam de unitate seu consensione voluntatis utriusque exponunt: quemadmodum Ioh. 17. vers. 11. *Pater sancte serva eos, per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos:* & vers. 21. *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint*, & vers. 22. *ut sint unum sicut & nos unum sumus.* Quo etiam modo dicitur, Actor. 4. vers. 32. *multitudinis credentium erat cor, & anima una*, id est, ratione voluntatis ac concordiæ. Alii verò de unitate essentiæ: ut 1. Iohan. 5. vers. 7. *& hi tres unum sunt*, ex reipsa meritò interpretantur. Nam licet prior explicatio analoga sit fidei, & locis modo ex Iohan. 17. citatis conveniat: analoga tamen non est hujus loci circumstantiis. Ideoque Patres Orthodoxi contra Arrianos & Samosaten. Deitatis Christi odio hanc sententiam de sola voluntatis unitate seu concordia exponentes, posteriorem asseruerunt: Christum scilicet docere, se Filium esse Patris, non

non adoptionis gratiâ, sed naturâ, verum ac proprium Dei Patris Filium, utpote ὁμοούσιον, ejusdem omninò essentiæ, & per consequens ejusdem etiam potentiæ ac voluntatis: Id quod ex antecedentibus & conseqq. satis clarè apparet. Ex antecedentibus quidem: quod iis similiter divinam suam potentiam, ideoque eandem cum Patre Deitatem declaraverit. Nam dare vitam æternam; electos ac fideles sua manu retinere; & adversus omnes hostium vires ac conatus tueri, ne è manu ipsius eripiantur (quæ sibi disertè attribuit Christus) opera sunt non meri hominis, sed veri Dei propria. Ex seqq. verò idem etiam apparet: primùm, quia Iudæi, eodem prorsus modo, non de unitate solius voluntatis, sed essentiæ; seu de eadem cum Patre Deitate intellexerunt, ut expresse testantur vers. 33. *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Neque objici meritò potest, eos aut per errorem quendam non rectè Christi mentem intellexisse; aut per malitiam, perverso verborum Christi sensu, illud ei affinxisse: quia contrà, Christum opera illa sua divina sibi quoque ascripsisse, eoque modo Deitatem sibi attribuisse ignorare non poterant, quemadmodum Iohan. 5. Iudæi ex eo quod Christus Deum vocasset suum Patrem, & eadem illius opera sibi quoque vendicasset, v. 18. concluserunt rectè, quod Deum Patrem proprium dixisset, parem se faciens Deo. Id quod à Christo ibidem non negatur, sed ut verè dictum, pluribus probatur. Deinde idem etiam ex Christi responsione hoc loco similiter, tanquam rectè ab ipsis dictum, solidè comprobatur; ut ex sequentibus postea apparebit. Cæterum cùm hac ovium Christi perpetua conservatione, perseverantia fidelium stabiliatur, & ab Orthodoxis confirmetur: idcirco adversariorum gratiæ Christi objectiones, ad clariorem veritatis defensionem, strictim proponemus ac diluemus. Prima autem est hujusmodi: Hanc promissionem *oves meas nemo rapiet è manu mea*, non ad omnes verè fideles Christo insitos ac justificatos pertinere: sed tantùm speciatim ad quosdam, videlicet ad eos, qui vocem Christi audiunt & ipsum sequuntur, vers. 27. Sed ex fidelibus justificatis multi desinunt vocem Christi audire eumque sequi. Ergo hæc promissio ad eos non pertinet. Verùm & assumptio quæ principium petit, falsa est: & propositio. Nam Christus hoc in loco, quod adversarii volunt, non distinguit oves suas ab ovibus suis, ac si quædam audirent Christi vocem, quædam non; sed contrà communem ovium suarum actionem describit, ut forma orationis demonstrat. Subjectum enim est, *oves meæ:* attributum verò, *vocem meam audiunt*, non autem pars subjecti: Et præterea perspicuum est, Iudæis non ovibus, qui non credebant in Christum, nec ipsum sequebantur, opponi hoc loco oves Christi, quod illæ utrumque hoc præstarent. Sed iterum objiciunt, Verum esse *nemo rapiet oves:* sed inde non sequitur. Ergo ultrò errante voluntate à Christo non deficient: Christus enim oves suas tuetur contra hostes ac raptores: sed si ingratæ sint oves, ac Christum deserant, non retinebit invitas, sed deseret: conservat contra vim hostium, sed non contra voluntariam earum defectionem. Verùm respondetur, optimè ex Christi promissione illa perseverantiam fidelium sequi: quia hostes ad oves rapiendas intenti, non solùm sunt foris Satanas & mundus (ut falsa hypothesi gratiæ adversarii hîc statuunt) sed etiam intus caro, seu nativa vitiositas, quæ pugnat adversus Spiritum, Galat. 5. & menti rebellat, Rom. 7. vers. 23. & à qua omnis vitiosa concupiscentia & operatio promanant, Iac. 1. vers. 14. 15. Ideoque ut Christi oves è manu illius, externi hostes, nec Satanas nec mundus: sic neque internus hostis, caro suis concupiscentiis eripiet. Ideoque Christus non minus carnis, ad apostasiam solicitantis, quam Satanæ & mundi vires coercebit. Deinde idem etiam refutatur ex antecedenti Christi beneficio & officio. Beneficio quidem: quia oves suas agnoscit seu amat: deinde quia dat iis vitam æternam, ideoque non permittit ut prava carnis voluntate abripiantur ac excidant; hoc enim permittere, & amori summo erga oves, & promissæ illis vitæ æternæ manifestè adversatur. Officio verò similiter confutatur: quia Christus est pastor ille bonus, per Prophetas promissus, qui animam suam ponit pro ovibus, v. 11. Ergo non sinit ut oves quæ ipsius sunt, & ad servandum à Patre datæ, per errorem voluntatis pravæ carnis ab ipso abstrahantur seu deficiant: sed maturè in viam reducit ac retinet: alioqui non bonus pastor, sed mercenarius esset: imò mercenariis multis, quibus oves non sunt propriæ, deterior; quia licet hi, ingruente lupo, metu illius sæpius fugiant: oves tamen à grege aberrantes reducere solent. Ac propterea ut Deus Ezech. 34. pastores Israëlis ideo reprehendit ac pœnam iis minatur, quod ovem depulsam non reducerent & pereuntem non requirerent, vers. 4. & 5. Sic contrà veri pastoris officium esse docet, ut dispersas oves requirat: atque hoc ipsum se facturum promittit vers. 16. & 22. per Christum, de quo vers. 23. ait: *Nam excitabo iis pastorem unum, qui pascat eas, & ipse erit pastor;* unde perspicuè apparet Christum non permittere, nec per veri ac fidi pastoris officium posse permittere, ut oves, quæ ipsi ad pascendum ac servandum à Patre datæ sunt, errore voluntatis ipsarum aberrantes negligat ac perire sinat: unde sequitur, eos qui hoc Christo tribuunt, ipsum unum, bonum ac fidum pastorem illum esse, reipsa inficiari. Perstat igitur invicta Christi in ovibus suis, ne unquam pereant, conservandis constantia: & inde profluens ovium illius in fide ac communione Christi perseverantia. Quo etiam pertinet memorabilis illa sententia, 1. Pet. 1. vers. 5. *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.* Atque hæc de prima Christi cum Judæis disputatione: cui eventus illius in Iudæis consecutus subjicitur, vers. 31. hoc modo: *Sustulerunt ergo rursus lapides Judæi, ut lapidarent eum.* Quibus verbis Iudæorum impietas, quæ antea sub pietatis prætextu latuerat, v. 24. & magnitudo illius indicatur. Impietas quidem eo designatur, quod lapides sustulerunt, ut Christum lapidarent: Magnitudo verò illius impietatis describitur bifariam: primùm ab occasione, quâ moti sunt: nim. quod Christus se Dei Filium, unumque cum Patre asseruisset: id quod Euangelista voce conclusiva (cum ait *igitur*) declarat. Deinde ab iteratione: quod non jam primùm hoc tentaverint, sed rursus, nempe ut antea expositum cap. 8. vers. 59. lapidare studerent. Atque hoc modo prima Christi cum Judæis habita disputatio absoluta est: cujus eventus, secundæ disputationi occasionem præbuit. Ea autem statu controversiæ, & ordine partium à priori differt: quod in priori de Christi officio agitur, præeuntibus Iudæis suo sermone: in hac verò de innocentia & persona Christi disceptatur, Christo sermonem inchoante. Ac de innocentia controversia est: An Iudæi Christum meritò lapidare studerent, nec ne. Quæ describitur sermone Christi ad Iudæos, & contrariâ responsione Judæorum. Sermo autem Christi, primum innocentiam ipsius, prolatis in Iudæos beneficiis defendit: deinde impietatem Iudæorum accusat. Ac prius quidem hisce verbis declaratur, cùm ait: *multa vobis bona opera declaravi ex Patre meo.* Opera autem hoc in loco, ut ex circumstantiis colligi potest, officii sui propria intelligit: prædicationem scilicet Euangelii divinam, & miracula, quibus eam confirmavit. Quemadmodum de opere prædicationis Euangelii ait, Ioh. 4. vers. 34. *Esca mea est, exequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus.* Quod etiam hic intelligi apparet: quia eo peculiariter hîc fuerunt offensi Iudæi. De operibus verò miraculorum divinis antè egit Christus vers. 25. utraque autem hæc opera *bona* vocat: primùm quia mandato Dei erant consentanea; deinde per unam eandemque potentiam Filio cum Patre communem effecta; denique ex amore Dei ad gloriam illius, & ovium salutem profecta, Quæ opera, ut à qualitate sua *bona* vocantur: sic à quantitate adjecta amplificantur, cum ait *multa* fuisse: quod utraque indefessâ gratia copiosè exequeretur. Ideoque ob bonitatem eam atque copiam, amorem ac fidem, non autem odium ac lapidationem merebantur. Atque hæc de priori sermonis Christi ad Iudæos parte: nempe de innocentiæ ipsius per beneficia collata patefactę defensione. Altera verò est impietatis Iudæorum accusatio, interrogationis figura ad majorem rei indignitatem proposita his verbis, *propter quod illorum operum me lapidatis?*

lapidatis? Accusatio autem est, quod Christum ob bonum opus lapidarent, id est, lapidare vellent ac molirentur. Id quod impietatem ostendit ratione rei primùm: nam ob bonum opus nemo nisi impiè lapidatur: deinde ratione personæ, quod Christum Dei filium lapidare studerent, cum ait, *me*. Interrogatio autem est: *ob quodnam illorum*? hoc est, è multis illis operibus bonis, à me exhibitis, certum aliquod indicate; quo innuit omnia illa esse perfecta, adeò ut nullum ab iis nominari possit, quod lapidatione sit dignum, sed contrà amorem ac fidem mereatur, ideoque Judæos injustos atque impios esse, dum optimè meritum lapidare student. Porro huic sermoni Christi ad Iudæos, quo sese defendit, & illos accusavit, responsio opponitur à Iudæis hoc modo: *ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, &* (id est, nam copula, hîc ut alibi sæpius, vim habet exegeticam) *quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum:* Quibus verbis defensionem adversus Christi accusationem instituunt, nimirum quod ipsum non impiè, sed piè lapidare studerent. Prius monstrare conantur negatione causæ à Christo objectæ, quasi ob bonum opus id tentarent: hoc enim negant. Posterius verò declaratione causæ probare conantur, quod scilicet propter opus ipsius malum, imò impium ac morte dignum hoc molirentur. Hoc autem primùm generatim indicant; deinde ad rei majorem evidentiam speciatim exponunt. Generatim quidem; cum dicunt: *sed ob blasphemiam*, scilicet tuam, *lapidamus te*, id est, ut antea, lapidare studemus. Quia autem vox *blasphemiæ* aliter atque aliter usurpari potest, idcirco ad clariorem rei intelligentiam eam strictim exponemus. Blasphemiæ autem vox Latina non est, etsi Latinorum Patrum atque Ecclesiæ usu perquam trita sit: sed à Græcis desumta. Nam ut à βλάπτειν, id est, *nocere, lædere*, & φήμη *fama* βλασφημεῖν derivatur: ita ex hoc verbo βλασφημία promanat, quæ βλάβην τῆς φήμης, *famæ* seu *nominis læsionem*, ut Etymolog. magnum testatur, seu *maledictum*, generatim significat. Blasphemia autem ratione sui objecti in quod tendit, distinguitur. Objectum enim illius aut Deus est, aut Dei creatura: atque ita hujus objecti additione vox generalis, ad certam suam speciem distinctè restringitur. Quemadmodum prioris ratione, *blasphemia adversus Deum* Apoc. 13. vers. 6. & *blasphemare Deum*, cap. 16. v. 11. ratione verò posterioris objecti, seu creaturæ, jubet Paulus, *neminem blasphemare*, Tit. 3. v. 2. id est, nullius hominis famam lædere: & de Archangelo dicitur Iudæ vers. 9. quod non *ausus fuerit judicium blasphemiæ*, id est, maledictum *inferre*, scilicet Satanæ, ut antecedens docet. Impropriè verò per Synecd. generis pro specie, blasphemiæ vox interdum speciatim, & quidem bifariam, pro specie duplici distinctè usurpatur. Ac primò quidem pro maledicto in homines: ut cum recensioni vitiorum adversus proximum, *blasphemiæ* mentio inseritur; ut Marc. 7. v. 22. Col. 3. v. 8. Eph. 4. v. 31. 1. Tim. 6. v. 4. quo etiam modo *blasphemi*, id est, in alios maledici, 2. Tim. 3. intelliguntur. Secundò pro maledicto seu convitio in Deum frequenter accipitur: ut Matt. 26. 65. Luc. 5. 21. & Apo. 13. v. 1. 5. Quo etiam modo *blasphemiæ* vox à Iudæis hoc loco pro blasphemia in Deum, seu pro nominis Dei læsione κατ' ἐξοχὴν usurpatur, quod crimen ex mandato legis divinæ lapidatione erat puniendum, Lev. 24. 14. 16. Sed Christum blasphemiam protulisse, impia est Iudæorum calumnia, ac revera in Dei Filium blasphemia: ut generalis hujus accusationis expositio ac probatio ab ipsis speciatim subjecta, satis demonstrat. Expositio enim consistit in obtentæ blasphemiæ descriptione. *Tu te ipsum facis Deum*, id est, Metaph. dicis; quemadmodum *faciendi* vox eo sensu sæpè accipitur, ut Matt. 12. 33. & in simili accusatione adversus Christum. Ioh. 5. 18. & 19. v. 7. In quibus verbis calumnia non consistit: nam verum erat Christum hoc dixisse: non quidem totidem verbis: sed aliis eodem sensu: nim. cum se Filium Patris, eâdem cum Patre potentia & essentia unum asseruit: sed calumnia consistit in horum Iudæorum consequentia: quod in ea re blasphemiam esse positam falso statuerunt. Deinde probatio etiam consequentiæ infirma est, cùm ajunt. *Homo cum sis*. Nec enim rectè sequitur: Tu es homo, Ergo blasphemia est, quod te Deum esse dicis. Hoc enim non sequitur: quemadmodum subjecta Christi apologetica responsio demonstrat: qua Iudæorum accusationem diluit, & quæ de persona sua dixerat, tuetur. In qua apologia, duplici utitur ratione: quarum una ex S. Scripturæ authoritate; altera ex ejus operibus desumta. Ac prior quidem bipartita argumentatione tractatur. Prima enim parte fundamentum accusationis objectæ (nempe quasi blasphemia sit, si quis dicat, aliquem hominem esse Deum) refutat opposita scripturæ illud affirmantis authoritate clara (ideoque cum fiducia quadam ad conscientiam Iudæorum interrogationis figura provocat) his verbis vers. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra; ego dixi, dii estis*? ubi observandum est paucis, quid *lex*, & quid verba legis citata significent. Legis autem voce non propriè Dei mandata ut Matth. 5. v. 17. nec impropriè per tropum metony. subjecti, libros Mosis, quibus ea continentur: sed per Synecd. hujus partis, indefinitè totam Sacram Scripturam designat. Quemadmodum interdum in lege scriptum dicitur, quod ex Propheta Esaia, 1. Cor. 14. vers. 21. aut ex libro Psalmorum, Ioan. 15. vers. 25. depromptum est: ut hoc etiam in loco scriptum dicitur in lege, quod tamen non in Mose, sed in alia scriptura, nempe Ps. 82. vers. 6. continetur. Legem autem *vestram* vocat Christus, quod non solùm Scribis & Pharisæis cum quibus agit, esset tradita communiter, ut aliis Israëlitis: sed etiam ut doctoribus legis commendata peculiariter, eâque potissimum gloriarentur. Deinde ad verba legis seu Psalmi quod attinet, in iis notatur primùm quis dicat, nempe Deus per Psalten. *Ego dico*; deinde quid dicat, nempe *estis dii*. Cujus dicti subjectum est *vos*: id quod in verbo *estis* (pro quo Hebraicè est אתם *vos*) inclusum latet. Intelliguntur autem judices ac magistratus Israëlitici: quemadmodum ex anteced. illius Psalmi v. 2. liquet. Attributum verò est, *Dii estis*; quod etiam ibidem vers. 1. dicitur his verbis: *inter Deos judicabit*: Qua etiam voce Iudices seu magistratus per Mosen vocantur, Exod. 21. v. 6. & alibi. Hoc autem non propriè fit: sed per metaph. ob similitudinem gubernationis cum Deo: quod scilicet sint vicarii illius, qui ab ipso potestate accepta constituti sunt, ut populum judicent ac regant, Rom. 13. vers. 1. 2. Ex quibus apparet, non esse blasphemiam, si quis dicat, aliquem hominem esse Deum: alias Psaltes divino instinctu de judicibus (quos homines esse norat ac vocat vers. 7.) non dixisset, esse Deos vers. 6. Atque ita fundamentum accusationis adversus Christum, opposita authoritate scripturæ absolutè confutatum, quæ prima est hujus argumentationis ex authoritate scripturæ pars. Altera verò ex eadem comparatè per consequentiam inde deductam proponitur; atque inserta ratione confirmatur. Argumentationis autem propositæ brevis summa hæc est: si scriptura homines Iudices rectè dicit esse Deos: injustè igitur objicitur à vobis, me blasphemare, quia dixi me esse Deum: atqui scriptura judices verè dicit esse Deos. Ergo injustè objicitis me blasphemare, quia dixi me esse Deum. Propositio conditionalis est constans antecedente conditione, & consequente inde deducto. Antecedens est v. 35. *si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura*. Quibus verbis testimonium scripturæ, & veritas illius indicatur. Citatione autem testimonii notantur tria, quisnam, de quibus, & quid testetur. Quisnam, ostendit Christus cùm ait: *dixit*, nempe lex, id est, scriptura, Psal. 82. quam antea citavit v. 34. & ad quam hoc verbum refertur. Illi verò de quibus testatur, statuuntur illi, *ad quos sermo Dei factus est*, id est, quos sermo Dei Psalmo illo compellavit: qui non alii sunt, quam judices seu magistratus, quorum excellens officium, ad rectè judicandum, Deorum nominatione in illo Psalmo exprimitur, v. 1. & perversa jurisdictio eorum accusatur, v. 2. denique Deus per Prophetam pœnam ob violationem illius officii ac nominis minatur: quod scilicet etsi dixerit, Dii estis & filii excelsi omnes, nihilominus tamen ut homines morituri essent ac casuri. vers. 7. Quare mirandum est, in re tam perspicua, eximiæ notæ Patres, aliosque non paucos interpretes, eorum ductu, generatim de omni-

de omnibus Israelitis interpretari: cùm tamen in hoc Psalmo solos Judices populi, non autem populum iis subditum compellet Deus: quemadmodum neque ullibi in S. Litt. Deorum nomen omnibus Israelitis attributum legimus. Atque hæc de Scripturæ testimonio, cujus veritatem Christus declarat cum subjicit, *& non potest solvi scriptura*, nempe κατ' ἐξοχὴν sacra: ideoque nec dictum Psalmi citatum: utpote scripturæ pars. Solvi autem scriptura dicitur (per metaph. à rebus vinculo compactis, quæ cum solvuntur, infirmantur) cùm authoritas vel mandati illius per inobedientiam: vel veritatis affirmationis illius per incredulitatem ac negationem contemnitur ac violatur: quod licet re seu facto ab hominibus fieri possit: jure tamen fieri non potest: id quod hoc in loco ex usu hujus vocis *solvendi* in scriptura colligitur, quemadmodum Matth. 5. 17. *non veni ut solvam legem*: & v. 19. *qui igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis*: & Ioan. 7. 23. *si circumcisionem accipit homo Sabbatho, ut non solvatur lex Mosis*, id est, contemtu honor illius violetur. Alioqui si scripturam per se consideremus, authoritatem mandati & veritatis habet in se insolubilem: quia Dei summi omnium Domini (penes quem absoluta mandandi potestas est, quique mentiri non potest) verbum est. Ideoque licet authoritas illius ab hominibus reipsa contemni possit: eam tamen nec jure contemnere, nec reipsa tollere ullo modo queunt: siquidem illius potestatis & veritatis authoritas invicta, verbumque Dei manet in æternum, Esa. 40. v. 8. Ergo scriptura hic dicitur solvi non posse, quod authoritas quam habet, negari jure non possit. Ideoque judices illos Deos esse rectè dixit, neque ab ullo rectè negari, multò minus blasphemiæ nomine accusari potest. Atque hæc de propositionis Christi conditionalis parte antecedente, v. 35. Consequens verò subjicitur v. 36. his verbis: *quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, filius Dei sum?* Antequam verò rem ipsam exponamus, observanda est in verborum constructione Græca ellipsis, & pleonasmus. Ellipsis quidem, initio cum dicitur: ὃν id est, *quem Pater sanctificavit*, ubi manifestè vox aliqua deest, quæ ad rectum sensum supplenda est. Ac noster interpres supplet pronomen *me*, quod subsequentibus verbis: ὑμεῖς λέγετε, ὅτι βλασφημεῖς, non satis quadrat. Dominus Piscator aptius supplet: περὶ αὐτοῦ *de eo*: sed simplicissimum est, ut intelligatur pronomen τούτῳ *ei*, ut sequatur, *quem Pater sanctificavit &c. vos dicitis*: quemadmodum Joa. 3. 34. ὃν γὰρ *quem enim misit Deus loquitur*: pro οὗτος ὅν, *is quem*. Pleonasmus verò est vocis ὅτι in seqq. hisce verbis ὅτι βλασφημεῖς, ideoque ab interpretibus ferè pro more, in citandis dictis usitato, omitti solet. Atque hæc de verborum constructione: Ad rem verò quod attinet, nempe consequens ex antecedente conditione à Christo deductum, id constat descriptione illius, & probatione. Descriptio autem illa (ad majorem objectionis blasphemiæ indignitatem declarandam) per interrogationis figuram amplificata, hæc est: *Vosne dicitis, blasphemas: quia dixi filius Dei sum?* Interrogationem enim esse, non simplicem affirmationem, non solum interpretum consensus ostendit: sed idem etiam cum antecedente conditione connexio (quæ alias non solum inepta, sed etiam falsa esset) evincit. At dicat aliquis: aliud à Judæis Christo objectum, quàm ab ipso responsum: ideoque oratio videtur omninò inepta. Illi enim objecerant, quod dixisset seipsum esse Deum ac propterea blasphemum: Christus verò aliud, quam ipsi objectum, respondens ait: Vos dicitis me blasphemare, quia dixi filius Dei sum. Verùm hæc duo reipsa probè consentiunt: quoniam licet verbis sint diversa, sensu tamen omninò conveniunt. Christus enim Filium Dei intelligit non gratia sed natura: qualem se antea asseruerat, attribuendo sibi eadem opera divina, eandemque potentiam Patris, & per consequentiam necessariam eandem essentiam seu Deitatem: quod præterea etiam indicavit, cum se unum cum Patre dixit. Ex quibus Judæi ea verba ita rectè intellexerunt, quod iis se Deum faceret, id est, affirmaret (ut etiam antea Joan. 5. vers. 18. & postea Joan. 19. v. 7.) etsi in eo impiè blasphemiam sitam esse objectarent. Quod igitur Christus Judæorum verba non repetierit: *tu te ipsum facis*, id est dicis, *Deum*, sed, *quia dixi filius Dei sum*, illud ob rei consensionem nihil habet difficultatis: sed potius idem & majori quidem efficacia complectitur. Si enim ex verbis Judæorum respondisset, *quia dixi Deus sum*, potuisset (ex sensu positæ antecedentis conditionis; *si illos dixit Deos*) intelligi, quasi se Deum dixisset eodem modo, nempe non propriè: sed impropriè tantùm ob similitudinem quandam officii: nunc verò illi errori occurrens eorum verborum loco hîc substituit, *quia dixi Filius Dei sum*: nempe ut antea docuerat ejusdem cum Patre operationis ac potentiæ, & unum cum illo: ideoque non gratia, sed natura filius, ac propterea verus cum Patre Deus. Quare consequentia recta est, si scriptura judices, ad quos Psal. 82. sermo Dei factus est, rectè dixit esse Deos ob similitudinem quandam officii cum Deo: multò magis sine blasphemia me Deum esse dixi, ut qui sum non gratia, sed natura Filius Dei: eoque non impropriè, sed propriè Deus. Atque hæc de consequentiæ hujus descriptione. Cui à Christo præmittitur probatio, his verbis: *quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*. Quibus duplex ratio consequentiæ propositionis adfertur: unde se verùm Deum esse ostendit. Prima enim est, quod à Patre sit sanctificatus. Cum autem sanctificare in S. Litt. significet, vel sanctum facere Ioan. 17. v. 17. aut talem prædicare Matth. 6. v. 9.: vel ad sanctum usum ordinare seu consecrare Ioan. 17. v. 19. sic hoc in loco accipitur pro consecrare, & quidem ad sanctum Christi, servatoris electorum, officium. Quæ sanctificatio est duplex: una quidem ab æterno facta per electionem: de qua 1. Pet. 1. v. 20. Cùm Christum ait præordinatum ante jacta mundi fundamenta: Altera in tempore per vocationem ac consecrationem spiritus Luc. 4. v. 18. Prior autem hoc loco intelligitur: quia missionem in mundum antecessisse indicatur: unde solidè concluditur; Pater me sanctificavit, id est, ad officium Christi Servatoris electione præordinavit. Ergo sum proprius Dei Filius ejusdem cum Patre essentiæ, ac verus Deus. Ratio est: quia Christus, per Prophetas promissus, est θεάνθρωπος: filius Davidis quatenus homo seu secundum carnem, Rom. 1. 4. & simul Dominus Davidis Psal. 110. 1. Matth. 22. 43. 44. quatenus Filius Dei à Patre genitus, religioseque colendus Psal, 2. v. 7. 12. ut Deus, solium habens æternum Psal. 45. v. 7. Hebr. 1. v. 8. Jehova justitia nostra Jer. 23. vers. 6. Quamobrem prima hæc ratio, à sanctificatione seu consecratione in Christum servatorem petita, qua consequentiam probat, firmissima est. Altera verò est à sui sanctificati missione à Patre in mundum, cum ait: *Et misit in mundum*: Hæc autem missio est, qua Pater Filium suum unigenitum, secundum præordinationem æternam, è cælo in terram misit, ut assumtâ natura humana, esset Christus servator electorum: ut 1. Joann. 4. v. 9 dicitur, *in eo patefactus est amor Dei erga nos, quod filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum*: & Joan. 3. v. 17. *misit Deus filium suum in mundum, &c.* & Gal. 4. vers. 4. *Postquam venit plenitudo temporis &c.* Heb. 2. *assumsit semen Abrahæ*; Ac propterea antequam natus esset homo, Filius Dei erat unigenitus ac proprius: ideoque verus Deus, non merus homo. Nam quatenus filius hominis: nec è cælo venerat: nec adhuc in eo erat: sed quatenus filius Dei, ut homo fieret, è cælo descenderat, non loci mutatione cælum relinquens, Joan. 3. v. 13. sed in terris sui patefactione, in carne, præsentem se peculiari assumtionis humanæ naturæ modo sistens; ut Ioan. 16. v. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum*. Ideoque vanum quod à Deitatis Christi hostibus objicitur. Filius è cælo missus est à Patre in mundum: Ergo ab eo separatus est; ac propterea non est unum cum Patre essentia. Illud inquam non rectè sequitur: quia hæc missio non propriè dicitur, qualem adversarii intelligunt: sed metaphoricè: Quemadmodum enim Deus descendere dicitur è cælo, Psal. 18. v. 10. Exod. 19. v. 11. Esa. 64. v. 1. non quod cælum deserat (cælum enim & terram implet Ier. 23. v. 24.) sed quod suam præsentiam novo quodam modo patefaciat: sic Filius Dei similiter descendisse è cælo, ac missus, ac venisse in mundum dicitur non propriè: sed per metaph. quod quemadmodum illi qui descendunt aut aliquò

aliquò mittuntur, præsentiam suam declarant; sic & Filius Dei, eâdem Patris ac sua voluntate, humanam naturam assumendo in terris, & novo illo unionis personalis modo præsentiam suam patefaciendo, descendisse è cælo ac missus in mundum dicitur. Nam propriè loquendo jam antea erat in mundo, & mundus per eum factus erat Ioan. 1. v. 10. sed metaph. loquendo missus in mundum dicitur: quo modo nondum erat in mundo, antequam semine Abrahæ assumto verbum caro factum est: quia hoc demum modo, Deus patefactus est in carne, 1. Tim. 3. vers. 16. Sed aliam rursus rationem hujusmodi obtendunt adversarii: omnis missus inæqualis est suo mittenti. Filius est missus, Pater mittens. Ergo Filius Patri inæqualis est. Verum propositio negatur: Nec enim missio certum est inæqualitatis argumentum: nulla enim solida ratio afferri potest, cur non communi consensu æqualis ab æquali mitti possit: imò etiam ab inferiori: quemadmodum si natu minor majorem fratrem consensu illius ad negotium aliquod expediendum mittat. Quare Christus rectè probavit, se proprium esse Dei Filium, eoque verum Deum. Atque ita propositio primæ argumentationis Christi comparatione minoris ex Scripturæ authoritate descripta ac probata est: nempe, si scriptura rectè judices dixit esse Deos: Ergo multo magis ego rectè dixi me esse Dei Filium, scilicet proprium, ejusdem cum Patre potentiæ atque essentiæ, eoque verum Deum. Probatio est, quia Filius Dei, antequam homo fierem, existens, sanctificatus sum in Christum Servatorem: & manens Dei Filius, ad id missus sum in mundum homo factus. Assumtio verò est: Scriptura Judices vocat Deos; quæ assumtio præmissa est v. 34. unde conclusio sequitur, Ergo sum proprius Dei filius, ideoque verus Deus. Secunda verò argumentatio absolutè ex effectis seu operibus ipsius divinis, cum Patre communibus, desumta idem comprobat, & simul tacitæ ac consuetæ Judæorum objectioni occurrit. Objicere enim poterant Judæi quemadmodum antea c. 8. v. 13. *tu de teipso testaris: testimonium tuum non est verum*, id est, non est idoneum cui credamus: idcirco bimembri distinctione conditionali adhibita respondet. Cujus responsionis prius membrum, posita conditione impossibili, per concessionem quandam proponit, v. 37. *si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere.* Opera autem Patris vocat divina miracula, quæ à solo Deo fieri possunt: ut antea v. 25. de quibus ait, *si ea non facio, nolite mihi credere*: me scilicet esse Christum proprium Dei Filium, ejusdem cum eo potentiæ atque essentiæ, verum Deum: ut ex versu anteced. constat: non quod per opera illa, Christi verba, quasi per se infirma essent, fide digna efficerentur, sed probentur. Nam verba Christi per se fide erant digna Joan. 8. v. 14. 16. quia Christi filii Dei, Matth. 3. v. 17. Deut. 18. vers. 15. Actor. 3. v. 22. 23. Quorum verborum proprium adjunctum erant opera divina suo tempore consecutura Esai. 35. v. 6. Ex quibus etiam tanquam signis, non causis, Christus se Christum esse probat Matt. 11. v. 3. 4. 5. Sic contrà, si ea prorsus abfuissent (quod tamen fieri non poterat) per consequentiam necessariam à remotione proprii adjuncti, ad remotionem subjecti illius, ipsi non fuisset credendum. Ex qua conditionali propositione antecedentis veritas concludi non potest: quia propositionis hypotheticæ veritas, non in partium veritate, sed in connexionis earum seu antecedentis & consequentis firma consequentia consistit: adeo ut vera nihilominus esse possit hujusmodi propositio, etiamsi utraque pars esset falsa: ut Joan. 8. v. 55. *si dixero me eum*, scilicet Patrem *non nosse, ero similis vestri*, mendax, *sed eum novi.* Hæc de primo responsionis membro. Alterum describitur v. 38. propositione similiter hypothetica, & expositione illius. Propositionis autem antecedens est: *sin verò facio*, scilicet opera Patris, ut ex antecedenti necessariò supplendum. consequens verò est: *etiamsi mihi*, id est, verbis meis, *non credatis, operibus credite*: scilicet testantibus de me, de qua re v. 25. actum est pluribus. Expositio verò declarat, quidnam operibus testantibus de Christo sit credendum: quod anteà proposuerat, cum se Filium Dei statueret: id quod exponens ait: *ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo*, id est, ratione essentiæ, ideoque unum cum Patre. Hunc enim sensum probat Christi scopus, ad quem oratio tendit, nempe ipsum esse filium Dei proprium, eâdem cum Patre operatione, potentia, atque unum essentia, utpote in quo tota plenitudo Deitatis habitet corporaliter, Col. 2. v. 9. Verum Samosateniani, recentiores inprimis, contrarium probare nituntur. Sic enim Georgius Enjedinus disserit: *Si ista*, inquit, *interpretatio locum haberet, sequeretur etiam pios quosvis ejusdem esse cum Deo Patre essentiæ. Nam legimus* 1. *Joan.* 3. *v.* 24. *Qui servat mandata ejus, Deus in illo manet, & ipse in eo: & cap.* 4. *v.* 13. *in hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis: & mox v.* 15. *quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo.* Esse autem & manere in aliquo: idem valere probat ex collatione, 1. Joan. 2. ubi in ipso esse v. 5. & in ipso manere v. 6. quemadmodum in luce esse v. 9. & in luce manere v. 10. eodem prorsus sensu dicuntur. Verùm negatur propositio: quamvis enim ea phrasis de Christo, & de piis usurpetur: inde tamen non sequitur, eandem utrimque esse rationem. Sed rursus excipiunt hoc dilui verbis Christi. Nam Joan. 17. v. 11. hæc legimus: *ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint*: & statim, *ego in eis & tu in me: ut sint consummati in unum*: ubi paritatem quandam unionis & inhabitationis in Patre, sui & discipulorum facit. ita etiam cap. 14. v. 20. *in illo die, vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me.* Verum negatur paritatem quandam unionis Christi & piorum cum Patre designari. In illis enim locis similitudinis vox *sicut* adhibetur: unde paritas certò concludi non potest. Similitudo autem hic est tantùm secundum quid: Filius enim in patre vicissim est simpliciter ratione ejusdem numero essentiæ, potentiæ, scientiæ & voluntatis: ut supra demonstratum: unde qui videt, id est, cognoscit Christum filium, cognoscit Patrem, Ioan. 14. v. 9. quod de piis dici non potest, quod iis visis Pater videatur. Ii verò non simpliciter; sed ratione tantùm scientiæ & voluntatis, non ejusdem propriè, sed similis, sunt in Patre: quod Patrem cognoscant atque ament: eoque modo & Pater ipsos norit atque amet, eaque mutuæ notitiæ atque amoris conjunctione unum sunt, qua de re loca objecta loquuntur. Ac propterea cùm Christus in Patre esse simpliciter dicatur: in piis verò tantùm secundum quid (ut res ipsa & circumstantiæ ostendunt) similitudinem tantum ratione consensus ac voluntatis indicari apparet. Sed nostrorum quoque interpretum testimonia postremò objicit, cum ait: *Postremò ipsi adversarii quoque testantur hæc non esse de unitate essentiæ, sed de consensu, voluntate, & dilectione, intelligenda: Bucerus, Calvinus, alii.* Hæc ille. Sed esto; ea testimonia, quasi nævi in pulchro corpore sunt, cognoscenda quidem, ac cavenda, non autem probanda: quia solida ratione destituta, imprudentius sunt prolata. Sic enim Deitatis Christi doctissimus alioqui ac fortissimus assertor Calvinus ad ista verba, v. 30. ait. *Abusi sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum Patri ὁμοούσιον. Neque enim Christus de unitate subsistentiæ disputat: sed de consensu quem cum Patre habet: quicquid scilicet geritur Patris virtute confirmatum iri.* At inquam contrarium jam antea ex Christi verbis demonstratum est, ipsum scil. hoc agere, ut declaret, quare donationem vitæ æternæ, & ovium conservationem, ne unquam rapiantur è manu sua (quæ opera merè divina sunt) sibi attribuerit: seque Filium Dei dixerit, & suam ac Patris manum, id est, potentiam, qua oves conservantur, eandem esse ostenderit: unde meritò subjicit. *Ego & Pater unum sumus*, id est, essentia: quod ex antecedentibus divinis operibus & proprietatibus, necessaria consequentia sequitur. Quare Patres hoc loco non abusi sunt, sed usi rectè, communi consensu, ut Filium Patri ὁμοούσιον esse adversus Deitatis Christi hostes demonstrarent. Alter etiam nævus ex priori ortus, est in explicatione v. 38. hujus cap. qui paucis etiam expendendus ad veritatis confirmationem. Sic autem ait: *In me est Pater: idem repetit quod supra aliis verbis dixerat: Ego & Pater unum sumus. Huc tendunt omnia, quod in sua administratione nihil à Patre diversum habeat: Pater inquit in me est, id est, divina virtus se in me profert, & ego* in Patre

in Patre sum, id est, nihil ago nisi auspiciis Dei, ut mutua sit inter me & Patrem conjunctio: Neque enim hic de essentiæ unitate sermo habetur, sed de manifestatione divinæ potentiæ in Christi persona, unde constabat missum esse. Quæ expositio, ad veritatis divinæ gloriam, ne quis impingat, paucis diluenda. Ac primum verum esse agnoscimus, idem hic repeti, quod supra aliis verbis dixerat: *Ego & Pater unum sumus.* Quod autem subjicit: *Huc tendunt omnia quod in sua administratione nihil à Patre diversum habeat:* illud alienum est: Contra enim Christum non de administratione sua propriè loqui: sed de persona agere ex re ipsa constat: Nam se Filium Dei, non communi ratione, sed singulari sensu, se proprium vocarat: & opera Dei propria sibi adscripserat: atque ita se verum Deum per consequentiam necessariam dixerat: ideoque se unum cum Patre esse asseruerat. Deinde Judæi etiam sic intellexerant: & Christus etiam male se propterea blasphemiæ nomine accusari ab iis, concluserat, dicens: *Filius Dei sum,* nempe propriè, eoque verus Deus. Huc tendunt omnia: illud credendum hoc loco statuit & exponit se Filium Dei proprium, nempe quod in Patre sit & Pater in ipso unitate scil. essentiæ. Nam alioqui ex interpretatione objecta sequeretur Christum (quod absit) ineptè, imò falsò explicare quod dixerat. Nec enim hæc duo idem sunt: Ego sum Filius Dei, utpote à Patre sanctificatus, & missus in mundum, & divina virtus se in me profert: nihil ago, nisi auspiciis Dei, ut mutua sit inter me, & Patrem conjunctio. Nam posterius hoc etiam Apostolis convenit: quibus tamen non nisi falsò prius attribui potest. Sin vero hæc divina virtus Patris in Christo se proferens aliter quam de Apostolis, id est de eadem Christi & Patris potentia (quam Christus antea sibi attribuerat, v. 28. 29.) accipiatur, quis non videat, eo ipso Deitatem Christi affirmari? Quare ut Christus, cum se Filium hominis vocat propriè: eo se essentia humana præditum, & matri suæ ὁμοούσιον asserit: sic cùm hic statuit ac probat se esse Filium Dei, significatione propria, essentia divina præditum Patri ὁμοούσιον affirmat. Cumque hæc sit conclusio Christi, & scopus quo tendit hæc ratio, & quod iis verbis, *Pater est in me & ego in Patre,* à Christo explicatur: Ergo verum non est, quod dicitur, hic de essentiæ unitate sermonem non haberi. Etsi in ea re valde iniqui sunt Ubiquitarii, quod ex nonnullis locis, minus rectè, humana infirmitate, à doctissimo hoc Theologo intellectis, ipsum Deitatis Christi (quam fortissimè in aliis defendit, & hic tamen non negat, licet non spectari putet) hostem esse calumnientur. Deinde ut aliorum dicta dubia in meliorem sententiam ex charitatis lege interpretanda sunt: ita errores manifesti ex noni præcepti regula, non sunt quæsito colore alieno defendendi: ut à Thoma Aquinate fieri solitum, Thomas de Vio Catejanus in comment. in summam illius Thomæ memorat. Ad rem vero ut redeamus, memorabilis est Aug. tract. 48. in Joann. sententia: *Non sic dicit filius, in me est Pater, & ego in illo, quomodo possunt homines dicere. Si enim benè cogitemus, in Deo sumus: & si bene vivamus, Deus in nobis est: fideles participantes ejus gratiam, illuminati ab ipso in illo sumus & ipse in nobis: sed non sic unigenitus Filius; Ille in Patre & Pater in illo, tanquam æqualis, in eo, cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere: in Deo sumus, & Deus in nobis, Ego & Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te: Deus est in te, quia templum Dei factus es: sed nunquid quia in Deo es, & Deus est in te, potes dicere, qui me videt, Deum videt, quo modo unigenitus dicit,* (locum spectat Joann. 14. v. 9.) *qui me videt, videt & Patrem, & Ego & Pater unum sumus. Agnosce proprium Domini, & munus servi. Proprium Domini est æqualitas Patris: munus servi est participatio Salvatoris.* Hæc piè & nervosè Aug. Atque hactenus hæc secunda Christi cum Judæis de persona ipsius agens disputatio. Cui subjicitur eventus duplex: unus in Judæis, scribis nim. & Pharisæis: alter in Christo consecutus. Ac prior quidem ita proponitur: *Rursus ergo quærebant eum prehendere;* Quibus verbis impietas Judæorum, & magnitudo illius describitur. Impietas est, quod Christum servatorem quæsierint (id est, per metaph. magno studio voluerint) manibus prehendere, ut lapidarent: quemadmodum antea id studuerant, v. 31. 33. Magnitudo autem impietatis notatur; primùm à frequentia illius, cum dicitur *rursus,* quod scil. non jam primùm hoc studuerint: sed idem antea sæpius moliti fuerant, Joan. 5. 18. & 7. 1. 25. 30. 32. 44. & cap. 8. 59. Deinde ejusdem impietatis Iudæorum in Christum magnitudo amplius designatur expositione occasionis illius: quod non solùm dicit Euangelista, quod eum prehendere studuerint, sed etiam addit vocem *igitur,* id est, quia Christus ea locutus erat, nempe quod se proprium Dei Filium, eoque verum Deum probarat, & adversariorum impiam accusationem operibus etiam divinis confutarat. Quæ verba fidem & amorem, ob veritatem atque utilitatem salutarem merebantur: Ac propterea maxima fuit Judæorum impietas, quod contrà ea re exacerbati, Christum prehendere atque interficere studuerint. Similis locus est Ioan. 8. 40. 44. 45. Atque hic primus est disputationis secundæ de persona Christi agentis eventus, in Judæis consecutus. Alter vero est, in Christo, discessus illius cum suis circumstantiis, nempe unde, & quonam discesserit. Prius indicatur his verbis: *Et* (id est, *sed,* ut rectè interpres vertit) *exivit ex eorum manu.* Quo modo irritus eorum conatus ostenditur. Qua ratione autem factum sit, quod Christum Iudæi non prehenderint, cum tamen ipsum insidiosè cinxissent, v. 24. ac prehendere studerent, disquiri solet: quod cùm hic non exprimatur, ex similibus scripturæ locis explicandum. Ratio autem prima, est Dei voluntatis decretum, ac prophetiæ veritas: quia nondum venerat hora apprehensioni divinitus destinata: nec etiam illud genus mortis (lapidatio scil. quam intentabant) sed aliud (nempe crucifixio) decretum erat ac prædictum, Ioan 3. v. 14. & 12 32. 33. Cujus hora seu tempus destinatum demum postea advenit, ut Ioan. 12. 23. *venit hora, ut glorificetur filius hominis,* hora scil. mortis ut v. 24. declaratur & c. 13. 1. *sciens Jesus venisse horam ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem:* & cap. 16. v. 32. *Ecce veniet hora, & jam accessit, cum dispergemini unusquisque ad sua, meque solum relinquetis:* & cap. 17. v. 1. *Pater venit hora illa: glorifica Filium tuum.* Antequam verò illa hora adesset, Christum neque interficere neque prehendere poterant, ut Joann. 7. v. 30. *Quærebant ergò eum prehendere, sed nemo injecit in eum manum: quia nondum venerat hora ejus:* & cap. 8. v. 20. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo, & nemo prehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.* Utramque vero hanc horarum differentiam explicat Christus, Luc. 22. v. 53. *cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manum in me; sed hæc est hora illa vestra & potestas tenebrarum:* quibus subjicit Euangelista, *prehensum autem eum adduxerunt:* & Mat. 26. v. 55. 56. ait Christus: *quotidie apud vos sedebam, docens in templo nec prehendistis me. Hoc autem totum factum est, ut impleretur scriptura.* Atque hæc de prima ratione, quare Judæi Christum non prehenderint, cum id summopere studerent: quod scilicet Dei voluntas ac veritas: seu decretum illius, & prædictio obstarent. Altera ratio est operatio Dei, quâ per Filium, voluntatis suæ decretum exequens, impium Judæorum studium cohibuit. Operatio autem esse potuit vel interna, vel externa. Interna quidem, quâ vel mentis judicium, injectâ aliqua cogitatione perturbavit: vel animum seu voluntatem pravam, (qua ipsum interficere studebant) injecto metu populi inhibuerit: Luc. 22. v. 2. Externa vero operatio esse potuit, qua potentiæ suæ divinæ fræno non animos, sed manus hostium coërcuit; quemadmodum factum omnino videtur, Luc. 4. cum enim Christi concione ac reprehensione libera offensi, eum ejecissent extra urbem, & duxissent eum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum v. 29. *Ipse cùm transisset per medium eorum, profectus est.* Ac ibidem in Lucam Ambrosius ait: *Simul intellige, non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem: nec captum à Judæis, sed à seipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur: quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Vides igitur & hic divinitatis esse quod non captus est, & illic voluntatis esse, quod captus est.* Hæc Ambrosius. Cujus divinitatis potentiam primùm: deinde patientiam voluntariam, cum hora advenit, ordine Christus exeruit ac patefecit,

fecit, Joan. 18. 6. 8. Hisce jam explicatis consentaneum maximè videtur, Christum suam Deitatem (de qua etiam disputarat cum Judæis ac probarat) hoc miraculo non minus quam Luc. 4. ostendere voluisse, cùm manus adversariorum quasi vinctas retinuit, ut liberè exiret. Neque enim verisimile est, quod quidam non in manibus adversariorum, sed in Christi corpore miraculum extitisse, quasi se invisibilem reddidisset, arbitrantur. Neque eos juvat: quod ex Joan. 8. sub finem objiciunt. Dicitur quidem v. 59. *sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum, Iesus autem occultavit se, & exivit è templo, transiens per medium eorum, & sic præteriit.* Hæc enim occultatio nihil aliud est, quàm quod se ab iis subduxerit: modus vero est, quod per medium eorum transierit & præterierit iis relictis, ut Ioan. 12. 36. *Hæc cum locutus esset & abiisset, occultavit se ab iis*, id est, extra præsentiam eorum se recepit. Deinde esto, occultatio hæc fuerit in ipso templo: notabit ipsum se nonnihil depressisse, ne quorundam lapidibus scopi instar objectus emineret: cui occultationi accesserit vis divina, qua eos compescuit. Deniq; si vel maximè occultatio aliqua statuatur, ea non erit necessariò, quod corpus Christi factum sit invisibile: sed quod oculi hostium fuerint perturbati, ut Sodomitis evenit, Gen. 19. 11. Itaque non est cur Theophyl. hic audiamus, qui ait: *recessit non in angulum templi, seipsum subducens: neque in domunculam: neque post murum aut columnam se deflexit: sed divina potentiâ invisibilem seipsum insidiantibus constituens, per medium eorum non visus, cum exivit, tum præteriit.* Hanc enim sententiam nullo simili exemplo, nec solida ratione probat. Atque hæc de secundo disputationis eventu in Christo, quod exivit, & quidem unde exierit, nempe è manu eorum, qui scil. interficere studebant: Cui deinde subjicitur quonam exierit, v. 40. & consequens eo in loco multorum ad Christum adventus ac fides v. 41. 42.

CAP. XI.

ANtecedenti cap. explicata est à Christo in Judæa, & quidem in templo Hierosolymitano, summa Euangelii, doctrina de officio & persona Christi: nimirum ipsum esse Christum Dei Filium, ejusdem cum Patre potentiæ & essentiæ, ideoque verum Deum. Cujus doctrinæ fides, finis est etiam hujus Euangelii Joannis, ut cap. 20. versu ultimo asseritur. Quem finem ut in paucis est assecutus Servator, v. 21. sic in multis v. 20. inprimis vero in Scribis & Pharisæis contrarium subinde evenit: qui eâ doctrina non ad fidem sunt conversi: sed ita à Christo aversi, ut ipsum quasi blasphemum bis lapidare sint conati: unde ab ingratis hisce parricidis justè se recepit, & è Judæa rursus trans Iordanem se contulit, & ibidem ad tempus mansit v. 40. ubi Ioannis Baptistæ discipuli complures in eum crediderunt. Hoc vero cap. 11. reditus Christi in Iudæam, & in ea suscitationis Lazari miraculum (inspersa eadem de officio & persona ipsius doctrina) & eventus illius, partim in bonis, partim in malis hominibus, superiori similis describitur. Ad reditum vero quod attinet, ejus proponitur primum occasio: deinde quo modo Christus se gesserit. Occasio autem duplex recensetur. Quarum prima est Lazari ægrotatio, (qui à loco, & sororibus suis, distinctionis gratiâ describitur) & illius à sororibus per delegatos ad Christum nuntium. Ac prior occasio versibus duobus, posterior vero vers. 3. hoc modo exprimitur: *miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine ecce is quem amas, ægrotat.* Quibus verbis periphrasi quâdam emphatica Lazarum fratrem suum designant; ut rationem nuntii indicent, Christumque ad eum invisendum, & à mortis periculo eruendum atque sanandum invitarent: ut ex v. 21. & 32. apparet. Unde hic primum oritur

Quæstio, quid amor *hoc loco significet?*

ORigo quæstionis est, quia Christus ex lege Dei obstrictus erat, ut quemvis proximum amaret, ac pro virili vitam illius, data opportunitate, conservaret: deinde ob summam perfectionem justitiæ ipsius idem præstabat: idque commune erat, non proprium Lazaro; quod ipsum amaret; ideoque non videtur recta atque explicata descriptio ipsius cum dicitur: *quem amas.* Verum responsio est, amorem esse duplicem: generalem quidem, quo omnibus hominibus benevolentiam ex legis charitatis præscripto debebat: & specialem, quo familiari affectu aliquem complectebatur. Priori modo omnes homines, inprimis Apostolos reliquos: Posteriori vero Joannem est prosecutus, Joann. 20. v. 2. qui hac periphrasi describitur: *quem diligebat Jesus*; & rursus 21. v. 7. *quem amabat Jesus*, ut etiam cap. 13. v. 23. amoris hujusmodi signum indicatur, quod erat in sinu Christi: & cap. 19. v. 26. 27. quod peculiari amore matrem suam ipsi commendavit. Quo etiam modo hoc in loco amasse dicitur Lazarum, ut etiam v. 36. *ecce quomodo amabat eum*, peculiari scilicet quodam affectu. Atque hæc strictim de secunda occasione reditus Christi in Judæam, nempe nuntio de ægritudine Lazari, & tacita invisendi ac sanandi ipsum petitione. Quomodo verò Christus sese gesserit hoc nuntio accepto explicatur illius responsione: reditus dilatione: & ad reditum præparatione. Primum autem membrum ita declaratur, v. 4. *Jesus autem hoc audito dixit: infirmitas ista non est ad mortem, sed pro Dei gloria, ut per eam glorificetur Filius Dei*; Quo consolationem adversus mortis ex ægritudine metum proponit. Ægritudinem autem vocat infirmitatem per meton. effecti pro causa, quia morbus infirmitatem adfert. Eam autem à fine describit, primùm remotione falsi per negationem, dicendo eam non esse ad mortem, supple immissam divinitus. Deinde positione veri, per affirmationem, cum addit; *sed pro gloria Dei*, id est, ad gloriam Dei. Quam definit expositione additâ, *ut glorificetur Filius Dei*: Quo se verum Deum, Patri æqualem indicat, id est, ut potentia divina hoc modo, suscitatione Lazari patefiat, quæ Dei gloria est v. 40. Verum hic oritur

Secunda Quæstio, Quo sensu Christus neget morbum Lazari fuisse ad mortem.

RAtio quæstionis est: quia videtur hoc repugnare primùm rei veritati: nam citra controversiam Lazarus mortuus est: ideoque mors à Deo erat decreta, & in eum, etsi non ultimum, finem, ægritudo immissa. Deinde adversari etiam videtur conscientiæ Christi, qui norat eum moriturum: ac propterea reditum ad ipsum distulit biduum: & mortuum esse deinde discipulis indicavit; seque ipsum suscitaturum v. 11. 14. 15. Verùm distinctione vocis difficultas tollitur. Nam mortem Christus non generatim & absolutè intelligit: sed speciatim ac relatè, ad sororum Lazari & nuntiorum ab ipsis missorum, opinionem, qui mortem metuebant, non quamvis: sed duraturam ad diem ultimum, ut v. 24 ostendit. Talem autem Christus fore negat: idque innuit generalius cum ait, *sed pro gloria Dei*: scil. non liberatione à morbo, sed à morte, ut sequentia satis declarant. Quo modo loquendi etiam Christus usus est, Marc. 5. v. 39. *non mortua est puella, sed dormit*, id est, non morte duratura, sed brevi quasi è somno excitanda; quod cum non caperent auditores, carpebant ac deridebant, ut qui propriè mortuam esse norant. Porrò ad reditus Christi in Iudæam præparationem quod attinet, ea constat colloquio Christi & discipulorum trimembri: è cujus secundò membro, è sermone Christi, v. 11. *proficiscor ut à somno* (id est, morte v. 13.) *excitem eum*, exurgit jam

Tertia Quæstio, Vbinam anima Lazari mortui, ante suscitationem illius exstiterit.

ORigo illius quæstionis est: quod cùm mors vulgo definiri soleat privatio vitæ per separationem animæ à corpore, difficultas oriatur non exigua, ubinam ea Lazari anima, durante mortis quatriduo, extiterit. Nam in cælo non fuisse, liquet ex eo, quia ibi beata & æterna vita est: quæ sine contradictione aperta, cum mortali vita commutari non potuit. Nec multò minus in inferno esse potuit,

potuit, quia ibidem æternus est animarum cruciatus: qui quiete. hujus mortalis vitæ similiter sine contradictione non potest corrumpi: deinde quia infernus solis impiis, non autem piis, qualis erat Lazarus, destinatione æterna præparatus. Quonam igitur in loco esse potuit anima Lazari interea, cum duo tantùm sint mortuorum termini? cælum bonis, infernus malis? Quidam nodum dissecant: cùm nec in cælo, nec in inferno extitisse agnoscunt: sed extra utrumque manu Dei seu potentia illius conservatam. Ubinam vero definitè id sit factum, scriptura non docente, doctâ quadam ignorantiâ, ut multa non revelata, Deo committunt. Quidam vero insignis Theologus, edita in Bellarm. refutatione, nodum hunc hoc modo solvere est conatus: animam Lazari (ut similium ad hanc mortalem vitam suscitatorum) in suo corpore quidem mansisse, sed unione personali divinitus dissoluta: adeo ut inde privatio vitæ sit consecuta, quod scil. anima in corpore, ut in loco tantùm manens, illud vivificare desierit; restituta vero per potentiam Dei unione personali cum corpore, vitam corpori esse redditam. Idque probare studet ex Sacræ S. authoritate, Actor. 20. ubi dicitur Eutychus ex alto prolapsus ac deinde sublatus mortuus v. 9. & tamen seqq. v. 10. subjicitur hæc sententia: *Cum descendisset autem Paulus ruit in eum, & complexus dixit: ne tumultuamini: anima enim ejus in ipso est.* Unde sic colligi potest: si anima Eutychi mortui ante suscitationem illius in eo fuit: Ergo rectè statuitur, animam Lazari similiter post mortem, ante suscitationem corporis in eo fuisse ac mansisse: nec quicquam præter unionem personalem fuisse solutum (unde privatio vitæ processit) præsentiam verò animæ fuisse tantum localem, seu in corpore, ut in loco, extitisse. Arguta sanè videtur hæc explicatio: Veruntamen omnibus diligenter expensis, ea nec rei, nec Dei verbo satis consentanea: ut ex hisce rationibus apparet: Quia universali Philosophorum & Theolog consensu, mors hominis est vitæ corporis, per separationem animæ illius privatio: unde in descriptione mortis à causa efficiente illius, separatio animæ à corpore dicitur: & mori vocatur migratio atque exitus animæ è corpore, non solum in profanis, sed etiam in S. Litt. quemadmodum Luc. 8. v. 56. de Puellæ suscitatione à mortuis v. 55. dicitur: *& reversus est spiritus ejus:* Ergo separatus antea erat. Deinde Ecclesiast. cap. 12. v. 7. *Spiritus redit ad Deum qui dedit eum:* & mors migratio è corpore nominatur, 1. Cor. 5. v. 8. & dissolutio à corpore, qua alio tenditur Phil. 1. v. 23. & vivere periphrasticè vocatur *permanere in carne*, v. 24. id quod de anima certò intelligitur. Unde sequitur, eam non permanere in carne, cum corpus mortuum est. Deinde ad locum illum Actor. 20. quod attinet, obtenditur quidem eo statui, animam Eutychi, post mortem ante suscitationem illius in ipso mansisse; verùm hoc nequaquam affirmatur; sed contra indicatur, animam post separationem ac mortem corporis, miraculo per Apostolum Eutycho incumbentem impetrato, divinitus rediisse, atque in eo tum demum fuisse, ut Apostolus testatur. Cujusmodi suscitationis similia omnino exempla duo sunt Prophetarum Eliȩ & Elisȩi illustria: Eliȩ quidem 1. Reg. 17. v. 21. 22. *Et admensus se super puerum ter inclamavit dicens, Jehova revertatur,* (nota, ergo separata erat) *quæso anima pueri hujus in medium ejus: quapropter auscultavit Jehova voci Eliæ, ita ut reversa sit anima pueri in medium ejus*, (notandum, ergo in medio ejus non erat) *& revixit.* En reditus animæ absentis vitam restituit. Elisæi vero exemplum est 2. Reg. 4 v. 35. *Et conscendens extendebat se super puerum, tandem sternutavit puer usque septies & aperuit oculos suos.* Ovum ovo similius non est quàm miraculi horum Prophetarum & Pauli modus. Ideoque Paulus incumbendo super puerum, miraculo divinitus impetrato rectè animam Eutychi reversam asseruit. Quare cùm hæc secunda sententia de anima Lazari in cadavere illius manente, nec mortis definitioni, nec S. Scripturæ assertioni consentiat, neque probabili ullo colore ex ea confirmetur: priorem ac communiorem sententiam meritò præferendam apparet. Atque hæ præcipuæ sunt quæstiones descriptionis eorum, quæ reditum Christi in Iudæam antecesserunt: De iis vero quæ reditum sunt consecuta, & miraculo præiverunt (quale est inprimis trimembre Christi cum Martha colloquium) in secundo membro paucis explicanda est.

Quarta Quæstio, de Genuino responsionis Christi vers. 25. sensu.

Ratio autem propositæ quæstionis est. 1. verborum Christi ambiguitas, & inde consecuta interpretum expositio diversa: deinde insignis rei comprehensæ præstantia, & ad fidem in Christum, verum Deum ac servatorem, confirmandam utilitas eximia. Ubi observanda 1. antecedens rei circumstantia: deinde consequens res ipsa. Circumstantia autem est occasio & scopus. Occasio unde promanavit Christi responsio, gemina est: prima quidem Christi, ad Marthæ ob mortem Lazari dolentis consolationem, promissio v. 23. *frater tuus resurget:* Altera vero est error Marthæ: quo ea quæ à Christo de proxima resurrectione erant intellecta ac dicta, de remotissima atque universali omnium, ultimo demum die futura malè accepit: ut v. 24. indicatur, *dicit ei Martha, scio resurrecturum in resurrectione ultima illo die.* Scopus vero Christi, ad quem oblata hac occasione tendit, is est: partim ut verba sua clarius exponat: partim ut Marthæ ea malè interpretantis errorem corrigat, & fidem illius confirmet ac consoletur. Modus autem, qui ad eum finem ac scopum idoneus est eoque dirigitur, est res ipsa, de qua agimus, seu Christi responsio v. 25. proposita: *dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Quæ responsio, propositione & expositione illius constat. Propositionis autem subjectum, seu id de quo aliquid hic dicitur, per vocem *ego* denotatur, nempe Jesus: quemadmodum Euangelista præfatione sua exprimit, cùm ait; *dixit ei Jesus.* Attributum vero, seu id quod de eo dicitur, est bimembre, his verbis, *sum resurrectio & vita.* In qua re extra controversiam est, Christum sibi hæc duo non propriè attribuere (quia veritas enuntiationis repugnat) sed impropriè, per tropum, satis tritum etiam in Sacris Literis, nempe per meton. effecti pro causa efficiente, id est, resurrectionem & vitam efficiens. Verum cum resurrectio ita distingui soleat, ut una propriè corpori; altera verò metaphor. animæ tribuatur: plerique primam; alii posteriorem hoc loco intelligendam arbitrantur: eam videlicet, qua anima per fidem in Christum, à secunda morte seu condemnatione æterna liberatur, vitamque æternam obtinet, primùm inchoatione in hac vita Joan. 5. v. 24. deinde perfectè post eam: quæ Apoc. 20. v. 5. 6. *resurrectio prima* nominatur. Verum expositio prior scopo hujus contextus magis convenit, ut sensus sit: Ego author sum omnis resurrectionis seu suscitationis mortuorum, cum universalis bonorum & malorum die ultimo Joan. 5. v. 28. 29. tum particularis: adeo ut quemadmodum Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & Filius quos vult vivificet Joan. 5. v. 21. Ideoque etiam Lazarum resurrecturum dixi, non primùm ultimo die, ut tu Martha malè existimas: sed quia sic volo atque innui, hoc ipso tempore, mea potentia resurget: neque de ea re, mea voluntate & potentia considerata, tibi dubitandum. Cœterum quia resurrectio alia est ad vitam æternam: alia ad condemnationem, (ut hæc distinctio proponitur, Joan. 5. v. 29.) idcirco resurrectioni quam sibi Christus tribuit primùm, additur alterum attributi membrum cum ait, *& vita:* quâ voce non vitam temporalem: sed æternam ac beatam κατ' ἐξοχὴν (ut Joan. 6. v. 33. 35. 48. 51. & alibi accipitur) intelligit: quemadmodum etiam ex sequenti propositionis expositione (quæ promissio fidelibus propria est) apparet. Sic enim eam subjicit: *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet,* scilicet vitâ æterna ac beata, ut versus 26. etiam declarat. Qua promissione, ad consolationem fidelium, Christus discrimen ostendit resurrectionis vitæ, quæ fidelibus propria est, à resurrectione judicii, (id est, per Synecd. condemnationis) quæ infidelibus ac reprobis convenit Joan. 5. v. 29. Unde prima illa fidelium resurrectio ob suam excellentiam, per Synecd. generis pro specie interdum generali resurrectionis ac suscitationis voce intelligenda usurpa-

usurpatur, Ioan. 6. v. 39. 40. 44. & 1. Corinth. 15. v. 43. ut autem eo melius illud intelligatur, succinctè utriusque resurrectionis, piorum & impiorum universalis, in causis, primum convenientia generalis: deinde differentia specialis consideranda est. Generalis convenientia est, primum in causa efficiente proxima, nempe divina Christi potentia, ut qui resurrectio est seu resurrectionis omnis author Ioan. 5. v. 29. Phil. 3. v. 21. deinde in fine propinquo scil. comparitione in judicio coram ejus tribunali. 2. Cor. 5. v. 10. Differentia verò est primò in efficiente impulsiva: nam ea in verè piis ac fidelibus est primùm electio ad vitam æternam, Ioan. 6. v. 39. deinde meritum mortis, & resurrectionis ipsius vis: unde 1. Cor. 15. v. 20. *primitiæ eorum, qui obdormierunt* (id est, fidelium qui obdormierunt in Christo vers. 18.) appellatur, quod à Christi resurrectione eorum resurrectio dependeat atque oriatur. Deinde in modo resurrectionis differentia est: fideles enim resurgent cum gloria 1. Cor. 15. vers. 43. corpori glorioso Christi conformes, Philip. 3. vers. 21. Denique finis etiam discrepat: siquidem fideles resurgent ad absolutionem à judice Christo & ad vitam æternam, Matth. 25. vers. 34. Contrà horum nihil est in infidelium reproborum resurrectione, nam Christi Judicis, ac peccatorum vindicis justo judicio resurgent, suo merito, ad ignominiam & condemnationem, ac cruciatum in inferno sempiternum 2. Thess. 1. v. 5. 6. 8. 9. Ioan. 5. v. 29. & Matth. 25. v. 41. Atque hæc de genuina responsionis Christi in colloquio cum Martha, v. 25. sententia. Quibus non importunè, de Christi affectu v. 33. proposito, tractanda subjicitur breviter

Quinta Quæstio, De Causa fremitus Christi.

DE eo enim diversa est doctiorum sententia, licet in circumstantia occasionis sit consensus: quia hæc initio hujus versus disertè explicatur his verbis: *Jesus ergo ut vidit eam flentem, & Judæos qui unà venerant cum ea flentes:* quibus subjicitur consequens: *infremuit spiritu & turbavit seipsum.* Verùm de propria causa Christum impellente, ut ita afficeretur, inquiritur. Communis autem ferè sententia est, fremitum illum Christi ortum ex observatione doloris ac fletus Mariæ, & ex commiserationis seu amoris erga Mariam dolentem ac flentem affectu. Verùm non videtur illud verbis Euangelistæ satis consentire: siquidem non utitur hoc loco eo verbo quod commiserationem atque amorem: sed quod indignationem animi, aut ut nonnullis placet, interminationem gravem designat. Dicit enim ἐνεβριμήσατο *infremuit*, id quod neque apud profanos authores Græcos, neque in Sacris Literis amorem aut commiserationem notat: quemadmodum ex inductione locorum perspicuè constat. Nam excepto hoc loco, quater tantùm extat, primùm Matth. 9. vers. 30. ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, *& graviter interminatus est eis Jesus*, ut D. Beza; *& comminatus est iis*, ut vulgatus vertit: deinde Marc. 1. vers. 43. καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, eodem sensu dicitur; Et ut dicam quid videatur, non incommodè potius utroque loco eadem significatio retineri potest, nimirum *& fremebat in eos:* item, *in eum*, quod nimirum præscius inobedientiæ, cum indignatione quadam interna fuerit commotus: quemadmodum etiam sequentia loca eundem sensum requirunt. Nam tertiò legitur Marc. 14. vers. 5. ἐνεβριμῶντο αὐτῇ, id est, *fremebant in eam*, ut noster & vulgatus etiam interpres vertunt, id est, graviter indignabantur. Postremo hoc eodem cap. 11. Joannis vers. 38. dicitur πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, *rursus fremens*, ut vulgatus & noster interpres transtulerunt, & res ipsa flagitat. Unde quoque apparet, nullibi in Novo Testamento eam vocem commiserationis ac benignitatis: sed indignationis ac severitatis affectum denotare: quemadmodum etiam, si quis expendat, locorum illorum circumstantiæ demonstrant. Idemque hic locus ultimus vers. 38. comprobat, quia dicitur non solum *infremens* sed *rursum*: Ergo si hic intelligitur indignatio ob Judæorum incredulitatem atque exprobrationem impotentiæ Christi, vers. 37. non autem commiseratio: Ergo etiam in antecedenti v. 33. fremitus similiter intelligendus, de vehementi Christi indignatione, non ob fletum Mariæ & Iudæorum præsentium simpliciter; sed ob conjunctam eorum incredulitatem: quasi frustra post mortem Lazari advenisset, nec eum suscitare valeret, ut primùm de Maria, non fidei habitu destituta, sed actione illius fidei ob dolorem ex fratris obitu repressa, docetur, v. 32: quemadmodum de Martha similiter, v. 39. 40. traditur. Nam nisi dolore perturbata fuisset earum memoria, cùm scirent aliàs Iesum esse Christum, & mortuos alios suscitasse, errare hic nullo modo potuissent. Deinde verò Iudæorum quorundam præsentium ac simul flentium ex mera incredulitate vitium, causa fuit primaria hujus fremitus: quemadmodum etiam secundi, dum eorum incredula impotentiæ Christi exprobratio, vers. 37. causa fuit, cur Christus fremeret apud seipsum, id est, ut antea, interno indignationis affectu commoveretur. Cœterum hic fremitus & perturbatio Christi, ut humanæ naturæ veritatem designat: sic plurimum à reliquorum hominum affectibus differt. In hisce enim licet etiam pii sint, tamen ob carnis adversus spiritum repugnantis contagionem indignatio adversus vitia modum excedere, aut eo inferior esse solet: Christus vero peccati omnis expers, ac perfectè sanctus, suam indignationem hoc in loco & alibi intra rectæ rationis limites atque ordinem à Deo statutum perpetuò continuit: unde nobis per omnia similis dicitur, sed absque peccato Hebr. 4. v. 15. Sequitur verò jam ut emergens, ex Christi (miraculum suscitationis Lazari edituri) oratione, difficultas strictim proponatur ac declaretur.

Sexta Quæstio, Quomodo consentiant Christi verba v. 41. cum antecedente v. 25.

RAtio quæstionis propositæ est: quia hæc duo videntur sibi mutuò repugnare, quia v. 25. dixit: *Ego sum resurrectio & vita:* id est, earum author: hic verò vers. 41. subjicitur: *Pater, gratias ago tibi quod me audieris*, nimirum precantem, ut Lazarum suscites per me: ideoque se non authorem, sed instrumentum Patris in suscitatione Lazari designat. Ideoque manifesta videtur contradictio, aut cùm Christus se dixit esse resurrectionem, non se causam principalem illius, sed tantum instrumentalem esse intellexit; ut Christi sermonis veritas constet; quemadmodum Deitatis Christi hostes argumentantur. Verùm negatur consequentia: quia fallacia est elenchi, à dicto secundum quid, ut simpliciter. Nam Christus se vocat resurrectionem, non secundum humanam naturam: sed secundum divinam, cujus proprium opus est suscitatio à mortuis: unde quia Christus divina sua potentia corpus suum suscitavit à mortuis Johan. 10. vers. 17. 18. & cap. 2. vers. 19. 20. idcirco inde dicitur demonstratum, eum esse Filium Dei Rom. 1. v. 4. Contra verò secundum humanam naturam Christus fuit causa instrumentalis tantùm: quatenus secundum Dei voluntatem, suscitationem ab eo, animo suo petiit, & exterius illius voluntatis & impetrationis indicium fecit, de qua re hoc loco agitur. Ideo secundum diversas naturas Christi, utrumque verum est ac contradictione omni caret: quia uti notum est: contradictio est affirmationis & negationis oppositio, in qua de eodem subjecto, idem attributum enuntiatur, secundum idem, id est, secundum eandem subjecti partem: & ad idem, seu relatè ad idem objectum: & eodem tempore: Sin verò aliqua ex hisce conditionibus desit, enuntiationum quidem diversitas erit, sed nulla contradictio. Cœterum hujusmodi distinctionis personæ Christi, qua sæpe non simpliciter, sed secundum quid, seu secundum alteram tantum naturam ei aliquid tribuitur, exempla sunt illustria, ut Rom. 1. v. 3. & 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16. & 1. Pet. 3. v. 18. Ad hujus porro distinctionis illustrationem, memorabiles sunt inter cæteras, adversus Ubiquitariorum confusionem, orthodoxorum Patrum sententiæ: primùm Latini Patris Fulgentii ad Thrasimund. lib. 2. *ut Dominus*, inquit, *ostenderet localem humanitatem suam, dicit discipulis suis: ascendo ad Patrem meum. De Lazaro quoque, cùm dixisset: Lazarus mortuus est, adjunxit dicens, & gaudeo propter vos ut credatis, quoniam*

niam non eram ibi. Immensitatem vero divinitatis suæ ostendens discipulis suis dicit: Ecce ego vobiscum sum. Altera similis sententia est Græci & antiquioris, Gregorii Nazianzeni, ob excellentiam suam Theologi cognominati. Sic enim ille ad Cledonium presbyterum ait: *δογματίζομεν χριστὸν παθητὸν σαρκὶ, ἀπαθῆ θεότητι, περίγραπτον σώματι, ἀπερίγραπτον πνεύματι: τὸν αὐτὸν ἐπίγειον καὶ οὐράνιον, ὁρώμενον καὶ νοούμενον, χωρητὸν καὶ ἀχώρητον, id est, Docemus Christum passibilem esse carne, impassibilem divinitate: circumscriptum corpore, incircumscriptum spiritu: terrenum & cælestem: visibilem & intellectu perceptum: qui loco continetur & loco non continetur.* Hæc ille. Ex quibus omnibus verborum Christi, vers. 41. & 25. consensio apparet: superest ut postremo loco ad hujus capitis illustrationem pleniorem succincta subjiciatur

Explicatio versuum 50. 51. 52.

DEscripto à Joanne Euangelista Christi in suscitatione Lazari miraculo, eventus illius subjicitur duplex: unus in bonis, nempe multorum ea re conspecta fides v. 45. alter in malis, & quidem partim proximus in præsentibus delatoribus, scilicet quod malo animo Christi miraculum ad hostes ipsius Pharisæos detulerint, v. 46. remotus verò eventus malus, in absentibus Pontificibus & Pharisæis audita delatione, est Synedrii seu summi Senatus congregatio adversus Christum, & res in eo gesta: nempe deliberatio judicum, & rei deliberatæ consequens sententia. Deliberatio autem constat anxia quæstione: quidnam ipsis sit faciendum: & ratione addita à periculo imminente. Cujus causa & modus describitur. Causa periculi est. *Nam hic homo multa signa edit*, v. 47. periculi verò modus est si nihil agant adversus Christum, sed ipsum ita sinant impunè agere, primùm fore periculum à Judæis, quod omnes in eum credent: & per consequens authoritas eorum esset peritura: alterum periculum à Romanis, quod adventuri essent, eaque causa urbem gentemque Judæorum deleturi. Quorum primum ex impia invidaque ambitione atque avaritia; alterum verò contra conscientiam vano fictoque prætextu protulerunt. Atque hæc est anxia deliberatio de Christo v. 48. Quam sequitur altera in consilio res gesta, nempe rei deliberatæ sententia: quæ hoc loco subjecta describitur, primùm ab authore, deinde modo. Author autem notatur adjuncto suo primùm nomine, *Caipha*: deinde officio: partim communi, quod *unus* esset *ex iis*, nempe Synedrii senatoribus congregatis adversus Christum: partim proprio, quod esset *Pontifex maximus*, Græce est *ἀρχιερεύς*: quæ vox de principe sacerdotum, non familiæ alicujus, relatè dicitur, quemadmodum principum sacerdotum frequens mentio: sed per Synecdochen nempe *κατ' ἐξοχὴν* de Summo principe sacerdotum: & quidem non absolutè totius vitæ ratione, secundum Dei legem: sed relatè ad certum tempus, ut dicitur, *illius anni*, nempe secundum perversam consuetudinem ex Sacerdotum ambitione & Romanorum avaritia atque libidine derivatam. Qua de re consulendus est Josephus antiquit. Judaicarum lib. 18. cap. 3. qui pluribus id explicat. Ad modum autem sententiæ quod attinet, ea complectitur primò reprehensionem adversus anxiam deliberationem aliorum Senatorum, qui primùm dixerant. Reprehendit autem, partim eorum inscitiam cum dicit, *vos nihil scitis*, vers. 49. partim effectum illius inscitiæ incogitantiam: quod quid expediret, non cogitarent. Deinde reprehensioni aliorum sacerdotum ac judicum, suam sententiam subjicit: quæ primùm ab Euangelista recensetur: secundo declaratur. Recensetur autem cum ait, Caipham dixisse *expedire ut unus homo* (scil. Jesus) *moriatur pro populo* (pro salute illius) *& tota gens non pereat*, eo scil. salvo. v. 50. Declaratur autem hæc sententia à Joanne primùm à causa efficiente prima, deinde à sensu illius. Causam autem notat remotione falsi, & positione veri. Prius est negatio, qua dicitur v. 51. *Hoc autem ex semetipso non dixit*, ubi per vocem *Hoc*, non utrumque orationis Caiphæ membrum: nempe reprehensio, & sententia opposita intelligitur: sed alterum tantùm, nempe expedire ut unus moriatur pro populo, & tota gens non pereat. De hoc autem ait, quod non dixerit ex seipso, hoc est ex suo ingenio depromptum. Positio autem veræ causæ, per affirmationem indicatur, cum dicitur: *prophetavit*, id est, instinctu divino de re futura hæc verba protulit. Id quod bifariam à priscis novisque Theologis exponitur. Quidam enim putant, Deum hæc verba non menti illius, sed tantum ori ejus indidisse: quod ut asina Bileami Deo verba formante insciens locuta est: sic etiam Caiphas quasi spiritu correptus, vocem à se non intellectam emiserit. Veruntamen causa certa non apparet, cur eò confugiamus: quia fanaticus hujusmodi prophetandi modus (qualis olim in Diabolicis Apollinis oraculis in usu fuit) in Sacris Literis exemplis non confirmatur: & antecedens à Caipha proposita reprehensio, non impotem mentis fuisse satis ostendit. Ac propterea alii simplicius contrà statuunt: Deum sic mentem & linguam Caiphæ de Christo occidendo rexisse, ut sub verbis ambiguis sententiam de Christi morte conciperet atque enuntiaret: quæ ratione quidem consilii Dei veram justamque prophetiam: ratione verò propositi Caiphæ, falsam injustamque Christi necandi sententiam continebant. Cur autem potius Deus, ad hæc verba mente concipienda & lingua efferenda, Caipha sit usus, quam alio è Senatoribus ac judicibus, illud factum ab Euangelista dicitur, quod esset Synedrii præses: eoque ab omnibus majori attentione audiendus: id quod indicat his verbis: *cùm esset Pontifex maximus illius anni.* Anni autem illius distinctè meminit, ea uti videtur de causa, ut Pontificem fuisse ostenderet non sola nominis dignitate ob munus præteritum: sed quod revera eo munere tum temporis fungeretur. Cæterum hæc prophetia non fuit ordinaria: sed extraordinaria, quia ab eodem Caipha Christus paulò post blasphemiæ objecto crimine fuit condemnatus, Matth. 26. v. 65. coll. cum 57. Ac propterea vanum omninò est, quod Pontificii Scriptores, hac prophetiæ indicatione, authoritatem sui Pontificis Romani quodammodo colorare conantur. Atque hæc ad capitis undecimi declarationem dicta: reliquum est, ut pauca etiam proferamus

DE CAPITE XII.

Prima Quæstio, Quid v. 31. per mundum & principem mundi atque ejectionem illius intelligatur.

RAtio quæstionis est vocum ambiguitas, & species quædam contradictionis, si quis alia Scripturæ loca cum hoc versu conferat. Quamobrem ut res ipsa nonnihil declaretur, & consensus ac veritas hujus orationis plenius appareat, paucis ea explicare conabimur. Ac primùm inter cætera *mundus* generali significatione universam cæli terræque & rerum iis comprehensarum compagem designat, ut Joan. 17. v. 5. *antequam mundus existeret*, & alibi. Deinde per Synecd. partis pro toto infimam mundi partem, seu orbem terrarum notat sæpius, ut Joan. 13. v. 1. *ut transiret ex hoc mundo*: denique specialius homines qui in terra sunt notat: interdum indefinitè: interdum definitè *κατ' ἐξοχὴν*, id est, ob excellentiam quandam, nempe vel qualitatis, vel quantitatis hominum. Qualitatis quidem, cùm electos homines ad vitam æternam significat, quo sensu Christus dicitur dare vitam mundo, Joan. 6. v. 36. orare pro mundo, ut credat cap. 17. vers. 21. tollere peccata mundi Joan. 1. v. 29. quemadmodum etiam dicitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans iis peccata*, 2. Cor. 5. v. 19. Quæ omnia solis electis, nullis reprobis verè tribui possunt. Deinde per excellentiam quantitatis, pro majori parte hominum, nimirum pro incredulis, seu impiis mundi hominibus ea vox usurpatur; quemadmodum initio hujus versus, de quo agimus, cum dicitur: *nunc judicium est mundi*: ubi per mundum non intelliguntur electi, neque per judicium vindicatio ac liberatio, ut nonnulli arbitrantur: sed infideles nomine *mundi*, & *judicii* nomine eorum condemnatio intelligitur, ut sequentia satis indicant, & vocis *judicandi* usus in Nov. Testam. ostendit: qui pro condemnatione crebrò, non autem pro vindicatione usurpari solet: Licet Hebræa vox משפט utrumque, pro locorum diversitate significet. Deinde Joan. 15. v. 19.

si ex

si ex mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret: quia vero non estis ex mundo, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. In quibus quinquies vox mundi pro hominum infidelium cætu manifestè accipitur: sic etiam Joan. 17. v. 6. *quos dedisti mihi de mundo.* Cùm verò mundus infidelium seu in Christum non credentium universitas constet, partim prædestinatione divina electis ad vitam æternam, quos suo tempore ex infidelium numero ad fidem reipsa eligit, id est eximit: partim vero ex reprobis, qui non convertuntur, sed in incredulitate permanentes pereunt: tales nempe reprobi, speciatim electis oppositi, mundi voce strictius non rarò intelliguntur: quemadmodum Joan. 17. vers. 9. cum Christus ait, *non oro pro mundo:* id est, infidelibus hominibus: additur enim; *sed pro iis quos dedisti mihi:* & 1. Corint. 6. vers. 2. *an ignoratis sanctos judicaturos mundum?* & 1. Cor. 11. v. 32. *ne cum mundo condemnemur:* condemnantur autem soli reprobi, unde illi, *mundus impiorum* 2. Pet. 2. v. 5. specialius appellantur. Hisce jam, ad hujus & simul multorum aliorum locorum scripturæ illustrationem, de vocis mundi significatione varia præmissis: ad alterum illustrandum procedemus, nim. ad *mundi principem:* qui generatim vel est jure talis, seu justa potestate: vel injuria ac tyrannide. Priori modo Deus est princeps mundi, non solum Dominus universæ terræ, Mich. 4. v. 13. sed etiam mundi universi, creationis jure & gubernationis efficacia, qui hoc loco minimè intelligitur, ut ejectionis attributum evincit: nam quia justus omnium Dominus est, jure ejici non potest: & quoniam omnipotens est, reipsa à nemine superari potest, nedum ejici, ideoque regnum ejus dicitur æternum, Matt. 6. v. 13. De Diabolo verò, cui attributa ejectio convenit, accipiendum *principis mundi hujus* nomen: quemadmodum & alibi, ut Johan. 14. v. 30. *venit princeps mundi: sed in me non habet quicquam:* & 16. v. 11 *princeps hujus mundi condemnatus est.* Vocatur autem princeps non mundi universalis, neque particularis, seu orbis terrarum: quia hoc soli Deo creatori convenit: quamvis Satanas injustè atque impiè hanc gloriam sibi in tentatione Christi arrogârit, Luc. 4. v. 6. neque etiam mundi, quatenus fideles notat, princeps est: nam illi ex illius potestate sunt exempti, Actor. 26. v. 18. Col. 1. v. 13. sed mundi, quatenus infideles notat: & quidem eorum princeps esse dicitur, non propriè, quia sub Dei imperio infideles, & Diabolus cum suis Angelis seu dæmonibus continentur: sed vocis quadam abusione, per metaph. ita vocatur, quod ab infidelibus ei obediatur quasi Domino, & quod in eos injustum exerceat imperium. Quo sensu etiam *Deus hujus seculi* dicitur, 2 Corint. 4. v. 4. non quod talis sit revera: sed quod injuste pro Deo, à seculo, id est mundo, habeatur ac colatur, seque talem falsò atque impiè ostentet. Quemadmodum idola *dii* vocantur simili catachresi, licet Dii non sint revera, 1. Corint. 8. v. 5. Quorum infidelium ita subditorum Diabolo respectu, dæmones Eph. 6. v. 12. etiam vocantur *imperia, potestates, mundi Domini.* Hic autem principatus ac dominatus Diaboli quem usurpat, consistit in duobus, scil. peccatis & morte, quorum author est: peccatorum quidem, dum instinctu & tentatione suâ ad ea provocat atque adducit: unde peccatum dicitur ex Diabolo esse, 1. Joh. 3. v. 8. & Eph. 2. v. 2. appellatur Spiritus, qui operatur in filiis inobedientiæ: unde consequenter mortis imperium ea ratione habuisse dicitur, Heb. 2. v. 14. Atque hæc de principe mundi, nimirum de subjecto de quo Christus hîc loquitur: adjunctum vero, attributo hujus sententiæ descriptum; est ejectio illius foras, quæ per metaph. quandam (ab hostibus qui urbe aliqua ac dominio ejiciuntur, aut similitudine à dæmonum ex corporibus obsessorum per Christum aliosque ejectione) dominii illius ablationem futuram notat. Ea autem ut paucis comprehendamus est, qua Christus suos electos, à peccatis & morte æterna liberando, à Diaboli servitute, merito mortis & efficacia sua eximit. Author enim hujus liberationis à potestate Diaboli est Christus, semen illud mulieris, quod conteret caput serpentis Genes. 3. v. 15. subjectum verò seu illi, qui per Christum liberantur à servitute Diaboli, sunt soli electi ad vitam æternam: non autem reprobi, qui sub peccato & mortis reatu permanent: utpote maledicti, qui ablegantur in ignem æternum, præparatum Diabolo & Angelis ejus Matt. 25. v. 41. Modus verò quo Christus electos suos à servitute Satanæ, id est, à peccato & morte liberat, duplex est: 1. meritum mortis ipsius: deinde efficacia merito respondens. Meritum mortis idcirco; quia eâ ratione pœnam peccatis nostris debitam perfectè sustinuit ac persolvit: eoque modo liberationem à peccato & morte electis suis promeruit: à peccato quidem, quia agnus vocatur, qui tollit peccata mundi, Joan. 1. v. 29. & sanguis Jesu Christi filii Dei purgat nos ab omni peccato: ideoque vetus noster homo (id est, innata vitiositas nostra seu peccatum originis) cum eo crucifixus dicitur, Rom. 6. vers. 6. quod scilicet liberationem ab eo hoste nostro, per Spiritum sanctificationis futuram, mortis suæ precio ac satisfactione acquisierit. Unde etiam dicitur Rom. 8. v. 3. *misso Filio suo condemnavit peccatum in carne, ut illud jus legis impleatur in nobis;* Atque ita dicitur 1. Joan. 3. v. 8. *à principio Diabolus peccat: ad hoc patefactus est Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli.* A morte verò etiam nos redemit: quia peccato sublato & homine justificato, mors consequenter tollitur: utpote quæ per peccatum intravit in mundum, Rom. 5. v. 12. tanquam peccati stipendium, Rom. 6. vers. 23. Ideo Heb. 2. v. 14. dicitur; *Christus carnis & sanguinis particeps factus, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum, & liberos redderet &c.* & Col. 2. v. 15. de Christo crucifixo dicitur: *expoliata imperia ac potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam, nempe crucem,* id est, mortem crucis. Quare meritum mortis, primus est modus, quo princeps mundi infidelium ejicitur foras, atque electi ab ejus servitute liberantur. Alter verò est ejusdem Christi efficacia: qua suos electos, quorum liberationem à potestate Satanæ seu peccato & morte est promeritus, reipsa suo tempore præstat. Nam à peccato liberat: primùm ratione dominii illius, per sanctificationem ex gratia sua, ministerio verbi & Spiritus potentia inchoatam; unde Coloss. 1. vers. 13. de beneficio hoc Dei per Christi redemtionem dicitur; *qui liberavit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui,* & Act. 26. v. 18. à Christo, dicitur Paulus missus ad gentes, ad aperiendum oculos eorum, ad convertendum à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum. Deinde ratione reliquiarum peccati nos paulatim promovendo, perfectione sanctitatis donat, cùm à corpore mortis in morte eximit, Rom. 7. v. 24. 25. A mortis verò reatu nos liberat, justificatione per fidem: & à morte corporali, suscitatione corporis ad vitam æternam, Rom. 6. v. 23. Hebr. 5. vers. 9. utramque autem liberationem complectitur Apostolus Rom. 8. 2. *Nam,* inquit, *lex spiritus vitæ, liberavit me à lege peccati & mortis.* Plenissime verò princeps hujus mundi Diabolus ejicietur foras, cùm die ultimo à Christo judice, à piis omnibus penitus segregabitur, & cum mundo reproborum damnatus ad inferos dejicietur Matth. 25. 41. Veruntamen hic exoritur scrupulus, quia hæc ejectionis Diaboli promissio, videtur repugnare veritati, duobus modis. Primus est, quia fideles ante Christum fuerunt ab eo liberati à potestate Diaboli, peccato scilicet & morte; utpote qui sanctificati fide & justificati sunt, quemadmodum nos post Christum: ut de Abrahami & fidelium post Christum hac in re convenientia agitur, Rom. 4. vers. 23. 24. Idemque de aliis priscis fidelibus, Hebr. 11. toto cap. traditur: Quia igitur hæc liberatio ante Christum facta est, Ergo non erat demum futura, ut hic promittitur post Christum. Nam quod futurum, nondum factum est. Sed negatur consequentia: quia diversus respectus in hisce objectis, contradictionis speciem tollit. Nam primùm, licet fideles Veteris Testamenti, respectu efficaciæ Christi, fuerint per fidem in ipsum promissum redemptorem, & ob futuram satisfactionem, à peccato & morte liberati: nondum tamen respectu meriti exhibiti: quia illud à Christi morte futura pendebat. Qua ratione Hebr. 10. v. 1. lex dicitur habuisse umbram futurorum bonorum, non expressam imaginem rerum, iis hostiis, quas continenter singulis annis offerebant. Nam iis fuit adumbrata eorum miseria, quod essent pecca-

peccatores & morti obnoxii; & quod pretium liberationis à peccato & morte per Christum nondum esset persolutum: sed tandem Dei gratia persolvendum: ut pluribus eodem cap. 10. declaratur. Quemadmodum etiam propterea legalium illarum ceremoniarum statuta, debiti illius adhuc pendentis indices, vocantur *chirographum debitorum quod erat nobis contrarium*, quod Christus demum cruci affixum, è medio sustulit, & exspoliata imperia ac potestates, id est, Diabolum cum suis Angelis traduxit, palam triumphatis iis per eam, ut Col. 2. declaratur. Ideoque cùm hoc Christi meritum (causa ejectionis Satanæ promissa) nondum esset exhibitum: sed suo demum tempore, per obedientiam ac mortem crucis exhibendum: sine ulla contradictione futura Diaboli ejectio promittitur. Quo etiam pertinet, quod Apostolus Hebr. cap. 11. sub finem, licet fidem, justificationem & salutem piis Vet. Testamenti ascripserit, nihilominus promissionem (id est, rem promissam, Christi adventum, & mortem) non obtinuisse ostendat. Secunda verò ratio est, quia licet liberatio à potestate Diaboli, per verbi & Spiritus Christi efficaciam, ante ipsum fuerit facta respectu populi Judaici: nondum tamen evenerat ratione aliarum gentium, ante Christi mortem & missionem Spiritus S. Deus enim præteritis ætatibus, sivit omnes gentes ambulare in suis ipsarum viis, Actor. 14. vers. 16. erantque illo tempore sub potestate Satanæ Eph. 2. v. 2. absque Christo, alieni à Republica Israelis, & extranei à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo ibid. v. 12. postea verò cum essent procul, propinquæ factæ sunt, per sanguinem Christi, v. 13. illisque prædicatum est Euangelium jussu Christi, Matt. 28. v. 19. ad aperiendum oculos earum, & convertendum à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut acciperent remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos, fide in Christum Actor. 26. v. 18. Quare & ratione meriti Christi Diabolus ejiciendus erat; & ratione gentium, quæ adhuc potestati illius suberant. Quo modo bifariam, sine ulla contradictione scripturæ, Satanas ejiciendus hoc loco à Christo pronuntiatur. Sed alter scrupulus est: quod cum inde à Christi morte Diabolus adhuc in mundo grassetur, & fideles indies oppugnet:; imò non rarò ad peccata gravia seducat: quo modo verè dicatur fore ut brevi ejiciatur foras? hoc enim vox illa, nempe *nunc* (utrique sententiæ membro communis) ostendit, cùm ait, *nunc judicium est mundi, & princeps mundi ejicietur foras.* Respondetur, nullam hic esse repugnantiam: Primùm quia potestas Satanæ perfectè ejecta est brevi, ratione causæ impulsivæ, nempe meriti mortis Christi, ut supra multis probavimus: ratione verò efficaciæ ejectus est è gentibus infidelibus, quæ potentia Euangelii & Spiritus Christi à potestate Satanæ ad Deum conversæ per Apostolos. Ac, licet fideles indies Satanas oppugnet: dominio tamen suo omninò excidit: & potentia Dei sub pedibus piorum conteretur, Rom. 16. v. 20. & portæ inferorum adversus eos non prævalebunt, Mat. 16. ac Satanas tandem ultimo judicio condemnatus oppugnare designet. Quare hac difficultate expedita, sequitur ei connexa

Secunda Quæstio, ex vers. 32. De omnium tractione ad Christum.

ILlustris est sententia, quam Christus de sua adversus electorum hostes, nempe mundum & Satanam, mundi principem, victoria proposuit vers. 31. Cui opportunè omninò subjicitur v. 32. expositio, enuntiatione hypothetica relati temporis, his verbis, *Et cum* (ἐὰν enim hic ita accipitur, ut res indicat, & noster interpres sensum rectè expressit) *exaltatus fuero è terra, omnes traham ad me.* Quibus declarat victoriæ illius ante; explicatæ primùm causam, deinde modum. Causa autem antecedenti enuntiationis membro indicatur, cùm dicit: *exaltatus fuero è terra*; Quæ exaltatio non est simpliciter mors, sed mors in erecta cruce: sicut ipsemet Euangelista versu proximo ita exponit: *hoc autem dicebat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.* Talis enim mors, non autem alia requirebatur, ut etiam ænei serpentis prophetico typo erat adumbratum, quemadmodum Christus asserit Ioan. 3. 14. & 8. 28. *cum exaltaveritis filium hominis, tunc agnoscetis me esse.* Quæ mors, ut antea explicatum est pluribus, causa fuit impulsiva, quæ victoriam illam promeruit. Id quod etiam ab Esaia cap. 53. vers. 10. ita prædictum; *quandoquidem exponit animam suam pro peccato* (aut reatu) *videbit semen.* Semen autem filios notat, qui per vocationem ad fidem regenerantur: & v. 11. *cognitione sui justificabit justus servus meus multos, quorum iniquitates ipse bajulavit, idcirco partem ei dabo pro multis.* Deinde modus victoriæ adversus Satanam, ut & mundum, altero enuntiationis hujus membro exprimitur, cum ait: *omnes traham ad me ipsum*, id est, omnium gentium electos non solum, (ut attributum probabit) ex Judæis, sed etiam ex gentibus reliquis toto orbe dispersos: Adeo ut cùm Synedrium Judæorum hoc morte Christi efficere studuerit, ne omnes in eum crederent Judæi, Ioan, 11. 48. contra eventurum ostendit, ut omnes gentes morte intercedente ad se traheret. Quid autem trahere ad seipsum hic significet, non eadem est interpretum sententia. Quidam enim de invitatione amica ad seipsum agi putant, & Christum respicere ad dispositionem corporis sui in cruce suspensi, nempe brachiis expansis, quasi dicat, se ideo brachia in cruce expansurum, ut electos amplectatur & ad se trahat. Verum hæc opinio, ex veterum quorundam conjecturis curiosis petita, nihil habere videtur momenti: Christus enim revera brachia sua non peculiari consilio expandit: sed illud quod ad pœnam ab hostibus pro more supplicii crucis factum fuit, perpessus est (ut etiam latrones similiter sunt crucifixi) neque ullum hujus gestus mysterium esse ex Sacr. Lit. colligitur: sed tantùm ex veterum quorundam invalidis ac curiosis conjecturis. Quare convenientius phrasi scripturæ tractio illa exponitur de electorum ex mundo infidelium, & ex potestate Satanæ, vocatione efficaci, per Euangelium & Spiritum Sanct. ad fidem in Christum & communionem illius: quemadmodum Joan. 6. v. 44. dicitur: *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit, traxerit eum.* Et ut tractio Patris, est efficax fidei in Christum donatio, quemadmodum ibid. v. 65. explicatur: sic etiam hæc Christi tractio, quæ à Patre per Filium efficitur, idem designat. Cujus tractionis causa instrumentalis, est Euangelii, Christo mandante, per Apostolos aliosque prædicatio: quæ instar perticæ est, quæ Christum crucifixum pro peccatis nostris, oculis fidei percipiendum ad salutem protendit ac proponit. unde Gal. 3. v. 1. dicitur: *Amentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obediretis veritati, quibus ob oculos Christus prius fuerat depictus*, (id est, per metaph. Euangelio quasi penicillo designatus) *inter vos crucifixus.* Principalis verò causa, est interna Christi operatio, qua electis fidem per Spirit. S. audito Euangelio indit: ut ea quasi oculi spiritualis lumine Christum crucifixum Euangelio elatum & oblatum intuerentur ad salutem: sine qua Christi operatione interna, externa prædicatio Euangelii ad fidem generandam impotens est, 1 Corint. 3. v. 5. 6. 7. Interna verò Christi vi ad Euangelii prædicationem accedente, fides in electis generatur, & actiones credendi producit 1. Pet. 1. v. 23. Quod autem Christus tractione omnium ad seipsum intelligit: idem etiam cap. 11. à Joanne alia phrasi, sententia eadem declaratum extat vers. 51. 52. *Prophetavit fore, ut Jesus pro gente moreretur: nec tantum pro ea, sed ut etiam dispersos Dei filios cogeret in unum.* Ubi per filios Dei idem intelligit Johannes, quod hoc loco per vocem *omnes*: nimirum nondum tractos ad Christum: sed infideles ac trahendos: nec omnes generatim (quia filiorum Dei epithetum, seu titulus ad omnes non pertinet) sed electos, qui *filii Dei*, citato loco vocantur relatè, quod ad adoptionem in filios essent prædestinati: etsi nondum reipsa per fidem essent filii; quemadmodum Joan. 10. v. 16. oves Christi aliæ dicuntur, quæ non erant ex illo ovili (id est, ex Ecclesia Judaica) sed adducendæ (per prædicationem Euangelii inter gentes, & fidei donum) ut esset pastor unus & unum ovile. Quo etiam modo per mundum dispersi, à Christo colligen-

colligendi dicuntur in unum, Joan. 11. v. 52. merito mortis & verbi ac spiritus ipsius efficacia: qua alienos à se, invito Satana, mundo & carne ipsorum, trahet ad se in unum, sub se capite, Ecclesiæ corpus, Ephes. 2. v. 22. & 4. v. 12. & Galat. 3. v. 28. Alias hujus loci explicationes brevitatis causâ, quia parum accommodatæ videntur, consulto præterimus: Sequitur jam

Tertia Quæstio, ex vers. 38. De testimonii Esaiæ accommodatione & sensu.

INsignis est atque explicatione digna hæc Euangelistæ sententia: quæ ut succinctè declaretur, primùm observanda est illius circumstantia, nempe occasio & scopus: deinde sensus. Occasio autem est duplex: 1. Narratio pertinacis incredulitatis Judæorum, vers. 37. proposita: quod cùm Christus tot signa (nempe cùm alia, tum proximè apertionem oculorum cæci nati, Joan. 9. & cap. 11. Lazari quatriduum mortui suscitationem) coram eis edidisset, non credebant in eum. Id quod indefinitè dictum, non universaliter de omnibus Judæis intelligendum est, (nam ex primoribus etiam multi crediderunt in eum, v. 42.) sed de pluribus aliis, nempe Christi malitiosis hostibus, & quidem reprobis in incredulitate obduratis, ut vers. 39. 40. exponitur. Secunda verò hujus sententiæ occasio ex priori orta, est periculum scandali inde orituri: quod videlicet hac pertinacia Pharisæorum aliorumque incredulitate, qui authoritate valebant, infirmiores commoti potuissent mirari, cur tanti viri, tam docti & conspicui inter Judæos, non crederent, atque ita perturbari. Scopus vero est ut huic periculo scandali occurrat & admirationem tollat. Medium autem seu modus ad hunc scopum consequendum idoneus ac directus, est productio prophetiæ Esaiæ, cùm ait: *ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur &c.* Quibus verbis incredulitatem illam futuram jam olim prædixerat, in eum scil. finem, ne quis ea occasione inopinata offensus, de veritate doctrinæ atque officii Christi dubitaret: sed rei prædictione monitus ac præmunitus constanter & inoffenso pede in officio fidei procederet. Qualem etiam scopum Christus expressit, cùm discipulos similiter præmonuit de futura eorum persecutione, Joan. 16. vers. 4. Ad testimonium verò Esaiæ quod attinet, illud primò generatim indicatur à Joanne: deinde particulariter Prophetæ verbis exprimitur. Nam de priori ait: *ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur cum dixit.* In quo quæritur, quomodo hæc verba cum incredulitate Iudæorum narrata cohæreant: nempe quidnam voce ἵνα ut designetur. Cùm enim hæc conjunctio causam finalem indicare soleat, quæritur quomodo oratio hæc veritati consentiat. Nam Iudæorum incredulitas eum non habuit finem seu scopum, ut Prophetia Esaiæ impleretur: imò nihil minus cogitarunt. Respondetur autem, sępius quidem ea voce causam finalem designari, non autem semper: sed pro locorum circumstantia interdum eventum tantùm notari: quemadmodum inter cętera hęc loca sunt illustra, 2. Cor. 1. v. 17. *num quæ delibero, secundum carnem delibero,* ἵνα *ut* (id est, adeo ut) *apud me sit etiam & non?* & c. 7. 9. *tristitia affecti fuistis secundum Deum,* ἵνα *ut* (id est, ita ut) *nulla in re detrimento sitis affecti per nos:* & Apoc. 8. 12. *percussa est* &c. ἵνα *ut,* id est, *ita ut,* (quemadmodum Vulgatus & noster interpres rectè vertunt) *obscuraretur tertia pars eorum:* denique c. 13. v. 13. *Edit signa magna* ἵνα (*adeo ut,* quemadmodum noster interpres rectè transtulit) *faciat ignem de cœlo descendere.* Atque ita hoc etiam loco, *non crediderunt in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur:* non finis rei; sed eventus illius notatur, & Prophetiæ veritas. Quemadmodum etiam Joan. 19. v. 24. *dixerunt ergo inter se: ne eam* (id est, tunicam) *findamus, sed sortiamur de illa, cujus futura sit: ut scriptura impleretur dicens; partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam jecerunt sortem, milites igitur hæc fecerunt:* In quibus verbis cum dicitur: *ut scriptura impleretur dicens,* similiter non finis describitur, (nam milites illi prophani, scripturam illam non norant: multò minus hunc pium habebant scopum, ut scripturam implerent) sed eventum tantum significat, & divinæ prædictionis impletionem ac veritatem. Atque hæc de testimonii Esaiæ generali indicatione à Joanne facta: Cui particularis illius expressio, Prophetæ verbis hisce subjicitur: *Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui retectum est?* Ea autem verba extant cap. 53. v. 1. Quippe postquam sub finem cap. 52. v. 25. vocationem gentium ad Christi notitiam ac fidem, Rom. 15. v. 21. proposuit: contra deinde proximè cap. 53. v. 1. subjicit geminatam Christi querelam ad Patrem de Judæorum incredulitate. Cœterum observandum est Euangelistam præmissa expositione aliqua Prophetæ verba deinde adducere. Nam vox *Domini,* initio hujus dicti posita, in Esaia non extat: sed ad illustrandam sententiam præponitur: quemadmodum etiam Rom. 10. v. 16. Sic autem inducitur Christus Patrem compellans. Nam quemadmodum Filius illius est proprius, quatenus Deus: sic servus ejusdem dictus, Esai. 52. v. 13. qua homo factus assumpta servi forma Phil. 2. v. 7. ut voluntati Dei in redimenda per mortem Ecclesia inserviret. Verba autem Prophetæ propositione & expositione illius constant: quarum utraque interrogatione, quæ vim enuntiationis habet, illustratur, ad majorem incredulitatis declarationem. Propositio autem hæc est: *quis credidit sermoni nostro?* sensus autem est: quàm pauci Euangelio per me & Apostolos prædicato atque audito crediderunt? Nam subjectum illud, *quis,* Judæos notare, ex Euangelistæ verbis satis liquet, quia Esaiam de iis prophetasse testatur, & circumstantia verborum Prophetæ idem innuit: quia versu anteced. proximo in fine cap. 52. conversionem gentium ad fidem descripsit, & incredulitatis occasionem, ex humili Christi conditione in terris, à Judæis arreptam ostendit cap. 53. v. 2. & seq. per communicationis figuram qua ait: *ita fuit contemtus, ut non æstimemus ipsum:* id est, plerique è nostro populo: nec enim de omnibus: neque de Propheta: neque de Apostolis & similibus intelligi posse, fides eorum evincit. Unde apparet vocem *quis,* tantundem valere, atque quis è nobis, id est, ex Judæis: ad quos loci circumstantiæ, non minus quam Euangelistæ expositio referunt. Atque hæc de propositionis hujus subjecto, nempe Judæis, de quibus agitur, & qui voce *quis* indicantur. Attributum verò, seu id quod de iis queritur est, *credidit sermoni nostro.* Ubi ad plenam sententiam responsio tacita subintelligitur: nempe non omnes, ut Rom. 10. v. 16. exponitur: sed pauci: ut comparatio incredulorum cum credentibus ostendit, plurimos non credidisse. *Sermo* autem hoc loco (quia credendi objectum statuitur) κατ' ἐξοχὴν Euangelium, utpote salutis nuntium, Esai. 52. v. 7. designat: ut Euangelistæ ad eam rem hæc verba citantis narratio ostendit, & Apostolus Rom. 10. v. 16. disertè declarat, cum ait; *sed non omnes obedierunt Euangelio: Esaias enim dicit: Domine quis credidit sermoni nostro?* Hunc autem sermonem vocat Christus *nostrum* in plurali, ἡμῶν. Quo ostendit, se de suo sermone loqui: sed non solum de suo, verum etiam de suorum Apostolorum, aliorumque Euangelii ministrorum, quos ad Judæos misit. Nam prius quidem constat ex Euangelista, qui de Euangelii per Christum prædicatione tot signis confirmata, & à Judæis rejecta, disertè interpretatur: posterius vero probat numerus pluralis: cùm non ait simpliciter, *sermoni;* sed addit ἡμῶν *nostro,* id est, à nobis proposito. Nam licet Græci & Latini non rarò per enallagen numeri, de se, in plurali loquantur, ac dicant *nos* pro *ego,* & *nostrum* pro *meum:* illud tamen in Hebræa lingua, qua Propheta scripsit, omninò est insolens, licet quædam contraria D. Kimchi adducere conetur adversus christianos, Trinitatis Personarum in Deo assertores, sed sine ratione solida: nam ea de pluribus etiam dicuntur, ut alibi declaratum. Deinde non solum de Euangelio per Christum prædicato hunc sermonem intelligendum: sed etiam de sermone per Apostolos & alios Euangelii ministros accipi debere demonstrat Apostolus, Rom. 10. Nam postquam v. 15. verba Esai. 52. v. 7. *Quàm speciosi sunt pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona,* citavit, subjicit proximè vers. 16. *sed non omnes obedierunt Euangelio,* scilicet eorum Euangelizantium: atque ita citat hunc Esaiæ locum, *quis credidit sermoni nostro,* id est, à nobis prædicato: quo satis clarè ostendit, vocem il-

lam ἡμῶν plurali sensu de pluribus esse intelligendam. Atque hæc de prophetiæ Esaiæ propositione. Expositio autem continuata eodem sensu, interrogationis figura, ita adjungitur; *Et brachium Domini cui retectum est?* Cujus subjectum est, *brachium Domini*, quod citra controversiam non propriè accipitur, ut olim Anthropomorphitæ perperam statuebant: quia Deus non corpus, sed spiritus est; brachium verò soli corpori convenit: sed per metaph. ut potentiam Dei designet, quemadmodum Exod. 6. v. 6. & 15. 16. Actor. 13. v. 17. & Luc. 1. vers. 51. Sed illud controvertitur, quidnam hoc in loco Johannis *brachii* vox significet. Multi enim notari putant Euangelium, quia ab Apostolo 1. Corinth. 1. vers. 18. sermo crucis Christi (id est Euangelium) dicitur esse iis qui servantur potentia Dei: & Rom. 1. vers. 16. Euangelium vocatur potentia Dei ad salutem omni credenti. Quæ prima explicatio doctrinæ fidei probè consentit. Altera vero est ut brachium Domini personam Christi designet: qui revera est potentia Dei, 1. Corinth. 1. vers. 24. utpote idem cum Patre omnipotens Deus, per quem Pater omnia creavit, Coloss. 1. v. 15. 16. omnia fecit, Joan. 1. v. 3. & 19. 21. Quæ sententia similiter fidei consentanea est, & priori hoc in loco non immeritò præferenda: quia uberior est, seu pleniorem sententiam complectitur; adeo ut priori *sermonis* voce Euangelium: *brachii* verò *Domini* nomine, causa illius & fidei objectum primarium denotetur, nempe Christus. Deinde quia sequenti Prophetæ narrationi magis convenit, quæ de Christo agi satis clarè demonstrat, siquidem ea de Christo desertè loquitur; cùm attributa ipsi propria subjiciuntur, nulla alia illius mentione facta, v. 2. *assurgit ut tenera planta* &c. sic toto similiter capite, nulla Christi, tanquam subjecti de quo agatur, mentione facta, attributa declarantur: Ideoque illa ad antecedens brachium Domini, quatenus Christum notat, describendum pertinent. Nam ea referuntur aut ad antecedens Euangelium, aut ad Brachium Domini: aut inepta est (quod fieri non potest) oratio Prophetæ. Ad Euangelium autem non pertinere Christi propria attributa, certum est: Ergo ad brachium Domini, & quidem qua Christum notat, non qua Euangelium, pertinet: atque ita omnia aptissimè cohærent. Atque hæc de subjecto, *brachio Domini*, id est, Christo. Orationis verò attributum est: *Cui retectum est?* id est, paucis Judæis, ut ex superiori membro intelligitur. *Retectio* autem, seu ut interpretari solent, *revelatio*, propriè est rei occultæ patefactio: hoc vero in loco per metaph. à re corporea ad rem spiritualem transfertur, & donationem notitiæ ac fidei in Christum, natura nobis ignotum designat. Ea autem retectio est duplex: externa primùm, nempe prædicatio Euangelii de Christo, quod alioqui mysterium est, sua natura ignotum, & naturali industria imperyestigabile: quæ retectio etiam multis non credentibus contingit. Altera est interna: qua oculi mentis inprimis, donato fidei lumine aperiuntur, ut Christum, tanquam lucem mundi foris oblatum intueantur, seu actu cognoscant ac credant. Quæ revelatio per fidei donationem electis propria est ac spirituale Dei donum, de qua Christus loquitur Matt. 11. v. 25. *confiteor tibi Pater* &c. & v. 27. *nemo novit Filium* &c. & cap. 16. 17. ad Petrum, qui in Christum credebat & fidei confessionem ediderat, ait: *beatus es Simon bar-jona, quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlo:* Quibus in locis retectio, mentis per fidem illustratione seu notitiâ Christi designatur. Hoc igitur in loco similiter ratio redditur, cur non crediderint Judæi illi in Christum; quod iis donatione fidei, quæ liberum Dei donum, non esset retectus seu revelatus: nimirum quod cùm per se naturæ vi in Christum non crederent: etiam iis fides non esset donata à Deo, qua crederent. Atque hæc de tertia quæstione ad illustrationem v. 38. dicta: sequitur porro

Quarta Quæstio, De recto vers. 39. 40. 41. sensu.

Memorabilis est hæc Euangelistæ oratio, tribus hisce versibus comprehensa, quam veritatis adversarii variis artibus obscurare sunt conati: idcirco explicationem ac vindicationem aliquam merito desiderat: ut pura, de fidei origine sententia, & Christi Deitate doctrina conservetur & adversariis occurratur. Occasio autem horum verborum, est incredulitatis Judæorum illorum narratio v. 37. & adversus periculum scandali inde infirmis orituri consolatio vers. 38. à prædictione incredulitatis illius per Prophetam Esaiam cap. 53. v. 1. Nunc vero sequitur amplificatio incredulitatis eorum, & probatio illius ex alia Esaiæ prædictione: ut scandalo contumacis incredulitatis amplius occurratur. Incredulitatis autem amplificatio extat v. 39. Nam ut antea dixit: *non credebant*; sic amplius est, quod subjicit; *non poterant credere:* prius enim actum credendi: posterius vero hanc potentiam quoque defuisse declarat imposterum. Probatio vero est ex Esaiæ Prophetæ prædictione: quæ primùm indicatur generalius: deinde particularius exprimitur ac declaratur. Indicatur autem cùm ibidem à Joanne additur, *propterea:* item, *quia iterum dixit Esaias:* sensus est: quia ut Judæos non credituros in Christum Esaias prædixit loco antè citato: sic iterum de iis locutus alibi, impotentiam credendi verè prænuntiavit: Deinde prædictionem illam ex Esai. 6. vers. 10. exprimit ac declarat, exprimit quidem v. 40. *excæcavit oculos eorum* &c. In qua re observandus est consensus verborum Prophetæ & Joannis: deinde eorundem sensus. Ad prius quod attinet, in verbis aliqua apparet differentia, ut collatio Prophetæ, & citatio Mat. 13. v. 14. & Actor. 28. v. 27. ostendit: sed tamen in reipsa est concordia. Nec enim in proferendis Prophetarum dictis verba semper eadem à Christo & Apostolis referuntur: sed sæpe sententia tantùm: ut multis exemplis comprobatum ac notum. Ad rem vero quod attinet, Esai. 6. describitur illius à Deo missio ad prædicandum Judæis incredulis, & prædicationem secutura eorum in incredulitate contumacia atque obduratio insanabilis: ut simul sit typus propheticus similis missionis Christi & Apostolorum ad incredulos Judæos, & similis secuturæ contumaciæ atque obdurationis insanabilis: adeò ut ad sensus Prophetiæ integritatem, & typus & antitypus (seu res typo significata) tanquam duo membra sententiæ totius concurrant. Prius enim apparet ex serie ac circumstantiis narrationis Esaiæ: posterius verò ex Apostolorum testimoniis, qui typum eo modo, uti diximus, explicant: ut Mat. 13. v. 14. 15. & Paulus Actor. 28. v. 26. 27. & hoc loco Joannes, qui disertè ait: *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias*, & vers. 41. *locutus est de eo*, nempe Christo. Cœterum hæc prædictio duo membra rei futuræ describit: nempe incredulitatis Judæorum malitiosæ pœnam, & perpetuitatem illius. Pœna autem est duplex: excœcatio oculorum & deinde obduratio cordis. De priori autem dicitur: *excæcavit oculos eorum:* nempe Christus per se primùm, ut Matthæus cap. 13. vers. 13. 14. & Joannes hoc capite ostendit: deinde per Apostolos Act. 28. v. 27. & Rom. 11. v. 8. Ea autem excæcatio oculorum non propriè de corpore dicitur: sed impropriè per similitudinem à corpore ad mentem transfertur. Quo modo autem Christus excæcare oculos dicatur, ad rei illustrationem, & Christi gloriam, paucis explicandum. Modi enim sunt varii, ex quibus omnibus justitia illius elucet: Primus est actio illius ut Prophetæ ac servi Patris: prædicatio scil. Euangelii cum miraculis ad confirmationem illius editis: quibus Judæi, Christi hostes, conversionis populi ad ipsum invidia, irritati, contra conscientiæ stimulum, notitiam Christi, in sese magis magisque suffocarunt Ioan. 11. v. 47. 48. Ideoque hic modus excæcandi non proprius est: sed metaphoricus. Non proprius, quia causa illius propria est hominum incredulorũ malitia, non autem Christi actio: quoniam ea per se bona est, & ad notitiam Euangelii augendam idonea, quæque fidem atque amorem illius promeretur. Metaphoricus vero est modus, quo antecedens rei accidens adjunctum, quo homines impii ad rem aliquam efficiendam abutuntur, efficiens illius vocari solet: quod quemadmodum efficiente causa posita, effectum consequitur: sic accidente tali posito, tale sequatur effectum. In eo tamen differentia est, quod effectum vi causæ efficientis oriatur, non

non tantùm ſequatur: contrà verò poſito illo accidente, effectum ſequitur, non vi accidentis, ſed vi abutentis. Hinc vulgo, etſi minus aptè, cauſa efficiens per accidens dici ſolet, quo ſenſu Matt. 10. v. 34. Chriſtus ait, ſe non veniſſe, ut mittat pacem in terra, ſed gladium, & 2. Cor. 2. v. 15. Paulus ait: *nam Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui conſervantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam.* Secundus excœcandi modus, eſt actio Chriſti, ut veri Dei, regis ac judicis mundi: quâ eos, qui notitia veritatis Euangelii & Chriſti accepta, eam nec honorant nec diligunt, ſed contemnunt atque averſantur, punit: primum cum tradit eos in mentem judicii expertem, ſeu judicio ipſis dato, quo abutuntur ad dedecus ipſius, privat: ut ſimiliter de pœna eorum, qui notitiam Dei naturalem injuſtè detinuerant Deumque non honorarant, Rom. 1. v. 18. & 28. aſſeritur. Deinde cùm permittit eos tentationi & excæcationi per Satanam, ut 2. Cor. 4. v. 3. 4. *quod ſi tectum eſt Euangelium noſtrum, iis qui pereunt* (id eſt, reprobis) *tectum eſt: in quibus Deus hujus ſeculi* (id eſt, Satanas, mundi princeps) *excæcavit mentes infidelium* &c. Quemadmodum eo etiam ſenſu dicitur, 2. Theſ. 2. v. 9. 10. 11. de Antichriſto, *quod ex efficacia Satanæ advenit, cum omni fraude injuſtitiæ in iis, qui pereunt, pro eo quod amorem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent, propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed acquieverunt in injuſtia.* Atque hæc de prima incredulorum Judæorum, ac pertinacium pœna, nim. oculorum id eſt mentis excæcatione. Altera ei adjecta, eſt cordium obduratio. Quo in loco vox *cordis* citra controverſiam, non propriè partem corporis notat: ſed impropriè accipitur: quo autem ſenſu videndum; nam uſus illius in S. Scriptura extat varius. Interdum enim mentem, ſeu intelligendi facultatem ſignificat. ut Matt. 9. verſ. 4. *quid cogitatis mala in cordibus veſtris:* & Mar. 11. v. 23. *& non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit:* & Rom. 1. v. 21. *& obtenebratum eſt inſipiens cor eorum:* deinde interdum cor alteram animæ facultatem, nempe volendi potentiam notat, ut Ioa. 16. v. 6. *triſtitia implevit cor veſtrum:* & v. 22. *gaudebit cor veſtrum:* & Rom. 1. v. 24. *deſideria cordis:* & c. 10. 1. *voluntas cordis mei.* Denique interdum pro anima ipſa, utrâque cùm intelligendi, tum volendi facultate prædita, accipitur: ut cum ab utriuſque attributis cor deſcribitur: quemadmodum Matth. 15. v. 19. *ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, furta* &c. Hoc autem in loco non incommodè pro diverſis ſignificationibus hiſce exponi poteſt. Prima quidem; ut idem notet quod mentem, quam in priori hujus ſententiæ membro *oculos* metaphoricè vocavit: Cui declarationi favere omninò videtur, quod proximè hîc ſubjicitur: *& intelligant corde*, id eſt, mente, ad quam intelligentia propriè pertinet. Secunda etiam ſignificatione accipi poteſt, ut volendi facultatem deſignet: quæ expoſitio uberior eſt, atque diſtinctam à priori, eoque ampliorem ſententiam complectitur. Neque obſtat quod cordi intelligentia ſequentibus tribuatur: quia in eadem oratione, interdum una vox diversâ ſignificatione intelligenda, prout attributorum veritas diſtinctè requirit: quemadmodum Matth. 8. v. 22. & 2. Cor. 5. v. 21. & Ioan. 3. v. 17. *non enim miſit filium ſuum in mundum*, (id eſt, orbem terrarum) *ut judicet mundum*, id eſt, homines, qui in mundo, ſeu in terra ſunt. Denique ſignificatione tertia non incommodè animam notare poteſt: ut ex attributæ obdurationis ſignificatione, & ex ſequenti converſionis mentione addita, quæ ad utramque facultatem animæ pertinere poſſunt, colligendum videtur. Obduratio enim cordis ſeu animæ duplex in ſcriptura memoratur: una ratione mentis: altera ratione voluntatis; & utraque per ſimilitudinem à callo corporis metaphoricè ſic dicta. Ut enim callo obducta, non facile tactui cedunt, ut aliquid imprimatur, ſed reſiſtunt, tanquam ſenſus expertia: ſic mens præjudicio falſo quaſi callo obdurata, verbo Dei ad credendum propoſito non cedit: ſed ei incredulitate obſiſtit: quemadmodum ſimiliter volendi facultas malitiâ, ſeu pravis affectibus quaſi callo quodam antea imbuta, non obtemperat Dei verbo, ſed illud averſatur eique ſe opponit. Ad mentis autem obdurationem quod attinet, quæ excæcatio antea dicitur, ea eſt incredulitatis confirmatio, ſeu omninò, ſeu partim tantùm. Ac prioris quæ impiis attribuitur mentio eſt, Rom. 11. v. 25. πώρωσις (noſter interpres *obdurationem* vertit, propriè autem *calli effectionem* notat: vulgatus interpres ad ſenſum ſpectans *cæcitatem* interpretatur) *ex parte Iſraeli obvenit, donec plenitudo gentium introierit:* & 2. Cor. 3. v. 14. ἐπωρώθη νοήματα αὐτῶν, noſter vertit *occalluerunt* (id eſt, obduratæ ſunt) *mentes eorum:* Vulgatus verò *obtuſi ſunt ſenſus eorum.* Poſterioris verò exempla in piis ac fidelibus Apoſtolis apparent, qui ad pauca Chriſti dicta intelligenda ac credenda fuerant initio tardiores, ſicut Marc. 6. verſ. 52. *non enim intellexerant de panibus, quoniam cor eorum erat* πεπωρωμένη *callo obductum*, id eſt, obduratum quodammodo, quod noſter interpres, *occalluerat*: vulgatus verò ſenſu expreſſo, *erat excæcatum*, interpretatur: & cap. 8. v. 17. *nondum cognoſcitis neque intelligitis, adhuc habetis cor veſtrum* πεπωρωμένην? quod noſter interpres *ſtupidum*: vulgatus, *cæcatum* interpretatur: denique Marc. 16. v. 14. *exprobravit incredulitatem eorum, &* σκληροκαρδίαν *cordis duritiem, quod iis qui ipſum conſpexerant excitatum, non crediſſent.* Altera vero obduratio cordis (quatenus illud volendi facultatem notat) eſt voluntatis in pravitate, ſeu odio veritatis ac juſtitiæ contumacia; quam Apoſt. Eph. 4. gentibus infidelibus tribuens hoc modo diſtinctè deſcribit v. 18. *Cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam à vita Dei*, διὰ τὴν ἄγνοιαν, *propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis*, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, *per* (vel ut noſter interpres reddit clarè *ex*) *obdurationem cordis eorum.* Ubi minus rectè vulgatus interpres *cæcitatem cordis ipſorum* interpretatur; quoniam non de mentis vitio loquitur Apoſtolus ſed de voluntate atque affectibus, vitiorum conſuetudine ita depravatis, ut inde judicio diſcriminis recti ac pravi obliterato, in quævis ſcelera præcipites prolapſi ſint, ut etiam verſus ſequens demonſtrat, his verbis; *qui poſteaquam dedoluerunt*, (ecce declarationem obdurationis: quod ſcilicet in malo obfirmati, dolere ob ſcelera deſierint, ut effecta ſequentia etiam probant) *ſemetipſos dediderunt proterviæ ad certatim patrandam impuritatem omnem.* Huc etiam pertinet impiorum Judæorum adverſus Euangelium à Paulo prædicatum contumaciæ deſcriptio, Actor. 19. v. 9. *cum autem quidam indurarentur & non parerent, malè loquentes de via*, ut ſimili exemplo clarè illuſtratur cap. 13. v. 45. 46. Atque hactenus de cordis, cui obduratio tribuitur, declaratione. Ut autem quid maximè, in trium harum expoſitionum veriſimilium diverſitate, huic loco conſentaneum videatur, cognoſci poſſit, media ſententia videtur præferenda: nim. ut obfirmatio animi ſeu voluntatis atque affectuum pravorum adverſus Chriſti Euangelium intelligatur; nimirum quod prædicatione Euangelii, miraculis etiam confirmata, non correcti ſint, ut Euangelium amarent, prout res merebatur: ſed contra in odio ſuo adverſus illud ſeſe magis magiſque obfirmarent: adeo ut ipſi ſuâ malitiâ obdurationis illius cauſa extiterint: Ideoque quod de Chriſto dicitur, *obduravit corda eorum:* illud non de prima duritie intelligendum, (quaſi ex mollibus ac morigeris, duros atque immorigeros reddidiſſet) quia eam in ſe & à ſeipſis jam antea, ut Joannes declaravit, habuerant: ſed de primæ illius duritiei incremento; deinde ea ratione non propriè Chriſto aſcribitur: quaſi omninò, aut partim ſaltem, cauſa efficiens fuiſſet obdurationis adauctæ) hoc enim ſanctitati illius perfectæ ac perpetuæ repugnaret) ſed impropriè per metaph. quemadmodum ſimiliter in excæcatione mentis declaranda, jam anteà oſtendimus, & locis Scripturæ S. illuſtrare conati ſumus. Unde etiam obdurationis ſignificatio non difficulter intelligi poteſt: quemadmodum ſtrictim indicare convenit. Nam ut rei alicujus antecedens occaſio, quâ poſita, non illius, ſed alieno vitio res ipſa certò conſequitur, quaſi ea cauſa eſſet, per ſimilitudinem quandam cauſa efficiens appellari ſolet: ſic etiam Chriſtus hoc modo Judæos hoſce obduraſſe dicitur, quod bonæ actionis illius occaſione, ipſimet ſuo vitio duriores ſint effecti. Actio autem Chriſti fuit recta boni ſui, partim oblatio, partim ablatio juſta. Prius ut

 jam

jam modo ostendimus, fuit Euangelii prædicatio, & gloriæ Christi per miracula illustratio: qua re cùm merito emolliri, & ad amorem illius provocari justè deberent, contrà propria sua malitia injustè irritati, duriores effecti sunt. Posterius est ablatio justa boni sui fræni, seu actionis coërcentis, duplicis. Prima enim actio fuit, qua interius suum donum, quo antea eorum pravos affectus, ne adeo augerentur, ad tempus refrænarat, ab iis justè auferendo, eosdem desideriis cordis ipsorum pravis tradit: quemadmodum Apostolus Rom. 1. in simili punitione gentium ostendit. Altera actio est cum Satanæ, quem ad tempus cohibuerat, quasi habenas laxat, & ad justam impietatis pœnam, eos tentandos permittit. Ita ut occasio quidem obdurationis fuerit Christus justè agens: causa vero efficiens, malitia Judæorum & Satanæ tentatio. Atque hæc quidem de duplici incredulitatis pœna, Judæis malitiosè incredulis illata: partim excæcatione oculorum mentis: partim obduratione cordis eorum. Cujus eventus declaratur, nimirum perseverantia utriusque, cum additur: *ἵνα μὴ, ut non videant & intelligant corde, & convertantur & sanem illos.* Perseverantia enim in excæcatione indicatur, quod ita futura esset, *ut non videant*, id est, ut exponitur, *intelligant corde*, id est, mente credant, ad quam intelligentia pertinet: ut supra declaravimus. Perseverantia autem obdurationis notatur, his verbis, *& convertantur & sanem eos.* Nam cùm conversio sit duplex: una mentis, per intelligentiam seu fidem: altera voluntatis, per charitatem: posterius ob distinctionem à visione seu intelligentia cordis hoc loco commodè denotatur. Quod autem additur: *ut sanem eos*, illustratio est antecedentis intelligentiæ mentis & conversionis cordis: & quidem vel per declarationem, ut significetur primùm, in utroque illo sanationem hominis consistere, & Deum utriusque authorem: vel per amplificationem quandam, liberationem à merita peccatis pœna, & reconciliationem cum Deo designat. Quod ut paulò melius intelligatur, insita vocis vis, distinctione usus illius nonnihil illustranda est; siquidem vel propriè, vel impropriè in S.Literis usupatur. Propriè quidem sanatio est valetudinis corporis aliquo vitio læsæ, in integrum restitutio: quo modo Christus Matth.4.v.23.dicitur,sanasse quemvis morbum & quemvis languorem in populo: vers. 24. sanasse omnes male affectos, & cruciatibus detentos, & dæmoniacos. Qualis sanatio propriè accepta, in hac Joannis ex Esaia producta sententia, non intelligitur, ut res ipsa satis ostendit. Impropriè vero sanatio ad aliam rem propter similitudinem quandam eleganter transferri in Sacris Literis solet: nimirum ut ea voce denotetur pristini status felicis, per calamitatem aliquam ablati, redintegratio. Quæ rursus pro pristini status illius, & oppositæ calamitatis externæ aut internæ distinctione, duplex etiam existit. Prior est ab externa belli, sterilitatis, aut similis miseriæ, in statum tranquillum ac prosperum reductio; cujus significationis illustria hæc sunt exempla. 1. In insigni illa allegoria Hos. 5. v. 13. *Videns Ephraim morbum suum, & Juda ulcus suum, abiit Ephraim ad Assyrium: sed ipse non poterit sanare vos, neque curare vos ab ulcere:* & cap 6. v. 1. *ipse rapuit & curaturus est nos: ipse percussit, & obligaturus est nos:* sic etiam terræ, locustis & pluviæ privatione sterili ac quasi morbo afflictæ, per conversionem populi, sanatio promittitur 2. Chronicor. 7. vers. 14. Altera sanatio metaphorica est, hominum ab interna miseria, quasi morbis atque ulceribus, animæ integritatem lædentibus, in rectum statum restitutio. Eaque rursum est duplex: una quidem per sanctificationem: altera vero per justificationem ac reconciliationem cum Deo. Per sanctificationem quidem, quia per eam à peccatis nobis insitis, quasi à morbis spiritualibus liberamur, & pristinam sanctitatem, quasi valetudinem spiritualem recuperamus. Quomodo allegoricè loquitur Apostolus Heb. 12. vers. 13. cùm ait: *Et rectas orbitas facite pedibus vestris, ne quod claudum est abducatur à via, sed ut sanetur potius.* Per justificationem verò sanatio animæ contingit: quia per eam, satisfactione Christi intercedente, à reatu ex peccatis orto (id est, obligatione iræ Dei, & mortis æternæ pæna) liberati Deo reconciliamur, & vitæ æternæ hæredes simus, de qua sanatione Psal. 41. v. 5. dicitur: *sana animam meam, quia peccavi tibi:* & Psal. 103. vers. 3. *qui condonat omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes morbos tuos*, id est, per metaph. omnia peccata tua (quibus integritas animæ corrumpitur & ira Dei provocatur) condonat. Quæ quasi sanitas Esai. 53. v. 5. & 1. Pet. 2. v. 24. Christo accepta tribuitur: *Cujus*, inquit, *vibicibus sanati sumus*, id est, à merita mortis pœna, ob peccata passione illius nempe Christi liberati, ac quasi pristinæ valetudini restituti sumus: & Esai. 61. vers. 1. & Luc. 4. v. 18. *ad Euangelizandum pauperibus misit me, ut sanem contritos corde:* id est, peccatorum suorum sensu, & condemnationis meritæ conscientia perculsos ac quasi contritos animos, per fidem, merito satisfactionis meæ, & per efficaciam Sp. S. justificem; quemadmodum in loci hujus citatione pro hisce verbis, *& sanem eos*, Marc.4. v.12. dicitur, *& peccata iis condonentur.* Atque hac sanitatis, quæ à Deo confertur, explicatione posita, utraque quam initio proposuimus horum verborum, *& sanem eos*, expositio commoda est: sed posterior tamen videtur præferenda: ut scilicet conversionis ante memoratæ utilitas declaretur: nempe peccatorum per & propter Christum remissio & reconciliatio cum Deo. Hæc enim sanationis Deo Christoque attributæ, per justificationem significatio, est maximè trita in Sac. Lit. & sententiam hanc Euangelistæ uberiorem reddit: quam si de sanatione per sanctificationem, repetitione quadam intelligatur. Quare ut ad scopum Euangelistæ redeamus, ex illustri hac Esaiæ cap. 6. sententia rectè demonstravit, Judæos illos Christi adversarios (quos non credidisse asseruerat) etiam non potuisse credere: quod scilicet nec ipsi per se possent, nec Christus fidem iis hostibus suis donare vellet. Siquidem ut oculis corporis cæci, nisi à Deo solo visus iis restituatur, videre non possunt; sic hi increduli Judæi, de quibus agitur, mentis oculis cæci, videre Christum per fidem non potuerunt: quia ad eam rem per se fuerunt impotentes, & deinde justo ac constanti judicio Christi, in cæcitate sua & cordis duritie seu malitia pertinaci relicti sunt, suoque insanabili contumaciæ vitio deteriores redditi. Atque hactenus de hujus prophetiæ recta ad scopum propositum expressione: sequitur deinde brevis atque insignis declaratio illius, qua docet, hęc de Christo esse prædicta: ut eo modo objectioni occurrat atque errori; ne quis existimet ea verba ad prophetam Esaiam tantummodo pertinere: ac propterea ineptè omninò ad Christum accommodari, deque eo exponi. Ea autem declaratio hisce verbis continetur: *Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Quibus duo designat: primùm quidem tempus, quando ea locutus est Esaias: deinde personam de qua locutus est. Tempus autem est: *cùm vidit gloriam ejus*, nempe Christi, de quo Joannes locutus est, ut consequentia idem ostendunt. Gloria autem ea describitur & exprimitur. Esa. 6. v. 1. quod vidit Deum insidentem solio excelso, &c. de quo Seraphim inter se mutuò clamarunt, v. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus, est Jehova exercituum, impleta est tota terra gloriâ ejus.* Atque hæc de tempore quando hæc locutus est Esaias: Persona verò de qua locutus est indicatur, cum addit, *locutus est de eo*, scil. Christo, verò cum Patre Deo, & simul verò homine, cujus gloriam, ut veri Dei, olim apparentis forma judicis throno suo insidentis, vidit Propheta, & ab eodem ad Judæos contumaces sermone suo excœcandos atque obdurandos missus, typus fuit excæcationis & obdurationis posterorum similium, prædicatione per filium Dei, patefactum in carne & ad Iudæos missum, futuræ. Ideoque aptissimè hæc sententia Prophetæ ab Euangelista de Christo exposita est: unde demonstratio æternæ Deitatis Christi invicta ab Orthodoxis contra Arrianos & Samosatenianos (cum veteres, tum nostri ævi Socinianos) deducitur: Is enim cujus gloriam Esaias vidit, quæ describitur ab eo cap. 6. est Iehova exercituum. Atqui Christus est is, cujus gloriam Esaias vidit, quæ describitur Es. 6. Ergo Christus est Iehova exercituum, ac propterea Patri ὁμοούσιος. Propositio ibidem v. 1. 3. & 5. à propheta diserte exprimitur. Assumtio verò hoc loco Ioannis perspicuè continetur, cùm ait

ait v. 41. *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo*, scil. Christo. Cujus demonstrationis claritatem cum adversarii suis argutiis obscurare contendant, eæ strictim ad veritatis & Christi gloriam asserendam diluendæ. Primùm autem objiciunt contra id, quod in assumtione pronomen *hæc* ad dictum Esa. 6. refertur; ac contendunt, eò non pertinere, sed ad prius testimonium ex c. 53. productum. Verùm hoc duplici ratione confutatur. Prima est orationis Iohan. series. Duplex enim ab eo de Iudęis illis propositio adfertur: prima; quod non crediderunt in eum, nempe Christum: eamque testimonio Esaiæ cap. 53. declarat. Atque ita absoluta primæ illius propositionis tractatione, secundam subjicit; quod non potuerint credere: idque similiter altero Esaiæ testimonio ex cap. 6. petito prædictum confirmat: quibus verbis proximè subjicit: *hæc dixit Esaias*, nempe de quibus loquitur: quæ testimonio proximò ad propositionis secundæ illustrationem adduxerat. Deinde res ipsa idem quoque evincit. Primùm enim Esa. 6. describitur magnificè gloria Iehovæ exercituum, ejusque à Propheta visio; deinde subjicitur Iehovæ in illa gloria apparentis mandatum ad Prophetam; cujus pars primaria à Ioanne recitatur: Deinde quia initium c. 53. Esaiæ, quod primum ab Euangelista citatur, non loquitur de Christi gloria; sed de ignominia, quæ humili statu, contemtu, passione & morte describitur. Nam quod adversus hoc objicit Enjedinus: *Passiones ab Esaia descriptæ, non ignominia sed gloria fuerunt Christi, tendebant enim & ducebant ad gloriam:* illud genuinam vocis significationem pervertit, & opposita ineptè componit, ac scripturæ adversatur. Nam Luc. 24. v. 26. dicitur: *nonne oportuit Christum ista pati & ingredi in gloriam suam?* Quibus verbis ipsemet Christus suas passiones & gloriam consequentem disertè opponit: ut & 1. Pet. 1. v. 11. dicitur, spiritum Christi qui in prophetis erat, ante testatum fuisse de passionibus, & gloriâ illas consecutura Sed excipit adversarius: Es. 6. *de pœna gentis perfidæ Judaicæ agitur, quod non pertinet ad gloriam Christi:* Resp. ad prius negatione consequentiæ: Nam licet illa pœna non pertinuerit ad gloriam Christi; nihilominus tamen pertinet ad gloriam Christi, quod Esaias vidit gloriam majestatis illius, cum hæc dixit, quæ ibidem describitur. Quod rursus objicitur à vers. 11. cap. 53. usque ad finem agi luculenter de Christi gloria mortem secutura, quo respexerit Euangelista: Verum est, de Christi gloria, passionem & mortem secutura, ibidem agi: sed ea non spectata fuit primùm, cum propheta dixit: *quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini retectum est?* neque Euangelistam eò respexisse inde satis liquet: quia alias subjecisset illa verba, *quando vidit gloriam ejus*, testimonio primo ex cap. 53. proposito: non autem verbis aliò pertinentibus ex c. 6. prolatis, ubi gloria Jehovæ non futura, sed præterita describitur. Altera rursus est exceptio adversarii quod Esa. 6. non dicitur à Propheta, se vidisse gloriam Domini, sed Dominum sedentem super solium, & audivisse canentes Angelos terram esse plenam gloria Domini. Resp. etsi Esaias id non dicat totidem verbis, nihilominus descriptione insigni gloriæ, sensum eundem expressit. Nam sessio Domini apparens super solium excelsum & elevatum, & fimbriæ illius implentes templum v. 1. & Angelorum Seraphim Domini gloriam celebrantium circumstantia vers. 2. & 3. & motus frontispicii liminum templi & fumus illud implens, v. 4 sunt illustris, non simplicis, sed multiplicis gloriæ quam Esaias vidit v. 1. & 5. descriptio. Nam sola etiam nubes miraculosa implens tabernaculum, qua præsentiam suam ac potentiam gloriosè Israelitis patefecit Deus, vocatur *gloria Dei* Exo. 40. v. 34. 35. Quemadmodū etiam similis admiranda nubes, quæ templum implevit. *gloria Jehovæ* similiter vocatur, 1. Reg. 8. vers. 10. 11. Sic etiam, gloriosa Dei, sub specie hominis, throno insidentis sublimi solio, & stipantibus Angelis, ac motu postium templi & fumo illud implente conjunctis, ab Esaia visa, fuit revera Dei gloria: quam etiam Angeli Seraphim prædicarunt atque amplificarunt cùm ajunt: *plena est omnis terra gloria ejus:* id est, non solum templum, ut pars terræ, extra ordinem, in ista visione: sed etiam secundum ordinem creationis & providentiæ divinæ, in reliqua tota terra: quod in ea gloriosæ Dei potentiæ ac benignitatis opera sint conspicua, ut Psalm 148. inprimis vers. 13. & Psal. 57. v. 12; & 108. 6. declaratur. Quod autem deinde objicit, visionem illam Esai. 6. non pertinere ad Christum, sed ad Deum Patrem, apparere ex Apoc. 4. ubi vel eadem, vel similis visio describitur, & Deo Patri tribuitur, & ab eo Christus cap. seqq. distinguitur: Illud à re proposita alienum est: quia non potest eadem esse visio utrimque: quia illa ante Christum natum, Esaiæ; hæc verò post Christi ascensionem in cælum, Joanni accidit: ut v. 1. ibidem traditur: neque similitudo aliqua quicquam ad rem pręsentem facit. Pręterea objicitur, pronomen illud αὐτῶ seu *ejus*, non ad Christum esse referendum: sed ad vocem κυρίε, quę bis vers. 38. exprimitur: ut ad Patrem referatur: quia nulla Christi fit mentio. Sed respondetur, utrumque negari: Nam ad rationem objectam quod attinet, ea falsa est: nam licet non explicitè Christi nomen memoretur, implicitè tamen per ellipsin perspicuam continetur: quemadmodum ex anteced. constat, quoniam ut vers. 37. Euangelista dixit, primùm de Iudæis Christi auditoribus malitiosis, *non credebant in eum*, id est, citra controversiam, in Christum: idque Esaiæ testimonio primo ex cap. 53. declaravit vers. 38. sic deinde amplificat incredulitatem eandem ab impotentia, vers. 39. *propterea non poterant credere*, scilicet Iudæi illi, in Christum, ut res ipsa & orationis series evincit: idque ratione secundi testimonii ex Esa. cap. 6. sic confirmat, quod iterum dixerit: *excæcavit oculos eorum & obduravit corda eorum:* Id quod Christo attribuitur, cujus Euangelio & miraculis increduli illi Iudęi suâ malitiosa invidia stimulati, magis magisque excæcati atque obdurati sunt, ut supra explicuimus. Nam quemadmodum Esaiæ à Iehova exercituum mandatum dicitur cap. 6. vers. 10. *pinguefac cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude:* quo mandato excæcatio & obduratio Iudæorum illius temporis Prophetæ Esaiæ metaphoricè tribuitur: sic etiam (quatenus in ea re Christi typus fuit) denotatur fore, ut hic similiter sua prædicatione miraculis confirmata, oculos Iudæorum multorum excæcaret, & cor eorum obduraret: quemadmodum revera accidisse Euangelistà ostendit. Idcirco eodem servato sensu, imperativum loquendi modum, qui apud Esaiam extat, in præteritum accommodatè ad rem præsentem convertit. Quemadmodum alibi in ejusdem sententiæ Esaiæ citatione similiter, manente eodem sensu, mutatio aliqua vocum facta est: quemadmodum Matth. 13. v. 15. pro imperativo *pinguefac*, præteritum & quidem passivum positum ἐπαχύνθη, *pinguefactum est:* & pro eo, quod Esaias habet, *& aures ejus aggrava & oculos claude*, quod prophetæ tribuitur, Matthæus exponit, *auribus graviter audierunt, & oculos suos* ἐκάμμυσαν *clauserunt*, ut vulgata versio & Henric. Stephanus vertunt: aut ut noster interpres, *oculis conniverunt:* unde apparet ex Prophetæ verbis occasionem indurationis ipsi & Christo (per se, ut hoc in loco, & per Apostolos ut Actor. 28.) prædicanti adscribi: causam verò propriam à Matthæo indicari malitiam incredulorum Judæorum. Ideoque hæc excæcatio atque obduratio à Joanne proposita eo sensu (convenienter prædicationi & typo Esaiæ) Christo attribuitur. Ideoque cùm dicitur, *vidit gloriam ejus & locutus est de eo:* voces *ejus* & *eo*, non ad Deum Patrem, ut adversarius Enjedinus contendit, sed ad Christum manifestè referuntur. Idque etiam perspicuè ostendunt proxima verba, quæ de Christo citra controversiam loquuntur, cùm dicitur: *multi tamen ex principibus crediderunt in eum.* Quibus absolutis una occurrit difficultas, licet ea ab adversario non moveatur: siquidem quæri potest, quo modo Christus possit rectè Esai. 6. per Jehovam exercituum, cujus gloriam vidit Propheta, designari: & simul per prophetam Judæos amplius excæcaturum & obduraturum adumbrari. Responsio est, Christum pro duplici sua natura rectè bifariam distinctè hoc loco considerari. Quatenus enim Deus, est Dominus seu Jehova exercituum, cujus gloria Esaiæ patefacta: quatenus verò homo futurus ac Propheta Dei, per Prophetam Esaiam missum, fuit adumbratus: quemadmodum pro varia ipsius consideratione

variis etiam fuit typis adumbratus, ut ad Hebræos passim, & alibi etiam demonstratur. Atque hæc ad illustris hujus loci explicationem, atque inprimis adversus Deitatis Christi hostes vindicationem, dicta sunto: sequitur

Quinta Quæstio, quid significet v. 42. Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum.

OCcasio hujus quæstionis est ea assertio Euangelistæ antè tradita, de Judæorum incredulitate, & credendi impotentia insanabili: unde opinio concipi potuisset, hoc de universis Iudæis eorumque primoribus esse intelligendum. Scopus autem est, ut hunc errorem præveniat atque avertat. Modus verò eo tendens, est hæc sententia: qua commoda explicatione contrarium statuit, cum ait, *Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum:* id est, licet plerique ex populo & primoribus illius non crediderint, sed adversus Christum contumaces fuerint, non est tamen existimandum nullos eorum credidisse: nam non solùm è populo, sed etiam ex primoribus illius multi, id est, non unus atque alter, sed plures, etsi incredulis pauciores, crediderunt in eum. Verùm hic quæstio exurgit, an hic fides intelligatur viva, an verò mortua. Quidam enim de fide viva quæ per regenerationem donatur: & ut cum charitate simul infunditur per Sp. S. sic per eandem charitatem est efficax, Galat. 5. intelligunt. Quæ explicatio probatur, primùm ex collatione antecedentis: quia ut ante verbum illud *credere* de viva fide accipitur, sic hoc in loco similiter accipiendum: quia non simpliciter dicitur; *multi credebant*, sed, *veruntamen etiam multi:* quo videtur clarè statui, quod licet è populo plurimi non crediderint in Christum, id est, viva fide ipsum non sint amplexi, alios tamen, etiam ex primoribus, multos ita credidisse. Altera ratio à vi phraseos quæ hîc adhibetur deducitur: quia primores non dicuntur credidisse Christo, sed in Christum: quo vivæ fidei (ut plurimorum sententia est) proprium denotetur: quod in eo acquieverint ac fiduciam suam collocarint. Alii verò non vivam fidem, sed mortuam intelligi arbitrantur: nudam scilicet veritatis Euangelii Christi notitiam, resipiscentia & charitate ac fiducia salutis destitutam: quæ vulgo fides historica, licet non satis clarè, vocatur. Hoc autem colligunt inde, quoniam cùm viva fides sit per charitatem efficax, Gal. 5. v. 6. Iac. 2. v. 17. 18. talis in hisce primoribus non extiterit: quia de hisce credentibus in Christum dicitur, quod propter Pharisæos non confitebantur, ne Synagoga moverentur, id est, metu excommunicationis in eos decretæ Ioann. 9. vers. 22. qui fidem in Christum profiterentur. Deinde quoniam additur de iisdem: *dilexerunt enim gloriam hominum potius, quàm gloriam Dei:* quemadmodum de Iudæis illis asseritur qui Christum audiebant, Ioan. 5. v. 44. *quomodo vos potestis credere, cùm gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæratis.* Neque huic sententiæ obstare arbitrantur phrasin Euangelistæ: nimirum quod non dicat, crediderunt αὐτῷ, sed εἰς αὐτὸν in eum, quasi ea phrasis vivæ ac justificanti fidei solùm conveniret. Quia etsi illud & olim à nonnullis, & vulgò plerunque approbetur, ab aliis tamen nonnullis piis atque illustribus Theologis atque Hebrææ linguæ interpretibus aliter judicatur: qua de re consuli potest Doct. Martinus Bucerus, in præfatione comment. in ep. ad Rom. Nam ut de phrasi hac aliquid plenius moneamus; ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν, non puræ linguæ Græcæ est phrasis: ut neque Latinæ, *crediderunt in eum*: sed merus est Hebraismus, seu Hebrææ phrasis imitatio: adeo ut idem omninò notet atque *crediderunt ei*: quod citra discrimen modò de viva fide, modò de mortua, pro ratione rei, de qua agitur, diverso modo accipiatur, ut Exod. 14. v. 31. *crediderunt in Jehovam & Mosen*, id est, ut vulgatus interpres exponit: *crediderunt Domino & Mosi*, & D. Iun. & Tremel. *crediderunt Iehovæ & Mosi:* & 1. Sam. 27. v. 12. *Achis credidit in Davidem*, id est, Davidi, ut vulgata versio & D. Iunii & Tremel. & Genevensis Gallica rectè transtulerunt: & Ion. 3. v. 5. *& Ninivitæ crediderunt in Deum*, id est, Deo, urbis interitum per Ionam comminanti, ut vera dicenti fidem adhibuerunt. Neque enim intelligi potest de fide salutari in Christum, quia Euangelium, verbum scilicet salutis, iis nondum erat prædicatum: sed verbum interitus urbis. Neque de fide cum amore & fiducia in Deum conjuncta sermo est: quia nulla iis fuerat facta promissio. Ac propterea rectè D. Iun. & Trem. interpretati sunt: *crediderunt Ninivitæ Deo*, & Genevenses similiter. Deinde ut adhuc expressius ac propius ad rem præsentem accedamus, id quod Hebræa phrasi de Abrahamo dicitur, Genes. 15. vers. 6. *credidit in Jehovam*, versio D. Iunii habet, *credidit Jehovæ*: quemadmodum exceptione omni major Apostolus disertè, Rom. 4. v. 3. & Gal. 3. v. 6. hunc locum citans transtulit: *credidit Deo*; Et in Nov. Test. sæpe eodem sensu dicuntur iidem credere Christo, & credere in Christum, Ioan. 8. vers. 30. *multi crediderunt in eum*, & vers. 31. de iisdem omnino dicitur: *qui credebant ipsi:* & hoc cap. 12. Ioannis de eadem omninò re dicitur vers. 37. *non crediderunt in eum*, & de iisdem vers. 38. (ut etiam Rom. 10. vers. 16.) *quis credidit sermoni nostro?* Denique de mortua fide dicitur Ioan. 2. v. 23. *multi crediderunt in nomen ejus:* de quibus tamen v. 24. dicitur, *Jesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod nosset omnes.* Quemadmodum contrà de viva & salvifica fide dicitur altera phrasi, Ioann. 5. v. 24. *qui credidit ei, qui me misit, habet vitam æternam*, ea enim soli vivæ fidei promittitur ac confertur. Hisce utrimque expensis, prior tamen sententia videtur præferenda, non quidem ob phrasis illius; *crediderunt in ipsum*, argumentum: sed propter connexionem cum antecedentibus supra probatam, ut credere utrimque de eadem fide accipiatur. Deinde quod dubia sententia, in meliorem partem ex charitatis & æquitatis lege de aliis sit judicandum. Neque ratio objecta quicquam evincit: Nam quod Christum non ausi sunt confiteri; quodque gloriam hominum magis dilexerunt quam Dei, ut Euangelista memorat: illud non simpliciter & absolutè intelligendum (sicut de incredulis Christi adversariis, Ioann. 5. v. 44. dictum) sed secundum quid atque relatè: nimirum quod ad tempus, infirmitate fidei & charitatis laborantes, officium neglexerunt. Qualis fuit Nicodemus Pharisæus ex primoribus Iudæorum, Joan. 3. v. 1. & 10. & alii nonnulli cum ipso: qui metu Judæorum initio nocte Christum adiit ac dixit, *scimus* (nempe ego & alii mecum) *te à Deo venisse Magistrum: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus sit cum ipso:* qui paulatim in fide ac dilectione Christi proficiens in senatu postea liberè, cum Pharisæi Christum inauditum condemnarent, illud cum lege pugnare asseruit Joan. 7. vers. 51. sed tamen rogatus an ipse quoque Galilæus esset, fidem suam in Christum palam nondum est ausus confiteri, ut ex vers. 52. 53. apparet. Talis etiam fuit Josephus Arimathæensis, honestus senator, Marc. 15. v. 43. clandestinus Christi discipulus. Quorum uterque tandem, fide ac charitate in Christum firmata, excusso metu & mundi gloria, eum cruci affixum ac mortuum suis officiis palam honorarunt, & facto ipso confessi sunt, ut Joan. 19. vers. 38. & sequent. dicitur: *post hæc autem rogavit Pilatum Ioseph Arimathæensis, qui erat discipulus Iesu, sed occultus, propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu, quod permisit Pilatus. Venit ergo & sustulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus (is qui venerat ad Iesum nocte primùm)* &c. *acceperunt ergo* &c. Quare de hisce primoribus aliisque nonnullis, viva quidem, sed languida fide ac charitate, ad tempus præditis, hæc sententia Joannis loquitur, qua infirmitatis illius vitium describit: & quidem in eum finem, ut hoc caventes, contemto mundi metu & gloria illius, in confessione Christi & dilectione gloriæ Dei indies proficiamus. Atque hæc de quinta & ultima ex cap. 12. proposita quæstione.

DE CAPITE XIII.

Prima Quæstio, De sensu verborum Christi v. 8.

PRæclara est Euangelistæ, initio hujus cap. historia: in qua lotio pedum Apostolorum à Christo peracta, sic describitur, ut imprimis causa efficiens & finalis appareat. Efficiens quidem, est Christi erga suos Apostolos perpetuus

tuus amor, & humilitas admirabilis: quod cum omnia ipsi essent tradita, seu omnium Dominus & Rex à Patre constitutus, suis tamen servis inservire, ad pedum usque lotionem, non sit dedignatus. Finis verò est, ut Apostolos, & nos omnes, suo exemplo, ad fideles inprimis constanter amandos, eorumque utilitati ac saluti demisso animo inserviendum provocaret. Cœterùm quædam verba Christi in hac historia metaphoricè enuntiata, ut melius intelligantur, nonnullam explicationem desiderant. Ac primùm quidem quod vers. 8. ait: *Nisi lavero te, nihil mecum habebis commune.* Quorum verborum occasio fuit Petri, ex imprudenti erga Christum Dominum suum reverentia, lotionis ab eo oblatæ recusatio duplex: prima est vers. 6. qua dixit, *Domine tu mihi lavas* (id est, lavare studes) *pedes?* quâ interrogationis figura, ad rei indignitatem, uti putabat, indicandam utitur, quasi non ferendum esset, ut Dominus ac Messias promissus, servi sui Apostoli pedes lavaret, eique in tam vili officio inserviret. Altera recusatio est, qua Christo respondenti & ignorantiam illius indicanti contradixit: *non lavabis pedes meos in æternum.* Qua occasione commotus Christus respondit: ut Petrum imprudenti Christi amore aberrantem (ut antea, Matth. 16. v. 22. 23.) in modestæ obedientiæ viam revocaret. Responsio autem comminatio est gravissima, qua lotionis necessitatem demonstrat propositione conditionali, quæ antecedente & consequente constat. Antecedens est: *nisi te lavero.* De cujus sensu genuino disquiritur. Ac primum illud controversia carere apparet, *lavandi* vocem non esse propriè accipiendam. Nam licet ea Petri, contra Christi voluntatem, lotionem durius recusantis inobedientia, exitium atque alienationem à Christi gratia, stricto jure mereretur: ex sequentibus tamen Christi verbis, vers. 10. (*vos puri estis, sed non omnes*) & ex Euangelistæ expositione, vers. 11. constat, non propriè accipi, sed metaphoricè, per similitudinem quandam, ab externa sordium corporis ablutione petitam, ad animæ purgationem eleganter transferri: quemadmodum etiam externa illa lotio, internæ lotionis animæ beneficium denotavit. Quomodo Christus Joann. 4. occasione aquæ, à Samaritana muliere petitæ, & quodammodo ab ea recusatæ, opportuna metaphora, beneficium aquæ vivæ, si peteret, promisit: ut aquam putei non denegandam sibi ostenderet, & ad doctrinam Euangelii viam sterneret. Quemadmodum etiam Joann. 6. occasione sermonis de pane corporeo, quo Capernaitas paverat (quemque præposterè, neglecta persona & doctrina Christi salutari, quærebant) per metaphor. de se, sub *panis vitæ* nomine, locutus est: ut auditores à studio panis terreni & vitæ corporalis, ad sui quasi panis cælestis & vitæ æternæ, fidem atque amorem revocaret. Sic etiam hoc in loco à beneficio ac servitio lotionis corporali (de quo erat sermo) ad majus beneficium ac servitium lotionis spiritualis, ad salutem necessariæ, artificiosè transit: ut Petri imprudentem contradictionem corrigat, & modestiam gratumque erga Christum animum doceat. Cùm enim hoc fundamento niteretur Petrus, contra officium Christi esse, ut servo suo inserviret, & se indignum, ut id pateretur: contrà docet Christus, sine servitio Christi & lotione spirituali ipsum servari non posse, ideoque externam lotionem non esse ab eo respuendam, Christo volente. Verùm cum animæ ablutio seu purgatio non eodem modo in Sacris Literis accipiatur: diversæ hoc in loco eâ occasione, interpretationes verisimiles oriuntur. Quidam enim de justificatione, qua peccata remittuntur: alii de sanctificatione, qua in nobis tolluntur: reliqui verò de utroque simul exponunt. Quæ postrema sententia, reliquis videtur non immerito præferenda; utpote quæ huic loco egregiè consentiat, & generalem magis atque uberiorem complectitur sensum. Neque sanè ulla apparet ratio gravis, cur eam lotionem ad speciem alterutram restringamus; siquidem duæ illæ lotionis spiritualis species, sunt Christi beneficia, individuo nexu, ex Dei voluntate, inter se conjuncta. Prima enim est ablutio à peccati, cùm originalis, tum actualis, pœna, propter Christi sanguinem, id est, per Synecd. per & propter Christi passionem & mortem sanguinolentam. De qua lotione David Psal. 51. v. 4. sic ait, *multum ablue me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me,* & v. 9. *expiato me hyssopo ut mundus sim: abluito me, ut præ nive albescam:* & Apocal. 1. v. 5. de Christo dicitur, *qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum,* id est, ut 1. Joan. 1. v. 7. idem asserit: *sanguis Iesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato,* id est, Christi passio ac mors cùm sanguinis effusione conjuncta, pœnæ peccatorum remissionem nobis conferendam meruit, & fide apprehensa eandem præstat, adeo ut à reatu liberi ac quasi loti ac mundati simus. Sic etiam Apocal. 7. vers. 14. de Martyribus Christi dicitur: *laverunt stolas suas & dealbarunt in sanguine Agni,* nempe fide sanguinis Christi, in remissionem peccatorum credentium effusi. Altera verò lotionis animæ species est per sanctificationem: qua ab ipsomet peccato nobis innato, quasi sordibus animæ fœdis Deoque exosis atque exitiosis, per spiritum Christi purgamur: primùm quidem à dominio illius: deinde paulatim à reliquiis illius, de qua re ita loquitur Esaias cap. 4. v. 4. *cum laverit Dominus excrementum Zionis & cædes Hierosolymorum abluerit in medio ipsorum spiritu judicii & spiritu sublationis.* Utramque autem hanc speciem, generali ablutionis voce prius indicatam, distinctè exponit Apostolus 1. Corinth. 6. v. 11. *Et hæc eratis nonnulli: sed abluti estis* (ecce genus præmittitur) *sed sanctificati estis, sed justificati estis* (en species subjiciuntur) *in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Sanctum Dei nostri.* en causa utriusque sententiam claudit. Quæ etiam duplex, per sanguinem & Spiritum Christi ablutio, Baptismi aqua significatur atque obsignatur, ut Actor. 22. v. 16. Paulo baptizando dictum: *ablue peccata tua:* & Hebr. 10. v. 22. 23. *accedamus cum vero corde & certa persuasione fidei; ῥεραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, aspersi,* id est, abluti, *corda à conscientia mala* (en ablutio interna per Spiritum, quæ res significata per aquam baptismi) *& abluto corpore aquâ purâ:* en aquam baptismi, eam rem significantem. Nam quod nonnulli aquam hanc de Sp. S. exponunt, alienum esse, corporis ablutio (quæ per ministrum Euangelii peragitur, ut animæ per Sp. S.) satis demonstrat. Quo etiam pertinet, quod servati dicimur per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. id est, per baptismum: quo ablutio à peccato (quæ per Sp. S. peragitur) significatur, & fide verbi conjuncti perceptum, incrementi regenerationis à Christo impetrandi instrumentum est, ut Ephes. 5. v. 25. 26. *Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, postquam purgasset aquæ lavacro per verbum.* Atque hæc de beneficio Christi lotionis duplicis: primùm quidem à peccati pœna, per justificationem: deinde à peccato ipso, per sanctificationem: quæ duo generali voce, cum Christus ait, *nisi lavero te,* continentur. Atque hæc de comminationis conditionalis, à Christo ad Petrum prolatæ parte antecedente, quæ conditionem continet: Consequens verò illius est pœna quam minatur, ea conditione posita his verbis: οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ: ad verbum: *non habes,* (id est, per enallagen præsentis pro futuro, *habebis*) *partem mecum:* ut vulgatus interpres ad verbum transtulit: Alii verò, *nihil mecum habebis commune,* paraphrasi nimis ut videtur laxa: neque satis vim vocis distinctè exprimendo. Nam *pars* in Sacris Literis in hujusmodi loquendi modis ac similibus, per Synecd. generis pro specie, non raro hæreditatem aut possessionem, quæ distincta quasi partitione alicui convenit, designat: quemadmodum Deut. 18. v. 1. *non erit tribui Levi pars & hæreditas cum Israële,* id est, pars hæreditatis: ut Ps. 16. v. 5. *Jehova est portio partis meæ,* id est, hæreditatis, ut plerique aptius interpretantur, quam qui vocem חלקי *prædii mei,* interpretantur: & Jer. 51. v. 19. Deus vocatur *pars Jacobi,* & postea *hæreditas,* eodem sensu: videl. quod Deus esset hæreditatis omniumque bonorum suò populo instar. Unde per catachresin metaphoricam, à bono ad malum significandum transfertur interdum, ac pœnam notat adhærentem, quæ ob peccata quasi hæreditas aliqua impiis contingit, quemadmodum Es. 17. v. 14. *hæc est pars prædantium nos & sors diripientium nos:* & Matth. 24. v. 51. *& partem ejus ponet,* id est, attribuet *cum hypocritis,* id est, pœnæ eorum participem reddet. Cœterum *habere partem cum aliquo,* pro habere

habere communicationem seu participationem boni alicujus, non rarò accipi solet per metaphor. à cohæredibus desumtam, inter quos (ut Luc. 12. 13.) hæreditas dividitur: qua similitudine 2. Sam. 20. v. 1. dicitur: *non est nobis pars cum Davide, neque est nobis* נחלה *hæreditas*; aut ut alii vertunt, *possessio cum filio Isai*, & 2. Cor. 6. v. 15. *quæ consonantia Christi cum Belial, quæ pars fideli cum infideli*? id est, quodnam donum, quasi hæreditatem, commune habent, quod inter se participent: & Act. 8. v. 21. *non est tibi pars neque sors in hac re, ἐν λόγῳ τούτῳ*, Hebraismus, id est, non es particeps neque consors hujus rei, nempe donationis Sp. S. per manuum tuarum impositionem: sic hoc in loco dicitur *non habebis partem mecum*, id est, partem hæreditatis vitæ æternæ mecum; non eris mihi in ea particeps & cohæres: ut Rom. 8. vers. 17. hæredes Dei & cohæredes Christi fideles appellantur: Et Col. 1. v. 12. dicitur Pater nos idoneos fecisse εἰς μερίδα τοῦ κλήρου, *ad partem sortis sanctorum in luce*, id est, ad cælestis gloriæ hæreditatem: quæ Act. 26. v. 18. *sors inter sanctificatos* vocatur, ut κλῆρος significet idem quod Actor. 20. v. 32. exprimitur, nimirum κληρονομίαν hæreditatem inter sanctificatos, & hæreditatem fidelibus asservatam in cælis 1. Pet. 1. v. 4. Quare ex hisce apparere potest, *non habere partem cum Christo*, eleganti cohæredum similitudine designare, non fore hæredem Dei ac vitæ æternæ consortem ac participem cum Christo. Quæ vis, in *partis*, pro hæreditate acceptæ, metaphora comprehensa, negligenda non est; adeo ut, si interpretemur *nihil habebis mecum commune*, obscuretur: quod etiam, qui hac hæreditate vitæ carent, nihilominus habeant multa cum Christo communia; quod cum eo participes sint carnis & sanguinis, & similium infirmitatum, quæ inde consequuntur. Atque hæc de sensu verborum Christi, quibus Petro, imprudenti zelo pertinacius lotionem à Christo aversanti, minatus ita est: *nisi te lavero, non habebis partem mecum*. Ac propterea hac quæstione absolutâ, sequitur

Secunda Quæstio, de sensu verborum v. 10. *Qui lotus est, non opus habet, &c.*

Postquam gravissima comminatione Christus Petro, lotionis ab ipso imprudenti zelo pertinacius recusatæ, necessitatem proposuit v. 8. fructus illius indicatur v. 9. quod correcta eo modo fuerit Petri inobedientia: adeo ut se totum à Christo lavari petierit, dicendo, *Domine, non solum pedes meos, sed & manus & caput*, supple *lava*; ut res ipsa ostendit: quia hæc responsio, Christi verba spectat: *nisi lavero te*. Hac autem via Petrus in alteram, sed tamen mitiorem partem imprudentia peccavit. Nam quemadmodum antea minus Christo cessit, quam debebat, cum pedes lavare studenti, obsisteret: sic nunc contra amplius, quam Christus volebat, petiit, cùm ei contra, in voluntatis & sapientię Christi norma proposita, meritò fuisset omninò acquiescendum. Idcirco Christus hunc alterum immodestię errorem corrigere studet: & ad eam rem, idoneam hanc responsionem subjicit, v. 10. *qui lotus est* (id est, lavando purus factus est) *non opus habet, nisi ut pedes lavet: sed est purus totus: & vos puri estis, sed non omnes*. Quę responsio, ut non malè ab aliis observatum, syllogismi antecedens, id est, propos. & assum. complectitur: unde consequens, seu conclusio perspicue intelligitur, nimirum, Ergo vos non habetis opus, nisi ut pedes lavetis. Qua in re Christus inchoatam à se allegoriam seu metaph. persequitur: qua à propria ac corporali lotione, ad spiritualem transierat, ut sequentia declarabunt. Propositio autem primùm indicatur, deinde confirmatur. Indicatur autem his verbis: *qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet*: eoque manuum & capitis lotio non est necessaria. De cujus propositionis subjecto quæritur, quidnam *lotio* significet: de attributo verò, quidnam *pedes* notent; Ex horum enim recta expositione, propositio commodè intelligetur. Ad prius quod attinet, plerique de animæ lotione, qua homo fit purus per sanctificationem in se, interpretantur: alii de ea, quæ fit per justificationem: reliqui verò de utraque lotione, tam per justificationem, quam per sanctificationem accipiunt: quemadmodum etiam in præcedenti comminatione ibidem intelligendum eodem sensu ostendimus. Eaque expositio, hujus loci circumstantiis optimè consentit, & sensum habet pleniorem: neque ulla ratio adfertur, quæ nos constringat, ut aliud statuere debeamus. Quare quid *pedes* deinde designent, observandum. Multi de carnis cupiditatibus, mundo ac terræ quasi affixis, quæ pedibus humum calcantibus & luto infectis comparentur, intelligunt. Atque ita quidam exponunt de quotidianis peccatis, quæ ex infirmitate committuntur. Verum aptius videtur, ut non solum de actionibus vitiosis, seu peccatis actualibus piorum: sed etiam de vitioso illarum actionum fonte, nempe peccati originalis reliquiis intelligamus: quia peccata utraque, tam originalia, quam actualia, & justificatione, & sanctificatione quotidiana reipsa sunt abluenda, ut homo sit purus: quemadmodum huc spectat sententia Apoc. 22. v. 11. *qui justus est* (nempe per fidem in Christum crucifixum) *justificetur adhuc, & qui sanctus est*, (nempe in se per Spiritum regenerantem) *sanctificetur adhuc*: Id quod fit, quando exercitio fidei & precum impetratur ac divinitus donatur remissio peccatorum propter sanguinem Christi, seu satisfactionem illius pro peccatis nostris, & renovatio per Spiritum S. Quorum etiam utrumque oratione dominica petitur, Matth. 6. v. 10. 12. Atque hæc est indicata propositio. Confirmatio vero illius adjecta est his verbis; *sed purus est totus*: ideoque lotione alia non habet opus. Quo autem modo illud veritati consentiat, disquiritur: quandoquidem tam diu, quàm in his terris versamur, sumus peccatores, quia caro repugnat adversus spiritum, Galat. 5. ac remissionem peccatorum petere jubemur, Luc. 11. v. 4. unde etiam asseritur idem Proverb. 20. v. 9. *quis dicere possit, purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo*: adeo ut 1. Ioan. 1. v. 8. asseratur, *si dicamus nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Verùm responderi potest, hanc sententiam objectis scripturæ locis minimè adversari, quia ea non de inchoata & continuata: sed de peracta jam pedum lotione intelligenda. Tum enim peccati originalis reliquiis penitus sublatis, toti futuri sumus mundi: ubi enim peccatum originis prorsus non est, ibi neque pœna peccati: neque actualia peccata quasi animæ sordes amplius extant. Porro huic propositioni & confirmationi illius, subjicitur assumtio, mutatâ voce, non sensu: quæ exprimitur primùm, deinde declaratur. Exprimitur autem his verbis: *vos puri estis*, cujus subjectum & attributum paucis explicandum. Subjectum est, *vos*, nempe Apostoli, non autem *tu*, cum tamen Petrum alloqueretur antea: Causa autem cur communiter hac voce Apostolos nunc compellet, est ut ostenderet, ea quæ de lotione Petri dixerat, communiter ad ipsos etiam pertinere, & ut purgationis ipsis donatæ mentione, adversus comminationem ante positam consolaretur; & ad gratitudinem pro eo beneficio Christo præstandam excitaret. Purgationem autem attributo designat, cum ait: *Puri estis*, quod perinde est ac si dixisset, loti estis: quod scilicet puritas sit lotionis effectum. Observandum autem est quod non ait; *& toti puri estis*, sed *puri*: quod nimirum propter peccati inhærentis reliquias nondum in sese toti essent puri, sed ab iis tanquam sordibus paulatim magis ac magis sanguine & Spiritu Christi abluendi ac purgandi. Hæc de assumtione ipsa: cujus declaratio adjicitur: ea enim assumtionis subjectum nempe *vos* indefinitè positum, non universè sine exceptione, de omnibus Apostolis intelligi atque accipi oportere; oppositione sapienti ostendit, cùm ad ea verba *puri estis*, adjicit; *sed non omnes*: quo tacitè Judam notat, & simul periculo futuri scandali, quod ex ipsius proditione oriri poterat, prudentissime occurrit, quando se non minus illius impuritatem, quam reliquorum Apostolorum puritatem cognitam habere indicat: ut antea similiter indicarat, Ioan. 6. v. 70. & hoc loco opportunè Euangelista v. 11. declarat, & Christus v. 18. 19. expressius exponit ac confirmat, ut omnem etiam Iudæ erroris prætextum, quasi monitus non esset, tempestivè eripiat. Atque hæc de secundæ quæstionis, ad illustrationem vers. 10. explicatione. Reliquum est, ut paucis etiam agamus de causa hujus lotionis pedum, de qua expendenda occurrit

Tertia Quæstio, de recto verborum Christi vers. 14. 15. sensu.

Ratio hujus quæstionis propositæ est partim verborum illorum primò intuitu difficultas: partim quorundam, in iis pervertendis, ad superstitionem in Ecclesia statuendam, error. Ideoque opportunum atque operæ pretium videtur, ut brevi quadam explicatione Christi verba illustrare, & errorem illum diluere studeamus. Ad verba verò quod attinet, eorum occasio est, primùm Petri & aliorum Apostolorum ignorantia: quod causam lotionis illius à Christo propositæ ac factæ, nondum cognoscerent. Deinde Christi promissio, nimirum fore, ut postea (nempe peracta lotione) cognoscerent v. 7. Scopus autem est, ut ignorantiam illam corrigat, & promissionem præstet. Modus autem, quo ad illum scopum tendit, est expositio causæ finalis, seu boni illius, cujus gratia pedes eorum laverat: nimirum eorum utilitatis gratia, ut ad sinceram charitatem, & sibi mutuò etiam humilibus officiis demisso animo inserviendum, suo exemplo erudiret ac stimularet. Partes autem hujus orationis sunt duæ: propositio officii, & confirmatio illius. Propositio conditionalis est, ac v. 14. his verbis exprimitur. *Itaque si ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare.* Cujus propositionis prima pars seu antecedens, est positio conditionis non dubiæ, sed propter experientiam Apostolorum certæ: quia non ante lotionem pedum, sed postea secundum promissionem ante factam hæc à Christo dicta esse asseritur, v. 12. & Christum Dominum ac Magistrum esse iis erat notum, & ab iis confessum, & à Christo approbatum v. 13. adeo ut, cum conjunctio, εἰ *si*, pro *siquidem* interdum accipiatur (ut Act. 4. v. 9. εἰ *si*, id est, siquidem, aut ut noster interpres *quandoquidem*, & Rom. 8. v. 31. *si Deus pro nobis*, id est, *quia*, similiter à nonnullis interpretibus explicatur, & Græci authores, Chrys. & Oecum: Rom. 8. v. 9. eam vocem eodem sensu exponunt) ita hoc in loco fortè non incommodè verti posset εἰ οὖν *siquidem igitur ego Dominus & Magister vester:* ut non sit conditio, sed assertio; atque ita non erit propositio tantùm; sed enthymema, constans assumtione & conclusione; Quod ut obiter observandum: ita servata significatione propria conjunctionis hujus εἰ pro *si*, sensus eodem redibit, licet non ita explicitè. Hæc igitur de propositionis conditionalis parte prima, seu antecedente conditione. Altera verò est consequens illius: *itaque vos debetis alii aliorum pedes lavare.* Quod accipi potest bifariam: primùm ut sensus sit, licet non expressè ponatur, sed circumstantiis tantum indicetur, multò magis debetis: quemadmodum comparatio dignitatis Christi excellentis, & indignitatis Apostolorum indicare videtur. De se enim dixit: *Ego Dominus & Magister*, scilicet vester existens: ut vers. 13. relationem illam plenius expressit præmissis illis verbis: *vos me vocatis Magister ac Domine, & ego sum;* eoque pro relationis natura indicavit ipsos esse servos ipsius & discipulos, confessione ipsorum. Ergo multo magis ipsi mutuo suos conservos ac condiscipulos, conditione pares, amare ac pedes eorum demisso animo lubenter lavare debent. Deinde accipi posset hoc consequens, ut convenientia servitii præstandi indefinitè designetur: ut sensus sit: si ego me dimisi, ut vos lavando, vobis inservirem, vos debetis sine indignitatis rei opinione similiter vobis mutuo ita inservire. Quo spectare videtur probatio, v. 16. qua etiam perversæ ex superbia promananti opinioni occurrit, cùm ait: *Amen dico vobis: servus non est major Domino suo: neque Apostolus* (vel legatus) *major eo, qui ipsum misit*, id est, non estis me majores, sed minores, servi scilicet mei ac subditi Apostoli: ac propterea cùm vobis humile illud servitium, ac vulgo vile præstiterim: illud inter vos mutuo præstare, vobis non est (quasi indignum dignitate & officio vestro) respuendum. Atque hæc quidem de propositione officii Apostolorum. Confirmatio verò illius ac plenior explicatio subjicitur v. 15. cùm ait: *Exemplum enim dedi vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ratio autem cur propositionem eam confirmet, esse videtur, ut tacita quædam objectio diluatur. Cogitari enim ac dici poterat: non videri necessariam consequentiam. Si Christus pedes Apostolorum laverit, propterea etiam Apostolos debere alios aliorum pedes lavare: quandoquidem non omnia particularia Christi facta sunt imitanda: sed ea tantum, quæ ad officia pietatis & communis vocationis à Deo essent præscripta, & secundum eam normam à Christo facta: aut saltem voluntate ac mandato certo, in rebus per se adiaphoris, à Christo ipsis essent imperata. Propterea Christus ostendit lotionem illam pedum ipsis imitandam; quod in eum finem, eaque voluntate ac proposito eam peregisset, ut exemplum ipsius sequerentur: ideoque exceptionem illam non habere hîc locum. Verùm hic difficultas quædam exurgit, siquidem secta quædam Anabaptistarum (qui vulgo *pedum-lotores* Voete Wasschers appellantur) hoc lotionis exemplum propriè intelligi, & ut ceremoniam à Christo mandatam, in universa Ecclesia observari debere contendunt. Orthodoxi verò contra impropriè, per Synecd. speciei pro genere acceptæ, intelligendam statuunt. Quod ut melius intelligatur, quædam prius de lotionis pedum apud Judæos modo præmittenda. Notum est enim eam apud illos fuisse consuetudinem, ùt aliunde, inprimis peregrè ad domum alicujus venientium ac divertentium pedes, porrecta aqua, vel ab accedentibus: vel per servientes ibidem lavarentur. Occasio autem hujus moris fuit, quod ob regionis illius calorem, nudis pedibus soleas corrigia astringerent, & in via luto, sudore ac pulvere sordidi fierent, & calore atque itinere lassarentur: adeo ut cum aliquò, præsertim vesperi divertissent, aquæ lotione opus haberent. Finis verò fuit, partim sordium contractarum ablutio, partim ad defatigationem tollendam refrigeratio, ac virium renovatio. Origo vero seu causa efficiens, fuit humanitas ex charitate proximi profecta: qua de re passim in Sacris Literis documenta extant, in Vet. & N. Test. perspicua. Ac primùm in Veteri, Genes. 18. v. 4. Abrahamus ait, Angelos compellans (quos homines viatores esse putabat) *sumatur*, inquit, *jam parum aquæ & lavate pedes vestros:* & Loth. cap. 19. v. 2. eosdem similiter est allocutus; quemadmodum etiam de Labane, cùm Eleazarum in ædes suas hospitio recepisset, dicitur cap. 24. v. 32. *deditque aquam ad lavandum pedes illius, pedesque virorum qui erant cum illo:* & c. 43. v. 24. cum Josephi jussu fratres illius hospitio exciperentur, de Oeconomo illius dicitur: *deditque aquam, ut lavarent pedes suos:* & 2. Sam. 11. vers. 8. David Uriæ, ab exercitu reverso dixit: *descende in domum tuam, & lava pedes tuos*, denique 1. Sam. 25. v. 41. Abigail accepto nuntio, de conjugio ipsius à Davide per legatos petito, respondit: *Ecce ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes servorum Domini mei;* quo satis notat famulantium fuisse officium, ut pedes hospitum lavarent, aut etiam aliorum. Sic in N. etiam T. primùm Christus hunc morem notat, cum in convivio Simoni Pharisæo, qui ipsum invitaverat, inhumanitatem exprobravit, comparatione cum muliere, quam Simon (ut etiam Christum) superbè contemnebat: sic enim ait: *ingressus sum domum tuam: aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.* Sicut deinde Apostolus 1. Tim. 5. agens de viduis (quales tunc ad piorum hospitum & pauperum ministerium eligebantur, vers. 9.) inter alia earum officia quæ describit, ait vers. 10. *si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subvenit, si omne bonum est assiduè sectata.* Atque hactenus de lotionis pedum apud Iudæos consuetudine. Unde facilè jam dijudicari potest, sententiam Anabaptistarum illorum, qui lotionis pedum ceremoniam in Ecclesia, toto orbe necessariò servandam contendunt, à mente Christi esse alienam: quia in regionibus frigidioribus, illa pedum eorum, qui hospitio excipiuntur, aut domum redeunt, ablutio, neque in usu est, neque requiritur: quod non soleis tantùm, sed calceis perfectis utantur: nec nudis, sed tectis pedibus incedant: ideoque non pedes, sed calcei maculati purgationem desiderant, ut etiam fieri solet. Quocirca hinc satis apparere potest, mentem esse, ut fideles, ipsius exemplo, ad omnia charitatis & humilitatis officia, pro regionis ratione familiaribus præstanda, parati sint: adeo ut etiam, quæ ob vilitatem

litatem rei, ab ipsis fratribus adventantibus, vel per famulos fieri solerent, ipsimet, postulante Ecclesiæ ædificatione, humiliter Christum imitati præstarent: siquidem ille non par pari (quales Apostoli erant inter se) aquam tantùm porrexit, ut ipsi seipsos lavarent; aut ut per famulum id fieret curavit: sed supra consuetudinem omnem ipsemet Dominus suos servos lavare non est dedignatus, ut humilitatem cordis illius sequerentur, Matth. 11. vers. 29. & seipsos abnegando, superbiam (qua inter se laborabant, & alii aliis præesse contendebant) deponerent. Nam cùm Christus antea Apostolis, sui traditionem in manus hostium prædixisset, re non intellecta, postea inter se disceptarunt, quis eorum esset maximus, Luc. 9. v. 46. ac licet Christus ambitionem illam redarguisset, & minimum, id est, modestissimum, inter ipsos magnum fore asseruisset, v. 47. 48. tamen ambitio illa adeò ipsis tenaciter inhæsit (quod regnum Christi non solum spirituale, sed etiam corporale in terris sibi fingerent) ut eam non deposuerint: quemadmodum postea Apostoli duo, Johannes & Jacobus, ambitiosè petierunt à Christo, per matrem suam, ut alter eorum ad Christi dextram, alter verò ad sinistram in regno ejus consideret, id est, primas post ipsum tenerent, Matth. 20. v. 21. v. 22. Et quamvis Christus rursus ambitionem illam redarguit, atque seipsum ut ministraret, & animam suam redemptionis pretium pro multis daret, venisse testatus esset, ne hoc quidem modo correcti sunt: adeo ut post hanc quoque, inter cœnam paschalem ultimam, lotionem & admonitionem de necessaria humilitate imitanda, & post prædictionem proditionis sui per Judam futuræ, nihilominus orta sit postremùm inter eos contentio, quis eorum videretur esse major, nimirum reliquis omnibus, Luc. 22. vers. 24. Ac propterea rursum eorum errorem de statu Ecclesiæ refutat, & suo exemplo ad humilitatem, ac proximo ministrandum hortatur, ibidem vers. 25. 26. 27. Quare ex hisce omnibus scopus ac sensus verborum Christi, de sui in lotione pedum mutua imitatione apparet: nimirum hoc modo non præcipi lotionem pedum, quasi ceremoniam in universa Ecclesia observandam, sed ut initio diximus, per Synecd. speciei pro genere designatur, ut secundum consuetudinem & ædificationem Ecclesiæ, omnia pro virili etiam humilis servitii officia fratribus, usque ad pedum lotionem, ubi scilicet regio & usus requireret, mutuo præstemus. Quod autem Cardinales & Episcopi, ceremonia annua duodecim hominum pedes, mandati Christi prætextu lavent, illud lusus potius est theatricus, à verbis Christi dissidens, quàm recta imitatio. Nam & à scopo, & à modo quem Christus indicavit, aberrant plurimum. A scopo quidem, quoniam ut ante ostendimus, Christus lotionem pedum non tanquam ceremoniam instituit: sed per Synecd. ea re fraternam charitatem atque animi humilitatem officiosè, vilibus etiam servitiis ad Ecclesiæ ædificationem ac proximi commodum præstandis commendavit. Ac propterea præceptum illud non est ceremoniale: sed ut vocant morale, seu non ritus est, sed charitatis officium. Deinde à modo etiam omninò recedunt, primùm quia Christus impuros pedes lavari jussit ut mundentur: contra verò Episcopi pedes hominum quorundam egregiè purgatos ineptè ac inutiliter lavant. Deinde quia non lavant alii aliorum pedes, id est, mutuò: nam suos pedes à lotis vicissim lavari non sinunt. Nam quod Durandus in rationali divinorum officiorum, lib. 6. cap. 75. ait: *quod fit à prælatis, repræsentat illud quod Christus fecit:* hoc inquam mandato Christi disertè refutatur: qui hoc expresse jussit, ut ἀλλήλων, id est, alii aliorum pedes seu mutuò lavarent, id est, non soli Episcopi & Cardinales: sed etiam reliqui fideles, qui Christi servi & discipuli, & quidem ut non solum alios lavarent, sed ab aliis etiam lavarentur. Et quod rei caput est, humilitatis fuco Episcopi superbiam ac dominatum in Ecclesiam retinent. Atque hæc de Christi lotione. Cœterum de ritu lotionis pedum, ante cœnam Paschalem, & in eadem, usitato apud Iudæos, elegans extat, ex prisca Iudæorum consuetudine ac traditione narratio, in annot. D. Bezæ ad Matt. 26. vers. 20. Atque hæc ad tertiam quæstionem, de verborum Christi vers. 14. & 15. sensu, sequitur jam

Quarta Quæstio, Quidnam eligendi *voce vers.* 18. *designetur.*

CEleberrima hæc est Christi ad Apostolos suos oratio: quâ ait; *non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim.* Cujus occasio est antecedens illa v. 17. sententia, de beatitudine Apostolorum, si quæ de charitatis & humilitatis officiis, suo exemplo præstandis, docuerat, non solum scirent, sed etiam exequerentur. Quæ cum indefinitè de Apostolis dicta essent, & obedientiæ illorum futuræ spem indicassent: dubitari poterat ab iis, an ea de omnibus illis essent dicta nec ne. Scopus autem Christi, est dubium illud tollere. Modus autem quem ad scopum illum dirigit, est subjecti, sententiæ antecedentis expositio vers. 18. cum vocem illam *vos*, quàm latè acceperit, declarat. Ea autem expositio constat negatione, & illius ratione. Negatio est: *non de omnibus vobis loquor*, ut ante vers. 10. monuit; *vos puri estis, sed non omnes.* Ratio autem est, cùm ait: *Ego scio quos elegerim:* id est, quæ dixi, ad eos tantùm pertinent, quos elegi: non omnes autem elegi. Cum autem *electionis* vox, etiam cum de Apostolis Christus locutus est, non eodem modo ubique accipiatur: inde factum est, ut hæc electio diversimodè à priscis novisque Theologis hoc in loco exponatur. Quamobrem ut eo facilius quid maximè conveniat dignoscatur, vocis illius distinctio, ex Sacris Literis præmittenda ac declaranda. Electio enim Apostolorum non unius est generis: alia enim æterna est: alia verò temporalis. Æterna est ea, qua ante mundi creationem ad vitam æternam, vocatione ad fidem in Christum obtinendam, selecti sunt. Quo pertinent hæc Christi dicta eodem sensu, licet verbis diversis expressa, Luc. 10. vers. 20. *gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis:* & 12. v. 32. *ne metue parve grex, quia* εὐδόκησε, id est, *placuit Patri vestro dare vobis regnum.* Cujus etiam promissio expressa iisdem à Christo facta, Matth. 19. vers. 28. & Joh. 14. v. 3. Temporalis verò eorum electio est, qua per Christum Mediatorem, munere suo fungentem, vocatione peculiari ex aliorum numero sunt segregati. Eaque rursum est duplex: prima in discipulos: secunda in Apostolos. Prima quippe temporalis electio eorum est, qua secundum electionem æternam, ex incredulorum Judæorum numero, vocatione per Euangelium, & Spiritus sanctificationem, in discipulos suos & credentium numerum selegit: quemadmodum etiam *electorum* vox, si Græcum contextum rectè interpretemur, 1. Pet. 1. vers. 1. 2. explicatur; *electis &c. secundum prænotionem Dei Patris, per sanctificationem Spiritus ad obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi:* ut ab egregiis interpretibus hæc electorum significatio rectè observata in hujus loci explicatione. Quemadmodum etiam 1. Cor. 1. v. 27. 28. *eligere* eodem sensu pro vocare in Christi discipulos fidei donatione, usurpatur: quemadmodum collatio vers. 26. manifestè demonstrat: de quali Apostolorum electione Christus agit Joh. 15. v. 16. *non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui, ut abeuntes fructum feratis.* Verùm quia hæc memorabilis sententia à nonnullis aliter atque aliter intelligitur, ad illustrationem illius & electionis Apostolorum, non abs re erit, si collatis sententiis præcipuis, genuinum sensum eruere studeamus, & rectè hunc locum à nobis ad vocationem Apostolorum in discipulos, & ad communionem Christi & Ecclesiæ citatum ostendamus. Nam quod primùm insignes ac pii hujus Euangelistæ expositores, de electione ad apostolatum interpretantur, id minus videtur Christi expositioni convenire. Nam de eadem electione plenius agit Christus, & lucem affert antecedentibus v. 19. cum ait: *Ego elegi vos ex mundo* (id est, incredulorum numero, ut initium versus, & sequentia evincunt) eoque unde elegerit declarat. Atqui cùm à Christo eligerentur in Apostolos, non erant ex incredulorum numero, ut inde possent segregari per electionem: sed tum credebant in Christum: ac propterea talis electio intelligi non potest. Deinde quod nonnulli electionem æternam intelligunt, piam similiter sententiam complectuntur, sed verbis Christi prolatis non satis consentaneam: Quia Christus disertè causam odii mundi adversus Apostolos esse ait, quod

quod non essent ex mundo, sed electi ex mundo.: quod de vocatione ex ipsorum numero in Christi discipulos verissimè dicitur: oderant enim Christi discipulos, adeò ut si quis ipsum confiteretur, excommunicarent è Synagoga ipsorum. Contra verò de æterna electione ad salutem accipi non potest: quoniam ea non fuit causa odii mundi adversus discipulos: quia illa electio illi prorsus fuit ignota. Atque hæc de prima ac primaria temporali Apostolorum electione, nimirum in discipulos Christi. Secunda verò ac secundaria eorum electio ea est, qua à Christo, ex discipulorum numero in ipsius familiares atque Apostolos (seu eos, qui illius nomine legatione ad Ecclesiam, Euangelii prædicatione colligendam, fungeretur) selecti sunt: ut Luc. 6. v. 13. dicitur, *advocavit discipulos suos, & cum ex ipsis elegisset duodecim, quos & Apostolos vocavit, &c.* & Joh. 6. 70. ait Christus: *nonne ego vos duodecim elegi?* Hactenus de variis Apostolorum electionibus; superest nunc, ut quænam ex iis hoc Christi dicto, *ego scio quos elegerim*, intelligatur, expendamus. Quidam enim de æterna electione ad salutem intelligi censent: id quod August. & multis aliis probatur. Nonnulli verò non de æterna, sed de temporali, & quidem ad Apostolatum vocatione accipiendum statuunt. Utraque autem sententia analoga est doctrinæ fidei: siquidem utrumque veritati consentaneum esse ex Sacris literis suprà demonstratum est: sed tamen prior sententia analoga contextui verborum Christi: secunda verò ab eo declinat, quoniam sensum ineptum parit: Christus enim ait, se non loqui de omnibus: & rationem hanc subjicit, *scio quos elegerim*. Atqui sciebat se illos duodecim citra discrimen in Apostolos elegisse. Ideoque si hanc electionem intellexisset, contra dicendum fuisset: *Ego de omnibus locutus sum*. Verùm hic excipitur, sensum esse, scio quales vos elegerim: quod scilicet non omnes sitis puri, atque officium quod præscribo facturi, atque ita beati futuri: sed unus ex vobis electis impurus est, qui me proditurus est. Veruntamen verba Christi hoc modo non integra servarentur: sed mutarentur, quandoquidem hic non ait: *scio οἵους*, id est, *quales*, ac si qualitatem significare vellet, sed οὕς, id est, *quos*: quod pronomen de personis quibus electio competit hoc loco dicitur. Ac propterea, cùm hoc pro nomen relativum οὕς *quos*, ex vocis certa significatione, personam aut rem ipsam, non autem personæ aut rei qualitatem significet (quemadmodum etiam eam significationem qualitatis, neque ex S. Scriptura Novi Test. neque ex Græcorum authorum usu probant) alienum est, quod *quales* interpretantur. Quare hac sententia relicta, priorem meritò præferendam esse apparet. Atque ita Christus hîc statuit discrimen inter suos Apostolos: quod novit quosnam elegerit, nempe undecim, non autem omnes duodecim: quod Judas non electus esset ad vitam æternam: Quocirca etiam à Christo Joh. 17. filius perditionis, id est, perditioni destinatus nominatur. Ac propterea quæ de beatitudine Apostolorum electorum dixit, & officio præstando atque expectato indicavit, non ad omnes pertinere ostendit, sed ad electos à se ad beatitudinem, sibique probè notos.

Atque hactenus de quæstione quarta ex vers. 18. de electionis Apostolorum significatione: cui succedit

Quinta quæstio: An Judas Iscariotes, cum reliquis Apostolis, Sacramenti Cœnæ Dominicæ fuerit particeps?

OCcasio hujus quæstionis est vers. 26. quo dicitur: *Et cum intinxisset offulam, dedit Judæ filio Simonis Iscariotæ*: & vers. 30. *ille ergo accepta offula statim exivit*. Ex hisce etiam & nonnullis reliquorum Euangelistarum dictis ortæ sunt de proposita quæstione sententiæ oppositæ. Quidam enim illud affirmant: alii verò negant: licet religione inter se consentiant. Adeo ut nec inter Partes, nec inter Pontificios, neque inter nostros, eadem sententia omnibus probetur. Ac licet sine religionis veræ læsione, per se quæstione considerata, dissensio sit: utile tamen existimamus, ut eam quæstionem paucis discutiamus: in primis ut Ubiquitariorum erroribus occurramus, & ut hujus capitis non minus quam aliorum quorundam locorum sensus illustretur: imo si consequentiam consideremus, ad veritatem religionis stabiliendam explicatio necessaria est, ut postea cognoscetur. Ut autem ad rem accedamus, qui Judam una cum reliquis Apostolis, Sacramenti Cœnæ participem fuisse contendunt, illi quidem si numero certandum sit, superiores futuri sunt: sin verò argumentis, inferiores apparebunt. Argumentum enim primum quod objectare solent, petitum est ex Joh. 13. vers. 26. ubi dicitur de Christo: *cum intinxisset offulam dedit Judæ*, & v. 30. quod ille eam acceperit. Ergo inquiunt Sacramenti Cœnæ Dominicæ cum reliquis Apostolis fuit particeps. Verum negatur Consequentia. Nititur enim hoc argumentum falsa hypothesi, quasi hoc factum fuisset in administratione Sacramenti Cœnæ: & offula fuisset panis in ea distributus. Nam ut rectè à nonnullis observatur, illa actio Christi facta est in cæna Paschali, quæ Sacramentum cœnæ præcessit: & offula illa intincta, fuit panis cœnæ Paschalis, in cujus esu, Exod. 12. jussi sunt adhibere acetarium ex intybis & lactucis aut herbis amaris, ut panem liquori intingerent. Contra verò panis cœnæ à Christo fractus ac datus dicitur: non autem prius intinctus: ideo Cugustin us etiam (licet Iudam alioqui cœnæ Dominicæ participem factum statuat) tract. 62. in Iohan. illos reprehendit, qui per buccellam intinctam panem Eucharistiæ intelligunt. Secundum argumentum est etiam ex Iohanne, qui ait: *surgit à Cœna*, v. 4. & postea v. 5. *deinde cœpit lavare pedes discipulorum*, & v. 12. *postquam ergo lavisset pedes eorum*, unde sic colligunt: Quorum pedes à Christo post cœnam loti sunt, illi Sacramenti cœnæ Dominicæ participes fuerunt. Ctqui Iudę pedes post cœnam à Christo loti sunt cum reliquis Apostolis. Ergo Sacramenti cœnæ fuit particeps. Verùm negatur propositio: cœna enim intelligitur agni Paschalis post quam non peractam simpliciter, sed inchoatam Christus surgens pedes discipulorum lavit: ac deinde eandem cœnam continuavit, dum ad secundam quasi mensam ad acetarii esum accessit, & offulam intinctam Judæ, ad proditorem indicandum tradidit: quâ accepta ille statim exivit v. 30. ideoque Sacramento cœnæ non inter fuit. Postremum ac maximè speciosum argumentum quod non paucos decepit, ex Lucæ Euangelio obtenditur, qui cap. 22. postquam institutionis Sacramenti Cœnæ verba v. 19. & 20. narravit, subjicit Christi de Iuda proditore sententiam, v. 21. *Veruntamen ecce manus ejus qui me prodit, mecum est in mensa*, Ac propterea Sacramenti cœnæ Dominicæ interfuit, ejusque cum reliquis Apostolis particeps fuit: quia Christus Matt. 26. 27. dixit præsentibus discipulis: *bibite ex eo omnes*: & Marc. 14. v. 23. *biberunt ex eo omnes*, ideoque Judas etiam inter eos fuit. Responsio ad hoc argumentum est ea, quæ ab egregiis quibusdam Theologis affertur, quod interdum ab Euangelistis res narrentur ordine temporis neglecto: & huc pertinere regulam ab August. quæst. 92. super Nov. Test. positam: ubi inquit, *multa novissima ordinari, quæ ante facta probantur*; Atque ita Wolf. Musculum in suis locis communibus per hanc regulam exponere narrationem illam Lucæ: idemque etiam ex ipsa cœnæ Dominicæ descriptione, per Marcum demonstrari, quoniam c. 14. v. 23. 24. ait: *Et accepto poculo cum gratias egisset dedit illis, & biberunt ex eo omnes: & dixit illis: hic est sanguis meus Novi Testam. qui pro multis effunditur*: Quibus verbis sic narrat quasi Apostoli bibissent ex dato poculo, antequam Christus de de significatione & usu poculi, *hic est sanguis &c.* pronuntiasset: cum tamen ex aliis Euanpelistis colligatur, verba illa promissionis fuisse prius dicta quàm biberent: & res ipsa idem evincit: nam alioqui ignorassent significationem Sacramenti illius, quod tum primùm instituebatur, ac propterea sine fide illius bibissent, unde apparet Marcum narrare prius, quod factum erat posterius, nempe quod biberint ex poculo: & contrà, verba de poculo prius pronuntiata, narrare posterius: de re tantùm, non autem de ordine sollicitus. Atque hoc modo etiam Lucas, illæ sa rei veritate, primùm verba Christi, quibus cœnæ Sacramentum instituit, recenset: deinde verò per ὑστερολογίαν quandam subjicit primùm, quę in narrationis ordine omiserat verba de proditione sui futura (videlicet, *veruntamen*

men ecce manus ejus qui me prodit, mecum in mensa est) & ortam inde inter Apostolos quæstionem. Nam ex reliquorum Euangelistarum narratione, Matth. 26. v. 21. usque ad 26. & Marc. 14. v. 19. ad 22. perspicuè apparet, illa ante institutionem Cœnæ contigisse. Idque etiam res ipsa satis apertè demonstrat. Nam neque Christus in Cœnæ suæ institutione buccellam intinctam dedit, sed panem fractum: neque Apostoli buccellam cum Christo intinxerunt in patinam, sed fractum datumque à Christo panem ederunt: utrumque verò illud in Cœna Paschali antea factum est, ut initio ostendimus. Ideoque neutrum signum, neque præsentiam Judæ, ad Sacramentum Eucharistiæ referri oportere apparet. Siquidem simulac intinctam buccellam Judas acceperat, statim exiit, ut Johannes disertè testatur, v. 30. Neque tamen Lucas hac ὑστερολογίᾳ (seu rei prius factæ narratione præpostera) in veritatem historiæ sacræ impegit; quia verba Christi verè ac simpliciter recenset: hunc autem ordinem fuisse, nulla certa circumstantia definit: quemadmodum antea Marci exemplo simili illustravimus ac probavimus. Et non ignotum etiam est apud profanos historicos, interdum hysterologias quasdam inveniri. Ac propterea satis ad argumentum è Luca petitum responsum est: ad eò ut probari non possit ex eo, Judam in Cœnæ administratione fuisse præsentem, multò minus illius cum reliquis Apostolis fuisse participem. Id quod etiam præter ea quæ supra attulimus duobus aliis argumentis gravibus confutari potest: quorum prius est hujusmodi: Quorum scelera sunt aperta, non solùm Sacramentum Cœnæ distribuenti: sed etiam communicantibus omnibus: illi non possunt sanctè ad communionem illius admitti. Atqui Iudæ scelera erant non solum Christo cœnam distribuenti, sed etiam ejusdem indicio omnibus communicantibus Apostolis nota. Ergò sanctè non potuit ad communionem admittere; ideoque cum omnia sanctè egerit, eum nullo modo ad eam admisit. Alterum argumentum (si bene observavi) neglectum videtur ab iis, qui de hac materia eruditè scripserunt, sed tamen primarium ac maximi momenti est hujusmodi. Pro omnibus illis, quibus Christus & panem & poculum Sacramenti Cœnæ distribuit, corpus ejus datum ac fractum est, & sanguis ejusdem effusus in remissionem peccatorum. Atqui pro Iuda Iscariote Christi corpus non est datum ac fractum, neque ejusdem sanguis pro eo effusus est in remissionem peccatorum. Ergo Christus ei nec panem Sacramenti Cœnæ nec poculum illius distribuit. Propositio ex Euangelistis & Paulo Apostolo manifestè deducta est: nam de discipulis præsentibus in Cœna, de poculo loquens, Christus dixit, *bibite ex eo omnes*, Matth. 26. v. 27. *& biberunt ex eo omnes*, Marc. 14. v. 23. unde perspicuè constat, idem etiam de pane, priori Sacramentalis signi parte inseparabili, intelligendum, cum dicitur, *dedit discipulis*, Matt. 26. v. 26. Atqui omnes illos sine controversia intelligit, cùm dixit dato illis pane: *hoc est corpus meum quod pro vobis datum:* Luc. 22. v. 19. *ac fractum*, 1. Cor. 11. vers. 24. similiter dato omnibus poculo Christus ait, de iisdem omnibus, Luc. 22. v. 20. *Hoc poculum Novi Testamenti est in meo sanguine qui pro vobis* (quæ vox non aliter quam de antecedentibus omnibus memoratis intelligi potest) *effunditur*, scilicet in remissionem peccatorum, Matth. 26. vers. 28. unde veritas propositionis syllogismi propositi elucet. Assumtio verò à nostris doctrinæ reformatæ assertoribus non negatur, sed rectè asseritur: ideoque conclusio jure negari non potest. Quia verò Ubiquitarii eam negant, idcirco paucis confirmanda est hoc modo: Pro quibus Christus corpus suum tradidit & sanguinem suum effudit in remissionem peccatorum, illis mors Christi fuit utilis, & illorum peccata potuerunt remitti, imò sunt remissa; aliàs mors Christi finem suum non obtinuisset, sed fuisset inutilis, quod impium est asserere. Atqui mors Christi Iudæ non fuit utilis, neque peccata ejus per sanguinem Christi sunt remissa: quia filius perditionis opposité Apostolis vocatur à Christo, id est, perditioni certæ distinatus: ideoque verbis modo adductis ex Ioh. 17. vers. 12. Christus addit: *ut Scriptura impleretur:* Deinde ante Christi mortem Iudas desperatione veniæ seipsum suspendit, Actor. 1. v. 18. abiitque in locum suum, ibid. v. 25. id est, in infernum impiis destinatum. Unde necessario sequitur, Christum non esse pro eo, id est, illius bono mortuum, nec sanguinem suum pro eo effudisse, ut ille remissionem peccatorum obtineret, aliàs sapientiæ & justitiæ Christi, finis mortis ipsius adversaretur, id est, mortuus fuisset pro eo, id est, ad bonum seu utilitatem illius & ad remissionem peccatorum illius, quæ tamen nullo modo erant possibilia: neque justa: cum nihil utilitatis homini jam in infernum detruso posset accedere, multò minus remissio peccatorum in igne inferno & æterno. Quare meritò concludimus, Iudam Sacramento Cœnæ Dominicæ nullo modo communicasse: imò neque ei interfuisse. Atque ita quintam ex capite 13. quæstionem ad doctrinæ fidei conservationem explicare conati sumus.

CAPITIS XIV.

Examen vers. 1. 2. *&* 3.

ILlustris omninò est Christi ad Apostolos oratio, quæ hoc cap. 14. Iohannis continetur: ex qua nonnulla, partim propter suam difficultatem, partim propter rei, quæ in ea tractatur summam utilitatem; indagationem sententiæ requirunt. Quales primùm sunt tres priores versus: ac propterea eosdem paucis illustrare conabimur: ab occasione & scopo eorum, ad rem ipsam progressuri. Occasio autem ex cap. 13. colligitur duplex: prior enim est Christi prædictio discessus sui ab Apostolis: quæ primùm proponitur v. 33. his verbis, *filioli adhuc paulisper vobiscum sum: quæretis me, & sicut dixi Judæis, quo ego ὑπάγω abeo, vos non potestis venire: ita etiam dico vobis:* deinde hæc prædictio ad consolationem Apostolorum, mitigatione quadam atque explicatione, ita à Christo accommodatè ad Petrum repetitur, *quo*, (inquit) *ego abeo, non potes me nunc sequi: sequeris autem postea.* Altera occasio est Apostolorum infirmitas: quæ partim posita erat in cordis tristitia, ex prædictione de Christi ab ipsis discessu concepta: quemadmodum similiter post discessus hujus & afflictionis imminentis repetitionem accidit, ut cap. 16. v. 6. & 22. à Christo ibid. indicatur: partim verò in mentis ignorantia consistebat, scilicet quod Christi verba (de discessu ipsius: quodque ipsum tunc sequi non possent) minimè intelligerent: ut ex Petri quæstione apparet, quæ recensetur vers. 36. *Domine quo abis?* quemadmodum etiam ex altera quæstione idem liquet, v. 37. *Domine quare non possum te sequi?* Scopus verò Christi hac duplici occasione permoti est, ut utrique huic infirmitati remedium idoneum adhibeat: quo nimirum & hanc cordis eorum tristitiam, & mentis ignorantiam corrigat. Medium autem ac remedium ad eum scopum destinatum atque directum, in primis tribus hisce versibus continetur. Constat autem propositione & confirmatione illius. Propositio vers. 1. describitur, constans mandato duplici, scilicet dehortatione à vitio, ac deinde hortatione ad officium vitio tollendo idoneum. Dehortatio autem hæc est: *Ne turbetur cor vestrum.* Cujus dehortationis pars antecedens seu subjectum de quo loquitur, sedem vitii indicat, quando dicitur, *cor vestrum.* Cor autem metaphorâ valde frequenti, & aliàs exposita plenius, animam significat. Cum autem additur *vestrum*, Apostoli notantur, quos hac oratione compellat. Consequens verò pars seu attributum est: *ne turbetur*: quo & vitium animæ Apostolorum (quod curare studet) indicat, & ab eodem revocat. Vitium autem erat turbatio cordis Apostolorum. Quæ res vocis aliquam expositionem ac distinctionem præviam, ad rectam hujus loci & similium intelligentiam omninò requirit: ac propterea paucis ac distinctè de ea agemus. Turbatio enim propriè de re corporea dicitur, cujus quies movendo interrumpitur: Qualis propria perturbatio aquæ per descensum Angeli vocatur ac describitur, Joh. 5. vers. 4. Deinde impropriè per Metaphoram à re corporea ad animam, ob similitudinem quandam voce translata, tranquillitatis illius, tristiore aliquo affectu dimotionem notat: Quæ animæ turbatio, non unius est generis, sed duplicis. Alia enim recta est: alia verò prava ac vitiosa. Recta animæ perturbatio est, quæ normæ officii, divinitus in verbo præscripti,

præscripti, convenit. Norma autem est, ut fide & charitate erga Deum omninò regatur: qualis turbatio animæ Christi duplex describitur ab Euangelistis. Prima quidem, qua ex Zelo gloriæ Dei, ob violationem illius, per Judæorum incredulitatem, sanctè commotus est, justâ adversus peccatum irâ: de qua Joh. 11. vers. 33. dicitur, *infremuit Spiritu & turbavit seipsum*. Altera turbatio est sanctæ tristitiæ, qua ex horrendi supplicii imminentis consideratione, pro naturæ, malum illud per se rectè aversantis ratione, attamen servatâ & fide & obediendi voluntate commotus est: de qua turbatione ipsemet testatur, Joh. 12. vers. 27. *Nunc anima mea turbata est: quid dicam? Pater conserva me ab hac hora: sed propterea veni in hanc horam*: & cap. 13. vers. 21. ait Euangelista: *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, dixitque: Amen, amen dico vobis, unus ex vobis prodet me*: & Matth. 26. v. 37. 38. de Christo, cùm esset in horto, dicitur: *cæpit contristari & gravissimè angi, tunc dicit eis Jesus: undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* quam tristitiæ perturbationem Christus ex recta causa horrendæ passionis concepit, & rectum modum servavit, cùm eandem fide & obedientia erga Deum conservata temperavit, ne normam officii excederet. Hæc de perturbatione cordis recta. Prava verò seu vitiosa ea est, quæ normam Dei verbo præscriptam violat: nimirum, cum vel in origine, vel in mensura turbationis peccatur. In origine quidem, cum justa illius causa non est, qualis turbatio fuit Herodis regis, qui audita è Magis nativitate Christi Regis Judæorum, turbatus est præ cæteris, Matt. 2. v. 3. non recta causa cùm externa: quia Christi nativitas, justissima erat magni gaudii materia, Luc. 2. v. 10. tùm interna, quia metus amissionis regni, quo turbabatur, erat & injustus & vanus. Injustus, quia Christo jure regnum competebat. Vanus verò; quia regno Herodis nullum erat ab eo periculum: quod Christi regnum non esset ex hoc mundo, Joh. 18. vers. 36. sed spirituale. Sic quoque in Apostolis Christi, Matth. 14. v. 26. vitiosa fuit turbatio, ratione non solùm originis, sed etiam modi seu mensuræ: scilicet cum viso Jesu Christo ambulante super mare, turbati dicuntur: nam causa movens externa non erat justa: quia adventus & omnipotentia Christi, ea re patefacta, lætitiæ causa esse debuerat, non terroris: neque etiam causa interna erat recta; quia & opinio phantasmatis erat falsa: & metus non solum mensuram excedens, sed etiam inanis, utpote quia à Christo eò erant dimissi, Marc. 6. v. 46. & illius tanquam veri Dei omniscientia, præsentia, amore atque omnipotentia omninò tuti. Hęc de turbatione cordis, cùm recta, tùm prava seu vitiosa: unde jam perspicuè constat, non omnem turbationem in Sacris Literis prohiberi (quasi Stoicorum stupidam ἀπάθειαν, affectuum omnium vacuitatem, atque indolentiam præciperet, & ab omni prorsus turbatione ac tristitia animi dehortaretur) sed tantùm vitiosam: quæ in origine seu causa movente: aut in mensura seu modo: aut in utroque à norma officii verbo Dei præscripti recedit. Qualis etiam hoc in loco à Christo prohibetur, dum ab ea Apostolos dehortatur: quorum tristitia, neque origine, neque mensura convenienti prædita erat. Nam primùm discessus Christi ab Apostolis ad Patrem, causa non erat justa tristitiæ, sed gaudii: quod ad Christi gloriam, & ipsorum utilitatem ac salutem omninò pertineret: nam inter alia, ut Christus asserit, utile iis erat ut ipse abiret ab iis, quod nisi abiret, consolator (nempe Spiritus Sanctus, de quo cap. 14. v. 16. & 15. v. 26.) ad eos non esset venturus: sin autem proficisceretur, fore ut illum ad ipsos mitteret, Joh. 16. vers. 7. Deinde licet odium mundi & persecutiones, aliqua tristitiæ causa fuerint, in ea tamen justam mensuram excesserunt: quod ut cap. 16. vers. 6. Christus declarat, tristitia implevisset cor eorum; cum inter alia non pauca, dignitas martyrii, Actor. 5. vers. 41. & promissio auxilii Christi & vitæ æternæ, Joh. 10. vers. 28. & Spiritus consolatoris, ut ante ostendimus, causæ esse debuissent gaudii sincerii, naturalem tristitiam superantis, Matt. 5. v. 11. 12. & 2. Cor. 4. v. 17. 18. Sed infirmitas fidei & charitatis Apostolorum (nondum per Sp. S. missionem in utraque confirmatorum) hæc non satis attenderat: ideoque Christus eam vitiosam, per tristitiam immodicam, perturbationem indicat, & ab ea dehortatur. Atque hæc de prima propositionis Christi parte, nempe mandato primo: ne cor illorum turbetur. Altera verò pars est secundum mandatum, posteriori versus primi membro descriptum, πιστεύετε *in Deum*, & πιστεύετε *in me*. De cujus vocis Græcæ interpretatione, hoc loco diversæ extant Theologorum sententiæ, partim ob vocis ancipitis ambiguitatem, partim ob verisimilem pro diversa acceptione sensum, siquidem ea vox esse potest, vel indicativi modi ac præsentis temporis, ut Joh. 6. v. 36. & 8. vers. 45. 46. οὐ πιστεύετε *non creditis*: vel modi imperativi, ut Joh. 12. v. 36. πιστεύετε εἰς τὸ φῶς, *credite in lucem*: & c. 14. v. 11. πιστεύετέ μοί, *credite mihi*. Atque inde fit, ut hæc vox, quæ bis hoc loco occurrit, accipi possit, vel eodem modo, vel diverso. Unde (quod etiam Erasmus rectè observavit) quadruplex expositio emergit. Nam si eodem modo sumatur, utrumque erit vel indicativi modi: nimirum *in Deum creditis, & in me creditis*, sensusque erit: cum credatis in Deum & in me, Ergo turbari non debetis: vel imperativi modi: *credite in Deum, & credite in me*, ut sensus sit, atque ita fiet ut non turbetur cor vestrum: utpote cum potissimum ex fidei infirmitate turbatio oriatur. Contra verò si diverso modo πιστεύετε interpretemur, alia duplex interpretatio emergit. Prima quidem ut priori loco illud verbum sit modi indicativi, in posteriori verò imperativi, hoc modo: *Creditis in Deum* (id quod vel absolutè, vel cum interrogatione lectum) *credite in me*, ut sensus horum verborum sit: nemo vestrum est quin dicat se in Deum credere: si ita est, credite etiam in me; ita fiet, ut verè in Deum credatis, neque ullis tempestatum procellis dejiciamini. Altera expositio est, ut prius πιστεύετε sit modi imperativi: posterius verò indicativi, *credite in Deum & in me creditis*: i. e. si creditis in Deum, eâdem operâ in me creditis, utpote Filium Dei ὁμοούσιον. Cæterùm ex hisce quatuor sententiis, quæ omnes sunt analogæ doctrinæ fidei: postpositis duabus extremis, seu prima & quarta, de mediis duabus quæstio est, utra sit hoc in loco præferenda. Tertiam enim vulgata versio & eam secutæ nonnullæ, atque insignes Theologi amplectuntur. Secundam verò illustres Patres proponunt ac sequuntur. Ex Græcis quidem Chrys. Cyrillus Alex. Nonnus & Theoph. Ex Latinis verò Hilarius de Trinitate, lib. 9. p. 162. sæpius eam versionem inculcat, & tanquam mandatum utrimque exponit: deinde Aug. tract. 67. in Johannem. Quam Patrum interpretationem salvo aliorum judicio genuinam esse, & tertiæ præponendam arbitramur, hisce de causis: primùm quia nullum ex Sacris Literis exemplum profertur, ubi unum idemque verbum in eadem propositione, in præsenti indicativo, & in imperativo usurpetur. Et quid si fortè etiam exemplum aliquod hujusmodi extaret: ex rectæ interpretationis norma, sine gravi causa à simplicitate ejusdem modi non esset recedendum: ac propterea utrimque πιστεύετε notat *creditis*, aut *credite*. Deinde non videtur verisimile, Christum hic actionem fidei præsentis (non autem dico habitum fidei, qui iis non defuit) iis tribuere. Nam sæpè occasione aliqua oblata, oblivione quadam promissionum gratiæ Dei & Christi, incredulitate atque orto ex ea timore ac tristitia peccarunt: quemadmodum utrumque Christus iis exprobravit, ut illustribus exemplis constat, Matt. 6. v. 30 & 8. 26. Luc. 8. v. 25. Et Matt. 14. v. 31. ad Petrum in fide tamen cæteris fervidiorem ait: *exigua fide prædite, quid dubitasti?* Denique post hanc hujus cap. 14. sententiam, quâ dicitur πιστεύετε, paulò post, ut c. 16. v. 8. narratur, quod Christus dixerit Apostolis, *quid disceptatis inter vos* ὀλιγόπιστοι *exiguâ fide præditi*. Ex quibus omnibus satis clarè apparet, Apostolos exigua in Deum & in Christum fide fuisse præditos, atque inde etiam factum, ut timore ac tristitia immoderata, objecta aliqua difficultate, fuerint perturbati: id quod etiam hoc in loco ipsis accidisse initiò ostendimus. Ac propterea magis consentaneum est, ut hîc potius hortatio sit, ad fidem Apostolorum in Deum & Christum suscitandam, quam commendandam: ideoque verbum πιστεύετε neutra parte vertendum videtur *creditis*, sed *credite*. Idque etiam ea de causa, quod sensum habet minus coactum, quam altera explicatio, magisque cum dehortatione convenientem: quemadmodum

 ex antè

ex antè posita sententiarum collatione in explicatione sensus apparere potest. Nam certum illud est, turbationem illam cordis Apostolorum, à qua eos Christus est dehortatus, non fuisse cum fidei exercitio conjunctam, sed ex illius infirmitate, (ut similia à nobis allata exempla, & Christi reprehensiones, & res ipsa ostendunt) promanasse. Siquidem ubi fides in Dei ac Christi promissiones firma est in mente, illius effectum consequens est fiducia animum exhilarans in corde, Eph. 3. vers. 12. adeò ut ea sit præsentissimum turbationis à metu ac tristitia antidotum ac remedium: fides enim est victoria nostra, quæ vincit mundum, 1. Joh. 5. vers. 4. eademque est cujus firmitate adversario nostro Diabolo resistimus, 1. Pet. 5. vers. 9. imo scutum est, quo possumus mali illius ignita tela extinguere, Eph. 6. vers. 16. Ideoque optimè cum antecedenti dehortatione à turbatione cordis, hortatio ad fidem connectitur ac subjicitur, tanquam bonum illi malo curando utilissimum ac maximè necessarium. Quod rectè omninò à Chrys. etiam observatum, cùm ait: Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε, τοῦτ' ἔστι, πάντα παρελεύσεται τὰ δεινά. ἡ γὰρ εἰς ἐμὲ πίστις καὶ τὸν γεγεννηκότα, δυνατωτέρα τῶν ἐπιόντων ἐστὶ, καὶ οὐδὲν ἐάσει κρατῆσαι τῶν δυσχερῶν, id est: *Credite in Deum & in me credite*, hoc est, *quod omnia mala transibunt. Nam in me & in genitorem fides, omnibus vos invadentibus potentior, & nihil difficultatum permittet superare.*

Cœterum ad mandati partes quod attinet (quo Christus Apostolos credere in Deum, & in se jubet) illæ sunt duæ; prima est mandati objectum, id est, ille circa quem mandatum versatur, seu de quo mandetur: altera est attributum seu adjunctum, nempe res mandata. Objectum, est Deus & Christus. Dei autem nomine Deum Patrem (quemadmodum etiam alibi, cùm à Christo distinguitur intelligi solet, ut Joh. 13. vers. 3.) hoc in loco designat per Synecd. non autem quod Filius eo modo à Deitate excludatur: nam etiam simili tropo Dei nomen pro Deo Filio usurpatur singulariter, quemadmodum Actor. 20. vers. 28. *Deus* dicitur *redemisse Ecclesiam suo sanguine*: id quod nec Patri, nec Spiritui Sancto, sed tantùm Filio convenit, qui solus carnis & sanguinis particeps factus, & Ecclesiam suo sanguine redemit, Heb. 2. vers. 14. 15. 17. *Quem Deus* (id est, Deus Pater) *proposuit* ἱλαστήριον, *placamentum in sanguine ejus*, Rom. 3. vers. 25. quemadmodum etiam Actor. 5. v. 4. *non mentitus es hominibus, sed Deo*, id est, Spiritui Sancto; quemadmodum vers. 4. antecessit eodem sensu, *ut mentireris in Spiritum Sanctum.* Ex quibus apparet, verum esse tritum illud Theologorum dictum, vocem *Dei*, non solùm essentialiter, sed interdum personaliter usurpari: id est, non communiter semper divinâ essentiâ præditum notare: ut ad tres personas Deitatis referatur (ut cùm Deus mundum creasse dicitur) sed interdum singulariter certam aliquam personam, Patrem scilicet, quod frequentius, aut Filium, aut Spiritum Sanctum pro circumstantiarum ratione denotare. Deinde Filium à Deitate non excludi hoc modo, ex attributo, quod adjunctum erga Patrem & Filium officium, ac rem mandatam exprimit, demonstrat, cùm communiter utrique credendum eodem sensu præcipitur: qui honor ac cultus Deo est proprius. Credere autem in Deum, nempe Patrem, est adhibere fidem verbo illius, inprimis Euangelio de persona, officiis, & beneficiis per & propter Christum, cùm redemptionis fidelium, tum eorum justificationis ac pacis cum Deo, conservationis ac vitæ æternæ. Credere quoque in Christum est omni illius verbo, inprimis Euangelio, quo se Filium Dei, Messiam promissum, redemptorem, servatorem, & vitæ æternæ fidelium datorem docet, fidem adhibere. Cujus fidei utriusque, scilicet erga Patrem & Filium fructus, est metus ac tristitiæ animum perturbantis depulsio, & conscientiæ adversus omnia pericula tranquillitas, ut eleganter ac copiosè Rom. 5. v. 1. 2. 3. & cap. 8. vers. 31. ad finem usque explicatur: Ideo Christus hanc hortationem ad fidem, dehortationi à cordis perturbatione, tanquam officium contrarium ac remedium necessarium, subjicit. Atque hæc de propositione. Cui altera hujus orationis pars, nempe confirmatio illius adjungitur: qua Christus, partim sua verba de discessu exponit: ut errori mentis Apostolorum occurrat: partim verò promissione utilitatis maximæ è suo discessu oriturae, adversus cordis perturbationem consolatur. Ac prius quidem initio versus secundi describitur his verbis: *In domo Patris mei multæ mansiones sunt: si verò non* (vel alioqui) *dixissem vobis*. In qua expositione duplex est enuntiatio: ac de utriusque sensu genuino disquiritur. Ad primam autem quod attinet de priori illius membro, nempe domo Patris, penè nulla est controversia. Nam licet ea periphrasi templum Hierosolymitanum, Joh. 2. vers. 16. à Christo appelletur: quod ad cultum Dei esset consecratum: hîc tamen non intelligi constat. Quod autem Tertull. de fidelibus, quorum corpora templa Dei dicta: quod in iis sua gratia habitet, intelligi posse conjicit, aliena est, & à posterioribus Patribus non probata conjectura: siquidem ex hujus loci circumstantiis adjunctis satis apparet per domum Patris, cœlum summum intelligi, quod quasi sedem ac palatium gloriæ suæ paravit: ubi non ad tempus à mortalibus, sed ab immortalibus ac beatis in æternum colitur, suamque æternam gloriam patefacit. Ideoque ut hoc in loco cœlum domus Patris; sic à Salomone similiter vocatur, atque exponitur cum 1. Reg. 8. vers. 30. ait, *exaudies in loco habitationis tuæ in cælo.* Domus autem Patris per Metaph. quandam appellatur: non quod in cœlo, sicut homines in suis ædibus, circumscribatur, ut rectè hoc negatur, 1. Reg. 8. v. 27. Deus enim cœlum & terram implet, Jer. 23. vers. 24. nec iisdem tamen, infinitus cum sit, finiri potest: sed propterea ita vocatur, quod ut homines in suis ædibus maximè conspicui sunt suis liberis & familiæ, eosque in mensa sua ad vitæ corporalis conservationem alunt: sic gloria Dei maximè in cœlo conspicua sit beatorum Angelorum & hominum societati: eosque ibidem omnium bonorum cœlestium cumulo (quasi cœlesti cibo ac potu, Matth. 8. vers. 11. Luc. 22. v. 30. Matth. 26. vers. 29. in mensa sua pascens) in vita æterna conservat. Cœterùm quamobrem hac periphrasi domus Patris, & non cœli voce usus sit Christus, ratio videtur hæc, quod illud majorem consolationem Apostolis opportunam in se complectatur. Nam cum cœlum sit domus Patris Jesu Christi per naturam seu generationem æternam, & Apostolorum per gratiam ac regenerationem temporalem: alienum non erat, si Filius è cœlo ad ipsos à Patre missus in domum Patris, legatione peracta, rediret, & pro Apostolis apud Patrem in cœlis, hæreditate ipsorum, ibidem intercederet. Atque hæc de primo primæ enuntiationis membro, nempe domo Patris. Alterum est attributum illius, quod in ea domo multæ mansiones sint. Mansio autem propriè quidem manendi actum designat, ut infra v. 23. *mansionem apud eum faciemus:* hoc verò in loco impropriè per Metonym. mansionis locum designat, quemadmodum circumstantiæ ostendunt. Atque hoc modo Christus id quod ante tacuerat, cap. 13. nunc indicat: quonam esset abiturus, nempe in domum Patris, id est, in cœlum. Deinde cum antè Apostolis dixisset, c. 13. v. 33. *quo ego abeo, vos non potestis venire:* Petro verò peculiariter dixerat: *sequeris autem me postea*, v. 36. idcirco ne Apostoli reliqui eo sermone se exclusos fore à Christo cogitarent, quasi locus quò tenderet angustior esset, ipsique & Petro soli, non etiam ipsis communis esset futurus, subjicit, mansiones in ea esse, & quidem multas: ac propterea & illis quoque recipiendis abundè capaces. Atque ita Christus inchoatam Metaphoram eleganter continuat, similitudine quadam à magnis amplisque ædificiis desumpta: quæ non paucis, sed pluribus excipiendis idonea sunt. Quemadmodum Gen. 24. v. 25. de Bathuelis ac Labanis ædibus dicitur: *locus spatiosus est ad manendum.* Et ut in Regum palatiis inprimis: sic etiam in cœlo mansiones multæ, similitudine convenienti tribuuntur: non quasi plura distincta in eo essent conclavia, ut in terris: sed quod tanta sit amplitudo ac capacitas illius, ut omnibus electis abundè sufficiat. Quod autem Tertull. in Scorpiaco adversus Cnosticos cap. 6. ait: *quo modo multæ mansiones apud Patrem: si non pro varietate meritorum?* ut inquam omittam catachresin Metaphoricam vocis *meritorum*, pro bonis operibus: consequentia omninò infirma est: licet Cyrill. Alexand. & Aug. in Joh. ac vulgò

Pontificii

Pontificii eodem modo exponant. Nam ex cœli quantitate ac capacitate, seu loci multitudine, non rectè disparitas qualitatis ac dignitatis colligitur. Atque hæc de prima expositionis verborum Christi cap. 14. propositorum enuntiatione, nempe *in domo Patris mei multæ sunt mansiones*. Altera verò enuntiatio, quæ conditionalis est, his verbis continetur, εἰ δὲ μὴ, *si verò non* (vel alioqui) *dixissem vobis*: cujus pars antecedens, quæ conditionem continet, citra controversiam ellipsin continet; *si verò non*, supple multæ essent mansiones in domo Patris mei: consequens verò pars est, *dixissem vobis*. De qua quæstio oritur, quonam referatur: quidam enim veterum Patrum, & alii non pauci, ad sequentia pertinere censent: *dixissem vobis*, *proficiscor paraturus vobis locum*: ut hæc inter se cohæreant; alii verò accommodatius ad præcedentia referunt, & sententiam hîc finiri, cùm dicitur, *dixissem vobis*, statuunt: ac propterea periodo à seqq. ne quis erret, distinguunt: ut sit sensus; si non essent multæ mansiones in domo Patris mei, dixissem vobis, non esse multas mansiones: quod non dixerat, sed contrarium antea prænuntiaverat, fore ut collocatis ad suam dextram omnibus piis, die ultimo diceret: *possidete regnum paratum vobis ante jacta mundi fundamenta*. Matth. 25. vers. 34. & Apostolis peculiariter dixerat, Luc. 12. vers. 32. *ne time, ô parve grex, nam placuit Patri vestro dare vobis regnum*. Quæ expositio non immeritò priori præfertur: ut ex seqq. perspicuè constat: quia aliàs contradictio quædam extaret in Christi verbis, quod alienum est. Nam si eorum verborum sensus esset: multæ mansiones sunt: sin minus, dixissem vobis, abeo paraturus vobis locum: cum autem multæ sint mansiones, non opus est, ut locum vobis parem. Atqui sequenti proximo v. 3. Christus asserit: se iis paraturum esse locum, unde sequeretur eo sensu, non esse multas mansiones. Quare satius omninò est, ut tanquam duas sententias inter se distinctas, non autem quasi unam tantum duobus membris constantem interpretemur, quemadmodum etiam vulgatus interp. mentem Christi rectè ita accepit: qui ad claritatem paraphrasticè vocem *quia* interposuit hoc modo, *quia vado parare vobis locum*. Atque hæc de prima parte confirmationis, nempe expositione, cùm loci, quò Christus erat abiturus (nempe in domum Patris, id est, cœlum) tùm capacitatis illius: quod scilicet in eo mansiones essent non paucæ, sed multæ: quæ non solùm Christo ac Petro recipiendo sufficerent: sed etiam Apostolis, omnibusque electis. Qua expositione, prima consolatio, adversus tristitiam ex discessu ab Apostolis, ita ut sequi non possent, conceptam, continetur. Altera verò confirmationis pars, est primaria consolationis materia, siquidem dehortationem à perturbatione cordis confirmat, à summa utilitate sui discessus ad Apostolos perventura. Ea autem duplex proponitur: ac prima quidem est, quod abiturus sit ut ipsis locum paret in domo Patris: altera est reditus ad ipsos, atque assumtio eorum in eundem cum ipso locum. Prior autem utilitas in fine versus secundi his verbis describitur: *proficiscor paraturus vobis locum*, id est, à vobis abiturus sum in domum Patris seu cœlum, ut vobis parem locum in eo: Ergo non debetis ob discessum meum, quasi vobis nociturum metuere, ac tristitia cordis perturbari: sed contra eo, tanquam ad vitam æternam vobis utili ac necessario, fide ac spe illius vos ipsos recreare. Atque hæc summa est consolationis primæ. Partes autem illius sunt duæ: primum enim occasionem turbationis Apostolorum repetit: deinde utilitatem illius indicat. Repetit, cum ait πορεύομαι, id est, *proficiscor*, per usitatam præsentis verbi pro paulò post futuro acceptionem: ut rei veritas, & vers. 3. ostendit. Quæ vox ut proprie, *iter facere* notat, ut Matth. 2. vers. 8. & 20. sic non raro impropriè per Synecdoch. speciei generalius accepta, *abire*, vel *aliquò ire* significat, ut Joh. 7. v. 53. καὶ ἐπορεύθη, *& abiit quisquis in domum suam*, ut etiam Luc. 5. ponitur & exponitur eo sensu. Nam quod vers. 24. à Christo dictum paralytico, πορεύου *proficiscere domum tuam*, illud explicatur v. 15. ἀπῆλθεν, *abiit domum suam*. Atque ita usurpatur de Judæ ad inferos abitu ac descensu, Actor. 1. v. 25. πορευθῆναι, *ut abiret in locum proprium*, ut rectè vulg. & noster interpres. Atque ita de Christi in cœlum ascensu dicitur, Actor. 1. vers. 11. πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν *abeuntem in cœlum*, & Joh. 13. v. 33. 36. & 14. v. 4. eodem sensu ὑπάγω, id est, *subduco me*, seu *abeo*, dicitur. Quonam autem abiturus esset Christus, non exprimitur quidem: sed satis per ellipsin ex antecedenti sententia innuitur, nempe in domum Patris, id est, cœlum: quemadmodum etiam 1. Pet. 3. v. 22. in cœlum πορευθεὶς profectus dicitur: & Christus hic etiam explicat v. 12. *Proficiscor ad Patrem*: idemque addito fine atque utilitate profectionis suæ seu discessus indicat, cum ait: *paraturus* (vel ut parem) *vobis locum*, nempe in domo Patris, de qua modo locutus erat: qua phrasi rursum Metaphora antecedens continuatur. Nam quemadmodum antea cœlum similitudine quadam, domum Patris, & capacitatem illius, multas mansiones appellavit: sic etiam in hoc loco similitudinem quandam ab iis ædibus, in quas amici hospites recipiuntur, aut in quas ex aliis locis migratur, deducit. Nam quemadmodum ædes parari solent, ut intus nihil sit impedimenti, & fores adventantibus pateant, (quemadmodum Laban Gen. 24. vers. 31. ait: *quare maneres foris, ego paravi domum & locum camelis tuis*) sic Christus dicit: *proficiscor paraturus vobis locum*. Quid autem illa loci paratio significet, distinctione quadam illustrandum. Ea enim est vel æterna: vel temporalis. Æterna est illa, qua Deus electione gratuita homines ad vitam æternam in cœlis obtinendam prædestinavit, ut Matth. 25. vers. 34. *Possidete regnum, &c.* Temporalis verò est æternæ illius suis modis executio. Primus enim modus est creatio cœli, qua illud paratum est, ut sit idoneum omnium electorum ad vitam æternam ac beatam domicilium ac sedes. Quo modo dicitur Hebr. 11. de piis Veteris Testamenti Patriarchis vers. 16. *non erubescit ipse Deus vocari Deus eorum: paraverat enim eis urbem*, id est, cœlum: quemadmodum vers. 10. Abraham dicitur expectâsse urbem habentem fundamenta: cujus artifex & conditor est Deus. Verùm cùm cœli & vitæ æternæ aditus ob peccata hominum (non minus quam paradisus terrestris cum via ad lignum vitæ, Genes. 3. vers. 24.) esset præclusus, idcirco alius per Christum mediatorem accessit modus, quo in cœlo locum omnibus electis per fidem obtinendum paravit: idque bifariam, primùm qua sacerdos summus, cùm intercessione suarum precum, (ut Ioh. 17. v. 24. *Pater quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum & conspiciant gloriam meam*) tùm suæ ad mortem usque crucis obedientiæ satisfactione pro electis, qua pacem cum Deo & vitæ æternæ hæreditatem in cœlis iis acquisivit, Rom. 5. v. 17. 18. Secundò paravit fidelibus in cœlis locum, quatenus Rex, peccato, morte ac Satana à se devictis, in cœlum ascendit, & cœli possessionem tanquam regnum suum sibi ut capiti & Regi gloriæ, Psal. 24. v. 9. 10. & fidelibus ut membris suis ac sibi subditis, eodem evehendis adiit atque accepit. Quo modo Ephes. 2. v. 6. fideles una excitati, unaque collocati dicuntur in cœlis in Christo Jesu, nimirum ut capite suo mystico, & cœlestis gloriæ obtinendæ causa. Quibus jam explicatis parandi in cœlis loci modis, superest ut paucis quo modo hic accipiatur expendamus: singuli enim Apostolis, si rem ipsam consideremus, citra hujus loci circumstantiam, conveniunt. Nam primùm ab æterno paratus iis erat locus ratione primæ causæ, nempe electionis: quatenus Christus, ut verus cum Patre Deus, ipsos elegerat ad vitam æternam, Ioh. 13. v. 28. Luc. 10. vers. 20. & 12. vers. 32. deinde in tempore per creationem cœli, quæ Filio non minus quam Patri convenit, Hebr. 1. vers. 10. Coloss. 1. vers. 16. ipsis paraverat locum, utpote electis à se ad vitam æternam in eo obtinendam: sed tamen neuter hic modus in hac sententia Christi intelligi potest. Nam utraque illa paratio loci in cœlis, jam facta erat: hæc autem de qua Christus hic loquitur, non facta, sed futura erat: non enim dicit *paravi*, sed *parabo*: Ideoque tertius modus, qui futurus erat, designatur: quo scilicet ut sacerdos, satisfactionis suæ merito, & ut rex suâ efficaciâ omnipotenti omnibus fidelibus cœli aditum, & vitæ æternæ in eo hæreditatem ac possessionem paravit. Qua de re, inter cætera, illustria hæc sunt testimonia, Heb. 9. vers. 12. & 10.

 vers. 19.

v. 19. 20. *cum igitur fratres habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu, ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum*, id est, *per carnem suam*. Atque ex hac interpretatione significationis veli (quo aditus & conspectus sancti sanctorum prohibebatur) facile intelligi potest, (ut obiter hoc dicam) quid sibi velit, quod Matth. 27. v. 50. 51. dicitur: *Jesus emisit Spiritum, & ecce aulæum templi scissum est in duas partes, à summo usque ad imum*. Cùm enim Apostolo testante, (Heb. 10. v. 20.) velum typus esset carnis, id est, humanæ naturæ Christi: & Sacrarium seu Sanctum sanctorum, typus esset cœli Heb. 9. v. 24. eo denotatum fuit, Christi humanam naturam, per Spiritus emissionem, in duas partes fuisse divisam, eaque re aditum in cœleste Sacrarium fidelibus fuisse patefactum. Cœterum, quia Christus dicitur paraturus locum, inde colligunt Pontificii (Patrum nonnullorum expositionem sequuti) ante Christi ascensionem, locum in cœlis quidem fuisse, sed nulli tamen paratum: ideoque pios Veteris Testamenti, non nisi Christo præeunte, in cœlum receptos: sed, (ut quidem Pontificii contendunt) in limbo inferni, seu summo inferni spatio detentos usque ad Christi ascensionem. Verùm negatur consequentia; quia licet Christi satisfactionis meritum, & ascensionis efficacia causa fuit impulsiva ascensionis piorum in cœlum, inde tamen non sequitur, ante Christum nullos potuisse ascendere: alioqui eodem jure sequeretur, nullos pios ante Christi mortem fuisse justificatos ac reconciliatos cum Deo: quod mors Christi sit causa impulsiva justificationis & reconciliationis, quâ ea bona parata sunt. Atqui certum est, eos fuisse justificatos Deoque reconciliatos, quemadmodum de Abrahamo dicitur, Rom. 4. v. 3. Siquidem pii illi ante Christum, per fidem erga promissionem de venturi Christi satisfactione, resurrectione atque ascensione, fructum inde promanantem perceperunt. Quod verò opponitur à Pontificiis, Hebr. 11. v. 39. 40. de omnibus Veteris Testamenti piis affirmari: *Atqui hi omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt* ἐπαγγελίαν *promissionem* (id est, per Metonymiam adjuncti pro subjecto, rem promissam) *quod Deus de nobis melius quiddam providerat, ne sine nobis consecrarentur*. illud inquam minimè adversatur: quia per rem promissam, intelligitur Christi exhibiti satisfactio, tanquam pretium redemptionis, quod ante Christum quidem erat promissum, sed adventu illius primùm exhibitum, à quo communiter tam Veteris quam Novi Testamenti piorum consecratio pendebat: fructum verò illius consecrationis (seu justificationem ac salutem (utrique suo tempore per fidem in Christum perceperunt. Quemadmodum enim Christo exhibito, sed pretio pro peccatorum remissione nondum persoluto, remissa sunt nihilominus peccata, Matt. 9. v. 2. Luc. 7. v. 48. 50. sic etiam ante Christum exhibitum, Davidi aliisque sanctis fide in Christum venturum remissa sunt peccata, atque ita beati fuerunt, Psal. 32. vers. 2. 6. Rom. 4. v. 8. Sed una adhuc superest difficultas, quæ obtenditur hujusmodi: Si pii ante Christum exhibitum, eundem fructum mortis & ascensionis perceperunt nobiscum: Ergo nostra conditio non est melior, quam illorum. Atqui contrarium asserit Apostolus Heb. 11. v. 40. quod Deus de nobis melius quiddam providerat. Sed respondetur negatione propositionis; nam licet non sit melior nostra conditio respectu fructus consecrationis, nempe justificationis ac salutis, ex Christi adventu obedientiâque ad mortem, resurrectione & ascensione promanantis: nihilominus tamen alio respectu melior est: quia Christi incarnatio, prædicatio, passio, mors, qua consecramur Deo, resurrectio & ascensio in cœlum, piis Veteris Testamenti fuerunt tantùm promissa: fidelibus verò Novi Testamenti exhibita. Ideoque hac ratione præstantior horum conditio memoratur, ut quod illi avida spe expectarant, hi contrà cum gaudio sunt consecuti. Quemadmodum Christus Luc. 10. vers. 23. 24. suis discipulis dicit: *beati sunt oculi, qui vident quod vos videtis: dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupivisse videre, quæ vos videtis &c.* & Joh. 8. v. 56. *Abraham gestivit ut videret diem illum meum* (nempe propriis oculis corporis) *& vidit* (oculis scilicet fidei) *& gavisus est*. Quo etiam modo dicitur, 1. Pet. 1. v. 11. 12. de Prophetis antiquis: *scrutantes in quem aut qualem temporis articulum prænuntius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones & gloriam illas consecuturam*. Quibus declaratur fidelium post Christum exhibitum conditionem esse præstantiorem quam Prophetarum, utpote qui prænuntiarunt Christi adventum, perpessiones & gloriam consecutam: sed impletionem non sunt assecuti, quod nobis evenit, qui simul cum iis per mortis Christi pretium consecrati sumus. Quam præstantiam Apostolus, ad Hebræos, loco objecto, expressè indicat, cùm ait: *ne sine nobis consecrarentur*: & quod promissa non acceperunt. Cujus felicitatis & præstantioris conditionis causa, nativitas Christi, Luc. 2. vers. 10. 11. magnum piis gaudium, & vers. 25. consolatio Israëlis appellatur, unde factum, ut Symeon, cui promissum erat divinitus, fore ut non moreretur prius quam vidisset Christum illum Domini, v. 26. Christo viso & in ulnas accepto exhilaratus, pro isto beneficio Deo benedixerit, vers. 28. quod oculi ipsius vidissent salutem Domini. Quare hinc satis apparet, licet justificationem ac salutem in cœlis, ut fructum Christi nati, mortui, suscitati, & in cœlum recepti, communem habuerint omnes ante & post Christum pii: meliorem tamen esse conditionem nostram, ratione nativitatis, passionis, mortis & glorificationis Christi: nimirum quod illa olim fuerint promissa & avidè expectata: nunc verò sint exhibita. Atque hactenus de prima utilitate discessus Christi à suis Apostolis in cœlum: videlicet, quod paraturus iis esset locum. Qua ratione confirmavit præceptum vers. 1. propositum, videlicet, non debere eos propter discessum hunc corde perturbari ac dolere: sed potius ob summam illius utilitatem gaudere, quemadmodum postea vers. 28. exprimitur ac declaratur. Altera verò utilitas, promissione insigni describitur vers. 3. duobus membris: cujus prius est reditus Christi: alterum verò Apostolorum ad se assumtio. De priori ait ἐὰν, id est, *cùm profectus fuero & paravero vobis locum, rursus veniam*. Quid autem adventus seu reditus Christi hoc loco significet, præmissa phrasis distinctione, paucis explicandum. Nam alius est adventus spiritualis, ratione uberioris ac salutaris gratiæ per Spiritum Sanctum, qua fideles suos adjuvat ac conservat: de qua hoc cap. vers. 23. loquitur Christus: *si quis diligit me &c. ad eum veniemus, & apud eum manebimus*: alius verò corporalis ac propriè dictus duplex est: primus quidem post resurrectionem ipsius Christi à mortuis: ut vers. 18. *non relinquam vos orphanos, redibo ad vos*, idque exponitur vers. 19. *adhuc paululum, & mundus me non amplius conspiciet: vos autem conspicietis me*. Cujus promissionis reditus complementum, plenius describitur, Actor. 1. vers. 3. & cap. 10. vers. 41. Secundus verò corporalis Christi reditus erit ultimo die (qui dies adventus Domini dicitur, 1. Cor. 1. vers. 8.) cùm veniet ad judicandos vivos & mortuos; qui reditus non solùm ut prior, ipsius tantum discipulis, sed omnibus etiam hominibus erit conspicuus, Matth. 24. v. 30. & 25. v. 31. & 26. vers. 64. 2. Thess. 1. v. 7. & seqq. Atque hic reditus hoc in loco intelligitur, ut antecedentia & sequentia Christi verba satis ostendunt: nam futurus dicitur reditus cum profectus fuerit, nempe in domum Patris & ad Patrem: ut etiam v. 12. explicatur, ideoque de reditu Christi ad Apostolos corporali, statim à resurrectione ante ascensionem ad Patrem, intelligi non potest. Idemque sequentia verba demonstrant: quibus alterum secundæ utilitatis ex discessu suo orituræ membrum, ac consequens prioris adjunctum complectitur hisce verbis; *& assumam vos ad me ipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis*. id quod primùm fiet ultimo die, cùm omnes ad Christum aggregabimur. Quibus verbis, assumtionis ad seipsum, beneficium: & finem illius, distinctè ad consolationem designat. Cujus rei illustris omninò expositio extat, 1. Thess. 4. vers. 16. 17. *Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, &c. & ita semper cum Domino erimus*, nempe judicio peracto, in cœlis, ut Matth. 25. vers. 34. & 46. illustratur. Quod autem Christus ait, *ubi ego sum*: obiter observanda est ad hujus & similium locorum intelligentiam temporis enallage: præsens enim pro futuro, *sum* pro

pro *ero* usurpatur. Id quod frequens est in Sacris Literis, inprimis verò cum præsens pro paulò post futuro, quadam Metaphora, quasi præsens esset, accipitur: ut cùm alibi, tum hoc capite apparet vers. 3. & 12. & 4. cum 5. & v. 18. Interdum etiam pro longe post futuro accipitur, ad certitudinem rei promissæ denotandam, ut locorum circumstantia seu veritas sententiæ arguit. Quemadmodum v. 3. *rursus venio*, id est, veniam, ultimo scilicet die: quemadmodum de eadem re dicitur, Matth. 24. vers. 42. *nescitis qua hora Dominus vester* ἔρχεται *venit*, id est, ἐλεύσεται, *venturus est*, ut rectè & vulgatus & noster interpres transtulerunt: ut de primo Christi adventu in mundum, Joh. 4. v. 25. dicitur, *scio quod Messias*, ἔρχεται *venit*, id est, venturus est, ut rectè noster vertit, nam additur: *cum venerit ille*, itaque non præsens intelligitur, sed futurus. Sic etiam per similem enallagen dicitur: *ubi ego sum*, id est, ero, ut rei veritas ostendit. Nam Christus erat tum in terra & discipuli cum eo: hic autem de præsentia post reditum, & Apostolorum assumtionem futura, & quidem perpetua, sermo est. Atque hactenus vers. 1. 2. & 3. hujus cap. 14. examen: cui non incommodè subjicienda videtur

Illustratio v. 4. 5. & 6.

Siquidem ad hanc rem non solum orationis hujus insignis celebritas, sed etiam difficultas illius meritò nos invitat. Cujus orationis occasio quidem est Apostolorum in Christi dictis percipiendis infirmitas: scopus verò est correctio illius: Modus autem quo ad eum scopum tendit est alloquium Christi, & cum Thoma Apostolo colloquium.

Alloquium enim Christi, retegendæ illius infirmitatis, quasi morbi latentis remedium, ad curationem opportunum præmittitur his verbis, v. 4. *Et quo ego abeo*, id est, brevi abiturus sum, *scitis, & viam scitis.* Quibus verbis (ex communi Patrum & posterorum interpretum sententia) affirmatio continetur, quæ Apostolis notitiam discessus Christi duplicem tribuat: primam loci, ad quem erat abiturus: alteram viæ, per quam eo erat perventurus. Cujus alloquii effectum est colloquium consequens: constans Apostoli contradictione, & Christi responsione; prius continetur v. 5. quo describitur quisnam, & quo modo contradixerit. Quis autem fuerit, ita indicatur, *Dixit ei Thomas:* unus scilicet ex Christi Apostolis, Matth. 10. v. 3. Cujus præ cæteris imperitia, fidei infirmitas ac confidentia etiam notatur, Ioh. 20. v. 24. & 11. 16. Quo modo autem contradixerit Christo, his verbis exprimitur: *Domine nescimus quo abeas*, (id est, abiturus sis) *quomodo igitur possumus viam scire?* Quibus verbis utrique sermonis Christi membro contradicit. Priori quidem quo Christus dixerat, *Quo abeam scitis*, contradicit absolutè; *nescimus quo abeas:* posteriori verò quo Christus dixerat: *& viam scitis*, contradicit argumentationis quadam forma, per consequentiam ex priori deductam: quam interrogationis figura simul amplificat, ad rei impotentiam indicandam, quasi ad Christi judicium provocaret, cùm ait, *quomodo igitur possumus viam scire?* Ex quibus hæc difficultas oritur, quomodo Christi verba sint vera? Ille enim affirmat eos ista scire: Thomas contra apertè negat, & quidem magna quadam confidentia. Neque credibile est ipsum contra suam conscientiam impudenter mentitum; Christum autem multò minus fuisse mentitum constat, ex perpetua illius sanctitate & ad mortem crucis usque obedientia, Philipp. cap. 2. vers. 8. adeo ut rectè à Petro asseratur, 1. Epist. 2. v. 22. quod peccatum non fecerit, neque inventus sit dolus in ore ejus. Quæritur igitur non immeritò, quomodo hæc duo, quæ contradictoria videntur, queant conciliari. Duplex autem (ut aliena omittam) extat modus, per distinctionem vocis, quæ non secundum idem accipiatur. Prior est quò statuitur in Christi affirmatione sermonem esse de Apostolis, non simpliciter ratione omnium (nam Thomæ ignorantiam ignorare non potuisse certum est: ut qui sciret quid esset in homine, Joh. 2. v. 25.) sed secundum quid, ratione quorundam: Christus enim non loquitur definitè atque universaliter, vos omnes scitis: id quod in objectione quasi certum assumitur: sed indefinitè, *scitis*, id est, vos Apostoli scitis. Thomas verò ex suo ingenio atque ignorantia reliquos æstimans temerè dixit, *nescimus*. Alter solutionis hujus nodi modus est non ex distinctione subjecti scientiæ, id est, Apostolorum: sed scientiæ: cum enim ea esse possit, vel simpliciter accepta seu perfecta ac distincta: vel secundum quid, imperfecta ac confusa, priori modo ipsos ignorasse, posteriori verò scivisse. Nam quò iturus esset Christus disertè explicarat, nempe in domum Patris: viamque etiam indicarat, cùm se prodendum paulò antè monuisset, cap. 13. v. 21. imo creberrimè, ut eos erudiret & scandalo crucis ac mortis occurreret, passionem, mortem, ac resurrectionem suam, atque ascensionem in cœlum, regnum Patris, paulatim magis magisque inculcarat, ut Matth. 16. vers. 21. & cap. 17. vers. 22. & cap. 20. vers. 18. & cap. 26. vers. 2. 28. & Joh. 3. v. 14. & 6. vers. 51. 62. Quæ dicta Apostoli audierant, ac norant, Christum per mortem perventurum ad cœlestem gloriam notitiâ confusâ, non autem distinctâ; qua ob regni etiam terreni præjudicium, atque affectuum perturbationem (quibus ad dignitatem in regno aspirabant) carebant. Atque hisce duobus modis, distinctione quadam dicti secundum quid, & simpliciter, primùm subjecti scientiæ (seu Apostolorum quos Christus compellat) secundò adjunctæ scientiæ, contradictionis objectæ species diluitur. Cœterum quia, ut alicubi rectè monet Augustin. ad difficultates quæ in Sacris Literis occurrunt, solvendas, utile est diversas adferri posse responsiones probabiles: ut eo melius ac plenius ora adversariis obturentur; idcirco novam & ab aliis (quantum quidem observare potuimus) omissam solutionem expeditam proferemus. Ea autem in orationis Christi genere, aliter, quam vulgo fit, explicando, consistit. Nam cum objectionis & responsionis duplicis aliorum, ante à nobis allatæ, communis sit hypothesis: orationem Christi esse affirmationem: illud inquam non est necessarium; quia interrogatio commodè esse potest, quæ nihil affirmat, nihilque negat: sed tantum occasio est patefactionis ignorantiæ Apostolorum & explicationis sermonis Christi: ac deinde ignorantiæ Apostolorum correctio. Quemadmodum alibi Christus (rerum de quibus sciscitabatur conscius) simillimo modo interrogasse legitur, ut Ioh. 6. v. 67. *num & vos vultis abire?* & Matth. 16. v. 15. *Quem verò vos me esse dicitis?* Si quis autem objiciat, in locis hisce interrogationis notam adesse: sed in hac Christi oratione de qua agimus, deesse, ideoque interrogationem non esse: negatur consequentia: quia interrogationes in Sacris Literis, more omnibus linguis consueto extant, vel expressa interrogationis nota: vel eadem, elegantiæ gratia per ellipsin suppressa, ita tamen ut ex ipsa pronuntiatione interrogantis ab auditoribus, & ex circumstantiis, à lectoribus interrogatio intelligatur. Nam ut Ioh. 6. v. 67. interrogationis nota apponitur: sic v. 70. contra omittitur, οὐκ ἐγὼ, *non ego vos duodecim elegi*, id est, ἢ οὐκ *annon*, aut *non ego &c.* & 5. vers. 6. θέλεις, *vis*, id est, *an vis*, *visne sanus fieri?* & Ioh. 3. vers. 10. οὐ γινώσκεις *non nosti*, seu annon nosti: & cap. 13. vers. 12. γινώσκετε *nostis*, pro an nostis. Et ut alia omittam, in hac ipsa sciendi voce, quæ hic extat, exempla sunt manifesta ac copiosa: ut Matth. 15. vers. 12. οἶδας *scis* pro ἢ an scis: & Joh. 19. vers. 10. οὐκ οἶδας *non scis?* deinde οὐκ οἴδατε, pro ἢ οὐκ οἴδατε, *annon scitis?* Marc. 4. v. 13. Rom. 6. v. 16. 1. Cor. 3. v. 16. & 5. v. 6. & 9. v. 13. 24. denique cap. 6. tribus versibus 2. 3. & 15. οὐκ οἴδατε, *non scitis*, pro ἢ οὐκ οἴδατε, *annon scitis:* Id quod eodem sensu, expressa interrogationis nota, tribus etiam versibus, 9. 16. & 19. profertur. Quamobrem cùm toties vox οἴδατε, non minus quàm γινώσκεις & γινώσκετε interrogativè accipiatur: meritò concludimus, & hoc in loco ita accipi posse: quia nulla loci circumstantia obstat: & verisimile est, debere sic accipi variis de causis. Primùm quia omnis contradictionis species hoc modo omninò tollitur. Deinde quoniam cum consequenti Thomæ responsione melius longè consentire videtur: ita enim quærit Christus, an sciant quo vadat, & qua via: Thomas autem sincerè respondet, nescimus quò abeas, quomodo igitur possumus viam scire: iisque verbis rogatus ignorantiam prioris simpliciter agnoscit, posterioris verò

verò ex priori concludit. Præterea, non videtur Thomas voluisse apertè contradicere Christo, eumque ita falsi arguere: id quod ex recepta interpretatione sequitur: Ea enim impudentia nimis magna esset, quàm ut Apostolo conveniret. Quod enim resurrectioni Christi, ab Apostolis nuntiatæ, fidem derogarit, Iohan. 20. v. 25. vitium quidem est: sed huic, de quo agimus minimè conferendum: quia sciebat satis Christum esse Dominum suum & veracem in suis verbis: Apostolos verò conservos ac collegas suos esse homines peccatores, qui errare poterant & visione Spectri alicujus seduci: quemadmodum antea errarant: cum enim tres Mariæ Christum suscitatum & à se visum, Apostolis undecim, & omnibus reliquis præsentibus nuntiassent, Luc. 24. v. 9. 10. visa sunt iis verba illorum quasi deliramentum, neque crediderunt illis. Deinde cum postea duo discipuli (quibus Christus apparuerat ac certò conspectus erat atque auditus) ejus resurrectionem, conspectum, dicta factaque Apostolis nuntiassent, Luc. 24. v. 33. 34. 35. neque illis crediderunt, Marc. 16. v. 12. 13. unde Christus iis exprobravit eorum incredulitatem & cordis duritiem, quod iis qui ipsum conspexerant suscitatum, non credidissent, vers. 14. Denique præterquam quod duorum horum discipulorum fide dignorum testimonio non crediderunt, accedit, quod cùm Christus ipse, duobus hisce adhuc loquentibus, in medio Apostolorum sese sisteret, eisque precatus salutem, compellasset, putarunt se videre spectrum: cumque Christus eos consolaretur territos, nec Spiritum esse, sed seipsum, utpote carne & ossibus præditum, dixisset, & ad spectandum ac contrectandum esset hortatus, Luc. 24. vers. 36. ad 40. nondum tamen crediderunt, vers. 41. Quare hinc apparet Thomam, antequam Christum vidisset, simili cum Apostolis reliquis errore existimasse, Spiritum aliquem fallacem, sub specie Christi eis apparuisse, ac propterea errantibus fidem non esse adhibendam. Quod sanè vitium est: sed nullo modo conferendum cum ea impudentia, qua Christo dicenti *scitis*, apertè contradicendo, *non scimus*, mendacium exprobrasset: nimirum, si (ut communis est sententia) Christi verba essent affirmatio. Postremò conciliatio initio posita non videtur satis solida: nam quamvis Christus suam mortem & resurrectionem prænuntiasset sæpissimè (quæ via ad Patrem) verbaque ejus Apostoli audissent: sensum tamen nesciebant: nam cum Marc. 9. v. 31. Christus dixisset discipulis expresse ac clarè, *filius hominis traditur* (id est, brevi tradetur) *in manus hominum, qui trucidabunt, &c.* addit tamen Euangelista v. 32. *ipsi verò ignorabant hoc dictum, & timebant eum interrogare.* Causa autem hujus ignorantiæ fuit falsa Apostolorum ex communi Judæorum errore, opinio: qua certò putabant Messiam promissum non solum spirituale, sed etiam terrenum regnum habiturum: ideoque quæ de morte & resurrectione dicebantur à Christo, ea hoc præjudicio quasi obcœcati non intelligebant. Idque vel inde etiam apparet, quod cùm Christus iis paulo ante ita apertè prænuntiasset, Matth. 20. v. 18. 19. *Ecce ascendimus Hierusalem, & filius hominis, &c.* nihilominus tanta fuit horum inscientia, ut non solum duo Apostoli Jacobus & Johannes, adjuncta matris intercessione, primas in Christi regno sedes ambierint, vers. 20. 21. 22. & Marc. 10. versu 35. sed etiam inter Apostolos reliquos orta sit contentio, quis eorum videretur major, Luc. 22. vers. 24. Denique hæc Apostolorum ignorantia confirmatur ex eo, quod Johannes cap. 20. vers. 6. de se & Petro ait: *nondum enim noverant Scripturam, ipsum oportere à mortuis resurgere.* Quocirca non videtur satis verisimile, Christum scientiam viæ, per quam ad Patrem esset abiturus, Apostolis suis attribuisse cùm dicta de morte & resurrectione ipsius (quæ via illius ad Patrem, seu per quam ad Patrem erat iturus) non intelligerent. Quare ex hisce omnibus consideratis ac perpensis, bona aliorum veniâ, Christi verba non esse affirmationem, sed interrogationem arbitramur, eoque modo nullam contradictionis speciem superesse concludimus. Atque hæc de prima colloquii inter Thomam & Christum parte, nempe responsione Thomæ: qua ad Christi interrogationem Apostolis factam, ipse respondet professione ignorantiæ, cùm loci, quo Christus esset abiturus, tùm viæ, per quam esset iturus. Sequitur porro altera pars, nempe Christi ad Thomam responsio v. 6. cùm ait Euangelista: *dicit ei Jesus, Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quæ responsio, ad majorem in fidei doctrina institutionem, amplius quid complectitur quàm Thomas requirebat. Siquidem primùm viam (qua in cœlum ad Patrem erat abiturus) ignotam, indicat: deinde eandem amplius describit. Viam autem indicat cum ait, *Ego sum via.* Quæ vox propriè quidem locum indicat, per quem viatores euntes, aliquò tendunt ac perveniunt; sed sæpe in Sacris Literis per Metaphoram ob similitudinem quandam medium aliquod indicat, quo utentes in cœlum perveniunt. Quo modo doctrina Euangelii, ratione Christianorum viatorum vocatur *via*, Actor. 19. vers. 9. & 23. *via Domini*, ibid. cap. 18. vers. 26. & *via stricta*, (scilicet ob nostri abnegationem, & tolerantiam crucis, Matth. 16. vers. 24. quæ hominem angunt) *quæ ducit* (nempe in ea per fidem charitate efficacem ambulantes) *ad vitam*, Matth. 7. v. 14. siquidem medium est & causa ministra ad salutem omni credenti efficax, Rom. 1. v. 16. Sic etiam Christus, ratione sui, ad Patrem, in domum ejus, seu cœlum, abitus, seipsum vocat viam excellentiori modo. Idem enim non solum viator est: sed etiam profectionis suæ via, similitudine eleganti appellatur: quod dignitatis obedientiæ suæ ad mortem crucis medio, resurrectionem & ascensionem in cœlum sit assecutus, ut Luc. 24. v. 26. ait, *nonne oportuit hæc pati Christum & introire in gloriam suam?* & Philip. 2. v. 8. 9. *ipse se submisit factus obediens ad mortem, mortem autem crucis: quapropter &c.* Et quemadmodum summus sacerdos Aaronicus, Christi typus, semel quotannis per velum transiens, cum sanguine victimæ alieno, in sanctum sanctorum ingressus est, Heb. 9. v. 25. sic Christus eo adumbratus, quatenus novi fœderis mediator, per carnis suæ velum, Heb. 10. v. 20. in cœleste sacrarium proprio sanguine penetravit, Hebr. 9. vers. 24. 25. Neque enim per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus, Heb. 9. vers. 12. Quod autem non pauci interpretes, Christum viam dici existimant, quatenus est Propheta, per quem Pater nobis viam salutis, Euangelium scilicet patefecit: illud veram quidem continet sententiam, (nam & quatenus homo ac Propheta, viam salutis docuit: & quatenus Deus, notitiam & fidem vivam illius, animis auditorum indidit, Matth. 11. vers. 27.) sed hujus loci scopo non satis aptè convenit: quia Christus v. 4. dixit: *quo ego abeo scitis, & viam scitis*, per quam abeo: & Thomas v. 5. *nescimus*, inquit, *quò abeas, quomodo igitur possumus viam scire?* nempe per quam abeas: unde omninò apparet, Christum cum ait: *Ego sum via*, non de suorum discipulorum: sed de sua ad Patrem via loqui: neque huic rei sequentia, quæ diversa sunt, obstant, ut postea apparebit. Atque ita Christus Thomæ, hanc sui ad Patrem abitus viam ignoranti indicavit. Cui indicio amplior descriptio succedit: primùm ab adjunctis seu conjunctis: deinde ab insita viæ præstantia. Adjuncta sunt duo, *veritas & vita.* Quæ verba bifariam exponuntur: quidam enim arbitrantur substantiva poni pro adjectivis, & quidem ut sint viæ epitheta, ac sensus sit: Ego sum via vera & viva: ut res una per duo explicetur, eo loquendi modo, qui ἓν διὰ δύο dici solet, quale illud Virgilii, *pateris libamus & auro*, id est, aureis, ut Servius exponit. Quo modo etiam dicitur Actor. 14. v. 13. *tauros & coronas*, id est, tauros coronatos, id est, vittatos: qua de re consulendus D. Beza ad eum locum. Quæ expositio Sacris Literis consentanea est, Christus enim via est primum vera: quia non fallax, non devia: deinde viva, quia efficax ac vivifica: ut Hebr. 10. v. 20. nobis dedicasse dicitur viam recentem ac vivam, per velum, id est, per carnem suam. Veruntamen huic, licet piæ, & si rem ipsam spectemus, circumstantiis hujus loci probè congruenti sententiæ, nonnulla tamen obstant, quo minus eam præferamus: primò, quia ex recta interpretationis

norma,

norma, quando Scripturæ ſenſus latius accipi poteſt, in anguſtiorem, ſine neceſſaria cauſa, nequaquam redigendus eſt: id quod poſita iſta expoſitione contingit: deinde adverſari quoque videtur phraſis, quod ſubſtantivis hiſce, *veritas & vita* articulus Græcè præponatur ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ: id quod in Sacris Literis, ubi ἓν διὰ δύο occurrit, fieri non ſolet: ut ex loco antè poſito, Actor. 14. verſ. 13. & ſimilibus perſpicuum eſt. Quamobrem altera cum Patrum, tum poſterorum multorum interpretatio, pleriſque magis probata: quæ duo hæc, *veritas & vita*, ampliore ſenſu diſtinctè à via, tanquam diverſa Chriſti attributa exponunt. Ad *veritatem* autem quod attinet, ea duobus potiſſimum modis explicari ſolet: unus quidem eſt, ut ea falſitati ac mendacio opponatur: quemadmodum expreſsè fit Ioh. 8. verſ. 44. Rom. 3. verſ. 7. & quidem non propriè (ut res ipſa docet) ſed impropriè per Metonym. adjuncti pro ſubjecto, & quidem excellenti: quo tropo Chriſtus uſus eſt, Ioh. 17. verſ. 17. cum ait, *ſermo tuus eſt veritas*, id eſt, verus ſeu veriſſimus: ubi abſtractum pro concreto ſuo, ad rei exaggerationem uſurpatur. Qualis loquendi modus, ut in Græcis & Latinis tritus eſt; ſic etiam in Veteri Teſtamento, ut Prov. 13. verſ. 6. *peccatum*, pro peccatore inſigni, & cap. 14. verſ. 1. *ſtultitia*, id eſt, ſummè ſtulta, ut doctiſſimus Mercerus aliique rectè explicant. Simili tropo Chriſtus hoc loco *veritatis* voce utitur, præmiſſo articulo ad majorem rei expreſſionem, cùm ait, ἡ pro αὐτὴ ἀλήθεια, *veritas illa*, id eſt, ſummè verus, veriſſimus: cui meritò tutoque in omnibus credendum: quemadmodum etiam de ſe ait, Apoc. 3. v. 7. *hæc dicit*, ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινὸς, *ſanctus ille, & verus ille*. Atque hic primus eſt explicandi modus. Alter vero eſt ut *veritas* non oppoſitè falſitati: ſed relatione ad promiſſiones & ceremonias legales diſtinctè intelligatur, per meton. effecti pro cauſa: nimirum quod illarum rerùm veritas (quæ in ſigni & rei ſignificatæ convenientia conſiſtit) à Chriſto eas implente oriatur, ut Ioan. 1. v. 17. *lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: & 1. Cor. 1. v. 20. *quotquot enim ſunt promiſſiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen, ad Dei gloriam.* Quo etiam ſenſu, *vera* typis legalibus opponuntur, Hebr. 8. v. 2. & 9. 24. quæ expoſitio pia quidem eſt, ſed prior ſimplicior eſt, & phraſi ſacræ Scripturæ atque hujus loci circumſtantiis accommodatior: nam ut *veritatis* ac *veri* vox, in locis modò allatis, relationem ad legem aut ſigna legalia habet expreſſam; ſic contrà abſolutè ſine ea relatione uſurpari hoc ſenſu, nondum obſervavimus: neque rectè excipi poteſt locus Ioan. 4. v. 23. de adoratione Dei in ſpiritu & veritate: quia oppoſitum relatum veritatis anteceſſit v. 21. nempe adoratio ceremonialis Hieroſolymis in templo: contra verò Chriſtus hic ſe veritatem vocat abſolutè, ſine ullo relationis hujuſmodi indicio; quocirca abſolutè intelligendum apparet. Quod autem ſe veritatem vocat, illud ſpectat ad majorem diſcipulorum attentionem ac fidem excitandam: quemadmodum idcirco ſimili quadam ratione frequentiſſimè eſt uſus, ut Luc. 4. v. 24. *Amen dico vobis*, & eodem ſenſu *in veritate* v. 25. ſic etiam Matt. 16. v. 18. Luc. 9. v. 27. Matt. 24. v. 47. Luc. 12. v. 44. Marc. 12. v. 43. denique ſimiliter Chriſtus Joan. 16. v. 7. ut diſcipulorum attentionem & fidem excitaret, ait: *veritatem dico vobis*. Sic etiam hoc in loco Chriſtus ſe non ſolum, viam ad Patrem; ſed etiam veritatem vocat: ut ipſi in re propoſita aliiſque omnibus, attentio ac fides adhiberetur. Ex qua veritate Chriſti etiam ſequitur, cum idem via ſit, fore ut nemo in ea ſeducatur. Atque ita Chriſtus, licet non per ἓν διὰ δύο immediatè, ſed mediatè nempe per conſequentiam, ſe veram viam eſſe oſtendit. Atque hæc de Chriſti epitheto & quidem primo viæ adjuncto, nempe veritate. Alterum eſt ἡ ζωὴ *vita illa*. Quæ vox, per Meton. effecti pro efficiente, vitæ cauſam notat: ut ea vox alibi etiam eo tropo uſurpatur, quemadmodum Joan. 11. verſ. 25. *ego ſum reſurrectio & vita*. Vita autem per Synecd. generis pro ſpecie κατ' ἐξοχὴν æterna, & quidem beata intelligitur: quo modo Johan. 5. verſ. 20. de Chriſto dicitur. *Hic eſt verus Deus & vita illa æterna*: & 1. Johan. 1. v. 1. idem vocatur *ſermo vitæ*: & v. 2. dicitur *nam patefacta eſt vita, &c. annuntiamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem & patefacta eſt nobis*, id eſt, vitæ æternæ cauſam. Cauſa autem intelligitur, non inſtrumentalis remota & per accidens, vi alienâ operans: ut Euangelium Joan. 6. 68. & 12. 50. & fides ſeu credere Joan. 17. 3. ſed ut cauſa propinqua, per ſe efficiens vitam, & ſibi, & nobis, idque bifariam. Primùm enim eſt cauſa efficiens impulſiva ſeu movens, ſuo merito, quatenus ſacerdos Patri obediens factus ad mortem uſque crucis, vitam æternam acquiſivit atque obtinuit ſibi Phil. 2. 8. 9. deinde etiam nobis: cùm carnem ſuam obtulit pro mundi (id eſt electorum Johan. 17. 21. 23. & 2. Cor. 5. 19.) vita, Johan. 6. 51. unde etiam dicitur, Heb. 5. 9. *Et conſecratus, factus eſt* αἴτιος *author ſalutis æternæ omnibus ipſi obedientibus*: & cap. 2. 10. *decebat enim eum propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, ut multos filios in gloriam adducturus*, ἀρχηγὸν *principem ſeu ducem ſalutis ipſorum per afflictiones conſecraret*. Secundò vitæ æternæ efficiens eſt Chriſtus ut cauſa exequens: qua ut verus Deus, per ſuam omnipotentiam, primùm ſibi, deinde nobis confert; ſibi quidem, quia templum corporis ſui deſtructum reſtauravit Johan. 2. 19. & 21. & pro ſua poteſtate, ut animam ſuam depoſuit, ſic eandem rurſus aſſumſit Johan. 10. 17. 18. & ſuſcitatus in cælum aſcendit Act. 1. Nobis verò cauſa eſt vitam æternam tribuens: quia & animas piorum à morte ad ſe recipit in vitam æternam Act. 7. 59. Phil. 1. 23. & corpora eorum ſuſcitabit ultimo die Johan. 6. 39. 40. & corpori ſuo glorioſo conformia reddet pro efficacitate, quâ ſubjicit ſibi omnia Phil. 3. 21. ac deinde ad ſe aſſumet in domum Patris Joan. 14. 3. ad poſſidendum regnum æternum, Matth. 25. 34. 46. unde etiam *vita noſtra* appellatur Col. 3. 4. Atque hæc de duobus Chriſti epithetis, veritate ſcilicet & vita, quæ viæ attributo conjuncta ſunt, & amplioris deſcriptionis (ad majorem conſolationem addita) pars prima. Altera verò præſtantiam illius viæ duplicem declarat, hiſce verbis: *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Prima enim præſtantia eſt, quod ſit via ad Patrem, non ſolùm ſibi (id quod priori verſus membro pro ſcopi antecedentis ratione indicavit) ſed etiam aliis: deinde quod iis via ſit ſola, nulla vero alia extet, Chriſtus enim via eſt ad Patrem, ſuâ ad mortem obedientiâ, non ſolum quatenus per eum acceſſum habemus in gratiam Patris Rom. 5. v. 1. 2. Eph. 2. 18. & 3. 12. ſed etiam (quod hîc omnino ſpectatur) in domum cęleſtem ac gloriam Patris; ſiquidem (ut Heb. 10. 20. dicitur) viam recentem ac vivam ad cæleſte ſacrarium ſuo ſanguine nobis dedicavit. Idemque deinde ſola via eſt quæ ad Patrem ac vitam æternam ducit, & ſine qua nemo eò pervenire poteſt; *unus* enim teſte Apoſtolo, *mediator eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus* 1. Tim. 2. 5. & ut Petrus aſſerit, *non eſt in alio quoquam ſalus: nec enim aliud eſt nomen ſub cælo datum: per quod nos oporteat ſervari* Act. 4. v. 12. Ubi obiter obſervandum, *nomen* hoc in loco per metoym. adjuncti pro ſubjecto perſonam notare; quod ea proprio ſuo nomine diſtincta, diſtinctè ab aliis notari ſoleat. Quo etiam modo eadem vox uſurpatur Act. 1. v. 15. *erat enim in eodem loco turba nominum*, id eſt, perſonarum: & Apoc. 3. 4. & 11. v. 13. Quamobrem vocem hanc (quoniam de hominibus ſermo eſt) Dominus Beza tribus hiſce locis Latinorum more *capita*, id eſt, ſingulares homines interpretatur. Quo etiam modo dicitur, *qui invocaverit nomen Domini* Rom. 10. v. 13. id eſt, ipſum Dominum. Atque hæc de præſtantia Chriſti quatenus via dicitur ad Patrem in domum illius cæleſtem, & quidem ſola, quod nemo poſſit eò pervenire niſi per ipſum. Quis autem ſit per hanc viam incedendi, & ad Patrem veniendi modus, hic quidem non exprimitur; ſed alibi deſcribitur: unde ad pleniorem hujus loci explicationem petendus eſt. Is autem eſt fides viva, quâ credendo ad Chriſtum accedimus (quemadmodum acceſſus ille Joan. 6. 35. & 44. coll. cum 65. exponitur) & in eo progredimur conſtanter, Col. 2. v. 67. Atque ita ad Patrem in vitam æternam ac beatam cum Chriſto pervenimus Joa. 3. v. 16. &c. 11. v. 25. & Heb. 5. v. 9. & 1. Pet. c. 3. Deinde ut Chriſtus ſolus eſt via ad Patrem: ſic fides viva ſeu per charitatem efficax, ſola eſt ambulationis in Chriſto & per Chriſtum ad Patrem modus. Nam quemadmodum ſine

fide

fide impossibile est placere Deo Heb. 11.6. sic etiam (quod necessariò inde sequitur) vita æterna sine ea obtineri non potest: quia ut dicitur, qui *credit in filium habet vitam æternam*, sic contrà, *qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* Johan. 3.36. Et Marc. 16.16. *qui non crediderit, condemnabitur*. Ideoque Christus ait ad incredulos Judæos, Johan. 8. 24. *nisi credideritis me eum esse, moriemini in peccatis vestris*. Hæc de incessus per Christum, tanquam viam, ad Patrem modo, nempe fide. Atque ita celeberrimam hanc Christi sententiam (qua ait: *Ego sum via, veritas, ac vita: nemo venit ad Patrem nisi per me*) nonnihil illustrare conati sumus. Quamobrem absoluta hac Christi descriptione, ut ad insignem paracleti promissionem accedamus, brevis addenda est

Verborum Christi, vers. 16. & 17.
EXPLICATIO.

HÆc enim promissionem illam complectuntur: quæ partim ob difficultatem, ex vocum quarundam significatione promanantem: partim ob rei significatæ excellentiam, declarationem nonnullam desiderat. Quare ab occasione illius & causa movente exorsi, ad rem ipsam, deinde procedemus. Occasio autem quæ instar causæ procatarcticæ, ut etiam antecedentium, fuit Apostolorum tristitia ac perturbatio animi, ex prædictione discessus Christi concepta: quasi eo modo imposterum omni illius auxilio adversus imminentia pericula essent destituendi, v. 1. Causas vero movens hujus promissionis, similiter cum antecedentibus communis est duplex: primum efficiens seu origo promissionis, nempe Christi erga discipulos suos amor: quo eos ad extremum usque dilexit, Johan. 13.1. Ideoque tristitiam eorum est aversatus: deinde finis ac scopus fuit, ut hanc tristitiam tolleret, iisque gaudium excitaret, ut ex v. 1. & 28. apparet. Modus autem ac medium ad eum destinatum ac propositum à Christo, est admonitio, qua dehortatur à tristitia, & ad fidem hortatur v. 1. deinde confirmatio illius, qua à copiosa discessus sui utilitate eos consolatur, quod scilicet in cœlum esset abiturus ad Patrem, ipsisque locum paraturus: quodque ad ipsos rediturus, & in eundem ad se locum esset assumturus v. 2. 3. deinde quod majora quam ipsius miracula, post abitum suum essent edituri v. 12. præterea quod quicquid in nomine ipsius petierint, illud esset facturus v. 13. 14. quibus ad ampliorem consolationem aliam utilitatem hoc v. 16. 17. adjungit: quæ primum proponitur: deinde apertius exponitur & declaratur. Proponitur autem v. 16. his verbis: *Ego autem rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Quibus duplex discessus Christi utilitas promittitur, prima est ipsius precatio: altera vero est fructus illius. Precatio autem indicatur generatim, ac deinde distinctè discribitur. Prius indicatur cum ait: ἐρωτήσω *rogabo*: quæ vox, ne quis forte hostium Scripturæ argutiis implicetur, paucis explicanda: origo autem illius est, ut author Etymol. Magni tradit, à nomine ἔρως, id est, amor, genitivo, ἔρωτος, ac propriè notat *interrogo*. Ratio autem etymi est, quia (ut idem author ait) οἱ ἐρωτῶντες, ὃ εὔχονται μαθεῖν τοῖς ἐρῶσιν ἐοίκασι, id est, *interrogantes, quod discere optant, amantibus similes sunt*. Impropriè verò abusione quadam vocis, pro *precari* usurpatur: ut frequentissime in Nov. T. contingit. Ideoque Hermogenes (ut etiam Henr. Steph. in Græcæ linguæ thesauro tom. 1. pag. 1904. observavit) inter dictionis vitia eam significationem recenset, lib. περὶ μεθόδου δεινότητος, sub initio ferè, cum ait, τὰ ἁμαρτήματα τῆς λέξεως, κατὰ δύο τρόπους γίνεται, ἀκυρίᾳ καὶ παραφθορᾷ. ἀκυρία μὲν, οἷον ἐάν εἴπῃ τις, ἐρωτῶ καὶ παρακαλῶ αὐτὸ τὸ δέομαι, hoc est. *Vitia in dictione duobus fiunt modis: improprietate & corruptione. Improprietate quidem, veluti si quis dicat* ἐρωτῶ & παρακαλῶ *pro peto seu precor:* Quibus verbis primum indicatur hanc significationem esse orationis vitium: deinde innuitur hoc vitium à nonnullis usurpari, quæ significationis novatio forte (ut commode etiam Dominus Piscator Luc. 5. ad vers. 3. conjicit) inde promanavit, quod sæpe in familiari petitione, interrogatione quadam petitio instituatur; ut si quis dicat, *placetne*, aut *visne mihi hoc largiri*: id quod arbitror modestiæ causa fieri: ut eodem fine, obliqua similis petendi forma, à leproso adhibita est, *Domine si vis, potes me mundare*, Marc. 1.40. unde factum etiam videtur, ut apud Latinos verbum *rogo*, quod *interrogo* propriè notat, tali tropo, pro *peto* & *precor*, crebro usurpetur. Quemadmodum etiam apud Hebræos vox שאל propriè *interrogare*; impropriè vero *petere* ac *precari* non raro significat; adeo ut forte Hebraismi imitatione in Nov. T. vocem ἐρωτάω, quæ *interrogo* significat, novata significatione pro *peto* seu *precor* usurparint: etsi LXX. interpretes ea voce Græca, neque Hebræam illam, neque affinem significatione, ita transtulisse videantur: quemadmodum etiam, neque à veteribus, neque à recentioribus accuratissimis ac Græc. linguæ peritissimis lexicographis ea vocis ἐρωτάω significatio, ullis antiquorum exemplis probata. In N. autem T. exempla extant plurima: nam ut alia omittamus, in Euangelio Johannis, cum alibi, tum cap. 4 47. & 17. 9. 15. 20 & cap. 19. 31. 38. sic etiam cap. 16. 26. & hoc in loco ἐρωτήσω, non *interrogabo*; sed *precabor* significat: quod Nonnus etiam αἰτήσω rectè exponit. Neque tamen Scripturæ N. T. majestatem lædit, quod neglecto hoc elegantiori Græcæ linguæ usu, vulgi aut Hebrææ linguæ imitatione, vocis ἐρωτάω significationem, convenienti tropo (qualem Latinos quoque in voce *rogo* observare ostendimus) innovavit: præsertim cum etiam, pro sua libertate, in aliis vocibus, ἀκυρίᾳ, ab optimis Græc. & Lat. linguæ authoribus interdum usurpata sit; quemadmodum Homerus Iliados π vocem ἔλπομαι, id est, *spero*, pro *timeo* usurpavit, ut Eustathius ibid. exponit: quemadmodum etiam Latini, ut Ter. in Andr. *quod speras* (id est, times) *propulsabo*: & Virg. 4. Æneid. *sperare dolorem*: sicut etiam Juven. Satyra quarta, *quartanam sperare*, eadem ἀκυρίᾳ protulit. Qualis etiam vocis à significatione usitata declinatio, in nomine παῤῥησία in N. T. extat. Cùm enim propriè *loquendi libertatem* notet; etiam per catachresin, pro *apertè* seu *palam*, citra controversiam Johan. 11. 54. accipitur. Atque hæc de voce ἐρωτήσω ad Scrip. Sac. contra hominum pravorum argutias, defensionem præmittenda videbantur: qua voce generatim precationem suam indicavit, quæ illi, ut secundum humanam naturam minori attribuitur: cui additur peculiaris illius descriptio, quæ objectum, finem & materiam illius subjectam notat, id est, quem, pro quibus seu quorũ bono, & quidnam boni esset precaturus. Primum autem exprimitur, cum dicitur, *Patrem*: quo primam Deitatis personam designat, relatè ad se tanquam Filium, ut v. 13. ideoque v. 2. & 7. & 12 & 20. & 23. *suum Patrem* expressè nominat. Reliqua verò duo (nempe pro quibus, & quidnam esset precaturus) brevitatis causa omittuntur: quia in fructus precationis descriptione sequente explicantur: ac propterea ex eadem etiam intelligi possunt: & à nobis ad rectam declarationem sunt petenda. Illi autem pro quibus rogaturus erat Patrem, sunt Apostoli: hos enim compellat & hosce consolatur. Deinde ejus quod impetraturus erat descriptio precationi respondens, idem demonstrat. Duo enim pro Apostolis beneficia erat rogaturus: 1. ut paracletus alius iis donetur à Patre: 2 ut is maneat cum iis in æternum. In priore autem (ad pleniorem ac certiorem hujus loci intelligentiam) examinanda sunt, quid sit *paracletus*, & quidem *alius*; deinde qualis illius donatio. Ad prius quod attinet, *Paracletus*, vox est orta à Græco παράκλητος, terminatione Latina. Quam vocem prisci Patres retinuerunt, ut Tertull. adversus Praxeam c. 9. Novatus de Trinit. c. 29. & Hier. tom. 2. epistol. ad Marcell. & Aug. aliique complures. Quemadmodum eandem quoque vocem Syrus interpres, cùm in Ioannis Euangelio, tum in prima epistol. expressit sine mutato פרקלטא, & Iudæi antiqui in Thalmude suo Chaldaicè per apocopen פרקלט Græcam vocem decurtarunt: ut Baalharuch locis è Thalmude diversis demonstrat. In Chaldæa verò V. T. paraphrasi extat numero plurali Iob. 16. 21. & quidem non alibi. Ad sensum verò vocis quod attinet, discrepantes sunt doctiorum sententiæ: quidam enim *consolatorem*, alii verò contrà *advocatum* seu *patronum* notare statuunt. Priorem sententiam quæ plurium est, Athanas. omnino videtur sequi, qui lib. testimoniorum de Trinit. titulo ὅτι ἡ τριὰς παράκλητος, ait: παράκλητος γὰρ διὰ τὸ παρακαλεῖν καὶ σώζειν λέγεται:

paracletus

paracletus enim dicitur, quod consoletur ac servet. Deinde Aug. tom. 4. sermonum Domini in monte sub initium de Spir. Sanct. ait: *qui maximè propterea paracletus nominatur, id est, consolator:* & tom. 10. sermon. de tempore in festo Trinitatis, sermone 6. ait: *quod autem paracletus dicitur Spir. S. operationis ejus proprietas exprimitur: paracletus enim Græcè, Latine dicitur consolator: & bene ipse pro Christo ad discipulos mittitur, ut eos consoletur inter tribulationes, quas ipsi erant confessione passuri.* Et Theophyl. ad hunc Johan. 14 16. locum ait, *subinde autem paracletum nominat, propter continuas ipsorum afflictiones bene sperantes efficiens, ut qui ab ipso refocillandi essent.* Alteram verò interpretationem alii præferunt; ut Tertull. qui adversus Prax. hunc locum Iohan. de paraclero citans interpretatur: *rogabo Patrem & alium advocatum dabit vobis.* Deinde Novatus de Trinit. c. 28. ait: *Advocatus autem ille Spirit. Sanct. quem missurus est Pater;* & c. 20. de paracleto loquens ait: *nam hic ipse & in prophetis populum accusavit, & in Apostolis advocationem gentibus præstitit;* & Damasc. Orthod. fidei lib. 1. c. 10. ait, *παράκλητον, ὡς τὰς τῶν ὅλων παρακλήσεις δεχόμενον*, id est, *paracletum, ut qui cunctorum patrocinia suscipit.* Quæ etiam verba extant apud Hesychium lexicographum doctissimum. Et sic Erasmus, Beza, aliique complures insignes interpretes interpretantur. Quibus authoritatibus hæc ratio accedit: quod παράκλητος, ut ajunt, sit vox passiva, non autem activa: deinde quod ea vocis paracleti significatio, nullo authorum Græcorum vetustiorum usu comprobatur: neque à Syris, neque à Thalmudicis authoribus eandem vocem retinentibus, alio sensu quàm advocati accipiatur. Denique quod 1. Ioha. 2. 1. Christus παράκλητος, id est, advocatus seu mediator appelletur: Spirit. Sanct. verò hic vocetur alius paracletus: idcirco similiter nomen illud transferri oportere. Verùm adversus rationem à forma vocis ductam (licet nihil hactenus observarim, responsum) pro vulgata sententia excipi posset, quamvis παρακαλοῦμαι passivè tantum accipi statuatur, extare tamen locum unum apud LXX interpretes, ubi activa significatione eam usurparunt, nempe Ier. 31. 13. ubi vox Hebræa נחמתים *consolabor illos*, παρακληθήσομαι αὐτοὺς, eodem omnino sensu transtulerunt. Nam licet ea verba absint in editione Romana, extant tamen in accurato Complutensi exemplari; & Hiero. in comm. Ierem. ad eum locum idem declarat. Nam & antea & postea quando inter ipsius versionem ex Hebræo & inter LXX translationem varietas est, eandem distinctâ earum versionum inter se oppositione exprimit: hic vero LXX interpretum versionem omnino omittit: ideoque consensum illius cum Hebræo contextu hoc modo indicat: neque ullum in commentariis aliud indicium. Quamobrem cùm verbum παρακαλοῦμαι activam significationem ibi admittat, quidni etiam verbale illius παράκλητος, activè usurpari queat? Ad rationem verò ex collatione vocis παράκλητος, 1. Iohan. 2. 1. desumtam, responderi posset: unam eandemque vocem, quæ ambigua est, non rarò diversa significatione, pro diversis locis usurpari. Ideoque Orig. περὶ ἀρχῶν lib. 2. c. 7. docet, Paracletum dici & deprecatorem & consolatorem, ac prius Christo, posterius Spirit. Sanct. convenire. Denique ad testimonium Tertull. dici posset, ipsum voce *advocati* consolatorem intelligere quemadmodum quod Esaiæ 61. 2. *consolari languentes* dicitur, interpretatur *advocare languentes*, contra Marc. lib. 4. c. 14. & ex Luc. 6. 24. παράκλησιν id est, *consolationem* sive *solamen* vertit *advocationem* ibid. c. 25. Atque hæc sunt quæ pro prima sententia, maximè recepta dici posse existimamus. Cœterùm in hac interpretationum vocis paracleti discrepantia: omnibus perpensis, secunda videtur non immeritò præferenda: nimirum ut non *consolator*, sed *advocatus* intelligatur: primùm quia significationis verbi παρακαλοῦμαι activæ nulla exempla proferuntur: unicus tantum locus Ierem. 31. à nobis exceptus. Deinde forma etiam nominis verbalis in τὸς, à verbo passivo orta, talem significationem personæ agentis, propriè seu sine tropo non admittit: sed finita in τωρ: ut distincta paracleto παρακλήτωρ *consolatorem* notat apud LXX. Iob. 16. 2. & apud Hesych. in lexico: παράκλητος verò esset potius *consolabilis*. Neque rectè objici potest, eandem vocem παράκλητος, cùm advocatum notat, significationem habere personæ agentis: quia id fit per tropum Meton. adjicit pro subjicit. Nam propriè notat advocatum passivè, id est, accersitum: deinde hinc fautorem ac patronum, quod advocari atque accersi soleat. Præterea nulla Græcorum antiquorum exempla, neque ulla etiam argumenta ex S. L. proferuntur, ex quibus illa significatio probetur. Contra vero & Chaldæus paraphrastes Iob. 16. & Thalmudistæ, ut antea monui, eandem vocem in suam linguam, non alâ quàm advocati significatione receperunt: quemadmodum in suo Præteritorum opere Dom. Drusius etiam observavit. Denique si sensum vocis spectemus, *advocatus* ampliorem etiam significationem, & ad perturbationem ac metum Apostolorum, quasi orphanorum, ope destitutorum, tollendum complectitur. Id quod etiam ex iis, quæ eruditè Dominus Beza in annot. ad hunc locum declarat, intelligitur. *Advocati, inquit, ex communi more dicebantur qui Græcè παράκλητοι, id est, à reis advocati amici, qui pro reo deprecarentur: ut apud Demost. περὶ παραπρεσβείας; & ab ipso patrono seu oratore, ipsius rei causam agente differebant, teste Ulpia. lib. 1. ff. de prævarication. quamvis idem alibi latius advocatos interpretetur omnes eos, qui agendis causis quoquo modo operantur.* Hæc Beza. Cœterum ut παράκλητος vox *advocatum* hîc notat: sic illud primum minimè dubium, non propriè Spiritus Sanctus ita appellari: sed per metaphoram, ob similitudinem quandam inter advocatum, & Spiritum Sanctum intercedentem: quod sit quasi advocatus, id est, præsens accersitus defensor contra adversarios. Quemadmodum simili translatione, advocato opposita, vox ἀντίδικος (quæ in causa forensi *adversarium* propriè notat, ut Matth. 5. v. 25.) Diabolo attribuitur 1. Pet. 5. v. 8. quod illius instar sit adversarius, accusatione Apoc. 12. v. 10. & vario nocendi ac perdendi studio 1. Pet. 5. vers. 8. Ut autem adversarii seu hostes Apostolorum (quemadmodum & reliquorum fidelium) sunt interius quidem caro, seu innata vitiositas, Rom. 7. v. 23. Gal. 5. v. 17. exterius verò primùm mundus (seu impiorum turba) Joan. 15. 19. & c. 16. vers. 33. & 17. v. 14. Deinde mundi illius princeps Satanas Eph. 6. v. 12. & 1. Pet. 5. v. 8. Luc. 22. v. 31. Sic Spiritus Sanctus Apostolos contra eos præsens defendit admiranda donatione boni, & aversione mali: quæ duo copiosa sunt consolationis materia. Collatio autem boni est illustratio mentis & confirmatio cordis. Illustravit autem mentes eorum, non solum notitiæ veritatis ac vivæ fidei donatione ampliore, ad Satanam vincendum 1. Pet. 5. vers. 9. Eph. 6. vers. 16. & mundum 1. Joan. 5. v. 4. sed etiam deductione in omnem veritatem salutarem, ad munus apostolicum, prædicatione Euangelii obeundum, necessaria, de qua re Joan. 16. v. 13. Adeo ut adversus Apostolos adversarii subsistere non potuerunt, Luc. 21. v. 15. Act. 6. v. 10. Confirmavit verò corda eorum, primùm miracula edendi potestate: quæ numero, Christi miraculis majora fuerunt. Joan. 14. vers. 12. Adeo ut præter alia plurima, etiam impositione manuum omnibus baptizatis, tam gentilibus quam Judæis, varia ac miraculosa Spiritus Sancti dona impetrarint Act. 8. v. 15. cum 17. & 19. 6. & 1. Cor. 12. 8. ad 13. & 2. Cor. 11. v. 4. Gal. 3. 2. 5. Deinde confirmavit etiam Apostolorum animos, admirando virtutum fiduciæ & amoris erga Deum incremento, ad munus Apostolatus rectè & constanter obeundum, hostesque superandos necessario. Ac fiduciam quidem; cùm boni præsentis, tum futuri, timidis eorum cordibus indidit: boni præsentis inquam, nempe charitatis Dei erga ipsos per Christum, Rom. 5. 5. & adoptionis in filios, & libertatis ad eum ut patrem accedendi invocandique Rom. 8. 15. 16. Eph. 2. 18. Fiducia boni futuri fuit spes certa salutis æternæ: unde arrhabo hæreditatis, dum in libertatem vindicemur, appellatur Eph. 1. 14 & per quem obsignati sumus in diem redemptionis Eph. 4. 30. Quibus modis eos est consolatus in adversis ac gaudentes reddidit Act. 5. 41. Ad amorem verò erga Deum quod attinet, illum in tepidis ac languidis Apostolorum cordibus ita accendit Spiritus Sanctus, ut voluntatem ac gloriam Dei & Christi, hominum gratiæ ac suæ incolumitati ac vitæ libenter prætulerint Act. 4. v. 19. & 5. v. 40.

& 5. v. 40. 41. 42. Atque hæc de collatione boni, Apostolis per Spirit. Sanctum facta: quæ prima defensionis Apostolorum pars, qua eos contrà adversarios præmunivit. Altera est aversio mali; cùm Diaboli & mundi fraudes ac violentiam coërcuit, ne Apostoli opprimerentur, sed ut victores tandem evaderent. Porrò quod Christus hunc paracletum, id est advocatum, comparatè *alium* esse dicit, in eo statuit inter se, & inter Spiritum Sanct. convenientiam in actione, & differentiam in persona. Convenientiam quidem in actione: quod uterque sit advocatus, id est, defensor Apostolorum. Christus enim in statu suo humili in terris doctrina & præsentia suâ, eos conservavit ad finem ut Joan. 17. v. 12. & cap. 18. v. 9. declaratur: licet modo & mensura (pro officii & periculi Apostolorum disparitate) discrepante. Modus enim quo Christus est usus ad Apostolorum defensionem, fuit bona ex parte ordinarius; & mensura potestatis edendi miracula, & donorum cùm mentis tum cordis longè parcior: quemadmodum de potestate illa Mat. 17. v. 16. & 19. de donis verò parcioribus testis est ruditas & ignorantia eorum Joan. 14. v. 5. & 9. (ut ibidem multis ostendimus) & Joan. 16. v. 12. & fidei imbecillitas reprehensa à Christo sæpius, Mat. 6. v. 30. & cap. 8. v. 26. & cap. 14. v. 31. & cap. 16. v. 8. atque inde procedens cordis metus ac perturbatio Joan. 14. v. 1. & Christo capto fuga, Matt. 26. v. 31. Contra verò Spiritus Sancti modus in Apostolis, suo patrocinio atque ope defendentis promissus, fuit novus atque extraordinarius Act. 2. adeo ut hoc respectu nondum fuisse Spiritum Sanctum asseratur Joan. 7. v. 39. Mensura verò fuit non parca, ut antea: sed plena Ioan. 7. v. 38. & cap. 16. vers. 12. 13. unde repleti dicuntur Spiritu Sancto Actor. 2. v. 4. Ideoque non immeritò Christus hoc discrimen indicavit, cùm Iohan. 16. v. 7. utile Apostolis esse asseruit ut abiret, ob Spiritum tum demum adventurum. Atque hæc de convenientia Christi & Spiritus Sancti in actione, scilicet quod uterque Apostolorum paracletus, id est, advocatus seu defensor sit: ille quidem prior; hic verò posterior. Differentia verò in persona notatur etiam, cùm paracletum vocat *alium*, non eundem: eoque modo trium personarum divinarum distinctio (ut rectè ab Orthodoxis olim observatum) demonstratur. Nam Filius rogat Patrem: eoque alius est à Patre: ut natura relatorum Patris & Filii ostendit: quemadmodum etiam proposito suo de seipso testimonio ait: Ioan. 5. v. 32. *alius est qui testatur de me*; quemadmodum etiam Spiritus Sanctus *alius* hic dicitur, id est, alia persona; non autem *aliud*, id est, alia essentia; sed ratione essentiæ unum 1. Ioan. 5. v. 7. Quare ex hisce patere satis arbitramur, quid *paracleti* nomine intelligatur: & quare *alius* appelletur. Cum verò Christus ait se rogaturum Patrem, nempe ut det Apostolis hunc paracletum, illos eo caruisse indicat. Quod enim quis habet, illud datum est: ideoque sapienter peti non potest. Ac proinde non de Spiritus regenerantis gratia ordinaria per verbum dicitur: ita enim Spiritum Sanctum acceperant, utpote credentes in Christum, & hæredes regni cælorum: quod sine Spiritus regenerantis gratia non contingit, Ioan. 3. v. 5. Sed de extraordinaria ac miraculosa Spiritus Sancti in illis operatione, qua subitò sanctificationem amplificavit: & variis ac stupendis donis copiosè instruxit, sicut ex antedictis constat. Cùm autem donatio paracleti esse posset, vel ad tempus tantum; vel in æternum (seu ad finem usque vitæ; nam in cælesti gloria advocato non erit opus) idcirco primum beneficii pro Apostolis à Patre rogandi membrum, de datione sive donatione paracleti distinctè amplificat, addito altero beneficio, nempe duratione illius perpetuâ, cum ait: *ut maneat vobiscum in æternum*: Confer Eph. 1. v. 14. & cap. 4. v. 30. Cujus additionis finis, est Apostolorum in fide ac fiducia confirmatio. Cum enim Christus illis paucis tantùm annis, in statu suo humili in terris, paracletus ac defensor ipsorum fuerit, non autem semper apud eos manserit Mat. 26. v. 11. Sed iis in terra relictis in cœlum ascenderit Ioan. 14. v. 3. & cap. 16. v. 18. ne quid simile de S. Sancto metuant, idcirco se non solùm pro illius donatione à Patre, sed etiam pro perpetua apud ipsos mansione rogaturum promittit. Hæc autem Christi precatio, facta intelligitur ratione hmanæ naturæ: secundum quam se Patre minorem fatetur Ioan. 14. v. 28. non autem ratione divinæ naturæ, quâ æqualis est Patri, atque adorandus, non autem adorans: licet adorationi ab humana natura factæ, dignitas summa accedat à divina natura, cui personaliter unita est. Unde Cyril. Alex. de fide ad Theodosium ait: *unum esse Christum, ex adorante humanitate, & adorabili Deitate.* Deinde ab humana Christi natura facta est hæc precatio 1. in terris Ioan. 17. v. 11. cum ait: *serva eos, quos dedisti mihi.* Quæ conservatio facta per Spiritum S. ac distinguitur ab ea, qua Christus ad id tempus eos conservarat v. 12. & 15. Idemque rogavit v. 17. *sanctifica eos per veritatem tuam*: & v. 20. pro successu apostolatus eorum felici; Et cum v. 24. pro eorum secum in cœlis futura præsentia oravit, ergo etiam mansionem Spiritus Sancti perpetuam petivit. Deinde rogavit etiam Patrem postquam ad eum ascendit in cælum, quod potissimum hîc spectatur, ut ex antecedente colligitur. Nam vers. 12. ait se proficisci ad Patrem, & si quid petierint in nomine ipsius, id facturum pollicetur vers. 13. & 14. & dilectionis interim officio præscripto v. 15. subjicit deinde v. 16. se rogaturum pro iis Patrem, nimirum in cœlis, uti etiam pro nobis ibidem postulare dicitur Rom. 8. v. 34. Heb. 7. vers. 25. Quo etiam sensu παράκλητος advocatus seu intercessor noster ac deprecator apud Patrem vocatur 1. Ioan. 2. v. 1. Si quis objectet, Spiritum S. etiam Rom. 8. v. 26. 27. dici postulare seu intercedere pro nobis: ideoque rectè de Christo intelligi, ipsum rogare pro Apostolis Patrem, non solùm secundùm humanam, sed etiam secundum divinam naturam: Negatur inquam consequentia: quia Christus pro nobis postulare propriè dicitur: Spiritus S. verò non propriè: quia ipse est Deus cum Patre & Filio adorandus: sed impropriè, per meton. effecti pro efficiente: quia is est, qui nos orare docet sua inspiratione, & ut oremus rectè, affectum ferventem (qui inenarrabilibus suspiriis indicatur, Rom. 8. v. 26.) & fiduciam adoptionis atque invocationis Dei tanquam ex gratia patris nostri, inspirat. Quemadmodum ibidem v. 15. dicimur accepisse Spiritum adoptionis per quem (seu cujus instinctu) clamamus Abba Pater. Atque hæc de Christi precatione; qua pro Apostolis rogaturus erat Patrem, ut daret iis alium paracletum, ut maneret cum iis in æternum. Cui precationis narrationi, fructus illius subjicitur, nempe rei petendæ à Patre impetratio his verbis; *& alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Quæ verba subjectam precationis materiam, seu rem petitam exprimunt: quæ brevitatis causâ, in precationis descriptione per ellipsin omissa, hinc intelligenda erant, & à nobis jam sunt exposita, ideoque uberiorem declarationem non desiderant. Nam tantùm hoc discrimen extat, quod in propositione precationis petitio donationis placeti intelligatur: hîc verò executio illius rei petitæ, seu donatio futura paracleti promittatur cùm dicitur, *dabit vobis*. Cum autem Christus, spiritus donationem Patri adscribit, seipsum non excludit: quia Pater per ipsum donat. Nam sicut Christus, quatenus homo est, Spiritum S. pro Apostolis postulavit: sic eundem cum Patre, & à Patre donavit, quatenus unus cum Patre Deus, quemadmodum dicitur baptizare Spiritu S. Joan. 1. v. 33. Act. 1. v. 5. Deinde miraculosè primitias Spirit. S. post resurrectionem, ipsis, quà Deus, dedit, & quà homo, oris sermone atque afflatu significavit Ioan. 20. v. 22. ut ad receptionem Spirit. Sanct. promissam ac plenam, post ascensionem ipsius futuram præparet, atque idoneos ad officium interim præstandum redderet. Et ut dicitur paracletus Spiritus Sanct. à Patre mittendus in nomine Christi cap. 14. v. 26. sic idem sibi Christus attribuit dicens Ioann. 15. v. 26. *paracletus ille quem ego mittam vobis à Patre*: & cap. 16. v. 7. *nisi ego abiero &c.* & Actor. 2. v. 33. Spiritum Sanct. in Apostolos effudisse dicitur: & dona quæ Spiritus Sanct. dedit, Christo ut Filio Dei per ipsum operanti tribuuntur, ut Luc. 21. v. 15. *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere nec resistere illi qui se vobis opponunt*: & miracula per Apostos edita Christo adscribuntur Marc. 16. v. 20. & Actor. 3.

ctor. 3. 16. Atque hæc de utilitatis diſceſſus Chriſti ad Patrem propoſitione, quod rogaturus eſſet Patrem & impetraturus paracletum in æternum verſ. 16. Quod cùm per ſe obſcurius eſſet, ſeu non ſatis expreſſum, quidnam per paracletum alium intelligeret Chriſtus: idcirco ſubjicitur ab eo, in ſecunda hujus orationis parte, perſpicua expoſitio, qua ſollicitæ dubitationis, quę Apoſtolos movere poterat, occaſionem tollit v. 17. cum ait: *Spiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere: quia non videt eum, neque novit eum: Vos autem cognoſcitis eum: quia apud vos manet, & in vobis erit.* Hiſce enim verbis exponit Chriſtus, quid per alium paracletum intelligat: deinde illius donationis pręſtantiam, & ſimul manſionem declarat. Prius exponitur cum ait; *Spiritum illum veritatis:* qua periphraſi Spiritum S. intelligit, quemadmodū diſertè v. 26. exprimitur. Cur autem ita nominetur, quia phraſis ambigua eſt, diverſę ſunt interpretum ſententię. Quidam enim Hebraiſmum eſſe arbitrantur: quo ſubſtantivum alteri junctum, pro adjectivo uſurpatur: ut Luc. 16. 8. *diſpenſator injuſtitiæ*, i. e. injuſtus: & c. 18. v. 6. *Judex injuſtitiæ*, i.e. injuſtus: & 1. Ioan. 4. v. 6. *Spiritus veritatis*, i. e. verus: ut ita hoc loco ſimiliter ſpiritus veritatis Spirit. S. mendacii ſpiritui Diabolo Ioa. 8. v. 44. opponatur. Alii deinde cum Patribus nonnullis non abſolutè notari putant, qualis Spirit. S. in ſe ſit: ſed relatè ad V. T. legales figuras: quemadmodum *veritas* interdum eo modo accipitur Ioan. 1. 17. Heb. 8. 2. & 9. 24. Alii deniq; authorem veritatis, conſueta ellipſi deſignare exiſtimant: quemadmodū *Deus pacis*. Rom. 15. 33. item *Deus pacis & dilectionis* 2. Cor. 13. v. 11. ſupple author. Quę explicatio reliquis non immerito præferri ſolet: nam plenior eſt quàm prima, ut quæ eandem includat: nam ſi author eſt veritatis, verum eſſe in ſe oportet: ſimplicior verò eſt quam ſecunda, quoniam nulla ceremoniarum ac figurarum legis Vet. Teſtam. facta eſt mentio: ut relatè ad eas accipiatur. Contra in locis adductis Ioan. 1. Hebr. 8. & 9. talis relatio manifeſta eſt: deinde quia Chriſtus ipſe ita exponit, Ioan. 16. v. 13. dicens: *cum autem ille venerit, Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Etſi autem abſolutè veritatis (ut etiam omnis boni) author ſit Spiritus S. hoc tamen in loco ea veritas peculiariter intelligitur, in quam Apoſtoli erant deducendi. Quæ promiſſio Apoſtolis ſpecialis, ſeu peculiariter facta, duo beneficia complectitur: quorum primum eſt, non ſolum notitiæ & fidei veritatis ſalutaris incrementum: ſed etiam omnis veritatis illius plenitudo, ad munus Apoſtolicum perfectè obeundum neceſſaria: quemadmodum Ioan. 16. v. 13. dictum; *in omnem veritatem.* ſecundum beneficium ad ſcientiæ veritatis uſum pertinens, eſt directio à Spiritu Sancto perpetua: id quod Chriſtus ibidem indicat, cum ait, *deducet* ὁδηγήσει, *viæ dux erit:* ut & ſcientiæ omnis veritatis noſcendæ ac prædicandę, & prædicationis ac defenſionis illius author ac gubernator ſtatuatur. Quo etiam ſpectat illud Chriſti promiſſum Luc. 21. v. 14. 15. *ſtatuite igitur in cordibus veſtris, non eſſe præmeditandam defenſionem. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neq; reſiſtere ulli adverſarii veſtri.* Hoc autem per Spiritum Sanctum ſe daturum antea ſatis explicaverat Chriſtus Luc. 12. v. 11. 12. *ne eſtote ſoliciti quomodo aut quid pro defenſione allaturi aut dicturi ſitis: Spiritus enim S. docebit vos ea ipſa hora, quæ oportet dicere.* Idemque eventus confirmavit, nam Actor. 2. v. 4. non ſolum dicuntur Apoſtoli repleti Spirit. S. (quod ad donorum infuſionem pertinet) ſed etiam cæpiſſe loqui aliis linguis, prout Spiritus iis dabat eloqui: id quod ad uſum donorum, & doctrinæ animo conceptionem & elocutionem ſpectat. Ac propterea in hiſce duobus ab aliis fidelibus Apoſtoli diſtinguuntur; quod illi non ordinariè, ſed extraordinariè ac miraculoſe à Spiritu Sanct. ſunt illuſtrati, non ſolum veritate ad ſalutem ipſorum ſufficienti, ſed etiam omni veritate: deinde quod ejuſdem Spiritus Sancti inſpiratione perpetuò ſunt directi & ab omnibus erroribus immunes ſervati, ut doctrina eorum divina, primum prædicatione, deinde ſcripto propoſita, eſſet perfecta fidei Chriſtianæ norma, & non principale (quod ſoli Chriſto convenit 1. Cor. 3. v. 11.) ſed inſtrumentale Eccleſiæ fundamentum: quo ſenſu fundamenta Eccleſiæ duodecim dicuntur, quibus nomina duodecim Apoſtolorum inſcripta Apoc. 21. v. 14. Atque hæc de prima paracleti expoſitione, nempe quod per eum Chriſtus intelligat Spiritum veritatis. Altera verò ſubjicitur, qua præſtantiam donationis illius, oppoſita comparatione declarat: nimir. quod hoc beneficium non ſit mundo dandum, ſed Apoſtolis. Quorum utrumque proponitur & appoſitis rationibus declaratur. Prius quidem his verbis: *quem mundus non poteſt recipere. Mundi* autem vox bifariam hoc loco explicatur. Quidam enim ſpeciatim infideles ac reprobos intelligunt: ut ea vox accipitur Joan. 17. v. 9. *non oro pro mundo*, id eſt, reprobis hujus mundi, ut res ipſa oſtendit: nam pro electis Chriſtum orare certum eſt: & oppoſitio hæc: *ſed pro iis quos dediſti mihi*, declarat: Alii verò ſignificatione frequentiori, per mundum, infidelium turbam (in qua partim electi ac vocandi ad fidem, partim reprobi) generatim denotari arbitrantur. Utraque autem expoſitio ſententiam veritati conſentaneam complectitur: ſed adverſus primam objici poteſt, 1. quod promiſcuè electi & reprobi baptizati impoſitione manuum Apoſtolorum receperint Sp. S. Act. 8. v. 12. cum 16. & 17. & Matt. 7. v. 22. multis reprobis expreſsè idem attribuitur. Verùm reſpondetur, hoſce recepiſſe quidem Spiritum notitiæ veritatis & miraculorum: quod beneficium reprobis multis commune: ſed non Spiritum regenerationis paracletum advocatum, ſeu defenſorem adverſus carnem, mundum, Satanam, incremento vivæ fidei & ope ſalutari ſuccurrentem: ideoque tantum ſecundum quid, non ſimpliciter, de quo hic agitur, Spiritum acceperunt: quod autem ſecundò objicitur, idem etiam reprobis tribui Heb. 6. v. 4. his verbis, *qui ſemel illuſtrati fuerint, guſtaverintque donum cæleſte & participes facti fuerint Spiritus Sancti*: contra reſponderi poteſt, primùm id quod certò præſupponunt de reprobis hîc agi, demonſtrari ſolidè non poſſe: quia etiam de verè fidelibus & electis exponi poteſt; neque tamen propterea perſeverantia ac ſalus eorum dubia reddetur: quia hæc oratio Apoſtoli conditionalis eſt, cujus veritas non in partium veritate: ſed in conſequentia illius ſolida conſiſtit: qua comminatione conditionali, ad ἀποστασίας odium ac fugam fideles ſtimulantur, ut etiam ex verſ. 9. colligi poteſt: ut in ſimili loco Heb. 10. verſ. 26. Apoſt. ait, *ſi ultrò nos* (notanda vox *nos*) *peccaverimus, &c.* Neque amplius ex hoc loco poteſt concludi, quam ex ſimilibus comminationibus, quæ verè fidelibus, ad officium acrius præſtandum propoſitæ à Chriſto fuerunt. Quemadmodum licet Apoſtolorum nomina eſſent inſcripta in cœlis Luc. 10. verſ. 20. ac Patri placuiſſet, illis dare regnum Luc. 12. verſ. 32. & à Chriſto eſſent electi Joan. 13. 18. nihilominus tamen ad eos, & de iis ait: *niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, &c.* Matth. 5. verſ. 20. & 18. 3. *Amen dico vobis; niſi converſi fueritis & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum:* & Joa. 15. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos niſi manſeritis in me.* Deinde etiamſi de reprobis accipiatur, & participes facti Spiritus S. dicerentur: illud intelligendum ratione donorum communium, ſeu guſtus notitiæ Euangelii & fidei dogmaticæ ſeu mortuæ: non autem ratione donorum ſpecialium ſeu confirmationis vivæ fidei & deductionis in omnem veritatem: nec paracletus, advocatus, ſeu adverſus carnem, mundum, Diabolum, patronus ac defenſor ſtatuitur. Ideoque verè hic dictum intelligi poteſt, mundum, ſcilicet reproborum turbam, non poſſe hunc Spirit. S. accipere. Secunda etiam expoſitio veritati ſimiliter conſentit: nam promiſſio hæc, de extraordinariis ac miraculoſis illis Spirit. Sancti donis, non mundo, quatenus incredulos notat: ſed ſolis credentibus facta Marc. 16. 17. 18. 19. ut etiam Acta Apoſtolorum demonſtrant: & excellentia illa donorum, quam Chriſtus hîc promittit, ſolis etiam Apoſtolis convenit. Etſi enim Deus notitiam ſalutaris veritatis ac fidei, in omnibus vere fidelibus per Spirit. S. augeat, & gratiæ Dei ac ſalutis fiduciam in iis confirmet, & ad amorem & invocationem Dei excitet, denique ad diem uſque redemptionis in iis maneat (ut Apoſtolis etiam contigit) modus tamen ut antea oſtendimus, non eſt extraordinarius ac miraculoſus

raculosus, nec tanta copia ut in Apostolis: sed ordinarius ac sine miraculis mediatus, per verbum Euangelii (quod idcirco *ministerium Spiritus* 2.Cor.3. v. 8. nominatur) & per sanctas preces Luc.11.v.13. Cùm autem utraque expositio sit veritati consentanea: prior tamen videtur non immerito præferri, & sequentibus aptius cohærere: & ratio, quæ à Christo subjicitur, probe etiam convenit, *quia non videt, nec cognoscit eum:* ubi vox *videndi* non propriè de oculorum visu, quia ita quodammodo eum vidit Simon Magus Act.8. v.18. sed metaphoricè de visu oculorum mentis seu notitia, intelligenda est, ut non disjunctionis, sed expositionis gratia additur, *nec cognoscit eum:* id quod non generatim intelligendum: nam ita reprobi multi, ut Christum, sic Spiritum cognoverunt, sed per Synecd. speciatim de notitia fidei: quemadmodum ita accipitur Esa.53 11.& Ioa.8.v.32. & 1.Ioa.3.v.6. convenienter huic loco: *quisquis*, inquit, *peccat, non videt eum, nec cognoscit eum:* quod de sola fidei vivę notitia verum est. Atq; hęc de oppositę comparationis (quę præstantiam donationis paracleti declarat) priore membro, quod mundus eum non potest accipere, quia non videt neque cognoscit eum. Alterum est, *vos autem cognoscitis eum,* notitia scilicet fidei & experientiæ: ratio est, *quia apud vos manet, & in vobis erit.* Manere autem dicitur, quia per sanctificationem inchoatam renati erant ex Spiritu, & à Deo in fide conservabantur. Quod autem additur *in vobis erit:* intelligendum ratione miraculosi incrementi sanctificationis illius ac durationis perpetuæ, & simul extraordinariorum donorum accessione: quemadmodum eventus Act. 2. demonstravit. Ideoque non opus est ut vulg. interpr. vocem μένει transferamus *manebit*, quia exemplariorum Græcorum consensu (ut ex Rob. Steph. editione majori aliisque constat) non legitur in futuro μενεῖ ultima circumflexa, sed in præsenti μένει, accentu penacuto. Deinde quia res ipsa idem comprobat: alioqui inepta statueretur ταυτολογία: quia non solum idem repeteretur, sed etiam minus quàm dictum erat: nam *erit in vobis*, minus est quam *manebit apud vos*: siquidem rectè sequitur; si manebit, erit: sed non contra, si erit, etiam manebit vobiscum. Adhæc ratio etiam non videtur satis convenire, vos cognoscitis eum, quia manebit vobiscum; sed cum dicitur, *quia manet vobiscum*, oratio aptissima est. Nam paracleti illius Spiritus veritatis habebant primitias ordinarias, ideoq; eatenus eum agnoscebant. Atque hactenus de Spirit. Sanct. promissione à Christo facta Ioan. 14. v. 16. 17. Sequitur

Quæstio, ex Cap. XV. vers. 1. & 2.

An hi versus cum doctrina de perseverantia Sanctorum conveniant, nec ne?

INsignis est hæc Christi oratio, cùm ait: *Ego sum vitis vera, & Pater meus est agricola. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, & omnem qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat.* Cujus orationis occasio, est antecedens fidei in Deum & Christum c.14.v.1. & 11. & obedientiæ dilectionis v.15.21.23. instituta à Christo commendatio, addito etiam argumento ab exemplo suo v.31. Scopus autem est in utroq; confirmatio, ut ex cap. hujus v.3. & seq. patet. Medium quod ad eum scopum tendit, est ratio à consequente, partim contrariæ incredulitatis & inobedientiæ pœna, partim à fidei & obedientię præmio. Modus autem tractandi est allegoria seu continuata metaphora: in qua eleganti similitudine Christus seipsum vocat vitem, & quidem veram illam, ob excellentiam præ vite propriè dicta: deinde Patrem agricolam, & Christianos palmites suos vocat: cujus allegoriæ explicatio ex v.4.& 5. inprimis peti potest. Cœterum hic quæstio tractanda exurgit; An versus 2. cum doctrina orthodoxorum de perseverantia Sanctorum, seu viva fide præditorum consentiat, nec ne? Prius enim à nostris: posterius ab adversariis Pontificiis & Ubiquitariis asseritur: ideoque ad veritatis patrocinium argumenti eorum breve ac perspicuum examen instituere conabimur. Sic autem disserunt; Omnes palmites in Christo vera vite, sunt viva fide prædití: quidam autem palmites in Christo vite, tolluntur, id est, amputantur, atq; in ignem projiciuntur vers. 2. & 6. Ergo quidam, qui tolluntur ac amputantur & in ignem projiciuntur, sunt viva fide præditi. Responsionis autem modus duplex est: primus quidem negatione propositionis: quod palmites in Christo sint duplices: alii vera vivaque fide: alii verò mortua fide præditi: & hosce quidem nonnulli Christo insitos dici respondent, non quod revera ei sint insiti, ut qui viva fide careant (per quam solam Christo verè inserimur) sed quod propter fidei professionem Christo insiti esse videantur: quemadmodum Apoc. 22. v. 19. dicitur: *si quis aliquid ex verbis illius prophetiæ abstulerit, Deus etiam auferet ejus partem ex libro vitæ, & ex urbe sancta.* ubi *partem ejus* vocat, quæ ejus esse videbatur, quam diu habebatur pro vero Christiano. Alii verò duplices quidem palmites intelligi statuunt; sed insitos aliter explicant: in genere enim intelligi eos, qui communionem habent cum Christo: quorum quidam simpliciter, ut viva fide præditi; ipsi ut viva membra illius sunt insiti, ac succum justitiæ ac salutis ex eo percipiunt eoque fructum ferunt. Alii verò habent tantùm communionem secundum quid, quales sunt, qui mortuâ fide Christo quodammodo sunt insiti ac palmites illius vocantur: quia per illius agnitionem & professionem, externam cum palmitibus ejus (hoc est, Ecclesia mystico Christi corpore, atque eatenus cum Christo) habent communionem: verùm quoniam, vivifica Christi unione, & succo vivificantis Spiritus carent, fructum non proferunt: ideoque tanquam infructuosi tandem ab Ecclesia segregantur, & in ignem exitii æterni dejiciuntur Joa.15. v.6. Mat.13.30. & 42. quo etiam modo tales *filii regni* vocantur Mat. 8. 12. secundum quid: ab iis enim qui filii regni Mat.13. 38. dicuntur simpliciter, quique electi sunt, & adoptati in filios, Eph. 1. 5. Gal. 3. 26. quique non solùm sunt in Ecclesia, sed etiam ex Ecclesia 1.Ioan.2.19. (tanquam viva illius ac Christi membra) distinguuntur. Atq; hęc de primo responsionis modo, quo scilicet propositio argumentationis objectę ab adversariis, bifariam negatur. Secundus verò modus est, quo concessa propositione negatur assumtio. Nec enim Christus hoc in loco affirmat, quosdam palmites esse in se, qui non ferant fructum; sed tantùm ait, tales excidendos. Si quis verò excipiat: si nulli palmites Christo insiti sint tales, nempe infrugiferi, ineptam statui orationem: negatur illud: quia sufficit eo indicari quidnam per palmitum illorum infirmitatē fieri posset: nimirum ut fructum non ferrent; & quid inde esset sequuturum, nempe ut exciderentur. Quę comminatio, tanquam causa adjuvans est in verè fidelibus ad eos excitandos ut fructum ferant: quemadmodum v. 4. Christus ostendit cùm ait: *manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest fructum ferre à seipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.* Et quamvis electio Apostolorum ad vitam æternam, & perseverantia eorum esset certa, ut Luc.10.20.& 12. 32. traditur: tamen medium hoc hortationis & comminationis ad officium eorum destinatum; adhibitum est sapienter atq; utiliter: quemadmodum & alibi ut Matt.18.3. comminatio Apostolis ad eundem scopum tendens hæc proponitur: *Amen dico vobis nisi conversi fueritis, & fiatis ut puerul, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.* Et eodem sensu generatim per affirmationem absolutam ad Apostolos, non solum utitur promissione: ut pręmio ad officium excitet dicens, *quisquis exceperit aliquem puerulum talem in nomine meo, me excipit* v.5. sed etiam comminatione hac v.6. *quisquis autem offenderit aliquem ex parvis illis qui in me credunt, præstiterit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris:* similiter Matth. 10. Apostolos hortatus, ne timeant confessionis Christi adversarios vers. 31. etiam generali sententia (quæ ad Apostolos etiam spectat) argumenta affert à præmio confessionis seu salute v. 32. & à neglectus illius pœna, nempe exitio v. 33. *quisquis me confessus fuerit, &c. quisquis autem negaverit me, &c.* scilicet sine resipiscentia. Quibus illustris etiam locus accedit prioribus consentaneus Matth. 16. 24. cùm enim Christus Apostolos esset hortatus ad crucem ferendam: deinde à violatione officii illius absterret comminatione exitii: & contrà salutis promissione ad officium præstandum provocat vers. 25. *quisquis enim*, inquit, *voluerit animam suam* (id est vitam) *servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam*

suam

suam mea causâ, inveniet eam. Quibus seu absolutis, seu conditionatis comminationibus jam propositis, Apostolorum perseverantia ac salus non redditur dubia: quasi quidam eorum neglecto officio essent perituri: alii verò ex iis officio præstito salutem essent consecuturi, quia ut supra demonstratum, & perseverantia, & salus eorum erat destinata ac certa, Luc. 10. v. 20. & 12. v. 32. & Matth. 19. v. 28. ad quam consequendam media etiam efficacia fuerunt destinata à Deo, non solum interna, sed etiam externa, ut Euangelii ministerium, ad quod etiam comminationes exitii inobedientium, & promissiones salutis obedientium spectant: ut illis ad mali odium ac fugam, hisce verò ad boni amorem ac studium, accedente Spiritus gratiâ stimulentur. Quo etiam modo Christus 1. comminatione generali hoc loco utitur cum ait: *omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit.* Deinde contraria generali promissione, *& omnem,* inquit, *qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat,* non ut ostendat ea comminationis & promissionis propositione, in se esse palmites quosdam non ferentes fructum, quos Pater tollat; reliquos verò ferentes fructum, quos purget: sed eo modo comminatione exitii proposita, à vitiis absterreret: & promissione boni ad fructus pietatis ferendos provocat. Quemadmodum & conditionalibus & generalibus ad Apostolos certò servandos, comminationibus & promissionibus similibus non rarò usum esse Christum, prolatis ante exemplis illustribus, demonstravimus. Ex quibus tamen nullo modo concludi potest, eorum quosdam à necessario ad vitandum æternum exitium officio defecisse: quosdam verò in eo perstitisse: id est nonnullos eorum Apostolorum (exempli gratia) Christum sine resipiscentia abnegasse ac periisse: reliquos vero confessos esse ac servatos. Atque ex his perspicuum est, Pontificiorum & Ubiquitariorum argumentationem ex hujus orationis Christi, de qua agimus, occasione arreptam, & initio propositam, non posse consistere: quod vel propositione, vel assumtione negata ea diluatur. Ideoq; hęc Christi sententia, qua palmitibus fructum non ferentibus amputationem minatur, perseverantiæ Sanctorum nequaquam adversatur: sed ad eam promovendam, medium ac remedium, inter cætera divinitus destinatum atque idoneum, ideoque etiam à Christo in eum finem adhibitum. Quare hujus orationis Christi contra adversarios defensione absoluta, sequitur succincta

CAP. XVI.

Vers. 8. 9. 10. 11. Explicatio.

Memorabilis ac dignissima, quę explicetur, hęc Christi ad Apostolos oratio, quæ Ioan. 16. v. 8. 9. 10. & 11. describitur his verbis, *& cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio, &c.* Magna enim est inter veteres non minus, quàm inter recentiores interpretes insigniores, de recto hujus orationis sensu, judiciorũ discrepantia. Cujus occasio est vocum *arguendi*, *mundi*, *justitiæ* & *judicii* ambiguitas: & pro diversa earum significatione probabilis sententia. Quænam autem maximè simplex ac genuina videatur, ad clariorem rei intelligentiam, ab occasione & scopo orationis exorsi, succinctè declarare conabimur. Occasio autem est duplex, prima quidem est, partim persecutionis Apostolorum ab incredulis Judæis futurę v. 2. 3. partim discessus Christi prædictio: secunda vero est prędictionis illius consequens, nimirum magna cordis Apostolorum tristitia v. 6. Scopus vero est tristitiæ illius discussio, & animę tranquillitas. Medium autem ac remedium ad eum scopum idoneum, est propositio utilitatis discessus Christi ad Patrem duplex: quarum prima est à consequente effecto Christi: altera ab effectu paracleti. Christi effectum est, ad Apostolos missio illius paracleti, i.e. Spir. Sancti eorum advocati ac defensoris in omnibus periculis futuri, v. 7. Paracleti vero effectum in hac proposita Christi oratione v. 8. 9. 10. & 11. describitur bifariam: primùm generatim, deinde speciatim. Generatim quidem his verbis: *Et cum venerit ille, mundum* ἐλέγξει, i. e. ut communiter interpretantur, *arguet.* Quę vox tam Latinè, quam Gręcè ambigua est: significat enim (ut etiam ex bonorum authorum usu lexicographi demonstrant) *ostendere*, vel *reprehendere*, vel *convincere*. Ad significationem primam pertinet illud Christi Ioan. 3. v. 20. *non venit ad lucem, ne* ἐλεγχθῇ *arguantur*, id est ostendantur *opera ipsius*, ut sequenti vers. 30. exponitur φανερωθῇ *manifesta fiant*: unde etiam fides dicitur eorum quę non videntur ἔλεγχος Heb. 11. v. 1. id est, *argumentum*, ut vulgata versio, vel *quod demonstrat*, ut D. Bezæ interpretatio exponit: quemadmodum etiam Oecum. eandem vocem ἀπόδειξιν interpretatur, & Chrysost. ibidem ait: ἔλεγχος γάρ ἐστι λίαν δηλῶν. Secundæ significationis usus est Tit. 1. vers. 13. ἔλεγχε αὐτοὺς *redargue eos.* Postremæ significationis exempla sunt Tit. 1. v. 9. *contradicentes* ἐλέγχειν *convincere*, i. e. argumento superare, sic Ioan. 1. v. 46. *quis vestrum* ἐλέγχει *me* περὶ ἁμαρτίας *quis ex vobis convincit me de peccato?* nam redarguendi, seu reprehendendi significatio hic non habet locum, quia Judęi impiè sępius Christum arguebant, ut ex v. 33. 37. 40. 43. 44. patet. Atque hoc modo ad vitandam ambiguitatem, cùm verbum illud *arguo*, triplici illa significatione Grecæ voci respondeat, clarius verteretur *convincet*, id quod Belg. dicitur Overtuygen; eumque sensum sequentia postulant, & interpretes in sua explicatione *convincendi* voce utuntur. Mundus autem homines notat: quia peccatum ei tribuitur: & quidem incredulos, ut adjecta ratio: *quia non crediderunt in me*, evincit. Cum autem increduli sint vel electi & credituri: vel reprobi non credituri, sed in incredulitate perituri: quidam per mundum priores; alii verò posteriores intelligendos existimant. Verùm nihil obstare videtur, quo minus generaliori significatione, per mundum intelligamus incredulos, & quidem inprimis Judęos, Christi Apostolorumque adversarios: de quibus initio cap. actum, & adversus quos Christus Apostolos consolatur: quos etiam voce *mundi* in illius reprehensione intelligere solet, ut Joan. 7. v. 7. & 15. v. 18. & quinquies rursum v. 19. sicut etiam Joan. 16. v. 20. Atque ita adjecta specialis hujus effecti descriptio probè convenit: ea enim constat propositione, & illius confirmatione. Propositio autem declarat, qua de re Spiritus sit convicturus mundum: eaque triplex statuitur, nempe peccatum, justitia, & judicium. Confirmatio verò illius ad illustrationem quoque pertinens, tribus similiter membris, eodem servato ordine, repetitis subjicitur. Ac prioris repetitio cum ratione adjecta, continetur v. 9. repetitio quidem cum dicitur, *de peccato quidem*, supple (ut ex antecedenti, per ellipsin in repetitione consuetam intelligitur) paracletus mundum convincet, Confirmatio hac ratione exprimitur: *quia non credunt in me.* Cùm autem peccatum vel generatim quamvis legis seu mandati Dei transgressionem 1. Joan. 3. v. 4. vel speciatim per Synecdoch. generis pro specie peccatum dominans significet ibid. v. 8. 9. quidam priori modo accipiunt, ut ita declaretur peccatum illud esse incredulitatem: sed gravior atque amplior sententia est, ut posteriori significatione accipiamus: nam in incredulis peccatum revera dominatur, ratione culpæ seu transgressionis legis variæ, & ratione reatus seu obligationis (ob transgressionem) ad mortem; à quo dominatu fides liberat. Quo spectat illud Joan. 8. v. 24. *ideo vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis me esse, moriemini in peccatis vestris:* & Rom. 6. v. 17. & 18. dicitur: *gratia autem sit Deo quia eratis servi peccati: sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi: & liberati à peccato, mancipati estis justitiæ.* Cùm autem dicitur, quod paracletus, Spirit. Sanct. à Christo mittendus, mundum hunc convincet peccati, illud factum est in Iudæis incredulis Apostolorum ministerio: qui eos, impios Christi unici servatoris homicidas esse, demonstrarunt, ita ut conscientia eorum idem testaretur, sed diverso respectu. Electi enim qui ex ignorantia id perpetrarunt Act. 3. v. 17. sic convicti sunt peccati Act. 2. v. 23. & 3. v. 13. 14. 15 ut conscientia urgente, ad peccati pœnitentiam, & fidem in Christũ sint conversi Act. 2. v. 37. & 4. v. 4. & 6. v. 7. Contra verò reprobi, qui non ignorantiâ peccarant, sed Christum cognitum malitiosâ atque invida impietate occiderant Mat. 21. v. 38. cum 45. & 27. v. 18. & cognitam illius resurrectionem supprimere conati erant Matt. 28. v. 13. 14. convicti quidem sunt peccati Act. 4. v. 10. 11. & 5. v. 30. adeo

adeo ut excitatę eorum conscientię redarguerentur. Act. 4. vers. 13. 14. 16. Veruntamen eo modo non sunt conversi ad Christum, sed magis aversi atque exacerbati Actor. 4. v. 17. 21. & 5. v. 17. 33. Atque hæc de priori membro seu effecto missi Spiritus paracleti, primo scilicet modo, quo peccati convictus est mundus, hoc est (ut quę initio dicta amplius illustrentur) incredulorum Judęorum multitudo: nam hic mundus est, qui Christum & Apostolos oderat Ioan. 15. v. 18. 19. & ut Christum persecutus erat, sic etiam Apostolos persecuturus v. 20. Quam persecutionem à mundo illo seu incredulis Judęis futuram paulò ante exponit v. 2. & adversus eandem paracleti mittendi promissione consolatur: quod de peccato mundum convincet: *quia non credunt in me*, inquit, non autem ait, non credent in me, sed non credunt, quo ostendit se loqui de Judęis qui Euangelio ab ipso prædicato fidem non adhibebant, ideoque sub peccati dominio tenebantur, ejusque meritò convincendi erant. Quo in loco obiter observanda est numeri pluralis pro singulari enallage, Hebræis, Græcis & Latinis non insolens, per quam nomini singulari collectivo, seu multitudinem notanti, non solùm pro vocis numero singulari singulare verbum jungitur: sed etiam interdum ratione significatę multitudinis cum plurali construitur, ut πλῆθος multitudo cum singulari, quatenus vox singularis est numeri, jungitur Luc. 2. 17. contrà verò quatenus significatio est pluralis seu plurium, cum plurali construitur Luc. 8. v. 37. sic ὄχλος turba cum singulari Matt. 20. v. 29. 31. & contrà cum plurali c. 21. v. 8. & Marc. 3. v. 9. sic etiam Ioan. 15. v. 18. dicitur: *mundus vos odit*: & contrà cum plurali 2. Cor. 5. v. 19. *mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata*, illis, id est, hominibus, mundi voce significatis. Alterum verò convictionis mundi à Spiritu paracleto membrū v. 10. primùm repetitur, eadem ut antea ellipsi, his verbis: *de justitia verò*, supple ex priori propositione, paracletus convincet mundum: confirmatur verò illud hac ratione subjecta: *quia ad Patrem abeo & amplius non conspicietis me*. Justitiam autem hoc loco non mundi, (cum enim convincet peccati, ut modò dictum) sed Christi intelligit; ut ratio adjecta declarat, *quia abeo ad Patrem*. Nam cum Judæi increduli Christum injustè condemnarunt injustitię, quod esset blasphemus, cùm in Deum Ioan. 19. v. 7. tum in homines, quasi perverteret populum & jus regni Cęsaris injuria arrogatione violaret, Luc. 23. 3. sic contrà Christi justitia patefacta est reipsa, cum gloria à Patre accepta per resurrectionem & ascensionem ad eum in cœlum abivit. Quomodo Rom. 1. v. 4. dicitur Christus per resurrectionem declaratus Dei Filius, & 1. Tim. 3. 16. de eodem asseritur; *Deus patefactus in carne, justificatus spiritu*, h. e. ut eruditi interpretes rectè exponunt, justus declaratus: nim. per resurrectionem & ascensionem in cœlum; ut quod additur indicat, *visus Angelis*, in cœlo scilicet, ubi ordinaria Angelorum statio: ita ut hoc loco justificatio condemnationi à Judæis rectè opponatur. Quamvis autem verum sit (ut nonnulli exponunt) justitiam Christi, quam obedientia sua ad mortem usque crucis pro nobis præstitit, eo etiam modo patefactam: prior tamen sententia videtur simplicior, & huic loco accommodatior, nempe ut justitia Christi, oppositè injustitię (cujus à Judęis incredulis fuit condemnatus) intelligatur: ut etiam convictio mundi de justitia Christi ita oppositè considerata (quę in Actis Apostolorum describitur) indicare videtur. Nam Spiritus Sanctus non solùm eam Christi justitiam, ad injustitiæ criminationem ac damnationem confutandam per Apostolos indicavit, & ex miraculis Christi divinis demonstravit Act. 2. v. 23. & 3. v. 15. sed etiam ex Christi abitu ad Patrem, seu resurrectione & ascensione illius, mundum de justitia illius convicit per demonstrationem gravissimam: primùm ex prædictione prophetarum Act. 2. v. 25. & 30. deinde ex complemento illius, nempe resurrectione & ascensione Christi in cœlum. Id quod probavit, partim per oculatos testes, fide dignos Act. 2. v. 32. & 3. v. 15. & 5. v. 32. partim per missionem Spirit. Sancti & miracula Christi nomine edita, Act. 3. v. 16. & 4. v. 10. & 5. v. 32. Id quod etiam Christus indicavit, dicens Ioan. 15. v. 25. 26. *oderunt me immeritò, cum autem venerit paracletus ille, &c. ille testabitur de me.* Quod autem Christus postquam dixit: *quia abeo ad Patrem*, addit: *& non amplius conspicietis me* scil. cum abiero, non est intelligendum absolutè, sed relatè, id est, ante diem ultimum, seu reditum Christi ad judicium, tum enim ipsum conspicient, quemadmodum c. 14. v. 3. promisit. Atq; hęc de secundi membri orationis Christi confirmatione, nempe convictionis mundi de justitia Christi, injuste à mundo condemnati. Tertium verò membrum similiter primùm repetitur, cum ait, *de judicio* autem, supple paracletus convincet mundum: confirmatur atq; illustratur hoc ipsum hisce verbis, *quia princeps mundi judicatus est*. Quid autem *judicium* & *judicare* hic notet, distinctione vocis declarandum. Nam primùm judicium, aut divinum est, aut humanum: ac prius hoc loco intelligi res ipsa indicat. Deinde judicium aliud est pro judicato reo, aliud contra eum: seu aliud absolutionis, aliud condemnationis ad pœnam; quomodo Jacob. 5. v. 12. accipitur, unde per meton. causæ pro effecto, *judicium* & *judicare*, pœnam sæpius notat: modò temporalem 1. Cor. 11. v. 32. modò æternam, ut Matt. 23. v. 33. *judicium* (i. e. pœnam) *gehennæ*, quod Marc. 3. v. 29. *judicium æternum* dicitur. Atque ita judicium hac significatione opponitur vitæ, Ioan. 5. v. 24. 29. Cumque ratione subjecti judicii in hac Christi sententia, vel mundus, vel Diabolus judicandus intelligi possit, hoc tamen in loco prius, nempe convincet mundum de judicio ipsius, magis convenit: utpote quod eo modo plenior contineatur sententia: deinde quod confirmatio adjecta eò spectare videatur: quoniam non dicitur, quia Diabolus judicatus est: sed per periphrasin, *princeps hujus mundi*: qua probatur, mundum quoq; utpote ei subjectum esse judicandum. Denique huc accedit similis de eadem re Christi sententia, qua idem clarius antea expressit Ioan. 12. v. 31. *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hoc autem judicium seu supplicium mundo & Diabolo (qui incredulos regit, Eph. 2. v. 2.) infligendum, opus est Christi judicis, qui mundum & Diabolum vicit: nec enim hoc in loco de judicio extremo, seu pœna ultimo die infligenda sermo est: sed de eo, quod à Christo brevi erat exercendum, quemadmodum Ioan. 12. dixerat: *nunc judicium est mundi*, quod nimirum paulo post esset futurnm: ut etiam de Diabolo dicitur, *ejicietur foras*. Modus autem quo Christus judicavit seu punivit mundum & Diabolum, erepta utriusq; potentia, est duplex. Prior quidem per mortis suæ meritum: quemadmodum de Christo dicitur, Gal. 1. v. 4. *qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo*, i. e. mundo, ut 2. Cor. 4. 4. Heb. 1. v. 2. & 11. v. 3. *seculi* vox accipitur per meton. pro mundo. Deinde Col. 2. v. 15. de Christo ait Paulus, *exspoliata imperia & potestates* (id est, Diabolum & impuros illius Angelos) *traduxisse palam, triumphatis illis per eam*, scilicet crucem, ex v. 14. Et clarius Heb. 2. de eodem ait: *particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, penes quem erat mortis imperium, id est, Diabolum, ut liberos redderet, quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant servituti*. Quæ clara est promissionis Gen. 3. v. 15. explicatio. Alter vero modus est, quo Christus mundum & principem illius Diabolum punivit ac devicit, per Euangelium & Spiritum missum bifariam; primùm quod totam Ecclesiam credentium, adversus mundi & Diaboli fraudes & violentiam, salvam tuetur ac conservat. Quomodo etiam ait Ioan. 16. v. 33. *in mundo oppressionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum*, id est, certò vincam mundum, ne scilicet saluti vestræ noceat, sed ut per me superare valeatis: & Matth. 16. v. 18 *super hanc petram*, &c. Deinde judicat seu damnat ac punit mundum ac Diabolum: cùm incredulos electos, per externum Euangelii ministerium, & internam Spiritus sui potentiam, ex mundo incredulorum & Diaboli potestate eximit, & ad fidem, Ecclesiam, regnumque suum efficaciter vocat ac transfert: quod licet cœptum sit à Christo per Ioannem Baptistam Luc. 1. vers. 77. & Matth. 3. v. 7. & per seipsum Ioann. 3. v. 26. & Matth. 4. v. 16. 17. illud tamen judicium exercuit tantùm inter Judæos; & quidem non tanta mundi imminutione, ut postea misso Spir. Sanct. conversis multis millibus ad fidem Act. 5. v. 41. & 4. v. 4. & 5. v. 14. & 6. v. 7. deinde non tantùm Judæi post

post missum Spiritum Sanctum, quemadmodum tempore Christi: sed etiam ex omnibus gentibus electi per prædicationem Euangelii & Spiritus Christi potentiam, ex mundo & Satanæ potestate sunt erepti ac liberati, & ad Ecclesiam Christi adducti: quemadmodum eventus comprobavit, qui in Actis Apostolorum copiosè describitur. Et Paulus sibi à Christo dictum ait; Actor. 26. v. 17. 18. *ad gentes nunc te mitto, ad aperiendum oculos eorum, & convertendum à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum; ut remissionem peccatorum inter sanctificatos accipiant per fidem in me:* & Col. 1. v. 13. dicitur: *qui liberavit nos à potestate tenebrarum & transtulit in regnum filii sui dilecti*; id quod de Patre, per Filium virtute Spiritus Sancti operante, dicitur. Nam ut Joann. 12. vers. 31. Christus ait: *nunc judicium est mundi, & princeps mundi hujus ejicietur foras:* sic se illius esse authorem v. 32. exponit, dicens; *& ego si* (id est cum,) *sublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipsum*, nempe & merito mortis, & efficaciâ Spiritus: sic enim ex mundo & ex potestate principis mundi dispersos omnium gentium Dei filios congregat in unum, Joan. 11. v. 51. & 10. v. 16. Cœterum explicato jam judicio, seu damnatione ac pœna mundi, & principis illius per Christum, per collectionem & conservationem Ecclesiæ: superest ut paucis declaremus, quo modo de hoc judicio paracletus à Christo mittendus mundum convicerit. Hoc autem factum est, primùm prædicatione Apostolorum, cùm Christum per resurrectionem victorem mortis, ideoque & mundi & Diaboli demonstrarunt, non solum testimonio suo, sed etiam argumento missionis Sp.S. à Christo in Apostolos, quod omnes, momento temporis, rerum sacrarum & variarum linguarum scientia & admiranda animi fortitudine donati, eam rem constanti prædicatione patefacerent, & miracula Christi nomine ac potentiâ ederent, audiente ac conspiciente mundo, Act. 2. v. 32. 33. & 4. v. 10. 11. 12. ita ut pars mundi, id est, incredulorum Judæorum commota, lubenter illud agnosceret c. 2. v. 41. pars verò alia, invito animo fateri cogeretur c. 4. v. 13. 14. 16. Deinde mundus etiam à Spiritu paracleto convictus est de judicio per Apostolos, prædicationis eorum fructu admirando; cùm è mundo & è Diaboli potestate, unâ prædicatione, tria hominum millia sunt exemta, & in Christi regnum translata Act. 2. v. 41. & altera deinde concione 5000. conversa Act. 4. v. 4. atque ita deinceps magis magisque mundus imminutus, & potestas Satanæ victa, regnumque Christi Judicis mundi & Diaboli, frustra iis reluctantibus excrevit. Atque hactenus celeberrimam hanc, & variis discrepantibus sententiis agitatam Christi orationem Joan. 16. v. 8. 9. 10. 11. descriptam, illustrare nonnihil conati sumus. Quare ut ulterius procedamus, subjicietur

Ex CAP. XVII.

Versus tertii, Succincta EXPLICATIO.

GRavissima ac consolationis plenissima est Christi sententia, quam in precatione illustrissima ad Patrem, paulò ante mortem, præsentibus discipulis proposuit Johan. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Quorum verborum occasio est antecedens Christi petitio à Patre, ut ipsum glorificet (resurrectione scilicet, ascensione, & sessione ad dextram) ut omnibus, quos dedit ipsi (id est, electis, ut per ipsum servarentur Joan. 6. v. 37.) det iis vitam æternam. Scopus autem est, ut vitam illam æternam declaret, non quidem ut Patri innotescat (quia ei nota sunt omnia) sed ut suum erga Patris voluntatem studium atque obedientiam Joan. 6. v. 37. 38. 39. indicet: & Apostolos (qui precantem audiebant, ut ex v. 1. & cap. 18. vers. 1. colligitur) confirmaret. Modus autem declarandi est descriptio medii, seu causæ instrumentalis illius: quæ statuitur cognitio Patris; qui est ille solus verus Deus, & Jesu Christi ab illo missi: atque hoc orationis subjectum est. Attributum verò, licet antecedat, est vita æterna. Per cognitionem autem Synecdochicè vivam fidem intelligit, ut Esai. 53. vers. 11. nam nuda notitia, non est vita æterna: quia etiam reprobis & morte æterna damnandis communis est: sed notitia fidei vivæ. Vita autem æterna ea appellatur, ut quidam exponunt, quod sit pars vitæ æternæ, utpote vitæ justitiæ seu sanctificationis primum membrum: sicut alterum est charitas. Verùm alii de vita non justitiæ in terris inchoatæ: sed de perfectione vitæ in cœlis intelligunt; id quod sanè usus phrasis omnino confirmat: quæ nullibi inchoatam sanctificationem, vitam æternam nominat: sed ubicunque promissio aut donatio vitæ æternæ memoratur, ea pro cælesti gloria sempiterna ac immutabili accipitur. Vita autem æterna per metonymiam causæ pro effecto, causam vitę notat, non principem, ut Joannis cap. 11. Christus de se ait, *ego resurrectio sum & vita*, id est, earum author: sed instrumentalem, ut capite 12. vers. 50. dicitur à Christo: *mandatum tuum est vita*, id est, vitæ instrumentum, sic etiam notitia fidei seu fides, vita æterna appellatur, quia per eam tanquam causam instrumentalem obtinetur, ut Ioannis cap. 20. v. 31. & 1. Petr. 1. vers. 5. *Servamur virtute Dei per fidem ad salutem.* Cœterùm difficultas hic exoritur paucis explicanda, nam Samosateniani ex verbis illis: *te solum illum verum Deum*, concludunt Filium non esse Deum verum, hoc est æternum, sed Patrem tantùm. Verum negatur consequentia: quia non dicitur Patrem μόνον solum esse verum Deum: sed τὸν μόνον illum solum verum Deum: quomodo Deus verus à falsis, qui plures sunt, distinguitur: quemadmodum 1. Cor. 8. vers. 5. dicitur: *sunt multi Dii & Domini multi, nobis tamen Pater*, (hoc enim subjectum est, ut articulus ὁ πατὴρ ostendit) supple est *unus Deus, & I. Christus unus Dominus.* Ubi unus pluribus aliis, qui ita impropriè appellantur, opponitur: non autem Pater Filio, alioqui sequeretur eodem modo, Patrem non esse Dominum, quia similiter Filius unus Dominus vocatur. Ideoque illustri hoc loco, temerè atque impiè Samosateniani, ad Deitatem Christi oppugnandam abutuntur. Atque ita breviter de hoc loco diximus.

Examen verborum Christi v. 9.

Ego pro iis rogo: non pro mundo rogo: sed pro iis &c.

EXimia omnino est & consideratione diligentiori dignissima Christi mediatoris ad Deum Patrem precatio, quæ Ioan. 17. plenè exprimitur; quam ad Apostolorum ampliorem consolationem, & in vera fide atque obedientia confirmationem, iis præsentibus & audientibus habuit, ut partim ex v. 1. & antecedenti capite: omnino verò ex sequentibus, inprimis ex v. 13. 18. & 20. & 18. 1. constat. Quæ precatio pro eorum, pro quibus instituta est, diversitate, in duas primarias partes distinguitur. Prima enim est, qua pro semetipso; altera, quâ pro electis ad vitam æternam orat. Pro se quidem, ut glorificetur à Patre à v. 1. ad sextum: pro electis verò ad vitam æternam, reliquo capite. Ac primum quidem pro Apostolis suis à v. 6. ad 20. deinde pro reliquis electis, per eorum sermonem credituris, à v. 20. ad finem usque capitis precatur. Precatio autem pro Apostolis constat eorum descriptione; deinde petitionis forma. Eos autem describit, partim à suo in illos collato beneficio: partim à relato ac præstito ab iis officio. Ac beneficium quidem Christi est, quod iis doctrinam Euangelii, (in qua nomen ac gloria gratiæ Patris salutaris declaratur) tradiderit: officium verò Apostolorum est quod illi verâ fide eandem doctrinam acceperint: quę duo membra proponuntur v. 6. & 7. & aliis verbis reponuntur ac clarius explicantur v. 8. Cui Apostol. descriptioni subnectitur petitionis pro iis institutæ forma: quæ generatim quidē continetur v. 9. speciatim vero declaratur seqq. Quorum prius, ob insignem rei comprehensę dignitatem, & ad sinceram dilectionis gratiam & officii Christi doctrinam stabiliendam, utilitatem, nonnihil, Deo favente, examinandam suscepimus. Continetur autem his verbis: *Ego pro iis rogo: non pro mundo rogo: sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Quibus petitio Christi, ac deinde petitionis ratio indicatur. Ac petitio quidem exprimitur primùm: deinde pręstantia illius, oppositione quadam, demonstratur. Prius est: *Ego pro iis rogo*, nempe Apostolis; quia de iis antea periphrasi quadâ locutus erat: quemadmodū se-

quentia clarius demonſtrant, inprimis autem v. 18. *ſicut*, inquit, *miſiſti me in mundum, ita & ego miſi eos in mundum,&c.* ubi vocatio eorum ad munus apoſtolicum deſcribitur. Deinde v. 20. idem oſtendit his verbis: *non tantum pro iis rogo, ſed & pro iis, qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me*; Quo etiam pertinet verſ. 13. *nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum plenum apud ſe:* quo oſtendit Chriſtus: ſe hanc precationem in terra eloqui, ut auditores illius Apoſtoli, per eam adverſus metum ex diſceſſu ipſius conceptum recreentur ac gaudeant.Quemadmodum ſimiliter clarâ uſus fuerat antea gratiarum ad Deum Patrem actione, in eum (uti indicat) finem, ut præſens turba in ipſum crederet, Joan. 11. v. 41. v.42. Quare hinc apparet cùm dicitur: *ego pro iis oro*, intelligi pro Apoſtolis: hoc eſt, pro eorum bono, nempe ſalute, ut poſtea v. 11. & 15. & 17. diſtinctè declaratur. Atque hæc de generali petitionis expreſſione. Cui adjungitur præſtantiæ illius, per oppoſitionem quandam demonſtratio, his verbis: *non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi* Quibus verbis Apoſtolos mundo opponit: primum enim oppoſitionis mem brum, negatione quadam exponit pro quibus non oret: alterum verò contraria affirmatione, pro quibus oret. Quo modo oſtendit hoc precationis beneficium ad Apoſtolos, non autem ad mundum pertinere, ut autem prius illud commodius intelligatur, vocis *mundi* ambiguitas,diſtinctione quadam ad hujus & aliorum locorum Sacræ Scripturæ illuſtrationem diſtinguenda eſt: inprimis verò ut totius precationis Chriſti ſumma reddatur clarior: utpote quæ precatio omnes ferè vocis *mundi* ſignificationes,peculiari quodam & admirando modo comprehendat: id quod obſervatione non indignum. Mundus enim primùm univerſitatem rerum creatarum notat,ſeu (ut Ariſt. initio libri de mundo ad Alexand. definit) compagem cœli & terræ, & rerum omnium, quæ eorum complexu continentur, ſicut hic v. 5. eo ſenſu dicitur: *priuſquam hic mundus exiſteret*,& verſ. 24. *ante jacta mundi fundamenta*. Secundò mundus partem illius univerſitatis ſignificat, & quidem vel terram,ut v. 11. *Non ſum amplius in mundo*,& ſimiliter verſ. 12.13. 15. & 18.vel homines qui in terra ſunt, & quidem bifariam: vel ut horum univerſitatem ſeu humanum genus deſignet, ut v. 6. accipitur, *quos dediſti mihi ex mundo:* vel partem illius generis: & quidem vel generatim incredulos mundi, ut verſ. 14. *mundus eos odio habuit, quia non ſunt ex mundo*; ſic etiam v. 15. vel ſpeciatim quoſdam ex iis, adjunctis ſuis inter ſe diſtinctis: nam vel homines electos, vel reprobos ſignificat. Electos quidem, ut v. 21. *ut credat mundus, me à te miſſum eſſe* & v. 23. *ut cognoſcat mundus, me à te miſſum eſſe, teque eos diligere ſicut me dilexiſti.* Quibus in locis mundus, electos tantùm notat, non enim omnium eſt fides 2. Theſſ. 3. v. 2. ſed electorum Tit. 1. v. 1. & Act. 13. v.48. Quo etiam modo *mundi* vox neceſſariò intelligenda Joan. 6. v. 33. *panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo*, nam reprobis nullis vita datur: & 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans iis peccata*, ubi per *mundum* electi, non reprobi intelliguntur: hæc enim duo beneficia electis ac ſervandis propria Rom. 4. v. 8 & 5. 1. & 8. v. 30. Deinde contrà ut *mundus* pro reprobis perſpicuè accipitur, cum alibi, tum 1. Cor. 11. v. 32. *erudimur, ne cum mundo condemnemur* (ſoli enim reprobi condemnantur, nulli electi) ſic etiam hoc in loco v. 9. de quo agimus,cum Chriſtus ait, *non rogo pro mundo*, ſimiliter eâ voce reprobi denotantur, ut res ipſa arguit: quia eam ſignificationem probat adjuncta rogationis Chriſti negatio: deinde electorum oppoſitio & adjunctum contrarium. Ideoque non orat Chriſtus pro reprobis, neque orare potuit: quia oratio ea contraria fuiſſet, & Dei voluntati ſeu decreto immutabili (quo reprobos exitio juſto deſtinatos juſtè ſervare non vult) & conſcientiæ ipſius Chriſti, qui eam Dei voluntatem verbo revelatam certò cognovit ac probavit, Matth. 11. v. 25. 26. 27. unde non immerito concludi à piis Theologis ſolet: Chriſtum non eſſe mortuum pro reprobis: quia pro quorum ſalute Chriſtus ut mediator non intercedit ſua precatione, pro eorundem ſalute nequaquam eſt mortuus: hæc enim duo ſunt indivulſa ſacerdotis ſummmi officia: & utraque ad eoſdem pertinent, eodemque nituntur fundamento, Dei nimirum prædeſtinatione. Nam ut Chriſtus non oravit nec orare potuit pro omnibus & ſingulis hominibus, tam reprobis quam electis: ſed pro electis, quia hos ſolos Deus ad ſalutem deſtinavit, idque Chriſtus certò ſciebat ac probabat: ſic neque pro reprobis, hoc eſt, ſalute eorum, eadem de cauſa mori potuit: quia Patris voluntatis cognitæ contrarium velle non poterat. Quod autem objicitur pro vita mundi mortuum affirmari, Joa. 6. v. 51. illud non de mundo reproborum, ſed de mundo electorum, hoc eſt, de mundo electos ſignificante dicitur: quemadmodum verſ. 33. explicatur; *dans vitam mundo:* reprobi enim à vita æterna (quæ hic certò intelligitur) alieni permanent. Reliqua quæ excipi ſolent in diſputatione pleniori de morte Chriſti diſcuſſimus. Supereſt una difficultas, quod Eſai. 53. verſ. 12. de Chriſto affirmatur, quod pro tranſgreſſoribus interceſſerit, ut Luc. 23. v. 34. ita oraſſe narratur; *Pater remitte eis, neſciunt enim quid faciant.* Unde concludunt non ſolùm pro electis, ſed etiam pro reprobis oraſſe; veruntamen negatur ea conſequentia: non enim pro omnibus & ſingulis adverſariis ac mortis Chriſti authoribus (inter quos partim fuerunt reprobi, partim electi) oraſſe dicitur: ſed pro iis, qui neſcientes peccabant, ut expreſſe ignorantiam illorum Chriſtus indicat: deinde indefinitè etiam de iiſdem loquitur: ideoque non ſequitur, pro omnibus & ſingulis ignorantibus peccatum ſuum, oraſſe: ſed illud intelligere oportet de electis inter illos, ut res ipſa evincit, & eventus declarat: nam quicquid Chriſtus orat; id Pater præſtat: ut Joan. 11. v. 42. ait; *ego novi quod ſemper me audis*, hoc eſt, citra controverſiam, exaudis; Atqui Pater non præſtat, ut reprobi ſerventur: Ergo Chriſtus hoc non oravit: Deinde quia ut antea oſtendimus, ſi pro reproborum ſalute oraret Chriſtus, cognitę Patris voluntati de iis contrariæ,adverſaretur: Atqui nunquam hoc facit: quia quæ placita ſunt Patri facit ſemper, Joann. 8. v. 29. eique obediens fuit ad mortem uſque, Philipp. 2. v. 8. Ergo pro reproborum ſalute non oravit. Pro electis autem hoſtibus ac mortis ſuæ authoribus, ignorantia peccantibus, in cruce oraſſe, eventus orationis, quo exauditum eſſe oſtenditur, declarat: tales enim fuerunt converſi ad fidem, primùm ter mille, ut Actor. 2. v.41. cum v.23. & 36. collato demonſtrat: deinde quinquies mille Actor. 4. v. 4. qui Chriſtum per ignorantiam,ſicut etiam primores eorum (ſcilicet multi) occidiſſe dicuntur c.3. v. 15. & 17. denique ex iiſdem primoribus qui Chriſtum per ignorantiam occiderant, creſcente Dei ſermone (id eſt, Euangelio copioſe prædicato) multa turba obediit fidei, id eſt Euangelio, Actor. 6. v. 7. Quamobrem ex hiſce apparet, Chriſtum, ut in hac precatione aſſerit, pro reprobis, id eſt, pro ſalute eorum (quæ vocatione ad fidem, juſtificatione & glorificatione certò conſtat) non precatum: eique ſententiæ non obſtare quod pro mortis ſuæ authoribus oraſſe traditur: quandoquidem hi non erant neque eſſe poterant reprobi, ſed electi. Atque hæc de primo, oppoſitionis à Chriſto propoſitæ, membro: quo ad beneficii precationis ſuæ præſtantiam demonſtrandam, mundum Apoſtolis opponit negatione; qua oſtendit ſe non orare pro mundo, id eſt, pro reprobis hominibus. Alterum verò membrum eſt affirmatio contraria, qua aſſerit ſe orare pro Apoſtolis: eos autem periphraſi quadam (quæ inſtar argumenti eſt cur oret) deſcribit, cum ait ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι: in quibus ellipſis eſt manifeſta, quæ ſuppletur à noſtro interprete, eumque ſequentibus hoc modo: περὶ ἐκείνων οὓς δέδωκάς μοι, *pro eis, quos dediſti mihi*: ſed vulgatus interpres ita ſupplet: pro his quos dediſti mihi, ut Græcè ita integrè intelligatur, περὶ τούτων οὓς δέδωκάς μοι. Utraque autem expoſitio reipſa ſatis convenit: nam prior ſimili v. 24. illuſtratur, ubi οὓς δέδωκάς μοι *eos quos dediſti mihi*: poſterior etiam probè convenit: quia ad Apoſtolos præſentes, atque auditores precationis hujus demonſtrandos expreſſius eſt. Quemadmodum etiam eos indicat v. 11. cum ait: καὶ οὗτοι, *ſed hi ſunt in mundo:* ut etiam v.20. *non rogo tantum* περὶ τούτων *pro his* aut *iſtis*. Nam quod Vulg. & eum ſecuti

cuti nonnulli *pro eis* vertunt, vim vocis enervant, & sine causâ à sua v. 11. interpretatione recedunt: sic etiam v. 25. *hi noverunt*. Cœterùm Apostolos hosce mundo opponit, cum ait, *quos dedisti mihi:* id est, dare decrevisti, per meton. effecti pro causa: quemadmodum primùm simili metonymia *dandi* vox interdum usurpatur, ut 2. Timoth. 1. v. 9. *gratiam datam nobis in Christo Jesu ante tempora secularia:* ubi perspicuè satis vox *datam* significat decretam ut daretur: quo causa efficiens dationis indicatur, nempe gratuita Dei prædestinatio: ex qua gratia conversionis deinde profluit. Quo etiam modo insignis quidam interpres illud Christi, infra v. 22. *ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis*, simili metonymia exponit: *dedisti*, pro dare decrevisti: sed commodius est, ut per enallagen temporis, ad certitudinem rei notandam intelligamus, daturus es: quemadmodum id quod sequitur, satis clarè demonstrat; nempe *dedi eis*, id est, daturus sum: quali permutatione præsentis pro futuro, Christus frequenter est usus, non solum alibi: sed etiam hoc capite v. 11. *non sum:* item *ego ad te venio:* & v. 18. *sanctifico me ipsum*: quæ citra controversiam significatione futura exponenda, nempe pro *ero*, *veniam*, *sanctificabo*. Secundò eadem omninò phrasis per eandem metonym. accipitur Johannis cap. 6. vers. 37. *omne quod dat mihi Pater, ad me veniet:* ubi apertè *dat* pro dare decrevit accipitur, non autem reipsa, qua Christo dat convertendo ad fidem, quo Christo simus proprii reipsa: quia illud antecedit adventum ad Christum, id est, fidem in eum: quemadmodum venire ad Christum, per credere in ipsum explicatur vers. 35. Quo etiam modo interdum oves Christi similiter, non oves reipsa (quæ per vocationem demum fiunt) sed destinatæ in oves notantur: quemadmodum Joan. 10. de electis ad fidem in Christum, sed nondum vocatis dicitur; *alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula*; id quod demonstrant sequentia, cum additur: *illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Atque hæc de petitione, qua pro Apostolis Christus Patrem rogat. Cui altera pars subjicitur, nempe ratio illius, his verbis: *quia tui sunt.* Id quod bifariam, si phrasin ipsam spectes, accipi potest: primò generatim, ratione dominii universalis, quod jure creationis Pater habet in omnes creaturas: quæ idcirco ipsius sunt, id est, ad ipsum pertinent. Atque ita etiam reprobi illius quoque sunt: quia ab eo creati, & illius dominio omnipotenti, velint nolint, subsunt. Quo modo hæc verba hoc loco minimè accipiuntur; quemadmodum oppositio Apostolorum & mundi, & res ipsa ostendit: quia aliâs eodem jure pro reprobis oraret, ideoque electi forent. Speciatim verò κατ' ἐξοχὴν ratione gratiæ salutaris, Dei patris esse & ad eum pertinere dicuntur bifariam: vel electionis ad vitam: vel vocationis ad fidem & in populum Dei respectu. Priori modo accipi videtur, 2. Timoth. 2. vers. 19. *novit Dominus qui sunt sui*, id est, quos elegit in suos hæredes: & ita Actor. 18. vers. 10. ait Christus ad Paulum, *populus mihi multus est in hac urbe*, id est, electi in populum Dei seu credituri. Posteriori verò modo Rom. 9. vers. 25. dicitur: *vocabo non populum meum, populum meum.* Quibus verbis populus Dei intelligitur ratione rei ipsius: quia si electionem spectemus, seu in populum Dei prædestinationem, quicunque vocantur in populum Dei per conversionem, illi jam antea fuerunt Dei populus per prædestinationem: quia vocatio ista omnibus & solis prædestinatis convenit, Rom. 8. vers. 28. 30. Tit. 1. v. 1. Actor. 13. v. 48. Apostolos autem, si absolutè extra hanc loci circumstantiam considerentur, utroque modo Dei Patris fuisse certum est. Priori quidem; quia erant electi ad vitam æternam Luc. 12. v. 32. deinde vocati erant ac conversi ad fidem in Christum & ad communionem Christi & Ecclesiæ: sin autem relatè ad hæc Christi verba spectentur, priori modo distinctè Dei Patris esse dicuntur, prius enim Dei Patris erant, quàm Christo darentur, ut ante v. 6. declaratum: *tui*, inquit, *erant*, & *mihi eos dedisti.* Sensus igitur est, quod Christus rogat pro Apostolis, id est, pro eorum (ut sequentia ostendunt) conservatione, sanctificatione & salute; quia Patris erant, per gratiam peculiarem, id est, electi ab eo ad vitam æternam, & Christo in eum finem dati, tanquam causæ salutis subordinatæ, prædestinationis ad salutem decreto, Joan. 3. v. 16. 17. & 1. Tim. 1. 15. & 1. Joa. 4. v. 9. 10. Eph. 1. v. 5. & 1. Pet. 1. v. 20. Ac propterea Christus rationem solidam hoc loco adfert, ac docet se ex fide, secundum Dei Patris voluntatem, & ad ipsius gloriam pro Apostolorum salute orare. Quoniam, quos Pater ex humano genere æterna dilectione secrevit, ut eos salvos faceret per Christum, pro eorum salute Christus rectè orat. Atqui Apostoli erant hujusmodi: ideoque recte pro iis orat. Quod etiam periphrasis Apostolorum antecedens, ab adjuncto eorum petita, per obliquam probationem confirmat, cum ait: *quos dedisti mihi.* Nam quos Deus Pater prædestinatione sua Christo dedit, id est, dare decrevit, ut eos servaret, eorum salutem Christus merito voluit v. 24. & pro eis hoc loco oravit. Atque hæc de examine verborum Christi, Joan. 17. v. 9. Sequitur ad majorem eorum claritatem;

Brevis versus 12. *vindicatio.*

Verba autem hæc sunt; *Cùm essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; Ego custodivi & nemo ex iis periit, nisi filius ille perditionis, ut scriptura impleretur.* Quibus (ut alia omittamus) citra controversiam Christus suum erga Apostolos officium fideliter præstitum declarat: nempe quod eos sibi tanquam pastori bono à Patre traditos, adversus carnem, mundum, Satanam servarit, nempe suo verbo & spiritu. Verum de genuino sequentium sensu cùm Christus ait: *& nemo ex iis periit, nisi filius ille perditionis, ut scriptura impleretur*, quæstio est duplex; prima de filii perditionis interitu, secunda de Scripturæ hoc modo impletione. Ad prius quod attinet, per *filium perditionis* intelligi Judam Apostolum, manifestum est: qui hac periphrasi & Hebraismo consueto, eo modo, & quidem κατ' ἐξοχὴν appellatur. Quemadmodum etiam 2. Thessal. 2. v. 3. Antichristus similiter eadem periphrasi describitur; veruntamen illud disquiritur, quo modo verè dicatur, quod nemo ex iis (nempe quos Pater Christo dedit) periit, nisi filius perditionis, hoc est, Judas. Inde enim hoc videtur sequi necessariò, quosdam ex iis quos Pater Filio dedit salvandos periisse; ac propterea electorum salutem non esse certam, & ea ratione everti, quæ antea à Christo dicta sunt. Sed negatur consequentia, quia illa nititur falsâ hac hypothesi, quasi voces illæ: εἰ μὴ nisi, exceptionem tantùm notarent: atque ita Judas eorum numero, qui dati erant à Patre, accenseretur, & ab iis hîc distingueretur solo perditionis adjuncto: cùm contra ista conjunctio, εἰ μὴ non rarò in Nov. Test. oppositionem notet, ut significet idem quod ἀλλὰ *sed:* quemadmodum perspicua ac nota sunt loca Matth. 12. v. 4. 1. Corinth. 7. v. 17. Galat. 1. v. 7. & Apoc. 21. v. 27. *non intrabit in eam quicquam quod inquinat aut abominandum quippiam patrat vel mendacium, εἰ μὴ sed qui scripti sunt in libro Agni:* nam si εἰ μὴ exceptionem notaret: falsa esset omninò sententia, nempe impios & quidem solos in cælum perventuros. Similiter Galat. 2. vers. 16. *scientes justificari hominem non ex operibus legis ἐὰν μὴ, sed per fidem Jesu Christi:* ubi ἐὰν μὴ non notat exceptionem: alioquin Paulus apertè sibi contradiceret, ut qui tota illa epistola docet, hominem non ex operibus legis, sed fide in Christum justificari: sed oppositionem significat, atque exclusionem operum à causa justificationis. Atque ita in hac Christi sententia εἰ μὴ accipi potest, *nemo ex iis* (nempe quos dedisti mihi, ut antecedentia evincunt, ad quæ vox *eis* refertur) *periit: εἰ μὴ sed filius perditionis.* Quo modo ad consolationem Apostolorum contra scandalum, ex interitu Judæ, hæc opportunè à Christo dicuntur. Deinde non solùm potest, sed etiam debet εἰ μὴ oppositè pro ἀλλὰ *sed* accipi, siquidem illud requirit veritas scripturæ: quæ docet omnes prædestinatos glorificari, Rom. 8. v. 28. 30. nullosque electos perire posse, Mat. 24. v. 22. omnesque à Patre datos Christo, servari, Joan. 6. v. 39. Atqui Judas perditus: ergo Christo datus non est. Deinde Christus orat Patrem pro iis quos ipsi dedit: non orat autem pro Juda, ergo hic non est ex iis, quos ipsi Pater dedit;

dedit: quia mundo, hoc est, reprobis seu perditioni justæ destinatis opponuntur: cujus mundi pars erat Judas filius perditionis. Ac propterea, etsi esset ex Apostolorum numero, vocationis externæ ratione: ex iis tamen non erat, ratione hujus dationis à Patre, de qua hic agitur. Si quis objiciat, vulgatum interpretem aliosque nonnullos εἰ μὴ interpretari *nisi*, ac propterea eos vocem illam tanquam exceptionem ex numero datorum à Patre intellexisse: illud rationes propositas minimè infirmat: deinde consequentia non est necessaria, quia ut εἰ μὴ & ἐὰν μὴ in Nov. Test. bifariam accipitur, sic etiam Latinè ei respondens vox *nisi*, licet exceptionem sæpius notat, non rarò tamen oppositionem significat, ac pro *sed* usurpatur: quemadmodum inter cœteros Aldus Manutius, in notis ad Saluft. de bello Jugurth. quam plurimis exemplis, ex Salustio, Cicerone, Plauto, Terentio, Agellio, & Plinio adductis probat. Quare ex hisce apparet vanum esse, quod ait, ad hunc locum, in antidotis Euangelicis, doctus quidem, sed maledicentissimus Pontificius Stapletonus, cùm dicit: *Nemo, Nisi, manifeste docet, Judam quoque à Patre Christo datum fuisse. Exceptio enim ab eodem fit à genere, quo cæteri comprehenduntur.* Ex quibus omnibus constat, quænam sit recta verborum Christi (*nemo ex illis periit, nisi filius perditionis*) sententia. Ut autem firmitas illius amplius illustretur, ac vindicetur adversus exceptiones, contraria Chrysostomi explicatio paucis ac sincerè, ad veritatem asserendam ac conservandam expendenda. Sic enim ad hunc locum ait: *quos dedisti mihi ego custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis: & alibi inquit, omne quod dedisti mihi non perdam ex eo. Atqui non ille tantum perditus est, sed multi postmodum. Quomodo ergo inquit non perdam? quantum in me erit non perdam: quod & alibi apertius significavit, non ejiciam illum forâs. Nam mea causa non expellam, non derelinquam. Quòd si sponte sua resilient, vi eos non traham.* Hæc Chrysostom. Ne quis autem illius, & eorum, qui ipsum sequuntur, authoritate perturbetur, primò observandum est, Chrysostomum in doctrina de conversione ad fidem graviter impegisse: eam enim non solum Dei gratiæ, sed partim etiam liberi arbitrii viribus concurrentibus attribuit; imò quod amplius est, ad gratiam Dei homines se præparare docet. Id quod etiam Stapletonus, etsi Semipelagianus, in antidotis Euangelicis profitetur in Joan. 6. cum ait: *Euthymius apertius respondet, eos à Deo non excitari, qui se indignos gratia hac exhibuerunt: excitari vero, qui aliqua præparatione se faciunt dignos. In quam etiam sententiam propendet Chrysost: & alii Græci, ut ipse Cyrillus lib. 3. cap. 13. cæterum cavenda hæc doctrina & repudianda.* Hæc Stapletonus. Id quod in Chrysost: diligenter notandum, ne quis imprudens impingat. Ad rem verò quod attinet: expositio illius primum falsa nititur hypothesi hac, quasi hoc loco εἰ μὴ *nisi* exceptionem notaret, & Judas ex eorum statueretur esse numero, qui à Patre Christo dicuntur dati: id quod supra refutavimus. Deinde quia verba Joan. 6. v. 39. *ut ex iis, quos dedisti mihi, non perdam*, obstare vidit, idcirco eorum sensum genuinum depravat, quasi *non perdam*, tantùm significaret se non fore authorem exitii: sed si velint perire, illud non impediturum: quod primùm verbis Christi conjunctis: deinde officio quoque ac beneficio illius alibi explicato apertè refellitur. Nam ad prius quod attinet, Christus non solum dicit; *Hæc est voluntas ejus, qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex illo*: sed etiam addit: *& suscitem illud ultimo die*, nempe citra controversiam, ad vitam æternam. Id quod de fidelibus iisdem electis vers. 54. similiter asserit: *qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam*, (æterna autem esse non potest, quæ perit) *& suscitabo eum ultimo die.* Ergò nulli à Patre Christo dati pereunt. Denique idem probat certa salutis conservatio v. 35. *qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam:* Ergo Christus non perdit sibi datos accedentes ullo modo: hoc est, neque ut causa efficiens vi sua expellendo, quem modum expressit vers. 37. neque sua desertione ac permissione, ut ipsi voluntate propria ipsorum pereant: quia hæc duo perpetuæ saturitati, & resurrectioni gloriosæ ac vitæ æternæ perspicuè adversantur. Deinde idem beneficio & officio Christi refutatur, Christus enim pastor ille bonus est, Ioan. 10. v. 14. Boni autem pastoris officium est necessarium, non solùm ut oves ipsemet non perdat ejiciendo: sed præterea quoque, ut suo ipsarum vitio aberrantes non deserat, nec perire permittat, sed ut in viam reducat, & cum opus est in humeros assumat Luc. 15. v. 4. 5. Idem etiam per Ezechielem c. 34. v. 16. indicatur, ubi Deus per Davidem (id est, metonymicè Christum Davidis semen seu filium; ut Israël & Iuda pro eorum posteris) facturum sese pollicetur, cum ait, fore ut ovem pereuntem quærat, & depulsam reducat: Quemadmodum malos pastores idcirco duriter increpat, quod utrumque illud officium omiserint. Unde perspicuè apparet Chrysostomum (liberè hoc sit dictum, ad veritatis, cujus summa habenda est ratio, defensionem) injurium esse in Christi boni pastoris officium, cùm verba Christi, de iis quos illi Pater dedit, exponit hoc modo: *Quod si sponte sua resiliant, vi eos non traham.* Præterea illud dictum Chrysostomi, non solùm officio Christi; sed etiam voluntati illius, in hac eadem concione postea expressè adversatur: quia disertè ait sequenti vers. 24. *Pater, quos dedisti mihi,* θέλω *volo, ut ubi sum ego, & ii sint mecum, ut conspiciant gloriam illam, quam dedisti mihi*: ideoque neminem ex iis permittere vult, ut ullo modo pereat. Denique hæc verba duplici quoque hypothesi falsa nituntur: Quarum prima est, unicum hunc esse fidelium resilientium reducendi modum, nimirum ut vi eos retrahat: altera quod eum modum, nec Deus Pater, neque Filius velit adhibere: cùm contrà duplex existat modus, & quidem quo Deus & Christus utuntur: primus quidem sine vi: alter verò vi opportunè adhibita. Sine vi fideles Pater per Christum reducit, cùm spiritum eorum (seu fidei & charitatis gratiam infusam) carnis, mundi, Satanæque oppugnatione languentem, partim ministerio verbi, partim gratiæ Spiritus Sancti auxilio excitat ac firmat; atque ita pravis cupiditatibus superiorem reddit. Vi autem adhibita resilientes retrahit, partim externa & aperta, partim interna & operta potentia. Externa quidem, cùm castigationum vi pravam voluntatem carnis (quę castigationes aversatur ac fugit) coërcet, ne fideles sine ea cum mundo pereant 1. Cor. 11. 32. sed sanctificentur ac vivant, Hebr. 12. 10. 11. ut etiam de Salomone prædictum 2. Samuel. 7. 14. & de se David prędicat Psalm. 119. 71. Interna verò vi fideles reducuntur, cùm Spiritus Sanctus, carnis seu insitæ vitiositatis vires, per sanctificationem auctam imminuit: atque ita vetus homo magis magisque aufertur ac mortificatur secundum promissionem, Ezechiel. 36. vers. 26. 27. Ac propterea merito concludimus ex antedictis, hanc Chrysostomi explicationem, tanquam multis modis veritati Scripturæ repugnantem, merito repudiandam. Ideoque hac prima quæstione, de recto verborum Christi (*nemo ex iis periit* εἰ μὴ, id est, *sed filius ille perditionis*) sensu absoluta: alteram de Scripturæ in ea re impletione paucis subjiciemus. Cum enim Christus dixisset: *nemo ex iis periit;* εἰ μὴ *sed filius perditionis*, subjicit, *ut scriptura impleretur*, quibus verbis duo indicantur: primum ea Iudæ perditione Scripturam esse impletam: quod scilicet res ipsa cum illius prædictione consentiat; Scripturæ autem κατ' ἐξοχὴν divinam intelligit, & quidem librum Psalmorum, idque diversis in locis: nam primùm Psal. 41. vers. 10. dicitur: *etiam vir colens pacem mecum, edens panem meum, sustulit adversus me calcem*: quibus verbis peccatum describitur proditoris Davidis, qui typus fuit Iudæ, ut David Christi: quemadmodum demonstratur à Christo Ioann. 13. v. 18. deinde illius peccati descriptioni pœna à Christo inferenda subjicitur eodem Psalmo vers. 11. *exsuscita me ut rependam illis*, hoc est, ut illum & similes hostes justè perdam. Alter Psalmus simili typo de Iuda ac similibus Christi hostibus reprobis conscriptus, est 69. quo sub typo Davidis, justâ secundum voluntatem Dei cognitam, imprecationis formâ, Christus exposita prius sua innocentia, & Iudæ ac similium reproborum contra se crudelitate, proditionem prædicit inde à vers. 23. ad 30. ut Petrus Actor. 1. vers. 20. demonstrat: ubi exposita Iudæ proditione, & consecuta illius per desperationem

nem perditione: ut infirmorum scandalo occurrat, hanc Prophetiam adducit, dicens: *scriptum est enim in libro Psalmorum: fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui habitet in ea.* Tertius denique, de eadem re locus est Psal. 109. v. 8. *sint inquit dies illius pauci, & curationem illius accipiat alius.* Id quod similiter de Iudæ perditione, & alterius in munus apostolatus substitutione citat Petrus Actor. 1. v. 20. & amplius exponit v. 25. cùm ait, *ut accipiat sortem ministerii hujus & apostolatus, ex qua παρέβη transgressus est (seu excidit) Iudas, ut abiret in locum suum.* Ex quibus Psalmorum testimoniis constat, perditione Iudæ illud evenisse, quod scriptura olim de eo prædixerat. Id quod opportunè à Christo indicatur, ne tam inexpectata & horrenda Iudæ perditione futurâ Apostoli offenderentur, atque in fide ac fiducia erga Christum infirmarentur: quemadmodum hujusmodi prædictionum usum Christus comprobat, cùm Ioann. 13. v. 18. & 19. ait: *sed ut impleatur scriptura, Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem. Jam nunc dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis me eum esse.* Quemadmodum etiam eundem in finem persecutiones Apostolis obventuras, sese prædicere Christus affirmat Ioan. 16. v. 4. Quamobrem ad verba Christi quod attinet, cum ait; *ut Scriptura impleretur,* primo illius membro nempe impletione scripturæ in perditione Iudæ, explicato: alterum etiam, cùm ait: *ut impleretur,* nonnihil est considerandu m, ut Christi sententia plenius intelligatur, & justitia Dei adversus homines profanos asseratur. Hoc enim prima fronte suam habet difficultatem, quod non simpliciter dicitur ἐπληρώθη *impletum est,* ut Matth. 2. vers. 17. & alibi: sed ἵνα πληρωθῇ *ut impleatur,* quo videtur causam finalem designare; ideoque perditionem Iudæ esse effectum, ad eam rem divinitus destinatum; eoque modo Deum esse perditionis authorem: quod tamen & Dei gloriæ, & verbi illius veritati adversatur. Ad hujus verò difficultatis objectæ nodum solvendum, duplex adferri potest solutio. Prima quidem, ut negetur consequentia: ut quæ nitatur hac hypothesi, vocem ἵνα causam finalem hoc in loco designare: cùm contrà aliam significationem recto ac pio sensu admittere possit: siquidem conjunctio illa ἵνα, non solum causam finalem notat, sed etiam inter cætera pro, *adeo ut,* usurpatur: atque ita non causam, sed eventum designat. Quemadmodum illud à Chrysostomo sæpius observatum, & præterea illustria illius significationis exempla in Sac. Lit. eandem rem comprobant: cujusmodi hæc etiam sunt perspicua, primum enim 2. Corinth. 7. v. 9. ait Paulus: *nam tristitia affecti fuistis secundum Deum, ἵνα ἐν μηδενὶ ζημιωθῆτε ἐξ ἡμῶν,* hoc est, *ut nulla in re detrimento affecti sitis per nos.* ubi vox ἵνα, quæ aliàs *ut* notat, pro *adeo ut* manifestè accipitur, & eventum non finem notare res ipsa arguit. Deinde Apoc. 13. v. 13. *& facit signa magna ἵνα καὶ πῦρ ποιῇ καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ,* (sic enim pleraque omnia exemplaria legunt: licet noster interpres Complutensem editionem & Aretam duosque suos antiquos codices secutus legat ἵνα καὶ πῦρ καταβαίνῃ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) hoc est, *ut etiam ignem descendere faciat è cœlo:* ubi ἵνα pro ὥστε, hoc est, pro *adeo ut,* citra ullam controversiam usurpatur. Quemadmodum autem ἵνα bifariam accipi potest, vel ut finalem causam, vel eventum notet: sic etiam cum dicitur in scriptura, ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφή, duobus modis pro rei subjectæ, bonæ aut malæ, cui adjungitur, diversa ratione explicandum. Cùm enim res bona est, quæ impletur, finem designat: quemadmodum declarata nativitate Filii Dei è virgine, subjicitur Matth. 1. v. 22. *totum autem hoc factum est, ἵνα πληρωθῇ ut impleretur dictum à Domino per Prophetam;* & cap. 4. vers. 13. 14. *habitavit Capernaum; ut impleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam.* Sic etiam cap. 21. v. 4. Contra vero, cùm res mala narratur, & adjungitur ἵνα πληρωθῇ scriptura, aut *quod scriptum est:* tum non causam finalem, sed eventum notat: quo pertinent diserta hæc dicta, Joan. 12. v. 37. 38. *non credebant in eum ἵνα πληρωθῇ sermo Esaiæ:* deinde cap. 13. v. 18. *ἵνα πληρωθῇ scriptura, qui edit mecum panem, &c* denique cap. 15. v. 24. 25. *oderunt me & Patrem meum, sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum est scriptus.* Quibus in locis vox ἵνα non finem notare, sed eventum (ut sensus sit *adeo ut*) res ipsa demonstrat: certum enim est incredulitatem illam, & Judæ proditionem, & odium illud adversus Christum & Patrem, ab iis non promanasse in eum finem, ut scriptura impleretur: neque Deum illarum impietatum suâ per Scripturam prædictione fuisse causam. Ac propterea cùm hic agatur in loco proposito de perditione Judæ cujus causa ipsemet fuit, non autem Deus, neque scriptura illius: idcirco cum hac perditione proposita à Christo additur deinde, ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφή, vox ἵνα, nec rei, nec Dei finem notat, sed eventum, nempe convenientiam rei illius, cum scripturæ prædictione: ac propterea clarius ita verti posset: *adeo ut impleatur scriptura.* Atque hic primus est difficultatis hujus solvendi modus, nimirum quod ἵνα non significet hoc loco finem, sed eventum. Alter vero est, quod licet illud concederetur, finem nimirum denotari, ex eo tamen consequentia firmari non possit, quasi scilicet Deus hoc modo statueretur perditionis illius author: id quod merito negari potest. Nam perditio illa Iudæ, diverso respectu considerata, & Iudæ, & Deo ac Christo tribui potest ac debet; Iudæ quidem tanquam authori: quia proditione Christi eam meruit, & propria desperatione ac opera sese suspendio perdidit; Deo verò, ut judici rectè ascribi potest: qui sicut Iudam impiis cupiditatibus addictum juste reliquit, & Satanæ tentandum permisit: sic perditionem æternam pro meritis illius inflixit: adeo ut Iudæ actio fuerit injusta: Dei vero judicis totius mundi justissima. Ac propterea, ut salutem Apostolorum Christus sibi & Patri qui eos ipsi dederat, tanquam authori attribuit, Ioann. 6. v. 39. & 17. v. 11. 12. sic Psal. 41. v. 11. Christus sibi & Patri, non tanquam authoribus, sed tanquam justis judicibus, perditionem Iudæ & similium reproborum (per reprobos Davidis adversarios typicè significatorum) adscribit, cum ait: *exsuscita me, ut rependam illis;* Quemadmodum etiam hæc perditio æterna, justo judicio reprobis rependenda, pluribus describitur 2. Thess. 1. v. 2. 8. 9. Ideoque sine ullo incommodo rectè dici potest, Iudam perditum, ratione scilicet justi judicii Christi, ut scriptura impleretur: hoc est, in eum finem, ut quod prædixerat se justè facturum, executioni mandaretur. Hactenus loci hujus celebris vindicatio: sequitur ex

CAP. XX.

Quæstio prima, ex vers. 19. de Christi ad discipulos adventu.

Non ignotum est, Ubiquitarios contendere corpus Christi esse ubique, & reliquas proprietates divinas, propter unionem cum natura divina humanæ communicatas: idque potissimum in eum finem, ut hoc modo præsentiam carnis & sanguinis Christi, in & sub pane & vino Cœnæ Dominicæ probarent. Ut autem hanc proprietatum divinarum communicationem humanę naturę factam probent, inter alia etiam hoc dictum Ioannis Euangelistæ cap. 20. v. 19. adducunt, cum ait, *Cùm ergo vespera esset die illo primo hebdomadis τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ubi discipuli congregati erant propter metum Judæorum, venit Jesus, stetitque in medio.* Sic enim Andr. Osiander in Latinis vulg. versionis Bibliis ab ipso interpolatis, in notis ad hunc locum scribit; *Et fores essent clausæ] Innuunt hæ circumstantiæ, Christum per januam clausam ad discipulos ingressum esse: unde discipuli perterriti, spiritum (seu spectrum) se videre putabant, ut testatur Lucas cap. 24. Non enim verisimile ipsis videbatur, hominem verum, clausis manentibus januis ad ipsos introire potuisse.* Hæc Osiander, quæ paucis expendenda. Primùm autem negatur, illa verba, *& fores essent clausæ,* indicare Christum per januam clausam manentem ad discipulos ingressum: nam circumstantiæ horum verborum notant solummodò tempus, quo Christus venit ad discipulos, nempe cum vespera esset & cum clausæ essent fores propter metum Judæorum: hoc enim declarant ea verba καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων. Modus verò quo Christus pervenerit ad discipulos, minimè explicatur: neque enim dicitur manentibus januis clausis pervenisse, ut Osiander finxit: neque ex inopinata Christi præsentia id colligi potest: quia modus alius ingressus

ingressus miraculosus ac varius esse potuit: inprimis verò ut potentia sua divinâ fores subitò aperiret ad transitum, & clauderet, discipulis interim minimè observantibus. Quemadmodum similis rei illustria extant exempla: nam primùm ministerio Angeli, carcer apertus est, & Apostoli ex eo educti, ac fores rursus clausæ præsentibus licet & ante-stantibus custodibus illud minimè animadvertentibus, Actor. 5. 19. ut expresè vers. 23. dicitur: *Carcerem quidem invenimus clausum quam tutissimè, & custodes stantes ante fores: cùm aperuissemus autem neminem intus invenimus.* Deinde idem etiam contigit seorsim Petro in carcerem conjecto, qui simili prorsus modo è carcere, Angeli ministerio evasit: cujus rei memorabilis est historia Actor. 12. v. 4. 6. 7. & 10. ac propterea potuit Christus eodem modo, quo postea usus est per ministrum suum Angelum, fores etiam recludere easque transire, ac claudere, Apostolis nequaquam animadvertentibus: ut alios modos omittamus, quibus per suam omnipotentiam, servata veri corporis proprietate, ad Apostolos pervenire potuit. Quæ responsio reipsa communi nostrorum Theologorum judicio probata, Ubiquitariorum oppositionem rectè confutat. Veruntamen quemadmodum utile est ejusdem nodi ac difficultatis solutiones esse plures idoneas, ut errores eo magis refellantur, idcirco alteram præterea refutationem subjiciemus: quæ licet nova prorsus sit, antiquam tamen veritatem comprobat. Siquidem id (quod non solùm adversarii contendunt, sed etiam ab omnibus (quantum observare potuimus) quasi certum statuitur, nempe Christi ingressum ad discipulos suos, prorsus fuisse miraculosum; seu ex adversariorum sententia, per clausas manentes januas transierit; seu ut nostri statuunt, quod in apertione vel januæ, vel parietis, vel alio modo, servata corporis Christi proprietate, miraculum extiterit) illud inquam non videtur ex hoc loco solidè probari posse: quandoquidem modus ingressus neque exprimitur, neque firma consequentia ex verbis Euangelistæ demonstrari potest, neque etiam ex consentaneo loco Luc. 24. ut Osiand. objicit. Nam postquam Euangelista Lucas monuit, duos illos discipulos, quibus Christus in via apparuerat, reversos invenisse Apostolos vers. 33. iisque rem gestam explicasse vers. 34. 35. subjicit, *Hæc autem ipsis loquentibus, stetit ipse Jesus in medio eorum.* Cum igitur citra controversiam sine miraculo, pro more duobus istis discipulis fores pulsantibus, apertæ sint ut intrarent: quidni potuit Christus post eos ita intrare & in medio cum illis se sistere, & nonnihil continere, ut nullus præsentiam illius observaret? quemadmodum neque Apostolorum, neque Petri è carcere exitum præsentes licet & adstantes custodes Actor. 5. & 12. animadvertisse narrantur. Ideoque nulla necessitas, ut miraculum ullum in janua extitisse statuamus, cum sine illo miraculo (ut ab Angelo factum ostendimus) fieri potuerit. Cœterùm veritas naturæ corporis Christi, per istam Ubiquitariorum expositionem evertitur, quia per corporis solidi manentis dimensiones penetrationem turpi contradictione constituunt: nam ut janua fuit solida: sic etiam corpus Christi, quod carnem & ossa habuit, utpote quæ videri & contrectari poterant, ut etiam Christus eodem tempore Apostolis apertè affirmavit, Luc. 24. v. 39. ideoque per solidam januam manentem penetrare, salva naturæ integritate, non potuit: neque simile, quod ex August. serm. 152. de temp. tom. 10. adducit Osiander, de miraculo Christi ambulantis super mare, Matth. 14. v. 25. ad rem facit: quia miraculum hoc in Christi corpore non extitit, sed in mari: nam ut à Deo aquæ, naturali frigoris potentia congelantur ac densantur, ut in iis ambuletur: ita Dei potentia supernaturali aquæ illæ ad tempus solidatæ sunt, & ad ambulandum factæ sunt idoneæ: quia non solùm Christus, sed etiam Petrus sine ulla proprietatum corporis mutatione similiter iis inambulavit, ut ibid. vers. 29. docetur. Præterea etsi dictum esset ab Euangelista, Christum intrasse per januam clausam (id quod minimè dicitur) inde tamen non sequeretur, quod etiam Ubiquitarii & Pontificii contendunt, Christum corpus suum solidum per aliud solidum introduxisse sine mutatione solidi: quia alia ratio miraculi esse potuit in janua, videlicet ut ea per seram manente clausa, per divinam Christi potentiam utrimque ita arctata fuerit, ut divisa in medio, corpori transituro viam præberet: rursusque potentia divina dilataretur atque uniretur: hoc enim fieri potuisse negari non potest. Ideoque quod Bellarm. tom. 2. controvers. tertia de Euchar. lib. 3. c. 6. ait; *Patres communi consensu agnoscunt miraculum in eo quod Dominus corpus suum solidum per aliud solidum introduxerit:* & inprimis Hilarii verba adducit qui ait: *cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti:* illud inquam, modò transitus possibili, jam à nobis exposito, qui ratione optimè comprehendi potest, confutatur. A qua expositione non aliena est doctissimi P. Martyris sententia, qui (ut etiam Bellarm. loco jam memorato citat) dicit, Christum transiisse per aditum patefactum: sive rarefecerit Dominus portas illas, sive etiam cedere jusserit. Nam quod excipit Bellarm. si per fenestram intravit Dominus, aut aditu qualicunque modo patefacto, nullum erit miraculum intrare januis clausis: illud vanum est: nam in modo apertionis miraculum esse potest, si is non humanâ, sed divina potentia contigerit, uti multis modis contingere potuisse suprà ostendimus. Deinde in repentina & inexpectata, ac sine Apostolorum ulla præsensione præsentia, miraculum fuit: idque demum terroris eorum (qui Luc. 24. v. 37. memoratur) vera extitit causa: non autem quod obtendit Bellarm. & Osiand. quasi Dominus corpus suum per aliud solidum permanens introduxerit: cum illud salva corporis Christi integritate, fieri non potuerit: neque sine contradictione factum esse dici potest, ut talis dimensionum mutua penetratio evenerit; quia ita idem statueretur per se integrum ac indivisum, & simul non integrum sed divisum. Neque argumentum quod contra adducit Bellarm. illud infirmat, objicit enim Christi nativitatis exemplum: quod Christus exierit de utero virginis clauso, inviolata manente integritate carnis; idque probat primùm ex Apostolorum Symbolo: *natus è virgine:* & Esai. 7. *ecce virgo concipiet & pariet filium:* ubi dicitur non solum, virgo conceptura, sed etiam virgo paritura. Verum negatur consequentia. Agnoscimus enim virginem concepisse & virginem peperisse: nam virginitas illius illæsa mansit: etsi reserato utero peperit: quia (ut ipsa virgo Maria Luc. 1. vers. 34. dixit) virum non cognovit: ideoque à nullo viro corrupta, Spiritus Sancti potentia gravida facta peperit. Quare licet quosdam Patres pro sua sententia citet adversarius, eorum tamen aberranti judicio primùm Sacras Literas opponimus, quæ hoc miraculum non recensent. Deinde contra disertè dicitur Luc. 2. v. 22. 23. his verbis: *& cum impleti essent dies purgationis illius*, scilicet Mariæ *secundum legem Mosis, adduxerunt eum Hierosolymam, ut sisterent eum Domino, prout scriptum est in lege Domini: omne masculum aperiens matricem* (seu uterum) *sanctum Domino vocabitur.* Ubi primùm observandum, quod impleti dicuntur dies purgationis illius nempe à sanguine, qui aperto utero promanarat: alioquin si clausus mansisset uterus, purgari ab eo non potuisset. Deinceps oblatio pro Christo, secundum legem hanc (*omne masculum adaperiens uterum &c.*) data asseritur: Ergo etiam nascendo aperuit uterum. Lex autem illa purgationis à sanguine & oblationis Levit. 12. disertè traditur atque explicatur. Ideoque Scripturæ ductu, ex antiquis Patribus non pauci (quos aliis, à scriptura recedentibus, merito hîc præferimus) veritatem agnoverunt, atque ita explicarunt: quemadmodum Orig. in Lucam homil. 14. ait: *matris Domini eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus: quia sanctum uterum & omni dignatione venerationis venerandum ante nativitatem Christi masculus omninò non tetigit.* Et ante Orig. Tertullianus lib. de carne Christi cap. 23. *Hæc denique vulva est, propter quam & de aliis scriptum est: omne masculinum adaperiens vulvam sanctum vocabitur Domino: Quis verò sanctus quàm Dei Filius, quis propriè vulvam adaperuit quam qui clausam patefecit?* Tertiò Ambrosius licet antea tom. 1. de instit. virginum cap. 7. & 8. non aperto, sed clauso Mariæ virginis utero, natum esse Christum tradiderit: postea tamen, Lucæ verbis haud dubiè adductus contrarium docuit; nam in comment. in Luc. cap. 2. ait; *hic est*

quia-

qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. Quartò Chrysost. homil 49. in Genes. de Christo ait: *oportebat autem partim cum nostra nativitate communicare, partim alienum esse: utraque hæc fuerunt ei. quo modo? audi: nam de utero prodire commune habet nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci, supra nostram est nativitatem: Naturale est conceptum fieri in utero; supra naturam humanam est absque commixtione esse prægnantem.* Denique Hieron. tom. 1. de servanda virginitate ad Eustoch. tom. 1. ait: *Dei Filius pro nostra salute, hominis factus est filius: novem mensibus in utero, ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis involvitur:* notetur quod ait; *cruentus egreditur:* Ergo apertum uterum (unde pro more parientium fluxus sanguinis promanat) apertè satis designat. Quamobrem ex hisce omnibus merito concludimus: Christum utero aperto, non clauso manente esse natum: & contrariam Pontificiorum & Ubiquitariorum sententiam Sacris literis & illustribus etiam Patribus adversari: ideoque eo modo miraculum ingressus Christi per januas manentes clausas (uti contendunt) minimè confirmari. Hac igitur quæstione prima, de Christi ad discipulos ingressu explicata, succedit

Secunda Quæstio, de Genuino verborum Thomæ Apostoli vers. 28. sensu.

Memorabilis ac vindicatione dignissima hæc Evangelistæ, Thomæ verba recensentis v. 28. narratio; *Respondit ei Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus:* unde quæstio exurgit magni omninò momenti, quisnam verborum Thomę sit sensus. Orthodoxi enim statuunt, illis confessionem Deitatis Christi illustrem contineri, ac sensum esse: Dominus meus & Deus meus, supple es. Contra verò Samosateniani hujus temporis illud oppugnant, inprimis verò Georgius Enjedinus Superintendens Ecclesiarum Samosateniarum in Transsylvania, in explicatione locorum Scripturæ, ex quibus Trinitas stabiliri solet: cujus in hoc dicto depravando argutias referre & confutare, ad veritatis doctrinæ de Christi Deitate defensionem, operæ pretium arbitramur. Summa autem erroris hæc est: hæc verba Thomæ non ad Christum, sed ad Patrem dici. Quemadmodum enim olim profanis in more fuisse ait, atque exemplis ostendit, ut si quid præter opinionem repente admiratione dignum occurreret, exclamarent, & Dei nomen efferrent; quale illud apud Terent. in Andr. *Dii boni;* Et hodie Christianos pro more dicere solere, *Deus bone,* non quod res ipsa, de qua loquuntur, Deus sit; et Pontificios ait, si quid repente horrendum aut admirabile occurrat, exclamare, *Jesu, Maria;* sic etiam Thomam fecisse contendit, cùm Christum ex improviso redivivum videret, stupore plenum, exclamasse more hominibus consueto, *Dominus meus, & Deus meus:* quasi his verbis non Christum compellasset, neque eum Dominum & Deum suum vocasset, sed rem insusitatam & admirationem suam summam hoc modo significarit. Verum respondemus, morem illum & profanorum hominum & superstitiosorum Christianorum, qui admirationi indicandæ nomen Dei usurpant, esse meram nominis divini, contra tertium præceptum Decalogi, profanationem. Neque ullo modo probatur, abusus nominis divini morem profanum viguisse inter Judæos, multo minus inter Apostolos: qui etiam cùm Christum mare inambulantem viderent ac spectrum esse putarent exclamasse dicuntur, Marc. 6. non verò Dei nomen tali abusu protulisse. Deinde illud etiam effugium adversarii confutatur approbatione Christi, qui fidem Thomæ laudavit, etsi tarditatem reprehendat, eoque abusum nominis Dei abfuisse: eaque verba, fidei de Christo confessionem fuisse ostendit. Præterea repugnat etiam illi errori explicatio Euangelistæ præmissa, cùm ait: *respondit autem Thomas, & dixit ei,* scilicet Christo: quod argumentum & vim illius animadvertit satis adversarius, sed tamen variis modis, reluctante ut videtur conscientiâ, frustra eludere conatur, cum ait, hanc loquendi formulam (nempe *dixit ei*) idem significare in Sacris, atque *dixit post verba ejus;* vel *auditis verbis ejus;* idque probare conatur ex Luc. 14. vers. 16. *at ipse dixit ei:* cum tamen Christus parabolam sequentem non tantum ad loquentem, sed ad omnes præsentes direxerit. Verùm negamus verba illa Lucæ: *ipse verò dixit ei,* id significare quod vult adversarius, ac si idem esset, quasi dixisset post verba ejus: quis enim non videat esse turpem & contra conscientiam adversarii perversionem, cum ipsemet, dum probare suam sententiam conatur, non solum non probat, sed etiam sibi contradicit: cùm enim ait parabolam sequentem non tantùm ad loquentem direxisse: iis verbis agnoscit, saltem ad eum direxisse; idque etiam series verborum evincit: nam vers. 15. ait Euangelista, *quidam ex accumbentibus dixit ei, beatus,* &c. Christi verò responsio narratur, vers. 16. *ipse verò dixit ei;* unde ad loquentem referri apparet: ita tamen ut interim dictorum usus reliquis etiam accumbentibus fuerit communis. Similis etiam ratio ejus quod strictim subjiciens ait adversarius; *Vide etiam Joan.* 14. vers. 22. 23. nam vers. 22. *dixit ei Judas: Domine quid est cur te sis nobis communicaturus, &c.* & vers. 23. *respondit Iesus & dixit ei, si quis diligit, &c.* unde ex serie & relatione verborum apparet, dici Christum ad interrogata Judæ ipsique respondisse, ut qui quæstionem solus moverat: etsi doctrina responsionis ad Judæ verba ipsi datæ, non solùm ad ipsum, sed etiam ad reliquos Apostolos eadem opera erudiendos spectarit. Quare perspicuum est, Samosatenianum phrasin hanc, *& dixit ei,* perversè depravasse: atque ita prima illius responsio satis convicta. Alterum verò quod objicit argumentum est, cùm ait: *Hanc interpretationem esse veram vel inde apparet, quod in Christo tum nihil à Thoma visum est, ex quo Christum esse Deum colligere posset. Nam resurrectio non ei qui resurrexit, sed resuscitatori opinionem divinitatis conciliare solet.* Verùm negatur assertio, quia Christi resurrectio, ad fidem Deitatis illius conciliandam, fuit solidum argumentum: neque ratio assertionis quam adducit, eandem probat: sed contra orthodoxorum sententiam confirmat: nam Christus non solum fuit suscitatus, sed etiam resuscitator sui: quemadmodum ipse asseruerat, Joan. 10. v. 17. 18. *Pono animam meam, ut eam rursus assumam: nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & rursus eam assumendi:* & clarissimè idem indicatur Joa. 2. v. 19. *& respondit Jesus & dixit eis: destruite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud:* & vers. 21. *at ille loquebatur de templo corporis sui.* Neque hic merito objici potest, Thomam Apostolum illud ignorasse: quia v. 22. generatim dicitur: *cùm ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quod hoc dixisset iis, & crediderunt scripturæ & sermoni quem Jesus dixerat.* Quare hinc apparet contra responsionem Samosateniani, resurrectionem Christi, ab ipsomet Christo effectam, Deitatis illius esse argumentum solidum: & Thomam idcirco rectè id confessum exclamasse: *Dominus meus & Deus meus.* Idque etiam Paulus Apostolus agnovit, Rom. 1. v. 4. cum ait, *qui declaratus est Filius Dei potenter secundum spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis.* Quod autem objicit: *certum apud omnes, Deum non mori: ac propterea neque resurrectione opus habere:* Verum est, quatenus est Deus: sed quatenus patefactus in carne, secundum semen Abrahæ, quod assumsit Heb. 2. vers. 16. mortuus est, ibid. v. 14. 15. Quemadmodum Deus, quâ Deus, caret sanguine: sed quatenus Deus homo factus, acquisivit Ecclesiam suo sanguine Actor. 20. v. 28. Quod autem addit adversarius, *qui verò resurgit, eum & fuisse mortuum, ac proinde pro Deo haberi nec posse nec debere. Quomodo igitur Thomas ex resurrectione divinitatem (cum contrarium inde potius sequatur) colligere potuisset? videbat vulnera, carnem & ossa &c. quæ non Deum sed hominem illum esse probabant.* Illud eo modo solvitur, Christo mortem & resurrectionem tribui non simpliciter, sed secundum quid: nempe secundum humanam naturam; & secundum eam non esse Deum: quamvis secundum eam visus sit à Thoma; sed ex suscitatione corporis Christi, ab eodem Christo facta Johann. 2. & 10. colligit Christum simul esse Deum, quia id ei convenit secundum divinam naturam, cui proprium est sua vi suscitare mortuos. Sed postremò objicit adversarius; *Etiamsi concedamus, hac verba in Christum fuisse directa, nihil ex iis*

ex iis contra nostram sententiam concludi poterit: nam nos libenter damus & Dominum nostrum esse Jesum & Deum. Sed cum, teste Paulo 1. *Cor.* 8. *vers.* 5. *multi sint Domini & Dei, tam in cælo quam in terra, non statim qui his nominibus insigniuntur, esse æternos & omnipotentes Deos concedimus.* Agnoscimus ex solo nomine Dei id colligi non posse, sed ex eo & conjuncta vi rei ipsius: quæ appellationis est ratio movens: ea autem est Christi resurrectio, quâ secundum suam prædictionem, corpus suum suscitavit à mortuis: quo declaratum est, eum esse proprium Dei filium & æternum ac omnipotentem Deum: quia potentia suscitationis mortuorum, est certa proprietas omnipotentis Dei: ea enim omnem vim creatam excedit, ideoque eo attributo à creaturis distinguitur, ut Rom. 4. vers. 17. Deus vero Pater à Filio ea re non distinguitur: sed eidem unitur, quemadmodum Joan. 5. vers. 21. *sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat; sic & Filius quos vult vivificat;* & quidem sua omnipotentiâ Phil. 3. vers. 21. quia Deus est Joan. 1. vers. 1. *per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est,* vers. 3. *per ipsum condita sunt omnia, quæ in cælis & quæ in terris, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, per eum, & ejus respectu condita sunt.* Coloss. 1. vers. 16. 17. utpote ad quem etiam dictum ait Apostolus: *& tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli,* Hebr. 1. vers. 9. cum vers. 10. ita ut ostendat Apostolus, Christum non solum esse verum hominem, utpote unctum à Patre per Spiritum Sanctum: sed etiam verum & æternum cum Patre & Spiritu Sancto Deum: utpote cæli & terræ in principio creatorem. Quemadmodum etiam Joannes 1. Epist. 5. vers. 20. ait: *sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo: hic est verus Deus & vita æterna.* Quare Christo non solum rectè attribuitur quod suscitatus est quatenus verus homo: sed etiam quod sit corporis sui suscitator, qua unus & æternus cum Patre & Spiritu Sancto Deus: Ac propterea ea suscitatio interdum Patri, interdum Filio, interdum Spiritui Sancto in Sacris Literis adscribitur: quia ea per unam eandemque communem tribus personis Deitatem effecta est. Quamobrem suscitatione Christi comperta, Thomas meritò commotus ipsum vocavit Dominum ac Deum suum: significatione non metaphorica (quæ creaturis etiam convenit) sed propria; nempe Deum verum, æternum, atque omnipotentem; ut qui secundum prædictionem frequentem, Johan. 2. & 10. seipsum suscitavit à mortuis. Ideoque celeberrimum hoc Deitatis Christi ab Orthodoxis propositum argumentum adversus Enjedini Samosateniani objectiones ante recitatas invictum perstat. Atque hactenus difficiliora Euangelii Joannis dicta illustrare nonnihil conati sumus.

FINIS.



FRAN-

FRANCISCI GOMARI, BRUGENSIS,

ANALYSIS, ET EXPLICATIO

Epistolæ ad Romanos.

CAPUT PRIMUM.

*Pistola ad Romanos est dogmaticum Novi Testamenti scriptum, ab Apostolo Paulo, instinctu divino, Tertio Amanuensi suo dictatum, quo Romanam Ecclesiam, doctam ac celebrem, ex Judæis & gentibus inprimis conflatam, secundùm officium suum, accuratissima religionis Christianæ explicatione, in vera fide & charitate confirmare studet: ad Dei in Christo gloriam, & perpetuam totius Ecclesiæ institutionem.* Rom. 1. vers. 1. 6. 8. 14. 15. & cap. 15. vers. 14. 15. 16. & cap. 16. v. 22. & cap. 15. v. 4. & 2. Tim. 3. v. 16.

Hujus autem Epistolæ partes principales sunt tres:

PRÆFATIO, cap. 1. ad alteram usque partem v. 16. TRACTATIO, inde ad caput 16. & CONCLUSIO capite 16.

PRÆFATIO constat inscriptione, salutatione, gratulatione, & desiderii invisendi Romanos significatione. Quorum primum ad attentionem & docilitatem potissimùm; reliqua verò ad benevolentiam testandam, eoque mutuò comparandam præcipuè spectant.

Inscriptio sex prioribus versibus comprehensa, indicat causam instrumentalem, & objectum Epistolæ: seu *quis* & *quibus* scribat. Prius autem enuntiationis subjecto: posterius verò attributo continetur.

SCRIPTOR declaratur adjuncto duplici, nomine & munere.

NOMEN est *Paulus*, qui initio ferè dictus fuit *Saulus*, Actor. 13. v. 9. De cujus nominis ratione, ut agamus pluribus, vix operæ pretium esse existimo. Verùm quia secus statuunt Patres Orthodoxi, & ex recentioribus Theologis nonnulli: deinde, quia in primæ illius Epistolæ limine versamur, varias, de ea re, conjecturas, simul ac semel recensebo.

Alii enim vocem *Paulus* & *Saulus* idem reipsa nomen esse arbitramur, sed dialecto variatum: quemadmodum *Theodoricus*, Germanis Dietrich/ Gallis *Thierry*: *Ludovicus* Germanis Ludwigh / Gallis *Louys*: ita etiam loco Sauli, Paulum à Græcis, quod nomen illud Romanum iis esset notius, fuisse appellatum. Sic Beza Actor. 13.

Alii verò diversum esse sentiunt: sed de causa & tempore nominis impositi, inter se non consentiunt satis. Quidam enim binominem fuisse, inde ab initio putant, *Saul* esse gentilitium nomen à Patre inditum, quod religionem & genus indicaret: additumque alterum Pauli, quod jus Romanæ civitatis attestaretur: de qua re in Actis cap. 22. vers. 27. 28. erat enim Tharsensis: Tharsis autem Colonia Romanorum. Atque hæc est Origenis sententia ad Rom. 1.

Alii verò non eodem tempore, ab initio, fuisse binominem: sed nominis permutatione, primùm sic dictum autumant post conversionem Sergii Pauli, de qua re agitur, Actor. 13. idque bifariam factum diversè sentiunt, nempe, aut divinitus, aut humanitus ab ipsomet Saulo: ac divinitùs quidem sic vocatum ait Chrysostomus, de laudibus Pauli homilia 9. & Rom. 1. causamque ejus rei adjungit duplicem, gloriam Christi & honorem Pauli: ut videlicet inde constaret omnibus, Christum esse Pauli Dominum: siquidem nominis impositio præcipuum dominii signum: quod etiam placet Phocio apud Oecunemium ad Rom. 1. deinde ne Petro, hac etiam in parte, haberetur inferior: (quæ etiam sententia est Theodoreti & Theophylacti) serius autem hoc ei nomen impositum ait, ut omnes eo certius admirabilem Pauli conversionem cognoscerent.

Qui verò humanitus ab ipsomet Paulo Apostolo nomen permutatum volunt; alii factum judicant, propter conversionem Sergii Pauli proconsulis: & quidem honoris gratiâ, Imperatorum more, tanquam trophæum Christo subjugati Sergii Pauli, ut Hieron. suspicatur, Tom. 9. Comment. in Epistolam ad Philemonem: additque; *si interpretatio nominis quæratur, Paulus in Hebræo mirabilem significat* פלא. *Revera mirum est, ut post Saul (qui interpretatur expetitus, eoque ad vexandam Ecclesiam fuisset à Diabolo postulatus) de persecutore vas fieret electionis.*

Alii verò in aliam eunt sententiam, ac putant Saulum sese Paulum appellasse, propter conversionem sui ipsius, ad amplificationem gratiæ Christi, erga seipsum, & gratitudinis suæ erga Christum: nam prius Saulum nominatum fuisse, hoc est, *inquietudinem* seu *tentationem*: postea *Paulum*, hoc est, *quietem* Græcè, vel *parvulum* Latinè, ex tentatore factum: ut exponit author Commentariorum in Epistolam ad Romanos, qui Ambrosio suppositi, nomen illius ementiuntur. Quod postremum multis in locis sequitur Augustinus, atque inde illustrat, quod sese *minimum Apostolorum* vocat, 1. Corinth. 15. Qua de re consulendus est August. Tom. 3. de Spiritu & litera cap. 7. & Tom. 10. de verbis Apostoli.

Hæc de nomine Pauli. Quam controversiam, ob tenuitatem illius & brevitatis studio, non examinabo: Interea tamen, ne sim ἀσύμβολος, Origenis hac in re opinionem, utpote simplicissimam, cæteris præponendam arbitror: & hoc nomen, tanquam illustrius, ac gratius apud gentes, postquam ad eas legatus fuit Apostolus, usurpasse. Atque hæc de NOMINE scriptoris Epistolæ satis.

Alterum illius adjunctum est *Munus*, seu *Officium* illius: quod proponitur generatim, cum se *servum Jesu Christi* appellat: & speciatim, cum additur: *vocatus Apostolus*. Quæ vox *legatum* notat, ejusque usus in Novo Testamento est varius.

Sumitur enim primò generatim ac propriè pro Legato, qui cum mandatis aliquò mittitur: quemadmodum Epaphroditus *Philippensium Apostolus* vocatur, quod ad Paulum

esset legatus, Philip. 2. vers. 25. & *Apostoli*, id est Legati, *Ecclesiarum*, 2. Cor. 8. vers. 23. deinde usurpatur Synecdochicè ac speciatim pro legatis ad Euangelii prædicationem, & quidem dupliciter: primò latius, pro iis, qui non unam tantum Ecclesiam instituunt, sed promulgando passim Euangelio operam impendunt (qui & Euangelistæ κατ' ἐξοχὴν appellantur, Ephes. 4. vers. 11. qualis Timotheus, 2. Tim. 4. vers. 5. Titus & similes) ut Rom. 16. vers. 7. *Junius & Andronicus insignes inter Apostolos dicuntur*. Sic Christus quoque non dissimiliter vocatur *professionis nostræ Apostolus*, Heb. 3. vers. 1. sic etiam 70. discipuli à Tertulliano appellantur: *Allexit*, inquit, *& alios 70. Apostolos, super duodecim.* Contra Marcionem lib. 4. Idem observat Chrysostom. 1. Cor. 15. vers. 7. Hieron. verò Tom. 9. in Comment. ad Galatas cap. 1. vers. 19. ait: *Omnes qui Dominum viderunt, & eum postea prædicarunt fuisse postea Apostolos appellatos*: sed loca quæ adducit, 1. Cor. 15. vers. 7. (etsi de hoc Chrysostomo idem videatur) & Philipp. 2. vers. 25. & 2. Cor 8. vers. 23. id non evincunt. Deinde angustius κατ' ἐξοχὴν & significatione frequentissima *Apostolus* vocatur θεοδίδακτος, seu qui divino afflatu edoctus, & primarius, à Christo, immediatè electus ac designatus in Ecclesia minister, ad annuntiandum, instinctu & gubernatione Spiritus Sancti Euangelium, & miraculis confirmandum, omnibus gentibus terræ, 1. Cor. 12. v. 28. Eph. 4. v. 11. Luc. 6. v. 13. & cap. 9. v. 2. Eph. 3. vers. 5. Joh. 16. v. 13. Matth. 28. v. 19.

Horum autem Apostolorum alii sunt designati à Christo mortali in terris, ut duodecim discipuli, Luc 6. vers. 13. qui per ellipsin, *duodecim illi*, vocantur Actor. 6. vers. 2. & 1. Cor. 15. vers. 5. è quorum numero, Judas, Christi proditione & suspensione sui, excidit, Actor. 1. vers. 16. 17. 18. & 20. Alii verò à Christo immortali, è cœlis: & quidem vel duodecim Apostolis, statim ab ascensione Christi, inserti: ut Matthias, qui in demortui ac perditi Judæ locum, authoritate generali Prophetiæ Davidicæ, & sorte divinitus directa, fuit surrogatus: vel duodecim Apostolis postea adjuncti, ut Paulus Actor. 9. vers. 15. & cum eo Barnabas, Actor. 13. vers. 2. & cap. 14. vers. 14. & 1. Cor. 9. vers. 6. Gal. 2. vers. 9. qui duo κατ' ἐξοχὴν *Apostoli gentium*, nominantur, Rom. 11. vers. 13. 1. Timoth. 2. vers. 7. & Galat. 2. vers. 9. Eoque sensu Paulus, *se vocatum Apostolum*, asserit.

Quod munus primum à genere & subjecta materia; deinde à fine amplificat.

A genere quidem, cum ait, *separatus ad Euangelium*; hoc enim commune est omnibus verbi ministris.

Cum autem Euangelium generatim sit doctrina de Christo servatore credentium, Hebr. 4. vers. 2. Actor. 10. vers. 43. eaque doctrina sit vel promissionis Christi, vel missionis illius: non priori, sed posteriori modo, vox *Euangelii*, à Paulo usurpatur κατ' ἐξοχὴν, Luc. 2. vers. 10. 11. & 2. Tim. 1. vers. 10. Atque ita Paulus se separatum ad Euangelium illud, scilicet annunciandum, ait.

Separatus autem dicitur, non solùm consilio Dei: sed etiam executione illius, ac vocatione divina, Gal. 1. v. 15. 16. Actor. 9. v. 15. Ephes. 3. v. 7. 1. Timoth. 1. vers. 11. & 2. Timoth. 1. v. 11.

Quod Euangelium & ad attentionem & ad docilitatem magnificè illustratur.

Primum à causa efficiente & authore suo, cum *Euangelium Dei* dicitur, vers. 1.

Deinde, per ὑπέρβατον (quo subjectum orationis versus primi à suo attributo longè dirimitur) ab antiquitate ac veritate, & à subjecto: prius indicat, cum ait: *id ante à Deo promissum, per Prophetas suos in Scripturis Sanctis*: nam licet Prophetæ Euangelium promissionis Christi annuntiârint, non tamen exhibitionis illius ac missionis, 1. Pet. 1. vers. 10. 11. 12. posterius, cum addit, *de filio suo, Jesu Christo, Domino nostro*, cujus personam describit & qualitatem: seu quis sit & qualis sit. Ac personam quidem à naturis suis & effectis declarat.

Naturæ sunt, humana & divina. Quarum illam declarat à causa, cùm efficiente remota, tum materia proxima; cum ait: *factum ex semine Davidis*, hoc est, ex substantia Virginis Mariæ, è posteritate Davidis ortæ, ut Actor. 13. v. 23. & 2. Timoth. 2. v. 8. Galat. 4. v. 4. *secundum carnem*, hoc est, humanam naturam. Cujus corporis ortum describit, cum ait: *factum*, nimirum non naturæ vi, sed supernaturali Spiritus Sancti efficacia, Lucæ cap. 1. vers. 35. Hæc de vers. 3.

Divinam verò naturam indicat, & ab effecto omnipotentiæ ipsius, in vivificatione corporis sui confirmat, quando ait: *declaratum filium Dei, per potentiam, secundum Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis*: ut Actor. 13. v. 31. & 32.

Cæterum quid hoc in loco *Spiritus sanctificationis* notet, disquiri solet. Quidam enim Spiritum Sanctum, tertiam Trinitatis personam intelligunt, qui Christum declararit filium Dei, suscitatione corporis ipsius: quemadmodum Rom. 8. v. 11: nam Christus per Spiritum Sanctum se suscitavit: eoque verus Deus est: cùm ratione effecti: quia suscitatio à mortuis, nempe vi sua, opus est solius Dei: tum ratione modi efficiendi; quia per Spiritum Sanctum operari, nonnisi vero Deo convenit, qui æqualis Spiritui Sancto est, & personæ ordine eum antecedit. Alii verò de divina Christi natura interpretari malunt, moti his argumentis: primùm phrasi, quod *secundùm Spiritum*: non autem *Spiritu*: nec per *Spiritum* dicatur: deinde antithesi antecedentis: *secundùm carnem*: quo subjecti natura altera denotatur: denique similium locorum comparatione, quod non solùm, alibi, divina natura Spiritus vocetur, Joh. 4. v. 24. sed etiam distinctione quadam carni opponatur, 1. Tim. 3. v. 16. & 1. Pet. 3. v. 18.

Alterutrum statuamus, divina Christi natura asseritur: quia carnem suam divinæ naturæ potentiâ, reverà per Spiritum Sanctum à mortuis suscitavit, Joh. 2. v. 19. & c. 10. v. 18. Quæ interpretatio aptior est, quam quod nonnulli argumentum divinæ naturæ Christi, non à resurrectione, sed à Spiritus Sancti missione petitum volunt: quasi præpositio *Ex*, non efficientem denotaret, sed temporis circumstantiam, sive, *post*.

Hæc de vers. 4. & descriptione personæ à natura humana & divina: unde cognoscitur, quid sit, nempe verus Deus, verusque homo, Immanuel.

Qualis autem sit, triplici nomine denotatur; proprio, *Jesu*, quo beneficium illius notatur, salutis scilicet esse authorem: deinde cognomine *Christi*, quo officium denotatur: denique relata potestate, quæ ex officio & beneficio promanat, cum *Dominum* vocat. Hæc breviter tantùm annotasse sufficiat.

Altera verò descriptio est ab effecto duplici, *gratiâ* & *Apostolatu* Pauli, cum ait, à Deo Patre, *per Christum sese gratiam accepisse*, hoc est, gratuitam peccatorum remissionem & reconciliationem per fidem; & Apostolatus munus. Sic enim videtur potius exponendum, quàm per ἓν διὰ δυοῖν, aut per exegesin, *gratiam & Apostolatum*, pro gratuitum Apostolatum: aut gratiam, hoc est, Apostolatum: quia prior interpretatio uberior est, ac duo beneficia, non unum tantum complectitur: deinde cum Pauli zelo melius convenit, qui hæc duo dona, ad misericordiæ divinæ amplificationem & gratitudinis suæ testificationem, solet conjungere, ut 1. Timoth. 1. v. 12. 13. 14.

Atque hoc modo, ad propositum munus opportunè redit. Quod ut antea, à genere & subjecta materia, nempe separatione ad Euangelium: ita hoc loco, repetitâ causa efficiente, scilicet Christi mandato, declarat à fine, qui est *obedientia fidei omnium gentium*: eâque via, objectum quoque indicat, vers. 5. Quod expositione per exemplum fidelium Romanorum, ad eorum consolationem, & scriptionis hujus epistolæ authoritatem, & ad regressum commodiorem, & ut sententiam vers. 1. inchoatam, absolvat, illustratur, vers. 6.

Atque hactenus de inscriptionis subjecto & descriptione illius. Sequitur attributum, quo ostenditur Epistolæ objectum, seu quibus scribat, omnibus nimirum, qui Romæ sunt Christianis: quos ab adjuncta Dei dilectione ac vocatione & sanctificatione describit. Ut autem subjectum adjecto

jecto suo prædicato copulemus, plena jam inscriptio est: *Paulus servus Jesu Christi, iis qui Romæ sunt* &c. *scribit.* Hæc enim attributi pars ellipsi usitata, in inscriptionibus omittitur.

Absoluta autem inscriptione, quæ prima præfationis pars est, subjicit Apostolus alteram, pro more suo, nimirum salutationem solennem, tanquam faustam salutis imprecationem. Mos enim antiquissimus est & humanissimus, benevolentiæ testandæ & mutuæ comparandæ gratiâ, à salutatione epistolas exordiri.

SALUTATIO autem in sacrarum literarum Epistolis Apostolicis, alia vulgaris est; ut τὸ χαίρειν *gaudere* Metonymicè pro *salvere*; Actor. 15. v. 23. Jac. 1. v. 1. εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν *prosperè agere & valere*, 3 ep. Joh. v. 2. qua de re Luciani disputatio extat Tom. 3. pro lapsu in salutatione.

Peculiaris verò ea est salutatio, quæ Apostolis propria ac familiaris; cujusmodi hæc est: qua indicatur voti subjecta materia & objectum (quod etiam materiæ efficiens) sive quid bonorum & à quo authore voveat ac precetur.

Ac bona sunt *Gratia* & *Pax*. Quæ duo nonnulli per ἓν-διὰ-δυοῖν, & exegesin eodem referunt ac conjungunt, ut sit sensus; *gratuita pax* Alii verò uberiori interpretatione hæc duo disjungunt significatione; ut gratia, gratuitam Dei benevolentiam notet: cujus effectum est Pax. Quæ propriè concordiam notat, sive ea cum Deo sit; sive cum hominibus aliis: aut cum conscientia nostra existat.

Impropriè verò per Synecdochen speciei, pro omnium bonorum genere ac cumulo; quia, *ut nulla salus bello*: ita contra, *pax optima rerum, quas homini novisse datum*: ut Silius Poëta loquitur. Quo sensu solemnis fuit ea Judæorum, Christi & Apostolorum salutandi formula: *Pax vobis*: quo modo etiam hîc usurpari videtur, ita tamen, ut prima ac potissima pacis cum Deo habeatur ratio; ex quo fonte beatitudo reliqua promanat. Hoc interim observandum est, qua lege bona fidelibus promittuntur à Deo; eadem etiam hîc peti à Paulo: gratiam quidem Dei ac salutem absolutè; reliqua verò bona, cum conditione, & quatenus saluti conducunt. Deinde, gratiam & pacem, ut alibi, intelligendam, non principii respectu: ita enim eâ fruebantur: sed prorogationis & incrementi ratione: quemadmodum 1. Pet. 1. & 2. Pet. 1. dicitur, *gratia vobis & pax multiplicetur*: quo etiam sensu multæ promissiones ac vota accipi debent. Hæc bona optata: quæ huic epistolæ, ut & reliquis Apostolicis, accommodatissima sunt: quandoquidem summam & scopum doctrinæ Euangelii complectuntur.

Objectum verò voti & materiæ illius, seu bonorum Efficiens, unde ea precatur Apostolus, est *Deus Pater, & Dominus noster Jesus Christus.* Ille quidem, qui nobis Christum dedit, nosque in gratiam recepit ac pacem donat: Hic verò qui utrumque tanquam causa impulsiva & mediator noster, nobis promeritus est, v. 7.

Atque huic salutationi, *Gratulatio*, quę tertia pręfationis pars est, succedit: qua & fidem Romanorum laudat & amplificat: primùm, ut hoc modo ad officium subdat calcar, ab adjuncta gloria honesta, quod ea fides tam illustris esset, *ut annunciaretur in toto mundo*, hoc est per Metonymiam in totius mundi Ecclesiis: aut per Synecdochen non infrequentem, in bona Orbis parte, ac plurimis Ecclesiis: deinde, ut ad modestiam & gratitudinem erga Deum, exemplo præeat, gratiarum actione, ab authore, *Deo*: quem *suum* vocat, ratione fidei suæ, & ministerii Euangelici, in quo, Spiritu, ipsi serviebat, ut sequentibus exponit. Quod autem addit, *per Christum*, illud referri potest vel ad proximum, quod Deus noster sit, nobis scilicet reconciliatus per Christum: aut ad remotius, *gratias ago*: quod videtur convenientius: quoniam ut bona à Patre per Christum obtinemus: sic per Filium Mediatorem, ad Patrem accedimus, & precatione ac gratiarum actione, sacrificia, per ipsum, 1. Pet. 2. v. 5. Heb. 13. v. 15. 16. offerimus Patri v. 8.

Porro hanc gratulationem, à *significatione desiderii invisendi Romanos* comprobat, quæ quarta ac postrema est pręfationis pars. Hoc autem desiderium primò describit ab effecto, nempe continuis ea de re precibus: quibus, ut in re gravi, juramento addito, majorem fidem facit, vers. 9. & 10. deinceps illustrat à fine utili ac duplici. Proximo quidem, *communicatione doni alicujus spiritualis*, hoc est, doctrinæ (ut postea v. 15.) aut consolationis, vers. 12. Remoto verò, confirmatione Romanorum, vers. 11. Quem finem, modestiæ causâ, & ad desiderii sui exaggerationem, exponit & amplificat à simili utilitate sua, vers. 12. cum ait: *ad communem consolationem percipiendam apud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam*: ut Rom. 15. vers. 32. Deinde per anticipationem quandam, hujus desiderii sui sinceritatem & constantiam probat, ab animi sui proposito frequenti quo eos invisere statuerat. Objici enim poterat: Si tanto desiderio flagrasti, cur nos non invisisti hactenus. Respondet sibi non voluntatem defuisse, sed facultatem: quod impeditus fuerit, Dei providentiâ aliò avocante, Rom. 1. vers. 10. & cap. 15. vers. 22. & 32. Et simul finem desiderii expositum illustrius repetit, nempe fructum suum: quem à simili declarat fructu, inter reliquas gentes, vers. 13. Hoc autem desiderium & studium suum probat, vers. 14. à causa movente, scilicet ab officio suo: quod omnibus hominibus (quos distinguit in Græcos & Barbaros, sapientes & insipientes) sit debitor, ex vocatione Dei, ad Euangelium annuntiandum, ut ante vers. 5. præscripsit. Unde suum studium ad Euangelium Romanis annuntiandum, concludit vers. 15. Et transitionis gratiâ, confirmat, à præclaro animi sui, de Euangelii prædicatione, judicio: quod per μείωσιν, remotione contrarii pudoris indicat; quemadmodum 2. Tim. 1. vers. 8. & 12. ut ostendat se non solùm Euangelium magni æstimare, sed etiam paratum esse, ad illius defensionem, contumelias & crucem sustinere.

Atque hactenus Epistolæ hujus PRÆFATIO, sequitur jam

TRACTATIO, quæ altera Epistolæ pars est, & quidem principalis: quæ accuratam religionis Christianæ institutionem complectitur: utpote quæ non tyronibus, sed in fide jam profectis Romanis, describitur: cujus summa est, *In Christo Jesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem operans*, Galat. 5. vers. 6. Quare tractationis hujus, quemadmodum in reliquis ferè Epistolis Pauli, duæ omninò sunt partes: quarum prior est dogmatica, quæ de fide agit, hinc ad caput usque 12. Altera verò Ethica & Parenætica est, de charitate & operibus fidei, capite 12. & tribus sequentibus. Ac prior agit potissimum de fidei cum effectis instrumentalibus, justificatione ac sanctificatione, in hac vita, & consequente post hanc, glorificatione: hinc usque ad cap. 9. tum de causis superioribus, electione ac vocatione, inde ad cap. 12. Quæ omnia ad doctrinam de justificatione gratuita, per fidem, stabiliendam & illustrandam pertinent.

Cujus Propositio est gemina, si quis accuratè consideret.

Prior est: *omnes homines tam Judæos quam gentiles fide Euangelii servari*; idque descriptione Euangelii denotatur: Quæ est expositio causæ impulsivæ, cur Paulum non pudeat illius: describit enim primò à συναιτίᾳ, seu adjuncta causa principali, cui inservit, (ut 1. Cor. 3. vers. 5. 6. 7. & 9.) videlicet *Dei potentia*. Sic autem Euangelium Metonymicè vocat, ut 1. Cor. 1. vers. 18. quod sit potentiæ Dei sese exerentis instrumentum: deinde ab effecto, salute, seu vita æterna: & subjecto illius, *omni credenti Euangelio*: quem distinguit in Judæum, & gentilem, quem usitatâ Synecdoche (quod Græcâ linguâ, maxima orientis & occidentis pars uteretur) *Græcum* vocat. Qua in re æqualitas est Judæi & gentilis, si exceperis quod initio ordine prius Judæis Euangelium erat annunciandum, donec pertinaciâ suâ essent rejecti, v. 16.

Altera propositio priori ὑπάλληλος ac subjecta est, *quod per fidem justificemur*. Quod effectum Euangelio tribuitur: eoque modo prior propositio confirmatur. Quod enim nos per fidem justificat, illud etiam servat: quia justificatio, salutis est causa impulsiva prima & necessaria. Atqui Euangelium nos per fidem justificat. Ergo servat.

Assumptionem ita enunciat Apostolus. *Justitia enim Dei per illud retegitur, ex fide in fidem*: Quæ sententia, quia phrasis paulò obscurior est, exponi debet.

Justitia autem Dei intelligitur non subjectivè, nec formaliter seu essentialis Dei justitia: ut Andreas Osiander somniavit: (quem solidè cùm alii, tum inprimis, in suis Institutionibus, refellit Calvinus) sed effectivè, donata nimirum Christi mediatoris obedientia, ad mortem usque crucis. Quæ *justitia Dei* appellatur, non quod in Deo, aut Deus sit, sed quod à Deo data sit, Rom. 3. vers. 21. 22. 23. quæque justitiæ humanæ & propriæ, seu nostris operibus acquisitæ opponitur, Rom. 10. vers. 3. 4. Phil. 3. vers. 9.

Hæc autem *justitia* dicitur *Euangelio retegi*: quod accipi potest bifariam: propriè, quod nobis clarè spectandam proponat Dei justitiam, quæ ante occulta fuerat, gentibus quidem absolutè & omninò: Judæis verò partim & comparatè, quod umbris legalibus fuisset quodammodo involuta ac tecta. Secundò impropriè per Metonymiam, ut ex antecedente consequens declaretur, quod non solum ostendat & offerat, sed etiam conferat Dei justitiam: quæ sententia hoc in loco spectari omninò videtur, ut ex scopo & consequentibus colligitur.

Ea autem justitia *retegi* dicitur *ex fide*, id est, per fidem, Rom. 5. vers. 1. & 10. vers. 6. Gal. 3. v. 8. & alibi. Hic enim quasi duplex manus est consideranda: una, qua justitia confertur à Deo, nempe Euangelium: altera, qua accipitur à nobis, nempe fides: quæ etiam Euangelii effectum est, & indies sua habet incrementa, propterea additur, *in fidem*. Similis locutio est Psal 84. vers 8. unde liquet hujus loci esse sententiam, *fide Euangelii, quæ indies augescit, nos justificari*.

Atque hæ sunt propositiones confirmandæ, quibus additur confirmatio, ac primò communis: deinde propria. Prior est, quæ utrique convenit: eaque deprompta est ex authoritate testimonii Habac. cap. 2. vers. 4. *Justus autem ex fide vivet*: quod etiam Gal. 3. vers. 11. & Heb. 10. v. 38. repetitur. Verba autem Prophetæ sunt, וצדיק באמונתו יחיה id est, *Justus in fide sua vivet*: quæ cum orationis Paulinæ stylo consentiunt, nam *ex fide*, & *in fide*, & *per fidem*, ut Synonyma usurpantur. Et pronomen *sua* etsi non sit expressum, hoc in loco, ab Apostolo: tamen ex circumstantiis illius abundè colligitur.

Ad sensum verò quod attinet, summus est utriusque loci consensus. Nam quod objicitur: Prophetam agere, de fide, non promissionis Euangelii, de qua Paulus disserit; sed conservationis & liberationis, à captivitate Babylonica: nec de vita æterna, sed de temporaria tantum; illud, inquam, altera parte admittimus tanquam verum: alterâ parte rejicimus, tanquam à vero alienum: quoniam utrumque Propheta, more Prophetico complectitur: nam in populo Dei, olim promissionis terrenæ, cælestium appendices fuerunt & notæ: & liberationis externæ ac conservationis populi Judaici, fundamentum fuit, promissio venturi Messiæ, propter quem, sicut benedicti fuerunt, Gen. 22. v. 18. ita promissiones factæ & in eo confirmatæ, 2. Cor. 1. v. 20. Ad quam promissionem assurrexerunt fide, eamque spectarunt potissimùm. Nec enim in Prophetiis, id nominatim semper exprimi fuit necesse: quia ex antecedentibus Prophetiis ipsorumque Prophetarum interpretatione, pro ratione illius temporis, & veritatis dispensatione satis erat exploratum.

Hæc de consensu Apostoli & Prophetæ.

Cœterùm duplex potest esse hujus loci constructio, ut voces illæ *ex fide*, referantur ad descriptionem, vel subjecti, vel attributi: utraque pia expositio: sed prior, quemadmodum uberior est, sic etiam magis videtur convenire. Quod autem Hieron. in Comment. ad Gal. cap. 3. hinc colligit, non aliter posse quenquam ad fidem venire & in ea vivere, nisi prius justus fuisset, & puritate vitæ, quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset: illud à re ipsa & fide Christiana alienum est: nam ut demus *ex fide*, ad attributum pertinere: non inde tamen sequeretur, justus vivet per fidem: Ergò justus est ante fidem: imò contrà justus fide suâ quam habet, & qua justus est, eâdem vivet: quia fidei effectum est primum justificatio; deinde per eam justificati vita æterna.

Hæc de v. 17. & confirmatione communi utrique propositioni.

Propria verò est, quæ licet remotè etiam priori, secundæ tamen proximè convenit. Demonstrat enim nos justificari gratiâ Dei, per fidem: argumento ducto, à remotione contrarii immediati, hoc fundamento supposito, justificantur homines, aut justitia Dei per fidem; aut suâ, per opera: Atqui nulli justitiâ suâ, per opera justificantur: Ergo per fidem justitiâ Dei. Quæ propositio postea concluditur, cap. 3. v. 28.

Assumtionis verò loco, confirmationem illius adducit Apostolus, ex qua, suo loco conclusio colligitur. Ea autem est, quod omnes homines, cùm gentiles, tum Judæi sint peccatores: ac propterea, non sua justitia, per opera justificari, inde consequitur. Ac de gentilibus hoc probat à v. 18. ad cap. 2. vers. 17. cum enim peccatum sit ἀνομία, seu legis transgressio, illiusque sint duæ species: impietas in Deum, qua prima legis tabula: & injustitia in homines, qua secunda legis tabula violatur; utrumque iis attribuit & amplificat à communi partim effecto, *Dei ira*, quæ peccati pœna est & simul argumentum: partim ab adjuncta peccati conscientiâ; ad exaggerandam peccati gravitatem, & iræ Dei justitiam comprobandam; quod *veritatem*, id est, semen illud cognitionis Dei & gloriæ ipsi à nobis debitæ, in animis hominum reliquum & creaturarum speculo suscitatum, iniquè opprimant & suffocent v. 18.

Porrò hanc propositam peccatorum descriptionem exponit ac confirmat Apostolus sequentibus. Ac primum de *impietate* agit: cujus ostendit *conscientiam*, *modum*, & *pœnam*.

Conscientiam ex scientia & cognitione Dei evincit, *quod id, quod de Deo cognosci potest, manifestum sit in ipsis*, id est, eorum animis. Cum autem notitia Dei alia sit naturalis, alia supernaturalis: & naturalis rursus aut perfecta: qualis in Adamo ante lapsum; aut imperfecta: qualis in posteris illius post lapsum: de hac demum loquitur Apostolus: eamque probat à causa efficiente Deo, quod hominibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ manifestum fecerit, partim interius residua naturæ luce: partim exterius rerum creatarum speculo, v. 19.

Ut enim cognitio supernaturalis est ex ore Dei & libro Sacræ Scripturæ: ita naturalis ex opere Dei & libro creaturarum; de quibus Psal. 19. & 1. Cor. 1. vers. 21. Ac propterea illud declarat & communit Apostolus, cum ait: *Dei invisibilia ex rebus factis intellecta pervideri*: quod à circumstantia temporis amplificat, addens, à *condito mundo*: & illustrat bifariam: primùm expositione; cum enim non omnia Dei invisibilia, ex rebus creatis pervideantur, quæ revelantur Dei verbo; sed quædam tantummodo: ea explicat, quando subjicit, *æterna ejus potentia & divinitas*: deinde eventu adjuncto: *ut sint ipsi inexcusabiles*: nimirum non solum reipsa, sed etiam specie ac prætextu; non solum ratione purgationis criminis, quâ carent: sed etiam ratione diminutionis illius, Luc. 12. vers. 47. 48. sic enim κατ' ἐξοχὴν, comparatè cum ignorantibus Apostolus intelligit. Quo etiam modo, Christus, Judæos, peccato (nempe tanto) carituros fuisse ait, Joh. 9. v 41. Nam quamvis deesset illa per creaturas doctrina, homines tamen non haberent, quod justè ignorantiæ suæ prætenderent: cum illius ipsimet suo merito, in Adamo, sint authores; sed jam antecedente illâ doctrinâ, tollitur non solum culpæ purgatio, per justam negationem: sed etiam diminutio & purgationis species, v. 20. Idque probat Apostolus ab *impietatis modo*, quem describit per aphæresin & thesin: seu remotione officii pietatis & positione contrarii. Aphæresis illis derogat glorificationem, seu cultum Dei & gratiarum actionem, thesis verò contrariam attribuit gloriæ violationem, per idololatriam.

Cujus primùm causam & originem discribit, nempe rationis humanæ vanitatem, qua lucem agnitionis veritatis obscurarunt, vers. 21. & stultam arrogantiam, in sapientiæ ipsorum prædicatione, cum se σοφοὺς, id est, sapientes appellarunt, vers. 22.

Deinde describit idololatriæ formam atque indignitatem summam: quod imagines efformârint: non solùm hominum; sed etiam volucrium & quadrupedum, & reptilium: & in eas, quantum in ipsis quidem fuit, Dei gloriam mutarint: ut partim, simili ratione, Deus Psal. 106. v. 21.

Israe-

Israelitis exprobrat: cujus rei indignitas indicatur amplius, partim creaturarum vilitate, partim oppositione corruptionis earum & incorruptionis Dei, vers. 23. Qua de re inter cœteros consulendi sunt inprimis Arnobius, Lactantius & Augustinus de civitate Dei.

Hanc impietatem & idololatriam amplificat ob effecto, *pœna promerita*, nimirum consequentibus peccatis, justo Dei judicio. Atque ita commodè transit ab impietate ad injustitiam gentium, quam inductione promiscua probat. Ac primum à nefandis & naturæ (adeoque & conscientiæ) adversis libidinibus: quæ proponuntur generatim & exponuntur speciatim; quòd libidinum *impuritate corpora sua inter se dedecorarint*. Quæ uti geminam habet rationem, nimirum & culpæ & pœnæ; sic etiam causam geminam. Nam quatenus culpa fuit, causa statuuntur *cupiditates cordium*; quatenus verò pœna fuit, causa est justa Dei *traditio*, per quam cupiditatibus mancipati sunt. Quamvis enim homines omnium libidinum & vitiorum fontes atque cupiditates habeant in se & ex sese, Satanamque tentationum flabello irritanten: Deus tamen, ad generis humani conservationem, in hominibus, diversis gradibus providentiæ & Spiritus sui fræno & donorum occasionumque variarum collatione cupiditates illas reprimit ac coërcet: contraque cum Deum impietatis dedecore ingratè & indignè offendunt, tum ille tanquam justus judex, dona sua aufert, occasiones mutat, & fræna Satanæ & cupiditatibus hominum, laxando, pro judicii sui justi & sapientis mensura, homines iisdem, tanquam carnificibus & iræ suæ instrumentis puniendos tradit; ut qui dedecore Deum affecerunt, ipsimet torti & tortores sese dedecorarent. Sic enim vertere malim vocem ἀτιμάζεσθαι, ut antithesis servetur clarius, ex aurea illa sententia, quæ de talionis hujusmodi lege generali extat, 1. Sam. 2. v. 30. *honorantes me honorabo: dedecorantes me, dedecorabo*. Hæc de v. 24.

Cujus pœnæ justitiam, causæ redditione, à peccati impietatis & meriti illius gravitate ostendit. Nam idololatriam amplificat, additione gradus alterius: cum enim antea efformationem idoli ad Dei dedecus, gentilibus attribuerit: jam cultum iis etiam ascribit, & quidem *supra Deum*, *aut præterito Deo*: cujus Majestatem, ad amplificationem sceleris, describit ab effecto creationis, & gloria, quæ ei inde in secula debetur, Esai 42. vers. 8. Quemadmodum sæpius in Prophetis, eo nomine, se colendum & è contrario idola omninò exterminanda esse, asserit, ut Jerem. 10. v. 10. 11. 12. Esai. 40. v. 22.

Atque hæc quidem de v. 25. & nefandarum libidinum generali descriptione & causa earum: quibus specialis deinde succedit, pro sexus diversitate, descriptio.

Nam primum mutuæ fœminarum v. 25.

Deinde virorum naturæ repugnantes libidines indicantur, & effectum eorum, nempe pœna & *compensatio erroris* atque idololatriæ, v. 27.

Atque hæc de injustitia in proximum adversus legem castitatis naturæ, quæ præcepto septimo præscribitur. Sequuntur jam reliqua genera, quæ primùm ab eadem causa efficiente, nempe contemptu Dei, & adjuncto, justo illius judicio, describit: quod videlicet *sicut non est visum eis Deum in notitia retinere*, id est, acceptam divinitus Dei notitiam fovere, Deumque habere sibi ob oculos mentis propositum, ad idololatriam & alia scelera fugienda: ita & Deus tanquam justus mundi judex, notitiam sui auferendo, *eos tradiderit in mentem improbam, ac judicii omnis expertem*: unde sequutum, ut innata improbitate, & usu vitiorum confirmata, *ea facerent, quæ minimè conveniebant*, v. 28.

Quænam autem ea sint, demonstrat primùm, generali *injustitiæ* nomine, quo quævis secundæ tabulæ violatio intelligitur. Deinde copiosa & miscellanea specialium vitiorum enumeratione exprimit: quæ ut faciliora sunt, & in Ethica præcepta impingunt, paucis perstringemus.

Primum est *scortatio*, qua Synecdochicè adulterium etiam includitur. Alterum, est *improbitas*, seu alteri malefaciendi studium. Tertium *avaritia*, immodica scilicet opes habendi cupiditas seu aviditas. Quartum est *κακία*, id est, *malitia*: quæ vox sumitur aut generatim pro vitio quovis, aut speciatim: idque vel ut ignaviam in bono; vel afflictionem, quæ proximo infertur, hoc est, noxam; vel denique vindictæ cupiditatem designet: quo sensu, distinctè, non malè, à nonnullis, hoc loco accipitur. Quintum vitium est *invidia*, odium nimirum felicitatis alterius.

Sextum est (quod ex hoc, ut etiam ex sequentibus, sæpe oritur) *cædes*. Septimum, *contentio* seu lis injusta. Octavum, *dolus* seu fraus, veritati, ac sinceritati repugnans. Nonum est *malignitas*, seu morum improbitas, quâ omnia in deteriorem partem rapiunt atque interpretantur: quæ candori & æquitati repugnat, vers. 29.

Decimum & undecimum est, quod sint *susurrones*, qui clam; & *obloquutores*, qui palam famam alterius traducunt ac lædunt. Quibus etiam additur θεοστυγεῖς: quæ vox accipi potest bifariam: primum passivè, ut *Deo exosos* significet; deinde activè, ut *Dei osores* designet. Ac priorem quidem interpretationem amplexus est verus ac vulgatus interpres, nec ut videtur (si vocis, qua utitur, inconcinnitatem prætereamus) ineptè: nam positio accentus in ultima hoc probat: alioqui scribendum potius (ut noster interpres Beza conjicit) θεοστύγεις. Deinde quia hic recensetur catalogus vitiorum tantùm adversus secundam tabulam, ut antea adversus primam: at Dei osorem esse, pertinet ad primam; ideoque esset importunum. Nec tamen in hoc vitiorum catalogo, ea vox, priori modo, cum pœnam notat, malè inferitur: quia cum calumniarum nimirum & convitiorum vitium levius & quasi nihili æstimetur vulgò: proposita pœna, nempe Dei ira, impunitatis opinionem tollit, & gravitatem mali demonstrat: cujusmodi admonitiones necessariæ, ut Ephes. 5. vers. 6. Si cui tamen placet interpretari activè *Dei osores*, poterit dicere, eodem pertinere: quod nimirum declaretur antecedentium peccatorum gravitas: & agatur de odio Dei non immediato, quod prima: sed mediato, quod secunda tabula prohibetur.

Nam ut susurrones & obtrectatores Deo sunt exosi: sic etiam Deum in proximo, quem contra mandatum Dei lædunt, oderunt.

Duodecimum vitium est quod sint *contumeliosi* seu *injurii*.

Decimum tertium est *superbia*, indigna animi atque iniqua supra proximum elatio. Decimum quartum indicat, cum eos vocat *gloriosos*, qui fucato mendacio sese Thrasonis instar jactitant. Decimum quintum, quod repertis sceleribus non contenti novas perfidè vivendi & nocendi rationes excogitant. Decimum sextum, quod *parentibus immorigeri*, v. 30. Decimum septimum est *inscitia* aut *insipientia*, quæ (ut videtur, & loci hujus ratio suadet, in quo de vitiis secundæ tabulæ agitur) κατ' ἐξοχὴν, affectatam proximi, & officii, erga eundem, ignorantiam hic significat; quæ secundæ tabulæ, de qua agitur, repugnat: quemadmodum ignorantia Dei & officii erga Deum, primæ tabulæ adversatur. Decimum octavum vitium est, quod sint *fœdifragi*, pacta & conventa violent. Decimum nonum, quod sint ἄστοργοι charitatis naturalis, erga sanguine junctos, expertes. Vicesimum quod *implacabiles*. Postremum vitium est, quod *immisericordes*, v. 31.

Ex quibus, gentes, satis superque injustitiæ in proximum convincuntur. Quam injustitiam Apostolus à singulari impudentia in sceleribus, non solum perpetrandis, sed etiam contra justi Dei judicii conscientiam in aliis approbandis amplificat. Ex quo apparet, gentes non solum veritatem ratione primæ tabulæ, sed etiam ratione secundæ, ut antea vers. 18. propositum est, injustè detinuisse, vers. 32.

CONSECTARIA.

I. QUum hæc epistola sit Apostoli Christi: tanquam Christi verbum in pretio habenda est: ut etiam 2. Cor. 5. vers. 20. liquet.

II. Ad ministerium Ecclesiæ requiritur legitima vocatio, Pauli exemplo: ut etiam Rom. 10. vers. 15. & Heb. 5. vers. 4.

III. Euangelium nec humana doctrina est, nec nova: ac propte-

propterea sine sacrilegio nihil in eo mutari potest; ut etiam Galat. 1. v. 8.

IV. Idem Deus author est Veteris & Novi Testamenti contra Manichæos & Marcionem: unde etiam Sacræ Scripturæ nominantur, v. 1. & 2.

V. Quum Christus sit Filius Dei, nempe proprius; ut Rom. 8. & unigenitus, Joh. 1. Spiritusque sui potentia resurrexerit à mortuis: pro imperio Apostolos mittat: noster sit Dominus: cui obediendum est fide: quique gratiam & fidem donat: sequitur hisce sex argumentis, verum esse Deum: contra Arrium, qui primam creaturam esse, per quam Deus deinde reliquas condiderit, docuit: & Samosatenum, qui meram creaturam statuit, nec ante extitisse quam conceptus esset ac natus, v. 3. ad 8.

VI. Cum Filius Dei factus sit ex semine Davidis secundùm carnem: ut etiam Actor. 2. v. 30. & Rom. 9. v. 5. & 2. Tim. 2. v. 8. sequitur esse verum hominem, nec carnem è cœlo detulisse; contra Marcionem & Anabaptistas. Qua de re consulendus Tertull. de carne Christi: & Basilius Magnus de Spiritu Sancto, cap. 5.

VII. Hinc etiam liquet, Mariam, Christi matrem, esse Deiparam, contra Nestorium. Videatur Cyrillus, de recta fide ad Reginas.

VIII. Vocatio & Sanctificatio fidelium sunt gratuitæ, vers. 5.

IX. Fides est Dei donum, v. 5. 6. 7.

X. Fidelium est, confessione fidei & vitâ Christianâ, fidem coram hominibus testari, v. 5. & 8. simile est Jacob. 2. vers. 18.

XI. Charitatis Christianæ est, non solum sibi, sed aliis etiam benè precari: nec propriis tantum gaudere bonis, sed etiam proximo ea gratulari, Deoque gratias agere, vers. 7. & 8.

XII. Quum legitima juramenta, ad sapientiæ, veritatis, justitiæ & omnipotentiæ Dei gloriam: & ad controversias dirimendas: fidemque ac pacem inter homines colendam pertineant, Heb. 6. v. 16. deinde cum & à Christo adjurato, Matth. 26. v. 63. 64. & ab Apostolis Spiritus Dei instinctu loquentibus, 2. Cor. 1. v. 23. Phil. 1. v. 8. & à sanctis Angelis, Apoc. 10. vers. 6. usurpata sint: sequitur Christum, Matt. 5. & Jacobum cap. 5. non omnia (quia Scriptura sibi contradicere non potest) sed illegitima tantum juramenta prohibuisse.

XIII. Deo serviendum est ex animo & sincerè, vers. 9. ut Joh. 4. v. 23.

XIV. Deus omnia & singula dirigit: Quare in vita nostra, & actionibus ac consiliis, ab illius providentia pendere nos decet, Jacob. 4. v. 13.

XV. Preces piorum providentiæ Dei non repugnant: sed inserviunt: ut etiam Gen. 20. v. 7.

XVI. Eas autem oportet non ad creaturas, sed ad Deum dirigi & esse continuas, v. 10. & 12. ut etiam Ps. 50. v. 16. Luc. 18. v. 1. 1. Thess. 5. v. 17.

XVII. Ministrorum Euangelii studium esse debet, non ut aliis præsint; sed ut prosint pro virili, 2. Cor. 12. v. 14.

XVIII. Non minus laborandum est de confirmandis, atque de constituendis Ecclesiis.

XIX. Cum ministerio verbi spiritualia dona conferantur, fides generetur ac foveatur; sequitur contra Libertinorum contemptum, illud in maximo pretio habendum esse, 1. Cor. 3. v. 5. & 9.

XX. Ut in aliis, sic in Ecclesiæ constitutione, vox viva magis afficit, quam scripta. *Habet enim* (inquit Hieron. in Epist. ad Paulinum) *nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox, & in discipuli aures, de authoris ore transfusa, fortius sonat*, v. 11.

XXI. Nemo adeò excellit donis, quin ab inferioribus etiam aliquid percipere possit adjumenti: quamobrem exemplo Pauli, modestè de nobis: de aliis verò honestè sentiendum ac loquendum, vers. 12.

XXII. Ecclesiæ officium est, ut pastorum diligentiam, obedientia fidei & vitæ Christianæ recreent, v. 12.

XXIII. Verissimum proverbium est; homo proponit, Deus disponit.

XXIV. Veri pastoris est, non opes nec honores, sed fidem auditorum, ejusque incrementum, præcipuum laboris sui fructum judicare, v. 13.

XXV. Officii nostri memores esse nos decet, & pro illius ratione, vitam pro viribus instituere.

XXVI. Ab auditione Euangelii nec sapientia quenquam eximit; nec imperitia excusat, v. 14.

XXVII. Cum Euangelium sit potentia Dei ad salutem, non immeritò cœteris doctrinis, adeoque & legi præfertur: & Spiritus ac justitiæ ministerium dicitur, 2. Corinth. 3. vers. 8. 9.

XXVIII. Quare ministrorum verbi officium est, nec pudere ipsos Euangelii, nec in eo docendo segnescere: omnium verò honorare.

XXIX. Honor autem hic constat non in sola auditione; sed etiam in fidei obedientia & propagatione illius, v. 16.

XXX. Justitia Christi Dei donum est, quod nobis gratuitò confertur: & quidem naturâ ignotum.

XXXI. Non solum initium, sed etiam progressus justificationis contingit fide: contra Pontificios, v. 17.

XXXII. Ut Deo placeamus, pietati & justitiæ studendum est.

XXXIII. Calamitatum fons est peccatum.

XXXIV. Cognitio Dei & officii nostri erga Deum, peccatum aggravat, ut Luc. 12. v. 47.

XXXV. Idcirco parendum est cognitæ veritati, v. 18.

XXXVI. Res creatæ sunt naturæ divinæ speculum: qua in re Physices utilitas apparet.

XXXVII. Cognitio Dei naturalis, quæ ex rerum creatarum contemplatione comparatur, sceleribus ignorantiæ prætextum eripere potest, v. 20. Sola verò supernaturalis, quæ ex revelatione Euangelii oritur, servare potest, vers. 16.

XXXVIII. Dei cognitio ad illius gloriam & gratitudinem servire debet.

XXXIX. Gloria autem Dei in eo sita est, non ut eum pro arbitrio colamus: sed convenienter naturæ & majestati illius.

XL. Nihil idololatriâ vanius, nihil indignius, v. 21. 22.

XLI. Dei similitudo nulla fingenda, nulla pingenda, multò minus colenda: Ideoque rejiciendi Pontificii, qui imagines *laicorum libros* appellant, vers. 23. Deut. 4. v. 15. & Esai. 40. vers. 18.

XLII. Idololatria omnium flagitiorum ac scelerum origo est.

XLIII. *Omne peccatum (quod tamen citius pœnitentia non tegitur) aut peccatum est & causa peccati: aut peccatum & pœna peccati*: quemadmodum ait Gregorius Magnus in Jobum cap. 5.

XLIV. Deus non est author peccati: sed ultor ac vindex: dum non debitam gratiam ab hominibus contemptam, justè subtrahendo, & cupiditatibus humanis Satanæque furori habenas laxando, peccata hominum erumpere sinit, ac priora peccata punit, vers. 24.

XLV. Peccati stipendium mors est.

XLVI. Summus autem peccati gradus est, scelera perpetrantibus applaudere.

CAP. II.

Primo capite demonstravit Apostolus, omnes gentiles esse peccatores. Verùm cum eorum alii sint apertè & impudenter injusti, Rom. 1. v. 32. alii opertè, suâque opinione & specie quadam justi, nempe hypocritæ: hosce non minus, quàm illos (ut propositam accusationem illustret & amplificet) peccati convincit, anticipatione duplici. Quarum prior continetur, vers. 1. 2. & 3. ejusque objectio, ex cap. 1. v. 32. orta, est hujusmodi.

Non applaudo sceleratis, sed eorum scelera damno.
Ergo ego innocens sum & excusabilis,

Respondet Apostolus non sequi: sed contra eò magis inexcusabilis es & αὐτοκατάκριτος: quia quæ damnas committis eadem, nempe genere aut specie: exterius palàm aut clanculum, aut saltem interno animi motu, v. 1.

Hoc autem probat à principio naturali, seu à communi notitia, & quidem Syllogismo integro: Qui talia agunt, judi-

judicium Dei non effugient, v. 2. Tu hypocrita, qui damnas eos, qui talia agunt, eadem facis, v. 3. Ergo judicium Dei non effugies, ibidem.

Quo in loco observandum est simul argumentum à minori: Tu damnas alios: ergo tu magis damnandus à Deo, utpote qui majori cum notitiâ peccasti.

Anticipationis secundæ objectio est ex c. 1. v. 18. Deus me non punit ut reliquos: sed contrà multis afficit beneficiis. Ergo innocens sum & à judicio Dei liber. Respondet Apostolus, non sequi: primùm quoniam beneficiorum & impunitatis causa est, non innocentia tua: sed copiosa Dei benignitas & tolerantia ad resipiscentiam invitans, v. 4.

Deinde impunitas ista non erit perpetua: sed tandem extremo die, quo justum & universale suum judicium exercebit Deus, gravitate supplicii tarditatem compensabit, vers. 5.

Porrò justitiam judicii illius accommodata expolitione definit generatim: *quia reddet unicuique secundum ipsius opera:* Non quod bona opera nostra salutem promereantur: quemadmodum vulgò omnes Pontificii malè colligunt: nam vox κατ, *secundùm*, hoc in loco non causam & meritum, sed ordinem & consequentiam ostendit: seu quosnam, non quare Deus servet, ut scopus & contradictio Apostoli, cap. 3. v. 20. & totius epistolæ ratio luculenter evincunt. Hinc præclarè, ut multa, Bernhardus: *bona opera*, ait, *esse non causam regnandi: sed viam regni.* Ac quamvis mala opera sint non solùm via, sed etiam causa & meritum damnationis, hoc tamen hac voce κατ, id est, secundum, non indicatur hac sententiâ; sed prius tantum. Atque ita tandem communis ratio est, bonorum & malorum operum, quod iis convenienter reddatur, nempe malis culpæ, malum exitii ac pœnæ æternæ: contraque bonis, id est, virtutis operibus, bona vitæ æternæ: utrumque secundum comminationem & promissionem Dei. Neque sequitur mala opera merentur mortem: Ergo bona nostra opera merentur salutem: quoniam opera mala sunt per se mala, ideoque per se mortem merentur, ex sententia legis, Deuteron. 27. v. 27. Sed bona nostra opera imperfecta sunt quantitate & qualitate: seu numero, Jacob. 3. vers. 2. & mali contagio, Galat. 5. v. 17. Ideoque absolutè & per se considerando, bona nostra opera mala sunt, ob defectum, & secundùm rigorem legis, quæ omnium præceptorum, ex toto animo, ex omnibus viribus & perpetuam obedientiam flagitat: sed bona dicuntur, & sunt secundùm quid, ratione operationis divinæ, & per accidens gratiæ Christi tegentis defectus nostros, cum in numero bonorum operum, tum etiam in gradu, Hebr. 13. vers. 21. & 1. Pet. 2. vers. 5. & Exod. 28. vers. 39. typo sacerdotis summi sanctificantis oblationes Israëlitarum. Ex quibus locis deprompta est illa Augustini trita sententia, quâ ait: *Deum coronare in nobis, non merita nostra; sed opera sua.* Hæc de vers. 6.

Deinde definitionem hanc addita distributione subjecti speciatim illustrat. Ac primùm ratione qualitatis, agit de judicio erga justos, v. 7.

Secundò de judicio adversus impios, vers. 8.

Quæ duo per regressionem amplificantur prolepticè à partitione subjecti, nempe nationis, ne quis sese eximat, vers. 9. & 10.

Idque confirmatur à natura Dei ἀπροσωποληπτῳ, v. 11. ac declaratur v. 12.

Denique amplificatur objectionis anticipatione duplici: Quarum prima contrà Judæos, qui legis cognitione gloriabantur, eaque sese à judicio Dei tutos esse opinabantur, & lege justificandos: contra quos Apostolus ait, *non auditores legis, sed factores justificandos:* id quod non absolutè intelligendum est: nam ex lege nemo justificatur, c. 3. v. 20. sed ex hypothesi; si quis inde justificandus sit: quemadmodum Christus etiam respondet, Matth. 19. v. 17. nam justificatio una est ex lege, quæ propriâ & à se servatâ nititur justitiâ, quâ quum omnes careamus, nemo hanc justificationem consequitur præter Christum. Altera est ex Euangelio, qua per fidem, Christi justitiâ, justi judicamur, vers. 13.

Secunda contra gentiles occupatio est, qui legis ignorantiam prætendere potuissent. Docet enim quamvis legem Mosis non habuerint, habere tamen legem naturæ. Id quod ab effectis demonstrat, nimirum quod illius ductu, *ea quæ legis sunt, faciunt.* Quod indefinitè dicitur, & de multis intelligendum: qui ea faciunt; exterius, leges honestas præscribendo ac servando, v. 14. interius, conscientiæ testimonio omnes sese excusando aut accusando, v. 15.

Id quod est instar præjudicii, ad diem judicii, v. 16.

Nam ἐν ἡμέρᾳ pro εἰς ἡμέραν, satis usitata permutatione, positum esse, res ipsa ostendit.

Atque hoc modo hactenus probavit Apostolus, omnes gentiles esse peccatores, damnationi obnoxios.

Deinceps verò idem de Judæis speciatim demonstrat, ab hoc loco, ad capitis 3. versum 25. Ac primum ratione & testimonio divino. Illa continetur à vers. 17. ad 24.

Et quidem primò per apostrophen atque concessionem quandam amplificatur, prudentissimè. Ea enim quibus gloriabantur Iudæi, ac sese gentilibus præferebant, in contrarium retorquet: nam privilegia Judæorum recenset; ac deinde abusum illorum, summamque in Deum ingratudinem reprehendit atque exaggerat.

Privilegia autem proponuntur quatuor. Primum gentis, quod essent Judæi, ex posteris Abrahami, & tribu primaria Judæ. Alterum religionis, quod haberent & profiterentur legem. Tertium est fœderis cum Deo & electionis in populum illius, vers. 17. Quartum institutionis & scientiæ legis, vers. 18. Quam amplificat ab adjuncta ingrataque arrogantia & effectis erga proselytos ac similes, v. 19. & 20.

Reprehensio verò Iudæos esse legis transgressores, & in Deum (à quo, sine suo merito, privilegiis illis donati erant) injurios arguit, primum generatim, initio vers. 21. deinde speciatim inductione transgressionum: exempli causa, furti v. 21. in fine, & adulterii atque sacrilegii, vers. 22.

Quam inductionem Synonyma generis repetitione abrumpit ac concludit, addita illustratione, ab effectis illius, contumelia in Deum, seu dedecoratione Dei, vers. 23.

Quam reprehensionem totam ἠθικῶς & majoris ponderis gratiâ, versibus 21. 22. & 23. interrogatione continua amplificat, dum ad conscientiæ ipsorum testimonium provocat.

Porro dedecorationem Dei probat ab effecto illius, blasphemiâ inter gentes, inde orta: ad quod adducit testimonium divinum ex Ezech. 36. vers. 23. petitum, vers. 24. Quo loco Propheta futuram Iudæorum temporibus Messiæ exhibiti conditionem, prænunciat ac perstringit.

Cœterum hæc omnia illustrantur anticipatione, qua objectioni occurrit. Objectio est: Circumcisio non est inutilis: cum sit signum fœderis, & cultus divinitus institutus. Ergò Iudæi non sunt gentilibus incircumcisis, ratione peccati & damnationis, pares.

Verùm respondet Apostolus ad antecedens: Circumcisionem (nempe acceptam ante Christum, qualis Iudæorum erat, contra quos disputatur) non esse inutilem, modo servetur institutio divina: nempe si præstetur lex: sin secus, parem esse præputio & incircumcisioni, vers. 25.

Id quod amplificatur comparatione majoris, imò gentiles incircumcisos, si legem pro virili servarint, Iudæis circumcisis legisque violatoribus præferendos, v. 26. & 27.

Quæ omnia confirmantur definitione Deo accepti Iudæi & circumcisionis illi gratæ: per aphæresin vers. 28. & thesin, vers. 29. Qua ratione, Iudæi & Gentilis discrimen, quod antea viguit, tollitur in Christo.

CONSECTARIA.

I. EA est hominum φιλαυτία, ut peccata sua plerumque excusare studeant (ut Gen. 3. v. 21.) & superbia, ut alios superciliosè damnent, ut Luc. 18. vers. 11.

II. Multi, dum aliorum peccata, sui obliti, severius accusant, seipsos imprudentes condemnant: ut David, 1. Reg. 11. v. 7.

III. Quamobrem in aliorum peccatis judicandis, opus est moderatione & innocentia.

IV. Siquidem (ut Galat. 6. v. 4. & 5.) non accusatione pec-

ne peccatorum sola: sed peccati fuga Deo probamur, vers. 1.

V. Ut judicium Dei effugiamus, fugienda sunt prius peccata, v. 3.

VI. Deum esse justum peccatorum judicem, omnibus notum esse debet.

VII. Improborum impunitas ac felicitas temporaria, nec justitiæ eorum, nec injustitiæ divinæ indicia sunt: sed contrà benignitatis & tolerantiæ Dei, ad resipiscentiam invitantis, & nisi resipuerint seriò, majoris tandem supplicii sequuturi argumenta, vers. 4. Similia loca extant Malach. 3. v. 14. & 4. v. 1. Psalm. 73. vers. 17.

VIII. Quocirca non est causa justa, quamobrem felicitati improborum hominum (sortis nostræ tædio) invideamus: aut Dei judicium immaturius illis imprecemur, Psal. 37. vers. 1.

IX. Dei tolerantiâ nemo perpetuò impunè abutitur: ac propterea peccandi consuetudo, seriâ & maturâ resipiscentiâ præcidenda est vers. 5.

X. In bonorum operum cursu (ut 1. Cor. 9. v. 24.) non solum initium: sed etiam perseverantia ad finem postulatur, vers. 7.

XI. Magnum Dei beneficium est, ex piis majoribus in Ecclesia Dei esse ortum, & verbi illius habere notitiam.

XII. Piorum parentum officium est, à teneris unguiculis suos liberos, ex Dei verbo instituere: omnium verò ejus cognitioni dare operam, v. 18.

XIII. Usus & laus scientiæ Verbi Divini, non sola contemplatione; sed etiam, ac potissimum in actione consistit.

XIV. Actio autem ea requiritur, ut primum nos ipsos ad verbi divini præscriptum componamus: deinde verò ut aberrantes, pro muneris ratione, in viam revocare ac reducere studeamus.

XV. Nihil indignius est, quàm ea securè admittere crimina, quæ quis in alio reprehendit, justitiæ suæ fiducia; nihil tamen frequentius, vers. 21.

XVI. Summus honor Dei, est observantia præceptorum illius: eorum verò neglectus, summum dedecus.

XVII. Sedulo cavendum est, ne peccatis nostris blasphemiæ occasionem præbeamus. Contrà verò laborandum est, ut pietate nostra, ad Deum laudandum & colendum alios provocemus, vers. 24.

XVIII. Multi neglectâ pietate, de externo Dei cultu præposterè gloriantur.

XIX. Sacramenta gratiæ, in legitimo usu, seu fide & resipiscentia præditis efficacia sunt: extra illum usum, Sacramenta planè non sunt: sed potius condemnationis majoris instrumenta. Ac propterea Pontificiorum, de opere operato, opinio, penitus corruit.

XX. Exterior religionis professio sine regeneratione, nullius est momenti. Ac propterea interior Dei cultus exteriori conjungendus, ac meritò præferendus, v. 25.

XXI. Deo probari (qui nec fallere potest, nec falli) vera & summa laus est: cujus avidi esse debemus. Laus verò quæ ab hominibus proficiscitur, fallax est: ac propterea per se ambienda absolutè non est: nec eâ nitendum, v. 29. & 2. Cor. 10. v. 18.

CAP. III.

Postquam Judæos, peccatorum, & meritorum ratione, Gentilibus similes ostendit Apostolus: idem hoc c. 3. anticipatione nova, suisque partibus explicata illustrat: constat enim expressâ objectione absurdi, & subjectione responsionis.

Objectio autem ex superioribus orta, hujusmodi est:

Si Judæi circumcisi, & gentiles incircumcisi similiter sunt peccatores, & iræ Dei obnoxii, consequitur, Judæos nullâ ratione præstare gentilibus: nec ullam circumcisionis esse utilitatem. Quod absurdum esse, interrogationis formula indicatur, v. 1.

Subjectio responsionis est bimembris, pro relatione duplici: nam ut præstantia Judæi considerari potest, aut ratione gratiæ divinitùs collatæ, ac bonorum acceptorum: aut ratione relatæ gratiæ & justitiæ: ita prima responsionis parte, consequentiam negat, per contradictionem, v. 2. Imò multis nominibus nihilominus præstant Judæi: nempe ratione bonorum acceptorum à Deo: quod exemplo confirmatur illustri ac præcipuò; quod eorum fidei Deus sua oracula crediderit, hoc est, tabulas fœderis, legem ac promissiones: cùm olim, per Mosis & Prophetarum scripturas, præteritis gentilibus: tum primo loco, tempore Christi: ut sequentia loca demonstrant, Deut. 4. vers. 8. Psal. 147. vers. 20. Rom. 9. vers. 4. 5. Actor. 14. v. 16. & 13. v. 26. & 46. Rom. 1. vers. 16.

Quæ responsio solutione alterius nodi ac exceptionis confirmatur. At verò Judæi quidam increduli fuerunt. Ergo Judæis verbum Dei non prodest: ut Hebr. 4. vers. 2. Negat autem Apostolus consequentiam: quia etsi quidam fuerunt increduli; utile tamen est Dei verbum Judæis aliis: quod à fide & promissione Dei demonstrat, quæ alioqui redderetur inanis, v. 3.

Cum autem promissio alia sit conditionalis, cujus complementum pendet ab hominum obedientia in conditione præstanda: alia absoluta: prior quodammodo inanis reddi potest, non quidem Dei promittentis; sed hominum, conditionem violantium vitio: posterior verò non potest: siquidem solo Dei beneplacito & decreto immutabili innititur: cujusmodi hæc promissio de qua agitur, Rom. 11. v. 1. Quamobrem fieri non posse, ut inanis ea reddatur, asserit Apostolus, detestationis quadam formulâ, *Absit*. Quod probatur ab attributo Dei, qui verax est: non autem hominum instar, qui natura ad mendacium proclives, Psal. 116. vers. 11. Idque illustrat ex testimonio Davidis, Psal. 51. v. 6. ab eventu, nempe veritatis Dei adversus homines infidos, atque injustos patefactione, v. 4.

Porrò ut impudentem quorundam Judæorum, Euangelio & Paulo reluctantium, calumniam anticiparet ac refelleret, digressionem interserit: qua ut calumniam opponit; ita confutationem illius reponit, & objecta diluit. Calumniæ objectio occasionem arripit ex testimonio Davidis hoc modo: Si injustitia nostra Dei justitiam ac veritatem, in promissione servanda, commendat: Ergo injustus est Deus, qui nos punit. Quod quia objicit Apostolus, non ex spiritus & animi sui judicio, sed ex communi hominum adversariorum sententia, idcirco subjicit *humano more loquor*, vers. 5.

Responsio verò est, vers. 6. Negatio videlicet consequentiæ, per detestationem: quam probat ab effecto Dei proprio, mundi judicio, nempe justo.

Cum autem judicium Dei aliud sit universale, quod ultimo die: aliud particulare, quod quotidie exercet, Genes. 18. vers. 28. generatim utrumque hoc in loco intelligitur.

Ut autem clarior sit solutio, dicendum est, fallaciam esse à non causa, ut causa: non enim injustitia hominum, causa efficiens est commendationis justitiæ Dei, aut illustrationis illius: sed tantum accidens & occasio: quam Deus clementer ac sapienter regit, ad suam gloriam: quod Dei regimen hujus gloriæ causa est.

Quoniam verò hæc doctrina magni momenti est, & calumnia valde noxia; idcirco objectio repetitur, & cum incremento exponitur: Si veritas Dei nostro mendacio illustratur, non sumus nos (cum aliis, qui gloriam Dei obscurant) propter peccata puniendi v. 7. Imò contrà, facienda sunt mala, ut eveniant bona. Superiori responsioni acquiescens Apostolus conclusionis objectæ dogma falsò sibi attribui attestatur: & indignitate rei motus, damnationem justam hujusmodi hominibus denuntiat, v. 8.

Atque ita digressione absoluta, ad propositum regressionem adjungit, quæ alteram responsionis partem complectitur; repetita, ad rei intelligentiam ampliorem, objectione, per quæstionem, qua responsionis asperitatem mitigat communicatione, qua sese reliquis Judęis annumerat. Quęstio est. *Quid igitur? an præcellimus?* Responsio negat Judæos præstare gentilibus, nempe justitia & meritis: idque declarat & confirmat ex antecedente disputatione, qua arguit

guit & convicit omnes, cùm gentiles, tum Judæos, eſſe peccatores. Ex qua ſententia perſpicuè elucet, quænam ſit primaria antecedentium concluſio, & ſcopus, ad quem pertinent v. 9.

Atque hoc porrò, inductione quadam ſex teſtimoniorum Sacræ Scripturæ, demonſtrat à verſ. 10. ad 19. quæ omnia è Pſalmis petita ſunt, nim. 53. 5. 140. 10. 36. excepto penultimo, quod ex Eſa. 59. adducitur; quibus locis conjunctis demonſtratur, omnes homines eſſe peccatores.

Primùm universè v. 10. deinde particulatim, partium inductione, per aphæreſin & theſin: nam per aphæreſin, primum virtutes internas animi iis derogat: ſecundo corporis. Animi quidem; cum ratione mentis, quod *non ſit, qui intelligat Deum*, hoc eſt rectè agnoſcat; tum ratione cordis & voluntatis, quod *non ſit, qui exquirat Deum*, v. 11.

Corporis verò, quod *omnes deflexerunt*, nempe à recta verbi divini via, omneſque *inutiles*, cùm Deo, tum proximo facti ſunt: quæ inductio, univerſalis ſententiæ repetitione concluditur, quod *non ſit, qui faciat bonum, ne quidem ad unum*: id eſt, nullus omnino. v. 12.

Deinde per theſin, externa hominum peccata inductione alterâ deſcribuntur: quæ ut partim ſermone, partim opere perpetrantur: ita horum patheticè ſit mentio. Ac ſermonis peccata gradatione quadam inſtrumentorum eleganti, & ſimilitudinibus aptis illuſtrata depinguntur. Inſtrumenta enim ſermonis ſtatuuntur, *guttur, lingua, labia, os*, v. 13. & 14.

Peccata in opere ſita, pedum miniſterio ad effundendum ſanguinem, Synecdochicè indicantur v. 15. & effecto eorum, contritione & calamitate quam inferunt, populumque invadunt v. 16.

Quorum peccatorum interni fontes aperiuntur duo, quod deſtituantur amore proximi, & timore (eoque & amore) Dei. Quorum prius indicatur his verbis: *viam pacis*, nempe cum proximo, *non cognoverunt*: hoc eſt, per Metonym. ut Pſ. 1. 6. non amarunt. v. 17.

Alterum ſequentibus. *Non eſt timor Dei coram oculis eorum*. v. 18. Quæ omnia loca appoſitè ad propoſitum Apoſtoli accommodantur: quia partim diſertè de omnibus hominibus loquuntur: partim in ſceleratis, communem hominum naturam (quæ in impiis regnat, in piis, à Spir. S. correcta, repugnat) ob oculos depingunt: potiſſimum verò Eſaiæ locum eſſe generalem, liquet ex precatione illius, qua ſeſe peccatoribus c. 59. 12. annumerat; quapropter Apoſtolus hæc dicta, de Judæis etiam agere, ut omnes peccati & meritæ damnationis convincantur, à communi Judæorum conſcientia comprobat. v. 19.

Denique cum ſatis probatum ſit, omnes, cùm gentiles tum Judæos, eſſe peccatores, & juſtitia ſua vacuos, concludit, neminem ex operibus legis juſtificari: ſententiâ petitâ ex Pſal. 143. v. 2. quæ repetitur Gal. 2. v. 16. eâque via artificioſè, à teſtimonio Dei, concluſionem confirmat: cui rationem annectit, ab effecto legis, quod per eam non ſit medela, ſed agnitio peccati noſtri: quod in eâ (ut Jac. 1. verſ. 23. liquet) tanquam in ſpeculo oppoſitum reluceat, comparatione noſtri cum lege inſtitutâ: quæ tanquam norma perfectiſſima recti index eſt, & ſimul obliqui: non ſolum generatim; ſed etiam collatione facta in nobis, v. 20. Quo uſu legis propoſito, anticipat objectionem de inutilitate legis: ne quis regerat, ſi lex non juſtificat, inutilis eſt; qua de re alibi etiam in hac epiſtola diſſerit. Atque ita juſtificationis modum per aphæreſin demonſtravit Apoſtolus antecedenti diſputatione; videlicet quomodo non juſtificemur juſtitiâ noſtra, ſeu ex operibus noſtris. Deinceps verò tranſit ad theſin & ad propoſitionem epiſtolæ principalem: quam primùm proponit ac confirmat generatim verſ. 21. deinde fuſius exponit ſequentibus.

Propoſitio autem declarat, quo juſtificemur: nempe juſtitia Dei, quæ Chriſti juſtitia eſt, nobis à Patre gratuitò donata & imputata: & noſtræ, quæ ex lege eſt, opponitur, Rom. 10. v. 3. & Phil. 3. v. 9. Quam juſtitiam Dei illuſtrat comparatè ab adjuncta claritate, quod nunc poſt Chriſtum exhibitum, Euangelio patefacta ſit: quæ ſub V. T. quodammodo umbris involuta latebat, Rom. 1. v. 17. 16. 25. 1. Cor. 2. 7. Col. 1. 26. Eph. 3. 9. 2. Tim. 1. 10. & 1. Pet. 1. 20. Hanc autem juſtitiam Dei probat generatim à teſtimoniis legis & prophetarum, ut Rom. 1. 2. Act. 10. 43. quæ partim ſuprà adduxit Rom. 1. 17. partim ſequenti capite adducturus eſt. Deinde expoſitione & expolitione juſtitiam Dei deſcribit: primùm à cauſa inſtrumentali communicationis illius, nempe fide in Chriſtum; deinde à ſubjecto, nempe fidelibus; quod à quantitate ſua deſcribit, cum ait, *in omnes*; & ad auxeſin, *ſuper omnes*: idque probat à pari: *Non enim eſt diſtinctio*: videlicet hominum, ratione gentis, ſexus, aut ſimilium circumſtantiarum. v. 22.

Paritatem autem confirmat dupliciter. Primùm ex antecedenti diſputatione, à communi miſeria: nempe peccato, & ſtipendio illius, privatione vitæ æternæ. Quam vitam, per Meton. adjuncti, pro ſuo ſubjecto, *gloriam Dei* nominat: ut ante Rom. 2. verſ. 10. *gloriæ* vox uſurpatur. Poſſet etiam, ut arbitror, non incommodè per *gloriam Dei* intelligi, non ea quam Deus hominibus confert, ſeu vita æterna glorioſa; ſed quam ab iis, pro merito refert: ut hoc modo amplificentur hominum peccata, quod Deum non glorificarint, ſed ignominia affecerint; quemadmodum de gentilibus Rom. 1. v. 21. & de Judæis Rom. 2. v. 23. 24. demonſtratum eſt. Quomodo objectio ante verſ. 7. hujus capitis propoſita, amplius retundetur, verſ. 23. Sed tamen prior expoſitio uberior eſt.

Secundò idem comprobat à communi liberatione & juſtificatione: quam explicat à cauſis; ac primùm efficientibus, principalis quidem ſtatuitur Deus Pater: impulſiva verò duplex προηγουμένη, *Dei gratia*, hoc eſt, gratuita Dei ad ſalutem conferendam benevolentia: & quidem, non ullo operum merito, ac mixta: ſed mera: ideoque additur *gratis*, & προκαταρκτικὴ, redemptio ſeu ſatisfactio, facta per Jeſum Chriſtum v. 24.

Quæ cauſæ illuſtrantur: Nam gratia Dei ab effecto deſcribitur, quod *Chriſtum nobis propitiatorium propoſuerit*: cum exhibitione illius: tum prædicatione Euangelii. Eſa. 11. 10. Matth. 17. v. 5. Tit. 2. v. 21. *Propitiatorium* autem vocat, ut apparet tropicè, per metonym. ſigni adjuncti, pro ſubjecto ſignificato; quod operculo arcæ (quod propitiatorium dicitur) fuerit adumbratus. Quemadmodum enim illud medium fuit inter tabulas legis, quæ in arca; & inter Deum, (quatenus ſe ſupra propitiatorium patefaciebat) & legis tabulas tegebat: Similiter Chriſtus mediator noſter eſt, qui ſeſe inter accuſationem & condemnationem legis (qua peccati arguimur mortique addicimur) & Deum Patrem mundi judicem, medium interponit: & juſtitiæ ſuæ ſatisfactione, peccata noſtra & accuſationem ac condemnationem legis tegit: ut coram Deo juſtificemur, Rom. 8. 33. & 34. 1. Joan. 2. v. 1. Deinde ut Deus ad, & ſupra propitiatorium, ſeſe ſuamque voluntatem patefecit; ita pater per filium, Heb. 1. v. 1. prior autem typi ſimilitudo hoc in loco videtur ſpectari.

Porrò ut hæc ad gratiæ Dei illuſtrationem pertinent: ita ſecundo loco, redemptionis modus declaratur, *ſanguine ipſius*, hoc eſt, ſacrificio & obedientia Chriſti, ad mortem uſque crucis, & effuſionem ſanguinis: quæ Synecdochicè poſita (tanquam pars memorabilis ac neceſſaria Hebr. 9. 22. 23.) antecedentia & conſequentem mortem complectitur. Propoſiti autem & oblati Chriſti finis adjicitur, demonſtratio & exhibitio divinæ juſtitiæ: de qua Rom. 10. v. 3. & 4. Quæ juſtitia, à primo ſuo membro, per Synecdochen deſcribitur, *remiſſione peccatorum*; quæ propriè nihil aliud eſt, quàm pœnæ, ob inobedientiam contra legem, debitæ, propter Chriſti ſatisfactionem, omiſſio. Quæ uti ad juſtitiam pertinet, qua pœnam legi debitam, in Chriſto, tulimus: ita tota juſtitia non eſt, niſi accedat omnium & ſingulorum mandatorum obedientia perfecta: hoc eſt, ut omnia præcepta, omnino (ſeu ſummo gradu, ex toto corde, tota anima, tota cogitatione & omnibus viribus) obſervemus & omni tempore. Quæ peccata ab adjuncta Dei tolerantia illuſtrantur v. 25.

Atque hic finis à circumſtantia temporis declaratur, & juſtitiæ expoſitione: dum & ipſe juſtus eſt, promiſſa ſervando; & ſecundum ea promiſſa, credentes in Chriſtum juſtificat.

justificat. Quo modo justitia Dei (qua justus est, & qua tanquam materiâ justificat) distinguenda. v. 26.

Atque hæc de expositione atque expolitione justitiæ Dei, quam donat in Christo. Cui deinde additur consectarium, ex superioribus, interrogatione, majoris momenti causâ, probatum: quod videlicet per hanc de justificatione fidei doctrinam, omnis de sua justitia gloriandi ansa hominibus præcidatur; idque contrarii contraria consequentia amplificatur, quod doctrina legis (quæ lex tantùm ex operibus justificat) hominibus gloriandi de sua justitia, occasionem præbeat. Ubi observandum est, ut & alibi sæpè, Apostolum legem, hoc est, doctrinam operum, non intelligere simpliciter legem Mosis: sed ex hypothesi opinionis adversariorum: seu quatenus ab Euangelii corruptoribus tradebatur: nam aliàs lex seu Decalogus & lex ceremonialis, si rectum usum spectemus, cùm omnes peccati arguant ac convincant, omnem sanè gloriandi materiam penitus tollunt: sed quatenus æstimantur observatu faciles, & vitæ via sola, eatenus de operibus gloriandi materiam præbent. vers. 27.

Qua ratione, proposita & exposita thesi de justificatione; sequitur jam conclusio, quæ principalis epistolæ propositio est: qua justificationis modus, per thesin & aphæresin, plenè proponitur. v. 28.

Antequam verò ad illius confirmationem ampliorem accedat Apostolus, declarat primum paritatem Judæorum & gentilium, anticipatione duplici. Prioris objectio est: Deus est tantum Deus Judæorum, non autem gentilium. Ergo inter eos (contra quàm assertum est vers. 22.) est distinctio. Respondet Apostolus negatione antecedentis: quam contraria affirmatione indicat. v. 29.

Eamque probat à pari circumcisorum Judæorum, & incircumcisorum gentilium justificationis modo, per fidem, v. 30: nam Christi adventu, Judæorum vocatio ad fœdus Dei, non fuit ablata: sed ulterius prolata, & gentilibus quoque communicata, ut Eph. 2. v. 11. Alterius anticipationis, quæ ex superiori oritur, objectio est; si fide Judæi & gentiles æqualiter justificantur, Ergo lex redditur inanis.

Respondet Apostolus, primùm negatione consequentiæ, cum ait: *Absit.* Nam quamvis lex fideles non justificet: inanis tamen non est: sed alius illius est scopus & usus: nempe ut sit index miseriæ nostræ, & norma officii. Deinde oppositione contrarii: imo *legem stabilimus.* Id quod fit multis modis. Nam fide salutis gratuitæ, nobis à patre donatæ, per Christum, confirmamus agnitionem miseriæ nostræ, & debitum vitæ justæ, quam lex requirit. Deinde quia sanctitas & justitia finis est redemptionis nostræ per fidem: & adjunctum etiam proprium per operationem Spirit. Sancti, qui eosdem, quos justificat aspersione justitiæ Christi, etiam sanctificat, renovatione ad imaginem Dei. Denique sanctitas & charitas, quam lex exigit, fidei quoque effectum est: nam fides gratiæ Dei & fiducia amoris illius erga nos, obedientiæ gratitudinem, mutuumque erga Deum amorem provocat: unde etiam fides per charitatem operari dicitur, Gal. 5. 6. Hæc de Cap. tertio.

CONSECTARIA.

I. EA multòrum inscitia est, ut neglecta mediocritate, externis rebus, aut meritum salutis attribuant: aut eas omninò inutiles judicent. v. 1.

II. Magnum Dei beneficium est, quod Judæos verbi sui depositarios constituerit: unde nos etiam, in conservandis Bibliis Hebræis, fructum adhuc percipimus Deinde, cum libri Apocryphi, qui S. Scripturæ conjungi solent, non sint unquam ab Ecclesia Judaica recepti, aut illi à Deo concrediti, inde sequitur, non esse oracula Dei.

III. Eoque cum id nobis quoque, & amplius concreditum sit, Deo agendæ sunt gratiæ, ac vera fide & obedientia amplectendum. v. 2.

IV. Verbi divini thesaurum, quidam infidelitate sua inutilem sibi reddunt.

V. Etsi nonnulli verbo Dei abutantur, nunquam tamen defuturi sunt, qui debitam illi præstent obedientiam v. 3.

VI. Cum Deus nec fallere, nec falli possit, minæ illius non sunt contemnendæ, nec promissionibus diffidendum: sed verbo illius penitus acquiescendum.

VII. Contra cum omnes homines naturâ inconstantes sint, iis non est certo fidendum & nitendum.

VIII. Quæ de religione dicuntur, ea S. literis, exemplo Apostoli, confirmanda sunt: ut rectè Heronymus dixerit in Matt. c. 23. *quod de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

IX. Nec verbo Dei, nec judiciis Dei, cum justissima sint, obmurmurandum est, v. 4.

X. Ea est hominum perversitas, ut ex Dei sapientia blasphemiæ ansam injustè arripiant, v. 5.

XI. Cum Deus judex sit mundi, ei obtemperare, ejusque gratiam ambire debemus, v. 6.

XII. Non est novum, si mundus Sacras literas & piam fidelium sententiam pervertat, ad errores suos stabiliendos, aut ad calumniam struendam. 2. Pet. 3. v. 16.

XIII. Blasphemi non permanebunt inulti: quamobrem eorum felicitati temporariæ non est invidendum.

XIV. Non solum blasphemia vitanda: sed etiam pro virili, omnis illius suspicio, exemplo Pauli, tollenda est.

XV. Piis adversus calumnias injustas solatio esse debet, quod falsò & veritatis odio gravantur. Matth. 5. vers. 11. 1. Pet. 4. v. 14.

XVI. Mala non sunt perpetranda, ut eveniant bona. Quamobrem nec mentiendum est, nec veritas est abneganda, officii aut vitæ conservandæ gratia.

XVII. Atque hinc etiam liquet, non solum intentionem & scopum actionum debere esse bonum; sed etiam media, v. 7. & 8.

XVIII. Homines nihil aliud sunt, in se considerati, quam vitiorum omnium sentina quædam: quæ paulatim, regeneratione cœlesti, per Spirit. Sanct. expurganda est.

XIX. Quamobrem cum omni excusatione destituamur: extirpanda est penitus omnis justitiæ nostræ opinio, & agnoscenda sunt debita nostra.

XX. Multi autem ea non agnoscunt, sed merita sua & benefacta prædicant; quia ad secretum judicis Dei tribunal oculos non attollunt: nec ad accuratam legis trutinam & veram sententiam, sua facta, examinant: sed contra ab externa tantùm rerum specie, & hominum comparatione, ac judicio, dependent, à v. 9. ad 21.

XXI. Doctrina fidei mysterium est naturæ ignotum.

XXII. Ejus autem doctrina tradita est divinitùs duobus modis: primum obscurius, sub Veteri: secundo clarius sub N. T. ut 2. Cor. 3. v. 13.

XXIII. Vetus Test. dividitur accurate à Spir. Sanct. in legem, hoc est, Mosis scripta, & Prophetas; eâque periphrasi non raro describitur: ac propterea libri, qui iisdem non continentur, ad V. T. canonem non pertinent. v. 21.

XXIV. Non quævis fides: sed fides in Christum servat. v. 22.

XXV. Cum vita æterna gloria vocetur, quod summè sit gloriosa: eò maximè, rectaque viâ, per fidem in Christum, contendendum, v. 23.

XXVI. A Christo redempti sumus: Ergo illum tanquam Dominum, redemtionis jure, cognoscere & colere debemus, v. 24.

XXVII. Etsi Christi merito servemur: gratis tamen servamur, quatenus Christum Pater nobis donavit.

XXVIII. Christus nostrum est propitiatorium: Ergo eo intercessore freti, cum fiduciâ ad Patrem cœlestem accedere debemus Heb. 4. 6. Et tollenda est Pontificiorum blasphemia, qui hunc honorem Sanctis communicant. v. 25.

XXIX. Deus promissiones suas non solum servat; sed etiam præfinito tempore, ut Gal. 4. 4. ideoque illis fidendum.

XXX. Qui operum suorum meritis innititur, Euangelio repugnat, v. 27.

XXXI. Fides sine operibus legis, hoc est, sine inchoata obedientia non est; & tamen sine operibus legis justificat; unde sequitur, rectissimè dici, fidem justificare solam,

quia

quia alia justificandi ratio non est nisi per fidem, ac justitiâ Christi imputata; aut per opera nostra & justitiam propriam. Atque ita solvitur objectio quæ adferri solet: Fides mortua non justificat, Jac. 2. Fides sine operibus est mortua fides. Ergo fides sine operibus non justificat. Responsio una est, negatione consequentiæ; quia sunt quatuor termini. Minor enim terminus est duplex: nam in assumptione subjectum est *fides sine operibus*; in conclusione verò subjectum est *fides* tantummodo; quia verba illa, *sine operibus*, pertinent non ad descriptionem subjecti, sed prædicati, idque constat ex quæstione ipsa: quæritur enim an justificemur operibus: an verò justificemur sine operibus, seu fide, ut conclusio Pauli ostendit v. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem, sine operibus legis*: ut effectum illud, nempe justificatio, tribuatur fidei & adimatur operibus legis.

Deinde quod diligenter observandum, altera etiam solutio huc pertinet, negatione consequentiæ ob fallaciam homonymias, etiamsi constructio quam obtendunt, servaretur: nam verba illa, *sine operibus*, in minore intelliguntur ita, ut sensus sit, fine ullis bonis operibus: in conclusione vero ex Apostoli v. 28. intelliguntur, non aliqua opera legis: sed universa ac cuncta, hoc est, universalis operum obedientia, quam lex requirit. Atque ita fides justificans est fine operibus; quia etiamsi opera habeat, utpote viva & per charitatem efficax: non tamen perfectè: propter sanctificationem inchoatam tantum, & reliquias carnis, quæ pugnant adversus spiritum. Jacobus verò cùm fidem sine operibus non esse docet, opera tantum intelligit inchoatæ sanctificationis: non autem universa ac perfecta, quæ rigor legis requirit.

XXXII. Deus, noster est Deus, per fidem, v. 29. 30.

XXXIII. Doctrina legis & Euangelii optimè inter se consentiunt: contra Marcionem. v. 31.

CAP. IV.

DE Justificatione, duæ potissimum, Apostolorum temporibus, extiterunt quæstiones. Una de causa & modo, an fide; an verò operibus etiam contingeret? Altera, de subjecto, an circumcisi Judæi & proselyti tantùm: an verò etiam gentiles incircumcisi justificarentur.

Quarum quæstionum solutionem attulit Apostolus capite 3. Prioris quidem, cum ex antecedentibus argumentis, conclusit, hominem fide justificari, absque operibus legis. vers. 21. & 28. Posterioris verò cum asserit, fideles tam incircumcisos, quam circumcisos, justificari per fidem vers. 29. 30.

Utramque verò sententiam hoc capite confirmat, servato eodem ordine: nam ut cap. 3. v. 21. affirmavit, absque lege, justitiam Dei manifestatam esse, comprobatam testimonio legis (id est, librorum Mosis, quibus inprimis lex continetur) & prophetarum: ita primum docet, hominem justificari fide sola, testimonio legis primùm, ac deinde prophetarum: legis quidem, seu librorum Mosis (qui à potiori sua materia *lex* dicuntur) ex Gen. 15. ab exemplo Abrahami: quod anticipatione quadam objectionis, artificiosè in adversarios retorquet.

Objectio est. Illo, quo Abraham justificatus est, eo & nos. Sed Abraham justificatus est operibus. Ergo & nos. Majoris loco ponitur ejus confirmatio; in descriptione addita, qua *Pater noster* dicitur: qua indicatur, nos filios illius, cum ejusdem fœderis simus participes, eodem etiam modo justificari, quo ille Apostolus verò assumptionem interrogatione elliptica negat, & justificationem ex operibus, videlicet tanquam causa, (de ea enim sola agitur) tollit: quod scilicet Abrahamus, *secundum carnem*, hoc est, humana sua opera (ut sequentibus exponit) nihil obtinuerit, scilicet in negotio justificationis, de quo agitur: id est, operibus nullo modo justificatus v. 1. Deinde sententiam oppositam probat, remotione effecti necessarii justificationis ex operibus, nimirum, quod non *habeat gloriationem*, hoc est, per metony. adjuncti, materiam gloriandi; ac positione subjecti, *apud Deum*, v. 2. Justificatio enim ex operibus tanquam causa, alia est absoluta ac simplex, qua coram Dei tribunali, & collati cùm lege, propter perfectam justitiam, seu internam, & externam legis obedientiam universalem, homines justi judicantur: alia est comparata, ac secundum quid, qua propter inchoatam sanctificationem, & Spiritus adversus carnem dominium, vitæque innocentiam atque obedientiam, comparatè cum aliis & à potiori sua parte justi censentur: hanc habuisse Abrahamum, ut de ea apud homines, qui faciem tantùm intuentur, gloriari potuerit comparatè, concedit Apostolus; sed non apud tribunal Dei, qui corda & renes scrutatur: nempe perfecta & absoluta justitia: ideoque coram Deo operibus minimè justificatus est. Quidam verò sic formant Syllogismum: Si Abraham ex operibus justificatus est, habet quod glorietur, scilicet apud Deum. Sed non apud Deum, scil. habet quod glorietur. Ergo. Prius tamen videtur simplicius.

Quod autem Pontificii Jacobi secundum caput vulgò nobis in hac disputatione objectant; ea difficultas distinctionis luce tollitur. Justificatio enim ex operibus, alia est tanquam ex causis; alia est tanquam ex effectis, & signis justificationis ac fidei. Prior est rigoris, seu severi, secundum legem, judicii: Posterior verò est æquitatis, secundum Euangelium, & testimonii. Prior justificandos, qui perfecta operum justitia destituuntur, concernit: Posterior verò justificatos & sanctificatos spectat. Siquidem hi, primum in hac vita, non solum coram hominibus externè: sed etiam internè coram Deo, se justos, inchoatâ, & per Christi intercessionem probata justitia, Heb. 13. v. 21. 1. Pet. 2. vers. 5. demonstrant, quemadmodum de Abrahamo dicitur, Genes. 22. vers. 12. *Nunc novi te timentem Dei*: deinde in altera vita, ex operibus inchoatæ justitiæ in terris, tanquam ex fructibus & testimoniis fidei veræ, ac justificationis, justi declarabuntur ultimo die, ut Matt. 12. vers. 36. 37. hæc justificationis ratio ac significatio explicatur; *Ex verbis tuis justificaberis*: & Matt. 25. vers. 35. Priorem justificationem, citra controversiam, intelligit Apostolus Paulus: posteriorem verò Iacobus, ut tota orationis series ostendit, docet enim, quà ratione cognosci possit alicujus fides viva & justitia inchoata inhærens, nimirum non ex nuda fidei professione, operibus bonis destituta, sed ex bonis operibus; sicut arbor bona judicatur ex suis fructibus bonis. Quare opera non sunt ipsa justitia perfecta, neque justitia inchoata: sed inchoatę effecta ac signa. Ac propterea diversa quidem est vocis acceptio, ideoque diversa Pauli & Iacobi sententia, sed non contraria. Paulus de fide viva loquitur: Iacobus de mortua. Paulus de justitia omnibus numeris perfecta, & ad amussim cum lege Dei convenienti, Iacobus verò de justitia tantum inchoata, qualis sola in nobis, ob repugnantiam seu reliquias carnis, reperitur. Paulus justificationem intelligit ex causis, hoc est, qua quis perfecta justitia in Christo prędit us judicatur coram tribunali Dei, Iacobus vero de justificatione ex effectis, qua ex operibus, tanquam inchoatæ justitiæ fructibus, inchoata justitia præditus, vivaque fide instructus pronunciatur: ut de Abrahamo Gen. 22. per Angelum, divinitus judicatum est.

Sed rursum objicitur ex Psal 106. vers. 30. ubi de Pinchaso dicitur; *reputatum est ei ad justitiam* (sermo autem est de opere zeli, quo scortatores publicos occidit, Israelitam nimirum & Moabitidem) Ergo operibus justificatus est, coram Deo. Sed negatur consequentia, quia *justitia* hoc in loco notat, non virtutem universalis justitiæ, lege requisitæ; de qua quæstio est, neque etiam justitiam quatenus est virtus animi permanens: sed effectum illius, opus justum; apud Paulum verò justitia universalis intelligitur: quare cum David loquatur de particulari opere justo, seu justitia operis particulari; Paulus verò de justitia universali animi & operis, ac de justificatione personæ: inde apparet, nihil huic sententiæ Pauli obstare. Ac sanè, neque Abrahamū, suo opere, cum filium, animi proposito firmo ac conatu, obtulit; neque Pinchasum, facto suo judiciali, quod exercuit, secundum legis sententiam ac jus, coram Dei tribunali fuisse justum judicatum; res ipsa loquitur: quia particularis actio & universalis personæ justitia, quæ sola coram Dei judicio ac tribunali valet, ad absolvendum à condemnatione & ad servandum, inter se pugnant: non enim qui uno opere laudabili prædi-

præditus est, perfectam habet justitiam personæ, sed qui omnia legis mandata, omninò, & omni tempore observarit: *quia maledictus, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, Deut.* 27.

Ut autem nodis hisce dissolutis, ad rem propositam revertamur, observandum est, Apostolum probasse, Abrahamum non esse justificatum ex operibus, hoc est, perfectâ operum justitia; quia aliâs haberet gloriandi materiam apud Deum: atqui eam non habere asserit Apostolus; ideoque non esse perfecta operum justitia justificatum.

Nunc verò progreditur & utrumque probat à contrario Scripturæ, ex lege Mosis, seu Gen. 15. testimonio; de cujus genuina sententia plurimum disceptatur, quocirca conabimur eam distinctè examinare.

Constat autem hæc oratio duabus assertionibus: quarum prior, Abrahamum ab effecto ipsius, nempe fide, posterior verò eandem fidem, à fructu suo, imputatione justitiæ, describit. Illa his verbis extat apud Mosen Gen. 15. 6. והאמין ביהוה. *Et credidit in Jehovam*, nempe Abraham, quia de eo sermo continuatur: ideoque Paulus, cum hanc sententiam excerpat tantùm, paraphrasticè rectè supplevit. Cujus orationis subjectum difficultate caret: nam quamvis Gen. 15. vers. 6. Abram nominetur, postea tamen Gen. 17. vers. 4. in fœderis, cum ipso, confirmatione, nomen Abram (id est, *Pater excelsus*) mutatum est, ad promissionis datæ confirmationem, & memoriam perpetuam, in vicinũ nomen Abraham, id est, אב רב המון *Pater magnæ multitudinis*: sicut sensus exponitur v. 5. *Nec vocabitur ultrà nomen tuum Abram; sed erit nomen tuum Abraham, quia* אב המון גוים, id est, *Patrem multitudinis gentium dedi te.*

Verùm ut subjecti notio ac vox satis clara: sic contrà attributi, cum phrasis, tum sententia nonnihil illustranda est; quia utraque variè explicatur.

Nam ad phrasin quod attinet, plurimi sunt in ea opinione, quod *credere in Deum* denotet per se ac semper, animi fiduciâ ipsi adhærere; atque ita fidem justificantem, à communi (quæ hypocritis etiam convenit) distingui censent: ut aliud sit *credere Deo*, nempe ipsius verbis, tanquam veris, assentiri: aliud verò *credere in Deum*, hoc est, ipsi fidere ipsique inniti. Verùm alii contra (ut inter cœteros celeberrimus Theologus Bucerus, in præfatione enarrationis epistolæ ad Romanos) non diversum, sed idem denotare judicant, idque sanè ex Apostoli interpretatione, hoc in loco, comprobatur, qui pro eo, quod habet, Moses: *credidit in Jehovam*, hoc est, Deum: habeat, *credidit Deo*, de fide justificante agens. Et contra, de fide non justificante loquens Johannes 2. vers. 23. & 24. ait: *Multi crediderunt in nomen ejus, contemplati signa quæ faciebat: sed ipse Jesus non credidit seipsum eis, propterea quod omnes nosset.*

Unde manifestè apparet, per hanc phrasin non certò fiduciam denotari positam in Christo: nam fidem hanc non fuisse vivam & justificantem, ex Christo apparet, qui se ipsis non credidit, hoc est, commisit. Utrum verò fiducialis fides, seu quæ fiduciam parit certam, intelligatur, nec ne, in Sacris literis, illud, ex locorum & personarum circumstantiis, percipi potest: atqui hæc de phrasi.

Ad sententiam verò illius, quod attinet, spectanda nobis sunt fidei Abrahami *objectum* & *modus*.

Ad prius quod attinet, cum credendi seu fidei in Deum *objectum* sit, Dei verbum, & inprimis promissio salutis per Christum; illud hoc loco quæritur, quænam ea fuerit promissio, cui Abraham credidit.

Pontificii vulgò tantùm promissionem beneficii corporalis intelligunt, quâ semen (hoc est, posteritas seu posteri) ipsi, stellarum instar, innumerabile promittitur: unde adversus Orthodoxos contendunt, fidei justificantis objectum proprium, non esse promissionem gratię, ac salutis per Christum, sed quodvis Dei verbum, ac quamvis ipsius promissionem.

Orthodoxi verò contrà statuunt, objectum fidei Abrahæ fuisse promissionem duplicem. Primam quidem de gratia conservationis adversus hostes, inprimis verò de salute æterna, cum dicitur vers. 1. *Ego sum Clypeus tuus* (En defensionis promissio describitur!) *& merces tua magna valdè:* quod salutem ipsius includit: ut Heb. 11. vers. 6. deinde promissionem secundam accedere vers. 5. *Sic* (hoc est, stellarum instar) *erit semen tuum.* Quæ promissio non solum corporale (nempe Israelitas) sed etiam inter illud semen, Christum servatorem Gal. 3. vers. 16. & spirituale etiam semen, per corporale adumbratum, complectitur: hoc est, eos, qui ex gentilibus & Judæis, imitatione fidei Abrahami regeniti, & Christo filio Abrahæ per fidem insiti, & in eo Abrahami secundum promissionem filii facti sunt, ac benedictionis cum eo participes; ut Rom. 4. 12. 16. & 18. Gal. 3. 8. 9. & 29.

Quumque hæc promissio Abrahamo facta, habuerit objectum, partim de beneficio corporali: partim de spirituali, nempe de Christo servatore, & benedictione per ipsum, utrumque fides amplexa est: sed tamen posterioris respectu justificavit: atque hæc de fidei Abrahami objecto.

Modus verò est, quod ex viva virtute fidei, per charitatem conjunctam efficaci, promanavit, Jacob. 2. hæc enim sola Deo ad salutem accepta est, Gal. 5. 6.

Atque hæc de prima exempli Abrahami assertione, qua ab effecto suo, nempe fide describitur.

Altera verò (quæ hujus fidei effectum declarat) his verbis extat apud Mosen: ויחשבה לו צדקה. *Et imputavit hoc ei justitiam.* Apud Paulum verò καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, *& imputatum est ei ad justitiam.* Ubi in Mose ellipsis est literæ ל quæ *Ad* significat, צדקה pro לצדקה *justitiam* pro *ad justitiam*: quemadmodum ea ellipsis suppletur, in simili sententia, de justificatione facti Pinchasi, quo ex Zelo justo judicium exercuit, ac punivit scortatores, Psal. 106. v. 31. *& reputatum est* ei לצדקה *ad justitiam*: & in Pauli interpretatione similiter exponitur, εἰς δικαιοσύνην, ubi εἰς pro *ad*, seu ל Hebræo usurpatur.

Deinde in Paulo ellipsis est vocis τοῦτο *illud*, nempe credere, seu fides את אמונה ut rectè exponit Rabbi Salomo Jarchi: & Apostolus ipse confirmat sequentibus v. 5. & 9.

Præterea pro activo verbo, quo utitur Moses, nempe *imputavit*, supple Deus, de quo in antecedentibus sermo, Paulus habet passivè, *imputatum est*, scilicet à Deo, vocis aliqua mutatione, sed eadem tamen manente sententia: ut vers. 6. etiam declaratur. Qua consensione Pauli & Mosis prius declaratâ, jam voces nonnihil & res ipsa consideranda sunt. Siquidem cum certum sit ex Mose, subjectum esse τοῦτο *hoc*, nempe credere seu fidem Abrahami: quæstio oritur, quid hac voce significetur: & quid attributum, (*imputatum est ei ad justitiam*) sibi velit. Quod distinctè explicandum, cum mirificè hæc sententia agitetur.

Ad prius, nempe fidem, quod attinet, quidam accipiunt propriè eam vocem: alii vero impropriè, pro Christo, aut potius pro justitia Christi fide apprehensa, per metonymiam adjuncti, pro suo objecto: quemadmodum spes pro re sperata nonnunquam usurpatur: sic etiam censent, fidem pro re fide credita, hoc in loco, usurpari.

Veruntamen in hac sententiarum diversitate, etiam inter Orthodoxos, priorem genuinam esse, apparet, ex prima atque antecedente assertione; *credidit Abraham Deo, & hoc*, nempe credere, id est, fides illa, quâ credidit, non autem res quam credidit, *imputatum est ei ad justitiam*: nam pronomen τοῦτο, seu *illud*, non potest aliter hoc loco accipi, quàm vox antecedens, ad quam refertur, & cujus loco, pro natura pronominis, elegantiæ causâ, ponitur: deinde à propria significatione ad impropriam, atque inusitatam in Sacra Scriptura, non est recedendum, nisi necessitas seu veritas Scripturæ, aut loci circumstantiæ hoc flagitent, ut extra controversiam est: atqui in hac sententia Pauli, nec veritas illius, neque circumstantiæ loci id flagitant: quia attributum illud, *imputatum est ei ad justitiam*, hoc non requirit: nam vera est assertio servata subjecti, nempe fidei propria significatione, neque ulla circumstantia hujus loci repugnat.

Nam quod objicitur, prædicati veritatem non admittere hujusmodi significationem subjectæ vocis propriam: illud non rectè demonstrant. Quod enim dicunt, alias sequeretur ipsam fidem esse nostram coram Deo justitiam: non sequitur; sed tantùm esse causam, nempe instrumentalem, quæ à Deo imputata est ad justitiam Abrahamo, hoc est, qua justificatus est: nam *fidem alicui imputari*, hoc est, adscribi, ad justi-

ad justitiam, nihil aliud est, quam aliquem fide justificari: ut etiam series hujus capitis demonstrat, hæc duo idem denotare: sicut promiscuè hæc duo Paulus proponit.

Cœterum fides dicitur imputari ad justitiam, non ut materia subjecta justificationis (ea enim est sola Christi justitia, quæ nostra fit per fidem; fides verò nostra, est imperfecta virtus, & actio illius imperfecta) sed ut causa instrumentalis, quæ justitiam Christi, virtute Spiritus Sancti apprehendit, sic Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam: ore fit confessio ad salutem*; quo loco finis denotatur & effectum fidei.

Ac sanè si in hac enunciatione tropus esset statuendus, convenientiùs statueretur in prædicato, scilicet in voce justitiæ; quam in subjecto ac fide, ut sensus esset, Fides imputatur ad justitiam, aut in justitiam, hoc est, in causam justitiæ, nempe instrumentalem, per metonymiam effecti pro efficiente: quemadmodum talis tropus frequens est in prædicatis. Sicut mandatum Dei, Christo, ad Euangelium annunciandum, traditum, dicitur vita æterna, Joannis 12. v. 50. *Mandatum tuum est vita æterna*; & Euangelium *sermo vitæ*, id est, efficiens vitæ seu vivificus dicitur Philip. 2. vers. 16. Sic Christus resurrectio & vita, (quia causa utriusque à se ipso) apud Ioannem appellatur. Et Deum & Christum cognoscere est vita æterna Ioa. 17. v. 3. hoc est, efficiens vitæ causa: sic etiam fides censebitur justitiæ causa efficiens, nempe instrumentalis.

Quod verò Arminius in epistola ad Hippolytum, legatum Palatinum, contendit, fidem propriè debere accipi, non autem impropriè pro Christi justitia: hactenus non malè loquitur, ut ex antecedentibus patet: sed ratio, quam illi rei probandæ adducit, falsa est, qua ait, quod ea, nempe Christi justitia, non possit imputari ad justitiam: quòd (ut contendit) *imputare* significet, alicui adscribere aliquid, quod non est tale: unde colligit, cum Christi justitia, sit omnibus numeris perfecta justitia, eam ad justitiam imputari verè non posse: ideoque fidem imputari in justitiam, seu pro justitia, scilicet perfecta, à Deo, per gratuitam acceptilationem haberi, etiamsi sit tantum pars illius, eoque imperfecta.

Etenim illud omnino dissentaneum est à verbis & mente Apostoli, falsâque nititur vocis *imputandi* significatione: nam neque Hebræa vox, qua utitur Moses, חשב: neque Græca, quâ Paulus eam interpretatur, λογίζεται: imò neque latina, *imputare* (ut bonorum authorum usus, & Lexicographorum explicatio, demonstrat) eam habet per se significationem specialem: sed generatim, *reputare, æstimare, adjudicare, adscribere* seu *attribuere* significat, sive verè id fiat, sive secus; nec ullus, è scriptura sacra, locus, aut ex probis authoribus linguarum hactenus allatus est, qui contrarium probet.

Nam quod objicitur, in Epistola ad Philemonem dici versu 18. *Si quid tibi debet*, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει, *hoc mihi imputa*, hoc est, etiamsi ego non debeam, finge ac statue me debere: illud inquam, loci circumstantiæ disertè repugnat; quæ demonstrat, hanc imputationem debiti, esse adscriptionem veri debiti; quia Apost. Paulus, etiamsi non esset debitor, spondendo tamen, & quidem misso hic chirographo suo, sese debitorem pro Onesimi debitis constituit vers. 19. *Ego Paulus mea manu scripsi, ego persolvam.*

Verum licet à nemine objectum hactenus comperiam locum Levit. 17. 3. & 4. eum tamen adferendum existimo; ut res ipsa sit explicatior: quia specie quadam objici posset: sic enim ait Moses: *Quicunque è familia Israelis, jugulaverit bovem, aut agnum, aut caprum in castris; aut quisquis jugulaverit extra castra, ac non ad portam tentorii conventus adduxerit illam, ad offerendam oblationem Jehovæ, ante tabernaculum Jehovæ, sanguis imputator viro illi: sanguinem effudit: quapropter exscinditor vir ille è medio populi*: unde videtur ita posse colligi, sanguis, id est, homicidium, quo sanguis funditur, imputabitur ei, qui contra officium victimam mactaverit. Atqui revera non hominis, sed bestiæ cædem commisit, hoc modo: censetur tamen ac si commisisset, & pro homicidio habetur. Sic enim in annotationibus ad hunc locum clarissimi interpretes Tremell. & Junius annotant, ad vocem *sanguis*) *perinde habetor ac si homicidium perpetrasset, hominisque innoxii sanguinem effudisset.*

Verum negatur consequentia: nam *sanguis*, cædem hîc notat, non hominis tamen injustam; sed bestiæ impiam ac sacrilegam. Atque ita *imputari* hîc dicitur de re facta, non ficta: ut expositio addita evincit: quum enim dixisset ibi Deus, *sanguis*, hoc est, cædes, aut potius pœna fusi sanguinis, *imputator illi*, (ut Levit: cap. 20. vers. 19. *qui Patri aut Matri suæ maledixerit, sanguis ejus*, id est, pœna cædis, *in eo*) cum hoc inquam dixisset Deus, declarat proximè, cum addit: *sanguinem effudit* (nempe sacrilegè, quum privatus involavit in munus sacerdotis, & loco profano, non sacro ac debito ad portam tentorii, cædem commiserit) *quapropter exscinditor vir ille è medio populi sui.*

Ad interpretum verò nostrorum expositionem quod attinet, ea intelligenda est non propriè: sed metaphoricè: quod non minus puniendus esset ob sacrilegam illam cędem ac sanguinis bruti in sacrificium effusionem, quam si homicidio sanguinem fudisset. Quam etiam similitudinem breviter adfert ad eum locum Rabbi Salomo Jarchi: *Sicut*, inquit, *fundens sanguinem hominis, debitorem se facit in animam suam.*

Atque hæc de vocis *imputandi* significatione atque assertione Pauli, qua statuit, fidem Abrahamo imputatam esse ad justitiam, hoc est, fide justificatum, seu justum judicatum. Ideoque non habet, quod glorietur, apud Deum, mercedem justificationis, ac salutis ipsius operibus deberi.

Consequentiam probat, à contrariis proprietatibus, justificationis operum, & fidei, nempe quod ea sint contraria: ideoque eidem subjecto non possint convenire. Summa autem rationis est, quia justificatio operum est debita: justificatio fidei est gratuita. *Qui enim*, inquit Apostolus, *operatur*, (nempe universam legis obedientiam, de eo enim agitur) *ei merces*, nempe justificationis & salutis, *non imputatur ex gratia*: (hoc est, mera benevolentia, sine ullo debito) *sed ex debito*. cujus rei ratio manifesta est: nam qui omnia opera lege Dei mandata, præstiterit, ille reverà justus est (utpote universa justitiâ præditus, quæ requiritur) eique justificatio debetur & vita, juxta pactum legis, *Hoc fac & vives*, Levit. 18. vers. 5. Rom. 10. v. 5. Neque obstat huic sententiæ, quod objicitur, Christum dicere Luc. 17. vers. 10. *Cum omnia feceritis, quæ vobis mandata, dicite, servi inutiles sumus: quia quod debuimus facere, fecimus.* Nam primùm Christus loquitur de operibus absolutè & simpliciter, ex insita sua dignitate & natura consideratis: nam ita Deo summo Bono ac benefico etiam creatori ac gubernatori obstricti sunt homines, ut totos se omniaque sua ipsi debeant: Paulus verò ex hypothesi promissionis divinæ: qua non ob meritum operum (de quo Christus loquitur) sed ob promissionem suam Deus operanti, hoc est, legem perfectè præstanti mercedem justificationis ac salutis debet: qua de re etiam 2. ad Thess. 1. Deinde Christus non negat mercedem justificationis, seu adjudicationem justitiæ deberi: ea enim verè debetur justo: idque justitiæ ac veritati Dei convenit, ut, qui perfectè justus est, talis etiam à Deo habeatur: sed Christus loquitur de mercede gratiæ à Deo habendæ, ac præmio apud ipsum merito: ut versus nonus docet: *num gratiam habet servo illi, qui fecit, quæ ei præcepta fuerant? Non puto*: Quare ex hisce verbis, apud Lucam, apparet, quæ mens sit Christi, & quomodo Paulus hîc cum Christo probè consentiat.

Cœterum observandum est (ne quis, ut proclive est, authoritate impingat) hunc versum minus rectè à docto Scholiaste versum atque expositum. Sic enim vertit, *non imputatur ex gratia, sed datur ex debito*, quasi in Pauli sententia, in secunda oppositionis parte, esset ellipsis vocis *datur*: ratio autem quam adfert, aliena est; cum ait, *nam certè ex debito non dicitur quippiam imputari: cum imputatio sit res, quæ non debetur*. Imò verò contra, ut antè ostendimus, specialis ista vocis *imputandi* significatio, insolens est prorsus, atque aliena à Scripturæ & bonorum authorum usu: & insignem Pauli sententiam corrumpit.

Qui imputationem mercedis statuit duplicem: unam ex gratia: & ei contrariam ex debito: nam quod ait Scholiastes, *sic argumentatur Paulus, ei qui operibus meretur, merces non imputatur v.* 4. *Atqui Abrahamo justitia fuit imputata, nempe per fidem v.* 3. *Ergo Abraham non est meritus justitiam operibus*: illud inquam minus aptè statuitur: nam (ut omittamus, quod Paulus non agit speciatim de merito, sed generatim de debito loquitur) non negat, operum justitiæ perfectæ generatim mercedem imputari: sed speciatim non ex gratia imputari ait, sed ex debito. Deinde cum certum sit ex sequentibus, fidelibus, licet in se peccatoribus, peccata non imputari, contraque ex contradictionis lege & Scripturæ sensu, infidelibus peccatoribus peccata imputari, inde sequetur hoc absurdum; si imputare significet ascribere id, quod non debetur, infidelibus peccatoribus, quibus peccata imputantur, ea præter debitum attribui: & vicissim fidelibus, quibus non imputantur peccata, non indebitè (ut sic loquar) hoc est, debitè peccata ascribi. Ideoque ea vocis *imputandi* significatio refutatur, & objectæ ellipsis aliena comperitur. Hæc de vers. 4.

Atque hæc de primo oppositionis justificationis duplicis membro, nempe justificatione seu imputatione justitiæ ex operibus: eam esse, non ex gratia, hoc est, indebita benevolentiâ; sed ex debito. Alterum est descriptio justificationis fidei, seu per fidem, quod hæc non sit debita dignitati fidei, sed gratuita; qua scilicet, is, qui in se est impius, hoc est, injustus, seu sua justitia universali destitutus, justificatur gratis, imputatione justitiæ alienæ, nempe Christi, à Deo donatæ per fidem. Hæc summa est v. 5.

Verùm, quia hæc sententia illustris est, suasque habet difficultates, ob controversias ab adversariis motas: idcirco distinctiùs explicanda est, & veritas illius adversus Pontificios asserenda. Partes autem sunt duæ, *subjectum* & *attributum*. Ac *subjectum* rursus duobus constat membris, primum est, *Ei verò qui non operatur*. Ubi vox *operari* ut versu antecedente, non propriè & universaliter accipitur, pro opus aliquod efficere: sed impropriè, per Synecdochen, eamque non generalem, pro bonum aliquod opus efficere: sed specialem, pro omnia opera bona lege mandata præstare: aut, quod eodem redit, & cum versu tertio cohæret, operari justitiam, nempe universam, quam lex Dei requirit: idque scopus Apostoli antecedens, & sequentia etiam probant: quemadmodum versu 2. opera denotant universam bonorum operum justitiam: sic v. 6. sequente similiter. Atque hæc de primo subjecti membro. Alterum est, *sed credit in eum, qui justificat impium*. In quo observandæ sunt voces duæ, primum quid *impius*: deinde quid *justificare* hîc significet; nam quid sit *credere in Deum*, jam v. 3. explicavimus. Ad priorem igitur quod attinet vocem, ἀσεβὴς *impius*, hoc loco non sumitur κατ' ἐξοχὴν, pro insigni primæ tabulæ violatore: sed generatim, pro cultus Dei, utraque tabula præscripti, transgressore seu peccatore: & quidem non simpliciter: sed secundum quid, nempe secundum carnem: non autem secundum Spiritum Rom. 7. v. 25. intelligitur enim hac voce non quivis peccator: seu non is etiam, in quo caro obtinet imperium, & qui sanctificatione caret: quales sunt infideles: sed solus regeneratione sanctificatus, atque hoc modo fide donatus, & per eam Christi membrum effectus, & justitiæ illius particeps: ille enim proprium est justificationis subjectum, ut hæc sententia demonstrat.

Altera verò vox, nempe *justificare*, pro justitiam imputare seu justum judicare, ex natura rei exponitur ab Orthodoxis. Contra verò Pontificii & inprimis Bell. contendunt, denotare, *efficere justum ex injusto*, *mutatione* qualitatis injustitiæ inhærentis, in contrariam justitiam. Idque probare conantur, primum ex hoc loco, quod Deum constituit injustum, illud hîc non est intelligendum: Atqui Deum impium in se manentem, justum judicare, illud Deum injustum statuit. Ergo hoc loco non intelligitur. Assumpt. probant, quia judicare eum justum, qui non est justus, falsò ideoque injustè judicare est: quia aliter quàm res est, judicatur: Atqui *judicium Dei est secundum veritatem* Rom. 2. 2. & *maledictus est coram Deo, qui justificat impium* Prov. 17. v. 15. Ideoque Deus hoc non facit, cum in aliis damnet.

Verùm homonymiâ luditur; quia *impii* seu *injusti* vocem, secundum quid, atque relatè accipimus, (non autem absolutè) Paulum secuti, pro eo, qui secundum carnem peccator est, & respectu quidem sui, seu in se consideratus, injustus est; relatè tamen ad Christum, & in Christo, cui per fidem insitus est, ideoque justitiâ illius, justus; atque ita objectum proprium ac per se justificationis proximum est, per fidem in Christo justus. Deus igitur impium in se, sed non qua impius est, & in se consideratus; sed quatenus in Christo est justus, verè justum judicat. Sed rursus à re rejecti, ad vocis vim & usum in Sacra Scriptura confugiunt. Sic enim primum objectant, ex analogia similium vocum: sicut *ædificare* est ædem facere, *sanctificare* sanctum facere, *nigrificare*, nigrum, inducto nigrore, facere; sic etiam analogicè *justificare* est justitia indita justum facere. Verùm negatur consequentia. Primùm enim (ut omittam, quod hæc vox *justificare* non latina est, sed à Patribus ficta) significatio illius, hoc loco, ex Latinæ linguæ analogia, æstimanda non est: sed ex genio atque significatione vocis Græcæ δικαιοῦν, qua utitur Paulus; & rei, de qua agitur, natura, intelligi debet. Atqui (ut Orthodoxi in eo consentiunt) probari non potest, vocem *justificandi* ubicunque in Scriptura agitur de hominis coram Dei tribunali, adversus legis condemnationem, justificatione, significare justitiam indere: imò contrarium inde demonstrari: primum, quia hoc modo, quem obtendunt Pontificii, justificare & sanctificare, quæ diversa sunt beneficia, confunderentur: sanctificat enim nos Deus, sanctitatem seu justitiam indendo; qua justitia, adversus legis condemnationem, coram Dei judicio, consistere non possumus Psal. 143. 2. Rom. 3. 20. quia sanctitas & justitia hæc inchoata tantum est, atque imperfecta: quoniam vitiositas naturæ nostræ, bona quidem parte, sed non omni parte sublata est, carnis reliquiis adversus Spiritum certantibus, Rom. 7. 25. Gal. 5. v. 16. & 17. sed contra indies opus habemus agnitione debitorum, & veniæ precatione, propter Christum, Mat. 6. 12. Luc. 11. 4. 1. Joh. 1. vers. 8. & 9. ac propterea sanctitate inhærente justificari non possumus; sed contrà propter imperfectionem illius, ac carnis repugnantiam, si meritum nostrum spectemus, secundum legis sententiam, condemnationem promeremur: Deut. 27. 27. Secundò, multi ex Orthodoxis, ulterius etiam procedunt, ut Pontificios eo amplius confutent, & ad vocis usum, cùm in bonis authoribus Græcis, tum in Sacra Scriptura provocant, negantque vocem δικαιῶ, quæ verti solet *justifico*, significare indere justitiam seu efficere in aliquo justitiam: id quod non inani fiducia ac jactatione à Kemnitio, in eruditissimo illo examine Concilii Tridentini, asseritur: nam ne doctissimi quidem & diligentissimi Pontificiorum doctores, ullum hactenus significationis illius è profanis authoribus exemplum proferre potuerunt. Verùm in Sacra Scriptura, quædam extare contendunt: eaque in re nonnulli è nostris Theologis faciles se præbent atque assentiuntur: quod ea res Pontificiorum causam non demonstret, in quæstione de justificatione: veruntamen cum Kemnitio aliisque non temerè id negamus, freti primum vocis usu apud Græcos perpetuo; deinde locorum, quæ præterea objectantur, circumstantiis; quod ex iis evinci non possit, eam esse significationem; ut examen eorum fidem faciet.

Primum enim è Vet. Test. proferunt sententiam Dan. 12. v. 3. *& erudientes splendebunt quasi splendore expansi, & justificantes multos ut stellæ in sempiterna secula*. Sed hinc probari non potest, quod obtendunt: sensus enim est, fideles illos verbi divini ministros, qui multos Euangelio erudierint, & tanquam instrumenta Dei & Euangelii, ad vivam fidem & justificationem adduxerint, stellarum instar futuros cœlestis gloriæ præmio, ut 1. Cor. 3. v. 5. *quid igitur est Paulus, quis verò Apollo, nisi ministri Dei, per quos vos credidistis?* & Act. 26. v. 17. 18. de Paulo, ait Deus, *ad quos nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ad convertendum à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum: ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem, quæ est in me*.

Verum alterè N. T. locus speciosior profertur, cui plurimum confidunt adversarii Apoc. 12. vers. 11. *qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*. Ergo, inquiunt,

inquiunt, *justificare* significat justum facere ex injusto, inhærente justitia. Sed primum responderi potest, antecedens non esse certum: quia Andreas Cæsariensis in Apoc. non legit δικαιωθήτω, *justificetur*: sed δικαιοσύνην ποιησάτω *justitiam faciat*, hoc est, exerceat; ut etiam laudatissima *Complutensis editio*, & interlinearis Plantiniana ex eadem, & Roberti Stephani exemplaria quatuor. Verùm, esto certum antecedens; altera responsio expedita est duobus modis. Prior est, ut sensus sit; qui justus est per fidem, eam amplius exercendo, indies magis magisque justificetur: justificatio enim universa fidelium non uno tempore peragitur: nam cum justificamur, absolvimur quidem à peccatis, justique censemur à Deo; sed non à futuris peccatis: quia ea nondum sunt, neque ea nos possunt reos reddere: ideoque nec ab iis absolvimur: sed cum jam peracta sunt, tum fide in Christum condonantur; ac propterea quotidie pro remissione peccatorum ac justificatione, Deum, fideli precatione, interpellamus: ut oratio dominica docet, & 1. Joh. 1. vers. 9. Posterior responsio est, ut vox *justificationis* aliter quàm apud Paulum accipiatur: nempe non pro justificatione ex causis, seu qua ob perfectam, id est, universalem justitiam, in Christo, justi judicamur: sed justificationem ex effectis notet, quibus sermone aut factis, justitia inchoatâ præditi, à nobis ipsis, aut ab aliis justi judicamur, atque declaramur: imò & interdum, cum justitia ea carentes, nihilominus tales, nempe justos sese aut jactant sermomone, aut ostentant externa operum specie: quemadmodum Luc. 10. v. 29. dicitur, *ille volens se justificare*, id est, justum ostendere, verbisque suis declarare. & Luc. 16. 15. *Vos justificatis vos coram hominibus*, id est, justos ac viros bonos sermone & specie externa operum indicatis: sicut Abrahamus quoque, non fictè, ut hi, sed verè Jac. 2. justificatus dicitur, hoc est, ex operibus, justus (hoc est, præditus justitia inchoata) aut etiam justus per fidem judicatus est; ut arbor bona, ex bonis fructibus, bona judicatur. Ac propterea fortasse factum est, ut hic sit varia lectio: quod videlicet verbum δικαιωθήτω, *justificetur*, fuerit olim expositum, ad marginem ascripto scholio isto, δικαιοσύνην ποιησάτω *justitiam faciat* seu *exerceat*; quod scholium deinde, progressu temporis, quasi varia & melior lectio æstimatum fuerit à librariis nonnullis, ideoque, priori lectione expuncta, scholium contextui inscriptum. Utut autem se res habeat, nihil solidi ex hoc loco adferri potest, unde demonstretur, *justificare* in S literis interdum significare, justum ex injusto inhærente justitia facere: seu justitiam in aliquo efficere. Atque hæc de Pauli sententia, quâ ostendit justificationem fidei non esse debitam, sed gratuitam; qua in se impius, seu injustus, hoc est, universali ac perfecta legis justitia destitutus, justus judicatur justitiæ Christi à Deo donatæ imputatione, per fidem: ideoque Abrahamum non ex operibus justificatum, coram Dei secundum legem judicantis tribunali: nec habere, quod glorietur, de debita suis operibus, à Deo, justificationis & vitæ æternæ mercede. Ac propterea graviter impingunt Pontificii, qui tam claram atque apertam S. Scripturæ doctrinam oppugnant. Nam quod excipiunt, se minimè oppugnare, ea de causâ, quod diversa sit verborum Pauli & suorum sententia, illud inquam vanum est effugium: neque conciliatio ista, quam afferunt; pugnam dirimit; sed demonstrat: ajunt enim Paulum quidem, cum negat hominem ex operibus justificari, intelligere non opera moralia, sed ceremonialia: se verò non ceremonialia, sed moralia intelligere. Verùm quod de Pauli sententia statuunt, manifestè Paulo repugnat: qui cap. 3. docuit omnes esse peccatores, & transgressores legis moralis, eoque neminem ex operibus moralibus justificari, ut cap. 3. manifestè demonstrat. Et hoc in loco justificationem ex operibus, debitam esse, & ita justificatum habere, quod glorietur; contra justificationem ex fide gratuitam, nec habere opera, hoc est, justitiam universalem lege præceptam. Quis autem dixerit, eum qui omnes ceremonias legis observarit, & caruerit moralis legis justitia, coram Deo habere gloriandi materiam, & coram ejus tribunali justificari? neque demonstrare hoc tam operosè & ineptè voluit Paulus: cum contrà Deus Ps. 50. Esa. 1. & alibi, ceremoniarum observationem destitutam justitia morali damnet, ut Deut. 27. v. 27. Sed rursus instant novâ elusione, Paulum loqui de operibus infidelium: se verò de operibus à fide promanantibus ac justificatis: ideoque Paulum agere de justificatione prima, quâ quis ex injusto in se, justus fit, ac insita justitia donatur; quæ justificatio non fit ex operibus: se verò, de secunda loqui, qua justificatus justior fit, operum è fide promanantium meritò. Verùm jam ante ostendimus contrarium, nempe omnes etiam fide justificatos, etsi dispari modo, in se adhuc esse peccatores, ratione reliquiarum carnis & actionum illius vitiosarum, indies repugnantium adversus Spiritum, Gal. 5. vers. 16. Deinde opus habere, ut veterem hominem exuant, ratione progressus & incrementi illius, Eph. 4. vers. 22. Col. 3. 5. 8. 9. *& reformentur renovati Spiritu mentis suæ* Rom. 12. *& induant novum hominem* Ephes. 4. vers. 23. 24. hoc est, ut Sanctitas insita, per regenerationis gratiam inchoata, augeatur indies actionum sanctarum exercitio. Ideoque in Vet. Testam. universali, de populo Dei, sententia asseritur 1. Reg. 8. vers 46. *nemo est, qui non peccet.* Et Prov. 20. 9. *quis dicere possit, purificavi cor*, (id est animum) *meum, mundus sum à peccato meo*? Sic etiam in N. T. 1. Joh. 1. 8. & 9. Jac. 3. 2. *in multis labimur omnes*: unde omnium fidelium ac justificatorum communis, in oratione Dominica, confessio est Luc. 11. 4. *remitte nobis peccata nostra*: unde certissimè ac perspicuè elucet, hominem justificatum non posse suis operibus justificationis incrementum promereri. Neque obstat quod Joann. 1. epist. c 1. v. 8. 9. ait: *si peccata nostra confiteamur* (nempe recto modo, seu vera resipiscentia ac viva fide) *fidelis ac justus est Deus, ut remittat nobis peccata & purificet nos ab omni injustitia.* Hinc enim non sequitur: Ergo meremur: aut jure perfectionis atque dignitatis, quæ in confessione nostra consistat, remissio peccatorum debetur ac datur à Deo: nam justitia Dei, hoc quidem in loco, cum justus dicitur, est, qua jus suum confitenti tribuit: sed jus, non acquisitum ac debitum ratione dignitatis confessionis: sed ratione promissionis gratuitæ, qua Deus se, ex mera gratia, confitenti obligavit & debitorem constituit donandæ remissionis peccatorum: ideoque συνωνύμως hæc duo, illius rationis causa, hoc in loco conjunguntur, cum Apostolus ait, *fidelis est & justus.* Verùm pro mercede vitæ æternæ operibus debita ac merita objectant ex 2. Timoth. 4. vers. 7. 8. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest, reposita est mihi justitiæ corona.* Ergo inquiunt operum dignitati, quibus decertavit & justitiam exercuit, corona est debita. Verùm negatur consequentia: justitia enim hoc in loco justitia inchoata, non perfecta intelligitur: nam perfectionem sibi Paulus meritò derogavit Phil. 3. vers. 9. & 12. ideoque corona hæc non merita, sed gratuita, quæ secundum promissionem misericordem Dei data Matt. 10. v. 22. & Hebr. 10. vers. 16. Sed instant rursus; corona hæc datur à justo judice: Ergo debita ac merita. Verùm consequentia partim conceditur, partim negatur: conceditur, coronam propterea esse debitam: hoc enim non est in controversia: negatur vero secundum quid, quatenus merita concluditur: nam judex hic, quia coronam ex gratia mera promissam in certamine victori tribuit, dat quidem ex debito, quo, per promissionem indebitam, se obstrinxit; non autem operum dignitate ac paritate insita: *imparia enim sunt gloriæ revelandæ.* Rom. 8. 18. & defectibus ac peccatis opera nostra bona contaminata: ideoque iis jure summo non præmium, sed pœna debetur: si dignitas insita spectetur.

Verùm acriùs urgent ex 2. Thes. 1. 5. ubi de tolerantia & fide Thessalonicensium ait: *Quæ res manifesto est indicio justi judicii Dei, ut digni censeamini regno Dei: pro quo etiam patimini.* Ergo datur regnum Dei propter insitam operum dignitatem ac meritum: verùm negatur conseq. nam digni esse regno dicuntur non per se, insitaque tolerantiæ ac fidei dignitate, ut ante ostendimus; sed per accidens dignitatis ex promissione Dei gratuita collatæ: qua, propter Christum, eos, qui officium præstant, fideles, dignos censet regno Dei, hoc est, aptos & idoneos: talibus enim promisit, ac talem conditionem in regno donandis præscripsit.

Sed unum postremo loco valde speciosum objicitur, hoc modo: 2. Cor. 4. v. 17. Afflictiones dicuntur efficere nobis maximum gloriæ pondus.

Ergo sunt meritum vel saltem causa efficiens gloriæ, hoc est, vitæ æternæ gloriosæ.

Verùm negatur conseq. 1. quia *facere*(ut voces aliæ affines, quæ actionem notant) sumitur bifariam, propriè vel impropriè: propriè ut Rom. 2. v. 9. *facere malum*, hoc est, peccatum committere: impropriè verò per metaphoram, pro esse rei alicujus adjunctum antecedens, quo posito, res sequatur certo, etsi non vi adjuncti. Qua similitudine Deus ait: 2. Sam. 12. 11. 12. *Ecce ego suscitaturus sum malum è domo tua, & accipiens uxores tuas, (quæ) ante oculos tuos, tradam proximo tuo, qui cubabit cum uxoribus tuis, coram isto sole. Quamvis tu feceris clam, attamen facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram isto sole.* Deus enim malum hoc non propriè suscitasse, nec propriè ista fecisse dici potest; quia sanctitati Dei repugnat, qui ejus non est author, cujus justus est ultor: sed impropriè ac similitudine quadam: quia ad castigandum Davidem, sua gubernatione adjuncta, occasio fuit mali, abusu permissionis divinæ, vitio Satanæ & hominum: nimirum cum Deus Satanæ & Achitophelis sceleratis consiliis, & impiis Absolomi cupiditatibus frena laxavit permissione sua: & eum pravis cupiditatibus, quibus addictus erat, reliquit. Sic Matth. 10. 34. 35. *Non veni missurus pacem, sed gladium: veni facturus, ut dissideat filius adversus Patrem suum.* Atque hoc modo hic accipitur, *efficere gloriæ pondus*, pro esse occasionem & conditionem requisitam, qua posita sequatur certò cœlestis gloria: quemadmodum posita causa, proprium effectum sequitur. Atque ob hanc similitudinem consequentiæ, non autem quod causa efficiens sit, *efficere* dicitur. Heb. 10. v. 36. 2. Tim. 2. 12. Si enim causa essent afflictiones cœlestis gloriæ seu vitæ æternæ, eam vi sua efficerent: ut natura ac definitio causæ evincit. Atqui vi sua eam non efficere, Apostolus apertè, hoc loco, qui objicitur, demonstrat: nam opponit inter se, ut maximè inæqualia, afflictiones & gloriam, cum ratione temporis, tum ratione ponderis: illas enim esse momentaneas; hanc verò æternam: illas esse leves; hanc verò pondus habere summè excellens. Ac propterea vim non habent afflictiones nostræ, ut gloriam cœlestem efficiant propriè: multò minùs ut illius sint meritum: quod Pontificii contendunt. Deinde, quod observandum, quamvis vox *efficiendi*, in hac Pauli sententia, propriè deberet accipi, ne hoc quidem modo solide sequeretur, afflictiones nostras esse causam efficientem, multo minus meritum vitæ æternæ gloriosæ: quia gloria non necessario impropriè ac metonymicè pro vita æterna gloriosa accipi debet: quod tamen quasi extra controversiam, ac certam hypothesin sibi sumunt: sed potius propriè, de gloria, qua fideles in animo suo gloriam concipiunt ac gloriantur de afflictionibus suis, pro Christo; quod ipsis sint certa documenta ac signa vitæ æternæ, secundum gratuitam Dei promissionem, dandæ: ut Paulus Rom. 5. vers. 2. ad 6. docet. *Gloriamur etiam sub spe gloriæ Dei: nec solum verò, sed etiam gloriamur in afflictionibus nostris, scientes quod afflictiones tolerantiam efficiant; tolerantia explorationem: exploratio vero spem: spes verò non pudefacit*, hoc est, per metonym. effecti proprii pro causa, vitâ æternâ speratâ non frustratur, sed eâ donatur. Sic Christus Matth. 5. vers. 10. 11. beatos pronunciat afflictos propter justitiam. Et versu 12. ait, *gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cœlis*, Et Jac. 1. 2. *pro summo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis:* cui expositioni propositæ convenit etiam phrasis Apostoli & sequens gloriæ ratio: phrasis, quia ait, *pondus gloriæ* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, hoc est ad verbum, *secundum exsuperantiam, in exsuperantiam:* quod videtur denotare, hanc magnitudinem gloriæ, quæ exsuperat gloriam mundanam, crescere in verè fidelibus, & quo magis patiantur, majorem habere progressum. Atqui in vita æterna ὑπερβολὴ quidem est, sed quæ non tendit ulterius, quia simul ac semel perfecta est. Deinde sequentia aptè conveniunt, quibus causam impellentem hujus gloriæ exponit, hoc modo: *dum*, inquit, *non spectamus ea, quæ cernuntur: sed ea, quæ non cernuntur: nam quæ cernuntur, temporaria sunt; quæ non cernuntur, æterna*: quod exemplo illustratur memorabili, Heb. 11. 25. & 26. de fide Mosis, in afflictionibus; *potius*, inquit, *eligens malis affici, cum populo Dei, quam temporariis commodis peccati frui: majores arbitratus divitias, probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros: intuebatur enim in præmii retributionem.* Sic de fidelibus fide ac spe in afflictionibus certantibus ait Petrus, 1. Ep. c. 1. v. 6. *Qua in re exultatis, tristitiâ paululum, si opus est, in variis tentationibus, affecti.* Si quis verò objiciat, hanc excellentiam gloriæ, cœlesti vitæ probè convenire, quæ ob absolutum & æternum statum, omne gaudium exsuperat: sed gaudio fidelium non convenire in hac vita: quia nec est æternum, nec exsuperat absolutè omne gaudium? Resp. gaudio fidelium non convenire minimè probatur: æternum enim est, quia initium est vitæ beatæ, in terris, quod non perit: sed accessu cælestis gloriæ excellentissimè adaugetur: deinde etsi gaudium & gloria cœlestis Ecclesiæ triumphantis, omne gaudium infidelium & Ecclesiæ militantis exsuperet, comparatè tamen cum infidelium hujus mundi gloria ac gaudio, fidelium gloria & gaudium pondere superat. Idque eodem cap. Petrus v. 8. asserit, *Quem* (scilicet Christum) *cum nunc non cernatis, ei tamen credentes, exultatis gaudio ineffabili & glorioso.* Atque ea sententia seu interpretatio, quemadmodum analogiæ cùm fidei, tum contextus orationis, seu proprietati vocum & circumstantiis loci egregiè convenit: ita etiam meritò impropriæ Pontificiorum, quæ ab analogia cùm fidei, tum contextus recedit, præferenda.

Quare meritò contra Pontificios concludimus, hominem operibus suis, nec justificationem, nec vitæ æternæ mercedem promereri. Atque hæc dicta, ad illustrationem & assertionem Pauli, hoc cap. 4. Rom. vers. 5. Atque ita priori argumento materiæ de justificatione propositæ, ex lege, seu Genesi, de justificatione Abrahami, desumpto, & ad operum justificationem refutandum allato: alterum adjicitur jam ex Prophetis, nempe ex testimonio Davidis, Psal. 32. cujus sensum proponit v. 6. & verba ipsa apponit v. 7. & 8. quæ rei summa nonnihil explicanda est, ut insignis Apostoli sententia accuratius percipiatur, & ab expositione aliena noxiaque vindicetur.

Testimonii sensum proponit vers. 6. cum ait, *sicut etiam David dicit beatum eum hominem, cui Deus imputat justitiam, absque operibus:* quo in loco primo considerandum est, quidnam sibi vox *dicendi* velit: deinde, quid res dicta denotet: ac prius quidem explicationem pleniorem non desideraret, nisi error quorundam interpretum vitandus, & doctrinæ de justificatione puritas illud flagitaret: nec enim uno tantum modo quispiam aliquid *dicere* intelligitur: sed variis, pro dictorum modo diverso: siquidem hoc fit, aut propriè, sine tropo; aut per tropum: qualis, inter cæteros, etiam est Synecdoche, ut cum *caro* Rom. 3. v. 20. aut anima Rom. 13. v. 1. pro toto homine usurpatur: ut etiam cum *sanguis Christi*, nempe effusus, *nos* dicitur *purgare ab omni peccato*. 1. Joh. 1. *& reconciliati ipsius morte* Rom. 5. 10. ubi per *sanguinem* & *mortem* tota passionis Christi & mortis satisfactio Synecdochicè necessariò intelligitur: quoniam nec sanguis solus effusus, mortem antecedens, nos à peccatis purgat: quia illud morti etiam convenit: nec sola mors succedens reconciliat nos Deo: sed per sanguinem Christi antè fusum etiam Deo placamur Rom. 3. v. 25. neque denique per utrumque, sanguinem Christi in cruce effusum, & mortem, solummodò sumus Deo reconciliati: sed per totam Christi passionem, quæ sanguinis effusionem & mortem, non exiguâ parte, antecessit: qua de re Esa. 53. 1. Pet. 2. & alibi disseritur.

Deinde aliquid etiam in Scriptura dicitur, vel immediatè ac proximè; cum expressis verbis vel æquipollentibus illud enunciatur, ut de Abrahamo, quod credidit Deo, Rom. 4. v. 3. Scripturæ dicenti tribuitur: idque disertè extat Gen. 15. v. 6. Sic etiam Rom. 7. v. 7. *lex dicit, non concupisces*, ut extat Ex. 20. 17. vel mediate ac remotè; idque vel per typum propheticum: vel per consequentiam rectam. Per typum propheticum aliquid dicitur, cum historicè aliquid enuntia-

enuntiatur, & res per historiam significata ac prædicta secundariò intelligitur. Quemadmodum ejus rei illustre exemplum est, quod Johannes cap. 19. 33. de Christo ait: *Non fregerunt ossa ejus*: idque postea probat è Sacra Scriptura v. 36. *facta*, inquit, *sunt ea, ut Scriptura impleretur; os ejus non confringes*. Id quod citra controversiam immediatè & proximè de agno paschali dictum Ex. 12. v. 46. mediatè verò etiam de Christo (qui agno paschali fuit adumbratus 1. Cor. 5. v. 7.) idem prædicitur typicè ac gradatim. Per consequentiam verò aliquid in Scriptura dicitur, cum res ipsa quidem non exprimitur, sed positione alterius rei, unde dependet, tanquam necessario argumento, è quo sequitur, indicatur; quomodo Christus ait Matth. 22. *de resurrectione mortuorum non legistis quod Deus dixit, &c.* ubi de resurrectione mortuorum dicitur, non immediatè ac proximè ratione consequentis: sed tantum ratione consequentiæ: quia ex illo fœdere gratiæ & promissione, cum Deus Deus Abrahami dicitur, tanquam ex argumento valido, necessariâ consequentiâ, indicatur illius (eoque & eorum qui ejusdem sunt fœderis) resurrectio: quemadmodum Christus etiam sequenti argumentatione demonstrat.

Hisce dicendi modis variis jam explicatis ac præmissis, ad dicti sensum accedamus, quo asseritur, eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus, beatum dici à Davide. Nam λέγειν τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου nihil aliud est, periphrasi quadam, quàm μακαρίζειν beatum dicere: ut rectè noster interpres reddidit, *pronunciat beatum*. Quam sententiam probat Apostolus propositione verborum Davidis vers. 7. & 8. ex Psa. 32. quo in loco elegans omnino allegoria est, cum dicit, eum, cui remissæ sunt iniquitates & tecta sunt peccata, ac cui non imputat Deus peccatum, esse beatum; ubi eadem sententia, tribus phrasibus, variatâ metaphorâ enuntiatur. Nam si subjecta consideremus, quæ miseriam humanam describunt, peccata sunt quasi vincula, quæ nos reatu seu obligatione ad pœnam vinctos ac captivos reddunt: deinde quasi naturæ & operum turpitudo quædam ac sordes, quæ nos Deo ingratos reddunt: denique sunt quasi debita, quibus debitam obedientiam Deo detrahimus: & quasi in libro Actorum judicii divini pœnam debemus.

Gratia vero Dei tribus idoneis attributis declaratur, *remittendi* seu solvendi vinculum illud & captivitatem; & *obtegendi* turpitudinem ac sordes illas: & *non imputandi* seu non annumerandi debitis, sed debita nostra dispungendi: qua allegoriâ pœnæ peccatorum nostrorum condonatio, propter Christi satisfactionem, qua pœnam nobis debitam pertulit, citra controversiam significatur. Verùm hoc in quæstione positum est, An ex hac Davidis sententia, & expositione Pauli antecedente sequatur, imputationem justitiæ nempe perfectæ, & remissionem peccatorum, strictè loquendo, seu sine Synecdoche acceptam, unum & idem esse: quidam affirmant: alii meritò negant, ut res ipsa arguet: nam remissio peccatorum non est tota ejus, quod legi debemus, præstatio; eoque nec est tota justificatio, sed tantum pars illius, qua secundum quid justitia nobis imputetur: non autem universalis justitia: nam debemus legi divinæ ac Deo justo judici, ob legis violationem per peccata, pœnam maledictionis, secundum sanctionem legis Deut. 27. 27. deinde debemus præterea obedientiam ut vitam consequamur, *hoc fac & vives* Levit. 18. 5. In utriusque debiti præstatione perfecta justitia, (quâ Deo suum à peccatoribus præstatur) continetur: & justitiæ perfectæ imputatio utrumque necessariò complectitur: ideoque in solâ remissione peccatorum non potest consistere.

Verùm Paulum nobis objiciunt, qui ait Davidem dicere beatum hominem, cui Deus imputat justitiam. Atqui David pro hisce verbis habet, *remittere iniquitatem & peccata non imputare*: Ergo remissio peccatorum strictè accepta, est imputatio perfectæ justitiæ: alias quo modo verè enunciaretur, Davidem ea dicere, quæ ipsi Paulus attribuit? Sed negatur Conseq. Primò, quia David idem quidem dicit reipsa quod Paulus: sed non strictè, verùm per Synecdochen partis pro toto, seu membri pro integro: cum enim remissio peccatorum sit prima pars justificationis (ut antè ostendimus) quâ propter pœnarum Christi pro nobis solutarum satisfactionem, à debito pœnæ ferendæ absolvimur, ac relatè ad legis maledictionem eatenus justi judicamur, Synecdochicè totam justificationem notat: quia pars prima & præcipua est: deinde quia individuo (per accidens gratuiti fœderis) nexu, ei parti, seu non imputationi peccati, conjuncta est altera justitiæ atque obedientiæ perfectæ mandatorum legis imputatio in Christo & propter Christum. Secundò, etiamsi strictè à Davide peccatorum remissio acciperetur: ne hac quidem ratione sequeretur, eam propriè esse imputationem perfectæ justitiæ; sed potius, ea positâ, certo consequi, tanquam ex argumento solido, ob copulam utriusque perpetuam; ac propterea Davidem imputationem justitiæ sine operibus pronunciare, non quidem expressè ratione consequentis; sed ratione consequentiæ; seu non quod idem sint; sed quod se mutuò ponant. Et qui eum beatum dicit, cui peccata non imputantur, atque ea ratione esse sine perfecta operum justitia peccatorum mentione indicat; Is similiter mediatè, per positionem antecedentis proprii, consequens necessario connexum, consequentiæ vi etiam dicit.

Sed excipitur: quibus à Deo peccata non imputantur, illi judicantur nihil fecisse mali, nihil omisisse boni: ac propterea non imputatio peccati est imputatio perfectæ justitiæ. Sed negatur antecedens: nam non imputare peccatoribus peccata, non significat judicare, quod nullum fecerint peccatum, nihil commiserint mali, nihil omiserint boni: quia hoc pugnat contra rei & Dei veritatem ac justitiam: nam peccata facta, infecta fieri non possunt: nec Deus aliter judicare potest, quam res est: quia judicium ejus verum est. Sed contrà, non imputare peccata, de reatu peccati ac pœna, non de iniquitate & culpa illius intelligendum, hoc est, quod Deus non imputat ad pœnam, quod non abstinuerint à malis, nec perfecerint bona omnia lege præscripta: nam quod objicitur, inter non imputationem peccati & imputationem justitiæ perfectæ nullum esse medium: illud inquam falsum est: quia ante lapsum Adamo & nobis in eo non imputabatur peccatum, neque ad pœnam, neque ad culpam; sed tamen licet careret peccato, non imputata ei fuit perfecta justitia, quæ ad jus vitæ æternæ requiritur: quia etsi omnia mandata Dei observasset & omnino: non tamen ad finem usque servavit: ideoque perfectio durationis defuit. Sed de hac re aliâs etiam à nobis actum: unum superest, ad pleniorem hujus loci vindicationem, quod Pontificii ex eo & similibus probare contendunt, justificationem hominis constare duobus membris, remissione peccatorum, & insita justitiâ nostra; quia David Ps. 32. 2. non solum ait: *beatus homo, cui non imputat Dominus iniquitatem*; sed etiam addit, *& in cujus spiritu non est dolus*: ac propterea æqualẽ statuit rationẽ, secundi ac primi membri, quod hæc duo ad hominis beatitudinem, ideoq; & ad hominis justificationem concurrant.

Verùm negamus hoc probari recta consequentia. Primum, quia ea verba, *In cujus spiritu non est dolus*, inchoatam tantùm sanctitatem, non autem perfectam notant: quia cum peccatis, quæ remittuntur, seu quorum pœnæ, propter Christi pœnæ satisfactionem, condonantur, conjuncta statuitur. Et in eodem Psalmo, omnes sancti pro remissione peccatorum oraturi dicuntur: ut revera etiam Christus orare docuit Matth. 6. Ideoque imperfecta cum sit sanctitas, justificare non potest. Quare hic duo conjuncta quidem, sed diversa tamen proponuntur, beneficium Dei, remissio peccatorum qua beati sumus, & effectum, officium nostrum, ut sincerè Deum colamus: quod signum est remissionis peccatorum, & beatitudinis argumentum, ut Rom. 8. *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum.* ubi esse in Christo, causa est liberationis à condemnatione: sed non secundum carnem, verùm secundum Spiritum vivere, effectum est ac signum illius unionis cum Christo & liberationis à condemnatione. Similiter quod Ps. 1. dicitur *beatus vir, &c.* ostendit quales sint beati: non autem quo merito, aut qua causa efficiente beati sint, ut malè Pontificii colligunt; quia obedientia nostra imperfecta ac peccatis contaminata est: ut antea demonstravimus.

Hactenus de genuina v. 6.7. & 8. sententia, & Davidis testimonio, quo indicatur, hominem justificari sine operibus, hoc est, sine perfectâ operum justitia: quod justificatio sita sit in peccatorum remissione & annexa gratuita justitiæ imputatione. Quo homo beatus est, eo justificatur, beatitudo enim hominis, in hac vita, consistit in justificatione, qua à maledictionis reatu absolvitur & hæres æternæ beatitudinis statuitur: at remissione peccatorum homo beatus est: Ergo remissione peccatorum justificatur, eoque imputatione justitiæ sine operibus, nam peccata seu opera vitiosa habere quæ remittantur, & perfectam habere operum justitiam, inter se pugnant. Atque hæc de justificationis modo, unde opportuna transitione, ad subjectum illius declarandum ita accedit, ut simul etiam antecedentia legis & Prophetarum testimonia amplius illustret. Quam ad rem utitur communicatione rhetorica: quæ constat quæstione & responsione duplici: ac prior quæstio generalis est: an hæc beatitatis declaratio, de qua David loquitur, pertineat ad solos circumcisos, (ut Judæi plurimi statuebant Actor. 15. 1.) an vero etiam ad incircumcisos? quam quæstionem ab occasione illius, justificatione Abrahami, declarat v. 9.

Altera est singularis, de exemplo personæ Abrahami, an illi circumciso, aut incircumciso justitia sit imputata? Quibus quæstionibus suas subjicit responsiones: ac primum ad secundum ὕστερον πρότερον quidem, sed tamen accommodatissime, si rem ipsam spectes: siquidem ab hoc exemplo particulari Abrahami, generalis aliorum justificandorum ratio dependet. Respondet igitur primò, Abrahamo imputatam justitiam non circumciso, sed incircumciso. v. 10. idque illustrat ac confirmat per anticipationem objectionis, à circumcisionis usu, ne quis eam propterea inutilem fuisse obtenderet; siquidem ea non ad justificandum data est; sed jam justificato, ad significationem & obsignationem justitiæ fidei, hoc est, per fidem receptæ, mandata est. Atque hinc deducitur ad priorem quæstionem responsio, ab exemplo Abrahami petita, nempe filios esse Abrahami & ejusdem modi justificationis participes omnes fideles, cùm incircumcisos, vers. 11. tum circumcisos, vers. 12. Quam responsionem utramque porrò confirmat: ut & Judæos aberrantes confutet, & rectè sentientes adversus errorem istum præmuniat. Ratio autem est, quia Abrahamo & semini ejus promissio hæreditatis mundi (supple data est,) non per legem, hoc est, per legis observationem ex operibus: sed per justitiam fidei, hoc est, gratuitâ per fidem justitiæ imputatione: ideoque sine ullo circumcisi aut incircumcisi discrimine. Cœterum quid *mundus* hoc loco significet, disquiritur. Quidam existimant Metonymicè omnes totius mundi fideles intelligi: quemadmodum vers. 16. & 17. *Pater omnium nostrûm*, & *Pater multarum gentium* constitutus dicitur. Quæ expositio fidei quidem analoga, ac pia est: sed minus apta, quod loci circumstantiæ obstent.

Nam, cum hæc hæreditas, de qua sermo, communis dicatur Abrahamo & semini ejus: hoc modo sequeretur omnes totius mundi, per fidei Abrahami imitationem, filios, esse hæredes simul & ipsam hæreditatem, cum tamen nemo sui ipsius, sed alterius sit hæres, ex relatorum opposita natura: quare alia expositio magis convenit, qua *mundi* vox, per Metalepsin quandam, cœlum notet: scilicet ut *mundus* primùm, per Synecdochen totius, partem illius excellentem, nempe terram Chananææ promissam notet: deinde per Metonym. inde ortam, *cœlum* significet, quod videlicet terra illa promissa tanquam typo Prophetico fuit adumbratum, quemadmodum per corporale Abrahami semen, hoc est, posteros, hæredes Chananææ, sic per spirituale semen, hoc est, omnes fideles, hæredes cœli intelliguntur, ut hoc cap. ex vers. 11. 12. 16. & 17. constat. Quamobrem sensus est hujus loci, promissionem hæreditatis cœli Abrahamo & semini ejus datam, non per legis observationem, sed per justitiam fide apprehensam, v. 13. quam rationem Apostolus probat sequentibus: ac primum aphæresin illius, nimirum non per legem esse hæreditatem illam, à consequente absurdo effecto: quia alias lex & fidem & promissionem redderet inanem: nam si qui ex lege sunt (hoc est, legales, id est, qui legem perfectè implent) hæredes sunt Abrahami & promissionis illi factæ, sequitur fidem, quæ non operibus nostris, sed gratia: non lege à nobis perfectè observata, sed promissione de benedictione gratuita in Christo, nititur, quæque legis lationem per Mosen antecessit, esse irritam: quod hæc duo sint contraria hæreditatis obtinendæ media, vers. 14. Quod, quam absurdum sit, demonstratur eleganter, Galat. 3. vers. 15. ad 19. usque. Hoc autem in loco consequentiam firmam esse docet Apostolus à consequente legis, quod iram, non hominum quidem contra Deum: sed Dei contra homines, hoc est, pœnam æternam operetur. Ira enim non affectum in Deo notat: sed effectum, seu justam pœnam, Metaphorâ ab hominibus deductâ: in quibus ut ira est puniendi ob offensam affectus: sic pœnæ effectus sequi solet. Si igitur per illud hæreditas tantum est, sequitur, fidem hæreditatis & promissionem hæreditatis, cui fides innititur, esse irritam, atque ita nullam esse spem salutis: Atqui lex iram Dei operatur: Ergo si per eam tantùm est hæreditas, vana est hæreditatis & fides & promissio. Quod autem *lex iram operari* dicitur, illud non propriè intelligendum, quasi vi legis pœna hominum oriretur, sed impropriè per Metaphoram, qua occasio antecedens, (cujus abusu aliquid, vitio hominis, efficitur) ob similitudinem, quam cum causa efficiente habet, illud efficere dicitur: quod quemadmodum posita causa efficiente, sequitur proprium illius effectum: ita positâ tali occasione, similiter sequatur effectum: verùm non eodem, sed diverso consecutionis modo ac genere; priori enim modo sequitur effectum per se, vi causæ illud operantis; posteriori verò non per se, seu non occasionis vi, sed vitio hominis occasione abutentis, ad illud efficiendum; quo demum modo lex iram seu pœnam operari dicitur: quia legis occasione, dum peccatum vetat, eique hoc modo contraria est, homines, pravitate insita, in vetitum nitentes, abusi, iram Dei magis magisque adversus se provocant atque adaugent: ut Rom. 7. vers. 7. 11. 12. 13. egregiè explicatur. Legem autem eo sensu iram Dei operari, hoc est, iræ Dei esse occasionem, ab hominibus arreptam, probat à consequente peccato: quod causa est iræ Dei: *Ubi enim*, inquit, *non est lex, nec transgressio est*, nempe tanta: nec enim absolutè loquitur, sed comparatè: nam quamvis verum sit, absolutè loquendo, de lege universè sumpta, cum naturali, quæ cordibus: tum morali, quæ tabulis inscripta: de posteriori tamen Apostolum disserere, ex scopo aliisque circumstantiis loci apparet: ac propterea *peccati* vox relatè accipi debet; quemadmodum etiam colligitur ex Rom. 2. vers. 14. & 15. ubi gentilibus peccata ascribuntur & lex denegatur. Similis etiam locus est Joh. 15. 22. *Si non venissem & locutus fuissem iis, peccatum non haberent: Nunc verò non habent, quod prætexant:* ubi *peccatum* apertissimè non absolutè, de quavis legis transgressione accipitur: sed comparatè, quod scilicet tantum peccatum non haberent: siquidum accessu contemtus Euangelii prædicati adauctum est. Atque hæc de vers. 15.

Atque ita confirmata aphæresi hac, non per legem, seu legis observatione, promissionem esse datam: thesin concludit his verbis, *propterea ex fide*: & simul probat, quia hoc modo gratia & promissio toti semini facta, confirmatur. *Totum* autem *semen* quid sit, illustrat distributione opportuna, in illud, quod *est ex lege*, hoc est, legale ac circumcisum, ut v. 12. seu circumcisos fideles: & quod *ex fide Abrahami est*, nempe tantùm: (quæ ellipsis ex oppositione illa colligitur) hoc est, incircumcisos fideles, instar Abrahami: ut qui incircumcisus justificatus est. Nam qui ex lege sunt, seu legales dicuntur, qui legem observant: vel simpliciter vers. 14. vel secundum quid, ut qui secundùm legem circumcisi: quomodo hic accipitur; alioqui hæc duo loca sibi mutuò repugnarent. Hoc autem ratione munit, quia *Abrahamus est Pater omnium nostrûm*, h. e. fidelium, cum circumcisorum, tum incircumcisorum cujuscunque nationis, v. 16. Id quod illustrat Apostolus. Primùm quidem, ab adjuncto Dei judicio, cum ait, *coram Deo.* idque per parenthe-

renthesin probat ex lege, seu libris Mosis, Gen. 17. 5. Secundò verò illustrat ab efficiente instrumentali, nempe fide, quam copiosè describit: ac primum à causa impulsiva, omnipotentia Dei, quâ vivificat mortuos & vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint, hoc est, creat ac format ut Gen. 1. pro omnipotenti suo arbitrio, v. 17. & Hebr. 11. v. 19. deinde à fortitudine illius: quam ex objecti & promissionis primùm datæ difficultate demonstrat, vers. 18. deinde à constantia amplificat, primò per aphæresin, seu negationem contrarii, quam collatione majoris longè difficultatis declarat, nempe quod post 15. annos, à promissione primum accepta, centum circiter annos tunc nato, ea repetita fuerit, & nominatim ad Saræ posteros apertè restricta; cum uterque jam senio & laboribus essent effœti, & Sara præterea sterilitatis vitio ad prolem inepta, v. 19. Aphæresin deinde aliis verbis repetit addita thesi, v. 20. 21. Denique concludit fidei effectum (de quo actum est v. 3.) imputationem justitiæ, v. 22. Idque ad omnes fideles per anticipationem objectionis accommodat, per aphæresin, v. 23. & thesin, vers. 24. Quo loco objectum fidei nostræ proponitur: nempe Deus Pater, & effectum Patris, suscitatio Christi ex mortuis. Cujus resurrectionis ut & mortis causa adjicitur. Mortis quidem, peccata nostra: Resurrectionis verò justificatio, cum ait, *Qui traditus est* (videlicet in passionem & mortem) *propter offensas nostras*, hoc est, fidelium, seu meas & vestras, ô fideles Romani; *& excitatus est propter justificationem nostram.* Certum enim est causam hîc notari. Verùm cum vox *propter*, modò efficientem, modò finem indicet; utrovis modo accipiatur, probabilis est sententia: nam si de fine accipiamus cum plerisque sensus erit, *mortuus propter offensas nostras*, h. e. ad satisfactionem pro offensis nostris: & *resurrexit ad justificationem nostram*, h. e. ut in eo justificemur. Nam ut Deus Pater Christum sponsorem satisfactionis, pro peccatis nostris, judicio & sententia sua, in se condemnans, propter nos, mortem infligendo, actu quoque condemnavit & nos in Christo, 2. Cor. 5. v. 21. & Gal. 3. v. 13. ita ob mortis perpessionem & satisfactionem, Filium Pater justificavit & absolvit judicio suo in se, & deinde resurrectione, tanquam effectu necessario, justificavit, h. e. justum declaravit, & nos in ipso, ut 1. Tim. 3. v. 16. Deinde justificatio nostra cum sit effectum meritum obedientiæ & mortis Christi: ratione tamen facti & collationis illius, etiam dici potest finis resurrectionis: quia Christus resurrexit, ut ascenderet in cœlum, & inde misso Sp. S. per Euangelium, ad fidem vocaret, & meritam justificationem fidelibus donaret. Atque hæc de primo explicationis modo, quo bifariam causa finalis indicari potest.

Alter verò est, ut causam quidem, sed efficientem significet utrimque, hoc sensu: *Traditus est propter offensas nostras*, hoc est, offensarum nostrarum causâ impellente: quia offensæ nostræ hoc erant meritæ; & satisfactionem debitæ pro iis pœnæ, Christus tanquam sponsor in se susceperat, ut Es. 53. v. 5. 6. *Resurrexit verò propter justificationem nostram*, hoc est, justificationis nostræ meritæ causa ac jure: quia enim Christus traditus est in mortem, peccatorum nostrorum causâ, pro iis plenè satisfecit, & Patri ad mortem obediens factus justificationem nostri est promeritus: idcirco è carcere mortis, jure solutus est per suscitationem à mortuis, ut meritis ipsius justificatos nos esse constaret, Esai. 53. v. 10. 11. 12. Actor. 2. v. 24. & 1. Corint. 15. v. 17. *Si enim Christus non resurrexit, vana est fides nostra, adhuc estis in peccatis vestris.* Nam durante pœna, satisfactionem non esse peractam, apud justum judicem constat: peractâ verò, apud Deum justum judicem, pœna mortis durare non potuit: sed necessaria erat, secundùm Dei justitiam, ex mortuis suscitatio. Atque hæc pertinent ad illustris hujus loci explicationem. Ut autem in diverso explicandi modo, quid sentiam, sincerè proponam, licet utrumque probabilem esse agnoscam: posteriorem tamen vulgò minus explicatum magis consentaneum arbitror: quod vocum proprietati magis adhæreat, quam prior.

CONSECTARIA CAP. IV.

I. Cum Abrahamus fidelium Pater, cujus eximiæ fuerunt virtutes, de justitia sua gloriari non potuerit apud Deum, multò minus reliqui.

II. Apud Deum gloriari possumus & debemus de gratia illius, non autem de justitia nostra; quia illud modestiæ & prudentis fidei; hoc verò impudentis arrogantiæ est, vers. 2.

III. Cum Paulus mercedem aliam statuat debitam: aliam gratuitam: sequitur errare Pontificios, cum ex operum mercede meritum colligunt, vers. 4.

IV. Deus imputat justitiam absque operibus: Ergò sequitur contra Pontificios, nos operibus nostris nullo modo, coram Deo justificari, nec vitam mereri, vers. 6.

V. Cum David suam & reliquorum Sanctorum beatitudinem constituat in perpetua peccatorum remissione: Ergo non solum initium: sed etiam continuatio justificationis est gratuita, contra quam Pontificii statuunt.

VI. Si peccata nostra coram Deo, non solum teguntur, sed etiam non imputantur: consequens est, errare Pontificios, qui remissa culpâ, pœnam retineri, eoque imperfectam remissionem, imò nullam, ac Deum injustum statuunt: qui cum remiserit, seu condonarit culpam (quod nihil aliud est, quam reatum illius seu obligationem ad pœnam, condonare) nihilominus pœnam exigat, v. 7. & 8.

VII. Cum Sacramenta sint signa & sigilla justitiæ fidei; hinc concluditur, ea illis, qui in sua infidelitate perstant, non prodesse ad justitiam ac salutem. Deinde Veteris & Novi Testamenti Sacramenta, non substantiâ differre, sed circumstantia, ex circumcisionis descriptione evincitur.

VIII. Cum alibi sanctificationem hominis ac circumcisionem cordis, externa circumcisione obsignari, doceamur: sequitur, ex collatione hujus loci & aliorum, eam fuisse sigillum circumcisionis peccati: cujus duæ sunt species, justificatio, qua tegitur coram Deo peccati reatus, seu remittitur pœna peccato debita: & sanctificatio, quâ paulatim tollitur è nobis peccati macula ac culpa, vers. 11.

IX. Fidei objectum est non meritum nostrum: sed gratuita justitiæ imputatio, vers. 13.

X. Dei promissionibus, quamvis illæ naturæ vires superent, omninò acquiescendum est, & omnipotentiæ ac veritati illius omninò innitendum, vers. 17.

XI. Fides Dei gloriam maximè illustrat: incredulitas verò obscurat ac minuit, vers. 20.

XII. Sacræ Literæ ad nostram utilitatem ac consolationem conscriptæ sunt: ac propterea diligenter perscrutandæ, vers. 23.

XIII. Una eademque salutis ratio est sub Veteri & Novo Testamento, ibid.

XIV. Peccata odisse meritò, ac seriò fugere debemus, non solùm quia sunt animæ nostræ deformatio, ac Dei offensio: sed etiam, quia mortis Christi causa extiterunt.

XV. Eorum tamen conscientiâ desperandum non est: sed animo pacato esse debemus; quod ea Christi morte sint expiata: idque resurrectione illius comprobatum, vers. 25.

CAP. V.

Postquam Apostolus superiori Capite justificationis *modum*, per fidem; & *subjectum*, quosquis, tam incircumcisos, quam circumcisos, confirmavit; & *causam illius* προκαταρκτικὴν Christum esse ostendit: hoc Christi beneficium nempe justificationem amplificat & illustrat hoc capite, bifariam: primum *ab effectis* ad v. 12. deinde *à comparatis*, inde ad finem.

Effecta autem varia, ad fidelium consolationem & Christi gloriam, enumerat. Quorum *primum* est *pax erga Deum*, aut potius *apud Deum*: quam ex justificatione, tanquam causa, concludit: eamque Christo ascribit Mediatori nostro. Verum cum pax Christiana sit triplex, nempe aut cum Deo, aut cum Dei creaturis, hoc est, cum conscientiâ nostrâ, vel cum proximo: de postrema pace non agi, consentiunt omnes & res ipsa evincit: sed de reliquis inquiri potest.

teft: nam vulgò de fecunda, nempe pace & tranquillitate confcientiæ, interpretantur, fenfu pio, fed non fatis convenienti huic loco: quia phrafis nonnihil obftat: nam aliud eft pacem habere erga fe, feu fecum: aliud erga Deum, aut apud Deum: nam quod obtenditur ex 1. Joh. 3. verf. 21. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum nos non condemnet, habemus* παῤῥησίαν πρὸς τὸν θεὸν, *apud Deum*; illud ab hac fententia diverfum eft: aliud enim eft habere pacem apud Deum; aliud (quod ex pace illa oritur) libertatem accedendi ad Deum. Quare fatius effe videtur, ut omninò de pace & reconciliatione cum Deo intelligamus: quæ pax proximum & immediatum eft juftificationis effectum: quemadmodum contrà peccati & reatus effectum eft inimicitia cum Deo. Hæc de verf. 1.

Quod *primum* effectum, expolitione quadam, ad amplificationem, exprefsè repetitur, cum ait: *Nos per Chriſtum & fide adductos eſſe in hanc gratiam*, hoc eft, pacem & reconciliationem cum Deo, *in qua ſtamus*: deinde cum fecundo effecto & tertio copulat, cum fubjicit, *& gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei*: nam gloriatio de reconciliatione cum Deo, pacem confcientiæ denotat, quæ à Chrifto, ex fide juftificationis, eoque & reconciliationis cum Deo promanat, & *ſecundùm* effectum eft. *Spes* verò *gloriæ Dei*, expectationem lætam vitæ æternæ gloriofæ fignificat: quæ *tertium* effectum eft procedens ex fide & pacis cum Deo confcientia verf. 2.

Verum quoniam objici poterat, res adverfas effe irati Dei figna & triftitiæ, ad defperationem adducentis materiam: idcirco per objectionis anticipationem *quartum* adjicit effectum, per amplificationem, quod non folum de antecedentibus Dei, in Chrifto beneficiis gloriemur, fub fpe gloriæ Dei: *ſed etiam de afflictionibus.* Idque confirmat: quod eæ fpem non tollant, fed confirment: in qua ratione proponenda, utitur perquam eleganti gradatione rhetorica, à fructibus afflictionum, unde ad fpem tandem affurgit. Primus enim fructus proponitur *tolerantia*, quam afflictio efficit: primùm, non tanquam caufa procreans aut principalis, fed tanquam caufa confervans & adjuvans: deinde nec per fe, fed per accidens gratiæ Chrifti & auxilii divini: nam quod trito proverbio dicitur, παθήματα μαθήματα, &, *quæ nocent docent*, illud quidem locum habet in exiguis cafibus, moderatifque ingeniis, in quibus tolerantia exercetur: fed in gravioribus illis, quales Chriftianorum, qui hoc in loco intelliguntur, tolerantia non exerceretur, fed tolleretur, & in defperationem abiret, nifi fide gratiæ Chrifti, ac fpe gloriæ Dei, & auxilio divino fuftentaretur, Pfal. 73. v. 2. & cap. 16. v. 17. Jer. 12. v. 1. 2. 3. Mal. 3. v. 14. 15. 16. Hinc enim exurgit tolerantia, qua humiliter ac fortiter, animoque hilari, fecundùm Spiritum, 1. Pet. 1. v. 4. 5. 6. res adverfas, ad Dei gloriam perferimus, verf. 3.

Alter fructus, ex priori oriens, eft δοκιμὴ *probatio*: quæ intelligi poteft, aut de auxilii divini experientia, aut de fidelium exploratione, qua ab hypocritis dignofcuntur: nam quod de fide inter homines mutua ait profanus Poëta concinnè,

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum:
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides;

illud de Chriftiana fide afferitur, 1. Pet. 1. v. 7. ubi Petrus fidei probationem feu explorationem tentationibus attribuit, his illuftribus verbis, *ut exploratio* δοκίμιον *fidei veſtræ, multò pretioſior auri*, fcilicet exploratione, *quod tamen per ignem exploratur, comperiatur ad laudem & gloriam, &c*, quod videtur priori accommodatius, nifi fortè utrumque quod fieri poteft, communi voce includamus, ut probatio & auxilii divini, & finceritatis fidei noftræ intelligatur.

Tertius fructus eft *Spes*, non quidem ratione initii, quo tolerantiam & explorationem hanc antecedit, fed ratione augmenti, quod inde tanquam ex caufa confervante & augente procedit: nam quemadmodum in martyrio tanquam infigni virtute fides probatur & augetur, fic & fidei comes, fpes, de favore Dei in pofterum, & vitâ æternâ confequendâ, verf. 4.

Quia verò objici poterat, fpem fæpe effe dubiam, & fallacem, quod ejus comes fit metus, accommodata anticipatione, Chriftianam fpem, ab adjuncta certitudine eventus felicis, defcribit, per aphærefin, ut eam à fallaci difcriminet: fic enim ait: *Spes non pudefacit*, hoc eft, per Meton. non eft vana, non fallit: nam falfa fpes, quæ re fperata excidit, pudore afficit: fed vera, quia rem affequitur, non item.

Cœterum hanc fpem Chriftianam non effe inanem, demonftrat à *Charitate Dei effuſa in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: id quod bifariam exponunt: cum enim *Charitas Dei* ambiguè dicatur, ut *Deus*, hoc loco, aut efficientem caufam, aut objectum notet, hoc eft, ut intelligatur vel charitas Dei erga nos, qua nos diligit: aut noftra ergà Deum, qua diligitur à nobis: pofteriori modo plerique veterum accipiunt. idque probari videtur ex eo, quod charitas Dei erga nos, non in nobis fit, fed in Deo; ideoque non illa, fed charitas noftra intelligenda, quam Deus per Spiritum fuum, nos regenerando, non minus quàm fidem & fpem infundit: Charitas autem cujus hîc fit mentio, apud Paulum, *in nobis eſſe* dicitur: veruntamen prior expofitio, quam noftri vulgò fequuntur, magis convenit fcopo & fequenti probationi atque expofitioni, v. 7. & 8. neque obftat, quod *effuſa* dicitur *in cordibus noſtris*: hoc enim intelligendum eft, non ut adjectum in fubjecto hærens: fed ut objectum, in adjecto fidei fenfu, relucens, operatione Spiritus Sancti, qui nos, de charitate Dei erga nos, abundè certiores reddit, Rom. 8. v. 15. 16. Hæc de verf. 5.

Quam charitatem Dei exponit ac probat ab effecto, nempe Chrifti morte, pro nobis impiis, verf. 6.

Quam mortem amoris Chrifti & Patris, erga nos, argumentum effe graviffimum demonftrat: Chrifti quidem; comparatione amoris illius, cum hominibus, quorum vix ullus pro jufto, nedum pro injufto mori fuftineret, verf. 7. Patris verò, quod cum effemus peccatores, atque ea de caufa hoftes Dei, Chriftum Filium fuum dederit, ut pro nobis moreretur, verf. 8.

Porrò ex amore Dei & Chrifti erga nos, ad fpei & gloriationis in afflictionibus confirmationem confectarium opportunè, & quafi per anticipationem objectionis, deducit. Objicit enim poterat; quamvis Deus nos, cum effemus impii, reconciliarit fibi, (peccata propter Chriftum condonando) non inde tamen fequi, eum jam nobis effe amicum, cum affligit: fed potius adverfarium; quoniam poft fummum hoc reconciliationis beneficium, variis peccatis noftris iram illius fumus promeriti; ac propterea fpem noftram & gloriationem in afflictionibus effe vanam. Paulus contrà, idem argumentum ac telum invertit ac retorquet, comparatione majoris, hoc modo: *Juſtificati nunc ſumus Chriſti ſanguine*, h. e. obedientia & fatisfactione illius, qua fanguinem pro peccatis noftris effudit, ac mortuus eft. *Ergò multò magis per eum ſervabimur ab ira Dei.* Cum autem ira non affectum in Deo, fed effectum, fcilicet pœnam notet; eaque fit, vel ut à jufto & fevero judice, ad exitium; vel ut à Patre mifericorde & benigno, ad exercitium, probationem, caftigationem & falutem: prior ira, hoc loco intelligitur, pœna videlicet æterna, & illi prævia, ac principium quoddam illius, temporalis: quemadmodum cum reprobi, à Deo judice, ad exitium affliguntur: à qua ira, fideles per Chriftum juftificati, immunes funt ac liberi, v. 9. id quod confirmat eleganti ac varia oppofitione ftatus noftri duplicis, ante & poft juftificationem.

Opponit enim inter fefe *inimicos* & *reconciliatos*, quæ contraria adverfa funt: & *reconciliare* & *ſervare*, quæ diverfa: *Mortem* denique & *vitam*, quæ privativè oppofita: majus autem eft beneficium, inimicos Dei, per Chrifti obedientiam ac fanguinis effufionem & mortem reconciliari, quàm reconciliatos fervari, per vitam ipfius, in gloriam recepti: ubi fcilicet apud Patrem nofter eft interceffor, & Spiritus fui vi Ecclefiam quafi manibus fuis confervat ac tuetur. Hinc jam arguit Apoftolus: *Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filii ipſius? Ergò multò magis nunc reconciliati ſervabimur per vitam ipſius*: Atqui verùm eft prius, ut ex v. 1. apparuit. Ergò & pofterius. v. 10. Atque hoc modo gloriatio illa in afflictionibus (quæ *quartum* eft Chrifti per fidem & juftificationem effectum) declarata

clarata ac probata est. Idque amplificatur additione majoris effecti *quinti*, nempe gloriationis in Deo. Gloriamur non solum de vita æterna & afflictionibus, tanquam ad eam adminiculis: sed etiam in Deo, quem scimus nostrum esse Patrem, nobis per Christum reconciliatum: unde omnia bona, tanquam ab inexhausto fonte promanant, v. 11. Atque ita ad reconciliationem & pacem cum Deo, de qua initio capitis actum est, eleganter redit, & ad alteram hujus capitis partem viam sibi sternit. Qua parte doctrinam de justificatione & reconciliatione nostri cum Deo, per Christum illustrat, amplificat ac probat, comparatione Adami & Christi, tanquam typi & archetypi, quam ex superioribus concludit.

Comparatio autem est gemina, videlicet similitudinis & dissimilitudinis: & utraque constat propositione & redditione.

Prior comparatio continetur, v. 12. 13. 14. similitudo autem si rem intueamur, consistit in natura & effectis duobus. In natura, quod uterque homo: in effectis; primùm, quod uterque suos habet posteros, & multitudinem, cujus principium & caput est: deinde quod uterque habet aliquid, quod propagaret ad omnes & solos posteros. Quemadmodum autem simile non est idem, sed nonnihil etiam habet diversi: ita etiam hoc in loco apparet: Adam ἄνθρωπος homo tantùm: sed Christus etiam filius Dei θεάνθρωπος, *Deus-homo*. Adamus posteros habet & hæredes omnes homines, secundùm carnem, naturæ vi genitos: Christus verò electos omnes ac fideles, supernaturali gratiâ regenitos: ille natorum: hic renatorum principium est. Adamus peccati & mortis, in hominibus fons est: Christus verò justitiæ & vitæ author. Adamus peccatum suum omnibus & solis natis suis, vi naturæ; Christus verò justitiam suam & vitam omnibus & solis renatis suis communicat.

Πρότασις seu propositio hujus comparationis prolixior est: ἀπόδοσις verò seu redditio contractior. Cœterùm peccatum, quod per Adamum introiit, vulgò peccatum originis esse statuunt, cujus duas constituunt partes, reatum peccati Adami & corruptionem naturæ: sed minùs accuratè: quoniam peccatum originis est, quod ab origine conceptionis & nativitatis habemus: illud autem est duplex; primum, & inde ortum. Primum, est transiens & actuale, nempe lapsus Adami, qui noster est justa imputatione, quod sibi & nobis, ut stetit ad tempus; sic peccârit.

Alterum est permanens & habituale, ex prioris merito ac corruptæ naturæ traductione naturali procedens, naturæque nostræ inhærens corruptio moralis. Quamobrem hæ diversæ peccati originis quasi species esse possunt: sed partes minimè. Et reatus, peccati effectum est: non autem ipsum peccatum; etsi per Metonym. peccati nomine, sæpius intelligatur. Deinde quamvis peccatum κατ᾽ ἐξοχὴν pro originis peccato generatim sumptum, utramque speciem complecti posset, de priori tamen, hoc in loco, tantummodò disputari, ex sequenti expositione, vers. 15. ad 20. perspicuè apparet. Adami igitur effecta hîc proponuntur duo, quorum primum est peccatum lapsus inobedientiæ illius; undè orta est mors, nempe cùm æterna, tum ad eam tendens temporalis: quæ utraque tanquam stipendium meritum peccati est, Rom. 6. vers. 23. Quæ duo ab eo propagata esse ostendit in omnes homines naturaliter prognatos: mortem quidem, cum ait, *& ita*, hoc est, per Adami lapsum, *mors pervasit in omnes homines*: peccatum verò, cum addit, *in quo omnes peccarunt*. Nam quod Ezech. 18. vers. 20. dicitur. *Filius non portabit iniquitatem patris sui*; illud intelligendum est non absolutè; sed primum, nisi imitetur parentum iniquitatem, eoque modo peccatum parentum approbando suum faciat, Ezech. 18. v. 19. quomodo etiam intelligendum, Exod. 20. de peccatis parentum in posteris puniendis: deinde Propheta loquitur de ordine generis humani jam constituti: non autem de principio illius: quæ duo inter se plurimum differunt: Adamus enim tanquam stirps generis humani, justitiam originalem & gratiam Dei, sibi & posteris tanquam feudum quoddam acceperat, quod sibi suisque servaret, aut amitteret: eoque Adami peccatum non solùm fuit singulare personæ ipsius, quod ipsum reddidit reum, seu obligatum ad pœnam: sed etiam universale generis humani, hoc est, totius posteritatis per vim naturæ generatæ: idcirco Apostolus addit ἐφ᾽ ᾧ *in quo*: aut ut quibusdam placet, *propterea quod omnes peccarunt*, vers. 12. Verùm quoniam objici poterat, ubi non est lex Mosis, ibi non est peccatum: in mundo, ab initio, ante Mosen, non erat lex illius: Ergo neque peccatum: idcirco Apostolus propositioni contradicit, peccatum etiam fuisse revera in mundo, antequam esset lex Mosis: fuerat enim lex paradisi, & lex naturæ extabat: etsi non ita peccatum fuerit notum, Rom. 7. v. 7. lege Mosis nondum promulgata, v. 13. Hoc autem probat ab effecto necessariò, nempe dominio mortis, non solùm in imitatores inobedientiæ Adami, sed etiam in eos, *qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami*, hoc est, infantes. Hæc de πρότασι, propositione.

Cui obliqua & contracta subjicitur similitudinis ἀπόδοσις, *qui*, inquit, *est illius, qui erat futurus, typus*, nempe, ut ait Phocius apud Occumenium, ἐκ τοῦ ἐναντίου, *ex contrario*: quemadmodum antea ostendimus: cum autem typus alius sit communis, qui variis rebus, pro docentis consideratione, ac comparatione accommodari potest: quemadmodum omnia, quæ similitudinem alicujus præferunt: alius proprius & destinatus seu Propheticus, quando ex scopo Scripturæ aliquid intenditur significandum: de posteriori videtur hæc vox accipienda: quemadmodum etiam alia in Adamo sunt, quæ Christum adumbrarunt: ut quod ex somno sopiti latere conjunx Eva producta est: sic ex Christi, per mortem sopiti, latere, Ecclesia orta ac vivificata, Ephes. 5. v. 31. 32. similiter 1. Cor. 15. v. 21. & 45. usque ad 50. etsi hoc typi mysterium, ante Euangelii revelationem, minimè potuerit intelligi: sic hoc loco Adamus Christi typus dicitur, quod ut ab illo injustitia & mors; ita ab hoc justitia & vita. Justitiam autem habemus duplicem, obedientiam Christi, & renovationem imaginis Dei in nobis, ad obedientiam Deo præstandam: quarum prior quidem inobedientiæ Adami opponitur, & nostra fit imputatione gratuitâ, per fidem, quâ justi in Christo judicamur: quæ adjudicatio justitiæ, justificatio dicitur: posterior verò originali corruptioni, seu vitiositati, quam ab Adamo habemus, opponitur, & traductione quadam supernaturali perficitur, per Spiritum Sanctum, quæ sanctificatio, hoc est, naturæ corruptæ & peccato infectæ, purificatio appellatur: illaque perfecta est, hæc verò inchoata ac perficienda, & successivè in hac vita, variisque gradibus contingit, ratione fidelium omnium inter se, & singulorum in se, ad Dei redemptoris in Christo gloriam, & humiliationem hominum, ne quid glorientur, Ephes. 2. vers. 8. 9. Priorem autem justitiam nempe imputatam, non inhærentem nobis, hoc loco intelligit Apostolus: de posteriori suo loco acturus. Atque hæc de similitudine Adami & Christi, vers. 14. Sequitur deinde per correctionem quandam, ne quis erret, dissimilitudo: quam ponit initio vers. 15. ac postea exponit.

Dissimilitudo autem statuitur in causis & effectis. Ac primum in causis, quod Adamus suum lapsum & mortem communicat posteris suis naturâ: Christus suam justitiam & vitam, gratiâ & dono. Quæ quidem dissimilitudo non explicatur apertè, sed opertè innuitur, vocibus, *gratiæ* & *doni*, quæ *lapsui* opponuntur. Deinde in effectis ostenditur disparitas, quod gratia imputatæ Christi justitiæ efficacior sit, ad auferendum reatum & mortem, quam Adami peccatum ad ea inferenda, vers. 15. idque repetita prius dissimilitudinis assertione, declarat ac confirmat. Primum ex eo, quod Adami peccatum quamvis sufficiens sit & efficiens prima: non tamen sola & universa condemnationis nostræ causa: quandoquidem eam condemnationem multis peccatis nobis propriis adauximus: Christus contrà perfecta est justificationis nostræ causa, quod non solum ab uno illo Adami peccato; sed etiam à multis, hoc est, omnibus reliquis, 1. Joh. 1. vers. 7. absolvit, vers. 16. Secundò idem confirmat oppositione majoris efficaciæ justitiæ Christi, quam peccati Adami: per Adami enim lapsum mors

mors regnavit; per Christi verò justitiam redundantem, multò magis regnabimus in vitâ: quod ut accuratius explicetur, observandum est, Adamum lapsum, vitam quidem temporalem & imaginem Dei, suo merito, sibi nobisque abstulisse, & pœnas temporales atque æternas acquisivisse, sed vitæ æternæ nec possessionem, neque jus abstulisse: quia in sua justitia, ad finem, non perduravit: ideoque nec possessionem, nec jus vitæ habuit ante lapsum; sed tantùm potentiam, juris illius, si officium faceret ad finem, obtinendi: ideoque quod non habuit, amittere non potuit: Christus verò contrà fideles suâ justitiâ (qua & debitum pœnæ mortis & obedientiæ perfectæ legis persolvit) non solùm liberavit à lapsus Adami reatu ac morte; & ita aditum vitæ æternæ obstructum aperuit: sed etiam jus vitæ æternæ & possessionem illius, justitiæ suæ merito & efficaciâ contribuit. Ac propterea omninò plus beneficii suâ justitiâ nobis confert, quam Adamus suo lapsu nobis abstulit, aut auferre potuit. Ideoque non frustrà *redundantiam doni & justitiæ* prædicat Apostolus. Quod autem Scholiastes eruditus statuit, justitiam hoc loco, non esse intelligendam, de qualitate in Christo hærente, nec etiam de essentiali ejus justitia: illud ratione secundi membri verum est, contra Andream Osiandrum (ut ejus errorem, præ cœteris egregiè in Institut. Calvinus confutavit) sed prius non rectè dictum: nam ad obedientiam perfectam (qualis est Christi, & quæ pro nobis debebatur à sponsore nostro) non solum requiritur actionum perfectio transiens: sed etiam habitus justitiæ inhærentis: jubemur enim amare Deum (ecce actionem) & quidem ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, (en habitum ac qualitatem inhærentem) Luc. 10. v. 27. 28. Matth. 22. v. 37. & quemadmodum prohibetur peccatum originis præcepto decimo: sic contra eodem præcipitur justitia originalis: ideoque ad obedientiam legis & justitiam perfectam, habitus justitiæ pertinet. Sed objiciat aliquis, Deus ipse justitiam originalem donavit: Ergo ea non fuit pars obedientiæ ab Adamo & nobis debitæ. Verùm negatur consequentia: quia etsi ratione effectionis non sit pars obedientiæ: sed merum Dei donum: est tamen ratione conservationis: ideoque cum justitiam originalem lapsu nostro, in Adamo excusserimus: meritò ob conservationem rejectam, ac defectum illius, sumus peccatores ac rei mortis: & contrà ad vitam obtinendam rectè imperatur: non ut potentia nostra præsens, sed ut jus Dei patefiat: & ut pars perfectæ justitiæ, ad jus & possessionem vitæ exigitur: quod etiam habemus in Christo, per justitiam illius, non solùm actionum, sed etiam habitualem, quam conservavit ad finem.

Hæc de v. 17. sententiâ: quomodo finitur dissimilitudinis Christi & Adami explicatio: quâ absolutâ ad similitudinem regreditur, eamque distinctis partibus suis, clarius explicat, ac concludit Apostolus: quod *sicut per unum lapsum, in omnes homines ad condemnationem*, supple, *reatus venit*, ex v. 16. *ita per unum* δικαίωμα *justificationem*, hoc est, Metonymicè, ut vulgatus interpres rectè vertit *justitiam*, *beneficium ad justificationem vitæ*, supple, *venit*, aut *est*, vers. 18. atque hæc sententia repetitur & illustratur: primùm à generibus lapsus Adami & justitiæ Christi: illud *inobedientia*: hoc verò *obedientia* appellatur: deinde permutatione vocum, *omnes homines* in *multos*, v. 19. Quod autem hinc quidam colligunt, singulos homines servari per Christum, sicut per Adamum singuli moriuntur: quandoquidem utrobique dicitur, *in omnes homines*: responderi potest tribus modis: ut nihil interim adversarii obtineant.

Primum, vocem *omnes* sumi hoc loco, non pro singulis generum; sed generibus singulorum: aut quod eodem redit, singulis generibus, ut Luc. 11. v. 42. *decimæ omnium olerum*, id est, omnis generis, non singulorum olerum: & passim in hac epistola, similis est phrasis, ubi de corruptione naturæ & restitutione illius, per gratiam, in Judæos & gentiles disseritur.

Deinde dici etiam potest, agi non de hominibus in universum, sed de fidelibus, qualesnam sint in se à natura communi, ex Adamo: & quales in Christo, ex gratiâ speciali: quemadmodum 1. Cor. 15. v. 22. *omnium hominum*, hoc sensu, in collatione Christi & Adami, fit mentio: nam eo in loco agit non de resurrectione omnium hominum, licet ea futura sit: sed de resurrectione fidelium: quorum primitiæ Christus appellatur: quod similitudine Christi, merito mortis illius, & vi resurrectionis etiam resurgent. Vel denique *omnes homines*, non dici absolutè: sed relatè ad suam originem & stirpem: idque accommodatè omninò ad scopum: in priori membro omnes & singulos homines ab Adamo naturali vi generatos; in posteriori verò omnes à Christo supernaturali gratiâ regeneratos; quandoquidem Adamus & Christus, in hac collatione hujus capitis, tanquam duorum generum stirpes proponuntur: ut antithesis, *unius & unius hominis* etiam demonstrat.

Atque hactenus comparatio Christi & Adami, ad justificationem declarandam, quæ deinceps objectionum quarundam anticipatione illustratur: quarum prior & quidem tacita hæc est: si justitiâ Christi justi cònstituimur ac servamur, frustrà igitur lata est lex Mosis: quod nisi absurdè dici non potest: consequentiam igitur negat Apostolus, redditione alterius usus ac finis: legem enim per Mosen non esse latam, ut nos per opera nostra servaret, sed ut peccatum augeretur, ratione sensus nostri, hoc est, ut peccati augeret cognitionem, de qua re antea actum est, Rom. 3. v. 20. & cap. 5. v. 13. nam augmentum peccati, nullo modo potest esse finis destinatus legis Dei, quæ bona tantùm præstat: sicut à solo bono Deo, qui peccare non potest, habet originem: hujus autem patefacti peccati consequens est Dei gratiæ excellentia, quæ plus nobis confert boni, quam peccatum abstulit: quam præstantiam declarat Apostolus expressius & ab effectis comprobat; quod ut *peccatum auctum, morte illata, imperium obtinuit in homines*; sed vitæ æternæ, ut antè ostendimus, nec possessionem, nec jus, quod antea nunquam habuerunt, non abstulit: sic contra *gratia Dei*, aucta peccati occasione, *redundavit, ut regnaret in fidelibus, per justitiam, ad vitam æternam, per Jesum Christum.* Ubi obiter observandum, justitiam & obedientiam Christi, quâ vitam nobis peperit æternam, non esse partem obedientiæ, hoc est, patientiam solam in passione & morte pro nobis ferenda; quia non pars obedientiæ habet promissionem vitæ, sed tota tantùm. Ideoque quod nonnulli δικαίωμα, cujus antea meminimus, de actione justitiæ, seu opere illo justo tantùm, quo Christus pro nobis passus & mortuus est, accipiunt: à veritate declinant: nam opus illud, quia pars tantùm est justitiæ, premium totius justitiæ obtinere non potest: nam *maledictus qui non manserit in omnibus &c.* Deut. 27. & contrà benedictus tantùm & vitæ heres, qui omnia præstiterit, quæ scripta sunt, secundùm promissionem, *hoc fac & vives: hoc*, id est, totam legem: de qua re Rom. 10. Nam quod objicitur, inobedientiam Adami fuisse unum opus, aut saltem non fuisse universalem legis transgressionem: ac propterea Christi obedientiam & justitiam non intelligi universalem legis obedientiam; sed tantùm particularem illam, qua passione & morte, pro electis, per patientiam, perlata, satisfecit voluntati divinæ; ut oppositionis ratio requirit. Negamus verò eandem esse rationem omninò: quia ad meritum iræ Dei & mortis æternę sufficit in Adamo particularis inobedientia, quæ etiam particulari Christi pœnâ expiatâ, cum pertulit quod Adamus, & nos, in Adamo eramus meriti: sed ad vitam æternam obtinendam non sufficit particularis obedientia: sed universalis requiritur: uti ostendimus: quemadmodum illud controversia caret.

Hæc de capite quinto.

CONSECTARIA CAP. V.

I. CUm pacem habeamus cum Deo & aditum in gratiam ad ipsum, per Christum: sequitur hunc esse Mediatorem nostrum, Joh. 14. vers. 6. Actor. 4. vers. 12. Ephes. 2. v. 17. 18. & 1. Tim. 2. v. 5.

II. Ac propterea nullam omninò esse arrogantiam, ut Pontificii vulgò nobis objectant, quod recta via per Christum, sine sanctorum demortuorum, per preces, petita intercessione, ad thronum gratiæ contendimus, Hebr. 7. v. 15. 16.

vers. 15. 16. Sed humilitatem & debitam obedientiam, vers. 1. & 2.

III. Cum gloriationis nostræ de spe gloriæ Dei, hoc est, vitæ æternæ, author sit Christus, eamque gloriationem fidelibus attribuat Paulus, ac probet: ex eo clarè liquet, falsam esse eam Pontificiorum sententiam, qua fiduciam salutis temeritatis arguunt, & contrà perpetuam dubitationem statuunt vers. 2.

IV. Fideles præ cæteris hominibus afflictionibus obnoxii sunt, Psal. 34. v. 19. Actor. 14. vers. 22. & 2. Tim. 3. v. 12. ac propterea ex earum perpessione impietas & Dei ira erga afflictos malè colliguntur, ut Job. 4. v. 7. Psal. 73. vers. 15.

V. Afflictiones fidelium & infidelium differunt plurimum: quandoquidem illæ signa sunt & adminicula salutis, hæ verò exitii indicia & initia, Jer. 12. vers. 1. & 23. Mal. 3. v. 14. 1. Cor. 13. v. 13. & 11. v. 32. & 2. Thess. 1. v. 5. Hebr. 12. v. 10. & 11.

VI. Quocirca fidelium in rebus adversis, consolatio, non est inanis quidam mentis stupor: qualis in Stoicis quibusdam & Gymnosophistis fuit: sed pia ac prudens constantia, vers. 3. 4.

VII. Cum spes vitæ æternæ fideles non pudefaciat; ex eo perspicuè deducitur, salutem fidelium esse certam, & fiduciam salutis fidelium firmam ac veram: ac propterea Pontificios, dum hanc fiduciam tollunt, simul spem tollere Christianam, cujus erroris Pontificii origo est, quod salutem, non à Dei gratiâ perficiente quod incepit; sed ab instabili hominum justitia & arbitrio mutabili, pendere existimant.

VIII. Quoniam amor Dei erga nos, in corda nostra effusus est per Sp. S. inde consequitur fidem esse infusum Dei donum & Spiritus Sancti: quemadmodum etiam, multis in locis, Dei donum esse asseritur, & à Deo postulatur, & pro ea accepta, Deo, ut authori, gratiæ aguntur, Matth. 11. v. 27. & 16. v. 17. Joh. 6. vers. 44. 1. Cor. 2. v. 11. 12. & 3. 5. Eph. 1. v. 14. 17. 18. & 2. 8. & 3. 16. 17. Phil. 1. v. 29. Col. 1. v. 3. 4. 2. Thes. 1. v. 3. Cœterum hoc loco, vox *cordis* animum Metaphoricè notat: quemadmodum cum alibi dicitur, *corde creditur ad justitiam*, Rom. 10. non autem ut interdum accipitur, voluntatem notat: quia certa persuasio amoris Dei & fides, locum non habet in voluntate, sed in intellectu: ut aliâs in thesibus de fide explicavimus.

IX. Quandoquidem Christum pro nobis infirmis & impiis mortuum esse, asseritur divinitùs: sequitur primùm, nullum ante conversionem esse pium: deinde Christum à nobis esse seriò redamandum: adeò ut pro ejus gloria, si opus sit, libenter mortem oppetamus: nisi Ethnicis pejores esse velimus, qui amantes redamare solent, Matth. 5. v. 46. denique exemplo Christi, Joh. 13. v. 34. nos mutuò amare debemus. Hæc ad v. 7. & 8.

X. Spei nostræ fundamentum est gratia Dei in Christo præstita; ex qua reliqua salus nostra necessario concluditur, vers. 9. 10.

XI. Summum Dei beneficium est, quod noster esse dignatus sit in Christo Pater; ideoque gratis & promptis animis illi serviendum: cum hoc promeritus sit; & nos, ab eo, redempti, nostri non simus juris, v. 11. 1. Cor. 6. vers. 19.

XII. Cum homines sint origo sui peccati, atque interitus: illorum culpa Deo non est adscribenda, vers. 12. Hoseæ 13. v. 9.

XIII. Cum in omnes homines peccatum pervenerit, & peccati stipendium mors, etiam infantes innocentes attingat; (innocentes inquam ratione actualium peccatorum, imitatione Adami) sequitur, falsò à nonnullis doceri, peccatum originis nostrum esse, non propagatione, sed imitatione; deinde, quod illud in Adamo omnibus sit remissum, nec quisquam propterea damnetur; quemadmodum nonnulli perperam statuunt, contra versum 12. 14. Ephes. 2. v. 3. Psalm. 51. v. 7.

XIV. Cum justificemur coram Deo Christi obedientiâ: sequitur nos non justificari operibus & obedientia nostra. Deinde sequitur etiam justitiam & obedientiam in hoc loco Pauli, v. 18. 19. non intelligendam de particulari, scilicet sola Christi sponsoris nostri patientiâ, in passione & morte, pro nobis perferenda; ut effectum docet: quia particularis justitia non sufficit ad justificationem & vitam æternam; sed universalis requiritur, qua sola justi sumus, eaque justificamur; ac propterea quod Scholiastes eruditus in Psal. 106. v. 30. ait; *Justitia universali & perfectâ, hominem peccatorem consistere coram tribunali Dei*, illud verissimum est: sed quod addit, *quæ justitia posita est in remissione peccatorum*; illud sine Synecdoche verè dici non potest; ut initio capitis quarti ostendimus; neque etiam sine contradictione; quia remissio peccatorum est tantum non imputatio peccatorum, ad pœnam, propter satisfactionem pœnæ Christi; non autem est universalis justitia, hoc est, totius obedientiæ lege præscriptæ observatio. Hęc de vers. 19.

XV. Christi exemplo, Deo obedientiam præstare debemus, vers. 19.

XVI. Ex lege agnitio est magnitudinis peccati, v. 20.

XVII. Cum gratia regnet per justitiam (nempe donatam) ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum; Ergò vita æterna non est operum nostrorum meritum: sed purum putumque Dei donum; ideoque Christus plus nobis præstitit, quam Adamus abstulit: nam Adamus nobis solùm abstulit aditum vitæ æternæ, atque eatenus tantùm vitam æternam, seu potentiam acquirendi jus vitæ: Christus verò nobis non solum vitam æternam ratione aditus illius restituit: sed etiam suâ obedientia comparavit, vers. 21.

CAPUT SEXTUM.

Postquam doctrina, de justificatione per fidem, illustrata ac probata est, comparatione Adami & Christi; eandem porrò Apostolus objectionum quarundam adversariorum anticipatione ac confutatione confirmat. Quarum prima anticipatio, legis usum spectans, exposita est cap. antecedenti. Reliquæ verò duæ, ad sanctificationis, cum justificatione, conjunctionem pertinentes, hoc cap. adferuntur, & distinctis membris, objectione & responsione constant: adjunctisque admonitionibus sigillatim illustrantur: adeò ut prima pars capitis, versibus quatuordecim absolvatur: altera verò sequent. reliquis.

Et illius quidem anticipatio ad v. 12. pertingit. Cujus objectio, ex superiori, de legis usu, responsione orta, hujusmodi est: *quo gratia auctior fit, in eo permanendum: Peccato gratia auctior fit*, cap. 5. 20. *Ergo in eo permanendum*, v. 1. Est autem fallacia amphibolias argumenti, quod bifariam usurpatur: siquidem *gratiam augere*, in propositione intelligitur propriè ac per se, seu vi sua: in assumptione verò esse occasionem, per accidens, misericordiæ divinæ: nam peccata per se voluntati Dei contraria sunt, iramque illius promerentur & augent, gratiamque tollunt: consequens verò tantum est peccatorum, gratia, seu misericordia divina. Quapropter responsionis Paulinæ subjectio, constat negatione Conseq. per consuetam detestationis formulam, nempe *Absit*; & probatione contradictorii consequentis, argumento ducto, à privantibus, hoc enthymemate, *Mortui sumus peccato: Ergo in eo non est vivendum.* Conclusio autem ad amplificationem figuratur interrogatione emphatica, v. 2. Antecedens autem confirmatur primùm à causa efficiente, nempe communione mortis Christi, quæ merita est justificationem, (ne imputentur peccata) & imaginis Dei (lapsus culpa amissæ) restitutionem, per Sp. S. abolentem peccatum. Cujus confirmationis loco, ponitur probatio illius, à baptismi testimonio: *Qui baptisati sunt in Christum Jesum* (nim. in legitimo usu) *in mortem ejus baptizati sunt*, hoc est, ad signandam & obsignandam communionem mortis ejus, Gal. 3. vers. 27. 1. Cor. 12. v. 13. *Nos baptizati sumus in Christum Jesum: Ergo in mortem ejus*, seu communionem mortis ejus, v. 3. Deinde confirmatur à fine communionis mortis Christi ac sepulturæ (quæ mortis continuatio) & baptismi, videl. nova vita. Quam probat à communione resurrectionis Christi, quæ

(utpote

(utpote actualis quædam justificatio) adumbratio atque obsignatio vitæ novæ, v. 4. Hunc autem resurrectionis fructum & conformationem probat ab antecedente necessario, videlicet conformatione mortis Christi, & simili *insitionis* illustrat: quemadmodum enim surculus communem habet mortis & vitæ conditionem cum arbore, cui insertus est: ita vitæ Christi, non minus quam mortis, participes & conformes erimus, v. 5. & Joh. 15. v. 4. Conformationem autem mortis Christi, hoc est crucifixionem & mortificationem *veteris hominis* (seu peccati originalis) repetit ac declarat à fine, nimirum abolitione *corporis peccati*, & liberatione à servitute illius. Peccato autem originali, seu vitiositati nobis innatæ, *corpus* tribuit metaphoricè: ut enim corpus multis membris constat: ita vitiositas nativa multorum vitiorum seminibus quasi membris constat, v. 6.

Hanc autem liberationem, ex peccati morte consequi docet, v. 7. Deinde repetit argumentum versus quinti instituta Christi & fidelium comparatione, in morte & vita. cujus antecedens ac πρότασις illustratur, v. 9. & 10. quod *Christus suscitatus non amplius moriatur, sed peccato* (hoc est, ut illud destrueret satisfactione sua) *mortuus sit semel, vivat verò Deo, ad gloriam ipsius*: consequens verò ἀπόδοσις est, quod sic etiam *colligere* debeamus, *nos mortuos esse peccato, vivere verò Deo, per Christum Dominum nostrum*: nam peccati dominium (quod peccati primi pœna est) merito mortis Christi per Spiritus sanctificationem, ablatum est: ut nunc non peccato reliquo, sed Dei gloriæ viveremus. Atque hæc de anticipatione, ex qua concluditur admonitio bimembris. Constat autem dehortatione à malo, & adhortatione ad bonum: illa prohibet servitutem & obedientiam erga peccatum: *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis cupiditatibus ipsius.* Quam obedientiam ab effecto, antecedente peccati maleficio, fugiendam probat, cùm *corpus mortale* vocat: eo enim tacitè horrendum peccati stipendium indicat: cum enim illud sit mors; ut hanc evitemus, à peccato abstinendum, v. 12. Deinde repetit & illustrat dehortationem, eleganti similitudine; comparat enim peccatum duci militari, pugnanti adversus justitiam & Deum: *Neque sistite*, inquit, *membra vestra*, ut Rom. 3. v. 13. ad 17. *arma injustitiæ, peccato.*

Adhortatio verò continuata eâdem Metaphorâ, est, *ut serviant ac militent Deo & justitiæ*: illudque confirmat à beneficio Dei, quod *ex mortuis sint vivi*, id quod Dei, propter Christum, donum esse, antea demonstravit.

Cœterum ne fideles infirmitatis suæ conscientia ac sensu territi, animum despondeant, consolatur eos, promissione immunitatis à dominio & servitute peccati, 1. Joh. 3. v. 8. & 9. Eamque probat à causa efficiente, gratiâ Dei, quæ eosdem, quos justificavit merito mortis Christi, etiam sanctificavit: quia peccati dominium & inhabitatio est pœna lapsus, pro qua Christus satisfecit: ideoque meritus est restitutionem justitiæ & imaginis Dei in nobis, v. 14. Quomodo comprobata jam admonitione, ad alteram cap. partem transit Apostolus, quæ objectionis anticipationem à v. 15. ad 19. producit, & ex ea deinde admonitionem deducit.

Anticipationis autem objectio est; *Illi qui sunt non sub lege, sed sub gratiâ, liberè peccare possunt: Atqui nos sumus non sub lege, sed sub gratia: Ergò liberè peccare possumus.* Assumptio & conclusio continetur initio versus 15. Sed fallacia est à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter: nam *sub lege esse*, sumitur in propositione majori simpliciter pro esse sub obedientia & maledictione legis: alioqui falsa est enunciatio, si de sola maledictione intelligatur: in assumptione accipitur secundùm quid, pro sola subjectione sub maledictione legis: quamobrem Apostolus meritò Consequentiam detestatur in fine v. 15. & contrarium demonstrat, *qui liberatus est à peccato & mancipatus ex animo justitiæ, non debet servire peccato: Vos liberati estis à peccato, & ex animo mancipati justitiæ. Ergò non debetis servire peccato.* Conclusio ponitur v. 15. Assumptio v. 18. & argumentum illustratur à causa efficiente, primum principali, nempe Deo, cui gratiarum actione emancipationem illam acceptam refert: deinde à causa instrumentali, cùm proxima, nimirum fide, quæ obedientia est erga Euangelium, eam præcipiens; tum remota, nempe doctrina Euangelii, è qua fides oritur, quæ obedientiæ fidei objectum & instrumentum est. idque similitudine typi seu archetypi, & rerum impressarum (quemadmodum Actor. 7. v. 44. & Phil. 3. v. 17.) declaratur. Propositionis autem (oratorio more præteritæ) loco, confirmationem illius præmittit, duplici ratione, ab effectis deducta: quarum prior est quod servire peccato, peccati servos faciat: altera verò, quod mortem afferat, v. 16.

Atque hactenus objectionis anticipatio, ex qua admonitionem opportunè concludit: quam præfatione amplificat, declarata causa, cur ab hominum more, *servitutis & libertatis* Metaphoris, in hac rerum cœlestium materia utatur, nimirum propter infirmitatem carnis eorum, sive humanæ naturæ, quæ hujusmodi similitudinibus à rebus corporalibus & notis facilius adjuta, res spirituales capit.

Admonitio autem hortatio est ad serviendum & militandum justitiæ. Eamque confirmat à pari ratione pristinæ servitutis peccati v. 19. quam explicat tacita apodosi, *Cum enim servi eratis peccati, liberi eratis justitiæ*: ideoque cum hoc tempore sitis servi justitiæ ac juris illius, liberi esse debetis à peccato, nemo enim duobus contrariis dominis inservire potest, v. 20.

Cœterum hanc admonitionem comprobat Apostolus à contrario eventu, servitutis peccati & servitutis justitiæ ac Dei: quandoquidem peccati fructus est *pudor*; finis verò seu eventus, *mors*, vers. 21. servitutis contra Dei fructus est *sanctimonia*, seu puritas vitæ (quæ honorem & gaudium affert) finis verò & exitus, *vita æterna.* Utrumque autem finem declarat Apostolus à causa efficiente, & à genere suo, idque propterea, ne quispiam parem omninò utrimque rationem esse putet: nam *stipendium*, quod peccatum confert servis suis peccatoribus quasi militibus, est *mors*, quæ peccati non solum finis est seu eventus, sed etiam effectum. *Donum* verò, seu *donarium*, quod Deus, dux fidelium, justis suis servis, ipsique militantibus gratis attribuit, *est vita æterna per Jesum Christum*: illius enim satisfactionis & obedientiæ merito, fideles Deo reconciliati sunt, factique Dei filii & hæredes vitæ æternæ: & bona eorum opera, licet ob carnis reliquias & reluctationem, sint imperfecta, condonata tamen imperfectione acceptantur & vitâ æterna consequente coronantur, propter Christum Mediatorem: qua de re insignes præ cœteris extant sententiæ. Hebr. 13. v. 21. & 1. Pet. 2. v. 5. huic loco maximè consentaneæ, Hæc de v. 23. & cap. 6.

CONSECTARIA.

I. Doctrinam de justificatione fidei, peccato habenas laxare, non nova Pontificiorum est, sed vetus adversariorum gratiæ, calumnia, v. 1.

II. Quod eam verò nonnulli sceleribus suis prætexunt, illud nullo evenit doctrinæ hujus vitio (quæ optima est ad pietatem magistra) sed perversa perditorum hominum libidine, vers. 2.

III. In sacramentis communio Christi nobis obsignatur & conservatur.

IV. In Sacris Literis, interdum, rerum significatarum nomina signis attribuuntur Metonym. quemadmodum baptismus sepulturæ nostræ spiritualis, qua vetus homo sepelitur, signum, sepultura nominatur, cum per baptismum sepulti dicimur cum Christo, v. 4.

V. In resurrectione Christi gloriosa, Dei potentia maximè elucet.

VI. Fides non est dubitatio, sed scientia, vers. 6. & 8.

VII. Cum vivamus per Christum; sequitur extra ipsum nos esse non solùm infirmos ad bonum; sed etiam mortuos.

VIII. Peccatum aliud est regnans, aliud non regnans: seu aliud dominans omninò, aliud tantùm repugnans: prius solis inest infidelibus, 1. Joh. 3. v. 9. posterius verò solis fidelibus, quibus peccatum quidem inest, ac reluctatur: sed non præest: etsi enim fideles, à carne sua, per Satanæ & mundi tentationes, confirmata, Deoque negligentiam

tiam eorum castigante, ac confirmationem subducente, ad tempus, in lucta prosternantur ac jaceant aliquamdiu: tamen Deo firmante, resurgunt ac superiores evadunt.

IX. Admonitionum usus certitudini salutis minimè repugnat: sed tanquam destinatum medium potentiæ Dei commodè inservit, v. 12. & 14. & 1. Joh. 3. v. 3.

X. Liberatio à servitute peccati per Dei gratiam contingit.

XI. Ex corde obediendum est Dei verbo, v. 17.

XII. Doctrina ad captum auditorum, prudenter attemperanda est dicendi modis idoneis, ut intelligant.

XIII. Cum ante fidem fuerimus *liberi*, hoc est, alieni à justitia: sequitur salutem nostram esse gratuitam.

XIV. Cum donum Dei sit vita æterna: sequitur eam non esse operum meritum, ut Pontificii tradunt, v. 23.

CAPUT. VII.

HActenus refutata objectione, contrà liberationem Fidelium à lege, de qua c. 6. v. 14. eodem jam redit Apostolus, ut doctrinam difficultatibus multis obnoxiam, plenius ac planius explicaret, & adversus calumnias adversariorum & infirmiorum præjudicium præmuniret. Captatâ autem opportunè benevolentiâ, cum appellatione *fratrum*, tum *scientiæ legis* attributione: ad propositionis confirmationem, eandem sententiam primùm reponit, v. 1. quemadmodum hoc liquet ex collatione, v. 5. & 6. *Lex dominatur homini, quamdiu vivit*, nempe in carne, seu peccato: ac propterea qui mortui sunt ratione peccati originalis, seu veteris hominis, illi liberi sunt à lege, ratione maledictionis: deinde exponit ac confirmat triplici conjugii similitudine, quarum prior hæc est: quemadmodum uxor, viro vivente, illius legi & potestati subjecta est, eo verò mortuo liberatur: ita & nos, vivente, h.e. nondum mortificato, per regenerationem, peccato, ejus legi, h. e. potestati & meritæ maledictioni legis eramus obnoxii: & ut mortuo marito, uxor liberatur ab illius jure: ita & nos mortui peccato, vi meriti mortis Christi, liberi sumus à lege illius, h. e. maledictione legis. Præterea sicut vidua secundo marito devincta, eidem debet ferre fructus: ita & nos liberati à peccato, Christoque conjuncti, ei subesse debemus & fructum ferre, ad gloriam Dei; Protasis prima & secunda exprimitur: tertia verò solùm innuitur, v. 2. & 3. sed colligitur ex apodosi, quæ proponitur contractius, v. 4. & fusius exponitur, v. 5. & 6. atque illo quidem status fidelium, sub peccato, seu ante regenerationem; hoc verò conditio post regenerationem sub Christo & gratia declaratur.

Hanc porrò doctrinam de liberatione nostri à lege, illustrat anticipatione objectionis duplici, ortæ ex v. 5. & 6. quæ continetur inde à v. 7. ad 14. & usum legis docet in non-renatis.

Objectio autem est hujusmodi: si per legem vigent effectus peccatorum, & liberati sumus à lege, ut serviamus in novitate Spiritus: *Ergo lex, peccati causa est*: Respondet verò Apostolus, 1. negatione consequentiæ, cum ait, *absit*, 2. redditione causæ, ab effecto & usu legis, quia *ex ea cognitio peccati* oritur: id quod ex præcepto 10. confirmat, v. 7. & in hypothesi, seu exemplo personæ suæ, declarat. 3. translatione culpæ, in naturæ nostræ corruptionem, quæ lege, tanquam occasione, non data, sed arrepta, abutens, & in vetitum à lege, nitens, peccatorum causa est, id quod egregia antithesi declarat: *nam*, inquit, *absque lege* (id est, cognitione & seria legis consideratione) *peccatum mortuum est*, nempe ratione cognitionis, & comparatè, ratione incrementi: quia minus est. *Ego autem* inquit, *vivebam sine lege quondam* (eoque peccatum in me quasi mortuum erat) contrà, *mandati*, per ætatem & institutionem, *adventu*, h.e. intelligentia & propositione legis (quę ignota aut neglecta, quasi absens pręsenti erat) *peccatum revixit*, cognitum & auctum *Ego verò mortuus sum*, sc. judicii mei, terroris conscientiæ & incrementi ratione, v. 8. 9. 10.

Hinc subjicitur conclusio specialis responsionis tertiæ, v. 10. & 11. & generalis, v. 12.

Hæc de priori anticipatione, qua illustrat doctrinam de liberatione nostri à lege: sequitur altera, eodem pertinens, quæ constat objectione & solutione illius.

Objectio autem ex v. 10. in hanc sententiam proponitur: si mandatum est bonum: *ergo quod bonum est*, *mihi factum est mors*, i.e. mortis causa. Respondet verò Apostolus negatione consequentiæ: deinde translatione culpę in peccatum; *imò peccatum*, inquit, *mihi factum est mortis causa*: quod à consequente declarat, cognitione peccati & incremento illius, per abusum legis, v. 13. tertiò redditione causæ, à natura legis, & repugnantia naturæ nostræ residua. Spirituale non est causa mortis, sed carnale: lex Spiritualis est, quippe à Sp. S. profecta, eique congruens, sancta, justa, bona: nos contra carnales, i. e. peccato obnoxii, & sub peccato venditi.

Cœterum observandum est, *carnales & servos peccati esse* duplices: alii enim absolutè & simpliciter sive omninò, ut infideles nondum renati, in quibus peccatum non solum inest, sed omninò etiam præest, ac dominatur: alii verò relatè & secundum quid, seu partim carnales sunt, ut fideles, qui renati ac sanctificati sunt fidei & charitatis habitu, per Sp. S qui respectu perfectionis spiritualis, quam lex requirit, & secundum reliquias carnis seu peccati originis, *carnales & servi peccati* rectè appellantur, v. 14. quemadmodum enim caro in iis mortificata dicitur, quod vis damnandi & plene dominandi ei adempta sit, vulnusque lethale acceperit: ita ob reliquam repugnantiam adversus Spiritum, Gal. 5. v. 17. eam mortificare adhuc jubentur fideles, Rom. 8. 13. & Col. 3. v. 5.

Hoc autem probat Apostolus ab effectis, descriptione luctæ Christianæ, carnis adversus Sp. in qua versatur à v. 15. ad finem cap. & usum legis in regeneratis, suo exemplo declarat, *Quod enim perpetro*, nempe malum, *non agnosco*, h. e. non approbo, per Meton. antecedentis pro conseq. ut Psal. 1. 6. & Mat. 7. 23. Hoc autem declarat à contrario, *quia non quod volo*, nempe bonum, *hoc ago*: *sed quod odi*, nempe malum, *hoc facio*. quod autem se perpetrare ac facere malum asserit, non loquitur de studiis & actionibus externis: nam Paulus honestè vixit; sed de primis motibus, h.e. subitis cogitationibus & repentinis cupiditatibus malis: à quibus ne sanctissimi quidem immunes sunt: quemadmodum Hieron. August. Gregorius Magnus, & alii Patres sæpè conqueruntur: nam *primos motus*, inquit Ambros. in Lucam, *frenare difficile, tollere impossibile.* Ac propterea rectè (ut multa) August. hunc locum explicans, ait Tom. 7. lib. 1. c. 10. ad Bonifacium. *Facere se dixit & operari, non affectu consentiendi & implendi, sed ipso modo concupiscendi*: contra verò quod negat Apostolus, se non agere quæ vult, de integritate, & perfectione operis loquitur, cùm ex tota mente, toto corde, toto animo, & omnibus viribus Deus amatur. *Hoc est enim perficere bonum*, ut ibid. ait. August. *ut nec concupiscat homo: imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ non consentiat ad malum*, v. 15. Atque hinc duo ad rem ipsam deducit porismata. Primùm legem bonam esse concludit, ex mente, & conscientiæ, quatenus regenerata est, testimonio, v. 16. deinde peccatum originis inhabitans esse mali causam. Observandum est autem, fideles esse subjectum carnis & Spiritus, quæ duo Metaph. *duo homines* in S.L. appellantur, *vetus & novus*, unde contrariæ fidelibus operationes, diverso respectu, adscribuntur: ratione carnis & veteris hominis, mala cupimus & committimus: contrà ratione Sp. contraria volumus ac facimus: deinde quia Sp. superior est in renatis & tandem plenam adversus carnem obtinebit victoriam, inde tanquam à potiori parte se denominat Ap. cum ait; *nunc itaque non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat*, h.e. peccati originis residuum, quod in me hęret, v. 17.

Hæc autem declarat & interpretatur distinctione carnis à Sp. *Non habitat*, inquit, *in me, h e. carne mea bonum*, carnem autem vocat partem non regeneratam, h.e. mentem, voluntatem, affectus, viresque nostras, quatenus nondum sunt regenerata: hanc porrò peccati inhabitationem ab effecto describit, quod impediat, quò minùs bonum cupitum perficiamus, *nam velle*, inquit, *adest mihi* (nimir. non ex generatione & carne: sed ex regeneratione & Spiritu) *sed ut quod bonũ est, efficiam* (sc. perfectè, ut lex flagitat & ego desidero) *non assequor*, v. 18.

Idque repetit, & à contrario confirmat, simulq; versũ 15. illustrat v. 19. & porisma secundum, de quo v. 17. actum iterat & antithesi expressiori declarat v. 20.

Deinde per ἐπιμονὴν amplificat conclusionem, v. 21. *Comperio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem mihi impositam, nempe quod mihi malum adjaceat*. *Legem* autem vocat hoc loco, non legem Dei, sed Metaphoricè vim vitiositatis naturæ, seu peccati originis instinctum, qui instar legis est, ut ex vers. 22. apparet, hanc enim conclusionem confirmat atque declarat, quomodo sibi, & bonam voluntatem, vers. 22. &

 malum

malum seu peccatum ascribat, & quænam sit illa lex, cujus meminit, v. 23. *Condelector enim lege Dei, quoad interiorem hominem*, h. e. novum, seu secundùm regenerationis donum, quemadmodum loquitur Eph. 3. 16. *Sed video aliam legem in membris meis*, h. e. per Synecd. aut Metaph. in exteriori ac veteri homine seu carne mea, in parte nondum regenerata; ea autem lex, i. e. vis & quasi mandatum carnis peccatricis seu peccati originis duplicem habet effectum: primus est, quod belligeret adversus legem mentis, h. e. adversus propensionem Spiritus & interioris hominis seu partis regeneratæ, seu fidei & charitatis, de qua pugna Gal. 5. 17. alter est, quod nos captivos reddit, nempe *carne, non mente: motione, non consensione*, inquit Aug. ad Bon. l. 1.

Porrò per digressionem quandam (rei nihilominus convenientem) hanc doctrinam patheticè amplificat Apostolus, exclamatione duplici, pro duplici consideratione & affectu diverso: nam dum conditionem suam secundum carnem intentius spectat, dolore correptus utitur deploratione hujus conditionis miseræ & voto liberationis à corpore mortis, v. 24. deinde cum ex adverso, mentis oculos, ad conditionem suam, secundùm spiritum, præsentem ac futuram reflectit, recreatus & exultans prorumpit in gratiarum actionem, pro cœpta & perficienda liberatione, per Christum; non dissimilis (licet in dissimili argumento) Christi exclamatio est in agone, *Pater, si possibile est, abeat à me poculum istud; veruntamen non ut ego volo, sed ut tu*; cui gratiarum actioni subnectit Apost. descriptionis antecedentis luctæ epilogum, v. 25.

CONSECTARIA.

I. Auditorum benevolentia à V.D. ministris captanda est prudenter, ut cum fructu majori doceant.

II. Conducit plurimum auditorum commendatio vera, moderata, opportuna, v. 1.

III. Summum Christi beneficium est, quòd fideles sibi in sponsam spiritualem, per fidem, asseruerit, 2. Cor. 11 Eph. 5

IV. Quare ex jure conjugali spiritualis hujus connubii, obedientiam & vitæ sanctitatem Christo spirituali marito, debemus: adulterii igitur spiritualis rei sunt, qui impiè vivunt.

V. Cum bona opera sint fructus ad Dei gloriam Joh. 15. v. 8. cui nati & renati sumus: ergo iis danda est opera.

VI. Quandoquidem peccati fructus est mors: cavendum est sedulò, v. 5.

VII. Quoniam liberati sumus à lege, in eum finem, ut serviamus Deo in novitate Spiritus: sequitur nos, non ab obedientia, sed à terrore & maledictione legis liberatos, v. 6.

VIII. Cùm peccatum non nisi lege cognoscatur: in ea meditandum est, die ac nocte, utpote, quæ miseriæ nostræ, hoc est, peccati & condemnationis index, & norma vitæ nostræ dirigendæ.

IX. Cum concupiscentia mala sit *ἀνομία*, & peccatum ab Apostolo appelletur: errant Pontificii, qui propriè peccatum esse negant, v. 7.

X. Magna est humani ingenii depravatio, cum lege bona deterius reddatur.

XI. Nihil tam bonum ac sanctum est, quo mali ad malum & perniciem non abutantur.

XII. Ac ideo offendi nos minimè decet, si plerique ut ad legem, sic ad Euangelii veritatem obdurescant, v. 8.

XIII. Cum peccatum originis nos decipere soleat, nihil suspectius nobis esse debet, nobis ipsis, hoc est, cogitationibus & affectibus nostris: ac proinde ad legis Dei trutinam omnia examinare oportet, vers. 10.

XIV. Errant, qui omnia peccata æqualia judicant, v. 13.

XV. Cum peccatum perpetuò in nobis habitans, tantaque in regeneratis & fidelibus adhuc supersit naturæ corruptio: injustus esse non potest Deus, cum fidelium etiam optimos rebus adversis exerceat ac castigat, v. 17.

XVI. Quoniam quicquid caro seu originale peccatum producit, malum est: hinc liquet, contra Pontificios, concupiscentiam, sive voluntatis consensus adsit, sive absit, esse peccatum, vers. 17. & 18.

XVII. Peccatum non malè distinguitur in regnans & in inhabitans tantùm, seu non regnans, v. 17. & Rom. 6. 12.

XVIII. Delectari Dei lege debemus, v. 22.

XIX. Cum caro nostra, perpetuum, in hac vita, bellum cum Spiritu gerat: induenda est igitur panoplia Dei, quam Apostolus, Eph. 6. v. 13. graphicè depingit.

XX. Hinc etiam sequitur, nullum mortalium (Christo per sanctificationem conceptionis excepto) legem Dei perfectè implere; cum non ex tota mente, toto corde, &c. Deum amemus; nec proximum sicut nos ipsos.

XXI. Quandoquidem peccatum plenam libertatem nostram imminuit & miseriam quandam affert; ab eo abstinendum est sedulò: cum enim sani, naturæ suæ bonum rectè appetant: insanos esse oportet, qui secus fecerint. Ideoque quemadmodum morbo vitando & sanitati corporis conservandæ studendum est: quia morbus malum est corporis, sanitas verò bonum illius: ita vitandum est peccatum, & danda opera justitiæ: ex quibus satis superque apparet, valdè ineptire Pontificios Sophistas, qui objiciunt, fideles frustra bonis operibus vacare, si illis nihil promereantur, v. 23. 24.

XXII. Nihil tantopere desiderare Christianos oportet atque liberationem à corpore mortis, ut à peccato Spiritui reluctante simus omninò liberi, v. 24.

XXIII. Summa, fidelibus, in hac lucta spirituali, contra peccati sensum, consolatio est & recreatio in gratiâ Christi, cujus merito, à peccati reatu justificati & à dominio peccati inhabitantis, per Spiritum, bona ex parte, sanctificati sunt, ac tandem morte & glorificatione, ab illius inhabitatione, perfectissimè liberabuntur.

XXIV. Quod beneficium Dei, uti amplissimum est, ita pro eodem, ex justitiæ regula, agendæ Deo gratiæ, v. 25.

Tractatio de Concupiscentia.

Quandoquidem de genuino 10. præcepti Decalogi, *Non concupisces* (de quo actum est v. 7.) sensu, inter Orthodoxos & Pontificios decertatur, eam controversiam, ad meliorem hujus loci intelligentiam, expendemus, propositis quibusdam quasi thesibus.

Ac primum observandum est, quemadmodum intellectus & voluntas bifariam accipiuntur, similiter & concupiscentiam denotare, aut potentiam naturalem, aut actum illius: & utrumque vel generatim concupiscentiam tam rationalem, quam sensitivam; vel speciatim alteram complecti: quod Bellarm. concedit, de amissione gratiæ, lib. 5. 15.

Deinde potentiam naturalem, per se ratione essentiæ suæ, à Deo creatam esse: nam & animalis seu sensitivus & rationalis appetitus seu voluntas à Deo est: ac propterea per se, præcepto 10. non prohiberi constat; quoniam Deus, qui summum bonum est, sibi adversari, non potest: ac propterea hæc potentia vel incorrupta est (nempe cum & ratio Deo & appetitus rationi omninò paret, ut in natura creata atque integra ante lapsum) vel corrupta post lapsum: unde vel bona vel mala concupiscentia, non essentiæ ratione, sed accidentis qualitatis consideratione appellatur: bona quidem, quæ cum norma & ordine justitiæ consentit: unde *ordinata* dicitur; mala verò est, quæ ab ea justitię norma & ordine dissentit: unde *inordinata* appellatur; imo ratione vitii, quo informatur, potentia impotens, non immeritò posset nominari.

Hæc autem concupiscentia inordinata est duplex, una quę ordini justitiæ erga Deum, altera quę ordini justitię erga proximum repugnat: quarum prior I. tabulæ præcepto primo: posterior verò II. tabulæ præcepto postremo; *non concupisces*, prohibetur.

Quæ duo non satis accuratè vulgò à nonnullis confunduntur, quasi solo 10. præcepto utraque prohiberetur: nam concupiscentia, quæ immediatè Deo adversatur, primâ tantum tabulâ: quæ verò immediatè proximo repugnat, secundâ vetari res ipsa docet, & distincta legis summa, Matt. 22. demonstrat; ex hujus inordinatæ concupiscentiæ habitu innato, oritur similis actualis concupiscentia vitiosa; eaque vel simplex vel composita: simplex est, quæ ex una appetendi potentia corrupta oritur, eaque vel sensitiva vel rationali; ex sensitiva quidem, ut primi affectuum motus inordinati, citra consensum voluntatis: unde concupiscentia illa *involuntaria* vulgò dicitur: ex rationali verò, ut vitiosæ voluntates circa objectum non sensile. Qua de re, ex veritatis vi (*quæ interdum*, ut eleganter ait Lactant. *ex invitis pectoribus erumpit*) expressa & insignis est confessio & probatio Bellar. Tom. 3. de amissione gratiæ, lib. 5. 15. Composita

posita verò est, in qua utraque concurrit, cum nimirum ad appetitum sensitivum malum accedit voluntatis consensus: unde concupiscentiam *voluntariam* nominare solent: utraque rursus, tam simplex, quàm composita (ut de potentia corrupta, à qua profluit, monuimus) pugnat adversus legem Dei, & quidem quæ ordini justitiæ erga Deum adversatur, ea primâ tabulâ: quæ verò ordini justitiæ erga proximum repugnat, secunda tabulâ, ut ante ostendimus, vetatur: & quidem simplex contra proximum concupiscentia sensitiva, & rationis motus primi & involuntarii vitiosi præcepto decimo: deliberati verò & confirmati motus & concupiscentiæ compositæ, antecedentibus secundæ tabulæ præceptis prohibentur.

Contrà Pontificii asserunt decimo præcepto, (quod imperitè in duo dividunt: quemadmodum primum & secundum in unum confundunt) vetari concupiscentiam sensitivam, cum voluntatis consensu: eamque duplicem faciunt, unam quidem carnis, quæ nono, ut vocant præcepto, *Non concupisces uxorem proximi*, vetetur: aliam verò concupiscentiam oculorum, quæ præcepto decimo prohibeatur, *Non concupisces rem alienam, non domum, non servum, non ancillam*, quemadmodum exponit Clarus inter Scholasticos author Gabriel Biel in Magistrum Sententiarum, lib. 3. dist. 37. quæst. una.

Sed ut alia prætereamus, diluitur hæc sententia hoc argumento: quod in antecedentibus præceptis prohibitum est, illud non prohibetur hoc præcepto, *Non concupisces*: atqui concupiscentia composita prohibita est antecedentibus præceptis: ergo hoc præcepto non prohibetur.

Propositio certa est, ex principio certo ac noto, quod singula decem præcepta, non solum numero, sed etiam materia propria differunt: unde distinctè etiam *præcepta decem*: & ut Scriptura loquitur, *decem verba* appellantur.

Assumptionem probat Christus expositione sua, Matt. 5. 27. 28 *Audistis dictum fuisse antiquis: non mœchaberis Ego verò dico vobis, quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit in corde suo.* Veruntamē nonnulla objici possunt.

Primum, Christum contulisse præceptum septimum, cum ultimo (aut ut volunt Pontificii penultimo & ultimo) & illud, hujus additamento, exposuisse; quod Pharisæi judicarint, concupiscentiam & flagitia interna, non esse peccata: quemadmodum Josephus antiquit. lib. 12. c. 12. motum internum non esse peccatum, nisi exterius se prodat. Et Kimchi in Ps. 66. 17. ubi sic exponit: *Iniquitatem si inspexi in corde meo, non audiet Dominus*, id est, non imputabit ad peccatum, desiderium injustum, si tantùm sit in corde; quemadmodum monet Bellar. de amis. grat. l. 5. 15. scopum illum Christi esse, ut hunc errorem corrigat.

Esto; sed eo docendi modo scopum petere negamus: nam quod adulterium est, illud præcepto 7. prohibetur; aspectus mulieris libidinosus, seu cum voluntate vitiandi, Christo interprete, adulterium est, licet non carnis, tamen cordis: Ergò præcepto septimo prohibetur.

Sed iterum alia oritur exceptio, præceptis quidem antecedentibus prohiberi concupiscentiam opertè ac tectè; sed ultimo, apertè ac clarè: quod videlicet hoc adversus concupiscentiam præceptum sit instar clavis, quæ nos in sensum interiorem antecedentium deducat, ne periculosè & turpiter, sicut multis evenit, impingeremus.

Verùm negatur hæc sententia: quia inde sequeretur præcepta decalogi contra Dei declarationem & communem omnium consensum non esse decem: sed tantum novem: & quidem secundum Pontificiorum distinctionem, tantùm octo: si ultimum, quod in duo dividunt, non ut novum præceptum apponeret; sed præcedentia tantùm exponeret: quod omninò absurdum esse apparet.

Si quis præterea objiciat: quod concupiscentiam uxoris, & rei alienæ prohibet, illud tantum concupiscentiam sensualem, cum voluntatis consensu compositam; libidinem nimirum & avaritiam intelligit: falsa est propositio: quia aliquid vetatur aut propriè & explicitè, aut impropriè & implicitè: quemadmodum illud extra controversiam est in reliquis Decalogi mandatis, quorum verba plus habent in recessu, quam prima fronte promittant; nam per Synecd. species suum genus & antecedentes illius causas proximas & effecta propria simul denotat: quemadmodum adversarii fateri coguntur, & singulari suâ Decalogi explicatione ipsimet ostendunt.

Deinde Decalogi perfectio (à qua universa lex & Prophetæ dependent, cujusque violatio peccatum est. 1. Joh. 3. 4.) & Christi declaratio, Mat. 5. & c. 22. 40. & Pauli, Rom. 3. 19. idem evincunt: sic præcepto decimo prohibetur primum expressè concupiscentia actualis sensualis, non cum consensu (de qua re antecedentibus præceptis agitur) sed involuntaria, & quidem specialis alienæ uxoris & rei; qua per Synecd. quævis primæ concupiscentiæ & inclinationes actuales malę, contra proximi amorem, comprehenduntur: idque amplius confirmatur, I. expositione Pauli, qui illud generatim enunciat, *non concupisces*, Rom. 7. & 13. 9. deinde ex natura rei, quę amori proximi adversatur, cujus amoris norma lex est: ideoque amori contraria, lege vetantur: atqui concupiscentiæ reliquæ malæ, similiter, ut quæ expressæ sunt decimo præcepto, amori proximi adversantur: Ergo similiter vetantur. Quemadmodum enim concupiscentia alienæ cum uxoris, tum rei vitiosa est ac prohibita per secundam tabulam: quia & illa amori erga bonum internum *castitatis*, & hæc amori erga bonum externum *familiarum & divitiarum* proximi adversatur: ita & concupiscentiæ contra *authoritatem, vitam*, aut *famam* proximi malæ sunt & in secunda Decalogi tabula prohibitæ, quia authoritatem, vitam, famam proximi (quem amare debemus sicut nos ipsos) oppugnant, hinc jam argumentamur.

Cum hæ concupiscentiæ malæ primæ, amori proximi adversentur, illæ prohibentur aut antecedentibus præceptis, aut decimo: non antecedentib. ut adversarii fatentur; E. decimo.

Deinde ex iisdem argumentis concluditur, *concupiscentiæ* voce, non solùm contineri primos affectuum & voluntatis motus & appetitus malos; sed etiam primas intellectus, adversus proximi amorem & bonum, cogitationes malas: *quia impurant hominem*: Marc. 7. 21. 23. & concupiscentiam malam excitant aut fovent: denique ex iisdem quoque principiis, sequitur prohiberi decimo præcepto etiam ipsum fontem omnium malarum cupiditatum & cogitationum, concupiscentiam naturalem vitiosam, seu peccatum originis (amori proximi repugnans) quod concupiscentia etiam vocatur Jac. 1. 14. nam quod primum & per se hominem ad malum inescat, ac deinde pertrahit, illud repugnat legi Dei: atqui concupiscentia innata hoc facit: ergò repugnat legi Dei, verùm cum cupiditas vitiosa & peccatum originis (quatenus amori Dei obstat) primâ tabulâ vetetur: secundâ tabula etiam prohibetur, quatenus obest amori proximi: atqui non antecedentibus prohibetur: ergo hoc decimo pręcepto. nam quod excipiunt adversarii, cupiditatem, teste Apostolo, concipere quidem & parere peccatum, peccatum verò peractum gignere mortem, ideoque nec peccatum esse, nec morti-ferum: illud facilè diluitur: nam per peccatum, ab Apostolo, actuale intelligitur per Synecd. generis pro specie: cujus effectum necessarium quidem, sed non soli proprium statuitur mors: nam alioqui si hęc ratio valeret peccatum originis cum actuale non sit, non esset peccatum, id quod communi & orthodoxo consensui, & legis perfectioni (quæ amorem Dei ex toto corde, ex toto animo & ex omnibus viribus postulat) repugnat: deinde ex hujus loci circumstantiis demonstratur, cupiditatem hanc esse peccatum ex attributis effectis: primum, quia malis tentare peccatum est, & Dei naturæ contrarium, Jac. 1. 23. hoc autem tribuitur cupiditati, v. 14. secundò, quod proximi & Dei (ex toto corde, anima, cogitationibus, viribus) amori adversatur, illud peccatum est revera: concupiscentia, de qua agitur, ejusmodi est, quia animi, cogitationis & virium depravatio est moralis: ergo est peccatum. Propositio confirmatur, quia illa legis est summa, Matth. 22. cujus violatio peccatum est, 1. Joh. 3. *peccatum est ἀνομία.*

Sed excipiunt argutè adversarii, illud non sequi, omne peccatum est ἀνομία: ergo omnis ἀνομία est peccatum: quandoquidem universalis affirmativa simpliciter converti non potest, & à genere ad speciem certam, consequentia non valet.

Verùm negamus esse prędicationem generis de specie, quę reciproca esse non potest, quod termini non æquè latè pateant: sed prædicatio est differentiæ ac formæ de suo formato: ac propterea enunciatio est omninò propria & reciproca: genus enim peccati est habitus vel actus: forma verò, est illius deformitas moralis, ἀνομία, legis divinæ transgressio. Peccatum enim est habitus vel actus legi divinæ contrarius.

At inquiunt rursum: quod à Deo & natura creationis or-

nis ortum est, illud non est propriè peccatum, atqui concupiscentia & affectuum adversus rationẽ repugnantia, à Deo & natura creationis orta: Ergo concupiscentia non est propriè peccatum: argumentum hoc Pontificiis familiare est, ut ex Dominico Soto insigni inter eos Doctore, de naturâ & gratiâ, & Andrea Vega de justificatione, & Bellarmino, apparet: quò apertè Deum authorem peccati statuunt: licet illud strenuè negent: & Apostolo, qui illud peccatum appellat, adversantur. Falsa enim est assumptio, nam concupiscentię facultas, utpote bona & illius inclinatio recta seu ἐυταξία, qua apta & comparata fuit ad obediendum rectæ rationi, à Deo ex creatione ortum habet: quia Deus solus & infinitè ac perpetuò bonus. Sed ἀταξία & rebellandi adversus Dei legem & rectam rationem propensio, quia naturæ justæ depravatio est, à Deo esse non potest: nec à natura creationis: quia omnia quæ fecit Deus, erant valdè bona, Gen. 1.

Nam quod objectant, gratiam Dei frenum fuisse cupiditati injectum, ne rationi reipsa reluctaretur, illud cupiditatem à peccato non vindicat: quia ad rei bonitatem non tantum requiritur repressio actionis vitiosę sed etiam naturę rectitudo & inclinationis ac rebellionis insitæ absentia & contraria inclinatio ad bonum. Quemadmodum enim venenum antidotis temperatum ac retusum malum naturaliter esse non desinit, licet malo non afficiat: nec leo crudelitate caret, licet claustris coërceatur, ne crudelitatem exerceat: ita & concupiscentia moraliter mala est, licet Dei gratiæ fræno contineatur, ne malum procreet: res enim potius à natura sua, quàm ab actu & quidem represso, ac refrænatto aliunde, denominari debet. Præterea idem etiam ex Dei lege colligi potest: quanta enim integritas lege præcipitur, tantam habuimus ante lapsum: Atqui tanta lege præcipitur, ut non solum Deum amemus, & quidem ex corde, h.e. sincero ac vero affectu, sed etiam ex toto corde & omnibus viribus, Mat. 22. quod sanè fieri non potest, si vires & inclinationes sint naturâ primâ in nobis rebelles adversus rationem & amorem Dei: Ergò tantam habuimus ante lapsum integritatem, ut Deum amaremus ex toto animo & ex omnibus viribus: ac propterea, ut non solùm ratio pareret Deo, & concupiscentia rationi, sed etiam utraque libera ab omni rebellione, tam inclinationis, quàm actionis, propensa esset omninò ad obedientiam. Idem etiam deinde regeneratio nostra & imaginis Dei restitutio arguit, qua vetus homo, cum suis concupiscentiis, non solùm reprimitur: sed etiam extinguitur Spiritu sanctificationis.

Sed instant iterum atq; ita excipiunt; quod inevitabile est, illud non vetatur lege: concupiscentiæ malæ habitus & primi illius motus vitari non possunt: Ergo non vetantur lege. Propositio confirmatur, quia ut ad impossibile nemo obligatur; ita nec sapiens legislator, cujus scopus legis observatio, illud præcipit.

Sed negatur propositio, & confirmatio illius absolutè sumpta: nam cum impossibile aliud sit per se, aliud per accidens; de priori vera est propositio: de posteriori falsa: Carere malæ concupiscentiæ habitu & motu, fuit possibile homini ante lapsum, & erit in cælo, post plenam restaurationem lapsus: per accidens verò ac vitio lapsus humani, ἀδυναμία illa evenit: ad quam patefaciendam & homines reddendos inexcusabiles, lex illa, ex qua agnitio officii & peccati ac condemnationis meritę oritur, prolata est sapientissimè & justissimè; quoniam jus suum exigere, quod vitio proprio homo amisit, Deus meritò potest, ut viam sibi sternat ad meritam justamque condemnationem, aut immeritam gratiam.

Deinde ad assumptionem dicimus, negari meritò posse, absolutè impossibilem esse legem illam observatu. Servamus enim bifariam: primum perfectè, per fidem justificati in Christo, cujus sanctitas & obedientia perfecta legis, nobis imputantur: deinde in nobis servamus gradatim: primùm in hac vita inchoatè, per sanctificationem, partim dum regeneramur, & vetus noster homo per Sp. S. crucifigitur: partim dum exercitio fidei, resipiscentiæ & precum, veterem hominem magis magisque mortificamus, & à Deo vires recipimus, quibus & motus & inclinationes concupiscentiæ malæ minuantur, & sanctificatio nostra continuetur & augeatur: deinde perfectè, in altera vita, cùm natura nostra liberata à peccato inhabitante, complementum & colophonem sanctificationis assequetur: ex quibus patet etiam solutio, ad aliud argumentum, quod objiciunt, Paulum præcipere, Rom. 6. *ne regnet peccatum in mortali corpore nostro*: non autem ne sit: quippe quod prius illud cadat sub præceptum, ac servari possit: posterius verò minimè: sed respondetur, Paulum alibi quoque hortari ne peccatum sit in corpore mortali, quando ad exuendum veterem hominem, & crucifixionem ac mortificationem illius hortatur, Ephes. 5. v. 22. Col. 3. v. 5. Quomodo autem sub præceptum cadat, & à nobis observari debeat ac queat, paulò antè ostendimus.

Quamobrem, quod ex Bernardo citant, *non sensus illiciti, sed consensus illiciti peccatum est*: ut alia omittamus, ei opponimus Augustinum contra Julianum lib. 5. *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati*: quod dictum adeò illustre ac perspicuum, ut Pontificii eo pressi suis distinctionibus frustrà conentur elabi. Huc accedunt aliæ rationes quæ à nostris adferuntur, nam cum adversarii fateantur, Paulum hoc septimo capite describere luctam carnis ac concupiscentiæ & Spiritus, in renatis; argumentantur concupiscentiam esse peccatum: primùm, quia non est bonum, Rom. 7. v. 18. unde vocatur etiam *malum circumcingens*, Heb. 12. v. 1. deinde, quod malum appellatur privativè: quandoquidem propter illud non perficitur in nobis bonum, Rom. 7. vers. 15. & 23. tertiò quod malum positivè: quoniam *rebellat legi mentis*, & hominem cogit facere, quod odit, Rom. 7. v. 15. & 23. quartò, quod propter illud malum exclamat Apostolus, *me miserum, quis me liberabit de corpore mortis!* Rom. 7. v. 27. quintò, quod sit malum crucifigendum, mortificandum & expoliandum, Col. 3. vers. 5. & 9.

Ex quibus omnibus meritò concluditur, concupiscentiam corruptam & primos illius motus esse peccata: ac propterea Pontificios perperam statuere, nec decimo nec ullo decalogi præcepto prohiberi:

Atque hęc de genuina decimi pręcepti intelligentia disseruimus, quæ ad illustrationem v. 7. hujus capitis pertinent.

Porrò de sequentibus altera exurgit controversia: nam cum inter omnes constet, Paulum conditionem hominis, nondum à Sp. S. per infusos fidei & charitatis habitus, renati, depinxisse inde à v. 6. ad 14. disquiri solet, an in sequentibus de eodem disseratur: qua de re diversa sunt judicia: quidam simpliciter alterum statuunt; alii verò distinguunt, & versum 14. ad hominem non renatum; sequentia verò aliò pertinere arbitrantur; idque diversa via.

De quâ personâ loquatur Paulus *à versu 14. ad finem Cap. 7. disquiritur.*

Nonnulli ex iis, à vers. 15. agi, de homine renascente: quemadmodum in antecedentibus de irrenato, & initio capitis octavi de renato: quæ sententia est Antonii Corani Hispani in Dialogo in hanc epistolam. Et Faustus Socinus non de quovis irrenato, sed de eo, qui in eo statu, ad excellentissimum gradum pervenerit, & (ut ait) *Paulum hoc loco hominem, Christi gratiæ expertem & ab ipsa lege pendentem describere: affirmo, non quemlibet ejusmodi hominem intelligere: sed eum, qui, in eo statu ad excellentissimum gradum pervenerit.* Deinde docet, describi pugnam inter appetitum & mentem, hoc est, intellectum: nam voluntatem statuit mediam, quæ interdum appetitui, interdum menti, in hoc conflictu, accedit. Contrà verò alii de homine renato, h.e. fideli & sanctificato agi, & pugnam describi statuunt, inter carnem & spiritum, seu inter peccatum originis, in renatis reliquum, in mente, voluntate & affectibus, & inchoatam in iisdem originalis justitiæ restitutionem, per Sp. S. De qua controversia quid videatur convenientius, Sacris Literis paucis exponemus.

Ac primùm de v. 14. quamvis nolim multis contendere, cum iis tamen sentio, qui illum de homine renato & fideli exponunt: nam cum Apostolus antea locutus sit de se tempore præterito, accommodatè ad præteritum statum, de quo egit: ita hic loquitur tempore præsenti, *carnalis sum*: quemadmodum etiam in seq. ut præsentem statum describeret. Sed adversus hanc sententiam objicitur: Illi de quibus hîc loquitur Paulus, sunt carnales, & servi peccati, v. 14. Renati verò non sunt carnales, nec servi peccati, v. 5. & cap. 6. v. 22. Ergo renati non sunt illi, de quibus hîc loquitur.

Sed respondetur esse ἀσυλλογισίαν: Medius enim terminus est

nus est ambiguus; nam *carnales* & *servi peccati* in propositione intelliguntur secundùm quid, seu partim, ut v. 23. & 25. In assumptione verò simpliciter, ut ex superiori capitis explicatione liquet: Adeò ut rectè August. dixerit: *Ex eo quod remanserit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex qua parte servimus Deo, liberi sumus: ex qua servimus legi, peccati servi sumus*, Tract. 41. in Iohannem. Paulum autem de se hîc loqui, non simpliciter, sed secundùm quid: nec ratione potioris, sed deterioris partis, nihil est miri: quandoquidem se considerat comparatè cum lege; quatenus ab ea dissidet. Verùm de sequentibus major est disceptatio. Et, ut eos æquitate Christianâ toleramus, qui de homine non fideli, citra contentionem, ita exponunt, ut analogiam fidei conservent & secus sentientes non damnent: ita meritò detestamur Fausti Socini impudentiam, qui sub Prosperi Dysidei larva, in libelli, de hujus capitis intelligentia, Cracoviæ editi, p. 130 ait: *Cavendum judicio meo, non secus atque ab ipsa peste, tibi esse, ne locum istum 7. capitis epistolæ ad Romanos, ad Paulum ipsum jam renatum pertinere, tibi persuadeas*. Nihil enim, ut iste fingit, in hac sententia esse pestilens: sed omnia sancta & salutaria, ex proposita expositione liquet, & ex sequenti examine amplius apparebit: ac primum quidem, primarias objectiones expendemus: deinde receptam in Ecclesia Dei interpretationem confirmare nitemur. Objectiones autem petuntur partim à stylo, partim à re. A stylo hac ratione: si describeretur, hoc capite, lucta carnis adversus Spiritum; tum *Spiritus*, non autem *mentis* fieret mentio, atqui mentis fit mentio: nulla verò Spiritus: quemadmodum contrà c. 8. & seqq. ubi de renatis certò agit: Ergo non describitur hoc loco carnis lucta adversus Spiritum. Propositionis Consequentia non est necessaria. Quamvis enim alibi Spiritus voce utatur, nihil in eo absurdi est, si bis per Synonymiam pro Spiritu, *mentem* nominet vers. 23. & 25. quemadmodum etiam eodem sensu *interiorem hominem*, v. 22. Spiritum verò intelligi attributa ostendunt.

Deinde à reipsa deductæ objectiones scopum & attributa spectant. Ex scopo quidem disputatur hoc modo, quod à scopo hujus loci alienum est, illud eo non describitur: Atqui pugna carnis adversus spiritum à scopo hujus loci aliena est. Ergo eo non describitur.

Assumptionem meritò negamus: ut in proposita explicatione capitis demonstratum est.

Ex attributis verò objicitur, primum, renati faciunt bonum quod volunt, Phil. 2. v. 13. Hi de quibus Paulus agit, non faciunt bonum, quod volunt, v. 15. Ergo non sunt renati: sed fallacia est amphibolias. *Facere enim bonum*, in propositione sumitur secundùm quid, de imperfectè bono & cum venia æstimato, propter Christum, bono, in assumptione de perfectè bono, ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus: quale quidem in renatis nullum est, ob reliquias carnis, & repugnantiam illius adversus Spiritum. Ex quo etiam solutio similis argumenti apparet: Quicunque amici sunt Christi: item, quicunque servantur, faciunt voluntatem Dei, Joh. 15. 14. Matt. 7. 21. Jac. 1. 22. Atqui renati sunt amici Christi & servantur: Ergo faciunt voluntatem Dei: ideoque non intelligitur de iis, quod dicitur, *bonum facere non invenio:* Respon. negari consequentiam: nam hæc de eodem quidem dicuntur: sed non secundùm idem: ut ex v. 25. constat: mente serviunt legi Dei, h. e faciunt voluntatem Patris: carne verò legi peccati serviunt: ideoq; non faciunt bonum, quod desiderant: quia secundùm Spiritum desiderant non solùm abesse scelera, à quibus abstinent, sed etiam pravos cõcupiscentiæ motus primos, quibus in hac vita oppugnantur.

Deinde objicitur, in quo habitat peccatum, ille non est renatus, in eo, quem Apostolus describit habitat peccatum, v. 20. Ergo non est renatus. Propositio confirmatur hac ratione, quia *habitare* ubique denotat dominium: ut cum Deus Pater & Christus, ac Spiritus S. in nobis habitare dicuntur.

Sed respondetur I. negatione propositionis & confirmationis illius, *Habitare* enim non magis dominium notat, quàm servitutem: quia non solùm Domini alicubi habitare dicuntur, sed etiam servi: nec enim habitatio aliud propriè notat, quam in loco certo degere: eoque inhæsionem & durationem notat: quam ad rem dominium nihil facit. Ita cum Spiritus S. dicitur habitare in nobis; per *habitare* nihil aliud denotatur, quàm inesse, & quidem durare & manere quasi in domicilio. Cùm verò sit Deus, ex subjecti natura, non autem ex attributi significatione intelligitur, quod maneat in nobis tanquam Dominus summus & conservator: quod diligenter observari oportet. Quare cum *caro habitare* dicitur in nobis, carnis inhæsionem & mansionem firmam notat: deinde quamvis *habitare* significaret dominari, quod tamen falsum est, negaretur confirmationis consequentia, quia dominium peccati est duplex perfectum & imperfectum: perfectum est, quod totum hominem occupat, ac sibi servitio addictum ac parentem habet: quale dominium in non renatis: imperfectum est, quod hominem non omninò, sed parte aliqua adhuc detinet: quale est in renatis, quia reliquias dominantis carnis in se sentiunt: nam cùm liberatio à dominio peccati consistat in sanctificatione: si sanctificatio imperfecta est, liberatio & libertas quoque necessario imperfecta est: atqui verum prius: Ergo & posterius: ac propterea reliqua est aliqua servitus, quemadmodum quamvis vetus homo dicitur in nobis crucifixus ac mortificatus, quia peccati dominium bona ex parte ablatum est: sic eundem exuere, & mortificare jubemur, ob dominii illius reliquias.

Denique quod objicitur, qui miser est, & liberationem quærit, is nondum est liberatus & felix: atqui is, quem Paulus describit, miser est, & liberationem quærit, v. 24 Ergo nondum liberatus est: fallacia est homonymias: nam terminus major ambiguus est: in conclusione enim accipitur de liberatione inchoata: in propositione verò de liberatione perfecta: seu de cœptæ liberationis complemento; alioqui major falsa est: quemadmodum etiam ex antecedentibus constat: similiter quoque non obstat, quod fideles, qui alibi dicuntur beati, hîc miseri nominentur: quoniam diversa est ratio: appellantur enim beati secundùm justificationem: deinde secundùm sanctificationis inchoationem, seu secundùm interiorem hominem: denique ratione triumphi securi ac beatitudinis æternæ: miseri verò ex parte, secundum carnem, quatenus nondum plenè à peccati miseria liberati sunt; quare hisce solutis objectionibus, ad argumenta, quæ luctam carnis adversus Spiritum in renatis & fidelibus describi ostendunt, transeamus.

Primum est; is, quem Paulus describit, non operatur malum, quod facit v. 17. omnes infideles irrenati sub lege constituti, operantur malum, quod faciunt: quia plerumque mente; semper autem voluntate peccato serviunt, Eph. 2. v. 2. 3. &c. 4. v. 18. Rom. 6. 14. 16. 17. 19. & 1. Joh. 5. 19. Licet enim in nonnullis mens recta suadeat: nunquam tamen rectè, h. e. recto modo: quia non ex fide & amore Dei; neque ad Dei gloriam. Ergo is, quem Paulus describit, non est irrenatus.

Secundo, qui dicit, se non amplius perpetrare illud malum, ex relationis & oppositionis naturâ, ostendit, se ante perpetrasse, nimirum cum esset infidelis, Eph. 2. v. 2. & 3.

III. In quo caro, seu corrupta natura, ab homine interiore distinguitur, non intelligitur homo infidelis & non renatus, utpote qui totus & absolutè est caro, Joh. 3. 6. Rom. 8. 5. Atqui is, de quo Paulus agit, est hujusmodi, ut in eo, caro distinguatur, ab homine interiore, v. 18.

IV. Quia menti & interiori homini velle bonum attribuitur, quod non rationi seu intellectui, sed voluntati convenit: ac propterea de rationis & appetitus pugna tantùm non disserit Apostolus, quasi voluntatem statueret mediam, vitiique in se expertem, quæ aut à sola mente, aut ab appetitu regeretur: ut Socinus contendit.

V. Cui velle bonum absolutè convenit, ille non est infidelis & non renatus, sed fidelis; Joh. 3. 6. Rom. 8. 5. 2. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. In infidelibus ac non renatis est tantùm voluntatis boni umbra, & quidem non perfecta, neque semper: atqui illi, quem Paulus depingit, velle bonum absolutè convenit, vers. 18. & 21. Ergo non est infidelis & non renatus, sed fidelis ac renatus.

VI. Qui delectatur lege Dei, is non est infidelis irrenatus, sed fidelis renatus, Rom. 8. vers. 5. & Psal. 1. nam

delectatio non ſolam approbationem in intellectu, ſed etiam amorem in voluntate complectitur, quæ ſine fide & regeneratione non exiſtunt: is de quo Paulus agit, delectatur lege Dei, verſ. 22. Ergo non eſt infidelis, & non-renatus; ſed contrà fidelis ac renatus.

VII. Qui non ſolum lege delectatur, ſed etiam quo lex (per proſopopæiam quandam) viciſſim delectatur, ille non eſt conſtitutus tantum ſub lege, ſed ſub gratiâ, & fidelis ac regeneratus eſt: nam infideles & non-renatos omnes lex accuſat ac damnat: eoque iis non delectatur: atqui is de quo hic agitur, non ſolùm lege delectatur, ſed etiam eo viciſſim lex delectatur, teſte Apoſtolo, qui non ait ſimpliciter *delector*, ſed relatione quâdam, *condelector*: ut hanc emphaſin adverſarii agnoſcunt, verſ. 22.

VIII. Diſtinctio interioris hominis à carne v. 22. & legis mentis à lege membrorum, v. 23. iiſque attributa, indicant, Paulum de fidelibus renatis loqui: nam abſolutè ait & ſimpliciter, ſe delectari lege Dei, ſecundùm interiorem hominem.

IX. Qui mente omninò ſervit legi Dei, ille eſt renatus; aliud enim eſt, *quæ legis ſunt facere*, Rom. 2. v. 14. hoc eſt, quædam & imperfectè: aliud verò mente legi Dei ſervire, hoc eſt, omninò deditum eſſe: quemadmodum antitheſis demonſtrat: nam carni ſoli peccatum, & ſoli menti ſolum cultum legis attribuit. Atqui is de quo Paulus diſputat, mente ſervit legi Dei, verſ. 26. Ergo eſt renatus.

X. Qui cum carne perpetuum habent conflictum, illi hoc loco intelliguntur, v. 23. & 26. Atqui ſoli fideles & renati, hoc habent: Ergo ſoli illi intelliguntur: nam inter affectus & mentem non-renatorum, in multis, ad malum conſpiratio eſt, & mens mala, malus animus, malus affectus.

XI. Quod Paulus ait, *ipſe ego*, verſ. 25. demonſtrat perſpicuè eum non loqui (ut adverſarii contendunt) per Proſopopœiam de non-renatis; ſed contrà per hypotheſin veram perſonæ ſuæ, theſin de regeneratorum conditione exprimere.

XII. Firmiſſimum argumentum, qui liberari cupit & gratias Deo agit, per Chriſtum, ille ſanè eſt fidelis: quia ſolus Chriſtum colit, non autem infidelis hoc præſtat: Is verò de quo Paulus hic diſſerit, liberari cupit & gratias agit Deo, per Chriſtum, verſ. 24. Ergo eſt fidelis. Nam quod objicit Socinus, liberationis deſiderium & gratiarum actionem, non ad eundem poſſe pertinere: illud ex propoſita capitis hujus expoſitione & objectionum confutatione diluitur: nam quod Socinus ait: *ne quis in Apoſtoli verbis, tantum πάθος animadvertens, propter ipſum quoque, ita eum exclamaſſe ſuæ miſeriæ ſenſu ſuſpicaretur, ſtatim per parentheſin verba adjungi, gratias ago Deo &c.* illud inquam commentum omninò violentum eſt & alienum: quemadmodum res ipſa loquitur, utramque exclamationem per parentheſin ſimiliter inſertam, non à ſe mutuò diſcerptam: quemadmodum in explicatione capitis oſtendimus: neque etiam obſtat hoc loco varia quædam, quam objicit, lectio, χάεις τῷ θεῷ, quia, ut alia omittam, illud idem etiam valet, quod εὐχαειςῶ τῷ θεῷ: quemadmodum phraſis natura & & uſus Pauli evincit, Rom. 6. verſ. 17. 1. Cor. 15. v. 57. 2. Cor. 2. v. 14. & 8. 16. & 9. 15.

Denique hiſce argumentis accedit ſimilium locorum collatio, quibus eadem, quæ hoc in loco extant, de regeneratis dicuntur, ut Gal. 5. 15. & 17. & carnis opera ſtatuuntur non ſolùm adulterium & ſcortatio, quæ ad corpus: ſed etiam æmulatio, odium, invidia, quæ ad voluntatem: & hæreſes, quæ ad mentem hominis pertinent. Ac propterea carnis nomine mentem, quatenus non eſt regenerata, complectitur: adeò ut licet fideles ab operibus ſint immunes, bona parte; tamen ab inclinationibus primiſque cupiditatibus non ſunt alieni, ut etiam Catecheſis noſtra docet quæſt. 60. & Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. v. 22. 23.

Quare ut hanc ſententiam veteres, ante Pelagium, non ita perceperunt: ita poſtquam ab eo exercitati ſunt & diligentiùs omnia ſcrutati, ſecuti ſunt, ut Hieronym. Tom. 2. ad Cteſiphontem, contra Pelagianos, & Dialogo 2. contra eoſdem. Et Aug. retract. lib. 1. cap. 23. & contra Julianum Pelagianum, lib. 6. cap. 11. quo veterum quorundam conſenſum citat: quibus etiam aſſentiuntur Thomas Aquinas ad hunc locum, & vulgò Pontificii Doctores non minus quàm noſtri.

Quæ omnia collecta, cum iis, quæ de concupiſcentia diſſeruimus, ad genuinam Pauli ſententiam declarandam, ſuffectura ſperamus.

Cap. VIII.

Hactenus digreſſio, qua anticipationes quaſdam adverſus juſtificationis doctrinam inſeruit Apoſtolus: & luctam Chriſtianam, hoc eſt, repugnantiam carnis & mentis renatæ, hoc eſt, Spiritus, in verè fidelibus, copioſè deſcripſit; ac tandem conſolationem ex Chriſti gratia, per regreſſionem convenientiſſimam, adjecit. Quam ab hypotheſi perſonæ ſuæ, ad theſin transfert, & hac ratione ad principalem hujus epiſtolæ propoſitionem, artificioſè regreditur: eamque primùm reponit ac concludit ex antecedentibus: deinde confirmat.

Propoſitio eſt, *iis, qui in Chriſto ſunt, nulla eſt condemnatio*: illi autem in Chriſto eſſe dicuntur, hoc loco, non qui mediatè tantùm & ſecundùm quid, in Chriſto ſunt, nempe ratione Eccleſiæ ipſius, quæ corpus Chriſti myſticum, in qua ſunt, ſed tantùm ut palea in acervo frumenti, aut lolium in agro tritici, Matt. 13. v. 25. non autem ex ea ſunt, 1. Ioh. 2. v. 19. ſeu non ſunt viva illius, per eundem Chriſti Spiritum, membra, de quibus hypocritis, Ioh. 15. v. 2. ſed κατ' ἐξοχὴν, intelliguntur verè Chriſtiani, qui immediatè in Chriſto ſunt, per unionem myſticam, cum ipſius perſona, fide, & virtute Sp. Sancti, Ioh. 6. v. 56. qua ipſi Chriſto, ut vivi palmites viti ſpirituali, aut ut ſurculi arbori vitę inſiti, & tanquam viva membra capiti Chriſto per Sp. S. uniti ſunt, Ioh. 15. v. 5. & 1. Cor. 12. verſ. 27. Hac autem periphraſi, hoc in loco, ut etiam in aliis, prudenter utitur Apoſtolus, quo juſtificationis & ſalutis noſtræ cauſam, non à nobis, ſed à Chriſto dependere oſtendat. Præterea ut Chriſtianos, ab hypocritis (qui falsò juſtificationem ſibi arrogabant, Jacob. 2.) diſtinguat, eoſdem etiam à proprio effecto, videlicet vita Chriſtiana deſcribit, quod non carnis, ſed Spiritus regimen ac ductum ſequantur: nam quamvis reliquis carnis concupiſcentiis adhuc ſint obnoxii: ut cap. 7. explicatum: iis tamen non parent, ſeu non perpetrant: ſed iis reluctantur: ac licet in lucta interdum proſternantur atque impingant, exurgunt tamen reſipiſcentiâ, & vitam ſuam, ad Spiritus ductum, potiſſimum componunt: aliud enim eſt peccare etiam actu: aliud in peccato ambulare, hoc eſt, eo delectari, & illi operam dare, eique maximè ſervire: ideoque fideles à potiori parte appellationem deſumunt, cum *non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum* prævalentem *ambulare* dicuntur. Atque hæc de v. 1. de quo argumento Gal. 5. v. 16. ad finem uſque capitis diſſeritur: deinde propoſitionem hanc hypotheſi iteratâ confirmat, à cauſa efficiente, *vivifico Spiritu Chriſti*, cujus *lex*, hoc eſt, Metaphoricè vis quaſi imperans ac dominans, *me liberavit*, hoc eſt, me & fidelem quemque à dominio legis peccati & mortis, per regenerationem, v. 2.

Idque illuſtrat, primùm per aphæreſin, deinde per theſin: illa removet hanc liberationem à lege, cui impoſſibilem fuiſſe aſſerit: verùm ut contemptæ legis calumniam anticipet, culpam, in carnem noſtram, ſeu vitioſitatem nativam, nempe peccatum originis, transfert: hæc enim liberandi impotentia legi convenit, non per ſe, & naturâ ſuâ, quippe perfectam juſtificationis & ſalutis viam monſtrat, Dei & proximi amorem omnibus numeris abſolutum: ſed per accidens carnis noſtræ, quæ legi ac ſalutis regulæ reluctatur. Hæc de aphæreſi: theſis verò liberationis cauſam ſtatuit, primam quidem, gratiam Dei Patris donantis Filium: & proximam promerentem, Chriſti ſatisfactionem: nam *Deus ſuo ipſius Filio miſſo, in forma conſimili carni peccato obnoxiæ*, id eſt, veriè afflicto, *idque*, (ut nonnullis placet, per ellipſin) *pro peccato*, id eſt, ſacrificio pro peccato: quemadmodum in Veteri Teſtamento ſeptuaginta Interpretes ſæpe loquuntur: vel *pro peccato*, hoc eſt, ut pænam pecca-

peccato debitam subiret: *condemnavit peccatum*, hoc est, illius dominandi & condemnandi vim abstulit: *in carne*, nempe Filii humana natura, per Synecdochen, v. 3.

Finis autem liberationis hujus subjicitur, *ut jus illud legis*, quod ea scilicet requirit, nempe obedientia, *compleretur in nobis*, nempe fidelibus: id quod nonnulli de justificatione interpretantur: quod imputatione justitiæ Christi, pro nobis præstitæ justificemur: sed istud scopo loci non satis convenit: & phrasi etiam Apostoli adversatur: non enim ait, *ut jus illud legis impleretur in Christo pro nobis*: sed, *ut impleretur in nobis*: ideoque de sanctificatione vitæ intelligitur: & ut doceat, finem liberationis, à peccati tyrannide (utpote pœna) merito mortis Christi, eum esse, ut legi pareamus, hoc est, sanctè vivamus: nam quod objici potest, nos non esse perfectos, ideoque legem, in nobis non compleri, quod hic tamen dicitur: illud inquam, non sequitur: quia etsi legem non compleamus simpliciter, ac simul: complemus tamen secundùm quid, secundùm omnia præcepta, inchoatâ obedientiâ, & successivè, ut Galat. 6. vers. 2. Rom. 13. vers. 8. Ephes. 5. vers. 26. idque ex locis similibus patet, Luc. 1. vers. 6. Tit. 2. v. 14. Rom. 15. vers. 14. Actor. 9. vers. 36. Ac propterea describit Apostolus, quosnam intelligat, qui legem implent, nempe suo modo, cùm ait: *in nobis*, nempe eos, *qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundum Spiritum*: eoque ostendit, fideles sic implere legem Dei, secundùm quid, ac potiori sui parte, quod scilicet, quamvis carnem habeant, tamen non secundùm illius pravas cupiditates vitam instituant: id quod opposita amborum descriptione declarat ac probat, quod eorum, *qui secundùm carnem sunt*, hoc est, carnalium, in quibus caro regnat, effectum proprium est, *quæ carnis sunt cogitare*, seu secundum carnem vivere: contrà eorum, *qui secundùm Spiritum sunt*, hoc est, Spiritualium, seu renatorum, in quibus dominatur Spiritus, proprium est, *cogitare ac meditari, quæ spiritui conveniunt*, v. 5. secundò idem probat ab eventu consequente, *quia quod caro cogitat, mors est*, hoc est, via mortis, seu mortem habet adjunctam, per Metonym. contrà *quod cogitat Spiritus, vitam & pacem*, hoc est, salutem habet comitem, v. 6.

Cœterum observandum est, ne cum Pontificiis, hoc in loco erremus, & mortem ac vitam, similiter tanquam propria effecta consideremus, quasi nimirum cogitata Spiritus efficerent ac mererentur vitam æternam: cum tantùm consequentia certa hîc denotetur: ut res ipsa evincit: nam mors & vita sequuntur cogitata carnis & Spiritus, sed diversa consecutionis ratione speciali: nam mors generatim consequens est & speciatim etiam effectum meriti vitæ carnalis & malorum operum, ut lex demonstrat Deut. 27. v. 27. *Maledictus qui non, &c.* Salus verò communi etiam ratione, consequens est adjunctum vitæ secundùm spiritum & bonorum operum: non autem speciatim consequens effectum & promeritum, ut Pontificii contendunt, id quod ex fidelis operantis & operum conditionibus constat: qui enim bona operatur, jam est per fidem, in gratia, ac filius Dei & hæres vitæ: ideoque vita æterna hæreditas filiorum, non meritum servorum appellatur: etsi opera bona sint conditio ac via ad hæreditatem possidendam: opera quoque, ut vitam mereantur, debent esse indebita, perfecta, vitæ æqualia: atqui nihil horum bonis nostris operibus convenit: primùm quia debita sunt Deo, ideoque nihil illis mereri possumus: debita autem sunt primùm, jure universali, in omnes homines, duplici, cum creationis, ad imaginem & cultum Dei: unde usum imaginis & obedientiam, ut Dominus talentum à servis meritò cum fœnore reposcit: tum gubernationis ac providentiæ, quâ conservat variisque beneficiis afficit; Actor. 17. v. 25. 26. 27. secundò jure particulari, in Ecclesiam, ratione liberationis ac servationis: cujus gradus singuli totidem sunt debiti bonorum operum causæ gravissimæ, ut electio ad salutem, & media salutis omnia ei subordinata ac data; ut Christi donatio in mortem pro nobis, resurrectio ad nostri justificationem, ascensus in cœlum, ut nobis viam pararet, vocatio ad fidem & Christi communionem, justificatio, adoptio in filios Dei & hæredes vitæ æternæ, sanctificatio per Spiritum Sanctum: quemadmodum hisce argumentis, Apostoli, ad bona opera, tanquam ad officium debitum, passim nos adhortantur: atque huc pertinet Christi judicium, *cum feceritis omnia, quæ vobis mandata sunt, dicite servi inutiles sumus: quia quod debuimus facere, fecimus*, Luc: 17. vers. 10.

Secundò bona nostra opera non solùm debita sunt, sed etiam imperfecta: idque bifariam: primùm quia conjuncta habent multa mala opera, in quæ impingimus indies, Jac. 3. v. 2. *Quicunque autem universam legem servaverit, & impegerit in uno, reus est omnium* Jac. 1. v. 10: nam *maledictus qui non manserit in omnibus*, Deut. 27. v. 27. Adeò ut antiquam Stoicorum paradoxum illud: *qui unam virtutem habuerit, habet omnes*, apud Christianos verissimum sit, si legis normam & rigorem spectemus: deinde bona, quæ dicuntur opera nostra, tantùm sunt bona, si in se spectentur, secundùm quid, ratione Spiritus operantis: mala verò ratione carnis reluctantis, quia non ex toto corde, tota anima, cogitatione, & omnibus viribus, ea præstamus: adeò ut merito imperfectionis suæ, per se sint mala, ut ab homine profecta, & obnoxia maledictioni, ad quam minima legis transgressio sufficit: quemadmodum contrà ad vitam æternam, omnibus modis perfecta obedientia necessaria est. Deut. 27. v. 27. Lev. 18. v. 5. Rom. 10. vers. 5. Jac. 1. v. 10. nostra verò bona opera secundùm quid, tantùm ratione efficientis Dei & per accidens veniæ & gratiæ illius, propter Christum, defectus eorum condonantis, bona appellantur: quoniam Christus, quemadmodum personas fidelium justificat, ut Deo placeant, Rom. 5. v. 1. ita & bona eorum opera imperfecta, à reatu absolvit, satisfactione & intercessione sua, ut Deo accepta sint. Hebr. 13. v. 21. & 1. Pet. 2. 5.

Tertiò bona nostra opera sunt inæqualia vitæ cœlesti: non duratione tantùm: quia temporalia sunt, non autem æterna; sed etiam dignitatis gradu: quia vita æterna supernaturalis & hominum sensibus atque intellectui incomprehensibilis gloria est, Rom. 8. v. 18. Ergo ut concludamus: cum opera nostra bona sint debita, imperfecta, inæqualia, non merentur neque propriè efficiunt vitam æternam: sed contrà, ut *stipendium peccati mors est: ita gratia Dei vita æterna per Christum Jesum Dominum nostrum*, Rom. 6. v. 23. *gratiâque servati sumus per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur*, Ephes. 2. v. 8. & 9.

Ex quibus omnibus satis superque apparet, cogitationem Spiritus (seu id quod cogitat ac desiderat Spiritus) vitam & pacem appellari, non quod ea promereatur, aut vi sua efficiat: sed quia antecedens est adjunctum in adultis proprium: &, ut rectè ait Bernardus, *non causa regnandi, sed via regni*: & fructus ac testimonium veræ ac vivæ fidei, secundùm quod, de occulta fide judicabit Deus, & verè fideles, ut vera Christi membra, ac filios, ab hypocritis fidem vanè profitentibus & de adoptione divina falsò gloriantibus, tanquam arbores ex fructibus discernet.

Porrò φρόνημα cogitatum carnis, h. e. vitam carnalem, quam ea meditatur & exercet, viam esse ad mortem, eamque etiam parere, probat Apostolus ab effecto illius, quod per Meton. ad majorem evidentiam declarat: *quia inimicitia est*, h. e. summam inimicitiam exercet, *adversus Deum*, seu repugnat Deo, quod confirmat à remotione contrarii, qua inimicitiam hanc describit, *quoniam videlicet, legi Dei non subjicitur: neque enim potest*: nam caro est vitiositas nativa seu peccatum originis, à quo nihil boni cogitari, neque præstari potest, sed tantùm malum: atque hinc concludit: *qui in carne sunt*, in illius potestate, ac sub illius dominio, h. e. omninò carnales, *Deo placere non posse*, v. 8.

Deinde à thesi transit ad hypothesin, qua Romanos fideles consolatur & ad officium ipsorum hortatur ac stimulat: docet enim eos vi Spiritus liberatos esse: primum à peccato: deinde à morte: ac de priori ait: *Vos autem non estis in carne: sed in Spiritu*, hoc est, non carnales, sed spirituales.

Carnales autem, quemadmodum antea ostendimus alii sunt, in quibus caro regnat (quales infideles) alii in quibus repugnat: ut fideles, qui & carnem habent & Spiritum: sed illam reluctantem, hunc dominantem: qui consi-

derati secundùm legis (quæ perfectionem exigit) rigorem, merito suo carnales appellantur: quemadmodum ante factum c. 7. ostendimus, sed secundùm Euangelii gratiam & veniam, qua, per fidem, caro reluctans fidelibus non imputatur ad pœnam, propter Christum: nec regnat, sed Spiritus primas obtinet: ab hoc, utpote à potiori, hoc in loco, ubi fideles secundùm gratiam considerantur, rectè denominari apparet. Romanos autem spirituales esse, probat à causa efficiente: *Quoniam*, inquit, *Spiritus Dei habitat in vobis*, h. e. hæret ac sanctificat, idque porrò confirmat à communione cum Christo, vers. 9.

Deinde Romanos fideles liberatos à morte anticipatione quadam docet: objici enim poterat, nos morimur. Ergò liberati non sumus à morte: respondet Apostolus, negatione consequentiæ: quia liberati sumus à dominio mortis: nam corpus quidem moritur, propter peccatum: sed spiritus noster, seu anima fidelium, vivit propter justitiam Christi imputatam, ideoque mors corporum nostrorum non est absolutè mors & dominans mors: quia fidelibus non est amplius venenum; sed salutare antidotum: non vestibulum secundæ mortis: sed per accidens gratiæ Christi, finis culpæ & janua melioris & æternæ vitæ vers. 10.

Deinde tandem etiam à morte liberabimur: nam etsi corpus moriatur: ut anima transit ad vitam æternam, sic corpus ad tempus manebit in morte: sed tandem resurget, non ignominiosè ad mortem secundam: sed contrà gloriosè ad vitam æternam: hoc autem probat Apostolus ex ratione antecedente, nimirum causa efficiente, Sp. S qui eos, quos sanctificat, etiam glorificat: quam consequentiam à pari confirmat: quod eadem sit Christi capitis & membrorum ejus, h. e. fidelium ratio: ut Patre, per eundem Spiritum, quo vivunt in justitia & gratia vivificentur ad gloriam, vers. 11.

Atque hæc quidem de Romanorum contra peccati & mortis terrorem consolatione: ex qua deducitur adhortatio ad vitam Christianam: quæ cum duabus constet partibus, nimirum fugâ carnalis & studio spiritualis vitæ: priori parte utrumque complectitur Apostolus, per Synecdoc. frequenti Scripturæ more, quæ dehortatione, hortationem ad contrarium intelligere solet: & huic adhortationi stimulum addit, cum *fratres* vocat: eamque confirmat ab adjunctis: primum quidem, ab officio seu justo: quia debemus non carni, sed spiritui obedientiam: debere autem nos ex superioribus liquet: primum jure dominii: quia Christi sumus, non creationis solùm, sed etiam redemptionis gratiâ: deinde jure gratitudinis, quam etiam natura dictat, in hominibus impiis, ut amantem redamemus, Matth. 5. v. 46. & 47. nam beneficia gratuita Spiritus, supra retulit: tum quæ accepimus, liberationem à dominio peccati & mortis; tum promissa, quæ accepturi sumus tandem, nempe plenam à peccato & morte liberationem, v. 12.

Altera ratio est ab utili: fugâ mortis ac vitæ præmio. *Si*, inquit, *secundùm carnem vixeritis*, h. e. cogitationibus & cupiditatibus corruptæ naturæ vos mancipaveritis, *futurum est ut moriamini*, morte nimirum æterna, cùm corporis, tum animæ: quæ mors non in abolitione substantiæ: sed in abalienatione & privatione gratiæ vitæque Dei & perpessione pœnarum infernalium, consistit. *Sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis*, hoc est, vitam æternam & animæ & corporis consequemini: quo in loco observandum est, vocem *corporis* bifariam posse exponi: aut Metaphoricè, pro corrupta hominis natura, seu labe originalis peccati in homine, quæ & caro & vetus homo appellatur, Eph. 4. v. 22. unde & membra (pro variis ad varia vitia inclinationibus) ei adscribuntur, Col. 3. v. 5. aut pro altera hominis naturalis parte accipitur: quo sensu, erit Synecdoche gemina: nam actiones corporis bonas, quæ aut naturæ incorruptæ, aut legi congruunt, non intelligit Apostolus: sed vitiosas, quæ legi Dei adversantur, nec vitiosas animi actiones excludit, sed corporis potissimum intelligit: quoniam animi vitia, bona ex parte, à corporis sensibus inflammantur & corporis ministerio peraguntur, v. 13. Similis locus est, Rom. 6. v. 12. Hanc autem rationem confirmat Apostolus, à causa efficiente, jure filiorum, in hanc sententiam: qui adoptione filii Dei sunt, illi sunt hæredes Dei & cohæredes Christi primogeniti; ideoque vivent, vers. 17. qui aguntur Spiritu Dei, sunt filii Dei, v. 14. ergo qui aguntur Spiritu Dei, vivent, vers. 13. Assumptionem autem illustrat ac probat Apostolus distinctione Spiritus, cui duplex effectum tribuit, servitutem ac metum, & contra adoptionem ac securitatem: nam Sp. S. promulgatione legis, nos servos peccati & condemnationi obnoxios demonstrat, eaque ratione convictis metum incutit ac conscientiam terret, ut de nostris viribus desperemus, & Euangelio deinde oblato invitati ac vocati, ad Christum accedamus: cui etiam serviebat terribilis illa legis promulgatio, cujus meminit Apostolus, Heb. 12. v. 18. & 22. Contrà verò promulgatione Euangelii & fide in Christum, nos adoptat in filios Dei, deque adoptione nostra, securos reddit, & ad Dei Patris invocationem excitat, vers. 15. & 16.

Sed objici posset, legem vocari ministerium literæ, non Spiritus, 2. Cor. 3. Sed respondetur, Paulum hoc loco considerare, id quod legis, extra Christi gratiam, est proprium, nempe mandando, vetando peccata retegere & damnando terrorem incutere: deinde nomine Spiritus κατ᾽ ἐξοχὴν, ad Corinth. Spiritum adoptionis ac sanctificationis, quem vivificum appellat, quique Euangelio confertur, intelligi: non autem spiritum absolutè.

Porrò fideles filios Dei esse, & cohæredes Christi, objectionis anticipatione, per inversionem, illustrat, & transitione commoda, ad crucis tolerantiam variis consolationibus extimulat: objici enim poterat: Si filii Dei essemus, non affligeremur: imò contrà, inquit Apostolus; quia filii Dei, ideo affligimur (de qua re pluribus, Heb. 12.) & simul consolatur variis argumentis: quorum primum est à communione Christi in cruce deductum: quia non soli, sed cum Filio Dei, capite nostro, patimur: alterum est ab eventu & communione Christi in gloria: Christus enim per passionum via intravit in gloriam, ita & nos: sed diversa tamen ratione: Christus suo, nos verò illius meritò: ideoque Christus jure, nos gratiâ: Tertium consolationis argumentum, à gloriæ, quæ fideles afflictos manet, magnitudine desumitur, quam comparatione, cum afflictionibus nostris, illustrat, ab inæquali & minori, v. 18.

Inæqualitas autem cujus hoc in loco fit mentio, posita est, non solùm, in temporis duratione: sed etiam in gravitate & excellentia rei: ac propterea omne hominum meritum excluditur, 2. Cor. 4. 17. 18. deinde amplificat à desiderio duplici, ac primum mundi, per prosopopœiam, quod avidissimè patefactionem gloriæ filiorum Dei expectet, vers. 19.

Hoc autem desiderium illustrat, à causa efficiente, sensu nimirum vanitatis, cui mundus obnoxius est, non suâ natura, aut vitio: sed hominis culpâ secundùm justum Dei judicium, v. 20. de qua re, Gen. 3. 17. 18.

Hæc autem vanitas consistit partim in mundi corruptione, non solùm præsenti, qua elementa mirificè vitiata sunt, & cœli vires, in elementarem regionem, immutatæ: sed etiam futura, qua tandem dissolvetur mundus: partim etiam in abusu, quod præter finem suum ad perniciem hominum & ignominiam Dei, impiis serviat: deinde illustrat hoc mundi desiderium ab adjuncta spe: quæ certitudinem gloriæ ostendit; & à fine, nempe liberatione à corruptione, 2. Pet. 3. v. 13. quæ ad gloriosam libertatem filiorum Dei pertinet: nam quemadmodum mundus propter hominem conditus est, & propter lapsum illius corruptus: ita ad gloriam electorum dissolutus restituetur, vers. 21.

Porrò repetitione, transitioni accommodata, illud mundi desiderium explicat, Metaph. duplici elegantissima, *suspirandi* ac *parturiendi*, idque à communi fidelium notitia probat, cum addit, *scimus*, ex verbi nimirum divini revelatione, & experientiæ sensu, v. 22.

Ex quibus apparet, quidnam de quæstione, quæ de interitu mundi, moveri solet, certò statuere oporteat, & qua ratione intelligendum sit, quod Apostolus Petrus, 2. ep. c. 3. 13. ait, *Cœlum novum ac terram novam, secundùm promissionem expectamus*: talem nimirum cœli præteritionem & mundi conflagrationem non intelligi, qua omninò in nihilum

hilum redigentur ratione substantiæ: sed mutabuntur ratione qualitatum: quemadmodum etiam explicatur Ps. 102. & Heb. 1. repetitur: *Tu initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi autem præteribunt: sed tu permanes, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum circumvolves eos & mutabuntur*: quæ cum hoc Pauli loco, maximè conveniunt: nam quemadmodum id quod mutatur & quidem in melius, non redigitur in nihilum: ita quod liberandum est à servitute corruptionis & vanitatis, illud non interit in nihilum: quia nihilum est, maxima vanitas: & quod omninò perit, maxime corruptioni servit: atqui mundus liberandus est à servitute corruptionis, Rom. 8. vers. 21. Ergo non redigetur in nihilum.

Deinde quod rectè sperat mundus, illud bonum est mundi: spei enim rectæ objectum malum esse non potest: neque ullius spei malum notum: etsi interdum fucatum specie boni speretur: notumque est nihil esse, quod non suum bonum appetat, natura recta.

Atqui liberationem sui rectè sperat, & avidè expectat mundus: quemadmodum per prosopopœiam profert ac probat Paulus, v. 19. & 21. Ergo liberatio bona est: ideoque interitum in nihilum, qui malum est, & quidem apertum, non designat.

Tertio liberatio, quæ similis est libertati filiorum Dei, ea non est interitus in nihilum. Liberatio quam mundus expectat ac sperat est similis libertati filiorum Dei: nam dicitur à Paulo, *sub spe, quod etiam ipse liberabitur*, hoc est, non minus quàm nos Dei filii; ergo non est interitus.

Quartò mundi liberatio à vanitate pertinet ad plenam libertatem gloriæ filiorum Dei, vers. 19. Mundi redactio in nihilum non pertinet ad libertatem gloriæ filiorum Dei; sed illi contrà repugnat: Ergo ea mundi in nihilum redactio, non est liberatio à vanitate, de qua Apostolus disserit.

Duo tamen sunt argumenta, quæ ex adverso moventur, suamque habent prima specie difficultatem: objici enim potest primum ex 2. Pet. 3. *cælos novos & terram novam* intelligenda, *in quibus*, ut additur, *justitia habitet*; atqui in hoc cœlo & terra visibili post ultimum diem non habitabit justitia: sed tantùm in summo & invisibili cœlo: ergo hoc cœlum & terra visibilis non intelligitur: sed tantùm cœlum summum & invisibile. Negarent forte nonnulli assumptionem & doctiss. virum Bucanum in Loc. Comm. secuti, opponerent Apoc. 21. vers. 1. Quidam tamen malunt non immeritò negare illa verba Petri, cum ait, *in quibus justitia habitat*, ad cœlum & terram debere communiter referri, primùm quia per ellipsin ad vocem *nos* accommodari possunt, ut hujus loci sit sensus: cœlum novum, & terram novam expectamus nos, in quibus justitia habitat: quemadmodum similis sententia Phil. 3. 19. & 20. deinde responderi potest, relativum illud, nempe *quibus*, licet ad *nos* non referretur, non tamen ad terram, sed ad cœlos tantùm pertinere: & quamvis non simus in cœlis visibilibus versaturi, sed in summo & invisibili, non est tamen alienum à vocis & Scripturæ usu, si dicatur, *in illis*, h. e. *super illos* justitia habitare: quemadmodum rectè ex usu communi *in terra esse* dicuntur, non quæ ei inclusa: sed quæ sunt super terram.

Sed iterum objici potest: si cœlum hoc & terra non interibunt in nihilum, sed renovabuntur; nullus eorum nobis erit usus: atqui hoc absurdum est & Dei sapientiæ repugnans, qui nihil frustrà agit: ergo non renovabuntur: sed interibunt penitus: propositionem probant hoc modo; si nobis utilis foret hic mundus, vel pertineret ad sustentationem corporalis vitæ, vel ad cognitionem Dei, Rom. 1. v. 20. Sed ad neutrum pertinere potest: quia corpore erimus immortales: nec terræ frugibus aut fructibus nobis erit opus: & cognitione etiam immediata Dei omninò perfecti, 1. Cor. 13. ac propterea non erit nobis utilis.

Resp. negatione assumptionis prosyllogismi: nam cognitio alia est intellectiva, alia sensitiva: prior futura est immediata sine externis mediis: nam mentis intellectu perfectè illustrati, Deum in immediata gloria spirituali cognoscemus: sed altera futura est mediata, qua Deum contemplabimur oculis corporeis, non in essentia aut gloria spirituali: sed in operibus & gloria corporali, in operibus illius corporalibus: in quibus manifesta indicia majestatis divinæ apparebunt: præcipuè in carne Christi: deinde in corporibus Christianorum beatorum: denique in aliis corporibus, nempe cœlo & terra: quæ propter nos glorificata, futura sunt hominibus glorificatis elegantissimum ac jucundissimum divinæ omnipotentiæ & bonitatis erga homines, in summum cœlum inde evectos, sub pedibus theatrum; quemadmodum hoc argumentum non indoctè tractat Tho. Aquinas in summa Theologiæ, p. 3. quæst. 91. & in magistrum sententiar. l. 4. dist. 48. q. 2. Quæ sententia de mundo in nihilum non redigendo, ut reddatur illustrior, duo præterea, ab absurdis consequentibus, connectemus argumenta.

Quorum primum est, quod ille mundi interitus futurus est proximè ante Christi reditum ad judicium, Mat. 24. 29. 30. *statim autem*, inquit, *post oppressionem dierum illorum, sol obscurabitur, nec dabit luna splendorem suum, & stellæ cadent è cælo, & potestates cælorum concutientur: & tunc apparebit signum filii hominis in cælo: & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potentia & gloria multa*. & 1. Thess. 4. v. 17. dicitur de nobis post Christi descensum illum è cœlo, *rapiemur simul cum eis, in nubes, in occursum Domini, in aërem: & ita semper cum Domino erimus*. ideoque aër erit adhuc, neque mundus inferior in nihilum redactus erit: aliàs enim neque aër esset, neque alius præterea locus, in quem Christus descenderet vero suo corpore ac locali, aut nos ascenderemus: nam jam antè ostendimus ex Matthæo, mundi illam solutionem, quam Scriptura tradit, Christi descensum proximè antecedere.

Secundum argumentum est, quod sententia de mundi in nihilum interitu, infernum tollit, & dœmones ac reprobos, in cœlo summo, post ultimum judicium futuros necessaria consequentia statuit; quorum utrumque Sacrarum Literarum disertis testimoniis repugnat.

Primùm enim infernum & pœnas illius æternas extra cœlum summum collocat, & ab eo segregat, Matt. 25. 41. & 46. Judæ epistola v. 7. & 2. Pet. 2. v. 17. ideoque si reliquus, præter summum cœlum, mundus, in nihilum redigetur, inferno locus deerit: ideoque nec erit.

Deinde sacra etiam Scriptura clarè docet passim, cœlum esse beatorum sedem ac patriam, illis tanquam hæreditatem propriam, neque *in illud*, ut Johannes ait, *quicquam immundum & id quod abominandum est, facit, & mendacium, ingredi: sed illos qui scripti sunt in libro vitæ agni*, Apoc. 21. vers. 27. Beati enim soli eò ingrediuntur: *foris verò erunt canes & venefici & scortatores, &c.* Apocal. 22. vers. 14. & 15. *quorum pars est in stagno ardenti igni*, Ap. 21. vers. 8.

Ex quibus omnibus apparet, mundum non in nihilum, sed in meliorem statum redigendum: id quod ad futuram fidelium gloriam illustrandam adduxit Apostolus, v. 22.

Deinde eandem fidelium gloriam exaggerat & probat à desiderio ipsorum, ex sensu miseriæ orto, & à spe adoptionis; quæ vox *adoptionis*, non propriè accipienda: nam omnes fideles jam adhuc in terrâ constituti, adoptati sunt ac filii Dei, ut antè demonstratum v. 15. & 16. sed impropriè per metonymiam, patefactionem adoptionis nostræ significat: idcircò sequentibus proximè verbis exponitur, *redemptione corporis nostri*. Si quis verò objiciat; quod redemptum est morte Christi, ejus redemptio non est expectanda: atqui corpora nostra, non minus quàm animæ redempta sunt morte Christi. Ergo eorum redemptio non est expectanda: negatur consequentia, propter argumenti seu medii termini homonymiam: quia diversa ratione, unum & idem redemptum esse & redemptum non esse sine contradictione, dici potest. Quoniam redemptio aut propriè solutionem pretii redemptionis notat, qua jus liberationis comparatur: aut per metonymiam redemptionis patefactionem & fructum seu liberationem ipsam significat: priori modo fideles Christi morte redempti sunt, Rom. 3. v. 24. & Ephes. 1. v. 7. quia satisfactionis illius merito, nobis acquisivit jus liberationis à morte, cùm ratione maledictionis,

ctionis, ne nobis esset condemnationis pars : tum ratione detentionis ac corruptionis, ne à vita & gloria arceremur: secundo modo, Christus nos redimit, applicatione satisfactionis, per suum Spiritum : sed certis quibusdam gradibus : primum à condemnatione & maledictione mortis: idque in adultis, mediatè per fidem, qua justificamur, Rom. 5. vers. 1. & 8. & cap. 8. vers. 1. secundò à detentione & corruptione, immediatè, potentia divina, in resurrectione, ultimo die, qui propterea *dies redemptionis* nuncupatur, Ephes. 4. v. 31. 1. Cor. 1. v. 30. 31. & 15. v. 53. 54. & Ioh. 6. v. 40. Rom. 8. v. 11. Primo modo redemtionem corporum habemus, non autem expectamus: præterita enim expectari non possunt sapienter: secundo verò modo, partim habemus fide, ratione primi gradus & initii; partim expectamus spe, ratione secundi gradus & complementi; de quo Apostolus hoc in loco disserit: quemadmodum etiam Lucas in Euangelio, cap. 21. 28. Ac propterea sibi & rei veritati optimè consentit Apostolus, quando ait, *nos expectare redemtionem corporis nostri:* Cujus spei certitudinem declarat, ab efficiente causa, nempe *primitiis Spiritus Sancti*, quæ redemptionem nostram futuram obsignant: qua de re consentaneè Ephes. 1. v. 13. & 14. *Primitias* autem *Spiritus*, regenerationis inchoationem (in fide & charitate constantem) perfectionis & salutis futuræ arram appellat, per Metaphoram convenientissimam : primitiæ enim vocantur in Sacris Literis, prima quæque, non solùm fructuum, sed etiam brutorum & hominum, Deo oblata; Genes. 4 vers. 4. Exod. 13. v. 12. & 22. v. 30. & 23. v. 19. cujus oblationis finis erat duplex : prior quidem gratitudinis, pro acceptis à Deo beneficiis, publica testificatio, Deut. 26. v. 10. posterior verò reliquorum consequentium & conjunctorum sanctificatio, Levit. 23. v. 14. Rom. 11. v. 16. Quem ritum Ethnici (ut alia non pauca liturgiæ Mosaicæ) imitati sunt, ad superstitionis suæ ornamentum. Hæc de v. 23

Denique hanc redemtionis expectationem illustrat Apostolus anticipatione objectionis. Objici enim poterat, quandoquidem fideles liberati ac servati sunt; illius redemptionem non esse expectandam. Verùm opportunè huic difficultati occurrit ac respondet Apostolus, cum ait: *spe salvi sumus*, non autem re : ideoque rem meritò expectamus, id quod de salutis complemento intelligendum est, ut ex superioribus apparet. Argumentatio autem Apostoli est hujusmodi : Quod speratur, illud præsens non habetur, sed futurum expectatur: quandoquidem spes, si generalem illius naturam consideremus, est læta boni absentis expectatio : non autem sensus præsentis boni. Salus autem nostra perfecta, ac plena redemtio speratur : ergo ea præsens non habetur : sed futura expectatur : Propositio continetur illis verbis *Spes autem* (id est, res sperata per metonymiam) *si cernatur, non est spes: quod enim quis cernit, cur speret?* Ad assumptionem verò pertinet, quod ait: *spe servati sumus*, hoc est, salutis nostræ complementum adhuc speramus : habemus quidem illud oblatum in promissione, & tanquam objectum verum fide apprehensum : sed nondum collatum executione ipsa : nam spei objectum non est præsens salutis consummatio, v. 24. Conclusio denique continetur v. 25.

Atque hæc dicta de tertio consolationis argumento.

Quartum est à Spiritus Sancti subsidio : siquidem *interpellat pro nobis*, hoc est, per metonymiam, quid orandum sit, docet : & ad eam rem segnes ac torpentes excitat atque inflammat. Quod beneficium amplificat remotione causæ alienæ ac falsæ: *Quid enim*, inquit, *precemur, ut oportet, non novimus*, nempe è nobis ipsis : deinde ab adjuncto, quod Deus (quem confirmationis causa, periphrasticè, ab omniscientiæ proprietate, *scrutatorem cordium* vocat) *norit*, hoc est, probet, amet, exaudiat, *sensum Spiritus: quia secundùm Dei voluntatem interpellat pro sanctis*, hoc est, fidelibus, qui sancti sunt, perfectè in Christo, imputatione divinâ : & inchoatè, in se, sanctificationis dono. Quod autem *Spiritus interpellare dicitur pro sanctis* non aliter accipiendum est, quàm quod in sanctis, ad eorum utilitatem, preces, quibus Deus interpellatur, suscitet : ac propterea ineptè à nonnullis, Spiritus Sancti & Christi mediatoris atque intercessoris nostri, officia permiscentur ac confunduntur, v. 27.

Quintum consolationis adversus calamitates argumentum petitum est ab adjuncta utilitate : quia omnia fidelium bono inserviunt : de quo Rom. 5. v. 3. 4. 5. id quod probat, à fidelium conscientia, de hac re probè edocta, partim ex Sacris Literis, partim ex testimonio Spiritus interno, partim denique ex communi experientia : fideles autem vocat Apostolus, *diligentes Deum*, descriptione ab effecto proprio: quod in adversis, dilectionem suam erga Deum, maximè patefaciant : quo verè fidei argumentum & communionis cum Christo documentum probet: idque illustrat à causis, cùm *vocatos* appellat *secundùm propositum*, nempe non hominis, ut male Origenes, Chrysostom. & Oecum. existimant , sed Dei : quemadmodum eruditè August. Tom. 7. contra duas epistolas Pelagii, lib. 2. cap. 9. explicavit : id quod etiam probatur ex collatione locorum similium, Rom. 9. v. 11. Ephes. 1. v. 11. & 2. Timot. 1. v. 9. Propositum autem seu decretum Dei, hoc in loco non absolutè res omnes : sed speciatim, pro materia subjecta, creaturas ratione prædita spectat κατ' ἐξοχήν. Hoc autem cùm duplex sit, nempe declarandæ vel justitiæ vel gratiæ : de posteriori Synecdochicè intelligitur, nempe de gratuito servandi decreto : nam alioqui omnes quocunque modo vocati, cùm ex proposito Dei universè sumpto vocati sint, servarentur : quia mutatio in æternum Dei consilium non cadit. Vocati ergo secundùm propositum, hoc in loco dicuntur, non quivis, sed qui secundùm gratuitum salvandi propositum & electionem Dei vocati sunt : ut autem id melius intelligatur, observandum est, vocationem aliam esse ad munus aliquod, Politicum vel Ecclesiasticum: aut ad certam vitæ hujus conditionem : de qua vocatione hic non agitur : aliam ad communionem Christi, adoptionem, & vitæ æternæ hæreditatem, 1. Cor. 1. v. 9. 1. Thess. 2. v. 12. & 1. Pet. 5. v. 10. Quæ duplex est, efficax vel inefficax : quarum illa est, qua vocati ad communionem Christi, efficacia Spiritus, ad Deum adducuntur : quæ electis convenit : hæc verò contra non paucis reprobis quadrat: vocatio autem est per ministerium Euangelii invitatio, ad communionem Christi, per fidem : quæ *invitatio ad cœnam agni* appellatur, Matth. 22. v. 3. Apocal. 19. v. 9. Inefficax duplex est, vel externa tantùm , quæ fit tantùm externo ministerio Euangelii, hoc est, prædicatione Euangelii & Sacramentorum administratione : qualis eorum , qui Euangelium audire detrectant, & baptismum rejiciunt : aut si audiant, nec assentiuntur nec intelligunt : vel partim etiam interna, cùm Euangelium non solùm audiunt, sed etiam intelligunt veritatem illius : & quidem vel sine assensione veritatis : vel cùm ea ; sed fide mortua, quæ non est productiva bonorum operum, nec fiduciæ cordis: quæ cùm accesserit, interna & efficax dicitur : quia internam & salutarem Spiritus efficaciam conjunctam habet; qua & mens agnitione, hoc est, intelligentiâ & assensu Euangelii illustratur, & cor ad fiduciam gratiæ Christi reformatur & inflectitur : adeò ut vocationis hujus ad Christum quatuor sint gradus : primus est ad auditionem Euangelii, sine intelligentia : alter ad intelligentiam sine assensu seu veritatis agnitione : tertius ad assensum, per charitatem minimè efficacem: quartus ad efficacem, per charitatem, assensum, atque fiduciam : quæ *vocatio secundum propositum* ab Apostolo dicitur : hæc autem omnia parabola seminis quæ extat Matth. 13. illustrantur pluribus.

Porrò hanc vocatorum secundùm propositum, adversus calamitates, consolationem , nempe quod omnia illis, adversa scilicet, ad bonum & salutem gloriosam cedant, probat Apostolus, salutis nostræ serie, per Soriten : *Quia quos Deus præscivit : eos prædestinavit , ut conformes fiant imagini filii sui*, in cruce & gloria: *quos autem prædestinavit, eos etiam vocavit*, efficaciter nimirum & suo tempore: *quos vocavit, eos justificavit : quos autem justificavit , eos glorificavit.* Ergo quos Deus præscivit, eosdem glorificavit , hoc est, glorificabit , id est vitâ æterna gloriosa donabit , per enallagen temporis consuetam, ad certitudinem rei futuræ denotandam : cœterùm hæc distinctius explicanda sunt, ne ambiguitate vocum implicemur.

Præscientia enim sumitur aut propriè, pro rei futuræ notitia:

titia: aut impropriè, per metonymiam effecti, pro decreto: ut 1. Pet. 1. v. 20. aut κατ' ἐξοχὴν pro servandi decreto, ut 1. Pet. 1. verſ. 2. *electi ſecundùm præſcientiam Dei Patris*. Roman. 11. verſ. 2. *Non abjecit populum, quem præſcivit*, 2. Tim. 2. v. 19. *Novit Dominus eos, qui ſunt ſui*. Atque hoc ſenſu ſumitur hoc loco: nam quod Pontificii nonnulli & Arminii ſectatores contendunt, propriè de præſcientia, & quidem fidei, bonorum operum & perſeverantiæ in iis, exponendum eſſe: illud omninò alienum eſt: nam fides & bona opera ſunt conſequentia effecta prædeſtinationis, Deique dona, Epheſ. 1. v. 4. 11. 12. 15. 16. & cap. 2. v. 8. 9. 10. Phil. 1. v. 29. Actor. 13. verſ. 48. ac propterea non poſſunt eſſe antecedens qualitas objecti prædeſtinationis futuræ: multò minus cauſa illius.

Deinde præſcientia, de quâ hic agitur, eſt antecedens prædeſtinationis: at verò præſcientia fidei non eſt antecedens, ſed conſequens prædeſtinationis: nam Deus præſcit crediturus certos: quia fidem iis dare decrevit, tanquam medium ad deſtinatam ſalutem. Ergo non agitur, hoc in loco, de præſcientia fidei aut operum illius. Quapropter veterum plerique Origenem ſecuti, non leviter in hujus loci explicatione hallucinati ſunt.

Deinde *prædeſtinationem* quod attinet, ea vox ſumi poteſt aut generatim, pro decreto Dei, de rebus omnibus futuris: quia nihil niſi præfinito agit, aut gubernat Deus: quia ſapientiſſimus eſt: vel ſpeciatim de creaturis ratione præditis ad finem ſuum ultimum & ad media eò pertinentia, dirigendis: eaque ratione vulgò accipitur, quando illius partes vel ſpecies ſtatuuntur duæ, electio, & rejectio: quo modo accepiſſe liquet hanc vocem Auguſtin. de Civitate Dei, lib. 15. cap. 1. *Myſticè*, inquit, *appellamus civitates duas*, hoc eſt, *duas hominum ſocietates, quarum eſt una, quæ prædeſtinata eſt, in æternum regnare, cum Deo: altera judicium ſubire, cum Diabolo*. Hæc ille. Sic prædeſtinatio generalius accipitur, Actor. 4. v. 28.

Denique ad prædeſtinationem ſervandorum, plerumque reſtringitur: ac propterea *prædeſtinatio ſanctorum*, ab Auguſtino & aliis nuncupatur: cujus cum duæ ſint partes, deſtinatio ad vitam æternam, & gratiæ Dei gloriam, tanquam finem: & deſtinatio mediorum & ad media: quæ ſunt vocatio, juſtificatio, ſanctificatio, tolerantia crucis, &c. priorem comprehendit Apoſtolus voce *propoſiti* & *præſcientiæ*: alteram verò partem, hoc loco diſtinctè, per Synecdochen proponit, ut ex antecedenti *præſcientiæ* voce & ſequenti deſcriptione apparet, *prædeſtinavit*, inquit, *conformandos imagini filii ſui*, hoc eſt, ad crucem, cum Chriſto, tolerandam, vitamque ſanctè inſtituendam ac tandem Chriſti merito & exemplo vitam æternam obtinendam: hæc enim fidelium conformitas cum Chriſto, Philip. 3. v. 21. & 2. Tim. 2. v. 11. & 12. & 1. Pet. 2. verſ. 21. & 1. Cor. 15. v. 49. & Hebr. 2. v. 10. Idque illuſtratur à fine, *ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus, quos*, ut eleganter ait Auguſtinus, *ei Pater dedit ad fraternam ſocietatem, non æqualitate ſubſtantiæ, ſed adoptione gratiæ generali*, Tom. 6. contrà Secundinum Manichæum cap. 5. Ubi copiosè docet, Chriſtum unigenitum & unicum dici, ratione divinæ naturæ; primogenitum inter fratres, ratione humanæ naturæ.

Cœterùm Chriſtus primogenitus dici poteſt, vel ratione divinæ naturæ, quatenus Filius Patris æternus primus & ſolus, ante ſecula, à Patre genitus: de qua re Coloſſ. cap. 1. v. 15. vel ratione humanæ naturæ: idque vel propriè nativitate corporali, primogenitus Mariæ, Matth. cap. 1. v. 25. qua ratione caret fratribus propriè dictis; quia ut primus, ſic ſolus ex ea natus eſt: alioqui fratrum voce, pro conſanguineis, accepta, fratres habuiſſe, cùm omnes homines remotius, tum quoſdam propius, extrà controverſiam eſt: deinde, metaphoricè primogenitus dicitur, inter multos fratres nempe fideles: quia non ſolùm nobiſcum habet communionem naturæ humanæ; unde frater dicitur, Heb. cap. 2. v. 12. 14. ſed etiam ſanctam conceptionem, nativitatem & vitam habet: unde hæres vitæ: & ſanctitatis ac vitæ, in nobis, cauſa & principium eſt: ſicut etiam ſecundus Adam appellatur, 1. Cor. 15. verſ. 47. quod ſit inſtar radicis: nos verò fideles inſtar ramorum: etſi autem abſolutè primogenitus non eſt, ratione temporis humanæ naturæ: eſt tamen ratione cauſæ & dignitatis: nam olim Patriarchæ regeniti ſunt, & in filios Dei adoptati, ac ſervati, beneficio venturi & fide percepti Meſſiæ: quemadmodum nos merito illius exhibiti, Joh. 1. v. 12.

Porrò primogeniti, in Veteri Teſtamento, duplex erat prærogativa: nam & paternæ hæreditatis duplum accipiebat, & in patris locum ſuccedebat: ac propterea familiæ, reliquiſque fratribus poteſtate præerat, Geneſ. 49. verſ. 3. Deuter. 21. verſ. 17. & 2. Chron. 21. verſ. 3. atque hinc per metaphoram, pro præcipuo in quaque re, uſurpatur, Eſai. 14. v. 30. & Job. 18. v. 13. Et ſic quidam eruditi locum illum Col. 1. verſ. 5. pro domino ac Principe, accepta *primogeniti* voce, exponunt non ineptè; quemadmodum ex collatione Apocal. 3. verſ. 14. videre eſt: has verò prærogativas, præ Fratribus ſuis, Chriſtum habere, certum eſt: quandoquidem donorum & gloriæ amplitudine excellit, & dominus omnium fidelium; imò creaturarum conſtitutus eſt. Hæc de v. 29.

Juſtificatio porrò non denotat habitus ſeu qualitatis permanentis juſtitiæ infuſionem: quemadmodum Pontificii contendunt: illud enim ſanctificatio dicitur; ſed gratuitam juſtitiæ, propter Chriſtum, imputationem: ut res ipſa loquitur, & antea cap. 4. oſtendimus: etſi apud Auguſt. & alios veteres authores Chriſtianos, non infrequens ſit catachreſis, qua juſtificationem, pro ſanctificatione accipiunt, præter Scripturæ uſum: & Eccleſiæ damno: quia ex hujuſmodi locutionibus impropriis doctrinæ puritas vitiata eſt à poſteris. Atque hæc de v. 30. & ultimo conſolationis adverſus calamitates, à ſalutis noſtræ ſerie, argumento: quod epiphonemate concludit, *Quid igitur dicemus ad hæc?* id eſt, nihil adverſus haſce rationes dici poteſt, quominus ſalus eorum ſit certa, qui ex verâ fide Deum diligunt: id quod inſigni & nervoſa expolitione & continuatis exclamationibus, ad rei certitudinem demonſtrandam, amplificat ac confirmat.

Primum nihil ſaluti noſtræ poſſe nocere, nimirum quo minus eam obtineamus, probat ab adjuncto Dei auxilio, quia Deus nos propitius tuetur, v. 31. Deinde contrà, ſalutem & omnia ad eam neceſſaria, Deum nobis ſuppeditaturum confirmat, à majori, per aphæreſin, & theſin: *quod proprio Filio* (quo nihil pretioſius, nihil carius) *non pepercerit, ſed eum pro nobis omnibus fidelibus tradiderit*, ad mortem crucis & ſalutem noſtram, v. 32. Qua de re Rom. 5. v. 8. actum eſt.

Ad cujus loci intelligentiam, præclarè ait Auguſt. *Facta eſt traditio à Patre: facta eſt traditio à Filio: facta eſt traditio à Juda, una res facta eſt: ſed quæ res diſcernit Patrem tradentem Filium; ſeipſum Filium tradentem, & Judam diſcipulum tradentem magiſtrum ſuum? Quia hoc fecit Pater & Filius in charitate: fecit autem hoc Judas in proditione*, Tom. 9. in primam epiſtolam Johann. Tractat. 7.

Deinde nihil ſaluti noſtræ obeſſe poſſe, ſpeciatim demonſtrat Apoſtolus: cum enim tria ſunt potiſſimum, accuſatio peccatorum noſtrorum apud Deum, quæ nos terreat: & condemnatio ob meritum eorum: denique res adverſæ, quibus à charitate Chriſti, ideoque & à ſalute nos abſtrahere ſtudent adverſarii: ſingulis conſolationem opponit Apoſtolus. Ac primum quidem docet, neminem, nec legem, nec conſcientiam noſtram, nec Diabolum poſſe nobis electis ac fidelibus crimina intentare & cum ſucceſſu accuſare apud Deum judicem, quoniam *Deus nos juſtificat*, hoc eſt, ab accuſatione injuſtitiæ abſolvit & juſtos pronuntiat: Secundò neminem poſſe nos condemnare: nec legis ſententiam: nec Diabolum, mortem, infernum, facto: quia Chriſtus morte ſuâ condemnationem noſtram ſubiit, ac legi ſatisfecit: ut etiam docetur, Galat 3. verſ. 13. & 14. & 2. Cor. 5. v. 21. Ideoque iis qui in Chriſto ſunt, (vivâ nimirum fide ipſi inſiti) nulla eſt condemnatio, Rom. 8. v. 1. Hoc autem amplificatur gradatione quadam, à conſequentibus ducta: ac primùm reſurrectione, quæ plenæ ſatisfactionis illius, pro peccatis noſtris, certiſſimum eſt argumentum, Roman. 4. verſ. 25. & de morte, (quæ peccati ſtipendium) victoria: deinde ſeſſione ad dextram Patris, hoc

hoc est, summo, secundùm Deum, in res omnes dominio, quo nos à se redemptos tueri potest: denique intercessione illius, qua (ut ad Hebr. 7. v. 25. exponitur) semper vivens in cœlis Patrem interpellat pro nobis, v. 34. ideoque libero ad thronum gratiæ accessu, gratiam, ad opportunum auxilium, obtinemus. Hebr. 4. vers. 14. 15. 16. 1. Joh. 2. vers. 1.

Tertiò docet Apostolus neminem nos à charitate Christi separaturum. Idque declarat inductione quadam & enumeratione rerum adversarum, v. 35. quibus oppugnamur, (ne quis insolens esse putans offendatur) communem veteris Ecclesiæ conditionem similem è Psal. 44. v. 23 ostendit v. 36. Deinde hanc charitatis Christi perseverantiam probat Apostolus ab effecto, *quod plusquam victores sumus per eum, qui nos amavit*, hoc est, Patrem, qui nobis Filium dedit, ut v. 32. proposuit: quo ex loco colligi videtur, non agi de charitate Christi activè, quâ nos amat: nec etiam de sensu illius & fiducia charitatis, erga nos, per metonymiam: sed potius passivè de charitate nostra, quâ Christum amamus, quam v. 28: proposuit, quod diligentibus Deum omnia conducant ad bonum: & quia hic v. 37. dicitur, *plusquam victores sumus*, hoc est, etsi charitas nostra erga Deum Christumque oppugnetur variis modis: ea tamen nequaquam expugnatur, sed longè iis superiores sumus: ne quis autem merito suo atque viribus insitis victoriam hanc ascribat, ejus causam efficientem esse docet amorem Dei (quem descripsit v. 31. & 32.) quo nos complectitur v. 37.

Cujus rei fidem ac certitudinem remotione contrariorum, accurata inductione, gravissimè concludit, v. 38. & 39.

Consectaria.

I. Cum nulla condemnatio sit iis, qui sunt in Christo Jesu: sequitur plenè pro peccatis nostris esse satisfactum: ac propterea Pontificiorum Purgatorium, & humanas, quas fingunt, pro peccatis satisfactiones, omninò corruere.

II. Qui secundùm carnem ambulant; licet Christi communione glorientur, non re, sed nomine tantùm Christiani sunt, v. 1.

III. Legi impossibile est nos à peccato & morte liberare, vitio carnis: Ergo legis perfecta observatio nobis in hac vita, cum carne perpetuò luctantibus, impossibilis est: ac propterea impiè piam hanc sententiam Pontificii detestantur, Hieronymi sententiâ abusi, qui ut legem per se, & in integro hominis statu, impossibilem dici posse, negavit: ita homini post lapsum, Christo excepto, impossibilem observatu agnovit, v. 3.

IV. Cum vita secundùm carnem, mortem afferat, & inimicitia sit adversus Deum: utroque hoc, & damni, quod infert, & injustitiæ ac turpitudinis nomine, fugienda est sedulò, v. 6.

V. Apostolus carni tribuit φρόνημα intelligentiam, ut Coloss. 2. v. 18. mentem; unde sequitur, eam non corpus tantùm, aut irrationalem, ut vocant, animæ partem significare, seu potius facultatem: sed ad mentem etiam referri debere.

VI. Cum caro legi Dei nec subjiciatur, nec possit: omnes autem infideles caro sint toti, Ioh. 3. v. 6. fideles verò partim Rom. 7. sequitur, illos, nihil boni: hosce nihil perfectè boni præstare posse: ideoque legis impletionem utrisque esse impossibilem: quamobrem vana est Pontificiorum & Castellionis de liberi arbitrii viribus, ad legem implendam, sententia.

VII. Legis violatio est inimicitia cum Deo: observatio contrà cum eodem amicitia est, v. 7.

VIII. Cum Spiritus Sanctus Dei & Christi Spiritus, pari ratione, dicatur: sequitur primùm errare Arrium, qui Filium Patri ὁμοούσιον, id est, coëssentialem negavit, & à Patre è nihilo conditum, primam esse creaturam asseruit: deinde & Græcos recentiores illos, quibus in Concilio Florentino, cum Pontificiis negotium fuit, qui Spiritum Sanctum à Patre solo procedere statuerunt, v. 9.

IX. Spiritus Sanctus vi suâ mortuos excitat, quod Deo proprium: unde contrà Pneumatomachos, Arrianos & Macedonianos evincitur, illum esse personam: & quidem divinam, hoc est, verum cum Patre & Filio Deum.

X. Cùm Pater per Spiritum excitaverit Christum à mortuis: & Christus excitatus sit solus Filius Dei, secundùm humanam naturam mortuus atqui excitatus: & Spiritus à Patre excitarit: inde liquet unum esse Deum & tres distinctas personas.

XI. Christi resurrectio tanquam capitis nostri & primitiarum, est resurrectionis fidelium inchoatio & pignus divinum ac certissimum.

XII. Cum Spiritus Sanctus in cordibus fidelium habitet: sequitur iis sanctitati esse studendum, 1. Cor. 3. & 6. & Spiritualibus sacrificiis Deum colendum, v. 13.

XIII. Debitores sumus ut secundùm Spiritum vivamus: ac propterea pietas nobis non est arbitraria: sed necessaria, v. 12.

XIV. Cum Paulus dicat, si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini: malè quidam inde colligunt justificatos posse absolutè, stante Dei gratia, quam promisit, abjicere fidem & in æternum perire: quia ex hypothesi & antecedens & consequens ineptè concludunt. vers. 13.

XV. Vitæ sanctitas regenerationis argumentum est, vers. 14. quemadmodum calor & lumen, ignis, unde promanant.

XVI. Salus nostra est gratuita: quia adoptati sumus divinitus Dei gratiâ.

XVII. Rectà Deum Patrem invocare non est temeritas: sed orta à Spiritu Sancto Deoque gratia fiducia: ac propterea impii & temerarii sunt Pontificii, qui secus statuunt, v. 15.

XVIII. Cum & conscientia nostra, & Spiritus Sanctus de adoptione nostri, & hæreditate cœlesti testentur: sequitur errare Pontificios, qui fiduciam salutis temeritatis arguunt, v. 16.

XIX. Cum vita æterna sit hæreditas & adoptionis gratuitæ effectum, sequitur non esse operum nostrorum meritum.

XX. Crux, filiorum Dei nota, v. 17.

XXI. Cum calamitates fidelium impares sint futuræ gloriæ: eam mereri non possunt: quia inter meritum, & id quod meretur, æqualitatem esse oportet, v. 18.

XXII. Mundi vanitas ex peccatis nostris orta, ad odium & fugam illorum excitare nos debet, v. 20.

XXIII. Patientia est individua fidei vivæ comes, v. 25.

XXIV. Cum Spiritus Sanctus non solum doceat, quem invocare, sed etiam quid & quomodo precari debeamus: sequitur orandum esse, ne nobis ille auferatur, v. 26.

XXV. Cum Deus scrutetur corda: cavenda est in precibus & rebus omnibus hypocrisis, v. 27.

XXVI. Ut preces Deo placeant, necesse est, proficiscantur ex fide & fiant secundùm Dei voluntatem vers. 15. & 27.

XXVII. Fidelium proprium est, Deum diligere, v. 28.

XXVIII. Maximum Dei beneficium est, quod Filium Dei hominem factum, fratrem habeamus: ideoque vocationi huic consentaneè vivendum est, v. 28.

XXIX. Quos Deus justificat, illos glorificabit. Ergo errant Pontificii & Arminiani, qui nonnullos justificatos fideles, non glorificandos, sed perituros statuunt, v. 30.

XXX. Cum Deus, omnia, iis, pro quibus Christus mortuus est, sit daturus: sequitur primùm, non esse mortuum pro iis qui pereunt: deinde perseverantiam fidelium ac salutem per Dei gratiam esse certam.

XXXI. Fidelium in vera fide perseverantia est certa, & charitas Christi & Dei invicta.

XXXII. Fideles de sua perseverantia certi esse possunt, ac debent, v. 38.

CAPUT IX.

Hactenus de instrumentalibus fidei effectis, justificatione, vitæ sanctificatione, perseverantia & glorificatione disseruit Apostolus. Deinceps vero quæ de causis fidei superioribus, beneplacito Dei, electione, & vocatione gratuita,

gratuita, antecedenti cap. 8. verſ. 28. 29. 30. ſummatim propoſuit, ea porrò ad caput. 12. exponit ac confirmat: ut hac ratione melius ſcandalum incredulitatis & rejectionis Judæorum (quibus Chriſtus promiſſus erat) tolleret: falsâque de juſtitia operum ſententiâ eversâ, veram de juſtitia fidei & perſeverantia ſanctorum doctrinam ſtabiliret. Cujus tractationis partes ſunt duæ, quarum prior, theoriam continet, de natura & effectis prædeſtinationis cap. 9. ad verſ. 24. altera verò praxin docens, agit de prædeſtinationis ad gloriam & gratiam, cognitione & uſu, inde ad cap. 12.

Ad priorem quod attinet, ea conſtat præfatione, ad verſ. 5. & rei explicatione convenientiſſima. Objici enim poterat, ſi doctrina Euangelii, de ſalute per fidem in Chriſtum, hactenus propoſita, vera eſt: Ergo maxima ex parte populus Judaicus, utpote incredulus, rejectus eſt à ſalute & exitio devotus. Atqui hoc abſurdum: quoniam eo modo exciderit Dei promiſſio. Ac propterea Euangelii doctrina hactenus propoſita, de juſtitia & ſalute, per fidem, non eſt vera. Huic objectioni occurrit Apoſtolus. Ac primum propoſitionis conſequentiam præfatione concedit, adhibita artificioſâ inſinuatione, qua rejectionis Judęorum, à Chriſto & ſalute, confeſſionem invidioſam tectè voto innuit, & odii in Judæos ſuſpicionem, (qua vulgo gravabatur, Actor. 21. verſ. 21. 28.) amolitur, & removet à ſe, eorumque benevolentiam ſibi comparat, teſtificatione amoris ſui pathetica. Quem deſcribit ab effectis, cùm bono affectu erga ipſos, tum judicio honorifico de ipſis. Affectus duplex eſt, miſericordiæ, & voti, ſeu deſiderii ſalutis ipſorum. Prioris veritatem, adverſus calumniam præmunit juramento graviſſimo, quo Chriſtum, Spiritum Sanct. & conſcientiam atteſtatur, verſ. 1.

Deinde deſcribit, cum ſuam, ex eorum miſeria videlicet, triſtitiam indicat: eamque amplificat, primùm à quantitate, partim gradus, ſeu intentionis illius, cum *magnam* vocat, adjunctoque incremento, *cruciatum* appellat: partim durationis temporis, cum eum *perpetuum* dicit: deinde à ſubjecto *corde*, quo fucum & inania verba abeſſe & ſinceritatem adeſſe demonſtrat, v. 2.

Huic miſericordiæ affectui alter adjicitur, nempe votum, ex priori promanans. Id quod ſecundum amoris, erga Judæos, ſinceri argumentum: quo miſericordiam ſuam probat & ab objecta miſeria (quæ voto prudentiſſimè indicatur) declarat, cum teſtatur, tanto ſibi dolori eſſe, Iudæorum à Chriſto rejectionem, ut optârit, pro iis eſſe anathema à Chriſto, hoc eſt, ut à Chriſto anathemate percuteretur: quemadmodum etiam jam olim Deus incredulis Iudæis interminatus erat, Malach. 4. verſ. ultimo: quem locum Apoſtolus, ad rejectionem Iudæorum confirmandam, omninò ſpectaſſe apparet. Quod diligenter obſervandum eſt, ut ſciamus, primum vocem ἀπὸ hic non denotare terminum & ſeparationem, ut vulgo accipiunt, ſed efficientem cauſam: deinde anathema de morte ſecunda accipiendum eſſe: non autem de corporali & prima: quemadmodum Malachias hanc intelligit: nam ita Paulum mors corporis non ſeparaſſet à Chriſti gratia & gloria: ſed disjunctum conjunxiſſet. Phil. 1. verſ. 23. Nec inde tamen, ut objectant, electionis & ſalutis certitudo, de qua actum cap. 8. convellitur: quandoquidem in precibus & votis, non ſemper ea quæ fieri poſſunt: ſed interdum ἀδύνατα, quæ fieri nequeunt, à ſanctis optantur, & quidem nec impiè, nec ineptè: quoniam non ſimpliciter & abſolutè, ſed certo demum reſpectu, & expreſsâ, vel tacita, voluntatis Dei conditione, loquuntur: nam pro objecti cogitati ratione variâ, variè etiam afficiuntur ſancti: cum enim oculos mentis in ſalutem ſuam aut aliorum & in Dei gloriam conjiciunt, aliter affecti ſunt, quam cum decretum Dei menti ipſorum occurrens atque objectum intuentur. Quemadmodum Chriſtus, dum Iudæorum incredulitatem & ruinam perpendit, eam deplorat ſerio Luc. 19. verſ. 41. contra verò, cum Patris decretum aſpicit, in eo acquieſcit eoque nomine etiam gratias ipſi agit, Matth. 11. verſ. 25. 26. Eadem ratione, dum iræ Dei imminentis pondus graviſſimum, quod pro nobis ſuſtinendum erat, perpendit Chriſtus, horruit ac deprecatus eſt, & quidem ſine ullo vitio. Primum quia naturale eſt, & à Deo creatore, humanæ naturæ inſitum, ut ſui interitum averſetur & conſervationem appetat. Deinde quia non abſolutè, ſed voluntatis Dei expreſſa conditione adjuncta, hoc poſtulavit. Contra verò cum ad Patris voluntatem & decretum oculos mentis ſuſtulit, ſeipſum retinens, naturale boni ſui deſiderium voluntati Patris recto ordine ſubjecit, atque in eo acquievit, Marc. 14 verſ. 36. Simili etiam modo Prophetæ ſancti, & Apoſtolus noſter, fuerunt affecti, cum ab hac parte, Dei decretum; ab illa vero ſalutem hominum & Dei gloriam conſiderarunt: cujuſmodi eſt Moſis votum, Exod. 32. verſ. 32. *dele me nunc ex libro tuo, quem ſcripſiſti.* Sed excipiat aliquis: Eſto, in Moſis petitione conditio intellecta fuerit: attamen fieri poſſe, ut aliquis è libro vitæ expungatur, Dei ſententia declarat verſ. 33. *dixit verò ad Moſen Jehova: Eum qui peccaverit mihi, delebo de libro meo.* Similis locus eſt Pſal. 69. verſ. 29. *deleantur de libro vitæ.* Verùm reſponſio eſt, primùm hanc deletionem de libro vitæ intelligi poſſe, de morte corporali, ut circumſtantiæ ſuadent. Deinde eſto, de vita & morte corporali non agatur: reſponderi etiam poteſt, inſcriptionem in libro vitæ, accipi aut pro electione Dei, unde nemo expungi poteſt: aut pro vocatione ad externam Eccleſiæ ſocietatem, quę vocatio quaſi index eſt vitæ æternæ probabilis: quomodo etiam hypocritæ inſcribuntur, & detecti, ex eo expunguntur; de quo David loquitur, ut proxima verba interpretantur, *& cum juſtis non conſcribantur*: cujus rei ſimilitudo quædam extat, inde à primitiva Eccleſia, ut baptizati in libro Eccleſiaſtico inſcribantur. Secundo dicimus, καταχρηστικῶς iſta dici, ut rectè Aug. exponit, *Fratres*, inquit, *non ſic accipere debemus, quod quemquam Deus ſcribat in libro vitæ, & rurſus deleat eum. Si homo dixerit, quod ſcripſi, ſcripſi; Deus quemquam ſcribit & delet?* & paulò poſt: *Hoc dictum eſt ſecundum ipſorum ſpem, quia ibi ſe ſcriptos putabant. Quid eſt, deleantur de libro vitæ? ut ipſis conſtet, non illos ibi eſſe.* & paulò poſt: *Delebuntur de libro viventium, id eſt, non ibi ſe eſſe cognoſcent.* Hactenus Auguſtinus in Pſalmum 69. Quamobrem ſalus piorum certa manet, nec votis hujuſmodi convellitur.

Ut autem ad propoſitum, de voto anathematis, à Paulo optati, redeamus: altera etiam eſt reſponſio, hoc anathemate, de morte ſecunda, intellecto, non infringi tamen ac tolli electionem & certitudinem ſalutis Pauli: quia anathema intelligi poteſt bifariam: primum ſimpliciter & in perpetuum: quale eſt reproborum: quia æternâ morte afficiuntur; deinde temporale, ac ſecundum quid, quod ſalutem æternam non evertit. Quemadmodum Chriſtus pro nobis factus eſt anathema, ſimpliter quidem: ſed non in perpetuum. Anathematis vero & temporalis & ſecundum quid optati, exemplum illuſtre obſervamus, in theologo inſigni ac piiſſimo, Gregorio Nazianzeno, qui amore ſalutis Macedonianorum, (qui probè vivebant, ac de Patre & Filio, vero Deo, rectè ſentiebant: ſed Spiritum Sanct. errore creaturam eſſe credebant) oratione quadrageſima quarta in S. Pentecoſten ait; *Adeo vos amplector & exoſculor*, &c. ὥστε καὶ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ Χριστοῦ καὶ παθεῖν τι ὡς κατάκριτος δέχομαι. μόνον εἰ σταίητε μεθ' ἡμῶν, καὶ κοινῇ τὴν τριάδα δοξάσαιμεν. hoc eſt, *ut anathema etiam à Chriſto eſſe, ac nonnihil ut damnatus perpeti non recuſem, modo nobiſcum adjungamini & communiter trinitatem celebremus.* Atque hoc modo Paulum anathema fieri voluiſſe, nunc, re diligentius perpensâ, conſentaneum exiſtimo, magiſque veriſimile, quam ut ſimpliciter ac de perpetuo exitio intelligamus: nam etſi charitas Dei, charitati erga nos ſit præponenda, tanquam ſummum ac primum mandatum; magiſque Dei gloria quam ſalus noſtra ſit amanda: juſtitiæ tamen contrarium eſt, ut ſimpliciter anathema eſſe, & exitio æterno devoveri ac ſalute æterna excidere optemus. Hoc enim & amori Dei adverſatur, optare ut ab illo ſummo bono noſtro, perpetuo ſeparemur: & amori erga nos repugnat, ut & ſummo bono noſtro ſemper careamus, & ſummo malo ac ſupplicio, in æternum, afficiamur.

Hac enim ratione, officium amoris erga nos, non

subjicitur amori Dei & saluti proximi; quod lex Dei requirit: sed prorsus rejicitur atque tollitur, quod Dei lex prohibet: quæ nostri amorem, (quamvis Dei amori subjectum) & regni Dei desiderium præscribit. Si quis verò objiciat Luc. 14. 26. dici, *Nisi quis animam suam oderit, non potest meus esse discipulus*: nihil inquam efficiet: quamvis enim anima, per metonym. efficientis, pro effecto, vitam hîc significet: non intelligitur tamen æterna, sed temporalis ac corporis vita. Deinde odium hic non propriè, sed metaphoricè sumitur, pro negligere vitæ suæ conservationem, seu jacturam vitæ libenter perpeti. Denique non absolute, sed certa conditione, nempe, si vita corporis conservari non possit, sine abnegatione Christi & sanctitatis ac vitæ æternæ jactura, ut Luc. 9. vers. 23. 24. 25. & Matt. 16. vers. 24. 25. 26. Eodem redit responsio, si quis dicat, non absolute, sed comparatè odium præcipi, hoc est, ut minus amemus vitam, quàm Christum, Matth. 10. vers. 37. non ut non amem us: amorem enim Christi præfert tantum, nostri vero amorem non aufert: quia vitam æternam, temporalem amittentibus, propter Christum, pollicetur, ideoque eam amari debere docet vers. 39.

Hoc igitur sensu votum anathematis Pauli acceptum, & legi Dei, quæ amorem nostri requirit, & Euangelio quod electionis & salutis fidelium certitudinem docet, consentit.

Cœterum ut suum erga Judæos amorem etiam testaretur, *fratres* eos vocat: quia verò duplices sunt fratres, alii generatione & secundum carnem, alii regeneratione & secundum spiritum, ut hosce Judæos infideles, à fidelibus Christianis distinguat, periphrasi quadam modum exponit, quando *cognatos* vocat, *secundum carnem*: non ratione communi ac remotissima naturæ humanæ, ex Adamo: sic enim omnes homines sunt fratres, sed ratione specialis originis ex Israele, vers. 3. Quos fratres privilegiis ipsorum singularibus, quibus divinitùs prælati erant gentilibus, describit & laudat: eaque ratione, exposita misericordia sua, erga Judæos, & voto pro iis, honorificum suum, de iisdem judicium subjicit; non quidem, ut iis adulētur, fuco quodam; sed sincero rectoque animo, partim ut calumniam eorum refellat, qui ipsum minus honorificè, de sua gente loqui spargebant: partim ut justas, erga eos, benevolentiæ & voti sui, causas explicaret: atque hac ratione tertium amoris argumentum proponitur: privilegia autem seu specialia Dei dona Judæis collata recensentur novem.

Quorum primum est generis nobilitas, quod sunt *Israelitæ*, hoc est, ex Jacobo, qui Israel divinitus fuit appellatus, ideoque ex Isaaco & Abrahamo oriundi, de qua re Gen. 32. vers. 28. & 35. vers. 10.

Alterum est *adoptio*, quæ est gratuita, è reliquis gentibus, in filios Dei segregatio & cooptatio: qua ratione Israelitæ vocantur, non solum *filii Dei*: sed etiam *primogeniti* Exo. 4. vers. 22. 23. & Jer. 31. vers. 9. & *pretiosi ac delectabiles filii*, Lament. Jerem. 4. vers. 2. Verùm ne quis hoc in loco hallucinetur, adoptio & cooptatio in filios in Sacris Literis duplex est, generalis & specialis. Generalis est externa ad visibilem Ecclesiam & filiorum Dei cœtum destinatio & vocatio: qua ratione nonnulli filii Dei dicuntur, filiis hominum oppositi, hoc est, alienis ab Ecclesia, Gen. 6. 2. & Israelitæ, hoc modo, generatim, *filii Dei* appellantur, non solum qui electi erant ad vitam æternam, ac regenerati: sed etiam reprobi ac merè carnales. Unde Judæi, *filii regni*, seu Ecclesiæ Dei, ejiciendi dicuntur in tenebras exteriores Matth. 8. vers. 12. Quare qui ex hac rejectione, perseverantiam sanctorum oppugnant, homonymiæ sophismate ludunt. Specialis verò adoptio est efficax in filium & hæredem Dei per fidem Christique ac Justitiæ illius communionem vocatio Rom. 8. 15. Gal. 4. vers. 5. 6. Iohan. 1. 12. Ephes. 1. 5. Quæ adoptio non omnibus Israelitis, sed solum veris electis & fidelibus convenit: qui propterea κατ᾽ ἐξοχὴν ac proprio suo modo, cum hypocritis opponuntur, *filii Dei* appellantur: nam analogicè adoptio Israelitis tribuitur communiter; hypocritis externa solùm: sinceris & verè fidelibus externa simul atque interna: quæ adoptio quoniam tecta coram mundo, in glorificatione, ultimo die patefiet 1. Ioh. 3. vers. 1. idcirco metonymicè *adoptionis* vox glorificationem illam interdum significat, ut Rom. 8. 13. apparuit.

Tertium privilegium est *gloria*, quam arcam Domini interpretantur: quæ quod esset gratuitæ & potentis Dei præsentiæ gloriosæ tessera, *gloria Domini* metonym. dicitur 1. Samuel. 4. v. 21. 22. unde etiam templum, *habitatio gloriæ Dei*, Psal. 26. 8. dictum: alii verò ad legem referunt, de cujus gloriâ agitur 2. Corinth 3. vers. 7. Sed tamen videtur accommodatius, ut exceptis iis, quæ hîc recensentur, generatim ad reliqua extendamus ornamenta, quibus hic populus gloriosè excelluit: cujusmodi fuere miracula, ex quibus, ut ait Theodoretus, clari & insignes evasere: qualis fuit liberatio mirifica ex Ægypto stupendis miraculis ac variis procurata: traductio per mare rubrum, columna nubis interdiu & ignis noctu, ad Israelitas dirigendos: cibus mannæ è cælo defluens: aqua è Petra promanans copiosissimè: vestium & calceorum in deserto, sine attritione & corporis contritione duratio, & ad corporis incrementum accretio: introductio per Iordanem exsiccatum in Chananæam: murorum Ierichuntis subversio, solis statio: & innumera alia, cùm extraordinaria, tum ordinaria, in populi conservatione miracula: deinde prophetiæ & crebræ apparitiones divinæ, gentibus negatę.

Quartum privilegium sunt *fœdera*, vetus nimirum & novum, seu operum & gratiæ: quemadmodum Theodoret. interpretatur, de quibus Ierem. 31. vers. 31. 32. & Actor. 2. vers. 12. alii de fœdere gratiæ cum Abrahamo & posteritate illius inito, sæpiusque repetito, exponere malunt: nonnulli denique de decalogo per metonym. accipiunt, & propter duas illius tabulas, quæ tabulæ fœderis, nempe operum, appellantur, Deut. 9. vers. 11. & 15. & Hebr. 9. vers. 4. *fœdera* vocari censent: quæ interpretationes variæ, quemadmodum ferri possunt: prima tamen cœteris videtur præferenda: quia simplicior est, atque uberior.

Quintum privilegium est *legislatio*: quæ aut angustius ad legem judicialem, quam non ab homine, (ut Athenienses à Solone, & Spartani à Lycurgo) sed ab ipso Deo, per Mosen acceperunt, pertinet; quemadmodum plerique exponunt: aut latius, ad judicialem & ceremonialem legem: imò ad universam Sacram Scripturam referri potest, Hebr. 7. vers. 11. & 8. vers. 6. Qua ratione excelluisse dicuntur Israeltiæ, Deut. 4. vers. 6. 7. Psalm. 147. vers. 19. 20. & Rom. 3. vers. 2.

Sextum est *cultus Dei*, qui inter Israelitas, ab Israelitis administrari & exerceri debuit: nam templum fuit Hierosolymis institutione divina, Sacerdotes ex Israelitis Levitæ: soli Israelitæ ex Dei mandato circumcisi, soli utentes sacris, & qui eorum Ecclesiæ, per circumcisionem, ex aliis gentibus, insiti.

Septimum sunt *promissiones*, quæ fuerunt variæ & illustres: in quibus excelluit promissio Messiæ & Euangelii, è Sione prodituri, & donorum, quæ inde ad Israelitas primum derivanda, Marc. 10. v. 16. Actor. 13. v. 40. ac præterea futura tandem rejectorum, ante secundum Christi adventum, ad salutarem Ecclesiæ societatem, ac salutem, revocatio, Rom. 11. v. 25. ad 30.

Octavum, quod *ad eos pertineant patres*, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Josua, Samuel, David, cœterique insignes in Ecclesia Dei majores: quorum commendatio extat illustris, Hebr. 11.

Nonum & ultimum Israelitarum privilegium ac prærogativa præ reliquis gentibus, est cognatio cum Christo, quod *ex iis sit Christus*. Hæc enim verba non sunt referenda, ut à nonnullis fieri solet, ad patres, quod Christus sit ex Patribus ortus, quemadmodum ex genealogia ipsius Matt. cap. 1. extra controversiam est: sed ad Israelitas, sicut copula illa *&* demonstat, cum ait: *& ex quibus*. Si quis objiciat, Christum non fuisse ex Israelitis ortum, de quibus Apostolus loquitur, qui illius tempore supererant; sed ex patribus: illud quidem concedimus, sed homony-

homonymia luditur: nam dictio *ex* denotat vel causam efficientem, ut *ex Spiritu Sancto esse* dicitur, Matth. 1. aut materialem, ut *ex semine Davidis*, Roman. 1. 1. vel numerum & partitionem, ut hoc in loco, *ex Israelitis esse* dicitur, hoc est, ex Israelitarum numero & genere. Sicut Deut. 18. vers. 15. & Actor. 3. 25. appellatur propheta ex fratribus excitandus. Verum quoniam Christus constat duabus naturis, divina & humana: divina, quâ fratres non habet, est enim filius Dei unigenitus: humana, quâ iis præditus est: idcirco accommodatâ distinctione, ad gloriam Christi, rationem explicat, cum addit: *secundum carnem*, hoc est, humanam naturam, per Synecd. Hebræis usitatissimam, ut Ioan. 1. v. 14. *sermo caro factus est*, & Rom. 1. v. 3. nam secundum divinam naturam, unus est cum Patre & S. S. *Deus supra omnes laudandus in secula*: quod epiphonemate solenni concludit, *Amen*: nam quod Erasmus, & cum eo Samosateniani, hoc divinitatis elogium, non de Christo, sed de Deo Patre exponunt; omnino coactum esse, & textui non convenire apparet, ex distinctione cognationis secundum carnem & pronomine relativo, quod ad antecedens accommodari debet.

Atque hactenus de præfatione egimus, quâ Iudæorum rejectionem à gratia & gloria, insinuatione quadam indicavit ac concessit; & omnem, quæ ex hoc indicio moveri poterat, malevolentiæ suspicionem, testificatione & probatione amoris sui diluit: quæ prior est responsionis ad objectionem, de Judæorum rejectione, pars.

Altera vero est, quâ illud absurdum esse negat, *nec enim Dei verbum propterea excidisse*, asserit. Quæ phrasis bifariam accipitur: primum ab orthodoxis, de verbi stabilitate & complemento, quod irritum fieri non possit: quemadmodum Ioan. 10. v. 35. *non potest solvi scriptura*, & Mat. 4. v. 35. *Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei, &c.* Secundò ab adversariis nonnullis, de firmitate memoriæ Pauli, malè accipitur: quasi sensus esset, quod non exciderit ex animo illius, hoc est, non oblitus sit verbi divini, cum diceret, Judæos esse anathema à Christo. Pro qua interpretatione, quia nonnulla adversus priorem & saniorem objectantur, quorum solutio perquàm necessaria est, ad Dei gloriam, & illustrationem doctrinæ, de consilio & verbo Dei: idcirco præcipua breviter expendemus.

Ac primùm opponunt nobis, Sauli ad regnum vocationem, & secutam Dei pœnitentiam 1. Sam. 15. v. 11. Sed ea voce, nulla affectus, aut sermonis, notatur inconstantia: sed destinata, ex constanti consilio, effectus mutatio; quæ per ἀνθρωποπαθείας metaphoram adumbratur: quemadmodum illud disertè declaratur eodem in loco v. 25. *qui æternitas est Israelis, non committit mendacium, neque pœnitebit eum: non enim homo est, ut pœniteat eum.* De qua re, concinna est Gregorii Magni sententia: *Quia*, inquit, *ipse immutabilis, id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur: quamvis rem mutet, consilium non mutet.* In Jobum hom. 24.

Quod deinde objicitur ceremoniarum Mosaicarum abrogatio aliarumque rerum mutatio; illud sermonis Dei constantiam non infirmat, sed confirmat; quia non solum ceremonias instituit, sed etiam convenientem durationis terminum, & mutationem consilio & verbo stabili præfixit.

Neque obstat etiam, quod præterea regerunt, non omnes minas (quales contra Ninivitas & Ezechiam) nec omnes promissiones Deum exequi: quia eadem, non absolutè, sed cum conditione expressa, aut tacita, pronuntiavit. Sicut de comminationibus suis & promissionibus exposuit atque interpretatus est sententia generali & perquam memorabili, Ierem. 18. 7. 8. 9. 10. Cujusmodi etiam fuit comminatio adversus Abimelechum, Gen. 20. v. 17. Et promissio de introductione Israelitarum, in terram promissam Chananæam, Exod. 3. & Num. 14. respectu populi fuit absoluta: sed respectu singulorum conditionalis, si Deo se morigeros præberent: eadem ratio fuit sacerdotii Pontificis Eli, 1. Sam. 2. 30. & regni Sauli, 1. Sam. 13. v. 13. & 14.

Denique quod objicitur Luc. 7. 30. dici, legis interpretes, *Dei consilium rescidisse*: ideoque consilium & verbum Dei excidere posse; non difficulter diluitur: nam vox ἀθετεῖν, quâ utitur Lucas, significat hoc loco, non *rescindere* aut *abrogare*, ut adversarii contendunt, quasi *loco suo movere*: sed per metaph. *contemnere*, *rejicere*: ut alibi etiam accipitur, Heb. 10. 28. Deinde etiamsi illo modo sumeretur; tum *consilium Dei*, de rebus futuris decretum, minimè notaret: sed Dei mandatum, de conversione & baptismo, significaret: quemadmodum *consilii* vox accipitur Prov. 1. v. 24. & Act. 20. 27. Deinde hoc modo, *rescindendi* vox, intelligenda esset, non reipsa: nam per se firmum manet, reluctante mundo & principe illius Satana; sed ratione studii & conatus: quemadmodum Marc. 7. v. 9. 13. per ironiam ait Christus: καλῶς ἀθετεῖτε *benè rejecistis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis*; ubi clara est, inter *rejicere* & *servare* oppositio. Quamobrem, ex hisce confutatis adversariorum exceptionibus, constat, sermonem Dei excidere non posse; *sed decretum consilium Dei æternum stabit, & voluntas ejus fiet*. Es. 46. 10. Eph. 1. 11. *quia Deus nec mentiri potest*, Tit. 1. 2. *nec mutari*, Iac. 1. 17. quia verax & omniscius & omnipotens. Unde perspicua est Apostoli sententia, qua negatur, excidere, seu irritum reddi, sermonem de fœdere, cum Abrahamo & semine illius, deque benedictione & salute, per promissum Messiam. Gal. 3. 17. quamvis Iudæorum maxima pars, à Christo & benedictione exclusa, sit anathema.

Idque probat distinctione Israelitarum & seminis Abrahami: eaque ratione ostendit, promissionem Dei, ratione efficaciæ illius, esse indefinitam, ac sensu particularem, non autem universalem; ac propterea universalem perperam inde constitui: nam quamvis Israelitæ plerique pereant, promissionem tamen Dei minimè reddi irritam, inde constat, quia in electis est efficax. *Non enim omnes*, ut v. 5. ait *qui sunt ex Israele* Patre prognati secundum carnem, *sunt* veri illi *Israelitæ*, ad quos fœderis gratiæ Dei non solum oblatio, cum conditione officii præstandi: sed etiam collatio & hæreditas cœlestis reipsa pertineat, ut v. 7. exponitur clarius & Rom. 2. v. 28. & 29. *Neque quia semen Abrahami sunt, ideo omnes sunt filii*, seu hæredes benedictionis illius & ejusdem gratiæ gloriæque participes, Rom. 4. v. 12. Gal. 4. 28. quamvis enim hæc videantur & inter se & cum superioribus pugnare, quibus docuit Apostolus, Iudæos incredulos, esse Israelitas & Abrahamitas, non solum origine carnis sed etiam ratione fœderum & promissionum acceptarum: nulla tamen est dissensio: etsi enim ad omnes Israelitas, & *patres*, & *adoptio*, & *fœdera*, ac *promissiones* pertineant, non propterea tamen sunt omnes verè filii & hæredes salutis. Illa enim quæ objectantur, Judæis infidelibus ab Apostolo tribuuntur quidem, ratione vocationis externæ (qua salus iis sub conditione obedientiæ annunciata & oblata est, & oblatio illius circumcisione obsignata, unde omnes Israelitæ *filii fœderis* dicuntur communiter, Actor. 3. 25.) sed non ratione vocationis internæ & efficacis secundum propositum electionis, qua salus non solum exterius, cum conditione fidei vivæ, annunciata & oblata est verbo, ac signata sacramentis: sed etiam interius, efficaciter, donata conditione seu fide, confertur à Spiritu Sancto: hoc enim solùm genuinis filiis & verè electis Israelitis convenit, non autem promiscuè omnibus: idque comprobat Apostolus certis hypothesibus, seu singularibus exemplis clarissimis & gravissimis, quæ deinde ad thesin transfert. Atque hac ratione sublimem illam, de singulorum prædestinatione & executione illius, doctrinam, amplius quàm capite antecedenti, aggreditur.

Primum autem exemplum est filiorum Abrahami, nimirum Ismaelis & Isaaci: quia rejecto Ismaele (qui & major natu & prior fuerat circumcisus) Isaacum elegit Deus: quod diserto testimonio confirmatur ex Gen. 21. 12. *In Isaaco vocabitur tibi semen*, hoc est, erit & reputabitur tibi germanus filius & hæres, ad quem promissiones temporales & æternæ, seu corporales & spirituales tibi factæ, derivabuntur: quemadmodum Deus Gen. 17. 19. 21. & Paulus Heb. 11. 17. 18. non obscurè interpretantur. Hæc de v. 7.

Ex qua hypothesi seu exemplo particulari, infert Apostolus, expositione commoda, thesin seu sententiam univer-

salem: qua ostendit duplex Abrahami semen esse distinguendum: aliud enim esse carnis, cujus non solum typus sed etiam exemplum est Ismaël: aliud promissionis, cujus typus & simul exemplum est Isaacus; hoc est, ut Apostolus docet, hinc demonstratur, quod non quicunque sunt filii carnis Abrahami, seu secundum carnem ac vi naturæ, illi sint cum Abrahamo filii Dei & hæredes vitæ æternæ: sed illi demum, qui filii sunt gratuitæ promissionis Abrahamo factæ & vi illius nati, nempe electi, divinitus, in semine Abrahami, & veris, secundum spiritum, Abrahami & Dei filiis accen sentur, v. 8.

Idque probat Apostolus, ostendens testimonio Dei, Gen. 18. v. 14. Isaacum non carnis esse filium: sed promissionis vi genitum: quia cum Abrahami corpus senio esset effœtum, & Sara sterilitatis & simul ætatis ratione, ad prolem concipiendam prorsus esset inepta, Rom. 4. v. 19. Abrahamo promisit Deus: *Hoc ipso*, inquit, *tempore veniam, & erit Saræ filius*. Hæc autem generatio ex promissione, fuit typus regenerationis & adoptionis gratuitæ, non solum reliquorum, ex omnibus gentibus, Rom. 4. v. 16. & 17. Gal. 4. v. 18. sed etiam, ac primùm quidem, ipsius Isaaci: sicut ex formula promissionis constat: quæ non solum procreationem Isaaci miraculosam continet; sed etiam salutis appendicem, Gen. 17. v. 19. & 21. Quemadmodum contrà Ismaelis naturalis procreatio, seu vi naturę facta, & rejectio à familia & hæreditate Abrahami, non solùm typicè adumbravit Judæorum incredulorum, è familia & Ecclesia Dei, rejectionem Gal. 4. v. 23. & 24: sed etiam ipsius Ismaëlis; quemadmodum antitheseos Isaaci & Ismaelis ratio ostendit. Neque absurdum est, ut objicitur, quod idem sit rei alicujus generalis typus, & singulare exemplum: nam Israelitarum in Ægypto, per sanguinis agni effusi aspersionem, conservatio corporalis, citra controversiam typus fuit, non solum conservationis spiritualis, posterorum fidelium, per Christi sanguinem, fide & spiritu conscientiis aspersum: sed etiam singulorum, inter ipsos Israelitas, verè fidelium. Quapropter hallucinantur hoc in loco, qui hæc nihil omnimò ad salutem Isaaci, aut Ismaelis pertinere contendunt: sed tantum esse typos salutis fidelium, & rejectionis infidelium reliquorum: nam quod objicitur, Deum, rogatu Abrahami, Ismaeli vitam spondere coram se & benedictionem, Gen. 17. v. 18. & 20. deinde auditum, Ismaelem à Deo, Deumque illi adfuisse, Gen. 21. v. 16. & 20. ac propterea à salute non esse rejectum: illud minimè sequitur; quia Deus loquitur de temporali vita, & benedictione, quæ dona etiam reprobis communicantur, Dei clementiâ: non autem de æternâ: quemadmodum apparet ex sequentibus & antithesi Isaaci, Gen. 17. vers. 19. & 21. Sed excipiunt, Ismaelem non minus esse divino jussu institutum & circumcisum, quàm Isaacum; ideoque salutem æqualiter ei communicatam. Sed falsa est conseqq. nam Deus & verbo & sacramento, quosvis in Ecclesia natos, exterius vocat, (ut ante ostendi) offerendo gratiam & docendo, atque officium obedientiæ fidei & charitatis exigendo, ad salu tem; quæ cum Ismaeli defuerint, salutem illius verbum & sacramenta minimè obsignarunt. Verùm, si ita res habet, Ergo, inquiunt, Deus simulator est, & circumcisio vana. Minimè verò: Deus enim serio rectèque agit: nam ministerio verbi & sacramentorum, gratiam suam, fidei & resipiscentiæ conditione, offerendo, justissimè debitum exigit, & reprobos, impietatis suo vitio acquisitæ convincens, reddit inexcusabiles: electis verò, ipsos regenerando, gratiam clementer confert. Ac propterea ex iis, quæ objecta sunt, concludi non potest, ea quæ à Paulo, hoc in loco, dicuntur, ad salutem Isaaci & Ismaelis non pertinere, v. 9.

Atque hæc de priore exemplo Ismaelis & Isaaci, quo probavit Apostolus, non omnes carnales Abrahami filios, esse cum Abrahamo filios Dei & electos ad vitam æternam. Veruntamen, quia à Judæis excipi poterat, exemplum illud se non attingere; quod essent Abrahami semen, non ex Agar servâ & filio illius Ismaele; sed ex Sara ingenua & Isaaco promissionis filio orti: propterea alterum adjungit Apostolus, eidem rei probandæ, filiorum sc. Isaaci, Esavi & Jacobi exemplum: quorum prior (licet pares essent) rejectus, posterior verò electus est & adoptatus à Deo. Paritatem autem demonstrat, primum, ratione parentum & conceptionis; quia ex eodem parente Isaaco, ab eadem libera atque ingenua matre Rebecca, concepti pariter: deinde ratione dignitatis, & meritorum: quia & rejectio unius & electio alterius contigerunt, cum nondum nati essent, ideoque nihil boni aut mali fecissent. Qua ratione anticipat Apostolus exceptionem Judæorum, ne objicerent, illum rejectum, improbitate sua: hunc verò electum, probitatis alicujus antecedentis aut prævisæ merito: nam quod quidam ajunt, inter se luctatos fuisse, in utero matris, ac propterea aliquid boni fecisse & mali: respondet Augustinus, *Luctam hanc fuisse signum rerum magnarum: quia non fuit arbitrium, sed prodigium.* epist. 106. ad Paulinum. Hanc autem discretionem proponit Apostolus & firmat Dei authoritate duplici. Ac primum Gen. 25. v. 22. nam Rebeccæ, Deum, de fœtuum in utero suo conflictu, consulenti, responsum fuit; *duæ gentes sunt in ventre tuo &c. quarum una robustior erit alterâ; & major serviet minori.* Deinde Mal. 1. v. 2. Verùm objicitur, de duobus populis hæc dici: ideoque non de Esavi & Jacobi personis esse sermonem. Sed negatur conseq. quia horum populorum partes sunt primùm stirpes ipsæ, Jacobus & Esavus: deinde propagines seu posteri eorum. At inquiunt, Esavus non serviit Jacobo; ac propterea de posteris solùm agit Deus. Imò vero serviit & jure electionis divinæ, venditæque primogenituræ: deinde etiam facto, seu reipsa, suo modo: quia cessit hæreditate ac dominio terræ promissæ, & in Idumæam recessit, quemadmodum etiam plenius in posteris suis serviit, 2 Samuel. 8. 14. Sed esto, inquiunt, hæc ad Esavi & Jacobi personas referantur, de externâ tamen servitute, & terræ promissæ privatione, & de amore odioque in rebus externis dicuntur, non autem de vita æterna: ac propterea nihil ad prædestinationem aut vocationem salutarem pertinent. Verùm illud absurdum esse Apostoli scopus demonstrat: nam si ita est, uti contendunt, frustra ab Apostolo afferuntur; quoniam de electione ac vocatione ad vitam æternam, deque rebus spiritualibus hoc cap. loquitur, ac probare contendit, non omnes ex Abrahamo & Israele prognatos, esse cum iisdem Dei filios, eoque vitæ hæredes; ut liquet ex v. 6. 7. 8. Deinde, primogenituræ, dominii, & hæreditatis Cananææ privatio, fuit non solùm ipsi jactura boni corporalis & temporalis: sed etiam rejectionis à salute symbolum: quia primogenituræ dominium erat electionis & adoptionis divinæ tessera, & conjunctam habebat hæreditatem terræ promissæ: quæ semini Abrahami addicta erat divinitus, & salutis erat typus, Hebr. 11. vers. 9. & 10.

Sed objicitur, dogmata fidei, ex allegoriis, non certo stabiliri. Fateor, nisi sacris literis explicatio eorum contineatur; quemadmodum hoc in loco. Verum rursus excipiunt; iniquum esse & temerarium, de personis singularibus eorumque salute certa aut deplorata, judicare. Agnoscimus: sed ea conditione, nisi Deus præeat, suo præjudicio certissimo & sanctissimo: quemadmodum in hac disputatione fit, & Heb. 12. v. 16. quo Esavus ob divenditum primogenituræ eoque & dominii jus, *profanus* appellatur. Sed objiciunt iterum Ubiquitarii, ut Hunnius in articulo de providentia & prædestinatione æterna, pagin. 165. & Samuel Huberus, in thesibus de Christi morte Si Mosis & Malachiæ verba, de electione ad vitam æternam & contraria reprobatione agunt: Ergo sequitur necessariò, non solum Jacobum absolutè ad vitam æternam prædestinatum: sed totum insuper à Jacobo descendentem populum: & contrà non Esavum solum simpliciter à Dei gratia rejectum: sed etiam posteros illius, sive populum ab ipso oriundum, simpliciter & in universum esse reprobatum: adeò ut nullus ex Israelitis condemnatus; nullus ex Idumæis salvatus. Atqui hoc absurdum esse, demonstrant vaticinia de vocatione Idumæorum ad regnum Messiæ, Esai. 11. & hujus vocationis primitiæ, Marc. 3. v. 8. & quæ proposita ab Apostolo, de Judæo-

de Judæorum rejectione & restauratione disputatio, Rom. 11. cui argumento plurimum confidunt adversarii. Sed negamus propositionis consecq. quia etsi electio & reprobatio, non solùm ad personas Jacobi & Esavi, sed etiam ad Israëlitarum & Idumæorum populos, ex iis ortos, pertinere statuamus: diversa tamen eorum est ratio, respectu subjecti & durationis adjunctæ: nam electio & reprobatio alia est hominum collectorum, seu certi alicujus populi: alia est singularium: quarum illa collectiva; hæc singularis, subjecti ratione, dici potest. Prior ratione distinctionis certi populi, definita est; sed ratione partium seu singulorum è populo, indefinita. Posterior verò seu singularium subjectorum ratione, simpliciter definita est: deinde prior terminata est tempore, ac mutabilis: ut argumenta adversarii aliaque multa comprobant; posterior verò interminata tempore & immutabilis, ut Rom. 8. docetur, & Hunnius agnoscit. Atque ita populi Israëlitici electio, fuit corporis populi illius, non autem singulorum, è populo, ad vitam æternam ejusque media (nempe vocationem in populum & Ecclesiam Dei) destinata, ad Christi usque adventum segregatio, cui ex adverso respondet populi Idumæi & reliquorum reprobatio usque ad Christum crucifixum, suscitatum, & ad dextram patris evectum: qui terminus est electionis Judaici & rejectionis Idumæi populi & reliquarum gentium: quemadmodum Paulus ait Eph. 2. *gentes quondam extraneas fuisse à pactis promissionis, spem non habentes, absque Christo, &c.* nam quemadmodum populi Israëlitici ad possessionem Cananææ electio, & Idumæorum ab ea rejectio, irrita non fuerunt, ratione populorum; quamvis nonnulli Israëlitæ inter gentes nati & educati Cananeâ caruerint: & contra Idumæi in ea vixerint: ita nec irrita fuit horum populorum electio & reprobatio: quamvis stante Ecclesia Judaica, quidam Idumæi per electionem singularem sint servati: & contrà quidam Judæorum, per reprobationem singularem à gratia & gloria rejecti. Sed præterea objectant: quod Isaacus & Rebecca de æterna reprobatione Esavi non intellexerunt, illud eo non pertinet: atqui Isaacus & Rebecca rejectionem ac servitutem Esavi, de æterna reprobatione non intellexerunt: alioqui mœrore ac desperatione, Esavi instar, absorpti fuissent: ergo eo non pertinet: Verùm negatur propositio: quamvis enim Isaacus cum Rebecca Dei spiritu & revelatione quodammodo illuminati fuerint, inde tamen non sequitur, mysterium illud iisdem, aut Esavo fuisse tum temporis patefactum, quod ex Malachia & Paulo illustratur: nec mirum est, si Isaaco aliquam, in hac re adumbrata, ignorantiam tribuamus: cum & umbram ac typum illius patefactum, nempe jus primogenituræ & dominii conferre voluerit Esavo, contra Dei sententiam antecedentem: cui prudens seu sciens ac memor illius, pro sua pietate, nunquam restitisset. Sed alia instant via: quod beneficia temporalia denotat, illud non pertinet, per se, ad vitam æternam, atqui dilectio ac benedictio Jacobi ad beneficia temporalia pertinet, Genes. 27. 27. 28. ergo non spectat per se ad vitam æternam. Verùm negamus propositionem, unum enim idemque significare potest per se beneficia & corporalia & spiritualia: sed illa explicitè & immediatè: hæc verò implicitè ac mediatè, corporalium typo, secundum Dei, prophetiæ authoris, voluntatem: imò primogenituræ dominium collatum Jacobo habebat conjuncta bona spiritualia, nempe propagationem fœderis Dei & Ecclesiæ in sua etiam posteritate, Gen. 28. v. 4. ideoque non tantum, (ut assumptio statuit in objectione) benedictio Jacobi ad temporalia bona pertinuit, sed etiam ad spiritualia.

Veruntamen iterum excipiunt: si in spiritualibus Jacobus fuisset benedictus, atque in iisdem ei oppositus fuisset Esau, non potuisset hic ullam recipere benedictionem: atqui benedicitur quoque Esau, etsi parcius Gen. 27. vers. 35. Propositionem falsam pari ratione firmare student frustrà, cum ajunt: ut enim ibi dilectionem perfectam, sic odium perfectum hîc, sine apice benedictionis, esse oportebat. Imo contrà inquam, oportebat, ad Dei lenitatem & benignitatem, erga vasa iræ demonstrandam, benedictiones temporales quasdam Esavo reprobato conferri.

Quod præterea regerunt. Isaac respondit Esavo: *Jacob abstulit benedictiones.* atqui si Iacobus fuisset electus ad vitam, non necesse erat, ut alter damnaretur: quia ambo potuissent in spiritualibus benedici: ut Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, Fratres, Maria & Martha, Sorores, sed negatur consecq. & probatio illius: quia quamvis absolutè, ex electione Iacobi, non sequatur rejectio Esavi; tamen circumstantia in electione declaratur: quandoquidem electio Iacobi non nudè, sed sub typo proponitur; cujus privatio, reprobationis Esavi fuit nota, ac symbolum: ut pluribus antea expositum est.

Atque hæc de adversariorum argumentis.

Cœterùm hanc electionis Iacobi & rejectionis Esavi, antequam nati essent, declarationem, illustrat Apostolus à fine: ut inquit, *propositum Dei, quod est secundum electionem, firmum maneret: non ex operibus, sed ex vocante*, hoc est, ut ita certo constet electionis Dei causam efficientem προκαταρκτικὴν non esse opera ulla, aut dignitatem hominum, sed Dei vocantis beneplacitum. Qua ratione hypothesin exempli specialis, ad thesin ac sententiam generalem transfert Apostolus. Cum autem electio Dei alia sit æterna & interna, seu consilii: alia temporalis & externa, ac facti; & utraque rursus vel ad hujus vitæ munia aut beneficia; ut electi ad regnum, Saulus quidem 1. Samuel. 10. vers. 24. David verò cap. 16. deinde electi ad Apostolatum, ut Iudas, cum reliquis undecim, Ioan. 6. vers. 70. vel ad vitæ æternæ hæreditatem, quæ Dei proposito dilectis convenit; de hac electione, & quidem non facti, quæ vocatio efficax dicitur, sed consilii, hoc loco, agit Apostolus. Qua distinctione solvitur trita illa contra electionis salutiferæ certitudinem objectio, ex Sauli, Iudæ & similiter electorum rejectionem. Sed objiciunt adversarii nonnulli, hoc loco, cum opera electionis causas esse, negatur, non futura, sed anteacta solùm excludi, ac propterea prævisam fidem ac pietatem permanere electionis causam. Verùm contrarium res ipsa loquitur, electionis & vocationis causam esse non hominis dignitatem aut conditionem: sed puram putam εὐδοκίαν Dei. Primùm, quia proposita electio & vocatio Dei opponuntur hîc absolutè operibus: quæ electio & vocatio merè gratuita sunt, Roman. 11. vers. 5. & 6. & 2. Timoth. 1. v. 9. unde rectè August. ait: *ut secundum electionem, Dei propositum: electionem scilicet gratiæ, non debiti: electionem, quâ eligendos facit ipse, non invenit*, epistola 105. ad Sixtum. Deinde cum fides, pietas, bona voluntas, & actiones sanctæ, sint dona Dei & electionis effecta, pro quibus Deum precamur, & gratias agimus Ioan. 6. v. 44, Ephes. 1. 4. & 2. 8. 9. 10. Actor. 13. 48. Philipp. 1. 28. & 1. Thessal. 1. 2. 3. 4. inde sequitur, ea electionis causam esse non posse: quia hæc inter se pugnant; idem esse causam & effectum ejusdem: idcirco præclarè August. de Deo ait: *Prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit.* epistola 207. ad Vitalem. & ad Simplicianum elegantissimè lib. 1. *opera non gratiam pariunt, sed gratiâ pariuntur; non ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet: nec ideo benè currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo bene operatur ut gratiam accipiat, sed quia accepit.* Hæc ille. Deinde sequeretur etiam, si fides & opera essent electionis causa; omnes ante usum rationis morientes, eoque fide ex verbi auditu concepta, & operibus destitutos infantes, ab electione & salute exclusos. Adhæc, cum Paulus continuò subjiciat: *Num injustitia est apud Deum?* vel hæc objectio omninò inanis est & responsio falsa, v. 15. 16. 17. 18. vel de electione ex prævisis operibus non agitur: nam perspicuum est, ex naturæ luce, justissimum esse, ut digni gratiâ, eâ fruantur, indigni careant: nisi per misericordiam Dei illis succurratur: qua de re eleganter August. ait: *sentiens Paulus, quemadmodum posset hoc, quod dictum est, permovere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, quid ergo dicemus: ait, nunquid iniquitas est apud Deum: absit. iniquum enim videtur, ut sine bonorum malorumve operum meritis, unum Deus eligat, oderitque alterum: quæ in re, si*

re, si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius (quæ utique Deus præsciebat) vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus: sed diceret, ex futuris operibus: eoque modo istam solveret quæstionem: imò nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem, Enchiridio ad Laurent: cap. 98. Hæc de v. 11. 12. 13.

Porrò hanc de prædestinatione & per misericordem vocationem executione illius, doctrinam, illustrat Apostolus anticipatione duplici, eoque modo sublimis hujus doctrinæ mysteria accuratius & disertius exponit: quarum prior pertingit à v. 13. ad 19. constans bimembri objectione & responsione: illa est, si Deus, ex hominibus (ut Esavi & Jacobi exemplo ostensum est) sine operum ratione, unum eligit, alterum rejicit: ergo injustus est in distributione. Qua etiam ratione Pelagiani olim, teste August. utebantur, *Quomodo*, inquiebant, *non est iniquitas apud Deum, si diligendo discernit, quos operum merita nulla discernunt?* epist. 106. ad Paulum: sicut & hodiè Semipelagiani argutantur. Sed respondet Apostolus 1. negatione consequentiæ; *Absit*, v. 14. deinde confirmatione negationis, qua ex neutro antecedentis membro, injustitiam Dei consequi, docet: ac primum electionis justitiam asserit, à potestate Dei ac jure, qui nemini devinctus, pro suo arbitrio, potest de suo benefacere, ut Matth. 20. v. 15. id quod probat à testimonio Dei, Exod. 33. v. 19. quo ait: *Miserebor, cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero*, hoc est, cujus decrevi aut volo misereri, ut v. 18. interpretatur Apostolus, & similes phrases ostendunt, ut Exod. 4. 13. ait Moses ad Deum: *mitte, quem missurus es*, hoc est, statuisti mittere: & Joan. 10. 32 *propter quod opus me lapidatis*, hoc est, lapidare vultis, ut ex vers. 31. liquet. & 13. v. 27. *quod facis*, hoc est, facere decrevisti, *facito*. Syllogismus autem Apostoli est hujusmodi: si Deus dicit, se misereri, cujus vult, ergo misericordia & dilectio *non est ejus*, scilicet hominis, *qui vult, neque qui currit, sed ejus, qui miseretur, Dei*. Deus autem dicit, se misereri cujus vult, ergo misericordia & dilectio Dei, non est ejus, scilicet hominis, qui vult, neque qui currit, sed ejus qui miseretur, Dei: id est, non ab ulla voluntate, neque ab operibus hominum, sed à mero Dei miserentis arbitrio dependet: enthymema est hoc loco: assumptio quidem v. 15. conclusio v. 16. unde propositio facilè elicitur. Quare sola Dei gratia origo est electionis & vocationis salutiferæ justissima; quemadmodum Eph. 1. v. 5. *prædestinati* dicimur *secundum beneplacitum ipsius*. Sed variè hic locus ab adversariis torquetur, quoniam excipiunt: *Non est volentis, nec currentis*, dici non absolute, sed secundum quid, hoc est, non solius est currentis, sed etiam Dei miserentis. Verùm rectè August. respondet. *Quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, nisi quia & ipsa voluntas (sicut scriptum est) à Deo præparatur? Alioqui si propterea dictum est non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei: ut sic dictum accipiamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei, non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si rectè dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis non sola implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis (ne Apostolo apertissimè contradicat) restat, ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.* Hæc ille in Enchiridio ad Laurent: cap. 32.

Verùm secundò alii aliter hunc locum pervertunt: non enim, inquiunt, volentis, neque currentis, secundum carnem; sed est volentis & currentis, secundum promissionem: nam ut prærogativa carnis nititur dignitate personæ & meritis operum: ita fides sola Dei misericordiâ. Verùm hac ratione misericordia statuitur tantùm fidei objectum: cum contrà Paulus eam electionis causam efficientem faciat: nam beneplacitum Dei est æternæ electionis causa: electio verò executionis ipsius: cujus pars est misericordia (hoc est, gratia erga miseros homines peccato & maledictioni obnoxios) misericordia denique causa est electionis temporalis seu vocationis efficacis & fidei. Ideoque fides misericordiæ & electionis causa esse non potest. Cæterum obiter observandum est, originem & causam, quæ adversarios in errorem pertraxit, esse, quod fidem, ex Dei Euangelium-offerentis, sufficienti gratia & humani arbitrii viribus promanare statuunt: ac propterea, quemadmodum si quis, cum Pontificiis, disputare distinctè volet, à controversia de S Scriptura inchoare debet: quod ad traditiones semper dilabantur: ita de prædestinatione, cum adversariis, utiliter collaturis, consultissimum videtur, si fieri possit, ut à quæstione, de viribus liberi arbitrii, seu voluntatis humanæ, & fidei causâ, inprimis fiat initium: quia eò semper divertunt: hac enim via facilius eorum technæ dissolventur & infirmiores tutius hisce gradibus sublimem de prædestinatione doctrinam percipient. Hæc de vers. 16.

Porro quamvis à sola Dei voluntate pendeat electio & misericordia, justam tamen esse probat etiam comparatione contrarii, à majori: eoque modo ex secundo propositæ objectionis antecedentis membro, Dei injustitiam minimè consequi ostendit, & justitiam reprobationis asserit: quamvis enim pro solo beneplacito, quos vult, rejiciat; non propterea tamen injustum esse, confirmat, à testimonio Dei, Exod. 9. v. 16. quo id sibi in illustri Pharaonis exemplo attribuit: & fine proposito, nempe gloria sua, consilii sui modique justitiam demonstrat: dicit enim in scriptura Deus: *ad hoc ipsum excitavi te* (id est, hoc fine creavi te) *ut ostendam in te* (indurato & justè punito) *potentiam meam, ut annuncietur nomen meum in tota terra.* Similis locus est Prov. 16. v. 4. *Omnia operatus est Deus propter se, etiam impium ad diem malum*: nempe, ut loquuntur, materialiter non formaliter: seu ratione personæ, non autem ratione accidentis culpæ: seu improbum, non improbitatem. Ergo quemadmodum Esavum nondum natum rejecit Deus: ita & Pharaonem. Quidam tamen hanc excitationem Pharaonis, ad creationem & generationem illius pertinere nolunt: sed referunt tantum aut ad conservationem Pharaonis à peste, aut ad evectionem in regnum, ut latens illius improbitas detegeretur & puniretur: hunc enim locum, ex collatione Exodi, unde petitus est, explicandum: Moses enim utitur verbo quod significat *stare feci*, id est, conservavi, eoque modo plerosque interpretari, & LXX. Græcos interpretes vertisse, *διετηρήθης servatus est*.

Verum responderi jure potest, hanc interpretationem esse à scopo Apostoli, qui de causa impulsiva reprobationis differit, alienam: quemadmodum apparet ex v. 14. 18. & 21. secundò humanis interpretationibus nonnullorum, Apostoli explicationem meritò præferimus: quia Spiritus Sancti est: qui quidem in multis cum LXX. interpretibus alibi convenit: hoc tamen in loco, ab iis non frustra discedit.

Deinde quia magis congruit cum verbo Mosis העמדתיך quod propriè significat, *stare te feci*, seu *constitui*. Idcircò optimè vertit Paulus *excitavi*: quemadmodum idem Actor. 13. 23. eadem simplici voce usus, dicit, *hujus* (Davidis scil.) *è semine, secundum promissionem ἤγειρε suscitavit, excitavit Israëli servatorem Jesum*, hoc est, è semine Davidis produxit, formavit: & Matt. 3. v. 9. *Deus potest ex lapidibus hisce suscitare*, id est, creare, formare, *filios Abrahæ*. Neque est cur objiciatur, in Græca voce, hoc locum habere posse: sed non in Hebræa עמד: hanc enim vocem non significare *existere*, aut *fieri*, nec in conjugatione hiphil העמיד *existere facere*, seu *creare*; qua voce Hebræâ Moses utitur: nam contra, quod observandum est, עמד accipitur Psal. 33. v. 9. eo sensu, non pro *stare*; sed metaphoricè, pro *oriri* atque *existere: præcepit & extitit*, Hebraicè est ויעמד & sic LXX. interpretes rectè verterunt, καὶ ἐκτίσθησαν *& creata sunt*. Sicut etiam de creatione vel mundi, vel rerum

rum sequentium, accipi posse R. D. Kimchi asserit in Hebraicis suis comment. Ideoque optimè in conjugatione hiphil העמיד stare facere, pro existere facere seu creare accipitur: ut enim quæ pereunt, cadere dicuntur metaphoricè: sic quæ oriuntur, exurgere; atque hæc expositio Mosis verbis v. 15. non repugnat, ut objectatur, sed optimè convenit. Causam enim reddit Deus vers. 16. cur ipsum Pharaonem, & populum non perdiderit, nimirum quod crearit ipsum, non ut ea ratione perderet: sed, ut in illo, indurato, suæ potentiæ gloriam patefaceret.

Cæterùm hujus loci Syllogismus hic est: si Deus testatur, se Pharaonem excitasse, ad id, ut in eo indurato & punito, potentiam suam ostenderet ad gloriam suam, sequitur Deum, indurare, quem vult: atqui verum est prius, ergo & posterius, Assumptio est v. 17. conclusio verò generalis, conjuncta prioris partis complexione, continetur v. 18. *Itaque cujus vult miseretur; quem autem vult, indurat.*

Verum ne quid Deo indigne attribuatur, aut doctrinæ orthodoxæ labes ulla aspergatur, observandum est, indurationem esse obfirmationem in peccato dominante, quod duritiei apte conferri solet: quia ut dura non cedunt: ita nec peccato mancipati mandatis Dei parent: sed contumaciter obsistunt: quo sensu etiam *cor lapideum*, Ezech. 36. v. 26. opponitur *carneo*, hoc est non vitioso (ut alibi ea vox accipitur) sed molli ac tractabili: quæ durities vel est naturalis, vel acquisita: naturalis seu insita ea est, per quam, ex corruptione naturæ, in Adamo, homines propensi sunt, ad pertinacem legis divinæ transgressionem: adeo ut caro (seu corrupta natura) inimicitia sit adversus Deum, Rom. 8. acquisita verò est, quando insita durities, contemptæ scientiæ ac conscientiæ usu, augetur: quæ induratio & hominibus & Deo ascribitur, sed diversâ omninò significatione: hominibus propriè; quia ex principio interno, insitaque duritie, se Deo scientes volentes pertinaciter opponunt: & causa sunt indurationis suæ prima ac principalis: quo modo Pharao se indurasse dicitur, Exod. 8. vers. 15. deinde Satan & homines improbi causæ sunt adjuvantes, cum mala consilia, ad DEO repugnandum suggerunt: Satan quidem intus; homines verò foris. Per metaphoram verò Deus indurare dicitur, similitudine quadam, quia gubernationis divinæ occasio similis est causæ efficienti: quod ut positâ causa, sequitur effectum: sic eam gubernationem sequatur induratio: verùm non vi ulla gubernationis Dei: sed vi insitæ hominibus malitiæ: nam Deus homines impietate suâ adversus ipsum obfirmatos sic providentia suâ gubernat ac regit, ut sine ulla vi, aut culpa ipsius, se ipsos, insitâ malitia, contumaciores reddant. Quæ gubernatio fit tribus potissimum modis: primum donorum suorum, ab ipsis contemptorum, privatione justa, cum scientiam officii ipsorum, & conscientiæ aculeum, & operationem potentię suæ, (quibus omnibus cupiditates pravæ coërcebantur & durities emolliebatur) aufert: quo modo, *tradere*, dicitur, *in reprobum sensum*, Rom. 1. v. 18. 19. 21. &c. *oculos excæcare & cor calli in morem indurare*, Joan. 12. v. 40. secundus gubernationis duritiei seu contumaciæ humanæ modus divinus fit, laxatione & dimissione occultâ carnificis Satanæ & subditorum illius. 2. Chron. 18. vers. 21. 22. Matth. 6. vers. 13. 2. Thessal. 2. v. 11. denique variarum bonarum occasionum objectione, cum intus, tum foris, quibus ad peccatorum incrementum & obdurationem in iis, impii suâ malitia abutuntur: quales sunt interius sententiæ generales veræ menti inditæ, quas pro sua improbitate ad certas hypotheses malè rapiunt ac perperam accommodant: ut Pharao rectè sensit, conservandum esse regnum, & eos, qui ejus saluti obstituri essent, amoliendos: sed inde male conclusit, tales fore Israelitas, ideoque perdendos, Exod. 1. v. 10. exterius verò tales occasiones sunt præcepta officii à Deo data, quibus impii ac superbi, naturæ pravitate in vetitum nitentes, ferociores evadunt: ut Pharaonis exemplo docetur, Exod 5. v. 2. deinde beneficia aliis collata, aut pœnæ ipsis inflictæ aut ademtæ, cæteraque similia, quibus ad invidiam, obmurmurationem ac contumaciam, suâ pravitate magis irritantur: sic Pharao sceleratior evasit, cum suis subditis, viso incremento Israelitarum divinitus dato, Exod. 1. v. 9. 10. 15. Sic Deus dicitur Psal. 105. v. 25. *convertisse cor Ægyptiorum, ut odio haberent populum suum*, hoc est, ut rectè ait August. *non cor illorum malum faciendo: sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum, convertit ad odium*, in Psal. 105. est enim manifesta metaphora: nam propriè loquendo, odii in hominibus causa, est homo ipse, & Satanas; non Deus, in quo nullæ sunt tenebræ: nec ea efficit, quæ prohibet & punit: & ut alicubi ait Fulgentius, *peccatorum non est author, quia illorum est ultor.* Similiter, cum pœnæ, quibus Pharaonis durities ac contumacia premebatur, à Deo ablatæ essent, ea clementiâ abusus ad contumaciam majorem rediit, Exod. 8. v. 15.

Ex quibus omnibus, satis superque apparet, Deum indurationis & obfirmationis in peccato, propriè causam non esse: sed tantùm occasionem, hominum vitio arreptam: & quidem non fortuitam, sed destinatam: quia summus est judex: ac propterea peccati non author, sed ultor: nam quod adversus primum indurationis modum objicitur: si Deus illa aufert, sine quibus durities & contumacia tolli non potest, est ergò causa efficiens illius, negatur conseq. quia collatio donorum causa quidem est, quâ durities insita retunditur & ad tempus emollitur: ablatio verò eorum, causa non est, sed tantùm adjunctum antecedens, ad quod certò duritiei incrementum consequitur, ex insita naturæ & morum humanorum depravatione, quæ propriè loquendo indurationis causa est. Alioqui quemadmodum adjunctum antecedens, impropriè, per abusionem vocis metaphoricam, ac similitudine quadam, *causa sine qua non*, vulgo appellatur, (quod instar causæ effectum antecedat, & eo antecedente posito, effectum consequatur) quamvis propriè causa non sit, quia effectum non vi illius antecedentis consequitur, sed tantùm vi alterius quod causa illius est: ita ablatio donorum propriè causa indurationis dici non potest: quemadmodum enim ignis ferrum, sui caloris præsentia, ac penetratione calefacit, eoque caloris illius & mollitiei ferri causa est: ac contrà remoto igne ferrum rursus refrigescit, atque induratur, non efficacia ignis, nec illius remotionis vi; sed ex insita terrea & ante compacta natura sicca: similiter indurationis humanæ causa est non Deus formator, nec desertor peccatoris: sed homo desertor Dei & deformator sui, per lapsum Adami & intolerandum donorum Dei abusum: nam quæ aufert Deus, ea non sunt debita, sed merè gratuita: quamvis enim per lapsum, meriti sunt omnes privationem universalem scientiæ, conscientiæ, reliquorumque bonorum naturalium & acquisitorum, Deus tamen ad conservationem generis ac societatis hominum, & ad reprobos benignitate sua reddendos eo magis inexcusabiles, & ad electos servandos, reliquias eorum concessit, & scientiam, conscientiam, politicasque virtutes ad bonum, reipub. distribuit: quas dotes, ut pro suo jure, tanquam summus Dominus ac donator liberrimus, absolutè posset repetere (ut qui nemini obstrictus est) ita ab ingratis & impiis aufert, tanquam justus ac summus mundi judex: ac propterea ut laudanda est benignitas illius, quod ad insitam duritiem emolliendam, suis donis ad tempus, præter & contra meritum humanum, adfuerit: sic quoque agnoscenda est illius justitia, quando impios, scientiæ, conscientiæ, aliorumque donorum contemptores, iisdem, pro meritis, privat, ut Esai. 6. vers. 10. Joann. 12. vers. 40. Hinc ergo apparet, Deum privatione gratiæ suæ, indurationis propriè causam non esse, nec hominibus ullo modo injurium.

Atque ita satis primum, quem proposuimus, indurationis divinæ modum, adversus blasphemiam munitum esse arbitramur. Verùm contra secundum & tertium insurgitur hoc modo, quicunque hominibus varias occasiones licet bonas objicit consultò, ad peccatum & lapsum, ille est peccati author: atqui Deus, ex nostra thesi, id agit. Ergo est author peccati. Verùm negatur propositio, quia universaliter vera non est: nam occasiones ad peccatum objici possunt, quæ occasiones sunt vel ad peccatum per se,

vel per accidens: per se seu vi sua, cum effectum & finis illarum est peccatum, qua peccatum: id quod ad Diabolum & impios, qui peccati authores, pertinet; sed Deo non convenit: per accidens verò, cùm nec effectum earum est peccatum; nec scopus est effectio peccati, sed permissio & patefactio peccati ac justa punitio. Deus enim peccatis hominum, quæ permittit ac regit, peccata punit præcedentia: atque ita peccata sunt justa pœna, ratione judicis Dei regentis; culpa verò injusta, ratione hominis efficientis, & à norma rectitudinis mandati divini declinantis: qua ratione etiam Pharao induratus est justissimè.

Hactenus priori, adversus prædestinationis doctrinam, objectioni (de qua v. 14.) satisfecit Apostolus: quam responsionem illustrat ac confirmat altera anticipatione, quæ ex illa promanat: quæ etiam constat suâ objectione & responsione: objectionis autem antecedens est v. 17. & 18. consequens verò exprimitur v. 19. in hac sententiam, *Sed dices mihi*, tu indurate, si Deus Pharaonem excitavit, ut in eo videlicet indurato potentiam suam ostenderet, & si cujus vult misereturg & quem vult indurat: Ergo injustè accusat induratos Conseqq. probatur, quia *voluntati illius resisti non potest. Voluntatis* autem vox, quantum ad hanc sententiam illustrandam attinet, cum aut decretum Dei æternum significet Esai. 46. v. 10. *omnis voluntas mea fiet:* quam voluntatem vulgo *beneplaciti* appellant: aut approbationem, qua justitiam approbat Psal. 5. vers. 5. *Deus non vult iniquitatem:* aut etiam signum hujus approbationis, Dei mandatum notet, quo quid approbet tanquam naturæ suæ optimæ consentaneum, seu quodnam sit officium nostrum docet, ut 1. Johan. 2. vers. 17. quæ *voluntas signi* dicitur: prima significatio, ut ex antecedentibus apparet, huic loco convenit: nam voluntati approbationis & signi illius resisti posse ac resisti, peccata demonstrant, quæ illius sunt transgressio.

Cœterum huic objectioni respondet Apostolus, negando conseqq. ejusque blasphemiam retundit, objurgatione acri, docens injustè ab adversario indurato, cum Deo disceptari, argumento ducto ab oppositione conditionis humilis ac communis hominum & majestatis Dei supremæ, cujus voluntas, cum sit essentiæ sanctissimæ, justitiæ regula est & potestas summa. Emphasis enim est in verbis *ô homo tu quis es?* quibus verbis, opponitur Deus & creatura. Creatura Dei non potest dicere, *cur me talem fecisti*, hoc est, ad indurationem & patefactionem gloriæ tuæ creasti. Atqui tu homo indurate es creatura Dei; Ergo non potes dicere, cur me talem fecisti, hoc est, ad indurationem & patefactionem glorię tuę creasti. Propositionem enunciat Apostolus bifariam, allegoriâ & interrogatione. Allegoria in eo consistit, quod hominem figmentum: Deum verò fictorem illius vocat. Quemadmodum Esa. 64. v. 8. *nos lutum & tu fictor noster, & opus manus tuæ sumus omnes*, & Esai. 45. v. 9. *væ contendenti cum fictore suo, testæ cum testis terræ! Numquid dicet lutum fictori suo, quem facis?* v. 11. *sic dicit Dominus sanctus Israelis & fictor ejus*, hoc est, creator ejus: ut consequentia demonstrant. Quod autem Paulus maluerit per allegoriam Deum fictorem, quàm creatorem nominare, ad hominem respons antem magis humiliandum & reprimendum pertinet: quia in ea similitudine artificiosè argumentum latet, à convenienti jure Dei in homines & figuli in vasa: quia uterque formator est liberrimus. Ac propterea allegoriæ huic adjungitur interrogatio, quæ ad conscientiam adversarii provocat, ut argumenti vis atque evidentia eo modo demonstretur, vers. 20.

Porrò propositionem hanc: *Num potest dicere figmentum fictori* (hoc est, homo creatura, Deo creatori suo) *cur me talem fecisti?* seu quod eodem redit, de creationis fine conqueri non posse, probat Apostolus continuata allegoriâ, à Dei creatoris, tanquam cęlestis figuli, in lutum & figmentum suum, hominem, liberrima potestate; utpote cui liceat, ex eadem terræ massa, vas tale, hoc est, ad tales quales voluit, usus formare, sive honestos, sive inhonestos. Vis argumenti sita est, ut antea, in convenientia potestatis figuli terreni, & cœlestis, nempe Dei creatoris, per similitudinem, figuli nomine appellati: nam quamvis majorem etiam habeat potestatem Deus, hoc tamen in loco, quatenus similitudine conveniunt, figulus & Deus comparantur. Sed objiciat aliquis, figulus est causa dedecoris, cui vas destinat ac format: Ergo etiam Deus indurationis & damnationis causa omninò est. Verùm id minimè sequitur, quoniam Deus & figulus (quod hoc in loco consideratur) fine ultimo & mediis, seu executionis modo, differunt. Quoniam Deus destinat reprobos, ad exitium judicii, pro arbitrio suo justè exequendum, ad gloriam suam: nec enim absolutè, sine mediis causis, decreto suo ordinatis & executionem antecedentibus, sed per justa media exequitur, hoc est, subordinata permissione peccatorum: quæ peccata non efficit, sed fieri permittit, tolerat & regit, ac tandem justo judicio punit: quia ut vasa figulina non merentur suum dedecus, puta, ut vilibus atque inhonestis usibus inserviant: sic contrà reprobi dedecus seu pœnam merentur suis peccatis, quę habent ab internis suis principiis, non autem à creatione aut ulla alia operatione Dei. Ideoque non mera seu nuda summa potentia, sed subordinata justitia distributiva, ratione meriti sui puniuntur: atque ita etiam destinati ac creati sunt divinitus. Id quod altera Apostoli, ad objectionem propositam, responsione demonstratur. Qua etiam justitiam prædestinationis, ad interitum iræ, seu justo judicio inferendum, docet duobus modis. Primum à fine, duplici gloria Dei; in reprobis quidem declaratione *iræ suæ* (hoc est justitiæ punientis) *& potentiæ suæ*; in electis verò, *gratiæ*, quia inde *gloriæ*, hoc est, bonitatis & gratiæ Dei gloriosæ erga electos, a liis præteritis, præstitæ, amplitudo luculentius confirmatur. Secundo ab executionis modo & causis, eadem prædestinatione, simul subordinatis: modus est, quod non statim punit vasa iræ: sed lenitate suâ perfert diu multumque: ideoque causæ, justo judicio subordinatæ, sunt peccata hominum, quæ adjuncto suo accidente lenitate & tolerantia indicantur & amplificantur, v. 22.

Verùm antequam progrediamur, propter varias hoc loco disceptationes paucis propositæ expositionis veritatem amplius illustrabimus. Quæritur enim primum, quid per *lutum* & *massam* intelligatur. Quidam de testacea figuli terreni materia; alii de materia figuli cœlestis melius exponunt. Nam quamvis priores statuant v. 21. esse similitudinis plenæ ῥῆσιν, quia de figulo & materia testacea propriè agit; v. 22. contineri ἀπόδοσιν, quæ de Deo loquatur; illud inquam ex superiori declaratione, alienum esse apparet. 1. quia v. 20. agitur de figulo cœlesti, quemadmodum ostendimus: idque apparet vers. 21. & 22. ubi eadem allegoria continuatur; deinde apodosis debet convenire sententiâ cum protasi; atqui v. 22. non convenit, sed materia differt à v. 21. ut ex superioribus patet. Alii igitur accuratius, non de luto & massa testacea; sed de humana disputari statuunt: idque bifariam, ut ad genus humanum, aut condendum, aut conditum & lapsum referatur. Primam sententiam genuinam maximeque consentaneam esse, insigniores Theologi statuunt, nimirum ut lutum & massa denotet materiam informem seu terram, ex qua genus humanum, Dei cœlestis figuli arbitrio, in usus destinatos, creatum est: nam quod quidam contendunt, homines in Adamo lapsos, objectum esse prædestinationis ad suos fines, seu electionis ad vitam & reprobationis ad exitium, illud præstantissimis orbis Christiani Theologis non paucis, variis de causis, minus probatur; primum, quia communi principio rationis & sapientiæ Dei repugnat. Cùm enim finis sit causa, cujus gratiâ res est: primus est in intentione & postremus in executione: ac propterea in omnis artificis sapientis mente, præcedit operis ipsius aggressionem: ut citra ullam exceptionem, unanimi Philosophorum consensu approbatur. Quocirca Deus sapientissimus generis humani architectus, etsi simul omnia decrevit, ordine tamen primum proposuit finem hominis creabilis, antequam decreverit creationem: alioqui contra sapientiæ ordinem & finis naturam, decrevisset primò media ad finem destinata, quàm ipsum finem. *Figulus* ille stultus merito censeretur, qui decerneret vasis effectionem

nem primum, deinde de fine cogitaret. Quod absurdum, ut in figulum sapientem non cadit: ita multo minus in Deum ipsum, sapientiæ & ordinis certi fontem unicum. Deinde si *massæ* nomine, genus humanum corruptum intelligeretur, non diceretur Deus figulus vasa facere, alia ad decus, alia ad dedecus: sed ex vasis dedecore plenis, seu peccato & maledictioni obnoxiis, quædam ad decus renovare, quædam in suo dedecore relinquere. Sed objicitur, quæ mens est in propheta Jeremia cap. 18. v. 6. & cœteris, eadem esse debet hoc in loco Pauli. Atqui Jeremias loquitur non de creatione hominis, sed tantùm de gubernatione creati, cujus statum Deus, pro sua potestate & justa voluntate & hominum moribus, commutat. Quemadmodum enim figulus vas quod sub manu illius confringitur, refingit & alterum reformat, pro arbitrio: ita Deus homines ab ipso creatos, qui ab eo moribus corruptis deficiunt, punit: & si resipuerint, eadem potestate, in integrum restituit. Ergo inquiunt, etiam Paulus loquitur, non de hominis creatione, sed creati & lapsi statu; quod Deus ex iis, qui corrupta natura meriti erant condemnationem, quosdam, pro sua potestate & arbitrio liberrimo, gratiosè servet, alios justè damnet.

Verùm negatur propositio, quamvis enim similia ferè in Jeremia & in Paulo sint verba: Jeremiæ tamen testimonium spectari ac citari, probari non potest: cum diversitas in scopo & tractandi modo appareat: nam Jeremias similitudine, partibus suis distinctis explicata utitur: Paulus contrà loquitur per allegoriam: deinde Jeremias de vasis actu factis & corruptis: Paulus verò contra de luto & materia vasis, & de vasis non actu, sed de vasis potentiâ disserit: denique Jeremias loquitur de vasis factis & fractis, ne sint eadem vasa: Paulus contrà non ait Deum frangere vasa, ut talia esse desinant; sed efficere vasa, ut vasa sint, suisque usibus inserviant: idque etiam ostendit, quod Paulus subjecit vasa *κατηρτισμένα coagmentata ad interitum*, & *quod vasa quædam præparavit ad gloriam*. Sed iterum excipiunt, obstare phrasin, de electis vasis activè dici, *quod Deus ea præpararit ad gloriam*, quia author est: de reprobis verò passivè, quod sint *κατηρτισμένα ad interitum*, nimirum non à Deo, sed à Diabolo & seipsis: ac propterea non agi de creatione hominis, sed de qualitate creati. Verùm negamus obstare phrasin; & causam illius, quæ objicitur, veram esse, non admittimus: sic enim ait de iisdem & Dei destinatione passivè loquitur Sp. S. in epist. Jud. v. 4. *ad hoc judicium præscripti*; non sanè à seipsis, sed à Deo. Deinde in causa salutis declaranda utitur etiam Apostolus passivis, *dilecti*, *misericordiam consecuti*, *vocati*, *justificati*. Præterea Apostolus Deum metaphoricè figulum vocans, utitur verbis activis v. 21. *facere vas ad dedecus*, quod idem est omninò; & Salomon Prov. 16. ait: *omnia fecit Deus propter se, etiam impium ad diem malum*. Et sanè tropi ratio idem quoque ostendit: quid enim ineptius, quam dicere vasa à seipsis compacta: cum illud figulo soli conveniat? ita enim esset homo fictor sui ipsius, non Deus creator.

Verum objicitur, Deum esse fictorem ratione substantiæ & ortus hominum: non autem ratione accidentis interitus: quod vasa quidem testacea, ut nihil ad ortum, ita nihil ad interitum sui conferant, aut mereantur: quia carent ratione: sed vasa humana, ratione prædita, ad ortum sui nihil etiam præstare: veruntamen quia ratione prædita sunt, peccatis suis interitum promereri; quemadmodum Hoseæ cap. 13. dicitur, *perditio tua ex te Israel*.

Sed respondetur, inde non sequi, hominem figulum esse sui, & à se compactum ad interitum: quoniam ea laus, faciendi vasis, Deo ab Apostolo Paulo, ratione creationis, & à Jeremia, ratione gubernationis & justi judicii, adscribitur. Sed urgent amplius, Deus citra controversiam creavit *hominem ad sui imaginem, hoc est, vera justitia & sanctitate præditum, ut Deum creatorem suum rectè cognosceret, ex animo diligeret & cum eo beatus in æternum viveret*, ut & nostra Catechesis docet. Ergo nullum ad justum exitium creavit. Conceditur antecedens: sed negatur consequentia: nam in antecedenti non indicatur finis hominis à Deo creatore destinatus: sed exponitur idonea facultas atque officium hominis, ad imaginem Dei creati: nempe ut Deum rectè agnosceret & ex animo diligeret: deinde fructus illius ac finis operis, qui præstationem officii seu rectum imaginis Dei usum, erat consecuturus, nempe salus æterna: nam ad operantis ac creantis Dei finem destinatum quod attinet: certum est, eum executioni mandari: quia cum Deus sit sapientissimus, errare non potest: & quia optimus ac verissimus, à se dissentire ac mutari non potest: & quia omnipotens, in re decreta exequenda non potest impediri, unde illud Esai. 46. v. 10. *consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet*: unde hæc demonstratio firmissima exurgit: quos Deus ante creationem, ab æterno, non elegit ad vitam æternam, sed rejecit & justè condemnare decrevit, eos in tempore non creavit, hoc consilio, ut eos vita æterna donaret ac vitam æternam consequerentur: hæc enim consilia essent repugnantia è diametro: Deus autem seipsum abnegare non potest 2. Timoth. 2. vers. 13. quippe *omnia facit secundum consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. v. 11. ideoque non contra consilium. Atqui Deus reprobos, seu eos, qui pereunt, ab æterno non elegit ad vitam æternam: sed ab ea rejecit, ac justè condemnare decrevit, Matth. 25. v. 41. Judæ v. 4. Ergo Deus homines reprobos (utpote exitio justo destinatos) non creavit eo consilio, ut ipsos vita æterna donaret: sed solos electos.

Verùm iterum inquiunt: si Deus quosdam ad exitium destinavit & creavit: Ergo est author exitii, eoque & peccati: quia per illud peccatum reprobos perdit. Verùm non sequitur: quia quamvis Deus destinârit & creârit quosdam ad justum exitium: illud tamen exitium non decrevit nudè: sed ut justum sit, subordinatis hominum peccatis inferendum: quorum peccatorum Deus non effector iniquus, sed permissor & rector ac vindex justissimus est. Atque ita facile diluitur, quod objiciunt: si Deus prædestinavit & creavit quosdam homines ad interitum: Ergo injustus est qui innocentes perdat: nec enim Deus quemquam ad exitium absolute, ac nude, sine subordinatis mediis, sed ad exitium justum, hoc est, & per & propter peccata, judicio justo inferendum, destinavit.

Verùm antequam progrediamur, observandum est, huic decreto probè convenire executionis modum: quia non nisi peccatores & merito peccatorum damnat. Sed excipitur iterum: Si Deus decrevit exitium quorundam justum: Ergo etiam media, nempe peccata: ideoque peccatorum est author. Negatur consequentia: nam Deus decrevit non peccata efficere, sed permittere; seu non impedire, & regere ad suam gloriam: nec enim quicquid Deus decrevit, illud etiam efficit: sed quæ decrevit efficere, eorum est author, ut omnia bona quæ fiunt: quæ autem decrevit non impedire in creaturis mala, seu peccata; ea non efficit: quia efficere non decrevit; sed permittit & regit tantum, & justè tandem punit convenienter decreto.

Veruntamen quædam aliæ difficultates explicandæ sunt. Prima est à convenientia necessaria decreti & executionis illius. Atque hinc ita argumentantur: Propter quod Deus nunc damnat, propter illud damnare decrevit; quippe decretum verum & immutabile. Sed propter peccata Deus damnat: Ergo propter peccata damnare decrevit. Sed negatur consequentia syllogismi: quia fallacia est homonymias: nam *propter* significat, aut causam impulsivam, aut ei subordinatam: in conclusione significat causam impulsivam & antecedentem decretum, de qua quæritur: sed in propositione causam subordinatam: aliàs falsa est. Nec propterea tamen à decreto discrepat executio, ut objici solet: quia quæcunque in decreto sunt statuta, ea executioni mandantur convenienter decreto: sed causa impulsiva decreti, ea decreto non est statuta: eoque neque inest illi: sed decretum omninò ordine antecedit. Deus pro sua potestate liberrima, suoque placito, ad gloriam suam patefaciendam, quosdam gratis beare, quosdam justo exitio damnare derevit: utrumque exequitur. Decrevit simul permissionem lapsus & è lapsis saluti destinatos, per Christum, à lapsu ad salutem redimere: contraque justè damnandos, in lapsu relinquere, ipsorumque merito damnare; quorum

quorum utrumque similiter exequitur. Quare objectio illa, quam urgent, infirma, imò rationis rectæ principio invicto contraria: quia finis (ac per consequens causa destinationem finis antecedens) prior est mediis suis, in intentione destinantis: posterior verò in executione: media verò quia fini subordinata sunt, ordine posteriora sunt intentione; executione verò priora.

Atque hæc de prima difficultate reliquâ. Altera vero est petita ex occasione verborum Pauli Eph. 1. v. 14. *elegit nos in ipso* (nempe Christo) *ante jacta mundi fundamenta.* Unde Arminiani sic disserunt: Qui electi sunt in Christo, illi considerati sunt in electione, tanquam Christo insiti, & per consequens, creati, lapsi, fideles: quia sine fide nemo est in Christo. Atqui teste Apostolo nos sumus electi in Christo: Ergo in electione considerati sumus tanquam Christo insiti: ideoque creati, lapsi, fideles. Verùm negatur propositio, quia nititur falsa hypothesi: quasi idem esset, electum esse in Christo, & electum esse in Christo existentem: quum prius illud notet causam electionis efficientem; posterius verò non efficientem, sed electorum subjectum: Paulus enim non ait: elegit nos ἐν αὐτῷ ὄντας, in ipso existentes, quasi antecedens objecti eligendi conditio notaretur; sed tantum ait, elegit nos ἐν αὐτῷ in ipso, hoc est, per ipsum, ut Colos. 1. vers. 16. simili phrasi, de Christo dicitur, *in ipso*, hoc est, per ipsum, *creata sunt omnia*: non autem in ipso existentia, (hoc enim creationi repugnaret: nam existentes non creari possunt, ut existant; hoc enim iis convenit, quæ non existunt) sic hoc in loco ad Ephes. Pater per filium elegit nos, ab æterno. Deinde negatur etiam syllogismi consequentia: quia vocabulum *electionis* accipitur in quæstione controversa & conclusione, de primo electionis membro, nimirum electione ad vitam æternam: in minori verò de secundo electionis membro, nempe medio vitæ æternæ subordinato, seu de electione ad sanctitatem: dicitur enim, *elegit, ut essemus sancti*, cui effecto destinato Christum tanquam causam mediam subordinavit, per quem sanctificaremur. Unde retorqueri solet ab Augustino & à nostris Theologis argumentum: Qui electi sunt, ut sint sancti, illi non sunt electi, quia erant sancti; nec tanquam sancti considerati sunt in electione: nam finis electionis non potest existere ante electionem ipsam ad finem: quod enim futurum destinatur, illud non est; & quod est, illud non primum futurum est: ideoque qui eliguntur, hoc est, ex reliquis segregantur, in eum finem, ut sancti sint, illi antè non erant sancti. Deinde quicunque sunt in Christo, illi sunt sancti: nam sine sanctificatione per vivam fidem (quæ sine charitate esse non potest) nemo est in Christo. Atqui illi qui eliguntur in Christo, non sunt sancti: quia electi dicimur, non quia sancti eramus: sed ut essemus sancti. Ergo qui eliguntur in Christo, non sunt sancti.

Sed excipi solet: Electi dicimur in Christo, non autem in Filio Dei, aut per filium Dei: ideoque Christum primum electum, tanquam caput: deinde nos propter Christum, tanquam membra ipsius consideratos. Verùm negatur consequentia, nam Christus nomen est personæ, & sub isto nomine, ei tribuuntur, prout res postulat, modò quæ conveniunt divinæ tantùm naturæ, modò quæ humanæ: Christus verò elegit nos, tanquam causa principalis, unà cum Patre: tanquam verò mediator, homo factus, causa subordinata est, ad salutis media, ac salutem, ad quam electi sumus. Deinde quod dicitur Christum primùm electum esse, deinde nos propter Christum tanquam membra illius, per fidem factos, alienum est, & in veræ sapientiæ lucem impingit: quandoquidem media ad finem destinata, prius à Deo ordinata esse, quàm finem, statuit: id quod in Deum sapientissimum cadere non potest: nam qui electus ac destinatus est à Deo propter nos, ut à peccatis nos liberaret ac servaret, ille non est prius electus quam nos, propter quos tanquam finem electus est: sed contrà nos prius electi. Atqui Christus electus & destinatus est propter nos, ut nos à peccatis liberaret ac servaret, 1. Pet. 1. v. 20. & 1. Johan. 4. vers. 9. & 10. Ergo Christus non est prius electus ac destinatus quàm nos: sed contrà nos prius electi, quàm Christus. Ideoque licet à nonnullis, vocum quadam concinnitate, dicatur: *Electio prima est Christi, tanquam capitis: secunda Christianorum, tanquam membrorum ipsius*: illud ab ordine vero alienum est: nam quamvis Christus sit caput & nos membra: inde tamen minimè sequitur, illum prius esse ad vitam & justitiam electum quàm nos; quemadmodum ex superioribus rationibus constat. Ac sane sequentia Pauli verba illud etiam ostendunt, Eph. 1. v. 5. cum *prædestinatos nos* dicit, *ad adoptionem in filios, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* ubi adoptio statuitur finis prædestinationis, & Christus ut medium acquirendi illius finis: Ideoque Deus non prius prædestinavit Christum, quàm nostri adoptionem: quoniam propter hanc, Christus destinatus & missus. Atque hæc de difficultate secunda, quæ ex Paulo ad Eph. 1. v. 4. moveri solet.

Tertia vero est ex 2. Timoth. 2. v. 21. Apostolus, inquiunt, ostendit, vasa à seipsis præparari, ad decus, aut dedecus, aut saltem ad dedecus, quia ait: *si quis seipsum expurgarit ab his, erit vas ad decus sanctificatum & accommodatum usibus Domini.* Sed aberrant à scopo; quia repurgationis non initium denotatur, quippe regeneratio purum putumque Dei donum est; sed progressus illius, in quo, Dei, ex principio vitæ spiritualis, nobis per regenerationis gratiam donatæ, cooperatores existimus. Quod autem dicitur *erit vas*, non effectum significat, sed consequentiam: puritas enim vasis, utpote causa, effecto suo, purâ vitâ, declaratur: nam (quemadmodum trita vulgo sententia ex Augustino petita dicitur) *tunc sæpè dicitur aliquid esse, aut fieri, cum incipit patefieri*; quales loquendi modi, non solùm in usu communi, sed etiam in S. literis satis frequentes sunt: ut exempli gratia, Matth. 5. v. 45. *ut sitis filii Patris vestri*, hoc est, ut appareat, vos esse tales: nam ea quæ præcipit Christus, sunt filiorum Dei effecta sequentia, non antecedentes causæ. Sic Ioan. 15. v. 8. *In eo glorificatur Pater meus, ut fructum multum feratis, & sitis mei discipuli*; quæ verba manifestè consequentiam, non autem efficientiam notant, hoc est, apparebit, vos esse meos discipulos: nam ante hanc Christi concionem, Apostolos, reverà fuisse discipulos Christi, non solum vocatione, sed etiam fidelitate, res ipsa declarat. Denique excipitur: Etsi concederetur, vasa, de quibus Paulus loquitur, non à se esse coagmentata, ad justum interitum; sed à Deo: tamen non nisi habita ratione peccati, ordine prædestinationem antecedentis: quia vocantur *vasa iræ*. Sed negatur consequentia: quia vasa iræ bifariam intelligi possunt, vel ratione consilii & finis: ut sensus sit, vasa iræ destinata, hoc est, in quibus *Deus ostendere voluit iram suam*, hoc est, justitiam punientem, & *coagmentare ad justum interitum*, quemadmodum exegeticè additur: vel ratione eventus, iræ obnoxia. Priori modo peccati antecedentis consideratio locum non habet, sed peccati permittendi subordinatio. Deinde quamvis largiremur, altero modo debere accipi, nihil tamen obtineretur: quia sensus esset, Deum volentem, ab æterno, ostendere iram, seu justitiam punientem & potentiam suam, vasa iræ, seu justitiæ punienti jam obnoxia (quæ coagmentarat & crearat ad justum exitium) multâ lenitate pertulisse: eoque modo *vasa iræ* dicentur ab eventu & executione: *coagmentata* verò ratione creationis. Quemadmodum fideles dicuntur electi, non quod electionis faciendæ sint objectum: sed prædicatæ electionis subjectum. Sic vasa iræ Dei obnoxia sunt subjectum prædicationis coagmentationis ad interitum justum: sed non objectum antecedens destinationem aut creationem. Quemadmodum Iac. 2. vers. 6. dicitur; *Deus elegit divites fide & hæredes regni*, quo ostenditur subjectum electionis, seu quales sint jam illi, quos Deus elegit; non autem quomodo in eligendo homines ipsos prius considerarit: aliàs ante electionem ipsam fuissent hæredes regni: ideoque non electi fuissent ad regnum, ut Scriptura docet.

Quod denique objicitur: si destinatio hominum quorundam ad justum exitium, prior esset ordine, creatione eorum; sequeretur Deum in destinatione versatum fuisse circa nihil, seu Non-ens. Atqui hoc absurdum est: nam non-entis, nulla sunt accidentia, nulla attributa. Verum fallacia

fallacia est homonymias, quia Non-ens bifariam accipitur: aliud enim est Non-ens simpliciter, nempe quod neque actu, neque potentia est Ens. Aliud Non-ens secundum quid tantùm, nempe quod est Ens potentiâ, etsi nondum sit actu: ratione prioris significationis vera est assumptio; ratione verò secundæ significationis, falsa. Sic Deus in prædestinatione non est versatus circa nihil & Non-ens simpliciter: sed circa aliquid, seu circa Ens potentiâ, hominem, nimirum creabilem, qui ratione actus non fuit, sed potentiâ. Sicut decretum creationis mundi & creationis hominis, objectum habuit mundum & hominem, non ut creatos neque ut existentes actu: sed tantùm potentiâ; prędestinatione verò actus illorum destinatus, & quidem ad fines suos, qui ordine considerationis ac destinationis ipsam creationem antecesserunt: nec enim Deus primùm decrevit creare mundum & homines temerè, fine nullo præstituto, quasi post decretam creationem tum demum præposterè, in quem finem creatio esset instituenda, cogitarit ac statuerit: hoc enim sapientiæ Dei è diametro adversatur: utpote qui nihil frustrà faciat.

Ex quibus omnibus, quid de objecto prædestinationis sit statuendum, satis patere arbitramur, & quid per *lutum* & *massam* intelligatur, & qua ratione vasa dicantur quædam ad dedecus & interitum, justo judicio inferendum, à Deo summo justoque figulo facta & coagmentata. Reliqua quæ ad hanc sententiam oppugnandam afferri solent, pauca sunt, & difficilioribus hisce solutis, suâ sponte corruunt. Si qui verò (ut in re nondum decisa) servata in reliquis fidei analogia, objectum prædestinationis hominem lapsum esse censeant, & massæ nomine intelligi hoc loco existiment (ut quorundam etiam piorum & eruditorum sententia est) per me sanè licebit: Causas vero cur cum Clar. Beza, Wittakero, aliisque illustribus Theologis plurimis sentiam, pro instituti ratione, ostendisse me satis arbitror: si quis rem cum re, argumenta cum argumentis conferat: in hac enim sententia nullum Dei attributum læditur. Contrà verò quomodo contraria sententia, in sapientiam Dei non impingat, media, in consideratione ac destinatione, fini suo præponendo, hactenus videre non potui, neque facile ostendi posse, res ipsa docebit. Si qui hæc conciliari posse demonstraverint, veritati, pro officio, lubens cedam.

Hactenus igitur naturam prædestinationis explicavit Apostolus, jam vero accedit ad effectum unde ea cognoscatur, nempe ad vocationem gratuitam. Quam distribuit ex subjectis, ut alia sit Judæorum, alia gentium v. 24.

Utramque approbat Oseæ testimonio duplici vers. 25. & 26. de quorum locorum scopo, interpretum sententiæ variant. Origenes utrumque de Israelitis exponit, argumento à pari, quod ut Deus Israelem in gratiam recepit: sic & gentes. Quæ interpretatio licet ferri posset, tamen videtur paulò coactior, Ambros. contrà de solis gentibus accipit: sed locorum circumstantiæ & Petri, (qui Israelitis accommodat) authoritas 1. epist. cap. 2. 10. repugnant. Quamobrem optimè alii communiter, ad utrosque referunt, seu ad Israelem spiritualem, hoc est ad Ecclesiam conflatam ex Israelitis & gentibus. Quarum gentium accessionis ratione, verè ac potissimum dicitur, *futurus numerus Israelitarum instar arenæ maris, quæ neque mensurari neque numerari potest*, Ose. 1. vers. 10. de qua re Rom. 4. v. 16. 17. 18. & Gal. 6. v. 16. quod alioquin non ita quadraret: quemadmodum liquet ex collatione Esai. 10. v. 22. & eventus fidelium Israelitarum numero exiguo.

Hinc porrò Apostolus vocationem Judæorum ab adjuncta paucitate describit, & rejectionem maximæ partis eorum demonstrat, dum reliquiarum tantum servandarum meminit, testimonio Esaiæ, v. 27. 28.

At, inquies, Propheta agit de externo Dei beneficio nimirum redemptione ex captivitate Babylonica? Verum est: sed non de ea solùm: quia simul de ea, tanquam typo salutis, seu liberationis Ecclesiæ, à captivitate peccati & Satanæ, eo etiam typo adumbratæ.

Cæterum ut Judæorum adversus gentes (tam multis seculis à fœdere & justitia Dei alienas) arrogantiam melius deprimat Apostolus, hanc reliquiarum vocationem & salutem amplificat à causa efficiente, ex altero Esaiæ testimonio, quo docetur, hanc paucorum Israelitarum salutem, non illorum meritis, sed contrà Dei misericordiæ omninò deberi, v. 29.

Denique justificationis gentium & non justificationis Judæorum, ratione maximæ partis, proximas causas (ut prædestinationis aptissima media) declarat Apostolus anticipatione quadam objectionis. Etenim objici poterat, à Judæis, iniquum esse, ut gentiles qui justitiam negligebant, justi censeantur ac serventur, & contrarium Judæis justitiæ legis sectatoribus eveniat. Resp. Apostolus, illud minimè esse absurdum: quoniam gentiles Deo obedientes, instrumento fidei, oblatam Euangelio justitiam Christi, ad justificationem & salutem apprehendunt: Judæi verò contrà operibus suis & legali sua justitia nituntur, rejecto, per incredulitatem, fundamento ac servatore Ecclesiæ Christo, v. 30. 31. & 32.

Quam exitii maximæ partis Judæorum & contrà salutis reliquiarum & gentilium rationem, ad scandalum amplius tollendum, comprobat Apostolus vers. 33. conflatis duobus Esaiæ testimoniis ex cap. 28. 16. & cap. 8. 14.

CONSECTARIA.

I. JUramentum Pauli, ex instinctu Sp. S. conceptum ac descriptum, evincit contra Anabaptistas, juramenta non esse absolute & simpliciter Christianis illicita, vers. 1.

II. Exitium, etiam hostium, ab Ecclesia Dei, zelo imprudente, alienorum, ex charitate Dei & proximi, seriò dolere debemus, v. 2. 3.

III. Dona Dei, etiam in adversariis & indignis, in pretio sunt habenda, & sine invidiâ agnoscenda, ex veritatis & candoris regula, v. 4.

IV. Nulla Dei dona, si absit fides, adultis salutaria esse, exemplo Judæorum, apparet.

V. Cum Christus sit ex Iudæis, secundum carnem, oriundus: sequitur eam carnem non ex cælo delatum, ut Anabaptistæ fingunt. Deinde cum Christus sit Deus super omnia benedictus in secula; errant Arriani, qui divinitatem illius negant: & Nestoriani, qui duas naturas unius Christi in duas personas dividunt: denique Eutychiani, qui easdem naturas confundunt, v. 5.

VI. Cum Dei sermo sit constans; ei merito innitendum v. 6.

VII. Dei omnipotentiam non esse naturæ astrictam, ex Saræ conceptu & partu constat, v. 9.

VIII. Cum Deus misereatur cujus vult, commodis aliorum non est invidendum; nec de sorte sua contra Deum murmurandum, v. 15.

IX. Voluntati Dei resisti (nempe ut impediatur) non potest. Ergo promissionibus illius acquiescendum certâ fiduciâ, & res adversæ ferendæ constanti patientiâ, v. 19.

X. Nihil ad humilitatem utilius consideratione conditionis & ortus nostri & Majestatis Dei summæ, v. 18. ut Gen. 18. v. 27. & Psal. 8. v. 5.

XI. Cum reprobi, ad exitium æternum, pro ipsorum peccato permittendo justè inferendum, coagmentati sint: non est cur illis temporariam Dei lenitatem & tolerantiam invideamus

XII. Exemplo Dei malos tolerare nobis injurios, iisque benefacere debemus, v. 22. & Matth. 5. v. 48.

XIII. Quoniam salus nostra est merè gratuita; meritò Deo gratiæ agendæ sunt pectore, ore, & re ipsa, v. 23.

XIV. Vocatio Dei non est meritis nostris debita, sed penitus gratuita: quia eum, qui non est populus, vocat & reliquias Iudæorum servat Deus.

XV. Deinde cum nos hostes antea in gratiam receperit: multo magis in gratia conservabit, v. 25. & 29.

XVI. Fide sumus justi, non autem operibus: Ergo sola fide: quia inter hæc duo, teste scriptura & consensu omnium, nullum est medium. Ac propterea concidit Pontificiorum doctrina, quæ hanc sententiam damnat, v. 29. & 32.

XVII. Quo-

XVII. Quoniam Christus per se est lapis fundamenti & salutis author: sequitur eos, suo vitio, non autem Christi culpâ perire, qui ei non superstruuntur, sed in illum impingunt, v. 33.

CAPUT DECIMUM.

HÆc de nono capite; decimum jam succedit, quod versatur in expositione causarum proximarum rejectionis Judæorum & vocationis ac salutis gentilium. Ac de priori distinctè agit Apostolus usque ad vers. 12. utens *exordio* & *propositione* illiusque *expositione Exordio* se purgat ab odii sui in Judæos, quos rejectos ostenderat, calumnia, qua vulgo gravabatur (ut apparet ex Actis cap. 21. & 28.) & benevolentiam Iudæorum, commodâ ratione provocat, nimirum testificatione desiderii salutis eorum: quod ab effectu nempe deprecatione sua, prius amplificat.

Utrumque autem & desiderium & deprecationem hanc illustrat redditione causæ, qua propositioni viam sternit. Causa autem, est quod Judæi magno Dei zelo prędití essent, sed Dei ignorantia laborarent: Quorum illud benevolentiam; hoc verò commiserationem & deprecationem ab æquitatis lege postulat. Zelus enim Dei (si quis rectè attendat) nihil aliud est, quam serium gloriæ Dei promovendæ, ex flagrante amore illius, studium, & indignatio adversus ea, quæ illi obstare videntur: qui zelus, si modò scientia dirigatur, rectus est atque omninò laudabilis: quandoquidem non solum finis est bonus ad quem tendit: sed etiam media & modus eò pertingendi. Sin vero contrà zelus opinione falsa vitietur, pravus est, & quo vehementior, eo deterior longiusque à scopo aberrat: qualis hoc in loco intelligitur. Falsò enim putabant lædi gloriam Dei prædicatione Euangelii, & legem Euangelio aboleri: ac propterea eo acrius ac pertinacius se Euangelii præconibus, Paulo aliisque opponebant: ut cursum Euangelii interrumperent: quæ autem de Judæorum ignorantia dicuntur indefinitè, ea non universaliter ad omnes & singulos pertinent: sed *Apostolus* (quemadmodum exponit Ambrosius) *de his dicit, qui non malevolentia & invidia merâ, sed errore Christum non receperunt: quibus & Petrus Apostolus,* dicit; *scio fratres, quia per ignorantiam fecistis hoc malum, sicut & principes vestri.* Hæc ille. v. 2.

Porrò Judæos zelum Dei habere sine notitia, probat & declarat à specie: quia *ignorantes justitiam Dei*, hoc est, ut Rom. 3. sæpius usurpatur, justitiam Christi, quæ à Deo, per fidem, nobis donatur, *& propriam justitiam*, ex operibus suis, *quærentes constituere*, ad præscriptum legis, *Dei justitiæ sese non subjecerunt*, vera fide oblatam amplectendo: sed contrà incredulitate suâ rejecerunt.

Atque hæc propositio est v. 3. quæ exponitur & confirmatur seqq. Ac primum docetur, Judæos ignorare Dei justitiam, eique non esse subjectos dum falsa propriarum virium fiduciâ legis justitiam suis operibus implendam sectantur, & Euangelium legi adversari putant: eaque ratione à fine & justitia ejus aberrant. *Nam Christus est finis legis ad salutem omni credenti.* Verùm *legem* quidam intelligunt ceremonias: & finem, abolitionem exponunt, id quod scopo Apostoli, hoc in loco, & sequentibus circumstantiis non satis convenit. Alii igitur melius de lege morali seu de decalogo accipiunt, & finem non consumentem, sed consummantem intelligunt: ut finis vox aut συμπλήρωμα complementum (ut Chrys. exponit) aut causam finalem, propter quam res est, designet, nempe perfectam obedientiam: quæ cum nobis natura desit, soli verò Christo adsit, ea nostra fit per fidem, ut justi simus. Unde etiam Metonym. Christus *justitia nostra* dicitur 1. Cor. 1. v. 30. Nam quod nonnulli contendunt, Christum legis finem idcirco dici, quod ea lata sit, ut per illam, de peccato, eamque implendi impotentia convicti, justitiam per fidem quæramus in Christo; illud non convenit; quia hic non est finis legis per se; sed eventus tantùm & usus per accidens lapsus, ut convincamur peccati & impotentiæ nostræ: & usus ille non primarius est, sed secundarius: primarius enim est obedientia, ut omnis legis in genere, tam humanæ quam divinæ. Deinde verum non est, legem ideo latam, ut Christum quæramus: alias Christum doceret & ministerium esset, non mortis, sed vitæ; id quod Euangelio est proprium, 2. Cor. 3. Neque etiam lex moralis pædagogia est ad Christum, sed ceremonialis, quæ Christi umbram continuit & futurorum bonorum, per Christum. Coloss. 2. & Heb. 10. v. 1.

Cæterùm propositam justitiæ Dei, ex Euangelio, & justitiæ propriæ, ex lege, antithesin ac pugnam (ne quis hæc duo convenire posse arbitretur) explicat Apostolus, descriptione utriusque. Qua etiam ratione probat, Christum esse finem legis, quoniam lex postulat ad vitam, conditionem perfectæ justitiæ, quæ à nobis prestari non potest, quam solus Christus prestitit credentibus. Iustitia autem & justificatio legis à Mose definitur, his verbis, Lev. 18. v. 5. *qui præstiterit ea*, nempe præcepta, *vivet per ea.* Ergo perfecta operum obedientia exigitur: hanc enim sententiam reciprocam esse constat ex Deut. 27. v. 27. & Gal. 3. v. 10. 12. Quam obedientiam cum nemo mortalium, propter carnem repugnantem spiritui, per se habeat, ea in Christo nobis offertur per Euangelium vers. 5. & Rom. 8. v. 3. 4.

Quæ justitia à causa instrumentali, per quam ejus participes simus, *justitia fidei* appellatur.

Quam oppositè priori describit Apostolus prosopopeia quadam, à certitudine & facilitate: deinde à modo illius. Quorum prius tradit per aphæresin & thesin: nam primò removet difficultatem, v. 6. 7. deinde ponit facilitatem v. 8. Verùm de hoc loco non satis constat inter doctiores Theologos: nam cum eadem ferè verba (paucis tantum detractis & additis) adducantur, quæ extant Deut. 30. quidam existimant adferri argumentum: & quidem vel comparatione minoris; si lex adeò facilis, quantò magis Euangelium: vel ut sit expressum eodem sensu testimonium, quod Paulus rationibus quibusdam illustret & exponat. Quamvis enim Moses de præceptis legis agat: ea tamen dicit facilia, ratione Euangelii, quo impletio eorum in Christo offertur, atque operatione fidei cor circumciditur ac justificatur: quare præcepta illa legis esse facilia, conjuncto verbo Euangelii: ad quod præcedens Mosis in eodem capite, promissio, de circumcisione cordis, similiter pertinet. Loci autem expositio & accommodatio (quæ paulò difficilior) hujusmodi videtur simplicissima: *ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum:* ut cognoscamus legem, eamque perfectè observemus: nam hoc esset quasi *Christum ex alto iterum deducere*, ac negare eum è cælo descendisse, ut legis genuinum sensum & obedientiam conferret. Aut *quis descendet in abyssum*, hoc est, in mare navigio, ut ex locis remotissimis cognitionem & præstandi facultatem nobis suppeditet? *hoc enim esset Christum ex mortuis reducere*, id est, negare illum mortuum, ut legi pro peccatis nostris satisfaceret, & resuscitatum ad nostri justificationem: nam *verbum* Euangelii, quo enunciatur usus legis & impletio illius offertur, *propinquum est in ore & corde vestro*, hoc est, ut postea exponitur in corde fidelium, per fidem; & in ore, per confessionem. Alii denique argumentum hoc in loco nullum agnoscunt, nec à minori, nec à diserto testimonio; sed verba hæc ab Apostolo, per allusionem quandam (hoc est, ut sanctius loquamur, imitatione quadam) ad prædicationem Euangelii accommodari, ut similitudo legis & Euangelii demonstretur: ita tamen, ut Euangelium excellat: Legis enim justitiam cognitione esse facilem & explicatam; Euangelii verò justitiam in promtu esse, non solùm ratione notitiæ, sed etiam respectu observationis illius, ad salutem consequendam. Idque indicari censent, illa oppositione, cum dicitur; *justitia autem quæ ex fide est, ita dicit:* non autem Moses dicit. Ideoque verba hæc & quidem (ut ajunt) simplicissimè interpretantur de consolatione Euangelii, adversus desperationem de salute, ex legis conditione impossibili ortam, hoc sensu: ne dixeris, quis ascendet in cœlum, nempe ut me illuc deducat? hoc enim esset Christi ascensionem reddere irritam; aut quis descendet in abyssum, hoc est, infernum, ut illinc me eruat? hoc enim esset Christi mortem & meritum illius tollere.

In qua

In qua trium sententiarum probabilium varietate, mediam extremis præferendam arbitramur: quamvis enim non expresse Mosi hæc oratio tribuatur, sed justitiæ fidei; nihil in eo est absurdi. Primùm, quia prosopopæia illa adhibetur brevitatis & expositionis ergò: cùm enim Moses, isto in loco, agat de hac materia, nempe justitia ex fide, hinc fit, ut quod ille loquitur, idem per meton. aut prosopop: materiæ, seu rei, de qua loquitur, tribuatur: ut sit sensus: doctrina de justitia. Deinde, salvo communi doctorum judicio, dici etiam posset, hîc non esse prosopopœiam, sed potius ellipsin: nam prosopopœiæ hujusmodi exemplum nondum observavi in S. literis: ellipsis verò citra controversiam, Apostolo insolita non est. Atque ita sensus esse potest: *Justitia verò quæ ex fide* (supple quænam sit) *ita dicit*, nempe Moses, de quo antea: vel scriptura.

Ex hisce igitur facilitas salutis, per Euangelium, elucet.

Modus verò apertè proponitur, vers. 9. & exponitur, v. 10. nempe fides in Christum & confessio illius. Quæ primum præposterè collocantur. Fidem autem & confessionem ex ea promanantem consequitur salus: sed diverso modo: fidem quidem, ut causam instrumentalem: confessionem verò ut viam & antecedens solùm: non autem ut causam: deinde fidei objectum proponitur Synecdochicè nempe resurrectio Christi: quia illa mortem & nativitatem Christi præsupponit, ac simul innuit; & salutis indicium & testimonium illustrissimum continet: quemadmodum 1. Cor. 15. pluribus demonstratur. Deus autem (nempe Pater) excitasse dicitur Christum, quia per Filium & Sp. S. hoc præstitit: ideoque resurrectio Christi, tanquam commune Deitatis opus, Patri, Filio, & Sp. S. promiscuè tribui solet.

Salutem autem contingere per fidem probat Apostolus autoritate divina ex Es. 28. 16. *Credens non festinabit.* In cujus loci citatione, observanda est aliqua diversitas: quæ partim in mutatione: partim in additione consistit. Ac mutatio quidem est primùm quod Esaias habet Hebræam vocem יחיש, quæ significat *festinabit*; Paulus verò ejus loco ponit *pudefiet*: quod Hebræis est יבוש. Unde nonnulli ob vocum Hebræarum affinitatem, variam lectionem conjiciunt: sed non opus est: quia non solum ea varia lectio non est annotata à veteribus; verùm inprimis, quia res non requirit, ut hoc statuamus: quia Apostolus non verbum, sed sententiam expressit: quod sufficit, & alibi usitatum, in Prophetis citandis: quoniam utrumque exitium metonymicè notat: quibus enim illud imminet, illi spe conservationis sui jam falsi, pudore afficiuntur, ac festinare solent, ut elabantur. Additio verò in hoc loco citato est objectum fidei, & subjecto illius adjuncta quantitas, cum ait: *Quisquis in eum credit.* Quæ verba expositionis causa adduntur, ut via sternatur doctrinæ generali, de vocatione & salute gentium & causa rejectionis Judæorum, v. 11. de quo argumento agit ad finem usque capitis.

Ac primùm, causam interpretationis suæ adjungit, & signum universale *quisquis*; distributione in Judæos & Græcos, hoc est, gentiles explicat, docens nullam esse distinctionem inter eos: hoc videl. tempore, post Christi adventum atque ascensionem in cœlum. Hanc autem sententiam confirmat ratione & authoritate. Ratio est, *quia idem est Dominus omnium,* hoc est, quorumvis fidelium, tam gentilium, quàm Judæorum: Dominus enim omnium esse dicitur, non ratione creationis & gubernationis, ut vulgò interpretantur: quia, ut liquet Ps. 147. 20. Act. 14. 16. Ephes. 2. 12. argumentum esset infirmum, si quis diceret; Filius Dei, qui hic dicitur *Dominus omnium*, ut Actor. 10. v. 36. aut Deus Pater, ut quidam intelligunt, tam creavit reliquas gentes, quàm Iudæos: Ergo tam reliquas gentes vocare vult ad regnum suum quàm Iudæos: hæc enim non esset necessaria consequentia: sed ratione redemptionis dicitur Dominus omnium fidelium, ut Rom. 3. 29. Eph. 4. v. 5. 1. Tim. 2. 5. sublato jam discrimine Iudæorum & gentilium, per mortem Christi Eph. 2. v. 10. 14. 16. Marc. 16. 15. 16. Gal. 3. 8. 28. Atque hanc rationem ab effecto declarat, cum addit, *dives*, hoc est, benignus, & divitias gratiæ suæ salutares effundens, *in omnes à quibus rectè invocatur.* v. 12.

Atque hac ratione vocatio communis Iudæorum & gentilium confirmatur. Cui deinde accedit v. 13. idem probans expressa Dei authoritas, ex Ioel. 2. 32. quo omnibus verè invocantibus Dominum (Christum, ut antecedentes circumstantiæ prophetiæ declarant) salus promittitur: quę Prophetæ sententia (ex fœderis cum Abrahamo initi formula, Gen. 12. 3.) gentes quoque complectitur, ut Gal. 3. 8. Ex quo adversus Iudæorum scandalum vocationem gentium & ministerium Apostolorum apud gentes concludit sorite & gradatione, ex ordinaria & necessaria causarum invocationis serie, nempe fide, quæ invocationis veræ mater; auditione Euangelii, quæ fidei causa instrumentalis proxima; & prædicantibus Euangelium, quæ causa remota v. 14. & missione eorum divina: quę omnia invocationem salutarem antecedere necesse est. Missionem autem præconum Euangelii Deo probari ex Esa. 52. 7. declarat v. 15. Quam sententiam quidam ad nuncios liberationis ex captivitate Babylonica pertinere arbitrantur; Apostolum verò à minori argumentum inde deducere. Alii de solo præconio Apostolorum & reliquorum ministrorum Euangelii, quo Pax cum Deo & bona cælestia nobis annunciantur, disseri existimant. Alii denique uberius & convenientius (ut ex antecedentibus & sequentibus prophetiis apparet) de utraque exponi censent: adeò ut prophetię hujus, non duo sint sensus, proprius & allegoricus (ut Pontificii perperam loqui solent) sed duæ partes & gradus. Prima pars est celebratio fidelium præconum liberationis è captivitate Babylonica, & reditus in promissam patriæ terræ hæreditatem. Altera verò, quæ priori (tanquam destinato & prophetico typo) fuit adumbrata, est celebratio fidelium præconum Euangelii, qui promulgant liberationem à captivitate peccati, mortis & Satanæ; deinde reditum in Dei regnum & cœlestis patriæ hæreditatem æternam, v. 15.

Porrò ut ostendatur, cur non omnes illa pace & bonis Euangelio prędicatis fruantur ac serventur, ingratitudinem & incredulitatem auditorum arguit, & dicto Esa. 53. 1. confirmat Apostolus v. 16.

Unde partem soritis ex v. 14. clarius repetit ac concludit. Eaque via (ne quis inobedientiam & incredulitatem Judæorum, aut gentilium ignorantiam excuset) anticipationem duplicem subnectit; & priori omnes populos, tam Judæos, quam gentiles, externè vocatos esse atque invitatos Euangelio demonstrat: quoniam *in omnem terram exivit sonus eorum*, nimirum qui prædicarunt Euangelium. Verùm cum hæc verba extent, Psal. 19. ac certum sit Prophetam ibidem loqui, de corporibus cœlestibus, quæritur, an inde Paulus desumserit nec ne: & qua ratione? Quidam allusionem esse putant, qua similitudo quædam indicetur inter cœli & Apostolorum ministerium. Alii expressum esse eodem sensu, ad rei propositæ confirmationem, testimonium statuunt: sed vario modo accommodant. Quidam enim existimant agi utrobique tantum de universali atque externa, per res creatas, vocatione, ad eam Dei cognitionem, quæ ad prætextum ignorantiæ tollendum sufficiat: de qua Act. 14. 17. Rom. 1. 19. sed hoc à scopo Apostoli & antecedentibus est alienum: quoniam de verbo Euangelii apertissimè agit Apost. Alii igitur de Apostoli ministerio exponunt: quandoquidem Paulus tractat de auditione Euangelii: quemadmodum orationis series evidenter declarat, præsertim, v. 15. 16. unde orta est anticipatio. Verum rursus diversa est in eo interpretum sententia. Nam veteres ferè Theologi, ut Orig. Hieronym. August. allegoricè à Propheta de Apostolis agi existimant, sensu non malo; sed, ut videtur, non satis opposito: quoniam constat, Prophetam duplex Dei verbum, quo homines instituuntur, laudare: nempe cœlorum opificium & sacras literas; quorum illud visu, hoc verò auditu percipitur. Quo pertinet visibilis & audibilis verbi, libri Naturæ & Scripturæ trita distinctio. Alii verò sic explicant, ac si argumentum esset à comparatis ductum hoc modo: si operum illorum spectabilium tanta est vis, ut totum terrarum orbem illustrent; quanto amplius illud sensit Propheta, Euangelium, (quod potentia Dei est ad salutem omni

credenti) definito tempore singulas orbis partes esse perlustraturum. Paulus enim agit interpretem comparationis illius, à Propheta institutæ, & docet, quam certò in omnem terram cœlorum delineatio & documenta prodierunt, hominibusque omnibus, ut loquitur Moses de eorum usu, data sunt, tam certo his temporibus ultimis doctrinam Euangelii in universum orbem terrarum dimanasse per prædicationem. Ac propterea non temerè vocem unam Prophetæ, ut ajunt, permutavit; ac si veritatem scripturæ, (quam religiosissimè agnovit ac coluit) corrumperet: sed certo consilio in locum vocis illius קום *delineatio eorum*, substituit hanc קולם *sonus eorum*, respiciens ad præsentissimum promissionis complementum.

Alii verò simpliciter statuunt, Apostolum vocem *delineationis* aut *regulæ eorum*, non permutasse: quod pro more LXX. interpretes secutus sit, qui *sonum* verterunt: idque, vel quod variâ usi sint lectione, & sine punctis non קום *delineationem eorum*, sed קולם *sonum eorum* legerunt; sed hanc lectionis varietatem pluribus confutavit Johannes Isaacus contra Lindanum; vel quod vox קו non solum *lineam*, sed etiam *sonum* notet; quemadmodum in eodem libro Ioannes Isaacus probare contendit: vel denique quod Apostolus non verbum de verbo, sed sensum sua interpretatione expresserit; quia delineatio cœlorum est instar vocis cujusdam disertę, quę ab omnibus audiatur: quemadmodum etiam cœlum Dei gloriam enarrare dicitur metaphoricè.

Atque hæc de variis hujus loci difficilioris interpretationibus, quibus hæc verba ex Psalmo adducta sentiunt: quamvis diversè accommodent. Quam sententiam, ut non improbo; quia communis est: ita nisi fallor, non est necessaria: quoniam Sp. Sanctus potuit liberè iisdem verbis & sententia uti, in alia omninò aut diversa materia citra citationem testimonii, aut imitationem destinatam. Quemadmodum apud Prophetas illud satis crebrum est, ut de diversis subjectis, similibus utantur dictis, rei tantum præsentis consideratione. Cujus exemplum habuimus Rom. 9. 20. 21. Huc accedit ratio non necessaria quidem, sed tamen probabilis: quod cum & ante v. 15. 16. & post vers. 19. 20. Scripturæ meminerit: hic verò illius nullam faciat mentionem, videri possit, non tanquam scripturæ testimonium adferri, sed tanquam argumentum ex reipsa & experientia petitum. Rom. 1. vers. 8. & 15. 19. Col. 1. v. 6. Quo etiam modo accepisse videntur Chrysost. & Theodor: Interim tamen si argumentum ex mente Prophetæ adductum statuerimus, illud arbitramur maximè consentaneum, si dicamus, Prophetam agere, nec de solis corporibus cœlestibus seu stellis historicè; nec de solis Apostolis & Euangelii ministris allegoricè & propheticè: sed de utrisque typicè; quod videlicet stellæ enarrant Dei gloriam ubique terrarum, & Euangelii præcones, stellarum instar, Dei gloriam essent celebraturi per totum orbem: nec enim typus hic alienus videtur: quandoquidem Apostoli *lux mundi*, Matth. 5. 14. & *stellæ* Apocal. 12. v. 1. appellantur.

Atque hæc omnia eo nominè à nobis prolata sunt, ut sacrarum literarum consensus & fides Apostoli clarius appareat. *Tanto enim fortius* (ut ait August. in conclusio. lib. 1. de Trinit.) *convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent, ad eorum laqueos evitandos.*

Atque hæc de priori anticipatione, v. 8.

Altera verò est qua objectioni occurrit, allato duplici sacrarum literarum testimonio. Cujus objectio quidem indicatur hic verbis: *Sed, inquam, numquid Israel non cognovit?* Verùm quia cognitionis objectum non exprimitur, idcirco variè explicatur ab interpretibus. Quidam enim *gentium vocationem* intelligunt: nonnulli *Deum*; sed malim *sermonem Dei*, nempe Euangelium, ex loci scopo & antecedentibus versibus 15. 16. 17. 18 & sequente vers. 21. Ac propterea objectio defensoris Iudæorum non attribuit iis cognitionem, quam Paulus neget: ut quidam interpretantur: sed contrà, quam ille derogat, eam Paulus adscribit: Ne quis enim ignorantiæ prætextu incredulitatem Iudæorum elevaret, cognitionem eorum non solùm asserit: sed etiam comparatè cum gentibus amplificat, idque forma verborum satis ostendit, quando ait, *sed, inquam, numquid Israel non cognovit?* hoc est, Israel revera cognovit Euangelium clarius, quam ut negari possit. Si quis verò excipiat hoc loco, illud repugnare assertioni Apostolicæ, v. 2. & 3. qua iis notitiam detraxit, facilis est conciliatio.

Quia notitia alia est apprehensionis seu intelligentiæ simplicis: alia judicii recti, in assensu vel dissensu: nam priori modo res & sermo percipitur quid sit; posteriori verò sermonis veritas dijudicatur & rei perceptæ: atque ita Judæi & Euangelii habuerunt notitiam, quatenus illud audiverunt, & intellexerunt illius sententiam: & contrà non habuerunt, quatenus veritatem illius non intellexerunt, sed debitum ei assensum & fidem derogarunt. Hanc autem Iudæorum cognitionem confirmat Apostolus authoritate divina Mosis ex Deut. 32. v. 21. quo loco reliquarum gentium per Euangelium vocatio, in pœnam idololatriæ & incredulitatis Judæorum, prædicitur, vers. 19.

Altera authoritas deprompta est ex Esai. 65. vers. 1. 2. quo loco prædicitur primùm gentium vocatio gratuita, vers. 20.

Deinde Judæorum ingrata & quotidiana adversus Deum & Euangelii illius præcones incredulitas, vers. 21. Ex quibus intelligitur causam vocationis gentium, esse Dei benignitatem: medium verò ac modum, donum fidei: rejectionis contrà Iudæorum causam proximam ac promerentem esse incredulitatem & contumacem adversus Euangelium prædicatum contradictionem. Actor. 13, v. 45. 46.

CONSECTARIA.

I. Fidelis Euangelii præconis officium est, non solùm vera docere constanter; sed etiam prudenter: ut rudiorum vitetur offensio & curetur salus.

II. Non solum pro nostra, sed etiam pro aliorum, tam infidelium, quàm fidelium salute seriò precari debemus, ex charitatis Christianæ lege, v. 1.

III. Multi cum gloriam Dei tueri se putant, eidem imperitia adversantur: ac propterea zelus noster & aliorum rectè explorandus est, ne quid peccetur. Zelus autem Dei est duplex, unus ex notitia: alter ex ignorantia veri. Quorum ille, si modum servet, bonus; hic vero, malus: eo quod non omnis bona intentio animi (ut vulgo jactant Pontificii) Deo grata est: sed ea sola, quæ verbo Dei omninò dirigitur. v. 2.

IV. Cum justitia propria & aliena, hoc est, Christi, à Deo, per fidem nobis data, sibi mutuò adversentur: sequitur errare Pontificios, qui eas inter se copulare contendunt, v. 3.

V. Fidelibus de salute per Christum parta non est dubitandum, v. 6. 7. 8.

VI. Vera fides non est otiosa cognitionis Christi jactatio: sed sincerus cordis (hoc est, metaphoricè, animæ) assensus: quæ fides fructibus suis, nempe constanti confessione & invocatione Domini sese exerit & probat, v. 9. 10.

VII. Duo sunt nobis rectæ invocationis Dei fulcra firmissima; quod Deus nos velit servare: quia Dominus noster & redemptor est: & possit; quia dives, v. 12. 13.

VIII. Cum is invocari non possit, in quem non licet credere, isque honor fidei nulli præterquàm Deo conveniat: sequitur Pontificios gravissimè errare, cum Sanctos defunctos invocandos docent, v. 14.

IX. Cum ministerium Euangelii, sit fidei, invocationis, & salutis instrumentum necessarium, graviter peccant Libertini, qui id contemnunt, & alii, qui usum illius negligunt, v. 14. 15. 17.

X. Summa scientia est, Dei in Christo cognitio: ejusque contrà ignorantia, summa inscitia est.

XI. Deus contemptores oblati Euangelii, translatione illius ad alios, punit. v. 19.

XII. Dei

XII. Dei gratia nos prævenit: ideoque salus nostra ei debetur, non nostris meritis, v. 20.

XIII. Cum Deus hominibus etiam contumacissimis suam gratiam diu multumque offerat: illius exemplo, in curanda aliorum salute, constantia ac benignitas adhibenda, v. 21.

CAPUT XI.

HActenus rejectionem Judæorum asseruit Apostolus; sequitur porrò mitigatio illius, ut Judæis adimat desperationem & gentibus fastum. Etenim Iudæorum rejectionem à subjecto & adjuncto illustrat, hoc est, rejectorum numero & duratione rejectionis: quod ea nec universalis sit, nec perpetua. Utrumque autem commoda anticipatione explicatur. Ac prius quidem continetur decem prioribus versibus. Cujus anticipatio constat expressa quæstione, seu absurdi objectione, & responsionis subjectione.

Quæstionis hæc est sententia: Cum hactenus de cæcitate, contumacia & rejectione Iudæorum dissererueris, an igitur contra fœderis formulam (ut videris statuere) populum suum (nempe universum) abjecit Deus?

Responsio verò constat primò negatione: quam confirmat exemplo suo: deinde distinctione populi Dei, qui partim non electus est ad vitam: sed vocatus tantum externè, oblatione fœderis, per verbum & sacramenta; partim verò electus est. *Non abjecit autem Deus populum suum, quem præscivit*, hoc est, ab æterno dilexit (ut nosse pro diligere alibi etiam accipitur, Psal. 1. Matth. 7.) elegit & prædestinavit ad vitam æternam: quemadmodum Rom. 8. ostendimus, & August. tom. 7. de bono perseverantiæ lib. 2. cap. 18 Quare malè nonnulli ad prævisionem operum aut fidei referunt. Hanc porrò responsionem, illustrat Apostolus, exemplo simili Ecclesiæ Israeliticæ, tempore Eliæ prophetæ. Omnes Israelitæ videbantur etiam Eliæ opinione, à cultu Dei, ad Baalem defecisse: & tamen Deus gratuitò aliquot piorum millia in officio reservarat: sic hoc tempore in populi Iudaici publica apostasia multi electi reservati sunt. Hujus autem similitudinis protasis complectitur querelam Eliæ de publica totius populi apostasia, & singulari impietate ac crudelitate in sacras personas ac loca sacra, v. 2. 3.

Deinde testimonium Dei, de multorum perserverantia, quæ describitur à causa efficiente Deo; *Reliqui*, inquit, *mibi*, hoc est, reservavi, v. 4.

Similitudinis vero apodosis est v. 5. quæ reservationem seu reliquias piorum illustrat etiam à causa efficiente, electione Dei. Quam similiter à causa impulsiva & interna, nempe Dei gratia, hoc est, amore non debito, sed gratuito declarat: ut Deo in solidum gloria salutis nostræ tribuatur, v. 5.

Unde quadam digressione, adversus operum meritum, consectarium deducit, à natura contrariorum, quorum uno posito, tollitur alterum: si ex gratia eligimur ac vocamur, non ex operibus tanquam causa impulsiva, hoc est, non operum dignitate & obedientia legi præstita. Idque probat à natura gratiæ: nam aliàs gratia hujusmodi, quæ merito aut debito conveniet, non est gratia mera, sed merces debita ex pacto legis, *hoc fac & vives*. Deinde à contraria contrarii consequentia confirmat: *si ex operibus, non igitur ex gratia: alioquin opus jam non est opus*, id est, posita gratia, tollitur operum justitia & merces debita: operum, inquam, non ceremonialium solum: ut Orig. censet; sed omnium in universum: quemadmodum ex superioribus perspicuum est. Hæc de v. 6.

Porrò ad propositum redit Apostolus, & responsionis, ad quæstionem allatæ, summam repetit ac concludit; *Israelem*, hoc est, populum Israeliticum, *non assecutum esse quod quærit*, videlicet justitiam & vitam æternam: quia propriam ex operibus suis justitiam quærit: non autem ex gratia Dei. Quam sententiam distinctione commoda explicat, qua docet, se *Israelis* voce (cum de rejectione disputat) non universos Israelitas, sed per Synecdochen, maximam eorum partem intelligere: alii enim electi sunt ex iis; alii non sunt electi. Et *electi quidem assecuti sunt*, justitiam & salutem: *reliqui* vero, hoc est, non electi, *occalluerunt, in hodiernum usque diem*, v. 7.

Quod membrum quoniam odiosissimum erat Iudæis; idcirco illud scripturæ authoritate confirmat, tribus testimoniis. Quorum duo priora ex Esai. cap. 29. vers. 10. & cap. 69. in unum conflata sunt. v. 8.

Quomodo autem, Deum (quod hic asseritur) *oculos dedisse, ut non videant*, & *aures*, *ut non audiant*, sit intelligendum, ut Deus peccati author minimè statuatur, ex iis, quæ antea cap. 9. explicuimus, satis liquere arbitror: nimirum hæc sic dici, de Deo, quod lucem judicii ac notitiæ, tanquam justus judex, abstulerit ab ingratis, suæque insitæ cœcitati reliquerit, & à Satana seducendos, (laxando ipsi habenas suæ potentiæ, quâ reprimebatur) tanquam vindex contemptæ veritatis permiserit.

Tertium verò testimonium ex Psal. 69. v. 23. 24. petitum est, de quorum locorum recta ad Pauli institutum accommodatione, consulantur doctissima Clarif. D. Iunii *parallela sacra*. Sed dicat aliquis, in postremo, videtur, dira imprecatione violari charitas Christiana, etiam erga hostes nostros exercenda: ut Matth. 5. vers. 43. 44. præcipitur. Fateor sic videri prima fronte: sed tamen re ipsa penitius inspectâ, non violatur: quia non est votum humanum: sed prophetia divina: in qua, jure, propheta acquiescit. Deinde non ex odio hominum ac privatæ vindictæ studio, aut immerito, aut zelo inconsiderato, nec quibusvis imprecatur propheta, (quod à Christo prohibetur) sed instinctu Spiritus S. reprobos & exitio destinatos, ex odio peccati & amore Dei, cognitoque, per revelationem, illius decreto, ad gloriam Dei & afflictæ Ecclesiæ bonum, devovit sanctissimè. Quocirca cum nec in causa efficiente, nec in mensura ac modo, neque in fine hujus imprecationis sit vitium, læsæ charitatis nomine accusari propheta non potest. Quo etiam modo de Psal. 109. qui longe acerbior videtur, judicandum. Hæc de v. 9. 10.

Atque ita finitur prima hujus capitis pars, qua docuit Apostolus, rejectionem Judæorum non esse universalem. Sequitur porrò altera, qua asserit etiam hanc populi Judaici (hoc est, maximæ partis illius) rejectionem non fore perpetuam. Atque ita alteram adfert Iudæis consolationem, cum antecedentium prophetiarum asperitatem mitigat & rejectionis finem exponit, anticipatione opportuna. Cujus quæstio est: *An igitur Judæi impegerunt, in eum finem, ut laberentur:* hoc est, per Synecd. ut exciderent penitus, utque maxima Iudæorum pars infidelis perpetuo maneret: seu ut interpretatur Chrysost: an talis sit eorum ruina, quæ neque sit curabilis, neque ullam habeat correctionem? Respondet verò Apostolus negatione illus & positione duplicis finis: quorum proximus & subordinatus est vocatio & salus gentium: remotior verò ac principalis, Iudæorum resipiscentia: ut Iudæos hac vocatione gentium, ad æmulationem sanctam, seriumque colendi Deum, in Christo, præ gentibus, studium, tandem excitaret, v. 11.

Priorem autem finem illustrat consectario, quo tacitè gentilium objectioni occurrit, duplici nomine: ut odium salutis Iudæorum tolleret: & contrà ad serium illius promovendæ conatum stimularet. Objectio autem est talis: Si Judæorum ruina est occasio salutis gentium: Ergo restitutio eorundem erit occasio rejectionis gentium. Respondet autem Apostolus inversione argumenti, à minori, hoc sensu: Imò contra sequitur, fore, ut Iudæorum restitutio multò magis salutem gentium confirmet. Firmum autem est argumentum, quoniam Iudæorum infidelitas, per accidens providentiæ divinæ ita dirigentis, gentium vocationi inserviebat: sed per se considerata, ac vi sua, candem remorabatur: maximum enim erat scandalum, quod Christus à suis popularibus & subditis Iudæis rejiceretur, quibus tamen à Deo, per Prophetas, Messias primum fuerat promissus & missus. Quamobrem cum Iudæorum populus Christum tandem fide complectetur, quem antea perfidè & pertinaciter rejecerunt ac rejiciunt, maximum ad fidem gentilium augendam & propa-

propagandam, ex ista re admiranda atque inexspectata, accedet momentum. In hoc autem argumento notanda est synonymia exegetica, in antecedente hypotheseos: nam quod prius *ruinam* appellat, postea *diminutione* quadam interpretatur: ut ostendat ruinam Judæorum non esse universalem: quod numerus eorum, qui in Ecclesia permanerent, inter Judæos, maxima quidem ex parte diminutus sit: sed tamen non penitus sublatus: deinde *mundi* vocem interpretatur, *gentes*. Quare utrimque Synecdochicè intelligendum indicat: præterea *opulentiam* metaph. vocationem, & hæreditatem salutis concinnè vocat. In consequente verò *plenitudinem*, non paucorum, sed populi Judaici, seu maximæ partis illius conversionem intelligit Synecdochicè vers. 12.

Porrò finem alterum rejectionis Judæorum amplificat ab effecto, nempe quod propterea *ministerium suum illustret*, euangelium longe lateque, inter gentes, spargendo, easque ad Christum convertendo: ut saltem aliquos ex Judæis, hac occasione, ad æmulationem sanctam & fidem provocet, ac servet, v. 13. 14.

Cujus studii sui, in curanda Judæorum salute, justitiam confirmat duobus argumentis: quorum prius ab utili ductum est: quia assumptio (id est, restitutio) Judæorum, est quasi resuscitatio ac vita gentilium: hoc autem probat repetitione & amplificatione argumenti à minori, v. 15. de qua re v. 12. actum. Alterum verò argumentum cur Paulus Judæos servare studeat, est, quod illi sancti sint, hoc est, à prophanis secreti, & ad fœdus Ecclesiamque Dei pertineant hoc autem demonstrat à simili conditione cum Abrahamo patre, quam duobus similibus allegoricè declarat: quorum prius est à legalibus ceremoniis: alterum verò à natura ductum: comparat enim Abrahamum *primitiis & radici*: Judæos verò *massæ & ramis*. Quemadmodum enim primitiæ oblatæ totam massam sanctificabant, Lev. 23. 14. & 17. deinde similiter à radice bonitas succi in ramos promanat: sic & sanctitas ab Abrahamo in posteros: hoc autem (ut etiam sequentia) intelligendum est, non de singulis: sed de populo & formula fœderis indefinita, *Ego sum Deus tuus & seminis tui.* Definire autem de singulis secreti est divini: nobis verò lex charitatis in dubiis sequenda. Atque hæc de v. 16.

Unde digressione accommodatissima; in similitudine arboris persistens, dehortationem necessariam deducit: nam corpus gentium à fastu & contemtu rejectorum Judæorum deterret & ad modestiam hortatur, ad v. usque 23. Constat autem hæc digressio, *propositione* & *confirmatione*. Propositio est: ô gentilium Christianorum turba, (hanc enim, ut monuimus, appellat: non autem singulos) Ne glorieris adversus Judæos rejectos. Confirmatio verò rationes continet à conditione gentilium duplici, primo à pristina ac nativa: Tu fuisti oleaster seu Sylvestris olea, aut oleæ pars, antequam Judæi essent defracti ex arbore: deinde à præsenti & gratuita: Tu jam insitus es, & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus es. *Oleastrum* autem Synecd. vocat ramos oleastri, id est, natura infrugiferos & alienos à fœdere Dei. *Radix* vero *oleæ* est pater fidelium Abrahamus. *Olea* est Ecclesia. *Rami* autem sunt duplices, nativi & insiti. Nativi sunt Judæorum corpus seu gens: quorum alii perstiterunt; alii infidelitate sua effracti sunt & ab Ecclesia alienati. Insiti vero sunt fidelium gentilium corpus. *Pinguedo* autem *oleæ* est benedictio data Abrahæ & posteris illius, nempe Christus cum omnibus beneficiis ipsius, justificatione, sanctificatione & redemtione: cujus Christi simus participes fide. Altera porro confirmationis ratio est, quia radici insiti sunt: ideoque malè facerent, si adversus ramos gloriarentur. Antecedens aphæresi illustrat, seu remotione contrarii: *Non tu radicem portas, sed radix te.* Ratio consequentiæ nititur hac hypothesi, quod ramorum contemptus in radicem ipsam Abrahamum, scilicet fidelium patrem derivetur: quæ maxima est iniquitas, vers. 17. 18.

Cœterùm hanc dehortationem expressa anticipatione declarat ac concludit. Objectio autem est corporis gentilium hujusmodi: *defracti sunt rami, ut ego insererer.* Ergo, merito licet mihi adversus Judæos rejectos gloriari vers. 19.

Respondet verò Apostolus primum concedendo antecedens: quod illustrat à rejectionis Judæorum & vocationis gentilium causis proximis, nimirum incredulitate eorum & horum fide: deinde negando consequentiam, & invertendo argumentum positione contrarii: *Ne propterea superbias, sed contrà time.* Hoc autem probat à periculo quod etiam labi possunt. Idque ostendit argumento à majori: *si Deus naturalibus ramis non perpercerit, nec tibi parcet*: modò eorum vestigiis institeris. *Naturales* autem *ramos* vocat, Judæos è sanctis majoribus, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, in Ecclesia natos, non autem ei insitos: unde sancti dicuntur supra v. 16. de quo discrimine agitur Gal. 2. 15. Eph. 2. v. 11. 12. Hæc de v. 21.

Atque ita digressionem hanc concludit distinctione eleganti, docens usum legitimum rejectionis Judæorum & vocationis gentilium esse, ut gentes discant, ex priori quidem severitatem Dei in Iudæos: ex altero verò benignitatem erga se, duraturam, si permanserint in benignitate, id est, fide, per metonymiam, qualis v. 21. alioquin non secus, quam Iudæos, rejectum iri: id quod exemplo multarum Ecclesiarum toto orbe comprobatum est.

Atque hactenus de digressione Pauli, qua inde à v. 17. ad 23. gentiles à Iudæorum contemptu ad modestiam vocat. Porrò sequitur, ad propositum, de Judæorum in Ecclesiam restitutione, regressio, à vers. 23. ad finem hujus capitis.

Ac primùm docet posse restitui: deinde etiam certò restitutum iri. Illud illustrat à causa, cum principali, Deo, tum instrumentali, fide, v. 23.

Idem etiam probat comparatione à majori, seu gentilium pristinâ conditione & vocatione, atque hoc modo & ratione, ad modestiam tacitè gentiles hortatur v. 24.

Deinde, tandem Judæos revocandos esse, ac servandos explicat sequentibus, prophetia memorabili: quam præfatione illustrat, qua genus hujus doctrinæ indicat, cum *mysterium* vocat: & scopum narrationis illius esse ostendit, ne gentiles superbiant. Prophetia autem docet primùm rejectionis terminum, cum ait: *obdurationem*, id est, publicam populi Judæorum infidelitatem, *evenisse tantisper, dum plenitudo gentium introierit.* Hanc autem obdurationem illustrat à numero eorum, quod *ex parte* contigerit obduratio: nec universi sint rejecti v. 25.

Deinde subjicit restitutionis finem seu eventum, *& ita totus Israel servabitur. Israelis* autem nomine alii aliud intelligunt. Quidam enim omnes fideles ex Judæis & gentibus notari censent: quod illi sint genuini ac spirituales Israelis & Abrahami filii: ut Gal. 6. 16. ea vox usurpatur. Alii verò solos Judæos interpretantur, v. 12. quod hoc loco probabilius videtur, propter antithesin, utroque hoc versu, inter gentes & Israelem. Cæterùm hanc prophetiam confirmat deinde Apostolus S. Scripturæ testimonio ex Esai. 59. 2. de qua re consulantur parallela sacra Clarissimi Junii. Hæc de v. 26. 27.

Hanc porrò Judæorum revocationem ad Ecclesiam munit Apostolus à causâ efficiente, videl. electione & promissione Dei, & anticipatione illustrat. Objici enim poterat: Judæi sunt inimici Dei, & ut Deus illis, sic illi vicissim Deo displicent, ut Apostolus 1. Thes. 2. v. 15. attestatur: quomodo igitur illi restituentur? Huic autem quæstioni respondet distinctione commoda: non sunt absolutè inimici Dei: sed ratione Euangelii, quod rejiciunt, inimici sunt & rejecti à Deo: idque dispensatione quadam, *propter vos*, hoc est, in vestram etiam, qui antea rejecti eratis, utilitatem: sed tamen ratione electionis & promissionis patribus factæ diliguntur: ideoque tandem vocabuntur ad salutem v. 28.

Id quod comprobat ab adjuncto electionis, dilectionis & vocationis destinatæ constantia: quia illa Dei dona, nimirum electio, dilectio, vocatio destinata seu secundùm propositum Dei, Rom. 8. vers. 28. sunt immutabilia vers. 29.

Præte-

Præterea hanc Judæorum restitutionem illustrat comparatione similitudinis cum gentibus, v. 30. 31.

Atque à fine amplificat, nimirum Dei misericordia, ad quam testificandam, omnes, tam Judæos quàm gentes conclusit in contumaciam: non efficiendo contumaces; sed in contumacia relinquendo ac justè dirigendo. Cœterùm ex hoc loco doctrinam de electione oppugnant adversarii: Quorum inquiunt, Deus misereri decrevit, illi sunt electi. Omnium misereri Deus decrevit. Ergo omnes sunt electi, ideoque nullus omninò est reprobatus. Sed negatur consequentia: nam vox *omnes* in quæstione sumitur pro singulis generum: in assumptione verò pro generibus singulorum, nempe Judæorum & gentilium populis: ideoque sensum non malè interpres noster expressit, *omnium illorum*. Deum enim non decrevisse omnium individuorum misereri, probatur primùm ex voce electionis relata, quæ illud nullo modo ferre potest: nam electio est unius aut plurium, alio relicto vel aliis, assumptio. Deinde quos Deus elegit, servantur Rom. 11. v. 29. sed non omnes & singuli servantur. Ergo neque omnes ac singulos elegit Deus. Præterea eorum qui fide perpetuò carent, non statuit Deus misereri, Ioh. 3. v. 22. ubi ira Dei super ipsos manere asseritur: & cap. 2. testatus est Paulus Deum misereri cujus vult, & quem vult indurare: id quod etiam ex hoc cap. 11. liquet. Denique multi vocati, pauci electi asseruntur, Matth. 22. v. 24. & 25. 41. Jud. v. 4. Verùm plura de hoc argumento in explicatione cap. 2. jam antea à nobis adducta sunt.

Porrò sequitur tandem disputationis totius Apostolicæ, de prædestinatione, rejectione, & restitutione, conclusio.

Ea autem constat insigni epiphonemate, quo primum Dei admirandam in hoc argumento sapientiam & gubernationem impervestigabilem celebrat, ne admiranda Dei judicia, quæ animo non capimus, linguâ carpamus, vers. 33. 34.

Et ne conqueramur aut gloriemur, idcirco jus & justitiam & gratiam Dei monstrat, quod de suo possit facere quod velit, ut Matth. 20. vers. 25. quia nemini devinctus est: quandoquidem à nemine quicquam acceperit, vers. 35.

Hoc autem probat, quoniam omnia bona, tam naturalia, quàm moralia, *ex Deo* sunt, ut authore, non ut materia: quia simplicissimus & solus infinitus. Deinde *per eum* omnia stant & servantur: *& in eum*, id est, ad gloriam illius tanquam in ultimum finem tendunt: quæ omnia voto ac δοξολογίᾳ concludit, v. 36.

Consectaria.

I. Cum electi à Deo non abjiciantur: salus eorum certa est.

II. Paulus de sua salute certus fuit: Ergo & reliqui fideles esse possunt: siquidem eadem certitudinis est causa, nempe promissio Dei de salute omnium verè fidelium, & sensus atque experientia fidei propriæ. Itaque in utroque errant pontificii, qui contrarium statuunt, v. 1. 2.

III. Usus exemplorum V. T. est, ut ea ad institutionem nostram traducamus, v. 2.

IV. Cum Prophetæ sancti martyrio suo & sanguine veritatem obsignarint, sequitur primum res prosperas non esse certum veritatis argumentum, ut nec adversas, mendacii. Deinde exemplo Prophetarum persecutiones forti ac constanti animo perferendas: ut Matth. 5. v. 12. docetur.

V. Non mirum est, adversarios veritatis, aut infirmos fideles, interdum de Ecclesiæ incolumitate & conservatione malè judicare, ex sensu suo, cum etiam Eliæ idem olim contingeret, v. 3.

VI. De Ecclesia etiam corruptissima non est absolutè desperandum.

VII. Etsi Ecclesia semper duret: non tamen semper ubique, nec pari modo conspicua est.

VIII. Cum Deus piorum septem millia, inter hostes innumeros idololatriæ addictissimos, in suo cultu integros conservarit: sequitur nec multitudinem, nec speciem externam ac splendorem esse certam Ecclesiæ & electorum notam: deinde conservationis Ecclesiæ laudem non nobis, sed Deo tribuendam: ac propterea de paterna illius cura non esse dubitandum.

IX. Deus non solùm internum, sed etiam externum cultum requirit.

X. Genua non sunt flectenda religione aut cultus divini opinione, ulli alteri, quàm Deo: ac propterea neque idolis gentilium, neque Pontificiorum imaginibus, ad colendum Deum, prostitutis.

XI. Cum meritum operum & gratia è diametro dissideant: peccant Pontificii, qui ea commiscent, quasi partim operum merito, partim gratia servaremur, v. 6.

XII. Ad salutem non sufficit illius studium serium: sed legitima etiam via requiritur. Ideoque errant graviter, qui quosvis in sua religione servari posse statuunt, vers. 7.

XIII. Cum Deus illuminet & excæcet mentes, notitiæ luce privando, ob ingratitudinem: solicita reverentia ei serviendum est, & orandus ne Spiritum suum à nobis auferat.

XIV. Euangelii contemptus privatione gratiæ & exitio mulctatur: quare illud in pretio habendum.

XV. Quemadmodum sanctis omnia adversa ad salutem conducunt: sic contrà impiis etiam bona ad perniciem cedunt, v. 8.

XVI. Dei summa clementia est, quod ingratos & hostes ad resipiscentiam provocet: quæ facilitas nobis imitanda.

XVII. Admiranda Dei sapientia est, quod ea quæ per se mala sunt, ad bonum usum, quasi venena ad antidotum convertit, v. 12.

XVIII. Ministerii Ecclesiæ gloria & finis est Euangelii propagatio & multorum salus: quare illius avidos esse nos decet, v. 13. 14.

XIX. De aliorum ruina non est gloriandum. v. 17.

XX. Fide communionem habemus cum Christo & cum Ecclesia.

XXI. Ab externa corporis Christi communione defici potest: Quare ei non est fidendum.

XXII. Ut causa salutis nostræ est Dei misericordia: sic exitii hominum peccata, v. 20. & 22.

XXIII. Cum Deus benignus sit & justus: ejus promissionibus debemus fidere & peccatum seriò aversari, vers. 22.

XXIV. De salute aliorum (cum judicia Dei ac decreta de singulis hominibus & populis nobis sint ignota) non est desperandum, v. 34. 35.

XXV. Cum judicia Dei sint inscrutabilia & justa: quæ non capimus intelligentiâ, ea debemus admittere & revereri fide.

Caput. XII.

Totius hujus Epistolæ partes sunt omninò tres, Exordium, Tractatio & Conclusio. Tractationis autem partes duæ sunt, ut initio ostendimus: dogmatica, quæ de fide potissimum disserit: & parænetica, quæ de fidei operibus. Priorem hactenus explicuimus: altera porrò succedit, quæ præcepta continet, de institutione vitæ Christianæ: quæ ex superiori doctrina, per transitionem elegantem deducitur ac concluditur. Quorum præceptorum alia sunt Ethica, alia Politica, alia Ceremonialia. Ethica appellamus, quæ ad mores & vitam Christianorum communiter pertinent, & potissimum capite XII. exprimuntur. Ex quibus præceptis, alia sunt universalia, alia particularia: ac priora sunt de totius homini ad cultum Dei consecratione. Quæ antequam proponat Apostolus, ratione à causa impulsiva reique justitia præmunit ac confirmat, nempe à *miserationibus Dei*, hoc est, à vocatione, justificatione, sanctificatione gratuita: de quibus hactenus & postremò quidem cap. 11. vers. 32. & 35. disseruit. Deinde amplificat à desiderio suo, quod non hortatur, sed obtestatur

obtestatur ac precatur, ut totos nos Deo consecremus: quemadmodum Patres orthodoxi vocem παρακαλῶ, quæ etiam *hortari* notat non rarò, accommodatè interpretantur. Ut autem duabus partibus natura nostra constat, anima scil. & corpore: sic Apostolus convenientissimè duo proponit præcepta, quorum primum est de corporis consecratione: quo allegoriâ à sacrificiis legalibus ductâ (in quibus per se mortua & immunda arcebantur tanquam displicentia Deo) monet, ut *corpora nostra sistamus Deo hostiam vivam, sanctam*, non solum animatam & actam ab anima, sed etiam à spiritu regenerationis, hoc est, ab operibus mortuis liberam & viventem Deo, Rom. 6. v. 12. 13. ut non corpora, sed vitia corporis perimantur: nam corpora subjecta peccatis dominantibus, non verè viva, sed quasi mortua sunt: sicut etiam Ambrosf. & Theodor. monent. Hanc autem hostiam confirmat à fine, *ut placeant Deo*: & declarat appositione quadam, *cultum rationalem*, hoc est, spiritualem vocans: ut à bruta & ceremonialis legis hostia distinguendo, præstantiam illius commendet, vers. 1.

Alterum præceptum de anima est bimembre. Habet enim anæresin & thesin. Anæresis dehortatio est quæ docet, quid mali fugiendum sit, videlicet *ne configuremini huic seculo*, hoc est, metonymicè, hominibus peccatoribus, quos Christus *filios hujus seculi* appellat. *Figuram* autem vocat non externa & caduca hominum bona: ut 1. Cor. 7. v. 31. sed fluxa mundi vitia, ut 1. Ioan. 2. v. 17. quæ in impietatem & mundanas cupiditates distinguuntur, Tit. 2. vers. 12. illâ in Deum & primam tabulam; hisce verò in homines & secundam peccatur, cum vel injustitiâ proximum, vel intemperantiâ nos ipsos vel utrosque lædimus. Impietati opponit Apostolus pietatem: mundanis cupiditatibus, justitiam & σωφροσύνην. Thesis verò est adhortatio, qua declarat, quid boni præstandum, nimirum, *ut transformemur renovatione mentis nostræ*.

Quæ renovatio nihil aliud est quàm imaginis Dei restauratio: quæ sanctitate vera & justitiâ, Eph. 4. vers. 24. Luc. 1. vers. 75. definitur. Quæ transformatio hîc intelligenda est, non ratione initii, quod à solo Deo pendet, cujusque compotes tum temporis erant fideles Romani; sed ratione incrementi & continuationis. Cujus etiam causa principalis est Deus: adjuvans homo regeneratus, pro regenerationis & vitæ spiritualis dono. Hanc autem adhortationem à fine amplificat Apostolus cum ait, *ut probetis*, hoc est, intelligatis reipsa & experiamini, *quæ sit voluntas Dei*, seu quid Deus fieri velit, Ephes. 5. v. 10. Quæ voluntas tribus epithetis illustratur: ut à voluntate mundi distinguatur, eique præferatur: atque ea ratione ad studium illius odiumque mundi excitemur. Quippe mundi voluntas mala est: Dei bona: mundi, Deo ingrata; Dei verò ipsi accepta est: mundi, omninò imperfecta; Dei contra omnibus numeris absoluta ac perfecta, v. 2.

Hæc de præceptis universalibus, quibus exponendis atque illustrandis particularia annectuntur. Quæ præfatione exornat, qua docilitatem & benevolentiam sibi comparat; atque ad obedientiam suo exemplo invitat. Docet enim quânam re fretus hæc scribat, nimirum gratiâ muneris Apostolici & Spiritus Sancti: & quibus scribat, omnibus scilicet Ecclesiæ membris. Præceptum autem est de εὐταξίᾳ seu recta constitutione ordinis Ecclesiæ, duplex: quemadmodum duobus potissimum constat, animi modestia & fidelitate in præstando officio. Prius præceptum anæresi & thesi explicatur, removendo vitium, & ponendo virtutem: scilicet ut à superbia alieni, animi sobrietatem, hoc est, modestiam colamus; quæ illustratur descriptione: ea enim est modestia, qua Deum agnoscimus donorum, authorem & secundum modulum ac mensuram fidei de nobis sentimus: qua etiam ratione confirmatur præceptum de modestia; nam si Deus dedit: deinde si non omnia dedit, sed partitus est donorum variorum mensuram: denique non solùm nobis, sed etiam unicuique: necessarium est ut modeste de nobis, honeste de aliis sentiamus v. 3.

Hanc autem donorum varietatem & imparitatem, in Christi Ecclesia, similitudine præstantissima illustrat: cujus protasis v. 4. apodosis v. 5. continetur. Quæ similitudo copiosè 1. Cor. 12. explicatur.

Alterum præceptum est, de fidelitate, in præstando officio, in sacris muneribus, quod ex superiori deducitur: ea autem munera distribuit in *prophetiam*, quæ extraordinarium erat donum ac munus: & in *diaconiam*, seu ministerium ordinarium: quod enumeratione specierum illustrat. Quidam enim operantur in verbo, ut qui *docent*, doctores; & qui *exhortantur*, pastores. Alii vero nequaquam in verbi ministerio: sed in Cura Ecclesiæ sola versantur; ut sunt Eleemosynarum *distributores*, qui vulgo Synecdochicè *diaconi* appellantur: vel *præsides* disciplinæ Ecclesiæ pastoribus adjuncti, qui *Seniores* dicuntur itidem Synecdochice: de quibus 1. Timoth. 5: v. 17. denique qui *miserentur*, hoc est, qui curandis pauperibus ægris inserviunt: quale erat viduarum illis temporibus collegium 1. Tim. 5. v. 9. Hæc de v. 6. 7. 8.

Porrò ad fructum Ecclesiasticarum functionum accedit Apostolus & præcepta tradit promiscua. Primum enim *dilectionem* requirit: & ab adjuncta sinceritate describit: quemadmodum 1. Iohan. 3. 18. deinde ab effectis amplificat generatim, nempe odio mali & studio boni: ex quibus, fructus duo, innocentia & beneficentia oriuntur, v. 9.

Tertio dilectionem certa specie illustrat, *charitate* nimirum *fraternâ*, hoc est, fidelium, qui unum habent per Christum patrem cœlestem, Matth. 22. v. 8. 9. unamque matrem Ecclesiam, Hierosolymam cœlestem Galat. 4. 26. In qua dilectione duo requirit, nempe ut sit *mutua* & *seria* ac vehemens. Similis locus est 1. Petr. 1. 22. Quam dilectionem effectis declarat.

Nam quartò præcipit, ut honorem aliis exhibeamus, animo videlicet & corpore. Illo quidem, honestè de illis sentiendo: hoc verò verbis & factis honorem exhibendo. Verbis quidem; cum apud eos, ut humaniter & modestè loquamur: tum apud alios, ut vitia eorum quantum quidem fieri potest, tegamus, & virtutes commendemus. Factis verò, ut gestu, incessu, consessu, opera, eos decorè cohonestemus. In quo honore duo etiam præscribit: primum, ut sit mutuus; deinde ut serius: de quo similiter Philipp. 2. 3. Atque hic honor sicut dilectionis nostræ effectum est: sic aliorum mutuæ efficiens, v. 10.

Quinto alterum dilectionis effectum exigitur, studium videlicet in dilectionis officiis præstandis: cujus adjunctum remotione vitii & positione virtutis adversę exponit: nam *pigritiam* prohibet, & contrà *fervorem studii* præcipit. Similes loci sunt 2. Cor. 7. 11. 12. & 8. 7. 8. Hebr. 6. 10. 11. 12. Verum anticipatione quadam à fine ultimo illustrat, sexto præcepto, *ut Domino serviamus*. Qua ratione zelus bonus à vitioso secernitur v. 11.

Atque hisce charitatis erga proximum officiis, quæ ad secundam tabulam pertinent, interserit etiam alia præcepta tria, quæ ad charitatem Dei & primam tabulam spectant, ac potissimum nostrum, in rebus adversis officium: nempe de spe, patientiâ, & in precatione perseverantia, vers. 12. de quibus Rom. 5. Luc. 18. & 1. Thessal. 5. v. 16. 17.

Deinde redit ad dilectionem proximi, & præceptum addit geminum: cum decimo loco, *beneficentiam* commendat erga fideles egenos: & undecimo, *hospitalitatem* erga peregrinos vers. 13. similes loci sunt Gal. 6. vers. 10. Hebr. 13. 2.

Duodecimum præceptum est de dilectionis officio, in eos, qui nos persequuntur, vers. 14. de quo Matth. 5. vers. 44.

Decimum tertium est, de gratulatione, in rebus prosperis: & decimum quartum, de commiseratione in adversis: quæ communiter ad συμπάθειαν referuntur v. 15.

Decimum quintum præceptum est de mutua fidelium concordia: de qua etiam Phil. 2. v. 2. quæ cum maximè violetur superbiâ, & arrogantiâ: & contrà humilitate foveatur ac modestiâ:

Decimum sextum, de iis præceptum annectit v. 16. Deinde cum concordia rumpi soleat, aliorum injuriâ, & impatientia nostra:

Deci-

Decimum septimum præceptum opportunè subjicit, de inimicitiarum tolerantia: quod duodecimi præcepti Paulini genus est.

Decimum octavum est de honestæ vitæ cura v. 17. similis locus est Phil. 4. 6.

Decimum nonum de concordia non solum cum Christianis, ut antea, sed etiam cum quibusvis colenda: quod primùm illustratur adjuncto efficiendi modo, ***quantum in vobis est***, hoc est, pro virili: deinde hac conditione *si fieri potest*, bonâ scilicet conscientiâ, ad gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationem, v. 18.

Porrò decimum septimum repetens illustrat & probat seqq. nam prohibet *vindictam*; & præcipit *ut locum dent iræ:* vel Dei: vel potius, hominum iræ cedant patientiâ sua victrice, ne resistant referendo injuriam: quia vindicta ad Deum pertinet, & eam exequetur tandem: quemadmodum testimonio Dei ex Deut. 32. comprobat v. 19.

Deinde contrà beneficia erga injurios præcipit, sententia Salomonis Prov. 25. 22. qua ab effecto præceptum confirmat; quia beneficia illa futura sunt instar *carbonum ignis*, quibus non ira Dei: ut nonnulli non satis rectè exponunt, (quia hoc spectare, charitati repugnaret) sed conscientiæ stimuli, similitudine ac metaphorâ eleganti intelliguntur: ut rectè Orig. & Primasius interpretantur v. 20. & Apostoli præceptum ostendit, quod ex hoc deductum, postremò subjicitur: *Ne vincitor à malo, sed vince bono malum.* Vincitur enim à malo, qui ad malefacta imitanda protrahitur. Vincit vero bono malum, qui adversarium beneficiis molliorem & meliorem reddit. v. 21.

CONSECTARIA.

I. AMica compellatio ac preces, in exhortationibus, ad pios fideles, magnum habent momentum.

II. Doctrina de misericordia Dei & gratuita salute, est gravissimus ad gratitudinem & vitam rectè instituendam stimulus: ideoque falluntur Pontificii, qui contrà Ecclesiis nostris objiciunt, eam doctrinam vitæ licentiam ac bonorum operum neglectum invehere.

III. Ut Christus, sic Christiani omnes sacerdotes sunt & victima: sed ille solus est expiatoria: nos verò Eucharistica tantùm victima, cum veterem hominem mactamus, ut Deo consecremur.

IV. Ut Deo placeamus, potissimùm elaborandum est, vers. 1.

V. Non ad mundi mores: sed ad Dei voluntatem vita nostra instituenda est.

VI. Cum & corpus & mentem Deo consecrare debeamus: sequitur nos totos debere esse Deo addictos: nec sufficere, ut animo tantùm colamus: quemadmodum pseudo-Nicodemitæ falsò sibi persuadent, dum externis superstitionibus, persecutionis pontificiæ metu, libere indulgent.

VII. Cum mens nostra transformatione opus habeat: sequitur, qualitatem illius non esse bonam, hoc est, judicium in cognitione & cultu Dei esse depravatum: ideoque errare Pontificios, qui vitiositatem insitam minuunt, & arbitrii sui vires extollunt: nam si mens transformanda, non soli affectus sunt vitiosi.

VIII. Deinde cum mens etiam fidelium reformatione & renovatione opus habeat: sequitur regenerationem & sanctificationem nostram esse inchoatam solùm, non perfectam.

IX. Atque hinc etiam liquet Paulum, Rom. 7. v. 25. non intelligere mentem infidelium, sed fidelium: & quidem tantùm, quatenus regenerata est per spiritum, seu regenerationis gratiam: quia mens nostra, ut voluntatem Dei probare possit, reformatione opus habet, quatenus non est regenerata ac sanctificata: non autem quatenus regenerata: quia hac ratione voluntatem Dei probat, cui servit. Rom. 7. 23.

X. Quamvis regenerationis principium sit à solo Deo, ut qui mortuos in peccatis vivificat, & cæcos illuminat: progressus tamen, licet præcipuè sit à Deo gratiam datam conservante & augente; partim tamen est à nobis, qui ex gratia data ad carnem reprimendam fide, spe, charitate & precibus excitamur: ac propterea non frustrà ad renovationem nostri admonemur.

XI. Cum voluntas Dei sit bona & perfecta: eam tanquam vitæ normam necessariam sequi, nostramque voluntatem, quatenus ei adversa est, abnegare decet. v. 2.

XII. Ministerium Ecclesiæ Dei donum est: ideoque fideliter illud, ad Ecclesiæ institutionem, adhibendum.

XIII. Deus bonorum author est, quæ ut variè, sic impari ratione, pro sua voluntate sapienti & Ecclesiæ totius utilitate, fidelibus distribuit.

XIV. Modestia animi & humilitas Christianos potissimum decet, v. 3.

XV. Cum unum simus in Christo: concordes esse nos oportet, & ad mutuam salutem dona nostra conferre, vers. 5.

XVI. Doctrina Ecclesiæ ad normam fidei seu verbum Dei exigenda est; ideoque traditiones humanæ, quas tantopere prædicant & extollunt Pontificii, tanquam cum sacris literis, partem normæ fidei & charitatis, rejiciendæ sunt, quæ aut contra verbum, aut præter illud conscientiis obstringendis proponuntur, v. 6.

XVII. Cum Deus non Prophetas solùm extra ordinem: sed etiam pastores, doctores, seniores, pauperum curatores in Ecclesia instituerit: sequitur benignum omninò esse patrem, qui non solum animum pietate instruit ad salutem: sed etiam corporis diligentem habet rationem & curam, v. 8.

XVIII. Qui simulatè diligunt, non verè diligunt.

XIX. Etsi digni sint multi, quibus malè fiat: indigni tamen sunt christiani, qui malefaciant, v. 9.

XX. Amandi sunt quidem omnes homines universè sed tamen potissimum fideles, qui arctioribus amoris vinculis nobiscum constricti sunt.

XXI. Zelus ille demum bonus est, quo Domino servimus secundum verbum & ab gloriam illius.

XXII. Ab invidia & odio nos alienos esse decet, v. 15.

XXIII. Paci studendum est, sed usque ad aras. Quamobrem malè omnino faciunt, qui offensione Dei pacem hominum redimunt.

XXIV. Nulla major est & excellentior victoria, quàm injustam suam iram superare patientia, & hostis malitiam beneficiis subjugare ac corrigere, v. 21.

CAPUT. XIII.

HÆc de præceptis Ethicis: sequuntur politica, de officio erga Magistratum cap. 13. ad v. 8. Quæ constant propositione, confirmatione & conclusione. Propositio est: ut omnes homines suis Magistratibus obediant. Confirmatio autem complectitur tres rationes, prima est à causa efficiente Deo, *à quo & sub quo* Magistratus, tanquam minister illius, ordinatus est, v. 1.

Ideoque qui sese opponit Magistratui, Dei ordinationi resistit. Altera ab effecto, pœna secutura à Deo, tum per Magistratum, ut ministrum suum, tum aliâ ratione, v. 2

Tertia denique, ab utili laude & defensione Magistratus, vers. 3.

Quam rationem confirmat descriptione Magistratus ex instituto Dei, & à contrario illustrat pari modo, v. 4.

Conclusio continetur vers. 5. & exemplo Romanorum probatur v. 6. Quæ conclusio expositione declaratur per inductionem specierum obedientiæ v. 7.

Deinde redit Apostolus ad præcepta Ethica transitione eleganti, qua ad mutuam dilectionem hortatur: ac probat, primum à definitione: quia est impletio legis nempe secundæ tabulæ, v. 8.

Quam inductione præceptorum confirmat v. 9. Et enthymemate concludit, v. 10.

Secundò dilectioni studendum docet, à causa impulsiva, opportunitate temporis, quod nunc donati sint luce vera cognitionis Dei, qua olim caruerant. Quam rationem allegoria & similitudine illustrat, comparans vitam Christianam excitationi à somno, deinde armaturæ v. 11. 12.

Denique idem argumentum ad alias virtutes accommodat,

dat, sobrietatem, castitatem & concordiam vers. 13. & 14.

CONSECTARIA.

I. Cum omnis anima Magistratui suo subesse debeat: sequitur neminem excipi: & injustum esse Pontificem qui se & Clerum Magistratus potestati subduxit, & Clerum sibi subjecit. Qua de re observanda est gravissima & Pontificiis maxime adversa, apud Chrysostomum in hujus loci explicatione, sententia.

II. Cum Magistratus sint sub Deo ordinati; sequitur, eos Deo subesse debere: nec quicquam præcipere, quod illius voluntati adversetur.

III. Ideoque Magistratui etiam parendum est; modò parere possimus Deo.

IV. Cum omnes potestates ac Magistratus sint à Deo: orandus est ille, ut bonos & idoneos Magistratus, qui ordinem suum rectè considerent & exequantur, nobis largiatur, v. 1.

V. Ordinationi divinæ resistere impunè non licet, v. 2.

VI. Qui bonis sunt terrori, malis verò favent: Magistratus officio malè funguntur.

VII. Magistratus officium est bonos tueri, & bonum ac salutem Reip: fideliter procurare, v. 3.

VIII. Cum Magistratus sit minister Dei, à Deo ordinatus, & gladium divinitus acceperit, ut malos puniat ac bonos tueatur ac defendat; inde elucet, seditiosos ac Dei adversarios esse Anabaptistas, qui ordinationi divinæ resistunt, & hoc munus religioni Christianæ adversari statuunt: ut enim in Veteri Testamento, Decalogo, occidi prohibuit, nimirum privatim & sine mandato atque officio divino: publicè verò malos plectendos Magistratui mandavit: sic etiam in N. T. ut Apostolus docet.

IX. Ut Deo pareamus, parendum est etiam Magistratui.

X. Onera publica patienter ferenda sunt.

XI. Qui in tributis aut vectigalibus Magistratum fallunt, in Deum ipsum injurii sunt; ac propterea graviter impingunt, qui avaritia & aliorum malis exemplis excæcati illud parvi æstimant, quasi furtum non esset, si imperata tributa non rectè solvantur, v. 6.

XII. Etsi illi qui in Magistratu sunt, interdum honore ob vitia indigni sunt: honorandi tamen nihilominus, propter munus, quod sustinent, v. 7. Ubi etiam obiter observandum, articulum præpositivum Græcum pro postpositivo accipi quater, τῷ pro ᾧ, id est, *Cui.* quomodo etiam Luc. 22. 28. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν pro ὃ ὑπὲρ ὑμῶν, id est, *quod*, accipiendum est: non autem ad ποτήριον, cum Luthero, in majori confessione, referendum, quasi articulus esset præpositivus, neque posset cum voce αἷμαν ob casus diversitatem construi: ideoque apud Lucam non est Solœcophanes, ut Clarissimus Beza ad eum locum aliique nonnulli existimarunt: cum ista articuli enallage, non solum poëtis: sed etiam oratoribus Græcis sit in usu: quale est tritum illud τὸ δὲ μέγιστον, pro ὃ δὲ *quod maximum:* ut apud Lucianum in dialogo *Jovis* & *Ganymedis* & alibi: & apud Platonem aliosque usitatum.

XIII. Dilectio perpetuum est debitum, quod semper solvendum est, neque unquam tamen plenè persolvitur atque absolvitur, v. 8.

XIV. Cum perfecta dilectio, sit legis impletio, nos autem in multis legem transgrediamur: sequitur, nullos perfecta dilectione esse præditos v. 10.

XV. Infideles laborant veri Dei ignorantia & stupore: ideoque etiamsi mundana sapientia excellerent, & opibus atque honoribus viderentur felices, nihil illis tamen esset miserius.

XVI. Etsi salus nostra affecta seu inchoata sit: perfecta tamen nondum est: Tenebræ bona ex parte pulsæ; sed nondum penitus expulsæ.

XVII. Omnes Christiani Deo militare debent: ideoque eâ quæ ad Ephes. 6. v. 12. & 1. Thes. 5. v. 7. describitur atque imperatur, armaturâ, Deo serviendum.

XVIII. Non possumus simul Christo & carni, quorum contraria sunt desideria, inservire.

XIX. Communio nostri cum Christo cœpta est fide & charitate, & iisdem continuanda, v. 14.

CAPUT. XIV.

Hactenus præcepta politica: sequuntur hoc capite decimo quarto ad cap. 15. v. 11. ceremonialia: quæ ut melius intelligantur, pauca prius *de libertate Christiana* præmittemus.

Libertas Christiana est immunitas, quâ Ecclesia, per Christi gratiam, donata est. Ea autem est duplex: una à peccati: altera à ceremoniarum legalium servitute: illa est verè Christianis propria, qua à peccati reatu immunes sunt merito & efficacia Christi: ideoque omnibus & solis omnium temporum fidelibus convenit; hæc verò est totius Ecclesiæ post Christi resurrectionem, propria: qua à ceremoniarum Mosaicarum jugo liberata est; ac propterea tam pseudo-Christianis & hypocritis, quam verè Christianis ac fidelibus convenit. Priorem libertatem omnes post Christum fideles satis intellexerunt: alteram verò plurimi, præsertim Judæorum, serius assecuti sunt; quod ceremonias divinitus institutas & tam multis seculis observatas, nec à Christo neglectas, dum viveret, compertum haberent: quare ceremonias legis, seu discrimen ciborum & dierum adhuc observabant: aut si quando aliorum exemplo negligerent, dubitante conscientia id faciebant: atque hinc, conspectâ cœterorum Christianorum, in ceremoniis hisce negligendis, libertate, offendebantur graviter: unde contentiones inter Christianos exortæ sunt, (qua etiam de re Actor. 15. sub initium) non parvâ veritatis & Christianæ charitatis jactura, siquidem doctiores, ab infirmis, hoc est, rudioribus, quasi prophani arguebantur; hi verò contrà ab illis, ut superstitiosi contemnebantur. Quod malum geminum, hoc in loco, curare studet Apostolus in ceremoniis: & utriusque partis officium tam in ciborum, quàm dierum discrimine promiscuè docet. Ac doctiorum officium, in utroque, exhortatione gravi proponit v. 1. & exponit sequentibus.

Ac primum in ciborum discrimine. Et quidem quos *firmos*, quosque *infirmos* vocet, distributione quadam Ecclesiæ demonstrat, v. 2.

Deinde quid sit *assumere non ad certamina disceptationum*, partim ostendit, repetita exhortatione, nimirum infirmum tolerare, non condemnare, initio v. 3. Postea transit ad infirmorum erga firmiores officium: ne illos, pro libertate Christiana, utentes cibis olim lege vetitis, jam verò licitis, condemnent. Utrumque autem officium duabus confirmat rationibus; quia & infirmum & firmum *assumsit Deus*, scilicet in suam familiam & Ecclesiam, non autem ab ea rejecit: ideoq; nec vobis faciendum, sed Deus imitandus. Altera ex priori dependens ratio per apostrophen & interrogationem amplificatur: quia alienus est famulus, quem condemnare injustum: quia proprii sui Domini judicio stat, aut cadit, non tuo. Hoc autem illustrat correctione quadam *stabilientur autem.* quod de verè fidelibus: non autem de hypocritis (quibus salutis promissio minimè competit) accipiendum est. Atque hanc stabilitatem à causa efficiente, Dei potentia, probat: qua, per Synecdochen (quod observandum) voluntatem quoque (ut Rom. 11. 23. & 2. Cor. 9. 8. & 2. Tim. 1. 12.) complectitur, v. 4.

Porrò à ciborum ceremoniis ad dierum discrimen accedit Apostolus: & altera Ecclesiæ distinctione ostendit, qui firmi, qui infirmi. Denique utrosque ab officium bonæ conscientiæ hortatur, ut eorum unusquisque in animo suo plenè certus sit, ea, quæ facit, Deo esse grata, v. 5.

Hanc vero hortationem & antecedentem confirmat Apostolus à fine: quia utrique in illis rebus mediis negligendis, vel utendis, spectant Christi gloriam. Quod ab effecto, nempe gratiarum actione probat. Quare conscientia debet esse tranquilla, & à contemptu & à damnatione fratrum aliena, v. 6.

Deinde hunc finem probat à contrarii remotione generali: quia nullus fidelium *sibi*, hoc est, ad suam libidinem, & ut sibi placeat, vivit aut moritur: nimirum si jus spectemus, v. 7.

Idque

Idque ex fine ostendit opposito; quod totam vitam, omnes actiones & mortem ipsam Christo Domino nostro servire oporteat. Quam sententiam corollario amplificat, quâ concludit nos esse Christi servos, v. 8.

Idque confirmat (ut 1. Cor. 6. 19. 20.) quia hic finis & effectum est mortis ac resurrectionis Christi, v. 10.

Atque hac transitione ad propositum redit, reposita dehortatione, quàm duplici ratione, ex antecedentibus hausta, corroborat: quia tam contemptus infirmorum, quàm damnatio firmorum repugnat charitati, tam erga Christianos, quam erga Christum: quoniam hæc judicandi potestas ad Christum pertinet, qui communis est omnium judex, in cujus officium involare summa injustitia est, v. 10.

Idque docet testimonio Esaiæ enthymemate quodam, cujus antecedens est v. 10. consequens, v. 11.

Porrò superiorem exhortationem concludit & novam adjungit ad firmos & doctiores: ne in iis rebus mediis scandalum creent infirmis: quod epitheto *fratris*, qui non lædendus, iterum confirmat. Deinde illustrat anticipatione objectionis: Sublata legis pædagogiâ, per Christum, nullus cibus est impurus: Ergo intrepidè ac promiscuè eo uti licet, etiamsi infirmiores offendantur. Resp. Apostolus negatione consequentiæ. Quam distinctione antecedentis indicat: quia cibus nullus jam est impurus, hoc est, ad esum illicitus per se, vers. 14. sed impurus fit per accidens: quia infirmus ignorat libertatem Christianam v. 14. atque eo offenditur. Itaque offensio hujusmodi vitanda est. id quod aliis rationibus etiam innuit. Quarum prima est, quod charitati fraternæ repugnet: nam infirmum perdit: non quidem absolutè: sed secundum quid, inchoatè, quod charitatem illius & fidem lædat, etiamsi non prorsus tollat. Altera ratio est, quia mortis Christi fini, & exemplo charitatis adversatur v. 15. Tertia est, quia libertatis Christianæ, quæ aliàs bona est, abusu, blasphemandi occasionem suppeditat. Quarta, quia *regnum Dei non consistit in esca & potu*: sed *in justitia, pace & gaudio*, ac tranquillitate conscientiæ, *per Spiritum Sanctum. Regnum* autem *Dei* non vitam æternam hoc loco significat; sed initium illius, nempe Dei cultum: quo in nobis regnat, per sanctificationis gratiam; sic ut versu sequente explicatur, cum dicitur *Nam qui per hæc servit Christo*. Cui relatè opponitur, quod Deus & Christus in nobis regnant. Deinde *justitiam, pacem & gaudium*, de Christi imputata justitia, pace cum Deo & gaudio, quod ex utriusque conscientia oritur, vulgò intelligunt: quæ quidem sententia sancta est & analoga fidei: sed non satis videtur analoga hujus loci contextui: ideoque magis consentaneum, ut aliter interpretemur, accommodatè ad hunc locum: nimirum *de justitiâ*, qua suum cuique tribuitur, ut infirmo amor & tolerantia: cui justitiæ opponitur, *non incedere secundum charitatem* v. 15. de *pace* cum hominibus, de qua v. 19. & de gaudio seu conscientiæ tranquillitate, ex utroque, justitia & pace hac, promanante: cui opponitur *tristitia* v. 15. Idque ex collatione sequentium etiam apparet: nam per hæc servire Deo dicimur vers. 18. quod de justitia imputativa dici non potest. Sensus igitur hujus loci est: cum in cibo & potu cultus Dei non consistit: Ergo possumus, justè, ab iis, fratrum gratiâ, abstinere: imò, cum per hanc abstinentiam, foveatur inter fideles justitia, pax, & gaudium per Spiritum Sanct. (in quibus cultus Dei consistit) sequitur abstinentiam hanc, ubi opus est, esse sequendam, ne in has virtutes & harum authorem Spirit. S. peccemus. Antecedens continetur v. 17. probatio illius v. 18. Consequens, repetito etiam argumento, v. 19.

Quinta autem ratio est: quia, qui edit cum offensione infirmi, destruit (nempe inchoatè & quantum in se est) opus Dei, justitiam, charitatem, & pacem ac gaudium. Huic porrò rationi adjicitur repetitio clarior anticipationis antea explicatæ, omnia, nempe esculenta, pura esse & bona per se: sed malum eorum usum fieri per accidens offendiculi, v. 20. Quod illustrat à contrario; bona est cibi & potus abstinentia, quando scandali periculum est, vers. 21. Hoc autem amplificat anticipatione objectionis, quæ hujusmodi est: Ego fidem habeo: Ergo eam profiteri possum ac debeo, usu libertatis Christianæ. Quæ objectio indicatur illis verbis: *Tu fidem habes*. Sed respondet Apostolus negando consequentiam: *apud temetipsum habe, coram Deo:* non necesse est, eam ita profiteri importunè. Cæterum vocem *fidei* quidam per synecdochen interpretantur, de notitia libertatis Christianæ, quod ex v. 14. confirmari videtur, & similibus illustrari 1. Cor. 8. 7. Alii de fide justificante, non simpliciter, sed κατ' ἐξοχὴν, nempe de pleniori notitia & fiducia gratiæ Christi: cujus pars etiam est libertas à ceremoniis legis. Verum si quis rectè consideret, prior explicatio magis convenit loci circumstantiis. Deinde observandum est, hanc conservationem fidei, de libertate Christiana, apud semetipsum, non absolutè intelligendam: sed secundum quid, & certo tempore, nempe in rebus mediis, & quidem cùm infirmi adsunt.

Porrò Apostolus transit deinde ad infirmorum officium, quod primùm generatim proponit: *Beatus est*, inquit, *qui non damnat seipsum in eo, quod probat*, hoc est, experitur: seu qui nihil aggreditur repugnante aut dubitante, an licitum sit, conscientiâ: quod iis contingit, qui ut aliis gratificentur, aut alia de causa, contra conscientiam, aliquid comedunt. v. 22.

Idque illustrat atque amplificat à contrario: *qui contra ambigit*, de libertate Christiana, *si ederit, condemnatus est*; hoc est, peccati convictus est. Hoc autem confirmat à causa efficiente: *quia non edit ex fide:* seu certa notitia voluntatis Dei. Consequentiam probat, *quia quicquid non ex fide est, peccatum est*, hoc est, quod incerta & dubitante conscientia fit, peccatum est, v. 23.

CONSECTARIA.

I. Fidelium certi gradus sunt, quidam firmi, atque ampliori gratia donati: alii infirmi. Quare non est, cur omni sententiarum varietate offendamur.

II. Firmorum est, infirmos in rebus mediis tolerare.

III. Errant graviter, qui ex hoc loco, quosvis in Ecclesia errores, pacis gratia, perferendos colligunt: quia Apostolus agit non de contumacibus & falsis fratribus, nec de rebus necessariis: sed de infirmis fratribus & rebus mediis.

IV. Importunæ & noxiæ disputationes fugiendæ sunt: & doctrina ad captum atque ædificationem auditorum sanctè accommodanda est. v. 1.

V. Ut periti, per accidens vitii humani, solent rudiores contemnere: sic hi contra illos temerè condemnare: utrimque verò contra officium.

VI. Qui veram habet fidem, quamvis infirmam, Deo placet. v. 3.

VII. Nihil injustius, quam fidelium facta, pro suo arbitrio, sine Dei verbo, condemnare: nam si ex eo, judicium instituatur, recto modo & fine, non humanum erit & injustum: sed justum ac divinum.

VIII. Nihili facienda sunt anathemata & condemnationes Pontificiorum & aliorum, qui piorum facta, quæ Dei verbo consentanea sunt, aut saltem non adversa, sed adiaphora, condemnant.

IX. Quemadmodum initium salutis à Deo est: sic progressus & finis.

X. De perseverantia & salute Sanctorum non est dubitandum. v. 4.

XI. Ineptè quidam, ad festa & jejunia Pontificiorum probanda ac delectum ciborum, hoc loco abutuntur: nam res mediæ, quæ initio à Deo ad cultum erant institutæ, cum contumaci superstitione non sunt confundendæ.

XII. Donorum Dei usus gratiarum actione sanctificatur. v. 5. 6.

XIII. Finis actionum nostrarum esse debet Domini gloria: Quare turpiter impingunt, qui eo non respiciunt.

XIV. Cum Christi simus in vita & morte: sequitur ei nos servire debere: & certa spe vitæ æternæ res adversas constanter perpeti, v. 7. 8.

XV. Gratuita per Christi obedientiam ac mortem salus non facit segnes ad bona opera: sed promptos reddit, vers. 9.

XVI. Cha-

XVI. Charitas fraterna postulat, ut honestè de fidelibus sentiamus, ac benè de iis speremus.

XVII. Duplex hoc in loco divinitatis Christi argumentum existit: primum, quia judex est omnium & quidem καρδιογνώστης, ut judicium tale necessariò requirit, & alibi etiam vocatur: Deinde, quia nomen & honor Dei, ex Esaia, ab Apostolo citato, Christo attribuitur.

XVIII. Quandoquidem tandem universale futurum est judicium: vivendum est piè & res adversæ patienter ferendæ: quia eundem habituri sumus & judicem & servatorem. v. 10. 11. 12.

XIX. Cum in rebus mediis ac licitis vitandum sit scandalum; quanto magis in illicitis, v. 13.

XX. In rebus sacris, non quibusvis credendum: sed iis solum, qui à Christo edocti, certa proferunt. v. 14.

XXI. In rebus mediis, charitas proximi actionum nostrarum moderatrix esse debet.

XXII. Fidelium salus nobis debet esse cordi, v. 15.

XXIII. Grave peccatum est, blasphemiis occasionem non necessariam præbere; gravissimum verò eas committere, v. 16.

XXIV. Cum omne ciborum discrimen, Christi adventu, ratione conscientiæ sublatum sit; Errant gravissime Pontificii, qui in eo regnum Dei, bona ex parte constituunt: adeò ut carnis esus, in quadragesima, gravius sæpius puniatur, quàm peccata gravia. v. 17.

XXV. Etsi operibus bonis non mereamur vitam æternam; ea tamen non sunt inutilia & negligenda: quia placent Deo & hominibus.

XXVI. Vera gloria in vitæ sanctitate posita est.

XXVII. Hominum gloria non est aucupanda ambitiosè: interim hominum judicia non sunt stultè contemnenda: sed honestæ famæ, ut proximo simus gratiores atque utiliores ad Dei gloriam, studendum est, v. 18.

XXVIII. Cùm pax cum proximo, non solum amanda sit, sed etiam sectanda: sequitur, eos graviter peccare, qui ab illa abhorrent. v. 19.

XXIX. Fides & salus fidelium est Dei opus. v. 20.

XXX. Nihil faciendum est reluctante, aut, an rectum sit, dubitante conscientia.

XXXI. Cum opera Ethnicorum non fiant ex fide, & agnitione Dei, ac voluntatis illius, sequitur ea esse peccata: eadem etiam ratione ἐθελοθρησκεία & superstitiosa opera condemnantur: quia non solum fiunt sine fide; sed etiam contra fidem, quam sacræ literæ postulant.

Appendix de Scandalo.

Quoniam Rom. 9.3. & 11.9. Apostolus scandali meminit, & hoc cap. 14.13. & 16.17. de scandali fuga multa differuntur, quæ brevius à nobis sunt explicata: idcirco cum primis necessarium videtur, ad hujus epistolæ & aliorum S. Script. locorum intelligentiam, ut celebrem illam *de Scandalo* doctrinam corollarii loco, paucis illustremus.

Ut autem à vocis significatione & origine fiat exordium: σκάνδαλον, Græcam esse vocem (cujus meminit Hesychius & Etymologicum magnum) Sacræ Scripturæ & septuaginta Interpretibus & theologis Græcis peculiarem, quæque in profanis authoribus nondum observata fuit, extra controversiam est: quamvis in usu fuisse olim apud Græcos, ex derivata voce σκανδάληθρον, & forte Latino *scandulæ*, (quod à scindendo vel scandendo deducunt) ostenditur. Quam vocem, duo vetera & laudatissima, ab Henrico Stephano edita glossaria, inflexâ ad Romanæ linguæ morem terminatione, *scandalum* exponunt, voce (ut apparet) ab antiquis Patribus latinis & Ecclesiæ usu recepta. Eâ enim etiam Tertull. cùm alibi, tum libro *de velandis virginibus* cap. 3. utitur. Vulgo etiam *offendiculum* interpretantur. Et Melancht. in epistolam ad Rom. 14. rectè *tendiculam* verti censet.

Ad significationem ejus propriam quod attinet, (ut ex Hesychio & Favorino apparet) idem significat, quod σκανδάληθρον, hoc est, *tendiculæ* aut *muscipulæ obicem*, sive *erectum paxillum, qui sustinet muscipulam, & à mure aut alio animali commotus labitur, eique collabendi occasionem præbet*. In Sacris tamen Literis, per Synecdochen, generalius de *quovis obice vel impedimento, quod offensionis ac lapsus occasionem præbeat*, accipitur. Quo sensu Synonymum est Hebræum מכשול, & Græcum πρόσκομμα *offendiculum*: sed propriè differunt: ut Erasm. aliique non pauci statuunt: quod scil. πρόσκομμα levius sit, quod offensionem tantum afferat: scandalum verò gravius, quod etiam ruinam secum ferat: licet hæc interdum confundantur: quemadmodum Levit. 19. 14. *coram cæco non pones* מכשול, septuaginta habent σκάνδαλον.

Etymologia vero seu nominis ratio nondum satis explorata est: quæ tamen non inutiliter excuti potest. Quidam enim originem statuunt esse Hebræam: ut Avenarius, qui in dictionario suo, in voce כשל *impingere*, ait satis acutè: *hinc per metathesin literarum* σκῶλον *offendiculum*: item σκάνδαλον. Alii contra Græcam putant, & plerique sequuntur authoritatem Suidæ & Favorini (qui quantum observo, suam sententiam, ex interprete Aristophanis, in Comædia, quæ Ἀχαρνῆς dicitur, mutuati sunt) qui derivant à σκάζω, id est, *claudico*: ut etiam Etymologicum Græcum ait σκάνδαλον παρὰ τὸ σκάζω, ὃ σημαίνει, χωλαίνω. Vulgò autem ab effecto sic vocari σκάνδαλον censent, quod scil. claudicationis & lapsus causa sit: quæ sanè ratio est Hebrææ vocis מכשול, quæ à כשל *illidere ut decidas*, (ut derivata ostendunt) significat offendiculum, quod eunti obstans occasio est cadendi. Atque hoc quoque spectasse videtur Hieron. qui in dialogo 2. adversus Pelagianos sic ait: *nisi fallor* σκῶλον (pro qua voce malè in quibusdam codicibus legitur σκόλιον) & σκάνδαλον *apud Græcos, ex offensione & ruina vocem accepit*. Idque etiam Erasmus in suis ad hunc locum annotationibus apertè statuit. Veruntamen alia est, si quis perpendat diligenter, Græcorum Grammaticorum, Suidæ, Favorini, & interpretis Aristophanis, loco ante memorato, sententia. Hic enim significationem & originem vocis σκανδάληθρον (quæ significatione & origine cum *scandalo* convenit) exponit, τὰ στίπυες τῶν παγίδων ἀπὸ τοῦ σκάζοντα συμπίπτειν, καὶ κρατεῖν τὸ ἐμπεσόν, hoc est, *standulas seu paxillos tendicularum seu laqueorum, ab eo, quod claudicantes concidant & teneant id, quod inciderit*. Quæ quidem verba Suidas exscripsit, sed omissa eâ, quæ ad rem maximè facit, voce σκάζοντα, librariorum, ut puto, errore. Qua de re observanda est Pollucis in Onomastico illo insigni ad Cæsarem Commodum explicatio lib. 7. cap. 26. *Faber* inquit, *conficiat muscipulas*, μυάγρας ὧν τὸ ἑστάμενον τι καὶ σκαζόμενον πατταλίον: τὸ δὲ τῇ σπαρτίῳ προσηρτημένον σκανδάληθρον καλεῖται, hoc est, *quarum pars stans & claudicans* παττάλιον; *sed quod funiculo appensum est*, σκανδάληθρον *vocatur*. Et lib. 10. cap. 34. generalius ait, τὸ μέντοι ἐνεστάμενον ταῖς μυάγραις παττάλιον, σκανδάληθρον καλεῖται, id est, *stans autem in muscipulis paxillus* σκανδάληθρον *dicitur*. Hæc ille. Quæ vox sanè ἀπὸ τοῦ σκανδάλου dicta. Sed etymon traditum nondum comperi: an forte simplex, aut compositum potius, à σκάνδαλον & στροῖω, id est, *turbo*. de qua re doctiores judicent.

Ex quibus apparet, eam Græcorum esse sententiam, quod *scandala* à σκάζω, deriventur, non ratione effecti sui, ut vulgo statuunt: sed ratione adjuncti, quod scilicet erecta facili momento declinent & quasi claudicent ac concidant. Deinde illud etiam ad significationem plenius intelligendam colligitur, hanc vocem non solum *paxillum muscipulæ* denotare: sed etiam generalius ad *obicem decipuli & tendiculæ perticam seu furculam, quâ retia feris eriguntur*, extendi. Unde septuaginta interpretes, per Synecdoc. partis pro toto, pro *laqueo* seu *tendicula* crebrò usurpant. Nam pro Hebræo מוקש quod *laqueum* seu *tendiculam* designat, non solùm παγίδα καὶ βρόχον, Prov. 22. v. 25. sed eodem etiam sensu σκῶλον aut σκάνδαλον vertunt, ut Exod. 10. vers. 7. & 1. Sam. 18. v. 21. Psal. 69. v. 23. & ex eo Rom. 11. v. 9.

Atque hæc de prima Etymologia, ex linguæ Græcæ origine. Alteram etiam adducit doctissim. Melanchton Rom. 14. *Dicitur*, inquit, *de scandalo* à σκάζω *claudico*: *vel à* σκαμβὸν, *quod curvum significat*. Eamque conjecturam probat ex commentatore Aristophanis, qui ait σκανδάληθρα significare *incurva ligna in decipulis*. Sed prior expositio, ut communi

communi doctorum judicio & antiquissimorum doctorum probatur, ita etiam longè verisimilior est. Atque hactenus propriam vocis *scandali* significationem & originem ac notationem, (quæ ad genuinam significationem declarandam pertinet) explicavimus. Impropria verò in metaphorâ consistit: nam quemadmodum *allisio* & *lapsus*, ad quamvis calamitatem seu perditionem inexpectatam significandam, similitudine eleganti transfertur Esa. 59. 10. & *laqueus* passim pro tecta & insidiosa occasione illius: ita & *scandalum*, translatione quadam, accipitur, pro perditionis materia & occasione quavis, præsertim latente (ut Prov. 16. 15. Ps. 119. v. 156. מכשול *scandalum* opponitur voci שלום *paci*,) interdum quidem pro occasione perditionis externæ & corporalis, nempe amissionis vitæ & bonorum: quæ significatio in N. Testam. minimè usurpatur: sed in Vet. frequentissimè: ut Ps. 140. v. 6. pro מוקשים *laqueis*, interpretes 70. Græci habent σκάνδαλα: plures locos ante annotavi: interdum pro occasione perditionis boni spiritualis sumitur: qua nimirum in hujus vitæ via, à veritate & justitia, eoque & à gratia & gloria Dei, in peccatum & consequenter in iram Dei, inciditur: quæ significatio usitatissima est. Cæterum quia hoc spirituale scandalum alii faciunt, alii patiuntur: hinc *scandalum* à Scholasticis, in *activum*, quod ruinæ seu peccati occasio est: & *passivum*, quod ipsa ruina est seu peccatum, distinguitur: veruntamen hæc trita vulgo distinctio nondum è Sacris Literis videtur satis probata: nam quod verba Christi (unde distinctionem hanc collegerunt) objiciunt; *hac nocte vos omnes scandalum patiemini in me* Matth. 26. v. 31. illud nihil probat: in Græco est σκανδαλισθήσεσθε, id est, *vobis futurus sum scandalo*, meâ scilicet captivitate.

Quemadmodum enim *scandalizare*, ut sic loquar, est scandalum facere: sic *scandalizari* est scandalo affici ac moveri, non tanquam adjuncto hominis & motus forma: sed tanquam commoti objecta materia & occasione motus: solum igitur activum scandalum, si Scripturæ usum spectemus, agnoscendum, nempe offendiculum: non autem passivum, quippe quod scandali atque offendiculi non species aut forma: sed effectum est: ideoque non *offendiculum*, sed *offensio* dici debet: quemadmodum peccatum ita describitur Jac. 3. v. 2. *in multis impingimus, seu offendimus omnes*. Fateor tamen, Hieronym. in alia fuisse sententia; sed eam rationibus, seu testimoniis certis non demonstrat: sic enim loquitur Comment. in Matth. 15. *Breviter dicamus, quid significet* σκῶλον (corrigendum est σκῶλον) & σκάνδαλον: *nos offendiculum vel ruinam & impactionem pedis possumus dicere*. Et lib. 2. adversus Pelag. ait, *Impossibile est inquit*, (nempe Christus Luc. 17.) *ut scandala non veniant: puto quod peccatum scandalum sit, quod per scandalum venit, nisi fallor enim* σκῶλον *&* σκάνδαλον, *apud Græcos, ex offensione & ruina nomen accepit: propterea in multis offendimus omnes*. Hactenus Hieron. Veruntamen licet Christus *scandali* voce peccatum intelligat: tamen appellationis illius ratio non est, quod peccatum in se sit scandalum, hoc est, offensio: sed quod proximo occasionem ruinæ seu peccati præbeat: quemadmodum loci circumstantiæ demonstrant: ut & 1. Joh. 2. vers. 10. *Et scandalum*, id est, peccatum, quo proximus offenditur, seu cujus occasione in peccatum labitur, *non est in eo*: unde metonymicè scelerati ac reprobi *scandala* dicuntur Matth. 15. v. 41. quia peccatis suis proximo illisionis ac lapsus causam præbuerint. Deinde ex vulgi usu, scandalum passivum dicitur alio sensu, nimirum non peccatum, quod scandali occasione oritur: sed indignatio ex re aliqua, tanquam scandalo concepta, hoc est, cum aliquam rem tanquam Dei voluntati repugnantem ægrè ferimus: quemadmodum etiam apud Latinos *offendi*, non solum lædi, sed etiam irasci denotat. Huic accedit quorundam etiam doctorum interpretum consensus, qui idem tribus Sacræ Scripturæ testimoniis probare conantur: quorum primum est Matt. 15. v. 12. *Nosti Pharisæos, audito sermone isto, scandalizatos fuisse*, hoc est, contristatos, tanquam re contraria pietati: alterum est Joan. 6. v. 61. *An hoc vos scandalizat?* hoc est, tanquam impiè dictum dolori est vobis? tertium est Rom. 14. 15. *Si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur*, hoc est, ut v. 20. exponitur, *offenditur*.

Veruntamen hæc interpretatio hisce in locis non ita admittenda est: nam ut omittatur, quod interpretatio illa vulgi hac in re nimis aliena est, (quæ *scandalizari*, non *contristari*: sed *indignè ferre* exponit) illud observandum est generatim, novam significationem, in sacræ præsertim scripturæ interpretatione, non esse fingendam, nisi ubi necessitas postulat: atqui Matth. 15. sensus est commodissimus, servata communi vocis significatione, quod Pharisæi in Christi sermonem impingentes, ab ipso magis ac magis abalienati sunt. Sic Joann. 6. vers. 61. quærit Christus, *an vobis hoc offendiculo est*; an sermo meus vos à me audiendo absterret? seu, an impedit, quo minus inoffenso pede, in mea doctrina & institutione procedatis? quemadmodum apparet ex versus initio, & sequentibus. Denique contristari & scandalizari Rom. 14. non pro eodem sumuntur: hoc enim genus est: illud vero species; nam scandalizari est in aliquam rem impingere & in cursu pietatis impediri: quod *perire* dicitur, v. 15. & *destructio operis Dei*, v. 20. cujus rei variæ sunt species & modi: quales hoc loco ad Rom. recensentur, ut v. 14. & 15. *tristari re bona*. v. 16. *eam blasphemare*. & 23. (ut etiam in simili loco 1. Cor. 8. 10.) *reluctante conscientia exemplum alterius imitari*.

Ex quibus apparet *scandali* vocem, in Nov. Testamento non passivè: sed activè tantùm usurpari: ideoque nec cum Scholasticis: nec cum vulgo, passivum scandalum (si Scripturæ usum sequamur) esse appellandum.

Ad activum igitur scandalum (quod potius generatim vocandum est scandalum) quod attinet; quidam Chrysostomum, Theophylactum aliosque nonnullos secuti existimant, interdum significare *injuriam*, idque probari censent ex Matth. 18. vers. 6. *qui autem scandalizaverit unum*, hoc est (ut volunt) injuria aliquem affecerit: idque ex antithesi liquere ajunt: quia *suscipere parvulos*, quod benefacere est v. 5. & *scandalizare*, hoc est, malis afficere v. 6. inter se opponuntur. Ac sic Chrysost. ad hunc locum ait: *ne mireris, si scandali vocabulo contumeliam & vituperationem intellexerit; cum multi propter pusillanimitatem non parum, si contempti vituperatique sint, scandalizentur*. Ergo ex Chrysost. sententiâ, scandalum pro injuria dicetur per metony. effecti pro causa. Verum novâ atque inusitata hac significatione non est opus: quia oppositio nihilominus manet: nam scandalum injuriæ species, meritò susceptioni, quæ beneficii species est, opponitur: & sequentes versus idem ostendunt: ubi scandali vox eodem prorsus sensu accipitur: quapropter rectius longè Hieron. hunc locum exponit in Matth. 15. *Quando ergo legimus*, inquit, *quicunque de minimis istis scandalizaverit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto factove occasionem ruinæ cuiquam dederit*. Ex quibus verbis trita *scandali definitio* à Scholasticis conflata est, insertis tantum duabus vocibus, hunc in modum: *Scandalum est dictum vel factum minus rectum, quod alteri occasio est ruinæ*. Sed hæc definitio videtur imperfectior & angustior; quia scandalum non solum in dictis vel factis: sed etiam in contrariis consistere potest: quemadmodum enim dicta esse possunt scandala: sic interdum etiam silentium, ubi sermonem, pietatis aut charitatis officium, requirit: deinde ut quædam facta: sic quædam etiam perpessiones, re aut proximi opinione indignæ, sunt scandala: deinde non in hisce solum: sed etiam in personarum insita qualitate, aut externa conditione scandalum nonnunquam existit: ut ex seqq. apparebit: præterea ut de scandalo per se illa definitionis verba minus rectè dicuntur; sic scandalo per accidens non satis conveniunt. Generalius igitur describi potest, *scandalum esse id, quo quis impeditur aut impediri potest, quominus inoffenso pede in lege Dei ambulet*: seu *quicquid proximo, vel causa vel occasio esse potest ad peccatum*. *Peccati* autem nomine non solum injustitiam voluntatis: sed etiam mentis errorem, & utriusque effecta generatim intelligimus: quia hæc omnia sunt ἀνομία Matth. 22. v. 37. unde per metonymiam, is à quo scandali occasio est, *scandalum* dicitur, ut Matth. 13. v. 41. Ut autem occasio peccati,

cati, alia est per se: alia per accidens: ita scandalum est duplex: primum per se, quod natura sua, hoc est, vi insitâ, occasio peccati esse potest: unde *scandalum datum* vulgò dicitur; de quo multis agitur à Christo Matth. 18. Atque ad eum locum à Chrysostomo in commentar. non ineptè describitur. *Quænam*, inquit, *sunt scandala*? *recta ac probæ vitæ confusio ac perversio: sic etiam qui versantur in scena, eos, qui corpora pervertunt, scandala vocant. Perversionem* autem metonym. vocat ab effecto, id quod pervertit: cujus scandali authores præcipui sunt reprobi: unde etiam per metonymicũ & simul per Synecdoch. modum, τὰ σκάνδαλα, *scandala* absolutè dicuntur Matth. 13.41. cum alii relatè, certoque respectu sic dicantur: quemadmodum Apostolus Petrus scandalum Christo Matth. 16. vers. 25. nominatur: propterea quod ipsum sua imprudenti ac prava dehortatione, in pietatis officio procedentem, & ad mortem se parantem, secundum Dei Patris voluntatem, impedire conaretur: etsi non successerit destinatum scandali effectum. Scandalum autem per se aliud est *simpliciter seu omnino tale*: aliud verò *secundum quid*, seu *ex parte tantum*. Prius est, quod ratione & formæ suæ & finis scandalum est, seu occasio peccati: ut omnia peccata, in doctrina aut vita, quæ eo fine fiunt, ut sint veluti pedicæ, quibus imprudentes capiantur, & quasi saxa objecta, ut in ea impingant aut etiam corruant; hoc est, quæ eò spectant, ut alios reddant deteriores invitatione quadam, ad peccati ejusdem imitationem aut alterius perpetrationem: cujusmodi scandalum objectum fuit Israelitis à Balaamo & Balaco: de quo Apoc. 2. versu 14. dicitur, quod *Balaam docuit Balacum objicere scandalum coram filiis Israel, ut ederent ex iis, quæ simulacris immolabantur & scortarentur*. Scandalum verò ex parte est illud, in quo vitium seu peccati occasio tantum est, aut in forma operis, aut in fine operantis. Prius est, res per Dei verbum illicita, quæ cum aliorum notitia fit, sed alio scopo, quam ut ad peccati societatem invitentur: seu omne peccatum aliis notum, sed non ideo, ut id sit peccandi occasio, admissum. Alterum est res licita seu media, (& ut Paulus eo sensu Rom. 14. 16. appellat *bona*) hoc animo, seu fine facta, ut alius in eum impingat & in peccatum ruat: aut saltem cum neglectu ædificationis eorum, qui infirmi sunt in fide: unde ab objecto isto, *scandalum infirmorum*, quod eos lædat, dici solet: de quo multis disseritur Rom. 14. & 1. Cor. 8. quibus in locis agit Apostolus de recto libertatis Christianæ usu ad ædificationem Ecclesiæ. Nam sancito jam Christi sanguine Novo Testamento & abolita ceremoniarum Veteris Testamenti tanquam umbrarum religione, exhibito jam corpore Christo, liber erat ciborum quorumvis usus & sublatum circumcisi & incircumcisi discrimen: quam tamen libertatem Christianam plurimi Judæi Christiani nondum capiebant: ideoque à cibis lege vetitis (præsertim à carnibus quæ immolatæ idolis in macello deinde vendebantur) & ab incircumcisis abhorrebant. Unde fiebat, ut si quis ex Christianis, neglecta infirmorum fratrum dilectione & ædificatione, iis cibis vesceretur, duplex inde infirmis scandalum objiceret, nempe occasionem vel discordiæ ob ceremonias neglectas, Rom. 14. vers. 15. vel læsionis conscientiæ & offensionis Dei; si similem libertatis usum imitarentur, dissimili fide, hoc est, renitente scrupulo conscientiæ, Rom. 14. vers. 23. 1. Cor. 8. 9. 10. & 18.

Porro scandali per se, *effectum* est *necessarium* violatio legis & meritum iræ Dei, Matth. 18. v. 6.

Contingens verò, proximi læsio, perditio. Quod enim datur scandalum, illud interdum accipitur: interdum contra rejicitur, ut Matth. 16. vers. 23. in Christo, Petri scandalum retundente, apparet: quoniam quamvis sit causa lapsus efficiens: non tamen sufficiens: sed præterea, ut voluntas proximi accedat, necesse est.

Scandalum verò per accidens est, quod non sua natura peccatum efficit: sed cui tantùm alterius vitio peccatum accedit; unde etiam *scandalum acceptum* dicitur; non absolutè: sed relatè, seu oppositè dato, hoc est, quod non datur: sed tantum accipitur ut Rom. 7. vers. 11. dicitur, simili phrasi, *peccatum occasione accepta, per mandatum, me decepit*.

Hoc autem scandalum fit bifariam, cum res, quæ ad scandalum & ruinam accipitur, aut sua natura, Dei verbo, hoc est, veritati & mandato consentanea est, eoque bona; aut non prohibita, ac propterea licita ac media, spectans ad Dei gloriam & majorem Ecclesiæ ædificationem. De quo agitur, Matt. 11. 6. & 13. 21. 55. 57. & cap. 15. 12. & 24. 10. & 26. 31. Joann. 6. 61. 16. 1. & 1. Cor. 1. 23. Quo vitio etiamsi laborare possint pii & impii dispari modo: interim tamen, quia Pharisæis fuit familiare, *scandalum Pharisaicum* vulgò, nominatur.

De qua re tota, eleganter, ut solet, loquitur Tertull. de velandis virginibus c. 3. *Scandalum nisi fallor non bonæ rei: sed malæ rei exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem.* Hæc ille. Atque hoc sensu Christus in Veteri & Novo Testamanto sed dispari claritate, *Petra scandali* per appositionem, hoc est, quæ scandalum est, hominum vitio, appellatur. Esa. 8. v. 14. Rom. 9. 33.

Diximus de scandalo per se & per accidens: quorum utrumque communiter, pro ratione objecti, aut *privatum* est, quod uni, aut paucis objicitur: aut *publicum*, quod toti cœtui.

Usus denique totius hujus doctrinæ, est non solum ut in veræ doctrinæ seu Sacræ Scripturæ intelligentia: sed etiam in vitæ sanctitate proficiamus. Hinc enim consequitur nulla scandala per se, quia peccata sunt, esse facienda Matth. 5. 30. & 18. 8. & 9. Rom. 14. 13. 1. Cor. 8. 9. 1. Joh. 2. 19. Ac propterea, quæ omninò scandala sunt, ea etiam omninò vitanda: quæ verò ex parte, etiam eatenus fugienda: cujus rei exempla illustria extant in Paulo Act. 16. 3. & 21. v. 24. Quia vero interdum in re media utrimque occurrit scandali periculum: hæc regula observanda, ut quemadmodum supra monuimus, majorem ædificationem sequamur: hoc est, si quando in rerum adiaphorarum seu licitarum atque mediarum usu, utrimque scandalum infirmorum metuendum est, tum potior habenda est ratio rectè sentientium, quam errantium; quandoquidem illud magis conducit ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ. Ac quamvis, dum infirmis sanioribus consulitur, reliqui negligantur: hic tamen neglectus, non est absolutus & per se: sed tantum comparatus & propter aliud: ac propterea vitio caret: imò quod amplius est, virtus est: qua in re, insignis licet Apostolus, Petrus, cum Barnaba, impegit, quando per imprudentem zelum, potiorem habuit infirmitatis Judæorum errantium curam, quàm rectè de libertate Christiana sentientium Ethnicorum Gal. 2. v. 14. quo etiam nomine merito ab Apostolo Paulo, licet longe juniore in publico consensu, ad Ecclesiæ confirmationem, reprehensus.

Ad scandalum verò per accidens quod attinet: siquidem ex ignorantia simplici oritur, quatenus fert rei natura & conscientia, secundum Dei verbum, illud declinare pium est; sic in rebus necessariis & verbo Dei mandatis, circumstantia temporis & loci non definiti divinitus, potest esse libera: in qua, ex amore proximi, si quid inde majoris mali arripi, quam boni consequi posse videatur, prudentia & moderatione Christiana proximo, in tempore & loco indulgendum est: donec videlicet institutio accesserit: similiter in rebus sua natura mediis: quoniam hæc charitas suadet. Sin verò scandalum sit Pharisaicum ex ignorantia pertinaci, quàm affectatam & crassam vocant, aut ex malitia promanans, contemnendum est, Matth. 15. 13. Gal. 2. vers. 5. Qua de re celebris est Gregorii Magni sententia in Ezech. homil. 7. quæ inserta etiam est regulis libri 5. decretali: quanquam Bedæ ascripta. *In quantum*, inquit, *sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus: si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.* Et alibi, *sunt quædam scandala*, inquit, *quæ omninò despicienda sunt. Quænam vero? quæ cum vitari sine culpa non possint, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur.* epist. lib. 9. epist. 39. Denique in scandalis nobis aut aliis objectis imitatio omnis fugienda: quan-

quandoquidem legi Dei adversatur. Rom. 16. v. 17. scandalizare enim interdum bonum esse potest: ut ex scandalo per accidens apparuit: scandalizari verò nunquam. Deinde contrà adhibenda est seria, cùm ex zelo gloriæ Dei & salutis proximi adversus peccatum, indignatio: tùm erga proximum peccantem commiseratio. 2. Cor. 11. v. 24. Atque hactenus de doctrina scandali, ad pleniorem Apostoli intelligentiam.

CAPUT. XV.

POstquam Apostolus cap. antecedenti de libertatis Christianæ recto usu, & firmorum inprimis erga infirmos officio disseruit: de eodem porrò agit, & admonitionem propositam cap. 14. v. 1. aliis verbis & clarius reponit cap. 15. Quæ constat hortatione ad bonum & dehortatione à malo. Hortatio est, *debemus nos qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare.* Infirmitas autem est vel mentis, seu judicii, quæ est ignoratio veritatis; vel voluntis, quæ est aversio à vero & bono; eaque aut ex ignorantia, aut pravitate. Priorem intelligit κατ' ἐξοχὴν Apostolus: nam qui scientes volentes veritatem aversantur, eos infirmis non annumerat, sed hostibus: quorum improbitati minimè credendum: ut Gal. 2. v.4. & 5. suo exemplo Apostolus demonstrat. Dehortatio verò est, *ne placeamus nobis ipsis*, hoc est, ne simus superbi & injusti aliorum contemptores, vers. 1.

Deinde hortationem illustrat à fine, nempe bono & ædificatione proximi, v. 2.

Præterea hanc exhortationem confirmat Apostolus ab exemplo Christi Domini nostri imitando, Phil. 2. vers. 5. qui sibi non placuit; sed Dei & hominum gratia, contemptum pertulit: quod testimonio Ps. 69. v. 10. comprobat, quo David suam calamitatem proximè atque historicè describit, & per historiam mediatè, tanquam typo prophetico, Christi perpessionem simul adumbrat. Cœterum huic argumento adjicitur digressio, quæ constat anticipatione & voto. Primum enim hoc testimonium de exemplo Christi, illustrat anticipatione objectionis, quâ docet, illud ab instituto non esse alienum, proposito fine universæ scripturæ, cùm generali & propinquo; tum speciali & remoto. Generalis ac propinquus *est nostri institutio.* Quæ cum latissimè pateat (ut 2. Timoth. 3. v. 15. & 16. apparet) modus illius particularis describitur, nempe *patientia & consolatio illius*, hoc est, per Metony. doctrina & exempla patientiæ & consolationis, quæ Sacra Scriptura suppeditat. Specialis verò & remotior usus ac finis est *spes nostra*: quæ ista & doctrinâ & exemplis, Sacrâ Scripturâ traditis, excitatur ac fovetur. Deinde votum annectit Apostolus, quo Romanis à Deo precatur concordiam, Christi doctrinæ & exemplo convenientem, vers. 5. Idque à fine, Dei gloria, amplificat. vers. 6.

Atque hæc digressio est: cui aptè succedit ad propositum regressio, qua repetit & amplificat hortationem, ab exemplo Christi allatam. v. 7. eamque innuit distributione fidelium, in Judæos & gentes: & expositione modi, quo utrosque assumpsit in gloriam Dei. Nam primo assumpsit Judæos (qui per Meton. adjuncti pro subjecto *circumcisio*, hoc est, circumcisi Synecdochice dicuntur, κατ' ἐξοχὴν: quia non hominum instituto, ut Ægyptii ac similes: sed Dei jussu circumcisi erant) quia factus est eorum minister, in Euangelii prædicatione & morte. Deinde assumsit ad gloriam Dei: quia veritatem promissionum divinarum patribus factarum (Gen. 22. *in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* & 49. *erit exspectatio gentium*) confirmavit, v. 8.

Secundo assumsit gentes: quia sic factus est Judæorum minister; non solum ut illi, sed etiam ut gentes, eorum ministerio, per auditionem Euangelii & fidem servarentur, ad Deum, pro misericordia ipsius, glorificandum. Hoc autem, quia controversum erat apud multos, probat testimoniis Sacræ Scripturæ quatuor, à v. 9. ad 13. Quorum primum est ex Ps. 18. 50. *propterea confitebor tibi inter gentes, & nomini tuo psallam*: quod quidem immediatè ac proximè à Davide, de seipso dicitur: quod Deum inter devictas gentes, v. 1. esset celebraturus: mediatè vero ac typo prophetico (cum David Christum adumbrarit) de Christo, per Apostolos, Deum inter gentes celebraturo intelligitur. Quo dicto vocatio gentium non obscurè indicatur, v. 9.

Alterum est, quod *rursum dicit* (nempe Scriptura Sacra, Deut. 32. 43.) *gaudete gentes, cum populo ejus.* Unde etiam sequitur vocandas gentes v. 10.

Tertium ex Ps. 117. v. 1. *Laudate Dominum omnes gentes & collaudate ipsum omnes populi, hic* v. 11.

Quartum denique est ex Esa. 11. longe expressius: *Erit radix Jessæ, & qui exurgat ad imperandum gentibus: in ipso gentes sperabunt.* Quæ omnia manifestè satis, gentes ad Dei Ecclesiam vocandas, indicant: de quibus locis, si quis plura desideret, consulat parallela sacra Cl. Doct. Francisci Iunii.

Denique tractationem, quæ secunda hujus epistolæ ac primaria pars est, finit Apostolus precibus suis: quibus ea, quæ Romanis fideliter præceperat, iisdem, Christianæ charitatis affectu, optat à Deo, nempe gaudii, pacis, fidei ac spei abundantiam: cujus causam efficientem indicat Spiritum Sanctum. v. 13.

Atque hactenus secunda principalis hujus epistolæ pars, *Tractatio* nimirum doctrinæ fidei & vitæ Christianæ, explicata est, cui tertia adjungitur, nempe Conclusio. Quâ primum agit de sua persona, hoc reliquo capite: deinde verò de aliis cap. 16. Ad prius quod attinet: primùm anticipatione quadam objectionis, causas scriptionis hujus epistolæ adfert: primùm à suo de iis judicio, & à fine: quod non ut eos doceret primùm (quippe de quorum bonitate & scientiâ idonea ad se mutuo monendos esset persuasus. v. 14.) sed eo fine, ut doctos commonefaceret, seu nota in memoriam revocaret, scripserit libere. Nam quod ait, τολμηρότερον *audentius*, illud non dicitur, quasi culpam agnosceret in excessu commisso: sed tantum absolute libertatem suam testatur: quia vox comparativa pro positivâ usurpatur more Græcis Latinisque frequenti: ut τολμηρότερον *audentius* nihil aliud sit, quam τολμηρῶς *audenter, liberè*: ut res ipsa arguit: quia Apostolus scripsit ex instinctu Sp. S. qui audendo modum excedere non potest, neque excessum, cum vitium sit, aliis inspirare. Si cui tamen videatur exponendum comparatè: tum non absolutè, sed relatè exponat necesse est: quod scilicet audentius scripserit, quàm aliàs facturus esset, si tantùm esset ordinarius Ecclesiæ pastor, non autem Apostolus. Cœterum Paulus hujus suæ audentiæ causam impulsivam esse docet, muneris sui rationem, nempe Apostolatum suum: unde id juris habeat & oneris divinitus impositi.

Apostolatum autem suum commendat primum generalius v. 15. cum ex gratia Dei datum ostendit. Id quod intelligitur non solum communiter cum reliquis Apostolis, quod sit donum immeritum: sed etiam peculiari ratione, quod sit contra mala, antecedentia conversionem, merita: siquidem hostis Ecclesiæ fuerat capitalis & horrendus persecutor.

Deinde primarium Apostolatus finem exponit, nempe ministrare Christo, prædicatione Euangelii, inter gentes: ut eas quasi oblationem, per sanctificationem Spiritus, Deo gratam offerret. v. 16.

Deinde v. 17. specialius ad v. 22. in ea commendatione muneris sui procedit: ut hac ratione, authoritatem suam stabiliret, adversus pseudo-apostolorum calumnias. Et ut Romanos in vera fide confirmaret, effecta ministerii sui describit, posita in gentium conversione, cùm verbis tum factis admirandis atque efficacibus, v. 18.

Ac facta quidem miracula sunt, nempe *virtus signorum* ac *prodigiorum*: cujus authorem Sp. S. statuit: quod illius efficacia ea evenerint. Verba verò seu prædicationem Euangelii describit ab insigni amplitudine ac fructu, quod ab Hierosolymis ad Illyricum usque (vicinam Italiæ regionem) circumquaque Euangelio impleverit, vers. 19.

qua de re consulenda sunt Acta Apostolorum, in quibus Pauli peregrinatio describitur.

Ne quis verò illi objiceret, aut cogitaret, cur ad nos etiam non venisti vicinos Illyrico; aut etiam antea? causam esse ostendit, zelum Euangelii prædicandi, in iis locis, ubi magis erat necessarium: nimirum ubi nondum erat prædicatum Euangelium, & cognitionis Euangelii fundamenta nondum per Apostolos jacta, hoc est, ut Ecclesia magis amplificaretur vers. 20. quemadmodum antea prædictum fuerat per Esaiam, c. 52. Hæc de v. 21.

Atque ea de causa sæpius impeditum, sese, ne veniret ad ipsos v. 22. desiderasse id tamen à multis annis, & jam impedimentis remotis v. 23. spem sui ad Romanos adventus præbet v. 24. ad 30. Et ad eam rem gravi obtestatione, precum subsidium postulat ab iis, adversus hostes Iudæos v. 30. & 31. ac mutua, pro iis, precatione concludit, v. 32.

CONSECTARIA.

I. PRoximo placendum, sed in bonum, & ut vulgo dicitur, *usque ad aras*, hoc est, ne cultus Dei violetur.

II. *Ædificationis* vox innuit, fideles esse templa Dei, ut alibi docetur, quæ extruuntur doctrinâ verbi divini, & exemplo vitæ Christianæ, v. 1. & 2.

III. Rectè vulgo dicitur, *omnis Christi actio*, (nempe quæ secundum commune nobiscum officium præstita est) *est nostra instructio*, v. 3.

IV. Peccant Enthusiastæ, qui Scripturas solis infirmis datas statuunt: cum Paulus generatim dicat, ad nostram doctrinam pertinere.

V. Nihil possumus in pietatis studio, sine Dei auxilio: quamobrem ab eo totos nos pendere decet.

VI. Cum Paulus Romanos ad officium hortetur, idemque à Deo simul precetur: inde concluditur, ea inter se non pugnare.

VII. Concordiæ norma est Christus & gloria Dei: quocirca errant graviter, qui omnes religiones pacis causa ferendas esse contendunt, v. 5. & 6.

VIII. Finis Christianismi est agnitio & prædicatio misericordiæ divinæ, v. 9.

IX. Fides, gaudium & pacem mutuam, gignit.

X. Fides, spes, charitas à Deo donantur, & augentur, eademque in nobis perpetuo opus habent incremento v. 13.

XI. Omnes admonitione mutuâ egemus, v. 14. & 15.

XII. Gloriari licet de benefactis, modo id fiat verè, deinde humiliter, sine aliorum contemptu ac sine arrogantia; & opportunè, cum usus Ecclesiæ & innoxium indignè traducentium adversariorum calumniæ hoc extorquent; denique bono fine, ut Dei gloria illustretur & salus proximi juvetur. Qua ratione gloriatus est Paulus, v. 17.

XIII. Finis ministerii Ecclesiastici est fides in Christum, v. 18.

XIV. Pauperum cura necessaria & honesta est, v. 25. & 26.

XV. Preces fidelium pro se mutuò sunt arma potentissima; ac propterea sedulo iis est incumbendum. v. 30.

COROLLARIUM ad v. 19.

HIsce jam explicatis, non alienum erit ab instituto nostro, si distinctè ad illustrationem v. 19. pauca, quasi corollarii loco, de σημείων καὶ τεράτων, hoc est, *signorum & prodigiorum*, (quorum facta est mentio) discrimine adjecero: præsertim cum eorum frequens omnino extet in S. literis mentio: ut Matt. 24. 24. & Marc. 13. 22. Act. 2. 19. & 43. & alibi: ac vulgò ferè obiter tantùm ea attingatur. σημεῖον autem à σῆμα, quod etiam *signum* notat, derivat Etymologicum Græcum. σῆμα autem à σῶ τὸ ὑγιαίνω, etymi ratione obscura, deducit: Pagnini verò lexico Hebraico à סימן Hebræo, per apocopen, deducitur. Τέρας verò etymologicum idem ab εἴρω *dico* derivat: unde futurum ἐρῶ; quod ut ait, *per signa & τέρατα vates futura dicant*, sed quid si fortasse potius à τείρω in futuro τερῶ, id est, *tero, contero*, oriatur; quod prodigia homines terreant. Hebræis Deut. 13. v. 1. אות או מופת, id est, *signum* aut *prodigium* similiter junguntur. אות, id est, *signum*, vox primitiva, ut vulgo statuunt; quidam tamen ab אתה, *venire*, deductum volunt, quod rei venturæ sit index: aut potius generalius, quod rem signatam in notitiam aut memoriam venire faciat, מופת verò *prodigium*; quam vocem lexicographi vulgo à יפת inusitato verbo: alii verò à יפה, id est, *pulcher fuit*, per antiphrasin quandam deducunt. Sed neutrum videtur necessarium: quia כוכב *stella*, & similia, sunt radices; sic & מופת esse potest. Hæc de Etymo.

Ad significationem verò quod attinet, σημεῖον propriè signum generatim significat qualecunque: ut Matth. 26. v. 48. & Luc. 2. v. 12. Rom. 4. v. 11. Deinde per Synecdochen in Sacris literis usitatam, σημεῖα *signa*, dicuntur opera, quæ naturæ vires, excedunt, extraordinaria: unde, quoniam admirationem excitant, *miracula* latinis & ab Euangelista, Græcè θαυμάσια, eodem modo appellantur, ut Matt. 21. v. 15. Τέρατα verò propriè *prodigia* (etsi Synecdochicè apud profanos authores generatim interdum signa notent) significat. Ad distinctionem verò quod attinet, Etymologicum magnum Græcum in voce τέρας ait: διαφέρει δὲ σημείου. τέρας λέγεται τὸ παρὰ φύσιν γινόμενον πρᾶγμα. σημεῖον δὲ τὸ παρὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν γινόμενον; hoc est, *differt autem à signo. τέρας enim est res quæ præter naturam facta est; signum verò, quod præter communem consuetudinem fit*. Verùm, ut alia omittam, illud Sacr. literarum usui non satis convenit. Verum enim est, τέρας propriè esse rem quæ præter naturam fit: sed *signum* etiam per synecdochen acceptum idem notat.

Distinctio autem per se est, quod *signum* propriè generale est: per synecdochen verò speciale: quemadmodum utriusque ordine exemplum extat 2. Corinth. 12. vers. 12. *Signa Apostoli facta sunt in vobis* (hoc est, documenta indicantia) *in omni tolerantia, in signis & prodigiis*. τέρας verò seu *prodigium* propriè speciale est. (& in eo convenit cum signo, per Synecdochen accepto) miraculum. Sed differentia est, cum inter se distinguuntur, ut *signa* notent miracula, non horrenda, sed reliqua: non autem ut τέρατα, quæ horrenda, & ad terrendum, aut etiam puniendum pertinent. Quemadmodum signa vocantur, *aquæ in vinum mutatio*, Ioan. 2. 11. *sanatio filii aulici verbo*, Ioan. 4. v. 54. *ægrorum sanatio*, Ioan. 6. v. 2. *& quinque panum ac duorum pisciculorum nutriendis quinque virorum millibus admiranda multiplicatio* Ioan. 6. v. 14. *visus cæco restitutio* Ioan. 9. v. 16. *Lazari à mortuis suscitatio*, Ioan. 11. v. 18. sic Marci 16. v. 17. *signa* vocantur, *ejicere dæmonia, loqui linguis novis, serpentes tollere, & si quid lethale biberint, non lædi; ægros, manus imponendo, sanare*; & similia alibi.

Contra vero τέρατα videntur esse, quæ distinctè à signis dicuntur φόβητρα *terriculamenta*, Luc. 21. v. 11. *Erunt terriculamenta & signa è cælo magna*: sic de Christo dicitur, *declaratum à Deo signis & prodigiis, quæ fecit per ipsum Deus*. Ad prodigia pertinere videtur, quod *cohortem militarem verbo in terram projecerit* Ioan. 18. v. 6. sic ad τέρατα pertinet, quod *Ananiæ & uxori ipsius in Spiritum Sanct. mentientibus Petrus verbo mortem inflixit* Act. 5. 5. & 10. unde v. 11. dicitur, *& magnus ortus est metus in tota Ecclesia & omnibus, qui ista audierant*. & v. 12. additur, *per manus verò Apostolorum fiebant signa & prodigia, in populo, multa; & erant uno animo in portico Salomonis: reliquorum* vero (nempe hypocritarum, ut v. 14. comparatus ostendit) *nemo audebat se iis adjungere*: quod sanè non à signis, quæ consolantur beneficiis: sed à prodigiis, quæ terrent pœnis, factum colligitur: sic Moses, cum prima, ad fidem verbis suis faciendam, ederet miracula, apud populum, *mutatio virgæ & manus ipsius, signum* fuit nempe אות: cùm verò variis ac stupendis plagis afficeret Ægyptios, fuerunt מופתים *prodigia*.

Atque hæc de distinctione vocum, quibus miracula hoc loco denotantur, sufficiant.

Dividi autem possunt miracula, in ea, quæ simpliciter, & in ea, quæ secundum quid tantùm sunt miracula. Simpliciter sunt, quæ & ratione rei & ratione modi efficiendi miracula omnium creaturarum vires superant: ut suscitatio mortuorum, visus propriè cæci restitutio: quæ infinitæ tantum potentiæ effecta. Secundum quid verò miracula

sunt

sunt ea, quorum res seu effectum vires naturæ non superat; sed faciendi modus: ut febris socrus Petri à Christo, Marc. 1. v. 31. curatio, medicorum quidem & medicinæ vires non excessit quantum colligi potest: sed efficiendi modus quod tactu manus & momento facta.

Deinde miraculorum causa efficiens alia principalis est, alia instrumentalis: illa est, cujus potentiâ fiunt: hæc vero sunt illi, qui secundum promissionem, ea à Deo fide impetrant & imperant tantùm, unde Deus causa exequens: ministri vero Dei causa instrumentalis impetrans dici possunt. Sic Christus secundum divinam naturam, utpote omnipotentem, Lazarum suscitavit vi sua: secundum humanam verò naturam, id non effecit vi sua naturali: sed à Patre impetravit Joan. 11. v. 41. & imperavit v. 43. sic Petrus, miraculi per se editi, causam esse testatur, non suam potentiam, ut causam patrantem, sed impetrantem: & quidem non pietatis suæ præstantia Act. 3. v. 12. sed fide promissionis: Christum verò causam patrantem ibidem asserit v. 16. Atque ita discrimen inter Apostolorum & Christi miracula observandum, ut Marc. 16. 20. Act. 14. 3. nam Christus in terris versans, non solum, ut dictum est, miraculorum suorum causa fuit instrumentalis, qua homo: sed etiam principalis, quatenus Deus ea operans propriâ insitâque divina sua potentia. Luc. 6. 19. *Virtus ex eo exibat, quæ sanabat omnes.* Marc. 5. 30. Virtus è Christo exivit, quæ sanavit mulierem sanguinis profluvio laborantem. Ideoque miracula Christi fuerunt signa Deitatis personæ ipsius, & hunc hominem Jesum esse Christum filium Dei, Joan. 20. 31. Apostolorum verò miracula declarârunt, ipsos esse ministros illius: Jesum verò esse Christum, Act. 3. 16. 28. & 4. 10.

Atque hæc breviter de miraculis, signis ac prodigiis.

CAPUT XVI.

Superiori capite egit Apostolus de sua persona: hoc verò 16. de aliis. Ac primum commendat Phœben v. 1. & 2. deinde fideles certos nominatim salutat, ac laudat, ut benevolentiam & gratitudinem suam erga eos testetur: & reliquos ad amorem & imitationem eorum provocet, inde ad v. 17.

Tertiò monet, ut observent ac vitent falsos doctores v. 17. quos describit à fine & effectis, v. 18. & anticipatione objectionis causam admonitionis explicat, v. 19. & promissione consolatur, votumque repetit, v. 20.

Quartò salutationes aliis ascribit ad v. 24. inde voto & gratiarum actione concludit reliquo capite.

Cœterum gratiarum actio Dei gloriam optat, per Jesum Christum: & gloriæ causas exponit descriptione Dei, cui tribuit epitheta duo, *potentiam & sapientiam. Potentiam* quidem, *quod possit Romanos stabilire*, hoc est, in vera fide & gratia salutari conservare: quo Synecdochicè, ut aliâs in similibus ostendimus, voluntatem simul complectitur. Hoc autem probat à testimonio divino, nempe *Euangelio suo*, hoc est, sibi commisso & per se prædicato. Quod exegeticè definit, cùm *præconium Jesu Christi* nominat: & describit, ad Ecclesiæ institutionem & consolationem, ab adjunctis, obscuritate in Veteri Testam. & claritate in Novo. Arcanum enim fuit, quod à temporibus secularibus tacitum, non quidem simpliciter & absolutè: sed comparatè & secundum quid: quia in Vet. Testam. doctrina salutis per Christum fuit quidem in Judæa, Judæis prædicata, Ps. 147. 19. 20. Act. 14. 16. Eph. 2. 12. & 13. sed comparatè, cum Euangelii claritate & promulgatione inter omnes gentes, Mat. 28. v. 19. Eph. 3. 5. 6. 7. meritò latuisse dicitur. Deinde secundum quid, seu ex parte etiam latuit, ratione doctrinæ, de vocatione gentium, abolitis ceremoniis legalibus. Norant enim Judæi, ex diserta S. literar. authoritate, fore ut etiam gentes ad communionem salutis per Christum vocarentur, ut Gen. 22. *in semine tuo benedicentur omnes gentes*: & alibi similes extant promissiones; sed prius putabant circumcisione & ceremoniis Judaicis, in corpus populi Judaici esse inserendas: ideoque illa demum erat controversia, utrum gentes sine circumcisione possent servari, nec ne, qua de re Act. 15. 1. Atque hac duplici ratione, Euangelium appellatur *arcanum*, non solum secundum quid, ut nonnulli arbitrantur: sed etiam comparatè: ut ex similibus etiam locis colligitur Eph. 3. v. 9. Colos. 1. 26. 2. Tim. 1. v. 9. Tit. 1. 2. Hanc autem Euangelii revelationem primùm à subjecto declarat, *omnibus gentibus:* deinde à causa efficiente, cùm instrumentali, *Scriptura prophetica:* tum principali, *imperio Dei*; denique à fine, *obedientia fidei*. Hæc de primo Dei epitheto, nempe *potentia*. Alterum est *sapientia*: quæ soli Deo ascribitur κατ' ἐξοχὴν accepta; quia primùm & per se ac perfectissimè infinitè sapiens est, & sapientiæ fons: ut non tam sapiens sit, quàm sapientia.

Consectaria.

I. Omnes Christiani amore & honore digni sunt: maximè verò qui publicam in Eccl. functionem obeunt.

II. Auxilio nostro adesse debemus quibuscunque: sed præsertim benè meritis.

III. Hospitalitas laudem meretur & Christianis cum primis convenit.

IV. Officia charitatis à Christianis fiunt in nomine Domini: eaque ratione etiam ab Ethnicorum virtutibus, distinguuntur, v. 2.

V. Beneficia accepta gratis animis prædicanda sunt.

VI. Nulla, conservandæ Ecclesiæ gratiâ, pericula detrectanda sunt, v. 4.

VII. Cum Ecclesia in privata domo esse possit: errant illi qui eam magnificis templis astringunt.

VIII. Qui primi Euangelium amplexi sunt, non exiguam laudem merentur, si modò in officio perstent, v. 5.

IX. Non est cur dissidiorum aut scandalorum ortu offensi, ab Ecclesia resiliamus.

X. Duo in dissidiis observanda sunt, primùm examen, deinde fuga mali.

XI. Examinis doctrinæ & morum regula esse debet doctrina Apostolica, v. 17.

XII. Falsi doctores plerumque non Christo, sed ventri suo serviunt.

XIII. Fidelium est assentationem vitare & veritatem colere, v. 18.

XIV. Non solum à nobis requiritur innocentia, ne aliis simus injurii: sed etiam sapientia, ut à seductorib. simus tuti.

XV. Errant igitur turpiter Pontificii, qui implicitam, ut appellant, fidem, vulgo sufficere statuunt, v. 19.

XVI. Dei præsidio adversus Satanâ victores sumus, v. 20.

XVII. Cum illustrior nobis sit Christi gratia, quàm Ecclesiæ ante Christum: necesse est, ut eo magis Deo agamus gratias, v. 25.

XVIII. Scripturæ Propheticę & apostolicę consentiunt.

XIX. Non solum auditus Euangelii, sed etiam obedientia per fidem requiritur, v. 26.

XX. Cum Deus sit solus sapiens: ab eo sapientia petenda, eique humili animo ascribenda est, v. 27.

Atque hæc de capite decimo sexto: quibus corollarii loco, quædam de voce *Amen*, cujus usus est non solum c. 15. 33. & c. 16. 24. & 27. sed etiam alibi frequenter in S. literis occurrit, adjiciam; idque ut & vulgi error & inde orta superstitio vitari queat.

AMEN autem vox Hebræa *veritatem* notat ab אמן *firmare:* ut ex Niphal colligitur: nam נאמן *firmum esse* notat, 2. Sam. 7. 16. unde per Synecdochen generis pro *educare*, quod educatio firmet: unde metaphorice אמן *veritas* quasi firmitas: ut etiam האמין in *hiphil*, *credidit* quasi *firmum*, id est, verum *censuit*. Sic Deus vocatur *Amen* Esa. 65. & Christus Apoc. 3. 14. id est, veritas, pro vero.

Usus autem inprimis hujus vocis, per ellipsin verbi substantivi, est duplex, ut voto inserviat: vel assertioni. Voto, ut Num. 5. 22. Deut. 27. 15. *& dicet totus populus Amen*; veritas, seu verum, supple, sit. Nehem. 5. 13. & 1. Cor. 14. v. 16. *quomodo dicet ad tuam gratiarum actionem Amen*? idque exponitur 1. Reg. 1. 36. *Amen, ita dixerit Jehova*. Atque ita Rom. 15. & 16. accipitur. Sic Hiero. in Matth. 6. *Amen signaculum orationis Dominicæ, quod Aquila interpretatur fideliter; nos verè possumus dicere*. Idem in Esa. 25. (Amen) *desiderans que fieri, quod prophetat, adjungit verbum Hebraicum*

braicum Amen, pro quo 70. *transtulerunt* γένοιτο, *id est, fiat: in Hebraico dicitur, Amen. Aquila vertit* πιστωμένως (corrigendum πεπιστωμένως ex Hiero. ad Gal. 1.) Ubi etiam præfatione in 2. lib. commentariorum in eandem epistolam, de Romanæ Ecclesiæ usu ait: *ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur.* Hæc Hieronymus. Sic Amen amen geminatur Ps. 41. v. 14. Nehem. 8. 7. Num. 5. v. 22. ad incrementum rei: hæc de usu Amen, in votis.

Alter est in assertionibus ut Hieron. tom. 5. comment. in Esa. 25. *Dominus*, ait, *in Euangelio sæpe hoc verbo utitur amen amen, verè verè dico vobis.* Et tom. 3. epistola ad Marcell. *Hebræi, ut quæ scripta sunt, roborentur, facere solent, ut dicant Amen.* Sic Theoph. (ad Matt. 5. *Amen dico vobis*) *Amen affirmativa particula est pro* ναὶ, *etiam dico vobis*: idque verum esse vocis significatio & Lucæ interpretatio demonstrat, in eadem sententia repetenda: nam Matt. 16. 28. & Marc. 9. 1. *Amen dico*, Luc. 9. 27. ἀληθῶς, *id est, vere dico* Et Matt. 24. v. 47. *Amen dico*, pro eodem Luc. 12. 44. ἀληθῶς & Matt. 23. v. 36. *Amen dico vobis* Luc. 11. 51. redditur, ναὶ, hoc est *etiam, sanè*. Sic 2. Cor. 1. v. 20. ναὶ & *amen* Synonymicè conjungit Apostolus. Cum autem geminatur amen amen, ut in voto: sic in assertione, ad auxesin seu incrementum assertionis tantum pertinet, pro verissimè: quemadmodum & aliarum linguarum & Scripturæ usus hoc indicat, *valde valde*, pro maxime, vel plurimum, unde satis liquet, non esse juramentum, multo minus geminum juramentum: ut superstitiosè à vulgo judicatur: nec enim in ista assertione, ulla est Dei in testem & judicem invocatio. Neque juramentum esse, ullo argumento solido probatur: nam quod objicitur, esse Iuramenti formulam, quia Esa. 65. dicitur, *Jurabunt in Deo amen*: alienum est: nam *Amen* hic est epitheton Dei: ut constructio evincit באלהי אמן *in Deo veritatis*, hoc est, vero, ut alibi: 2. Chron. 15. v. 3. *elohe emeth*, eodem sensu, *Deus veritatis*, id est, verus: ut etiam 70. interpretes θεὸν ἀληθινὸν rectè exponunt, & Hebræi similiter. Deinde quod ex Paulo Heb. 6. 14. objicitur, *juravit per se, &c. dicens* ἦ μὴν: infirmum est: 1. quia non est vox *amen*: sed ἦ μὴν, quod asserendi, non jurandi forma: quæ etiam interdum redundat, ut *sanè, utique*; & apud Mosen etiam, quem citat Paulus, non extat. Juramenti autem forma indicatur, cum dicitur, *Iuravit per se.* Ergo nec *Amen*, nec *Amen Amen* est juramentum omnino, nedum geminum: idque vel Christi usus ostendit, qui in una concione, vicinis periodis frequenter *Amen Amen* inculcat, ut Joh. 3. 5. 6. 13. id quod à gravitate juramenti, alienum esse, apparet.

SUCCINCTA EPISTOLÆ PAULI, AD GALATAS, EXPLICATIO.

QUemadmodum insignis Pauli ad Ephesios Epistolæ, in ea, quæ ad Colossenses exarata, quasi epitome comperitur: sic etiam sublimis illius ad Romanos breviarum, in gravi ac nervosa, ad Galatas epistola (præsertim si sequens ad Ephesios ei adjungatur) continetur: quam etiam Tertull. contra Marcionem lib. 5. c. 2. principalem contra Judæos epistolam indigitat. Quamobrem non alienum, neque ingratum fore arbitramur, si divini illius operis, non tantum loca selectiora, sed omnia distinctè explicare conaremur: quod ut commodius fiat, pauca quædam de titulo præmittemus, antequam rem ipsam aggrediamur. Titulus autem est duplex, universalis, & particularis: universalis est, qui universo operi designando inservit, & in nostris quidem codicibus est, *Pauli Apostoli ad Galatas epistola.* Cujus observanda est primum authoritas; deinde veritas. Cum autem authoritas alia possit esse divina, quæ à Deo authore suam habet dignitatem: alia humana, quæ ab hominibus tantum dependet; posteriorem titulo proposito convenire apparet: id quod etiam communis Prophetarum & Apostolorum usus ostendit: utpote quod non ipsimet suis libris titulos præfecerint, qui vulgo adhibentur: sed pro varia Ecclesię consuetudine, alii atque alii sint appositi; quemadmodum aliàs distinctè demonstravimus: qualis etiam varietas in brevi titulo hujus epistolæ observatur, si quis antiquos Græcos codices, & alios ex iis fideliter typis expressos, consulat: id quod vel ex hisce, speciminis loco positis, constare potest: primus enim titulus hic occurrit, πρὸς Γαλάτας ἐπιστολὴ Παύλου, ut in editione Roberti Stephani cum Patris, in majori, ac laudatissima forma: tum etiam filii cognominis, minori: ut etiam in Haganoensi Gerbeii & Basiliensi Oecolampadii anno 1531. & Parisiensi Colinæi: alter titulus priori articulum ἡ præmittit: ut altera Basiliensis anni 1558. quam Lipsensis Camerarii sequitur: tertius est in antiquissima & laudatissima Hispanica editione Compluti expressa, nempe ἡ τοῦ ἁγίου παύλου πρὸς Γαλάτας ἐπιστολή. & (ut in Syra versione titulum brevissimum, nempe *epistola quæ ad Galatas*, omittamus) Henricus Stephanus in accuratissima sua editione Græca Syriaco testamento adjuncta, & in aliis, minori forma, hunc titulum præfert παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς Γαλάτας ἐπιστολή. Quamobrem ex perspicua ista, in titulo hujus Epistolæ, cum in vocibus, tùm in earum numero atque ordine diversitate, nullum ab Apostolo: sed à scriptoribus, distinctionis facilioris gratia, liberè ac variè fuisse prępositum, satis constare potest: unde authoritas illius non divina, sed humana declaratur: alioqui sine impietate, titulo divino nihil potuisset addi, nihil detrahi, nihilque in eo permutari. Ad veritatem verò tituli quod attinet, ea minime dubia est: nihil enim continet, quod non ex initio epistolę v. 1. & 2. sit depromtum, eiq; ad amussim non consentiat: quemadmodum etiam collatio perspicuè evincit: atq; hęc de operis hujus titulo universali.

Particularis verò est qui epistolæ huic, ab Hugone Cardinale, in sex partes divisæ, distincto ordine convenit, & *caput* appellatur: cujus adjunctum postremum sunt singulorum versuum numerus arithmeticus, per Robert. Steph. (ut non immerito Henr. Steph. affirmat) distinctus: ut alias copiosè à nobis explicatum. Hisce igitur de titulo præmissis, ad ipsam Pauli epistolam, Deo aspirante accedemus, in cujus aditu, ad majorem illius illustrationem, spectanda sunt causa hujus epistolę conscribendę movens, & scopus illius.

Causa autem quæ Apostolum ad hanc epistolam scribendam movit, partim externa est, partim interna. Externa quidem, quæ extra Paulum posita, fuit primùm falsorum doctorum malitia: deinde Ecclesiarum Galaticarum inchoata seductio, Gal. 1. v. 6. 7. Malitia autem fuit duplex, videlicet calumnia gravis, & errore doctrinæ perniciosus. Calumnia autem intolerabilis extitit, quod Paulum Apostolum, quasi non esset par reliquis Apostolis, sed iis inferior ac discipulus, & ab eorum doctrina dissideret, traducerent: ut eo in odium adducto, Euangelii doctrina ab eo prædicata facilius corrumperetur. Quemadmodum idem in aliis Ecclesiis Satanæ artificio factum conqueritur Paulus 2. Cor. 11. 3. 13. Phil. 3. 2. 18. quo etiam spectat Rom. 16. 17. 18. Calumniæ autem accessit error contra veritatem Euangelii perniciosus Gal. 1. vers. 7. cap. 5. v. 2. 3. 4. quo

quo circumcisionem, aliasque legis ceremonias, ad justitiam & salutem necessariò observandas contendebant, & ad ea Galatas adigebant Gal. 5. v. 12. Qualis error in Ecclesia Antiochena ortus Actor. 15. vers. 1. concilio Apostolorum atque Ecclesiæ Hierosolymis rejectus, ibid. v. 10. & 18.

Altera causa scriptionis hujus epistolæ movens externa, ex priori orta, fuit Galatarum, ab amore Pauli Apostoli, & à doctrinæ Euangelicæ ab eo acceptæ veritate, ad errores falsorum Doctorum inchoata seductio, Gal. 1. v. 6. Hæc de causa externa. Interna verò causa in ipso Apostolo residens, eumq; ad scribendum movens, fuit justus ac fervens illius affectus duplex, amor salutis Ecclesiarum illarum quas primus instituerat, & dolor ingens ex inchoata ac subita earum seductione, & simul periculo exitii Gal. 1. v. 3. 4. & 4. v. 11. & 5. v. 2. conceptus. Atque hæc de causa movente. Scopus vero Epistolæ est propinquus, vel remotus. Propinquus quidem, ut & malitiam falsorum doctorum geminam detegat ac confutet, & Galatas à seipso & ab Euangelii veritate quodammodo aversos converteret. Remotus vero scopus est perpetua totius Ecclesiæ ad Dei gloriam institutio: quemadmodum communis S. Scripturæ usus demonstrat 2. Timoth. 3. v. 16. & de Epistolis Pauli peculiariter 2. Petr. 3. v. 15. ideoque rectè Tertull. contra Marcion. l. 5. 17. de Epistolarum Pauli scopo communi ait, *Ad omnes scripsit, dum ad quosdam.*

Cœterum ut hic scopus Epistolæ propositus: ita ipsa quoque epistola medium est, ad eum scopum obtinendum directum ac maximè idoneum: quemadmodum partitio ac partium illius explicatio demonstrabit. Constat enim hæc Pauli ad Galatas epistola, (pro communi epistolarum more) partibus tribus, *Præfatione, Rei tractatione, & Conclusione.* Quarum duæ extremæ in epistolis arbitrariæ sunt, media verò necessaria: ideoque præfatio omissa in epistola ad Hebræos: conclusio in epistola Jacobi: utraque vero in prima Iohannis, quæ in sola rei tractatione occupatur. In hac verò ad Galatas epistola, noster Apostolus divino quodam artificio, non solum rei tractationem, sed etiam præfationem & conclusionem ad scopum hunc accuratè direxit.

Præfatio autem versibus quinque prioribus proposita, ad authoritatem, benevolam attentionem, ac docilitatem egregiè comparata est. Continet autem *inscriptionem & salutationem. Inscriptio* v. 1. & 2. declarat *scriptorem* primum atque assensores, deinde eos quibus scribitur ac scriptum mittitur. *Scriptor* indicatur v. 1. partim nomine *Paulus:* partim officio, Apostolus, κατ' ἐξοχὴν: de quibus alias plenius egimus. Cœterum officium non solum proponit, sed etiam parenthesi nervosa explicat, ut calumniam falsorum doctorum ab initio retunderet, & apostolatus ac doctrinę suę authoritatem apud Galatas rursus stabiliret. Describit autem apostolatum suum à causa efficiente, & quidem bifariam: primum enim falsam, falsò ab adversariis objectam, removet: deinde veram exponit. Ac falsam quidem removet, cum ait, *neque ab hominibus, neque per hominem.*

Quorum prius vocationem illegitimam notat, quæ non à Deo orta, sed hominum errantium suffragiis, vel temerario ausu & aliorum opinione processit: quales pseudo-apostoli 2. Cor. 11. 13. qui sub falso apostolorum nomine sese venditabant Ecclesiis. Posterius vocationem legitimam notat, quæ à Deo non immediatè, sed mediatè hominis opera peragitur: qualis fuit vocatio Euangelistarum Eph. 4. cujusmodi Timotheus & Titus, qui generali significatione, fuerunt apostoli, hoc est, missi ab apostolo Paulo, ad Ecclesias varias docendas, ordinemque in iis statuendum. Neque huic Pauli negationi (cum dicit, *neque per hominem*) revera obstat, quod Act. 13. 23. Spir. S. revelatione ac jussu, Paulus cum Barnaba, per Ecclesiæ Antiochenæ prophetas & doctores, impositione manuum & jejunio missus sit ad Euangelium prædicandum: quia jam antea diu factus fuerat apostolus, & munus apostoli exercuerat; hæc autem particularis tantum fuit ad certum opus missio, ut vers. 2. declaratur: sicut postea ab Ecclesia Antiochena ad apostolos & seniores, Hierosolymam cum Barnaba missus est, Act. 15. v. 2. 3. Quemadmodum etiam Petrus & Ioannes missi sunt, à reliquis Apostolis, Samariam, ad ministerium particulare illius Ecclesiæ exequendum Act. 8. 14. 17. 25. Atque hæc quidem de officii apostolatus Pauli remotione causæ falsæ duplicis: quam paulo plenius, quia contractius à nobis proposita, repetitione quadam illustrandam putamus. Prima enim remotio est causæ falsæ, *nempe ab hominibus tantum;* cui opponitur ἐξ οὐρανοῦ, id est, è cœlo sive à Deo Matt. 21. 25. & ἐκ θεοῦ Act. 5. 39. ex Deo; qualem vocationem ab hominibus tantùm diximus pseudo-apostolis attribui 2. Cor. 11. 13. qui *se dicebant apostolos, cum non essent,* Apoc. 2. v. 2. quibus similes fuerunt olim pseudo-prophetę Jer. 23. v. 21. & 14. 14. qui vocationem & missionem divinam ad prophetandum, falsò sibi arrogarunt. Atq; hæc remotio causæ illegitimę communis est cum omnibus Euangelii ministris legitimis, ut hunc honorem sibi non sumant, nisi delatum divinitus, ut Apostolus loquitur Hebr. 5. v. 4. & Rom. 10. v. 15. quia Dei est mittere operarios in messem suam, Luc. 10. v. 2. Altera remotio est causæ legitimæ mediatæ, cum vocatio ad ministerium Euangelii secundum Dei voluntatem per hominem fit: & quidem vel extraordinariè, vel ordinariè. Extraordinariè, quando vocatio per apostolum aliquem, aut per alium apostoli jussu peracta est. Per apostolum quidem, cum adjutorem ad Ecclesias ordinandas delectum mittit: quales Euangelistæ dicti Eph. 4. v. 11. quod non uni loco astricti, sed variis in locis, ad propagandam ac firmandam Ecclesiam, Euangelium annunciarent: qualis fuit Timotheus 2. Tim. 4. v. 5. & Titus, Tit. 1. 5. Apostoli verò jussu, ut qui per Euangelistam, ex præscripto apostoli, vocati erant Tit. 1. 15. Ordinarie vero qui à presbyterio, secundum verbi divini normam, missi; ut pastores & doctores Eph. 4. v. 11. Et hæ mediatæ per hominem vocationes, legitimæ quidem sunt in inferioribus Euangelii ministrorum gradibus; sed in apostolis, primariis Euangelii ministris, vocatio divina immediata necessaria erat. Ideoque rectè Apostolus in asserendo suo apostolatu, omnem vocationem per hominem à se removet primùm, & veram secundo loco subjungit, hisce verbis; *sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui eum suscitavit à mortuis.* Quibus divinam atque immediatam suam vocationem describit, cœteris apostolis non solum reipsa parem, sed etiam rei circumstantia quadam præstantiorem; ut hac ratione, non suam, sed Christi ac Dei patris vocantis, & Euangelii gloriam quæreret ac tueretur: ac parem quidem vocationem ad apostolatum eo ostendit, quod ut reliqui apostoli à Christo & Deo patre immediatè erant constituti: sic & ipse Rom. 1. 5. nam διὰ, id est, *per,* hoc loco causam non instrumentalem, sed principalem notat: quia similiter de Deo patre per ellipsin dicitur, *& Deum Patrem,* id est, *etiam per Deum Patrem.* Quemadmodum etiam in utraque epistola Corinth. c. 1. dicitur *vocatus Apostolus J. Ch. per voluntatem Dei,* & 1. Cor. 1. v. 9. *fidelis est Deus, per quem,* id est, à quo, *vocati estis.* Paulum autem ab ipsomet Christo vocatum apostolum, docet diserte historia Lucæ Act. 9. 5. 15. præcipuè verò ipsemet Paulus Act. 26. 16. 17. 18. plenius describit. Verum difficultas quædam occurrit: objici enim potest, hæc verba à prioribus dissidere: cum enim certum sit, Christum esse verum hominem: & per eum Paulum vocatum esse apostolum: Ergo per hominem vocatus: quod ante negatum. Verum solutio distinctione expeditur: quia in prioribus Pauli verbis vox *hominis* ψιλὸν ἄνθρωπον, *nudum,* id est, tantùm *hominem* notat: Christus autem verus quidem est homo, sed non merus seu tantùm homo: quia θεάνθρωπος Joa. 1. v. 1. cum 14. seu *Deus patefactus in carne* 1. Timoth. 3. v. 16. qui quatenus Deus, fuit vocationis Pauli, & donorum, ad eum exercendum, necessariorum author: quatenus verò homo, sermone suo fuit tantum nuncius, non causa efficiens Act. 9. 6. 15. Sed rursum obstare videtur, quod Paulus, à Christo ad Ananiam missus; qui ipsi manus imposuit, ut visum amissum reciperet & impleretur Sp. S. Act. 9. 17. ac propterea per hominem factus est apost. Verum negatur consequentia: quia jam antea Christus eum vocarat ad apostolatū ib. v. 15. & expressè Act. 26. 16. 17. 18. cui vocationi accessit deinde impletio Sp. S. seu donorum

extraordinariorum à solo Christo efficiente: cujus tantùm signum antecedens erat manuum Ananiæ impositio, non autem causa adjuvans. Perstat igitur vera Pauli assertio, quod non per hominem, scilicet nudum aut merum sit factus apostolus, sed per Christum Dei filium, & per Deum Patrem: non quasi duæ essent causæ diversæ, sed duæ distinctæ personæ, unius ejusdemque singularis essentiæ ac potentiæ ratione, una causa efficiens hujus apostolatus Pauli. Ut enim Christus *dedisse dicitur apostolos* Eph. 4. v. 11. Sic & Pater eos *posuisse in ecclesia* 1. Cor. 12. vers. 28. traditur. Quemadmodum quoque eadem dona & ministeria in Ecclesia distributa 1. Cor. 12. tanquam efficienti, primùm Spiritui Sancto v. 4. & 11. deinde Domino, nempe Christo v. 5. denique Deo scilicet Patri v. 6. attribuuntur. Ideoque ministerium apostolatus Pauli, non immerito Jesu Christo, & Patri, tanquam uni causæ efficienti ascribitur; adeo ut sese hac divina & immediata vocatione reliquis apostolis parem reipsa rectè ostendat. Et quod amplius est, rei quoque circumstantia annexa, præstantiorem, adhibita descriptione Dei Patris, demonstrat, cum ait, qui *eum suscitavit à mortuis*: nam ut reliqui Apostoli facti sunt primum, à Christo, in statu humili, in his terris, Luc. 6. v. 13. & ante Christi mortem ad Israelitas tantum missi Matt. 10. v. 6. sic contrà Paulus, à Christo, post resurrectionem illius, è cœlo factus apostolus; & quidem, non ut longo post vocationem intervallo (ut apostolis aliis accidit Matt. 28. v. 19.) Euangelium omnibus gentibus annuntiaret: sed inde ab initio vocationis Act. 9. Quamobrem non temere, sed ad apostolatus sui excellentiam indicandam, se per Deum vocatum asserit, qui Christum excitaverat à mortuis. Christus autem suscitatus dicitur, non simpliciter, sed tantum ratione corporis sui; non ratione Deitatis, quæ æterna est, & essentiæ suæ necessitate sola absolutè immortalis 1. Tim. 6. v. 16. neque etiam ratione animæ, quæ incorporea, ac beneficio creationis, occidi à nulla creatura potest, Matt. 10. v. 28. corpus verò Christi occidi potuit & mortuum est, ac die tertio, per animæ ac vitæ, à Deo, restitutionem, suscitatum à mortuis. Quæ suscitatio Patri attribuitur hoc loco (ut etiam alibi sæpius Rom. 4. v. 24. Eph. 1. v. 20. Col. 2. v. 12. 1. Pet. 1. v. 21.) non tamen soli, quasi Filius & Sp. S. excluderentur, sed communiter cum iis. Nam ut externum opus fuit Deitatis omnipotentis proprium: sic ratione personarum trium (ob unicam ac singularem essentiam communem) fuit commune. Ac propterea non solum Deo Patri sed etiam filio, Ioan. 2. v. 19. & 10. 18. & Spiritui S. Rom. 8. vers. 11. ascribitur. Quod autem sæpius Patri attribuitur, illud non ea de causa fit, quasi aliqua Patris in ipsa operatione esset excellentia: (cum operatio unica ac singularis eademque omnino sit tribus personis per communicationem ejusdem essentiæ communis:) sed ideo, quia Pater persona ordine prima est, à qua Filius & Sp. S. per æternam ejusdem essentiæ communicationem, sunt, & operantur. Atque hæc de hujus epistolæ scriptore, nomine Paulo, & officio apostolo, ejusque officii, per parenthesin descriptione, ad retundendam falsorum doctorum calumniam, & ad Galatas in viam reducendos.

Cui epistolæ scriptori, *assensores*, qui re communicata eam approbarunt, prudenter adjungit vers. 2. non unum, ut Sosthenem, 1. Cor 1. v. 1. aut Timotheum, 2. Cor. 1. v. 1. Phil. 1. v. 1. Col. 1. v. 1. nec duos tantum, ut Sylvanum & Timotheum, 1. & 2. Thess. 1. v. 1. sed plurimos, cum ait, *& omnes, qui mecum sunt, fratres*: non quod eorum per se niteretur assensu, sed ut hoc modo Galatarum incredulitati, quibus scribit, consuleret: eosque fratres omnes paucis falsis doctoribus opponeret: ut rectè Hieron. hoc loco observavit: *plurimum quippe* (inquit) *facit ad populum corrigendum, multorum in una re atque sententia consensus* Fratres autem non propriè, sed similitudine quadam fideles intelliguntur, ex Christi dicto Matth. 23. v. 8. *omnes enim vos fratres estis*. Ratio enim nominis in illustri similitudine, S. Literis explicata, consistit, I. quoniam sicut germani fratres primum sunt ex eodem Patre & Matre geniti: sic etiam vere fideles eundem habent Deum Patrem (ex quo semine immortali Euangelii, & ipsius efficacia Sp. S. regeniti sunt ad ipsius imaginem, sanctitatis ac justitiæ, Ioan. 1. v. 13. Jac. 1. v. 18. 1. Pet. 1. v. 23.) & Ecclesiam communem Matrem Galat. 4. v. 26. ut etiam v. 27. ex Esa. c. 54. v. 1. confirmatur. Quæ Ecclesia fidelium Mater, eos, verbi divini de religione, principiis, primùm, infantum more, teneriores quasi lacte sincero nutrit 1. Petr. 2. v. 2. Hebr. 5. v. 12. 13. adultiores vero altioribus ejusdem verbi divini dogmatibus quasi solido cibo pascit ac confirmat Heb. 5. v. 14. Atque hæc prima similitudo inter fideles & fratres, quæ in origine ex eodem Patre & Matre suo modo consistit: Altera vero in utilitate originem illam consequente versatur: sicut enim fratres germani, bona ejusdem Patris communia habent: sic etiam fideles, hæredes Dei Patris Rom. 8. v. 17. Galat. 4. v. 7. hæredes scilicet bonorum vitæ æternæ in regno Patris cœlesti 1. Petr. 1. v. 3. 4. Jac. 2. v. 5. Quare ob geminam hanc fidelium & fratrum in origine & utilitate similitudinem, verè Apostolus in hac inscriptione *fratrum* nomine (Christum authorem secutus Matth. 23. v. 8.) fideles designat. Quemadmodum etiam *fratres* eodem sensu 1. Cor. 6. v. 6. infidelibus opponuntur. Nam ut generali significatione, ob communem à Deo Patre creationem, infideles, ac fideles fratres sunt secundum carnem, seu ex eodem Adamo & Eva prognati: speciali tamen redemptionis ac regenerationis privilegio κατ' ἐξοχὴν, soli fideles inter se fratres indigitantur. Quamobrem, impiè omnino hanc fratrum appellationem impurus ille Lucianus traducit tom. 4. edit. Basil. Græco-lat. dialogo *de morte peregrini* pag. 276. ubi Christianos ob id quod fratres vocantur, deridet his verbis, ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτούς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων, hoc est, *primus vero illorum legislator iis persuasit, ipsos omnes esse fratres, inter se.* Legislatorem autem Christum intelligit, ut sequentibus impiè exponit, cum addit; *postea verò cum semel transgressi sunt, deos quidem Græcos negant*, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν, *suspensum illum Sophistam adorant & secundum illius leges vivunt.* Hæc blasphemus Lucianus, secutus Ethnicos antiquiores, quos refutavit Tertullianus Apologetico contra gentes cap. 29. his verbis, *sed & quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres etiam vestri sumus, jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum patrem, Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ, ad unam lucem aspiraverunt veritatis.* Hæc ille. Quod *fratrum* nomen, Christianorum commune, jam olim sibi monachos, cum reliquorum Christianorum injuria, arrogasse peculiariter, rectè conquestus est Chrysost. c. 11. ad Hebr. Idemque Pontificiorum Monachos iniquè imitatos, arguit Erasmus in annot. 1. Cor. 11. Quemadmodum etiam commune fidelium nomen, quo in S. L. κλῆροι, id est, *hæreditates Domini* 1. Petr. 5. v. 3. vocantur, illud solis suis ecclesiasticis (quos solos *clericos* oppositè *laicis*, id est, popularibus appellant) arrogarunt. Quamobrem rectè fideles inter se *fratres* nominantur, & à Paulo *fratrum* nomine designantur: quos sibi in hac epistola conscribenda, tanquam assensores ad Galatas permovendos, & quidem non paucos, sed *omnes, qui cum ipso erant*, ad majorem docilitatem verè adjungit. Atque hoc modo inscriptionis subjectum (nempe scriptor, *Paulus Apostolus*: & assensores illius, *omnes qui ipsi aderant fratres*) expositum. Cui succedit consequens attributum, quo indicatur, per ellipsin verbi substantivi, quibus scribat, cum ait, *Ecclesiis Galatiæ*, videlicet γράφει *scribit* vel ἐπιστέλλει *mittit epistolam*: quemadmodum Erasm. in annot. ad Rom. 1. aliique, post ipsum, accurati interpretes rectè observarunt. Quod enim vulgò solent, sine hâc ellipsi, inscriptionem cum salutatione, in unam periodum compingere, illud constructioni non convenit: quia hoc modo pronomen ὑμῖν superfluum esset. Deinde scribendum esset, non χάρις, sed χάριν, supple εὔχεται *optat*. Quemadmodum Actor. 15. v. 23. *Apostoli &c. fratribus* χαίρειν *gaudere*, id est, salutem (ut vulgatus interp. & alii quoque rectè exponunt) scil. optant. Dicitur autem hic χάρις ὑμῖν, supple

ple ἔστω aut ἔστω *sit*. Quemadmodum 2. Ioan. epiſtola poſt inſcriptionem verſ. 1. & 2. abſolutam, dicitur, alterâ perfectâ periodo ſalutationem continente, ἔσται, id eſt, *ſit vobiſcum gratia*: ut etiam 3. Ioann. epiſtola præmiſſa inſcriptione hac v. 1. *presbyter Gajo dilecto, quem ego diligo, in veritate*, ſupple *ſcribit* vel *ſcribo*: Deinde ſubjicitur nova periodo, ſalutatio ab antecedentium vocum conſtructione minimè dependens: *dilecte, inprimis opto, ut proſpere agas & bene valeas*. Sicut etiam 2. Petr. 1. 2. perfecta, & ab inſcriptione præcedente, diſtincta ſalutatio apparet. Sicut ſimiliter in epiſtola Judæ verſ. 2. Atque hoc etiam modo in hac Pauli inſcriptione *Paulus Apoſtolus &c. Eccleſiis Galatiæ* ſupple, *ſcribit*. Ita ut ſalutatio, ſequente nova periodo ſubjiciatur. Quod hac de cauſa obſervandum; quia eo neglecto, in omnibus ferè epiſtolarum principiis inſcriptio, & ſalutatio una periodo perperam deſignantur: & quidem in præſtantiſſima quoque majori ac minori Rob. Stephani editione, ut alias prætereamus. Porrò illi quibus Apoſtolus ſcribit, ſunt Eccleſię Galaticæ: quomodo hæc epiſtola à reliquis illius diſtinguitur. Reliquæ enim ad unius urbis Eccleſiam (ut Rom. Corint. Epheſ. Phil. Coloſ. Theſ.) aut ad unum Euangelii miniſtrum (ut Timot. Tit. Phil.) ſcriptæ ac miſſæ: hęc verò ad magnę regionis Galatiæ Eccleſias. Quia ab hiſce omnibus ſcribendi occaſio data erat: & communis earum utilitas ac ſalus hoc efflagitabat. Atque ita prima præfationis hujus epiſtolæ pars expoſita eſt.

Altera verò eſt Galatarum ſalutatio, ſeu amica appellatio: qua bona iis optantur. Quæ ab omni penè memoria, tam ab infidelibus, quam fidelibus, prudenter in epiſtolis præmitti ſolet, ad benevolentiam ſcribentis teſtandam, & mutuam eorum quibus ſcribitur conciliandam, aut fovendam. Quemadmodum olim etiam apud Chaldæos & reliquas gentes, experientia demonſtrat: ut in epiſtola ſubditorum ad regem, Eſd. 5. v. 7. & regum ad ſubditos, Dan. 3. v. 31. Forma autem ſalutationum in Sacris epiſtolis vel communis eſt, vel propria. Communis, quæ profanis etiam fuit in uſu: ſicut cum Apoſtoli fidelibus Act. 5 23. Iac. 1. 1. optant χαίρειν, hoc eſt, gaudere, id eſt, gaudium (ſive ut Latini per meton. effecti, pro cauſa explicant atque utuntur) ſalutem. Ut etiam Horatius Græcos imitari ſolitus epiſtola 8. habet. *Celſo gaudere, & benè remgerere*, hoc eſt, χαίρειν καὶ εὐπράττειν. Qualis etiam ſalutatio 3. Ioan. v. 2. uſurpatur. *Dilecte imprimis* εὔχομαι *opto, ut proſperè agas & bene valeas*. De qua communi ſalutationis formula, elegans eſt ac lectu digna Luciani apologia de lapſu in compellatione, edit. Baſil. Græco-lat. tom. 3. p. 182. Similis quoque communis ſalutationis forma fuit, *pax*, id eſt ſalus, *tibi* aut *vobis*, tam Chaldæis, Eſd. 5. 7. & Dan. 3. 31. & 6. 26. quàm Hebræis; ut ex obviorum ſalutatione apparet, Iud. 19. 20. Luc. 10. 5. Ioan. 20 21. 26. Quæ licet communes ſalutationum formæ (ſi verba ſpectemus) ſalutem animi & corporis optarunt: ut etiam Lucianus apologia jam memorata indicat; eam tamen ut plenius fideles intellexerunt: ita etiam plenius quam infideles optaſſe conſtat: ut non ſolum corporalia ac temporalia, ſed etiam ſpiritualia bona ac ſalutem optarint. Proprię autem ſalutationum formæ fuerunt Apoſtolorum illæ, quibus non ſolum temporalia bona, ut profani: ſed inprimis ſpiritualia & æterna, ad ſalutem æternam pertinentia, propria loquendi ratione optarunt. Qualis etiam conſueta Apoſtoli ſalutatio, cùm alibi, tum hoc in loco continetur. Quæ 1. proponitur; deinde exponitur. Proponitur autem verſ. 3. *gratia vobis & pax*, (ſupple ſit) *à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto*. In quâ Galatarum ſalutatione bona iis optata, & à quo datore ea optet, indicatur. Bona autem optata, ſunt *gratia* & *pax*: quæ antecedenti ſalutationis ſubjecto indicantur. *Gratia* autem primùm immeritam Dei benevolentiam notat: à qua ſalus noſtra promanat, Rom. 3. verſ. 24. Eph. 2. verſ. 8. Deinde effectum illius, ſcil. donum ſalutis gratuitum, inprimis juſtificationem deſignat, Rom. 6. 14. 15. Gal. 5. 4. quæ juſtificatio, *donum per gratiam Chriſti*, Rom. 5. v. 15. appellatur. *Pax* verò *Dei* quamvis variè accipiatur, commodiſſimè tamen effectum juſtificationis indicat, ſicut Rom. 5. v. 1. *Juſtificati igitur ex fide, pacem habemus apud Deum*, id eſt, reconciliationem. Quomodo Actor. 10. v. 36. dicitur *Euangelizans pacem per J. Ch.* & Eph. 2. 17. Rom. 10. v. 15. ex Eſai. 52. v. 7. unde Euangelium *ſermo reconciliationis* dicitur 2. Cor. 5. v. 19. Qui ſenſus ad ſcopum & phraſin Apoſtoli, in hac epiſtola, maximè idoneus. Cum enim in gratiam & pacem Dei, multi Galatæ, in Eccleſiis, imprudenter ſeducti impegiſſent, Gal. 1. v. 6. eorumque donorum privatione, niſi reſipiſcerent, eſſent puniendi, Gal. 5. v. 2. opportunè hæc bona nempe *gratiam* & *pacem*, in ſalutationis principio, iis optat. Atque hæc ſtrictim de ſalutationis ſubjecto ſeu bonis optatis: Conſequens verò attributum eſt *vobis*, ſupple *ſit, à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Quo indicatur cauſa, à qua hæc bona optantur, nempe *à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Deus Pater quatenus ut unus cum Filio & Sp. S. Deus, fideles juſtificat gratis, Rom. 3. verſ. 24. & juſtificatos ſibi reconciliat, Rom. 5. v. 1. 2. Cor. 5. v. 19. Jeſus Chriſtus verò etiam diſtinctè juſtificationis gratiam & pacem, fidelibus, ſuâ ad mortem uſque obedientia, acquiſivit, Rom. 5. v. 1. 9. 10. Neque ineptum eſt hoc votum, quod gratiam & pacem fideles haberent: quia ea intelligit, non ratione initii: ſed ratione conſervationis & incrementi: & quidem pro votorum etiam in epiſtolis profanis ratione, Dan. 3. 31. & 6 v. 26. *pax vobis multiplicetur*; & in Sacris, 1. & 2. Pet. c. 1. 2 *gratia vobis & pax multiplicetur*. Atque ita ſalutationis propoſitio pertexitur. Expoſitio verò illius eſt periphraſis Chriſti, ad ſcopum hujus epiſtolæ maximè conducens. Deſcribit enim à beneficio mortis ipſius: ut ea ratione, Galatas, à Chriſti gratia, nonnihil ſeductos, ad eam revocaret. Beneficium autem illud 1. exprimitur: deinde à cauſis ſuis declaratur. Ac beneficium quidem exprimitur, his verbis, *qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, &c.* Hoc eſt, obtulit ſeipſum Deo ſacrificium, pro peccatis noſtris. Cujus rei præſtantia indicatur, I. à ſacrificii hujus origine: nimirum quod dedit, hoc eſt, lubens, ex dilectione erga nos, obtulerit Deo ſacrificium, Eph. 5. v. 2. *verſamini in Charitate, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem* &c. Deinde altera præſtantia eſt in ipſomet ſacrificio, quod non bruta animantia, ut ſacerdotes V. T. ſed *ſemetipſum* obtulerit in ſacrificium pro peccatis, Hebr. 9. v. 12. 14. Denique præſtantia tertia in cauſa oblationis conſiſtit: quod ſcil. non primum pro peccatis etiam ſuis, ut ſacerdotes V. T. Hebr. 7. v. 27. ſed ſine peccato exiſtens ac juſtus, pro *noſtris peccatis* ſe obtulerit, ut 1. Cor. 15. v. 3. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturam*. & 1. Pet. 3. v. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret*. Cœterum ad accuratiorem hujus ſententiæ intelligentiam, ne temerè phraſes illæ, *Chriſtus obtulit ſe, ſeu mortuus eſt pro peccatis noſtris*, & *obtulit ſeſe, ſive mortuus eſt pro nobis*, confundantur, vocis illius ὑπὲρ, id eſt, *pro*, ambiguitas diſtinguenda. Ea enim duobus potiſſimum modis accipi ſolet, vel pro loco, ſive vice alicujus: vel pro cauſa. Prioris modi exempla ſunt ſacra & profana illuſtria: qualia in S. L. primum, 1. Sam. 18. v. 33. *Abſolon, fili mi, quis tribuet mihi, ut moriar pro te*: hoc eſt loco tuo. Deinde cum Chriſtus dicitur, *mortuus pro nobis*, Rom. 5. v. 1. & *factus pro nobis maledictum*, Gal. 3. v. 13. hoc eſt, loco noſtro: quod ob peccatum, obnoxii eramus morti & maledictioni, Rom. 16. v. 23. Deut. 27. v. 26. ideo Chriſtus tanquam ſponſor N. T. Heb. 7. v. 22. & 9. 15. debitum mortis ac maledictionis noſtræ in ſe recepit atque perſolvit. Talis etiam phraſis, eo ſenſu, apud profanos authores extat: qua de re hæc obſervari poſſunt perſpicua & numeroſa exempla: ut apud Euripidem tragœdia Alceſtis crebrò demonſtrat. Ut in editione Græco-lat. cum ſcholiis Genevæ edita, à Paulo Stephano pag. 607. θανεῖν πρὸ κείνου *mori pro eo*. pag. 616. οὗ θνήσκω πέρι *pro quo morior*, & pag. 617. τοῦδ' ἀνδρὸς θνήσκω πέρι *pro hoc viro morior*, & pag. 623. θνήσκω ὑπὲρ σέθεν *morior pro te*, & pag. 628. προθνήσκοντες σέθεν *morientes pro te*. Nam Græcum πρὸ cum verbo compoſitum ſuam hîc ſignificationem retinet, & 630. τέθνηκεν ἀντ' ἐμοῦ *mortua eſt pro me*, & pag. 634.

pag. 634. προθανοῦσα φωτὸς *mortua pro viro*, & pag. 643. θανεῖν τοῦ σοῦ πρὸ παιδὸς, *mori pro tuo filio*, & pag. 645. παίδων προθνήσκειν πατέρας *parentes mori pro liberis*, & pag. 646. μὴ θνῆσχ' ὑπὲρ τοῦ δ' ἀνδρὸς, οὐδ' ἐγὼ πρὸ σοῦ. *Ne moriaris pro hoc viro* (id eſt pro me δεικτικῶς, ut creberrimè apud Sophoclem & alios) *neque ego pro te*: ubi etiam, tanquam Synonyma, ὑπὲρ & πρὸ (unde latinum *pro* acceptum) uſurpantur. Et ibidem κατθανεῖν γυναῖκα ὑπὲρ σοῦ, *mori mulierem pro te*. Denique pag. 647. σοῦ δ' ἂν προθνήσκων *moriens pro te*. In quibus exemplis memoratu dignis, & exceptione majoribus obſervandum, haſce præpoſitiones ὑπὲρ, περὶ, ἀντὶ, & πρὸ, eodem ſenſu, ut *vice* ſive *loco alicujus* uſurpari: quemadmodum argumentum tragœdiæ, uxoris pro marito alioqui jam morituro, mortem illius in ſe recipientis demonſtrat. Quo etiam ſenſu latinè Cato alicubi ait; *cum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?* hoc eſt tuo loco. Atque hæc ad primæ ſignificationis illuſtrationem, adverſus corruptelas Socini, inſervire poſſunt. Altera verò ſignificatio vocis ὑπὲρ ea eſt, quâ non vicem, ſed cauſam, ut latinè *propter* deſignat: & quidem vel efficientem impulſivam, vel finalem. Efficientem quidem, ut Rom. 15. v. 9. *gentes verò* ὑπὲρ ἐλέους *pro miſericordiâ glorificent Deum*, Phil. 2. v. 13. *Deus efficit in vobis velle & perficere* ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *pro ſua benevolentia*. Finalem verò deſignat, Ioan. 6. 51. *caro mea eſt, quam dabo* ὑπὲρ, id eſt, *pro mundi vita*; hæc enim hujus donationis finis eſt citra controverſiam. Sic etiam, Eph. 3. v. 13. *afflictiones meæ* ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis*, id eſt, non veſtro loco: ſed ad utilitatem veſtram; ut res ipſa oſtendit. Hiſce jam vocis ὑπὲρ *pro*, ſignificationibus expoſitis, quænam in hac Apoſtoli ſententia, de qua agimus, maximè idonea ſit, expendendum. Ac prima quidem minus videtur convenire: quoniam Chriſtus non eſt mortuus, ſeu ſeipſum non dedit in ſacrificium, pro peccatis noſtris, id eſt, vice ſeu loco peccatorum noſtrorum: quia vera mors iis non convenit, ut nec vera vita: Ideo altera communi ferè conſenſu approbatur. Verùm an cauſa efficiens impulſiva, an finalis denotetur, quæſtio eſt. Plerique autem interpretes ſecundum amplectuntur, ut *pro peccatis noſtris* idem ſit atque *pro expiatione peccatorum*: quæ pia quidem ſententia eſt: ſed non ſatis videtur Scripturæ phraſi convenire. Nam neque peccata noſtra, & expiatio eorum ſunt idem, ſed penitus diverſa, utpote ſubjectum & accidens illius: deinde ſignificatio hæc nullo ſcripturæ uſu demonſtratur. Quamobrem accommodatius eſt, ut cauſam efficientem impulſivam ſacrificii Chriſti intelligamus. Quia trita phraſis ſcripturæ, *Sacrificium pro peccatis*, id eſt, ob peccatum perpetratum: ut creberrimè uſurpatur, Lev. 6. & alibi paſſim apud Moſen, ut etiam res ipſa perſuadet. Peccata enim noſtra, quatenus ex juſtitiæ divinæ lege, mortem merita: Chriſti miſericordiam moverunt, ut ſe pro nobis offerret, & pœnam peccatis noſtris debitam in ſe reciperet ſolvendam. Atque ita dicitur *peccata noſtra*, id eſt pœnam peccatorum noſtrorum, pertuliſſe, 1. Pet. 2. v. 24. Cæterum etſi peccata noſtra, intercedente merito ſeu reatu, mortem mereantur, cauſa tamen impulſiva mortis Chriſti ſtatuuntur, non abſolutè ac per ſe ſeu vi ſua: ſed per accidens concurrentis gratiæ ac miſericordiæ Chriſti erga nos, qua vadem ſe pro pœna peccati debita exhibuit tanquam ſponſor N. T. Hebr. 7. v. 22. & mediator illius, c. 9. 15. Atque hæc quidem de beneficio ſacrificii Chriſti pro peccatis noſtris.

Cujus ab Apoſtolo, ad majorem rei præſtantiam oſtendendam, adduntur cauſæ duæ, finis & efficiens principalis. Ac finis ſtatuitur hoc modo, *ut nos eximeret ex hoc præſenti ſeculo malo*. Ad cujus intelligentiam majorem declarandum eſt, quid *ſeculum* & quidem *præſens* ac *malum*: deinde quid *exemtio ex eo* deſignet. Ad prius quod attinet, cum *ſeculum* variè in Scriptura Sacra uſurpetur: vel ut longum tempus (modò finitum, modò infinitum) notet, vel vitam: ut alibi diverſè accipitur: hoc tamen in loco *mundum* ſignificat: ut Hebr. 1. v. 2. *per quem & ſecula fecit*, quod Beza, ſenſu rectè expreſſo, transfert *mundum condidit*: ut etiam, Hebr. 11. v. 3. πίστει *fide*, id eſt, per fidem, *intelligimus conſtructa eſſe ſecula*, hoc eſt, *mundum*: ut idem Beza interpretatur: quemadmodum loci circumſtantiæ eam expoſitionem evincunt. Quæ ſignificatio per meton. adjuncti pro ſubjecto, uſurpatur, quod ſcil. mundus per ſecula plurima duret. Et ut *mundus* pro hominibus mundo contentis accipi ſolet: ſic & hoc in loco, ita tamen ut generalis ſignificatio ad certam hominum ſpeciem reſtringatur, ſicut adjuncta epitheta diſtinctè indicant: nam & *præſens* hic & *malum* ſeculum vocatur: *præſens*, ut à futuro; & *malum*, ut à mundo fidelium diſtinguatur. Mundus autem malus dicitur, à morum ac factorum impietate, & *mundus impiorum*, (qualis, qui ante diluvium extitit dicitur, 2. Petr. 2. v. 5.) nominari poteſt: *quia totus in malo jacet*, 1. Ioh. 5. 19. Cui hoc loco opponuntur fideles, cum dicitur, *ut eximeret nos ex eo*. Quibus verbis & antecedens noſtra miſeria, & conſequens liberatio per Chriſtum indicatur: miſeria quidem, quod antea ex mundo fuerimus: liberatio vero quod *exemti ſumus* per gratiam Chriſti: qui ut ad hunc ſcopum ſuo ſacrificio collimavit, eumque promeritus eſt; ſic eundem conſtanti voluntate ac potentia ſua divina eſt aſſecutus. Exemit enim nos à mundo hoc præſenti malo, duobus quaſi gradibus, ſanctificatione & juſtificatione: Sanctificatione quidem, cum donatione fidei vivæ & charitatis, nos à malitia incredulitatis & impietatis mundi eruit ac liberat, 1. Cor. 6. v. 11. Eph. 2. v. 3. 6. 1. Pet. 3. v. 24. Iuſtificatione vero cùm à maledictione mundi (cui ob peccata communia eramus obnoxii) nos liberat, Gal. 3. v. 13. Rom. 8. v. 1. & 34 & juſtos coram Dei tribunali in ſe conſtituit. Rom. 3. v. 23. 25. & 5. v. 1. 17. 18. Atque hæc ſtrictim de beneficii Chriſti (quo ſeſe in ſacrificium, pro peccatis noſtris, Deo obtulit) priori cauſa, nempe illius fine. Altera vero cauſa eſt efficiens principalis, à qua beneficium illud Chriſti promanat: quam cauſam 1. nervosè indicat: deinde eandem merita δοξολογίᾳ, ſeu gloriæ celebratione, ad gratitudinem ſuam teſtandam, & ad Galatarum correctionem omniumque fidelium exemplum, illuſtrat. Efficiens principalis indicatur, cum dicitur, *ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri*: Chriſtus enim peccatorum noſtrorum reatum & pœnam in ſe ſuſcepit, non temere: ſed Dei voluntate ad illud neceſſaria. Ut enim Deus eſt mundi judex, qui peccata pro ſua vindicatrice juſtitia punit: non potuit Chriſtus noſtrorum peccatorum meritas pœnas in ſe recipere, niſi Deo id volente. Voluiſſe autem inde conſtat, quia Chriſtum ad id officium ante jacta mundi fundamenta prædeſtinaſſe dicitur, 1. Pet. 1. v. 19. 20. deinde propria voluntatis illius effecta idem demonſtrant: quod ad illud obeundum in mundum miſerit Chriſtum: ut Chriſtus agnoſcit, Joa. 18. v. 2. *an poculum*, inquit, *quod mihi Pater dedit, non bibam?* & in agone ante mortem conſtitutus, ut Matth. 26. 42. declaratur, ait, *Pater, ſi non poteſt poculum hoc à me tranſire, quin bibam illud, fiat voluntas tua*. Id quod etiam per Prophetam, Pſ. 40. v. 8. 9. ante expreſſum, Chriſti venturi nomine, & Hęb. 10. v. 9. repetitur: *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*, & v. 11. *Qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Chriſti*. Denique hac voluntate Dei, Chriſtus non ſolum in ſacrificium, pro peccatis noſtris, miſſus eſt: ſed etiam à Deo pro nobis in mortem hoſtibus traditus eſt, Rom. 8. v. 32. Ac propterea Pilato dixit Chriſtus; *non haberes poteſtatem*, &c. Ioan. 19. v. 11. Sic Petrus idem aſſerit, Act. 2. v. 22. *Hunc definito Dei conſilio & providentia Dei deditum cum accepiſſetis per manus iniquorum, affixum* (ſc. cruci) *interemiſtis*, cui ſimilis ſententia, Act. 4. v. 27. 28. Quæ voluntas Dei eo amplius etiam indicatur, quòd non ſolum externis (ab hoſtibus ipſi illatis cruciatibus) Chriſtum tradiderit, ſed etiam æternas nobis pro peccatis debitas pœnas, ut ſponſori inflixerit, ut Eſa. 53. v. 5. *Ille dolore afficitur &c.* v. 6. *Jehova facit, ut incurrat in eum iniquitas* (hoc eſt iniquitatis pœna) *omnium noſtrûm*, & v. 10. *Jehova voluit conterere ipſum*. Quæ Dei, in ſacrificio Chriſti, pro peccatis noſtris, voluntas, reipſa ſummum erga nos amorem complectitur. Ideoque Apoſtoli tanquam ſummum erga nos beneficium, à quo ſalus noſtra dependet ac certò oritur, paſſim extollunt. Rom. 5. v. 8. & 8. 31. 32. 1. Ioan. 4. v. 9. & 10. *in eo patefacta eſt charitas Dei erga nos, quod Filium ſuum unigenitum*

genitum

genitum misit in mundum, ut vivamus per eum, In hoc est charitas Dei, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, propitiationem, &c. Quamobrem exposita hac benigna erga nos voluntate Dei, qua Christum filium suum pro peccatis nostris in sacrificium dedit, rectè apostolus ipsum vocat *Patrem nostrum*, ut qui per Christum Pater noster est, & nos filii illius atque hæredes facti sumus. Ac propterea, ob summum hoc beneficium, solemni hac Dei celebratione, præfationem concludit, cum ait, *cui sit gloria in secula*, &c. ut Rom. 16. 27. Eph. 3. v. 21. Phil. 4. v. 20. 1. Tim. 1. v. 17. 2. Tim. 4. v. 18. Hebr. 13. v. 21. 1. Petr. 4. v. 11. & 5. 11. & Epist. Judæ, v. 25. quæ gloria ut Deo debetur, sic finis gratiæ illius existit. Atque hoc modo absoluta est præfatio hujus epistolæ: per quam, via, ad tractationem rei propositæ subnectendam, commodissime strata est: ut cohærentia postea ostendet. Antequam vero ad eam explicandam progrediamur oportunum hoc loco, ac penè necessarium arbitramur, ut illud quod à nobis in præfatione consultò dilatum (ne declarationis illius series interrumperetur) paulò plenius expendere conemur. Hoc autem est:

Celeberrima illa ac dignissima QVÆSTIO, de causa impulsiva, fine, ac fructu mortis Christi, nimirum:

An Christus, speciali gratia, pro solis ad salutem electis, loco eorum, passus sit ac mortuus, eosque Deo reconciliaverit: an vero universali gratia, pro omnibus ac singulis, tam reprobis qui damnantur, quàm electis qui servantur, id præstiterit?

PRius in Synodo Nationali Dordracena, & in ecclesiis nostris asseritur: posterius verò à Lutheri discipulis, qui se distinctè Lutheranos vocant; & contrà sentientes atrocibus convitiis insectantur. Quod ut clarius evadat, testimonia eorum, quibus disertè hanc sententiam exprimunt, proponemus. Ac primùm quidem Jac. Andreæ, in colloquio Monpelgardensi, sententia (quam etiam Beza, in sua responsione, ad acta illius colloquii, parte altera pag. 218. totidem verbis recenset) hæc est: *quod Christus non minus pro damnatis sit passus, crucifixus & mortuus, & pro ipsorum peccatis satisfecerit, quam pro Petri, Pauli, & omnium sanctorum peccatis*, Idemque docet Æg. Hunnius expresè in lib. art. de justificat. edito Francof. a. 1596. ubi studiosè de hac re agens probare conatur, primò p. 58. *Christum pro omnibus hominibus esse passum & mortuum*, hoc est pro singulis, citra exceptionem: deinde p 59. *Christum mortuum etiam pro iis, qui damnantur.* Idem postea tradit Mat. Haffenrefferus D. & P. Wittenb. in Loc. Theo. a. 1607. excusis, l. 3. p. 262. & 386. *Christum pro omnibus peccatis omnium hominum, totius mundi, sacrificium suum obtulisse.* & ibid. p. 389. *Anne igitur Christum, pro illis, qui pereunt, mortuum judicas? maximè.* Accedit huic alter D. ac Prof. Witten. Leon. Hutterus, in *libri Concordiæ symboli ecclesiarum γνησίως Lutheranarum, explicatione* Wittenb. edita, a. 1608. art. 11. p. 1190. ubi hanc quintam ponit thesin: *Filius*, inquit, *Dei, in assumpta humana carne mortuus & passus est, Patrique satisfecit pro peccatis totius mundi: & in specie etiam pro peccatis reproborum.* Quibus accedit a. 1609. Hen. Echardus, in *fasciculo quæstionum Theologicarum* p. 182. *an satisfactio & meritum Christi sit universale? affirmamus.* & p. 124. *Christus mortuus est, non pro solis electis: sed etiam pro damnatis.* Hactenus Lutheranorum sententia, ipsorum verbis, expressa: ut perspicuè constet, nihil illis à nobis affingi: sed statum controversiæ sincerè proponi. Atque hæc de sententia duplici, ratione quæstionis propositæ: consequens igitur est, ut argumenta utriusque sententiæ primaria nonnihil expendamus: à priori, (quam, ut S. literis omnino consentaneam, amplectimur) exorsi, cujus demonstrationes sunt plurimæ: è quibus nonnullas deligemus, quæ perspicuitate sua hoc merentur. *Prima* autem hujusmodi demonstratio hæc est; *Pro quibus Deus proprium suum Filium in mortem dedit, iis omnia ad salutem necessaria cum ipso donat. Atqui solis electis, non autem reprobis, omnia ad salutem necessaria, cum Christo, donat. Ergo Christus pro solis electis non autem pro reprobis mortuus est.* Propositio firma est; ut quæ Apostoli assertione disertâ nititur, quæ expressa est ad Rom. 8. v. 32. 33. *Si Deus*, inquit, *pro nobis quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non cum eo omnia nobis donabit?* aut, ut Beza interpretatur, *gratificabitur*, Græce χαρίσεται; atqui solis electis, omnia, quæ ad salutem necessaria donare, quod assumptio continet, citra controversiam est: ut ibidem v. 28. & seqq. probatur. Reprobis verò omnia ad salutem necessaria non donari, quia non justificantur, utpote qui sub dominio & pœna peccati manent, ac damnabuntur certò, constat. *Secunda* demonstratio est hæc: *Qui reconciliati sunt Deo, per mortem Filii ipsius, illi reconciliati multo magis servabuntur per vitam ipsius. At soli electi, non autem reprobi, servabuntur per vitam Christi. Ergo soli electi, non autem reprobi, reconciliati sunt Deo per mortem Filii ipsius.* Propositio est Apostoli Pauli sententia ad Rom. 5. v. 10. *nam*, inquit, *si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur, per vitam ipsius.* Assumptio clarissima ac certissima est: quia soli electi ad salutem, servantur, Mat. 25. vers. 34. & 46. Omnes contrà reprobi non servantur, sed damnantur, ibid. v. 41. & 46. *Tertia* demonstratio; *Quorum peccata Christus certò norat, secundum Dei decretum, & voluntatem expressam S L. non posse remitti; pro iis sanguinem suum, in remissionem peccatorum, moriens non effudit. At verò reproborum multorum peccata non posse remitti, secundum Dei decretum S L. expressum, Christus certo norat. Ergo pro iis, in remissionem peccatorum, sanguinem suum, moriens non effudit.* Propositionis veritas perspicua est: quia Christus non potuit piè, neque sapienter eorum peccatorum, quæ non poterant remitti, remissionem morte sua destinare: quia & voluntati Dei & conscientiæ propriæ (quod absit) fuisset adversatus. Assumptio etiam solida est: quia Christus norat, primùm, maximam totius mundi partem, ob peccata sua æternis Inferni flammis, sine ulla spe veniæ, cruciari: deinde sciebat etiam (quod ante mortem diserta sententia definierat) peccatum in Sp. S. remitti nequaquam posse, ejusque non paucos esse reos, Matth. 12. v. 31. 32. Peccatum autem illud in Spir. S. (ut obiter hoc declaretur) est impietas adversus Euangelium, qua quis Christum, per revelationem Spir. S. cognitum, sciens, volens, ex destinato odio, contumeliis afficit. *Quarta* demonstratio est; *Quicunque debitas, pro omnibus suis peccatis, pœnas ipsimet Deo persolvunt: pro iis, Christus, passione & morte sua, easdem pœnas perfectè non persolvit. Sed reprobi debitas, pro omnibus suis peccatis, pœnas ipsimet Deo persolvunt. Ergo Christus passione & morte sua, pro reprobis, easdem pœnas perfectè non persolvit.* Propositionis veritas ex judiciali Dei justitia liquet: quum enim Deus sit justus mundi judex, non potest justè duplicem omnium pœnarum debitarum solutionem perfectam, unam à debitoribus ipsis; alteram à sponsore Christo exigere; sed alterutram tantùm: & quidem ex universalis justitiæ judicialis lege, quæ unicam tantum peccatis perpetratis pœnam æqualem inferre potest. Assumptio etiam extra controversiam est; quia reprobi omnes damnantur in æternum: ideoque cruciatibus æternis pœnas peccatorum suorum omnium ipsimet perfecte luunt. *Quinta* demonstratio est; *Pro quibus solis Christus Patrem orat; pro iis solis sese in sacrificium, pro peccatis eorum, obtulit ac mortuus est. At pro solis ad salutem electis, Christus Patrem orat: non autem pro reprobis. Ergo pro solis ad salutem electis sese in sacrificium; pro peccatis eorum obtulit ac mortuus est: non autem pro reprobis.* Propositionem officium Christi sacerdotis confirmat: cujus duo sunt certissima effecta, indissolubili vinculo connexa, nimirum orare pro reconciliatione ac salute peccantium, & pro iisdem sese in reconciliationis sacrificium offerre; ita ut cui unum convenit, alterum etiam convenire necesse sit: & contrà cui unum denegatur, alterum verè adscribi non possit: Sacræ enim literæ ea duo beneficia connectunt. Quemadmodum enim Christus, *pro iis, quos Pater* ei de-

ei dedit, *orat*, *ut ille eos servet à malo*, Ioan. 17. v. 17. sic etiam addit, v. 19. *& pro iis ego sanctifico me* (hoc est, in victimam consecro) *ut & ipsi sanctificati sint in veritate*. Et Rom. 8. v. 34. mors Christi & postulatio pro nobis, tanquam beneficia, ad eosdem pertinentia, conjunguntur. Sic etiam ad Hebr. 7. Christi Pontificis effecta referuntur, primum *interpellare pro nobis*, v. 25. deinde *semetipsum pro nobis offerre*, v. 27. Assumptio verò ex iisdem locis (quæ de electis disertè satis loquuntur: & inprimis ex Christi expressa affe..ione, Ioan. 17. v. 9 *Ego pro iis rogo*, *non pro mundo rogo*: *sed pro iis*, *quos dedisti mihi*; *quia tui sunt*: ubi per *mundum* universitatem reproborum intelligi, oppositio, & ab oratione Christi exclusio declarant. Oppositio quidem, quia *mundus* hoc loco, opponitur iis, qui Patris sunt, hoc est, electis à Patre in filios ut 2. Tim. 2. v. 18. *Deus novit*, *qui sunt sui*: quos Apostolus etiam reprobis, de quibus egerat, opponit. Tales autem, qui *Patris esse* dicuntur, sunt duplices: quidam solâ prædestinatione, ad adoptionem in filios, Eph. 1. v. 5. quales etiam, Ioan. 11. 5. *filii Dei dispersi*, *ac congregandi in unum*, vocantur: alii verò sunt Patris bifariam, & prædestinatione & adoptione: ut omnes credentes, Ioan. 1. v. 12. 1. Ioan. 3. v. 2. Deinde *mundus* hic opponitur, non solùm iis, qui Patris sunt: sed etiam iis, qui Christo à Patre dati, nempe ut per fidem, oves Christi & salvi fiant. Quales duplices similiter sunt, videlicet vel prædestinatione solâ: ut Ioan. 10. v. 16. *alias oves habeo*, *quæ non sunt ex hoc ovili*: *quas oportet me adducere*. Et v. 37. *omne quod dat mihi Pater*, *ad me veniet*, id est, in me credet: alii verò dati Christo non solâ prædestinatione: sed etiam vocatione & traditione efficaci, Ioan. 17. 12. *Quos*, inquid, *dedisti mihi*, *eos servavi*. Utrosque autem datos, mundo opponit Christus ideoque per *mundum* reprobos intelligit. Idemque demonstrat ab oratione Christi exclusio absoluta, cum ait Christus, *non rogo pro mundo*: *sed pro iis*, *quos dedisti mihi*, nempe in oves, ut eis dem vitam æternam, ut Ioan. 17. v. 2. ait, *ut omne quod dedisti ei*, *det iis vitam æternam*. & Ioan. 6. v. 39. *hæc est voluntas ejus*, *qui misit me Patris*, *ut omne quod dedit mihi*, *non perdam ex eo*. Tales autem & dati erant pro quibus Christus orat Luc. 23. v. 34. Et quod oravit pro iis, certò à Patre impetravit: quia semper exauditur, Ioan. 11. v. 42. ut eventus etiam ostendit horum qui mortis illius fuerunt authores: adeò ut primum tria eorum millia Actor. 2. vers. 4. deinde quinque millia, per Apostolorum sermonem, sint conversa & in gratiam à Deo recepta, Actor. 4. v. 4. Quod autem Christus ait, se pro reprobis non orare, mirum non est: quia eos partim tum in æternum damnatos, partim in pecccatis justè relinquendos ac damnandos cognorat: imo pro iis non solùm non orat; sed etiam contra quosdam, nempe reprobos Israelitas disertè orasse S. L. testantur, Psal. 69. v. 23. usque ad 30. quemadmodum ex eodem loco, idem, ad Rom. 11. v. 10. repetitur. Quod autem à quodam Theologo, contra confessum Ecclesiæ Reformatæ consensum, de oratione Christi, pro solis electis, objicitur; *oravit quoque pro omnibus illis*, *super quorum incredulitate & venturis pœnis tantopere doluit*, Marc. 13. v. 4. Luc. 19. v. 41. 42. *si possibile esset*, *ut crederent & servarentur*: *etiamsi homines*, *ex malitia & incredulitate*, *tantam gratiam sprevèrint*: in iis (inquam) verbis, duplex ac perspicua à veritate scripturæ aberratio est: nam, ut omittamus, quod in loco Marci nullum omnino illius rei indicium: primùm, in Lucæ verbis, fletus Christi (ex humana venturæ pœnæ commiseratione promanans) mentio quidem est: sed ne γρῦ quidem, de oratione, pro iis, apparet, nedum qualis hic fingitur: sic enim Lucæ verba sonant, *& ut appropinquavit*, *visa urbe*, *flevit super ea*, *dicens*, *Quod si tu etiam cognosceres*, *etiam in hoc tuo die*, *quæ ad pacem tuam* (supple, *pertinent*) *sed nunc abscondita sunt ab oculis tuis*. Hæc dicta Lucæ adeò aperta & à proposito adversarii aliena, ut citius aquam à pumice expresserit, quam ex illis verbis, orationem Christi, pro Hierosolymitanorum fide & salute, eruere valeat. Deinde alter etiam error accedit, quod hisce (quorum sortem deflevit Christus) malitiam attribuit: cum Christus sui contemptum, non eorum malitiæ, sed ignorantiæ disertè adscribat: quod scilicet, ex zelo sine scientia, (qualis Judæorum plerorumque ad Rom. 10. v. 1. describitur) Christo adversarentur. *Si*, inquit, *cognosceres*, *quæ ad pacem tuam pertinerent* (supple, *felix esses*, *aut in calamitates venturas non incideres*, est enim aposiopesis) *sed abscondita sunt ab oculis tuis*: ideoque majorem populi partem intelligit: non autem pauciores illos, qui Christum cognitum malitiâ rejecerunt, atque etiam occiderunt: quales illi principes sacerdotum & Pharisæi illi, de quibus Christus loquitur, Matth. 21. v. 38. & 46. Quamobrem *quinta* demonstratio contra universalem mortis Christi gratiam firma persistit. *Sexta* porrò demonstratio est; *Pro quibus Christus sanguinem novi fœderis effudit, ac mortuus est*, *illi & sanctificationem & remissionem peccatorum perpetuam à Deo consequuntur*. *At verò soli electi & sanctificationem & remissionem peccatorum perpetuam à Deo consequuntur*, *non autem reprobi*. *Ergo pro solis electis Christus sanguinem novi fœderis effudit ac mortuus est*, *non autem pro reprobis*. Propositio inde confirmatur, quod Christus sui sanguinis effusione, & morte intercedente, iis pro quibus mortuus, novum fœdus confirmavit: quemadmodum ostendit, Matth. 26. v. 28. *hoc est enim sanguis meus novi fœderis*, *qui pro multis effunditur*, *in remissionem peccatorum*. Novi autem fœderis promissa beneficia indivulsa sunt duo, perpetua sanctificatio & remissio peccatorum perpetua, per sanguinem & mortem Christi parta. Vnde ad Hebr. 7. v. 22. Christus sacerdos noster *præstantioris fœderis* (id est novi) *sponsor factus* dicitur. Et ad Hebr. 8. v. 6. *excellentius ministerium sortitus est*, *quo præstantioris est fœderis* ... *mediator*, *quod præstantioribus promissis sancitum est*. Promissa autem illa (ex Jeremiæ, cap. 31. 33. & seqq. descriptione) exponit Apostolus: primum sanctificationem, v. 10. *indam*, inquit, *leges meas menti eorum & cordi eorum inscribam eas*. Perpetuitas verò indicatur sequentibus, *& ero ipsis Deus & ipsi erunt mihi populus*: nam in fædere novo *esse Deum alicujus*, est esse servatorem perpetuum ad salutem: ut ex Christo colligimus, Matth. 22. v. 32. quemadmodum etiam oppositio veteris ostendit ad Hebr. 8. v. 8. & 9. *faciam novum fœdus*, *non secundum fœdus quod feci cum Patribus eorum &c. quia illi non perstiterunt in illo meo fœdere*, *& ego despexi eos*, *dicit Dominus*. Ergo novum fædus, quod Christi sanguine sancitum, constans est, ita ut Deus perpetua sua gratia fœderatis adsit: non autem despiciat, sed promissa servet: & sanctificationem ad finem donet. Id quod in ejusdem fæderis formula per Ezechielem repetita, clarissimum est cap. 36. 26. 27. *Dabo vobis cor novum & Sp. meum ponam in medio vestrûm*, *& amovebo cor lapideum è carne vestra*, *& dabo vobis cor carneum*, *& Spiritum meum ponam in medio vestrum*, (ecce sanctificationem per Sp. S. donum) *& faciam*, *ut in statutis meis ambuletis*, *& jura mea observetis & faciatis ea*; en quoque perpetuitas indicatur sanctificationis, novo fædere certo promissa. Deinde remissionem peccatorum & quidem perpetuam novo fædere promissam constat, ex eadem Ieremiæ descriptione ad Hebr. 8. vers. 12. his verbis adjunctis repetita. *Ero enim propitius iniquitatibus eorum*: *& peccatorum ipsorum non recordabor amplius*: quo perpetuitas remissionis perspicuè declaratur: ut etiam ad Heb. 10. 14. *unica enim oblatione consecravit*, *in perpetuum*, *eos*, *qui sanctificantur*. Idque ibidem novi fæderis promissione repetita, versu 15. 16. & 17. explicatur ac confirmatur. Atque ita propositionis sextæ demonstrationis veritas, observatu dignissima, firma apparet. Assumptio similiter S. Literis comprobatur: quia electi utramque à Deo promissionem, sanctificationis & remissionis peccatorum perpetuæ, assequuntur: vocantur enim ad fidem, & justificantur gratia Dei, ad glorificationem usque constanti, ad Rom. 8. 30. 31. 32. & pro iisdem Christus orat, Joh. 17. v 9. *ut Pater eos servet à malo* v. 15. *& sanctificet eos sua veritate* v. 17. *seque pro iis seipsum sanctificare*, *ut illi sanctificati sint in veritate*, asserit vers. 19. & quidem ad salutem: quo spectat v. 24. *Pater*, *quos dedisti mihi*, θέλω *volo*, *ut ubi sum*, *illi sint mecum*, *ut conspiciant gloriam illam*, *quam dedisti mihi*: ut etiam Joh. 6. 37. 39. Reprobos contrà nec sanctificationem, nec remissionem peccatorum

perpe-

perpetuam consequi, certò constat: quia alioqui non damnarentur, sed servarentur. Deinde neque de iis diceret Christus *nunquam novi vos*, Matth. 7. v. 23. Ac propterea morte sua, pro iis satisfacere, eosque sanctificare, ac remissionem peccatorum iis impetrare non intendit; quia in hisce maxima & notitia & dilectio consistit, Ios. 15. v. 13. Rom. 5. v. 8. 9. Eph. 5. v. 2. & v. 25. 26. contrà verò electos (utpote sibi à Patre datos) novit Ioh. 10. v. 14. 16. suaque benigna atque omnipotente manu eos conservat, v. 29. quia illorum pastor est bonus, qui animam suam pro ovibus ponit, ibidem v. 11. *& magnus ille ovium, per sanguinem fœderis æterni, pastor* Hebr. 13. v. 20. per cujus mortem, vetus homo crucifixus, Rom. 6. v. 6. neque amplius iis dominabitur v. 14. quia per corporis Christi oblationem sanctificati sunt Hebr. 10. v. 10. 14. Verùm quia adversus dicta, duo ab adversariis opponuntur; ea ad veritatis illustrationem proponemus ac diluere conabimur. Ac primum quidem, novi hujus doctrinæ adversarii (qui à nostris hac in re declinavit) effugium est hujusmodi, *Christum dicere de reprobis in infidelitate perseverantibus, qua talibus, se eos non nosse.* Verum vox illa Christi *nunquam*, id est nullo tempore, distinctionem illam reproborum in prima infidelitate, & in perseverante consideratorum, omnino convellit; nec enim ait, *jam non novi vos*, sed, *nunquam*, id est, neque nunc, neque antea. Altera verò objectio plus quidem habet coloris: sed re penitius observata, quemadmodum prior, omnino infirma est: quamvis Lutherani, eorumque asseclæ, eâ plurimum nitantur. Antecedens autem illius, est sententia Apostoli Hebr. 10. v. 29. *quanto majori supplicio dignus censebitur is, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem novi fœderis prophanum duxerit, ἐν ᾧ ἡγιάσθη per quem sanctificatus fuit, & spiritum gratiæ contumelia affecerit:* Conclusio verò est; Ergo reprobus aliquis per Christi sanguinem sanctificatus. Nostrorum contrà responsiones generatim quidem conveniunt, vitiosam esse consequentiam: speciatim verò, in vitii demonstratione, diversa sunt judicia: quidam enim respondent, hanc adversariorum hypothesin, nempe per verba illa, *is qui Filium Dei &c.* reprobum designari, qui à fide vera deficit ac perit, non esse certam, neque ulla ratione solidâ hactenus probatam: immò contra circumstantias antecedentium & consequentium, de electis fidelibus intelligendum persuadere: nam v. 26. ubi de eadem re actum, dicitur, *nam si ultro peccaverimus, post receptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia*: ubi in persona prima loquitur Apostolus, *si peccaverimus*, id est, si quis ex nobis fidelibus peccaverit: ut etiam ostendit ad fideles directa hortatio, ad perseverantiam in fide, & confessione spei, v. 22. 23. & charitate v. 24. & ad fugam desertionis conventus ecclesiæ: adjuncta ratione duplici: primâ quidem, à diei illius (nempe judicii) propinquitate v. 25. secunda, à pœna privationis sacrificii pro peccato v. 26. & horrendi exitii v. 27. Cujus pœnę justitia probatur comparatione supplicii illius, qui legem Mosis rejecisset: quod ex testimonio duorum aut trium moreretur v. 28. Unde concludit. *Quanto acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit &c. & Spiritum gratiæ contumelia affecerit.* Denique constat idem, ex Apostoli conclusione v. 39. *justus autem ex fide vivet; at si se subduxerit*, scil. à fide: unde apparet, de fidelibus agi. Neque propterea (ut nonnulli existimant, & adversarii etiam contendunt) hoc modo perseverantia sanctorum in dubium vocatur: quasi quorundam ex iis apostasia statueretur, siquidem conditionalis est sententia (*si peccaverimus*; item *is qui Filium Dei conculcarit*, hoc est, si quis) ex qua neque antecedentis, neque consequentis veritas, immo neque (ut sic dicamus) alterutrius possibilitas rectè concludi potest: exempli gratia, Christus de seipso ait Johan. 8. 59. *Si dixero, me eum*, scil. Patrem, *non nosse, similis ero vestri, mendax*: ubi utrumque & antecedens & consequens impossibile: verissima tamen est sententia: quia hypotheticæ enuntiationis veritas in sola necessitate consequentiæ consistit. Deinde alterum exemplum est, Christi ad Apostolos, non minus, quàm ad populum, proposita commminatio communis Matt. 5. 20. *nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum*: quæ conditionalis sententia ob necessariam consequentiam, vera est; sed tamen neutra pars illius actu seu eventu extitit Joan. 17. v. 12. 17. 14. diverso tamen respectu, utrumque possibile fuit, & impossibile: possibile enim fuit, ut Apostolorum justitia non esset major, quam Pharisæorum, considerata per se, ratione cùm infirmitatis eorum, Matt. 26. v. 41. Luc. 21. v. 31. & 32. Joan. 15. v. 5. tum potentiæ hostium, partim carnis adversus Spiritum repugnantis intus, Gal. 5. v. 17. partim mundi Joan. 16. v. 33. & principis illius Sathanæ Joan. 14. v. 30. per fraudem Eph. 6 v. 11. 12. & violentiam 1. Pet. 5. v. 8. foris oppugnantis. Per accidens verò proprium gratiæ Dei, seu ratione amoris Dei constantis & potentiæ illius, qui Apostolos ad salutem elegerat, Luc. 10. v. 20. & 12. 32. & per ac propter Christum conservabat Luc. 22. v. 31. 32. & Ioan. 17. v. 14. impossibile erat, ut à sincera justitia, ad fucatam Pharisæorum deficerent, atque ita à regno cælorum excluderentur. Sic etiam fideles Hebræi, per se quidem considerati, ratione infirmitatis ipsorum, & potentiæ hostium, potuissent deficere à fide: sed per accidens proprium gratiæ Dei, seu amoris Dei constantis Rom. 8. v. 32. & 39. & potentiæ illius conservantis 1. Pet. 1. v. 5. (secundum fœderis per Christi mortem sanciti promissionem, Rom. 8. v. 32. & ad Heb. 10. v. 16. 17.) deficere non potuerunt: quemadmodum Mat. 24. v. 24 de electis fidelibus & 1. Joan. 3. v. 9. de fidelibus, qui nati sunt ex Deo, Joan. 1. v. 12. 13. affirmatur. Potentia autem Dei conservans, est efficacia illius, partim per Spir. S. cum carnem, mundum, Sathanam frænat, Matt. 6. v. 13. & 1. Cor. 10. v. 13. ad Rom. 16. v. 20. & fidem firmat. 1. Thess. 5. v. 23. & 24. partim per prædicationem Euangelii; qua doctrinam fidei & perseverantiæ illius, non solum generatim proponit ad notitiam, sed etiam speciatim ad obedientiam, & quidem reprehensionum & adhortationum stimulis impellit. Reprehensiones enim segniores, pudore injecto, ad zelum provocant: hortationes verò primum fidem mandant, ac constantiam illius: & pulchritudinis illius indicio & salutis præmio, ad eam inflammant: deinde ad defectionis fugam, fæditatis illius descriptione & exitii æterni comminatione, accedente Spiritus Sancti gratiâ impellunt. Quemadmodum etiam Apostolus cum alibi, tum etiam hoc capite observavit. Officium enim perseverantiæ traditur vers. 36. Reprehensio segnitiæ Hebr. 12. v. 13. Hortatio verò ad perseverantiam cap. 10. 32. 33. 34 & ad fugam defectionis v. 25. & 35. Et ad illam quidem perseverantiam, promissione salutis v. 34. 36. 38. 39. ad defectionis verò fugam, comminatione exitii v. 26. 27. & 29. & 38. exstimulat. Atque hujus accidentis proprii, nempe gratiæ Dei & potentiæ illius (per Spiritum & verbum Euangelii prædicatum) auxilio firmati fideles, licet per se deficere possent à fide, nunquam tamen deficiunt; sed mundum fide vincunt, 1. Ioh. 5. 4. eâque Diaboli violentiæ resistunt, 1. Pet. 5. v. 8. ac superant Eph. 6. v. 16. eumque fugant Iac. 4. v. 7. & *seipsos servare* dicuntur: nec *malum ullum eos tangere* (nimirum vulnere lethali) 1. Ioh. 5. v. 8. Ideoque Apostolus, hoc loco, Heb. 10. in conclusione capitis, comminationem ante positam, ita reponit ac repetit v. 38. *justus autem ex fide vivet; at si se subduxerit, non probat eum animus meus*, ut ita terrore pœnæ à defectione fideles averteret: & ne nimia infirmitatis suæ consideratione, prosternerentur, sed ut ad Dei gratiam & potentiam oculos attollant, additâ consolatione erigit v. 39. *nos verò non sumus, qui nos subducamus, ad exitium; sed qui credimus, ad animæ salutem*, scilicet secundum promissionem Christi: quod qui credit, habeat vitam æternam Ioh. 3. 36. æterna autem non est, quæ amittitur, & Ioh. 10. do iis vitam æternam, oves meas nemo rapiet è manu. Atque hactenus adversariorum Enthymema (quo reprobos Christi sanguine sanctificatos, ex sententiâ Heb. 10. v. 29. probare contendunt) hac prima responsione solidâ confutatum satis speramus. Quo modo etiam sexta demonstratio nostra adversus exceptiones firma persistit. Verùm quia alia responsio adferri solet, ea non immeritò recensenda,

senda, atque expendenda; ut, an talis sit, cui tutò queamus inniti, cognoscatur. Ea autem negatæ consequentiæ aliam adfert rationem, nempe, quod in Enthymemate objecto hoc, sophisma sit homonymias duplicis: prima est in voce *sanguinis:* quæ in conclusione accipitur propriè, pro sanguine, qui ex corpore Christi effluxit, ut etiam controversiæ status arguit: in antecedente verò, seu Apostoli sententia impropriè, pro sanguinis Christi sacramento. Quemadmodum *poculum*, id est, vinum cœnæ, *sanguis Novi Testamenti* appellatur, Matt. 26. v. 28. altera (ut censent) homonymia est in verbo ἡγιάσθη *sanctificatus fuit:* quod in conclusione accipitur propriè, pro regeneratione per Spir. Sanctum, quam Christus merito mortis suæ acquisivit: in antecedente verò, seu in Pauli sententia usurpatur, pro externa per sacramentorum perceptionem, à profano impiorum cultu, segregatione. Verùm bona piorum atque insignium scriptorum veniâ, approbatam hanc potius, quàm probam, ac probatam adversarii argumenti solutionem videri arbitramur. Primò, quia contra certam interpretationis formam; à propria vocum *sanguinis* & *sanctificationis* significatione sine necessitate ad impropriam recedit; quum servata fidei & contextus analogia, usitata earum vocum significatio meritò debeat retineri: ut ex ea, quam initio proposuimus, responsione & probatione illius constare potest. Deinde etiam, licet vinum cœnæ Domini dicatur esse sanguis Novi Testamenti, id est, signum sanguinis, generatim sumptum: nullibi tamen certò speciatim sanguis pro vino usurpatur. Præterea neque etiam ullibi *sanctificationis* vox in Novo Testamento (in quo tamen creberrimè extat) fucatam illam, per Sacramenta, à profanis segregationem designat. Denique res ipsa idem evincit: quia hypocritæ illi abutentes sacramentis, iis minimè sanctificantur: sed contrà se ipsos ita polluunt, & sanguinis Christi, per ea significati, rei fiunt, 1. Cor. 11. v. 27. & deinde Sacramenta sanguinis Christi sibi profana reddunt. Quamvis enim sacramenta institutionis divinæ ratione, sacra sint: abutentibus tamen sacra esse desinunt & profana fiunt: ut disertè illustribus dictis, Rom. 2. 25. 28 Esai. 66. v. 30. Aggæi 2. v. 13. 14. affirmatur. Quare perspicuum est, Apostoli, nullo modo, eam esse mentem, ut reprobos, per sanguinem novi fœderis, hoc est (ut exponunt) per sacramenta sanguinis fuisse sanctificatos dicat: cum hæc, per sacramentorum abusum, à mundo profanorum segregatio, mundo immundiores magisque profanos reddidisset. Quamobrem hæc responsio vulgò trita; sed minus solida apparet: ac primæ non immeritò postponenda. Quemadmodum etiam & tertiæ, quam olim etiam, ad ampliorem refutationem, attulimus. Nam licet obtinerent Lutherani (quod tamen nulla ratione solida probari potest) Apostolum loqui, de reprobo; inde tamen non sequetur, verba illa, *per quem sanctificatus fuit*, de reprobo prædicari: quia falsa nituntur hypothesi, quasi ea unicam tantùm constructionem admitterent, & ad eum, qui sanguinem novi testamenti profanum duxerit, necessario essent referenda: quum rectè & possint & debeant ad Filium Dei, cujus antea meminit, referri. Possunt enim, quia vera & opportuna est illius descriptio, ad defectionis indignitatem amplius declarandam: quod videlicet Filius Dei, per suum novi testamenti sanguinem sit sanctificatus, hoc est, Deo in sanctam victimam sit oblatus, ut Ioh. 17. ait, *ego pro iis meipsum sanctifico:* & Heb. 2. 10. dicitur Pater Christum per passiones τελειῶσαι consecrasse: & cap. 5. v. 9. τελειωθεὶς consecratus, seu sanctificatus appellatur. Neque obstat, quod nomen Filii non proximè antecedat: quia usus etiam scripturæ est, ut interdum constructio, non ad proximum, sed ad remotius referatur: sensu præsertim hoc postulante. Quemadmodum Gen. 10. 17. *inter Niniven & inter Calab. Hæc est urbs illa magna:* quæ descriptio ad remotius, nempe Niniven pertinet: uti ex re ipsa constat. Sic ad Rom. 1. v. 3. *de Filio ipsius*, construitur cum remotiore nomine, *Euangelio Dei:* & 1. Pet. 1. *secundum prænotionem Dei* construendum est, non cum propinquo, *advenis dispersis*, sed cum remotiori, *electis Dei:* ut res ipsa citra controversiam evincit: Ideoque & in hoc Apostoli loco, descriptionem hanc *per quem fuit sanctificatus*, ad Filium Dei (licet non sit proximum) referri posse, phrasis scripturæ & rei veritas, quæ Filio convenit, atque opportunitas ostendit. Neque solum ita construi posse, sed etiam debere, sententiæ hujus veritas hoc flagitat atque evincit. Primò, quia sanctitas, quam Christus iis, pro quibus sanguinem novi fœderis effudit, est promeritus, regeneratio est & quidem perpetua, ut Apostolus hoc cap. 10. ad Heb. v. 14. testatur, *una enim oblatione*, inquit, *consecravit in perpetuum, eos, qui sanctificantur.* Et Jer. 32. v. 40. *feriam iis fœdus sempiternum & non desinam benefacere, & timorem meum indam in corde eorum, ut non recedant à me.* Deinde, quia omnibus, qui sanctificantur, etiam peccatorum remissio perpetua à Deo donatur: quemadmodum eodem capite Heb. 10. v. 17. ab Apostolo ex novi fœderis promissione, utrumque demonstratur: quorum neutrum reprobis convenire, perspicuum est. Ideoque objectionibus adversus sextam, Christi pro solis electis mortui, demonstrationem, plenius excussis atque confutatis; ad *septimam* procedemus. Ea autem est hujusmodi:

Pro quibus Christus mortuus est, illi consequuntur vitam æternam. At soli electi, non autem reprobi, consequuntur vitam æternam. Ergo pro solis electis, non autem reprobis, Christus est mortuus. Propositio eo probatur, quia Christus *dedit animam suam pro vita mundi*: Ioh. 6. v. 51. *vitam* autem *æternam* intelligi, ex totius capitis illius, de vita agentis, serie constat. Deinde, quia hic finis fuit à Christo moriente destinatus, vanus esse non potuit: ideoque etiam dicitur ibidem, *vitam dare mundo* v. 33. Assumptio quoque certa est: quia electi vitâ æternâ glorificantur, Rom. 8. 30. Mat. 25. v. 34. & 46. contra reprobi mortem æternam luunt, Mat. 25. v. 41. & 46. Quod autem novus hujus doctrinæ adversarius, per *mundum* Ioh. 6. 33. electos intelligit, verum est: sed eo vim argumenti non evadit: quia citra discrimen, finis mortis Christi (quam pro omnibus, per eam redimendis subiit) iis communis est. Quemadmodum etiam executio finis, non ab ulla hominum voluntate, sed à mortis Christi (fidem & remissionem peccatorum redemptis promeriti) dignitate, Deique, secundum novi fœderis promissionem, donantis, dilectione & veritate dependet: ut antè, imprimis in demonstratione sexta, ex Apostolo, Hebr. 10. v. 14 usque ad 18. & ex Ierem. 31. v. 33. & c. 32. v. 40. & Ezech. 36. v. 27. stabilitum. Ac propterea, si Christus pro singulis universaliter esset mortuus, finem mortis, seu vitam æternam & omnia ad eam necessaria consequerentur, Rom. 8. v. 32. Atque non singuli universaliter, sed electi tantùm consequuntur. Ideoque pro singulis etiam reprobis Christus non est mortuus. Hæc de septima demonstratione. *Octava* verò hæc est, *id quod Scriptura sacra, speciali gratia, electis propriè convenire tradit: illud non est universali gratia reprobis commune. Atqui redemptio per Christi sanguinem & mortem, est id, quod Scriptura sacra, speciali gratia, electis propriè convenire tradit. Ergo redemptio, per Christi sanguinem & mortem, non est universali gratia reprobis communis.* Propositio ex oppositorum, *proprii* & *communis*, naturâ, quæ eidem convenire non possunt, certa est. Assumptionem verò adstruit illustris ecclesiæ triumphantis confessio: quæ hoc electorum privilegium celebrans, distinctè ait ad Christum, Apoc. 5. v. 9. *Mactatus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu & lingua & populo & gente.* Non igitur omnes & singulos gentium, sed electos ex iis suo sanguine redemit. Sic etiam Christus, Iohan 10. v. 11. dicit, se *animam suam ponere pro ovibus suis*, partim credituris v. 16. partim credentibus v. 28. quarum ovium *pastor magnus per sanguinem æterni fœderis* dicitur Hebr. 13. v. 20. Reproborum verò, utpote hædorum (qui ovibus opponuntur Matth. 25. v. 22. & Ioh. 10. v. 36) pastor non est, sed victor, Ioh. 16. v. 33. & justus ac severus judex Matth. 25. v. 41. Idemque electorum privilegium statuitur Ioh. 11. vers. 51. & 52. *prophetavit* (inquit Johannes) *fore, ut Christus pro ea gente moreretur, nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum* (ut Ioh. 10. v. 15.) non autem singulos gentium, sed per eas dispersos. Sic etiam *Deus*, (scil. Filius) dicitur, *ecclesiam*

fiam sibi acquisivisse per proprium sanguinem Actor. 20. 28. & *se tradidisse pro ecclesia* Eph. 5. 25. pro *vocatis* ad Heb. 9. v. 15. pro *sanctificatis* Heb. 10. v. 14. pro *nobis* Eph. 5. v. 2. & 1. Joh. 4. v. 13. ut etiam Gal. 1. v. 4. *qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos, ex præsenti seculo malo* hoc est, mundo reproborum, *qui totus in malo jacet*. 1. Ioh. 5. v. 19. ubi per vocem *nobis* Apostolus se & alios electos ac fideles distinctè intelligit: ut etiam *seculi mali* oppositio & fructus Christi pro fidelibus mortui expresse ostendit. *Nona* denique demonstratio est hujusmodi: *redemtio vera per Christi sanguinem & mortem non est inutilis: at redemptio reproborum, quam Lutherani statuunt, est inutilis. Ergo non est vera per Christi sanguinem & mortem redemptio.* Propositio extra controversiam vera est. Assumptio verò probatur, primò quia reprobi remissione peccatorum perpetua & vita æterna carent; quæ tamen propria est redemptionis, per sanguinem & mortem Christi, utilitas. Quod autem Lutherani & novus eorum Patronus, excipiunt, *reprobos fructum mortis Christi non percipere, quia ad eam rem necessaria est fidei & perseverantiæ conditio, quam reprobi suo vitio non observant:* rectè inquam, sed inde contra sequitur, reprobos per Christi sanguinem non esse redemptos, quia fructu illius proprio destituuntur: qui primò consistit in sanctificationis (per fidem & charitatem) perseverantis & consequentis remissionis peccatorum perpetuæ donatione: quam novum fœdus certò promittit, & Christus novi fœderis sponsor, suo sanguine, suis redemptis est promeritus, & in iis, merito suo postulante, per Spiritum suum efficit, ut jam anteà demonstratum. Deinde redemptionem per Christi sanguinem & mortem, à Lutheranis, non solum inutilem statui, sed etiam indignis modis profanari, reipsa inde patet, quod coryphæus eorum, Ægidius Hunnius, comment: in epist. Heb. 10. p. 237. asserere non sit veritus, Christum pro peccato in Spiritum Sanctum satisfecisse: quum contrà Christus illud nunquam remitti disertè affirmet Matt. 12. 31. 32. & adversarius ille etiam irremissibile agnoscat; quo modo igitur Christus ad remissionem illius, suo sanguine & morte satisfacere potuit? annon igitur illud est sanctum dare canibus, & fœdus novum ac fœderis illius sanguinem, Filiumque Dei contumeliâ afficere. Neque hæc privata est Hunnii, sed communis Lutheranorum sententia: cum universaliter ac disertè affirmant, Christum sacrificium suum obtulisse, pro omnibus peccatis, omnium hominum, totius mundi: ut inter alios, Matthæus Haffenrefferus loc. theol. lib. 3. loc. 2. de Christo, pag. 386. affirmat: quæ reliquorum etiam est sententia. Unde constat, adversarium statuere universaliter, Christum, pro singulis etiam omnium reproborum peccatis (ideoque pro peccato in Spiritum Sanctum, & per consequens multo magis pro finali ac simplici incredulitate atque impænitentia) morte sua satisfecisse: unde etiam sequitur, Christi mortis finem & sapientiæ & justitiæ, eo posito, repugnasse: ut qui (ut sentiunt) peccatorum, quæ remitti non posse certò norat, remissionem intenderit: & quod voluntati Dei omnino adversari compertum habebat, morte suâ destinarit: quibus etiam accedit, quod statuunt, Christum mortis suæ merito, pœnas omnes, pro peccato in Sp. Sanct. & reliquis omnibus debitas pertulisse, Deoque plenè satisfecisse; & tamen Deum, pro iisdem peccatis, plena solutione semel accepta, æternas pœnas, contra justitiam, rursus exigere: quæ horrendæ in Christi mortem & Deum justissimum judicem, contumeliæ, Lutheranorum sententiam necessariò consequuntur: ac propterea falsitas illius, in locis antè positis convicta, & vera nostrarum ecclesiarum sententia, Christi sapientiæ, bonitati ac justitiæ Sacris literis explicatæ consentanea apparet. Quia verò adversarii (præter exceptiones antè suis locis refutatas) Christum, non solum pro electis, sed etiam pro singulis reproborum omnium peccatis satisfecisse, ac remissionem peccatorum acquisivisse, diversis argumentis probare contendunt, ea non immerito, pro instituti nostri ratione, ad majorem veritatis illustrationem, proponemus, & fucatam eorum speciem retegere ac diluere conabimur. Argumenta autem ea partim sacrarum literarum testimoniis, partim rationibus inde deductis constant. Ac testimonia quidem adducunt quædam generalia, quædam specialia de reprobis: sed neutra verè probantur, ut res ipsa docebit. A specialibus autem ordiemur; quia & ea magis speciosa videntur, & pauciora sunt & facilius queunt expediri. Quæ partim ex Apostolo Paulo, partim ex Petro deprompta. Ex Paulo autem, Hunnius de justificatione pag. 59. ad quæstionem; *Recense testimonia, quibus directè prædicatur Christus mortuus etiam pro iis, qui damnantur*; Respondet; *Accipe sequentia*, Rom. 14. v. 15. *ne cibo tuo perdas illum, pro quo Christus mortuus est. En*, inquit, *audis illum posse perdi, pro quo Christus est mortuus.* Verùm primum negatur consequentia, ob sophisma homonymias in *perditionis* voce: quia non omnis perditio perfecta & æterna est, sed quædam inchoata tantùm ac temporalis, ut Luc. 15. v. 17. *ego fame pereo*, & v. 14 *perditus erat & inventus est*, & v. 6. *inveni ovem meam perditam*, & v. 9. *inveni drachmam, quam perdideram*: in objectionis autem allatæ conclusione, *perdere* intelligitur simpliciter de perditione seu damnatione æterna, ut quæstio proposita ab Hunnio & communis controversiæ status demonstrat: in antecedente verò sumitur ab Apostolo secundum quid, de inchoata ac temporali perditione, nempe fratris infirmi offensione vers. 13. ac tristitia & charitatis mutuæ læsione, ob imprudentem ciborum olim vetitorum usum, vers. 15. atque ita maledictionis occasio daretur, vers. 16. atque hoc vocat *destruere opus Dei* vers. 12. hoc est, pacem vers. 19. cujus Deus est Author. Sed alterum ex Paulo locum consentaneum adjungit Hunnius, *Clarius*, inquit, *repetitur id*, 1. Cor. 8. 9. *& peribit frater in scientia tua, propter quem Christus fuit mortuus. Ergo Christus mortuus etiam est propter hos, qui improvida conversatione aliorum, offensione resiliunt à professione Christiana & pereunt.* Sed negatur etiam, non minus, quàm in priore Enthymemate, consequentia: quia *perire* in conclusione perfectam & æternam perditionem seu damnationem: in antecedenti verò Apostoli dicto, inchoatam fidei & conscientiæ læsionem, non verò extinctionem designat: ac propterea vocatur *offensio* vers. 11. & 13. & *conscientiæ pollutio* vers. 7. & *vulneratio illius*. 12. Quibus omnibus exponitur, per verbum illud *peribit*, intelligendam non esse defectionem à professione Christiana, neque damnationem æternam (ut Hunnius malè colligit) sed quandam pietatis læsionem, ortam partim ex imprudenti libertatis Christianæ abusu v. 7. partim ex impia (sub obtentu libertatis Christianæ) sacrificii idolis immolati, in idolorum templo, communicatione, vers. 10. Quorum utrumque, eadem Epistola cap. 10. redarguitur: prius quidem, ut malum, per accidens scandali: posterius verò, ut malum per se. Huc etiam accedit, quod cum constet, plurimos Judæos Christianos libertate Christianâ offensos, sæpius imprudenti zelo obstitisse Paulo & aliis fidelibus doctoribus Actor. 15. & alibi: nulla tamen eorum exempla extant, qui ob libertatis Christianæ imprudentem quorundam usum, ita fuerint offensi, ut propterea à professione Christiana (ut loquitur Hunnius) resilierint. Quod autem idem Hunnius, ex Apostolo Paulo, tertium testimonium ex Epist. ad Heb. 10. adducit, ad id copiosè supra responsum & abusus illius confutatus. Alterum porrò ex Epistola ad Hebræos (ab Hunnio præteritum) objicit Echardus, lib. controversiarum 12. pag. 185. quo Christum pro damnatis mortuum, probare studet, ex illis Heb. 6. v. 6. verbis, *rursum sibi crucifigentes Christum. Ergo*, inquit, *Jamdum Christus pro iis crucifixus.* Et antecedente pag. 184. ait, *crucifixus pro iis etiam, qui ita prolabuntur, ut ad pænitentiam nunquam renoventur*, ad Heb. 6. 4. 5. 6. Sed vana est consequentia: quia primum oratio Apostoli non est absoluta, ut adversarius statuit, sed conditionalis. Deinde falsum est etiam, ab Apostolo, eo loco dici, Christum pro iis crucifixum: neque etiam, ut interpretatur cum vulgo, rursum crucifixum, neque enim hoc ex voce ἀνασταυροῦντας demonstrari potest; quia falsâ verbi ἀνασταυρόω interpretatione nititur: quia ἀνὰ in compositione cum verbo, non semper *rursum*, sed sæpe *sursum* significat: ut inter alia, in verbo ἀναλαμβάνω, unde ἀνελήφθη *sursum assumptus* Marc. 16. 12. Actor. 1. 11.

& ἀναβαίνω *sursum vado seu ascendo* Mar. 3. v. 10. & ἀναβλέπω *suspicio*, seu *sursum specto*, Marc. 6. v. 41. & aliis in verbis. Sic etiam ἀνασταυρόω *sursum crucifigo*, seu, *in crucem tollo*. Id quod Christus Ioh. 12. v. 32. indicavit, cum ait, *cum exaltatus fuero*, scil. in crucem v. 33. Atqui ita non solum rectè potest intelligi, sed etiam usus illius verbi (quod in Novo Testamento solum ad Heb. 6. invenitur: etsi σταυρόω *crucifigo* sæpius occurrat) apud antiquos Authores Græcos evincit: quod simpliciter latinè *crucifigere* interpretari solent. Qua de re Henr. Stephanus Th. Græc. ling. tom. 1 p. 1805. qui primum quidem ἀνασταυρόω exponit, *iterum crucifigo*; sed nullum veterum Græcorum exemplum, quo illud probaret, observat: sed tantum adducit locum ad Heb. 6. ἀνασταυροῦντας *denuo crucifigentes*, tritam interpretum versionem minus rectè secutus: quia communis antiquissimorum authorum Græcorum usus adversatur. Ideo Stephanus eodem loco deinde rectius exponit, *in palum*, seu, *crucem attollo: idem quod σταυρόω, nisi quod præpositio significet evectionem seu elevationem in altum: idem quod ἀνασκολοπίζω*, & exemplis illustribus quatuor, ex Thucydide, Plutarcho & Herodiano confirmat. Quibus alia etiam, quę observavimus, addi possunt, 1. quidem ex Herodoto editionis Grçcæ Henr. Stephani, lib. 3. p. 131. ἀνεσταύρωσε *in crucem sustulit*, & lib. 4. p. 161. ἀνασταυροῦσι *in crucem tollunt*. & lib. 6 p. 216. & lib. 7. 292. ἀνασταυρώσαι *in crucem tollerent*. Deinde apud Ctesiam de rebus Persicis, ad finem ejusdem editionis additum pag. 3. & 7. & 8. ἀνεσταύρωσε *in crucem sustulit*. Denique apud Lucianum ἀνεσταύρωσε similiter tom. 3. edit. Græcolat. Basiliensis tractatione de sacrificiis, accipitur. Quemadmodum etiam Synonymum ἀνασκολοπίζω etiam apud Herodotum, sæpe & Lucianum, eodem sensu extat. Quare cum ἀνασταυρόω, citra controversiam, priscorum authorum usu communi significet tantùm *sursum crucifigo* seu *in crucem tollo*, neque ullum exemplum alterius significationis, à doctissimis Græcæ linguæ Magistris, hactenus observari potuerit; meritò interpretum versio, hoc loco ad Hebræos, ad veterum ac fide dignissimorum normam, corrigenda. Neque obstare potest ea interpretatio, quam in Chrysostomo observavimus ad hunc locum, cum ait, τί ἐστιν ἀνασταυροῦντας, ἄνωθεν πάλιν σταυροῦντας, *quid est ἀνασταυροῦντας ab initio rursus crucifigentes?* Quem etiam pro more suo recentiores Græci Theophylactus & alii sequuntur: hoc, inquam, obstare non potest: quia ea interpretatio nititur tantùm voce ἀνὰ, quæ non rarò notat *rursum*; neque ullo Græcorum veterum usu antecedente stabilitur. Ideoque nihil dictis adversatur: præsertim cum etiam Chrysostomum, penè in tota hujus sententiæ expositione, à recto aberrare attentus lector facile agnoscet. Deinde etiamsi non insolens, sed usitata ea esset significatio: inde tamen nondum sequetur, eandem, non verò alteram (quam priscorum usus demonstrat) debere intelligi. Imo quid si etiam hanc solam, quam obtendunt, esse constaret; ne sic quidem inde solidè concludi posset, ergo pro iis qui damnantur, Christus est crucifixus ac mortuus. Sensus enim esset: Si qui ita in Spiritum Sanctum peccarent, fore, ut Christum, à Judæis hostibus, olim primum propriè crucifixum, ipsi iterum suo modo quodammodò crucifigerent, id est, per metaphoram, crucem illius ignominiæ exponerent: pro quo Hebr. 10. v. 29. simili quadam metaphora, *Filium Dei conculcare & sanguinem novi fœderis communem* (id est, profanum) *ducere* usurpatur. Quare neque hoc Apostoli testimonium, neque alia, quæ ab Hunnio, aliisque adversariis proferuntur, Christum, pro damnatis etiam mortuum esse, directè (ut obtendunt) imò neque indirectè demonstrant. Quemadmodum neque illud, quod ex Apostolo Petro, 2. Epist. 2. v. 1. Hunnius libro locoque antea memorato, aliique quasi palmarium testimonium jactant. Sic enim Hunnius ait, *Rursum 2. Pet. 2. v. 1. scribitur de pseudoprophetis inducentibus sectas novas, & abnegantibus Dominum qui mercatus sit illos: & immediatè subjicit Petrus; qui accersunt sibi ipsis celerem interitum. Ergo Christus mercatus est suo sanguine eos etiam, qui intereunt ac damnantur.* Sed negatur consequentia: quia falsa hypothesi gemina nititur. Quarum prima est quasi necessarium ac certum esset, τὸν δεσπότην *Dominum*, seu *herum*, designare Christum: cum Patrem, ex usu scripturæ, significare possit ac debeat: quia Christus quidem passim κύριος: nunquam verò δεσπότης certo vocatur: sed Patrem, ubicunque occurrit, denotat. ut Luc. 2. v. 29. & Act. 4. v. 24. & 2. Tim. 2. v. 21. Apoc. 6. v. 10. Denique Epistolæ Judæ v. 4. in sententia huic Petri dicto non absimili, ubi falsos etiam doctores arguit, quod & Deum & Christum abnegarint: ac distinctè Deum (nempe Patrem) δεσπότην; Jesum verò Christum κύριον ἡμῶν appellat. Verba enim hæc sunt diserta, *solum illum δεσπότην Deum & κύριον nostrum Jesum Christum abnegantes*. Altera hypothesis est vocem ἀγοράσαντα, *eum qui emit*, sive *mercatus est*, necessariò hîc designare eum, qui redemit suo sanguine: ac propterea de solo Christo, non alio posse intelligi. Unde vocem *mercatus est*, in hujus loci ostentatione, capitalibus literis Hunnius descripsit. Verùm hæc hypothesis non est necessaria: primùm quia ea vocis ἀγοράζειν absolutè positæ significatio in Sacris Literis est prorsus insolens. Nusquam enim speciatim emptionem per sanguinem indicat; sed tantùm, quando fit mentio pretii, aut sanguinis, aut electionis aliqua additur circumstantia, quæ vocem generalem restringit. Pretii quidem exemplum 1. Cor. 6. v. 20. *empti estis pretio*. Sanguinis, ut Apoc. 5. v. 9. *mactatus es & emisti nos Deo, per sanguinem tuum*. Denique electionis circumstantia, Apoc. 14. v. 3. *empti è terra*. & eodem sensu v. 4. *empti ex hominibus*. Absolutè verò ἀγοράζειν *emere*, ut propriè acquisitionis est species: sic deinde per Synecdochen speciéi, pro genere, generatim significat *acquirere*, ut Esai. 55. v. 1. *emite à me, sine pecunia & absque pretio, vinum & lac*, quod 70. interpretes ἀγοράσατε reddunt. & Dan. 2. v. 8. *tempus emitis*, זבנין, id est, acquiritis. Sic etiam Apoc. 3. v. 18. *suadeo tibi ἀγοράσαι, ut emas* (id est acquiras) *à me aurum igne exploratum, ut dives fias*. Atque ita commodè ἀγοράζω absolutè hoc Petri dicto, simili usu, positum, non speciatim *acquirere sanguine* (quod insolens esse ostendimus) sed generatim *acquirere* designat: nimirum quod Deus Pater falsos doctores, antea, per vocationem externam, sibi non in suos filios atque hæredes; sed in servos familiæ suæ, hoc est ecclesiæ, acquisierat. Neque mirum est, vocem *emendi*, in Sacris literis, eo modo generatim usurpari: cum etiam λυτρόω, quod propriè est *redimere*, seu *pretio captivum liberare*, generatim pro *liberare* accipi soleat. Quemadmodum 70. interpretes, voci Hebrææ פדה *redimere* consentaneè, memoratâ voce Græca Deut. 7. v. 8. & cap. 13. v. 5. & Psal. 25. v. 32. & alibi usi sunt. Et Moses eodem sensu à Luca Act. 7. v. 35. λυτρωτὴς *redemptor*, hoc est, liberator, puta à captivitate Ægyptia, appellatur. Ac propterea falsum est, quod Hunnius, etiam hoc Petri testimonio, directè prædicari, Christum pro iis, qui damnantur, esse mortuum, eosque mercatum esse suo sanguine, affirmat: quum neque de Christo, neque de emptione per sanguinem illius loquatur Apostolus, sed de Patre, qui falsos doctores, in servos suos, initio, per agnitionem veritatis; non autem in hæredes acquisiverat: ut ex phrasi ac dictis scripturæ ostendimus: quæ expositioni adversariorum minimè conveniunt. Cæterùm, quia aliæ quædam vulgo hujusmodi solutiones adferuntur, illas excutere operæ pretium existimamus: unde, nec adversariis refellendis sufficere: nec Sacris literis satis consentaneas, examine diligente instituto, candidè judicantibus perspicuum fore speramus. Prior autem solutio hæc est: Petri Apostoli, de falsis doctoribus hæreses exitiales subintroducturis, verba ista, *Dominum qui illos emit aut mercatus est abnegantes*, non intelligenda de emptione secundum rei veritatem, sed secundum eorum, aliorumque ex charitate judicantium, opinionem. Verùm huic responsioni non pauca adversantur. Primum, quod δεσπότην de Christo, & *emptionem* de redemptione per sanguinem illius intelligendum concedit: cum contrà utrumque à Scripturæ phrasi sit alienum; ut antea demonstratum est. Deinde, quod omissa veritatis significatione, de errante opinione, citra necessitatem, periculosè interpretatur. Nullibi enim in Sacris Literis talis emptionis abso-

absolutè positæ, neque etiam emptionis per sanguinem Christi significatio extat. Præterea, cum Petri verba non sunt narratio, de præsentibus falsis doctoribus; sed prophetia de futuris (non enim de iis ait, *sunt*, sed ἔσονται *erunt* versu 1.) quo modo igitur illa de opinione tantum, non autem de rei veritate dicta? Denique cum sermo hic sit, de falsis doctoribus Dominum abnegantibus: quo modo illi potuerunt opinari sese per Dominum & sanguine illius redemptos; aut, quo modo exitiales hæreses subintroducentes, Dominumque abnegantes, opinione fidelium, per Christi sanguinem empti potuerunt haberi? nam charitas quidem in rebus dubiis, de aliis bene sperat, 1. Corinth. 13. v. 7. sed de rebus notis, contra fidem ac conscientiam judicare non potest. Quare hæc responsio vulgaris tot tantisque incommodis scatens, objectum argumentum solvere nequaquam potest. Posterior verò, à plerisque probata, multo minus adversarios refellit. Ea enim hæc est, Christum pro reprobis etiam mortuum dici, quo-ad sufficientiam pretii, non autem quo-ad efficaciam illius. Sed ut omittamus communem, cum antecedenti responsione vulgari, errorem expositionis vocum λυτρόω & ἀγοράζω in Sacris Literis insolentis, reipsa sanè non est argumenti objecti refutatio: sed imprudens prævaricatio, seu cum adversariis collusio: quæ, sub refutationis prætextu, adversariis certam victoriam largitur: cum illud, quod obtinere conantur ac contendunt, verum esse agnoscitur: nempe passionis & mortis Christi scopum fuisse, ut λύτρον redemptionis pretium, etiam pro peccatis reproborum, Deo persolveret, ac plenè pro iis satisfaceret. Hæc enim certa mens est status controversiæ, quam tractamus, An Christus pro reprobis sit mortuus? Id quod falsum esse, firmis demonstrationibus antè stabilitum: neque ex *emendi* voce 2. Petr. 2. vers. 1. contrarium probari posse, responsione solidâ, initio allata, ostensum. Quare hoc prius, in mortis Christi pro reprobis agnitione, vitium. Alterum verò est in modo illius sufficienti: quo falsa mortis Christi, pro peccatis expiandis, divisio in sufficientem & in efficacem statuitur: cum utrumque morti Christi propriè conveniat. Quia mors Christi, pro quibus eam subiit, non solum ad redemptionem illorum suffecit: sed eam quoque, sui meriti (ut causæ impulsivæ) efficaciâ fidem & peccatorum remissionem in iisdem effecit; ut supra ex vi mortis Christi, & novi fœderis, per eam sanciti, promissione clarè demonstratum. Si quis excipiat, Christi mortis pretium esse infinitæ potentiæ, adeò ut vel mille mundis & amplius, si essent, redimendis potuerit sufficere. Quis negat? Sed inde tamen non sequitur, pretium illud mortis Christi, ab illo, pro omnibus & singulis, etiam reprobis, persolutum: quia ad eam rem, non solum infinita potentia, sed etiam voluntas ac destinatus finis necessarius est. Quemadmodum enim thesauri à Salomone collecti sufficientes fuerunt, ut omnes & singulos pauperes Hierosolymitanos ditarent: propterea tamen dici non potest, nisi perridiculè: thesauros pro iis collegisse sufficienter: quia certum est, hoc non pauperibus illis ditandis, sed pro structura templi, & pro se fuisse, ab illo factum. Sic etiam pretii mortis Christi præstantia tanta est, ut omnibus & singulis redimendis sufficere potuerit: non tamen pro singulis illis persolvit, sed pro electis solis, tanquam ovibus suis, secundum voluntatem Patris, servandis. Hanc tamen distinctionem non esse novam, sed olim etiam à Scholasticis propositam, verum est. Sic enim Thomas Aquinas Commentar. in primam epistolam ad Timoth. cap. 2. lectione prima, ait ad finem: 1. *Johann. cap. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris:* &c. *Pro aliquibus efficaciter; sed pro omnibus sufficienter: quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam, nisi in electis, propter impedimentum.* Vanam tamen esse distinctionem, ex antedictis constat: quia falsum mortis Christi finem fundamenti loco supponit, & rationem, à sufficientia illius, invalidam adjungit. Denique si pro singulis Christus fuisset mortuus, nullum esset efficaciæ impedimentum: quia mortis Christi efficacia ea propria, ut fidem & remissionem peccatorum, tanquam causa impulsiva, in iis, pro quibus eam pertulit, potenter efficiat: atque ita impedimentum incredulitatis in mente & duritiem cordis tollit: ut etiam supra demonstratum. Quamvis autem, ad mitigandam Lutheranorum acerbitatem, ea distinctio à plerisque nostrûm sit arrepta: eâ tamen ferociores sunt redditi. Ut primum ostendit Leonhardus Hutterus Doctor Wittenbergensis, in Libri Concordiæ explicatione, articulo 11. pag. 1118. ubi asserit quidem, ut etiam sequenti pagina, *quod pro impiis quoque & reprobis Christus passus sit, & in illorum salutem, absolutissimum Patri suo cœlesti* λύτρον *exsolverit: idque tam verè ac sufficienter, quàm verè & sufficienter pro sanctis & electis mortuus est & satisfecit.* &c. *Interim* (ait) *non efficaciter Christum esse mortuum pro omnibus, non ratione meriti in se considerati, sed ratione fructus & efficaciæ salvificæ, quæ dependet ab applicatione per fidem. Qua cum destituatur magna pars hominum, fit, ut efficacia universalis meriti Christi ad omnes non redundet. Utuntur quidem Calviniani etiam hac distinctione: sed sensu ferè hæretico, Christum pro omnibus hominibus mortuum sufficienter, sed non efficaciter, hoc est, potuisse Christi mortem sufficere, pro redemptione totius generis humani, si nimirum Deus voluisset, pro omnibus pati ac satisfacere Filium, At verò Deum hoc nunquam voluisse: ac proinde Christum etiam non efficienter, hoc est, verè passum esse pro peccatis totius mundi.* Quod Hutterus *mysterium iniquitatis & horrendas blasphemias vocat.* Secundò neque Iacobum etiam Reineccium Lutheranum distinctio illa placavit, *Armaturæ Christianæ* tomo secundo, pagina 166. De Christo, cum ait; *impiorum est salvator, & piorum est salvator. Impiorum, ratione acquisitionis efficienter, sed non sufficienter, siquidem ii, id quod Christus acquisivit, sibi non applicant. Piorum, ratione acquisitionis & applicationis; ac proinde tam efficienter, quam sufficienter.* Contra verò Hutterus laudat hanc veterum distinctionem, Christum sufficienter quidem pro omnibus esse mortuum, sed non efficienter. Cui Reineccius tom. 3. pag. 14. consentiens & sibi contradicens ait, *Christus quidem mortuus est pro omnibus sufficienter, sed non efficienter.* Atque ita in hac falsa distinctione definienda, inter se & partim secum dissentiunt. Quare ex hisce omnibus liquere satis arbitramur, vulgarem illam ac secundam, ad objectum ex 2. Pet. 2. 1. locum, responsionem, nec solidam, neque ad refellendos, aut mitigandos adversarios, idoneam. Ac propterea non rectè eandem, ad 1. Epistolæ Cor. 8. 11. dictum illud, *per scientiam tuam peribit*, explicandum, à nonnullis adhiberi. Quia verò supra in hujus nodi examine, aliam solutionem, quæ adfertur, nempe *per tuam scientiam peribit, hoc est, per te quidem, seu quantum in te est*, præterivimus: & ab erudito auditore rogati, quid de ea videretur, strictim respondimus: non ingratum fore speramus, si succincta quadam digressione (ne quis forte scrupulus oriatur) rationes, cur minus firma videatur, proponamus. Prima autem est, quia *perire*, de perditione æterna intelligendum, adversariis concedit: id quod minimè necessarium esse, supra demonstratum. Secunda est, quod additione quadam (quæ neque ex S. literis neque ex loci circumstantiis probatur) Apostoli verba restringit, eaque non tam declarat, quam ellypsi quadam obscurat. Tertia denique, quod à sententia Apostoli dissentire videatur. Hujusmodi enim loquendi forma, *peribit per te quidem*, adversi vel diversi membri omissionem innuit, (puta) *quamvis per aliud* (nempe gratiam ac potentiam Dei conservantem Ioh. 10. 29. & 1. Pet. 1. 5.) *non peribit.* Sic etiam vocum, *per te quidem* explicatio hæc, seu, *quantum per te stat*, clarior non est, sed simili ellypsi laborat, ut suppleri possit, *quamvis per Dei gratiam non peribit.* Atque ita utrimque Apostolo contradicit dicenti, *peribit.* Nam si ejus explicationem consideremus, non impeditus atque irritus perdendi conatus: sed perditio (licet inchoata ac temporalis) disertis variisque illius modis, Rom. 14 & 1. Cor. 8. declaratur. Qualia sunt illa, quæ recensentur, abusus libertatis Christianæ effecta noxia, quod infirmis causa præbetur blasphemiæ, Rom. 14. 6. quæ justitiæ illius læsio. Deinde quod pax violetur vers. 19. quæ *destructio* (nempe secundum

cundum quid) *operis Dei* (ut qui justitiæ & pacis author) dicitur vers. 20. & *per offendiculum præbere*, ibidem explicatur. Sic etiam 1. Cor. 8. perditio illa, vocatur *infirmorum offendiculum* v. 9. & *conscientiæ pollutio* v. 7. *& vulneratio* (non autem *extinctio*) v. 12. Ad hæc, *instructio ad edendum idolothyta* vers. 10. & quidem, ut idolothyta vers. 7. Ex quibus perspicuum est, perditionem reipsa, sed inchoatam ac temporariam, non autem conatum solum & impeditum denotari. Quare hisce de causis, proposita illa explicatio, neque necessaria, neque Apostoli sententiæ satis consentanea apparet. Reliquum igitur est, ut ad rem ipsam redeamus, & testimoniis illis, quibus speciatim Christum pro reprobis mortuum directè affirmari contenditur, expeditis, ad ea, quibus generatim idem statui contendunt, procedamus. Ea autem sunt duplicia: quædam ubi *omnium* alia ubi *mundi* fit mentio. Ac prioris modi ex Veteri Testamento est unicum Esai. 53. v. 6 *omnes nos ut oves erravimus, quisque in viam suam nos convertimus & Jehova facit, ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrûm.* Verum negatur consequentia: quia Propheta non loquitur ea, de reprobis, sed de electis ac fidelibus omnibus. Nec enim ait absolutè, *omnium*, sed distinctè addit, in prima persona, *nostrum*, nempe fidelium, quibus Propheta se annumerat. Deinde dicit etiam, *omnes nos ut oves erravimus:* quo se, aliosque fideles oves Christi, ovibus brutis comparatas intelligit: ut 1. Pet. 2. vers. 25. repetitur & explicatur, *Eratis ut oves errantes, sed conversi nunc estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Tales autem oves non sunt reprobi, Ioh. 10. v. 26. quos Christus non novit, Matth. 7. v. 23. sed electi, quos novit, Ioan. 10. v. 14. pro quibus solis ut orat Ioan. 17. vers. 9. & 20. sic pro iis mortuus est Ioan. 10. vers. 11. & vitam æternam iis solis donat vers. 28. Denique idem demonstrat additus à Propheta, versu antecedente, mortis Christi fructus, *castigatio pacis nostræ imponitur ei, & livore ejus* (aut *vibice ejus* 1. Pet. 2. v. 24.) *sanati sumus.* Qui fructus geminus electis prorius: ut qui soli à peccatis, justificatione, & quidem perpetuâ, per fidem sanantur, solique pacem habent cum Deo perpetuam. Rom. 5. v. 1. & Hebr. 10. vers. 17. Ezech. 37. vers. 26. Reprobi verò non ita à peccatis sanantur, sed ejus dominio & maledictioni subsunt: nec pacem habent cum Deo: quia ira Dei manet super eos. Ioann. 3. vers. 36. Ac propterea testimonium Prophetæ causam adversariorum minimè confirmat, sed contra infirmat & invertit. Novam enim ac solidam nobis, adversus ipsos, demonstrationem exhibet hujusmodi: omnes, pro quibus Christus mortuus est, pace donantur & livore illius sanantur. At soli electi pace donantur & livore Christi sanantur: non vero reprobi. Ergo electi soli, non autem reprobi, sunt illi, pro quibus Christus est mortuus. Propositio est, Esai. 53. v. 5. & 6. Assumptio jam de electis & reprobis probata: & posterius liquet etiam ex Esai. 6. vers. 10. *pinguefac*, inquit, *corpopuli istius* &c. *ne videat oculis suis & corde suo intelligat, & sanet eum*, videlicet Deus, ut Ioan. 12. v. 40 ponitur, & exponitur, *& sanem eos.* Quemadmodum in ejusdem loci Esaiæ repetitione, Marc. 4. v. 12. Sanationis metaphora, his verbis, *& remittantur eis peccata*, declaratur. Vnde conclusionis veritas constat. Deinde ex Novo Testamento, testimonia objectantur plura. Quorum primum est, Rom. 5. vers. 18. *sicut per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem: sic per unius justitiam, in omnes homines, in justificationem vitæ.* Sed negatur consequentia: quia *omnes* hîc relatè dicuntur. Ab Adamo enim, ut naturali stirpe generationis omnium hominum, peccatum & reatus, in eos omnes, ad condemnationem venit: à Christo verò ut supernaturali omnium regenitorum, per fidem, stirpe, in omnes eos, venit justitia, ad justificationem vitæ. Vnde sequitur, non de omnibus, etiam reprobis, agi: qui neque justitiæ Christi, neque justificationis, neque vitæ, quæ effecta illius vers. 17. participes fiunt. *At*, inquiunt, *hoc modo peccatum Adami potentius esse justitia Christi, contra versum* 15. Verùm hoc negatur: quia unum servare, potentius est, quàm mille perdere. Deinde justitia Christi, ratione effecti, amplior est: quia non solum suos à peccato Adami & à morte æterna liberat, sed etiam ab omnibus eorum inde ortis peccatis: & non solum justificat, sed etiam jus vitæ æternæ & vitam æternam dat: quibus Adamus ante lapsum caruit: quia nondum necessariam ad ea, perfectam ad finem obedientiam, habebat: ideoque iis posteros privare non potuit. Ex quibus adversariorum sententia demonstratione hac refutatur: *omnes illi homines, de quibus Apostolus agit vers. 18. in fine, justitia Christi justificantur & vitam habent vers. 18. nempe æternam vers. 17. Hoc autem reprobis non convenit. Ergo reprobi non sunt illi homines, de quibus Apostolus.* Secundum deinde testimonium est, Rom. 8. v. 32. *is qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit eum.* Verùm illud non de omnibus, tam reprobis, quam electis, generatim, sed de electis omnibus speciatim dicitur: quia verbum *nobis* sententiam restringit ad fideles, qualis Paulus, & illi, ad quos scribit. Similiter antecedens versus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* & sequens vers. 33. *Quis accusationem instituet adversus electos Dei? Deus est qui justificat.* & v. 34. *quis condemnabit? Christus mortuus est*, &c. *qui interpellat pro nobis.* Deinde idem etiam evincit alterum hujus objecti testimonii membrum, *Quo modo non cum eo omnia nobis gratificabitur?* id quod solis electis, nullis verò reprobis contingit. Adeò ut illud, quod pro se, ab adversariis, testimonium producitur, eorum errorem omnino destruat, & nostrarum ecclesiarum sententiam validè ac perspicuè demonstret: ut ex prima, à nobis antè positâ, demonstratione apparuit. Tertium testimonium adjiciunt illud. 2. Corinth. 5. v. 15. *Quod si unus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt, ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & suscitatus.* Verùm hoc etiam testimonium, non de reprobis, sed de electis ac fidelibus loquitur, ut consequentia demonstrant. Primò quidem, cum dicitur, *Ergo omnes mortui sunt:* id quod non propriè, sed metaphoricè, secundum veterem hominem, intelligitur: ut etiam in loco simili, Rom. 6. v. 6. dicitur, *vetus noster homo unà crucifixus, ut aboleatur corpus peccati, ut non amplius serviamus peccato.* Id quod eodem sensu, hac sententia, ad Corinthios repetit, cum ait, *ut qui vivunt, non amplius sibi vivant*, id est peccato, ut antè cum in eo essent mortui, seu vita justitiæ privati: quod verbis illis, *non amplius*, indicatur. Idemq; ostendit membrum oppositum, *qui vivunt, vivant ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit:* ubi *mortuis* opponuntur *qui vivunt*, id est, qui vitâ justitiæ præditi: ut etiam ad Rom. 6. 6 (ut memoravimus) idem explicatur: ut etiam ibidem, vers. 16. *ne sistite membra vestra arma peccato; sed sistite vos Deo ex mortuis vivos.* Quod etiam indigitant illa ad Corinth. sequentia verba, vers. 17. 18. *Si quis igitur est in Christo, nova creatura est: vetera prætererunt, nova facta sunt omnia. Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi, per Christum.* Ac propterea telum illud, ad adversariis, in nostros emissum, hac demonstratione, in ipsos retorquetur: *omnes illi, pro quibus Christus mortuus est, mortui sunt secundum veterem hominem, & vivi secundum novum & nova creatura facti ex Deo, eique reconciliati. Atqui non omnes reprobi: imo nulli eorum sunt tales. Ergo non omnes reprobi: imo nulli sunt illi, pro quibus Christus est mortuus.* Propositio est testimonium Apostoli & ejusdem expositio. Assumptio etiam firma est: quia plerique reprobi sub peccati dominio perpetuo manent, neque unquam fiunt nova creatura, neque fideles, neque reconciliati: sed sub ira Dei manent, Ioan. 3. v. 36. imò quod amplius est, nullos reprobos esse tales, inde constat, quod & vivificatio novi hominis, seu sanctificatio, & reconciliatio cum Deo, per Christi mortem, perpetua est, Hebr. 10. vers. 10. cum vers. 16. & 17. quibus reproborum omnium in peccatis mors & damnatio adversantur. Quartum testimonium est Coloss. 1. v. 20. *Placuit per eum reconciliare omnia sibi, pacificans per sanguinem crucis ejus, per ipsum, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Sed negatur, per *omnia* intelligi etiam omnes reprobos: ut res ipsa contrà evincit: quia reconciliatio cum Deo & pacificatio sunt propria electorum per fidem, Rom. 5. v. 1. contrà reprobi sunt hostes

Dei

Dei perpetui, quos Christus *nunquam novit*, Matth. 7. 23. *neque pro iis orat* Ioan. 17. v. 9. sed *ira Dei manet super eos*, Ioann. 3. v. 36. Per *omnia* verò *in terris*, omnes electos intelligit: qui soli per fidem in perpetuum Deo reconciliantur & pacem habent apud Deum. Per *ea quæ in cœlis*, non Deum, non angelos, sed electos in cœlo beatos notat: qui licet dum viverent, reconciliati ac pacificati fuerint Deo: hoc tamen factum est fide in Christum pro iis moriturum: ideoque fructum meriti sanguinis & mortis Christi perceperunt: sed ipsam mortis satisfactionem nondum perceperant, sed exspectabant. Vnde Heb. 11. v. 49. dicuntur *non reportasse promissionem*, hoc est, rem promissam, scilicet Christum exhibitum & mortuum. Ideoque quia iis data salus pendebat à Christi missione ac morte, additur versu sequenti 40. quod *Deus de nobis melius quiddam providerat, ne sine nobis consecrarentur*. Quintum succedit testimonium ex Epist. ad Heb. c. 2. 19. *ut gratiâ Dei, pro omnibus mortem gustaret*. Sed illud quoque alienum est: quia per vocem *omnes*, non omnes, tam reprobi, quàm electi ac fideles: sed omnes ac soli electi intelliguntur: ut sequens versus descriptione eorum exponit, vocat enim *filios* (ut etiam v. 13. datos Christo à Patre) deinde *in gloriam adducendos*: ut etiam Christum *principem*, seu Authorem, *salutis eorum* appellat: quæ electis, non verò reprobis conveniunt: ut alia ex sequentibus omittam. Ideoque frustra hoc testimonium ab adversariis producitur. Sextum denique accedit testimonium, quod ab adversariis ex 1. Tim. 2. v. 5. & 6. obtenditur. *Unus mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, qui dedit semetipsum redemptionis pretium pro omnibus*. Ergo, inquiunt, pro singulis, tam reprobis, quam electis. Verùm negatur consequentia: quia vox *omnes*, non semper singulos, sed sæpe quosvis designat: ut Luc. 11. v. 12. *decimatis omne olus*, & 1. Cor. 10. v. 25. *omne quod in macello venditur, edite*: *omne*, id est, quodvis: aliâs vanæ essent istæ sententiæ. Sic etiam Matt. 12. v. 31. *Omne peccatum & blasphemia remittetur*, id est, quodvis: aliâs falsa esset oratio. Sic etiam hoc ad Timotheum capite, vers. 1. Apostolus hortatur, ut preces fiant, *pro omnibus hominibus*, hoc est, quibusvis; omnis generis, non autem pro singulis generum: quia 1. Ioh. 5. v. 16. orare pro *peccantibus ad mortem* disertè prohibetur. Sic etiam in sequentibus, v. 8. Paulus vult *viros orare omni in loco*, hoc est, quovis, citra discrimen: ut Ioan. 4. v. 23. non verò singulis in locis: hoc enim fieri non potest. Atque ita etiam redemptionis pretium *pro omnibus*, hoc est quibusvis, seu omnis generis hominibus, consentaneè accipi potest & quidem sensu, citra ullam controversiam verissimo. Sed objici potest, sensum quidem eum esse verum, sed imperfectum: *omnes* enim, hoc in loco, non tantùm quosvis, seu omnis generis homines, sed etiam singulos intelligi: idque probari duobus, ex antecedentibus, argumentis. Primùm, quia Christus dicitur *unus mediator Dei & hominum*, v. 5. ad quod confirmandum subjicitur, *qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro omnibus*. Sed negatur consequentia: quia, ut *omnes*, homines quosvis notare potest, ut modò ostendimus: sic *homines* similiter quosvis, non singulos denotare. Cum enim mediator hominum sit, qui pro iis intercedit suâ precatione, & sanguinis pretiosi ac mortis satisfactione: prius singulis convenire non potest: quia Christus non orat pro mundo reproborum, Ioan. 17. 9. Sed alterum urgent, eoque exsultant, quod v. 4. affertur, *qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. Cujus confirmatio est v. 5. quia *Jesus Christus Dei & hominum mediator*: verum est: sed etiam hoc loco *omnes homines* similiter non singulos, sed quosvis, seu omnis generis homines designat. Id quod ex utroque sententiæ membro confirmatur. Ex primo quidem, quia Deus solos credentes vult salvos fieri: contrà verò non credentes vult damnari, ut Ioa. 3. 36. *qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non credit Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum*. Idemque confirmat secundum membrum, in quo *agnitio veritatis* per Synecdochen gen. pro specie, est fides salvifica: ut etiam 2. Tim. 2. v. 25. & Esa. 53. 11. Ea autem non est omnium & singulorum, 2. Thess. 3. 2. *nemo enim venit ad Christum, nisi Pater eum traxerit*, Ioan. 6. 44. & ab eo datum fuerit v. 65. sed fides est electorum, Tit. 1. v. 1. ubi etiam describitur per *agnitionem veritatis secundum pietatem*. Eaque fides merum est Dei donum, Eph. 2. v. 8. *Gratia enim salvi facti estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur*. Fides autem est electionis ad salutem consequens, ac subordinatum medium. Quos enim *elegit, illos etiam vocavit*, Rom. 8. 30. & *elegit nos, ut essemus sancti*, Eph. 1. v. 4. quod fide & charitate efficitur. Unde apparet, Deum agnitionem veritatis illius (utpote liberum & indebitum beneficium) sine ulla injuria, potuisse nullis peccatoribus donare, Matt. 20. 15. Rom. 11. 35. vult tamen gratis quorundam immerito misereri: alios verò merito, in miseria eorũ, pro suo jure ac placito, relinquere: ut Christus confitetur Patri, Matt. 11. 25. & 26. *confiteor*, inquit, *tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus & revelaris ea parvulis. Etiam Pater, quia ita placuit tibi*. Quo etiam spectat vers. 27. *neque Patrem novit quisquam nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare*. Quare cum Apostolus dicit, *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, non solum potest: sed etiam debet, de solis electis intelligi: non autem de omnibus & singulis, etiam reprobis. Atque ita Augustinus, tom. 3. in *Enchiridio ad Laurentium* cap. 103. Omnes homines, non de singulis exponit: sed contrà ait, *sic dictum est, qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet (qui virtutes miraculorum facere noluit, apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset) sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus, per quascunque differentias distributum, Reges, privatos*, &c. Idque Augustinus sequentibus etiam probat. Idemque, tom. 7. de *correptione & gratia*, ait de Deo cap. 14 *Cui volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt, quod non vult, facit ipse quæ vult. Quod scriptum est, quod vult omnes salvari, nec tamen omnes salvi sunt, multis quidem modis intelligi potest; ex quibus, in aliis opusculis nostris, aliquos commemoravimus; sed hic unum dicam, ita dictum, omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est.* Quibus etiam diversis in locis egregiè ac solidis additis rationibus consentit illustris Augustini discipulus Prosper. Atque ita adversariorum exceptio evertitur. Perstat igitur propositum, ad argumentum, è sexto testimonio, peritum responsum, nempe negatione consequentiæ: quia vox *omnibus* accipi potest, ex usu illius, in Sacris etiam Literis frequenti, pro quibusvis: ut & ex aliis & diversis etiam hujus capitis exemplis & ex sententiæ veritate probatum. Ideoq; adversariorum argumentum corruit. Deinde quod amplius est, non solum potest, sed etiam ita debet hoc loco accipi: ut demonstratio ex hoc loco petita evincit, & adversariorum sententiam solidè refellit, hoc modo: *omnes illi, pro quibus Christus est mortuus, sunt quos Deus vult salvos fieri; & ad agnitionem veritatis venire. Sed singuli homines non sunt illi, quos Deus vult salvos fieri & ad cognitionem veritatis venire. Ergo singuli homines non sunt illi, pro quibus Christus est mortuus*. Propositio per se clara est: quia Apostolus probat, Deum velle omnes salvos fieri, quia unus mediator Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionis pretium pro omnibus: & adversarii quoque, in refutata jam modò objectione, idem testantur. Assumptio quoque ex iis, quæ paulo antè, ad sententiam illam (*Deus vult omnes homines salvos fieri*) diximus, duobus solidis argumentis, ex totidem illius membris demonstrata est, & effugium adversariorum eadem opera sublatum. Quod verò ex 2. Petri 3. v. 9. objectant, *Deum non velle, ut aliqui pereant, sed ut omnes ad pœnitentiam revertantur*; iis non favet: quia per *aliquos* & *omnes*, electos ad salutem ac fideles intelligit: ut non solum res ipsa (quemadmodum antè demonstratum) sed etiam loci circumstantiæ confirmant. Scopus enim est, fideles consolari ac confirmare adversus infidelium derisionem, qua spem piorum, de promisso adventu Christi, ad ipsos servandos, expugnare conabuntur, dicentes,

Ubi est promissus adventus ejus? v. 4. Consolatur verò Apostolus fideles, cum aliis argumentis, tum etiam, quod *Deus, qui promisit, non tardat, sed patiens est erga nos:* unde apparet, cum subdit *aliquos* & *omnes:* non de reprobis, sed fidelibus, de quibus locutus, intelligendum: quibus promisit adventum Christi & salutem eorum vult & efficit: ut v. 15. *& Domini nostri patientiam, salutem arbitramini.* Contrà verò adventus Christi reprobis non est promissus, neque salutaris: sed contrà, ad eorum perditionem futurum certò minatur, v. 7. Cumque & salus, Eph. 2. vers. 8. & pœnitentia ad salutem, Actor. 10 v. 18. & 2. Tim. 2. v. 25. mera sint Dei dona (secundum fœdus novum, Hebr. 10. v. 16. per Christi sanguinem sancitum, Hebr. 9. vers. 15. & cap 13. v. 20.) neque omnibus communia, sed iis, quibus vult, hoc est, decrevit, propria, Matth. 11. v. 25. 26. idcirco perperam hunc locum ad reprobos accommodant. Nam quod excipiunt, Deum omnium salutem seriò ac ardenter expetere: de electis verum est, non autem de reprobis. Quos enim Deus ardenter salvos fieri vult, eos etiam potenti gratia salvos facit: quia *consilium Dei stabit & omnis voluntas fiet*, Esai. 46. v. 10. quia *omnia efficit secundum consilium voluntatis suæ*, Eph. 2. v. 11. solos autem electos salvos facit, non autem reprobos, qui damnantur. Ideoque consilium Dei & voluntas non fuit, ut reprobos salvos faceret. At inquiunt, obstat nihilominus illud Ezech. 33. v. 11. *vivo ego, dicit Dominus, non delector morte impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat:* quod licet de morte temporali propriè dicatur (ut ex v. 6. 7. 8. 9. 10. & 28. patet) multò tamen magis idem colligi potest, de morte æterna. Sed ita negatur consequentia: quia inde non sequitur; Ergo Deus vult singulos etiam impios salvos fieri: quia impios hic tantum intelligit resipiscentes, seu à peccatis ad justitiam & Deum conversos: quorum conversione ac salute delectatur: ut sequens membrum exponit: impios verò in impietate manentes salvos fieri non vult; sed morituros justo Dei judicio, sæpius ibidem v. 8. 12. 13. & sequentibus inculcat. Postremò Lutherani, eorumque patroni excipiunt, Deum quidem velle singulos homines salvos fieri, sed plurimorum vitio impediri, quo minus salvos faciat: quod scilicet verbum Dei vel plenè non audiant, vel malè: & hanc esse causam, cur fidem iis non largiatur: sed aliis eam ex gratia donet, qui videlicet verbum illud audiunt & corde honesto ac bono retinent, & fructum ferunt in patientia, Luc. 8. v. 15. Verùm, ea ratione, non solum frustra veritati obnituntur: sed etiam rectà in Semipelagianorum castra transfugiunt; ut qui gratiæ Dei, in fide & salute danda, eventum, ab actionum humanarum diversitate pendere statuunt: cum contrà fides sit merum Dei donum, à sola illius gratiâ, per verbum & Spiritum, regenerante, Ioan. 1. v. 13. 14. & creante per Christum, promanans ac dependens, Eph. 2. v. 8. & 9. quod etiam Deus efficit *excellenti illa magnitudine potentiæ in nobis credentibus, pro efficacitate fortis roboris ipsius*, *quam* exeruit *in Christo*, *cum excitavit eum à mortuis*, Eph. 2. v. 19. 20. Ideoque hunc Semipelagianorum errorem ita detexit ac repressit Augustinus, libro de *corruptione & gratia*, loco supra à nobis memorato, ubi de hac re agens, sic ait: *cui* (scil. Deo) *volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Ac memorabilis omnino est Prosperi, imprimis in illustri poëmate *de Ingratis*, contra Semipelagianos disputatio hujusmodi.

Nam si nemo usquam est; quem non velit esse redemtum;
Haud dubie impletur, quicquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur; magnaque pars est,
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt?
Libertasque facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra juvisse velit, nisi præferat ille
Effectum, cujus comitetur gratia cursum.

Sic etiam de præpotenti Dei gratia postea subjicit:

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi,
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis.

Ac postea exempla illustria extare ostendit:

Quæ doceant virtute Dei conversa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam insederat, & quæ
Nullum justitiæ signum, sensumve gerebant:

Et de summa conversionis potentia ait,

Non hoc consilio tantùm, hortatuque benigno,
Suadens atque docens, quasi nomen legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetæ,
Non præstata sibi præstat natura, sed unus
Quod fecit, reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Ut tamen his studiis auditor permoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei, radicem adfigere menti
Et ..... cordis validum jubet edere germen.
Hæc maturandam segetem servatque fovetque.

Ex quibus rationibus ex Sacris Literis derivatis Semipelagianismus ille Lutheranorum ac Patronorum antè memoratus confutatur: qui non considerant, per *cor honestum & bonum*, in parabola, de semine, Luc. 8. v. 15. non effectum hominis, quo ab aliis se secernat: sed solam Dei, per fidem & charitatem regenerantis, gratiam intelligi: cum sine eâ, cor omnium hominum sit pravum, Gen. 8. v. 21. & Rom. 8. v. 6. ad bona opera ineptum, 1. Cor. 2. v. 14 & 2. Cor. 3. v. 5. ac lapideum cor, quod Dei gratia sola aufert, ac format cor carneum, hoc est, non pravum, sed bonum ac obediens; & nos creat, per Christum, ad bona opera, facitque ut in præceptis ipsius ambulemus, Eph. 2. v. 8. 9. 10. Jer. 31. v. 33. 34. & Ezech. 36. v. 27. Quare responsione, ad sextum ultimumque testimonium, ex 1. Tim. 2. v. 6. objectum, firmatâ, & exceptionibus confutatis, superest, ut ad alia testimonia, in quibus vox *mundi* occurrit, perpendenda accedamus. Primum autem est, Joan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* Ergo omnium ac singulorum hominum, nemine excepto. Sed negatur consequentia: quia *mundi* vox indefinitè posita non semper singulos mundi homines notat. Imò nullibi in Sacris Literis extat locus, ubi, citra controversiam, ita accipiatur: quod merito in hac materia observandum. Contra verò ad aliquam universitatis hominum partem refertur. Atque ita sæpius vel maximam, scil. impiorum ac reproborum, multitudinem notat: & 1. Cor. 11. v. 33. *mundus qui damnatur.* & 2. Pet. 2. v. 5. *mundus impiorum* vocatur: & ita Christus *non orat pro mundo*, Joh. 17. v. 9. vel minorem mundi partem, electorum videlicet ac fidelium multitudinem, designat. ut Joan. 17. v. 21. Christus orat, *ut credat mundus:* & v. 23. & Joan. 14 v. 31. ut *cognoscat mundus:* quod de solo electorum mundo dicitur, non vero reproborum: quia pro hoc non orat. Quare cum *mundus* indefinitè positus, non universalitatem hominum, sed partem illius, & sæpius vel reproborum, vel electorum tantum multitudinem notat: Ergo non sequitur, Ioann. 1. v. 29. *mundum* necessariò tam reprobos, quam electos complecti: quia de solis electis, & verâ citra controversiam, sententiâ exponi potest: neque contrarium ex loci circumstantiis probatur. Imò circumstantia adjuncta solos electos notari declarat: quia Christus mortis suæ vi, peccata eorum sanctificatione & justificatione, in perpetuum tollit, Heb. 10. v. 14 & 16. Rom. 8. 30. Mundum verò reproborum non novit Christus, Matth. 7. vers. 23. nec pro eo orat, Ioan. 17. v. 9. eoque per fidem non sanctificat, neque justificat, in perpetuum: quia sub peccato & ira Dei manent, Ioan. 3. v. 36. Secundum deinde testimonium opponunt, ex Ioan. 6. v. 21. *Caro mea est, quam dabo pro vita mundi* Sed illud eodem consequentiæ vitio laborat; quia de electis tantum agi demonstratur: quia ut vitam

morte

morte sua mundo destinavit, vers. 33. sic vitam tantum electis omnibus, qui certo servantur, Rom. 8. v. 30. donat; nullis verò reprobis: quia citra controversiam damnantur. Tertium testimonium est, 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans iis peccata ipsorum.* Sed eodem modo, ut antè, consequentia vitiosa est; quia *mundus* electos ac fideles notat, quemadmodum Apostolus declarat: primum antecedente v. 16. & 8. *Si quis igitur est in Christo, nova creatura est. Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia. Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi, per Jesum Christum; deditque nobis ministerium reconciliationis.* Quibus ostenditur, agi de reconciliatione fidelium, qui in Christo sunt, & facti nova creatura. Idemque probat deinde consequens adjunctum *mundi*, quod Deus eum *reconciliavit sibi, non imputans iis peccata ipsorum:* id quod solis fidelibus convenit: quia omnes illi, quibus Deus peccata non imputat, habent fidem, Rom. 4. 5. ac sunt beati, v. 6 & 7. ac Deo per fidem reconciliati, Rom. 5. v. 1. *At nemo sine fide Deo potest placere* ad Heb. 11. vers. 6. Ideoque *mundus* tam infideles, quàm fideles, hoc loco, significare non potest. Idemque etiam sequentia indicant, quæ hoc adjunctum mundi de fidelibus solis exponunt, v. 21. *Fecit enim eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo;* ubi vox *nobis* Paulum & fideles distinctè indicat: & attributum nobis Dei beneficium, quod per Christi, pro peccato, sacrificium, fiamus justitia Dei in eo, per solam fidem obtinetur, Rom. 5. v. 22. Quapropter mundus hoc loco non singulos homines, sed solos fideles notat. Sed quartum urgent testimonium, ex 1. Ioann. 4. v. 14. *Pater misit Filium,* σωτῆρα, *salvatorem mundi.* Sed eadem rursus, quæ antea responsio est: electi enim ac fideles mundi designantur; quia illi soli fide donantur, & nati ex Deo & per fidem salvi sunt: non verò mundus reproborum, cui disertè opponuntur *ex Deo nati,* v. 4. & 5. collato cum 6. sic v. 9. & 10. *Per hoc patefacta est charitas Dei in nobis, quod Filium suum unigenitum misit Deus, in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quod dilexerimus Deum: sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris:* unde ex serie orationis patet, voce *mundi,* mundum electorum ac fidelium, quos solos salvat, intelligendum. Sed objiciunt, obstare Apostolum 1. Timoth. 4. v. 10. ubi de Deo dicit, *qui est Salvator omnium, maximè fidelium:* Ergo non solùm fidelium, sed etiam infidelium, quibus comparatè, non salute ipsa, sed salutis magnitudine præferuntur: neque enim voce *omnium* fideles tantum intelligi: quia alias absurda omnino esset sententia, *qui est Salvator omnium fidelium, maximè fidelium.* Verùm rectè negari solet consequentia, ob vocis homonymiam: quia vox σωτὴρ, 1. Ioan. 4. v. 14 authorem salutis æternæ, sc. Christum, designat κατ' ἐξοχὴν: ut citra controversiam, omnes circumstantię ostendunt; sed 1. ad Timoth. 4. v. 10. author salutis temporariæ intelligitur, quam suâ providentiâ Deus præstat: ut etiam accipitur, 1. Samuel. 10. v. 19. *Sprevistis Deum vestrum, qui est* מושיע, id est, salvos faciens vos. 70. Σωτὴρ, *servator ex omnibus malis vestris & angustiis.* & cap. 11. v. 13. *Hodie effecit Jehova* תשועה *Salutem,* 70. Interpretes σωτηρίαν *in Israel.* Et Actor. 27. v. 34. *Hoc ad vestram* σωτηρίαν, id est, *salutem,* hoc est, vitæ conservationem. Sic etiam σώζω *salvum facio,* de salute corporali accipi solet: ut Matth. 17. v. 40. & 42. & alibi frequentissime: ut etiam Psal. 36. v. 7. *homines & jumenta* תושיע: Septuaginta σώσεις, *salvos facies Jehova.* Atque ita etiam Deus, ab Apostolo, hoc loco objecto, σωτὴρ, id est, *servator,* seu *conservator omnium* dicitur: quod suæ providentiæ beneficio, omnes homines servet ac tueatur, sed peculiariter fideles: ideoque addit Apostolus, *maximè fideles.* Atque ita, ut & initio hujus versus, fatigationem suam & probra, quibus afficiebatur, memoravit: sic consolationem, à Deo conservatore afflictorum omnium, maximè fidelium, subjecit. Quemadmodum, 2. Corinth. 1. ait, *qui Deus ex tanta morte liberavit nos & liberat; in quo speramus, quod adhuc etiam liberabit.* Quamobrem hinc probari non potest, Deum esse omnium, tam infidelium reproborum quam electorum fidelium, per Christi mortem, salvatorem: cum de temporali, adversus persecutiones, conservatione, agitur. Deinde etiam idem res ipsa demonstrat, Si enim Deus hic diceretur salvator, ratione salutis æternæ, & omnium, non solùm fidelium, sed etiam infidelium: Apostolus Euangelio Christi, quod solos fideles salvos fieri, infideles condemnari asserit, Mat. 16. v. 16. Ioan. 3. v. 36. repugnaret: imò & sibi ipsi, Rom. 5. v. 10. *Si enim cum hostes essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi fiemus, per vitam ipsius.* Quibus demonstrat Apostolus, reconciliatos Deo certò salutem consequi. Quocirca exceptio Adversariorum vana est: ac propterea solutio, ad quartum testimonium allata, perstat. Sed quintum adjiciunt, quasi palmarium, quod passim inculcant, ex 1. Ioan. 2. v. 2. *& ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi.* Ergo pro omnibus ac singulis, tam reprobis, quam electis. Sed negatur consequentia: quia, ut *mundus* indefinitè positus, non semper, sed nullibi in Sacris Literis, generatim, universam hominis multitudinem notat: sed speciatim, vel reproborum, Ioan. 17. v. 9. vel electorum, vers. 21. & 23. sic etiam definitè *totus mundus,* pro hominibus acceptus, non semper, sed tantùm semel generatim accipitur, Rom. 3. v. 19. sæpius verò speciatim, vel omnes reprobos tantùm notat, 1. Ioan. 5. v. 9. *mundus totus in malo jacet:* vel omnes electos tantùm, ut hoc loco: quemadmodum vocis *mundi* usus & veritas sententiæ convenit ac suadet. Nam quod excipiunt, hæc duo membra, *non pro nostris solum peccatis,* & quod sequitur, *sed etiam pro totius mundi,* tanquam diversa statui: & priori membro, electos ac fideles intelligi: ac propterea posteriori, universos, tam reprobos infideles, quam electos ac fideles significari: si enim utrimque omnes electi ac fideles intelligerentur, non essent diversa, sed idem: ac propterea ineptè distinguerentur. Fatemur hæc duo membra esse diversa, sed suo modo; nempe, ut partem omnium electorum, & totam eorum multitudinem. Priori enim Iohannes, cum ait, *pro nostris,* se & fideles illos, ad quos scribit, ac *suos filios* vocat, v. 1. & 12. indicat: posteriori verò, universam electorum multitudinem, sine locorum, temporum, nationum, similiumque circumstantiarum discrimine designat. Ac propterea aptissimè inter se hæc duo distinctè proponuntur: neque ulla ratio adferri potest, quâ hunc locum, tam de reproborum, quàm de electorum mundo, explicandum demonstretur. Verùm contrarium, duobus hujus mundi adjunctis, quæ electis propria, ab Apostolo declaratur. Quorum primum est, quod Christus sit illius advocatus apud Patrem: id quod reprobis nequaquam convenit: quia pro iis non orat, Ioan. 17. v. 9. Secundum est, quod sit ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis:* quod etiam fidelibus solis Sacræ Literæ tribuunt, Rom. 3. v. 24. & 25. *Justificantur autem gratis, per redemptionem factam in Christo Jesu. Quem proposuit Deus* ἱλαστήριον *propitiatorium, per fidem, in sanguine ipsius.* Pro quibus enim Christus est mortuus, iis omnibus sanctificationem, per fidem, & justificationem ac salutem est promeritus, & efficacia meriti sui, tanquam causæ impulsivæ ac permoventis, efficit: ut supra, ex verbis Apostoli, Heb. 10. v. 10. & 14. novi fœderis promissione etiam firmatis ibidem, v. 15. & 16. & 17. & ex conclusione, Rom. 5. v. 10. constat. Quod etiam exprimit Apostolus, Heb. 9. 14. 15. *Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo? Itaque ob id novi fœderis mediator est, ut morte intercedente, ad redemptionem earum transgressionum quæ fuerant sub priori testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis.* Neque objici potest, cum ratione, adversus primum adjunctum, Christum dici quidem advocatum nostrum apud Patrem, id est, electorum ac fidelium: non autem totius mundi: ratio enim hæc est, quia ad Mediatoris Christi officium pertinet utrumque, Expiatio peccatorum per mortem, & deinde vi illius Intercessio, apud Patrem: ut Heb. 7. v. 22. 23. 24. Christus melioris, id est, novi fœderis, sponsor vocatur, & utrumque hoc beneficium, v. 25. & 26. cum 27. ei attribuitur: ut cui unum conve-

convenit, etiam alterum. Nam cum summus ille amor sit Christi erga omnes; pro quibus est mortuus, Joan. 15. v. 13. & Rom. 5. v. 10. fieri non potest, ut pro aliquibus eorum orare noluerit. Quamobrem hoc quintum Scripturæ testimonium, adversariorum causam minimè confirmat. At Sextum ac postremum illud quasi adamantinum atque invictum sententiæ suæ munimentum prætendunt ex Joan. 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo Christus à Patre missus, ac morti traditus pro singulis mundi hominibus, tam reprobis, quam electis. Sed negatur consequentia: quia *mundi* vox indefinitè posita, non semper, sed nunquam pro singulis mundi hominibus, ut supra monuimus, sed sæpius aliter accipitur, & hoc in loco sic accipi potest. Quemadmodum tribus etiam modis, ab eruditis Interpretibus, servata fidei & loci analogiâ, exponitur. Primum, ut *mundus* omne hominum genus, seu omnes gentes mundi significet: quemadmodum Abraham, Rom. 4. v. 13. dicitur *hæres mundi*, hoc est omnium gentium mundi, Genes. 12. v. 3. Galat. 3. v. 8. cum 9. ut etiam *divitiæ mundi* per *divitias gentium* exponuntur, Rom. 11. v. 22. Ex quibus concludi rectè non potest, id dicitur verè de omni hominum genere seu de omnibus gentibus; ergo verum etiam est: de humani generis, seu omnium gentium singulis; cum contrà in Sacris Literis, addita explicatione, statuatur: Ut, quod Abraham *Pater omnium nostrûm*, id est, fidelium, Rom. 4. v. 11. & 16. Et Rom. 11. 12. *mundus* de gentibus exponitur quidem: sed ne quis de singulis gentium accipiat, *divitiæ mundi*, per *salutem gentium*, v. 11. & *reconciliationem mundi* v. 15. & quidem *per fidem*, v. 20. declaratur. Atque ita etiam in hac sententia Christi nostris objecta, *mundi* vox pro omni genere hominum mundi, seu omnibus mundi gentibus accipi potest, non autem pro singulis mundi seu omnium gentium hominibus: quemadmodum explicatio ab adjuncto mundi demonstrat, cum Deum sic dilexisse mundum, Christus ait, ὥστε ita ut suum Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; quæ dilectio mundi, donatione Filii unigeniti, ad vitam æternam, ad fideles restringitur: primò quia dilectio Dei, qua Filium suum unigenitum dedit, est, citra controversiam, summa dilectio, ex qua omnia ad salutem necessaria & salus ipsa necessariò consequitur: ut Apostolus demonstrat expressè, Rom. 5. v. 10. & cap. 8. v. 32. ubi ait, *qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quo modo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Atque non omnia singulis hominibus gratificatur Deus: ergo pro iis Filium non dedit. Deinde donatio etiam Christi non statuitur communis singulis hominibus, sed credentibus: dedit enim Filium, ut omnes credentes habeant vitam æternam. Secundò *mundum* alii electos notare censent. Nam quod Lutheranus Reineccius objicit, *Armaturæ Christianæ* tom. 3. p. 7. vocem *mundi* nunquam pro electis sumi: illud, ut alia multa omittamus, confutatur ex Ioan. 17. v. 21. & 23. ubi Christus orat pro fide mundi, oppositè mundo reproborum, pro quo non orat, ibidem v. 9. At rursus objiciunt, per ea verba, *ut omnis*, scilicet è mundo, *qui credit*, mundum, de quo Christus loquitur, distribui in credentes & non credentes: ideoque singulos, citra exceptionem, totius mundi homines, tam reprobos incredulos, quàm electos intelligi. Verùm negatur consequentia: quia electorum etiam mundus partim credebat, partim non credebat, sed erat crediturus, Ioan. 10. v. 16. & ut electos totius mundi dilexit, ac salutem eorum voluit: sic non nisi per fidem in Christum, vitam æternam iis donare decrevit, ac donat: nam ante fidem, sunt peccatores in se, hostes Dei, ac maledictioni obnoxii Rom. 3. v. 9. 10. & Gal. 3. v. 12. atque ita *missus* dicitur *Filius Dei in mundum, non ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum*, v. 17. quod mundo electorum proprium: nam reprobi non servantur, sed damnantur. Modus autem salutis indicatur v. 18. *qui credit in eum, non condemnatur*; quod à contrariis reprobis illustratur, *qui vero non credit, jam condemnatus est. Sed contrarium patere*, adversariorum Patronus ait, *ex v. 19. quo*, ut ait, *ingratitudo pro tali beneficio tanquam causa judicii & condemnationis allegatur. Hoc verò est judicium, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras, quàm lumen.* Sed meritò negatur, de tali beneficio, objecto loco agi, quale vers. 16. proponitur: illud enim est dilectio Dei, quâ Filium suum unigenitum dedit. Ex quo (ut antè testimonio Apostoli ex Epistola Rom. 5. v. 10. & cap. 8. v. 32. demonstratum) omnium ad salutem necessariorum, & salutis donatio necessariò consequitur. Hic verò v. 19. agitur, de missione Christi, ad lucem Euangelii proponendam, ut Luc. 4. v. 18. & 19. quam lucem Judæi reprobi, amore vitiorum contrario, respuerunt; ut verba Christi v. 20. & 21. declarant. Quare frustra secundæ vocis *mundi*: v. 16. expositioni reluctantur. Tertia denique expositio est, mundum electos quidem, sed fideles designare: ut Joan. 6. Christus *se dat pro mundi vita*, v. 51. & *dat vitam mundo* v. 33. vita autem nulli datur, nisi fidelibus, Joan. 3. v. 36. ideoque *mundus* fideles ibidem notat. Sic etiam 2. Cor. 5. v. 19. *Deus in Christo mundum reconciliat sibi, non imputans iis peccata.* Quæ beneficia solis electis & fidelibus conveniunt: ut Joan. 3. v. 36. Rom. 5. v. 1. Atque hoc modo mundus, quem Deus dilexerit &c. intelligi potest. Sed adversarii contrà, ex loci circumstantiis, excipiunt, illud sequentibus non consentire: quia additur, *ut omnis* (supple ex mundo) *qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam*; qua distributione in contrarias partes, indicatur, in mundo etiam esse, qui non credant. Ac propterea hanc expositionem ineptam esse, quidam Lutheranorum patroni arbitrantur. Sed observandum est, eos falsa niti hypothesi, quasi vox *omnis*, necessariò distributionem mundi, in contrarias partes, notaret; cum contrà duo diversi modi penitius examinantibus occurrant, quibus sine illa distinctione, rectè eo modo exponere valeamus. Primus est, ut verba illa *omnis qui credit*, sint vocis *mundi*, credentes indefinitè significantis, explicatio definita & oportuna. Quia ad singulorum fidelium consolationem, & ad erroris, cum Pontificiorum, tum Lutheranorum refutationem conducit. Qui non omnes credentes in Christum vitam habere æternam, sed quosdam eorum deficere ac damnari statuunt: cui errori hæc Christi verba, *ut omnis qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam*, tanquam antidotum opponuntur: quippe cùm æterna non sit vita, quæ amittitur. Quemadmodum & illa Christi Joan. 6. v. 35. *qui credit in me, non sitiet unquam*, & v. 10. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat, & suscitem eum ultimo die.* Secundus deinde modus est, ut *omnis qui credit*, Judæorum & gentium credentium distinctionem tollat: ut Rom. 3. v. 22. *Justitia verò Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt, non enim est distinctio*, & cap. 10. v. 11. 12. *omnis qui credit in eum, non pudefiet: non enim est distinctio & Judæi & Græci.* Quamobrem adversariorum contra tertiam explicationem objectio, specioso quidem primâ fronte, sed fragili omnino nixa fundamento, hisce modis corruit. Reliquum igitur est, ut Sacræ Scripturæ testimoniis (quibus partim speciatim, partim generatim Christum, tam pro reprobis ac damnatis, quàm pro electis ac servandis mortuum esse, directè doceri contendunt) explicatis & adversus abusum vindicatis, tandem ad *rationes*, quas postremò obtendunt, expendendas procedamus. Eæ autem sunt, quæ per quandam, ex dictis Scripturæ, consequentiam, partim ex Veteri, partim ex Novo Testamento, ad errorem ipsorum fucandum, deducuntur. Ex Veteri quidem Testamento, ratio prima adversariorum, quam etiam Patronus eorum repetit, à formula, ut ait, fœderis gratiæ desumpta est: qua promittitur semen mulieris contriturum caput serpentis: unde concludunt, ergo singuli homines, tam reprobi, quàm electi, fæderis gratiæ sunt participes & à Satanæ potestate per Christi mortem liberati. Verùm ratiocinatio vitiosa est, duobus modis. Primo, quia antecedens falsa nititur hypothesi, quasi verbis illis, formula fæderis gratiæ contineretur: cum propriè sit comminatio Dei judicis ad Diabolum & semen illius Christo adversarium directa: obliquam tamen

men Christi, per mortem victoris illius, promissionem includens. Contrà verò fœdus propriè obligationem duarum partium certis utrimque conditionibus complecti certum est; qualem hoc loco extare, probari non potest: ideoque nec fœdus propriè est. Deinde falsa etiam est consequentia: nam contritio hæc capitis serpentis, seu potestatis Satanæ, non dicitur futura ratione singulorum, tam reproborum infidelium, quàm electorum fidelium: quia electi, mortis Christi merito efficaci, per fidem, à Diaboli Authoris peccati & mortis potestate liberantur, Actor. 26. v. 18. Rom. 16. 20. Coloss. 1. vers. 12. 13. 14. Reprobi contrà infideles, illius potestati subsunt, Ephes. 2. 2. & ministri illius sunt, 2. Cor. 11. 15. & Filii Diaboli Ioan. 8. v. 24. Idemque declarat Apostolus, Hebr. 2. vers. 14. 15. *Quoniam igitur pueri illi* (seu potius *filioli illi, τὰ παιδία*) *participes sunt carnis & sanguinis: ipse quoque similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum, & liberaret hos, quotquot metu mortis obnoxii erant servituti.* Ubi disertè satis verba Mosis, de contritione capitis serpentis, exponit de beneficio, erga illos filiolos, quos ipsi dedit Deus, v. 13. 14. hoc est, electos fideles, Ioan. 6. v. 37. & 38. qui sanctificantur, Heb. 2. vers. 11. Reprobos verò Deus Christo non dedit: quia Christus eos nunquam novit, Matth. 7. v. 23. neque pro iis orat, Ioan. 7. v. 9. neque iis donat vitam æternam, (quam datis sibi à Patre donat, Ioan. 6. v. 39. & 40.) sed damnat eos, Ioann. 3. v. 36. Deinde idem etiam ostendunt verba proxima, *& liberaret τύτυς hos, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti*: ubi per vocem *hos*, eosdem filiolos sibi datos (quorum ante v. 13. & 14. mentionem fecerat) intelligit, hoc est fideles. Nam liberatio à metu mortis & servitute, solis fidelibus convenit, Luc. 1. v. 74. & 75. & Rom. 5. v. 1. & 2. & capite 8. v. 2. & 15. Nam ante fidem, morti & servituti omnes ob peccata sua, sunt obnoxii. Rom. 6. v. 20. 21. & 23. Quia verò eam adversariorum ex Gen. 3. 15. de universali fædere gratiæ, rationem, patronus eorum non solum repetit: sed etiam argumentis quibusdam firmare conatur: ea paucis refellenda. Primum argumentum est hujusmodi, *sicut enim antegressum præceptum, cum adjuncta comminatione, non solum ad personas primorum parentum, sed & universum semen ipsorum pertinuit: ita & gratia & promissio, quæ illis post lapsum facta est*: supple, *non solum ad personas primorum parentum, sed & universum semen ipsorum pertinuit.* Quid autem per gratiam intelligat, postea ita exponit, *peccatum primorum parentum, adeò & peccatum originis, tanquam opus Diaboli, hactenus destructum est, ut Satanas propterea nullum jus & potestatem in homines habeat: ita ut propterea nemo damnandus sit necessario, nisi nova peccata accedant, quibus homines gratiæ fiant incapaces, ac denuo in plenam servitutem & possessionem Satanæ redeant.* Et paulo post; *idcirco*, inquit, *justificatio vitæ ita in omnes homines transiit, ut libertatem & jus ad vitam æternam consecuti sint.* Respondetur verò, vitiosam omnino esse consequentiam: quia diversa est status primorum parentum, ante gratiam acceptam, & status sub gratia, conditio. Prior enim in quo personam etiam totius posteritatis generandæ sustinebant, fuit omnibus posteris communis: in iis enim omnes posteri præceptum acceperunt ac comminationem: & in iis parentibus, transgressione præcepti peccarunt omnes: ac propterea, secundum comminationem, rei facti sunt mortis, Rom. 5. v. 12. & sequent. sub statu verò gratiæ acceptæ, per quam primi parentes liberati sunt, à potestate Satanæ, & libertatem ac jus ad vitam æternam sunt consecuti, personam totius posteritatis suæ generandæ non sustinuerunt. Hoc enim Sacris Literis minimè traditur, sed iis maximè repugnat: quia disertè docent, gratiam illam liberationis à potestate Satanæ, & juris ad vitam æternam, non nisi per fidem obtineri, Ioh. 3. 36. & Act. 26. v. 18. Deinde neminem alienâ, sed sua quemque fide vivere, Marc. 16. v. 16. Rom. 1. v. 16 17. Ex quibus satis apparet insolentis illius dogmatis impuritas, quo fides, gratiaque per eam, Adamo facta, communis omnibus ab eo generatis statuitur: unde & illud absurdum consequitur, eum non solùm authorem mortis, per peccatum; sed etiam causam instrumentalem gratiæ, per suam fidem, singulis hominibus existere. Similiter appendix illius impura confutatur, qua (ut antè memoravimus) asseritur *peccatum primorum parentum, adeo & peccatum originis, tanquam opus Diaboli, hactenus destructum esse, ut Satanas propterea nullum jus & potestatem in homines habeat; ita ut propterea nemo necessario damnandus sit, nisi nova peccata accedant, quibus gratiæ fiant incapaces, ac denuo in plenam servitutem & possessionem Satanæ redeant.* Quibus verbis, primùm falsa interpretatione contritionis capitis serpentis nititur, quasi ea communem singulorum hominum à Satanæ potestate liberationem designaret: cum contrà eam tantum ad electos & fideles spectare, antea sit demonstratum. Quemadmodum etiam, quod hîc, de destructione operis Satanæ, ex loco 1. Ep. Ioan. 3. 8. quem paulò antè citarat, producit, de reprobis minimè dicitur; sed de solis electis, qui per regenerationem fide donantur, Deoque serviunt, ut verba Ioan. ibid v. 8. & 9 declarant; *qui facit*, inquit, *peccatum, ex Diabolo est: quoniam Diabolus à principio peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* & versu sequenti similiter *Filios Dei, à Filiis Diaboli* discernit. Quamobrem hoc argumentum retorquetur hoc modo: Quicunque sunt Filii Diaboli, illi non sunt liberati à potestate illius. At quidam, imò plurimi sunt Filii Diaboli. Ergo illi non sunt liberati à potestate Diaboli. Propositio ex oppositorum natura, quæ eidem simul inesse non possunt, certa est. Filii enim Diaboli eum non vincunt, sed ab eo victi, ejus opera faciunt, Joh. 8. v. 41. & 44. & 1. Joh. 3. v. 8. & 10. in iisque efficax est, Eph. 2. v. 2. Assumptio etiam firma est, ex verbis, cùm Apostoli, 1. Joh. 3. v. 10. Filios Dei à Filiis Diaboli, distinguentis: tum etiam Christi, Joh. 8. v. 36. & 44. Deinde quis quæso Reformatæ aut Lutheranæ ecclesiæ seriò addictus, eo prorumpat insolentiæ, ut singulos totius orbis homines, ante actualia peccata, hactenus esse per Christum à potestate Satanæ liberatos dicat; ut nullus eorum, ob peccatum in Adamo commissum, neque peccatum originis, necessariò sit damnandus; sed singuli jus habeant ad vitam æternam? cum & nostri & Lutherani, ob peccatum originis, omnes homines, naturâ filios iræ, non minus quàm ob opera mala, Eph. 2. v. 2 3. profiteantur: neque etiam aliter à damnatione, quam per Sp. S. regenerantis gratiam, liberari Ioh. 3. v. 5. 6. neque quenquam aliena fide salvum fieri, sed sua, Rom. 1. v. 16. 17. Quare an hac ratione reconciliandis Lutheranis, an verò iis magis alienandis atque exacerbandis inserviatur, considerandum relinquimus. Quod autem præterea objicitur: *Si potestas Satanæ, in reprobis, per Christi mortem non sit sublata, pars tantum illius potestatis est abolita; maxima verò pars illius permanebit: ideoque vera non erit promissio Gen. 3. de contritione illius, per Christum.* Verum jam antè ostendimus, promissionem illam ad electos per fidem servandos petinere; ac verè in iis impleri: reprobos verò sub potestate Satanæ mancipatos perdurare ac damnari. Sed alterum firmandæ adversariorum rationi argumentum patronus eorum adducit: *non tantum*, inquit, *Abel, sed & Cain ad hoc fædus* (nempe gratiæ) *vocatus fuit & sacrificium eis tanquam sigillum fæderis pariter ambobus datum fuit, Gen. 4. vers. 3. & sequentibus*: At inquam, illud, quod quasi certum substernitur, nimirum Gen. 3. v. 15. fœdus gratiæ describi, jam antea diluimus. Vocationem tamen ad fædus gratiæ postea factam non negamus: sed ea duplex est, una efficax, qua vocati, per fidei vivæ, à Deo donatæ conditionem præstitam, gratiæ fæderis fiunt consortes: altera inefficax, cum vocati conditionem fidei vivæ debitam non observant, ideoque gratiâ fœderis carent. Priorem autem ad fædus gratiæ vocationem primis parentibus factam esse, communi sententia conceditur: ac de Eva quidem, verum ac credendum, scripturæ indicio, Genes. 3. v. 15. *inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc*; quibus verbis, illius mulieris, hoc est Evæ, cum Deo amicitia futura (quæ sine Christo, & fide esse non potuit, Rom. 5. v. 1. & Heb. 11. v. 5.) indicatur: de Adamo verò verisimile ac credibile existit;

existit: partim ob reconciliationis Evæ exemplum: quæ prior tamen peccarit,& Adamo peccati causa fuit. Genef.3. v.6. & 1.Timoth. 2.v.14. partim quia contrarium in Sacris Literis minimè traditur: ideoque vel hac ratione, ex charitatis lege, in re ancipiti, in meliorem partem judicandum. Filiorum verò, Abelis & Caini vocationis, ad fœdus & signa illius, modus fuit diversus; Abelis quidem efficax, ut cui non solùm gratia justificationis & salutis, per conditionem fidei vivæ, fuit oblata: sed etiam, per fidem à Deo donatam, collata. Quemadmodum obtulisse Sacrificium Deo gratum traditur Genes. 4. v. 4. quia fide obtulit, Heb. 11. v.4. Caini verò vocatio ad fœdus gratiæ & signa illius fuit inefficax, seu gratiæ fœderis expers: quia conditionem, ad gratiæ illius communionem, necessariam non præstitit, sed contrà violavit: ac propterea sacrificium illius sine fide & charitate oblatum Deus aversatus est, Gen. 4. 5. & 7. Heb. 11. 4. Cain enim non erat natus ex Deo (ut Abel, aliique gratiæ fæderis consortes) sed natus ex malo illo 1. Johan. 3. v. 12. hoc est, diabolo. Quare vocatio externa, ad fædus gratiæ, conditione fidei, oblatum, communis fuit Caino cum Abele: sed interna atque efficax, per fidem donatam, gratiæ communicatio, Abelum à Caino discrevit. Quare hoc etiam argumentum alienum est: quemadmodum etiam & tertium, quod idem Patronus subjicit, quum ait; *deinde etiam hoc fædus* (scilicet gratiæ) *cum Noacho omnibusque ejus posteris repetitum fuit*, Genes. 9. v. 8. & 9. Sed hoc vanissimum esse, res ipsa clamat. Non enim hoc loco repetitur fædus gratiæ hominibus proprium; sed aliud, & quidem cum brutis animantibus (ut verba Dei diserta v. 10. 11. 12. 15. 16. testantur) commune: quo Deus promittit, nullum amplius diluvium universale futurum, v. 11. & 15. Cui promissioni in perpetuum confirmandæ, arcum in nubibus, seu iridem signum præstituit, vers. 13. 14. 16. 17. Ac propterea malæ causæ signum est, cum tam ineptum omnino argumentum ad eam sustinendam arripitur. Sed pro universali gratia, alteram deinde ex Genesi urget Reineccius *Armaturæ Christianæ* tom. 3. deductam ex Gen. 12. v. 3. & 22. v. 18. & 26. 4. *Omnes*, inquit, *gentes benedicendæ in Christo. Ergo Christus pro omnibus hominibus satisfecit, maledictionem tollendo, benedictionem largiendo.* Sed negatur consequentia: quia omnes gentes dici possunt, vel simpliciter, vel secundum quid. Ac simpliciter rarissime: secundum quid verò frequentissimè intelliguntur. Quemadmodum, cum de gentium ad Christum conversione agitur, exempla sunt illustria, ut Psal. 72. v. 11. *Omnes gentes servient ei*, & v.17. *& benedicentur in eo omnes gentes, & beatum dicent eum*, & Esai. 2. v. 2. *confluent ad eum omnes gentes.* Hag. 2. v. 8. *& veniet desiderium omnium gentium.* & Psal. 117. v. 1. *laudate Jehovam omnes gentes:* quod etiam de gentium conversione prædictum docet Apostolus, Rom. 15. v.9. & 11. quæ omnia: citra controversiam de omnibus gentibus dicta, sed non simpliciter: quia alioqui sententiæ essent falsæ: sed secundum quid, de electis ac fidelibus omnium gentium. Sic etiam in objectis Dei verbis, *omnes gentes*, non simpliciter singulos omnium gentium notare necessarium est: quia secundum quid, de omnium gentium fidelibus, verè, citra controversiam, accipi potest: imò necessario accipi debet: ut adjuncta eis *benedictio*, hoc est justificatio evincit. Hæc enim solis fidelibus Christo insitis convenit, Rom. 5. v. 1. & cap. 8. v. 1. Reprobi verò infideles maledictioni sunt obnoxii: unde ut à Christo fideles, *benedicti Patris*, Matt. 25.34. sic contrà reprobi, *maledicti* vers. 41. nominantur. Idemque Apostolus disertè exponit, Gal. 3. v. 8. & 9. *prævidens autem Scriptura, Deum ex fide justificaturum gentes, ante euangelizavit Abrahamo, Benedicentur in te omnes. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo.* Ex quibus omnibus constat, secundam etiam hanc, è primariis adversariorum rationibus, consequentiæ vitio laborare. Tertia porrò ratio, est ex typo hirci emissarii, Christum adumbrantis, Levit. 16. v. 21. 22. deprompta: unde ita concludunt, *hircus ille, impositis sibi, ab Aarone, omnibus iniquitatibus filiorum Israelis, eas ferebat & auferebat in desertum: Ergo Christus reatum ac pœnas peccatorum omnium, tam reproborum, quam electorum pertulit & abstulit.* Verùm negatur etiam consequentia; quamvis enim hircus ille typus fuerit Christi; Israelitæ tamen non fuerunt typi singulorum, tam reproborum, quam electorum, sed electorum ac fidelium tantum: unde *Israel Dei* Gal. 3. v. 9. appellantur: idque etiam confirmant per hircum significata effecta, nempe perferre peccata & omnino auferre: quæ electis fidelibus propria. Heb. 10. v. 14. & 17. contra verò reprobi infideles peccati dominio & damnationi sunt obnoxii Marc. 16. v. 16. Ioan. 3. v.36. Quare de reprobis hîc non agitur. Quarta ratio, priori fulciundæ, ex altero simili Christi typo, petita est ex verbis Exod. 24. v. 8. & Heb.9.19.20. hujusmodi; *sanguine fœderis Moses aspersit totum populum Israelis: Ergo sanguine Christi, quo novum fædus sancitum, aspersi sunt singuli homines, tam reprobi, quam electi.* Sed negatur consequentia: nam totus populus Israel, propheticus fuit typus, non singulorum etiam reproborum, sed solius populi fidelium. Quemadmodum sanctificationis per Spiritum effecta statuuntur obedientia & aspersio sanguinis Jesu Christi 1. Pet. 1. v.2. ut etiam Paulus de Christo ait, Rom. 3. v. 25. *eum esse propositum placamentum per fidem, in sanguine ipsius.* & Heb. 9. v. 15. *& propterea novi testamenti mediator est, ut morte intercedente ad remissionem transgressionum, quæ fuerunt sub priori fædere, qui vocati erant promissam æternam hæreditatem acciperent.* & 1. Joh. 1. v. 17. *quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo, & sanguis Filii ipsius purgat nos ab omni peccato.* Ac propterea sententia adversariorum non confirmatur, sed evertitur. Pro quibus enim Christi sanguis est effusus, iis etiam est aspersus: atque sanguis Christi non est reprobis aspersus; ergo pro iis sanguis Christi non est effusus. Propositio Mosis typo stabilitur; nam ut sanguis victimæ pro toto populo fuit effusus: sic etiam eidem aspersus, Heb. 9. v. 19. Assumptio etiam firma est: quia ad aspersionem sanguinis Christi sanctificatio per Spititum Sanctum & obedientia fidei requiritur. 1. Petri. 1. v. 2. & aspersio sanguinis Christi, illius communio est; quæ purgationem à peccatis & justificationem parit, Rom. 3. v. 25. & 1. Pet. 1. v. 7. Ideoque reprobis infidelibus nequaquam tribui potest: ut qui impuri sunt, Tit. 1. v. 15. & à Diabolo Patre in iis operante erroribus ac malis operibus adspersi, imò immersi sunt: *ut qui toti in malo jaceant*, 1. Johann. 5. vers. 19. & à Christi communione ita alieni, ut eos nunquam norit, Matth. 7. vers. 23. Sed hisce rationibus ex vet. testamento deductis ac refutatis, aliæ ab adversariis Lutheranis eorumque Patronis annectuntur. Quarum prima est ab universali, singulorum hominum, per Euangelium, vocatione, proposita Mat.28. v. 29. *Docete omnes gentes.* & Marc. 16. v. 15. *Profecti in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ*, & Luc. 24. v. 74. *Sic oportebat Christum pati, & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hyerosolymis:* Ex quibus sic differit Reineccius *Armaturæ Christianæ* tom. 3. pag. 14. *Quibuscunque offertur Euangelium de propitiatione Christi: pro illis propitiatio etiam est præstita; alias enim Deus annuntianda curaret falsa, & homines palam falleret. Verum Christus jubet offerri & annuntiari Euangelium de propitiatione Christi, omni creaturæ*, id est, *omnibus in universum hominibus. Propitiatio itaque pro omnibus hominibus, omnique creatura est præstita.* Sed primò falsa est propositio: quia licet propitiatio per Christum facta Euangelio offeratur, ea tamen ad fideles solum restringitur, Marc. 16. v. 16. Ioh. 3. vers. 36. & Rom. 3. v. 25. & solis etiam fidelibus præstatur, secundum Dei veram promissionem. Ideoque vana est adversarii ratio, qua propositionem probare conatur. Si verò propositionem ita corrigat, *Quibuscunque offertur Euangelium, de Christi propitiatione, pro iis nimirum facta: pro illis etiam propitiatio est præstita*; tum vera erit propositio & simul ratio firma. Sed hoc modo assumptio erit falsa: nec enim ullibi Euangelium annuntiat omnibus in universum hominibus, sive crediderint, sive non crediderint, pro iis propitiationem per Christum factam. Deinde neque etiam Euangelium, de propitiatione fidelium, per Christum, omnibus

bus & singulis hominibus annuntiatum est. Nam ut in Veteri Testamento hoc fuit privilegium Israelitarum, quod iis *annuntiarit Deus verbum suum, non autem ita omni genti* Psal. 147. vers. 19. 20. sed *siverit gentes ambulare in viis suis* Actor. 14. v. 16. adeò ut fuerint *sine Christo, alieni à republica Israelis, alieni à fœderibus promissionis, spem non habentes & Dei expertes in mundo*, Eph. 2. v. 12. Sic etiam vivente adhuc Christo, hoc privilegium Israelitarum perduravit: Matth. 10. v. 5. adeò ut non universalis, sed particularis Euangelii prædicatio fuerit statuta. Post mortem verò ac resurrectionem Christi, discrimine Judæorum & gentium sublato, jussi sunt Apostoli prædicare Euangelium *omni genti* (id est, cuivis genti) & *omni*, (id est cuivis) *creaturæ* scil. τῇ ἐξοχῇ humanæ: non autem singulis hominibus: quia illud nunquam factum, neque etiam ab iis fieri potuit: partim ob virium defectum, partim ob ordinem locorum ac temporum, ad prædicationem Euangelii, à Deo, ipsis communiter præscriptum Luc. 24. v. 47. & Actor. 1. 8. aut etiam peculiariter definitum Actor. 16. v. 6. 7. & alibi. Quemadmodum etiam non nisi longo successu Euangelium prius inauditum, ab Apostolis annuntiatum est, ut in *Actis Apostolorum* & Rom. 15. v. 20. & 21. declaratur; imò totus novus orbis, plus quam mille & quadringentis post Christum annis, mansit ignotus & prædicationis Euangelii expers: & adhuc magna illius pars, *Australis* scilicet *terra*, & *America septentrionalis* inaccessa atque incognita. Ac propterea falsissimum est, universalem esse singulorum hominum, per Euangelium, vocationem: ut quæ scripturæ & universali experientiæ repugnet. Quemadmodum etiam eruditè prosper *Responsionibus ad capitula Gallorum*, cap. 4. universalem illam vocationem refutat: quo etiam spectant ea, quæ libro carminum eruditissimo, *de ingratis contra Pelagianos* cap. 9. disserit, cum ait:

Nec enim, vel tempore nostro,
Omnibus in terris, jam certum est insinuatum
Christi Euangelium: ne dicam, exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt jussa: sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumque suis, aditus Domino pandente, ministris,
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absorpserat impietatis.
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.

Sed huic rationi, quam diluimus, affinem objiciunt hujusmodi, *Quicquid Deus Euangelio credendum omnibus & singulis præcipit, illud est verum, non autem falsum. Atqui Christum omnia singulorum hominum peccata expiasse, est id, quod Deus Euangelio omnibus & singulis credendum præcepit: Ergo illud verum est, non autem falsum* Propositionem quidem veram agnoscimus: Deus enim verax est, Rom. 3. vers. 4. nec potest mentiri, Tit. 1. v. 2. ideoque fidem falsi præcipere non potest; quia seipsum abnegare non potest. Sed assumptio falsa est. *At*, inquiunt, *remissio peccatorum omnibus annuntiatur per Euangelium, Luc.* 14. 47. *Ergo etiam eorum expiatio per Christum.* Verùm negatur consequentia: quia remissio peccatorum Euangelio annuntiata resipiscentiam & fidem requirit, ac solis viva fide præditis promittitur ac confertur: idque verba objecta, è Luca Apostolo, ostendunt: nec enim dicitur absolutè, oportere prædicari remissionem peccatorum apud omnes gentes: sed resipiscentiam & remissionem peccatorum. Quemadmodum etiam Christus prædicans Euangelium regni Dei, resipiscentiam & fidem præcepit: Marc. 1. v. 15. idemque etiam Apostolis præscripsit; ibidem cap. 16. 15. *prædicate Euangelium omni creaturæ*, addita explicatione v. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quemadmodum Petrus Actor. 10. v. 43. ait, quod *Christo omnes Prophetæ testimonium dent, remissionem peccatorum accepturum, per nomen ejus, omnem credentem in ipsum.* & Paulus Actor. 13. v. 38. *per istum*, scilicet Christum, *vobis remissio peccatorum annuntiatur*; sed v. 39. modum exponit, cum subjicit, *per hunc, omnis qui credit, justificatur.* At rursus excipitur, *illud certum est, fidem in Christum ad salutem Euangelio mandatam omnibus & singulis auditoribus unam eandemque esse. Ea autem fides non tantum certa notitia est, qua quis firmiter assentitur omnibus, quæ Deus nobis in verbo suo patefecit; sed etiam certa fiducia, à spiritu sancto per Euangelium, in corde accensa, quâ quis in Deo acquiescit, certò statuens, non solum alios, sed etiam sibi remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam æternam donatam esse, à Deo, propter unius Christi meritum. Ergo omnes & singuli jubenter credere, sibi remissionem peccatorum, propter unius Christi meritum, donatam: ac propterea illud verum esse necesse est.* Nodus sanè, prima fronte, indissolubilis: nam citra controversiam, quod hic præmittitur, verissimum est, fidem, auditoribus Euangelii, ad remissionem peccatorum, non aliam atque aliam, sed unam eandemque, citrà discrimen, mandari. Sed ad alterum membrum quod attinet, sive descriptionem fidei illius, observandum, eam propriè loquendo, non esse fiduciam donatæ remissionis peccatorum sed donandæ instrumentum, Actor. 26. 18. Rom. 3. v. 25. & cap. 5. 1. consequentis verò certitudinis de remissione peccatorum & fiduciæ causa est. Ideoque rectè quidem, sed non nisi impropriè per Meton: effecti pro causa efficiente fiducia appellatur: quia fides eam producit, Ephes. 3. v. 12. Rom. 5. v. 2. quemadmodùm alias pluribus declaravimus ac demonstravimus. Altera deinde ratio ex Matthæo petita cap. 12. est hujusmodi, *Quicunque à spirituali potestate Satanæ omninò sunt liberati, pro illis Christus est mortuus. At quidam non electi, omninò à spirituali Satanæ potestate liberati sunt:* Ergò *quidam non electi, sunt, pro quibus Christus est mortuus.* Propositionis probatio est: quia ea liberatio, est proprium Dei, in redemptis, per mortem Christi, beneficium. Assumptionem à Christo tradi contendunt in parabola, Matth. 12. v. 43. 44. 45. ubi similis Judæorum, & illius, qui à Dæmone prius omninò liberatus erat, & postea gravius occupatus, conditio statuitur. Sed negatur assumptio: neque ea ex Matth. cap. 12. demonstrari potest, neque etiam rei veritas hoc admittit. Conferuntur enim inter se homo à Dæmone obsidente omninò liberatus, qui sua culpa eidem sese præparans gravius postea obsidetur, & natio Judæorum per prædicationem Euangelii à Christo vocata, sed vocationi malitiosè resistens, ac propterea punienda. Natio autem hæc sunt primores populi, Scribæ & Pharisæi, v. 14. 38. & maxima populi pars incredula iis adhærens. Malitia verò ejus nationis indicatur à Christo, cum eam *nationem malam* vocat, v. 45. ut ante v. 34. *progeniem viperarum, & quæ bona loqui non posset, cum mala esset*: & v. 39. *nationem malam & adulterinam vocat.* Ac talem etiam extitisse inde ab initio, Christus & experientia comprobarunt: quoniam neque Johanni Baptistæ Christi præcursori, neque Christo Domino, ad resipiscentiam vocanti, & miracula Messiæ propria ac prædicta edenti paruerunt; sed contemptim ac blasphemè aversati sunt, v. 28. cum 24. Quemadmodum etiam malitiosam illam contumaciam Christus exprobrat, Matth. 21. v. 32. Luc. 7. v. 30. 33. 34 ideoque cum potestas Satanæ spiritualis, in peccato, quo incredulos regit, Ephes. 2. v. 2. & in morte Hebr. 2. v. 14. consistat, neutro modo natio hæc mala, omninò à potestate Satanæ liberata, sed ei subjecta permansit. Ac propterea ea liberatio, ab hac potestate Satanæ, parabola objecta nequaquan indicatur. At, inquies, omnis parabola eorum, quæ conferuntur inter se, similitudinem complectitur: verum est, etsi non ea sit, quam adversarii statuunt, sed alia: quia generalis hoc loco ac bimembris continetur. Prius enim membrum est similitudo ingratitudinis erga Deum: quod ut homo hîc à Dæmone, Dei beneficio omninò liberatus, sese non Deo excipiendo per obedientiam: sed Dæmoni præparavit: sic & natio hæc perversa non solùm Dei beneficio, per verbum ipsius, in populum peculiarem ad cultum Dei, privilegio quodam, jam olim Psal. 147. v. 8. 9. segregata: sed etiam, per Euangelii prædicationem, ab ipsomet Domino Christo, Dei Filio, ad resipiscentiam vocata, per ingratitudinem suam ac contumaciam suam ei adver-

adversata est. Alterum membrum in simili conditione generali eventus consistit, quod posterior utriusque partis deterior sit priori. Modus autem specialis utrimque diversus, in homine quidem illo, quod rursus à Dæmone, & adjunctis quidem pluribus, sit obsessus: in natione verò hac mala, quod non solùm ob rejectionem Christi, patria illius Judæa vastata, ipsique Judæi in captivitatem abducti, Matth. 23. v. 37. & 38. sed etiam quod regnum Dei ab ingratis & malis ablatum, Matth. 21. v. 44. & tandem populus Dei esse desierunt, Rom. 11. v. 12. Quamobrem hæc parabola Christi adversariorum sententiam nullo modo confirmat. Sed tertiam rationem præterea adjiciunt ex hisce 2. Pet. 2. v. 18. verbis, *per carnis cupiditates lascivas inescantes eos, qui ὄντως, verè effugerant eos, qui in errore versantur.* & v. 20. *Si enim postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi, effugerunt, his rursus implicati superantur, facta est ultima eorum conditio deterior priore.* Ex quibus Lutherani, eorumque patroni ita concludunt, *Ergo quidam, qui pereunt, fuerunt ὄντως verè sanctificati; ac propterea etiam Christi morte redempti; quandoquidem sanctificatio proprium est meriti mortis Christi effectum,* Ioh. 17. v. 19. & Hebr. 10. v. 14. Sed responderi potest, ac solet bifariam. Primùm ad antecedens, quod non sit certum, vocem ὄντως *verè* (in qua tamen vim argumenti collocant) à Petro Apostolo propositam: quia antiquorum codicum Græcorum lectio est diversa: ut Erasmus ad hunc locum, & alii eum secuti observarunt. Quæ paucis illustrare conabimur. Lectio enim est triplex ὀλίγον, ὀλίγως & ὄντως: ut Robertus Stephanus, in novo testamento Græco, magna forma edito, ad oram hujus loci notat: eumque secutus Filius Robertus, ad minoris editionis calcem: denique in editioni Lipsensi, à Vogelino cura Camerarii edita. Ac primam quidem lectionem, nempe ὀλίγον, expressit novum testamentum Græcum *in Bibliis Complutensibus,* ad antiquissimorum codicum fidem, summa cura editum, ut Robertus Stephanus hanc etiam laudem illi attribuit, in præfatione sua, ac manuscriptis codicibus, & quidem primo loco, annumerat. Quam etiam lectionem editio Regia Plantini exhibet. Secundam lectionem ὀλίγως habent duo manuscripta Roberti Stephani exemplaria, undecimum & decimum tertium, & accurata Simonis Colinæi editio Parisina. Quam etiam lectionem ὀλίγως (vel ὀλίγον eodem sensu) codicem Græcum antiqui & vulgati interpretis habuisse, interpretatio illius, qua transtulit per vocem *paululum,* declarat. Ut etiam & codex Græcus Hieronymi, qui (ut recte Erasmus indicavit) tom. 2. operum contra Jovinianum, & quidem libro secundo, pagina circiter tertia, ab initio, similiter *paululum* interpretatur. Tertia lectio est ὄντως, quæ in reliquis codicibus pluribus continetur. Quod enim Erasmus conjicit lectionem quartam scilicet οὕτως mera conjectura est, ut quæ exemplarium consensu omninò destituta. Quare antecedens hujus ratiocinationis ab adversariis oppositæ non est certum: ideoque neque certa inde deduci potest conclusio. Atque hæc prima responsio. Altera etiam à nostris merito affertur, negatione consequentiæ: quia agnitio Christi, per quam, ab iis, qui in errore versantur, & ab inquinamentis mundi fugitur, duplex existit, una quidem, per gratiam regenerationis, quæ in vera fide, per charitatem efficaci consistit: altera, quæ citra regenerationem, per solam doctrinam Euangelii & spiritus illuminationem contingit, quæ plurimum inter se differunt; priori enim non tantùm vitiosæ naturæ actiones coërcentur, ut inquinamenta mundi ad tempus fugiantur: sed etiam à Deo vitiosa natura (auferendo cor lapideum & dando cor carneum, id est molle, obediens, Ezech. 36. 26.) magna parte tollitur, ac dominio suo omnino exuitur, Rom. 6. v. 6. 14. posteriori verò vitiosa natura non tollitur, sed refrænatur tantùm, ad tempus: ita ut cognita, per lucem Euangelii, errorum & inquinamentorum mundi (id est, idololatriæ, & libidinum) turpitudine, ea ad tempus, verè, id est, fine simulatione, aversentur ac fugiant: qualis fuga à Petro Apostolo hic describitur: non autem absoluta, quemadmodum inde à versu 18. ad finem hujus capitis declaratur. Ac propterea hujusmodi homines, cum sue lota comparantur, quæ ab externis sordibus purgata, impuram tamen naturam reservat, & ad sordes deinde revolvitur vers. 22. Neque ea vitiosæ naturæ actionum, per sanæ doctrinæ lucem, ad tempus repressio, est proprium redemptionis per Christum effectum, seu sanctificatio per sanguinem novi fœderis parta: quoniam hæc, in totius hominis, per regenerationem, sanctificatione, qua corda per fidem & charitatem purgantur: Act. 15. v. 9. & quidem perpetuâ, consistit: ut disertè describitur ea sanctificatio, Hebr. 10. 14. 16. 17. & Jer. 31. v. 33. & cap. 32. v. 40. Ezech. 36. v. 26. 27. ut supra expressius demonstratum. Neque mirum est, talem ab inquinamentis mundi (id est, erroribus & libidinibus) fugam, per doctrinæ Euangelii lucem, ad tempus serio evenire: cum etiam simile quid in hominibus ethnicis Euangelii notitia destitutis accidisse, satis compertum sit. Quemadmodum eorum exempla ostendunt, qui Socratis aliorumque Philosophorum doctrinâ commoti, pristrinam voluptatum scelerumque licentiam seriò sunt aversati, & vitæ honestatem coluerunt: à qua tamen nonnulli eorum, ad vitia sua pristina, voluptatibus inescati (ut hi, de quibus Petrus hîc loquitur) sunt relapsi. Quamobrem cum Apostolus, hoc in loco, non describat homines regeneratos, seu fide viva & charitate purgatos: sed tantum eos, qui per agnitionem Euangelii, ab erroribus seriò segregati, à fœdis ac consuetis voluptatibus ac libidinibus naturam suam vitiosam refrænarunt & ad illas rursum relabuntur. Idcirco hæc verba ab adversariis ad redemptos per Christum (qui ex fœdere gratiæ & mortis Christi merito regenerantur & ad salutem servantur) perperam omnino detorquentur: ideoque tertia ratio objecta corruit. Quarta verò obtenditur ex Johan. 1. v. 9. *hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Ergo omnibus & singulis gratia illuminationis spiritualis ad jus vitæ æternæ sufficiens confertur: ideoque Christus pro omnibus & singulis hominibus totius mundi, citra exceptionem, mortuus est. Verùm negatur consequentia: quia illuminatio, de qua Johannes loquitur, in antecedenti parte, notat rationis naturalis donationem, quæ per Filium Dei creatorem, omnibus hominibus convenit, per quam à brutis animantibus, ratione illa destitutis, distinguuntur, atque excellunt: non verò indicat Christi Redemptoris cognitionem: quia id disertè negatur vers. 5. *lux illa in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt,* & v. 10. 11. *in mundo erat, sed mundus eum non cognovit. Ad suos venit, & sui eum non acceperunt.* Idemque perspicuè omnium temporum experientia & Sacra Scriptura testatur, Psalm. 147. v. 19. 20. Actor. 14. v. 16. Ephes. 2. v. 12. deinde, etiamsi redemptionis Christi cognitionem Johannes intelligeret, falsa tamen esset consequentia: quia ea notitia, cum sine fide viva & regeneratione esse possit, non est redemptis per Christum propria. Quinta quæ obtenditur ratio, deprompta est ex Apostoli verbis, Rom. 11. v. 32. *conclusit Deus omnes in contumacia* (vel incredulitate) *ut omnium misereretur.* Ergo Christus pro omnibus & singulis totius mundi hominibus mortuus. Sed negatur consequentia: quia ut vox *omnes,* citra controversiam, sæpe in S. literis, non singula individua, sed genera singulorum designat: sic etiam hoc in loco, *omnes gentes,* non singulos gentium indicat: neque etiam omnes gentes conjunctim, nec omni tempore, sed divisim, ac suo tempore (per admirandam Dei sapientiam ac judicia inscrutabilia) præstituto. Quemadmodum Apostolus ad eam misericordiam Dei variam ac distinctis temporibus distributam obstupescens, proximo v. 32. exclamatione gravissima testatur. Omnes autem gentes, non singulos gentium intelligi, circumstantia hujus loci (qui de rejectione gentis Judaicæ & vocatione aliarum gentium, & tandum Judæorum revocatione certò disserit) & rei veritas evincit. Primum enim Deus, vocatâ ad notitiam verbi sui & in populum suum, gente Judaica, reliquas interim gentes in incredulitate sive contumacia conclusit, adeò ut ambularint in viis ipsarum, usque ad Christum, Deo eas relinquente, Actor. 14. v. 16. sine fœdere, sine Christo, sine Deo, Eph. 2. v. 12. contra verò, post

Chri-

Christum, gentes reliquæ, per gratuitam Dei misericordiam sunt paulatim vocatæ: & contrà populus Judaicus, ob rejectum Christum, per justam Dei severitatem, est rejectus, donec tandem, gentibus plenè vocatis, revocabitur, v.25.26. idemque versus hunc trigesimum secundum proximè antecedentes, nempe 30. & 31. ita exponunt, *sicut enim & vos quondam non paruistis Deo, nunc autem estis misericordiam consecuti per istorum* (scil. Judæorum) *contumaciam: sic & isti non paruerunt, ut per vestram misericordiam, misericordiam consequantur.* Quamobrem cum aliæ gentes ante Christum caruerint salutari Dei misericordia, & gens Judaica post Christum & Apostolos rejectos, nondum consequuta sit misericordiam in hodiernum usque diem; necessario sequitur, Deum non omnium gentium omni tempore misereri. Multò minus verum est, quod adversarii contendunt, Deum omnium & singulorum totius mundi hominum misereri. Deinde *misereri*, in hac Apostoli sententia, dicitur Deus, cum miseriæ & peccati & mortis obnoxios, ad vivam fidem & Christi communionem ac salutem sua gratia adducit: ut etiam describitur, v.11. cum 12. & 20. hoc autem non omnibus & singulis hominibus convenit (quum non omnium sit fides 2. Thessal. 3. 2. sed maxima eorum pars incredula maneat) sed ut scriptura tradit, electis proprium est. Quemadmodum etiam, hoc capite, de Judæis dicitur v. 5. *& hoc tempore reservatio secundum electionem gratiæ facta est*, & v. 7. *Quod requirit Israel, non est assecutus, sed electi assecuti sunt; reliqui verò occalluerunt. Reliqui* autem, ut oppositio electorum evincit, peccatores, non electi intelliguntur, utpote à Christo alieni & inimici illius perpetui, ut quos nunquam novit, Matth. 7. v.23. & pro quibus sese non orare apertè testatur, Joh. 17. 9. utpote cum inter eos & Christum non sit reconciliatio, sed irreconciliabilis inimicitia divinitus, in promissione prima Euangelii, posita Genes. 3. 15. Quam, ut semen Satanæ eo authore, injustè exercet: sic contrà Christus, secundum Dei voluntatem propositam, justè, vita & morte sua, semen illud Satanæ, seu mundum reproborum, cum Principe illius oppugnavit ac devicit, Joh. 16. 11. & 33. & Hebr. 2. Quamobrem misericordia salutaris erga homines, non est universalis erga omnes & singulos, tam reprobos, quam electos totius mundi homines: *miseretur enim* (ut Apostolus è Mose asserit) *cujus vult, & quem vult indurat*, Rom. 9. v. 18. Neque propterea iniquitas ulla apud Deum: quia misericordia Dei merè gratuita est, & à voluntate Dei libera dependet, & nulli debita. Hinc Apostolus calumniam istam anticipat ac diluit, Rom. 11. v.35. cum ait, *quis prior dedit ei & reddetur?* & Christus Mat. 20. 25. *annon licet mihi, de meis facere, quod volo?* Neque hac de causa (ut Lutherani acerbè maledicunt) Deus statuitur à nostris μισάνθρωπος: quia in iis, quorum non miseretur, non ipsam naturam odit, cujus est creator; sed vitia illius, quorum ipsi homines sunt authores: eaque, ut legi suæ justissimæ omninò repugnantia, justè odit Deus Ps. 5. & 6. & ulciscitur Rom. 12. 19. Atque hoc modo, adversariorum, pro universali gratia, ad singulos etiam reprobos pertinente, rationibus confutatis, huic dissertationi finem imponemus.

DIGRESSIO,

Quâ nova, de septem epistolarum, Apocalypseos II. & III. sensu prophetico; controversia, succinctè proponitur & examinatur.

ANtequam autem de hac re agamus, pauca, ad clariorem intelligentiam, generatim de scripturæ sensu præmittemus: quæ enim in sacris literis traduntur, ea sensum habent, vel merum, vel mixtum. Merus est, qui meram rei, sine inclusa ac latente, sub ejus velo, prophetia, narrationem continet. Mixtus verò est, qui immediatè quidem rei narrationem; mediatè verò aliud simile, per eam, latente prophetiâ, designando, complectitur; adeo ut, hoc modo, sensus non sit unius membri, (quasi mera esset, aut historia, aut prophetia) sed duorum membrorum: quorum posterius, sub prioris rei similis indicio, includatur: quem Pontificii vulgò duplicem sensum, historicum & allegoricum, seu propheticum, perperam indigitant: quum sensus hic revera non sit duplex, sed unus tantum, duobus gradatim membris constans. Cujus illustre documentum est id, quod Exod. 12. 47. dicitur, *os illius non confringetis*; hoc enim historicè & immediatè quidem, de agno paschali; mediatè verò ac propheticè, de Christo per agnum illum adumbrato (Joh. 1. 29. & 1. Cor. 5. 7.) dictum: ut disertè Ioh. 19. 36. explicatur: qualis etiam reliquarum legis ceremoniarum ratio, quæ sub rerum externarum observatione præscriptæ, bona per Christum futura, ut umbra quædam prophetice designarunt, Heb. 10. v. 1. sic etiam non pauca quæ de Davide & Salomone narrantur, iisque revera acciderunt, Christum typo prophetico adumbrarunt. Hujusmodi autem sensus mixtus ac gradatim bimembris, in locorum sacræ scripturæ expositione, non est pro arbitrio statuendus: sed tantùm, cum in ea scriptura expressè continetur, aut firma ratione inde comprobatur: alioqui profanus in re sacra lusus est, Deo, hominibusque piis atque eruditis ingratus, & ecclesię noxius: quemadmodum Philonis Iudæi, & Origenis, in S. Literarum interpretatione, vanitas, qua genuinum Dei sensum variè corruperunt, demonstrat. Atque hæc de scripturæ sensu generatim observanda, ut controversiam facilius hoc loco percipiamus. Quæstio autem est,

An septem illæ Epistolæ, ad septem Asiæ Ecclesias distinctè missæ, sensum habeant merè historicum, quo conditio status earum tantùm describitur: an verò, ex historia illa, & latente prophetia, per eam significata, mixtum.

PRius communi interpretum sententia statuitur: posterius verò, novo paradoxo, à quibusdam Lutheranorum imprudentibus patronis asseritur: qui illis Epistolis, non solum septem diversas ac distinctas septem Ecclesiarum Asiæ conditiones ac status, sed etiam per eas, totius Ecclesiæ, ab Apostolis, ad finem mundi, diversas ac distinctas septem conditiones, status, ac periodos, latente prophetia, designari contendunt. Verùm si quis accuratè expendat, facile apparebit, priorem sententiam communem, non esse opinionem (ut eo nomine elevare student) sed rectam solidamque interpretationem: ut rationum objectarum examen demonstrabit: siquidem illæ non pondere sed solo numero certant. Sunt enim decem, quarum nulla probi Syllogismi κριτήριον sustinere valeat. Eorum enim duæ, prima & octava, consequentiæ vitio, reliquæ verò omnes suâ vanitate laborant. Prima autem est hujusmodi, *quia totus liber est σημαντικός. Apocal.* 1. Verum est: sed inde non sequitur, ergo hæ septem epistolæ, non solùm historiam conditionis ac status ecclesiarum Asiæ septem: sed etiam per eas, septem ecclesiæ totius periodos ac conditiones & status ordine ac tempore distinctas propheticè designant: quia omnis liber, imò omnis oratio, σημαντικὴ *significativa*, ut rectè Aristoteles, de interpretatione, cap. 4. Ideoque hæc etiam prima objecta ratio σημαντικὴ significativa est: non tamen propterea mysterium propheticum continet. Nam verbum σημαίνειν *significare* latissimè patet, & ad quævis signa, sive sint facta, sive sint dicta, aut scripta, sese extendit generatim, sive mera sit historia, aut prophetia: sive ἐναλλὰξ & ordinatim utramque insit. Imò specialis hujus significationis (quasi σημαίνειν, esset per alicujus rei historiam mysticè prophetare) neque ex Novo Testamento, neque ex Græcâ Veteris Testamenti translatione, neque ex antiquo Græcorum usu, ullum exemplum adducitur, aut apparet. At inquies Apoc. 1. v. 1. & ab authore hujus rationis, in præcedentibus, non solum dicitur, Apocalypsin significare; sed simul additur, *ea quæ oportet fieri citò.* Verum est: sed ubi distinctè ipsam rationem format, sic exprimit: *prima, totus liber est* σημαντικός, *significativus.*

Neque etiam, si verba illa, *quæ oportet fieri cito*, addantur, consequentia probabitur: sed antecedens falsum statuetur, nimirum, Apocalypsin totam futura significare: hoc enim neque cap. 1. vers. 1. dicitur, ubi indefinita oratio: neque etiam verè dici potuit: quia non solum futurorum prophetiam continet, sed etiam & præteritorum & præsentium historiam: ut cap. 1. v. 9. distinctè traditur. Neque insolens est, in libro prophetico meram historiam interdum insertam: quemadmodum talis in Esaia, de Zancheribo cap. 36. & 37. deque Ezechia cap. 38. 39. describitur: idemque multis Jeremiæ exemplis perspicuum. Denique etsi (quod falsum esse ostendimus) totus liber esset significativus, & de rebus futuris tantùm ageret, prophetia quidem esset, sed non idcirco mystica: (quod hîc controvertitur) quia prophetiæ non paucæ divinæ perspicuæ, sine latente mysterio, in utroque testamento proponuntur: nec omnis etiam mystica prophetia per historiam aliarum rerum: (ut hîc probandum erat) sed sæpius per meram allegoriam describitur. Quamobrem prima hæc ratio (quæ antesignani instar, in prima acie collocata) apertâ sua vanitate corruit. Neque aptior est octava, sed omninò ἀπροσδιόνυσος. Quæ hujusmodi est, *Quia Laodicæa, tempore Neronis, eversa fuit terræ motu, ante harum epistolarum scriptionem.* Sed an inde rectè concludi potest, Ergo septem hæ Epistolæ ad septem Asiæ ecclesias non sunt merè historicæ, sed mystica ratione propheticæ: hic enim est scopus, ad quem & hæc, & reliquæ rationes collimant ac diriguntur: sed eum nequaquam attingunt. Quis enim ignorat, sub Tiberio, Ephesum, cum aliis undecim illustribus Asiæ urbibus, horrendo terræ motu collapsam, ante epistolæ ad Ephesios scriptionem, & tamen ex eo, nemo (nisi devius) colligere poterit, eam Epistolam non solum historiam, sed etiam mysticam prophetiam complecti. Deinde cum eodem tempore, quo sub Nerone, Laodicæa & Hierapolis terræ motu corruerunt, idem (teste Eusebio in Chronicis ad annum Christi 66.) etiam urbi Colossensi acciderit & quidem ante scriptam ad Colossenses epistolam: nemo tamen inde, non solum historicè, sed etiam mysticè intelligendum, nisi ineptè ac falsò concluserit. Neque etiam regeri potest, Ephesi & Laodicææ rationem esse longe diversam; Ephesum enim collapsam quidem, sed paulò post reparatam: Laodicæam verò, cum hæ Epistolæ scriberentur, nondum à ruina restauratam; ideoque Epistolam ad Laodicænam Ecclesiam missam continere mysticam prophetiam; id inquam regeri jure non potest: quia antecedens illud, Taciti Annalibus apertè confutatur. Nam ut eorum lib. 2. Ephesum aliasque undecim urbes collapsas, munificentiæ imperatoris remedio restitutas tradit: sic quoque de Laodicæa restaurata lib. 14. ait, *Eodem anno, ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicæa tremore terræ prolapsa, nullo à nobis remedio, propriis opibus revaluit.* Idemque Christus demonstrat; cum nominatim Epistolam scribi ac mitti Laodicæam præcepit cap. 1. v. 11. eamque dictat, cap. 3. vers. 14. Si enim Laodicæa cum hæc Epistola scriberetur, non extitisset, tolleretur historia rerum, quæ in Epistola, ad eam missa, continentur, & inanis stultaque (quod absit) esset epistola. Quamobrem ut consequentiæ, hujus octavæ rationis, vanitas conspiciatur, nullo spiritus prophetici novo afflatu, sed sola attentione est opus. Reliquæ verò rationes octo per se falsæ: quas ordine expendemus. Earum autem prima (quæ inter decem, ordine secunda) hujusmodi est: *Quia res universaliores, & verba in iis,* (scilicet epistolis septem) *grandiora sunt, quàm pro Asiaticis solis.* Verùm quia hæc nuda tantum est affirmatio, nullis omnino argumentis stabilita, infirmitatem suam apertè prodit: adeò ut ampliorem confutationem minimè requirat. Quare ad proximam, quæ ordine tertia est, procedemus; quæ ita exprimitur, *Quia Christus inter septem candelabra apparens, Apocal. 1. 12. 13. non ad solas septem Asiæ Ecclesias, sed universaliter ad omnes spectat: ut in ultima visione Danielis, cap. 7. 13. & 10. 5. 6.* At, inquam, Christi apparentis interpretatio, v. 20. hoc refellit. *Mysterium*, inquit, *septem stellarum quas vidisti in dextra mea, & septem λυχνίας candelabra aurea. Septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem, quæ vidisti, septem ecclesiæ sunt*: ex quibus apparet, particulares septem Asiæ ecclesias intelligi: quia hasce in antecedentibus versu 11. expressit: & proximè non obscurè de iisdem explicavit: cum & angelos illos & ecclesias eodem ordine descripsit, iisque scribendas epistolas dictavit. Sic enim primum cap. 2. 1. ait *Angelo Ecclesiæ Ephesinæ, scribe: hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextra sua, qui ambulat inter septem candelabra. Novi opera tua, &c.* quibus & pastorum illorum & ecclesiarum septem accuratam cognitionem suam & providentem curam describit: ut eorum opera & norit & observet. De universali verò ecclesia illud affirmari, hoc loco, nullum extat indicium. Neque etiam unius ecclesiæ universalis conditiones ac periodi septem (quas obtendunt) sunt certæ: neque *septem ecclesiæ*, ullo sacræ scripturę usu appellari possunt. Denique septem ecclesiarum, quarum Christus meminit, sunt septem Angeli: id quod septem Asiæ ecclesiis, à Christo, in epistolis ad eas, adscribitur. Unius verò universalis Ecclesiæ conditiones septem, non tantum septem habent Angelos sive pastores, sed maxima copia, imò singulæ periodi pluribus abundarunt. Quare temerè hæc ad Ecclesiam universalem accommodantur. Quod verò ex Daniele testimonium citatur, illud nihil omninò probat. Nam cap. 10. v. 5. 6. non eadem, sed similis quædam personæ Christi visio describitur: stellarum verò & candelabrorum nulla mentio, & c. 7. v. 14. dominium Christi in omnes populos indicatur: sed neutrum ad rem facit. Nam si omnium populorum Christus est Dominus & inspector: ergo & septem Ecclesiarum Asiæ: ideoque nihil obstat, quo minus id quod omnibus Ecclesiis commune, hoc loco Apocalypseos, solis septem Ecclesiis accommodetur. Quemadmodum Christus, se ascensione sua, locum in cœlis paraturum (quod fidelibus omnibus commune) solis Apostolis expressè, Johan. 14. 1. 3. promisit, dicens, *Proficiscor paraturus vobis locum*: ubi vox *vobis* solos Apostolos notat: etsi res ipsa promissa iis solis non conveniat, & Luc. 10. v. 20. solis Apostolis ait, *nomina vestra scripta sunt in cælis:* quod tamen omnibus verè fidelibus commune. Sic etiam licet Christus sit in medio omnium totius orbis ecclesiarum tanquam Dominus: illud tamen, hac visione, de solis septem ecclesiis, potuit significari. Quamobrem tertia ista ratio omninò infirma, nec Danielis testimonio firmari potest. Quarta verò ordine est: *Quia mandatum, de toto hoc libro, ad has septem Asiæ Ecclesias mittendo idem arguit, Apocal* 1. v. 18. sed legendum 19. Verùm rursus nuda sine ulla probatione affirmatio fidem nullam meretur. Mandatum autem hoc est, *scribe quæ vidisti & quæ sunt & quæ post hæc futura sunt.* Ex quo, nullo prorsus colore, sequitur, ergo septem Epistolis non solum septem Ecclesiarum Asiæ conditiones historicè, sed etiam universalis Ecclesiæ septem conditiones mystica prophetia describuntur. Hoc enim mandato universa totius Apocalypsis materia, triplicis temporis ratione generatim distribuitur, in præterita, pręsentia & futura; quæ eodem ordine in Apocalypsi scripta continentur. Prętérita autem indicantur, cum dicitur, *scribe quæ vidisti*, id est, visam Christi apparitionem: ut versu proximo exponitur, *scribe mysterium septem stellarum, quas vidisti*, &c. Licet enim verbum *scribe* hîc non exprimatur: ex antecedenti tamen supplendum constructio accusativorum arguit. Pręsentia deinde indicantur, cum additur, *& quæ sunt.* Ea autem ordine septem epistolis, de septem Ecclesiarum Asiæ statu, cap. 2. & 3. proximè describuntur: quarum prima epistola scribenda mandatur, ac continetur c. 2. 1. hoc modo, *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe:* & sic in reliquis. Futura denique indicantur, his verbis, *& quæ futura sunt*: quæ sequentibus capitibus descripta: de quibus Christus c. 4. 1. *ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* Ac propterea quarta ratio omninò collabitur. Quinta verò hæc est, *Quia eodem collimat etiam, Apocal.* 1. 18. 19. 20. Verùm rursus verba sunt inania, probatione omni cassa ac falsa: imò neque quinta, seu alia à quarta ratio est: quia verbis tantùm discrepat, reipsa verò

eadem est, eo excepto, quod versus etiam 20. post 19. citatur: quo paradoxon de historica ac mystica epistolarum septem significatione, nullo modo probari, sed potius contrarium, in quartæ rationis confutatione, ostendimus. Quocirca, ne actum agamus, sextam rationem consideremus. Ea autem est, *Quia decem dies sub Pergamensi conditione hoc exigunt*, Apoc. 2. v. 13. ubi primum, ut res arguit, pro *Pergamensi*, legendum *Smyrnensi*, & pro *decimo tertio*, *decimus* versus notandus. Ratio verò ipsa rursus omni confirmatione destituta: adeò ut pari jure, quo affirmatur, negari possit: imò si rectè expendamus, negari debet: sive enim *dies decem* propriè accipiantur, sive impropriè, tempus longum, aut breve (quod ad consolationem accommodatum) designent: inde tamen solidè concludi non potest; ergo hæ septem Epistolæ, non solum historiam, sed mysticam quoque prophetiam continent: hoc est, non tantùm septem Ecclesiarum Asiæ, sed etiam septem universalis Ecclesiæ conditiones, mysticâ ratione significant; hîc enim nulla est antecedentis & consequentis ne probabilis quidem, nedum necessaria connexio: unde etiam vanitas rationis sextæ apparet. Septima autem est, *Quia Iudæi sub Philadelphensi conditione fuissent convertendi, id quod in illo tempore haud factum*, *Apocal.* 3. *v.* 9. *Roman.* 11. *vers.* 25. 26. Verùm hæc ratio longè vanissima, quia & disertis Christi verbis & sententiæ authoris, cui probandæ adfertur, contradicit: verba enim Christi, de Judæorum conversione, hæc sunt: *Ecce, δίδωμι, do ex synagoga Satanæ, eorumqui se dicunt Judæos esse, nec sunt & mentiuntur. Ecce faciam, ut ipsi veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant, quod ego dilexi te.* quibus verbis disertè non universalis, sed particularis Judæorum quorundam conversio, à Christo promittitur, ut partitio illa demonstrat, *Do ex synagoga, eorum qui se dicunt Iudæos esse.* Deinde explicatio ad illos relata, ex Synagoga vocandos, cum dicitur, *faciam ut ipsi* (*αὐτοὺς*) *veniant*. Denique quia hæc reverentia civilis adorationis, à Judæis illis præstanda, ante pedes Angeli Philadelphensis Ecclesiæ: quia dicitur, *ante pedes tuos*, quibus Angelum, ad quem scribit, compellat, ejusque tempore id futurum affirmat. Hoc autem fieri non poterit, cum populus Judæorum convertetur, & totus Israël salvus fiet, sub mundi finem: quia Angelus Philadelphensis, jam multis sæculis, cum sua Ecclesia, esse desiit. At propterea hæc ratio ex Apocal. 3. v. 19. petita, disertè id, quod ibidem Christus Angelo Ecclesiæ eventurum affirmat, factum ejus tempore negat. Quodque de particularibus ex Judæis convertendis dicitur, illud de universali populi Judaici, ex Epistola ad Rom. 11. v. 26. conversione, contraque Christi dicta affirmat. Nec Christi solum verbis rationis hujus & paradoxi patronus contradicit, sed suæ etiam, quam tuendam præfixit, sententiæ adversatur, eamque, cum adstruere studet, funditus diruit: nam si conversio Judæorum, de qua hîc agitur, facta non sit, hujus Angeli tempore, sed tantùm sub Ecclesiæ universalis conditione penultima (ut ostenditur) futura: Ergo tollitur hujus Epistolæ historia: ac sola superest prophetia: contra quam sententia de historiæ & per eam mysticæ prophetiæ, in hisce septem Epistolis, connexione præfixa ac probanda statuit. Ac propterea septima etiam ratio manifestæ falsitatis & indignæ contradictionis convicta. Octavæ verò vana consequentia initio confutata. Nona porrò ratio est, *Quia* (ut objicitur (*ne jota quidem pro nuda litera, ex hisce Epistolis, quod cordatis scrupulum injiciat, laudari potest.* At inquam, ad hujus rationis falsitatem diluendam (ut antè à nobis dicta omittamus) vel unica hæc demonstratio, apud cordatos & attentos, abunde suffecerit. Quicquid citra ullam controversiam, historiam continet, cujus mystica prophetia nullo necessario argumento probari potest, illud meram habet historiam. Atqui hæ septem Epistolę, citra ullam controversiam (fatente etiam objectæ rationis Authore) historiam continent, cujus mystica prophetia nullo argumento necessario probari potest: ut examen rationum decem, quarum nulla probabilis, nedum necessaria, evincit. Ergo hæ septem Epistolæ meram historiam continent. Sed nona ratione eversa, superest decima, quæ triariorum instar subsidium est ultimum; atque ita exprimitur: *Epilogus totius Apocalypsis mysticam interpretationem firmat*, *Apoc.* 22. v. 10. *Ego Iesus misi Angelum, ut hæc vobis testificaretur, in Ecclesiis.* Verùm si quis accuratè expendat, & falsa est ratio, & inepta probatio: quia hæc duo, ratio & Epilogi verba, nullo vinculo necessario connectuntur: si enim in syllogismum constringantur, hoc modo; Quæcunque Angelus, jussu Christi, pastoribus testificatus est, in ecclesiis, ea mysticam habent interpretationem. Atqui totam Apocalypsin Angelus, jussu Christi, pastoribus testificatus est in ecclesiis. Ergo tota Apocalypsis mysticam habet interpretationem. Quis inquam propositionem istam aperte falsam esse non videat? Ac propterea vis objectæ rationis capitalibus literis, hoc modo expressa, VOBIS TESTIFICARETUR IN ECCLESIIS, omnino nulla est. *Testificari* enim aliquibus, sive pastoribus, sive aliis: sive in Ecclesiis, sive extra eas, nihil aliud est, quam speciatim testimonio probare, vel generatim *notum facere*, *significare*, *indicare*, ut Apoc. 1. 1. *indicare*, *significare*, & vers. 2. *testificari* eodem sensu usurpantur. Quemadmodum etiam quod Apocal. 22. vers. 5. dicitur, *misit Angelum suum, ut indicaret servis suis*, illud eodem sensu versu 16. dicitur, *misi Angelum meum, ut hæc vobis testificaretur in Ecclesiis.* Testificari verò, sive Deo, sive creaturæ (Angelo, aut homini) attribuatur, sive etiam sit de re præterita, præsenti aut futura, mysticam interpretationem, nullo scripturæ exemplo (imò nec aliorum proborum authorum usu) speciatim significat. Quare hæc ultima ratio omninò falsa est & probatio illius vana, non minus, quàm ratio prima, cum qua imprudenter atque ineptè coincidit: ut enim illa fuit, *Quia totus liber Apocalypsis est σημαντικὸς, significativus* (nec enim addidit Author, *de iis quæ oportet fieri:* quia id falsum fore satis animadvertit: cùm non solum futura, sed etiam præterita & præsentia significentur) sic hoc loco, *tota Apocalypsis est μαρτυρητική* (ut sic dicamus) *testificativa:* unde similiter ineptè concluditur; Ergo tota mysticam habet interpretationem: &, ut status controversiæ requirit, ergo septem Epistolæ historiam & per eam mysticam prophetiam significatam complectuntur. Ex quibus omnibus perspici potest, decem illas rationes objectas esse vanas: ideoque insolens illa, de historica & mystica septem epistolarum interpretatione sententia, collapso fundamento, funditus evertitur. Quod autem, ante decem rationes, ex Beda adducitur, *per hasce septem Ecclesias ad omnes Ecclesias scribi:* ut omittamus, quod recentior est Author & multis nominum interpretationibus ineptis fidem sibi derogat, illud etiam nihil ad rem pertinet: nec enim ea mens est illius, hasce Epistolas, per mysticam prophetiam, septem universalis Ecclesiæ partes notare, & quæ ad illas scribuntur historicè, earum conditiones diversas, & per eas, mysticâ prophetiâ, septem Ecclesiæ universalis distinctas conditiones ordine significare: quemadmodum insolens hæc opinio statuit; sed Beda usum duntaxat harum epistolarum secundarium indicat, quod licet septem Epistolæ, ad solas Asiæ ecclesias, sint scriptæ: communicationis tamen & utilitatis, ex earum exemplis ac monitis percipiendæ ratione, ad omnes scriptæ sunt. Quemadmodum & Pauli Epistolæ ad Romanos, Ephesios, Timotheum, Titum, ratione missionis, ad eos solum pertinebant: sed communicationis & utilitatis ratione omnibus fuerunt communes, pro totius Sacræ Scripturæ natura, Roman. 15. vers. 3. & 2. Timoth. 3. v. 16. 17. Quo etiam spectat illud Tertulliani, adversus Marchionem lib. 5. cap. 7. *Ecclesiæ autem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus missam: sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi & in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulo interest, cum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam.* Quæ verba imitatus Beda, ad communicationem & utilitatem omnium, has Epistolas septem, non verò ad mysticam, de septem

de septem universalis Ecclesiæ conditionibus prophetiam retulit: ut Epistolarum illarum apud Bedam, expositio demonstrat. Atque hactenus de septem Epistolarum, ad septem Asiæ Ecclesias, sensu egimus, & mysticam earum prophetiam, insolenti vanoque paradoxo, obtrudi, confutatis decem rationibus, demonstratum. Eademque operâ & prolixa ista mysterii expositio, inani subnixa hypothesi, sua sponte collabitur: adeo ut nullum examen amplius, sed breve tantum insertarum vanitatum specimen requirat. Quarum prima est inepta, & viro docto ac pio indigna vocum (quasi prophetiam mysticam continerent) allusio, ut *Sardium*, ad Hebræum שרים *principes*: quasi Ecclesiæ sub principibus conditio significaretur. Quibus postea additur, *Ad hunc præsentem Ecclesiæ statum, nomen Sardium suaviter alludit: juxta Venusinum Poetam in Epistolis,*

Quid concinna Samos, quid Crœsi regia Sardis

At inquam quid ineptius, atque inconcinnius fingi potuit? Ejusdem deinde farinæ est, cum dicitur, *sextæ Ecclesiæ Christianæ conditio erit FRATERNA, quæ significatur Angelo Ecclesiæ Philadelphensis*: quasi mysterium illud urbis Philadelphensis nomine significaretur. Quale etiam commentum est, è nomine Λαοδικεία petitum, & ex Beda detortum, hujusmodi, *Hæc ultima novi testamenti periodus ipso nomine τὴν λαοῦ δίκην judicium ultimum complectitur*. Alterum vanitatis in mysterii expositione specimen est in re ipsa. Primò cum Apostolicam Ecclesiæ Christianæ conditionem Angelo Ecclesiæ Ephesinæ significari asseritur, & *aurea ætas* distinctè vocatur: quum contra Angelus Ecclesiæ cum Smyrnæorum, cap. 2. vers. 8. & sequentibus, tum Philadelphensium, cap. 3. vers. 7. & sequentibus, Angelo Ecclesiæ Ephesinæ virtutibus reipsa disertè præferatur: hunc enim ob primam charitatem omissam culpat Christus & gravi comminatione ad resipiscentiam revocat: illos verò ob virtutes, sine ulla reprehensione, laudat, & ad constantiam, proposito coronæ vitæ præmio, adhortatur. Quare vana est illa Ecclesiæ Apostolicæ, ut primæ & præstantissimæ, sub Ephesinæ conditione adumbrata, prophetia. Nec verum etiam est quod dicitur; *Johanne defuncto, motum est candelabrum, quemadmodum servator noster comminatus erat.* Candelabrum enim, hoc est, Ecclesiam, Apocal. 1. vers. 20. suo loco, hoc est, Epheso movendum minatur Christus, non propheticè atque absolutè: sed relatè, hac conditione, nisi resipuerit. Ecclesiam autem illam, Johanne defuncto, sublatam, probari non potest; sed historiæ repugnat, quæ postea extitisse demonstrat. Deinde quod dicitur *Sextæ Ecclesiæ Christianæ conditio erit FRATERNA: quæ significatur Angelo Ecclesiæ Philadelphensis jam imminens, cujus aurora è præsenti surgit*. Quis inquam in his & sequentibus temerariam assertionem & sacrarum literarum corruptelam non animadvertat? sed hæc speciminis causa, ad expositionis ineptias indicandas, sufficere arbitramur.

FINIS DIGRESSIONUM.

QUamobrem absoluta digressione gemina, ad inchoatam Epistolæ ad Galatas explicationem succinctam revertemur. Cujus ut initio originis & scopi circumstantiam, & partitionem (in præfationem, tractationem & conclusionem) & præfationis declarationem explicuimus: ita ordinis ratio postulat, ut ad tractationem rei, seu primariam Epistolæ materiam procedamus. Ea autem duabus constat partibus: quarum prior est *apologetica*, posterior *parænetica*.

Apologetica est, quæ in apologia seu defensione apostolatus & doctrinæ Pauli versatur, inde à cap. 1. v. 6. ad c. 5. versum 13. Constat autem *propositione*, & *confirmatione* illius. Propositio *objurgationem* Galatarum ob violatum ab iis officium, & *hortationem* ad officium præstandum complectitur.

Objurgatio autem describitur, v. 6. & explicatur v. 7. Cujus objurgationis singula penè verba totidem sunt argumenta: eâ enim perstringit acriter, & exaggerat Galatarum ab Euangelii sinceritate defectionem: interim tamen reprehensionis acerbitatem adjunctis quibusdam mitigat prudentissimè: ut hac ratione commodius aberrantes in viam reducat. Defectionem arguit vers. 6. cum ait, *tam citò transferimini μετατίθεσθε ab eo qui vocavit vos in gratiam Christi, in aliud Euangelium.* Cujus defectionis gravitatem partim suis terminis, partim tempore describit. Termini autem sunt duo; unus à quo, alter ad quem defecerunt. Priorem quidem periphrasi à præstito beneficio declarat Apostolus, cum ait, *ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi.* Cum autem hæc vocatio Galatarum à Deo tanquam causa principe, & à Paulo tanquam causa ministrâ facta sit, de Deo intelligitur: quia vocationis laus perpetuò ab Apostolis Deo tribuitur; & hac periphrasi Deus certò designari solet: ut 1. Thess. 5. vers. 24. *Fidus est, qui vocavit vos.* & 1. Pet. 1. v. 15. *Secundum eum, qui vocavit vos.* & 2. Pet. 1. 3. *qui vocavit nos.* & Galat. 5. 8. *Hæc persuasio non est ex eo, qui vocavit vos.* Nullibi verò vocatio efficax apostolis attribuitur: etsi iis ministris utatur Deus, ut ostenditur 2. Thessal. 2. 14. *ad quod vocavit vos per Euangelium nostrum*, &c. Ac propterea quod quidam & veteres & recentiores interpretes, hanc periphrasin de Paulo exponunt, ea in re, à phrasi Sacræ scripturæ recedunt, & momentum hujus sententiæ elevant. Ut autem grave peccatum est, à Deo vocante deficere; sic longè gravius, quod hæc vocatio sit ἐν χάριτι Χριστοῦ. id quod exponi potest, vel *per gratiam Christi*, ἐν pro διὰ (ut 1. Corinth. 12. 3. 9. 13. ἐν πνεύματι pro διὰ quod v. 8. extat eodem sensu) *vel in gratiam Christi*: ut Tertull. *lib. de præscript.* c. 27. & vulg. interpres, & Beza rectè, & uberiori sensu, magisque ad rem propositam efficaci, transferunt: nam ἐν pro εἰς crebrò usurpatur: ut 1. Corinth. 7. 15. ἐν εἰρήνῃ *ad pacem vocavit nos Deus*, pro εἰς. 1. Thessal. 1. v. 18. *Egressa est* ἐν παντὶ τόπῳ, pro εἰς, *in omnem locum.* Hebr. 4. 11. *ne quis incidat*, ἐν τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι, *in idem exemplum.* *Gratia* autem *Christi*, hic est gratuita, merito Christi, justificatio, & inde dependens reconciliatio cum Deo, ac salus æterna: quam gratiam, quia Christus nobis acquisivit, meritò *Christi gratia* dicitur: quam ut Deus Euangelio proponit, & ad eam nos vocat, sic meritò Euangelium hoc, *Dei*, Rom. 1. 1. *gratiæ*, Act. 20. 24. *Pacis*, Ephes. 6. 15. & *salutis*, Eph. 1. 13. appellatur. Atque hæc de primo termino, à quo Galatæ defecerunt.

Alter verò terminus, ad quem, ita indicatur, *in aliud Euangelium*, id est, quod Dei vocationi, & gratiæ Christi derogat: ut antecedens, Dei vocantis, & gratiæ Christi antithesis ostendit. Sic autem pseudo-apostolorum doctrinam notat, quod justificationem per legis opera gratiæ Christi copulantes, adulterarent Euangelium, & à gratia averterent, Rom. 11. 6. Gal. 2. 21. & 3. 21. 22. & 5. 2. & 4. Atque ita in hisce duobus defectionis terminis duplex Galatarum ingratitudo, ac stultitia perstringitur, quod à Dei Euangelio ac gratia Christi salutiferâ, ad corruptum Euangelium & exitii viam declinassent, Judæorum priscorum instar, de quibus Jeremias cap. 2. *duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt scaturiginem aquarum viventium, ut effoderent sibi cisternas fractas, quæ non capiunt aquas.* Hæc de terminis defectionis Galatarum à quo & ad quem defecerunt. Quibus deinde accedit temporis circumstantia, cum non simpliciter dicitur, *citò*: sed ad majorem exaggerationem culpæ, *tam citò*, nempe conversionis & defectionis ratione: quo levitatem & inconstantiam Galatarum arguit.

Veruntamen, ne initio Epistolæ, acrimoniâ reprehensionis infirmiores offenderentur: eam utili atque opportuna mitigatione sapienter temperat. Ac primò quidem quando in alios primam culpam rejecit, quod Galatæ non sua sponte, sed aliorum seductione defecerint. Deinde quod seductio non sit peracta, sed cæpta, quemadmodum utrumque complectitur, cum non ait, *transtulistis vos*: neque etiam, *translati estis*: sed μετατίθεσθε, *transferimini*: eoque culpam ab aliis esse, & corrigi posse innuit: quemadmodum etiam spem correctionis, Galat. 5. vers. 10. indicat. Cœterum ut μετατίθεμαι, *transponor, transferor, ab uno loco, in alterum dimoveor*, propriè notat (ut de Enocho Hebr. 11.

Hebr. 11. v. 5.) ſic Metaphor. pro ſententiæ ac fidei mutatione, ab Apoſtolo uſurpatur; cui contrarium eſt alibi, *permanere in fide fundatos ac firmos, nec dimoveri à ſpe Euangelii*, Coloſſ. 1. v. 13. & *permanere in gratia Dei*, Actor. 13. v. 43. Quod autem Hieron. eâ voce ad nomen Galatarum alluſiſſe putat, cum ait, *Galatia enim transpoſitionem in noſtra linguâ ſonat*, & Eraſm. in annot. ad Hebræum גלל *volvere*, alii verò ad גלה *migrare* referunt, ineptæ ſunt argutiæ, ut aliæ ſimiles quam plurimæ, quibus per meram conjecturam, indoctis etymologiis, in Sac. Lit. explicandis, indignè omninò luditur: quâ peſte purior Theologia, & olim, poſt Philonem & Origenem, & noſtra tempeſtate, à nonnullis vitiata. Atque hæc de bimembri in verbo *transferimini*, reprehenſionis Galatarum mitigatione, quod ſcilicet non ſua ſponte, ſed ſeductorum culpâ deſciverint: nec peracta ſed cæpta eſſet tantum defectio.

Altera mitigatio eſt, quod non ait, *amentes ac faſcinati eſtis, quod defeceritis*, (ut poſtea, hac re prius probata, loquitur c. 3. v. 1.) ſed, *miror*, inquit, id eſt, tanquam re nova, magna & inexpectata obſtupeſio. Eo enim (ut rectè exponit Chryſoſt.) non ſolum verecundiam iis ingerit, ſed etiam præclaram, quam de iis conceperat, opinionem indicat. Id quod ad Galatas leniendos, eorumque benevolentiam & attentionem excitandam, maximè oportunum. Cauſæ autem cur defectionem Galatarum tam ſubitam miratus ſit Paulus, extiterunt diverſæ. Prima fuit Dei vocantis & gratiæ Chriſti Euangelio oblatæ, & collatæ ſumma dignitas Epheſ. 1. v. 18. & 2. 7. Altera, Pauli miniſtri Dei ac Chriſti, non ſolum, in Euangelio docendo, ſinceritas ac perſpicuitas, Galat. 3. verſ. 1. ſed etiam in eodem, Spiritus Sancti donis impetratis, confirmando authoritas, Galat. 3. v. 2. & 5. 3. Tertia fuit Galatarum, partim in Euangelio, & Paulo præcone illius amplexando, ferventiſſimum ſtudium, Galat. 4. v. 14. 15. & in tam multis, pro veritate Euangelii, perferendis afflictionibus, patientia, Galat. 3. 4. Quarta denique cauſa cur Apoſtolus Galatarum à ſincero Euangelio, ad aliud tranſlationem ſit miratus, eſt abſurditas ejus, Galat. 3. 3. & 4. 9. onus intolerabile, Galat. 5. 3. Actor. 15 v. 10. & fructus pernicioſus, nempe veritatis Euangelii, Galat. 3. 1. libertatis Chriſtianæ Galat. 5. 1. & gratiæ Chriſti privatio, ibid. v. 2. & 4. Atque hæc de objurgatione Galatarum, ob tranſlationem à Deo vocante in gratiam Chriſti, ad aliud Euangelium; cui additur verſ. 7. illius explicatio his verbis: *Quod non eſt aliud, εἰ μὴ ſunt quidam qui vos turbant, & volunt invertere Euangelium Chriſti.* Quæ ſententia mirâ atque intricata varietate exponi ſolet: ut ex Eraſm. annotationibus, & plenius etiam ex ipſis Patribus, poſteriſque interpretibus percipi poteſt. Simpliciſſima verò & conſtructioni ac ſcopo loci maximè conſentanea eſt ſententia, ut relativum, ὃ, quod non ad totum orationis complexum, ſed ad partem illius poſtremam, nempe *aliud Euangelium*, referatur, & εἰ μὴ (ut *niſi* Latinis) pro *ſed* accipiatur: quemadmodum Matth. 12. v. 4. & 1. Corinth. 7. v. 17. Apocal. 9. v. 4. & 21. 27. quemadmodum eruditè Doctiſſ. Beza inter alios, hanc vocem interpretatur. Atque ita declarat, quo ſenſu falſorum doctorum doctrinam *aliud Euangelium* nominarit: ſcilicet non quod eſſet aliud Euangelium Chriſti, ſeu verum, ſed adulteratum ab iis, qui Galatas turbabant, & volebant invertere Euangelium Chriſti: ac propterea eos merito eſſe fugiendos indicat. Atque hæc quidem de prima propoſitionis parte, nempe Galatarum objurgatione, quod contra officium, à ſincero gratiæ Chriſti Euangelio, ad aliud ſcilicet depravatum Euangelium, falſorum doctorum ſeductione, deficerent, verſu ſeptimo.

Cui oportunè altera pars, nempe hortatio ad officium nervoſiſſima, ſubjicitur hujuſmodi, v. 8. *ſed etiamſi nos aut Angelus è cælo*, &c. Cujus enuntiationis hypotheticæ membra ſunt duo, antecedens hypotheſis ſeu conditio, & conſequens epitheſis, ſeu attributum: conditio eſt, *ſed etiamſi nos, aut* &c. conſequens verò, *anathema eſto.* Quæ diſtinctè paucis explicanda. Ad antecedentem conditionem quod attinet, ea duplex eſt. Prior quidem cum dicitur, *ſed etiamſi nos*, ſupple *Euangelizemus*, *præter id quod Euangelizavimus vobis.* Ubi per vocem *nos* Paulus ſeipſum intelligit, per tritam pluralis, pro ſingulari, apud Græcos, enallagen: cujus ſimiliter exempla continuata plurima de Apoſtolo Paulo, 2. Corinth. 10. verſ. 2. ad verſum decimum ſextum deſcribuntur. Ne autem ſignificatione plurali, de Paulo & aliis ſimul intelligamus, hoc loco ratio eſt manifeſta: quia ſolus Galatis Euangelium annuntiarat, & ad fidem in Chriſtum converterat, Galat. 1. verſ. 11. & 3. verſ. 13. 14. 19. Occaſio autem cur Apoſtolus hac hypothetica enuntiatione ſeipſum devoveat, fuit eorum, qui Galatas ſeducebant, calumnia, qua Paulum apud alios, circumciſionem eſſe neceſſariam non minus quàm ipſos docere traducebant: ut rectè Hieron. & Oecum. obſervarunt, & Galat. 3. v. 10. 11. indicatur. Scopus autem eſt, ut calumniam illam refellat, & Galatas convertat. Modus autem quò ad illum ſcopum collimat, ac tendit, is eſt, cum ſe, ſi id verum ſit, anathema haberi præcipit. Atque inde ſequitur, cum nemo ſanus ſe anathema fieri velit, antecedentem hypotheſin, ex qua oritur, eſſe falſam. Alterum ſubjectum hypotheſeos indicatur, cum additur ab Apoſtolo, *aut Angelus è cælo Euangelizet vobis*, *præter id quod Euangelizavimus vobis.* Per Angelum verò intelligit ſpiritualem Dei nuntium, per Synecd: & ut à malo diſtinguat, addit *è cælo*, id eſt, cæleſtis, qui *Angelus lucis*, 2. Corinth. 11. v. 14. vocatur, & *Spiritus miniſter, qui miniſterii cauſa, à Deo*, cælitus *mittitur*, *propter eos, qui hæredes erunt ſalutis*, Hebr. 1. v. 14. Etſi autem conditio hæc ſit ἀδύνατον (quia cæleſtes Angeli in omnibus Dei voluntati parent, Pſal. 103. & Matt. 6. 10.) non falsò tamen adhibetur, neque etiam fruſtra. Non falsò, quia veritas enuntiationis hypotheticæ, non in partium veritate, ſed in earum recta connexione ac conſequentia neceſſaria conſiſtit: ut verbi gratia Joan. 8. 65. *ſi dixero*, inquit Chriſtus, *me non noſſe ipſum* (*Patrem* ſcilicet) *ero ſimilis vobis mendax*, ubi utrumque ſententiæ membrum falſum: ſed vera tamen eſt enuntiatio. Neque fruſtra, quia varium ejuſmodi conditionales propoſitiones habent uſum: ac ſæpius ad amplificationem pertinent, vimque argumenti obtinent, à minus credibili ad magis credibile. Quemadmodum Obad. verſ. 4. *quamvis interſtellas poneres nidum tuum, inde dejicerem te:* ſenſus eſt, ergo multo magis inter fiſſuras Petræ poſitum, v. 3. & Am. 9. 1. *ſi aſcenderent in cœlos, illinc deduxero illos.* Ejuſmodi etiam amplificationem hæc hypothetica ſententia Pauli includit, cum ait, *ſi Angelus è cælo euangelizet vobis*, *præter id quod Euangelizavimus vobis, anathema eſto.* Scopus autem hujus eſt, inferre (ut rectè Tert. contra Marc. lib. 5. cap. 2. obſervat) Ergo cum ſeductores Galatarum, Euangelium Chriſti invertere volentes, aliter Euangelizent, quam à Paulo factum; multo magis anathema cenſendi: quod hypotheticæ hujus, alterum ſeu conſequens eſt membrum. Quod ut rectius intelligatur, vocis illius explicatio diſtinctius obſervanda. ἀνάθημα autem Græcè ab ἀνατίθημι, *ſurſum pono, offero*, derivatum eſt. Ac primò rem Deo devotam, ac conſecratam ſignificat, & eodem ſenſu per η ſæpius ſcribitur, ut 2. Macchab. 9. verſ. 16. & in Nov. Teſt. ſemel Luc. 21. v. 5. Quia verò rem Deo devotam ac conſecratam attingere, & in alium uſum transferre erat nefas, Levit. 27. 28. inde ſecundò per Metaph. exitio devotum, atque execrandum notat: id quod propriè eſt κατανάθεμα, Apocal. 22. 3. (unde Matt. 26. 74. καταναθεματίζειν *devovere* ſeu *exſecrari*) & eodem ſenſu κατάθεμα, ut ex Græcis patribus conſtat, quomodo & Apocal. 22. legitur in editione Complutenſi, & in decimo quinto exemplari manuſcr. Rob. Stephan. & in Andreæ Cæſar. antiqui Patris codice, in comment. ad eundem locum. Utrique porrò anathematis ſignificationi reſpondet uſus Hebrææ vocis חרם, quæ primo rem Deo in ſacrificium devotam notat: quam LXX. interpp. ἀνάθημα, Levit. 27. 28. 29. & ἀναθεματισμένον, Numer. 18. v. 14. interpretantur. Quia verò ſacrificia occidebantur ac diſperdebantur, hinc rem exitio devotam ſecundo loco ſignificat, & LXX. Hebræam illam vocem, ἀνάθεμα reddiderunt, Deuter. 7. verſ. 26.

& 13. 17. Jos. 6. 17. & cæteris. Neque ἀνάθεμα alio sensu in Nov. Test. accipitur, ut Actor. 23. v. 14. Roman. 9. v. 3. 1. Corinth. 12. v. 3. & 16. 22. & hic Galat. 1. 8. 9. Quibus amplius illustrandis, non inutile neque ingratum fore speramus, si insignia antiquorum Patrum judicia de anathemate adjungamus: & quidem exorsi à Justino Martyre lib. quæstio. & respons. ad orthod. qui tamen cum Origenis faciat mentionem, respons. ad quæst. 86. non immeritò alterum authorem, licet antiquum, arguere censetur: sic autem ad quæst 121. de differentia ἀναθεματισμοῦ & καταθεματισμοῦ responsio hæc adfertur, Ἀνάθεμα λέγεται τὸ ἀνακείμενον καὶ ἀφωρισμένον θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον; ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον θεοῦ διὰ κακίαν. Κατάθεμα δέ ἐστι, τὸ συνθέσθαι ἀναθεματίζουσι. Hoc est, *Anathema dicitur, quod repositum & separatum Deo, & in communem usum non amplius accipitur: aut id, quod à Deo per malitiam est abalienatum.* Κατάθεμα *verò est conjungi anathematizantibus*, sed videtur corrigendum & potius Græcè legendum ἀναθεματιζομένοις *anathematizatis*, id est, qui execrationi subsunt: quemadmodum rei veritas requirit. Altera expositio est Chrys. Roman. 9. v. 1. τί οὖν ἐστι ἀνάθεμα; ἄκουσον αὐτοῦ λέγοντος, εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἔστω ἀνάθεμα. τουτέστι κεχωρίσθω πάντων, ἀλλότριος ἔστω πάντων. καθάπερ γὰρ τοῦ ἀναθήματος τοῦ ἀνατεθειμένου θεῷ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν ἁπλῶς ταῖς χερσὶν ἅψασθαι, οὐδὲ ἐγγὺς γενέσθαι, οὕτω καὶ τὸν χωριζόμενον τῆς ἐκκλησίας, πάντων ἀποτέμνων, καὶ ὡς πορρωτάτω ἀπάγων, τούτῳ τῷ ὀνόματι ἀπὸ τοῦ ἐναντίου καλεῖ, μετὰ πολλοῦ τοῦ φόβου πᾶσιν ἀπαγορεύων, αὐτοῦ χωρίζεσθαι καὶ ἀποπηδᾶν. τῷ μὲν ΑΝΑΘΗΜΑΤΙ, τιμῆς ἕνεκα οὐδεὶς ἐτόλμα ἐγγίσαι. τοῦ δὲ ἀποτμηθέντος ἐξ ἐναντίας ἐχωρίζοντο γνώμης ἅπαντες. ὥστε ὁ μὲν χωρισμὸς ὁμοίως καὶ οὗτος κἀκεῖνος ἠλλοτρίωται. ὁ δὲ τρόπος τοῦ χωρισμοῦ οὐχ εἷς, ἀλλὰ καὶ ἐναντίος ἐκείνῳ, τοῦ μὲν γὰρ ἀπείχοντο ὡς ἀνακειμένου θεῷ, τοῦ δὲ, ὡς ἀλλοτριωμένου θεοῦ καὶ ἀπορραγέντος τῆς ἐκκλησίας. Hoc est, *quid igitur est anathema? audi ipsum dicentem, si quis non amat Dominum Jesum Christum is anathema esto, id est, ab omnibus segregator, alienus ab omnibus esto: quemadmodum enim anathema, Deo oblatum, nemo manibus simpliciter attingere audeat, neque propius accedere; ita & segregatum ab Ecclesia ab omnibus abscindens, & tanquam longissimè abducens, hoc nomine à contrario appellat, multò cum terrore omnibus denuntians, ut ab eo separentur, ac resiliant. Anathemati enim honoris gratiâ nemo audebat appropinquare, ab eo autem qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem similiter, cum hæc tum illa à vulgo alienatio erat: separationis verò modus non unus, sed illi contrarius; ab illo enim abstinebant, tanquam Deo reposito: ab hoc tanquam à Deo alienato, & ab Ecclesia abscisso.* Hæc Chrysost.

Quò etiam pertinet ex antiquis Patribus Andreas (cujus memini) Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus, *Com.* in Apoc. 22. v. 3. qui ad ista verba Johannis καὶ πᾶν κατάθεμα (sic enim legit & exponit) ait, τοῦ ἀναθέματος διχῶς νοουμένου. τοῦ μὲν, ὡς τοῖς πολλοῖς ἀθίκτου, θεῷ δὲ μόνῳ ἀνατεθειμένου. τοῦ δὲ, ὡς πάσῃ τῇ κτίσει, καὶ ταῖς ἁγίαις δυνάμεσιν ἀψαύστου, ὡς τῷ διαβόλῳ ἀνακειμένου διὰ τὴν ἀμιγῆ τοῦ καλοῦ ἀλλοτρίωσιν, τοῦτο ἐνταῦθα κατ' ἐπίτασιν εἰρῆσθαι νομίζομεν, κατάθεμα. τῷ γὰρ ὄντι τοιοῦτον οὐκ ἀνατίθεται, ἀλλὰ κατατίθεται τῷ διαβόλῳ ὑποτασσόμενον καὶ συγκαταδικαζόμενον. Hoc est, *cum Anathema bifariam intelligatur: uno modo, ut quod vulgo inaccessum, Deo verò soli repositum: altero verò, quod universæ creaturæ & Sanctis potestatibus intractabile, tanquam Diabolo repositum, propter impermixtam boni alienationem: illud hic per intentionem dictum* κατάθεμα *existimamus. Revera enim tale non reponitur, sed deorsum ponitur, Diabolo subjectum & cum eo judicandum.* Hæc Andreas, cujus explicationem paucissimis verbis diversis omninò expressit Oecumenius, Rom. 9. 1. Atque hæc de Græcis Patribus: quibus è Latinis primam Hieronymi de *Anathemate* sententiam adjungemus: sic enim comment. ad hunc locum ad Galat. ait; *Anathema verbum propriè Judæorum est: & positum tam in Jesu Nave*, (id est Josua 6. & 7.) *quam in Numeris*, (c. 21.) *quando omnia quæ erant in Iericho, & Madianitarum, detestationi & anathemati habenda Dominus imperavit.* Et tom. 3. ad *Algaziam de undecim quæstionibus*, quæstione 9. exponens verba Pauli Roman. 9. 1. *Optat anathema esse à Christo & perire, ut alii salvi fiant.* & post pauca subjicit Hieron: *quod autem anathema interdum occisionem notat, multis Vet. Test. testimoniis probari potest.* Hæc Hieronymus. Deinde Augustinus tom. 4. *quæstionibus in Num.* titulo 41. ait. *& anathemavit eum & civitatem ejus & vocatum est nomen loci illius anathema. Hinc dictum est anathema, quod detestabile aliquid & abominabile videatur. Ut enim nihil inde victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathema, quod vulgo dicitur* devotare. *Origo autem hujus verbi est in Græca lingua, ab his rebus quæ votæ & persolutæ, id est, promissæ & redditæ, sursum ponebantur in templis* ἀπὸ τοῦ ἄνω τιθέναι, *sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo.* Hactenus Augustinus. Atque hæc de *Anathemate* Patrum Græcorum & Latinorum explicatio. Ex quibus etiam cognosci potest, quid Apostolus intelligat: cum ait; *sed etiamsi nos aut Angelus è cœlo euangelizet*, &c. *anathema esto*, id est, exitio devotus atque execrandus censeatur. Neque huic sententiæ repugnat, quod 2. Cor. 11. v. 4. dixit, *Enimvero si veniat, qui alium Iesum prædicet, quem non prædicavimus*, &c. *aut Euangelium aliud, quod non accepistis, rectè toleraretis*: quia diversa vocis significatio: nam *aliud Euangelium*, ad Corinthios verum ac perfectius Euangelium notat: ut rectè ex loci circumstantiis exponi solet: hic verò ad Galatas *aliud Euangelium*, adulteratum seu corruptum significat: sicut oppositio *vocantis Dei ad gratiam Christi*, ostendit vers. 6. & clarius, cum *inversio Euangelii Christi* nominatur v. 7. eodemque modo *Euangelizare, præter id, quod vobis Euangelizavimus*, v. 8. intelligit. Ac propterea Apostolus sibi non contradicit, sed probè consentit. Porrò hanc hortationem prudenter repetit, v. 9. *ut ante diximus*, &c. Cujus repetitionis occasio fuit, quod hanc hortationem videri poterat acriori potius affectu, quam constanti animi judicio protulisse: unde futurum erat, ut minus à Galatis curaretur. Scopus autem est, ut veram ac constantem animi sententiam demonstret, justoque illius terrore Galatas, ab errore, seductos revocet. Modus autem quo ad hanc rem assequendam utitur, est nervosa præfatio, ac plenior repetitio. Præfatio enim est, *ut antè diximus, etiam nunc iterum dico*, id est, ne à me de anathemate dicta, affectu vehementiori excidisse putetis, ea nunc iterum dico. Repetitio verò hæc est, *si quis vobis Euangelizet, præter id quod accepistis, anathema esto.* Plenior autem est sententia, quam antecedens; 1. quia pro eo quod speciatim dixerat, *si nos aut Angelus*, generatim repetit; *si quis*, id est, quicunq; sive hominum sive Angelorum. Non autem ita loquitur, ut eo modo, eorum famæ quicquam iniquè detrahat: sed ut Euangelii, à se Dei Spiritu prędicati veritatem, omnibus creaturis, ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, præferri debere ostendat: & ut seductores qui Apostolorum aliorum nominibus abutebantur, confutaret. Deinde quod antè dixerat, *præter id quod Euangelizatum vobis*, plenius declarando ait, *præter id, quod accepistis*, id est, quod à me Euangelio traditum fide amplexi estis, ut 1. Cor. 15. 1. distinctè hæc duo connectentur, *Euangelium quod euangelizavi vobis & quod accepistis, in quo etiam statis.* Eoq; modo *doctrinam accipere*, pro credere, à Christo intelligitur, Matt. 11. 24. & Ioan. 3. 11. & 32. *testimonium accipere*, v. 12. exponitur *credere*, & 33. *obsignare quod Deus verax est.* sic etiam *accipere verba Christi*, Ioan. 12. 48. quod v. 47. *credere illius verbis* dicitur; & c. 17. 8. *verba quæ dedisti mihi, dedi eis & ipsi acceperunt*: quod ibidem exponitur *crediderunt*. Sic etiam in hac Apostoli sententia, *si quis vobis euangelizet, præter id, quod accepistis*, id est, prædicatione mea vobis traditum credidistis, *anathema esto.* Quam Galatarum fidem, cum admirando erga Euangelium, & Paulum studio conjunctam, postea cap. 4. v. 13. 14. 15. plenius describit. Quod autem aliter docentes, geminata hortatione, anathema censeri debere asseritur, inde merito orthodoxi Theologi, Sacræ Scripturę perfectionem, contra Pontificiorum traditiones, confirmant. Verum quia duo inprimis, fucatâ specie probabilia, objectare solent, ea paucis diluere conabimur: I. est vocem παρ' hoc loco non denotare *præter*, sed *contrà*: traditiones autem quas ad perfectionem dogmatum scripturæ ad salutem necessariorum addendas

addendas contendunt, præter eam esse, non autem contrà. Sed Resp. adversarios à consueta vocis παρὰ significatione, ad insolentiorem recedere: quia nullo loco in V. T. certò significat *contrà*, imò nec in N. T. uno excepto, Actor. 18. v. 13. deinde vulg. versio, quæ Concil. Trident. sancita adversatur: quæ Galat. 1. *præter* transtulit: tertiò, eadem sententia parallelis Apostoli locis confirmatur, Rom. 16. v. 17. *precor autem vos fratres, ut spectetis eos, qui dissidia & scandala efficiunt,* παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, hoc est, *præter doctrinam quam vos didicistis*, ut etiam vulgata versio Pontificiis sacrosancta interpretatur: similiter 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, Christus Jesus:* ut etiam vulgata versio expressit. Quare non solum quæ contra, sed etiam quæ præter scripturam, ad salutem necessaria, videmus ab Apostolo rejecta. Id quod etiam in explicatione hujus loci ad Galat. Chrysostomum monuisse constat, cum ait, *Non dixit, si contraria annuntiaverint, aut totum Euangelium subverterint; verùm si vel parum quid Euangelizaverint præter id Euanglium, quod accepistis.* Denique etsi παρὰ hic contrà notaret, nihilominus perfectio scripturæ inde rectè demonstraretur: quia scripturæ nihil addendum, nihil detrahendum, Deuter. 4. vers. 2. & 12. 32. adeò ut qui traditiones præter scripturam addunt, tanquam necessaria dogmata ad fidem ac salutem, contra scripturam doceant. Sed altera exceptione elabi conantur, quasi malè ad scripturam accommodaretur, quæ Apostolus de doctrina à se prædicata affirmat: quod (ut ajunt) plura euangelio viva voce prædicato tradiderit, quam Sacra scriptura contineantur. Verùm illud ab Apostolo ipso disertè refutatur. Quia ut perfectionem doctrinæ à se traditæ ita exprimit, *non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne Dei consilium*, Actor. 20. v. 27. sic eandem doctrinæ suæ perfectionem, S. Literis conprehensam esse, neque præter eas quicquam docuisse perspicuè testatur, Actor. 26. v. 22. *Sed auxilium (inquit) à Deo nactus, perstiti in hunc usque diem, testificans, tum parvis tum magnis, nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophetæ & Moses futura prædixerunt.* Deinde etiam scripturæ perfectionem distinctè, ac bifariam. 2. Tim. 3. describit, atque inculcat, primò, quod ea potens sit, ut sapientem reddat ad salutem, per fidem in Christo Jesu, v. 15. deinde *quod utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia: ut perfectus sit homo Dei,* (id est, Euangelii minister) *ad omne opus bonum perfectè instructus.* Quamobrem ex hisce omnibus constat, perfectionem S. scripturæ, contrà Pontificios, ex hisce Pauli verbis, Galat. 1. vers. 8. 9. non minus, quàm aliis, solidè demonstrari. Atque hoc modo tractationis hujus Epistolæ pars prima seu propositio explicata est, constans partim objurgatione Galatarum, partim hortatione ad officium, ut omnes, aliter quam ab Apostolo Euangelizatum erat, docentes, anathema seu detestandos censerent.

Sequitur jam altera pars, videlicet propositionis illius confirmatio gravibus rationibus instructa. Quarum prima est, à rerum, quas Euangelizarat, summa dignitate, cum sincero animi scopo conjuncta v. 10. nimirum quod non humana, sed divina doceret: & quidem sincerè, quod non hominibus, sed Christo Domino placere studeret. Quæ non nudè, sed interrogationis figura, ad rei certitudinem amplificandam, quasi ad Galatarum conscientiam provocans proponit. Dignitatem autem rerum, quas euangelizarat, indicat his verbis: *Nunc enim* ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν, *homines, an Deum suadeo?* Quæ Græca phrasis quia anceps est, ac diversis modis explicari solet, idcirco declarationem aliquam desiderat: præsertim quia id obiter tantum vulgò perstringitur. Πείθω autem primò propriè *suadere* significat, ut Act. 19. 26. & 28. 23. cum 24. deinde quia suasionis finis est persuasio, inde pro *persuadere* per Meton. effecti, pro causa finali, interdum accipitur, ut Matth. 28. v. 14. Πείσομεν αὐτὸν *persuadebimus ei.* Actor. 12. v. 20. πείσαντες τὸν Βλάστον, *quum persuasissent Blasto.* denique quia suasio est doctrinæ, ac annunciationis ac prædicationis species: hinc non raro in N. Test. per Synec. spec. pro genere acceptæ *docere* significat, ut Actor. 18. v. 4. ἔπειθέ τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, id est, *docuit, tam Judæos, quàm Græcos.* Ad constructionem verò hujus verbi quod attinet, tam in autoribus profanis, quàm in N. T. semper accusativum regit, cum vel rem, quæ suadetur ac docetur, vel eum, cui suadetur, notat. Primi modi exemplum est Actor. 19. v. 8. πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, *suadens*, seu, *docens quæ de regno Dei sunt*, seu, *quæ ad regnum Dei pertinent.* 2. Modi usus est 2. Cor. 5. v. 11. ἀνθρώπους πείθομεν, *hominibus suademus*, seu *homines docemus.* Denique utriusque simul, Actor. 28. v. 23. πείθων τε αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, *suadens iis*, seu *docens eos, quæ de Iesu sunt.* Hisce jam præmissis apparet verba Apostoli secundo constructionis sensu, *hominibus suadeo, an Deo*, (ut vulgata versio interpretatur) accipi non posse: quia prius membrum (quod remotionem falsi continet) ἀνθρώπους πείθω, si exponamus, *an hominibus suadeo*, id est, iis non suadeo, contradicet Apostolo & rei veritati, 2. Cor. 5. 11. Actor 18. v. 4. hoc enim erat Pauli officium: & posterius etiam membrum (quod thesin seu positionem veri indicat) ἢ τὸν Θεόν, supple πείθω, *Deo suadeo*, aut *Deum doceo*, similiter erit falsa: quia perfectioni sapientiæ Dei repugnat. Quare primus constructionis modus necessario sequendus, ut non personas, quibus aliquid suadeatur; sed res ipsas, quæ suadentur, aut docentur, intelligamus; ut sit sensus, humana an divina suadeo (ut rectè Erasmus observavit) quasi diceret, vos testes esse potestis, me non humana, sed merè divina docere: ut idem sit ἀνθρώπους πείθω, Meton: atque τὰ περὶ τῶν ἀνθρώπων, *quæ de hominibus sunt*, seu *res humanas*: & τὸν Θεὸν supple πείθω, id est, τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ *quæ ad Deum*, supple, *pertinent*: quales phrases seu loquendi modi non infrequentes. Quemadmodum dicitur, *prædicare Christum*, Actor. 8. v. 5. & *Euangelizare Iesum*, ibid, v. 35. quod nihil aliud est, quam πείθειν τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, *suadere*, id est, *docere, quæ de Iesu sunt*, Actor. 28. vers. 21. quemadmodum etiam exponitur sententia simili ibid. v. 31. διδάσκων τὰ περὶ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *docens, quæ de Domino Iesu Christo.* Deinde in simili phrasi, *regnum Dei*, pro iis, quæ ad regnum Dei pertinent, usurpari solet: ut *regnum Dei annuntiare*, Luc. 9. v. 6. & *prædicare regnum Dei*, Act. 20. v. 25. & 28. v. 31. exponuntur, *Euangelizare, quæ de regno Dei*, Actor. 8. v. 12. & πείθειν, quæ de regno Dei, Act. 19. v. 7. Ac simili ratione in hac Apostoli sententia, *homines, an Deum suadeo*, usurpatur: ut sensus sit, non humanas, sed divinas res prædico. Quod autem præmittitur vox ἄρτι *nunc*, illud bifariam exponitur. Quidam enim ad antecedentem sententiam, v. 8. & 9. propositam (ac si consequens illius notaretur) referunt: quasi diceret, ea nunc à se proposita hortatione (nempe ut quicunque aliud, quàm prædicarat, Euangelium doceret, anathema censeretur) satis ostendisse, se non humana, sed divina docere. Alii verò (ob dictionem γὰρ *enim*, ut rationis indicem) vocem *nunc* præsentem Apostoli statum, ab eo, qui conversionem antecesserat, distingui arbitrantur: ut mens illius sit hujusmodi; Quod olim ante fidem in Christum humanas res docuerit, id est, circumcisionis & justificationis, per humana opera, necessitatem: nunc verò non humana amplius, sed divina, id est, libertatem à ceremoniis legis, & gratuitam à Deo per Christum justificationem prædicare: ac propterea & Galatas male ab Euangelio illius deficere cæpisse, & rectè meritoq; seductores eorum anathema ac detestandos censeri debere. Quæ secunda explicatio priori videtur præferenda; utpote quæ non solum sensum uberiorem continet, sed etiam sequentibus, uti apparebit, magis quadrat.

Cœterùm quandoquidem in Euangelii ministro fideli, non solum divinæ doctrinæ veritas: sed etiam in ea tradenda rectus scopus requiritur: idcirco, ad amplificationem rei, oportunè eundem exprimit, & necessitatem illius justa ratione confirmat. Scopum autem continuata interrogatione (quasi ad conscientiam Galatarum provocando) exprimit hoc modo; *aut quæro hominibus placere?* id est, non quæro, ut ipsimet nostis. Ratio autem qua necessitatem hujus officii demonstrat, hæc est: *Si enim adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Cujus dicti antecedens duas voces explicandas complectitur. Quarum prima est, *adhuc*, quę Pauli antecedentem statum spectat, hoc sensu, si,

ut ante converſionem meam, (cum imprudenti zelo principibus ſacerdotum ſervirem) adhuc hominibus placerem.

Altera vox eſt *placerem*, quæ vel *rem* adjunctam, vel *rei ſtudium* notare poteſt: *rem* quidem adjunctam, ut ſenſus ſit, *gratus* ſive *acceptus eſſem*: *ſtudium* verò illius, ut deſignet *quærerem placere*. quo modo Chryſoſt. Theoph. Auguſt. & alii eruditi interpretes non incommodè exponunt: partim quia in antecedenti ſententia, quæ hic probatur, de ſtudio placendi actum: partim quia uſus vocis in Sac. Lit. eadem uſurpatione non eſt infrequens. Loca enim illuſtria ſunt, in quibus ἀρέσκειν, placendi ſtudium ſignificat, Rom. c. 15. v. 2. *Unusquiſque noſtrum proximo placeat*, ἀρεσκέτω (id eſt, placere ſtudeat) *in bonum, ad ædificationem*, & 1. Cor. 10. v. 13. *quemadmodum & ego per omnia omnibus placeo*, (id eſt, placere ſtudeo, ut ſequentia exponunt) *non quærens meam utilitatem, ſed multorum, ut ſerventur*, & 1. Theſſal. 2. v. 4. *Sed ſicut placuimus Deo, quibus crederetur Euangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes*, (hoc eſt placere quærentes) *ſed Deo*, τῷ δοκιμάζοντι, *qui probat ſeu explorat corda noſtra*. Neq; ulla (etſi prima fronte videatur) in hiſce diverſis Apoſtoli ſententiis diſſenſio exiſtit. Quia hominibus placendi ſtudium, pro diverſa conſideratione, vel bonum eſt ac proſequendum, vel malum ac fugiendum. Bonum eſt, cum ex bono principio, per bonum medium, ad bonum finem pertendit. Principium bonum eſt, cum ex recto amore Dei & proximi procedit: medium bonum eſt, cum actiones legi divinæ congruunt: finis denique bonus eſt, cum hominum ædificatio ac ſalus, maximè verò Dei gloria ſpectatur ac quæritur. Quale hominibus placendi ſtudium loca memorata, Rom. 15. v. 2. & 1. Cor. 10. v. 13. commendant. Malum verò placendi ſtudium eſt, quod à propoſitis boni ſtudii conditionibus, vel omninò, vel partim aberrat. Cujuſmodi omninò, fuit falſorum apud Galatas doctorum ſtudium: utpote cujus origo, medium, ac finis perverſus: ut qui Dei & Galatarum amoris expertes, Gal. 5. v. 7. & 8. & 4. 17. per corruptionem Euangelii, Gal. 1. 7. non Eccleſiæ ſalutem, Deiq; gratiam ac gloriam: ſed hominum gratiam (ne à Judæis incredulis, ob Euangelium ſincerum, affligerentur, Galat. 6. v. 12.) & propriam gloriam quæſiverunt. Galat. 6. v. 13. Quod perverſum hominibus placendi ſtudium, Apoſtolus à ſe hoc loco removet, ut etiam cap. 6. v. 14. & copioſius 1. Theſſ. 2. v. 4. & ſeqq.

Ratio autem quam adducit, hæc eſt, quod *ſi ita placere ſtuderem hominibus, Chriſti ſervus non eſſem*. Fidelis enim Chriſti ſervus non poteſt ſimul ipſi, & mundo ſervire, Matth. 6. v. 24. nec hominum amorem ac gratiam Chriſto præferre, Matth. 16. v. 27. Atque hæc de prima, ad propoſitæ v. 8. & 9. hortationis confirmationem, ratione, à materia ſubjecta prædicationis Pauli deſumpta; cujus ſumma eſt. Paulus non res humanas ſed divinas prędicavit, & quidem non ut hominibus placeret, ſed ut Chriſto Domino ſuo fideliter ſerviret: Ergò qui aliud Euangelizaverint, anathema ac deteſtandi cenſeri debent.

Altera deinde ratio, à cauſa effic. prædicati à Paulo Euangelii petita, quę per aphæreſin & theſin (ſi rem ipſam ſpectemus) deſcribitur. Aphæreſis, ſeu remotio cauſæ falſę, ab adverſariis objectæ, præmittitur, ut calumniæ eorum occurreretur, ac deinde etiam probatur atque illuſtratur. Proponitur autem v. 11. præmiſſa initiò præfatione, ad benevolentiam mutuam, & attentionem Galatarum provocandam, oportuna. Ad benevolentiam autem mutuam ſpectat, cum *fratres* vocat, (ut cum alibi, tum etiam Galat. 4. v. 12.) id eſt, per fidem, in Chriſtum, ejuſdem Dei patris filios, & hæredes, ut c. 1. 2. plenius expoſuimus. Atque ita oſtendit Apoſtolus, ſe Galatas, licet lapſos, non pro adverſariis, neq; pro deſperatis; ſed pro infirmis fratribus in Chriſto, ac convertendis habere atque diligere. Attentioni verò diſtinctè inſervit, cum ait, *notum vobis facio*: non quod illud antea ignorarint (nam contrarium c. 4. v. 14. aſſeritur) ſed quod ſeducti à falſis doctoribus, illud minus cogitarent: & ut memoriam quodammodo obliteratam refricaret, ita loquitur. Quid autem notum faciat, indicat his verbis, *Euangelium prædicatum à me, non eſſe ſecundum hominē*. Quo citra controverſiam Apoſtolus prædicati à ſe Euangelii cauſam efficientem falſam removet: ſed quo modo his verbis hoc ſignificet (cum vulgò id prætereatur) ſuccinctè declarandum, demonſtrata vocis κατὰ cum accuſ. conſtructæ ſignificatione, quatenus quidem huic loco inſervire poteſt. Significatio autem ea eſt duplex. Prima, ut convenientiam notet; quemadmodum Roman. 3. v. 5. & Galat. 3. v. 15. κατ' ἄνθρωπον *ſecundum hominem*, id eſt, ut Clar. Beza interpretatur, *humano more*, ſeu, *ut homines ſolent*, & 1. Cor. 3. v. 3. *ſecundum hominem inceditis*, id eſt, more hominum, ut vulgo ſolent, & 9. 8. *num ſecundum hominem hæc dico?* & 15. 32. *Si ſecundum hominem adverſus beſtias pugnavi*. Altera verò ſignificatio vocis κατὰ eſt, ut cauſam efficientem, ſive *per* deſignet, ut idem ſit, quod διὰ cum genit. ut Gal. 2. v. 2. *aſcendi* κατὰ *ſecundum* (id eſt, *per*) *revelationem*, & Marc. 1. v. 27. *imperat ſpiritibus immundis* κατ' ἐξουσίαν, *per poteſtatem*, ut recte Dominus Beza tranſtulit, & Henr. Steph. in theſau. Græc. ling. comprobat, aliiſque bonorum authorum exemplis demonſtrat: quale eſt illud Ariſtophanis ἱππεῦσι, Ed. 2. Baſil. Græcè pag. 198. προσέρχεται κατὰ θεῖον, *accedit per Deum*, hoc eſt, per Dei providentiam, ut Scholiaſtes exponit. Utrovis autem modo vox κατὰ intelligatur, commoda erit ſententia; priori quidem modo, ut nihil aliud ſit, quam Euangelium à me prædicatum, non eſſe ſecundum hominem, id eſt, more humano, ſeu conſueto atque ordinario: ut extraordinaria vocatio ac cognitio deſignetur: poſteriori verò, ut ſenſus ſit, *non eſſe per hominem*: cui expoſitioni probatio ac declaratio ab Apoſtolo addita egregiè conſentit: ea autem eſt: *Neque enim ego ab homine accepi*, (nempe Euangelium à me prædicatum) *neque edoctus ſum*, (ſupple ab homine). Quibus verbis oſtendit, nec vocationem ſuam ad Euangelium prædicandum, eſſe ab homine: nec cognitionem illius. Prius autem notat, cum ait, *ſe non accepiſſe ab homine*, id eſt, à nullo homine traditum ſibi Euangelium prædicandum. *Hominem* vero intelligit qui tantùm ſit homo, ut ex oppoſitione apparet: quo etiam modo v. 1. dictum, *Paulus Apoſtolus neque ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum*, ut etiam verba ſequentia hoc v. 12. idem quoque evincunt. Alterum verò indicat cum addit, *neque edoctus ſum*, ſcilicet ab homine: unde rectè propoſita aſſertio Apoſtoli ſtabilitur: Nam id quod quis, neque ab homine accepit, neque ab homine edoctus eſt, illud non eſt ſecundum ſeu per hominem. Atqui Euangelium à Paulo prædicatum eſt tale, Ergo non eſt ſecundum ſeu per hominem. Atque ita per hanc, cauſæ falſæ Euangelii, à ſe prædicati aphæreſin, calumniam adverſariorum (qui Paulum non Apoſtolum, ſed Apoſtolorum diſcipulum tantùm eſſe ſtatuebant) abſtergit.

Cui aphæreſi ſeu remotioni cauſæ falſæ, theſin ſeu cauſæ veræ poſitionem adjungit, his verbis, *ſed per revelationem Ieſu Chriſti*. Quæ verba ambigua quidem ſunt per ſe, ſed loci circumſtantia eam ambiguitatem tollit: nam licet *revelatio Chriſti*, paſſivè, qua ipſe revelatur, interdum deſignet, ut 1. Cor. 1. v. 7. *exſpectantes revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & 1. Theſſal. 1. v. 7. *In revelatione Domini Ieſu Chriſti*, id eſt, dum revelabitur; activè tamen accipi poteſt, ut Gal. 2. v. 2. *aſcendi ſecundum*, (id eſt per) *revelationem*, id eſt, Deo revelante. Atque ita hoc etiam in loco accipi debere (ut actionem Chriſti revelatoris notet) antecedentis cauſæ falſæ remotio oſtendit, & ſequentia v. 16. diſertè explicant. Ex qua oppoſitione, hominis & Chriſti, Orthodoxi patres in hujus loci explicatione, Chriſtum non eſſe hominem tantum; ſed etiam verum Deum, contra Ebionem & Photinum, rectè concludunt. Cæterum adverſus hanc, de cauſa Euangelii à Paulo prædicati, efficiente, ſententiam, objici poteſt, Paulum Chriſti quidem revelatione Euangelium accepiſſe ac didiciſſe, ſed non immediatè, quod Apoſtolis contigit: ſed mediatè, per Ananiam: ut hæc verba illius ad Paulum, Actor. 9. v. 17. indicare videntur; *Dominus Ieſus miſit me, ut viſum recipias & implearis Spiritu Sancto*. Verùm ea Pauli verbis minimè adverſantur: quia Euangelii, per Ananiam ipſi primùm traditi, nulla fit mentio: hoc enim immediatè à Chriſto, jam

jam ante obtinuisse, in repetita conversionis historia, expresse describitur Actor. 26. quibus missio Pauli ad Euangelium populo Judaico & gentibus prædicandum, à Christo revelante describitur, v. 16. & 17. & summa Euangelii declaratur v. 18. *ut aperias oculos*, &c. denique recensetur idem Act. 22. v. 14. 15. Quod autem Ananias Paulo promisisse dicitur acceptionem Sp. S. eam non ipse contulit, sed solus Deus: qui per revelationem, cognitione Euangelii & Apostolico munere præditum, extraordinariis Sp. S. donis, ad fidelem officii executionem instruxit: quemadmodum Apostolos reliquos, post Euangelij notitiam & ad id prædicandum missionem, Matth. 28. v. 19. 20. similibus Sp. S. donis confirmavit, Act. 2. v. 4. Ac propterea rectissime hoc loco Apostolus, & prædicati à se Euangelii munus, & cognitionem illius, non ab homine, sed per solam Jesu Christi revelationem sese consecutum asserit.

Quod ut confirmet atque illustret, oportunam vitæ suę anteactæ narrationem trimembrem subjicit: describit enim primò conditionem suam ante revelationem Christi & Apostolatum: deinde revelationem ipsam & ad munus vocationem: denique consequentia illius.

Primùm autem generatim & speciatim proponit: generatim quidem, conversionem suam in Judaismo commemorat, id est, quomodo se gesserit cum adhuc Judaicis erroribus esset addictus: eamque rem præmissa præfatione, à notitia Galatarum, confirmat, dicens, *audistis enim* &c. speciatim verò exponit, cum & facta sua in eo statu, & causas eorum declarat. Facta autem sunt duo: Ecclesiæ Dei persecutio, & consequens vastatio. Ac prius indicat cum ait, *quod Ecclesiam Dei persecutus sim:* sicut idem etiam, ad misericordię Dei gloriam, fatetur Actor. 22. v. 4. & 1. Corinth. 15. v. 9. Phil. 3. v. 6. 1. Tim. 1. v. 13. Quam persecutionem, ab adjuncta magnitudine, comparatè declarat, cum addit, καθ' ὑπερβολὴν *excellenter*, seu summè, id est, reliquos persecutores hac in re exsuperans: unde persecutio hæc *magna* vocatur Actor. 8. v. 1. id quod ex persecutionis variis atque atrocibus modis describitur, Actor. 8. v. 3. & 22. v. 4. 5. & 26. v. 10. 11. Posterius verò, hoc est, vastationem Ecclesię, ex persecutione ortam, indicat, cum ait. ἐπόρθουν αὐτήν, *eamque vastabam.* πορθέω enim perdo seu *vasto* significat, ac de eadem re Actor. 9. v. 21. de Paulo dicitur, *nonne hic est, qui populatus est, seu vastavit eos, qui invocabant nomen istud*, hoc est Christi, & c. 8. v. 3. *Saulus verò Ecclesiam*, ἐλυμαίνετο, hoc est, *perdebat* seu *vastabat*.

Modus verò vastationis, est congregationis Ecclesiæ, & professionis Euangelii impeditio, & Ecclesiæ fugatio ac dispersio, Actor. 8. v. 1. & 4. & 22. v. 19. Atque hæc quidem de Pauli ante Christi revelationem factis, nempe persecutione summa, & per eandem vastatione Ecclesiæ, &c. Causæ verò eorum duobus veluti gradibus subjiciuntur, comparate cum aliis, vers. 14. Prima autem causa est adjuvans ac remota, nimirum *profectus in Iudaismo*, id est, pharisaicæ doctrinæ ac superstitionis notitia; quemadmodum, Act. 26. v. 5. declaratur. Cujus præstantiam indicat, cum non solum ait, *se profecisse in Iudaismo*, sed etiam *supra multos coætaneos suos in suo genere*, id est, inter Israëlitas: ut Phil. 3. v. 5. ait, *se esse ex genere Israël*, & 1. Cor. 11. v. 26 *Pericula à genere meo*, id est, meis gentilibus. Causa verò factorum Pauli proxima ac præcipua, est *zelus illius* (seu fervidus amor) erga Judaismum, cum ait *zelotes existens patriarum mearum traditionum*, id est, quas à patribus meis (utpote Pharisæi filius, Act. 23. v. 6.) acceperam: intelligit autem eas, quæ circumcisionis & ceremoniarum legis, observationem necessariam, & justificationem per opera propria, contra Euangelium Christi statuebant, ut Actor. 22. v. 3. *Zelotes existens Dei, quemadmodum vos omnes estis hodiè*, hoc est, gloriæ Dei studio fervens, sed sine scientia, Rom. 10. v. 2. de Judæis incredulis dicitur. Quem zelum suum, Apostolus à magnitudine illius, comparatione quadam describit, cum ait περισσοτέρως, *abundantius* nempe quam alii: ut etiam adolescentiæ illius acta ostendunt, Act. 7. v. 58. cum cap. 8. v. 1. & Actor. 22. v. 20. quod morte Stephani sit delectatus & occidentium vestes servarit: qui excellens zelus, causa fuit persecutionis Ecclesię, ut Actor. 22. v. 3. 4. & 26. 9. 10. describitur, & generatim attingitur, Philip. 3. v. 6. & Actor. 8. v. 1. 2. In quo zelo atque itinere occupato, Christi revelatio contigit vers. 3. & 4. Ex quibus liquet, (ut rectè Clariss. Beza observat) nullum intercessisse tempus, quo potuerit ab hominibus doctrina Euangelii institui. Ideoque rectè Paulus asseruit, se Euangelium neque accepisse, neque didicisse ab homine.

Contra verò per Christi revelationem, hoc consecutum, secunda narrationis parte ostendit, quæ obliqua quidem (per transitionem quandam) sed nervosa tamen ratione tertiæ parti præmittitur atque connectitur, vers. 15. & 16. his verbis *sed quando Deo*, &c. Quibus primò suam ad Euangelium prædicandum vocationem: deinde Euangelii notitiam, à causis suis utrimque describit. Ac prius quidem his verbis: *Deus qui separavit me ab utero matris meæ & vocavit per gratiam suam.* Vocationem autem intelligit non communem illam Ecclesiæ, ad fidem: de qua Rom. 8. v. 30. & Galat. 1. v. 6. (nam de ea, tanquam alio beneficio postea agit vers. 16. cum revelationis fidei sibi factæ distinctè meminit) sed peculiarem, ad Apostoli officium. Cujus ad Dei laudem, causa efficiens describitur duplex: *operans* & *eam movens. Operans* est *Deus*, scil. Pater, ut sequens ad Filium ipsius relatio declarat: ut etiam 2. Cor. 3. v. 8. Eo tamen modo Filius nequaquam excluditur, quia per eum vocavit, ad apostolatum, ut disertè docetur Act. cap. 26. v. 16. 17. & 1. Timoth. 1. v. 12. Ideoque idem, & Deo Patri & Filio simul attribuitur Gal. 1. v. 1. & 1. Timoth. 1. v. 1. Causa verò, Deum, ad vocationem Pauli in Apostolum, movens, duplex designatur: prædestinatio ad eam rem, & origo illius. Ac prædestinatio quidem est segregatio Pauli, ad id munus, ut Rom. 1. v. 1. Cum autem segregatio esse possit, vel ratione executionis; vel ratione decreti: non prior, quæ per vocationem fit: sed posterior, hoc loco notatur: ideoque distinctè additur, *ab utero*, & quidem ab æterno: quicquid enim Deus facit in tempore, novit ac decrevit ab æterno, Actor. 15. v. 18. Quemadmodum in simili negotio, Jeremiæ ait Deus, cap. 1. v. 5. *priusquam te formarem in utero*, &c. idque Christus Act. 9. v. 15. denotavit, cum Paulum vocat *vas electum, ut perferat fidem ipsius coram gentibus.* Origo verò, seu causa impulsiva hujus destinationis Pauli ad vocationem in apostolum, statuitur gratia, cum ait: *vocavit per gratiam*, id est, gratuitam ac minime debitam benevolentiam, ut etiam Eph. 3. v. 7. 8. *Cujus Euangelii factus sum minister ex dono gratiæ Dei*, item, *data hæc est gratia Euangelizandi inter gentes.* hinc 1. Tim. 1. v. 12. gratias agit pro ea, & quidem confessione indignitatis suæ, quod capitalis ac summus fuisset Christi & Euangelii adversarius, v. 13. & 14. Atque hæc de divina Pauli, ad Euangelium prædicandum, vocatione.

Cui deinde subjungitur, divina Euangelii institutio, quam appellat *revelationem filii ipsius.* Cujus causæ notantur; efficiens & finis. Efficiens, cùm operans, tum operantem movens. Operans est *Deus Pater*, ut etiam Eph. 3. 2. 3. Hæc autem *Filii revelatio* (ut antea *vocatio*) Patri attribuitur, non quod sine filio, sed quod per eum effecerit, sicut v. 12. Apostolus asseruit, & historia Actor. 9. v. 15. 16. & 26. 16. 17. 18. attestatur, ut supra ostendimus. Cæterum cum non solum dicitur, *revelare filium*, sed additur, ἐν ἐμοὶ; observandum est, præpositionem ἐν, accipi aut pro Latino *in*, aut pro *per*, ut subjectum, vel causam efficientem notet: quod posterius Erasmus, cum nonnullis aliis sequitur: sed prius (quod Chrys. placet) proprietati vocis & sequentibus magis convenit, & loci scopo, qui est demonstrare, se edoctum per revelationem Christi: ut interna Paulo facta revelatio designetur. Quali etiam phrasi dicitur, 2. Cor. 4. v. 6. *Deus splenduit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis, in facie Jesu Christi. Ostendit enim* (inquit Chrysost.) *quod non modo verbis edoctus esset de fide, verum etiam copioso Spiritus Sancti dono repletus: Revelatione siquidem illustrante illius animum, habebat in se ipso Christum loquentem.* Hæc ille consentaneè omninò Sacris Literis, Eph. 3. v. 3. & 5. & 2. Cor. 13. v. 3. & 1. Thessal. 2. v. 13. à quibus omninò dissentiunt ea, quæ ab Hieronymo ad hunc locum imprudenter de naturali revelatione Christi producta sunt.

Hacte-

Hactenus de causa quidem revelationis Christi operante, nempe Deo Patre. Movens vero causa, antecedens ordine, est εὐδοκία *placitum illius*, seu libera ac gratuita Dei voluntas, non Pauli meritum, ut Ephes. 3. v. 2. 3. ipsemet confitetur, & simul 1. Tim. 1. v. 12. 13. 14. confirmat. Quemadmodum etiam in ordinaria Euangelii ac Christi revelatione, eandem gratiam, causam esse illius asseritur, Ephes. 1. vers. 9. in qua etiam εὐδοκία Christus acquiescit, Matth. 11. vers. 25. 26. Ac propterea Theophylacti ex Chrysost. hausta explicatio, impura ac Pelagiano errori favens, sacrisque literis contraria est: sic enim verba Apostoli, *vocavit per gratiam suam*, perversè exponit: *Deus ob virtutem ipsius vocavit eum, vas enim electionis inquit mihi est: ipse autem insigni modestia præditus, per gratiam inquit vocatum se & non ob dignitatem, sed propter misericordiam.* Hæc ille: Contrà verò scriptura docet: electionem Dei, esse virtutum causam Ephes. 1. v. 4. non contrà 2. Cor. 3. v. 5. Electionis verò causam esse liberam Dei gratiam, Rom. 11. v. 5. & 2. Tim. 1. 9. quemadmodum utriusque vocationis, tam ad fidem, quam ad Apostoli officium 1. Tim. 1. v. 14. & 16. gratiam & misericordiam, causam esse fatetur. Quod autem objicitur à Theoph, *insigni modestia Apostolum ita loqui*: ea omninò insignis est scripturæ perversio, quia Paulo hypocrisin, imò insigne mendacium, ascribit, quasi sciens ac volens contra rei veritatem loqueretur: nam si verum est, quod ait, ob virtutem ac dignitatem vocatum, falsum est, quod dicit Scriptura, ex gratia & misericordia id factum: contrà, si hoc verum, prius est falsum, uti revera est. Quod ad cautionem in legendis Patrum scriptis adhibendam diligenter observandum.

Porrò ut Apostolus conversionem suam à Dei placito, tanquam à causa sua dependente tradit, sic idem de tempore præfinito illius indicat his verbis, *sed quando placuit Deo filium suum in me revelare.* Nec enim ab initio vitæ Pauli placuit Deo id præstare, sed demum post horrendam ab illo Ecclesię persecutionem, ac vastationem in Judęa excitatam, & similem conatum, ut extra Judæam Damasci idem perpetraret. Causam verò hujus dilationis rectè observat Theoph. cum ait: *per divinam quandam providentiam relictus est in Iudaismo: ut nimirum usque adeò repentina ejus mutatio, multos in fide confirmaret & attraheret.* Porrò finalis revelationis Christi divinæ atque extraordinariæ causa dicitur, ut *Euangelizaret Christum inter gentes*: id quod divina etiam conversionis & vocationis Pauli historia testatur, Actor. 9. v. 14. & 13. 46. 47. & 26. 17. Ex quibus locis constat, gentes quidem distinctè à Judæis, sed non solas, exclusis omninò à prædicatione Judæis, intelligi: sed quod præcipuè ad eas pertineret; ut etiam executio prædicationis Euangelii expresſè demonstrat, Actor. 26. v. 30. Eodemque sensu Apostolus Galat. 2. v. 2. ait: *Euangelium prædico inter gentes*, & 1. Timoth. 2. v. 7. se *doctorem gentium* vocat, & 2. Timoth. 1. v. 11. ait, *Ad quod ego positus sum præco, & Apostolus ac doctor gentium*, nempe præcipuè. Atque hæc de vitæ Pauli anteactæ parte secunda, nempe divina ac gratuita Christi, ad Euangelium inter gentes prædicandum revelatione.

Cui tertia (quæ ultima est narrationis pars) succedit. Cujus scopus est, ut id quod v. 12. proposuerat, nempe se Euangelium neque ab homine accepisse, neque edoctum esse, confirmaret atque illustraret. Modus autem idoneus, quo ad hunc scopum tendit, est vitæ à se post vocationem & revelationem Christi actæ, descriptio trimembris.

Quæ triplici temporum distinctione continetur, & inde à v. 16. ad capitis III. initium pertingit. Primum autem membrum res primo triennio gestas (ut v. 18. declarat) strictim proponit, & quidem per aphæresin & thesin. Aphæresis est remoti o falsi, qua ostendit, quid statim non fecerit eo tempore, cum Christus ei esset revelatus, ad Euangelium prædicandum. Ea autem aphæresis facta à se removet duo, quorum prius ita exprimit in fine v. 16. *Statim non contuli cum carne & sanguine.* Quæ verba partim satis clara, partim aliquid habent ob suam ambiguitatem, controversiæ. Clarum autem est primum, cum ait *statim*, id est, simul atque placuit Deo, mihi filium suum revelare, ut eum annuntiarem inter gentes. Nam quod Hieronym. vocem *statim* connectendam arbitratur cum antecedentibus, quasi sensus esset, ut Euangelizarem ipsum inter gentes statim; illud Clariss. Bezæ non immerito improbatur. Alterum etiam verbum προσανεθέμην, *non contuli*, satis perspicuum est, si Clariss. Bezæ annotationes, & Henr. Stephan. Thesaurum Græc. ling. consulamus. Sed aliqua difficultas est tertio loco, in phrasi addita, *carne & sanguine*, ob diversas veterum Patrum, & recentiorum interpretum sententias.

Quare operæ pretium fore arbitramur, si prius usum illius phrasis explicemus: ut genuina Apostoli mens facilius ac certius intelligatur: eademque opera illustrandis aliis scripturæ locis inserviamus. Usus autem illius phrasis proprius est aut improprius. Proprius quidem, ut partes corporis nobilissimas designet, qui etiam usus in omnibus linguis obtinet, cujus exemplum unicum tantum in Sacris Litt. extat. Deuter. 12. v. 27. *Parato holocausta tua carnem & sanguinem.* Impropriè vero per tropum in Nov. Test. usurpatur diversis modis, primò per Meton. corpus humanum notat, quod ex carne & sanguine constet, ut Hebr. 2. v. 14. *quia pueri* (aut potius *filioli isti*, ut versus antecedens ostendit) *carnis* & *sanguinis* (id est, corporis humani) *participes sunt*: deinde per Synecdochen (ex illa Metonymicâ significatione ortam) corporis humani speciem notat: corpus nimirum corruptibile ac mortale. ut 1. Cor. 15. v. 50. *hoc autem dico, quod,* (aut potius, *quia*, Græcè ὅτι) *caro & sanguis regnum Dei hæreditate consequi non possunt*: quale corpus *animale* vocatur à naturalibus suis qualitatibus, corruptibilitate & mortalitate, opposité corpori spirituali, quod spiritualibus supra naturam qualitatibus, incorruptibilitate & immortalitate gloriosa præditum, v. 44. cum 46. Corpus autem corruptibile ac mortale intelligi, antecedentia & consequentia ostendunt. Antecedentia quidem, ut vers. 42. 43. & nominatim, v. 49. *sicut gestavimus imaginem terreni*, (id est, Adami, cujus corpus è terra ortum, corruptibile & mortale fuit, vers. 47. 48.) *gestabimus etiam imaginem cœlestis*, id est, Christi, cujus corpus non amplius corruptibile & mortale est, sed cœlestibus qualitatibus gloriosum. Quemadmodum etiam corporis nostri, ad Christi imaginem, conformatio, ac similitudo declarat, Phil. 3. v. 21. Hoc autem ad Corinth. loco exponit ac probat, cum ait, *hoc autem dico, quod caro & sanguis*, &c. quibus verbis per *carnem & sanguinem*, imaginem terreni Adami, id est, corpus corruptibile & mortale notat: de quo vers. 42. & 43. & 47. Idemque proximè sequentia declarant: *neque corruptio*, id est, corruptibile, *incorruptibilitatem hæreditate consequitur*: & clarius vers. 53. *oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem.*

Porrò ex hac prima Synecdochica, *carnis & sanguinis* significatione, qua corpus corruptibile ac mortale notat: altera oritur Synecdoche: qua hominem corruptibilem seu mortalem designat, ut Ephes. 6. 12. *nobis non est lucta adversus carnem & sanguinem*, id est, adversus ullum mortalem: & Matth. 16. 17. *caro & sanguis non revelavit tibi*, id est, nullus mortalis: quia licet exterius verbo suo Andreas frater ipsius Christum revelarit, Ioan. 1. v. 42. 43. interior tamen revelatio, qua verbo fidem adhibuit, quæ hic certo intelligitur, à solo Deo processit. Atque hæc phrasis propositæ significatio, non ex Græcæ sermonis usu, apud quos solum priores observatę: sed ex Hebræorum loquendi consuetudine translata est, qua בשר ודם *caro & sanguis*, hominem mortalem significat, ut frequens omninò in Hebræorum scriptis usus perspicuè demonstrat. Cujus & Hebraismi illustria extant exempla, in *Ecclesiastico* Hebraicè scripto, sed in Græcum sermonem à Jesu Siracide translato, c. 14. v. 19. *ita etiam generatio carnis, & sanguinis*, id est, hominis mortalis & c. 17. 27. *cogitat carnem & sanguinem*, i.e. de homine mortali: aut, ut alii legunt, *caro & sanguis*: adeo ut Hebraismo consueto *caro & sanguis* hominem mortalem, (qui eodem sensu Latinis τὸ γήϊνον *mortalis* dicitur) significet. Atque hæc de phrasis hujus varia, certaque, pro locorum ratione, significatione.

Reli-

Reliquum est, ut quomodo hoc loco ad Galat. intelligenda sit, consideremus. Ac primò quidem, illud, ex re ipsa, citra controversiam perspicuè constat, *carnem & sanguinem*, non propria, sed impropria significatione intelligi oportere: sed in modo illius explicando, sententiæ sunt diversæ: imò, ab iisdem, diversæ, dubitatione quadam proponuntur. Quarum prima est, hominem mortalem notari: ut sensus sit Apostoli, se cum nullo mortalium contulisse: quem tritum, ut supra ostendimus, Hebraismum, doct. Tremellius, ad hunc Testamenti Syriaci locum annotavit: & è Patribus Theoph. hanc sententiam secundo loco proposuit, cum ait, *non contuli cum carne & sanguine*, id est, *non sum collocutus cum Apostolis: hos enim carnem & sanguinem vocat, à natura eos nominans: vel simpliciter de omnibus omninò mortalibus dicit; quoniam à nullo mortalium didici quicquam.* Secunda deinde sententia est, ut hominem carnalem, seu peccatis omninò deditum indicet: quam Hieron. proponit. Tertia porrò sententia est, quæ phrasin hanc dividens, diversè, per *carnem* Judæos (illos enim Apostolus Rom. 11. v. 14. *carnem suam* vocat) per *sanguinem* verò consanguineos ac propinquos designari statuit. Atque in eo hæ tres sententiæ consentiunt, quod hæc phrasis, hominem generatim, aut speciatim significet. Quarta denique, non hominem, sed carnalem Pauli rationem interpretatur: quæ vulgò maximè trita sententia. Superest jam ut hisce sententiis ordine recitatis, quænam hoc loco sit genuina, & quamobrem reliquæ non sint probandæ, allatis rationibus declaremus. Primas autem obtinet ea quæ *primo* loco à nobis proposita, ac reliquis merito, à præstantissimis interpretibus præfertur: nimirum ut hominem mortalem notet. Hæc enim significatio solitam ac frequentem phrasis significationem (ut ante ostendimus) retinet: deinde veritati ac scopo Apostoli omnibusque loci circumstantiis optimè consentit. Reliquæ verò interpretationes phrasi huic, *carnis & sanguinis*, insolentem significationem attribuunt, & sensum pariunt ineptum; ut examen trium posteriorum sententiarum evincit. Nam ad secundam (quam Hieronymi esse ostendimus) quod attinet, ei obstat 1. quod *caro & sanguis* pro homine carnali, seu peccatis omninò dedito, nullibi in Sac. Lit. neque ulla priscæ linguæ Græcæ aut Hebrææ consuetudine usurpatur: neque insolens phrasis significatio, ex recta interpretationis lege, admitti potest, nisi rei veritas, aut loci circumstantia necessario id flagitet, aut saltem admittat: id quod hoc loco omninò deest: quamvis enim *caro* per se posita, interdum hominem vitiis mancipatum significet, Genes. 6. v. 3. *quia caro sunt* (ut Hieron: objicit) nunquam tamen caro cum sanguine copulata, id est, phrasis ista, *caro & sanguis*, eum habet sensum. Neque etiam obtendi potest dictum, 1. Cor. 15. *Caro & sanguis hæreditatem regni Dei non consequentur*: quia (ut supra probatum, & rectè Tertull. lib. de resurr. carnis cap. 5. observavit) corpus corruptibile, ac mortale intelligitur: ut totius capitis series demonstrat, & antea in significationibus hujus phrasis explicandis, multis ostendimus; neque de hominum carnalium, seu infidelium resurrectione ad ignominiam, sed de hominum fidelium resurrectione ad gloriam, quâ imaginis Christi gloriosi fiunt participes, disseritur. Neque etiam ea significatio, *carnis & sanguinis*, speciatim pro hominibus incredulis, ex dicto Christi, Matth. 16. v. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*, necessario probari potest: quia solita significatio, ut pro homine accipiatur, non solum convenit veritati, sed etiam loci circumstantiis: quia non opponitur hominibus spiritualibus, seu fidelibus, sed Deo patri; qui solus, donata fide, per Spiritum Sanctum, Filium interius revelat, Matth. 11. v. 25. & 27. 1. Cor. 2. v. 11. 12. Quare cum hæc sententia generatim accipi possit, & quidem sensu ad gloriam Dei magis copioso, speciatim exponere non est necessarium, neque idoneum, sed alienum: inprimis quia hæc significatio nullo exemplo necessario probari potest: sed omninò insolens est: & amplitudinem veræ sententiæ, sine ulla ratione, angustiorem reddit. Deinde etiam altera ratio accedit, cur *caro & sanguis*, hoc loco (etiamsi alibi ita acciperetur) in proposita ad Galatas sententia aliena sint; quia à scopo Apostoli aberrat: is enim est, ut probet, quod Euangelium à nullo mortalium sit edoctus, ut v. 12. ostendit: id quod, si quis attendat, ex antecedentis vitæ suæ statu demonstrat, partim ante revelationem Christi, in Judaismo, vers. 13. partim ex gestis post revelationem Christi, quod non statim contulerit cum carne & sanguine, ideoque multo minus potuisse à carne & sanguine edoceri: ut tota orationis series hunc scopum esse ostendit, sequentiaque etiam patefacient: atqui cum carnalis seu homo animalis, non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitia ei sint, neque possit ea congnoscere; impossibile omninò erat, ut id quod non didicerat, illud Paulum doceret: ideoque si per *carnem & sanguinem* talis notaretur, oratio Pauli redderetur inepta: perinde enim foret ac si diceret, Ego Euangelium non didici ab hominibus, Euangelium ignorantibus. Quod autem Hieron. *non contuli*, exponit de Euangelii prædicatione hominibus carnalibus non facta, quia, ut ait, *noluit margaritas porcis projicere, nec dare sanctum canibus*: in eo inquam ab Apostoli scopo recedit. Quemadmodum etiam Matth. 16. cum de hoc loco agens, ait, *caro & sanguis non revelavit tibi, Apostolicæ narrationi comparatur, in qua ait, continuo non acquievi carni & sanguini: carnem ibi & sanguinem, Iudæos significans, ut hic quoque sub alio sensu demonstratur, quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei filius revelatus sit.* Quare ex hisce satis superque apparet, secundam, de hujus loci mente, sententiam, minimè esse idoneam.

Tertia porrò licet aliquanto videri possit commodior, similiter tamen à phrasis significatione consueta recedit: deinde phrasin dividit, per *carnem* Judæos, per *sanguinem* consanguineos intelligendo: præterea Tautologiam admittit, cum consanguinei sub Judæorum nomine contineantur. Ac licet Iudæos *carnem suam*, Rom. 11. vocet, *sanguinem* tamen pro consanguineis usurpari in Sac. Lit. probari non potest: denique à scopo Apostoli (ut de secunda sententia ostendimus) similiter aberrat, qui non speciatim se à Iudæis, sed generatim ab homine non edoctum asserit. Quarta quoque ac postrema sententia, quâ statuitur *carnem & sanguinem* carnalem Pauli rationem denotare, subsistere non potest: primò, quia nulla ratio necessaria est, cur ita accipiamus, cum aliter rectè pro homine quovis sumi possit: deinde quia contraria ratio obstat, nempe quod neque linguæ Græcæ, nec Hebrææ usus, neque ullum exemplum scripturæ illam insolentem significationem stabiliat: ut supra inductione significationum ostensum. Nam quod objicitur exemplum, Matth. 16. *caro & sanguis non revelavit tibi*, non necesse est, ut de carnali ratione interpretemur: quia servata significatione usitatâ vera omninò est & longè amplior ad Dei gloriam sententia, ut sensus sit, nullus mortalium tibi revelavit: quàm si dicatur, carnalis tua ratio tibi non revelavit: denique hæc quarta sententia etiam à scopo Apostoli aliena est: quia propositum ei est probare, se non ab ullo homine mortali de Euangelio edoctum, ut antè demonstratum est. Quamobrem prima sententia perstat: reliquæ verò tres significationi phrasis minimè conveniunt, neque scopo Apostoli inserviunt. Iisdemque rationibus confutatur antiqua quorundam expositio, quasi *caro & sanguis* Judaismum, ac circumcisionem carnalem notaret: quam eorum sententiam Tertull. lib. de resurrect. carnis ita recenset: *sunt qui per carnem & sanguinem* (*scilicet* 1. *Cor.* 15.) *Judaismum velint accipi, propter circumcisionem, &c. & hoc titulo jam & alibi ab Apostolo denotetur, qui post revelatum in se Filium Dei ad Euangelizandum eum in nationibus, statim non retulerit ad carnem & sanguinem, id est, ad circumcisionem, id est, ad Judaismum, sicut ad Galatas scribit.* Ubi obiter videtur vox προσανεθέμην non de collatione, sed de reditu, minus aptè exponi.

Atque hac aphæresi seu remotione falsi (quâ ostendit quid statim à revelatione Christi non fecerit, nempe quod de Euangelio accepto non contulerit cum ullo mortalium; ideoque à nullo homine sit edoctus) non suam arrogantiam (ut Porphyrius olim, teste hîc Hieronymo, Apostolum

lum est calumniatus.) sed animi sui demissi obedientiam erga Deum, ad Euangelizandum mittentem, & doctrinæ Euangelii divinitus acceptæ perfectionem atque authoritatem, adversus falsorum doctorum calumniam, qui eum non Apostolum sed Apostolorum discipulum esse objectabant, indicat. Fuisset enim valdè absurdum, ut qui doctrinam à Deo acceperat, de ea cum hominibus communicaret: quemadmodum Chryf. & Theod. ad hunc locum rectè observarunt. Atque hæc de parte prima aphæresis, qua docet, quid non à revelatione Christi statim fecerit, nempe quod *non contulerit*, id est, communicarit, *cum carne & sanguine*, id est, ullo mortalium: v. 16. ideoque multo minus ab ullo homine fuerit edoctus.

Altera pars v. 17. proponitur; *neque*, inquit, *redii Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerunt Apostoli.* Apostolos autem tunc Hierosolymis fuisse, etiam ex Actor. 8. v. 1. rectè colligitur. Neque illud, quod Paulus hîc ait, superbiâ factum (ut Porphyrius olim obtendit) sed ut gloriæ Dei, & authoritati Euangelii, per revelationem Christi acceptæ, sancta animi demissione & obedientia inserviret: & calumniis adversariorum occurreret, qui discipulum fuisse Apostolorum, ideoque ab iis doctrinam Euangelii edoctum, contemtim spargebant. Quemadmodum ea de causa, etiam alibi, Apostolici sui muneris authoritatem, ad veritatis Euangelii & fidelium confirmationem, graviter defendere coactus est, ut 1. Cor. 9. v. 1. 2. & 2. Cor. 11. v. 3. 4. 5. & 12. 11. 12.

Porrò hac bipartita aphæresi hoc modo expositâ, sequitur thesis, quâ ostendit, quid statim à revelatione Christi fecerit: hoc autem altero v. 17. membro ita exprimit: *sed abii in Arabiam, ac denuo reversus sum Damascum.* Quibus profectionem suam duplicem indicat: primaria est Damasco in Arabiam, nimirum ut Euangelium annuntiaret inter gentes: quemadmodum vocatio illius requirebat, ut v. 16. declaravit. Verum difficultas quædam hîc occurrit: quia illud historiæ Lucæ Act. 9. videtur repugnare, primò quia illic v. 19. & 20. dicitur, *fuit autem Saulus cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot, & statim in Synagogis prædicavit Christum:* non igitur statim abiit in Arabiam. Deinde dicitur eodem cap. multo tempore hæsisse Damasci, ac demonstrasse contra Judæos, Jesum esse Christum; unde orta persecutione graviori, pervenisse Hierosolymam, ut v. 23. ad v. 27. narratur; non igitur statim abiit in Arabiam. Verùm hæc difficultas duplex, negatione utrimque consequentiæ solvitur. Nam ad prius quod attinet, *statim*, hîc apud Paulum non absolutè, sed relatè ad collationem, & profectionem Hierosolymam dicitur, quod scilicet ante utrumque in Arabiam abierit. Nec mirum est, si Lucas hanc profectionem brevitatis causâ in Actis Apostolorum omiserit: quemadmodum Apostolus brevem aliquot dierem mansionem Damasci reticuit; id quod similiter in historiarum scriptoribus & Euangelii Lucæ aliorumque narrationibus observatur. Alterum etiam difficultatis membrum similiter tollitur: nam ut Lucas profectionem in Arabiam, & inde rursus Damascum non negat, sed omittit: sic verba illa v. 23 ad 27. Actor. 9. intelligenda sunt de rebus, quæ post reditum ad Damascenos evenerunt. Idque etiam verba Pauli & Lucę inter se collata, ostendunt. Paulus enim ait, se non rediisse Hierosolymam, ad eos, qui ante ipsum fuerant Apostoli, sed abiisse in Arabiam & rursus rediisse Damascum: Lucas verò post persecutionem Damasci ortam, pervenisse Hierosolymam, ad Apostolos, v. 26. tradit. Atque hinc Hieron. ait, *Lucam idcirco de Arabia non meminisse, quia forsitan nihil dignum Apostolatu in Arabia perpetrarat: & ea potius compendiosâ narratione dixisse, quæ digna Christi Euangelio videbantur.* Sed ut etiam causam verisimilem, & ab interpretibus omissam addamus, ea videtur, quod Apostolus ad Galatas, illam profectionem jam explicasset: Lucas enim Acta scripsit, postquam Paulus biennium Romæ fuisset captivus, Actor. 28. v. 20. Epistola verò ad Galatas conscripta est, complures annos ante captivitatem Pauli; nempe cum post acceptum recens Euangelium, tam citò essent seducti, ut ex epistola ad Galat. cap. 1. v. 6. coll. cum Actor. 18. 23. & 19. 10. aliisque locis apparet. Nam quod subscriptio hujus Epistolæ, eam Romæ scriptam statuit, illud Deo sospitante, suo loco vanum esse ostendemus: quemadmodum & hanc & quasdam alias subscriptiones imprudenter Epistolis subjectas, eruditi interpretes agnoscunt ac demonstrant. Atque hæc de versus 16. & 17. sensu observanda: qui versus ad scopum Apostoli egregiè pertinent: ut enim v. 12. se non accepisse Euangelium, neque didicisse ab homine, sed per revelationem Christi, proposuit; sic narratione vitæ suæ, neque ante revelationem v. 13. & 14. neque post revelationem didicisse declarat, quæ narrationis pars altera, pro distincta temporis circumstantia, ut supra ostendimus trimembris est: primum enim membrum gesta primi triennii continet, v. 16. 17. de quibus actum.

Sequitur jam secundum, quod ea, quæ post illud triennium ad annum usque decimum quartum contigerunt, ad finem usque capitis describit. Ac temporis quidem initium indicatur, cum ait v. 18. *deinde post tres annos.* Finis verò temporis sequitur postea, cap. 2. 1. Gesta illius temporis strictim, (quantum ad scopum loci sufficiebat) declarat. sunt autem profectiones duæ, una Damasco Hierosolymam, altera inde rursus Damascum. Quarum utraque proponitur, & suis circumstantiis illustratur. Ac prior quidem ita proponitur, *Redii Hierosolymam*, nimirum unde initio Damascum venerat, Actor. 8. v. 2. & quo (post reditum ex Arabia, Damasci orta persecutione) reversus Actor. 9. v. 26. id quod illustratur à circumstantia finis, & adjuncti consequentis. Finis autem profectionis Hierosolymam statuitur, nimirum ut viseret Petrum, id est, notitiam cum eo contraheret, non autem ut ab eo aliquid disceret: quia hoc repugnat loci hujus proposito: deinde, quia alias citius invisisset (ut rectè monet August.) non post prædicatum triennio Euangelium: denique quoniam ab eodem authore cælitus didicerat, à quo & ipse Petrus: quemadmodum Ambrof. ad hunc locum observavit. Adjunctum verò consequens est duplex, primò quod *manserit apud Petrum dies quindecim:* interea autem minimè otiosum fuisse, sed Euangelium prædicasse, idque contra adversarios disceptando defendisse, Actor. 9. v. 29. traditur.

Alterum consequens adjunctum est, *quod nullum alium Apostolum viderit, præter Jacobum fratrem Domini*, id est, cognatum. Cum autem duo Apostoli fuerint ejusdem nominis, Matth. 10. unus Zebedæi, v. 2. alter Alphæi filius, v. 3. parum refert uter hoc in loco intelligatur. Plerique non immeritò censent, secundum esse, qui Galat. 2. 9. etiam nominatur: qui, post priorem ab Herode occisum, Synodo Hierosolymitanæ præfuit, Actor. 15. v. 13. 19. 22. & hunc intelligi omninò verisimile est, etsi hoc tempore Jacobus Zebedæi in vivis fuerit: quia post hanc Pauli profectionem Hierosolymam, de qua Actor. 9. v. 24. cædes illius perpetrata: ut ex collatione cap. 2. Actor. cum 11. 1. 2. colligitur. Cum autem Paulus nullum alium ex Apostolis viderit, quomodo (ut rectè ait Photius apud Oecumenium) ab iis didicit? Cœterum obiter observanda est vanitas Argumenti, à Bellarm. propositi, de Pontifice Romano lib. 1. cap. 18. cum ait: *Nam quod alioqui intelligeret Paulus, majorem esse Petrum Jacobo, patet ex illa Epistola Galat. 1. ubi dicit, deinde post annos tres, veni Hierosolymam, videre Petrum. non dicit, veni videre Iacobum, etiamsi ipse quoque esset Hierosolymis.* At quomodo inquam probabitur, Paulum præscivisse Jacobum fuisse Hierosolymis? & quid vetat, quominus initio abfuerit, & præter Pauli exspectationem eo aliunde accesserit? Deinde visitatio alicujus non probat, eum aliis majorem: quemadmodum fratres Ochosiæ venerunt, ut inviserent filios Regis Joram 2. Reg. 11. v. 10. an propterea judicarunt eos patre majores?

Porrò ut ad rem redeamus, quia adversarii Apostoli, falsi doctores, eum non Apostolum à Christo edoctum ac missum; sed ab Apostolis institutum criminabantur: idcirco ne Galatæ calumniis eorum seducti fidem narrationis in dubium vocarent, juramento occurrit: quo narrationem suam totamque Epistolam confirmat, cum ait, *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, non mentior*, id est, Deo teste, ut rectè Ambrof. est enim juramenti formula, ut

etiam

etiam August, observavit. Ea enim Deus in testem veritatis, ac propterea etiam in judicem & vindicem, si fallat, citatur. Similia exempla sunt Roman. 1. 9. & 9. 1. Phil. 1. v. 6. 1. Thess. 2. 5. & 2. Cor. 1. 23. & 2. Cor. 11. v. 31. & 1. Thess. 5. v. 22. & 1. Timoth. 2. v. 7. Sed Anabaptistæ objiciunt, hæc verba non esse juramentum: quia Christus generatim omne juramentum prohibet, Matth. 5. 34. Resp. autem, rationem esse falsam: quia Christus non generatim & absolutè, omne juramentum prohibet in genere: sed speciatim illegitima & falsa, sub obliquis quibusdam formulis, quibus Pharisæi hominem nec perjurum fieri, nec obstringi tradebant: quale juramentum Mat. 23. per templum, per altare, per cælum: ideo Christus hanc sententiam cap. 5. Matth. adjunctis similibus formis restringit: quia non simpliciter & absolutè dicit, *ne jurate omnino*: sed, *ne jurate omninò, neque per cælum, neque per terram*, &c. non autem ait, *neque per Deum*.

Sed excipiunt, postrema Christi verba vers. 37. omne juramentum à sermone Christianorum excludere duobus modis: primò quia simplicem affirmationem aut negationem Christus imperat: *Esto autem*, inquit, *sermo vester etiam, etiam, non, non.* deinde quia subjicit, *quod his abundantius est, à malo est.* Verùm ea solutioni ante allatæ minimè adversantur, sed eam potius amplius stabiliunt. Nam ad prius quod attinet, Christus hic per *sermonem*, non intelligit eum, qui ad fidem legitimè faciendam, aut controversiam dirimendam pertinet; sed communem in usu quotidiano, in quo à Judæis, temerè & sæpe falso, per illegitimas jurandi formulas, peccabatur, Matth. 23. vers. 16 & sequentibus, ideoque Christus hunc temerarium & illegitimum jurandi, citra necessitatem, modum, per creaturas, in sermone quotidiano usitatum, redarguit: & simplicitatem ac veritatem ei oppositam requirit, cum ait, *esto verò sermo vester*, &c. Sermo vester communis, sive quid affirmetis, sive quid negetis, rei consentiat. Quemadmodum Apostolus 2. Corinth. 1. vers. 18. *Sermo meus*, inquit, *apud vos non fuit etiam, & non.* & vers. 19. *Nam Dei filius Iesus, qui inter vos per nos prædicatus est* (per me & Sylvanum ac Timotheum) *non fuit etiam & non, sed etiam in ipso.* Deinde verò ad posterius dictum quod attinet, Christus τὸ περιττὸν *quod superfluum*, rejicit: non autem quod majus, & ad rem conducit: nam & Christus aliis quoque, ac plenioribus assertionibus est usus, quemadmodum Luc. 4. vers. 24. & Joan. 16. 17. & c. 8. v. 14. & Petrus Actor. 10. v. 34. Juramenta quoque legitima non prohiberi inde constat; quia non sunt superflua, sed affirmationi aut negationi addita, ad Dei testis, ac perjurii judicis, ac vindicis, gloriam, & sermonis confirmationem, ad fidem aliis faciendam inserviunt, Hebr. 6. vers. 16. Et hanc esse Christi mentem demonstratur, ex præmissa legis explicationi protestatione: *non veni ut solvam legem, sed ut impleam eam*, & vers. 19. *quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, id est, Ecclesia. Ideoque Christus hoc cap. Matth. 5. non novam legem fert, divinæ legi adversam, sed adversus antiquas & falsas Pharisæorum interpretationes legem Dei exponit: ut etiam vers. 20. *nisi abundaverit vestra justitia*, quænam autem justitia illa Pharisæorum intelligatur, sequentibus exemplis docet: nam inductione probari potest, singula quæ à Christo dicuntur, lege Decalogi omninò contineri, quatenus summam Dei & similem proximi dilectionem complectitur: qua nihil majus à Christo petitum, Luc. 10. v. 27. 28. neque peti potuit. Quodque Christus Pharisæorum juramenta illegitima, quibus falsò & temerè sæpius abutebantur, reprehendit, & simplicitatem ac veritatem in sermone, hujusmodi requirit: illud etiam mandatum legis Decalogi tertium (quod vanam nominis Dei usurpationem prohibet) omninò complectitur. Quare cum Christus non solvat legem, juramentum legitimum non prohibet: quia Deuter. 6. vers. 13. & alibi disertè mandavit, ut per nomen ipsius juretur: deinde jurandi modum exposuit, Jerem. 4. vers. 2. *in veritate, in judicio, & in justitia:* atque ita per Deum jurans laudandus dicitur Psal. 63. v. 12. tertio exempla juramenti sancta idem probant: Nam Deus Genes. 22. v. 16. per seipsum jurat. Deinde Sanctus Angelus, Dan. 12. v. 7. Præterea sancti quoque jurarunt, patriarchæ, Abraham Gen. 21. 24. Isaac Genes. 26. v. 31. Jacob Genes. 31. v. 53. Josua c. 9. 15. David. 1. Samuel. 24. 23. Denique adjurationes extant, quibus sancti alios juramento præstando obstrinxerunt, sicut Abrahamus Genes. 24. 3. & summus sacerdos jussu Dei, Numer. 5. 19. & Esra c. 10. vers. 5. & Nehem. 5. 12. & 13. 25.

At objicitur, in Vet. Test. Judæis juramenta fuisse licita, non verò in Nov. Test. Christianis; idque ex Jacobo Apostolo Christi sententiam repetente, apparere, qui c. 5. v. 12. non solum ait, *ante omnia fratres non jurate, neque per cælum, neque per terram*, sed etiam subnectit, *neque aliud ullum juramentum.* Verumtamen quia verba Christi repetit, eadem est, quæ ad Christi verba responsio: nec enim *aliud juramentum* universè & absolutè sic dicitur, sed relatè ad temerarias & illegitimas, ac consuetas Judæorum formulas, quas Christus Matt. 5. & 23. plenius recenset, Jacobus verò hoc in loco brevius: ac propterea similia alia juramenta intelligit à se omissa. Ratio autem solida est, quia Christus legem Dei patris non solvit, eoque non prohibuit, quod Deus sua lege præcepit, aut laudando statuit, ut ante ostendimus. Deinde quia in Nov. etiam Testam. legitima hominum juramenta probantur: eaque Deum imitatum ostendit Apostolus, & utilitatem illius demonstrat insignem, Hebr. 6. 16. ut supra indicavimus. Deinde cultus Dei in Novi Testamenti Ecclesia futurus, juramenti voce per Synecdoc. describitur, Esai. 19. 18. & 45. 23. quemadmodum Apostoli explicatio, Roman. 15. 14. demonstrat. Denique sancta ac probata juramenti exempla, etiam in Nov. Test. idem comprobant: primum Jesu Christi, qui ad veritatis confessionem à summo pontifice in Senatu, per Deum vivum adjuratus, admissa juramenti religione adjuranti paruit, Matt. 26. 63. 64. deinde Sanctus etiam Angelus (non minus, quam Daniel. 12. 7.) juravit per viventem in secula. denique Sanctus Apostolus Paulus, in suis Epistolis, Spiritus Sancti instinctu scriptis sæpius ad Dei gloriam & Ecclesię in veritate confirmationem, juravit. Cum enim juramentum sit religiosa Oratio, qua ad veritatis occultæ ac dubiæ, ac scitu necessariæ confirmationem, ad Deum, ut testem & perjurii vindicem, provocatur: illud non temere, sed gravi de causa, sanctaque prudentia, divinitus, à Paulo, multis in locis usurpatum: quemadmodum inprimis 2. Corinth. 1. v. 23. *Ego verò*, inquit, *Deum testem invoco*, (en Deus in testem citatur) *in animam meam* (en etiam in perjurii judicem, seu vindicem) id est, adversus animam meam, scilicet si mentiar: id autem de quo jurat, ita exprimit; *quod ut parcerem vobis, nondum veni Corinthum:* id quod Corinthiis scitu erat necessarium, ne calumniis adversariorum contrariis, à Pauli amore & Euangelio illius alienarentur. Qualia etiam exempla sunt plura; quibus suum de rebus magni momenti sermonem, Deo teste, ad aliorum dubitationem avertendam, confirmat, ut Roman. 1. v. 9. *Testis enim mihi est Deus, quod indesinenter meminerim vestri*, & c. 9. vers. 1. *veritatem dico per Christum*, &c. Ubi Christum tanquam omniscium cordium scrutatorem, Deum, qui supra omnia laudandus in secula, vers. 5. in testem animi sui citat. Quo etiam spectant multa, quæ initio protulimus similia; & inter illa, dictum Galat. 1. v. 9. *Ea autem quæ scribò vobis, ecce coram Deo, ὅτι, quod non mentior*, aut, ut ὅτι (quemadmodum sæpe apud Euangelistas & Paulum) redundet, *ecce coram Deo non mentior.* Imprecatio verò ista, *sin mentiar, Deus me puniat*, per aposiopesin seu reticentiam, pro Scripturæ sacræ (imò & Græcorum profanorum) trita consuetudine εὐφημίας, seu boni ominis gratia omittitur, ut etiam Genes. 14. 22. 23. *Levavi manus meas ad Iehovam*, &c. *si accepero*, supple *me puniat*, & Jerem. 42. 5. *sit Iehova inter nos*, &c. ubi ad plenam sententiam, intelligendum, *nos puniat.* Denique non solum jurandi formulis Apostolus est usus, sed etiam Ecclesiam adjurando, jurisjurandi religione exacta, ad officium obstrinxit 1. Thessal. 5. v. 27. *Adjuro vos per Dominum*, &c.

Cœterùm mirari quispiam posset, cur juramentum à Christo usurpatum, in probatione illius, antea à nobis omissum sit, nempe tritum illud vulgo argumentum, & ab insignibus Theologis etiam nostris propositum, nimirum quod Christus Matt.5. 18.& alibi sæpe usus fuerit hac forma juramenti, *amen dico vobis*, ut etiam *Amen amen dico vobis*, quod à solo Joanne, & quidem geminatum perpetuò profertur. Veruntamen mirari desinet, qui ea, quæ alias à nobis explicata sunt,perpenderit:ne quis tamen scrupulus supersit, paucis rationes solidas afferemus, & quasdam alias non ita plene explicatas illustrare conabimur.

Prima autem ratio est, quia vox Amen Hebræa, aut nomen est adjectivum, id est verus, ut Esa. 65. 16. *Iurabit per Deum Amen*, id est verum, quemadmodum L X X. τὸν ἀληθινὸν interpretantur: atque is unicus illius significationis in Vet. Testam. usus. Sic in N. Test. Apoc. 3. 14 *hæc dicit ὁ ἀμὴν*, id est, ὁ ἀληθινὸς, ut proxime declaratur, *testis ille fidus & verus*. & ante v. 7. Aut *Amen* adverbium est, idque usu frequentissimo, id est, verè; atque ita primum affirmationi inservit, citra ellipsin;& qualitatem dictorum indicat; neque aliud est, quam *verè:* quemadmodum Lucas demonstrat cap. 9. 27. collato cum Matth. 16. 28.& cap. 21. 3. collato cum Marc. 12. 43. deinde optationi hoc adverbium inservit, per ellipsin verbi substantivi,*verè*,supple *sit*, quemadmodum LXX. interpretes semel Amen exponunt ἀληθῶς verè, nempe sit, ut Jerem.28. 6. ubi adjuncta explicatione dicitur: *Amen*; *sic faciat Jehova*: alibi verò interpretantur constanter, γένοιτο, idque etiam cum Amen geminatur emphaticè, ad majorem affectum designandum, ut Psal. 41. 14. & 72. 21. & 89. 5. & 106. 48. *& dicat totus populus Amen, Amen.* LXX. γένοιτο γένοιτο. quo etiam sensu in N. Test. creberrimè repetitur; ut Rom. 1. v. 25. 1. Corinth. 14. 16. *Quomodo dicet amen ad tuam gratiarum actionem*? & alibi passim. Qui mos in Ecclesia etiam Romana Hieronymi tempore publicè adhuc viguit,quemadmodum in præfatione sua, in secundum librum commentar. in epistolam ad Galatas de Ecclesia ait, *Ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat & vacua idolorum templa quatiuntur.* Atque hæ sunt vocis Amen significationes: nullibi verò tanquam juramenti forma in Sac. Lit. usurpatur. Deinde cum ea voce Deus in testem & judicem veritatis non citetur, juramentum dici non potest. Denique cum juramentum non frequenter, sed rarò adhiberi debeat, ne Dei nomen temere usurpetur, & Deus etiam rarò juravit in eadem oratione: satis inde apparet, amen non esse juramentum; quandoquidem Christus hac loquendi formâ in eadem concione creberrimè est usus, ut in concione sua in monte sexies, Matth. 5. v. 18. 26. & 6. 2. 5. 13. & 16. & in sermone ad Capernaitas, *Amen, amen dico vobis*, quater prolocutus est Joann. 6. v. 26. 32. 47. 53. Neque sanè ea, quæ adferri solent, ut Amen juramentum esse probetur, solida sunt argumenta. Nam quod è V. Test. obtenditur dictum Esaiæ c. 65. 16. *qui jurat in terra, jurabit per Deum Amen*, ut Vulg. Interp. transtulit: Ergo Amen forma juramenti: id inquam minimè sequitur: quia cum *verum* notet,aut *verè*, priori significatione est Epitheton Dei, quo à falsis Diis discernatur,ut LXX.antè ostendimus vertisse τὸν ἀληθινὸν: altera verò significatione qualitatem tantùm juramenti notabit per Deum verè: ut falso opponatur: neutra verò ratione est forma juramenti: ut quæ antecedentibus verbis hisce, *jurabit per Deum*, exprimitur. Sed alterum ac Paulò speciosius argumentum (licet objectum non meminerimus) peti potest, ex Num. 5. v. 22. ubi mulier Zelotypiæ nomine suspecta, & juramento execrationis adjurata respondet, Amen, amen: quo juramentum citra controversiam continetur. Verum inde non sequitur, juramentum per se in eo positum; sed per se tantum est optatio: per accidens verò adjurationis antecedentis, ac per ellipsin intellectæ, juramentum petitum confirmat: & sensus est, *verè sit*, nempe, ut ad jurasti: unde etiam LXX. interpp. rectè sensum transtulerunt, γένοιτο γένοιτο *sit sit*; nempe, quod dixisti. Quemadmodum cum ad laudationem Dei præcedentem adjungi solet, *amen, amen*, id est, *verè, verè*, supple *sit*, nimirum Deus laudandus: non quod amen amen, per se hoc designet: sed quod præpositum voto confirmet. Verum è N.T. superest postremum argumentum ex Epistola Heb. 6. v. 13. 14. *juravit per se ipsum, dicens*, ἦ μὴν *certè benedicens benedicam tibi.* Unde colligunt *certè* esse formam juramenti, ac propterea etiam amen, quod idem quod *verè, certè*,notat: sed perspicuus est error, quia hoc in loco qui obtenditur, forma jurandi antecedit, cum dicitur, *juravit per se ipsum:* vox verò ἦ μὴν *certe quidem, equidem, utique*, quemadmodum doctissimi viri rectè interpretantur expletiva est particula, ac respondet Hebræo כי *quod:* ut sententia, quam Apostolus citat, ostendit, nempe Genes. 22. v. 17. *juravi per me, dictum Iehovæ quia hoc fecisti* &c. hoc juramentum: deinde subjicitur res, quam juramento isto confirmat, nimirum כי, id est, *quod benedicens benedicam tibi*, pro qua voce כי *quod*, LXX. & Apostolus ἦ μὴν, id est, *certè quidem*, aut *equidem* posuerunt. Atque certum omninò est, vocem כי Hebræis non esse juramentum; sic etiam ἦ μὴν, id est, *certè quidem*, quia apud Græcos tanquam affirmativa tantùm particula juramento postponitur, & rei juratæ præponitur sæpius (nam non infrequenter omittitur) ut ex Pollucis Onomastico lib 8. cap. 6. constat,& ex aliis etiam Græcorum authorum testimoniis. Quæ phrasis ἦ μὴν, etiam extra juramentum usurpatur: quemadmodum etiam Henric. Stephan. in Thesaur. Græc. Ling. è Thucyd. lib.8. ostendit. Cui addimus Homerum Iliad. lib. 2. vers. 291. ἦ μὴν καὶ πόνος ἐστὶν, id est, *certè quidem & labor est.* pro quo creberrimè apud eundem extat eodem sensu ἦ μὲν, tam extra juramentum, quam post illud. Verùm ut tritæ illius de voce Amen quasi juramentum esset, sententiæ, antiquitatem investigemus, duo observanda sunt testimonia. Primùm est Hieronymi, qui comment. in Ezechiel. cap. 16. ad ista verba Prophetæ, *vivo ego* &c. ait, *in Vet. Testam. Dei juramentum est*, *vivo ego dicit Dominus*, *in N. autem* (supple juramentum est) *Amen amen dico vobis*. Deinde August. tom. 8. tract. 41. in Joan. cap.8. 34. *Amen amen dico vobis, multum* (inquit) *commendat*, *quod ita pronuntiat quodammodo* (si fas est) *juratio ejus est*, *amen amen dico vobis. Amen quippe interpretatur verum*, *& tamen non est interpretatum, cum potuisset dici,verum dico vobis. Nec Græcus interpres hoc ausus est facere, nec Latinus. Nam hoc verbum quod est Amen, nec Græcum est, nec Latinum, sed Hebræum. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti: non ut esset velatum, sed ne vilesceret nudatum. Nec semel tamen,sed bis à Domino dictum est amen amen dico vobis. Jam quantum hoc commendatum sit, ex geminatione cognoscite, quid est ergo commendatum? verum verum dico vobis Veritas dicit: quæ utique, etsi non diceret verum dico, mentiri omninò non posset. Tamen commendat, tamen inculcat Dominus, quodammodo excitat,intentos facit, contemni non vult.* Ad August. verò quod attinet, non ait Amen esse jurationem; sed *quodammodo*: deinde ne id quidem asserit, sed dubiè proponit, cum ait, *si dici fas est.* Denique quod ait, vocem Amen Græcum interpretem non ausum esse interpretari, illud Luc. 9. vers. 27. & 21. vers. 3. refutat: cum vocem Amen exponit, ἀληθῶς *verè:* quemadmodum supra ostendimus. Neque ubi retentum est alibi, secretum latet, sed vox Hebræa in Judaica Ecclesia tritissima liberè retenta: & inde ad alias etiam Ecclesias usus dimanavit. Quemadmodum *Pascha*, *Manna*, *Halleluja*, Hebrææ seu potius Chaldææ voces, ob tritam inter Christianos consuetudinem, similiter in Nov. Test. sine ulla interpretatione proponuntur. Quod verò Hieron: *Amen amen dico vobis*, in Novo Testamento juramentum statuit, illud nullis firmat argumentis: imò contrariis rationibus solidis supra diluimus. Atque hæc causa est, cur eo argumento vocis Amen, ad Christi juramentum probandum, non simus usi in antecedentibus. Id quod etiam tandem rectè ab insigni Theologo observatum, qui cum Amen prius inter juramenta in Novo Testament. usurpata statuisset, postea inter juramenti cognata retulisse comperitur. Atque hanc de *Amen* sententiam olim Lugduni Batavorum propositam à nobis, & proba-

probatam, similiter postea strictim asseruit doctissimus Fullerus, Anglus, in suis miscellaneis sacris. Quam sententiam hîc etiam ante aliquot annos repetiimus: nunc verò plenius eandem illustrare conati sumus.

Superest porrò alius scrupulus tollendus. Cum enim sententia Apostoli 1. Corinth. 15. v. 31. à magnis quibusdam Theologis adduci soleat, ut Paulum jurasse demonstrent: alii verò ab iis dissentiant: non ingratum, neque inutile fore speramus, si coronidis loco hanc controversiam nonnihil expendamus. Quia verò non solum de horum verborum sensu, sed etiam de genuina eorum lectione disquiritur, ab hac non immerito ordiemur. Verba enim Apostoli quidam ita legenda statuunt καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ ἡμῶν. *Indies morior, per nostram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.* Alii verò non ἡμετέραν, sed ὑμετέραν, id est, *vestram* legendum putant. Ratio prima eorum à constructione deducta est, quod ea aliàs requireret, ut diceretur ἣν ἔχομεν, *quam habemus*, (quod addendum putamus) τὴν ἐμὴν (ut etiam 2. Timoth. 4. v. 6.) vel τὴν καύχησίν μου, ut nimirum significatio utrimque vel pluralis, vel singularis retineatur; etsi enim vox ἡμετέραν numeri sit singularis, significationem tamen habet pluralem. Verum illud nihil obstat: quia etiam pluralis, & numeri & significationis, pro singulari enallage, ac commutatio, in Nov. Test. Apostolis (ut etiam bonis authoribus Græcis) trita, ut Joan. 3. vers. 11. *quod novimus, loquimur* & seqq. cum vers. 12. ubi puralia pro singulari ponuntur, & cum singulari miscentur. Sic etiam Paulus de seipso promiscuè plurali & singulari numero utitur, ut vel ex una parte orationis illius copiose demonstratur, ut 2. Corinth. 7. v. 2. quater de se plurali numero loquitur, & vers. 3. singularem & pluralen conjungit, λέγω & ἡμῶν, sic etiam vers. 4. μοὶ & ἡμῶν, 5. ἡμῶν & ἔσχηκεν atque iterum ἡμῶν, 7. ἡμῶν & ἐμῦ, 9. χαίρω & ἡμῶν, 12. ἔγραψα & ἡμῶν, 14. κεκαύχημαι & ἐλαλήσαμεν atque ἡμῶν, & cap. 13. 6. ἐλπίζω & ἡμεῖς: & in eadem epistola cap. 1. 13. 14. 15. 17. 18. Quamobrem ex hisce abunde demonstratum, enallagen pluralis pro singulari, esse usitatam, & Apostolo frequentem: quod bonis etiam authoribus Græcæ linguæ non est insolens: quos in Latina Cicero de se solo loquens, similiter est imitatus, ut in oratione pro Archia Poëta sub finem, *Confitebor*: *Nam quas consulatu nostro gessimus*, & postea, *mibi*. De *claris oratoribus*, paucis ante finem paginis. *Afferebamus. Nunc totum me.* & post unam aut alteram paginam, *Nos* &c. *diffluentes coerceret. Ita recepi me* Et in *Topicis*, pag. ultima, *Sum complexus* &c. *Nos* &c. *debuimus*. Et lib. 1. de inventione pag. circiter tertia à principio, *Existimamus. Ac mihi quidem videtur.* Quæ pluralia & singularia, de se solo, à Cicerone usurpata. Quare absurda non est lectio, neque constructio 1. Cor. 15. v. 31. quâ Paulus de se loquens, voce ἡμετέραν, id est, *nostram*, quæ propriè significationem pluralem habet, pro *mea* utitur: neque singulare ἔχω de Paulo eodem inconcinnè dicitur, non magis, quam si pro voce ἡμετέραν, eodem sensu ἡμῶν, numero plurali, per enallagen usurpasset. Quocirca prima ratione, quâ 1. Corinth. 15. v. 31. non ἡμετέραν legendum contenditur, soluta, & constructionis rectitudine asserta: ad alteram rationem, qua ὑμετέραν legi oportere statuunt, progrediemur. Ea autem ex antiquorum quorundam codicum consensu depromta est: sic enim hunc locum proponit & exponit Chrysost: eumque secuti Theoph. & Oecum. deinde versio etiam Syra, hac in voce convenit, ac *gloriationem vestram*, non *nostram*, interpretatur: quibus accedit vulgata versio latina, eamque secuti latini Patres, Ambros. Hieron. August. sed his non immerito opponi possunt plerique codices Græci manusc. nam ex 16. Robert. Stephan. exemplaribus, quatuor tantum istam lectionem præferunt; reliqua 12. ἡμετέραν habent: quod etiam non temere doctissimus & religiosissimus ille Typographus retinuit, in Græco contextu; ut etiam filius illius primùm Robertus, minori forma a. 1569. deinde doctissimus Henricus in accuratissima editione anno 1576. quibus accedunt editiones aliæ Græcæ à magnis viris, ex veteribus exemplaribus, diligenti collatione expressæ, ut inter alias Haganoensis 1531: & Basiliensis Bebelii anno 1531: & Parisiensis Colinei 1534. ut etiam Lipsensis cura doctissimi Camerarii adornata, & Basiliensis altera, ad non pauca venerandæ antiquitatis exemplaria accuratissime collata. Accedit codex, & versio Erasmi, & codices Græci, quibus Ambros. Catharinus in Comm: ad hunc locum est usus. Ac propterea prior lectio vocis ἡμετέραν à plerisque non temerè probatur, neque levibus argumentis posteriori præferenda apparet. Primò, quia gloriatio cujus hic meminit Apostolus, sequentibus non obscurè explicatur, cum ait, *quam habeo in Christo Jesu*; quo ostendit, se locutum, de sua, non verò Corinthiorum gloriatione, alioqui dixisset, per *gloriationem vestram*, *quam habetis*, *non autem quam habeo*. ut enim gloriatio mea, citra controversiam, ea est, quam habeo: sic gloriatio vestra est, quam habetis. Deinde eadem lectionis primæ significatio, per secundæ lectionis expositionem quæ adfertur, tandem confirmatur; quæ hæc est: ὑμετέραν vestram passivè accipi, id est, ut ajunt, *quæ est mihi de vobis*, intelligens Corinthiorum conversionem, ad fidem Christi, per suum ministerium, de qua dicit 2. Cor. 4. *vos estis gloriatio mea, corona mea.* At inquam, quis non videt, *gloriationem*, *quam habeo de vobis*, nihil aliud esse quam *gloriationem meam*, & per enallagen, eodem sensu, *gloriationem nostram.* Deinde vocem ὑμετέραν passivè accipi, insolens est, neque ullo Scripturæ, neque Græcorum authorum usu probatur. Quod autem dictum Pauli 2. Cor. 4. *Vos estis gloriatio mea, corona mea*, profertur; memoriæ error est: cum nec eo in loco, nec ullibi ita extet: licet 2. Cor. 1. 14. dicatur, *gloriatio vestra sumus, quemadmodum & vos nostra.* Denique interpretatio illa, qua *gloriatio vestra*, de conversione Corinthiorum accipitur, scopo Apostoli neutiquam conveni: qui est probare, Paulum indies mori: id quod ea Acorinthiorum conversione non confirmatur. Si verò *gloriationem nostram* legamus, Apostoli scopo optimè quadrat, ut Pauli de suis afflictionibus gloriatio apud Ecclesiam intelligatur: ut Rom. 5. vers. 3. *gloriamur in afflictionibus*, & 2. Corinth. 11. enumerata afflictionum suarum copia admirabili, ait vers. 30. *Si gloriari oportet, de iis, quæ infirmitates meæ sunt, gloriabor.* & 2. Corinth. 12. vers. 9. *gloriabor de afflictionibus meis.* Quare genuinam hujus loci lectionem satis demonstratam arbitramur: ac legendum, non *gloriationem vestram*; sed *nostram*, id est, meam, per enallagen. Quibus obiter addendum versionem vulgatam & Latinos Patres, vocem καύχησιν non *gloriationem*, sed minus rectè, *gloriam* esse interpretatos.

Reliquum igitur jam est, ut ad loci hujus sensum (de quo duæ sunt illustrium Theologorum diversæ sententiæ) expendendum procedamus. Quidam enim νὴ τὴν καύχησιν, *per gloriationem* (sive *nostram* sive *vestram* legamus) juramentum esse affirmant: alii verò non juramentum, sed asseverationem tantùm esse censent. Ac priorem quidem sententiam tuetur ac probat August: tom. 2. epist. 89 ad Hilarium, *sed*, inquit, *illa etiam inventa est, quam confitentur esse jurationem, ubi ait Apostolus: Quotidie morior, per vestram gloriationem fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. In Græcis enim codicibus reperitur, omnino hanc esse jurationem, nequis in latina lingua sic intelligat dictum per vestram gloriam, quo modo dictum est, per meum adventum iterum ad vos*, Philipp. 1. 26. sic etiam tom 4. de verbis Domini in monte, ubi recitatis non paucis Apostoli juramentis, subjicit: *sciat etiam hoc modo Apostolum jurasse; Quotidie morior per vestram gloriam. Quod ne quis existimet ita dictum tanquam si diceretur, vestra gloria me facit quotidie mori, Græca exemplaria dijudicant: in quibus scriptum est νὴ τὴν καύχησιν ὑμετέραν. Quod nisi à jurante dicitur.* Idemque pluribus tomo 10. sermone de verbis Apostoli (nempe Jacobi c. 5. 12.) *ante omnia nolite jurare* ab August. repetitur. Deinde Syra quoque versio juramentum esse statuit, expressa plenius elliptica juramenti formula sententia, cum transtulit מי *juro per gloriationem.* Denique Theologi insignes vulgo juramentum esse agnoscunt. Quibus non temere assensum præbendum

dum existimamus: ut eorum, quæ objiciuntur, imbecillitate demonstratur. Nam, quod ajunt idcirco juramentum hîc esse non posse, quia Apostolo jurandi occasio, & caussa omninò defuit hoc loco: temere autem jurasse (cum afflatu Spiritus Sancti hæc scriberet) sanctè dici nequit. Sed hisce merito responderi potest, Paulum non temere, sed justa occasione & causa jurasse. Occasio enim justa fuit duplex: una Corinthiorum ignorantia, quibus quotidianæ & gravissimæ, mortisque instar, Pauli pro Christo & Euangelio afflictiones erant ignotæ, & tamen cognitu utilissimæ: ut 2. Cor. 1. v. 8. 9. 10. recitatur: *non enim volumus vos ignorare*, &c. Altera occasio fuit invida adversariorum Pauli apud Corinthios malitia, qua dicta factaque illius calumniabantur, ut Corinthiis suspectum atque odiosum redderent, eoque modo à sinceritate Euangelii ab Apostolo prædicati, averterent; quorum impietatem ac fallaciam, 2. Cor. 11. inde à vers. 2. ad 13. depingit. Causa verò jurandi fuit similiter justa ac gravis: nimirum ut jurandi religione interposita, suam, de quotidianæ quasi mortis perpessione, sententiam, adversus falsorum Apostolorum calumnias præmuniret, & Corinthiorum fidem amplius confirmaret, eosque suo illustri exemplo, ad persecutionis, pro Euangelio Christi, tolerantiam, animaret ac consolaretur, ut 2. Cor. 1. v. 6. demonstrat. Quamobrem ex hisce apparet perspicuè, Apostolum non leviter, sed justâ, cum occasione, tum causa, hoc loco potuisse jurare: & quidem non minus justè, quàm aliis in locis, ubi revera & rectè à Paulo juratum agnoscunt authores illi, quorum sententiam examinamus. Quemadmodum illud primò ex c. 1. ad Rom. liquet, ubi postquam suum, de invisendis Romanis desiderium ac studium indicavit, & nihilominus longo tempore abfuisse notum esset; idcirco ne infirmiores de ejus affectu serio dubitarent: neve ab adversariis inter illos versantibus, Rom. 16. v. 17. 18. illud exprobraretur: opportunè atque utiliter, jurejurando dictum suum confirmat, vers. 9. 10. ut & suspicionem noxiam & calumniam præscinderet. Similiter deinde quia promissum suum ad Corinthios reditum, opinione & expectatione eorum diutius distulerat, adeo ut amor illius erga Euangelium, & orationis seu promissionis veritas in dubium vocaretur, idcirco 2. Corinth. 1. v. 23. utrique malo occurrens, causam dilati adventus sui justam exponit, & juramento confirmans, ait: *Ego verò testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, nondum veni Corinthum.* Quemadmodum etiam ut amorem suum erga eosdem, à falsis Apostolis suspectum redditum demonstraret, addito juramento v. 11. & 12. obsignat, hoc modo, *Propter quid?* (an) *quia non diligo vos? Deus novit.* Denique ut alia prætereamus, Apostolus Galat. 1. ut ante ostendimus, narrationem à se propositam, spectata Galatarum infirmitate, & falsorum ac seducentium doctorum maledica calumnia, opportunè ac rectè Deum veritatis testem appellando, ad fidem faciendam juramento utitur. Quare ex hisce satis apparet Apostolum, 1. Corinth. 15. vers. 31. justam jurandi & occasionem & causam habuisse, & quidem non minus, quàm aliis in locis; uti jam demonstratum. Deinde phrasis etiam Apostoli juramentum esse ostendit: quia vox Græca νὴ consequente accusativo posita, certum est jurisjurandi signum: neque alius illius usus à doctissimis ac diligentissimis Græcæ linguæ magistris, hactenus observatus. Id quod etiam August. loco à nobis supra memorato testatur, & ut indubitatum juramenti argumentum urget, ut etiam tom. 10. serm. 28. de verbis Apostoli Jacobi, *Ne jurate omninò*, dictum 1. Cor. 15. v. 31. declarans ait: *ambiguitatem Græcus sermo dissolvit, inspicitur in epistola Græca, & invenitur ibi juratio, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν; νὴ τὸν Θεὸν, ubi dixerit Græcus, jurat.* Nam quod Oecum. duplicem interpretationem adducit hujus sententiæ, νὴ τὴν καύχησιν, cum ait, *jurat*, aut *sensum esse*, νὴ διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν quasi ellipsis esset vocis διὰ, id est, *propter*: illud à recenti homine Græco, contra Linguæ Græcæ rationem, usumque perpetuum, sine ullo exemplo, temerè assertum.

Cœterum ad majorem rei illustrationem duo supersunt scrupuli, qui re accuratius perpensâ, occurrunt: ac propterea indicandi ac removendi: quamvis vulgo minus observari videantur. Prior est, in hac sententia Apostoli, νὴ τὴν καύχησιν ὑμετέραν, neque verbum *juro*, neque formam juramenti perfectam extare. Verùm inquam, licet vox *juro* non exprimatur, per ellipsin tamen, perpetuo Græcorum usu, post vocem νὴ intelligitur, & ad sententiam perficiendem, subaudiendum ὀμνύω *juro*. Quare cum jurare absolutè, sine Dei nomine adjuncto, sit Deum testem, judicemque rei ignotæ advocare; juramentum hoc loco ratione genuini sensus, contineri meritò statuitur: Ac propterea jurandi forma est, sed elliptica: quemadmodum etiam apud Græcos idem valent hæc duo ὀμνύω & ὄμνυμι τὸν Θεὸν, *juro per Deum*, & νὴ τὸν Θεὸν, quorum prius verbum juro exprimit, alterum post vocem νὴ per ellipsin omittit, pro phrasis natura, ac nihilominus sensu suo includit. Imo interdum, eadem manente sententia juramenti, amplior ellipsis apud Græcos comperitur. Nam ut νὴ in juramentis, quibus aliquid affirmatur, & μὰ in quibus aliquid negatur, hac ellipsi in usu est, sic etiam cum utroque, & jurandi verbum, & Dei nomen, posito tantùm articulo reticetur. Ac *secundi* quidem exemplum diserte extat apud Aristoph. ἐν Βατράχοις μὰ τὸν, edit. Basil. cum Græcis Scholiis pag. 183. (supple Θεὸν) quam ellipsin olim religiosæ cautionis gratia, adhibitam esse, Scholiastes Græcus ad eum locum declaravit. Unde tandem progressu temporis irreligiosus abusus promanavit: quemadmodum ex Philone Judæo, linguæ & Philosophiæ Græcæ peritissimo, constat: qui hunc morem describens, libro de specialibus legibus, in principio operis, Græcæ editionis Regiæ pag. 526. *Solent*, inquit, *nonnulli, ubi tantum prolocuti fuerint*, νὴ τὸν, aut μὰ τὸν, *nihil assumentes, prætextu abscissionis* (supple sermonis) *declarare juramentum non esse factum.* Quem abusum ut rectè Philo perstringit: sic ipsemet alium popularium suorum Judæorum errorem communem, quasi correcturus priorem, perperam substituit: quem indicare, vel hoc nomine, operæ pretium arbitramur: ut eo plenius intelligantur ea, quæ adversus levia ac sæpius falsa Judæorum juramenta, Matth. 5. vers. 34. 35. & 23. 17. 18. à Christo proposita sunt. Sic antem Philo iis, quæ modo recensuimus, verbis, continuò (quasi scilicet medelam) subjicit: *Assumat verò quis, si velit, non quidem statim altissimam, & antiquissimam causam* (sic Philo Deum vocat) *sed terram, solem, stellas, cælum, universum mundum: quia ea præstantissima, antiquissima, & Dei sententia æternum duratura.* Quibus similis diserti illius viri lapsus, ibid. proximè præcedens videtur non importunè neque incommodè posse adjungi. Sic autem disserit: *Et nisi jurare necessitates cogant, per patris aut matris viventium sanitatem, & bonam senectutem, per mortuorum verò memoriam jurandum. Hi enim divinæ potentiæ imagines sunt, & similitudines: qui cum non essemus, ut essemus, produxerunt. Describitur quidam in legibus priscorum, & ob sapientiam mirabilium, qui juravit per timorem patris: pro utilitate opinor posterorum, & doctrina necessaria, ut parentes, quemadmodum oportet honorent, amantes tanquam beneficos, & reveriti tanquàm à natura constitutos principes: & non facile aggrediantur Deum nominare. Digni laude sunt etiam illi, qui cum coacti sunt jurare, differendo, tardando, ac tergiversando, metum non solum spectatoribus, sed etiam ad juramentum provocantibus injiciunt.* Hactenus Philo: Cujus scopus quidem rectus est, ut à quotidianis levibusque, per Deum, juramentis avertat, sed modus ad eum destinatus vitiosus est, & ex Iacobi Patriarchæ verbis (Genes. 31. v. 53. *juravit Iacob per timorem patris*) male intellectis, depromtus: nam *timor* vel *pavor*, Hebr. פחד hoc loco Metonym. Deum, quem Isaac timebat ac colebat, periphrasticè designat: quemadmodum rectè Chald. paraph. Onkelos exponit, *per eum quem metuebat pater ejus Isaac.* & paraphrasis Ierosolymitana & Ionathanis, *per Deum quem metuebat Pater ejus Isaac* באלהא דדחיל ליה אביו יצחק: eodemque sensu vers. 42. *pavor* vel *timor Isaaci* ab iisdem authoribus rectè exponitur de Deo, quem Isaac metue-

metuebat: non propriè, de timore, quo Jacob patrem timebat: qui Jacobo non fuit auxilio, (quod de timore hoc vers. 42. dicitur) sed Deus, qui solus Labanis furorem oraculo represserat, vers. 24. Atque hoc etiam modo, Esa. 8. v. 13. de Jehova dicitur; *ipse timor vester*. Atque hoc modo primus scrupulus supra à nobis objectus satis est solutus, nimirum quod quamvis *jurandi* vox non exprimatur, cum dicitur, νὴ τὴν καύχησιν: nihilominus tamen necessario per ellips. ex constanti Græcæ phrasis usu intelligitur: adeò ut sensus sit, *juro per gloriationem nostram*.

Superest alter scrupulus expediendus, & quidem priori, ut videtur, multo gravior. Esto (dicat aliquis) jurandi vox per ellips. intelligatur: per solum tamen Deum jurandum, Deuter 6. v. 13. non verò per aliud: hic autem dicitur per gloriationem nostram; ideoque cum Paulus, ex afflatu Spiritus Sancti hic loquatur, per gloriationem suam jurare non potuit. At inquam propositio distinctionem requirit; alioqui non est vera. Nam per solum quidem Deum tanquam testem ac judicem jurandum; non autem eo modo, per aliud, qui sensus est loci, Deuter. 6. Licet tamen per Deum jurando, etiam per aliud adjunctum, alio sensu, non ut per testem ac judicem, sed ut per pignus, quod Dei judicio, si jurans fallat, auferendum obstringitur. Id quod accuratè ab August. tom. 10. sermon. 28. de verbis Jacobi, *Ne jurate omninò* explicatum: *maximè*, inquit, *per Deum cum fit, ipsa est vera juratio Quia cum dicit quisquam, per meam salutem, salutem suam Deo obligat*. Hæc August: idemque indicat Christus, Matth. 23. v. 21. *qui jurat per templum, jurat per ipsum & per eum qui habitat in eo*, id est, per Deum, & vers. 23. *& qui juravit per cœlum*, &c. sed tamen sensu utrimque diverso: per Deum quidem, ut testem ac judicem: per templum verò & cælum, tanquam pignora; quæ Deo, à jurante obstringuntur, ut si fallat, ab eorum fructu excludatur. Qualis etiam juratio illa videtur Josephi elliptica, *vivit Pharao*, Genes. 42. 15. 16. id est, *juro per vitam Pharaonis*: ut Rab. Salomo ibidem rectè exponit, *juravit per vitam Pharaonis*, & LXX interpp νὴ τὴν ὑγίειαν: quemadmodum etiam vulgata versio, *per salutem Pharaonis*, supple, *juro*, id est, Deum testem & judicem invoco, ut si mentiar, vita sive salute Pharaonis non fruar: non autem sensus est; ut Pharao vitam amittat, (quia hoc officio amoris, ac subjectæ observantiæ, regi debitæ, repugnabat) sed ut, eo salvo, pereundo caream. Ubi tamen obiter observandum, Josephum, impia Ægyptiorum consuetudine abreptum, dum fratres tentat, pejerasse. Tale etiam juramentum, *per salutem Cæsarum*, etiam Christianis olim usitatum profitetur Tertul. Apolog. cap. 32. *Sed & juramus*, inquit, *sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis*, &c. *id in eis scimus esse, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus*. Sic 1. Sam. 17. vers. 56 Abner Sauli jurans ait, *vivit anima tua*, scil. per quam juro, id est, per quam, ut pignus, Deum testor: ut, si mentior, eâ salva, periens priver: & 1. Sam. 20. v. 3 David Jonathani jurans ait, *vivit Jehova & vivit anima tua*, & 2. Sam. 15. v. 21. *vivit Jehova & vivit Dominus meus Rex*, scilicet per quem, ut pignus juro. Nam quod ait David, 1. Reg 1. 30. *juravi tibi per Iehovam Israelis*, eodem sensu ante v. 19. dictum, *vivit Iehova*, sc. per quem ut testem juro: & Jer. 4. 2. *Iurabis, vivit Iehova*, quod idem est, atque quod Deut. 6. 13. extat, *jurabis per nomen Iehovæ*: & quod Deus ait Jer. 22. 24. *vivo ego*, idem est, quod ante v. 3. dixerat, *per me juravi*. Sic etiam *vivit Iehova*, & *vivit anima tua*, vel *vivit Rex*, per similem ellipsin etiam, per Deum, & per animam, & per regem juro: sed per Deum tanquam testem; per reliqua, tanquam pignora, Deo obstricta: ut ante ostendimus. Nam sine ellipsi dictum: *vivit Deus* & *vivit anima tua*; simplex tantum est affirmatio: juramentum verò per ellipsin includitur (ut apud Græcos νὴ) quando ad probationem sermonis adhibetur. Quibus jam explicatis, addimus Apostoli juramentum, quo & per Deum, ut testem, & per animam suam, ut pignus juravit 2. Cor. 1. v. 23. *Ego vero*, inquit, *testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis Corinthum non venerim*, ubi juratio per Deum primùm indicatur, cum ipsum in testem invocat: deinde etiam per animam suam jurat; non ut testem ac judicem: sed ut pignus Deo obstringens, ut si mentiatur, illud ipsi auferat, cum ait: *in animam meam*. Denique ut ad rem ipsam redeamus, 1. Cor. 15. v. 31. cum Paulus ait νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἣν ἔχω, per νὴ (supple ὄμνυμι, juro) Deum testem ac judicem invocat; cum verò addit per *gloriationem nostram*, eam non ut testem ac judicem invocat: sed ut pignus judicio Dei obligat: ut scil. ipsum, si mentiatur, ea gloriatione de perpessionum pro Christo tolerantia privet. Ac propterea hoc diverso, per Deum, & per gloriationem suam, jurandi modo ac sensu, in Dei præceptum, quo per ipsum solum jurandum statuitur, nequaquam peccatur: ideoque scrupulus ante objectus, etsi prima fronte speciem veritatis prætendat, merito corruit. Atque hactenus illustris ac controversæ sententiæ Apostoli, 1. Cor. 15. v. 31. genuinam lectionem asserere, & juramentum esse demonstrare conati sumus.

Quamobrem doctrinâ de juramento adversus Anabaptistas ad illustrationem sententiæ Pauli, Gal. 1. 20. confirmatâ, ad reliqua quæ supersunt ac facilia sunt, absolvenda, procedemus. Descripta enim profectione sua Hierosolymam duo adjungit, primò Reditum in Syriam & Ciliciam, de quo Actor. 9. vers. 30. & 1. 35. deinde ne quis forte putaret, ipsum Ecclesias Judææ prius invisisse, & in eis Euangelium plenius edoctum, ei opinioni occurrit, quod Judææ Ecclesiis, Christo per fidem insitis, facie non esset notus, v. 22. sed tantum famâ, quod audissent, ex persecutore fidei in Christum, illius factum esse præconem v. 23. eaque de causa ob Pauli conversionem Deum authorem illius celebrabant.

Consectaria capitis primi, ex autographo, anni 1594. collecta.

I. Cum Paulus sit Apostolus Christi, habet authoritatem imò necessitatem docendi 2. Cor. 5. v. 20. & 1. Cor. 9. v. 16. Eoque cum ex Deo loquatur audiendus cum attentione, Luc. 10. 16. Joh. 13. 10. & 1. Thess. 2. v. 13. & benevolentia: quia Euangelium verbum reconciliationis annuntiat, 2. Cor. 5. v. 19. & 20.

II. Ministrorum ecclesiæ vocatio est duplex: legitima, aut illegitima. Illa est quæ Deum habet authorem. Estque vel immediata seu merè divina; quæ non per hominem fit, sed singulari Dei revelatione: qualis Prophetarum & Apostolorum vocatio: vel mediata & mixta, quæ per homines, ex verbi divini præscripto. Illegitima est, quæ Deum authorem non habet; sed merè humana est: qualis eorum, qui contra Dei præscriptum ab aliis vocantur, vel αὐτοχειροτόνητοι, (ut Oecumenius loquitur 1. Cor. 1. 1.) sua sponte sese in Ecclesiam ingerunt.

III. Cum Paulus se non ab hominibus neque per hominem (nempe merum) apostolum asserat, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, &c. sequitur Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον merum hominem, ut Ebionitæ statuunt: sed verum cum Patre Deum: nec ψιλὸν θεὸν merum Deum & ἄνθρωπον κατὰ δόκησιν, ut Cerdon, Marcion, Manes; sed etiam verum hominem (ideoque θεάνθρωπον) cum ex mortuis suscitatus sit: restitutâ corpori, à quo divulsa erat, animâ.

IV. Cum hic διὰ causam efficientem principalem significet, ac Patri non minus quàm Christo tribuatur: sequitur errare Aëtium qui inde Christum Patris instrumentum, eoque minorem tradidit, quasi διὰ (quod ei ordinis, non necessitatis gratiâ plerumque tribuitur) id necessario significet.

V. Deinde cum Pater Filio postponatur: sequitur falsum esse, postpositionem esse certum minoris dignitatis argumentum; ac si Filius qui Patri plerumque postponitur, eo nomine esset inferior.

VI. Sua munia & dona recensere licet, imo opus est, modò id fiat animo humili, & Ecclesiæ utilitas ad gloriam Dei requirat.

VII. Cùm Dei jussu, tum ne authoritas ministerii nostri vilescat: consensus in vera doctrina cum fratribus colendus, & pro re nata testificandus est.

VIII. Non tam authoritatis nostræ, quàm salutis ecclesiæ habenda est ratio, v. 1. & 2.

IX. Omnia bona eorumque incrementa Dei benignitati sunt ascribenda: & ab eo per Christum cùm nobis, tum aliis potissimum fidelibus ex charitatis lege petenda, Jacob. 1. v. 17. Matth. 7. v. 11. & 22. v. 39.

X. Cum salus nostra merè sit gratuita: ejus gloria Deo in solidum tribuenda, 1. Cor. 1. v. 29. & 4. v. 7. Ephes. 2. v. 9. 1. Pet. 2. v. 9.

XI. In Christo solo spes salutis collocanda: quandoquidem pro peccatis nostris gratiosè satisfecit, & Deum nobis propitium ac patrem reddidit, Ioh. 14. v. 6. Actor. 4. vers. 12.

XII. Ingratissimi igitur sunt in Deum & Christum, & salutis suæ adversarii, qui Christi gratiam vera fide non amplectuntur: vel huic aliquid æquant aut adjiciunt. v. 3. 4. 5.

XIII. Ecclesiæ probè institutæ, quæque specimen constantiæ suæ dederunt, leviter ac turpiter concuti ac labi possunt.

XIV. Non quibusvis Spiritibus credendum est, licet illustri verbi divini nomine doctrinam suam venditent: sed probandi sunt, & in vera fide standum ac permanendum viriliter, 1. Ioh. 4. v. 1. Matth. 7. v. 51. Actor. 20. v. 28. 29. 1. Cor. 16. v. 13.

XV. Lapsæ in errorem Ecclesiæ non sunt rejiciendæ, nec serius aut rigidius, sed maturè & paternè revocandæ in viam & erigendæ. Ob id enim (inquit Chrysost.) majora scelera subierunt, quod in minoribus debita correctio non adhibetur.

XVI. Non illi turbatores seditiosi dicendi sunt, qui homines ad voluntatis divinæ normam & ordinem componere student: sed qui secus. Eoque falsò Pontificii, Achabi more, quod sibi convenit, Orthodoxis imputant, 1. Reg. 18. vers. 17.

XVII. Si aliud Pseudapostoli attulerint Euangelium: quid de Pontificiis & cœteris judicandum, qui è diametro ab Euangelio dissident, v. 6. 7.

XVIII. Cum Euangelii doctrina sacro Novi Testamenti codice διόπνευςος citra controversiam contineatur: sequitur Pontificis & Conciliorum, imo omnium hominum authoritatem, eo minorem.

XIX. Cum secus euangelizent Pontifices quàm Paulus Apostolus, anathema sunt: eoque inania & nihili facienda, quæ Orthodoxis contra denunciant anathemata.

XX. Cùm Euangelii adulteratio anathemati reddat obnoxios, gravissimè eos peccare liquet, qui hæreseos crimen elevant.

XXI. Eadem in nostris atque in adversariorum criminibus judicandis, utendum est norma. Itaque damnanda est quæ passim regnat προσωποληψία, v. 8. 9.

XXII. Verorum Christi ministrorum officium, & à mercenariis & hypocritis discrimen, est duplex, verbi divini sincera prædicatio, & gloriæ Dei studium, v. 10.

XXIII. Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem tantùm (ut Hebion & Photinus somniarunt) sed etiam verum Deum: Qua de re pluribus egimus, v. 1.

XXIV. Fideles in errorem recens seducti, ex fratrum numero non sunt expungendi, v. 11. 12.

XXV. In studiis, præsertim Theologiæ, exemplo Pauli, enitendum est literatæ juventuti, ut æqualibus suis diligentia & profectu præluceant, Phil. 3. v. 13. 14.

XXVI. In actionibus nostris, præsertim Dei cultu, nec frigere, nec affectibus humanis abripi, sed gloriæ Dei zelo fervere nos decet, Rom. 12. v. 11. Apocal. 3. v. 15.

XXVII. Cæterum zelo religioso, si cœcus sit, nihil est impotentius, nihil crudelius.

XXVIII. Eoque in cultu Dei non sufficit zelus seu ardens Dei gloriæ studium; sed etiam ad legitimam normam dirigendus est, ne à scopo aberret, Rom. 10. v. 3.

XXIX. Legitima zeli norma est verbum Dei: non autem ἐθελοθρησκεία, aut traditiones Patrum, Col. 2. v. 23. Ezech. 20. v. 18. 19. Matth. 15. v. 3. 9. Eoque vani in utroque Pontificii.

XXX. Utile est crebro meminisse quales fuerimus, ad pietatem & gratitudinem erga Deum, v. 13. & 14.

XXXI. Deum ecclesiæ suæ pastores elegisse inde ab utero: sed suo tempore & ad fidem, & ad munus vocare, alios maturius, alios serius, utrosque gratiosè, Matth. 20.

XXXII. Ac serius quidem, ut singulari misericodiæ & potentiæ exemplo peccatores ad fidem alliceret, & judicii nostri de peccatoribus temeritatem ac desperationem corrigeret.

XXXIII. Vocantur autem pastores non ut otium agant, & talentum divinum defodiant, aut ut dominentur ecclesiæ: sed ut pascant gregem Domini, euangelii pabulo, Matth. 25. v. 26. & 27. & 1. Pet. 5. v. 2. 3.

XXXIV. Mandatis Dei tanquam summi omnium rerum Domini obediendum.

XXXV. In obedientia requiruntur tria: reverentia Dei, ne carnis & sanguinis seu hominum judicio postponamus, Actor. 5. v. 29. diligentia, ne cunctemur, sed statim exequamur: & constantia, ne ulla difficultate absterreamur, v. 16. 17.

XXXVI. Deus omnium rerum & actionum judex est scientissimus, justissimus, potentissimus.

XXXVII. Eoque sincerè & absque fraude tanquam in ejus conspectu vivendum.

XXXVIII. Cum gloria Dei & salus proximi postulant, ad Dei tribunal provocare, eumque testem citare ac jurare Christianis est licitum, v. 18. 19. 20.

XXXIX. Infidelium conversio omniaque dona hominibus ecclesiæ bono collata, summo nobis gaudio esse debent, Luc. 15. v. 10. aliàs peccatur invidia aut gloriæ Dei neglectu, Num. 11. v. 28. 29. Matth. 20. v. 15.

XL. Eorum verò laus non homini, sed Deo adscribenda: sin secus, erratur superstitione & injustitia, 1. Cor. 4. vers. 7.

XLI. Quemadmodum Deus orandus est ut fideles operarios mittat in vineam suam, Matth. 6. v. 38. ita pro iis missis agendæ gratiæ: ut vitemus ingratitudinem, v. 21. 22. 23. 24.

CAPUT. II.

PAulus Apostolus primo Cap. asseruit, se neque Euangelium ab ullo homine edoctum: neque ab ullo mortali ad illud docendum, Apostolum esse institutum: sed utrumque per immediatam Christi revelationem esse consecutum. Id quod rerum à se gestarum & eventuum narratione probare cæpit. 1. ab immediata sui à Christo conversione ad fidem, & ad Euangelium prædicandum missione: deinde ab iis, quæ conversionem & missionem illam admirandam sunt secuta. Quæ pro temporum, locorum & actionum circumstantiis distinguit: declarando 1. quid primo triennio egerit: deinde quid post annum 14. Ad prius spectat profectio Hierosolymam, ad Petrum invisendum: & reditus inde in Syriam & Ciliciam. Quid autem ibidem egerit, non temerè silentio præterit: quia ad scopum ante positum, non pertinebat: satisque constabat, in Euangelii prædicatione fuisse versatum. Atque hæc quidem c. 1. comprehensa.

Porrò cæptam hanc narrationem Apostolus hoc secundo cap. pertexit: describendo ea, quæ post annum decimum quartum gesta. Quæ similiter pro temporum & locorum circumstantiis commodè distinguuntur: primùm enim profectio Hierosolymam, & ibidem cum Apostolis gesta: deinde acta cum Petro Antiochiæ recensentur. Ex quibus omnibus narratis luculenter ostendit Apostolus, se neque Euangelium ab Apostolis aut ullo homine edoctum: neque Apostoli munus ab ullo mortalium accepisse: sed utrumque à solo Christo consecutum: & ab ipsismet Apostolis agnitum & approbatum. Ad prius autem membrum quod attinet, nempe profectionem Hierosolym. ea proponitur, atque exponitur decem prioribus versibus.

Proponi-

Proponitur autem verſ. 1. his verbis, *aſcendi Hieroſolymam.* quæ phraſis trita in Sacris Literis, ac nota ex ſitu urbis in regione altiori ac montoſa, unde eo proficiſcens *aſcendere,* Matt. 20. v. 17. 18. & inde diſcedens *deſcendere* dicitur, Marc. 3. v. 22. Luc. 10. v. 30. Exponitur verò hæc profectio deſcriptione oportuna, ab adjunctis illius circumſtantiis, & cauſa. Adjuncta autem circumſtantia eſt duplex, v. 1. tempus, & comites. Ac tempus quidem ita notatur, deinde διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, id eſt, *poſt quatuordecim annos,* ut vulg. interp. probè tranſtulit, & eodem ſenſu D. Beza *interjectis quatuordecim annis,* idemque ex ſimili loco Mat. 2. v. 1. illuſtrat, ubi etiam διὰ cum genit. pro μετὰ *poſt,* accipitur, intravit Capernaum δι' ἡμερῶν, *poſt dies* (ſcilicet aliquot) ut vulgatus interp. ſeu *interjectis* (*aliquot*) *diebus,* ut Beza. cui exemplo alterum adjungimus, Actor. 24. v. 17. δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων, *poſt annos autem plures.* quæ tria tantum loca in Novo Teſtamento ea vocis διὰ ſignificatione extant. Quibus eodem ſenſu reſpondet phraſis Græca, in Lyſidis Pythagorici, ad Hipparchum, Epiſtola, quæ ad finem Diogenis Laertii editionis Henr. Stephani extat, pag. 875. ἕως αὐτοὶ διὰ πέντε ἐτέων ἐγενόμεθα δεκτικοί, *donec interjectis aut exactis quinque annis capaces facti ſumus.* Deinde eandem hujus vocis διὰ ſignificationem à bonis Græcæ linguæ authoribus, uſurpatam eſſe ab Henr. Steph. in Græc. Ling. Theſauro, ex Thucydide & Scholiaſte illius, demonſtratur. Atque hæc quidem de tempore profectionis Pauli Hieroſolymam, quæ prima illius adjuncta circumſtantia. Altera verò ſunt comites illius duo, ſed authoritate diſpares. Primarius ac Paulo non inferior eſt Barnabas, de quo Actor. 4. v. 26. & 11. v. 22. 24. 25. & 15. v. 26. qui etiam antehac Paulum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ignotum, ad Apoſtolos (Petrum & Jacobum, Gal. 1. v. 18.) primus adduxerat, Actor. 9. v. 17. & Spiritus Sancti juſſu adjuncto comite Paulo, ad prædicationem Euangelii emiſſus, Actor. 13. v. 2. quem Paulus etiam ſibi ex reliquis Apoſtolis, parem agnoſcit, 1. Cor. 9. v. 6. Huic porrò primario comiti, ſecundò alius atque inferior fuit Titus, Pauli authoritate adjunctus, unde *ipſum aſſumſiſſe* dicitur, jure ſcilicet ſuo, ac prudenter: jure ſuo, quia eum ad fidem & accuratam Chriſti notitiam adduxerat; unde ipſum *filium ſuum genuinum,* vocat, Tit. 1. v. 3. prudenter verò; quia miniſterio illius fideli uti volebat, quemadmodum etiam in Euangelii prædicatione, ſanctiſque obeundis legationibus, fidelem illius operam expertus poſtea, 2. Cor. 2. v. 12. & 7. v. 6. & 8. v. 6. 16. unde *ſocium ſuum* & *adjutorem* appellat, v. 23. qualis fuit Timotheus, qui ſimiliter *Paulo miniſtraſſe* dicitur, Actor. 19. verſ. 22. atque *Euangeliſta* 2. Tim. 4. v. 5. id eſt, extraordinarius, poſt Apoſtolos, & cum iis Euangelii miniſter, in locis diverſis, appellatur: quemadmodum *Euangeliſta,* Eph. 4. v. 11. & Actor. 21. v. 8. accipitur: idcirco etiam prudenter Apoſtolus Titum Hieroſolymam ſecum aſſumſit, ut Chriſtianæ libertatis adverſarios, illius præſentiæ, tanquam hominis Græci atque incircumciſi permanentis, occaſione, confutaret; ejuſque ſacrum Euangeliſtæ miniſterium impoſterum ſtabiliret: quemadmodum ſequentia verba demonſtrant. Nam quod veteres nonnulli, & Pontificii, & quidam alii, Titum inſulæ totius Cretæ, ordinarium, ſuffragiiſque præfectum Epiſcopum aſſerunt, & ex Pauli ad Titum epiſtola, cap. 1. v. 5. contendunt, illud omnino alienum eſt. Verba enim hæc ſunt: *hujus rei gratiâ reliqui te in Creta, ut reliqua pergas corrigere & conſtituas oppidatim Presbyteros, ſicut ego tibi mandavi*: quæ verba non docent, Titum ordinarium in Creta fuiſſe Epiſcopum, multò minus ſuffragiis conſtitutum, ut ſubſcriptio hujus epiſtolæ conſueta ſtatuit: ſed extraordinario Euangeliſtæ officio, ad tempus ibidem à Paulo relictum, ut ordinem Eccleſiæ corrigeret, & ſinceram Euangelii doctrinam confirmaret: utque eo peracto, deinde à Paulo revocatus, ad ipſum rediret, Tit. 3. 2. quemadmodum etiam & ab Apoſtolo deinde ad Eccleſias diverſas fuit miſſus, ut ſupra oſtendimus: ac denique Paulo Romæ tandem vincto adfuit: indeque in Dalmatiam profectus, 2. Tim. 4 verſ. 10. Quæ cuncta ordinario Epiſcopo (qui certo loco adſtrictus) adverſantur. Deinde illa *Epiſcopi* ſignificatio, quæ poſt Apoſtolorum tempora introducta, in Sacris Literis omninò inſolens eſt: in quibus idem quod Presbyterum notat, ut Paulus Tit. 1. 6. oſtendit: quos enim verſ. 5. *Presbyteros Eccleſiæ,* eoſdem verſ. 7. *epiſcopos* vocat: quemadmodum etiam Epheſinæ Eccleſiæ *Presbyteros,* Actor. 20. verſ. 17. à Luca dictos, Paulus verſ. 28. *epiſcopos* appellat: & Phil. 1. v. 1. ſcribit, *ſanctis, cum Epiſcopis & Diaconis*; ubi per *Epiſcopos,* Presbyteros: non Presbyterorum ordinarios præfectos intelligit: alioqui, quod abſonum, in una eademque & Epheſina & Philippenſi Eccleſia, plures fuiſſent tales epiſcopi ordinarii, qui ſinguli multis paſtoribus præfuiſſent. Denique ubi Paulus miniſtrorum Euangelii genera enumerat, tales Epiſcopos, à presbyteris diſtinctos, iiſque ſuperiores non agnoſcit, ut Epheſ. 4. verſ. 11. Qua de re conſentanea omninò ac memoratu digniſſima Hieron. ſententia extat Comm. in Epiſt. ad Tit. cap. 1. ubi ex collatione v. 5. & 7. ſic colligit: *idem ergo eſt presbyter, qui epiſcopus.* Et (ut etiam ante à nobis factum) idem ex epiſtola ad Phil. 1. v. 1. & Actor. 20. v. 28. 29. aliiſque adjunctis demonſtrat: ac tandem graviſſima hac ſententia concludit. *Hæc,* inquit, *propterea, ut oſtenderemus, apud veteres, eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & epiſcopos: paulatim verò ut diſſenſionum plantaria tollerentur, ad unum, omnem ſolicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi propoſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate presbyteris eſſe majores.* Hactenus Hieron. quæ memorata conſuetudo tandem dominatum Epiſcoporum in Eccleſiam (contra Petri 1. Epiſt. 5. mandatum) perniciosè invexit. Quemadmodum etiam ex eodem fonte Presbyterorum ſecundariorum, ſeu Seniorum Eccleſiæ, (qui paſtoribus tanquam Socii & Ephori ad gubernationem Eccleſiæ ab Apoſtolis adjuncti) abrogatio promanavit. Nam gubernatores ſeu presbyteri Eccleſiæ, qui per Meton. *gubernationes* dicti, 1. Cor. 12. v. 28. & οἱ προϊστάμενοι *qui præſunt,* Rom. 12. v. 8. & 1. Theſſ. 5. v. 12. duplices ſunt, nimirum primarii, paſtores; & ſecundarii, qui illis ad conſilium & auxilium, in gubernanda Eccleſia, adjuncti: quos Paulus 1. Tim. 5. v. 17. non obſcurè inter ſe comparatè diſtinguit, his verbis: *qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habentor* (en generatim de presbyteris utriſque) additur: *maximè qui laborant in verbo & ſermone:* en ſpeciatim de presbyteris paſtoribus, qui per prædicationem Euangelii ac verbi Dei, ab aliis presbyteris, in ſola ſcilicet gubernatione occupatis, diſtinguuntur. De quibus, Epiſcoporum vitio, paulatim obſoletis, illuſtris atque ingenua extat Ambroſ. Epiſcopi querela, hoc tempore relatu digniſſima in Comm. ad Tit. 1. verſ. 5. *Unde,* inquit, *& Synagoga, & poſtea Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia. Quod, qua negligentia obſoleverit, neſcio, niſi forte doctorum deſidiâ aut magis ſuperbiâ, dum ſoli volunt aliquid videri.* Hæc Ambroſ. quo etiam modo ordo Eccleſiarum in Gallia & Belgio ſtabilitur. Hactenus igitur de duobus Pauli in profectione Hieroſolymam comitibus, nempe Barnaba & Tito. Quorum uſus fuit non exiguus, nimirum, ut iis tanquam duobus teſtibus, (uno quidem ex Judæis circumciſis, altero verò ex Græcis incircumciſis) res à Paulo Hieroſolymis geſtæ, & hic narratæ, tuto ſecundùm legem Deut. 17. verſ. 6. & Matt. 18. v. 16. confirmarentur: quemadmodum Hieron. & Ambroſ. hoc loco rectè obſervarunt. Atque hoc modo profectionis Pauli propoſitio, & expoſitionis illius pars prima, ab adjuncta temporis & comitum circumſtantia, explicata eſt, v. 1.

Altera verò pars eſt, quâ cauſa efficiens prima ſeu author illius, declaratur, verſ. 2. cum ait apoſtolus: *aſcendi autem* κατ' ἀποκάλυψιν, *ſecundùm revelationem,* ſcilicet, non hominis, ſed κατ' ἐξοχὴν, Dei, cui tanquam ſummo Domino, per revelationem, mandanti, paruit. Hæc de Pauli profectione Hieroſolymam, propoſita & expoſita, diximus: antequam autem ad ea, quæ ibidem geſta narrantur, procedamus, quæſtionem in hunc locum ante dilatam, non incommodè, cum nonnullis, expendere conabimur, ut etiam ea

iam ea quæ supra dicta sunt plenius illustrentur, & diversa Scripturæ loca eâdem operâ melius intelligantur.

Quæritur enim de profectionis hujus ordine, & temporis annorum XIV. principio.

Occasio autem quæstionis oritur, partim ex verbis istis Apostoli, v. 1. cum ait, *deinde & rursum*, quæ ordinem aliquem profectionis Hierosolymam, de qua agitur, designant. Altera occasio est, quod in Actis complures Pauli Hierosolymam profectiones enumeratur, & quidem quatuor citra ullam controversiam: quarum prima fuit Damasco, unà cum Barnaba, Actor. 9. v. 27. secunda ex urbe Antiochia, cum eodem comite, ad collectam Ecclesiæ eo deferendam, Actor. 11. v. 30. & 12. v. 25. tertia etiam Antiochia, cum eodem Barnaba, ad controversiam de circumcisionis necessitate ibidem ortam, ab Apostolis Hierosolymis dirimendam, Actor. 15. v. 2. 3. ultima denique, Actor. 21. 15. Præter hasce quatuor certas, etiam aliam insignes quidam Theologi profectionem Pauli in Actis describi arbitrantur, ut ita quinque sint numero: quidam enim aliam ante ultimam illam, quæ Act. 21. narratur, numerandam existimant, eam scilicet quæ describitur, Actor. 18. v. 1. quæ sane sententia verisimilis est: non quidem, quasi v. 18. de Pauli voto ageretur (cum nullus illius usus appareat, & votum illud perspicuè satis Aquilæ tribuatur) sed primùm, quia Paulus v. 21. absolutè sic loquitur, *oportet me omninò festum, quod instat, Hierosolymis agere.* Quod enim postea addit, *Deo volente*: illud ad hanc rem non pertinet: sed diversè ac distinctè ad reversionem Ephesum restringitur: quæ etiam postea describitur, Actor. 19. v. 1. deinde quia vers. 22. dicitur, *Cùm descendisset Cæsaream, ascendit & Ecclesiam salutavit.* id quod de Cæsarea, ejusque Ecclesia rectè intelligi non potest: quia eò non ascendisse, sed descendisse dicitur: verùm de Hierosolyma, ejusque Ecclesia: nam eò ex urbe Cæsarea adscendebatur: ut Actor. 25. v. 4. de Festo dicitur, *& ascendit Hierosolymam.* sic hoc in loco, *Cum descendisset Cæsaream, ascendit* scilicet Hierosolymam, ellipsi non insolenti: sed quemadmodum Joh. 12. vers. 20. usurpatur, *quidam,* inquit, *ex iis, qui ascenderant,* scilicet Hierosolymam: ut & finis indicat, cùm additur, *ut adorarent in festo,* ut etiam hoc loco, versus antecedens satis ascensum Hierosolymam prædixit.

Altera verò sententia ab alio insigni Theologo proposita est, quatuor illis Pauli profectionibus enumeratis, aliam esse præmittendam, nimirum eam, qua abiens in Arabiam, Hierosolymam transierit, eamque à Paulo declarari arbitratur, Actor. 22. v. 17. Verùm jam ante Gal. 1. v. 18. rationem adduximus, cur illud minus videatur consentaneum, contraque Actor. 22. idem indicari quod etiam cap. 9. v. 7. 8. & Gal. 1. 18. recensetur. Atque hactenus controversiæ de ordine & tempore hujus profectionis, Gal. 2. v. 1.

Quamobrem occasione jam explicata, ad eam quæ inde promanat quæstionem, accedendum. Ea autem est hujusmodi:

An hæc Apostoli Pauli Hierosolymam profectio, quæ Gal. 2. v. 1. describitur, ad aliquam ex quatuor illis, quæ certò in Actis memorantur, pertineat: an verò ad aliquam in iis præteritam?

AC prius quidem ferè omnes amplectuntur, & in eo consentiunt, nec ad primam quæ Actor. 9. v. 37. & Gal. 1. v. 18. recensetur, pertinere, quia ab ea & ordine, & annorum tempore perspicuè dividitur, Gal. 1. 18. & 2. v. 1. neque etiam ad ultimam, de qua Actor. 21. vers. 15. quemadmodum illud contrariæ utrimque temporum circumstantiæ demonstrant. De reliquis verò duabus mediis, ut ea hoc loco intelligatur, diversum sentiunt: quidam enim hanc Pauli profectionem secundam esse, è quatuor illis, arbitrantur: nimirum qua collectam cum Barnaba Hierosolymam detulisse dicitur, Actor. 11. v. 30. & quatuordecim annis elapsis, quorum hic mentio est, à conversione Pauli numerandis, id est, elapsis à prima profectione (quæ post tres à conversione annos contigerat, Gal. 1. v. 18.) undecim annis, contigisse: quæ sententia probabilis quidem, sed suis tamen difficultatibus obnoxia: quod causæ utriusque profectionis exprimuntur diversæ. Hujus enim, de qua Gal. 2. 1. causa efficiens fuit revelatio divina: illius verò, de qua Actor. 11. v. 30. Legatio Ecclesiæ humana. Deinde hujus finis, seu causa cujus gratia accidit, fuit doctrinæ Euangelii prædicatæ inter gentes collatio cum Apostolis, & patefactio consensus eorum, Gal. 2. 2. illius verò finis fuit Collectæ deferendæ officium, & pauperum Ecclesiæ, in Judæa, famis imminentis tempore sustentatio, Actor. 11. 29. 30. Quibus etiam accedit, quod quidam existimant, obstare Apostolorum commendationem, qua à Paulo petierunt, ut pauperum memores essent, Gal. 2. v. 10. quod non videatur satis cum oblata recenti Collecta quadrare. Veruntamen hæc duo diversa quidem sunt, sed non adversa: quia qui officium pauperibus necessarium, in Ecclesiæ Antiochenæ collecta deferenda, præstiterant, oportunè, ob famem imminentem, moneri potuerunt, ut imposterum prædicaturi inter gentes, Gal. 2. v. 9. pauperum meminissent, ad ampliorem collectam obtinendam: quemadmodum etiam Paulus hoc capite se fecisse testatur, v. 20. quemadmodum etiam in Ecclesiis Galatiæ, 1. Cor. 16. v. 1. 2. & Macedoniæ, 2. Cor. 8. v. 1. 6. 16. 23. & in Ecclesiis Achaiæ, 1. Cor. 9. v. 2. executus est: quam etiam collectam Hierosolymam deferendam placito Ecclesiarum, 2. Cor. 8. in se suscepit Apostolus, & fidelissimè ultima suâ profectione Hierosolymam executus declaratur, Rom. 15. v. 26. 27. Hæc de prima sententia. Altera porrò est, hanc Pauli, Gal. 2. v. 1. profectionem esse tertiam è quatuor antea recitatis, illam nimirum quâ ad Synodum Hierosolymitanum cum Barnaba profectus, Actor. 15. v. 2. quo etiam modo Ambros. & Theodor. interpretantur: &, ut omninò videtur, sic sensit Hieron. qui annorum quatuordecim, Gal. 2. 1. initium à prima profectione computat: quia eam anno 17. institutam tradit: idque nonnulli egregii Theologi non temerè sequuntur, ac verisimilis omninò est sententia: etsi suis etiam difficultatibus non carere videatur. Nam hujus profectionis author fuit Deus sua revelatione, Gal. 2. 1. illius verò fuit Ecclesiæ Antiochenæ de circumcisionis observatione perturbatæ, consilium ac statutum, ut Paulus & Barnabas Hierosolymam ad consulendos, de ea re Apostolos, mitterentur, Act. 15. 12. Altera deinde difficultas est, diversitas in comitibus profectionis utriusque: nam in ea, de qua Gal. 2. 1. fuerunt duo Barnabas & Titus: in ea verò quæ Actor. 15. 2. describitur, solius Barnabæ, nulla verò Titi mentio reperitur. Veruntamen hisce duobus scrupulis rectâ ratione occurri potest. Et primo quidem, quoniam Dei revelatio, & Ecclesiæ legatio ad hanc profectionem (quæ velut dissentanea inter se objiciuntur) tanquam causa prima & secunda ei subordinata probè consentiunt: Dei enim revelatio antecessit: legatio verò Ecclesiæ successit ei: ac prima illa causa, Gal. 2. 1. altera verò Actor. 15. v. 2. recensetur. Revelatio autem illa contigit Paulo, vel mediatè, per Prophetas, qui erant in Ecclesia Antiochena, per quorum revelationem antea quoque, cum Barnaba ad gentilibus nonnullis prædicandum, fuerat ab Ecclesia illa missus, Actor. 13. v. 12. vel revelatio immediatè Paulo facta. Deinde alter etiam scrupulus pari facilitate tollitur, propterea quod Act. 15. narrantur duo tantum legati ab Ecclesia, nempe Paulus & Barnabas: Titus verò non memoratur: quia non fuit legatus Ecclesiæ, sed tantùm comes à Paulo prudenter assumtus, ut distinctè Gal. 2. 1. exprimitur. Quamobrem hæc posterior de profectionis hujus Pauli ordine, & annorum principio sententia, meritò præferenda est, ac tutò amplectenda. Quod verò à quodam viro insigni conjicitur, hanc profectionem, de qua Galat, 2. v. 1. ad nullam earum, quas Lucas in Actis recenset, referendam, sed ab eo præteritam: fieri illud potuisse, minimè dubium est (cum & assumtionem Titi, & gesta Pauli cum Petro Antiochiæ, Gal. 2. narrata, omiserit)

ſerit) ſed præteritam probari non poteſt: ſed contrarium, ut ex ante dictis conſtat.

Quare hâc quæſtione jam expeditâ, ad ea quæ Hieroſolymis poſt hanc profectionem geſta narrantur, progrediendum eſt. Ea autem duo primaria capita complectuntur, nimirum expoſitionem Euangelii, inter gentes à Paulo prædicati, & conſequentem Apoſtolorum conſenſum. Ac prius quidem v. 2. deſcribitur, propoſitione generali, & declaratione illius ſpeciali. Propoſitio autem hæc eſt. *Et expoſui Euangelium quod prædico inter gentes.* Euangelium autem illud, fuit doctrina de merè gratuita credentium ſalute, per Chriſtum, & de liberatione à legali ceremoniarum jugo: quemadmodum doctrina Pauli inter gentes prædicata in Actis Apoſtolorum, & in Epiſtolis Pauli deſcripta perſpicuè demonſtrat. Hoc autem Euangelium ſe expoſuiſſe Hieroſolymis aſſerit, cum ait, ἀνεθέμην, quod verbum inter alia, *exponere*, ſeu *indicare*, apud bonos & antiquos Græcæ linguæ authores ſignificat: quemadmodum Budæus in Comment. Græc. Ling. & Henr. Steph. in Theſauro Græcæ linguæ teſtatur, & exemplis illuſtribus probat. Eoque etiam ſenſu uſurpatur, Actor. 25. verſ. 14. ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον *Expoſuit quæ ad Paulum*, ſcilicet *ſpectabant*, ut Clariſſ. Beza tranſtulit: & eadem mente vulgatus interpres, *indicavit quæ de Paulo*: quæ verbi ſignificatio huic loco, Gal. 2. v. 2. optimè convenit: & in antiqua illa verſione Latina, quam propoſuerunt & probarunt Ambroſ. & Auguſt. continetur: quam etiam commodè Clariſſ. Beza retinuit. Hæc de expoſitione Euangelii à Paulo prædicati, inter gentes. Declaratio verò illius partim diſtributione, partim finis adjectione inſtituitur. Ad prius autem quod attinet, expoſitio Euangelii à Paulo facta ſtatuitur duplex, publica & privata. Publica eſt, quæ publicè in Eccleſiæ Hieroſolymitanæ congregatione facta eſt, quæ ſtrictius his verbis indicatur: *expoſui eis* (nempe fidelibus qui erant Hieroſolymis) plenius autem paraphraſi quadam Actor 15. v. 4. deſcribitur. Privata verò diſtinctè ita exprimitur, cum ait: *privatim verò* (ſupple *expoſui Euangelium quod prædico inter gentes*: ut elliptica conſtructio in antecedentibus poſtulat) τοῖς δοκοῦσι: quod ad verbum vetus Latina apud Patres verſio tranſtulit, *qui videntur*, non ſatis rectè nec ſenſu expreſſo: ſed Eraſmus, aliique magis latinè ac fidelius, *qui ſunt in pretio*, interpretantur. Quod ut melius intelligatur, ſignificatio vocis duplex obſervanda: ut enim verbum δοκεῖν, ſic & participium ejus δοκοῦντες bifariam uſurpatur, primò Activè, ut *putantes* ſeu *exiſtimantes* notet: quemadmodum Joh. 20. 15. ἐκείνη δοκοῦσα *illa putans*; deinde paſſivè *qui videntur* vel *putantur*, ut Marc. 10. 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, *qui videntur imperare vel putantur*: & 1. Cor. 12. v. 22. *membra* τὰ δοκοῦντα, id eſt, *quæ videntur ſeu putantur infirmiora*. Ex qua paſſiva ſignificatione, οἱ δοκοῦντες apud priſcos Græcæ Linguæ authores, per ellipſin quandam eleganter dicuntur, *qui magni æſtimantur, ut* οἱ δοκοῦντες ſumantur pro οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, *qui videntur vel putantur aliquid eſſe*, id eſt, ἔνδοξοι *honorati, in pretio habiti*, ut memoratu digniſſima Euripidis in Hecuba ſententia oſtendit, quam peroportunè ad hunc locum Eraſ. in annot. ſuis expreſſit.

---- Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταὐτὸν σθένει, hoc eſt,
Oratio enim & ab inhonoratis profecta,
Et ab honoratis eadem, *idem non pollet*, ſeu *valet*.

Sunt autem verba Hecubæ ad Vlyſſem de orationis ſuæ, quæ ſerva ac contempta erat, & Vlyſſis, qui honore & auctoritate pollebat, diſcrimine. Quæ etiam ſignificatio in hiſce Apoſtoli verbis intelligenda: ut circumſtantia rei flagitat, & ſequens explicatio Pauli perſpicuè evincit: qui enim per ellipſin, hoc loco οἱ δοκοῦντες, ut & verſus 7. fine dicuntur, illi initio ejuſdem v. 6. ellipſi ſuppleta, vocantur, οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, *qui videntur & putantur eſſe aliquid*, id eſt, qui magni æſtimantur; & v. 9. οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, *qui videntur eſſe columnæ*: quos etiam ibidem nominatim exprimit, Jacobum, Cepham & Johannem, eximios Apoſtolos. Si quis autem quærat, cur Paulus Euangelium quod prædicabat inter gentes, non ſolùm publicè in Eccleſiæ cœtu, cui Apoſtoli etiam interfuerant, expoſuerit, ſed etiam Apoſtolis privatim, cauſam illius rei tradit Auguſt. ad hunc locum. *Quod ſeorſim expoſuit Euangelium iis, qui eminebant in Eccleſia, cum jam illud expoſuiſſet coram omnibus, non ideo factum eſt, quod aliqua falſa dixerat, ut ſeorſim paucioribus vera diceret: ſed aliqua tacuerat, quæ portare non poterant, qualibus ſe ad* Corinthios, *lac dicit dediſſe non eſcam* (locus autem extat, 1. Cor. 3. verſ. 2.) *cui eleganter conſentit, Heb. 5. v. 12. falſum enim dicere nihil licet: aliquando autem aliquid veritate utilius eſt. Perfectionem ipſius opus erat ut ſcirent cæteri Apoſtoli.* Hactenus ſententia Auguſt. Atque hæc quidem de expoſitionis Euangelii Pauli inter gentes prædicati declaratione prima, qua eam expoſitionem in publicam & privatam diſtribuit. Cui altera deinde ſubjicitur, à finis illius expoſitionis deſcriptione petita, cum ait: *ne quo modo in vacuum currerem aut cucurriſſem*, id eſt, ne quo modo labores mei, quos in prædicationis Euangelii certamine ſuſtineo ac ſuſtinui, inutiles reddantur: nimirum ſi ex falſorum fratrum calumnia, hæc opinio invaleſceret, doctrinam meam, ab aliis, à Chriſto primum inſtitutis apoſtolis, diſſidere: quemadmodum in Eccleſiis Galatarum per ſeductorum fraudem accidiſſe, in hac epiſtola graviſſimè conqueritur, cap. 1. v. 6. 7. & 3. 1. & 5. verſ. 7. Cæterum ut ea, quæ de hoc Apoſtoli fine ſummatim perſtrinximus, clarius intelligantur, *currendi* vox, qua labores ſuos deſignat, paucis, ob latentem in ea emphaſin ac pondus, explicanda: ut diſtinctè quem curſum deſignet, patefiat: nec enim propriè ea vox hoc loco accipitur, ſed gravi atque eleganti Metaphora, à curſoribus, in ſtadio, ad metam ac coronam curſu contendentibus, derivata, ob ſimilitudinem concinnam quæ inter curſores illos & Pauli actiones intercedit: Paulus enim perpetuo ſtudio ac laboribus, ut propoſitum eorum fructum aſſequeretur, ſeſe ſtrenuè exercuit, & quidem duobus modis: primò ratione officii generalis ac communis cum reliquis fidelibus, cùm fidei & charitatis operibus, ad coronam vitæ æternæ obtinendam, ſtrenuè certavit. De quo curſu generali agit, explicando eleganter Metaphoram, 1. Cor. 9. v. 25. 26. 27. Hebr. 12. v. 1. alter curſus Pauli modus fuit, ratione officii ſpecialis, quod ipſi, ut Apoſtolo, ad verbum Dei inter gentes prædicandum vocato, ac miſſo, divinitus impoſitum: qualem curſum ut Johanni Baptiſtæ adſcribit, Actor. 13. v. 25. ſic etiam ſibi Phil. 2. verſ. 16. diſtinctè attribuit. Utrumque verò modum ſancta in Deo gloriatione complectitur, 2. Tim. 4. v. 28. *Certamen illud pulchrum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, &c.* Hoc autem ad Galatas loco, de ſecundo curſus ſui modo, non autem de primo loquitur: ut circumſtantiæ evincunt. Cum autem curſus (ſeu fervens ac difficilis prædicationis Euangelii labor) eſſe poſſit vel vanus, vel non vanus, idcirco diſtinctè Apoſtolus addit, *in vanum*. Vanitas autem eſt duplex, una ſimpliciter ratione rei ipſius, ſeu doctrinæ prædicatæ, & ſcopi ac fructus: altera verò ratione ſcopi ac fructus tantùm. Prior eſt, cum doctrina falſa proponitur: quam non corona deſtinata, ſed pœna ſequitur: quomodo quidam è Patribus hoc loco intelligunt: ſed nec verè ſatis, nec aptè. Nam Paulus doctrinam ſuam, quam prædicaverat, revelatione divina acceperat, eamque Spiritus Sancti directione fideliter tradiderat, & utrumque certò ſciebat: neque etiam ullo modo de conſenſu Apoſtolorum reliquorum dubitare poterat, quos probè norat ab eodem Spiritu Sancto in omnem veritatem deductos, ac fideles illius aſſertores. Sed curſum in vanum deſignat tantum ratione fructus: & quidem non abſolutè, ratione ſui & auditorum: ſed auditorum tantùm. Nam quamvis auditores illius multi, Judæi rebelles, fructum à Paulo optatum non retulerint: ſed Euangelium ipſis prædicatum rejecerint, Actor. 13. v. 41. 50. & 22. v. 22. & gentes cum Judæis idem imitatæ ſint, Actor. 14. v. 5. eorumque inobedientium atque adverſantium ratione, Apoſtolus in vanum ſeu inutiliter cucurrerit, id eſt, Euangelium cum labore, magnoque ſtudio prædicarit; nihilominus tamen à Deo, cujus mandato fideliter paruit, ſuum conſecutus eſt præmium ac coronam: ut ex Ezech. 33. v. 9. generatim, & ſin-

& singulariter ex 2. Tim. 4. v. 7. 8. constat. Deinde licet auditores multi nullum prædicationis Apostoli Pauli fructum retulerint: non tamen simpliciter omnes: quia prædicatio Pauli multis convertendis fuit fructuosa: ut etiam disertè demonstratur, Actor. 13. v. 41. 42. 43. & 14. 4. id quod etiam Apostoli Epistolæ ad diversas gentium Ecclesias testantur, & de Philippensibus fidelibus expresè asseritur, Philip. 2. vers. 16. *ut*, inquit, *gloriari possim in die Christi, quod non in vanum cucurri, neque in vanum laboravi.* & 1. Thess. 2. v. 1. *Nam ipsi nostis, fratres, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum.* Atque hæc de fine Euangelii inter gentes prædicati, id est, ne labor prædicationi impensus, inutilis quodammodo redderetur, si Apostolorum consensus compertus, falsorum fratrum calumniis non occurrisset.

Cæterum diversas veterum & recentiorum, hac servata interpretatione, sententias, brevitatis causa, & quia probabiles non videntur, proponere atque excutere non videtur operæ pretium: unam tamen Patrum memoratu dignam prætereundam esse minimè existimamus. Ea autem est, quæ alia vocis Græcæ μὴ, interpretatione nititur. Nam sæpe quidem ea idem notat, quod Latinis *ne*, ut communis interpretatio obtinet, *ne in vanum*: & quidem ut vox *ne*, non sit hoc loco simpliciter negatio, ut Gal. 3. vers. 1. & 4. v. 8. & 30. neque prohibitio, ut Galat. 5. v. 13. 26. sed ut finis significetur, idemque valeat, quod 1. Cor. 7. v. 5. & 8. v. 13. ἵνα μὴ, *ut ne*, quemadmodum ita accipitur, 2. Corinth. 5. v. 20. & 12. vers. 6. μήτις, *ne quis*, ac si esset ἵνα μή τις, *ut non aliquis*, & 1. Cor. 9. v. 27. & 2. Cor. 2. v. 7. μή πως, *ne quo modo*, id est, ut non aliquo modo: sed tamen frequenter, etiam in Sacris literis vox μὴ interrogationem indicat, idemque notat, quod Latinis *num*, ut Joh. 4. v. 12. & v. 29. μήτι, *num quid*, & vers. 33. μήτις, *num quis*, & ut alia plurima prætereamus, 1. Cor. 9. v. 29. & 30. septies μὴ pro *num*, citra controversiam continuatione quadam usurpatur. Atque hac significatione hoc in loco apud Paulum, veteres quidam Patres, & inprimis August. in suis in hanc epistolam commentariis, vocem μὴ interrogationem notare putant: quod ut frequens vocis usus à nobis indicatus rectè admittit: sic interpretationem commodam, & sequentibus verbis probè connexam parit: interpretatio autem hæc esse potest, *num quo modo in vanum curro aut cucurri*, ut per ellipsin emphaticam supplendum intelligatur, *nequaquam*. Quemadmodum hujus phrasis usus frequens atque elegans, & vulgò in bonis authoribus Græcis & in Sacris Literis observatur, Matth. 9. v. 15. & Joh. 18. v. 35. & 1. Cor. 8. v. 9. Sic alibi sæpè, inprimis verò in septem illis memoratis exemplis, 1. Cor. 12. v. 29. 30. ubi semper subintelligitur, *nequaquam*, quod interdum in re detestabili, per μὴ γένοιτο *ne sit*, id est, *absit*, suppletur, Rom. 3. v. 3. cum 4. & 5. cum 6. & 9. 14. Ex quibus omnibus apparet, quorundam Patrum Græcorum, & Aug. quoque in Comment. ad hunc locum interpretationem valdè verisimilem. Prior tamen ac maximè recepta interpretatio atque declaratio præferri solet: nec ab ea recedimus: cum videatur esse paulò simplicior, & vocis μὴ cum voce πῶς compositæ, usui magis consentanea: nam nullibi in Sacris Literis interrogationem notat: neque etiam eo modo apud bonos authores Græcos usurpatam, ullis exemplis adhibita licet diligenti inquisitione, observare potuimus. Atque hactenus narrationis eorum, quæ Paulo præsente, Hierosolymis gesta sunt, prima pars, Galat. 2. v. 2. explicata: nempe expositio Euangelii inter gentes prædicati, & finis illius.

Altera verò pars consensum Apostolorum consecutum describit duobus modis, primò, Facto, deinde, Sermone. Facto quidem, quod Titus à Paulo comes assumtus, licet esset Græcus & incircumcisus, non coactus sit circumcidi. Atque ita reipsa Apostoli confirmarunt Pauli cursum, seu labores in prædicatione Euangelii, cum de salute gratuita per Christum, non per opera legis: tum etiam de libertate Christiana: nimirum quod circumcisio & cæteræ ceremoniæ legis, neque ad cultum Dei, neque ad salutem essent necessariæ: contra quam adversarii Pauli, Antiochiæ primùm, Actor. 15. & postea Hierosolymis acriter contenderunt, Actor. 15. v. 24. ut cursum Pauli redderent vanum apud gentes. Eam autem Apostoli mentem esse, illis verbis v. 3. indicatur, *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Græcus, coactus fuit circumcidi.* quæ perspicua sunt, si vocem adversativam, *Sed*, excipiamus: cujus, cum antecedenti versu connexio prima fronte non est satis evidens. Videtur autem ellipsis quædam, *sed*, supple, *non in vanum cucurri*; id quod Titi Græci & incircumcisi manentis exemplo ostenditur. Cujus circumcisionis omissæ causas, ad declarationem oportunam & fidem imprimis Galatarum confirmandam, subjicit. Quarum prima statuitur quorundam impietas: altera verò contraria Pauli pietas.

Ac prius describitur v. 4. partim ex eorum hypocrisi, partim ex impio illorum scopo. Hypocrisis autem notatur duplex: una externæ professionis, quod se simularent esse verè Christianos ac sinceros fidelium fratres: cum tamen reipsa falsi essent, utpote nec vera fide, nec vera charitate præditi: ideoque Apostolus eos *falsos fratres* appellat opposite veris. Fratres enim veri, insigni Metaphora, ac similitudine eleganti, à fratribus germanis ex eodem patre & matre natis, petita, sunt verè fideles, qui inter se, eundem in cœlis habent Patrem, Deum, Matth. 6. v. 9. & 23. v. 9. & eandem in terris matrem, Ecclesiam, Galat. 4. v. 20. Quemadmodum tritissima appellatione, Christiani passim *fratrum* nomine designantur. Quæ appellatio videtur ex Christi sententia, Matth. 23. v. 8. derivata, ubi ait, *vos autem omnes estis fratres.* Altera porrò hypocrisis fuit operum fraus, partim quod subdolam ab aliis legationem suscepissent: partim quod eam insidiosè essent executi. Prius indicat cum falsos illos fratres ait esse παρεισάκτους, *subintroductos*, & ut Clariss. Beza interpretatur, *emissarios.* Scopus ita describitur, *ut explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu*, id est, per Christum. Libertatem autem intelligit eam, qua à servitute ac necessitate circumcisionis, aliarumque ceremoniarum legis, per Christum fideles liberati sunt, Galat. 5. v. 1. ad quam explorandam, falsi fratres subingressi sive irrepsisse dicuntur. Quod ut melius intelligatur, *explorationis* vox à fine suo distinguenda: una est, ut reipsa, per explorationem cognita, malum caveatur: quemadmodum 1. Samuel. 26. v. 4. altera ut malum inferatur: sive justè, Johan. 6. vers. 13. sivè injustè, Genes. 42. v. 9. Hoc autem in loco exploratio ad malum malè inferendum intelligitur: ut remotus irreptionis finis demonstrat: *ut nos*, inquit, *in servitutem adigerent. Servitus* autem opposite libertati, notat circumcisionis & reliquarum ceremoniarum legis observationem tanquam necessariam: quæ erant instar jugi servitutis, quod neque nos, ut Petrus ait, neque Patres nostri portare potuimus, Actor. 15. Modus autem quo ipsum illum finem obtinere contendebant falsi fratres, fuit doctrinæ Pauli in conversione gentium, in Synodo expositæ & auditæ, oppugnatio, qui dicerent, *oportere circumcidere gentes, & præcipere ut observent legem Mosis*, Actor. 15. vers. 4. 5. ut etiam in secundæ causæ, cur Titus non sit coactus circumcidi descriptione declaratur, vers. 5. *quibus*, inquit, *ne ad horam cessimus subjectione, ut veritas Euangelii permaneret apud vos.* Quibus Apostolus primò suam in propugnanda doctrina Euangelii, de libertate Christiana pietatem ostendit: primùm à constanti fortitudine: deinde à pio ac necessario ejus fine. De constantia ait, *quibus ne ad horam subjectione cessimus*, id est, adversariis, circumcisionem & reliquas ceremonias quasi ad Dei cultum, & salutem necessarias, eoque Titum & alios gentiles credentes, circumcidendos urgentibus, ut jugum servitutis imponerent, ne ad horam, id est, ne brevissimo quidem tempore, subjectione cessimus, sed obstitimus. Verum scrupulus hic occurrit, quare Paulus hoc tempore Hierosolymis circumcisioni Titi tam obnixè restiterit: cum etiam Timotheum in gratiam Judæorum fidelium circumciderit, Actor. 13. v. 3. & 1. Cor. 9. v. 20. dicat: *factus sum Iudæis ut Iudæus*: & v. 22. *Omnibus factus sum omnia, ut omninò aliquos servem.* Verum hæ Pauli actiones cum officio ipsius probè conveniunt,

tiunt, si modum utriusque & fines spectemus diversos. Ad modum quod attinet, circumcisio Timothei actio fuit per se non necessaria, sed libera. Deinde finis fuit, ut Timothei opera in ministerio sacro, sine offensione infirmorum Iudæorum uti posset, ad Ecclesiæ incrementum: quomodo etiam dicit, 1. Cor. 9. v. 20. & 22. *factus sum infirmis, ut infirmus, ut infirmos lucrifaciam; & factus sum Iudæis ut Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam;* & *omnibus factus sum omnia, ut omninò aliquos servem*. Titum verò circumcidere noluit Apostolus: quia ipsi negotium fuit, non cum fratribus veris & infirmis, ut in circumcisione Timothei: sed cum falsis ac malitiosis, & sinceræ doctrinæ Euangelii adversariis, qui Titi & aliorum ex gentibus incircumcisis fidelium circumcisionem, quasi ad cultum Dei & salutem necessariam urgebant, Actor. 15. 2. ut doctrinam Pauli de Christiana libertate & salute per Christum gratuita, inter gentes à Paulo prędicatam, damnarent, & fructum illius inter gentes corrumperent: quæ causa fuit justissima, quod tam obnixè & constanter illis erroribus, impioque studio eorum restiterit: eaque actione primum suæ pietatis modum declaravit. Alter verò in actionis fine pio consistit, quem hisce verbis describit: *ut veritas Euangelii permaneret apud vos. Veritas* autem *Euangelii* notat, sinceritatem doctrinæ, de libertate à ceremoniarum legalium jugo, & de salute non ex operibus, sed ex mera Dei per Christum gratia. Ad cujus observationem apud gentes, tanquam ad scopum spectabat, ac collimabat Apostolus, cùm tam studiosè ac fortiter doctrinam illam adversus falsorum fratrum oppositionem propugnaret. Cæterum quod ait, *apud vos*, Galatarum Ecclesias, ad quas scribit, designat: sed non solas, verùm per Synecdoch. etiam reliquas. Atque hactenus primum ex reipsa, doctrinæ Pauli, cum aliis Apostolis consensus, argumentum expositum: quod cum Titum Græcum, id est, è gentibus fidelem, & incircumcisum in Ecclesia Hierosolymitana haberet comitem, obstantibus licet falsis fratribus, eum circumcidere non sit coactus: quod demonstratio fuit, (ut Oecum. rectè observat) Petrum cum suis sociis, circumcisionem esse necessariam, nequaquam, ut adversarii obtendebant, tradidisse.

Alterum porrò ejusdem consensus argumentum, ex Apostolorum sermone, ac confessione petitum, describitur per aphæresin & thesin.

Aphęresis est, qua calumniam adversariorum retundit: quia enim objicere pro more suo potuissent, Galatarum inprimis, ad quos scribit, seductores: Paulum potuisse quidem circumcisioni Titi resistere: sed Apostolorum institutione melius edoctum; idcirco illud à se amoliendo negat, & negationem gravi ratione confirmat. Negat his verbis, vers. 6. *ab iis qui æstimantur esse aliquid, qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat: personam hominis Deus non accipit*. Quæ sententia & constructionis vocum, & sensus ratione difficilior, ab eruditis interpretibus, diverso modo exponitur: ideoque ad accuratiorem explicationem nonnihil operæ adhibendum arbitramur. Ad constructionem quod attinet, quidam perfectam esse, alii verò imperfectam existimant: illi enim ista verba media, οὐδέν μοι διαφέρει, non cum proximè antecedentibus, *qualescunque fuerint*, sed cum primis hisce, *ab iis autem qui æstimantur esse aliquid*, connectunt hoc modo: ab iis autem qui æstimantur esse aliquid οὐδέν μοι διαφέρει. Sed quia verbum διαφέρειν, inter alia *differre*, seu *discrepare*, vel συμφέρειν *conferre*, seu *conducere* atque *utile esse* significat: (ut Budæus in Comment. Græc. Ling. edit. Basil. pag. 504. illustribus exemplis probat) hinc duplex constructionis, ita perfectæ, interpretatio profertur: una (quam erudita ac postrema versio Gallica tradit) primam significationem retinet: ab iis autem *qui putantur ac existimantur esse aliquid, nulla re differo*, (scilicet ut scopus ostendit) ratione perfectæ cognitionis Euangelii per revelationem à Deo acceptæ. Altera verò constructio, secundam significationem secuta, est hujusmodi: *ab iis autem qui videntur esse aliquid, nihil mihi accedit*, supple utilitatis. Verum licet utraque constructio ac significatio sententiam pariat, & veritati, & loci hujus circumstantiis consentaneam: constructio tamen illa (quæ fundamenti loco utrimque præstruitur) cum phrasi Apostoli minus videtur consentire: nam non dicitur τῶν δὲ δοκούντων, sed ἀπὸ τῶν δοκούντων: at διαφέρειν cum præpositione ἀπὸ construi posse, nullo neque sacro, neque profano, boni authoris Græci exemplo, ne à diligentissimis quidem ejus verbi indagatoribus Budæi & Henr. Steph. observatum. Deinde huc accedit, quod ea constructione orationem hanc Pauli totam, reddi intricatiorem appareat; partim quod verba illa οὐδέν μοι διαφέρει à proxim è antegressis, *qualescunque fuerint*, ad prima illa, *ab iis autem qui existimantur esse aliquid*, expositione transferantur: partim quod etiam postrema illa, *personam hominis Deus non accipit*, à proximè præcedentibus avulsa, cum remotioribus illis, *qualescunque fuerint*, inconcinnè conjunguntur: quasi scilicet ita omnia essent disposita: *Ab iis qui existimantur esse aliquid,* οὐδέν μοι διαφέρει: *qualescunque fuerint, personam Deus non accipit*. Quare ut hujusmodi constructionis perturbatio vitetur, tertia non est prætereunda sententia: quam etiam ut probabilem, ad oram hujus loci Biblia Gallica versionis postremæ annotarunt, hoc modo: *quod ad eos attinet qui existimantur esse aliquid, &c.* nimirum ut ἀπὸ hoc loco idem significet quod *ad*. Ac sanè ita interdum usurpatur: sicut Matth. 27. v. 24. & Actor. 20. v. 26. *innoxius sum* ἀπὸ τοῦ αἵματος, *à sanguine*, id est, quantum ad sanguinem attinet. Sicut etiam apud Hebræos, Josu. 2. vers. 17. *innoxii à juramento*. Eundemque hujus præpositionis usum, Latinos secutos, Linacer de emendata structura eruditè tradit ac probat. Quæ concinnior hujus loci Apostoli explicatio: si aliis etiam aliarum rerum exemplis posset stabiliri: sed ea nondum observata cognovimus. Atque hæc de perfectæ constructionis hujus orationis modis dicta.

Alii verò constructionem imperfectam, per aposiopesin quandam, arbitrantur, quæ communis ferè sententia; nimirum ut post prima ista verba: *ab iis autem qui existimantur esse aliquid*, intelligatur supplendum, *Euangelium non accepi*, sive *nihil edoctus sum*, ut ante cap. 1. v. 12. Apostolus expresserat. Neque enim aposiopesis hujusmodi (quæ in profanis authoribus Græcis, ut etiam Latinis non raro occurit) in S. L. insolens censeri potest: talis enim adhibetur à Christo, Luc. 19. v. 42. *Si etiam tu* &c. per aposiopesin, ad perfectionem sententiæ deest, *felix esses*. deinde Luc. 22. v. 42. *Pater*, inquit Christus, *si vis* παρενεγκεῖν *transferre hoc poculum à me*, per aposiopesin reticetur, *transfer*: additur enim; *verùm non mea voluntas sed tua fiat*. Deinde huic verborum Pauli per aposiopesin explicationi reliqua probè conveniunt; quèm sensum esse aptum, & scopus Apostoli, & addita confirmatio in fine versus, & sequens etiam v. 7. thesis ostendit. Sensus autem hic erit; ab iis autem qui in pretio sunt, (id est Apostolis) nihil cognitionis Euangelii accepi: ut reliqua ad confirmationem usque per parenthesin interserantur. At, inquies, in Christi verbis propositis causa aposiopesis fuit πάθος, id est vehemens animi commoti affectus: in priori exemplo commiseratio, in altero dolor: sic alibi causa aposiopesis est, aut festinatio, aut ira, aut simile quid: ut bonorum authorum usus ostendit. At quid hoc loco subesse potuit causæ? voluntas scil. Sp. S. quo inspirante ac calamum dirigente Paulus ita scripsit, aposiopesi usus. quod (ut in aliarum phrasium observatione) sufficere debet. Videtur autem hæc causa probabilis, ut quia toties hoc tradiderat cap. 1. v. 11. & 12. idcirco noluerit à Sp. S. actus hic exprimere, sed intelligendum ex reipsa & ex sequenti confirmatione innuere: ut calumniæ consecuturæ occurreret (qualis fuit Porphyrii (ut Hier. ostendit) & aliorum, qui superbiæ nomine Apostolum postea ob eam assertionem traduxerunt. Hac igitur aposiopesi ostendit contrarium, ut 2. Cor. 12. v. 11. ubi ejus assertionis causam reddit; *factus*, inquit, *sum insipiens gloriando: vos me coëgistis: ego enim à vobis debui recommendari: nulla enim in re sum inferior summis Apostolis*. Sic hoc in loco aposiopesi usus idcirco videtur: ut indicaret, se non arrogantia asseruisse, se à nullo homine Euangelium accepisse, sed necessitate & veritatis afferendæ studio coactum: alioqui, ut hoc loco reticuit: & seqq. innuit, similiter fuisse antea omissurum: nisi propter Galatarum ad quos scribit infirmitatem, & eorum à quibus illi seduci ceperant,

perant, calumnias fuisset coactus. Superest postremo illud explicandum, quo aphæresis hæc Apostoli finitur; πρόσωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει, id est, *faciem hominis Deus non accipit.* quæ sententia in S. L. frequenter occurrit: ut Deut. 10. v. 17. 2. Chron. 19. 7. Rom. 2. 11. Eph. 6. 9. πρόσωπον autem vulgò nimis ambiguè *personam* interpretantur, magis verò propriè ac planius (ut Hebræis פנים accipitur) *faciem* transferrent. Quia verò hominis facies sive vultus sæpius fallax est, nec semper promit quod cor premit ac judicat, hinc cordi opponi solet, 1. Sam. 16. 9. unde secundò per Metaph. elegantem, ad externam & fallacem rerum speciem transfertur: ex qua de rebus ipsis non est judicandum: quo etiam modo veritati opponitur, Marc. 12. 14. *Faciem* verò (seu ut vulgo minus aptè *personam*) *accipere*, significat, in judicio externam rerum speciem probare ac sequi. Synonyma autem sunt τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπειν *quæ secundùm faciem sunt aspicere*; & κρίνειν κατ' ὄψιν, *judicare secundùm aspectum* Ioh. 7. 24. (cui eodem in loco opponitur, *justum judicium judicare*) & Joh. 8. 15. *judicare secundùm carnem*. Quod vitium, ut Deus in hominum judiciis damnat, Lev. 19. 15. ita ipse ab eo, tanquam mundi judex, alienus est: eaque de caussa ἀπροσωπολήπτως κρίνων, 1. Pet. 1. 17. & οὐ προσωπολήπτης Act. 10. 34. appellatur; quibus hæc Apostoli Gal. 2. sententia omnino congruit. Quæ ut perspicuè satis apparent: ita difficultas aliqua est in eo, ut rectè ad suum scopum referatur. Ac primum quod quidam veterum observant, ellipsis est, & quidem ut videtur particulę ὅτι, id est *quia*: ut sit sensus, quales aliquando fuerint, nihil mihi discrepat, seu perinde mihi est, quia Deus faciem (seu ut loquuntur personam) id est, externam rerum speciem in judiciis non accipit. Quo ostendit ac probat Apostolus, se Dei exemplo rectè facere, quod externa illa Apostolorum ornamenta (quæ ad judicium de Apostolatu & profectu Euangelii per acceptionem divinam, ferendum, omninò aliena) tanquam adiaphora, nec ad rem illam pertinentia æstimet. Atque hactenus aphæresis, qua falsum seu calumniam adversariorum à se amovit (quod scil. ab Apostolis esset edoctus) proposita & exposita. Sequitur jam absoluta parenthesi, confirmatio aphæresis, *mihi enim*, inquit, οἱ δοκοῦντες, *qui in pretio sunt* (i. e. Apostoli) de qua re v. 2. actum, *nihil* προσανέθεντο, quod vulgata versio reddit, *contulerunt*: quasi sensus esset, nihil mihi addiderunt: quod Erasmus ob verbi usum minus probat. Et sanè Act. 25. v. 14. ἀνατίθεσθαι, ut & Gal. 2. 2. *exponere* significat: & Gal. 1. v. 16. οὐ προσανεθέμην τῇ σαρκὶ καὶ αἵματι, *non præterea exposui carni & sanguini*, ut ad eum locum ostendimus. Sic etiam hoc loco *mihi enim nihil præterea exposuerunt*: quod videtur expressius, quam quod alii, *nihil mecum contulerunt*: etsi sensus eodem redeat: Ex quibus apparet id quod probandum erat, omninò sequi, nempe cum Apostoli Hierosolymis nihil omninò de Euangelio Paulo exposuerint: Ergo nullam Euangelii cognitionem ab iis accepit, nihilque omninò nedum melius est edoctus, contra quam adversarii objectabant. Atque ita absoluta aphæresi, seu remotione falsi, & confirmatione illius, succedit thesis, qua Apostolus contrariam veritatem proponit ac probat v. 7. usque ad 11. Quo declarat, eos qui in pretio sunt Apostolos, tantum abfuisse ab eo, ut ipsum amplius de Euangelio docerent; ut è contrario, data dextra societatis, consensum prædicationis Euangelii inter gentes confirmarint. Id quod proponitur, partim initio, v. 7. cum ait, *imò è contrariò*: completur verò versus noni medio; *Iacobus, &c.* ad finem illius versus. Reliqua verò per parenthesin longiorem inserta, causas gravissimas datæ dextræ societatis complectuntur. Quarum prima est v. 7. *Cùm vidissent* inquit, *mihi concreditum fuisse Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis*: ubi *euangelium* pro prædicatione illius usurpatur: quemadmodum Rom. 1. 1. & 2. Cor. 2. 12. deinde *præputium*, pro præputiatis seu incircumcisis, i. e. Gentibus, ut Rom. 2. 26. 27. ac similiter *circumcisio* pro circumcisis Iudæis simili Meton. usurpatur, ut Rom. 3. v. 30. & 4. v. 12. Euangelium autem præputii & circumcisionis, id est, gentium & Iudæorum vocatur: quod ad eos, ex Dei vocatione ac missione pertinebat. Quamvis enim commune esset omnibus Apostolis officium, ut prædicarent Euangelium citra exceptionem omnibus gentibus, Matt. 28. v. 19. & Actor. 1. v. 8. Paulo tamen à Christo, potissimum prædicatio inter gentes concredita est, Actor. 9. v. 15. & Gal. 1. vers. 16. unde se etiam κατ' ἐξοχὴν Rom. 11. v. 13. gentium Apostolum vocat: Petro verò similiter prædicatio Euangelii inter circumcisos Iudæos divinitus concredita præcipuè. Vtrumq; autem illud ait vidisse (id est, certo scivisse) eos, nempe qui in pretio sunt, v. 6. Quos deinde nominatim exprimit v. 9. Scientia autem illa, de Pauli divina, ad Euangelium inter gentes prædicandum, authoritate, orta erat ex admiranda Pauli, per Christi revelationem conversione & vocatione in Apostolum, per Barnabæ narrationem jam diu perceptam, Actor. 9. v. 27. & variè postea confirmatam: deinde ex efficacia divina in utriusq; apostolatu simili, ut probat v. 8. *nam*, inquit, *qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis*, id est, inter Iudæos, *efficax etiam fuit per me* εἰς τὰ ἔθνη. Quæ efficacia in prædicatione Euangelii, & miraculis, deniq; in auditorum conversione admiranda potissimum consistit: quemadmodum collatio Petri & Pauli succincta declarabit. In prædicatione enim Petri zelus & constantia elucent: zelus, quod simul ac Sp. S donatus, Euangelium prædicarit, Actor. 2. 4. 14. constantia, quod nec irrisionem infidelium auditorum, Actor. 2. 13. 14. nec sacerdotum minas veritus, Actor. 4. v. 18. 19. nec carcerem, Actor. 5. v. 28. 29 nec flagellationem, v. 41. in Euangelii prædicatione fortiter perstiterit. Similiter Pauli zelus seu fervens Euangelii propagandi studium in eo fuit, quod statim, accepto Christi mandato, & Sp. S. donatus, Euangelium prædicavit. Actor. 9. v. 20. constantia verò, quod cognito mortis periculo, hostiumque insidiis, Actor. 9. v. 24. 25. non defecerit: sed prudenter ex Christi mandato, Matt. 10. v. 23. declinans, & Hierosolymam evadens, ab Euangelii tamen prædicatione non declinavit, Actor. 9. vers. 29. deinde varia supplicia ob eam rem perpessus, 2. Cor. 11. 23. 24. 25. Altera Dei in Petro efficacia in miraculis fuit permagna: quæ omnia in beneficiis divinitùs collatis consistunt, si unicum, in Anania & uxore, morte (ex instinctu Sp. S. in quem peccarant) mulctandis, Actor. 5. 5. & 9. excipiamus, quemadmodum & Pauli; excepta justa Elymæ seu Magi, Euangelii adversarii, excæcatione, Actor. 13. vers. 11. Petri autem miracula beneficia fuerunt, primum Spiritualia, nempe impetratio donorum extraordinariorum Sp. S. fidelibus, per impositionem manuum illius, Actor. 8. 15. 16. 17. Pauli similiter, Gal. 3. v. 2. & 2. Tim. 4. v. 7. Corporalia verò miracula, quibus Deus per Petrum fuit efficax, sita fuerunt, in vivis sanandis, ut singulariter in claudo, Actor. 3. v. 2. & 6. & paralytico, Actor. 8. v. 15. 16. 17. generatim verò in signis & prodigiis, quæ cum reliquis Apostolis multa edidisse, Actor. 5. v. 12. memoratur: adeò ut ægros lectis imponerent in plateis, ut veniente Petro, umbra saltem eorum aliquem inumbraret, Actor. 5. v. 15. Per Paulum simili ratione efficax fuit Dominus: nam & singulariter claudum sanavit, Actor. 14. v. 10 & febri ac dysenteria laborantem Publii patrem, Actor. 28. v. 28. & generatim dicitur reliquos Melitenses ægros accedentes curasse, vers. 9. & Iconii, Dominum Paulo & Barnabæ testimonium dedisse sermoni gratiæ suæ, ut signa & prodigia fierent per manus eorum, Actor. 14. 3. Quemadmodum etiam in Synodo Hierosolymis à Paulo & Barnaba narratum dicitur, quanta Deus signa & prodigia per ipsos inter gentes edidisset, Actor. 15. vers. 12. id quod copiosè etiam Rom. 15. vers. 18. 19. declarat: adeo ut etiam Actor. 19. vers. 10. 11. dicitur, *virtutes autem non vulgares edebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus sudaria, aut semicinctia, & discederent ab iis morbi, & Spiritus mali ab eis exirent.* Similis etiam in excitandis mortuis observatur ratio. Nam ut Petrus Tabitham, Act. 9. v. 40. sic Paulus Eutychum à mortuis excitavit, Act. 20. v. 9. 10. 11. Postremo, quemadmodum Deus efficax fuit in conversione Judæorum per Petrum, adeò ut prima concione 3000. ad fidem in Christum sint adducta, Act. 2. v. 41. altera verò 5000. Actor. 4. v. 4. Per Paulum similiter Deus ita fuit efficax,

ut plu-

ut plurimas multarum gentium Ecclesias ad Christum adduxerit, ut Rom. 15. v. 14. testatur: se ab Jerusalem & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum implevisse prędicandi Euangelii Christi munus. Id quod & Acta Apostolorum & Epistolæ ad Corinthios, Galatas & ad alias gentium Ecclesias, ab ipso collectas, demonstrant. Quamobrem meritò Paulus, ut contra dubitationem, præstantiam apostolatus sui & efficaciæ Dei per ipsum exhibitę confirmaret, & falsos doctores confutaret, ait 2. Cor. 12. v. 11. 12. *nulla in re inferior fui summis Apostolis, etsi nihil sum: indicia quidem Apostoli, &c.* Atque ita jam plenè constat verissimum esse quod hic Gal. 2. 8. asseruit. *Nam qui efficax fuit per Petrum ad apostolatum circumcisionis, efficax etiam fuit per me inter gentes.* Atque hęc quidem de prima consensus Apostolorum cum Paulo & Barnaba exhibiti ratione, nimirum quod vidissent non minus à Deo Euangelii prædicationem, concreditam Paulo inter Gentes, quam Petro inter Judæos.

Altera porrò ratio v. 9. exprimitur; quod gratiam illam ipsi datam cognovissent. Quid autem per *gratiam* notetur, observandum. Quidam enim insignes interpretes Sp. S. dona extraordinaria, nempe linguarum, Prophetiæ & similium, designari censent. Sed tamen aptius omninò videtur, ut efficacia illa divina, quam Deus per Pauli Apostolatus executionem exeruit (de qua v.8.) intelligatur: de qua etiam 1. Cor. 3. 10. *secundum gratiam Dei*, inquit, *quæ data est mihi, &c* Quæ gratia v. 5. & 6. de efficacia Dei exponitur. Sic c. 15. 10. *Gratia ejus erga me non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes* (scil. Apostoli v. 9.) *laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.* & Rom. 15. 18. Et ut obiter hoc moneam, hanc sententiam phrasis etiam Gręca Apostoli indicat, nempe τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, quod vulgò redditur, *gratiam mibi datam*: sed aptius & hic, & 1. Cor. 4. 10. transferri potest, *gratiam illam mibi datam*: ut emphasis prętantiæ rei, per geminatum articulum indicetur: quemadmodum Matt. 17. 5. *filius ille meus dilectus*, & Joh. 1. 9. *lux illa vera*, Joh. 10. v. 10. 11. 14. & c. 15. 1. *vitis illa vera*, & 1. Ioh. 4. v. 9. *unigenitum illum*: quemadmodum etiam observavit doctiss. Budæus annotationibus prioribus in Pandect. edit. Colon. in 8. p. 109. citans illud Luc. 15. 22. τὴν στολὴν τὴν πρώτην, *stolam illam primam*, & N. 23. τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, *vitulum illum saginatilem* interpr. & vulgatum interpr. qui articulum illum neglexit, utrinque reprehendit, & addit: *Non enim de quacunque stola, vel de quocunque vitulo in genere, sed de certa quadam veste, & de certo quodam vitulo, quasique in delitiis habito, & quo Dominus delectabatur intelligendum, ut ex vi articuli Græci constat iis, qui Græcè satis intelligunt. Cui simile est illud*, Ioh. 1. 21. *Propheta es tu, &c. sic autem verti debuit, illene Propheta es.* Hactenus Budæus. Ideoque Clariss. Beza omnibus locis jam à nobis memoratis, emphasin articuli eo modo rectè expressit. Id quod etiam hoc in loco, & 1. Cor. 3. 10. erat exprimendum: ut vel rei de qua agitur, certa excellentia satis ostendit. Nam cum dicitur hic à Paulo Gal. 2. 9. τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, *gratiam illam mibi datam* intelligit insignem illam efficaciam in apostolatus sui executione à Deo exsertam. Quod autem eam Apostolis cognitam ait, illud & ex piorum ac communi relatu acciderat: & ex recenti declaratione Barnabę & Pauli, qui per Phœniciam & Samariam Hierosolymam tendentes, fratribus conversionem gentium narrarant, Actor. 15. 3. & Hierosolymis in congregatione totius Ecclesiæ annuntiarant quæcunque Deus per ipsos effecerat, v. 4. & iidem posteà etiam exposuerunt, quanta Deus edidisset signa & miracula per ipsos inter gentes, ibid. v. 12.

Atque hæc de secunda ratione, qua Apostoli Hierosolymis justè adducti sunt, ut consensum suum ac societatem cum Paulo & Barnaba demonstrarent; cujus rei descriptio per thesin inchoata est, v. 7. initio: sed inserta longiore parenthesi (quæ causas consensus impulsivas explicavit) perficitur demum v. 9. his verbis: *Iacobus &c.* usque ad v. 11. Quibus describuntur primò Apostoli consentientes: deinde consensus eorum. Describuntur autem Apostoli ab adjunctis suis circumstantiis, primò à nominibus, deinde ab Ecclesiæ de iis judicio honorifico. Nomina autem sunt Iacobus & Cephas & Iohannes, nam quod Hieron. & Ambros. pro *Cephas* legant *Petrus*, eumq; primo loco ponunt: illud communi Gręcorum & Codicum, & Patrum lectioni adversatur. De Iacobi autem persona quęstio est. Nam & Amb. & August. Iacobum fratrem Iohannis (qui cum hoc & Petro gloriam Domini in monte conspexerat. Matt. 17.) designari putant. Sed minus rectè: quia ille jam antea ab Herode erat trucidatus, Act. 12. 2. ideoque alii rectius interpretantur de altero Iacobo, qui minor vocatur, Alphęi filio, Matt. 10. 3. qui frater Domini dicitur, Gal. 1. 19. Cur autem Iacobus ille, ordine inter tres Apostolos ponatur primus, factum quidam putant, quod Synodi Hierosolymitanę, cum hęc gesta sunt, esset pręses; utpote qui eam concludit sententia lata, Act. 15. v. 19. quam tota Synodus secuta, v. 22. Simplicius tamen videtur, idcirco præpositum, ut in ordine recensionis nullum esse momentum indicaretur, etsi in Euangelistis Petrus ordine sit præmissus. Nam alibi diversa ordinis ratio observatur, quemadmodum 1. Cor. 1. 12. Paulus & Apollos Cephę præponuntur: similiterque c. 3. v. 22. Cujusmodi etiam diversus atque promiscuus ordo, in Pauli & Barnabæ recensione reperitur, cum alibi, tum Actor. 13. 2. & 7. ubi Barnabas Saulo præponitur, sed v. 43. & 50. postponitur. Porrò huic primo, è tribus hisce Apostolis nomini, alterum additur *Cephas*, quo Simon, filius Ionæ, à Christo cognominatus Syriacè: quod ab Euangelista Iohan. 1. 43. exponitur Græcè πέτρος, id est *lapis* seu *petra* aut *saxum*. Ac propterea eodem sensu promiscuè, idem modò Petrus Gal. 2. 7. 8. modò Cephas v. 9. appellatur, de qua re pluribus in publica disputatione disseruimus. Denique Apostolorum nomen tertium additum est, *Iohannes*, qui citra controversiam Euangelista est. Atque hæc quidem de priori Apostolorum Paulo consentientium adjuncta circumstantia, nempe nominibus eorum distinctis. Altera verò est Ecclesię de iisdem honorificum judicium: id quod hisce verbis subjectis indicatur: οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, *qui videntur* sive *putantur columnæ esse.* Quæ ut rectius intelligantur, duæ hæ voces στῦλος & δοκοῦντες explicandæ. Prior autem στῦλος *columnam* notat, sive ligneam, 1. Reg. 7. 2. sive lapideam; sive æream, 2. Reg. 25. 13. interdum verò graphium seu scriptionis instrumentum notat, quo antiquitus in ceratis tabulis scribebant. Cęterum columnæ usus communis est, ut erigatur atque emineat; vel ad domum superiorem sustentandam, ne corruat, ut Iud. 16. v. 29. ut & vulgò fieri solet in palatiis: vel ut emineat & ornet duntaxat domum, non autem eam sustineat: quales columnę in templo Salomonis ante Sacrarium duæ, 1. Reg. 7. v. 15. Unde per Metaph. eleganti similitudine *columnæ* vox transfertur, I. ad eos, qui columnæ instar eminent atque conspicui sunt ac insignes inter alios, ut Apoc. 3. 11. *qui vicerit faciam ut sit columna in templo Dei mei*, i. e. in Ecclesia gloriosa v. 13. Deinde pleniori Metaphora comparatè transfertur ad eos, qui non solum inter alios eminentes conspicui atque in honore sunt: sed etiam sua opera alios quodammodo sustinent, & à lapsu tuentur. Quo modo hic Apostoli, de quibus agitur, columnæ appellantur: quod in Ecclesia non solùm insitis donis Sp. S. eminerent atque excellerent: sed etiam quod, ut columnæ domum sustinent ac tuentur: sic Apostoli hi Ecclesiam, tanquam domum Dei suo ministerio quodammodo sustinerent. Ministerium autem hoc situm fuit, in fideli ac constanti Euangelii prædicatione, miraculorum ei confirmandæ præstantia, & in persecutionibus, pro ea prædicatione perferendis invicta tolerantia. Atque hæc de prioris vocis nempe *columnæ* significatione.

Altera est οἱ δοκοῦντες *qui videntur*. De qua voce diversæ extant interp. sententiæ. Quidam enim opinionem, veritati rei adversam, intelligi existimant: ut è Patribus ad hunc locum August. ait, *videbantur, non erant*: atque ita etiam quidam docti interp. illud ad vanam falsorum fratrum jactationem referunt, quod ita Apostolos hosce vocarent, ut Paulo, & doctrina, & apostolatu præstantiores ostenderent. Sed alii rectius de communi rectoque judicio Ecclesię interpretantur. Nam cum omnes Apostoli fundamenta cœlestis urbis Apoc. 21. 14. statuantur: quod super Christum unicum propriè fundamentum, 1. Cor. 3. 11. ædificati, Ecclesiam sua prædicatione ac Spiritus Sancti directione collegissent, eandemque doctrina Euangelii tradita, suo modo sustinerent,

Tt rent,

rent, Ephes. 2. v. 20. quid ni possent columnarum instar similiter haberi? Neque vox *videri* aut *putari* ullo modo obstat: quia generalis vox est, quæ *existimari* notat: nec solùm opinionem falsam ac incertam: sed etiam ad veram rei scientiam, pro rei subjectæ ratione refertur: ac rei certæ scientiam notare posse, exempla sunt illustria in verbis Christi, Luc. 19. v. 7. *οὐ δοκῶ non videtur*, supple mihi, vel *non puto*, & in verbis Pauli, 1. Cor. 7. 4. *δοκῶ, puto me Spiritum Dei habere:* quemadmodum etiam apud Latinos, *videtur mihi*, & *puto*, certam etiam scientiam non raro designant: ut multa è Cicerone aliisque exempla à doctis adducuntur. Quod autem in Apostolorum trium descriptione, judicium commune Ecclesiæ recensuit Paulus honestissimum: illud non frustrà factum, sed ad scopum omninò pertinet: ut illorum consensus & societas cum Paulo calumniam adversariorum, qui dissentientem atque imparem iis esse objectabant, confutaret: consensus autem descriptioni nominis & dignitatis Apostolorum subjicitur his verbis: *dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos inter gentes, ipsi inter circumcisos*, supple ex v. 7. & 8. *apostolatu fungeremur.* Dextræ autem porrectio, pacis ac consensionis nota: unde tritum illud Ciceronis in Antonium, cum ait; *dextræ, quæ fidei testes esse solebant:* & illud Virgilii: *En dextra fidesque.* Quæ dextræ porrectio an apud Judæos primis temporibus in usu fuerit, dubitari potest: quia nulla illius in Mosis, neque in Prophetarum scriptis exempla observantur: sed tempore Maccabæorum, ut ex lib. 1. c. 11. v. 62. & 66. apparet. Cumque dextræ porrectio soleat fieri, vel pacis instituendę, vel testandę gratia: idcirco distinctè hic dicitur, eos dextras dedisse societatis, scilicet non ineundę, sed testandæ ac confirmandę: quod & muneris Apostolici, & puritatis doctrinæ essent socii, ac pacti, ut quemadmodum antea potissimum inter gentes Paulus & Barnabas Euangelium prædicarant: Apostoli verò, Jacobus, Cephas & Johannes inter Judæos, ut v. 7. & 8. traditur: sic imposterum illud observaretur, ut postea v. 9. dicitur: *ut nos inter gentes, ipsi verò inter circumcisionem*, id est, inter circumcisos Judæos, per Meton. subj. pro adj. Ellipsis autem est horum verborum; *apostolatu fungeremur:* quam Græcè rectè Clariss. Beza supplevit: id quod etiam intelligitur & ex reipsa, & ex v. 7. & 8. Cœterum ne fortè adversarii objicerent, datam societatis dextram, & ut inter gentes Apostolatu fungerentur, sed correctione doctrinæ Pauli, per institutionem Apostolorum præmissam: idcirco v. 10. commoda anticipatione hoc præscindit, cum ait: dictum solum *ἵνα τῶν πτωχῶν μνημονεύωμεν, ut pauperum meminissemus.* *πτωχοὶ* autem propriè *mendicos* notat, ut Tertull. l. 4. contra Marc. rectè ostendit: hoc verò in loco per Synec. generis pro specie, *pauperes* seu *egenos* notat, ut Tertull. contra Marcio. lib. 5. interpretatur, *tantùm ut meminissent egenorum. Pauperes* autem *hic illi intelliguntur* (inquit Hieron.) *qui ex Judæis pretia possessionum deferebant egentibus largienda: vel qui à contribulibus cognatis & parentibus suis quasi desertores legis, detestationi habebantur, & piaculo ducebantur: vel potest de alio pauperum genere accipi, de pauperibus spiritu, i. e. de peccatoribus.* Hæc Hieron. dubia de variis pauperum generibus interpretatio, quarum postrema omninò à Scopo hujus loci atque sequentibus aliena: quippe omissa propria vocis significatione, ad impropriam, inepta Origenis imitatione, sine ulla ratione probabili, nedum necessaria, devolvitur. Prima verò angusta nimis, licet eam Aug. & alii quidam sequantur. Secunda verò magis consentit veritati: eamque Chrysost. etiam adducit, ac pauperes hoc loco Judæos illos exponit, qui à suis contribulibus Christianę religionis odio facultatibus suis erant exuti: quo spectat illud Apostoli testimonium, Heb. 10. 34. & 1. Thess. 2. 14. *vos enim fratres, &c.* Veruntamen accommodatius videtur, ut generatim de omnibus Ecclesiæ Judaicæ, inprimis Hierosolymitanæ pauperibus, ut Rom. 15. 26. pauperes intelligantur: sive tales fuerint sortis suæ tenuis conditione: sive persecutione hostium: sive annonæ caritate pressi, inopes fuerint. Qui licet initio, ditiorum liberalitate ac bonorum communione fuissent sublevati, Actor. 4. 34. ac contra annonæ caritatem ab Ecclesia Antiochena ad tempus adjuti, Act. 11. 10. crescente tamen indies fidelium è pauperibus potissimum numero, subsidium amplius à gentium Ecclesiis, ex charitatis & gratitudinis debitæ justissima lege requirebant, Rom. 15. v. 27. Atque hæc de pauperibus: quorum ut Paulus & Barnabas meminissent, ab Apostolis illis tribus Hierosolymis meritò postulatum. Cum autem Græcè *μνημονεύειν*, ut Latinè *meminisse*, vel memorem esse, vel mentionem facere significet: utrovis modo accipiatur (uti interpretes diversè accipiunt) eodem res redit: quia per Meton. causæ efficientis pro effecto *juvare*, sive per se, sive per alium designat: ut enim memoria paupertatis fidelium, pios ad succurrendi studium excitat: sic etiam mentio paupertatis fidelium, misericordiam Ecclesię atque auxilium provocat: prior tamen significatio, per Meton. modificata (memorem esse pro adjuvare) videtur hoc loco præferenda: ut quę in Sacris Literis & communi usu frequentissima: altera verò rarissima: ac si rectè perpendimus, uno tantum in loco ea significatio certò obtinet, nempe Heb. 11. 22 *Joseph de exitu filiorum Israël ἐμνημόνευσε meminit*, i. e. mentionem fecit: quemadmodum collatio sententiæ, Gen. 50. 54. quam Paulus spectavit, demonstrat. Porro quemadmodum Apostoli pauperes pro officio suo commendarunt: ita Paulus vicissim se officium fecisse attestatur, cum ait, *quod & ipsum studui facere:* ut etiam eventus ac fructus illius, in commendandis pauperibus Iudæis, & eleemosynis colligendis in Ecclesiis Galatię. Maced. & Achaiæ demonstravit: ut copiosè, 1. Cor. 16. v. 1. 2. 3. & 2. Cor. 8. & 9. & Rom. 15. 26. 27. describitur. Atque hactenus societas, Pauli & Apostolorum, dexteræ porrectione, firmata, & apostolatus ac prædicatio inter gentes absolutè approbantur: adeo ut nullius rei alterius Paulus sit monitus, quam solummodo ut pauperum cum Barnaba meminissent: unde sequitur (quod erat probandum ac pręmissum) Paulum doctrina divinitus revelata, & apostolatu, Jacobo & Cepha & Iohanne, non inferiorem; sed parem, contra quam adversarii illius contendebant. Ideoque Galatas, ad quos hæc epistola scribitur, perperam à prædicato per Paulum Euangelio, ad legis ceremonias, quasi necessarias declinasse. Id quod narratione actionis cum Petro & Paulo seqq. à v. 11. ad finem usq; c. clarius demonstratur. Verumtamen quia in explicatione v. 9. ostendimus quo sensu Apostoli illi tres, Columnæ Ecclesiæ sint habiti, non importunum neque ingratum fore speramus, si illustre illud ac celeberrimum Ecclesię encomium simile, quo *columna & stabilimentum veritatis* appellatur, succincta digressione interposita, expendere studeamus. Extat autem 1. Tim. 3. v. 5. postquam enim Apostolus dixerat, *ut noris quomodo oporteat in domo Dei versari*; expositionem insignem domus Dei ita subjicit: *quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis.* Ad cujus sententię & sensus illius pleniorem intelligentiam, *Ecclesiæ* & *veritatis* voces, strictim exponemus. Ac primò cum Ecclesia Dei vivi, partim sit gloriosa in cœlis, partim militans in terris, non illam, sed hanc intelligi, controversia caret: quia Timotheus non in illa, sed in hac versabatur: cujus pars fuit Ecclesia Ephesina, in qua curanda, Pauli rogatu, ad tempus mansit. Cumque Ecclesia militans sit cœtus vocatorum, per Euangelii ministerium, ad cognitionem & professionem Christi: eaque sagenæ instar, Matt. 13. 47. bonos & malos promiscuè complectatur, id est, partim electos viva fide præditos, partim mortuâ ac reprobos; inde fit, ut Ecclesia interdum simpliciter, cœtum utrumque designet: sicut cum Ecclesiæ Asiæ, 1. Cor. 16. v. 19. & septem Ecclesiæ, Apoc. 1. 11. aliæque, quibus Apostoli scripserunt, nominantur: interdum verò secundùm quid, cœtum tantum electorum ac viva fide præditorum distinctè significat: quando nimirum ea attributa Ecclesiæ adscribuntur, quæ tantùm verè fidelibus conveniunt, Ephes. 5. v. 23. *Christus est caput Ecclesiæ suæ: ipse est servator corporis:* eodemque sensu seqq. ad finem usque c. intelligitur. Hæc de vocis *Ecclesiæ* usu diverso. *Veritas* etiam similiter variè accipitur. Nam inter alia, vel mendacio opponitur, ut 1. Tim. 2. v. 7. *veritatem dico in Christo, non mentior:* vel typis ac figuris legalibus: eoque modo rem ipsam iis adumbratam (à qua veritas typorum dependet) significat: quemadmodum Joh. 1. v. 17. *lex per Mosen data, veritas per Christum Iesum*, & c. 6. 32. *panem illum de cœlo verum:* &

Heb. 8. v. 2. Christus vocatur minister veri illius tabernaculi, id est, per corporale & externum legale adumbrati, & c. 9. 24. *τὰ ἅγια sancta* (sic autem sacrarium vocat) dicuntur *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, exemplaria verorum*, ac cœlos adumbratos per ea designat. Porrò veritas mendacio opposita, non raro per Meton. adjuncti pro subjecto, doctrinam veram notat, ut Psal. 119. 142. *lex tua veritas*: & Ioh. 17. 17. *sermo tuus veritas*: inde κατ' ἐξοχὴν, sive per Synecdoch. generis pro specie præstantissima, sępius Euanlium significat, Gal. 3. 1. & c. 5. 7. veritati, id est, Euangelio non obedire, 1. Tim. 2. 4. agnitio veritatis, Eph. 1. 13. *cum audivissetis sermonem veritatis*, ut verba proximè addita, *Euangelium salutis vestræ*, disertè exponunt. Denique hæc phrasis, *columna & firmamentum veritatis*, bifariam accipi potest: vel ut columna sit subjectum, & veritas adjunctum illius: vel ut columna effectum, veritas verò causam illius notet, quod veritas Euangelii efficiat, ut Ecclesia sit columna firma. Atque hisce jam præmissis, quæ ad voces & phrasin pertinent: de sensu genuino commodius agi potest, qui non eodem modo, sed bifariam à Patribus statuitur. Primus modus est, ut Ecclesia secundùm quid tantùm, ratione cœtus electorum ac viva fide præditorum intelligatur, ac columna & firmamentum veritatis dicatur Metaphoricè, quod columnæ instar firma sit, per fidem, qua veritatem Euangelii in se continet, & superstructa Christo invicta perstet, adeò ut portæ inferorum eam non vincant; Matt. 16. 18. deinde firmamentum dicatur simili Metaphora, quod veritatem Euangelii sua professione, atque obedientiæ erga eam exemplo, in mundo firmiter prętendat ac tueatur, Phil. 2. 15. 16. Atque hęc est Theodor. sententia, in explic. 1. Tim. 3. 15. *Domum enim Dei & Ecclesiam appellavit cœtum eorum qui crediderunt: eos dixit columnam & firmamentum veritatis. Supra petram enim fundati, stabiles & immobiles permanent, & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem.* Deinde August. similiter de Ecclesia electorum ac viva fide præditorum exponit: nam Tom. 8. in enarratione Psal. 47. de Ecclesia hac differens ait; *Nam eam etiam firmamentum Apostolicis literis appellatam vide & agnosce, quæ est, inquit, Ecclesia Dei vivi, columna ac firmamentum veritatis.* Altera explicatio est eorum, qui veritatem à Paulo, opponi legalibus typis existimant, & rem iis adumbratam notare censent; quemadmodum Theophylactus: Sic enim ait, *hîc* (nempe 1. Tim. 3. 15.) *ad Iudaicum alludit templum, Ecclesiamque ei confert. Siquidem illud habebat figuras & umbras, velati tintinnabula & mala punica* & *pontificem cum victimis*: *Ecclesia autem veritatis est constitutio*: *omnia namque quæ in ea peraguntur, vera sunt, & nihil in ea est umbrosum, qualia sunt ea quæ lege sanciuntur. Pro tintinnabulis enim verbum & prædicatio est splendida: pro malis punicis vita est coronamentum intus fructum habens. Porrò Pontifex, victima, & sacrificium, filius Dei.* Hactenus Theoph. Reliquum autem est, ut à veterum Patrum de celeberrimo hoc Ecclesiæ elogio sententiis diversis ad recentiorum interpretum expositionem procedamus: ac primò qua in re conveniant inter se: deinde quomodo differant, ad accuratiorem intelligentiam proponemus: ad consensum autem quod attinet, conveniunt primò in eo, *veritatis* nomine verbum Euangelii, quo vera salutis per Christum doctrina traditur, designari: deinde columnam ac stabilimentum illius appellari, per Metaph. à columna propriè dicta, ob similitudinem utriusque derivatam: tertiò in eo quoque conveniunt, quod Ecclesia Dei vera tantummodo intelligatur, utpote quæ à Deo est veritatis authore, & columna veritatis: quemadmodum contrà falsa Ecclesia à diabolo extructa, & quasi columna mendacii: denique in eo quoque consensus est, quod veritas Euangelii per se firma est ac stabilis, adeò ut sui ratione nullam opem Ecclesiæ requirat qua stabiliatur, ut quæ organica Ecclesiæ causa, eamque sustentat: sed tantum ratione cognitionis ipsius apud homines, per prædicationem ac confessionem conservandæ: & in his quidem apparet recentiorum interpretum, in hac illustri sententia enarranda consensus: differentia verò eorum à diversa vocum *Ecclesiæ* & *columnæ* acceptione, promanat: quidam enim visibilem vocatorum ad Christi cognitionem, & verbi ac Sacramentorum communionem, cœtum ex electis & reprobis constantem intelligi, ac notam veræ Ecclesiæ propriam, qua à falsa distinguatur, describi censent: deinde Ecclesiam hanc columnam & firmamentum veritatis, per translationem dici ab illa columnarum veterum specie, quibus fœdera, leges, aliaque honoris causa, ad certam rei memoriam conservandam inscribebantur, aut affixis tabulis appendi solebant: quarum columnarum inprimis apud Demosthenem in oratione adversus Leptinem frequenter mentio occurrit: atque inde hoc sensu per similitudinem elegantem, ab Apostolo Ecclesiam columnam ac firmamentum veritatis appellatam arbitrantur: quod hujusmodi columnę instar, veritatem sibi traditam & appensam, per prædicationem & confessionem illius custodiat, tueatur, & ad posteros notitiam illius propaget. Quę sanè similitudo videtur valdè concinna: sed tamen, licet columnis illis veterum inscripta fœdera, leges & similia legamus, de affixione tamen tabularum ad eas, nullum adhuc exemplum aut indicium observare neque exquirere potuimus: Si quis tamen compererit, indicii gratias ei debemus: nam quod de nostrorum temporum consuetudine dicitur, illud vetustatem non probat: deinde quod ad columnas veterum attinet, quibus leges ad custodiam certamque notitiam inscribebantur, eæ fuerunt alterius formę, & alio nomine appellatę, quàm quo Apostolus utitur: illę enim dictę sunt non στύλοι sed στῆλαι: quę duo licet ab eodem verbo ἵστημι, *erigo, statuo*, deriventur, significatione tamen differre, à doctiss. Eustathio Comment. Græc. in Homer. demonstratum. στύλος enim figuram habuit rotundam: στήλη verò quadratam, quemadmodum Suidas aliique ex eo testantur: idemq; confirmat doctiss Ulpianus in suis Comment. in orationem Demosth. adversus Leptin. editionis Wolphii Tom. 5. p. 144. Sic enim ait; στήλη *lignum aut lapis quadratus* (*seu quadrangulus*) *in quo inscripta &c.* Qua voce in eadem oratione Demosth. utitur, p. 370. ἐν τῇ στήλῃ γέγραπται, *in columna illa scripta est*, sic p. 366. & 378. idemque Demost. Orat. in νέαιρ: p. 688. edit. Wolphii in folio καὶ τοὺς νόμους ἐπισκεψάμενος τοὺς τοῦ Δράκοντος ἐκ τῆς στήλης, *& inspectis Draconis legibus in columna*, ut rectè ἐκ pro ἐν, ambiguitatis vitandæ causa interpretatur Wolphius: quibus accedit, quod cum Grȩcorum usu conveniant LXX. Interp. qui στύλοι & στήλαι ubique distinxerunt. Hæc de priori hujus Ecclesiæ descriptionis explicatione: altera verò eorum est, qui *Ecclesiæ* & *columnæ* significationem aliam sequuntur: nim. ut Ecclesia electorum intelligatur, & columna per Metaph vocetur, similitudine quadam petita à tali columna, cui ędificii moles imposita, eamque sustinet ne collabatur: nam visibiles Ecclesiæ non sunt columnarum instar stabiles, sed sæpe instabiles: & veritatem non retinuisse, sed ab ea defecisse, Asię, Africę & Europę bona pars demonstrat: ac propterea doct. Wolf. Musc. August. in Ps. 47. sententiam probans ait: *quod Apostolus Ecclesiam Christi, Ecclesiam Dei viventis columnam, ac stabilimentum vocat, intelligitur de Ecclesia electorum: qui veritatem in fide Iesu Christi amplexi fortiter & constanter perseverant, ita ut ne inferorum portæ adversus eam prævaleant, propterea quod fundata est supra petram.* Quæ explicatio vocis στύλου & στήλης distinctionem non confundit, & invictam Ecclesiæ stabilitatem, *columnæ* voce denotatam indicat. Cæterum quia Christus Scripturas jubet scrutari: non alienum, nec ingratum fore existimamus, si servata eadem descriptionis Ecclesię propositæ sententia, novam quandam, cum Apostoli scopo & verbis consonam explicationem (non affectatæ novitatis, sed veritatis amplius illustrandæ studio) expendendam proponamus: ea autem est hujusmodi, ut Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis Euangelii appellari dicamus, similitudine singulari, à duabus illis columnis ante Sanctum positis, 1. Reg. 7. 21. utpote veræ Ecclesiæ typis propheticis. Cujus rei observandę atque indagandæ Clar. Doctor Iunius occasionem suppeditavit, ut qui rectissimè, 1. Reg. 7. ad v. 21. de Jachin & Boas columnarum harum propriis nominibus ait; *Hæc duo nomina columnis indita Propheticè fuerunt, ut prædicaret Salomo columen & robur plus quam aheneum in regno Dei, id est, in Ecclesia esse.* Ex quibus apparet doctiss. virum censere, per columnas illas Ecclesiam Dei adumbratam; deinde quod co-

 lumnæ,

lumnæ, cum fuerint æneæ sive æreæ, invictum Ecclesiæ ac plusquam aheneum robur divinitus insitum designent: quibus etiam accedit, quod peculiariter ei rei significandæ nomina ista duo sunt indita, quibus columnarum arcana significatio indicatur: denique consideratio orationis Pauli allegoricæ, in priori etiam descriptionis Ecclesiæ parte, & similitudo typi columnarum & rei adumbratæ, ad amussim inter se conveniens, hanc interpretationem sententiæ Apostoli persuadere videntur: nam prima Ecclesiæ descriptio, quâ *domus Dei* (nempe spiritualis, 1. Pet. 2. 1.) dicitur, per Metaph. à templo, corporali Dei domo, ut typo Ecclesiæ desumitur: adeo ut valdè consentaneum videatur, si secunda descriptione Ecclesiæ, à secundo typo deducatur translatio: ut columna & firmamentum nominetur à duabus illis domus Dei columnis, 1. Reg. 7. quæ inditum habebant, sustentabant atque prætendebant eminentem globum coronarium: quibus columnarum mysterium significari, propriis nominibus indicatum. Idemque insignis Ecclesiæ & columnarum illarum similitudo comprobat: nam ut columnæ illæ innixæ fuerunt domus Dei seu templi fundamento: sic Ecclesia velut columna spiritualis, Christo fundamento suo superstructa eique fide innixa, Matt. 16. 18. Eph. 2. 21. 22. Col. 1. 23. secundò ut columnæ illæ fuerunt æreæ, ac propterea firmæ ac stabiles, 1. Reg. 7. v. 15. sic etiam Ecclesia firma & immota per Dei potentiam perstat, 1. Pet. 1. vers. 9. adeò ut portæ inferorum adversus eam non prævaleant, Matt. 16. v. 18. quemadmodum simili quadam metaphora Deus Jeremiam, cap. 1 vers. 18. appellans ait: *ego pono te hodiè velut civitatem munitam, velut columnam ferream.* tertiò, ut columnæ illæ duæ, non solum ratione fundamenti & insiti roboris sui ahenei, fuerunt firmæ, sed etiam rei ipsius impositæ atque ex iis eminentis stabilimentum; sic etiam Ecclesia electorum ut spiritualis columna, non solum stabilis & firma est: sed etiam veritatis sibi divinitus inditæ custos ac stabilimentum rectè vocatur: quatenus scilicet veritatis Euangelii notitiam in se vera fide retinet firmiter, & in mundo extra se prætendit ac tuetur. Phil. 2. vers. 15. 16. Quæ veritas egregia cum suo typo similitudine, per globos illos columnis sacris duabus impositos, adumbrata comperietur: nam primò ut globi illi in solis duabus columnis residebant ac sustentabantur: sic veritas Euangelii in sola electorum Ecclesia residens, fide viva continetur, & prædicatione ac confessione eminet ac prætenditur: deinde ut globi fuerunt ex ære fusi, 1. Reg. 7. v. 16. ac proinde insito suo robore firmi: sic etiam verbum veritatis Euangelii firmum atque invictum permanet, 1. Pet. 1. v. 25. denique ut globi illi admirando liliorum, malogranatorum & coronarum ornatu insito excelluerunt, 1. Reg. 7. v. 17. 18. sic etiam veritas Euangelii divino ac vario salutarium dogmatum ornatu jucundissimo, alias veritates longissimè exsuperat, Psal. 19. & 119. Quapropter ut columnæ illæ duæ fuerunt Ecclesiæ typi: sic & globi earum coronarii, in iis supernè inditi ac conspicuè eminentes, veritatem Ecclesiæ Dei, tanquam spirituali columnæ divinitus inditam, concinnè adumbrarunt. *Veritatis* autem voce, globorum significationem typicam obscuriorem Apostolus hoc loco declaravit; cum Ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis appellat. Quam hujus loci interpretationem accurato doctorum judicio censendam libenter submittimus. Antequam verò finiamus, nodus quidam, qui obstare videtur, paucis expediendus; & quidem ut eadem opera mysterium illud columnarum & globorum coronariorum, 1. Reg. 7. multò plenius illustretur: nam mysterium in iis inesse, nomina propria columnis illis indita, præter Scripturæ in aliis morem, indicare agnoscunt interpretes, & res ipsa evincit. Nodus autem hic est, quod columnarum numerus Ecclesiæ Dei adumbrandæ minus prima fronte congruere videatur: cum unicam Ecclesiam duabus columnis significari diximus. Verum duobus modis huic difficultati occurri potest. Primò quidem, quod in ea re nihil sit absurdi, si una eademque res, duobus signis divinitus designetur: id quod vel illustri illo exemplo, Gen. 41. constat, siquidem duo à Deo diversa unius rei futuræ signa Pharaoni somnianti proposita: quocirca Patriarcha Joseph (ut divinus interpres adhibitus) unum somnium esse asseruit (cum tamen duo fuerint) ratione unius ejusdemque rei, sub duobus signis indicatæ, Gen. 41. 21. & repetitionis unius rei per diversos modos signorum, causam esse tradit, ut certitudo rei notaretur, ibid. v. 23. Deinde altera objecti nodi uberior solutio, & quæ difficultatem penitus diluit, est hujusmodi: quod quamvis Ecclesia Dei unica sit reipsa, ratione unius formæ insitæ: accidentium tamen circumstantiarum ratione in duas distinguitur: quarum prior Israëlitica ante Christi adventum, quæ in solo populo Israëlitico, præteritis aliis gentibus, fuit comprehensa, Ps. 147. 19. 20. Act. 14. 10. altera verò Catholica, Ecclesia Christiana ex omnibus gentibus, per Christi Apostolos collecta, Matt. 28. 19. Act. 1. 8. Quæ duplex Ecclesiæ distinctio perspicuè, Esa. 54. v. 1. sub duarum uxorum Dei similitudine proponitur: quarum una, quæ conjugata dicitur, Israëliticam Ecclesiam notat: altera verò sterilis, quæ non parit & desolata, Ecclesiam Christianam, ante Christum desertam ac præteritam significat, ut disertè Gal. 4. 27. explicatur. Atque hæc unius Ecclesiæ in duas distinctio, per duas etiam diversas columnas, 1. Reg. 7. egregia omninò convenientia adumbrata est, partim nominibus propriis, partim situs utriusque differentiâ, v. 21. nam ad nomina quod attinet, ut mysterium latens in columnis indicaretur, unius columnæ nomen proprium vocatur בעז i. e. *in ea robur*, quo Israelitica Ecclesia notatur, quod Deus ei, ut conjugi suæ, Jesa. 54. 1. sua potentia adesset, & ad filios, Deo per verbum propagandos, robustam redderet ac custodiret: alteri verò columnæ nomen attributum est, יכין, i. e. *parabit:* per quam columnam Ecclesia catholica Christiana futura designata est, quod scil. nondum esset per vocationem parata (utpote adhuc tum temporis desolata, Ps. 147. 19. 20. Esa. 54. 1. Act. 5. 16. Eph. 4. 12.) sed per Christum & Apostolos, misso Sp. S. tandem paranda, Mat. 28. 19. Act. 1. 8. Altera columnarum Ecclesiam Dei adumbrantium distinctio in ipso situ, sive diversa collocatione inter se consistit: columna enim *Iachin* nominata (quæ Ecclesiæ Catholicę ac Christianę, post Christum exhibitum parandæ, typus fuit) distinctè dextra vocatur, & altera, *Boas* dicta, Ecclesiæ Israeliticę typus, sinistra: ut ea distinctione Ecclesię Catholicę futurę excellentia indicaretur; quod licet tempore esset inferior, dignitate tamen divinitus destinata, i. e. amplitudine & privilegiis variis longè superior, ut Esai. 54. allegoricè prædictum: idque ab Apostolo Paulo, Gal. 4. 27. allegorię explicatione diserta declaratur. Atque hactenus occasione elogii Apostolorum Jacobi, Cephę & Johannis, qui columnæ judicabantur, digressi sumus ad celeberrimum illud Ecclesiæ encomium nonnihil illustrandum: quo 1. Tim. 3. 15. ut illa domus Dei per Metaphor. à typo templi & externę domus Dei dicta: sic eodem tropo columna & firmamentum veritatis appellatur, ut ante pluribus declaratum. Quare digressione ista pro modulo nostro absoluta, ad rem ipsam regrediemur. Postquam enim Paulus hoc secundo capite satis superque, se nihil ab Apostolis aliis didicisse, nec iis inferiorem, sed in doctrina & Apostolatu parem, data ejus rei ab Apostolis dextra, agnitum ac comprobatum, ostendit; idem jam alia narratione, inde à v. 11. ad finem usq; cap. demonstrat: quę narratio reprehensionem Petri continet, quę in Actis à Luca, ut alia nonnulla (utpote à Paulo in hac epistola ante descripta ac publicè inde nota) non frustra omittuntur. Narrationis autem illius partes sunt duæ, propositio & expositio illius. Propositio autem reprehensionem Petri, & rationem illius describit. Ac reprehensionem quidem à temporis & loci circumstantiis, & modo illius explicat. Circumstantia autem indicatur, cum dicitur: ***Cum autem venisset Petrus Antiochiam.*** Ac temporis quidem articulus non definitè notatur: sed hoc tamen ex orationis serie & reipsa satis apparet, fuisse postquam Paulus cum Barnaba, à Synodo & rebus antè narratis legatione perfunctus, Antiochiam Syriæ regressus fuerat, Act. 15. 30. Modus autem reprehensionis est, quod Petro restitit, *κατὰ πρόσωπον, ante faciem*, i. e. non clanculum, sed coram: quemadmodum phrasis ea accipitur, Luc. 2. 31. & Actor. 3. 13. & 25. 16. ut etiam hujus loci circumstantia hoc requirit;

requirit: eodem tamen sensus redit, quod vetus interpres, *in faciem*, & noster *in os*, transtulit. Observanda autem hoc in loco est duplex veterum quorundam hallucinatio. Prior quidem, quod pro voce *Petri*, Cepham substituerunt, ut Clemens quinta hypotyposeon, Cepham legit, & quidem non Apostolum Petrum, sed unum è 70. Christi discipulis interpretatur, ut ab Eusebio hist. Eccles. l. 1. c. 13. narratur. Sed lectioni illi obstat communis Græcorum omnium codicum consensus, in quibus non κηφᾶς sed πέτρος constanter extat, quemadmodum etiam apud Chrysost. aliosque Græcos Patres: deinde figmentum illud de alio Cepha, è 70. discipulis, vanum nulloque modo probatum; neque ad hujus dicti Paulini scopum pertinet, sed omninò ineptum esse à doctis interpretibus rectè observatum ac demonstratum; etsi enim Oecumenius hoc probabile statuat, Hieron. tamen hoc non immerito ut alienum copiosè refutavit. Hujus autem variæ lectionis & conjecturæ origo inde videtur orta, quod imprudenti zelo, honori Apostoli Petri consulere voluerint, atque ita infidelium adversariorum calumniis ansam præcidere. Hęc de priori errore. Alter succedit, quasi, quod Paulus se Petro restitisse asserit, non seriò esset factum, sed externa tantum specie & simulatione mutuâ: ac si illis verbis, κατὰ πρόσωπον, *secundùm faciem*, i. e. speciem notaretur: quæ inprimis Græcorum Patrum sententia, quæ prolixè à Chrys. & ex eo ab Oecum. explicatur, & ab Hieron. operosè discutitur ac propugnatur, partim Commentariis in epistolam ad Gal. partim in epistolis de hac materia ad Aug. qui contra graviter ac solidè eam refellit. Cujus longioris certaminis accuratam atque eruditam analysin ac summam si quis desideret, à Clariss. Doctore Paræo ad hunc Apostoli locum subjectam comperiet. Atque hæc de reprehensione Petri, i. e. primo propositionis membro. Alterum est ratio illius, idcirco subjecta, ut justitia reprehensionis adversus calumniatores designaretur: ea autem ratio est, quia κατεγνωσμένος ἦν. Quod quidam exponunt propriè, *quia damnatus erat*. Verum illud neque antecedentibus neque consequentibus satis convenit; ac propterea alii illud verbum per enallagen participii, loco nominis (ut alibi sæpius fit) accepti, interpretantur: ut idem sit quod κατάγνωστος, cui opponitur, Tit. 2. v. 8. ἀκατάγνωστος, unde vulgatus interpres, *reprehensibilis erat*, noster verò *condemnandus* Latinè reddidit, id est, jure reprehendendus erat: unde sequitur Paulum Apostolum non temerè nec iniquè, sed jure, meritoque restitisse. Cæterum notanda est hoc in loco Græcorum Patrum explicatio, quam ex iis Oecumenius recenset, quæ Apostoli verbis indignè omninò repugnat. Sic etenim ait; *reprehensus erat Petrus, non veritate*, i. e. *non verè, neque à Paulo, qui dispensationem noverat: absit: sed ab his, qui ignorabant quid dispensativè ageretur, & opinabantur simulare propter factum*. Dispensationem autem vocat, actionis latens consilium: quod nec Petrus seriò à gentibus se subduxerit ac segregarit ob Judæorum à Jacobo adventum, sed simulatione quadam, ut Paulo, consilii hujus conscio, reprehensionis occasionem præberet, eamque patienter ferendo, Judæos illos à legis ceremonialis zelo imprudente ad libertatem Christianam adduceret. Quæ referre, refutare est: cum Apostolo & hic & in seqq. disertè contradicant, eumque imprudentes falsi arguunt, qui hanc epistolam instinctu Sp. S. ut alias conscripsit, & quæ scripsit vera esse, juramento asseruit, c. 1. 20. Hujus autem falsæ interpretationis occasio fuit adversariorum infidelium calumnia, qui & Petri hypocrisin in doctrina & vita, & Pauli in ea reprehendenda petulantiam arguerunt: quales fuerunt, ut Marcionem omittam, Porphyrius, ut Hieron. hîc monet, & Julianus Imperator apostata: quemadmodum ex Cyrillo Alexan. Tom. 3. contra Julian. l. 9. in fine illius constat. Scopus autem interpretationis Græcorum Patrum fuit, ut Apostolorum honorem, inprimis verò Petri tuerentur: quemadmodum ex verbis etiam Cyrilli ibidem apparet: *Sub hæc* (inquit de Juliano) *cavillatur, & eximium inter sanctos Apostolos Petrum, quem & hypocritam esse dicit, & per Paulum reprehensum, quod interdum Græcorum moribus vivere studuerit, interdum autem Judæorum: ignorans omninò artificiosissimam dispensationem. Non enim aliud sentiebat discipulus, sed tempestivè congruis utebatur dispensationibus, & omni modo iis qui se accedebant, prodesse studebat. Quoniam autem beatus Paulus unum morem servabat, accedens submonuit; timuerat enim ne fortassis mens illa ignoraretur, & dispensationis modus quosdam offenderet*. Hæc ille: quibus Petrum ab omni culpa hoc loco absolvere, & adversarios confutare conatur, Sed frustra: nam licet scandalum sit vitandum, & ne infirmi labantur, curandum: distinctio tamen duplicis scandali concurrentis prudenter observanda. Scandalum enim per se (quod vulgò scandalum datum vocatur) semper est vitandum: quia in seipso peccatum est, & in aliis hominibus peccati causa adjuvans. Scandalum verò per accidens abusus aliorum (quod scandalum acceptum dici solet) est vel improborum, vel infirmorum fratrum. Improborum quidem, quando illi actione aliorum bona, suo vitio abutentes peccant: quale fuit scandalum Pharisaicum, Matt. 15. 12. quod contemnendum Christus docet, v. 14 Infirmorum verò fratrum scandalum est, quod ex simplicis libertatis Christianæ ignorantia acceptum, vitari ex charitatis lege debet, si modo absque ullo scandalo dato fieri potest. Quando verò utrumque concurrit, scandalum acceptum negligendum est: quia non est faciendum malum, ut eveniat bonum, Rom. 3. 8. Atque hac in re Petrus peccavit, quod cum subita perturbatione abreptus, de scandalo rectè sentientium, cum gentium tum Judæorum, qui cum iis erant, ex subductione & separatione ab iis orituro, non cogitaret: scandalum malè sentientium Judæorum à Jacobo missorum oriturum, subitò imprudenti & pręcipiti metu vitavit perperam. Quamobrem ut Porphyrii & Juliani accusationes adversus Petrum olim institutæ, justâ ratione retundantur, ea non est, ut cum Gręcis Patribus & Hieronymo Petrum à culpa omni commissa immunem hîc statuamus: quia res ipsa, ac Pauli Apostoli diserta narratio hoc loco & sequentibus contradicit; sed genuina responsio est, ut culpam aliquam agnoscamus, non autem eam, quam hostes illi objecerunt, primùm quia hypocrisis Petri, quam Paulus rectè in eo reprehendit, non fuit habitus, seu morum illius, quibus assueverit, sed actionis particularis, cum alioqui vita illius non fuerit simulata, sed sincera. Ideoque falsò Petrum hypocritam fuisse, i. e. hypocrisi assuetum ac deditum, ex una hac actione objecerunt. deinde hęc hypocrisis Petri non fuit deliberata, seu consilio suscepta: sed imprudenti ac subita cogitatione, ac metu scandali accipiendi abreptus, infirmitate humana impegit, id quod mirandum non est: nam quamvis Apostolus Petrus (quemadmodum & reliqui Apostoli) per divinitùs promissum ac missum Sp. S. in omnem veritatem esset deductus, Ioh. 16. v. 13. & in doctrina sua sincerus ac constans, non tamen propterea perfectè fuit sanctus, & ab omnibus peccatis immunis, 1. Ioh. 1. 8. quandoquidem in multis labimur omnes, Jac. 3. 2. Atque hæc de narrationis Pauli (de Petri reprehensione instituta) propositione: cui deinde opportuna expositio, declarationi & confirmationi illius inserviens, subjicitur: atque ita sese adversus temeritatis & petulantiæ notam & calumniam maturè præmunit ac tuetur: ut eò magis Galatas partim lapsos erigeret, partim in doctrina de libertate Christiana infirmiores confirmaret. Hęc autem Petri à Paulo reprehensionis propositæ expositio, I. causam illius, deinde modum describit. Causa autem est, externa quidem, peccatum Petri reprehensione dignum: interna verò, Pauli conscientia. Ac Petri peccatum duplex indicatur: primum, & ex primo illo ortum. Primum quidem v. 12. describitur, nimirum quod facto suo gentes fideles offenderit: quod cum antea cum iis (tanquam fratribus per fidem purgatis, rectè libereque conjunctus) ederet, postea tamen adventu Judęorum à Iacobo missorum, malè se à fidelibus illis gentibus subduceret ac separaret. Malè autem id factum, ex causa Petrum movente indicatur, quum dicitur, *metuens eos qui erant ex circumcisione*, id est, circumcisos: qualis Metonymia, Rom. 4. v. 12. Gal. 2. v. 7. Eph. 2. v. 11. usurpatur: deinde non omnes circumcisos præsentes intelligit; quandoquidem pars eorum cum Petro degebat, quam metuere non poterat, sed per Synecd. Judæos à Iacobo missos, & circum-

circumcisioni, legisque ceremoniis ex libertatis Christianæ ignorantia addictos: qui gentes, licet fideles, absque circumcisione admissa, impuros censebant, & ab earum familiaritate & mensa, ut re illicita, abhorrebant. Quales reprehensores suos Petrus Hierosolymis antea fuerat expertus, postquam ad Cornelium fuisset ingressus, & cum eo aliisque incircumcisis fidelibus edisset, ut Act. 11. v. 2. 3. describitur: quibus tum temporis, Apostolus Petrus constanter occurrit, & cùm oraculi mandantis Dei v. 9. cum 12. tum & miraculi sequentis narratione, vers. 15. 16. 17. satisfecit v. 18. hîc verò per infirmitatem quandam humanam (subitò offensæ, & reprehensionis à similibus Judæis, metu) officii memoria perturbata, fumum fugiens in flammam incidit; quod videlicet quando malè sentientium scandalum arripiendum vitare præposterè studet, rectè sentientium fidei infirmandæ scandalum imprudens præbuit. Atque hæc de primo Petri peccato, quo inconsulta simulationis actione, in officium suum impegit. Alterum verò peccatum, nempe ex priori ortum, est detrimentum, quod Ecclesiæ, subductione illa à gentibus fidelibus, intulit. Illud autem est geminum ac comparatè explicatur. Unum quidem grave, quod Petrus suæ hypocrisis præeuntis exemplo reliquos etiam Judæos (qui Antiochiæ, non minus quàm Petrus, cum gentibus fidelibus, pro libertate Christiana, liberè edebant) ad imitationem simulationis suæ commoverit: id quod indicatur, v. 13. *& simulabant unà cum eo reliqui etiam Judæi.* Alterum verò detrimentum, exemplo Petri illatum, fuit gravius; quod non reliqui Judæi solum, sed etiam Barnabas ipse, gentium cum Paulo doctor & socius, atque unà cum eo jam ante ad asserendam libertatem Christianam legatus Hierosolymam, simili hypocrisi sit abreptus: de quo dicitur, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. Quæ verba duobus modis exponuntur: primus est ut ὥστε significet *itaque*, ut olim noster interpres sic transtulit: *itaque & Barnabas simul abreptus fuit in illorum simulationem*: alter verò modus est, ut ὥστε notet, *adeò ut*, aut, *ita ut*, quemadmodum noster interpres postremò convertit: *adeò ut Barnabas quoque simul abriperetur eorum simulatione.* Ac prioris quidem interpretationis ratio est, quod ὥστε, quando significat *adeò ut*, infinitivo modo construi soleat: non autem, ut hîc fieri videmus, indicativo modo. Verùm agnoscimus quidem illam vocis ὥστε constructionem esse frequentissimam, sed tamen non perpetuam: quia ut noster etiam interpres postremis annotationibus rectè ait, *ὥστε quoque cum indicativo modo; quamvis non ita frequenter, construi hac significatione.* ac sane è bonis authoribus exempla non desunt: sed si quis diligenter Novi Testamenti loca excusserit, non frequentia exempla, sed unicum tantum extare comperietur, nimirum Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit &c.* ὥστε τὸν υἱὸν, &c. *adeò ut filium dederit, &c.* reliquis verò locis eo sensu cum infinitivo construitur. Cœterum prior interpretatio vocis ὥστε pro *itaque* conclusionem notans, antecedentibus Pauli verbis non rectè convenit: sed posterior optimè, utpote quæ ad exaggerationem detrimenti illati à Petro, egregiè inservit, quemadmodum antea ostendimus: grave enim fuit gentibus fidelibus scandalum, quod Iudæi è fidelium grege rectè sentientes subitò sese (quasi impuri essent Christiani gentiles) ab ipsis separarint: sed quod Barnabas quoque gregis illius pastor & libertatis Christianæ doctor, nunc unà cum illorum simulatione abreptus fuit, scandalum fuit gravissimum. Atque hæc de Petri peccato, cum primo, tum altero ex priori orto: quæ externa fuit causa, Paulum ad reprehensionem Petri, justè ac necessariò impellens. Altera verò, est Pauli conscientia recta, qua peccatum Petri & imitatorum illius vidit, & justa reprehensione corrigendum judicavit: de quo v. 14. dicitur; *sed cum vidissem eos non recto pede incedere ad veritatem Euangelii.* Peccatum autem Petri & aliorum hic describitur eleganti Metaphora (quæ à claudicantibus, ut 1. Reg. 18. v. 21. petita) generatim primum, cum ait, *non recto pede incedere*, id est, malè agendo ab officii (quasi vix ineundæ) rectitudine declinare; cujus contrarium præcipitur, Heb. 12. 13. *rectas orbitas* (seu vestigia) *facite pedibus vestris: ne quod claudum est deflectat à via, sed sanetur potius*, quibus verbis hic locus ad Galatas egregiè illustratur. Deinde speciatim viam indicat Apostolus, à qua per vitiosam illam simulationem declinarunt, cùm addit, πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, *ad veritatem Euangelii.* Ubi notandum est, vocem πρὸς, cum accus. junctam, sæpius terminum notare; interdum verò convenientiam, ut idem sit quod κατὰ, *secundum*, cum accusativo constructum. Quæ significatio huic Apostoli dicto maximè quadrat: quemadmodum & noster interpres rectè observavit ac probavit, & ut illustraret sensum paraphrasi hac interpretatus est; *ut veritati Euangelii congruebat.* Quæ veritas via est ac norma fidei & actionis rectæ: à qua Petrus & imitatores illius, non prædicatione, sed imprudenti tantum actione, ut suprà ostensum, aberrarunt: id quod phrasis illa, *non recto pede incedere* (quæ ad actionem pertinet) satis declarat. Hinc Tert. de præscriptione adversus hæreticos, c. 43. ait: *proponunt ergo ad sugillandum ignorantiam aliquam Apostolorum: quod Petrus & quidam qui cum eo erant, reprehensi sint à Paulo.* Ad quod postea Tertull. respondet. *Cæterum*, inquit, *reprehensus est Petrus, quod cum convixisset Ethnicis, postea se à convictu eorum separabat, personarum respectu: utique conversationis fuit vitium, non prædicationis*: & contra Marcionem, lib. 4. c. 3. cum Marcionem ex epistola ad Galatas narrat, objecisse, Paulum ipsos etiam Apostolos sugillasse, ut non recto pede incedentes ad veritatem Euangelii, postea respondet Tertull. hoc modo: *Etsi reprehensus est Petrus & Iohannes & Iacobus (qui existimabantur columnæ) manifesta causa est: personarum enim respectu videbantur variare convictum. Et tamen cum ipse Paulus omnibus omnia diceret fieri, ut omnes lucraretur, potuit & Petro hoc in consilio fuisse aliter aliquid agendi, quàm decebat.* Et paulò post ait; *Non de prædicatione, sed de conversatione à Paulo denotabantur, æquè denotaturo, si quid de Deo creatore aut Christo ejus errassent.* Ubi obiter notandus memoriæ error. Nec enim Iacobus & Iohannes Apostoli, sed Petrus & Iudæi præsentes tunc cum Barnaba à Paulo hoc loco reprehensi dicuntur: deinde dissimile est Pauli & Petri exemplum, quod quasi simile adducit Tertullianus; nam Paulus sic & Gentibus & Judæis sese accommodavit, ut nullum scandalum per se committeret: sed ceremoniis legis, ut re non necessaria, sed ad tempus libera, usus est, modò non est usus, prout ædificatio Ecclesiæ, sine rectè sentientium offensa, requirebat. Petrus verò dum malè sentientes de libertate Christiana offendere metuit, imprudens, scandalum rectè sentientibus dedit, ut suprà ostendimus: nam veritas Euangelii hoc requirebat, ut fides beneficii Christi, quo fideles à circumcisionis & ceremoniarum legis servitute liberavit, Gal. 5. v. 1. confirmaretur, Gal. 2. v. 4. 5. id quod Paulus hic spectavit ac præstitit, sicut etiam Petrus antea Act. 15. v. 8. 9. & Synodus Hierosolymitana ante decreverat, Act. 15. v. 24. à qua veritatis & Euangelii via, Petrus & imitatores illius, imprudenti metu abrepti, declinarant; quod Paulus tanquam Apostolus, veritatis Euangelii, & salutis Ecclesiæ zelò, piè accensus, sua reprehensione corrigere studuit. Atque hæc de causa reprehensionis Petri duplici: eoque modo expositum ac probatum est, quod Apostolus ante vers. 11. dixerat, Petrum fuisse κατεγνωσμένον, justa reprehensione dignum. Sequitur deinde reprehensionis modus, qui circumstantiam ac formam illius complectitur. Circumstantia autem est duplex, tempus quando ea facta est, & auditores, coram quibus. Tempus est, quod reprehensio non sit delata in posterum (hoc enim scandalum fovisset, non autem correxisset) sed statim scandalo dato atque observato adhibita est, tanquam remedium necessarium: id quod initio versus indicatur, 1. voce ὅτε *cùm vidissem*; deinde sequentibus, cum additur, *dixi*, id est, tum dixi. Altera verò circumstantia sunt adjuncti auditores, quod non clanculùm, aut coram paucis; sed coram omnibus illis. Neque obstat præceptum Christi, Matth. 18. vers. 15. quia ibi de privatis loquitur injuriis, quæ primùm privatam reprehensionem requirunt: hoc verò Petri peccatum, non fuit privatum, in Paulum commissum, sed publicum, & toti illi Ecclesiæ præsenti notum ac noxium: ideoque publicam ab Apo-

ab Apostolo reprehensionem requirebat, ut 1. Tim. 5. vers. 20. docetur. Qua de re consentaneè ait Augustinus: *Quod autem hoc ei dixit, necessitas coëgit, ut omnes illius objurgatione sanarentur: non enim utile erat, errorem qui palam noceret, in secreto corrigi.* Hactenus Augustinus. Eadem etiam necessitate hæc perscribit Apostolus ad Galatas prudenter, non verò ambitione, nec invidiâ (ut Porphyrius olim Christianis objecit) sed ut apud eos adversus Pseudoapostolos (qui Petri nomine & exemplis, contra Pauli doctrinam abutebantur) Euangelii veritatem assereret, ad Ecclesiæ salutem & Dei in Christo gloriam. Cujus etiam simili studio ducti, & Moses ac Prophetæ & Apostoli, nec sanctorum virorum, nec sua peccata reticuerunt scriptis suis: ut hujusmodi exemplis cautiores redderemur. Atque hæc de primo reprehensionis modo, qui in circumstantia cùm temporis præsentis atque opportuni, tum præsentiæ auditorum omnium consistit. Alter verò modus est forma reprehensionis, partim communis, partim propria: communis quidem, quod ea reprehensio facta sit sermone ad Petrum præsentem directo, *dixi* (inquit) *ei*, id est, Petro: Propria verò reprehensionis forma proximè sequentibus proponitur & confirmatur. Propositio autem est, quâ factum Petri interrogationis figura accusat, & rei indignitatem declarat. Accusat autem hoc modo; *Gentes cogis Judaizare.* ubi per Gentes primùm non quasvis, neque infideles, sed Ecclesiam Antiochenam, è Gentibus constantem, (cum qua Petrus antè ederat) intelligit: ita ut τὰ ἔθνη non inconcinnè hoc loco transferri possit, *gentes illas*: ut articulus τὰ sit memoratarum antè gentium fidelium demonstrativus, ut sæpius accipitur. Judaizare autem est ritus Judæorum sequi: hoc est Iudæos qui circumcisionem & ceremonias legis (tanquam cultum divinum) observabant, imitari; quod verò addit *cogis*, observandum est eam vocem bifariam accipi: primùm propriè, ut sit vim ad aliquid agendum inferre, ut Actor. 26. v. 11. *coëgi blasphemare*: deinde impropriè per Metaphoram ac similitudinem quandam notat magnam rei causam præbere, ut Matth. 14. vers. 22. *statim Iesus coëgit discipulos suos inscendere in navigium*, hoc est, authoritate mandati sui commovit: & 2. Cor. 12. vers. 11. *fui insipiens in gloriando, vos me coëgistis*: hoc est, causam vehementer mihi præbuistis: quemadmodum sequentia exponunt: *debueram enim à vobis commendari*: sic hoc in loco Apostoli, non propriè Petrus coëgit gentes Iudaizare: nullam enim iis vim adhibuerat: sed impropriè tantum, quod similis esset cogenti, non quidem consultò per mandatum, vel hortationem aliquam; sed quod perturbatus subitò subductionis suæ atque authoritatis exemplo causam Iudaizandi imprudens præberet, ut suprà pluribus declaratum; adeò ut nisi maturè Paulus obstitisset, gentes quoque fideles ad Iudaismum commovisset. Cujus rei indignitatem, interrogationis figura ostendit, cum ad Petri conscientiam provocans ait; *cur gentes cogis Judaizare*? quasi diceret, facti illius tui rationem justam reddere non potes. Atque hæc genuina videtur hujus loci sententia, quamvis nonnulli hanc coactionem latius patere censent; quasi ea non solùm exemplo, sed etiam oratione facta sit. Quemadmodum Ambrosius exponens ait; *Sed hic tota causa reprehensionis est, quod advenientibus Iudæis à Iacobo, non solùm segregabat se ab eis, cum quibus gentiliter vixerat: sed & compellebat eos Iudaizare; causa timoris illorum, ut quid horum verum esset ignorarent gentiles. Sciebant enim ipsum secum non quasi Iudæum vixisse; post autem audientes ab eo, quia Iudæorum instar sequendum erat, hæsitabant uti quid esset verum.* Hæc ille: cui nonnulli interpretum assentiuntur: sed probabilior, & à plerisque magis recepta Augustini sententia, epist. 9. ad Hieronymum: quam sententiam rotundè ac concinna brevitate in pauca contraxit Hieronymus in epistola ad Augustinum his verbis: *Quod Petrus gentes Iudaizare coegerit, non dominantis imperio, sed docentis exemplo: Nam quid inquam aliud hac subductione præ se ferebat, ac quodammodo loquebatur Petrus, quàm à gentilibus tanquam impuris abstinendum, eoque homines non mundari & justificari fide, sed operibus legis.* Hactenus sententia Augustini, licet in Commentariis suis in epist. ad Galat. Ambrosium minus commodè esset secutus. Porrò explicata jam formæ reprehensionis propositione, sequitur confirmatio illius, pluribus constans argumentis. Primum autem eorum est: *quia tu cum Iudæus sis, gentiliter vivis & non Iudaicè.* Vnde rectè & perspicuè sequitur; Ergo malè cogis gentes exemplo tuo Iudaizare. Similis locus est ipsiusmet Petri, Actor. 15. vers. 9. & 10. *nihil discrevit* (supple Deus) *inter nos & illos*, (hoc est, Iudæos & gentiles) *fide purgans corda illorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum, imposito jugo cervici discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Cœterum quidnam sit *Iudæum esse*, & quid *Gentiliter* & *non Iudaicè vivere* significet, (cum suam habeant emphasin) paucis explicandum. Ac *Iudæum* quidem *esse*, est esse Abrahami sobolem, & ex fœderis cum eo initi formula, Genes. 17. Deo consecratum & lege institutum, Rom. 9. vers. 4. 5. non autem gentilem, à fœdere & populo Dei alienum, Ephes. 2. v. 11. 12. Deinde *gentiliter vivere*, est more gentium circumcisionem & legis ceremonias (tanquam ad Dei cultum & salutem necessaria) negligere: quemadmodum contra *judaicè vivere* est Judæorum more circumcisionem & legis ceremonias (quasi ad sanctitatem & salutem necessarias) observare, & à gentium familiaritate, ut illicita, abstinere, ut Actor. 10. v. 28. Qua de re memorabilis Hieronymi in Commentariis hujus loci paraphrasis observanda: *Indissolubili*, inquit, *argumento constringit Petrum, imò per Petrum illos, qui pugnantia illum inter se facere cogebant. Si* inquit, *tu Petre, qui naturâ Iudæus es, circumcisus à parva ætate, & universa legis præcepta custodiens, nunc ob gratiam Christi, scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse & imagines futurorum, & cum his, qui ex gentibus sunt, cibum capis, nequaquam ut antè superstitiosè, sed liberè & indifferenter victitans, quomodo eos qui ex gentibus crediderunt (nunc recedens ab iis, & quasi à contaminatis te separans & secernens) compellis Iudaizare? Si enim immundi sunt à quibus recedis, idcirco autem recedis, quia non habent circumcisionem, compellis eos circumcidi & Iudæos fieri, cum tu ipse natus Iudæus gentiliter vixeris*: Hactenus Hieronymus. Cœterum perpendenda est hîc in hac reprehensione Petri à Paulo, tam zelus sanctus ac prudens constantia Pauli, quam modestia & patientia Petri: qui meritò rectèque omninò arguenti cesserit, & concordiæ ac gratitudinis testandæ gratiâ, scriptis etiam Paulum honorarit: quemadmodum rectè etiam à priscis patribus observatum: quemadmodum Oecumenius ostendit, cum ait: Παῦλος διὰ τῆς ἐπιστολῆς καταγινώσκει Πέτρου. καὶ Πέτρος διὰ τῆς ἐπιστολῆς ἐγκωμιάζει Παῦλον, καὶ τὰς ἐπιστολὰς σοφίας Θεοῦ καὶ χάριτος εἶναι πλήρεις μαρτυρεῖ, καὶ τοὺς ἀστηρίκτους τὸν ἐν αὐταῖς κεκρυμμένον νοῦν οὐ συνιέναι ἀλλὰ καὶ διαστρέφειν ἀναβοᾷ, hoc est; *Paulus per epistolam condemnat Petrum; & Petrus per epistolam laudat Paulum, & epistolas sapientiæ & gratiæ esse plenas testatur, & instabiles latentem in iis mentem non intelligere, immo etiam pervertere exclamat.* Id quod etiam extollit non immeritò Augustinus. *Nam*, inquit, *objurgatore suo ipse qui objurgatur mirabilior, & ad imitandum difficilior. Facilius est videre quid in alio corrigas, atque id vituperando aut objurgando corrigere, quam videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi vel per seipsum, nedum per alium, adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum.* Hactenus succinctè & accuratè Augustinus. Atq; hoc modo jam explicatum primum propositæ reprehensionis Petri (gentiles illos fideles ad Iudaizandum exemplo suo cogentis) argumentum: videlicet, quod suo antecedenti rectè facto, exemplum consequens refutaretur: utpote qui antea cum gentibus illis incircumcisis, tanquam fide purgatis, liberè rectèque ederat. Cui argumento secundum subjicitur, & scripturæ authoritate confirmatur, vers. 15. Argumentum autem petitum est à communi Petri & Pauli scientia & fide, ac nervosissimum est, summamque doctrinæ salutis Euangelio traditæ complectitur, ac propterea subjectum ac attributum illius, distinctè consideranda. Subjectum autem primùm breviter proponitur: deinde descriptione opportuna pluribus explicatur. Proponitur autem hoc modo, *Nos*, hoc est, ut rectè Hieronymus accepit, Ego & tu Petre, cum quo, plurali

plurali hac voce, se conjungit ac consensum indicat. Explicatio autem est, prima à gentis ipsorum privilegio: altera verò à scientia. Ac prius quidem ita denotatur, cum ad vocem *nos*, additur, *natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores:* Vnde perspicuè sequitur vocem *Nos*, non omnes fideles, tam gentiles, quàm Iudæos hoc loco designare: quia gentibus disertè opponuntur. Iudæos autem intelligit Apostolus, non strictâ significatione, eos, qui ex tribu erant Iuda: sed latiori, per Synecdochen speciei pro genere, Israëlitas: nam Paulus cum ait: *nos Iudæi*, se Petro Iudæo annumerat, cum tamen non esset ex tribu Iuda, sed Israëlita ex tribu Benjamin, Phil. 3. vers. 5. Quod autem ad vocem *Iudæi* additur *naturâ*, id fit distinctionis gratiâ: nam Iudæorum alii sunt naturâ seu generatione tales, octavo die circumcisi secundùm legem: alii non naturâ, sed insitione: seu alii sunt nati, alii per circumcisionem & religionis Iudaicæ professionem facti Iudæi, qui προσήλυτοι, hoc est, *advenæ* distinctè appellantur, Matth. 23. vers. 15. & Actor. 2. vers. 10. utpote qui ad Iudæos, religionis communione advenerint, & in Iudæorum populum cooptati. Quod diligenter Hieronymus explicavit, *Naturâ* inquit *Iudæus est, qui de genere est Abraham, & à parentibus die octavo circumcisus est: non naturâ Iudæus, qui postea factus est ex gentibus.* Hæc ille. Quo etiam modo ad Rom. 11. Iudæi *rami sancti*, vers. 16. & *rami secundùm naturam*, v. 21. vocantur, & ab aliis, populo Iudæorum insitis, distinguuntur, vers. 17. Cæterum ad majorem rei evidentiam, hoc nationis Iudaicæ privilegium illustratur oppositione contrarii, cum dicitur, *& non ex gentibus peccatores.* Quo in loco *peccatores* appellantur, non generatim & absolutè omnes legis transgressores (quemadmodū peccatum generatim accipiendo ἀνομία legis transgressio est, 1. Ioh. 3. v. 4.) quia omnes homines sunt peccatores, 1. Reg. 8. v. 46. tam Judæi, quam gentiles, Rom. 3. v. 9. & 23. sed κατ' ἐξοχὴν eximii peccatores, qui peccatis omninò sunt dediti, & in quibus peccatum regnat. Quomodo hæc vox accipitur crebrius, ut Psal. 1. v. 1. & 5. & 1. Tim. 1. v. 9. Quales Genes. 13. v. 13. *peccatores valdè* appellantur: Quemadmodum eodem sensu *peccandi* vox κατ' ἐξοχὴν usurpatur, 1. Ioh. 3. v. 9. *qui* inquit, *natus est ex Deo, non peccat, nec peccare potest.* Atque hoc modo speciali gentiles ante fidem in Christum peccatores appellantur, hoc est, eximii peccatores, profani ac scelerati: quod videlicet ignorantes Deum, idola colerent, Gal. 4. vers. 8. & sceleribus variis essent addicti, Rom. 1. vers. 29. 30. adeò ut Apostolus, Eph. 2. vers. 12. gentiles Ephesios antequam crederent in Christum, hisce nominibus describat: *in illo tempore eratis absque Christo, alieni à republ. Israëlis, extranei à pactis promissionis, spem non habentes, & ἄθεοι, Dei* (nempe veri) *expertes in mundo.* Atque hanc sententiam plerique interpretes meritò sequuntur potius, quàm Augustini, qui istud nomen gentibus à Iudæis, vetusta quadam superbiâ impositum statuit: tanquam ipsi justi essent, videntes stipulam in oculo alieno & non trabem in suo. *Secundùm eorum morem locutus Apostolus ait, nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores: id est, quos appellant peccatores, cum & ipsi sint peccatores.* Hæc ille, minus commodè: cum contra gentes, comparatè cum Iudæis Dei cultoribus, & à Deo in populum suum ascitis, rectè *peccatores* appellari ex memoratis Scripturæ locis constet. Atque hæc de priori subjecti hujus sententiæ membro, nempe quod Paulus & Petrus voce *Nos* indicati, essent naturâ Iudæi & non ex gentibus peccatores. Alterum membrum est adjuncta iis scientia, quæ vers. 16. initio explicatur hoc modo, *scientes hominem non justificari ex operibus legis*, ἐὰν μὴ *ex fide Iesu Christi.* Qua in re distinctè, res scita, & scientia illius designantur. Res autem scita est doctrina de modo justificationis: de qua re cum duplex esset ac controversa sententia: una quidem falsa, quam Iudæi plerique tuebantur; altera autem vera: idcirco doctrina illa per aphæresin & thesin describitur, hoc est, negatione erroris, & affirmatione veritatis. Ac negatio quidem errorem de justificationis modo rejicit his verbis; *Non justificatur homo ex operibus legis.* Ubi primum vox *hominis* indefinitè quidem enuntiatur, sed definitam tamen ac generalem habet significationem: ac si diceretur, ullus homo, hoc est, nullus homo justificabitur: ut ad Galat. 1. v. 1. *Paulus Apostolus non ab homine, neque per hominem*, hoc est, non ab ullo homine, neque per ullum hominem: quemadmodum etiam in consentanea omninò sententia, ad Rom. 3. vers. 28. dicitur, *non justificari hominem*, hoc est, ullum hominem *ex operibus legis.* Quam etiam hominis significationem scopus Apostoli requirit, & probatio in fine versus hujus, (ubi generalis nota additur) evincit. Deinde homini generatim sumpto attributum justificationis ex operibus denegatur. *Iustificare* autem (ut alibi pluribus explicatum) neque Hebraicè הצדיק, neque Græcè δικαιῶσαι, justum indita justitiæ qualitate efficere significat, sed justum judicare: ut Scripturæ & utriusque linguæ usus evincit. Ideoque ineptè ac perperam Pontificii hanc vocem cum sanctificatione (quasi idem notarent) confundunt. Cumque aliquis justificari, hoc est justus judicari possit, vel ab homine, vel à Deo; posterior sensus κατ' ἐξοχὴν, in justificationis doctrina intelligitur. Deinde cum ea coram Deo justificatio, sit vel hominis in se perfectè justi; vel in se injusti, seu per peccatum transgressoris legis: illa non intelligitur; quoniam Christo soli (ut à peccato & peccatoribus segregato, ad Hebr. 4. vers. 15. & cap. 7. v. 26.) propria est: quemadmodum ipsemet de se testatur, Esai. 50. vers. 8. *propinquus est, qui justificat me, quis contendat mecum?* sed altera justificatio, nempe hominis in se injusti ac peccatoris ac maledictionem legis promeriti, designatur; quia omnes peccaverunt ac destituuntur gloria Dei, Rom. 3. vers. 23. Ideoque Apostolus hoc loco modum justificationis hominis ex operibus legis, hoc est, ex justitia sua legi debita pernegat: quemadmodum plenius ad Rom. 3. vers. 20. dicitur, *propterea ex legis operibus non justificabitur ulla caro: per legem enim agnitio peccati.* Quæ ibidem uberius explicata. Ex qua negatione modi justificationis Apostolus Paulus graviter omninò demonstrat, Petrum perperam suo exemplo imprudenti gentes fideles ad Iudaismum, hoc est, ad circumcisionem, quasi ad justificationem & salutem necessariam cogere: cum contrà per nulla legis opera homo coram Deo justificetur, idque minimè ignoraret. Atque hæc de aphæresi seu negatione falsi modi justificationis, quem Iudæi tuebantur vulgo, Actor. 15. v. 1. Thesis verò est positio seu affirmatio veræ sententiæ de justificationis modo, atque ita exprimitur: ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod vulgatus interpres reddit ambiguo sensu: *nisi per fidem Iesu Christi:* noster verò interpres sublatâ ambiguitate, genuinum sensum expressit: *sed per fidem:* nam per enallagen ἐὰν μὴ, *si non*, seu *nisi*, pro ἀλλὰ, id est, *sed*, accipi hoc loco & potest, & necessario debet: potest quidem, quia eadem vocis significatione usus est jam antea Apostolus cap. 1. v. 7. *quod non est aliud:* εἰ μὴ, id est, *sed quidam vos perturbant:* nec enim conditionalis vocis *nisi* significatio, hîc locum habere potest: quia propriè & absolutè verum Christi Euangelium non est aliud, sed unicum: deinde Latinè *nisi*, sæpissimè pro *sed* usurpari quamplurimis ex Salustio, Cicerone, Plauto, Terentio, exemplis demonstrat Aldus Manutius in suis ad Salustium scholiis, Nota 91. qua in re Græcos videntur imitati, etsi ex iis qui extant authoribus Græcis, exempla nondum à doctoribus prolata: simile tamen adfert Manutius exemplum ex Aristophane, vocis πλὴν *nisi* pro *sed:* ut Lexicographi etiam ex Plutarcho: sic Syrus interpres, Gal. 1. v. 7. & 2. vers. 16. εἰ μὴ & ἐὰν μὴ אלא voce Græca exponit, ut Elias Levita in Meturgeman testatur pro ἀλλὰ: & sic Tertull. contra Marc. lib. 5. c. 3. Nec solùm ἐὰν μὴ seu εἰ μὴ, pro ἀλλὰ *sed*, accipi potest, ob similem Pauli usum, Gal. 1. v. 7. 1. Cor. 7. v. 17. & Iohannis Apoc. 9. v. 4. & 21. vers. 27. ut veritas sententiæ evincit: verum res ipsa quoque idem necessariò flagitat: nam si ἐὰν μὴ *nisi* conditionem sine qua nulli homines ex operibus justificentur, notaret, Paulus perpetuæ suæ doctrinæ, Actor. 13. v. 38. Rom. 3. vers. 28. repugnaret: & quod in hac epistola disertè pernegat, hoc eodem versu turpi contradictione subverteret & adversariorum Iudæorum sententiam tueretur, qui duos justificationis contrarios modos, per opera legis & simul per fidem in Christum, Actor. 15. v. 1. & 5. falsò

& im-

& imperitè copulabant. Atque hæc quidem primùm de re scita diximus. Scientia verò illius rei in Paulo & Petro deinde indicatur, cum dicitur: *Scientes:* hoc est, non falsa atque incerta opinione id putamus, sed vera certaque notitia cognoscimus. Atque eo modo prudenter Apostolus non dixit, Tu Petre sciens: sed *nos* scientes: ut suum cum Petro in doctrina Euangelii consensum testaretur: atque ita adversarios contradicentes refelleret. Scientia autem hæc orta fuit primùm immediatè per revelationem divinam, qua & Petrus, secundùm promissionem Christi, deductus est in omnem veritatem, Ioh. 16. v. 13. & Paulus similiter per revelationem Dei Patris, filii ipsius scientiam percepit, Gal. 1. vers. 16. secundò huic per revelationem immediatè divinam, accessit simul mediata per Sacram Scripturam, quæ propositæ de justificatione doctrinæ testimonium perhibet, Actor. 10. vers. 43. & Rom. 3. vers. 21. ut etiam hujus doctrinæ scientiam ex particularibus Scripturæ testimoniis, Rom. 1. v. 17. & 3. vers. 19. & 4. v. 3. & 8. non minus quàm sequentibus, Gal. 2. & c. 3. probat Apostolus. Atque ita secundi, adversus Petri factum, argumenti subjectum, nempe *Nos*, descriptione à privilegio gentis Judæorum, & à scientia Petri & Pauli, absolutum. Cui attributum nempe *credimus &c.* succedit: & ut oratio sit clarior, subjectum quod initio positum (quia longa descriptione inserta dissidet) repetit, & comparatè amplificat; cum ait: *etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Repetitur autem subjectum cum dicitur: *Nos*, id est, tu Petre & ego Paulus. Amplificat autem comparatione parium, cum præmittit vocem *etiam*: hoc est, quemadmodum gentes credunt. Atque ita ut subjectum nos, proprium fuit Petro & Paulo: sic contra attributum fidei commune cum gentibus statuit. Fidem porrò in Christum describit à fine suo his verbis: in Iesum Christum credidimus ut *justificaremur*: & justificationis modo, cum additur, *ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis*: ubi primum asserit: alterum rejicit. Cui consentanea omninò est sententia Petri, Actor. 15. vers. 11. *per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servari, quemadmodum & illi,* hoc est, gentes fideles; & Pauli, Roman. 1. vers. 16. *Euangelium est potentia Dei ad salutem, Iudæo primum & Græco,* & c. 3. v. ℟. 28. 29.

Nota Bene; Hic lectionum, & non multò post vitæ finem fecit Author noster: Reliqua verò hujus, in hanc Epistolam Commentarii, ex autographo Anni 1594. supplemus.

HActenus argumenti secundi propositio: sequitur illius confirmatio, inde ab extremo vers. 16. ad finem hujus capitis. Ac primùm confirmatio est à testimonio Dei: quo principalis de justificatione quæstio disertè definitur; *Propterea quod non justificabitur*, inquit, *ex operibus legis ulla caro.* Hic autem locus haustus est ex Psal. 143. v. 2. ut rectè sentit Musculus. Etsi enim in testimoniis Veteris Testamenti citandis, Dei, Prophetæ aut Scripturæ, mentio fieri soleat: id tamen non est perpetuum, ut liquet ex Rom. 10. vers. 13. ubi ἀνωνύμως testimonium Ioelis 2. v. 32. adducitur; de quo expressius, Actor. 2. vers. 21. Item Rom. 10. vers. 18. sententia ex Psalmo octavo pari ratione adfertur. Similiter Gal. 3. vers. 6. locus proponitur ex Genes. 15. vers. 16. de quo Rom. 4. vers. 13. Sic etiam Galat. 3. v. 11. & Heb. 10. vers. 38. dictum ex Abacuck. 2. vers. 4. adducitur ad rei confirmationem, nulla Sacrarum Literarum mentione: contra quàm fit, Rom. 1. v. 17. Item Galat. 3. vers. 12. ex Levit. 18. vers. 5. de quo Rom. 10. vers. 5. Deinde nec est necessarium: præsertim cum loci sint illustres ac triti: cujusmodi hic est, qui Rom. 3. v. 20. pari modo profertur. Itaque perinde est, ac si pro more dixisset Apostolus: sicut scriptum est, propterea quod non justificabitur &c: nam hujusmodi ellipsis tam perspicua est tantique ponderis, ac si plena esset oratio: præsertim apud Petrum & reliquos Iudæos, quos hoc loco redarguit Apostolus. Præterea (quod nec Christo, nec Apostolis insolens) licet in verbis hujus loci & Psalmi aliqua sit differentia, in sensu tamen nulla: nam primum *ex operibus legis* additur ἐξηγητικῶς ex Psalmi circumstantiis, & ad hanc controversiam accommodatè: deinde liberè detrahuntur illa verba, *coram te*, nempe Deo (quæ ad Rom. 3. v. 20. adduntur) sine injuria sensus: quandoquidem de justificatione coram Deo controversia erat: denique mutatur, primùm vox *justus erit* in *justificabitur*, sensu Metonymico propriè expresso: deinde *vivens* in synonymum *caro*. Hæc de origine hujus loci: ad interpretationem verò quod attinet, malè Origenes: Rom. 3. vers. 20. ad eum qui caro est & secundùm carnem vivit, restringit ex Rom. 8. v. 7. & 8. nec satis constanter Augustinus, *Omnis caro, id est, omnis homo, sive omnes carnaliter sentientes*: nam carnem generatim per Synecdochen pro homine accipi, liquet ex Psalmo (quem hic locus exprimit) qui habet, *omnis vivens*: deinde ex sententia eadem initio hujus versus: nam quod glossa ordinaria monet, de Judæis poni *hominem*; de gentibus *carnem*: glossa est ab usu Apostoli & orationis filo aliena. Deinde universalem hujus loci negationem, Hieronymus particularem facit; *Iustificabatur*, inquit, *quondam ex lege non omnis caro, sed tantum hi omnes, qui in Palæstina erant: nunc autem ex fide Iesu Christi justificatur omnis, dum Ecclesia ejus in toto orbe fundatur.* Hæc ille. Sed malè, dum Hebraismum, quem Græca versio retinuit, ad Latini sermonis trutinam, contra sententiæ rationem examinat. Optimè verò hunc locum cepit Ambrosius, cum ait; *Nullum hominem justificatum dicit ex operibus legis.* Hæc autem legis impotentia, nullo illius (siquidem præstantibus eam verè promisit, vitam æternam, Lev. 18. vers. 5. Luc. 10. vers. 28. Galat. 3. v. 12.) sed carnis duntaxat vitio contingit: ut disertè exprimitur, Rom. 8. v. 3. & 3. v. 20. eoque credibile est, Apostolum *viventis* nomen, *carnis* voce emphaticωs permutasse: ut sit argumenti instar: de quo Genes. 6. vers. 3. & 8. v. 26. Hinc liquet, cùm David de suis etiam operibus hanc sententiam proferat: falsò à Pontificiis de iis tantum, quæ fidem præcedunt, accipi. Similis autem locus est, Psal. 130. 3. 4. & Job. 9. v. 2. & 3.

Vers. 17. De superiori argumento diximus: alterum verò est deductio ad absurdum vers. 17. qua demonstratur, hominem justificari per Christum, hoc est, fide in Christum. Syllogismus hic est; si quærentes justificari per Christum reperimur peccatores, Christus erit peccati minister. At vero Christus non est peccati minister. Ergo quærentes justificari per Christum, non reperimur peccatores. Propositio est initio versus. In cujus hypothesi observandum est *τὸ reperimur peccatores*, variè posse accipi. Alii enim absolutè; ut sit sensus, peccatores seu nondum justificati comperimur præter opinionem: alii secundùm quid de actione interpretantur; ac si diceret Apostolus, Si nos, quod neglectis ceremoniis & fiducia operum legis, credimus nos justificari per Christum, in eo peccamus, sicut illi sentire videntur, qui ad Iudaismum relabuntur. Posterior sententia videtur simplicior, & priorem includit. Deinde emphasis est in illis, καὶ αὐτοὶ & ipsi: ut superiori versu καὶ ἡμεῖς, hoc est, nos Judæi non minus quàm gentiles. Præterea epithesin illam; *Nonne Christus peccati minister est?* quidam absolutam enuntiationem: alii accommodatius interrogationem esse statuunt: nam verba sequentia μὴ γένοιτο *absit*, ab Apostolo (cui ea formula non infrequens) tantummodo interrogationibus subjici solet: deinde quia plus habet ponderis. Porro Christus esset vanus in promissionibus suis, & peccati minister, si per eum non justificaremur; quia hanc doctrinam perpetuò inculcavit, Matth. 11. v. 28. Ioh. 3. v. 15. 16. & 6. vers. 35. & omnes mortales per Apostolos suos doceri jussit, Marc. 16. v. 16. Hæc de propositione. Assumtio ob singularem blasphemiam detestationis tantùm formulâ pro more exprimitur, nempe *Absit*, τὸ ἀπευ (inquit Oecume.) τῇ ἀπαγορεύσει ἀπείλειν. *Siquidem* (ut rectè Chrysostom.) *adversus vehementer absurda, nihil opus est oratoriis rationibus, sed sufficit abnegare solum.*

Vers. 18. Superiori versu refutavit Apostolus adversariorum sententiam & antithesin ab effecto absurdo; quia honorem Christi violat, & munus evertit, dum eum, qui justus

justus in mundum venit ut legem impleret, & mundi peccata auferret, Matth. 5. vers. 17. Ioh. 1. v. 29. & 1. Ioh. 3. vers. 8. peccati authorem constituit & veritatem mendacii insimulat. Sequitur alterum refutationis vers. 18. argumentum, itidem ab absurdo effecto ductum: quo simul ex natura contradicentium (quæ se mutuò posita tollunt & sublata ponunt) superius confirmatur. Summa argumenti est, adversariorum sententiam legi repugnare. Syllogismus verò est: Id quod legi repugnat, illud est falsa sententia: Sententia adversariorum, quæ hominem lege justificari statuit, legi repugnat. Ergo ea est falsa. Ac primum sententiam adversariorum per μετασχηματισμὸν hypotheticῶς in sua persona explanat ac diluit Apostolus prudentissimè: mitigandæ invidiæ & emphaseos gratia: siquidem id minus offendit & dociliores reddit. Simile 1. Cor. 4. v. 5. & 2. Samuel. 12. v. 1. & seqq. Itaque Hieronymus ad v. 20. ait; *Hoc autem totum sub sua persona adversus Petrum de Petro disputat.* Deinde allegoria describit & illustrat, cum alteram eorum quæ destruxerunt, ædificationem appellat: similitudine pro more, ab ædificiis & architectis ducta, 1. Cor. 3. v. 10. Ædificio enim comparatur hoc loco Judaismus, seu doctrina de necessaria observatione ceremoniarum & operum legis fiducia: destruere autem vocatur Synecdochicè eam doctrinam justè evertere. Utrumque verò fit dupliciter: in nobis fide & factis: in aliis doctrina & exemplo, Philip. 3. v. 7. 8. 9. Sic Petrus postquam Judaismum omnibus hisce modis evertisset, ac gentiliter vixisset; facto & facti exemplo eundem restauravit. Atque hæc allegoria; argumenti instar: siquidem cum nihil sit à ratione alienius, quam quæ rectè destruxeris, ea rursus erigere: sequitur adversarios qui id committant, gravissimè impingere. Atque id declarat effectum, nempe quod legi repugnet: quod exprimitur his verbis: *transgressorem meipsum constituo. Transgredi* autem Metaphora à viatoribus viam rectam deserentibus, pro legem violare usurpatur: & quidem accommodatè, cum lex *via* dicatur passim. Sic peccatum *transgressio legis* vocatur, Roman. 2. v. 23. & Synecdochicῶs *transgressio*, Galat. 3. v. 19. & transgressorem esse interpretatur Jacobus cap. 2. v. 9. peccatum facere: cui contrarium, legem servare, Jacob. 2. v. 10.

Vers. 19. Diximus de secundo refutationis argumento: sequitur illius probatio vers. 19. qua calumniam retundit eorum qui apostasiam à Mose objiciebant, ut Actor. 21. vers. 21. his verbis; *Nam per legem legi mortuus sum.* Syllogismus hic est; qui id quod ex legis authoritate abdicavit, iterum repetit, ille legis transgressor est. At verò Pauli adversarii Iudaismum, semel authoritate legis abdicatum, iterum repetunt. Ergo sunt transgressores legis. *Mortuum* autem *esse legi*, est legi non subesse, seu nihil cum ea habere commercii: Metaphora à conjugio sumpta, 1. Corinth. 7. v. 39. quæ pluribus explicatur, Rom. 7. Similis phrasis est ἀπογενόμενοι *mortui* vel *separati à peccato*, 1. Pet. 2. v. 24 & Galat. 6. v. 14. *crucifixus sum mundo.* Mortui autem sumus legi diversa ratione: nam legi ceremoniali, ratione necessariæ observationis, justificationis & condemnationis: morali verò, non ratione justitiæ seu observationis, sed justificationis & condemnationis: atque hoc sensu dicitur, nos non sub lege esse, sed sub gratia, Rom. 6. v. 14 Gal. 5. v. 18. & *lex justo non posita*, h. e. imposita, inquit Augustinus. Synecdochicῶs autem hic non tantùm disputatio de lege, sed etiam fides in Christum continetur, ut ex antecedentibus & scopo Apostoli constat. Causam verò efficientem instrumentalem hujus liberationis à lege, & fidei in Christum, declarat his verbis *per legem.* Cœterum vox *legis* variè usurpatur: nam primùm κατ' ἐξοχὴν, pro lege Mosaica sumitur: deinde per Metonymiam Synecdochicam pro libris Mosis, Roman. 3. v. 21. aut Veteri Testamento, Roman. 3. v. 19. denique per Synecdochen pro doctrina, & κατ' ἐξοχὴν, pro Euangelio: sic *lex fidei*, à *lege operum* distinguitur, hoc est, Euangelium à lege, Rom. 3. v. 27. Hinc ut ex Chrysost. Hieron. & Oecumenio liquet, trifariam hic locus accipi potest: Satius autem est ut ex altera significatione, cum Theodoreto, de libris Mosis aut de Vetere Testamento interpretemur per ἀντανάκλασιν, quemadmodum Rom. 3. v. 21. & Galat. 4. v. 21. *qui sub lege esse vultis, legem non auditis?* Libri autem Mosis à lege nos liberant & ad Christum adducunt dupliciter, per se & per accidens. Per se; Prophetiis de Christo, de ratione salutis nostræ & exemplis fidei per solum Christum. Actor. 10. v. 43. quæ vel expressæ concionibus, Deut. 18. Ierem. 31. vers. 33. vel adumbratæ typis, extraordinariis, cujusmodi serpens æneus, & manna, Ioh. 3. & Ioh. 6. aut ordinariis, nempe ceremoniis legis. Per accidens verò declaratione primùm nostri officii & obligationis, si id neglexerimus: quæ fit decalogo: deinde miseriæ nostræ, seu peccati & damnationis eo meritæ: quæ fit ceremoniis, quæ etiam miseriæ nostræ chirographum, Col. 2. vers. 14. utrumque verò disertè explicatur in Veteri Testamento passim. Atque hac ratione per se quidem ad desperationem fiduciæ justificationis legis: ad Christum verò deducimur per accidens. Illi enim demum ad fidem in Christum præparati sunt, qui ex lege miseriam suam cognoverint. Atque hæc superioris argumenti probatio: quæ illustratur à fine, non otiosa digressione, sed prudenti objectionis anticipatione: qua ostendit, nos non propterea legi mori, ut mundo & peccato, sed justitiæ serviamus, cum ait; *ut Deo viverem:* hoc est, ad honorem & voluntatem Dei: quod fit fide gratiam Dei amplectente & per charitatem operante. Similis locus est, Rom. 6. v. 15. & 7. v. 4. 1. Cor. 9. v. 21. Præclarè etiam Ambrosius ait: *Moritur enim legi Dei, qui liberatur ab ea, & vivit Deo, cujus fit servus, emtus à Christo.* & Augustinus, *Deo vivit, qui sub Deo est; legi vivit, qui sub lege est.*

Vers. 20. Atque hæc de fine liberationis à lege: quem porrò amplificat Paulus à modo & causa efficiente; deinde à consecutione illius. Efficiens est mors Christi: *unà cum Christo*, inquit, *crucifixus sum:* hoc est, Christus enim pro me crucifixus & mortuus est, ut 2. Cor. 5. v. 15. *Charitas illa Christi constringit nos, ut qui hoc statuerimus, si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe istos omnes fuisse mortuos.* Similes loci sunt, Rom. 7. v. 4. & 14. v. 7. 8. 9. & 1. Cor. 6. v. 20. Tit. 2. v. 14. Christus autem morte sua plenè pro peccatis nostris satisfecit: itaque cum primi peccati pœna sint omnia sequentia, cùm originale (quod vetus homo dicitur) tum actualia, ab utrisque per Christum liberamur, siquidem Pater in Christo nobis propitius per suum & Filii communem Spiritum nos regenerando, veterem hominem crucifigit, & imaginem suam ac novum hominem paulatim restituit. Crucifigimur itaque cum Christo dupliciter: primùm imputatione mortis; deinde efficacia illius & imitatione. Qua de re pluribus, Rom. 6. vers. 6. ad v. 12. Galat. 6. v. 14. Hanc autem mortis Christi efficaciam ab effectis (quæ consecutio finis liberationis à lege) demonstrat Apostolus cum ait; *Vivo autem non amplius ego* (hoc est, qualis natura sum & educatione: seu secundùm veterem hominem & Judaismum) *sed vivit in me Christus:* nempe suo Spiritu, Roman. 8. v. 9. ἐνεργῶν καὶ δεσπόζων, *efficaciter operans & dominans*, ut rectè Chrysostomus; *In illo vivit Christus, in quo Christus vegetat actus & vitam. Sicut enim* (ut idem ait) *mortem appellat, non istam communem sed mortem à peccatis: sic & vitam appellat liberationem à peccatis:* addo à Judaismo) *Deo siquidem nemo potest aliter vivere, nisi mortuus fuerit à peccato.* Hæc ille. Etsi enim in renatis peccatum habitet & Spiritui reluctetur, Rom. 7. vers. 20. tamen devictum à Christo, nec dominatur, nec damnat, Roman. 8. vers. 1. 2. 3. Atque hac ratione mysticam Christi & Ecclesiæ unionem, & illius effectum depingit Apostolus: illam cum ait: *Christus in me:* hoc verò cum addit, *vivit.* Quibus demonstratur, quod quemadmodum ab anima corpus, & à vite palmites: Sic nos à Christo animari & vivificari, justificatione, sanctificatione, ac tandem glorificatione, Ioh. 15. vers. 5. 1. Cor. 12. v. 27. Eph. 5. v. 23. Porrò per anticipationem objectionis declarat Apostolus, quo sensu se vivere statuerit; nempe Metaphoricῶs & κατά τι. *Sicut enim mortem appellat* (inquit Chrysostomus) *non istam communem, sed mortem à peccatis: sic & vitam appellat liberationem à peccato* (addo à Iudaismo) *Deo siquidem nemo potest aliter vivere, nisi mortuus fuerit à peccato.* Atque hoc definit Apostolus cùm ait;

vitam

vitam autem quam nunc vivo in carne (hoc est, mortali corpore, per Synecdochen) *vivo per fidem illam Filii Dei*, hoc est, in Filium Dei; ut verſ. 16. fides Chriſti. Senſus eſt; Etſi vitam hanc mortalem vivo, non tamen falsò me amplius vivere negavi: ſiquidem etſi in carne, tamen non ſecundùm carnem & Iudaiſmum ſeu vanam à Patribus acceptam converſationem, 1. Petri cap. 1. verſ. 18. ut antea: ſed contra fidei ductu vitam ad Chriſti nutum compono, Philip. 1. verſ. 20. & 21. Quibus verbis unionis noſtræ cum Chriſto (ex qua vita promanat) modum & inſtrumentum deſcribit: fides enim nos Chriſto inſerit, Epheſ. 3. verſ. 17. Iohan. 6. verſ. 35. & 56. 2. Corinth. 13. verſ. 5. Denique perquam accommodatè, ut ad argumenta fiat regreſſio, Filii Dei ab effectis deſcriptio, & proprium fidei objectum exprimitur, cùm ait, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Qua ratione duplex erga fideles beneficium declaratur. Prius & origo alterius eſt dilectio: quæ nihil aliud eſt, quàm gratuitum noſtræ ſalutis ſtudium, 1. Ioh. 4. verſ. 10. Roman. 5. verſ. 6. 7. Epheſ. 5. verſ. 24. Alterum ex priori ortum, eſt traditio ſuiipſius pro nobis, Heb. 2. v. 9. de quo egimus Galat. 1. verſ. 4. Quod verò Paulus hæc ſibi aſcribit, nullâ id fit temeritate: aut in reliquos fideles injuria; ſed utiliſſima veræ fidei confeſſione: nam Chriſti dilectio & merita, ad cunctos & ſingulos fideles pertinent.

Verſ. 21. Sequitur poſtremum adverſus Iudaiſmum & operum juſtificationem argumentum, ejuſque confirmatio, verſ. 21. Argumentum eſt ab abſurdo; *irritam non facio gratiam Dei:* nempe ut illi faciunt (inquit Oecum.) qui legi adhærent: itaque perſtringit adverſarios ſummæ ingratitudinis nomine. Syllogiſmus hic eſt; Si ex operibus legis juſtificari nos ſtatuerimus, abjiciemus Dei gratiam. At verò non debemus abjicere Dei gratiam. Ergo nec ſtatuendum nos ex operibus legis juſtificari. Rectè Hieronymi Scholia; *Abjecta enim eſt gratia, ſi ſola non ſufficit* Aſſumtio per hypotheſin expreſſa Syllogiſmi loco eſt. Verum quia propoſitio negari poterat, ejus confirmatio attexitur; proſyllogiſmus eſt; Id ex quo ſequitur Chriſtum fruſtra eſſe mortuum, gratiam Dei abjicit: At ſi dicamus, per legem eſſe juſtitiam, id eſt, per opera legis nos juſtificari, ſequetur Chriſtum fruſtra eſſe mortuum. Ergo id gratiâ Dei abjicit. Hæc videtur accommodatiſſima hujus loci analyſis. Hieronymus autem hoc modo explicat; *Quod autem ſequitur, valdè neceſſarium eſt adverſus eos qui poſt fidem Chriſti, putant legis præcepta ſervanda. Dicendum quippe eis, ſi per legem juſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Aut certè doceant, quomodo non Chriſtus gratis mortuus ſit, ſi opera juſtificent? ſed quamvis ſint hebetes, dicere non audebunt Chriſtum ſine cauſa mortuum. Ad particulam itaque ſyllogiſmi, quæ hic ponitur (id eſt, ſi enim per legem juſtitia: Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt) debemus illud aſſumere quod conſequenter infertur, & negari non poteſt, Chriſtus autem non eſt gratis mortuus; & concludere, non igitur per legem juſtitia.* Hæc ille. Similia habent Ambroſius & Auguſtinus. Conſequentia autem Pauli firma eſt: Nam Chriſtus mortuus ut hoſtiâ ſui ipſius nos mortuos delictis vivificaret, & in cœlo pro peccatis noſtris perpetuò apud Patrem intercederet, Rom. 8. v. 3. Epheſ. 5. verſ. 2. Col. 2. verſ. 13. Heb. 4. verſ. 14. 15. 16. & 7. v. 25. & 9. v. 24. & 26. 1. Ioh. 2. verſ. 1. 2. Hinc rectè hoc loco Ambroſius; *Mors ejus* (Chriſti) *juſtificatio peccatorum eſt*, nempe perpetua. Itaq; quicunq; tandem operibus ſuis juſtitiam adſcribunt, Chriſtum à ſcopo ſuæ mortis aberraſſe, indignè ſtatuunt, & gratiam rejiciunt. Sed excipiunt Perfectiſtæ, Pontificii & alii, hanc Pauli conſecutionem firmiſſimam eſſe, ſi excludantur à juſtificatione opera facta ſine fide & gratia, ex ſola cognitione legis & liberi arbitrii viribus: contra verò infirmiſſimam, neque aliquid efficere, ſi quis per eam excludere velit opera quæ fiunt ex gratia & fide. Neque enim Chriſtus gratis mortuus dici poteſt, ſi juſtificamur ex fide, & operibus conſequentibus fidem: imo niſi Chriſtus mortuus eſſet, non poſſemus ex fide & operibus inde ſequentibus juſtificari. Hæc Bellar. de juſtif. l. 1. c. 19. Idem excipit Sebaſt. Caſtellio lib. dialogorum 4. p. 324. de obedientia Deo præſtanda. Reſpondemus primùm, Pauli conſecutionem omninò eſſe firmiſſimam. Nam ſi juſtificantur fideles mortis Chriſti gratia, quamdiu in his terris vivunt, non igitur ullis operibus: hæc enim inter ſe pugnant, Rom. 11. v. 6. Error in eo graviſſimus, quod infideles ſine fide & baptiſmo, per Chriſtum: fideles baptizatos non amplius jam per ſolum Chriſtum, ſed etiam operibus juſtificari ſentiunt. Deinde contra, ſi Paulus tantum ageret de operibus ante fidem, eſſet diſputatio ἀπροσδιόνυσος & inanis. Nam Pauli adverſarii, de juſtificatione non infidelium, ſed fidelium gentilium diſputabant: etiamſi crederent, nondum ſtatuebant juſtificatos plenè, niſi legem perfectè ſervarent; ut ex ſuperioribus liquet. Eadem eſt eorum ratio, qui Galatas corruperant: non negabant fidem in Chriſtum eſſe neceſſariam ad ſalutem: ſed addebant nondum juſtificatos fore, niſi accederet legis Moſis obſervatio: ut inter alia videre eſt, Actor. 15. v. 1. *Nam jactabant* (inquit Chryſ. Gal. 3. 5.) *fidem non valere, niſi adjuncta lege.* Vide etiam Auguſt. ibidem.

CONSECTARIA CAP. II.

I. Miniſtros Euangelii de doctrinæ ſuæ fructu, ſeu Dei gloria & Eccleſiæ ſalute perquam ſollicitos eſſe decet.

II. Doctrinæ fructum diſſenſio miniſtrorum potiſſimum remoratur: conſenſus uberiorem reddit.

III. Ad conſenſum verò probandum ac fovendum accommodata ſunt amica ac ſincera de religione colloquia.

IV. Quam metam ut conſequantur, nulla itineris difficultas, nullus iis detrectandus eſt labor, v. 1. & 2.

V. In agro Domini non ſolùm triticum & veri fideles, ſed etiam zizania, hypocritæ ac falſi fratres exiſtunt: qui veſtitu ovium lupinum animum tegunt, Matth. 13. v. 25. & 7. v. 15.

VI. Verum ut arbores, ſic & illi ex fructibus cognoſcuntur, Matt. 7. v. 16.

VII. Hoc enim ferè agunt, ut vigilantiſſimos Eccleſiæ paſtores calumniis opprimant, & in rebus adiaphoris (quarum liber eſt uſus) ἐθελοθρησκείαν ac ſuperſtitionem ſtatuant, ad Euangelii ſinceritatem adulterandam.

VIII. Eoque præ cæteris fidelium paſtorum officium eſt, ut ad innocentiam columbinam, ſerpentinam adjungant prudentiam & virilem conſtantiam: ut contra inſidioſos adverſariorum conatus, Euangelii veritatem, ad Dei gloriam & Eccleſiæ ſalutem tueantur, Matth. 7. 15. & 10. v. 16. & 15. 13. 14. Act. 20. v. 28. 29. 30.

IX. In rebus autem adiaphoris, indifferentibus ac licitis, unicus præfigendus eſt ſcopus, utilitas: ut ſpectetur quid ad Dei gloriam & charitatem proximi pertineat maximè, 1. Cor. 6. v. 12.

X. Cœterum duo hîc vitandi ſunt ſcopuli, ἐθελοθρησκείας confirmatio, & infirmiorum fratrum ſcandalum: quæ ſi concurrant, prioris potiſſimum habenda eſt ratio, 1. Cor. 8. 9. & 13. Matth. 12. v. 3. 4. 5.

XI. Humanæ authoritatis nulla habenda eſt ratio, cum ea ad Euangelii veritatem & Dei gloriam obſcurandam transfertur.

XII. Judicium noſtrum non ad externam rerum ſpeciem, ſed ad rem ipſam & verbi divini trutinam dirigendum eſt.

XIII. Quemadmodum Deo ingratiſſimum eſt, ſi quis ſeſe ambitioſius efferat: ita contrà cum per noſtrum latus, ab adverſariis, cum periculo Eccleſiæ, veritas impetitur, non licita eſt ſolùm, ſed etiam neceſſaria de munere noſtro & integritate παῤῥησία, 1. Pet. 5. v. 5. 2. Cor. 12. v. 6. & 11.

XIV. Quandoquidem par eſt Pauli & Petri in munere Apoſtolico authoritas & paria dona: ſequitur Petrum non habere imperium in omnes Apoſtolos ac totam Eccleſiam: eoque multò minus Pontificem Romanum.

XV. Efficacia miniſterii ſoli Deo tanquam authori adſcribenda: eoque graviſſimè peccant qui honorem hunc in homines derivant, 1. Cor. 3.

XVI. Cum Petro concreditum ſit Euangelium apud Judæos, & in Judæa, ut loquitur Hieron. ſequitur commenti-

mentitium esse, quod (relictis Iudæis) Antiochiæ & Romæ sederit.

XVII. Cum Paulus primas apostolatus inter gentes, authoritate & Apostolorum assensu obtinuerit: sequitur nec Petrum, nec Pontificem Romanum jure successionis (quod falsò etiam sibi vendicat) tenere jam primas, nedum habere jurisdictionem inter Christianos: quia gentes sunt.

XVIII. Cum Iacobus hic ante Cepham seu Petrum collocetur: sequitur falsum esse Pontificiorum argumentum, quo Petrum in reliquos Apostolos adeoq; totam Ecclesiam habuisse imperium inde concludunt, quod semper priori loco numeretur.

XIX. Ministrorum Ecclesiæ officium est, ut pacem inter se colant, vocationem & dona collegarum in pretio habeant, & ad Spartam quam nacti sunt, pro virili ornandam sanctè conspirent: denique singularem pauperum, potissimum verò fidelium, curam gerant. Hæc ex v. 7. 8. 9. & 10.

XX. Quemadmodum scandalum perversorum hominum contemnendum est: ita infirmiorum fratrum solicitè cavenda est offensio.

XXI. Porrò cum infirmi fratres sint duplices, rectè sentientes aut errantes: illorum potius habenda est ratio: quia id magis expedit, quo veritas Euangelii ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem conservetur.

XXII. Cum ipsi etiam Apostoli, multique insignes viri lapsi sint, nemo sibi fidat: sed qui stat, fragilitatis humanæ memor, videat ne cadat, 1. Cor. 10. vers. 12.

XXIII. Nullius tantam esse in Ecclesia dignitatem, quin si quid gravius ac reprehensione dignum commiserit, reprehendi possit, exemplum Petri docet: Eoque intolerabilis est Pontificiorum arrogantia; qua Papam (Petri successorem, si Deo placet) ab omnium mortalium reprehensione eximunt, distinct. 40. *Si Papa &c.*

XXIV. Quo major est peccantis authoritas, eò perniciosior est ac serpit latius mali exempli contagio.

XXV. Nihil proclivius est κακοζηλίᾳ malorum exemplorum imitatione.

XXVI. Accuratè nobis prospiciendum, ne promiscuè omnia, sed ea demum magnorum virorum exempla imitemur, in quibus illi Christum & Dei verbum, 1. Cor. 11. 1. & 2. Ioh. v. 11. Hæc ex v. 11. 12. & 13. reliqua quæ huc referri possunt proposuimus supra ad vers. quintum.

XXVII. Omnium fidelium est, potissimum verò ministrorum Euangelii, officium: ut ad veritatem Euangelii, omnes suas actiones dirigant.

XXVIII. Aliorum facta non temerè reprehendenda: nec (quod dicitur) cognitionem prævertere debet calculus.

XXIX. Errorum occasionibus maturè occurrendum.

XXX. Amici nobis esse debent collegæ, sed magis amica veritas.

XXXI. Quæ peccata certò noverimus, ea silentio nostro fovenda non sunt, sed seriò & liberè reprehendenda: & ut privata privatim, sic publica publicè, si peccantis & ecclesiæ salus id exigant: servatis interim vocationis cujusq; & modestiæ cancellis.

XXXII. Ministri Euangelii debent se mutuò, sicubi erraverint, veritatis & charitatis studio, maturè & prudenter in viam revocare.

XXXIII. Errantium est veritati cedere, dare gloriam Deo, & in viam revocantem redamare, v. 14.

XXXIV. Cum nullus mortalium ex operibus legis justificetur: sequitur ea non promereri vitam æternam: eoque multò minùs traditionum humanarum operibus (quæ Pontificii tamen potissimum commendant) id esse tribuendum, Matt. 15. v. 9.

XXXV. In corrigendis fratrum sententiis, non nitendum opinione, sed scientia.

XXXVI. Ea autem demum verè est scientia, quæ ex verbo Dei hausta.

XXXVII. Nobis autem opus est non solum scientia: qua veritatem cognoscamus, sed etiam conscientia, qua religiosè veritati pareamus, v. 15. & 16.

XXXVIII. Tanta est hominum in rebus divinis cæcitas, ut sæpe dum veritatem se tueri putant, in eam maximè sunt injurii.

XXXIX. Itaque non cuivis spiritui, nec nobis ipsis, sed Christo credendum.

XL. Omnis doctrina quæ Christi verbis & honori consentit, ea vera est & habenda in pretio: contra verò quæ illis derogat, falsa est ac seriò nobis detestanda, v. 17.

XLI. Quemadmodum in fratrum reprehensionibus veritas requiritur in materia: sic prudentia in forma: quà utiliter sermonem temperemus.

XLII. In bonis non solum cœpto, sed etiam constantia opus est, ne ad pristina mala relabamur.

XLIII. Constantia autem in eo sita est, ut intra verbi divini terminos perpetuò nos contineamus, v. 18.

XLIV. Summus est Scriptorum Veteris & Novi Testamenti in fide Christi & charitate docenda consensus ac συμφωνία: eoque nomine legendi à nobis sunt ac perscrutandi sedulo ad fidei confirmationem & vitæ institutionem, Joh. 5. v. 39. 46.

XLV. Etsi non justificemur ex operibus legis, sed per fidem, non eo, tamen, ut Pontificii vociferantur, impietati & injustitiæ habena laxatur, sed contrahitur potentissimè.

XLVI. Itaque gravissimum est eorum flagitium, qui hac gratuitæ salutis doctrinâ, ad scelerum licentiam abutuntur, v. 19.

XLVII. Quandoquidem crux Christi nostra est vita: inde non contemtus aut pudoris, sed solidi gaudii materiam haurire nos docet, 1. Cor. 1. 23. 24. & 2. 2. Mar. 8. v. 38. Gal. 6. 14.

XLVIII. Itaque & Christo & sibi sunt gravissimè injurii, qui in ejus cruce non acquiescunt, aut eâ cum blasphemia (ut passim fit) ad execrationes abutuntur.

XLIX. Cum Christus pro nobis crucifixus & mortuus sit, sequitur nos non esse nostri juris: eoque abnegatione nostri Christo vivendum, 2. Cor. 5. 15. Matth. 16. v. 24. 1. Pet. 2. v. 24.

L. Cum Christus pro nobis mortuus sit, ac nobis se unierit: sequitur illum in omnibus adversis fidum ac potentissimum nobis fore servatorem, Rom. 6. vers. 9. & 8. 32. Eph. 5. 29. 30. Actor. 9. 5.

LI. Unde etiam liquet neminem fidelium lædi posse aut contemni, quin in Christum redundet injuria, 1. Cor. 8. v. 12. Matth. 25. 45.

LII. Fidei veræ proprium est, ut generales de salute per Christum promissiones sibi nominatim accommodet: Eoque detestanda est Pontificiorum superstitio, qui id temeritati adscribunt.

LIII. Salus nostra est gratuita, quia ex gratuita Christi dilectione & morte promanat. v. 20.

LIV. Indignum est, oblatam Dei gratiam aversari: indignius acceptam abjicere: quibus tamen nihil est frequentius.

LV. Cum ex lege non sit justitia: sequitur hominem non posse perfectè implere legem Dei.

LVI. Errant gravissimè Pontificii, quod operum suorum merita Christi meritis copulant.

LVII. Errant etiam, quod ex hoc loco colligunt. Apostolum contra eos tantùm disserere, qui legem & opera, sine fide Christi magnificiebant: neque statum quæstionis esse in hac epistola, an opera ex fide, sed an opera sine fide justificent, Bell. lib. 1. de justificat. cap. 19. v. 21.

CAP. III.

I. EXplicavimus priorem apologiæ hujus Epistolæ partem, quâ Paulus contra perniciosam pseudo-apostolorum calumniam, apostolatus sui dignitatem ad veritatis tuitionem asseruit, & narratione sermonis cum Petro habiti, quasi præludio quodam, expeditam ad uberiorem doctrinæ confirmationem viam stravit. Sequitur deinde altera pars, cap. 3. & 4. qua justam doctrinæ suæ apologiam ac defensionem instituit. *Nam hic jam ad aliud* (inquit Chrysost.) *transit caput. In superioribus quidem ostendit se*

dit se non esse Apostolum hominum, neque per hominem, nec eguisse Apostolorum doctrinâ: hic verò postquam se jam doctorem dignum, cui fides haberetur, declaravit, majore cum autoritate disserit, fidei legisque faciens comparationem. Hactenus ille. Hæc autem pars constat propositione objurgatoria & confirmatione. Illa continetur priori membro versus primi: estque altera pars propositionis generalis, cap. 1. vers. 6. Summa est; Galatas turpiter peccasse, quod ab Euangelio Pauli, seu gratuitæ per Christum justificationis doctrinâ defecerant. Qua in re observanda est primùm definitio doctrinæ Pauli & facti Galatarum. Illud veritatem Metonymicῶς: hoc verò veritatis contemptum appellat, cum ait; *non obsequeremini veritati.* Accedit deinde circumstantia causæ efficientis duplicis, internæ & externæ. Interna est amentia Galatarum cum ait; *amentes Galatæ.* Quo aut commune & naturale gentis illius vitium: aut singulare fidelium perstringitur. Nam (ut monet Hieronymus) dupliciter hic locus intelligi potest: vel ideo insensatos Galatas appellatos à majoribus ad minora venientes, quia cœperint spiritu, & carne consummentur: vel ob id quod unaquæque provincia suas habet proprietates. Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros verè ab Epimenide Poëta dictos Apostolus comprobat. Et paulò post, *In hunc ergo modum arbitror & Apostolum Galatas regionis suæ proprietate culpasse. Aut* (inquit) *stultitiæ eos argui dicentes, per quam spiritum legis & literarum dijudicare non possint: aut vitio gentis corripi, quod indociles sint & vecordes, & ad sapientiam tardiores.* Itaque de priori Hieronymus: reliqui verò Patres melius de altero interpretantur: optimè vero (ni fallor) Erasmus, qui in paraphrasi ad utrumque refert. Quod verò amentes vocat, nihil in Christi legem Matth. 5. v. 22. peccat Apostolus. Siquidem non temerè: sed pro authoritate Apostolatus & conversionis Galatarum. Deinde non odio aut maledicendi libidine: sed necessario salutis Galatarum & veritatis studio. Denique non falsò nec acerbius, sed verè & lenius merito. Etenim reipsa amentia est Christum deserere, & legi adhærere. Hæc porrò objurgatio pathetica exclamatione figuratur, quæ justum dolorem & indignationem ostendit. Quorum illud, amorem erga Galatas declarando benevolentiæ comparandæ & reprehensionis acerbitati mitigandæ aptissimum: hoc verò facti indignitatem (ut eo studiosius vitent amplificat: Sic Christus Luc. 24. 25. *ô amentes & tardi corde,* &c. *Notandum autem* (inquit Chrys.) *quod non statim initio usus est hac vehementia; sed post tot redargutiones totque probationes, cum jam non ab illo, sed ab ipsis argumentis acciperent objurgationem.* Hæc de interna veritatis à Galatis neglectæ causa: sequitur externa, *τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, quis vos fascinavit?* *βασκαίνειν* autem significat primùm *fascinare*, hoc est, arte magica lædere: quod fit vel veneficio, quum oculorum, incantationum, aut tactus ministerio tabes inducitur: vel præstigiis; cum phantasmate interiori sensus communis, aut exteriori visus decipitur, ut non appareant quæ sunt; aut appareant quæ non sunt. Qua de re Plin. lib. 7. cap. 2. Deinde usurpatur etiam Metonymicῶς pro invidere, postremum Metaphoricῶς ex prima significatione, pro judicium mentis (quæ animæ quasi oculus) imposturis corrumpere. Chrysostomus illam fascini vim negat, quemadmodum & Musculus: Aëtius verò contra ad alteram significationem hunc locum refert, & *ἐφθόνησε* *invidit* interpretatur; quemadmodum etiam Theodoretus & Oecumenius, & Hieronymus in Scholiis: In commentario autem de fascino dubitat, sed tamen ex Sermone trivii tertia significatione accipit. Optime glossa interlinearis ait, *fascinavit dici per simile, ut quod ante oculos est non videatis: veritas se ingerit & ei non creditis.* Cui ex adverso respondet sequens allegoria. Atque hac loquendi figura objurgationem mitigat, cum in pseudo-apostolorum imposturas culpam derivat: & attentionem parat, cum eos non Christi ministros, sed fascinatores, hoc est, Satanæ (hostis veritatis Joh. 8. vers. 44.) mancipia nuncupat: quemadmodum 2. Cor. 11. vers. 3. 13. 14. 15. Interrogationis autem schemate τὸ ἀπροσδόκητον & suam admirationem demonstrat: de quo Gal. 1. v. 6. Hactenus Propositio: sequitur argumentosa confirmatio. Primum argumentum est allegoria, altera parte hujus versus; *quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus, in vobis crucifixus:* hoc est, quandoquidem antea in animis vestris prædicationis Euangelii penicillo, graphicè Christum, eumque crucifixum descripseram: quod nihil aliud est, quam veritatem de gratuita nostri justificatione demonstrare, Gal. 2. v. 22. *Hæc autem loquitur* (inquit Chrysost.) *simul & taxans eos & laudans. Laudans quidem quod tanta cum fiducia recepissent id, quod acciderat: taxans verò quod Christo deserto ad legem currebant.* Syllogismus est; Qui à veritate Euangelii clarissimè demonstrata & sibi exploratissima deficiunt, illi sunt amentes & quasi fascinati. Galatæ non obedientes doctrinæ Pauli sunt ejusmodi: ut allegoria demonstrat. Ergo amentes & quasi fascinati.

Vers. II. & III. Explicavimus primum: sequitur alterum argumentum ab effectu instrumentali Euangelii & Spiritus Sancti testimonio, v. 2. & 3. hoc Syllogismo comprehensum; Qui à doctrina quam Spiritus S. testimonium attulit, ad contraria proficere student, illi sunt amentes Galatæ ab Euangelio Pauli ad doctrinam pseudo-apostolorum transeuntes hoc commiserunt. Ergo amentes. Conclusio præcessit v. 1. & repetitur emphaticῶς, v. 3. assumptio ibidem: ex quibus propositio intelligitur. Assumtionis autem confirmationem præmittit, v. 2. ab experientia & conscientia Galatarum: quam interrogationis schemate appellat his verbis; *hoc solùm velim à vobis discere,* &c. (id est cognoscere) *Hoc est* (inquit Hieron.) *sunt quidem multa quæ possunt interrogatione vos cogere, legi Euangelium præferendum: sed quoniam insensati estis, & nequaquam ea potestis audire, simplici vobiscum sermone loquor, & de eo quod promptum est sciscitor, Spiritum sanctum quem accepistis, utrum vobis legis opera,* &c. Spiritum autem Metonymia Synecdochica pro Spiritus S. donis accipi certum est, sed quidam de ordinario regenerationis dono; alii de singularibus & miraculosis accipiunt; de quibus Joh. 7. v. 39. Actor. 8. 17. & 19. Satius autem est ut ad utraque referamus. Nam quemadmodum hæc fuerunt testimonia veritatis euangelicæ propria, Marc. 16. 20. & Actor. 14. 3. ita & illud. Nam seria & repentina Galatarum ab idololatria & impietate ad veri Dei cultum conversio, & divinæ gratiæ per Spiritum agnitio, fuerunt ipsis certissimum veritatis Euangelii Dei testimonium ac pignus, Galat. 4. 6. & 9. Ephes. 1. 13. 14. Hunc autem Spiritum Galatas accepisse contendit Apostolus non ex operibus legis; hoc est, operum legalium ad quæ desciverant, merito aut adminiculo: sed jam antea ex auditione fidei: hoc est, Euangelii, ut Galat. 1. 23. Atque hanc simplicissimam ac verissimam interpretationem arbitramur. Etsi quidam, sensu non malè expresso opera legis pro doctrina operum, & auditionem pro prædicatione Metonymicῶς accipiant: alii verò *ἐξ ἀκοῆς πίστεως ex fide auditus*, id est, auditione percepta; alii ex auditu fidei, id est, fideli Hebræa phrasi interpretentur. Addit deinde Apostolus; *cum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini.* In quibus verbis ellipsis, statuitur ab Oecumenio cum ait; ἐναρξάμενοι γὰρ πνεύματι ἐπιτελεῖσθε, τοῦτο γὰρ ἀπὸ κοινοῦ, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε. Quid autem *spiritum* & *carnem* vocet Apostolus, diversæ sunt interpretum sententiæ. Spiritum quidam doctrinam Euangelicam, quæ spiritualis est μετωνυμικῶς; alii regenerationem; alii visibilem Sp. S. gratiam; carnem verò nonnulli, homines carnales; alii vires carnales seu naturales; alii mortuam & caducam doctrinam; plerique ceremonias, quæ res externæ & caducæ, interpretantur: sicut Hebr. 7. 16. *mandatum carnale,* & Hebr. 9. 10. & 13. quidam deniq; spiritum accipiendum existimant, ut superiori versu, carnem verò pro operibus legis, seu justitia legali: cum fiducia salutis in ea collocatur. Ita enim merè caro est, hoc est, metaphoricè res caduca & mortua, spiritus & vitæ expers. Hæc non malè: sed tamen spiritus & carnis nomen Euangelium & legem significare existimo. Alienùm autem est quod Hieronymus, Origenem secutus, spiritum Veteris Testamenti allegoricum; carnem, proprium illius sensum interpretatur. Quod denique ait Apostolus *perficimini*, μιμητικῶς dictum est, hoc est,

Vv quæritis

quæritis consummari, inquit glossa interlinearis; seu tanquam imperfectum, perfici statuitis. Culpam verò in pseudo-apostolos iterum transfert. Nam ut ritè cum Chrysostomo Oecumenius monet; *Non ait*, inquit, ἐπιτελεῖτε, *sed* ἐπιτελεῖσθε *indicans quod pseudo-apostoli pecudum ritu correptos eos circumciderent, ignorantes quid paterentur.*

v. IV. Diximus de secundo; sequitur hîc tertium Apostoli argumentum hoc syllogismo comprehensium; Qui varias, quas pro veritate afflictiones superarunt, inanes reddunt, illi sunt amentes: Galatæ deficientes ab Euangelio Pauli, illud commiserunt: Ergo amentes. Conclusio præcessit; assumtio est hoc versu: *tam multa passi estis frustra?* Verbum ἐπάθετε *passi estis* variè interpretantur. Nam Lyranus de damno & expensis quas pro pseudo apostolis frustra fecerant, accipit: alii verò de difficultatibus & labore; & quidem vel in observatione jugi Mosaici seu Judaïsmi inter gentes: vel in opprobriis & persecutionibus, quas Galatæ à Judæis & gentibus fuerant perpessi. Cæterum illa coactior est (ut etiam Lyrani) & sequenti correctioni parum congrua: hæc verò melior sententia, ut Hieronymus rectè judicavit. Similia perpessionum exempla in Thessalonicensibus, 1. Thessal. 2. vers. 14. & Philippensibus Philipp. 1. vers. 29. Frustra autem dicitur per μείωσιν: minus enim dicendo plus significat; id est, sine utilitate proveniente, imò cum detrimento, inquit Lyranus. Præterea conjunctio εἴγε (ut Hieronym. observat) aut dubitationis aut confirmationis est, *si modò*, pro *siquidem*, ut 2. Thessal. 2. vers. 6. *si modò justum est.* Atque hinc varia horum verborum εἴγε καὶ εἰκῆ interpretatio, ut ex Oecumenio & Hieronym. constat: nempe ut sit subjectio responsionis, hoc sensu, siquidem aut nam sanè tam multa passi estis frustra: vel epanorthosis correctio: eaque aut reprehensionis μείωσιν corrigens & amplificans, ac si diceret, si modò frustra, tantùm non etiam cum salutis detrimento, ut Augustinus: aut illius gravitatem mitigans: ἵνα μὴ εἰς ἀπόγνωσιν αὐτοὺς συμβάλῃ, φησίν, εἴγε καὶ εἰκῆ. εἰ γὰρ βουληθείητε ἀνανῆψαι, οὐκ εἰκῆ: hoc est, *ne in desperationem eos conjiceret*, inquit, *si modo frustra. Nam si volueritis expergisci, non frustra*; ut rectè cum Chrysostomo & Theodoreto Oecumenius. Nam Paulus dum spem suam de resipiscentia Galatarum & gratia Dei innuit, tacitè eos in viam revocat. *His verbis sententia præcedens temperatur & dubia fit* (inquit Hieronym.) *& de his dicitur, qui possunt post legem ad Euangelium reverti.* Et Ambrosius; *quia adjecit sine causa, ostendit sperare se, posse reformari illos:* præsertim cum (ut addit Augustinus) illi nondum cecidissent, sed jam inclinarentur, ut caderent.

Vers. V. Hactenus tertium argumentum: sequitur hoc loco per epanalepsin non tam repetitio, quam amplificatio secundi argumenti, de quo vers. 2. Nam ibi de de principiis donorum Spiritus Sancti ante pseudapostolorum adventum, hîc verò de continuatione & effectis recentibus agitur, ut sit novi argumenti instar, & transitio commoda ad sequentia. Spiritum Sanctum & δυνάμεις quidam ἐκ παραλλήλου explicationis gratiâ conjungi sentiunt: alii rectè distingui malunt. Nam *Spiritus* ut antea, omnia dona Spiritus Sancti non solam regenerationem notat: δυνάμεις verò, eorum donorum partem, nempe δυνάμεις σημείων, ut Oecumenius, seu miracula significat, ut Matth. 7. vers. 22. Luc. 6. vers. 5. Metonymia efficientis, quia sunt potentiæ divinæ effecta; ut & hinc liquet cum ait, *adhuc suppeditat & operatur*, nempe Deus. Nam quod glossa interlin. ad Paulum refert, cum tribuit ministerio, non authoritate, id alienius. Hunc locum sic explicat Hieronymus; *Tribuit, hoc est, administrat præsentis temporis, est legendum: ut ostendatur per singulas horas atque momenta semper dignis Spiritum Sanctum ministrari: & quanto quis in Dei opere & amore profecerit, tonto magis Sancti Spiritus in se habere virtutes: quas auditus fidei & non legis opera consummant. Non quo legis opera contemnenda sint, & absque eis simplex fides appetenda: sed quo ipsa opera fide Christi adornentur. Scita est enim sapientis viri illa sententia, non fidelem vivere ex justitia, sed justum ex fide. Simul ostenditur, Galatas accepto post fidem Sancto Spiritu, dona habuisse virtutum: id est, prophetiam, genera linguarum, morborum curationes, & cætera, quæ ad Corinthios in donis spiritualibus enumerantur. Et tamen post tanta (quia forsitan gratiam discernendorum spirituum non habebant) à falsis doctoribus irretiti sunt. Observandum etiam, quod operari virtutes dicantur in his, qui non tenent Euangelii veritatem, sicut in illis qui Dominum non sequentes in nomine ejus signa faciebant, Iohanne vel maxime conquerente; præceptor vidimus quendam in nomine tuo, ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Hoc adversum hæreticos, qui probationem fidei suæ, ex eo si signum aliquod fecerint, arbitrantur. Qui cum manducaverint & biberint in nomine Domini (habent quippe & ipsi altare sacrilegum) & signa multa invocato salvatore fecisse se jactent, in die judicii merebuntur audire, non novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Hactenus ille.

Vers. VI. & VII. Explicavimus tria argumenta ab experientia Galatarum ducta, quibus justificationem per fidem, sine operibus legis Apostolus demonstravit: deinceps verò alia ex Sac. Literarum testimoniis adducuntur. Quartum itaque argumentum continetur, vers. 6. & 7. ab exemplo pari, per anticipationem & retorsionem objectionis adversariorum. *Quoniam* (inquit Chrysost.) *efferebantur animis, quod ab Abraham ducerent genus, metuentes, ne si legem relinquerent, ab illius cognatione fierent alieni; id quoque rursus in contrarium vertit metumque solvit, declarans quod fides potissimum conciliat cum illo propinquitatem.* Hæc ille. Syllogismus erit, qui justificari quærunt, sicut Abraham justificatus est, illi sunt filii Abrahæ. Qui ex fide justificari quærunt, sunt ejusmodi. Ergo sunt filii Abrahæ; & per consequens reverà justificantur. Optimè Hieronymi scholia; *Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam: ita & vobis ad justitiam sola sufficit fides.* Enthymematis conclusio est v. 7. Assumtio vers. 6. quæ constat testimonio divino, Genes. 15. vers. 6. de quo prolixius Roman. 4. Quidam autem verbum *credidit* referunt tanquam ad proximè præcedentem promissionem de hærede & numerosa prole, Genes. 15. 4. & 5. ac statuunt fidem hanc fuisse imputatam ei ad justitiam, quia gloriam veritatis & omnipotentiæ Deo dedit, Roman. 4. Alii verò sanius verbum *credidit* ad utramque Dei promissionem referunt, cùm generalem de fœdere (quod per Christum constat) vers. 1. tum singularem, cujus meminimus. Deinde etiamsi ad singularem promissionem restringeretur: generalis tamen excludi non potest: quia hæres non solùm Isaacum, sed etiam Christum, Genes. 12. vers. 3. & soboles numerosa, non tantum Israëlitas carnales, Exod. 32. v. 13. sed etiam spirituales seu fideles significat, Roman. 4. v. 16. & 18. & 9. 7. Galat. 4. v. 28. & 6. v. 16. Imputata autem dicitur fides in justitiam, non ut forma inchoata (quod Pontificii statuunt) nam non est totius legis impletio; sed, tanquam instrumentum justitiæ. Quidam autem in hac phrasi hypallagen statuunt, pro imputavit ei justitiam per fidem: nonnulli fidem, pro justitia Christi fide apprehensa accipiunt, per Metonymiam adjuncti pro objecto: Sed simplicior videtur Metonymia effecti: nempe justitia pro instrumento justitiæ. Justitia autem hoc loco non pro actione justa, ut Psal. 106. v. 31. sed pro ἐννομίᾳ seu perfecta legis obedientia (quæ habitu & actionibus perpetuo justis constat) accipitur. Præterea hoc loco non de initio fidei & justificationis: nam jam antea erat justificatus fide, Genes. 12. v. 3. 4. Hebr. 11. vers. 8. sed de continuatione agitur. Porrò verba illa, *qui ex fide*, accipi possunt dupliciter, eodem fere sensu. Primùm per ellipsin verbi substantivi & metonymiam adjuncti, fides pro fideli: ut sit sensus, qui de fidelium numero sunt, ut Lyranus interpretatur. Deinde per ellipsin peculiarem; pro qui ex fide justificari quærunt. Denique glossa interlin. interpretatur, quorum esse spirituale est ex fide. Fideles autem dicuntur filii Abrahæ dupliciter: imitatione fidei illius κατ' ἐξοχὴν, Johan. 8. vers. 39. Roman. 4. vers. 12. & unione cum Christo qui verus Abrahæ filius.

filius. Atque his nominibus sunt genuini hæredes fœderis cum Abrahamo & posteris initi, Galat. 3. v. 28. & 29.

Vers. VIII. & IX. Quintum jam sequitur argumentum (quo præcedens etiam confirmatur) à diserto Sac. Literatum testimonio. Syllogismus est: Quos Spiritus Sanctus prævidit justificandos in Christo per fidem, illi justificantur in Christo fide. Fideles omnium gentium sunt ejusmodi. Ergo illi justificantur in Christi fide. Propositionem præsupponit Apostolus: assumtio est vers. 8. quæ ἰσοδυνάμῳ Scripturæ testimonio demonstratur, cum ait; *Ante euangelizavit Abrahamo*, nempe; *benedicenter in te omnes gentes terræ*. Conclusio est vers. 9. diversis quidem verbis, sed eodem sensu: ut sæpius etiam apud bonos authores, ornatus aut emphaseos gratiâ fieri solet. Locus autem qui adducitur, non est ex Genes. 18. vers. 18. multo minus ex Genes. 22. vers. 14. ut Lyranus & alii existimant: sed ex Genes. 12. v. 3. Cœterum Benedictio per metalepsin Synecdochicam, salutem seu justificationem & quę inde promanat sanctificationem & glorificationem significat, ut Ephes. 1. & legis maledictioni opponitur. Deinde verba illa *in te* variè (ut etiam Oecumenius observat) accipiuntur. Quidam pro in fide tua, vel imitatione fidei tuæ: ut Ambrosius, Chrysostomus, & referente Oecumenio, Cyrillus ad Reginas de recta fide, pag. 331. alii *in te* pro *tecum* בך pro עמך: ut ex vers. 9. colligunt Paulum interpretari tecum, aliàs inserendum in fideli Abraham. Alii denique pro in Christo semine tuo: ut Augustinus ex lib. 1. de baptismo parvulorum. Et rectè interpretantur, ut demonstrat exegesis repetitæ promissionis, Genes. 22. *benedicentur in semine tuo*: ἐν παραλλή-λει, Genes. 28. v. 14. *in te & in semine tuo*. Deinde ex declaratione apostolica, quæ hoc loco præmittitur his verbis, *Prævidens autem scriptura, Deum ex fide justificaturum gentes*. Nam justificari fide & benedici in Christo, eodem sensu dicuntur. *Scriptura*, autem hic sumitur metoymiâ effecti, pro eo qui eam dedit, ut Chrysostomus: seu pro Spiritu Sancto, ut Hieronymus; vel Deo, ut Theodoretus explicant. Vox autem *euangelizavit* emphatica est & notanda ὡς μέγα τι λέγουσα ἀγαθὸν τὸ ἐκ πίστεως σωθῆναι τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ προευηγγελίσατο, inquit Oecumenius. *Non dixit* (ait Chrysost.) *revelavit, sed euangelizavit, id est lætum nuntium attulit: ut intelligas & Patriarcham tali justificationis modo gavisum fuisse, & vehementer, ut hoc contingeret, desiderasse*. Hæc ille. Vide Johan. 8. v. 56. Quam emphasin Latini Patres cum vetere interpreprete non expresserunt. Deinde præpositionem, *ante*, quidam definitè sumunt, pro ante justificationem gentium: nonnulli ante latam legem Mosis, ut Chrysostom. *Quoniam* (inquit) *illud eos turbaverat, videlicet legem fide antiquiorem esse, fidem autem post legem: etiam hanc illis eximit suspicionem: ostendens fidem lege antiquiorem, idque liquere ex Abrahamo: priusquam enim existeret lex, ille justificatus est*. Hæc ille. Sed quid si generalius, ante legem non solum Mosis, sed etiam circumcisionis Abrahamo latam? de quo Roman. 4. 10. Hieronymus indefinitè pro *jam olim*: siquidem interpretatur, quod multis post seculis ventura prædixerit. Hæc de antecedente. Conclusio verò non sola, sed cum corollario proponitur. Ex ea enim quartum argumentum confirmatur (nempe fideles esse filios Abrahæ & hæredes fœderis cum illo initi) his verbis, *cum fideli Abrahamo*: Quibus modus justificationis Abrahami & fidelium, eorumque inter se communio designatur, ac si dicat Apostolus: instar Abrahami, qui in Christo fide, non circumcisione aut operibus suis benedictionem consecutus est. Atque hac ratione demonstrat Apostolus unicam salutis rationem esse in Abrahamo & cæteris fidelibus; eoque fideles, cum sint hæredes promissionis, genuinos esse illius filios: hæc enim inter se sunt ἀντιστρέφοντα reciproca. Gal. 3. v. 29.

Vers. X. Sextum hoc loco succedit argumentum à contrariis; Qui ex fide sunt, benedicuntur, aut qui ex operibus legis. At hi non benedicuntur, Ergo illi. Propositio tanquam clara omittitur: illius enim disjunctio immediata est. Nam duplex tantum ratio justificandi, justitia aliena seu gratis; aut propria seu merito, Rom. 11. vers. 6. illa ex fide: hæc verò ex operibus nominatur. Conclusio præcessit vers. 9. Assumtionis loco proponitur illius probatio à contrario effectu, v. 10. Quicunque sub maledictione sunt, illi non benedicuntur. Quicunque sub operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Ergo non benedicuntur. Phrasis hæc; *quicunque sub operibus legis sunt*; contraria est illi *qui ex fide sunt*. Itaque ἀναλόγως intelligenda est: vel Metonymia Synecdochica. Nam opera legis ponuntur pro iis qui ea operantur per Metonym. effecti, seu operarii legis, ut Tertullianus interpretatur adversus Marcio. libr. 5. *in qua* (inquit) *lege non justificatur operarius*. Sic Ambrosius, *qui sub lege agunt*. Oecumenius, *qui legi adhærent*. Deinde per Synecdochen non quivis legis operarii (nam tales etiam fuerunt Patres Veteris Testamenti & Apostoli Christo superstite) sed illi demum, qui in ea salutis fiduciam locant, designantur: ut controversiæ status & loci circumstantiæ demonstrant. Vel ellipsis est his phrasibus singularis, quærentes justificari, ut sit sensus; qui ex operibus legis justificari quærunt, & ut per Mimesin loquitur Apostolus Gal. 5. vers. 3. quicunque per legem justificantur. Atque hinc liquet aliena esse quæ ab Hieronymo & quibusdam aliis ex hoc loco disputantur. Maledictio autem quid, ex antitheto benedictionis liquet. Porro assumtio probatur authoritate divina; Deuter. 27. vers. 26. Prosyllogismus; Quisquis non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea, maledictus est. Qui sunt ex operibus legis, non permanent in omnibus. Ergo quicunque sunt ex operibus legis, maledicti sunt. Assumtio deest, quæ tanquam certa omittitur & ex propositione & conclusione facillimè colligitur. *Propterea enim* (inquit Oecumenius) *maledicti sunt qui adhærent legi, quia non possunt implere legem*. Et *tanta mandata sunt* (inquit Ambrosius) *ut impossibile sit servari ea: unde & Petrus in Actibus Apostolorum ait; Quid imponitis jugum fratribus, quod neque Patres nostri, neque nos potuimus portare? Negligenti enim & superbo populo hæc data erant, ut per omnem conversationem legem haberent*. Hæc ille, melius sanè quam Lyranus; qui legem ait dici impossibilem non absolutè (quo sensu Hieronymus in expositione fidei, qui id dixerint, maledicit) sed secundum quid, hoc est difficilem: eoque quam multi transgrederentur. Hæc enim sententia refutatur ex dicto Petri, & perpetuo Sacrarum Literarum consensu, Genes. 8. vers. 21. 1. Reg. 8. v. 46. Proverb. 20. v. 9. Psal. 19. v. 13. & 32. v. 5. & 130. v. 3. Luc. 11. v. 4. Jacob. 3. v. 2. 1. Joh. 1. v. 8. Hebr. 4. v. 15. tum etiam insigni Oecumenii testimonio, Galat. 3. v. 22. de quo suo loco. Denique hoc etiam liquet ex propositione hujus loci, in cujus subjecto declaratur, primum ad quos lex pertineat, nempe ad omnes, cum ait *quisquis*: sed diverso modo: ad Judæos solos ratione ceremoniarum & legum politicarum: quatenus decalogo non continentur: ratione autem decalogi, quæ naturalem legem (cujus reliquiæ in gentibus) ad unguem exprimit, ad omnes quidem pertinet: sed ratione solennis traditionis & declarationis illius ad Judæos primariò, quo demum sensu gentes legem non habere dicuntur, Roman. 2. vers. 14. Deinde tres legis conditiones proponuntur; nempe ut serventur mandata omnia, integrè, perpetuò. Prius quidem non explicat Moses hoc qui adducitur loco, sed indefinitè innuit & minutatim in antecedentibus maledictionem, & consequentibus benedictionem denuntiando docet, nominatim verò proponit versu sequente, cap. 28. vers. 1. 14. 15. Eoque rite post LXX. interpretes ab Apostolo Paulo, omissis loci circumstantiis, exprimitur. Similis locus Jacob. 2. vers. 10. Roman. 6. vers. 23. Quod verò Hieronymus suspicatur vocem hanc כל à Judæis ex veteri Hebraico deletam: quia Apostolus nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur: deinde quia in Hebræis Samaritanorum voluminibus extat. Hæc inquam suspicio non est credibilis, quia (ut paulò ante monuit) Apostolus sensum magis testimonii ponere solet,

solet, quàm verba. Deinde quia delendi causa nulla, cum ad majorem potius legis authoritatem (cujus Judæi erant studiosissimi) pertineat. Nec fides Samaritanorum Bibliorum Judaicis præponenda: cum à Judæis ea acceperint. Duo reliqua *permanendi* verbo includuntur: quæ vox illis propriè non congruit, qui partim aut tantum aliquamdiu legi parent. Cæterum apud Mosem non *permanendi* vox, sed Synonyma continetur יקים: quam (ut ait Hieronym.) LXX. Interpretes, *permanserit*, expresso sensu: Aquila verò, *statuerit*: Symmachus, *firmaverit*; Theodotio, *suscitaverit*, expressa voce interpretati sunt. Sensus autem eodem redit. Nam is demum statuere legem dicitur, qui in ea permanet; ut liquet ex contrario *recedere*, & Synonymo, *custodire*, Deuter. 28. v. 14 & 15. Sic Roman. 3. vers. 31. legem inanem reddere, & legem statuere seu stabilire, opponuntur. Similis phrasis 2. Reg. 23. vers. 24. & Psal. 119. v. 28. *confirma servo tuo eloquia tua*, & vers. 106. *juravi & stabiliam*, *firmabo*. Hinc liquet prudentia Apostoli, qua adversarios proprio (ut dicitur) jugulat gladio. *Quoniam* (ait Chrysostom.) *illos alter habebat metus, scriptum erat enim, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea: & hunc eximit metum sapienter ac prudenter, rursus hoc vertens in diversum, & ostendens, quod non solum non sint execrationi obnoxii, qui legem relinquerent, sed etiam benedictionis participes: contra qui legem obtinerent, adeo non benedicti, ut etiam execrabiles. Siquidem illi dicebant, Qui non servaverit legem, maledictioni obnoxius est. Hic verò declarat, eum qui servat, maledictum esse: è diverso, qui non servat, benedictionis consortem. Rursum illi dicebant, qui sola fide nititur maledictus est: hic contrà demonstrat, qui sola fide nititur, eum benedictum esse.* Item paulò post. *Ne hic ansam arriperent contradicendi, dicerentque, merito ex fide justificatus est* (Abraham) *nondum enim erat lex: at tu mihi demonstra, post traditam legem fidem justificare. Ad id venit ac plus demonstrat quam illi quærunt, nimirum non modo justificare fidem, verùm etiam legem, ipsa utentes, obnoxios maledictioni reddere.*

Vers. XI. & XII. Hactenus sextum: sequitur septimum etiam à contrario argumentum: cujus summam non male ex Chrysostom. Theophylactus collegit, *Demonstrato* (inquit) *quod lex maledictos faciat: fides autem benedicat, ostendit jam nunc quod fides sola justificat & non lex, adducitque Habacuc dicentem, quod ex fide justus sit victurus & non ex lege. Lex enim non solam fidem postulat, sed etiam opera.* Hæc ille. Syllogismus; Qui fide justificantur, non justificantur apud Deum per legem. At justi fide justificantur. Ergo non justificantur per legem apud Deum. Conclusio est vers. 11. In qua observanda est emphasis cum ait; *apud Deum*. Nam justificatio est duplex; una apud Deum, quæ vera est & perfecta: quia Deus est justissimus καρδιογνώστης qui nec falli potest nec fallere: altera apud homines: eoque imperfecta & sæpius fallax, Luc. 16. vers. 15. Atque hæc justificatio fit ex operibus, Roman. 4. 2. Iacob. 2. vers. 24. illa verò minimè, Psal. 143. vers. 2. & 130. vers. 3. Diximus de conclusione: antecedentis autem loco ponitur illius probatio. Assumtionis quidem, ab effecto proprio, quod confirmatur Prophetæ testimonio. Syllogismus; quo vivimus, eo justificamur: fide, teste Propheta, vivimus. Ergo ea justificamur. Verba Prophetæ sunt hæc וצדיק באמונתו יחיה: quod ita (inquit Hieronym.) *LXX. Interpretes ediderunt, justus autem ex fide mea vivit. Aquila & Theodotio, justus autem ex fide ejus vivit, id est Dei.* Hæc ille. Sanius, qui *justus autem in fide sua vivet*: quæ cum Paulinæ orationis filo consentiunt; Nam *ex fide*, & *in fide*, hoc est per fidem, Synonyma. Pronomen *sua*, etsi non expressum, tamen ex circumstantiis hujus loci abundè colligitur. Ad sensum quod attinet, summus est utriusque loci consensus.

Nam quod objicitur, Prophetam agere non de fide promissionis Euangelii, de qua hoc loco, sed conservationis & liberationis à captivitate Babylonica: nec de vita æterna sed temporali, falsissimum est: utrumque enim more prophetico complectitur. Nam in populo Dei promissiones terrenæ cælestium appendices fuerunt & notæ, & liberationis externæ fundamentum fuit promissio venturi Messiæ, propter quem promissiones factæ & servatæ, 2. Corinth. 1. vers. 20. ad quam pii assurrexerunt fide, eamque spectarunt potissimum. Nec enim in prophetiis id nominatim semper exprimi fuit necesse, quia ex antecedentibus prophetiis, ipsorumque Prophetarum interpretatione satis erat exploratum. Hęc de consensu. Porrò duplex potest esse hujus loci constructio, ut *ex fide* sit pars, vel subjecti, vel attributi. *Potest* (inquit Hieronym.) *præsens testemonium & sic legi, quia justus ex fide, ut deinceps inferatur, vivit.* Utraque sana est sententia: sed prior, quæ vulgo recepta, videtur simplicior. Cæterum quod addit Hieronymus; *Considerandum itaque, quia non dixerit, homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda: sed justus ex fide vivit: ut quicunque fidelis esset & per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire vel in ea vivere, nisi prius justus fuisset, & puritate vitæ quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset. Potest ergo fieri ut sit aliquis justus, & tamen non vivat absque fide Christi.* Hoc inquam alienius: quia non de justificatione & vivificatione prima, sed justificatione secunda seu justificationis continuatione loquitur. Nam & impium Deus justificat & vivificat fide; & in pio pari modo continuat. Quod autem probare studet Pauli exemplo, qui, Philipp. 3. vers. 6. se ait secundum justitiam quæ in lege est, sine reprehensione vixisse, id nihil ad rem facit: quia (ut alia omittam) una hirundo non facit ver; nec singulare exemplum, regulam. Contrà melius subjicit Hieronymus; *A cæteris* (inquit) *virtutum partibus vicinam sententiam proferam, auversum eos qui in Christum non credentes, fortes & sapientes, temperantes se putant esse vel justos: ut sciant nullum absque Christo vivere: sine quo omnis virtus in vitio est.* Porrò observant interpretes, emphasin esse in verbo futuro, quod Propheta non dicat *vivit*, sed *vivet*, ut vita in solidum fidei tribuatur. Quanquam Tertullianus Hieron. Ambros. August. (si mendo careant codices) habent *vivit*, non adeò malè expresso sensu, quia continuus actus præsenti explicari solet. Hæc de assumtione: cui annectitur propositionis probatio; si justificatio legis non est ex fide, sed operibus; sequitur eos qui justificantur fide, non justificari lege: At verum est prius, ergo & posterius. Propositio est evidens: quia cum justificatio fidei & operum sint contraria, eidem congruere non possunt. Siquidem justificatio fidei fit gratiâ, & justitia alienâ non propria: contra verò justificatio legis fit merito & justitia propria, non alienâ. Itaque ritè sibi mutuò opponuntur, Rom. 3. v. 27. & 4. 14. 15. 16. & 10. v. 5. 6. & 11. v. 6. Assumtio autem Syllogismi loco proponitur ex diserto legis testimonio, vers. 12. In quo versu observandum est verba illa, *lex autem non est ex fide*, dupliciter posse accipi: vel ut *ex* sumatur pro *per* & sit ellipsis, pro per fidem justificans: vel ut sine ellipsi sumatur, ad declarandam materiam; ut sit sensus, lex non constat fide, hoc est, præceptis de fide. Sic Theodoretus sumpsisse videtur cum interpretatur, *lex non quærit fidem.* Sed Lyranus materialiter accipiendum monet, sicut cum dicitur, ex ære fit statua; quod in lege veteri non fuerint data præcepta de credendo: hoc enim pertinet ad legem novam: in qua est explicatio credendorum. Sed prior interpretatio magis videtur ad rem, ut ex scopo Apostoli, & altero hujus loci membro colligitur, cum ait; *sed qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Locus omninò desumtus ex Levit. 18. 5. quo demonstrat eos tantùm victuros eoque justificatum iri, qui fecerint ea, quæ Deus lege præcepit. Cæterum vitam hanc Ambros. Hieron. August. aliter quàm præcedenti versu accipiunt, non de æterna, sed corporali. *Quod autem ait, lex non est ex fide* (inquit Hieron.) *sed qui fecerit ea vivet in illis: manifestissimè demonstrat, non simplicem dici vitam, sed eam quæ referatur ad aliquid. Iustus quippe ex fide vivit, & non additur in his, sive in illis: vivens autem in lege, qui fecerit ea, vivet in illis: hoc est in his quæ*

quæ fecit, quæ putavit bona: mercedem laboris sui habens ea tantum opera quæ fecit: sive longitudinem vitæ (ut Iudæi putant) sive declinationem pœnæ, per quam transgressor legis occiditur. Hæc ille. Sed adversus Sacrarum Literarum mentem. Nam vitam æternam intelligi liquet primùm testimonio Christi, Luc. 10. vers. 28. qui rogatus à legisperito, quid faciendo vitam æternam assequeretur, post summam legis explicatam addit, *Hoc fac & vives.* Deinde ratione: quia Deus testatur servantibus legem se Deum fore, Levit. 26. v. 12. eoque servatorem, Matth. 22. v. 32. Neque hæc sententia repugnat præcedenti, qua ait neminem ex lege justificari: id enim fit non vitio legis, sed carnis: quia conditionem legis non servamus. Roman. 8. 3.

Vers. XIII. & XIV. Explicavimus septimum argumentum: cui subjicitur objectionis (ut Chrysost. monet) ex antecedentibus promanantis anticipatio: quæ octavum argumentum complectitur. Objici enim poterat; si qui ex lege justificari quærunt, sub maledictione illius sunt, quod eam nemo servet: parem etiam fidelium eadem de causa fore conditionem. Verùm id minimè sequi docet Apostolus, quia fideles à maledictione liberati sunt per Christum, qui vicem nostram sustinuit. Quo in loco salutis nostræ mysterium breviter & accuratè sex capitibus demonstratur; quæ sunt author, subjectum, contrarium, modus, finis, instrumentum. Author qui servat est *Christus:* ac propterea Jesus nominatur, Matth. 1. vers. 21. Subjectum, seu qui servantur sumus *nos*: hoc est, fideles, sive ex Judæis sive ex Gentibus. Nam quod glossa interlinearis, Thomas & alii ad Judæos solum referunt, videtur angustius; & ratio quam adferunt infirmior, cum decalogi violatio quosvis mortales maledictioni mancipet, ut supra ad vers. 10. demonstravimus. Contrarium, seu unde servemur, est maledictio legis: qua non partim (ut quidam volunt) sed perfectè miseria nostra continetur: ut ex benedictione, quæ huic opponitur, clarissimè constat. Modus verò adumbratur generatim metaphoricè & similitudine quadam à mancipiis ducta, cum ait, *redemit*, hoc est, quasi pretio persoluto satisfecit. Nam peccatis nostris nos ipsos quasi vendidimus, Jes. 50. vers. 1. Roman. 7. vers. 14. Qua similitudine emti pretio dicimur, 1. Corinth. 6. vers. 20. & 7. vers. 23. & redemti Christi sanguine 1. Petr. 1. vers. 18. 19. & Christus λύτρον & ἀντίλυτρον, redemptura, Matth. 20. v. 28. & 1. Timoth. 2. vers. 6. Chirographum nobis adversum delevisse, Coloss. 2. vers. 14. quæ non rapuit rependisse dicitur Psalm. 69. vers. 5. Deinde speciatim redemtionis modus his verbis exprimitur; *pro nobis factus maledictio:* Hoc est, ut sequitur ἐπικατάρατος maledictus & quidem summè, Metonymiâ emphaticâ, quasi dicat (ut Aquinas monet) factus est ipsa maledictio, nempe quod maledictionem & pœnam universam, quæ nobis ob legis violationem incumbebat, pro nobis subierit ac pertulerit: *perinde faciens* (inquit Chrysost.) *ac si morti adjudicato quopiam, alius insons illius damnati vice sponte mori volens, eripiat eum.* Sic & Christus fecit. Quum enim non esset obnoxius execrationi transgressionis: hanc in se recepit pro omnibus, ut omnes ab illa liberaret. Similes loci sunt 2. Corinth. 5. vers. 21. 1. Petr. 3. vers. 18. Esa. 53. At, inquies, si Christus filius Dei dilectus & benedictionis author, quomodo maledictus? Rectè Augustinus, contra Faustum lib. 14. cap. 6. apud Bedam; *semper*, inquit, *benedictus in sua justitia, maledictus autem propter nostra delicta, in morte suscepta ex pœna nostra.* Itaque Christi majestati nihil derogat (ut profani homines putant) quod sine culpa reatum nostrum & pœnam in se suscepit: ut nos à culpa & pœna liberaret. Cœterum quia insolentius videri poterat, asserere Christum factum esse maledictionem, deinceps demonstrat Apostolus; Syllogismus autem hic est; quisquis pendet in ligno, maledictus est: Christus pependit in ligno. Ergo Christus fuit maledictus. Conclusio jam explicata est. Propositio Sacrarum Literarum authoritate & verbis disertis, ex Deut. 21. 23. confirmatur, unde assumtio intelligitur. Duo autem in propositione declaranda sunt; Pauli cum Mosis testimonio convenientia in interpretatione & scopo. Verba Mosis sunt כי קללת אלהים תלוי quæ rectè Aquila & Theodotio vertunt, *quia maledictio Dei (est) suspensus.* Iudæus qui Hieronymum instituit, legi posse dicebat, *quia contumeliosè Deus suspensus est*, (potius maledictio Dei suspensi) Hebion hæreticus (ut Hieron. observat) קללת ὕβρις injuria: quidam λοιδορία, maledictio (convitium) interpretantur. Symmachus, ac si esset ellipsis, vertit; quia propter blasphemiam Dei suspensus est. LXX. denique interpretes, ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, *quia maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno*, qua de re plura Hieronymus. Paulus verò Apostolus pro libertate sua sensum expressit, non verba. Nam Metonymiam *maledictio*, reddidit propriè *maledictus*: vocem *Dei* omisit, cum ex loci hujus circumstantia & oppositione benedictionis satis constet de maledicto coram Deo agi: *in ligno* verò addidit expressa ellipsi ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus; & universalem indefinitam particulam *omnis* pari ratione definivit. Itaque quod Hieronymus nomen Dei ad Christi infamiam, post illius mortem Iudæorum fraude Bibliis insertum putat; aliena est conjectura. Nam etsi (ut ait) alibi maledictioni, Dei nomen non addatur: nihil tamen huic loco detrahit. Multa enim in Scriptura sunt singularia, & quidem hoc ipso loco, cum huic mortis generi (quod aliis non fit) maledictio ascribitur. Hæc de interpretatione. Sensus autem & scopus utrobique est idem. Nam suspensionis hujus duplex fuit usus: prior communis & politicus, nempe maledictio seu pœna finita & politica malefici, & exemplum reliquis quo à sceleribus deterrerentur, Deut. 21. v. 21. Alter fuit singularis ac typicus: ut Christi crucifixionem & maledictionem infinitam adumbraret. Cujusmodi fere typus etiam fuit ænei serpentis in altum erectio, Num. 21. v. 9. Iohan. 3. v. 14. & agni paschalis mactatio, omissioque crurifragii, Exod. 12. v. 46. 1. Cor. 5. v. 7. Ioh. 19. v. 36. Itaque præcepit Deus ne suspensi cadaver pernoctaret in ligno: sed sepeliretur eodem die, additque *quia maledictio Dei suspensus:* hoc est, quia qui suspensus est, maledictus est primum politicè, ad colophonem supplicii sui & aliorum terrorem: cui rei cum unius diei pœna & ignominia satisfactum sit, tollendum cadaver de cruce ac sepeliendum. Deinde typicè, hoc est, prophetico quodam typo Christi maledicti: qui in cruce suspendendus & eodem die pro peccatis nostris satisfacturus erat & sepeliendus. Atque hæc genuina hujus loci sententia, quam Doct. viri Francisci Iunii parallelis acceptam fero. Reliqui, quos legi interpretes, aut silent omnino, aut dilutius ad vulgarem hujus supplicii ignominiam referunt.

Porrò fructum maledictionis & crucifixionis Christi (nam testimonium Mosis per parenthesin inseritur) declarat, cum ait; *ut in Gentibus benedictio Abrahami extet in Christo Iesu:* Hoc est, ut serventur: aut (ut Cyrillus) ut justificentur gentes per fidem secundum promissionem Abrahæ datam. Itaque gentium nomine generatim omnes significari arbitror, ut ex v. 8. cujus impletionem hoc loco demonstrat Apostolus, colligitur. Sin verò (ut volunt) διαιρετικῶς dicitur: fructus mortis Christi Synecdochicè explicabitur, thesi ad hypothesin traducta.

Cœterum hæc benedictio ἐξηγητικῶς illustratur à primaria, quæ in ea continetur parte; *ut promissionem spiritus accipiamus.* Vox autem *Spiritus* variè à præcipuis interpretibus accipitur: nempe tanquam efficiens, subjectum vel adjunctum: ut promissio spiritus sit à spiritu profecta, de spiritu, aut spiritualis, sensu convenienti & penè eodem: Media tamen videtur potior per hypallagen Hebræis usitatam, ut Act. 2. v. 33. *Spiritus promissionis* seu promissus, ut Eph. 1. v. 13. Spiritus autem promissus Metonymicè pro donis illius accipitur, tam communibus & perpetuis in Ecclesia, quam singularibus & miraculosis tempore Apostolorum, de quo spiritu Rom. 8. 9. v. 15. 2. Cor. 1. v. 22. Gal. 4. 6. Tit. 3. 5. 6. Ioel. 2. v. 28. Act. 2. v. 17. Denique instrumentum & modum applicationis quo Christi meritorum, benedictionis & Spiritus S. participes simus, exprimit cum ait, *per fidem:* nam fidei vox ἀπὸ κοινοῦ ad benedictio-

dictionem & promissionem refertur, ut rectè Cyrillus & Aquinas explicarunt. Fides enim est primum salutare Spiritus S. donum, quo præditi Christo unimur & reliqua Spiritus S. dona ac benedictionem assequimur. Eph. 3. 17. Ioh. 15. 5. & 1. Pet. 1. 9. Hactenus objectionis anticipatio: unde hæc profluit demonstratio; In eo qui à maledictione legis nos redemit, consequimur benedictionem, hoc est, justificamur & servamur. At verò Christus à maledictione legis nos redemit. Ergo in eo benedictionem consequimur. Conclusio præcessit v. 9. & innuitur hoc loco. Assumptio vero exprimitur, qua de re vide supra c. 2. vers. 21.

Vers. XV. XVI. XVII. Hactenus octavum: sequitur hoc loco nonum argumentum, cujus hæc est ratiocinatio; Testimonium à Deo ante legem, & quidem 430. annos, ratum factum in Christo, non potest lege fieri irritum. At promissio Abrahæ & semini ejus facta, est testimonium ejusmodi. Ergo ea non potest lege fieri irrita: eoque gentes Christo per fidem insitæ, sunt promissionis participes. Assumtio & conclusio continentur. v. 17. Ex quo enthymemate intelligitur propositio, cujus loco præmittitur probatio, à minori ducta, v. 15. Prosyllogismus autem hic erit; si humanum testimonium ratum factum, nullus irritum facere potest, multò minus divinum: At verum est prius, Ergo & posterius. Hæc de propositione: assumtio verò partim declaratur & confirmatur v. 16. De analysi hujus loci diximus satis: singula deinceps explicanda sunt. Ac primùm, quum antea (inquit Chrysost.) Galatas appellarit amentes, hîc fratres vocat: simul & perstringens eos & consolans, quod ad benevolentiam & attentionem hoc loco comparandum optimè quandrat. Nam dixit præcedenti versu, *ut benedictio in gentes*, ergo hæredes & fratres. 2. Quia scopus hic, ostendere gentes per fidem in Christo fieri Abrahami filios, non per legem. Addit Apostolus, *secundum hominem*, hoc est, more humano, vel communi hominum judicio. Hoc autem dicit (inquit Ambros.) quia exemplo humanæ causæ commendare vult rationem divinæ promissionis. *Posteaquam enim* (ut Chrysost.) *& ex Scripturis, & ex miraculis apud illos editis, & ex his quæ Christus passus est; denique ab ipso Patriarcha sermonem confirmavit, jam ad communem degreditur consuetudinem. Solet enim Paulus hoc semper facere, quo condulcet etiam sermonem, quo & facilius recipiatur & fiat intelligibilior: Sic 1. Corinth. 9. 7. Hebr. 9. v. 17. &c. Comparari enim humana divinis propter evidentiorem intellectum possunt, æquari non possunt*, ut ait Hieronymus in Scholiis. Porro ait Apostolus, *testamentum ratum factum nullus abrogat, aut superaddit*: quia (ait Ambrosius) testamentum defuncti jure factum, non potest rescindi. Cœterum duo hic notantur modi quibus testamenta violantur, abrogatio nimirum & additio. Denique quod ait, *licet hominis*: aposiopesis est, ac si dicat, multo minùs Dei. Atque hæc de v. 15. Præterea *Abrahamo* inquit. v. 16. *dictæ sunt promissiones & semini ejus*, &c. Verum duo hic controversa sunt, primùm quemnam Geneseos locum citet Apostolus: deinde quam accommodatè. Ad prius quod attinet, plerique referunt ad Genes. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: & τῷ σπέρματι interpretantur, *in semine tuo*. Nonnulli potius ad Genes. 17. v. 7. *Ego sum Deus tuus & semini tuo*: quod verba magis quadrent. Alii ad Genes. 12. v. 7. & 13. 15. *omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo, usque in sempiternum*. Quidam denique ad Genes. 15. v. 5. *sic erit semen tuum*. Primam sententiam sequitur Ambros. August. Theod. Chrysost. & plerique, eandemque cum postrema in medium proponit Hieronymus, Galat. 3. v. 8. loco sane alienissimo, & librariorum haud dubiè incuria. Itaque totum illum locum inde ab illis verbis; *Porro exemplum quod de Genesi*, usque ad, *quicunque igitur*, pristinæ fidei restitui posse existimo, si inferatur hujus versus explicationi, post illa verba, *prudentibus displicere*: ut sequatur; *Porro exemplum*, &c. Cœterum postrema sententia à verbis hujus loci remotior, reliquæ probabiles, tertia maximè, quia non solum scopo, sed verbis etiam ad amussim congruit, & loco simili, Roman. 4. v. 13. sed quid si forte non ad certum locum, sed ad hos omnes aut saltem tertium & quartum respexerit? (ut Marc. 1. & alibi conjungunt) ac propterea *promissiones datas* non *promissionem* dixerit? Verum quam accommodatè adducatur hic locus, dispiciamus. Observandum est itaque, promissionem hanc (cujusmodi plurimæ) historicam esse simul & typicam. Nam primùm historicè, Israelitis naturali semini Abrahæ, promitti terræ Chananææ hæreditatem, liquet ex promissione Genes. 15. v. 18. 19. & declaratione impletionis illius, Deuter. 34. 4. *Hæc est terra pro qua juravi Abrahamo, Isaaco, Jacobo dicens, semini tuo dabo eam*. Deinde typicè adumbratur hæreditas totius mundi & regni cælorum donanda Christo, Psal. 2. v. 8. Luc. 14 v. 32. Matth. 28. v. 18. & in Christo fidelibus: ut ex hoc loco, reliquoque capite & sequenti, & Roman. 4. constat. Vocem autem Christi, cum ait, *qui est Christus*; quidam non male intelligendam judicant non propriè de Christo per se, sed cum suo corpore conjuncto; sive Synecdochicè de Christo mystico, ut 1. Corint. 12. 12. seu de Christo & Ecclesia, tanquam capite & corpore: servata interim capitis dignitate, ut de eo primariò intelligatur: ille hæres, nos cohæredes Heb. 1. 2. Rom. 4. 16. & 8. 17. Itaque quamvis Abrahamus constitutus Pater multarum gentium, & contra Judæi se solos, aut κατ' ἐξοχὴν peculiare Abrahami semen & promissionis hæredes gloriarentur (quia secundum carnem ab eo prognati & legem acceperant) docet Apostolus hoc loco (quemadmodum Roman. 4. v. 16.) nullum tamen inter eos esse discrimen, sed omnes esse pares in Christo Jesu. Idque declarat ex promissionis phrasi. Nam cum S. Literæ testentur, promissiones datas Abrahamo & semini, non autem seminibus: ipsa enuntiationis formâ ostendit Deus, non multa esse ac diversa semina, Judæorum nimirum & Gentium, sed unum duntaxat, nempe Christum, cum quo & in quo omnes fideles unum sunt & æquales, Galat. 3. v. 28. Ephes. 2. v. 12. ad 19. Verùm objicit Hieronymus; *omnes* (inquit) *Scripturas sensu ac memoria peragrans, nunquam plurali numero semina scripta reperi; sed sive in bonam partem sive in malam, semper in singulari numero*. Sed fefellit Hieronymum memoria. Nam 1. Samuel. 8. v. 15. extat וזרעיכם *& semina vestra*. Etsi autem de posteris non reperiatur, eadem tamen ratione dicendum esset, si de variis ageretur. Itaque profana Hieronymi conclusio, cum ait; *unde manifestum est, id fecisse Apostolum quod promisit; nec reconditis usum esse sensibus, sed quotidianis & vilibus, & quæ possent (nisi præmisisset secundum hominem) prudentibus displicere*.

Hæc de Vers. XVI. in XVII. verò, promissio Abrahæ in Christo facta, non vocatur solum διαθήκη *testamentum*, sed etiam προκεκυρωμένη *ratum factum*, & quidem *prius*. Eoque alienum est, quod ad confirmationem Christi adventu factam refert Haymo. Prius autem confirmatum est variis modis; primùm juramento Heb. 6. 17. 18. deinde crebra & seria repetitione Abrahamo, Isaaco, Iacobo facta. Præterea solenni fœderis sanciendi ritu, Gen. 15. v. 17. 18. Ad hæc sacramento circumcisionis, Genes. 17. v. 11. Rom. 4. v. 11. denique longi temporis, nimirum quadringentorum & triginta annorum præscriptione, Exod. 12. vers. 40. Verùm quomodo hæc temporis ratio convenit cum re ipsa, & Gen. 15. v. 13. ubi anni tantùm quadringenti recensentur? *Non enim* (inquit Hieron.) *parva res est, & à multis quæsita: nescio an ab aliquo sit inventa*. Verùm priorem numerum ante nativitatem Isaaci, alterum inde ab ea supputandum, extra controversiam est. Ad illud quod attinet, Eusebius in Chronicis annos 430. numerat ab egressu Abrahami Charrane, cum esset annorum 75. Gen. 12. v. 4. inde ad Isaacum quem centenarius genuit, Gen. 21. v. 5. anni 25. inde ad Jacobum 60. Gen. 25. 26. inde ad descensum Iacobi in Ægyptum anni 130. Gen. 47. v. 9. inde ad exitum anni 215. Atque hæc fere Photii, Augustini, receptior est sententia. Alii, Judæorum computationem secuti, qui commorationem in Ægypto annis 210. definiunt: reliquos quinque malunt ab egressu patriæ computare, cum Ure Chaldææ Charranem divino jussu migravit, & consedit annos, ut volunt, quinque: ita ut 30. anni statuantur ante Isaaci nativitatem. Quæ senten-

sententia videtur probabilior. Nam hac ratione solvitur ea difficultas, quam Beda Act. 7. & Aquinas hoc loco movent, de quinque annis; qui in altero numero 400. annorum, si à nato Isaaco supputentur superfluent, Interim tamen verum est, quod monet Synecdochicè minorem numerum in recensione sæpius omitti. Hæc de numero annorum. Porro addit Apostolus; *ut vanam reddat promissionem.* Quæ verba non ad causam finalem, sed ἐξηγητικῶς ad declarationem modi pertinere existimo: Itaque sic etiam verti possent, *non facit irritam, nempe vanam reddendo promissionem*, ac si diceret; quid fieret si vanam redderet promissionem, quæ testamentum est illud, cujus memini. Atque hac ratione (inquit Ambrosius) quasi reos falsati testamenti designat, qui credentes in Christum & de lege aliquid sperant: ut non solum salus promissa in Christo, sed & in lege sit. Itaque innuit Apostolus, cum legi justificationem ascribunt, eamque honorare student, promissionem facere contrariam & Deum sibimet adversum.

Vers. XVIII. Quandoquidem superiori demonstratione doctrinam adversariorum de legis justificatione, promissionis abolitionem vocavit, objicere poterant; At verò non irritam facimus promissionem, sed legem conjungimus: cum justificatio legis & promissionis probè consentiant.

Verum contrà respondet Apostolus, ista cohærere non posse, & superiorem demonstrationem Syllogismo hypothetico, posito illius antecedente, illustrat. *Nam* (inquit) *si ex lege hæreditas, non jam ex promissione.* Hæreditatem autem vocat cælestis Chananææ, hoc est, vitæ æternæ possessionem: vel potius Synecdochicῶς justificationem & glorificationem. Hæc si ex lege, hoc est, secundum conditionem legis contingit, non ex promissione: lex enim & promissio, fides & opera in justificatione sibi mutuo adversantur (ut supra) ut similis locus ostendit, Roman. 4. v. 14. & res ipsa evincit. Nam habere vitam secundum legem, est operum merito: secundum promissionem, est sine operibus & gratis propter Christum: Atque hæc de propositione: Assumtio est; at verò ex promissione est hæreditas: cujus loco ponitur probatio ab exemplo Abrahami, ex superioribus repetita: *Nam Abrahamo per promissiones gratificatus est Deus:* Unde colligitur conclusio; Ergò hæreditas non est ex lege. Porro Deum Abrahamo gratis promisisse salutem, inde etiam liquet, quia è Majoribus natus idololatris: nec eorum numero, ante promissionem acceptam eximitur, Iosuæ, 24. vers. 2. 14. 15. Quod verò exemplum Abrahami ad assumptionem generalem probandam adducit Apostolus, ideo fit, quia Pater & forma est servandorum, Roman. 4. v. 12. & 23. Qua de re præclarè Ambrosius; *Duas* (inquit) *causas contrarias sibi, defendunt Iudæi. Nullo enim pacto, nulla ratione suaderi potest Iudæis Abrahæ promissionem evacuatam per legem, & rectè. Sed aliud adversum improvida præsumptione defendunt, putantes justificationem sine operibus legis provenire non posse, cum sciant Abraham, qui forma illius rei est, sine operibus legis, per solam fidem, justificatum. Sed æmulatione quadam cæcati non intelligunt, si per legem justificatio, excluditur promissio.*

Vers. XIX. XX. De priori anticipatione diximus: altera deinceps hoc loco sequitur, duabus constans partibus, objectione & solutione illius. Objectio his verbis continetur; *Cur igitur lex est?* hoc est, quæ igitur utilitas legis; ut Augustinus apud Bedam: ac si dicat; si hæreditas non est ex lege, sed ex sola promissione, nullus legis usus ostendi poterit. At verò hoc absurdum. Ergo & illud. Hanc objectionem solvit Apostolus, propositionis falsitatem demonstrans ἐνςάσει; *transgressionum* (inquit) *gratia apposita est.* Quibus verbis multiplicem legis usum non definit: sed partim & ad hunc locum accommodatè describit. Cæterum de hujus loci sensu variæ sunt sententiæ. Primùm Hieronymus de transgressionibus Israelitarum, legem præcedentibus, interpretatur. *Lex*, inquit, *transgressiones prohibitura successit. Iusto quippe lex non est posita*, &c. *Et ut altius repetamus, post idololatriam, cui in Ægypto fuerant mancipati, ita ut Deum patrum suorum oblivriscerentur, & deinceps dicerent: isti sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti: ritus colendi Deum, & delinquentium pœna sancita est.* Deinde Chrysostomus de futuris coërcendis accipit; *Hoc est* (inquit) *ne liceret Iudæis securè vivere, atque in extremam prolabi malitiam: sed lex illis freni vice foret imposita, erudiens, componens, prohibensque transgredi, si minus omnia, certè aliqua præcepta.* Præterea Augustinus de patefactione transgressionum accipit: si quidem legem dicit positam, ut morbos ostendat, non ut auferat. Nec malè: Sic Roman. 3. v. 20. & 7. 7. Denique quidam hæc omnia non importunè conjungunt; legem datam non quæ transgressiones omninò tollat, sed quæ indicet ac frenet. Indicat autem tripliciter 1. declaratione officii. 2. accusatione neglectus illius. 3. denuntiatione pœnæ debitæ. Porro hunc usum legis illustrat, primum à durationis circumstantia, Synecdochicè ratione ceremoniarum, (nam lex charitatis æterna est) *usquequo*, inquit, *veniret semen, cui promissio erat facta.* Per *semen* intelligit Christum, ut v. 16. qui est finis legis, Roman. 10. v. 4. & corpus, Coloss. 2. v. 17. *Proinde* (inquit Chrysost.) *si usque ad Christi adventum data est, quid eam longius & ultra tempus prorogas?* Deinde legis doctrina illustratur digressione non incommoda, à causa ministra duplici, remota & proxima. Illa declaratur his verbis; *ordinata per Angelos:* hæc verò sequentibus. Angelos *autem* (inquit Chrysostom.) *sacerdotes vocat, aut sentit ipsos etiam Angelos subministrasse ferendæ legi.* Ambrosius priorem fere sequitur sententiam, his verbis; *Angelos dicit Dei nuntios, id est Moysen, filium Nave & cæteros Prophetas, usque ad Johannem Baptistam, de quo Deus dixit; Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.* Hieronymus verò, Augustinus & Theodoretus posteriorem: quemadmodum lex vocatur sermo dictus per Angelos, Hebr. 2. v. 2. & data per dispositiones Angelorum, Actor. 7. v. 53. Quæ interpretatio simplicior est. Sed quæritur primùm, quomodo ordinata per Angelos? Quidam solummodo ad præsentiam eorum & signa de quibus, Exod. 20. v. 18. Hebr. 12. v. 18. 19. per eos effecta referunt: & *per Angelos*, inter Angelos interpretantur. Plerique vero etiam de sermone eorum & promulgatione legis accipiunt. *Quia per Angelos* (inquit Augustin.) *disposita est ipsa dispensatio legis, cum aliquando suam, aliquando Dei personam, sicut Prophetarum mos est, agerent.* Utraque probabilis sententia. Quæritur deinde de scopo totius hujus loci. Alii enim ad commendationem legis pertinere existimant, ne eam (quod spargebant adversarii Actor. 21. v. 21.) damnare videretur: alii contrà ad discrimen legis ab Euangelio dictum putant: quod lex quidem mediatè per Angelos data sit & Mosem: Euangelium verò immediatè per Dei filium, Hebr. 1. 1. & 2. 2. 3. Verùm nil vetat quo minus utrumque conjungamus. Nam eadem operâ, & neglectæ legis calumniam diluit, & Euangelii præstantiam comparatè innuit. Hactenus de causa prima. Altera verò declaratur his verbis; *in manu mediatoris.* Mediatoris meminit, ut novis argumentis viam sternat. Quis autem hic mediator sit, variant sententiæ. Plerique cum veteres, tum recentiores de Christo: reliqui (non solùm cum Epiphanio contra Manichæos, & Gennadio apud Oecumenium, sed etiam Theodoreto) de Mose interpretantur, sensu utrimque probabili: eoque Hieronymi scholia rem in dubio relinquunt. Nam Patrem per Filium dedisse legem, extra controversiam est: per Mosem verò tanquam famulum & mediatorem quendam docetur, Deuter. 5. v. 5. & 27. 9. & innuitur Hebr. 8. 5. 6. & 12. v. 24. & 26. Atque hinc variè verba antecedentia accipiunt. Nam qui ad Mosen referunt, *in manu* interpretantur *ministerio*, ut Psal. 77. v. 20. *in manu Mosi*, Actor. 7. v. 25. qui ad Christum; alii de potestate intelligunt, ut Genes. 14. v. 14. & 16. v. 6. Iob. 1. v. 12. ac si esset sensus, legem ordinatam per Angelos, sitam esse non in nostra, sed mediatoris potestate, qui pro nobis eam præstitit & à peccatis liberavit. Quæ sententia Augustini; *Disposita est* (inquit) *per Angelos, sed in manu mediatoris, ut ipse liberaret à peccatis*; item paulò ante; *ut esset* (inquit) *non in sua potestate & viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium.* Alii (ut Hieronymus) de potentia & veritate Christi

Christi accommodatius accipiunt. Simplicissimum tamen videtur, ut *in manu* (hoc est manu) *mediatoris* pro *à mediatore* accipiamus: sic dicitur Genes. 9. v. 5. *sanguinem animarum vestrarum requiram à manu cunctarum bestiarum*, id est, bestiis.

Porrò hanc de mediatore doctrinam amplificat Apostolus à descriptione; *Mediator autem* (inquit) *unius non est: Deus verò unus est.* Si de Mose accipiatur, erit consectarium, oriens ex legis ferendæ modo, hoc sensu; Cum in ferenda lege opus fuerit mediatore Mose, quia Deum ut terribilem legislatorem ferre non poterant, Hebr. 12. 19. liquet eam non esse vinculum nostræ cum Deo conjunctionis, sed indicem nostræ ab illo abalienationis. Nam mediator non est unius, sed duorũ, & quidem dissidentium: Deus autem unus est, nimirum voluntate: quod promisit fœdus servabit: ut homines, qui non sunt unum cum eo, sibi per Christum promissum conciliet. Sin verò de Christo mediatore sumamus, erit declaratio per anticipationem; Etsi Christus mediator legem Iudæis tulerit, ut ad agnitionem transgressionum adduceret, eoque ad fœdus gratiæ præpararet: non tamen unius est gentis Iudaicæ mediator, sed omnium hominum; quemadmodum Deus unus est omnium. Similis locus 1. Timoth. 2. v. 5. Roman. 3. 29. 30.

Vers. XXI. & XXII. Atque hæc de usu & duratione legis temporaria: quæ deinceps expositione quadam illustrantur ac probantur, usus quidem, vers. 21. & 22. utrumque sequentibus ad cap. 4. medium. Ac usum quidem declarat anticipatione nova, quæ ex superioribus promanat, cujus hæc objectio est; *Num igitur lex adversus promissiones Dei?* Sensus est; si lex propter transgressiones addita est, non ut vivificet, sed ut homines peccati argueret & eo nomine damnaret, adversabitur promissioni, quę contra justificat & vivificat. Solutio hujus objectionis constat negatione consequentiæ per solennem detestationis formulam, *Absit.* Deinde ratione duplici: Quarum prior quidem per inversionem argumenti & remotionem contrarii, si lex non damnaret sed vivificaret, tum demum adversaretur promissionibus. Verum consequentis loco ponitur illius declaratio aut probatio; *ex lege esset justitia.* Qua de re antea v. 18. *Vivificare* autem quidam interpretantur spiritum vivificum tribuere ad legem perfectè implendam: sed satius videtur, ut cum Oecumenio & plerisque *servare* intelligamus. Nomine autem *legis* non intelligi ceremonialem tantum, ut Theodoretus censet, sed etiam moralem, ex antecedentibus liquet, cum alibi tum v. 10. Nam quod objicit ex Ezechiel. 20. hanc vivificare, illam minimè: vide Calvinum ad eum locum.

Altera ratio est vers. XXII. à scopo legis: quia tantum abest ut sit contra, ut etiam promissioni inserviat; peccati arguit ac damnat, ut homines de propria justitia desperantes, ad fidem in Christum compelleret. *Sed* (inquit) *conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Scripturam alii generatim: alii Synecdochicè pro lege Mosis accipiunt, ut August. apud Bedam, qui expresso articulo ait, *scriptura illa, id est lex.* Utraque commoda, prior tamen uberior interpretatio: ac si diceret, lex cum Prophetis, seu reliquis Veteris Testamenti scriptis. Similes loci Roman. 3. v. 16. 17. & 11. vers. 32. Porro addit, *conclusit sub peccatum*, hoc est, coarguit & coargutos continuit in metu, ait Chrysostomus. *Manifestatis enim peccatis suis* (inquit Ambrosius) *conclusi sunt, ut se excusare non possent: sed quærerent misericordiam.* Quod autem ait *omnia* emphaticum est (ut rectè Calvinus) quo non solum homines, sed omnia eorum studia & vires complectitur. Promissio autem Metonymicῶs rem promissam, justificationem & vivificationem significat. Ea autem datur ex fide, tanquam instrumento, non causa primariâ. Itaque duplex legis usus hoc loco indicatur; prior ut homines sub peccatum concludat: alter, qui prioris scopus, ut Christo viam sternat. Qua de re tota scitè Chrysostomus; *Quoniam Judæi* (inquit) *ne sentiebant quidem peccata sua: non sentientes autem nec desiderabant remissionem, dedit legem quæ proderet vulnera, quo medicum requirerent.*

Vers. XXIII. XXIV. XXV. Soluta, quæ contra legis usum adferri poterat objectione; sequitur deinceps necessaria usus ac scopi, tum etiam durationis illius temporariæ illustratio à similibus. Quorum primum est à præsidio sumtum vers. 23. cujus hæc est sententia. Quandoquidem Israelitæ cum vitiosæ naturæ, & educationis impetu, tum malis reliquarum gentium exemplis, à vero Dei cultu & fide desciscere potuissent, legem illis ante Christi adventum datam instar præsidii, quo in agnitione miseriæ suæ, & fide ac desiderio venturi Messiæ continerentur: donec ille retegeretur. Cæterum vox *fidei* non sumitur hoc versu propriè & absolutè (nam eadem credebant, eademque sperabant omnes justi & sancti etiam illorum temporum, inquit Augustinus apud Bedam, & Apostolus ostendit Galat. 3. 7. 11. & Hebr. 11.) sed metonymicè pro tempore fidei, ut nonnullis placet: vel potius pro Euangelio, ut antea cap. 1. v. 23. vel denique pro Christo, fidei materia seu objecto, ut Ambrosius & Hieronymi scholia rectissime accipiunt: ut ex vers. 19. & 24. colligi potest. Quo etiam tropo Christus *spes nostra* dicitur, 1. Timoth. 1. v. 1. observanda est autem emphasis verbi *revelaretur:* quo indicatur antea sub umbris legalibus latuisse. Revelatus est autem Christus variis modis: ministerio Angelorum, ut liquet ex conceptionis & nativitatis historia: apparitione singularis stellæ: præconio Joannis Baptistæ: cælesti Patris testimonio, & Spiritus S. in Christum descensu: prædicatione regni majestatis plena: miraculorum splendore: interna denique Spiritus Sancti illustratione. Hæc de priori: altera verò, ex illa consequens, similitudo à pædagogo ducta, in eandem sententiam exprimitur, v. 24. *Itaque lex Pædagogus noster fuit ad Christum.* Convenientia autem legis & pædagogi sita est potissimum in causa, & temporis ac durationis circumstantia. Hic (ut vocis etymon declarat) tenellæ præficitur ætati, ut eam lascivientem & in vitia pronam refrenet, & contrà rudimentis quibusdam ad graviores doctorum disciplinas præparet. Deinde præfectura hæc non est perpetua sed pueritiæ terminis circumscribitur. Atque eadem est legis in utroque ratio: ut liquet ex superioribus & sequenti consectario, v. 25. *At postquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus.* Quibus verbis causam liberationis à jugo legis, describit; nempe Christi adventum. A lege autem liberati sumus non absolutè, nec quà norma vitæ, sed κατά τι ratione maledictionis omnis & observationis ceremoniarum. Quæ peccati chirographum, Coloss. 2. v. 14. & futurorum bonorum, seu futuræ satisfactionis Christi umbras continebant, Hebr. 10. v. 1. Itaque Christus suâ morte maledictionem & ceremonias legis, non violando, sed satisfaciendo & implendo justissimè delevit.

Vers. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. Fideles à pœdagogia legis liberatos esse per Christum, novo argumento demonstrat Apostolus, vers. 26. *omnes enim*, &c. hoc est (ut rectè Hieronymi scholia) æqualiter & Iudęi & gentes per solam fidem filii Dei estis: quia credidistis Christo, Ioan. 1. vers. 12. Syllogismus; Quicunque filii Dei sunt, illi non sunt amplius sub pœdagogia legis: omnes vos estis per fidem filii Dei. ergo non amplius sub pœdagogia legis. Observandum est autem; primùm filios hîc dici κατ' ἐξοχὴν & comparatè de adultis, qui non solùm natura filii, sed etiam libertate: qui τοῖς παισὶ καὶ νηπίοις καὶ δούλοις pueris, & infantibus, & servis (cujusmodi erant sub Vet. Testamento) opponuntur, Galat. 4. vers. 1. 7. Deinde thesin per apostrophen ad hypothesin quodammodo transferri, per anticipationem quandam, ad consolationem Galatarum: ne gentes inquit Augustinus de se desperarent, quia non custodiebantur sub pœdagogo, & ideo se filios non putarent.

Porro quia assumptio in controversiam vocari poterat, confirmatione munitur, vers. 27. *quia Christum* (inquit) *induistis.* Qua metaphora, à vestibus derivata, unio nostri cum Christo declaratur: cujus effectum necessarium est adoptio in filios Dei. Hæc autem unio probatur à testimonio divino, nempe baptismo; quo Deus eam obsignat. Sic Roman. 6. v. 3. 4. 5. & 1. Corinth. 12. 13. Coloss. 2.

loff. 2. v. 12. obsignat autem non quibusvis sed fidelibus: quibus Sacramenta instituta sunt. Itaque vox hæc *quicunque baptizati estis*, intelligenda est non de quibusvis, sed fidelibus, quos alloquitur, ut ex verf. 26. liquet. Syllogismus; Quicunque fideles baptizati sunt in Christo, illi Christum induerunt: Galatæ fideles in Christum baptizati sunt. Ergo Christum induerunt. Baptizari εἰς χριςὸν, est, εἰς τὸ ὄνομα χριςοῦ, Actor. 8. v. 16. & 19. 5. Matth. 28. Hoc autem dupliciter accipi potest; vel ut causam efficientem notet: εἰς pro ἐν per enallagen usitatam: ut Matt. 10. v. 41. & 42. coll. cum Marc. 9. v. 41. & sic vertendum *in Christo*, ut Actor. 10. v. 48. Actor. 2. v. 38. sic baptizari in Mosen, 1. Corinth. 10: vel ut finem exprimat, pro ad fidem in Christum obsignandam & testandam, ut Act. 19. v. 5. Roman. 6. v. 3. 4. & 1. Corinth. 1. verf. 15. Atque hic sensus huic loco quadrat maximè. Alterutrum autem statuerimus, nihil Baptismi formulæ derogat: cum non exclusivè, sed Synecdochicῶς in Christum baptizati dicantur. Hæc porrò sententia illustratur expositione & ratione. Expositio autem inductione quadam particulam universalem declarat; *Non est*, inquit, *Iudæus*, &c. ac si dicat; Qui in Christum baptizati estis, Christum induistis omnes, nullâ gentis, conditionis aut sexus habita ratione. Similes loci Roman. 10. v. 12. Coloff. 3. verf. 11. Etsi enim vocationis ordine excelluerint Judęi, Actor. 13. v. 46. Roman. 1. verf. 16. pares tamen fuerunt cæteris fidelibus ratione communionis cum Christo. Gentes autem reliquas Synecdochicè Græcos nominat, quia primi & potissimi post Iudæos Euangelium amplexi erant, & propter Græcorum monarchiam, viciniam & linguæ celebritatem, quâ totus pene orbis utebatur, notiores erant reliquis. Præterea expositionis ratio est à proprio effecto unionis nostri cum Christo, nimirum communione sanctorum. *Nam omnes*, inquit, *unus estis in Christo Iesu*: hoc est, unus novus homo mysticus, Ephef. 2. v. 15. vel unum corpus sub uno capite Christo. Similis locus Roman. 12. 5. 1. Cor. 12. v. 12. 13. Eph. 2. v. 13. 14. & 4. 15. Col. 2. v. 19. & 3. 11.

Atque hinc elicit corollarium ad Judæorum arrogantiam eo acrius retundendam, verf. 29. Galatas nempe cæterosque fideles ex gentibus esse Abrahæ semen, & secundum promissionem hæredes, non minus quàm Judæos: quandoquidem Christi membra sint. *Fieri* enim *non potest* (inquit Theodoretus) *ut caput quidem illius censeatur corpus verò alterius*. qua de re verf. 16. *Superius enim dixerat* (ait Augustin.) *non dicit & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam in uno; & semini tuo, qui est Christus. Hic ergo ostendit, unum semen Christum, non tantum ipsum mediatorem intelligendum esse, verum etiam ecclesiam, cujus ille corporis caput est.* Atque hac ratione, facta hæredis mentione, quasi transitione quadam sequenti similitudini viam sternit.

CONSECTARIA CAP. III.

I. A Veritate Euangelii & justificationis per fidem sine operum merito, deficere, summa est amentia.

II. Defectionis illius author est Satanas: instrumenta verò falsi doctores, qui justificationem operum docent.

III. Eoque tanquam à fascinatoribus nobis sedulo cavendum, & πανοπλία universa illa armatura induenda, de qua Eph. 6. v. 11. & 13.

IV. Objurgationes & maledicta interdum sunt necessaria.

V. In maledictis autem requiruntur quatuor, veritas, charitas, authoritas, opportunitas.

VI. Nullæ picturæ præstantiores S. Literis & prædicatione Euangelii: quibus Christus cum omnibus suis beneficiis, non in pariete, sed in animis fidelium ad unguem depingitur.

VII. Ubi hæc pictura viget: inutilis est imaginum usus, ac vana Gregorii Papæ exceptio, cum ait; *quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura*, lib. 9. epist. c. 9. verf. 1.

VIII. Christianę vitę curriculum inoffenso pede percurrendum.

IX. Multi à bonis doctrinæ aut morum initiis ad deteriora, præter opinionem delabuntur.

X. Itaque qui stat, videat ne cadat, 1. Corinth. 10. verf. 12.

XI. Euangelicæ id doctrinæ proprium, habere sibi adjunctum Spiritum, v. 2. & 3.

XII. Omnes qui piè volent in Christo vivere, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12. Actor. 14. v. 22. Matth. 10. v. 34.

XIII. Qui verò Euangelii causa afflictiones patiuntur, non frustra & inutiliter patiuntur; sed beati sunt hoc nomine, Matth. 5. verf. 10. & 2. Tim. 2. verf. 11. 1. Pet. 2. v. 20.

XIV. Qui à veritate & pietate deficiunt, frustra passi sunt persecutiones.

XV. Persecutiones nobis expectandæ sunt fortiter; & perferendæ constanter.

XVI. Hæreses & schismata plus Ecclesiæ nocent, quàm persecutiones: falsi doctores, quàm tyranni.

XVII. De lapsis non est cum Novatianis desperandum, Ezech. 18. v. 22. & 23.

XVIII. Reprehensionis scopus esse debet peccatoris conversio, non desperatio, v. 4.

XIX. Doctrina de justificatione per fidem sine operibus legis, temporibus Apostolorum miraculis confirmata est copiosissimè: eoque nec nova est, nec novis indiget (ut Pontificii somniant) miraculis. *Cum enim Ecclesia Catholica* (inquit August.) *per totum orbem diffusa atque fundata sit: nec miracula illa in nostra tempora durare promissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit*, tom. 5. lib. de vera relig. Christ. c. 25. *quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit.*

XX. Deus fidelibus non solùm sua dona & Spiritum S. confert, sed etiam auget indies, & sæpius ingratis.

XXI. Miraculorum honor non hominum, sed Dei potentiæ adscribenda, Act. 3. v. 12.

XXII. Itaque detestanda est nobis Pontificiorum in Sanctorum cultu idololatria. v. 5.

XXIII. Abraham bonis operibus florens, sine iis tamen, per fidem justificatus est. Ergo sola fide justificamur.

XXIV. Hinc etiam liquet Pontificios errare, qui in hac Epistola ab Apostolo Paulo opera tantum infidelium à justificatione excludi volunt.

XXV. Veritatis & omnipotentiæ laus, abnegato judicio nostro, promissionibus divinis ad Abrami exemplum tribuenda est.

XXVI. Verus sanctorum cultus in imitatione fidei & charitatis consistit.

XXVII. Falsò Pontificii de Patribus glorientur cum eorum virtutes parcissimè, vitia verò studiosissimè imitentur. Eoque vitanda hæc Patrum κακοζηλία, v. 6. & 7.

XXVIII. Doctrinam de justificatione fidei non esse hominum, nec novam, sed Spiritus S. & antiquissimam, & Patriarchis notam.

XXIX. Hanc doctrinam esse Euangelium: eoque doctrinam de justificatione operum, quæ ei repugnat (qualis Pontificiorum) non esse Euangelium.

XXX. Hæc doctrina est catholica: quia ad omnes gentes pertinet, Matth. 28. v. 19. Eoque falluntur & fallunt Pontificii, qui secus docent.

XXXI. Una eademque est per fidem, salutis ante & post Christum ratio. v. 8. & 9.

XXXII. Cum nemo legem implere valeat: sequitur falsam esse Pontificiorum de meritis operum, falsissimam de operibus supererogationis sententiam.

XXXIII. Cum maledictus sit quisquis non permanserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis, errant Pontificii, cum venalia (quæ vocant) peccata, mortem non mereri statuunt.

XXXIV. Hinc

XXXIV. Hinc etiam liquet indignissime Dei iram ab iis contemni; qui peccati gravitatem elevant, iisque (ut passim fit) securè indormiunt.

XXXV. Cum peccati fructus sit maledictio: ut hac vacemus, illud fugiendum est sedulo, & fide ac pœnitentia diluendum, Roman. 6. 21. vers. 9. & 10.

XXXVI. Cum manifestum sit, nullum per legem justificari apud Deum; sequitur Pontificios, qui hoc non vident, cæci esse animi; aut si videant, malæ conscientiæ.

XXXVII. Cum de justificatione nostri agitur, non ad nostri, sed ad divini judicii trutinam res ponderanda. Cujus neglectu tam stolidè homines suis operibus gloriantur, Luc. 18. v. 11. 14.

XXXVIII. Fidei fructus & finis est vita æterna, 1. Pet. 1. v. 9. eoque constantes in ea nos esse decet adversus omnes Diaboli, mundi & carnis nostræ insultus, Heb. 10. 11. 12. v. 11. & 12.

XXXIX. Omnes natura maledictioni sumus obnoxii, Eph. 2. 3. eoque summa est hominis miseria, quæ sapientibus hujus mundi ignota penitus: licet partim de ea semper conquesti sint.

XL. Summa peccatorum nostrorum est atrocitas, cum non aliter quam Christi maledictione potuerint expiari.

XLI. Eoque peccatum fugiendum, cùm ratione stipendii illius: tum beneficii Christi erga nos, ne oblatum ingratissimè conculcemus, Rom. 6. v. 21. 22. 23. Heb. 6. v. 6. & 10. v. 29.

XLII. Cum Christus crucem & maledictionem pro nobis & ad nostram salutem sustinuerit: illius non pudere, sed de eo gloriari nos decet, 1. Cor. 1. vers. 18. v. 23. 24. & 2. 2.

XLIII. Cum Christus nos à maledictione legis liberarit, & benedictionem conferat: sequitur perfectum esse servatorem, in quo solo salutis nostræ fiducia collocanda est.

XLIV. Eoque falsa est Pontificiorum de humanis satisfactionibus & meritis sententia.

XLV. Cum Christus nos redemerit, Dominus noster non immeritò nominatur.

XLVI. Eoque non nostro, sed Christi vivendum arbitrio, temperanter, piè, Rom. 14. 8. 9. 10. 1. Cor. 6. 20. & 2. Cor. 5. vers. 15. Tit. 2. vers. 11. 12. & 1. Pet. 1. v. 17. 18. 19.

XLVII. Cum Christus benedictionem & Spiritum Sanctum donet, sequitur verum esse cum Patre Deum; ut rectè hinc collegit Cyrillus, de recta fide ad Reginas. v. 13. 14.

XLVIII. Cum doctrina gratuitæ salutis per Christum Abrahamo proposita sit 430. annos ante legem, sequitur eam non esse novam, ut Pontificii nobis objiciunt, sed antiquissimam.

XLIX. Cum Euangelii promissio lege Dei non possit abrogari, multo minus humanis traditionibus & commentis, ex quibus Pontificiorum doctrina conflata est: ut partium inductione ex historiis constat.

L. Testamentarii sunt qui operum suorum meritis nituntur, tum etiam qui Christi institutis aliquid addunt aut detrahunt.

LI. Itaque graviter peccant, qui de justificationis doctrina controversiam λογομαχίας insimulant.

LII. Admiranda est Dei misericordia, quod infirmitatis nostræ memor Euangelii doctrinam omnibus modis confirmarit.

LIII. Itaque facinus indignissimum est, fidem ei derogare, v. 15. 16. & 17.

LIV. Iustificatio coram Deo & vitæ æternæ hæreditas non possunt partim fidei, partim operibus tribui, quia hæc sibi mutuò repugnant: eoque falsa est Pontificiorum de justificatione operum sententia.

LV. Cum vita æterna sit hæreditas fidelium, sequitur eosdem esse filios Dei, Rom. 8. 17.

LVI. Cum hęc hęreditas summum sit bonum, ei postponenda sunt omnia.

LVII. Itaque gravissimè peccant, qui vitam, divitias, honores, commoda, voluptates huic præferunt.

LVIII. Gratiæ Deo agendæ quod nos singulari sua misericordiâ ad hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere in cœlis servatam vocarit, 1. Pet. 1. 3. v. 18.

LIX. Gravissima est hominum miseria, quod peccatis mancipati sunt: eoque gravior quod ea per se non agnoscatur: quæ ignorantia omnium superstitionum mater.

LX. Singularis verò Dei clementia, quod peccata nostra legis suæ normâ nobis patefaciat.

LXI. Angelos non esse qualitates (ut quidam somniarunt) sed spiritus, quibus Deus utitur ad suam gloriam & ecclesiæ salutem, Heb. 1. 14. & 2. 2.

LXII. Cum ne Angelorum quidem majestatem ferre possimus, quomodo ipsius Dei?

LXIII. Cum Christus sit mediator noster; sequitur ei fidendum.

LXIV. Cum Deus sit natura ac voluntate unus: nulla in eo inconstantia; eoque de promissis illius nequicquam dubitandum. v. 19. & 20.

LXV. Verbum Dei optimè sibi consentit.

LXVI. Quæ Dei gloriæ adversantur, ea nos abominari decet.

LXVII. Lex non potest vivificare; non suo, sed nostro vitio: quia eam servare non possumus, Roman. 8. v. 3. Itaque vanæ Marcionis cæterorumque Antinomorum calumniæ.

LXVIII. Legis conclusio & damnatio servire debet non ut de gratia Dei, sed de viribus nostris desperemus, & ad gratiam confugiamus. Quæ summa est consolatio. v. 21. & 22.

LXIX. Eadem est nostra & Patrum sub Vet. Testamento fides, si rem ipsam spectes: sed nostra illustrior ob Christi adventum & Euangelii claritatem, Joh. 8. v. 56. & 1. Petr. 1. v. 11.

LXX. Deus paternam Ecclesiæ curam gerit: eoque totos ab illius nutu pendere nos decet.

LXXI. Cum à ceremoniarum Mosaicarum Pœdagogia liberati sumus: sequitur Pontifices Christo & Ecclesiæ Dei injurios, dum non solùm bonam earum partem in usum revocant: sed novas etiam pro arbitrio copiosè adjiciunt. vers. 23. 24. 25.

LXXII. Summa est fidelibus consolatio & ad pietatem stimulus, quod cùm natura sint filii iræ: gratia Christi, filii sint & hæredes Dei, Rom. 8. vers. 17. & 1. Joh. 3. v. 1.

LXXIII. Sacramenta non sunt nuda & inania signa: sed communionis Christi sigilla & organa.

LXXIV. Cum soli fideles in Baptismo Christum reverà induant & percipiant: sequitur eosdem demum in Cœna (cujus cum Baptismo eadem ratio, 1. Corinth. 12. v. 12.) Christi esse participes. Quare falso Pontificii & Ubiquitarii secus statuunt.

LXXV. Cum omnes fideles sint membra Christi; sequitur eos pares inter se ratione conjunctionis mutuæ inter se, & communionis cum capite Christo; dispares verò ratione muneris & administrationis, Roman. 12. vers. 4. 1. Corinth. 12. v. 12. & 28.

LXXVI. Atque hæc paritas gratiæ superioribus fastum, subditis desperationem adimit: imparitas verò munerum, illis authoritatem addit; hisce reverentiam.

LXXVII. Itaque vana est illorum ratio, qui ex hujus loci & similium abusu, ἀταξίαν & munerum perturbationem in politiam & ecclesiam, contrà Dei verbum, invehere, student, Eph. 4. Rom. 12.

CAP. IV.

HActenus secunda: sequitur jam tertia & plenior ad legis usum & durationem illustrandum similitudo: qua lex Mosaica tutoribus & curatoribus artificiosè comparatur. Hæc autem similitudo (quæ imperitè à capitum authoribus à superioribus divulsa est) constat propositione

tione & redditione. Illa quidem verſ. 1. & 2. Cujus membra ſunt duo. Prius eſt de tutorum & curatorum uſu: quod hæredi infanti præficiantur, adeo ut nec ſui, nec ſuorum bonorum habeat poteſtatem; eoque ſervili ſit conditione.

Alterum de tutelæ duratione ac termino: quod ea non ſit perpetua, ſed ad tempus à patre præfinitum: hoc eſt quamdiu hæres minorennis eſt, ſeu (ut inquit Hieron.) donec legitimum perfecti viri tempus impleverit. Legitimum autem tempus Romanis legibus, viginti quinque annorum ſpatio terminatur. Hæc de ſimilitudinis propoſitione: Apodoſis verò ſeu redditio & (ut loquuntur) applicatio exprimitur v. 3. 4. 5. cujus membra propoſitioni quadrant. Primum de uſu legis verſ. 3. *Ita & nos quum eſſemus infantes*, &c. Sic autem vocat Metaphoricè & comparatè Eccleſiam Veteris Teſtamenti, quod fuerit inſtar infantum, non ætate; ſed cognitione Dei: quæ longè illuſtrior in Novi Teſtamenti Eccleſia refulget ob promiſſionum impletionem & euangelicæ doctrinæ claritatem, Matth. 11. v. 11. & 13. v. 17. 2. Corinth. 4. verſ. 18. & 1. Petr. 1. v. 10. 11. 12. Hebr. 1. v. 1. Atque id etiam *elementi* vox declarat, metaphora ex ſecunda ſimilitudine petita: quo pœdagogiam legis deſcribit. Fuit enim prima rudior ad fidem inſtitutio, veteri Eccleſiæ (quam *mundum* vocat Metonymicῶς, ut Johan. 3. v. 16. &c.) deſtinata. Quo ſenſu vox *elementi* uſurpatur, Hebr. 5. verſ. 12. & *elementa mundi* Coloſſ. 2. v. 8. 20. Servitus autem legalis erat ſita in onerofa ceremoniarum obſervatione, de qua Galat. 5. verſ. 1. & perpetua peccatorum (nondum redemptionis pretio perſoluto, etſi fructum illius perciperent) commemoratione, Hebr. 10. verſ. 3.

Verſ. IV. & V. Alterum redditionis membrum de duratione ac termino legis declaratur verſ. 4. & 5. cujus ſententia eſt; adventu & obedientia ac merito Chriſti, ex Patris noſtri cæleſtis præſcripto ac ductu finem tutelæ legis impoſitum. *Poſtquam*, inquit, *venit tempus plenum*, hoc eſt, præfinitum, ſeu ϖροθεσμία Dei de adventu Chriſti & liberatione à tutela legis. Hoc autem tempus non ſolùm à Deo conſtitutum eſt; ſed etiam per Prophetas prænuntiatum, 1. Pet. 1. v. 11. 12. Jerem. 31. v. 31. Hebr. 8. v. 8. Geneſ. 49. v. 10. Eſai. 11. v. 1. Daniel. 9. v. 25. Cui ad amuſſim eventus reſpondit, Marc. 1. 15. Luc. 2. verſ. 1. Epheſ. 1. verſ. 10. Addit deinde Apoſtolus *emiſit Deus* (nempe Pater: ut relatio oſtendit) *filium ſuum*, hoc eſt, naturalem ſeu proprium, & *unigenitum:* non adoptivum Johan. 3. v. 16. & 1. Johan. 4. v. 9. Rom. 8. v. 32. Emiſſio autem hæc, è cælo nimirum in terram, non indicat ſeparationem aut loci mutationem (quæ in infinitam Dei naturam non cadit) ſed declarationem præſentiæ: more Sac. Literarum, cum de Dei acceſſu ac deſcenſu loquuntur, Geneſ. 1. verſ. 7. Sic enim fuit Filius apud Deum, Johan. 1. verſ. 1. ut emiſſus à Deo hæſerit interim apud Deum, Joh. 1. v. 18. Sic è cælo miſſus eſt in mundum: ut antea tamen ſemper extiterit in mundo, & manſerit perpetuò in cœlo, Joan. 1. v. 10. 11. Johan. 3. verſ. 13. Modus autem emiſſionis Filii declaratur his verbis; *factum ex muliere*, hoc eſt, factum hominem, Johan. 1. v. 14. non mutatione naturæ divinæ in humanam (ut Apollinariſtæ, teſte Auguſtino de hæreſibus ſtatuerunt) quia mutari ea non poteſt Pſal. 102. v. 27. Hebr. 1. v. 11. ſed aſſumtione naturæ humanæ in unitatem perſonæ, Roman. 1. 3. Hebr. 2. v. 16. Materia autem unde homo factus ſit exprimitur his verbis; *ex muliere*. Qua voce non privationem virginitatis (inquit Auguſt.) ſed differentiam ſexus, Hebræo loquendi more, ſignificare voluit, ut Geneſ. 24. v. 5. Factus porrò eſt Chriſtus ſub lege ratione obedientiæ & maledictionis illius: cujus finis eſt liberatio à lege, & adoptio in libertatem filiorum Dei.

Verſ. VI. & VII. Hactenus tertia de uſu & abrogatione legis ſimilitudo: quæ porro confirmatur verſ. 6. & 7. idque per apoſtrophen ad Galatarum conſolationem, quemadmodum cap. 3. verſ. 26. Syllogiſmus; Qui habent ſpiritum Chriſti teſtantem in cordibus ſuis adoptionem, illi non ſunt ſervi legis, ſed adulti & liberi Dei filii. Vos Galatæ hunc ſpiritum habetis. Ergo non eſtis ſervi legis, ſed adulti & liberi Dei filii.

Propoſitio per ſe clara omittitur, de qua Actor. 10. verſ. 45. v. 47. Roman. 8. verſ. 12. Aſſumptio eſt verſ. 6. *Emiſit Deus*, &c. Loci ſimiles, Roman. 8. verſ. 15. & 2. Corinth. 1. verſ. 22. & 5. v. 5. Epheſ. 1. verſ. 13. & 4. verſ. 30. & 1. Johan. 3. verſ. 24. Emiſſio autem ſpiritus nihil aliud eſt quàm operatio per ſpiritum; qua illius præſentia indicatur. *Clamare* autem metaphoricῶς ϖαῤῥησίαν & fiduciam illam fidelium ſignificat, de qua 1. Ioh. 5. v. 14. Hebr. 4. v. 16. quod Spiritui Sancto tribuitur, quia illius illuſtratione & inſtinctu contingit. *Abba Pater*; prius Hebræum aut potius Chaldæum, emphaſeos gratiâ ponitur: alterum interpretationis, ut Marc. 14. v. 36. Denique vox *corda* diſtinguit invocationem ſinceram ab hypocritica, quæ fit ore tantùm.

Concluſio innuitur his verbis, *quoniam eſtis filii:* exprimitur verò mutatione numeri, verſ. 7. *Itaque non amplius es ſervus ſed filius*. Singulari autem numero utitur Apoſtolus, ut ad ſingulos fideles hæc pertinere doceat (ut Oecumenius) aut ut communionem ſanctorum exprimat, ut Hieronymus arbitratur. *Quod autem* (inquit) *hoc loco dicimus, in cæteris quoque obſervare debemus, de toto genere hominum ſingulari numero diſputari. Omnes enim credentes unum ſumus in Chriſto Ieſu, & membra corporis ejus, & in perfectum virum redacti, illum habemus caput*. Obſervandum autem filium hìc dici τοῦ ἐξοχὴν, quatenus infanti & ſervo opponitur. Porrò ex hac concluſione corollarium, ad Judæorum ſupercilium deprimendum, & doctrinam de juſtificatione fidei confirmandam deducitur; *Itaque ſi filius* (inquit) *etiam hæres Dei per Chriſtum*. Hæreditas autem hæc Metaphoricè eſt gloriæ cæleſtis communicatio, Matth. 25. verſ. 34. Roman. 8. verſ. 17. Hebr. 9. v. 15. 1. Pet. 1. verſ. 5.

Verſ. VIII. IX. X. Hactenus ſententiæ pſeudapoſtolorum de uſu & duratione legis elenchus: cui antequam finem imponat Apoſtolus, prudentiſſimè Galatarum epanorthoſin inde deductam interſerit, verſ. 8. ad 21. qua variis modis eos ad officium & Chriſtianam libertatem reducere ſatagit. Ac primùm objurgatione inſignem eorum ingratitudinem & amentiam exaggerat, v. 8. 9. 10. Syllogiſmus; Qui ad veri Dei cognitionem & Chriſtianam libertatem gratioſè vocati ſunt, illi indigniſſimè ad ſervitutem legis deficiunt. At vos Galatæ eſtis ejuſmodi. Ergo indigniſſimè ad ſervitutem legis deficitis. Propoſitionis loco ponitur illius amplificatio à minore, verſ. 8. Aſſumptio eſt prima parte verſ. 9. Concluſio verò reliqua, *quomodo convertitis vos*, &c. quæ exponitur ac confirmatur inductione exempli, verſ. 10. Singulis autem pene verbis ſuum ineſt pondus & incrementum. Aſſumptio autem triplicem Galatarum ſtatum, ethnicum, Chriſtianum, & ſemiJudaïcum ordine declarat, Prior eſt ignorantiæ Dei & ſervitutis idolorum: alter cognitionis ac libertatis: poſtremus ſervitutis legis. De priori ait; *imò tum quidem*, &c. Non naturâ autem Deos, vocat idola & deos gentium: qui non eſſentiâ tales ſunt, ſed nomine ſolùm, & opinione hominum. Similes loci ſunt 1. Cor. 8. v. 4. 5. & 12. 2. Eph. 2. verſ. 12. & 5. verſ. 8. De altero; *Nunc verò cum cognoſcatis Deum*; quod per correctionem ad gratiam Dei amplificandam illuſtrans, addit, *imò potius cogniti ſitis à Deo*; quo Metaphoricè & Metalepticè docetur donum eſſe merè gratuitum. Similis locus Roman. 10. v. 20. Epheſ. 2. v. 8. 1. Joh. 4. verſ. 10. Tertius ſtatus explicatur concluſione, quæ interrogatione figuratur, ad reprehenſionis gravitatem & admirandam rei indignitatem demonſtrandam; *Quomodo* (inquit) *convertitis vos ad infirma & egena elementa mundi*, &c. Legis ceremonias appellat elementa, ut verſ. 3. infirma verò & egena, quia nihil ad juſtitiam & ſalutem poſt Chriſtum conferunt; *quibus ad ſuperiora regreſſi, ſervire vultis? Dies obſervatis* &c.

Verſ. XI. Porro Galatarum ad Judaïſmum propenſionem amplificat Apoſtolus ab adjuncto ſalutis periculo, verſ. 11. *Metuo de vobis, ne fruſtra fatigatus ſim apud vos*. Fatigatus eſt autem cum ſedula promulgatione Euangelii: tum perſecutionis tolerantia, ut ſequentibus explicabit.

Horum

Horum autem laborum finis fuit duplex, proximus quidem salus Galatarum: summus verò Dei gloria. Hoc autem loco non absolutè utriusque, sed quodammodo & prioris ratione se frustra fatigatum ait. Qua de re Galat. 5. v. 4. Cùm verò dicit, *metuo* (inquit Chrysost.) & addit *ne forte*: simul & desperationem illis injecit, & in bonam spem erexit. Similis locus Galat. 3. vers. 4. 2. Corinth. 11. v. 3.

Vers. XII. XIII. XIV. XV. De objurgatione egimus: cui succedit exhortatio ad mutuam benevolentiam, vers. 12. quâ objurgationis acerbitatem mitigat, *Estote* (inquit) *quasi ego*: hoc est, me non secus ac vos ipsos amate. Similis phrasis 1. Reg. 22. v. 4. Hanc autem exhortationem amplificat pathetica precatione, *fratres* (inquit) *rogo vos*: & confirmat rationibus. Quarum prima est à præsenti benevolentia, cum non solùm fratres vocat: sed fraternum etiam pectus demonstrat à concordia & oblivione injuriæ. De priori ait, *Nam & ego quasi vos*: hoc est, non secus ac me ipsum vos amo. Oblivionem verò injuriæ demonstrat, cum nihil se ab illis accepisse injuriarum indicat: non absolutè quidem, sed comparatè & ratione veniæ. Nam & se gravius læserant, & Paulus sibi illatam injuriam piè condonarat. Altera ratio est à pristino & mutuo amore, cùm Pauli erga Galatas v. 13. tum Galatarum erga Paulum, v. 14. & 15. utrumque autem describit Apostolus ab effectis: ac suum quidem, quod Euangelium annuntiarit apud Galatas summo cum periculo & persecutionibus, quas *carnis infirmitatem* vocat: illorum vero; quod nec Pauli eos puduerit; nec ab eo periculorum metu deterriti sint, sed eum summo in pretio habuerint: id quod declaratur, primum effectis, quod exceperint: quod amplificatur à simili, *sicut angelum & Christum*. Similis locus 1. Thessal. 2. 13. Secundò verbis; quod se felicissimos prædicarint; nisi quis confirmationem velit 1. à judicio aliorum piorum (ut Oecumenius) 2. Pauli de utroque: quod summè amarint; quod proverbiali hyperbole illustrat, cum ait; *vos si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse*.

Vers. XVI. Tertia ratio ex superiori promanans continetur v. 16. Syllogismus; Qui veritatem docet, non debet propterea haberi odio: ego veritatem vos docui. Ergo non debeo propterea haberi odio. Veritatem autem docuisse ex superioribus liquet, quia Euangelium, quod verbum veritatis 2. Corinth. 6. 7. docuit v. 13. & crucis tolerantiâ obsignavit: Galatæ denique liquidò agnoverunt, v. 14. & 15.

Vers. XVII. XVIII. XIX. XX. Causam abalienationis quam à se removit Apostolus v. 16. in pseudapostolorum fraudem & ambitionem transfert, vers. 17. Idque eleganti metaphora à procis derivata: quorum alii bene ambiunt, qui sincerum habent & sanctum amorem: alii malè qui fucatum & sui commodi gratiâ. Illius modi fuit Paulus 2. Corinth. 11. v. 2. hujusmodi verò pseudapostoli, ut generatim proponit his verbis; *ambiunt vos non bene*; & speciatim à studio & scopo eorum exponit sequentibus: *sed excludere* (inquit) *vos volunt*, nempe à pristino erga me zelo; seu (ut glossa interlinearis) à dilectione mei: ut se ambiatis, nimirum subjiciendo vos servituti legis. Qua de re Galat. 6. v. 12. & 13. Huic autem adversariorum accusationi, subjungit reprehensionem, qua Galatas ad constantiam pristini erga se amoris revocat, v. 18. Quæ bene ambiendi duas statuit leges; priorem in objecto, ut bonum sit: alterum in adjuncto, ut semper duret. Quarum utramque Galatæ violarunt; illam quidem dum pseudapostolos ambiunt: hanc verò dum hac ratione à justo Pauli amore deficiunt: quod indicat his verbis; *& non solum dum præsens sum apud vos*.

De reprehensione diximus: cui pathetica exclamatio adjicitur, quâ dolorem suum ex Galatarum inconstantia conceptum exprimit, vers. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*, &c. Qua allegoria à matribus parturientibus ducta, & muneris sui dignitatem, & amoris præstantiam ob oculos depingit. Porro hunc locum concludit, vers. 20. epiphonemate, quo desiderium præsentiæ suæ apud Galatas, illiusque usum & causam indicat.

Vers. XXI. XXII. XXIII. Hactenus Galatarum correctio & ad Pauli amorem provocatio: sequitur deinceps ad elenchum regressio: qua demonstrat fideles post Christum à jugo legis Mosaïcæ liberatos, eoque Galatas non debere se ei subjicere. Ratio autem petita est à testimonio librorum Mosis; qui Synecdochicῶς concinna hoc loco antanaclasi *lex* dicitur: ut Roman. 3. vers. 21. Syllogismus; Quos lex immunes à servitute legis pronuntiat, illi se legi subjicere non debent. Galatas immunes à servitute legis lex pronuntiat: Ergo ei se subjicere non debent. Assumptio & conclusio communicationis figura illustrata continentur, vers. 21. Quorum declaratio subjicitur: ac primùm assumptionis ex testimonio Geneseos; quod proponitur vers. 22. & 23. exponitur verò sequentibus. De priori ait; *scriptum est enim* (nempe Genes. 16. & 21.) *Abraham duos habuisse filios*, Ismaëlem nimirum & Isaacum. Nam etsi post Saræ obitum quatuor habuerit ex Cethura, Genes. 25. v. 2. eos tamen præterit Apostolus; quia ab hoc mysterio alieni. Hi autem filii, etsi in patre conveniunt; differunt tamen matribus & earum circumstantiis; ac primùm conditione, quæ jure communi in liberos derivatur. Ismaëlis enim Agar: Isaaci Sara mater fuit. Illa serva & ancilla: hæc libera & domina, vers. 22. Deinde generationis modo; qui explicatur vers. 23. Ismaël enim natus est secundum carnem: hoc est (inquit Chrysost.) *naturæ ordinem & carnis vires*: Isaac verò secundum promissionem; hoc est, non naturæ, sed promissionis divinæ potentia, Genes. 17. v. 19. Hebr. 11. v. 11. Siquidem Sara bis (inquit Chrysost.) erat emortua, & propter ætatem & propter sterilitatem, Genes. 11. v. 30. & 18. v. 11. Roman. 4. v. 19. Atque hac ratione nimia illa difficultas (cujus Hieronymus meminit) expeditur. Etsi enim de Ismaële datæ promissiones sunt, Genes. 16. v. 10. 11. non tamen secundum promissionem conceptus, nec secundum promissionem solam aut potissimum natus est.

Vers. XXIV. XXV. XXVI. Hæc de proposito legis testimonio: superest illius expositio, quę deinceps declaratur. Ac primùm generatim vers. 24. *Quæ sunt allegorica*: seu figurata & typica: per catachresin, ut ritè observavit Chysostomus. Cum autem typi sint duplices, vel communes. 1. Corinth. 10. vel proprii & prophetici, Johan. 3. & 6. posterioris generis esse existimamus. Hæc de generali: specialis verò expositio subjicitur his verbis; *Nam hæ sunt duo fœdera*: hoc est, duorum fœderum typi, Metonymicῶς. Lex enim & Euangelium hac ratione adumbrantur: quod inductione partium confirmatur. Ac primùm de fœdere legali, vers. 24. & 25. de Euangelio verò v. 26. Ad sententiam quod attinet; *pene cunctorum* (inquit Hieronymus) *super hoc loco ista est explanatio, ut Agar ancillam, interpretemur in lege & in populo Iudæorum: Saram autem liberam, in Ecclesia quæ de gentibus congregata est, quæ mater sanctorum sit*. Sensus autem est, Agarem typum esse legis, quæ in monte Sina extra terram promissam data est, & servos, nimirum Judæos, maledictionis ac ceremoniarum producit: Saram verò esse typum Euangelii quod ex Sione & Hierosolyma cælesti prodiit, & libera filios liberos procreat. De Hierosolyma, quæ typus Ecclesiæ, quam Deus sanctificavit, & ubi Deus colitur, Apoc. 3. vers. 12. & 21. v. 2. Heb. 12. v. 22.

Vers. XXVII. Expositionem historiæ Saræ & Agaris Sac. Literis consentaneam demonstrat hoc loco Apostolus à testimonio Prophetæ Esaiæ 54. v. 1. Scopus autem illius est, Ecclesiæ Christianæ præstantiam & amplitudinem describere. Partes autem sunt duæ, consolatio & ratio illius. Consolatio Synonymῶς ad emphasin iteratur: in qua spectandum est subjectum & modus. Illud indicatur his verbis; *sterilis & desolata*. Sic autem vocatur cælestis Ecclesia Christiana: quod à Christi morte ante Pentecosten adeò esset abjecta, ut nulla amplificationis spes humanitus superesset. Modus consolationis est ad lætitiam provocatio. Cujus adfertur ratio à futuro statu & promissione admirabilis incrementi, vocatione gentium. Quod comparatè à minori illustrat Propheta his verbis; *quoniam*

plures

plures futuri sunt liberi desertæ; quam ejus quæ habet virum: hoc est, Saræ quam Agaris: Ecclesiæ Christianæ quàm Judaïcæ, quod illa ex omnibus gentibus conflanda, hæc verò ex una solum constaret. Hæc autem habere virum dicitur ob externum illum Dei cultum, ad quem vocata erat divinitus.

Vers. XXVIII. XXIX. XXX. De loco Esaiæ diximus: quem Galatis per apostrophen emphaticam accommodat Apostolus, v. 28. cum ait; *Nos autem fratres secundum Isaacum, promissionis filii sumus:* hoc est, nos Christiani ex Judæis & gentibus sumus filii Dei liberi, Isaaco adumbrati. Quemadmodum enim ille genitus est non vi naturæ sed promissionis divinæ: ita & nos regenerati & in Ecclesiam asciti vi promissionis illius, de qua apud Esaiam. Huic autem declarationi subjicitur anticipatio, quâ adversus crucis scandalum Galatas consolatur. Ac primùm ab exemplo Isaaci, v. 29. sensus autem loci est (ut observat Oecumenius) *Hoc vos non cruciet, quod fideles ab infidelibus Iudæis persecutionem patiamini: nam & hoc in typo fuit expressum.* Isaacum autem appellat genitum secundum spiritum, hoc est vi Spiritus divini. Sed quæritur qua ratione illum persecutus sit Ismaël, cum nusquam illius mentio? Respondetur Genes. 21. v. 10. Ismaël irrisisse dicitur: irrisio autem persecutio est non minima; præsertim cum fides promissionum divinarum habetur ludibrio: Cujusmodi irrisionem hanc fuisse non immerito censent doctiores, & ex ratione Saræ & confirmatione divina colligitur.

Atque hæc prior consolationis ratio: altera est ab eventu, v. 30. quod Ismaël ex domo Abrahæ & ab hæreditate ejectus fuit divinitus; quo typo rejectio Judæorum & salus Christianorum adumbratur. Cæterum, etsi Saræ voluntas prima fronte videatur inhumana, instinctu tamen divino fuisse motam ex Dei confirmatione liquet: eoque verba Saræ ascribuntur scripturæ, hoc est, Deo per scripturam loquenti.

CONSECTARIA CAP. IV.

I. Cum Israëlitæ fuerint hæredes: liquet eos idem nobiscum habuisse fœdus substantiâ, etsi diversum conditionis externæ circumstantiâ.

II. Deus opportunè promissiones suas exequitur. Itaque in iis nobis est omninò acquiescendum: temporisque opportunitas expectanda patienter, & cum advenit amplectenda.

III. Quoniam primus Christi adventus præfinito tempore contigit: de altero dubitare est nefas 2. Pet. 3.

IV. Cum filius Dei emissus sit, ut homo fieret: sequitur ante incarnationem extitisse; eoque errarunt Ebion, Paulus Samosatenus & Photinus, qui Christum ψιλὸν ἄνθρωπον nudum hominem docuerunt.

V. Quandoquidem Filius Dei factus est ex muliere sequitur errasse primum Valentinum & Marcionem, qui Filium Dei corpus è cælo attulisse, & per Mariam, non ex Maria; natum tradiderunt. Deinde Nestorium, qui (duas in Christo personas constituens) Mariam θεοτόκον Deiparam negavit. Nam si Filius Dei ex Maria factus & natus est, sequitur relationis vi, eam Filium Dei concepisse & peperisse, v. 1. 23. 4. & 5.

VI. Reliqua consectaria explicata sunt supra, c. 1. 4. & 3. 13.

VII. Blasphemi sunt in Spiritum S. Pontificii, qui πληροφορίαν fidei & certam fiduciam, temeritatis insimulant.

VIII. Invocatio vera est nota filiorum Dei.

IX. Insigne h. l. & superiori Trinitatis testimonium.

X. Vita æterna est hæreditas filiorum, & adoptionis nostræ fructus: eoque non est meritum nostrorum operum. v. 6. & 7.

XI. Unus est naturâ Deus: eique soli serviendum Matth. 4. 10.

XII. Itaque fugienda est Pontificiorum superstitio, qui sanctis cultum δουλείας, eaque fere omnia, quæ Ethnici suis Diis, attribuunt.

XIII. Quemadmodum peccati gravitatem minuit ignorantia: sic auget scientia, Genes. 20. 4. Actor. 3. 17. 1. Tim. 1. 13. Luc. 12. 47. 48. & 2. Pet. 2. 21.

XIV. Ignorantia Dei est idololatriæ parens.

XV. Vera Dei cognitio & fides merum Dei donum est: eoque nec industriæ nostræ, nec merito, sed soli Deo adscribenda, Matth. 11. 27. Eph. 2. 8. 1. Cor. 4. 7.

XVI. Nihil turpius ac periculosius quàm in stadio ac studio cognitionis ac cultus Dei regredi: nihilque contrà præstantius quàm constanter ad metam contendere.

XVII. Cum festorum Mosaïcorum religiosa observatio religioni Christianæ adversetur: multo magis superstitiosa festorum Pontificiorum copia: præsertim cum pleraque non Dei, sed hominum cultui, & religionis ac meriti gratiâ humanitus instituta sint.

XVIII. Eoque indigna etiam fuit diuturna veterum de Paschatis tempore contentio: vide Euseb. Eccles. histor. lib. 5. cap. 21. & 23. & de vita Constant. lib. 3. cap. 5.

XIX. Pastoris Euangelici munus est, de Ecclesiæ salute esse solicitum, eamque curare pro virili; nec ullis parcere laboribus.

XX. Cum Paulus metuerit, ne frustra apud Galatas fatigatus sit; quid de Pontificiis statuemus, quorum peccatum par est, imò longè gravius. v. 8. 9. 10. 11. Reliqua consectaria explicavimus, Gal. 3. 4.

XXI. Prudentis est pastoris authoritatem suam lenitate paterna temperare, & ad salutem auditorum tanquam scopum referre omnia, 1. Cor. 9. vers. 21. & 2. Tim. 4. vers. 2.

XXII. Inter pastorem & gregem mutuus requiritur consensus, 1. Thess. 5. v. 12.

XXIII. Christiani est injurias humaniter condonare.

XXIV. Omnes pii, præsertim pastores, persecutionibus obnoxii sunt, 2. Tim. 3. 12.

XXV. Persecutiones piorum sunt experimenta fidei: eoque patienter ferendæ, Iac. 1. 2. & 3. & 1. Pet. 1. 6. 7. & 4. 13. 14. Rom. 5. 3.

XXVI. Ministri Euangelii propter calamitates contemnendi non sunt: sed potius constantiæ & ministerii gratiâ, magno habendi in pretio, Luc. 10. 16. Phil. 2. 29. 1. Thess. 5. v. 12. 13. 1. Tim. 5. v. 17. Heb. 13. v. 7. & 17.

XXVII. Beneficiorum memores esse nos decet: injuriarum obliviosos.

XXVIII. Nihil est favore hominum inconstantius, Actor. 14. 11. 19. eoque soli Deo fidendum. Jer. 17. 5.

XXIX. Cum omnes homines ad lapsum proni sint, prudentia opus est & prece. Matth. 26. 51. & 1. Corinth. 10. 12.

XXX. Officium Doctorum est veritatem docere: auditorum vero eandem non odio, sed amore prosequi.

XXXI. Non tam regium est, quàm Christianum, malè audire, cum benefeceris.

XXXII. Curandum est nobis exemplo Pauli, ut nullam justi odii occasionem præbeamus. 1. Pet. 2. 19. 20. & hîc v. 12. 13. 14. 15. 16.

XXXIII. Hæreticorum hoc frequentissimum est stratagema, quod pios Ecclesiæ ministros in contemtum & odium adducere student, ut eo facilius per eorum latus veritatem confodiant.

XXXIV. Ut autem facilius incautos fallant, pii zeli speciem præ se ferunt, 2. Cor. 11. 13. 14. 15.

XXXV. Eoque non facile credendum: sed in iis dignoscendis & fugiendis adhibenda prudentia, 1. Joh. 4. 1. Matth. 7. 15.

XXXVI. Dignoscentur autem ex fructibus, falsâ doctrinâ & moribus perversis, cum nec gloriæ Dei, nec saluti Ecclesiæ, sed avaritiæ & ambitioni suæ studeant, Matth. 7. 16. Phil. 3. 18.

XXXVII. Ad pium zelum duo requiruntur potissimum, objecti bonitas, & in eo constantia, Mat. 10. 22.

XXXVIII. Fidelium Ecclesiæ Pastorum est materno amore salutem Ecclesiæ sitire ac procurare: nec

ſtantem ſolùm Eccleſiam firmare, ſed lapſam etiam pro virili erigere.

XXXIX. Summa eſt miniſterii dignitas, quod ſpiritualiter nos gignat ac pariat: non quidem tanquam cauſa principalis,(quod ſoli Deo convenit) ſed tanquam inſtrumentum, 1. Tim. 4. 16. & 1. Cor. 3. 5. 9. Eoque graviſſime Swenckfeldius erravit, qui externum miniſterium vilipendit.

XL. Fideles Eccleſiæ paſtores, patrum & matrum inſtar, reverentia & amore proſequendi ſunt.

XLI. Quemadmodum fœtus non uno momento, ſed paulatim formatur & in lucem editur: ita & nos regeneramur.

XLII. Itaque non eſt facile de fructu deſperandum: ſed quod ſatum eſt, irrigandum eſt patienter.

XLIII. Quemadmodum medicamenta pro ratione morborum & corporum variè temperanda ſunt: ita & inſtitutio Eccleſiæ.

XLIV. Sicut lupi paſtorum; ſic fidelium miniſtrorum abſentiam hæretici aucupantur, Actor. 20. 29.

XLV. Itaque ſi ſaluti Eccleſiæ conſultum velint, abeſſe oportet nunquam, aut minimum. verſ. 17. 18. 19. 20.

XLVI. Verbo Dei omnino obtemperandum eſt.

XLVII. Multi autem imprudenti illius zelo illud ipſum violant Rom. 10. 2.

XLVIII. Eoque ne impingamus, opus eſt diligenti illius examine, Joh. 5. 39.

XLIX. Deo nihil eſt difficile, Gen. 18. 14.

L. Itaque de promiſſionibus illius, quantumvis incredibiles videantur, non eſt dubitandum, Gen. 18. 13. 14. Rom. 4. 19. 20. Hebr. 11. 11. & v. 21. 22. 23.

LI. Quædam in Vet. Teſtamento per hiſtoriam myſterium aliquod adumbrare certum eſt.

LII. Quænam autem ea ſint, non ex noſtro hauriendum ingenio: ſed ex Prophetarum & Apoſtolorum interpretatione diſcendum.

LIII. Itaque graviter peccant qui rejecta interpretatione Spiritus S. myſterium agnoſcere nolunt: graviſſimè vero illi, qui Origenem ſecuti omnia ollegoricis interpretationibus detorquent.

LIV. Eccleſia Chriſti inſtar matris noſtræ, in pretio habenda eſt.

LV. Eccleſia autem Chriſti non eſt ſeceſſioni, loco, celebritati, multitudi aſtricta: ſed doctrinæ Euangelicæ. Itaque vani Pontificum tituli.

LVI. Cum Judæi, qui operibus legis ſalutem quærebant, fuerint ſervi, non filii Eccleſiæ: quid de Pontificiis ſtatuendum?

LVII. Interpretationes S. Literarum debent ex iiſdem hauriri.

LVIII. Gentium vocatio & Judæorum rejectio, non fortuitò, ſed Dei providentia contigerunt.

LIX. Eccleſiæ propagatio non hominum viribus, ſed divinæ potentiæ & gratiæ adſcribenda eſt. v. 27.

LX. Sanctorum exempla magno nobis debent eſſe ſolatio, cum paria ſuſtinemus, Matth. 5. 12. Pſal. 73. 15. Hebr. 12. 1.

LXI. Non à ſtatu præſenti Eccleſiæ; ſed à judicio Dei & ab eventu de felicitate illius judicandum eſt, Mal. 3. verſ. 16.

LXII. Perſecutio non ſolùm fit vi: ſed etiam linguâ: eaque nonnunquam priore gravior, Pſal. 42. 11.

LXIII. Summa fidelium conſolatio eſt quod tandem ab hoſtibus ſuis omnino liberabuntur, & hæreditate perfruentur cœleſti, Pſal. 73. 17. & 2. Theſſ. 1. 6. 7. Heb. 11. 35. v. 28. 29. 30.

CAP. V.

VErſ. XXXI. & cap. V. v. I. Hactenus de allegoria: cujus Scopus ſubjicitur cum ſumma ſuperioris argumenti, de quo actum eſt v. 21. Syllogiſmus; Qui non ſunt filii ancillæ, ſed liberæ, illi debent ſtare in libertate, & non regredientes jugo ſervitutis implicari. Vos Galatæ cum reliquis fidelibus eſtis ejuſmodi. Ergo debetis ſtare in libertate &c. Aſſumptio eſt verſ. 31. Concluſio vero continetur, cap. 5. 1. Legem autem vocat jugum ſervitutis, ratione ceremoniarum & maledictionis: ut Acto. 15. 10. Quibus contraria ſtatuitur libertas. Cœterum huic concluſioni novum argumentum, amplificationis gratiâ inſeritur, à cauſa efficiente libertatis, ſeu à beneficio Chriſti; Quos Chriſtus liberavit à jugo ſervitutis, illi debent in ea libertate perſtare. Vos Galatas cum reliquis fidelibus Chriſtus liberavit à jugo ſervitutis. Ergo in ea libertare debetis perſtare. Similis locus eſt Galat. 3. v. 10. & 4. 4.

Verſ. II. III. IV. Poſtquam Galatas à ſervitute legis dehortatus eſt Apoſtolus: tranſit jam declarationis ergò à theſi ad hypotheſin, à totâ lege ad circumciſionem: quia hanc potiſſimum (tanquam legis initiationem) quaſi ad ſalutem neceſſariam urgebant adverſarii, Act. 15. v. 1. & 5. Argumentum eſt ab effectu ſeu damno quod inde promanat; Syllogiſmus; Quod Chriſtum vobis ô Galatæ redderet inutilem ab eo eſt abſtinendum: circumciſio veſtri vobis Chriſtum redderet inutilem. Ergo ab ea eſt abſtinendum. Similis locus Galat. 2. 21. Obſervandum eſt autem, Paulum hîc & ſequentibus loqui de circumciſione Novi Teſtamenti, & ex ſententia adverſariorum qui in ea (ut monuimus) cultum Dei neceſſarium ad juſtificationem ſtatuebant Actor. 15. 1. Galat. 2. 4. & 5. 4. Hanc autem rationem Paulus emphatica præfatione munit (τῇ ἀξιοπιστίᾳ τοῦ ὀνόματος ἀντὶ πάσης ἀποδείξεως ἐχρήσατο, ut Chryſoſt. apud Oecum.) *ecce ego Paulus dico vobis*: hoc eſt, adverſarii vobis perſuadere conantur, niſi circumcidamini, Chriſtum vobis non profuturum; ego verò pro authoritate apoſtolica contrarium denuntio, ſi circumcidamini, Chriſtum vobis non profuturum.

Porro aſſumptionem hujus ſyllogiſmi confirmat Apoſtolus, primùm à circumciſionis adjuncto, idque traducta hypotheſi ad theſin, v. 3. Syllogiſmus; Qui debitor eſt totius legis ſervandæ, illi Chriſtus nihil profuturus eſt. Omnis homo qui circumciditur (opinione cultus & juſtificationis) debitor eſt totius legis ſervandæ, Galat. 3. 10. Ergo illi qui circumciditur, Chriſtus nihil profuturus eſt. Concluſio præceſſit: Aſſumptio eſt hoc loco: ex quibus propoſitio colligitur. Deinde prioris Syllogiſmi aſſumptio repetitur & explicatur, v. 4.

Verſ. V. & VI. Superioribus nova contra circumciſionem & legis juſtificationem adjectionem ratio, v. 5. à divino Eccleſiæ conſenſu: *Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.* Syllogiſmus; ſi Eccleſia juſtificationem & ſalutem ex fide expectat ſpiritus inſtinctu: ſequitur illos qui ex lege juſtificari ſtudent, inanes factos à Chriſto; quia nimirum ſpiritui Chriſti repugnant. At verò Eccleſia juſtificationem, &c. Ergo illi qui ex lege juſtificari ſtudent, inanes facti ſunt à Chriſto. Concluſio anteceſſit v. 2. & 4. Aſſumptio eſt v. 5. In qua obſervandum vocem ἡμεῖς aut ad Paulum ſolum referendum: aut ſimul ad fratres, qui cum Paulo Gal. 1. 2. & divinum Eccleſiæ apoſtolicæ conſenſum; de quo Galat. 2. 16. Quod exiſtimo accommodatius, ob mutatum numerum, quem alias retinuiſſet, ex v. 2. ut v. 10. & 11. *Spiritus* nomine Spiritum S. intelligit. Spem juſtitiæ vocat aut per hypallagen Hebræam (cujuſmodi antea habuimus) juſtitiam ſperatam: aut ſalutem æternam μετωνυμικῶς proſperata juſtitiæ corona, Coloſſ. 1. 5. Alterutrum ſtatuamus, parum refert.

Porro rationem adducit Paulus, cur ex fide ſalutem quærant fideles, non autem ex circumciſione, verſ. 6. quia ſola fides ad ſalutem valet: circumciſio autem inutilis. Obſervandum eſt autem Apoſtolum quæ de circumciſione dicit, illuſtrare à pari: docens, præputium æquè inutile eſſe: ne gentes ſeſe efferrent. Fidem autem deſcribit ab effectu, charitate nimirum: ut hac ratione ab hypocritica & mortua fide diſtinguat, & ad charitatem,

de quâ

de quâ paulò post acturus est, fideles exstimulet.

Verſ. VII. VIII. IX. Superiori doctrinæ subjicitur Galatarum objurgatio: quâ turpem illorum defectionem esse docet. Syllogismus; Qui bene currebant, illi graviter peccant, quod veritati non obtemperant. Vos Galatæ bene currebatis. Ergo peccatis graviter, quod veritati non obtemperetis. Conclusio interrogationis & admirationis schemate ad rei indignitatem declarandam exornatur: & ad reprehensionis acerbitatem mitigandam, culpam refert in alios? *Quis*, inquit, *impedit vos*? Assumptio est; *currebatis pulchrè*. Sic autem metaphorâ à stadio deductâ, fidem Galatarum & serium veritatis studium depingit Apostolus: de quo plura Galat. 3. verſ. 1. 4. & 4. 14. 15. 18. Porro authorem hujus defectionis describit per aphæresin, seu remotione causæ alienæ, verſ. 8. *Hæc persuasio*, nimirum ut veritati à me propositæ non obtemperaretis, *non est ex eo qui vocat vos*: hoc est, à Deo. Hac enim periphrasi & Deum describit, & argumentum adfert, cur persuasio illa non sit à Deo, quia eos jam antea ad veritatem vocavit, Galat. 1. 6. & 3. 5. & iterum vocat. Deus autem sibi non est contrarius.

Huic porro descriptioni subjicit Apostolus anticipationem: qua docet proverbio allegorico, cujus etiam meminit, 1. Corinth. 5. 6. hanc pseudapostolorum doctrinam, etsi parvi momenti esse videatur, maximum tamen inferre damnum: *paulum fermenti totam massam fermentat*. Fermento enim falsa doctrina comparatur, quemadmodum Matth. 16. 12. ratione effectus similis, ut enim fermentum massæ acorem inducit, eamque, exiguum licet, totam permovet: ita & falsa doctrina & mala exempla doctrinæ puritatem in Ecclesia adulterant, eamque perturbant penitus.

Verſ. X. Præcedentem objurgationem temperat Apostolus declaratione amoris sui, quem describit ab effectu, nimirum spe sua de Galatarum in viam reditu; verſ. 10. *Ego*, inquit, *confido de vobis quod nihil aliud sensuri sitis*: scilicet quam veritatem. Hanc autem spem à causa efficiente illustrat, cum ait; *in Domino*: Nam præclari illius cursus (cujus supra meminit) alacritatem, Galatis, ministerio Pauli, indiderat Deus: unde spem concepit fore ut quod Deus benignè in illis cæperat, pro solita clementia perficeret. Atque hac ratione spem gratiæ divinæ Galatis facit: quam illustrat à contraria minatione exitii illius hominis, qui Galatas à recto cursu inhibuerat. Similis locus Philip. 3. v. 19. *Sed* (inquit) *qui turbat, vos portabit judicium*: hoc est, judicatam condemnationem, Metonymia Synecdochica, *quisquis fuerit*: hoc est, quibuscunque tandem titulis sese ornaverit, Actor. 15. 1. 24. Galat. 1. 8. Exitium autem minatur Ecclesiæ perturbatori, quia ea est templum Dei & sponsa Christi; cujus violatio summum sacrilegium. 1. Cor. 3. 17.

Verſ. XI. XII. Hæc de spe Apostoli Pauli, quam de Galatis conceperat, & minatio exitii turbatorum Ecclesiæ: sequitur denique hoc loco anticipatio & imprecatio. Illa continetur v. 11. constatque objectione & responsione. Objectio est hujusmodi; Qui adhuc circumcisionem prædicat, ille injuriâ in aliis acerrimè reprehendit. Huic objectioni respondet Apostolus negatione assumptionis. Non enim prædicabat circumcisionem, hoc est, non docebat eam esse omnibus necessariam ad cultum Dei & justificationem, quemadmodum pseudapostoli: sed illam interdum in Judæis, non Gentilibus ferebat, ut rem mediam & liberam ædificationis gratiâ. Qua ratione circumcidit Timotheum. Negationem porro assumptionis probat ab adjuncta persecutione; Si circumcisionem prædicarem, non paterer, scilicet à Judæis persecutionem: At patior: Ergo circumcisionem non prædico. Propositionis loco subjicitur illius probatio, ab occasione persecutionis, cum ait; *abolitum est offendiculum crucis*: id est, Euangelium Monymicos: ut Galat. 6. 12. quia est sermo crucis Christi, 1. Corint. 1. v. 18. seu de Christo crucifixo & illius efficaciâ, quòd nos liberavit à lege & omnibus gentibus salutem peperit. Quæ doctrina scandalum Judæis, 1. Cor. 1. 23. & 1. Thessal. 2. 14. Hæc enim duo, legis abrogatio, & gentium sine ea vocatio, occasionem persecutioni dederunt: ut ex Actis constat. Hæc de anticipatione.

Imprecatio verò proponitur verſ. 12. *utinam* (inquit) *abscindantur qui vos inquietant*. Hanc autem abscissionem alii mitius de excommunicatione à consortio Ecclesiæ: alii gravius de exterminatione à Deo interpretantur: Cujusmodi imprecatio extat, 2. Timoth. 4. verſ. 14. Utraque sententia probabilis: sed prior videtur accommodatior, partim quia exterminationem turbatoribus jam antea denuntiavit; partim quia ad paronomasiam præsentem magis quadrat: ut cum Galatas studeant circumcidere, Galatæ contra hosce à sua Ecclesia abscinderent.

Verſ. XIII. XIV. XV. Hactenus prima πραγματείας tractationis hujus epistolæ pars, quæ in apologia doctrinæ Pauli versatur: sequitur deinceps, à verſ. 13. altera scilicet parænetica, seu ad vitam Christianam adhortatio: Quæ transitione insigni apologiæ connectitur. Probat enim dignos esse turbatores qui abscindantur, quia Galatas, ad libertatem divinitus vocatos, in servitutem pertrahere studebant. Cœterùm quia hac doctrina ad vitæ licentiam abuti potuissent Galatæ, per anticipationem ad libertatis Christianæ usum & vitæ institutionem transit Apostolus. Ac primum per anairesin; *tantum ne libertatem arripite in occasionem carni*: hoc est veteri homini & vitiosæ naturæ. Similis locus, Rom. 6. 15. 16 & 1. Petr. 2. 16. sensus est, libertatem quâ à lege liberi sumus, non esse absolutam; sed duntaxat à maledictione & ceremoniis legis; non autem ratione pietatis & charitatis quam præcipit: quemadmodum liquet ex thesi; *sed* (inquit) *ex charitate servite alii aliis*. Hæc enim servitus vera demum est libertas, cum à peccati maledictione & dominio liberati, Deo & justitiæ servimus. Rom. 6. 18.

Hanc porro ad charitatem exhortationem confirmat Apostolus duabus rationibus. Prima est v. 14. Summæ legis est studendum. Dilectio proximi summa legis est. Ergo ei studendum. *Legis* nomine decalogi secundam tabulam intelligit, Synecdochicos. Similis locus Rom. 13. 8. 9. 10. & Mat. 7. 12. & 22. 39. 40. Proximus autem quis sit declaratur, Luc. 10. 30. &c. Altera ratio est à remotione contrarii: quod ab effectu & damno quod adfert, demonstrat; Quod ad mutuam cùm vitæ hujus tum æternæ perniciem pertinet, illud est vitandum: odium mutuum pertinet eo. Ergo vitandum. Assumptio describitur & illustratur simili à feris animantibus, quæ se mutuo mordent & consumunt. Per morsum autem invidiam & calumnias: per devorationem verò rapinas & graviores injurias intelligit Apostolus.

Verſ. XVI. XVII. XVIII. Quæ de libertatis Christianę usu proposuit, v. 13. & sequentibus: ea jam plenius definit & illustrat, v. 16. nempe eum esse rectum Christianæ libertatis usum, ut spiritus, hoc est novi hominis ductum sequamur: carni verò & veteri homini repugnemus. Observandum autem est *spiritus* & *carnis* nomine non corpus & animam: nec etiam rationem & appetitum: multo minus sensum spiritualem Scripturæ: & literalem nec denique spirituales homines & carnales intelligi, sed novum & veterem hominem; de quibus Eph 4. 22. 23. 24. Assumptionem autem ab effecto carnis amplificat, nimirum quod impediat quominus quæcunque volumus bona secundum spiritum, eadem faciamus. Qua de re uberrimè, Rom. 7. Huic autem rationi per anticipationem quandam, consolationem subjicit Apostolus. Objici enim poterat; si igitur præstare non possumus bona, quæ volumus, sumus sub lege. Imò (inquit Apostolus) etiamsi non possitis omnia præstare, modo spiritus ductu vitam institueritis, ut caro non imperet, non estis sub lege, condemnationis nimirum ratione. Similis locus Rom. 8. 1.

Verſ. XIX. XX. XXI. Hactenus ad vitam secundum spiritum ducendam & carnis fugam adhortatio & confirmatio. Porro ne quis ignorantiam possit prætexere: aut secus quam par est acciperet, attexitur illustratio, qua caro & spiritus, ordine ab effectis eorumque adjunctis describuntur. Caro quidem v. 19. 20. & 21. Cujus effecta

nominantur promiscuè septendecim. Quorum hæreses & veneficium contra primum & sextum; idolatria contra secundum: inimicitiæ, æmulationes, excandescentiæ, dissensiones, invidiæ, cædes, contra sextum: lites & irritationes etiam contra nonum: reliqua contra septimum decalogi præceptum pugnant. Verùm cum plura sint carnalium operum genera, ea generatim describit cum ait, *& his similia*. Horum autem operum adjunctum est vitæ æternæ jactura. Similis locus 1. Cor. 6. v. 9 Ephes. 5. v. 5. Rom. 6. v. 16. & 21. Cœterum hæc comminatio amplificatur asseveratione, cum ait; *quæ prædico vobis, sicut etiam prædixi:* ut hac ratione adversus perversa mundi judicia præmuniret, ut Ephes. 5. 6. Porro hæc comminatio non est absoluta: sed conditionalis, nisi resipuerint Ezechiel. 18. vers. 23. v. 32. & 33. 11. Marc. 2. vers. 17. Quod exemplis Davidis, Manassis, Petri, latronis, & aliorum probatur.

Vers. XXII. & XXIII. Hæc de carnis operibus: quibus ex adverso subjiciuntur fructus spiritus, & eorum adjunctum. Fructus autem novem tantùm nominantur, ex quibus reliqui facilè colliguntur. Primus autem fructus statuitur *Charitas*, quæ reliquarum radix, & per omnia decalogi præcepta diffusa est. Charitas autem est spiritus fructus, quo Deus diligitur propter se, & homines propter Deum. Itaque duplex est charitas, Dei, aut hominum. Charitas Dei est, qua tanquam summum bonum summè complectimur, eique placere in omnibus studemus. Charitas hominum est, qua eorum salutem, & omnia quæ eò pertinent, seriò, ad gloriam Dei desideramus. Estque duplex, nostri aut proximi. Hæc de Charitate: cui tanquam surculi, reliqui spiritus fructus adjiciuntur. Secundus est *gaudium*: quod est animi affectus, ex charitate ortus, quo bono alicujus nos oblectamur Estque vel propter Deum, cum illius gloria, & iis quæ eo spectant delectamur; de quo 1. Cor. 13. vers. 6. cui opponitur gaudium peccati: vel propter nos; quod est oblectatio animi ex conscientia amoris Dei erga nos, & commodis inde promanantibus; de quo Luc. 10. v. 20. Roman 5. v. 3. vel propter proximum ex cognitione commodorum & salutis illius, de quo 1. Cor. 13. 6. Roman. 12. v. 15. & opponitur æmulationi, invidiæ & ἐπιχαιρεκακίᾳ. Atque hæc virtus maxima, ut monet Chrysostom. Nam multi flent quidem cum flentibus; cum gaudentibus autem non etiam gaudent, sed gaudentibus aliis ipsi lugent: quod est livor & invidia. tom. 5. ad popul. Antioc. hom. 53. Tertius fructus est *Pax*: quæ est aut cum Deo, aut cum hominibus. Illa est qua Deus propter Christum fide perceptum, nobis est propitius. Rom 5. v. 1. Hæc verò est, aut cum conscientia nostra: quæ est tranquillitas conscientię ex fide pacis cum Deo: aut cum proximo; quę est in bono & ad bonum cum aliis tranquillitas: de qua hoc loco & Rom. 12. vers. 18. Cui opponuntur inimicitię, diffidia, lites & irritationes. Quartus fructus est *lenitas*: qua ex charitate injuriarum patientes, & ad iram tardi sumus: ut Græci nominis ratio demonstrat. Cui opponuntur excandescentiæ. Quintus est *χρηςότης benignitas*; quæ est humanitas, quâ alteri libenter sumus usui: Sextus est *bonitas*, animi ad optima quæque propensio. Septimus est *fides*, ea autem non quæ in Christum, sed quæ inter homines, intelligitur; seu fidelitas, quæ est dictorum conventorumque constantia; quæ veritatis & justitiæ fundamentum. Octavus est *mansuetudo*: quæ est animi & morum facilitas: seu lenitas comitati, & affabilitati juncta. Cui opponitur vindictæ studium, ferocitas & morositas. Nonus est *temperantia*: quæ est voluptatum corporis moderatio. Cui opponuntur adulteria, scortatio, impuritas, ebrietas, commessationes. Atque hi sunt fructus spiritus & fidelibus proprii.

Etsi enim hisce virtutibus excelluisse complures Ethnicorum videantur, ut impurus Julianus Christianis objecit: tamen non virtutes, sed earum tantum umbræ fuerunt. Differunt enim inter se tribus potissimum modis. Primum efficiente: Nam fidelium virtutes promanant ex fide (sine qua Deo placere non possumus) & spiritu seu animo regenerato: gentilium ex luce reliqua naturæ & ope spiritus, non regenerantis, sed reprimentis malitiam animi ad bonum Reipublicæ. Deinde forma. Nam illorum congruunt legi Dei, quia opera sunt Spiritus S. & defectus qui à nobis accedunt, Christi gratia teguntur 1. Pet. 2. 5. Heb. 13. v. 21. Ethnicorum verò hac destituuntur. Postremò, fine. Gentilium opera ad gloriam aut commodum proprium potissimum referuntur: piorum ad gloriam Dei & obedientiam ei præstandam. Itaque cum infideles sint malæ arbores, pulchros fructus proferre possunt, bonos non possunt. Cujusmodi poma Sodomorum, de quibus Tacitus lib. 5. histor. Hæc de fructibus spiritus: quorum adjunctum declaratur, v. 23 *adversus* (inquit) *ejusmodi non est lex*: hoc est, qui ductum spiritus sequuntur, & adversus carnem luctantur, etiamsi legi perfectè non satisfaciant, tamen ab illius maledictione liberi sunt: ut ex antitheto v. 21. liquet. Similis locus supra vers. 18. Rom. 8. v. 1. & 1. Tim. 1. v. 9.

Vers. XXIV. XXV. XXVI. Postquam carnem & spiritum ab operibus & adjunctis declaravit Apostolus; subjicit primum consectarium, Christianos non esse sub lege. Syllogismus; Adversus eos qui secundum spiritum vivunt, non est lex: Christiani secundum spiritum vivunt. Ergo adversus eos non est lex. Propositio est vers. 23. Assumptio per remotionem contrarii est vers. 24. *Crucifigere* enim *carnem cum affectibus & concupiscentiis* est vitiosos corruptæ naturæ affectus Spiritus S. gratiâ reprimere. Qua de re Eph. 4 v. 22. Col. 3. v. 2. Huic consectario annectitur hortatio generalis, ad vitam spiritualem ducendam, v. 25, quæ inductione specialium ad usum Galatarum illustratur. Prima autem specialis hortatio est ad fugam ambitionis & illius fructuum, irritationis & invidiæ v. 26. de quibus jam antea egimus.

CONSECTARIA. CAP. V.

I. CUm Christiani liberati sint à ceremoniis legalibus, multo magis à Pontificiis.

II. Qui justificationem aut omninò, aut partim ceremoniis ascribunt, illi Christum sibi reddunt inutilem.

III. Itaque assertio libertatis Christianæ, non est contentio de lana caprina, (ut vulgus judicat) sed omninò necessaria.

IV. Beneficia divina non sunt abjicienda, v. 1. 2. 3. 4.

V. Consensus Ecclesiæ orthodoxus magnifaciendus est.

VI. Orthodoxus autem est, qui est ex Spiritus Sancti afflatu singulari, vel doctrina communi in Sacris Literis.

VII. Nos partim re, partim spe salvi sumus, Rom. 8. vers. 24.

VIII. Etsi Charitas non justificet: fides tamen quæ justificat, sine charitate non est.

IX. Eoque qui impietati dant operam, veri fideles non sunt, licet de fide sua glorientur. Jacob. 2.

X. Charitas est effectum fidei: Ergo non est illius forma, ut Pontificii statuunt, v. 5. 6.

XI. Ad cœlestis vitæ metam, obedientia fidei currendum.

XII. Multa autem in hoc cursu sunt obstacula: carnis infirmitas; Diaboli insidiæ; mala mundi exempla & persecutio; denique falsa hypocritarum doctrina.

XIII. Hisce autem non pauci à recto cursu inhibentur.

XIV. Piorum autem est fidei constantia & S. Literarum subsidio in cœpto progredi.

XV. Opinio de justificatione operum est veritati adversa, & à Deo aliena.

XVI. Omnis religio quæ à Deo non prodiit, falsa & explodenda.

XVII. Errores prima fronte leves, reipsa gravissimi sunt: eoque mature occurrendum & veritatis sinceritas conservanda.

XVIII. Objurgationes non ex hominum, sed vitiorum odio proficisci decet.

XIX. Eoque amoris significatione temperandæ sunt.

XX. Amo-

XX. Amoris autem est de lapsis benè sperare, 1. Cor. 13. v. 7. Eoque graviter à Novatianis hac in re peccatur, & iis qui zelo imprudentiori ensem & cauterium curabili adhuc morbo adhibent.

XXI. Spes autem niti debet non hominum viribus, sed potissimum Dei gratia, 1. Corint. 3. vers. 5. 7. Philip. 2. v. 13.

XXII. Nunquam defuerunt Ecclesiæ turbatores: itaque offendi hac re & in officio segnescere nos minimè decet.

XXIII. Cum autem judicium Dei, turbatoribus Ecclesiarum immineat, necesse est ut omnibus modis Ecclesiæ tranquillitati studeamus.

XXIV. Pii Euangelii ministri calumniis præter meritum sæpissimè gravantur.

XXV. Itaque non facile iis quæ adversus eos dicuntur, habenda est fides.

XXVI. Summa piis adversus calumnias consolatio est conscientiæ testimonium & rei ipsius.

XXVII. Cavendum est autem ne justam doctrinam in dubium vocandi detur occasio.

XXVIII. Ab iis qui puritatem doctrinæ vitiant, abhorrere nos decet, v. 11. 12.

XXIX. Non Euangelii, sed hominum vitio fit, ut ejus doctrina ad peccandi licentiam traducatur. Jac. 2. Jud. 4.

XXX. Detestanda est libertinorum in pietatis & religionis contemtu, sub prætextu libertatis Christianæ, audacia.

XXXI. Omnes mortales sibi mutuo devincti sunt: sed certi sunt tamen servitutis modi pro cujusque vocationis ratione.

XXXII. Singularis est Dei benignitas, quod præcepta sua clarè & breviter nobis proposuerit.

XXXIII. Ab insectatione & injuria mutua abstinendum. v. 13. 14. 15.

XXXIV. Perpetua est carnis & spiritus lucta in fidelibus. Ergo non possumus perfectè implere legem Dei.

XXXV. Hominis, Christiani potissimum, vita perpetua militia est.

XXXVI. Eoque cum certamen internum habeamus, opus est vigilantiâ, fide, precibus. *Qui enim de seipso præsumit* (ut Augustin.) *ante prosternitur, quam pugnet.*

XXXVII. Ea demum est vera Christianorum libertas, parere Spiritui.

XXXVIII. Qui autem ei non parent, illi frustra de liberatione à maledictione legis gloriantur, vers. 16. 17. 18.

XXXIX. Sermo Dei nos non seducit: qui nec tacet, nec parcit, nec ullâ adulteratione nos decipit. Aug. apud Bedam.

XL. Si qui secundum carnem vivunt, non hæreditabunt regnum cæleste, supplicia damnatorum non sunt finita; ut Origenes somniavit & alii: de quibus apud Bedam.

XLI. Falsa est Pontificiorum sententia, qui septem tantum peccata mortalia statuunt, v. 19. 20. 21.

XLII. Cum carne constemus & spiritu, necesse est, ut utriusque opera prudenter probemus ac discernamus.

XLIII. Probationis autem norma unica est ac certissima decalogus; qui imaginem illam ad quam creati & regenerati sumus, depingit accuratissimè.

XLIV. Opera itaque carnis ea sunt quæ repugnant legi Dei: Spiritus verò fructus sunt, qui ei consentiunt, Rom. 8. v. 7. & 1. Joh. 3. v. 4. 9. 10.

XLV. Itaque gravis est Enthusiastarum error, qui quidquid vehementius in animum suum inciderit, Spiritus Sancti fructum interpretantur.

XLVI. Cum carnis operum stipendium sit hæreditatis cælestis jactura: contra verò cum fructuum spiritus comes sit liberatio à lege: illa fugienda, his verò studendum est sedulò, Roman. 6. v. 21. 22. 23.

XLVII. Qui vitiis dediti sunt, falsò se Christianos jactant.

XLVIII. Quemadmodum de fructibus ex arbore; de vita ex motu: sic de spiritu Christi ex actionibus illius judicandum, v. 24. 25. 26.

CAP. VI.

v. 1. DE prima speciali ad vitam spiritualem hortatione diximus: sequitur altera cap. 6. vers. 1. de correctione fraterna. Cujus observandum subjectum, efficiens, modus. Subjectum est homo præoccupatus in aliquo lapsu: hoc est, qui ex infirmitate humana & Diaboli insidiis, in peccatum aliquod prolapsus fuerit. Efficiens sunt spirituales: sic autem vocat eos comparatè qui spiritus ductum præ cæteris sequuntur. Modus est spiritus mansuetudinis: hoc est mansuetudo, quæ donum spiritus est, ut Oecumenius interpretatur per hypallagen Hebræam: aut animo mansueto, ut aliis placet. Opponitur virgæ, id est, severitati 1. Corinth. 4. vers. 21. Hunc autem modum confirmat à pari; *considerans temetipsum, ne & tu tenteris.* Syllogismus; Qui tentationibus sunt obnoxii, illi erga lapsos debent esse faciles. Vos spirituales estis ejusmodi. Ergo debetis esse faciles erga lapsos. *Nihil* enim (inquit August.) *ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio.* Similis locus 1. Corinth. 10. vers. 12. *Qui stat, videat ne cadat.*

Vers. II. III. Hortationi de correctione fraterna succedit admonitio ad mutuam tolerantiam, vers. 2. *Alii* (inquit) *aliorum onera portate.* Onera autem vocat metaphoricè peccata; quia conscientiæ tranquillitatem turbando, & iram Dei provocando animum gravant, Psal. 38. Matth. 11. vers. 21. Peccata autem aliorum portantur tribus modis: primùm Christiano dolore & συμπαθείᾳ ob Deum offensum: deinde intercessione seu precatione veniæ divinæ; denique condonatione offensæ. Hinc rectè August. apud Bedam; *si autem displicuerit tibi, & oraveris pro eo, & deprecatus veniam dederis, ut possis liberâ fronte dicere in precibus tuis, quas tibi juris peritus cælestis dictavit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, didicisti portare onera fratris tui. Ea onera ferenda sunt mutuo.* Atque hujus admonitionis ratio est, quia est lex Christi. Ea autem hortationis formula proponitur; *& ita legem Christi complete.* Legem Christi interpretatur Ambrosius voluntatem illius, quâ omnes salvos fieri vult: reliqui Patres, de charitate mutua, quod videtur accommodatius. Ea autem lex Christi dicitur Johan. 13. vers. 15. 33. 34. & 15. vers. 12. quia eandem seriò repetivit: à corruptelis Pharisaïcis vindicavit, Matth. 5. & exemplo docuit 1. Pet. 2. v. 21. denique suo spiritu eam cordibus inscribit Hebr. 8. vers. 10. *Complere* autem non significat hoc loco perfectè præstare charitatem, sed ei seriò operam dare. Nam qui onera, id est, peccata habent, illi non possunt perfectè implere Christi legem. Paulus hîc alloquitur eos qui onera habent. Ergo non possunt perfectè implere legem. Deinde tolerantia mutua, non est totius legis Christi impletio; sed pars tantùm illius: eoque de perfecta impletione charitatis, Apostolus non agit.

Hanc porro admonitionem illustrat per anticipationem objectionis Pharisaïcorum, qui se à periculo & oneribus immunes putabant: eoque difficiliores erant in oneribus aliorum ferendis. Respondet Apostolus vers. 3. rectè se dixisse alios aliorum onera portare debere, quia omnes habent onera: si quis autem se aliquid esse, hoc est, præstantioris naturæ putaverit, ille animum suum seducit: quoniam nihil est; comparatione spiritualis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, inquit August. apud Bedam: vel nihil tale est: ut accipiatur privativè, non negativè.

Vers. IV. & V. Postquam arrogantiam & aliorum contemtum reprehendit Apostolus: cumque potissimum inde

oriatur; quod in propriis cæcutiamus, in aliorum vitiis simus Argi: ideo aptissimum huic malo remedium affert vers. 4. *opus autem suum probet unusquisque.* Probatio autem hæc Synecdochicῶς complectitur non solùm examen, sed etiam correctionem actionum nostrarum ad legis Christi normam: ut 1. Corinth. 11. 38. Fructum autem hujus proponit & remedium instituto accommodat, cum ait; *Et tunc gloriationem in semetipso habebit, & non in alio:* hoc est, ex suis actionibus, non autem collatione aliorum: ut Pharisæus Luc. 18. Hæc autem gloriatio est testimonium bonæ conscientiæ, 2. Corint. 1. v. 12. quâ humiliter dona Dei nobis collata agnoscimus. Hujus porro probationis nostræ, sine aliorum collatione, necessitatem confirmat Apostolus à forma judicii divini, vers. 5. *Nam unusquisque suum onus portabit.* Onus autem hoc loco non pro peccatis, ut v. 2. sed pro pœna peccati Metonymicῶς sumitur. Itaque optimè sibi consentit Apostolus. Sensus autem est; quisque pœnam peccatis suis debitam, coram tribunali Dei luet, nec aliorum collatione excusabitur. Similis locus 2. Corinth. 5. v. 10. Verum ab ea portatione oneris & judicio divino immunes sunt veri fideles: quia Christus onus nostrum portavit, Esai. 53. vers. 4. & 1. Pet. 2. vers. 24. & spiritu suo ad resipiscentiam eos vocat.

Vers. VI. VII. VIII. Postquam ad probationem sui ipsius Galatas hortatus est, subjicit postremo admonitionem de gratitudine erga ministros Euangelii, vers. 6. *Communicet* (inquit) *qui instituitur in sermone, cum eo, qui se instituit.* Sermonem autem vocat κατ' ἐξοχὴν Euangelium, ut Actor. 16. v. 16. & 1. Timoth. 5. v. 17. quia est sermo gratiæ, Actor. 14. v. 3. & 20. v. 32. vitæ, Philipp. 2. v. 16. & salutis nostræ, Ephes. 1. v. 13. Itaque vult ut ministri Euangelii ab Ecclesia alantur: & in *sermonis* voce latet argumentum, 2. Corinth. 9. vers. 11. Similis locus 1. Timoth. 5. v. 17. 2. Corinth. 9. 6. 7. &c. Matth. 10. v. 10. Modus autem communicationis additur; *in omnibus bonis:* hoc est, ut communicentur quævis bona pro facultatis cujusque & necessitatis ministrorum ratione, 1. Timoth. 6. v. 8. Causa autem cur ministros commendet Apostolus, est ministerii conservatio ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem. Nam ingratitudo erga ministros ex contemptu verbi oritur, & astutia Satanæ, qui ministros in officio segnes reddere, aut ab eo abstrahere hac ratione satagit. Verùm quandoquidem homines ingeniosi sunt ad ingratudinem suam variis modis excusandam, quæcunque adferri poterant, anticipat Apostolus, & ratione munit vers. 7. *Ne errate* (inquit) *Deus* non *irridetur*, scilicet impune. Ratio autem est allegorica; *quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet:* hoc est, operum suorum mercedem accipiet. Quam rationem confirmat & illustrat inductione specierum, v. 8. *Nam qui seminat carni suæ*, hoc est, vitiosæ naturæ servit, ille interitum & mortem æternam: qui verò spiritui & imagini Dei obtemperat, ille vitam æternam consequetur. Quæ messis & merces operum justa quidem ratione promissionis divinæ: sed non merita, verùm gratuita. Rom. 6. v. 23. quia bona nostra opera non sua perfectione, quam non habent, sed Christi intercessione Deo grata sunt, Hebr. 13. v. 21. & 1. Pet. 2. vers. 5.

Vers. IX. & X. De gratitudine & beneficentia erga ministros Euangelii hactenus: hoc verò loco hypothesi ad thesin traducta, de beneficentia erga alios agit: ac primum hortatur ad illius constantiam, deinde definit objectum. Prius declarat v. 9. *Porrò ne benefaciendo segnescamus.* Similis locus 2. Thessal. 3. v. 13. Causa hujus admonitionis est, quia beneficentiam plurima remorari solent; hominum nimirum ingratitudo aut indignitas; egentium copia & facultatum nostrarum angustiæ: eoque consolatione futuræ & tempestivæ messis admonitionem munit. Objectum porro beneficentiæ præscribit v. 10. ut omnibus benefaciamus: hoc est non singulis sed quibusvis, non solum amicis & dignis, sed etiam hostibus & indignis, Matth. 5. vers. 44. 45. Cœterum beneficentiæ gradus definiuntur, cum ait; *maximè verò erga domesticos fidei*, hoc est fideles, qui ad eandem Dei domum, nempe Ecclesiam pertinent 1. Timoth. 3. vers. 15. eoque *domestici Dei* vocantur, Ephes. 2. vers. 19. similis locus Roman. 12. v. 13.

Vers. XI. XII. XIII. Hactenus tractatio epistolæ: sequitur conclusio; cujus prior pars singularis est, altera solennis. Illa primùm habet conciliationem benevolentiæ, declaratione amoris Pauli erga Galatas, à scriptionis hujus epistolæ circumstantiis duabus, manu Pauli & prolixitate. Nam reliquas epistolas dictabat amanuensi, & salutatione obsignabat, Roman. 16. v. 22. *Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam*, 1. Corint. 1. 6. v. 11. Coloss. 4. v. 8. *Salutatio mea manu Pauli*, & 2. Thessal. 3. vers. 17. *Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola*, &c. Hanc verò epistolam scripsit totam: quod singularis curæ argumentum: ne ulla fictæ aut corruptæ epistolæ suspicio oriretur, 2. Thessal. 2. v. 2. & ut amorem suum testaretur & Galatas ad redamandum provocaret: unde inquit *videte*.

Huic benevolentiæ significationi subjicitur antithesis, qua pseudapostolorum fraudi suam fidelitatem opponit. Nam pseudapostolos describit ab ambitione & hypocrisi: Illam indicat v. 12. *Quicunque* (inquit) *volunt speciosi apparere in carne*; hoc est, circumcisione & ceremoniis legalibus (quæ *caro*, id est, res externa Metaphoricῶς dicuntur ut Galat. 3. v. 3.) gratiam Judæorum aucupantur; Fraudem verò & hypocrisin describit cum ait, *ij cogunt vos circumcidi, tantum ne ob crucem Christi persecutionem patiantur.* Qua de re Galat. 5. 11. Locus similis Philipp. 3. 2. 18. 19. Hanc autem hypocrisin demonstrat à definitione, v. 13. quia aliud spectant & agunt, aliud simulant. Qua de re Matt. 23. *Neque enim* (inquit) *ipsi qui circumciduntur*, hoc est pseudapostoli, *legem servant.* Hoc autem illustrat à scopo quem superiori versu proposuit, hîc verò explicat: *sed volunt* (inquit) *vos circumcidi, ut de carne vestra glorientur.*

Vers. XIV. XV. XVI. De priori antitheseos membro, nempe perverso pseudapostolorum studio diximus: sequitur alterum, quo sinceritatem suam opponit Apostolus, v. 14. *à me absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: hoc est, doctrina de Christo crucifixo. Hoc autem illustrat à causa efficiente; *per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Crucifixum autem esse Metaphoricè contemptum significat: mundus verò infideles Judæos significat. *Invicem ergo* (inquit Ambrosius) *sibi mortui sunt, & mundus Apostolo, & Apostolus mundo: dum nihil concupiscit Apostolus mundi, & dum nihil habet mundus suum quod agnoscat in Apostolo.* Similis locus Galat. 2. v. 20.

Porro cur solo Euangelio non autem circumcisione glorietur, probat à circumcisionis adjuncto, v. 15. quod in Christo Jesu circumcisio nihil valeat, sed nova creatura, hoc est, fides per charitatem operans. Qua de re Galat. 5. v. 6. Porro hanc antithesin promissione illustrat, v. 16. *Et quicunque secundum hanc regulam incedent, pax super eos & misericordia, & super Israëlem Dei.* Pax autem est reconciliatio nostri cum Deo, cujus efficiens est misericordia Dei. Illis igitur pacem Dei denuntiat, qui ad hanc Pauli amussim sese composuerint, & veros Israëlitas pronuntiat, Rom. 9. v. 6. & 8. quæ promissio opposita est interminationi, Gal. 1. v. 8.

Vers. XVII. & XVIII. Postquam doctrinæ suæ veritatem ac ministerii integritatem, & contrà Pseudapostolorum errores & imposturas demonstravit; subjicit hoc loco postremam admonitionem, v. 17. qua pro authoritate apostolica Galatas hortatur ad parendum huic epistolæ; *Deinceps*, (inquit) *ne quis mihi molestias exhibeto.* Ne verò cuiquam insolentius videatur, ratione confirmat; *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Stigmata autem Christi intelligi possunt vel propter Christum, vel authore Christo, vel quæ Christo conveniunt: Media sententia videtur accommodatior: sic igitur metaphorâ à notis, quas servis fugitivis domini inurebant, vocat res omnes adversas: cujusmodi enumerantur, 2. Cor. 11. vers. 23. quas religionis ergò pertulit; quibus quasi notis Christus Pauli apostolatum & sinceram fidem obsignavit, Actor. 9. v. 16. Itaque merito se Christi stigmaticum nominat.

Hæc de admonitione & prima conclusionis parte, quæ singularis huic epistolæ: sequitur vers. 18. altera seu solennis epilogus, 2. Thessal. 3. vers. 17. ad benevolentiam compa-

comparandam aptissimus: quia gratiam eorum spiritui precatur (*quæ precatio*, inquit Chrysost. *consummata doctrina est eorum, quæ dicta sunt*) & fratres nominat: ac solenni approbationis formula valedictionē terminat cum ait, *Amen.*

CONSECTARIA CAP. VI.

I. HUmanum est labi.

II. Lapsus autem alii fiunt imbecillitate quadam, alii consultò.

III. Christiani est de fratris prolapsi erectione & salute esse solicitum.

IV. Quare opus est reprehensione amica: severa quidem contra contumaces: leni erga infirmos. Tit. 1.v.12.13.

V. Rigidissimi sunt censores, qui infirmitatis suæ sunt immemores.

VI. Ad lenitatem verò optima magistra est infirmitatis communis conscientia. v. 1.

VII. Nullus homo qui non peccet, 1.Reg.8. 1.Joh.1. v.8. Luc. 11. v. 4. Jacob. 3. v. 2.

VIII. Cum charitatis præceptum non minus sit lex Christi, quàm Mosis, sequitur contra Antinomos, decalogum, quatenus regula vitæ, non esse abrogatum.

IX. Cum etiam illi, qui onera seu peccata, quæ legis transgressiones, habent, dicantur complere legem Christi: sequitur completionem legis interdum significare non perfectionem, sed serium perficiendi studium.

X. Cum nihil ex nobis simus: humiles nos esse decet. 1.Cor. 4. v. 7.

XI. Nulla major seductio, quàm superbia, v. 2. 3.

XII. Si onus suum quisque portabit: errant Pontificii qui meritis Sanctorum fidunt. v. 5.

XIII. Qui in Euangelii ministros ingrati sunt, illi Deum habent ludibrio: sed non impunè.

XIV. Cum beneficentia sit instar sementis; laborem & constantiam in officio, & patientiam in exspectanda messe adhibere nos decet. v. 6. 7. 8. 9. 10.

XV. Fidelium Euangelii ministrorum est, nullum, salutis ecclesiæ gratiâ, laborem subterfugere.

XVI. Hujus Epistolæ magna est dignitas, quippe cum Pauli manibus exarata sit.

XVII. Ecclesiæ officium est fidem ac diligentiam pastorum non negligere, sed gratis animis exosculari.

XVIII. Persecutio puritatis Euangelii comes.

XIX. Nullius autem persecutionis metu veritas adulteranda est.

XX. Omnium actionum nostrarum gubernaculum esse debet veritas, & scopus Dei gloria: contra verò hypocrisis & ambitio seriò fugienda sunt, v. 11. 12. 13.

XXI. Fidelium est non suam, sed Christi gloriam sectari.

XXII. Nemo potest simul duobus Dominis, & mundo & Christo servire. Matth. 6. Jac. 4. v. 4.

XXIII. Adversus Papæ anathematismos summa est fidelium consolatio, quod iis divinitus per Paulum pax & misericordia addicatur. vers. 14. 15. 16.

XXIV. Fidelibus verbi ministris nulla est exhibenda molestia.

XXV. Fideles autem sunt qui verbum Dei sincerè docent, nec ullis persecutionibus se ab eo abduci patiuntur.

XXVI. Persecutionum Christi nomine, pudere nos non debet: quia notæ sunt filiorum Dei.

Reliqua consectaria suis locis explicata sunt, Galat. 1.

FINIS Explicationis Epistolæ AD GALATAS.

EPISTOLÆ PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

EPistolam Pauli ad Philippenses explicaturi, à descriptione, & partitione ordiemur: ut eo melius intelligatur. Ac descriptionem quidem hanc non incommodam opinamur: *Epistola hæc est paræneticum N. T. scriptum, per Epaphroditum missum, quo Paulus Apostolus, Romæ, primâ vice, vinctus, Philippensium Ecclesiam, à se, divinâ vocatione, primùm fundatam; ac deinde adversus hostium persecutiones, malaque exempla, & Pseudo-Apostolorum insidiosas corruptelas, & factiones, in vera fide, & charitate, præsertim erga Paulum, constantem, in officio confirmat; & ad perseverantiam in utroque, hortatur: ad illius salutem, gratitudinis suæ testificationem, perpetuam totius Ecclesiæ institutionem, & gratiæ divinæ gloriam.* Qua descriptione ea complexi sumus, quæ potissimum huic epistolæ erant præmittenda: & ut reliqua omittam (alibi à nobis explicata) causam instrumentalem, cum circumstantiis loci, temporis, ac tabellarii, objectum, occasionem & scopum. *Causa instrumentalis* est Paulus, de quo Acta, & cap. 3. ad Philipp. *Locus*, est Roma, Phil. 1. 13. *Tempus*, cum in vinculis esset, de quibus Act. 28. & quidem primâ vice, qua liberatus est, Phil. 1. v. 25. non secunda, quâ cæsus, 2. Tim. 4. v. 6. *Tabellarius* est Epaphroditus, Philippensium fidissimus pastor, Phil. 2. v. 25. ad finem usque, & cap. 4. v. 18. *Objectum* est Philippensium Ecclesia, cui Epistolam destinat, ac mittit. Philippenses autem dicuntur, qui Philippos, urbem, à Philippo Alexandri Magni Patre, in Thraciȩ finibus, conditam, & cognominatam, incolebant. Cujus elegans descriptio extat, apud Appianum Alexandrinū, de bello civili lib. 4. 13. & Act. 16. v. 12. *prima, partis illius Macedoniæ, urbs, colonia dicitur.* Ac Macedoniæ quidem ascribitur, ratione conditoris, & dominii: quemadmodum etiam Neapolis, hâc remotior, à Ptolomæo tabula 10. Europæ; sed diversè à Plinio lib. 4. c. 11. Thraciæ annumeratur, ratione situs: quia Strymone fluvio, antiquo, & communi, Macedoniæ, & Thraciæ, termino huic includitur. Sed difficultas aliqua in eo est, quo modo à Luca, *prima* Macedoniæ, dicatur; cum à Ptolomæo Neapolis, & Amphipolis præponantur. Respondent nonnulli *primam* vocari, non absolutè, ratione dominii, sed ratione situs, & antiqui termini Strymonis, cis quem, in Macedonia, proximè sita fuit. Sed obstat Appianus Alexandrinus, qui de bello civili lib. 4. c. 13. apertè ostendit, non cis, sed ultra Strymonem fuisse; & Plinius lib. 4. cap. 11. qui Thraciæ annumerat. Nam quod author dictionarii historici, Plinium, de aliis Philippis, loqui tradit; historiæ collatione confutatur. Duæ igitur sunt reliquæ, & probabiles solutiones: una est, *primam* dici urbem, non absolutè, sed relatè, ac per appositionem, nempe coloniam. Nam plures fuisse, in Macedonia, hujusmodi colonias, etiam ex Plinio apparet. Altera solutio est, *primam* illius tractus urbem dici, non situ, sed dignitate: ac propterea Paulus eam, *primam*, Euangelio prædicando, sibi delegit;

delegit; ibique Ecclesiam, visione divinâ, in Macedoniam vocatus, fundavit; & perpessione crucis obsignavit: nominatim verò Lydiam, & carceris custodem, cum familiis; aliosque ad Christum convertit, Act. 16. Inter quos, Chrysostomus, in præfatione hujus epistolæ, synagogæ præfectum, errore quodam memoriæ (cùm hujus conversio Corinthi contigerit Act. 18.) recenset. Hæc autem Ecclesia, ita postea excrevit, ut non uno, sed pluribus uteretur Euangelii ministris cap. 1. v. 1. & 2. v. 25. Sed, ut ab objecto epistolæ, ad *occasionem* transeamus, ea fuit triplicis generis. Ac *primum* quidem Ecclesiæ periculum varium, partim à scandalo externo infidelium; qui & persecutione Ecclesiæ, fidem c. 1. v. 28. & malo exemplo, charitatem oppugnabant c. 2. v. 15. partim ab interno scandalo falsorum fratrum, & doctorum; qui, insidiosâ Euangelii depravatione, & factionibus suis, fidem Ecclesiæ adulterare, ejusque fundatorem Paulum, in contemptum adducere; & Ecclesiæ charitatem, ac pacem turbare moliebantur, c. 3. *Alterum* occasionis genus, fuit laudabilis Philippensium, in utroque, adversus infidelium vim, & falsorum doctorum technas, constantia, cap. 1. vers. 5. & 2. v. 15. *Tertia occasio*, fuit singularis Philippensium erga Paulum amor, & gratitudo, ac liberalitas eximia; quâ ipsum, cum aliàs, tum in vinculis, misso ad eum Epaphrodito, dilecto pastore suo, donis cumulârunt, & expleruntc. 2. v. 25. & 4. 15. ad 19. Ex quibus occasionibus *scopus*, & *finis* epistolæ elucet. Proximus enim est: partim Philippensium Ecclesiæ, in verâ fide, & charitate, confirmatio, ac perseverantia: partim gratitudinis Pauli, erga eam, declaratio. Remotus scopus est, cùm perpetua totius Ecclesiæ institutio (quia hæc epistola, pars Sacræ Scripturæ) tum consequens, ex ea, gratiæ divinæ gloria. Atque hactenus de hujus epistolæ descriptione, iisque quæ illâ continentur, nempe, causa instrumentali, loco, tempore, tabellario, objecto, occasione, denique scopo. Superest nunc ut ad partitionem transeamus. Dividitur autem (ut reliquæ ferè epistolæ) in *Præfationem* c. 1. 1. & 2. *Tractationem rei*, à capitis primi v. 3. ad capitis quarti v. 21. & *Conclusionem*, inde ad finem epistolæ.

Ac *Præfatio*, inscriptione, & salutatione solitâ, absolvitur. Illa causam instrumentalem, & objectum epistolæ (seu quis, & quibus scribat) ostendit, v. 1. Ac de priori egimus alibi sæpius. Ad alterum quod attinet, scribit Ecclesiæ Philippensi, de qua modo disseruimus; quam inductione partium, quod alibi non ita facit, exprimit: ut eo distinctius totam Ecclesiam confirmet, & suam, erga illam, declaret gratitudinem. Eam enim dividit in auditores fideles; & in ministros Dei, Ecclesiæ præfectos. Et illos quidem vocat *sanctos*, nimirum, quod ex impuro, ac profano mundo segregati, & Deo consecrati, ac sanctificati essent: partim sanctitate externâ, per verbum Dei, tanquam fœderis tabulas; & sacramenta, tanquam ejusdem sigilla; partim sanctitate interna duplici. Quarum prior est, sanctitas perfecta Christi capitis, quæ nostra fit, imputatione gratuitâ, per justificationem: altera verò inchoata, & imperfecta est, quæ nobis inhæret, per Spiritus Christi sanctificationem, & regenerationem, quâ de re ad Colossenses pluribus. Altera Ecclesiæ pars, sunt ministri Dei, Ecclesiæ præfecti; quos *episcopos*, *&* *diaconos* vocat, non συνωνύμως (ut veteres multi exponunt) sed potius distinctè. Quemadmodum enim Episcopus non præfectum pastorum (aliàs in una urbe non fuissent plures) sed *speculatorem*, seu *præfectum aliis*, hoc in loco, puta Ecclesiæ pastorem, notat: sic diaconus, hoc est, *minister*, synecdochicè, *ærarii Ecclesiastici*, & *pauperum curatorem*, designat, ut Act. 6. & 1. Tim. 3. v. 1. 8. sicut etiam, ex scopo epistolæ, & hujus loci, colligi potest. Atque huic inscriptioni additur salutatio Euangelica, v. 2. quæ alibi à nobis declarata est. Atque hæc de præfatione, prima hujus epistolæ parte. Cui altera succedit, nempe *Tractatio rei* propositæ: cujus occasionem, & scopum initio exposuimus. Constat autem tribus membris, Exordio, variarum hortationum propositione, & gratiarum actione, pro Philippensium, erga Paulum, liberalitate. Et *Exordium* quidem, ad benevolentiam, attentionem, & docilitatem, ut res arguit, accommodatissimum, insignia, ad scopum Epistolæ, argumenta complectitur, narratione duplici. Quarum priori, Apostolus, suum erga Philipp. amorem, ex effectis propriis, & testimonio divino, confirmat. Primum effectum est, Dei, pro illis, invocatio gemina nempe gratiarum actio, pro eorum fidei, qua Euangelii participes facti erant, initio, & constantia, v. 3. & 5. & precatio: quæ generatim ponitur, & adjuncta communi totius invocationis causa, illustratur; nempe, gaudio, & gratulatione ob hanc eorum pietatem, v. 4. Alterum effectum, est spes bona de Philipp. perseverantia, in fide: quam declarat, ab authore, Deo, ut humiles & grati sint; & confirmat tribus argumentis. Quorum primum est, v. 6. à fidei (quam *bonum Dei opus* vocat) principio. Cujus adjunctum consequens, & proprium est, perseverantia, Joan. 10. v. 28. & 1. Pet. 1. 5. Cujus notitia spei hujus causa est. Alterum argumentum, est à Pauli in Philippenses amore: cujus proprium officium est, bene de fidelibus sperare, v. 7. 1. Cor. 13. v. 7. Quem amorem declarat à causa adjuvante, nempe eorum cum Paulo, in vinculis, & Euaugelii defensione & confirmatione (quæ duo *gratiam suam* metonymicè vocat) participatione, v. 7. Participarunt autem primum approbatione, deinde adjumento, partim precum; partim donorum, c. 4. v. 14. denique imitatione, ut colligitur ex v. 29. & 30. Atque hoc tertium est propositæ spei argumentum, v. 7. Cœterum qualis hæc spes fuerit, quæri potest, certane & necessaria, an verò incerta & probabilis tantùm? Nam utrumque diverso modo dici potest. Paulus enim hoc in loco, aut loquitur de singulis externæ illius Ecclesiæ membris: aut de solis verè fidelibus. Si de posterioribus agit, facilis est solutio: spem habuisse certam, ex judicio fidei suæ, secundum communem revelationem verbi divini, quo verbo, omnibus, & singulis verè fidelibus, perseverantia, & salus promittitur. Sin verò de prioribus loquatur, spes fuerit, aut certa omnino ex judicio fidei, si adfuerit revelatio, non solùm indefinita, ut Act. 16. v. 9. sed etiam specialis, ac definita, de singulis Ecclesiæ illius membris (quod non videtur credibile, cùm exemplo careat) aut non prorsus certa, sed valdè probabilis, ex judicio charitatis: quo in probabilibus, imò etiam in dubiis, in meliorem partem judicare, & optimè de vocatis sentire tenemur. 1. Cor. 13. v. 7. Quæ altera hujus loci non contemnenda est sententia: atque ita de omnibus, hoc est, singulis bene speravit, non ex simplici judicio fidei (quod errare non potest, quia veritate revelationis divinæ communis, per verbum; aut specialis, per Spiritum, nititur,) sed mixto cum judicio charitatis, quæ errare potest, quia sola rei probabilitate, & æquitate nititur. Nam quamvis propositio major (quæ prima judicii est hypothesis, ac fundamentum primum) sit ex fide, ac certa, nempe hæc: In quibuscunque Deus, bonum, fidei & charitatis, opus incepit, in iis hoc perficiet: nihilominus tamen assumptio hæc, sive minor, nempe in vobis omnibus, id est, singulis, Deus bonum fidei, & charitatis, opus incepit (quæ secunda est hypothesis) judicio charitatis nititur, & probabilis tantùm est; quia ex effectis probabilibus colligitur. Atque ita v. 7. hoc videtur innuere, cùm ait: *quemadmodum justum est, ut hoc de vobis sentiam.* Nam externa vivæ fidei, & charitatis effecta, quæ sensibus externis percipiuntur, non sunt fidelibus propria; sed hypocritis, in Ecclesia latentibus, communia: ideoque, vel hac ratione, nihil perseverantiæ sanctorum decedit, ut ex primo conclusionis fundamento immobili liquet. Atque hæc de propriis amoris Pauli erga Philippenses effectis. Quibus additur amoris aperta declaratio, & à testimonio divino (quod juramento continetur) confirmatio, v. 8. Cui annectitur precationis repetitio, & illustratio, à materia, nempe incremento charitatis, & cognitionis, omnisque sensus, hoc est, experientiæ, v. 9. Quæ duo à finibus suis, distinctè illustrantur: Et quidem cognitionis, & sensus finis proximus est, discrimen veri & falsi, boni & mali, Hebr. 5. v. 14. Remotus est sinceritas in fide & perseverantia, v. 10. Finis verò charitatis, est copia bonorum operum: Quæ à causa

causa efficiente Christo, & fine suo, Dei gloria describuntur. v. 11. Atque hæc de prima exordii parte ac narratione, quę Philippensium laudes; & Pauli, erga eos, amorem, declaravit. Sequitur nunc altera pars, & narratio, quæ eventum felicem vinculorum Pauli describit. Cujus scopus est partim consolatio adversus dolorem eorum, ex Romana Apostoli captivitate conceptum; & contra solicitudinem de vita illius, & Euangelii progressu, v. 12. partim imitatio constantiæ, & fidei, v. 27. & 30. Partes verò narrationis sunt duæ.

Nam eventum felicem in vinculis describit triplicem, nempe progressum Euangelii à v. 12. ad 18. Deinde Pauli gaudium, & constantiam à 18. ad 25. denique liberationem ejusdem è vinculis Prophetiâ quâdam prænunciat, vers. 25. & 26. Ac primus eventus generatim proponitur, vers. 12. & exponitur sequentibus speciatim, conversione infidelium, & confirmatione aliorum ad Euangelium prædicandum. Quorum prius innuitur, v. 13. Ait enim *vincula sua celebria facta esse in toto prætorio*, hoc est, aula Cæsaris. Quomodo per metonymiam, ac metalepsin, ex antecedenti, consequentem quorundam conversionem indicat: de qua cap. 4. vers. 21. Et à causa principali, ad Dei gloriam, & modestiæ Christianæ significationem, illustrat, cum ait, *in Christo*, id est, per Christum. Nam quod plerique aliter construentes exponunt *vincula in Christo*, id est propter Christum, illud vocum ordini non satis quadrat.

Confirmatio verò aliorum ad Euangelium prædicandum est duplex: proborum & improborum. Et de illâ quidem agit primùm absolutè; & deinde cum hac, comparatè, & oppositè. Absolutè, cùm docet fratres, id est, fideles, ac probos, vinculis suis, hoc est, eventu vinculorum felici (nempe Pauli constantiâ, in Euangelio defendendo, & fructibus constantiæ, conversione multorum) Domino confisos, majori παῤῥησίᾳ Euangelii sermonem annuntiasse, v. 14. Comparate verò; cum anticipatione quadam, & ad amplificationem opponit improborum hypocritarum prædicationi, insigni comparatione, & antithesi: quam ponit, v. 15. & exponit, v. 16. & 17. Comparatio, & convenientia est, quod utrique Christum prædicarent: Antithesis verò est in contrariis causis, impulsivis, & finalibus. Impulsiva enim, in improbis, & hypocritis, fuit non amor erga Christum, Ecclesiam, Paulum: sed invidia, & contendendi studium: Finis verò fuit, ut adderent afflictionem vinculis Pauli. Sed quonam modo id factum sit, diversa est doctorum opinio. Quidam conjiciunt eos, hac sua libera prædicatione, voluisse ostendere, ac vulgo persuadere, Paulum non Euangelii nomine, (quippe quod ipsi impunè annunciarent) sed suo vitio, & intemperie, in vinculis detineri. Chrysost. verò, quem alii multi sequuntur, ait: eos Euangelium prædicasse liberè, ut ea occasione, aucta Neronis, ob Euangelii propagationem, irâ, Paulus, tanquam totius rei caput, gravius affligeretur. Theodoretus verò, paulò audacius addit, eos, forum impudenter obeuntes, Christum prædicasse, ut Paulo periculum majus crearent. Alii denique nihil affirmant, sed, modestè sese hujus afflictionis modum ignorare profitentur, quod videlicet hujus historiæ circumstantiæ nos lateant. Quorum ingenuitatem, uti magis probamus; ita probabilis omnino est Chrysost. sententia: Eos studuisse partim Pauli animum irritare; partim novam majoris persecutionis illius occasionem suppeditare hostibus, cùm Neroni, tum Judęis accusatoribus. Unde dicuntur prædicasse *non pure*, ratione scilicet causæ efficientis impulsivæ, & finalis: Quod (ut eleganter ait Theodoretus) bona, non benè docerent, id est, bonam & puram doctrinam, malo & impuro animo: ut etiam ex vers. 18. apparet. Alioqui si doctrina eorum, non solùm animo; sed etiam materiâ fuisset impura: Paulus eâ re non fuisset gavisus; sed merito offensus & graviter, pro fide, & more suo, reprehendisset. Cœterùm huic impuro hypocritarum animo, aliorum, ac proborum fratrum puritas opponitur, in causa impulsiva, quod moverentur εὐδοκίᾳ, seu propensa, erga Christum, & Ecclesiam, voluntate, & charitate erga Paulum. Quæ charitas, à causa adjuvante, nimirum conscientia, seu notitia officii, & sinceritatis Pauli, illustratur, quod ipsum, divina providentia vocatum, & in vincula conjectum, nossent, ut Euangelium Romæ defenderet, Actor. 23. v. 11. Qua ratione, finis etiam prædicationis purus innuitur, nempe quod non studuerint Paulum (ut ab hypocritis fiebat impurè) afflictum amplius affligere, sed contra in Euangelii defensione, & propugnatione fideliter juvare. Ex quibus omnibus verum esse apparet, quod initio generatim dictum est, quæ Paulo in vinculis acciderunt, magis ad Euangelii profectum evenisse: qui prior vinculorem ejus est eventus; Alter verò ex priori consequens, est Pauli, contra hypocritarum opinionem, & technas, gaudium, & in omnibus constantia. Quem eventum, anticipatione quadam objectionis, & ellipsi, antecedentibus connectit. Quæri enim posset: *quid igitur fit*, aut *quid dices*? Nonne afflictionem, ac dolorem addunt vinculis tuis hypocritæ suo conatu, & ita Euangelii profectum impediunt? Respondet, imò *gaudeo & gaudebo*: & causas duas adfert. Quarum una exiitit, in externo facto hypocritarum, quod, per se, suoque genere consideratum, erat bonum: altera verò sita est in consilii, & conatus mali ipsorum, fructu bono, per accidens benignæ providentiæ divinæ. Et prior quidem causa, est Christi annuntiatio, seu Euangelii pura prædicatio. Quamvis enim hypocritæ, malo animo, docerent, doctrina tamen erat bona, ut ostendimus: & Ecclesiæ utilis: eoque nomine justam gaudii materiam præbebat. Neque hinc tamen in ministrorum Euangelii vocatione ἀταξία probari potest: quia Paulus hîc non præceptum de vocatione tradit: sed rem gestam narrat, & doctrinæ utilitatem probat. Neque hosce dicitur vocasse ad ministerium; sed docentes puram doctrinam, prudenter tulit, quod impuritas animi, simulationis velo tecta, nondum posset legitimè convinci, nec ignoranti Ecclesiæ nocere. Hæc de vers. 18. Altera gaudii in Paulo causa, est consilii, & conatus mali horum hypocritarum, fructus bonus, seu eventus utilis, per accidens Dei providentiæ: quæ ut omnes res adversas ad salutem fidelium convertit, Rom. 8, v. 28. sic etiam ad Pauli. Unde dicit, *se id nosse*, nempe per fidem, ex Dei verbo, & promissione, cum generali, tum singulari, Act 9. v. 15. & 23. v. 11. Cœterùm hanc salutem describit à causis efficientibus per se partim remota, & instrumentali, precibus Philippensium: partim propinqua, & principali, Spiritus S. gratiâ v. 19. Atque hanc salutis suæ notitiam illustrat, ac confirmat Apostolus. Ac primò notitiæ causas adjuvantes adfert duas, nim. 1. *spem* Christianam; quam, eleganti metaphorâ, ἀποκαραδοκίαν *exspectationem* vocat, ut Rom. 8. v. 19. quæ, cum Dei promissione nitatur, falli non potest, Rom. 5. v. 5. Deinde superiorum temporum experientiam, quæ etiam spem confirmat, Rom. 5. v. 4. & salutem (quæ spei, & experientiæ subjecta materia est) declarat, remotione contrarii falsi, & positione veri: nempe, *quod non pudefiet*, hoc est, per Metonymiam consequentis effecti, quod à constanti Euangelii prædicatione, & gloriæ Christi illustratione (à qua hostes & hypocritæ ipsum deturbare moliebantur) non esset declinaturus: sed contrà, libera & constanti confessione, *Christum esset magnificaturus*, id est, glorificaturus, *sive viveret*, nempe per prædicationem Christi, & tolerantiam crucis, propter nomen illius: *sive moreretur*, scilicet per martyrium, propter Christum, & ipsius præsentię, ac glorię participationem, v. 20. Cujus constantiæ, qua sese ad utrumque, seu vitam, seu mortem, paratum esse profitetur, rationem affert: quod *ipsi Christus* utrimque *& in vita, & in morte sit lucrum*: hoc est, non aliud lucrum captet, quàm Christi gratiam, & gloriam. Nam verba Pauli ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστός, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος optimè à nostro interprete (quem Belgica nostra versio secuta est) redditur: *Mihi enim est Christus & in vita & in morte lucrum*: ut Christus sit subjectum utrimque, non autem attributum prioris membri; & ut sit usitata ellipsis vocis κατὰ pro κατὰ τὸ ζῆν: item κατὰ τὸ ἀποθανεῖν: ut eruditè Clarissimus Beza docet, non solùm illud esse in usu; sed etiam Atticismum esse non ignobilem. Quam constructionem circumstantia antecedentium, & conse-

consequentium demonstrat. Hæc de v. 21. Quæ ratio, digressione perquàm accommodata, ad constantiæ ipsius, & singularis amoris, erga Ecclesiam, testificationem, & ad Ecclesiæ consolationem, illustratur: siquidem Apostolus, dubitationem suam, de vitæ, aut mortis desiderio, proponit, cum ait: *utrum verò vivere in carne mihi sit operæ precium* (supple, majus, quàm mori (*& quid eligam*, *ignoro*, v. 22. Et rationibus, ab utilitate ductis utrimque, distinctè exponit. Ac mortem sibi utiliorem esse ostendit, ob liberationem à corpore mortali; & conjunctionem cum corpore Christi glorioso, vers. 23. Vitam verò suam magis necessariam, ad Ecclesiæ Philippensis non minùs, quàm aliarum, in verâ fide, confirmationem, v. 24. Atque ita, eleganti transitione, à secundo vinculorum eventu, ad tertium progreditur, nempe prophetiam liberationis suæ, ex primâ hac captivitate Romana,& reditus sui ad Philippenses: quæ, veterum Patrum, & recentium Interpretum plurium sententia, efficacibus illis Pauli verbis; *confisus novi*, nititur: & contrariæ opinionis solida desunt fundamenta. Nam quod clariss. Beza ait, *confisus novi*, non peculiarem revelationem indicare, sed probabilem, ex custodia militari conceptam, spem: illud, inquam, bona cum venia, neque verborum vi, neque sequentibus versibus 25. & 26. satis convenit. Neque etiam id apparet (ut vir doctissim. objicit) ex cap. 2. v. 17. quia, ut illum locum ipsemet ibidem exponit, perinde est, ac si diceret: sibi nihil posse jucundius accidere, quàm si ipse, morte sua, sacrificium hoc Philippensium sanciret. Deinde sequentia etiam capite 2. vers.24. idem ostendunt, cum ait: *confido autem in Domino, quod ipse brevi venturus sum.* Ex quo liquet, Paulum v.17. suam absentiam perpetuam, & martyrium Romæ non prædixisse, alioqui sibi ipsi contradiceret. Deinde observandum est, fiduciæ causam efficientem, hoc in loco, exponi, cum ait: *in Domino*, id est, per Dominum Christum: ut Rom. 14. v. 14. *Novi & persuasus in Domino*, id est, per Dominum ex verbo ipsius, *nihil per se*, *esse immundum*, & Gal. 5. vers. 10. *Ego confido de vobis*, *in Domino*, & 2. Thes. 3. v. 4. *Confidimus autem in Domino*, (Et ut Beza hìc vertit per Dominum) *de vobis*, nempe verbo Domini, revelatione speciali: cujus etiam indicium, 2. Thes. 2. v. 13. 14. ubi electionem illorum asserit. Nam quod D. Beza exponit, *ἐν κυρίῳ*, *si Deus voluerit:* Illud neque loci hujus circumstantiis; neque phrasi videtur convenire.

Nam Paulus non ait: Ego confido fore, ut cito veniam in Domino; sed ait: *confido in Domino*, *quod etiam ipse citò veniam.* Quo liberationem, per Dominum, certam ostendit, à quo id cognoverit, quique fiduciæ illius author. Quam liberationem describit Apostolus, à finibus suis, profectu fidei, & gaudio inde promanante, v. 25. & gloriatione Philippensium in Christo, de precum suarum ex auditione, & gratiosa Pauli præsentia, v. 26. Hactenus prima tractationis hujus Epistolæ pars (nempe Exordium, duplici narratione constans) explicata est. Cui altera jam succedit, quæ variarum hortationum propositione constat à v. 26. ad cap. 4. v. 10. Ac primùm hortatio summa, & universalis, eleganti transitione (tanquam gloriationis præmissæ, ac promissę, conditio) proponitur. *Tantum*, inquit, *dignè*, hoc est, convenienter, *Euangelio vos gerite.* Quæ universalis hortatio, inductione quadam subjectarum hortationum exponitur ad c. 4. v. 8. & ibidem concluditur, v. 8. & 9. Hortationes autem subjectæ sunt partim generales ad capitis 4. vers. 2. partim particulares, sequentibus. Ac generales quidem sunt tres. Hortatur enim Apostolus ad unitatem, & consensionem: ad perseverantiam in fide; & ad rejectionem pseudoapostolorum. Quæ bona ipsis antè precatus est, v. 9. & 10. Ac consensionem, & unitatem quidem requirit duplicem, nempe *in Spiritu*, hoc est, intelligentia, *& in animo*, seu voluntate, hoc est, ut & sententiis, & amore conjuncti sint. Perseverantiam verò in fide præcipit, primùm eleganti metaphora ab athletis sumpta, per thesin, positione recti, ut perstent per fidem Euangelii, unà decertantes adversus hostes, & Euangelii persecutores. Quæ hortatio illustratur, ac confirmatur ab effecto, nimirum consolatione Pauli. Quæ per metony. antecedentis cognitionis nomine innuitur. Deinde hortatio per remotionem contrarii amplificatur: *ne ulla in re, ab iis*, *qui se opponunt*, (id est, vos persequuntur) *terreamini*, ut Matth. 10. v. 31. Idque confirmat bifariam: primùm ab afflictionum eventu duplici, nimirum hostium affligentium exitio; & fidelium afflictorum salute, 2. Thes. 1. v. 5. Matth. 5. v. 10. Quam à causa efficiente, & impulsiva, & instrumentali, declarat, ad Philippensium in constantia, & humilitate, confirmationem. Causa efficiens est Deus, v. 28. Impulsiva est, non meritum eorum, sed gratia Dei, id est, gratuita Dei benevolentia. Instrumentalis, v. 29. est fides ac constantia illius in persecutionibus ferendis, ut 2. Thes. 1. v. 4. 5. Altera ratio est (qualis etiam extat Matth. 5. v. 10.) à simili exemplo; & quidem ipsius Pauli: cujus afflictionem, & constantiam & initio conversionis suæ viderant, Actor. 16. Et nunc, Paulo in vincula conjecto, ac detento, Romæ, eadem audiebant, v. 30.

CONSECTARIA. CAP. I.

I. Cum Paulus, & hìc, & alibi, ut Act. 20. Uni Ecclesiæ plures Episcopos tribuat; nec ullum, inter Episcopos ordinarios, & pastores, statuat discrimen: sequitur, adversus Pontificios, Episcopum non significare pastorem, & præfectum Pastorum; sed Ecclesiæ pastorem, ut doctè Hiero. in epistola ad Euagrium, & commentariis ad Tit. probat, v. 1.

II. Charitatis Christianæ est, exemplo Pauli, semota superbia & invidia, non solum suis, sed etiam Ecclesiæ bonis seriò gaudere: eorumque honestam, & amicam facere mentionem.

III. Sic dotes nostræ, & aliorum agnoscendæ sunt; ut verè, ac dimissè, Deum eorum authorem esse, & conservatorem, fateamur: eique, pro initio, gratias agamus; eundemque, pro conservatione, & incremento, precemur, v. 3. 4. 5.

IV. Veræ fidei est non solùm Deum esse; sed etiam Deum suum esse, statuere, v. 3.

V. In fide, non solum cœpto, sed etiam constantia, & perseverantia opus est, v. 5. & 6.

VI. Bene de aliorum salute, ex charitatis officio, sperandum est, v. 6. & 7.

VII. Fidei causa efficiens, & perficiens est, Deus. Ideoque perperam liberi arbitrii viribus attribuitur, v. 6.

VIII. Christi martyres in Euangelii defensione adjuvare, laude, & amore dignum est, v. 7.

IX. Jurare ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, non esse prohibitum, sancto Pauli exemplo, contra Anabaptistas, convincitur. v. 8.

X. Bona opera sunt fructus justitiæ, per Jesum Christum, ad gloriam, & laudem Dei, v. 11.

XI. Euangelium, persecutione hostium, non extinguitur; sed, Dei dirigentis gratia, magis accenditur, vers. 12. & 13.

XII. Martyrum constantia infirmiores, in officio, confirmat, v. 14.

XIII. Euangelium Dei docendum est non solùm purum, sed etiam puro animo, nempe ex charitate in Christum, & Ecclesiam; & ad Christi gloriam, atque Ecclesiæ utilitatem, ad salutem, v. 15. & 17. Ac propterea malè faciunt, qui in altero, aut in utroque peccant, vers. 15. & 16.

XIV. Euangelii prædicatione gaudendum est, quamvis impuro animo annuncietur, v. 18.

XV. Afflictiones piis sunt salutares, per preces Ecclesiæ, & Sp. S. gratiam, v. 19.

XVI. Spes fidelium certa est. Ideoque errant Pontificii, qui certam salutis fiduciam, audaciam nominant, v. 19. & 20.

XVII. Scopus vitæ nostræ esse debet, Christi gloria.

XVIII. Cum Christus, etiam in morte, fidelibus sit lucrum: non metuenda est mors; sed optanda potius, v. 21. 22. 23.

XIX. Cùm,

XIX. Cùm, morte fidelium, anima, ex corpore, ad Christum, migret; impiè faciunt Pontificii, partim quod purgatorium fingunt; partim quod Christi corpus in terris esse, sub hostia, in Missa, statuunt, v. 23.

XX. Vita morti præferenda fidelibus, non quod nobis, sed quod proximo utilior: ideoque proximi salutem magis, quàm vitam nostram corporalem, diligere debemus, vers. 24. & 25.

XXI. Fides, & afflictiones, Euangelii causâ, sunt Dei dona, v. 29.

XXII. Non solum doctrinâ; sed etiam, suo exemplo, aliis prælucere debet Ecclesiæ pastores,

CAP. II.

Superiori capite, adhortatus est Apostolus Philippens. ad consensionem, & unitatem in fide & charitate Christiana, & ad tolerantiam, ac perseverantiam in cruce. Hoc verò capite secundo, prioris hortationis repetitio, & expolitio gravissima continetur. Nam ad unitatem exstimulat, proposito effectu, & utilitate, quod hac ratione cœptum Pauli, ex Philippensium pietate, gaudium expleri possit, ac debeat, v. 2. Cujus consequentiæ confirmationem præmittit obtestatione patheticâ, v. 1. Porrò hortationem illustrat, partim à remotione causæ corrumpentis triplicis, nempe, *contentionis*, *ambitionis*, φιλαυτίας seu *amoris sui perversi:* quo cum proximi neglectu, proprii honoris, & commodi tantùm habetur ratio: partim à commendatione contrariæ causæ procreantis, quam duplicem ponit, animi humilitatem, & amorem, ac curam commodi alterius, v. 3. & 4. Atque hanc hortationem confirmat Apostolus, ab exemplo Domini nostri Jesu Christi, tanquam modestiæ, & charitatis, perfectissimo, nobisque proposito divinitus, exemplari, v. 5. Enthymema Pauli est: Ea debet esse sententia vestra, quæ Christi. Ergo non vestra sed aliorum commoda potissimum debetis spectare. Consequentiam autem probat, à Christi effectis, elegantissima descriptione personæ, officii, & status duplicis Christi, nempe status humiliationis, v. 6. 7. 8. & exaltationis, v. 9. 10. 11. De cujus loci præstantissimi rectâ intelligentiâ, variæ sunt interpretum, etiam orthodoxorum sententiæ. Quarum præcipuæ nobis examinandæ sunt. Ac consensio quidem est, partim in scopo, nempe, Paulum, charitatem, & humilitatem, commendare, ut perspicuè ex v. 3. & 4. colligitur: partim in argumenti genere, Apostolum, ab exemplo charitatis, & humilitatis Christi, argumentari. Sed in aliis dissensio est. Ac primùm in argumenti, cùm numero, tum modo: deinde in phrasium expositione. Quidam enim unicum numero, ab humiliatione filii Dei, in carne patefacti, argumentum adferri, putant; ac filium Dei non considerari, hoc in loco, tanquam incarnandum: sed tantummodò tanquam incarnatum. Quam ad rem quædam proferunt argumenta, quæ distinctè, ac breviter expendenda sunt. Ac primum petitum est, à nominibus, quibus Paulus utitur, v. 5. nempe *Christus Iesus*, quæ nomina Filio Dei, patefacto in carne, conveniunt propriè. Sed negatur consequentia, quia illa sunt nomina personæ Christi; ac propterea ita nominato Christo, quæ utrique aut alteri tantùm naturæ, conveniunt, meritò attribui possunt, ut in simili loco, 2. Cor. 8. 9. Alterum agumentum, est à Pauli scopo deductum: qui instituit, imitandum Philippensibus proponere exemplum Christi, tanquam vitæ regulam. Ergo considerat facta Christi, quæ in oculos incurrunt: in quorum numero non est incarnatio. Verum negatur Conseq. & loco illo, 2. Cor. 8. 9. confutatur: & ex ipsorum, qui hoc objectant, interpretatione. Tertium est à relatione exaltationis oppositæ. Apparet, inquiunt, Apostolum hîc loqui, de ea Christi humiliatione, quæ per exaltationem ejusdem, sublata est. At incarnatio per eam sublata non est; quippe quæ in æternum manet. Ergo de ea non agit. Sed propositionem, exclusive sumptam, negamus. Nam exaltatio opponitur quidem humiliationi; non autem universè, sed secundum quid, nempe humiliationi, conditionis humanæ naturę: ut ex seq. elucebit. Quare statuimus, Paulum, hoc in loco, non considerare Filium Dei tantùm incarnatum, sed etiam incarnandum: nec unicum tantùm humiliationis genus, sed duplex constituere. Quorum ut alterum consistit, in incarnati humiliatione: sic prius situm est, in incarnatione, & modo illius. Nam cùm in incarnatione Filii Dei, singulare consistat, charitatis, & humilitatis exemplum; non est sanè verisimile, Paulum, hoc in loco, ubi de eo argumento accuratissimè tractat, fuisse præteriturum: præsertim cum alibi (ubi non erat adeo necessarium) eodem utatur, 2. Cor. 8. 9. *Iesus Christus, cum dives esset, propter nos pauper factus est.* Quem locum, de Filii Dei incarnatione, & incarnati statu, exponunt etiam illi, quorum sententiam, veritatis studio, nunc excutimus. Quemadmodum etiam Erasmus exposuit, & alii quidam, qui hunc locum minus aptè interpretantur. Verùm hæc planiùs, & pleniùs, ex particulari Phrasium expositione, constabunt. Ac potissimum in controversia versatur, quid *forma Dei*, quid *forma servi*, hoc in loco, significent: deinde quid sit, *non rapinam duxit parem esse cum Deo:* de quibus, ordine, agendum est, Ad prius quod attinet; consensio est in eo, quod vocem *formæ*, in utraque phrasi, eodem modo, accipiendam existimant: ac propterea eo, tanquam communi hypothesi (quamvis variè accommodata) in speciali expositione, omnes utuntur, tam hæretici, quam orrhodoxi. Altera consensio est inter orthodoxos, nimirum *formæ* voce, utrimque demonstrari naturam, & essentiam: sed dissensio est in modo. Veteres enim Patres, unanimi consensu, essentiam primùm, ac directè denotari, asserunt: alii verò primariò non essentiam; sed illius conditionem, seu statum proprium (id est, soli illi convenientem.) Verùm secundariò & indirectè (hoc est, consequentiæ vi) essentiam connotari, arbitrantur. Posita enim rei proprietate, res ipsa apponitur. Atque hanc sententiam tuentur nonnulli recentiores, & ex veteribus commentarii dubii authoris, qui Ambrosio ascribuntur, ad hanc epistolam. Nam Ambrosius tom. 4. de fide, ad Gratianum lib. 2. cap. 4. communem (quam antè attulimus) reliquorum Patrum expositionem probat: & apertius lib. 7. epistolarum, epistolâ 47. ad Irenæum, ait: *Quid est in forma Dei? in naturâ Dei.* Et (quod vulgò non observatur) addit, proximè sequentibus verbis, rationem hujus phraseos, cur non dixerit Apostolus, cùm esset Deus: sed in forma Dei. *Sunt enim; ait Apostolus, qui non sunt natura dii. Quæro quid sit formam servi accipiens? sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, ut dixi, humanæ.* Et paulò ante: *quid est in Dei forma, nisi in plenitudine divinitatis. In illa perfectionis divinæ expressione. Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ: sicut nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus, in utraque forma.* Hæc ille. Sed objiciuntur, adversus hanc sententiam, quædam argumenta. Primùm (inquiunt) hæc formæ, pro naturâ, significatio, non Apostolica est, sed Philosophica, populoque cui hæc scripta sunt, ignota. Sed contrà colligitur, non solùm ex veterum Patrum testimoniis; sed etiam ex conjugata voce (quamvis subsit metaphora) Gal. 4. v. 19. *Filioli mei, vos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Deinde ex synonymis idem apparet: qualia sunt, quæ de Christo dicuntur, *imago Dei*, nempe essentialis, Col. 1. v. 15. *Character hypostaseos Patris*, Hebr. 1. v. 3. Alterum argumentum, ex cohærentiâ sententiæ, vers. 7. & 8. petitum est. Hæc tria; nempe formam, similitudinem, figuram rem unam eandemque significare. Fateor id alibi verum esse posse, ut Marc. 16. v. 12. dicitur, Christum apparuisse alia forma: sed tamen, hoc in loco, distinctionem adhibendam esse sequentibus ostendetur. Tertium à pari est deductum, secundùm communem interpretum hypothesin: si forma servi denotat non naturam, sed conditionem humanam; forma Dei, non naturam, sed conditionem divinam significabit. At verum prius. Quod quia negari poterat, comprobant novo syllogismo. Formam, inquiunt, servi, Christus deposuit, exaltatione, quia factus est Dominus dominantium. Atqui naturam humanam non deposuit. Ergo ea non est forma servi.

servi. Sed propositionem negamus: Formam enim servi, quam, semel, hic assumsisse dicitur, nunquam deposuit; sed tantùm humiliationem illius formæ; hoc est, non naturam; sed naturæ infirmitates, & servilem conditionem deposuisse dicitur: qua inter homines abjectus erat, paupertati, contumeliis, perpessionibusque aliis variè obnoxius. Nec illa inter se pugnant simpliciter, servum esse, & Dominum; quia non dicuntur secundum idem, nec ad idem: quandoquidem Christus servus est, ac manet, relatè ad Patrem, secundum humanam naturam, & ratione officii: quibus modis, œconomiâ quadam, seu voluntariâ dispositione, Patre minor, & servus factus est, ac dicitur, Esa. 42. v. 1. & 49. v. 6. Dominus autem est, relatè ad creaturas, secundum utramque naturam: sed diverso modo, secundum divinam naturam infinitè, & per se, jure creationis, & providentiæ sustentantis, & gubernantis: secundum humanam verò, finitè, quatenus ea, propter unionem personalem cum λόγῳ, & per obedientiæ viam (ut postea ostendetur ab Apostolo) omnibus creaturis, cum imperio, proposita est. Quare his difficultatibus expeditis, concludimus: *formam*, hoc in loco, non solam externam conditionem: sed plenam, perfectamque essentiam, & naturam designare. Verum non immerito quæri potest, an nomen *Dei*, hoc in loco, sumendum sit essentialiter, per appositionem: an verò personaliter, & relatè. Quidam enim priori modo, formam Dei, essentiam divinam interpretantur: Alii posteriori, formam Patris intelligunt. Utraque sententia pia, ac probabilis est. Posterior tamen videtur accommodatior, ut sequentibus indicatur; cum dicitur: *æqualis Deo*, sc. Patri. Nam æqualitatis vocem relatam esse, non absolutam, constat. Et sic *forma servi* exponi potest, natura humana, quæ Deo subdita, ac serva est: vel relatè cum hominibus (qui servi sunt) communis, ut Rom. 8. v. 3. Heb. 2. v. 14. & 17. Quæ expositio superiori membro plenius quadrat. In qua voce emphasis est seu efficacia observanda. Nam forma Dei essentiam, & naturam Dei notat; sed forma servi, etiam conditionem, & statum naturæ, ad serviendum destinatæ, simul designat: ideoque maluit Apostolus dicere formam servi, quàm formam hominis: ut per hanc vocem, præter naturam humanam, conditionem quoque indicaret, ad majus humiliationis incrementum. Atque hæc de prima phrasi, nempe *forma Dei*, & *forma servi*. Altera verò est, *non rapinam arbitratus est, æqualem esse Deo*. De cujus sensu, non minus diversa sunt judicia interpretum: quorum selectiora expendemus. Quidam enim exponunt, *non arbitratus est rapinam*, i. e. non rapuit. Quam interpretationem, adversus orthodoxos, Ariani olim proferebant: ut apparet ex Chrysostomo hom. 6. 7. in hanc epistolam: & Maximini Ariani verbis, apud August. contra eundem l. 1. Quam interpretationem Chrysostomus, & qui eum secuti sunt, Patres, rejiciunt. Sed tamen quidam è nostris secuti sunt, sanctiore, quàm Ariani, sententia: & ostendunt esse periphrasin Græcam, *arbitrari rapinam*, pro, *rapere*. Qualis apud Thucydidem, l. 8. σκεύη ἁρπαγὴν ποιησάμενος, *vasa rapinam faciens*, pro, *rapiens*. Atque hic fortasse locus est, quem quidam Theologus innuit, cùm monet, hanc phrasin Paulinam, eodem sensu, apud Thucyd. extare. Veruntamen diversa est verborum ratio, & constructio: nisi statuamus, in hoc Pauli loco, esse non solùm periphrasin illam, sed etiam ellipsin verbi *facere*: ut sit sensus: non arbitratus est, rapinam faciendam: ut August. contra Maxim. l. 2. c. 5. Maximini interpretationem illam, cujus modo memini, exponit: eamque Samosateniani, hodierno tempore, sequuntur. Sed ellipsis hæc insolentior est, quemadmodum & alia quorundam interpretatio, ἡγήσατο *duxit*, pro, *induxit in animum*, seu *constituit facere rapinam*. Nam an hæc verbi ἡγεῖσθαι significatio, idoneis authoribus probari possit, valde dubito; præsertim cum diligentissimi lexicographi eam omittant; diligentiores auditores ampliùs inquirant. Ut ut sit, præterquam quod hæ interpretationes minus cum proprietate linguæ videntur congruere, sententiam etiam continent, partim impiam, partim alieniorem. Nam Ariani ita impiè exponebant: cum Christus esset in forma Dei, i. e. Deus inferior: non rapuit, ut magno, & majori Deo æqualis esset: quod S. L. omninò repugnat, quę Deum unum tantùm, eumque magnum, i. e. omnipotentem agnoscunt; & Filium Patri æqualem, Ioan. 5. vers. 18. Plura si quis desideret, ad pleniorem hujus hæreseos refutationem, Chrysost. in commentariis ad hunc locum, hom. 6. & 7. consulat. Deinde impurior etiam Samosatenianorum expositio est: quę filium merum hominem, non autem Deum æternum statuit. Orthodoxorum verò sententiæ variæ sunt. Quidam enim rapinam exponunt, usum potentiæ, contra vocationem. Alii verò æqualitatem, cum Patre, perpetuam, nempe permansionem in sola forma Dei, rapinam vocari, ajunt: quod ea ratione filius gloriam Patri debitam (nempe ut nunquam fiat servus) & nobis salutem, per suam incarnationem, & humiliationem, à Patre prædestinatam, rapuisset, Esa. 42. v. 1. Sed hæ interpretationes nimis coactæ videntur, & à simplicitate Apostolicâ remotiores. Ac propterea, hisce rejectis, earum patroni, cautiores facti, aliam tandem sententiam sapienter prætulerunt. Quare communiter sic potius, verba Apostoli interpretantur, *non arbitratus est esse rapinam, se esse æqualem Deo*, ut ostendatur Christum scivisse se verum esse Deum, Patri æqualem, naturâ, non rapto. Verùm, in modo explicationis, mirificè variant. Nonnulli enim sentiunt, similitudinem esse petitam à victoribus, qui spoliis hostium superbi, ea ostentant ad pompam: & Pauli mentem esse, ut indicet, Christum non arbitratum esse æqualitatem cum Deo, esse instar spolii; ac propterea non ostentasse, sed occultasse suam gloriam. Quæ pia quidem interpretatio est: sed arguta potius, quàm vera, ob metalepsin duriorem, cum nulla urgeat necessitas. Altera verò expositio quam Patres afferunt, paululùm videtur concinnior: quod sit similitudo à raptoribus, & tyrannis ducta: siquidem hi dignitatem, quam ex rapinis habent, non deponunt; sed dissimulant, ne ea priventur. Contrà fit ab iis, qui naturalem, & justam habent dignitatem. Sic Christus, cùm sciret se Patri æqualem esse, non rapto, sed natura, intrepidè, & libenter, eam æqualitatem, suo modo, sub humanæ, & afflictæ naturæ velo, occultando, deposuit. Veruntamen, omnibus perpensis, simplicissima videtur interpretatio, ut dicamus: Paulum explicare voluisse causam humiliationis Christi, quod non coactus, tanquam raptor, gloriâ suâ nudatus sit: sed ultro, cùm sciret, se, pro suo jure, posse, & à carnis humilitate; & ab incarnatione abstinere; & in sola forma Dei permanere, vel assumpta humanâ naturâ gloriosa, cum dignâ Deo magnificentiâ, apparere, maluisse tamen gloriam suam, quodammodo deponere. Ex qua sententia, quædam antithesis elucet, inter Adamum primum, & secundum, nempe filium Dei naturalem. Ille enim cum homo esset, superbè affectavit, & rapere studuit æqualitatem cum Deo: Contrà verò hic, cum Deus tantùm esset, & naturâ, non rapto, æqualis Patri, probèque id sciret: homo fieri voluit, & hominibus humilibus conformari. Atque hoc etiam rapinæ voce fortasse spectavit Apostolus. Sed adversus hanc declarationem objicitur; Interpretatio debet esse analoga, seu conveniens, non solum fidei, seu doctrinæ verbi divini, sed etiam contextui, ut cum loci scopo, & circumstantiis conveniat. Atqui expositio allata non est analoga contextui; quoniam consequentibus non convenit: Sequitur enim conjunctio adversativa ἀλλά, *sed*; ac propterea, si sic interpretemur: Christus non rapuit, aut non arbitratus est rapinam, æqualitatem cum Deo, sed contra se exinanivit, concinna erit sententia: sin verò sic vertamus; non arbitratus est rapinam esse, parem esse cum Deo, sed se exinanivit, non cohærebit oratio; quia non satis liquet, cuinam verbo adversativa conjunctio adversetur. Quam difficultatem, sicut viderunt interpretes; ita variè expedire conantur. Quidam enim agnoscunt vocem ἀλλά, in hoc Pauli loco adversativam conjunctionem denotare: sed de membro adverso non idem judicant. Quippe alii, illud non exprimi apertè, sed per ellipsin rectè innui censent. Cœterùm, in ellipsis forma statuendâ differunt inter se. Sunt enim qui ita supplent; non arbitratus est rapinam, quod esset æqualis Deo;

Deo; ac propterea (quod per ellipsin intelligitur) si voluisset, potuisset sine ullius injuria permanere in ea æqualitate; sed noluit uti suo jure; verùm seipsum exinanivit. Alii deinde, non rapinam arbitratus est, quod esset æqualis Deo; ac propterea non fuit à Deo Patre, in hanc vilem, ac servilem hominum naturam, & conditionem, tanquam æqualitatis cum Deo Patre, raptor, ut Satan in tartara, præcipitatus: sed seipsum sponte inanivit. Verùm durior est utraque hęc ellipsis. Quare alia etiam adfertur sine ellipsi explicatio, nempe, ut ęqualitatem cum Deo, de ęqualitate ordinis personalis accipiamus, quòd cum esset in forma Dei, ac proinde essentia æqualis Deo, non duxerit sibi faciendam hanc rapinam, ut simpliciter vellet esse ęqualis Deo Patri. Nam Pater, major Filio ordine, & filii est mitti à Patre, non Patris à Filio: quod si contrà Filius voluisset hanc æqualitatem ordinis personalis cum Patre, rapinam exercuisset. Sensus igitur esset: Filium noluisse hanc rapinam facere: sed contrà secundùm Patris voluntatem, sua sponte, sese exinanivisse. Veruntamen, ut alia omittam, qua ratione, hæc interpretatio, cum scopo Apost. conveniat, non video. Nam pręterquam, quod *non rapinam arbitratus est*, malè vertit ut supra ostendimus, sententiam etiam continet perobscuram; & quæ, similibus sacrę Scripturę locis, probari non potest; & Pauli argumentum enervat: ut ex Chrysost. ad hunc locum, Arianos refutante, apparet. Atq; hę sunt interpretationes eorum, qui vocem ἀλλὰ conjunctionem merè adversativam (nempe *sed*) hoc in loco significare, admittunt. Alii verò contra respondent, ἀλλὰ, non semper contrarium notare, sed alio interdum sensu usurpari: ac primum correctionem nonnunquam indicare, nempe, *sed potius*: atque hoc modo hunc locum declarandũ ut sit sensus: non arbitratus est esse tanquam rapinam, æqualitatem cum Deo, quam rapinę instar noluerit deponere, seu tegere, sed potius sese exinanivit. Verum & jam antea, interpretationis hujus antecedens, minus dextrè, accipi, ostendimus: & eo modo significatio adversativa permaneret: non ut rapinam duxit, sed contra, non autem, sed potius se exinanivit. Quamobrem expeditior altera responsio, vocem ἀλλὰ non contrarium hîc denotare; sed diversum, ac conjunctum: vel, ut cum Linacro loquar, redditivam adversativę *quanquam*, h.e. pro, *tamen, attamen*. Ut interdum eo sensu vocem ἀλλὰ usurpari ex Budęo, in commentariis linguę Gręcę; & clarius ab Henrico Stephano, in thesauro Linguę Gręcę demonstratum. Et ita, h. l. accipi debere, nempe, quod Christus, cùm esset verus Deus, Patrique ęqualis, tamen sese exinaniverit: quemadmodum hoc sensu doctè exposuit August. contra Maximi. Arianum lib 2.c.5. Atq; hæc de phrasi *non rapinam arbitratus est*. Quid verò sit: *æqualem cum Deo esse*, eâdem opera, aliquo modo, explicatum est: quod ut fiat illustrius, distinctè quędam annotanda sunt. Ac primum similis phrasis, Job.30. 19. ἥγησαι δέ με ἴσα πηλῷ. i. e. *reputasti me æqualem luto*. Cum autem æqualitas Filii cum Patre, considerari possit ratione essentiæ, personæ, aut status: plerique de essentiali æqualitate Filii cum Patre, qua, formæ, seu essentiæ unitate, pares sunt, exponunt. Nonnulli verò malunt de personali æqualitate accipere. Nam quamvis Filius, quatenus est, seu ratione essentiæ, æqualis est Patri: tamen, quà Filius est, seu existendi modo, inęqualis, & minor: quemadmodum Pater, naturæ ejusdem unitate singulari, par est Filio: sic ratione principii, & ordinis, non essentię, sed existentię, Filio major est. Quomodo veteres Patres orthodoxi, non pauci, locum illum Joan.14 *Pater major me est*, exposuerunt. Hanc tamen expositionem, licet à fide non alienam, huic loco non satis consentaneam, modò ostendimus. Alii denique nec de essentiali, nec de personali paritate, sed de status æqualitate accipiunt, & quidem bifariam: quemadmodum enim (ut postea apparebit explicatiùs) status humiliationis Christi duos habet gradus, incarnationem, & carnis demissionem, atque passionem; per quam forma Dei, & æqualitas cum Patre, tecta est: sic quidam ad primum gradum referunt; quod videlicet, ut Pater in sola forma Dei est, ab humili humana natura separatus: ita Filius, ante incarnationem, æqualiter in una eademque natura extiterit. Reliqui verò ad alterum gradum, & patefactionem in carne, pertinere censent, & æqualem esse Deo, interpretantur, de gloriosa majestatis divinæ patefactione: à qua, Dei Filius, manifestatus in carne, dispensatione quadam voluntaria, abstinuerit. Quæ interpretationes duę pię quidem sunt, per se consideratæ; sed interim tamen non videntur satis huic loco convenire: partim quia (ut ex antecedentibus apparere potest) Apostolus, hoc in loco, differit, de æqualitate cum Deo, considerata ante assumptam formam servi, non autem post carnem assumptam: partim quia argumenti Paulini vim minuit, sine ulla necessitate. Quamobrem prima interpretatio, quæ Patrum est, & vulgò magis recepta, convenientissima est. Sed quid si hæc omnia commodè comprehendamus, significatione universali, quod filius Patri esset æqualis, cùm natura, tum secretione à carnis unione, atque humili sorte. Atque hactenus egimus de summa, & infinita Filii Dei pręstantia, quæ humiliationem antecessit, & ad illius amplificationem, pręmittitur, v.6. Cui humiliationis voluntariæ gradus duo subjunguntur: quorum unum inanitionem; alterum submissionem vocat: & utrumque distinctè indicat, & declarat. De priori enim ait: *inanivit seipsum*. De cujus metaphoricæ vocis intelligentia, duo sunt, apud orthodoxos, extra omnem controversiam. Primum quidem, hanc inanitionem non esse absolutè, & propriè, de essentiæ, & gloriæ divinæ diminutione, accipiendam: quandoquidem illud fidei analogiæ, & naturæ Dei simplici, infinitæ; omnipotenti, repugnat. Alterum verò est, hujus inanitionis modum, verbis sequentibus, nempe, *forma servi accepta*, declarari. Sed quemadmodum formam servi, aliter atque aliter exponunt, ut supra ostendimus; ita, pro ratione illius, diverso modo, exinanitionem definiunt. Quidam enim idem cum sequenti humiliatione, aut submissione, esse censent, & ad vilem Christi sortem, & passionem referunt, quod nim. in humana natura, eam quam poterat exerere, ac patefacere gloriam, sua sponte suppresserit, sparsis tantùm exiguis illius radiis: de quibus loquitur, Joan. 1. 14. Reliqui verò, pleniori, ac planiori sententia, orthodoxam antiquitatem secuti, duplicem humiliationis gradum proponi statuunt: & de priori, h.e. incarnatione, agi h.l. Cujus sensum, piè, & rotundè, expressit August. *Non alienum*, inquit, *arbitratus est, esse æqualem Deo; sed tamen quærens nostra, non sua, semetipsum exinanivit, formam Dei amittens, sed formam servi accipiens*; Contra Maximi. lib. 2. 5. Itaque inanitio non est accipienda simpliciter, & absolutè: sed ratione status, & comparatè. Cùm enim Filius Dei, tantum esset Dominus; non mutatione dominii; sed assumptione naturæ humanæ, factus est, in ea, & secundum eam, servus. Quæ conditio posterior, cum antecedenti, quà Patri non solùm essentiâ, sed etiam statu æqualis erat, collata, comparatè inanitio rectè appellatur. Nam quænam obsecro, inter infinitam & omnipotentem Dei naturam, ac majestatem; & finitam ac impotentem humanam naturam proportio est? Gen. 18. v. 27. Ps. 8. 5. Nulla. Verum cum vox *servi* sit relata, quodnam hoc in loco sit illius correlatum; seu ad quid, ea vox referatur, inquiri potest. Atque illud controversia caret, correlatum commune, esse Dominum. Deinde particulare, esse Deum Patrem: cujus ut reliquæ creaturæ, sic humana natura jure creationis & providentiæ est serva, id est, propria, & summo illius imperio subjecta. Veruntamen in eo discrepant interpretes; quod quidam hoc solum, eoque simplex esse correlatum: alii verò & hoc & alterum, eoq; geminum statuant. Nam Christum servum dici, & ratione Dei Patris; & ratione hominum, patet, Es. 42. 1. Mat. 20. 28. Rom. 15. 18. Jo. 13. 14. 15. Atque hæc interpretatio pia quidem est, & priori uberior: sed tamen accuratius examinanti, altera ac prior contextui magis convenire videtur. Primò, quia nullum aliud correlatum antecessit, quàm Deus, nempe Pater: Deinde nec aliud proximè sequitur, præterea quia verba sequentia apertè evincunt, agi hîc, de similitudine cum hominibus; ideoque non de servitute, qua se hominibus filius Dei subjecit. Denique illud Christi ministerium, quo hominibus servivit, distinctè postea humiliationis, aut submissionis voce includitur. Porrò formam servi dicitur assumsisse, non servum: ut ostendatur, non personam assumptam à Filio Dei; sed naturam: quanquam crebrò Hilarius, August. & alii Veterum, imò multi etiam

iam recentiorum (qui aliâs ferè cautius, propter hæreticos scribunt) veteres in hac vocis abusione imitati, aliter loquuntur; & *filium Dei hominem assumsisse* dicant: impropriâ quidem phrasi (& à qua satius est omnino abstinere) sed tamen sententiâ pia; quia tum per hominem, non personam, cum Nestorio; sed naturam humanam, cum Orthodoxis, intelligunt. Atque hoc etiam modo accipienda sunt verba Domini Bezæ (quem honoris, & excusandi causa, nomino) in explicatione hujus versus, in majoribus notis, cum ait: *Huc usque se demisit, ut talis fieret, quales sunt Dei servi, id est, ut hominem assumeret*. Cœterùm, quid *assumere* hîc significet, explicandum, ne in hoc gravi argumento impingamus. Nam assumptio formæ hominis, alia est corporis solius: eaque dividua, ac temporalis sine unione hypostaticâ: quales in Vet. Testam. nonnullæ fuerunt, cum filius Dei, verus Jehovah, Abrahamo in forma corporis humani, non totius naturæ humanæ, apparuit, Gen. 18. 2. & 13. Alia est assumptio hypostatica, & individua, seu assumptio integræ formæ, seu naturæ humanæ in unitatem personæ indissolubilem: qua verbum caro factum est, Joan. 1. v. 14. Heb. 2. v. 14. 16. 17. Et in æternum manet, Heb. 7. 24. 25. Et in illa quidem priori, formæ tantùm externæ, temporali assumptione, humiliatio aliqua est: qua filius Dei, ad infirmitatem humanam sublevandam, viri specie, apparendo Abrahamo, Gen. 18. 2. & 22. sese accommodavit: sed in posteriori (quæ hoc in loco intelligitur) potissimum humiliatio declaratur, propter assumptionis subjectum, modum, durationem & finem. *Subjectum* enim est non humanæ naturæ species externa solùm, seu corpus inanimatum: sed vera natura humana; qua nobis per omnia, excepto peccato, similis Heb. 2. 17. *Modus* est assumptio in unam hypostasin. *Duratio*, est perpetua. *Finis* denique, ut serviret Deo Patri ad Ecclesiæ suæ per obedientiam, & mortem crucis, reconciliationem cum Deo, ac salutem. Unde hisce nominibus meritò exinanitio dicitur. Atque hanc assumptionem ita intelligendam esse apparet, partim ex hypothesi, quam supra probavimus, qua forma servi humanam naturam significat: partim ex analogia fidei, & collatione locorum similium, quibus hæc assumptio reipsa, aut etiam apertis verbis, declaratur, ut Hebr. 2. v. 16. *Assumsit semen Abrahæ*. Nam quod Anabaptistæ objiciunt, *assumere*, eo in loco, significare unionem charitatis, non naturæ hypostaticam, ut simili in loco, Rom. 14. v. 1. *infirmum in fide assumite*, ac loci sensum esse; filium Dei non in gratiam Angelos lapsos recepisse: sed semen Abrahæ: illud, inquam, mera sententiæ Apostolicæ perversio est. Nam neque illo Heb. 2. mentio est de lapsis, ac malis, sed de bonis Angelis: nec ita absolutè dæmones, Angeli voce, significari solent. Deinde apparet Paulum agere, eo in loco de incarnatione filii Dei, qua assumptione carnis in unionem personæ, pati & mori potuit, ut nos redimeret: in quem finem & Angelis minor factus dicitur, v. 7. & frater noster, v. 11. & 17. & carnis ac sanguinis communionem nobiscum habere, v. 14. & nobis similis dicitur per omnia, v. 17. Ideo assumptio illa infirmi fratris (de qua Rom. 14. agitur) nihil cum hac assumptione habet commune. Porrò hanc assumptionem formæ servi (ut, difficultate hac soluta, ad rem redeamus) declarat Paulus sequenti expositione. Quia enim assumptio formæ servi, prima fronte, obscurior est, idcirco eam illustrat, cùm ostendit, se non de Angelica, aut alia quavis, sed de humana forma loqui. *Factus*, inquit, *in similitudine hominum*, id est, similis hominibus. Sed, adversus hanc sententiam, objectum fuit olim, à Marcionitis, & Eutychianis: Si Christus similis est hominibus: Ergo non est homo: quemadmodum histrio, qui regio vestitu indutus est, similis est Regi: sed tamen rex non est. Ideoque ob hanc similitudinem Christus non dicendus est ὁμοούσιος *ejusdem essentiæ nobiscum*: sed ὁμοιούσιος, i. e. *similis essentiæ*. Ad quam objectionem quidam respondentes (ut ex Oecumenio colligi potest) concedunt consequentiam, sed distinguunt consequentis attributum; nempe hominis vocem sumi, aut absolutè, pro humana natura prædito, atque ita Christum hominem esse: aut oppositè ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem tantùm seu vulgarem hominem, ex semine viri & in peccatis conceptum, quemadmodum Gal. 1. 1. ait Apostolus, se Euangelium non ab hominibus, sed à Christo accepisse: eaque ratione Christum, hoc in loco, non hominem, sed similem hominibus dici. Verùm solidius responderi potest, negatione consequentiæ. Primùm, quia similitudo interdum excludit ταυτότητα, seu quod eodem redit, simile opponitur eidem ac vero (ut Joan. 9. 9. quidam de Christo dixerunt, *ipse est, alii vero similis ipsi est*) sed non semper: ut cùm proverbio dicitur *ovum ovo simile*; indicatur quidem convenientia in qualitate; sed tamen substantiæ convenientia non tollitur, sed potius includitur: ita Christus reliquis hominibus dici potest similis humanis proprietatibus, ac statu afflicto, ut interim naturæ humanæ Ταυτότης non negetur: ut Hebr. 4. v. 15. Rom. 8. v. 3. Sed potius statuatur. Ταυτότης (inquam) speciei, non numeri. Sed excipiat aliquis. Esto, similitudo hæc veritatem substantiæ non excludat: eam tamen non significat: ac propterea locus hic de qualitatibus, & proprietatibus humanis, non autem de substantia intelligi debet. Verùm, quamvis in hac expositione nihil esset periculi, quia ex proprietatibus suis substantia vicissim demonstratur; tamen negamus similitudinem tam angustè semper sumi. Nam propriè quidem ac plerumque, convenientiam in qualitate designat: interdum tamen Synecdochicè generatim convenientiam quamlibet, etiam in substantia, significat: ut Gen. 5. 3. *Adam genuit Seth, ad similitudinem suam:* quo naturæ non minus, quàm corruptionis convenientia denotatur. Ita de Christo dicitur, Heb. 2. 17. *semen Abrahæ assumsit: unde debuit fratribus similis fieri per omnia*, nim. substantia, ut antè docuit, & qualitatibus, excepto tamen peccato: Heb. 4. 15. Atque hæc de v. 7. & humanæ naturæ Christi veritate. Cujus probatio, ab experientia, in descriptione secundi gradus humiliationis, innectitur, his verbis: Et σχήματι *compertus ut homo*. σχῆμα autem quidam angustius ad figuram corporis Christi restringunt: alii latius & commodiùs ad totam externam humanæ naturæ, & vitæ speciem: unde veritas humanæ naturæ Christi eluxit. Qualia sunt primum corporis figura; deinde materia: quod vera carne, & ossibus præditus fuerit: ad hæc proprietates, quod videri ac palpari potuerit, 1. Joa. 1. v. 1. Quemadmodum hisce argumentis veritatem corporis sui Christus probasse dicitur, Luc. 24. 39. & Joan. 20. 20. & 27. quod statura & sapientia accreverit, Luc. 2. 52. Præterea actiones & perpessiones humanæ vitæ, ut quod esurie, siti, lassitudine laborarit: quod ederit, biberit, dormierit, vigilarit, loquutus sit, ambularit, misericordia motus, iratus, tristis, gavisus fuerit, fleverit: adderem, cum nonnullis, riserit, nisi obstaret sacrarum literarum silentium: unde eleganter veterum quidam dixit *plorasse Christum nonnunquam lego; sed risisse unquam non lego*. Ex hac igitur universa corporis, & vitæ specie externa (ut crucifixionem, mortemque omittamus) veritas humanæ naturæ Christi divinitus demonstratur, & ab hominibus comperta. Ac propterea constat, falsò, Marcionitas, & (ut ex Oecumenio apparet) Eutychianos, olim, conclusisse, Christum non esse verum hominem: quod figura similis fuerit compertus hominibus. Figura enim, hoc in loco, non opponitur veritati: sed illi confirmandæ apponitur. Nec obstat, quod, errori suo fucando, ajebant, subjici ab Apostolo, *sicut homo*: quia vox illa (*sicut*) non semper similitudinem; sed interdum Ταυτότητα, reique veritatem notat, ut Joan. 1. v. 14. *vidimus gloriam ejus, sicut unigeniti à Patre*. Atque hactenus humiliationis filii Dei gradus primus & maximus (unde inanitio dicitur) explicatus est, nempe incarnatio: quod, in unitatem personæ perpetuam, formam servi, hoc est, naturam humanam singularem, quæ Deo serva est, utpote creatura, assumserit. Alter verò gradus, communi nomine humiliatio, seu submissio dicitur, & ea quidem voluntaria: quippe non ab alio humiliatus dicitur, sed seipsum humiliavisse. Humiliatio autem Christi, alia fuit secundū divinam naturam: non quod gloriā suam amiserit, aut minuerit in se; sed quod eam, ad peragendū redemptionis mysterium, apud homines occultam continuerit: quamvis interim quædam illius indicia, ad fidei confirmationem, variis miraculis, prodiderit: Alia humiliatio est secundùm humanam naturam: eaq; partim interna, seu animi, qua suam volun-

voluntatem, h. e. appetitum boni sui naturalem, seque totum, voluntati divinæ subjecit (unde illa, ante crucem, verba; *veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*) & hominum saluti sua commoda, & honorem postposuit: partim externa, in conformatione totius vitæ, & mortis, ad internam illam humilitatem: quod videlicet Dei gloriæ, & hominum conversioni, ac saluti, in summa, coram mundo, abjectione, ad mortem usque variis modis, inservierit. Quam humiliationem, sequenti descriptione, ab effecto declarat, cùm addit; *factus obediens usque ad mortem*. Obedientia autem erga Patrem intelligitur: cujus duæ statuuntur partes, obedientia vitæ, ac mortis: seu, obedientia ante passionem, ac mortem; & in passione, ac morte: siquidem particula illa *usque* non exclusivè, sed inclusivè sumitur, & rei amplificationi inservit. Cæterùm obedientia vitæ sita fuit, partim in perpetua justitia ejus, seu perfecto amore Dei, & proximi, Joan. 8. v. 29. & 46. partim in opportuna, & fideli collectione Ecclesiæ, per doctrinam, sacramenta & miracula, Joan. 4. v. 34. partim denique in perpetua patientia variarum perpessionum, inde ab ortu ipsius. Quæ quidem perpessiones, adeo fuerunt crebræ, ut vita Christi, non immeritò, perpetua passio, dici soleat: quemadmodum ex historiis Euangelistarum apertè constat. Obedientia verò mortis, complectitur partim voluntarium ad mortem, secundum Patris voluntatem, subeundam, studium, Matt. 26. v. 42. & Heb. 10. 9. partim hujus studii causam, summum Dei, & proximi amorem. Ac Dei quidem; quod non solùm ad mortem: sed etiam, quod amplius est, ad auxesin additur, *mortem crucis*; nempe ignominiosissimum, & maledictum, ob peccata nostra, mortis genus, Deut. 21. v. 23. Gal. 3. v. 13. sese lubens demiserit. Proximi verò amor, in eo eluxit; quod pro hostium suorum salute, eam mortem sustinuerit, Joa. 15. v. 13. Rom. 5. 6. 8. v. 10. Unde, quamvis obedientiâ totâ Christi servemur (ut id obiter dicam) tamen Synecdochicè, in morte, plerumque constituitur: non ut vitæ obedientia excludatur: sed potius, ut sub mortis obedientiâ, tanquam colophone, & fastigio, contineatur. Hoc autem in loco, universa Christi, cùm vita, tum mortis obedientia continetur: unde ad mortem durasse docetur: cujus obedientiæ partes, illa dictione, *usque* connectuntur. Atque hæc secunda, ac tacita antithesis est, inter Adamum primum, & secundum. Nam ut primus, cum tantum homo esset, similis Deo esse voluit, & deinde Deo inobediens fuit: sic contrà secundus Adamus, cum verus esset Deus, hominibus similis esse voluit, & Patri humiliter obediens fuit, ad mortem usque crucis. De qua obedientiâ, Rom. 5. vers. 19. Atque hoc modo humiliationis Christi descriptio finitur, vers. 8. & Pauli scopus, ea ratione, graviter comprobatus est. Nam si filius Dei, non sua quæsivit; sed quæ nostra: ideoque se ita inanivit, ut formam servi assumserit, & in ea adeo se demiserit, ut obediens Patri fuerit, usque ad mortem crucis, ad salutem nostram: multo magis nos, qui divinitus, & naturâ obstricti sumus, mutuò alii aliorum commodis debemus vicissim humiliter inservire. Cœterum à descriptione humiliationis Christi ad eventum illius, exaltationem, & gloriam transit, non tam digressione quadam, quàm opportuno, & firmo, ad scopum pertinente, argumento. Nam quemadmodum ab exemplo Christi, ad humilitatem & charitatem proximi hortatus est Apostolus: sic ad eandem extimulat proposito fructu, seu consequente præmio, & gloria in Christi capitis nostri exemplo: *Quapropter*, inquit, *etiam Deus ipsum superexaltavit*, seu (ut cum nostro interprete latinius dicamus) *in summam extulit sublimitatem*. In cujus loci explicatione distinctius observandum est, quid hæc exaltatio significet: Deinde quæ causæ illius. Ac prius quidem, ex opposito membro antecedenti, colligi potest: Hoc enim extra controversiam est, exaltationem ex adverso respondere secundo humiliationis gradui, quem humiliationem Apostolus vocat. Nam illa est inter duos hosce gradus differentia: quod prior est perpetuus, quia humanam naturam, quam semel assumpsit Dei Filius, in æternum retinet: alter verò est temporalis, quia per ignominiam transivit in gloriam, Luc. 24. vers. 26. Nam quod quidam hanc exaltationem utrique humiliationis gradui seu (ut Apostolus loquitur) exinationi, & humiliationi opponi censent; illud initio hujus loci refutavimus. Una tamen superest difficultas expedienda: Si, inquiunt; assumptio humanæ naturæ, est pars humiliationis, etiam pars erit meriti Christi, & Christus adhuc nobis promeretur, ac quamdiu erit unio personalis, hoc est, perpetuò, nobis promerebitur. Atqui consequens falsum est, quia meritum Christi consummatum est in terris, in statu humiliationis. Sed propositionis consequentiam negamus. Nam quod ad eam probandam regeritur; in humilitate, & obedientia meritum Christi consistere, fateor verum esse, secundùm quid, non simpliciter: hoc est, ratione non primi, sed secundi gradus humilitatis, cui soli Paulus opponit exaltationem, tanquam præmium. Quæ humiliatio, ut secundum utramque naturam (licet diverso modo) contigit: ita exaltatio non solùm ad humanam naturam, ut nonnulli angustius restringunt, sed etiam ad divinam, suo modo, pertinet. Nam primum, ut humiliatio secundùm divinam naturam contigit, non absolutè, & in se, mutatione aliquâ essentiæ, & gloriæ internæ & æternæ; sed tantum relatè, ratione occultationis illius temporariæ, coram hominibus: qua majestatem suam divinam, sub infirmitate carnis assumptæ, texit; carnemque suam, ad redemptionem electorum, mori voluit: ita exaltatio secundum divinam naturam, consistit, non in ullo gloriæ illius incremento, in se; sed in pleniori gloriæ, antea latentis, patefactione, coram Angelis, & hominibus: de qua re loquitur Christus, Joann. 17. vers. 5. *glorifica me Pater eâ gloriâ, quam habui apud te, priusquam mundus esset*. Deinde ut humiliatio secundum humanam naturam posita fuit, in animi humilitate; & vitæ, ac mortis crucis obedientiâ: ita exaltatio sita est, non in virtutis, sed in infirmitatis, ac reatus ablatione, & utriusque præmio. Gradus autem hujus exaltationis sunt quatuor. Quorum primus est resurrectio, qua Christus exaltatus est secundum humanam quidem naturam: partim ratione interna qualitatum, cum ex infirmo, & mortali, ac tandem mortuo, factus est, superatâ morte, immortalis, & gloriosus, Rom. 6. vers. 9. Phil. 3. vers. 21. Ideoque omnibus corporis & animi infirmitatibus superior: partim ratione externa justificationis, atque absolutionis à reatu, Rom. 4. v. 25. 1. Tim. 3. v. 16.

Secundum verò divinam naturam exaltatus est, non aliquâ qualitatum mutatione; sed patefactionis ratione, qua suam omnipotentiam, in morte, secundum promissionem, superandâ, ostendit, seque Dei Filium esse demonstravit, Joann. 2. v. 21. & 10. v. 18. Rom. 1. 4. & resurrectionis veritatem, quadraginta dierum mora, signisque variis confirmavit, Act. 1. v. 3.

Alter gradus est ascensio in cœlum: quâ exaltatus est, secundùm humanam naturam, in se; cum loci; tum cœtus dignitate: quando nube (quasi curru triumphali) subvectus est è terra, & cœtu mortalium, sublimior cœlis visibilibus factus, in cœlum cœlorum, hoc est summum, & cætum angelorum, & beatarum animarum, penetravit, Act. 1. v. 9. Eph. 4. vers. 10. Heb. 7. vers. 26. & 9. v. 24. Secundum divinam verò naturam, quatenus suam omnipotentiam Angelis, & hominibus patefecit, eâ naturæ suæ humanæ, in cœlum usque, subvectione. Unde perspicuè apparuit, hunc Jesum esse verum, & æternum, cum Patre, Deum. Sed objiciat aliquis: Elias in cœlum subvectus est, neque tamen Deus est. Ergo omnipotentia, & Deitas Christi, ascensione in cœlum, non est patefacta. Negamus consequentiam, quia dispar est ratio: quoniam Elias non suâ, sed alienâ potentia, nempe Spiritus Dei, in cœlum translatus est: Christus verò non aliena potentia, sed propria: Nam quamvis Elias eadem potentia, qua Christi humana natura, evectus sit: hoc tamen interest; quod ea potentia non fuit Eliæ propria, hoc est, personæ illius insita; quia merus homo fuit: sed ei tantùm assistens. Contra verò Christo est propria; quia

Deus est patefactus in carne, 1. Timoth. 3. vers. 16. Ac propterea Elias ascensionem suam pertulit, non perfecit; Imo nihil ad eam virium contulit: Contrà verò Christus, sua potentia ascendit. Sed rursus excipi potest: quod Angelicam potentiam non superat, ex eo divina potentia concludi non potest. Corporis Christi in cœlum subvectio, Angelicæ naturæ potentiam non superat. Ergo ex ea re divina potentia concludi non potest. Assumptionem concedimus. Nam & angeli boni è cœlo descendunt, & rursus in cœlum ascendunt vi sua: & Satan potuit Christi corpus, ex ima terra in sublimem montem efferre, & transferre, Matth. 4. vers. 8. imo longè majora potest præstare. Sed propositionem negamus: quia cùm illud, quod naturæ humanæ, & inferiorum creaturarum vim superat, ac sola divina, aut Angelica potentia effici potest, cùm, inquam, illud non fit potentia Angelica; tum, ex disjunctionis perfectæ necessitate, optimè concludi potest, fieri divina. Sic igitur dicimus: ascensio Christi in cœlum, aut Angelica, aut divina potentia contigit. Atqui non Angelica; quoniam ea naturæ humanæ non est propria, & insita: sed externa, cum ab Angelo sursum fertur: propria autem potentia ascendit, Joan. 3. vers. 13. Ergo divina: secundùm quam, seu cujus vi, nos etiam assumpturus est in cœlum, Joann. 14. vers. 3. Atque hac ratione, Christi miraculorum nonnullorum (quæ Angelorum potentiam non superant) dignitas asseri potest, ac debet, nimirum quod Christus ea fecerit, interna, sua ac propria potentia; ideoque divina, quia humanam potentiam superarunt. Hæc de priori modo, quo ascensione sua Christus, secundum divinam naturam, exaltatus est, patefactione suæ potentiæ. Alter modus est, quod quemadmodum incarnatione, & apparitione inter homines, metaphoricè descendisse dicitur è cælo: sic contrà carnis in cælum subvectione; &, in eadem, apparitione gloriosa, corám Angelis, ascendisse in cælum, & exaltatus dici potest, Joann. 3. v. 13. & 6. v. 62.

Tertius exaltationis Christi gradus, est sessio ad dextram Dei Patris: qua exaltatus est secundum divinam naturam, ratione patefactionis, cùm in humana natura glorificata, tanquam in speculo quodam, divinitatem suam, seque filium Dei esse, Patri æqualem, & per quem omnia gubernat, vivificat, operatur, ostendit. Deinde, cum secundum Patris voluntatem, omnipotentiam suam, in ecclesiæ collectione, amplificatione, & defensione clarius exerit. Nam ut humiliatus est in terris, gloriæ, & potentiæ occultatione; sic exaltatus est in cælis, illius patefactione pleniori, Joan. 17. vers. 5. Secundum humanam verò naturam; partim donorum habitualium perfectione, quod sapientia, potentia, majestate cæterisque cælestibus ornamentis, & beatitudinis excellentia, omnes creaturas longo superet intervallo, Hebr. 2. vers. 9. partim collatione dominii, quod omnibus creaturis tanquam Dominus, cui parere teneantur, præfectus sit, Eph. 1. vers. 20. 21. 22. Atque hi sunt tres exaltationis Christi gradus, quos vulgo proponunt. Quibus quartus, tanquam cœterorum complementum, adjungendus est, ex reipsa, & articulis fidei, reditus scilicet ad judicandum vivos, & mortuos: quo secundùm divinam naturam exaltabitur, ratione patefactionis suæ omnipotentiæ, in suscitatione mortuorum, cum Christus postremum hostem, mortem, superabit: &, in humana natura assumpta, divinam suam gloriam relucentem, universis Angelis, & hominibus, demonstrabit. Secundum verò humanam naturam; cum iisdem constabit, hunc Jesum, Mariæ filium, ante ignominiosè crucifixum, esse revera Christum, & creaturarum omnium Dominum: in quo divinitas corporaliter, id est, hypostaticè, habitet, Joan. 19. vers. 37. & Apoc. 6. v. 16. Veruntamen hic exaltationis Christi gradus summus; quo, plenè subjugatis, & perditis omnibus hostibus, gloriosè triumphabit, 1. Cor. 15. vers. 24. 25. nondum completus est; sed à Christo exspectatur, Hebr. 10. vers. 13.

Ac propterea cum Paulus hic differat de ea gloria, ad quam Christus jam evectus, & exaltatus est, tres priores gradus, hoc in loco, intelligendi sunt. Quare cum jam explicatum sit, quid exaltatio, hoc in loco, designet: reliquum est, ut de causis illius, quæ hic recensentur, nonnulla dicamus. Ac primum efficiens principalis statuitur *Deus*: Quæ vox, ut antea, non οὐσιωδῶς, de divina essentiâ, seu communiter de tribus personis: sed distinctè, hypostaticῶς, de Patre accipitur: non ita tamen, ut Filius, & Spiritus Sanctus, ab hac actione excludantur; cum opera externa sint communia: sed ut ordo personalis, & œconomia redemptionis indicetur. Pater enim, ut reliquarum personarum Deitatis principium est, non temporis, sed originis, & ordinis; sic in agendo similiter principium: Agit enim à se, per Filium, & Spiritum Sanctum. Ideoque per excellentiam ordinis, ea ipsi tribuuntur effecta; quæ Filio, & Spiritui Sancto æqualiter conveniunt, ratione actionis, quæ una eademque est. Deinde quoniam dispensatione voluntaria, Filius sese humiliavit, ac Patri subjecit: ideo exaltatio, licet commune sit Trinitatis opus, ad Patrem aptè refertur, Joann. 17. vers. 5. Nam ex antecedenti partium exaltationis explicatione constat, exaltationem hanc non minus Filio, quàm Patri convenire. Porrò, altera causa exaltationis efficiens est impulsiva, nempe humiliatio, & obedientia Christi, quod indicatur voce, *quapropter*. A qua sententia, modo rectè exponatur, cur tantopere nonnulli nostrum Theologorum abhorreant, nondum liquet. Nam, quod ajunt, dictionem illam, διὸ, id est, *quapropter*, non semper causam, sed sæpè consequentiam denotare, id verum esse agnosco: Sed quod eam hujus loci sententiam esse contendunt, illud non satis firmis rationibus probari videtur. Objiciunt quidem primum: obedientiam, & crucem Christi, antecedens esse, & viam ad gloriam, Luc. 24. vers. 26. Sed illa non pugnant: viam & causam esse. Sic enim mala opera, & via sunt, & causa ad interitum. Deinde objiciunt: Christus propter nos, non propter seipsum, humiliatus est. Ergo propter nos exaltatus est, non propter se. Verùm antequam respondeamus, distinctione opus est vocis ambiguæ. Nam vox (*propter*) in hac argumentatione, causam impulsivam notat: sed ea duplex est, si vocis usum spectemus. Aut enim reipsa antecedit & efficiens est, ac Synecdochicè causa impulsiva dicitur; aut intentione præcedens, reipsa sequitur, & finis nominatur, qui (ut vulgò doctè fertur ex Aristotele) primus est in intentione, & postremus in executione.

Vox igitur, (*propter*) aut finem, seu finalem impulsivam: aut causam impulsivam efficientem, & quidem (quam, modi ratione, in hac materia, meritoriam vocant) hoc in loco significabit. Si impulsivam finalem denotaret, tum nihil ad rem. Non enim de fine, sed de efficiente quæstio est. Deinde & si daremus, tamen negaretur antecedens. Nam quamvis Christus humiliatus sit, primum ac potissimum, in eum finem, ut pro nobis satisfaceret, eaque ratione nos servaret; huic tamen subordinatus, & implicitus fuit alius finis medius, scilicet Christi ipsius, tanquam capitis salus, & gloria, in qua & per quam nos fieremus gloriæ cælestis participes, Ephes. 2. vers. 6. Atque huc refertur locus, Heb. 12. vers. 2. *Iesus, pro gaudio sibi proposito, pertulit crucem, ignominiâ contemptâ, & ad dextram throni Dei consedit:* ut etiam noster interpres hunc locum, Heb. 12. exponit. Nam quamvis illi, quorum sententiam examinamus, secus exponant, & vocem (ἀντὶ) significare *vice*, *loco* statuant; eam tamen finalem causam, hîc significare posse, non diffitentur. Porrò si dictio (*propter*) causam impulsivam, non finalem, sed efficientem notat; tum nulla erit consequentia: quia dispar est humiliationis, & exaltationis ratio. Illam enim promereri non potuit, quia mediatorem nostrum peccati expertem esse oportebat, Hebr. 7. vers. 27. Hujus autem causa esse potuit, ac fuit, quam & sibi, & nobis suo merito

pepe-

peperit, Esa. 53. v. 11. Heb. 2. v. 9. 10. Tertiò objiciunt, hanc explicationem, qua Christus statuitur, primum sibi meritus gloriam; deinde nobis: repugnare analogiæ fidei. Nam passim Sacræ Literæ commendant singularem amoris Christi, erga nos, in morte subeunda, præstantiam, quæ omnino tollitur, aut saltem minuitur, si sua humilitate exaltationem sui spectarit. Nam quid magni meriti fuerit, si quis temporarios subeat cruciatus, pro æterna gloriâ? quia hæc sunt disparia. Sed negamus; eo modo tolli aut minui amoris Christi præstantiam: quia ea gloriâ potuit frui per se, sine hac mortis, & pœnarum inferni viâ. Deinde, quia non primùm, nec potissimum suam spectavit gloriam, sed nostram; suam verò subordinatè, tanquam nostræ gloriæ principium, & causam. Sed quartò objicitur analogia contextus: Nam Pauli scopus est ostendere, Christum non sua, sed nostra quæsivisse. Quam ad rem probandam, docet exinanitum, & humilitatum esse, Patrique factum obedientem ad mortem crucis. Atqui si dicamus, Christum, in humiliatione, rationem habuisse suæ gloriæ; huic scopo Pauli contradicemus. Sed responderi potest, primùm, non eam esse quæstionem propriè, an exaltatio Christi fuerit finis aliquis, quem, in humiliatione sua, propositum habuerit; sed an effectum: seu quod eodem redit, an dictio illa, διὸ (*quapropter*) denotet consequentiam tantùm: an verò causam impulsivam efficientem. Deinde etiamsi de fine agamus, nulla tamen erit contradictio. Nam quia Christus gloria sua præsenti abstinuit; & futuram, non tam sua, quàm nostrâ causâ spectarit: meritò dicitur, secundùm quid, & comparatè, non sua, sed nostra quæsivisse commoda. Nam ut explicatius agam: propter nos, & sua gloria ad tempus caruit, qua justè frui poterat: & se ad mortem crucis maledictam demisit; cum eam, si meritum spectes, & potentiam, declinare potuisset. Denique gloriam suam potissimùm spectavit, tanquam nostræ gloriæ principium, & causam, ut antea ostendimus. Ergo, ut rem ipsam, paucis, complectamur: quemadmodum Adamus, si in sua justitia perfectè perstitisset, causa fuisset vitæ, & sibi, & nobis posteris: ita Christus secundus Adamus, sua satisfactione, qua Patri obediens fuit in omnibus, sibi & nobis gloriam acquisivit. Sed postremùm objiciunt: Dei gloria, & propria Dei majestas, humani operis merces esse non potest. Atqui hæc Christi exaltatio est Dei gloria illa, quam apud Esai. sibi soli vendicat Deus. Ergo non potest esse humani operis merces. Sed, ut omittam, quod in assumptione, seu minore propositione, exaltatio angustiùs restringitur, (ut ex superioribus patet) majoris etiam extremi, seu consequens conclusionis pars ambigua est, ac distinguenda. Nam humanum opus; aut absolutè, aut secundùm quid, dici potest. Si simpliciter, & absolutè, de mero humano opere accipiatur, tum falsa nititur hypothesi: Christi enim humiliatio opus est θεανδρικὸν *Deo-humanum* (ut loquuntur) hoc est totius personæ, secundùm utramque naturam, utraque natura (servatis suis proprietatibus) agente quod suum est, cum communicatione alterius. Deinde, quia non asserimus hoc Christi opus esse simpliciter humanum, propterea nihil ad rem facit hæc argumentatio. Sin verò opus humanum intelligatur, secundùm quid, tum negatur propositio. Nam præmium humani operis Christi, secundum quid, id est, quatenus conjunctam habet dignitatem infinitam, rectè statuitur divina gloria, & divinæ naturæ soli tribuitur: Infinita autem illa dignitas oritur, partim ex unione hypostatica; adeo ut hæc obedientia, & mors, non nudi hominis sint, sed Filii Dei incarnati: partim ex conjuncta, & distincta naturæ divinæ humiliatione; qua non solum humanam naturam assumptam humiliare, sed etiam divinam suam gloriam, ea ratione, non in se minuere, sed coram hominibus, ad tempus, tegere voluit; cujus humiliationis divinæ præmium est gloria divina, Joan. 17. v. 5. Quare ex hisce concludimus: sanam eorum esse sententiam qui statuunt, hoc in loco, vocem, (*quapropter*) denotare non consequentiam; sed causam impulsivam. Atque hactenus de exaltatione Christi, & causis illius. Quibus ab Apostolo subjungitur exaltationis declaratio, duabus partibus constans: nempe, donatione nominis supra omne nomen; deinde fine illius: de quibus, ob loci difficultatem, distinctè agendum est. Ad prius quod attinet; sunt, qui, *nomen*, figuratè, seu potius tropicè, pro gloria, & dignitate accipiendum censent. Sed cùm ea sit, aut finita; aut infinita: de priori nonnulli exponunt, nimirum quod Deus, Christi humanam naturam, gloria & honore, longè supra omnes creaturas evexerit. Atque eo referunt locum, Ephes. 1. 21. Nonnulli contrà, de dignitate infinita, interpretantur, quæ Christo, secundum divinam naturam, competit. At si quis objiciat, quod Christo datum est in tempore, illud non contigit nisi humanitati, quia quatenus Deus est, omnia habet ab æterno. Respondetur, dationem aliam esse propriam; aliam impropriam. Propria datione, reipsa & absolutè, ab æterno, generatione sui, omnia à Patre Filius accepit: impropriè verò per metonymiam ac relatè ad creaturas, accepit gloriam, non ratione sui ipsius, in se; sed ratione patefactionis apud alios. A qua gloria pro tempore humiliationis, dispensatione voluntaria, abstinuerat. Atque huc pertinet, vulgò trita, illa ex Augustino sententia: *tum aliquid dici solere fieri, quando incipit patefieri, atque innotescit.* Ac sane, cùm ea, quæ de cultu adorationis sequuntur, ratione divinę naturę Christo convenire constet: inde apparet, hanc sententiam priori esse aptiorem. Atque huc etiam referunt eundem locum, cujus antea memini, Eph. 1. v. 21. Quamvis uberior esset sententia, si ad utrumque simul, id est, ad infinitam, & finitam gloriam, referretur. Sed excipiat aliquis: unius loci una tantùm potest esse sententia, non autem duę. Fateor si duę, in uno generali, aut communi sensu, non contineantur. Atque hanc causam esse concedo, cur multi, hac necessaria observatione neglecta, interdum impingant. Sed alia est ratio, si duę diversę interpretationes, in uno communi sensu, conveniant. Sic *nomen supra omne nomen*, & hoc in loco; & Eph. 1. gloriam, omnium creaturarum gloria majorem significat: qua Christus donatus est, secundùm utramque naturam, communiter: sed tamen distinctè suo modo: quia hæc gloria, aut est finita, & humanę naturę: aut infinita, & divinæ naturæ convenit, ut ex superioribus notum est. Atque hæc de eorum sententia, qui *nomen*, hoc in loco, impropriè exponunt, & gloriam finitam, aut infinitam interpretantur. Alii vero *nomen* propriè exponunt: sed, in eo definiendo, variant inter se. Nonnulli nomen *Iesus* esse putant; quia sequitur hoc loco, *ut in nomine Iesu.* Qua ratione Paulus videtur illud definire, quod generaliùs, & obscuriùs antè dixit. Verùm negamus hanc esse causam, & sensum hujus loci. Nam *genu flectere in nomine Iesu*, nihil aliud est quàm propter personam illam Jesu, id est, ad honorem illius, vel jussu illius. Deinde nomen *Iesus*, non est supra omne nomen; sed Christo cum multis hominibus commune, licet ratione diversa. Deinde datum est id nomen, non primùm in exaltatione; sed ante incarnationem: ut etiam in statu humiliationis, perpetuò ita nominaretur, Luc. 1. 31. Quare Græci, & Latini Patres (quos multi interpretes secuti sunt) de nomine filii Dei, aut Dei, exponunt, usi Apostoli interpretatione, in loco simili, Heb. 1. v. 4. & 5. 8. & 10. Nam solus Christus, filius Dei dicitur *proprius*, κατ' ἐξοχὴν; & opposite creaturis, nempe *unigenitus*: quem Pater genuit propriè, ratione personæ, ab æterno; figuratè verò seu potius metaphoricè, in tempore genuisse dicitur, ratione patefactionis, cum per resurrectionem, ac deinde ascensionem, & sessionem ad dextram, hunc Jesum crucifixum, filium suum unigenitum esse, pater patefecit. Sed excipi potest: ante exaltationem, hoc nomine fuit donatus à Patre, Matth. 3. & 17. & à discipulis talis agnitus, Joann. 1. & prædicatus, Matth. 16. Fateor: sed illa donatio nominis, fuit tantum scintilla quædam, si cum fulgore, & gloria consecuta, compareretur: quia filii divinitas resurrectione, ascensione in cælum, missione, & testimonio Spiritus Sancti, apparitionibus, & operibus admirandis; Angelis, & hominibus demonstrata est. Sed tamen prima sententia simplicior est, ac maximè consentanea. Hæc de nominis, ac gloriæ summæ donatione. Finis verò illius statuitur cultus divinus, à creaturis, geminus: adoratio, & confessio. Prior *genuflexione*, metonymicè

nymicè, indicatur; & amplificatur, per inductionem causarum efficientium, nempe creaturarum ratione præditarum. Quæ distinguuntur, ratione locorum, in cœlestes, terrestres, & subterraneas. Unde Pontificii, vulgò, suum Purgatorium fictitium, frustrà, stabilire contendunt. Ubi, inquiunt, extant, qui genua Christo flectant, ibi est aliquis piorum locus. Sed tales sunt apud Inferos, ut ostendit Paulus. Ergo ibi est aliquis piorum & servandorum locus, quem purgatorium vocamus. Sed propositio negatur: quia duplex est genuflexio & adoratio: una libera, ac voluntaria, quæ impiorum; altera servilis, & coacta, quæ impiorum: quemadmodum Christo, etiam in terris versanti, dæmones genua flectere, eumque Dominum, ac judicem suum agnoscere, coacti sunt. Marc. 5. v. 6. credunt enim & contremiscunt, Iacobi c. 2. 19. Sic Paulus de generali adoratione hîc loquitur: Vt etiam, ex collatione similis loci, apparet. Nam verba illa, de omnium genuum flexione, quæ Deus sibi attribuit, Esa. 45. v. 23. ea Paulus, Rom. 14. 10. & 11. ad universale judicium refert, cùm ad Christi tribunal omnes sistemur. Unde apparet, hanc genuflexionem, non solùm ad hanc vitam pertinere; sed, bonâ parte, ultimo die complendam: quo omnes Angeli boni, mali; homines pii, impii, Christo, tanquam Domino suo omnipotenti, illi lubenter; hi verò coacti, se subjicient. Sed, inquies, quænam est distincta harum vocum, *cælestium*, & *subterraneorum*, significatio? Nam *terrestrium* nomine, homines, qui in terris vivunt intelligi, certum est. Sed primùm cœlestes, Chrysostomus Angelos bonos; subterraneos, dæmones interpretatur: non malè. Nam quamvis dæmones in aëre versentur, Eph. 2. v. 2. tamen rectè subterranei dici possunt, quod infernus, illis potissimum puniendis, sit destinatus, Matth. 25. v. 41. Unde ab ejus ingressu adeò abhorrent, Luc. 8. v. 31. Atque hinc fit, ut inferorum, & gehennæ nomine, Metony. significentur, Matth. 16. 18. *Portæ inferorum*, hoc est, consilia, & potentia dæmonum, *non prævalebunt*, Iac. 3. v. 6. *inflammatus à gehenna*, id est, à Satana. Altera expositio est Theodoreti, qui *cælestes* interpretatur Angelos non solum bonos, sed etiam malos. Nam cœlum, terræ oppositum, ex Scripturæ usu, locum universum, supra terram communi ratione significat, qui in tria spatia distinguitur: in aërem, hinc *volucres cæli*, id est, aëris dicuntur: in cœlum æthereum, unde *stellæ cæli*, appellantur; denique in cælum beatorum nobis invisibile, quod *cælum cælorum* supra omnes cœlos, supple visibiles & *tertium cælum*, 2. Corinth. 12. v. 2. propterea nominatur. In cœlo aëreo sunt dæmones, quemadmodum Satanæ attribuitur potestas aëris, Eph. 2. v. 2. & eo sensu dæmones vocantur *spirituales malitiæ in cælestibus*, Ephes. 6. vers. 12. Angeli verò beati in cœlo beatorum potissimum versantur: communi igitur nomine, Angeli omnes, cœlestes dici possunt; quamvis in distinctis cœli regionibus versentur. Deinde ut *terrestres*, homines in terrâ vivos: sic *subterraneos*, mortuos, qui terrâ conditi sunt, intelligit. Utraque interpretatio probabilis, sed prima magis simplex videtur. Interim tertiam addi posse apparet, ut nomine cælestium, intelligantur beati Angeli & animæ fidelium in cœlum receptæ: Terrenorum verò, homines, qui in terra degunt: denique subterraneorum, dæmones, & damnatæ infidelium animæ. Denique quarta afferri posset, hunc locum, de solis hominibus; partim triumphantibus supra terram in cælo; partim militantibus in terra; partim denique victis, ac tortis sub terra, in inferno, esse intelligendum: non autem de Angelis: idque tribus de causis. Primùm, quoniam genua propriè hominibus, non Angelis, conveniunt. Secundò, quia verba sequentia: *& omnis lingua*; sunt ejusdem omnino causæ explicatio: Atqui *omnis lingua* omnem populum significat, & ad solos homines referri propriè debet. Tertiò, quia Esaias, cap. 45. v. 23. & Paulus, Rom. 14. v. 11. ad solos homines, hanc genuflexionem accommodant. Veruntamen hæc sententia paulò angustior est, quàm ut augustæ Christi gloriæ, quam hîc paulus describit, satisfaciat. Dicit enim Christo datum nomen, supra omne nomen, id est, quod & hominum, & Angelorum nomina, ac dignitates longè superet, Eph. 1. 21. Cui nomini respondet subjectio, seu obedientia; quâ omne nomen, Christum agnoscit Dominum. Nec obstat quod genuflexio Angelis propriè non conveniat. Satis enim est modo figuratè, quemadmodum hoc in loco, pro cultu religioso, & subjectione accipitur: & similes voces, quæ propriè corporibus conveniunt, Angelis, in simili sententia, attribuntur: ut Psal. 97. vers. 7. *Incurvate vos* (השתחוו) *ei omnes dii*: id est, ut interpretatur Apostolus, Hebr. 1. v. 6. *adoranto* προσκυνησάτωσαν *eum omnes Angeli*. Deinde, quod verba sequentia Pauli objectantur, duplex esse potest responsio: primò, diversam esse sententiam; & gentium omnium fieri mentionem, quæ Christum confiteantur, Apoc. 5. 9. Secundò negari potest, *omnem linguam*, omnem populum tantum modò significare: quia omnis lingua, intelligenda est cœlestium, terrestrium, & subterraneorum. Quamvis enim Angeli propriè, ac naturâ linguis careant, suo tamen modo, homines alloquendo, iis utuntur, iisque attribuntur in Sacris Literis, 1. Corinth. 13. 1. Denique Paulus hanc eandem, ex Esa. petitam sententiam, hominibus tantùm accomodat, Rom. 14. non quod ad eos solos, exclusis Angelis, pertineat: sed quod etiam ad homines, de quibus disserit. Quare, & Esaiam, & Paulum, omnium linguarum nomine, omnes homines, & Angelos intelligere statuimus. Atque hæc de primâ cultus, Christo à creaturis debiti, parte, nempe genuflexione seu adoratione & submissione. Altera est oris confessio, *ut omnis lingua*, hominum & Angelorum, *confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus*; εἰς δόξαν *Dei Patris*. Quæ verba bifariam accipi possunt: primò, ut εἰς δόξαν vertamus, cum veteri interprete, *in gloriâ*: quemadmodum εἰς & ἐν sæpe, in Novo Testamento inter se permutantur; ut gloria, sit confessionis subjectum, seu materia. Quæ sententia est Commentarii, Ambrosio ascripti: *In gloria*, inquit, *Dei Patris esse, nihil differre ab eo, ut una gloria sit Patris, & Filii, per communem substantiam, & virtutem, est enim hæc unitas naturæ*. Atque huc referri posset locus Matth. 16. 27. *Filius hominis venturus est in gloriâ Dei Patris*. Deinde εἰς δόξαν *ad gloriam*, interpretari possumus servatâ præpositionis εἰς genuina significatione, ut gloria Dei, sit confessionis effectum, & *Dominus* sit materia: quem sensum noster interpres expressit, ac Græci Patres præmonstrârunt. Quæ explicatio antecedenti cultus parti optimè convenit, quod omnes Angeli, & homines, Christo tanquam Domino, subjecti sint, & ipsum Dominum esse confiteantur: id quod ad Dei Patris gloriam pertinet, Joan. 5. vers. 23. Verùm ut adoratio; sic etiam confessio, alia est ex fide verbi divini: alia ex evidentia rei, & experientia; eaque aut libera, quæ bonis hominibus, & Angelis convenit: aut coacta, ob Dei potentiam, qualis malorum: utraque autem intelligitur. Unde apparet titulum *Domini*, hoc in loco, Christi tribui, non particulari relatione ad fideles, quos redemit, ut sæpius sumitur; sed universali, ad omnes homines, & Angelos, quibus Filius Dei, ut secundùm divinam naturam, jure proprio creationis, & providentiæ, per se, perpetuò præfuit: sic secundùm utramque naturam, jure officii regii, præest, & merito humiliationis acquisito, quo à Patre exaltatus supra omnes creaturas, & Dominus à Patre factus dicitur, Actor. 2. v. 36. Secundùm divinam naturam, ratione dominii infiniti quod antea habuit, pleniori patefactione: secundùm humanam naturam, ratione dominii supra omnes creaturas, sed tamen finiti, collatione, & acceptione à Patre. Veruntamen objiciat aliquis: Nonne Christus fuit Dominus omnium creaturarum, etiam in statu humiliationis? Fuit sanè, si Dominii jus spectes, & officium: alioqui Christus non fuisset rex: unde Luc. 2. v. 11. *natus est hodie vobis servator, qui est Christus Dominus*. Sin verò factum seu usum, & efficacem Dominii patefactionem pleniorem consideres; tenue fuit, ante axaltationem, initium, idque propter humiliationis statum: quo & hominibus inservierat; & Diaboli, impiorumque injuriis variis, afflictioni, & morti subjectus erat, & regnum ejus, Judæâ terminatum, nondum poterat ad gentes propagari. Contra verò in statu exaltationis (sublatis jam omnibus

bus infirmitatibus, & amplificatione regni, per accessionem gentium, ante Christi mortem fide non subditarum) ejus incrementum, & complementum accessit. Atque hoc modo conciliari possunt, ac debent ea loca, quibus asseritur, & in statu humiliationis, Christo omnia data esse, Matth. 11. 27. Ioh. 3. 35. & 13. 3. & 17. 2. & similiter in statu gloriæ, Matth. 28. 18. Ephes. 1. 21. 22. Heb. 2. 7. 9. Atque hactenus de probatione duplici, quâ Paulus, hortationem ad humilitatem, & charitatem, confirmavit? quarum prior fuit ab exemplo effectorum Christi, quod cum Deus esset Patri æqualis, homo fieri voluit, & sese humiliare, Patrique in humana natura obedire ad mortem crucis, ad nostram salutem. Altera est, à fructu consequente, nimirum gloria: quem fructum Christi, capitis nostri, exemplo simili, indicavit, ac confirmavit, v. 11. Modus vero tractationis est Syllogisticus. Quemadmodum Christus fuit affectus: ita & vos esse debetis, vers. 5. Atque Christus ita fuit affectus, ut non suam gloriam, & commoda quæsierit; sed aliorum: quippe hominum causa, & homo factus est, & sese humiliavit, ac Patri obediens fuit, ad mortem crucis. v. 6. 7. 8. Ergo etiam vos ita affecti esse debetis. Quæ conclusio confirmanda præposita fuit, v. 3. & 4. Et nunc confirmata (ut fieri solet) repetitur, atque ex antecedenti infertur, v. 12. Verbis quidem diversis, sensu tamen eodem; quia ad humilitatem hortatur: aut, ut magis propriè dicam, ad humilitatis radicem, amicâ usus compellatione, & aliis tribus (ut videtur) argumentis. Quorum prius est derivatum à Philippensium proprio exemplo, nimirum obedientia erga Deum; (talis enim Christi fuit) & inchoata, non perfecta (Ea enim solius Christi est) quia *in multis impingimus omnes*, Iacob. 3. v. 2. Quam obedientiam laudat Apostolus, non ut eo modo aduletur: sed verè & sincerè: ut illos eo, quasi stimulo, in officio suo, ad Dei gloriam, amplius confirmet: quandoquidem turpe omnino est, in ea virtute, quæ à bonis probata, accepta, & incepta est, non proficere; turpissimum verò ab ea deficere. Hanc autem obedientiam Ecclesiæ Philippensis amplificat Paulus: primùm, argumento deducto ab adjuncti temporis circumstantia: quam proponit quando ait; *semper*; nempe inde à conversione; & exponit divisione in tempus præteritum (quod adjuncto præsentiæ suæ indicat) & in tempus præsens. Secundò, idem amplificat, partium obedientiæ comparatione impari: quod in sua obedientia profecerint; & jam, Paulo absente, magis obediant, quàm antea, atque initio eodem præsente: quod sinceræ, & magnæ pietatis argumentum. Similis accommodatio antecessit, c. 1. 5. & sequitur, c. 2. 15. Atque hanc interpretationem existimo genuinam. Nam quod plerique hæc verba, ad sequentia referunt, quamvis non dissimilis valde sit locus, c. 1. v. 27. & hortationi amplificandæ, non malè congruat: tamen constructio minus videtur convenire. Atque hoc primum argumentum. Cui subjungitur hortatio, quæ inde concluditur; & alterum argumentum, à fructu petitum, atque inclusum continet, cum ait; *Cum timore ac tremore salutem vestram conficite*. Nam scopus Apostoli est, humilitatem commendare: Ideoque causam illius, originemque, timorem, & tremorem præcipit. Non enim eum intelligit, qui otiatur ex dubitatione de gratia Dei, & salute nostra; quasi fidei certitudini repugnaret, ut falsò Pontificii objectant: sed contrà, eum timorem designat, qui carnali confidentiæ, & propriarum virium, in salute procurandâ, arrogantiæ, opponitur: qui ex agnitione imbecillitatis nostræ, & diffidentiâ nostrarum virium; deinde ex fide, & charitate in Deum, Dominum, ac Patrem nostrum promanat; ac piam solicitudinem vitandæ offensionis Dei, atque humilitatem generat: de quo timore, & tremore, Psal. 2. qui cum fiducia in Messiam conjungitur. Alterum hujus hortationis argumentum, ei, perquam artificiosè connexum est, quod salutem suam eo modo operentur. Sensus enim est: timete, seu humiles estote; quia ea est ad salutem via. Sed objiciunt Pontificii: qui salutem suam operantur, illi promerentur vitam æternam. Fideles, teste Paulo, salutem suam operantur: ac propterea etiam vitam æternam promerentur. Hoc argumento insolentes sunt adversarii, sed frustra. Nam duplici vitio hic syllogismus laborat. Primùm enim est fallacia homonymiæ, in argumenti, seu medii termini, parte prima: quia *salus* diversimodè accipitur. Alia est enim inchoata, quâ quis liberatur, ac salvus fit à peccati dominio, & reatu condemnationis æternæ, per efficacem vocationem ad fidem: cujus operationis initium à solo Deo regenerante existit, Eph. 2. v. 8. 9. 10. Confirmatio verò ac progressus, à Deo, tanquam primario operante, Phil. 1. & c. 2. v. 13. & ab homine fideli regenerato, cooperante, viribus vitæ, per regenerationem, spiritualis, à Deo acceptis; cum, fidem, & charitatem suam exercendo, in salute cœpta proficit, 2. Cor. 10. v. 15. Col. 1. v. 10. 2. Thess. 3. 4. Alia deinde salus est perfecta, quæ inchoatæ salutis complementum est, videlicet, cum fideles à reliquiis peccati & morte exempti, vita æterna perfruuntur. Ac de inchoatæ salutis initio loquitur Christus, cum ait, Luc. 19. v. 9. *Salus facta est huic domui*, hoc est, familiæ. De ejusdem verò salutis progressu, hæc Pauli sententia, quæ in assumptione objecti syllogismi adfertur, intelligitur convenientissimè. Nec enim ulla apparet circumstantia, quæ aliud suadeat. In propositione verò vox *salutis* ab adversariis, pro salute perfecta, & æterna accipitur. Ideoque vitiosa est, ob quatuor terminos, consequentia. Deinde alterum etiam vitium est; quod propositio sit falsa: quia nititur hac falsâ hypothesi, quasi non alius esset salutem operandi modus, quàm merito. Nam, ut alia prætereàm, fides operatur per accidens gratiæ Dei, ut causa efficiens instrumentalis, justificationem ac salutem æternam, & tamen eam non meretur: sicut nec fœminæ, sanguinis profluvio laborantis, fides, salutem corporis ideo meruit; quia fides eam salvam fecisse dicitur, Matt. 9. v. 22. Veruntamen, licet ex hoc loco nihil habeant expressè, de salutis æternæ operatione, aliunde tamen generalius id probari gloriantur. Qua propter non alienum erit ab hoc loco, si paululum expendamus. Excipiunt enim: quicquid operatur æternum gloriæ pondus; illud est saltem causa vitæ æternæ. Atqui afflictionum nostrarum tolerantia operatur æternæ gloriæ pondus, 2. Cor. 4. v. 17. Ergo afflictionum tolerantia est saltem causa vitæ æternæ. Verùm negatur syllogismi consequentia, ob quatuor terminos. Operari enim accipitur in propositione propriè, pro causam esse, cujus efficaciâ res oriatur. In assumptione verò, seu citato Scripturæ loco, impropriè, per mataphoram, pro occasionem esse, usurpatur. Nam *operandi*, ac *faciendi*, vox ita accipi impropriè *potest*, & hoc in loco accipi *debet*. *Potest* quidem, quia usus Scripturæ, & omnium linguarum, hoc fert: ut 2. Sam. 12. v. 12. de pessimo incestu Absolomi (cujus causa Deus optimus esse non poterat, quippe, ut recte Fulgentius monet, *eorum Deus non est author, quorum est ultor*) dicit Deus, *Ego facturus sum hanc rem*, scilicet non propriè: sed impropriè, per metaphoram; quod occasio futurus esset, ac director innoxius: id est, justa ablatione sapientiæ ab Absolomo ingrato, & laxando habenas tentatori Satanæ, & instrumentis illius, consiliariis pravis, occasionem objiciam, quâ, tanquam viâ, ipsius Absolomi vitio, incestus fiat; eâque ratione David justè puniatur. Et sic aliæ non paucæ operandi speciales voces (ut *mittere efficaciam erroris*. 2. Thess. 2. vers. 11. *discordem reddere hominem, contra Patrem*, Matth. 10. vers. 35.) in simili materiâ, accipiendæ sunt. Deinde non solùm posse, sed etiam *debere*, vocem operandi, seu efficiendi, hoc loco, ita accipi, hisce, inter alia, ex analogia fidei, & contextus, argumentis, demonstratur. Primùm, ex operum humanorum adjunctâ imperfectione insitâ, hoc modo: opera, quæ imperfecta sunt, seu peccati contagione, infecta, ea non gloriam, sed ignominiam æternam promerentur, ac per se efficiunt, Deut. 27. vers. 26. Atque omnia fidelium opera (ac propterea etiam tolerantia afflictionum) sunt imperfecta: quia non ex totius cordis, totius animæ, & virium dilectione (ob carnem spiritui semper in hâc vita repugnantem, Rom. 7. Gal. 5. v. 17.) oriuntur; sed contagionem habent, & vitium, non solum additum aliorum peccatorum, sed etiam

 inditum

inditum sibi. Ergo nulla fidelium opera vitam æternam, sed contrà ignominiam æternam promerentur ac per se efficiunt. Quod autem ob ea fideles reipsa non damnentur, hoc fit, non ex efficacia operum, sed ex gratia Christi: qua defectus, & malum bonorum operum meritum, ex imperfectione ortum, per, & propter Christum, gratuitò condonatur. *Nulla enim condemnatio est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum*, Rom. 8. v. 1. & Hebr. 13. Deus dicitur, *perficere in nobis, quod ipsi gratum est, per Christum.* Nam licet bona opera, quatenus sunt à Deo,& à Spiritu, seu regenerationis dono, sint bona: imperfectione tamen carnis, secundum quid, redduntur mala. Ideoque, quod bonum est in iis, Deus agnoscit, &, quod conjunctum est malum, propter Christi meritum, ignoscit, ac condonat, ne condemnemur. Alterum argumentum, & tertium est à gloriæ æternæ operationis, primum efficiente; deinde tempore. Ab efficiente, hoc modo: Quod est merum gratiæ Dei donum per Christum, ejus propriè causa non sunt opera nostra: quia hæc sunt contraria: merâ gratia, hoc est, sine operum effectione: & operibus, seu operum vi, Rom. 11. vers. 6. Atqui vita æterna est hujusmodi, *donarium Dei est vita æterna, in Christo Iesu*, Rom. 6. v. 26 Ergo bona opera, nostra non sunt propriè causa vitæ æternæ: Idque alterum à vitæ æternæ tempore adjuncto comprobat. Quod enim operatus est Christus nobis, ante tolerantiam afflictionum; illud non est earum effectum: quia causa efficiens suo effectu posterior esse non potest. Atqui jus vitæ æternæ universum, operatus est Christus nobis, suo non solùm merito in cruce, sed etiam efficacia, donando fidem, & adoptionem, ad communionem meriti, Ioan. 1. 12. Rom. 8. 17. etiam ante afflictionum tolerantiam. Ergo. vita æterna non est illius tolerantiæ effectum. Id quod denique ostendit comparatio subjectæ tolerantiæ afflictionum, & ponderis gloriæ, in objecta sententia, à Paulo proposita. Illa enim momentanea, ac levis: hæc verò summi ponderis, & æterna, ut etiam, Rom. 8 18. *Statuo igitur perpessiones hujus temporis, non esse dignas ad futuram gloriam.* Atqui quod revera causa est efficiens suo non est indignum effectu, utpote cum ab ipsius efficacia proficiscatur. Quamobrem non immeritò in Ecclesia, non minus laudata, quàm celebris est, Bernhardi sententia; *Bona opera non sunt causa regnandi, sed via regni*, ut & Paulus confirmat, Actor. 14. v. 22. *per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei.* Quod ut præparatum est nobis ante jacta mundi fundamenta, Matth. 25. 34. Ita fidelibus, etiam nondum afflictis, datum est, Luc. 6. 20. & 12. 32. Cujus regni gloriæ, causa est, donatum regnum gratiæ, Coloss. 1. vers. 13. & 2. Thess. 1. 12 Iacob. 2. 5. Occasio verò, viaque, & conditio gloriæ cœlestis, Matth. 5. 20. Hebr. 12. v. 14. (non autem causa promerens, neque aliter propriè efficiens) sunt bona opera: inter quæ, persecutionum, veræ fidei ac Christi nomine, tolerantia recensetur, Matth. 10. v. 21. Rom. 8. 17. Hebr. 10. 36. Ut enim hæreditas terrena filiis tribuitur, conditione & via præstiti officii, obedientiæ, erga Patrem, non autem merito officii; quia natura hæres est, quà filius: ita & hæreditas cœlestis conditionem habet ac viam obedientiæ erga Patrem cœlestem; non autem obedientia causa est; sed hæreditas causa, quæ fidelibus Dei filiis, per fidem, data. Quod autem objectant, causam vitæ æternæ statui opera charitatis, Matth. 25. 35. 36. ideoque verè causam dici: in eo homonymiâ ludunt. Nam in consequente hujus Enthymematis parte, seu conclusione, causa notat efficientem: quæ causa consequentis dici solet, hoc est, rei ipsius: non autem intelligitur de causa consequentiæ; quæ nihil aliud est, quàm quævis ratio rei probandæ inserviens, sive argumentum quodvis: atque ita accipitur, in antecedente Enthymematis. Nam in Matthæi loco, qui objicitur, ponitur vox (*enim*) quæ neque hoc in loco, neque plerumque causam efficientem notat; sed in genere rationem. Itaque denotatur tantùm causa consequentiæ. Nam cum fideles fidem exereverint, per charitatem; & consequens illius, ex gratuitâ Dei promissione, fit vita æterna: inde ex antecedente conditione impleta, non autem ex causa efficiente, aliqua sua efficacia, vitæ possessio concluditur. Atqui hæc de secundo, novoque hujus loci argumento, sed ordine quarto: quo Paulus ad timorem, & humilitatem hortatur, v. 12. Cui tertium succedit, v. 13. causa efficiente, & authore bonorum operum, (quæ ad hanc salutem inchoatam, de quâ agitur, pertinent) duplici, procreante quidem Deo; & impulsiva, gratuitâ illius benevolentia. Qua ratione impotentiam humanam sine Deo, ostendit, & superbiæ materiam, ac fomitem tollit. Superbia enim oriri solet, ex inani arrogantia; qua homines suis viribus plusquam decet tribuunt: cum bona quæ habent, ea, aut ex se orta; aut à Deo, pro suo merito, reddita, falsò opinantur. Similis locus est 1. Cor 4. 7. Quare Apostolus ait: *Deum esse qui operatur in nobis, & velle, & efficere*, seu, & voluntatem & effectionem: non generatim, universali, ac communi providentia, de qua re, Actor. 17. 28. Sed speciatim, nempe bonam, hoc est virtute præditam: Ea enim Synecdochicè hoc in loco (pro subjecta operationis salutis materiâ) intelligitur, ut ex Apostoli scopo apertè constat. Operatur autem bifariam: primùm remotè, ratione principii, & habitus voluntatis bonæ, tanquam causa,& inchoans, & continuans: seu procreans, & conservans. Procreans quidem sola in nobis, sine nobis, hoc est, sine viribus nostris concurrentibus, per sanctificationis gratiam; quâ per Spiritum Sanctum, mentem illustrat, & voluntatem reformat imminutâ, &, bonâ parte, sublatâ, pravâ illius qualitate, & inditis contrariis bonis fidei, & charitatis, habitibus, quibus ad bonum inclinamus, ac propendemus. Conservans verò est sustentatione & incremento eorundem donorum, Eze. 11. 19. & 36. 26. Deut. 30. 6. Ps. 50. 12. Phil. 1. 6. Secundò operatur etiam, non solum ratione habitus remotè: sed etiam proximè, ratione actus voluntatis, & operis boni, & quidem ut causa adjuvans; intus quidem per Spiritum, Rom. 8. 14 26 & foris, per verbum, variaque opera, fidem, & charitatem excitans, & in opus internum, & externum educens. Quemadmodum enim Lazarus vivificatus est, sine sua opera, à Christo, sed vita donatus, tanquam motus, & actionum naturalium principio, movere se cœpit, ac surrexit: sed vestibus involutus, expedire se, sine auxilio aliorum, non potuit; ita & nos, amissa vita spirituali, nempe sanctitate originali, ad opera justa movere nos non possumus, neque vitam nobis restituere: sed ea vi sanctitatis à Deo donati (tanquam spirituali actionum supernaturalium, & veræ justitiæ principio) movere nos, hoc est, sanctè vivere, illius vi, incipimus, sed impediti adhuc reliquiarum carnis, deinde Satanæ, denique mundi pedicis, opus habemus novo, Dei Patris & conservatoris, auxilio; quo excitemur, atque expediamur, & nos ad justitiam permoveamus, sanctèque vivamus. Vnde pro ratione duarum causarum, ad bona opera concurrentium, eadem, & nostra dicuntur opera, & Dei. Similis locus est 2. Cor. 3. 5. Deus igitur meritò causa, & author bonæ voluntatis nostræ, & bonorum operum nostrorum, statuitur. Altera vero causa, nempe impulsiva, est εὐδοκία seu *placitum* Dei; ac propterea non meritum nostrum, quemadmodum etiam fateri coactus est Scholasticorum princeps, Thomas Aquinas, ad hunc locum. Nam quod nonnulli, de bona hominum voluntate, exponunt; illud usu Scripturæ, & loci scopo, confutatur. Porrò hortationem ad charitatem, & humilitatem repetit, & illustrat Apostolus, v. 14. remotione duorum contrariorum effectorum, quæ ex odio, & superbia oriuntur. Quorum prius, sunt murmurationes, id est, occultæ obtrectationes; quibus dicta aut facta aliorum, cum indignatione, accusamus. Cum autem aliæ sint adversus Deum, Num. 11. 2. 7. & 1. Cor. 10. 11. Aliæ adversus homines, Actor. 6. 1. de alterutro vel utroque generatim intelligi possunt. Sed tamen scopo melius convenit communis & recepta Interpretum sententia, ut ad homines referamus. Quemadmodum 1. Pet. 4. 9. & Iud. v. 16. ut etiam ex altero, quod prohibetur, vitio apparet: nempe disceptationibus. Quæ, cùm esse possint bonæ vel malæ, Matth. 15. 19. Posteriores, Synecdochicè, hoc in loco, intelliguntur: sicut, Marc. 9.

Marc. 9. 33. & 1. Tim. 2. v. 8. Atque hanc hortationem confirmat Apostolus rationibus quatuor. Quarum prior est, ab effecto, ædificatione proximi: ne infidelibus ansam conquerendi præbeant; sed se Dei filios esse ostendant, ac probent. Altera ratio est, ab honesto. Nam ab inchoata sanctitate, ut antea, v. 12. ad perseverantiam hortatur: *inter quos*, inquit, *splendetis, ut luminaria in mundo*, id est, Solis, & Lunæ instar. Ut enim ea luminaria, mundi tenebris depellendis, sunt condita, Gen. 1. ita & fideles, ut infidelibus, ad veram pietatem, præluceant, creati, & regenerati sunt. Atque elegans, ut hoc obiter dicam, ex veteribus afferri solet comparatio: qua, primùm, Christus, luminare majus, dicitur: quod Solis instar per se luceat, & cœtera illustret: unde *sol justitiæ*, Mal. 4. 2. *&* *lux vera*, Ioan. 1. *&* *lux mundi*. Ioan. 8. nominatur. Deinde Ecclesia, luminare minus, dicitur; quod ut Luna, (quæ luminare minus est naturale) suam habet lucem à sole, deinde in tenebris noctu lucet, & ortus incrementa, & decrementa defectus, & clipses habet, suis temporibus: ita Ecclesia, à Christo, suam habet scientiam, & justitiam, quasi lucem: &, in mundo tenebroso, variis gradibus, clarius, aut obscuriùs lucet, aut latet. Denique fideles singuli luminaribus reliquis, seu stellis, comparantur: ut enim Sol, & Luna, distinctè, luminaria magna nominantur, Gen. 1. Ita stellæ generatim luminaria dicuntur; quæ ut noctu lucent, & lucis magnitudine differunt inter se: sic etiam fideles, & in hoc seculo; & (ut videtur) in futuro, 1. Cor. 15. Atque hoc existimant fuisse significatum, promissione illa, quam Deus Abrahamo dedit. Gen. 22. 17. qua semen illius, stellis cœli, & arenæ, comparavit: quasi, comparatio esset non tantùm in quantitate, & numero, quod certum est, sed etiam in qualitate, quod filii alii futuri essent terreni, & secundum carnem: alii cœlestes, lucidi, & filii, secundum spiritum. Arguta quidem explicatio, sed tamen minus genuina: quia utrumque comparationis membrum refertur ad filios Abrahami carnales, tam impios, quàm pios, Ez. 32. v. 13. Deut. 1. 10. Neh. 9. 23. Ac propterea utrumque etiam ad spirituales filios (qui prophetia typica illis adumbrantur) referri debet. Deinde eadem, quæ attulimus loca, ut Gen. 15. 5. & Hebr. 11. 12 apertè docent, numerum tantùm considerari. Ut autem ad rem redeamus; Paulus ait: Philippenses splendere, v. 15. Deinde modum exponit; quod prætendant, tanquam lucem, sermonem vitæ. Qua periphrasi, vulgò, Euangelium intelligunt, ut Actor. 13. v. 26. Quod ita dicatur: vel à subjecta materia, quam tractat, quod de vita æterna agat: vel potius ab effectu, quod vitam afferat, quemadmodum Rom. 1. v. 16. Posset etiam, ut videtur, accipi de Christo, ut 1. Ioan. 1. 1. nominatur. Prior tamen interpretatio, quia propria est, frequentissima ac melius fluit, præferenda. Prætenditur autem *sermo vitæ*, trifariam: doctrinâ; confessione; & vita, seu imitatione, & obedientia: ex qua sermo vitæ elucet, Matt. 5. v. 14. 15. 16. Hæc de secunda ratione. Tertia est, ab effectu, seu fructu consequente, nempe Pauli gloria, in die Christi, id est, die universalis judicii, Matth. 25. 35. 36. Cujus gloriæ materia, est cursus (seu ministerii, & laboris ac difficultatum in eo subeundo) utilitas, v. 16. Quem laborem, anticipatione eleganti, amplificat, & illustrat, ab adjuncta sua constantiâ; seu amore summo, erga Philippenses: ut eos in officio, hac quarta ratione, confirmet, & simul consoletur. Utitur autem eleganti alegoria, qua conversionem Philippensium, hostiæ, ac Sacrificio; & sanguinis sui effusionem, libationi, confert: similitudine ducta à sacrificiis Vet. Testam. quibus hostiæ infundebatur vinum, aut oleum, ad sacrificii perfectionem, Exod. 29. 40. Num. 15. 5. 7. Levit 2. v. 6. Sensus igitur Pauli est: se etiam mortem, ac sanguinis effusionem, ad confirmandum Philippensium fidem, cum gaudio, & gratulatione subire paratum, v. 17. Unde Philippenses, ad mutuum officium, vicissim hortatur, v. 18. Atque hactenus hortatus est Apostolus Philippenses ad officium. Sequitur jam narratio, eodem pertinens, nimirum ut eos partim consoletur, & ita in vera fide contineat: partim ad fidei opera, & charitatem, amplius exstimulet. Narratio autem dividitur in tres partes: in promissionem geminam; & declarationem remissionis Epaphroditi ad Philippenses. Prior promissio est, de Timothei missione, quam, cum conditione voluntatis, & auxilii Christi, proponit. Nam spem videtur intelligere, non fidei, ex revelatione divina quæ certa est, & necessaria; sed charitatis, quę probabilis: quâ, de aliorum salute, & mediis, ad eam utilibus, optimè speramus. Deinde promissionem, adjuncta temporis circumstantia, cum ait: *brevi*. & fine gemino, exponit, atque illustrat. Ac prior finis est, Pauli, per Timothei nuncium, consolatio, v. 19. Alter est (quo prior etiam confirmatur) Philippensium, per eundem curatio: quam illustrat commendatione fidelitatis Timothei: qua illum sibi confert, & aliis, qui sibi aderant, præfert, imò opponit, 20. Nam quamvis ἰσόψυχος id est, *pari animo præditus*, intelligi possit relatè ad Timotheum; tamen ad Paulum potius videtur referendum: quia & sensus uberior est, ad commendationem; & sequentibus quoque convenientior. Cœterùm utrumque membrum confirmat sequentibus. Ac primùm oppositionem, & quidem à contrariis aliorum studiis, & finibus: quod omnes reliqui suis commodis, non Christi gloriæ, studerent, v. 21. Quæ sententia bifariam exponi potest: primùm, ut vocem *omnes*, non generatim, & simpliciter, de singulis; sed Synecdoch. de plerisque: & studium illud, sua quærendi, non absolutè; sed comparatè, cum Timothei sinceritate, & zelo accipiamus: qua etiam ratione hunc locum vulgò declarant. Secundò, ut vocem *omnes*, generatim ac simpliciter: studium verò absolutè, sine comparatione: Verùm non simpliciter, sed secundum quid exponamus; ratione hujus molestæ, in Christi negotio, profectionis ad Philippenses, à qua, ob difficultates, reliqui, præter Timotheum, adhorruerint: quæ probabilis videtur sententia. Nec dissimilis reprehensio extat 2. Tim. 4. v. 16. *In prima defensione nullus mihi adfuit, omnes deseruerunt me*. Alioqui fuisse Romæ, qui Christum seriò quærerent, complures, apparet ex Actor. 18. v. 15. & Rom. 1. 8. Phil. 1. 14. Unde constat studium hoc, non esse accipiendum simpliciter: sed secundùm quid. Atque hoc modo, Timothei, & aliorum oppositio confirmata est. Ejusdem verò comparatio, cum Apostolo Paulo comprobatur, argumento deducto ab effecto eodem amborum: quod videlicet, cum ipso, in Euangelio prædicando, fidelissimè inservierit Christo. Quam quidem fidelitatem amplificat, & illustrat, simili, cum ait: *tanquam cum Patre filius*. Ac propterea metaphoricè, non solùm propter conversionem, & regeneratione ab Apostolo, *filius* nominatur: sed etiam ob fidelitatem, γνήσιος *genuinus*, 1. Tim. 1. 1. Atq; hanc Timothei operam, & fidelitatem insignem confirmat amplius ab experientia Philippensium, v. 22. Porrò hanc Timothei commendationem, seu potius laudem, sequitur, v. 24. promissionis, de illius missione, per conclusionem quandam, repetitio, & illustratio circumstantiæ temporis, cujus antea meminerat. Eàque via, commodè, & eleganter, vers. 24. transit ad alteram, nempe adventus sui, promissionem, non dubiam, ut vulgò interpretantur; sed certam: ut ex cap. 1. 25. & explicatione illius loci, apparet. Cui tertia narrationis pars succedit, nimirum declaratio missionis Epaphroditi, & commendatio illius. Ac primùm, Epaphroditum, Philippensium pastorem, describit, bifariam. Priori enim loco argumentum desumit à tribus relatis, cum *fratrem*, per fidem in Christum, & *adjutorem* in Euangelio prædicando; & eodem sensu ac simili eleganti, *commilitonem*: ac denique *legatum*, seu missum à Philippensibus, vocat. Secunda descriptionis pars, est ab effecto, nempe fide illius, in legatione peragendâ. Atque hinc, missionis necessitatem, non absolutam, sed relatam ex hypothesi finis, indicat, v. 25. Et confirmat ratione duplici: quarum una est desiderium Epaphroditi, cujus causam addit, v. 26 & illustrat, v. 27. Altera ratio est consolatio Philippensium & Pauli, vers. 28. Atque huic descriptioni missionis, & conditionis Epaphroditi, additur commendatio: qua primum hortatur, ut eum, *in Domino*, id est, propter Dominum, ac secundùm Domini verbum, cum omni gaudio, excipiant: & tales in precio habeant,

habeant, v. 29. Quam hortationem confirmat, ab effecto, Epaphroditi fide, & constantiâ, in legatione obeundâ, vers. 30.

CONSECTARIA. CAP. II.

I. PIi Ecclesiæ pastores, non solum hortando, sed etiam rogando, & obtestando, omnibusque honestis rationibus, Ecclesiam, ad officium provocare, & in eo continere debent, v. 1.

II. Ut pastorum officium est, propter Ecclesiæ concordiam gaudere: sic vicissim Ecclesia, grato, erga Deum, & pastores suos, animo curare debet; ne, dissidiis suis, hoc gaudium tollat: sed consensione mutua indies adaugeat.

III. Eam autem concordiam, in religione, geminam esse oportet: nempe & in mente, & in voluntate: ut, secundum verbi divini normam, idem credant, idem ament, vers. 2.

IV. Quemadmodum contentio; &, fons illius, ambitio, concordiæ pestis prima est: sic animi humilitas, quâ modestè de nobis, & honestè de aliis sentimus, prima illius est parens, & nutrix, v. 3.

V. Altera pestis est φιλαυτία, immoderatus sui amor: quo fit, ut quis avarè sua tantum spectet commoda. Amor verò, & cura commodi alterius, altera est concordiæ parens, & nutrix, v. 4.

VI. Christi Domini, ac ducis nostri sancta vita, nobis, tanquam exemplar salutare, & stimulus ad sanctitatem esse debet, v. 5.

VII. Cum Christus existat in forma Dei, sequitur verum esse Deum, Patri ὁμοούσιον, id est, unius ejusdemque essentiæ.

VIII. Deinde cum par sit cum Deo nempe Patre: inde concluditur, ex relatorum natura, aliam esse personam; deinde confutatur eorum error, qui æqualitatem hanc negant.

IX. Quoniam incarnatio filii Dei, vocatur inanitio, inde sequitur humanam naturam, etsi non absolutè consideratam, divinæ tamen naturæ comparatam, esse inanitatem, ut Psal. 144. 4.

X. Filius Dei formam servi accepit. Ergo verus est homo, nobis ὁμούσιος. Neque obstat, quod similis hominibus factus dicatur: quia similitudo, Synecdochicè, ut antea ostendimus, convenientiam etiam in essentiâ, notare potest, & hoc in loco denotat.

XI. Incarnatio filii Dei, facta est assumptione formæ servi. Ergo filii Dei inanitio, non est facta, mutatione naturæ divinæ in humanam: sed unione hypostaticâ: ideoque verum est, tritum illud in Scholis, de Christo, eloquium ænigmaticum:

Sum (Deus) *quod eram*; *nec eram*, *quod sum* (homo) *nunc dicor utrumque*; nimirum Immanuel, θεάνθρωπος, Deus-homo.

XII. Cum homines, naturæ, & creationis jure, sint servi Dei: Deum, tanquam Dominum suum, animo agnoscere, ac revereri, eique secundum mandata illius, servire oportet, v. 7.

XIII. Quandoquidem extra controversiam est, nos Christi obedientiâ servari, Rom. 5. eaque, ut hîc docetur non in sola morte, sed totâ vitâ usque ad mortem, durarit; sequitur salutis nostræ meritum, soli obedientiæ, in morte præstitæ, exclusa antecedenti, minimè ascribi oportere. Nam quamvis sacræ Literæ, vitam nostram, & salutem, sanguini, ac morti Christi plerumque acceptam referant; illud tamen non fit exclusivè, quasi obedientia vitæ Christi non esset συναίτιον, etiam illius causa: sed Synecdochicè, κατ' ἐξοχὴν; quia obedientiæ Christi, & justitiæ, ut vulgò loquuntur, tam activæ, quàm passivæ colophon, ac complementum, in morte consistit.

XIV. Christus mortuus est: Ergo homo mortalis fuit, non specie tantùm externa, ac fallaci: sed reipsa.

XV. Crux, pro Christi nomine, æquo animo ferenda est: quia Christus ad salutem nostram, & vitæ exemplum eam prior tulit: eique affixus est; & quidem non solum: ut esset martyrium; seu testificatio: & obsignatio veritatis, quemadmodum crux nostra: sed etiam ac potissimum ut esset maledictionis nostræ, in se susceptæ, argumentum, & λύτρον, v. 8.

XVI. Humilitatis, obedientiæ, & tolerantiæ crucis, seu persecutionis ob religionem, comes est gloria. Ideoque virtutibus illis danda est opera.

XVII. Cum solus Deus sit adorandus, Matth. 4. vers. 10. & Christo is honor conveniat. Ergo est verus Deus.

XVIII. Cum omnes creaturæ, etiam dæmones, velint, nolint, Christo debeant genua flectere, ac Dominum agnoscere: illius tutelæ, in omnibus tentationibus fidendum est, v. 10.

XIX. Qui Christum confitetur, & honorat, honorat Patrem: ac propterea Patris gloriam minuunt Iudæi, Turcæ, & cœteri, qui secus factitant, v. 11.

XX. Fideles Deo obedire debent, non solùm in præsentia ministrorum verbi: sed etiam in absentia, idque sincero corde.

XXI. Timor & tremor à Paulo præcipitur nobis. Ergo non omnis timor fidei, aut charitati repugnat, v. 12.

XXII. Cùm Deus bonæ voluntatis, & operationis illius sit author, & quidem pro suo placito: sequitur eos graviter errare, qui à liberi arbitrii viribus, & operum nostrorum merito, salutem promanare statuunt. v. 13.

XXIII. Fideles sinceritate, & sanctitate vitæ, justam reprehensionem vitare, seque Dei filios esse, probare decet.

XXIV. Infidelium hujus mundi pravitas, nos, exemplo suo, corrumpere non debet: sed contrà infidelibus doctrinæ, & vitæ innocentia, ac sanctitate, prælucere debemus, v. 15.

XXV. Euangelium est sermo vitæ. Ideoque in summo pretio habendum, audiendum, legendum, meditandum, eique omninò parendum.

XXVI. Ministrorum Ecclesiæ est; ut in docendo Euangelio, diligentes; &, in cruce ferendâ, constantes sint.

XXVII. Quamvis fideles Euangelii ministri nunquam frustra doceant, respectu consilii Dei, & salutis suæ: tamen ratione salutis auditorum, frustrà docent, nisi illi doctrinam amplectantur, in eaque perseverent.

XXVIII. Magna piorum pastorum erit gloria, in cœlis; si multos ad Christum converterint, in terris, v. 16. similis locus, Dan. 12. 3.

XXIX. Conversio, & confirmatio infidelium, per verbum Euangelii; & sanguinis martyrium, sacrificium est spirituale ministrorum Euangelii. Ideoque illi rei danda est opera, ut successus illius, justam gaudii, & gratulationis materiam præbeat, v. 17.

XXX. Constantia pastorum Ecclesiam consolari debet, v. 18.

XXXI. Ministri verbi, non sua commoda, sed Domini sui Christi gloriam quærere debent, eique servire fideliter, v. 21.

XXXII. Morbi à Deo immittuntur, & quamvis lethales sæpe videantur, eos tamen, ad consolationem suorum, interdum clementer tollit.

XXXIII. Cum Paulus Epaphroditum sanare non potuerit; sequitur Apostolos, non pro suo arbitrio, & potentiâ, miracula edidisse: sed tantum tanquam instrumenta, & quidem secundùm instinctum Spiritus Sancti v. 27.

XXXIV. Fideles verbi ministri ecclesiam amare, atque honorare; & hæc vicissim pastores suos, in amore, & pretio habere, debet, v. 26. 29.

AP-

APPENDIX

DE ERRORIBUS

Præcipuis adverſus ſynceram de PERSONA CHRISTI Doctrinam.

IN Chriſti perſonâ, conſideranda ſunt hæc tria: *hypoſtaſis*, ſubſiſtentia; deinde *naturæ duæ*; denique earum *unio*.

De hypoſtaſi ex Sacris Literis docent Orthodoxi: eam Chriſto eſſe propriam: unde alius à Patre, & Spiritu Sancto dicitur. Contra verò hæretici Sabelliani, tria nomina eſſe, & unam perſonam; ſeu eandem Patris, Filii, & Spiritus Sancti eſſe hypoſtaſin: ideoque Filium eundem eſſe, perſona, cum Patre, aſſeruerunt. Qua de cauſa, Patris-paſſiani, quod Patrem incarnatum, & paſſum fuiſſe dicerent, appellati ſunt olim.

Secundò de duabus Chriſti naturis ſtatuunt Orthodoxi: earum alteram eſſe divinam, alteram humanam: & illam quidem unam, eandemque cum Patre, & Spiritu Sancto: ac propterea Chriſtum Patri, ſecundùm divinam naturam, eſſe συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον, *coæternum & coëſſentialem*, non ſpecie, ſed individuo; quo ſenſu dicitur quidem Chriſtus alius eſſe à Pare; ſed non aliud: quippe alia perſona Chriſti, non alia natura.

Contra hæretici quidam, divinam Chriſti naturam, omnino negarunt; ut Corinthus, Ebion, Paulus Samoſatenus, (unde Pauliani, & Samoſateniani ſunt dicti) & Photinus. Qui omnes, Chriſti unam tantùm naturam, eamque humanam, agnoverunt. Ideoque Chriſtum non θεάνθρωπον, cum orthodoxis; ſed ἑτερόδοξως, ψιλὸν ἄνθρωπον appellarunt. Neque prius extitiſſe ſtatuerunt, quàm à virgine Mariâ conciperetur: ac Deum propter officii ſimilitudinem, ac dotes excellentes, metaphoricè; non propter naturam divinam, propriè, nominatum docuerunt, quod noſtro ævo, Socinus Italus repetiit: aliique non pauci.

Alii verò non negarunt omnino Chriſti divinam naturam: ſed eandem malè definiverunt: idque bifariam: primùm enim Ariani docuerunt, Chriſtum eſſe Spiritum, ante reliquas creaturas, à Patre primùm creatum, è nihilo: per quem deinde mundus univerſus creatus ſit: ac Deum eſſe, non naturâ æternum; ſed temporali creationis gratia: Ideoq; Patri non ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον καὶ ἑτερούσιον: non coëſſentialem, ſeu ejuſdem eſſentiæ, ſed ſimilis eſſentiæ, & alterius eſſentiæ: neque coæternum, ſed in tempore factum, ac Patre minorem divinitate; unde impium, & tritum illud, apud Patres, Arii dictum: ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, *fuit aliquando*, (nempe tempus) *quando non erat*. Ad quam hæreſin confutandam, indictum eſt, celeberrimum illud, ac primum univerſale Concilium, Nicœnum, ab Imperatore Conſtantino Magno.

Secundò nonnulli ex adverſo, Chriſtum quidem, ſecundùm divinam naturam, Patri, & Spiritui Sanct. ὁμοούσιον agnoverunt; ſed ſpecie, non individuo, ut Tritheitæ, qui tres Deos eſſe, & tres numero divinas eſſentias tradiderunt.

Atque hæc de divina Chriſti natura. Ad humanam verò quod attinet, confitentur Orthodoxi: Chriſtum eſſe præditum vera, & integra natura humana, conſtante ex corpore vero, è virgine Maria; & anima rationali: ideoque Chriſtum, ſecundum humanam naturam, nobis eſſe ὁμοούσιον, ejuſdem eſſentiæ, non quidem numero, ſed ſpecie.

Contrà hæretici, hanc humanæ naturæ Chriſti *veritatem, integritatem, & originem*, diverſis modis, oppugnarunt. Ac *veritatem* quidem negavit Manichæus: qui Chriſtum non reverà, hominem fuiſſe, nobis ὁμοούσιον ſed ὁμοιούσιον tantum: & ſola phantaſia, id eſt, externa ſpecie, ſeu (ut loquuntur) apparentia. Ad quam hæreſin fucandam, abutebatur Pauli loco, Phil. 2. 7.

Deinde *integritatem* negarunt & partem alteram ſuſtulerunt, ac Chriſtum anima humana caruiſſe finxèrunt; ac divinam naturam, ſeu *verbum* fuiſſe loco animæ, & quidem aut vegetativæ non minus, quàm rationalis (ut Ariani, Eunomiani) aut rationalis tantùm (ut Apollinariſtæ) qui vegetativa conceſſa hanc negabant. Quam ſententiam, non pauci Anabaptiſtæ, vulgò ſequuntur.

Denique *originem* veram corporis Chriſti hæretici mirificè perverterunt. Quidam enim Chriſti corpus, nihil ex Maria matre, præter conceptionem, geſtationem, & nutritionem habuiſſe; & per eam, quaſi aquam per canalem tranſiiſſe contendunt.

Originem vero & materiam illius eſſe, aut è Verbo, aut divina eſſentia, ut Apollinariſtæ, & Anabaptiſtæ pleriqne: vel ex cœlo, ut Valentiniani, & Marcionitæ.

Alii verò corpus Chriſti ex Maria ſuſceptum, non tamen ſola, nec præcipuè: ſed ex ea, & Joſepho, ſuam habere materiam: ut impuri, & impii Cerinthiani.

Atque hæc de erroribus, adverſus ſecundum, purioris doctrinæ, de perſona Chriſti, caput; nempe de duabus in Chriſto naturis.

Tertium eſt, de duarum naturarum unione, quam hypoſtaticam, Orthodoxi, ratione vinculi, vocant: quod non in tertia quadam natura; ſed in perſona τοῦ λόγου facta ſit: nec aliud eſt, quàm duarum naturarum, divinæ ac æternæ, & humanæ aſſumptæ, mediante perſona filii Dei, unitio, ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, *inconfuſè, & incommutabiliter, indiviſè, & inſeparabiliter*.

Ab hac Orthodoxæ doctrinæ via recta, Hæretici diverſè aberrarunt.

Quidam enim ad ſiniſtram inclinarunt, ut Neſtorius, Epiſcopus Conſtantinop. qui duas naturas ſeparavit, & unionem eſſe, non naturarum tantùm, ſed etiam perſonarum duarum, aſſeruit: hoc eſt, humanam naturam aſſumptam, non eſſe per ſe ἀνυπόστατον, ſed ſuam propriam habere, extra λόγον, ὑπόστασιν. Quæ hæreſis, tertio univerſali Concilio, nempe Epheſino, ab Imperatore Theodoſio convocato, damnata eſt.

Alii verò in dextram, ac contrariam partem, dum ſiniſtram vitare, ac refutare ſtudent, inciderunt: & naturarum non unionem, ſed confuſionem, atque unitatem confinxerunt, & quidem bipartitò.

Nonnulli enim naturam humanam fuiſſe à divina, tanquam potentiore abſorptam, & in eam mutatam, ut Eutyches docuit. Cujus hæreſis univerſali Concilio quarto, Chalcedonenſi, à Martiano Imperatore indicto, confutata, ac damnata eſt.

Nonnulli contrà, divinam naturam in humanam eſſe converſam, ſtatuerunt: ut Apollinariſtæ, qui (ut ait Auguſt.) *contentioſiſſimè aſſeverarunt, Verbum carnem factum eſſe, id eſt, verbi aliquid in carnem fuiſſe converſum, atque mutatum; non autem carnem de Mariæ carne ſuſceptam.* Hæc ille de hæreſibus, cap. 55. Quam hæreſin, Anabaptiſtæ, noſtro ſeculo, ſopitam, ſuſcitarunt.

Atque

Atque hi præcipui sunt hæreticorum errores, qui orthodoxæ, de persona Christi, doctrinæ, adversantur. De quibus pleniùs consuli possunt ex Græcis Patribus, Epiphanius, Theodoretus, Nicetas: ex Latinis, Philastrius, & Augustinus, qui Epiphanium ac Philastrium secutus est, ac sæpius citat; denique Isidorus.

CAPUT TERTIUM.

HActenus de capite secundo egimus: sequitur jam tertium; quod partim antecedentis narrationis conclusionem: partim admonitionem, de vitandis Pseudo-Apostolis, continet. Conclusio hæc est. *Quod superest, fratres, gaudete in Domino.* Quæ verba variè accipiuntur. Nam primum, vocem (χαίρετε) quidam, *valete*, interpretantur: ut 2. Cor. 13. 11. *quod superest, fratres*, χαίρετε. Sed dissimilis est ratio: quia, ad Corinthios, conclusio epistolæ est; hîc vero non est: ut interim omittam, quod ad Corinthios ea vox potius significat *gaudete*, ut ex circumstantiis apparet. Deinde *in Domino*, quidam sic accipiunt, ac si vox *in*, notet causam efficientem: ut sit sensus; propter, & secundùm Dei voluntatem: ut Eph. 6. 1. Phil. 2. 29. Alii vero existimant indicare objectum, & materiam gaudii; ut conveniat cum loco Phil. 3. 3. Utraque probabilis: sed prior magis consentanea apparet interpretatio: ut distinguatur gaudium fidelium quod secundum Dominum est, à gaudio infidelium, quod secundum carnem, & mundum est.

Deinde gaudium hoc intelligendum est speciatim, pro circumstantia antecedentium; ut opponatur tristitiæ, quam conceperant ex periculoso Epaphroditi morbo, Phil. 2. 27. Et ut conveniat cum sequente versu 29. c. 2. Atque hæc narrationis conclusio, cui additur admonitio de vitandis Pseudo-Apostolis, qui jugum legis Mosaïcę, & justificationem operum urgebant, Act. 15. vers. 1. Distribuitur autem in *Exordium, propositionem, confirmationem, & conclusionem. Exordium*, est anticipatio: quâ attentionem parat, declarando repetitionis sequentis causam duplicem. Prima autem est zelus, & studium Pauli: Altera est utilitas ac confirmatio Philippensium. Ex quibus rationibus apparet, hanc sententiam, non ad antecedentia verba (licet ea hîc ex capite secundo, v. 28. & 29. & 4. 4. repetantur) sed potius ad sequentem & tertiò repetitam hortationem, v. 18. pertinere: quia hæc repetitio, ad Philippenses à lapsu conservandos, propriè pertinet; & collatio, v. 18. c. 3. idem ostendit. Atque huic exordio additur hortationis *propositio*, valde emphatica: ob repetitionem triplicem ejusdem vocis, *Cavete*; & Pseudo-Apostolorum descriptionem ab effectis, & adjunctis, quæ sunt gravium argumentorum instar. Primum enim *canes* vocat, metaphoricè, ob similitudinem impudentiæ, latratus, ac morsus & potissimum curæ ventris: quod videlicet impudenter falsitatem prædicarent: iniquè Paulum, & veritatem calumniâ peterent; & ventri suo, hac in re, servirent, ut Phil. 3. 18. 19. Deinde vocat eos, *malos operarios*: quod, prætextu ædificationis Ecclesiæ, eandem destruerent. Denique non circumcisionem (hoc est, non circumcisos) sed *concisionem* appellat, paronomasiâ eleganti. Quæ vox metonymicè accipienda est, & quidem vel activè, pro concidentibus, quod Ecclesiam in partes conciderent, ac turbarent, circumcisionis Mosaïcæ (quasi necessariæ Christianis) prędicatione, eoque digni, qui abscinderentur, Gal. 5. 10. 12. vel passivè, pro concisis, ut referatur ad profanas incisiones, quas Deus prohibuit, Lev. 21. 6. ubi Grçci interpretes habent ἐπὶ τὰς σαρκὰς, αὐτῶν ἐ κατατεμοῦσιν ἐντομίδας. Nam circumcisio, ante Christum glorificatum, erat pars cultus à Deo mandati; ideoque ex hypothesi necessaria: post Christum verò glorificatum, si opinio cultus abesset, ad tempus erat arbitraria: sed cùm opinio cultus necessarii, aut etiam meriti adesset, erat concisio idololatrica, ac Christo adversa, Gal. 5. 2. Quemadmodum impiorum circumcisio, dicitur præputium, Rom. 2. 25. 26. Utraque interpretatio elegans est, sed tamen prior est simplicior, & scopo ac præcedentibus aptior; ut effectum perniciosum operariorum illorum declaretur: ut inde malos esse constaret; eoque diligentiùs vitarentur. Atque hæc de v. 2. & propositione: cui *confirmatio* succedit. Nam oppositione fidelium, removet Pseudo-Apostolorum (quos concisionem vocârat) exceptionem, ac gloriationem, de sua circumcisione carnali, quam refutat. Docet enim fideles, sive carne circumcisi sint, sive non sint, esse verè Deo gratos circumcisos. *Nos enim*, inquit, (Metonymiâ usus) *sumus circumcisio*, nempe Deo grata, non autem adversaria: idque, circumcisionis descriptione, ex effectis, probat, quòd *Deo serviant Spiritu*, hoc est, animo, & spirituali fidei, & charitatis cultu: qui oritur ex circumcisione cordis. Ea autem est duplex: una à reatu peccati, per justificationem, obedientiæ Christi quasi cultro: altera est ab inhærente contagione peccati originis, per sanctificationem, Spiritus Christi cultro. Idcirco addit Apostolus alterum effectum: *gloriamur in Christo Iesu*, id est, in communione Christi, qui umbrarum Mosaïcarum corpus est, & veritas, hoc est, res iis significata, *non autem confidimus in carne*, id est, in rebus humanis externis, ac caducis, qualis est circumcisio cæteræque ceremoniæ legales, & hominum (si rigorem justi judicii divini spectes, hominumque meritum) justitia externa. *Caro* enim hoc in loco opponitur spiritui, & Christo, v. 3. Verùm quia objici poterat, Paulum in carne non confidere, quod ea gloriandi destitueretur materia; idcirco, per anticipationem, hoc refutat, explicatâ ejus causâ; primùm remotione falsitatis; secundò positione veritatis. Ac remotio comparatione amplificata, continetur, v. 4. eamq; inductione probat Apostolus. Ac primum, inter carnis bona refert, adjunctum circumcisionis tanquam religionis initiationem, quod *circumcisus* sit *octavo die*, ideoque non insitus, sed natus in Ecclesia Israëlis: secundò causam procreantem adducit: primò remotiorem, nempe *gentem Israëlis*; ideoque non Ethnicis parentibus ortum. Deinde propinquiorem, videlicet *tribum* certam, & quidem insignem *Benjamin*; è qua primus fuit Israëlitarum rex; quæque tribui Judæ fuit conjunctissima. Denique causam remotissimam recenset, cum ait: *Hebræus, ex Hebræis.* In quo Emphasis est observanda hæc; quod non altero tantùm, ut multi, sed utroque parente Hebræo sit oriundus. Ex quibus generis nobilitas, & antiquitas elucet. Tertiò addit, v. 5. *adjunctum religionis Pharisaicæ*, ac sectæ, quam secutus erat: quæ cæteris præstantior, & honoratior habebatur. Actor. 26. 5. Denique subjicit religionis suæ effecta: *Zelum, in Ecclesia persequendâ*, & innocentiam, *seu justitiam* externam in reliquis actionibus, *qua irreprehensus* fuit, non coram Deo, 1. Tim. 1. 13. 14 Sed coram hominibus, v. 6. Atque hæc de remotione objectæ, & falsæ causæ contemptus carnis. Cui positio veræ causæ succedit, quæ proponitur & exponitur ordine. Ac proponitur quidem, versu 7. quod *propter Christum*, seu, ut Christo posset potiri, recitata jam externa carnis ornamenta, *quæ erant ipsi*, opinione sua & apud homines, *lucra*, ea *duxerit esse damnum*, id est, saluti adversa. Et omnia quidem communiter, ratione qualitatis, seu fiduciæ in illis collocandæ. Quædam vero etiam specialiter, ratione subjecti, & rei, nempe religio pharisaïca, & zelus in persequenda Ecclesia. Quorum illud secundùm quid, quatenus verbo Dei repugnabat; hoc verò simpliciter, & absolutè saluti fuit adversum. Idque exponitur, & amplificatur expolitione. Nam contemptum carnis antecedentem exaggerat, ab adjuncta præsenti perseverantia, ut levitatis, & imprudentiæ suspicioni occurat, & accuratum animi sui judicium ostendat: *quin etiam duco omnia damnum esse.* Deinde, duas hujus judicii causas adfert: quarum una, est impulsiva efficiens: *eminentia cognitionis Christi Iesu*, hoc est, fidei. Nam Synecdochicè, cognitio Christi non pro mortua, sed viva accipitur: quæ regenerationis pars est, & assensum particularem, fiduciamque parit: ut Esai. 53. 11. Idque etiam confirmat singularis fiduciæ vox, cum ait: *Domini mei.* Altera causa est finis, nempe Christi communio; propter quam, carnis fiduciam (quasi merces in periculo naufragii, imò ut *stercora*) abjecit, v. 8. Cæterum hæc communio Christi intelligenda

genda est, non ratione initii (quia Apostolus, de se fideli, & Christi participe, loquitur) sed ratione continuationis: initium enim habebat, continuationem verò exspectabat. Deinde hanc Christi communionem explicat, eleganti distinctione, in communionem personæ, & beneficiorum. Quarum illam, ordine convenientissimo, præponit, cum ait: *ut comperiar in ipso*, id est, ipsi insitus maneam. Quemadmodum enim surculus arbori inserendus, ex ea succum vitalem non haurit, nisi primùm ei inseratur, in eâque maneat: ita nec nos beneficiorum Christi participes simus, nec succum vitæ æternæ percipimus, nisi ei, tanquam veræ, & salutari oleæ, Rom. 11. 24. inseramur; eique coalescamus, unione mysticâ, per Spiritus Sancti operationem, ac fidem; & constanter in eo, ut palmites in vite, maneamus, Ioan. 15. 5. 6. Deinde huic communioni personæ Christi, alteram, nempe beneficiorum illius, apponit, & inductione partium exponit: quas, tres statuit, *justificationem, sanctificationem, glorificationem.* Ac justificationem declarat, primùm remotione contrariæ causæ falsę, nempe propriæ justitiæ, lege præscriptæ: siquidem ea justificare non potest, nec absolutè, & merito, quia debita est, Luc. 17. 10. nec ex hypothesi, & pacto legis, Levit. 18. 5. & Gal. 3. 12. partim quia imperfecta est, Gal. 5. 16. & 1. Ioan. 1. 8. Rom. 8. 3. partim quia persona rea est, & ob peccatum, maledictioni obnoxia, Eph. 2. 1. 3. Rom. 3. 23. Mat. 6. 12. deinde per thesin, declaratione causæ veræ, nempe justitiæ Christi, quæ justificationis nostræ materia; & à Deo, tanquam causa principali, gratuitâ imputatione (quæ justificationis forma est) fideli donatur: & per fidem, tanquam instrumentum, & spiritualem manum, accipitur, Act. 10. 43. & 26. 18. Verùm quia Christi justitia non unius est generis, ne, in illâ declaranda, impingamus, distributione illius opus est. Nam ut Christus duabus, plus quàm toto genere differentibus, naturis, divina & humana, hypostaticâ unione copulatis, constat: ita alia est justitia naturæ divinæ: alia humanæ. Illa, pro naturæ ratione, increata, & infinita est; nec tam Deitatis est, quàm ipsa Deitas simplicissima: quia nullum hujusmodi accidens est in Deo: & propterea incommunicabilis est: nec magis communicari potest, quàm ipsa Deitas. Deinde Christo non est propria, sed cum Patre, & Spiritu Sancto omni ratione communis, & eadem: quia hi tres unum sunt 1. Ioan. 5. 7. Atque justitia Christi, qua justificamur, nobis communicatur, nec est Christo cum Patre & Spiritu Sancto communis. Ergo justitiâ Christi essentiali, & increatâ, divinæ essentiæ justitiâ, non justificamur. Ideoque falsò Andr. Oseander, contrarium, nostro seculo, docuit. Altera porrò Christi justitia est, non essentialis, increata, infinita: sed, pro ratione subjecti accidentalis, creata, ac reipsa, & tempore finita: nempe justitia humanæ naturæ. Quæ iterum duplex: innata & enata, seu acquisita. Prior est, totius naturæ humanæ in Christo, perfecta, inde ab initio, sanctitas, & conformitas cum lege Dei; seu omnium virtutum habitus insitus, ac perfectissimus, Luc. 1. 35. quo, ad omnem justitiam implendam, aptissimus est: quam propterea κατ' ἐξοχὴν justitiam habitualem nuncupant. Altera verò hujus est soboles, nempe justitia ex ea enata, seu acquisita: quæ nihil aliud est, quàm hujus habitus, & justitiæ innatæ effectum, nempe omnis justitiæ, à nobis debitæ, perfecta & voluntaria, secundùm Patris voluntatem, impletio: unde etiam obedientia dicitur, Rom. 5. 19. Phil. 2. 8. Quæ consistit in justitia charitatis, & justitia perpessionis: quarum illam, justitiam vitæ, & activam: hanc mortis, & passivam, obscuriùs, nonnulli appellant; & non solùm distinguunt, sed etiam, imperitè, temporibus dividunt: nam, in Christi vita & morte, hęc duo, perpetuò, fuerunt conjuncta: adeo ut inde, Christi vita, perpetua quædam perpessio, vocari soleat. Nec enim, in Christi passione & morte, tantum fuit justitia passiva: sed etiam, diverso respectu, activa: quia Christus fuit non solùm victima patiens; sed etiam justus Dei servus, & Propheta sanctus, qui mortis martyrio doctrinam firmavit, 1. Tim. 6. 13. & sacerdos, *qui, per Spiritum æternum, seipsum obtulit inculpatum Deo*, Hebr. 9. 14. Ideoque, quia in Christi passione, sanguinis effusione, & morte, quasi colophon fuit justitiæ Christi, tam charitatis, Ioa. 15. v. 13. Rom. 5. 6. 7. 8. quàm perpessionis, Phil. 2. 8. propterea justificatio & salus, passioni, ac morti, non exclusive, sed Synecdochicè, κατ' ἐξοχὴν, ut antea indicavimus, attribuitur. Atq; hæc humanæ Christi naturæ justitia, quamvis finita sit, natura sua, & per se; tamen infinitam habet dignitatem, à natura divina, quæ unione hypostatica, ei conjuncta; & ab assumtionis hujus naturæ, à filio Dei in unitatem personæ, οἰκονομίᾳ. Filius enim Dei immortalis, ad salutem nostram, homo mortalis fieri voluit: ut, pro salute hominum secundùm mortalem naturam, legi fieret obnoxius, ac moreretur. Vnde sanguis Christi dicitur sanguis Dei proprius, quo Ecclesiam Dei acquisivit, Act. 20 28. Ac propterea hæc justitia Christi innata, & acquisita, suo quodam modo mixta est, utraq; natura contribuente, & agente, quod suum est, cum communione alterius: ac propterea justitia mediatoria appellari posset. Quę justitia in hoc Pauli loco, & similibus intelligenda est: qua, Christo insiti, justi sumus; & ita considerati, eâ imputatâ, coram Deo, justi censemur. Sed quia nonnulla adversus hanc sententiam objiciuntur: ea paucis perstringemus, ad clariorem rei intelligentiam. Objicitur enim. primum ex ratione debiti nostri: nos obligari tantum ad obedientiam; aut pœnam: non autem ad utrumque simul. Ideoq; Christum, cum pœnam pro nobis pertulerit, eâ solâ, pro nobis, satisfecisse. Sed negatur antecedens. Nam quamvis illud verum sit, in natura integra, ante lapsum; falsum tamen est, de natura lapsa, in qua utrumq; concurrit. Nam obligatio ad pœnam, accidentaria est, pendens à peccati commissi merito, & Dei statuto; *qua die comederis, morieris*, Gen. 3. obligatio verò ad obedientiam Deo præstandam, necessaria est, necessitate duplici: primum absoluta, seu naturæ; quia naturaliter, & indissolubili vinculo, creatura rationalis obligata est, ad Deum, & proximum diligendum: quia illud, ad perfectionem naturę pertinet, & ad creatoris gloriam, ipsi, tanquam summo bono, & benefico, debitam: ac propterea, cum illa obligatio obedientię pendeat à natura Dei, & à natura rei, culpam liberam facere, & à peccato absolvere, hoc modo, non potest: quia optimus est. deinde ex necessitate hypotheseos, nempe pacti legalis, Levit. 18. 5. *Hoc fac, & vives.* Sed, secundo loco hic regeritur, argumento ducto à ratione debiti Christi. Illum igitur, pro sua persona, secundum humanam naturam, debuisse obedientiam, obligationis naturalis necessitate: ac propterea eam obedientiam non pro nobis, sed pro sese pręstitisse. Sunt qui antecedens negant: quod Christi, & aliorum hominum sit diversa ratio: quia non pro se, sed pro nobis natus, nobisq; datus, Esa. 9. 6. sed satius est, ut consequentiam negemus; quia Christus, pro utrisque, & se & nobis, præstitit obedientiam: quoniam quemadmodum inobedientia Adami, fuit peccatum, non singulare personę illius, sed generale totius generis humani, quod in eo, tanquam in radice, continebatur. Rom. 5. 12. & obedientia illius, si perstitisset, fuisset communis toti posteritati; ita & Christus, qui principium, & radix est regeneratorum, & pro se, & pro omnibus, per fidem ipsi insitis, ac regeneratis, obedientiam pręstitit: ut ipse tanquam caput servandorũ esset justus; & justa haberet membra, unâ, & communi justitia, ob mysticam unionem. Tertiam objectionem (nempe, sanguini & morti Christi adscribitur salus, & justitia, ergo non obedientiæ vitæ) jam antea solvimus.

Quarta objectio est: Scriptura remissionem peccatorum, & justificationem, pro eodem ponit, & hanc per illam definit, Rom. 4. Respondetur hoc fieri Synecdochicè: quia remissio peccatorum est prius justificationis membrum, quod, ex gratia Dei, individuo nexu, sibi conjunctam habet justitiæ Christi imputationem; quamvis re distinctam. Quinta est: Nullibi in Sacra Scriptura hęc Synecdoche, aut distincta hæc imputatio Christi probatur. Sed contrà affertur locus insignis, Rom. 5. 17. 19. 18 Philip. 2. 8. *Factus obediens* non solùm in morte, sed etiam *usq; ad mortem*: quo loco tota obedientia Christi indicatur. Eodem pertinet, 1. Cor. 1. 30. *Christus factus est justitia.* Sexta objectio; Si Christus pręstitit obedientiam pro nobis. Ergo eam non debemus pręstare. Negatur sequela: quia pręstitit eam pro nobis, ut eâ vitam promereretur, & ut nobis esset exemplo:

priori modo non est nobis præstanda obedientia; sed altero, ut Christi exemplum imitemur, & Deo creatori, ac redemptori gratitudinem exhibeamus, aliisque præluceamus. Quemadmodum quamvis Christus pro nobis passus sit, pati tamen etiam debemus, diverso fine: Christus enim passus est, ut nos redimeret, nobisque patientiæ exemplum præberet: quorum, illud credere, hoc verò imitari nos decet, 1. Pet. 1. v. 21. Septima: si Christus pro nobis, ante mortem, obedientiam præstitit, eramus igitur justi; ac propterea non opus fuit Christum pro nobis mori. Sed negatur consequentia, quia, per accidens lapsus, legi pœnam debemus, ob violationem illius, non minus, quàm obedientiam, per se, ratione Dei, summi boni, ac benefici. Adeò ut perfecta nostra justitia consistat, in innocentiâ, aut, per compensationem, in perpessione pœnæ: & deinde in beneficentiâ, seu observatione mandatorum; obligatio enim prima oritur ex comminatione, *Maledictus, qui non manserit &c.* & conditione peccati nostri; posterior verò ex præcepto: *hoc fac & vives.* quæ duo divelli non debent. Quare explicato primo communionis personæ Christi beneficio, nempe justificatione v. 9. ad alterum procedamus: quod, ut prioris consequens, ac finis proximus statuitur, nempe vitæ sanctificatio. Quæ, cùm mortificatione veteris hominis, & vivificatione novi, quasi membris suis, constet, ea præposterè ὕστερον πρότερον, sed non ineptè, proponuntur. Ac prius indicat Apostolus, cùm ait: *ut cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus.* Notitia autem, ut alibi interdum, hoc in loco, pro sensu, & experientia sumitur: Deinde per Metonymiam, per consequens adjunctum, puta, notitiam ac sensum, intelligitur antecedens objectum illius, seu res ipsa, nempe resurrectionis Christi communio, ut versu proximè antecedente, *comperiar in eo*, positum est, pro sim in eo *Vis* autem *resurrectionis Christi* in nobis, est resurrectio à morte triplici. Alia enim mors est privatio vitæ æternæ, & pœnæ æternæ sensus: quæ mors secunda dicitur, Apoc. 20. v. 8. à qua resurgimus justificatione actuali per resurrectionem Christi, Rom. 4. vers. 21. Altera mors est privatio vitæ spiritualis, nempe justitiæ, & imaginis Dei: quæ privatio, eâ ratione, mors animæ dicitur; à qua morte resurgimus, per vivificationem novi hominis, vi spiritus Christi, de qua re Rom. 6. vers. 4. Ephes. 2. vers. 10. quæ resurrectio gemina perpetuo nexu, indivulsa est: ac propterea resurrectio prima nominatur, Apoc. 20. vers. 5. Postrema mors est corporis: quæ privatio est vitæ animalis, à qua, vi resurrectionis Christi, per spiritum illius resurgemus postremo die; de qua Rom. 8. v. 11. 1. Cor. 15. pluribus: quæ resurrectio carnis, ac secunda dicitur. Et ut animalis mors sola, propriè mors dicitur: reliquæ verò ob similitudinem quandam, Metaphoricè: sic & resurrectio hæc, sola propria est: antecedentes verò tropicæ. Quia verò distinctè agitur, de prima v. 9. & de tertia v. 11. apparet hoc v. 10. mediam resurrectionem seu secundam, id est, novi hominis vivificationem, vitæque sanctitatem, per *resurrectionis vim*, intelligi oportere. Porrò alterum sanctificationis nostræ membrum, & quidem, naturâ primum, est mortificatio veteris hominis; quæ, per *communionem perpessionum Christi, & conformitatem cum morte illius*, declaratur. Nam conformitas hæc, aut est propria; qua Christum secuti, propter ipsum patimur, & morimur, de qua re Rom. 8. 17. aut Metaphorica; qua in nobis, merito mortis Christi, & vi Spiritus illius, vetus homo patitur, & moritur: de qua re agitur, Rom. 6. v. 4. 5. & 1. Pet. 4. v. 1. quarum priorem, quidam, hoc in loco, non adeò malè intelligunt: sed tamen altera potius, ab Apostolo, videtur significari: ut ex oppositionis ratione colligi potest. Atque hæc de v. 10. & secundo communionis personæ Christi beneficio, nempe communione mortis, & resurrectionis Christi, id est, de sanctificatione. Postremum verò, & antecedentium finis, est glorificatio: quam Synecdochicè, à parte illius, declarat; ea enim constat, partim resurrectione gloriosa, quæ κατ' ἐξοχὴν, generis pro specie præstantiori, resurrectio dicitur: partim vita æterna, ac cœlesti gloriâ: cùm animæ primùm; tum postea corporis. Hinc ait, *ac quomodo perveniam ad resurrectionem mortuorum.* Quod verò hoc in loco Apostolus utitur voce εἴπως, ea voce nullam indicat dubitationem, sed potius finem, seu *ut*, denotat; aut saltem desiderium & conatum significat: ideoque noster interpres, non inepta periphrasi interpretatur, *Experiens ecquomodo.* Deinde verò etiamsi statueretur dubitatio, non inde tamen consequeretur, salutem fidelium ipsis esse incertam, sed modum temporis dubium: nam Paulo, adversus carnem & mundum certanti, corona gloriæ promissa erat certò: sed certaminis meta, & præmii tempus definitum, erat incertum. Quare nullo modo hic locus Pontificiorum caussam & sententiam, de incertâ fidelium salute, adjuvat v. 11. præsertim, cùm Paulum Apostolum, singulari revelationis dono, de salute fuisse certum, apertè agnoscant: inprimis, cum insignem illam, Rom. 8. v. 38. de fidelium perseverantia, gloriationem, non communem fidelibus; sed propriam esse Paulo, ob revelationis privilegium, contendant.

Cœterùm ne quis hîc scrupulus resideat, eum eleganti anticipatione tollit, & sententiam illustrat Apostolus, Metaphora ac similitudine à currentibus in stadio desumptâ. Cogitari enim poterat, Paulum hic statuere se esse omninò Christo conformem ac perfectum, & ad mortuorum resurrectionem ferè pervenisse. Sed respondet, per aphæresin & thesin: primum enim modestè hoc negat, & perfectionem sibi derogat: deinde contrà, studium tantùm, & conatum sibi tribuit: quem à causa impulsiva amplificat, nempe à Christi (qui ad curiculum pietatis, Paulum exemplo præiens, quasi manu, per Spiritum, verbum, fidemque apprehenderat) vocatione: cujus finis est justitiæ & salutis meta v. 12. Atque hanc anticipationem expolitione quadam repetit ac declarat: nam aphæresin repetit v. 13. thesin v. 14. qua similitudinem propositam explicatius reponit; quemadmodum & alibi, ut 1. Cor. 9. vers. 24. 25. & 2. Tim. 4. v. 7. 8. Comparat enim vitam suam, & reliquorum Christianorum, stadio, & curriculo, in hisce quatuor, in *scopo*, recta *via*, in eaque ad metam usque *perseverantia*, denique in *præmio*. Atque hactenus Paulus, cùm fidelium reliquorum, tum sui oppositione Pseudo-apostolis inanem justitiæ larvam detraxit: ut confirmaret propositionem illam: eos non sequendos esse; sed cavendos à fidelibus. Vnde jam conclusio sequitur, qua hortatur omnes fideles, primum, ad consensum in proposita doctrina: deinde ad imitationem sui, & similium: Et in priori membro, fideles distinguit, in perfectos, & imperfectos. *Perfectos* autem vocat, non absolutè, sed comparatè cum imperfectis, ac rudioribus illis, qui doctrinam, de abrogatione ceremoniarum legis, & de justitia Christi, non ita plenè intelligebant: quibus, anticipatione quadam, pleniorem intelligentiam, à Deo, promittit, v. 25. Et ad constantem, in reliquis, consensum, in doctrina & vita hortatur, v. 16. Rudiores enim potuissent objicere, se non omnia capere: Respondet Apostolus, ea, suo tempore, Deum revelaturum: ideoque non esse turbandam Ecclesiam. Ad alia verò quod attinet, de quibus melius edocti erant, ne ab iis deficerent, sed constantes permanerent. Atque huic primo hortationis membro, alterum additur, de imitatione Pauli & similium, vers. 17. Quod confirmat, Pseudo-apostolorum antithesi eleganti. Antithesis autem sita est in duobus: in studiis, & in exitu. Pseudo-apostolorum enim studia exponit, partim odii, cum hostes crucis Christi (id est, quam ipse tulit) aut quæ propter ipsum ferenda, Gal. 6. v. 12.) vocat v. 18. partim amoris erga ventrem, & gloriam; speciatim quidem, cum ait: *eorum Deum esse ventrem, & gloriam in ignominia*, hoc est, rebus ignominiosis, nempè Euangelii & Ecclesiæ corruptione, Gal. 6. vers. 13. *consistere* Deinde verò generatim, cum *terrena curare* ostendit, v. 19. Exitum verò esse docet, *interitum.* Ne verò ex odio loqui videretur, eam suspicionem declaratione adjunctarum suarum *lachrymarum* diluit, v. 18. Contrà verò sua & piorum studia recta: exitumque felicem, hisce opponit. Studia quidem, quod cælum, & cœlestem vitam, vera fide & spe, in terris, meditentur, v. 20. Exitum verò, resurrectionem corporum gloriosam: Quam gloriam amplificat, partim à caussis, cum efficiente, Christi potentia; tum

for-

formâ, conformitate cum Christo futura, non quidem æquali; sed simili: partim oppositione præsentis miseriæ, sive antecedentis humilitatis, v. 31. Atque hæc de Capite tertio.

Consectaria Cap. III.

I. Gaudendum fidelibus, & quidem in Domino: Ergo vana est Stoicorum, eosque admirantium ἀπάθεια: & fugienda est mundana, Dominoque repugnans, lætitia.

II. Eadem doctrina fidei, & vitæ Christianæ, sæpius Ecclesiæ repetenda est, ut altiores, in fidelium animis, agat radices; & ut cautiores sint, atque tutiores adversus pericula, v. 1.

III. Nocentes Ecclesiæ adversarii, vivis suis coloribus, depingendi sunt: ut eò melius dignosci, & caveri possint, v. 2.

IV. Non in carne, seu rebus externis, sed in Domino gloriandum, de ipsius gratia.

V. Circumcisio alia externa, ac carnis: alia interna ac cordis. Prior signum, ac sacramentum Veteri Testamento proprium: Posterior verò res est eo significata, quæ solis verè fidelibus, omnibusque, utroque Testamento communis. v. 3.

VI. Etsi à piis Euangelii ministris, omnis abesse debeat arrogantia, ac donorum, sibi divinitus collatorum, jactatio: ea tamen dona, Pauli exemplo, commemorare licet; si quando noxia adversariorum jactantia, & insultans calumnia, Ecclesiæque utilitas & Dei gloria postularint, v. 4. 5. 6.

VII. In Christi communione summa nostra felicitas consistit: ideoque ab omnibus ei adversis abhorrendum.

VIII. Veræ fidei est, non solum Christum agnoscere Dominum: sed etiam Dominum suum ac servatorem, v. 7. & 8.

IX. Justitia in genere, alia est propria, ex lege, quæ nobis ob naturæ corruptionem deest; alia est aliena, nempe Christi, per fidem, à Deo donata, quæ nobis adest, v. 9.

X. Justificationis finis est sanctificatio: quæ mortificatione veteris hominis, & resurrectione novi, continetur. vers. 10.

XI. Fideles in hac vita imperfecti sunt, in se; & tamen ad perfectionem magis magisque seriò contendere debent. Ac propterea vitanda est arrogantia Perfectistarum, & communis ferè Christianorum in pietatis curriculo negligentia, v. 12. 13. 14.

XII. Præmio vocationis Christianæ stimulari nos decet, ut impedimenta omnia rejiciamus, & strenuè progrediamur in officio, v. 14.

XIII. Fratres, ex primæ institutionis pravæ erroribus adhuc infirmi in fide, bona spe progressus, tolerandi sunt, ac juvandi, v. 15.

XIV. Nihil indignius est, quam non perstare, in percepta semel doctrinæ veritate; sed à sancta Ecclesiæ consensione deficere, v. 16.

XV. Ministros Euangelii, bono fidei, & vitæ Christianæ exemplo, Ecclesiæ prælucere decet, v. 17.

XVI. Piorum est, sancta pastorum fidelium exempla imitari; contraria verò depastorum ac seductorum devitare, v. 17. 18.

XVII. Quam ad rem, stimulus esse debet, illorum studium honestum, ejusque præmium: horum verò improbitas & exitium, v. 18. 19. 20.

XVIII. Christus sua potentia nos suscitabit ultimo die. Ergo verus est, & omnipotens Deus.

XIX. Corpora nostra humilia, suscitanda sunt, conformia corpori Christi glorioso: Ergo persecutiones, Christi nomine, ut Heb. 11. v. 26. & 35. patienter sunt ferendæ, v. 21.

Caput Quartum.

Postquam Apostolus sui, & Pseudo-apostolorum antithesin absolvit capite antecedente, conclusionem hortationis ad perseverantiam in fide, adversus impostorum perversa studia repetit, ac patheticè confirmat, hujus cap. initio: *ita* inquit, *state in Domino. Stare* autem, Metaphora eleganti, ab athletis deducta, *perseverantiam notat:* ut ante, cap. 1. vers. 27. & 1. Cor. 16. vers. 13. exponitur, & Gal. 5. vers. 1. & Eph. 6. vers. 11. 14. Sed verba sequentia, *in Domino*, bifariam accipi possunt; nempe, ut dictio *in* notet rei causam efficientem, vel subjectum: id est, per Dominum, seu Domini virtute; aut in conjunctione cum Domino Christo, seu, in eo, tanquam radice & fundamento, Col. 2. vers. 7. quemadmodum fideles periphrasticè vocantur, *qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8. v. 1. 1. Pet. 5. v. 14. quæ accommodatior declaratio est. Similes Phrases sunt: *in gratia stare*, Rom. 5. vers. 2. & 1. Pet. 5. vers. 12. *stare in fide*, 1. Cor. 16. v. 13. Quod autem additur vox *ita*: quidam ad præsentem Philippensium statum: alii verò probabilius ad præcedentem doctrinam referunt: ex qua, hanc hortationem deducit, voce *Itaque*. Atque huic conclusioni inseritur confirmatio ab hujus perseverantiæ effectis, amore, desiderio, gaudio, & coronâ Pauli. *Gaudium autem & coronam* Metonymicè Philippenses vocat, quod sint eorum materia, aut potius causa instrumentalis: ut de gaudio apparet, capite primo, v. 2. 7. & 8.

Ac quamvis *corona* per Metaphoram, à certaminibus derivatam, interdum honorem ac decus notet, ut apparet ex Proverb. 12. vers. 4. & 17. vers. 6. tamen accipitur etiam pro præmio, & quidem cælesti, κατ' ἐξοχὴν, quemadmodum eleganter Metaphora illa explicatur, 1. Cor. 9. vers. 25. & *corona incorruptibilis* dicitur: ut 1. Pet. 5. v. 4. *immarcescibilis gloriæ corona* : & Jacob. 1. vers. 12. & Apoc. 2. v. 10. *corona vitæ*, & 2. Tim. 4. vers. 8. *corona justitiæ*. Quo etiam modo *coronæ* vox, hoc in loco, accipienda est: ut colligitur ex cap. 2. vers. 16. & 17. & 1. Thess. 2. v. 19.

Porrò absoluta jam hac hortationum generalium tractatione; ad particulares descendit. Quarum quædam pertinent ad certa Ecclesia membra: nam *Euodiam & Syntychen* fœminas fideles, ad concordiam in Domino, id est, in fide in Christum, aut secundum Domini voluntatem, exstimulat, vers. 2. easque collegæ commendat, ob diligentiam in Euangelio privatim (nam publicè in Ecclesia non licuit, 1. Cor. 14. v. 34.) propagando: & ob constantiam in adjuvando Paulo, & ferenda cruce. Simile exemplum illustre est, in *Priscilla*, Actor. 18. v. 26. Rom. 16. v. 3. 4. Hæc de v. 3. Cui subjunguntur tres adhortationes ad totam Ecclesiam pertinentes. Quarum prima est, ad εὐθυμίαν (seu animi tranquillitatem) & gaudium Christianum. Quæ hortatio differt ab iis, quæ antecesserunt c. 2. v. 18. & c. 3. v. 1. quod illæ spectarint singulares, & definitas causas, Paulum & Epaphroditum: hæc verò latiùs patet, & ad omnia Dei beneficia, quæ nobis per Christum conferuntur, referenda est, v. 4. Altera hortatio est ad moderationem & æquitatem, in perferendis aliorum injuriis. Quæ virtus (quia, ob innatam hominum impatientiam, difficilior est) per anticipationem, à propinquitate Christi Domini, confirmatur. *Christus* autem *propè esse* dicitur, vel ratione adventus ad judicium: vel ratione peculiaris auxilii, ut Psal. 145. v. 18. quomodo hîc etiam accipi videtur v. 5. quamvis, si quis priori modo interpretari velit, non malè conveniet, cum ipsâ, & similibus locis, Colos. 3. v. 24. & cap. 4. v. 1.

Postrema hortatio est bimembris: ad *fugam solicitudinis*; & remedium illius præstantissimum, *invocationem Dei*. Cùm autem solicitudo alia sit spiritualis, alia carnalis: illam Apostolus non intelligit, quia origo illius bona est, nempe Spiritus & fides, seu agnitio voluntatis Dei, cum fiducia providentiæ illius; medium etiam bonum est, quia normam & modum vocationis suæ, verbo Dei præscriptum, servat: finis denique bonus est, quia ad gloriam Dei (videlicet, ut ei obedientia præstetur, tanquam summo Domino) tendit. Ideoque Paulus eam solicitudinem in Timotheo laudavit, Phil. 2. v. 20. & in cælibe, 1. Cor. 7. v. 32. & in se, 2. Cor. 11. vers. 28. commendat. Altera contrà solicitudo carnalis est, quæ à carne & infidelitate oritur; deinde

modum excedit; denique Dei gloriam non ſpectat. Quam propterea Chriſtus prohibet, Matt. 6. verſ. 31. & Petrus 1. Epiſt. cap. 5. verſ. 7. & Paulus hoc in loco intelligit. Invocationem verò diſtinguit in ſuos modos, nimirum in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & petitionem pro accipiendis, verſ. 6. Quam hortationem confirmat, à conſequente fructu & dono perſeverantiæ, nempe cuſtodia animi, per pacem Dei, & mediatorem Chriſtum. Animum autem deſcribit partitione quadam, in mentem, ſeu intelligentiam; & cor, ſeu voluntatem. Deinde pacem ab adjuncta quantitate ſeu magnitudine, per comparationem imparis amplificat, cum ait: *omnem intellectum ſuperare*, hoc eſt, cujus dignitas, pro merito ſuo, mente concipi & æſtimari non poteſt. Sed quænam pax hoc in loco intelligenda ſit, inquiri poteſt. Pax enim Dei eſt: cujus ille author eſt: unde *Deus pacis*, poſtea dicitur. Ea autem eſt triplex: prima cum Deo; altera nobiſcum, ſeu cum conſcientia noſtra: tertia denique cum proximo. Quemadmodum nobis, extra Chriſtum conſtitutis, triplex ſimiliter, ex adverſo reſpondens, eſt diſſidium: cum Deo; nobiſcum; cum proximo. Ac de tertia pace non agi, hoc in loco conſtat. Sed multi de ſecunda accipiunt: ut intelligatur conſcientiæ pax, & tranquillitas, orta ex fide in Chriſtum; ſeu ex ſingulari perſuaſione, & fiducia pacis, & reconciliationis cum Deo, per Ieſum Chriſtum mediatorem. Alii verò de prima, nempe pace cum Deo interpretantur. Cui ſententiæ, amplificatio adjuncta & conſequens effectum, magis propriè convenit: effectum enim eſt donum perſeverantiæ, ſeu cuſtodia animi noſtri: quæ Metaphorâ inſigni, ac ſimilitudine à re militari, 2. Cor. 11. verſ. 32. deſumptâ, præſidium appellatur: *Erit*, inquit, *præſidium*. Pax autem cum Deo, præſidio animis noſtris eſt: partim cùm fide recipitur: inde enim oritur pax conſcientiæ, quæ ſolicitudinem carnalem expellit, Rom. 5. verſ. 2. 5. partim cùm fons & cauſa eſt; unde, virtute Dei, fides, patientia, ſpes, charitas confirmantur. Similis locus eſt, 1. Pet. 1. verſ. 5. *qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini, per fidem ad ſalutem: qua in re exultatis*. Hæc de verſ. 7. Cui ſuccedit hortationum particularium concluſio (inductione virtutum conſtans) univerſalis; ejuſque confirmatio. Hortatur enim ad *ſtudium* primùm *veritatis*, ut Epheſ. 4. v. 25. Deinde σεμνότητος, id eſt, *ſanctæ gravitatis* & *honeſtatis*, in dictis, factis, geſtu, & inceſſu, ut 1. Tim. 2. v. 2. & 3. v. 4. 8. 11. tertiò *Iuſtitiæ*, ut Tit. 1. v. 8. & 2. v. 12. Coloſ. 4. v. 1. quartò *puritatis*. Quæ vox, Metaphorâ, à corpore ad animam deductâ, virtutem notat; interdum universè omnem, & peccato opponitur, quaſi ſordibus ſpiritualibus, ut 1. Ioh. 3. verſ. 3. interdum particulariter ad certam virtutem reſtringitur; & quidem aut ſinceritatem ſignificat, cui hypocriſis repugnat, hoc eſt, fallax ſimulatio virtutum, Phil. 1. v. 16. 18. Iacob. 4. verſ. 8. aut caſtitatem, Tit. 2. verſ. 5. & 1. Pet. c. 3. verſ. 2. quo modo hîc videtur accipienda: nempe ut dictorum factorumque immunditiæ adverſetur: de qua re Eph. 5. v. 3. 4. 5.

Quintò hortatur deinde Apoſtolus Paulus ad *ſtudium amabilium*, hoc eſt, eorum, quæ hominibus grata, & accepta ſunt: quod non generatim & abſolutè; ſed ſpeciatim, & relatè intelligi debet; nempe, recto judicio, ac ſecundùm Dei verbum: ut Rom. 15. verſ. 3. *quiſque proximo placeat, ad bonum, ad ædificationem*. Alioquin audiendus eſt Paulus, Galat. 1. verſ. 10. Sextò, hortatur ad ſtudium eorum operum, quæ *boni nominis* ſunt; non facto ſolùm, ſed etiam jure, ſeu juſtè & convenienter Dei verbo: ſin ſecus, ſequendus eſt Apoſtolus, qui in officio ſanctè præſtando, per δυσφημίας, & εὐφημίας, *bonam* & *malam famam* perrexit; 2. Corinth. 6. verſ. 8. Bonum autem nomen, ut ambitioſè affectandum non eſt; ſic piè, ad Dei gloriam, amari ac quæri poteſt ac debet. Verumque eſt illud Salomonis dictum elegans טוב שם משמן טוב: id eſt: *Melior eſt bona fama, unguento bono*: ut enim bona conſcientia opus eſt apud Deum: ſic illius ſcientia, bonaque fama, apud homines; ut miniſterium, & opera noſtra, iis poſſint eſſe grata & utilia ad gloriam Dei. Poſtremò hortatur Paulus, ut *omnibus virtutibus & omni laudi* (id eſt, per Metonymiam, factis laude dignis, quæ, cum recta ratione ac juſtè laudantur) operam navent, verſ. 8.

Confirmatio verò huic concluſioni ſubjecta, eſt duplex. Prior à Pauli doctrina & exemplo: poſterior à fructu & præmio pacis & auxilii divini, v. 9. Atque hac ratione abſoluta eſt ſecunda tractationis hujus epiſtolæ pars hortatoria. Quam ſequitur tertia: quæ gratiarum actionem pro liberalitate Philippenſium erga Paulum; & pecuniâ, per Epaphroditum miſſa, continet: ac variis modis eam amplificat accommodatiſſimè. Ea autem gratiarum actio eſt duplex: una, quæ ad Philippenſes dirigitur, tanquam cauſam ſecundam, ſeu proximam: altera ad Deum, tanquam cauſam remotam ac primam.

Ad illam quod attinet: primùm liberalitatem deſcribit ac commendat, ab effectu, nempe gaudio ſuo, & quidem magno: quo gratum animum teſtatur. Deinde comparatione minoris quod eâ ſeipſos jam ſuperarent: nimirum quod ad intermiſſam aliquamdiu liberalitatem redierint. Idque Metaphorâ, ab arboribus petita, inſigni illuſtrat: ut enim illæ hyeme, & foliorum & fructuum virore carent: ſed vere ineunte revireſcunt: ita Philippenſes, ad priſtinam ſuam beneficentiam, commodè reverſi ſunt. Verum, dum eos laudat, ea comparatione, ne antecedentem curam videatur accuſaſſe: ideo, anticipatione quadam, culpam ab iis, in temporis importunitatem transfert: quod cura non defuerit, ſed opportunitas; neque animo, ſed facto reviruerint, verſ. 10. Deinde id, quod de magno ſuo gaudio dixerat: ut omnem avaritiæ & intemperantiæ ſuſpicionem dilueret anticipatione illuſtrat; ac cauſam gaudii declarat: primum remotione falſi, quod non utilitatis ſuæ cauſa, quodque ea ratione, à penuria liberatus eſſet, gaudeat. Idque probat à ſua temperantia, & fortitudine: quod ſcilicet animum habeat, ad utramque ſortem paratum, & uſu corroboratum, verſ. 11. & 12. Quod robur, ad modeſtiam teſtandam, à cauſa efficiente, Chriſto, deſcribit, verſ. 13.

Deinde declarat cauſam magni illius gaudii, poſitione veri; nempe utilitatis Philippenſium: quod ea ratione communicarint afflictioni Pauli, ejuſque participes facti ſint, partim amore & approbatione conſtantiæ Apoſtoli, in cruce ferenda: partim commiſeratione Chriſtiana; quas virtutes, hiſce ſuis donis, teſtati ſint, verſ. 14. Deinde hanc præſentem Philippenſium liberalitatem amplificat, comparatione, à ſimili præcedenti liberalitate: quam, oppoſitione aliarum Eccleſiarum, auget, verſ. 15. & 16. Et iterum cauſam gaudii, per anticipationem (quâ avaritiæ ſuſpicioni occurrit) repetit, verſ. 17. Præterea hanc beneficentiam amplificat, partim ab effecto, inde promanante, Pauli ſcilicet copia: partim àb adjuncta acceptione Dei, cui ea grata eſt. Quam, ſimilitudine lectiſſima hoſtiæ, & θυμιάματος legalis, figuratè deſcribit verſ. 18. & à conſequente præmio verſ. 19. Denique hanc gratiarum actionem ad Philippenſes ſequitur altera: quâ Deo cauſæ primæ, gratias agit, ne Philippenſes ſuperbiant; ſed omnium laudem Deo aſcribant, tanquam bonorum omnium fonti, verſ. 20.

Hactenus epiſtolæ tractatio. Sequitur *Concluſio*, tertia nimirum & poſtrema hujus epiſtolæ pars, conſtans ſalutationibus, charitatis indicibus, verſ. 21. & 22. & valedictione ſolennis voti, de gratia Ieſu Chriſti, ipſis proroganda atque augenda, verſ. 23.

APPEN-

APPENDIX
AD
Capitis IV. Versum III.

In quâ ventilatur pervulgata Theologorum, tam Veterum quàm Recentiorum, Quæstio hæc:

An Apostolus Paulus habuerit uxorem, nec ne?



Xplicata jam epistola ad Philippenses, non abs re futurum existimo, si, auctarii loco, paucis de *uxore Pauli* dissererem; cum enim capite 4. v. 3. eâ de re dicendi esset justissima occasio: tractationem illam, in hunc locum distuli, ne series explicationis longiùs divelleretur. Quæstio autem est: An Apostolus Paulus uxorem habuerit, nec ne: & an illud, ex Sacris Literis, probari possit? Quæ quæstio, quamvis perparum ad pietatem faciat, aliquid tamen habet momenti, ad doctrinam Pontificiorum, de cœlibatu ministrorum Ecclesiæ, minuendam: & ad certa Sacræ Scripturæ loca diligentiùs examinanda, & explicanda conducit. Ac propterea non solùm à Pontificiis doctioribus, sed etiam à nostris interpretibus præstantissimis, hæc quæstio proposita & exposita est: à quibusdam breviùs; ab aliis prolixiùs. Ad quæstionis autem definitionem quod attinet: quidam veterum & recentiorum Theologorum in ea sunt sententia: ut statuant Sacris Literis declarari, Paulum habuisse uxorem. Ex veteribus quidem Patribus: Ignatius in Epistola ad Philadelphienses, si modò ea illius est: & Clemens Alexandrinus, lib. 3. stromatum: à qua sententia non abhorret Eusebius, qui Clementis verba citat, historiæ Ecclesiasticæ lib. 3. cap. 30. contextus Græci, & versionis Ruffini; aut 27. versionis Musculi; *Paulus* inquit, *non detrectat in epistola quadam salutare σύζυγον conjugem suam, quam non circumduxit, ut ad ministerium expeditior esset.*

Ex recentioribus, Pontificii quidam, ut Cajetanus: Ex nostris, non pauci hanc sententiam sequuntur, eisdem, cum Clemente Alexandrino, nixi argumentis: nempe duobus Pauli testimoniis. Quorum prius extat, 1. Cor. 9. v. 5. *Nunquid potestatem non habemus sororem γυναῖκα*, id est, *uxorem circumducendi?*

Sed bifariam respondetur. Quidam enim negant eam interpretationem, quemadmodum Bellarminus: qui id probare conatur ex Græcæ Linguæ proprietate: quoniam Paulus non dicit τὴν γυναῖκα, ut certam mulierem & uxorem significet: sed γυναῖκα indefinite, ut mulierem notet. Veruntamen leviculum hoc est, & obtusum telum. Nam, ut omittam, quod Grammatici rectè docent articulum non semper esse necessarium, bonorum authorum & Apostolorum usus, & quidem in hac ipsa voce, & similibus, id evincit: nam Matthæi capite 19. vers. 29. dicitur: *Quicunque reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem,* ἢ γυναῖκα, id est, *aut uxorem, aut liberos, aut agros:* in voce γυναῖκα, & in septem conjunctis, articulus deest. Sic Matthæi cap. 22. vers. 28. & Marci cap. 12. vers. 22. & Luc. cap. 20. vers. 33. *cujus erit* γυνὴ, id est, *uxor*, & 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 27. *alligatus es uxori* γυναικί? *solutus es ab uxore* γυναικός? Quare hæc refutatio Grammatica nullius est momenti.

Cæterùm non uxorem, sed mulierem hîc denotari, Ambrosii, Chrysostomi, & plurimorum Patrum opinio est: qui censent Paulum agere de quibusdam mulieribus fidelibus ac ditioribus: quæ pietatis & sumptuum ac ministerii gratiâ, Apostolos sequebantur; idque simili exemplo Christi, Luc. 8. v. 3. & Matth. 27. v. 55. declarant.

Sed adversus hanc expositionem quatuor adferuntur argumenta: quorum primum est: quod (ut Valla observavit) Paulus non solùm dicit sororem, sed etiam γυναῖκα: quæ vox superflua omninò esset, si mulierem tantùm notaret. Nam quod excipit Bellarminus, dici sorores mulieres, quemadmodum Actorum cap. 1. v. 16. Viri fratres, nisi quod Paulus (ut sæpe solet) ordinem permutaverit: illud, inquam, argumento non satisfacit: ut enim insolens esset, si quis diceret; *fratres viri*: sic etiam, si quis dicat; Sorores mulieres. Neque verum est, in hujusmodi phrasibus, ab Apostolis, ordinem solere permutari. Ideoque non immeritò vulgata versio, hoc nomine, à quibusdam reprehenditur, quod ordinem Pauli immutarit, ac *mulierem sororem* vertat.

Secundum argumentum est, ex *circumducendi* voce: quæ jus & authoritatem aliquam notat, quod matronis, sponte sua, & liberrimè secutis non convenit. Excipit tamen Bellarminus duobus modis. Primùm potestatem, de qua Paulus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem circumducendi, si sequi velint. Sed illud absurdum est: quoniam non ex potestatis solius; sed ex circumductionis voce ducitur argumentum. Deinde addit Bellarminus, Apostolos habuisse authoritatem, in eas mulieres, non ut Virorum in Vxores: sed ut Doctorum in Discipulas. Sed unde probaturus est Iesuita, Doctores tantum habere posse authoritatis in Discipulas, ut eas, ad ministerium, circumducant? Nam ad Christi exemplum quod attinet, secutæ sunt ipsum mulieres quædam, sponte, suæ gratitudinis ergò, non authoritate aliquâ circumductæ.

Tertium est à scopo Apostoli desumtum argumentum: Docet enim & se, & Barnabam, hac in re, juri suo, quo alii Apostoli utebantur, quasi renuntiasse, ne Ecclesiæ essent oneri. Atqui si mulieres circumduxissent ditiores, Ecclesiam onere liberassent. Respondet quidem Bellarminus duobus modis: sed neutro argumentum solvitur. Primùm ait: eas mulieres non fuisse divites, & non ministrasse pecuniam, sed obsequium. Deinde addit, vel fuisse divites, & aluisse Apostolos, sed non semper fuisse cum Apostolis; & ideo Apostolos aliquando fuisse nutritos à populo: aliquando verò, ab ipsis mulieribus. Sed ineptæ sunt hæ conjecturæ: Nam prima repugnat temperantiæ & fortitudini virili, nedum Apostolicæ, quasi Apostoli ita fuissent molles, ut opus habuerint mulierum circumductione ad ministerium: Vxorum verò alia fuit ratio: quas & alere mariti debebant; & vicissim earum operâ honestè uti poterant: quanquam, non tam ad ministerium, quàm ut à maritis sustentarentur, circumducebantur. Altera verò conjectura nodum non solvit, sed magis astringit: nam Paulus sororum præsentiâ, Ecclesiam onerari, non autem sublevari ostendit.

Quarta & postrema ratio est, quod honestati adversetur, & bonæ famæ: cujus studium Apostolus Paulus commendavit, Phil. 4. 8. Neque est quod exemplum objiciatur Christi; quia maxima est dissimilitudo. Nec enim Christum solum, sed comitatum duodecim Apostolis, secutæ sunt quædam opulentiores mulieres, & quidem in angustâ, Galilææ, & Iudææ, regione: & quidem

quidem per intervalla, & ut Euangelium à Christo audirent, ut ex historia Euangelistarum apparet. Alia verò hujus facti Apostolici est ratio, quia loquitur non de mulierum, sed mulieris circumductione: quâ quisque Apostolus unam circumducebat secum: idque, pro ratione itineris, per varias, easque remotissimas, regiones. Nec enim circumductionem ullo loco, aut comitatu determinat Apostolus noster. Quamobrem, ex hisce omnibus concludimus, vocem γυναῖκα in loco ante proposito, non alienam mulierem ac ministram tantùm, sed uxorem significare.

Sed tamen licet alios Apostolos uxores habuisse satis inde liqueat, Paulum interim habuisse uxorem inde probari posse, minimè demonstratur. Potuisse quidem, & ducere, ac deinde circumducere rectè concluditur: sed à potestate ad actum Consequentia non valet. Potuit Paulus uxorem ducere: Ergo duxit, ac circumduxit; non sequitur. Sed hîc objiciat fortasse aliquis: Paulus non ait ducere, sed circumducere: qui autem non habet uxorem non potest circumducere. Atqui Paulus potuit circumducere. Ergo habuit. Sed negatur Consequentia Syllogismi, propter argumenti, seu medii termini homonymiam. Propositio enim loquitur, de potentia proxima, quam immediatè sequitur actus: alioqui falsa est.

Assumptio verò de potentia remota agit: nam circumducere potuit mediatè, antecedente conjugio. Ideoque Apostolus noster, circumducendi voce, Synecdochicè, antecedens conjugium unà complectitur. Atque hæc ad primum argumentum dicta sunt.

Alterum verò, quo probant, Paulum habuisse uxorem, depromptum est, ex epist. ad Philipp. c. 4. v. 3. *rogo te σύζυγε γνήσιε, conjunx germana*, id est, fidelissima, ut Philipp. c. 2. vers. 20. Rationes autem, quibus hæc interpretatio probatur, sunt quatuor: quæ expendendæ.

Prima est, quod hæc sit propria vocis significatio: ideoque retinenda potius, quàm alia. Sed negatur antecedens. Σύζυγος enim de jumentis propriè dicitur, & *conjugatum, aut sub eodem jugo constitutum* notat. Unde per Metaphoram ad quævis arctè conjuncta refertur: sive res animatæ sint, sive inanimes; ut ex bonorum authorum usu constat: & quædam à Domino Theod. Beza, ad hunc locum: & plura ab Henrico Stephano, in Thesauro Græcæ Linguæ referuntur exempla. Deinde, quamvis daremus, in hoc versu, *conjugem* significare: non inde tamen necessariò sequeretur, de uxore debere accipi: quia generatim personam, matrimonio conjugatam, notat: ideoque marito pariter atque uxori convenit. Et quidem in hanc sententiam, de marito Euodiæ, vel Syntyches, exponit Oecumenius: nec dissimiliter Theophylactus ait: *aut frater fuit alterius ipsarum, aut maritus: forsan autem & custos fuit carceris*. Et rationem adfert Grammaticam: *Si Paulus*, inquit, *suam uxorem intelligere voluisset, debuisset dicere genere fœminino γνησία σύζυγε, germana conjux*. Probabiliter quidem hoc dicitur; sed tamen nulla fuit necessitas: quia Atticâ generis permutatione, de qua Corinthus, & Grammatici alii monent, uti potuit. Nam quod Bellarminus objicit: non tam politum fuisse Apostolum, ut Atticismis uteretur: illud ex doctissimâ Henrici Stephani præfatione, ad editionem Novi Testamenti minore formâ, ab ipso, Anno Dom. septuagesimo sexto editi, abundè refutatur. Atque hæc de Antecedente rationis primæ: Consequentia verò negatur: si σύζυγος propriè uxorem notaret, de eâ debere accipi, quia alia obstant, quibus probari potest, hoc quidem in loco, de conjuge non agi.

Porrò secunda ratio objicitur: quod σύζυγος mulieribus conjungatur: ac propterea fuisse mulierem. Sed hoc minimè sequitur: quia non est tanta conjunctionis vis: nam *Clemens* etiam conjugitur. Similiter Roman. c. 13. vers. 3. postquam duarum fœminarum Phœbes, & Priscillæ meminit, Aquilam maritum hujus conjungit: & postea quoque, virorum salutationibus fœminarum nomina promiscuè inserit, vers. 6. & 15.

Tertia ratio est: quia alioqui Pauli oratio foret obscurior: nam si masculino genere legas, nulla certa indicabitur persona, quis nimirum fuerit Symmysta iste germanus: sin verò de fœmina intelligas, exprimitur certa persona, nimirum uxor Pauli. Hoc argumentum speciem habet non exiguam. Nam si quis velit excipere, Philippensium Episcopum, absentis Epaphroditi collegam, intelligi: regeretur, plures fuisse Episcopos Philippensium, cap. 1. v. 1. Sed ad illud responderi potest: unum ex iis fortasse peculiariter excelluisse, qui in regno Christi, per Euangelium, propagando, socius Pauli fidelissimus extiterit: ac propterea hâc descriptione fuisse denotatum, & Philippensibus satis notum. Deinde certa etiam persona designari potest, nempe maritus Euodiæ vel Syntyches; vel alterius, aut utriusque frater: ut Paulus intelligat conjugatum, non sibi sed ei, aut illis, de quibus agit versu antecedente secundo. Veruntamen hæc sententia non videtur verisimilis: quid enim opus erat, uxorem marito, aut sororem fratri, naturâ & meritis commendatissimam commendare? Ac propterea nec Oecumenii, nec Theophylacti conjecturæ, hac in re, satis commodæ videntur. Quapropter tertia sententia, quæ altera Oecumenii conjectura, magis placet: nimirum, quod Σύζυγος sit nomen proprium. Nam quod objicitur, illud durum esse, propter adjunctam, γνήσιε, epitheton: illud verum videri potest, si cum vulgo interpretemur: sed concinnum est, & convenientissimum, si, uti arbitror, allusio statuatur ad nomen proprium, per ellipsin quandam, ac si dixisset: precor te σύζυγε germane, id est, qui verè, & re, & nomine, σύζυγος es. Neque hujusmodi elegantia solùm in Ethnicis authoribus reperiri potest: verùm etiam in Sacris Literis occurrit. Ut etiam ex paronomasiis variis, Esaiæ, & aliorum Prophetarum: imò ex Pauli quoque, ad nomen Onesimi, honestè alludentis, in epistola ad Philemonem, vers. 10. 11. 20. & Phil. 3. vers. 2. apparet.

Postrema, quæ objicitur ratio est, ab authoritate Clementis Alexandrini, qui, ut Apostolorum temporibus propinquior fuit, quàm posteriores Patres: ita meliùs cognoscere potuit, an Paulus habuerit uxorem, nec ne? Sed illud negamus valere; quia, authoritate verborum Pauli, non autem traditione ulla, sententiam suam confirmat. Deinde, quia nonnulla alia habet, de Apostolis, quæ fabulosa esse constat: ac propterea authoritas illius tanti esse non debet, ut posteris & justis rationibus præponatur. Atque hucusque examinavimus eas rationes, quibus illi nituntur, qui Paulum habuisse uxorem contendunt. Nunc ea etiam argumenta videamus, quibus alii contrarium probant. Quorum primum est (quo etiam utitur Ambrosius in annotationibus suis ad priorem epistolam ad Corinthios capite 7.) quod Paulus adolescens à Domino Christo vocatus est, ut liquet ex Actis Apostolorum c. 7. v. 58. & c. 9. v. 3. quo tempore, credibile non est, eum uxorem habuisse: postea verò uxorem duxisse, in perpetuis illis ac gravissimis persecutionibus, difficultatibus, & peregrinationibus remotissimis, quibus longè supra reliquos Apostolos, ac fideles, 2. Cor. c. 11. v. 23. fuit agitatus, non videtur ullo pacto verisimile, 1. Corinth. 7. v. 26. 28. 32. Atque hoc primum argumentum valdè probabile est: quamvis interim non absolutè necessarium.

Alterum est, ex 1. ad Corinth. 7. v. 8. desumptum: quo in loco Apostolus ait: *innuptis autem & viduis dico; bonum est illis, si sic permanserint: sicut & ego, quod si se non continent, nubant*. Atque hoc commune argumentum est, quo potissimum, de Pauli conjugio, certi aliquid colligi posse, contendunt. Iterim tamen excipiunt alii contrà, hoc nihil ad rem pertinere. Nec enim inquiunt, ex eo sequitur: Ergo Paulus erat vel nondum conjugatus, vel viduus; sed tantùm: Ergo vitam ducebat cœlibem, ut eò, scilicet liberius, atque expeditius, regiones ad Euangelium prædicandum, peragraret. Cœlibatum enim duplicem esse statuunt: unum extra conjugium, cùm quis uxore caret: alterum in conjugio, cùm quis, ex communi uxoris consensu, eâ non utitur: sed ab illa abstinet: ac talem fuisse tum temporis Pauli Apostoli conditionem. Sic quidem argutantur Pontificii nonnulli. Sed nescio, unde hæc distinctio cœlibatus probari possit. Castitas quidem alia est in conjugio: alia extra illud, ut res ipsa arguit: sed cœlibatus nonnisi extra conjugium.

Verùm

Verùm iterum regeri potest: Paulum agere de continentia, seu abstinentia, à mutua conjunctione: quoniam de ea locutus erat v. 5. & 6. & subjecerat vers. 7. *vellem ut omnes homines essent ut ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Nam se, tanquam exemplum conjugalis illius continentiæ, affert Apostolus, alioqui, si de cœlibatu intelligamus, erit incommoda applicatio: sensus enim est, quod dixi, ut conveniatis iterum: hoc dixi, ex concessione, non ex imperio: nam velim omnes homines ita esse continentes ut meo exemplo, penitus, ab usu conjugii, abstinere possent: sed non omnes eo dono sunt prædití. Veruntamen responderi potest bifariam. Primum Paulum se statuere non exemplum conjugalis continentiæ, sed continentiæ generatim: quandoquidem optat omnibus hominibus, tam conjugatis, quàm à conjugio liberis, similem continentiam: deinde v. 8. nominatim optat innuptis & viduis abstinentiam, non tantum ab usu conjugii; sed etiam à conjugio: quia non solum ait: *bonum est si manserint sicut ego*: sed addit: *quod si continentes non sunt, matrimonium contrahant.* Vnde apparet, quid Paulus intelligat per illa verba: *si manserint sicut ego*, id est, cœlibes, sine contractione matrimonii.

Porrò tertium argumentum, & quidem levius est, ab authoritate humanâ, quod, excepto Ignatio, Clemente & Eusebio, reliqui Patres, qui hoc argumentum tractarunt, hanc sententiam amplectuntur. Quaprópter, ut tandem propositæ quæstioni finem imponam, hanc sententiam probabiliorem esse existimo: qua statuitur, Paulum non habuisse uxorem: etsi, ut antè contra Pontificios ostendimus, reliquos Apostolos uxores habuisse, asseruit.

Atque hactenus hujus Epistolæ ad Philippenses Appendix.

EPISTOLÆ PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES EXPLICATIO.

EXplicaturus Epistolam ad Colossenses, à descriptione illius, & partitione exordiar. *Descriptio* autem est hujusmodi: *Epistola ad Colossenses, est dogmaticum Novi Testamenti scriptum, quo Paulus Apostolus Romæ vinctus, ab Epaphra, fideli Ecclesiæ Colossensium Episcopo, de illius statu & periculo solicetè monitus & rogatus, eandem in vera religione confirmat; ad Ecclesiæ salutem, & gratiæ Dei redemptoris gloriam.* Ut verò, quæ hac descriptione, contractiùs dicta sunt, meliùs percipiantur; tria potissimum nobis explicanda: *objectum*, *occasio*, & *scopus* hujus epistolæ: hoc est: *quibus*, *quâ occasione & in quem finem* hanc epistolam conscripserit Paulus. *Objectum* autem est, Ecclesia Colossensium. Sed de Colossensibus diversa est sententia. Quidam enim cum Ambrosio Calepino & Munstero in Cosmographia eos *Rhodios* fuisse putant, freti authoritate Suidæ, qui sic dictos memorat, propter *Colossum*, immensam illam, ex ære statuam solis, quæ inter septem miracula celebratur. Sed hæc sententia nihil probat: primùm, quia videntur Rhodii, non absolutè, ut hoc loco, nec ab omnibus, sed tanquam epitheto quodam à Poëtis sic dicti. Deinde quamvis Colossenses ea ratione essent dicti, Rhodum tamen dictum fuisse Colossas (quod nomen tamen Colossensium urbi ab Apostolo tribuitur, cap. 1. v. 2.) minimè probat. Deinde idem etiam colligitur è situ: quia Colossæ vicinæ erant urbibus, à Rhodo remotissimis: quasque Ptolomæus, lib. 5. cap. 2. & Strabo lib. 12. Phrygiæ adscribunt, nimirum Laodiceæ & Hierapoli, ut docet Paulus Col. 2. v. 1. & 4. v. 13. Quamobrem alii inde contra concludunt; Colossas fuisse urbem Phrygiæ majoris: quam urbem magnam appellat Herodotus lib. 7. Strabo quoque Geograph. lib. 12. sub finem. Plinius. lib. 5. c. 32. In qua sententia sunt Patres Orthodoxi, Hieron. Prologo in hanc Epistolam: Chrysost. Theodoretus: & Theoph. & neoterici plerique. Cœterum hæc urbs funesto casu, sub Neronis imperio, anno Christi 66. quatuor verò annos ante Pauli matyrium, uti volunt, non multò post hanc scriptam Epistolam concidit, teste non solum Orosio, sed etiam Eusebio in Chron. *in Asia*, inquit, *tres urbes terræ motu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colossæ.* Qua ratione nonnulli putant Chrysost. non dixisse Colossas esse, sed fuisse Vrbem Phrygiæ. Ex qua ruinâ, quidam conjiciunt hanc Pauli epistolam parum apud Colossenses profuisse. Sed malim distinctiùs, ex charitatis lege judicare. Atque hæc de objecto Epistolæ: nempe de Colossensibus, quibus ea primùm scripta & missa est.

Occasio verò erat duplex: prior, periculi Ecclesiæ Colossensis, ex Epaphræ relatu, cognitio: altera fuit Epaphræ, ad Paulum, eo nomine profecti, solicita petitio, ut periclitanti Ecclesiæ succurreret, Col. 1. v. 7. & 8. & 4. v. 12. & 13. Periculum verò erat veritatis & charitatis Christianæ geminum: partim à Iudæis, qui ceremoniarum Mosaicarum jugum Ecclesiæ studebant imponere: partim à Pseudophilosophis, qui, inani sapientiæ & pietatis specie, multa de Angelis curiosè disserebant; & Christi honorem ac cultum, ad eos etiam derivabant, Col. 2. v. 4. 8. 16 18. 19. &c. Denique *scopus* & *finis* Pauli proximus, erat duplex, singularis & communis. Ille erat doctrinæ ab Epaphra Colossensibus traditæ, & obedientiæ (seu fidei & charitatis) eorum confirmatio. Hic vero totius Ecclesiæ, ad finem mundi, institutio. Etsi enim non rarò, scriptionis librorum sacrorum, quidam populi, aut quædam Ecclesiæ; imò interdum quidam homines, occasionem præbuerint: finis tamen & usus ad totam Ecclesiam pertinet, Rom. 15. v. 4. & 2. Tim. 3. v. 16. Medius finis erat Ecclesiæ salus. Vltimus denique gratiæ Dei creatoris & redemptoris gloria. Atque hæc quidem de epistolæ descriptione, diximus: ad *partitionem* transeamus. Hæc enim epistola tribus constat partibus, *præfatione*, *tractatione*, & *conclusione*.

Præfatio, attentionem & benevolentiam prudenter captat, *inscriptione*, *salutatione* & *gratulatione*. Inscriptio notat efficientem causam, & objectum epistolæ: seu quis, & quibus scribat. Efficiens instrumentalis primaria notatur adjuncto nomine, *Paulus*; & officio, *Apostolus Iesu Christi*. quod ab authore amplificatur, *per voluntatem Dei*. Ubi obiter observandum vocem *per*, non instrumentum, sed efficientem principem denotare. Efficiens verò secundaria seu approbans est, *Timotheus frater*: quem sibi adjungit v. 1. ad commendationem illius. Objectum verò

Epistolæ est Colossensium Ecclesia: quæ tribus epithetis describitur. Nam appellat primùm *fratres*: deinde ut à falsis distinguat, addit; *sanctis & fidelibus*: communiter verò hisce tribus subditur author, cum ait: *in Christo Iesu*. ubi, *in*, pro *per*, accipitur, ut res ipsa docet, & similium locorum comparatio, Phil. 1. 1. Eph. 1. 1. Atque hæc inscriptio, cui consueta salutatio adjicitur, v. 2. Gratulatio denique succedit: quæ indicatur gratiarum actione, & precatione v. 3. Quæ à causa impulsiva describuntur, *auditione fidei* Colossensium *in Christum*, & *charitatis in omnes sanctos*: (id est, fideles, per Sp. S. regenitos & sanctificatos) in quibus duobus membris, Christiana religio consistit, 2. Tim. 1. v. 13. Gal. 5. 6. Hæc de v. 4. Charitas verò illustratur, à causa impulsiva adjuvante, nempe *spe reposita in cœlis*, h. e. (Meton. objecti pro suo adjecto) sperata vita æterna: quæ idoneus est ad charitatem stimulus. Hæc porrò spes, accommodata scopo epistolæ, digressione explicatur: primùm à causa instrumentali, *doctrinâ prius auditâ*; quam, ad commendationem illius, *Euangelium* vocat; & descriptione quadam definit, *sermonem veritatis*, de Christo salutiferæ κατ' ἐξοχὴν, v. 5. Deinde laudat ac comprobat, à consensu doctrinæ Apostolicæ, per totum orbem promulgatæ, & communibus utrinque effectis ac fructibus; nempe fidelium conversione continua, & conversorum, in fide, spe & charitate, incremento, v. 6. Sed objiciunt Pontificii: Paulus, à consensu orbis, doctrinam Colossensibus traditam, probat: Ergo & nobis, hoc tempore faciendum est: eoque vera est Pontificiorum religio, quæ communi orbis consensu probatur. Verùm respondetur primùm ad antecedens: Paulum non à consensu orbis, sed prædicationis Apostolicæ consensu, argumentari. Deinde esto: agnoscimus etiam, à consensu Ecclesiarum Apostolicarum, doctrinam probari posse: sed quisnam ille consensus sit, non aliunde certò, quam ex Apostolorum sermone, aut scriptis colligi potest. Nam si ad Patres ventum fuerit, quam crebrò inter se, imò & à seipsis dissentiant, res ipsa loquitur. Præterea negatur consequentia: quia alia hujus est temporis, quàm Apostolorum ratio: illis enim superstitibus nominatim constare, certo eorum indicio & sermone, poterat omnibus, quænam Ecclesiæ rectè, quænam malè sentirent: quod jam secus est. Quare ubi Pontificii probârint, ea, quæ ex Patribus corradunt, Christi & Apostolorum sermone probari, acquiescemus. Atque hac ratione humana ex Patribus testimonia probamus & adducimus, non per se: sed quatenus ea, Prophetarum & Apostolorum testimoniis comprobantur. Atque hæc de spei causa instrumentali proxima, auditione nimirum Euangelii. Remota verò, seu per quem illud audierint exprimit, nomine *Epaphram* vocans; eumque commendat, ab amore suo erga ipsum, *dilectum* appellans; deinde à muneris communis dignitate & fidelitate, v. 7. Quæ ex effecto demonstratur, quod videlicet declarârit Paulo Colossensium non ex carne, sed ex Spiritu promanantem charitatem, de qua vers. 4. Atque hæc ad v. 8. Hactenus de communi causa impulsiva gratiarum actionis & precationis Pauli pro Colossensibus. Sequitur singularis quædam precationis descriptio: qualis Ephes. 1. v. 15. 16. 17. ac primùm quidem indicat & repetit, causam impulsivam, cum ait: *propterea*, hoc est, auditâ, ex Epaphræ relatu, fide & charitate vestrâ. Secundò apponit precationis adjunctum duplex, promptitudinem nimirum, cum ait: *ex quo die audivimus*: & constantiam cum addit: *non desinimus pro vobis orare*: ut Phil. 1. v. 6. Denique subjicit materiam subjectam precationis, hoc est, quid precetur, nempe incrementum religionis, sive cognitionis & cultus Dei. Eâque ratione confirmare studet Colossenses, adversus falsos doctores. Et cognitionem quidem indicat his verbis: *ut impleamini agnitione voluntatis ejus* (nempe Dei) quemadmodum vox αὐτὸς per ellipsin, ac κατ' ἐξοχὴν, de Deo interdum usurpatur. Voluntas autem hoc in loco, non arcana, sed verbo revelata, intelligitur: partim Euangelio, quod norma est fidei, Joh. 6. vers. 39. partim lege, quæ Euangelio firmata, est norma vitæ, Rom. 2. vers. 18. & 12. vers. 2. Ephes. 5. vers. 17. Impletio autem hoc in loco, non absolutè accipienda est, quia ex parte hic cognoscimus, 1. Cor. 13. vers. 9. sed comparatè & paulatim: ut Apostoli Actor. 6. vers. 3. & 5. diaconos seligendos monent, *qui sint pleni Spiritu S. & sapientiâ*. Cæterùm hæc agnitio amplificatur ab adjuncto sapientiæ & intelligentiæ spiritualis. Sapientia autem ambiguè dicitur: alia enim infinita est, quam increatam: alia finita, quam creatam vulgò nominant. Infinita autem, essentiam divinam communiter, aut propriè personam Filii notat. Finita verò alia est acquisita, quæ rerum divinarum & humanarum, aut artis alicujus excellentem cognitionem notat, & humana est, de qua Philosophi disserunt: alia revelata à Spiritu Sancto, unde spiritualis dicitur: & à sapientia mundi, seu humanâ, 1. Cor. 1. v. 21. Coloss. 2. v. 23. distinguitur; & quidem aut ad mentem restringitur, & præstantem Theologiæ scientiam notat. Unde interdum Metonymia adjuncti pro subjecta materia, Theologiam & Dei verbum significat; aut ad animum ac voluntatem etiam refertur; & præter scientiam illam, obedientiam quoque & cultum Dei complectitur: quomodo hoc in loco quidam interpretantur. Atque hâc ratione, exegeticè verba illa essent accipienda: ἐν πάσῃ σοφίᾳ, *in omni sapientiâ*, non autem cum omni sapientia, ut Coloss. 3. vers. 16. Ephes. 1. vers. 17. Veruntamen, quia additur συνέσει: quæ vox *judicium* & φρόνησιν *prudentiam* (uti fatentur) notat; accommodatius videtur, ut utrumque συνωνύμως accipiatur, & sapientia quoque (ut Coloss. 4. v. 5.) ad prudentiam referatur: quæ ad usum cognitionis & veri ac falsi discrimen, necessaria, vers. 9. Hæc de cognitione. Fructum verò illius & finem, nempe cultum Dei, deinde describit Apostolus: ac primùm quidem generatim proponit, his verbis: *ut incedatis, sicut dignum est Domino*, hoc est, Christo: & exponit sequentibus. Nam *Domino dignè incedere*, est ei, per omnia placere, cùm bonorum operum fructibus, tum agnitionis Dei profectu. Agnitio autem Christi, vel propriè intelligitur, ut vers. 9. de mente: vel impropriè & Metonymicè, de reipsa, pro agnitione operum: quæ idcirco, quod effecta sint, & signa rectæ agnitionis Dei, 1. Joh. 2. v. 4. eo nomine ornantur: ut Tit. 1. vers. 16. Si propriè accipiatur ea vox, erit prioris repetitio: sed diverso modo. Ut enim ex agnitione Dei, pia vita oritur: sic ex pia vita vicissim cognitio Dei crescit. Sin verò impropriè, quod videtur non alienum, erit fructus illius expositio, & agnitionis veræ ac salutaris, ab inutili distinctio, vers. 10. Huic autem generali cultus Dei descriptioni, specialis subjicitur duobus membris: quæ alia in se continent. Ea autem sunt fortitudo Christiana, & gratitudo erga Deum. Eam autem fortitudinem definit Apostolus genere (quo etiam causa efficiens continetur) & forma. Illud est robur: *secundùm gloriosum robur ipsius*, hoc est, à Deo omnipotente promanans. Forma verò, *tolerantia & animi lenitate, cum gaudio*, exprimitur. Ac tolerantia in rebus adversis, ac præsertim in persecutionibus & hæresibus superandis occupatur: lenitas, in irâ & vindictâ frænanda cernitur. Gaudium verò, tolerantiam veram à ficta & coacta, distinguit. Cum autem gaudium sit affectus, quo animus jucundè, ex boni apprehensione, afficitur: hoc gaudium in rebus adversis (de quo Paulus hîc loquitur) ex tribus potissimum oritur. Primùm ex agnitione voluntatis & paternæ providentiæ Dei, cui lubenter sancti se subjiciunt: deinde ex dignitate crucis Christianæ: denique ex notitia, & fiducia fructuum illius; quales sunt Dei redemptoris, pro quo patimur, gloria; conformatio cum Christo, & Prophetis; sanctificatio & glorificatio, seu vitæ æternæ præmium, Actor. 5. v. 41. Phil. 1. v. 29. 30. Rom. 5. v. 3. & 8. v. 29. 30. Rom. 5. v. 3. & 8. v. 29. Matth. 5. v. 10. 11. 12. Heb. 12. v. 10. & 1. Cor. 11. v. 32. Jac. 1. v. 2. Sed objiciat aliquis: cum persecutiones piorum sint injustæ: inde sequitur, eas doloris esse, non gaudii materiam. Verùm ad antecedens respondetur, Persecutiones piorum esse injustas, non quà feruntur; sed quà inferuntur, & quidem injustè ab hominibus, tanquam causa proxima: eaque ratione sunt doloris materia: quatenus verò à piis feruntur, & à Deo Patre nostro, ut causa remota, justè, ad nostram salutem, 1. Cor. 11. v. 32. & 2. Cor. 4. v. 17. & 18. inferuntur, non doloris,

sed

sed gaudii causam præbent, vers. 11. Hæc de fortitudine Christianâ. Gratitudo verò erga Deum describitur, à causa impulsiva, vocatione & adoptione: quæ gaudii fidelium origo; nempe quod nos fideles idoneos fecit ad portionem hæreditatis sanctorum in luce. Etsi enim hic versus à quibusdam, ad Paulum referatur, ut sit gratulationis repetitio, aptius tamen videtur, ut ad Coloss. cum aliis referamus: ut cum versu antecedente cohæreat; & elegantissimæ transitioni serviat. *Sanctos* autem fideles vocat; quia sancti sunt, sanctitate Christi imputata per fidem; ac justitia & sanctitate sua, nempe vocatione externa communi, per verbum & sacramenta ad visibilem Ecclesiam; & vocatione interna atque efficaci, per Spiritum ad fidem & charitatem. *Hæreditatis* verò *portionem* vocat Metaphoricè vitam æternam, ad quam nos idoneos reddit, vocatione & adoptione. Denique verba illa: *in luce*, bifariam explicantur; quidam enim de regno cœlesti, & glorioso accipiunt: ubi summa lux, ac felicitas, 1. Tim. 6. v. 16. Apoc. 21. v. 23. alii de luce animæ per Metaphoram exponunt: quę in cognitione mentis per fidem; & voluntatis, per charitatem, sanctitate, & utriusque fructu, vitæ sanctæ luce, Matth. 5. v. 16. consistit, Actor. 26. v. 18. 1. Thess. 4. 5. & 8. & 1. Pet. 2. v. 9. 2. Cor. 4. v. 6. atque ita sensus erit, per lucem fidei & charitatis; quia hæc salutis via. Quæ interpretatio Scripturæ phrasi, ac sequentibus verbis, magis consentanea. Atque hæc de gratiarum actione; & prima hujus Epistolæ parte: nempe Præfatione. A qua transitione commodissima, ad alteram partem epistolæ, hoc est, tractationem, accedit. Quæ partim dogmatica est, & de fide Christiana disserit, c. 1. & 2. partim parænetica, & de vita Christiana agit, reliquis duobus. Prius membrum dividitur in demonstrationem veritatis, cap. 1. & refutationem falsitatis, c. 2. Illa proponitur primùm generatim, per thesin, ad vers. 21. deinde speciatim, per hypothesin, exemplo Coloss. inde ad finem capitis. Thesis autem, modum salutis nostræ breviter exponit, & accuratam Christi servatoris descriptionem continet. Ac primùm ut Paulus causam salutis nostræ docuit esse Dei Patris gratiam, vers. 12. sic deinde eandem declarat, & modum salutis exponit, duobus membris: ablatione mali, & collatione boni. De priori ait: *qui nos eripuit ex potestate tenebrarum*, hoc est, ignorantiæ Dei, & impietatis, quibus eramus obnoxii: quæ Metaphoricè, tenebræ appellantur, Matth. 4. vers. 16. & 2. Cor. 4. v. 6. Ephes. 4. vers. 18. Actor. 26. vers. 18. 1. Pet. 2. v. 9. Potestas verò est duplex: una, jus condemnandi, Rom. 6. v. 21. & 23. altera dominandi, & opera tenebrarum proferendi. Ereptio autem fit, per Christum: à priori, per justificationem, Rom. 8. v. 1. à posteriori verò, per sanctificationem, seu regenerationem: qua ex tenebris lux, hoc est, è tenebrosis lucidi fimus, ac per Metonymiam, dicimur, Rom. 6. v. 15. & 18. Ephes. 5. v. 8. De altero, nempe boni collatione ait: *& transtulit in regnum filii sui dilecti.* Regnum autem Christi (ut homonymiam illius declaremus) aliud gratiæ dici solet, nempe Ecclesia Christi, Matth. 13. aliud gloriæ, nempe cœlum, æternæ gloriæ sedes, & sanctorum Patria, Eph. 5. vers. 5. In utrumque Pater nos transtulit; sed diverso modo. In prius quidem reipsa & possessione in nobis ipsis, per fidem charitate efficacem, Joh. 6. v. 44. qua tenebris exempti, à mundo infideli segregamur; & Christo, ejusque Ecclesiæ unimur, Eph. 3. vers. 17. & 4. vers. 12. & 13. Hebr. 12. v. 22. & 23. In alterum verò partim re, partim jure & spe. Re quidem in Christo, in quo, tanquam capite nostro, regnamus in cœlo, Ephes. 2. v. 6. quemadmodum vicissim ille in suis fidelibus, tanquam membris, adhuc patitur in terra, Actor. 9. v. 4. Coloss. 1. v. 24. Jure verò adoptionis, Rom. 8. vers. 17. & spe salutis, per filium promissæ, à Deo omnipotente & veraci Rom. 8. vers. 24. 1. Thess. 5. v. 23. & 24. Tit. 1. 2. Atque hæc de v. 13. Unde transitione eleganti, accedit Apostolus ad descriptionem Christi: cujus primum exponit beneficium; secundò personam, tertiò officium; denique repetit beneficia. Beneficium autem Christi est redemptio: quam interpretatur remissionem peccatorum; eamque sanguini ipsius, nempe effuso, attribuit Synecdochicè: nam ad peccatorum nostrorum remissionem, ac λύτρον, seu redemptionis pretium, requirebatur, non solùm sanguinis Christi effusio; sed etiam mors & humiliatio ac perpessiones totius vitę, ad mortem usque crucis, Phil. 2. v. 8. deinde dolores mortis secundæ, tanquam nobis debitæ, pro quibus persolvit, Esai. 53. v. 5. & 6. Actor. 2. v. 24. cum 27. Persona autem Christi constat, divinâ & humanâ naturâ: & hanc quidem, sanguinis mentione satis expressit: illam verò indicat periphrasi duplici; cum & imaginem Dei invisibilis vocat, & primogenitum omnis rei creatæ. *Imago* autem *Patris* dicitur dupliciter: primò, respectu quodam ad Deum Patrem, ratione ejusdem cum eo essentiæ, per generationem æternam: unde *Character personæ Patris*, Hebr. 1. v. 3. nominatur: quo sensu testatus est, se in Patre esse, & Patrem in se, Ioh. 14. v. 10. Deinde respectu ad nos, ratione incarnationis & officii: quod Deus conspicuus factus sit in carne, & Patris naturam, operas, & voluntatem patefaciat. Qua de re loquitur Iohannes, cap. 1. v. 14. *vidimus gloriam ejus, tanquam unigeniti à Patre.* item v. 18. *Deum nemo vidit unquam, Filius, qui in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Vnde solvi potest objectio, quæ contra divinitatem Filii ab Arianis adferri solet. Imago, inquiunt, habet similitudinem rei, non autem naturam & essentiam illius. Christus est imago Dei Patris. Ergo habet similitudinem, non essentiam. Ideoque non dicendus est Patri ὁμοούσιος sed ὁμοιούσιος. Verùm negatur propositio: quia ea non est universè vera. Nam imago alia est artificialis, quæ tantùm rei accidens, & similitudinem habet: alia est essentialis, quæ naturam & essentiam; quemadmodum filii Patrum imagines sunt: ac talis est Christus. Altera periphrasis est: *primogenitus omnis rei creatæ.* Verùm de sensu hujus loci, gravis omninò est quæstio. Primum enim Ariani inde colligunt: Christum esse creaturam primam, à Patre ex nihilo ante mundum, in tempore creatam; per quam deinde reliquæ omnes creatæ sint. Verum respondent, Basilius lib. 4. contra Eunomium, Chrysost. Theodoretus, & alii Orthodoxi, illud ex hoc loco, malè concludi; Paulus enim non πρωτόκτιστον id est *prius creatum* apellat, sed πρωτότοκον *primogenitum.* ideoque Filium ex substantia Patris genitum; non creaturam è nihilo factam. Sed excipiunt deinde adversarii, vocem hanc *primus*, denotare ordinem: ac propterea Christum, sequentium creaturarum ratione, sic appellari primogenitum. Verum respondet post Cyrillum, thesauri lib. 10. cap. 4. Theophylactus ad hunc locum: *Primogenitus*, inquit, *non omninò ad sequentes pertinet, aut dicitur in Scriptura; sed absolutè, qui primus natus est. Hac itaque ratione Deipara Virgo Maria peperit eum, secundùm carnem primogenitum, qui omninò non habuerit fratres post se: unigenitus enim ratione Virginis matris. Hunc ad modum ex patre est primogenitus, non cæterarum creaturarum respectu, sed absolutè, unigenitus enim secundùm supernam istam, & æternam nativitatem.* Hæc Theophyl. Cyrillum secutus. Ut autem hæc solutio melius intelligatur, observandum est, vocem *primus*, dici, vel ratione consequentium, & sic ponit ordinem: quo sensu Adam primus dicitur, 1. Cor. 15. v. 47. vel ratione antecedentium; sic nullum ordinem ponit: sed antecedentium ordinem tollit: quo sensu, Deus primus dicitur, Esai. 14. v. 4. quod ante eum nullus, Esai. 43. v. 11. quemadmodum alibi solus, quod præter eum nullus sit Deus. Itaque eodem modo, antecedentium ratione, filius Dei dicitur primogenitus, & absolutè unigenitus, Ioh. 1. v. 14. & proprius, Rom. 8. v. 32. Sed instant tertiò: Christum dici, non solum *primogenitum*, sed etiam *omnis rei creatæ*: ideoque sequentium relatione sic appellari, & creaturis hoc modo annumerari; sed ordine & tempore præferri. Ad quam objectionem, variè Orthodoxi respondent: quamvis interpretationem Arianorum omnes negent. Quidam enim sensum Pauli esse ajunt: quod Christus sit genitus à Patre, antequam quicquam conderetur, hoc est, ab æterno: idque objectionis retorsione, sic probant: quia, si Christus est primogenitus inter creaturas, brutis & inanimatis germanus fiet; quia necesse est,

eum,

eum, qui primogenitus nuncupatur, tempore duntaxat primum esse, genere verò eodem, & natura eadem congruere cum omnibus. Sic Athanasius disserit contra Ari. lib. 3. & Cyrillus thesauri lib. 10. c. 4. & Chrysost. ac Theodoretus, suis ad hunc locum commentariis. Nonnulli verò expeditiorem responsionem putant, si statuamus: vocem *primogenitus*, non propriè hoc loco, sed Metaphoricè accipi, pro Domino & hærede: idque, simili omninò sententia, & argumento indicari, existimant, Heb. 1. v. 2. & 6. ut Theodoretus qui ex epistola ad Heb. 12. vers. 23. *primogeniti* vocem præstantiam notare, docet. Sed adversus priorem expositionem, objiciunt rationem grammaticam duplicem. Primùm enim non posse vocem *primogenitus*, divinam hic filii generationem notare, propter nativam significationem vocis τίκτειν, quæ *parere* significat, non *gignere*: secundò, propter constructionem, quod vox πρωτότοκος non possit genitivum regere, quasi sit participium, constans ex præpositione περὶ: ita enim exponi vocem πρωτότοκος πάσης κτίσεως: quasi sit περιτεχθεὶς πάσης κτίσεως, id est, τεχθεὶς περὶ πάσης κτίσεως. Verùm, ad primam rationem, respondent priores: vocem τοκέων, quæ à τίκτω similiter derivatur, tam latè patere, ac *parentum* apud Latinos: ideoque conjugati parem esse rationem: quemadmodum ילד Hebræis utrumque *parere*, & *gignere* notat: ac sanè vox Græca τίκτειν, ut Latinis *gignere*, de fœmina aut mare usurpatur: ut frequens Homeri usus ostendit. Ad alteram verò rationem, potest bifariam responderi: primùm constructionem esse, qualis apud Ioh. c. 1. v. 15. πρῶτός μου, pro πρότερός μου. Secundò dici potest, cum Oecumenio, Græco Scholiaste, esse, hoc loco ellipsin præpositionis (περὶ) ut integra constructio sit, suppletâ hac voce πρωτότοκος περὶ πάσης κτίσεως: adeò ut constructio, neutro modo, quicquam habeat absurdi. Quamobrem utraque interpretatio analoga fidei est, & Orthodoxa, sive primogeniti vocem propriè, sive Metaphoricè, pro Domino & hærede, accipiamus: ut Psal. 89. vers. 28. citra controversiam accipitur, ubi dicitur: *etiam ego primogenitum constituam eum, excelsum supra reges terræ*, & utroque modo solidè Arianorum objectio diluitur. Denique, ne quid hic omittam, præter primam interpretationem, qua Christus primogenitus dicitur, ratione divinæ naturæ; quod sit æternus, & unigenitus Patris filius, aliam etiam Basilius contra Eunomium lib. 4. sub finem, adducit; licet satiùs sit, in datis responsionibus subsistere: *Si*, inquit, *primogenitus mortuorum dictus sit, quod causa sit resurrectionis è mortuis: & sic primogenitus creaturæ, quoniam causa est, ut è nihilo ad esse creatura producta sit*. Alteram deinde interpretationem subjicit: Christum dici primogenitum, ratione eorum, qui per adoptionem Spiritus Sancti ex Deo nati sunt: ut Paulus dicit; quos præscivit, & prædestinavit conformes imaginis filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus. Et Arianorum objectionem refutat, duabus ex Paulo rationibus: quarum prima est, cujus antè meminimus; quod Christus non dicatur πρωτόκτιστος *primo creatus*: altera, quod Paulus postea non subjiciat, & ipse factus est ante omnia: sed ipse est ante omnia: quemadmodum Ioh. 1. *in principio erat verbum*. Eadem ferè habet Cyrillus thesauri lib. 10. c. 4. & Athanas. contra Arian. lib. 3. Sed objicitur tandem locus Apoc. 3. v. 14. ubi dicitur ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. Ergo creatura: quia principium rei, ejusdem cum ea est generis. Sed negatur consequentia, propter vocis homonymiam, quia ἀρχὴ *principium*, non rarò, per Metonymiam, ἄρχοντα *principem* notat: ut Coloss. 1. vers. 16. & 2. v. 10 Tit. 3. v. 1. & sic, hoc loco, accipitur: ut Apoc. 1. v. 5. eodem sensu vocatur Christus ὁ ἄρχων *Princeps Regum terræ*. Atque hæc de voce *primogenitus*, altero nimirum divinitatis Christi elogio, v. 15. Sequitur deinde accurata ejus confirmatio, ab operibus duplicibus, nempe creatione, ejusque fine; & conservatione: quæ soli Deo conveniunt: ideoque divinam Christi naturam demonstrant. Atque illam primùm ponit Apostolus his verbis: *Nam per eum, & in eum*, hoc est, ad ejus gloriam, *condita sunt omnia*. Deinde exponit subjectum illius, h. e. quænam sint illa omnia, quorum meminit: idque in eum finem, ne aliquid excipiatur: sed ut solidus Christo honor constet. Utitur autem partitione geminâ: quarum altera è subjecto loco: omnia enim hæc, partim sunt *in cœlo*, partim *in terra*: altera ab adjunctâ qualitate: omnia enim sunt, partim *visibilia*, partim *invisibilia*: quæ deinde subdividit in *thronos, dominia, principatus, potestates*. De cujus loci interpretatione quædam dicenda sunt uberiùs, ut curiosa multorum, in hoc argumento, temeritas refellatur. Ac primùm quæritur: quid hæc nomina quatuor sibi velint. Quidam enim nullo modo, ad angelos pertinere, sed humanam omnem politiam denotare opinantur: quemadmodum voces hæ in usu sunt alibi, ut Tit. 3. v. 1. 2. Pet. 2. vers. 10. Iud. vers. 8. Alii verò per Metaphoram, à rebus humanis, de politia cœlesti & Angelis, sermonem esse existimant: idque sanè probabilius; non solùm propter usum harum vocum, quæ sæpè tribuuntur angelis & bonis & malis, cum alibi, puta, Rom. 8. vers. 38. Ephes. 1. vers. 21. & 6. v. 12. tum in hac epistola cap. 2. vers. 15. sed maximè propter loci scopum: quia Apostolus invisibilia, quorum meminit, iis vocibus subdividit: ideoque ad Magistratus visibiles minimè pertinent. Veruntamen qui de Angelis hunc locum interpretantur: quidam primam vocem excipiunt, ac cœlum tertium, quod nobis invisibile est, ea voce significari, existimant: idque probari posset, hac ratione, quod *throni* vox, cœlo sæpè tribuatur, Matt. 5. vers. 34. & c. 23. vers. 22. Actor. 7. vers. 49. Angelis verò nusquam. Nam quemadmodum objici potest, Apostolum hîc non de throno loqui (quemadmodum cœlum appellatur) sed de thronis: sic responderi etiam posset: Paulum hîc agere de sedibus cœlestibus, & multis illis beatorum mansionibus, Iohan. cap. 14. v. 2. quemadmodum senioribus etiam throni ascribuntur, Apoc. 4. vers. 9. vel enallagen esse numeri pluralis pro singulari. Verum ut arguta hæc est sententia & probabilis: sic altera quæ nomine *thronorum* non cœlum, sed cœli incolas, Angelos significari putat, videtur præferenda, ob communem veterum & recentiorum consensum: deinde ob pluralem: denique quod cœlum nunquam absolutè thronus, sed definitè thronus Dei nominetur. Neque mirum est, hanc vocem alibi, pro Angelis, non usurpari: quia cùm Paulo negotium esset adversus fastuosos Philosophastros, qui honorem Christi ad Angelos, superstitiosè transferebant, concessione quadam verbis maximè splendidis uti voluit: ut eò magis Christi creatoris gloriam extolleret; & adversarios, omni ereptâ nominis exceptione, refutaret. Porrò de sensu horum verborum diversum est judicium. Quidam enim putant, hæc verba idem significare re ipsâ; sed modo differre: ideoque conjungi tantùm, ad majorem rei expressionem, synonymiâ emphatica, non autem tautologia inani: itaque Angelos generatim sic appellari, Metonymicè; quod sint instrumenta & ministri Dei, quibus thronum, hoc est, regnum, dominium, principatum & potestatem suam, pro arbitrio exercet. Cujus rei exemplum, Esai. 37. v. 36. Quæ sobria interpretatio probari videtur inde, quod alibi, alio ordine numerentur, Eph. 1. v. 21. & voces hæ promiscuè usurpentur. Contra verò plerique, hæc verba, non eandem rem, sed diversos Angelorum ordines, & officii gradus denotare existimant; idque probari potest: primùm disjunctiva particula *sive*: deinde aliorum locorum comparatione, in quibus Angelorum ordo statuitur: ut cum *Archangelus* nominatur, 1. Thess. 4. v. 16. & *principes*: imò & *principes primarii*, Dan. 10. vers. 13. è quorum numero unus aut etiam *primus* dicitur, *Michaël, princeps Iudæorum*, Dan. 10. vers. 21. & *Archangelus*, Iud. vers. 9. Nam ex communiori veterum & recentiorum sententia, non Christum, sed Christi Angelum, Michaelis nomine significari dici potest. Neque enim obstat nominis dignitas: quia non definitè eum, qui est sicut Deus, hoc est, Deo par & æqualis significat (quod nostri interpretes, alioqui accurati, Dan. 10. v. 13. affirmant) quod soli Christo, Phil. 2. non Angelo illius convenit: sed interrogatione quadam, quis ut deus? Deinde vox אל, generatim, *fortem* notat; & κατ' ἐξοχὴν, non solùm de Deo; sed etiam suo modo, de Angelis dicitur. Præterea synonymum, & sublimius nomen, homini tribuitur, nempe מיכה, *Michajah, quis, sicut Iehovah*? 2. Reg. 22. vers. 12. Idem denique

Michaëlis

Michaëlis nomen ascribitur Jisrachiæ filio, 1. Chron. 7. v. 3. Deinde verò Angelus hâc voce intelligi videtur, primùm, quia in ordinem Angelorum redigitur, Dan. 10. verſ. 13. & 21. deinde, quia, licet contentio cum Satana, filio Dei tribui poſſit ex Zach. 3. v. 2. tamen non auſum fuiſſe crimen objicere Satanæ, quînam tribui poſſit ſummo Domino? Deinde, ut alia omittam, hâc ratione argumentum Angeli, Dan. 10. verſ. 21. videtur enervari: neque ſatis conſentire, ſi diceretur, Nullus mecum, niſi filius Dei. Atqui habuit filii Dei auxilium, aliud nullum requirit. Quare ordinem eſſe aliquem, inter Angelos, ex Sacris Literis conſtat. Sed qualisnam ſit, alii modeſtè & doctè, neſcire ſeſe profitentur: alii conjecturas ſuas dubiè proponunt: alii denique temerariè definiunt. Ac primùm quidem ignorantiam ſuam ingenuè teſtatur Auguſtin. Tom. 6. contra Priſcillianiſtas ad Oroſium cap. 11. & Enchiridio ad Laurentium capite 58. *Quid*, inquit, *inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus univerſam illam ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus, dicendo: ſive ſedes, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, dicant qui poſſunt: ſi tamen poſſunt probare quod dicunt. Ego me iſta ignorare confiteor.* Verùm quod addit: *ſed nec illud quidem certum habeo: utrum ad eandem ſocietatem pertineant, ſol & luna, & cuncta ſydera, quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu vel intelligentia videantur:* illud inquam, magis profanam Platonis, quàm Chriſti ſcholam ſapit. Sic etiam modeſtè ait Gregorius Nazianzenus, *ordinem Angelorum Deum noſſe, qui definivit*, Oratione de Theolo. in fine.

Secundò, alii proferunt conjecturas ſuas. Quidam enim putant: hæc officiorum nomina, dici relatè ad homines, ut Theodoretus Coloſſ. 1. ait: *Exiſtimo thronos eſſe Cherubim, divinum enim thronum ſuper eos vidit poſitum Propheta Ezechiel: dominationes, principatus & poteſtates eos, quibus credita cura gentium. Michaël enim præeat Iudæis: & beatus Daniel dicit Principem Perſarum & principem Græcorum.* Sic etiam Ruffinus in Symboli expoſitione. *Etenim*, ait, *ut breviter aliqua etiam de ſecretioribus perſtringamus, ab initio Deus, cùm feciſſet mundum, præfecit ei, & præpoſuit quaſdam virtutum cœleſtium poteſtates: quibus regeretur & diſpenſaretur mortalium genus. Quod ita factum Moſes indicat in Deuteronomii cantico, ubi dicit: Cum divideret Excelſus gentes, ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei.* Verùm rectè, contra hanc LXX. interpretum verſionem, Hieron. in Ezech. cap. 28. obſervavit, *meliùs in Hebræo eſſe, numerum filiorum Iſraël.* Alii verò putant his nominibus, Angelos dici, non ſolùm relatè ad homines: ſed etiam relatè ad inferiores Angelos. Qua de re, Hieron. ad Epheſ. 1. ait: *Arbitror itaque illum Apoſtolum, aut de traditionibus Hebræorum, ea, quæ ſecreta ſunt, in medium protuliſſe: aut certè quæ quaſi juxta hiſtoriam ſcripta ſunt; cùm intelligeret legem eſſe ſpiritualem, ſenſiſſe ſublimiùs: & quod de regibus atque principibus, ducibus quoque, tribunis & centurionibus, in Numeris & Regnorum libris refertur, imaginem aliorum principum, regumque cognoviſſe: quod ſcilicet in cœleſtibus ſint principatus, ſint poteſtates, ſint dominationes atque virtutes, & cætera miniſteriorum vocabula: quæ nec nos poſſumus nominare, nec ipſum Paulum, puto (ut in gravi corpuſculo conſtitutum) enumerare valuiſſe. Si autem ſunt principatus, & poteſtates, & virtutes, & dominationes, neceſſe eſt ut & ſubjectos habeant, & timentes, & ſervientes ſibi: & eos, qui ſua fortitudine roborentur. Quæ diſtributiones officiorum, non ſolùm impræſentiarum, ſed etiam in futuro ſeculo erunt: ut per ſingulos profectus & honores, & aſcenſiones, & deſcenſiones, vel creſcat aliquis, vel decreſcat; & ſub alia, atque alia poteſtate, virtute, principatu, & dominatione fiat.* Sic Ambroſio adſcriptus Commentarius, Epheſ. c. 3. ait: *poteſtates ideò dici, quia potentiores ſunt, inter cæteros ſpiritus; principes autem, qui principentur poteſtatibus.* Denique alii, non ut conjecturas afferunt, ſed Angelorum ordines, diſtributiones, officia & nomina definiunt. Ac primùm quidem temerariè, novem ordines Angelorum ſtatuit Dionyſius Areopagita lib. de cœleſti hierarchia, cap. 6. hoc modo: *Seraphim, Cherubim, thronos, dominationes, virtutes, poteſtates, principatus, Archangelos, Angelos.* Dionyſium ſequitur, eumque teſtem adducit Gregorius Magnus, Homil. 34. in Euangelia, hâc tamen differentiâ, quod aliter quoſdam ordines diſtinguat. Nam, ab imis exorſus, numerat Angelos, Archangelos, virtutes, poteſtates, principatus, dominationes, &c. quemadmodum Bernadus, ſcriptor Pontificius, (qui vulgò perperam, inter Patres veteres recenſetur, quia Abbas fuit Pontificius: qui, licet de tyrannide & faſtu ordinis Eccleſiaſtici, Pontificis & Epiſcoporum, valdè liberè loquatur: & de juſtificatione multa valdè piè tractet, maximus tamen fuit idololatrici cultus, Virginis Mariæ, patronus: adeo ut non incommodè quidam dixerit: *ubi benè ſcribit, nemo melius; ubi malè, nemo pejus:*) in Cantica, Sermone 19. de noven ordinibus Angelorum. Eademque cum Dionyſio, Paulò poſt Bernardum, docuit Petrus Lombardus, lib. 2. diſtinct. 9. & in eum, Scholaſtici: & prolixè Thomas Aquinas in ſumma Theologiæ, par. 1. quæſt. 108. & ſeqq. Cæterùm hujus numeri definitionem probare nititur Gregorius Magnus, in Iob. lib. 32. cap. 25. & in Euangelia Hom: 34. duabus rationibus. Primum inductione: *quia*, ut ait, *cum hæc nomina apertâ narratione memorentur, quantæ ſunt ſupernorum civium diſtinctiones, oſtendunt.* Secundò, teſtimonio Ezechiel. cap. 28. verſ. 13. quia novem lapidum nomina recenſentur, quibus ornatus eſſe dicitur Angelus ille; qui primus eſt conditus. Sed inania hæc ſunt fundamenta. Nam primùm inductio imperfecta eſt: quia non ſolùm hæc nomina Angelorum extant, ſed etiam plura: qualia ſunt exercitus cœli, Luc. c. 2. verſ. 13. &c. Ad hæc non Archangelorum ullibi; ſed Archangeli tantùm in Sacris Literis, fit mentio: & quidem principatibus non poſtponitur, ut Pontificii volunt, ſed præponitur, aut æquatur; ut liquet ex comparatione locorum Iudæ verſ. 9. & Daniel. cap. 10. Deinde locus Ezechiel. nihil omninò ad rem facit: quia non de Angelo aliquo, ſed de rege Tyriorum, diſertè loquitur Propheta, verſ. 2. & 12. Neque obſtat, quod in Hedene fuiſſe dicitur; & Cherub appellatur: quia hæc non propriè, ſed Metaphoricè intelligenda ſunt. Hæc itaque prima eſt, in ordinum Angelicorum numero ſtatuendo, temeritas. Altera verò ſita eſt in ordinum eorundem diſtributione, in ſuas claſſes & gradus. Dividunt enim hos Angelorum (ut vocant) ordines, & choros novem, ineptâ divinæ trinitatis imitatione (ut Dionyſius de cœleſti Hierarchia cap. 7. in fine) in tres triadas, ſeu terniones, quas hierarchias vocant: & ſubdividunt ſingulas, in ordines priores, medios, infimos. In prima hierarchia collocant ſummos, Seraphim; medios, Cherubim; ultimos, Thronos. Eadem ratione, in ſecundâ, Ordines ponunt, Dominationes: Virtutes: Poteſtates. In tertia, Principatus; Archangelos; Angelos. Omnia autem ſine legitima Scripturæ authoritate. Cæterum haſce tres hierarchias, bifariam diſtinguit Dionyſius, officio & dignitate: officio quidem, quod prima immediatè Deum, & divina cognoſcat & ſequentes doceat: reliquæ mediatè, ſecunda quidem ex prima: tertia verò ex ſecunda, de cæleſti Hierar. cap. 7. & 10. Deinde ad dignitatem quod attinet, ſuperiores hierarchias inferioribus imperare ait: ac primam quidem ſecundæ; & hanc tertiæ; quæ tertia hominum hierarchiis ſola imperet, & præceptum divinum, à ſuperioribus acceptum, hominibus nunciet aut exequatur. Et officium quidem probare conatur Dionyſius ex Sacris Literis. Ac primum, ſummam hierarchiam immediatè divina cognoſcere, & reliquos docere, probat, ex Eſai. c. 63. verſ. 1. & 2. Verum locus ille non proponit Angelorum (ut perperam accipit) ſed Eccleſiæ Iudaicæ quæſtionem, ut ex circumſtantiis liquet; & comparatione antecedentium, cap. 62. verſ. 11. Matth. 25. verſ. 5. Deinde etiamſi de Angelis ageret locus, ut Hieronymus & Cyrillus putant, non tamen de prima hierarchia magis, quam de reliquis. Etſi de prima, non magis ſequetur eos immediatè à Chriſto, quam à ſe mutuò doceri; quia inter ſe rogant: Quis iſte? Secundum Dionyſii teſtimonium eſt cap. 8. ex Zach. cap. 1. verſ. 13. & cap. 2. v. 3. & 4 *Vidit Zacharias unum ex primis Angelis* (inquit Dionyſius) *& ut mihi videtur, qui Deum circumſtant, verba conſolationis plena didiciſſe à Deo: alterum autem inferioris ordinis Angelum, qui priori obviam antecedebat, eo conſilio, ut illuſtra-*

illustrationem acciperet, fieretque particeps. Deinde eundem cum ab illo divinum consilium, ut à principe, didicisset, etiam Zachariam id docuisse. Sed facilis est solutio: Nam primus ille Angelus, est Christus, Mediator Ecclesiæ; quia Iehova diciur, Zach. cap. 1. v. 19. Deinde cùm hic Angelus nunciet Dei verbum, Zachariæ, cap. 1. vers. 14. non minus quàm alter, cap. 2. vers. 4. sequitur non intelligi Angelum primæ hierarchiæ, aut falsam esse distinctionem, qua statuit, solam ultimam hierarchiam per se, hominibus Dei verbum nunciare. Tertium testimonium ex Ezechiel. cap. 10. v. 6. & 7. nihil evincit: Angelo enim dicitur non ab Angelo, sed à Deo: *sume ignem*: & quod ignem manui ejus Cherub indiderit, in visione dicitur, neque illum Angelorum ordinem confirmat. Quartum etiam ex Daniel. cap. 8. v. 16. alienum est: quia neque vir ille, est primi ordinis Angelus, sed ordinibus superior, Christus: neque sermo ille certum ordinem evincit. Hisce testimoniis alia duo adjungit Dionysius cap. 10. primùm ex Esai. 6. vers. 3. his verbis: *Seraphim Theologi alterum ad alterum clamasse dicunt, qua quidem re planè, mea sententia, declarant, primos participes facere secundos divinarum rerum, atque nunciorum.* Sed negatur Consequentia: quia Seraphim non ad inferiores ordines, sed inter se clamasse dicuntur. Deinde non docebant alii alios, sed mutuò, quasi κελεύσματι, atque hortatu, Deum colebant. Denique unus ex Seraphim nunciavit Esaiæ, Dei voluntatem. Ergo non ad primum ordinem pertinent: aut falsa superior officii distinctio: quemadmodum revera est; omnes enim Angeli generatim spiritus ministratorii appellantur, & mitti dicuntur, ab obeunda ministeria, circa electos, Heb. cap. 1. vers. 14. frustra tergiversante Dionysio, & Greg. in Euang. Homil. 34. & Lomb. lib. 2. dist. 10. & Thom. ad Hebr. 1. Alterum testimonium, quod adducit Dionysius cap. 7. est ex Psalm. 24. vers. 6. quo (ut ille putat) ordines inferiores Angelorum, à superioribus, discunt, Dominum esse regem gloriæ. Sed primum negatur, ea de Angelis dici: quia Davidis & fidelium hominum ea est oratio. Deinde quamvis Angelorum esset sermo, hierarchiarum tamen distincta illa officia, & notitia, inde probari non possent: cùm per formam Dialogi, summa Christi regis cœlestis gloria celebretur. Hæc igitur secunda est, & ἀπερισδόνυσος Dionysii & Scholasticorum, in hoc argumento, temeritas. Tertia est in singulorum ordinum definitione: quam, ex nominum interpretatione, petendam docent. Ac primum Seraphim vocem Hebræam esse, quæ ἐμπρηστὰς *incensores* significet, ut monet Dionysius, quemadmodum Hieronymus de nominibus Hebraicis, *ardentes* vel *incendentes*, exponit. Cœterùm hæc vox, Synecdochicè bifariam accipitur: primùm, pro urentibus serpentibus, seu presteribus, Esai. 14. vers. 29. quemadmodum definitur, Num. 21. v. 6. & 8. *serpentes Seraphini*, id est, igniti: deinde pro Angelis, Esai. cap. 6. vers. 2. Verùm duplex, hoc loco, Dionysii audacia est observanda: prior, quod asserit, Seraphim esse ordinem certum Angelorum, & quidem summum, cùm tamen eorum solummodo fiat mentio, Esai. 6. nec quicquam iis tribuatur, quod non omnibus Angelis possit competere. Altera est, quod asserit, sic appellari à rerum divinarum ardore, quo flagrant, & alios accendunt: hoc est, ut Gregorius & Scholastici exponunt, ab ardore singulari, & flamma amoris Dei: quod, præ reliquis, charitate præditi sint. Hoc enim ex Esaia probari non potest: Sed meliùs longè statuitur: Angelos hosce dictos esse, non à munere perpetuo, nec à donis internis; sed ab externâ & ardenti specie, qua apparebant: quemadmodum, de *Cherubim* ait, Ezech. c. 1. v. 13. *aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus tædarum.* quę quidem externa species adumbrasse videtur, Angelorum sapientiam, puritatem, potentiam, & velocitatem, in Dei judicis voluntate exequenda; sive in beneficiis, sive in pœnis inferendis. Deinde ad Cherubim quod attinet, malè Dionysius πλῆθος γνώσεως, *copiam cognitionis*, ἢ χύσιν σοφίας, *fusionem sapientiæ*, interpretatur. Nec enim Grammatici sic docent: neque ullam hujus interpretationis rationem video, nisi כרוב compositum dicatur, ex (כ) *sicut*, & רוב, *multitudo*, per Synecdoch. obscuram, pro multitudine scientiæ, quemadmodum רב *magistrum*, nonnulli à multa scientia, dictum volunt; doctiorum accuratius esto judicium. Hieronymus verò Cherubim interpretatur *scientiam multiplicatam*, vel *quasi plures*, compositam vocem statuens, ex כ & רוב. In ea re, sine dubio, non suum judicium, sed ejus, quem interpretatur, secutus sententiam. Contrà nonnulli Grammatici componunt ex כ *sicut*, & רובין, *adolescentes*, voce Chaldæâ, & flexione Hebræâ רובים: Quæ vox in Targum, Lament. cap. 5. vers. 13. & 14. extat. Alii verò simplicem vocem esse volunt, eodem sensu; ut notet absolutè, humanas, sed alatas imagines. Hinc Germani Iudæi (ut Rab-Anschil in glossario Hebraico Germanico) *volucres*, interpretantur. Quâ formâ, cum jussu Dei, Angeli adumbrati sint, in propitiatorio, Exod. cap. 25. v. 18. eâdemque apparuerint nonnunquam: hinc Cherubim dicuntur Genes. cap. 3. vers. 25. & Ezech. cap. 10. vers. 14. Quemadmodum & Metonymicè, quatuor animalia, Angelorum signa, ita appellantur, Ezechiel. cap. 10. Hinc sequitur: cum vanâ, aut saltem dubia prorsus nominis interpretatione, nitatur Dionysius (in ordine Cherubim definiendo) vanam illius esse sententiam: præsertim cum nulla ratione probare possit, aut conetur, Seraphim & Cherubim inter se esse distinctos: cum potius ex communi forma humana & alata, addo, etiam interdum ignea, eosdem esse, reipsa demonstratur: quamvis significationis modo differant. Tertiò *thronos* interpretatur Dionysius per Metaphoram, quod Deum insidentem capiant, ac Θεοφόρους, *Deiferos* vocat: obscurè profectò. Sed qua ratione probabit, thronos esse diversos à Cherubinis, quibus tamen Deus insidere, passim, in Sacris Literis, dicitur, 1. Samuel. cap. 4. vers. 4. & 2. Samuel. cap. 6. v. 2. & 2. Reg. cap. 4. vers. 14. Psalm 90. vers. 2. Esai. cap. 37. v. 16. quod inde responsa daret, Exod. cap. 25. vers. 8. & 22. Neque certior est Gregorii definitio, qui eos, thronos dici ait: in quibus Dominus sedet, & per quos, sua judicia discernit. Nam quod affert testimonium ex Psalm. 9. vers. 5. *sedes super thronum, qui judicas æquitatem*, nihil ad rem facit: non enim Angelorum Ordinem, *throni* vox, eo loco, denotat, sed *throno insidere*, Metaphora ab hominibus sumpta, *judicium exercere*, denotat. Præterea, in secunda hierarchia, primum *dominationes*, Dionysius definit eum Angelorum ordinem, *qui à subjectione solutus, veræ dominationis cupiditate flagrat, & ad veram ejus similitudinem, sese, & eos qui sequuntur, format.* Sed hæc dicuntur, non solum obscurè, & confusè: sed etiam mera & inani conjectura (unde ait: οἶμαι *puto*) sine Sacris Literis, & contra modestiam Angelorum. Gregorius eos exponit, *qui principatus transcendunt*: & Bernardus æquè incertè, *qui regna, & principatus ordinant*. Atqui ad principatus, & Archangelos illud etiam pertinere, ex Daniel. cap. 10. probari potest. Secundò δυνάμεις, quas vulgò *virtutes* vertunt, Dionysius definit, *quæ virilem quandam, invictamque fortitudinem ad divina omnia obeunda munera, habeant; & virtutem inferioribus conferant.* Gregorius verò ait: *esse Spiritus, per quos signa & miracula frequentius fiunt.* Quæ sententia probabilior quidem, sed tamen non necessaria. Quamvis enim vox δυνάμεως, non rarò, per Metonymiam efficientis pro effecto, pro miraculis, quę potentiæ Dei opera sunt, usurpetur: ut Matthæi cap. 7. v. 22. & interdum per Metalepsin, seu altera inde deducta Metonymia adjuncti pro subjecto, pro iis, qui illo dono præditi sunt, ut 1. Corinth. cap. 12. vers. 28. non tamen sequitur, illud habere, in hoc argumento, locum: multò minus esse ordinem separatum, & quintum, quia omnes Angeli, eadem ratione, sic possunt appellari. Denique *potestates* definit Dionysius ordinem, *qui habet liberam in rebus divinis, dispositionem; &, in eo servando, aliis præit.* Quæ, ut obscura & incerta prorsus: sic etiam sibi contradicit: cum enim, (ut antè ostendimus) statuat, primum ordinem Angelorum imperare secundo; secundum tertio: quomodo huic libertas tribuetur? Idcirco Gregorius potestates esse ait, *eos Angelos, qui dæmonibus imperant.* Vterque sanè, & Dionysius & Gregorius, sine Scriptura, & temerariè. In tertia hierarchia non est minor audacia, & futilitas. *Principatus* Dionysius definit, *qui principatum obtinent*, seu (ut exponit

nit Pachymerius) *qui Archangelis, & Angelis præsunt.* Sic ferè Gregorius. Thomas autem Aquinas definit ad Ephes. cap. 1. *qui singulis provinciis præsunt.* Deinde *Archangelos* Dionysius definit, *eos qui angelis præsunt.* Gregorius, *eos, qui summa nunciant.* Thomas ad Ephes. cap. 1. *eos, qui magnos custodiunt. Angelos* Dionysius definit, cap. 9. eos, *qui hominum Hierarchiis imperant:* idque probat duobus argumentis: primum est, quod Michaël appelletur Princeps Judæorum. Atqui Archangelus dicitur, ut antè probatum est. Alterum est dictum Moys. Deuteron. cap. 32. *terminos statuit, secundùm numeros Angelorum Dei* sed versio illa perversa est, & ab Hebræo contextu aliena, ut supra ostendimus. Gregorius verò Angelos definit, *qui minima denunciant.* Thomas ad Ephes. cap. 1. *eos, qui singulis hominibus præsunt.* Omnia autem hæc, sine Sacris Literis, ex mera conjectura, statuuntur: etsi nonnullis locis, ubi Angeli puerorum recensentur, abutantur, cum cura eorum ad omnes pertineat. Quod autem Angelos minima nunciare, Gregorius statuit, à Scriptura alienum est: Angeli enim annuntiarunt Christi conceptionem futuram, Luc. cap. 1. factam, Matt. cap. 1. Christi nativitatem, & officium, Luc. cap. 2. denique resurrectionem, Matth. cap. 28. & ascensionem in cœlum ac reditum, Actor. cap. 1. quæ summa religionis sunt mysteria. Quare iis omissis, laudabili Bernhardi sententiâ, totum hunc locum concludam. Etsi enim author ille Pontificius, alibi audaciùs pronunciet; modestè tamen in sermone in festo Sancti Martini, novem hisce Angelorum nominibus prolatis, subjicit: *Benè nomina novi, fortè hoc totum est: Quid enim ampliùs capiam terrigena, de cœlestibus: Carnalis homo de spiritualibus, & divinis. Veruntamen etsi ignorem, quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissimè novi, quod magnum, & memorabile aliquid sub hâc tantâ verborum majestate, clausum sit & signatum.* Hæc Bernhardus. Quare, ut finem faciam, aliquem esse ordinem, inter Angelos, ex sacris Literis colligi potest: cum quidam Archangeli nominentur; &, in nominibus hîc, apud Paulum recensitis, manifesta sit disjunctio: sed qualis sit ratio, cum Sacris Literis non exponatur, *definire temerarium est, inquirere curiosum.* Ut igitur à temeraria Angelicorum ordinum recensione, & definitione, (quam hactenus diluimus) ad rem propositam redeamus. Paulus Deitatem, & æternitatem Christi, quam asserit versu 15. probat deinde, ab operibus: ac primum quidem à creatione rerum omnium, quas distinguit à subjecto loco in Cœlestes, & Terrestres: & ab adjuncta qualitate, in Visibiles, & Invisibiles: quas subdividit Angelorum distinctione quadam, à ministerio eorum desumpta; & illustrat, repetitione propositionis: qua creationis subjectum generatim definitur, & finis amplificationis gratiâ adjicitur: quod *omnia per eum & in eum,* hoc est, ad ipsius gloriam, *condita sunt.* Vnde rectè concluditur: Christum esse verum Deum; quia author, ac creator omnium: & creationis finis: quæ duo soli Deo tribuuntur, Esai. cap. 44. vers. 24. Iob. cap. 9. vers. 8. Proverb. cap. 16. vers. 4. Roman. cap. 11. v. 36. Sed duo adversariorum genera, hanc explicationem impugnant. Primum Ariani, qui objiciunt, præpositionem διὰ notare causam instrumentalem: ac propterea Filium, per quem omnia condita sunt, Patre esse inferiorem. Verum respondent Orthodoxi: (διὰ) *per* non semper notare causam instrumentalem, sed interdum principalem absolutè, ut Ephes. cap. 1. vers. 1. & alibi: interdum connotare ordinem, non inæqualitatem; quemadmodum, cum Pater per Filium operari dicitur. Secundò excipiunt Samosateniani, in Catechesi sua, hunc Pauli locum agere, non de creatione prima, rerum omnium: sed de creatione secunda, de qua Eph. 2. 10. h. e. de restauratione Ecclesiæ. Sed circumstantiis hujus loci, & aliorum comparatione, refutantur. Nam vox *omnia*, denotat omnes creaturas, sicut divisiones in res cœlestes, & terrestres, visibiles & invisibiles; & repetitio propositionis & versus sequens, arguunt. Idem etiam loca similia, Iohan. c. 1. vers. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est.* & apertissimè, Heb. cap 1. v. 10. *Tu initio Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Hæc de vers. 16. Porrò alterum Christi opus, quo æterna Deitas illius comprobatur, est rerum creatarum conservatio: quam, præmissa conclusione proponit, vers. 17. Docet enim, *Cristum esse ante omnia,* hoc est, æternum Deum: *quia omnia per eum consistunt,* hoc est, *sustinet omnia potente suo verbo,* seu jussu ac nutu, Heb. 1. vers. 3. Atque hæc de persona Christi. Subjicitur deinde, ab Apostolo descriptio officii illius: quod certis epithetis, explicatur. Ac primùm, Metaphoricè, *caput Ecclesiæ,* similitudine eleganti, appellatur. Primum ratione unionis mysticæ cum Ecclesia: ut enim caput unitum est membris suis, partim nervorum vinculis, partim uno spiritu, quo & caput, & membra, animantur: sic Christus, charitatis & fidei compage: & communi Spiritu Sancto, Ecclesiæ suæ unitus est, Ephes. cap. 3. vers. 17. & 18. & cap. 4. vers. 4. 15. & 16. Coloss. cap. 2. vers. 19. 1. Corinth. 12. vers. 12. & 13. Secundò, ratione efficaciæ: quod, ut corpus, à capite, vitam, & motum haurit: sic Ecclesia, à Christo, salutem accipit, Ephes. c. 6. 23. Coloss. cap. 2. vers. 19. Tertio, ratione dignitatis, & regiminis: quod, ut caput corpori, ratione, & sensu præest: sic Christus Ecclesiæ, Ephes. cap. 1. vers. 22. Atque ita Christus Ecclesiæ caput dicitur. Alioqui, cum de aliis etiam sermo est, generatim dominum & gubernatorem notat, Col. 2. v. 10. & 15. Alterum Christi epithetum est, *principium,* quæ vox, cùm sit ambigua, ac variè Christo accommodari possit, non eodem modo exponitur. Primum enim nonnulli propriè initium exponunt, idque bifariam. Quidam enim quod Christus sit Ecclesiæ principium & radix regenerationis (quemadmodum Adam generationis & lapsus principium) non tempore, sed merito: nec causa solùm, sed etiam pars Ecclesiæ: quo sensu, alterum epithetum, *primogenitus ex mortuis,* probationis loco, adferri putant. Alii verò initium quidem exponunt; sed cum sequenti voce construunt: quod sit principium primogenitum. Sed hoc minùs videtur probabile: non solùm propter contrarium ferè omnium judicium: sed etiam propter ταυτολογίαν alienam. Secundò reliqui tropicè dici existimant, sed diversis modis. Nonnulli enim, per Synecdochen, *causam,* interpretantur: & quidem, alii finalem, sed alieniu[illegible]lii efficientem: qua ratione, aut ad creationem minus aptè, aut ad Ecclesiam commodius referunt. Alii primitias intelligunt; ut ἀρχὴ, ἀπαρχὴν notet: quemadmodum Christus metaphoricè 1. Cor. 15. v. 20. appellatur, *primitiæ dormientium:* ut hac ratione, aut ut synonymum addatur, aut construatur cum πρωτότοκος, vel cum seq. verbis, *ex mortuis,* eodem sensu. Denique quemadmodum per metaphoram ἀρχὴ principatum; & inde, per metonymiam, principatu præditum seu principem, aut præfectum notat Tit. 3. v. 1. Rom. 13. 1. Col. 1. 16. sic, hoc in loco, κατ᾽ ἐξοχὴν: ut opponatur, (quemadmodum Col. 2. 18. 19.) ταῖς ἀρχαῖς à Christo conditis, ut Apoc. 1. 5. dicitur *primogenitus ex mortuis,* καὶ ἄρχων *ac princeps regum terræ.* Interim, salvo aliorum judicio, prima omnium interpretatio videtur huic loco accommodatissima. Tertium epitheton est, *primogenitus ex mortuis.* Primogenitura autem Christi est, aut æterna ex Patre, qua Deus, de qua v. 15. aut temporalis, qua homo: eaque propria quidem, qua natus ex Maria, Matt. 1. v. 25. metaphorica verò qua resurrexit ex mortuis: quemadmodum resurrectio, regeneratio dicitur, Mat. 19. v. 28. Primus autem resurrexit ex mortuis, non absolutè quidem, sed ad immortalem vitam: cum tempore, tum causa: quemadmodum etiam primus ad vitam mortalem sanctus natus est: unde meritò, *primogenitus inter fratres multos,* Rom. 8. v. 28. & *Dominus,* alibi nominatur. Cœterùm verba, quæ sequuntur: *ut inter omnes primas, teneat:* quidam conclusionem esse putant, ex antecedentibus deductam; si enim author est omnium, & restitutor, juri illi primatus debetur: alii verò finem esse putant; quo resurrectio Christi illustratur: quemadmodum Rom. 14. v. 8. 9. dicimur, *Domini esse, quia ad hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut mortuis & vivis dominaretur.* Quæ interpretationes piæ

piæ ſunt: ſed quandoquidem poſterior cum phraſi magis convenit, & ſimilibus locis probatur, 2. Cor. 5. 15. & ut oſtendimus Rom. 14. propterea videtur aptior: quod autem dicitur, ἐν πᾶσι, illud, vel ad Chriſti membra, & fratres referri poteſt ut 2. Cor. 5. 17. 18. vel generatim ad omnes res, ac creaturas, quod communi Apoſtoli ſcopo optimè convenit: ut Angelorum quoq; Dominus ſtatuatur: quemadmodum Col. 1. 2. 10. Epheſ. 1. 22. Hæc de v. 18. Sequitur confirmatio, ſequenti: *quoniam*, inquit, *in eo placuit omni plenitudini inhabitare* (ſic enim vertendum) qui locus, ex variâ ambiguæ vocis *plenitudinis* interpretatione, aliter, atque aliter accipitur. Quidam enim, (ut Theodoretus) de Eccleſia, interpretantur, quæ appellatur corpus, & plenitudo Chriſti Eph. 1. v. 23. quia myſticum Chriſti corpus fidelium acceſſu completur. Nam quod objicitur, Eccleſiam non inhabitare in Chriſto, ut hoc loco de plenitudine dicitur: ad id reſpondent alii, propter ſummam Eccleſiæ, cum Chriſto, capite, conjunctionem, Chriſtum eſſe in Eccleſia & Eccleſiam in Chriſto Ioa. 6. 56. Quare ſolidius refutanda eſt hæc ſententia: quod Eccleſia non appelletur, abſolutè, plenitudo, neq; omnis plenitudo: quę laus ſoli Chriſto convenit Eph. 1. 23. Deinde, quod ratio Pauli non videretur ſolida, ad Chriſti primatum probandum: quia, pari ratione, Eccleſiæ, in qua Chriſtus (qui vera plenitudo) habitat, hic honor conveniret. Quare alii meliùs referunt ad Chriſtum: ſed diverſo tamen modo. Quidam de divina natura, ut Col. 2. 9. quemadmodum Cyrillus etiam legit, & exponit, lib. de recta fide, ad reginas. Quod enim objicitur non ita poſſe accipi, quoniam plenitudo Deitatis non communicatur, reipſa, fidelibus, ſed illius tantùm effecta creata, & finita: illud veriſſimum eſt: ſed quod addunt Paulum hîc loqui de plenitudine earum rerum, quæ à Chriſto, capite, in membra fluunt, quam ob cauſam, primatum accepit, in Eccleſia: id, inquam, probabiliter quidem dicitur; ſed tamen non ſine petitione principii, quia illud in quæſtione verſatur: contra enim dici poteſt, Paulum probare, Chriſtum primatum habere, quia eſt Deus patefactus in carne, ut nos Patri reconciliaret, & tanquam fons compleret, donis ſuis, ut Col. 2. 9. 10. Interim, alii contrà, Chriſti plenitudinem, non ad divinitatem, & unionem hypoſtaticam: ſed ad humanam naturam, & gratiam habitualem, referunt: ex qua, tanquam fonte, omnes gratiæ, pro cujuſq; membri modulo, deriventur: ut dicitur, *plenus gratia, & veritate; & nos de plenitudine ejus accipere gratiam*, Ioa. 1. 14. & 16. Sed prior ſententia, ut apparet, magis apta: nam vox εὐδόκησε *placuit*, qualitati non convenit, ſed Deitatis plenitudini. Atque hæc de v. 19. & de ſecundo deſcriptionis Chriſti membro, ſeu officio illius. Cui ſuccedit beneficium, ex eo promanans: nimirum *reconciliatio omnium cum Deo*. Quæ, perquam emphaticè, illuſtratur bifariam: primum, deſcriptione modi, *per ſanguinem*; & quidem *crucis*: quę, & ſummi amoris argumenta ſunt; & ad reconciliationem noſtri, requirebantur: nam ſanguinis effuſio; & maledictum crucis ſupplicium, ex Dei decreto, & prædictione propheticâ convenienti, ad peccatorum noſtrorum expiationem, erant neceſſaria, Heb. 9. 22. 23. Gal. 3. 12. quibus reconciliatio tribuitur ſynecdochicè, κατ' ἐξοχὴν, tanquam obedientiæ, ac paſſionis Chriſti colophoni, Phil. 2. 8. Secundò illuſtratur hæc reconciliatio, diſtinctione ſubjecti: *Omnia*, inquit, *tum quæ in terra, tum quæ in cælo*. De cujus loci ſenſu, diverſæ magnorum interpretum ſententię: quas proponere, & expendere, operæ pretium arbitror. Primum enim quidam, vocem *omnia*, & utrumq; diſtinctionis membrum, de ſolis hominibus electis interpretantur: qui partim in Chriſtum venturum credentes, jam, ſub ſpe, in cœlis erant collecti, Heb. 12. 23. partim in eum, in terris, credebant, & crediturí erant: nam utriq; reconciliati ſunt Deo, per Chriſtum. Sic gloſſa interlinearis: *qui in cælis ſunt, ut Abraham* &c. Alij verò generatim de creaturis rationalibus, electis, Angelis, & hominibus exponunt: adeo ut illi dicantur eſſe in cœlo; hi verò, in terra: quemadmodum illa eſt antitheſis Matt. 6. 10. & alibi. Sed, in expoſitionis ratione, diverſum eſt judicium. Quidam enim hîc putant agi de pacificatione Angelorum, & hominum, cum mutua; tum hominum; & in ſe, per conſcientiæ tranquillitatem, & inter ſe, per concordiam, cum proximo. *Sic* Chryſoſt. *diſſidebat*, inquit, *à cælo terra: hoſtiliter enim adverſabantur hominibus Angeli, Dominum ſuum contemni videntes. Item contra ſeipſum quiſque noſtrum diſſidebat, & contra alios.* Idem habet Photius apud Oecumenium. Rationem autem adfert Theodoret. Eph. 1. *Si enim*, inquit, *lætantur Angeli propter unum peccatorem, qui agit pœnitentiam: clarum eſt eos ægrè ferre, dum vident contraria.* Sic in hunc locum ad Col. ait idem author: *Nos enim averſabantur etiam populi Angelorum, propter ſummam improbitatem. Eâ de cauſa, cum natus eſſet Chriſtus, chorum ducentes, Deo hymnum obtulerunt dicentes: gloria in excelſis, & in terra pax.* Verum hæc ſententia (ut alia omittam) Apoſtoli ſcopo minimè convenit: quia apertè agit de hominum reconciliatione cum Deo; non autem cum creaturis: *ut omnia*, ait Paulus, *reconciliaret ſibi* notandum illud, *ſibi*: idemque etiam apparet, ex verſ. ſeq. quamvis, ex hac reconciliatione, & pace hominum cum Deo, oriatur etiam pax inter homines, & conjunctio cum Angelis, de qua Eph. 2. 14. 16. Alii igitur ſtatuunt, agi, hoc in loco, non de reconciliatione hominum & Angelorum inter ſe, ſed cum Deo: idque duobus modis. Quidam enim putant notari gratiæ, & pacis reſtaurationem, quod Angelorum obedientia non ſit tam exquiſita ac perfecta, ut Deo, citra veniam, ſatisfaciat: idque confirmant ex Iob. 4. verſ. 18. *in Angelis ſuis reperit iniquitatem.* Sed reſpondetur primum, à quibuſdam, de malis Angelis hæc dici: ut Gregorius Magnus interpretatur. Verùm, quia illud nihil eſſet magni, neque ad amplificationem pertineret, concedunt alii, de bonis Angelis eſſe ſermonem, non abſolutè; ſed comparatè: ſicut, de ſimili loco, ait Auguſtinus, tomo 6. ad Oroſium contra Priſcillianiſt. c. 10 *In comparatione*, inquit, *juſtitiæ Dei, ſi nec ſancti in cœlis, Angeli, juſti eſſe dicantur, non mihi videtur importuna ſententia: non quia ut hoc eſſet, à juſtitia lapſi ſunt, ſed quia facti ſunt, & Deus non ſunt.* Et paulò poſt: *Cujus enim participatione juſti ſunt, ejus comparatione nec juſti ſunt.* Deinde aliena eſt Iobi illa, quæ objicitur, interpretatio, ex vulgato interprete: nam vox תָּהֳלָה, Kimchi ait eſſe, pro תְּהִלָּה, id eſt, *laus*, & ex radice הלל i. e. *laudare* derivatur: & laudem ſignificat, ut Chaldæus interpres exponit: Rabbi Levi verò metonymicè ſplendorem, & Kimchi ait ſignificare, ſplendorem aut ſtultitiam. Prior autem ſplendoris ſignificatio, aut propriè laudis, magis convenit, idque probatur: quia aliâs Deus author peccati ſtatueretur: non enim dicitur, ut perperam ex vulgata verſione objicitur, reperit, aut reperiet, תהלה ſed ישים *appoſiturus eſt.* Atqui impium eſſet, dicere, Deum apponere Angelis pravitatem.

Denique in Sacris Literis paſſim, boni Angeli dicuntur facere Dei voluntatem, ut Pſ. 103. nec illius imperfectionis, aut vitii accuſantur. Quamobrem alii, eos qui in cælis ſunt, Angelos quidem intelligunt, & reconciliari Deo per Chriſtum, ſtatuunt, non reſtauratione, ſed continuatione gratiæ & pacis: quod Chriſti mortis beneficio liberati ſint, à lapſus periculo, in quo verſabantur. Sed quam ſolidè hoc dicatur, ac Sacris Literis conſentaneè, nondum percipio. Argumenta enim quæ adferuntur, hoc non demonſtrant. Nam quod primum objicitur: Chriſtum etiam dici Angelorum caput, non ſecus quàm hominum: verum quidem agnoſco, ſed inde minimè ſequitur, eadem prorſus ratione quod utrique redempti, & Patri reconciliati ſint per Chriſtum: Chriſtus enim caput dicitur omnium, ratione dominii ęqualiter: cùm quà Deus, tum quà θεάνθρωπος & ad dextram Dei ſedens, Eph. 1. 21. & 22. Heb. 1. v. 6. ſed ratione juris, & efficaciæ diverſo modo: Angelorum enim electorum caput eſt, quà Deus jure creationis, & conſervationis in ſanctitate, & beatitate gratuita: quà homo verò, ratione imperii, & regiminis, & poteſtatis, quam accepit à Patre in omnes creaturas, ex perſonæ dignitate, & obedientiæ præſtantia, Matth. 28. v. 18. Phil. 2. v. 9. 10. Eph. 1. v. 21. 22. Heb. 1. v. 6. non autem mortis ſuæ ſatisfactione: quia neq; Angeli boni peccarunt unquam; nec à lapſu Adami, & peccatis hominum, pro quibus Chriſtus natus & mortuus eſt, ſalus eorum dependet.

dat. Hominum verò caput Christus dicitur, non solum quà Deus creator, sed etiam quà redemptor: unde, analogicè, Angelorum & hominum caput appellatur. Quare, non Angelorum, sed hominum mediatorem, Paulus nominat, & beneficia mediatorii muneris, hominibus tribuit, 1. Cor. 1. 30. Heb. 2. 16. & 1. Tim. 2. 5. quandoquidem, morte, & intercessione sua, homines solos, cum Deo reconciliavit Christus, & beatæ electorum Angelorum societati (ex qua dæmones exciderant Iud. v. 6.) conjungit, Heb. 12. 22. Angelorum verò mediator dici non potest, nisi præter Scripturam, & valde ambiguè: quod sit causa media, per quam Pater Angelos creavit, & conservat: quemadmodum nonnulli propterea filium mediatorem omnis boni vocant, quod per eum omnia bona conferantur: & Angelorum Mediatorem, quatenus creator & conservator eorum est; non autem quatenus passus est in carne. Quo etiam sensu, etsi impropriè loquens, ait Bernardus: *quod ab initio erat Angelis, factus est & nobis*, item: *qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens: & hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens istum, & servans istum*, Sermone 22. in Cantica. Sed neutra sententia ex hoc Pauli loco stabiliri potest. Nam primum, cum reconciliatio, & pacificatio connotent offensionem & inimicitiam antecedentem, non autem periculum eorum: quomodo ea de gratiæ, & pacis nunquam interruptæ continuatione accipi possunt? Deinde, cum disertè addatur, *per sanguinem crucis ejus*: quomodo Angelis, qui nec venia, nec sanguinis effusione opus habebant, conveniet? Denique quibus Scripturæ locis probari potest, illud Angelorum citra mortem Christi, lapsus periculum. Verùm secundo loco objicitur: Angelos bonos, appellari electos non minus, quàm homines 1. Tim. 5. 21. ac propterea reconciliatos per Christum. Sed negatur consequentia quia eadem est electio ad salutem tanquam finem: sed non eadem, ratione mediorum, & executionis convenientis, ob conditionis discrepantiam: homines enim prolapsi in peccatum, reconciliatione opus habuerunt: Angeli boni nequaquam. Itaque cum electi dicuntur, ad salutem æternam destinatos esse indicatur: quam ut dedit initio Pater per Filium, sic per eundem, pro beneplacito suo gratuito, & electione, conservat, ac perpetuat, virtute divina Filii; non intercessione meriti mortis ipsius, multò minus obedientiæ ipsorum, ut Pontificii somniant. Tertiò objiciunt locum Apostoli 2. Cor. 5. v. 18. *Omnia ex Deo, qui reconciliavit nos sibi, per Iesum Christum.* Sed nihil ad rem facit: nam vocem *omnia*, notare fideles, satis demonstrat expositio Pauli, vers. 15. & hoc ipso, cum addit: *nos*, & vers. 19. definiens reconciliationem, remissionem peccatorum per fidem. Nec satis rectè dicitur solo Christi favore, Angelos & homines Deo gratos esse: nam ut de hominibus verum est; sic de Angelis dici non potest: quia cum sancti creati sint, & in sanctitate in perstiterint, non potest non Deus, eos, pro sua veritate ac justitia, habere pro sanctis, ac gratis, utpote cum ipsius sint opus, & voluntati illius ad amussin consentiant. Nam filium Dei, pro bonis Angelis, cum reliqui laberentur, intercessisse, ut nonnullis placet, nihil quidem habet à Christi gloriâ alienum; sed quanam ratione ex Sacris Literis probabitur? Quod enim Pater proclamat, Christum esse filium suum ἐν ᾧ εὐδόκησα Matth. 3. v. 17. quod exponunt illi, qui ad Angelos etiam referunt, *in quo placatus sum*: illud Angelis non convenit; sed hominibus, à Deo, per peccata, aversis: quibus idcirco, Christo nato, pax annuntiatur, Luc. 2. 14 Deinde negamus etiam interpretationem illam esse genuinam: nec enim verbum illud εὐδοκεῖν, respicit Angelos, aut homines; sed Christum ipsum qui Patri perplacet: ut sit sensus, *quo delector*: quemadmodum hæc phrasis alibi in usu est 1. Cor. 10. 5. 2. Thes. 2. 12. Heb. 10. 38. & alibi: neque uspiam in Novo Testamento vox εὐδοκεῖν, ita accipitur, uti obtendunt. Verùm etsi illud largiremur, nihil inde tamen efficerent, ob causas ante dictas. Atque hæc de secundâ hujus loci expositione. Tertia opinio est longè alienior: vocem *omnia*, *& quæ in terris sunt, & quæ in cœlis*, notare non solum creaturas, ratione præditas, homines & Angelos: sed etiam elementa, & ratione destitutas creaturas: ut Theodor. in similibus locis se exponit, Eph. 1. 10. Heb. 2. 9. Sed longè validius hæc sententia, superioribus, quas adduxi, rationibus, refutatur. Nec quicquam ad rem facit, quod Rom. 8. 19. & 22. omnis creatura ingemiscere, & parturire usque adhuc, & liberanda à servitute, dicitur: quia aliud est reconciliatio, & pacificatio cum Deo, (quæ liberatio est à peccato & pœna illius) aliud hæc liberatio creaturarum, quæ effectum est pacis, quam homines habent cum Deo; nec enim Christus mortuus est, ut elementa (quæ nec offenderant Deum, neque offendere poterant) reconciliaret, sed ut hominem in gratiam reduceret. Nam quod secundo loco adfert Theodoret. ex Epist. ad Hebr. c. 2. 9. Christum pro omnibus mortuum: illud malè, ab eo, ad omnes res universè extenditur: quod ad genus humanum tantùm, & quidem electorum, pertinere, passim Scriptura docet, & loci illius circumstantiæ comprobant.

Quarta interpretatio est, *ea quæ in cælis sunt*, notare Deum, *quæ in terris* Ecclesiam: sensu quidem sancto, sed reluctante phrasi. Quamobrem prima, quam attulimus, interpretatio, de pace hominum cum Deo, maximè videtur sincera, & huic loco accommodata. Hactenus de v. 20. & proposita thesi: quæ causas salutis nostræ, & descriptionem Christi personæ, officii, & beneficiorum continet. Sequitur deinde hypothesis: quâ Apostolus generalem hanc doctrinam Colossensibus peculiariter accommodat: ut thesin exponat, ac firmet; & Colossenses in vera fide, & officio confirmet. Quare Christi beneficia iis ascribit, & inde ad officium constantiæ existimulat. Beneficium, est reconciliatio cum Deo: quam illustrat primum comparatione contrarii, hoc est, pristinę Colossensium miseriæ; ut merè gratuitam esse reconciliationem demonstret: quemadmodum Rom. 5. 6. 8. 10 Eph. 2. 3. 5. 8. Verum cùm miseria nostra sit duplex: peccatum, & merita illius pœna, ac stipendium: seu ut generatim dicam, mutua cum Deo inimicitia: qua & nos Dei voluntati adversamur peccatis; & vicissim Deus ob ea adversatur saluti nostræ, & justo judicio punit. Hinc quæritur; utra, hoc loco, intelligatur inimicitia, cum *abalienati*, & quod amplius est, *hostes* fuisse dicuntur. Nam *hostis* vox, variè sumi potest: primùm activè, ut Act. 13. 10. Phil. 3. 18. quod Deum odissent: ut hac ratione inimicitia sequentibus verbis describatur: quemadmodum etiam, Rom. 8. 7. *cogitatio carnis*, dicitur *inimicitia adversus Deum, quod legi Dei non subjiciatur*, hoc est, quod quæ lex vetat, velit ac probet; quæ præcipit, improbet ac nolit. Deinde passivè accipi potest, ut Rom. 11. v. 28. & quod Deo essent exosi: quæ inimicitia, à causa impellente, illustretur sequentibus: nempe mentis & operum corruptione, quemadmodum Eph. 2. 5. *Versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes placita carnis, & cogitationum: eramusque naturâ filii iræ* & cap. 4. 17. 18. *gentes*, dicuntur *ambulare in vanitate mentis, obtenebratæ mente, & abalienatæ à vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis.* & Rom. 5. 10. *Cum essemus hostes reconciliati Deo dicimur*, & v. 8. & 9. hostes nos appellari indicatur quod essemus iræ Dei, ob peccata, obnoxii. Atque hæc sententia plenior est & accomodatior.

Secundò, reconciliatio hæc, qua Christus nos Patri reconciliavit, illustratur à modo suo, cum ait: *in corpore carnis suæ, per mortem.* Ut enim ante sanguinis, sic nunc corporis, & carnis meminit: quod utrumque, ad reconciliationem, requirebatur (ut ante ostendimus) nempe sanguinis effusio; & corporis oblatio. Heb. 10. 5. 10. & c. 9. 12. 22. 25. quemadmodum & Cœnæ institutio idem omnino obsignat. *Corpus* autem *carnis*, emphaticè dici, existimant: non ut bicorporem fuisse Christum innuatur; sed ut corpus verè humanum, non autem imaginarium habuisse, ostendatur: fortasse etiam διακριτικῶς, ut corpus Christi naturale, à mystico (de quo v. 18. & 24. agitur) distinguatur. Cœterum Christus nos reconciliavit Deo, per mortem; primùm merito in cruce: deinde efficacia, & applicatione meriti mortis suæ, per fidem, & spiritum: de qua

re, potissimum, hoc loco, agitur. Vnde quidam, *in corpore carnis*, interpretantur, corpori suo insitos: sanctè quidem; sed recepta sententia simplicior, & accommodatior: ut ex loci circumstantiis colligi potest & locis similibus illustratur Rom. 8. v. 3. Heb. 2. v. 14. Atque hæc de reconciliatione. Sequitur finis illius, alterum Christi beneficium, videlicet sanctificatio: *ut sisteret*, inquit, *vos sanctos & irreprehensos, & inculpatos coram se.* Verùm cum sanctitas fidelium sit duplex: imputata, quæ Christo inhæret, & nostra fit, per fidem; quâ uniti Christò, sancti in eo judicamur: & inhærens nobis, qua per Spiritum Christi sanctificati sumus: quidam de priori, hoc est, de justificatione interpretantur: alii de alterâ, seu de sanctificatione. Sed prior sententia non videtur huic loco satis convenire: nam justificatio non est finis reconciliationis, sed illius efficiens Rom. 5. v. 1. Quare secunda sententia, de sanctificatione, convenientior apparet: quemadmodum Ephes. 1. v. 4. electi dicimur, ut simus sancti & inculpati coram eo, in charitate. Similes loci sunt, Ephes. 5. v. 26. 27. Tit. 2. v. 14. Luc. 1. vers. 74. 75. deinde uberior est hæc interpretatio: hac enim ratione, duo redemptionis nostræ præcipua capita continebuntur: primùm reconciliatio, & justificatio: deinde sanctificatio vitæ, quemadmodum, Ierem. 31. vers. 31. & alibi, ista copulantur. Sed objiciat aliquis, hinc sequi, nos perfectè implere legem Dei. Sed negatur consequentia: quia sanctitas nostra ratione graduum, non tam dividitur, quàm distinguitur in inchoatam, seu imperfectam, quæ huic vitæ convenit, ob repugnantiam carnis adversus Spiritum, Galat. 5. & in absolutam seu perfectam, quæ alterius vitæ propria est. Ideoque, ex sanctitatis voce, non potest concludi perfectio. Sed contra excipi potest, de sanctitate imperfecta, hunc locum non posse intelligi: duplici de causa, primò, quia sanctitas, de qua hic agitur, est irreprehensibilis, & quidem coram Deo: ac propterea non inchoata, sed perfecta; deinde cum sanctitas consistat in perfecta legis observatione; cum justitia sit ἰσονομία, ut omnis ἀνομία peccatum; ideoque si sanctitas sit imperfecta, vitiosa est, & legem transgreditur: sequitur, sanctitatem inchoatam, & imperfectam, non esse sanctitatem. Verum respondetur, sanctitatem fidelium in hac vita inchoatam, non esse quidem sanctitatem rigore legis (quæ vel minimum defectum damnat) sed gratiâ Euangelii, hoc est, sanctitas inchoata, censetur inculpata, & perfecta, non per se ac vi sua, sed, per accidens, in Christo, cui sancti insiti sunt Hebr. 13. v. 21. & 1. Pet. 2. vers. 5. quemadmodum aliâs exposuimus fusius. Sed instant Pontificii: Ergo ex parte saltem operibus justificamur. Verum negatur consequentia: quia ad justificationem ex operibus, requiritur perfecta legis, ab operante observatio, Deut. 27. v. 26. quæ perfecta legis observatio soli Christo convenit: qui, & personas fidelium, & opera ipsorum, justificat; quatenus defectus nostri, & operum nostrorum, ipsius satisfactione, condonantur, & quasi perfecta censentur: hoc est, (ut clarius dicam) defectus non imputat ad pœnam ob meritum pœnæ, à Christo, pro nobis, latæ. Quare opera nostra, cum veniâ indigeant, & justitia Christi, ad justificationem nostri non possunt concurrere, tanquam causa ulla adjuvans: nam, per se, ob defectum, ex legis sententia, merentur maledictionem. Hæc de vers. 22. & Christi beneficiis. Quæ, ab adjuncta conditione officii Colossensium, illustrat Paulus, ut eo acrius, ad hoc præstandum, exstimulet. Officium autem declaratur *perseverantia* duplici, *fidei*, & *spei*: ut Hebr. 3. vers. 6. & 10. 23. quibus, velut alis, ad cœlum subvehimur. Perseverantiam verò emphaticis metaphoris declarat; similitudine primâ, ab ædificiis ducta, cum de fide ait: *fundati & stabiles*: ut Matth. 16. vers. 18. & 7. 25. alterâ à navigiis, anchorâ firmatis, cum de spe ait: *non dimoveamini*: quemadmodum similis de fide oratio, Ephes. 4. vers. 13. & 14. & de spe, expressa & suavissima sententia, Hebr. 6. v. 18. 19. Cœterum spem non simpliciter requirit Apostolus; sed etiam Euangelii Epitheto describit: ut ad hujus commendationem viam sibi sternat; & spem Christianam, objecti determinatione, à communi distinguat: ut enim spes generatim est jucunda cujusvis boni futuri exspectatio; ideoque certa, aut incerta, deinde boni, aut veri, aut falsi; temporalis, aut æterni: sic speciatim spes Christiana, est certa, & jucunda, ex fide promanans, bonorum futurorum, Euangelio promissorum, & præsertim vitæ æternæ, cum patientia exspectatio. Rom. 5. vers. 5. 8. 25. unde etiam dicitur, *spes gloriæ*, Rom. 5. vers. 2. *spes salutis* 1. Thess. 5. vers. 8 *spes vitæ æternæ*, Tit. 1. vers. 2.

Porrò ut Euangelium verùm ab adulterino distinguat Apostolus, & Colossenses, in illius fide, contra falsorum Doctorum corruptelas muniat, ait: non aliud quàm *quod ipsi audierant*, nimirum ab Epaphra, Coloss. cap. 4. v. 12. Idque rationibus aliquot demonstrat: primum à consensu Apostolorum, qui illud ipsum prædicarunt, Christi jussu, omni creaturæ, hoc est, quibusvis gentibus, per Synecdochen, ut Marc. 16. vers. 15. Hoc autem contigerat, Partim in Judæa Hierosolymis: quo pii ex omnibus gentibus, quæ sub cœlo erant, confluxerant, Actor. 2. v. 5. partim extra Iudæam, longè latéque ad miraculum usque, sparso Euangelio: ut ex Actis Apostolorum liquet, & Rom. 15. v. 19.

Altera deinde probatio est ab Apostolatu Pauli; *cujus*, inquit, *ego Paulus factus sum minister*, Christi nimirum revelatione, & mandato, Galat. cap. 1: vers. 1. ut postea fusius explicabit. Hæc de v. 23. Tertia ratio est à martyrio Pauli: quo Apostolatus quoque sancitur, Gal. 6. vers. 17. Idque proponit, cum perpessionum meminit (nimirum quod Romæ vinctus esset, veritatis Euangelicę gratiâ, Coloss. 4. vers. 28.) easque illustrat, ab adjuncto & fine. Adjunctum, est affectus gaudii: cujus origo fuit, fides & spes eventus felicis: qui in tribus consistebat, gloria Dei, Philipp. 1. v. 20. præmio vitæ æternæ, Roman. 5. v. 2. & 3. & 2. Cor. 4. vers. 17. 18. & Ecclesiæ ædificatione, hoc est, confirmatione in vera fide, spe & charitate, Philip. cap. 1. vers. 14. Idque indicat hoc loco Apostolus, cum addit, perpessionis suæ finem, *pro vobis*, hoc est, ad vestram utilitatem: ut alibi declarat, 2. Corinth. cap. 1. vers. 6. & sequentia ostendunt. Utrumque verò, & perpessionem, & finem illius, exponit deinde Apostolus. Nam perpessiones suas vocat *reliquias afflictionum Christi*. Sed diversæ sunt hujus loci interpretationes: quia vox *Christi*, aut subjectum notare potest, aut causam: hoc est, perpessiones, quas Christus patitur; aut, quas propter Christum patimur. Prior sententia receptior est, & commodè explicatur: quod propter arctissimam illam fidelium, cum Christo, capite, unionem, Christus patiatur in membris: quemadmodum illustre exemplum in Pauli alloquio, Actor. cap. 2. *Saul, Saul, quare me persequeris?* Cum Ecclesiam Christi persequeretur: & in eâ, Christum lædere statueret. Altera sententia est Theodoreti, qui legit etiam ὑπὲρ χριστοῦ, *pro Christo* (de providentia lib. 10. paulò post initium) hoc est, propter prædicationem Euangelii Christi: ut exponitur Mar. c. 8. vers. 35. eaque ratione optimè convenit cum antecedenti: quo Apostolus sese Euangelii ministrum dixit: deinde cum loco simili, 2. Corinth. cap. 1. vers. 5. Qua ratione afflictionum reliquiæ denotabunt id, quod Paulo, jam seni, Philem. vers. 9. adhuc supererat, perferendum. Sed verbum ἀνταναπληρῶ, *vicissim expleo*, accipi potest bifariam: aut comparatè ad Paulum, ut sit sensus: quemadmodum bonam partem afflictionum pertuli; sic reliquias earum vicissim expleo: aut comparatè ad Christum, in hanc sententiam: ut Christus pro mea salute passus est: sic ego vicissim eum secutus, crucem tollo, & unà patior pro Euangelio, & gloria Christi. Utraque interpretatio analoga fidei est, & contextui: sed prior videtur uberior, quia secundam complectitur, & communi, ferè omnium, consensu, comprobatur. Ac quamvis objectionibus magis obnoxia sit, iis tamen responderi potest distinctè & solidè. Et primum quidem, illud extra controversiam ponimus, errare eos turpiter, qui hinc colligunt, Chri-

Christi passionem non esse sufficientem ad nostri redemptionem., sed ad eam explendam, Sanctorum perpessiones concurrere; *hoc* enim (ut Aquinas hîc loquitur) *est hæreticum*; quia sanguis Christi, est sufficiens ad redemptionem, etiam multorum mundorum, 1. Iohan. cap. 2. vers. 2. Addo etiam, quod Christi oblationi abolitio peccati adscribitur, Hebr. cap. 9. vers. 12. & 26. Deinde, ut idem etiam Aquinas agnovit, perpessiones Christi, hoc in loco, non intelliguntur eæ, quas ipsemet, in se pertulit, ac si reliquiæ illis explendis, superessent, sed quas in corpore suo mystico, seu Ecclesia, subire debuit: unde corpus illud, figuratè, Christus dicitur, 1. Corint. cap. 12. v. 12. nam passio Christi in carne ipsius perfectissima est, Hebr. cap. 9. v. 12. & c. 10. v. 14. in Ecclesia verò, ad finem usque mundi, explenda est, Apocal. cap. 6. v. 11. Paulus autem eam non explebat absolutè, sed secundùm quid, pro modulo sibi destinato. Atque hæc perpessionum expositio. Finis verò etiam illustratur, cùm subjicit Apostolus, *pro corpore ejus, quod est Ecclesia*: eoque & pro Colossensibus, Ecclesiæ membris. Verùm, quis proprius hujus loci sit sensus, quæritur. Orthodoxi vulgò exponunt verba illa: *pro corpore*, de utilitate, nempe consolatione, 2. Cor. cap. 1. v. 6. & exemplo officii, Phil. 1. 14. 2. Tim, 2. 9. 10. quamvis existimarem æquè commodum, ut non finem, sed causam impellentem, & occasionem notet, ut Ephes. c. 3. v. 1. Coloss. cap. 4. v. 3. de qua re, Actor. cap. 21. v. 28. & cap. 22. v. 21. & c. 24. v. 5. & 1. Thess. cap. 2. vers. 16. Contrà verò Pontificii objiciunt, notare satisfactionem, pro pœnis temporalibus peccatorum. Sed hæc sententia, præterquam quod nova est, nec ullo Scripturæ loco probari potest, repugnat etiam Christi unici mediatoris merito, 1. Ioh. cap. 1. v. 7. Rom. cap. 8. 1. & 5. v. 1. 1. Tim. 2. 5. & Judicio Pauli, Rom. 3. v. 23. 24. & hujus epistolæ, & loci scopo, Col. cap. 1. v. 12. 13. 14. 21. Præterea cùm Paulus ipse, pro sese, non satisfecit, nec satisfacere potuerit: utpote justitiâ suâ, lege præscriptâ, destitutus, Philip. cap. 3. vers. 9. & 12. multò minus pro aliis, qui proprium onus ferent, Galat. cap. 6. v. 5. Quare detestanda est Pontificiorum superstitio, quâ statuunt, communem quendam esse Thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum: quem in indulgentiis conferendis, dispensandum Papæ & Episcoporum arbitrio commiserit Deus. Vnde *indulgentiam* definiunt vulgò, *pœnæ relaxationem, quam quis justè, pro culpis propriis, ferre debuisset, de thesauro Ecclesiæ, ad divinam justitiam persolvendam, sumptam*. Quam Thesauri hujus impietatem, animadvertentes quidam Pontificii, Sanctorum satisfactiones excludunt, duplici argumento: primum, quod (ut ajunt) merita sanctorum sint ultra condignum remunerata à Deo, & sic exhausta: deinde, quod Christi passio sufficiat ad omnium peccatorum expiationem. De quibus omnibus elegantissimè & gravissimè disserit hoc loco Calvinus. Hęc de v. 24. & secunda probatione Euangelii à Coloss. accepti. Sequitur prioris rationis expolitio: quâ & Euangelium commendatur multis modis; & Apostolatus sui authoritatem, adversus obtrectatores, firmat, ab authore Deo, & fide sua. Primum enim ait, se divinitus constitutum gentium Apostolum: *Cujus*, inquit, Ecclesiæ *factus sum minister, secundum dispensationem Dei*, hoc est, commissam à Deo curam: ut 1. Cor. cap. 4. v. 1. Vnde liquet, aliter Paulum Dei & Euangelii, aliter Ecclesiæ ministrum appellari: Dei enim, quod mandato & gloriæ illius: Ecclesiæ verò, quod Euangelii prædicatione, saluti illius serviat, quemadmodum pastor gregi. Quod autem ait: *erga vos*: intelligit Colossenses, & reliquas gentes conversas ad fidem, aut convertendas: quas pares Judæis facit, ut falsos Doctores confutet: qui jugum legis ceremonialis urgebant. Cœterum quod subjicitur, *ad implendum Dei sermonem*; variè accipitur: quidam, Metonymicè, Euangelii prædicationem intelligi censent, ut Roman. c. 15. vers. 19. Paulus utitur; & exponit vers. 20. Euangelizare: alii propriè accipiunt, sed bifariam: aut ut notetur finis ministerii; quod Paulus, tanquam instrumentum Dei impleat Euangelium, cum ad obedientiam Euangelii, & fidem, auditores adducit, Rom. cap. 1. v. 15. & 16. & cap. 15. v. 18. aut ut intelligantur Prophetiæ, & promissiones de Christo, & vocatione gentium: quarum Paulus destinatus Apostolus. Verum quamvis omnes hæ, doctæ & piæ sint sententiæ; putarim tamen primam esse præferendam, ob similem loci usum, & Pauli explicationem, uti ostendimus: altera enim argutior, & exemplo carere videtur: tertia verò concinnior, sed usus phrasis videtur obstare, aliquo modo: quia nulla, Scripturæ, Prophetarum, aut verborum certorum, fit mentio, ut alias fieri solet. Quare hæc magna Euangelii commendatio est, quod verbum Dei appellatur: quemadmodum Ephes. c. 1. Coloss. 1. vers. 5. & alibi passim. Hæc de v. 25. Deinde alteram Euangelii commendationem subjicit, ab adjunctis. Primum enim vocat, *mysterium à sæculis & ætatibus absconditum*: quemadmodum Roman. cap. 16. vers. 25. & 26. & alibi, *mysterium fidei*, 1. Timoth. cap. 3. v. 9. *mysterium voluntatis Dei*, Ephes. 1. v. 9 *mysterium Euangelii*, Ephes. cap. 6. v. 19. & *mysterium Dei, & Patris, & Christi*, Coloss. c. 2. vers. 2. & *mysterium Christi*, Coloss. cap. 4. vers. 3. appellatur, communi tum Judæorum, tum gentium ratione: sed variè: gentium quidem simpliciter; Judæorum verò, secundum quid, ratione doctrinæ de vocatione omnium gentium; & præsertim modi illius, sublatis ceremoniis, & gentium æquatione cum Judæis. Quamvis enim gentium vocationem ex Sacris Literis cognoscerent Iudæi, modum tamen ignorabant: quia non aliter putabant hoc fieri oportere, quam si circumcisione & ceremoniis receptis, primum insererentur Ecclesiæ Iudaicæ, Actor. c. 10. v. 28. 29. & cap. 11. v. 3. & 18. Hoc autem mysterium, simili omninò loco, pluribus exponitur, Ephes. cap. 3. vers. 3. 5. 9. 10. denique, comparatè quoque *absconditum* dici potest Euangelium, quod non ita clarè propositum fuerit atque nunc Christo exhibito. Hæc de primo Euangelii adjuncto. Alterum verò est, *quod nunc patefactum est Sanctis Dei*. Patefactio autem alia est immediata, ex revelatione Dei, quæ Apostolis & Euangelistis, & Prophetis Novi Testamenti convenit: alia est mediata, ex institutione hominum, quæ & Pastoribus & Doctoribus, ac reliquis fidelibus communis est, Rom. 16. v. 25. & 26. Iohan. 16. vers. 13. Galat. 1. vers. 1. Ephes. cap. 4. vers. 12. 13. Tit. 1. vers. 2. De utraque vulgò interpretantur, sensu non incommodo, ut Matth. 11. v. 25. 27. Cui etiam adjungi posset, non solùm sanctos homines sed etiam Angelos intelligi, ut Ephes. cap. 3. vers. 10. Verùm accommodatiùs arbitror, ut de solis Apostolis & Prophetis Novi Testamenti accipiamus: primum, quia Apostoli scopo magis convenit, ut Apostolatus sui, inter gentes, authoritatem, adversus Judaizantium errorem muniat: deinde quia sequentibus magis congruit, nam cum sancti, à gentibus fidelibus distinguantur, v. 27. inde apparet, ea voce, non omnes fideles intelligi: denique idem colligitur ex Pauli expositione, in loco penitus simili, Eph. 3. v. 3. 5. 8. Hæc de vers. 26. Cœterum hanc patefactionem illustrat à causa impellente, nempe Dei beneplacito: *Quibus voluit* inquit, ut Ephes. cap. 1. vers. 9. 10. Qua ratione, curiositati & arrogantiæ humanæ occurrit, Ephes. 3. v. 7. Atque hæc Euangelii adjuncta. Quibus accedit commendatio à subjecto, seu materia, ut contemptum illius amoliatur, & authoritatem præcipuam conciliet, cum ait: *quæ sint divitiæ gloriæ mysterii hujus inter gentes*. Quæ verba bifariam construi possunt, primò, ut *gloria* sit epithetum mysterii; unde mysterium gloriosum exponunt: quo sensu alibi *Euangelium gloriæ* dicitur, 1. Tim. 1. v. 11. & gloria Euangelio adscribitur, 1. Cor. 11. v. 3. deinde potest vox *gloriæ* construi, cum divitiis: idque vel ut sit epitheti, seu adjuncti loco, Hebræo more, pro divitiæ gloriosæ: vel ut subjectum notet, ut gloria Metonymicè sumatur, pro gloriosa misericordia, potentia, & sapientia Dei, quam exerit in vocatione, & salute gentium; *divitiæ* verò, Metaphor. amplitudinem, & præstantiam connotent: ut apertissimè, Ephes. 3. v. 16.

Rom. 9. verſ. 23. Atque hoc ſenſu, vox *gloriæ*, conſtructionem habebit geminam: nempe, ut ab antecedente regatur, & conſequens regat. Nam gloria hæc dicitur, myſterii hujus, quod in eo eluceat & confirmetur. Secundò, cùm gloria ſubjectum notat, ſumi poteſt non ſolum pro miſericordia, potentia, & ſapientia Dei glorioſa: ſed etiam pro effectis illius, & ſalute Eccleſiæ; ſeu pro gloria, quæ à Deo nobis confertur. Ut enim gloria, alia Dei eſt; alia filiorum Dei: ſic divitiæ gloriæ, aliæ Dei ſunt, Rom. 9. v. 29. 2. Cor. 4. v. 6. 7. (ut modo monuimus) aliæ Eccleſiæ, Epheſ. 1. v. 18. Atque hæ quidem interpretationes omnes ſanctæ ſunt; ſed aliæ aliis aptiores. Nam primæ ſententiæ obſtare videtur conſtructio, quia gloriæ vox antecedit. Deinde, ut hanc hypallagen concedamus, non ſequitur tamen, gloriam poni debere pro glorioſo, ac ſi adjunctum notaret, per Meton. cum potius ſubjectum & argumentum myſterii notare poſſit: ut ſit plenior ſententia, cùm hoc loco, tum 1. Tim. 1. 11. ut Euangelium gloriæ, nihil aliud ſit, quàm Euangelium de gloria, hoc eſt, Dei, in ſalute hominum procuranda, miſericordiâ, potentiâ, ſapientiâ: quæ gloria Dei appellari ſolent. Quo ſenſu, *Euangelium gloriæ Chriſti* dicitur, 2. Cor. cap. 4. v. 4. Et ſimili conſtructione, *Euangelium regni*, Marc. cap. 1. v. 14. & *Euangelium pacis*, Epheſ. 4. v. 16. hoc eſt, de regno, de pace, appellatur. Secunda ſententia proba eſt, & conſtructioni accommodatior; ſed cum ſequentibus Pauli verbis non ſatis videtur congruere: quemadmodum nec tertia; quia in expoſitione dicitur Chriſtus, *ſpes gloriæ*, nempe noſtræ. Quare ultima aptiſſima apparet: quæ utrobique gloriam, eodem modo, interpretatur, pro beatitudine fidelium: quæ inchoatur in hac vita, gratuita & efficaci vocatione, juſtificatione, & adoptione, ac ſanctificatione; & perficietur poſt hanc, redemptione cùm animæ à corpore, & omni labe peccati, tum corporis à morte. Itaque initium quidem, atque incrementum beatitudinis poſſidemus re, complementum verò ſpe: quod κατ᾽ ἐξοχὴν, gloria dicitur, Roman. cap. 8. v. 21. Porrò haſce divitias gratiæ deſcribit Apoſtolus, cùm ait: *qui eſt Chriſtus*: cujus ratio eſt, Coloſſ. cap. 2. verſ. 3. & 1. Cor. cap. 1. verſ. 3. Additur autem *in vobis*, hoc eſt, habitans, per fidem, in cordibus veſtris, Epheſ. 3. v. 17. ut in fide Euangelii, ab Epaphra, paſtore ſuo, accepti, confirmarentur; & falſos doctores averſarentur, Coloſſ. cap. 2. v. 5. 6. 7. 8. Eâque de cauſa, Chriſti deſcriptionem ſubjicit: ut ab eo ſolo pendeant, & ſalutem ſperent: *qui eſt*, inquit, *ſpes illa gloriæ*, hoc eſt, Metonymicè, ſpei noſtræ de vita æterna author: quemadmodum etiam 1. Timoth. cap. 1. v. 1. Gloriam autem intelligit, non ratione initii; ſed ratione incrementi, & perfectionis: quia etſi utriuſque gratiæ author eſt Chriſtus, ſpes tamen non eſt gratiæ præteritæ, nec præſentis, ſed futuræ. Atque hæc de v. 27. & doctrinæ Euangelicæ, ac muneris Apoſtoli Pauli commendatione. Cui adjicitur fidelis illius adminiſtratio, & efficacia. Et illam quidem indicat, primùm à diligentia ſua, in doctrina, & admonitione ſapientiæ Chriſtianæ; quâ, pro Apoſtolico munere, quoſvis inſtituit: deinde fidelitatem ſuam declarat Apoſtolus à fine, nempe auditorum perfectione in Chriſto: quæ conſiſtit in ſalute & beatitudine, hoc eſt, ſapientia, juſtificatione, ſanctificatione, & redemptione: quæ omnia aſſequimur in Chriſto 1. Cor. cap. 1. verſ. 30. Cœterùm quia hoc loco Cathari, & (uti vocant) Perfectiſtæ abutuntur: obſervandum eſt, perfectionem juſtitiæ eſſe duplicem, imputatam, & inhærentem: illa eſt perfecta Chriſti juſtitia, quæ noſtra fit, juſtificatione gratuita, per fidem, Coloſſ. cap. 2. verſ. 10. altera eſt juſtitia noſtra; qua donamur ſanctificatione per Spiritum Chriſti: quæ, pro ſtatu bipartito vitæ & patriæ, ſeu gratiæ, & gloriæ, duplex, ac diſtincta eſt: alia enim ſimpliciter, & abſolute juſtitia eſt, qualis in cœlo, & gloria cœleſti, 1. Cor. 13. v. 10. alia eſt non ſimpliciter, ſed certa ratione, idque aut κατά τι, ἢ πρός τι, *ſecundùm quid*, aut *ad aliquid*, ſeu comparatè: nam, ſecundùm quid perfecti ſumus, quia ſecundùm interiorem hominem, Dei legi ſervimus, Roman. cap. 7. v. 22. & 25. qua ratione omnes fideles, perfecti quodammodo dici poſſunt; etſi ſimpliciter non ſint perfecti, ob carnis vitioſitatem, ſpiritui repugnantem: comparatè verò perfecti dicuntur, qui cognitione aut pietate, aut utraque reliquis antecellunt, 1. Cor. c. 2. v. 6. quemadmodum Paulus, qui ſe negarat eſſe perfectum, nempe ſimpliciter, & abſolutè, Philip. cap. 3. v. 12. paulò tamen poſt v. 15. perfectum ſe vocat, comparatè, nimirum cum rudioribus Chriſtianis: ſicut apertiſſimè, infantes, hoc eſt, rudes in fide, perfectis, hoc eſt, adultioribus, & provectioribus opponuntur, Heb. cap. 5. v. 13. 14. & 1. Corinth. cap. 14. v. 20. Epheſ. cap. 4. v. 13. 14. Eodem ferè redit, trita in Scholis diſtinctio: quâ perfectio alia dicitur eſſe partium, alia graduum: partium, quæ omnes partes: graduum, quæ juſtam magnitudinem habet: ſicut infantes ſunt perfecti, priori modo; quia corpore integro, ſuis partibus conſtant: ſed altero modo, ſolum adulti, qui præterea habent juſtam ætatem, & corporis magnitudinem. Eadem ratione, in omnibus fidelibus eſt juſtitia perfecta partibus, quia habent inchoatam ſanctificationem, & obedientiam, erga omnia legis præcepta; ſed non perfectam, iis gradibus, quos lex requirit, nempe ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Atque hæc de fide Pauli in adminiſtratione Euangelii. Efficacia verò deſcribitur, ex conjuncta Dei potentia, v. 29. quæ ſimilibus hiſce locis, diſertè explicatur, Rom. c. 15. v. 18. 19. & 1. Corinth. cap. 2. v. 4. Epheſ. cap. 3. v. 7. & 1. Timoth. cap. 1. v. 11. 12.

CONSECTARIA CAP. I.

I. PRæpoſitio *per*, non ſolum de cauſa inſtrumentali, ſed etiam de principali uſurpatur. Errant igitur Ariani, qui, ex hujus vocis uſu, Chriſtum Patri inæqualem arguunt.

II. Voluntas, & vocatio Dei immediata, aut mediata, Jerem. cap. 23. verſ. 21. Rom. 10. verſ. 15. Hebr. 5. verſ. 4. in legitimo verbi Dei miniſterio requiritur, v. 1.

III. Omnes fideles, in Chriſto ſancti, & fratres ſunt: ideoque à mundi contagione & odiis alieni eſſe debent.

IV. Gratiæ & pacis divinæ incrementum, fidelibus, ex charitatis fraternæ officio, optandum.

V. Cùm Chriſtus, primum ſit gratiæ, & pacis author: deinde, cum patre rectè invocetur: hinc, duplici nomine ſequitur, Matth. 4. verſ. 10. eum eſſe verum cum Patre Deum, v. 2.

VI. Gratiæ Deo agendæ ſunt pro donis, non ſolum in nos, ſed etiam in Eccleſiam, & reliquos fideles, nobis in Chriſto unitos, collatis: ac propterea ingrati ſunt in Deum, & ἄστοργοι in fratres ſuos, qui hoc officium negligunt.

VII. Cum Chriſtus ſit Dei filius, nimirum unicus, & Dominus noſter, & fidei objectum: ex hiſce omnibus conſequitur, eum verum eſſe Deum, v. 3. & 4.

VIII. Fidelium officium, & laus omnis, in fide, & charitate conſiſtit.

IX. Pro fide, & charitate, Deo gratiæ agendæ ſunt. Ergo Dei ſunt dona.

X. Charitas erga proximos exercenda eſt, ſed potiſſimum, Gal. 6. verſ. 10. erga ſanctos, ſeu fideles, & quidem omnes, v. 4.

XI. Charitas ſpe ſalutis alitur, ut 1. Ioh. 3. verſ. 3. Tit. 2. v. 23.

XII. Vitæ æternæ hæreditas nobis repoſita eſt, theſauri inſtar, extra periculum in cœlis, 1. Pet. 1. verſ. 4. ideoque de promiſſione illius non eſt ullo modo dubitandum.

XIII. Cum Euangelium ſit ſermo veritatis Dei, & ſalutis noſtræ: ei omninò credendum eſt.

XIV. Spes oritur ex auditione & fide Euangelii: ac propterea Euangelii prædicatio audienda, & in pretio habenda eſt, v. 5.

XV. Cum Euangelium, toto orbe, Pauli tempore propagatum ſit, comprobatur Prophetarum, in regni Chriſti amplitudine deſcribenda, veritas, Pſal. 72. v. 8. & 9.

Ideo-

Ideoque inepte Pontificii, id perpetuam Ecclesiæ notam statuunt.

XVI. Non quivis, sed in veritate Euangelii consensus, fidem nostram confirmat.

XVII. Cum Euangelium sit fructiferum gratiæ divinæ præconium: sequitur eos errare graviter, qui aut dignitatem illius minuunt, aut utilitatem negant, v. 6.

XVIII. In ministro Christi requiritur fidelitas, quæ in veritatis Euangelicæ prædicatione sancta consistit.

XIX. Fideles Christi ministri, non solum nobis dilecti esse debent; sed etiam honesta commendatione apud alios ornandi sunt, ut Ecclesiæ saluti & Dei gloriæ consulatur, & falsis doctoribus occurratur, qui per ministrorum dedecus, veritatem divinam in contemptum & odium adducere student, v. 7.

XX. Ut Ecclesiæ vitia seriò arguenda sunt; sic virtutes candidè apud alios prædicandæ, ad gloriam Dei & aliorum exemplum.

XXI. Charitas Christiana sincera est, & à Spiritu Christi promanat, v. 8.

XXII. Non solum pro Dei in Ecclesiam beneficiis, gratiæ agendæ sunt: sed etiam pro perseverantia & augmento precandum est, v. 9.

XXIII. Cognitionis Dei finis, est obedientia vitæ, per bonorum operum fructum: quæ ut ex cognitione oriuntur, sic eam vicissim augent, v. 10.

XXIV. Ut perseverantia & patientia in Christianis requiruntur: sic Deus earum virtutum author agnoscendus est & implorandus, v. 11.

XXV. Salus nostra merè gratuita est, ideoque corruit doctrina Pontificiorum de meritis, v. 12. 13.

XXVI. Cùm Christus sit caput corporis sui, hoc est, Ecclesiæ, quæ biceps esse non potest, falsò hunc honorem sibi arrogat Pontifex Romanus. Nam quod excipit, se esse non principale, sed ministeriale sub Christo caput: illud inane effugium est, quia remissionem peccatorum, legum conscientiis devinciendis condendarum authoritatem, plenamq; in omnes potestatem sibi vendicat: quę non ministri, sed solius Domini & capitis summi sunt privilegia. Deinde Sacræ Literæ Christum tale caput esse docent, quod Vicarium non admittat: sed Ecclesiam suam, præsens, suo Spiritu ad finem usque mundi regat, Matth. cap. 28. Hæc de v. 18.

Reliqua porrò ex antecedentium similitudine, & observatione expositionis præmissæ, facilè petentur.

CAPUT SECUNDUM.

Tractationis hujus epistolæ, ut ante monuimus, pars altera dogmatica est, altera parænetica: ac prior quidem complectitur demonstrationem veritatis, de qua actum est cap. 1. & refutationem falsitatis, quæ distinctè continetur cap. 2. Nam ex artificiali orationis usu, quatuor constat partibus: Exordio; Propositione; Confirmatione; Conclusione. Exordium autem absolvitur prioribus quinque versibus. Quibus primùm auditorum animos benevolos reddit, & attentos, transitione eleganti, à thesi ad hypothesin. Nam quæ de fidelitate sua, & studio erga Ecclesiam dixerat generatim; ea jam speciatim Colossensibus accommodat, anticipatione quadam: ne aut eos absentiâ sua neglexisse; aut temerè compellasse videretur. Fidelitatem autem & studium suum erga Colossenses demonstrat, descriptione laboris sui & finis propositi. Et illum quidem amplificat, cùm eleganti, ab athletis ducta, Metaphora, (ut 1. Cor. 9. v. 25. Heb. 12. vers. 1.) *Certamen vocat:* & cùm magnitudinem exponit, addendo, *quantum*. Cœterum hoc certamen partim internum erat, solicitudo nimirum ex variis Ecclesiarum periculis, 2. Cor. 11. v. 28. 29. & assiduæ preces, quibus, ut pro Colossensibus, certabat Epaphras, Coloss. 4. v. 12. sic & Paulus, Colos. 1. vers. 9. partim externum, nempe fidelis & assidua gentium institutio: quâ veritatem Euangelii tradebat: & adversus falsorum doctorum errores, voce & scriptis tuebatur: & inde orta, rerum adversarum tolerantia, 1. Tim. 6. vers. 12. 2. Tim. 4. v. 7. Phil. 1. v. 30. Nam cùm gentium esset Apostolus, iisque Euangelium annunciaret; propterea potissimum persecutionibus, à Iudæis invidis premebatur, 1. Thess. 2. v. 14. 15. 16. Itaque hoc certamen Apostoli erat non minus pro Coloss. quam pro reliquis gentibus, Col. 1. v. 24. Ac propterea ait: *Certamen pro vobis*: Et à pari amplificat, cum addit: *& pro iis qui sunt Laodiceæ, & quotquot faciem meam in carne* (hoc est, me corpore præsentem) *non viderunt*. Cur autem nominatim Laodicenorum meminerit, ea est causa, quod eâdem opera illos ad constantiam hortari voluerit: unde & epistolam hanc, iis quoque recitandam, præcipit, cap. 4. v. 6. Atque hæc certaminis Pauli descriptio, v. 1. Cujus, & certaminis & descriptionis, finis, est utilitas Ecclesiæ triplex. Prima cordis, adversus omnes tentationes, consolatio, orta ex notitia, cùm amoris Pauli erga Ecclesiam, tum constantiæ illius in fide & officio, Col. 4. vers. 8. & 2. Cor. 1. vers. 6. Rom. 1. v. 12. Eph. 4. v. 19. & 22. Reliqua utilitas est, in charitate & fide confirmatio. Quam illustrat eleganti, ab ædificiorum compage ducta Metaphora. Rectè autem fidem & charitatem copulat: quia hisce duobus vinculis, in sacrum Dei ædificium & corpus Christi compingimur & unimur, Ephes. 4. v. 13. 16. quemadmodum contrà, hæresi & schismate distrahimur. Cœterùm fidem appellat, *certò-persuasam intelligentiam*, ut eam, ab incerta opinione distinguat, Ephes. 4. vers. 13. 14. Confirmationem verò & incrementum copiosum, Metaphoricè, ut alibi, *divitias* vocat. Deinde intelligentiam hanc exponit sequenti declaratione cùm cognitionem mysterii Dei & Patris & Christi nominat. Qua ratione, & fidei dignitatem, & Euangelii præstantiam, commendat, ut cap. 1. v. 26. ut, hac ratione, Euangelium à contemptu vindicet; & inanem pseudoapostolorum, de doctrinæ suæ sapientia, gloriationem, retundat. Nam Euangelium est mysterium Dei, & Christi. Quam phrasin quidam passivè: alii activè interpretantur: hoc est, ut *Dei*, & *Christi* voces, aut subjectam materiam notent; aut causam efficientem: ut sit sensus, Euangelium de Deo; vel Euangelium à Deo. Primam sententiam quidam amplectuntur: quia continuò adjungitur, *& Patris, & Christi*: ut notetur, Patrem non posse cognosci, nisi in Christo: alii verò alteram sequuntur. Utraque sententia pia est: sed posterior magis accommodata huic loco: ut, hac ratione, ab authoritate Dei, firmetur Euangelium; quemadmodum solus Pater dicitur, Christum revelare, Matth. 16. v. 17. Ephes. 3. v. 3. Col. 1. v. 27. & Christus patrem Matth. 11. v. 27. Joh. 1. v. 18. Quam interpretationem deposcere videtur sequens periphrasis. Quod autem copula bis repetitur, videtur exigere sententia, ut nomen Dei communiter ad Filium & Patrem referatur: nec quicquam sanè obstare potest, si rem ipsam spectes. Verum si articuli unius positionem, cum dicitur: τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, non autem καὶ τοῦ πατρὸς, & usum scripturæ consideres, Dei vox ad Patrem tantùm referri posse videtur: quemadmodum alibi, 1. Cor. 15. v. 24. *cùm tradiderit regnum Deo & Patri*, & 2. Cor. 11. v. 31. Eph. 1. v. 3. Col. 1. v. 3. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*, Eph. 5. v. 10. Jac. 1. 27. *Deus & pater*, Philipp. 4. v. 20. 1. Thess. 1. v. 3. &c. *Deus & pater noster*. In qua oratione conjunctio copulativa καὶ, non tam copulativa est, quam exegetica; unde quidam interpretantur, *id est*: quanquam, ut existimo, non ineptè dici posset, esse copulæ pleonasmum. Hæc de v. 2. Cui subjungitur illustratio, à descriptione Euangelii, aut Christi: nam relativum, *in quo*, ad alterutrum, nempe mysterium, aut Christum, referri potest; sed vario sensu. Nam, in mysterio Euangelii, reconditi sunt, significationis ratione, omnes thesauri sapientiæ, ac cognitionis, non quidem absolutè, sed ad salutem nobis necessariæ: quomodo perfectio Euangelii exponitur, & inani sapientiæ fuco opponitur. Verum in Christo reconditi dici possunt hi thesauri, bifariam, vel tanquam in objecto, nempe quod, eo rectè cognito, omnem habeamus sapientiam & perfectam salutis cognitionem, Col. 1. v. 28. & 1. Cor. 2. v. 1. vel tanquam in subjecto, quod omnia mysteria salutis, & omnes sapientiæ thesauri, Christo non solum noti, & explorati

plorati sint: sed etiam, in eo, tanquam fonte, resideant. Utraque interpretatio sancta est: sive quis de Euangelio; sive de Christo intelligat: sed series orationis Pauli, & collatio v. 8. & 9. indicant, de Christo locum esse intelligendum, & quidem tanquam subjecto, & fonte omnis sapientiæ. Qua ratione Paulus, Euangelium à Christo revelatum, omnibus humanæ sapientiæ commentis, quæ falsi doctores jactabant, opponit; &, perstans in metaphora, docet, ex quo thesauro, opulentia illa intelligentiæ nostræ deprompta sit: nempe ex thesauris *sapientiæ*, & *scientiæ* Christi: quas voces quidam, ad amplificationem, eodem ferè sensu, conjungi putant: alii diverso: ac sapientiam nonnulli volunt esse rerum divinarum; cognitionem verò humanarum: alii verò sapientiam ad dogmata fidei; cognitionem ad vitæ institutionem, referunt. Verum hoc extra controversiam est, Paulum omnem scientiam his verbis complecti. Ad scientiam autem Christi quod attinet, de ea fusè egimus, in cap. 2. Lucæ. Hæc itaque descriptio Christi ab attributo, continetur v. 3. & illustratur à fine suo, ne Colossenses à pseudo Apostolis, fucata sapientiæ specie, & falsis ratiocinationibus, seducantur: sed contrà in Christi, fontis sapientiæ, doctrinâ, acquiescant, v. 4. Qua ratione, refutationis quasi semina jacit, viamque ad eam sternit. Ne autem imprudentius, aut curiosius, absens, de Colossensibus, tam procul à se remotis, solicitus esse videatur, anticipatione quadam, objectioni occurit, absentiæ distinctione, & causæ impulsivæ explicatione, cum ait: *Etsi enim carne* (hoc est corpore) *absum*: *spiritu* (seu animo) *tamen sum vobiscum*. Nam ut rectè alicubi ait August *anima ibi veriùs est, ubi amat, quàm ubi animat*. Et de amicis rectè Pythagoras dixit: eos esse unam animam, in diversis corporibus. Ideoq; quomodo spiritu præsens sit cum Colossensibus, exponit. Apostolus, videlicet mente, & corde: mente quidem, *cernens*, hoc est, cognoscens ac perpendes virtutes eorum: corde verò ac voluntate, *gaudens* ea de re. Qua re bifariam sibi benevolentiam conciliat Apostolus, primum testificatione gaudii sui de ipsis, quod amoris argumentum: deinde commendatione virtutis eorum duplicis. Nam primò *ordinem* laudat, nimirum rectum, ut Oecumenius (εὐταξίαν) interpretatur. Quare placet eorum sententia, qui ordinis nomine; tam consensum; quàm mores ritè compositos, & totam disciplinam significari, existimant 1. Cor. 14. v. 40. 1. Thess. 5. v. 14. Deinde fidem in Christum collaudat, eamque ab adjuncta soliditate, & constantia, contra adversarios, commendat. Quanquam, si quis scopum epistolæ spectet, non ineptè (ut videtur) dici posset; fidem Colossens. non solum à soliditate, sed etiam ab ordine, hoc est, rectitudine commendari: quod fidem habeant in Christum, per quem rectà, ad Deum accessum, quærant; non autem per Angelos: qualem ordinis perturbationem adversarii urgebant; ut ex v. 18. cum 19. apparet. Quomodo soliditas, & ordo fidei, vers. sequenti conjunguntur ab Apostolo: soliditas quidem, cùm ait, *confirmati in fide*: ordo verò, cùm subjicit: *sicut edocti estis*. Sed prior tamen interpretatio, sicut recepta est, ita etiam simplicior. Hæc de v. 5. & Exordio. Ex quo, transitione eleganti, adhortationem ad perseverantiam (quæ prima propositionis pars est) concludit. *Igitur* (inquit) *sicut Christum Iesum Dominum illum accepistis*, hoc est, edocti estis: *ita in eo incedite*, hoc est, ut Gal. 6. v. 16. secundum ejus doctrinæ normam, fidem & vitam componite v. 6. Quemadmodum Apostolus hunc incessum exponit, sequentibus; ac duobus describit: fide, & gratitudine erga Deum. Et in fide quidem requirit, primùm constantiam: quàm illustrat metaphoris, deductis ab arboribus, & ædificiis: deinde sinceritatem, cum ait, *sicut edocti estis*. denique profectum, cum ait: *abundantes in ea*. Ac gratitudinem erga Deum, describit ab effecto, gratiarum actione: quam accommodatè adjungit; ut ostendat, à receptâ Christi doctrinâ, non modò non esse discedendum: sed etiam pro eo, tanquam summo beneficio, gratias Deo agendas, v. 7.

Cui subjicitur altera propositionis pars, quæ refutandos adversariorum errores, gravi dehortationis forma, proponit. Errorum autem tres species recenset Apostolus: primum *philosophiam*: quo nomine non veram philosophiam damnat, quippe quæ constat principiis, naturâ notis, & conclusionibus, partim inde necessariò deductis, partim certa experientia constitutis: ideoque cùm (ut omne verum) Deum habet authorem, ab eo damnari non potest: sic nec vera philosophia, nec legitimus illius usus: qui in eo consistit in sacris, ut ad illustrationem S. lit. commodè adhibeatur non ut domina, sed ut serva; & ut intra naturæ terminos, judicium suum contineat: qua ratione, communibus multis cum philosophia principiis, S. lit. utuntur. Quare adversariorum, id est, inanem tantum philosophiam, damnat Apostolus; & paralogismos, non veros syllogismos, v. 4. Philosophia autem inanis fit, duobus modis: cum aut principia statuuntur falsa, ut cum philosophi plerique materiam statuunt æternam: aut cum ex veris principiis, malè accommodatis, falsæ conclusiones eliciuntur, ut cum principium illud, in physicis verum: *Ex nihilo nihil fit*: in aliud genus, ad metaphysicam rapitur, & Dei, naturæ authoris, potentiæ opponitur. Quemadmodum ex philosophorum aberrantium placitis nonnullis, Theologia, ab hæreticis, conspurcari cæpit, inde à temporibus Apostolorum. Qua de causâ, eo sensu, Tertull. contra Hermog. cap. 8. ait: *hæreticorum patriarchæ Philosophi*. Altera errorum species, est deceptio traditionum humanarum, quarum architecti præcipui fuerunt Pharisæi, Matth. 15. v. 2. Marc. 7. 3. Tertia denique species, est inanis deceptio *elementorum mundi*. Qua voce, nonnulli intelligunt, hoc loco, & v. 20. Physica mundi elementa, ut Chrysost. Oecum. & alii nonnulli: reliqui verò, ex Pauli usu, accommodatius, ac per metaph. doctrinæ elementa, hoc est, rudimenta in Ecclesia Iudaica, nimirum de pædagogia ceremoniarum Mosaicarum intelligunt: ut pluribus exponitur Galat. 4. v. 9. Atque hasce corruptelarum species, non solum enumerat Apostolus: sed etiam ab iis dehortatur, & eleganti metaphora, conatum adversariorum, rapto comparat; & adversarios, tanquam prędatores, fugiendos ostendit. Ad quam propositionem stabiliendam, adfert Apostolus confirmationem: primum generalem; deinde specialem. Generalis est; quod illæ doctrinæ adversariorum non sunt *secundùm Christum*, hoc est, doctrinæ illius non consentiant, vers. 8. Cujus rationis consequentiam probat, à perfectione naturæ, in Christo; & operum illius, in Ecclesia. Illam exponit, hisce verbis; *Nam in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*. In qua sententia, Deitatis vox, divinam naturam designat; eique omnem plenitudinem attribuit: non quod ea dividua esse possit (quia infinita, & simplicissima est) sed per metaphoram quandam, à creaturis petitam, ad majorem Emphasin, ut adversariorum exceptiones tolleret, & Christum verum esse, cum Patre, Deum, ostenderet. Hæc autem Deitas, in sacris literis, inhabitare dicitur, variè. Primum essentia, & potentia gubernante; qua ratione communiter in omnibus est, & cælum, ac terram replet, Jer. 23. v. 24. Deinde gratia sua particulari: qua, vel se patefacit certo signo, ut in cælis, urbe Jerusalem, & templo, Psalm. 123. 1. & 125. 1. Jer. 7. v. 3. 12. vel dona sua salutaria infundit, ut in Ecclesia 1. Corinth. 3. v. 16. Denique gratia singulari, ac propria unionis hypostaticæ: quemadmodum anima dicitur habitare in corpore. Quę ratio Christo soli convenit; in quo, mediante λόγῳ, Deitas tota residet: ideoque Paulus inhabitationis modum definit, cum ait: *corporaliter*. Quam vocem, quidam metaphoricè accipiunt, ut umbris vers. 17. opponatur. Ideoque Oecumenius interpretatur, substantialiter, & non sola relatione & figura. Alii, sine metaphora accipiunt: idque, vel ut intelligatur corpus communiter; & sensus sit, corporaliter, hoc est, corporis modo, sicut corpus inhabitatur, nempe ab anima: hoc est, personaliter, inconfusè, indivisè: quam interpretationem, cum antecedenti, copulat Cyrill: ut etiam ex Oecum: constat: vel ut intelligatur propriè corpus Christi; & quidem Synecdochicè, corpus animatum, anima rationali: ut sensus sit σωματωμένως, incarnationis modo, seu corporis assumptione; ut notetur unio personalis: quemadmodum Joan. 1. *verbum* dicitur *caro factum*: Qua de re consulantur Oecu-

Oecumenius, & Theophyl. Ut autem res sit clarior, Augustini interpretationem, quia elegans est, & ad Ubiquitarios refellendos, comparata, totam recensebo. *Non ideo* (inquit) *corporaliter, quia corporeus est Deus: sed aut verbo translato usus est, tanquam in templo manu facto, non corporaliter sed umbraliter habitaverit, id est, præfigurantibus signis. Nam illas omnes observationes, umbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptum, non in manu factis templis habitat: aut certè corporaliter dictum est: quia & in Christi corpore, quod assumsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus. Hinc enim est, quod Iudæis signum petentibus; cum dixisset, Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud, Euangelista quid hoc esset, consequenter exponens, ait: hoc autem dicebat de templo corporis sui Quid ergo est? Hoccine interesse arbitramur inter caput & membra cætera: quod in quolibet quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta, aut Apostolo, quævis divinitas habitaret, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis. Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est, quinquepartitus: ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus: in cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc, quod, tanquam in templo, in illo corpore habitat omnis plenitudo, est aliud, quod intersit inter illud caput, & cujuslibet membri excellentiam? Est planè, quod singulari quadam susceptione hominis,* (ubi obiter observandum per catachresin, non infrequentem Patribus, *hominem* pro humana natura poni, aliâs sequeretur, in Christo esse duas personas) *illius, una facta est persona cum verbo: de nullo enim Sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit. Verbum caro factum est. Nullus Sanctorum qualibet præstantiâ gratiæ, unigeniti nomen accepit.* Hactenus Augustinus in Epistola illa præstantissima LVII. ad Dardanum. Quare hinc refellitur error Ubiquitariorum, qui hoc loco abutuntur, & hypostaticam unionem, & inhabitationem Deitatis in Christo, proprietatum omnium divinarum, in humanam naturam, effusione, definiunt. Hinc illi vulgò, inhabitationem Deitatis in Christo, & in sanctis, eo tantùm differre, ajunt, quod Christo communicata sint dona immensa, ac proprietates Dei; Sanctis verò dimensa: quo modo gratiam confundunt habitualem, cum hypostatica unione, maléque definiunt. Nam Orthodoxi contrà sic disputant: Proprietates illæ, aut essentia Dei sunt; aut qualitates creatæ. Si essentia Dei, consequetur Christum quidem esse penitus Deum: Sanctos autem aliquatenus deos. Sin creatæ sint qualitates, tum eædem futuræ sunt in Christo, ex creationis natura, dimensæ; &, ex adversariorum sententia, immensæ: dimensæ verò in Sanctis: nam omnes & immensæ proprietates, à quibusdam & dimensis, non toto genere, sed secundum plus, & minus differant necesse est. Et hac ratione in Christo, & Sanctis eadem futura est inhabitatio gratiæ: quæ non re, sed gradibus tantùm differat. Ut omittam, quod nihil fingi potest alienius, quàm ut proprietates Dei statuant posse communicari: cum manifesta sit contradictio proprii, & communis. Deinde, cùm proprietates Dei, sint ipsamet Dei essentia: qua ratione possunt, dispari ratione, communicari, cùm essentia Dei sit infinita, ac simplicissima. Deinde malè Ubiquitatem ex hoc loco concludunt: nam præterquam, quod unionem, confusionem faciunt, cum Eutychete, si ex omni plenitudine Deitatis ubiquitas corporis Christi ritè concludatur: eadem etiam ratione æternitas, quæ non minùs quàm immensitas, & ubiquitas, ad plenitudinem Deitatis, pertinet. Atqui hoc absurdum. Ergo & illud. Sed excipiunt: Si Deitatis plenitudo habitat in Christo, unione hypostatica, tum rectè hæc constituitur demonstratio. Ubicunque Deitas est, ibi etiam humanitas est: alioqui separatio esset, non unio. At Deitas ubique est. Ergo & humanitas. Verùm negatur major, & ratio illius: quia Deitas infinita est, ac propterea tota ubique, tota in natura humana, quæ circumscripta. Deinde & hoc addi potest: per unionem, locorum separatio tollitur, sed diversitas minimè: quemadmodum caput unitum est animæ & membris, sed tamen propterea non sequitur, id esse eodem prorsus in loco, ac toto corpore. Quare rectè August. in eadem (cujus ante meminimus) ad Dardanum epistolâ, de Christo ait: *ubique totum præsentem non dubites, tanquam Deum; & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum; & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum.* Quare Christus, hac ratione, à reliquis hominibus distinguitur, quod sit verus *Immanuel*, Matth. 1. v. 23. *Deus patefactus in carne*, 1. Tim. 3. v. 16. hoc est, ut Orthodoxi patres loquuntur, θεάνθρωπος: ac propterea verus Messias ac summus Propheta: à quo, ceu fonte, omnis sapientia, justitia, & salus, haurienda sunt. Ideoque, sine gravi blasphemia, doctrina illius, quam plenè, & fideliter exposuit, & Apostolis, per spiritum, inspiravit, Joh. 15. v. 15. 16. imperfectionis argui non potest: neque aliunde, sine summa ingratitudine, perfectior doctrina sperari, v. 9. Idque confirmat Apostolus ampliùs, ab effectis, & operibus Christi, quæ causam suam vicissim demonstrant. *Et estis*, inquit, *in eo completi*. In qua gravi, & nervosâ sententia, primùm observandum voculam (*in*) bifariam posse accipi: vel, ut subjectum: vel, ut causam efficientem, notat. Hinc quidam interpretantur: *per eum completi estis*: ut alibi nos complere dicitur Christus, Eph. 1. v. 23. Alii verò exponunt: *in eo*, Christo, insiti: ut hac ratione subjectum notetur, & causa quoque perfectionis nostræ innuatur, nimirum unio mystica cum Christo, & effectis illius. Et utraque interpretatio sancta est, atque eodem redit: sed posterior uberior est, magisque emphatica; neque insolens, Rom. 8. vers. 1. 1. Cor. 1. v. 30. Completi autem dicimur in Christo, primùm imputatione, Rom. 4. vers. 5. deinde spe, quia salus inchoata brevi perficietur, Rom. 8. v. 24. denique etiam re, si sapientiam salutarem, & sanctitatem spectes: non quidem simpliciter, & absolutè; quia scientia & charitas imperfecta sunt, in hac vita, 1. Cor. 13. v. 9. Rom. 7. Gal. 5. v. 17. sed comparatè cum adversariis, & secundùm quid, hoc est, perfectione, ut ajunt, partium, non graduum, ut antè cap. 1. demonstravimus prolixius. Ad quam plenitudinis rationem illustrandam, pertinent sequentia Scripturæ loca, Act. 6. v. 5. ubi *Stephanus* dicitur *plenus fide, & Spiritu S.* & Barnabas, Actor. 11. v. 24. & *Tabitha, plena* dicitur *bonorum operum*, Actor. 9. v. 36. & Rom. 15. v. 14. *persuasum habeo*, inquit Apostolus, *quod ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione:* & tamen v. 13. complementum iis precatur. Sic Eph. 1. v. 23. Christus dicitur, omnia (id est, omnes fideles) implere, & ad complementum tamen eosdem hortatur, cap. 5. vers. 18. idque iis precatur, c. 3. vers. 19. sicut Phil. 1. v. 11. orat, ut pleni sint fructibus justitiæ, ita Coloss. 1. v. 9. optat, ut impleantur omni cognitione, & hunc prædicationis suæ scopum esse ait, ut quemvis hominem sistat perfectum in Christo, v. 28. & tamen hanc perfectionem, suo modo, Coloss. tribuit, cum Epaphram, pro illorum in perfectione perseverantia orare testatur, Coloss. 4. v. 12. Qua ex re apparet, sine ulla contradictione dici, fideles cognitionis, & sanctitatis plenitudinem habere, ratione scilicet partium, & eandem desiderare, ratione graduum. Ut autem hunc locum concludam, optimè utrumque Apostolus Paulus complectitur, & exponit; nempe nos in Christo completos esse, & quibus modis, 1. Cor. 1. v. 30. *Ex ipso vos estis in Christo, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio*: ut sequentia quoque declarabunt. Atque hæc de effectis Christi, plenitudine, ac perfectione. Unde necessario sequitur: cùm in Jesu Christo simus completi: cavendum esse ab inani philosophia, & traditionibus humanis; & ceremoniis legalibus, quæ non secundùm Christum, hoc est, Christo consentanea, nec ad salutem nostram faciunt. Idque ampliùs demonstrat Apostolus, confirmatione speciali, quæ huic generali subjicitur. Nam ut Apostolus tres illas, quas recensuit corruptelarum species generatim refutavit: ita speciatim easdem ordine diluit. Ac priori quidem loco, inanem philosophiam, qua Angeli, tanquam Mediatores nostri, inter Deum, & Ecclesiam (quasi nos perficerent) commendabantur, refellit Apostolus; ac Christo soli hanc laudem vendicat: quia Christus est caput omnis principatus, ac potestatis, hoc est, Angelorum: ut copiosius de hoc argu-

argumento actum est, c. 1. Atque hæc quidem de dignitate, & authoritate Christi in Angelos: unde necessariò sequitur, eos, qui humanæ Philosophiæ fuco, perfectionem salutarem, non à Christo, sed ab Angelis petendam, docent, cavendos esse v. 10. Unde Paulus, secundò, ad refutationem erroris tertii, ὑπερβολῇ quadam, transit. Nam traditionum humanarum refutationem differt, in extremam hujus capitis partem; & contra, de elementorum mundi, id est, ceremoniarum Mosaicarum, jam in Christo abolitarum, revocatione, disserit, docens, nec observandas jam esse, nec perficere nos: contrà quàm pseudo-apostoli, legem Euangelio miscentes, urgebant. Cœterùm, quia in iis, primarium occupat locum, circumcisio, quæ fuit initiationis Vet. Testam. Sacramentum, & totius legis servandæ vinculum, Galat. 5. vers. 2. propterea circumcisionem maximè urgebant, ut apparet Actor. 15. vers. 1. 24. Ac propterea Apostolus, hoc loco, eam deprimit, & abolitam esse docet: opponendo Christi efficaciam, complementum, & institutionem N. Sacramenti substituti. Duplex autem de circumcisione erat falsorum Doctorum error: nempe quod circumcisioni tribuerent justitiam, & obsignationem illius: Paulus contrà, utrumque refellit, oppositâ circumcisione Christi geminâ: ac primùm quidem spirituali, cùm circumcisionem distinguit, in externam corporis, quæ manibus fit, Ephes. 2. v. 11. & internam cordis, quæ sine manibus efficitur, potentiâ Christi. Priorem Judæis relinquit; alteram Christo authori tribuit: *in quo*, inquit, *circumcisi estis circumcisione, quæ sine manibus fit.* Vis argumenti est: qui circumcisionem internam habent in Christo, illis externa non est opus. At verò vos fideles eam habetis. Ergo externa circumcisione vobis non est opus. Sed objici posset; propositionem non esse veram; quia etiam in Vet. Test. sancti Patres habuerunt circumcisionem cordis, & nihilominus externa fuit à Deo instituta, ut Abrahamus, corde fuit antè circumcisus, quam corpore. Respondent vulgò bifariam: primò, etsi in Vet. Testam. hæc Pauli consequentia non valuisset; quod circumcisionis sacramentum à Deo esset institutum, ad Christum usque: tamen in Novo valere; quod aliud signum à Christo substitutum sit: idque Paulum, ut hanc objectionem anticiparet, indicare, cum ait: *in circumcisione Christi, & in baptismo.* deinde respondent, valere simpliciter, apud gentiles, qui nunquam fuerunt obnoxii circumcisioni: ac propterea, cum illud habeant, cui serviebat circumcisio Judæis, ea non est necessaria. Veruntatem videtur respondendum esse; circumcisionem spiritualem, in Veteri quidem Testamento, fuisse in Christo promisso, sed non in Christo exhibito, quemadmodum hoc loco intelligitur: hoc est, ut explicatius, ac distinctius dicam, circumcisionem spiritualem habemus in Christo, bifariam: primum, merito obedientiæ, ad mortem crucis, quo nos circumcidit à peccatis: deinde efficaciâ divina, qua meriti illius participes facit, Verbi, ac sacramentorum ministerio, & Spiritus S. operatione: qua nos vocat, justificat, sanctificat. Atque hic secundus modus utrique Test. communis est, sed prior soli Novo T. convenit; in Vet. verò, tantum circumcisione, & aliis ceremoniis, adumbratus. Nam circumcisio fuit visibilis promissio, & obsignatio adventus Christi; & circumcisionis, in cruce futuræ; & fructus illius perpetui: quo sensu Heb. 10. v. 1. dicitur *lex umbram habere futurorum bonorum, non ipsam vivam imaginem rerum* & cap. 11. sub finem dicuntur *Patres non accepisse promissionem*, hoc est, rem promissam, scilicet secundum quid: nam beneficio mortis Christi futuræ, & fidei in illam, acceperunt partem promissionis, seu rerum promissarum, nempe remissionem peccatorum, ac salutem: sed partem non acceperunt, nempe exhibitionem Christi, & meriti mortis ipsius, quod considerat Adostolus, Hebr. 11. Porrò hanc spiritualem Christi circumcisionem illustrat Apostolus, inductione partium, nempe sanctificatione, & justificatione. Ut autem sanctificatio constat veteris hominis mortificatione, & sepultura; & novi hominis suscitatione, ac vivificatione: quæ tria membra, tribus objectis respondent: nempe, morti Christi, sepulturæ, & resurrectioni; & nobis, visibilibus baptismi Symbolis, repræsentantur, & obsignantur, Roman. 6. v. 3. 4. 5. 6. sic eadem omninò ratione; hoc in loco, ab Apostolo recensentur. Ac mortificationem, elegantibus Metaphoris, vocat *exuere corpus peccatorum carnis*. Primùm enim *corpus peccatorum carnis*, veterem hominem seu naturam corruptam, velut corpus, membris suis constans, & massam peccatorum, insigni similitudine, appellat: ut enim corpori anima inclusa est; sic peccatis toti circumvolvimur. Deinde, ut corpus ex variis membris compositum est, iisque variè utitur: sic in peccato originis, varii motus, & cupiditates pravæ sese exerunt, quibus ratio, & voluntas vitiosa utitur, tanquam membris: unde & *membra terrestria* vocantur, Coloss. 3. v. 5. Nam quod quidam corporis nomen propriè accipiunt, sententia quidem pia est, sed huic loco non satis consentenea: nam quemadmodum Paulus non loquitur de sepultura, nec de resurrectione externa: ita neque de depositione corporis naturalis, sed vitiosi, hoc est, Metaphoricè, veteris hominis: quemadmodum eâdem similitudine, & sententia, *corpus peccati* appellatur: & iisdem modis (cùm etiam de sanctificatione nostri agit Apostolus) exponitur Roman. 6. v. 6. Quod autem objicitur: si hæc sit sententia, cur additur *carnis* nomen? Respondent quidam, id fieri, ut notetur, unde corpus illud peccatorum, ortum sit, videlicet, ex carnali generatione; nam quod ex carne natum est, caro est. Sed commodiùs, cum Augustino (quamvis alioqui corpus propriè accipiat,) ad hunc locum, dici potest, hanc vocem addi per exegesin, distinctionis ergò. *Non duas* (inquit apud Bedam) *res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis: sed quia corpus multarum rerum est, quarum nulla caro est* (*Nam multa sunt excepta carne, corpora cælestia, & corpora terrestria*) *Corpus carnis dixit, quæ caro est: sicut spiritum mentis eum spiritum, qui mens est.* Cœterùm carnem non substantiam hominis, sed corruptionem naturæ, seu peccatum originis, appellat Apostolus, ut Roman. 7. & 8. Galat. 5. v. 19. 20. Altera Metaphora est, quâ caro hæc non solùm corpori, sed etiam vesti veteri, & sordidæ comparatur, quæ homines à nuptiis cælestibus excludit, Matth. 22. v. 11. Ac propterea mortificatio carnis, vocatur *exuere corpus peccatorum carnis*: sicut Coloss. 3. v. 9. dicitur, *exuite veterem hominem*: ut etiam ex adverso, de vivificatione novi hominis, ibid. agit, cum ait: *induite novum hominem*. In corpore autem peccatorum carnis, duo spectanda sunt, reatus, seu obligatio ad pœnam, & causa illius, culpa. Priori eximur per fidem, re; & per baptismum, obsignatione, cùm Christum tanquam vestem nuptialem induimus, Ephes. 3. v. 16. 17. Galat. 3. v. 27. cujus justitiâ, nostrorum peccatorum nuditas, ac turpitudo, Dei gratiâ, tegitur, 2. Corinth. 5. v. 3. 21. Apocal. 3. v. 8. & 16. v. 15. quemadmodum vestes pelliceæ, rejectis ficulneis perizomatis, à Deo consutæ, Adami, & Evæ nuditatem texerunt, Genes. 3. vers. 21. cujus etiam vestis Christi suavitate, Deo grati sumus: & ut Jacobus, Esavi fratris primogeniti vestibus & pelle abditus, benedictionem percepit: sic & nos à Patre nostro percipimus. Culpâ verò, & insitâ corruptione exuimur, per Spiritum Christi: cujus efficacia, imago Dei & Christi in nobis restituitur paulatim: de qua re potissimum, hoc in loco, & cap. sequenti, agit Apostolus. Eamque à causa instrumentali conservante illustrat, cum addit: *in circumcisione Christi*. Nam quod quidam ad causam formalem hæc referunt: ac si quædam esset antithesis, inter circumcisionem manufactam Judæorum, & spiritualem Christi: illud sanctè, nec ineptè dicitur; quia in Christo non valet quicquam circumcisio, nec præputium, sed nova creatura, Galat. 6. v. 15. hoc est, circumcisio cordis. Veruntatem, quia videretur, hac ratione, non necessaria hîc statui tautologia: propterea magis eorum probatur sententia, qui de baptismo interpretantur: quemadmodum Paulina expositio, sequenti versu, & similis loci comparatio, Roman. 6. v. 3. & Ephes. 5. vers. 26. 27. declarant. Qua de re videndus Chrysost. tom. 5. homilia ad baptizandos. Circumcisio autem Christi, Metonymia sacramentali, baptismum notat; quod sit antitypon circumcisionis Vet. Testam. idem reipsa, etsi modo diverso, signans & obsignans; ut etiam, eadem de causa, Israelitæ in nu-

in nube, & mari baptizati dicuntur; & eundem cibum, ac potum spiritualem percepisse, 1. Corinth. 10. v. 1. 2. 3. 4. & Baptisma dicitur arcæ antitypon, 1. Petr. 3. vers. 21. Tribuitur autem baptismo circumcisio cordis, ea de causa, quod in legitimo usu, non solùm eam signet; sed etiam obsignet: ac propterea Symbolum, & medium externum sit, quo fides confirmatur; & ita Christi, & mortis Christi communio, ac beneficia, nobis ampliùs conferuntur: fides enim quâ ad communionem hanc pervenimus, eò excitatur, ac confirmatur: & Christus, quod Symbolo foris signat & obsignat, illud intus Spiritus Sanctus, pro veritate, bonitate, & potentia sua, credentibus opportunè præstat.

Cœterum phrasin hanc, qua dicimur in Baptismo exuere carnem & veterem hominem, atque induere novum: quidam viri magni ajunt, ortam, primum ex Hebræorum Idiotismo: ut Luc. 24. v. 42. *induemini virtute ex alto*. Deinde videri ex vetere quoque, baptizandi adultos, more, profectam; quo vel suis, tanquam novis; aut aliis verè novis vestibus, induebantur: qui ritus postea paulatim eò fuit redactus, ut Catechumeni candidis vestibus apparerent: unde illa, Dominicæ in albis, appellatio, Paschati præiens; & album illud indusium, quo infantes quoque induuntur in baptismo, non tantum inutiliter, sed etiam superstitiosè, & ab iis ipsis, qui ritum ipsum usurpant, ignorata ipsius origine. Sic quidem illi. Sed salvo meliori judicio, ad posterius quod attinet, contrarium omninò apparet: nimirum ex Metaphoricis hisce phrasibus, ceremonias hasce, ut in reliquis contigit, promanasse: quemadmodum quia athletis comparamur, 1. Corinth. 9. v. 24. 25. & dicimur luctam habere, non cum carne, & sanguine, sed cum Satana, Ephes. 6. v. 12 & uncti à Deo, 2. Corinth. 1. v. 21. & unctionem habere à Spiritu Sancto: propterea ut hæc adumbrarentur, veteres Patres baptizatos ungebant, tanquam athletas contra Satanam, carnem, & mundum: atque imitabantur verba illa Domini, Joan. 5. v. 14 *Iam sanus factus es, vide ne ampl ius pecces, ne quid deterius tibi contingat*; ut ex Chrysostomo colligere est. Sic quia in Vet. Testam. Israelitæ dicuntur à Jesu, hoc est Josua introducti in terram, lacte & melle manantem, quæ typus fuit cœlestis patriæ, in quem nos verus Jesus deducit: & quia, ut recens natis, sic regeneratis in baptismo fidelibus lac convenire dicitur 1. Corinth. 3. v. 2. Hebr. 5. v. 12. & 1. Petr. 2. v. 2. propterea lac, & mel à baptismo, Tertull. tempore, prægustabant, ut apparet ex libro de Corona militis. & contra Marc. lib. 1. Sic Hieron. in Esai. cap. 55. vers. 1. *Emite vinum, & lac, ait: lac significat innocentiam parvulorum: qui mos ac typus in occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum, lacque tribuatur: de quo lacte dicebat Paulus. lac vobis potum dedi, non solidum cibum; & Petrus, quasi modò nati parvuli rationale lac desiderate.* Hactenus Hieron. Hæc de vers. 11. & carnis mortificatione, primo videlicet regenerationis nostræ gradu, & initio. Alter verò est sepultura cum Christo: quæ nihil aliud est, quam mortificationis continuatio, & complementum. Verum quæri solet, qua ratione cum Christo consepulti dicamur, quandoquidem illius & nostræ sepulturæ, alia longè est ratio: ille enim mortuus est, & sepultus, carne, & corpore propriè, nos verò carne, & corpore, Metaphoricè? Quidam de imitatione sola exponunt, quod mors, & sepultura, sint typus & exemplar, quod debeamus imitari, quemadmodum Petri sententia hoc declarat 1. Epist. cap. 4. v. 1. Alii verò plenius interpretantur, mortem & sepulturam corporis Christi, non solum esse typum, sed etiam causam spiritualis mortis, & sepulturæ corporis peccatorum, carnis, seu veteris hominis nostri: quemadmodum utrumque exponitur, Roman. 6. v. 3. 4. 5. quo loco sanctificatio nostra statuitur, & finis, & imitatio mortis, & sepulturæ Christi. Ac sanè Christus, mortis suæ merito, carnem nostram mortificat, bifariam: primum quatenus caro culpa est: deinde quatenus pœna primi peccati, quod in Adamo admisimus: nam Christus sua satisfactione, & remissionem omnis culpæ, & abolitionem omnis pœnæ, & spiritum adoptionis, ac sanctificationis, pace facta cum Deo, nobis est promeritus. Quare peccatum originis, tum quà pœna; tum quà culpa, Christi mortis, & sepulturæ (quæ mortis continuatio) merito intercedente, tollitur. Hæc autem sepultura carnis nostræ, baptismo signatur & obsignatur: nam in aquam immersio, & mora aliqua, mortem, & sepulturam veteris hominis adumbrant, & ex vi promissionis divinæ obsignant, & tanquam instrumentum beneficii Dei, & agnitionis officii nostri confirmant.

Tertius porrò regenerationis, & sanctificationis gradus, est resurrectio ad novitatem vitæ, seu novi hominis suscitatio: quæ morti Christi convenit, si meritum spectes, sed resurrectioni illius tribuitur, si applicationem consideres: nam resurrectio Christi, & typus est resurrectionis nostræ à peccato; & principium, ac causa illius: nam ut Christus mortuus est, propter peccata nostra: sic resurrexit propter justificationem nostram, Rom. 5. vers. 25. reipsa enim in Christo, tanquam in capite, & primitiis, per resurrectionem ipsius absoluti sumus: ac propterea vi illius spiritum regenerationis, & imaginem Dei, propter peccata amissam, recuperamus. Atque hujus resurrectionis nostræ cum Christo, non minus, quam mortificationis, & sepulturæ, typus, & causa instrumentalis remota, ac conservans, est baptismus: unde in eo sepulti dicimur, hoc loco: & baptismus lavacrum regenerationis vocatur, Tit. 3. v. 5. Causa verò instrumentalis propinqua, & procreans, est fides, per quam justificamur, & vi justificationis sanctificantur actiones nostræ, Rom. 5. v. 1. & 8. 9. 30. per mortificationem, & sepulturam veteris hominis, & suscitationem novi. Cœterùm fidei naturam, ab objecto suo præcipuo, describit; nimirum efficacia Dei, qui suscitavit Christum à mortuis, ut Rom. 4 v. 24. Ephes. 1. v. 19. Qua de re eleganter August. *Mortuum quippe Christum, & Pagani credunt: resurrexisse autem propria fides est Christianorum. Si enim confitearis, ait Apostolus, in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris* Hæc ille, contra Faust. Manich. lib. 16. c. 19. & similiter in Psal. 101. concione 2. Hæc autem Christi suscitatio, hoc in loco, Deo tribuitur, nempe patri, sine Filii, aut Spiritus Sancti exclusione: nam subordinata non pugnant: quia Pater corpus Filii suscitavit, per Filium, & Spiritum Sanctum. Hinc Christus hoc sibi vendicat, Johan. 2. v. 19. 21. & 10. 18. Spiritui verò Sancto ascribitur, Rom. 8. 11. & alibi, quia opera essentiæ divinæ communia sunt tribus personis. Hæc de vers. 12.

Porrò hanc spiritualem nostri, cum Christo, resurrectionem, aliis verbis repetit Apostolus, & descriptione gravi declarat, cum ait: *vosque mortuos in peccatis, & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit.* In quo loco resurrectionis termini, primus, & ultimus, seu, ut vulgo loquuntur, à quo, & ad quem, donotantur. Prior, est *mors in peccatis & præputio carnis*. Mortis autem nomen, metaphoricè significat interdum separationem hominis à pace cum Deo, & vita æterna; quomodo Theodor. & Chrysost. hanc sententiam exponunt: interdum verò causam illius notat, nempe separationem hominis à justitia Dei, quæ spiritualis quædam vita est, 1. Timoth. 5. v. 6. quemadmodum & hoc in loco, ut scopus, & circumstantiæ illius ostendunt. *Præputium verò carnis*, quidam propriè accipiunt, non quod causa fuerit, sed signum mortis, ut Ephes. 2. v. 4. alii verò figuratè, de præputio cordis, Deuter. 10. v. 16. hoc est, de naturæ vitiositate, seu peccato originis, interpretantur: ut caro, non corpus, sed veterem hominem, notet, ut antea: sic Theodor. & August. apud Bedam: *præputium*, inquit, *vocavit, quod significatur præputio, hoc est, delicta carnalia, quibus exspoliandi sumus.* Utraque pia, & apta sententia est: sed posterior videtur magis accommodata; præsertim, quia vers. 11. *carnis* vox, eodem sensu, usurpatur. deinde quia durius videtur, si dicerentur Ethnici mortui, externo præputio: cujus præcisio, neque in Vet. Testam. in iis, necessariò requirebatur: neque in Novo ullo modo, Galat. 5. v. 6. de quo tempore agit Apostolus, nempe non de statu Colossensium antiquo, ante Christum exhibitum: sed de recenti, post Christi adventum, & promulgationem Euangelii, cùm nondum crederent. Atque hic terminus primus est. Ultimus verò est, *vita*, quæ illi morti, ex adverso,

verso, respondet. Nam *vivificationis* voce regenerationem, & renovationem vitæ intelligit Apostolus, ut in simili loco, Ephes. 2. v. 1. 5. Hactenus de regeneratione seu sanctificatione nostra, prima nimirum circumcisionis spiritualis parte: altera verò est justificatio, quam indicat cum ait: *condonatis omnibus peccatis*. Hæc autem condonatio, in baptismo, quoque facta dicitur, ut regeneratio: quia utriusque signum, & sigillum est: unde, non solùm lavacrum regenerationis dicitur Tit. 3. v. 5. sed etiam ablutio peccatorum, Actor. 22. v. 16. & Marc. 1. v. 4. Atque hæc de versu 13.

Cæterùm hæc peccatorum remissio describitur, à causa impulsivâ, Christi crucifixionis merito, quo & chirographum sublatum, & Satanas devictus. Verùm quid *chirographum* hîc significet, varia est eruditorum sententia. Quidam enim de chirographo Dei interpretantur; sed diverso modo; nempe, ut vel comminationem illam Dei notet, quâ Adamum compellavit: *quocunque die comederis*, &c. vel legem moralem, & decalogum, qui digito Dei fuit scriptus: ideoque chirographum dici potest. Nam quamvis à legis obedientia (quæ Deo, ut summo bono; & deinde, ut creatori benefico, à creatura rationali necessario debetur) non simus liberati: abrogata tamen est maledictio, quæ cruci affixa: atque has duas interpretationes adducit Chrysost. Alii verò non de chirographo Dei, sed nostro, variè interpretantur. Quidam enim intelligunt illam, velut propria manu, & propria voce, factam ab Israelitis, confessionem, quâ dixerunt ad Mosen, Exod. 24. *omnia quæcunque dixit Deus, faciemus*, &c. quæ tertia Chrysost. quoque interpretatio est: quam Theodoretus ea ratione refellit; quod illud erat Judæorum chirographum, non omnium hominum. Quare secundò, ipse (sed alienius) ait, corpus nostrum appellari chirographum, quod vario membrorum ejus abusu, quasi scriptis quibusdam, nos debitores constituerimus. Ambrosius verò, aut quisquis, sub Ambrosii nomine, commentarios in Epistolas edidit, peccatum quod Adæ prævaricatione ortum est, exponit. Nonnulli de conscientiæ testimonio, quo peccati accusamur, & maledictio legis obsignatur. Optimè verò Calvinus, & Beza, de circumcisione, & totâ ceremoniali lege, interpretantur.

Primùm enim agit de chirographo peccatorum & debitorum nostrorum, ut ex vers. antecedente apparet: ac propterea non Dei, sed nostrum chirographum intelligitur, quo nos debita contifemur, & ad solutionem obligamur: quod ceremoniis legalibus optimè convenit; quia illis, primùm miseria nostra, deinde futura, per Christi mortem, liberatio adumbrata: quemadmodum complementum hujus liberationis præstitæ, Nov. Testam. sacramentis, tanquam apochâ divina, obsignatur. Nam circumcisio, ablutiones legales, sacrificia, & similes ritus, à Deo instituti fuerunt: primùm, ut debita, seu peccata nostra adumbrarent; ac docerent, nos corde esse incircumcisio, & impuro: deinde pro peccatis, nondum fuisse satisfactum; sed λύτρον adhuc persolvendum: ut graviter, & eleganter hæc res, ab Apostolo, demonstratur Hebr. 9. v. 7. 8. 9. 10. & 10. 1. 2. 3. 4. deinde ceremoniæ quoque ejusmodi institutæ sunt: ut promissionem, de semine Abrahami venturo, & benedictionem omnibus gentibus allaturo, significarent, & obsignarent, seu, quasi sigillo munirent: quæ benedictio sita est, primùm in merito satisfactionis Christi pro nobis: qua, patefactus in carne, legem servavit, & animam suam dedit λύτρον seu *redemptionis pretium*, pro multis, Matth. 20. v. 28. Deinde benedictio sita est, in efficacia perpetua; qua fideles, inde ab initio mundi, meriti sui participes fecit: quemadmodum circumcisio dicitur signum, & sigillum justitiæ fidei, nempe in Christum venturum, Roman. 4. v. 11. & Genes. 15. vers. 4. 5. 6. & ceremoniæ reliquæ Christi adventum, ejusque meritum, & efficaciam obsignabant, ut Epistola ad Hebr. copiose declarat. Quamobrem, qui, ex instuto Dei, circumcisione, & cæteris ceremoniis legalibus utebantur, reipsa obsignabant, quasi chirographo suo, ea ipsa, quæ divinitus illis signabantur, & obsignabantur: quia mutua erat obsignatio. Quemadmodum enim Spiritus Sanctus obsignat in cordibus nostris promissiones divinas, 2. Corinth. 1. v. 22. & Ephes. 1. 30. & Christum Pater obsignavit, Joan. 6. vers. 27. sic, qui in Christum credit, vicissim obsignat veritatem Dei, Joan. 3. v. 33. nam Sacramenta sunt sigilla fœderis gratiæ, ideoque & beneficii divini, seu gratiæ Christi, & officii nostri, seu gratitudinis debitæ: quorum illud, Deus promittit, hoc verò à nobis exigit: nos verò beneficium amplectimur, verâ fide; & officium, ex beneficio debitum, spondemus, veræ fidei, & charitatis actionibus. Quatenus igitur, pro peccatis nostris, merito Christi, in Vet. Testam. nondum erat persolutum supplicium debitum; ceremoniæ eatenus, tanquam chirographum debitorum nostrorum, probarunt, solutionem esse debitam, non peractam. Atque hanc chirographi expositionem, scopus quoque Apostoli demonstrat: disputat enim adversus circumcisionis, & ceremoniarum legalium (quas elementa mundi vers. 8. hoc est, rudimenta vocavit) observationem: docens, eas, à Christo, justissimo, ac perfectissimo rei adumbratæ complemento, abrogatas. Præterea conclusio hujus argumenti, versibus sequent. subjecta, idem ostendit, & verba conjuncta, quibus chirographum declaratur: Apostolus enim ait, *Chirographum* ἐν δόγμασι, hoc est, *decretis ritibus situm*, per Synecdoc. generis pro specie. Nam quod Chrysost. *dogmata*, exponit fidem; & Theodoretus doctrinam fidei, Euangelium, &, cum verbo *delevit*, construunt, alienius est: nam decretos ritus, eâ voce, notari, ostendit Paulus, versu 20. 21. & loco simili, Ephes. 2. v. 15. quo Christum legem mandatorum, quæ in dogmatis (hoc est Synecdoc. decretis ritibus) posita erat, abolevisse testatur. Quare ceremonias legales (quia, pro peccatis nostris, nondum, ante Christi adventum, ac mortem, satisfactum, obsignabant) chirographum nempe debitorum nostrorum, & nobis adversum, appellat Paulus; & solutionem illius, insigni figurarum incremento, describit. Nam in proposita chirographi materiâ persistens, dicit: Christum primùm id *delevisse*; deinde *cruci affixisse*, in qua pro nobis satisfecit, & *dedit semetipsum* ἀντίλυτρον *pro omnibus*, 1. Timoth. 2. v. 6. ad abolitionem peccati, Heb. 9. v. 26. *æternam* λύτρωσιν *redemptionem nactus*, Hebr. 9. v. 12. Tertiò *addit*, Christum *sustulisse è medio*, nempe ratione necessitatis, in cultu divino; & usus in significatione, & obsignatione debitorum. Unde Paulus adversus pseudo-apostolos, qui ceremoniarum necessitatem, & usum revocabant, & salutem iis etiam tribuebant, ait: *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, Gal. 5. v. 2. nam chirographa, non habent vim, nisi durante debito; quo persoluto, tolluntur è medio: sic etiam ceremoniæ legales, Christi solutione pro nobis non exhibitâ, viguerunt, ut sancta, & vera Dei decreta, & Ecclesiæ chirographa: sed Christo jam exhibito, qui pro nobis plenè satisfecit, sine summa injuriâ in Dei institutum, & rei veritatem, ac Christi meritum, revocari, ad veterem cultum, & usum, non possunt. Nam quamvis Paulus Timotheum cricumciderit, Actor. 16. 3. & purificaverit se in templo, Actor. 21. & Apostoli à sanguine & suffocato abstinendum decreverint, Actor. 15. vers. 29. non propterea tamen chirographum revocarunt: quia ad tempus, donec Judæis confirmatum satis esset Euangelium, in gratiam infirmorum, alia omninò mente ceremoniis usi sunt: non ut eas esse necessarias, ad cultum Dei, & ad salutem, docerent; sed ut ostenderent, se eas non rejicere ut sacrilegas: ac propterea, cum usu temporali liberò, veritatis confessionem conjungebant, Actor. 21. vers. 24. & cùm usus esset, iis constanter abstinebant, Galat. 2. 3. 4. 5. Qua de re, plura August. epist. 19. ad Hieronym. Itaque veterum Patrum notanda est superstitio, qui temporale, Apostolorum, de sanguinus, & suffocati abstinentia, præceptum, promulgato jam, satis superque, Euangelio, templo everso, & Judæis, diuturnæ contumaciæ adversus Euangelium, plenissimè convictis, nihilominus retinendum, statuebant, adjectâ, in contemptores legis, excommunicationis pœnâ; ut apparet, inter cætera, ex Concilio Constant. 6. can. 27.

Hæc de vers. 14. & primo meriti Christi, in cruce, effecto,

sto, nempe, chirographi peccatorum abolitione. Alterum verò est de Satanâ, & Angelis illius (quos per Synecd. generalibus vocibus, *imperia, & potestates* nominat) victoriâ: quam v. 15. insignibus Metaphoris, declarat, cùm potestatem Satanæ, ferculis, seu exuviis; & crucem, feretro comparat, quo exuviæ illæ, quasi in triumphali pompâ traductæ, & ostentatæ sunt. Huc pertinent sequentes loci, Luc. 11. 22. Joan. 12. 31. 32. & 14. 30. & 16. 11. Coloss. 1. 13. Hebr. 2. 14. & 1. Joan. 3. 8. Atque hactenus confirmationis specialis, (quâ dehortationem, à pseudo-apostolorum corruptelis, comprobavit) antecedens. Sequitur nunc conclusio gemina, novis confirmata argumentis. Prior est adversus postremam corruptelam, nempe ceremoniarum legalium necessitatem: quas, inductione quadam specierum præcipuarum, declarat: nam elementa mundi, de quibus vers. 8. egit Apostolus, hoc est, rudimenta priscæ Ecclesiæ Judaicæ, exponit: partim ciborum, & potus delectu: partim festorum Judaicorum (quæ in festa solennia; deinde *Novilunia*; & *Sabbatha* distinguit) observatione, vers. 16. Hanc autem conclusionem confirmat Apostolus à ceremoniarum usu: quia fuerunt *umbra rerum futurarum*: cujus umbræ *corpus*, hoc est, complementum adumbratum, est *Christus*: ac propterea ad Christum tantùm durare debuerunt, vers. 17. Sed objicitur à Judæis, ceremonias vocari *pactum seculi*, hoc est, perpetuum, Exod. 31. 17. Levit. 24. v. 3. Numer. 18. 19. Verùm respondetur, pactum esse perpetuum, non absolutè; sed relatè, usque ad Christum: nam עולם *seculum*, variè accipitur: generatim enim tempus longum, ac continuum significat, quasi occultum, à radice עלם id est, *occultare*. Hinc primùm, *seculum* notat tempus infinitum: idque vel simpliciter, ratione utriusque termini, quod initio, & fine caret; sic Deus æternus dicitur, & vivere in seculum: vel secundùm quid, ratione termini ad quem, seu quod fine caret; sic animæ nostræ æternæ sunt, & in seculum vivent. Secundò significat tempus finitum, & spatio aliquo terminatum: idque vel tempus vitæ alicujus ad mortem, 1. Samuel. 1. v. 22. & 27. 12. vel tempus ad Jubilæum, Deutr. 15. 17. vel ad Christi adventum; quâ ratione ceremoniæ legis dicuntur duraturæ in seculum: nam abolitio earum, adventu Messiæ futura, apertè prædicitur, Daniel. 9. v. 27. Jerem. 31. 31. ut Herb. 8. 8. demonstratur. Sed contra excipiunt adversarii, Sabbathum saltem debere esse perpetuum: primum, quia præcipitur lege morali, quæ æterna voluntatis, & cultus Dei, regula. Sed Christiani respondent Judæis: Sabbathum æternum esse ratione substantiæ, hoc est, partim ratione rei significatæ, quæ est cessatio à peccatis, Esai. 56. 2. & 58. 13. Exod. 31. v. 13. & quies æterna in Deo, Esai. 66. 23. Hebr. 4. 9. partim ratione scopi, qui erat ministerii conservatio: abrogatum autem ratione ceremoniæ, & geminæ circumstantiæ, quiete externa rigida; deinde observatione septimi illius diei definiti: quo modo appendix erat legis moralis, ad populum Judaicum solum pertinens. Sed rursus alia instant via: legem ante Mosen datam, esse immutabilem. Verùm id negatur, quia experientia confutari potest: circumcisio enim Abrahamo præscripta, & sacrificia inde ab initio viguerunt, quæ tamen abrogata jam sunt. Quare illa mandata, quæ ante Mosen posita, causam habuerunt necessariam, illa sunt perpetua: reliqua verò, cessante causa, etiam cessant. Circumcisio enim data fuit Abrahamo, ut obsignaret fœdus gratiæ de Christo, Servatore omnium gentium, hoc est, omnium fidelium totius mundi: ideoque, exhibito Christo, cessare debuit; alioqui prophetia esset falsa, quæ signis circumcisionis proposita erat. Denique, quod plurimum habet coloris, objiciunt hoc modo: Id, quod ante lapsum, à Deo mandatum est, illud est perpetuum. Atqui Sabbathum, de quo Apostolus hic agit, ante lapsum à Deo mandatum est. Ergo illud saltem est perpetuum. Verùm præterquam quod propositio falsa est & mandato arboris vetitæ refutatur; etiam negatur assumptio: nam Moses in Genesi cap. 2. tradit causam, cur Deus mandarit institutionem Sabbathi, tum temporis factam, cum hæc scriberet Moses in deserto; non autem quid initio mundi Deus sanxerit ac præceperit; quemadmodum etiam Tertullianus, Just. Mart. aliique veteres, & recentiores Theologi disertè testantur, Sabbathum Judæorum, neque ab Adamo, neque ab Abrahamo, neque à Noacho observatum. Sed instant rursus: Illud cujus causa perpetua est, etiam perpetuò servari debet. At verò Sabbathum est hujusmodi: quia est signum creationis mundi sex diebus; & quietis divinæ, die septimo: unde Sabbathum, id est, quies dicitur, & Dei, & officii hominum ratione, Genes. 2. v. 3. quæ ratio observationis in Decalogo adducitur, Exod. 20. v. 11. Sed respondetur, propositionem non esse absolutè veram: sed tantum de iis, quæ necessaria, ac merè moralia sunt, quorum notitias, in creatione, menti humanæ impressit Deus: Sabbathi autem institutio non est hujusmodi; sed ceremonia tantùm externa: deinde illud cujus ratio est perpetua, perpetuò observandum est, nempe si ratio sit necessaria, non libera, seu quæ non à natura Dei, sed à voluntate ipsius libera dependet, ut Sabbathi observatio: denique observandum etiam est, nisi alia ratione, ex Dei instituto, ad alium etiam usum restringatur: quemadmodum Sabbatho (quod factum est umbra gratiæ Christi, id est, quietis nostræ à peccato, & pœna illius, Christi merito) evenit, vers. 17. Atque hæc, de prima conclusione, quam adversus elementorum mundi observationem, ex confirmatione antecedenti deducit Apostolus. Altera verò, adversus inanis Philosophiæ corruptelam, succedit: quam exemplo declarat; & solidis argumentis, ab ea dehortatur. Corruptela autem est, ex animi demissione, cultus Angelorum. Quem locum elegantissime exposuit Theodoretus: *Qui legem*, inquit, *defendebant, eos etiam, ad Angelos colendos, inducebant, dicentes: fuisse legem, per eos, datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodicææ, quæ est Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem, licet videre apud illos, & eorum finitimos, Oratoria Sancti Michaëlis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum, nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: & oportere per Angelos, divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc autem dixit in humilitate & cultu Angelorum.* Ex quibus Theodoreti verbis, observatione dignissimis, apparet Bartholomæi Caranzæ fraus, qui in summa conciliorum, in Concilio Laodiceno Can. 35. vocem *Angelos*, in *angulos* detorsit; quo loco, reipsa, Pontificiorum Angelo-douleia perspicuè refutatur: nam quod Bellarminus de Ecclesia Triumphante lib. 1. cap. 20. excipit: concilium non damnare quamlibet venerationem Sanctorum, sed eam, quæ Deo propria est: idque probat, quia vocatur idololatria: ad illud, inquam, respondetur: damnari venerationem religiosam Angelorum; quia, tanquam Mediatores, & templis & invocatione honorabantur, ut ex Theodoreto perspicuè apparuit: quæ veneratio meritò, à Concilio, vocatur idololatria: quod Jesu Christi Domini, & Mediatoris nostri gloria, hac ratione, injustè ad Angelos traheretur. Ac propterea Concilium non ait: derelinquens Deum; sed derelinquens Dominum nostrum Jesum Christum. Deinde verba Theodor. quæ adduximus, idem omninò demonstrant: quemadmodum & Photius, apud Oecumenium, hunc Pauli locum exponit: *simulatione*, inquit, *modesti animi, prohibebant ipsos, per gratiam Christi accedere, quasi tantis digni non essent, & quod Angeli obsecrandi essent, ut nos ad Deum adducerent.* Sed, ad locum Theodoreti obscurandum, excipit Bellarminus. *Quod*, inquit, *Theodoretus dicit de oratoriis S. Michaëlis, duobus modis potest intelligi: uno modo, quod velit dicere hæreticos ædificasse oratoria Sancto Michaëli, ut eum ibi colerent, secundùm hæresin Simonis, ei sacrificando.* Verùm hæc prior Jesuitæ responsio, verbis Theodoreti, non convenit: quandoquidem, de sola templi dedicatione, & invocatione Angelorum, verba facit. Deinde, si Angelos, tanquam minores Deos, Phrygii coluissent, eisque sacrificassent (ut adversarius

ſarius opinatur) profectò non ſiluiſſet hanc, tam craſſam, idololatriam Apoſtolus: nec inanem deceptionem, paralogiſmos, ſermonis probabilitatem, hunc tam apertum Judæis & Chriſtianis errorem appellaſſet. Quare Bellarm. huic reſponſioni diffidens, alteram interpretationem comminiſcitur: quod nimirum Theodoretus ſignificare voluerit, templa ab hæreticis extructa, ad ſacrificandum malis Angelis, eſſe converſa à Catholicis, in oratoria Sancti Michaëlis. Sed hæc interpretatio multò ineptior: nam ut alii Patres; ſic Theod. apertè docet, bonos Angelos, per quos lex lata, ab hæreticis fuiſſe cultos, & ejus veſtigium eſſe oratoria Sanct. Michael. quæ, non tum primum inſtituta tantum, ſed in hodiernum uſque diem extare, affirmant. Deinde ſi pſeudo-apoſtoli docuiſſent malos Angelos, hoc eſt, dæmones, eſſe colendos, nulla eorum, in tam apertâ impietate, atque impudenti, apud Chriſtianos, opus fuiſſe refutatione. Quare ineptum omninò eſt Bellarmini effugium. Cœterùm hunc Angelorum cultum, humilitatis ſpecie fucatum, cavendum eſſe, concludit Apoſtolus, graviſſimis argumentis. Quorum primum incluſum eſt verbo καταβραβευέτω. de quo Heſychius: βραβεύει, διακρίνει, hoc eſt, *dijudicat*: item καταβράβεται (legendum καταβραβεύεται) κατακρίνεται, καταγωνίζεται, *condemnat*, *in certamine vincit*, Sapient. 10. 12. καὶ ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ id eſt, *& certaminis validi præmium ei dedit*. item βραβευέτω, Coloſſ. 3. v. 15. *ſit moderatrix*, hoc eſt, *imperet*, per Metaphor. Cœterum Photius, apud Oecumenium, interpretatur vocem καταβραβευέτω, κατακρινέτω, id eſt, *condemnet*, ut conveniat cum verſ. 16. cui ſententiæ alii expreſſiùs addunt, *condemnet tanquam certaminis judex*; ut in ſimilitudine lateat argumentum; quod qui Angelorum cultum docebant, id quod Dei proprium eſt, nempe jus conſcientias religione obligandi, ſibi imperioſe arrogarent. Alii verò non ſimpliciter in condemnatione, aut arrogantia illa argumentum ſtatuunt: ſed in injuſtitia, quemadmodum Theodoretus βραβευτὰς, inquit, *appellant judices eorum, qui decertant: hi enim victoribus victoriæ calculum præbent*. καταβραβεύειν verò, eſt βραβευτοῦ *malè fungi officio, & quæ victori debentur præmia, injuſtè tribuere*: & Chryſoſtom. ait, καταβραβευθῆναι γάρ ἐστι, ὅταν παρ' ἑτέρων μὲν ἡ νίκη ᾖ, παρ' ἑτέρων δὲ βραβεῖον, hoc eſt, καταβραβευθῆναι, *eſt ſeu ſignificat cum apud alios quidem victoria eſt: apud alios verò præmium*: ſed alii interpretantur generatim *brabiis*, vel *præmiis fraudare*; ut injuſtitia adverſariorum, & damnum, quod inferebant, ſignificetur. Quâ ratione, non inconcinnè, quidam hanc ſimilitudinem ita exponunt, ut curſores ſint Chriſtiani; ſtadium, in quo currunt, ſit doctrina religionis Chriſtianæ; pedes, quibus in hoc ſtadio curritur, fides, & charitas; meta, ubi finis curſus, mors in Chriſto; βραβευτὴς ſeu judex Deus & Chriſtus: brabium verò & prœmium, ad quod apprehendendum curritur, ſit vitæ æternæ corona immarceſcibilis, 1. Petr. 1. verſ. 4. quo præmio curſores fraudentur, vel iniquitate judicis poſt curſum legitimè peractum, vel ab aliquo, impedimentis in ipſo curſu, objectis, quibus vel labatur, aut deficiat curſu; vel à recta meta abſtrahatur, & aberret. Quæ interpretatio videtur, ſalvo meliori judicio, commodè adhibita, Pauli inſtituto convenientiſſima: & verbo antecedenti, verſ. 8. *videte, ne quis ſit, qui vos deprædetur*: & ſimilibus locis egregiè illuſtratur, 1. Cor. 9. 24. 25. Galat. 5. 7. 1. Timoth. 6. v. 12. 2. Timoth. 2. v. 5. & 4. 7. 8. Hebr. 12. 13. Apocal. 3. 11. Quanquam, eodem manente ſenſu, brabium intelligi poteſt, de præmio non ſolum curſus; ſed etiam reliquorum certaminum, quibus Chriſtianorum conditio, in hac vita, declaratur: quemadmodum Chriſtiani non ſolum curſoribus; ſed etiam athletis, luctatoribus, & pugilibus meritò comparantur, 1. Corinth. 9. verſ. 26. Epheſ. 6. v. 11. 12. nam arena, in quâ decertatur, eſt vita Chriſtiana; antagoniſtæ ſunt caro intus; mundus, & princeps illius diabolus foris: armatura verò ea eſt, quæ deſcribitur, Epheſ. 6. v. 13. & 1. Theſſal. 5. v. 8. munerarius, & certaminis judex eſt Chriſtus: brabium, ſeu præmium, eſt vita æterna. Atque hæc quidem de primo Concluſionis argumento. Alterum verò eſt, quod adverſarii, ſuâ doctrinâ, *pedem inferrent in ea, quæ non viderant*, hoc eſt, quod ſua commenta, tanquam oracula, proferrent. Qua ratione, ſcientiæ larvam, adverſariis detrahit Apoſtolus: quemadmodum & humilitatis fucum, argumento tertio: quo cauſam temeritatis illius eſſe docet, ſuperbiam carnis. Quam ut acriùs pungat, ſimilitudine eleganti, flatui comparat, *Inflati*, inquit, *mente carnis ſuæ*, hoc eſt, opinionis corruptæ naturæ fiduciâ tumidi: nam mentem carnis, hîc, appellat Apoſtolus, quod Roman. 8. verſ. 7. φρόνημα τῆς σαρκὸς *cogitationem carnis*. Porrò huic tertio argumento, quod verſ. 18. continetur, adjicitur quartum, verſ. 19. quo Apoſtolus demonſtrat, adverſarios ſuos, doctrina ſuâ, de cultu Angelorum, eſſe in Chriſtum injurios; quod eum, pro capite ſuo non agnoſcerent: non quod Chriſtum penitus abnegarent; ſed quod mediatoris officium, & virtutem ad Angelos derivarent. Idque confirmat deſcriptione unionis Chriſti, cum Eccleſia; & ſalutis, quam Eccleſiæ donat: perſiſtens in ſimilitudine conjunctionis efficacis, capitis cum ſuis membris: nam ut à capite nervi (quibus corpus cum capite, & membra inter ſe, compinguntur) & motus, ac ſenſus, promanant: ſic à Chriſto, virtute ſpiritus ipſius, unio, & incrementum ſalutare Eccleſiæ, in fide, & charitate poſitum, promanat: quod Apoſtolus vocat *augmentum Dei*, hoc eſt, quod Deus exigit, ac probat, ut quidam volunt, aut potius, quod Deus operatur, ut alii interpretantur. Similis omninò locus eſt Epheſ. 4. verſ. 15. & 16. Atque hactenus, ſpeciatim, poſtremam, & primam etiam pſeudo-apoſtolorum corruptelam, confutavit Apoſtolus. Nunc denique ſecundam quoque, nempe traditiones Phariſaïcas, & humana commenta refellit. Conſtat autem refutatio hæc, propoſitione, quam concludit, & argumentorum confirmatione. Illa eſt, quod *ritibus*, aut dogmatis humanis, *non ſint onerandi*. Quam ſententiam proponit Apoſtolus, ad majorem rei emphaſin, interrogationis forma; & deinde exponit mimeſi quadam, ſeu imitatione orationis, quæ adverſarii ſua dogmata humana proponebant, v. 21. Nam quod quidam id propriè, ex Pauli mente prolatum, interpretantur, omninò alienum eſſe, ſcopus Pauli, & circumſtantiæ evincunt. Confirmationis verò argumentum primum, ex tertiæ corruptelæ refutatione; petitum eſt, comparatione à majori: *quia mortui cum Chriſto, eſtis liberi ab elementis mundi*, ſeu à ceremoniis, olim rudi Eccleſiæ divinitus inſtitutis. Ergò multò magis ab humanis, verſ. 20. Secundum argumentum eſt, quia traditiones illæ verſantur, in rebus merè caducis, quæ ab uſu pereunt, hoc eſt, quæ uſu abſumuntur: ideoque ad regnum Dei per ſe non faciunt, Matth. 15. 11. Roman. 14. 17. & 1. Cor. 6. 13. Cœterum quia objici poterat, nihilominus ſimilia, de rebus fluxis, dogmata, in Vet. Teſt. ad cultum Dei inſtituta: idcirco tertium ad hoc magis firmandum adducit Apoſtolus; cùm diſcrimen oſtendit, ac docet hæc pſeudo-apoſtolorum decreta, non à Deo, ſed ab hominibus præſcripta; ac propterea ut Eſai. 29. v. 13. & Matth. 15. v. 9. & Tit. 1. v. 14. docetur, *fruſtra iis Deum coli*, v. 22. Denique verſu ultimo, occupatione gravi, objectionem diluit Apoſtolus. Cujus loci duplex eſſe poteſt interpretatio, nimirum vel per reticentiam, hoc ſenſu: *Hæc quidem rationem habent*, ac ſpeciem *ſapientiæ*; ſed non veritatem, & rem ipſam: quo modo ſapientiæ ſpecies, ſuis partibus, declaratur, *cultu voluntario*; deinde cauſa illius, *demiſſione animi* fucata; denique cultus voluntarii modo, nimirum *corporis afflictione*, qua nullus illi *honor*, hoc eſt, cura, *ad expletionem*, hoc eſt, ſatietatem neceſſariam exhibetur: quemadmodum, cùm jejuniis & aliis modis, ſuperſtitioſi ſe affligunt: nam Deus non ſimpliciter corporis curam damnat; ſed immodicam, quæ voluptatibus inſervit, Roman. 13. verſ. 14. Si quis verò objiciat, quod expletio, ad moderatam ſatietatem, referri nequeat; obſtat primum ſcripturæ uſus, Luc. 1. 53. *eſurientes implevit bonis*: & Joan. 6. verſ. 12. *ut repleti ſunt*. Accedit etiam bonorum authorum

usus: sic enim Lucianus tomo 2. epistola Saturnalium secunda, distinctè ait: *τὴν ἄγαν πλησμονὴν*, *immodicam expletionem*, ut aliam modicam esse doceat: & ibid. epistola prima, vox *ἐμπεπλησμένοι impleti*, in bonam partem, accipitur, de satietate non vitiosa. Alii nihilominus hunc locum per ellipsin geminam, cum interprete nostro, exponunt. Mollior tamen, magisque expedita videtur prior interpretatio: quemadmodum etiam, laudata illa versio Gallica postrema eandem retinuit.

Consectaria.

I. Fidelium Euangelii ministrorum officium est, primum, adeo Ecclesiam amare, ut non levia solum, sed etiam gravissima, cum opus est, certamina, pro ea sustineant.

II. Deinde, ut non solum præsentium, sed etiam absentium, & ignotorum, pro virili, salutem promoveant.

III. Denique ut animo, & opere amare debent Ecclesiam Dei; sic eundem amorem, modò absit ambitio, liberè, & modestè verbis, aut scriptis possunt profiteri, ad Ecclesiæ ædificationem, v. 1.

IV. Pastorum Ecclesiæ, ut etiam aliorum fidelium, in persecutionibus, constantia, ad Ecclesiæ consolationem in adversis, & confirmationem in vera fide, & charitate, utilissima est.

V. Cum vera consolatio, & spes, ex fide & charitate oriantur: sequitur ex religione Christiana, veram consolationem esse hauriendam.

VI. Charitas est Ecclesiæ compages: ideoque curandum est, ne scismate, aut odio violetur.

VII. Cum fides sit *πληροφορία*: errant graviter, qui eam, cum opinione, confundunt.

VIII. Cum Euangelium sit mysterium Dei: orandus est Deus, ut illud nobis magis magisque patefaciat, v. 2.

IX. A Christo omnis salutaris sapientia haurienda est, & in eo, tanquam thesauro, acquiescendum, v. 3.

X. Nulli facilius, à veritate, ad errores, seducuntur, quàm qui Christi præstantiam non satis observant.

XI. A doctrina Euangelii, tanquam recta via, nulla ratione, quamvis maxime probabili, ac speciosa, declinandum est, v. 4.

XII. Charitas, corpore absentes, animo præsentes facit: ac propterea tanquam vinculum, & compages fidelium, seriò colenda est.

XIII. Ordo in Ecclesia cumprimis necessarius est, & laudabilis: ac propterea omnis *ἀταξία* seu *recti ordinis perturbatio*, omninò fugienda est.

XIV. Fidem veram, rectitudo, & soliditas, à falsa, distinguunt. Recta est, cum solum Christum sequitur ducem; solida, cum illi constanter innititur.

XV. Ubi ordo, & soliditas fidei vigent, ibi agnoscenda est Ecclesia, illique ex animo gratulandum, v. 5.

XVI. Christus propriè fundamentum est Ecclesiæ, cui fide superstrui nos decet: ac propterea, sine blasphemia, is honor, ad Petrum transferri nequit, nedum ad Papam Romanum.

XVII. Laborandum est, ut fides in nobis augeatur.

XVIII. Deo, pro fide nostra, perpetuò agendæ sunt gratiæ: ac propterea peccant graviter in veritatem Dei, qui fidem, Dei donum esse negant. Peccant etiam in charitatem Dei, & justitiam, qui gratias, pro donata fide, Deo debitas, agere negligunt, v. 7.

XIX. Falsi doctores, tanquam prædones perniciosi, omnibus accuratè cavendi sunt: utqui non solùm infirmorum, sed etiam firmiorum libertati, & saluti insidientur.

XX. Cum inanis Philosophia nobis fugienda sit, rectè sanè judicant illi, qui Scholasticorum doctrinam, ut in multis non inutilem agnoscunt: sic in plerisque tamen, non ut veram Theologiam honorant, sed tanquam *ματαιολογίαν* & fœdam Theologiæ deformationem, aversantur: utpote quæ, in rebus sacris, aut falsa Philosophiæ corruptæ principia pro veris usurpat: aut, ex veris, & malè accommodatis principiis, falsas consequentias nectit.

XXI. Contrà imperitè, & iniquè faciunt Anabaptistæ, aliique nonnulli, dum ex iis, quæ peculiariter, adversus Philosophiæ abusum, ab Apostolo statuuntur, verum Philosophiæ usum prorsus condemnant.

XXII. Cum traditiones humanæ, in religione Christiana, sint inanis deceptio, & falsorum doctorum, (quibus incautos deprædantur) instrumenta. Errant graviter, primum Pontificii, qui ferè proram, & puppim religionis suæ, in iis, collocant. Deinde & illi, qui humanis illis commentis se falli, ac capi patiuntur.

XXIII. Cum ceremoniæ legales, fuerint elementa, seu rudimenta mundi, ante Christum, perperam jam, adulta, post Christum, Ecclesiæ ætate, eædem, à Pontificiis, ex parte, in usum revocatæ sunt, ut, ex Rationali divinorum officiorum Durandi, apparet.

XXIV. Christi doctrina, fidei & cultus Dei norma est, à cujus simplicitate declinatio, errorum causa est, piisque omnibus fugienda. v. 8.

XXV. Errant Ariani, qui Christum unum, æternum, & æqualem cum Patre Deum, negant v. 9.

XXVI. Cùm salutis plenitudo à Christo promanet: Errant, bifariam, Pontificii, & alii nonnulli, qui à seipsis, vel aliunde, salutem petunt, ut Jerem. 2. 13.

XXVII. Cùm Angeli commune nobiscum caput, ac Dominum habeant, Christum; sequitur eos esse conservos nostros: ac propterea minimè adorandos, ut Apoc. 19. 10.

XXVIII. Cum Christus sit omnium Angelorum caput, ille solus colendus est, ut administratorii illi spiritus nobis inserviant, v. 10.

XXIX. Cùm Christus nos intus circumcidat à peccatis; sequitur illum verum esse Deum, cujus, regeneratio, opus est proprium, v. 11.

XXX. Cùm baptismus non solùm circumcisio Christi appelletur; sed idem etiam, si substantiam spectes, obsignet nobis, quod olim Judæis circumcisio: sequitur rectè statui, adversus Anabaptistas, baptismum, in circumcisionis locum, successisse: ac propterea infantes, non minus esse in Nov. Testam. baptizandos, quàm in Vet. Testam. circumcidebantur: cum jam gratia Christi non sit angustior, quàm olim, vers. 11. 12.

XXXI. Cum baptismus regenerationis nostræ sit sigillum, cavendum est, ne in carnis servitutem, & mortem peccati, iterum relabamur: sed contrà laborandum, ut in novitate vitæ ambulemus, v. 12. 13.

XXXII. Cum Christus nos vivificârit, condonatis non paucis, sed omnibus peccatis: sequitur falsam esse Pontificiorum doctrinam, qui, pro quotidianis peccatis, post baptismum admissis, nobis satisfaciendum esse, hîc, vel in purgatorio, docent: v. 13.

XXXIII. Cum Christus chirographum debitorum, seu peccatorum nostrorum cruci affixerit, ac sustulerit: sequitur, Deum fideles castigare quidem posse, & erudire, tanquam patrem; sed non punire, tanquam judicem, cum in Christo, peccata nostra semel punierit, qui *λύτρον* persolvit, & chirographum debitorum delevit: ac propterea injurii sunt Pontificii, primò in Dei justitiam, quasi is peccata iterum, post plenam debiti solutionem, puniat, secundò in Dei, Christique amorem, ac si Christus non esset perfectus redemptor, nec spopondisset, ac satisfecisset pro omnibus debitis nostris, vers. 14.

XXXIV. Cum Christus, in cruce sua, de Diabolo, & Angelis ejus, triumphârit, non est, cur de victoria adversus Satanam, dubitemus; aut crucis Christi nos pudeat.

XXXV. Ciborum delectus omnis, in religionis negotio, sublatus est. Ideoque graviter, in Christianam Ecclesiæ libertatem, impingunt Pontificii, qui illos, quasi impios, condemnant, qui promiscuè, quovis tem-

tempore, carne, & similibus cibis, cum gratiarum actione, utuntur, v. 16.

XXXVI. Cum ceremoniæ legales fuerint umbra Christi: sequitur (quamvis usus earum, in observatione, sit sublatus) usum tamen permanere, in lectione, & comparatione cum eventu, in Christo, ad fidei confirmationem. Quare non malè fit, ut perperam Anabaptistæ quidam opinantur, quod scripta Mosis, de eo argumento, interdum, ad Ecclesię ædificationem, proponuntur, & exponuntur, v. 17.

XXXVII. Quamvis hæretici, seipsos salutis aliorum studiosos esse, jactent, aut fortè & opinentur, ab illa tamen, revera, seducere moliuntur.

XXXVIII. Quemadmodum athletæ, omnes exercitiorum difficultates, quibus ad certamina præparantur; & quævis certaminum pericula, spe victoriæ, licet incertæ, fortiter perferunt, ac certant, ne ea fraudentur: sic fideles, ad coronam cælestem, fretos promissionibus divinis, certa spe, decet contendere; ac providere, ne brabium, ac corona, ipsis, ulla ratione, eripiatur.

XXXIX. Non quævis animi, in religione, demissio, in cultu Dei probanda est: sed ea demum, quę ex vera fide, secundum verbi divini normam, & ad Dei gloriam dirigitur.

XL. Errant graviter Pontificii, quod ficta humilitatis specie, per Angelos, & Sanctos, ad Christum, & Deum contendunt: & contrà, temeritatis, & arrogantię, illos accusant, qui secundum Dei jussum & Christi invitationem, vera filiorum Dei libertate, rectà, per Christum, patrem accedunt, & invocant.

XLI. In fidei mysteriis, sobrietate opus est, ne de rebus cęlestibus, & ignotis, temere aliquid, ex opinione humana, definiamus; aut, quę Deus verbo suo noluit patefacere, curiosè scrutemur.

XLII. Quare vitanda est Dionysii illius, pseudo-areopagitę, audacia; qui, de choris Angelorum, ex opinione sua, ita distinctè disserit, ac si ex tertio cęlo cecidisset: ac propterea Scholastica Pontificiorum Theologia, quæ Dionysii dicta, tanquam oracula, amplectitur, & infinitis aliis quęstionibus, & definitionibus longius multò processit, meritò piis omnibus suspecta esse debet.

XLIII. Hæreses, non Spiritus Dei, sed carnis opera sunt.

XLIV. Verè, & eleganter ab orthodoxis Patribus dictum est, Hæresium matrem, esse superbiam, v. 18.

XLV. Qui alio, quàm Christo, mediatore, apud Deum Patrem, utuntur, non sunt vera Christi membra.

XLVI. Cùm Christus sit, universale, & immediatum Ecclesiæ caput, cum quo, Spiritus Sancti devincientis efficacia, fidei, & charitatis vinculis, connectimur, & unimur: sequitur Pontificem esse adversarium Christi, cum hanc universalis capitis gloriam, bona ex patre, Petro, & sibi arrogat: quod ut melius illustretur, paucis Pontificiorum exceptiones diluemus. Primum enim regerunt, caput aliud esse principale, nempe Christum solum: aliud ministeriale seu vicarium, Petrum, & ejus successores: ac propterea honori Christi nihil derogari. Sed inane hoc effugium est: Christus enim perpetuò vivit, & ubique præsens est; ac propterea successorem non admittit, Hebr. 7. 23. nec vicarium: imò nec potest, quia capitis honor, ei, tanquam Regi nostro, convenit, quà ἀνάδελφος; ideoque alteri, sine sacrilegio, vicarii capitis excellentia communicari non potest. Quare impia omninò Pontificiorum est sententia, quæ extat in glossa extravagantium comm. lib. 1. de majoritate, & obedientia c. 1. qua ajunt: *Hujus regni, & sacerdotii principatum perpetuum commisit Filius Dei Petro, & successoribus ejus.* Sed objiciunt nobis, summi Pontificis, in Vet. Test. exemplum. Verum id nihil obstat; quia ille typus fuit Christi, ac propterea cessare debuit, Christo exhibito. Deinde non omnibus gentibus, sed tantum Judæis, & paucis proselytis, præfuit.

Præterea non habuit potestatem regiam, & summam, in reges & principes Judæorum, multò minus in universos, ut sibi Pontifex arrogat, in extravagantibus. Denique non absolutè, nec propriè caput fuit Ecclesiæ, sed tantum, quodammodo, ratione ministerii summi, in Ecclesia; quoniam non liberâ potestate pollebat; sed, præscriptis à Deo legibus, coërcebatur. Contra verò Pontifex, quamvis sese ministeriale Ecclesiæ caput sermone, profiteatur, reipsa tamen, summam Christi, in omnes mortales, potestatem, remittendi, pro arbitrio, peccata, facultatem; & leges conscientiis figendi; reges hosce solio deturbandi, illos coronâ donandi, authoritatem sibi ascribit, ut extravag. comm. lib. 1. de majorit. cap. 1. ait Bonifac. octavus: *subesse Romano Pontifici, omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, & pronuntiamus, omninò esse de necessitate salutis.* Qua etiam de re, insignes blasphemiæ, in glossa, ad eum locum, & in Gratiani decreto, distinct. 40. cap. si Papa. Antidoti verò loco observetur Gregorii Magni Papæ modestia, qui in epistola 80. epistolarum lib. 4. Constantinopolitani Episcopi arrogantiam (quâ se universalem Episcopum appellabat) refutans ait: *Iactantiam sumsit ita ut universa sibi tentet ascribere, & omnia, quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem Pompatici sermonis, ejusdem Christi studeat membra subjugare.* Et Epistola 82. *Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quam singularium sunt plebium capita? & tamen, sub uno capite, omnes sunt membra Ecclesiæ. Atque ut cuncta, brevi cingulo locutionis, astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratiâ, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* Et lib. 7. Epist. 194. *Ego autem fidenter dico: quia quisquis se universalem sacerdotem vocat vel vocari desiderat, in elatione sua, Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Hæc ille. Atque, ad hanc superbi tituli detestationem, Gregorius postea se, ut in vita illius observatur, *servi servorum* titulo, humiliavit; quem conjuncta huic contraria, & superba universalis Episcopi appellatione, non minus ineptè, quàm impiè, posteri Pontifices imitati sunt.

XLVII. Ecclesiæ incrementum, non hominum viribus, sed Deo potissimum tribuendum est, v. 19. ut etiam 1. Cor. 3. 7.

XLVIII. Injurii sunt in Ecclesiam, qui abolitas Vet. Test. ceremonias, postliminio, revocant; aut novis, ad cultum Dei confictis, ceremoniis, Ecclesiam gravant. Ac propterea Pontificii graviter, in Christianam libertatem, superstitione hujusmodi, peccant.

XLIX. Neque excusandum est Veterum, in hac re, studium, qui dum simplicitatem Christianam (quam Deus in Ecclesia vigere voluit) à Gentilium, & Judæorum contemptu vindicare, & Christianorum, erga Dei cultum, reverentiam, augere studuerunt, plurimos, partim à Gentilibus, partim à Judæis, ritus mutuati sunt, novosque alios invenerunt: qui ut initio fuerunt liberi; sic temporis tractu, ac longa consuetudine judicati sunt necessarii, quasi ab Apostolis promanassent: & pars quædam divini cultus externi habiti sunt. Ac tandem corruptâ ampliùs Ecclesiâ accessit, apud Pontificios, opinio meriti, quæ ordinaria est hujusmodi errorum, in Ecclesiam invectorum, via, v. 20.

L. Iniqui sunt in Ecclesiam Pontificii, dum contra Apostoli doctrinam, certorum ciborum abstinentiam præscribunt.

LI. Cum mandata hominum, in religione statuenda, conscientias non possint devincire; meritò igitur superstitiosa Pontificis decreta respuenda sunt, v. 21.

LII. Cum Pontificiorum religiones, & ut appellant, pœnitentiæ variæ, quibus corpora, citra Dei mandatum, affligunt superstitiosè, graphicè à Paulo redarguantur, flocci æstimandæ sunt.

CAPUT TERTIUM.

Absoluta, tractatus hujus Epistolæ, parte prima, nempe dogmaticâ, quæ de fide Christiana disserit, partim confirmatione veritatis, cap. 1. partim confutatione falsitatis, cap. 2. succedit jam, ordine optimo, pars altera, quæ

quæ parænetica est; quæque vitæ Christianæ præcepta continet, inde à capite tertio, ad versum usque septimum cap. 4. & ex prima parte, per transitionem concinnam, concluditur. Præcepta autem sunt, partim generalia, quæ communiter officium nostrum proponunt: partim specialia, quæ idem distinctius exponunt, & illustrant. Ac generale quidem præceptum constat, adhortatione ad studium boni; & dehortatione, quæ ad fugam mali pertinet. Utraque autem præceptio, propositione sua, & confirmatione describitur. Adhortationis propositio est: *Quæ supra*, hoc est, quæ in cælis, *sunt quærite*: quod intelligi potest, vel de studio pietatis, & cælestis vitæ, quæ cælo conveniat, in quo justitia regnat: vel de studio, & meditatione cælestis præmii, & vitæ æternæ, ut Paulus Phil. 1.23. ait: *cupio dissolvi, & esse cum Christo*: & 1. Tim. 6. 12. *certa bonum certamen, apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es*: vel intelligi potest, de utroque simul. Nam supra in cælis, est nobis reposita justitiæ corona, quam speremus; & simul propositum justitiæ exemplar, quod imitemur, Mat. c. 6. 10. 33. Quæ duo, nempe justitia, & vita, ita connexa sunt, ut alterum sine altero, seriò quæri non possit. Cæterùm huic propositæ hortationi, confirmatio adjungitur, tribus instructa argumentis: quorum primum est, *resurrectio nostra cum Christo*, quam, ex antecedentis capitis, vers. 12. tanquam certam, repetit, ac supponit, ut vocula conditionalis, *si*; & conclusiva, *igitur*, ostendunt. Resurrectio autem nostra cum Christo, alia est propria, à morte corporali; à qua resurreximus, primùm facto, & re, in Christo, propter unionem mysticam, tanquam in capite: deinde jure, & spe, in nobis; quia membra sumus Christi: quibus modis Eph. 2. 6. dicimur cum Christo resurrexisse, & sedere in cælestibus: tertiò sacramenti typo, seu significatione, & obsignatione baptismi. Deinde alia resurrectio nostra cum Christo est impropria, hoc est, hominis, non à morte corporali, sed à morte spirituali, suscitatio: quæ sanctificatio, & regeneratio dicitur. Cujus causa, & typus, est resurrectio Christi, cum quo resurreximus, primùm ratione initii sanctificationis, & novi hominis, reipsâ; deinde jure adoptionis, ac justificationis; & spe certa, ratione perfectionis, post hanc vitam, accessuræ: denique typo, & sacramento baptismi. Breviter, resurrexisse dicimur, re, spe, sacramento. Unde, tanquam à causa efficiente, firmum, ad novitatem vitæ, & ad cælestia quærenda, primum ducitur argumentum: ut etiam Rom 6. 3. & 4.

Alterum verò argumentum, quo ea quærenda, quæ supra sunt, demonstrat Apostolus, est ab exemplo Christi, qui postquam resurrexit, ascendit in cælum, ibique est, nempe corpore suo redivivo, quo à nobis abest, ad diem judicii, Joh. 12.8: 16.7. Actor. 3.21. 1. Cor. 11.26. Ac propterea, ut Christus suscitatus, in cælo versatur corpore: ita nos resuscitati, per sanctificationem Spiritus, debemus vitam cælestem meditari. Similis locus est Phil. 3. 20. *nostra autem conversatio est in cælis, ex quibus etiam servatorem expectamus*. Tertium argumentum est, quia Christus *ad dextram Dei sedet*; hoc est gloriosè in cælis regnat, Angelorum omnium, & hominum vivorum, atque mortuorum judex, Matth. 26. 64. Actor. 10. 42. qui ultimo illo die impios puniturus, æterno supplicio; & pios in æternum beaturus est. Quod argumentum, ad cælestia quærenda, & vitæ sanctitatem commendandam, præstantissimum 1. Cor. 5. 9. 10. Tit. 2. 12. 13. Atque hæc adhortatio, repetitione illustratur & amplificatur à causa studii, v. 2. *Quæ supra sunt sapite*. Nam *sapere*, propriè ad mentis meditationem, & judicium, pertinet: *quærere* verò ad conatum, & actionem, inde promanantem: quanquam, altero separatim posito, utrumque Synecdochicè intelligatur. Huic porrò adhortationi connectitur dehortatio; *Ne sapite ea, quæ in terra sunt*. Quænam autem ea sint, colligi potest, partim ex antecedenti adhortatione, & antithesi eorum, quæ supra, hoc est in cælis, sunt: partim ex sequentibus, & similium locorum comparatione: nam primum denotari possunt bona terrena, quæ fluxa, & caduca sunt, hoc est, opes, honores, ac commoda hujus vitæ; quæ supernis, & æternis opponi solent: quo modo locum illum, Philip. 3. 19. *qui terrena sapiunt*, vulgò interpretantur. Deinde verò accipi possunt, de ceremoniis, & traditionibus humanis, quæ non è cælo, sed è terra suam habent originem; nec in rebus cælestibus, & æternis, sed in terrenis ac pereuntibus, Col. 2. v. 22. occupantur. Quâ ferè ratione, & veteres, & recentiores interpretes exponunt, angustiùs (ut existimo) quàm loci hujus amplitudo ferat, ut ex v. 5. conclusione apparet. Tertiò itaque ea, quæ in terris sunt accipi possunt de vitiis, quæ in terra vigent, seu de mundanis cupiditatibus, ut Paulus vocat Tit. 2. v. 11. & corruptelis, quæ in mundo sunt, 2. Pet. 1. 4. Denique accommodatè, de his omnibus conjunctim, interpretari possumus: ut quemadmodum, quæ supra, seu in cælis sunt, de vita æterna, & justitia illius intelliguntur: ita quæ in terra sunt, generatim de terrenis, & fluxis hujus vitæ commodis, de ceremoniis, & traditionibus terrenis, deque concupiscentiis mundanis accipiantur. Similes loci sunt Phil. 3. v. 19. *qui terrena sapiunt*, (etsi enim hanc sententiam, de commodis terrenis, interpretentur vulgò, attamen non eò tantùm restringendam esse, ex adjunctis colligi potest). Deinde 1. Ioh. 2. 17. *ne diligite mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quia quicquid est in mundo, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo*, & Jac. 4. 4. *amicitia mundi, inimicitia Dei est*. Atque huic dehortationi subjicitur sua confirmatio, duobus constans argumentis: quorum prius adducitur, v. 3. Ut enim à positione principii, & causæ, ad positionem effecti, & actus, nempe à resurrectione spirituali, ad vitam cælestem, & sanctam, ad meditationem, ac studium rerum, & operum cælestium, seu salutis, & justitiæ adhortatus est Apostolus: sic contrà, hoc loco, à remotione causæ, ad remotionem effectorum argumentatur. *Nam*, inquit, *mortui estis*, nimirum non absolutè, sed secundùm quid, & certo modo. Quidam autem docti interpretantur, quantum ad terrenam felicitatem, hoc est, similes estis mortuis per Metaph. quippe subjecti omnis generis calamitatibus. Quæ expositio si sequentia verba, & phrasis usum spectes, non est insolens: ut 1. Cor. 15. 31. & alibi. verùm si scopum, & reliquas circumstantias attendamus, non satis congruit: nam qualis resurrectio, quæ causa studii bonorum operum: talis ex adverso mors est nostra, quæ causa fugæ peccati. At resurrectio de altera regenerationis parte intelligitur, ut antea ostendimus. Ergo mors de priori parte: alioqui antithesis ratio minimè conveniret: idemque ex capitis antecedentis collatione, v. 11. 12. 20. etiam apparet. Quare mortui dicuntur Colossenses, ut alii concinniùs exponunt, secundùm carnem, quæ terrena quærit, hoc est, ratione habitus vitiosi, qui terrena bona, & vitia magis sapit, & curat, quàm cælestia dona, salutem, & justitiam. Ergo vis argumenti hæc est: Mortui estis secundùm carnem. Ergo non debetis secundùm carnem vivere, hoc est, terrena sapere: hoc enim repugnat fini illius mortis, Rom. 6. 10. 11. 12. 13. 14. & 18. Alterum deinde confirmationis argumentum, est à promissione vitæ æternæ. Ut enim prius deductum fuit, ab antecedente causa; sic hoc petitum est, à consequente, & quidem non effecto (ut Pontificii malè judicant) sed ab adjuncto proprio, ac gemino, nempe à præsenti certitudine vitæ æternæ, in hac vita, & futura fruitione illius, ac patefactione, in alterâ. Qua in re, anticipatione eleganti, objectiones variæ diluuntur. Nam primò ostendit Paulus, vers. 3. vitam nostram æternam, & beatitudinem (quæ inprimis in gaudio perpetuo, ac cælesti, & justitiæ complemento, consistit) absconditam esse cum Christo, hoc est, mundo ignotam quidem esse (quemadmodum Christus ignotus, & inconspicuus est) veruntamen non dubiam sed certam, ac tutam; quia in Deo, tanquam in thesauro, abscondita est. Similis locus est 1. Johan. 3. vers. 1. 2. *Propterea mundus non novit nos, quia non novit Deum. Charissimi, nunc filii Dei sumus; sed nondum patefactum est, quod erimus*. & 1. Petr. 1. vers. 4. 5. dicimur regeniti à Deo, in *hæreditatem*,

ditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælo servatam. Qui virtute Dei, custodimur, per fidem, ad salutem, quæ parata est patefieri tempore ultimo. Deinde ne offenderemur vitæ nostræ absentia, & occultatione, promittitur v. 4. fruitio illius, & patefactio, adventu Christi secundo, quo ille, qui vitæ nostræ causa est, patefiet, ad salutem nostram. Quod argumentum à spe cælestis gloriæ, & communione cum Christo, desumptum, ad fugienda terrena, & quærenda cælestia validissimum est, ut ex reipsa, & similibus etiam locis constat, Philipp. 3. vers. 20. 21. Hebr. 11. vers. 26. & 35. Tit. 2. v. 12. 13. & 1. Johan. 3. v. 3. 4. Atque hæc quidem dicta sunt de præceptis generalibus, ad commendandam vitam Christianam, nempe ad studium cælestium & fugam terrenorum. Sequuntur deinde præcepta specialia, quibus generalia illa illustrantur, & explicantur, ordine convenienti, & partium distinctione concinna: nam distinctè primum proponitur specialis dehortatio à vitiis, à v. 5. ad versum 12: deinde adhortatio ad virtutes, idque sequentibus. Atque illam quidem solidè, ex antecedentis dehortationis generalis rationibus, concludit, quæ fuerunt: *mortui estis secundum carnem*, & terrena: deinde *vitam obtinebitis* æternam. *Ergo mortificate membra vestra, quæ in terra sunt, scortationem*, &c. Qua in re observandum est primum, mortificationem metaphoricè, ad priorem sanctificationis, & resipiscentiæ partem, transferri: quod, quemadmodum capitales, & perpetui hostes, in præliis, è medio tolluntur, ne amplius noceant: ita peccatum originale, quod vetus homo dicitur, penitus extirpandum sit: deinde mortificationem, quemadmodum & vivificationem, esse duplicem; aliam habitualem, quâ habitus peccati originalis tollitur: aliam actualem, quâ actus, & fructus illius vitiosi resecantur: quarum utraque suos habent gradus; aut enim mortificatio inchoata est; aut continuata, & aucta; aut perfecta. Ac perfectio quidem, quæ in morte fit ordinaria; & inchoatio, quæ in conversionis, & sanctificationis initio, à Deo solo donantur, per Spiritum Sanctum: continuatio verò & incrementum, partim ex accepta regenerationis gratiâ, ac vitæ spiritualis initio, à regeneratis, partim à Dei auxilio præcedente, & concurrente procedit. Itaque ex hisce facile contradictionis species, quæ hoc in loco apparet, tolli potest. Nam si initium mortificationis spectes, eò non hortatur Aolossens. Apostolus, quia jam in iis inchoata erat per Spiritum: sin verò continuationem, & incrementum consideres, meritò ad illud exstimulat, atque ex antecedentibus concludit: mortui enim erant secundum carnem, ratione initii, & certâ spe perfectionis: ac propterea debebant contendere, ut magis magisque carnem mortificarent, cum ratione actuum, tum ratione habitus. Actus enim immediatè mortificatur, cum cogitationes, & desideria prava carnis, intus Spiritu, seu regenerationis gratiâ, hoc est, notitiâ veritatis salutaris, & exercitio fidei, spei, charitatis, reprimuntur, & domantur. Habitus verò mortificatur mediatè, partim quum ex crebris pietatis actionibus, & malorum actuum repressione, & crescente spiritu, seu imagine Dei in nobis reipsa minuitur caro, hoc est, peccatum originis: partim cum hac ratione, & precibus secundum promissionem divinam, Spiritus incrementum, per Dei gratiam, obtinetur. Ex quibus satis, ut opinor, apparet, quidnam, mortificationis voce, Apostolus velit. Verùm de iis, quæ mortificari præcipit, inquirendum est, nempe, quid, hoc in loco, appellet *membra vestra, quæ sunt in terra*. Ac primùm illud constat, orationem esse non propriam, quia sextum legis divinæ præceptum, nempe, *Non occides*, repugnat; sed tropo figuratam. Deinde, hac phrasi, denotari motus, & cupiditates carnales, extra controversiam est: sed, de origine phrasis, diversa est sententia. Quidam enim existimant, ita appellari, metonymicè, quod in membris corporis potissimùm vigeant: sic Oecumen. exponit, *terrena corporis, & membrorum studia*. Quæ interpretatio non inepta est, ut ex collatione, Roman. 6. v. 12. & 19. apparet. Alii tamen malunt, per Metaphoram, sic dici; quod vetus homo, hoc est, nativa corruptio, seu peccatum originale iis utatur, ut corpus membris, quemadmodum Rom. 7. v. 23. eadem extat membrorum significatio. Quæ expositio optimè fluit. Cœterùm res ipsa inductione specierum illustratur, proposito vitiorum catalogo; quorum quatuor priora castitati, & septimo præcepto adversantur. Primum est scortatio, cujus, ut ait Theophylactus, *primùm meminit, quod potissimum regnet*: Alterum est *impuritas*. Quæ vox, metaphoricè, interdum ad scelera, & peccata quævis, generatim transfertur, ut Matth. 23. v. 27. 28. Rom. 6. v. 19. interdum Synecdochicè accipitur, pro scelerum certo genere, nempe fœdis libidinibus; idque aut generalius, ut Apocal. 17. v. 4. *impuritas scortationis*, & 1. Thessal. 4. v. 7. aut specialius καθ' ἐξοχὴν pro nefandis, & naturæ adversis libidinibus, ut Galat. 5. v. 19. Roman. 1. vers. 24. quo modo, hoc in loco, accipiendum videtur, ut reliquas, præter mollitiem (quæ deinde exprimitur distinctè) impuras libidines, significet. Nam rectè Theophylact. ait: *Prætermisit speciatim dicere quæ non sunt pulchra, honestave dictu: unde per impuritatem & mollitiem, omnes complexus est turpium mixtionum species.* Tertium vitium est πάθος, hoc est, μαλακία, 1. Corinth. 6. v. 9. *mollities:* quæ perpessiones libidinis contra naturam denotat: unde *pathici* dicti, de qua re, Roman 1. vers. 26. 27. Atque hac tria effecta sunt, quorum causa communis, vitio quarto, indicatur, nempe, *cupiditas mala*, Rom. 1. v. 24. quanquam etiam cupiditas mala, generatim accipi posset, cum Theophylacto, qui ait: *omnis concupiscentia mala est, præter eam, quæ Dei est, divinarumque rerum, quæ bona est*, attamen prior expositio circumstantiis loci aptiùs congruit. Porrò quintum vitium, est πλεονεξία *avaritia*, quæ repugnat præcepto octavo (quatenus proximi bonis injuria est) & præcepto primo, quatenus auro servit, & bonis terrenis plus quàm Deo fidit, 1. Timoth. 6. v. 17. ideoque vocatur *idololatria*, ut Ephes. 5. quod convitium, quamvis, suo modo, & reliquis vitiis tribui possit; avaritiæ tamen, καθ' ἐξοχὴν, convenit, & hoc in loco attribuitur; ut sit rationis instar, cur eam fugere debeamus. Cœterùm opportunè Apostolus subjungit iis vitiis, quæ castitati repugnant, avaritiam, non solùm propter ordinem, quod ut ea septimo, ita hæc octavo præcepto, adversetur: sed etiam, quia causa est altera libidinum: duo enim sunt libidinum fontes, *cupiditas mala* & *avaritia*: ac propterea meritò conjunguntur; non solùm hoc loco, sed etiam alibi, Ephes. 5. v. 5. & Ephes. 4. v. 19. exponitur, *sese dediderunt protervia, ad patrandam impuritatem, ἐν πλεονεξίᾳ in avaritia*, hoc est, per avaritiam; non autem *certatim*, ut noster interpres minus rectè vertit. Atque huic, à quinque hisce vitiis dehortationi, adversus carnalium hominum sermones inanes, Ephes. 5. 6. subjicitur confirmatio, duabus rationibus constans: quarum prior ducitur, vers. 6. à consequente effecto, nempe *Dei ira.* Quæ ira non propriè affectum, & perturbationem animi, in Deo, notat: quia natura simplex, & immutabilis; sed puniendi voluntatem, per Mataphoram, ab hominibus derivatam, quæ ἀνθρωποπάθεια vulgò dicitur: deinde, per Meronymiam causæ pro effecto, vindictam, inde promanantem, notat, ut hoc in loco. Quæ vindicta illustratur explicatione subjecti, quum additur, *in filios inobedientiæ*, hoc est, inobedientes, per Hebraismum, ut in eadem omninò sententia, Ephes. 5. vers. 6. qua explicatione, vindicta Dei amplificatur, ab adjuncta justitia: nam quum horum scelerum pepetratio inobedientia sit adversus Deum, sequitur eos justè puniri posse, ac debere, qui iis operam dant. Altera ratio est vers. 7. & 8. à remotione causæ, ad remotionem effectus: *cum in iis vitiis viveretis*, hoc est, peccatum originis, in vobis, ante regenerationem regnaret, *in iis incessistis*, hoc est, opera peccati edidistis. At *nunc*, nempe non viventes in iis, abstinere debetis. Verum hoc argumentum copulat Apostolus artificiosè, vers. 8. cum dehortatione à reliquis sex vitiis, quæ recenset; *deponite*, inquit, *etiam hæc omnia*, nempe quasi onus quoddam, quo anima, ad ima detrahitur, Hebr. cap. 12. 2. aut tanquam vestem veterem, & detritam: ut hac ratione, diversis Metaphoris, idem eleganter explicetur, *mortificandi, deponendi & exuendi* ver-

diverbis. Similes autem loci sunt, Ephes. 4. vers. 22. 25. 1. Petr. 2. v. 1. Cæterùm quatuor priora, quæ deponenda sunt, vitia, pugnant adversus amicitiam, & præceptum Decalogi sextum: quorum primum est, *ira*, hoc est, ulciscendi libido; alterum *excandescentia*, θυμὸς, hoc est, subitus, & acrior offensi animi impetus: de qua re, Basilius, in regulis contractis, quæstione 68. tertium est κακία, quæ vox interdum pœnam, & ærumnam notat, ut Matth. 6. 34. interdum culpam: ac primùm generatim, ut ad omnia peccata accommodetur, 1. Cor. 14.20. *Estote pueri* κακίᾳ, hoc est, *malitiâ*. Qua ratione, aut habitum, seu vitiositatem; aut actum vitiosum, notare potest: hinc quidam, hoc in loco, κακίαν, *omnem vitiositatem*, interpretantur: quemadmodum etiam Cicero, in Tusculanis quæstionibus; *virtuti*, inquit, *contraria est vitiositas: sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci* κακίαν *vocant: Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium.* Verùm, cùm, in hoc Apostoli loco, multæ vitiorum species referantur; non satis aptè generis nomen iis interseretur. Deinde speciatim, ad certum peccati genus, Synecdochicè restringitur, & ita quoque vel habitum; vel actum notat: ut Latinis *malitia*; quam Cicero definit, *versutam, & fallacem nocendi rationem*: quo modo χρηστότητι benignitati opponitur, Ephes. 4. v. 31. 32. & sinceritati 1. Cor. 5. v. 8. & contrà, dolo, & hypocrisi conjungitur, 1. Petr. 2. 1. Eâdem etiam ratione Simoni Mago, Actor. 8. 21. attribuitur κακία, quæ recto cordi opponitur, v. 21. & felle amaritudinis exponitur, v. 23. Atque hac ratione, hoc in loco, κακίας vox, non generatim pro vitio: sed speciatim pro certo vitio, malitia nimirum accipienda est, ut ex circumstantiis loci apparet. Quartum porrò vitium, quod vitari præcipit Apostolus, est βλασφημία; quæ vox, ut Etymologia demonstrat, famæ alicujus læsionem, denotat: & accipitur, aut generatim, pro maledicto, ac convitio quovis, justo, aut injusto, Jud. vers. 9. & 10. aut speciatim, & Synecdochicè: & quidem bifariam; vel enim ad creatorem refertur, κατ' ἐξοχὴν, ac nominis divini læsionem significat, ut Matth. 26. 65. Marc. 2. 7. Iohan. 10. 33. quæ expressè *blasphemia in Deum dicitur*, Apocal. 13. 6. vel ad creaturas, & homines refertur, & maledictum in proximum, significat; quod iram iniquam, excandescentiam, & malitiam comitari solet: ac propterea hisce meritò, tanquam effectum, subjicitur, ut Ephes. 4. 31. amarulentiæ, excandescentiæ, iræ, clamori additur blasphemia: & 1. Timoth. 6 4. similibus vitiis inseritur. *Ex quibus*, inquit, *oriuntur invidia, lis, blasphemia* (id est maledicta in proximum) *suspiciones malæ*. Rectè autem hoc vitium, ob contagionem nocentissimam, reprehendit: nam ut præclarè, ex naturæ, & experientiæ luce, monet Cicero, oratione pro Plancio: *Nihil est tam volucre, quàm maledictum, nihil faciliùs emittitur, nihil citiùs excipitur, nihil latiùs diffunditur.* Reliqua duo, quæ hoc in loco prohibentur, vitia, quintum nimirum & sextum, ad sermonem pertinent. Ac prius quidem est, *verborum obscœnitas*, quæ castitati & præcepto septimo contraria est, de qua etiam Ephes. 4.29. & 5.4. Alterum vitium est, v. 9. nempe mendacium in proximum, quo nonum decalogi præceptum violatur. Atque hisce sex vitiis adjungit Apostolus confirmationem à regeneratione, eandem, quam antea proposuit; sed clariùs, ac distinctiùs: quia regenerationem nostri, in duas partes, dividit. Ratio autem prima, est à primâ parte sumpta: *exuti estis veteri homine, cum factis ipsius*. His enim verbis mortificatio, prima regenerationis pars, declaratur, eleganti metaphorâ, à veteribus & tritis vestibus, quæ ita exuuntur, ut nunquam resumantur. Nam quod quidam insignes interpretes; hanc phrasin ortam esse putant, à ceremoniâ baptismi, in quo, veteribus vestibus depositis, novæ assumebantur, id, bonâ eorum veniâ, non videtur verisimile. Unde enim probabitur, hanc, Apostolorum temporibus, viguisse consuetudinem? ut enim largiamur, tempore Apostolorum, vestes exui solitas, in baptismo: tamen, sepositis illis, novas esse adhibitas, non est verisimile, si eorum, qui, in Actis, & alibi, baptizati dicuntur, historiam spectemus: quinimò quia hisce Metaphoris, & similitudinibus, ut aliâs monui, utitur Scriptura; propterea, in Ecclesiam Christi, tandem hæc ceremonia, humana traditione, irrepsit: quemadmodum similes plurimarum ceremoniarum sunt origines. Cæterùm *veterem hominem*, peccatum originis vocat Apostolus, per Metaphoram: quod, instar hominis, sua quasi habeat membra, ut antè cognovimus: aut ut significatio per Metaphoram, petita sit, quod Adamum, veterem illum hominem, referat, & ex eo originem ducat. Duplex enim est imago Adami primi hominis, nempe essentialis, per naturæ propagationem humanæ; & accidentalis corruptionis qualitatum naturalium, per traductionem; et quidem ut alia vitam corporalem spectet, de qua imagine, 1. Corinth. 15. v. 19. alia vitam spiritualem, quæ sanctitatis, & imaginis Dei deformatio est. De quibus omnibus, Genes. 5. vers. 3. Quæ expositio, ex opposito membro, confirmari potest: nam regenerationis altera pars, dicitur indutio Christi, Roman. 13. v. 14. hoc est, imaginis Christi, justitiæ, & sanctitatis. Ut enim Adamus generationis nostræ radix, & principium est: sic Christus regenerationis. Quare vetus homo, hoc modo, peccatum originis dici potest: quo Colossenses exuti dicuntur, iis modis, qui, initio hujus capitis, expositi sunt: nempe reipsa, ratione inchoationis; & spe certâ, ratione consummationis; denique Sacramenti significatione, & obsignatione Dei, ratione utriusque, Galat. 3. vers. 27. Et quemadmodum exuti sumus veteri homine eadem ratione exuti sumus factis ipsius. Atque huic rationi, à prima regenerationis parte petitæ, altera annectitur, ab altera parte deducta, videlicet à resurrectione novi hominis, quam, continuata metaphorâ, indutionem vocat, versu 10. *quia*, inquit, *induti estis novo homine*, hoc est, conformatione cùm Christo, virtute illius. Atque hunc novum hominem, ut ad mortificationem ampliùs exstimulet, descriptione illustrat, à materia, & forma. Cùm enim nihil aliud sit, quàm imaginis Dei, per peccatum amissæ, in nobis renovatio, & reformatio, & quidem præstantiori modo; propterea ait, *qui renovatur in agnitionem*. Nec enim simpliciter ait *novari*, sed *renovari*, ut amissionem, ac jacturam pristinam, per Adamum, & ex adverso præsentem restitutionem, per Christum, indicaret. Deinde non dicit, qui *renovatus est*, sed *renovatur*: ut ostendat regenerationem cœptam quidem esse, nondum verò perfectam, sed indies continuari, ac perfici paulatim. Præterea additur materia, *in agnitionem*, nempe Dei. Quæ vox non generatim, pro simplici Dei, & voluntatis illius cognitione accipienda est, hoc in loco: sed Synecdochicè, pro agnitione salutari, hoc est ea, quæ, cum obedientiâ agnitæ voluntatis Dei, conjuncta est; ut Tit. 2. v. 16. Ac propterea forma, appositione quadam, declaratur, sequentibus verbis illis: *secundùm ejus, qui condidit ipsum*, hoc est, periphrasticè, Dei creatoris, & regeneratoris *imaginem*. unde Ephes. 2. v. 10. dicitur: *ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad bona opera*. Hæc autem creatio, non est novæ substantiæ formatio, ut falsò quidam existimant; sed accidentium qualitatum reformatio. Imago verò Dei, quo modo, hoc in loco, accipienda sit, subjectivè, an verò objectivè, ambigitur. Cùm enim imago, aut prima sit, & ἀρχέτυπος, seu exemplar; aut inde orta, & ad exemplaris imitationem facta, ac typus: multi Dei imaginem, hoc secundo modo, interpretantur, de ea, quæ in homine est, quaque Deo similis est. Alii verò priori modo accipiunt de ea imagine, quæ in Deo, ad quam hominis perfectio adumbrata est. Quæ sententiæ quamvis modo differant, re tamen conveniunt; & utraque ferri, ac defendi potest: nam sive dicamus novum hominem conditum, secundum imaginem Dei, hoc est, similitudine quadam Deum, tanquam in speculo referentum: sive exponamus, creatum esse secundùm ἀρχέτυπον, & exemplar naturæ divinæ, ex relationis natura (qua simile simili vicissim simile est) eòdem res recidet: nam si Deus est exemplar novi hominis, novus homo est imago illius, & vice versa. Cæterùm si usum vocis κατὰ *secundum*, & similium locorum comparationem, Genes. 1. v. 27. Ephes. 4. v. 24. spectemus, expeditior videtur interpretatio, qua novus homo ad imaginem, hoc est, ad

est, ad Exemplar Dei renovari dicitur; ut hac ratione, vox *secundùm*, non formam notet, sed objectum. Exemplar autem Dei, hoc in loco, Synecdochicè, ad sapientiam, sanctitatem, & justitiam refertur, ut ex scopo hujus loci, & collatione alterius, Ephes. 4. v. 24. apparet: quorum trium primi imago, in mentis nostræ illustratione, per Spiritum sanctum; reliquorum verò in voluntatis, & affectuum sanctificatione, ac rectitudine, consistit. Atque hanc novi hominis descriptionem, causarum anticipatione eleganti declarat; qua refellit pseudo-apostolos, qui malè mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi, in rebus externis, & ceremoniis, bona parte, collocabant. Ait enim vers. 11. *ubi non inest Græcus nec Iudæus*, &c. hoc est, in quo novo homine, nulla nationis, nulla externarum rerum, nulla conditionis externæ ratio quicquam ad rem facit: *sed Christus omnia est, & in omnibus*. In quâ sententiâ, subjectum, & attributum consideranda sunt: subjectum est *Christus*, qua voce, Metaphoricè intelligitur imago justitiæ Christi, in nobis: ut Roman. 13. v. 14. *Induite Dominum Iesum Christum*. Duplici enim modo dicuntur fideles induere Christum, & Christus esse in nobis: primum unione mysticâ, per fidem, cum Christo capite, Ephes. 4. v. 17. qua ratione omnes fideles, unus in Christo, Galat. 3. v. 28. imò Synecdochicè Christus dicuntur 1. Corinth. 12. v. 13. deinde sanctificatione Spiritus, per charitatem, Ephes. 4. v. 15. 16. qua Christi sanctitatem, ejus ope, imitamur: est enim verè sanctitatis exemplar, & causa. Ad attributum quod attinet, Christus dicitur *esse omnia, & in omnibus*, hoc est, in omnibus regeneratis, novi hominis perfectio. Nam ad materiam propositam, generalis hæc vox commodè referri potest, quanquam etiam, universè sumpta, vera sit, quod nimirum plena felicitas nostra, in Christo, consistat: quemadmodum simili phrasi, 1. Corinth. 15. v. 28. Deus omnia in omnibus futurus dicitur, hoc est, perfecta omnium servatorum, felicitas. Atque hoc modo absolvitur dehortatio specialis, à vitiis, sive admonitio ad mortificationem veteris hominis.

Cui jam succedit, v. 12. adhortatio ad varias virtutes, & novi hominis vivificationem: quam, ex antecedenti ratione, eleganter concludit, & aliis duabus adjunctis, nempe, à beneficiis Dei deductis, rationibus, ampliùs confirmat: nam prima ratio, est petita ab *electione* Dei, qua, κατ' ἐξοχὴν, electio ad vitam æternam intelligitur, cujus effectum est, & terminus subordinatus, vitæ sanctitas, Eph. 1. v. 4.

Altera ratio est à *sanctificatione*. Sanctitas autem est duorum generum: alia enim est externa: alia interna. Externa consistit in vocatione externa, ad visibilem Ecclesiam Dei; qua, ex profano, & impuro mundi consortio, exterius separamur, & Ecclesiæ Dei adjuncti, verbi & sacramentorum communione, Deo consecramur: qua ratione, totus Israelitarum populus, *gens sancta*, passim à Prophetis appellatur; cùm plures tamen in ea essent, qui vera, & interna fidei, & charitatis sanctitate carerent. Interna verò sanctitas est duplex: imputata, & inhærens. Illa est perfecta Christi sanctitas, quæ nostra fit justificatione per fidem. Hæc verò, Christi per spiritum ipsius effectum est, & inchoata in nobis regeneratio, & sanctitas mentis, voluntatis, & affectuum.

Tertia ratio est à *dilectione* Dei, videlicet gratuita, 1. Johan. 4. v. 10. 11. quæ electionis ad vitam, sanctificationis, & reliquorum causa est, ut ex simili loco, 2. Thessal. 2. 13. illustratur. Atque hisce rationibus, ad virtutes varias hortatur Apostolus, quarum priores septem ad præceptum Decalogi sextum pertinent.

Prima est *misericordia*, seu bonitas, qua malis aliorum condolemus, ac pro virili opem ferimus. Quam virtutem, per hypallagen Hebræam, & pluralis numeri emphasin, ad amplificationem, *viscera miserationum* appellat, pro miserationibus viscerum, hoc est, non fucatis, sed seriis & è visceribus, hoc est, imo corde profectis.

Altera virtus est χρηστότης *benignitas*, quæ est aliis benefaciendi, promptitudo animi; & malitiæ opponitur, Eph. 4 v. 31. 32.

Tertia est Ταπεινοφροσύνη, *animi demissio & modestia*, quâ demissè de nobis sentimus, quæ vulgò, à Theologis, *humilitas*, per Catachresin dici solet; quandoquidem hæc vox, apud Latinos, non virtus, sed vitium est, quatenus indignam, atque immoderatam animi dejectionem notat.

Quarta est *lenitas*, in aliis humaniter tractandis, iisque minimè offendendis.

Quinta est *mansuetudo*, quâ offensis aliorum non facilè commovemur: quæ duæ virtutes Synonymos interdum usurpantur. Hæc de v. 12. Sequente verò versu 13. mansuetudo declaratur ab effectis, nimirum *tolerantiâ*, qua injuriæ feruntur; & *veniâ*, qua condonantur. Quâ in re emphasis, ac momentum existit, in voce *mutuò*, quæ utrimque additur. Nam veniæ æquitatem docet à pari. Cæterùm, quia hujus præcepti observatio difficillima est, idcirco ratione nova confirmat, ab exemplo Christi, qui merito, & efficacia, nobis offensas condonavit, ut Eph. 4. v. 32. & 5. 1. 2.

Sexta virtus ponitur, vers. 4. *Charitas*; quæ, descriptione adhibitâ, commendatur, quando dicitur, *vinculum* esse *perfectionis*; sed, quo sensu, inquirendum est: primùm enim de perfectione Ecclesiæ accipi potest, quæ tanquam domus Dei, compage charitatis continetur, Ephes. 4. v. 16. aut de perfectione officii nostri, & legis, ut Rom. 14. vers. 8. *qui amat alterum, legem implevit*, & vers. 10. πλήρωμα *complementum igitur legis est, charitas*. Quæ expositio optimè fluit. Quod autem Pontificii hinc nobis objiciunt. Ergo possumus perfectè legem implere, in hac vita; negatur consequentia: quia hæc descriptio charitati perfectæ, qualem non habemus, convenit. Deinde cùm perfectio alia sit partium; alia graduum, officii nostri erga Deum, & proximum: priorem habemus, quæ, in omnium, & singulorum præceptorum inchoatâ observatione, consistit; alterâ verò destituimur, quæ in omnium, & singulorum præceptorum, ex toto corde, tota anima, omnibus viribus, observatione, posita est. Ideoque eo gradu perfectionem, quo deberemus, non habemus, propter repugnantiam carnis adversus spiritum, Galat. 5. vers. 17. Rom. 7. vers. 25.

Septima virtus est vers. 15. *Pax Dei*, hoc est, cujus author, & præcepto, & Spiritu suo, est Deus. Unde *Deus pacis* dicitur Roman. 16. vers. 20. & 1. Corinth. 14. v. 33. & 2. Corinth. 13. vers. 11. Qua ratione, pax Christiana, seu mutua, inter ipsos, concordia, à pace mundi distinguitur. Hæc enim est quæ non Dei timore, & justitia, secundùm Deum, sed cupiditatibus mundanis regitur. Pax verò Dei, est concordia ex charitate Dei, & proximi, promanans; quam cum omnibus, quatenus sanctè fieri potest, Rom. 12. vers. 18. præsertim cum fidelibus, colere debemus: quam Paulus vult, *in cordibus nostris esse gubernatricem*: ut ostendat omnia ad pacem esse dirigenda; ac veram pacem, quæ in corde sita est, à fucata, quæ in externa rerum aut verborum specie consistit, distinguat. Quæ hortatio ad pacem, rationibus gravibus à *vocatione divina*, & *communione fidelium*, confirmatur: *Vocavit Deus nos ad pacem*, ut 1. Cor. 7. v. 15. Deinde sumus *unum corpus* mysticum, cujus caput est Christus: Ergo hisce de causis, tanquam membra mutua, pacem inter nos colere debemus, Ephes. 4. 3. 4. Atque hæc unio nostra modus est præcipuus, quo nos ad pacem vocavit Deus; ac propterea ait Paulus: *ad quam etiam vocati estis in uno corpore*. Quod autem addit: *& grati estote*, bifariam accipi potest: quidam enim exponunt passivè; grati sitis aliis, hoc est, accepti atque amabiles: alii verò ad usum vocis frequentiorem, accommodatiùs, activè, grati estote, scilicet erga Deum, & Christum. Quæ verba accipi possunt, aut ut sint præceptum virtutis novæ; aut ratio quâ studium pacis commendetur. Quæ expositio non malè convenit. Nam in eâ re gratitudinem erga Deum ostendimus; si ut ille nos ad pacem, unione corporis, vocavit; ita vicissim hanc unitatem, & pacem conservemus, vers. 15.

Atque hisce præceptis, secundo ordine, subjicit tria, quæ ad primam tabulam pertinent. Quorum primum, ad primum Decalogi mandatum, spectat; hortatur enim priori loco ad *agnitionem sermonis Christi*, hoc est, Euangelii, & Verbi. Quam virtutem, vario incremento, amplificat:

eat: primùm à constantia, quæ inhabitandi Metaphora indicatur: deinde à copia, quam per Metaphoram, à divitiis sumptam, declarat, cum ait; *opulenter*: ut hac via diligentiam Colossensium, ad Verbi divini lectionem, ac perscrutationem acueret: denique à fine proximo illustratur, & usu in nobis, cum ait; *in omni sapientia*, hoc est, ut omnia ea, quæ ad salutem necessaria sunt, & ad perfectam illam sapientiam pertinent, inde hauriatis, 2. Timoth. 3. v. 15. 16. 17. Atque huic, ad divini verbi cognitionem, studio, additur alterum præceptum, de fine remotiori, seu de usu recto, cognitionis sermonis Christi, & omnis sapientiæ. Is autem est mutua institutio, quę distinctione specierum explicatur: nempe doctrinę, & admonitionis. Quarum illa, Synecdochicè, utilem veritatis salutaris explicationem notat. Hęc verò ad ejus obedientiam excitat. Similes loci sunt, Coloss. 1. v. 28. & 2. Timoth. 3. v. 16. Rom. 2. v. 7. 8. Hebr. 10. v. 24. 25. Hanc porro institutionem declarat Synecdochicè, à causa instrumentali, nempe cantionibus sacris: quarum meminit, ut ostendat, ita nos debere verbo Dei vacare, ut etiam, in hilaritate nostra, in ore sit, & usu. Cantiones autem illas, tribus nominibus, distinguit, & à communi forma, & fine, describit. Nomina sunt *psalmi, hymni, cantica spiritualia*; quæ tria, quomodo differant, observandum est. Ac primum *hymnos* esse cantiones sacras, quibus Deus laudatur, extra controversiam est, ut etiam Matth. 26. vers. 30. quales Psalmi sunt, quibus habellu-jah, vel præpositum, vel subjectum est, ut Hieronym. in commentariis ad Ephes. 5. statuit. Sed de reliquis duobus diversa est Interpretum sententia. *Psalmi* enim & *cantici* voces primùm quidam, instrumento distinctas opinantur, ut Commentarii Hieronymo adscripti ad Psal. 85. ajunt: *Psalmus ex psalterio dicitur; canticum verò ex voce profertur*. Sic author Græcus præfationis in Psalmos, apud Basilium: *Psalmus*, inquit, *propriè est, qui organico psalterio concinnè pronuntiatur: Canticum verò, vox musica concinna & ore tantum decantata: dicitur autem canticum, psalmus; & psalmus, canticum, per Catachresin*. Sed de hac distinctione dubito; quia Ode, id est, canticum, generalis vox Apocal. 14. v. 2. 3. & 15. v. 2. 3. sive sola voce, sive etiam cum organo habeatur. Deinde alii hasce voces, materia & argumento discerni putant. Et Hieron. quidem commentariis ad Ephes. 5. ait: *Psalmos propriè ad Ethicum locum pertinere, ut per organum corporis, quid faciendum, quid vitandum sit, noverimus. Canticum verò spirituale de superioribus disputare, & concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem, atque concordiam, edisserere*. Sed, quomodo hanc distinctionem probare potuerit, non video; cùm usus communis sermonis, & Scripturæ latiùs pateat. Nonnulli contrà putant *psalmorum* nomen generale esse, & quibusvis cantionibus convenire: *hymnos* speciale, solas Dei laudes complecti: *Cantica* denique κατ' ἐξοχὴν hymnos magis elaboratè, & artificiosè, multòque augustius compositos denotare: quale est Canticum canticorum. Sed neque hujus distinctionis firmitatem animadverto, aut usum Scripturæ id suadentem. Quocirca in re, ut apparet, incerta, salvo meliori judicio, opinor, *psalmos*, genus, in hoc Apostoli loco, denotare, nempe cantiones sacras quasvis, sive à Prophetis; sive à nobis compositas, 1. Corinth. 14. v. 15. 26. sive sola voce; sive etiam organicas. Atque horum Psalmorum duos, declarationis causa, modos adjungi, *hymnos*, quibus DEUM celebramus; & *cantica*: quæ vox quamvis generalis sit sua natura, & usu; tamen ratione circumstantiæ vocum conjunctarum, Synecdochicè, reliquas, præter hymnos, cantiones sacras, complectatur: quæ cantica *spiritualia*, à causa efficiente, vel materia, aut fine, dici possunt, quod videlicet à Spiritu Sancto profectæ sint; vel quod argumento ei conveniant, ac serviant: sed, ab argumento sic appellari, magis convenit, ut opponantur mundanis. Atque hasce cantiones describit Apostolus à forma, & fine. Illa, est *gratia*, & sinceritas, nempe *in corde*, non solum linguâ, Esai. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8. *Gratia* autem hoc in loco exponi potest: vel de gratia canentis, quâ donatus est à spiritu; ut sit sensus, secundum gratiam acceptam, ut Roman. 12. v. 6. 7. aut de gratiarum actione, qua gratus est erga Deum: vel de gratia auditorum, ut iis grata jure esse possit, ut Ephes. 4. v. 29. Coloss. 4. vers. 7. Quæ postrema expositio non aliena videtur. Finis verò harum cantionum est, *ut canantur Domino*, hoc est, ad Dei aut Christi gloriam. Atque hoc secundum, ex prima tabula, præceptum, ad mandatum tertium pertinet: quemadmodum & sequens tertium, quod, hoc in loco, Versu 17. generalius proponitur, nempe, *in omnibus invocatio Christi, & gratiarum actio, per ipsum*, tanquam mediatorem.

Sequuntur porrò jam tria relata præceptorum paria, quæ ad quintum Decalogi mandatum pertinent, de minorum & majorum officio mutuo. Ac primùm, de uxoribus, & maritis, agit: atque illis quidem, obedientiam præcipit erga maritos; quam, à Dei voluntate, tanquam ratione, confirmat; aut tanquam normâ illustrat, vers. 18. Ab hisce verò nempe maritis, amorem, & lenitatem exigit, Vers. 19. Secundò de liberis, & parentibus agit: & illis obedientiam absolutam, nimirum usque ad aras, seu quatenus pietati non repugnant, Actor. 5. vers. 29. præscribit; eamque, ab adjuncto, confirmat, quod Deo grata sit, Vers. 20. his verò benignitatem præcipit; & à fine confirmat, ne liberi, nimio parentum rigore, despondeant animum, Vers. 21. Tertiò servorum, & dominorum officia exponit: ac servis obedientiam præscribit: *Servi*, inquit, *auscultate iis, qui Domini sunt, secundùm carnem*. Qua distinctione, partim consolatur, quod animo liberi sint, & coram Deo; ut eo patientiùs servitutem ferant: partim ut ad officium stimulet; ut dum se in Christo liberos cogitant, sciant tamen se esse, secundum carnem, servos. Hanc autem obedientiam describit, à materia subjecta, cum ait: *per omnia*; & ab adjuncta sinceritate, quam per aphæresin, & thesin confirmat, Vers. 22. & à fine, nempe Dei gloria, Vers. 23.

Verum cum hujusmodi obsequia, dura sint servis; ea, duplici ratione, confirmat: primum à consequente præmio vitæ æternæ: quod prudenter *hæreditatem* vocat, ne quis meritum esse putet. Cujus præmii rationem adfert, quia Domino Christo agonothetæ, & brabeutæ serviunt, nimirum, cum secundum voluntatem Christi Dominis suis parent, Vers. 24. Deinde, à consequente pœna, in injustos quosvis, servos, aut Dominos: quod, anticipatione quadam, declarat, à Dei justitia, quia non est acceptor personarum, hoc est, non secundum externam ac fallacem rerum speciem, iniquè; sed ex re ipsa justè judicat: nam πρόσωπον, & ὄψις, *persona*, & *facies*, veræ causæ justi judicii, opponuntur, Deuter. 1. v. 16. 17. Johan. 7. v. 24. Levit. 19 v. 15.

CONSECTARIA.

I. Quoniam ea quærenda sunt, non quæ super terram, sed quæ supra sunt, ubi Christus est ad dextram Dei sedens, sequitur, contra Ubiquitarios, primum, Christum non esse in terris, secundum humanam naturam; etsi natura divina, cælum & terram impleat. Secundò neque ex sessione ad dextram Dei ubiquitatem corporis Christi concludi posse, v. 1.

II. Christi capitis nostri gloria, qua fruitur, nondum hominibus patefacta est; Ergo æquo animo ferendum est, si coram mundo contemnamur, v. 3. & 4.

III. Cum Christus nostra sit vita, ab eo solo, salus speranda est, eique serviendum, vers. 4.

IV. Cum peccatis nostris pugna debet esse irreconciliabilis, ut ea non solum reprimamus, sed etiam extinguere studeamus, pro virili.

V. Non illi solum sunt idololatræ, qui exterius idola conspicua colunt; sed etiam quicunque fiduciam, Deo soli debitam, in alia re aliqua collocantes, ex ea numen constituunt, vers. 5.

VI. Quamvis debita, inobedientiæ contra Deum, pœna, interdum differtur; tamen non aufertur: ac propterea contemnenda non est Dei lenitas. Roman. 2. v. 4. 5. 6. sed venienti iræ illius occurrendum est, seria resipiscentia. vers. 6.

VII. Recordatione, & pudore veteris improbæ vitæ, ab im-

ab improbitate eò ocius & remotiùs fugiendum est, v. 7.

VIII. Beneficia Dei erga nos, jure, ad sanctam, & gratam ipsi, vitam, instigare nos debent.

IX. Vera misericordia non in externâ specie sola, sed in animi sinceritate potissimum consistit, v. 12.

X. Propriæ infirmitatis (qua alios subinde offendimus, & tolerandi sumus) conscientia, ad aliis condonandum, acuere nos debet.

XI. Christi meritum, & exemplum, ad pietatem, & charitatem, nobis prælucens, imitandum est, v. 13.

XII. Quod multis virtutibus & officiis erga proximum, careamus, illud charitatis exiguitatem, in nobis, arguit, v. 14.

XIII. Cùm sermo Christi in nobis habitare debeat copiosè: sequitur errare graviter Concilium Tridentin. quod sermonis Christi lectionem, omnibus Christianis, laicis, uti vocant, communem esse non vult; sed certis tantùm concedi; iis nimirum quibus ab Episcopo, aut Inquisitore, consilio Parochi, vel Confessionarii, id permissum sit: ut extat, in indice librorum prohibitorum, regula quarta. Quod eleganter refutatur, ut alia omittam, in commentariis priscis, Hieron. ascriptis, ad hunc locum, hisce verbis: *Hic ostenditur verbum Christi, non sufficienter, sed abundanter, etiam laicos habere debere, & docere se invicem, seu monere:* & Chrysost. ad eund. locum, *Inhabitet,* inquit, *in vobis opulenter: non simpliciter, sed cum multa opulentia. Audite, quotquot estis mundani, & uxoribus præestis, ac liberis, quomodo & vobis potissimum præcipiat scripturas legere; idque non simpliciter, neque obiter, sed magna cum diligentia,* &c. v. 16.

XIV. Cum opus nostrum, ab invocatione Dei, inchoari, & gratiarum actione finiri debeat; peccant graviter in fidem, & charitatem, erga Deum, qui suis viribus freti, ad negotia sua se conferunt; & iis peractis, felicem successum, ingrati in Deum, sibi tribuunt.

XV. Christus mediator noster est, per quem accessus nobis ad Patrem, & opera nostra Patri placent, v. 17.

XVI. Non quod nobis, sed quod Deo gratum est, fieri à nobis decet, v. 18. & 20.

XVII. In officiis nostris erga proximum requiritur sinceritas, ad quam Dei timor plurimum conducit, v. 22.

XVIII. Mercedis vitæ æternæ recordatio, difficultates, & labores, in officio nostro præstando, mitigare debet.

XIX. Ut ingratitudo hominum ab officio suo multos deterret: sic contrà, Christi, cui servimus, dignitas & benignitas confirmare in officio, & consolari nos debent, v. 24.

XX. Justitia Dei vindicis, ac judicis, ad peccati fugam, stimulus est, v. 25.

CAPUT QUARTUM.

Absoluto capite tertio, sequitur quartum, & ultimum: cujus prima pars, imperitè admodum, à capite tertio avulsa est. Declarat enim primum relatum Dominorum erga servos officium, nempe æquitatem in servos. Ad quam, à conditione pari (quod Domini etiam sint servi Dei, justi scilicet judicis) hortatur vers. 1. Cui præcepto, tria reliqua subjiciuntur: quorum primum, præcipuè ad primum præceptum pertinet. Nam ad invocationem Dei Colossenses excitat: quam illustrat primum, distinctione partium; cum & *preces* (seu petitionem Beneficiorum) & *gratiarum actionem* pro acceptis commendat; deinde à circumstantia adjuncti, & subjectæ specialis materiæ declarat: docet enim qualis esse debet precatio, & pro quibus. Adjunctum est perseverantia, vers. 2. subjectum, seu materia specialis, est Pauli in Euangelii (quod Christi mysterium vocat, ut Matth. 16. v. 17. & 1 Cor. 2. v. 7. 8. exponitur) prædicatione primùm παῤῥησία. Cujus necessitas & difficultas, ex præsenti conditione, & captivitate Pauli, indicatur, vers. 3. Deinde rectitudo, cum ait: *ut illud patefaciam, sicut oportet,* hoc est, verè, constanter, prudenter, vers. 4. similis locus est, Ephes. 6. 19. 20. Altera hortatio est, ad prudentiam Christianam in vitæ modo, inter extraneos, ab Ecclesia, seu inter infideles; de qua re, Matth. 10. v. 10. 11. *ut occasionem rediment,* hoc est, cum damno etiam suo, infideles Christo lucrifaciendi opportunitatem captent, versu 5. Postrema hortatio est ad *sermonis* rectitudinem: in qua requirit suavitatem, utilitatem, prudentiam, vers. 6. Atque hactenus explicuimus alteram hujus Epistolæ partem, seu doctrinæ, & hortationum tractationem. Sequitur tertia, nempe *conclusio* totius Epistolæ; quæ constat primùm commendatione Tychici & Onesimi; *Salutatione, mandato,* & *subscriptione*: nam primum *Tychicum* (de quo Actor. 20. v. 4. Ephes. 6. v. 21.) commendat vers. 7. & 8. deinde *Onesimum*, de quo Epistola ad Philemonem, vers. 19. Salutatio autem est duorum modorum: nam primùm aliorum nomine salutat Colossenses; quos salutantes, singulos ferè, suis ornat Encomiis, ut eò gratiores sint Ecclesiæ, & magis utiles. Primus autem est *Aristarchus*, de quo Actor. 19. v. 20. Alter est *Marcus:* quem commendat prudenter, ne suspectum habeant, ob culpam admissam, in remissione officii, de qua re Actor. 15. v. 38: nam ab eo tempore sedulum fuisse in officio innuitur, 2. Timoth. 4. v. 11. Tertius est *Iesus, qui vocatur Iustus.* Hoc autem nomen, à Græcis, pro *Iosua*, usurpatum est, ut ex Jesu Syrach apparet, & Josua, filio Nun, qui à Græcis Jesus dicitur, ut etiam Hebr. 4. v. 8. Quamobrem, licet sine scelere, Christiani eo nomine suos liberos similiter possent insignire: tamen post Iesu Christi tempora, ad majorem erga Christum reverentiam, ab eo nomine cautè abstinuerunt. Atque hosce tres, Aristarchum, Marcum, Jesum, describit bifariam; primùm à gente, *qui sunt ex circumcisione,* hoc est, è Judæis circumcisis, per Metonym: ut Ephes. 1. v. 11. quamvis enim Aristarchus dicatur Macedo, Actor. 19. v. 29. tamen gente potuit esse Judæus, ut Paulus Tharsensis patriâ, gente verò Judæus: secundo commendat à fidelitate, quod soli, nimirum ex Judæis, Paulum in Euangelii prædicatione, & Ecclesia Christi ibidem propaganda, juverint vers. 11. Quartus est *Epaphras,* quem non solùm à munere publico; sed etiam à virtute, nempe charitate, ac ferventi, erga Colossenses, & vicinas Ecclesias, studio, commendat v. 12. & 13. Quintus est vers. 14. *Lucas medicus,* ut verisimile est, ac vulgò sentiunt, *Euangelista,* fidus Pauli comes, ut Acta Apostolorum demonstrant. Sextus est *Demas.* De quibus ad Philemonem vers. 24. Atque hic primus salutationis modus, quo, aliorum nomine, salutem Colossen. ascribit Apostolus. Alter modus est, quo ipsemet Paulus per Colossenses alios salutari curat, vers. 15. Post salutationes verò addit mandatum triplex: quorum primum est, ut hanc Epistolam etiam in Laodicensium Ecclesia legendam offerant. Alterum, ut vicissim eam, quæ ex Laodicea, ipsi quoque legant. Cujus loci varia est interpretatio, primum enim quidam de Epistola Pauli ad Laodicenos exponunt: sed quænam ea sit, inter illos non convenit: nam Marcion de Epistola ad Ephesios intelligit, ac propterea, ut hic hæreticus diligentiam suam commendaret, titulum Epistolæ ad Ephesios interpolavit, & ad Laodicenos inscripsit, ut author est Tertullian. contra Marcio. lib. 5. cap. 17. Nonnulli verò de alia accipiunt, quemadmodum & Faber Stapulensis in commentariis suis ad hunc locum, cujus verba ascribere, non inutile existimamus: *Epistola,* inquit, *quam misit Paulus ad Laodicenses, inter Epistolas ejus nunc non continetur; Verùm unam, titulo Pauli ad Laodicenses insignitam, quatuor in locis reperi: primum Patavi, in cœnobio Sancti Ioannis de viridario; Coloniæ, apud Fratres communis vitæ; Lutetiæ Parisiorum, in Bibliothecis, Eduand, & Sorbonica.* Hactenus Faber; qui præterea exemplar Epistolæ ascribit, & laudat. Veruntamen hanc sententiam rectè refutant veteres, Photius apud Oecumenium, & Theodoretus apertè in commentariis, ad hunc locum, ait: *Fictam Epistolam proferunt: nam Apostolus non dixit, ea quæ est ad Laodicenses, sed quæ ex Laodicea.* Quod autem objicitur adversus hanc Patrum expositionem, non dici à Paulo quę ex Laodicea scripta est; sed simpliciter *quæ ex Laodicea;* ac propterea posse exponi, quę ex Laodicea petenda est: illud inquam

inquam durius dicitur, & phrasi insolentiori. Interim observandum est, Epiphan. contra hæreses lib. 1. tomo 3. hæresi.42. contra Marcionem, in recensione Epistolarum Pauli, quas Marcion mirifice mutilarat, & ordine alio recensebat, numerare etiam Epistolam ad Laodicenses, quæ Marcioni fuit undecima: ex qua locum citat, qui extat Ephes. 4. v. 5. 6. sed in Fabri Stapulensis Epistola illa, ad Laodicenos, deest. Unde concludi potest, aliam olim extitisse Epistolam ita dictam, quàm quæ jam prodiit: quam à Monacho aliquo consutam esse, ex aliis Epistolis Pauli, minimè dubitandum. Una autem est difficultas, in Tertulliani, & Epiphanii conciliatione: ille enim nullam facit alterius Epistolæ, ad Laodicenos, mentionem, quàm ejus, quæ ad Ephesios: contra hic, Epistolam ad Ephesios, Marcioni esse septimam, ordine; Epistolam verò ad Laodicenses undecimam testatur. Ac quamvis locus, quem citat, extet ad Ephesios; tamen potuit etiam extare, in Epistola ad Laodicenos: quemadmodum Epistola, quam Faber describit, ex aliarum Epistolarum particulis conflata est. Una autem solutio, rem diligentius perpendenti, occurrit, quod Tertullianus ait: *Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit*: quo indicare videtur, eum sententiam hanc mutasse; eaque ratione fieri potuit, ut eam, quæ ferebatur vulgò, Epistolam ad Laodicenos, in ordinem Epistolarum Pauli, tandem recepit, aut forte ipse finxerit primus. Quare hac priori confutata sententia: altera perpendenda est. Doctiores enim plerique, epistolam ex Laodicea, non de epistola ad Laodicenos, sed descripta ex urbe illa exponunt, sed conjecturâ variâ: Theophylactus enim Pauli epistolam primam ad Timotheum intelligit: id quod confirmari potest, subscriptione illius Epistolæ, qua dicitur missa esse Laodiceâ. Sed hæc opinio refutatur ex Epistola ad Coloss. cap. 2. v. 1. quo loco Paulus satis clarè testatur Laodicenam Ecclesiam sibi nondum fuisse visam, cum hanc ad Colossenses scriberet. Deinde ad subscriptionem quod attinet, rectè, suppositițiam esse, ostendit Doctissimus Beza, ad eum locum: nec enim subscriptiones illæ epistolarum Pauli, ab ipsomet Apostolo appositæ sunt: sed postea paulatim, ex conjecturis scriptorum, adjectæ sunt: ut multi Interpretes, variis argumentis, demonstrant. Quamobrem alii non de epistola Pauli, quam Laodicææ scripserit, sed de Laodicenorum Epistola exponunt, bifariam. Ac primùm quidem de missa ab iis ad Paulum, ut Theodoretus declarat. Nam quod adversus hanc sententiam objicit Theophylactus, se haud scire, quid illa Epistola Colossensibus emolumenti ad emendationem adferre potuerit. Responderi potest, ex Theodoreto, verisimile esse Laodicenos, vel ea accusasse, quæ fiebant Colossis; vel eodem morbo, cum eis, laborasse. Secundò quidam conjiciunt, agi de epistola Laodicenorum qua responsuri essent Colossensibus. Sed quàm probabiliter hoc dicatur, non video. Utut sit, hoc certum est, agi de Epistola, scripta ex urbe Laodicæa, quam legere, Colossensium intererat. Deinde probabile valdè est, agi de Epistola eorum ad Paulum. Atque hæc de primo Pauli ad Coloss. mandato; v. 16. Alterum est ut *Archippum verbi ministrum* ad officium excitent, *ut impleat ministerium*, hoc est, rectè, ac strenuè eo fungatur, ut 2. Tim. 4. 5.

Quam hortationem periphrasi à causa efficiente, ac vocantis authoritate confirmat, *quod accepistis*, inquit, *à Domino*. Similis locus est Actor. 20. v. 28. Denique subjicitur *Epistolæ subscriptio* genuina; qua primum testatur salutationem sua manu subscribi: nam per alios scribebat epistolam, Roman. 16. 22. excepta Epistola ad Galatas cap. 6. v. 11. ipse verò subscribebat, ut suam Epistolam, ab adulterinis, & suppositițiis, distingueret, 2. Thessal. 2. 2. & 3. 17. 18. Duo præterea subscriptio continet: hortationem ad memoriam vinculorum suorum, nempe in precibus, Coloss. 4. 3. & deinde reliquo tempore, ad constantiæ exemplum, Philip. 1. 14. Deinde valedictionem solennem, aliàs expositam.

CONSECTARIA.

I. Cum omnes habeamus in cælo communem Dominum; in rebus secundis colere debemus justitiam, ne aliis injuriam inferamus; & in adversis patientiam, ut injuriam aliorum, Dei providentis scientiâ, & potentiâ freti, ferâmus, v. 1.

II. Cum Paulus Apostolus ab Ecclesia preces pro se concipi voluerit, ut liberè, & rectè verbum Dei annunciaretur, multo magis id nos decet.

III. Inde etiam sequitur liberam, & rectam verbi divini annuntiationem, esse Dei donum.

IV. Cùm Euangelium sit mysterium, non mirum est, si mundus non capiat.

V. Prædicationis Euangelii comes, est crux; quæ exemplo vincti Pauli constanter ferenda est, v. 3.

VI. Errant graviter, qui in vitæ, & sermonis ratione, ac modo, nullam infidelium habent rationem, v. 5.

VII. Pastorum officium est, afflictos consolari, non solùm præsentes, sed etiam absentes, v. 8.

VIII. Cùm vox *Jesus*, quamvis diversa significatione, fuerit communis multis hominibus, Christi tempore, sequitur errare eos superstitiosè, qui, ea voce audita, caput necessariò detegendum putant: cùm, ad vocem Christi, Dei, Jehovæ, immoti perstent.

IX. In rebus adversis pauci sunt fidi, ut Pauli experientiâ apparet; quæ res (si idem nobis eveniat) consolari debet, v. 11.

X. Quemadmodum Ecclesia pro ministris verbi, ex officii ratione, precari debet: sic vicissim ministrorum est, perpetuò, pro Ecclesiæ progressu, DEUM orare, & precibus adversus Satanam, mundum, carnem certare.

XI. Non sufficit, ut partim; sed necesse est, ut omninò voluntati Dei parêre studeamus, v. 12.

XII. Zelus, pro incolumitate, & salute Ecclesiæ, in pastoribus postulatur: quamobrem, qui ea in re torpent: officium negligunt, v. 13.

XIII. Non solum officium nostrum, strenuè inchoandum, sed etiam constanter implendum est, v. 17.

XIV. Fidelium omnium, præcipuè verò Pastorum Ecclesiæ, Christi nomine vinctorum, Christianâ misericordiâ, & precibus, memores esse debemus, v. 18.

APPENDIX *de Mendacio*.

Mendacium à Paulo ad Coloss. 3. vers. 9. & alibi in Sacris Literis prohiberi certum est; sed hoc quæritur; An illud de quovis mendacio, absolutè, intelligi debeat? Qua de re, & veterum Patrum, & recentiorum Theologorum diversa est sententia. Primùm enim plerique affirmant. Quæ sententia breviter, hisce, inter cœtera, nititur argumentis. Primum apertis testimoniis Dei, quæ id vetant, Exod. 20. v. 16. Levit. 19. vers. 11. & alibi: & conscientia humana: qua mendacii mendaces pudet, nisi prorsus sint impudentes. Deinde rationibus variis; ac primùm probatur, à causa efficiente, non esse bonum: quia aliàs principium omnis boni Deus, qui summè bonus, illius esset author; quod falsum est: quia Deus est summa & immutabilis veritas, ἀψευδὴς, Tit. 1. v. 2. Jac. 1. v. 13. 17. 1. Johan. 1. v. 5. sed esse malum; quia proprium est opus Diaboli, Johan. 8. v. 44. Secundò à genere, seu materia, & forma communi: quia ut veritas, justitiæ; sic mendacium ei oppositum, species injustitiæ est, cùm suum cuique non tribuat; sed contrà. Tertiò à forma singulari; quia est sermonis, & animi discrepantia: qua id quod non est, esse; aut contrà, id quod est, non esse enunciatur: quod Dei verbo Matth. 5. v. 37. & imagini Dei veracis, ac constantis, quem imitari debemus; & amori illius ex totis viribus, repugnat. Quartò à fine communi, qui est fallere proximum, quod charitati adversatur. Quintò ab effectis variis, qualia sunt, apud homines societatis humanæ violatio, quia columen illius, nempe fides politica, mendacio suspecta redditur: deinde apud Deum pœna, quia iram Dei, & perniciem (nisi fide, & resipiscentia diluatur,)

tur,) affert, Psal. 5. v. 6. 7. Esai 5. v. 20. Sextò comparatè à minori: si otiosa verba illicita sunt, adeò ut de iis reddenda sit ratio, Matth. 12. v. 36. quantò magis falsa verba, seu mendacium. Septimò à contrario: omnis veritas Deo grata est: quia à Deo. Ergo omne mendacium ei adversatur; ideoque ingratum. Plura de hoc argumento petantur ex Augustin. tom. 4. de mendacio ad Consentium; & contra mendacium, ad eundem. Quare ex hisce omnibus meritò concludimus: nullum prorsus mendacium esse licitum. Contrà tamen nonnulli secus sentiunt. Nam, pro finis ratione, diversè judicant; qui si malus est, mendacium *perniciosum* appellant, quo alterius detrimentum quæritur, & omninò illicitum esse agnoscunt; quod charitati proximi repugnet: sin bonus est finis, aliter loquuntur. Nam aut spectatur bonum morale humilitatis, seu *honestum*, ut, cùm modestiæ causâ, ea sibi ascribunt vitia, quibus carent, & virtutes penitus sibi derogant, quibus præditi sunt, & mendacium *humilitatis* dici potest, ab efficiente suo. Aut spectatur bonum naturale: idque vel utile, quo salutem alterius tuemur & mendacium *officiosum* appellant, ab effecto officii: vel jucundum, quo auditorum delectatio quæritur, & mendacium *jocosum*, vulgò nominatur. Quos tres mendaciorum modos licitos esse putant: & primum quidem etiam *necessarium*, & ad virtutem pertinere: ideoque à mendaciorum catalogo, in quo tantùm numeratur *pernitiosum, officiosum, jocosum*, vulgò excluditur. Quamvis justiùs Aristoteles immodicam illam ironiam Socraticam veritatis, virtuti adversam definierit. Itaque hæc universa sententia argumentis superioribus confutatur. Veruntamen quædam, pro hac sententia, afferuntur. Nam Bucerus alioqui insignis Theologus, hac in re, hallucinatus, in commentariis ad Ephes. 4 ait: *non ausim definire mendacium per se esse peccatum:* & primum argumentum adducit à causa efficiente, quod Deus interdum præcipiat: ut cum Israëlitis præcepit, ut commodato, ab Ægyptiis, bona acciperent, Exod. 12. vers. 36. 37. Verùm in eo non fuit mendacium: usum enim vasorum Israelitæ petiverunt, reddituros autem sese, non promiserunt. Aliud autem est, veritatem silere opportune; aliud, contra veritatem dicere, ac mentiri. Deinde addit, etiam Deum mendacium Diabolo præcepisse, & spiritum mendacii dedisse in ore omnium Prophetarum, 1. Reg. 22. Respondent autem quidam, mendacium Dei præcipientis, tanquam justè punientis, ratione, non esse peccatum; sed ratione Diaboli mentientis, & ministrorum illius. Sed hæc responsio, Dei justitiæ, ac gloriæ adversatur: quia non solùm non potest in genere peccare, sed etiam non potest mentiri, Tit. 1. 2. ac sequeretur necessariò, si Deus posset sine peccato præcipere mendacium, propriè loquendo, creaturæ; posset etiam contingere, ut mentiendo non peccaret creatura, quia obedientia voluntaria, præcepto Dei consentiens, non injustitia, sed justitia est. Et sanè mandatum serium, esse causæ efficientis modum, caret omni controversiâ. Quare sanctius dici potest, ac debet, non esse eam historiam propriam rei gestæ: sed visionem allegoricam, in qua, præcipiendi voce, occulta Dei providentia, Metaphoricè, quia similis præcepto, denotatur: quemadmodum aliis in locis quam plurimis. Secunda porrò objectio Buceri continet quædam Sanctorum exempla: & primum ex Vet. Testam. adducit factum Jacobi, cùm, mendacio, fratri præripuit benedictionem. Sed facilis est solutio: Jacobum fuisse mentitum, matre consulente, non Deo mandante nec probante, sed permittente, ac dirigente. Nam quod quidam hoc factum excusant, ac si non propriè, sed figuratè locutus esset: quod primogenitus, & esavus fuerit, non personâ, sed jure; alienum est, quia & venationis suæ, & capturæ, falsò meminit; & à patre Isaaco, disertè fraudis accusatur. Deinde ad alterum exemplum obstetricum apud Pharaonem, & tertium, factum Rachabæ, cum duobus exploratoribus, & Jerichontinis civibus: respondetur, ea mendacia narrari; sed non probari. Neque obstat, quod alii objiciunt; Deum propterea obstetrices præmio affecisse, Exod. 2. v. 20. 21. & Rachab laudari, Hebr. 11. 31. quia Deus pietatem obstetricum spectavit; & actionis modum, quo pietas commaculata erat, gratuitò condonavit. Deinde Rachab non à mendacio, sed ab humanitate, & fide commendatur. Quartum est exemplum Elisæi, qui Syros fefellit, cum ad se comprehendendum venissent, 2. Regum 6. v. 19. Sed illud mendacium dici non potest, quia non negat simpliciter, & absolutè, illam esse viam, & urbem; sed ratione consilii adversariorum, & eventus: quærebant illi prophetam: docet igitur ubinam comperturi sint: etsi enim præsens esset corpore, tamen non ab iis, eo in loco, poterat cognosci. Quintum exemplum est Chusai, qui, ficto consilio, Absolonem fefellit, & Davidi profuit, 2. Samuel. 17. v. 7. 14. Sed illud factum, quamvis, si scopum spectemus, bonum fuit, quod voluerit Davidem juvare; modus tamen non fuit bonus, quod mendacio usus; cum hac in re, tum in aliis: ut cum Absolonem regem vocat: deinde dicit à Deo electum: præterea ei fidelitatem, & operam addicit, vers. 18. 19. Nec obstat quod vers. 14. dicitur: *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile.* Nec enim ea ratione Deus mendacii author dicitur; sed facti gubernator. Quo etiam sensu, scelera, quæ ab Absolone perpetrata, sese perfecturum, metaphoricè, hoc est, gubernaturum prædixit, 2. Samuel. 12. vers. 12. Ejusdem rationis exemplum est sextum, mulieris, quæ nuncios abscondit, quos mittebat Chusai ad Davidem, & mendacio servavit: nam ut factum, & animus, laudanda sunt; sic modus, & circumstantia facti, mendacium scilicet, vituperandum est. Atque hæc exempla ex Veteri Testamento. Ex Nov. autem Testamento adducit exempla Pauli duo: primum, ex Actor. 17. vers. 23. *quem igitur ignorantes colitis*; alterum ex Actor. 23. vers. 6. *de resurrectione mortuorum judicor.* sed in neutro mendacium est: nam primò Athenienses confusè colebant, suâ arâ, Deum verum, qui ipsis ignotus, etsi malè colerent: deinde revera de resurrectione mortuorum judicabatur, nempe non absolutè; sed Christi: nec solum, sed præcipuè, ut Actor. 4. v. 2. & 25. v. 19. & 26. 23. & 1. Cor. 15. v. 15. Quod autem mendacia quædam, in bonum finem, fieri objiciunt, eoque licita: id à Paulo confutatur, qui docet non esse faciendum malum, ut eveniat bonum, Roman. 3. vers. 8. nam ad bona opera, non solum finis bonus; sed etiam principium, & forma, ac medium, eò tendens, bonum, potissimum requiritur. Atque hactenus de hac quæstione, & Epistola ad Colossenses.

FINIS.

ANALY-

ANALYSIS PRIMÆ EPISTOLÆ APOSTOLI PAULI AD THESSALONICENSES.

EXplicatis Pauli Apostoli Epistolis, ad Philippenses & Colossenses, commodum fore arbitramur, si Epistolas ejusdem ad Thessalonicenses exponere & illustrare conemur. Eas enim non solum commendat novitas, quod hactenus à nobis non sunt explicatæ; sed etiam succincta earum brevitas & materiæ utilitas ac gravitas summa: quę attentionem merito concilient: illustres enim illi articuli fidei *de resurrectione mortuorum, de Antichristo & statu Ecclesiæ, de adventu Christi ad judicium*; præter varias, ad officium nostrum & consolationem, hortationes, & documenta necessaria, accuratè pertractantur; adeò ut iis via quædam sternatur ad Apocalypseos intelligentiam pleniorem.

Quamobrem à prima exorsi, descriptionem illius & partitionem præmittemus. *Est autem dogmaticum & paræneticum N.T. scriptum, ab Apostolo Paulo, Ecclesiæ Thessalonicensi, ab ipso collectæ & variis popularium gentilium persecutionibus, ob fidem, obnoxiæ & constanti, primum exaratum ac missum: ut eam in fide, & fructibus illius, charitate, patientiâ, ac spe confirmaret: totamque ecclesiam institueret ac servaret: ad Dei, in Christo, Patris ac redemptoris gloriam.*

Partes autem, ut in reliquis ferè epistolis, sunt tres: quarum extremæ *præfatio & conclusio*, media verò *tractatio*. Ac *præfatio* quidem *inscriptione & salutatione* constat: quarum illa *efficientem ministram & objectum* epistolę, seu quis & cui scribat, exponit. Efficiens rursus est aut *primaria* aut *secundaria*; illa est, quæ Epistolam concepit ac conscripsit: 1.Thess.3.2.5. quæ nomine indicatur *Paulus*, omissâ officii Apostolatus mentione; quod de eo abunde Thessalonicensibus constaret, & ex adjunctis fidissimis Pauli sociis, *Silvano & Timotheo* 2.Cor.1.& 11. eluceret satis: qui duo sunt secundaria efficiens, quæ consensum scripto præbuit: Silvanus enim de quo etiam 1.Pet.5.12. idem est qui Silas, Propheta, Apostolorum legatus Act.15 27. & 32. cujus etiam ministrio ecclesia Thessalon. fuit collecta, Act. 17. 4. & ab eo ac Timotheo confirmata, Act. 17. v. 14. & 18. 5. & 1.Thes.3. 2. Ideoque eos Paulus sibi in inscriptione meritò & opportunè adjungit: quemadmodum Sosthenem 1. Corinth. 1. v. 1. & Timotheum. 2. Cor. 1. vers. 1. & Phil. 1. v. 1. & Col. 1. v. 1. Philem. vers. 1.

Objectum verò cui scribitur epistola, est ecclesia Thessalonicensium. Thessalonica autem fuit urbs Macedoniæ, origine, situ, amplitudine, Theodosii Imperatoris severitate, nobilissima: de qua Plinius, lib.4. c. 10. Strabro lib. 7. Pomponius Mela, lib. 2. & 3. Stephanus de urbibus & Suidas consulendi; in qua urbe, Ecclesia, potissimum ex gentilibus, collecta fuit, à Paulo & Sila, Act.17.3. Verum cum *ecclesia* cætum convocatum notet, ideoque esse possit, vel profanus, vel sacer: isque vel Christo adversus: ut Iudæorum, aut gentilium: vel Christianus, qui Christi nomine congregatus, idcirco opportunè ecclesiam Thessalonicensium à reliquis hac descriptione distinguit: *quæ est in Deo Patre & Domino Iesu Christo.* quod pro varia significatione vocis *in*, variè exponi potest: primò ut propriè subjectum notet: atque ita sensus elegans erit, quæ in Deo & Christo est, tanquam solido fundamento, vera fide radicata. 1.Ioa. 2. 25. *vos in filio & Patre manebitis*; deinde ut *in* notet aliud, nempe, *cum* vel *per*: quemadmodum usus evincit: quorum illud adjunctum & unionem significat, ut sit sensus, ecclesiæ quæ cum Deo communionem habet, ut 1. Ioan. 1. 3. *Societas nostra sit cum Patre & cum filio ejus Iesu Christo:* hoc verò efficientem, ut sit sensus, ecclesiam habere Deum Patrem & Iesum Christum authorem.

Huic inscriptioni epistolæ, annectitur salutatio, ac fausta imprecatio, benevolentiæ testandę & mutuæ comparandæ gratiâ. Est autem non vulgaris, sed Apostolica: ut quæ ad scopum apostolatus egregriè pertineat: qua indicatur quid Thessalonicensium Ecclesiæ voveat, & à quo. Prius est *gratia*, gratuita Dei in Christo benevolentia, & ex ea promanans *pax*, seu felicitas: quæ vovet, non ratione initii, sed confirmationis & incrementi, ut 1. Pet. 1. 2. Posterius est *Deus Pater*, ut causa prima; & *Christus* mediator & causa media ac propinqua, v.1. Nam quod insignis interpres, gratiam ad Deum, pacem ad Christum, distinctè refert, illud cum 1. Thess. 5. 28. non convenit.

Præfatione absoluta, tractatio epistolæ succedit: cujus scopus est confirmatio ecclesiæ Thessalonicensis, in vera fide & fructibus illius, charitate, spe, patientia Christianâ, 1. Thess.3.2.6.10.12.& 4.1. modus verò ac via contendendi ad scopum est laudatio & hortatio. Quare hac ratione partes tractationis sunt duæ: prior ἐπαινετική: posterior παραινετική: quarum illa, narratione, officium pręstitum celebrat, & ad profectum eo modo obliquè insinuatione quadam invitat tribus primis capitibus: hæc verò ad præstandum porrò magis magisque, rectâ & aperta propositione stimulat, c. 4. & 5 & illa rursus laudat officium præstitum, cum à Thessalonicensibus, Capite 1, tum à Paulo, sequentibus potissimum.

Ad prius tractandum utitur gratulatione, qua illis præstitum officium gratulatur: & ne laude superbiant, sed ut humiles perstent, eam Deo authori adscribit, utens narratione εὐχαριστίας actionis gratiarum in precibus: eamque generatim primùm proponit, *quod semper, de omnibus illis, gratias Deo*, cum collegis, *ageret, mentionem eorum faciens in precibus suis*, v. 2. deinde exponit speciatim, inductione materiæ seu officii, cujus ratione gratias agit: laudat enim virtutes quatuor, fidem, charitatem, tolerantiam, spem. Quarum laus cum in actione consistat, illius meminit: hinc *opus fidei, laborem charitatis* vocat. *Opus fidei* hoc loco non formam notat, ut 2. Thes. 1. v. 11. *perficiat opus fidei potenter:* sed effectum, nempe alacritatem in receptione ac professione veritatis, 1. Thessal. 1. vers. 8. & 2. 13. & 3. 5. & 2. Thes. 1. 4. & cultu Dei. 1. Thes. 1. 8. 9. studioque erga Paulum, per quem crediderant, 1. Thes. 5. 6. *Labor* verò *charitatis*, ut Heb. 6. 10. denotat officia charitatis, quę urgente persecutione, laboriosa sunt, 1. Thes. 4. 10. & 5. 11. Tertia virtus est tolerantia, quę est crucis constans perpessio: qualis in Thessalonicensibus, 1. Thes. 1. 6. & 2. 14. & 2. Thes. 1. 4. Quum autem tolerantia Christiana oriatur ex fide & spe: quemadmodum vicissim spes tolerantiâ confirmatur, Rom. 5. 4. ita Paulus hoc loco *tolerantiam spei* vocat, quæ spei causa sit vel effectum: quod posterius magis rei convenit & adjunctę periphrasi, & 1. Thes. 1. 10. & 5. 8. & 1. Cor. 13. 13. Spes enim est quarta virtus, quam commendat in Thessalonicensibus: cujus præcipuum

 objectum

objectum cum sit Dominus noster Iesus Christus, ut v. 10. & Tit. 2. v. 13. docetur, idcirco hoc loco adjicitur. Et virtutes hæ quatuor à sinceritate commendantur, quod non sint fucatæ, ac tantum coram hominibus, qui externam rerum speciem intuentur, sed coram Deo cordium scrutatore, cui omnia aperta sunt: ut Luc. 1. vers. 6. & 1. Thes. 3. vers. 13. & alibi hæc phrasis usurpatur, v. 3.

Cœterum hanc gratiarum actionem illustrat & amplificat, à causa impulsiva, scientia electionis eorum ad vitam æternam: unde fides, spes, charitas, patientia sincera promanat, Tit. 1. 1. Rom. 8. 30. de qua etiam, 2. Thes. 2 13. quæ electio, cum non merito, sed Dei immerita benevolentia contingat, idcirco hanc originem indicat compellatione, *fratres à Deo dilecti*, ut 2. Thes. 2. 13. hæc de Vers. 4.

Hujus verò scientiæ causas exponit Apostolus ex vocatione efficaci: quam describit vocantis Pauli efficacia, & vocatorum Thessalonicensium obedientia. Et illud quidem notatur, primò per aphæresin, quod *Pauli Euangelium*, hoc est, metonymiâ subjecti, prædicatio Euangelii, non fuerit *in locutione duntaxat*, eoque impotens: deinde per thesin, *sed etiam per potentiam & Spiritum Sanctum*, ut 1. Cor. 2. v. 4. *& multam πληροφορίαν*. Per potentiam autem & Spiritum quidam miracula & varia Spiritus Sancti dona intelligunt, ut 2. Cor. 12. 11. 12. Gal. 3. 2. alii vim Sp. S. qua prædicatio est efficax. Sed satius est, ut generatim utrumque complectamur: nam vis Spiritus, in Paulo, fuit gemina; una in miraculis & donis extraordinariis: altera, quâ Paulum direxit & prædicatione Euangelii adspiravit, & auditores convertit: quomodo Euangelium *ministerium Spiritus* dicitur, 2. Cor. 3. v. 6. quibus modis etiam loquitur, 1. Cor. 2. 4. 13. Πληροφορίαν verò, quam certitudinem vel certam persuasionem interpretantur, quidam ad Thessalonicenses referunt, ut fidem eorum notet. Sed nec phrasis huic sententiæ satis convenit, *Euangelium meum est in fide*: nec proximè sequentia id ostendunt. Quare alii commodius ad Paulum referunt, ut παῤῥησίαν illius & sinceram scientiam notet: de qua c. 2. 2. & 3. Hoc autem Paulus confirmat à conscientia Thessalonicensium, cum ait, *sicut nostis, quales fuerimus inter vos, vestri causa*, v. 5.

Cui vocantis Pauli efficaciæ respondet vocatorum Thessalonicensium obedientia, quam describit Fide & Tolerantia Christiana. Fide quidem, quod *sermonem*, hoc est, κατ' ἐξοχὴν euangelium, Christi sermonem, ut v. 8. *receperint*, interius animo persuasi & exterius eum profitentes, Paulo & Silæ præconibus euangelii ipsos vocantibus, sociati, Act. 17. 4. Tolerantiâ Christianâ; quod statim *afflictionem multam* eo nomine perpessi sunt, non offensi. ut Matt. 13. 21. sed contra cum *gaudio*; non naturæ, sed gratiæ, ac Spiritus Sancti paracleti: quod ex consideratione causarum crucis, adeoque ex fide, spe, charitate processit, quod à Deo, Dei nomine immitteretur, ad Dei euangeliique confessionem & gloriam, Ecclesiæ ædificationem, ipsorumque sanctificationem & salutem pertineret. Qua de re Matth. 5. v. 12. Act. 5. 41. 2 Cor. 4. v. 17. 18. Heb 10. v. 34. Iacob. 1. v. 2. & 1. Pet. 1. 6. & 2. 19.

Quam tolerantiam ad consolationem ecclesiæ amplificat Apostolus, à simili, quod ea in re præeuntem habuerint Paulum, 1. Thes. 2. 2. & Act. 17. 5. 13. & Christum, qui nobis exemplar reliquit, ut illius vestigiis insisteremus, Matth. 16. 24. & 1. Pet. 2. v. 21. Heb. 12. 2. quem κατ' ἐξοχὴν Dominum vocat, cùm ratione muneris, seu donationis paternæ & vocationis ad regnum: de qua re Ps. 2. & 110. tum ratione redemptionis, Act. 20. 28. 1. Pet. 1. 18. 19. Rom. 14. 9. 2. Cor. 5. 15. Hæc de Vers. 6. & obedientia Thessalonicensium.

Quam probat ex effectis, ædificatione ecclesiæ, quod fuerint *exemplaria* fidei ac tolerantiæ, *omnibus credentibus, in Macedonia*, Philippensibus, *& in Achaia*, Corinthiis, v. 7. Idque confirmat & amplificat ex causa illius illustri fama, quod à Thessalonicensibus *sermo Domini*, Euangelium, i. e. metonymicè euangelii suscepti fama, *personuit*, *non solum in Macedonia & Achaia*, *sed etiam fides illorum*, hoc est, fidei fama, *in omni loco*, hoc est, longè lateque per hyperbolen, ut Rom. 1. v. 8. quod adeò notum esse ostendit, ut re loquente, non *necesse habeat quidquam ulterius loqui*, v. 8. Eoque testimonium fidelium de quibus, v. 7. adducit: cùm de suo ingressu ad Thessalonicenses, de quo, v. 5. actum: tum de conversione Thessalonicensium; quam describit, cum suis terminis; tum fine. Terminus primus à quo conversi, sunt *idola*; terminus secundus, ad quem conversi sunt, est *Deus*. Conversio autem vel prima est, vel orta. Illa est, quâ quis primum convertitur: & ad Deum solùm pertinet: qui hominis, à Deo per mentis cæcitatem & cordis lapidei duritiem, aversi, per Spiritum S. oculos mentis aperit, Ephes. 1. 18. & cor lapideum aufert, ac novum ac carneum, hoc est, flexile ac ductile efficit ac reformat, Ezech. 36. 26. actumque internum & habitum fidei & charitatis indit, Ier. 31. 33. 34. 2. Tim. 2. 25. hæc verò est, qua hoc habitu donati & conversi, se porrò, Deo adjuvante convertunt: eoque orta hæc conversio, & Deo ut causæ pincipali, Ezech. 36. 26. & hominibus conversis, ut causæ proximæ attribuitur: huc pertinet illud, Ier. 31. 18. 19. *converte me & convertar*, &c. Finis vero hujus conversionis adscribitur duplex: quorum prior est cultus Dei, qui oppositè idolis & mortuis ethnicorum diis, *vivus & verus* appellatur v. 9 alter, exspectatio filii Dei, è cælis; quæ quia cultus Dei causa adjuvans est, ideo filium opportunè describit, *suscitatione à mortuis & liberatione ab ira ventura*, hoc est, metonymicè à condemnatione & morte æterna, Matth. 3. v. 7. quæ iræ seu judicii effectum: qua etiam de causa, cum Jesus, hoc est servator nominetur, aptissimè hoc nomen adjicit v. 10.

CONSECTARIA.

I. PAuli exemplo, ecclesiæ non solùm colligendæ, sed etiam confirmandæ: & ministerii consortes in amore & honore habendi sunt.

II. In Deo & Christo eos esse oportet, qui ecclesiæ nomine gloriantur.

III. Deus gratiæ & pacis causa efficiens est & perficiens, v. 1.

IV. Pro donis ecclesiæ collatis, Deo gratiæ à nobis agendæ sunt.

V. Fides, charitas, spes, tolerantia, Dei sunt illustria dona: ergo de nobis non est gloriandum, 1. Cor. 4. 7.

VI. Fides vera & charitas non sine certamine & labore constant, v. 2. & 3.

VII. De electione aliorum ex charitate, 1. Cor. 13. vers. 7. & ex effectis illius, & vocatione efficaci judicandum est.

VIII. Dei dilectio electionis causa: ergo non hominum merita, v. 4.

IX. Non solum requiritur pastoris prædicatio: sed etiam gregis obedientia, v. 5. & 6.

X. Euangelii & fidei veræ comes afflictio: eoque gaudenti animo eam ferre debemus: & Paulum, ac Christum Dominum imitari.

XI. Tolerantiæ gaudium est Sp. S. donum: eoque pro eo orandus est Deus, v. 6.

XII. Curandum est, ut fide, aliisque virtutibus, ecclesiæ præluceamus, v. 7.

XIII. Eaque demum vera laus est, hisce nominibus longè lateque ab ecclesia commendari.

XIV. Fides vera est, non quæ in simulachra aut creaturas, sed quæ in Deum, v. 8.

XV. Ad veram conversionem, non requiritur tantum aversio ab idolis: sed etiam reversio ad Deum.

XVI. Conversionis finis est, non ut ad vomitum, idola & peccata revertamur: sed ut Deo constanter serviamus, & in Dei filium Iesum credamus, eumque constanti spe exspectemus, v. 10.

CAPUT III.

QUum Apostolus ad fidelium Thessalonicensium, in vera fide & pietate, confirmationem, suum & eorum & mutuum declarasset officium, cap. 1. v. 5. & 9. nunc idem amplificat & illustrat, cap. 2. & sequenti. Ac

ti. Ac primùm propositione rem totam complectitur, deinde expositione accurata confirmat. Propositio est, *ingressum ipsius*, ad Euangelium annuntiandum, & ecclesiam colligendam, apud Thessalonicenses, *non fuisse vanum*, hoc est viribus & fructibus destitutum, ut cap. 1. v. 9. & c. 3. v. 5. idque probat à Thessalonicensium conscientia, vers. 1.

Cui expositio uberior adjungitur: cum enim ingressus hujusmodi dici possit vanus, ratione docentis vel auditorum, utrumque removet Apostolus. Ac primum demonstrat, non fuisse vanum, ratione sui, à v.2. ad 13. virtutum suarum cùm inductione, tum summa: qua in re nulla est ambitio, sed sincera decensque libertas, quia hæc laudatio, efficiente, modo, fine recto constat: non enim ex φιλαυτίᾳ, sed amore veritatis, Dei, & ecclesię promanavit: deinde nec modum vanitate aut importunitate noxia excêdit, sed veritate & prudentia Christiana temperat: veritate; quia pronuntiat ut res est: prudentia Christiana; quia eo tempore & loco erat opportunum, quum passim ecclesiis esset periculum ab Euangelii adversariis, qui Pauli ministerium calumniando, fidelium fidei & saluti insidiabantur, Act. 20. Gal. 1. Phil. 3. denique spectavit non suum commodum, nec gloriam: sed potissimum ecclesiæ Thessalonicensis, in vera fide confirmationem, & inde consequentem Dei Patris gloriam. Cœterum, in virtutum, quas sibi attribuit, inductione, recenset primùm *παῤῥησίαν libertatem in Euangelio Dei annuntiando*; quam, ad humilitatis indicium, à causa prima ac principali Deo describit: deinde amplificat ab altera virtute conjuncta, nimirum *fortitudine Christiana* in tolerentia crucis ac persecutionis; cum antecedentis, apud Philippenses, Actor. 16. tum sequentis, apud Thessalonicenses, Actor. 16. Hæc de v. 2.

Tertia virtus est *exhortationis ac doctrinæ sinceritas*: quam aphæresi & thesi indicat. Aphæresi suam innocentiam ostendit, removetque vitia contraria sinceritati, *errorem*, seu imposturam ac falsitatem doctrinæ: deinde *impuritatem*: quæ aut generatim quemvis impurum animi affectum ac maleficium, ut Rom.6.19. aut speciatim libidinem notat, idque frequentius in Sacris Literis: quod vitium etiam in falsis doctoribus arguitur, 2. Pet. 2. 10. 14. Jud. v. 8. & Apoc. 2. 14. 16. sed prius ut latius patet, ita magis congruit sequentibus: tertiò *dolum*, vers. 3. Thesis verò opponit virtutem sinceritatis: quam convenientia cum vocatione divina describit; quod, *ut ei Deus Euangelium commisit, ita etiam loqueretur*; eoque abfuit error: deinde à modo recto: *quod non hominibus placere studuerit, sed Deo*: cujus causa, quod non hominum instar, de vultu tantùm judicet: sed etiam corda tanquam καρδιογνώστης approbet, v. 4.

Aphæresin autem amplificat, ac confirmat ex effecto: quod non ad gratiam sit locutus, *sermone usus assentatorio*; ut illi solent, qui hominibus placere student. Idque à conscientia ecclesiæ probat, cùm ait, *sicut nostis*. Deinde quod avaritiâ vacaverit; quod juramento confirmat, vers. 5. Præterea à fine: removet enim ambitionem ac studium vanæ gloriæ, idque etiam ex effecto probat; *quod iis non fuerit oneri, quum esse posset tanquam Christi Apostolus*. Quod *onus* quidam de authoritate apostolica exponunt, quod illis imperare noluerit, nec severitate uti, ut 1. Corinth. 4. vers. 21. *quid vultis, in virga veniam*? Alii verò de sumptibus in apostolo alendo exponunt, 2. Corinth. 11. vers. 9. *meipsum servavi vobis ἀβαρῆ, non onerosum*. Quamvis autem primum videatur textui aptius: alterum tamen præferendum, ut etiam versu 9. ostendit: quia ad gloriam pertinet & commodum, ali à discipulis: itaque docet, se suo juri cedendo, avaritiæ & ambitionis notam fugisse, versu 6. Idque amplius declarat simili eleganti, quo φιλαυτίαν amorem suæ gloriæ & commodi, à se removet: & amorem suum erga ecclesiam ostendit, cum asserit, se fuisse *placidum in medio Thessalonicensium, ac si nutrix foveret liberos suos*. Ut enim nutrix, sine elatione & avaritia, suos liberos maximâ demissione ac diligentia liberali fovet, curat, nutrit: ita & Apostolus amore humili ac liberali ecclesiam Thessalonicensium fovit, vers. 7. Similis locus Matth. 23. vers. 37. Quem amorem amplificat ex effecto majori, quod ille & Silas cooperarius in euangelio, *ita Thessalonicensium cupidi fuerint, ut non solùm voluerint illis euangelium Dei impartiri: sed etiam suas animas*, hoc est metonymiâ efficientis, pro effecto, vitas: idque ex amore erga ipsos, quemadmodum 2. Corint. 12. vers. 14. hæc de vers. 8. Deinde quod dixit, vers. 6. & 7. quod illis noluerit, cum posset, esse oneri, sed nutricis instar foverit, probat ex reipsa: quod dum ipsis euangelium prædicavit, labore suo & opere, ut Actor. 18. vers. 3. die nocteque victum sibi quæsierit, ne quem ipsorum sumtu gravaret: quod à conscientia & memoria Thessalonicensium comprobat, v. 9.

Atque ita inductione virtutum apostolicarum proposita, quâ παῤῥησίαν in euangelio prædicando, fortitudinem Christianam in cruce propterea toleranda, sinceritatem, humilitatem, liberalitatem, & amorem suum erga ecclesiam egregium recensuit: tandem summam earum & officii à se præstiti subjicit, cùm communis in vita ac moribus, tum proprii pastoribus in doctrina: in vita quidem, quod gesserit se apud Thessalonicenses, *sanctè* erga Deum, *justè* erga proximum, *inculpatè*, ut nemo merito culpare posset: quibus vita Christiana describi solet, ut Luc. 1. vers. 6. & 15. Tit. 2. vers. 12. Hoc autem confirmat à testimonio humano Thessalonicensium & divino, vers. 10. Atque hoc commune fuit Pauli officium, quod in vitâ sanctè, justè & inculpatè instituendâ situm, omnibus Christianis convenit. Proprium verò, quod ei convenit tanquam euangelii præconi, subjicit ac declarat, quomodo se in docendi munere gesserit: primum ratione causæ, animi ac studii, quod paterno affectu: deinde ratione subjecti, quod non publicè tantum, sed sigillatim unumquemque ipsorum docuerit: denique quo genere doctrinæ sit usus, primum *adhortatione & consolatione*: quæ ad fidem & spem pertinent; quod ad constantiam fidei sit hortatus, & adversus pericula & terrores ingruentes præmunierit; quæ genuina hujus loci sententia est, ut c. 2. v. 2. & 3. & quæ hoc loco subjiciuntur innuunt, v. 11. Alterum doctrinæ genus est *obtestatio* ad opera fidei, ac vitam vocationi divinæ convenientem, Ephes. 4. vers. 1. Coloss. 1. vers. 10. 1. Pet. 1. vers. 15. Tit. 2. vers. 12. quæ vocatio, ut Col. 1. 13. suis terminis, Dei regno gratiæ, & gloria cælesti describitur, v. 12.

Atque hactenus quidem prima hujus capitis pars pertingit, qua Paulus ostendit, ex officio à se præstito, suum ad Thessalonicenses ingressum non fuisse vanum, ratione sui: idem verò nunc probat ratione Thessalonicensium, quos similiter officium præstitisse demonstrat: cujus causam efficientem primùm describit, gratiarum actione, qua laudem Deo adscribit, ne laude superbiant, sed humiles ac grati reddantur: deinde partes officii exponit, obedientiam erga euangelium & tolerantiam crucis. Ac prius suis membris ac gradibus exponit, auditione euangelii à Paulo annuntiati, & fide qua illud exceperunt reverenter, non ut sermonem hominum, sed Dei: quæ fides amplificatur veritate & effectis objecti euangelii: veritate; quod verè sit Dei sermo, à Deo authore profectus: effectis; quod in fidelibus Thessalonicensibus esset efficax, fidem ingenitam confirmando, & spem, charitatem, tolerantiamque Christianam excitando, v. 13.

Idque probat, ab effectu illustri, tolerantia crucis, quam à suis contribulibus Thessalonicensibus erant perpessi. Quod ad consolationem eorum, ut Matth. 5. vers. 12. declarat similitudine ecclesiarum Iudaicarum, quæ à Iudæis afflictæ erant, vers. 14. Quorum impietatem, ad consolationem fidelium, ne offendantur, eorum, qui se populum Dei esse gloriabantur, contumacia amplificat primùm à crudelitate, cùm in Dominum Iesum & Prophetas, quos occiderunt; tum in Apostolos, quos persecuti sunt. Deinde à conjuncta impietate, quod Deo displiceant. Denique ab injustitia, in quosvis, & invidia in gentes; injustitia, quod hominibus omni-

omnibus, tam Judæis quàm gentilibus, in Euangelii negotio, adversentur: nam quod quidam passivè vocem ἐναντίων accipiunt, alienius est, v. 15.

Invidia, quod Apostolos, gentibus, euangelium, quo serventur, loqui prohibeant, ut Actor. 13. vers. 45. & 17. 4 5. Ne verò scelerum horum impunitas ullum infirmiorem, ex Thessalonicensibus, offenderet, ostendit mensuram peccatorum ipsorum nondum esse plenam: ut Gen. 15. vers. 16. Matth. 23. vers. 32. sed magis magisque semper compleri: nam iram Dei & pœnam iis imminere ad finem asserit. Quod vel de fine peccatorum exponi potest, cum mensura impleta erit: vel temporis, quod exitium perpetuum iis immineret ut Dan. 9. 26. 27. Matth. 24. v. 16. Luc. 21. 20. quod intelligendum de Judaico populo, bona parte infideli & Euangelii adversario, non autem de fidelibus & electis illius populi, de quorum *revocatione* & restitutione, Rom. 11. insignis prophetia. Hæc de v. 16.

Quum verò afflictionum à Thessalonicensibus perpessarum meminerit Apostolus, anticipatione objectionis, quod non ilico ad eos confirmandos, accurrerit, sese excusat variis modis, ut infirmioribus consuleret. Prima excusatio est, quod *ad tempus horæ* abfuerit: quod quidam temporis momentum interpretantur, ut brevitas temporis & absentiæ notetur: alii verò, ad tempus vertunt, ut aliqua diuturnitas notetur, quoniam studium vehementius quod adjicit Apostolus, brevitati ac momento temporis non videtur satis convenire, sed aliquam moram designare: deniq; non incommodè verti posset, *ad tempus opportunum*: quemadmodum, Rom. 13. 11. *hora est*, hoc est tempus est opportunum, *ut ex somno excitemur*: ut hujus loci sit sensus, donec per Dei voluntatem & vocationis atq; ædificationis ecclesiæ ratio-nem erit commodum: eoq; spem opportunæ præsentiæ, absentiæ perpetuæ opponit. Altera excusatio absentiæ est, quod absens sit non simpliciter & omnino, sed conspectu tantùm, non autem animo: quod eos habeat in memoria & amore perpetuo præsentes. Tertia; quod absentia corporis amorem non imminuerit, sed auxerit: eò, inquit, *vehementius studuimus videre faciem vestram, cum multo desiderio*, v. 17.

Quarta excusatio est à conatu Pauli, quod voluerit & conatus sit semel atque iterum, eos invisere: sed impeditus fuerit à Satana, Dei & salutis ecclesiæ adversario, unde etiam nomen habet: qui per homines impios varias remoras sancto proposito injecit, v. 18. Atq; hujus animi sui ac conatus causam impulsivam annectit, quod Thessalonicenses sint spei, gaudii & coronę Pauli, die ultimo coram Christo agonotheta ac munerario, materia, ut Matt. 25. 21. Phil. 4. 1. 2. Tim. 4. 8. idq; partim proponit per interrogationem, ad ipsorum conscientiam provocans, v. 19. partim assertione reponit ac repetit ad rei & animi sui certitudinem clariorem, *vos enim estis gloria nostra & gaudium*, v. 20. Cœterum ne quis arrogantius à Paulo factum esse putet, observandum est gloriationem esse geminam: aliam quæ neglecto Deo, homine nititur, hoc est, sapientiæ, potentiæ, dignitati humanæ, plus quam par est, ambitiosè tribuit: quæ gloriatio est injusta, quia Deo derogat doni & successus dati laudem propriam, & homini arrogat alienam. Qua de re Ier. c. 17. v. 15. *Benedictus qui confidit in Domino & cujus spes Dominus est: maledictus verò qui confidit in homine*, &c. & 1. Cor. 4. 7. *quid habes quod non accepisti, &c.* Altera gloriatio est, qua quis suæ imbecillitatis & indignitatis conscius, gratâ mente, Dei dona in se collata, ad Dei gloriam & exemplum aliorum prædicat: quæ gloriatio, quia ex amore Dei & veritatis proficiscitur, Deoque tribuit quod suum est, nec sibi quicquam falsò, aut cum proximi contemtu arrogat, & ad finem rectum dirigitur, justa omnino est & à vitiosa ambitione aliena, qualis hæc Pauli est, qui officii & à se & à Thessalonicensibus præstiti laudem Deo copiose adscripsit.

CONSECTARIA.

I. Bonorum præconum Euangelii ministerium, non vanum, sed virtutibus ipsi convenientibus instructum esse decet, v. 1.

II. Virtutum autem hujusmodi, exemplo Pauli, prima est παῤῥησία in euangelio annuntiando, Dei voluntate & fiducia promissionis nixa: eoque laus illius auctori Deo adscribenda.

III. Altera est fortitudo Christiana in afflictionibus, contumeliis, certaminibus, Euangelii nomine perferendis, vers. 2.

IV. Tertia virtus, est hortationis sinceritas & veritas, imposturæ, impuritatis, doli expers, v. 3. & 4.

V. Quarta, pietas, qua Deo, non hominibus, contra Dei voluntatem, placere studeant, v. 4.

VI. Quinta, liberalitas animi, ut alieni sint ab avaritia, vers. 5. 9.

VII. Sexta, humilitas, animusque ambitionis & elationis expers, & suo jure ad ædificationem interdum cedens, v. 6.

VIII. Septima, humanitas in Ecclesia placidè fovenda. v. 7.

IX. Octava, amor flagrans erga ecclesiam, ut boni pastoris instar, non solum euangelii pabulum impertiant, sed etiam animam pro ea exponere parati sint, vers. 8.

X. Ecclesia non est temere gravanda: sed si necessitas & ædificatio postulet, gratis etiam ei serviendum.

XI. Quum Paulus, ad veritatis confirmationem, & proximi ædificationem, & Dei gloriam, Dei instinctu, ipsum testem invocet ac juret, v. 5. & 10. sequitur errare Anabaptistas, qui omne juramentum Christianis prohibitum ac malum esse contendunt.

XII. Vivendum justè, sanctè & inculpate coram Deo & hominibus, v. 10.

XIII. Pastores erga ecclesiam paterno amore esse decet: nec solum conjunctos; sed etiam singulos ad fidem & vitam sanctam stimulare, v. 11. & 12.

XIV. Vicissim auditorum officium est Euangelium verâ fide & reverentia excipere, & ut potentiam seu efficax Dei instrumentum colere, v. 13.

XV. Deinde exempla tolerantiæ piorum, ad patientiam Christianam ipsis proponenda & imitanda sunt, v. 14. & 15.

XVI. Quum delictorum mensuram plenam Dei vindicta sequatur; curandum, ne aut lenitate Dei abutamur, aut impunitate improborum offendamur, vers. 16.

XVII. Pastores ecclesiæ suæ licet corpore absentes, animo tamen & amore præsentes esse oportet, vers. 17.

XVIII. Orandus est Deus, ut Satanæ impedimenta benignè arceat, vers. 18.

XIX. Quum fidelibus pastoribus die ultimo conferenda sit à Christo corona, eorum est, non minus, quàm Ecclesiæ, in omnibus difficultatibus, eò intentos strenuè officium facere, vers. 19. & 20.

CAPUT III.

Superiori capite, excusare cœpit Apostolus suam, in afflictione Thessalonicensium, absentiam, à pręsentia animi ac memoria: deinde à desiderio eos invisendi: præterea à conatu: hoc verò capite, idem postremum excusat, à missione Timothei, per quem, tanquam per legatum & vicarium suum, illos inviserit, constantiamq; illorum intellexit: & à precibus, pro felici propositi ad ipsos itineris successu & ecclesiæ in pietate incremento: nam primum missio Timothei: deinde illius reversi testimonium; denique orta in Paulo consolatio ejusque effecta exponuntur.

Ad prius quod attinet, declaratur missionis causa impulsiva, subjectum & finis Causa impulsivâ est amor, impatiens absentiæ. Et amorem notat, cum ait, *quamobrem*, id est, *quia estis gloria nostra & gaudium*, c. 2. 20. impatientiam absentiæ notat, cum ait, *non amplius ferentes*, nempe, *quod vobis orbati sumus*, c. 2. 17. hoc enim videtur aptius, quàm quod de desiderio exponitur. Hujus autem amoris magnitudo amplificatur eo quod suum commodum ecclesię postposuerit, malueritq; Athenis, Act. 17. 15. solus relinqui & sese adjutore privare, totumque onus muneris subire, quam ecclesia illa diutius orbari, vers. 1. Deinde subjectum missionis est legatus *Timotheus*, qui describitur primum à religione, quod

quod sit *frater*, qui eundem, per Christum, habeat patrem cœlestem, qui genuit: & matrem Ierusalem cœlestem, ecclesiam, quæ concepit ac peperit, Gal. 4. 26. Heb. 12. 12. deinde à munere quod sit *minister Dei*, hoc est κατ᾽ ἐξοχὴν in Euangelio docendo & colligenda ecclesia: denique ex effecto, nempe fideli muneris executione, quæ comparatè exponitur, *quod euangelium annuntiet*, & ea in re, Paulo *sit adjutor*. Quę descriptio proponitur, ad amorem Pauli demonstrandum, ac mutuam benevolentiam comparandam & authoritatem doctrinę Timothei conciliandam, convenienter epistolæ & legationis scopo ac fini. Qui tertiò adjicitur, nimirum, cùm Thessalonicensium in fide confirmatio & exhortatio v. 2. tum constantia in afflictionibus, quam commendat Apostolus insertis argumentis duobus: primum à Dei voluntate ac vocatione, quod ad crucem ferendam constituti sint, Ioa. 16 33. Act 14. 22. 2. Tim. 3. 12. Idq; eorum conscientiâ probat, deinde à prædictione Pauli, cui ut fidem adhibuerant, ita eventus confirmavit: eoque, ut Ioa. c. 17. 1. 4. non est cur offendantur, v. 4. Quam afflictionem etiam alteram fuisse causam impulsivam missionis ostendit, quod metueret, ne afflictionum gravitate, ad defectionem à Satana essent tentati ac solicitati: & ita ratione spei Pauli, & fructus ipsorum, inanis redditus esset Pauli, in euangelio iis prædicando, labor: nam ita Satanam tentatorem vocat Synecdochicè pro tentatore malo & quidem κατ᾽ ἐξοχὴν ut Matt. 4. 2. quod ex malo animo, malisque artibus, hominum fidei & saluti insidietur & ad defectionem & exitium solicitet, v. 5. Porrò narratâ Timothei missione, adjungitur deinde altera hujus capitis pars reversi Timothei, de Thessalonicensibus, testimonium honorificum: quod indicat generatim, cum *lætum nuntium* vocat: deinde speciatim, cum Thessalonicensium fidem & charitatem commemorat: deinde nominatim mutuum erga Paulum amorem, quem grata illius memoria & desiderio vivendi mutuo exprimit; ut enim Paulus iis sese animo præsentem & eorum cupidum testatus est, c. 2. 17 sic idem vicissim Thessalonicensibus attribuit, v. 6. Atq; ita postrema capitis pars annectitur, hujus testimonii fructus, consolatio Pauli ejusq; effecta. Consolatio est, quod in *omni afflictione, & necessitate*, seu re adversa, audita eorum fide recreetur, v. 7. idq; amplificat, cum ait, *se nunc vivere*, hoc est, vitam non esse acerbam, sed vitalem & jucundam: modò perstent in Domino Iesu Christo, vera fide radicati ac superstructi, v. 8. Deinde effecta hujus consolationis subjicit, primùm agnitionem immensarum gratiarum, quas Deo rependere debeat, pro universo & coram Deo, hoc est, sincero gaudio, ex Thessalonicensibus percepto, v. 9. secundò precationem, cum antecedentem, pro facultate eos videndi, ad fidem eorum complendam, v. 10. tum pręsentem, partim pro felici itineris ad Thessalonicenses successu, ac directione, ut Satanæ & ministrorum illius impedimenta amoliatur, v. 11. partim pro fidelium incremento: primùm in charitate, cùm mutua, quæ inter fideles viget ac φιλαδελφία dicitur: tum in omnes, etiam infideles & inimicos, idq; simili amoris sui erga ipsos illustrat, v. 12. secundò in sanctimonia cordis, corã Deo, hoc est, ut Gen. 17. 19. sincera, quæ ei, ut soli sapienti justoq; καρδιογνώστῃ Luc. 16. 15. probetur: idq; non ad breve tempus, sed in adventum Domini Iesu Christi ut c. 5. 23. qui, cum omnibus suis sanctis, comparebit die ultimo, judicaturus vivos & mortuos. Atqui hoc modo transitione commoda Apostolus ad alteram tractationis epistolæ partem, quæ ad opera fidei pertinet, viam sternit. Verum cum sanctimonia nostra sit, in his terris imperfecta: quia regeneratio imperfecta est, carnis reliquiis adversus spiritum concupiscentibus: adeò ut opus sit agnitione peccatorum nostrorum & pugna adversus carnem perpetuâ, Rom. 7. 22. 24 Gal. 5. 17. 1. Ioa. 1. v. 8. Eph. 4. v. 22. 23. quæri potest, quomodo sanctimonia nostra dici possit *coram Deo*, quæ Deo probetur. Verùm respondetur, eam probari, non simpliciter per se, sed per Dei gratiam, propter intercessionem mediatoris Christi, propter quam imperfectio condonatur: Deus enim quod Sp. S. in nobis operatur, agnoscit ac probat, & quod à nobis accedit contagii, propter satisfactionem Christi, ignoscit ac condonat: quâ de re illustris admodum locus est, Heb. 13. 21. *Deus perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam illius voluntatem, efficiens in vobis, quod acceptum sit, in conspectu suo, per Iesum Christum*, & 1. Pet. 2. 5. dicitur de fidelibus, quod *sint sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo, per Iesum Christum.*

CONSECTARIA.

I. MInistros euangelii decet tanto amore ergà ecclesiam flagrare, ut sua etiam commoda eccclesiæ lubenti animo postponant, v. 1.

II. Laboranti ecclesiæ pastores, si ipsi adesse non possunt, per alios, exemplo Pauli, succurrere debent.

III. Symmistarum honori ex charitate & secundum veritatem, consulendum est, ut eorum ministerium eo sit acceptius & utilius.

IV. Ut fides euangelii prędicatione accenditur; sic exhortatione foveri ac stabiliri debet, v. 2.

V. In afflictionibus veritatis nomine perferendis constantes esse convenit.

VI. Ad tolerantiam crucis juvat contemplatio voluntatis ac vocationis divinæ, cui subesse nos decet, & crucis secuturæ prædictio, v. 3. & 4.

VII. Quum Diabolus tentare soleat ecclesiæ fidem, ut inanis reddatur pastorum labor, sedulò hisce vigilandum & curandum, ut salutaribus monitis maturè occurratur, & fidelium officium est, partim Deum precari ne in tentationem inducat, partim meditatione verbi & exercitio fidei seipsos & fratres suos mutuò confirmare, v. 5.

VIII. Ecclesiæ incolumitas nobis cordi & gratissima esse debet.

IX. Fidem & charitatem individuo quodam nexu, in veris Christianis, conjuncta esse oportet.

X. Amor, in ecclesia & pastoribus, mutuus requiritur, eoque peccant graviter, si aut hi ecclesiam negligant, aut ecclesia pastores non redamet, vers. 6.

XI. Fidi Euangelii præcones persecutionibus & necessitatibus multis obnoxii sunt: eoque ut muneris sancti, sic sortis & conditionis afflictæ nomine, amore & commiseratione digni sunt.

XII. Ecclesiæ profectus in vera fide difficultates ministerii Euangelii lenit, vers. 7.

XIII. Tum demum sibi vivere videntur atque serio hilares sunt fideles euangelii ministrii, cum ecclesia in fide perstat: ideoque infidos esse oportet, qui ecclesiæ perseverantiam susque deque habent, v. 8.

XIV. Gaudium nostrum, de ecclesiæ sanctitate, non fucatum ac coram hominibus tantùm, sed sincerum ac coram Deo atque ex animo esse debet.

XV. Non solum pro bonis nobis collatis; sed etiam pro beneficiis in ecclesiam, Deo gratiæ sunt agendæ, vers. 9.

XVI. Ecclesiæ fides confirmatione ac complemento opus habet.

XVII. Itinera nostra & vitæ rationem Deus dirigit: eoque non nostris consiliis & viribus; sed Dei providentia niti debemus & felicem rerum successum à Deo precari, v. 11.

XVIII. Charitatem proximi mutuam esse decet: eoque iniqui omnino sunt, qui amari volunt, non autem amare.

XIX. Hæc autem charitas non solum inter fratres esse debet mutua: sed etiam in omnes.

XX. Deinde non languidam, sed abundantem & exuberantem esse par est.

XXI. Charitatis ecclesiæ confirmatio à Deo petenda est: eoque Dei est donum, perficientis opus bonum, quod incepit.

XXII. Pastores non solum hortari ecclesiam ad pietatem, sed etiam præire exemplo consentaneum est, vers. 12.

XXIII. Sanctimonia corporis externa non sufficit, sed interna cordis ac sincera coram Deo: nec momentanea; sed perpetua ad Christi adventum requiritur.

XXIV. Quum Christus adventurus sit cum omnibus sanctis, res adversæ hac spe fortiter ferendæ, & sanctè vivendum est, v. 13. & Tit. 2. 13.

CAPUT QUARTUM.

Tractationis hujus epistolæ scopus, est confirmatio ecclesiæ Thessalonicensis, in vera fide & fructibus illius. Modus verò seu via contendendi ad scopum est laudatio & hortatio: eoque monuimus partes esse duas ἐπαινετικὴν ἢ παραινετικὴν laudativam & hortativam: quarum illa obliquè ad officium invitat, narratione & laudatione præstiti officii, cùm à Thessalonicensibus potissimum cap. 1. tum à Paulo, cap. 2. & 3. Hæc verò ad officium magis magisque præstandum recta hortationis via, & commoda transitione stimulat; hoc superesse docens.

Utitur autem propositione & expositione illius. Propositio est; incedendum magis magisque secundum doctrinam, à Paulo acceptam. Ratio autem est, cum efficiens impulsiva, voluntas Domini Jesu, cui serviendum, cujus nomine rogat & orat Apostolus ut 2. Cor. 5. 20. tum finis & fructus, approbatio Dei Rom. 12. 1. & 14. 18. Expositio autem primùm propositionis claritatem indicat, à conscientia Thessalonicensium, quibus *notum esse*, ait, *quæ mandata ipsis dederit per Dominum Iesum Christum*; eoque modo primam, quam adduxerat, rationem, illustrat, v. 2.

Deinde materiam illius luculentius exprimit, tam universè quàm particulatim. Nam expositio universalis est: *voluntas Dei hæc est, sanctimonia vestri*: quod enim ante mandatum, illud nunc voluntatem Dei vocat, trita Sacris Literis metonymia adjuncti pro subjecto: nam mandata, quæ absolutè indicant, quid Deus tanquam bonum velit, hoc est, approbet, eo modo voluntas nominantur.

Sanctificatio autem, cùm alia in habitu, alia in actu versetur, aliaque sanctificandi, alia sancti; hæc demum intelligitur, quæ in actione hominis sanctificati consistit. Cum rursus ea sit vel generalis, qua à peccati impuritate secreti, Dei cultui nos sacramus: vel particularis, quæ in castitate sita est, non hæc, sed illa intelligenda: ut ex collatione, v. 7. liquet. Quæ deinde inductione specierum declaratur, expositione particulari, quæ particulares virtutes præcipit, ac primum castitatem, ut *abstineant à scortatione*, vers. 3. Quum verò aliis etiam, ac plerisque nefandis modis, castitas violaretur apud gentes, eam per thesin & aphæresin explicat. Thesis est, *ut quisque vestrûm sciat suum vas possidere in sanctificatione & honore*, hoc est, corpus suum castum servet: nam ut vasa instrumenta sunt domesticis usibus destinata, ita nos ipsi & corpora nostra, in Dei domo; sicut Paulus, *vas electum*, Act. 9. vers. 15. Apostoli, *testacea vasa*, 2. Cor. 4. v. 7. fœmina, *vas infirmius*, appellatur, 1. Pet. 3. v. 7. quo sensu videtur nonnullis dici, Rom. 6. v. 13. *sistite membra vestra* ὅπλα *arma* (hoc est instrumenta) *justitiæ Deo*. Quum autem vasa quædam usibus puris & honestis inserviant, quædam contrà, ut 2. Tim. 2. v. 20. idcirco *sanctificationem & honorem* requirit, ut Roman. 6. vers. 13. 2. Tim. 2. v. 20. 21. & 1. Cor. 6. vers. 13. hæc de Vers. 4. & thesi.

Aphæresis est, ne vas suum possideat quisque in morbo cupiditatis: quomodo quasvis impuras libidines generatim arguit. Idque confirmat à causa illius, quia effectum est gentium, quæ non norunt Deum: nam quamvis quodammodo norint ex libro naturæ & revelatione Dei generali, per res creatas, ut sint inexcusabiles, Act. 14. v. 17. Rom. 1. v. 19. 20. tamen non noverunt ex libro Scripturæ & speciali interna revelatione Spiritus Sancti, Ps. 147. 20. Act. 14. v. 16. Rom. 2. v. 14. Eph. 2. v. 12. & 4. v. 17. 18. Imo præter insitam ignorantiam, habent etiam acquisitam, Rom. 1. v. 21. unde justo Dei judicio, consequuntur cordis cupiditates & πάθη ἀτιμίας, quibus corpora sua dedecore affecerunt, Rom. 1. v. 24. 26. Eph. 4. v. 17. 18. 19. hæc de Castitate, vers. 5.

Altera, ad quam hortatur, sanctificationis virtus, est Justitia erga fideles in contractibus: quam describit remotione injustitiæ duplicis, cùm violentiæ, tum fraudis, *ne quis opprimat & fraudet fratrem suum in negotio*. Quam hortationem, simul cum antecedente, duplici ratione confirmat. Primum à noxio cupiditatum & injuriarum effectu, Dei judicis vindicta, vers. 6.

Deinde à fine vocationis Dei, *quia non vocavit nos Deus è mundo, ad impuritatem* vitæ; *sed ad sanctificationem*, ut animo & corpore sancti simus, 1. Thes. 5. 23. Tit. 2. v. 11. 12. & 1. Pet. 1. v. 15. 16. Luc. 1. 75. Nam licet ἁγιασμὸς & ἀκαθαρσία interdum speciatim ac Synecdochicè capiantur de castitate & contraria libidine, ut ad legis præceptum septimum spectent, hoc tamen loco, generatim accipiuntur, ut ex scopo liquet: quia causa generalis adfertur, cur à libidinibus & injuria in contractibus, quæ octavo legis præcepto prohibetur, sit abstinendum. quemadmodum. Rom. 6. vers. 19. impuritas injustitiæ generatim sumtæ, & ἀνομία iniquitas sanctificationi opponitur. Hæc de v. 7.

Ne quis verò hanc hortationem, pro more elevaret & contemneret, quod hæc vitia essent usitatissima, idcirco anticipatione commoda, ut Eph. 5. vers. 6. pondus addit, porismate, à divina hortationis authoritate: quod, qui hortationem rejiciat, non hominem Paulum rejiciat tantum, sed etiam Deum vocantem. Idque eo comprobat, quia dedit Paulo & Apostolis Spiritum S. cujus instinctu ac ductu docebant. Sic Actor. 5. v. 4. & 1. Thes. 2. 13. Hæc de v. 8.

Tertia virtus, ad quam, præmissa præfatione, Apostolus hortatur, est φιλαδελφία & beneficentia in fratres seu fideles.

Præfatio ostendit, non necesse esse, ut ipsis scribat de fraterna charitate, nimirum tanquam re novâ aut neglectâ: idque probat, partim à causa & scientia illorum, quod divinitùs, Verbo scilicet, & Spiritu Christi, docti essent, ut diligerent alii alios, v. 9. partim ab effecto & experientia, quod charitatem exercerent erga cunctos fratres, qui sunt in tota Macedonia: cui præfationi, ne segnescant aut superbiant, hortatio subjicitur, ad perseverantiam & incrementum, *ut magis excellant*, v. 10.

Quarta virtus ad præceptum octavum pertinens est ἡσυχία & ἰδιοπραγμοσύνη propriæ vocationis & ordinis cura, *ut contendant quieti esse & res suas agere suisque manibus operari*. quomodo πολυπραγμοσύνην & περιεργίαν quorundam corrigere studet, quos vocat ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, *nihil agentes, sed curiosè satagentes*, 2. Thes. 3. 11. Quam hortationem illustrat ab antecedenti sua doctrinâ, Vers. 11. quemadmodum, 2. Thes. 3. 10. & confirmat ratione, primùm ab honestate & ædificatione aliorum, *ut ambulent honestè erga extraneos*, ab ecclesia: deinde ab utilitate *ut nullius ipsis opus sit*. Cum autem vox μηδενὸς *nullius*, accipi posset genere, vel neutro, ut rem notet: vel masculino, ut personam; sic quidam ellipsin statuunt ἀπὸ τῶν hoc est τῶν ἔξω extraneorum: sed cùm Apostolo scopus sit, ne ulli etiam ex ecclesia sint graves, satius est ut generatim statuamus ellipsin *hominis, nullius hominis*: vel etiam ad rem referamus, v. 12.

Porro quinta virtus ad primum primæ tabulæ præceptum, & fidem ac spem pertinens, est luctus mortuorum moderatio: quæ hortatio proponitur & confirmatur expolitione gravissima. Propositio est, ne doleant more gentium, ob eos, qui sopiti sunt, hoc est mortui, per metaphoram tritam, ob similitudinem duplicem, quod ut sopiti quiescunt à laboribus, ita & mortui: deinde quod sopiti tandem excitentur, ita & mortui resurrecturi sint: prius Ethnici: utrumque Christiani considerant. Confirmatio verò est à causa efficiente, quod ex ignorantia & desperatione salutis & resurrectionis oriatur, quæ à Christianis abesse debent, v. 13. idemque ostendit, à resurrectione fidelium salutari, quam probat ex causa efficiente, Christi resurrectione, v. 14. de qua re fusè, 1. Cor. 15. Altera ratio est ab ordine ac modo resurrectionis, quod cum sit mysterium, Domini Iesu Christi verbis denuntiat, quod *nos vivi*, id est Synecdochicè, qui vivi futuri sunt reliqui, in adventu Domini Iesu Christi, die ultimo, non prævenient eos, qui obdormiverunt: hoc est, non prius mutabuntur corpora mortalia & corruptibilia in statum immortalem & in-

& incorruptibilem, quàm mortui resurrexerint, ut 1. Corinth. 15. v. 52. hæc de v. 15. Idque sequentibus probatur & adjunctâ resurrectionis causâ & modo illustratur. Causa enim resurrectionis totius est Dominus Christus: solus quidem, ratione vivificationis: principalis verò ratione eductionis è sepulchro: nam instrumentalis futurus est archangelus suo clamore & tuba, 1. Cor. 15. v. 52. Mat. 24. v. 31. & 25. v. 26. *mittet angelos cum tuba vocis magnæ & congregabunt electos ipsius è quatuor ventis.* quemadmodum in Christi resurrectione evenit, in qua, ministerio angeli usus, in lapide à sepulchro removendo, Matt. 28. Hæc autem suscitatio fiet à Christo è cœlo descendente: primumque excitabit in fide ipsius mortuos, vers. 16.

Tertia ratio moderandi luctus funebris est ascensio in cœlum: quæ temporis brevitate, ut Matt. 24. v. 27. *quod rapiemur in aëra in occursum Domini.* & instrumenti præstantia amplificatur, quod *nubibus*: nam quod *ἐν νεφέλαις in nubes* vertunt, & ad terminum ad quem referunt, minus convenit: quia non necessariò constructionem variant, cum locum, quo rapiemur, designet *aërem*: instrumentum verò per quod, *nubes*, quemadmodum Christus caput nostrum ascendit, Act. 1. Quarta ratio est à consequente vita æterna, quod *ita semper cum Domino erimus*, vers. 17. Quarum rationum usus cum sit ad moderationem doloris nostri & alieni, idcirco Apostolus hortationem sextam addit, ut alii alios istis sermonibus consolentur, vers. 18.

CONSECTARIA.

I. NOn cœpto solùm, in curriculo vitæ Christianæ, sed etiam perseverantiâ opus est & progressu, v. 1.

II. Quam ad rem, stimuli esse debent mandatum Domini Jesu & approbatio Dei Patris, v. 1. & 2.

III. Pastorum ecclesiæ est, non sua, sed Domini mandata ecclesiæ proponere, & serio amore ac studio, non solùm ea, pro auctoritate muneris, tanquam officium nostrum præcipere, sed etiam ad eorum observationem, tanquam beneficium aliquod, rogatione & precatione ecclesiam invitare, v. 1.

IV. Quum sanctificatio nostra sit Dei voluntas, qua ipsi placemus, ei, spreta mundi cupiditate & odio, incumbendum, v. 1. & 3.

V. Ministrorum euangelii est, Pauli exemplo, non solùm ad virtutes hortari, sed etiam distinctè vitia reprehendere: eaque potissimum, quæ in ecclesia aut vigent, aut à quibus ei periculum vicinum, v. 3.

VI. Quum corpora nostra sint vasa, figulus ac formator autem Deus, ejus voluntati inservire debent. v. 4.

VII. Turpe ac perniciosum est, Christianos, gentilium (qui Deum in Christo redemptorem ignorant) cupiditates imitari: eoque turpius longè est, ab iis probitate & honestate superari, v. 5.

VIII. Fidelium euangelii ministrorum officium est, judicii divini commemoratione, vitæ licentiam & impunitatis opinionem frænare ac cohibere, v. 6.

IX. Non solùm gratia à qua, & vita, quo vocati sumus; sed etiam media, sanctificationis via, ad quam vocati, consideranda: ut ad metam vitæ pertingamus, v. 7.

X. Qui pastores ecclesiæ convenienter vocationi divinæ hortantes contemnit, Deum ipsum, cujus fideles legati sunt, contemnit: ac propterea reverenter & obsequendi studio hortationes hujusmodi excipiendæ sunt, vers. 8.

XI. Charitate quidem universos, sed maximè fratres in Christo complecti debemus.

XII. Ea autem recta ac laudabilis est charitas, quæ divinitus docetur, vers. 9.

XIII. Charitatis laus non in ore, sed in opere consistit: nec paucis actionibus absolvitur; sed perpetuum profectum requirit, vers. 10.

XIV. Quum charitati & justitiæ plurimum repugnat, si quis aliorum functiones curet & interpellet, suas verò negligat, idcirco à curiositate, tanquam peste nocentissima, abstinendum, vers. 11.

XV. Honestati & ædificationi proximi studendum est.

XVI. Injurii sunt in proximum, qui otiosè aliena bona absumunt, vers. 12.

XVII. Quum mors nostra sit somni instar, eo patientius ferenda.

XVIII. Luctus mortuorum immodicus ex ignorantia & desperatione resurrectionis & vitæ promanat, v. 13.

XIX. Christi resurrectio summa nostra est consolatio, vers. 14.

XX. Nostra resurrectio, ascensio in cœlum & collectio ad Christum, vitaque æterna, gravissima sunt consolationis argumenta; ideoque ea in conspectu habere nos decet, ut calamitatibus omnibus opponamus, earumque acerbitatem mitigemus ac tollamus, v. 14. 15. 16. 17.

XXI. Nec solum nostri habenda est ratio: sed etiam fratrum afflictorum, v. 18.

CAPUT QUINTUM.

QUoniam ad luctus mortuorum moderationem argumento usus est Apostolus à corporum resurrectione, ascensione & vita æterna, in adventu Domini; antequam ulterius progrediatur, digressionem de temporis articulo interserit: partim ut hominum curiositati & errori eorum, qui certò definiunt, 2. Thess. 2. occurrat: partim ut viam sibi commodiorem sternat & quasi argumentum sequentibus hortationibus præmittat. Ac primum præfatione utitur, qua ostendit, non opus esse, licet alias circumstantias perscripserit Domini verbis, ut ipsis de temporibus & opportunitatibus scribatur, v. 1. Deinde narratione, quâ præfationem confirmat, declarat, quando adventurus sit dies Domini & quales futuri sint homines: ac quando venturus sit, indicat similitudine adventus furis nocturni, qui ut est incompertus, ita dies ille Domini, Actor. 1. v. 7. Matth. 24. 36. & Marc. 13. vers. 32. *de die verò illo & hora nemo novit neque angeli, &c.* & v. 35. *quando veniet, sero, an media nocte, an gallicinio,* v. 2. Deinde partim ad cautionem, partim ad consolationem, ostendit, quales homines sint futuri illo die, cùm infideles, quorum maximus numerus: tum fideles. Et infidelibus quidem attribuit incredulam securitatem & effectum illius repentinum exitium. Cujus certitudo & magnitudo similitudine doloris partus illustratur, vers. 3.

Quibus fidelium conditionem opponit: primum quod non versentur in tenebris ignorantiæ & incredulitatis. Deinde, quod ex priori consequitur, quod immunes sint à repentino exitio, quod dies ille eos tanquam fur non comprehendet. Aliud enim est, diem illum Domini, furis nocturni instar, venturum; aliud comprehensurum atque apprehensurum: prius enim commune fidelibus cum infidelibus, quia adventus incertus & repentinus erit, ut ad timorem Dei, sanctamque obedientiam excitemur: alterum verò proprium solis infidelibus, quia eos imparatos perdet, Luc. 21. v. 34. 35. fideles enim Christi adventum credunt, & fidei, spei, charitatis lampade & armis instructi, eum, uti Luc. 21. v. 28. ad salutem exspectant, vers. 4. Idque probat à contrario affirmante, quia *omnes sunt filii lucis ac diei,* hoc est lucidi, fidei luce illustrati. Atqui hinc, regressione valdè opportuna, enthymemate usus, hortationem, elegante, continuata per allegoriam metaphorâ, concludit: *non sumus noctis neque tenebrarum* hoc est infideles, versu quinto. *Ergo ne dormiamus ut reliqui: sed vigilemus & sobrii simus:* hoc est, ne peccatis, securitate carnali, simus dediti: sed sanctitati solicitè vacemus. Sobrietas enim animæ, carnalibus desideriis, ac curis, & fructibus illius, crapulæ & ebrietati opponitur, ut Luc. 21. vers. 34. 36. Quam hortationem, vers. 6. propositam repetit, & Syllogistica expolitione exponit & amplificat. Propositio est: *qui dormiunt, dormiunt nocte: & qui inebriantur, noctu sunt ebrii:* quod ut propriè verum est, ratione moris frequentioris: ita allegoricè, quod hæc sint opera tenebrarum, vers. 7. Assumptio est, nobis non est nox: sed sumus filii diei: Ergo non ebrii, sed sobrii simus, & vigilemus, πανοπλίᾳ Christianâ, de qua Ephes. 6. armati, *induti thorace fidei & charitatis, & galea spe salutis:* ne nos

ne nos dies ille comprehendat, verf. 8. Idque confirmat à conſtitutione Dei, quia non ad iram, ſeu ad exitium, metonymicè, ſed ad ſalutem obtinendam poſiti ſumus, Dei conſilio & facto. Medium autem ſaluti ſubordinatum eſt Chriſtus, verſ. 9. idque ſua morte pro nobis: cujus finis & effectum eſt vita æterna, *ſive vigilemus ſive dormiamus*: hoc eſt, vivamus aut moriamur, ut cap. 4. verſ. 13. & Roman. 14. verſ. 8. nam aliter, quam v. 6. accipi debere, antitheſis evincit; hæc de verſ. 10. Quæ cum ad conſolationem pertineant, hortatur Apoſtolus ad mutuam conſolationem, ut cap. 3. v. 18. & ædificationem continuandam, verſ. 11.

Deinde ad officium erga miniſtros euangelii ſtimulat. Et miniſtros quidem deſcribit à munere, quod *præſunt in Domino*, ut 1. Timoth. 5. verſ. 17. deinde ab executione & opere: generatim, *quod laborant inter ipſos*: ſpeciatim, *quod admonent ipſos*, de cultu Dei. Officium autem eccleſiæ ſtatuit *agnitionem*, verſ. 12. deinde æſtimationem honorificam: & ut fucus abſit, ejus fontem ac cauſam requirit charitatem: denique pacem mutuam, verſ. 13.

Quibus ſubjicit promiſcuè alias hortationes ad officium, correctionis; ut *moneant inordinatos*, de quibus, cap. 3. v. 11. 12. & 2. Theſ. 3. verſ. 10 11. 12. conſolationis; *ut conſolentur puſillanimes*: tolerantiæ; *ut ſublevent infirmos*: lenitatis; ut *manſueti ſint erga omnes*, verſ. 14. innocentiæ & beneficentiæ, verſ. 15. gaudii ſpiritualis perpetui, quo ex fide amoris Dei, bona conſcientiâ, & ſpe vitæ, experientiaque beneficiorum Dei, animus tranquillus eſt & hilaris, verſ. 16. invocationis Dei; cùm precatione, verſ. 17. tum gratiarum actione: cujus cauſa impulſiva ſtatuitur voluntas Dei, verſ. 18. Hortatur præterea, *ne exſtinguant Spiritum*; hoc eſt metonymicè, Spiritus Sancti dona ipſis collata, ſive ordinaria, agnitionis Dei, fidei, ſpei, charitatis, non extinguant ſua contumaciâ aut negligentia: ſed oleo ac materia verbi divini & officii Chriſtiani exſuſcitent, Rom. 12. verſ. 11. *ſtudio non ſegnes, Spiritu ferventes*. Et 1. Timoth. 1. v. 6 jubet donum ἀναζωπυρεῖν facere ut ardeſcat verſ. 19.

Deinde ut dona in ipſis non extinguenda; ſic nec in aliis, docet, Prophetiarum contemtu promiſcuo, verſu 20. ſed ut omnia explorent ad normam divini verbi, 1. Ioann. 4. verſ. 1. & quod bonum eſt retineant, verſ. 21. Præterea à ſpecie mali deterret, verſ. 22. Denique voto hortationes concludit: vovet enim illis à Deo pacis ac felicitatis omnis auctore ſanctificationem integram mente, voluntate, corpore, & perſeverantiam illius, in adventum Domini Ieſu Chriſti, verſ. 23.

Cujus fidem à fidelitate Dei vocantis probat, verſ. 24.

Atque hoc modo epiſtolæ tractatione abſoluta, concluſionem ſubjicit, quæ conſtat commendatione Apoſtoli, ut pro ipſo orent, verſ. 25. ſalutatione (ut Rom. 16.) verſ. 26. obteſtatione, ad presbyterium eccleſiæ, de hujus epiſtolæ recitatione in Eccleſiæ cœtu, verſ. 27. & ſolenni valedictionis formula, verſ. 28.

CONSECTARIA.

I. Sacra Scriptura ad neceſſitatem & ſalutem noſtram conſcripta, non autem ad curioſitatem: ideoque modulo ſcientiæ divinitus revelatæ contentos eſſe nos decet.

II. Adventus Domini certus eſt, utpote à Spiritu Sancto revelatus, etſi temporis momentum omnino incertum: quare impiè faciunt, qui temporis morâ offenſi, adventum negant: aut certi de adventu, curioſè & temerè diem certum & opportunitatem illius definiunt, verſibus 1. & 2.

III. Quoniam incredulis impunitatis opinione imbutis, repentinum ingruet exitium, non eſt cur illorum ſucceſſibus proſperis & tranquillitati temporariæ invideamus, noſtramve adverſam ſortem iniquo feramus animo.

IV. Iudicium Dei extremum grave eſt & inevitabile: quamobrem ſolicitè in timore Dei ambulandum, verſ. 3.

V. Quum infideles verſentur in tenebris ignorantiæ Dei & peccati, contrà verò fideles in luce, inde apparet illos, licet opibus & honore florentes, eſſe miſeros; hos verò in ſumma inopia & dedecore felices: ac propterea debere eſſe in adverſis patientes, verſ. 4. & 5.

VI. Dies Domini fidelibus non erit exitio; eoque conſolationi nobis eſſe debet, non horrori, verſ. 4.

VII. Gravius peccant fideles, quàm infideles, ſi peccatis indulgeant, & quaſi ſecurè indormiant.

VIII. Mundi mala exempla non ad imitationem, ſed ad fugam inſervire debent, verſu 5. & 6.

IX. Quum etiam gentiles ſoleant pudore quodam à diurna ebrietate abſtinere; turpiſſimum & indigniſſimum eſt, Chriſtianos multos, hac in re, carere fronte, verſ. 7.

X. Ebrietas opus eſt tenebrarum ac pudendum: idcirco à Chriſtianis vitari ſeriò debet.

XI. Virtutes Chriſtianæ principes & individuo nexu ſociatæ, ſunt fides, charitas, ſpes, verſ. 8.

XII. Doctrina de Dei gratia & certitudine ſalutis noſtræ non laxat habenas cupiditatibus: ſed eas contrahit, & ad pietatem calcar addit & exſtimulat, verſ. 9.

XIII. Chriſti mors noſtræ reſurrectionis & vitæ æternæ cauſa: eoque illius pudere non convenit, ſed ea gloriandum, verſ. 10.

XIV. Non noſtræ ſolum, ſed etiam ſaluti aliorum pro virili, ſuccurrendum, verſ. 11.

XV. Miniſtri Euangelii eſt, non ſolum præeſſe in Domino, ſed etiam prodeſſe: eoque qui ſine Domino præſunt, aut in verbo euangelii non laborant fideliter, honore indigni ſunt: qualis Papa cum ſuis epiſcopis, v. 12.

XVI. Non paſtores eccleſiæ, ſed depaſtores ſunt ac lupi, qui offenſæ metu, ab opere admonitionis & à veritate, odium apud vulgus pariente, abſtinent, verſ. 12. 13.

XVII. Miniſtri verbi, propter vocationem & admonitionis opus, in pretio habendi ſunt & amore: ergo indignè faciunt, graviterque peccant, qui propterea oderunt & accuſant.

XVIII. Concordia debet eſſe mutua: eoque iniquè faciunt, qui amari volunt, non redamare, verſ. 13.

XIX. Non ſolùm officia charitatis præſtanda iis, qui officium egregiè faciunt: ſed etiam iis, in quorum fide, ſpe, charitate, nonnihil requiritur: ac pro morbi ratione, remedium aptum adhibendum, verſ. 14.

XX. Quum innocentia & beneficentia ſit utendum erga amicos & adverſarios, indignè faciunt, qui vindicta gloriantur: indignius verò, qui beneficia maleficiis compenſant, verſ. 15.

XXI. Precatione & gratiarum actione aſſidua opus eſt: ac propterea impiè agunt, qui nunquam, aut rarò Deum invocant, verſ. 18. 19.

XXII. Dona Dei fovenda ſunt, verſ. 19.

XXIII. Peccant illi, qui temerè quamvis doctrinam aut contemnunt, aut admittunt, verſ. 20. & 21.

XXIV. Quum toti à Deo ſanctificandi ſimus, Ergo natura omnino impuri.

XXV. Quos Deus vocavit, ſanctificat & conſervat, verſ. 23. & 24.

XXVI. Paulus ſanctè adjurat fideles: ergo juramentum omne non eſt Chriſtianis prohibitum: ut Anabaptiſtæ contendunt, verſ. 27.

ANALY-

ANALYSIS
SECUNDÆ EPISTOLÆ PAULI
AD
THESSALONICENSES.

TRia cumprimis ad hujus secundæ epistolæ Pauli ad Thessalonicenses explicationem invitant, illius ordo, brevitas, sublimitas. Ordo; quia priori succedit, eique objecto ac similitudine scopi & materiæ convenit, eamque illustrat. Brevitas; quia tantum tribus iisque succinctis capitibus constat. Sublimitas; quoniam ad consolationem & cautionem Christianam, adventum Christi ad judicium & Antichristi ante judicium, graphicè ac propheticè describit.

In cujus limine observanda operis descriptio & partitio. Describimus autem *dogmaticum N. T. scriptum, ab Apostolo Paulo ecclesiæ Thessalonicensi secundò exaratum, quo eam, variis afflictionibus falsisque doctoribus & otiosis hominibus gravatam, in fide ac fructibus illius charitate & tolerantia confirmat, consolatione & hortatione adhibita: ad privatam Thessalonicensium & communem reliquarum ecclesiarum salutem, Deique in Christo redemptoris gloriam.* In qua descriptione elucent *occasio, finis, & media* eò destinata. *Occasio* scripti est ecclesiæ Thessalonicensis periculum, cùm ab hostibus, tum otiosis fratribus: ab hostibus, partim apertis, ac persecutione, cap. 1. v. 4. partim opertis, seductione ac ficta doctrina, cap. 2. v. 2. 3. ab otiosis hominibus, ecclesiam, contra primæ epistolæ c. 4. v. 11. 12. monitionem, gravantibus, cap. 3. v. 6. *Finis* verò proximus est ecclesiæ, cum Thessalonicensis primùm 2. Thes. 2. vers. 2. 16. tum etiam reliquarum 2. Tim. 3. v. 16. Rom. 15. v. 14. in fide & charitate confirmatio: medius verò est ecclesiæ salus, 2. Thes. 1. v. 1. 12. ultimus est gratiæ Dei, in Christo redemtoris, gloria, 2. Thes. 1. v. 12. *Media* eò destinata & ministra sunt consolatio & hortatio, insignibus additis documentis.

Partitio verò universalis reliquis etiam epistolis convenit; partes enim sunt tres, quarum duæ extremæ, *præfatio & conclusio*, media, *tractatio rei*, quæ uti necessaria est in epistola, nec omitti solet, ita reliquæ arbitrariæ, quæ pro scriptoris arbitrio & occasione, omitti solent: aut omnino, ut in prima epistola Ioannis: aut partim, ut præfatio, in epistola ad Hebræos: conclusio, in epistola Iacobi.

Ad præfationem autem quòd attinet ea pro more Apostoli est bimembris, constans inscriptione & salutatione. Et inscriptio quidem causam efficientem ministram & objectum epistolæ proponit, Illa est duplex, primaria quæ dictavit, Paulus, & secundaria quæ approbavit, Silvanus & Timotheus. Objectum est ecclesia Thessalonicensis, in Deo patre & Domino Jesu Christo, fide & professione fundata, vers. 1.

Salutatio verò, quid boni & à quo imprecetur notat: de qua præfatione pluribus ad primam epistolam egimus, vers. 2.

Porrò Tractatio epistolæ *laudatione, consolatione & hortatione* absolvitur. Laudatio, in virtutum ecclesiæ Thessalonicensis celebratione recta consistit: quippe principium & causa illius fuit amor erga virtutem & ecclesiam: modus verò veritas & opportunitas: finis denique ecclesiæ ædificatio, videlicet confirmatio Thessalonicensium in officio, & aliorum exemplum atque imitatio. Laudatio autem hæc alia est apud Deum: alia apud ecclesiam Dei. Laudatio apud Deum, debito gratiarum actionis exprimitur, ad modestiam & gratitudinem commendandam: ne humani ingenii more, insolescerent aut torpescerent laude. Ac primum gratiarum actio proponitur generatim, quod de ipsis semper gratias Deo agere deberet: idque declarat à justitia, qua auctori Deo suum debetur: quam materiam gratiarum actionis exponit, insigni incremento virtutum Christianarum, cum fidei, tum charitatis mutuæ. Quarum uti epistola prima cap. 1. vers. 3. meminit: ita augmentum egregium, ab eo tempore illis accessisse ostendit, vers. 3.

Quæ laudatio apud Deum, altera narratione laudis apud Dei ecclesiam, amplificatur: quam primum indicat generatim: deinde speciatim declarat. Generatim quidem, cum ait, *adeo ut nos ipsi de vobis glorìemur apud ecclesiam Dei:* quod prima fronte alienius videtur ab officio Pauli, quod non de creatura, sed de creatore sit gloriandum: nec sibi, sed Deo gloria vindicanda. Veruntamen nihil omnino absurdi est: quia primum non de hominibns, sed de Dei donis in ecclesiam collatis gloriatur: deinde ea non sibi, suoque labori, sed Deo adscribit, ut ex v. 3. constat: denique non gratiam hominum, nec suam gloriam captat, sed Dei gloriam & ecclesiæ ædificationem; ideoque gloriatione hac non peccat. Speciatim verò gloriationis materiam explicat: *tolerantiam & fidem.* Quum autem tolerantia alia sit communis ac civilis (qualis etiam in gentilibus existit) alia propria ac Christiana, quæ ex fide, & Christi nomine, res adversas perfert: idcirco ut fidem conjungit (tanquam causam efficientem) ita & objecto persecutionum & afflictionum describit, quum earum patientiam vocat: quę duo à quibusdam ita distinguuntur, ut *persecutio* speciem, *afflictio* genus notet: sed commodius est, ut de Christianarum perpessionum gradibus intelligamus: ut, pro more, persecutio antecedat, afflictio & oppressio succedat, vers. 4.

Atque hoc modo, eleganter, ad alteram tractationis partem, quæ consolatio est, transit: qua adversus periculum ab hostibus apertis & persecutoribus ipsos affligentibus consolatur bifariam: primum ab afflictionum usu & ab adjuncto exitu: deinde à sua precatione & intercessione. Ac primum tractatur sex versib. propositione & expositione. Propositio est, ipsorum afflictiones esse documentum justi judicii Dei & salutis ipsorum, ut digni habeantur regno cælesti Dei, pro quo etiam patiebantur. Idque opponitur tentationi eorum, qui iniquè, graviter, & impunè pressi, de Dei providentia & hominum sorte malè cogitant: Deum scilicet aut non esse judicem, qui curet res humanas: aut iniquè curare, & pios infelices, contrà impios felices Deoque gratos: quæ ad desperationem & defectionem à pietate, præceps via, ut Psal. 73. v. 2. 3. 15. Mal. 3. v. 14. 15. contrà hoc telum retorquet Paulus, cum docet, afflictiones fidelium esse judicii divini & felicitatis ipsorum argumentum ut Ps. 73. & Mal. 3. v. 16. 17. 18. & 4. 1. 2. Quod verò ex hoc loco Pontificii meritum operum stabilire conantur, quia dignitatis regni fit mentio, illud infirmum est: quia dignum latius patet, quàm meritum: hoc enim stricti tantum est juris; illud verò sæpe etiam ad ἐπιείκειαν & æquitatem pertinet: nam quicquid idoneum est & conveniens, dignum dicitur, licet absit meritum: quemadmodum Matth. 3. v. 8. *fructus digni resipiscentiæ*, & 10. 11. *quis dignus in domo*, id est, idoneus, & vers. 38. *qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus*, hoc est, idoneus discipulus. Nam quod illud *meritum congrui* vocant, vocis abusu ludunt. Deinde tolerantia & perseverantia conditio est & via regni, Matth. 5. v. 10. & 16. v. 22. & 2. Tim. 2. v. 2. Act. 14. v. 22. non causa meritoria regnandi, Rom. 8. v. 18. & 6. v. 23. *stipendium peccati mors,* &c. vers. 5.

Cæterùm hanc propositionem insigni expositione & expolitione illustrat & amplificat, divisione justi judicii Dei, ratione objecti judicandi, cùm affligentium, tum afflicto-

afflictorum, Luc. 16. verſ. 25. Illorum quidem; quod juſtum ſit apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem, nempe æternam, ſecundum fœdus legis & operum, verſ. 6.

Horum verò, quod juſtum ſit apud Deum, viciſſim vobis afflictis dare *relaxationem*, hoc eſt, Synecdochicè, vitam æternam, quam tanquam coronam & præmium juſtitiæ, Deus juſtus judex die ultimo daturus eſt, 2. Timoth. 4 8. non propter debitum meriti humani, ſed propter Chriſti λύτρον & gratuitam Dei promiſſionem, ſecundùm fœdus Euangelii & gratiæ. Atque hanc relaxationem declarat Apoſtolus à ſimili ſubjecto, cum ait, *nobiſcum*: Paulus enim, Silas, Timotheus & cæteri fideles ſocii erant afflictionum & gloriæ: idque ad conſolationis incrementum additur; ut Matth. 5. v. 12. Hebr. 12. v. 1. Quod judicium geminum amplificat Apoſtolus à tempore, adventu Chriſti ſecundo: & judicis Chriſti majeſtate, ac judicii modo. Majeſtas indicatur, primùm, loco unde venturus, nempe è cælo; deinde comitatu ac ſatellitio, *angelorum potentiæ ipſius*, hoc eſt, potentibus ipſius angelis, ut Pſal. 103 v. 20. aut potius, potentiæ Chriſti miniſtris, Dan. 7. v. 10. Matth. 16. v. 27. hæc de verſ. 7.

Quæ majeſtas ex judicii modo deſcribitur, cùm ratione impiorum, tum piorum. In priori, impios diſtinguit, primum *in eos, qui non noverunt Deum* (quales plerique infideles gentiles) qui laborant vel ignorantia ſimplici, Dei, in Chriſto, redemptoris: vel acquiſita atque affectata ignorantia Dei creatoris, Rom. 1. v. 21; quarum illa arcet à vita ac detinet in morte: hæc verò meritum mortis ſupplicium auget, Luc. 12. v. 47. deinde in eos, *qui non obediunt Euangelio Chriſti*, hoc eſt, infideles, præſertim Judæos & gentiles, quibus prædicatum Euangelium. Horum autem impiorum judicii modus & pœnæ gravitas indicatur, ultionis inſtrumento *igne flammante*, verſ. 8.

Et à duratione temporis, quod *pœnam pendent exitii æterni*. Cujus inflictor repetitur Chriſtus ſua *facie*, ſermone ſuo & glorioſo robore, quod & per ſe & angelorum miniſterio exercet, verſ. 9. de quo Matth. 25. verſ. 41. Cœterum quid per προσώπου *faciem Chriſti* denotetur, inquiri poteſt. Quidam præſentiam & conſpectum Chriſti glorioſum & impiis terribilem ſignificari cenſent; ut Apoc. 6 v. 16. *dixerunt montibus & Petris, cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ejus, qui inſidet throno, & ab ira Agni.* Alii *faciem*, Metonymicè indignationem & iram exponunt: ut פנים apud Hebræos: quod in facie ira hominis appareat, ſic 1. Pet. 3. v. 12. & Pſal. 34. verſ. 17. *facies Domini in facientes mala*, Pſal. 51. v. 11. *averte faciem tuam à peccatis meis*: quibus locis, quidam Interpretes, *faciem*, paraphraſticè vertunt, *iratam faciem.* Hoc autem in loco, ira & potentia conjunguntur, ut ira non inanis, ſine viribus; ſed efficax indicetur. Utraque ſententia probabilis; prior tamen videtur accommodatior, ut quæ alteram complectatur.

Porrò modus juſti judicii, quo pii judicabuntur, eorumque gloria indicatur ſequentibus: ac pii quidem vocantur *ſancti* ac *fideles*: quod à profano mundo ſecreti, per fidem ac charitatem, Deo illiuſque cultui ſint conſecrati. Gloria verò eorum deſcribitur, primùm ex effecto, Chriſti in ipſis glorificatione admirabili, quum humilia fidelium corpora conformia redditurus eſt corpori ſuo glorioſo, Phil. 3. v. 21. & in ſocietatem ac participationem cæleſtis gloriæ, & ad hæreditatis incorruptibilis poſſeſſionem, 1. Petr. 1. v. 4. collecturus eſt. Secundò deſcribitur etiam à cauſa inſtrumentali, fide: quam non universè ponit; ſed, ad conſolationem fidelium Theſſalonicenſium, particulatim accommodat, quod *fides habita fuerit teſtimonio prædicationis Pauli apud ipſos.* Quod autem nonnulli, quod ſubjicitur, *in die illo*, ad proxima verba, ad fidem aut teſtimonium Pauli referunt: illud alienius eſſe, res ipſa oſtendit. Quum enim per parentheſin inſerantur iſta (*quod fides habita ſit teſtimonio noſtro apud vos*) ſequentia, *in die illo*, conſtruenda ſunt cum initio hujus verſus: intelligit enim diem illum ultimum judicii: ut tædium moræ & dilationis gloriæ minuat, Luc. 21. v. 19. & impatientiam frænet, ut Coloſ. 3. v. 3. *Quum Chriſtus patefactus fuerit Vita noſtra, tunc & cum illo patefiemus in gloria.* & Heb. 10. v. 35. 36. 37. *ne abjeceritis fiduciam veſtram*, &c. *adhuc enim puſillum tempus eſt, & qui venturus eſt, veniet, & non tardabit*, verſ. 10.

Qua via ac ratione, primum propoſitæ conſolationis argumentum abſolvitur. Alterum verò ſupereſt, à Pauli Apoſtoli cura ac comprecatione perpetua, pro ipſis, hoc eſt, ipſorum bono & proximo & remoto. Ac proximum exponit cum universè, tum particulatim. Universè, cum ait, *ut vos dignetur vocatione* Cœterum *vocationis* vocem quidam figuratè, per Metonymiam, cæleſtem gloriam, ad quam vocati erant, intelligunt: alii contra vocationem ad obedientiam Euangelii. Quum autem illius haberent initium & progreſſum aliquem, eatenus non intelligi: ſed ratione augmenti & complementi ſeu perſeverantiæ: quod phraſi ſcripturæ & rei accommodatius: nam particulatim hoc declarat à propenſæ benefaciendi voluntatis ac charitatis, & à fidei complemento: quibus duobus officium Chriſtianum continetur. Nam quod εὐδοκίαν *gratuitam benevolentiam* vertunt, & *bonitatem* ſimul ad Deum referunt, ac ſi fontes beneficiorum divinorum indicarentur, illud non videtur neceſſarium: εὐδοκία enim propriè non ſignificat gratuitam benevolentiam, ſed tantùm approbationem animi, & Metonymicè, propenſum animum ac delectationem, ſive debitam, ſive indebitam: ut ex vocis origine & bonorum authorum & S. Scripturæ uſu conſtat, Rom. 10. v. 1. cordis mei εὐδοκία, propenſa voluntas, ἡ πρόθεσις ἐπιθυμία, ut Oecumen. exponit, Phil. 1. v. 15. hominum εὐδοκία opponitur invidiæ. & 2. Theſſ. 2. v. 12. objectum illius etiam ſtatuitur iniquitas, εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ, *delectati iniquitate.* deinde ἀγαθωσύνη, πίστις, id eſt, bonitas, fides, etiam hominibus tribuuntur, ut effecta ſpiritus, Galat. 5. verſ. 22. Quare, etſi ad Deum referri poſſit; tamen, quemadmodum Paulus verſ. 5. Deo pro fide & charitate mutua, quâ alii in alios bonitatem propenſo animo exercebant, gratias egit, ſic hoc loco omninò videtur, convenientiſſimè, pro earundem virtutum complemento, precari; quemadmodum εὐδοκία Pauli & communicatio conjunguntur, 1. Theſſalon. 2. v. 8. & Paulus Roman. 15. v. 14. Romanos ait plenos ἀγαθωσύνης bonitatis & plenos omni cognitione. Deinde *opus fidei* dici poteſt bifariam, vel ut fides cauſam efficientem notet: vel ſubjectum: unde duplex oritur expoſitio; nonnulli per *opus fidei* actum virtutis fidei & confeſſionem, ut 1. Theſſalon. 1. v. 3. alii ipſam fidem, quæ opus eſt Dei, per appoſitionem intelligunt: quod Paulus precetur, ut Deus bonum opus fidei quod in ipſis cæpit, perficeret, potentiâ ſui ſpiritus, 1. Pet. 1. v. 5. Philipp. 1. v. 6. mundum mundique principem & carnem domando. Sed prior expoſitio magis quadrat, quia phraſis proprietatem ſervat: deinde cum Apoſtoli loco 1. Theſſal. 1. verſ. 3. convenit, ubi fidei non minus quàm charitatis & ſpei opus, à fidei virtute atque habitu diſtinguitur: denique quia uberior eſt interpretatio, ut quæ alteram includat.

Quod bonum proximum, ultimo, ac fine, nempe gloria duplici amplificatur, primum Domini noſtri Jeſu Chriſti: deinde Chriſtianorum Theſſalonicenſium: cujus fontem, ut Rom. 6. v. 33. adſcribit, gratiam, hoc eſt, gratuitam benevolentiam, Dei noſtri & Domini noſtri Jeſu Chriſti, verſ. 12.

CONSECTARIA.

I. PAuli Apoſtoli exemplo, Eccleſiæ non ſolum miniſterio verbi coram colligendæ ſunt: ſed etiam à Paſtoribus abſentibus, per literas ſæpius confirmandæ, ut in officio perſtent.

II. Quamvis inter Eccleſiæ paſtores, alii donis alios ſuperent; honeſtè tamen conſortes ſuos, Pauli exemplo, in amore & honore habere debent.

III. Eccleſia vera in Deo & Chriſto fundata tantum eſt: quare qui aliud fundamentum ſtatuunt, & hominum placitis innituntur, Eccleſiæ titulum falsò ſibi arrogant, verſ. 1.

IV. Deus eſt gratiæ & pacis cauſa efficiens & perficiens, verſ. 2.

V. Bono-

V. Bonorum auctori Deo gratias agere non est nobis arbitrarium, sed necessarium ac debitum officium.

VI. Hujusmodi autem gratiarum actio non debet esse rara ac languida: sed seria ac perpetua.

VII. Ministri verbi, Ecclesiæ à se collectæ, in pietate, profectum, suum bonum ducere debent: ac pro eo gratias agere, & Ecclesiæ gratulari.

VIII. Fidem Christianorum & charitatem augescere decet.

IX. Charitatis autem proximi mutua esse debet: ideoque peccant, qui inofficiosi in alios, officium erga se flagitant.

X. Quum pro incremento fidei & charitatis Deo gratiæ agendæ sint, inde apparet, illud esse Dei donum: eoque non humanis meritis tribuendum, vers. 3.

XI. De aliorum dotibus gloriari licet, modò Deo & veritati inserviatur.

XII. Qui piè volunt in Christo vivere, persecutionem patientur: eoque non est, cur eo offendamur: sed fidei conjungenda est tolerantia, vers. 4.

XIII. Quum afflictionum tolerantia sit fidelibus argumentum justi judicii Dei & salutis ipsorum: ergo iniquè faciunt, qui inde occasionem arripiunt Dei justitiam arguendi.

XIV. Quum Deus in fide perstantes constanter dignetur regno Dei, æquo animo contemptus hominum & jactura regni terreni ferenda.

XV. Exitus affligentium Christianos est æterna ipsorum afflictio: Ergo non est cur impatienter crucem feramus, & sortem ipsis pro tempore secundam invideamus.

XVI. Deinde hoc exitu territi, ab aliis iniquè opprimendis abstinere debemus, vers. 6.

XVII. In afflictionibus nostris, beatus exitus & sanctorum apostolorum aliorumque societas consolationi esse debent. vers. 7.

XVIII. Angeli sunt potentiæ Domini nostri Christi ministri: ergo Christus Angelis major: eoque curæ & potentiæ illius consideratione, rerum adversarum acerbitas mitiganda, & metus potentiæ adversariorum tollendus, vers. 7.

XIX. Ignorantia Dei à justo illius judicio & exitio neminem excusat.

XX. Quum ultio judicii universalis sit futura igne flammante; hinc supplicii gravitas colligitur & impiorum infelicitas: & propterea Euangelio Christi obediendum. vers. 8.

XXI. Non solum gravitas supplicii impiorum, in pœnæ modo; sed etiam in æterna duratione consistit: quapropter non est, cur temporario rerum successu gloriantes fidelibus insultent: aut fideles eo offendantur.

XXII. Adventus Christi secundus futurus est gloriosus: ideoque prior adventus humilis & crux Christi offendiculo esse non debet.

XXIII. Quum nec potentiam nec vultum irati judicis Christi laturi sint impii; sed in pœnas æternas abigendi: cum timore & sanctitate saluti studendum, vers. 9.

XXIV. Omnes fideles sancti sunt: ergò sanctè iis vivendum.

XXV. Officium ministrorum Euangelii est, veritatem salutiferam divinitùs acceptam fideliter tradere ac testimonio confirmare.

XXVI. Vicissim Ecclesiæ est, doctrinæ & testimonio euangelico fidem adhibere.

XXVII. Cœlestis gloria credentibus omnibus communis est.

XXVIII. Eamque vera fide singulos fideles sibi accommodare oportet.

XXIX. Quoniam gloria æterna fideles manet: æquo animo ignominiam temporariam ferre ac superare decet.

XXX. Quum Christi gloria ex nostri glorificatione dependeat, utpote capitis gloria ex membris, non est cur de ejus certitudine dubitemus.

XXXI. Quandoquidem gloria nostra reservata est ad diem ultimi judicii: non est cur impatientius moram illius feramus, aut de die illo abhorreamus, vers. 10.

XXXII. Pastorum & reliquorum fidelium officium est, pro Ecclesiæ salute, apud Deum, precibus intercedere.

XXXIII. Precatio nostra niti debet hoc fundamento, quod Deus est Deus noster, hoc est, fœdere salutifero nobis, per Christum, devinctus pater ac servator.

XXXIV. Deus est bonæ voluntatis & fidei causa perficiens, vers. 11.

XXXV. Salus nostra ex gratia Dei nostri & Domini Jesu Christi oritur: Ergo non est merita, ut falsò Pontificii statuunt, vers. 12.

CAPUT SECUNDUM.

QUum tractationis hujus Epistolæ partes sint tres, laudatio, consolatio, hortatio: duas priores, quæ cap. 1. continentur, exposuimus: superest verò tertia, cujus scopus est Ecclesiæ Thessalonicensis confirmatio in officio, cùm fidei adventus Christi, contra falsos doctores, cap. 2. tum charitatis, præsertim in fratrum inordinatorum correctione, cap. 3. ut etiam ex cap. 2. vers. 15. 17. & 3. v. 5. apparet. Modus verò ac via petendi hunc scopum utrobique est hortatio.

Prius membrum constat propositione, confirmatione, conclusione. Ac propositio tractatur præfatione ante rem, & re ipsa. Præfatio ad docilitatem comparata est, & hortationi addit pondus, à persona & ab hortationis modo. Personam indicat relatè, cum fratres vocat, quod videlicet ab eodem patre Deo, eademque matre Ecclesia Christi, virtute Sp. S. ex incorruptibili Euangelii semine regenerati essent, 1. Pet. 1. vers. 23. Jac. 1. v. 18. eoque summam ac mutuam haberent cognationem & amoris mutuum vinculum arctissimum: unde hæc solicita hortatio profluxit.

Modus hortationis non est mandatum, pro jure legationis apostolicæ: sed emphatica rogatio & obtestatio: nam rogatio intimum ac serium Apostoli studium: obtestatio verò, rei, ad quam hortatur, præstantiam ac necessitatem designat: rogat enim obtestando, primùm per *adventum Domini nostri Iesu Christi:* deinde per *nostri ad eum aggregationem.* Nam quod quidam ὑπὲρ vertunt *de*, & *quantum ad* exponunt, ut materiam seu objectum notet; illud dilutius est: quum contra, si ὑπὲρ vertamus *per*, ut causam significet, (quemadmodum apud bonos auctores ita in usu esse solet) optimè fluat. Cœterum adventus Christi hic non primus & humilis, quo venit judicandus: sed secundus & gloriosus, quo venturus est judicatum vivos & mortuos, intelligitur. Nec etiam, ut nonnulli putant, aggregatio nostri spiritualis præsens, qua fide Christo sumus uniti; sed corporalis ac futura Christi adventu designatur: de qua Matth. 24. v. 38. & 1. Thess. 4. v. 17. idque etiam ex hujus Epistolæ cap. antecedenti vers. 5. 7. 10. 12. colligitur: nam hac ratione hanc partem hortatoriam consolatoriæ eleganter connectit, dum illam ex hac deducit: ut, quam charus ipsis esset Christi adventus & ipsorum consequens salus, roganti Apostolo parerent, vers. 1.

Cui præfationi hortatio cohæret, ad fugam seductionis falsæ doctrinæ, de imminente die illo Christi, hoc est, ultimo adventus Christi die, Luc. 17. v. 24. nam quamvis alibi, ut 1. Joan. 2. v. 18. adesse novissimam horam, seu tempus dicatur: illud tamen, ob diversam relationem, huic dicto minimè repugnat: nam comparatè cum temporibus primum Christi ad ventum præcedentibus, sequentia ad secundum adventum vocantur *novissima tempora*, Heb. 1. 1. Deinde quamvis etiam dies Christi instare doceatur: illud etiam intelligitur relatè ad Deum & ad tempora consequentia secundum adventum, quæ longissima, quia æterna 2. Petr. 3. v. 8. Denique relatè ad impiorum exspectationem, 2. Pet. 3. v. 10. & 1. Thess. 5. v. 2. 3. quibus futurus inexspectatus & repentinus Christi dies. Hoc autem in loco instare negatur, eo sensu, quo à seductoribus affirmabatur, qui non post aliquot annorum centurias, Deo soli notas; sed brevi, ipsis viventibus, adventurum Christum fingebant, contra sententiam Christi, & mentem atque assertionem Pauli, 1. Thess. 5. 1. 2. Hanc autem seductionem

nem ſuis membris & modis deſcribit. Membra enim ſunt error mentis & terror animi: quorum indignitatem etiam à temporis, quo rectè inſtituti ſunt, brevitate exaggerat, cum ait, *citò*. ut Gal. 1. v. 6. Modi quibus ad eam rem ſeductores abuſi, fuerunt falſi prætextus, cùm *ſpiritus*, hoc eſt Metonymicè, revelationis Sp.S. tum doctrinæ Pauli, per *ſermonem & epiſtolam*. Quum enim & coràm, ſermone, de adventu Chriſti & fine ſeculi, diſſeruerit 1. Theſſ. 5. 2. & 2. Theſſ. 2. v. 5. & per Epiſtolam abſens, primam videlicet ad Theſſ. cap. 4. videntur (ut rectè veteres Theologi obſervarunt) utroque & Pauli ſermone & epiſtola abuſi, præſertim 1. Theſſ. 4. v. 15. *nos vivi reliqui ad illius adventum*, & v. 16. *deinde nos vivi reliqui:* quaſi illa eſſent de Pauli & Theſſalonicenſium tum viventium perſonis propriè dicta: quum contrà (ut oſtendimus) Synecdochicè ſint intelligenda, 1. Cor. 15. verſ. 52. *nos vivi*, hoc eſt, è noſtro corpore, è fidelium numero vivi: nam fideles ad finem mundi, unum conſtituunt corpus myſticum, cujus caput Chriſtus, 1. Cor. 12. v. 12. Eph. 4. v. 16. & 5. 31. idque colligi poterat ex 1. Theſſ. 5. v. 1. 2. Hæc de Verſ. 2.

Quare generatim fraudem adverſariorum & cautionis officium indicat, quum ait, *ne quis vos ſeducat ullo modo*, hoc eſt, prout Satan eſt verſipellis, hoc vel alio quocunque modo. Atque hæc eſt hortationis propoſitio, cui confirmatio graviſſima, ac prophetica adjicitur, quod ante Chriſti adventum quædam præire debeant, quæ nondum ſint completa: quum autem illa ſint varia, hoc in loco duo illuſtria recenſentur, apoſtaſia & antichriſti revelatio, quæ propter obſtaculum differentur. Ac de utroque loquitur Apoſtolus per ellipſin, cum ait, *quoniam niſi evenerit apoſtaſia, ſeu defectio prius*, &c. nempe non veniet dies Chriſti: ut ex orationis ſerie & verſu antecedenti omninò colligitur: eoque ellipſin hanc ſupplevit Oecumenius ad verſ. 4. noſter interpres minus remotè, pauloque clarius, initio tertii. Per apoſtaſiam autem quidam corporalem à Romano Imperio; alii contra ſpiritualem à Chriſto defectionem accommodatius intelligunt: & quidem vel impropriè, per Metonym. ut antichriſtum notet: quemadmodum enim *ſcelus* pro egregiè ſceleſto: ſic *apoſtaſiam* pro inſigni apoſtata & defectionis auctore ac fautore ſumtam arbitrantur: vel propriè, ut ipſam actionem defectionis & quidem à Chriſto Synecdochicè ſignificet. Quum autem defectio alia ſit particularis, quæ particulari loco, partique orbis exiguæ contingit: vel univerſalis, quæ per univerſum pene orbem ſe diffundit: non illa; ſed hæc intelligitur: nam eo tempore, quo Paulus hoc ſcriberet, particulares extiterunt defectiones: univerſalis verò poſtmodum ſecuta eſt, de qua etiam 1. Timot. 4. v. 1. *Spiritus autem diſertè dicit, fore ut poſtremis temporibus deficiant quidam à fide*: hoc eſt, doctrina & profeſſione fidei.

Sed objiciunt Pontificii: adverſus quos portæ inferorum non prævalebunt, illi non deficient. Atqui adverſus Eccleſiam univerſalem portæ inferorum non prævalebunt, Matt. 16. ergo Eccleſia univerſalis non deficiet. Deinde ſi Eccleſia univerſalis deſinit (quæ Chriſti regnum eſt) deſinet Chriſtus eſſe reipſa rex. Atqui hoc impium: ergo & illud. Verum eſt fallacia ignorationis elenchi: quia *Eccleſia* aliter à noſtris; aliter in argumentatione adverſariorum accipitur: noſtri enim Eccleſiam univerſalem non inviſibilem (quæ ſolos electos & vere fideles complectitur, de qua Chriſtus loquitur, Mat. 16.) ſed viſibilem, quæ electis & hypocritis conſtat, Mat. 13. intelligunt: & quidem univerſalem: verùm non abſolutè ac ſimpliciter (alioqui electi iis contenti ſimul deficerent) ſed relate & ſecundum quid: relatè quidem ut totus penè orbis, parti illius opponatur; ſecundum quid verò, ratione maximæ partis Eccleſiæ, hoc eſt hypocritarum: Eccleſiâ interim verâ, in paucis verè fidelibus, ſuperſtite, ac Chriſto ſuper iis regnante. Hæc autem defectio evenit ſenſim, potiſſimum verò ut rectè obſervatur, primum per Mahometem, qui omninò, & re & profeſſione, à Chriſto & Chriſtiano nomine defecti, magnamq; orbis partem ad apoſtaſiam ſeduxit: deinde per Epiſcopos Chriſtianos, præſertim Romanum, qui ſub nomine Chriſtiano, antichriſtianam tyrannidem in Eccleſiam invexit. Atque hæc apoſtaſia primùm eſt, quod hoc in loco, ante Chriſti adventum, eventurum prædicit Apoſtolus.

Alterum eſt revelatio Antichriſti. Quum autem id, quod revelatur, prius exiſtat, oſtendit, antichriſtum primum fore, antequam pateſiat: quod fit bifariam: nam revelatio prima eſt regni illius, initio Eccleſiaſtici, poſtea politici: de quo v. 7. altera impietatis ac fraudis, de quo verſ. 8.

Cœterùm quia hæc prophetia eſt maximi momenti, idcirco Antichriſtum graphicè, ad fidelium cautionem & conſolationem, deſcribit quadruplici circumſtantia; primò effecti peccati; deinde adjuncti conſequentis exitii; tertiò ſubjecti loci; denique adjecti temporis. Prima circumſtantia indicatur, cum Paulus antichriſtum vocat, *hominem illum peccati*, id eſt, peccatorem, per hebraiſmum, quâ ſubſtantivum cum ſubſtantivo conſtructum pro adjectivo uſurpatur. Quum autem hæc vox in S. Lit. ſumatur aut propriè ac generatim, pro quovis legis divinæ transgreſſore: aut ſpeciatim, per Synecdochen, καθ' ἐξοχὴν, pro eo, qui peccatis omninò deditus ac mancipatus eſt; ſeu pro homine egregiè ſcelerato: ſic hoc in loco accipi debere, res ipſa evincit: quia diſcernitur hoc modo, ab aliis hominibus, qui communi ratione peccatores exiſtunt.

Altera circumſtantia nempe adjectum exitium deſcribitur, quum phraſi Hebræa, *filius perditionis*, hoc eſt, homo perditiſſimus vocatur: ut filius iræ Eph. 2. v. 3. quum autem perditio alia ſit temporalis, alia æterna: hæc per Synecdochen intelligitur, ut Joan. 17. v. 12. Iudas vocatur *filius perditionis*, hoc eſt, non ſolùm jure, ut omnes, naturâ, Epheſ. 2. v. 3. ſed etiam re, perditioni æternæ obnoxius, ac perdendus. Verùm hoc in loco exurgit quæſtio, an Antichriſtus qui hic deſcribitur, ſit perſona aliqua ſingularis, abſolutè ac ſimpliciter unica numero. Pontificii affirmant, ut ſuum Pontificem tueantur: & myſterium iniquitatis componant. Orthodoxi verò contra aſſerunt, ſingularem quidem perſonam denotari: ſed non abſolutè ac ſimpliciter unicam numero: ſed unicam tantùm relatione unius temporis, & ordinis: ſucceſſione verò temporum plures; ſeu quod eodem redit, unam ordine ac perſona, quam ſuſtinet: plures ſucceſſione. Quemadmodum enim ſingularium animalium, leonis, urſique ſpecie, regna regumque ſucceſſiones rectè Danieli denotantur: ita non eſt abſurdum, ut adverſarii contendunt, plures ſucceſſione & ordine in unum congruentes, ſingulari numero, hominis voce denotari.

Sed rurſus inſtant: ſi Antichriſtus vocaretur ſine articulo ἄνθρωπος, alia eſſe poſſet ratio: nunc verò cum articulo ὁ ἄνθρωπος: Ergo homo ſingularis unicuſque omninò deſignatur: in quo argumento exultant ac ſibi mirificè placent adverſarii: ſed ineptè: quia falſa eſt conſequentia, quàm nec ex grammaticis, nec ex Scripturis didicerunt: nam articulus vim quidem atque emphaſin habet; ſed nec perpetuò (cum ſæpe redundet) nec qualem contendunt Pontificii: nam Matth. 12. verſ. 35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, &c. & Marc. 2. v. 27. *Sabbathum factum eſt διὰ τὸν ἄνθρωπον*, &c. & Luc. 4. v. 4. *non pane ſolo vivit ὁ ἄνθρωπος*, Luc. 11. 24. *quum impurus Spiritus exierit ἐκ τοῦ ἀνθρώπου*, 2. Tim. 3. v. 13. articulus redundat: denique 2. Theſſ. 2. v. 6. 7. τὸ κατέχον & ὁ κατέχων cum articulo, de Romano Imperio & imperatorum ſucceſſione ipſimet Pontificii intelligunt. Huc accedit, quod Matt. 16. v. 18. ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *ſuper hanc petram*, &c. non de unica perſona Pontificis, aut unius temporis Eccleſia: ſed de perpetua & ordinaria Pontificum & Eccleſiæ ſucceſſione intelligunt. Hoc igitur ſtatuimus, emphaſin quidem eſſe: ſed hunc antichriſtorum ordinem inſignem diſtingui, articulo, à vulgaribus hæreticis & antichriſtis, ut 1. Joan. 2. v. 18. hæc de v. 3. & ſecunda circumſtantia Antichriſti.

Antequam verò tertia proponatur, primæ illuſtratio opportunè adjicitur: nam peccata Antichriſti primum generatim reponuntur, cum vocatur ὁ ἀντικείμενος *adverſarius ille*. Sic enim vertendum eſſe oſtendit conſtructio & uſus hujus vocis, ut 1. Cor. 16. v. 9. ἀντικείμενοι πολλοὶ, *adverſarii multi*, & 1. Tim. 5. v. 14. *nullam occaſionem dare τῷ ἀντικειμένῳ adverſario*, hoc eſt, Satanæ, ut ex v. 15. & 1. Tim. 3. v. 6. 7. colligitur, idque per Synonymiam: nam

Satan hebraicè ἀντικείμενον adversarium notat. Hoc autem nomen bifariam in Sacris Literis accipitur, aut relatè ratione actionis, ac per infirmitatem, ut Christus Petro dicit Matth. 16. 23. *abi à me Satana*; aut absolutè ratione universi studii & vitæ: idque vel communiter, ut Ecclesiæ persecutores & hæretici quivis: vel κατ᾽ ἐξοχὴν, ut Diabolus, & Antichristus, quemadmodum enim Diabolus vocatur ὁ ἀντικείμενος, quod insignis sit ille ἀντίδικος adversarius Dei & filiorum ipsius, 1. Pet. 5. 8. sic primogenitus Diaboli & filius peccati propterea vocatur specialiter & κατ᾽ ἐξοχὴν ille antichristus, 1. Ioan. 2. 8. & ὁ ἀντικείμενος: quod Christo sit adversarius, cum ratione ipsius personæ, cujus gloriam violat: tum ratione membrorum, seu Ecclesiæ, quam oppugnat ac persequitur.

Atque huic generali peccatorum Antichristi expositioni, specialis subjicitur: eaque bimembris; unde generalis confirmatur: duo enim tribuit peccata insignia ac verè Diabolica, impietatem simul & superbiam horrendam, cum in Deum, tum simul in Ecclesiam: in Deum, cum ait, ipsum *sese efferre adversus omnem, qui vocatur Deus, aut numen*: hoc est, tam verum, quam falsum Deum, ut oppositio ac distinctio ostendit. Hæc autem elatio fieri potest bifariam, aut factis & reipsa, aut verbis etiam: prius autem hoc loco intelligitur: nam ut Paulus de hominibus impiis ait, eos profiteri se scire Deum, factis verò negare, Tit. 1. v. 16. Ita & antichristus: idque & Paulus docet, cùm ipsum, in templo Dei sessurum & fraude usurum ostendit, vers. 10. & res ipsa evincit: nam si aperta professione sese supra Deum eveheret, nullam sibi in templo Dei faceret fidem, aut non diuturnam. Quare quod Pontificii ex hoc loco conantur probare suum Papam non esse antichristum, quod non sese Christi adversarium profiteatur, sed vicarium; nec sese supra Deum efferat, quum se Dei servum vocet: illud sua sponte corruit: quia falsâ nituntur hypothesi: non enim de professione antichristi; sed de factis loquitur Apostolus; quæ in Pontifice comparent: nam cum se Christi vicarium vocat, honorem regni illius, in quo Christus solus caput est, sibi arrogat; & leges à Deo Christoque solo legislatore spirituali latas mutat, auget, abrogat, quemadmodum se quidem servum servorum, Domini verbis vocat: reipsa verò sese tanquam tyrannum servorum Domini gerit, & Dominos suos, reges & imperatores, ad pedum oscula detrudit. Idque amplius ex impia superbia in Ecclesiam liquet, quam Apostolus, addita tertia loci circumstantia, describit, cum ait: *adeò ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, demonstrans se esse Deum*: hoc est, non solum ita impius erit in Deum; sed etiam adeo fallax, ut in Ecclesia sedem figat ac dominetur, non ut pastor, sed depastor Ecclesiæ & adversarius Dei, arrogata sibi divina auctoritate, falsoque se Deum esse demonstrans: nam quod nonnulli vertunt, *in templum Dei sedebit*, ac si sensus esset, sese templum Dei esse jactabit, illud non satis convenit verbis insertis, *ut Deus*: quare εἰς sumitur, ut sæpe, pro ἐν, quod Dei instar, in templo illius sedeat, hoc est, solium Dei occupet. *Templum* autem vocat Ecclesiam Dei, metaphorâ ac similitudine, à typo legalis templi derivata: nam ut templum Dei, Dei cultui erat sacrum, quod profanari sine impietate non poterat, in quo Deus præsentiâ sua gratiosa præsidebat: ita Ecclesiæ fuit typus, quæ propterea vocatur Dei domus, 2. Timoth. 3. v. 15. & fideles Dei templum, 1. Cor. 3. vers. 17. è vivis lapidibus exstructum, 1. Pet. 2. 5. in quo & Deus habitat, 2. Cor. 6. 16. & fideles sacerdotes sunt, ut spirituales hostias, Deo acceptas per Christum, offerant 1. Pet. 2. 5. sic Ecclesia triumphans, Apoc. 3. 12. & 7. 15. & 11. 19. Nam quod Pontificii contra disputant, templum Dei significare templum Hierosolymitanum, illud ineptum: nam templum Hierosolymitanum erat brevi omninò destruendum ante antichristi dominatum. Ac quamvis Irenæus ita exposuerit, illud factum esse, verisimile est, quod Papiæ, antiqui sed exigui judicii ac creduli nimis scriptoris, authoritate fuerit deceptus: ut etiam in explicatione Apocalypsis, in qua, figuratè dicta propriè perperam accepit, ipsi evenisse constat. Eoque Chrysostomus utrumque conjunxit, & Hieron. ad Algasiam quæstion. 11. eam sententiam corrigens, ait, *sedebit in templo Dei, vel Hierosolymis: vel in Ecclesia: ut verius arbitramur*. Quam sententiam probat etiam Thomas Aquinas, ad hunc locum. Et Oecumenius ait, *non in Ierusalem. sed in Ecclesiis Dei*. Quare quod hinc colligunt Pontificii, Papam non esse antichristum, quia non Hierosolymis; sed Romæ sedet: consequentia absurda est. Quemadmodum etiam, quod ex impietate & superbia Antichristi argutantur, Papa, inquiunt, sedet in Ecclesia, sed non ut Deus ac Dominus summus; sed ut Christi vicarius, nec se demonstrat esse Deum; sed Dei servum. Ergo non est Antichristus. Falsum enim est antecedens: nam, ut, quæ modo attuli, non repetam, auctoritatem divinam & dominium exercet in Ecclesiam, dum omnium judiciis sese eximit & judicem ac regem universalem statuit: qua de re memorabiles cumprimis sunt duo loci, in jure Pontificio: prior in decreto Gratiani, dist. 40. *si papa*. dictum Bonifacii martyris. *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus & insuper à bono taciturnus; quod magis officit sibi & omnibus: nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos: hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus. quod cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius*. Posterior locus est Bonifacii octavi, qui ob insignia scelera potius Malefacius esset appellandus, Extravag. comm. l. 1. c. 1. *unam sanctam*, asserit, *si potestas spiritualis minor deviat, à suo superiori; si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo*, 1. Cor. 2. *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*. & in conclusione addit. *Porrò subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis*. Quò etiam pertinet glossa ad eum locum. *Christo data erat omnis potestas in cælo & in terra. Matth. 28. Ergo summus pontifex, qui est ejus vicarius, habebit hanc potestatem*. Item, *Jesus Christus, dum fuit in hoc mundo, & ab æterno naturaliter Dominus fuit, & de jure naturali in imperatorem & quoscunq; alios depositionis sententiam ferre potuisset & damnationis, & quascunq; alias, utpote in personas quas creaverat & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiam conservabat: Et eadem ratione vicarius ejus potest: nam non videtur Dominus discretus fuisse (ut cum reverentia ejus loquar) nisi unicum post se talem vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset*. Et postea: *divinum dominium est illud, quod est apud Deum, super omnem creaturam, ipse enim Deus creator est omnium*. Item, *hujus autem regni & sacerdotii principatum perpetuum commisit filius Dei Petro & successoribus ejus*. Huc etiam pertinet, quod se *Deum in terris* à Pontificiis scriptoribus vocari lubens sustinet. De quibus, querela gravissima, in Claudio Espencæo Parisiensi Theologo doctissimo (quem non procul à regno Dei absuisse apparet) in Epistola ad Titum c. 1. p. 76. *Quid enim* (inquit) *vel excusare vel excogitare verum aut verisimile possunt, quibus non vel Rex, vel Cæsar, non populus, non clerus, non generalis Synodus, non denique Ecclesia dicere potest, Cur ita facis?* Et illud Poëtæ theologi Monachi Mantuani objicit ac probat:

Vivere qui cupitis sanctè, discedite Româ:
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

Hæc pauca, ex innumerabilibus locis, sufficiant, ut inde constet, Papam, in Ecclesia, sedere ut Deum: & sese ostentare ut Deum. Sed hic objiciunt rursus: Si Papa sedet in Ecclesia Dei: sequitur Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam: ac propterea reliquos, qui ab ea secessionem fecerunt, esse extra Ecclesiam. Verùm partim consequens distinguitur, partim consequentia negatur: nam Ecclesia Romana accipitur, aut pro meliori, aut pro majori parte. Si priori modo, damus esse Ecclesiam: quia Ecclesiæ reliquiæ ibi adhuc supersunt, quæ sub jugo Pontificis gemunt & genua sua Baali non curvarunt, ut apud Israelitas, Rom. 11. 4. Si posteriori modo, pro Pontifice & conjuratis illius ministris & asseclis accipiant, negamus. Ideoque non à priori parte, seu cætu recte sentientium

(quibus fide conjuncti manemus) discessimus: sed à posteriori: nec simpliciter, sed secundum quid: quod enim bonum habet, retinuimus: quod malum, reformatione Ecclesiæ rejecimus: non enim ab Ecclesia Romana discessimus, nisi quatenus illa discessit à Deo: Hæc de v. 4. & antichristi peccatis, exitio, atque sede.

Quæ ab antecedenti Pauli doctrina, sermone coram ipsis proposita, & à Thessalonicensium memoria illustrantur: & quidem interrogationis schemate: ut indignitatem credulitatis, in admittenda seductorum, de instante adventu Christi, sententia, gravius argueret: *nonne*, inquit, *meministis, quum adhuc essem apud vos, hoc dixisse vobis?* vers. 5.

Postrema revelationis Antichristi circumstantia est tempus. Ostendit enim superesse obstaculum, quo fieret, ut nondum, sed suo tempore retegeretur. Hoc autem obstaculum Severianus apud Oecumen. de Spiritu Sancto exponit, qui sua gratiosa præsentia arcet antichristum: sed cum offensus hominum peccatis discedet, illum retectum iri; quod v. 10. potest illustrari. Alii de Euangelii prædicatione toto orbe futura intelligunt, quæ antecedere debeat antichristum: primum enim conjungendam esse toto orbe Ecclesiam, antequam illius ingratæ, v. 10. defectio esse possit, & antichristus retegi, Matth. 24 v. 14. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in toto mundo in testimonium omnibus gentibus & tunc erit finis.* Alii de Romano Imperio: alii denique de Euangelii propagatione & Imperio Romano simul intelligunt. Quinimo hęc omnia, ut obstaculi generalis modi diversi, conjungi non malè possent, nisi duo obstarent: primum rei circumstantia, nempe obscuritas, quod bis tectè ac generatim obstaculi meminit, nec semel exprimat: cum tamen, uno excepto, tuto declarari possint: deinde nisi obstaret explicatio, vers. 7. ubi *ὁ κατέχων obstans* nominatur, quod personæ convenit: & modo diversum, re idem notat, quod obstaculum: ut vocum cognatio & orationis connexio ostendunt. Quare Romanum Imperatorem Romæ imperantem, hoc obstaculum esse apparet: ut veteres plerique & recentiores interpretes, etiam Pontificii, exponunt: hoc enim florente ac degente Romæ latebit ac coercebitur dominatus antichristi, qui in ea urbe, utpote septicolli illa & regum terræ domina sessurus prædicatur, Apoc. 17. vers. 9: 18. Hæc de v. 6. Idque clarius exponitur: nam ei, quod dixit, *retegetur*, respondent, tanquam exegesis, illa: *Iam enim ἐνεργεῖται mysterium iniquitatis*: hoc est, per hebræam hypallagen, iniquitas mysterii, seu mystica & arcana. Quo modo per Metonymiam, plerique Antichristum intelligunt: ac sanè ita dicitur Apoc. 17. v. 5. *fronte illius inscriptum nomen μυστήριον, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Atque ita vertendum erit ἐνεργεῖται *operatur*, ut vulg. interpres reddidit, qualis usus vocis 1. Thess. 2. 14. λόγος Θεοῦ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν, *sermo Dei agit in vobis.* Atque hoc modo sensus erit, antichristum Apostolorum temporibus extitisse: non in sua persona; sed in spiritu & antecessoribus & auctoribus, qui illi, viam pararunt ac fundamenta straverunt impietatis: quales Simon magus, Ebion, Cerinthus, aliique consimiles, qui Iudæorum superstitionem & Ethnicorum idololatriam religioni Christianæ immiscere studuerunt: de quibus 1. Ioan. 2. 18. *audivistis antichristum illum venturum: etiam nunc antichristi multi cœperunt esse*, & v. 22. *hic est antichristus qui negat Patrem & Filium.* Et 1. Iohan. 4. 3. *Et hic est antichristi (Spiritus)* ut constructio evincit; *illius antichristi, quem audistis venturum fuisse & nunc in mundo est.* Alii verò eodem servato sensu, modo tamen diverso, per mysterium iniquitatis, non antichristum per Metonym. adjuncti: sed iniquitatem, quam secutus est, propriè intelligunt; & ἐνεργεῖται vertunt, *peragitur*. Quemadmodum Tertull. lib. de resurrectione, *agitur arcana iniquitas*: quod apostaticæ sedis antichristi fundamenta, jam ipsis Apostolorum temporibus jaciebantur, sed ita ut homines fallerent. Ut enim Euangelium vocatur *mysterium pietatis*, 1. Tim. 3. 16. & *fidei*, v. 9. *Dei*, Coloss. 2. 2. *Christi*, Col. 4. v. 3 ita doctrina antichristi rectè ex adverso dici potest, *mysterium iniquitatis, perfidiæ, Satanæ, antichristi.* Ac sanè adeò insidiosè Satanas hanc doctrinam sparsit, ut paulatim Ecclesiæ Christianæ imprudentes fuerint infectæ Judaismi & Ethnicismi seminibus: quæ deinde ita succreverunt, ut antichristum invexerint. Quod perspicuum est ex Papia, Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Origene, Chrysostomo, Hieronymo, aliisque antiquissimis Theologis: adeò ut, qui ista non videat, in meridie cæcutire videatur: nam quæ Paulus suo tempore arguit, & in Ecclesiam irrepserant, idololatria, communio sacrorum idololatricorum, 1. Corinth. 10. vers. 14. 20. cultus Angelorum, festorum Judaicorum (quale Paschatis) observatio superstitiosa, & ciborum certorum interdictio, corporis superstitiosa afflictio, & doctrinæ humanæ ἐθελοθρησκεία, cultus Dei arbitrarius & humilitatis species, Col. 2. v. 16. 18. 21. 22. 23. Gal. 4. v. 10. assertio propriæ justitiæ etiam ex operibus legis, Gal. 4. 21. & 5. 4. profanæ & aniles fabulæ, 1. Tim. 4. 7 cælibatus superstitiosus, 1. Cor. 7. 9. Scortationes & Magistratus contemtus, 2. Pet. 2. 10. &c. ea omnia ita in Ecclesiam irrepserunt ac perpetuo incremento succreverunt, ut omnes penè orbis Ecclesias quodammodo invaserint: ut Patrum scripta, Ecclesiastica historia & concilia demonstrant. Quales defectiones Antichristi doctrinam fore, Paulus prophetavit, 1. Tim. 4. v. 1. 2, 3. & Joannes Apoc. 17. & experientia Pontificis Romani evincit. Hæc igitur mystica & arcana iniquitas operatur: quando verò retegenda, & patefaciendus antichristus, docet, cum exponit, quod ante dixerat, quid obstet: deinde, quo tempore. De priori ait: *tantum qui nunc obstat, usque dum è medio fuerit*; nempe, *obstabit*. *Qui obstat* est (ut ante ostendimus) Romanus imperator. Rectè autem prisci novique interpretes causam reddunt, cur Paulus ita generatim & obscurè rem proposuerit, ne scilicet ominatione occasus Romæ & Romani imperii, invidiam Euangelio importunam & exitialem persecutionem Christianis conciliaret: quoniam nihil gravius in majestatem imperii Romani dici posse videretur, quàm si quis illius occasum ominaretur.

Tempus autem obstaculi indicatur his verbis, *tantum donec è medio fuerit*: quæ phrasis bifariam exponi potest, aut propriè, aut figuratè: propriè, ut locum notet: quemadmodum Matth. 13. vers. 49. *separabunt malos ex medio justorum*, Actor. 17. v. 33. *exivit è medio eorum*, & 23. 10. *rapere è medio*, 1. Corinth. 5. 2. *tollere è medio*: figuratè verò, ut interitum notet, Coloss. 2. v. 14 *sustulit è medio*: Hinc re congruentes, modo differunt Interpretes, quod quidam exponunt propriè, donec è medio fuerit, hoc est Romæ sedem habere & imperium desierit: alii verò figuratè, de exitio, donec imperium illius fuerit collapsum: stante enim ac vigente Romano imperatore, antichristi tyrannis latuit: quæ paulatim sese patefacit. Hæc autem ruina imperatoris Romani facta non est momento, sed certis temporum intervallis ac gradibus. Primum enim principium & occasio fuit desertio Romæ & Italiæ ac translatio sedis imperii Byzantium, & ordinis politici pristini immutatio, per Constantinum (in constituendis cætibus &c. ut Zozimus) & Italiæ per alios administratio: quod malum ab historicis observatum est. Huc accessit gubernatorum, partim negligentia, partim perfidia; & Hunnorum, Gothorum, Longobardorum in Italiam irruptio ac dominium: & Orientis per Mahometem & Saracenos defectio: quibus tandem successit partis imperii Romani ad Carolum Magnum translatio, & illius quoque interitus: adeò ut, ab aliquot seculis, præter nomen Romani imperii nihil superfit. Pontifex interim Romanus: potissimum sese antichristum esse patefecit, primùm ratione dominii Ecclesiastici, sub Bonifacio tertio: dum à Phoca tyranno Domini sui imperatoris homicida, & gratiam Romani Episcopi ad regendum scelus captante, titulum universalis Episcopi impetrat: ut Platina & alii docent: quem titulum, quia sibi Joannes Constantinopolitanus Episcopus arrogarat, Gregorius Magnus Episcopus Romanus appellarat præcursorem Antichristi. Secundò patefecit se antichristus ratione dominii politici paulatim, sed potissimum per Gregorium septi-

septimum: ut rectè vulgo observarunt: dum pontifices, ipsos imperatores imperio exuunt Romano & omnes reges sibi subditos constituunt: adeò ut, quemadmodum antea Episcopus Romanus authoritate imperatoris constituebatur: ita tandem contrà, imperatores à Pontifice: adeò ut ad vilia officia & pedum oscula fuerint detrusi, vers. 7.

Quare rectè ait Apostolus, *& tunc retegetur ὁ ἄνομος impius ille*, aut potius, *exlex ille*, hoc est, antichristus, filius peccati. Cujus justum exitium, per parenthesin, duobus gradibus describit, cum ait, *quem Dominus spiritu oris sui & illustri adventu suo abolebit*. Primus gradus est, abolitio inchoata tyrannidis illius, per *spiritum oris sui*. Quo modo intelligi potest, vel sermo Euangelii, à materia: quia ex spiritu seu flatu oris constat: vel Spiritus Sanctus, cujus virtute, per Euangelii prædicationem, tyrannis & fraudes antichristi retecta sunt; & multa regna inebriata & sopita poculo meretricis Babylonicæ, excitata sunt, jugumque antichristianum excusserunt: quod factum olim in Provincia, per Waldenses, & in Bohemia; & nostro seculo, in plerisque orbis Christiani regionibus, per Lutherum, Zuinglium, aliosque Euangelii præcones. Secundus gradus est antichristi abolitio perfecta, quæ continget illustri adventu Christi, ad judicandum vivos & mortuos, vers. 8. quo parenthesis de exitio Antichristi absolvitur. Porrò exponitur illius impietas ex causa efficiente & effectis. Efficiens est Satanas, quia *adventus antichristi erit ex efficacitate Satanæ*. Effecta statuuntur duplicia, proxima & remota. Proxima sunt, omnis generis *vires, signa & prodigia mendacii*, hoc est, fallacia: idque vel partim, vel omninò: ac partim quidem, cum ratione finis, qui est confirmatio mendacii: tum ratione formæ ac speciei externæ, quod videntur opera supernaturalia ac merè divina, cum vires naturæ non excedant & Satanæ virtute eveniant: vel omninò, ut & finis sit mendacium, & forma non solum externa fallax, sed etiam interna: adeò ut, quæ fieri videntur virtute divina, nec divina virtute, nec omninò fiant, sed tantùm specie ac fascinatione quadam, quæ fabulis augentur: qualia Antichristi Romani miracula, quæ vel per se, vel per sua instrumenta facit, & nupera quædam Hallensia & Aspricollia, vers. 9.

Deinde effecta remota sunt, omnis generis lethalis *seductio, in iis, qui pereunt*, justo Dei judicio, *propterea quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*. Amorem autem veritatis quidam Christum ipsum vel Deum interpretantur: quemadmodum 1. Ioan. 4. v. 8. & 16. Deus charitas dicitur. Alii fidem notari censent ex effecto; nam ex fide veritatis oritur illius amor. Simplicior autem ac genuinus sensus est, ut etiam ex vers. 12. colligitur, quod ex prædicatione Euangelii, charitatem illius non conceperint. *Veritas* enim primum Metonymicè doctrinam veram; deinde κατ' ἐξοχὴν Euangelium notat: quod etiam Heb. 10. 26. 1. Pet. 1. 22. *veritas*, & 2. Tim. 2. 15. Col. 1. 5. Ephes. 1. 13. & Jac. 1. 18. *sermo veritatis* nuncupatur. Quem sermonem, cum ob excellentiam & utilitatem illius ad salutem, amare deberent, oderunt: ut Joan. 3. 19. Interim non incommodè *amor veritatis* exponi potest veritas amabilis: quemadmodum hujusmodi Hebraismi frequentes sunt in hac etiam Epistola, atque ita incredulitas notaretur, v. 10.

Cujus veritatis contemtus, seductionis atque exitii causa statuitur & simul clarius exponitur sequentibus: nam seductionem inde oriri, docet, cum ait, *& propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio.* Efficacia autem deceptionis accipi potest, aut phrasi recta, aut obliqua per hebræam hypallagen, ut notet deceptionem efficaciæ, id est, efficacem: quemadmodum Oecumenius exponit. Quod autem Deus illam efficaciam immittere dicitur, quidam sic interpretantur, ut mittere sit permittere, & actioni opponatur, seu actionis cessationem hac in re notet. Verùm hoc meritò, ut Dei providentiæ adversum, ab aliis negatur: nam hoc in loco non nuda permissio, sed actio Dei judiciaria intelligitur, quâ peccata peccatis punit: non ea quidem efficiendo, sed sapienter ac justè dirigendo; adeò ut Dei respectu sint justissimæ pœnæ. Hoc autem fit, partim, cum ab iniquis & ingratis hominibus sua dona aufert, scientiam & conscientiam: eosque suis cupiditatibus tradit: de qua re Rom. 1. partim dum Satanæ & instrumentis illius, antichristo & seductoribus, habenas hac parte laxat, atque in tentationem ea ratione inducit, Matth. 6. Et ut magistratus venenum non efficit: sed eo interdum utitur, ad sontis pœnam: sic & Deus peccata non efficit; sed ut justus judex regit. Atque hoc sensu, Deus dicitur *seducere*, Ezech. 14. 9. & hoc loco *immittere efficaciam erroris*, per Metaph. ac similitudinem: quia gubernatio Dei justa est similis missioni: de qua re quia fusius scripsimus in conciliatione doctrinæ orthodoxæ, de providentia Dei, non est cur pluribus agamus vers. 11.

Seductionem sequitur justum exitium, tanquam finis ratione Dei judicis, cum ait, *ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed delectati sunt iniquitate.* Vox enim *judicii* Synecdochicè non judicium absolutionis; sed condemnationis notat: quemadmodum noster interpres vertit. Cœterùm cum omne peccatum mereatur damnationem, & omnes homines peccatum habeant innatum & enatum; etiam citra respectum Euangelii, & ante illius auditionem, rei sunt damnationis & mortis ęternę: hinc Ioh. 3. 36. ira Dei dicitur manere super infidelem: verùm accedente Euangelii contemtu, reatus augetur, & condemnationis causa fit gemina: prima, ob violatum fœdus operum ac legis, Deuter. 27. vers. 27. altera ob trangressionem fœderis gratiæ & Euangelii, Marc. 16. vers. 16. de qua re hîc agitur, cum peccatum eorum, qui seducuntur, describitur: *qui non crediderunt veritati*, (hoc est, doctrinæ Euangelii, quę salutiferam veritatem verè continet) *sed delectati sunt iniquitate.* Quæ vox accipi potest, aut per Synecdochen generis, ut significet mendacium, seu falsam doctrinam oppositè veritati: vel ut sumatur generatim: quod proprium & usitatius est, & uberius, siquidem priorem sententiam includit, v. 12.

Ne verò hæc doctrina, de justo Dei judicio, adversus contemtores Euangelii, infirmiores fidelium Thessalonicensium conscientias concuteret ac labefactaret, consolatione opportuna mitigat: siquidem hoc judicium Dei, contra impios, contrariâ gratiâ illius erga fideles illos illustrat, gratiarum actione, ad suam de iis sententiam declarandam, adhibitâ. Quam universè primum indicat, cum ait: *nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis fratres*: deinde materiam gratiarum actionis particulatim exponit, primùm Dei dilectione, qua ipsis bene voluit: cujus deinde effectum est electio: nam homines quidem eligunt prius, quos diligant, quia dignitatis habent rationem: contra verò Deus diligit gratiosè citra dignitatis humanæ rationem, quem eligat. Quum autem electio ratione termini & mediorum sit varia, descriptionem adhibet, *elegit ab initio, ad salutem*, nempe æternam, & quidem animæ & corporis, qui terminus est: media verò statuuntur *sanctificatio spiritus & fides habita veritati*: quæ duo nonnullis tanquam membra diversa distinguuntur, ut sanctificatio spiritus, studium sanctitatis notet, quod à Sp. S. ingeneratur, & aliud sit quàm fides: utque sit hysterologia: quia fides eam natura antecedit; hoc verò loco posterius nominatur. Verùm nihil vetat, quominus sanctificationem sumamus generatim de purificatione, quæ habitu, cùm fidei, tum charitatis ingenerato, continetur: cujus effectum est fides actualis, quæ habetur veritati. Similis locus est 1. Petr. 1 vers. 1. 2. Cœterum cum fides hic dicatur veritatis, noster interpres paraphrasticè exposuit, *fidem habitam veritati*; ut veritas objectum fidei notet: quemadmodum vers. 12. *non crediderunt veritati*. Hæc de v. 13.

Hujus autem fidei ut causa principalis ante Spiritus S. est indicatus: ita instrumentalis adfertur, vocatio per instrumentum duplex: proximum est Euangelium: remotum Euangelii præco, Paulus. Cui annectitur salutis antè positæ repetitio & expositio, cum ait, *ad obtinendam*

gloriam Domini nostri Iesu Christi, hoc est, communionem gloriæ illius, de qua 2. Thess. 1. 12. Hæc de v. 14. & consolatione Thessalonicensium, adversus metum, qui per infirmitatem in auditoribus oriri potuisset, ex antecedenti seductionis, per antichristum & exitii incredulorum pœna: nam cum illa sint odii & *reprobationis* documenta; Thessalonicenses verò fideles à Deo sint dilecti & electi ad salutem, & fidem veram; inde sequitur eos tutos esse à seductione illa exitiosa: ut irrupta illa salutis catena evincit, Rom. 8. 29. 30. *quos prædestinavit, eos etiam vocavit*. & Christi promissio, Joan. 10. 28. & precatio, Joan. 17. 20. 24. & assertio Matth. 24 24. *excitabuntur pseudo-prophetæ & pseudo-Christi, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant (si fieri posset) electos*. & 1. Pet. 1. 5. *custodimur potentiâ Dei, per fidem, ad salutem*.

Atque hactenus secundam partem hujus capitis, confirmationem hortationis produxit Apostolus: tertia verò est hortationis conclusio amplissima, constans hortationis repetitione & voto: ut enim antea hortationem proposuit, per aphæresin, ac dehortatione à malo, sic hoc loco reponit per thesin, adhortatione ad bonum: adhortatur enim ad constantiam, in tradita doctrina, quam edocti erant, sive per sermonem, sive per Epistolam Pauli: respicit enim ad seductorum fraudes, qui & sermone & Epistolâ, quasi ab Apostolo profectis abutebantur, ut Ecclesiam perturbarent: quibus sermonem suum sincerum, & Epistolam non supposititiam, nec immutatam; sed veram opponit. Interim ne hic quidem locus à corruptelis adversariorum immunis est: nam Pontificii hinc probare conantur distinctionem suam de doctrina salutis, partim scriptâ, partim non scripta: verbo scripto, non omnia ad salutem necessaria esse perscripta; sed quæ desunt, ea verbo non scripto seu traditionibus suppleri. Quæ enim disjunguntur, ea non sunt ὑπάλληλα, subordinata, & ejusdem argumenti; sed doctrina salutis tradita per sermonem, à doctrina tradita per Scripturam Sacram disjungitur: quia Paulus ait, *sive per sermonem, sive per epistolam*. Ergo doctrina salutis tradita sermone, & doctrina tradita per Scripturam Sacram, non sunt subordinata & ejusdem materiæ. Sed vitium est in hac objectione geminum: quia & assumtio & probatio illius falsa: nam primum Paulus non loquitur, de scriptura integra, quæ in subjecto quæstionis seu minore termino intelligitur (nam Act. 26. 20. testatur se nihil docuisse quicquam extra Prophetarum & Mosis sermonem) sed tantùm de parte illius exigua, nempe Epistola prima ad Thessalonicenses, ait enim *edocti estis per Epistolam nostram*: eoque non sequitur; plura Paulus docuit, quàm illa epistola scripsit: ergo ea nec ab ipso, nec ab Apostolis antè, nec post, nec à Prophetis conscripta: deinde negatur etiam necessarium esse, ut disjunctio indicetur: etsi enim vox εἴτε frequentius disjungat diversa aut opposita, non rarò tamen consentanea conjungit, & copulam (ET) notat: quemadmodum exempla evincunt: ut 1. Cor. 13. 8. εἴτε *prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive agnitio abolebitur*: hoc est, & prophetiæ & linguę & cognitio, & 1. Cor. 15. 11. *sive ego sive illi, ita prædicamus*: hoc est, & ego & illi. atque hunc etiam esse sensum, hoc loco Pauli, res ipsa ostendit: nam eadem dixisse, quæ scripsit, testatur ante v. 5. ideoque vox εἴτε non disjungit: sed conjungit ac copulat, v. 15.

Hanc autem hortationem, ad constantiam, in tradita doctrina retinenda, illustrat voto: quo causam principalem adjuvantem obedientiæ describit: & modum illius obtinendæ preces esse ostendit. In quo observandum est voti objectum & materia subjecta: seu à quo & quid iis voveat. Prius est Jesus Christus & Deus Pater, qui non solùm proponuntur, sed etiam describuntur ad confirmationem fidei impetrationis rei petitæ: Christus quidem ab officio *Dominus noster* dicitur, non solum jure communi, cum Patre & Spiritu, quia creator: sed etiam præterea jure duplici, primùm donationis paternæ: quia ei in hæreditatem & populum dati sumus, Psal. 2. 8. Jonn. 6. 37. secundò jure redemtionis, Rom. 14. 9. & 1. Cor. 6. v. 20. Deus verò Pater dicitur *Deus ac Pater noster*; hoc est, qui nos fœdere gratiæ sibi junxit & in filios adoptavit: unde conservatio & salus pendet, ut Matth. 22. 32. idcirco addit beneficia, dilectionem gratiæ, id est, gratuitam, & dilectionis ac gratiæ effecta ac dona, primùm *consolationis*, per fidem, & obsignationem Spiritus Sancti, & quidem *æternæ*, quæ non tolletur à fidelibus, Ioan. 14. 16. deinde donum *spei bonæ*, nimirum cum ratione formæ, quia sincera, tum ratione effecti, quia non fallit, Rom. 5. 5. Atque hac descriptione, voti objectum indicatur, & simul voti & fidei fundamenta declarantur: nam quorum Christus est Dominus ac redemtor; & Deus Pater est Deus & Pater eorum, à quo dilecti & fide ac spe donati sunt: illi conservabuntur ac servabuntur, 1. Pet. 1. 5. quare commode, adjicit rem ipsam, quam à Christo & Patre vovet, consolationem cordium & confirmationem eorum, in omni sermone & opere: quorum prius ad fidem pertinet: & quidem, non ratione initii (siquidem eos jam consolationem accepisse asseruit) sed ratione continuationis & incrementi: posterius pertinet ad vitam, seu fructus fidei, cum ait, *in omni sermone & opere bono*. Atque hac connexione ac transitione eleganti, aditum patefacit, ad alteram tractationis hortatoriæ partem, quæ in fructibus fidei præstandis occupatur.

CONSECTARIA.

I. PRudentis Euangelii præconis est, non solùm monere auditores, ut officium faciant, sed etiam rogare: ideoque seriò eorum salutem expetere debet.

II. Christi adventus ad judicium, nostrique ad eum aggregatio, ad confirmationem fidei & consolationem, nobis versari ob oculos debet, v. 1.

III. Quum etiam Apostolis superstitibus, sermonem & scripta iis, ad fideles seducendos affinxerint; non est mirum, si idem postea evenerit; ac propterea opus est prudentia & constantia.

IV. Temerarium est ac profanum, certum adventus Christi diem definire, v. 2. & Act. 1. 7.

V. Quum defectio Ecclesiæ visibilis sit peracta, & sessio Antichristi in Dei templo: non est, cur aut iis tenebris, quas in Ecclesiam invectas constat: aut externo Pontificiæ Ecclesiæ splendore offendamur, v. 3 & 4.

VI. Pleraque, quæ de Antichristo prædicta sunt, eique propria, in Pontifice Romano evenerunt: ergo non est dubitandum reliqua eventura, eumque tanquam Antichristum fugiendum v. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10.

VII. Miracula, quæ à Pontificiis jactantur, non sunt documenta Christianæ Ecclesiæ, sed antichristi; ut res ipsa & doctrinæ collatio ostendit, v. 9.

VIII. Quoniam veritatis contemtum sequitur, justo Dei judicio, seductio & exitium; veritas agnita reverenter habenda & amanda est, v. 10.

IX. Orandus est Deus, ne nos inducat in tentationem: sed clementer liberet à malo, v. 11.

X. Doctrina electionis æternæ ad vitam, ad consolationem Ecclesiæ pertinet, & ab Apostolis ac Christo, Mat. 24. v. 24. tractatur. Ergo ineptè faciunt, qui eam supprimi volunt.

XI. Dilectio Dei est electionis ad salutem causa: pro qua, cùm gratiæ Deo debeantur, gratuita est; ac propterea operum prævisorum respectum ac merita excludit.

XII. Quos deus elegit ac destinavit ad salutem; iis etiam media, sanctificationem Spiritus & fidem erga Euangelium destinavit.

XIII. Non solum pro nostra: sed etiam fratrum electione gratias Deo agere debemus, ex amoris fraterni lege & ad Dei gloriam, v. 13.

XIV. Electionem autem agnoscimus ex effectis, vocatione efficaci, fide & sanctificatione Spiritus, vers. 13. & 14.

XV. Fidei causa instrumentalis est prædicatio Euangelii: ac propterea impiè à nonnullis ut sermo impotens rejicitur.

XVI. Finis vocationis ac fidei nostræ est acquisitio gloriæ

gloriæ Domini nostri Jesu Christi in vita æterna: ergo fides electionem ad vitam non antecedit, sed sequitur, tanquam effectum destinatum, ad salutem: tum etiam sequitur, forti animo, Christi vocantis, Euangelii & fidei nomine, crucem & ignominiam perferendam, vers. 14.

XVII. Traditiones apostolicæ eorum doctrinam notant: quæ doctrina cùm viva voce primùm, deinde scripto sit tradita, in Scriptura est acquiescendum, v. 15.

XVIII. Deus dedit fidelibus consolationem æternam: ergo perseverantia Sanctorum certa est.

XIX. Quum consolatio nostra & spes data sit per gratiam, humana merita nullum habent locum, vers. 16.

XX. Qui consolationem acceperunt à Deo, opus habent ejusdem confirmatione.

XXI. Fidem sequi debet sermonis & operis bonitas, seu convenientia cum Dei verbo: quæ à Deo, ùt causa principali, promanat: quoniam ab eo sanctè ab Apostolo postulatur.

XXII. Etsi regenerati vita spirituali novi hominis donati, agant; tamen non sine Dei regenerantis confirmatione: ideoque ab iis omnis de suis viribus gloriatio abesse debet: & humiliter Deo, pro accepta regeneratione ac vita, agendæ gratiæ: & pro conservatione & fructibus illius orandum, v. 17. ut Psal. 2. vers. 12. 13.

Caput Tertium.

Postquam in tractatione hujus Epistolæ, laudatione ac consolatione usus est Apostolus, cap. 1. deinde hortationem ad fidem, per charitatem efficacem, subjecit. Ac primum quidem hortatus est, ad fidei confirmationem, cap. 2. Nunc verò progreditur, hoc tertio capite ad fidei opera & charitatem, hortatione duplici. Prima enim est ad officium erga Paulum; secunda ad officium erga fratres ipsorum. Ac primum quidem membrum proponitur generatim, ut pro Paulo Deum orent; & quidem, quia fratres sunt, non carne & sanguine, per generationem: sed spiritu & animo, per regenerationem conjuncti. Quum autem orationis materia sit boni collatio & mali aversio, speciatim utrumque orari postulat. Ad prius enim pertinet felix Euangelii successus, ut & Paulus sit fortis ac sedulus, in Euangelio annuntiando ac propagando, atque ita *sermo Domini currat*: hoc est, Metaphoricè, feliciter procedat: & ut ab auditoribus *glorificetur* Euangelium, auditione, fide, obedientia: quæ ad consolationem, & obliquam in officio confirmationem, simili Thessalonicensis Ecclesiæ illustrat, Vers. 1.

Ad posterius verò spectat liberatio ab importunis & sceleratis hominibus, cùm Judaicis, tum Gentilibus, qui ministerio Pauli ac cursui Euangelii & glorificationi illius in auditoribus, partim dolo, partim vi obstabant: quod etiam experti erant Thessalonicenses cum Paulo, Act. 17. & 1. Thessal. 2. 14. & adhuc experiebantur, 2. Thessal. 1. v. 4. & 2. 2. idcirco anticipatione quadam, ne infirmiores offendantur; ac de veritate Euangelii, aut de sua ipsorum constantia dubitarent; utrique malo occurrit. Ac priori quidem, cum ait: *non enim omnium est fides*, hoc est, non ad omnes fides pertinet: Matt. 11. v. 25. cum sit peculiare ovium Christi, Joan. 10. 26. 27. atque electorum donum, Roman. 8. v. 30. & 2. Thessal. 2. 13. unde fides Dei donum, Ephes. 2. 8. Philip. 1. 29. & fides electorum appellatur, Tit. 1. 1. Ac propterea in Dei voluntate, quæ perpetuo sancta justaque est, acquiscendum, Vers. 2.

Posteriori verò malo consolatione egregia medetur trifariam. Primum, à confirmatione divina: *Dominus Christus stabiliet vos & tuebitur à malo*, aut ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, hoc est, κατ' ἐξοχὴν, ut Matth. 6. vers. 13. à Diabolo, cum per se, tum per instrumenta sua, homines sceleratos, ipsos tentante. Quam conservationem probat Apostolus à Christi fidelitate, seu dictorum factorumque constantiâ, seu convenientia ac veritate in promissionibus, Tit. 1. v. 2. Heb. 6. v. 13. 18. Joan. 10. v. 28. Hæc de Vers. 3.

Secundò consolatur Apostolus, à suo, de Thessalonicensium obedientia, judicio & fiducia, eos, quæ denuntiaret & facere & facturos: quam fiduciam à causa efficinte Christo illustrat: ut Phil. 1. 6. cum ait *in Domino*, Vers. 4.

Tertiò denique consolatur voto, quo iis precatur, à Domino, directionem cordium; primùm, ad charitatem: deinde ad patientiam Christi, εἰς ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ. quæ varie exponi possunt: nam *charitas Dei* notat aut eam quæ est erga Deum, aut quæ à Deo; & hoc posteriori quidem sensu nonnulli exponunt, quod ex dilectione Dei, erga nos, fluat patientia: sed priori modo melius fluit, & phrasi hujus loci magis convenit. Similiter ὑπομονὴ τοῦ χριστοῦ *patientia Christi*, accipi potest, aut Metonymicè (ut nostro Interpreti visum) pro patienti exspectatione: aut per ellipsin vocis ἕνεκα, pro patientia propter Christum: quemadmodum Galat 6. v. 12. *crux Christi*, quæ propter Christum: & *contumelia Christi*, id est, propter Christum, Hebr. 11. 26. qua etiam ratione *afflictiones Christi* vocantur Coloss. 1. 24. & Apocal. 1. 9. & 3. 10. *patientia Christi*: pro cujus initio, ut Deo gratias egit 1. Thessal. 1. 3. & 2. Thessal. 1. vers. 3. 4. sic hoc loco perseverantiam illius à Deo vovet, Vers. 5.

Atque hoc modo, absoluta consolatione & prima hortatione ad charitatis officium, erga Paulum: alteram hortationem subjicit, de officio erga alios, nempe inter ipsos. Quum autem inter ipsos quidam officium facerent; alii contra id violarent: quorum illi erant εὔτακτοι, hi verò ἄτακτοι: utriusque partis officium exponit: ac primum εὐτάκτων erga ἀτάκτους; quæ hortatio absolvitur propositione, partium expositione, & occasione. Propositio est, *ut subducant se ab omni fratre, qui inordinatè se gerit*: cui pondus addit, ab authoritate Christi, cujus nomine denuntiat, vers. 6. Quum autem in officii objecto, & forma, seu in voce *inordinati* & *vitationis* nonnihil insit obscuritatis: utrumque expositione declarat. Ac primùm objectum, seu inordinatè se gerentes, declarat, quum describit, cùm generatim, tum speciatim: generatim, qui non se gerit *secundum traditionem*, id est, traditam doctrinam, quam accepit à Paulo, v. 7.

Speciatim cum traditionis hujus modum & formam notat bifariam, exemplo vitæ, & sermonis denuntiatione, quòd vita illis præiverit nec inordinatè sese gesserit, vers. 7 hoc est pane alieno gratis non victitarit, sed victum, manuum opere die nocteque acquisierit, Actor. 18. v. 3. & 1. Cor. 4. v. 12. ne Thessalonicensibus esset oneri, vers. 8. ut 2. Thess. 2. v. 9.

Verùm cum reliqui Apostoli Ecclesiæ stipendio victitarent, 1. Cor. 9. v. 5. & 6. & Paulus etiam alicubi 2. Corinth. 11. 8. ne aliis detrahere, ac sibi contradicere, videatur, anticipatione commoda occurrit: ac causam alienam removet, veramque tradit. Removet alienam, cum ait, *non quod nobis id non liceat*, 1. Thess. 2. v. 6. 1. Cor. 9. & 1. Tim. 5. vers. 18. veram causam tradit cum ait, id factum, ut exemplum imitandum præberet: nam si Paulus stipendio prædicationi Euangelii debito uti, & manuum opere abstinere noluit, ne Ecclesiæ esset gravis: multo minùs ventres otiosi Ecclesiæ graves esse debent, v. 9.

Ut autem hoc vitæ exemplo, ordinem rectum docuit: ita & sermone ipsis denuntiavit, hoc modo, *si quis nolit operari, ne edito*. Operari autem accipitur bifariam, aut speciatim de opere manuum, 1. Thessal. 4. vers. 11. aut generatim etiam de alio officii demandati opere, puta curæ, consilii, sermonis &c. ut 1. Tim. 5. v. 17. & 2. Epist. 4. 5. priori modo plerique Apostoli dicuntur non operati, 1. Cor. 9. 6. posteriori vocantur *operarii*, Matth. 10. 10. itaque qui non operatur opera vocationis suæ, sed otiosè victitat, indignus est, qui ab aliis alatur, v. 10.

Huic inordinatorum expositioni, occasionem hortationis propositæ Apostolus subjicit, unde inordinati clarius describuntur, cum ait: quod audierit, *quosdam, inter eos, incedere inordinatè, nihil agentes, sed curiosè satagentes*: in quo duplex est ἀταξία, prior est injustum otium; quod sua vocatione neglectâ, debita opera omitterent: posterior, quæ ex priori, tanquam fonte, oritur, est rerum alienarum curiosa & injusta perturbatio, v. 11.

Huic commodè Apostolus interserit secundam hortationem,

nem, nempe ad ἀτάκτους. Ac primùm præfatione auctoritatem conciliat & benevolentiam, cum nomine Christi denuntiat, & obsecrat eos, ut ad officium redeant: quod breviter & graviter suis gradibus describit: primùm, ut *operentur* ac suum ordinem curent sedulò: deinde, ut *quieti sint* & alienum munus non turbent: denique sua industriâ, parto, non autem alieno pane vescantur, vers. 12.

Quia verò in admonitione ad εὐτάκτους, docuit vitandos esse ἀτάκτους: ne id malè acciperent, regressione opportuna mentem clarius exponit Apostolus: ut quemadmodum constare poterat ex superiori expositione, quinam essent inordinati: similiter ex hoc loco appareret, qualem subductionem ac vitationem intelligeret. Docet enim primùm modum, deinde finem illius. Modus est, ut non sit subtractio beneficii, benevolentiæ, admonitionis: sed tantum consortii sacri, & familiaris: nam ad beneficia quod attinet, ait, *vos autem fratres, ne segnescite in benefaciendo*, hoc est, in vestra liberalitate exercenda, erga alios, etiam inordinatos, si necessitas ferat, vers. 13.

Ad consortium pertinet altera hortatio, *quod si quis non auscultet nostro sermoni, per epistolam, hunc notate: & ne commercium habete cum eo*: hoc est, si quis inordinatè se gerens, huic doctrinæ & adminitioni meæ, modò propositæ parere nolit; sed in ἀταξίᾳ sua contumaciter fuerit progressus, huic notam inurite excommunicationis, & ne familiaritatem cum eo colite.

Finis autem hujus subductionis est, excommunicati pudor, ob sui vitationem: ut ea ratione ad considerationem & agnitionem culpæ & correctionem vitæ adducatur, vers. 14.

Ex quo fine apparet etiam requiri bonum animum, & bona verba: unde commodè modum subductionis amplius explicando, ait; *neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem*: hæc enim excommunicatio non est instar veneni, quod hosti datur ad exitium: sed medicina, quæ fratri datur ad salutem. Quod autem objicitur, Matth. 18. excommunicatum habendum esse instar ethnici & publicani, illud non repugnat huic sententiæ: quoniam illud à Christo non absolutè dicitur, sed tantùm ratione communionis sacræ, à quibus arcetur excommunicatus, partim ne sua contagione reliquos inficiat; partim ut eo modo sanetur, 1. Cor. 5. v. 5. 6. Adeò ut ex amore salutis excommunicatio oriatur & spe bona resipiscentiæ consecuturæ, vers. 15.

Quæ hortatio voto clauditur, quo causam obedientiæ principalem notat, Christi gratiam, à quo ipsis pacem perpetuam omnique modo & Domini auxilium precatur, ut cum ipsis omnibus sit: ut & εὔτακτοι & ἄτακτοι, Christo duce, officium faciant, & felici rerum successu donentur, vers. 16.

Atque hactenus epistolæ tractatio, quæ secunda principalis illius pars est; Tertia verò est conclusio, constans valedictione salutationis solennis: cujus formulæ adscriptæ causam instrumentalem proximam præmittit, *suam manum. Salutatio mea manu Pauli*, ut 1. Cor. 16. v. 21. Col. 4. v. 18: nam Epistolam ad Galatas totam sua manu, Gal. 6. v. 11. reliquas aliena manu (ut ad Romanos, per Tertium, Rom. 16. v. 22.) conscripsit; valedictionem verò ipsemet perpetuo subscripsit, ut 1. Cor. 16. v. 21. Coloss. 4. v. 11. Salutatio mea manu Pauli: Finis autem est, *ut sit signum in omni epistola*, ut veras à supposititiis aut corruptis epistolis segregaret, quod hîc monet prudenter contra falsorum doctorum fraudem, de quâ antea cap. 2. v. 2. actum est. Formula verò salutationis ac valedictionis solennis subjicitur, vers. 18.

CONSECTARIA.

I. Non solùm ab Euangelii præconibus fides docenda: sed reliquum etiam est, ut illius opera & charitas commendentur.

II. Ecclesiæ est, orare pro suis Pastoribus, ut Euangelium fideliter & cum successu propagent.

III. Beneficia salutaria nobis collata, ad eadem aliis vovenda excitare debent.

IV. Felix Euangelii progressus, Dei gratiæ debetur; eoque non est, cur aut homines eam laudem sibi arrogent, aut aliis eam tribuamus, vers. 1.

V. Quum Pauli prædicationi protervi & scelerati homines obstiterint, non est cur offendamur, si idem hisce temporibus eveniat.

VI. Fides Dei donum est, vers. 2.

VII. Quum Deus sit fidelis, de promissionibus illius non est dubitandum.

VIII. Adversus terrorem conatus Diaboli & malorum, auxilii divini contemplatione muniendi sumus.

IX. Officium non solùm aggredi, sed etiam continuare decet, vers. 4.

X. Quam ad rem requiritur directio cordium nostrorum à Deo, quæ precibus obtinenda, vers. 5.

XI. Apostolica doctrina, ut vitæ norma tradita est: ac propterea ad eam vita nostra ordinatè instituenda est.

XII. Otiosi & ignavi non sunt in Ecclesia ferendi, vers. 6.

XIII. Pastorum est, sanctæ vitæ exemplo gregi suo præire, vers. 7.

XIV. Videndum est non solùm quid liceat, sed etiam quid expediat ad ædificationem Ecclesiæ: ac propterea graviter peccant, qui offensionem infirmorum parvi æstimant, vers. 9.

XV. Quum Monachi & sacrificuli non operentur; ut qui non exequantur, quæ Deo sunt grata, sed superstitionibus & idololatrico cultui vacent, eoque μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι: indigni sunt, qui ab Ecclesia alantur, vers. 10. & 11.

XVI. Nemini in Ecclesia Dei licet otiosè vivere, aut, alienam tranquillitatem ac recta negotia perturbare, v. 12.

XVII. Cavendum, ne aliorum indignitas nos in benefaciendo reddat segnes, vers. 13.

XVIII. Excommunicatio, contumaciæ pœna.

XIX. Familiaritas cum excommunicatis vitanda.

XX. Finis excommunicationis nobis debet esse excommunicati salus; eoque admonitionibus amicis in viam revocandus est, vers. 14.

FINIS.

EXPLICATIO EPISTOLÆ PAULI AD PHILEMONEM.



Epistola Pauli ad Philemonem, est dogmaticum Novi Testamenti scriptum, quo Paulus Apostolus, Philemoni, Onesimum servum, antea fugitivum & furem remittit, & pro illo, ad fidem & resipiscentiam à se converso, precatur veniam, ac seriò commendat: ad Onesimi cum Domino suo reconciliationem, & perpetuam Ecclesiæ in vera fide & charitate Christianâ institutionem, Deique gloriam.* Dogmaticum appello hoc scriptum, non diegeticum: diegeticum enim in narratione rei, vel gestæ (quæ historia dicitur) ut Euangelia & Acta: vel gerendæ

(quæ

(quæ prophetia est) ut Apocalypsis, occupatur: dogmaticum verò, dogmatis tradendis inservit, idque vel in thesi, seu generalibus sententiis; ut in reliquis Pauli & aliorum Apostolorum epistolis: vel in hypothesi, seu particulari exemplo, ad generalem sententiam (quæ aliis scriptis tradita) illustrandam, inserviens. qualis hæc est epistola, quæ generalia dogmata, non directè, sed obliquè, per consequentiam necessariam, patheticè proponit. Addimus autem esse Nov. Testam. ut canonicam illius authoritatem ostendamus: de qua re mota fuit olim controversia, ut Hieron. Chrysost. & Theodoretus in præfatione hujus Epistolæ testantur. Ac propterea veritatis confirmandæ gratiâ, adversariorum argumenta proferemus, & ad conscientiæ tranquillitatem diluemus: quorum hoc primum est; Sacra scriptura profecta est à Spiritu Sancto, 1. Thess. 2. v. 13. & expressius, 2. Timoth. 3. vers. 16. & 2. Pet. 1. v. 21. Hæc autem Epistola non est ab eo profecta; quia ab humano spiritu provenit. Sed negatur assumptio & probationis illius primùm consequentia: nam subordinata (ut ajunt) non pugnant: siquidem à spiritu humano (sed convenienter veritati) profectæ sunt illæ sententiæ, quarum in explicatione Epist. Judæ meminimus, nempe Arati, Menandri, Epimenidis, quæ ab humano spiritu prodierunt, cùm ratione autorum horum, tum ratione memoriæ Pauli, Actor. 17. v. 28. 1. Cor. 15. v. 13. Tit. 1. v. 12. tamen ut Spiritus Sancti dictantis instinctu per Paulum scriptæ ac sanctificatæ sunt, Deum habent autorem. Deinde negatur etiam antecedens: nec enim agnoscimus à spiritu humano hæc profecta esse. Si quis excipiat; Quod sine instinctu Spiritus Sancti, humano ingenio fieri potest, illud non habet autorem Spiritum Sanctum: hæc autem Epistola est ejusmodi: nam quid opus fuit afflatu Spiritus Sancti ut Paulus dicat: *præpara mihi hospitium*. Verùm negatur propositio. nam Sp. S. multa sæpe præscribit, quæ humanitus poterant excogitari: ut ex Prophetarum & Apostolorum historiis constat. Deinde si ea de causa Epistola hæc esset rejicienda, idem & aliis, extra controversiam positis epistolis eveniret, siquidem non pauca habent familiaria: ut ex Epist. ad Rom. cap. 15. & 16. & ex 1. ad Cor. cap. 16. & 2. Timoth. cap. 4. cæterisque ejus generis constat.

Alterum argumentum est; Scriptura universa generatim ad totam Ecclesiam pertinet: hæc verò Epistola privatim ad Philemonem spectat. Propositionem admittimus, sed distinctione adhibita, quæ argumentum enervat & tollit: Veram eam esse, ratione finis remoti, non autem proximi: alioqui scripta illa Prophetarum & Apostolorum, quæ occasione & gratia certorum populorum aut hominum conscripta sunt, non essent Canonica: ut prophetia Abdiæ, Jonæ, similesque aliæ. Sed rectè Tertullianus contra Marcionem lib. 5. ait: *ad omnes Apostoli scripserunt, dum ad quosdam*: ita hæc Epistola ad Philemonem, sic privatim scripta ad ipsum est, ut secundario ad totam reliquam Ecclesiam instituendam destinata sit.

3. Argument: Scriptura sacra generalem doctrinam proponit; hæc verò Epistola singularem, quæ ad solum Onesimum spectat: nam commendandi, non docendi gratiâ conscripta est. Verum ad propositionem similiter distinctione resp. doctrinam proponi vel immediatè ac proximè ut sæpius; vel mediatè per exempla particularia, ad generalem doctrinam indicandam directa: ut liquet ex variis singularibus prophetiis, quæ certos homines aut populos attingunt, & ex singularibus exemplis, quorum usus non singularis, sed generalis est, ut 1. ad Cor. 10. v. 11. & 2. Pet. cap. 2. v. 6. & Jacob. 5. v. 10. & alibi docetur. Assumptio verò negatur: nam hæc Epistola privata quidem est ac particularis, si occasionem illius & proximum subjectum exemplum finemque proximum consideres; publica verò ac generalis est, si finem & usum particularis hujus exempli attendas, ut de Sacra scriptura asseritur, ad Roman. cap. 15. v. 4. & 2. Timoth. 3. vers. 16.

4. Argument: desumunt à simpliciate hujus Epistolæ; Reliqua (inquiunt) scriptura, gravior est & nervosior: ideoque Scriptura sacra non est. Sed antecedens, si de universa S. Scriptura dicatur, negamus: nam si hanc Epistolam conferamus cum ea, quæ ab omnibus Apostolis conscripta est, Act. 15. nihilo inferiorem esse comperiemus: idem de quibusdam aliis scriptis sacris; ut de historia Ruthæ ac similibus dici potest: ut secundam & tertiam Epistolam Johannis omittamus.

Deinde, esto verum antecedens: consequentia tamen negatur: non enim propterea desinit hæc Epistola esse sacra atque divina: hoc enim convenit πολυποικίλῳ sapientiæ Dei (ut Apost. ad Ephes. 3. vers. 10. loquitur) ut alia aliis præluceant; quemadmodum enim Deus non Solem tantùm, sed minora etiam sidera; nec Elephantem tantùm solum, sed etiam muscas; ad universi varietatem & ornamentum formavit: sic in Sacris literis contigisse non est alienum, si alia præ aliis scriptis emineant, imo & partes singulorum materiæ gravitate dispares, sed autoritate pares sint.

5. Argum. Epistolæ brevitas: sed ea autoritati nihil detrahit. Alioqui prophetia Abdiæ, Nahumi, Sophoniæ, & epistolæ cùm Apostolorum, Actor. 15. tum Judæ, & posteriores Johannis, essent æqualiter rejiciendæ.

Argum. ultimum est, à testimonio Veterum; quòd Plerique eorum hoc scriptum rejecerunt. Sed falsum id esse res ipsa demonstrat: nam in toto orbe à cunctis Ecclesiis suscepta fuit: ut Veterum de scripturæ canone catalogi evincunt, & ut Hieronym. attestatur: qui addit; *Pauli esse Epistolam ad Philemonem, saltem Marcione autore doceantur; Qui cum cæteras Epistolas ejusdem vel non susceperit, vel quædam in his mutaverit, atque corroserit, in hanc solam manus non est ausus mittere: quia sua illam brevitas defendebat.* Idem docet Tertullian. lib. 6. contra Marcionem. Quare ex hisce omnibus concludimus, Epistolam hanc Pauli esse canonicam, & Nov. Testam. scriptum, ad utilitatem Ecclesiæ comprimis pertinens: ut ex reipsa postea patebit. Atque hæc de Epistolæ argumento, autoritate atque utilitate; sequitur porro *partitio*, in *præfationem*, *tractationem*, & *conclusionem*. Præfatio attentionem & benevolentiam captat, *inscriptione*, *salutatione* & *gratulatione*.

Inscriptio continetur versibus duobus: ac declarat causam scripti efficientem ministram & objectum: hoc est, quis, cui scribat. Efficiens ministra est duplex, primaria seu scribens, & secundaria seu approbans. Prior notatur adjuncto cùm nomine Pauli; tum vinculis propter Christum, hoc est, Euangelium Christi, ut vers. 13. Quæ duo ad suadendum argumenta efficacissima sunt, ut vers. 6. liquebit: nihil enim indignius quàm in petitione justa, Christi martyrem contemnere. Etsi autem alibi vinculorum suorum Apostolus meminit; nullibi tamen se vinctum initio Epistolæ vocat, præterquam hoc in loco, unde etiam tempus scriptæ & missæ Epistolæ patet: nempe, cum Romæ diutius vinctus Christi nomine, Actor. 28. vers. 16. teneretur. Quo etiam tempore & loco scriptæ sunt Epistolæ ad Ephes. ad Philipp. ad Coloss. & secunda ad Timoth. ut Ephes. 3. vers. 1. & cap. 4. vers. 1. & ad Philipp. 1. vers. 7. & 13. Coloss. 3. v. 9. & 10. ad Timoth. 2. cap. 1. v. 8. & 2. vers. 9.

Altera ac secundaria causa efficiens ministra, nempe approbans, exprimitur similiter, nomine *Timotheus*: & adjuncta relatione, *frater*, nempe in Christo. Etsi autem non necessarium, non alienum tamen, neque inutile fore existimo, si de hujus vocis usu pauca interseram. Quatuor *enim modis* (ut ait Hieronymus) *in Sacris Literis fratres dicuntur*; *natura*, *gente*, *cognatione*, *affectu*: *qui in duo scinditur, in spirituale & commune. In spirituale, quia omnes Christiani fratres. In commune, quia omnes homines ex uno patre nati, pari inter nos germanitate conjungimur.* Hæc ille Tom. 2. contra Helvidium. Itaq; fratres dicuntur, ut distinctius dicamus, vel propriè, vel impropriè. Propriè quidem omnes qui ab eodem parente progeniti, idq; immediatè ut germani, aut uterini: vel mediatè ut consanguinei; & quidem eodem, vel diverso gradu atque intervallo. Genes. 9. v. 5. & 13. v. 1. & 14. v. 14. Matth. 5. v. 22. & 12. v. 46. Impropriè per Metaphoram generatim dicuntur, qui instar fratrum ac similes sunt. Job. 30. vers. 29. Proverb. 18. vers. 9. 1. Reg. 20. vers. 33. *vivitne? frater meus est*: id est, mihi similis erit, & fra-

fratris loco: speciatim verò Christiani κατ' ἐξοχὴν, ob similitudinem regenerationis spiritualis ab eodem patre Deo, & ex eadem matre Ecclesia, ad Galat. 4. vers. 26. & hæreditatis cælestis, fratres vocantur: & quidem autore Christo, Matth. 23. vers. 8. Id quod ab impuro Luciano irridetur, cum ait, ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτοὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων: id est, *primus illorum legislator* (Christum autem intelligit) *illis persuasit, quod omnes fratres essent*. Tomo.2. edit. Salmur. Dialogo de morte peregrini pag. 764. Lin. 3.

Quod nomen maximè placuit Apostolis & eorum successoribus, communis fidei & charitatis mutuæ testandæ gratiâ.

Qua de re illustris est Tertulliani locus; *Sed* inquit, *quod & fratres nos vocamus, non alias opinor infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres etiam vestri sumus, jure naturæ, matris unius, et si vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur qui unum patrem Deum agnoverunt; qui de uno utero ignorantiæ ad unam lucem aspiraverunt veritatis?* in Apologetico contra gentes. Hoc porrò fratrum nomen monachos sibi peculiariter, cum reliquorum Christianorum injuria usurpasse, jam olim conquestus est Chrysostomus in commentar. ad Heb. 11. Atque hoc postremo modo vox *fratris* pro Christianis, seu fidelibus, apud Paulum, cum alibi, tum hoc loco intelligenda, cùm ait *Timotheus frater*. Hunc autem sæpe (tanquam fidissimum in Euangelii prædicatione adjutorem, ad Roman. 16. vers. 21. 1. ad Corinth. 4. vers. 17. & cap. 16. vers. 10. 1. Thessalon. 3. vers. 2.) conjungit sibi: ut 2. ad Corinth. 1. v. 1. & Philipp. cap. 1. vers. 1. 1. Thessalon. 1. vers. 1. & 2. ad Thessal. 1. vers. 1. sic etiam hoc in loco: idque in eum finem, ut consensum illius & communem cum Paulo intercessionem pro Onesimo esse doceat: eaque ratione precationi suæ pondus addat. Qua de re Hieronymus; *Assumitur*, inquit, *quia vel eodem tempore vel præsente Timotheo dictata fuit. Quod ego duplici ex causa factum puto: ut & Epistola majorem haberet autoritatem, quæ non ab uno scribebatur: & quia nulla æmulatio erat inter Apostolos, si quid forte Paulo dictante, alii Spiritus suggessisset, absque ulla tristitiâ addebat, pares in literis, quas dictabat. Secundum id quod ipse Corinthiis præcepit, ut, si alio prophetante alii fuerit revelatum, taceat ille qui prius prophetabat: ita ipse quoque præceptum opere complebat, & propter quæ alio suggerente, addiderat ut suam, ita alterius quoque Epistolam præscribebat*. Hactenus Hieronym. in hujus Epistolæ explicatione. Sed altera, quam adfert, causa, licet arguta sit, minus tamen accommodata est: quia alia ratio est eorum, qui temporalia & pauca habuerunt dona, de quibus ad Corinthios, in loco memorato, est sermo: alia Apostolorum, qui in omnem veritatem deducti, Johan. 16. v. 13. Christum in se loquentem abundè habuerunt; ut Paulus nominatim de se ait 1. Thessal. cap. 2. vers. 13. & 2. ad Corinth. 13. v. 3. Huc accedit quod Paulus in toto hoc scripto, suo duntaxat nomine & autoritate loquitur. Hæc de efficiente Epistolæ, seu quis scribat.

Sequitur objectum, seu cui scribat, estque primarium vel secundarium. Objectum primarium declarat partim adjuncto duplici, nempe nomine *Philemon*, & in eum amore Pauli: partim ab effectis, nempe à communi operâ in Ecclesia Dei, nam quemadmodum Marcum & Lucam vers. 24. sic Philemonem hoc loco adjutorem suum vocat; unde apparet, rectè colligi, Philemonem non fuisse hominem privatum, ut auctor commentarii Ambrosio suppositi, putavit, sed in publico Ecclesiæ ministerio versatum apud Colossenses. Porro hæc duo epitheta, nempe *dilectus* & *Adjutor* ad scopum Apostoli accommodatè afferuntur: nam ut Theophylactus monet: *si dilectus, dabit veniam; si cooperator, non retinebit servum, sed remittet ad ministerium verbi, cujus & ipse operator est & minister*, Vers. 1.

Objectum secundarium triplex est. 1. *Appia dilecta*; uxor, ut videtur, Philemonis, quod Chrysostom. & Theodoret. affirmant. Alterum objectum est *Archippus*, Colossensium Episcopus, ut colligitur ex Epist. ad Coloss. 4. vers. 17. unde *commilitonem suum* appellat Paulus insigni Metaphorâ: ut ad Philipp. 2. vers. 25. Etsi enim omnes Christiani, Christi milites sint ac ministri, cui tanquam duci parere, servire; & adversus hostes, Satanam, Mundum, Carnem, totam vitam certare debent, Ephes. 6. vers. 11. Roman. 7. vers. 27. 1. Johan. 5. vers. 4. tamen κατ' ἐξοχὴν hæc nomina verbi ministris conveniunt: idque ob duplicem militiam, communem illam omnium Christianorum, & propriam in verbi ministerio, quo adversus errores & peccata Ecclesiæ & hæreticos ac tyrannos, Euangelii prædicatione, Ecclesiæ curâ, & rerum adversarum patientiâ decertant. Sic 2. ad Corinth. 6. vers. 7. & 10. v. 4. & 1. ad Timoth. 1. v. 18. 2. ad Timoth. 2. versu 3. ad Philipp. 4. v. 3. 1. Coloss. 4. vers. 12.

Hoc autem *commilitionis* epithetum apponit Paulus, non solùm ut debitum honorem Archippo tribuat, amoremque suum erga ipsum testetur: verùm etiam ut ei negotium Onesimi commendet tanto diligentius: nam si commilito fuit Pauli, æquum erat, ut Paulo honestè intercedenti ac precanti opem ferret. Tertiò addit; *& quæ domi tuæ est Ecclesiæ*. Quę verba, vel ad Archippum referri possunt propinquius; vel ad Philemonem remotius; quod postremum sicut Hieronymo & Chrysostomo; sic vulgò maximè probatur. *Ecclesiam* autem *domesticam*, hoc sensu intelligit, Philemonis liberos ac servos fideles; quę magna Philemonis laus est. Hanc autem Ecclesiam seu fidelium cœtum initio Epistolæ compellat Paulus, ut pro contubernali servo intercedat; alioqui pro more suo, in fine Epistolæ tantummodo salutasset, si salutationis solius rationem habuisset.

Atque hinc colligi potest, hunc Philemonem fuisse virum lautâ sorte, ut etiam ex vers. 7. apparet, cujus domus, ut ait de suo tempore Theodoretus, mansit in hodiernum diem. Atque hæc de inscriptionis objecto, vers. 2.

Sequitur salutatio vers. 3. quâ duo potissimum continentur, objectum seu bona optata, & causa eorum efficiens. Illa sunt *gratia*, id est, gratuita Dei benevolentia; & quæ ex eo fonte promanat, *Pax*. Hanc autem gratiam & pacem optat, non ratione initii, sed continuationis & incrementi: ut 1. Petr. 1. vers. 2. & Jud. vers. 2. exprimitur. Causa autem efficiens horum bonorum donans est Deus Pater; mediator verò Filius. Quod autem Pater appellatur Deus; hoc fit ut à creaturis & mortalibus patribus distinguatur: quare divinitati Filii id nihil derogat: quemadmodum vicissim nec Patris dominio, quod Filius appellatur Dominus. Quod nomen Christo meritò tribuitur, duplici Jure; primum creationis & gubernationis: quo modo omnium dominus est communiter: deinde jure donationis paternæ & redemptionis suæ, singulariter, seu quâ Christus statutus; & qua Jesus, hoc est servator. Atque ita fidelium tantùm est Dominus, unde rectè Bernardus; *Christus, hoc est qui possessionem sibi vendicat, & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris*. de considerat. ad Eugenium libr. 3. Cæterùm hæc salutatio est scopus ministerii Euangelici, 2. ad Corinth. 5. v. 19. & 20. itaque hac formula Epistolam inchoare & finire solet Paulus: eaque ad singularem hujus Epistolæ scopum etiam pertinet: nempe ut Philemon Onesimum in gratiam, Dei gratiæ autoris exemplo, recipiat, ad Ephes. 4. vers. 32. quemadmodum scitè Oecumenius ex Chrysostomo interpretatur; *Quomodo* (inquit) *erit gratia Dei in vobis? si & vos debitoribus vestris gratiam præstiteritis: qui verò pax? si & tu reconcilieris servo*. Hæc de v. 3. & salutatione. cui adjungitur gratulatio; quæ tertia præfationis pars, quatuor sequentibus versibus absolvitur.

Ea autem primùm ex effectis suis innuitur, nimirum gratiarum actione & precatione: deinde disertè exprimitur. Quod autem in gratiarum actione Deum appellat *suum*, facit non solum justè, sed etiam accommodatè: ac justè quidem, jure non solùm naturæ, quo suberat Deo; sed etiam gratiæ, tam adoptionis, quam Apostolatus: accommodatè verò, cum etiam in vinculis constitutus, suam in Deum fidem & exauditionis spem demonstrat, ad Philemonis consolationem. Precatio etiam amplificatur ab adjuncto tempore; *semper*, inquiens, *tui mentionem faciens*, &c. ut cha-

ut charitatis suæ constantiam declaret, & mutuam excitet, vers. 4.

Utraque verò, & gratiarum actio, & precatio illustratur porrò à causa sua. Prior quidem à causa impellente: auditione pietatis Philemonis, posita in charitate erga omnes sanctos, & fide in Christum. Quæ vera hominis verè Christiani argumenta, Galat. 5. vers. 6. 1. Johan 3. vers. 23. & ad veniam pro Onesimo jam sancto & Christi membro impetrandam apposité, ut postea liquebit, recenset, Vers. 5.

Hæc verò à causa finali declaratur; *ut communicatio fidei tuæ efficax fiat, in agnitione omnis boni, quod est in vobis per Christum Iesum*: hoc est, ut beneficentia, quæ ex tuâ & tuorum fide oritur, nec otiosa est, indies magis ac magis vim suam exerat, teque tuosque ad pluribus & uberius opitulandum impellat: adeò ut omnes fidem, spem, charitatem vestram, quam per Christum habetis, tu nempe Philemon & Appia cum totâ Ecclesiâ, agnoscant & probent, vers. 6.

Hæc de gratiarum actione & precatione pro Philemone: quibus (tanquam propriis effectis suis) gratulatio & charitas innuitur. Sequitur ejusdem emphatica expressio. Primò cùm *fratrem* appellat. Deinde cum docet non solùm sibi esse gaudio, sed etiam consolationi, dilectionem Philemonis. Tertiò quum dilectionem ab effectu describit: quod non tantùm sibi fuerit gaudio & consolationi: sed etiam *refocillarit viscera:* hoc est, per Metaph: corda & animos afflictorum, & quidem sanctorum, hoc est fidelium. Eos enim hoc in loco & alibi sæpe sanctos vocat: quod à peccatis sint immunes: idque bifariam: perfectè quidem per justificationem in Christo capite, cum quo sunt unum per fidem; inchoatè verò in se per sanctificationem. Hæc de versu 7. & gratulatione: unde per transitionem artificiosam à præfatione ad alteram hujus Epistolæ partem nempe tractationem rei transit, eamque ex prima deducit. Tractatio autem constat consuetis orationum partibus: propositione, confirmatione, confutatione, & conclusione. Propositionis sententia est; precor pro Onesimo, ut eum recipias: nempe in familiam tuam & gratiam, imò & in amicitiam, vers. 10. & 12. verùm artificiosissimè, & ad persuadendum appositissimè, eandem immiscet & includit confirmationi. Quæ argumenta continet à triplici persona. Primò Philemonis; cum id officium illius esse docet. Deinde à persona Pauli varia adfert argumenta. Quorum primum est à *petitionis modo*; quod non pro suo jure, quod per Christum habebat, illi mandaret; sed quod precetur propter charitatem, nempe Philemonis, sibi perspectam, ut vox *quapropter* ostendit: qua ratione benevolum reddit Philemonem, cum præclaram suam de ipso opinionem & spem demonstrat: quod ad officium non autoritate trahendus sit, sed charitate invitandus. simile vers. 14. alterum argumentum Apostoli est à persona quam nominat, nempe Paulus. tertium ab ætate suâ, cum addit *senex*. quartum à martyrio, cum ait *vinctus*, & quidem *pro Christo*, vers. 8. & 9. Denique ab Onesimi persona argumenta profert Apostolus in propositione ipsa. Primum à conversione & regeneratione & quidem ministerio Pauli, idque in vinculis; *pro filio* (inquit) *meo, quem in vinculis meis genui:* nimirum ut causa efficiens, non principalis, sed ministra, Euangelii prædicatione & Baptismo. Ideoque cum Onesimus redierit non solùm ad mentem, sed etiam ad fidem (cujus sinceritas hinc liquet, quod eum nec Christi, nec vinculorum Pauli puduerit) sequitur dignum esse Domini sui veniâ & amicitiâ. Observandum autem, quod nomen Onesimi non præmittit; ut vitetur offensio: sed argumentis postponit eruditè & prudenter, vers. 10. Alterum argumentum est ab utilitate ductum, & anticipatione ac Paranomasia eleganti illustratum. Objici enim poterat: intercedis pro eo qui nomini suo non respondet: *Onesimus*, id est, utilis vocatur; sed contra inutilis mihi, imò noxius extitit: quid igitur rogas, ut eum meo malo & periculo recipiam? Respondet Apostolus distinctione temporis; antea quidem inutilem fuisse, nunc verò utilem & Philemoni & Paulo, vers. 11. Tertium argumentum est, intimus Pauli erga Onesimum amor; qui declaratur metaphoricè, cum *sua viscera*, hoc est, cor suum & animum appellat, vers. 12. adeò ut lædi aut rejici non possit: quia Pauli quodammodo viscera læderentur. Hoc autem argumentum cum antecedenti illustratur anticipatione objectionis, siquidem objicere poterat Philemon; si Onesimus tibi tam utilis, & viscerum tuorum instar adeò carus esset, retinere debueras apud te. Respondet Apost: confirmatione antecedentis & negatione consequentiæ. *Cupiebam quidem* (inquit) *apud me retinere, ut mihi usui esset, & pro te mihi ministraret in vinculis meis, quæ pro Euangelio patior*, vers. 13. sed tamen non retinui, ne in te, cujus servus est, essem injurius; aut beneficii tui occasionem corrumperem vers. 14. Hæc de propositionis hujus Epistolæ confirmatione. Sequitur porrò confutatio accusationis criminum, quæ objici poterant: quæ cum vera sint, non utitur inficiatione, sed excusatione per mitigationem. Duo autem fuerunt crimina, furtum & fuga: ad quæ doctè & præposterè, à leviori incipiens, respondet: ac primum accusationem mitigat, cum odiosam criminis speciem reticet, & ejus loco genere utitur: non enim *fugam*, sed *segregationem* nominat: deinde excusat injuriam, non solum à restitutione, sed etiam comparatione eventus, nempe utilitatis consecutæ. Ac primum comparatione temporis in utroque: *semotus est*, inquit, *sed ad horam*, hoc est, per Synecdochen, ad breve tempus, non in perpetuum: contrà verò Dei providentia evenit, ut non ad horam eundem recipias, sed *in æternum*: nam servi ab hero separantur aut manumissione, aut fugâ, aut captivitate, aut morte: at fideles servi nunquam, quia communio sanctorum in Christo perpetua est, v. 15. Secundò altera fugæ utilitas, est fugitivi correctio, & secuta conditionis illius & obligationis præstantia: siquidem ante fugam servus erat nequam & infidelis; jam verò non servus tantum, sed plusquam servus, nempe frater per fidem in Christum; communem nactus patrem & hæreditatem in cœlis, eoque dilectus, maximè Paulo, qui Euangelio genuerat: quanto magis tibi Philemoni debet esse dilectus, cum duplex sit dilectionis vinculum: & secundum carnem, hoc est, quatenus humano more tuus servus est, quippe factus jam frugi: & secundum Deum, quatenus Dei servus & filius, ac tuus per fidem conservus ac frater, v. 16. Atque hæc prioris criminis confutatio. Cui sua conclusio subjicitur, repetitione propositionis, novo auctæ argumento à communione cum Paulo; quæ gravissima obtestatione amplificatur; *itaque*, inquit, *si me socium habes:* si quid tibi commune mecum esse vis, excipe eum, non ut servum fugitivum, sed amantissimè tanquam me. vers. 17. Porrò sequitur altera confutationis pars, qua secundi criminis accusationem elevat ac tollit. Elevat quidem, cùm, ut antea, odiosam criminis speciem præterit, & generali voce, minusque odiosa utitur: cum *injuriam* & *debitum*; non autem *furtum* nominat: *si quid*, inquit, *injuria tibi intulit, aut debet*. Tollit verò accusationem interposita sponsione & chirographo, *hoc* (inquit) *mihi imputato*: hoc est, expensum fer, me debitorem statue, vers. 18. *Ego Paulus scripsi meâ manu*, ut prædes solent; *ego dependam*. Ne autem id imprudentius dictum videatur ob tenuitatem sortis Pauli; probat satisfactionis facilitatem, correctione quadam opportunâ, *ut ne dicam*, inquit, *tibi, quod etiam teipsum mihi insuper debeas*; ac si diceret Paulus; non opus est Chirographo, quo me debitorem constituam, cum tu mihi plura debeas, & hanc veniam Onesimo, &, quod amplius est, teipsum, nempe quia Euangelio te in Christo genui. Emphasis autem est in vocibus *etiam* & *insuper*, vers. 19. Atque hæc de confutatione: ex qua vers. 20. deducit tractationis conclusionem, præcipuis argumentis summatim repositis ac collectis: utitur enim amica compellatione & eleganti allusione ad nomen Onesimi, pro quo intercedit, cùm ait, *etiam frater ego te ὀναίμην, fruar, seu fructu à te consequar*, tanquam meo: idque *in Domino*, hoc est, secundum Dei voluntatem in re justâ, adeo ut tu mihi futurus Onesimus, hoc est, utilis; *refocilla mea viscera*: ne scilicet inferior sim reliquis sanctis, de quibus vers. 7. Hanc porro conclusionem confirmat dupliciter: primò à certa fiducia & spe obedientiæ Philemonis & majoris beneficii quàm postulat:

ete-

etenim præclaram bonorum & gravium virorum de nostrâ probitate fiduciam & exſpectationem fallere, habetur turpiſſimum: ſecundò concluſioni addit pondus, à ſpe propinqui adventus ſui: ut vel pudore ad officium cogeretur Philemon, ſi in eo præſtando fuiſſet tardus. *Simul*, inquit, *para mihi hoſpitium, ſpero enim me per preces veſtras*, hoc eſt, tuas & Eccleſiæ, *donandum vobis*. Unde patere ait Primaſius *Paulum prima vice ab urbe Roma liberatum fuiſſe*. Quam ſententiam nonnulli ſequuntur; alii contrà negant: nec indigna diſquiſitione quæſtio, ad hiſtoriæ notitiam & hujus loci intelligentiam pleniorem. Pro prima opinione duo adferuntur argumenta, primò, ex hoc loco Paulus ſperat ſe liberandum; ergo liberatus eſt. Verum Reſponderi poſſet, ex ſpe rei externæ, & ad hanc vitam pertinentis, nihil eſſe concludendum: nam *talis eſt ſpes fidelium*, qualis divina promiſſio: ea autem eſt duplex: abſoluta aut conditionalis: illa eſt earum rerum, quæ abſolutè nobis promittuntur: idque aut generatim & ordinariè in ſacris literis; ut promiſſio remiſſionis peccatorum, perſeverantiæ in fide & vitæ æternæ: aut ſpeciatim & extraordinariè, revelatione divinâ: qualis etiam eſt quædam promiſſio de rebus externis; ut cum Davidi regnum; Ezechiæ liberatio à Sancheribo; Paulo conſervatio adverſus Judæorum machinas & furorem promittitur: hæc enim cum abſolutè promiſſa ſint, abſolutè fuerunt ſperanda, & ex ſpe hujuſmodi, de re & eventu illius certò poteſt concludi: qua ratione ſpes fidelium nempe de ſalute, quæ abſolutè iis promittitur, dicitur fidelem non confundere, ad Roman. 5. v. 5. Conditionalis verò promiſſio eſt, quæ non abſolutè, ſed cum conditione proponitur: cujuſmodi promiſſio eſt rerum externarum & ad hanc vitam pertinentium, quæ nec ſpeciali revelatione, nec abſolutè in verbo, ſed quatenus Dei gloriæ & noſtræ ſaluti conducant, promittuntur: qualis hæc fuiſſe videtur: ac propterea ſpes conditionalis eſt; unde de rei eventu nihil poteſt colligi. Nec diſſimilis ſpei declaratio extat, Rom. 15. v. 24. & 1. Cor. 16. v. 7. & 1. Timoth. 3. v. 14. & 15. Sed contra objici poteſt; qui ſperat divini ſpiritus inſtinctu, illius ſpes eſt certa de eventu: alioqui Spiritus Sanctus, ſpei auctor, homines falleret: quod alienum. Atqui Paulus hoc loco ſperat divini ſpiritus inſtinctu, quia eo autore hanc Epiſtolam ſcripſit: ergo ejus ſpes hoc loco eſt certa. Verùm negatur propoſitio. Etſi enim ea vera eſt de ſpe abſolutâ ac fidei: non tamen de ſpe conditionali ac opinionis. Nec valet illius probatio: quia conditio excludit fallaciam: quæ conditio, etſi hoc loco non exprimatur, ut alioqui fit, 1. Cor. 16. v. 7. tamen intelligitur ex natura rei ſperatæ: quæ cum ad hanc vitam pertineat, promiſſa eſt tantum in verbo cum conditione, cujus definitionem Paulo ignotam eſſe voluit Spiritus Sanctus. Sed excipi contra poteſt; ſi conditio ſpei non erat perficienda; ergo (quod abſurdum eſt) ſine juſta cauſa Spiritus ſanctus hanc ſpem aut Paulo indidit extra ordinem, aut ordinariè excitatam ſanctificavit. Sed negatur conſequentia: quia ut aliarum rerum, ſic ſpei variæ eſſe poſſunt cauſæ: adeò ut unâ ſublatâ, non propterea reliquæ tollantur: nam cauſa ſpei, in Paulo, fuit vitæ conſervatio & liberatio, ad Eccleſiæ inſtitutionem & Dei gloriam: quam conſervationem ut optare, ſic etiam ſperare debuit, ex officio, partim naturalis amoris erga ſe, partim charitatis Chriſtianæ erga alios, Philipp. 1. verſ. 24. & 1. Corinth. 13. verſ. 7. etiamſi eventus fuerit incertus. Atque hæc de prioris ſententiæ argumento primo, de quo probabiliter in utramque partem diſceptari poteſt: quia non neceſſarium, ſed probabile. Cœterum alterum eſt multo validius ex Epiſt. ad Philippenſes, quæ etiam Româ eodem tempore è vinculis conſcripta eſt. Sic enim dicitur cap. 1. verſ. 5. 6. & 7. *Hoc confiſus, novi, me manſurum & permanſurum cum vobis omnibus ad veſtrum profectum & gaudium fidei: ut abundet gloriatio veſtra in Chriſto Ieſu de me, meâ rurſus apud vos præſentiâ.* Cum igitur Paulus non opinione humana, ſed Spiritus Sancti ductu loquatur ac teſtetur, ſe non ſolum fidere, ſed etiam noſſe, fore ut permaneat, cum Philippenſibus: inde concluditur, ſpem hanc, de qua hoc loco Apoſtolus ait, non eſſe incertam ex conjecturis & opinione, ſed certam ex revelatione divinâ & fide illius. Verùm excipi poſſet hanc notitiam non fuiſſe abſolutam, ſed cum conditione, ſi Deo placeat: cum autem probabilia fuerint voluntatis Dei argumenta, non malè opinionem hanc metaphoricè appellari notitiam potius, quam ſpem: quemadmodum ſpes de eventu valdè probabili per Metaphoram vulgò notitia nominatur. Idque etiam ex hac Epiſtola videtur poſſe probari, ubi eadem extat Phraſis, verſ. 21. *Scripſi tibi, confiſus fore, ut tu me audias, ut qui norim, te ſupra id etiam quod dico facturum eſſe.* quo in loco notitiam vocat opinionem valde probabilem. Denique hæc reſponſio probari videtur, quod ſpes Pauli, hoc loco, non nitatur revelatione divina, ſed precibus fidelium: quorum exauditionis eventus probabilis quidem erat, ſed incertus: quia in re, ad hanc vitam pertinente, puta liberatione Pauli, non habeant promiſſionem certam, eoque nec ipſi ſpem certam, ſed conditionalem, ac propterea multò minus Paulus. Verùm huic argumento reſponderi poſſet interceſſionem precum non eſſe ſemper de eventu dubiam, in rebus externis: nam revelatio divina etiam in hujuſmodi mediis poteſt intervenire: quemadmodum cum Abraham oravit pro Abimelecho, & Jobus pro ſociis. Sed contrà objici poteſt, Paulum ad Philipp. 2. v. 17. oſtendere, ſpem ſuam non certam, ſed dubiam, cum ait; *ſed etſi pro libamento offerar ſuper hoſtiâ ſacrificioque fidei veſtræ.* Verùm reſpondetur, hanc hypotheſin non reddere rem incertam: ſed ad amplificationem amoris pertinere. Idque probari, quod verſ. 24. addat Apoſtolus; *confido autem in Domino, quod cito venturus ſum ad vos*: Ex quo loco duo peti poſſunt argumenta. Primò quod dicit ſe non ſperare, ſed confidere, & certo ſibi perſuadere. Secundò quod dicit *in Domino*. Sed excipi poteſt, Primò, πεποίθησιν *fiduciam*, aliam eſſe abſolutam & fidei, quæ certa eſt, nec falli poteſt, Epheſ. cap. 3. verſ. 12. aliam eſſe charitatis & conditionalem, quæ conditione non præſtita falli poteſt. 1. Corinth. 13. verſ. 5. & 7. & 2. Corinth. 1. verſ. 13. 14. 15. & 23. & cap. 8. verſ. 22. & 2. Theſſal. 3. v. 4. Galat. 5. v. 10. Philem. verſ. 21. Secundo, ad alteram rationem, nempe quod dicatur, *in Domino*, reſpondent conditionem notare ac ſignificare, ſi Deo placuerit: ſeu cum Domino, ſeu Deo adjuvante. Aliter etiam reſponderi poſſet: nempe hic tacitam conditionem intelligendam eſſe; *confido in Domino, fore, ut ad vos redeam*: nimirum ſi ad gloriam illius requiratur. Atque hactenus de quæſtione propoſita diſſeruimus in utramque partem: interim ſalvo doctiorum judicio, priorem ſententiam magis probabilem exiſtimo, præſertim cum veterum Theologorum, ut alii fatentur, accedat autoritas: adeo ut putem non abſurdum, quod referunt, Apoſtolum in Aſiam Româ rediiſſe: deinde Hiſpaniam, ut animo conceperat prius, Roman. 15. peragraſſe, ac poſtea iterum in vincula conjectum, & de morte propinquâ prius monitum, 2. Timoth. 4. verſ. 6. & 7. tandem à Nerone Romæ cæſum.

Hactenus de ſecunda hujus Epiſtolæ parte: nempe tractatione rei propoſitæ. Sequitur tertia, concluſio totius Epiſtolæ, conſtans ſalutatione aliorum, nomine, verſ. 23. & 24. & valedictione ſolenni, verſ. 25

CONSECTARIA.

I. PErſecutio propter Chriſtum, non pudoris, ſed conſolationis & gloriæ materia eſt 1. Petr. 4. v. 15. 16. ut Pauli exemplum demonſtrat.

II. Ut minorum eſt majores revereri: ſic horum eſt illorum honori favere, exemplo Pauli ſenis, qui Timotheum juvenem tam honorificè nominat ac ſibi conjungit, verſ. 1.

III. Cum miniſtri Eccleſiæ ſint commilitones, amare ſe mutuo debent, & omiſſis curis mundanis, Deo fideliter ſervire. 2. Timoth. 2. verſ. 4.

IV. Non ſolum publica & numeroſa Chriſtianorum congregatio, ſed etiam privatus paucorum fidelium cætus, Eccleſia eſt.

V. Fidelibus laborandum, ut eorum familia ſit non Satanæ Synagoga, ſed Dei Eccleſia, verſ. 2.

VI. Cum gratia & pax æqualiter à Patre & Filio petantur;

tantur; sequitur Filium unum esse cum Patre Deum.

VII. Fides & Charitas omninò sunt Dei dona; ac propterea Deo gratias debemus pro eorum initio, & preces pro incremento; nec solum cùm ea nobis donantur, sed etiam cùm aliis.

VIII. In precibus autem opus est fide & assiduitate, vers. 3.

IX. Christiana vita sita est in fide in Christum, & charitate in sanctos, quæ factis ad Dei gloriam magis magisque testari debemus, vers. 5. 6.

X. Fides vera est, quæ nec mortua, nec otiosa, sed viva & per charitatem efficax, versu 6.

XI. Charitas autem vera est, quæ non in verbis, sed in re consistit, 1. Joan. 3. v. 18. Jacob. 2. v. 16. ac præ cæteris domesticos fidei, Galat. 6. & potissimum afflictos refocillat.

XII. Gaudere debemus cum gaudentibus, non verò iis invidere.

XIII. Alios in os laudare non semper vitiosum est; sed officium interdum Christianum, primùm cum laus vera est: deinde cum omnia Dei gratiæ ascribuntur, ne laudatus se efferat: denique cum laudis finis est, non adulatio, sed ut sit stimulus & argumentum, quo laudatus amplius ad officium excitetur, ad Dei gloriam & Ecclesiæ institutionem, vers. 7. 8.

XIV. Pastorum Ecclesiæ est, benevolos non tam authoritate cogere, quam charitate ducere, vers. 8. 9.

XV. Quum Paulus servum fugitivum & furem jam conversum, tam solicitè commendet, ac tantopere honoret, ut filium & viscera sua vocet: pastorum officium est, etiam abjectissimos fidelium habere in amore & pretio.

XVI. Cum Euangelio & baptismo à pastoribus Ecclesiæ regeneremur, eos, ut filios decet, revereri & amare debemus.

XVII. Euangelii præcones vinciri possunt: sed non Euangelium, 2. Timoth. 2. vers. 9. ut conversio Onesimi docet, vers. 10.

XVIII. Danda est opera, ut honesto nomini respondeamus, eoque ad officium excitemur, vers. 11.

XIX. Qui Euangelii gratia affliguntur, omnibus modis juvandi sunt vers. 13.

XX. Beneficia esse debent non extorta, sed libera: nec magnitudine, sed animo æstimanda, vers. 14.

XXI. Errant Anabaptistæ, qui communionem bonorum in Christianis requirunt, versu 14.

XXII. Peccata fidelium non amplificanda; sed potius tegenda aut mitiganda, vers. 15.

XXIII. Fideles servi duplici nomine suis heris chari esse debent, cum propter muneris rationem, tum propter Deum patrem communem, vers. 16.

XXIV. Iis, quorum opera ad fidem conversi sumus, nos totos debemus, vers. 19.

XXV. Ut de aliorum in officio diligentia sperare debemus optima: sic curandum est ut spem conceptam, si fieri potest, superemus, vers. 21.

XXVI. Preces etiam infirmorum non sunt contemnendæ nec inutiles, v. 22.

XXVII. Quum Demas, initio, Pauli adjutor fuerit, in Euangelii promulgatione; postea verò eundem dereliquerit, præsens amplexus seculum, 2. Timoth. 4. Ergo: non est cur offensi ab Ecclesia resileamus, si idem nostro tempore contingat. Deinde hinc etiam sequitur, non officii initio gloriandum, sed solicite de perseverantia cogitandum. Cœterum observandum est, quod quidam *amorem præsentis seculi* de apostasia à religione interpretati sunt, ut monet Oecumenius: *Hunc Demam, ajunt, ad Græcanicam religionem factum idolorum sacerdotem.* Sed hoc non videtur verisimile, alioqui Paulus gravius eum perstrinxisset. Itaque alii plerique de defectione, non à vera religione, sed à ministerii munere exponunt: quod videlicet laborum pertæsus, ministerium Euangelii rerum corporalium cura permutarit. Quidam etiam addunt, eum postea resipuisse & ad Paulum reversum, idque ex hoc loco probare nituntur, ubi honesta Demæ fit mentio. Sed argumento infirmiori: nam ajunt probabile esse, hanc Epistolam scriptam post secundam ad Timotheum: quia in hac fit mentio Timothei ipsius in inscriptione atque etiam Marci, quasi jam cum Paulo versantis, qui cum secundam ad Timotheum scribebat, aberant: id inquam nec probabile est, nec ratione hac probatur: nam Timotheus & Marcus, cum ad Philemonem scriberet, aderant Paulo: sed postea Ecclesiæ curandæ gratia dimissi fuerunt, ut declaratur, Coloss. 4. 10. de qua re postea præstita loquitur, 2. Timoth. 4. 11. Deinde si hæc Epistola esset scripta post alteram ad Timotheum, sequeretur etiam Epistolam ad Colossenses esse posteriorem, quæ eodem tempore quo hæc conscripta est. Denique cum Paulus in hac Epistola curet sibi parari hospitium, & brevi se liberandum speret: in secunda verò ad Timoth. cap. 4. 6. desperet, imo contrarium testetur, inde concluditur, hanc Epistolam non subsecutam, sed præmissam.

FINIS.

ANALYSIS EPISTOLÆ PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

PROLEGOMENA.

Quoniam Epistola *ad Hebræos*, Jesu Christi mediatoris nostri personam, & officia, præsertim verò sacerdotium, & ceremoniarum Vet. Testam. complementum, atque abolitionem describit, atque declarat accuratissimè: idcirco summam illius utilitatem esse, elucet. Verùm quia de *authoritate* illius, & *scriptore*, cùm olim, tum nostris temporibus dubitatum est, quædam, de ea re, præfationis loco, præmittemus.

Etenim quæritur: quænam hujus scripti *causa* sit *efficiens*, cùm princeps, tum *ministra*, seu quis *author*, & quis *scriptor*. Ad prius quod attinet, Orthodoxi, communi ferè consensu, Deum authorem esse statuunt. Primò, quod doctrina tota, & docendi modus, seu phrasis, & methodus, cum reliquis Nov. Testam. scriptis, adamussim conveniant. Deinde, quod idem, Ecclesiæ perpetuo, inde ab Apostolis, testimonio, comprobetur: quod etiam asserit Theodoretus, in præfatione commentariorum in hanc Epistolam: & ex sequent. plenius apparebit. Contra verò alii Deum authorem esse negant, partim malitiâ; partim imperitiâ temerariâ. *Malitia* quidem, quod hanc Epistolam suis erroribus adeo graviter obstare viderent, ut quidam hæretici, & inter eos Marcion (qui primus hujus erroris author est)

est) quia in hac Epistola, contra pernitiosa ejus dogmata, idem Deus, utriusque Testamenti author: & Jesus Christus, Dei creatoris filius, nobis ὁμοούσιος, vereq; passus statuitur. De quo Marcione Epiph. hæres. 42. & Hieron. præfatione in Epistolam ad Titum. Marcionem deinde secutus est Arius, & Ariani (quod initio hujus Epistolę Deitas Christi clarissimè asseratur) ut testatur Theodoretus, præfatione hujus Epistolæ, & cap. 1. v. 3. & Epiph. contra Arianos. Alii verò *imperitia* temerariâ, in eundem lapidem impegerunt; ac primum, ex priscis authoribus, Gajus, & quidam alii, Eusebii & Hieronymi temporibus, Latini, ut testatur Euseb. histor. Ecclef. lib. 6. cap. 20. & Hieron. in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in Paulo & Gajo: quem errorem posteri quidam secuti sunt. Cujus origo fuisse videtur, quod non intelligerent hanc Epistolam omninò Sacris Literis consentaneam; sed putarent cap. 6. vers. 10. & c. 10. v. 26. 27. & 12. v. 17. Novatianorum errori favere, & pręterea dictorum Vet. Testam. sententiam aliena interpretatione, pervertere. Verùm utrumque, à D. Junio in parallelis sacris, eruditè confutatur, & suis etiam locis, à nobis, Deo dante, pleniùs diluetur. Quare meritò statuimus, cum Orthodoxis: *Deum esse Epistolæ hujus authorem, ideoque divinam illius esse authoritatem:* quamvis de Scriptore non ita certo, inter Orthodoxos, conveniat. Multi enim Paulum esse arbitrantur, ducti argumentis minimè contemnendis, partim insitis; partim assumtis. Proferunt enim primò similitudinem, seu sententiarum plurimarum convenientiam; quam, inductione variorum exemplorum, probant: quæ eodem modo, iisdemque penè verbis, utrimque reperiuntur, ut ex collatione liquet, Hebr. 1. v. 2. 3. cum Coloss. 1. v. 14. 15. 16. 17. Hebr. 5. v. 12. 13. cum 1. Corinth. 3. v. 1. 2. Hebr. 9. v. 15. cum Roman. 3. 25. Hebr. 10. v. 34. cum Philipp. 1. v. 13. & Philem. vers. 9. 10. Hebr. 10. v. 34. cum 1. Thessal. 2. v. 14. Hebr. 10. 36. cum Galat. 3. v. 22. Heb. 11. v. 11. 12. cum Roman. 4. v. 18. 19. Hebr. 12. v. 1. cum 1. Corinth. 9. 24. Heb. 13. v. 7. & 17. cum Philip. 2. v. 29. Hebr. 13. vers. 9. cum Ephes. 4. v. 14. Hebr. 13. v. 15. 16. & 21. cum Roman. 12. v. 1. & 2. Hebr. 13. v. 18. cum 2. Corinth. 1. v. 11. 12. & Hebr. 13. vers. 20. 21. cum 1. Thessal. 5. v. 23. denique Hebr. 13. v. 23. cum Philipp. 1. vers. 1. seq. Afferunt deinde similitudinem formæ externæ, seu ordinis, quod (ut Paulus solet) primò de *fide*, deinde de *operibus illius*, disserat. Præterea Epistola hæc scripta est ex Italia, Hebr. 13. 24. cum scriptor illius esset in vinculis, ibid. cap. 10. v. 34. & socium eorum haberet Timotheum fratrem, atque itinerum comitem, cap. 13. v. 23. Quæ Paulum Epistolæ hujus scriptorem satis arguunt. Quibus accedit testimonium, cùm divinum, quod producunt ex 2. Petr. 3. vers. 14. 15. 16. quod de hac Epistola, intelligendum putant; tum humanum antiquæ Ecclesiæ, quemadmodum post Clem. Alexand. apud Euseb. Ecclef. histor. lib. 6. cap. 13. Patres plurimi: quo etiam pertinet manuscr. antiquorum codicum Græcorum ferè omnium, in *titulo*, consensus, ut nomen Pauli præferatur. Alii contrà Pauli esse negant, objectis quibusdam rationibus, quarum prima hæc est: Nomen (inquiunt) suum hujus Epistolæ scriptor, non præmisit, nempe Pauli: Ergo non est illius scripti author. Verùm negatur consequentia, alioquin (ut apposité ajunt Hieronymus & Primasius in præfatione hujus Epistolæ) nullius esset dicenda; quia nullius nomen præmittitur. Sed excipiunt; Paulum, in aliis omnibus Epistolis, hoc habere in more. Agnoscimus, sed hoc factum arbitrio, non necessitate: nam quid vetat, quominus potuerit suum nomen omittere (quemadmodum Johan. Apostolus, in prima sua Epistola, fecit, cùm nomen tantùm duabus reliquis præposuerit) præsertim cum scriptor Paulus potuerit cognosci, partim ex eo, per quem Epistolam misit; partim ex manu ipsius Pauli: nam licet, in Epistolis scribendis, amanuensi uteretur, Rom. 16. v. 22. (præterquam Epistolam ad Galatas, quam integram scripsit, Gal. 6. v. 11.) in conclusione tamen solennem gratiæ apprecationem, suâ manu, adscribebat; ut scriptor, adversus hominum fraudes, dignosceretur, 2. Thessal. 3. v. 17. quæ eadem clausula consueta, etiam Hebr. 13. v. 25. in autographo apparuit. Deinde probabiles etiam nominis omissi rationes afferuntur, nempe honestas, ac utilitas: *Honestas* quidem, quod modestiæ causa, non se scripserit Hebræorum Apostolum, primò propter honorem Christi, qui ut Apostolus fuit Hebræorum, ita eundem Apostolum professionis nostræ vocat, in hac Epistola, c. 3. v. 1. deinde, quia, cùm Paulus præcipuè esset *gentium Apostolus*, Roman. 11. v. 13. vocatione Christi Act. 9. v. 15. & pacto etiam cum Apostolis inito, Galat. 2. v. 7. ad Hebræos, quasi ex abundanti, ut ajunt, scripserit: *Utilitas* verò *gemina* profertur hujus silentii nominis ipsius, quarum *prior* est, fuga offensionis Ecclesiæ Hebræorum, ne Judæos (præsertim infirmiores, quibus propter anticipatam de ipso opinionem suspectus erat, Act. 21. v. 20. 21.) nominis sui, principio exordii, inscriptione, à legendo absterreret: quas tres allatas jam rationes proposuit olim Clemens Alexand. teste Euseb. histor. Ecclef. lib. 6. cap. 13. *altera* utilitas est fuga periculi Ecclesiæ Hebræorum, ne præpositi nominis sui, apud Christi hostes, Judæos, odiosissimi occasione, persecutionis Ecclesiæ Hebræorum rabies inflammaretur magis: de qua 1. Thessal. 2. v. 14. Hebr. 10. v. 33. 34. Quæ duæ postremæ rationes, prioribus magis sunt verisimiles. Hæc de prima objectione. Altera verò est hujusmodi. Scriptor hujus Epistolæ fuit non Apostolus, sed discipulus Apostolorum: Paulus contrà fuit Apostolus, non discipulus Apostolorum. Ergo Paulus non est hujus Epistolæ scriptor. Propositionem probant, ex cap. 2. 3. Assumtionem ex Galat. 1. v. 1. Sed resp. propositionem ex cap. 2. non probari, quoniam sententia illa, (*salus ab iis, qui Christum audierant, fuit nobis confirmata*) accipienda est, non propriè, sed figuratè, per communicationis figuram; cujus, & quidem durioris, exemplum Tit. 3. 3. 1. Pet. 4. v. 3. luculentum: nam vox nobis Synecdoc. accipienda est, pro maxima parte nostrûm, hoc est, de fidelibus Hebræis, aliisque Apostolorum discipulis; quia enim fideles unum sunt, in Christo, corpus; hinc fit, ut quod plerisque ex iis collatum est, id omnibus etiam propter communionem sanctorum, adscribamus. Deinde quamvis (quod minimè largimur) concederemus propriè hanc vocem *Nobis* accipiendam; inde tamen non evinceretur scriptorem hujus Epistolæ non fuisse Apostolum, sed Apostolorum discipulum: nam dicitur, *salutem (quæ primum cœpta est enarrari, per ipsum Dominum) ab iis, qui ipsum audierant, fuisse nobis confirmatam, testimonium præbente Deo, signis* &c. aliud enim est confirmari, aliud primum doceri: sic Paulus, etsi Euangelium primùm acceperit à Christo, postea tamen ab Anania, Christi auditore, fuit doctrinâ & miraculo confirmatus, Act. 9. 17. 18. & 22. 12. 13. 14. Tertia objectio est à styli diversitate petita: Quod stylo conscriptum est elegantiori, quàm Paulus usus est [in] reliquis minimè controversis epistolis, ejus scriptor non est Paulus. Hæc Epistola est hujusmodi. Ergo scriptor ejus non est Paulus. Sed negatur propositio, quoniam idem author cultius aut incultius scribere potest, diversis de causis, ut vel Augustini, aliorumq; scriptis, & experientia frequenti, constat: in quibus quædam negligentius, quędam accuratiùs scripta esse apparet: imò quis neget stylum Jeremię, in Lament. elegantiorem, quàm in Prophetia? indeq; etiam sequeretur, Epistolam Pauli ad Ephesios, illius non esse: quod sublimiore stylo sit exarata, quàm reliquæ. Sed excipiunt: verum id quidem esse, ejusdem authoris diserti scripta esse inæqualis elegantiæ; sed is, qui rudis est sermone, non potest elegantiore uti stylo, sed sibi ferè similis manet. Paulus fuit rudis sermone, ut agnoscit 2. Cor. 11. 6. Ergo non potest elegantiori stylo uti, sed sibi similis mansit. Verùm negatur consequentia: quia τὸ μέσον, seu argumentum ambiguum est: nam rudis sermone in propositione sumitur absolutè, in assumtione comparatè: nec enim Paulus, eloquentia suâ, & elegantiâ, cum opus esset, caruit, ut Act. 14. v. 12. indicatur, & ex Epistolis attentè lectis apparet; sed fuco, & affectatâ Oratorum elegantia, qua inflati, adversus Paulum, pseudo-apostoli, sese efferebant, 1. Cor. 1. v. 17. & cap. 2. v. 1. 4. 13. & cap. 4. 19. 2. Cor. 10. v. 10. 11. atque hoc sensu se rudem sermone con-

confessus est; alioqui non vulgari solùm, sed etiam literatâ eloquentiâ fuisse imbutum, apparet, ex Poëtarum sententiis, quas adducit; quemadmodum Arati, Act. 17. vers. 28. Menandri 1. Cor. 15. vers. 33. & Epimenidis Tit. 1. vers. 12. Deinde negari etiam potest syllogismi hujus, & exceptionis propositio, bifariam: primùm quia etiam rudes sermone, adhibitâ diligentiâ, cultiùs scribere solent: deinde, etiamsi vera esset propositio, in iis, qui ex suo ingenio, suoque ductu, scribunt, seu qui simul scriptores & authores sunt; de ministris tamen intellecta, qui ab aliis dictata, mente ac memoria excipiunt, falsa est: nam Deus hujus Epistolæ author est, qui liberè potuit scriptoris stylo uti, aut cultiorem adhibere. Cæterùm, à Patribus antiquis, præposita Syllogismo objectio, aliter solvitur, distinctione majoris: nam scriptor Epistolæ, in propositione, accipitur simpliciter; in conclusione, secundum quid; Paulum enim ajunt non simpliciter Epistolæ hujus scriptorem, ratione & materiæ, & styli, seu ratione sententię & verborum (quo sensu intelligitur propositio) sed ratione materiæ ac sententiæ tantùm, idque bifariam exponunt. Quidam enim conjiciunt hanc Epistolam scriptam à Paulo Hebræis Hebraicè, & versam ab alio in sermonem Græcum, stylo elegantiori: sic enim Clem. Alex. ut refert Euseb. Eccl. hist. lib. 6. c. 13. Epistolam ad Hebræos, Pauli quidem esse dicit, & in Hebræorum gratiam Hebraicè scriptam; sed à Lucâ studiosè conversam, gentibus quoque expositam, atq; ob eam causam dictionem interpretationis illius consimilem reperiri, dictioni Actorum Apostolorum: idem ait Euseb. sed Clementem Romanum interpretem, ob styli, & materiæ utriusque similitudinem, putat, histor. Eccles. lib. 3. cap. 34. Contra alii audacius conjiciunt: Paulum materiam scribendi tantùm sua doctrinâ suppeditasse, (eâque solùm ratione scriptorem dici hujus Epistolæ) alium verò suo stylo excoluisse, & (ut cum Hieron. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, in Paulo, loquar) *proprio ordinasse & ornasse sermone*: sic enim Origen. apud Euseb histor. Eccles. lib. 6. cap. 24. ait: *sensus hujus Epistolæ esse Apostoli, phrasin verò & structuram alterius cujuspiam, qui dicta Apostolica annotarit, & velut in Scholia quædam, quæ à præceptore audierat, retulerit*; Itaque, inquit, *si qua Ecclesia Epistolam hanc, tanquam Pauli, habuerit, complectatur eam, & approbet eam etiam hoc modo: non enim eam, præter rationem, prisci viri, Pauli esse tradiderunt: veritatem autem Deus novit, ad nos verò historia pervenit, quod quidam eam à Clemente Romanorum Episcopo; quidam verò à Luca (qui & Euangelium & Acta dedit) scriptam esse, dicant.* Hactenus Origenes. Quam conjecturam, eo nomine, non immeritò, nonnulli aversantur, quod Sac. Literarum, non solum materia, sed etiam stylus debeat esse θεόπνευστος, ac quamvis Lucas Euangelista, Dei spiritu fuit actus, illud tamen, de Clemente Romano, certò asseri non potest. Alteram etiam ante propositam à nobis Clementis Alexand. opinionem, quòd Epistola ad Hebræos, Hebraicè esset conscripta, quidam sequuntur; alii verò in dubium non temerè vocant. Neque enim videtur verisimile, hanc Epistolam scriptam Hebraicè; nam ut alia omittam, quæ adferri solent, ex hujus Epistolæ stylo, reliquisque circumstantiis (ut puta citationis locorum Scripturæ) non videtur credibile, Judæos fideles, reliquosque Christianos, adeo futuros negligentes, in hoc thesauro tam locuplete, ad incredulos Judæos confutandos, asservando, ut passi fuissent, eum tamen cito perire; cùm videamus Judæos incredulos tantâ fide, & diligentia usos, in scripris propheticis conservandis, & ad posteritatem transmittendis: quamvis enim hoc tempore, hæc Epistola extet Hebraicè, edita à Munstero, eam tamen non esse valde antiquam, sed ex Græco postea translatam (ut Matthæi Euangelium) satis apparet. Quarta objectio, quòd ea, quæ cap. 6. de Catechismi consuetudine, afferuntur, cum Pauli ætate, non videantur congruere: sed quia hoc non probatur, eadem facilitate, quâ objicitur, negari potest: præsertim si quis conferat, 1. Corinth. 3. vers. 1. 2. 3. & Galat. 6. vers. 6. Postremò objicitur, judicium Tertullian. lib. de pudicitia: qui hanc Epistolam esse ait Barnabæ. Sed conjecturæ Tertull. opponitur primùm ratio: quia cùm Barnabas unicam dicatur scripsisse Epistolam (ut ex Hieron. in catalog. script. Eccles. in Barnaba apparet) & ex eâ multa citet Clemens Alexand. lib. 2. & 5. stromatum; illa tamen non extant, in hac Epistola: deinde ea, quæ de scriptoris hujus Epistolæ ad Hebræos, in Italia, vinculis, & Timotheo socio, & comite dicuntur cap. 10. & 13. non Barnabæ, sed Paulo conveniunt: ut ex Actis Apostolorum etiam apparet. Deinde Tertulliani conjecturæ opponimus etiam diversum aliorum Patrum antiquorum judicium, cùm separatim; tum conjunctim. Separatim quidem, ut Clementis Romani in canon. Apostolorum: deinde Clementis, Alex. & Origen. quæ loca adduxi: & Athanasii oratione 2. & 3. contra Arianos, & in Synopsi Sacræ Scripturæ, quam dicitur Imperatori Constantino, roganti misisse: & Euseb. histor. Eccles. lib. 3. cap. 34. & Hilarii lib. 4 & 12. de Trinit. & Ambrosii, lib. 2. de Caino cap. 2. & de benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. item de Sacramentis lib. 4. cap. 1. & in comment. ad Hebr. in præfatione (quanquam de postremis duobus operibus, an Ambrosii sint, dubitatur) deinde Gregorii Nazianz. & Amphilochii in carminibus de libris veris & genuinis Sacræ scripturæ: Basilii ad Gregor. de differentia οὐσίας & ὑποστάσεως, Cyrilli, Thesaur. lib. 12. cap. 9. Chrysostomi comment. in hanc Epistolam: Hieronymi multis in locis. Philastrius etiam (etsi durius) inter hæreticos numerat illos, qui non, ut Pauli, hanc Epistolam reciperent: Ruffinus etiam in expositione Symboli: & Augustin. de civit. Dei lib. 16. cap. 22. & de doctrina Christ. lib. 2. cap. 8. denique Prosperi de promissionibus, parte prima, in præfatione, & lib. 1. de vocatione gentium, cap. 3. quod opus Ambrosio, vulgò, adscribi solet. Conjunctim verò Patres in Conciliis idem agnoverunt, & statuerunt, ut in Laodiceno, can. 59. & in Carthaginensi tertio can. 47. quibus etiam accedit Græcorum Nov. Testam. codicum Manusc. consensus: quemadmodum omnia D. Bezæ exemplaria Græca, Pauli nomen, in titulo, adscriptum habent, unico excepto: & similiter R. Stephani omnia exemplaria, & magna illius Nov. Testam. editio, Pauli nomen præferunt. Quare hisce objectionibus expensis, & refutatis, probabilis manet eorum sententia; qui Paulum Epistolæ hujus scriptorem esse arbitrantur. A quâ opinione si esset discedendum, D. Beza (ut in Annot. majoribus monet) Scriptorem esse conjiceret Apollo, cujus eloquentia, & in Judæis confutandis robur laudatur, Actor. 18. 24. & 28. Cæterum totam hanc controversiam, memorabili Hieronymi loco, ex Epistola ad Dardanum tom. 3. concludemus: *Illud*, inquit, *nostris dicendum est, hanc Epistolam (quæ inscribitur ad Hebræos) non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi: licet plerique eam, vel Barnabæ, vel Clementis arbitrantur: & nihil interesse cujus sit, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur: quod si eam Latinorum omnium* (ut ex Eusebii historia Ecclesiastica lib. 6. c. 20. & ex iis, quos modo adduximus, Latinis Patribus, constat) *consuetudo, non recipit inter scripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesia Apocalypsin Ioannis, eadem libertate, suscipit; & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem sequentes, qui abutuntur* (id est, ex illis utuntur, non autem perperam utuntur, quemadmodum etiam in Catalogo scriptorum Eccles. loquitur) *utriusque testimoniis, non ut interdum, de Apocryphis, facere solent, (quippe qui & gentilium literarum raro utantur exemplis) sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Hactenus Hieron. & quæstionis *de hujus Epistolæ authore*, & *scriptore*, explicatio. Cui pauca de *Titulo* adjungemus.

De cujus authoritate non est cur laboremus: quia illud ex iis, quæ aliàs disseruimus, constat, hunc etiam titulum esse non à scriptore positum; sed à descriptoribus postea, verè & aptè, distinctionis gratia appositum:

 nam

nam præter scriptorem *Paulum*, & formam scripti communem, nempe *Epistolam*; etiam objectum, cui hæc Epistola à Paulo destinata, & missa est, denotat, nempe *Hebræos*. De cujus vocis origine, & sententia, paucis, hoc in loco, ob varia Doctorum judicia, differemus. Nam primum de origine vocis illius diversa sunt, & veterum, & recentiorum authorum judicia. Quidam enim ab *Abrahamo*, alii verò ab *Hebero* derivatam opinantur. Et ab Abrahamo quidem bifariam: nonnulli enim à nomine Abrami, vel Abræ, dictos Hebræos, quasi Abræos putant: in qua opinione fuit author vetus comment. ad Philip. cap. 3. qui operibus Ambrosii inserti, ei falsò (ut doctiores, tam nostri, quàm Pontificii censent) tribuuntur. Et quoniam literarum diversitas hanc opinionem videtur rejicere: objicii potest, ac solet, quod Abram, apud Hebræos, aspiratione leni, nempe, א, inchoetur; Hebræi verò ab aspiratione densissima, nempe ע: Excipit author ille, mutatam esse literam propter sonum, ut non vocentur *Abræi*, sed *Hebræi*: ut apud Veteres, cùm dicerent, *medidie*, & esset absurdum, dictum *meridie*. Sed diversa longè est ratio, quia non solum in principio dictionis, mutatio est literæ, א in ע, facilioris in difficiliorem (quamvis interim illud fieri, quia literæ sunt homogeneæ, agnoscant, & exemplis demonstrent grammatici) sed etiam, quia rejectio est literæ in fine, quod alienum est: nec enim vocandi essent *Abræi* aut *Hebræi*, sed *Abramæi* aut *Hebramæi*. Quocirca Augustinus, postquam quæstionibus in Genesin, lib. 1. ita sensisset, re meliùs consideratâ, meritò sententiam postmodum retractavit, Retract. lib. 1. Alii verò probabilius ab Abrahami non nomine, sed peregrinatione deducunt, & transitu Euphratis, à Cananæis & Phœnicibus, primùm Abramum fuisse appellatum עברי, id est, *transitorem*, vel *trajectorem*, quasi *transfluvialem*, aut *trans-euphratæum* dicas: quod videlicet trajecto Euphrate è Chaldæa, & Mesopotamia in Cananæam commigrasset, à voce Hebræa עבר, id est, *trans*, aut *trajectus*, quemadmodum eâdem origine locus ביתעברא βηθαβαρᾶ *domus*, id est, *locus trajectus* appellatur, Ioan. 1. 28. quod ibi trajiceretur Jordanis. Atque hinc etiam dictos censent Abrahami posteros, ab illius cognomine, *Hebræos*. in qua opinione fuerunt LXX. Interpretes, qui עברי *Hebræum*, Gen. 14. v. 13. interpretantur περάτης *trajectorem*: & Hesychius in lexico ἱβριος καὶ ἱβραῖος, ὁ περάτης. & R. Salomo eodem loco ad Genes. 10. v. 2. similiter, quos alii multi sequuntur viri insignes. Idque confirmant duobus argumentis: 1. Quod Iosuæ 24. 14. dicatur, *Patres vestri qui* בעבר הנהר, id est, *in transitu fluminis*, vel *trans flumen*, id est, *transfluviales*: quemadmodum similis vocis usus, Esa. 7. v. 20. 2. Quia Abraham ita primus in Bibliis nominatus legitur, & quidem primùm cum trajecto flumine venisset in Chananæam, Gen. 14. 13. quemadmodum Latini *transalpinos*, qui trans alpes orti erant, appellarunt, non dissimili ratione. Si quis objiciat, Israelitas ita fuisse appellatos, non solùm in Chananæa, sed etiam Ægypto, Exod. 1. 1. 5. ubi diversa appellationinis debebat esse ratio: Responderi potest cognomen illud propter usum jam inveteratum, Israelitis, nec invitis, nec indignè etiam, apud Ægyptios, aliasque gentes, adhæsisse, Gen. 39. vers. 14. non indignè inquam, quoniam obedientia Abrahami insigne erat monumentum, quod videlicet relictâ patriâ, & trajecto Euphrate, Dei jussum secutus, commigrasset in Chananæam. Alii denique *Hebræos* non ab Abrahami nomine, neque à peregrinatione illius, ac fluminis Euphratis transitione; sed ab Hebero, Semi nepote, Genes. 10. sic dictos ajunt, ut עברי *Hebræus*, sit nomen patronymicum: quemadmodum Josephus antiquit. Jud. lib. 1. cap. 7. *Heberus*, inquit, *à quo Iudæi Hebræi quondam appellabantur*. quod idem tradit Aben-Esra, Gen. 10. 21. & ad Jon. c. 1. 9. & Kimchi in lex. exponit עברי ממשפחת עבר *Hebræus, ex familia Heberi*: & Hieronym. quæstion. in Genes. ad cap. 11. operum tom. 3. ait: *Heber, à quo Hebræi*, (etsi alias sæpius περάτης exponat, ut ibid. Gen. 14.) & Eusebius de præparatione Euangelica lib. 7. c. 2. & August. retract. lib. 1. & Primasius præfatione in hanc Epistolam. Quam sententiam, ex recentioribus authoribus, quam plurimi sequuntur: eamque probare solent, ex Gen. 10. v. 21. quo in loco *Sem pater omnium filiorum Heber* dicitur seu Hebræorum, qui ex Hebero orti sunt. Verùm nonnulla objici possunt: primò non esse necessarium, ut *Heber*, hoc in loco Mosis, sit nomen proprium, sed potius dici posse esse epitheton, ac periphrasin Abrahami, & posterorum, qui vocentur filii transitus, id est, transfluviales, Hebræa phrasi: neque aliud notari, quàm hosce à Semo illo benedicto esse ortos. Deinde quæri etiam posset, quid causæ sit, cur potius ab Hebero Abrahamus denominatus esset, quàm à Semo, generis origine, aut à Theracho patre? & cur (ut objicit commentarius ille ad Philip. 3. Ambrosio ascriptus) posteri Abrahami non potius ab Abrahamo, quàm ab Hebero, qui sextus fuit ante Abrahamum, appellati? Sed ad primam objectionem regeri potest, etiam LXX. Interpretes non περάτας sed υἱοὺς Ἄβερ vertere: deinde ad alterum probabili conjecturâ dici posset, ab Hebero nominatum Abrahamum, & posteros Hebræos, non solùm ratione originis, sed etiam ratione linguæ sanctæ communis; quam Heberus conservatam posteris tradiderit (quemadmodum Suidas in Lexico Græco docet, in voce ἑβραῖοι) & Abrahamus cum suis eam exceperit ac foverit. Nec mirum debere videri, si Abrahamus se, ab Hebero, Hebræum potius, quàm, à Patre Theracho, Therachium denominarit: quoniam Heberus, illo tempore, erat adhuc in vivis, ut Gen. 11. 17. colligitur: & æquissimum erat, illius, ob ætatem, potiorem habere rationem. Si quis excipiat, *Semum*, similiter Heberi proavum, eodem tempore, adhuc fuisse superstitem, ut qui, post Heberi obitum, aliquamdiu vixerit; non apparet quid aliud responderi possit, quàm ut dicatur, in Semi familia tota linguam sanctam non fuisse custoditam (quemadmodum indicatur, Genes. 10. v. 31. *Isti sunt filii Semi, secundum familias suas, secundum linguas suas, per terras suas*) sed indè ab Hebero in ipsius posteris: ac propterea potius ab Hebero Hebræos, quàm à Semo Semitas fuisse appellatos. Veruntamen adversus hæc iterum excipi posset: inter Semum & Heberum, esse nullam, hac in re, differentiam; quoniam ut ab Hebero ad Israelitas sancta lingua propagata est, sic à Semo ad Heberum: deinde quod amplius est, Semus, cum tota familia, primam linguam, quæ Hebræa est, eamque solam, ad Heberum usque conservavit, quia linguarum confusio & divisio demum contigit, temporibus nativitatis Pelech, filii Heberi, unde etiam *Pelech*, id est, *divisio*, appellatus est Gen. 10. 25. Si quis dicat, verum id quidem esse, sed tamen post eam linguarum divisionem, ut dictum est, Semi posteros diversas habuisse linguas, Gen. 10. 31. Heberum autem cum suis posteris unicam illam sacram conservasse: dici posset, non esse verisimile, quandoquidem ex recensione posterorum Heberi, & filii illius Iokthanis, contrarium apparet, Genes. 10. 29. 31. ubi diversæ linguæ illis non minus, quàm reliquis familiis tribuuntur. Sed hac prima ratione omissâ, altera ratio, ex Num. 24. 24. petita, magis probabilis est, ubi dicitur *navis à littore Cittim affligent Assur, & affligent Heber*: ubi, per Meton. causæ pro effectis, nomina Patrum, pro posteris, Scripturæ more, posita, ut Cittim Cittæos, & Assur Assyrios; sic etiam Heber Hebræos, posteros scilicet illius, videtur notare. Et ut etiam Aben Ezra, ad eum locum, similiter de Heberi posteris, accipit: etsi Onkelos, Chaldæus paraphrastes, & Rabbi Sal. ibidem exponant, eos, qui trans flumen, seu trans-Euphratæos, vel regionem trans-fluvialem: Contra Aben-Ezra ait: nullibi עבר absolutè, tali sensu, usurpari, sine adjectione vocis נהר id est *fluminis*. Sic sanè Iosf. 24. vers. 2. בעבר הנהר in (Regione quæ) *trans flumen*, & v. 3. *assumsi Abraham* מעבר הנהר *à* (regione) *trans flumen*. Cœterùm, ut hanc disquisitionem in pauca, contrahamus, & hæc ab Hebero, & altera ab Abrahami transitu petita vocis origo probabilis est. Sed altera videtur præferenda: nam certum est, & extra controversiam Genes. 10. v. 21. per omnes filios Heber intelligi solos Abrahami posteros: atqui si de filiis Heberi omnibus propriè acciperetur, tum præter ineptam connexionem cum seqq.

Pelech

Pelech. etiam & Ioktan essent intelligendi, cum omnibus suis posteris: illi enim duo fuerunt filii Heberi, ut ibid. traditur, v. 25. Atque hoc falsum est: nam ante Abrahamum, nemo Hebræus dictus, nec præter posteros illius, ulli ita appellati. Quare vox Heber non proprium, sed appellativum nomen. Quod autem dicitur, Num. 24. 24. *affligent Heber*, intelligitur per ellipsin, pro terra, aut regione Heber, id est, transitus, nempe Channaæa, in quam transiit Abrahamus, ut Iosu. 24. 2. 3. traditur; vel etiam potest per ellipsin vocis בני *filiorum* intelligi: id quod non est insolens, propter prophetiæ illius Bileami brevitatem & obscuritatem. Atque hæc quidem de vocis origine.

Ad sententiam, quod attinet, Hebræi duplices nominantur, Abrahamus Gen. 14 & illius posteri Israelitæ (quemadmodum exponitur, 1. Sam. 13. 3. 4) & quidem generatim quivis, ut Exod. 22. 2. & Ion. 1. 9. Phil. 3. 5. vel in terra Hebræorum, seu Iudæa degentes: idque vel soli nati in eâ, quibus oppositi reliqui Hebræi ἑλληνισταὶ vocantur, Actor. 6. 1. vel omnes promiscuè, quemadmodum hoc in loco & κατ' ἐξοχὴν omnes fideles, in Judæa habitantes, intelligi videntur, ut etiam Chrys. opinatur. *Hactenus prolegomena*: primum de hujus epistolæ *causa efficiente*, cum *principe & authore*, Deo; tum *ministra*, & *scriptore* Paulo: deinde *de titulo* hujus epistolæ. Reliquum est, ut jam ad *rem ipsam* accedamus, *à descriptione & partitione* exorsi.

Descriptio quidem hujusmodi esse potest. *Epistola ad Hebræos est dogmaticum N. T. scriptum, ab Apostolo Paulo, ad fideles Hebræos exaratum, ex Italia: quo eos, in consideratione, cum usus legis; tum dignitatis Christi, atque euangelici fœderis, aberrantes, & negligentes excitavit, & ab infidelibus, falsa doctrina & persecutione, impeditos, in vera fide & charitate, ac patientiâ Christianâ, propositione accuratæ descriptionis Christi, & doctrinæ legis & Euangelii collatione, & hortationibus variis instituere, & confirmare studet: ad præsentem eorum, & perpetuam universalis, in terris, ecclesiæ ædificationem, & salutem, ac Dei, in Christo servatore, gloriam.* In qua descriptione, præter *causam efficientem primariam*, (cum N. T. scriptum, ideoque θεόπνευστον dicimus) & *secundariam*, cum ab Apostolo Paulo exaratum monemus; & præter *loci*, unde exaratum est, circumstantiam, de qua Heb. 13. 24. denotatur scribendi *occasio*, *scopus*, & *media*. *Occasio gemina est*, Hebræorum vitium, & status. *Vitium*, cum in mente error, tum in voluntate erroris causa conservans, negligentia; quod usum legis, & dignitatem Christi & Euangelii nondum satis intelligerent, ut Act. 15. 16 & ibid. c. 21. 20. nec diligenter etiam, ut oportebat, examinarent, Heb. 5. 11. 12. *Status* verò seu conditio erat, periculum ab infidelibus Judæis, fidem oppugnantibus, partim dolo falsæ doctrinæ, Heb. 13. 9. partim vi persecutionis 1. Thes. 2. 14. Heb. 10. v. 3. 4. Vnde *scopus & finis* Apostoli est, Hebræorum in vera fide & fiducia (seu firma spe) & charitate ad patientiam Christianam adversus hæc vitia & pericula institutio, & confirmatio, & totius Ecclesiæ consequens doctrina ac salus; unde Dei gloria, ut summus finis promanat. Denique *media* ad hunc scopum & finem accommodata, sunt doctrinæ de Christo, & de discrimine legis & Euangelii, accurata explicatio, & hortationes variæ: de quibus suis locis. Hæc paucis de descriptione & sententia illius. Ad *partitionem* verò Epistolæ, quod attinet, ea (ut prima Ioannis) præfatione carens, dividitur solùm in tractationem, quæ ab initio ad c. 13. vers. 20. continetur; & conclusionem, inde ad finem. *Tractatio*, à potiori parte denominata, partim *dogmatica* est, quæ doctrinam de Christo declarat, ad capitis 10. v. 18. partim *parænetica*, quæ Christianos, ad officium erga Christum, extimulat, à c. 10. v. 18. Atque illa, prior nimirum, in doctrina Christiana tradenda, ita occupatur, ut tamen accommodatè ad auditorum correctionem (quemadmodum in reliquis Pauli epistolis fieri solet) hortationum stimuli opportunè inserti sint. Doctrinæ autem Christianæ epitome, est Christus: cujus docetur cùm *persona*, quod sit θεάνθρωπος, verus Deus verusque homo; tum *adjuncta* personæ *officia*, & quæ ex eorum executione oriuntur *beneficia*. Distribuitur autem hujus *materiæ tractatio* in propositionem generalem, quæ summam rei cap. 1. tribus versibus, & expositionem illius, quæ fusiorem declarationem, & demonstrationem, sequentibus, ordine complectitur. *Propositio* est, Jesus est Immanuel seu θεάνθρωπος Christus: aut ut Ioannes in Euangalio c. 20 31. Euangelii sui summam declarat, *Iesus est Christus Dei filius.* Cæterum quemadmodum Iesus est Christus, id est, unctus à Patre, ad *triplex officium*, propheticum, sacerdotale, & regium: ita *trimembris est propositio*, quæ hac serie, *totidem versibus*, hæc tria officia (inserta simul personæ descriptione) distinctè docet.

Prima enim propositionis pars est, Iesum esse Prophetam summum, qui Patris, de salutiferâ religione, voluntatem plenè patefecit: quod elogium non absolutè, sed comparatè cum Vet. Test. Prophetis, ad summæ dignitatis Christi, & felicitatis Ecclesiæ N. T. amplificationem, & Hebræorum, nostramque, in reverentia erga Euangelium institutionem, ac consolationem describit. Iesum enim esse Prophetam indicat, cum ait: *Deus locutus est in filio.* Dei autem vox non accipitur οὐσιωδῶς communiter, de tribus personis; sed ὑποστατικῶς singulariter, de Deo Patre: quemadmodum ex filii relatione constat. Locutus est autem per suum ὁμοούσιον Spiritum, Esa 61. 2. Luc. 4. 18. in filio. Filium autem intelligit non impropriè, ob similitudinem Dei, ex creationis aut regenerationis, & adoptionis gratiâ; sed propriè, naturalem, atque unigenitum, Ioan. 1. v. 12. 14. 18. ac proprium: Rom. 8. 32. & quidem incarnatum, seu patefactum in carne, Ioa. 1. 14. 1. Tim. 3. 16. unde divina natura Christi, cum filium vocat; & humana, cum locutus in eo dicitur Deus, ad personæ descriptionem, indicatur: Filius enim immediatè locutus est ore suo: Pater verò mediatè per filium, & in filio: quemadmodum hac phrasi non frustra est usus Apostolus. Quamvis enim sæpius propositio *in* pro *per* accipiatur; hîc tamen ostenditur aliquid ampliùs, cum de Christo & Prophetis sermo est, nimirum non solum operandi modus mediatus, sed etiam operantis præsentia; quemadmodum etiam Mat. 10. v. 20. quod videlicet Deus in Filio suo locutus sit præsens, cùm ratione unius ejusdemque essentiæ, Ioan. 16. v. 30. qua Pater in Filio, & Filius in Patre, Ioan. 10. 38. (adeo ut plenitudo Deitatis, in eo, habitet corporaliter, Col. 2. 9.) tum ratione gratiæ Spiritus, qua mentem, & linguam humanæ naturæ Filii plenè imbuit, ac direxit, Esai. 61. 1. Ioa. 8. 28. & 15. 15. *Atque hæc de Christi prophetia*; quæ amplificatur, comparatione Prophetarum antiquorum: qui quidem, in eo, Christo similes, quod in iis Deus locutus est, per operationem Spiritus Sancti, præsens, 1. Pet. 1. 11. & 2. Pet. 1. v. 21. sed in personis & prophetiis dissimiles: in personis, quod licet Prophetæ fuerint filii Dei, per gratiam creationis, & regenerationis, non tamen filii propriè naturales, & ὁμοούσιοι, ut ex comparationis ratione apparet, & ex clara hujus discriminis expositione, cap. 3. v. 5. 6. deinde in prophetiis etiam dissimiles fuere, 1. mensuræ, 2. modi, seu formæ; 3. temporis; 4. denique auditorum ratione: siquidem mensura Prophetarum fuit, quod iis Deus locutus πολυμερῶς *multis partibus*, quod non simul omnia patefecerit; sed paulatim, & destinatâ cuique revelationis mensurâ: deinde modus etiam fuit multiplex, quod πολυτρόπως *multis modis* locutus sit iis, per inspirationem, visiones internas aut externas, & umbris, ac typis variis, Num. 12. v. 6. 7. 8. contrà verò in Filio locutus est Pater non particulatim, sed integrè, nec obscuris modis; sed perspicuè in eo relucens, utpote *in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter*, Col. 2. 9. *& omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi*, ibid. v. 3. quia unus est cum Patre Deus, & qua homo, *Spiritum absque mensura*, id est, copiosissime, *accepit*, Ioa. 3. 34. *illoq; unctus est supra consortes suos*, Heb. 1. 19. adeo ut, quamvis initio creverit sapientiâ, Luc. 2. v. 52. tamen ubi ad docendum accessit, plenissimè Spiritu Sancto instructus fuerit, Esa. 61. v. 1. Luc. 4. 18. 19. & Patrem nobis, ejusq; voluntatem exposuit, & quæ de ipso obscurius, per Prophetas, figuris & typis adumbrata, & sermone obscuriore enuntiata fuerant, reipsa complevit; & completa, quasi remoto velo, declaravit, Ioa. c. 1. v. 14. 16. 17. 18. & 12. 49. quo etiam spectat illud, *vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à* Patre

Patre meo, *nota feci vobis*. Et si quæ fortasse non adeo clarè interdum protulerit, ea tamen clarius proposuit, quàm Prophetæ, & alio tempore, aut aliis verbis, ante mortem illustravit; vel saltem post resurrectionem, per se & per Spiritum Sanctum, sicut promiserat, Ioan. 14. 26. Quæ hoc in loco non exprimuntur ab Apostolo, sed voce Filii & Prophetarum comparatorum descriptione opposità, indicantur: nam si Pater, per Filium locutus est: Ergo ei omnia patefecit,& per eum,tanquam λόγον ὁμοούσιον,in carne patefactum,non πολυτρόπως,sed ratione simplicissima ac constantissima docuit: ut qui *Filium videret*, *videret & Patrem*. Ioan. 12. v. 45. & cap. 14. 9. Deinde nisi hæc esset Apostoli mens, quorsum in comparatione Prophetarum, hanc periphrasin mensuræ, & modi adjecisset, nisi diversitatem à Filio voluisset significare. De qua Euangelii, per Christum, annuntiati, claritate, etiam agitur, 2. Cor. 3. v. 18.& 4. 6.Ephes. 3. v. 5. Qua etiam, de Messia, omnia revelaturo, persuasio, adeo piorum mentes imbuerat, ut ea etiam ad Samaritanos promanarit, Ioan. 5. v. 25. Atque hæc de discrimine prophetiæ Prophetarum Christi,primò in mensura; deinde in modo. Tertium verò discrimen statuitur in tempore, quod Deus in Prophetis locutus sit, *olim*, hoc est, à Patriarchis & Mose, ad Malachiam: in Filio verò *novissimis hisce temporibus*. Quibus verbis tempus ab exhibito Messia, ad finem usque mundi, appellatur, comparatè cum priscis temporibus, quæ ad Christum usque durarunt, sub pædagogia legis, Gal. 4. v. 1. 2. 3. 4. Inde verò à Christi adventu, ad finem usque mundi, sub doctrina Euangelii, tempora dicuntur novissima, Actor. 2. 17. & 1. Pet. 1. 20. quod non solùm ea pædagogiam legis secuta sunt, Gal. 4. 4. sed etiam, quod regni Christi, per Euangelium, gubernatio, durabit ad finem mundi, Matth. 28. 20. & 1. Cor. 10. v. 11. hoc tamen in loco tempus N.T. à Christo exhibito,comparatum potissimum cum tempore V. T. sub legis & Prophetarum prædagogia intelligitur, ut 1. Pet. 1. 20. quamvis alibi, ut hoc obiter dicamus, tempora ultima, in suas partes, distributa sint comparatè inter se,in prima, media, ultima, unde diversa,pro comparationis ratione,sortiuntur nomina:prima quidem à Christo ad Antichristos, magni illius Antichristi antecursores: media verò ab Antichristo, ad diem judicii: ultima, dies judicii;unde media comparatè cum primis,ultima appellantur, 1. Ioan. 2.18. & 1.Tim. 4.1. & 2.Tim. 3. v. 1.& comparatè cum utrisque primis & mediis, tanquam temporum clausula, κατ' ἐξοχὴν, dies ultimus, Ioa. 6. 39. & tempus ultimum, 1. Pet. 1. 5. appellatur. *Hæc de discrimine temporis prophetiæ Christi & Prophetarum antiquorum*. Quartum ac postremum discrimen est in objectis seu auditoribus,quod Deus per Prophetas locutus sit *Patribus*, nempe Israelitis priscis: sed per Filium nobis: qua ratione antecedentibus junctâ, præstantiam Euangelii, & felicitatem Hebræorum & Ecclesiæ N. T. demonstrat Apostolus: de qua Heb. 11.39.& Luc.10.23.24.& 1.Pet.1.10.11.12. Cujus scopus summus, est gloria prophetiæ Christi atque Euangelii; propinquus verò Hebræorum auditorum (qui legis pædagogiæ plusquam par erat tribuebant) correctio, ac obedientia, Heb. 2. 1. 2. 3. & 12. 18. 24 *Atque hæc de Christi munere prophetico*, unde constat ipsum esse summum Prophetam, v. 1.

Alterum illius *munus* est *regium*, quod priori eleganter connectitur: nam postquam dictum est, Deum locutum esse in Filio, additur amplificatio his verbis: *quem constituit hæredem omnium*, hoc est, regem ac Dominum: quemadmodum loquitur Petrus Act. 2.36. Id quod intelligendum est de persona Filii Dei, secundum quid; non ratione divinæ naturæ, & imperii omnipotentiæ infiniti, hoc enim habet ab æterno; sed ratione humanæ naturæ, cui Regnum in tempore à Patre, secundum præfinitionem æternam, demandatum fuit:ac propterea non regnum simpliciter,sed ad indicandum modum regni, *hæreditas* appellatur, insigni Metaphora, quod videlicet ei tanquam Filio Dei, patefacto in carne, & in ea Patri ad mortem usque obedienti, quasi paterna hæreditas donatum, Mat. 28. 18. Phil. 2. 9. 10. 11. Quæ hæreditas subjecti, & quantitatis illius descriptione, amplificatur, quando additur: *omnium*. Quæ vox, aut universaliter, & neutro genere accipi potest, ut omnes creaturas notet; aut particulariter, genere masculino, ut omnes homines, vel electos omnes, ex universo hominum genere, designet. Utraque sententia probè convenit; sed prior uberior est, ut quæ secundam etiam complectitur:& hujus loci omninò videtur propria, ut circumstantiæ sequentium demonstrant, & collatio, c. 2. 7. & 8. Christus igitur omnium creaturarum Dominus statuitur. De quo Christi regno agitur, Mat. 11.27.& 28.18. Eph. 1.23. Apoc. 17.14.& 19.16. Christus autem Dominus omnium est, bifariam: primò generatione potestatis ac potentiæ, adeo ut omnia nutui illius parere necesse sit;deinde speciatim, ratione gratiæ salutaris, quam fœderatis fidelibus offert ac confert, & obedientiæ voluntariæ, quam ab iis refert: quo modo Ecclesiæ, seu fidelium omnium gentium Dominus est, Eph. 1.22.23.& hæres, Matt. 21.38. Qua etiam de re insignis cumprimis est promissio, Ps. 2. 8. *filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam fines terræ*. Quod dominium speciale,generalis dominii finis est: ut enim electos è potestate Satanæ & servitute,in libertatem assereret,atque in regnum suum transferret, hanc potestatem in omnes creaturas accepit. Cæterùm hæreditatem, & dominium filii amplificat Apostolus, ac confirmat, ostendens justitiam illius,descriptione personæ Christi,partim ab operibus merè ac propriè divinis, mundi creatione ac gubernatione; partim à proprietate personali: Nam is rectè à Patre constitutus est hæres omnium, & nominatim Ecclesiæ Dominus,ac servator, per quem omnia creavit; ut idem sit, per quem creat, & recreat mundum. Atqui per Filium Pater omnia creavit. Ergo rectè à Patre constitutus est hæres omnium, & Ecclesiæ servator, Heb. 2. 10. Col. 1. 16. 17. 18. 20. Filium omnia creasse ostendit cùm ait: *per quem etiam condidit secula*, hoc est mundum; per Meton. Hebræis, Christi tempore, usitatam, quod longis temporum successionibus subsit; quemadmodum Heb. 11. 3. *per fidem intelligimus constructa fuisse secula, verbo Dei, ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta:* ubi manifestè, *seculorum* vox, pro mundo accipitur, simulque rebus omnibus creatis: nam tempora ipsa neque creata sunt, neque cernuntur, quod tamen hoc loco iis tribuitur: quo etiam modo accipitur, Matt. 28. 20. Secula igitur res omnes creatas complectuntur; ac propterea eo modo Filio Dei attribuitur æternitas,ac Deitas, quoniam creatio mundi,opus est Dei proprium, Iob. 9. 8. *extendens cœlos solus*. & Esa. 44. 24. *Ego Iehova extendo cœlos solus, expando terram, per meipsum*. Quo etiam spectat sententia de Christi Deitate ex effectis demonstrata, Ioan. 1. 3. & Col. 1. 16. Nam quod Samosateniani excipiunt, per secula seu mundum, intelligi Ecclesiam, non autem cœli & terræ compagem, & quæ eâ continentur; ac propterea non agi de creatione prima & propria, quæ universalis est omnium: sed de secunda & figuratâ, seu de regeneratione, ut Eph. 2. 10. Dei opus dicimur, creati in Christo non quà homines sumus, sed quà sancti & novi homines sumus: atque eo sensu dici, *per quem fecit & secula*: illa, inquam, interpretatio hujus loci perversa est, & multis modis confutari potest. Primùm quia inusitatam omnino significationem voci αἰώνων seu *seculorum* affingit: nusquam, enim ea vox solummodo Ecclesiam significat. Deinde repugnat contextui, tum quia hæres omnium scilicet creaturarum; tum quia suo verbo potente sustinere omnia dicitur: ut etiam, v. 10. *initio terram fundasse, & opera manuum illius esse cœlum*, asseritur, eaque mutationi obnoxia dicuntur, quod Ecclesiæ non convenit. Præterea Ioa. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est*, & Col. 1. 16. *omnia tam visibilia, quam invisibilia condidisse*, asseritur: nam, quænam esset consequentia: si quis diceret: creavit, aut condidit Ecclesiam, id est, renovavit quædam: Ergo hæres est omnium. Denique, quamvis adversariis Deitatis Christi, suam hanc perversam interpretationem concederemus ac daremus, agi non de mundi creatione, sed de Ecclesiæ regeneratione; eo tamen divinitatem Christi, vel inviti stabilirent,

bilirent, bifariam: nam & Ecclesia fuit ab initio mundi, ac propterea servatorem ejus tum extitisse oportet; non autem primùm, cum ex virgine natus est, ut Samosateniani sentiunt: & regeneratio proprium Dei opus est; quæ Christo, non tanquam causæ instrumentali, sed tanquam cum Patre & Spiritu efficienti principali, convenit. Cæterum cum creatio mundi sit opus externum, ideoque commune Patri, Filio & Spiritui Sancto: agendi tamen ordine, ex personarum ordine, ac diversitate, distingui debet. Pater enim à se per Filium, Filius à Patre; uterque verò per Spiritum, omnia creavit. Atque illud hoc in loco, ad personæ discrimen, & diversum agendi ordinem, indicatur; cum Deus, scilicet Pater, dicitur omnia condidisse, per Filium: ac propterea, quod ad Deitatem Filii oppugnandam objiciunt Arriani, quos Samosateniani, hac in re sequuntur, vocem *per* denotare causam instrumentalem, non autem principalem, nec essentiâ parem: illud, inquam, falsum est. Licet enim sæpe διὰ id est, *per*, instrument. causam notet, tamen non semper; quoniam rarò principalem designat, ut 1. Cor. 1. 1. *per voluntatem Dei.* & v. 9. *fidelis est Deus, per quem vocati estis*, & Heb. 2. 10. de Patre, *propter quem omnia, & per quem omnia.* Interdum etiam agendi tantùm ordinem, & modum indicat, quemadmodum usus communis ostendit. Atque eodem sensu rectè Pater, per Filium; & Filius, per Spiritum operari dicitur. Quemadmodum Christus declarat, Ioa. 15. v. 26. *Spiritus S.* inquit, *quem ego mittam vobis à Patre.* Neque etiam verum est, quod excipiunt adversarii, cum Patri & Filio operationes communes tribuuntur, de solo Patre dici ἀπὸ; de Filio semper διὰ: siquidem illud refutatur, primò contrariis Apostolorum exemplis: nam Apoc. 1. 4. ait Ioannes: *gratia vobis & pax, ab eo, qui est*, id est à Patre: sic v. 5. connectit, *& à Iesu Christo* & Gal. 1. 3. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo.* Deinde de utroque, & Patre, & Filio, vox *per* usurpatur, ut Gal. 1. v. 1. per Iesum Christum, & Deum Patrem. Sed objiciunt Samosat. etiamsi de prima mundi creatione ageretur; inde tamen non sequeretur esse Deum ab æterno: nam in confesso est, Angelos antiquiores esse mundo visibili, nec tamen sunt æterni. Verum respondetur. Primùm *secula* notare mundum universum, non solùm quatenus visibilis est: deinde angelos etiam ante mundum visibilem creatos esse, non est in confesso; licet quidam veterum, hac in re, aberrarint: *initio* enim *Deus creavit cœlum & terram.* Denique angelos etiam à Filio conditos asseritur, Col. 1. v. 16. Quod autem rursus objiciunt: Paulus loquitur de Filio incarnato, per quem locutus est nobis: atque Filium incarnatum præcessit multis seculis mundi creatio: Ergo prima mundi creatio non potest ei tribui. Resp. ad assumtionem, Filium incarnatum non simpliciter, sed secundum quid ratione humanæ naturæ, prima creatione posteriorem: quatenus autem Filius Dei est, qui venit in mundum, & semen Abrahæ assumsit; eatenus ante creationem extitit, & creator est, qua filius: quatenus verò semen Abrahæ assumsit, posterior est. Quare ex hac mundi creatione, tanquam opere universali, quod Deo, ut antea ostendimus, omnino proprium est, sequitur, Filium esse unum verum, & æternum, cum Patre Deum. Hæc de Vers. 2.

Id quod, sequentibus Apostoli verbis, amplius confirmatur: quibus apertè Deitatem, & generationem æternam Filii asserit, & simul ex altero opere universali, Deo similiter proprio, comprobat. Et in priori quidem duabus utitur diversis metaphoris, ac similitudinibus elegantissimis, ut unius cum Patre essentiæ, & distinctæ personæ mysterium, humano ingenio longè sublimius, aliquo modo adumbraret: siquidem *effulgentiam & charecterem ὑποστάσεως* Dei, videlicet Patris, appellat. Cujus illustrissimi loci splendore, Arriani, noctuarum instar, adeo offensi sunt, ut eo nomine, hanc epistolam, ex Apostolicis thesauris ejicere conati sint, ut ad hunc locum ait Theoderetus. Prima autem metaphora Apostolus Patrem comparat soli, Filium radiis è sole effulgentibus: nam quod Theodoretus & Primasius metaphoram ab igne & splendore illius deductam existimant, illud non tam accommodatè dici potest: quamvis ἀπαύγασμα generatim splendorem, ex relucidâ promanantem, significet. Cæterùm bifariam ab interpretibus id declaratur. Orthodoxi Patres, ad æternam Filii generationem, & divinitatem, referunt: quod scilicet Filius sit gloriæ (hoc est gloriosæ personæ) Patris splendor, & ut habet Concilium Nicen. *lumen de lumine*: primùm, quod ut Sol à se est, comparatè cum radio, radius verò à sole producente eum, ita Pater à se, Filius à Patre, generatione æterna. Deinde ut Sol sine perpessione, aut sui mutatione ulla radium producit: ita & Filius est à Patre, sine ulla Patris perpessione, aut mutatione, 3. ut Sol, ordine quidem prior est radio, sed tempore æqualis, ut qui nunquam ante radium extiterit: ita & Pater Filium ordine antecedit, sed non tempore: adeo ut Filius Patri æterno sit coæternus. 4. ut radius à Sole distinctus est, quia Sol non est radius, quemadmodum nec radius sol: ita & Filius distinctus est à Patre: adeo ut, quamvis non sit aliud, seu alia essentia à Patre, tamen alius est, quàm Pater, seu persona ab ipso distincta. 5. ut radius à sole nunquam separatur, ita nec Filius à Patre. Denique ut Sol videri non potest, nisi per radium: ita nec Patrem oculis mentis videre ac cognoscere quisquam potest, nisi per Filium λόγον: quæ singula perspicuè, & suis locis comprobata sunt. Atque hæc prima est Patrum Orthodoxorum, & plurimorum aliorum expositio. Quidam verò arbitrantur hoc in loco propriè non denotari æternam Filii generationem & Deitatem, citra humanæ naturæ respectum, sed divina opera, in assumta humana natura, exhibita: seu quod Filius dicatur splendor gloriæ, scilicet Patris, non in se consideratus, ratione essentiæ, qua coæternus Patri; sed relatè ad nos, ratione operum divinorum, editorum in humana natura, quod iis, Patrem inconspicuum, nobis conspiciendum, quodammodo dederit, ut Ioa. 1. v. 14 *Verbum caro factum est, & commoratum est inter nos & vidimus gloriam ejus, ut unigeniti à Patre.* & c. 14. 9. Quemadmodum acutè Tertullian. adversus Praxeam, hoc mysterium explicans, ait: *Vicarium se Patris, Christus ostendit, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in Filio, facta & verba Patris administrante.* Quam interpretationem nonnulli Orthodoxi, non minus quàm Arriani sequuntur; sed hac tamen differentiâ maximâ, quod Filius dicatur splendor gloriæ, ex Arrianorum quidem impiâ mente, quod tanquam creatura prima, & externum instrumentum Patris, Patrem virtutibus & factis suis repræsentet: Ex Orthodoxorum verò piâ declaratione, quod tanquam Filius naturalis, & unum cum Patre essentiâ, eum, operibus, in humana natura, sibi hypostaticè unita, declararit; & omnipotentem ejus majestatem, & incomprehensam illam εἰλαυγωτίαν contemplandam præbuerit. Idque hoc simili illustrant: Quod quemadmodum si Sol in vitreo globo existens, foràs suos emitteret radios, radii à sole inhabitante resplenderent: ita plenitudo Deitatis (quæ eadem in Patre & Filio) in Christi humana natura personaliter inhabitans effecta Deitatis tanquam splendorem emittit. Quæ expositio si rem ipsam spectemus, analoga, & consentanea quidem est fidei; sed non videtur satis analoga hujus loci circumstantiis: nam (ut iidem agnoscunt) cùm Apostolo propositum sit demonstrare hoc cap. 1. Iesum esse verum, & æternum, cum Patre, Deum, & eo spectet, quod Filium dixit secula condidisse, seu mundum creasse, & subjiciat etiam, quod eundem sua potentia sustentet (quæ duo, ad Deitatem asserendam, pertinent, & illius tantùm ratione enuntiantur) non satis aptum videretur, si in medio horum inseruisset Apostolus, quæ ad opera particularia, quæ in humana natura præstitit, pertinerent: Contrà optimè constat oratio, si cum Patribus orthodoxis, de Filii Deitate, interpretemur: nam cum splendor sit gloriæ Patris, inde liquet, & Filium esse naturalem, verumque, & æternum, cum Patre, Deum; & rectissime assertum esse, per ipsum omnia condita, & subjicitur, omnia sustentari. Qualis etiam ordo est in simili, & insigni illa sententia, Col. 1. v. 16. 17. *per eum, & ejus respectu condita sunt omnia, estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Deinde idem quoque ex altera descriptionis parte, & similitudine liquebit, quæ ad Christi Deitatem,

& generationem æternam spectat, nec ad opera in humana Christi natura rectè accommodari potest. Quæ ut plenius & planius exponamus, ea, quæ adversus hanc interpretationem objiciuntur proponemus ac perpendemus. primò argumentantur à loci circumstantiis. Nulla, inquiunt, mentione, neque incarnationis, neque Deitatis, factâ, illa subjicit Apost. quæ non nisi incarnato conveniunt. Ergo eatenus hæc verba accipienda sunt. Verum negatur & antecedens, & consequentia. Antecedens quidem, duobus nominibus, cum ratione prioris membri, quia incarnationis mentionem fecit, licet non expresse, tamen satis clarè, per effectum, quando nobis locutum esse asseruit, ut antè explicuimus; tum ratione posterioris membri, quod quædam etiam subjiciat, quæ ad divinam tantùm naturam pertinent, non solùm quod dicitur condidisse mundum, sed etiam quod sit *character ὑποστάσεως Patris, & quod omnia potente suo verbo sustentet.* quæ Filio Dei, tanquam patri coëssentiali, omnino conveniunt. Deinde, quamvis concederetur antecedens, consequentia tamen non est firma, neque ulla illius ratio apparet: quoniam non est necesse, ut omnia ita distinctè explicentur, præsertim, quando ex analogia fidei, & rei subjectæ materiâ, vera sententia commodè percipi possit. Sed Arriani aliis duabus instant rationibus, à subjectâ materiâ, seu à reipsa, de qua agitur, petitis. Quarum prima hæc est: si Filius, quatenus Patri coessentialis est Deus, tam invisibilis est, quàm Pater, non potest vocari splendor gloriæ Patris. Sed Filius, quatenus Patri coessentialis est Deus, tam invisibilis est, quàm Pater, quoniam eâ ratione unum est cum Patre. Ergò filius, quatenus Patri coëssentialis est, non vocatur splendor gloriæ Patris. Sed respondetur, primò, fallaciam esse ignorationis elenchi; conclusio enim falsum quæstionis statum substituit; nec enim simpliciter Filium splendorem Patris dicimus, quatenus Patri coessentialis est, sed ratione personæ suæ, quâ filius coessentialis, seu ratione communicationis essentiæ, per æternam generationem. Deinde propositionis etiam consequentia nititur falsa causa: ut enim Solis radius, verus esset radius, etiamsi à nemine videri posset; ita & Christus filius Dei Patris splendor dici posset, quamvis à nemine videretur. Cœterum ex superioribus apparet, Christum splendorem dici, quatenus persona sua Patrem, ut filius ὁμοούσιος, refert, & quatenus etiam per eum solum cognosci potest, non solum ratione proprietatis personalis, quâ unigenitus; sed etiam ratione revelationis, Mat. 11. v. 27. Pater enim nemini unquam, ab initio mundi, innotuit, nisi per filium λόγον suum revelantem, cùm ante, tum post assumtam carnem: cujus splendoris beneficio omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & fideles utriusque Testamenti, Deum Patrem, fidei oculis, contemplati sunt. Altera objectio est: Si Filius, quatenus Filius est, Patris esset splendor, tum aut ratione essentiæ aut modi subsistendi: Sed neutro dici potest. Non ratione essentiæ, quia eadem est utriusque; nec ratione modi subsistendi, quia eo distinctus est à Patre. Verùm negatur propositio: quia non est plena enumeratio, nec enim separatim hac, aut illa ratione; sed conjunctim, ratione totius personę, splendor Patris appellatur. Atq; hæc dicta sunt de prima metaphora, qua *Christus splendor gloriæ Patris* nominatur, ad declarandum eum esse filium naturalem, & ὁμοούσιον, nempe distinctam quidem personam à Patre, sed tamen verum, cum Patre, Deum.

Altera verò metaphora (quæ, ad eandem rem, ex parte, paulò expressius declarandam, adhibetur) est, quod sit *character*, id est, insculpta forma ὑποστάσεως Patris. Quam vocem nonnulli, essentiam, hoc loco interpretantur: sed perperam; quia inde sequeretur, filium essentiâ à Patre distinctum esse, neque ὁμοούσιον ejusdem essentiæ, cum Orthodoxis; sed ὁμοιούσιον similis essentiæ, cum Arrianis, esse appellandum: quia character relatione differt, à suo archetypo, cujus est character: sed illud impium est statuere, Filium à Patre, essentiâ distinctum: quia una, & individua est Patris, & Filii Deitas. Ac propterea alii sanctè, & rei convenienter ὑπόστασιν vertunt *personam*, quod *filius* sit *personæ Patris character*, seu *insculpta forma*. Qua in re elegans est similitudo. ut enim character, forma, cum archetypo, seu exemplari convenit: sic Christus, essentiâ, cum Patre; sed modo præstantiore; ut qui unum sit essentia, non specie, sed numero, seu eadem essentiâ singulari: unde, *in forma Dei subsistens*, dicitur, Phil. 2. v. 6. adeo ut. qui Christum videt, id est, cognoscit, videat & Patrem. Ioan. 14. 7. & 9. Deinde ut character ab archetypo differt, subsistendi modo; quod archetypon formam communicavit; character verò per impressionem eandem communicatam accepit: unde character non est archetypon: nec contrà archetypon, character: ita Pater à se Deitatem habet, quam Filio per generationem æternam, ac ineffabilem, communicavit: Filius verò à Patre accepit: ideoque Filius non est Pater, sed alius à Patre dicitur, Ioann. 5. v. 32. Denique quemadmodum character, quamvis exemplar non sit, illud tamen plenè declarat: sic Filius Patrem revelat, ut ex antecedentis metaphoræ explicatione constat: quo etiam sensu, imago Dei invisibilis nuncupatur, Col. 1. v. 14. & imago Dei 2. Corinth. 4. v. 4. cum 6. Sed contrà insurgunt Samosat. Ac falli Orthodoxos ajunt, quod statuant Christum splendorem Dei Patris vocari, propterea quod nulla fiat Dei, vel Patris mentio: sed ex Scripturæ phrasi splendorem gloriosum significare, ut *rex gloriæ*, Psal. 24. v. 7. id est, gloriosus dicitur, & abstractum pro concreto positum, ut Christus est *veritas*, id est, veracissimus: sic etiam *splendor gloriæ*, id est, gloriosè splendidissimus. Sed contrà respondetur, primùm, constructionem ostendere, vocem *ejus* ad utrumque membrum pertinere, ad splendorem, & ad characterem: deinde sententiam reddi alias ineptam, cùm dicunt, Christum vocari splendorem gloriossimum, sine ulla significatione cujus rei sit splendor. Sed rursum adversus secundam similitudinem objiciunt: vocem *ejus* debere referri ad vocem splendoris: ut ostendatur, Christum esse characterem ὑποστάσεως splendoris, seu id totum, quod splendor dici potest, inesse Christo; ita ut nihil splendidius Christo fingi possit. Sed respondetur, nihil ineptius, ad sententiam hanc corrumpendam, fingi posse: cùm Christum, & splendorem, & characterem *ejus* esse, contradictione turpi, statuant: nam relatum non idem est, cum suo correlato: si splendor est Christus, non est igitur character splendoris, neque vice versa; quia hæc sunt relatè opposita, quorum alterum de altero verè dici non potest: deinde vox *ejus* ad Deum refertur, ut connexio sententiarum ostendit. Sed adversarius excipit: etiamsi vox *ejus* referretur ad Deum, de quo v. 1. & 2. inde non sequeretur Christum esse splendorem Dei Patris; quia Patris non est facta mentio, sed tantùm Dei, qui unus est; ideoque Christus non erit Deus. Imò verò, inquam, Deum Patrem intelligi evincit relatio ad Filium, cum dicitur: *Deus locutus est in Filio*; qui autem habet Filium, necessario est Pater, ex relatorum natura perpetua. Verùm objiciunt rursus: etsi Deus Pater intelligitur, inde tamen non sequeretur, Christum esse Patri ὁμοούσιον: quia ut gloria est accidens: ita splendor gloriæ esset accidens accidentis. Sed negatur utrumque: nam *gloria* gloriosam Patris personam notat, cujus, per metaph. Christus splendor dicitur, non autem propriè. Sed rursus excipitur: character personæ non est personą; quemadmodum vestigium non est pes. Sed respondetur, non est eadem persona, sed persona tamen. Denique regeritur: si Christus est character personæ Patris. Ergo persona Patris habebit personam, cujus Christus character est. Sed putida hæc est objectio: quia persona Patris non dicitur, quam Pater habet; sed per appositionem grammaticam, quæ est Pater. Quare satis jam apparet, Iesum Christum, filium Dei Patri esse ὁμοούσιον, verumque, & æternum Deum. Id quod ex opere gubernationis mundi, amplius demonstrat Apostolus: nam, ut antea, primum opus externum, & universale, Dei proprium, Filio, ad Deitatem illius asserendam, tribuit, nimirum creationem mundi; & ab eo ascendit, ad causam illius, personam Filii describendam: ita inde descendit, hoc loco, ad alterum opus Dei proprium, & universale, nempe gubernationem mundi, quæ conservationem & ordinationem illius complectitur, & per metaph. ac simul Synecd. *sustentationis* voce, declaratur. Quod videli-

delicet, quemadmodum *mundum condidit*, verſ. 2. & *initio terram fundavit, & opera manuum illius ſunt cœli*, v. 9. ita quoque *verbo ſuo*, quaſi manu quadam, *omnes creaturas* ferat ac *ſuſtentet* potentiſſimè: ne (ut Chryſoſt. rectè obſervavit) in nihilum, unde orta ſunt, omnia relaberentur. *Verbi* autem voce, quid intelligatur, diligentius expendendum eſt, ob diverſas magnorum etiam interpretum ſententias. Græci enim, ut Thom. Aqui. in comm. ad hunc locum refert, de Spiritu Sancto exponunt: quod ſicut Filius eſt imago Patris: ita Spiritus Sanct. eſt imago Filii. Et ſic exponit Baſilius, *portans verbo virtutis ſuæ*, id eſt, Spiritu Sancto: nam ſicut Filius eſt verbum Patris, ita (ut dicunt) Spiritus Sanctus eſt verbum filii; & ideo per ipſum facit Filius; ſicut per filium Pater. Sed hanc ſententiam rejicit Thomas, quod, ut ait, *propriè loquendo, verbum non dicitur, niſi quod procedit, ut conceptus ab intellectu, ad quod ſequitur procedere in ſimilitudinem ſpeciei: Spiritus autem Sanctus etſi ſit ſimilis, non tamen habet hoc ex modo ſuæ proceſſionis, quod non procedit ut conceptus ab intellectu, ſed ut amor à voluntate.* Quæ reſponſio, quia, ſine Literarum Sacr. probatione, temere excogitata eſt, idcirco non facilè admittenda. Liquidius eſt, ut dicamus, Spiritum Sanctum *digitum, virtutem*, & *Spiritum Dei* appellari, in Sacris Literis: ſed nullibi verbum Dei, aut Filii. Ac propterea, cùm alia Sac. Scripturæ conveniens expoſitio adferri poſſit, ea merito præferenda eſt. Quænam autem illa ſit, amplius inquirendum eſt. Thomas Aquinas, *verbi* voce, ipſummet Filium intelligit, quod Filius dicatur ſuſtinere omnia *verbo*, i. eſt, ſeipſo, qui verbum eſt Patris: quaſi vox αὐτοῦ, non ad Filium, ſed ad Patrem eſſet referenda. Verum hæc magis importuna eſt explicatio: quia Filius Dei, λόγος *ſermo* quidem ſæpius appellatur, ſed ῥῆμα *verbum*, nullibi in ſcriptis Apoſtolorum: deinde phraſis eſſet coacta nimis, & inſolens, atque à ſtylo hujus epiſtolæ elegantiore, alienior: nam quod Thomas, ad ſuam interpretationem ſtabiliendam, citat Ioan. 12. 48. *ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum*, id eſt, ut ex Aug. explicat, *ipſe ego, qui ſum verbum Patris, judicabo eum:* illud, inquam, nihil omnino ad rem facit. quoniam *ſermo*, eo in loco, non perſonam Filii, ſed doctrinam notat: alioquin ſeipſum locutus eſſet, ac ſui ipſius eſſet ſermo, quod ineptiſſimum. Quare hiſce omiſſis perſpicuum eſt, *verbi* vocem, per metaph. à conſuetudine humana derivatam, ſignificare providentiam, ac voluntatem Filii: quod ut reges verbo ſuo, & mandato, ſubditos facile gubernant, & in officio continent: ita quoque Filius Dei, ſine ulla difficultate, omnipotente ſua providentia, ac voluntate, quaſi verbo ſolo, mundum ſuſtineat ac regat, & ipſe immobilis moveat univerſa: quemadmodum Pſal. 148 dicitur, quod *ventos procelloſos efficiat verbum ejus.* quo etiam ſpectat mandandi vox 2. Chro. 7. v. 13. *mandavi ac præcepi locuſtis.* De qua omnipotentia elegantiſſimè diſſeritur, Eſa. 40. verſ. 12. ad finem cap. & nominatim, v. 28. *Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficit, nec fatigatur*, & cap. 48. 13. *manus mea fundavit terram, & dextra mea menſa eſt cælos, ego vocabo & ſtabunt ſimul.* Atque hanc etiam expoſitionem comprobat communis gloſſa, apud Lyranum, cum ait: *verbo virtutis ſuæ, id eſt, imperio ſuo.* Quam expoſitionem fruſtra refutare conatur Thomas Aquinas ad hunc locum: non tamen erit abs re, verba illius referre, & examinare rationem, quam adfert; quia aliqua ex parte, ad ampliorem hujus loci illuſtrationem, conducit. *Imperium*, inquit, *vel eſt exterius, & voce prolatum, & hoc non poteſt ſtare, quia nihil eſt extrinſecum, à natura divina procedens, à Filio, per quod omnia portentur: vel illud imperium eſt interius in corde conceptum; ſed nec etiam hoc poteſt ſtare: quod nihil in mente Dei concipitur, niſi verbum æternum. Ergo iſtud imperium, ſic conceptum, in mente filii eſſet verbum æternum, & ſic duo eſſent verba æterna, quod nefas eſt dicere.* Hæc ille. Sed non difficilis hujus nodi ſolutio; damus enim verbum non intelligi externum, ſed dicimus internum eſſe intelligendum: nec enim nefarium eſt Scriptura nobis præeunte, dicere, verbum illud ſumi diverſa ſignificatione; interdum notare perſonam ſecundam Filii; interdum voluntatem, quæ eadem eſt Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & convenientibus metaphoris utramque vocis ſignificationem inniti, quemadmodum ex uſu S. Lit. jam probavimus. Deinde preſſius ac potius etiam dicendum eſt, Thomam, interpretatione non rectâ, deceptum; Filius enim non ῥῆμα *verbum*, de quo hîc agitur; ſed λόγος, id eſt, *ſermo*, in S. L. nominatur: ac propterea, quæ de duplici verbo philoſophatur, nihil ad rem propoſitam pertinent. Atque hæc de divinæ naturæ Chriſti demonſtratione, ex unitate eſſentiæ, cum Patre, & operibus Deo propriis, nempe creatione, & ſuſtentatione, ac gubernatione mundi, unde conſtat, Chriſtum, cui hæc tribuuntur jure hæredem omnium & regem noſtrum eſſe conſtitutum, à Patre, ut qui ſit coeſſentialis, coæternus, & omnipotens, cum Patre, Deus, creator, ac ſuſtentator mundi. Cœterùm diluenda hic eſt hujus dicti corruptela, à Samoſateniano propoſita: quod, inquit, Chriſtus hîc dicitur omnia portare, hoc eſt gubernare, adminiſtrare potenter: non inde ſequitur eum eſſe Deum ac omnipotentem, quia omnis poteſtas in cœlo, & terra, ei data, Matth. 28. verſ. 18. & Ioan. 13. v. 3. at Deo æterno nemo unquam quicquam dedit. Sed Reſp. portare omnia, non ſolùm eſſe gubernare, ſed primùm ſuſtinere omnia, id quod ſolius Dei creatoris proprium, cujus vi omnipotente creata ſunt, ac perſtant. Poteſtas autem illa data Chriſto, ſecundum humanam naturam convenit, ut poſtea clarius liquebit. Porro, hac viâ, declarato Chriſti officio ſecundo, tranſit Apoſtolus ad deſcriptionem tertii, videlicet Sacerdotalis, tanquam viam, per quam, ad regni illius cœleſtis poſſeſſionem, pervenit.

Cum autem Sacerdotalis officii executio, conſtet ſatisfactione legis pro nobis, & interceſſione apud Patrem; prius quidem Synecd. deſcribit: nam quemadmodum lex à nobis exigit primò pœnam pro inobedientia, ſeu peccatis Deut 27. v. 27. & Gal. 3. 13. & obedientiam ac juſtitiam; cum abſolutè, jure indiſſolubili, tam naturæ Dei (ut ſummi boni) quàm beneficii creationis (quo creatura rationalis obedientiam debet, ut Domino creatori, Mal. 1. 6.) tum relatè, ac certo reſpectu finis, nempe vitæ æternæ obtinendæ, Levit. 18. 6. Rom. 10. 4. ita ſatisfactio plena pro nobis complectitur, inobedientiæ pœnam, & obedientiam juſtitiæ: Apoſtolus verò prioris tantùm, hoc in loco, facit mentionem, utpote quod alterum, individuo quodam nexu conjunctum habeat, & ad conſolationem maximè pertineret. Hinc Apoſtolus ait: δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, id eſt, *cum per ſeipſum purgationem peccatorum noſtrorum feciſſet*, vel ut noſter vertit, *purgatione &c. facta:* nam hæc via erat neceſſaria, ut per ignominiam mortis, ad regni gloriam deinde conſcenderet Luc. 24. verſ. 26. Purgationem autem dicitur feciſſe, per ſeipſum, nempe tanquam agnum Dei mactatum pro nobis, Ioan. 1. v. 29. 1. Pet. 1. v. 19. Gal. 1. 4. Quo indicatur, & ſacerdotem eſſe & victimam N. T. expiatricem Heb. 9. 14. Quo modo ſacerdotibus, & ſacrificiis V. T. amore erga nos, & dignitate, multis nominibus, præfertur: *Sacerdotibus* quidem, quod illi non ſe, ſed bruta, in ſacrificium offerebant, & pro ſuis primùm peccatis & quidem ſæpius Heb. 7. v. 27. & 9. v. 25. ad ſignificandam purgationem peccatorum Heb. 10. 1. & 4. Chriſtus verò ſeipſum, & pro noſtris tantùm peccatis, ſemel obtulit, ad promerendam nobis purgationem peccatorum Heb. 7. verſ. 27. & 9. v. 27. *Victimis* verò præfertur, quod illæ non à ſe, ſed ab aliis offerebantur: deinde quod brutæ erant, & irrationales: præterea, quod diverſæ, non eædem, pro temporum diverſitate: denique quod peccatorum purgationem adumbrarint; non autem contulerint, Heb. 9. 9. & 10. 4. Contrà Chriſtus ita victima eſt oblata, ut etiam ſit ſacerdos offerens: deinde rationalis victima eſt, & verè dominus omnium (ut ex antecedentibus liquet) & verè per ſe ſolum peccata, ſacrificii ſui merito, purgat, Heb. 10. v. 5. & 10. quæ ſingula copioſius, in hac epiſtola, ſeqq. explicabuntur. Altera vero ſacerdotalis officii pars eſt, interceſſio, qua credentibus ſuam ſatisfactionem imputari, eoſque in gratiam, & ad vitam recipi poſtulat in cœlis: quæ ſuis locis poſtea declaratur. Atque ita, indicata viâ regni, ad illius

lius declarationem procedit, quando ait: *sedet ad dextram Majestatis in excelsis* scil. locis h. e. cœlo: ut hęc vox Luc. 2. vers. 14. similiter accipitur; & res ipsa disertè explicatur, Eph. 1. v. 20 Heb. 8. v. 1. Cæterùm in hac descriptione iterum Christus sacerdotibus V. T. tanquam longè excellentior præponitur, quod illi sacrificio peracto ingressi sint in manufactum sanctuarium, cœli typum; Christus vero in ipsum cœlum: ideoque pro peccatis, quæ nos à cœli aditu secluserant, & quorum pœnam pro nobis sustinuit, plenè satisfecit Heb. 9. 24. Deinde, quod illi quotidie, Christus verò semel, Heb. 7. 27 illi mortales, eoque successoribus opus habuerint; hic vero immortalis, & sacerdos in æternum, successoris expers. ibid. v. 23. & 4. seq. & cap. 8. 1. Deinde consecuta Christi perpessiones gloria, Hebræos, tacitè, in adversis, quibus obnoxii erant, consolatur, exemplo eventus Christi: ut Heb. 12. 2. explicatur. Quæ omnia, breviter, sessione ad dextram Dei in locis excelsis, cœlo nim. cœlorum, per rectam consequentiam, indicantur. Atque hæc de v. 3. & tractationis hujus propositione; qua I. esse Christum θεάνθρωπον, asseritur. Qua in re I. cum personæ, tum officii præstantia, ac dignitas extollitur.

Sequitur nunc expositio, qua propositio, pluribus & accuratè, declaratur, ac confirmatur, adhibitis etiam opportunè, ad amplificationem rei, & errorum confutationem, comparationibus variis, cum *electorum Angelorum* tum *hominum*, utpote *Mosis*, ac *Iosuæ*, Doctorum, & ductorum Ecclesiæ, & *Aaronis* pontificis summi, & *posterorum illius*: quibus omnibus Iesus Christus confertur, ac præfertur; ac N. T. atque Euangelii, supra V. T. & legis pædagogiam, excellentia demonstratur; ut eâ viâ, ac ratione, Iudæorum eorum superstitio (qua V. T. & ministris illius, plusquam par erat, Christo jam exhibito, tribuebant) corrigeretur. Hæc autem expositio tractat distinctè Christi præstantiam, ac dignitatem summam, cùm ratione personæ, ad cap. usque tertium tum ratione officii, capitibus seqq. nam quemadmodum persona illius complectitur divinam naturam, & humanam; ita de priori disseritur usque ad cap. 2. 9. explicatione & applicatione; seu demonstratione, & ex ea profluente hortatione. Explicatio autem illa, hoc cap. absolvitur. Cujus partes præcipuæ sunt, ad quas reliqua referuntur, conclusio, & confirmatio illius. *Conclusio* est: *Christus præstantior factus est Angelis.* Quæ ut seq. graviter copioseque comprobatur; ita eleganter ex antecedentibus deducitur, & tanquam amplificatio antecedentibus connectitur, ac cohæret. Postquam enim asseruit Apostolus, Christum sedisse ad dextram Majestatis Dei, in locis excelsis, seu cœlis, commodissimè subjicit: *tanto præstantior factus est Angelis:* quemadmodum ex eo sessionis, ad dextram Dei, gloria illustratur, Ephes. 1. versu 22. & vicissim post alia in medium allata, hoc cap. 1. argumenta, tandem ex sessione hac ad dextram Dei, Christum Angelis præstantiorem esse comprobat, sub finem cap. hujus v. 13. v. 14. *Scopus* autem in hac conclusione est superstitionis Iudæorum quorundam (qui Angelis, & legi, quòd per angelos lata esset, plusculum, cum gloriæ Christi, & Euangelii diminutione, tribuebant) correctio, & Christi gloria, in nostra, erga ipsum, fide, & obedientiâ, ut cap. 2. 2. colligitur. Sed bifariam hoc loco abutuntur Arriani, ad oppugnandam Christi Deitatem: primùm, inquiunt, Qui factus est, non est æternus Deus. Filius factus hîc dicitur. Ergo non est Deus æternus. Verùm negatur propos. quoniam illa non est universalis; quandoquidem idem potest esse factus secundum quid; & æternus Deus secundum aliud, pro diversa naturarum, in unam personam conjunctarum, ratione. Quemadmodum Christus, quà filius hominis, factus est; sed quà filius Dei, Deus est æternus. Deinde negatur etiam assumtio, quia Christus non simpliciter dicitur factus, sed præstantior factus: ideoque non ad essentiæ ortum; sed ad conditionem pertinet. Verùm excipitur iterum: Qui sessione ad dextram Dei, præstantior factus est Angelis, ille non est verus Deus; quia Deus perfectissimus est, cui nihil præstantiæ accedere potest. Atqui Christus, &c. Ergo. Negatur iterum propositio: nam quamvis Deus in se sit perfectissimus, ac semper maneat, natura sua immutabilis; tamen, voluntariâ dispensatione accedente, assumtæ naturæ humanæ ratione, factus est in eâ, & secundum eam, humilis, & Angelis inferior, passione: & postea iisdem superior, sessione ad dextram, ut c. 2. v. 9. declaratur: nam in humana natura glorificata, divinæ naturæ gloria, quam semper in se filius habuit, clarè patefacta est: quo sensu etiam gloriam à Patre recipere dicitur, Ioan. 17. v. 5. Hæc de conclusione. Cui adjicitur confirmatio variis constans rationibus, quæ in propositione, ferè omnes antecesserunt, & ad fidem apud Hebræos (in Sacris Lit. versatos) faciendam, consequentibus crebris Sacrarum Literarum testimoniis stabiliuntur. Rationes autem sunt quatuor.

Quarum prima à nomine, divinitus dato, petita est, hoc sensu: qui excellentius, præ Angelis, sortitus est, nempe à Deo, nomen, ille præstantior est Angelis: Deus enim in judiciis suis verus est, & naturâ ἀψευδὴς Tit. 1. vers. 2. Atqui Christus, &c. Ergo præstantior est Angelis. Assumtio, & Conclusio hic exprimuntur, ex quibus propositio, quæ omissa est, intelligitur. v. 4. Assumtionem autem confirmat Apostolus, nominis illius expressione, & testimoniis divinis quibus probat Christum nominatum esse filium Dei; Angelos verò nequaquam: id quod interrogatione amplificat; cum ait: *Cui unquam Angelorum dixit? &c.* Nam quod objicitur ab Arrian. Angelos electos, de quibus hic agitur, vocatos etiam filios Dei Iob. 1. v. 6. & 38. 7. id, inquam, facile diluitur: quia Christus, & Angeli, ὁμωνύμως, ac valde diversa ratione, filii Dei appellantur. Nam ille propriè, seu ratione naturæ & geniture, qua ejusdem, cum Patre, est essentiæ; unde etiam distinctè ab aliis omnibus *proprius filius*, Rom. 8. vers. 32. & *unigenitus*, Ioan. 1. v. 18. appellatur: eoque modo hic filii nomen intelligitur, & explicatur: Angeli verò impròpriè, ac gratia creationis, per metaph. quandam, filii appellantur; quod videlicet ad imaginem Dei, sapientes, sancti, ac potentes creati, essentiaq; immortali ac rationali pręditi Deo, quasi filii, similes sint; & ad vitæ æternæ hæreditatem, in regno Patris, electi. Quod autem *nos filii Dei*. Rom. 8. *nati ex Deo*, 1. Ioa. 3. 4. & *divinæ naturæ participes*, 2. Pet. 1. v. 4. dicimur, illa omnia, similiter per metaph. intelligenda sunt impropriè, similitudine quadam, quod videlicet simus filii, per fidem, gratia spiritualis regenerationis, Ioa. 1. 12. 13 & adoptionis, Rom. 8. v. 15. participes denique naturæ divinæ, non eadem substantia; sed similitudine qualitatum 2. Pet. 1. v. 3. 4. Eph. 2. v. 10. Col. 3. v. 10. Adeo ut summa etiam sit, inter nos & Christum, in hac filii appellatione, differentia. Ille enim genitus est natura, ex substantia Patris, ut qui unum cum patre est, Ioan. 10. v. 30. Nos vero geniti ac regeniti non natura: sed voluntate, misericordia, ac charitate, Iac. 1. v. 18. 1. Pet. 1 vers. 3. 1. Ioa. 3. v. 1. Ergo Christus præstantius Angelis, & omnibus creaturis, nomen sortitus, si nominis significationem & pondus observemus: ut duabus insignibus prophetiis ostenditur, ac probatur. Quarum prior est petita ex Ps. 2. 7. Qui sub typo Davidis, & regni illius, Christi regnum, & personam graphicè depingit: id quod evincitur ex sequent. verbis, quibus primùm amplitudo regni, in hoc Psalmo, ad fines usque terræ, huic regi tribuitur. Quæ amplitudo, nec Davidis personæ; neque aliorum regum Israëlis (quorum imperium, angustiis Chananææ, & vicinorum locorum finibus, fuit definitum) tribui nullo modo potest: quemadmodum experientia, Sacris Literis explicata, attestatur. Deinde idem demonstrat imperata fiducia in hunc regem, vers. 12. quæ Deo propria, nulli mortalium convenit, Ier. 17. vers. 5. & beatitudo, quæ ex hac fiducia oritur. Huc accedit divina interpretatio non solum Ecclesiæ Christi, Act. 4. v. 25. 26. sed etiam Apostolorum, ut Pauli, Act. 13. v. 33. & Ioannis Apoc. 12. v. 5. & 19. v. 13. 15. Quamobrem Apostolus rectè hoc loco, & cap. 5. hanc sententiam ad Christum pertinere asserit. Verum duplex hîc exurgit Quæstio: Prior, an hæc verba pertineant ad Christum solum, singulariter: an verò ad Davidem etiam communiter; nam hoc, ut à multis Orthodoxis,

doxis, & Pontificiis, asseritur; ita à nonnullis, tanquam prorsus falsum rejicitur: adeo ut hunc Psalmum, de solo Christo scriptum esse, non etiam de Davide, contendant, duobus nisi argumentis: quorum prius est: quia non pauca hujus Psalmi verba, in Scriptura N. T. de Christo, exposita inveniuntur, quemadmodum loca antè adducta sunt. Verùm negatur consequentia: quia non est absurdum, sed rationi, & Scripturæ usui consentaneum, ut idem diverso modo, de typo immediatè, & de Christo tanquam archetypo, seu re significatâ mediatè, per typum, enuntietur, & explicetur: præsertim si Scriptura suâ explicatione, typum non excludat; nec expositio typi naturæ adversetur. Fatemur igitur, multa verba ex hoc Psalmo, de Christo exponi, in N. T. sed tamen, iis in locis, Davidem nullibi excludi: quemadmodum contrà in locorum quorundam expositione contigit. Act. 2. vers. 29. 30. Sed altero argumento fortius instant, & urgent: verba, inquiunt, ipsa, *filius meus es tu*, adeo sublimia sunt, ut non solùm mero homini convenire non possint, propriè accepta; sed neque angelis; verum soli Filio quem ab æterno Pater genuit. Verùm resp. propriè accepta hæc verba, nulli homini convenire, sed impropriè tantum: quemadmodum in aliis typis, destinatis ad Christum adumbrandum, eadem interdum, de utrisque dicuntur, sed diverso modo. Modus autem est duplex, nempe,ut attributa, ita de typo dicantur, ut sensus sit, aut simplex; ut dicatur quidem attributum de typo, sed non quatenus est, verùm qua typus est; seu ut referatur tantùm ad rem typo adumbratam: aut ut sensus sit compositus, nempe ut pertineat, partim ad typum, partim ad rem typo adumbratam: qui duo modi, in eadem oratione, possunt inveniri: quoniam id quod typus est, cum re typo adumbrata, per Synecd. ac typicâ, ut sic dicam, mysticaque unione, uno typi nomine, interdum significatur. Ita Davidis nomine, & David filius Isai immediatè,& Christus alter David mediatè, per priorem adumbratus, intelligi potest. Quemadmodum Salomon Davidis Filius, & Christus alter ac Spiritualis Salomon, communi Salomonis nomine intelliguntur: quemadmodum 1. Chro. 22. v. 10. 11. 12. de Salomone Filio Davidis, tanquam typo:& de Christo tanquam antitypo, per eum adumbrato, quasi una persona mystica, differitur, ut collatio, v. 14. ibid. & 2. Sam. 7. v. 14. sicut postea clarius exponemus, evincit. Quapropter dici potest, Davidem hoc in Psalmo loqui de se, & Christo: ita tamen, ut eorum quæ dicit quædam communiter, ad totum mysticum Davidem, nempe Davidem, & Christum, eo adumbratum: quædam particulariter tantùm ad partem illius Davidis mystici, Christum videlicet, pertineant: ac propterea nihil impii statuunt, qui hæc verba, *filius meus es tu*, de utroque, Davide, & Christo, diversa tamen, & Sac. Lit. conveniente ratione exponunt: quemadmodum id quod sequitur testimonium *erit mihi Filius*, de Salomone, & de Christo, diverso tamen modo, accipiendum est. Cum autem David, nonnisi impropriè, Dei Filius, & genitus dici possit, quæritur: quomodo illud elogium ei conveniat? Nonnulli ajunt, primùm Filium dictum, gratia regni, à Deo accepti: quemadmodum principes, eò, quod præ aliis excellant, Deoque similes sint potestate, per metaph. & Dii, & Filii Dei appellantur, ut Iudices, Ps. 82. v. 6. deinde genitum dici, cum clarè apparuit illius ad regnum electio. Sed aptius omnino diceretur, Davidem Filium quidem vocatum, metaphoricè, gratia regenerationis,& adoptionis; genitum verò metonymicè, secundum patefactionem, seu declarationem, qua monstratum est, eum esse Filium, cum scilicet in unctione illius, Deus Pater testatus est, Davidem ad vitam ac regnum, electum; ac divino Spiritu regenitum; sibique filii instar charum, 1. Sam. 13. v. 14. Act. 13. v. 22. quæ testificatio, quia adoptionis fuit patefactio (non minus quàm electionis ad regnum) idcirco genitura per tropum Meton. adjuncti pro subjecto, (ut adoptio pro illius patefactione Rom. 8. v. 23.) nuncupatur. Ex quibus apparet probabiliter, sine impietate dici, hunc locum, de Davide & Christo, sub Davidis persona abumbrato, intelligi. Sed tamen magis consentanea altera sententia, hunc locum tantummodò de Christo esse accipiendum: quia durius videtur, ut de Davide dicatur, *hodie genui te*, cùm nullibi ea phrasis, illo sensu improprio, accipiatur: neque loci circumstantiæ eam interpretationem, necessariò, requirant: quemadmodum contra Rom. 8. circumstantiæ ratio, ac rei veritas metonymicam illam significationem adoptionis, necessariò postulat: quia de credentibus, de quibus loquitur, jam antea testatus est, eos esse adoptatos, & filios, ac hæredes Dei. Observandum etiam est, in Ecclesia Iudaica, inde à majorum traditione accepta doctrina, hunc locum de Messiâ expositum: quemadmodum Rabbi Salomon agnoscit, qui ait, in Comm. ad hunc locum Psalmi; *Magistri nostri, quicquid hoc Psalmo canitur, de rege Messia interpretati sunt: sed secundum verborum sonum, & ob refutationem hæreticorum* (sic Christianos intelligit, iisque maledicit Iudæus) *convenit, ut eum interpretemur de ipso Davide.* Hæc ille: nam ea verba extant in Edit. Veneta Hebræorum bibliorum magnorum, cum commentariis Rabbinorum, editorum à Bombergio, ac malè omninò, in edit. Basiliensi, ea verba sunt expuncta. Ex quo loco Rab. Salomonis, insignis Iudæorum posteriorum, in rectis majorum interpretationibus, mero Christianorum odio, pervertendis, malitia observanda est. Et hoc omnino certum est, extraque controversiam, apud omnes sanos, manet; hunc locum de Christo saltem accipiendum: cui soli quoque in hoc Psalmo, regnum totius mundi, & cultus divinus, ac fiducia in ipsum, tribuuntur, v. 12. Sed altera quæstio est, quo sensu ei congruat? Duo autem enunciantur, à Patre, de Christo, & ad Christum. Primum quidem esse filium Dei, *Filius meus es tu*, quæ verba clara, & ex antecedentibus perspicua. Deinde cujusmodi sit Filius, nempe genitura; *Ego hodie genui te*; quæ verba, magna varietate, explicantur: nam quidam, *gignendi* vocem, de genitura æterna, debere accipi, contendunt: ut vox *hodie* præsentiam notet; quod in æternitate neque præteritum sit quicquam, quasi esse desierit; neque futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantùm: quia quicquid æternum est, semper est, *Hodie* autem accipi pro præsenti duratione, sive ea brevis, sive longa sit, probant ex Heb. 3. v. 7. & v. 13. & 15. *donec hodie nominatur* & c. 13. v. 8. *Christus heri, hodieque idem & in secula.* Sed hæc expositio aliis minus placet. primùm quia hîc agitur de Christo, quatenus est Deus in carne exhibitus. Sed responderi potest, illud nihil obstare: sic enim agit de Filio incarnato, ut simul æternam illius generationem, ad excellentiam personæ commendandam, ostendat: quemadmodum etiam hoc cap. v. 1. de Filio incarnato locutus est, & tamen v. 2. æternam ejus generationem descripsit; & creatorem esse mundi, eo loco, & sequentibus asserit, ac probat. Altera ratio, quæ objicitur, est, Paulum proximis verbis referre hoc dictum ad tempus nativitatis Christi, quando dicit; *cum rursum inducit primogenitum in orbem*: eam vocem *rursum*, significare utrumque testimonium; *inducere primogenitum in orbem*, hoc est, prophetiam esse utrimque de incarnatione Filii. Sed ad illud dici potest; vocem *rursum* referendam esse, ad verbum *dicit*, quemadmodum in antecedentibus: ut etiam noster interpres, & & alii antea verterunt. Hæc de prima hujus sententiæ expositione. Altera est, vocem *hodie* præsens quidem tempus, ut etiam locis antè citatis, non tamen æternam durationem, sed certum ac definitum tempus denotare; quod quantum observare potuimus, tribus gradibus interpretes diversimodè describunt. Primum quidam vocem *hodie* referunt ad nativitatis Christi diem, idque diverso modo, quia sunt, qui explicant, *genui te*, id est, creavi te, seu formavi te, per synecd. speciei pro genere; ut temporaria, & miraculosa genitura intelligatur: qua filius conceptus ac natus est, virtute Sp. S. idque probari putant Luc. 1. vers. 35. *virtus Altissimi inumbrabit te, propterea etiam quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Sed hæc interpretatio omnino aliena est, & ratio illius infirma; quoniam Christus hoc modo, secundum humanam naturam, non esset ἀπάτωρ, *sine Patre*, ut tamen asseritur, Heb. 7. v. 3. nec minùs esset Spir. S. quàm Patris filius appellandus: denique ita everteretur funditus vis argumenti Apostolici, hoc in loco, nam

nam ex miraculosa corporis formatione, non sequitur, Filium Dei, majorem esse Adamo (qui supra naturæ vim, Dei omnipotentiâ merâ, ex terra creatus) aut Eva, quæ eadem omnipotentiâ, ex Adami latere, formata est: tantum abest, ut filius, eo nativitatis modo miraculoso, esset major Angelis, spiritibus cælestibus. Nec obstat, quod propter conceptionem ex Spir. S. Filius Dei vocatur: quia conceptio duo complectitur, primùm corporis animati, seu humanæ naturæ Christi, formationem: deindè unionem cum λόγῳ. Atque hujus unionis tantùm, non autem illius formationis ratione, filius Mariæ, filius Dei appellandus dicitur; hoc est, non quod corpus conformatum, atque animatum sit vi Sp. S. sed quia unitum est, vi illius, Filio Dei, in unam personam: nam unio personalis, causa est communicationis idiomatum in persona, non autem in natura: quæ phrasis est, quâ personæ Christi denominatæ, ab una natura, humana, vel divina, rectè tribuitur proprium alterius; quia persona utramque naturam in se complectitur: ita verè dicitur, Filius Mariæ, est Filius Dei, & vicissim; quia illa nomina, etsi ab una natura sint denominata, personam notant, non simpliciter naturam: id quod diligenter observandum, ut Anabaptistarum & Samosat. (hoc dictò abutentium) strophis occurramus: & ut causam cognoscamus, quare nonnulli Orthodoxi, in illius explicatione, minùs feliciter versati sunt. Quamobrem reliqui qui eandem sententiam sequuntur, ac vocem *bodie* de die nativitatis, accipiunt, sese exponunt paulò convenientius; hanc sc. genituram non de ipsa nativitate propriè; sed de adjuncta patefactione divina: quâ variè declaratum est, hunc Mariæ filium, esse Filium Dei, à Patre, ab æterno genitum, ut Luc. 1. 32. 35. ut ita metonymicè, ut sentiunt, genitus dicatur: quemadmodum cum Patres Orthodoxi ajunt, & vulgo celebratur, ***in S. L. non rarò aliquid fieri, cum incipit patefieri.*** Atque hæc de primo gradu.

Alter. ex aliorum sententia est, ut hujus generationis dies pertineat, ad baptismi diem, ut Hilar. l. 4. de Trinit. ait: *post consummati baptismi nativitatem, hæc proprietatis significatio audita est, voce testante de cælo, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita sensus esset, cum filius jam baptizatus, muneri suo regio, ac prophetico, & sacerdotali, per Spiritum, & Patris testimonium, inaugurateretur, patefactum esse, ipsum esse filium Dei proprium, à Patre, ab æterno, genitum. Tertius gradus est, ut *hodie* intelligatur, de die resurrectionis: atque ita bifariam: exponunt. Quidam vocem *genui*, per metaph. de suscitatione à mortuis, interpretantur: quoniam ea similis est quodammodo temporali generationi: unde etiam resurrectio nostra, ultimo die futura, παλιγγενεσία regeneratio dicitur. Mat. 19. v. 28. Verùm ea interpretatio alienior à scopo nostri Apostoli, ut ex superioribus satis liquere potest. Alii verò per meton. ad patefactionem generationis æternæ, egregio sensu, referunt: quia resurrectio etiam argumentum est, quo declaratum fuit, Iesum esse Filium Dei, ut Rom. 1. v. 4. Vtrique verò communi utuntur sententiæ suæ probatione, ex Paulo Actor. 13. v. 32. 33. *nos quoque* (inquit) *vobis evangelizamus eam promissionem, quæ patribus facta est, &c.* Quo loco, ad Christi ἀνάστασιν resurrectionem, Psalmi verba accommodantur. Veruntamen adversus hanc sententiam nonnulla objiciuntur. Prima enim objectio est, à scopo petita. Si *hodie* diem resurrectionis notat, non magis hic locus probat, Christum resurrexisse, quàm resurrecturum in fine seculi, aut post mille annos Verùm Resp. duplex esse, in hac objectione, vitium: primùm quod nitatur hac hypothesi, quasi scopus Pauli esset, ut demonstret Iesum jam resurrexisse; cum contrà ex resurrectione facta, Deum promissionem suam conplevisse colligat, allatis promissionis verbis, & collatis cum eventu: alterum vitium est consequentiæ: nam ex hisce verbis colligi potest, Christi resurrectionem, debuisse fieri, ante vocationem gentium, quæ vocatio, sequentibus proximè Psalmi verbis, promittitur, & jam, reipsa, Pauli tempore, comprobata erat. Altera objectio est, ex antecedentium collatione: nam v. 23. dicitur: *hujus è semine Deus, secundum promissionem, excitavit Israëli servatorem Iesum:* nec obstat, quod diversa vox est, ἤγειρε, non autem ἀνέστησε, quia hæc synonyma sunt, quæ, tam de excitatione à non esse ad esse, ut loquuntur, per generationem; aut à sorte humili ad sublimen dignitatem; quàm de excitatione à mortuis ad vitam, usurpantur. Verùm responderi potest, triplicem hanc significationem Christo posse competere: Deus enim Iesum excitavit ad vitam dupliciter: primo eam dando per conceptionem è Sp. S. & nativitate: secundo amissam per mortem reddendo per resurrectionem: denique excitavit etiam ad honorem muneris mediatorii, Act. 3. v. 22. quæ singula in V. T. promisit. Quare non sequitur, agitur, v. 23 de excitatione ad vitam primam, seu exhibitione Christi, & promissione illius. Ergo etiam hoc in loco, v. 32. præsertim cum manifestè appareat, Paulum v. 30. excitationem Christi à mortuis, disertè asserere, & *seqq.* ampliùs declarare: ac propterea excitatio è semine, v. 23. & suscitatio à mortuis, circumstantiis suis diversa, perperam in objectione confunduntur.

Postrema objectio petita est, ex comparatione seq. v. 34. in quo excitationem à mortuis ita proponit & confirmat, ut ostendat simul, se ad aliud doctrinę caput transire, cùm dicitur: *quod autem excitavit eum,* &c. quasi diceret, quod Deus nobis excitaverit hoc est exhibuerit Iesum Servatorem, secundum promissionem, jam modo demonstravi, testimonio allato ex Ps. 2. quod autem eundem excitaverit à mortuis illud aliis Scripturę locis probatur. Sed responderi potest, non necessarium esse, ut fateamur, diversum, v. 34. tractari argumentum; quia potest esse repetitio ad amplificationem, quod in S. L. non est infrequens: deinde ut etiam diversum esse dicatur, ea tamen diversitas sita erit, non in modo excitationis, sed in adjuncto illius: nam, ut antea probavit, ex Christi resurrectione, promissionem illam Ps. 2. impletam: ita hoc loco probat, non simpliciter Christum resurrexisse ad vitam, sed ad vitam immortalem, quod videlicet non amplius reversurus sit in sepulchrum, nec corruptibilis sit, ut Rom. 6. 9. Ergo ex hisce satis, ut arbitritor, apparet, valde consentaneam esse eam interpretationem, qua hæc verba, *ego hodie genui te*, ad resurrectionem Christi, pertinere existimantur: ut sensus sit, ego te à me genitum esse demonstravi, ut antea ex Rom. 1. ostendimus. Nam sive dicamus, hæc verba, *ego hodie genui te*, tantum ad Christum singulariter, sive etiam ad Davidem communiter, sed diversa tamen ratione significationis pertinere, rectè fluet sententia : ut enim Davidis afflictiones, quibus, ante regnum, fuit obnoxius, & quasi mortuus, & sepultus, perpessionum mortis, & sepulturæ Christi, fuere typi: ita consentaneè Davidis admiranda, per Dei potentiam, & providentiam, conservatio, & ad regnum excitatio, atque evectio, excitationem Christi à mortuis, adumbraverit. Atque ita scopo Apostoli ad Hebræos, ad præstantiam Christi commendandam, non incommodè quadrabit: quia ita, his psalmi verbis, demonstrabitur, Christum esse filium Dei bifariam; primò explicitè, apertisque veris, cùm dicitur, *filius meus es tu*; secundo implicitè per consequentiam, *ego hodie genui te*, id est, genitum patefeci. Atque ita apparet, quod diversis interpretationibus doctiorum, sanctè, hic locus exponi possit. Vt autem tandem concludamus, earum omnium, quas recensui, duæ maximè consentaneæ sunt; una, quam jam postremò attuli, ut metonymicè, (*genui*) significet genitum patefeci hodie, cum te excitavi à mortuis, ut Paulus Act. 13. ostendit, & Rom. 1. v. 4. dicitur: *declarato filio Dei, per potentiam, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum* Altera, quam primò adduxi, est, ut generationem æternam personæ Christi propriè notet, & declaret simpliciter, quomodo filius Dei sit; nim. non creationis, neque adoptionis gratiâ; sed genitus, ac proprius filius. Vna superest difficultas, nim. locum, Act. 13. ad æternam generationem, videri non posse accommodari; quia ad resurrectionem spectat declarandam, citra ullam controversiam, si quis rectè examinet. Verùm regeri potest, non malè convenire, idque etiam ex priore sententia posse probari: Etenim ut sequitur ex resurrectione, Iesum esse Dei filium, ab æterno à Patre genitum; ita vicissim sequitur: Si Iesus, ex Maria natus, est filius Dei, ab æterno,

à Pa-

à Patre, genitus: ergo non potuit fieri, ut à morte detineretur, & princeps vitæ, & sanctus ille Dei non resurgeret. Act. 2. v. 24. 27. Quare quemadmodum Christus, adversus Sadducæos, (qui nullam omnino mortuorum, in fine mundi, resurrectionem statuebant) verba illa, *ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob &c.* de resurrectione eorum mortuorum dicta, & scripta esse, asseruit; nempe, non explicitè, sed implicitè, seu ut loquuntur, non ratione consequentis, sed consequentiæ, Mat. 22. v. 31. 32 ut aliâs exposuimus: ita Paulus, ex hoc argumento, similiter, quod Iesus sit Filius Dei, nimir. verus ac proprius, resurrectionem Christi meritò potuit colligere. Atque hactenus de primo testimonio, ex Ps. 2. petito, disseruimus: quo Apostolus probavit, Iesum Christum excellentius nomen, præ Angelis, à Deo, sortitum (aut, ut vocis Græcæ emphasin, cum nonnullis, exprimamus, *hæreditatio jure consecutum*) quod filius Dei, nempe proprius, & à Patre genitus, non factus, appellatur.

Alterum testimonium est, cum ait: *ac rursum* (nempe, cui Angelorum unquam dixit Deus, hoc enim communiter ex antecedentibus intelligitur) *ego ero ei in Patrem, & ipse mihi erit in filium.* Quæ sententia continet promissionem Dei ad Davidem 2. Sam. 7. v. 14. & 1. Chro. 17. 13. & 22. v. 10. de cujus sensu, ad pleniorem intelligentiam, diversa interpretum expendenda sunt judicia. Quidam enim extrema secuti sunt; quorum alii eam prophetiam, de Salomone tantùm; alii de Christo tantùm; reliqui verò medium amplexi, de utroque distincto modo, intelligendam arbitrantur. Prima opinio (quæ videlicet de solo Salom. intelligit) bimembris est. Prius enim membrum est, locum agere de Salomone: quod probatur primo ex eo, quod expressè satis, de templi externi Hierosolymitani structore, disseritur 2. Sam. 7. v. 7. & 13. quæ laus Salomoni propria est: deinde, idem etiam patet, ex Dei ipsius oratione 1. Reg. 6. v. 11. 12. & Davidis explicatione, & ad Salomonem applicatione perspicuâ 1. Chr. 22. v. 11. *nunc,* inquit, *fili mi, futurus est Iehova tecum, quandoquidem prosperaberis: ædificando domum Iehovæ Dei tui, quemadmodum locutus est de te.* & cap. 28. v. 6: *nam dixit mihi; Salomon filius tuus ipse ædificaturus est mihi domum meam, & atria mea: nam elegi ipsum mihi in filium, & futurus sum ei in Patrem.* denique ipse Salomon de se interpretatur, 1. Reg. 5. 5. & 8. 19. 20. Alterum prioris sententiæ membrum est, hunc locum tantùm de Salomone dici, id quod confirmare conantur, ex proximè *seqq.* verbis, postquam enim, inquiunt, antecessit 2. Sam. 7. v. 14. *ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium,* proximè sequitur, *qui cum perversè egerit, corripiam eum virgâ & plagis hominum.* Ergo hic locus, non pertinet ad filium Dei proprium, qui peccare non potuit: sed ad merum hominem, Salomonem; qui & peccare potuit, & peccavit: unde etiam concludit, in suis ad hunc locum comment. Cardin. Cajetanus, ex hac filii appellatione, non probari ullam excellentiam, supra Angelos: ideoque hanc epistolam non esse Pauli, nec Canonicam; utpote, quæ ea, quæ de solo Salomone manifestè dicta sunt, de Christo interpretatur. Sed contrà alii sanctè hanc audacem, & profanam Cardinalis sententiam rejecerunt: ut enim verum est, Deum, & Davidem loqui de Salomone, ita falsum est, de eo solo esse sermonem, neque illud ratione allata probatur, quia nititur falsâ hypothesi; quasi is, qui typus Christi est, non possit habere quædam propria, quæ de ipso tantùm intelligerentur: cum (ut antea ostendimus) typus Christi, & Christus, prophetico modo, mysticè, quasi unum æstimentur: adeo ut, de eo toto, ab altera parte, nempe typo denominato, quædam enuntientur, quæ communiter utrique; quædam, quæ singulariter alteri, hoc est, aut typo, aut antitypo (seu rei per typum significatæ) tantùm conveniunt, Ita in hac prophetia, & promissione Dei, quæ de Salomone agit, ipsum & Christum, tanquam unum mysticum, Salomonis nomine, complectitur ac designat: eique tam communia simpliciter, quam singularia, secundùm quid commodè attribuit. Eodem ferè redit, quod nonnulli ajunt, Salomonem, tanquam typum Christi, describi, at non in omnibus; sed in iis tantùm; quæ Christo competere possunt, & à Deo spectata sunt: ut etiam in parabolis, quibus Christus se, & regni sui statum describit, non omnes circumstantiæ ad similitudinem pertinent: sed tantùm summa rei, & ea, quæ cum scopo Christi quadrant. Sicut igitur Salomon non fuit Christi ἀναμαρτήτου typus, in peccatis suis; ita quæ de peccatis, & peccatorum illus pœnis dicuntur, nullo modo Christi statum adumbrant, sed reliqua tantùm, quæ utrique, suo modo, tribuuntur, ac conveniunt. Quamobrem, confutata hac extrema sententiâ priore, alteram expendamus.

Ea autem est huic contraria quorundam Patrum, & recentiorum Interpretum nonnullorum: quia in hac tota, de Davidis Filio, oratione 2. Sam. 7. & 1. Chro. 17. de solo Christo agi contendunt. Cujus etiam sententiæ membra sunt duo: prius quidem, agi de Christo: id quod confirmant ex regni in Israëlitas perpetuitate infinita; quæ Davidis Filio promittitur 2. Sam. 7. 13. 1. Chro. 17. 14. & Ps. 72. & 110. & 132. quæ promissio, in S. L. de Christo exponitur, primò ab Esai. 9. v. 6. 7. ubi *Princeps pacis* vocatur, *cujus amplitudinis principatus, & pacis nullus erit finis, in solio Davidis & in regno ejus stabiliendo, & fulciendo illud jure, & justitia; ab isto tempore, in seculum usque.* deinde ab Angelo Luc. 1. 32. 33. præterea à Petro Act. 2. 20. *Propheta igitur cum esset, & sciret Deum jurejurando sibi jurasse, fore ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum excitaret; ut collocaret super ejus throno:* nam quamvis Petrus spectet Ps. 132. v. 11. eadem tamen est ratio: quia David perspicuè (ut etiam antecedentia demonstrant) de eadem promissione loquitur, de qua 2. Sam. 7. agitur, ut etiam D. Kimchi in suis, ad eum psalmi locum, Comment. disertè indicat. Ex quibus apparet, primum hujus expositionis membrum esse veritati consentaneum, & Apostolum quoque hoc in loco ad Hebræos, rectissimè hanc sententiam ad Christum referre. Alterum verò membrum est, de Christo solo agi, non etiam de Salomone: idque probare conantur, tribus potissimum argumentis, ex antecedentibus, petitis, à circumstantia temporis, cùm nativitatis; tum regni. Quorum primum à nativitatis tempore, est hujusmodi: Filius Davidis, qui in hac promissione intelligitur, erat nasciturus post Davidis mortem. Sed Salomon natus est, non post mortem, sed vivo Patre. Ergo de eo non agitur. Propositionem probant, ex eo, quod dicitur, *quando completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, excitabo semen tuum, post te, quod prodibit è visceribus tuis.* Verùm argumentum hoc parum ad rem facit: quia hic describitur tempus, non nativitatis seminis (hoc est filii Davidis) definitè; sed excitationis illius ad regnum: nam verba illa, *quod prodibit è visceribus tuis*, adduntur tanquàm periphrasis seminis David, ut etiam ex 1. Chr. 17. 11. apparet. Idcirco, ne qua esset dubitationis causa, nonnulli interpretes vertunt, non, *quod prodibit*; sed, *quod prodierit.* Verumtamen illud non est necesse, ut temporis futuri, pro præterito, enallagem (licet sæpe Hebræis usitatam) statuamus; quia, cùm hæc promissio proposita est à Deo, Salomon nondum prodierat ex Davide; sed proditurus suo tempore: ut 2. Sam. 12. v. 24. traditur. Verùm reliquis rationibus (quas à regni tempore, cum ratione initii; tum ratione finis, derivant) paulo probabilius sententiam tueri cônantur. A regni quidem initio, quod illud statuatur post mortem Davidis; cum contra Salomon à Davide, adhuc vivente, rex constitutus sit 1. Reg. 1. 33. Hoc damus; sed prius illud negamus: quoniam promissio loquitur, non de unctione in regem, & regni initio, sed de confirmatione illius, & pleno dominio, cùm solus & potenter regnaret, Patre rege jam mortuo 1. Reg. 2. v. 12: nam regnum, vivente, ac regente Patre, ipsi datum, pro regno quodammodo, ac comparatè cum plena possessione, minimè censetur. Deinde à regni fine, ita ratiocinantur, majori rationis specie: Is, de quo promissio disserit, regnum habet perpetuum. Sed Salomon, nec in se; nec in successoribus, habuit regnum perpetuum: quia illud, in filio Roboamo, fuit (ob defectionem decem tribuum) imminutum 1. Reg. 11. v. 31. deinde, per vastationem urbis Ierusalem, ac regionis, & per captivitatem Babylonicam, ferè extinctum; & tan-

tandem Christo exhibito, & in cœlum subvecto, per Vespasianum, ac Titum, prorsus deletum. Bifariam autem hic nodus solvi potest; primo negatione propositionis; quia non est universalis: nam promissio differit non solùm de eo, qui habet regnum perpetuum; sed etiam de eo, qui habet temporarium: quemadmodum antea explicatum est, quædam in eadem oratione 2. Sam. 7. sub Salomonis nomine, soli Christo; quædam soli Salomoni convenire, & attribui: nec esse necessarium, ut omnes, ac singulæ promissionis partes, de unâ eademque personâ singulari intelligantur. Deinde, si quis accuratius etiam S. L. examinet ac consideret, negari etiam potest assumtio: nam & regnum Salomonis est in seculum, suo modo, perpetuitate finita, & quidem secundum quid, ac speciatim, ratione regiminis civilis: cujus duratio, in Davidis familiâ (non minus quàm antea in tribu Iuda, generalius promissa Gen. 49. 10.) ad Christum usque promittitur. Quæ continua longi temporis series, *seculum*, ac *perpetuum* sæpe appellatur: quemadmodum ceremoniæ legis dicuntur servandæ in seculum: quod de circumcisione Gen. 17. 13. & de Paschate Ex. 12. v. 24. & aliis, alibi asseritur. Atque huc spectat promissio Davidi facta 2. Sam. 7. v. 16. *solium tuum erit stabile in seculum* & 1. Reg. 11. v. 36. de Roboamo Salomonis filio, ait Deus: *filio ejus dabo tribum unam, ut sit lucerna Davidi servo meo, omnibus diebus coram me Hierosolymis*, &c. & 2. Chro. 13. v. 5. dicitur: *Deum Israelis, tradidisse regnum Davidi, super Israelem, in seculum ipsi, & filiis ejus fœdere salis*, id est perpetuo. Hoc autem Davidis, & Salomonis regnum corporale, in seculum finitum, suo modo ad Christum durans, fuit Spiritualis regni Christi, in seculum infinitum duraturi, typus: ideoque regnum in seculum, sub Salomonis nomine promissum, & Salomoni, tanquam typo; & Christo, tanquam per eum adumbrato antitypo, distincto modo, tribuitur: sicut etiam Christo regnum, ac solium Davidis promittitur, Esa. 9. v. 6. 7. & Ps. 132. v. 11. & Luc. 1. 32. 33. & alibi: eoque modo apertè ostenditur, illud Christi regnum, externo Davidis fuisse adumbratum. Atque hæc de rationibus à tempore nativitatis, & regni filii Davidis, petitis; quibus potissimùm probare conantur, hanc totam promissionem 2. Sam. 7. ad solum Christum, non etiam ad Salomonem, pertinere. Quibus tria addunt reliqua argumenta. Quorum primum est: Benignitas Dei non fuit amota à filio Davidis, de quo agitur 2. Sam. 7. Sed ea amota fuit à Salom. quia à vero cultu Dei defecit; Alterum est: Filii Davidis domus dicitur fidelis 2. Sam. 7. vers. 16. sed Salomon cum familia non fuit fidelis: ut qui mulieres alienigenas, & impias, in eam admiserit, ac foverit; & ab iis, ad idololatriæ societatem, seductus fuit. Postremum est, si in hac promissione, etiam de Salomone agitur, non poterunt eo testimonio confutari Iudæi, & Apost. argumentatio Heb. 1. enervabitur. Atqui hoc absurdum. Hæc sunt reliqua, quæ objectantur, quantum potuimus colligere, argumenta. Sed ad primum respondetur: Benignitatem Dei à Salomone amotam esse, non simpliciter, ut in propositione intelligitur; sed secundùm quid, nam tandem conversus est, ut apparet ex 2. Chro. 11. 17. (ubi, post obitum suum, Davidi, in pietatis officio communi, conjungitur) & ex Ecclesiaste, quem, post omnium experientiam, jam senex conscripsit: & quamvis regnum illius fuerit, per ablationem 10. tribuum, concisum; tamen non est omnino (ut Sauli evenerat) sublatum, 1. Reg. 11. 36. Alterum etiam argumentum nihil efficit: quia vox נאמן *fidelis*, non notat, hoc in loco pium, sed firmum, ac stabilem, ut Esai. 33. 16. *aquæ ejus fideles*, id est durabiles; eaque propria est vocis hujus significatio. Et eâdem omnino phrasi dicitur, 1. Sam. 25. 26. *parabit Jehova domino meo domum fidelem*, id est, firmam ac stabilem: quemadmodum etiam optimi Interpretes, *domum firmam*, utroque in loco, rectè interpretati sunt. Ad postremum argumentum quod attinet: negamus hac interpretatione enervari vim argumentationis Apostolicæ, adversus Iudæos: nam Apostolus nititur hac hypothesi gemina: quarum prima est, agi etiam in hac promissione 2. Sam. 7. de eodem, de quo Psal. 2. jam citato, & similibus, ut Psal. 132. 11. quemadmodum Petrus Actor. 2. 30. asserit: qui locus ita, de filio Davidis, loquitur, ut ei regnum, simpliciter perpetuum, donec scilicet non sit Luna, ut Propheta loquitur, attribuit; & in omnes gentes, ac terminos orbis terrarum Psal. 72. 7. 8. Atque hoc regnum Christo propriè convenire, Iudæi confessi sunt: nam (ut antè ostendimus, ex Rabb. Salomone) prisci Iudæi Psal. 2. de regno Messiæ, interpretati sunt: & similiter etiam Psal. 72. ut ex David. Kimchi Comment. & sententia illius colligitur; qui etiam Ps. 132. 11. ait, eo significari verba illa, quæ 2. Sam. 7. de filio Davidis, & regno illius dicta: ideoque Iudæi, tempore Apostolorum, multo magis cognoverunt ea dicta, de Messia, intelligenda. Denique ex iis, quæ antea attulimus, circumstantiis loci, & expositione S. Scrip. perspicuè evincitur, non de solo Christo, sed etiam de Salomone, promissionem illam fuisse editam. Nam quod quidam excipiunt: Deum eandem promissionem bis protulisse, de diversis, primo de Christo 2. Sam. 7. ad quem locum spectavit Apostolus Heb. 1. deinde vero postea de Salomone 1. Chro. c. 22. illud alienius est, ut ex superioribus patet, quàm ut refutationem mereatur. Quapropter, expensis extremis hujus loci expositionibus, ac probatis prioribus illarum membris, concludimus meritò: rectam esse mediam sententiam, quæ de Salomone & Christo, distincto modo, in hac promissione, & quidem etiam hoc in loco differi, affirmat: nam Salomon fuit non solùm rex pacis, ut Christus etiam vocatur; sed etiam filius Dei, nimir. suo modo ex gratia adoptionis: Christus verò filius est proprius, & à Patre ab æterno genitus. Sed tria, adversus hanc sententiam, objiciuntur: primo si hæc valeret interpretatio, tum eædem voces nempe Pater & filius, in una eademque enuntiatione, acciperentur duplici significatione, propriâ, & impropriâ: atque hoc absurdissimum videtur. Sed respondemus, illud in typis absurdum non esse; quia illud S. Script. consuetudine confutatur, quæ subordinatè utrumque non rarò designat: sic enim (ut alia omittamus) promittitur Abrahamo semen numerosum, sicut stellæ, Gen. 15. v. 5. & tamen semen duplicis generis intelligitur: unum proprium; filii nimirum generatione, qui immediatè, ac proxime intelliguntur, quemadmodum de iis Moses disertè exponit Ex. 32. v. 13. & Deut. 1. v. 10. alterum vero improprium semen, per metaph. similitudine quadam dictum, quod per proprium illud mediatè significatur, nimirum filii spirituales, imitatione fidei & obedientiæ, & similitudine justificationis, & glorificationis: quemadmodum Apostolus declarat. Rom. 4. vers. 12. 13. 16. 18. quo sensu Christus, Iudæos infideles & inobedientes, licet Abrahami filios, seu semen, agnoscat, ratione generationis carnalis, Ioa. 8. 37. asserit tamen, eos non esse filios Abrahæ, scilicet spirituales, & operum imitatione, v. 39. & 42. sed contra Diaboli, ob imitationem scelerum illius, v. 44. Sed adversus hanc responsionem duo objiciunt: primo, Si Salomon, quatenus Dei filius, & rex fuit, esset figura Christi; & hic locus de eo simul, & Christo ageret: tum filii vox non minus, quàm regis, sensu quidem historico & proprio, de Salomone diceretur; spirituali verò & improprio de Christo. Atque hoc est absurdum. Ergo de Salomone non dicitur. Verum negatur propositio: quamvis enim ea sæpius, in typicis prophetiis habeat locum; non tamen semper: quoniam magna in iis est varietas: interdum enim proprietas sermonis utrimque: interdum verò in altero tantùm, nempe umbrâ seu typo; vel in re, typo adumbrata, & quidem in diversa, vel eadem etiam orationis parte: interdum in neutro observatur, prout natura & veritas rei, variè postulant. Quemadmodum in iis, quæ de erectione ænei serpentis, & intuitu illius, Ioan. 3. vers. 14. dicuntur, apparet: prius enim membrum utrimque propriè, tam de Christo, quàm de typo illius intelligitur, videlicet de propria è terra in altum erectione, Ioa. 3. v. 13. & cap. 12. 24. alterum verò propriè quidem de serpente, oculis corporis aspiciendo: impropriè verò per metaph. de Christo, oculis mentis ac fidei contemplando. Ita etiam Ionæ, in ventre piscis, conclusio triduana (quæ non propriè fuit sepultura, sed sepulturæ similis) veram Christi sepulturam, typo pro-

po prophetico, descripsit; ut Christus ostendit, Mat.12.39. 40. Sic de agno Paschali (qui typus fuit Christi) non comminuenda ossa, præcipitur Ex.12.46. quod tamen de Christo, agno Paschali, improprio, id est, accepto metaphoricè, non minus propriè, quàm de agno proprio, accipiendum esse docet Ioa. c. 19.36. Denique sacerdos Vet. T. typus fuit Christi, & populum expiavit à peccato Levit. 4. 35. & 16.27.30. impropriè tamen ut Heb.9.9.& 10.4 Christus verò, typo illo designatus, propriè Heb. 7.27. Quare nihil est incommodi, si vox aliqua diversa significatione, de typo ac signo, & aliter de re significata, intelligatur: quia hæc non sunt opposita; sed composita, & subordinata: quia res immediatè significata, per vocem alterius rei significandæ, etiam nota est. Postrema objectio, ex verborum formulâ desumta, hæc est; quia dicitur: *Ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium*. Quorum sensum esse volunt, non quem sequimur cum Orthodoxis, ero ipsi Pater, & erit mihi filius; sed tanquam Pater, & tanquam filius, i. e. charum habebo, instar filii. Vnde, ex hac similitudine tantùm filii, proprium filium perperam concludi, contendunt. Verùm negatur, vocem illam, in hoc loco, similitudinem denotare; & contrà merito statuimus rei veritatem significari, ex usitato Hebraismo, 2.Sam.19.23. *estis mihi hodie in adversarium*. Esa.12. 2. *factus est mihi in salutem & 42.22. facti sunt in rapinam*. & alibi, ejusmodi phrases passim occurrunt. Atq; hanc veram esse sententiam hujus loci, multis jam antea rationibus demonstratum est; & ex testimonio simili, ex Ps. 2. huic præmisso, constat: quemadmodum etiam ex scopo Apostoli, ad quem aliàs nihil conduceret, imò prorsus esset ineptum. Nam quis adeo desipiat, ut absurdum hoc argumentum Apostolo tribuat? Christus est quasi Filius, i. e. Deo charus: ergo præstantius nomen accepit Angelis; utpote qui suo modo, & filii Dei; & electi appellantur. Optimè igitur probavit, non solùm ex Ps.2. sed etiam ex 2. Sam.7. Christum excellentius nomen Angelis esse sortitum: quoniam utroque in loco, Filius Dei, & quidem singulari ratione, id est, proprius; & à Patre, ab æterno, genitus, intelligitur. Atque ita Angelis, meris creaturis, & filiorum Dei nomen metaphoricè, & impropriè sortitis, excellentius nomen sortitus est. v. 5. Atque hæc de primo argumento, quo, à nomine, demonstratum, Christum esse Angelis præstantiorem.

Alterum ab adoratione, vel gloria divinâ petitum est hujusmodi. Quem Pater adorari jubet, & quidem ab Angelis Dei, is est Angelis præstantior; utpote verus Deus & Angelorum Dominus. Atqui Christus est hujusmodi. Ergo. Conclusiò antecessit, v. 4. Assumptio proponitur, & præmissa præfatione exponitur, ut sequentis sententiæ, ac mandati divini scopus clarius intelligatur, v.6. Præfatio autem illa his verbis constat; *Rursus cum inducit primogenitum, in orbem terrarũ*: quibus indicatur adorationis subjecta persona, & adjunctum temporis, seu quis adorari jubeatur, & quando. Prius est, *primogenitus*, nempe Patris, i.e. Christus. Quod epitheton quidam ad utramque naturam referunt, metaphoricè, ut hæredem, ac familiæ caput, significet, ac si regnum Christi (de quo v.2.) intelligeretur. Alii alteram tantum, vel humanam, qua primogenitus inter multos fratres Rom. 8.29. vel divinam, qua etiam unigenitus. Quę expositio videtur convenientissima; quia Apostolus versib. antecedentibus probavit Jesum esse filiũ Dei, à Patre genitum; jam vero aptissimè sequentia connectens, eum vocat primogenitum. Deinde notum etiam illud est, epitheta & periphrases solere sępius eleganter assertionibus inseri, aut pręmitti, ad probationem, aut amplificationem earum: ita hoc loco declaratur, Christum merito adorandum, utpote qui sit primogenitus Dei Filius; quia ante eum nullus: & simul, ut alibi exponitur, unigenitus, quia solus est proprius Dei filius, Ioa.1.18 Rom.8.32. Quod autem objicitur, primogenitum dici relatè ad sequentes, post ipsum, genitas creaturas, eoq; non solum filium; ut Col.1.15. vocatur imago Dei, & πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Resp. ab eruditis interpretibus bifariam: quidam, cum Patribus Orthodoxis, exponunt, per ellipsin præpositionis πρὸ, ac si esset πρωτότοκος πρὸ πάσης κτίσεως, primogenitus ante omnem creaturam: alii vocem eam metaphoricè interpretantur, Dominum ac principem, per metaph. à primogenitis V. T. similitudine ducta, qui post-genitorum erant Domini. Neutro verò modo Christus, filius creationis, dicetur, ut Arriani ex hoc loco perperam contendunt. Atque hęc de primo pręfationis membro. Alterum, quod in ea designatur, est circumstantia temporis quam ita declarat Apostolus, *cum inducit in orbem terrarum*, hoc est cum de inductione loquitur, per metonymiam subjectæ materiæ pro adjuncto: nec enim propriè accipi posse, res ipsa evincit, quod eo tempore, cum hęc dicta sunt, Christus nondum introductus esset in mundum; sed demum, post multa secula. Qualis vero inductio, & adventus Christi intelligatur, expendendum est. Etenim adventus illius est duorum generum, corporalis, & spiritualis: & corporalis rursum duplex, prior, quo homo factus est, & natus est humilis, ac judicandus, Gal. 4.4. Heb. 10.5. alter, quo redibit è cœlo gloriosus, & omnes judicaturus, 2. Thes. 1. 7. seq. Spiritualis verò est per externam prædicationem Euangelii, & internam operationem Spiritus ipsius Sancti; quo modo filius Dei homo factus, & Christus noster credentibus offertur, & confertur. Hinc quidam de corporali Christi adventu primo, seu de incarnatione, & nativitate exponunt: quemadmodum dicitur Mat.4.10. *& Angeli accedebant*, & ministrabant ei &c. Et Ioa. 1. 52. *posthac videbitis Angelos, descendentes super filium hominis*. Sed quæ, ex Ps. 97. de quo agitur, hoc in loco, ad Christi regnum describendum, adferuntur, ea illustriora sunt, quàm ut videantur, statui ejus humili, posse convenire. Idcirco alii, de secundo adventu ad judicium, interpretantur; quo stipatus erit Angelorum adorantium, ac servientium satellitio Mat.24.30.31. & 25.31. 2. Thes.1. v. 7. 8. 9. 10. id quod duobus argumentis probatur. Quorum prius, ex Pauli verbis, desumitur, qui ait, *cum autem iterum introducit*: quo iterata, seu secunda introductio, priori opponitur. Ac quamvis antea ostendimus, vocem *iterum*, per trajectionem, ut nonnulli volunt, referri posse ad vocem *dicit*; ad illud excipitur, trajectionem esse duriorem; neque simili exemplo probari. Deinde eam trajectionem non esse admittendam; propterea, quod, recto ordine verborum servato, sensus nihil habet incommodi; sed egregiè ad rem propositam pertinet. Alterum argumentum est ex materia Psal. 97. Nam Christus describitur, in eo, non tanquam rex humilis, ac mitis, qualis in primo adventu futurus describitur, Zach.9.9. & Mat.21.5. Sed tanquam rex gloriosus, ac judex severus, nubibus cinctus, & igne hostes inflamaturo, armatus: adeo ut terra tremat, montes liquescant, omnesque populi videant gloriam ejus, & pudefiant omnes colentes sculptile. Quæ, ad amussim, ut reliqua totius Psalmi, secundo adventui Christi glorioso, quadrant: quemadmodum liquet, ex locis modo citatis, Matth.24 29.30. & 26. 64. & 2. Thes. 1. 7. 8.9. Apoc.16.17. Postrema interpretatio est, Apostolum loqui, non de corporali illius primo, aut altero adventu; sed de spirituali, per verbum Euangelii, omnibus gentibus prędicatum, & Spirit. S. è cœlo missi efficaciam. Nam, ut ajunt, quæ de igne, terrę motu, & hostium pœnis dicuntur, ea per allegoriam, ut Esa.13.10. Ezech.32.7.8. Psal.18.7. seq. esse intelligenda, de potentia Christi, in propagando spirituali suo regno, & vindicta sumenda, de impiis. Cujus exempla Act.5.5. & 12.23 & in plurimis tyrannis, eorumque ministris, ut ex apocalypsi, & experientia constat. Hoc autem tempore adoratur ab Angelis Phil.2. 9.10. Verùm secunda expositio antè posita, longè simplicior est, ut quæ proprietati verborum convenit; à qua, sine causa necessaria, non est recedendũ; & rei ipsi, ut apparet, magis consentanea. Quamobrem exposita jam præfatione, sequitur appositum testimonium: *& adorent eum omnes Angeli Dei*. In quo considerandum est. Primùm, unde illud petitum sit: & Secundò quam rectè. Ad prius quod atttinet, Patres nonnulli statuunt, ex Deut.32.43. desumtum, ubi totidem verbis extat apud 70. Interpretes. Sic Iust. Martyr contra Tryphonem Iudæum, & Epiphanius contra Ariomanitas, & in Anchorato, & Eusebius de demonstratione Euangelica lib. 12. Sed illud alienum esse, ab aliis recte demonstratum est:

est; quia, in contextu Hebræo, ea verba non extant; sed Ps.97.v.7.reperiuntur; ideoque ad eum meritò referunt: nam quamvis aliqua in verbis (quibus annumerandis, neque Christum, neque Apostolos sese astrinxisse constat) varietas sit; in sensu tamen, quod sufficit, convenientia est maxima: nam quod in Psalmo est *adorate:* in Paulo *adoranto* seu *adorent*, diversa quidem persona, sed eodem omnino sensu. Cœterum mutatio certa est, in voce altera, quæ sequitur, nempe, *Elohim*, Dii, pro qua Paulus substituit, aptâ, & sanctâ quadam paraphrasticâ interpretatione, *Angeli Dei*, & quidem ex rei veritate: quemadmodum etiam 70. Angeli ejus: & D. Kimchi, *exercitum cœlorum*, id est, Angelos, hanc vocem exponit: nam per metaphoram Dii appellantur, quod sint Deo similes potestate: quemadmodum, eadem ratione, Magistratui, id nominis, tribuitur Ps.82.1.& 6. Ps.138.1. Quod vero hanc sententiam, rectè, de Christo interpretatur Apostolus, illud primum ex Psal. universo colligitur: in quo Dei regnum describitur tale, in quo omnes suos hostes conficiet, & lætabuntur omnes insulæ, & videbunt omnes gentes gloriam ejus: quo vocatio, & salus omnium gentium, quæ, non nisi per Christum, contigit, declaratur. Deinde exaltatio supra omnes potestates ei adscribitur: de qua Eph.1.21.Phil.2.9. Deinde idem confirmatur ex adoratione, quę Christo alibi etiam adscribitur, & quidem Deo propria Esa.45. 22.23. *Ego sum Deus fortis, & nullus præterea, per me juravi, prodiit ex ore meo justè verbum, quod non revocabitur, mihi incurvabitur omne genu.* Quæ sententia ad Christum, unum cum Patre, & Sp.S. Deum, pertinet; prout Paulus exponit Rom. 14. vers. 11. Phil. 2. v. 10. Hæc de v.6. ex quo rectè concluditur, Christum præstantiorem esse Angelis, ac verum Deum; siquidem jussu Patris, ab iis adorandus est: quod secundum est excellentiæ Christi argumentum.

Tertium vero & quartum consistit in oppositione Angelorum, & Christi, bimembri; I. ratione essentiæ; quod Angeli sint creaturæ Dei: Christus verò Deus creator: deinde ratione status; Angeli sint ministri: Christus Dominus. Ergo Christus utroque hoc nomine Angelis præstantior. Quæ autem ad Angelos pertinent, ea πρώτῃ, seu prima oppositionis parte conjunctim enuntiantur, probata S. Scripturæ testimonio, hoc modo: *Et de Angelis quidem dicit*, nempe Deus, per Davidem Ps. 104.4. *Quod Angelos suos facit Spiritus, & ministros suos ignis flammam.* Quem locum diversè construunt & exponunt interpretes. Sunt enim qui spirituum, i.e. ventorum, & fulgurum naturam comparatè exponi arbitrantur, idq; bifariam. Nonnulli enim Angelorum, & ministrorum voces communiter accipiunt, & ita vertunt; *flatibus utitur pro nuntiis, & pro ministris igne conflagrante:* quemadmodum Ps.148.8. *dicitur flatus procellosus faciens verbum ejus.* Sed, hac ratione, imprudenter, authoritas Apostoli, hunc locum, de Angelis exponentis, evertitur. Reliqui igitur sanctiùs, Angelos, & ministros speciatim; & κατ' ἐξοχὴν, cum Apostolo, de cælestibus spiritibus, interpretantur: ut sit sensus; Deum ventis, & flammis, id est, fulguribus uti, non aliter, quàm suis illis Angelis, i. e. eximiis nuntiis: atque hoc modo non simpliciter, ac primariò quidem notari; sed secundariò, & per similitudinem ventorum & fulgurum, connotari Angelorum conditionem ministratoriam. Vnde rectè concludit Apostolus; Christum iis esse præstantiorem. Contra alii sensu uberiori, & constructione meliori censent, primariò non ventorum; sed Angelorum naturam, & conditionem declarari: ut Angeli, & ministri non sint sequentium verborum attributa; sed subjecta: non solùm, quia ordine in Psalmo, & hoc in loco antecedunt; sed etiam, quia ab Apostolo, articulis, definiuntur: quorum, in constructione ambigua, ad subjecti cognitionem, inprimis habenda est ratio: ut Ioan. 1. 1. ϰ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& sermo erat Deus*, & alibi similia. Nam quod dicitur, proprietatis causa additum articulum; ut intelligatur, Angelorum, & ministrorum nomina accipi debere non communiter, sed propriè; illud satisfacere posset, si subjectum etiam, suum haberet articulum, quem, hoc modo, detrahunt. Cœterùm horum verborum, *Deus Angelos suos facit Spiritus, & ministros flammam ignis*, sensus est, Deus creavit Angelos Spiritus, hoc est spiritualis substantiæ, seu invisibiles, celeres, atque efficaces, instar Spiritus, seu venti, & ministros suos, cœlestes nimirum, hoc est, Angelos (nam idem diversa voce notat) creavit flammam ignis, hoc est, naturæ potentis, instar ignis, ac fulguris: unde etiam, ob celeritatem, *Cherubim*, alati, dicuntur, Ezech.1. quibus Deus vehitur Ps.18.11. & ab ignea natura. *seraphim*, hoc est, ardentes, & ignei, Esa. 6.2. ubi etiam alati describuntur: quemadmodum etiam formâ igneorum equorum & curruum apparuerunt, 2 Reg.6.7. Quare, quod nonnullos ab hac interpretatione deterruit; quod non viderent, quomodo, quæ de igne flagrante dicuntur, Angelicis spiritibus possint quadrare; illud allata jam ratione facile expeditur. Sed tamen duo prętei ea objiciuntur: primò, Psalmum narrare, quæ Deus faciat indies, non autem ea, quæ ab initio fecit: ait enim *facit angelos*, ac propterea non loqui de creatione, sed tantummodo (sit ita est) de usu Angelorum. Verùm rectè respondetur, esse enallagen temporis præsentis pro præterito, eamque consuetam ac accommodatam; quod eo modo, in creationem jam peractam, quasi in rem præsentem, ducamur: quemadmodum hoc Ps. v. 2. *extendens cælum, tanquam aulæum:* & Ps.121.3.& 124.8. *faciens cœlum & terram* Sed, inquiunt iterum, obstat scopus; deinde ordo rerum: nam in Ps.104. primum agitur de cęlo v.2. deinde de iis quę in aëre, nempe nubibus, & vento v. 3. ac deinde subjicitur convenienter, *facit nuntios suos Spiritus*; & postea descendit ab aere, seu à nubibus, vento & fulgure, ad terram, *fundavit terram*: denique, ad aquam. quare non intelliguntur Angelici Spiritus, alioqui cælo, ut alibi, non autem aeri, & nubibus conjungerentur. Sed respond. id non esse necessarium; sed facta mentione venti, v.3. ob similitudinem, quam Angeli habent cum Spitìtu, hoc est, flatu, & vento (unde etiam, Metaphoricè, Spiritus, & *Seraphim*, id est, ardentes dicti) non ineptè conjunguntur: siquidem, ut Ps. 104. de Deo ait: *qui itat super alas venti*: sic Ps. 18. v. 11. dicitur Deus insidere *Cherubim*, ac volare super alas venti. Et sic hoc in loco ait: *facit Angelos suos Spiritus, ministros suos flammam ignis.* Postremò quod objiciunt, versu anteced. Spiritus vocem notare ventum; ac propterea hoc sequenti versu, eandem debere esse significationem; non autem metaphoricam; consequentia, inquam, negatur: quia, per antanaclasin, eleganter, significatio unius vocis, in vicinâ, aut eadem periodo, permutari solet: ut paucis exemplis (ut alia omittam) constabit: primum Matt. 8.22. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* ubi priori loco mortui impropriè, per metaphoram infideles: secundò verò propriè, vita animali privati intelliguntur. deinde 2. Corinth. 5. vers. 21. *Eum, qui non norat peccatum, fecit peccatum.* ubi peccatum primò, propriè, Legis transgressionem: secundo verò impropriè, victimam pro peccato, notat. & Joan. 3. v.8. Spiritus primò ventum: deinde Spiritum Sanctum significat. Quapropter meritò concludimus, refutatis adversariis argumentis, hoc in loco de Angelis cœlestibus agi, *& Spiritus* vocem naturam eorum declarare: *flammæ* verò, eorum potentiam: Idque probat Apostolus cum v. 14. conjunctim describens, ait: *Angelos esse spiritus ministratorios.* Ex hisce igitur liquet, Angelos & creaturas esse; utpote qui facti sunt spiritus; & ministros, v. 7.

Quibus opponitur Christi, utpote Dei creatoris, regis, ac redemptoris nostri, præstantia. Quam probat Apostolus, duobus Scripturæ locis. Quorum prior petitus ex Ps 45. qui spirituales Christi, cum Ecclesia, nuptias, graviter describit: adeo ut cantici canticorum epitome quædam, non immeritò, à viris magnis, appelletur. Quemadmodum etiam Judæi fateri coguntur, de Messiâ hîc agi: quamvis, violentis interpretationibus, scopum, & mentem Psalmi, mirificè corrumpant: nam, quæ hîc citantur, verba, adeo illustria sunt; ut ad meram creaturam detorqueri non possint. In iis autem duo observanda sunt: primum Deitas Christi: deinde regnum. Prius subjecto indicatur: alterum attributis Subjectum est *Deus*: sic enim sermone ad Messiam converso. Psaltes ipsum vocat. Veruntamen duo, ab adversariis, objiciuntur. Primum est,

dici, *Deus tuus te unxit*: ideoque creaturam vocari. Illud verum est secundum, quid nempe secundum humanam naturam, qua à Deo formatus per Spirit. Sanct. non autem simpliciter, quatenus filius Dei: siquidem noster est *Immanuel* Matth. 1. *Deus patefactus in carne* 1. Tim. 3. 16. Alterum est, vocem *Elohim*, quæ ei tribuitur, non solum vero Deo; sed etiam (ut ex Ps. 104. antè apparuit) Angelis, & hominibus Psal. 82. convenire: ac propterea hinc non posse certò colligi, Christum esse non solùm verum hominem; sed etiam verum, hoc est, æternum Deum. Sed negatur consequentia: quoniam Christum non impropriè, & certo modo; sed propriè, & absolutè Deum appellari, ex circumstantia regni attributi, luculenter apparet: quod regnum, *throni* & *virgæ*, seu sceptri nomine, (quæ sunt regni insignia) metonymicè indicatur, ac describitur. Deinde, primum ab adjunctâ æternitate, ac regiminis justitia: deinde à causa efficiente, unctione per Spiritum Sanctum: hunc enim per *oleum exultationis* metaphoricè significat, ob similitudinem, quæ inter utrumque intercedit: quod videlicet, quemadmodum oleum membra foris calefacit, recreat, agilia, & firma ad munia sua obeunda, reddit: sic etiam Spiritus S. animum, ad regnum administrandum, idoneum reddit; & prudentiâ, gaudio, pio zelo, ac fortitudine imbuit: id quod unctione regum Vet. Test. fuit adumbratum. Cujus specimen quoddam, in unctione primùm regis Saulis; deinde regis Davidis describitur. Hæc autem unctio amplificatur comparatione minoris, cum dicitur: *ultra consortes tuos*, id est, Christianos, unctionis participes: nam Christus, qua homo, *sine mensura*, hoc est, copiosissimè, *Spiritum accepit*, Ioa. 3. 34. nos verò *ex plenitudine illius hausimus omnes*; Ioa. 1. v. 16. Quemadmodum cùm unguentum capitibus Regum, Prophetarum, & Sacerdotum, infundebatur, & à capite in partes corporis inferiores, & ad vestium fimbrias, defluebat: similiter, à Christo plenè uncto, nos Spiritus participes sumus, 1. Ioa. 2. 20. 27. sicut de Aarone, & vestimento illius dicitur, Ps. 133. 2. 3. unde analogicè de prophetia & regno idem sentiendum. Cœterùm, nequis hæreat, hoc in loco, observanda est, atque explicanda constructio difficilior. Nam cum omnes, unanimi consensu, hæc verba interpretentur, hoc modo: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: Quæri meritò posset: quænam ratio sit hujus versionis, quandoquidem *in Græco contextu*, non oleo, sed *oleum* legitur. Solutio autem duplex esse potest. Prima, quidem, ut, per appositionem grammaticam, de Spiritu Sancto metaphoricè *olei* vox accipiatur, hoc sensu: unxit te Deus tuus oleum, hoc est Spiritus Sanctus, verus Deus, qui est oleum, hoc est, olei instar, ut antea exposuimus. Altera verò solutio longè aptissima est, & priori, omnibus modis præferenda, quod, servata constructionis analogia, dici potest (ut etiam accuratiores Græcæ Linguæ institutiones agnoscunt) verba quædam Græca regere accusativum rei cognatæ; quæ Latinè, per ablativum causæ, vel instrumenti exponuntur: ut Sophocles in Antigone *λύουντας ἁγνὸν λουτρὸν lavantes puro lavacro*, & Æschines contra Timarchum *ἱμασίγων τὰς ἐξανδραπόδους πληγάς*, id est, *immanibus flagris flagellabant.* ut etiam 1. Cor. 3. 2. *γάλα ὑμᾶς ἐπότισα lacte vos potavi*, pro *γάλακτι*. Hæc de vers. 8. & 9. ac primo redditionis hujus antitheseos testimonio.

Alterum est petitum ex Ps. 102. 26. qui prophetiam de Christo continet, ut etiam ostendit Zionis liberatio, v. 17. & sequentibus, & gentium conversio, v. 23. quæ, per solum Christum facta, Apostolorum ministerio, & Spiritus efficaciâ. Cœterum observandum, quod in hisce verbis, quæ citantur ab Apostolo, ad clariorem intelligentiam, additur, ex v. 22. paraphrasticè (ut etiam à 70.) *Domine*, id est, Jehova, quemadmodum pro more recepto, pro voce *Jehova, Adonai*, hoc est, *Dominus* usurpare solebant. Deinde ei attribuitur primùm effectum triplex, mundi creatio, v. 10. destructio, vers. 11. & commutatio, scilicet per renovationem futuram, v. 12. Deinde ex adverso additur Christi adjunctum, immutabilitas, & æternitas, vers. 12.

Atque hæc de oppositione Christi, & Angelorum bimembri: in qua diximus contineri argumentum tertium, & quartum præstantiæ Christi, supra Angelos.

Quintum est deductum à sessione Christi ad dextram Dei Patris: quam Angelis minimè convenire asserit; & probat convenientissimè: utque antea sessionem ad dextram Dei, Christo tribuit. v. 3. & deinde progressus est ad Christi præstantiam, supra Angelos, demonstrandam: ita in hac dignitate desinit. Locus autem quem adducit Apostolus, extat Psal. 110. quem de Christo agere docet; primùm, quod Dominus Davidis dicatur: deinde, quod ejus est Sacerdotium regale, secundum ordinem Melchisedech. Quemadmodum etiam Christus, Mat. 22. v. 42. de Messiâ exponit tacitè, Pharisæis, ac Sacerdotibus præsentibus, ac agnoscentibus; & Petrus, Actor. 2. 34. & Paulus 1. Cor. 15. 25. Cœterum quemadmodum sessionem ad dextram, v. 3. Christo tribuit expresiè; ita hoc in loco eundem indicat, ac confirmat, & ejus gloriam Angelis detrahit, v. 13. Quod probat, v. 14 à descriptione Angelorum, ex antecedentibus, eleganter & appositè conflata; cum *spiritus* vocat, ad naturæ declarationem, & *ministratorios*, ad officium, & finem creationis designandum. Quod ministerium objecto declaratur, cum dicitur: *propter eos, qui hæredes sunt salutis*, hoc est propter homines electos, ac fideles; qui, ut ex gratia Christi, filii sunt Dei, Ioan. 1. ita ex adoptionis ratione, Christi, hæredis omnium, cohæredes, Rom. 8. v. 17. pro membrorum natura. Hæc de capite primo.

CONSECTARIA.

Felicior est status Ecclesię Novi Testamenti quam Veteris: eoque ad gratitudinis officia, magis obstricti sumus.

II. Vox *Dei* interdum accipitur Synecdochicè pro personâ Patris.

III. Cùm Filius Dei sit summus Novi Testamenti Propheta, verâ fide audiendus est, v. 1.

IV. Cùm Christus Rex sit, & hæres omnium, ei promptè ac fideliter servire debemus.

V. Si Christus creavit Mundum. Ergo verus est Deus, contra Arrium, & Paulum Samosatenum, v. 2.

VI. Errant vulgò Anabaptistæ; qui hypostaseos, seu personæ vocem, in Theologia, non ferunt; sed tanquam citra Sacras Literas incommodè inventam, in hoc Trinitatis Mysterio, rejiciunt.

VII. Si Filius est character personæ Patris, ergo à Patre distinctus est, contra Sabellium.

VIII. Cùm Christus mundum sustineat potenti suo verbo: ergo illius omnipotentiâ, & auxilio consolari nos debemus.

IX. Cùm Christus peccata nostra purgarit; ergo in nobis impuri sumus, v. 3.

X. Cùm Christus præstantior sit Angelis, & eminentiori ratione Dei Filius, nempe proprius, & unigenitus; sequitur non esse creaturam, contra Arrium, v. 4. & 5.

XI. Cùm adoratio Angelis non conveniat, sed nobiscum Christum adorent, tanquam conservi nostri: ergo malè Pontificii Angelos, & Sanctos adorant, vers. 6.

XII. Cùm Christus Rex noster justus sit, & iniquitatem oderit: vestigia illius nobis imitanda sunt, & iniquitas fugienda: deinde hac consolatione sustentare nos debemus, adversus injustos oppressores, fore, ut causam nostram, tanquam justus judex, tandem tueatur. vers. 8.

XIII. Cùm unctionis Christi simus participes; sequitur nos rectè Christianos appellari, v. 9.

XIV. Christus est Dominus Jehova, Creator cœli & terræ; ergò verus & æqualis cum Patre Deus.

XV. Mundus à Christo conditus; ergo non æternus, vers. 10.

XVI. Cùm Mundus sit interiturus; fluxis illius bonis non est fidendum, v. 11.

XVII. Mundus mutabitur; ergo non in nihilum redigetur.

XVIII. Christus est omnino immutabilis, & æternus: ergo verus Deus, v. 12.

XIX. Christus sedet ad dextram Dei; ergo omnium creaturarum est Dominus.

XX. Christus, ad finem usque mundi, suos habiturus est inimicos: ergo non est cur persecutione Ecclesiæ tanquam re inaudita, ac nova, percellamur.

XXI. Christus tandem omnes suos hostes pedibus subjiciet, ac penitus domabit ac perdet: ergo patienter ferendæ sunt afflictiones, v. 13.

XXII. Angeli sunt Spiritus, hoc est naturæ incorporeæ, ac spiritualis: Ergo malè à multis corporei statuuntur.

XXIII. Cùm Angeli sint ministri Dei, & nostri; non sunt adorandi, Apoc. 14 7. & 19. 10.

XXIV. Cùm Angeli sint Dei ministri ad electos missi; Deum grato animo colere debemus (utpote qui præstantiores creaturas, nobis inservire voluit) & Angelorum, in actionibus nostris, præsentiam revereri: ne quid dicamus, aut perpetremus, quod pietati aut charitati adversetur, ut 1. Tim. 5. 21.

XXV. Angeli custodes nostri sunt; ac propterea, cùm Dei gratiâ & eorum auxilio, Ps. 34. tuti simus: constanter in officio perdurare nos decet, v. 14.

DE COLLATIONE SALOMONIS CUM CHRISTO.

QUoniam ex hoc cap. primo, perspicuè satis apparuit, Davidem & Salomonem fuisse insignes ac destinatos Christi typos, & quasi visibiles quasdam, in multis, prophetias: ad pleniorem illius rei intelligentiam requiri videtur, ut brevem, ac distinctum utriusque typi, cum suo archetypo, collationem subjiciamus. Verùm quia publica disputatione, jam antea Davidis & Christi collationem distinctè tradidimus: reliquum est, ut Salomonis, cum Christo, collationem, adjungamus. In ea autem observanda est, inter alia, convenientia primùm, in *nomine duplici*.

Primum est *Salomo*; quod *pacificum* notat; aut (ut alii volunt) *pacem ejus*: quod nomen, Dei jussu, Davidis filio, ad statum illius felicem designandum, impositum est, 1. Chro. 22. 9. *Ecce filius editus tibi, is futurus est quietus: cum quietem ei dedero ab omnibus inimicis ejus. nam Schelomo erit nomen ejus, etiam pacem & tranquillitatem disponam in diebus ejus.* Similiter *Spiritualis noster Salomo*, Iesus Christus, *princeps pacis est*, ac disertè, per Prophetam, nominatur à Deo, Esa. 9. 6. 7. & per Apostolum, Eph. 2. 14. 15. *pax nostra*, & Luc. 1. v. 71. & 74. & c. 2. 14 Ideoque Salomonis nomine, 2 Sam. 7. & Ps. 72. (ut supra ostendimus) non minus, quàm in Cantico canticorum simul designatus. *Alterum* deinde nomen Salomoni datum est ידידיה hoc est, *Theophilus*, seu *dilectus Deo*; quod similiter ipsi, à Deo, inditum est, per Nathanem Prophetam: quemadmodum narratur, 2. Sam. 12. 24 25. *Vocavit Salomonem, & Iehova dilexit eum. Ideoque mittens per Nathanem Prophetam, vocavit nomen ejus* ידידיה *propter Jehovam*. Sic etiam spiritualis noster Salomon, Iesus Christus, est revera ידידיה: quemadmodum idcirco *filius Dei dilectus, in quo acquiescit, appellatur*, Matt. 3. 17. & 17. 5. & 2. Pet. 1. 17. unde etiam à Paulo, κατ' ἐξοχὴν, *dilectus ille*, vocatur, Eph. 1. 6.

Secunda convenientia est, in *officio*: ut enim Salomon electus est, & unctus, secundùm Dei voluntatem, in regem Israelis, 1. Reg. 1. Sic & Iesus Spiritualis noster Salomo, est peculiari ratione, Christus, id est, *unctus à Domino*, Ps. 2. *supra consortes, oleo Lætitiæ*, Ps. 45. 8. Heb. 1. 9. *Spiritu Sancto, quem sine mensura accepit*, i. e. copiose, Joan. 3. 34 *super quem etiam descendit, & mansit, specie columbæ*, Ioa. c. 1. 33. unctus autem est in regem spiritualem, Ioan. 18. 36. super Israelem Dei, id est, Ecclesiam universam, Gal. 6. 16. monte Sionis, ut regiâ, adumbratam, Psal. 2. v. 6.

Tertia convenientia est in *adjunctis*: quod ut Salomo interna animi sapientia, & externis opibus, reliquos, sui temporis, mortales superavit, 1. Reg. 3. 12. 13. Sic etiam Christus sapientiæ thesauris, Col. 2. 3. & imperve stigabilibus opibus Euangelii, ac gratiæ suæ, Eph. 2. 7. & 3. 8. gloriâque cælesti, omnes creaturas longè superat, Heb. 2. 9. unde etiam sese, non immeritò, sapiente, & potente Salomone majorem affirmavit, Luc. 11. 31.

Quarta ac postrema convenientia est in *effectis*: quorum *primum* est, quod ut Salomo, secundùm Dei voluntatem expressam, ædificavit domum Jehovę, super excelsum montem, 1. Chro. 22. 14 Sic etiam Christus, ex Dei Patris voluntate, Ecclesiam, tanquam domum Dei viventis, 1. Tim. 3. 15. ædificavit, super se, Ephes. 1. 20. 21. 22. tanquam Petram, Mat. 16. 18. & montem illum magnum, Dan. 2. 35.

Secundum effectum est; quod ut Salomo Pharaonis filiam, nigram, & alienam à regno suo, & populo, in uxorem duxit; & in regni societatem adhibitam reginam constituit: Eodem modo spiritualis Salomo, Jesus Christus, Ecclesiam, nigram, seu deformatam peccatis, & propterea à vita, & regno Dei alienam, Rom 3 23. in sponsam, regni participem, ac reginam elegit, ut Ps. 45. & Cantico Canticorum typicè adumbratur, & Eph. 5. 32. & Apoc. 21. 2. res ipsa explicatur.

Tertium effectum est; quod ut Salomo judicium in populo sapienter exercuit, 1. Reg 3. 28. Sic Spiritualis noster Salomo, jus & justitiam exercet perpetuo, Ier. 23. 5. Heb. 1 8. 9. Psal. 45. 7. 8.

Quartum effectum est, ut Salomo, consentaneè suo nomini, atque officio, suis subditis, pacem, ac securitatem procuravit: sic & Christus, Ecclesiæ suæ, pacis est author, cum Deo, Rom. 5. v. 1. conscientiâ nostra, Col. 3. 15. ac proximo, Eph. 2. 14. & securitatem, adversus hostes spirituales; cùm internum, nempe carnem; (hoc est innatam vitiositatem) tum externos, mundum, & mundi hujus principem, Diabolum, procuravit, Luc. 1. 74.

Postremum effectum est: quod ut Salomo, Ierusalem, divitiis, mirificè locupletavit, 1. Reg. 10. 21. 27. Sic Christus Ecclesiam, Spiritualibus opibus, instruit, ac conservat, Ephes. 1. v. 8. 13. 19. & 4. 5. Hactenus collatio.

Caput Secundum.

EXplicata jam, capite antecedente, doctrina, de præstantia personæ Christi, supra Angelos, ex divina illius natura, & gloriâ: sequitur hujus capitis secundi initio, explicationis hujus scopus, & applicatio parænetica. Constat autem duabus partibus, nempe hortatione, & confirmatione.

Hortatio autem est, ad accuratiorem memoriam, attentionem, & obedientiam Euangelii: quam, remotione contrariæ oblivionis, illustrat, v. 1. Quę hortatio, ex antecedentibus, rectâ ratione, concluditur, cum ait: *propterea*; ac si diceret: quia tanta, ut ostendimus, est Christi διαφορωτέρα majestas & excellentia supra Angelos: *ideo magis debemus iis*, quæ à Christo, Dei Filio summo nostro Prophetâ, dicta, & *audita*, Heb. 1. 1. *attendere*. Ubi obiter observandum est, Apostolum hortationi stimulum addere, cùm suum etiam officium, cum eorum, communiter conjungit; quod non dicat, debetis, sed *debemus*, hoc est, & ego, & vos; idque ut eo libentius hortationi, ob commune officium, obediant: quo hortandi modo sæpe Apostolus cùm alibi, tum postea, in hac epistola, est usus, ut v. 3. & c. 1. 2. 3. Causa autem hujus hortationis fuit Hebræorum negligentia; quam apertè, & graviter reprehendit, c. 5. 11. 12. Cœterum confirmatio, hortationi subjecta, argumenta illius complectitur. Quorum primum petitum est, ab effecto contrarii neglectus Euangelii, nempe pœna inevitabili. Id quod probat, per comparationem legis; quæ, adjuncto ministerio Angelorum, fuit tradita, Gal. 3. 19. Act. 7. 53. Nam si illius transgressio, & inobedientia quævis, justam mercedis retributionem retulit, v. 2. hoc est, maledictionem, quæ justa est transgressionis pœna, Deut. 27. 27. Ergo multo magis Euangelii neglectus. Consequentiæ ratio continet argumenta reliqua, Secundum enim est, ab effecto Euangelii instrumentali: quod indicat, cum Euangelium, Metonymicè vocat, *salutem*, hoc est potentiam, seu potens instrumentum Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. quo modo

modo tacitè legi opponitur; quæ,per accidens peccati nostri,Rom.7.12. *ministerium mortis*,dicitur, 2. Cor. 3. v. 7. quemadmodum hæc antithesis ibidem fusiùs,& accuratiùs explicatur.Tertium est, à causa efficiente, ac primùm principali,ipso Domino,hoc est,κατ' ἐξοχὴν,Christo, Dei Patris Filio æterno,per quem, patefactum in carne, immediatè Euangelium promulgatum est,Heb.1.1.deinde ab instrumentali,nempe Apostolis; quod confirmatum fuerit Euangelium nobis, ab Apostolis, testibus fide dignissimis,oculatis,& auritis,& afflatis à Sp.S. v. 3.Quartum est,ab adjunctis miraculis variis, & donis Spiritus S. v. 4. de qua re Marc. 16. 20. & 1. Cor. 12. Quod argumentum illustratur, declaratione causæ, cur Deus Euangelium filii sui, per Apostolos prædicatum,miraculis & donis hisce confirmarit: quòd videlicet ei totius orbis contulerit imperium. Atque ita repetit, ac confirmat argumentum tertium, non quidem explicitè, sed implicitè, per oppositionem Angelorum; quos ab hoc imperii honore excludit. *Non enim*, inquit, *Angelis subjecit mundum illum futurum, de quo loquimur.* In qua Apostoli sententiâ, observanda est alterius membri,oppositionis ellipsis hujusmodi; *sed Christo eum subjecit.* cujusmodi etiam ellipsis exempla duo præcesserunt,c.1.5.& 13. Cæterùm, quid per *mundum futurum* intelligatur,inter Interpretes diversę sunt sententiæ.Nonnulli enim de mundo exponunt,qualis tandem post renovationem futurus est, ultimo die,de quo 2.Pet.3. 13. differitur, & Esa. 65. 17. Alii verò mundum, per Christum renovatum, universè complectuntur; ac duplicem statuunt esse mundum, ratione conditionis suæ. Priorem quidem vetustum,qui peccato Adami corruptus est,Rom.8 alterum, & posteriorem, qui per Christum renovatus est, & ultimo die plenissimè renovabitur,Rom.8.2.22.23. Cujus mundi initium cœpit ab exordio regni Christi, primo illius adventu: complementum succedet, in reditu ejusdem glorioso, ad judicandum vivos, & mortuos. Quæ sententia, quemadmodum uberior est; ita melius etiam convenire videtur sequentibus: nam quid oves, & boves, & quorum Psaltes, in loco, qui adducitur,meminit, ad regni cælestis complementum tantopere pertinent?Si quis objiciat:Mundum Christo subjectum non esse futurum,sed præsentem; ac propterea locum hunc Apostoli aliter esse accipiendum. Responderi potest,diverso respectu,sine ulla contradictione, mundum præsentem, & futurum posse appellari: præsentem,ratione nostri, & ratione initii:futurum, ratione Patrum, rationeque complementi,si nos spectemus;quandoquidem illud exspectatur.Nec obstat etiam,quod Apostolus subjicit illa verba, *de quo loquimur:* quoniam de universo mundo locutus est, cap 1.2.3. & sequent. Porro hoc Christi dominium,pleniùs ac planiùs illustrat,ac confirmat sequentibus,adducta authoritate divina Davidis,Ps.8.quam proponit, & applicatione ad Christum exponit. Ac Davidem quidem non nominat, sed innuit tantùm, cum ait: *testatus est autem quidam alicubi, dicens.* Testimonium autem continet exclamationem, & confirmationem illius. Exclamatio celebrat v.6. Dei gratiam, erga filium hominis,i. e. Christum:nec enim si quis rem diligentius perpendat, ad Adamum hic locus referri potest:quoniam non fuit filius hominis,sed homo tantum,omnipotentia Dei,ex terra formatus: nec etiam videtur posse de credentibus accipi: quia iis,honor hujus dominii, competere non potest; sed Christo, quemadmodũ etiam 1.Cor.15.27.ad eundem,hęc sententia refertur. Sequitur autem confirmatio,à statu Christi duplici:ac primum humili;quod *Angelis paulisper inferior fuerit*: deinde glorioso; quod *gloria,& bonore Pater coronavit eum:& constituerit eum super opera manuum:& omnia pedibus illius subjecerit.* Quod præclarum testimonium, ad Christum solum,expositione sua,applicat Apostolus;ac 1. cum ait: *omnia*: emphasis,& amplitudo illius vocis universa complectitur; quod videlicet ea nihil (rerum conditarum) excludat: quemadmodum etiam, 1. Cor. 15. 27. Apostolus disertè exponit: deinde hanc prophetiam declarat v.8. ab eventu, quod hæc perfecta subjectio implenda sit (ut cap. 1. v. 13. & 1. Cor. 15. v. 25. 26. & 28.) reliqua verò impleta sint in Christo.

Atque hac viâ, transitione commoda,de humana Christi natura, & conditione illius humili, tractat Apostolus, reliquo hoc capite; quemadmodum antea de natura Christi divina disputavit: siquidem ostendit Jesum Christum paulisper minorem factum Angelis: postea verè honore & gloria coronatum,cum scilicet, sessione ad dextram, supra omnes creaturas, evectus est; cap. 1. vers. 13. Quia verò status Christi humilis, quo miseriis omnibus, excepto peccato, nobis similis factus est, infirmiores nonnihil offendere poterat: idcirco, ad offendiculum tollendum, declaratione causarum utitur Apostolus. Quarum prima (quæ ad Christum pertinet) est glorificatio illius, quam describit his verbis: *propter perpessionem mortis, gloriâ & honore coronatum:* nam hæc verba, per parenthesin, ut constet constructionis ratio, conjungenda videntur; eodem sensu, quo Apostolus, Phil.2.9.de Christo loquitur. Altera causa (quæ ad fideles refertur) est satisfactio pro omnibus (ab initio mundi. 1.Ioa.2.2.& Rom 4. 23.24. 25. electis Dei Filiis, ut v. 10.& 11. declaratur) ut eorum loco, mortis & condemnationis poculum gustaret, v. 9. Tertia causa est Dei gloria: quod indicat periphrasi: *propter quem, & per quem*, hoc est ad cujus gloriam, *omnia condita sunt*; & per cujus potentiam,ac providentiam sunt, ac sustentantur: quippe justitiæ Dei gloria hoc postulabat, ut servaturus nos Christus, nos servaret sacrificio mortis, quam eramus promeriti,v.10.quemadmodum illud sub finem cap. pluribus, & clariùs explicatur, v. 14. 15.17. Porrò, quoniam consecrationem, & salutem fidelium,Christi afflictionibus, adscripsit Apostolus; peropportunè hoc declarat, ex effecto, ad eam rem destinato; communione ejusdem naturæ humanæ. *Nam*,inquit,*qui sanctificat,& qui sanctificantur,ex uno sunt omnes.*Cujus orationis subjectum satis clarum est: Christum enim describit,ab effecto,cùm ait: *qui sanctificat*, nimirum sacrificii sui merito,& Spiritus sui efficaciâ; & fideles, ab adjuncto, cùm addit: *qui sanctificantur*: quemadmodum,Ioa.17.19.& 1.Cor.1.2.Heb.13.12. Eph. 5.v.25. Act. 20. 32. Quæ periphrases convenientissimæ sunt, hoc loco:quandoquidem versu antec. consecrationem Christo, & fidelibus per Christum, attribuerat. Sed attributum orationis nonnihil habet, prima fronte,obscuritatis: etenim quæritur, ab interpretibus, quid sibi velit, quod omnes qui hîc nominantur,ἐξ ἑνὸς, *ex uno*,esse,dicantur; hoc enim aut genere masculino,aut neutro,exponi potest: masculino quidem, ut causam efficientem, Deum,vel hominem, denotet: ut sit sensus; Christus, & fideles sunt, ex uno Deo Patre(quamvis diversa ratione, Christus propriè, generatione ęterna;fideles impropriè,regenerationis,& adoptionis gratia) vel Christus, & fideles sunt ex uno homine,seu ex uno, nempe Adamo: quemadmodum,Luc.3.v. ult. genealogia Christi,ad Adamum usque, deducitur: & simili periphrasi dicitur,Rom.9. 5.*ex quibus est Christus, secundum carnem.* Neutro verò genere accepta vox *unum*, materiam designat: quod Christus & fideles sint ex eadem humanæ naturæ massâ. Quod videlicet, quemadmodum primitiæ, in Veteri Testamento, quæ de fructibus desumtæ, Deo offerebantur, cum reliquis fructibus,per earum oblationem consecratis, ejusdem erant naturæ: & summus Veteris Testamenti pontifex,cum populo sanctificato,ejusdem erat humanæ naturæ, Heb.5.1. ita & Christus,tanquam electorum, & sanctificatorum primitię, ac summus Novi Testamenti pontifex, ejusdem est, cum fidelibus, naturæ, Heb.2.17. Quarum interpretationum prima (cum hic de humanę naturæ Christi veritate agatur) non satis videtur, cum scopo,convenire: reliquæ verò probè consentiunt, si quis, v.14.16.& 17.conferat.Quare,hac oratione,asseritur humanæ naturæ Christi veritas. Quam, ab authoritate testimonii Christi,ampliùs comprobat. I. quod, *propter eam causam,non erubescat eos*, qui sanctificantur, id est fideles, *vocare fratres*: fratres enim dicuntur, qui eundem habent Patrem; ideoq; ejusdem naturæ sunt, v. 11. Atque hoc testimonium demonstrat Apostolus, v.12. ex Ps.22. 13. qui perspicuam, de Christi persona, & statu, cùm humiliationis: tum exaltationis, prophetiam complectitur: quemadmodum etiam res, quæ narratur, & eventus illius,

 testan-

testantur: & Christus atque Euangelistæ, interpretatione suâ, ostendunt, Mat. 27. 43. 46. Alterum Christi testimonium est derivatum ex Ps. 18. 2. qui Psalmus de Davide quidem agit historicè; quemadmodum versus illius primus evincit) & simul etiam prophetice, de Iesu Christo, altero, & spirituali Davide, per Davidem adumbrato, ut declarat Apostolus, Rom. 15. v. 9. & Psalmi materia, seu res ipsa, quam describit, nimirum regni amplitudo, gentium incognitarum subjectio voluntaria, aliaque, in hoc Psalmo, attestantur; quæ Davidi non conveniunt. Ex his autem verbis, quæ hîc citat Apostolus, *ego fretus ero ipso*; consequitur etiam, Iesum Christum esse verum hominem, nobis calamitatibus similem: humanæ enim naturæ est fidere Deo, non autem divinæ. Deinde *fiduciæ* vox, pericula, & adversa objecta indicat: fiducia enim hæc, est firma animi, adversus calamitatum pericula, spes, ex fide auxilii divini, concepta. Deinde circumstantiæ Psalmi, v. 3. 4. 5. 6. 7. idem ostendunt. Tertium denique testimonium est ex Esai. 8. 18. *ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus.* quo Christus, homines fideles, secundum Patris voluntatem, servandos, sibi copulat, v. 13. De cujus loci explicatione pleniore, consulantur D. Iunii parallela sacra. Vnde concludit Apostolus: Christum ejusdem esse, cum iis, naturæ; *quoniam igitur pueri sunt participes carnis & sanguinis* (hoc est per Synecdochen, humanæ & caducæ naturæ) *ipse Christus consimiliter particeps factus est eorundem.* Idque à fine declarat; primò propinquo, nempe morte; secundò remoto, liberatione, cum à Diabolo, & morte; tum à mortis metu: *ut per mortem*, inquit, *aboleret eum qui mortis habet imperium, id est, Diabolum.* Quæ abolitio non absoluta est, nec ratione substantiæ: quia ea, ratione [illegible], æterna, duratione; & cruciatibus æternis asservatur, Matth. 25. v. 41. sed secundùm quid, ratione imperii: de quo Coloss. 1. v. 13. quemadmodum periphrasis indicat, *qui mortis habet imperium*, nempe non summum (quod Deo omnipotenti, & Christo judici convenit) sed subjectum: quale scilicet habet carnifex, in sceleratos ac damnatos. Ne verò hæc periphrasis sit obscurior, interpretatione additâ, declaratur, his verbis, *hoc est, Diabolum*: sic enim Satanam, & Synecd. Angelos illius intelligit. Satanam autem Diabolum vocat, à vitio illius, quod Deum, apud homines Genes. 3. homines, apud Deum Iob. 1. & Apoc. 20. v. 12. & homines inter se calumnietur, Ioann. 8. v. 44. quemadmodum eleganter, ac distinctè alicubi monet Chrysostomus. Quæ sententia Apostoli accurata est, primæ illius, de salute, per Christum, promissionis, de conterendo serpentis capite, Genes. 3. v. 15. explicatio. Atque hic primus finis est remotus, videlicet abolitio imperii Satanæ, v. 14. alter est, liberatio nostri, fidelium, à metu mortis, ex conscientia peccati; & mortis maledictæ, atque æternæ, ut meriti illius stipendii, procedentis Rom. 6. 23. Hæc de v. 15.

Cœterùm incarnationem filii Dei, à modo illustrat Apostolus, explicatione speciali, cum ait: *semen Abrahæ assumsit.* Idque amplificat oppositione Angelorum, *quod Angelos non assumsit.* De cujus loci sensu diversa sunt eruditorum judicia. Communis, & maximè recepta expositio est, per Angelos, naturam Angelicam; per semen Abrahæ, naturam humanam, ex Abrahâ propagatam, intelligi: deindè per assumtionem, unionem hypostaticam designari, quod scilicet Dei filius non Angelicam, sed humanam, & quidem (secundum promissionem) ex Abrahami posteritate, naturam, in unitatem personæ, assumserit: unde etiam semen Abrahæ, Gal. 3. vers. 16. & ex Patribus esse secundum carnem, Rom. 9. v. 5. affirmatur. Atque ita, quod Ioan. 1. dicitur Verbum caro factum est, descriptione modi, gravissimè declaratur. Altera expositio est, per Angelorum vocem intelligi, per Synecd. generis pro specie, Angelos lapsos, seu dæmones: & per *assumere* denotari (ut quidam volunt) suscipere in gratiam, ac communionem: quemadmodum Ecclesiastici 4. v. 12. ἐπιλαμβάνεται τῶν ζητούντων αὐτὴν, id est, *assumit, vel suscipit inquirentes se.* Alii vero verbum Apostoli exponunt, manum injicere, apprehendere, ut sit sensus: Filium Dei non suscepisse Angelos lapsos, sed semen Abrahæ: vel non injecisse manum, seu non apprehendisse, tanquam pignus suum, aut tanquam servum fugitivum, Angelos lapsu debitores & fugitivos, sed semen Abrahæ. Pro qua sententia stabilienda, nonnulla, adversus priorem ac maximè communem, objiciuntur argumenta; quæ paucis proponenda, & expendenda. Quorum primum est, quod utroque in loco, vox *assumit*, non præteriti sit temporis; sed præsentis ἐπιλαμβάνεται: quæ vox unioni hypostaticæ, quæ facta erat, non conveniebat; sed reconciliationi, ac receptioni in gratiam, quæ continua est: ac propterea præsenti tempori etiam rectè quadrat. Verùm per temporis præsentis, pro præterito, enallagen, Sacris Literis usitatam, difficultas hæc tollitur; qua *assumit*, pro *assumsit* intelligitur, ut Ioann. 3. v. 31. dicitur ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος è cælo veniens, pro *qui venit*, & Ioan. 21. v. 13. *venit, accipit, dat*; pro *venit, accepit, dedit*, ut res ipsa evincit: nam quod nonnulli interpretantur, *assumit in Scriptura*, hoc est Scriptura nusquam testatur, filium Dei assumturum naturam Angelicam, illud, hoc in loco, durius videtur. Nam quod cap. 1. vers. 6. *inducit*, pro inducturum se pronuntiat, accipitur; alia illius est ratio: quia locus Sacræ Scripturæ adducitur, ut supra expositum, & circumstantiæ eam expositionem flagitant. Argumentum alterum est, quod objicitur, videlicet, quod non dicit naturam Angelicam, aut certè Angelum, sed Angelos: id quod non minus absurdum, quam si diceretur, Christus assumsit homines. Verum responderi potest, esse enallagen numeri, pro Angelorum aliquem, ut scilicet in eo, & per eum, Ecclesiam regeret, ac servaret: ratio autem illius anteceßit, vers. 14. per mortem enim servanda erat Ecclesia, ideoque Angelicam naturam, quæ immortalis, non assumsit: aut, ut quidam observavit eruditè, potest esse ellipsis, hoc in loco, ex antecedentibus supplenda, nempe ἐπιλαμβάνεται ἀγγέλων scilicet σαρκὸς καὶ αἵματος carnis & sanguinis: cujusmodi naturam in V. T. sine ulla tamen personali unione, ad breve tempus, filius Dei assumsit. Cujus rei perspicuum est exemplum Gen. 18: nam, ut duo Angeli (qui Sodomam postea missi) virile corpus assumserunt, ad tempus, sine unione personali, & viri sunt; atque etiam cibum, ab Abrahamo propositum, comederunt: sic etiam filius Dei, tertius inter illos, verus Iehova, similiter præstitit, ut Gen. 18. v. 2. & 9. describitur. Atque illa, ad tempus tantum, carnis & sanguinis, sine unione hypostaticâ, assumtio, opponitur assumtioni seminis Abrahæ, seu carnis & sanguinis, ex semine Abrahæ, in unitatem personæ: quemadmodum decreti, & promissionis Dei veritas exigebat, Gen. 22. 18. Actor. 25. 27. Gal. 3. 8. 16. Tertium argumentum, quod objicitur, est: semen Abrahæ denotat personam, id est, filium, aut collective filios. Ergo assumere non denotat hîc unionem hypostaticam, quoniam persona non assumsit personam (ut Nestorius falsò docuit) sed persona filii Dei naturam humanam, in unitatem personæ suæ, assumsit. Cœterum ad hoc etiam responderi potest, semem Abrahami, nec propriè, nec semper personam significare; sed posse etiam, per metonymiam materiæ, significare naturam humanam, ex semine, & posteris Abrahami: ut 2. Sam. 7. vers. 12. Christus *semen Davidis*, dicitur, id est, *factus ex semine Davidis, secundum carnem.* Rom. 1. vers. 3. & Hebr. 2. v. 14. dicitur *particeps carnis & sanguinis* factus: sic etiam 1. Cor. 11. v. 22. *semen Abrahæ sunt, & ego:* hoc est, Rom. 11. v. 1. *ego sum ex semine Abrahæ.* Atque hæc præcipua sunt argumenta, quæ adversus primam, ac receptam interpretationem, in medium adferuntur, & eorum solutiones. Ad secundam verò quod attinet (pro quâ, ista objiciuntur argumenta) ut eam paucis examinemus; quamvis illa, fidei regulæ conveniat; huic tamen loco non satis quadrat. Primo, quia vox *Angelorum* absolutè ponitur: quomodo accepta non de malis, seu dæmonibus Synecd. sed de bonis usurpari solet: quemadmodum etiam antea c. 1. & 2. & alibi, Angelorum, non alia significatione, meminit. Neque obstare potest dictum Apostoli 1. Cor. 6. v. 3. *quod judicabimus Angelos*: quia attributum conjunctum, Angelos judicandos, hoc est, damnandos, notari, clarè

clarè ostendit: non autem absolute eâ voce utitur; sed, certâ attributi relatione, restringit ad malos. Deinde si *assumtionis vox* denotaret reconciliationem, non subjecisset Apostolus semen Abrahæ, sed homines: quoniam hoc beneficium, non ad semen Abrahę tantum, sed ad omnes etiam gentes, disertè extenditur, Gen. 22. 18. Eph. 2. 12. 13. Nam quod contra regerunt, per semen Abrahæ eleganter omnes electos metaphoricè, ex utroque populo, id est, ex Iudæis, & gentibus intelligi: quemadmodum Apostolus ait, Roman. 9. v. 6. 7. 8. *non enim omnes qui ex Israele sunt, illi sunt Israelitæ: neque quia semen Abrahæ sunt, omnes filii: sed in Isaaco vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, illi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.* Illud, inquam, non satis convenit hujus loci scopo: in quo agitur de communione fidelium, cum Christo, in eadem natura humana, seu carnis, & sanguinis participatione, v. 11. & 14. neque etiam cum antithesi, quoniam semen Abrahæ, hoc in loco Apostoli, non mundo impiorum, sed Angelis opponitur: qua oppositio aliàs esse inepta; optimè verò fluit oratio, si de semine carnali, non autem spirituali, interpretemur. Apostolus enim docuit Filium Dei, carnis & sanguinis participem factum, puerorum, & discipulorum suorum, sibi à Patre datorum, instar; in eum finem, ut posset mori; & morte suâ, nos, à Diabolo, & metu mortis, ac servitute, liberaret, id quod illustrat remotione disparati, & expositione speciali, cum ait: *Non enim Angelos assumsit.* quasi dicat, quoniam quæri posset, cur non Angelicam, atque immortalem naturam potius, quàm humanam, ac mortalem assumserit; jam modo ostendit causas: ut enim mori posset; & ut, mortis suæ satisfactione, nos à morte, liberaret, ac bearet, factus est homo. Deinde, quia non solum requirebatur ut Messias, ac servator noster, esset verus homo: sed etiam ut (secundum fœdus, cum Abrahamo initum, & in Veteri Testamento sæpius repetitum) esset ex semine Abrahami, ut in eo benedicerentur omnes gentes terræ, Genes. 22. v. 15. idcirco Apostolus non ait generatim, carnis & sanguinis particeps factus est, ut antea, v. 14. sed particulatim, semen Abrahæ assumsit. Ideoque, quod Anabaptistæ hunc locum exponunt, ex Apostolo ad Rom. cap. 14. v. 1. *Infirmum verò in fide προσλαμβάνεσθε assumite*, vel suscipite: & v. 3. *Deus enim eum assumsit*, & cap. 15. v. 7. *Assumite alii alios; sicut Christus assumsit nos, in gloriam Dei:* Illud inquam, alienum est; quia ibi agit Apostolus de alia re, nempe receptione infirmorum in fide, in gratiam, ac communionem: ne contemtu firmorum illi ab ea arcerentur, ut clarè apparet ex cap. 14. ad Rom. v. 1. 3. 10. 19. & 21. & c. 15. 1. & 3. hic verò ad Heb. 2. (quemadmodum ostendimus) agit, de participatione carnis, & sanguinis, vers. 14. Ideoque diversa omnino est ratio. Atque hæc quidem, ad insignis hujus, ac celeberrimi loci explicationem, & genuinæ sententiæ, vulgo receptæ; vindicationem, versu 16. dicenda duximus: ut in diversitate interpretationum, id quod analogiæ, & fidei, & contextus, maximè consentaneum est, cognosceretur, & Anabaptistis, inprimis, hujus loci sententiam obscurare, ac nobis eripere, conantibus, justâ ratione, commodè occurreremus.

Porro, hanc Christi humanæ naturæ assumtæ veritatem, & cum fidelibus, per omnia in natura, & perpessionibus, excepto peccato, similitudinem, illustrat Apostolus, vers. 17. à fine, & utilitate, nimirum recta officii sacerdotalis, & intercessionis executione, cùm ait: *ut esset misericors, & fidelis Pontifex, in iis, quæ apud Deum agenda forent, ad expianda peccata populi*, id est, fidelium, quorum Christus rex est, Matth. 1. vers. 21. Ioan. 3. v. 16. Heb. 5. v. 1. cum 5. collato.

Idque confirmat Apostolus, vers. 18. quando ait: *nam in eo, quod perpessus fuit, cum tentatus est, potest iis, qui tentantur, succurrere.* Quem locum bifariam exponunt: quidam enim vocem illam, *potest*, de facultate, & promtitudine, interpretantur; quod ad misericordiam exercendam erga miseros, Christus miseriæ experientiâ institutus sit, & idoneus. Alii vero cum Photio, apud Oecumenium, vocem, *potest*, non de aptitudine, sed de potentia, ac robore exponunt; quod, quia perpessiones ac tentationes pertulit, ac superavit, in se satis habeat virium, ut nobis etiam laborantibus opituletur. Quæ quidem expositio servat proprietatem verbi, *potest*; & simul etiam sententiam continet paulò uberiorem: nam de Christi affectu, & promtitudine, ad miseris succurrendum, actum est versu antecedente; hic verò de potentiâ, & effectu. Nihilominus tamen prior expositio magis videtur huic loco consentanea, si scopum spectemus: quandoquidem ratio redditur, cur Christus, nobis, per omnia, similis, sit misericors Pontifex; quod videlicet miseriæ experientia pariat misericordiam: unde scitum ac tritum est illud Didonis, apud Virgilium. *Non ignara mali, miseris succurrere disco*: nam quamvis Christus natus sanctus, fuerit misericors, & promptus, ad succurrendum miseris hominibus; nihilominus tamen ad eam virtutem habuit etiam stimulum novum, miseriæ suæ sensum, & experientiam: quemadmodum hoc argumentum clariùs explicatur, Heb. 4. vers. 14. & 5. v. 8. Atque hæc de capite secundo.

CONSECTARIA.

PRimum. Neglectus meditationis Euangelii oblivionem parit; idcirco fideles ad attentionem & diligentiam stimulandi sunt.

II. Qui Euangelium negligunt, Christi dignitatem non agnoscunt, v. 1.

III. Cùm Euangelium sit, primùm doctrina salutis; deinde authorem habeat, non hominem, sed ipsummet Dominum Christum; Tertiò Apostolos habeat testes oculatos, & auritos; Quartò miraculis & Spir. S. donis quam plurimis confirmatum: sequitur summam illius esse dignitatem, nec fidem illi posse, nisi impiè, derogari, v. 3. 4.

IV. Gratiæ Euangelii excellentia, contemtus illius pœnam non minuit, sed auget; ac propterea falsò sibi impunitatis nomine adblandiuntur euangelii derisores, v. 3.

V. Cùm Deus, pro suâ voluntate, per Spiritum Sanctum, dona sua distribuat, humilitate & gratitudine opus est, vers. 4.

VI. Promissiones V. T. de Christo nondum sunt omnes impletæ, vers. 8.

VII. Christi humilis status nos offendere non debet; quia via fuit ad gloriam.

VIII. In morte Christi, non solùm justitia Dei elucet, quod peccata nostra punita sunt; sed etiam gratia, quod Christum, pro nobis, in mortem dederit, v. 9.

IX. Ad Patris gloriam Christi mors pertinet, eaque cum Sapientia illius convenit: ac propterea non est, cur cruce & morte Christi, cum Judæis, offendamur, aut eam, ut 1. Cor. 1. cum Ethnicis, derideamus.

X. Cum Christus sit Princeps salutis nostrę: iniqui sunt, & stulti, qui ab alio salutem quærunt.

XI. Cum ad gloriam adducamur afflictionibus & ignominiosa morte Christi; eorum nos pudere minimè decet, sed contra de iis sanctè gloriari, v. 10.

XII. Cum Christus Dei filius θεάνθρωπος, non erubescat nos vocare fratres: iniquissimi sunt ii, quos Christi aut Christianorum fratrum suorum tenuiorum pudet, v. 11.

XIII. Christus & Christiani sunt de uno; deinde Christus, similiter ut pueri, carnis & sanguinis particeps factus est, & semen Abrahæ assumpsit. Ergo falsa est Anabaptistarum doctrina, qua asserunt, filium Dei hominem factum, non assumptione humanæ naturæ; sed mutatione λόγου in carnem, vers. 11. 14. 16.

XIV. Cum Satan morte Christi abolitus sit; sequitur, eum non posse ecclesiam opprimere.

XV. Christus diabolum & mortem morte sua vicit. Ergo non est, cur fideles mortem temporalem, aut æternam metuant; quoniam, ut nos prorsus liberavit à morte æterna; sic temporalem, ex ostio mortis secundæ, in ostium vitæ æternæ, commutavit.

XVI. Omnes infideles, cum à Christo alieni sint, servi sunt Diaboli, & mortis, vers. 15.

XVII. Cùm Christus sit Frater noster; deinde similem

lem nobis oportuerit esse per omnia, ut esset pontifex noster: sequitur Anabaptistas, qui hanc similitudinem negant, ea ratione, Sacerdotium Christi tollere. Deinde hinc etiam apparet, disputationem de origine Carnis Christi, non esse levis momenti, ut nonnulli objectant; sed necessariam, ad firmandam fidem, in Christi sacerdotium.

XVIII. Christus misericors est Pontifex, ad expianda peccata nostra. Ergo impie faciunt Pontificii Doctores, qui peccatorum nostrorum & indignitatis nostræ prætextu, ad alios intercessores confugiendum statuunt: quasi illi plus misericordiæ erga nos haberent, quàm Christus, victima nostra, sacerdos, & advocatus, v. 17. & 18.

Caput Tertium.

Postquam Apostolus explicavit divinam Christi naturam cap 1. eamque, adhibita, ad audientiam Christi, hortatione, Hebræis applicavit, cap. 2. ad vers. usque 9. Et reliquo capite de humana natura, & infirmitate illius disseruit: similiter nunc subjicit, initio cap. 3. adhortationem, quam, ex hac doctrina, concludit; ac simul transit ad descriptionem præstantiæ *officii* Christi *prophetici, regii*, & *sacerdotalis*, collatione institutâ; in prioribus quidem cum Mose cap. 3. & Iosua cap. 4. in postremo vero cum Aarone.

Hortatio autem constat propositione, & confirmatione. Ac propositionis subjectum, descriptionem Hebræorum fidelium nervosam, ex antecedentibus petitam, continet. Vocat enim eos *fratres*; propter eundem, in cælis, Deum Patrem, & Iesum Christum fratrem, & eandem in terris, Ecclesiam Matrem. Deinde epitheta addit, cum vocat, primo *sanctos*; quod sanctificati essent Christi sanguine, & Spiritu, Hebr. 2. v. 10. & 1. Cor. 6. v. 11. Deinde *vocationis cœlestis participes* nominat: quod scilicet à Deo per Euangelium, & internam Spiritus Sancti efficaciam, ad fidem, communionem Christi, &, ex eâ, vitam æternam, vocati essent. Attributum verò propositionis, horum fidelium, ac sanctorum officium declarat: ut scil. *considerent Apostolum & Pontificem professionis nostræ, Christum Iesum*. Consideratio autem hæc non notat nudam contemplationem; sed cum fiducia conjunctam; seu veram, ac constantem fidem, quæ fiduciam parit, hoc est, firmam salutis spem; quemadmodum ex sequent. apparebit. Christum etiam vocat *Apostolum nostrum*, quod per ipsum, ad nos, à Patre, missum, Euangelium annuntiatum sit c. 1. v. 1. & 2. v. 3. Quod autem additur, *professionis nostræ*, bifariam exponitur: quidam enim metony. doctrinam Euangelii, quam profitemur intelligunt: alii *pontificem professionis*, hoc est, quem credentes profitemur, exponunt: quæ sententia videtur magis consentanea: sicut colligi potest, ex collatione locorum similium; ut Heb. 4. vers. 14. & 10. v. 23. Quod autem addit, *professionis nostræ*, illud Christi adjunctum declarat; ac simul, eo modo, Christianos Hebræos, hoc effectu, à Iudæis incredulis, segregat: & rationem quoque complectitur, quamobrem Christum debeamus considerare: quoniam scil. eum profitemur, v. 1. Atque hæc de proposita hortatione. Cui subjicitur confirmatio, ab adjuncta fidelitate Christi, quam ex antecedentibus repetit, cum ait: *fidelem ei, qui ipsum fecit*, hoc est, constituit, nempe Apostolum, & summum sacerdotem. Nam quod Arriani, Deitatis Christi hostes, hoc dicto abutentes, argutantur: Christum non esse verum Deum; quia factus dicitur à Deo: illud ineptâ consequentia concludunt: quia non agitur, hoc in loco, de essentia naturæ, sed de qualitate officii Christi & originis illius: deinde, quid si illud etiam largiremur (quod tamen minimè necessarium) tantum secundum quid, ad Christum, nempe secundum humanam illius naturam, esset referendum; non autem simpliciter, seu omnino, hoc est, secundum utramque illius naturam, divinam & humanam. Sed prior solutio hujus loci est propria. Quod autem Apostolus ait; *Ei, qui ipsum fecit*, non autem Patri, eâ periphrasi, officii Christi authoritatem, ut quæ legitima, & à Deo orta, expressè demonstrat. Quam etiam fidelitatem Christi, illustrat Apostolus, & amplificat, comparatione insigni Mosis: primum ratione qualitatis; deinde ratione quantitatis: qualitatis quidem, quando similem esse docet, his verbis: *ut & Moses, in tota domo ipsius*: quod explicatur Num. 12. vers. 7. quemadmodum enim Moses à Deo doctor, & ductor ac rector populi (unde etiam *rex*, id est quasi rex, ut rectè A. Ezra exponit, nominatur, Deut. 33. v. 5.) constitutus est: deinde fideliter, in Ecclesia Israelitica, functus est suo munere: sic etiam Christus rex noster vocationem habuit divinam, & vocationis executionem fidelem, vers. 2. comparatio ratione quantitatis est, qua Mosen Christo imparem, & longè minorem esse docet: nam ut antea Iudæos, legem, quod per Angelos lata esset, supra Euangelium extollentes, repressit, descriptione præstantiæ Christi, supra Angelos: eodem etiam, uti apparet, consilio, supra Mosen, in munere prophetico, & regio, evehit: ut gloriationem Iudaicam (qua legem quòd per Mosen lata esset, Euangelio præferebant, Ioan. 9. v. 28. 29.) confutaret; docet enim Christum majore gloriâ dignum habitum esse Mose: idque probat duobus argumentis gravissimis. Quorum prius, petitum ab effecto, hoc modo: Qui construxit domum Dei, ille major est, quàm domus ipsa: ideoque & ipso Mose, qui pars domus fuit vers. 3. ratio est; quia, qui domum, & omnia condidit, Deus est; vers. 4. Atqui Christus construxit domum Dei. Ergo major est domo Dei: ideoque & ipso Mose, qui pars illius domus subjectæ. Altera ratio, ab adjuncto dominio: qui domui Dei præest, tanquam filius, ille major est eo, qui in ea tantùm est famulus. Atqui Moses famulus est tantùm, v. 5. Christus vero Ecclesiæ præest tanquam filius, v. 6. Ergo Mose major est. Qua in re, secundum confirmationis argumentum positum est: nam si Christus major est Mose, utpote Ecclesiæ architectus, & Dominus. Ergo ei verâ, & constanti fide obediendum est.

Cœterum, hac comparatione Christi cum Mose absoluta, redit Apostolus ad institutam hortationem, ad perseverantiam in fide. Quam eandem, ab effectis illius, nempe fiducia, & gloriationis spe, describit. De qua re agitur Hebr. 10. v. 22. 23. Rom. 5. 2. Matth. 10. v. 22. Et confirmat tertio argumento, ab effectu, cum ait: *Cujus domus sumus nos*, v. 6. hoc est, inde declaratur, nos esse domum Dei, seu Ecclesiam Dei viventis 1. Tim. 3. v. 15. Atque huic additur repetitio hortationis, & confirmationis argumentum quartum; quod per parenthesin longiorem, hortationi inseritur: nam vox *διὸ propter quod*, v. 7. construenda omnino videtur, cum v. 12. *videte*, &c. reliqua per parenthesin, interseruntur. Argumentum autem sumtum est ab effectu contrarii damnoso, nimirum ab ira Dei, & pœna inobedientiæ ac defectionis à Deo Quod peccatum, & effectum illius illustrat Apostolus, exemplo Israelitarum, qui nobis fuere propositi in Sacris Literis, ut essent typi communes 1. Cor. 10. v. 11. hoc est exempla quædam, unde nos exemplum sumeremus justitiæ divinæ exercendæ: quia eadem eorum, & nostrûm, hac in re, est ratio: quia peccatum, per se, pœnam promeretur (stipendium enim peccati mors) & Deus justus est judex, qui pœnam peccatoribus contumacibus infligit. Quod autem ad locum attinet, quem adducit Apostolus, is extat Ps. 95. quem primùm præfatione, ad authoritatem comparandam illustrat, à causa efficiente Sp. Sancto: deinde recitat, ac proponit. Continet autem ad Euangelii auditores, v. 7. dehortationem ab inobedientia, & pertinacia. Quam describit exemplo illustri contumaciæ Patrum, in deserto, v. 8. 9. & consecuta justa Dei ira, v. 10. & exclusione à quiete, in terra Cananæa, proposita, quæ fuit typus vitæ æternæ, v. 11. Atque hæc quidem de argumento. Ex quo deducitur hortatio bimembris: una, ad fugam mali, seu dehortatio ab incredulitate, & defectione à Deo. Vnde adversarii gratiæ Dei concludunt, fideles posse deficere à Deo, & fide. Quod conceditur, primo secundùm quid, ratione gradus fidei: deinde omnino etiam, si relatè, ratione fidelium, consideremus; nimirum per se, & sine auxilio Dei: sed per accidens proprium, gratiæ Dei, & virtutis illius conservantis, relatione habita, 1. Pet. 1. vers. 5. impossi-

impossibile est, Matth. 24. vers. 24. & 1. Ioann. 3. vers. 9. & Ioann. 10. v. 21. 29. Rom. 1. vers. 39. At inquiunt: si propter gratiam, & auxilium Dei conservantis, quae non deficit, fideles deficere non possunt à fide: inde sequitur, dehortationes à defectione illa prorsus esse inutiles. Sed negatur consequentia: quia dehortationes istæ sunt pars gratiæ illius conservantis: conservat enim Deus fideles, primùm Spiritus sui efficaciâ, qua partim frenat hostes fidei, dum Satanam, mundum, ac carnem nostram coërcet, ne tentatio sit gravior, ac potentior spiritu nostro, 1. Corinth. 10. vers. 11. 12. partim Spiritum nostrum etiam confirmat novis viribus, ut victores evadamus: deinde conservat etiam gratiâ prædicationis verbi sui: ut enim fides ex auditu verbi oritur Rom. 10. vers. 15. 17. sic eodem verbo doctrinæ, hortationis, reprehensionis Euangelicæ conservatur, ac nutritur Act. 15. v. 32. & 1. Tim. 4. v. 16. Hæc de versu 12.

Altera, ad studium boni, hortatio est, ut non solùm in fidei obedientia simus constantes, sed etiam alii alios quotidiè exhortemur: ut quamdiu hodiernus hic dies (quo Christi vox auditur) durat; seu, quamdiu Euangelium in his terris annuntiatur, alii alios fideliter ad obedientiam stimulemus, vers. 13. Cui hortationi connectitur argumentum quintum, ab effectu instrumentali; quia argumentum est (ut v. 6.) seu probatio communionis nostræ cum Christo, vers. 14. ut interim, dum vocem Christi audimus, ne corda obduremus, ut Patres olim, in illa exacerbatione, v. 15. Ut autem hoc melius intelligamus; quartum argumentum, ab exemplo Patrum petitum, ac jam ex parte repetitum, expositione declarat Apostolus. Ostendit enim Patres intelligi quosdam, non tamen omnes, qui exierant per Mosen, vers. 16. Deinde ostendit etiam pœnam nempe iram Dei, ac mortem in deserto, v. 17. & exclusionem à quiete, & terra Cananæa, inobedientibus, & peccatoribus, justo Dei judicio, evenisse, vers. 18. Id quod, ab experientiâ & conscientia fidelium, probatur vers. 19. Hæc strictim de cap. tertio.

CONSECTARIA.

I. Cum fideles omnes, in Sacris Literis, appellentur sancti: ab omni peccatorum contagione abstinere, & adhorrere debent.

II. Vocatio efficax Deum habet authorem in cælis: ac propterea convenienter huic vocationi cælesti vivendum est, piè, sobriè, justè; Tit. 2. vers. 12.

III. Jesus Christus Propheta est, & summus sacerdos, vers. 1.

IV. Christus non sine vocatione divinâ docuit, & in eâ fidelis fuit Patri: Ergo Christum imitati Ecclesiæ pastores, similiter hæc duo habere debent, Vocationem legitimam, & Executionem illius fidelem.

V. Cùm Christus, & Moses, in Dei domo, fideles fuerint; utrique audientia præbenda est, vers. 2.

VI. Christus est Ecclesiæ architectus: ergo verus est Deus, & servator noster.

VII. Si Ecclesia domus Dei, ac Christi est: sequitur eam habendam esse in pretio: nec impunè laturos, qui eam tyrannide, factione, aut falsâ doctrinâ turbarint, & saluti illius obstiterint, vers. 3. & 4.

VIII. Ministri verbi, sunt ministri Christi, & Ecclesiæ; non autem Domini: ideoque nullum in Ecclesiam exercere debent dominium, vers. 5.

IX. Si Christus est Dominus Ecclesiæ: ergo contra, aut citra ejus voluntatem, nihil in eâ constitui potest: ac propterea Pontificis tyrannis, ab omnibus Christi, & Ecclesiæ, ac salutis suæ, amantibus, respui debet.

X. Magna est piis consolatio, & firmum salutis ac perseverantiæ argumentum, quod sint domus Christi, vers. 6.

XI. Psalmi à Spiritu Sancto sunt; ideoque sacrosancti; iisque, tanquam Dei verbo, attendendum.

XII. Vox Dei nobis audienda est, v. 7.

XIII. Quamvis salutaris Dei vox semper annunciata fuerit in Ecclesia; tamen nunquam defuerunt, qui eam, incredulitate suâ, & contumaciâ, rejicerent; ac propterea non est, quod offendamur, si idem hisce temporibus contingat: si enim ex nobis fuissent, (ut ait Johannes) utique mansissent nobiscum.

XIV. Patrum vitia noscenda sunt, non ut imitemur; sed ut fugiamus.

XV. Impiè faciunt, qui Patrum exempla potiùs sequuntur, quàm regulam verbi Dei, vers. 9.

XVI. Quum Israelitæ stupendis, & clariss. Dei miraculis non fuerint domiti, sed ingrato, & infideli animo, sese Deo opposuerint, eumque tentarint: non mirum est, si jam religionem multi contemnant.

XVII. Deus patienter multos annos Israelitas toleravit, sed tandem justè punivit: Ergo Dei lenitate non est abutendum, ad licentiam; sed utendum ad vitæ emendationem, v. 8. 9. 10.

XVIII. Verâ fide Deo adhærendum est, vers. 12.

XIX. Fraternæ saluti non minus, quàm nostræ studendum est.

XX. Peccatorum seductio perniciosissima est: Ergo prudentiâ & obedientiâ opus est, vers. 13.

XXI. In Ecclesia mixti sunt hypocritæ fidelibus, v. 16.

CAPUT QUARTUM.

Superiore cap. hortationem instituit Apostolus, ad obedientiam erga Christum, & fidei constantiam. Eamque confirmavit, inter cætera, argumento ducto ab effectu contrarii, nempe pœnâ contumaciæ, exclusione à requie cælesti. Quam pœnam, exemplo Israelitarum, qui in deserto propterea perierunt, illustravit: nunc verò cap. 4. in ejusdem hortationis, & argumenti repetitione, & expositione, progreditur. Primùm enim hortationem, cap. 3. v. 12. propositam, reponit, diversis tamen verbis: eamque concludit, ex vers. ult. cap. præcedentis. Quem propterea tanquam immeritò ab hoc cap. avulsum, illius principium constituunt: nam ex eo, quod monuit Apostolus, quosdam Israelitas non potuisse ingredi in requiem, propter incredulitatem: inde concludit metuendum esse, ne quis similiter, per inobedientiam, derelicta promissione quietis æternæ, frustretur. Metum autem intelligit non absolute; sed relate, si fideles spectemus: nam ii, si Dei immutabilis promissionem, & Christi servatoris, conservantis nos, potentiam spectemus, excidere à fide, & gratia, non possunt: ut antea superiore. cap. ostendimus: eoque respectu, nulla est metus causa: sin verò consideremus firmitatem hostium, & virium nostrarum infirmitatem, hoc modo justa causa est metus; qui hoc loco etiam intelligitur, cum dicitur: *metuamus, ne quando relicta promissione*. Quę verba construi possunt, aut solùm ac per se; aut cum alio: priori modo quidam putant esse sensum: *quandoquidem relicta*, id est, proposita nobis est à Deo hæc promissio. Verùm, ea significatione, vocem hanc usurpari, in N. Testam. nondum observavimus. Deinde accipi potest cum conditione, pro derelicta, ut noster interpres vertit, hoc est, si promissionem incredulitate neglexerimus: vel ut eodem ferè sensu, hac versione conservata, construatur cum verbo *frustratus*: quæ interpretandi ratio, ut recepta est; ita non malè convenit. Quod verò additur, *videatur aliquis*, illud emphasi sua non caret: nam Oecumenius, ea voce, comminationis asperitatem leniri censet. Alii monent, ad blasphemiam tollendam adjici, ne exitii causa in Deum conjiceretur; ne scilicet putarent, quemadmodum olim Israelitæ, se à Deo delusos. Quæ ut non rejicio: ita existimarem dici posse simplicissime, per Metonym. adjuncti pro subjecto emphaticam, eâ voce, rei certitudinem declarari: ne quis videatur, hoc est, ne quis revera frustretur, illudque comperiatur, quæ accedens ignominia, ad miseriæ incrementum, pertinet, ut vers. anteced. dixit similiter, *videmus non potuisse ingredi*, &c. utrimque enim de sensu non corporis, sed animi (quamvis diversa voce) loquitur. Atque huc pertinet v. 11. hujus capitis, *ne quis in idem incidat contumaciæ exemplum*. Hæc de conclusione hortationis, vers. 1. Cujus consequentiam confirmat Apostolus, per anticipationem objectionis, & ar-

& argumento à pari: ne quis enim putaret, ad pœnam evitandam, & quietem æternam consequendam, sufficere auditionem, & cognitionem Euangelii; aut, ea re, nos superiores esse debere priscis illis Israelitis, objiceret: idcirco hanc opinionem diluit (quemadmodum 1. Cor. 10. v. 1. seqq.) argumento derivato à pari; *quia & illis Euangelium annunciatum est, & nobis; sed non profuit illis auditus sermo, quod fidei obedientia auditoribus defuerit*: unde rectè concludi potest. Si Euangelium auditum, absque fide, Israelitis non profuit, ad quietem vitæ æternæ; nec vobis etiam illius auditoribus profuerit, si fide destituamini: quia sine fide nemo servari potest, Marc. 16. vers. 16. Atqui verum est prius. Ergo & posterius, vers 2. Deinde fidei hujus necessitatem, ad vitam obtinendam, repetit ac probat Apostolus, reposito testimonio, ex Psal. 95. *non ingressuri sunt in requiem meam.* de quo actum cap. 3. Quam sententiam, anticipatione objectionis, distinctione quadam, illustrat, cum ait, *quamvis opera Dei à jacto mundi fundamento facta sint*: ideoque Deus quievit ab iis, Vers. 3. (de qua quiete dicitur, Genes. 2. quod septimo die quieverit, ut hîc indicatur, vers. 4.) tamen, præter hanc quietem, quæ contigit, alia adhuc superest, quæ demum continget: de qua scilicet loquitur Deus, jurandi formula, per aposiopesin, seu reticentiam consequentis execrationis: quæ figura apud Prophetas frequentissima: *si*, inquit, *introibunt in requiem meam*, vers. 5. Unde ostendit geminam esse Dei requiem, unam ab operibus creationis; alteram, qua Deus in nobis, per Spiritum, gratia & gloria conquiescit, & nos in Deo, summo bono: de qua quiete, psalmus etiam loquitur. Propterea concludit Apostolus: *quia igitur reliquum*, hoc est, ex superioribus conclusum est, quosdam ingredi in requiem: nam comminatio antecedens, & requiem esse; & quinam, quaque de causa, excludantur, docet: & contrà, quinam admittantur, indicat. Deinde, quia illi, quibus prius Euangelizatum fuit, non ingressi sunt, propter contumaciam: Deus rursum quendam diem ingressus in requiem præfinivit, longo tempore post incredulos in deserto mortuos, & posteros eorum reliquos in Chananæam ac requiem terrenam introductos; dicens apud Davidem: *Hodie si vocem*, &c. quo in loco ellipsis observanda, nimirum, *ne excludamini à requie, quemadmodum majores exclusi sunt*: nam hanc esse psalmi mentem, ex antecedenti capite, & reipsa, apparet vers. 7. unde etiam infert Apostolus, primo anticipatione quadam, Jesum, hoc est, Josuam, Mosis successorem, qui Israelitas in terram promissam traduxit, non attulisse illam quietem, de quo agitur in illo Psalmo: quia de die, non præterito; sed alio futuro, loquitur, & speratâ quiete, nondum obtentâ. Atque eo modo Jesum Christum, cum Josua, Jesu Christi typo, confert, ac præfert, vers. 8. deinde ex hisce concludit: superesse Sabbatismum, seu celebrationem Sabbati æterni, seu quietis beatæ, populo Dei, hoc est, verè fidelibus, tanquam genuinis, secundum promissionem, Abrahæ fidelis filiis, vers. 9. Quæ quies adumbrata fuit etiam Sabbatho externo: unde etiam emergit hoc in loco, & alibi, Sabbati, & Sabbatismi appellatio, à ceremonia, ad rem significatam traductâ. Quoniam, ut Deus, eo die, à suis operibus quievit; & Israelitis in memoriam & imitationem illius, quietem Sabbati instituit: ita fideles suo Sabbato æterno, ab omnibus suis laboribus, nempe peccatis, & eorum castigationibus liberati, conquiescunt, vers. 10.

Atque hactenus versatus est Apostolus, in expositione argumenti ab effecto contrarii, nempe exclusione à requie cælesti. Unde opportunè conclusionem propositæ initio hortationis, deducit: ut nimirum studeamus ingredi in illam requiem, hoc est, vivæ fidei in Christum constantia, ad vitam contendamus æternam. Cujus ingressus modum describit, per fugam similis cum Israelitis contumaciç, v. 11. quam conclusionem amplius probat à Sermonis potentia, vers. 12. & scientia, vers. 13. ut hac ratione obedientes consoletur, & contumaces terreat. Quid autem *sermo* λόγος, hoc in loco significet, quæstio est, explicatu non indigna. Quidam Sacram Scripturam, deinde doctrinam Dei, cùm in lege, tum præcipuè in Euangelio annunciatam, interpretantur. Patres verò orthodoxi, unamini ferè consensu, de Sermone essentiali, non autem accidentali; seu de filio Dei, (quemadmodum Joan. 1. v. 1. & Apoc. 19. v. 13. λόγος τοῦ θεοῦ vocatur) non verò de doctrina illius, exponunt. Quam secundam sententiam, ij, qui priorem probant, eâ ratione, refutari putant: quod Paulus, nec alibi, nec in hac Epist. τὸν λόγον τοῦ θεοῦ *sermonem Dei*, ea significatione, pro filio Dei, usurpet; ac propterea, neque hoc in loco, eam significationem admittendam. Sed responderi potest duobus modis. Primum ad antecedens, eam infringi, Act. 20. vers. 32. ubi Paulus ait: *commendo vos Deo, & sermoni gratiæ ipsius. qui potest vos superstruere, & dare vobis hæreditatem, inter sanctificatos omnes.* Quamvis enim verba illa Pauli posteriora, *qui potest*, &c. ad Euangelium referri queant, suo modo, tanquam ad causam instrumentalem (ut ex Epistola ad Rom. 1. v. 16. & Actor. 26. v. 18. apparet) Christo tamen, ut causæ principali, propriè convenire constat. Deinde commendationis attributum, non nisi prorsus insolenti, ac durissima prosopopoeiâ, Euangelio tribui potest: Euangelium enim hominibus commendatur, ut 2. Timoth. 2. v. 1. non autem homines Euangelio: Christo verò optimè convenit: quemadmodum etiam similiter, in votis, & gratiarum actionibus, cum Patre, ab Apostolo, plerumque conjungitur. Quod autem excipitur: non simpliciter *sermo*, aut *sermo Dei*; sed etiam *sermo gratiæ ipsius* dici: Filium autem Dei non esse sermonem gratiæ Patris, sed naturæ. Resp. falsam statui hypothesin: gratia enim, hoc in loco, non notat causam efficientem τοῦ λόγου, sed effectum illius: nam ut Deus vocatur, *Deus dilectionis, & pacis*, 2. Corinth. 13. v. 11. scilicet author; sic etiam λόγος vocatur, nempe Filius Dei, λόγος gratiæ Patris; quia Pater, per eum, & propter eum, nobis omnia gratificatur, Roman. 8. v. 32. 39. Ephes. 1. v. 6. alioqui Actor. 14. 3. *sermo gratiæ illius*, scilicet Christi, (de quo agitur ibidem) Euangelium notat, sed circumstantia loci omninò diversa est. Secundò, negari etiam potest enthymematis objecti consequentia: nec enim absurdum, si Paulus eodem spiritu, quo Joannes, præditus, eadem voce, ad Filium Dei denotandum, semel esset usus: ut etiam Lucas Euangelii cap. 1. v. 2. ait: αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου, *spectatores ipsi & ministri sermonis*, de Christo profert, ut 1. Joan. 2. v. 4. & 2. Petr. 1. v. 16. collatis apparet. Præterea circumstantiæ loci hujus additæ, nempe de potentia, & scientia illius, Christo omninò conveniunt: sed verbo Christi prima tantùm parte aptari possunt. Ut enim Christus vivus dicitur (quemadmodum Deus, cap. 3. v. 12. vivus appellatur) ita & potentia illius gladio ancipiti comparatur: quod nimirum sui spiritus efficacia adversariorum mentem, ac voluntatem, & corpora efficacius penetret, ac dissecet: quo sensu dicitur Esa. 49. v. 2. *posuit os meum, tanquam gladium acutum.* & Apocal. 1. v. 16. *de ore ejus gladius, utraque parte acutus, exibat.* & cap. 2. v. 23. *ego sum qui scrutor corda, & renes*, &c. Quæ potentia, quamvis externo Dei verbo, suo modo, adscribi possit; quoniam potens Dei instrumentum est, quo cordis occulta revelantur, 1. Corinth. 14. 24. & animi hominum peccatorum, tanquam gladio pungantur, ac feriuntur; ut aut resipiscant, Actor. 2. v. 27. aut puniantur, Actor. 7. v. 54. potissimùm verò die ultimo, Joan. 12. v. 48. Roman. 2. v. 16. quamvis, inquam, hæc potentia verbo Christi, suo modo, non malè conveniat (ut neque dijudicatio mentis, & cordis, tanquam causæ instrumentali) sequentia tamen eo referri nequeunt, nempe scientia, & præscientia omnis creaturæ: quæ tamen huic *sermoni* tribuitur: Christo verò rectissimè attribuitur, Apocal. 1. v. 14. & 16. & cap. 2. v. 23. Joan. 21. v. 17. Unum tamen superest: quod, ut nonnulli observant, dici posset, vers. 12. agi de *sermone Christi*: vers. 13. de *sermone Christo*: & verba priora hujus versus, cum fine, esse construenda (qualis constructio cap. 2. vers. 10.) non autem cum antecedenti versu; ut pronomen *ipsius*, non referatur ad λόγον, de quo vers. 12. sed ad eum, cum quo nobis λόγος, hoc est, ad Christum pontificem, regem, & judicem nostrum. Verùm illa distractio alienior est, propter orationis cohærentiam: nam, quia vers. 12. dixit; *dijudicat cogita-*

cogitationes & dijudicationes cordis, ne cui id mirum videatur: ostendit deinde causam illius facultatis, nempe scientiam; quod nulla res creata obscura sit, in conspectu illius: unde apparet, quod omninò vox αὐτοῦ, ad antecedens etiam pertineat: quemadmodum copula connexionis similiter ostendit. Deinde, ne ulla lateat dubitatio, & ut argumentum amplificetur, sequentia id declarant, cum ostenditur: quis ille sit sermo Dei, nempe πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. Huc accedit continuatio allegoriæ, in voce τετραχηλισμένα *dissecta, aperta*. Quare sensus est, vitandam esse contumaciam; quia Jesus Christus Dei sermo, æternus, vivus, & efficax est, Dominus, ac Judex noster potentissimus; & qui gladio penetrantior, & in judicio accuratissimus; ut qui intimos animi recessus dijudicat; & sapientissimus, utpote cui nihil absconditum est; *sed omnia sunt pervia & aperta*. Cujus consequentiæ ratio probatur, adjuncta periphrasi hujusmodi πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. Nam quod quidam interpretantur, *de quo nobis est sermo:* ut c. 1. 7. πρὸς ἀγγέλους *de Angelis*, accipitur; ut Hebr. 5. v. 11. περὶ οὗ ἡμῖν ὁ λόγος, *de quo nobis sermo*: atque, eo sensu propositæ sententiæ illustrandæ rectè inservire posset: tamen alienius est nonnihil: partim quia nulla necessitas ad rariorem hanc vocis πρὸς significationem nos adigit; partim quia sententiæ vim & ubertatem minuit: idcirco quidam vertunt paulò accommodatius, *cum quo nobis negotium:* alii, *apud quem nobis ratio*, hoc est, (ut Chrysost. exponit) *cui reddituri sumus rationem omnium actionum nostrarum*. Qua etiam significatione vocis λόγου, in argumento simili utitur Apostolus, infra cap. 13. v. 17. ut etiam Luc. cap. 16. v. 17. & Paulus Roman. 14. v. 12. & Petrus 1. Epist. 4. v. 5. Huc etiam pertinent similia illa loca, 1. Corinth. 4. v. 5. *ne ante tempus judicate*, &c. & 2. Corinth. 5. v. 9. 10. *Propterea ambimus, ut ei simus accepti*, &c. Itaque apparet vocem αὐτοῦ, vers. 13. bis ad λόγον referri debere, *omnia aperta sunt oculis sermonis illius, cum quo* (sermone) *nobis negotium est*; vel *apud quem nobis ratio est reddenda:* ut declaretur, Christum non solum potentissimum, & sapientissimum esse regem, ac judicem; sed etiam nostrum regem, ac judicem. In qua re, vis argumenti posita est. Si quis objiciat: hanc interpretationẽ non convenire, quod eo modo λόγου vox, diversa significatione, in eadem periodo, acciperetur: in priore parte pro Filio Dei; in altera verò pro negotio, aut ratione: ac propterea satius esse, ut sermonem notet, utroque in loco. Facilis est hujus nodi solutio: quia antanaclasis hujusmodi nihil habet novi, aut absurdi: sed usitata est etiam in Sac. Lit. & ad elegantiam acuminis pertinet. Cujus exempla, inter cætera, illustria sunt, Matth. 8. vers. 22. & 2. Corinth. 5. v. 21. Atque hæc primùm, de conclusione hortationis, ad fugam contumaciæ, & studium quietis æternæ, per vivam fidem: deinde de probatione illius. Sequitur jam ejusdem illustratio, & amplificatio particularis, ex fidei effectis, petita: & simul transitio elegantissima, ad pontificatum Christi, de quo, sex sequentibus capitibus, differetur.

Hortatur enim primo ad confessionem Christi; deinde ad fidelem, ac liberam invocationem ejusdem. Quæ duo, ut contumaciæ maximè adversantur; ita in iis cumprimis elucet fides, Rom. 10. v. 10. 15. Utraque autem adhortatio enthymemate concluditur, ac prioris consequens est; ut teneamus professionem, nempe fidei in Christum, de qua cap. 3. v. 1. & 10. vers. 23. Antecedens verò continet argumentum, petitum à Christi excellentiâ: primùm ratione muneris sacerdotalis; quod summus sit Pontifex: deinde ratione potentiæ, & gloriæ; quod non impotens sit, ut Pontifices Levitici; sed κατ' ἐξοχὴν *magnus*, ut modò demonstravimus, hoc est, Rex potentissimus, ac sapientissimus: & quod cælos penetraverit; nobisque, in iis, pararit locum: denique ratione personæ; quod sit Filius Dei. Unde consequens præmissum rectè concluditur: quemadmodum etiam, ex similibus locis, apparet, Matth. 10. v. 32. Marc. 8. v. 38. Quam rationem, per anticipationem objectionis, illustrat: & simul novo argumento, à Christi adjuncto, nempe misericordia, consequens confirmat. Objici enim poterat: Christum jam, quòd in cælis summa fruatur gloria, nos in terris miseros negligere. Verùm contrà respondet Apostolus, negatione, & ratione adducta: negatio est, *non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum*. Hic autem sensus intelligendus, non de dolore, qualis, in hac vita, in Christo fuit; quia gloriæ cælesti illius repugnaret, à qua omnis miseria, omnisque dolor abest, in summa beatitudine; sed de benignâ voluntate illius, erga nos miseros: qua miseria nostra non delectatur, sed suam ducit, nobisque vult succurrere. Ratio autem quâ hanc negationem veram esse, Christumque misericordem demonstrat, deducta est à causa procreante, & conservante misericordiæ: ea autem est miseriæ nostræ, excepto peccato, experientia. De qua re similiter actum est, cap. 2. v. 18. Atque hinc, tanquam ex antecedente ratione, hortationem particularem, ad fidelem, & intrepidam invocationem, adjungit, cum ait: *accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ &c:* nam cum habeamus non solum Pontificem magnum, qui possit; sed etiam misericordem, qui velit nobis ferre suppetias: ex eo sequitur, fideles debere accedere ad thronum gratiæ. Quibus verbis, invocationem in omnibus miseriis, *accedendi* voce, denotari, perspicuum est. Sed objectum invocationis, hoc est, quis invocandus sit, atque hic designetur, diversa est doctiorum interpretum sententia. Quidam enim Deum Patrem intelligunt, ut *thronus gratiæ Patris* significetur, typo arcæ legalis, adumbratus: quod Pater nobis sit, per filii sacrificium, reconciliatus; & per eum accessum habeamus ad Patrem. Quæ sententia pia est: sed tamen altera, loci circumstantiæ magis videtur convenire, ac simplicior esse: nempe, ut *thronum gratiæ Christi* intelligamus; ut, per thronum, regnum illius in cælis (ut Apoc. 3. v. 21.) intelligamus: de quo actum cap. 1. vers. 8. 9. per *gratiam* verò misericordia illius, tanquam Pontificis misericordis, notetur. Verùm quia in miseriâ nostrâ solemus esse impatientes moræ; ideo addit Apostolus, *ad opportunum auxilium:* ut ostendat, Christum quidem auxilium suum sapienter differre: nunquam autem prorsus auferre; sed opportuno tempore id præstare, v. 16. similes hortationes, ex eodem sacerdotii Christi argumento, & quasi fonte, deducuntur, Heb. 10. v. 19. 22. 23.

CONSECTARIA.

I. Exitii humani causa non pendet ab Euangelio, aut à promissionis divinæ inconstantia; sed hominum vitio: quo promissionem Dei negligunt. Ac propterea iniquè faciunt, qui culpam condemnationis in Deum, aut verbum illius, omninò, aut partim, rejiciunt.

II. Metus iræ Dei, acris est pietatis stimulus, & impietatis frenum: quapropter fideles ac prudentes verbi divini Præcones, auditores suos, non tantùm promissionibus allicere; sed etiam propositis iræ Dei minis, carnem refrenare, & spiritum incitare ad officium decet, vers. 1.

III. Non sola verbi divini audientia, ad salutem sufficit; sed obedientia simul requiritur: ac propterea seipsos fallunt perniciosissimè Libertini illi, qui solâ voluntatis divinæ notitiâ freti, securè sceleribus sese contaminant.

IV. Ut Euangelium nobis prosit ad salutem, fidei temperamento, ac conjunctione opus est, vers. 2.

V. Fide introitur in requiem vitæ æternæ: ideoque patienter, quamvis persecutionem, ex fidei odio, ab infidelibus concitatam, & calamitates hujus vitæ omnes, fortiter perferre debemus.

VI. Infideles, iræ Dei, & condemnationi, obnoxii sunt: ideoquè licet quiete mundanâ, ad tempus fruantur, ac beati censeantur; reverâ tamen sunt miseri, quoniam quiete cælesti sunt privati.

VII. Requies Dei alia est, quâ ipse quiescit ab operibus creationis: alia quam ipse donat fidelibus. Ideoque Sacra Scriptura secum non pugnat; quando uno in loco quietem Dei jam advenisse; alio in loco adventuram tandem asserit: Quemadmodum etiam non pugnat, quod Christus, Johan. 5. v. 7. dicit: Pater meus adhuc operatur & ego operor: & hoc in loco requievisse die septimo ab omnibus operibus suis: quia Christus loquitur de operibus conser-

conservationis mundi: Paulus de operibus creationis: quod vulgo interpretari solent de novis creaturarum speciebus. Quamvis si quis accuratiùs rem consideret, non immeritò quæri posset, an illud satis consideratè dicatur; Quandoquidem Moses, quem reliqui sequuntur, hoc tantùm asserit, Genes. 2. Deum quievisse septimo die, ab operibus illis creationis, quæ enumerarat, & complexu verborum ipsius contenta sunt; non quod negat Deum ab eo tempore, quando ipsi visum est, ad pœnam aut præmium, ullas alias creaturarum species, ex creatâ mundi materiâ, atque elementis, protulisse, vers. 3.

VIII. Non omnes, sed aliqui tantùm servantur: quamobrem falsum est eorum dogma, qui quemque suâ (qualiscunque tandem illa sit) fide, & religione servatum iri contendunt.

IX. Condemnatio inobedientiæ pœna est: ideoque parendum est vocanti Deo, vers. 6.

X. Nomen Jesus & Josua idem sunt.

XI. Sabbatum Vet. Testam. quietis æternæ nobis typus est, vers. 9. 10.

XII. Quum mala majorum exempla, non imitanda; sed sedulò cavenda sint: sequitur eos injustè facere, qui iis freti, audentiùs sceleribus sese contaminant, eorumque prætextu se mentur, vers. 11.

XIII. Quum Dei sermo sit vivus & efficax: ejus ira metuenda est.

XIV. Si Christus dijudicat cogitationes, & conceptiones cordis: sequitur falli eos, qui cogitationes malas, à cognitione, & judicio Christi liberas esse, sibi persuadent: contrà prudenter faciunt, qui non solùm sanctitatem colunt, foris in corpore; sed etiam intus, in animo, vers. 12.

XV. Si omnia Christo aperta sunt: perniciosè errant illi, qui scelera sua latere posse, opinantur.

XVI. Quum nobis cum Christo propheta, sacerdote, rege negotium sit, eique tanquam judici ratio actionum reddenda sit: pietati seriò studendum.

XVII. Quum Christus cælos penetraverit: sequitur errare Pontificios, & Ubiquitistas, qui corpus Christi, etiam in terris esse, fingunt, vers. 14.

XVIII. Si Christus sit magnus Pontifex; & tamen, quia misericors est, ad thronum gratiæ illius accedendum cum fiduciâ: Sequitur errare turpi contumaciâ, & idololatriâ Pontificios; qui hanc Christi potentiam objectant, ac fideles à fiduciâ, & rectâ Christi invocatione, deterrent, & ad sanctos cœlites remittunt, v. 14. 15. 16.

COLLATIO Christi cum Mose & Josua.

QUandoquidem Christus cum Mose, Hebr. 3. & cum Josua, cap. 4. velut typis suis, Christum quodammodo adumbrantibus, collatus, & utrique (tanquam omnibus numeris excellentior) prælatus est: non alienum, neque inutile, fore arbitramur, si paulò pleniorem eorum, hoc in loco, collationem, vice corollarii cujusdam, ad Christi servatoris nostri gloriam, & fidei nostræ consolationem, proferamus. Comparabimus autem in hisce 5. capitibus, in *nomine; natura; officiis; effectis;* ac *statu*. Et ut à Mose ordiamur: *nomen* illius proprium, & Christi, utrimque, non casu; sed consilio inditum, personæ probè convenit. Mosi quidem humanitus מושה inditum: משה enim *extractum* sonat, à verbo משה quod *extrahere* significat: quomodo à filia Pharaonis, quod ipsum ex aquis extraxisset, nominatus est, ab adjuncto, sive accidente illo, Exod. 2. v. 10. Christi autem nomen proprium est Iesus, divinitùs, per Angelum, inditum: quod servatorem notat; quia populum suum à peccatis servaturus esset, Matth. 1. v. 21. de quo postea pleniùs.

Secundò, si naturam utriusque conferamus: Moses cum Israelitis, quibus præfuit, ejusdem fuit naturæ, & generis, ex Abrahamo. Ideoque verè frater Israelitarum dictus, Act. 7. v. 25. Exod. 2. v. 11. sic Christus similiter ex Israele, Deuter. 18. v. 15. Actor. 3. v. 22. & 7. v. 37. & ex Patribus secundum carnem, Roman. 9. v. 5. Semen Abrahæ, Hebr. 2. v. 16. 17.

Tertiò, ad *officia* quod attinet: quemadmodum Moses in munus publicum, non sua sponte, ac temerè involavit; sed à Deo destinatus, & vocatus est, in populi Israelitici prophetam, & regem, Deuter. 33. v. 5. id est, rectorem ac principem, Exod. 3. v. 10. Actor. 7. v. 35. ita & Iesus Christus, Hebr. 3. v. 1. 2. 5. 6. Sed magna tamen observanda est differentia, tam in prophetia, quàm in regiminis modo. In prophetiâ quidem, quoniam Moses, licet Deus ipsum facie ad faciem (id est, familiariter) sit allocutus, Exod. 33. v. 21. Deuter. 34. v. 10. Numer. 12. v. 8. faciem tamen Dei non vidit, nec videre potuit: sed tantùm, in apparitione quadam divinâ, majestatem illius adumbrante, tergum Dei, ibid. v. 23. ut etiam nec splendentem faciem Mosis Israelitæ ferre potuerint, nisi velatam, Exod. 34. v. 30. 34. & 2. Corinth. 3. v. 13. deinde legem cum terrore maximo, divinitus latam, Exod. 20. v. 18. Heb. 12. v. 18. 19. 20. 21. tandem, post XL. dierum jejunium, Exod. 34. v. 28. tabulis duabus inscriptam, detulit. Christus verò, qui in sinu Patris est, Patrem plenissimè videt, eumque nobis revelavit clementissimè. Ioan. 1. vers. 18. Matth. 11. v. 27. Christique faciem, in Euangelio nobis apparentem, ac relucentem, contemplantes, non solum ferimus, sed etiam gaudemus luce illius; eaque illustramur, & ad imaginem illius reformamur, non minùs, quàm Moses, Exod. 34. v. 33. ex Dei colloquio reluxit: quod beneficium, 2. Corinth. 3. v. 11. insigni oppositione Mosis, & Christi; Israelitarum, & Christianorum, declaratur. Et ut per Mosen, post XL. dierum jejunium, Exod. 34. lex lata est: sic gratia, & veritas nobis collata, per Christum, Iohan. 1. v. 17. & post ipsius XL. dierum jejunium, ab ipso annuntiata, Matth. 4. v. 2. 17. In *regimine* quoque non minus est discriminis: nam Christus, & Moses conveniunt quidem generatim in regiminis subjecto, & jure, & fine: quod videlicet uterque Ecclesiæ Dei rector sit constitutus, ad eam liberandam, & conservandam, ductu, & judicio recto, Actor. 7. 35. Christus tamen speciatim in hisce excellit: nam, si subditorum amplitudinem consideremus, Moses olim Israelitis tantùm præfectus: Christus verò non iis tantùm, sed omnibus, etiam totius orbis gentibus, Psal. 2. v. 8. & Matth. 28. v. 18. deinde & juris modo discrepant, quod Christus Ecclesiam regat, non tanquam alienam, & ut famulus tantum Dei, quemadmodum Moses, Heb. 3. 5. sed tanquam filius domum suam, Hebr. 3. v. 6. Deinde si finem regiminis Ecclesiæ, & liberationis modum attendamus: Moses præfectus fuit populo Israelitico; ut eum à corporali Ægyptiacâ servitute, & à gladio, ac potestate Pharaonis, liberaret, Actor. 7. v. 35. & ex Ægypto versus terram promissam deduceret; & ad tempus definitum regeret, ac tueretur, Exod. 3. v. 9. 10. 11. Christus verò datus est Ecclesiæ redemptor, qui nos ex servitute spirituali, in mundo (ubi peregrini fuimus) & ex potestate Satanæ, peccati, ac mortis, eriperet, ac conservaret in æternum, Genes. 3. v. 15. Luc. 1. v. 71. 74. & 1. Joan. 3. v. 8. & Joan. 8. v. 36. Heb. 2. v. 14. 15. Præterea, ut ab officiis, ad *effecta*, transeamus: observanda primùm, quæ propria sint ratione muneris particularis; deinde quænam communia cum aliis. Ad prius quod attinet, sicut Moses Deo, ad Israelitas è servitute vindicandos, vocanti paruit: ita & Christus; sed virtute longè magis excellenti: siquidem Moses initio cunctatione, & inobedientia sua Deum irritavit, Exod. 3. v. 11. & 4. v. 11. & 13. v. 14. Christus verò inde ab ipso principio constanter, ac perpetuò, Patri *fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. 8. Hebr. 10. v. 7. 9. Deinde ut Moses accepto tandem munere fideliter in eo se gessit, Numer. 12. v. 7. ita & Christus, Hebr. 3. v. 2. nam Moses Israëlitas ex Ægypto eduxit, & salvos per mare deduxit, submerso interim divinitus Pharaone, cum exercitu, Exod. 14. 21. 22. 28. 29. Ita & Christus, pro demandato sibi redemptionis munere, nos, à Diabolo, mundo, peccato, maledictione, & morte, vindicavit, Joan. 3. v. 16. Roman. 8. v. 1. Coloss. 1. 12. 13. 14. 1. Corinth. 1. v. 30. & ut nos sanguinis sui undâ servavit; ita adversarios nostros eâ obruit, ac devicit, 1. Joan. 1. v. 7.

7.Heb.2.14.Col.2.14.quemadmodum hoc mysterium nostræ redemptionis, typo conservationis Israelitarum, per mare transeuntium,& submersionis Pharaonis,tanquam sacramento salutis per Christum extraordinario, non minus quàm baptismo nostro fuit,adumbratum,1.Cor.10.v.1.2. Et ut Moses Israelitas in deserto esurientes, ac sitientes; cibo,manna,à Deo cælitus demisso,replevit, Exod. 16. & aqua,ex petra percussa profluente,potavit, Numer. 20.11. Ita & Christus,seipso,tanquam pane verè cælesti,& sanguinis ac spiritus sui flumine, esurientes, ac sitientes justitiam, satiat ad vitam æternam, Esa.55.1.Joan.4.14.& 6.32.33. & 7.38.Apocal.22.2.17.quemadmodum etiam hujus beneficii Christi, manna, &petra fuere typi, & extraordinaria Israelitis sacramenta,1.Cor.10.3.4. Deinde quemadmodum Moses Israelitis,contra hostes Amalekitas,erecto bacilli sacri,& à Deo traditi,signo,intercedens precibus, Ex.17. 9. 12.victoriã obtinuit:ita& Christus in crucẽ erectus,Joa.12. 32.33.obedientię suæ ad mortem;ac precum suarum intercessione apud patrem;&virtutis divinæ efficacia, nos Satanæ,mundi,carnis,victores efficit,Rom.8.34.39.Adhæc,ut Moses,suspenso æneo serpente, Israëlitas, à serpentibus venenatis vulneratos,& in serpentẽ illum intuentes,tanquam causa instrumentalis, ac remota, à mortis periculo exemit, Numer.21.ita Christus,hoc typo adumbratus, Ioan.3.14. seipsum suspendendum obtulit; omnesque, ipsum in cruce sublatum,& Euangelii prædicatione oblatum, Gal. 3. 1. vera fide contemplantes,à morte (quę nobis ab Adami peccato, ut serpentis antiqui veneno imminebat) solus,ac perfectè redemit,tanquam vera,ac princeps salutis nostræ causa,Joan.3.14.15.Hebr.2.14. & 5.9.Præterea, ut Moses sermonis mutui inter Deum, & populum (à Dei aspectu, & colloquio sibi metuentẽ) mediator fuit,Exod.19.8. & 20. 19.Gal. 3.19. Sic Christus quoq; mediator,non solùm sermonis;sed etiã reconciliationis nostrę cum Deo;per quem nobis liber, & intrepidus accessus ad Patrem patefactus, 1.Tim.2.5.Ephes.2.18. Joh.14.6. Ex quibus omnibus apparet, in muneris peculiaris executione, egregiam esse utriusq; similitudinem:ita tamen, ut maxima disparitas observetur.Nam Moses interdum,in officii executione,impegit;ac propterea promissæ terræ Cananææ ingressu, morte divinitus denunciatâ, exclusus est,Num. 20. 12. Deut. 32. 51. Christus verò nunquam peccavit, sed semper ea fecit, quæ patri placita, Joan. 8. 29. Philpp. 2. 8.

Prętereà (ut à propriis,officii particularis,effectis,ad communia,fidei in Deum,pietatis,& justitię officia,accedamus) sicut Moses,fide, in adversis,constantiâ,immunitate ab invidiâ,Num.10.29.excellenti mansuetudine,Num.12.3. & amore,in populum ingratissimum,(adeo flagranti, ut pro salute ejus sæpius intercesserit; imo tandem sese voluerit morti,pro ea salute devovere, Exod.32.32.) reliquos mortales superavit; ita & Christus Mosi, virtutibus nonsolum similis fuit;sed etiam (tanquam peccati omnis expers, Heb. 4. 15. & 7.26.) immenso intervallo antecellit,Mat. 11. 29. Luc.23.v.34.Gal.3.13.Rom.5.6.Joan.15.11.& 1.Pet.1.21. 1.Cor.2. 11.1.Deniq; quemadmodũ *Moses,jam grandis natu, renuit vocari filius filiæ Pharaonis; malutq; simul malis affici cum populo Dei, quàm temporalibus commodis peccati frui,majores arbitratus divitias probrum Christi, quàm Ægyptorum thesauros:intuebatur enim in præmii retributionem*,Heb.11.24. 25.26 ita *Christus fidei nostræ dux, ac perfector, vice sibi gaudii propositi; pertulit crucem, ignominia contemtâ*,Heb.12.2.3.& *mortuus est justus*, amore immenso, *pro injustis, ut nos ad Deum adduceret*, 1. Pet. 3. 18.

Porrò,institutâ jam collatione effectorum Christi,& Mosis,reliquum est, ut utriusq; statum, postremo loco, comparemus, cum humilem, tum gloriosum. Ad primum autẽ quod attinet: sicut Mosis exordia fuerunt tenuissima, ac de vita periclitatus est,inde à nativitate:partim quod Ægypti Rex, Pharao, cædem infantum masculorum Israëlitarũ omnium,eoq; & Mosis,imperasset,Exo.1.16;partim quod arcæ scirpeæ impositus,& in algâ rivi expositus fuit,Ex.2. 13.ita & Christi ortus pauper, & abjectus fuit,Luc.2.7. eique,recenter nato,mortem Rex Herodes intentavit, Mat. 2. v. 13. adeo ut hac ratione patriam exilio permutarit,ac, fuga in Ægyptum,ei fuerit consulendum,Mat.2.14.deinde,si ab infantiâ,ad ætatem adultiorem,ascendamus: multa Moses perpessus est,cùm à popularibus suis ingratis ac contumacibus; tum à Pharaone, & aliis hostibus: sic etiam Christus à Judęis suis popularibus,& Herode rege,ac Pilato præside,multa pertulit. Nã ut Moses,fratres suos Israëlitas,invisens:& futurę liberationis pręludium,ac specimen edens,initio neglectus fuit ab iis;imò cum injuria repulsus, Exo.2.24. Act.7.25.27. Ita & Christus,ad suos servandos & tanquam oriens ex alto invisurus,Luc.1.28. venit; sed à suis neglectus est,Mat.2.3.Luc.2.7.& Ioa.3.19.20.Deinde ut Pharao audita Mosis in vindicandis Israelitis, fortitudine,eum quęsivit,ut interficeret; unde Moses fugâ in terrã Midianitarum,coactus fuit sibi consulere.Ex.2.15.similiter etiam Christum Herodes Rex occidere voluit, Luc. 13. v. 31.Cujus etiam feritatem declinavit Christus, Mat.14. 13. Adhæc, quemadmodũ Mosis legationi Pharao, prioris Pharaonis successor,cum suis, parere recusavit,imò eò gravius populum Israeliticum oppressit,Ex.5.2.8.9. Sic etiam Christi doctrina irritatus Satanas, & instrumenta illius sacerdotum principes, graviori jugo Ecclesiam onerarunt, Joa.9.22.Et ut Mosis miraculis Jannes & Jambres Magi,restiterũt,Ex.7.11.&Targũ Jonathanis ibidẽ. & 2.Tim.3.8.ita & Pharisęi Christi veritati et oraculis,per suas blasphemias, Mat. 12.24.et pseudo-prophetę suis mendaciis,ac pręstigiis, 2.Tim.3.8.2.Thes.2.9. Mat.24.24.sese opposuerunt. Utq; Moses, postquam ex Ægypto Israëlitas eduxisset, furorem Pharaonis, et Ægyptiorum expertus est, adeo ut parum ab exitio abfuerit,Exod.14. 3.9.10. Ita Christus,postquam populum suum, ex mundo, et potestate Satanæ,eripuisset, doctrina et spiritu suo; mundi et Satanæ odio, ac persecutioni cum discipulis suis fuit expositus, Joa. 15.18. 19.20. Ac quemadmodum Core, Dathan, et Abiram vocationi atq; authoritati Mosis contradixerunt, ac seditiosè restiterunt, Num. 16.1.ita et sacerdotes, ac seniores Judæorum, Christi vocationi, et authoritati repugnarunt, Mat. 21. 23. adeo ut Christus, à peccatoribus maximam pertulerit contradictionem, Heb. 12. 3. deinde ut Moses populum Israëliticum, (quem tot, ac tantis affecerat beneficiis) sensit longè ingratissimum, adeo ut adversus ipsum sæpius murmurarint,et rebellarint; imò nonnunquam innocentẽ, ac beneficum lapidare voluerint,Num.14.4.9.10.similiter etiam Christus,suos auditores inconstantes,et ingratos, ac blasphemos,expertus est, Joa.6.60.et 66. Mat.12. 24. et ab iis sæpius,ne lapidaretur,se subducere coactus est,Ioa.8.59. et 10.31.imò tandem,ab iisdem,proditus,Mat.26.14.et ad crucem,servator orbis innocentissimus, ac clementissimus, postulatus ac raptus est indignissimè,Luc.23.21.23.Quocirca hinc apparet,maximam esse Christi, et Mosis in humili statu similitudinem.Qualis etiam, quodammodo, in statu glorioso elucet.Ut enim Moses,postquam persecutionem, & exilium pertulit à Pharaone,tãdem eo mortuo, Ex.2.20. 21.ab exilio remissus est,Dei jussu, in patriam: sic et Christus,hoste ipsius capitali Herode mortuo, Dei, per Angelum,monitu,reversus est in terram Israelis,Mat.2.20.Deinde ut Moses ab humili,& spreta (maximè apud Ægyptios) pastoris conditione; ad liberandum,à lupis Ægyptiis, Dei gregem,& ad eum regendum, ac pascendum promotus, ac missus fuit,Exod.2.ita & Christus,à contemta fabrili arte, Marc.6.3.evectus fuit,ad extruendum vivum Dei viventis templum,Mat.16.18.Heb.3.6.Et ut Moses,à secundo Pharaone,& Magis rebellibus,& à subditis,atque hostibus,etiam impetitus, tandem eos Dei virtute, subegit; ut coacti fuerint Dei,in illo,potentem manum agnoscere, ac videre se frustra Mosi obsistere,Exo.8.19.& 9.11.27.& 12.30.31. et 14.25.ita Christus,Satanam,et sacerdotes, Judam, Pilatum,et milites,ac forum judiciarium superavit;ac partẽ eorum coëgit agnoscere,ipsũ esse innocentem, Joa. 18.38. & Dei filium,Mat.27.54.Luc.23.47.48. ac frustra contra stimulum illius calcitrari,Mat.28.12.13. Atq; hactenus Mosen,& Christum, inter se, comparavimus. Sequitur deinde

COLLATIO Christi & Iosuæ.

IN qua collatione, considerabimus etiam *nomina*; *officia*; *effecta*; & *statum*: in quibus singulis, elegans elucebit similitudo.

Nam ad nomen proprium quod attinet, tam forma illius,

lius,& origine; quam communi significatione conveniunt. Etenim cum Iosua initio vocaretur Hoseas sive הושע servator: postea appellatus est, non temere, sed à Mose, Dei spiritu instructo יהושע Iehoschuah, Num. 13. v. 17. aucta voce in principio illius: unde per syncopen deducta est vox ישוע Ieschuah. Nam ut filius Iehotsadaci, sacerdos summus, ac Christi typus, vocatus est Iehoschuah, Hag. 2. 5. & contractè dicitur ישוע Ieschuah. Esdr. 2. 2. Eadem ratione Iehosua, filius Nun, nominatur contractè Iesuah filius Nun, Nehem. 8. 18. Atque hinc factum est, ut Græci LXX. Interpretes, Num. 13. v. 17. pro Iehoschua (resectâ, propter asperitatem, postremâ literâ, & addito *Sigma*, ad Græci sermonis morem) posuerint *Jesus*: ut etiam in libro Iosuæ idem observarunt, cap. 1. 1. & reliquis. Quos imitatus est etiam Lucas, Act. 7. 45. & Paulus Heb. 4. 8. Sic etiam servator noster, virginis Mariæ filius, appellatus est Jesus, Matth. 1. 21. Nam quod Andreas Osiand. acriter contendit, in Harm. Euangelicæ annotationibus, lib. 1. c. 6. non esse idem, reipsa, cum Iehosua; sed scribendum esse יהשוה Iehesu, & contractè ישו Jesu; ac si hoc modo nomen Jehova integrum contineretur, quod per se ineffabile, inserta litera ש fiat effabile: illud, inquam, ex iis, quæ modo adduximus scripturæ locis, & doctiorum communi consensu adverso, confutatur: & pluribus à doctissimo viro Angelo Caninio, in tractatu, de locis aliquot Nov. Test. & in fine Grammaticæ Talmudicæ, refellitur. Deinde ad originem vocis quod attinet; quemadmodum Iosua, à Mose, sic vocatur, Numer 13. 16. ita Christus vocatus est Jesus, non temerè, sed Dei consilio, ac jussu, per Angelum, Matt. 1. qua in re, ut quidam volunt, observanda est insignis Iudæorum improbitas, & impietas; qui, casu, id nomen, non per Angelum, Christo obtigisse, asserunt: & quia non credunt eum esse servatorem; idcirco nolunt ipsum vocare Ieschuaע; sed tollunt ע, & pronuntiant Iesu: quemadmodum Elias testatur in Thisbi, in voce Iesu. Quo etiam in loco, ingenuè, alteram causam ostendit; cur à nobis Iesu vocetur, & partim etiam à Iudæis. *Est* (inquit) *dicendum, quod litera* ע *sit difficilis prolatu gentibus: ob id non proferunt, in lingua sua,* ישוע *Iehoschua* ע; *sed Iesu, aut Iesus.* Quemadmodum etiam scribit R. Aben Ez. *à nemine unquam, bene posse proferri* ה & ע *literas, qui prolationem earum non didicerit à pueritiâ. Hinc est, quod & Iudæi pronuntiant Iesu, absque* ע. Hæc ille.

Cæterùm, si vocis significationem spectemus, in ea communiter eruditi consentiunt, Iehoschuah, & contractè Iesu, servatorem denotare, si sensum spectemus: quemadmodum etiam Etymologiæ ratio indicat, Matth. 1. 22. sed quidam nihil ampliùs; sed idem omninò significare vocem Iosua, quod Hosea, i. e. servatorem, existimant: ut hoc modo litera (Iod) pertineat tantùm ad derivationem vocis, ex futuro conjugationis hiphil: quemadmodum multa alia nomina propria similiter derivantur: ut Isaac, Iahacob, Iehuda, & similia. Quam sententiam, ut temere rejicere nolim; ita (salvo meliori judicio) non immeritò dubitari possit: an sit satis firma sententia. Nam si nulla est in significatione vocum, *Hosea*, & *Iehoschua*, discrimen; quorsum opus fuit mutatione prioris, & consignatione nominis novi, tam expressa? Alii igitur, non pauci, existimant aliter: nimirum, quemadmodum mutato nomine Abram (ex אב & רם quod *Patrem excelsum* significat) in Abraham; ex אב, רב, & המון, quod *patrem magnæ multitudinis*, seu *multarum gentium*, denotat: Et Sarai, quod *dominam meam* notat, in Sara, id est, *dominam*, commutatione nominis, significatio mutata est: ita est: ita in voce Iehosua, non temere, sed Dei Spiritu, per Mosen, accidisse: ut pro voce Hosea, Iehoschua diceretur: eoque significationem particularem habere, nimirum quod Hosea *servatorem* significet; Iehosua verò *salutem Dei*, aut, (ut loquuntur) *salvationem Dei*: ut hac ratione vox non simpliciter derivata sit, sed composita: ut etiam Christus dicitur, *salus Dei*, Luc. 2. 30. & 3. 6. quemadmodum Esa. 49. de Christo dicitur, *constitui te in lucem gentium, ut sis salus mea*, &c. Quidam verò interpretantur, non Dei salutem, sed *Deum salutem*: quemadmodum Christus similiter appellatur, *Iehova justitia nostra*, Ierem. 23. 6. Quod LXX. Interpretes reddunt, Iosedek, contractè pro Iehova Tzedeck, Ierem. 23. 6. *Diebus*, inquit, *ejus servabitur Iehuda, & Israel habitabit securè, atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eum, Iehova justitia nostra.* Verum de hac re actum est ampliùs, ad Mat. c. 1. Atque hæc de primâ Iosuæ & Christi, convenientiâ, nimirum Nominis.

Altera est Officii, cùm ratione objecti: tum ratione finis. Nam si objectum spectes: ut Iosua constitutus est, & quidem à Deo, Israëlitarum doctor, ac ductor, Numer. 27. 18. Deuter. 31. 3. & 34. 9. ita & Christus Israëlitis, imo toti mundo, à Patre, præfectus est: quemadmodum, in collatione cum Mose, apparuit. Si verò fines spectemus; quemadmodum Iosua præfectus est populo: ut eum, trajecto Iordane, in terram promissam deduceret, & prostratis hostibus, certam hæreditatem, & quietas in terris sedes, attribueret, Ios. 1. Ita & Christus Ecclesiæ præfectus est; ut eam ex hujus mundi solitudine, & erroribus, trajectis hujus vitæ, & mortis periculis, in Cananæam cælestem, superatis hostibus, Satana, peccato, mundo, morte, inferno, ad hæreditatem, ac quietem viæ æternæ, traduceret, Ioan. 14. 3. 4. et 3. 16. 2. Cor. 15. 54. 57. Heb. 1. 3.

Tertia similitudo in officii executione, & effectis consistit. Nam primùm ut Iosua, in demandato munere obeundo, fidelis Deo fuit, Ios. 11. 15. Sic etiam cælestis noster Iosua, Iesus Christus: ut illud, in collatione, cum fidelitate Mosis, suprà ostensum est. Deinde, ut Iosua Israëlitas, non contumaces illos in Deum: sed reliquos, in terram promissam deduxit: similiter & Christus, non contumacibus, adversus Euangelium patefactum: sed verâ fide obedientibus, cælum aperuit, Hebr. 4. 1. 2. & Ioan. 3. 16. & 36. præterea, quemadmodum aquæ Iordanis, ministerio Iosuę, & sacerdotum, arcam Dei tenentium, divisæ constiterunt: & sine noxa, populo transitum in Cananæam, patefecerunt, Ios. 3. ita & Christi, Iosuæ nostri spiritualis, & sacerdotis summi, imo arcæ, & propitiatorii Nov. Testam. consilio, & solius mortis illius, mortem superantis, beneficio, à mortis aquis non absorbemur: sed, per eas, transimus innoxii, ad Cananæam cælestem, freti perpetua Christi præsentiâ, & potentia salutari, Rom. 8. 1. & 10. 11. 1. Cor. 15. 57. Hebr. 2. 14. 15. Adhęc, ut Iosua hostes, qui Israëlitas, à possessione Canaनæ, excludebant, devicit: ita & Christus, spirituales salutis nostræ adversarios, superavit. Nam ut Iosua, Dei instinctu, civitatis Ierechuntis mœnia, circutione septimâ; adhibitâ arcæ gestatione; & buccinarum, à sacerdotibus delectis, inflatarum clangore, evertit, ac vastavit, Ios. 6. Sic & Christus, per se, circumeundo in his terris, Satanæ regnum, prędicationis Euangelii clangore, destruxit, & per suos ministros, partim Apostolos, Luc. 10. 18. partim Apostolorum successores, sua potentia divina, civitatem, & Synagogam Satanæ, & Babylonem spiritualem, disjecit, Apocal. 14. 8. & 18. 2. Et ut Iosua reges Chananæos crucifixit, & pedibus suis, ac suorum subjecit, ac conculcavit, Jos. 8. 29. & 10. 24. 25. Similiter Christus Satanæ caput conculcavit, Genes. 3. 15. & *adversarias potestates abolevit*, Heb. 2. 14 *easq; expoliatas traduxit palàm, triumphatis illis per crucem*, Coloss. 2. 14. *& Satanam conculcat sub pedibus fidelium*, Rom. 16. 20. ac perfectissimè tandem Satanam, mundum, mortem, suos & nostros hostes conculcabit, ac perdet ultimo die, 1. Cor. 15. 24. 25. 26. Apocal. 20. 14. Deinde quemadmodum Josua, devicto rege Hai, insculpsit exemplum legis Mosis, seu Decalogi aliis lapidibus, Ios. 8. 32. Ita noster Iosua, qui non venit ut dissolveret legem, sed ut eam impleret, Matth. 5. 17. Legem, & Euangelium aliis tabulis, quàm Moses, & Iosua, nimirum non lapideis, ac duris: sed carneis, i. e. mollibus cordibus nostris, per Spiritum Sanctum emollitis, per eundem inscripsit, & adhuc inscribit indies, Hebr. 8. v. 10. Præterea, ut Iosua Israëlitis quietem temporalem, in terris, à molestiis, cùm peregrinationis, in deserto: tum belli, adversus hostes, attulit, Ios. 11. 23. ita & Christus nobis veram, & perpetuam quietem, post hujus vitæ labores, & peregrinationem in his terris, & post adversarios nostros devictos,, præparavit in cælis, Hebr. 4. vers. 10. 11. 2. Thessal. 1. vers. 7. & Apocal. 14. vers. 13.

Deni-

Denique ut Josua, partâ jam quiete Israëlitis, certas sedes, & hæreditatem in promissa terra, secundùm Dei mandatum, distribuit, Jos. 11. v. 23. & 13. 1. Similiter & Christus nobis fidelibus paravit locum in cælo, (in quo habitationes multæ sunt, Ioan. 14. v. 2. 3.) & hæreditatem, quæ nec perire potest, nec marcescere, nobis, in cælo, servat, 1. Petr. 1. 4. ac tandem perfectè distribuet, ultimo die, Matth. 25. 34. Ex quibus omnibus luculenter perspicitur, in officii executione, & effectis, Christum, & Iosuam convenire egregiè.

Quemadmodum etiam similis convenientia est in statu utriusque, tam ratione initii; quàm finis. Ut enim initio humilis fuit conditio Josuæ; utpote qui fuit Mosis minister: ita & *Christus*, cùm esset omnium Dominus, & æqualis cum Patre Deus, *exinanivit sese*: non abjecta forma Dei, seu natura sua divina; sed *assumta forma servi*, Philip. 2. 6. id est, humana natura paupere, ac subjecta: & *cum esset dives*, ultro, *propter nos*, eo modo *pauper factus est*, *ut nos ditaret*, 2. Cor. 8. 9. *nec venit ut ipsi ministraretur*, *sed ut ministraret*, &c. Marc. 10. 45. Deinde sicut Josua, postquam explorata jam terra Cananæa, incredulos Israëlitas, ad fidem in Deum, & spem, de promissa terrâ obtinenda, stimulasset; ab iis, non solùm ingratitudine turpi rejectus; sed etiam lapidibus cum Mose, & Calebo, à populo fuisset obrutus; nisi Deus clementer, & potenter eum conservasset, Num. 14. 7. 10. Eodem modo & noster Josua Jesus Christus cum descendisset è cælo in terram, ut nos in cælum deduceret, & ad fidem in Deum; & ad capessendam viam ad regnum cælorum, & vitam æternam, promissione Euangelii, benignè ac constanter invitaret, ac stimularet; à suis ignominiosè contemtus est, tanquam falsus doctor & dæmoniacus, Ioan. 10. 20. Imò sæpius, crudelitate summâ, ab iis impetitus est; & nisi avertisset, sapientia & potentia sua, lapidibus tandem fuisset enecatus, Joan. 10. 31. ut antea, in comparatione cum Mose, ostendimus. Deinde sicut Josua, ab humili conditione suâ, evectus est à Deo, in prophetam, ac ducem Israëlitarum, Jos. 1. vers. 1. Ita & Christus à privata, & humili vita, ac sorte, ad propheticum, & regium munus obeundum, secretus, & unctus est, Matth. 3. 16. 17. Et ut Josuæ vocatio, variis miraculis, in terra, & in cælo, fuit confirmata: sic & Christi. Nam ad prius quod attinet: Iosuæ vocatio probata est in terrâ, diviso ac consistente Jordane, Jos. 4. 7. 14. & ruina murorum Jerechuntis, Jos. 6. In cælo verò quod Deus, ingentibus lapidibus grandinis dejectis, hostes Cananæos, cælitus trucidavit; & quod, ad Josuæ jussum, Sol, & Luna, in medio suo cursu, substiterint, Ios. 10. 12. 13. Ita longè splendidiùs Iosuæ Nov. Testam. id est, Iesu Christi vocatio stabilita est miraculis claris, cùm ante muneris administrationem; tum post eandem susceptam. Qualia fuerunt, *ante baptismum*, stella nova, nativitatis Christi index, & muneris regii, Matth. 2. *in baptismo* verò vox Dei Patris de Christo filio suo testantis, cælitus; & spiritus super ipsum descendens, ac insidens, ac conspectus Mat. 3. *post baptismum* præterea variis miraculis eadem confirmata: qualia sunt morborum omnium sanatio, Matth. 4. 23. 24. & mortuorum suscitatio, Matth. 11. 5. & 9. 25. Luc. 7. 14. Joan. 11. 43. 44. ambulatio super mare, Johan. 6. 18. 19. 21. Matth. 14. 26. & ventorum sedatio, Matth. 8. vers. 26. & 14. 30. 32. Ad hæc, in morte ipsâ, Solis obscuratio, & terræ motus, Matth. 27. 51. Denique, quæ secuta est Christi resurrectionem, visibilis ascensio in cælum, Act. 1. & Spiritus Sancti è cælis missio, Actor. 2. operaque miraculosa plurima, per Apostolos, aliosque Apostolicos viros, edita, Marc. 15. 26. Deinde quemadmodum Josua, à multis, & potentibus hostibus fuit oppugnatus; sed tamen iis virtute Dei superior fuit: & tandem, in terra promissa, solita quiete potitus est, Ios. 11. 23. similiter et Christus hostes habuit, et habet plurimos; sed, iis omnibus superatis, per ignominiam, penetravit in gloriam, et quietem: ac gloriosè sedet ad dextram Dei in cælis, Hebr. 1. 3: Atque hæc de collatione Iosuæ, et Christi.

CAPUT QUINTUM.

Superiori cap. tractatio de officio Christi prophetico, & regio absoluta est: & argumento, à sacerdotii Christi descriptione confirmata: qua via, Apostolus, transitione eleganti, ad explicationem Pontificatus Christi, accessit: ac propositionem hujus doctrinæ, breviter & summatim complexus est. Porro, hoc cap. & seqq. quinque, illius expositionem, & confirmationem addicit: Cujus scopus est, ut Christo justus honos tribuatur: & injustus, sacerdotio Vet. Testam. à Judæis attributus, detrahatur. Deinde ut, agnitâ sacerdotii Christi potentia, & æternitate; & sacerdotii Levitici impotentia, atque abrogatione, verâ fide, in solo Christo, acquiescamus. Ac propterea non simpliciter, sed comparatè (quemadmodum etiam in prophetico & regio munere, cap. 3. & 4. factum est) Pontificatus Chrsti præstantiam proponit. Etenim cum antea statuisset, Christum esse summum sacerdotem nostrum, & quidem aptum, ac propensum ad misericordiam: deinde non simpliciter summum sacerdotem; sed κατ' ἐξοχὴν Magnum; utpote qui cælos penetrarit, ac sit Dei filius: ideoque omnipotens, & æternus Pontifex, ac servator, omnibus sacerdotibus Leviticis major. Iam progreditur ad illustrationem, & confirmationem illius, instituta comparatione mixta, cum Pontifice Levitico: cum eo enim Apostolus Christum confert, ac præfert. Ac propterea mixtam appello; quia in quibusdam similem; in aliis verò disparem, ac majorem esse Sacerdotibus Leviticis, ostendit. Ac similitudo quidem describitur, cùm in persona, nempe convenientia in natura humana, & misericordiæ affectu, miseriæque sensu; tum in personæ officio, ac pontificatu, ratione causæ efficientis Dei, & finis reconciliationis hominum cum Deo: Disparitas verò, diverso respectu, ac modo: primùm in persona; deinde in officio, elucet. In persona quidem, cum ex parte secundum naturam diversam; quod illi homines tantùm fuerint: Christus vero etiam filius Dei unigenitus: tum secundum ejusdem naturæ humanæ dissimilitudinem, in qualitate; quod sacerdotes peccatores, ac rei fuerint, per se; coram Deo: Christus verò peccati expers. In officio verò primum ratione finis: quod Christus scil. non pro suis peccatis obtulerit: deinde ratione objectæ materiæ: quod non bruta animantia, sed seipsum, pro nobis dederit; denique ratione efficaciæ: quod Christus sit vitæ nostræ author, cùm reliqui Pontifices tantùm fuerint ministri. Cæterùm, comparationis hujus universæ, partes, sunt duæ: propositio, & redditio. Quarum illa, conjunctim, pontificem Leviticum describit, & quasi vivis coloribus depingit, quatuor membris: quorum singula aliquam cum Christo convenientiam nobis exhibent. Earum autem prima est, ejusdem naturæ humanæ, cum populo & Christo. De qua re, ait Apostolus: *omnem pontificem ex hominibus assumtum esse*, id est, verum, cum reliquis populi hominibus, hominem. Altera est in eodem pontificatus fine, remoto & propinquo. Remotus generatim ponitur, cum dicitur: *constitui pro hominibus* (id est, ad utilitatem hominum) *in iis, quæ apud Deum*, scilicet peragenda: propinqui verò finis descriptio speciatim exponitur; propinquus enim statuitur, *oblatio* partim donariorum; partim victimarum. Remotus declaratur, cum adjungitur: *pro peccatis*, nimirum hominum, & ipsius, ut postea docetur: id est, ad expianda peccata, Deumque placandum, vers. 1. de qua re Levit. 9. 7. & cap. 16. Tertia convenientia est, in adjuncta misericordia, erga populum; & causa illius, miseriæ experientia. Misericordia quidem, *quod vicem possit miserari ignorantium*, & (ovium instar) *aberrantium*, 1. Pet. 1. 25. id est, populi peccantis. Nam pro peccatis, cùm ex imprudentia; tum voluntariè factis, sacrificia, in Vet. Testam. offerebantur, Dei jussu, Levit. 4. & 5. 6. Miseriæ verò experientiam indicat, per Metaph. ad amplificationem accommodatâ. Non enim ait simpliciter; cùm & ipse sit infirmus: *sed circumdatus infirmitate*, i. e. plurimis infirmitatibus obnoxius. Ea autem infirmitas est duplex, pœnæ et culpæ,

v. 2. Quemadmodum exponit, & illustrat ab effecto: quod propter eam, sicut pro populo; ita pro se quoque, offerre debeat victimam, pro peccatis, vers. 3. Quarta convenientia est in pontificatus causa efficiente, nimirum Deo: quæ, posita contrarii remotione, initio illustratur, & exemplo simili Aaronis declaratur amplius, v. 4. De qua re Exod 28. Num. 16. 9. & 2. 26. 28. Atque hoc modo prior comparationis pars, nempe protasis, seu propositio, absolvitur.

Cui respondet altera pars, nempe ἀπόδοσις redditio: & quidem ὕστερον πρότερον, convenienter naturæ rei. Primum enim, Pontificatus Christi eundem authorem esse Deum, asserit similiter, per aphæresin, & per thesin: docet enim Christum non arrogasse sibi temerè pontificatum; sed collatum ipsi à Patre. Idque, duobus Scripturæ testimoniis, comprobat Apostolus: ne quem fortasse commoveat, quod Christus non sit ortus ex tribu sacerdotali Levi; sed ex Juda. Prius testimonium est ex Psal. 2. nempe, cum ait: *sed is qui dixit ei, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ verba, quoniam de æterna filii generatione agunt, prima fronte, videri possint à re proposita aliena esse; sed tamen rectè conveniunt: partim ratione consequentiæ; partim ratione adjunctarum circumstantiarum. Consequentiæ quidem ratione: quoniam si filius virginis Mariæ, à Deo Patre vocatur filius, quem genuit: sequitur eum quoque à Patre constitutum pontificem: Nam solus, & certò Immanuel ac θεάνθρωπος Pontifex Nov. Test. per prophetas promissus est, qui populum suum à peccatis, sacrificio suo, servaret, Matth. 1. 21. Atqui Christus ita à Deo Patre vocatur. Ergo &c. Ratione verò circumstantiarum adjunctarum, rectissimè quoque quadrat hic locus. Primò, quia additur, in eodem Psalmo, *postula à me*: quo munus sacerdotale, ex proprio effectu, intercessione pro gentium conversione, & fide in ipsum, (de qua re Ioan. 17. 20.) indicatur; tum quia additur: *dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: quod ut efficacia Prophetiæ, & regni conficitur; ita & merito sacerdotii comparatum est, cum nos redemit; & morte sua, gentes, & Judæos, in unum Ecclesiæ corpus, conflavit, Esa. 53. 10. Rom. 14. 9. 2. Cor. 5. 15. 1. Petr. 1. 19. Ephes. 2. v. 14. 15. 16. Unde apparet, hoc primo testimonio ex Psal. 2. producto, rectè confirmari divinam Pontificatus Christi authoritatem, & originem v. 5. Alterum testimonium est depromtum ex Psal. 110. (quem de Christo agere, non minus, quàm secundum, liquet, ex iis, quæ cap. 1. vers. 13. dicta sunt) *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedek.* Qua sententiâ Christo, à Patre, tribuitur sacerdotium: quo generatim similis Pontificibus Leviticis statuitur. Idque illustratur adjuncta æternitate, & perfectione, videlicet quod sacerdos sit in æternum, secundùm ordinem Melchisedek. Qua ratione Christus pontificibus Leviticis præfertur; quod videlicet illorum sacerdotium morte fuerit finitum; ideoque successores habuerit: & quod illi ex tribu Levi, & secundùm ordinem Aaronis; qui ordo à regno fuit secretus: Christus verò sit sacerdos æternus, seu in æternum, successore carens; ex tribu regia sacerdos, Melchisedeci instar. Quod argumentum, quoniam pluribus, & distinctius, exponitur ab Apostolo cap. 7: idcirco, in eum locum, explicationem illius pleniorem differemus. Hæc de vers. 6. & prima comparationis convenientiâ, in pontificatus origine, & causa efficiente. Altera verò est in convenientia naturæ humanæ, cum Leviticis sacerdotibus, & subjecto populo. Quam indicat, cùm carnis illius meminit. Hac enim voce, & veritatem humanæ naturæ illius, qua nobis ὁμοούσιος est, Hebr. 2. vers. 14. & simul adjunctam illius infirmitatem temporariam intelligit: ut etiam ea vox accipitur 1. Corinth. 15. vers. 50. Quæ infirmitas, quoniam per glorificationem sublata est, manente natura integra, idcirco distinctè ait: *in diebus carnis suæ*, id est, cùm carne infirmâ mortali ac corruptibili, in his terris, adhuc esset præditus. Ut autem Christus, hac in re, pontificibus Leviticis similis est: ita præstantia illius indicatur, mentione alterius naturæ: quod non solum sit filius hominis, nobisque ὁμοούσιος, secundùm humanam naturam; sed etiam filius Dei, ἑτερούσιος, id est, *alterius naturæ*, ratione naturæ divinæ. Tertia porrò convenientia est in miseriæ experientia; & illinc quoque profluente misericordia. Quarum illam describit amplificatione ex effectis tribus. Nam Christo tribuit precationem, & quidem supplicem: quemadmodum generali *precationis* voci, specialem *supplicationis* subjicit: ejusque comites duos, videlicet *clamorem validum, & lachrymas.* Quibus perpessionum, & dolorum Christi veritatem, & vehementiam, declarat. Quæ tria, ex Euangelistarum historia, satis facili ratione, colligi possunt. Nam supplicatio Christi, ex intimo cordis dolore profecta, duplex enarratur. Una in horto, cum dixit: *Pater, si fieri potest, tollatur à me calix iste.* Quam precationem supplicem non solùm proposuit semel; sed etiam majori contentione (eoque, ut videtur, non sine clamore) ter repetiit, Luc. 22. v. 42. 44. Matth. 26. v. 39. Marc. 14. 36. Altera in cruce, cum clamore valido conjuncta: *Deus mi, Deus mi, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. Lachrymarum quidem Euangelistæ non expressè meminerunt; sed tamen in neutra supplicatione defuisse, ex circumstantiis colligi potest. Nam si tanta vociferatio, in cruce, Christo expressa est, doloris ingentis sensu; multò magis lachrymæ, dolori graviori familiares: Et si guttæ sanguinis, præ angoris vehementiâ, ex corpore Christi, in horto, defluxerunt, Luc. 22. 44. quanto magis lachrymæ, ex oculis proruperunt. Præsertim, cùm Apostolum, ex Sp. S. instinctu, & directione, scribentem, in hac Epistola, hoc cap. interpretem habeamus. Cæterum supplicatio Christi illustratur objecto; subjecto; & adjuncto. Objectum ostendit, apud quem supplicationem obtulerit, nempe apud *patrem*: quem à potentia servandi à morte, describit, periphrasi minimè otiosâ. Quoniam eo modo precationis materiam, seu subjectum simul indicat; quod Christus orarit, ut *servaretur à morte*, id est, ne morte, à Deo desertus, contineretur: ut ex antecedentibus supplicationum formulis apparet. Nam cum Christus ait: *non mea, sed tua voluntas fiat:* & voluntas patris, verbo revelata, ea fuerit, ut (quemadmodum Christus prædixerat, Matth. 16. 21. & 20. 19.) mortis poculum ebiberet, ac tertio die resurgeret: sequitur indicari, eum etiam pro resurrectione sua precatum: id quod à Chrysost. & Theod. non satis rectè negatur. Deinde idem elucet ex precatione illa, *Deus mi, Deus mi, ut quid dereliquisti me.* Qua oratione non solùm conqueritur, Psal. 22. 2: Sed etiam liberationem ab ira Dei, & morte petit: v. 21. 22. Quemadmodum etiam Psal. 69. 15. ad 20. Cæterùm consequens adjunctum sive eventus, quem, ad consolationem fidelium, adjungit Apostolus, est precum exauditio: de qua Psal. 22. v. 22. 25. Ioan. 11. 42. & 12. 27. 28. Nam liberationem, primùm à doloribus inferni, per mortem: deinde à morte, per resurrectionem consecutus est; sicut historia Euangelica attestatur; & Petrus Actor. 2. v. 24. ex Psal. 16. comprobat. Quod verò addditur ἀπὸ εὐλαβείας, variè exponitur, ob vocum significationem diversam: ἀπὸ enim, inter alia, non solum notat *ex* (quemadmodum notum est) sed etiam *propter*: ut videre est Matth. 13. 44. 28. 4. & Luc. 22. 45. deinde εὐλάβεια *reverentiam*, seu *religiosum honorem*, *pietatem*, *cautionem*, aut *metum*, notat. Hinc primùm, quidam vertunt, *pro reverentia*, id est, propter reverentiam; id quod bifariam exponunt. Nonnulli enim illud, de reverentia patris erga filium interpretantur; quod videlicet in ea reverentia, & honore filium habuerit, ut eum exaudierit. Verùm quoniam reverentia, de honore potius erga superiorem, dicitur, & constructio hoc sensu futura hic esset durior; idcirco alii, eo rejecto, de reverentiâ quidem; sed filii erga patrem, ac pietate ejus, accipiunt: quod Christus exauditus sit à Patre, propter pietatem suam, Ioan. 9. vers. 31. hoc est, quia illi, in omnibus, obediens fuit, usque ad mortem, tanquam filius dilectus. Idque spectavit vulg. interp. quando vertit: *pro reverentia.* Et ne quis de patre intelligeret, addidisse videtur, interpretationis loco, vocem *sua.* Quam expositionem non pauci sequuntur, quod piam habeat sententiam; nec (ut modò ostendimus) verborum significationi repug-

repugnantem. Alia tamen aliis, egregiis Theologis, magis placet interpretatio: ut nimirum vertamus *ex metu*, quod referatur, non ad desperationem salutis (quemadmodum contumeliosè, & indigna calumnia, Ubiquitarii objectant) sed tantum ad terrorem Christi, quo in horto, & in cruce pressus fuerit; quem multis describunt Euangelistæ, Matth. 26. v. 37. 38. Luc. 22. 43. 44. 45. De qua re, quoniam Clariss. Beza, prolixè ac doctissimè, in majoribus, ad hunc locum, Annot. disseruit, plura non addemus. Quamobrem ex hisce, quæ dicta sunt, satis apparet: inter Christum, & sacerdotem Leviticum, esse convenientiam, in miseriæ ejusdem, cum populo, experientiâ: ita tamen, ut Christus, hac in parte, longè excellentior statuatur: ut qui multo graviora fuerit perpessus, quàm illi; imo quam ulli. Et quia, ex miseriæ sensu, misericordia oriri solet (quemadmodum laudabilis illa Didonis sententia docet, apud Virg. Æneid. 4. *Non ignara mali miseris succurrere disco.*) Ideo subjicit Apostolus, quod Christus, *quamvis filius esset*, Patri dilectissimus (eoque nomine sacerdotibus, ut meris hominibus, superior) *tamen didicerit, ex iis, quæ passus est, obedientiam:* id est, perpessionibus suis, ad obediendum Patris voluntati, per veram fidem, patientiam, & charitatem, fuerit assuefactus; ac propterea ad misericordiam erga nos idoneus est: ut cap. 2. 17. & 18. explicatum est. In qua sententia, obiter, elegans paronomasia observanda est. Nam ut proverbium antiquissimum est Græcorum, παθήματα μαθήματα, sic etiam Apostolus, de Christo, ait ἔμαθεν ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε. Hæc de v. 8. & tertiâ convenientiâ. Cui deinde subjicitur harum perpessionum, & obedientiæ fructus: unde etiam Sacerdotii Christi finis intelligitur. Ut enim pontifices Levitici, ad offerendas, pro peccatis, victimas, instituti, eas obtulerunt; ita & Christus, ad sacrificandum vocatus, obtulit, pro peccatis, sacrificium: sed duplici observato discrimine, quo illos superavit. Nimirum quod illi obtulerunt victimas, & sanguinem pecudum: Christus verò seipsum; quemadmodum hic dicitur *consecratus*: ut etiam cap. 2. 10. Deinde quod illi tantùm fuerunt nuntii, & ministri reconciliationis cum Deo: nec suo, sed Christi merito nixi sunt: Christus verò *factus sit author salutis æternæ omnibus, qui ei*, verâ fide, *obediunt*, v. 9. Idque illustrat Apostolus, repetitione causæ efficientis, seu authoris pontificatus Christi; ut, ad accuratiorem Christi, & Melchisedeci comparationem, viam sibi sternat, v. 10. Antequam verò eam ingrediatur, digressione quadam (quæ hinc ad cap. usque 7. v. 1. pertingit) remoram aufert, quæ obesse poterat: ut, hac ratione ad attentionem, & pleniorem rerum intelligentiam, Hebræos stimularet. Digressio autem constat, reprehensione vitii, & hortatione ad virtutem. Reprehensio autem continetur hac reliqua capitis parte. Ac primùm doctrinæ hujus, de sacerdotio Christi, secundùm ordinem Melchisedeci, difficultatem indicat; & causam illius, objurgatione acri, in negligentiam Hebræorum, confert: quod *auribus segnes facti sint*, id est, quod in doctrina Euangelii, & explicatione illius, per Apostolos audienda, & ruminanda, negligentes fuerint, v. 11. Idque probat, ex effecto, nempe eorum inscitia: quod *prima elementa religionis* iis essent adhuc explicanda. Cujus rei turpitudinem primùm amplificat, ab officio contrario: quod *oportuerat eos esse doctores*. Cujus facultatem, à circumstantia temporis, confirmat; quando addit: *pro temporis ratione*, quo scilicet tam multos annos, mysterium religionis accuratè explicantes, Apostolos habuerant. Deinde insigni similitudine infantum, & rudium, seu imperitorum, illustrat: quod iis *opus esset adhuc lacte, non solido cibo*, v. 12. id est, quod ipsorum negligentia factum esset, ut iis opus sit tradere adhuc rudimenta religionis Christianæ, quemadmodum Catechumenis fieri solet; nec sublimiora capere possent: lacte enim infantes nutriuntur, solido verò cibo grandiores, ut 1. Cor. 3. 2. Idque declarat, ac confirmat Apostolus expositione commoda: qua definit primùm, quinam sint illi, qui lacte opus habeant, nempe qui *inexpertes sunt sermonis justitiæ*, id est, Euangelii doctrinam accurratè non perceperint; aut (ut alii volunt) sermonis justitiæ nomine designatur, sermo perfectior, seu plenior doctrinæ Christianæ institutio, quæ justè à Christianis requiritur: sic autem interpretantur; quia sermo justitiæ opponitur lacti, v. 13. prius tamen videtur simplicius. Deinde quinam sint, qui solidum cibum requirunt, demonstrat: nempe *perfecti ætate, seu adulti, qui, propter habitum, sensus jam exercitatos habent, ad discretionem boni & mali*, id est, qui mentem habent, longo temporis tractu & doctrinæ inculcatione, assuefactam; ut ita possint bonum à malo, id est, verum à falso, & justum ab injusto, rectè discernere: quod infantes, ob mentis & judicii impotentiam, sive imbecillitatem, præstare non valent. Perfectos autem non absolutè; sed comparatè cum rudioribus, eos vocat; qui probè jam edocti sunt; quemadmodum, similibus in locis, ea vox occurrit, ut 1. Cor. 2. 6. & 14. 20. Eph. 4. 13. Sed objiciat aliquis: Si Hebræi, ad quos scribit Apostolus, opus adhuc habuerunt lacte, non solido cibo. Ergo male facit Apostolus, quod iis solidiorem cibum postea tradit, c. 7. imò quod ardua mysteria hactenus proposuerit: qualis est doctrina de æterna Christi Deitate; & mundi ortu, interitu, ac restitutione: de Christi sessione ad dextram; de natura & officio Angelorum. Verùm responderi potest, negatione consequentiæ; quoniam hæc reprehensio, non absolutè, & omninò, de tota Hebræorum Ecclesia; sed (pro more Scripturæ, in locis similibus) secundum quid, & ex parte tantùm, de multis intelligi debet. Hæc autem Epistola ita attemperata est, ut simul lac habeat infantibus, & solidum cibum adultioribus: omnibus denique escam salutarem. Quandoquidem eadem doctrinæ capita, & humiliter, & sublimiter, diverso loco, summo judicio, ac prudentiâ, pertractantur. Deinde inscitia illa in Hebræis (quoniam ex negligentiâ, & oblivione ducebat originem) Pauli hortatione, & diligenti eorum studio, corrigi potuit; & quæ ante audita, ac nota fuerant, in memoriam revocari: quemadmodum etiam satis perspicuè apparet, ex sequenti hortatione, cap. 6. vers. 1.

CONSECTARIA.

I. Pontifex Leviticus debuit offerre victimas pro peccatis & suis, & totius populi. Ergo omnes fuerunt peccatores, eoque nulli illorum perfectè justi; nedum operum meritis justificati. Imò quoniam pontifex Veteris Test. cum populo, typus fuerit Christi, & Ecclesiæ Christi: sequitur nos omnes (solo Christo excepto, quem scriptura excipit) esse peccatores, ac debitores Deo. Quemadmodum etiam generalem hujusmodi confessionem peccatorum, oratione dominica, Christus Apostolos, omnesque Christianos docuit, v. 3.

II. Ad ministerium Ecclesiæ obeundum, opus est vocatione divinâ.

III. Cùm Pontifices Vet. Test. omnes, secundùm legem Dei, per Mosem traditam, ac scriptam, mediatè instituti à Deo; tamen vocati à Deo dicantur, non minùs quàm Aaron, qui singularem à Deo habuit revelationem: sequitur vocationem divinam esse duplicem, immediatam ex peculiari Dei revelatione; & mediatam secundùm revelationem communem, ordinis à Deo præscripti, in verbo. Quare, qui, secundum Apostolorum Canones, ad Ecclesiæ ministerium vocati sunt, ministri Euangelii non minùs possunt dici, à Deo, & Christo vocati; quàm ipsimet Apostoli, quos nominatim, peculiari revelatione, ac compellatione ad Euangelium annunciandum evocarit. Ideoque imperitè, & impiè piorum pastorum hujusmodi vocatio, in dubium revocatur; quasi nulli à nobis essent agnoscendi pastores, divinitùs vocati, nisi quos Deus peculiariter, & extra ordinem, constituisset, v. 4.

IV. Aaron & Pontifices Vet. Testam. fuerunt typi Christi, non communes; sed destinati, et quasi visibilis quædam prophetia, v. 1. 4. 5.

V. Si Christus sine vocatione Dei non exercuit pontificatum: ergo intoleranda est eorum hominum arrogantia, qui in munus Ecclesiasticum, sine vocatione Dei involant, v. 5.

VI. Cùm Chriſtus intolerabiles, pro nobis cruciatus pertulerit: illius exemplo, patientes eſſe nos decet, ac fortiter crucem, ad Chriſti gloriam, ferre.

VII. Deus in adverſis ſeriò invocandus eſt: ut qui ſervàre ſuos poſſit, ac velit.

VIII. Cùm Chriſtus in paſſione ſuâ, horrore maximo perculſus, clamore valido, & lachrymis Patrem invocarit: ſequitur primò; eum eſſe verum, nobiſque per omnia, ſi peccata exceperis, ſimilem hominem, vereque paſſum, contra Manichæos. Deinde, non ſolum perpeſſum eſſe cruciatus externos, ab hoſtibus, in corpore; ſed etiam internos, in anima & corpore, dolores inferni, à patre Judice, inflictos ſenſiſſe: alioqui Martyribus multis, qui ad ſupplicia externa, longè majora, hilares acceſſerunt; eaque pertulerunt, eſſet multo inferior; quod omnino impium cogitare.

IX. Cum Chriſtus timuerit in morte ſua, certum eſt non quemvis timorem ſupplicii eſſe vitioſum ac dammandum: quia Deus naturæ hominum, imò & amimalium inſevit amorem conſervationis naturæ, & odium contrarii: ideoque ſi rationi ſubſit, nullo modo reprehendi poteſt: ſubeſt autem rationi, cum timor eſt verbo Dei accommodatus; ut nihil committatur, quod Amori Dei, aut proximi, aut fidei repugnet.

X. Cum Chriſti παθήματα (ut Apoſtolus, proverbio uſus, oſtendit) fuerint μαθήματα, *nocumenta*, ut ajunt, *documenta*: Idem de noſtris judicandum eſt. Ac propterea, cum perpeſſiones ſint utiles, non eſt cur in iis animum deſpondeamus; aut adverſus Dei providentiam, murmuremus. v. 7.

XI. Chriſtus conſecratus, nobis eſt cauſa vitæ æternæ: Ergo operibus eam non promeremur.

XII. Nulli, niſi per Chriſtum, ſervantur.

XIII. Cum illi ſoli ſalvi fiant, qui Chriſto auſcultant verâ fide: ſequitur incredulos condemnari. v. 8.

XIV. Miniſtrorum Euangelii munus eſt prudenter, pro captu Auditorum ſuorum, tractationem doctrinæ temperare.

XV. Verbi divini difficultas potiſſimum ex hominum ſegnitie oritur; ac propterea, quo perſpicua nobis ſit S. Script. & expoſitio illius, diligentes & attentos in eâ cognoſcendâ eſſe decet.

XVI. Si Auditores Euangelii, temporis tractu, & diuturnâ auditione, ita proficere oporteat, ut aliorum eſſe poſſint Doctores: ſequitur deteſtandam eſſe Pontificiorum ſententiam; quâ ſimplicitatis, & fidei, (ut vocant) implicitæ nomine, craſſam in Auditoribus ignorantiam fovent; & liberam Bibliorum lectionem vulgo interdicunt.

XVII. In Eccleſiâ Chriſti, alii, infantum inſtar, rudes adhuc ſunt; alii vero adulti, ac rectius inſtituti: idcirco ineptè faciunt & iniquè, qui ſacros fidelium cœtus rejiciunt, eo nomine, quod in iis, non omnes donis ſublimioribus pares eſſe comperiant.

XVIII. Danda eſt opera, ut animi ſenſus habeamus exercitatos, quo dignoſcere poſſimus, quid bonum, quid malum ſit; hoc eſt, quid ſalutare, verum ac juſtum; quid ſecus.

COLLATIO Chriſti cum Aarone.

QUoniam Chriſtus, cum ſummo Vet. T. Sacerdote, & nominatim etiam cum *Aarone*, confertur; idcirco, non abs re me facturum exiſtimo, ſi, hoc in loco, Chriſti, & Aaronis collationem, corollarii inſtar, adjecero: ut inde clarius umbrarum V. T. ſignificatio, hujuſque capitis ſententia, appareat; & Chriſti gloria emineat melius. In qua materia, non omnia, quæ adferri poterant, ſed pauca tantum, proponemus: è quibus reliqua facilius poterunt obſervari. In collatione autem ſpectabimus convenientiam nominis; perſonæ; officii; effectorum, & ſtatus.

Ad *nomen* quod attinet, Aaron vulgo interpretantur montem, aut qui è monte, ſeu montanum: à rad. הר mons. Quod, ſi modo verum eſt, non malè cum Chriſto convenit: qui *lapis exciſus è monte, ſine hominum manibus, & effectus eſt mons magnus, adeo ut repleverit terram univerſam*, Dan. 2. 34. 35. & 45.

Altera convenientia eſt in perſona, ratione eſſentiæ; & qualitatum illius. Eſſentiæ quidem, quia ut Aaron ex hominibus homo, & ex Iſraelitis Iſraelita fuit aſſumtus, ejuſdem cum populo naturæ humanæ: ita etiam Chriſtus, ſicut etiam v. 7. expoſuimus. Ratione verò qualitatum eſſentię, convenientia eſt: partim quod Aaron corpore fuerit integro, pro ſacerdotum lege, Levit. 21. verſ. 16. & ſeqq. partim quod infirmitatibus vitæ humanæ, pro naturæ ratione, fuerit obnoxius, & ad miſericordiam idoneus: quemadmodum de omni pontifice aſſeritur Heb. 5. 2. ſimiliter & Chriſtus, eo typo adumbratus, ſanctitate naturæ fuit integer, Heb. 7. 26. & 1. Pet. 1. 19. & infirmitatum noſtrarum, in his terris, fuit particeps, Hebr. 5. verſ. 7. & 2. 17.

Tertia convenientia eſt *officii*: ratione generis, & cauſarum; cùm efficientis; tum finis. Generis quidem, quia ut Aaron ſummus fuit ſacerdos: ita & Chriſtus. Convenientia verò, in cauſa efficiente, cùm principali, tum inſtrumentali, apparet. Principalis enim ſacerdotii utriuſque cauſa eſt Deus. Nam ut Aaron, hoc munus, ſibi, non temeritate aliqua, arrogavit; ſed divinitus ad id vocatus eſt, & confirmatus Ex. 28. 1. Sic & Chriſtus Heb. 5. 4. Inſtrumentalis quoque cauſa, utrinque, ut typus & antitypus, inter ſe, probè convenit. Nam Aaron conſecratus eſt veſtitu ſacro, & oleo, Exod. 29. 5. 6. ac veſtitus quidem Aaronis, ad gloriam & ornatum illius, comparatus fuit, Exod. 28. 2. In quo præcipua ornamenta erant: primum capitis, *Cidaris*. In cujus parte anteriore, in fronte, appoſita fuit bractea aurea: cui inſculptus erat titulus קודש ליהוה *ſanctitas Jebovæ*, Exod. 28. 36. Ita & Chriſtus eſt verè *ſanctitas Dei: ſanctus ſanctorum* Dan. 9. 24 *& ſanctus Dei*, Act. 2. 27. qui perfectam ſanctitatem, & legis obedientiam ſuam, ad mortem uſque crucis, coram Patre, exhibet; ac ſi eam fronti inſculptam contineret. Et ut illius bracteæ, in fronte Aaronis, geſtationis finis fuit; ut rerum, ab Iſraelitis conſecratarum, iniquitatem auferret, eoſque Deo reconciliaret typicè, & inſtrumentaliter, Exod. 28. v. 38. ita etiam Chriſtus, ſanctitatis ſuæ, & obedientiæ, ad mortem uſque, oſtentatione, coram Patre, reipſa, noſtrarum virtutum (quaſi ſacrificiorum ſpiritualium) imperfectionem, & annexam naturæ corruptionem, expiat; & nos Deo gratos, & acceptos reddit; noſtraſque actiones bonas ſanctificat Heb. 4. 15. 16. & 13. 21. & 1. Pet. 2. 5. Alterum Aaronis ornamentum fuit *amiculum*, in cujus humerali duo lapides Sardonyches, duodecim filiorum Iſraelis nomina inſculpta habebant, atque exhibebant, coram Deo, in monumentum pro iis, Exod. 28. 12. Sic Chriſtus etiam Eccleſiam univerſam (tanquam ſpirituales Iſraelitas Gal. 6. 16.) nominatim, ac perpetuo, patri commendat, Rom. 8. v. 34. Heb. 7. 25. & 1. Ioan. 2. 2.

Tertium fuit *pallium*, in cujus ora, circumquaque diſtinctè, inter ſe collocata erant alternè tintinnabula aurea, & malo-granata: ut, in ingreſſu Aaronis, ac ſucceſſorum, in Sanctum, coram Deo, & in egreſſu ejus, ad mortem vitandam, audiretur Exod. 28. 34. 35. Sic etiam Chriſtus, pallio juſtitiæ, & zeli indutus Eſa. 62. 1. & 59. 17. & fide, quaſi tintinnabulo, & charitate (qua, in ſe, omnes electos, tanquam grana, ſecum conſtrinxit, ac complexus eſt) quaſi malo-granato pleniſſimè inſtructus fuit, & ſonum illius, vitæ ſuæ inceſſu, edidit: cum fidem ſuam, & charitatem teſtatus eſt, continuâ vitæ ſanctitate, & ſupplicatione cum clamore valido, & interceſſione pro nobis: unde etiam exauditus eſt, & à metu mortis liberatus, Heb. 5. 7. Quartum Aaronis ornamentum fuit, *pectorale ſacrum*: in quo duodecim lapides inerant pretioſi, cum totidem nominibus filiorum Iſraelis: Idque in monumentum, coram Deo jugiter Exod. 28. 21. 29. Ita & Chriſtus, omnes fideles, quaſi pectore ſuo incluſos, gratos, ac pretioſos habet; ac Deo Patri tales efficit; ut antea oſtenſum eſt. Et ut in pectorali Aaronis fuerunt *Urim & Thummim*, id eſt, *illuminationes*, & *perfectiones*, Exod. 28. 16. &c. quibus Deum, in gravioribus,

ribus, consulebant, & illinc oracula recipiebant: Ita in Christi pectore, lucis, *scientiæ*, & *sapientiæ thesauri* perfectissimè *reconditi sunt* Col. 2. 3. quippe *solus Patrem* potest revelare, ac *revelat* Matt. 11. v. 27. Denique ut Aaron *cingulo & baltheo pretioso* cinctus fuit Exod. 28. 8. & 29. 9. ita *justitia cingulum est lumborum Christi, & fides etiam cingulum lumborum ejus*, Esa. 11. 5. Atque hæc de primo consecrationis Aaronis instrumento, & convenientia cum Christo. Alterum fuit unctio: qua oleum sacrum, in caput Aaronis, fuit fusum; ad eum, in Pontificem, consecrandum Exod. 29. 7. Levit. 8. 12. Adeo ut *oleum illud, ad extremas vestimenti oras, deflueret*, Ps. 133. 2. Sic etiam *Christus unctus est oleo exultationis supra consortes suos*, Ps. 45. & Heb. 1. 9. Cujus unctionis, & spiritualium donorum guttæ, ad infimos usque fideles, destillant, à Christo capite nostro Ioan. 1. 16. 1. Ioan. 2. 27. Ex quibus jam liquet, in causa efficiente Pontificatus Christi, & Aaronis, elegantem esse similitudinem. Quemadmodum etiam in fine ejusdem officii comperitur. Aaron enim consecratus fuit in Pontificem, tribus de causis. I. ut populum doceret omnia Dei statuta Levit. 10. 11. Deinde ut Sacrificia offerret; partim Eucharistica; partim expiatoria: quibus expiatio peccatorum adumbraretur, & tanquam instrumento, expiatio per Christum, obsignaretur ac confirmaretur Heb. 5. 1. & 8. 3. Deniq; ut intercederet apud Deum, pro salute populi eiq; bene precaretur, ac benediceret ut 1. Sam. c. 12. v. 21. Ioël. 2. 17. Num. 6. 23. Ita Christus factus est summus Novi Testamenti Pontifex: ut nos, omnem, ad salutem nostram, voluntatis Dei notitiam, plenè doceret, Deut. 18. v. 18. & Actor. 3. v. 22. 23. & ut seipsum, pro peccatis nostris, offerret; & pro nobis intercederet; nobisque benediceret Gen. 22. 18. Actor. 3. 25. 26. Gal. 3. 13. 14. Atque hæc quidem, de convenientiâ Aaronis, & Christi, ratione officii sacerdotalis.

Cui accedit similitudo in utriusque *effectis*, quibus officium executus est uterque. Nam (ut omissis communibus, ea, quæ ex officio peculiari requiruntur, spectemus) quemadmodum Aaron, secundùm vocationis officium, pro populo sacrificavit, eique benedixit Levit. 9. v. 7. & 22. Ita & Christus Heb. 5. 7. 9. & 7. 25. 26. Deinde ut Aaron, pro rebelli, adversus se, populo intercessit, apud Deum; ejusque promeritæ iræ, jam grassanti in Israelitas, sese opposuit; & inter vivos, ac mortuos sese medium interjiciens, thuribulo suffitum excitans, populum reliquum vivum expiavit; & à morte corporis conservavit, tanquam salutare Dei instrumentum Num. 17. 11. ita similiter Christus, pro suis hostibus apud Patrem precatus est Luc. 23. 34. *& tradidit seipsum, pro nobis, oblationem, ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ* Eph. 5. 2. *mortuus pro impiis*, Rom. 5. *justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret* 1. Pet. 3. 18. *factus maledictio*: ut nos, à morte æterna, & maledictione, liberaremur, ac benedictionem consequeremur Gal. 3. v. 13. 14. atque hoc modo *consecratus, factus est author vitæ æternæ omnibus, qui ipsi obediunt*, Heb. 5. 9. Ex quibus jam colligi potest: Christum cum Aarone, etiam in effectis, convenire. In eo tamen Christus longè excellit, quod ut præstantioris Testamenti sacerdos est, Heb. 8. 6. ita quoque benedictio illius longè alia, ac præstantior est, ibidem. Et sanctitas, ac charitas illius, omnino perfecta, ac perpetua: Aaronis verò imperfecta, & à qua graviter aliquoties aberravit; nimirum cum aureum vitulum, idololatriæ instrumentum, populi metu, conflavit Exod. 32. v. 21. Deinde cum adversus Mosen, indignè, ac contumaciter insurrexit Num. 12. 1. Denique, quando cum Mose, infidelitate sua Deum, apud populum, dedecore affecit Num. 20. 12.

Postrema similitudo, inter Christum, & Aaronem, *in statu* utriusque duplici, perspicua est. Primum in humiliatione: ut enim Aaron initio humili & afflicta fuit sorte: ita & Christus, ut, in comparatione cum Mose, ostendimus. Deinde quemadmodum Aaron periculis variis, toto vitæ curriculo, fuit obnoxius, ac vexatus, partim à crudeli rege Pharaone, in Ægypto, & à successore altero Pharaone, in exitu ex Ægypto; partim ab ingrato, & rebelli populo Israelitico, in deserto, Num. 12. v. 2. & Levit. 9. similiter, adversus Christum, in vitæ initio, rex Herodes Magnus Matt. 2. & alter rex Herodes, & Pilatus, cum gentilibus, & populis Israëlis, conspirarunt Act. 4. v. 27. quemadmodum plenius, & clarius, ex antecedenti, Christi cum Mose collatione, percipi potest. Deinde similitudo status altera consistit in exaltatione utriusque. Nam ut Aaron, ex humili sorte, ad sublime pontificatus culmen, evectus est divinitus: sic & Christus. Et quemadmodum Deus Aaronem, ab hostium vi, & contemtu, insignibus miraculis, & magnâ, in hostes, severitate, asseruit, Levit. 9. Sic & Deus Pater Filio suo Jesu Christo, partim sermone, partim operibus variis, cùm gratiæ, in Christi discipulos; tum vindictæ, in adversarios, testimonium perhibuit sæpissimè: ut, ex collatione cum Mose, apparuit: quemodmodum etiam miraculis divinis convenientibus apparet. Nam ut arida Aaronis virga sola, secundum promissionem & potentiam Dei, noctis spatio, produxit germen, emisit florem, & amygdala, Num. 17. 23. Ita Christus, qui ex virgine, quasi arida virga, effloruit; per mortem, instar virgæ Aaronis, ab arbore resectæ, quasi aridus, & vitæ expers, morte sua, post secundam noctem, superata, germinavit, floruit, & spiritualia amygdala, ac cibum vitæ æternæ, nobis produxit: eaque ratione, se, & verum Dei filium, & summum Novi Testamenti sacerdotem, à Patre constitutum demonstravit, Rom. 1. v. 4. Hactenus de Christi, & Aaronis collatione. Reliqua, suis locis, ex Apostoli indicio, in hac epistola cognoscentur. Hæc de capite quinto: sequitur

Caput Sextum.

Priore digressionis parte (quæ reprehensionem negligentiæ Hebræorum continet) absolutâ; opportunè Apostolus, hoc cap. 6. alteram adjungit; & inde concludit. Ea autem est hortatio ad ampliorem, in Euangelii doctrina, progressum. Hortatio autem bimembris est; constat autem Aphæresi, & thesi, seu dehortatione à malo, & adhortatione ad bonum. Ad prius quod attinet, sic ait: *quapropter* (i.e. quia vos pro temporis ratione oportuit esse doctores, ut alios docere possitis c. 5. 12.) *omittentes initii Christi sermonem*: id est, prima Euangelii Christi elementa c. 5. 12. Quorum omissio, cum possit esse duplex, ad sententiæ intelligentiam, distinguenda est: una enim est per oblivionem ac defectum ab officio. Altera verò est per confirmationem, progressum ac profectum majorem. Prior autem, quæ prava est, intelligi non potest; sed posterior omissio, quæ recta est, hoc in loco, intelligitur. Idque illustratur adjunctâ thesi, *ad perfectionem*, nimirum doctrinæ Euangelii, tanquam ad scopum, constanti, rectoque cursu, *feramur*: Vos quidem discendo; ego verò docendo sermonem Christi diligenter. Nam utrosque, cùm Hebræos; tum Paulum, eâ voce, intelligi, ex cap. 5. 12. & 6. 3. aliisque sententiæ circumstantiis, apparet. Atque hæc propositio, sequenti expositione (ut eo amplius doceat, atque excitet Hebræos) illustratur, ac confirmatur: partim descriptione; partim causæ explicatione. Illa declarat, quid sit *omittere initii Christi sermonem* (ne quis perperam interpretetur) nim. non *jacere rursum fundamentum resipiscentiæ, fidei &c.* Quæ fundamenti metaphora, elegantem similitudinem, ad rem maximè pertinentem, complectitur. Quemadmodum enim architectus, jacto sapienter fundamento, nec illud destruit, nec in eo desinit; sed firmat: & super illud fundamentum, reliquum extruit, donec tectum, & finem operi imposuerit: ita Christi sermo, sua habet, quasi fundamenta, & summa religionis capita: quæ ut conservanda sunt; ita pleniori, & accuratiori institutione, pertractanda sunt. Quæ fundamenta, enumeratione primariarum partium Catecheseos Christianæ, describuntur. Ac primum fundamentum est, de *resipiscentia ab operibus mortuis*, id est, peccatis. Quæ ita appellantur, vel per Metonymiam quod mortem efficiant, Rom. 6. versu ultimo; vel potius, quod sint effecta mortis animæ, seu veteris hominis: quo vitâ imaginis justitiæ Dei spoliati sumus, ab origine nativitatis nostræ, Ephel. 2. 1. & 5. Alterum

rum fundamentum est, de *fide in Deum*, Patrem, Filium, & Spiritum Sanct. v. 1. Quibus duobus fundamentis primariis, summa doctrinæ Christianæ indicatur, Act. 19. v. 4. Marc. 1. v. 4. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21. Quibus, explicandi gratiâ, adduntur alia: ac primùm *baptismatum doctrina* Quæ variè exponi possunt: Aut conjunctè, aut divisè. Conjunctè quidem, primùm per appositionem grammaticam, cum antecedentibus; quasi per parenthesin quandam (quæ etiam à nonnullis notatur) ut sit sensus: quod fundamentum resipiscentiæ, & fidei, est doctrina baptismatum, & impositionis manuum: quemadmodum Euangelistæ attestantur, Matth. 3. v. 2. & Marc. 1. v. 4 Deinde sine appositione grammatica: ut absentia articuli Græci innuere videtur. Quæ sententia uberior est. Atque ita mens Apostoli fuerit hujusmodi: Doctrina baptismatum, id est, doctrina de baptismo singulorum fidelium, eorumque liberorum, ut pluralis numerus indicat. Nam quamvis unus sit specie, ac formâ baptismus, Eph. 4. v. 5. numero tamen multi sunt, pro singulorum fidelium, ac confœderatorum ratione. Atque hoc sane videtur aptius esse, quàm ut dicamus: baptismos plurali numero solennes ritus, vel statos baptizandi dies (ut quidam arbitrantur) designare. Deinde disjunctè exponi possunt, ut per *doctrinam* intelligatur munus interpretandi Sacras Literas; quod cum administratione Baptismi, & Cœnæ, ministerii Ecclesiastici officia continet. Sed tamen antecedens sententia videtur accommodatior: præsertim cum *doctrinæ* vox, pro munere prædicationis Euangelii, ita simpliciter, non facile reperiatur. Cæterùm doctrinæ baptismi additur *impositio manuum:* quæ triplex, in Sacris Literis, occurrit. Prima quidem ordinaria, in ordinatione pastorum: unde etiam pro eâ usurpatur: de qua 1. Tim. 5. v. 22. *manus citò nemini imponas*. Reliquæ verò duæ sunt extraordinariæ: quarum altera fuit communior: ut quæ, ad quosvis Christianos, pertinebat, nempe cùm baptizatis per Apostolos, impositione manuum, impetraretur donatio Spiritus Sanct. varia, Actor. 8. v. 27. 1. Tim. 4. v. 14. & 2. Tim. 1. v. 6. Altera propria est, quâ iis conferebatur corporis sanitas, Luc. 4. v. 40. Marc. 16. v. 18. Actor. 28. vers. 8. Quibus accedit impositio manuum alia, quam prisca Ecclesia habuit, in usu: siquidem iis, qui in infantia fuerant baptizati, post professionem religionis Christianæ, Ecclesiastica consuetudine, non necessitate, manùs adhibitis precibus, imponebantur; ad accepti baptismi, & fidei confirmationem. Vnde Pontificiorum superstitio, in confirmationis (ut vocant) Sacramento, occasionem sumsit. Pro qua superstitiosa confirmatione, in Ecclesiis reformatis, ab adultioribus baptizatis professio fidei, probatio, & ascriptio in album, seu catalogum membrorum Ecclesiæ, ante Cœnam Domini, secundum Apostolum Paulum, adhibetur, ne indignè Cœnæ participando, ira Dei provocetur. Atque hunc ritum, quem olim observatum diximus, in prisca Ecclesia, multi, hoc loco Apostoli, intelligi arbitrantur. Sed cùm alibi nusquam in Sacris Literis hujusmodi ritus fiat mentio, eum tandem, post Apostolorum tempora, ortum esse, minime dubitamus. Id quod etiam nonnulli agnoscunt: atque hinc etiam colligi posse arbitrantur, hanc epistolam non esse Apostoli Pauli. Id quod omnino alienum est: quoniam omissâ hac ignotâ Apostolis manuum impositione, commodè, vel de extraordinaria impositione manuum, ad Spiritum Sanct. per Apostolos impetrandum; ad tempus baptizatis communi: vel de ordinaria, in vocatione ministrorum, confirmatione, accipi potest; quorum utrumque convenienter baptismo connectitur. Prius quidem ratione temporis, ut ex Actis cap. 8. v. 17. & 19. 6. elucet: posterius verò rectè baptismo conjungitur, ratione cognationis inter utrumque. Quandoquidem ministerii Euangelii officium, & effectum est baptismus Matth. 28. v. 19. Adeo ut commodè hæc duo, ut ordinaria Christi instituta, in Ecclesiâ observanda, hoc in loco, copulentur. Quibus adjiciuntur articuli, *resurrectionis mortuorum & judicii æterni:* tanquam particularis quædam fundamenti fidei, antè memorati, explicatio. Quorum meminit: quod postremi quidem sint ordine, ac tempore; sed non postremum fidei objectum: ut qui felicitatis nostræ complementum continent. Ut autem resurrectio alia est electorum, ad vitam gloriosam: alia reproborum, ad mortem æternam: sic judicium aliud est vitæ, ac gloriæ æternæ; aliud mortis, & cruciatus æterni: idcirco *judicium æternum*, ratione executionis illius, in æternum duraturæ appellatur, v. 2. Atque hæc quidem pertinent ad descriptionem eorum, quæ in propositione continentur: quæ prima expositionis pars est. Cui altera deinde succedit, videlicet causæ efficientis principalis declaratio. Docet enim hortationis observationem, à providentia Dei dependere, cum ait: *atque id faciemus, siquidem permiserit Deus.* Cùm autem dicit: *faciemus*, nihil aliud vult, quàm id ipsum, ad quod hortatus est, versu primo; & quemadmodum ibi non agitur, de solo Paulo, & Euangelii ministris: nec etiam de solis Hebræis; sed de utrisque: ita & in hac sententia, ut etiam sequens ratio ostendit. Sensus igitur est, *ad perfectionem feramur*, & ego docendo & vos attendendo; si modò Deus gratiam eam nobis largitus fuerit. Nam permissio nuda non intelligitur (quia providentiæ divinæ obstaret, quæ omnia regit) sed cum gubernatione Dei conjuncta. Deus autem permittit, cum ministros verbi non impedit; quominus Euangelium annuntient (hoc enim interdum fit ut Actor. 16. v. 7.) Nec auditoribus suum aufert Spiritum; quominus annuntiatum Euangelium capiant: nec Satanæ, utrosque impedire conanti, habenas laxat; sed eum refrænat, ac coërcet, & pastoribus, atque Ecclesiæ, dona sua continuat, & auget. Sensus igitur est, *faciemus*, si Deus, ut justus contemptionis sui verbi judex, non impedierit; sed adjuverit. Cujus sententiæ scopus est, ut ad timorem Dei, & perseverantiam in fide Hebræos extimulet, versu 3.

Ac propterea, ut illos eo amplius moveat, addit comminationem gravissimam, adversus apostatas, qui à professione veritatis Euangelii desciscunt; & Christum odiosè abnegant. Ostendit enim Deum iis non largiri, ut in agnitione Euangelii, & professione proficiant. Ac propterea, non frustra, illam conditionem: *si Deus permiserit*: à se esse appositam, Apostolus ostendit. Comminatio autem adducitur primum: deinde confirmatur, & illustratur. In qua observandum est: priore loco subjectum; posteriori verò attributum. Subjectum autem sunt, Apostatæ à religione Christiana, quos describit ab adjunctis, & effectis, id est, à collatis iis divinitus beneficiis: & contrà relatis, ab illis, maleficiis. Ac beneficia statuit *illuminationem* mentis, cognitionem veritatis, & cordis aliquam recreationem, ac lætitiam, ex consideratione veritatis Euangelii, & præstantiæ Christi, ac salutis oblatæ; & ex conscientiâ liberationis à tenebris ignorantiæ antecedentis; & superstitioso timore. Quam lætitiam, *doni cælestis gustationem*, metaphoricè, appellat Apostolus: quemadmodum ex horum donorum expositione videre est. Nam causa adfertur gemina; cùm principalis, nempe Spiritus Sancti operatio, per quam illuminatio, & gustus ille oritur, v. 4. tum instrumentalis, nempe *bonum ac suave Dei verbum*, hoc est Euangelium, seu jucunda illa Christi exhibiti, & salutis, ac futuræ vitæ cœlestis credentibus, à Christo partæ, & oblatæ, annuntiatio. Quorum excellentia, appellatione *virtutem futuri seculi*, describitur. Hujus autem *verbi* adjunctum vocatur *gustus*. Quo intelligitur fides illa, sine radice, temporaria: qualis, Matth. 13. v. 20. 21. 22. & Luc. 8. v. 13. describitur. In qua adest quidem intelligentia & assensus Euangelii, lætitiam aliquam in corde excitans, & consequens Euangelii professio: sed deest vis charitatis, & fiduciæ effectiva. Quæ vis, vivam, ac salutiferam fidem, informat; & à mortua (quæ vanam salutis fiduciam solet parere) distinguit, Matth. 7. 22. 23. Iac. 2. v. 14. 17. 18. 20. 26. Atque hæc de beneficiis, in apostatas collatis. Contra verò relata ab iis maleficia, *lapsus* voce, per metaphoram usitatam, à re corporeâ, ad spiritualem, similitudine traducta, denotantur. Lapsis autem defectionem à professione Euangelii, & delectatione boni illius cogniti, designat. Cum autem defectio esse possit varia: non generatim quævis, hoc in loco, intelligenda; quo-

quoniam illud, Ez. 18. verf. 21. aliifque Sacris Literis pronuntiatis; & converforum exemplis, utroque teftamento: plurimis denique hujus epiftolæ dictis, cap. 4. v. 15. 16. & 7. verf. 25. 26. repugnat. Sed ea folùm defectio, quæ cum voluntate, & deftinato Chrifti, ac cognitæ veritatis Euangelii, odio, conjuncta, ut Heb. 10. v. 26. 29. Quod peccatum, ab effecto fuo, blafphemia in Spiritum Sanctum κατ' ἐξοχὴν, à Chrifto appellatur, Mat. 12. v. 31. & *peccatum ad mortem* (quod fcilicet fua naturâ, fecundùm Dei voluntatem, neceffariò mortem inferat) 1. Ioan. 5. v. 16. Atque hæc, de comminationis fubjecto. Attributum verò juftum hujus impietatis graviffimæ effectum, & meritum declarat: *quod fieri non poffit, ut denuo renoventur ad refipifcentiam.* Quæ ἀδυναμία intelligenda eft, non fimpliciter, & abfolutè; quia hoc, cum Dei omnipotentia, non convenit: fed relatè, id eft refpectu juftitiæ divinæ, & decreti illius, per Filium patefacti, Matt. 12. v. 31. 32. nam quemadmodum Diabolus, Deum, fummum bonum, & veritatem, ac juftitiam illius cognofcens, deftinato illius odio, perfequitur; nullamque obtinet peccatorum remiffionem: ita nec homines illi, qui agnitæ veritatis abnegatione, atque oppugnatione, eum imitantur, & Chriftum fervatorem, ac falutem, per eum partam, & Spiritus illuminatione cognitam, contemnunt, atque odiosè infectantur. Ac propterea Chriftus illis veniæ fpem præfcidit Marc. 3. 29. & Ioannes Apoftolus pro talibus (qui, vigente tum temporis prophetiarum dono, cognofci poterant) orare vetuit, 1. Johann. 5. verf. 16. Cujus horrendæ pœnæ juftitiam, fequenti explicatione, à peccati magnitudine, confirmat, cum ait: *rurfum crucifigentes fibi filium Dei, & ignominiæ exponentes*, id eft, quod illi, eâ hoftili, contra confcientiam, Euangelii abnegatione, Chriftum, à Iudæis femel crucifixum, & ignominiæ expofitum, quodammodo rurfum (quantum quidem in ipfis eft) crucifigant, & contemtui exponant, ad fuum exitium: dum crucifixionem illius, à Iudæis factam, approbatione fua, fuum peccatum, communicatione quadam, efficiunt: ut infra c. 10. v. 29. dum *filium Dei conculcant, & fanguinem Novi Teftamenti communem exiftimant.* Quamobrem hinc liquere poteft, quam graviter errarint; primùm, olim, Novatiani, qui hujus fententiæ iniquo prætextu, omnibus (etiam ex infirmitate humana, perfecutionum atrocitate, perterritis) qui à fidei profeffione defecerant, à peccatorum veniâ, & per refipifcentiam in Ecclefiam reditu, excludebant. Deinde hinc etiam liquet: quàm indignè, hujus epiftolæ authoritas, ea de caufa, à nonnullis rejecta fit: quafi omnibus, à profeffione Euangelii deficientibus, veniam, ac falutem præfcinderet. Denique ex antedictis etiam conftat, fruftra nonnullos hoc loco abuti, ut doceant, hominem, à fide viva, ac juftificante, poffe omnino, & abfolutè deficere, ac perire: nec enim de fide vivâ, ac juftificante; fed de fide mortuâ, ac temporariâ, fermo eft, ut fupra oftendimus. Et quamvis difputandi gratia de fide viva agi largiremur. Inde tamen nondum confequeretur antecedentis partis, fed tantùm confequentiæ veritas: quemadmodum enuntiationum conditionalium communis natura; & Sacræ Scripturæ exempla demonftrant: nec eft, quod quis objiciat, ineptam, & inutilem, hoc modo, fore fententiam; quia hujufmodi conditionum ufus effe poteft varius: ex gr. ad amplificationem, Gal. 1. v. 8. vel ad agnitionem officii, & ad ftudium illius; quemadmodum licet *Apoftolorum* (excepto Iuda, Ioann. 17. verf. 12.) *nomina effent infcripta in cœlis*, Luc. 10. v. 20. & regnum cœlorum illis certò promiffum à Chrifto, Luc. 12. v. 22. Matth. 19. v. 28. nihilominus iis etiam dixit, Matt. 5. v. 20. *nifi juftitia veftra abundaverit plufquam Scribarum, & Pharifæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Cum enim fideles confiderant, primùm, quantum defectio à fide adferat damni; & fuam etiam deinde imbecillitatem, cujus refpectu deficere poffent, intuentur; ad timorem Dei, & officium capeffendum, ftimulantur, 1. Corinth. 9. v. 27. quemadmodum etiam contra fpectatâ promiffâ, certóque futurâ Dei gratia, & virtute, (qua à lapfu, & interitu confervantur) fidem confirmant, 1. Pet. 1. v. 5. Ioann. 10. 28. 29. & 17. verf. 15. Rom. 8. verf. 30. 38. 39. Atque hæc de verf. 6. Reliqua, quæ objici poterant, ad uberiorem hujus loci explicationem, Deo favente, proponentur, Hebr. 10.

Porrò, hanc comminationem, exitii horum malitioforum apoftatarum, illuftrat, & confirmat Apoftolus, fimilitudine non minus eleganti, quàm convenienti, nempe terræ fterilis. Quam amplificat à contrario, promiffâ antithesi terræ fertilis: adeo ut fimilitudo fit duplex. Priori enim terra fertilis confertur, cum verâ ac vivâ fide prædítis, ut Luc. 8. v. 15. Altera, terra fterilis, cum Apoftatis, qui fidem tantùm mortuam, ac temporariam habent. Commune eft utrique terræ antecedens beneficium, quod & cultores habeant homines, & imbrem, à Deo, in fe venientem, combibant; Itaque utrique hominum generi commune eft, & quod cultores habeant, Deum & Dei miniftros, qui femen, Euangelii prædicatione, in iis, conferunt, Mat. 13. Et quod imbrem cæleftem Spiritus Sancti fimiliter, quamvis difpari gradu, percipiant, dum auditum Euangelium non folum intelligunt, fed ei etiam affentiuntur mente fuâ per illuminationem à Spiritu Sancto illuftratâ: proprium verò & diffimile utriufque eft confequens, cum effectum, tum eventus. Effectum quidem terræ fertilis eft, *proferre herbam accommodam, & utilem cultori:* contrà fterilis eft, *proferre fpinas, & tribulos.* Sic etiam verè fidelium eft, gratitudine laudabili, pro hifce beneficiis, conftantis confeffionis fidei, ac charitatis fructus, quafi herbam, proferre, ac referre, Luc. 1. v. 15. Contra verò mortua illa fide præditi, ingratitudine turpi, à Chrifto cognito, deficere folent; & pro acceptis beneficiis, maleficia rependere, hoc eft, adverfus ejus gloriam, & miniftros fideles, improbam vitam, & blafphemiam, quafi fpinas, producere. Quibus effectis contrariis, contrarii eventus refpondent. Nam terræ fertilis eventus eft felix, *benedictio Dei*, in meffe bona, feu frugum copia, & maturitate. Qua phrafi utitur Ifaacus patriarcha, Gen. 27. *ecce odor filii mei, ficut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Contra fterilis terræ infelix eventus eft, *maledictio*; quâ deferitur: *& exuftio*; qua tribuli, & fpinæ exuruntur. Similiter eventus verè fidelium eft benedictio Dei, fita in donorum acceptorum incremento, ac maturitate, & in gratuito, præftiti debiti officii præmio, vitæ æternæ: Contra apoftatarum eventus eft, cum maledictio Dei, qua ejus verbi, & Spiritus illuminantis beneficiis, privantur, in hoc mundo; tum confequens uftio, ac cruciatus æternus, in igne inferni. Ex qua fimilitudine infigni, elucet judicii Dei, in hujufmodi apoftatas, feveritas, & juftitia. Si enim agricola terram fterilem, diu multumque à fe cultam; ac fæpius, à Deo, cælefti pluviâ, irrigatam, & tribulos ac fpinas tantùm proferentem, tandem fapienter, ac meritò incultam deferit, & exurit: multo fapientiùs ac juftiùs Deus, poftquam apoftatas, Euangelii femine, per Euangelii miniftros, quafi agricolas, longo tempore confevit, ac coluit, & bono Spiritus fui illuminantis imbre irrigavit, nullofque culturæ fructus bonos percepit vivæ fidei, fpei, charitatis: fed contra perfidam defectionem, & abnegationem, odiumque veritatis protulerunt tandem fua illa benigna cura, & donis Spiritus privat, atque igne infernali punit. Hæc de comminatione, & illuftratione illius, v. 7. & 8.

Ad cujus afperitatem, apud fideles Hebræos infirmiores, mitigandam, additur (per objectionis anticipationem opportunam) confolatio. Qua comminationis fcopum declarat, remotione falfi, & pofitione veri. Quia enim infirmiores, ea comminatione, potuiffent percelli, & animum quodammodo defpondere; partim quafi à Paulo, in reproborum numerum effent relati; partim confcientiæ ftimulis commoti, quod videlicet ob ingratitudinem, & negligentiam digni effent, qui rejicerentur, & à gratia, ac vita Dei, excluderentur: propterea, perquàm fapienter teftatur, eum non effe fermonis fui fcopum; quafi de ipfis defperaret: fed fe bene de iis & falute eorum fperare: *quamvis ita* duriter *loqueretur*, v. 9. Quam fpem, & perfuafionem amplificat declaratione geminæ caufæ efficientis. Quarum prior eft, demonftratio charitatis Chriftianæ eorum, erga Deum; & erga fanctos Dei filios, feu verè fideles.

Quam

Quam charitatem, non solùm ab initio illius, laudat; sed etiam à constanti progressu amplificat, sincerè, & salutis illorum studio. Altera causa efficiens est Dei justitia; cujus est, secundum promissionem suam, non oblivisci sinceræ, ac constantis charitatis fidelium; sed contrà benedictione sua remunerari. Cùm autem justitia sit virtus, qua cuique quod debetur, attribuitur: benedictio hæc, bonis fidelium operibus debita, dici quodammodo potest, sed non ratione meriti operum, ut Pontificii volunt; verum ratione gratuitæ promissionis, ac veritatis divinæ: qua fidelium (quos in Christo gratos habet Eph. 1.) bonis operibus gratiam, & vitam; tanquam præmium gratuitum, promisit: atque, ea ratione, debitorem se constituit, præstandæ promissionis; non autem reddendi meriti nostri: idque ad laudem misericordiæ suæ; non autem ad gloriationem meriti hominum, vers. 10.

Atque hæc de remotione scopi falsi. Sequitur positio veri: quod hæc scripserit; ut sit stimulus, ad perseverantiam in fide, charitate, spe, patientia; & remedium adversus negligentiam, quam supra reprehenderat. De charitate & spe agit, v. 11. De reliquis verò sequenti. Quo in loco, ad fidem, & patientiam, addit calcar, argumento exempli Patrum Veteris Testamenti. Id quod confirmat à fructu, nempe consecutione hæreditariâ promissionis, id est per Meton. vitæ æternæ, à Deo promissæ, v. 12.

Atque hæc illustratur, & probatur exemplo Abrahami: quod quamvis reipsa singulare sit: usu tamen commune est, & instar omnium. Quoniam Pater fidelium est: cujus *vestigia nos imitari debemus*, Rom. 4. v. 16. Cujus benedictio nobis etiam communis est, ibid. v. 23. 24. Gal. 3. vers. 14. Profert autem Apostolus primùm promissionem, quæ à Deo Abrahamo facta est; & juramento per ipsummet, (tanquam verè Optimum ac Maxim.) munita, v. 13. & 14. de qua re Gen. 22. v. 16. 17. Deinde promissionis illius consequens duplex adjicitur, nimirum patientia in Abrahamo; & veritas in Deo, quod promissum suum de Christo, & benedictione per eum, impleverit, vers. 15. Quibus deinde addit Apostolus expositionem, qua finem, & utilitatem jurisjurandi, à Deo, promissioni additi, declarat; præmissa jurisjurandi humani, ad rei amplificationem, comparatione. Nam ut illud est litis diremtio, & confirmatio veritatis, in animis auditorum, v. 16. Sic etiam Deus, ut ostenderet vitæ hæredibus (hoc est fidelibus omnibus, Rom. 8. v. 17. Gal. 3. v. 29.) immutabilitatem consilii sui, promissione revelati, jurejurando interposito, stabilivit, vers. 17.

Cujus rei fructus indicatur, nempe confirmatio fidei nostræ, seu firma consolatio: quod Deus duas res immutabiles, *promissionem & juramentum, in quibus mentiri non potest*, adhibuerit: *ut firmam consolationem habeamus, nos, qui cursum corripuimus, ut eo modo spem propositam retineamus*: id est, ut verbi, & veritatis Dei consolatione, quasi rudente, seu fune nautico validissimo, *spem nostram, tanquam anchoram retineamus*, in curriculo, & navigatione hujus vitæ, in undoso hujus mundi Oceano, v. 18. Quam genuinam esse sententiam, liquet ex sequenti comparatione: qua spes confertur anchoræ. Vnde etiam liquet, *spei* vocem non esse accipiendam figuratè, ut interdum fit, per Meton. pro re promissa, aut etiam promissione (quia anchoræ similitudo neutro modo conveniret) sed propriè, qua ratione optimè quadrat. Comparatio autem composita est ex similitudine & dissimilitudine. Similitudo est: quod ut anchora laudabilis, ac proba, *firma* est; quæ non comminuitur, nec inflectitur: *& tuta*; quæ demissa in fundum, loco non movetur; sed navem fundo inhærens retinet, ne per tempestatem, abrepta in scopulos, aut in vadum illisa, pereat: ita *spes* Christianorum *firma* est, ac *tuta*, Roman. 5. v. 5. animamque adversus tentationum fluctus, retinet & ab interitu conservat. Dissimilitudo vero est, quod anchora navis demittitur in salum, & solum; sed animæ anchora emittitur in cœlum. Nam quod Apostolus ait: *in interius veli spatium*: ea periphrasi (à tabernaculo Veteris Testamenti desumpta) cœlum designat. Cujus sanctum sanctorum, infra velum positum, typus fuerit (ut postea, ab Apostolo, in sequentibus capp. declaratur) & simul legis ceremonialis (quæ à sancti sanctorum penetrali Israelitas velo arcebat) complementum; rupto scilicet jam, per Christi mortem, velo, Matt. 27. vers. 51. ascensione illius in sanctum sanctorum cæleste, Heb. 9. v. 24. Ac propterea addit Apostolus: *quo præcursor, pro nobis, ingressus est Iesus*. Quem, ab officio sacerdotali, secundum ordinem Melchisedec, describit: eaque via, ad rem propositam, unde à capitis quinti vers. 11. digressus erat, repetitione commoda, regreditur, vers. 20.

Consectaria.

I. CVm fideles oporteat, à rudimentis religionis Christianæ, ad perfectionem contendere: iniquè omnino faciunt, qui vix cognitis primis fundamentis, in iis negligenter conquiescunt: & multo iniquius Pontificii Doctores; qui, religionis ac fidei implicitæ nomine, eam socordiam commendant.

II. Cùm peccata sint opera mortua; à renatis, & in Christo viventibus fidelibus, cavenda sunt, vers. 1.

III. Profectus, in agnitione & professione Christi, Dei donum est, vers. 3.

IV. Cùm Apostatæ reprobi, suo odio, Christum crucifigant, & ignominiæ exponant: peccant illi graviter, qui lenitatis Christianæ specie quadam, scelera hujusmodi extenuare student.

V. Si maledictionem, & ignem æternum fugere velimus, necesse est, ut fructus bonos proferamus.

VI. Comminationes proponendæ sunt, non solùm reprobis; sed etiam electis: ut repressa carne, in Dei timore & officiis pietatis, retineantur, ac proficiant, v. 9.

VII. Pios in os laudare, interdum, non solùm licet; sed etiam decet, & expedit, modò hoc fiat exemplo Apostoli rectè: ut scilicet origo illius sit sinceritas, & charitas: Medium verò veritas: finis denique sit piorum, in laudatâ virtute, profectus, ad Dei gloriam.

VIII. Charitas Christiana vera, à fucatâ mundi dilectione, distinguitur, quod non solùm in ore, sed etiam in opere consistat: deinde quod in Deum, & Sanctos potissimum feratur.

IX. Cùm Deus officia charitatis nostræ, pro veritatis suę justitia remuneretur: non est, cur ab iis pręstandis, mundi ingratitudine, absterreamur, vers. 10.

X. Patrum piorum exempla, rectè non solùm cognoscenda sunt, sed etiam imitanda, vers. 12.

XI. Cum juramenti finis sit rectus, ut & origo, & medium: hominumque juramenta legitima, hoc loco, probentur, & eorum imitatione, Deum jurare, Apostolus demonstret: sequitur nos exemplum Dei rectè posse, cùm opus est, imitari, ac jurare. Ideoque errare Anabaptistas graviter, qui contrarium pertinaciter asserunt, vers. 13. 16. 17.

XII. Fidelium promissa salus certa est; ideoque constanti spe expectanda, vers. 15.

XIII. Cùm *Spes* Christianorum, Dei conservantis gratiâ, sit *Anchora tuta ac firma*, sequitur eam non posse perire: Errant ergo plurimum, qui perseverantiam illius, in verè fidelibus, certam esse negant, vers. 19.

Caput Septimum.

POstquam Digressionem, ante memoratam, absolvit Apostolus: quâ negligentiam Hebræorum reprehendit, & ad officium hortatus est; & ad Sacerdotium Christi æternum secundum ordinem Melchisedec (de quo egerat, cap. 5. vers. 10.) regressus est tandem, cap. 6. v. 20. In eo amplificando, jam progreditur, hoc cap. 7. Demonstrans illud longè præstantius esse Sacerdotio Levitico: idque bifariam. Primum descriptione Melchisedeci, tanquam typi Christi, quo Levitas inferiores esse docet, ideoque & Christo: deinde oppositione inter ipsius & Levitarum Sacerdotium: cujus etiam abrogationem inde concludit. Descriptio Melchisedechi constat historiæ propositione, & expositione illius. Historia petita est ex Genes. 14.

nes. 14. Quæ, præmisso Melchisedeci nomine, eum describit ab officio, effecto, (seu beneficio, quod contulit) & adjuncto, seu gratiâ, quam retulit, sive accepit. Officium statuitur geminum, Regale & Sacerdotale. Ac regni quidem præstantia, à subjecto loco, declaratur, *quod fuerit rex Salem*. Sacerdotii verò sanctitas indicatur, à causa, cùm efficiente; tum finali, scilicet Deo, qui (ut ab idolis, & creaturis distinguatur; & sacerdotium Melchisedeci, ab impio idololatrarum cultu secernatur) *Altissimus*, hoc est, omnipotens cæli creator, ac Dominus appellatur.

Effectum seu collatum ab eo beneficium est, quod *occurrerit Abrahamo à cæde regum revertenti; & benedixerit ei, vers. 1.*

Deniq; adjunctum, seu accepta gratia est, quod decimas omnium ab Abrahamo receperit. Atque hæc est propositio historiæ.

Cui deinde subjicitur ejusdem expositio, quæ hujus historiæ partes, & momenta ordine declarat. Nam primum de officiis agit, initio ducto à regno. Cujus qualitates explicat duas; *justitiam* & *pacem*: idque interpretatione nominis (ut latens in eo mysterium patefaceret) cùm regis: tum sedis regni. Nomen regis est *Melchisedec*: cujus interpretatio est, *rex justitiæ*. Nam ut מלך *regem*; ita צדק *justitiam* significat: litera autem (*jod*) per epenthesin inserta est, ad compositionis elegantiam, ut similia declarant: Adonizedeck, Adonibezec, Abimelech Achimelech, Achitob, Abisag, Achitopel, Aminadab, & similia. Ac propterea alienius est, quod quidam, ab Apostoli interpretatione nonnihil declinantes, quasi (י *jod*) pronomen esset nomini affixum, interpretari malunt *rex meus justitiæ*. Nomen autem sedis regni indicatur, cum ait: *rex Salem, quod est rex pacis*. Salem autem est antiquum urbis Ierusalem nomen, quo etiam sensu vocatur, Psalm. 76. versu 3. Cæterùm hîc difficultas quædam, adversus hujus epistolæ veritatem, eoque authoritatem occurrit, quæ vulgò ab interpretibus negligitur, ideoque expedienda est. Objici enim potest: quod שלום Hebræis est *pax*: שלם verò *pacificus*, ut Genes. 34. vers. 22. Responderi autem potest bifariam. I. apud Hebræos usitatum esse, ut non rarò eadem vox, modo adjectivè, modo substantivè usurpetur: quemadmodum ארב *insidians*, vel *insidiæ*; ארך *longus*, vel *longitudo*, טוב *bonus*, vel *bonitas*, & alia multa: ut ex usu, & proborum Lexicorum testimoniis constat. Sic etiam vox Salem *pacificus*, vel substantivè *pax*: licet ejus significationis exemplum, in Prophetis, non extet: sed Apostolus, tanquam rem notam, expressit. Deinde altera etiam responsio esse potest, ut adversariorum objectio perspicuè, ac solidè refutetur; nimirum, etiamsi daremus, quod probatum non est, *Salem* non *pacem*; sed *pacificum* notare: interpretatio Apostoli nihilominus esset vera; quia βασιλεὺς εἰρήνης *rex pacis*, consuetâ Scripturæ phrasi, regem pacificum, seu pacis effectorem, notabit, ut Rom. 15. vers. 33. & 16. 20. Heb. 13. vers. 20. *Deus pacis*, eodem sensu dicitur, id est, pacis effector: & 2. Thes. 2. vers. 16. *ipse verò Dominus pacis det vobis pacem*, simili phrasi usurpatur. Ideoque perstat invicta interpretationis Apostoli veritas, & authoritas. Atque hæc de descriptione officii Melchisedeci. Secundo verò loco describitur persona ejusdem, à causa sua efficiente; quod nimirum parentum sit expers. Id quod negatione declarat, cum ait: *sine Patre, sine Matre*. Quod intelligendum est non absolutè, ac per se; sed respectu descriptionis Mosis. Qui partim ratione communi (quoniam obiter tantum Melchisedeci facit mentionem) partim ratione singulari, ut typus esset Christi: idcirco parentes illius, & genus, silentio tegit. Vnde etiam ab Apostolo dicitur ἀγενεαλόγητος *sine generis recensione*. Adjunctum verò est infinitas, seu æternitas: quod *initio dierum, & fine careat:* nempe non absolutè; sed relatè, respectu recensionis Mosis. Tertiò describitur alterum Melchisedeci munus, sacerdotium æternum: id quod à simili illustratur, cum ostendit: *in eo assimilatum filio Dei*: id est, quod fuerit Christi typus, v. 3. Quartò Melchisedeci sacerdotis præstantia ostenditur etiam, partim ex adjuncto; partim ex effecto, comparatione instituta cum Abrahamo: & deinde cum Leviticis sacerdotibus: quibus majorem fuisse ostendit, ex rebus mutuo gestis. Ea autem sunt Abrahami gratitudo, quâ decimas persolvit; & Melchisedeci benedictio, quâ Abrahamo gratulatus, ac bene precatus est. Ac primum Abrahamo majorem fuisse demonstrat: quod Abraham ei *decimas spoliorum dederit*. Cujus rei dignitatem amplificat, descriptione Abrahami ab effectis, cùm *Patriarcham*, id est, principem, populi Israelitici Patrem, vocat. Deinde comparatione cum Levitis addita, iisdem quoque superiorem esse ostendit. Nam utrique quidem in eo similes fuerunt; quod secundùm Dei voluntatem decimas acceperunt: sed in eo dispares; quod nimirum Levitici Sacerdotes à populo tantùm, id est, fratribus suis, secundùm legem Dei decimas acceperunt, quod quidem magnum erat; quia progeniti simul fuerunt ex eodem Patre Abrahamo, versu 5. Melchisedek verò alterius generis existens, decimas acceperit ab ipsomet Levitarum Patre Abrahamo, quod longe majus est. Vnde apparet Melchisedec præstantiorem fuisse Leviticis sacerdotibus. Idque amplius confirmatur, cùm, ex effecto illius, Abrahamo digniorem esse, concludit, hoc sensu: Qui Abrahamo benedixit, is major est illo. Meschisedek Abrahamo benedixit. Ergo eo major est. Conclusio, tanquam ex antecedente nota, omittitur: Assumtio ponitur, versu 6. &, loco propositionis, confirmatio illius (ut sæpe, & eleganter fieri solet) adfertur hujusmodi. *Id quod minus est, ab eo quod majus est, benedicitur*: loquitur autem Apostolus de benedictione non vulgari; qua par pari; imò & superiori inferior benedicere potest: sed de sacerdotali, ac solenni: quæ Dei jussu, & nomine pronuntiatur: & authoritatis argumentum est. Qualis etiam fuit summorum sacerdotum præscripta, & usitata formula, Num. 6. versu 23. Ac propterea liberè addit Apostolus, ad hujus sententiæ perspicuitatem demonstrandam, fidelium confessionem, cum ait: *sine ulla contradictione, seu, controversia, vers. 7.* Ne quis autem exciperet Melchisedecum, initio quidem, fuisse majorem; sed postmodum, accepta promissione, Abrahamum ei fuisse prælatum divinitus. Idcirco prudenter ab Apostolo, omisso Abrahami nomine, periphrasis adhibetur: qua hanc objectionem anticipat, ac diluit, cùm eum vocat: *qui habebat promissiones*; nimirum fœderis cum Deo, de seminis incremento; hæreditate Cananææ; & Messiæ adventu.

Cæterùm, quia scopus Apostoli est (cum Melchisedec majorem fuisse Abrahamo asserat) ut ostendat præstantiorem esse sacerdotibus Leviticis: propterea eodem jam redit, usus duobus argumentis, ad Melchisedeci præstantiam, ac dignitatem majorem stabiliendam. Quorum prius est durationis vitæ circumstantia; quod Levitæ (quamvis non minus, quàm Melchisedec decimas acciperent) tamen mortales essent: Melchisedec verò viveret. Id quod testimonio Ps. 110. (de quo actum est) comprobatur. Quod quidem intelligendum est, non propriè, sed typicè, ratione mysticæ descriptionis Mosis: qui, neque initium; neque finem sacerdotii illius recenset, vers. 8. Alterum præstantiæ argumentum est, quod etiam Levi in Abrahamo, quodammodo, decimas dederit Melchisedeco, vers. 9. Idque probat: *quoniam in lumbis illius adhuc erat, quando Abrahamo occurrebat Melchisedec*, vers. 10. Si quis autem excipiat: Ergo & Christus etiam decimas Melchisedeco dederit; eoque & minor eo erit: utpote, qui non minus, quàm Levi, in Lumbis Abrahami fuerit: quemadmodum *fructus lumborum Davidis*, similiter appellatur. Consequentiam negamus: quoniam diversa omnino est ratio. Nam antè decimationem hanc, Christus, per promissionem Abrahamo datam fuerat exceptus, & prælatus Melchisedeco, & omnibus: utpote in quo benedicendæ essent omnes gentes terræ; eoque & Abrahamus, & Melchisedecus. Deinde fuit in lumbis Abrahami, secundum carnem tantum; non secundum divinam naturam: cujus dignitate fit, ut humana natura, ei hypostaticè unita, omnibus creaturis major sit. Denique non fuit etjam in lumbis Abrahami simpliciter, quemadmodum Levi, sed tantùm secundum quid, ratione materiæ; non autem ratione virtutis generantis; quia non est è semine virili generatus; sed miraculo virtu-

virtutis Spiritus Sancti, à virgine, & è virgine conceptus. Reliqua, quæ ad Melchisedecum, & collationem illius cum Christo, distinctius, ac plenius pertinent, ea consultò, in calcem capitis, differemus.

Atque hoc modo finem imposuit Apostolus descriptioni Melchisedeci: qua eum Abrahamo, & sacerdotibus Leviticis contulit, ac prætulit; ad Christi sacerdotis, hoc typo prophetico adumbrati, excellentiam indicandam. Ad quam jam propius tanquam ab umbra ad corpus, accedit: & infirmitatem, atque abrogationem Sacerdotii Levitici, per Christum, demonstrat: ut errores Iudæorum infidelium, qui à Sacrificiis, neglecto Christo, sanctificationem sperabant, refutaret; & fidelium infirmitati opportunè succurreret. Et quidem, fundamenti loco, id quod de sacerdotio illius, secundùm ordinem Melchisedec ex Ps. 110. antea cap. 6. v. 20. proposuerat, reponit, & exponit: & inde imperfectionem Sacerdotii Levitici concludit variis modis. Primum enim hac ratione facit. *Si perfectio populi Dei, seu consecratio per Leviticum sacerdotium erat: non fuisset amplius opus exoriri alium sacerdotem, secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aaronis.* Probatio est: *nam super hoc* Sacerdotio Levitico, secundum ordinem Aaronis, *legem accepit populus*, id est, legem Deus populo dedit, de sacerdotibus ex tribu Levi; & summis, ex ordine posteritatis Aaronis deligendis: non autem ex alia tribu, aut gente, aut familia. Altera ratio à mutatione legis hæc est: Per illud sacerdotium, cujus lex, seu ordinatio, mutatur, non est perfectio. Atque Sacerdotii Levitici lex mutatur. Ergo per illud non est perfectio. Assumtionis loco, probatio illius adhibetur duplex: Vna, ex antecedenti fundamento, talis: Sacerdotio aliquo mutato, lex illius mutatur. Atque Sacerdotium Leviticum mutatur, nempe sacerdotio secundum ordinem Melchisedeci. Ergo lex illius mutatur, vers. 12.

Altera probatio est hujusmodi: quia Christus, de quo dicitur, quod sit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, est ex alia tribu, quàm Aaronis, & Levi: quam tribum lex (reliquis ab altari, & sacerdotii ministerio, exclusis) requirit, v. 13. Idque confirmat expositione *tribus* illius, nempe Christi: *quod, quemadmodum notum est, sit ex tribu Iuda*; utpote ex Davidis familia, cui sacerdotii partem nullam, Deus concessit, per Mosen, v. 14. Atque hanc, sacerdotii Christi, & Levitici, diversitatem, ab adjuncta temporis circumstantia, ex eadem Ps. 110. sententia, amplius concludit, vers. 15. Et explicat, per aphæresin, & thesin, seu remotione falsi, & positione veri: Quibus quasi partibus, antithesis, inter Leviticos sacerdotes, & Christum, continetur. Aphæresis autem est, quod factus sit sacerdos, non ut Levitici pontifices, secundùm legem mandati carnalis, id est, caduci & infirmi, quodque circa carnalia versetur, ut vers. 18. & cap. 9. 10. & 13. accuratius explicatur. Thesis verò est, quod sit sacerdos *secundum potentiam vitæ indissolubilis*, id est, æternus, & omnipotens Dei filius, vers. 16. Vt hoc modo hunc locum, cum versu ultimo, comparemus. Hoc autem, testimonio, ex Psal. 110. repetito, demonstratur, versu 16. Et utraque antitheseos pars plenius illustratur, ac confirmatur. Etenim, opportuna quadam objectionis anticipatione, ostendit Apostolus, causam, abrogationis legis ceremonialis, & sacerdotalis, esse infirmitatem, & inutilitatem illius: non quidem absolutè (alioquin Deus, quod absit, id frustra statuisset) sed respectu consummationis, & sanctificationis Ecclesiæ, ut versu 11. & 19. declaratur. Legis enim ceremoniæ adumbrarunt: non autem contulerunt peccatorum remissionem, & reconciliationem cum Deo, per se. Causæ quidem fuerunt adjuvantes quodammodo, nempe tanquam instrumenta remota (quod fidem, quæ propinquum est instrumentum, excitarunt, ac confirmarunt) non verò causæ principales: de qua re, hoc in loco, differitur, v. 18. Ideoque hanc inutilitatem generalius propositam, explicat, ac probat, declaratione speciei; qua restringit; *nihil enim lex consummavit*, seu *sanctificavit* (de qua re pluribus, cap. 9.) sed Christus per suum sacerdotium. Id quod declarat, per *spem meliorem superintroductam*, id est, rem speratam, per Metonymiam adjuncti pro suo subjecto: quia, per Davidem, fidelibus, illius rei spes fuerat facta. Cujus effectum esse ostendit reconciliationem cum Deo, versu 19.

Christi autem sacerdotium esse melius Levitico, amplius comprobat. Ac primùm ab adjuncto antecedenti juramento solenni: quo sancitum est à Deo Patre, v. 20. Quod & Levitico sacerdotio defuisse, & Christi sacerdotio adfuisse, probat ex Ps. 110. v. 21. Vnde concludit: Christum factum sponsorem potioris fœderis, v. 22. Altera ratio est, à consequentibus successoribus; quod eos Levitæ, utpote mortales, habuerint, v. 23. Christus verò æternus habeat; & successorum expers sacerdotium, v. 24. Quod amplificatur ab effecto, quod inde concluditur, nempe perfecta salute fidelium, qui Deum, vera fide in Christum, invocant. Cujus causa efficiens est, quod semper vivat, ut interpellet pro fidelibus, v. 25. Reliquæ hujus capitis rationes, antithesi nervosa, & eleganti, continentur. Christum enim opponit Apostolus Leviticis sacerdotibus, sanctitate, sacrario; & denique sacrificio. Sanctitatem vero illius indicat primum simpliciter per thesin, cum *sanctum* vocat: & per aphæresin remotione contrarii, nempe *sine vitio. sine labe*: ut eo modo, non secundum quid, ut pii sacerdotes; sed simpliciter sanctum intelligendum, ostendat. Ideoque oppositè omnibus hominibus, eoque etiam Leviticis sacerdotibus, additur, *segregatus à peccatoribus*; quod videlicet peccatorum numero nullo modo esset accensendus. Sacrarium deinde, in quod pro nobis interpellaturus Patrem, ingressus est, non manu factum in terris (in quod Levitici pontifices introibant) sed cælum ipsum intelligitur. Nam quod nonnulli verba illa *sublimior cælo factus*, de ubiquitate corporis Christi, accipiunt: illud omnino à fidei analogia, & rectâ hujus loci sententiâ, alienum est. Christus enim cælos hosce visibiles penetravit, & in ipsum tertium, ac summum cœlum pervenit: ac propterea dicitur cœlis sublimior, vers. 26.

Denique in sacrificio differentia varia statuitur, in subjecta victima; deinde adjecto tempore, & postremo in fine. In subjecta victima; quoniam sacerdotes Levitici obtulerunt, *victimas*, nempe plures, ac brutas: Christus verò *semel*; & quidem *seipsum*, ut qui non solum fuerit sacerdos; sed etiam victima: ac propterea quanto Christus præstantior omnibus, non solùm brutis animantibus; sed etiam creaturis quibusvis: tanto excellentius illius extitit quàm Levitarum sacrificium. Altera differentia est in adjecto tempore; Pontifices Levitici obtulerunt quotidie: Pontifex noster Christus obtulit semel. Postrema differentia est in fine: Pontifices Levitici sacrificarunt non solùm, pro peccatis alienis; sed etiam, & prius, pro propriis: Christus contrà non pro suis, quibus caruit; sed tantùm pro peccatis populi, v. 27. Quæ Christi præ Leviticis pontificibus prærogativæ confirmantur, oppositione nova: repetitis nonnullis ex iis, quæ antè posita fuerunt. Primum membrum est, quod pontifices Levitici à lege constituti fuerint: Christus verò post legem: ac propterea iis dignior: quia leges priores, posterioribus oppositis, tolluntur. Secundum, illi, sine jurejurando: Christus verò sermone jurejurando sancito, quemadmodum antea exposuimus. Præterea, ratione personæ, & conditionis conjunctæ, aperta est differentia. Illi homines fuerunt, & quidem infirmi, cum infirmitate naturæ finitæ, & culpæ; ut qui & peccatum habuerunt, & seipsos à morte meritâ, per culpam, liberare non potuerunt: Christus verò Filius Dei ideoque Deus omnipotens, & perfectè sanctus, sine peccato, & mortis domitor. Denique illi consecrati fuerunt ad tempus tantùm: Christus verò in æternum, v. 28. Atque hactenus insignis hujus cap. 7. explicatio.

CONSECTARIA.

I. CVm Melchisedecus, inter plurimos impios Reges Chananæos, Dei Sacerdos fuerit; inde apparet Dei, in Ecclesia sua, in medio luporum, conservanda, admirabilis potentia et gratia.

II. Vnde etiam sequitur, exemplo Melchisedeci, non multitudinis, & mundi immundi, nobis circumjacentis, mores, nobis esse imitandos: sed Dei voluntatem, tanquam Cynosuram, semper esse spectandam; &, secundum eam, officium pietatis constanter esse exequendum.

III. Cùm verus Deus, sit, ac dicatur, Altissimus: unum esse essentia, necesse est: quia plures altissimi esse non possunt: essent enim *aut pares aut impares*: quorum utrumque Altissimo repugnat. Deinde hinc apparet, ei nos verâ obedientiâ submittere, & seriò colere debere, ut Altissimo subjectos.

IV. Cum Salem, fuerit sacri cultus Dei sedes regnante Melchisedeco, à quo tamen cultu, postea defecisse, ex sacra Iosuæ historiâ colligitur: inde constat justum Dei judicium, quo contemptum verbi sui, privatione illius, vindicare solet.

V. Bella, ad insontes, & conjunctos, ab hostium iniustâ violentiâ, liberandos, suscepta, laudato divinitus Abrahami exemplo, defenduntur.

VI. Præclaris aliorum factis non invidere; sed gratulari, ac benè precari nos decet: quemadmodum Melchisedecus, pro suâ benevolentiâ, & muneris Sacerdotalis ratione, Abrahamo gratulatus est, ac benedixit.

VII. Pro acceptâ de hostibus victoria, Deo gratiæ agendę sunt; & spoliorum pars, gratitudinis ergo, ad illius cultum, Abrahami exemplo, conferenda est.

VIII. Regum ac Magistratuum gloria summa, ac felicitas, posita est, non in terribili potentia; sed in justitia, & pace: ac propterea, & illi, & subditi, iis potissimum bonis studere debent, omnibus viribus.

IX. In propheticis Veteris Testamenti Typis, quibus Christus adumbratur, nominum origo, & significatio, ubi Scriptura aliquod indicium facit, non est negligenda: quemadmodum exemplum Melchisedeci demonstrat, vers. 2.

X. Si Melchisedecus sine Patre, sine Matre, sine Genere, tanquam Christi typus proponitur: inde meritò concludi potest errare graviter eos Anabaptistas, qui asserunt humanam Christi naturam esse ex semine æterno Patris, nec aliter Christum appellari filium Dei: nam si hæc sententia obtineret, inde necessario consequeretur, ut Christus secundum idem Patrem haberet, & Matrem? quod Melchisedeci typo omnino repugnat, vers. 3.

XI. Sacerdotibus Leviticis, Deus decimas, ad eos alendos, à populo, dari non solùm concessit; sed etiam præcepit: Ergo non est injustum, ut Anabaptistæ objectant Ecclesiarum pastoribus, quod certo stipendio, ab auditoribus non ingratis, sustententur; præsertim cùm eandem esse, si summam, ac genus spectes, Vet. & Novi Testamenti conditionem, hâc in re, demonstret Apostolus, 1. Cor. 9. & Gal. 6. v. 6.

XII. Cum Reges, Principes, Magistratus, quamvis potestate corporali & externâ, superiores sint verbi Ministris, tanquam suis subditis; animæ tamen, & gubernationis illius salutaris, ac benedictionis ratione minores sint: sequitur non minus Ecclesiæ Pastores, suo loco & gradu, in Sacris Literis declarato, debere esse reverendos, in divinis, & Spiritualibus (si modo officio suo, rectè, ac fideliter fungantur) quàm Magistratus, in humanis, ac corporalibus, ab omnibus jure honorantur. Ac propterea dignitatem sacri Ministerii non satis agnoscunt; sed graviter impingunt, ac peccant, qui illud Ministerium in aliis fastuosè contemnunt; aut in se, maledictis, & malefactis suis, contemptui aliorum exponunt, v. 7.

XIII. Si *Levi*, quodammodo, in lumbis Abrahami Patris sui, decimatus est: multo majori jure asseritur, omnes homines, in Adamo, primo omnium mortalium parente, ac primitiis, peccasse, Rom. 5. v. 12. ut qui in lumbis illius fuerint, & justitiæ, ac gratiæ feudo, in illo donati; & eo lapso, iisdem bonis feudi spiritualis, exciderint.

XIV. Si per Leviticum Sacerdotium, divinitus institutum, non fuit consummatio, & sanctificatio populi Veteris Testamenti, quòd ea gloria, ad solum Christum, pertineat: ergo multò minùs profano Pontificio sacerdotio, ea præstantia tribuenda est v. 11.

XV. Cùm palam sit, Christum esse ortum ex tribu alia, quàm Levi, nempe ex tribu Iuda: sequitur ineptas, & impias eorum esse fabulas, qui fingunt Christum, ex tribu Juda, & Levi, mixtâ, fuisse prognatum. Ac propterea, quatenus ex tribu Judà fuit, Regem; quatenus verò ex tribu Levi, summum Sacerdotem; cùm contrarium de origine, & Sacerdotio ab Apostolo asseratur, vers. 13. & 14.

XVI. Cum Christus sit Novi fœderis Sponsor; illi fidere debemus, v. 22.

XVII. Cùm ea sit, inter Christum & Pontifices Leviticos, differentia; quod illi plures facti sunt Sacerdotes, quoniam mors prohibebat eos manere: Christus verò propterea, quod in æternum maneat, æternum habeat Sacerdotium; sequitur, unum, & solum esse Novi Testamenti Sacerdotem: ac propterea impietatis reos esse Pontificios; qui alios Novi Testamenti Sacerdotes, Christo successores, aut vicarios adjungunt, v. 23. 24.

XVIII. Christus est perfectus Servator eorum, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro iis. Ergo Christi gratiam oppugnant Pontificii, qui partem salutis aliunde petunt: & ad Deum, Sanctis potiùs Intercessoribus, quàm Christo freti, contendunt.

XIX. Christus nos potest servare, & vult servare. Ergo secure ad ipsum, veraque fide, confugiendum est, vers. 25.

XX. Si Christus est sublimior cœlis factus: Ergo falsa est Ubiquitariorum sententia, qui Christum ubique esse contendunt: qui enim ubique est, locum mutare, superiorem cum inferiori non potest. v. 26.

XXI. Cùm Pontifices Veteris Testamenti singulis diebus obtulerint victimas; primum pro suis peccatis, deinde pro totius populi: sequitur, ex hac confessione, omnes Israelitas fuisse peccatores; ideoque neminem fuisse perfectè sanctum, quique legem impleverit, v. 27.

XXII. Si Christus semel tantùm oblatus est, & quidem à se ipso; eaque ratione, pro peccatis populi, plenè satisfecit, quod filius sit in æternum consecratus: perspicuum est, Sacrificium Missaticum, quo Pontificii Christum offerri quotidie, ad remissionem peccatorum, fingunt, esse turpem, unici Sacrificii Christi, & efficaciæ illius, abnegationem, v. 27. & 28.

COLLATIO Melchisedeci & Christi.

INter propheticos Vet. Tet. typos, quibus Christi persona, officia, & beneficia adumbrata sunt, meritò excellit Melchisedeci historia; cùm per se, ratione similitudinis cum Christo appositissimæ, ac plenissimę; tum per accidens, ratione difficultatis, quam, in hanc doctrinam, perversa veterum quorundam, & recentiorum studia, & disputationes, invexerunt. Quamobrem operę pretium erit, si, quæ de Melchisedeci & Christi collatione, brevius in capitis sept. analysi perstricta sunt, ea nunc paulò pleniùs, ac planiùs exponam: declarata convenientia, in *nomine*, *persona*, *officiis*, eorumque *effectis*, seu beneficiis, & *adjunctis*.

Ad prius quod attinet, utriusque *nomen*, rei est consentaneum; & omen illius faustum ac felix. Nam quemadmodū Malchisedec, ut Moses Gen. 14 & David Psal. 110. aut Melchisedec (ut exiguâ, unius vocalis in alteram affinem, permutatione, Gręci interpretes, & Apostolus appellant) si significationem spectemus, *regem justitiæ*, citra controversiam, notat, Heb. 7. 2. & huic regi, reverâ, convenit: Ita & Iesus, servatorem Matt. 1. rei convenienter, notat: Ideoque verè nostrum Melchisedec, ut postea clarius elucebit. Sin vero usum vocis Melchisedeci consideremus, de eo ex parte dubitatur. Quidam enim, Iudęorum conjecturam secuti, commune nomen arbitrantur: quod reges Ierusalem plerique omnes, illis priscis temporibus, vel Melchisedec *rex justitiæ*, vel Adonizedek *Dominus justitiæ* Ios. 10. 1. fuerint appellati: quemadmodum Ægypti reges, *Pharaones*: & Imperatores Romani dicti sunt, *Cæsares*. Alii verò hac con-

hac conjecturâ (ut quæ nullo certo nititur documento) rejectâ, proprium fuisse nomen autumant; quod ut maximè receptum est; ita vero maximè videtur consentaneum.

Secundò ad *personam* quod attinet: alii Melchisedecum dixerunt esse Deum: alii verò creaturam Dei. Deum quidem esse, docuit Ægyptius quidam hæreticus, nomine *Hierax*: qui Spiritum Sanct. sub hominis figura, Melchisedecum extitisse, asseruit, quemadmodum testatur ac diluit Epiph. contra Hierachitas, hæres 67. Quem etiam errorem secutus est quidā tempore Hieronymi, qui suum, de hoc argumento, volumen, per Euagrium, ad Hieronymum misit, ut judicium illius exploraret: quemadmodum ostendit, ac refutat Hieronymus tom. 3. epist. ad Euag. Qui verò creaturam esse statuerunt: eorum quidem nonnulli, superiorem, ac cœlestem, seu Angelum fuisse, finxerunt: primum Theodotus hæreticus, teste Tertuliano de præscrip. c. ult. deinde Origenes homil. 1. in Genes. & ejus discipulus Didymus, ut refert Hieron. epist. ad Euagrium: quanquam, ut quidam etiam observarunt, in iis Origenis operibus, quę extant, error ille non sit compertus: fortasse quod à posteris, ad veritatis & Origenis honorem, ea sententia expuncta sit; aut, in iis scriptis quæ temporis injuria perierunt, extiterint. Reliqui verò inferiorem, ac terrestrem creaturam, hominem videlicet, ex *nomine*, *regno*, *sede*, *profectione*, *donis datis & acceptis*, meritò concludunt. Quis verò & quo genere fuerit, diversæ sunt conjecturæ: Hebræi enim (ut Hier. ad Euagrium ait, & ex Rabbinis, Sal. Iarchi; & Abenez. in Genes. c. 14. colligi potest) hoc senserunt, ac tradunt, Melchisedecum esse *Sem*, filium Noæ. Quam etiam sententiam attribuit Samaritanis Epiphanius contra Melchisedecianos. In quo illud mirandum est, quod ait: Judæos statuisse, Melchisedecum fuisse justum & bonum; sed filium scorti: ideoque, hac de causa Patrem & Matrem reticeri à Mose; fortasse hoc fingentes, quod ea quorundam esset Judæorum contumeliosa doctrina, ut isto modo natalibus Christi, Melchisedeco adumbrati, aliquam ignominiæ maculam, pro more & odio suo, quo blasphemè filium scorti vocant, aspergerent. Contrà alii, quia *Semi genealogia* disertè à Mose recensetur: Melchisedec verò dicitur *ἀγενεαλόγητος genealogiæ expers:* non Semum, sed hominē Cananæum fuisse arbitrantur: quemadmodum Hippolytus, Irenæus, Eusebius Cæsarien. & Emisenus, Apollinarius, & Eustatius, Antiochenæ Ecclesiæ episcopus, ut Hieron. tom. 3. epist. ad Euagrium, attestatur. Eadem etiam est sententia Epiphanii, qui Melchisedecum non fuisse Semum asserit: idque ex temporis supputatione, sed infelici (ut ex collatione Hieron. ad Euagrium apparet) probare conatur: aitque; *apud quosdam Melchisedeci Pater, & Mater habetur: non autem in expressis, & genuinis Scripturis: dixerunt autem quidam Eraclam vocari ejus Patrem, Matrem vero Astaroth, quæ etiam Asteria dicitur: erat autem filius indigenarum, illo tempore, in campestri regione Saba habitantium.* Hact. Epiphanius. Vt verò, omissis hisce conjecturis, id quod S. Literæ docent, amplectamur; & ad collationem personę Melchisedeci & Christi, accedamus: duo observanda sunt, personæ *origo*, & *duratio*. Vt enim *Melchisedec sine Patre, sine Matre fuit, cujus genealogia recenseri non potest.* Ita & Christus sine Patre est, secundum humanam naturam in terris; & sine Matre, secundum divinam naturam in cælis: ac propterea, iis modis, distinctè est ἀγενεαλόγητος. Deinde ut Melchisedec *sine initio dierum, & sine fine vitæ:* ita & Christus omnino æternus est, ratione divinæ naturæ. Hoc interim observandum: Melchisedeco hæc competere, non ratione constitutionis naturæ ipsius per se, sed per accidens, seu ratione οἰκονομίας, seu dispensationis Scripturæ divinæ: quæ, Patrem, Matrem, & initium, ac finem vitæ illius, siluit, non quod iis caruerit; sed ut esset hoc modo, typus filii Dei, ut rectè Hieronymus & Epiphanius observarunt. Atque ea ratione errorem illum refutarunt, qui, hæc absolutè accipientes, Melchisedec Spiritum Sanct. vel Angelum fuisse, commenti sunt. Atque hæc de collationis parte alterâ; quę in personarum similitudine consistit.

Tertia verò est in *officiis*: & quidem primò, ratione generis, & numeri: nam ut Melchisedec *rex*, & *sacerdos* simul fuit: ita & Christus. Deinde ratione specierum, cùm regnitum sacerdotii. In regno autem consideranda sunt sedes illius, & qualitas gemina. Vt enim Melchisedec Rex Salem; ita & Christus Ecclesiæ, per eam adumbratæ. Cœterum quia de urbe Salem diversa sunt cùm veterum patrum; tum posterorum judicia: non inutile erit, ea paucis examinare. Primùm enim quidam *Salem*, eandem urbem esse putant, cum *Jebus*; &, quam, ex utraque voce, compositam, nonnulli volunt, *Jerusalem*, quasi *Jebusalem* dictam: quoniam Jerusalem primùm dicta fuit, incolarum suorum nomine, per Meton. adjunct. pro subject. Iebusi, Iosu. 18 28. & Iebus, Iud. 19. 10. 1. Chron. 11. 5. Quanquam aliis aliæ magis placent etymologiæ. Sunt enim qui ab Hebræa voce ראה & שלם deducunt: & *visionem pacis* interpretantur: quemadmodum Hieron. tom. 1. epist. ad Marcellum. Cujus etymologiæ occasionem, ad Abrahamum, quidam deducunt: quasi sacrificaturus filium Isaacum, in monte Moria (in cujus parte Ierusalem sita est) Genes. 22. vers. 2. 14. loco dederit nomen יהוה יראה: unde ex illo יראה id est, videbit, seu providebit, & voce שלם formatam esse Jerusalem, id est, *providebit pacem.* Nam quod Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. cap. 18. (in Græcis verò exemplaribus lib. 6. c. ult.) ex Græca voce *ἱερὸν*, & Hebræa *Schalem* derivans, ait, ita à Melchisedeco esse appellatam, quod in urbe Salem *ἱερὸν*, id est, templum statuisset primus: Illud quamvis multis probetur; à doctioribus tamen, non immeritò, tanquàm ineptum rejicitur: cum nec voci Hebraicæ, quæ aspiratione caret, conveniat; nec illa linguæ Hebrǫæ, cum Grǫca in Etymologicis, barbara mixtio, ab antiquissimis priscorum temporum Hebrǫis, vicinisque fuerit usurpata: sed omninò credibile est, hoc figmentum esse Iosephi, ad commendationem urbis illius, apud gentes, excogitatum. Cœterùm Salem dictam fuisse Ierusalem, probatur ex Psal. 76. 3. *Cujus tabernaculum est in Salem.* Quam sententiam secutus est Onkelos Chaldæus, antiquissimus Mosis paraphrastes, qui Gen. 14. pro Salem, exponit Ierusalem. Deinde ex Patribus Hippolytus, Irenæus, & cæteri, quos supra retulimus: qui, ut ait Hieronym. ad Euagrium tom. 1. dixerunt: *Melchisedek regem fuisse urbis Hierosolymæ, quæ primùm Salem; postea verò Iebus; ad extremum Ierusalem appellata sit.* Contrà verò alii, Salem diversam fuisse urbem, ab urbe Hierusalem, arbitrantur: & inter veteres nominatim Hieron. qui ut tom. 1. in Epistola ad Marcell. & tom. 3. quæstionibus in Genesin, maximè communem proponit Patrum, & Iudæorum sententiam: ita, in Epistola ad Euagrium aliam tamen probat, cum ait: *Salem autem non ut Iosephus, & nostri omnes arbitrantur, esse Ierusalem, nomen ex Græco, & Hebræo, compositum: quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat: sed oppidum, quod juxta Scythopolim, quod usq; hodie appellatur Salem: & ostenditur ibi palatium Melchisedek, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam. De qua urbe Gen. 33. transivit Salem, urbem regionis Sichem, quæ est in terra Canaan. Idq; ampliùs inde confirmat, quod Abraham, à cæde hostium revertenti, quos persecutus erat usq; Dan, non de via Ierusalem; sed de oppido Metropolio Sichem, in itinere fuerit. De quo in Euangelio legimus: erat autem baptizans Ioannes in Eunon, juxta Salem.* Quam Hieron. sententiam, quidam approbant, velut fide dignam: alii verò improbant, & rationibus illius, hoc modo, respondent: nam ad primum, quod ait, de ruinis Palatii Melchisedeci: illud non esse probabile; quia civitas illa Sichem, æquata fuit solo, & sale seminata, ab Abimelecho: quemadmodum Hieron. ipsemet quoque attestatur. Deinde Josephum, antiquitatis indagatorem diligentissimum, illæ ruinæ (quarum in antiquitatibus Iudaicis nullam facit mentionem) minimè latuissent: neque id, velut rem, historia dignam, reticuisset. Credibile verò esset palatium illud à Ieroboamo, urbis illius restauratore, fuisse extructum, & errore indigenarum, falsaque (ut fieri solet) traditione, attributum fuisse Melchisedeco: & fortasse in eum finem; ut Samaritani Iudęis sese prǫponerent; &, pro more suo, Hierosolymę urbis antiquam dignitatem, ad se traducerent.

Ad se-

Ad secundum verò quod attinet, locum nimirum, Gen. 33. responderi potest bifariam: primùm vocem Hebræam *Salem*, ibi non designare nomen urbis proprium; sed esse adjectivum, seu epitheton Jacobi, quod pacificum, seu incolumem notat: quemadmodum etiam à doctioribus interpretibus observatum est: & ita quoque Hebræi R. Salom. & Abenezra exponunt, Gen. 33. & Chaldæus Paraphrastes Onkelos. Verùm, quia Græca, & Latina antiqua versio propriè accipit, & eam plerique sequuntur, dari potest, *Salem* hic denotare urbem; sed non eandem cum ea, cujus antea Gen. 14. in historia Melchisedeci, facta est mentio: idquè probatur ex eo, quod distinctionis causa, ut fieri solet, in voce ambigua, addatur: *Salem, urbs Sichem*, ut ab altera, hoc modo, discernatur. Tertiò, ad profectionem Abrahami quod attinet; respondetur, eam non obstare huic sententiæ, quia cum Abraham habitarit in Hebron, Gen. 13. à cæde regum ei revertenti, etiam Jerusalem erat in itinere, & ad ipsum facile exire potuit Melchisedec: cùm Rex Sodomæ, ut rectè observant, qui remotior erat à viâ, eidem occurrerit. Denique dici etiam potest, *Salim*, de qua Joh. 3. non fuisse Sichem nec *Salem*, sed שעלים Sahalim, per contractionem dictam *Salim*. de qua 1. Sam 9. 4. quemadmodum ad eum locum doctiores Interpretes observarunt. Atq; hæ quidem sunt diversæ Theologorum, veterum & recentium, de urbe *Salem*, judicia. Quę Epiphanius breviter, hoc modo, recenset, & rem dubiam in medio relinquit. *Salem*, inquit, *civitas appellabatur, de qua alii aliter prodiderunt: quidam autem dicunt ipsam, quæ nunc Ierusalem appellatur, aliquando verò Iebus dicta est: alii verò dixerunt, aliam quandam Salem esse, in campo Sichemorum, ex adverso ejus, quæ nunc Neapolis vocatur; sive autem hinc; sive illinc, non longè distant loca.* Hactenus Epiph. contra Melchisedecianos hæres. 55. Veruntamen omnibus hisce perpensis, prior, quæ maximè olim, & his temporibus, recepta est sententia, probabilior est: *Salem* esse *Ierusalem*, quæ sedes regni Melchisedec. Cæterùm eandem vocatam etiam fuisse *Zedec*, quidam viri docti inde conjiciunt: quod reges illius dicti sunt, propterea Melchizedec, & Adonizedec, quasi loci illius, ubi justitia vigeret: Quemadmodum similiter dicitur, ad laudem urbis Hierusalem Esai. 1. 21. *justitia in ea manet.* Quæ etiam, ut apparet, sententia Hebræorum est, Abenez. ad Gen. 14. & D. Kimchi Iof. 10. 1. Sed conjectura hæc non videtur satis firma, nec veterum authoritate communita. Cæterùm hæc sedes regni Melchisedec, Christi sedem rectè adumbravit, bifariam: primò enim, quemadmodum Hierosolymis regnum terrenum habuit Melchisedec: ita & Christus, Rex Israël, ibidem regnum spirituale constituit, & regio comitatu, atque applausu, secundùm prophetiam, Zach. 9. v. 9. Hierosolymam invectus est, Ioa. 12. 12. 13. 14. 15. atque inde doctrinam suam, & verbum promulgavit, Esa. 2. 3. & Actor. 2. deinde sicut Hierusalem terrenam rexit Melchisedec: sic & Christus Rex est Ecclesiæ totius orbis, quæ cælestis Hierusalem dicitur, Galat. 4. vers. 26. Hebr. 12. 22. & nova Ierusalem descendens de cælo, Apoc. 3. 12. & 21. 2.

Ut autem à sede regni, ad *qualitatem* illius transeamus, ea duplex statuitur; *justitia & pax.* quarum illa Melchisedeci: hæc verò Regiæ urbis Salem nomine, mysterio prophetico, continentur Hebr. 7. Utraque similiter Christo convenit, ac propria est; partim ratione ipsius; partim ratione regni, ac subditorum illius gratia. *Iustitia* quidem, quia & ipse Rex justus est, per se, & recta ab eo Ecclesia justa est, per ipsum, & in ipso. Hinc Ierem. ait: *dies venient, dictum Iehovæ, quibus excitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex, & prudenter aget, & exercebit jus, & justitiam, in terra: diebus ejus servabitur Iehuda, & Israel habitabit securè. Atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eum, Jehova justitia nostra,* cap. 23. 5. & 6. & Esa. 9. v. 7. Psal. 45. vers. 7. Heb. 1. v. 9. 1. Cor. 1. 30. & 2. Cor. 5. v. 21. *Pax* verò, quia ut ipse Christus Patri est dilectus filius; ita per ipsum pax est in illius regno, nempe Ecclesia, & quidem cum Deo, & cum hominibus, partim in se cum conscientia sua, quæ per Christum pacata redditur fide; partim inter se cum aliis. Unde *princeps pacis*, Esa. 9. 6. 7. & *pax nostra*, Eph. 2. 14. Rom. 5. 1. appellatur.

Porro quemadmodum in regno ratione sedis, & qualitatum illius, similitudo est, inter Melchisedecum, & Christum: ita quoque in *Sacerdotio*, partim ratione causæ efficientis, & objecti; partim ratione adjunctæ durationis. Nam si efficientem causam, & simul objectum sacerdotii Melchisedeci consideremus, Deus est altissimus, cujus sacerdos dicitur, quod ab eo, & ad eum colendum vocatus fuerit: qua via, seu modo, sanctitas sacerdotii significatur: similiter Christus, à Deo vero, & ad cultum illius, sacerdos constitutus est, Psal. 110. Sin verò durationem spectemus, Melchisedec sacerdos est in æternum successore carens: ita & Christus, qui propterea, ob hanc convenientiam, jam explicatam, sacerdos dicitur, secundum ordinem Melchisedec. In qua tamen re, duplex observanda est differentia. *Vna*, quod Melchisedec sacerdos in æternum dicitur, non simpliciter, & absolutè, ratione sui, & ratione rei ipsius; sed πρός τι relatè, ratione accidentis typi prophetici, & silentii Mosis, in eum finem adumbrandum instituti: quemadmodum in collatione personæ, jam antea, in explic. cap. 7. declaravimus. Christus verò sacerdos reverà manet in perpetuum: quia morte sua seipsum obtulit in sacrificium expiatorium pro Ecclesia, & per resurrectionem, devictâ jam morte, comparet in æternum, pro Ecclesia sua, in cælis, ad diem usque judicii.

Altera differentia est, quod Christus secundum Melchisedeci ordinem, non quasi regulam, & prototypum, ac si ejusdem quidem esset omnino sacerdotii, dignitate verò Melchisedeco inferior: sed contrà, tanquam typi, & umbræ Melchisedeci prototypum, & corpus; propterea dicitur Melchisedec assimilatus filio Dei, Heb. 7. Melchisedec enim sacerdotii genere & certis circumstantiis cum Christo convenit, ac similis est, ratione descriptionis, & consilii Mosis, sed forma ac specie (quemadmodum etiam Levitici sacerdotes) à Christo differt: quod Christus victimam propriè expiatoriam seipsum videl. solus obtulit, & nos Deo sacravit. Quibus evertitur Theodoti hæretici, de Melchisedeci sacerdotio error, qui eum Christo majorem finxit: quasi Angelorum esset advocatus, Christus verò hominum: & Christo meliorem, quod is secundùm Melchisedeci ordinem sit sacerdos: quemadmodum refert Tert. de præscript. cap. ult. Eâdem etiam ratione concidit quorundam Christianorum error, qui (ut refert Epiphanius contra Melchised.) Christum & Melchisedecum confuderunt: putantes Filium Dei, in humana specie, tunc Abrahamo apparuisse. Quod, ut alia, satis refutant, quæ in explicatione c. 7. attulimus: ita argumento, ex relatorum, inter se oppositorum, natura, petito, solidè diluit Epiph. quod videl. non Filius Dei, sed similis Filio Dei, ideoq; diversus ab eo, ab Apostolo, Heb. 7. appellatur. Hactenus collationis institutæ pars, & similitudo tertia, quæ in officio gemino, regno, & sacerdotio consistit. Reliquæ duæ, in sacerdotii consequentibus, positæ sunt, cum effectis, tum adjunctis.

Quarta enim similitudo est *effecti*, nempe benedictionis: ut enim *Melchisedec Abrahamo, à cæde regum revertenti, benedixit*, tanquam sacerdos Dei: ita etiam *à Christo benedicuntur omnes gentes terræ*, Genes. 22. & Galat. 3. v. 12. 14. 16. quemadmodum etiam, devictis hostibus nostris, ultimo die, ultimam benedictionem consequemur: De qua Mat. 25. v. 34.

Præter hoc sacerdotii effectum, alterum numerant Pontificii nempe sacrificium, ut ajunt, incruentum, panis & vini: quod typum fuisse Cœnæ Dominicæ, & Missæ volunt; in qua Missa, per sacerdotes N. T. Christi caro, & sanguis, sub specie panis, & vini, offerantur Deo, in sacrificium incruentum, ad remissionem peccatorum. Idque ex eo colligunt: quia dicitur, Gen. 14. *At verò Melchisedec, Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* ex quibus verbis, cum Ps. 110. & Heb. 7. collatis, quædam colligunt argumenta: quæ Bell. coacervavit, & excolere studuit, de Missa lib. 1. c. 6.

Quorum primum est: *Si Christus sacerdos est secundùm ordinem Melchisedec. Ergò idem cum eo obtulit sacrificium. Atqui verum est prius: ergo & posterius.* Propositionem, quia negari posset, probat hoc modo. Si Melchisedec tantùm fuisset figura Christi sacerdotis, nec idem obtulisset sacrificium, tum Christus non minus esset secundùm ordinem Aaronis; quàm secundùm ordinem Melchisedec. Atqui hoc absurdum. Ergo & illud. Sed negatur propositio: quia ordo Melchisedec in eo consistit, quod Sacerdos non sit ex tribu Levi, quod sine patre, sine matre, genealogiæ expers, initio & fine carens, & quod sacerdotium illius sit regale, & æternum, unius tantùm hominis, qui nec antecessorem, nec successorem habeat, & Abrahamo, atque Leviticis sacerdotibus major. Ac propterea non simpliciciter ac generatim tantùm, Christum eo nomine sacerdotem esse secundùm ordinem Melchisedec docemus, quod figuram tantùm Christi gesserit, ut Bellarminus, mala fide, nobis attribuit: sed quod talem figuram gesserit, qualem, ex Apostolo, modò attulimus.

Alterum argumentum est. *Si Melchisedec obtulit panem & vinum. Ergo sacrificavit Deo: ac propterea figuravit Christi sacrificium, quod, per sacerdotes, in Eucharistia, peragitur. Atqui verum est prius. Ergo & posterius.* Sed iterum falsa est propositionis consequentia, multis modis: nam primùm, quamvis Melchisedec *obtulerit*, aut potius *protulerit* ut etiam vulgata, Pontificiis authentica, versio habet: quemadmodum Hebræus contextus (הוציא) panem & vinum: non tamen dicitur obtulisse in sacrificium: sed potius Abrahamo, & sociis illius, qui à prælio redibant. Sed excipit Bellarminus; prius oblata fuisse Deo; deinde data hominibus, ut de sacrificio participarent. Idque confirmare nititur certis rationibus.

Prima est, quia Abraham non opus habebat pane & vino: quia commeatu, & spoliis abundabat; & paulò ante, cum suis, comederat, ac biberat, Gen. 14. 11. & 24. Sed primùm negamus consequentiam. Non enim sequitur: Abraham, cum suis, non opus habuit pane, & vino Melchisedeci. Ergo non est usus: multa enim interdum dantur, & acceptantur, non necessitate indigentis; sed benevolentiâ dantis. Deinde quamvis Abrahamus, commeatus, ex spoliis, haberet satis, & milites illius, antè, ex eo, comedissent, Gen. 14. 24. non propterea sequitur, paulò ante comedisse (ut falsò asserit adversarius Bellarminus) multò minus omnino saturatos, Melchisedeco occurrisse: adeò ut cibo illius non potuerint refici, aut honoris causâ donari: quod omni tempore oportunum.

Altera ratio, quæ objicitur, est: cùm, inquit Bellarm. Scriptura, diversis locis, nobis describat sacerdotium Melchisedec, ut distinctum ab Aaronico; & ut simillimum Christo: debuit ostendere, quale fuerit sacrificium Melchisedec: quia sacrificio ignorato, ignoratur Sacerdotium. Atqui nusquam fit mentio sacrificii, quod obtulerit Melchisedec; nisi hoc in loco. Oportet igitur, per panem & vinum, non prophanos cibos; sed sanctificatos, & Deo prius oblatos, intelligere. Sed negatur propositio, quia non necesse fuit alicubi tradi sacrificium Melchisedeci: quia commune id fuerit, cum Abele, Noacho, Abrahamo, aliisque Patribus V. T. similibus, & Aarone: ac propterea non ineptè à Mose prçteritur. Commune autẽ fuisse colligi potest, quia nulla illius expressa fit mentio; sed tantùm sacerdotii voce, & temporis circumstantia, indicatur: ac propterea sacerdotium non ignoratur. Et quamvis hac parte ignoraretur, nihil tamen esset, in ea re, incommodi; cùm nobis sufficiat cognitio illius generalis, voce sacerdotii comprehensa, & reliqua sacerdotii adjuncta & officia: quæ ab Apostolo, nulla speciali sacrificii facta mentione, recensentur.

Tertia Bellar. ratio est, (quã *efficacissimam* vocat) ex verbis sequentibus petita: *erat enim sacerdos Dei altissimi:* si, inquit, illa sit ratio, cur Melchisedec protulerit panem & vinũ. Ergo ea obtulit in sacrificium Deo. Sed verum est prius, ergo & posterius. Imò falsum prius est: quandoquidem Moses non ait (ut Pontificii nobis objectant ex versione sua vulgata) *erat enim*: sed, *& erat*. Ac quamvis quod excipit, adversarius Bellarm: concedamus, copulam, *Et*, aliquando sumi pro conjunctione causali; ubi veritas sententiæ hanc significationem necessariò requirit: hoc tamen in loco, nullo argumento probatur. Sed iterum objicitur: *si hæc verba; & erat sacerdos, conjungenda essent non cum antecedentibus, proferens panem & vinum; sed cum sequentibus, & benedixit: tum non intercederet, periodum notans, Soph-pasuc.* Verùm ut omittam, quod nonnulli viri magni observarunt: Soph-pasuc interdùm denotare non periodum; sed minorem distinctionem, & cum sequentibus rectè posse construi; etiam ex vulgata versione, quã Pontificii, ex decreto Conc. Trident. authenticam habent, cum alibi; tum in hujus loci interpretatione, apparet. Deinde negatur consequentia: nam illa verba pertinere dicimus, ad utrumque, & antecedens & consequens, quamvis cum antecedenti tantùm construantur: ad antecedens quidem: non ratione proximorum verborum, (ut falsò Bellarm. cum reliquis Pontificiis, opinatur, & objicit, sed ratione remotiorum, initio sententiæ: ut in eodem c. Gen. 14. 5. 8. 22. 23. & c. 22. 10. 20. 21. nam Moses, hoc versu, Melchisedecum describit, ab officio gemino: primùm regali, (quando *regem Salem* vocat: & regiæ munificentiæ effectum adjungit; *quod panem & vinum protulerit*) deinde sacerdotali: quando sacerdotium regno ita copulat; *& erat sacerdos Dei altissimi*: ut regem simul & sacerdotem fuisse demonstraret. Ad sequentia verò pertinet, non ratione constructionis; sed tanquam causa, quæ, suo effecto explicando, opportunè prçponitur. Nec quicquam habet momenti id, quod excipit Bellarm. *Melchisedecum, non ut sacerdotem benedixisse* (quia Abraham etiam sacerdos erat) *sed ut majorem sacerdotem; vel, quia absolutè major erat; cùm & Rex, & sacerdos esset.* Illud enim nihil ad rem facit: quia non simpliciter, ut sacerdotem; sed ut talem sacerdotem (qualis describitur, qui simul rex erat Salem) benedixisse: eoque, majorem Abrahamo, statui. Quare Bellarm. sua adempta sunt effugia: ac probatum satis, non sequi; *si panem protulit, & vinum:* Ergo Deo sacrificavit. Deinde quamvis illud, quod tamen falsum est, disputandi gratia, largiremur; non inde tamen concludi posset, figuram fuisse sacrificii Christi, in Eucharistia, quod scriptura nullibi agnoscit: sed potius sacrificii Christi, semel in cruce peracti: ubi nobis panis vitæ fractus est, ut ore fidei comedamus, Joh. 6. 51. quod sacrificium, in Cœna Domini, non iteratur alio modo; sed panis & vini sacramento, fidelium cordibus significatur, & obsignatur, 1. Cor. 11. 24. Sed *excipit* tertiò suo, pro *Missa*, argumento principali: *Si sacerdotium Christi, ad finem mundi durat (id enim scriptura æternum vocat) certè & sacrificii ritus durare debet: alioqui otiosum haberet Christus sacerdotium. Atqui sacrificium crucis, semel tantùm peractum, nec repeti potest: quia mori amplius non potest. Ergo aliud sacrificium esse oportet, quod jugiter offeratur. Ideoq; necessario admittenda est, in Ecclesia, vera sacrificandi actio; quæ Christo, summo sacerdoti, per ministros suos, tribuatur. Qualis, præter Missam, nulla est.* Verùm falsa est propositio, & confirmatio illius: nam Christi sacerdotium non est otiosum: quia peracto sacrificio, cum eo, jam in Sancto sanctorum cœlesti pro nobis comparet, coram Patre: deinde pro nobis, ejus sacrificii merito, intercedit, & benedicit: quemadmodum Apostolus, Heb. c. 7. & seqq. fusè explicavit. Ex hisce igitur constat, Pontificiorum sententiam, de Melchisedeci sacrificio, nec Sacris Literis; nec rationibus, inde petitis, posse confirmari: solidis vero ex scripturâ argumentis dilui posse, ex sequentibus, liquebit. Quorum *primum est: si Christus sacerdos dicitur secundum ordinem Melchisedec propter oblationem panis & vini: sequitur eadem ratione esse sacerdotem, secundùm ordinem Aaronis; quia etiam in ipsius sacrificio fuit panis, & vini oblatio. Atqui falsum posterius, Heb. 7. v. 11. Ergo & prius*: vel quod eodem redit: *Id quod in sacerdotio Aaronico quotidianum erat, in eo non consistit proprius typus sacerdotii Melchisedeci, quia hæc sacerdotia inter se different: sed sacrificium panis & vini in sacerdotio Aaronico erat quotidianum, Exo. 29. 40. & Num. 28. Ergo in eo non consistit proprius typus sacerdotii Melchisedeci.* Hujus argumenti vim sensit Bellarm. ideoque variis responsionibus effugere conatur. Primum ait: in sacerdotio Aaronico, oblationem panis & vini

vini fuisse, & quidem sacrificium; sed non solum, nec principale, quemadmodum in sacerdotio Melchisedec. Sed nihil id ad rem facit: nam circumstantia adjuncti, & qualitatis, rem ipsam non tollit; si utrimque sit oblatio panis in sacrificium, ut contendunt, idem reipsa est sacrificium: imò sequitur, Aaronis sacerdotium fuisse perfectius, ut quod habuerit sacrificium Melchisedeci (quod fingunt) nempe oblationem panis & vini, tanquam sacrificium minus principale; & præterea oblationem animantium, quæ mactabantur, tanquam sacrificium principale. Imo etiam, hoc effugio, novi argumenti occasionem, inscius nobis suppeditat adversarius. *Si enim typus cruentæ oblationis Christi in cruce, præstantior est typo oblationis incruentæ (quam statuunt in Cœna) sacrificia Aaronica fuerunt præstantiora sacrificio Melchisedeci Atqui hoc scripturæ repugnare adversarii agnoscunt. Ergo & illud.* Propositio perspicua est, quia sacrificium Aaronicum fuit typus confessus, inter omnes, oblationis Christi, in cruce peractæ: contra oblatio panis & vini Melchisedeci (quam Pontificii asserunt) typus incruenti sacrificii fuit, quo Christus quotidie Deo offeratur: quę oblatio dignitate inferior est eâ, quâ Christus ipsemet se ipsum obtulit; cùm ratione sacerdotis offerentis; tum ratione modi offerendi: quemadmodum, velit nolit, agnoscere cogitur Bellarm. Ac propterea typus rei pręstantioris præstantior. Secunda responsio fluctuantis Bellarmini (quando ait, panes in sacrificio Aaronico conspersos fuisse oleo: at in Melchisedeci, tantum simplices) nihil ad rem pertinet; nam oleum adjunctum, formam panis non mutat. Tertia responsio similis est antecedenti: posset, inquit, dici, quod Aaron obtulerit sacrificia omnium generum, i. e. tam cruenta, quàm incruenta: at Melchisedec utebatur solo incruento, ac simplici sacrificio. Sed præterquam quod hæc responsio, cum primâ, coincidit, hoc etiam modo, differentia statuitur, non in ipsa sacrificii substantia, sed tantùm in circumstantia adjuncti. Ex quo contrà, novi iterum, adversus se, argumenti materiam nostris suggerit. *Si enim illa differentia est propria, & præcipua ordinis sacerdotii Melchisedeci, & Aaronis: quod hic obtulerit sacrificium cruentum, & incruentum, ille verò alterum solùm: sequitur hujus sacerdotium perfectius fuisse, quàm illius, Aaronis scilicet præstitisse sacrificio Melchisedeci. Atqui posterius falsum est. Ergo etiam prius.* Propositio perspicua est, quia sacerdotium illud, quo geminum Christi sacrificium adumbratur, perfectius est eo, quo tantùm alterum. *Secundum* porrò nostrorum *argumentum*, quo similiter responsio Bellar. refutatur, est hujusmodi: *Si forma, & proprium ordinis Melchisedeci consistit in sacrificio tantum incruento: sequitur Christum non esse sacerdotem secundũ ordinem Melchisedec: quia non habet sacrificium solùm incruentum, sed etiam cruentum: &, si rei veritatem spectemus, tantùm cruentum. Atqui Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedec. Ergo forma & proprium ordinis Melchisedeci non consistit in sacrificio solùm incruento.* Nam quod respondet Bellarm. sacrificium crucis Christi, nec secundum ordinem Aaronis nec Melchisedeci fuisse: nodum non solvit; sed fortius astringit: & propositionem nostram, illiusque rationem confirmat. *Tertium argumentum est. Ex figuris, quæ in Sac Lit. nullibi explicantur, non est fabricandum religionis dogma. Atqui panis, & vini prolationis, à Melchisedeco factæ (quam Pontificii figuram Christi asserunt) explicatio non continetur in Sac. Lit. Ergo inde non est fabricandum religionis dogma.* Assumtio probatur inductione locorum, ubi Melchisedeci fit mentio, Genes. 14. Psal. 110. & Hebr. 5. & 6. & 7. Nam quæ à Pontificiis, ex prioribus locis, proferuntur, ea *initio* à nobis confutata sunt. Propositio etiam certa est, nec à Pontificiis negari potest: quia receptum est etiam apud illos axioma, quo ajunt: *Theologiam figurativam non esse argumentativam*, hoc est, non probare, scilicet extra scripturæ explicationem. Nam quod Bellarm. excipit, ex figuris dogmata fabricari posse, quando ex Scripturis, juxta communem Patrum sensum intellectis, colligitur explicatio. Illud eatenus concedimus, si de verâ collectione intelligatur: atque ita proposito argumento nequicquam officit: quia talem collectionem, hoc in loco, minimè demonstrant. Sin verò de ea sermo sit, quæ tantùm hominum authoritate nititur: negamus eam esse rectam; quia Patres non sunt norma certa interpretationis Scripturæ: cùm, ut multis in locis aliis; sic non rarò, in figuris Vet. Testam. comminiscendis, graviter hallucinati sunt: & in veris etiam figuris explicandis, eas sæpius, Origenem secuti, ut Origenes Philonem Judæum, à recto sensu detorserunt. *Quartum argumentum est. Si panis, & vini prolatio fuisset ordinis Melchisedeci forma, & simul typus sacrificii Christi incruenti; Paulus eam oblationem, & typi cum reipsa similitudinem, silentio minimè hoc loco, præteriisset. Atqui utrumque præteriisse certum est. Ergo panis, & vini prolatio, non est ordinis Melchisedeci forma; nec typus alicujus sacrificii Christi incruenti.* Propositio clara est: quia, cùm Apostolus explicaret reliqua, quæ ad ordinem Melchisedec describendum pertinent, diligenter, illud, quod præcipuum erat non siluisset. Bellarm. quidem negat propositionem, & silentii causas adferre conatur; sed ordine, falsas esse, constabit. Nam 1. ait propterea id siluisse, quod nihil ad propositum faceret: idque ea ratione probat: quod Paulus, tantùm voluerit ostendere præstantiam sacerdotii Christi, supra sacerdotium Leviticum. Imò verò inquam, illud maximè ad propositum faciebat, declarare quænam esset forma, & quodnam proprium esset ordinis Melchisedeci: idque vel ea, quam Bellarm. attulit, ratione, confirmatur: nam si Apostolus voluit ostendere præstantiam sacerdotii Christi, supra sacerdotium Leviticum; debuit explicare, qua in re situs esset ordo Melchisedec, quia eo argumento excellentiam Christi probat, quod sit secundum ordinem Melchisedec, qui major est ordine Aaronis: Levitici verò sacerdotes essent secundum ordinem Aaronis; ac propterea silentio prætèrire non debuit, qua in re ordo ille esset situs: quemadmodem etiam revera eum non præteriit, sed explicavit distinctè, & accuratè; nempe quod ordo Aaronis postularet sacerdotem, qui esset, non ex tribu regali Juda, sed ex tribu Levi, Heb. 7. 5. 13. 14 ordo verò Melchisedeci, sacerdotem, qui, ut Melchisedec, ex alia tribu esset; & simul Rex. Heb. 7. 1. & Psal. 110. & Heb. 7. 14. Deinde ordo Aaronis fuit secundum mandatum carnale institutus, Heb. 7. 10. unctione olei externâ, & hominum ministerio: ordo contra Melchisedeci sine externo oleo, & sine hominum opera, immediatè à Deo, Hebr. 7. 1. & 16. Ad hæc, ordo Aaronis habuit sacerdotem successione: ordo verò Melchisedeci, successoris, & antecessoris expers, sacerdotem habet æternũ, Heb. 7. 23 & 24 Quamobrem, ex hisce perspicuè apparet, ordinem Melchisedeci explicari debuisse, & diligenter explicari. Verùm Bellarm. progreditur, & præter hanc silentii causam, quam modo refutavimus, alias etiam duas comminiscitur. Ac primum, quod Apostolus, datâ operâ, omiserit oblationem panis, & vini; ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiæ, quod altius erat, quàm ut ab illis tum capi posset. Idque probare studet ex cap. 5. ubi de Melchisedeco ait Apostolus: sermonem esse ininterpretabilem. Unde ita argutatur. *Cùm Apostolus omnia planè exposuerit, quæ de Melchisedeco dicuntur in Genesi; excepta oblatione panis, & vini: non videtur posse negari, quin per sermonem ininterpretabilem (cui non erant idonei Hebræi) mysterium cœnæ debeat intelligi.* Sed negamus mysterium Cœnæ altius fuisse, quàm ut ab illis capi potuerit, cùm ratione rei; tum ratione ipsorum. Rei quidem ratione, quoniam doctrina Cœnæ, primùm ex communi, ac generali sacramentorum; deinde ex propriâ signi, & rei significatæ naturâ; præterea ex Christi, & Apostolorum explicatione, atque repetitione, clara est: quamvis Satanæ artificio, & hominum perversitate, postea obscurata sit; denique, si altitudo mysterii doctrinæ de Cœna, esset causa silentii, tum Apostolus non retulisset ea, quæ altiora sunt, & longè difficiliora: atqui ea retulit: nam, ut alia omittamus, proponit, & exponit, cap. 1. & 2. doctrinam de Deitate filii, & incarnatione, illius: quam *magnum mysterium* vocat Apostolus 1. Tim. 3. cum cœna nullibi, in S. Lit. mysterium vocetur; nec difficultate cum prioribus ullo modo sit comparanda. Quod verò Patres Cœnam interdum Mysterium appellarunt, non aliâ factum est ratio-

ratione, quàm ut declararent, sub signis visibilibus, gratiam invisibilem declarari: non quod hæc doctrina captu adeo sit difficilis: nam communiter omnia sacramenta vocarunt mysteria, tam Baptismum, quàm Cœnam: cum tamen Baptismi doctrina, inter rudimenta religionis Christianæ, ab Apostolo, Heb. 6. recenseatur: ac propterea similiter Cœnæ doctrina eodem referri potest, ac debet: quemadmodum Catecheses, etiam Pontificiorum, testantur, in quibus Cœnæ doctrina, non minùs, quàm Baptismi, rudibus proponitur. Deinde doctrina de abrogatione legis Mosaicæ difficilior erat, quàm doctrina de Cœna; utpote in quam, non solùm infideles Judæi; sed etiam fideles, & quidem primarii, impegerunt: quemadmodum Actor. cap. 11. & 15. & Galat. cap. 2. perspicuè elucet. Sin verò ipsos Hebræos spectes, cùm tamdiu in religione essent instituti ac propterea sacramentis usi, etsi negligentiores, Heb. 5. vers. 12. quomodo minus potuissent intelligere doctrinam Cœnæ, quàm Corinthii? quos Paulus, ad primò traditam doctrinam, revocat 1. Cor. 11. Nam si non poterant capere doctrinam Cœnæ; sequitur non antea communicasse Cœnæ Dominicæ; nam ante communicationem requiritur intelligentia: atqui communicarant haud dubiè. Ergo capere poterant, & perceperant. Quod vero Bellar. ait, Paulum dicere, sermonem de Melchisedeco esse ininterpretabilem, illud falsum est: siquidem tantummodò ait, esse λόγον δυσερμήνευτον *difficilem explicatu*: potissimùm ob segnitiem Hebræorum, quam ut graviter reprehendit, ita ab eadem dehortatur; &, ad altiorem doctrinam percipiendam, provocat, Hebr. 6. v. 1. Quare non reticuit difficultatem illam Apostolus; sed proposuit, & exposuit: ita tamen, ut occasione difficultatis rei, & olim; non solum inter hæreticos, & orthodoxos Patres; sed etiam inter ipsosmet orthodoxos (ut supra probavimus) fuerint dissentientes, ea de re, sententiæ. Tertia denique causa, quam fingit Bell. est, *quod Paulus scripserit infidelibus; & quod constet Sacramentum (quod non poterat infidelibus prodi) vix aliud fuisse, quàm Eucharistiæ*. Sed contrarium, inquam, tota Epistola ad Hebræos, perspicuè ostendit, nempe eam ad fideles Hebræos scribi: & quidem locus ille, quem in secunda causa, ante confutata, attulit Bell. nempe Heb. 5. 12. 6. 1. 10. 32. & seqq. & 13. 7. 17. 22. Quod verò addit, *scripta fuit utrisque, vel certè ita scripta fuit, ut ab illis communicari debuerit etiam cum infidelibus*. Resp. eo nihil prorsus effici: nam negamus constare (quod sibi sumit Bellarm. quasi certum) doctrinam Sacramenti Cœnæ, non posse infidelibus tradi; siquidem tota S. Scriptura, quasi epistola Dei viventis, ad homines omnes, fideles, & infideles, si usum spectemus, pertinet: ut inde Deum, & officium suum erga Deum cognoscant. Agnoscimus quidem priscos scriptores, præsentibus Ethnicis, de Cœna siluisse, imò & præsentibus Catechumenis: sed id factum, sine scripturæ authoritate, &, ut omninò videtur, pravâ imitatione Ethnicorum (quod in aliis etiam fecisse clarum est) qui sua sacra, vulgari non ferebant, scil ut eo silentio, religionem, ut quidem arbitrati sunt, augerent. Nam si doctrina Cœnæ non potuit ad Hebræos describi, ne mysterium illius infidelibus revelaretur: sequitur primùm, eandem ob causam, si vera est, non potuisse describi ab Apostolo, 1. Cor. 10. & 11. deinde neque ab Euangelistis tribus, (qui tamen omnibus hominibus scripserunt) promiscuè revelari: id quod absurdum est. Secundo sequeretur Apostolum, eadem de causa, non tradìturum fuisse in hac epistola, quæ majora longe mysteria complecterentur, & quibus infideles magis fuerunt irritati; ut mysterium personæ Christi; mysterium officii; & crucis, & abrogationis legis: & similium. *Quintum argumentum nostrorum*, non absolutum quidem, sed ex hypothesi opinionis Pontificiorum petitum (nempe à dissimilitudine sacrificii Melchisedeci, & Missæ pontificiæ, quam eo adumbratam volunt) est tale. *Si sacrificium Missæ esset secundum ordinem Melchisedeci, in eo panis, & vinum Deo offerrentur. Sed in Missa non offeruntur Deo panis, & vinum; sed tantum, (ut ajunt) eorum accidentia: substantiâ panis, & vini in nihilum redactâ. Ergo sacrificium Missæ non est secundùm ordinem Melchisedeci*. Bell. autem, negata propositione, ait, sufficere, ut, inter se, sacrificium Melchisedeci, & Missæ, conveniat in exteriori signo: quemadmodum planè convenire, ait, in specie panis, & vini, quod non referat, si substantia sit diversa, quod repræsentatio fit in accidentibus, non in substantiâ. Sed illud inane omninò diverticulum est; falsum enim est Symbola sacramentorum sita esse tantum in accidentibus: nam, ut alia prætercam, accidentia non nutriunt, sed substantia; nutrimentum autem spirituale, externo nutrimento, obsignatur.

Sextum argumentum est: Si oblatio Melchisedeci esset typus oblationis Christi, quo, per sacerdotes Missificos, se Deo Patri offert, in Missa; tum Christus non tantum semel fuisset oblatus, sed opus habuisset, ut sæpius seipsum offerret. Atqui Christus semel oblatus est tantum, Hebr. 7. 27. & 9. 28. *nec seipsum offerre debuit sæpius*, Hebr. 7. 17. & 9. 25. *Ergo oblatio Melchisedeci non fuit typus oblationis Christi, qua se Deo Patri offert, ut ajunt, in Missa*. Bell. ad propositionem respondet, adhibita distinctione: eam quidem esse veram, de oblatione cruentâ, non autem de incruenta. Sed hæc distinctio, sicut nullo nititur scripturæ testimonio, ita iis, quæ antea attulimus, confutatur: nam si, ad peccatorum remissionem, Christum oportuit sese offerre, non solùm semel cruentè in cruce, sed sæpius etiam atque indies incruentè in Missa: sequitur, cruentum illius sacrificium non fuisse sufficiens ad peccata abolenda. Atqui hoc falsum, ut Heb. 7. v. 26. docetur: ut Bellarm. etiam ait, *cruentam Christi oblationem sufficientissimam esse, imò infiniti pretii, & valoris*. Ergo falsum etiam est illud.

Septimum argumentum est; Si oblatio Melchisedeci esset typus oblationis illius, qua Christus, à sacerdotibus, offertur Deo Patri, in Missâ, (ut Pontificii contendunt) tum Christus non esset unicus & perpetuus sacerdos, secundùm ordinem Melchisedec, sed successores haberet. Atqui posterius falsum, Heb. 7. 23. 24. *Ergo etiam falsum est prius*.

Octavum argumentum est: Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, esse debet Rex, & sacerdos: sine patre, sine matre, æternum habens sacerdotium, Heb. 7. 1. 3. 28. *Atqui hæc soli Dei filio conveniunt, non autem sacerdotibus missificis. Ergo illi non sunt sacerdotes secundùm ordinem Melchisedec: ac propterea non est novum sacrificium à Melchisedeco adumbratum*. Sed objicit Bell. si Christus est Pontifex in æternum, illum oportet assiduè aliquid offerre: quod quia antea à nobis negatum est, probat ex Heb. 8. v. 3. *Omnis Pontifex ad offerenda dona, & victimas constituitur; unde necesse fuit, hunc quoque habere, quod offerret*. Fatemur, quod ait Apostolus, debuisse Christum habere, quod offerret; quemadmodum habet revera corpus, quod obtulit, Hebr. 10. vers. 5. Sed non ait, quod semper offerret: quemadmodum contendit adversarius: imò contrà, hanc differentiam repetit, & inculcat, multis in locis, Apostolus; quod Levitici sacerdotes obtulerint sæpius; Christus verò semel tantum: & causam etiam diversitatis exponit, nempe Leviticorum imperfectionem, & sacrificii Christi unici perfectionem. Qua de re illustris locus est, Heb. 10 v. 1. 2. quo docetur, *si potuissent legis victimæ, accedentes sanctificare, desiissent offerri; propterea quod sacrificantes semel purgati, nullorum peccatorum amplius essent sibi conscii*: & v. 11. 12. 13. elegantissimè hanc differentiam explicat Apostolus. Ex quibus omnibus Pauli verbis, novum hoc statuitur argumentum, & demonstratio invicta hujusmodi. *Sacrificium, quod repetitur, illud non purgat peccata: & contrà id, quod plenè purgat peccata, non potest repeti Sacrificium Christi plenè peccata purgat. Ergo non potest repeti*. Reliqua quæ Bell. ad locum illum Heb. 8. adfert, non excutio: non ideo tantum, quod impurè sententiam Pauli pervertit, sed etiam imprimis, quod ea, quæ adfert in medium, doctrinam nostram non oppugnant. Antequam verò finem hujus controversiæ celeberrimæ faciamus; ea, quæ porro attexit, expendere, operæ pretium est: ut Jesuitarum error retegatur; & antecedentium argumentorum robur amplius illustretur. Ac primùm, quia Pontificii, ex æternitate sacerdotii Christi, colligunt, sacrificii illius perpetuam reiterationem in Missa: contrà Chemnitius, adversus Conc. Trid. alias adfert causas quin-

quinque, cur Christus dicatur sacerdos in æternum: quemadmodum etiam recenset, & refutare conatur Bell. Prima est, quòd Christus vivat in æternum: 2. quod virtus unicæ oblationis in sempiternum duret, & efficax sit. 3. quod semper in cælo intercedit pro nobis. 4. quod per ipsum, ut sacerdotem, habeamus accessum apud Patrem. 5. quod in perpetuum possit servare, qui per ipsum accedunt ad Deum. Quæ, si rem ipsam spectemus, conveniunt cum S. L. Contrà tamen Bell. negat, sufficienter has causas ostendere; cur dicatur sacerdos in æternum: ac sigillatim id probare satagit, singulas causas non sufficere. In qua negatione illius manifesta est fallacia ignorationis Elenchi: nam Chemnitius non intelligit singulas hasce causas esse efficientes, & sufficientes; tam sejunctas; quàm conjunctas: sed singulas, ac sejunctas esse efficientes; conjunctas verò sufficientes: imò quasdam etiam sufficientis. Prima quidem causa efficiens est, sed non sufficiens: inde tamen, ad Pontificiorum errorem confutandum, sufficiens peti potest argumentum tale. Si Christus est sacerdos in æternum; non habet, in suo sacerdotio, ac sacrificio, successores, aut socios, Heb. 7, v. 23. 24. sed solus omninò est N. T. propriè loquendo, sacerdos. Contra quàm adversarii (qui suos sacerdotes missificos habent) opinantur, ac docent. Alteram causam, quod virtus oblationis Christi in cruce perpetua sit, Bell. ait, non sufficere: sed, si eam, cum antecedenti, copulemus, omninò sufficit; quoniam ille sacerdos, cujus persona perpetuò vivit; & victima oblata perpetuò durat; ut homines perpetuò reconciliet Deo Patri, habet sacerdotium æternum: Atqui Christi persona perpetuò durat, quia in æternum vivit, & victima similiter: quia sacerdos est & victima, quæ homines perpetuò reconciliat Deo. Ergo sacerdos est in æternum. Nam, quod ait adversarius: non dicitur sacerdotium æternum, cum non jugiter sacrificatur: illud ex superioribus abundè confutatum est: ut enim sacerdotis summi V. T. sacerdotium non minus durabat, cùm, oblata victima, cum sanguine compareret in sancto sanctorum, ad expianda populi peccata; quia illa pars erat muneris sacerdotalis, & proprium sacrificii adjunctum consequens: ita & Christi sacerdotium perpetuum est. Tertia causa est, quod semper in cælis intercedat pro nobis: quæ sanè sufficiens est; licet hoc neget adversarius: nam, qui semper in cælis, pro nobis, intercedit, is merito sanguinis sui, pro nobis fusi, sacerdos est in æternum; quoniam illa propria est sacerdotis functio. Atqui Christus hoc facit. Ergo. Quemadmodum etiam hoc argumentum fusè, & accuratè explicatur, Hebr. 9. verf. 12. 13. 24. 25. Nam sacerdotii Christi pars peracta est in terris, quando pro nobis seipsum, in sacrificium propitiatorium, in cruce, Deo Patri obtulit: pars altera peragitur in cælis, cùm se patri sistit, peracto sacrificio, intercessorem. Nam, quod objicit Bell. translato sacerdotio in cælum, etiam legis translationem fieri, Heb. 7. In eo pueriliter ludit homonymias sophismate, & S. Script. abutitur: nam Paulus perspicuè loquitur, de translatione, non de loco in locum (de quo hic quæstio est inter nos) sed de tribu in tribum: alioqui etiam sequeretur argumenti illius vi, aliud fuisse sacrificium sacerdotis Levitici, cùm in arâ offerret victimam, & aliud, cùm translatione sanguinis facta, in sanctum sanctorum, coram Deo ibidem appareret. Quapropter, quemadmodum idem mansit sacerdotium, quamvis muneris illius partem, uno in loco, peregerit; alteram verò in alio: similiter idem manet Christi sacerdotium, cùm jam relicta terra, & ministerio oblationis in cruce, nunc coram Deo in cælo, tanquam sancto sanctorum, non manu facto, nec adumbrante, sed per illud adumbrato, comparet. Quam comparitionem, cùm generatim, nonnulli nostrûm, oblationem vocent; quod Christus sanguine suo, & passionis satisfactione, pro nobis, intercedat in cælis: ineptè Bell. de oblatione sacrificii, declarat speciatim: atque ita non nostros, sed umbram suam oppugnat. Quartam, & quintam causam, quia cum superioribus convenire, & iisdem refutari ait, quibus superiores, nos contrà iisdem responsionibus, & rationibus, quas adduximus, defendi asserimus. Atque hoc modo hanc nobilem controversiam, de sacerdotio, & sacrificio Melchisedeci, & Christi absolvimus. Unde falsitas doctrinæ pontificiæ elucet; ac perspicuè conspici potest, prolationem illam panis, & vini, à Melchisedeco factam, non fuisse typum sacrificii alicujus incruenti Christi, in Missâ, ubi sub specie panis, & vini, à sacerdotibus N. T. offeratur Deo Patri: ac propterea, inter effecta sacerdotii Melchisedeci illa prolatio panis, & vini, perperam recensetur. Porrò quinta & postrema Melchisedeci & Christi similitudo est in *adjuncto*, quod pro benedictione facta retulit Melchisedek: quemadmodum enim Abrahamus spoliorum decimas ei dedit (tanquam sacerdoti, majori se, & Levitis posteris) honoris, & gratitudinis ergò: ita Christus primùm, major est Abrahamo, & Levitis; similiter & Abrahami posteris, nobisque omnibus, omnium gentium fidelibus, quibus benedixit: deinde Christo, ob benedictionem, honoris, & gratitudinis nomine, non solùm bonorum nostrorum partem, ad cultum Dei, & ministerium sacrum, 1. Cor. 9. verf. 13 & egena Christi membra sustentanda, liberaliter, Matth. 25. v. 40. conferre debemus: sed etiam totos nos, animo & corpore, ei consecrare, 1. Cor. 6. v. 20. Luc. 1. v. 74 Roman. 12. verf. 1. 2.

Hactenus collatio Christi & Melchisedeci (quæ, in *nomine, persona*, *officio gemino*, & *consequentibus*, *cùm effectis*, *tum adjunctis*, consistit) explicata est. Sequitur jam, ad postremi hujus collationis membri illustrationem,

BREVIS TRACTATO DE DECIMIS.

Quia enim de *decimarum* usu, & authoritate multa sæpe disceptantur, & à nonnullis, hac in parte, erratur graviter: rationem illarum, corollarii vice, non incommodè, declarari posse arbitramur. Quandoquidem illarum, ut in Nov. Testam. rara, & brevis fit mentio, sic crebra, & copiosa in V. & hoc etiam in loco: quo etiam Pontifices Romani, ad suam tyrannidem stabiliendam, abutuntur. Ut autem ad rem accedamus, & summa rerum capita, ordine, ac succinctè perstringamus: certum, ac compertum est, *Decimas* esse decimam bonorum partem: quarum oblatio antiqua est, & latè patens, adeo ut reges olim exegerint decimas, à provinciis suis, &, belli tempore, tributum illud duplicariunt. In Sacris verò Literis fit mentio decimarum, quæ Deo fuerunt datæ. Quarum aliæ *arbitrariæ*, quæ citra Dei præceptum, ex arbitrio, conferebantur: quales fuerunt ante legem, & quidem nominatim illæ, quas contulit, ex spoliis hostium, Abraham Melchisedeco, Gen. 14. & quales ex omnibus bonis Deo vovit, nepos Abrahami, Jacobus, Gen. 28. verf. 22. Aliæ verò fuerunt *necessariæ*, quæ à Deo, lege Mosis præceptæ, ex omni proventu, sc. decima pars: quæ necessitate officii, ac religionis imperatæ, præstandæ erant. Quarum aliæ fuerunt *primæ*: aliæ verò *ortæ ex primis*. Primæ quidem, quæ à populo dandæ erant Levitis, ex naturalis æquitatis, & determinationis divinæ, ratione. Ea autem æquitas consistit in compensatione jacturæ duplicis. Quarum prima erat, quod duodecima hæreditatis Israeliticæ pars, à Deo ab iis esset ablata, & translata ad filios Josephi, Num. 18. v. 20. 24. Altera quod ad cultum Dei & ministerium Ecclesiæ essent segregati, eâque via, à necessaria ampliore cura rei familiaris, abstracti, Num. 18. 21. Quamobrem populi officium erat, Levitas, & ex æquitatis, & ex gratitudinis officio (cùm erga Deum, tum erga illius, apud se, ministros) alere, ac sustentare, & hæreditate destitutis, alia ratione, prospicere. Æquissima autem fuit ea, quam Deus instituit, nimirum ut duodecimæ tribui decimæ numerarentur. Hæ autem decimæ, numerandæ Levitis, fuerunt duplices: aliæ Levitis propriæ, aliæ communes cum aliis. Illæ fuerunt, quæ solis Levitis dabantur, excepto tertio quoque anno, Num. 18. v. 20. 22. Hæ verò quæ cum Levitis, etiam pauperibus, peregrinis, & pupillis, ac viduis conveniebant, ut comederent ex iis, & saturarentur tertio quoque anno, Levit, 27. v. 30. cum Deut. 26. v. 12. Ritus verò qui à populo, decimas offerente, adhibendi erant, coram Deo, in illa solutione decimarum,

marum, cum in protestatione innocentiæ, tum in precatione consistentes, præscribuntur, Deuter. 26. v. 13. 14. Hæc de primis decimis. *Ortæ* verò *ex primis* fuerunt *decimæ decimarum,* id est, priorum proventuum centesimæ: quas Levitæ (qui ex decimis vivebant) Deo, per summum Pontificem, offerebant, Num. 18. v. 26. atque ita sacerdotibus, partim honoris causâ, partim ut aliis extraordinariis rebus possent satisfacere, à Levitis decimæ decimarum, sive centesimæ proventus populi pendebantur. Ex quibus omnibus jam constare potest decimarum legem *ratione generis*, esse perpetuam, ut quæ naturali æquitate nitatur: nempe, ut ministri Ecclesiæ, ab Ecclesia, alantur: quia, ut Christus ait, Matth. 10. vers. 10. *dignus est operarius mercede sua.* Quemadmodum etiam pluribus idem, ab Apostolo Paulo, demonstratur, ex eodem fonte naturæ, & authoritate Scripturæ, 1. Corinth. 9. nominatim verò ex eo, quod, qui altari serviebant, inde vixerint; & quod similiter à Deo constitutum sit, ut, qui Euangelium annuntiant, inde vivant. Sed *ratione speciei* considerata (quamvis partem bonorum generatim dare teneatur Ecclesia) ad decimam tamen non est obstricta; quia ejus constitutionis causa specialis fuit, quod Levitæ carerent hæreditate, ac duodecima essent tribus: ac propterea nec Christus, nec Apostoli decimas exegerunt, aut præceperunt. Si quis tamen magistratus eas præcipiat, dandæ sunt, ratione juris Politici; non autem jure communi, ac divinitus definito. Si verò Episcopi illud præcipiant, eorum præceptum nullam habebit vim: neque ratione conscientiæ; (quia ei solus Deus leges potest ferre) neque ratione politiæ; quia illius regimen, ad solum magistratum, pertinet. Ac propterea ineptissimum est, quod Bonifacius Octavus concludit: Pontificem esse magistratu, non solum in divinis, sed etiam in humanis, superiorem: quod ab eodem decimas accipiat: quemadmodum propterea, ut ait, Melchisedec, major Abrahamo dicitur, Heb. 7. Nam contra Pontifici non debentur decimæ, nec ratione muneris (quod scriptura præter Christum, summum sacerdotem, sacerdotem nullum jam agnoscat) nec ratione administrationis Ministerii divini; quia illud non obit: cùm non *pastor* sit; sed reverà *depastor* gregis. Denique si verus esset pastor, in eo quidem munere, & in rerum divinarum administratione: non absolutè tamen, in gubernatione, majorem esse consequeretur. Quod vero ad mysterium decimarum attinet, quod proferunt Pontificii, quasi per decimas declararetur nos omnes esse imperfectos, Christum verò solum perfectum: quemadmodum numerus, ut ajunt, novenarius, imperfectus; numerus verò denarius, perfectus: quod supra eum nullus sit numerus distinctus: illud, inquam, argutum esse potest, sed non videtur veritati simplicitatis S. Script. consentaneum: sed Scholam potiùs Pythagoræ, & Platonicorum, quam Christi & Apostolorum sapere, ideoque, ab ejusmodi ineptis argutiis, in S. Lit. tractandis, abstinendum. Hactenus breviter de decimis disseruimus.

CAPUT VIII.

POstquam cap. antecedente; sacerdotii Christi, supra Leviticum sacerdotium, præstantiam, demonstravit Apostolus, variis rationibus: in ejusdem rei amplificatione, progreditur: collectâ primùm antecedentium summâ, & adjunctis aliis quoque argumentis: Ex quibus tandem, abrogationem V. T. & sacerdotii Levitici, deducit. Prima autem Christi præstantia statuitur in adjuncta sessione ad dextram Dei, seu exaltatione illius in regno: quod talis sit Pontifex, qui, ut Melchisedec, cap. 7. v. 1. simul etiam sit Rex; & quidem omnibus creaturis, potentiâ, & gloriâ, superior, Heb. 1. vers. 13. Ideoque sacerdotibus Leviticis major: quoniam illi reges esse non poterant; sed eorum gebernationi subjecti erant. Atque hanc summam esse eorum, quæ antea dicta sunt, declarat v. 1. Altera præstantia est in subjecto sanctuario; quod Christus minister sit sanctuarii cœlestis: nam sedens in cœlis sanctuarii minister dicitur v. 1. & 2. Heb. 9. v. 24. contrà verò Pontifices Levitici, ministri fuerunt sanctuarii terreni. Tertia excellentia est in ministerio tabernaculi posita, per quod ad sanctuarium patuit via: Christus enim minister est tabernaculi *veri*, per Mosen typicè adumbrati: Levitici verò Pontifices, ministri tabernaculi typici. *Verum* enim, hoc in loco, non opponitur falso (ut vulgò, ac propriè accipi solet vox) sed typico, & umbræ: idque per Meton. quod veritas consistat in complemento: adeo ut res, typo adumbrata, exhibita, typum verum esse arguat: quo sensu dicitur Joa. 1. v. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum*, ut in ejus loci explicatione, pluribus ostendimus. Sic etiam Joa. 6. v. 22. *Moses non dedit vobis panem verum de cælo; sed Pater dat vobis panem de cælo.* & Heb. 9. v. 24. anticypa & ἀληθινὰ *exempla* & *veritas* opponuntur eodem omninò sensu; ut alibi *corpus* & *umbra*. Cœterùm illud controversum est, quid per *verum tabernaculum*, hoc in loco Apostoli, intelligi debeat. Quidam enim cælum interpretantur, ut idem significet per exegesin quandam, atque sanctuarium: alii verò hanc sententiam minùs probant, ac de corpore Christi rectiùs interpretantur: nam quamvis ad præstantiam cæli, supra tabernaculum Leviticum, ad causam efficientem amplificandam, non ineptè dici possit, quod Deus illud fixerit, non homo (quemadmodum ex reipsa, & simili loco Heb. 9. vers 24. apparet) cum sequenti tamen versu non satis quadrat. Deinde ex collatione, Heb. 9. v. 11. 12. colligitur distingui, tanquam diversa, tabernaculum & sanctuarium, quod videl. per illud, ad hoc fit ingressus: ac propterea Chrys. & alii nonnulli, qui, cum illo, sanctuarium & tabernaculum, hoc cap. 8. cælum designare docent, in cap. 9. explicatione, rei perspicuitate adducti, de corpore Christi, interpretantur: quæ sanè genuina, hoc in loco, sententia est. Sic autem vocatur corpus Christi per Meton. qua signo, nomen rei significatæ, attribuitur: & ab eo signo, veritatis voce adjuncta, distinguitur. *Verum* enim tabernaculum (ut antea ostendimus) appellatur, quod tabernaculo typico fuerit adumbratum. Similitudo autem consistit in duobus. Primùm, quod ut in tabernaculo Deus præsens erat: ita & in Christi corpore divinitatis plenitudo habitet corporaliter, Col. 2. v. 9. Unde etiam, servatâ eadem Meton. templum, id est, typo templi adumbratum, vocatur ab ipsomet Christo; & explicatur ab Euangelista Joan. 2. 19. & 21. Altera similitudo in eo consistit, quod ut in tabernaculo Deus colebatur, & per illud aditus erat ad sanctuarium: ita, in Christi corporis unione, colendus sit Deus; & per illud oblatum, nobis aditus pateat ad patrem, & cælum, Joa. 14. v. 6. *Nemo venit ad patrem, nisi per me* Unde Metaphoricè quoque se *viam* appellat. Quemadmodum etiam propterea tabernaculi velo adumbratum fuit Christi corpus, ut apparet ex Heb. 10. v. 19. 20. Quamobrem rectè, & eleganter Christi corpus tabernaculum appellatur: & ad majorem illius præstantiam commendandam, cum tabernaculo Levitico, ampliùs confertur, & duplici causa, ab eodem, distinguitur, eique præfertur, primò, ratione causæ efficientis: quæ indicatur per thesin quidem, cùm dicitur: *quod Deus fixit*, nempe per se, sine hominis opera: & per antithesin Levitici tabernaculi, cum per remotionem additur, *non homo.* Illud enim Leviticum à Deo quidem habuit originem, si mandatum spectes; sed per Mosen, & hominum operam constructum est; tabernaculum verò corporis Christi, non homo fixit, quoniam Christus sine virili operatione conceptus est, potentiâ, & efficaciâ Spiritus Sancti: unde etiam Pater, filio corpus adaptasse, dicitur, Heb. 10. v. 5. in quod, tanquam tabernaculum, filius ingressus est, incarnatione; & serviit Patri oblatione ejusdem in cruce; & tandem comparitione in cælo, ut in sancto sanctorum. Hæc de vers. 2. Quemadmodum secundò causa finalis demonstrat, quod Deus fixerit; ut *haberet filius, quod offerret*: i. e. ut non solum tabernaculum esset; sed etiam simul & sacerdos summus, & sacrificium. Idque probat ab officio Pontificis communi. Pontifex, seu summus sacerdos habere debet, quod offerret Deo. Christus Pontifex est. Ergo debuit habere quod offerret Deo. Hoc autem non aliud esse, quàm corpus animatum, extra controversiam est: & in hac Epistola etiam inculcatur, præsertim Hebr. 10. v. 5. seqq. Hæc de vers. 3. & tertia sa-

tia sacerdotii Christi, supra Leviticum sacerdotium, præstantiâ. Unde, antequam ad quartam accedat, primæ, & secundæ confirmationem memorabilem interserit, hoc modo: *si esset in terra*, peracto jam sacrificio, nec ascendisset in cæleste sanctuarium, *non esset sacerdos*. Atqui sacerdotem esse, jam antea ostensum est. Ergo, peracto jam sacrificio, non est in terra. Conclusio, & assumtio v. 1. & 2. præmissæ sunt. Propositio verò & confirmatio illius, v. 5. adfertur: nam consequentia ejus probatur: si Christo mamente in terris, manerent sacerdotes Levitici, qui offerrent dona secundum legem; Ergo Christus manens in terris, non esset sacerdos. Propositio certa est: quia duo illa sacerdotia, tanquam umbra, & corpus, simul stare non possunt. Assumtionem autem probat Apostolus à sacerdotii Levitici fine, & scopo legis ceremonialis: *Qui exemplari, & umbræ rerum cælestium deserviunt*, illi Christo manente in terris, manent. Atqui Levitæ exemplari rerum cælestium deserviunt. Ergo Christo manente in terris, manent. Propositio perspicua est: quia, quamdiu veritas, seu res per typum significata, non est exhibita, & Christus in cæleste sacrarium non ascendit, umbra, & typus permanere debent, secundum legem. Assumtionem probat Apostolus, ab authoritate Dei, Exod. 25. 40. qua Moses absoluturus tabernaculum, jussus est omnia ad archetypum cælestem, qui ei in monte ostensus erat parare, id est, ex præscripto divino; quo Christus, cum suo sacerdotio, Mosi descriptus, & patefactus erat. Hæc de primæ & secundæ præstantiæ Christi expositione. Cui quartam præstantiam Apostolus addit, nempe à fœdere petitam, hoc modo: Qui præstantioris fœderis intercessor est, quàm Levitici pontifices: ille præstantius sacerdotium habet. Atqui Christus præstantioris fœderis intercessor est. Ergo &c. Atqui ita Apostolus progreditur ad insignem illam, atque illustrem comparationem Vet. & N. seu legalis, & Euangelici fœderis, atque ad abrogationem prioris. Assumtionem autem probat, firmis argumentis. Quorum primum est à promissionibus petitum: quod fœdus Euangelicum, (cujus intercessor est Christus) præstantioribus promissis sancitum sit v. 6. Alterum ab impotentia fœderis legalis (Rom. 8. v. 3.) quod non fuerit irreprehensibile. Idque ex ordine confirmat, nimirum quod secundo, hoc est, Euangelico fœderi, quęsitus fuit locus. Unde rectè concludi potest, hoc modo: Fœdus, quod, post reprehensum fœdus legale, sancitur, illud eo perfectius, & pręstantius est: Atqui fœdus Euangelicum est tale. Ergo perfectius, & pręstantius est, v. 7. Quam rationem confirmat Apostolus testimonio Dei ex Ier. 31. quo prophetiam, de novo Testamento sanciendo, proponit; &, alloquens Israëlitas, fœdus legale reprehendit: nam quemadmodum, post Cajetanum, ab aliis etiam rectè observatum est, vox αὐτοῖς, non cum antecedenti voce μεμφόμενος, sed consequente, nempe λέγει construi debet: sicut antecedens versus, in quo, de legalis fœderis reprehensione, agitur, satis ostendit. Cœterum hæc prophetia, pręmissâ primum pręfatione (quę authoritatem, & benevolentiam fidelium, ab authore Deo, conciliat) tractationem rei bimembrem, per propositionem, & expositionem, complectitur. Propositio autem continet promissionem fœderis Euangelici: quod describit, primum, à suo genere, cùm *fœdus* appellat, & quidem *Dei*, cum Israële, & Iuda: non quod excludat gentes; sed, κατ' ἐξοχὴν, ordinis, ac principii, nimirum quod illi primum essent vocandi, ex Dei instituto, ad fœderis illius societatem, Matth. 10. v. 5. 6. Act. 13. v. 46. Rom. 1. 16. Eph. 2. v. 12. Deinde additur differentia, cum *novum* vocat (hoc est, secundum, & à legali diversum) & *temporis venturi* meminit, vers. 8. Quę differentia, quoniam minus explicata est; idcirco seqq. amplius illustratur: expositio enim propositionem sequitur, constans aphęresi, & thesi. Illa docet, quid non sit, idque commodè, ad errorem tollendum, videlicet, *quod non sit fœdus, quod cum Patribus ipsorum*, Israëlitis, *pepigit*; nempe legale: *cùm ex Ægypto*, benignè, quasi arrepta manu *educeret*. Ratio autem, quamobrem non illud sit fœdus initurus, petitur ab adjuncta fœderatorum perfidiâ. Cujus culpę gravitatem, à consequenti illius effecto, scilicet pœna, declarat; cùm Deus dicat: *se eos despexisse*, scilicet ut sui fœderis contemtores, vers. 9. Verùm antequam progrediamur, difficultati, quæ sese, hoc loco offert, priùs occurrendum. Objicitur enim Apostolum non fideliter Prophetæ testimonium citare: verba enim Hebræa sunt ואנכי בעלתי בם Vox enim בעל, quam Propheta habet, significat propriè *dominari:* deinde per Synecd. generis. pro specie, *maritum esse*; quod maritus uxoris sit Dominus. Utrovis autem modo quis interpretetur, non videtur convenire cum Apostoli interpretatione. Hanc verò difficultatem bifariam expedire conantur. Alii enim nodum secant: alii solvunt: Secant, qui, concessâ culpâ, translatione ipsius culpæ utuntur, cum vitium non ab Apostolo ortum; sed à Græco interprete, quem secutus sit, affirmant. Sed aliena hæc responsio est: utpote quæ nodum non expedit; sed ampliùs stringit: non enim hoc loco quæritur: an ab Apostolo; sed an in Apostolo culpa sit? Sacræ enim literæ, utpote divinæ, debent esse veræ; & errores non solùm non parere; sed ne loqui quidem. Alii igitur solvunt, negatione dissensionis, & quidem ut consensus statuatur in sensu, quod sufficit, vel etiam in verbis: interdum enim Christus, & Apostoli, verba Prophetarum citant: interdum, iis neglectis, sensum, seu mentem tantùm exprimunt: quæ ratio, apud bonos etiam authores profanos, aliorum dicta citantes, subinde observatur. Sensum autem expressum esse ab Apostolo, hoc in loco, duobus ostendunt modis. Quidam enim primam secuti significationem, cum Veteri interprete exponunt: *dominatus sum eorum* (& magis Latinè, *iis*) quanquam convenientius cum Hebræo, *dominatus sum in eos*, id est. *punivi eos*, & ostendi me Dominum esse: qua sententia, vocem synonymam usurpari ajunt, Ps. 110. v. 2. *Dominare in medio inimicorum eorum*. Alii verò alteram significationem Synecdochicam observant; sed modum interpretationis diversum statuunt. Sunt enim qui, R. D. Kimchi secuti, vertunt: *quanquam conjugio junctus eram iis:* ut copula Hebræa (ו) discretiva sit; ut, hac ratione, indignitas defectionis Judæorum, amplificetur. Sed si hæc valeret interpretatio, quomodo cum Apostoli verbis conveniet, nisi forte dicamus, per consequentiam quandam remotiorem: quod scil. Deus ingratos, indignitate eorum offensus, punire soleat. Quod quia paulò longius petitum est, alia quærenda est commodior hujus loci explicatio. Alii igitur concinnius & elegantius, quæ vulgo assertione quadam vertuntur, per interrogationem legenda statuunt: atque ita per temporis præteriti enallagen vertunt: *Et ego iis matrimonio junctus mansissem?* ac si diceret, minimè: qui despectus est specialis; cujus, generali voce, hic meminit Apostolus, atque ita, mutatis verbis, sensum expresserit fideliter. Secundò, ad ampliorem rei declarationem, arbitramur, salvo meliori doctiorum judicio, dici posse, Apostolum non sensum tantum, sed etiam verba Prophetæ, non incommodè, expressisse. Nam R. Joseph. Kimchi, in Jerem. 3. v. 14. & 3. v. 32. ait: vocem בעל sequente (ב) *despectionem* denotare: & eadem significatione usum hujus vocis esse in lingua Arabica, quæ Hebrææ affinis, quibus, cùm consentiant Interpp. Græci, quos secutus videtur Apostolus, summa invenietur convenientia. Cœterum ad significationis originem quod attinet, quanquam ea, in multis, latet; in hac tamen voce, à significatione primâ videtur derivata: nam cum dominio despectus servorum plerumque conjunctus est. Atque hæc de v. 10. & expositionis propositi fœderis novi parte prima, nempe aphæresi. Sequitur thesis, sequentibus: qua exponitur fœderis genus, & differentia. *Genus* quidem partibus suis indicatur, cum dicitur: *ero Deus ipsorum, & ipsi erunt mihi populus:* hoc enim commune est pactum, & fœdus Dei, in utroque, cum fœdere legali; tum Euangelico. *Differentia* verò sita est in conditione, & promissione, cum sanctificationis; tum justificationis: nam *sanctificatio* bimembris, pro facultatum animæ ratione, statuitur, *mentis*; & *cordis*, sive *voluntatis: quibus Deus promisit se inscripturum suam legem*, cum videl. per Sp. S. mentem illuminat agnitione Dei, & voluntatis illius; ac fide in Christum: & cor emollit, ac flectit ad obe-

ad obedientiam, charitate infusâ, Ezech. 11. vers. 19. 20. & 36. v. 26. 27. Quâ descriptione, elegans omninò antithesis, inter fœdus legale, & Euangelicum, statuitur. Quemadmodum etiam 2. Cor. 3. v. 3. quod lex inscripta fuerit, in illo fœdere, lapidibus; in hoc verò hominibus; & in illo, scil. legali, duabus tabulis externis; in hoc verò, duabus tabulis animi; nempe menti, & cordi. Quæ inscriptio contingit bifariam, extra ordinem in Apostolis, & Ecclesia Apostolica, Jol. 2. v. 29. & Joan. 14. v. 2. Actor. 2. ordinariè vero per prædicationem Euangelii, & internam Sp. S. gratiam conjunctam, 1. Corint. 3. v. 5. 7. in posteris, ad finem usque mundi. Cœterùm observandum est: quamvis Abrahamus fide adeo excelluerit; ut nobis, tanquam exemplar fidei sinceræ, & constantis, proponatur: ideoque Pater omnium nostrum (nempe fidelium) appellatur, Rom. 4. v. 16. aliique in V. T. Dei notitiâ, fide, & amore excelluerint plurimi, Heb. 11. id tamen nihil obstat propositæ hinc sententiæ: nam sanctificatione hac, & justificatione quidem fuerunt præditi, Actor. 15. vers. 11. & Deut. 30. v. 6. non tamen vi fœderis operum, seu legalis, (quod hoc in loco opponitur novo, & ministerium mortis dicitur, 2. Cor. 3. v. 7. & 14.) sed vi fœderis gratiæ, promissionis, benedictionis, seu salutis per Christum. Quod fœdus propositum primùm fuit in paradiso, Gen. 3. & confirmatum deinde cum Abrahamo, Gal. 3. vers. 17. Qua promissionis ratione, de salute per Christum venturum, fœdus ἐπαγγελίας dicitur, id est, promissionis. Denique consummatum, ac sancitum est Christi sanguine, quod fœdus Euangelii (seu læti nuntii, de salute, per Christum exhibitum) appellatur, & novum. Porro *inscriptio mentis* (quæ prima sanctificationis descriptæ pars est) amplificatur à qualitate, cùm rei, tum subjecti. Rei quidem, quod tanta futura esset Dei, per Christum, notitia; *ut non docturus sit quisquam proximum, dicendo, cognosce Dominum*: subjecti, seu personarum, cum additur: *omnes cognoscent Deum:* idque distributione, in *magnos* & *parvos*, illustrat: ut 1. Joan. 2. v. 12. 13. 14. Quæ promissio intelligenda est, non absolutè (ut Hebr. 10. v. 34. 35. apparet, & Eph. 4. v. 11.) sed comparatè cum populo Vet. T. nimirum quod adeo illustris futura sit notitia, ut non tanta institutione opus habeant, quanta in V. T. in quo populus rudior, & ad idololatriam propensior fuit: quod scil jam, in novo fœdere, futuri essent θεοδίδακτοι, Esa. 54. v. 13. Joan. 6. 45. 1. Joa. 2. v. 20. 21. 27. Hæc de sanctificatione. Cui additur altera fœderis novi promissio de justificatione, & conservatione: qua propitius est Deus nostris iniquitatibus, eas remittendo, & in gratia conservando, in perpetuum; *ut peccatorum non recordetur amplius:* nempe non ratione notitiæ; sed pœnæ, condemnationis: noscit enim, sed ita, ut ignoscat. Ac quamvis verè fideles, Deo fœderati, peccatis suis ipsum, non rarò, offendant; ut gratia omni excidere mereantur: eam tamen non aufert, tanquam judex severus; sed tanquam Pater noster, diligendo castigat; & ad resipiscentiam adducit, ut Heb. 12. eleganter docetur. Hæc de v. 12. Atque hactenus testimonium divinum, quo probavit Apostolus, fœdus novum, promissionibus, & perfectione, præstantius esse legali. Ex quo etiam rectè concludit, fœdus legale, cum suis circumstantiis, novo, alterius generis, succedente, fuisse abrogandum, v. 13.

CONSECTARIA.

I. NOn solùm in profanis, sed etiam in Sacris Scripturis utile est, quæ fusiùs dicta sunt, ea, ad auditorum institutionem, breviter, ad summa capita revocare.

II. Cùm Christus, & Pontifex, & Rex sit, ad dextram Dei sedens, verâ fide colendus est.

III. Sessionis Christi ad dextram locus definitur cœlum: errant igitur Ubiquitarii, qui, ex eâ re, ubiquitatem concludunt, vers. 1.

IV. Cùm Christi corpus sit tabernaculum verum; per eum, ad Deum, & Sanctum sanctorum cæleste, contendendum est.

V. Si Deus illud fixit, non homo; rectè conceptus dicitur è Spiritu Sancto: errantque impiè, qui Christum verum, & naturalem Josephi filium, asserunt, v. 2.

VI. Idem Christus, & Pontifex est; & tabernaculum; & victima (imo & alibi propitiatorium) pro diversa ratione, v. 2. & 3.

VII. Cùm ceremoniæ legales, non solùm fuerint, quasi Chirographum debitorum nostrorum, & externi cultus jugum, sed etiam alio modo, Christi & rerum cælestium, in Christo, umbræ: Ergo earum institutio, non fuit ludicra, ac vana, sed rectâ nitens ratione. Deinde usus earum, non tantum is fuit, ut essent frenum, quo Israëlitæ, à profanis gentilium ritibus, arcerentur: sed etiam, ut essent Pædagogus, stimulus, & exercitium, ad populum, in fide Christi venturi, excitandum, ac fovendum.

VIII. omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, ad Dei præscriptum, curanda sunt: ac propterea in Dei Majestatem sunt injurii Pontificii, qui novos religionis ritus, in Ecclesiam, invehunt, v. 5.

IX. Cum Deus utriusque fœderis author sit: sequitur salutis nostræ principium, non à nobis esse, sed à Deo: qui prior dilexit nos, 1. Joh 4. v. 19. cum v. 9. & 10. eoque nomine nos gratos esse debere, quòd nos, creaturas suas, imò hostes, suo fœdere gratuito, Deus sit dignatus v. 9. 10.

X. Fœdus legale non fuit servatum ab Israëlitis: ergo nemo illorum, operibus justificatus est.

XI. Fœderis Dei violatio, iram illius & rejectionem promeretur, v. 9.

XII. Fœdere novo, lex Dei inscribitur mentibus & cordibus: ergo, sine Dei gratiâ, legem ipsius non possumus rectè intelligere, neque ei obedire. Unde Pontificiorum, de lib. arbitrii viribus, error, perspicuè confutatur, v. 10. & 11.

XIII. Dei cognitio ad omnes, tam majores, quàm minores, pertinet: ergo injurii sunt in Deum, & in sanctam illius Ecclesiam, qui homines plebejos, ac rudes, in crassissimâ ignorantiâ, fidei implicitæ nomine, sopitos detinent.

XIV. Deus, novo fœdere, ita peccata remittit, ut eorum non recordetur amplius: ergo Pontificiorum purgatorium, & satisfactiones omninò corruunt: nam ubi pœna, & satisfactio pro peccatis, habet locum, ibidem etiam viget peccatorum recordatio. Deinde hinc etiam confirmatur perseverantia sanctorum: nam quorum peccata Deus sic remittit, ut eorum non recordetur amplius, illi non excidunt gratiâ, v. 12.

CAPUT IX.

SUperiori capite sacerdotii Christi dignitatem demonstravit Apostolus, partim ex sanctuarii, & tabernaculi illius excellentia, v. 1. partim ex ministerii, v. 5. & 6. & fœderis novi (comparati cum vetere, ratione promissionum, & durationis) præstantia, v. 6. Unde fœderis, & sacerdotii legis impotentiam, & abrogationem ostendit, v. 5. 6. & 13. In cujus argumenti expolitione, & declaratione, hoc capite, amplius occupatur. Instituit enim pleniorem, ac planiorem fœderis legalis, & novi; deinde sacerdotii Levitici, & Christi oppositionem. Cujus pars prima à v. 1. ad 11. extenditur: ea autem constat propositione, & expositione. Quarum illa describit typos V. T. quorum deinde veritatem, in Christo consistere ostendit. Typi autem recensentur duo: nempe *sacrarium*, & *ministerium*, sive usus illius. Sacrarii autem nomine intelligit tabernaculum Deo sacrum, id quod ad distinctionem cælestis (de quo c. 8 v. 2 & 9. 11. & 24. agitur) ratione causæ efficientis, & adjuncti illius, *mundanum*, hoc est humanum, & caducum, appellat. Ministerium verò seu usum illius exprimit; cùm addit: *religionis ritus*, v. 1. Quæ duo proposita distinctè, servato rerum ordine, exponuntur. Primum enim agitur de tabernaculo usque ad v. 6. quod distributione in partes declaratur. Cùm autem *tabernaculum* (quod erat tripartitum) fuerit divisum, in *atrium*, & in *sancta*; quæ, ab atrio, per velum intercedens, separata, sacerdotibus erant propria: Apostolus priori neglecto, per

Synecd.

Synecd. tabernaculi voce, alterum, ut ex distributione apparet, intelligit: id enim in duas tantùm partes dividit; nempe in *prius sanctum*, quod *sancta* simpliciter; & in *secundum*, quod comparatè *sancta sanctorum* appellat. Quæ singula, ut per Synecd. & propter distinctionem velorum, (quasi in diversa tabernacula) vocat tabernacula; ita suis instrumentis, quibus fuerunt instructa, describit, v. 2.

Ac prioris recensentur, quæ præcipua erant, tria, *candelabrum, mensa*, & *panes propositi*: quæ loco, & usu, ac significatione, differunt. *Loco*, quia candelabrum in sinistro, hoc est meridionali latere collocatum fuit: mensa verò cum panibus impositis, in dextro, id est, septentrionali. *Usu* verò diversa fuerunt, quod candelabrum aureum, septem lucernis, à sacerdotibus accensis, ac semper ardentibus instructum fuit, ut lucem in tabernaculo abundè præberet, Ex. 25. Ut adumbraretur omnium Christianorum potissimum verò Ministrorum Euangelii, officium; & Euangelii dignitas, ac potentia; quod à Christo sacerdote, luce cognitionis Euangelii, accensi sint, per Sp. S. christiani: ut omnes quidem obedientia Euangelii, ac vitâ Christianâ & aliorum institutione privata prælucerent, Phil. 2. v. 15. 16. Ministri verò Euangelii, etiam publica illius prædicatione, lucem Euangelii, & Sacræ Scripturæ, in densis hujus mundi tenebris, in Ecclesia, tanquam sancto Dei tabernaculo, Apo. 21. v. 3. *ad illuminandos oculos mentis*, Actor. 26. v. 16. 18 Mat. 5. 13. 15. 16. præferrent: donec, die ultimo, Christus Lucifer noster, discussis omnibus tenebris, in cordibus nostris, plenè exoriatur, Apoc. 1. v. 12. & 2. v. 5. & 11. v. 4. & 2. Petr. 1. v. 19. quibus illuminatio, cujus antè memini, declaratur. Mensæ verò auro obductæ usus fuit, ut duodecim panes sacri, duobus distinctis ordinibus, seni in ordinem quemque, disponerentur, ad alendos sacerdotes solos, Exod. 29. vers. 33. Lev. 24. v. 6. & 9. ut iis significaretur, Christum, in Ecclesia, ministerium Euangelii, instar mensæ deauratæ, instituisse: quo distincto, verbi & sacramentorum, ordine, sese panem vitæ æternæ proponeret, edendum solis fidelibus, Joan. 6. v. 27. 29. 35. utpote quos Deo Patri suo constituit sacerdotes; ut ipsi spirituales gratitudinis hostias offerrent, Apoc. 1. v. 6. & 1. Pet. 2. v. 5. Atque hæc de prima tabernaculi parte, ejusque instrumentis, v. 2.

Sequitur deinde *descriptio partis alterius*; quam, eadem ratione, quâ primam, vocat *tabernaculum* & *sanctum sanctorum* distinctè: hoc est sacrarium sacratissimum, utpote quod soli summo Sacerdoti, & quidem semel tantum quotannis, patebat; & in illud ingrediebatur: de quo Ex. 26. Id autem describit Apostolus, ab illius situ v. 3. & instrumentis v. 4. & 5. Situs est, *post secundum velum:* quod comparatè ita vocatur. Duplex enim in tabernaculo universo, ad illud dividendum in suas partes distinctas, fuit velum, pro ratione, ut antè ostendimus, triplicis spatii distincti: prius enim velum separabat tabernaculi aditum, seu atrium, (tanquam primam tabernaculi partem) à Sancto. secundùm verò dividebat sanctum ab adyto, seu penetrali, nempe à sancto sanctorum; cujus hoc in loco fit mentio: de quo agitur, Exod. 26. v. 33. Quale etiam velum fuisse templi, memoratur Matth. 27. v. 57. Instrumenta autem numerantur duo, nempe *aureum thuribulum, & arca fæderis*. Sed in utroque difficultas emergit. In priori quidem, quoniam Exod. 25. apparet, thuribula fuisse, in priore parte tabernaculi, nempe in Sancto, ad usum altaris suffitus: quomodo igitur in Sancto sanctorum? Sed hæc difficultas solvitur bifariam, nimirum quod cùm Sanctum sanctorum dicitur, aureum habuisse thuribulum, illud intelligi posse, vel proximè ante velum sibi adjunctum; vel intra velum conclusum. Si priori modo accipiatur, eadem omninò erit Mosis, & Pauli sententia: quod scilicet Sanctum sanctorum hæc duo habuerit; sed modo diverso: thuribulum ante se propinquum; arcam verò in se conclusam. Sin verò altero modo intelligatur, nihil etiam erit contradictionis: nam quamvis Sanctum, ad usum altaris, sua habuerit thuribula; videtur tamen ex Levit. 16. v. 12. cum hoc Apostoli loco, comparatione facta, Sanctum sanctorum suum etiam peculiare habuisse thuribulum, ad ignem inferendum, cum suffitu, ad propitiatorium, ne Pontifex moreretur; ac propterea non multorum thuribulorum ab Apostolo, sed unius tantùm fieri mentionem. Cujus significatio fuisse videtur, ut adumbraret nobis opus esse Christi sacerdotis nostri igne passionis, & intercessionis illius suffitu; ad Deum accessuris, ne pereamus: & ut nos, & cultus noster, Deo placere possimus: quemadmodum ex comparatione, Eph. 5. v. 2. & Apocal. 5. v. 8. & 8. v. 34. cum Levit. 16. v. 12. colligitur.

Porrò altera rursus difficultas, eaque, ut videtur, major, exoritur, ex descriptione arcæ. Cujus explicatur primum materia, quâ circumtecta fuit, nempe aurum: deinde adjuncta illius, partim inferiora; partim superiora. Inferiora recensentur tria; nempe *urna aurea habens manna: virga Aaronis, quæ germinarat: & tabulæ fæderis*, id est, Decalogi; sic dicti, quod eo conditiones fœderis legalis continebantur. Quorum postremum, citra nullam controversiam, arcæ fuit inclusum: sed, de duobus prioribus, disceptatur: siquidem ea exterius, coram arca, fuisse posita, demonstratur Exod. 16. v. 34. 35. & Num. 17. v. 19. Videtur igitur, primâ fronte, scriptor hujus Epistolæ, sacris Vet. Testam. libris, apertè repugnare, cum asserit hæc tria fuisse in arca. Qua occasione factum est, ut quidam Epistolæ hujus authoritatem in dubium vocarint. Quamobrem dabimus operam, ut collectis doctiorum solutionibus, additâ tandem nostrâ etiam symbolâ, hunc nodum dissolvamus. Variè enim responderi potest, ac solet; idque negatione, aut antecedentis; aut consequentiæ. Antecedentis quidem; quod Apostolus non asserat, in arca fuisse urnam, sed in tabernaculo: quod, cum dicitur: ἐν ᾗ, relativum illud pronomen referendum sit, non ad propinquam antecedentem dictionem κιβωτὸν arcam, vers. 4. sed ad remotiorem σκηνὴ tabernaculum, vers 3. Neque illud insolens esse, ut relativum ad antecedens, non proximum, sed remotius, aliquando referatur, probant exemplis, Gen. 10 v. 12. *illa est urbs maxima:* quod non ad proximè memoratam urbem, sed ad remotius positam, nempe Niniven pertinere constat. Et 1. Sam. 7. sub finem, *illic*, id est, in Kiriathaim, 2. Sam. 2. v. 14. Ac propterea sensum hujus loci simpliciter esse posse, *in quo*, nempe secundo tabernaculo, *fuit urna*. Aliis tamen hæc interpretatio, licet ingeniosa, minus probatur, ob loci hujus circumstantiam; quod scilicet vers. 5. pronomen αὐτῆς ponatur, id quod non nisi de arca intelligi potest; & de eodem, de quo dicitur, *in qua*: quocirca relativum (ᾗ) non debet ad remotum, sed ad proximum antecedens referri: certum enim est, *Cherubim* in Sancto sanctorum fuisse. Quæ observatio non aliena est: quia alioqui insolens, ac duplex esset statuenda constructionis trajectio, ad remotius, si relativum (ᾗ) referretur ad tabernaculum, & pronomen αὐτῆς ad arcam. Altera igitur solutio est negatione consequentiæ: idque bifariam, ut præpositio Græca (ἐν) vel impositionem; vel appositionem designet. Ac priori modo responsio affertur gemina: una, tempore Mosis, urnam, & virgam fuisse, in arca; sed Prophetam 1. Reg. 8. asserere, tantùm tabulas fœderis in arca fuisse, non simpliciter; sed comparatè, & per Synecdoc. nominatâ re præcipuâ, reliquis intactis. Verùm quoniam hoc non convenit cum eo, quod disertè dicitur, Exod. 16. v. 34. 35. ante conspectum Dei coràm testimonio urnam & virgam Aaronis fuisse collocatam: idcirco alteram interpretationem nonnulli adferunt; nempe, Mosis quidem tempore, ad constructum usque templum, solas legis tabulas reconditas fuisse in arca, de qua re agitur, 1. Reg. 8. v. 9. sed postmodùm, à Salomone, per mandatum, impositas. Idque potuisse Apostolum habere, ex traditione majorum, apud Iudæos recepta, quam Spiritus Sanctus instinctu suo sanctificavit; ut traditiones similes, quæ posteris temporibus scriptis consignatæ sunt. Quemadmodum de Iosephi compedibus, & ferro, quibus constrictus erat in Ægypto, dicitur Psal. 105. v. 18. & de Iannes & Iambres, Mosis adversariis, 2. Timoth. 3. v. 8. & prophetia Enochi, in Epistola Iudæ. Quæ tamen omnia à Mose non recensentur; sed eodem Spiritu Sancto, quo Moses scripsit, hæc, Apostolis revelata, à spiritu di-

ritu dictante conscripta. Veruntamen unum omninò obstare videtur huic solutioni: quod Paulus hîc non disserat de templo; sed de tabernaculo, & constructione illius: quod videlicet hoc, ordinis, ac temporis dignitate, templum antecesserit: ut eo modo amplius Christi præstantiam, & ceremoniarum abrogationem demonstraret. Quare, cùm hîc nulla fiat templi, sed tantum tabernaculi mentio, responsio illa, ex hoc loco, colligi neutiquam potest: & licet maximè aliunde posset probari; nihil tamen ad rem propositam pertineret. Hoc igitur priori solutionis modo (qui conjecturâ incertâ nititur) omisso: alter modus est, ut significetur non impositio; sed appositio, quod *in ea* arca fuerint *addita* urna & virga. Verum hac ratione difficultas nondum videtur penitus tolli; certum est enim tabulas fœderis fuisse non foris additas, sed inditas arcæ: ac propterea quoniam earum, & urnæ, ac virgæ meminit Apostolus, communis etiam utrique quærenda est vocis (ἐν) interpretatio. Quamobrem, salvo aliorum judicio, hunc locum, ita vertendum, arbitramur: ἐν ᾗ *cum qua*. quemadmodum enim præpositio Hebræa (ב) quæ proprie *in* significat, interdum pro עם. i.e *cum* usurpatur, ut Hose: 4.3 *habitans in bestia agri*, i. e. cum eâ, cum bestia agri: sic etiam vocem græcam (ἐν) sæpius ab Apostolis usurpari constat: inter cœtera, ex Mat. 16.27. *venturus est filius hominis* ἐν τῇ δόξῃ, h e. *cum gloria*: & Luc. 1 v. 17. *in spiritu*, i. e. *cum spiritu*; & 4. v. 32. *in potestate* i. e. *cum potestate*: Rom. 15.29. *in plenitudine*, id est, *cum*: & 2. Cor. 13. v. 4. *nam & nos infirmi* ἐν αὐτῷ *in eo*, hoc est, *cum eo*, nempe Christo, sicut res ipsa, & quod ei proximè respondet, demonstrat, cum dicitur, *sed vivemus* σὺν αὐτῷ *cum eo*. denique 1. Thess. 2. v. 17. ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ, id est, *cum multo desiderio*, 1. Thess 4. v. 16. *in Celeusmate, in voce, in tuba*, id est, *cum*. atque hoc modo, & breviter, & perspicuè, nodus hic difficilis expeditur, nim. *cum qua*, scil arca, *fuerunt* &c. hoc est, cui arcæ, urna ac virga Aaronis, & tabulæ legis, fuerunt conjunctæ: urna quidem, & virga foris; tabulæ verò intus.

Qua ratione, sublata tandem difficultate, pauca, de usu, ac significatione horum trium instrumentorum, dicenda sunt. *Vrna aurea habens Manna* (de qua urna Ex. 16. v. 34) reconditum, & incorruptum, (ut res ostendit) Dei virtute conservatum (nam quorsum alioquin, corrumpendum brevi, fuisset reconditum) ut esset signum, & μνημόσυνον durabile beneficii à Deo, cùm corporalis præstiti; tum spiritualis præstandi: corporalis quidem, quod Deus Israëlitarum corpora, quæ alioqui in deserto, fame periissent, in eo, potenter & singulari gratia, pane cœlesti pavisset; ut omnipotentiæ, & gratiæ Dei perpetuò memores essent; eique grato animo adhærerent, ac servirent: spiritualis verò beneficii signum extitit; ut per corporalem hunc cibum, verè cœlestis, tanquam typo prophetico, ac destinato, significaretur, & obsignaretur: videlicet Christum esse nobis tanquam panem cœlestem, in hoc mundi deserto, datum, Ioa. 6. v. 32. & 33. Apoc. 2. v. 17. & deinde in Sanctum sanctorum cœleste translatum Ioa. 6. 62. Heb. 9. v. 24. unde etiam Manna, licet ratione substantiæ suæ esset corporalis cibus; ratione tamen hujus usus spiritualis, nempe relationis suæ ad rem significatam, & obsignatam, cibus spiritualis appellatur, 1. Cor. 10. v. 3. Deinde, si virgam Aaronis spectemus, (de qua Num. 17. v. 4. & 7. agitur) usus illius, ut videtur, fuit duplex, nempe signum historicum, & typicum, ac propheticum. Historicum quidem, ut esset monumentum partim contumaciæ & rebellionis, à populo perpetratæ, & à Deo punitæ; partim authoritatis, & vocationis Aaronis pontificis, non per ipsius, aut hominis arbitrium, sed per Dei voluntatem, & omnipotentiam, stabilitæ; ut hac ratione populus Dei, potentia, & voluntate illius cognita, Deum metueret, & vitata murmuratione adversus Aaronem, & legitimos illius successores, in vita servaretur, Num. 17. v. 10. Typicum verò & Propheticum videtur fuisse signum Christi, summi sacerdotis: quod ut virga solius Aaronis præcisa, non vi naturæ; sed voluntatis, & omnipotentiæ Dei, una nocte germinavit, & flores ac fructus produxit; reliquis interim Israëliticarum tribuum adjunctis virgis permanentibus infructuosis: ita & solus Christus in pontificatum, seu summum sacerdotium se non ingessit; sed quemadmodum Aaron, sic ipse, à Deo Patre, eo provectus est, Heb. 5. 4. 5. & solus, ac secretus ab omnibus mortalibus, in eo munere, variis miraculis inauguratus, ac confirmatus, viget ac fructus profert nobis salutares. Vnde, quemadmodum, ratione nativitatis, *surculus ex trunco Isai* Esa. 11. v. 1. & *lapis de monte præcisus, nullâque hominum operâ politus* Dan. 2. vocatur: ita, ratione officii, & confirmationis illius, virgâ Aaronis, omnino videtur adumbrari. Id quod longe meliùs, cum scopo quadrat, quàm quod Pontificii, de virgine Maria, interpretantur: nam quamvis, per communem aliquam similitudinem (ut quidam veterum faciunt) ad eam transferri possit: si tamen scopum spectemus, & circumstantias, non Mariæ; sed Christi, Aarone adumbrati, typum fuisse, constabit. Quemadmodum nomen etiam Aaronis inscriptum fuit, ut hac ratione populus Christianus, cognita Christi summi sacerdotis authoritate, contumaciam, & rebellionem vitarent. Alioquin, si quis tantùm similitudinem consectari velit, non incommodè dici poterit: sicut virga Aaronis præcisa, flores tamen, ac fructum, Dei virtute, una nocte, protulit: sic Christus, ex numero viventium excisus, & mortuus, resurrexit, & flores, ac fructus vitæ æternæ fidelibus protulit. Qua in re, licet concinna sit similitudo; nihilominus tamen scopus hic non est florentis virgæ Aaronis: seu non est typus Propheticus, ac destinatus; sed tantùm communis quædam similitudo. Denique tabularum fœderis, quæ arcæ inclusæ erant, usus, & significatio quoque fuit duplex: nempe, ut esset signum, cùm historicum: tum typicum, & Propheticum. Historicum, ut datæ à Deo legis, & fœderis legalis, cum populo Dei initi, exemplar extaret authenticum; quo Dei, & beneficii illius, atque officii sui memores, ipsum colerent. Typicum verò & Propheticum, ut significaretur Christum, tanquam arcam fœderis, legem non soluturum; sed sua obedientia integrâ, servaturum, Matth. 5. vers. 17. & tanquam arcæ operculum, ac propitiatorium, legis accusationem, & maledictionem, ob peccata nostra, promeritam, sua satisfactione, & intercessione perpetua, tecturum, Rom. 8. v. 33. 34. Gal. 3. v. 13. & 5. v. 4 5. unde etiam ἱλαστήριον *propitiatorium* Rom. 3. v. 25. & ἱλασμὸς *propitiatio* 1. Ioa 2. v. 2. appellatur. Atque hæc dicta sunt de arcæ adjunctis inferioribus, cùm foris; tum intus, vers. 4. Superiora verò fuerunt, præter propitiatorium, *Cherubim*, imagines v. 5. aureæ, humana figura alatæ, quæ suis alis propitiatorium obtegebant, & obumbrabant, faciebus versus propitiatorium, unius ad alterum è Cherubim obversis, ut Ex. 25. 18. 19. 20. è quorum medio Deus Mosen alloquebatur Ex. 25. v. 22. Quapropter etiam crebrò, in S. L. Deus sedere super Cherubim, dicitur; & *Cherubim gloriæ* (ob præsentiam Dei gloriosam) ab Apostolo appellantur. Cujus rei significatio fuit, Christum, propitiatorium nostrum, Angelos habere famulos, nutum ipsius observantes; &, ad obsequium præstandum, ad salutem fidelium, esse promtissimos, Heb. 1. v. 14. quemadmodum Angeli etiam Cherubim vocantur, Gen. 3. 25. Deinde Deum, in Christo, & per Christum, nos regere, ac docere, Heb. 1. v. 1. Quorum prolixiorem tractationem, præcisione quadam, rejicit Apostolus, ut ad sequentia, & rem propositam, propius accedat, vers. 5.

Quomodo, à descriptione tabernaculi, ad alteram expositionis partem, nempe ad tabernaculi usum, & ministerium, ac religionis ritus, commodè transit. Et quemadmodum tabernaculum, in primum, & secundum; seu in Sancta, & Sancta sanctorum, antea distribuit: sic etiam utriusque ministerium ordine declarat, distinctione adjunctarum personarum, temporis, ac cultus. Ac de priori agit, vers. 6. *In illud sacerdotes, ritus religionis obituros, ingressos esse semper*, id est, quovis tempore statuto, quotidie, mane & vesperi; & singulis sabbathis; neomeniis; & festis, Ex. 29. v. 28. 39. & 41. De posteriori ait: *in illud ingressum esse*, non quemvis sacerdotem, sed *solum summum sacerdotem*, deinde non semper, sed *semel* tantum *quotannis*, nim. in festo expiationis; & jejunii, die decimo mensis septimi,

ptimi, Lev. 16. 17. denique *non sine sanguine, quem offerret pro suis, & populi erratis.* h. e. per synecd. peccatis. Quæ oblatio intelligi potest bifariam; aut quod sacerdos offerret sanguinem, mactando victimam in atrio; aut, collecto sanguine, eum exhibendo, coram Deo, in Sancto sanctorum: utrumque enim verum est; sed posterius tamen huic loco magis accommodatum. v. 7. Atque hæc de constitutione & ministerio tabernaculi. Quorum significationem typicam exponit Apostolus, ut sacerdotii Levitici imperfectionem, ex eo, demonstret. Significatio autem est duplex; una specialis, quod *prioris tabernaculi duratione Sp S declararit, nondum viam ad cœlum esse patefactam. Prius* enim *tabernaculum* vocat, hoc in loco, non impropriè per Synecd. Sanctum (quatenus à Sancto sanctorum distinguitur, ut v. 2.) sed propriè pro universo tabernaculo levitico: quod *prius* dicitur, non relatè ad Sanctum sanctorum; sed ad tabernaculum spirituale, externo, & levitico adumbratum: quemadmodum per sancta, aut sacrarium, cœlum intelligit. Hoc autem nondum patuisse, durante tabernaculo levitico, ex eo liquet; quod in eo distinctio erat à Sancto; quodque in illud, excluso populo, & reliquis sacerdotibus inferioribus, soli pontifici, & quidem non semper, sed quotannis tantum semel, pateret aditus. Si quis verò objiciat: Atqui Abrahamus, Moses, Josua, David, aliique patres V. T. servati sunt, atque in cœlum recepti. Ergo durante levitico tabernaculo cœlum patuit. Respondemus adhibitâ distinctione: cœlum enim patere dicitur bifariam; vel ratione rei, & effecti; vel ratione meriti illius: priori modo, cœlum, ante Christum, patuisse, concedimus: quod fide in Christum venturum, & per satisfactionem, atque obedientiam, ab eo præstandam, servati sint pii, in V. T. (neque id tollit Apostolus hoc in loco) sed altero modo cœlum patuisse negamus: quoniam Christus primùm, adventu suo, & pœnę, atque obedientię satisfactione promeritus est fidelibus, apertionem cœli: quemadmodum etiam remissionem peccatorum pii patres, ante Christum exhibitum, habuerunt nobiscum communem, ratione efficaciæ meriti futuri; sed non ratione meriti exhibiti. De quo Rom. 3. v. 25. & Heb. 9. vers. 11. 15. & cap. 10. vers. 2. 11. 12. & 11. v. 40. Hæc de v. 8. & primâ durationis tabernaculi significatione, quæ specialis est. Cui altera generalis adjicitur, quod usus tabernaculi fuerit, ut esset *exemplar*, seu typus (nempe gratiæ Christi) institutus *ad instans usque tempus*, id est, ut duraret ad tempora exhibiti, & in gloriam suscepti Christi: id quod postea, *tempus correctionis*, vocatur. Atque inde rectè colligit Apostolus, *donorum & sacrificiorum*, quæ offerebantur à Levitis, *impotentiam*; quod *secundum conscientiam, non possent sanctificare cultorem.* Idque probat à natura eorum, quod sita fuerint, in rebus, & ritibus corporalibus: quę ut animam non attingunt; ita nec purgant; sed tanquam onus, ac jugum Israëlitis fuerunt imposita, Gal. 4. 3. & 5. 1. *ad tempus usque correctionis*, h. e. ad tempus Christi: qui ceremoniarum legis significationem, gratię collatione complevit; atque ita, perficiendo easdem abrogavit, v. 10. Id quod sequentia ostendunt, quæ aptè superioribus connectuntur. Postquam enim hactenus, oppositionis levitici sacerdotii, & Christi, primam partem distinctè absolvit; & de tabernaculi ac ministerii levitici impotentia, & abrogatione disseruit: transit jam ad alteram partem, quæ de Christo & ceremoniarum, per eum, complemento, & correctione tractat, comparatione eleganti: quâ Pontifici levitico Christum confert; ac deinde præfert: confert quidem generatim, similitudine muneris pontificalis, tabernaculi, sanguinis, sacrarii: præfert verò speciatim, dignitate & efficaciâ: nam primò, si munus spectemus, olim quidem fuerunt Pontifices Levitici, sed impotentes, & futurorum bonorum umbræ: Christus verò author futurorum bonorum, id est, salutis nostræ: quę vocatione, justificatione, sanctificatione & redemptione ultima, continetur. Secundò, Levitæ quidem *tabernaculum* habuerunt; sed Christus *majus* longè, & *perfectius*: illorum enim erat manufactum; Christi verò non manufactum, id est, *non hujus κτίσεως creaturæ*, id est, non ab homine, ut Heb. 8. 2. tabernaculi distinctio ostendit: atque eo sensu, vox *creaturæ*, pro homine accipitur etiam Marc. 16. 15. per synecdoch. & κατ' ἐξοχὴν. Quod autem non esse dicitur hujus creaturæ: illud de Christo intelligi debet, non ratione materiæ (quemadmodum Anabaptistæ objectant, ad errorem suum fucandum) sed ratione formationis, ac conceptionis: nam ratione materiæ, semen mulieris Gen. 3. & remotè, semen Abrahami, Heb. 2. sed ratione formationis: nec enim à viro generatus est, sed corpus illius ex virgine Maria, virtute Spir. S. formatum, ac conceptum est, Matth. 1. v. 20. Luc. 1. 34. 35. Hæc de v. 11. Tertium porro oppositionis membrum, ac discrimen consistit, in sanguinis dignitate inæquali: sanguis enim in sacrificiis, & oblatione pontificis levitici, in festo anniversario expiationis, fuit alienus, & brutus; nempe hircorum & vitulorum: Christi verò sanguis, quem offert, non est hujusmodi; sed proprius. Cujus dignitas, ut ex seqq. etiam patebit, dependet non solùm à naturæ humanæ, & sanctissimæ (quæ longissimè sanguinem brutorum superat) præstantiâ: sed potissimum ab unione divinæ naturæ, in Christo, cum humana: quæ divina natura cum infinita sit, sanguini pretium, & valorem addit infinitum: quo modo dicitur Deus acquisivisse sibi Ecclesiam proprio suo sanguine Act. 20. 28. Quartum præterea discrimen est, in sacrario, & ingressu illius: Leviticum enim sacrarium fuit terrenum: Christi verò cœleste; quod hoc quidem in loco reticetur, sed ex seqq. elucebit. Deinde ingressus pontificum Leviticorum in sacrarium, fuit, quotannis, iteratus; quod manere in sacrario non possent: *Christus verò ingressus est semel*, & in cœlo manet. Cujus discriminis causa redditur, quod *æternam redemtionem nactus* sit, hoc est, unica sua obedientia, & sanguinis effusione, plenè pro nobis satisfecerit: ideoque non necesse esse, ut egrediatur sacrarium, iterum sacrificaturus, & sanguinem fusurus, quemadmodum V. T. Pontifices, vers. 12. Porro sanguinem Christi, semel fusum, æternam nobis redemtionem peperisse probat Apostolus, comparatione typi sanguinis legalis. Cujus confirmationis antecedens est: *sanguis taurorum, & hircorum, & cinis juvencæ (aspergens inquinatos, ad carnis*, hoc est, corporis, *puritatem) sanctificat*, id est, externâ, ac ceremoniali sanctificatione puros reddit, v. 13. Consequens verò est: Ergo multo magis *sanguis Christi*, eo significatus, *emundabit conscientiam à mortuis operibus*, hoc est, à peccatis, justitiâ quasi vita destitutis, & coram Deo pollutis, ac fœtentibus, justificatione liberabit. Quæ emundatio, à fine, nempe *cultu veri Dei* (quem *vivum*, κατ' ἐξοχὴν eleganti, contra omnes creaturas, & imprimis falsos Deos, oppositione consuetâ, vocat) illustratur. Consequentiam autem amplificat Apostolus, interrogationis figurâ, ad rei claritatem, ex fiducia consensus auditorum, indicandam, cùm ait: *quanto magis:* & simul per apostrophen, ad Hebræorum consolationem, iis accommodat, cum ait: *Vestram.* Deinde, ne quis objiciat: sanguinem Christi, etiam esse corporalem, & externum non minus, quàm sanguinem brutorum: ac propterea conscientiam quoque non posse mundare. Idcirco confirmat prudenter consequentiam, à personæ Christi, cujus sanguis est, excellentiâ singulari: nim. quod sit sanguis non hominis tantum; sed etiam Dei, & personę sanctissimę: unde etiam divina accedit dignitas, & sanctificandi efficacia, cùm ait: *Christus per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo.* Quo in loco, per *Spiritum æternum*, non anima Christi (quæ Spiritus Christi finitus, eoque nec æternus est absolutè, ac per se;, sed tantùm per accidens gratiæ creationis, & ratione finis, non principii) nec Spiritus Sanctus, licet absolutè sit æternus, denotatur; quia Spiritus Sanctus non est sacerdos, filium offerens, quemadmodum Spiritus hoc loco statuitur: sed divina natura in Filio: quæ ut absolutè sola æterna, & spiritualis, *Spiritus æternus* rectè nominatur; & carni ipsius, hoc est, humanæ illius naturæ, opponitur 1. Epist. Pauli ad Tim. 3. vers. 16. & 1. Pet. 3. v. 18. Neque obstat, quod vox (PER) instrumentalem, aut subordinatam causam denotare soleat, quod hoc in loco, divinæ naturæ non convenit, ut quæ principalis est: nam interdum generatim ea vox διὰ (PER) causam efficientem notat, etiam principalem,

palem Eph. 1. 1, Gal. 1. 1. & alibi: quæ interpretatio, hoc in loco, accommodata est. Nam Christus sacerdos est, & victima, secundum utramque naturam: nam voluntate divina, ac directione, non minus, quàm humana, corpus, animamque doloribus, ac morti exposuit; ut ita satisfaceret pro peccatis nostris: quod scil. ea victima condita fuerit, sive ornata, non solùm sanctitate finita naturæ humanæ; sed etiam dignitate infinitâ, unitæ personaliter, & offerentis in ipso divinæ naturæ. Ac propterea, quamvis Christus se obtulerit secundùm utramque naturam, divinæ tamen, hoc in loco, (ob summam illius excellentiam, atque efficaciam) per synecd. fit mentio. Nam ut Adami inobedientia temporalis, merita est pœnas infinitas; propter objecti in quod peccavit infinitatem: ita obedientia Christi, secundi Adami, actionis tempore, & humanæ naturæ respectu, finita fuit; tamen propter personæ, tanquam causæ efficientis (secundùm divinam naturam) infinitatem, valore, & pretio infinita existens, ab infinitis pœnis nos liberavit: siquidem pro peccatis hominum, in Deum commissis, *Deus homo* satisfecit: quemadmodum dicitur Act. 20. 28. *Deus*, nempe Filius, *acquisivit Ecclesiam suo sanguine*. Hęc de v. 14.

Porrò, quia in sanguinis Christi effusione, tertium oppositionis (qua Leviticis Pontificibus prælatus est) membrum, & sacerdotii Christi præstantia, consistit: & eâ re potissimùm offendebantur infideles, & infirmi, 1. Cor. 1. 23. Idcirco, ad institutionem, & consolationem fidelium, causas adfert necessarias duas, quamobrem oportuerit Christum, sanguinem suum fundere, & mortem obire. Prima est v. 15. ab officio Christi: quia *Novi fæderis mediator* est, in eum finem propinquum, ut moreretur: id quod ab effecto mortis, & officii, fine remoto gemino, illustratur, ac confirmatur; nempe remissione peccatorum, & æternæ vitæ hæreditate. Quorum prioris efficaciam, oppositione antecedentis fœderis legalis, amplificat, cùm ait: *transgressiones fuisse sub priori fædere*: quod videlicet conscientiam ceremoniæ legis non sanctificarint: de qua re actum est v. 9. & 13. contra verò eas expiari per Christum. Ex quibus omnibus satis apparet, Christum, qui Novi fœderis mediator est, oportuisse mori. Hujus autem consequentiæ firmitatem demonstrat Apostolus, à natura fœderis novi: & quidem (ut in Syllogismum, claritatis causa, compingamus) hoc modo: *Ubi Testamentum est, ibi oportet intercedere mortem testatoris, ut sit ratum, ac firmum. Atqui in fædere novo T. est. Ergo ibi oportet intercedere mortem testatoris, ut sit ratum, ac promissa hæreditas accipiatur.* Propositio ponitur v. 16. Et confirmatio illius v. 17. *testamentum enim in mortuis ratum est*, nempe tantum: *quandoquidem nondum valet quamdiu vivit testator:* quod, ut ajunt, interea mutari possit; neque hæreditas, testamento statuta, nisi vi mortis obtineatur. Conclusio antecessit probanda v. 15. Ex quo propositionis, & conclusionis enthymemate assumtio syllogismi propositi facillimè colligitur. Eam autem Apost. omittit, partim oratorio, ac consueto disputandi more; partim quod extra controversiam posita esset apud fideles: nam fœdus novum & fœdus est (quia est mutuum inter Deum, & homines, salutis promissæ, & obedientiæ fidei, ab hominibus debitæ, pactum) & simul Testamentum est; quia hoc fœdus, promissa Filii Dei morte, & per eam hæreditate cœlesti, à Deo sancitum est: adeo ut non immerito *fædus testamentarium*, & *testamentum fæderis*, ob concursum utriusque, queat appellari: ideoque vita æterna, ut alibi in S. L. frequentissimè; sic etiam, hoc in loco v. 15. hæreditas promissa, nominatur. Quapropter turpiter, & inscitè hallucinantur, qui ex hoc loco colligunt, hanc epistolam non esse Pauli, neque periti Hebræi sermonis: quasi ea, quæ de N. fœdere, & pacto in V. T. dicuntur, de testamento propriè dicto, exponeret: cùm contrà, ut ostendimus, hæc duo, diverso respectu, optimè possint consentire. Quoniam enim à Mose, & Prophetis ostensum est: fœdus novum non esse ratum, nisi morte Filii Dei, Mediatoris, ac testatoris: inde constat, simpliciter quidem esse fœdus, ratione pacti mutui, Dei, & fidelium; sed, secundùm quid, esse testamentum, ratione modi; partis prioris, ac potioris, in fœdere, nempe promissionis gratiæ: qua Deus nobis promittit, se fore Deum nostrum propitium, & vitam æternam daturum, tanquam hæreditatem, merito obedientiæ mortis filii sui. Atque hæc de prima ratione, & confirmatione illius: qua probatum fuit, Christum debuisse mori.

Altera ratio, quâ demonstrat Apostolus, non solùm mori debuisse; sed etiam morte violentâ, qua sanguinem profunderet, petita est, à typo illius, nempe sacrificiis: *Vetus enim testamentum non fuit dedicatum sine sanguine.* Ergo nec Novum. Consequentia patet; quia novum, finis, ac veritas, est veteris, ratione ceremoniarum, & promissionum, utpote complementum earum. Antecedens continetur, v. 17. Et probatur seqq. usque ad 23. quo consequens, cum consequentiæ probatione, concluditur. Probatio autem antecedentis continetur, inductione historiæ, ex diversis Mosis locis: quæ ostendit, in fœdere Levitico sanciendo, sanguinis effusionem, & aspersionem fuisse adhibitam, in qua indicatur tempus *quando*, & *quo sanguine*, *quibusque conjunctis*, & *quænam*, à Mose, aspersa sint.

Tempus, *quando* sanguinem aspersit, statuitur: *cum omnia mandata* nempe fœderis, *secundùm legem*, ac præscriptum *Dei recitaßet toti populo*: de qua re Ex. 24. 78. Deinde *quo sanguine* asperserit, declaratur, cum ait: *sumto sanguine vitulorum, & hircorum*: ea enim in sacrificium fuisse oblata, colligitur ex descriptione illius Exod 24. 5. & Levit. 4. & 9. & 16. Cæterùm sanguinis aspersi *accidentia conjuncta* recitantur, tria: *aqua*, *lana coccina*, & *hyssopus*. Verùm, hac in re, difficultas quædam emergit, nimir. quod Moses eorum non meminerit: ac propterea Paulus à Mose videatur dissentire. Verùm responsio adferri potest duplex: prior quidem, negatione consequentiæ; quia Apostolus hæc potuit habuisse ex traditione, quam Sp. S. instinctus, indendo illius animo, sanctificarit, & extra dubium collocarit: quemadmodum quædam alia, quæ initio hujus capitis, v. 4. retulimus: quæ etiam à Mose silentio præterita sunt; sed tamen non negata. Aquam autem fuisse sanguini adhibitam, credibile est, duabus de causis: partim ne sanguis aspergendus concresceret: partim ut typus esset mysterii mortis Christi, ex cujus latere, sanguis, & aqua profluxerunt Ioan. 19. 34. Reliqua duo, tanquam aspersionis instrumenta commoda, usitata erant.

Altera deinde responsio est, negatione antecedentis: nam in Mose (ut etiam in aliis) aliquid contineri dicitur, vel explicitè, ut multa; vel implicitè, ut resurrectio mortuorum, Matt. 22. 31. aut (ut vulgo loquuntur) ratione vel consequentis; vel consequentiæ. Priori modo, damus, à Mose horum, quæ Apostolus memorat, mentionem non fieri, in historia, explicitam; sed tamen implicitam, & analogiæ, ac consequentię ratione. Nam ad aquam quod attinet, certum est, illota sacrificia, illotis manibus, non potuisse, secundùm legem, offerri. Ergo non est ullo modo credibile, aquam, in hoc solenni, ad fœdus confirmandum, sacrificio, à Mose fuisse neglectam. Lanam verò coccinam, ad cultum Dei, adhibitam apparet, Ex. 25. 4. Et hyssopum, tanquam commodum aspersionis instrumentum, fuisse, non solùm egressuris ex Ægypto Israëlitis; sed etiam postea, imperatum, colligitur ex Lev. 14. Num. 19. & ex Ps. 51. *expiato me*, inquit, *hyssopo*, *ut mundus sim*. Quamobrem, cum hęc omnia Deus voluerit esse ordinaria, inde sequitur, in hoc solenni actu, & sanguinis aspersione, non fuisse neglecta. Denique, *quænam* sanguine asperserit Moses, adjungit Apostolus, quatuor nominatim recensendo. Quorum primum est *liber*, quem aspersum fuisse Moses apertè non asserit; sed *opertè* innuit: cum enim Ex. 24. indicet Moses, altare fuisse sanguine aspersum; & inde postea librum desumtum: ex eo perspicuè colligitur, librum quoque fuisse sanguine aspersum. Secundum est, *totus populus*, v. 19. In cujus aspersione, hęc solennis verborum formula fuit adhibita: *hic est sanguis hujus fæderis, de quo mandatum dedit, ad vos, Deus*, v. 20. de qua re Ex. 24. 8. Si quis autem objiciat: illud non potuisse fieri, ut totus populus propter infinitam pęnè multitudinem aspergeretur: ac propterea Paulum; nec cum veritate; neque cùm Mose (qui tantùm populum aspersum ait) convenire. Resp. negatione consequentię, bifariam: primùm, quia totus populus dicitur, aut per Synecd. de bonâ populi parte; aut per Meton. de duodecim statuis à Mose

Mose erectis, ut repræsentarent 12. tribus Israelis: quibus sanguine aspersis, utpote totius populi signis, totus populus aspersus dicatur. Tertium, quod sanguine aspersum fuit, est *tabernaculum*. Quartum, *vasa omnia sacræ functionis*, v. 21. quæ omnia, generatim, cum aliis nonnullis, complectitur, cùm ait: *& omnia fere sanguine spergebantur*. Cujus effusionis, & aspersionis sanguinis usum, illustrationis gratia, adjungit geminum; sc. *purificationem*, seu consecrationem, qua, ab usu vulgari secreta, Deo consecrabantur, sanguinis aspersione: deinde *peccatorum remissionem*: quæ, tanquam usus specialis, sub priori generali, continetur. Cæterùm cùm remissio peccatorum sit, aut typica, & ceremonialis, aut typis ceremoniarum adumbrata, & vera: non hæc; sed illa intelligitur: quemadmodū antecedentia, & sequentia luculenter demonstrant: nam qualia sacrificia expiatoria sunt; talis etiam expiatio: sacrificia in V. T. erant typica, eoque typica etiam erat expiatio. Atque hæc de Enthymematis secundi (quo probatur Christum debuisse mori, & sanguinem fundere) antecedente, & probatione illius. Sequitur jam consequens ex eo conclusum, & consequentiæ probatio. Consequens est, *cælestia debuisse victimis purificari, & quidem potioribus*, quàm sanguine vitulorum & hircorum. Cœlestia autem vocat, quæ terrenis legis ceremoniis adumbrata sunt, ut Heb. 8. 5. qualia sunt *cœleste tabernaculum*, sc. *corpus Christi*, id quod non materiæ; sed conceptionis, & efficaciæ ratione, cœleste appellatur: quemadmodum, oppositè typico, *verum tabernaculum* dicitur, *quod non homo, sed Deus fixit*, Heb. 8. 2. & 9. 11. populus etiam cœlestis sunt fideles, qui cœlitus à Sp. S. sunt regeniti Joh. 3. 3. & 5. ac divinæ naturæ participes 2. Pet. 1. 4. & caput, ac πολίτευμα habent in cœlis Phil. 3. 20. quibus etiam nominibus, seu causis, fideles, *Jerusalem cœlestis*, dicuntur, Gal. 4. 26. & Heb. 12. 22. & *liber cœlestis*, Euangelium, & fœdus novum, quod & ortu, & efficacia cœleste est: quia ut caro, & sanguis illud non revelant Mat. 16. 17. ita *verbum* est *vitæ* Phil. 2. 16. & *Spiritus*, seu ministerium Spiritus 2. Cor. 3. 6. ac *potentia Dei ad salutem* Rom. 1. 16. quæ omnia Christi sanguine, sed suo tamen modo, purificantur. Nam primùm Christi corpus purificatur: non quia impurus peccato; sed, quia factus est reus, pro nobis, à reatu peccati, seu obligatione ad pœnam, per sanguinis sui effusionem, se & populum suum exemit, 2. Cor. 5. 21. oblatione sui corporis, & sanguinis, *sanctificans se* (seu in sacram victimam offerens) *ut & nos sancti simus* Joh. 17. 17. 19. deinde efficacia aspersionis, qua meritum fidelibus applicatur. In qua aspersione, causa quidem principalis est Sp. S. instrumentalis verò partim remota, est prædicatio Euangelii; partim propinqua, est obedientia illius per vivam fidem, 1. Pet. 1. 2. Denique liber fœderis Novi, seu Euangelium, purificatur sanguine Christi, non quatenus à peccato aliquo, aut reatu liberatur: sed quatenus pura illius veritas signatur, & obsignatur; & à communi usu, ad Dei gloriam, & salutem hominum, magis magisque secernitur. Ex quibus omnibus perspicuè intelligitur, consequentiæ Enthymematis (nempe quod cœlestia debuerint, potioribus victimis, purgari) sententia & veritas; quod videlicet corporis Christi oblatione, & sanguinis illius effusione, atque aspersione fuerit opus. Cæterùm frustra Pontificii hoc loco abutuntur. Nam quod ex eo, hoc modo objiciunt: in N. T. purificantur cœlestia victimis. Ergo non solùm Christi victima, in cruce cruenta, quæ unica fuit; sed etiam, repetitione illius, incruenta, in Missa, opus est. Negatur consequentia; quia victimas nominat Apostolus, alia de causa, & ratione: nam, vel per enallagen numeri pluralis, pro singulari, in S. L. satis frequentem, hæc vox accipitur, (cujus causa est, partim oppositio victimarum V. T. partim & præcipuè ratione passionis, & efficaciæ unius victimæ Christi, quæ sit omnium victimarum instar) quemadmodum etiam Esa. 53. de Christo dicitur, *per mortes ejus*, v. 9. & tamen intelligitur mors unica, v. 12. vel exponi potest, ac intelligi, ratione partium victimæ; videlicet quod & corpus oblatum sit, & sanguis: quemadmodum etiam illa duo, distinctis panis, & vini symbolis, in Cœna Domini, signata, & obsignata sunt, à Domino nostro Jesu Christo. Atque hæc de Enthymematis apostolici consequente. Consequentię verò ratio est; quod ceremonię V. T. fuerunt *exemplaria cælestium*: Ideoque, quod in iis adumbratum est, compleri, ac sequi debuit, & quidem perfectius; in re adumbratâ, Jesu Christo, v. 23. Idque declarat, ac confirmat Apostolus seqq. exponens bona parte, quid per *cælestia*; deinde, quid per *potiores victimas*, intelligat; regressu eleganter facto, ad comparationem Christi, & Pontificis Levitici: de qua re antea agere cœperat, v. 11. Quâ Christum Levitico Pontifici opponit, ac præfert: hic enim in *manufactum sacrarium ingressus est, quod exemplar erat veri*, hoc est, cœli, ut compareret pro populo coràm arca: Christus verò non in illud, sed *in ipsum cœlum* penetravit; & quidem; ut tanquam intercessor, *compareat coram Dei facie*, non inter Cherubim; sed inter Angelos cœlestes, iis adumbratos, v. 24. deinde *pontifex sanguinem obtulit alienum*, & quidem sæpe, nempe *quotannis*: ideoque, vigente peccatorum memoriâ perpetuâ, ea reipsa, non fuerunt adhuc, meriti ratione, expiata: sed per Christum expianda: quemadmodum Heb. 10. 1. 2. 3. exponit: Christus verò non alienam victimam, nec sæpe v. 25. sed *seipsum, & quidem semel, diebus novissimis*; ut peccata fidelium simul, ac semel, meriti sui efficaciâ aboleret. Christum autem non debuisse offerri sæpe, probat, per parenthesin: *quia alioquin oportuisset eum sæpe passum esse, à jacto mundi fundamento*, si nimir. unicâ oblatione, peccata non fuissent expiata, v. 26. Atqui non oportuisse eum sæpe passum fuisse, confirmat Apostolus à constituta divinitus, pro hominibus, in his terris, pœnâ ordinariâ; quam Christus ut mediator subire debuit: quod *homini statutum* est, nimir. ordinariè, *semel mori, & post judicium*, v. 27. Ergo, cùm Christus, ut pro horum peccatis satisfaceret, sese λύτρον, seu *redemtionis pretium* dederit, non sępe; sed semel tantùm, pro constitutione Dei, & hominum reorum conditione, mori debuit, & *semel etiam tantum oblatus est, ut multorum* (id est, multitudinis fidelium) *peccata tolleret*, adventu primo: *secundo verò adventu conspicietur sine peccato* (h. e. reatu, & pœnâ peccati) à fidelibus; quos, ab effecto spei, describit, quam periphrasi declarat; cùm exspectationem Christi ad salutem appellat: ut ea ratione ac viâ fideles omnes (pręsertim verò Hebręos, ad quos scribit) adversus crucis, cum Christi; tum ipsorū, scandalum, & molestiam, consolaretur, v. 28. Atque hęc de c. 9.

Consectaria.

I. In docendâ Theologiâ, delectus, ac sobrietas adhibenda est, v. 5.

II. Solus Christus via est, ad cœlum, v. 8.

III. Si ceremoniæ V. T. non potuerunt sanctificare conscientiam: quod, quamvis significatione essent spirituales, reipsa tamen, & comparatè fuerunt carnales, id est, externæ, ad corpus pertinentes, & tantùm signa sanctificationis per Christum, & remota organa illius: Ergo neque Sacramenta N. T. quæ etiam, hoc modo, carnalia sunt, conscientiam, suâ vi, sanctificant.

IV. Si ceremoniæ Mosaicæ institutæ tantùm sunt, ad tempus correctionis adventus Christi: Ergo non solùm Judæi peccant, qui mordicùs omnes retinent; sed etiam Pontificii, in Dei institutum, & salutem fidelium, injurii sunt, qui neglectâ correctione Christi, non paucas earum, ad pompam religionis Christianæ, superstitiosè, & præposterè adhibent: ut usus cultus ipsorum, & rationale divinorum officiorum Guilielmi Durandi, demonstrat, v. 10.

V. Cùm Christus non sit hujus creaturæ, & tamen, ut alibi dicitur, semen, & fructus mulieris, virginis: sequitur conceptum esse, non vi humanâ; sed potentiâ divinâ Sp. Sancti, v. 11.

VI. Cùm Christus proprio sanguine nos redemerit: sequitur, nos magno pretio esse emptos, 1. Cor. 6. 20. & 1. Pet. 1. 18. Ideoque, verę fidei, confessionis, & charitatis gratitudine, colendus est.

VII. Cùm Christus unicâ oblatione semel factâ, æternam redemptionem sit nactus: Ergo missa facienda est impia Pontificiorum Missa; quâ Christi oblationem, ad redemptionem fidelium iterandam, quotidiè, per universam ecclesiam, fingunt, v. 12.

VIII. Purgatio est duplex: una carnis, & ceremonialis; altera conscientiæ, ceremoniis adumbrata: ideo-

ideoque hæc confundenda non sunt, verſ. 13. & 14.

IX. Pretium mortis Chriſti, à Perſonæ, & Sanctitatis illius dignitate, pendet.

X. Chriſtus Sacerdos eſt, & victima, quoniam ſeipſum obtulit.

XI. Peccata ſunt opera mortua: ergo Chriſtiani, per Sp. Sanctum renati, & vivificati, ac Deo viventi mancipati, ea fugere debent.

XII. Finis Juſtificationis eſt cultus Dei, ac ſanctitas vitæ: nec abluimur à Chriſto, ut, porcorum inſtar, peccatorum ſordibus nos iterum immergamus; ſed ut puritate vitæ Deo ſerviamus, v. 14. & Luc. 1. 74. Rom. 6. v. 17. Tit. 2. 12. 14.

XIII. Chriſti ſanguis purgat conſcientiam noſtram à peccatis, & quidem omnibus 1. Joh. 1. v. 7. Ergo falsò aliud purgatorium, aut purgandi pretium, ſatisfactiones humanas, & indulgentias, Pontificii comminiſcuntur, ac venditant, v. 14.

XIV. Vita æterna, eſt æterna hæreditas filiorum: ergo perperam Pontificii Doctores, eam faciunt meritum operum noſtrorum, v. 15.

XV. Cùm in nullo ſacrificio V. T. ſine ſanguinis effuſione fuerit peccatorum remiſſio: ergo neque in Novo, ſine ſanguinis Chriſti effuſione. Ac propterea merum eſt humanum commentum, quod ſacrificuli, & doctores Pontificii, in Miſsâ ſuâ, quaſi ſacrificio incruento, peccata expiari, aſſerunt, v. 22.

XVI. Ceremoniæ V. T. non ſolùm fuerunt obedientiæ jugum, ac ſigna, quibus Iudæi à gentilibus diſtinguerentur; ſed etiam, & quidem potiſſimùm, exemplaria, ac typi Prophetici, deſtinati ad Chriſti Sacerdotium adumbrandum, v. 23.

XVII. Chriſtus Advocatus noſter eſt, apud Patrem: ergo verâ fide, rectaque viâ, ad eum, & per eum, ad Patrem confugiendum eſt, in adverſis omnibus 1. Joh. 2. 1. Ac propterea impiè agunt Pontificii ſeductores, dum, eo præterito, alios ſibi Advocatos, proximè deligunt, & invocant, verſ. 24.

XVIII. Cùm Chriſtus ſit perpetuus Sacerdos, & tamen non ſæpius, ſed ſemel tantùm ſeipſum obtulerit: ſequitur, in officio & perſonâ Sacerdotis, non requiri continuum ſacrificandi actum; ſed ſufficere perpetuam Sacrificii efficaciam, & interceſſionis conjunctionem. Quamobrem errant vulgò Pontificii Diſputatores, qui ſecus, ad Miſſam ſuam ſtabiliendam, poſtulant, verſ. 25.

XIX. Chriſtus ad abolitionem peccati, non ſæpe, ut Sacerdotes V. T. ſed ſemel tantùm oblatus eſt: ergo non, in Miſsâ, poteſt quotidie offerri: alioqui nec diſſimilis eſſet, hac in re, Pontifici Levitico; nec peccata ſuo merito perfectè deleviſſet.

XX. Chriſtus ſeipſum, tanquam ſolus, & immaculatus N. T. Pontifex, Deo Patri obtulit; & quidem per Spiritum æternum: ergo impii ſunt Pontificii, qui hanc propriam Sacerdotii Chriſti dignitatem, ad ſuos, maculatos peccatis miſſificos Sacrificos, rapiunt indigniſſimè, verſ. 25. & 26.

XXI. Poſt mortem, judicium: Ergo poſt mortem nullus eſt meriti, nullus ſatisfactionis locus: ac propterea prorſus inepti, ac vani ſunt Pontificii, qui purgatorium ei rei, citra Scripturæ authoritatem, affinxerunt, v. 27.

XXII. Chriſtus non omnes à peccatis ſervat; ſed tantùm fidelium, & electorum multitudinem.

XXIII. Chriſti adventu *primo*, jure mortis, & obedientiæ, ſalus nobis parta eſt: *ſecundo* adventu, reipsâ, plenè conferetur.

XXIV. Fideles ad diem judicii non horrere; ſed contra, verâ ſpe, eo aſpirare, tanquam ad diem ipſis optatum, & ſalutarem, decet, verſ. 28.

CAPUT DECIMUM.

POſtquam Apoſtolus graviter, copioſèque præſtantiam ſacerdotii Chriſti, & ſacrificii illius, comparatione Levitici Pontificis, demonſtravit: coronidis loco, ad ejuſdem materiæ expoſitionem, & confirmationem ampliorem, progreditur hoc cap. 10. & diſputationem univerſam, de Chriſti Sacerdotio, verſ. 19. unde à primâ, principali tractationis hujus epiſtolæ parte (quæ dogmatica eſt) ad alteram, quæ parænetica eſt, opportunè tranſit. Comparationis autem expoſitio, Chriſtum, cum pontifice Levitico, confert, ac præfert, duplici ratione: primum ſacrificii; deinde ſacerdotii. Ac de ſacrificio utriuſque agitur diſtinctè verſibus 10. Cum enim antea docuiſſet, Chriſti hoſtiam non eſſe legalem, ac brutam; ſed longè meliorem, nempe Chriſtum ipſum: hujus rei neceſſitatem, & cauſas præcipuas adfert duas. Quarum prior eſt, hoſtiæ legalis impotentia: altera verò voluntas & definitio divina. Hoſtiarum autem legalium oſtendit impotentiam, cum ait: *eas non poſſe accedentes*, hoc eſt, ſacris utentes, *ſanctificare*. Cujus rei rationes adferuntur tres. Prima eſt, generalis, à legis ceremonialis, & hoſtiarum fine, quod ſit *futurorum bonorum*, hoc eſt, ſanctificationis, & ſalutis, Veteri Teſtamento promiſſæ, & in novo complendæ, Heb. 9. verſ. 11. *umbra, non autem imago rerum*. Cùm autem imago alia ſit eſſentialis Col. 1. 15. alia accidentalis: quidam eſſentialem intelligi debere contendunt, ut corpus rerum, ſeu res ipſa, denotetur: ut umbra corpori, in eadem doctrina opponitur, Col. 2. 17. Alii verò accidentalem ſignificare ſtatuunt, ut umbra non naturalis, ſed artificioſa, ſeu rudis rei adumbratio, ac delineatio, opponatur imagini rerum expreſſæ, ac vivis ſuis coloribus conſummatæ. Utraq; interpretatio eſt probabilis: ſed poſteriorem cum noſtro interprete lubentius ſequimur, ut proprietas vocis imaginis ſervetur, & umbra ex adverſo illius vocetur. Nam quod objicitur à nonnullis, imaginem primum ac propriè, de eſſentiali; ſecundario verò atq; impropriè de accidentali dici, illud uſu communi ſatis refutatur. Ad rem quod attinet, ex eâ rectè argumentatur Apoſtolus: Quod umbra eſt, non autem imago futurorum bonorum, illud non poteſt populum ſanctificare: quia ſanctificatio inter bona futura continetur. Atqui hoſtiæ legales ſunt hujuſmodi. Ergo non poſſunt populum ſanctificare. Hæc prima ratio, de qua etiam Col. 2. quæ generalis eſt. Reliquę verò duę ſunt ſpeciales. Quarum una, ab oblationis hoſtiarum repetitione, deducta eſt, hoc modo: Hoſtiæ, quæ ſingulis annis repetuntur, non poſſunt accedentes cultores ſanctificare. Atqui legales ſunt hujuſmodi. Ergo ſanctificare nequeunt, v. 1. Quia verò propoſitio negari poterat, ea confirmatur, ſi rem ſpectemus ipſam, hoc modo; Qui ſemel purgati ſunt, hoc eſt, ſanctificati, nullorum peccatorum ſibi ſunt conſcii, v. 2. Atqui quotannis ſacrificantes ſub lege, peccatorum ſibi fuerunt conſcii, ut ex effecto confeſſionis probat, v. 3. Ergo ſacrificantes quotannis, non fuerunt ſanctificati. Sed objiciat aliquis, propoſitionem non eſſe firmam: nam qui ſemel purgati ſunt, ab antecedentibus peccatis, illi poſſunt poſtea peccare, & impurari, & ſequentium peccatorum ſibi eſſe conſcii: ideoque ſacrificia legis, quotannis, expiare potuiſſe anni illius peccata. Verùm reſpondetur: expiationem eſſe duplicem: unam meriti; alteram efficacis applicationis illius. De priori expiatione, hoc loco, potiſſimum diſſeritur; quæ non niſi unica eſſe poteſt: quia debet eſſe valoris infiniti; ob Deum infinitum, peccato offenſum: & propterea ſimul, ac ſemel, peccata omnia, antecedentia, & conſequentia, merito purgat: adeo ut verè, ac ſolidè dicatur: Qui ſemel purgati ſunt ſacrificio, illi peccatorum ſacrificii merito expiandorum, ſibi non ſunt conſcii. Atque ita differt confeſſio peccatorum in V. & N. T. quod in illo memoria erat peccatorum, merito Chriſti expiandorum: in hoc verò memoria jam expiatorum.

Antequam verò progrediamur, nodus diſſolvendus eſt difficilis, nec diſſimilis de applicatione peccatorum. Quoniam excipi poteſt: ſi in N. T. peccatorum antecedentium, non ſolùm Chriſti merito, ſed etiam applicatione illius, per fidem, expiatorum, rectè fit mentio, quotannis, imò quotidie à fidelibus: ſequitur mentionem, & confeſſionem peccatorum repetitam in V. Teſtam. non impediviſſe expiationem. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. Sed negatur propoſitio: quia diverſa eſt utriuſque ratio: nam peccatorum antecedentium

dentium fit mentio à fidelibus, non quatenus præterita, & expiata sunt Christi merito, & applicatione illius, per fidem, sed quatenus præsentia, & justificatione, seu imputatione meriti justitiæ Christi, expianda: etenim cum quotidie peccemus, & antecedentia peccata imitemur, ea, consensione, aut saltem, resipiscentia non satis integra, geminamus, & efficimus nova: quapropter eorum recordamur, & petimus remissionem; non quatenus olim perpetrata, sed quatenus approbatione, aut imitatione, aut neglectu eorum, nos reos iterum constituimus. Quo etiam modo peccata aliorum facimus nostra, non solùm præsentia, sed etiam præterita. Qua etiam ratione peccata parentum luere dicuntur liberi; quatenus approbatione, peccata majorum, fecerunt sua. Ex quibus omnibus, apostolicæ argumentationis (ab adjuncta hostiæ repetitione derivatæ) veritas, & sacrificiorum legalium infirmitas, apparet. Nam effusio sanguinis brutorum Propheticum erat signum, effundendi sanguinis Christi, pro remissione peccatorum: eumq; sanguinem, nondum effusum, ac nondum satisfactum pro peccatis, designabat. Altera deinde specialis ratio est à natura hostiarum brutâ, *Sanguis taurorum, & hircorum non potest auferre peccata* v. 4. quia videlicet est alterius generis, quam hominum peccatorum, & finitus, atq; irrationalis: ideoque indignior homine. Atqui sanguis hostiarum legalium est *sanguis taurorum, & hircorum*. Ergo *non potest auferre peccata*. Atque hoc modo demonstravit Apostolus, Christi hostiam non esse legalem, sed meliorem, nempe Christum ipsum; argumento primo ducto à legalium hostiarum impotentia: quam, rationibus gravibus, generalibus, & specialibus, communivit. Alterum argumentum deductum est à Dei voluntate, & definitione prophetica: quam, per relationem quandam, antecedentibus (tanquam effectum consequens) connectit, quod videlicet, ob illam impotentiam hostiarum, Christus eas, jam olim, rejecerit: adfertur enim testimonium ex Ps. 40. v. 7. quod proponitur, & partim præfatione, partim consequenti ratione, explicatur. Præfatione autem innuit authorem Christum; & exprimit circumstantiam subjecti, quod nim. de se, quasi in mundum ingrediente, & incarnato, propheticè loquatur. Propositio verò testimonii prædicat adjunctam vocationem divinam; & effectum illius, Christi videlicet obedientiam. Ac prior pars, per aphæresin, & thesin declaratur: quarum illa indicat, ad quid non sit vocatus, nempe non ad sacrificium & oblationem legalem: quemadmodum repetitione, v. 6. indicatur: & 8. luculenter exponetur: hæc verò ostendit ad quid vocatus sit, nempe ad oblationem corporis sui, cum ait: *Corpus autem adaptasti mibi*. Qui locus magnam habet difficultatem, ad quam tollendam, laboratur ab interpretibus: quia in Hebræo contextu, alia sunt verba & alius, prima fronte videtur sensus: Hebræa verba sunt, אזנים כרית לי, hoc est, *aures fodisti mibi*. Quod quidam de docilitate, cum Chaldæo paraphraste, exponunt: alii verò de mancipatione perpetua, ad obedientiam: ut orationis figura desumta sit, à ritu legali, quo servorum aures subula januæ heri ipsorum affigebantur, Ex. 21. 6. Vtrovis autem modo accipiamus, descrimen apparet: aliud enim est de substantia, & natura corporis loqui: aliud de accidente ministerio: unde etiam videtur Apostolus dissidere à Psalte, in utraque voce; dum, pro *aures fodere*, substituit *corpus parare*. Sed tamen, quod ad alteram vocem attinet, difficultas non est adeo magna: quandoquidem illud apud doctos Hebrææ linguæ iuterpretes, extra controversiam positum est & usu probatum, vocem כרה, quâ utitur Psaltes, significare non solùm *fodere*, sed etiam interdum *parare*, seu *adaptare*: id quod secuti sunt LXX. Interpretes, & Apostolus hoc in loco. Verum de priori disceptatur graviter: quo modo auris, & corpus conveniant. Quem nodum quidam audacius secando: alii prudentius solvendo, commoda ratione expedire, ac tollere conantur. Secant nodum, qui conjiciunt fieri potuisse, ut LXX. Interpretes, quorum versionem hoc loco retinet Apostolus, pro voce אזנים *aures*, legerint עצם, quæ vox *os*, & *corpus* notat: ideoq; nihil esse dissidii. Sed cum nullam lectionis illius mentionem faciant Masorethæ, id est, Hebræorum critici veteres, religiosissimi; nec antiqui codices; nec patres prisci; ea nullo modo amplectenda est. Quamobrem alii à sectione hac infelici ac nimis audaci, abstinentes, solutiones varias adferunt. Ex quibus illa videtur maximè probabilis, nim. ut dicamus, Apostolum non verbum è verbo, sed sensum reddidisse reconditum: quod Psaltes, cum ait, *aures adaptasti mibi*, (nim. ut voluntati tuę parerem) per synecd. partis nomine, totum intelligat: idem enim est Deus, qui aures, & corpus reliquum formavit, ad obedientiam erga se: quemadmodum ex v. 7. seq. concluditur. Atque hæc de vocatione divina Christi. Cui effectum subjicitur, nempe vocati Christi obedientia: quæ asseritur propheticè ab ipso, cum ait: *adsum, ut faciam voluntatem tuam*. Idq; à causa impulsiva illustratur, ac confirmatur, v. 7. per parenthesin hanc, *in capite libri scriptum est de me*. Quo modo ostendit, quam voluntatem Dei intelligit, nempe Scripturâ S. patefactam, & quod propterea obedire paratus sit: quemadmodum similiter, apud Euangelistas, locutum esse Christum, multis ex locis, apparet, Matth. 26. 42. Luc. 22. 42. & alibi: Pro *capite* autem *libri* hebraicè est מגלת ספר eodem sensu; quemadmodum Græci interpretes similiter, & hoc in loco Psalmi, & alibi etiam transtulerunt: ut Ezech. 2. 9. κεφαλὶς βιϐλίυ, & 3. 2. & 3. Intelligit autem κατ' ἐξοχὴν, Mosis scripta, ad quæ etiam Christus Joa. 5. 39. & 46. & alibi provocavit. Atque hæc de v. 7. & testimonii propositione. Cui deinde subjicitur sua expositio: qua, per repetitionem, primum exponitur aphęresis, quod *sacrificia, & oblationes* intelligantur, non quævis; sed *juxta legem*, v. 1. Deinde utriusq; cum aphæreseos, tum theseos vim declarat, quòd Christus *prius tollat*, nempe rejiciendo cultum sacrificii legalis, ut *voluntatem Dei statuat*, de sacrificio Euangelico corporis Christi, vers. 9. Cujus sacrificii dignitatem, & efficaciam, ab effectu suo, describit; & efficiendi modo: effecto quidem, *sanctificatione nostri*; efficiendi verò modo, quod *semel* peractum sit: quibus rationibus, antiquis legis sacrificiis, quę & repetebantur sępius; & vi sanctificandi carebant. tacitè opponit, ac præponit, v. 10. Quemadmodum disertè exprimit rem ipsam seqq. per oppositionem sacerdotis Levitici, & Christi. Ea autem ostendit causam, quamobrē Christus semel sese obtulerit, non sæpius: quod videlicet sacerdotes Levitici quidem, easdem, non numero, sed specie, hostias sæpius obtulerint; propterea quod non possent sua vi auferre peccata, v. 11. *Christus verò contrà unicâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum consederit ad dextram Dei*, v. 12. *de cætero expectans* (ut Ps. 110. 2. & Heb. 1. 13. expositum est) *donec inimici ipsius, pro scabello pedum ipsius, ponantur*, v. 13. hoc est, ut rem paucis complectamur: Christus, una oblata victima, eam non iterat; sed gloriosus in cœlo regnat, & sacerdotium, intercessione sua, apud Patrem obit: ratio autem est illius, quod *unicâ oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur*, h. e. fideles, qui Deo per remissionem peccatorum consecrantur, v. 14. Idque, postremo loco, confirmat Apostolus, authoritate divina testimonii Sp. S. v. 15. ex loco illo celeberrimo Jer 31. de quo supra, c. 8 actum est pleniùs. In quo observandum est, v. 16. adferri tantùm, tanquam sententiam antecedentē: ut promissionis sequentis sententia sit magis perspicua; & ut constet scopus loci, nim. promissionem hanc ad gratiam N. T. per Christum, pertinere: nam Novi fœderis promissio duplex proponitur, nim. gratia regenerationis, de qua v. 16 gratia justificationis, de qua v. 17. Quę describitur, plena, ac perfecta peccatorum remissione, & oblivione, metaphoricè intellecta, quæ opponitur V. T. in cujus sacrificiis repetita mentio peccatorum quotannis, quemadmodum v. 3. antè explicatum est. Atque hinc porrò disputat Apostolus: *ubi est horum peccatorum remissio* (nim. talis, id est, perfecta) *ibi non est ampliùs oblatio pro peccato*. Atqui in N. T. facta est perpetua peccatorum remissio. Ergo in eo non est amplius, &c. Propositio autem continetur, v. 18. Assumtio verò antecessit, atque hoc modo stabilita est unica Christi oblatio, v. 15. & contrà sacrificiorum Leviticorum oblatio, & abrogatio firmata. Et ita finis impositus est explicationi doctrinæ, de Christi sacerdotio; imò de persona; & officio Christi triplici: quæ *tractationis hujus epistolæ pars* principalis, & *dogmatica* est.

 Sequi-

Sequitur deinde, de applicatione, & usu illius, *pars altera:* nempe *parænetica*, de officio hominis Christiani erga Jesum Christum, pertingens hinc ad capitis 13. v. 20. Hortationes autē proponuntur distinctæ, primùm ad opera fidei, spei, & charitatis. Ac prioris hortationis antecedens ratio, è superiori doctrina petita, præmittitur; constans duplici privilegio, & beneficio, quod Christus, officio suo, nobis peperit. Primum, quod non excludamur à sacrario, quemadmodum patres in V. T. sed quod via ad cœleste sacrarium, nobis pateat, per Christi sanguinem, id est, meritò sanguinis Christi, pro nobis effusi; v. 19. Et quia objici poterat, obstare posse velum: ostendit, *velum illud esse carnem Christi*, qua non excludimur à sacrario (ut olim Patres, velo templi, à terreno sacrario) sed per quam, seu cujus fractura 1. Cor. 11. v. 24. *via* nobis parata est *recens ac viva*: quæ nec vetustate corrumpitur; nec vita caret, ut templi velum, ac via. Atque illud miraculo divino significatum fuit, in morte Christi: cum enim corpus Christi, separatione animæ, ac doloribus, ruptum fuit, ac transfossum, velum templi Hierosolymitani, à summo ad imum, ruptum est, aditumque ad sacrarium terrenum patefecit, Matth. 27. v. 51. quo indicatum est divinitus, carne Christi rupta, variis modis, ac morte, viam nobis patefactam ad cœleste sacrarium. Atque hæc ad vers. 20. explicationem. Alterum deinde beneficium est, v. 21. comprehensum, quod Christum habeamus *Sacerdotem magnum, præfectum domus Dei:* quod vel de Ecclesia, quam Deus incolit suo Spiritu, & gratia, Heb. 3. v. 6. intelligi potest; vel de cœlo, quod sua gloria incolit (unde domus Patris dicitur Joa. 14. 2.) accipi potest: utrumque enim Christo probè convenit: sed posterius tamen huic loco videtur aptius, nimirum quod Christus summus sacerdos noster, jam in cœlis sit Dominus, ut qui ad dextram Dei sedet, sicut. v. 12. dictum est.

Huic porro antecedenti rationi, additur ex ea consequens hortatio ad *opus* gratitudinis *fidei*, v. 22. nempe ad invocationem Christi: quam per metaph. *accessum* vocat; quemadmodum in simili omnino hortatione, Heb. 4. 14. Et quia invocatio ficta, & infidelis esse potest, quæ Christo displicet, idcirco eam exponit, ab adjuncta *cordis veritate*, h. e. sinceritate, & causa efficiente πληροφορίᾳ. h. e. *plena persuasione fidei* Eam autem confirmat, effecti fidei descriptione, nempe justificatione: quam, per Meton. signi, & typi legalis pro re significata, vocat *aspersionem*; qua *purgata corda sunt, à conscientia mala*: de qua re cap. 9. vers. 13. 14 19. actum est. Altera hortatio est, ad *opus spei*, nempe *spei confessionem*, quemadmodum antea cap. 4. v. 14. In qua, adjunctum constantiæ requirit, per remotionem contrariæ *vacillationis*. Eamque hortationem confirmat ratione duplici: quarum prior similiter ab antecedente ablutione petita est, cum ait: *Et abluti corpus aqua pura:* quam ablutionem, quidam, per metaph. de sanctificatione per Spir. Sanct. exponunt, quemadmodum vocatur Ezech. 36. v. 25. *effundam super vos aquas mundas*. Alii verò de justificatione intelligunt, per Meton. signi sacramentalis, pro re significata: idque vel respectu habito ad aquam baptismi in N. T. vel ad aquam legalem in Vet. qua, ad cultum Dei externum accessuri, abluebant corpus aquâ purâ, ex lacu, in hunc usum, ante tabernaculum collocato: ut sit allegoria, à ritu legali petita. Veruntamen prius magis convenire videtur, ut ad aquam baptismi referatur, primò quia propriam vocum significationem retinet, à qua recedendum non est, nisi gravis causa obstet, quæ nulla hîc est: secundò quia sensum continet pleniorem, ac planiorem. Altera ratio est à promissione Dei, & veritate illius. Tertia hortatio est, ad *opus charitatis fraternæ*, nempe observationem mutuam, ad confirmationem in charitate, ac bonis operibus vers. 24. Hisce deinde tribus hortationibus absolutis, alias eo pertinentes subjicit Apostolus. Ac primùm, ut in fide, spe, & charitate proficiamus, de causa eorum conservante admonitionem apponit, constantem dehortatione à malo, & adhortatione ad bonum. Illa quidem est, *ut non deserant aggregationem mutuam*, id est, κατ' ἐξοχὴν, sanctam, ac publicam; seu cœtus Ecclesiasticos sacros, ad sanctum Euangelii ministerium, & Dei cultum institutos. Idque (ut vocationis necessitatem ostendat) illustrat exemplo scandali quorundam, *quibus hujusmodi perversus mos in usu erat*. Hortatio verò est, ut hortentur alii alios sedulò, nim. ad exercitia pietatis, & sacros cœtus frequentandos. Cujus necessitatem probat ab adventu *illius diei*, nempe diei judicii, κατ' ἐξοχὴν ita appellati, vers. 25. Cujus argumentationis consequentiam confirmat ab apostasia; quæ, ex neglectu publicorum cœtuum sacrorum, oritur. Apostasiam autem describit, cùm ait: *Si ultro peccaverimus* (id est, si quisquam nostrûm peccaverit) *post acceptam cognitionem veritatis*. Vbi observandum est: peccatum aliud esse repugnans, aliud regnans; quorum illud, ob sanctificationem inchoatam, & peccati originis reliquias, verè fidelibus convenit Rom. 7. v. 23. Gal. 5. v. 16. hoc verò solis infidelibus: quia peccatum fidelibus non dominabitur, Rom. 6. v. 14. quo etiam sensu pronuntiatur 1. Joa. 3. v. 9. qui *natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ejus in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Ex quibus satis superque apparet, peccatum, hoc in loco, non priori modo, de quovis voluntario peccato; sed de regnante intelligi: & quidem non de omni, nec in legem solam; sed de peccato regnante adversus Euangelium, seu directè adversus veritatem Euangelii agnitam, per revelationem Spiritus S. quemadmodum oppositio ostendit, v. 28. 29. cum videlicet, destinato Christi odio, & malitiâ, Christus, & Euangelium illius, testimonio Spir. S. per notitiam veritatis repugnante in conscientia, maledictis proscinditur, & oppugnatur: quemadmodum ex horum versuum circumstantiis perspicuè elucet. Quod peccatum, κατ' ἐξοχὴν, vocatur peccatum in Sp. S. & irremissibile: de quo Christus disserit, Mat. 12. 31 & Ioan. 1. ep. c. 5. 16. & de quo ante actum est c. 6 Cujus pœnam recenset duplicem: unam damni, alteram sensus; seu privationem boni, nempe sacrificii propitiatorii, quod *non sit pro peccatis reliqua hostia*, id est, quod peccatum sit irremissibile, ut quod hostiâ Christi non expietur, v. 26. deinde consecutionem mali, nempe mortis æternæ; quam indicat, cùm ait, *horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios*, v. 27. Cujus pœnæ veritatem, & justitiam confirmat Apostolus, bifariam. Primò comparatione minorum, siquidem confert inter se violatorem legis v. 28. & apostatam, adversarium Christi, & Euangelii illius v. 29. hoc sensu: si morte, absque misericordiâ, ex duorum aut trium testimonio, in politia Mosis, multatus fuit, qui irritam fecisset Mosis legem Num. 15. v. 30. & Deut. 19. vers. 15. quanto acerbiore supplicio dignus censebitur, in politia, & Ecclesia Dei, qui, coram infinitis penè testibus, malitiosâ apostasia, & diabolica oppugnatione, cognitum Euangelium, ac Christum violarit. Quod peccatum, ad consequentiæ confirmationem, describitur, hypothesi gravissima: partim ratione objecti, in quod illud admittitur; partim ratione modi, quo perpetratur. Objectum est Filius Dei, & Spir. S. Modus autem peccati in Filium, est primùm, quod ab hujusmodi apostatâ Filius Dei conculcetur, nimirum non actu; sed voluntate, ac studio ipsum deprimendi: deinde quod sanguinem Christi Filii Dei, qui sanguis est fœderis novi, profanum ducat: cujus indignitas amplius amplificatur, cum ait: *per quem fuit sanctificatus*; hæc de modo peccati in Filium Dei. Modus verò peccati in Spiritum S. est contumelia: quæ amplificatur, cùm *Spiritus gratiæ*, ab effecto, nempe gratiâ, seu dono illuminationis mentis, appellatur: in quem impiè ingrati sunt; qui testimonium, & veritatem illius obscurare, & opprimere contumeliis suis satagunt. Verùm ut ante dicta accuratiùs intelligantur, difficultas, quæ, hoc loco, occurrit, paucis expedienda est. Siquidem *Semipelagiani* nostri ævi, *Pontificii*, *Vbiquitarii*, & *Arminii asseclæ*, hujus sententiæ obtentu, doctrinam, de fidelium, in vivâ fide, perseverantiâ, oppugnant, hoc modo. Quicunque, per sanguinem Christi, sanctificati sunt, illi sunt verè fideles: sed quidam, qui peccant in Sp. S ac pereunt, per sanguinem Christi sanctificati sunt. Ergo quidam verè fideles pereunt. Propositio certa est, quia solam Ecclesiam,

fiam, seu verè fideles, suo sanguine, sanctificavit, ut nostri fatentur. Assumtionem autem probant, ex verbis Apostoli, cùm ait, de apostata, qui perit: ἐν ᾧ ἡγιάσθη *per quem sanctificatus fuerat*. Sed respondetur negatione assumtionis, & probationis illius: nam ut verba Græca melius transtulit vulgatus interpres, *per quem fuit* (non autem *fuerat*, quasi sanctificatio illa desiisset, & ad apostatam referretur) *sanctificatus*: ita non pertinent ad apostatam, sed ad Filii Dei descriptionem, & ad impietatem apostatæ hujusmodi exaggerandam, quod sanguinem Filii Dei, ac Novi fœderis, per quem Filius fuit sanctificatus, contrà *prophanum duxerit*: Filius enim Dei per sanguinem suum fuit sanctificatus, hoc est, Deo, in sanctam victimam, consecratus: ut ait: Joa. 17. v. 61. *pro iis ego me sanctifico, ut & ipsi sanctificati sint in veritate*. Deinde hæc verba non posse referri ad apostatas, qui pereunt, jam antea Apostolus, hoc cap. 10. vers. 14. demonstravit, cùm dixit: *unica enim oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur*. Ergo nemo qui sanctificatus est, unquam desinit esse consecratus: eoque nec penitus gratia excidit ac perit. Et deinde vers. 16. & 17. *Qui fœderis novi participes, eorum peccatorum Deus non recordatur amplius*. Atqui peccatorum, ab apostatis commissorum, recordatur Deus: quia ea in æternum punit. Ergo apostatæ illi, non sunt novi fœderis participes, seu novi fœderis sanguine sanctificati. Atque hæc de prima confirmatione pœnæ defectionis, apostatis illis imminentis. Cui altera additur v. 30 à testimoniis, & comminationibus divinis, contra peccatores, generalibus duobus, ex Deut. 32. v. 35. & 36. Quod argumentum Apostolus, epiphonemate, de iræ Dei gravitate, concludit: ut fideles, metu sancto, ab apostasia deterreat, v. 31. Verùm, quia teneriores fidelium aures, auditâ hac comminatione gravissima, graviter poterant percelli: idcirco antecedentium acerbitatem, sequenti consolatione, mitigat; & ex ea simul, propositam hortationem, ad fidei constantiam, concludit. Hoc autem præstat argumentatione conveniente, quam ab antecedente ipsorum simili virtute desumit. Quam commemorat Apostolus, ut spem suam, de fidelium Hebræorum perseverantiâ, patefaciat. Quemadmodum, in eadem materiâ explicandâ, eundem observavit modum, c. 6. v. 9. ubi plenius ea explicuimus. Revocat enim iis in memoriam, constantiam ipsorum laudabilem, in persecutionibus variis, veritatis Euangelii, & Christi causa perferendis. Quam constantiam proponit generatim: *quòd ingens certamen perpessionum sustinuissent* vers. 32. deinde speciatim exponit, primùm distinctione objectarum perpessionum, quas tulerant: partim sensu malorum suorum; partim consensu malorum, seu ærumnarum, in aliis fidelibus. Ac priores iterum perpessiones, in probra, & afflictiones (quibus *quasi in theatrum essent producti*) distribuit; non aliter, quam Christus Mat. 5. v. 11. posteriores verò indicat, quando ait: *participes factos eorum, qui sic agitantur*: quod scil. commiseratione, ac consensione Christiana, fidelium perpessiones, suas duxerint, vers. 33. Deinde constantiam, in perpessionibus hisce, exponit: partim quod & *vinculis Pauli* (in quibus Romę detinebatur) *condoluerint*; partim quod *direptiones suarum facultatum*, non solùm æquo animo; sed etiam spectata causa, & fine, *cum gaudio pertulerint*: secundum Jacobi Apostoli præscriptum cap. 1. 2. & Christi, Matth. 5. v. 12. Cujus gaudii justitiam ostendit, à causa efficiente; nim. fide vitæ æternæ: quemadmodum Matth. 5. v. 12. *quod scirent se habere bona in cœlis meliora, & perpetua*, 2. Cor. 4. v. 17. 18. Quæ scientia, de fidei notitia, accipienda est, orta ex promissione divinâ, & internâ Spir. S. obsignatione, Ephes. 1. v. 14. & 4. v. 30. Hæc de vers. 34. Atque hactenus de consolatione Hebræorum, quæ antecedens argumentationis propositæ pars est, & argumentum. Cui deinde additur consequens conclusio, & adhortatio ad constantiam, in hac salutis fiduciâ: quam comprobat, ratione duplici. Hortatio autem est: *Ne igitur abjicite* παῤῥησίαν *vestram*. Quo in loco observandum est, vocem παῤῥησίας, pro diversa significatione illius, etiam diversimodè, hoc in loco, ab interpretibus intelligi. Cum enim ea vox, *dicendi libertatem* propriè denotet; impropriè verò, & frequentissimè *fiduciam* significet quidam vertunt *liberam* professionem: ut opponatur apostasiæ illi, quâ Christus abnegatur. Sed tamen si ita acciperetur, per synecdoc. de professione Euangelii, explicari oporteret: quo modo non arbitror, ab Apostolis, ullibi usurpari. Alii verò vertunt *fiduciam*: quæ vox optimè convenit stylo Apostoli, & loci circumstantiis: quia, in hac epistola, eo sensu, perpetuò usurpatur cap. 3. v. 6. & 4. 16. & 10. v. 19. deinde, quia antecessit, Hebræos fideles scire, se habere bona in cœlis: statim opportunè subjicit: *ne igitur abjicite vestram fiduciam*, nempe ex scientia illa ortam. Idem etiam ex v. 38. colligitur, qui, ad hanc sententiam stabiliendam, pertinet.

Porro hujus hortationis confirmatio est duplex: quarum prior ab utilitate deducta est; nempe à fiduciæ præmio amplissimo vers. 35. Cujus magnitudo, ut hoc in loco, ponitur; ita exposita est vers. antecedente. Altera deinde confirmatio, petita est ab adjuncto inobedientiæ damno, seu à necessitate tolerantiæ; eoque & veræ fidei, è qua promanat, & quam, tanquam fructus certissimus patefacit. Ac necessitatem ostendit, non quidem absolutam, sed ex hypothesi duplici: primo causæ efficientis voluntatis Dei, præcipientis tolerantiam, & fidem: deinde adjuncti, consequentis voluntatem illam Dei, nempe vitæ æternæ: Quam per Meton. adjun. pro subjecto, *promissionem*, id est, promissam vitam æternam, vocat, amplificationis gratia: ut, hac ratione illius certitudinem, à promissione, & veritate Dei, assereret ac firmaret. Cùm igitur ait: *tolerantia vobis opus est, ut, voluntati Dei obsecuti, reportetis promissionem*: sensus est, nisi tolerantes fueritis, & in fide constantes, non reportabitis promissam mercedem, ut Matt. 10. vers. 22. Quod autem *semipelagiani* objicere solent. Ergo perseverantia sanctorum non est certa; quia aliâs exhortatio esset vana: Negatur consequentia, & probatio illius: quia certitudo illa pendet à Dei promittentis veritate, ac gubernatione salutari; non autem à virium nostrarum potentia. Neque propterea hortationes sunt vanæ: quia illæ, inter alia, sunt medium, ad perseverantiam, destinatum, atque efficax: nam ut fideles, sine Christo, nihil efficere possunt boni, Joa. 15. v. 5. sed insitæ infirmitatis suæ; & potentiæ tentationis Satanæ, & mundi ratione, sine Dei gratia succurrente, ac opitulante, poterant deficere: sic contrà à defectione per hortationes, aliaque media externa, & per internam conjunctam gratiæ Dei virtutem, conservantur ad salutem 1. Pet. 1. v. 5. & Joa. 10. v. 28. 29. Eoque gratiæ Dei promissæ, ac certò conservantis ratione, statuitur: *electos non posse à veritate seduci, ac perire* Matt. 24 v. 24. *nec posse peccare*, scil peccato dominante, 1. Joa. 3.

Utramque porro rationem adductam confirmat Apostolus, promissione, & comminatione divinâ, Prophetæ Habac. c. 2. 3. & 4. cujus sententiam adducit. Qua promissione, adventus Domini propinquus denuntiatur, ad patientiæ confirmationem vers. 37. Deinde fidei ultilitas, & necessitas declaratur seqq. Utilitas, *quod justus ex fide vivet*. de qua re Rom. 1. vers. 17. Necessitas est, quod *si quis se subduxerit, eum animus Dei non probet*. In qua sententia, inversio quædam observanda est ordinis, & mutatio verborum; sed tamen, secundùm scopum, sensus fideliter expressus est, ut etiam à Græcis interpretibus: nam pro eo, quod ait Propheta: *anima, quæ se extollit, aut ebullit*, (hoc est, quæ se Deo opponit, per tumidam incredulitatem, & defectionem) Paulus habet: *si quis se subduxerit*, nimirum à Deo: deinde pro eo, quod sequitur in Propheta, *non est recta in eo anima*, Paulus habet, *non probat eum animus meus*: diversis quidem verbis, sed eodem manente sensu, quibus enim non est rectus animus, eos Deus reprobat: quemadmodum etiam, ex opposita sententia, de vita fidelium, facile intelligitur, v. 38. Cui annectit Apostolus, ad consolationem fideliũ ampliorem, de perseverantia sanctorum, epiphonema; quo, allatam Prophetiam, fidelibus Hebræis accommodat, per thesin, & aphæresin: removet enim à se, & ab Hebræis, aliisque verè fidelibus defectionem; &, quod inde sequitur, exitium: deinde attribuit fidem constantem, & fructum illius, salutem, v. 39. Hæc de c. 10.

CONSECTARIA.

I. CUm Sacrificia, quæ crebrò offeruntur, conscientiam non sanctificent: sequitur inane, & profanum esse fictitium Missæ, indies repetitæ, sacrificium, v. 2. & 11.

II. Si sanguis Brutorum animantium, pro peccatis populi fusus, ob vilitatem, ea expiare non potuit: ergo nec inanimata baptismi aqua, multoque minùs superstitiosæ, & frivolæ Pontificiorum ceremoniæ. Sed ea laus Christi sanguini propria est, v. 4.

III. Sacrificium Christi voluntarium est.

IV. Quum Christus, Dei Filius, Patris voluntati fuerit obediens; & sese, ad nutum illius, in sacrificium obtulerit: Ergo Christianos similiter, secundùm vocationem suam, Deo sese omnino subjicere oportet.

V. S. Scriptura vitæ nostræ, & obedientiæ norma est, vers. 7.

VI. Sacrificia alia legalia sunt; alia Euangelica, vers. 8. 10.

VII. Nomen Dei interdum, non absolutè, essentiam divinam; sed relatè ad Filium, personam Patris notat, vers. 7. 9.

VIII. Cùm Christus, unica oblatione, consecraverit in perpetuum, eos, qui sanctificantur: ergo repeti illius sacrificium non potest: ideoque impium est Missæ pontificiæ commentum. v. 10. 12. 14.

IX. Christus, qui ad dextram Dei sedet, suos inimicos universos non tollit, sed tolerat ad finem usque mundi: ergo non est, cur ægrè feramus sortem similem.

X. Si Christus expectat diem judicii, ad plenam hostium subjugationem: Ergo Christiani etiam patientia, & spe, in adversis, munire se debent.

XI. Hostes Christi, qui etiam sunt nostri, pedibus illius subjicientur tandem: ergo non est, cur impiorum felicitati invideamus; aut de judicio Dei conqueramur, vers. 13.

XII. Prophetia Jeremiæ est inspirata à Spir. Sancto: Ergo Sp. Sanctus est Deus: & Prophetia Jeremiæ sacrosancta, & ab omnibus reverenter suscipienda, v. 15.

XIII. Ubi peccatorum est remissio, non est ampliùs oblatio pro peccato: Christi igitur sacrificium, quo peccata remissa sunt, nullo modo potest iterari: ac propterea, corruit iterum Pontificiorum Missa, v. 17.

XIV. Quum, ad Christum, certa persuasione fidei, adeundum, Apostolus nos invitet, & simul libertatem nos habere ingrediendi sacrarium, per sanguinem Christi, remissis peccatis, quia præfectus est domus Dei, asserat: inde evincitur, errare impiè Pontificios, qui hanc fiduciam & libertatem, temeritatis insimulant: & contra Apostoli sententiam, (quia Christus Rex, & præfectus domus Dei, nos verò peccatores) Mediatoribus, & Intercessoribus aliis nobis opus esse, concludunt, v. 19, 20. 21.

XV. Cùm spei confessio requiratur à nobis: peccant Nicodemitæ illi, qui conscientiæ Deo notæ prætextu, confessionem spei, & fidei, non requiri statuunt.

XVI. Fides, & spes nostra, Dei promittentis veritate certò niti debent: errant igitur Pontificii, qui spem Christianam dubiam requirunt, vers. 23.

XVII. Non solùm nostræ, sed etiam fraternæ salutis, pro virili, studiosos esse oportet.

XVIII. In virtutibus non solùm cæpto, sed & progressu opus, vers. 24.

XIX. Prava aliorum exempla nos non offendere, sed cautiores & meliores reddere debent.

XX. Non ex more hominum, sed ex officio vivendum est: quare errant graviter, qui postposita S. Scriptura (quæ officii nostri regula est) aliorum facta imitantur.

XXI. Cùm, tempore Apostolorum, quorundam Christianorum is fuerit mos, ut cætus sacros desererent; non est igitur mirum, si, hisce postremis temporibus, idem usu veniat.

XXII. Mutuâ hortatione, ad pietatis exercitia, stimulare alii alios debemus.

XXIII. Diei judicii consideratio, stimulus esse debet, ad pietatem, & charitatem, vers. 25.

XXIV. Cùm Apostolus hîc non agat, de quavis defectione à Christo: sed de blasphemiâ in Sp. Sanctum; & odiosa Christi, & Euangelii, contra conscientiam, oppugnatione: inde apparet, peccasse olim Novatianos, qui omnibus, ab Ecclesia, persecutionis tempore, lapsis, veniam denegarunt: et Patres occidentales, qui olim hanc epist. (quasi Novatianis faveret) à canone S. Scripturæ secreverunt, vers. 26. & 29.

XXV. Veritas Euangelii in pretio est habenda.

XXVI. Cùm ignis inferni Adversarios Dei maneat: Deo, verâ obedientia fidei, & charitatis, adhærendum est, vers. 27.

XXVII. Pœnæ Inferni, tempore quidem sunt æquales; sed, pro peccatorum inæqualitate, gradibus inæquales sunt, vers. 29.

XXVIII. Si Deus judicium sibi vendicat, & populum judicaturus est: non est igitur, cur de impunitate impiorum conqueramur; aut, tolerantia Dei abusi, peccatis indulgeamus, v. 30.

XXIX. Cùm horrendum sit incidere in manus Dei; ejus offensio sollicitè vitanda est, v. 31.

XXX. Παθήματα, debent nobis esse μαθήματα.

XXXI. Cùm fides sit illustratio mentis: sequitur, & infideles in tenebris ignorantiæ miserè versari; & fideles Deo debere esse gratos; &, ab operibus tenebrarum, peccatis, abstinere, v. 32.

XXXII. Crux, veræ fidei comes est: idcirco animum, adversus eam, patientia Christiana obfirmare debemus.

XXXIII. Virtutes aliorum, Pauli exemplo, coràm laudare, interdum non solùm licet, sed etiam opus est: Si *Origo* illius sit charitas; & *Modus* veritas, atque opportunitas; & *Scopus* sit laudatorum, ad Dei gloriam, utilitas, & amplior in virtute profectus, v. 32. & 33.

XXXIV. Cùm perpessiones fidelium sint, non solùm eæ, quas ipsi ferunt, sensu in se ipsis; sed etiam consensu in aliis fidelibus, tanquam ejusdem corporis membris: inde sequitur neminem fidelium à cruce liberum.

XXXV. De fratrum afflictionibus, cum iis dolere debemus, ob communionem Sanctorum, vers. 33.

XXXVI. Cum dona cœlestia, sola sint perpetua; eorum fide, ac spe, bonorum caducorum, Euangelii causa, direptionem, non solum æquo, sed etiam quodammodo læto animo, ferre debemus, vers. 34.

XXXVII. Præmium vitæ æternæ, ad fidei constantiam, & patientiam, animare nos debet, vers. 35. & 36.

XXXVIII. Cum Deus judex venturus sit, justo tempore; non est, cur moram illius accusemus, aut contemnamus, vers. 37.

XXXIX. Fidei fructus est vita æterna: ergo non operum meritum, ut falsò Pontificii asserunt, vers. 38.

XL. Verè fideles, quamvis interdum errent ad tempus; non tamen subducuntur ad æternum exitium, sed credunt ad salutem: Ergo perseverantia Sanctorum, adversus Pontificiorum sententiam, certa est, vers. 39.

CAPUT VNDECIMUM.

POstquam Apostolus, superiori cap. ad constantiam in vera fide, & ad tolerantiam crucis, Hebræos hortatus est; & consolatione firmavit: in ejusdem argumenti amplificatione nunc progreditur: quemadmodum non solum ex cohærentia contextus verborum, ac materia proposita, sed etiam ex aperta conclusione, quæ extat cap. 12. vers. 1. perspicuè apparet. Media verò quibus ad illum scopum collimat, ac tendit, sunt primum, *descriptio fidei ex effectis*: deinde illustratio illius, per inductionem fidelium Vet. Test. Quę duo opponit Apostolus periculosis carnis tentationibus, de promissorum bonorum absentia, & malorum pręsentia: de quali etiam re Psal. 73. Jerem. 12. & Mal. cap. 2. & 3. agitur. Descriptio autem fidei, bimembris est. Primum enim dicitur, quod sit rerum speratarum

rum ὑποστασις *subsistentia*; seu id, quod eas, quodammodo extare faciat; & ea repræsentet, quæ spes amplectitur: id est, absentium & futurorum bonorum fidem. Quæ futura bona, proprium sunt spei objectum, Rom. 8. Cæterùm *subsistentia ac fundamentum rerum speratarum*, est duplex: primarium, ac principale; & secundarium, seu instrumentale. Primarium, est Dei promissio, ejusque omnipotens veritas, quæ fidei fundamentum: Secundarium est fides, quæ verbo Dei nixa, spem deinde sustinet, ac res speratas quodammodo extare facit: quemadmodum Abrahamus dicitur vidisse diem Christi Joa. 8.56 qui tamen longo post tempore primùm illuxit. Secundò, in descriptione fidei dicitur, quod sit ἔλεγχος, hoc est, *demonstratio eorum, quæ non videntur*, nim. oculis corporis. Quæ verba, à quibusdam, per Synonymiam, & repetitionem, S. Literis non infrequentem, idem, cum superioribus, valere statuunt: quod certum sit, res speratas non videri. Verùm hoc non videtur huic loco satis consentaneum: quoniam res speratæ, & non visæ differunt ut species, & genus: quia res non visæ, sunt non tantum futuræ, quarum tantummodo spes est; sed etiam præsentes, & præteritæ (qualis creatio mundi, cujus proximè fiet mentio) quæ nullo modo ad spei objectum pertinent. Deinde ὑποστασις *subsistentia*, & ἔλεγχος *demonstratio*, effecta diversa denotant. Prius enim ad firmitatem rei; posterius, ad cognitionem veritatis, pertinet. Fides igitur facit, ut res speratæ, quodammodo, in mente existant: eademque rursus res non visas, nec sensibus perceptas, notas & compertas reddit, vers. 1.

Quæ fidei effecta confirmantur, 1. generatim, exemplis fidei Majorum, à quibus originem ducebant Hebræi. Quos Majores) ut argumento accedat robur) laudatos, à Deo, ob fidem, in S. L. ostendit, vers. 2. Ac peculiariter deinde alterum effectum fidei, nempe quod sit ἔλεγχος seu *demonstratio rerum, quæ non videntur*, exemplo objecti, rei præteritæ, nec oculis subjectæ, nempe creationis mundi è nihilo, illustratur & comprobatur: quod *per fidem intelligamus constructum fuisse mundum, Dei verbo, ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta*, hoc est, per synecd. è nihilo: nam quæ non apparent, sunt vel aliquid; vel nihil. Non autem intelligit aliquid invisibile, seu materiam aliquam, ex qua mundum condiderit, *quia mundum, & omnia, quæ in eo condidit*, Act. 17. 24. *visibilia, & invisibilia creavit*, Col. 1. v. 16. ideoque nulla materia increata est. Atque hæc de vers. 3.

Cui deinde accedit versus secundi, de majorum fide, confirmatio, specialium exemplorum selectorum, inde ab initio mundi, inductione. Quam secundam principalem hujus capitis partem esse, antea monuimus. Ea autem fidei (quam ex effectis, & adjunctis describit) exempla, pro temporum ratione commodè enumerantur. Alia enim pertinent ad tempora *ante diluvium*; alia ad tempora *post diluvium*. Ac, prioris quidem ordinis, recensentur tria exempla illustria, nempe *Abelis, Enochi, & Noachi.*

Abelis autem fides commendatur, primo ex dignitate sacrificii: quod sacrificium, à comparatione minoris, amplificat, qua Caino comparatè præfert. Consentanei quidem, in eo, statuuntur, quod uterque Deo sacrificaverit: dissentanei verò, quod Abel, per fidem; Cain verò contrà. Unde emergit comparatio, quam subjicit Apostolus, nempe quod majoris pretii fuerit sacrificium illius, quàm hujus.

Secundò commendatur ex approbatione divina, & cura mortui: qua de cæde Abelis, quasi pœnam justam postulante, offensus vindictam sumsit: id quod Metaphoricè, ex Genes. 4. v. 10. declaratur: cum dicitur, *per quam mortuus adhuc loquitur*, id est, locutus est, per enallagen præsentis temporis, pro præterito, ut res ipsa præterita omninò evincit: quali etiam phrasi, Hebr. 2. v. 16. dicitur, *Semen Abrahæ assumit*, pro assumsit.

Alterum exemplum est, ex Genes. 5. nempe fidei *Enochi*, quæ declaratur, à consequente translatione in cælum: qua à communi, & ordinariâ morte exemtus fuerit; quod Deus raptum corpus illius corruptibile, & mortale, subita mutatione, glorificavit. Qualis mutatio futura fidelibus victuris die ultimo, 1. Corinth. 15. v. 52. & 53. quæ mutatio instar mortis est. Fide autem præditum Enochum fuisse comprobat Apostolus, syllogismo, hac ratione: *sine fide fieri non potest. ut quis placeat Deo*, id est, quisquis Deo placet, fidem habet. Enochus autem placuit Deo. Ergo fidem habuit. Versus quinti initio ponitur conclusio, probanda: in fine verò assumtio. Quæ confirmatur à testimonio Dei: nam justum fuisse, & continenter ambulasse coram Deo, ostenditur divinitus per Mosen, Genes. 5. 24. Propositio extat vers. 6. Et ratione munitur hujusmodi. Qui accedit ad Deum, illum credere oportet: sed qui placet Deo, accedit ad Deum. Ergo qui placet Deo, eum credere oportet. Accessus autem ad Deum non intelligitur propriè, quia Deus cælum, & terram implet, ubique est, neç propriè ad eum accedi potest: sed Metaphoricè, accessus ad Deum, vel invocationem illius notat, Hebr. 5. 16. & 10. v. 20. vel communionem cum Deo, ut Heb. 12. v. 22. quo etiam modo, in hac Apostoli sententia, commodissimè accipitur. Propositionem autem demonstrat Apostolus, distributione objecti fidei; seu ejus, in quod respicit, ac tendit fides: hoc autem est, Deus, & gratia illius. Prius ita indicatur: *nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, quod sit*, scilicet, sicut reverâ est, *essentia unus: trinus personis* Pater, Filius, & Spiritus Sanct. potentia, scientia, & sanctitate infinitâ præditus, mundi creator, & gubernator: ea enim est vera Dei cognitio. Alterum fidei objectum est gratia Dei, cum ait: *Et quod sit mercedis dator iis, qui ipsum requirunt.* Quæ gratia describitur, primùm ab iis, quibus ea confertur, nempe *qui ipsum requirunt*: quæ Metaphora, invocationem, & cultum Dei, notat: ut Act. 15. 17. Rom. 3. 11. Id quod solùm rectè fit, per veram in Christum fidem, Rom. 10. 14. 16. 23. Eph. 3. 12. Secundò declaratur gratiæ species, quæ Deum requirentibus, ab eo datur: eaque indicatur *mercedis* voce, per Metaph. ab operariis conductis derivatam, Matt. 20. 8. & κατ᾽ ἐξοχὴν præmium gratiæ & gloriæ gratuitum, intelligitur, ut 1. Cor. 3. 13. & Apoc. 11. 18. Mat. 6. 1.

Tertium exemplum est fidei *Noachi*: quæ declaratur ab effectu suo, nimirum obedientia adhibita, in construenda arcâ: quâ demonstravit, ipsum, verbo Dei, de futuro miraculoso diluvio (quod nondum videbatur) déque gratuita sui, in eo, conservatione, fidem adhibere. Quo exemplo suo, *mundi incredulitatem condemnavit*. Cœterùm cum hæc salus corporalis, Noacho fuerit non solum promissa, sed etiam fuerit pignus, & typus salutis æternæ, 1. Pet. 3. 20. 21. idcirco dicitur, *factus esse, per fidem, hæres justitiæ.* Nam patrum fides habuit objecta duplicia: nempe promissa bona spiritualia, ac communia reliquis fidelibus: & bona peculiaria corporalia, spiritualium adjuncta, ac typos: hinc fides utraque amplexa est; etiam quando temporalium tantùm fit mentio. Atque hæc de exemplis fidei, & patientiæ fidelium, ante diluvium. Reliqua sunt illorum, qui post diluvium vixerunt. Qui in quatuor ordines distribui solent. 1. eorum, *qui ante Mosen vixerunt*. 2. qui *à Mose, ad judices*. 3. qui *inde ad Macchabæorum tempora*. 4. denique *qui tum vixerunt*.

In primo ordine recensentur exempla quinque fidelium: *Abrahami Saræ, Isaaci, Jacobi, & Josephi.* Ac fides quidem *Abrahami* quatuor effectis insignibus commendatur: quorum *primum* est, ex Gen. 12. 4. *Obedientia* erga Deum promtissima, & *constantia*; qua Deo vocanti *in locum, quem accepturus erat, in hæreditatem*, auscultavit; & patriâ, cognatis, notisque omnibus relictis, *exivit*, *nesciens quò esset perventurus*, v. 8. *Alterum* effectum est, *patientia*, ac *tolerantia*, nempe quod in terra promissa commoratus fit, quasi aliena: & quidem non in fundatis ædibus; sed positis instabilibus *tabernaculis*: quemadmodum peregrinantes solebant. Id quod similibus exemplis consecutis, Isaaci, & Jacobi illustrat, v. 9. Quam tolerantiam declarat efficiente, nempe spe, seu expectatione vitæ æternæ, & quiete in cælo, tanquam certo & solido ædificio. Ideoque per periphrasin elegantem, & convenientissimam, ut tabernaculis terrenis, quorum meminit, opponatur, appellat *civitatem illam, habentem fundamenta, cujus artifex, &* condi-

conditor est Deus, Gen. 1. v. 1. Heb 13. v. 14. Unde perspicuè apparet, fidei Abrahami objectum fuisse, non solùm verbum promissionis de possessione Cananææ, in posteris obtinendæ; sed etiam de cæli hæreditate, quæ eo typo adumbrata, & utroque modo fidei descriptæ effectum secundum declarari: quod quæ non apparebant oculis corporis, ea fide fuerit contemplatus, v. 10. *Tertium* fidei Abrahami effectum *triplex* est, *fœcunditas*, & *liberorum procreatio*, atque *augmentum posteritatis* innumerabile. Quod effectum, simili Saræ exemplo, complectitur Apostolus, hisce verbis: *fide & ipsa Sara vim ad seminis dejectionem accepit; ac, præter tempus ætatis, peperit*. In quo conferuntur, per copulam (*Et*) hoc est, *etiam*, Abrahamus, & Sara: qui nimirum cum effœti essent senio, & Sara præterea, naturali sterilitate esset infœcunda, vim tamen acceperit divinitus, *ad jaciendum semen*, & liberorum procreationem. Quapropter, hoc in loco, vulgati interpretis, & nostri, (quem alioqui meritò magni facimus) versionem, cum vulgo probare non possumus; qui, *vim ad dejectionem seminis*, de conceptione seminis Abrahami, interpretantur. Quod verò Menno, Anabaptistarum Coryphæus, in colloquio Wismariensi, contra Micronium, fœminas semine carere, affirmat: illud, inquam, Medicorum, & Anatomicorum demonstrationibus, & experientia certâ, confutatur: & hoc in loco verba Apostoli satis sunt explicata: siquidem non ait; Saram vim accepisse ad seminis σύλληψιν *conceptionem*; aut ὑποδοχὴν, ut Chrysost: & Oecum. exponunt: sed ad seminis καταβολὴν *dejectionem*, id est, ad semen, è vasis seminariis, in uterum dejiciendum. Adeo ut invictus hic stet locus, adversus Anabaptistarum errorem: quo Mariam virginem, tanquam fœminam, semine caruisse, objectant: & ex eo concludunt, Christum non esse conceptum ex semine Mariæ: contrarium enim de fœminis statuitur, Levit. 12. v. 2. *mulier cùm seminificaverit*, seu *semen dederit, & pepererit masculum*. Quemadmodum etiam Christus *semen mulieris*, Gen. 3. appellatur; & *factus* dicitur *ex semine Davidis*, (scilicet mediatè per Mariam, ex Davide ortam) *secundum carnem*, Rom. 1. v. 3. & *ex fructu lumborum Davidis esse*, Psal. 132. v. 11. & Actor. 2. v. 30. & *assumsisse semen Abrahæ*, Hebr. 2. vers. 16. & *fructus ventris Mariæ*, idcirco appellatur, Luc. 1. quod scilicet ex ea factus sit, Galat. 4. vers. 4. Quemadmodum fructus arboris ortus ex substantia arboris, & fructus terræ (licet semen fortè ex unâ in aliam terræ partem feratur) non aliunde quàm è terra cum fructu suo processit. Cœterùm Apostolus declarat, quo modo per fidem, tanquam per causam instrumentalem vim illam acceperit Sara, *ac præter ætatem pepererit*: exponit enim fidei objectum, & fundamentum, videlicet promissionem Dei & veritatem illius: *quod fidelem esse duxerit Deum, qui promiserat*, id est, in dictis, ac factis constantem, ac veracem. Sed excipiat aliquis: Sara, Gen. 18. ab Angelo, incredulitatis nomine satis disertè arguitur. Ergo Apostolus Mosi contradicit, cùm fidem Saræ attribuit. Verùm, distinctione temporum, nodus hic solvitur: Moses enim loquitur de initio propositæ, & auditæ, promissionis: Paulus verò de succedente tempore: primùm enim ex diffidentiâ quadam risit Sara; sed, reprehensa ab Angelo, incredulitatem correxit; & fidem promissioni divinæ adhibuit: quo demum nomine hoc in loco commendatur, vers. 11. Porrò fides Abrahami amplificatur, à tertio fructu; nempe posteritatis incremento admirabili. Id quod exaggeratur, partim ab adjuncta Abrahami impotentia senili: quod esset corpore, jam, quasi *emortuo*, hoc est, ad generandum prorsus inepto: partim comparatione proverbiali, qua posterorum numerus astris & arenæ maris comparatur, vers. 12. Porrò cum patientia, & tolerantia Abrahami, sit illustre fidei illius (ut etiam Isaaci, & Jacobi) effectum, ac documentum: idcirco illud illustrat, & amplificat Apostolus adjuncto durationis, & perseverantiæ ad mortem; quod scilicet *secundum fidem mortui sint isti omnes, nec adepti sint promissa* in terris: sive temporalia spectentur, posteritatis multitudinem admirabilem, & Cananææ possessionem; sive spiritualia, iis adumbrata, nempe vocationem gentium, & adoptionem in filios Abrahami; & Christi, seminis benedicti, exhibitionem; regni denique cælestis possessionem: *sed eminus* tantum *ea conspicati sunt*, oculis nimirum fidei, non corporis: ac propterea additur; *persuasi & amplexi ea*: Idque confirmat, *quod professi sint se esse hospites, & advenas in terra*: ut Abrahamus, Gen. 23. 4. & Jacobus, Genes. 47. v. 9. Consequentiam autem probat, quod *qui hæc dicunt, ostendant se patriam quærere*: hoc enim peregrinantium est, vers. 14. Quia vero objici poterat, patriam illam fuisse Chaldæam, non autem Chananæam: Illud hoc argumento refutat Apostolus, *quod eodem potuissent redire*, v. 15. Et contra ostendit fuisse *meliorem*, nempe *cælestem* patriam. Cujus etiam rei veritatem, à Dei misericordi promissione, confirmat, quod *Deum non puduerit, se cognominare Deum eorum, quodque iis urbem*, hoc est, pro Metaph. firmam sedem, cælum patriam *præparaverat*. Etenim *Deum esse alicujus*, hoc in loco κατ' ἐξοχὴν est, esse fœdere salutari sociatum, ac servatorem: quemadmodum similiter Christus, Matth. 22. ex eadem promissione, vitam æternam Abrahami, & resurrectionem futuram, concludit. Hæc de vers. 17. & tribus fidei Abrahami effectis. Quibus *quartum* succedit, ex Gen. 22. nempe *obedientia erga Deum in oblatione filii ipsius in sacrificium*. Quæ oblatio intelligenda est, de animo prompto, & conatu offerendi, ut Jacob 2. v. 21. non autem de eventu, quem Angelus Dei, probata satis, ac patefacta Abrahami in Deum fide, & dilectione, impedivit. Ad cujus rei ampliorem intelligentiam, observandum est: cædem hominis, generatim acceptam, duos modos sub se complecti speciales: quorum primus in actu consistit, ut Cain Abelem occidisse dicitur 1. Joan. 3. v. 12. alter modus est, voluntate, ut ibid. v. 15. *quisquis odit fratrem, homicida est*: Deus autem Isaacum mactandum præcepit Abrahamo, usus voce generali, sed de speciali modo (quem non expressit, sed ad tentandum Abrahamum, ut fides, & obedientia illius clarior patefieret, ad perpetuum Ecclesiæ exemplum, tacuit) intellexit. Atque ita Abrahamus filium mactasse, scilicet voluntate & conatu, dicitur: id quod Deus propriè volebat. Deinde secundo loco dici potest, mandatum Dei fuisse, cum tacita conditione, nisi te impediero: quam conditionem, ad probationem, & exemplum fidei Abrahami, tacuit. Qualis tacitæ conditionis exempla sunt, in Angelis Dei, qui invitati, ac rogati à Lotho, ut in domum ipsius diverterent: id primùm negarunt se facturos; sed tamen eo urgente (quæ tacita erat negationis conditio) ingressi sunt, Gen. 19. 2. 3. sic Esa. 38. v. 1. Deus Ezechiæ mandavit, ut disponeret res domus suæ, quod moriturus esset, & non victurus: tacitâ interim pœnitentiæ, & precationis illius intellectâ conditione: quemadmodum eventus perspicuè ostendit, vers. 5. Cœterùm hæc oblatio Abrahami, primùm describitur, à causa efficiente, Dei mandato, quod sine suo indicatur, cum ait: *cum tentaretur*, id est, cum à Deo fides, & obedientia Abrahami, mandato proposito, exploraretur, ac probaretur; ut, patefactione illius, exemplum esset omnibus imitandum: nam cum tentatio alia sit bona, quæ ex bono animo, per bonum medium, ad bonum scopum tendit; alia verò sit mala, quę secus fit; prior Deo, utpote summo Bono, qui malis neminem tentare potest, Jac. 1. 13. convenit, qui pręceptis, afflictionibus, aliisque modis, suos explorare justè, atque utiliter potest, ac solet. Secundò, eadem oblatio amplificatur primum ab objecti conditione, cum naturali; quod Isaacus offerendus filius esset, & quidem unigenitus, nempe ex Sara, libera uxore: deinde adjunctis illi promissionibus, de numerosa posteritate, stellarum instar, ac de possessione Chananęę: deque Messię, seminis benedicti, ex eo, ortu, vers. 17. Id quod exponitur v. 18. Quorum utrumque difficultatem afferre, & fidem infringere potuisset. Prius quidem, propter naturalem στοργὴν, quę erga filium, maximè unigenitum, vehementior esse solet: unde luctus, unigeniti amissi causa, pro amarissimo accipitur in Sac. Liter. Jer. 6. v. 26 Zach. 12. v. 10. Posterius verò propter contradictionis speciem: nam si ex Isaaco erat expectandum promissum, & benedictum semen, ad benedictionem salutis omnium gentium: Ergo non erat in adolescentia immolandus: Ergo non poterat ex eo,

ex eo, ut ratio quidem humana dictat, oriri, & expectari promissum semen. Sed utrumque superavit Abraham: στοργὴν quidem, & amorem in filium, amore majori erga Deum: speciem verò contradictionis, mandati, & promissionis, ratiocinatione fidei, qua potentiam Dei opposuit cogitationibus carnis, & Dei promissionem cum mandato cónciliavit, negatione consequentiæ: quod scil. quamvis secundum mandatum Dei, filium, tenerâ adhuc ætate, immolaret, ac cremaret, inde tamen posset oriri semen promissum, non humana, sed divina potentiâ, quæ potuisset mortuum suscitare; & ex eo deinde redivivo, secundùm promissionem, semen benedictum producere: quomodo Roman. 4. v. 18. *contra spem* (nempe virium creaturarum) *in spem* (scil virtutis, & potentiæ, ac veritatis Dei) *credidisse* dicitur: quod de humanis viribus desperans, per fidem veritatis, & potentiæ Dei promittentis, seu, qui promiserat, spem certam promissionis complendæ conceperit. Id quod etiam ab eventu læto illustratur, cum ait: *similitudine quadam eum etiam recepisse:* id est, quem animo, & conatu mactarat, eum quasi redivivum, ab Angelo Dei, mactatione impedita, receperit v. 19. Atque hoc modo absoluta est descriptio fidei Abrahami. à qua deinde transit Apostolus ad declarandam fidem Isaaci, Jacobi & Josephi. Isaaci quidem, ex Gen. 27. Jacobi ex Gen. 48. quod uterque filiis suis benedixerit, fide in promissiones divinas recumbens: *Isaacus* Jacobo & Esavo, Gen. 27. v. 20. *Iacobus* vero filiis Josephi, Ephraimo & Manassi. Quæ benedictio amplificatur, addito altero fidei effectu, adoratione ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. Quæ verba difficultatem, primo intuitu, habent non exiguam. Quæritur enim qua ratione, cum Mose, Apostolus, hac in re, conveniat? & quis sensus sit illius? differentia enim occurrit duplex: una quidem in mutatione vocis, quod Moses habet *lectum*: Paulus verò *baculum*. Altera in additione, quod Paulus addit pronomen *ipsius*: quę vox in Mose non reperitur expressa: sic enim sonant illius verba: *adoravit super caput, seu summum lecti.* Quem nodum alii secando, rigidè: alii verò solvendo, religiosè expedire conantur. Secando quidem, hoc modo: quod scilicet Græci Interpretes, quos secutus sit Apostolus in Hebræo contextu, legerint, sine punctis, non מִטָּה *lectus*, quemadmodum jam extat in Hebræis Bibliis; sed מַטֶּה ῥάβδος *baculus*. Veruntamen ita difficultas non tolli, sed augeri alio modo videtur: nam cum genuina lectio sit unica: sequitur necessariò, si Græci interpretes bene legerint, vitiatam esse hoc in loco, quæ nunc extat, Hebræam scripturam, & corrigendam: sin contra, sequitur errorem esse in Paulo, qui eorum interpretum vitium potius, quàm rei veritatem, expresserit: id quod authoritati hujus Epistolæ repugnaret. Ut autem novam (quæ in mentem venit) conjecturam adjiciam: quid si potius dicamus, & Græcos interpretes initio, & Paulum postea scripsisse non τῆς ῥάβδου αὐτοῦ; sed τοῦ κραββάτου, exigua literarum mutatione, eodem sensu, cum Mose: sed scriptorum negligentia, antiquitus, locum, in Græca versione, hoc modo, vitiatum; & ea occasione, ex Græcorum interpretum collatione, Pauli etiam testimonium, ex antiqui descriptoris, ac correctoris inscitia, depravatum. Sed tamen, ut ab illa vulgari; sic ab hac nostra conjectura malimus omninò abstinere, neque eo temere confugere: sed solvendo potiùs difficultatem, quæ tutior via est, quàm secando nodum, expedire, ac tollere. Quam viam nonnulli pia ratione ineunt: ajunt enim Paulum cum Græcis Interpretibus, non verba Mosis; sed sensum expressisse, & illustrasse: utrumque enim esse verum: Jacobum super caput, seu summum lecti adorasse, quod ait Moses: & simul super baculum, seu baculo innixum, quod refert Paulus: hęc enim duo non sunt opposita; sed commode conjuncta esse possunt. Verùm nova oritur difficultas, quę vulgo quidem non affertur, sed penitus intuenti sese ultro offert: nimirum cum Moses illud non recenseat, undenam constare possit, baculo fuisse innixum? si dicatur, Paulum illud habuisse ex revelatione: quæretur unde Græci interpretes id cognoverint? ut qui longo tempore antecesserint; ideoque Paulum ex iis potius videri hausisse. Verum responderi potest, Græcos illud accepisse ex traditione: quam etiam Spiritus S. Paulo inspirando sanctificavit, & veram à fictis traditionibus distinxit: quemadmodum à Davide, Paulo, Petro, (qui nonnulla, è Mose præterita, recensent) factum esse, in similibus, ostendimus, cap. 9. Verùm, de sensu, altera exurgit quæstio: quidam enim adorationem hanc, (de qua, ex Mose, Apostolus) statuunt civilem, cum dicitur, *adorasse*, quasi, nimirum sese incurvasset Jacobus ad baculum, seu sceptrum Josephi, honoris causa: quemadmodum in somnio, jam ante, erat Josepho patefactum, Gen. 37. alii verò de religiosa adoratione exponunt, quod Jacobus Deum adorarit, eique gratias egerit, ob juramentum à Josepho impetratum, de sepeliendis ossibus, in terra promissa, & pro confirmatione, in veritate promissionum divinarum: quæ expositio sequentibus meliùs quadrat. Sed cur baculo innixus fuerit, vulgò causam afferunt, hoc factum esse, ut corpus senile sustentaret, ad inclinationem, & adorationem Deo exhibendam. Sed dici posset, baculum præterea sumsisse, & quidem potissimùm, tanquam signum peregrinationis suæ; & fidei de cælesti patria, de qua vers. 13. & 14. quemadmodum ex prisco, & recepto baculi usu colligitur, Gen. 32. vers. 10. 38. 18. Exod. 12. vers. 12. Marc. 6. vers. 8. Hæc de vers. 21. & fide Jacobi.

Sequitur deinde *Iosephi* moribundi similiter, ex Gen. 50. fides, duobus effectis descripta, mentione egressionis Israelitarum ex Ægypto, secundùm promissionem divinam, cui innitebatur: & mandato de ossibus ipsius, in terram promissam deferendis, vers. 22. Atque hoc modo absoluta est prima propositæ inductionis pars: qua exempla fidei Patrum, à diluvio ad Mosen, recensuit.

Altera porrò est, quæ inde ad judices pertingit, & exempla complectitur quatuor, primo *parentum Mosis.* deinde *ipsius Mosis.* tertiò *Israelitarum.* postremum denique *Rachabæ* Chananææ mulieris. Ac *parentum Mosis fides*, ex cap. 2. Exod. commendatur à misericordi *occultatione illius trimestri:* eaque, à causa impulsiva externa, describitur; *quod viderent venustum esse puerulum:* hoc enim στοργὴν, seu naturalem amorem amplius excitavit, ad officium faciendum. Sed objicitur: formæ excellentia homines Deo non commendat: ac propterea illius respectum, non esse fidei argumentum: neque Deum id spectare, 1. Sam. 16. vers. 7. 8. Sed tamen contrà responderi potest bifariam. Primo quod vulgò dicitur, non formæ excellentia communi more, ad misericordiam fuisse commotos; sed quod, in illa venustate, nota quædam heroicæ indolis eluceret, quæ ipsum populi servatorem tacitè sponderet. Altera deinde solutio dari potest, hîc causam misericordiæ recenseri duplicem: unam adjuvantem, ac ministram, venustatem pueri, quæ στοργὴν naturalem inflammarit: alteram principalem, fidem erga promissionem Dei, de incremento seminis, & liberatione Israelitarum ex Ægypto; quæ ad obedientiam erga Deum, & filii conservationem cum periculo, excitarit: nam, ad fidei opera exercenda, Deus etiam naturali adminiculorum concursu interdum utitur. Porrò utriusque causæ cùm principalis; tum ministræ, effectum additur, nimirum contemtus injusti mandati Regis; *quod illud non metuerint*, nempe initio, & trimestri illo; nam postea fides, timore infirmata fuit, & repressa nonnihil, cum infantem exposuerunt: etsi non extincta fuerit, ut circumstantię ostendunt: primo depositio in fiscella scirpea, in carecto ripę fluminis: deinde sororis illius, eventum expectantis, observatio, vers. 23.

Secundum exemplum est *fidei Mosis*, quę ex effectis tribus declaratur. Primum est geminum: abnegatio mundi, & sui: & tolerantia crucis. Illa declaratur, quod adultus, id est, non in pueritia, sed matura jam ętate, & judicio, *cognationis regiæ nomen, & thesauros Ægypti spreverit*, v. 24. 25. Hęc verò quod *afflictionem cum populo prætulerit opibus Ægyptiacis.* Cujus electionis sapientia, ac justitia demonstratur, descriptione opum, ab adjuncto; partim inconstantię earum, quod temporarię essent; partim peccati comitantis, in fruitione earum, vers. 25. Quę, ex opposita descriptione afflictionum, cum populo Dei, amplificat: quę causas illius impulsivas comparatè continet; primo ab honestos

nesto: secundò ab utili. Ab honesto quidem, quod afflictiones illæ essent *probrum Christi:* quod accipi potest bifariam, primo ut notetur causa, *probrum Christi,* hoc est, Christi causa, per ellipsin usitatam: ut Ephes. 3. v. 1. Paulus dicitur, *vinctus Christi,* hoc est, propter Christum, & Coloss. 1. v. 24. *afflictiones Christi in carne mea,* quod eas propter Christum in carne sua perferret: vel ut subjectum notet: nam Ecclesiæ afflictiones, in utroque Testam. Christi etiam sunt, propter unionem mysticam capitis, & membrorum: quemadmodum, de persecutione Ecclesiæ Christianæ, ostendit Christus, Act. 9. v. 4. Ab utili verò amplificat, nempe *retributione mercedis,* non meritæ, sed gratuitę secundum gratuitam Dei promissionem, v. 26. Alterum effectum fidei Mosis, est *relictio Ægypti,* videlicet prima; ut, ex sequenti paschatis ordine, apparet; non autem secunda, qua populum postea eduxit paschate celebrato. Verùm, quia excipi poterat, metu regis fugisse, non autem fide: idcirco *negat Apostolus, timuisse iram regis:* neq; illud repugnat confessioni ipsius Mosis, qui Exod. 2. vers. 24. terrorem suum agnoscit: Moses enim loquitur de timore generatim accepto: Paulus verò de certa tantùm specie, nempe opposita fidei, & officio. Quemadmodum Christus speciatim talem metum intelligit, cum ait, Matth. 10. v. 28. *ne timete ab iis, qui trucidant corpus.* Timuit enim Mosis iram regis, ex fide, fugiendo pericula, ne Deum tentaret: non timuit iram regis, cum neglectu officii, & diffidentia; sed credens certò se servatum iri, tanquam destinatum, divinitus, populi servatorem, Actor. 7. v. 25. Ideoque addit: *forti animo fuisse, quod Deum invisibilem,* oculis fidei quasi conspicuum, *videret,* v. 27. adeò ut fides ea fuerit demonstratio eorum, quæ non videntur. Tertium denique effectum fidei Mosis ex Exod. 12. est *celebratio paschatis,* ut typi Iesu Christi, 1. Cor. 5. v. 7. Atque hæc de fide Mosis, v. 28.

Tertium exemplum est fidei Israelitarum, ab effecto duplici. Quorum primum, est *transitus maris rubri,* Exod. 14. v. 29. 30. 31. secundùm Dei promissionem, & mandatum. In qua promissione gradus duo observandi: prior beneficium corporale continet: quod Israelitæ, etiam reprobi, fide communi amplexi, secundùm officium, obtinuerunt. Posterior promissionis gradus fuit de beneficio spirituali, per corporale adumbrato, nempe liberatione à peccatis, morte, Diabolo, per Christum: quod beneficium, verâ fide, soli verè fideles Israelitæ acceperunt: atque eo animo, per mare rubrum, tanquam boni hujus spiritualis typum, & pignus 1. Corinth. 10. vers. 1. 2. transierunt: de quibus solis, hoc loco, agitur: nam quod supra vers. 5. cap. 4. fide caruisse dicuntur: illud non de omnibus, sed de plerisque tantùm intelligendum, ut cap. 3. v. 16. declaratur. Cœterum hic transitus, contrario Ægyptiorum eventu, amplificatur vers. 29. Alterum effectum fidei est, ex Ios. 6. *murorum urbis Ierichø ruina.* De qua re, in collatione Iosuæ & Christi, supra egimus.

Quartum exemplum est *fidei Rachabæ:* ex cujus etiam posteritate Christus nasci voluit, Matth. 1. v. 5. quæ *meretrix* fuisse, hîc dicitur, ad amplificationem resipiscentiæ, ac fidei illius, & simul misericordiæ Dei. Cujus fidei effectum statuitur, primo salus corporalis, quæ salutis spiritualis typus; eaque, à contrario infidelium civium exitio, exaggeratur. Alterum effectum, ex priori promanans, est benignitas in exploratores, vers. 31. Hæc de secunda parte inductionis exemplorum fidelium, post diluvium.

Cui succedit tertia *à Iudicibus ad Macchabæos:* quæ per præteritionis figuram, exempla recenset. primo *Iudicum* quatuor, *Gideonis, Barak, Samsonis, Iephthæ:* deinde *Regis Davidis:* deniq; *Samuelis:* & generatim *reliquorum Prophetarum,* v. 32. Quorum fidei effecta, deinde, promiscuè subjicit. primo *quod debellarint regna:* id quod Iudicibus, & regi Davidi convenit. secundò *quod operati sint justitiam,* jus suum cuique tribuendo: ut Samuel erga Israelem, & David erga Saulem, & populum. tertio *consecuti sunt promissa,* nempe particularia: ut David, regnum; & alii alia. quarto *occluserunt ora leonum:* ut Samson, David, Daniel. quinto *extinxerunt vim ignis:* ut Sadrach, cum sociis. sexto *aufugerunt aciem gladii:* ut David 1. Samuel. 18. & Elias 2. Reg. 1. & alii. septimo *validi facti sunt ex imbecillibus:* ut David, Psal. 6. & 38 & Ezechias, Esai. 38. octavo *effecti sunt robusti in bello:* ut Judices, & reges. nono *exercitus fugarunt:* iidem vers. 34 decimo *mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos,* fide & invocatione per Prophetas, cùm per Eliam, 1. Reg. 17. tum per Elisæum, 2. Reg. 4. Atque hæc de exemplis fidei Iudicum, Regum, & Prophetarum.

Quibus postremò adduntur *exempla fidei, temporibus Macchabæorum:* quæ, ex variis tolerantiæ crucis operibus, describitur, vers. 35. 36. 37. 38. Quæ ut promiscuè recensentur: ita, vel ad mortis genera; vel ad antecedentia mala, partim apprehensorum, partim elapsorum, referuntur: de quibus potissimùm, 2. Maccab. cap. 5. 6. & 7. agitur. Cœterùm de genuina, vers. 37. lectione controversia est; quæ examen necessariò requirit; ne, hac in re, imprudenter impingamus: nam verba illa (ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν *dissecti sunt, tentati sunt*) communi codicum Græcorum fide conjuncta sunt hoc loco, & ita conjungenda esse, penè omnes agnoscunt interpretes. Contra verò, sententia est clarissimi Bezæ, cujus verba hæc sunt: *Ita in omnibus Græcis exemplaribus nostris scribitur: nec tamen possum aliter statuere, quàm ex margine irrepsisse in contextum, ubi quispiam pro* ἐπρίσθησαν *perperam annotarit* ἐπειράσθησαν. rationem autem subjicit primariam, his verbis: *quorsum enim istud de tentatione, post acerbissimarum pœnarum capitalium commemorationem, quas etiam postea subjicit?* altera ratio est, cùm addit: *sed & istud non habet Syrus.* Verum huic persuasioni non immeritò omnium Græcorum codicum consensum, quem agnoscit, opponimus: siquidem ab eo non est recedendum, nisi rationes solidæ contrarium demonstrent: quales eæ non sunt, quas adducit: non secunda, quia Syra interpretatio, non est veritatis, contextus Græci authentici, norma; sed contrà: nec prima ratio firma est, licet speciem aliquam habere videatur: nam in promiscua perpessionum variarum recensione, qualis hæc est, etiam minores majoribus interseri possunt, ut vel ex hoc loco demonstratur: quod inter τυμπανισμὸν seu distensionem, (de quo v. 35.) & lapidationem, ac dissectionem, v. 37. interponitur pœna minor, non capitalis, ludibria, flagella, carceres, v. 36. non mirum est igitur, si similiter, v. 37. inter lapidationem, ac dissectionem, & occisionem gladio, tentatio, quasi minus tormentum, interponatur. Nec enim (ut ostendimus) in promiscua rerum narratione is ordo observatur, ut levius perpetuò præcedat, gravius sequatur: quemadmodum etiam, hoc ipso versu, dissectio corporis, lapidationi, & occisioni gladio (quæ minora sunt supplicia) interponitur. Deinde non quævis, ac levis aliqua tentatio intelligitur (ut loci circumstantiæ ostendunt, cum de fidelium, per tyrannos, afflictionibus agatur, & quidem inprimis Macchabæorum temporibus) sed gravissimæ, quæ non minus, quàm mors ipsa, fuerunt acerbæ, ac periculosæ. Cujusmodi exemplum illustre est, 2. Maccab. 7. in septem filiis fratribus, & matre eorum, ab Antiocho, ad defectionem à religione, tentatis; partim flagellationis præviæ sensu, & horrendi cruciatus secuturi, ac mortis comminatione, v. 1. 2. cum 3. & 4. ut primus fratrum tentatus dicitur: partim horrendorum illius primi suppliciorum conspectu, & comminatione parium, ut in reliquis fratribus, ac matre, v. 4 5. 6. 7. 10. & seqq. gravissima verò fuit postrema tentatio in fratre septimo, & matre illius, cùm ad defectionem stimularentur; non solùm antecedentium illorum suppliciorum (exsectionis linguæ, excoriationis & ustulationis) exemplo conspecto: & nisi deficerent, perpessionis similis expectatione: sed etiam hortatione Antiochi, & juramento firmatâ promissione divitiarum, & amicitiæ regis, ac dignitatum, si deficerent, v. 24. 25. Quales tentationes, suppliciis ipsis non sunt minores. Quemadmodum etiam persecutionum, ob religionem Christianam, tempore, & olim, & nostris temporibus, non paucos (quos nec suppliciorum, nec mortis acerbæ metus injectus, superare potuerat) accedentibus hujusmodi promissis, fuisse devictos compertum est. Quare non immerito hujusmodi tentationes, quæ mortem antecesserunt, capitalium suppliciorum catalogo, ab Apostolo interseruntur.

feruntur. Ac propterea Græca verba contextus sacri, hoc in loco corrupta non esse, in voce ἐπειράσθησαν, satis apparet: neque conjectura alia ad eam rem est opus. Nam quod Doctiss. Beza ait: *quod si quis est conjecturæ locus, legendum putarim* ἐπυρώθησαν *ustulati sunt*. Agnosco historiæ illi memoratæ ex 2. Maccab. 7. non minus, quàm vocem ἐπειράσθησαν *tentati sunt*, convenire: sed, sine necessitate, à consensu omnium codicum, & à commoda sententia, recedere omnino non licet. Eademque de causa, quod ait Doctiss. Piscator: *cum utrimque circumstent verba, certum aliquod genus mortis significantia. probabile est, hic legendum* ἐπυρώθησαν, id est, *cremati sunt*. *Quo verbo Homerum usum esse, refert Fran. Iunius.* illud, inquam, probabile non est: ob rationes antea allatas. Quibus accedit, quod vox illa, memoriæ vitio, Homero videtur attributa, cùm nec veterum, nec recentiorum præstantissima lexica, ita verbum πυρόω agnoscant, excepto Favorino Italo, qui in suo lexico, illud ex verbo πυρακτέω conjecit. Cœterùm observandum est, quod hæc vox ἐπυράκτεον sola ex illis, quas refert Favorinus, apud Homerum Odyss. 1. v. 328. extet.

Atque ita his jam explicatis, ac finitâ inductione exemplorum, ante Christi adventum fidelium, tandem comparationem eorum cum fidelibus N. Test. Christianis, instituit: nimirum quod illi, *quamvis fides eorum commendata sit divinitus, nihilominus tamen non obtinuerint promissionem*, h. e. per Meton. adjuncti pro subjecto, rem promissam, nempe κατ' ἐξοχήν, Christum exhibitum in carne, & pro nobis mortuum, & suscitatum, v. 39. contra, *Dei providentiâ gratuitâ, nos feliciores sumus*, ob Christum promissum exhibitum, ut Luc. 10. 23. 24. Cujus causâ additur: *ne absque nobis consummarentur*. Id quod intelligendum, ratione meriti Christi, non verò ratione applicationis: nam posteriore modo, Patres fideles, absque nobis, fuerunt consummati, utpote justificati, Rom. 4. vers. 3. 6. 23. 24. & vita æterna donati propter Christum venturum, & meritum solvendum, fide apprehensum: priori verò modo, nequaquam: quia redemtor nondum advenerat, ideoque promissum redemtionis pretium nondum solverat, v. 40. Atque hæc de cap. 11.

CAPUT DUODECIMUM.

HActenus de digressione Apostoli, qua fides descripta est, & exemplis fidelium V. T. illustrata: eorumque fides, cum nostra, ratione objectæ promissionis, comparata est. Unde Apostolus, stratâ jam viâ ad propositum regreditur, & hortationem ad perseverantiam in fide, & tolerantiam crucis, exemplo fidelium majorum, concludit, hoc sensu: *Cùm plurimos habeamus*, qui enumerati sunt, *testes* fidei, *qui quasi nubes quædam nos circumstant*: & laudabilibus exemplis atque imitandis nobis præeunt: Ergo debemus, omnibus impedimentis mundi, & carnis, superatis, in fidei & crucis stadio, decurrere constanter, v. 1. Quibus exemplis Patrum, alterum deinde addit argumentum gravissimum, ab exemplo Christi, fidei ducis & perfectoris: partim exemplo suo, Matth. 16. partim doctrina & Spiritu suo S. qui fide, *propositæ gloriæ sibi*, ac nobis, ad eam consequendam, *pertulit crucem*. Hic autem observandum est, quod vox Græca ἀντὶ (ut Latinis *pro*) aut significat *vice*, seu *loco*, ut Luc. 11. 11. aut *propter*, ac finem designat, ut Matt. 17. 27. *pro me & te*, id est, ut ego & tu à tributo, solutione ista liberemur. Hinc fit, ut in hac Apostoli sententia, quidã vocem (ἀντὶ) exponant *vice*: quod sc. cum liceret ipsi Christo, frui gaudio, sine cruce (ut qui eam non merebatur, utpote sanctissimus) ejus tamen loco, crucem pertulit. Verùm illud, & Dei decreto; & Christi officio; ac verbis ejusdem minimè congruit, Matth. 16. 21. Luc. 24. 26 17. Ideoque alii meliùs, (*propter*) interpretantur. Hæc autem perpessio, à consequente eventu, nimirum gloriâ sessionis ad dextram, amplificatur: in quo novum latet, ad constantiam, argumentum, ut 2. Tim. 2. 12. Hæc de v. 2. Cœterùm, ut hoc, à fidei ac tolerantiæ Christi exemplo, argumentum sit illustrius, amplificat Apostolus, comparatione personarum, & rerum perpessarum: ad quarum considerationem provocat; ut constantes sint in adversis. Si personam spectes, Christus filius Dei sanctus fuit: sin perpessiones, à peccatoribus contradictionem gravissimam pertulit, cum horrendis blasphemiis, quibus, ab hominibus sceleratis (qui κατ' ἐξοχὴν *peccatores* dicuntur) impetitus est, & ad mortem condemnatus, & postulatus, & in crucem tandem actus, & in cruce indignissimè proscissus est: ut Euangelistæ pluribus describunt. hæc de v. 3. Contrà verò, si Hebræorum consideremus personas; peccatum habere dicuntur: si perpessiones, probris quidem, & afflictionibus agitati sunt, Hebr. 10. v. 32. 33. sed non ad sanguinem restitisse; seu non, quemadmodum Christus, sanguinem fudisse ostendit. Porro, omissis argumentis ab exemplis similibus, alterius etiam generis adjungit. Ac primùm, ab effectu utili, argumentum proponit: quod videl. crucis tolerantiâ, peccatum innatum, seu carnem, oppugnent: eoque modo crux non solùm cedat ad Euangelii defensionem, contra hostes illius, & ad Dei gloriam, sed etiam ad carnem, seu vitiositatem nativam, domandam, & salutem æternam consequendam, v. 4. Alterum deinde argumentum petitum est, ab authoritate testimonii, & mandati divini, ex Prov. 3. v. 11. 12. Quo patientia afflictionum præcipitur, & confirmatur ratione, à causa afflictionem efficiente, Deo: cujus voluntati parere nos decet, vers. 5. & ab efficiendi modo, seu à causa impulsiva antecedente, nempe dilectione illius, v. 6. Tertium argumentum, ab adjuncto, desumtum est: quod afflictiones sint notæ, seu signa, filiorum Dei, v. 7. & quidem perpetuæ, v. 8. Quartum argumentum est à comparatione minoris; nempe, castigationibus Patrum nos subjicimus; Ergo multo magis Dei castigationibus: quandoquidem illi sunt per generationem corporum Patres: *Deus* verò per creationem *spirituum*, seu animarum nostrarum *Pater* appellatur. Qui locus diligenter observandus est, adversus doctrinam, de animæ ex parentibus propagatione: nam hic disertè distinguuntur Patres, à Deo, ab effectis: quod illi sint Patres carnis, id est, corporis: Deus vero spirituum, id est, animarum Pater. Nam si animæ nostræ à parentibus non minùs, quàm corpora generarentur: inepta hîc esset sententia, & oppositio: ideoque dicendi essent Patres, & carnis & spirituum. Nec dici potest, *Patres carnis*, id est, carnales; *patrem spirituum*, id est, spiritualem intelligi: quia dicendum esset *Pater Spiritus*, ex noto Hebraismo: sed dicitur *spirituum*. Qua in re Apostolus idem reponit, quod antea à Mose propositum, qui ait, Num. 27. v. 16. *Deus spirituum, Deus omnis carnis*: qui ut initio spiritum indidit corpori, Gen. 1. & 2. sic idem est, qui dat spiritum omni homini, ut Eccl. 12. 9. *redit pulvis in terram, quemadmodum fuerat; spiritus autem redit ad Deum, qui dedit eum*. Neque etiam dici potest, *Pater spirituum*, id est, Angelorum; quia hoc alienum est à scopo Apostoli, & omninò ineptum: nam Apostolus, Deum, Patrem vocat, relatè ad nos homines fideles, ut evincunt tres versus antecedentes: ac propterea locus hic clarior est, quàm ut eludi possit. Quintum porro argumentum est, ab eventu utili, nimirum vitâ æternâ, v. 9. ut etiam Matt. 10. 22. Porro quarti argumenti consequentia, comparationis amplificatione, illustratur; & nova, à fructu, ratione (quod sextum est argumentum) confirmatur: quod Patres quidem, pro suo arbitrio, quod falli potest, castigent; Deus verò ad commodum nostrum, nempe ad sanctimoniæ ipsius communicationem, v. 10. Septimum argumentum est, ab effectu, ac fructu, nempe tranquillitate, & gaudio conscientiæ. Id quod, anticipatione quadam, declaratur: quod castigatio tristitiæ videatur esse materia, ratione præsentiæ; sed ratione fructus consequentis, sit gaudium & justitia, per eam comparata, v. 11. & Rom. 5. 3. Ex quibus omnibus argumentis Apostolus conclusionem infert, ad constantiam & perseverantiam in fide, & in cruce ferenda, servatis metaphoris antecedentibus ab athletis, & cursoribus in stadio: ut 1. Cor. 9. v. 24. 25. 26. Ab athletis quidem vers. 12. cùm hortatur, ut tanquam fortes athletæ, adversus peccatum certantes, manus remissas, & genua soluta surrigant,

1.Sam.23.16. Job.4.34. A cursoribus verò, *ut rectas orbitas faciant*, rectumq; cursum teneant: quod à fructu confirmatur, nempe ædificatione proximi, v.13. Hisce subdit Apostolus hortationes alias. Primo, ad *pacem* cum omnibus colendam, pro virili, Rom.12.v.8. Verùm, quia cum impiis plerumque coli non potest, nisi vitiis ipsorum assentiamur: Idcirco altera hortatione, colendę pacis circumstantiam, & modum adjungit, *sanctimoniam*. Ad eam autem stimulat, utilitate, & necessitate, ad videndum Deum in gloria cœlesti, v.14. Tertia hortatio est, ad curam fidei, & salutis proximi: nimirum ut perspiciamus, *ne quis à Dei gratia*, oblato Euangelio, *deficiat*: ne hæresis, aut apostasia ulla, in Ecclesia, exoriatur, cum damno multorum, v.15. similes loci sunt, Act.8.33. Deut.29.18. Quarta hortatio est, ad *fugam scortationum*. Quinta ad *fugam profanitatis*, & contemtus gratiæ Dei. Cujus hortationis materia declaratur, simili exemplo; deinde forma confirmatur. Exemplum autem est Esavi, ex Genes. 25.33. cujus impietas, & pœna, (tanquam hortationis ratio) describitur. Impietas quidem, quod *jus primogenituræ, edulio vendiderit*; & ita beneficium, & benedictionem Dei contemserit, v.16. Quo etiam dicto Apostoli, vox Græca ἀντὶ βρώσεως *pro edulio*, finem notat, nempe ut edulio potiretur: & vulgatus Interpres idcirco, non malè, vertit, *propter escam*. Pœna verò est; quod *frustra postmodum benedictionem repetierit: quoniam non invenit locum pœnitentiæ, quamvis cum lachrymis illam exquisivisset*, Gen. 27.34.38. Quæ verba variè accipi possunt: nempe, aut de pœnitentia Esavi, aut Isaaci. Illius quidem, ut vox *eam* referatur ad benedictionem, & Esavi pœnitentia intelligatur: quod ipse illius pœnitentiæ suæ locum non invenerit, apud Patrem, nec apud Deum: sed spes illi recuperandæ benedictionis præcisa fuerit; etsi cum lachrymis, pœnitentię indicibus, eam benedictionem quæsierit; siquidem lacrymæ illæ, ex damni dolore, & ex indignatione in fratrem, & patrem; non autem ex seriâ conversione ad Deum, fuerunt expressæ. Secundo, exponitur, ab aliis, hic locus, de Isaaci pœnitentia; quod ille sententiam, à se latam, de benedictione, ad Jacobum translata, non mutarit, Gen. 27 v.33.37. quamvis, cum lacrymis, illam pœnitentiam, seu mutationem sententię Esavus exquisierit. Quę quidem expositio secunda, cum voce (αὐτὴν) suavius construitur; prima tamen cum phrasi, nempe *pœnitentiæ locum invenire*, magis convenit, ut sensus sit: quod ejus pœnitentia (lachrymis licet contestata) rejecta sit: ut ea phrasis extat, Ephes. 4 v.27. *ne date locum Diabolo*, id est, resistite: ut 1.Pet.5.v.9. Utraq; verisimilis est sententia, sed prior videtur præferenda. Hæc de materię hortationis declaratione. cui formę confirmatio subjicitur: demonstrat enim nos debere profanum animum & contemtum Dei fugere, argumento ducto à gratię N.T. Euangelio acceptæ, magnitudine. Quam primo describit. secundo, ex ea hortationem concludit, & exaggerat. Descriptio autē aphæresin, & thesin continet: & N.Test. gratiam, & gloriam, Veteris majestati opponit. Aphæresis, seu remotio falsi est; quod non vocati sint, ad legis promulgationem audiendam à Deo, ut populo Israëlitico olim contigit: quod describitur ex c.19. & 20.Exodi. Ac primum quidem à circumstantiis subjecti loci, nempe Montis Sinai contrectabilis, seu terreni. Deinde ab adjunctis terriculamentis. Quorum primum est incensus ignis: quo signo, legis (peccata patefacientis, damnantis, & occidentis) opus notatum videtur: alterum est, turbo, & caligo; quo V. Test. obscuritas videtur significata. Præterea adjuncta describuntur, procellæ, & sonitus tubæ, & voces verborum Dei, terribiles. Quæ simul, cum igne, turbine, & caligine, ad metum incutiendum, & ad attentionem majorem, pertinebant. Cui consentit descriptionis altera pars, ab harum rerum effecto, nimirum terrore, primùm populi, v.19. & causa illius subjecta, comminatione, v.20. Deinde Mosis terrorem ostendit; qui pavorem suum initio confessus est, disertis verbis. Nam quod Moses, tubæ sonitu invalescente, locutus fuisse dicitur, Ex.19.v.19. illud post accidisse, ex hujus loci comparatione, apparet, expressis verbis, ex traditione, vulgò notâ, acceptis; & revelatione Dei confirmatis, v.21. Quemadmodum similia, licet à Mose non expressa, proponuntur. 2.Tim 3.8.Heb.9.4. ut ostendimus ibi. Atq; hæc de aphæresi, seu prima oppositionis parte. Sequitur altera, nempe thesis, seu veri positio: quâ ostendit Apostolus, Hebræos fideles vocatos esse, per N.T. ad gloriosam, & lętam communicationem Ecclesiæ, & Dei, ac Christi. Ecclesiam autem describit, 1. illustribus nominibus: deinde partitione nervosâ. Nomina autem sunt petita, ex usu Scripturæ, à typis, quibus Ecclesia, eleganti similitudine, olim fuit adũbrata. Sunt autem tria: primum est *Sion mons*: nam ut ille mons erat sedes arcis, ac regis Davidis, & regum Israëlis: sic Ecclesia est Christi, regis Israëlis spiritualis sedes, quam sibi elegit, & quam præsentia sua, per verbum & spiritum, gubernando in ea regnat: quemadmodum dicitur, Ps. 2.6. *Ego unxi regem meum* id est, Christum) *super Sionem, montem sanctitatis meæ*, id est, Ecclesiam; ut Esai.52.7. *quam pulchri sunt pedes*, &c. sicut Apostolus explicat, Rom.10.15. Rom. 9.33. 1.Pet.2.6. Hæc de primo nomine, quo Ecclesia, non sine pondere, insignitur. Reliqua verò duo, idem, inter se, notant, nempe *civitas Dei vivi*, & *Ierusalem cœlestis*: quod enim prius proponit, hoc distinctiùs exponit posterius. Nam civitas Dei vivi vocatur, similitudine ab urbe *Hierusalem* deducta: quę *civitas Dei nostri*, Ps.48.2. & *civitas regis magni*, v.3. & à Christo, Matt.5.v.35. nominatur. Ut enim ea erat structa in loco edito, ac munito, ex plurimarũ ædium congregatione constans: quam Deus, ad templum, & cultum suum, & gratuitam præsentiam, secreverat: unde *civitas sancta* dicitur, Matt.4.5. Sic Ecclesia, Christo superstructa, est tanquam Petra, Matth. 16. & ex fidelium, qui domus Dei sunt, Heb.3.6. congregatione, constructa: in qua Deus, gratia sua, habitat, & colitur. Cùm vero civitas Dei, & Jerusalem, vel propriè sic dicatur; vel impropriè per allegoriam: idcirco distinctè Apostolus exponit, cùm ait: *supercœlestis*: quemadmodum etiam, Gal.4. v.25.26. distinxit. Hęc de nominibus Ecclesiæ: quibus illius partitio adjungitur, nimirum in Angelos, v.22. & homines electos, Luc.10. v.20. & Phil.4.3. & spiritus, seu animas sanctorum in cœlis.

Cui communioni cum Ecclesia, additur communio Dei, quæ indicatur, cùm *ad judicem universorum* (à quo, in lege ferendâ, populus fuit prohibitus, supra vers. 20.) *accessisse* dicuntur, nempe, sine terrore, per fidem, ut Rom.5.v.1.2. Eph.3.v.12. Hæc de vers. 23. Denique Christi communio indicatur expressiùs, quod ad *N. Testam. mediatorem*, accesserint, *Iesum*; & quod *illius*, tanquam agni paschalis, *sanguine*, & satisfactione, per fidem, & spiritum, *aspersi*, ab excidio tuti sint. Id quod comparatione minoris elegantissimâ illustrat, quæ in Christi, & Abelis sanguine, diverso modo, consistit: uterque enim sanguis, per Metaph. quandam, certi quid, dicitur postulasse, ut causa impulsiva; sed magno discrimine: sanguis enim Abelis pœnam peccati Caini exegit, quod severæ justitiæ est: Christi verò sanguis peccatorum nostrorum remissionem postulavit, quod justitiæ est ob satisfactionem, pro nobis plenissimè præstitam; & immensæ erga nos hostes, Rom. 5. v. 8. Eph. 5. v. 2. misericordiæ, v. 24.

Cui illustri oppositioni additur conclusio dehortationis, à profano Euangelii Christi contemtu. Eam autem hortationem exaggerat Apostolus, superioris oppositionis applicatione, per comparationem minoris: *si non licuit Mosen, in terris loquentem, impune contemnere: multò minùs Christum, Dei filium, qui è cœlo nos alloquitur, per Apostolos, & Spiritum*, v. 25. Quæ consequentia confirmatur, descriptione omnipotentię Christi servatoris, ac judicis, ex effectis duobus. Primum est, *quod ejus vox tum* (id est, cum lex ferretur) *terram concusserit*; ac promiserit per Aggæum Prophetam cap. 2. v.7. *fore ut non solum terram, sed etiam cœlum semel concutiat*. Quæ verba diversè accipiuntur, ab interpretibus. Quidam enim impropriè, per allegoriam, de statu regni gratię, per primum Christi adventum: quod nimirum voce Euangelii prædicati, terram (id est, homines, terræ incolas) commoturus esset, Actor.2.v.7. & cœlum, id est, Angelos cœlestes, Eph.3.v.10. & 1.Petr.1. v.12. Alii verò propriè gloriæ regnum describi existimant, futurum ultimo die, per secundum Christi adventum,

quo

quo cœlum, & terra concutientur, & mutabuntur: de qua re Matth. 24. 24. 2. Pet. 3. 10 12. 14. Apoc. 6. 12. 13. 14. Quæ sententia etiam non incommoda. Neque obstat valde, quod Aggæus subjicit, promissionem, quæ ad primum Christi adventum, pertinet: quia Prophetæ ordinem temporum, in suis promissionibus, quibus aliquid confirmatur, non semper observant; sed interdum ὑστερολογίᾳ quadam (seu ordinis rerum inversione) utuntur; ut ad rem propositam commodius transeant. Scopus autem Aggæi proximus est, consolari, & hortari structores templi secundi, ad fiduciam in Deum, & operis diligentiam, vers. 4 Ratio est ab omnipotentiæ Dei effectu, concussione cœli, & terræ, ultimo die: deinde à concussione omnium gentium per Euangelii prædicationem, qua venient ad templum secundum, id est, Ecclesiam Christianam, eo adumbratam, Esai. 2. v. 2. 3. & initio etiam ibidem congregatam, Actor. 2. v. 5. & 46. & concussam animo, Act. 2. v. 12. Atque ita Propheta transit opportunè, ad scopum principalem confirmandum: qui est, corrigere errorem Judęorum, qui ex specie utriusque templi externâ, secundi gloriam seu præstantiam, non esse conferendam, cum prioris excellentiâ, opinabantur. Cujus contrarium demonstrat, à vocatione omnium gentium. Quæ ut ad timorem constructionis templi tollendum proximè pertinet; sic etiam ad templi excellentiam spectat. Ideoque asserit vers. 9. *majorem secundi templi gloriam.* Utraque autem interpretatio, fidei analoga est; sed posterior magis consentanea huic loco: quemadmodum hanc promissionem exponit Apostolus, & ostendit sic mundum mutabilem concutiendum; ut succedat mutatus, & inconcussus & immutabilis. Unde concludit hortationem, ut futurum regnum inconcussum amplectamur fide, & gratiam seu favorem Dei retineamus: *per quam* (ut Heb. 13. v. 21.) *Deo gratè serviamus, cum reverentia, &, offensionis atque iræ Dei timore*, Philipp. 2. v. 12. Idque confirmat à causa timoris omnipotentis Dei, in contemtores severitate; *quia Deus noster est ignis consumens.* Qualis metaphora etiam Deuter. 4. v. 24. apparet. Ex hisce igitur constat, locum, qui ex Aggæo citatur, intelligendum de Regno, non gratię, sed gloriæ: nam regnum gratiæ, licet non pereat, variis tamen modis agitatur ab adversariis: regnum verò glorię inconcussum, ac constans manet. Atque hæc de cap. 12.

Caput Decimumtertium.

Superiori capite, ad fidem & pietatem, potissimum, hortatus est Apostolus: quibus alias admonitiones hîc subjicit. Quæ, partim ad secundam; partim etiam ad primam legis tabulam, pertinent. Prima enim est, ad charitatem fraternam, generalis. Fratres autem vocat fideles, per Metaphor. à fratribus naturalibus petitam: quod videlicet Ephes. 4. v. 6. unum inter se habeant Deum Patrem: & Gal 4. v. 26. unam matrem Ecclesiam, vers. 1. Proximæ duæ, ad charitatem pertinentes, sunt speciales: cùm ad hospitalitatem, vers. 2. quam, ab eventu utili, hospitum præstantiâ, confirmat, exemplis Abrahami, Genes. 18. & Lothi, Genes. 19. tum ad συμπάθειαν erga vinctos, & afflictos. Quæ hortationes, ad sextum Decalogi præceptum, pertinent, vers. 3. Tertia hortatio, ex septimo præcepto petita, obliquè proponitur, per commendationem ordinis conjugalis, ac castitatis; & per comminationem, qua exitium à Deo scortatoribus, & adulteris denuntiatur. vers. 4. Quarta hortatio est ad fugam avaritiæ, & ad animum suâ sorte contentum. Quam confirmat, primo, divini auxilii promissione ex Josu. 1. vers. 1. quæ licet speciatim Josuæ fuerit facta, usus tamen communis est: quia ratio, & causa illius communis est omnibus piis, quorum similiter, ut Josuæ, Deus est, vers. 5. secundò exemplo Davidis, vers. 6. petito ex Psal. 118. v. 6. Quinta hortatio, ex primo præcepto est, ad perseverantiam in vera fide, ad finem vitæ, exemplo pastorum fidelium, vers. 7. Quæ confirmatur à Christi (qui fidei nostræ objectum) stabilitate: quod *idem est heri, hodie, & in secula*, hoc est, semper. Quomodo autem idem maneat, variè exponunt: nonnulli enim ratione conservationis intelligunt, quod suis servis exitum salutarem tribuat semper: alii ratione adjunctæ doctrinę salutaris, & fidei, nempe Christum unicum esse, constans, ac perpetuum verę doctrinę salutaris fundamentum, in quo acquiescere nos deceat. Id quod antecedentium, & sequentium circumstantiis aptiùs convenire apparet. Atque hæc hortatio amplificatur, contrariâ dehortatione à doctrina falsa: quam exemplo declarat superstitionis Judaicæ; qua pręceptum, de discrimine ciborum mundorum, & immundorum, post Christum exhibitum, contentiosè urgebant: quasi illius etiam observatio, ad salutem esset necessaria. Cujus effectum declarat, negatione utilitatis spiritualis illius: quam, oppositione fructus gratię, amplificat vers. 9. Deinde explicatione damni, quod à Christi communione excludat; idque per analogiam typi Vet. Test. appositè demonstrat. Quod quemadmodum iis, qui olim in Vet. Testam. serviebant tabernaculo, in solenni anniversario expiationis sacrificio, Num. 19. v. 5. de hostia comedere non licebat: ita nec in Nov. Testam. de Christo, utpote hostia nostra expiatoria cæsa, non comedunt, qui cultui ceremoniali, Christo exhibito, serviunt. Qualis etiam sententia extat, Galat. 5. v. 2. Idque probat Apostolus, eleganti, & continuata typi applicatione, & explicatione: nam *si quorum animalium sanguis inferebatur, pro peccato, quotannis, expiationum die, in sacrarium per Pontificem, eorum corpora exurebantur extra castra*, Levit. 17. v. 27. Ergo non comedebantur à Levitis, & sacerdotibus, qui in Vet. Tabernaculo deserviebant. Ex quibus, tanquam typo, sequitur, nec in Nov. Test. Christi, hostiæ expiatoriæ, corpus comedi ab iis, qui tabernaculo, id est, cultui, & ceremoniis legis, tanquam post Christum necessariis, serviunt vers. 11. ratio consequentię est ab analogia typi, & rei significatæ, quod quemadmodum servientes tabernaculo in Vet. Testam. eos, qui serviebant in Nov. adumbrarunt: ita hostia expiatoria, extra castra exusta, Levit. 17. v. 27. & Numer. 19. v. 5. Jesum, sanguine suo nos redimentem, extraque civitatis portam passum, denotat vers. 12. Unde digreditur jam Apostolus ad hortationem: qua, ad crucem Christi, exemplo illius ferendam, excitat vers. 13. de qua re cap. 11. vers. 26. & 2. Corinth. 1. v. 5. & Coloss. 1. 24. Idque confirmat à conditione nostra, quod simus peregrini, in mundo (ut Hebr. 11. vers. 13. & 2. Corinth. 5. v. 6.) cives verò cœli, Philipp. 3. v. 20. Deinde ut Christus non solùm crucem tulit, sed etiam sacrificium obtulit: ita porrò hortatur nos Apostolus ad sacrificia (quæ Vet. Testam. sacrificiis opponit) non expiatoria, & meriti, quale Christi solius est; sed eucharistica, & gratitudinis cùm gratiarum actionis, ut Psal. 50. 14. & 23. 1. Petr. 2. 5. quæ per Christum mediatorem & Pontificem oblata sanctificantur, vers. 15. tum etiam beneficentiæ: quæ victimæ, ab adjuncta Dei probatione confirmantur, & legalibus sacrificiis abolitis, quæ superstitiosè ab aliis commendabantur, præfert, v. 16.

Porrò, ut vers. 7. ad fidei pastorum fidelium imitationem provocavit: ita hoc loco, ad obedientiam iis præstandam, extimulat, argumento desumto, à curæ eorum præstantia, ac difficultate; & ab obedientiæ fine utili; & contrariæ inobedientiæ noxio, vers. 17. Deinde commendat se Hebræorum precibus: addita ratione à fidelitate sua, vers. 18. & illustratione materiæ precum, ut orent, pro restitutione, & liberatione Pauli, ex vinculis, quibus Romæ detinebatur, Hebr. 10. 34 Hæc de v. 19. & tractatione Epistolæ.

Sequitur jam *conclusio:* quæ opportunissimè, primum votum Pauli, pro Hebræis, continet: quo declaratur, à quo, & quid voveat, seu petat. Is autem à quo vovet, est Deus Pater: quem describit, ut eo modo causas voti ostendat: primùm, cum Deum pacis vocat, id est, pacis authorem; qui & nos inter nos, & sibi, per Christum conciliat. Id quod probat ab effectu suscitationis Christi, ut Roman. 4. vers. 25. Et Christum describit, ab officio triplici, prophetico, cùm *pastorem magnum* vocat, 1. Petr. 5. sacerdotali,

 cum

cum *sanguinis fœderis æterni* meminit, regio denique, cum *Dominum nostrum* vocat. Atque ita elegantissima *ἀνακεφαλαιώσει* summam eorum, quæ initio hujus Epistolæ proposuit, & postea fusè exposuit, complectitur vers. 20. Hæc de objecto voti, à quo vovit. Sequitur subjecta materia, quam vovet: quæ indicatur generatim, nempe ut *perficiat eos omni opere bono*, ut Philipp. 1. v. 6. 1. Thessal. 5. v. 23. Quod opus bonum illustratur à forma sua, nempe consensione cum Dei voluntate, seu mandato; & ab adjuncta Dei probatione; & causa efficiente Christo, quia non solùm cum Patre, & Spiritu suo, bonorum operum est author; sed etiam (quod hîc spectatur) maculas, (quas nos, per carnem nostram spiritui repugnantem, operi origine bono, aspergimus) satisfactione sua diluit. Quo etiam pertinet versus 15. antecedens, & 1. Petr. 2. v. 5. Cui voto additur celebratio Dei consueta: & attexitur excusatio brevitatis; quod, pro materiæ præstantia, fusiùs hæc potuissent tractari. Reliqua, ad conclusionem Epistolę pertinentia, familiaria, ac trita sunt satis: ac propterea finem hîc faciemus.

APPENDIX
DE FIDEI, PER QUAM JUSTIFICAMUR, NATURA.

Quoniam Apostolus copiosè, Hebr. 10. & 11. inprimis, de fide disseruit, non alienum fore existimamus, si ea occasione, duas de fidei natura quæstiones, ad hujus operis finem dilatas, breviter expendamus: ut eo accuratiùs veritas hujus doctrinæ intelligatur; & eo feliciùs Pontificiorum erroribus ac strophis occurrere, eosque diluere valeamus.

PRIMA QUÆSTIO.

An fides, per quam justificamur, sit eadem actio, cum fide, qua credimus nobis per Christum remissa esse peccata?

De qua diversa sunt doctiorum, qui contra Pontificios, justificationem merè gratuitam rectè agnoscunt, sententiæ. Quarum una affirmat: altera verò negat, & tanquam diversos habitualis fidei actus distinguit. Quam posteriorem non immeritò priori præferendam idcirco arbitramur: quod firmioribus longè nitatur argumentis. Quorum quædam in medium proferre, ac declarare conabimur.

Prima autem demonstratio hæc est: Fides remissionis peccatorum acceptæ non est antecedens conditio necessaria ad remissionem peccatorum accipiendam. Atqui fides per quam justificamur est antecedens, &c. Ergo fides per quam justificamur, non est fides remissionis peccatorum acceptæ. Propositio per se clara est: nititur enim hoc principio universali quod duo contradictoria eidem subjecto simul verè tribui non possint: contradictoria autem sunt, idem simul esse & conditionem remissionis peccatorum accipiendæ; & ejusdem acceptæ assensum: quod enim accipiendum est, id nondum est præteritum, sed futurum; quod verò acceptum est, illud non est futurum, sed præteritum. Assumtio etiam perspicua est per se, ex communi ac notâ, fidei, per quam justificamur, descriptione, variis Sacrarum Literarum testimoniis. Qualia hæc sunt: quæ primùm fidem eam ostendunt esse antecedentem conditionem ad remissionem peccatorum accipiendam, ut Actor. 10. v. 43. *huic omnes Prophetæ testimonium dant*, &c. & 26. 18. Rom. 10. v. 10. Philip. 3. vers. 9. Galat. 2. vers. 16. *Nos etiam in Christum credidimus, ut justificaremur.* in quo loco notandus est fidei scopus, & fructus ordine executionis fidem consequens. Ideoque ex hisce perspicuè liquet, fidem, per quam justificamur esse antecedentem justificationis *conditionem*. Deinde *necessariam* esse, ex iisdem colligitur: quia modus, ac via remissionis peccatorum accipiendæ ita definitur; idemque expressè scriptura testatur, ut Joan. 3. v. 36. *qui credit in filium*, &c. & 8. 9. Hebr. 11. vers. 5. Ideoque & propos. & assumpt. vera est, unde conclusionis veritas necessariò consequitur: atque ita perstat demonstratio prima.

Secunda verò hæc est: Id quod consequitur & oritur ex antecedente cognitione, & testimonio conscientiæ, quod viva fide, per quam justificamur, simus præditi, illud non est fides viva, per quam justificamur. At fides, qua credimus remissa nobis esse peccata, consequitur, & oritur ex. &c. Ergo ea non est viva fides, per quam justificamur: sed actus ab eo diversus. Propositio est firma, ex certo, ac concesso rectæ rationis, de oppositis, principio, quod ea idem esse nequeant: opposita autem perspicua sunt, idem sui ipsius esse antecedens simul & consequens: idemque ortum esse ex origine, & sui ipsius esse originem. Assumtio etiam verissima est: quia fides, qua credimus nobis remissa esse peccata, non oritur ex cognitione Euangelii, nisi accedat hujus fidei in nobis eognitio, ac conscientia: Euangelium enim generatim fidem vivam describit, & omnibus ea præditis remissionem peccatorum promittit: non autem sigillatim testatur, *me, te*, hac fide præditos; nec *mihi, tibi*, remissa peccata. Ideoque aliud præterea adesse oportet: hoc autem est ipsius credentis conscientia; per quam, ut Euangelii descriptione novit, quęnam sit viva fides, & per eam remitti peccata; sic etiam eandem, cum Euangelii descriptione convenientem, sibi inesse videt: adeo ut divina Euangelii authoritate, & experientia certa, non autem opinione nitatur: adeò ut qui viva fide credunt, sciant etiam se ita credere. Quo spectat illud Apostoli, 2. Cor. 13. v. 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide*, &c. & 1. Cor. 2. v. 12. *nos verò non spiritum mundi accepimus; sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ Deus nobis gratificatus est.* Quare, ex illa Euangelii promissione; & conscientiæ, Euangelio, & experientiâ nixę, assumtione, conclusio necessariò sequitur: ergo ego accepi remissionem peccatorum: unde 1. Johan. 4. v. 14. dicitur: *per hoc cognoscimus nos in eo habitare, quod de Spiritu suo dedit nobis:* intelligit autem spiritum regenerationis, seu fidei & charitatis. & cap. 5. v. 10. *qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* & vers. 11. *hoc autem est testimonium*, &c. denique Rom. 8. 16. *Ipse autem Spiritus testatur spiritui nostro*, &c. Et quemadmodum Paulus, de sua, & aliorum verè fidelium fide, ait: Galat. 2. v. 16. *nos etiam in Iesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi*: sic deinde, ex hujus fidei suę, & acceptæ per eam justificationis, conscientia, utrumque hoc profitetur, vers. 20. *Vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Talem etiam remissionis peccatorum acceptæ fidem, per practicum hujusmodi Syllogismum, ex universali Euangelii, & particulari conscientiæ testimonio conclusum jam olim rectè descripsit August. tom. 9. tract. 22. in Ioan. his verbis: *Salvator loquitur, veritas pollicetur, ipse dixit mihi: qui audit verba mea, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam; & transitum facit de morte ad vitam; & in judicium non venit.* (Hæc Syllogismi August. propositio est. Assumtio subjicitur.) *Ego audivi verba Domini mei; credidi jam; infidelis cum essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit* (conclusio sequitur) *Ergo transii à morte ad vitam; ad judicium non venio, non præsumtione meâ, sed ipsius promissione.* Hact. August. Et quemadmodum Assumtio in syllogismo, ante à nobis proposito, ex conscientia certa constat, sic & hoc in loco: quemadmodum alibi Augustinus disertè se exponit. Nam tom. 3. lib. 13. de Trinitate cap. 1. ait: *Fidem porrò ipsam, quam videt quisque in corde suo, si credit.* Et paulò post; *ex motibus corporalibus, hominem sicut videndo didicimus, intuemur etiam* cogi-

cogitando. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cujus est: sed eam tenet, certissima scientia, clamatque conscientia. cùm itaque ea credere jubeamur, quia id, quod credere jubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem, quæ inest in nobis, videmus in nobis. Et cap. 2. *Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt; in altero autem credit esse eam, non videt, & tantò firmius credit, quantò fructus ejus magis novit, quos operari solet fides, per dilectionem.* Sic etiam paulò post subjicit Augustinus: *Sed aliud sunt ea, quæ creduntur; aliud fides, per quam creduntur. Illa quippe in rebus sunt, quæ vel esse, vel fuisse, vel futura esse dicuntur: Hæc autem in animo credentis est, ei tantùm conspicua, cujus est: quamvis sit in aliis non ipsa, sed similis. Non enim numero sunt una; propter similitudinem tamen, & nullam diversitatem, magis unum esse dicimus, quàm multas.*

Atque hæ sunt duæ demonstrationes à nobis propositæ: quibus probatur, fidem, per quam justificamur, hoc est, quæ, ad justificationem accipiendam, Euangelio mandatur, non esse fidem, qua nos justificatos, seu remissionem peccatorum accepisse, credimus: sed actus esse duos diversos. Quod non solùm Theologi Ecclesiæ reformatæ nonnulli insignes fatentur: sed etiam Lutheranus Theolog. Witteberg. Balthasar. Meisnerus, in 2. Philos. Sobriæ parte (cui Matthæus Hoë elogium præmisit) sect. 2. cap. 1. quæst. 7. idem tradit: qui, cùm multa lubricè ea de re agitasset, tandem vi veritatis adactus, propositam à nobis sententiam comprobavit. Verba enim illius hæc sunt: *quare distinguimus, inter fidem, per quam justificamur; & fidem, qua justificationem, seu remissionem peccatorum credimus. Fidei, per quam justificamur, objectum non est ipsa justificatio, ideoque hæc non præcedit, sed meritum Christi, quod utique τῇ φύσει prius est. Fidei verò, qua credimus justificationem, seu ἄφεσιν, objectum est ipsa justificatio, quam fidem præcedere concedimus: sed eam intelligimus fidem, qua nos justos esse credimus: non per quam primùm justificamur. Est enim hæc fides quasi reflexa, qua credimus nos credidisse: ideoque, hujus fidei reflexæ respectu, δικαίωσιν esse priorem, non inficiamur. Nam velut in intellectione recta, objectum intelligibile præcedit ipsam intellectionem: cùm vero reflectitur intellectus, ibi ipsa intellectio fit objectum intelligendi, dum intelligo me rem intelligere. Ita quando fides justificat, tum objectum ejus nullum est aliud, quàm Christi justitia, quæ prior nostrâ fide, & propter quam apprehensam nos justificamur. Cùm autem fides hanc ipsam justificationem apprehendit, adeoque quasi regreditur; & homo credit se credere; hacque fide justificatum esse: tum utique ipsa justificatio, vel remissio, fit objectum fidei: & hoc respectu præcedere rectè dicitur.* Et paulò post subjicit Meisnerus, *cum ait* (scilicet Bellarm. de Justif. cap. 10. ratione secundâ, contra quem agit) *fides justificans præcedere debet justificationem: concedi hoc forte poterit: primus enim actus est meriti Christi apprehensio, quam ordine (dico ordine, non tempore, cùm isto respectu omnia sint simul) sequitur imputatio, & remissio. Cùm vero ait: fides, qua credimus peccata remissa, sequitur justificationem: & hoc largimur, nisi enim peccata remissa sint, credere haud possumus remissa esse. Quo pacto concedi posset totum argumentum: nempe fidem justificantem, qua credimus in Christum, non esse fidem, qua credimus factam remissionem peccatorum. Ut igitur concludam: ἄφεσις ἁμαρτιῶν dupliciter consideratur: ut fit, & ut facta est. Respectu primo, simul est cum fide justificante, quia sunt relata: respectu verò secundo, sequitur fidem justificantem; sed præcedit fidem eam, qua credimus illam factam esse.* Hactenus Meisnerus. In cujus conclusione prius membrum alienum est: nam fides, quæ ad justificationem accipiendam Euangelio requiritur, de qua hîc quæstio est, ut non habet relationem ad remissionem peccatorum factam, ac præteritam, quemadmodum rectè fatetur: sic etiam neque ad præsentem, seu quæ fit, ut perperam statuit: sed ad promissam, ac fidei conditione prævia accipiendam, ut Actor. 10. v. 43. & 26. 18. Galat. 2. v. 16. credimus, ut justificemur. Licet enim simul ac quis fide viva præditus est, confestim justificatio secundum promissionem accipiatur, ea tamen non accipitur nisi fides illa ordine prius existat. Atque hæc de prima quæstione. Sequitur

SECUNDA QUÆSTIO.

An fides, per quam justificamur, (hoc est, quæ Euangelio ad remissionem peccatorum accipiendam imperatur) propriè sit fiducia remissionis peccatorum acceptæ?

QUidam affirmant: alii verò negant. Quorum sententiam, ut gravibus rationibus suffultam, non immeritò comprobandam existimamus.

Demonstratio enim prima hæc est: Fiducia remissionis peccatorum acceptæ, consequitur, atque oritur ex fide remissionis peccatorum acceptæ. Atqui fides, per quam justificamur, non consequitur, nec oritur ex fide remissionis peccatorum acceptæ, sed eam antecedit. Ergo fides, per quam justificamur, non est fiducia remissionis peccatorum acceptæ. Propositio firma est, quia omnis rei acceptę fiducia, rectâ ratione concepta, necessariò fidem illius rei præsupponit; quę si absit, stulta omninò est fiducia: quis enim fiduciam ponat, in ea re accepta, quam non acceptam credit? Assumtio autem, in prima quæstione tractanda, demonstrata est; eandemque ampliùs confirmat Christi oratio, Matth. 9. v. 2. qui visâ fide paralytici, eum porrò hortatur ad fiduciam; argumento, à peccatorum remissione facta: *confide*, inquit, *fili, remissa sunt tibi peccata.* & ibidem similiter vers. 22. *Confide filia, fides tua te servavit.* Quamobrem, ex verâ propositione, & assumtione, necessariò conclusio sequitur.

Altera demonstratio hæc est: Quod aliud genus habet, quàm fiducia; illud propriè non est idem. Atqui fides aliud genus habet, quàm fiducia. Ergo fides propriè non est idem. Propositio, rectæ rationis principio certo, ac confesso, innititur: nimirum, quod, quæ inter se genere differunt, non sint eadem: nam differre, quod est, non idem esse, sed aliud; & idem esse, quod est non differre, sunt contradictoria: quæ simul consistere nequeunt. Assumtio autem confessa est satis: quia ut omnis fidei genus est notitia, seu assensus; fiduciæ verò securitas adversus pericula; sic etiam specialis fidei in Christum, per quam justificamur, genus, (citra controversiam, ac communi consensu) est notitia veritatis verbi Dei, seu illius firmus assensus; fiduciæ verò remissionis peccatorum acceptæ genus est, adversus omnia mala securitas, & quidem talis, qua ex remissionis peccatorum acceptæ, & pacis cum Deo, notitiâ, in Dei ope intrepidè acquiescimus. Quemadmodum ea fiducia, ex causis, & effectis suis, egregiè describitur, Rom. 5. 1. 2. 3. & c. 8. v. 31. ad finem capitis.

Tertia porrò demonstratio est hæc: Cujus subjectum est intellectus, non autem sola voluntas; illud propriè non est fiducia. Atqui fidei subjectum est intellectus, non autem sola voluntas. Ergo fides non est propriè fiducia. Propositio vera est; quia omnium consensu fiducia non est in intellectu, sed in sola voluntate; quia per se motus, atque affectus cordis, ac voluntatis est, atque ita ab omnibus definitur. Contradictoria autem sunt manifesta, idem esse in intellectu, non autem in sola voluntate: & simul non esse in intellectu, sed in sola voluntate. Assumtio etiam est vera, citra ullam controversiam. Nam licet quæstio sit, an fides sit partim in intellectu; partim in voluntate: illud tamen, omnium consensu, ex Scriptura, & generali fidei significatione, notum est: fidem esse in intellectu, non autem in sola voluntate. Quare conclusio, necessariò, ex verâ propositione, & assumtione sequitur: *fidem non esse fiduciam.*

Quarta demonstratio, qua prima, & secunda controversia, argumento eodem, rectè definitur, hæc est: Fides, quam Euangelium, ad accipiendam justificationem, mandat, est commune, ac debitum omnium hominum, tam reproborum, quàm electorum officium. Atqui nec fides remissionis peccatorum acceptę, nec fiducia illius, est commune, ac, &c. Ergo nec fides remissionis peccatorum acceptæ, nec fiducia illius, est fides quam Euangelium, &c.

Propositio firma est: quia quod Euangelium, citra discrimen reproborum, & electorum, omnibus hominibus mandat,

mandat, illud est commune, ac debitum eorum officium: est enim Euangelium, Dei verbum, cui mandanti obedientia debetur. Fides autem ad justificationem accipiendam est hoc, quod Euangelium omnibus hominibus citra discrimen, reproborum, & electorum, mandat: ut videre est, Marc. 16. 15. & Ioan. 1. 7. Et Christus, Euangelii prædicatione, fidem non solum auditoribus electis, sed etiam reprobis mandavit, ut Capernaitis, Ioan. 6. 27. 29. quorum tamen multos incredulos, ac reprobos esse norat; atque eo nomine increpavit, vers. 64. 65. & Judæ, proditori suo, non minus, quàm aliis Apostolis Euangelium prædicarat, quem tamen reprobum norat, ac declaravit, ibid. vers. 70. 71. Similiter Judæos illos, quos reprobos esse sciebat atque exprobrabat, Ioan. 12. compellans, fidem præcipit, vers. 36. Adeo ut appareat, unam, eandemque fidem, citra discrimen, reprobis & electis mandari. Quare propositionis veritas perspicua est: quam etiam deinde probat inobedientiæ reproborum erga Euangelium, seu quod ei non credant, justa, ac divina, & accusatio, & condemnationis pœna, *Accusatio* quidem, Ioan 5. 38. & 8. 46. 47. *pœna* vero *condemnationis*, Ioan. 3. 19 & 8 24. & 2. Thess. 1. 8. Ubicunque autem inobedientia justo judicio accusatur, & damnatur: ibi contraria obedientia debitum esse officium liquet: ideoque propositio firma manet. Assumtionis autem veritas similiter ex eo constat: quod fides, & fiducia rei falsæ, non est debitum officium. Atqui fides remissionis peccatorum à reprobis acceptæ, & fiducia illius, est fides & fiducia rei falsæ. Ergo ea non est debitum reproborum officium. Hujus prosyllogismi major clara est. Nemo enim obligatur à Deo, aut ullo jure tenetur, ut credat mendacio; sed contrarium officium est, ut non mendacio, sed veritati credat. Minor quoq: vera est: falsum enim omninò est ullos reprobos accipere remissionem peccatorum; quia nullus reproborum credit, aut credere potest, ea fide, quæ ad remissionem peccatorum Euangelio mandatur; ea enim *electorum fides* dicitur, Tit. 1. 1. & à Christo iis attribuitur, Ioan. 6. 37. reprobis verò, ab eodem, contrà negatur, ibid. v. 43. 44. 65. & 10. 26. Quamobrem cum demonstrationis quartæ, & propositio, & assumtio sit vera; conclusionis veritas inde necessariò constat: nec fidem remissionis peccatorum acceptæ, nec fiduciam illius, esse fidem, quam Euangelium ad justificationem accipiendam mandat.

Idemque de fiduciâ, à magnis Theologis, qui tamen fidem, per quam justificamur, fiduciam esse tradunt, in definitione fidei & fiduciæ, non obscurè significatur. Cujus rei exemplum illustre, in egregio illo, quod omnium penè manibus teritur, explicationum Catecheticarum D. Zachariæ Ursini, edito opere, post locum communem de fide expositum, in thesibus de ea subnexis: thesi enim sexta, fides ita definitur: *Fides justificans est notitia quâ quis firmiter assentitur omnibus in verbo Dei sibi patefactis, & statuit promissionem gratiæ Dei, propter Christum, ad se pertinere: & fiducia hujus favoris Dei erga se, omnem tristitiam & metum superat.* ubi duas manifestè, ut & alii solent, fidei justificantis partes ponit. 1. notitiam verbi Dei, ad quam refert peculiariter, statuere promissionem gratiæ ad se pertinere: ac distinctè alteram subjicit, nimirum fiduciam favoris illius, hoc est gratiæ. Idemque ex hypothesi, seu sententia proximè sequentis thesis septimæ confirmatur: qua fiduciam illam, hoc modo, describit: *Est enim fiducia fidei justificantis motus voluntatis, & cordis, compositus ex lætitiâ, propter certitudinem præsentis gratiæ Dei erga nos; & spe futuræ liberationis ab omnibus malis.* Atqui, inquam, fides, per quam justificamur, non est composita ex lætitia præsentis gratię Dei erga nos; & spe futuræ liberationis ab omnibus malis. Ergo fides, per quam justificamur, non est fiducia illa. Assumtio patet: quia illa duo, lætitia & spes, sunt effecta fidei justificantis: quemadmodum in anteced. loco communi de fide, sect. 6 de priori testatur: *Effectus fidei justificantis sunt, 1. justificatio coram Deo: 2. lætitia acquiescens in Deo; & pax conscientiæ*, Rom. 5. v. 1. Id quod etiam, in hac descriptione fiduciæ propositâ, indicatur, cùm ait: lætitiam esse propter certitudinem præsentis gratiæ Dei erga nos: certitudinem autem intelligit creditam: nam propter non creditam, lætitia recta esse non potest: Ideoque cum fides gratiæ seu justificationis, & pacis cum Deo, antecedat lætitiam illam, tanquam causa illius, fiducia autem sit illa (ut ait) lætitia, sequitur: fidem gratiæ Dei erga nos præsentis, non esse fiduciam. Deinde spem effectum esse fidei, per quam justificamur, certum est, ex sententia Apostoli, Rom. 5. v. 2. Spes enim liberationis ab omnibus malis, citra controversiam, oritur primùm ex fide liberationis, à Deo promissæ: qui enim non credit liberationem certam, illius spem habere non potest; *spes autem non pudefacit, quia charitas Dei* (scilicet erga nos) *effusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum nobis datum*, Rom. 5. 5. Cœterum illud obiter observandum est: fiduciam ex lætitiâ illâ, & spe compositam, dici quidem; sed non probari. Deinde fidem, per quam justificamur, non esse propriè fiduciam remissionis peccatorum à nobis acceptæ, communis eorum, qui contrà sentiunt, expositio evincit, cum fiduciam illam, fidei formam esse, asserunt. Atqui nihil est simul & forma rei & res per formam illam constituta: forma enim rei, illius causa est interna, ac pars primaria, rem constituens; res verò illa est totum quid, & effectum per formam illam formatum. Ideoque si fidei, per quam justificamur, forma sit fiducia, fides non est propriè fiducia. Hactenus ostendimus, fidem, per quam justificamur, non esse fidem remissionis peccatorum acceptæ, neque etiam fiduciam illius: sed utrumque antecedere, tanquam causam utriusque.

Reliquum jam est, ut scrupulos objectos privatim; & rationes, publicis multorum scriptis propositas, ad ampliorem rei intelligentiam, nonnihil expendamus.

Primus autem scrupulus ortus est, ex verbis quibusdam, in primę quæstionis demonstratione secunda propositis. Ea autem sunt: Euangelium, generatim quidem, fidem vivam describit, & omnibus eâ præditis remissionem peccatorum promittit; non autem sigillatim testatur, *me, te*, hac fide præditum, *mihi, tibi*, remissa peccata Objicitur autem contrà: quodcunq; omnibus fidelibus promittitur, id etiam singulis, *mihi, tibi*, fideli, promittitur. Atqui remissio peccatorum omnibus fidelibus promittitur. Ergo etiam singulis *mihi, tibi*, promittitur. Responsio est, peccari ignoratione elenchi: quia verba mea (*mihi, tibi*) de singularibus hominibus absolutè, & quidem sigillatim, hoc est, modo singulari loquuntur: quod scilicet Euangelium, ut nullibi dicit sigillatim, tu Luthere, tu Calvine, fide viva præditus es: sic etiam de illis absolutè, ac sigillatim, hoc est, singulari modo, non ait; tibi Luthere, &c. remissa sunt peccata; sed tantùm relatè singulis ex hypothesi fidei, & modo etiam universali: notum enim est, hæc esse opposita philosopho; καθ' ὅλου aliquid dici, & καθ' ἕκαστον: & Latinis, ut Ciceroni, aliisque, universale, seu generatim, & sigillatim dici, quæ de eodem, secundum idem, ad idem, & eodem tempore dici nequeunt. Neque hisce obstat, uti objicitur, Logicum illud *dici de omni*, nimirum quicquid dicitur de universali, id etiam dicitur de particulari, quod sub eo universali continetur. Nec enim ea illius dicti est sententia, quasi universalis enunciatio simul esset singularis; neque indicatur illud *dictum de omni*, esse tantum universalem enuntiationem; sed syllogismorum affirmantium principium, ac consequentiæ fundamentum notat. De qua re pluribus accuratiores Logici, inprimis Zabarell. in operib. log. de quarta fig. cap. 6. qui naturalem syllogismum integrum esse tradit, ad quem artificiales dirigantur. Quo etiam principio *dicti de omni*, nititur practicus ille, cujus antea meminimus, Augustini de fide gratiæ à se acceptæ, syllogismus. Qualem etiam practicum syllogismum vocat, & describit Clar. Ursin. comment. in Esaiam. Nam, ad singularis conclusionis notitiam, non solùm requiritur universalis propositio, in qua confusè latet; sed etiam per syllogismum singularis assumtio necessaria. Quemadmodum Aristot. anal. lib. 1. cap. 1. docet: *ignorata assumtione singulari, conclusionem de singulari illo, diverso modo sciri, & non sciri: sciri quidem, universaliter; non autem sciri, simpliciter: cum simpliciter nescitur, an sit.*

an sit. Qua de re, perspicua est eximii illius Zabarellæ, ad eum loc. illustrandum, explicatio; in qua tandem ait: *Conclusionis cognitio pendet etiam, ex cognitione minoris: igitur dum minor penitus ignoratur, quomodo potest conclusio esse penitus cognita? non est igitur perfectè cognita, sed imperfectè, & confusè, in majori universali præcognita.* Hæc ille. Eademque est singularis illius enuntiationis ratio, *mihi, tibi,* remissa sunt peccata: quæ nullibi, in Euangelio, distinctè, ac sigillatim traditur: sed ex promissione Euangelii, tanquam propositione universali, & ex certa fidei nostræ, per conscientiam veram, assumptione singulari, singularis tandem conclusio, ex vi *dicti de omni*, rectè concluditur, ac discitur: contra quàm Pontificii contendunt. Idquè etiam ex conclusione, quæ ex objecto *dicto de omni* deducitur, perspicuè apparet: cum dicitur, Euangelium igitur promittit sigillatim, non quidem explicitè, sed implicitè: quo modo proposita à nobis sententia confirmatur, & simul contradictionem complectitur. Nam quod non explicitè, sed implicitè aliquid continet: quomodo id continet sigillatim? quia contrà, quod sigillatim continet, id maximè explicitè continet: quid enim aliud est quàm modo singulari expressio, seu nominatim de me, de te? Atque hæc de primo scrupulo.

Secundus verò scrupulus hoc syllogismo proponitur: Quodcunque Diaboli generatim credunt, illud non solum generatim, sed etiam sigillatim *mihi, tibi* fideli, credere debeo; & per consequens, sigillatim mihi, tibi promittitur. Atqui remitti peccata, Diaboli generatim credunt. Ergo remitti peccata, non solùm generatim; sed etiam sigillatim mihi, tibi fideli, credere debeo: & per consequens sigillatim mihi, tibi promittitur. Minor certa est ex Jacob. 2 Major etiam patet: secus enim fide, per quam justificamur, non plus crederemus, quàm Diaboli; nec plus certitudinis in justificationis actu, de Dei misericordia haberemus, quàm Diaboli habent. Respondetur autem, paralogismum esse ignorationis Elenchi. Nec enim contradictoria iis, quæ à nobis posita sunt, conclusio infertur: non enim quæstio est inter nos, & aliter sentientes: an remitti peccata non solùm generatim; sed etiam sigillatim, mihi fideli credere debeam? sed an Euangelium sigillatim testetur, me esse fidelem, mihi remissa peccata: Et, si ad primarium controversiæ primæ statum spectemus: An fides, quæ, ad remissionem peccatorum accipiendam, Euangelio mandatur, sit fides remissionis peccatorum acceptæ; vel, an ad remissionem peccatorum accipiendam, debeamus credere nos remissionem peccatorum accepisse. Quæ, cùm apertè contradictionem includant, verè affirmari nequeunt. Quod autem adjicitur conclusioni oppositæ: Et per consequens sigillatim mihi promittitur: meritò negatur consequi: quia fides, qua quis sigillatim sibi remissa peccata credit, non oritur ex sola Euangelii promissione, quæ generalis tantùm est, non autem singularis; sed ex ea, tanquam propositione generali, nimirum credenti remittuntur peccat; & ex conscientiæ, de sua fide certæ, assumptione singulari, ego credo: Euangelium enim hoc fidei nostræ singularis testimonium nullibi tradit: sed vivam fidem describit; & eâ præditos, remissionem habere peccatorum tradit. Ex cujus descriptionis notitiâ antecedente, sibi fidem vivam inesse, fide præditi conscientia novit, atque assumit. Unde ex hoc bimembri antecedente, necessaria conclusio sequitur: Ergo mihi remissa sunt peccata, ut supra ostendimus. Ubi obiter observandum est, de propositione majori objecta, eam generaliùs positam; & haud dubiè, ex mente authoris, ita restringendam: quod Diaboli generatim credunt, scilicet verè; deinde de fidelibus: alioqui esse bifariam falsa. Cœterùm hoc scrupulo expedito: quia fidei Diaboli, & illius, quæ Euangelio ad justificationem mandatur, ac debetur, facta est mentio: non alienum neque ingratum fore speramus; si hac occasione ad clariorem doctrinæ, de fide justificante, notitiam, discrimen utriusque succinctè explicemus, priusquam ad alias difficultates procedamus.

Discrimen autem hoc consistit, primo in antecedentibus. secundo in causis. tertiò in consequentibus. Fidei enim, quæ ad justificationem Euangelio mandatur, antecedentia sunt, pœnitentia peccatorum, & liberationis ab iis, seu justificationis, ac salutis desiderium: prius ostendit Christus, Marc. 1. v. 16. *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* & Apostolus, Actor. 2. v. 37. & res ipsa evincit: quia ubi pœnitentia peccatorum deest; ibi ira Dei, peccatis offensi, manet, & fides justificans esse non potest. Contrà fides Diaboli, qua credit, à Deo, vivâ fide præditis hominibus, peccata remitti, caret omni prorsus pœnitentia antecedente: quia ab initio peccat perpetuo, Ioan. 8 44. & 1. Ioan. 3. 8. Deinde alterum, in antecedente fidei, ratione adjuncti, discrimen est, quod fidem justificantem præcedat desiderium liberationis à peccatis, ac sitis justitiæ, Esa 55. v. 1. Matth. 6. v. 6. Joan. 7 v. 37. cujus exemplum insigne, Actor. 2. v. 36 Contrà verò Diaboli fides, illo desiderio liberationis à peccatis, ac siti justitiæ, destituitur omninò; ut qui peccatis suis contumaciter delectetur; & certi sui exitii, ex disertâ atque auditâ Dei judicis sententiâ, Gen. 3. v. 15. sibi conscius est. Id quod etiam dæmones fassi sunt, Matth. 8. 29.

Secundo in causis etiam fidei maximum utrimque discrimen: Ac primo quidem in efficiente, ac modo illius. Fidei enim justificantis efficiens causa non est solùm externum Dei verbum, quod fidem suadet; sed etiam, ac præcipuè interna Dei per Spiritum Sanctum revelatio: quæ persuadet, ut Euangelio credamus, Matth. 11. v. 25. & 16. 16. & quidem per regenerationis gratiam, Joh. 1. v. 12. 13. Eph. 2. v. 8. 10 & 1. Pet. 1. v. 3. & 23 Qua regeneratione per Sp. S. ut viva fides in mente, sic charitatis donum in corde inditur, vinculo indissolubili, firmiter utrimque radicatâ fide, & charitate, quæ manet, non perit, Luc. 8. v. 14. & 1. Cor. 13. v. 8. 13. & 1. Joan. 3. v. 9 quemadmodum homo renatus, seu novus, utroque hoc fidei, & charitatis dono, describitur, Jer. 31. 33. 34 & Ezech. 16. v. 26. 27. Heb. 8. v. 10. 11. & 10. v. 16. Ephes 4. v. 23. 24. & 1. Pet. 1. vers. 21. 22. 23. Contrà verò fidei Diaboli causa efficiens, non est interna Sp. S. revelatio, sed evidens externum, atque immediatum Dei loquentis verbum, in promissione Christi, Gen. 3. v. 15. de semine mulieris caput serpentis contrituro, id est, Jesu Christo, per mortem suam imperium, & vires Diaboli abolituro, & fideles liberaturo. Hebr. 2. v. 14. deinde, post Christum exhibitum, accessit Dei patris, de Christo, verbum immediatè, Mat. 3. v. 16. *Hic est filius meus*, &c. & immediato Dei verbo accesserunt etiam mediatæ revelationes externæ, de Christo servatore: quas, à Deo, per sanctos ministros, processisse, minimè ignoravit: quales sunt per angelos Dei sanctos, ut Genes. 22. v. 17. cum Act. 3. v. 15. & Luc. 1. v. 31. 32. & 2. v. 10. deinde per omnes Prophetas sanctos, Actor. 10. v. 43. Deinde Diaboli fides multò minus existit per regenerationem, ac sanctificationem: quia charitatem non habet, sed perpetuum Dei, & hominum odium, Johan. 8. v. 44. unde meritò Satanas, Matt. 4. v. 10. id est, inimicus, & adversarius noster, 1. Pet. 5. & κατ᾽ ἐξοχὴν ὁ πονηρὸς *malus ille*, Mat. 6. 26. appellatur. Secundum causæ discrimen, in forma diversa consistit: quia fides justificans, effectiva est per chatitatem, Gal. 5. v. 6 & 1. Tim. 1. v. 5. Contrà Diaboli fides, non est effectiva per charitatem; sed odio Dei, & salutis humanæ conjuncta, 1. Pet. 5. v. 8. Tertium causæ discrimen est in fine: nam fidei, quæ Euangelio ad justificationem præcipitur finis est, ut ea præditus justificetur, & servetur: hic enim finis est, & ratione Dei mandatis, ac dantis fidem, Ioan. 20. v. 21. & 1. Pet. 1 9. & ratione hominis credentis, Gal. 2. v. 16. Contra verò finis fidei Diaboli, non est ut justificetur, & servetur per Christum; qui certò novit, eum esse suum, & Angelorum ipsius, seu dæmonum adversarium, & severum judicem; à quo ad æternam damnationem sit destinatus, & damnandus, Gen. 3. v. 15. & Mat. 25. v. 41. unde etiam dæmones, Mat. 8. v. 29. & fidem suam de Iesu, ut Christo, & filio Dei; & odium illius simul sunt professi: seque certò damnandos agnoverunt, hisce seqq. verbis: *an venisti huc ante tempus, ut nos torqueres?*

Denique non solùm antecedentibus adjunctis, & causis, fides,

fides, per quam justificamur, à fide Diaboli differt; sed etiam consequentibus effectis: nam fidei, per quam justificamur, effecta omnia sunt bona, utpote ad credentis consolationem, aliorum utilitatem, & Dei gloriam pertinentia: nam primò, effectum illius est, conscientia fidei, quod credimus secundum Euangelium, & fidei nostræ sensum, remissa nobis esse peccata, nosque hæredes esse vitæ æternæ, Joan. 3. v. 36. Rom. 10. v. 10. 1. Cor. 3. v. 12. deinde confessio gratiæ Dei, per Christum acceptæ, 2. Cor. 4. v. 13. & invocatio Dei, Rom. 10. 14. tolerantia persecutionum, & gaudium spirituale, Rom. 5. vers. 3. excitatio spei, v. 2. & operum charitatis, Gal. 5. v. 6. Contrà verò fidei Diaboli effecta omnia, per accidens desperatæ illius malitiæ, sunt mala: ut primò, in ipso horror conscientiæ, Jac. 9. v. 9. quod ut Euangelio fidelibus salus parata; sic à vindice fidelium, Christo judice, ignis æternus ipsi & Angelis ipsius præparatus est, Matth. 8. v. 29. & 25. 41. deinde, per accidens, effectum alterum est: quod odiosè veritatem Euangelii, ad Dei gloriam, & hominum fidem & salutem, partim dolo, 2. Cor. 11. v. 13. & 14. partim vi oppugnat, 1. Petr. 5. 8. & Eph. 6. v. 10. 16. Quare ex hisce discrimen manifestum est, inter fidem, per quam remissio peccatorum obtinetur, & Diaboli ac dæmonum fidem. Unde similiter (ut strictim hoc moneam) discrimen quoque, à fide temporaria, facile colligi potest: inprimis verò ex causa efficiente, & forma, utrimq; discrepante: nam licet, revelatione veritatis Euangelii per Sp. S. inter se conveniant; modo tamen revelationis differunt: quod fides justificans sit data per regenerationem, & renovationem: per quam non solùm verbum Euangelii, ut verum, à mente recipitur, sed etiam radicatur, ac firmiter, Sp. S vegetantis, & conservantis gratia recepta, permanet, 1. Ioan. 3. 9. & Luc. 8. v. 15. Contra fides temporaria est hominis non regenerati; sed qui, instar petræ, exsuccus est, & ad semen Euangelii retinendum, & radicandum, ineptus est: ideoque fides illa humore alente & radice carere, atque exsiccari, ac deficere dicitur, Luc. 8. 6. & 13. Deinde ut fides, per quam justificamur, per regenerationem datur (quæ regeneratio est intellectus per fidem, & voluntatis, per charitatem, & spem, renovatio) sic inde fit, ut fides justificans sit viva, seu, per charitatem, & spem, effectiva, ut supra ostendimus. Contrà verò fides temporaria, quoniam à regeneratione separata est, idcirco mortua est, & efficaciâ antè dicta destituitur: qualis propterea, Jacob. 2. v. 20. 26. mortua appellatur. Sed hæc breviter, atque obiter. Reliquum est, ut, ad scrupulos alios objectos, procedamus. Quædam enim objiciuntur argumenta, quibus probari putatur, fidei, per quam justificamur, seu quæ ad remissionem peccatorum Euangelio præcipitur, formam, esse fiduciam remissionis acceptæ.

Sic enim primum differitur: Quodcunque in Scriptura fidei æquipollet, & cum ea reciprocari potest, illud est fidei forma. Atqui fiducia in Scriptura fidei, &c. Ergo. Resp. autem propositionem majorem, sine ulla probatione (quasi certam, & extra omnem controversiam positam) proferri: cùm tamen falsa omnino nitatur hypothesi: quasi, id omne, quod æquipollet rei alicui, & cum ea reciprocari potest, esset forma rei: cum contrà quod tale est, forma rei esse non possit: ut supra ostendimus. Ac certum est, quod definitio æquipollet definito, & cum eo reciprocatur: & divisio æquipollet suo diviso: & tamen neque definitio definiti; neque divisio divisi forma est. Sic etiam fidei definitio æquipollet fidei, & cum ea reciprocatur: neque tamen illius forma dici potest. Quare, ex falsâ propositione, conclusio vera rectè inferri non potest: ideoque syllogismus hic corruit. Deinde assumtio similiter falsa est, ut, ex demonstrationibus supra positis, constare potest. Neque probatio, quæ adfertur, firma est: nam quod primo dicitur, minor probatur, ex Ps. 78. v. 22. Joa. 16. 33. 2. Cor. 1. v. 11. 15. Gal. 5. v. 8. Heb. 3. v. 6. Heb. 10. v. 22. ubi dicitur ἐν πληροφορίᾳ πίστεως *fiducia fidei*, per hypallagen Hebræorum; quo id. quod epitheti, seu prædicati loco est, præcedit: unde rectè infertur, fides est fiducia. Resp. hîc duplicem contineri errorem: primus est conclusionis, in qua ignoratione elenchi peccatur; nec enim quod concludendum erat, sed aliud, reipsa, infertur: nam minor erat concludenda (fiducia in scriptura fidei æquipollet) contrà verò aliud infertur: fides est fiducia: deinde ambiguitas etiam est in voce *fiduciæ*, observanda: aut enim accipitur propriè, aut impropriè: impropriè quidem, per Meton. effecti, pro causa efficiente: ut nihil aliud sit, quam causa efficiens fiduciæ: quemadmodum, illo sensu, in descriptione fidei, accipi solet: similis tropus est, 1. Joan. 5. v. 4. *fides nostra est victoria*, id est, causa victoriæ, ut proximè sequentia verba exponunt, cum additur, *quæ vincit mundum.* atque hoc modo, hac voce accepta, nullus omninò erit elenchus; nihilque, ad rem controversam probandam, pertinebit: aut *fiduciæ* vox propriè accipitur: atque ita quidem sententiæ, à nobis initio positæ, (qua statuimus fidem non esse propriè fiduciam) adversatur: sed tamen, à minori propositione, quæ hîc concludenda erat, aliena est, & à scopo proposito aberrat: nec enim si fiducia propriè de fide prædicaretur, idcirco ei æquipolleret: quemadmodum fides est notitia, seu assensus veritatis Euangelii; & tamen assensus ille non æquipollet fidei. Hæc de errore consequentis, seu conclusionis. Alter error est antecedentis, quo dicitur: minorem (nempe fiduciam in Scriptura fidei æquipollere) probari ex locis citatis. Verùm ea hoc minimè demonstrare ex singulis patebit. Primus enim locus est ex V. T. ex Ps. 78. v. 22. *Quia non crediderunt in Deum, & in salute ejus, non* בטחו. Resp. autem hoc dictum nihil probare certi: quemadmodum enim Hebræum verbum בטח interdum *fidere* significat, interdum *sperare*: sic etiam nomen בטח modo *fiduciam*; modo *spem* notat: ut Ps. 16. v. 9. ea vox ab Apostolo, Act. 2. vers. 26. *spes* exponitur: & hæc significatio circumstantiæ hujus loci, Ps. 78. de quo agitur, convenit: nam ut fides, & spes in Deum, duæ sunt virtutes, conjunctæ, & distinctæ, ut 1. Petri. 1. v. 21. & 1. Cor. 13. vers. 13. sic in utramque Israelitæ peccarunt, ut circumstantia loci, & narrationis scopus ostendit: quod non crediderint, Deum posse ipsis cibum præbere in deserto; sed desperarint de salute sua v. 19. 20. & scopus narrationis est, ut posteri eorum in Deo spem suam ponant, v. 7. Ideoque & Græci interpretes ἤλπισαν: & Hieron. Pagninus, Vatablus, & alii, *speraverunt*, interpretantur. Quare hoc loco nihil agitur, de fiducia. Deinde licet quidam *fidere* interpretentur; idq; concederetur: inde tamen non sequitur, *credere* & *fidere* æquipollere, quod probandum erat: cum expresse hæc duo, hoc in loco, distinguantur: unde enim probabitur, hæc esse Synonyma? hoc enim sensu, duo vitia, in Israelitis arguentur, incredulitas in Deum, & quæ inde nascitur diffidentia salutis. Quare hic psalmi locus, minorem, nempe fiduciam in Scriptura fidei æquipollere, nequaquam probat. Quemadmodum nec reliqua dicta, quę è N. Test. ad eam rem adducuntur. Eorum enim primus est locus, Joa. 16. v. 33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me Pacem habeatis: In mundo oppressionem habebitis; sed* θαῤῥεῖτε *confidite, ego vici mundum.* Verùm nihil ad rem, quia hîc nulla fit fidei mentio: neque hinc probari potest, fiduciam fidei æquipollere; sed potiùs pacem habere in Christo (id est in ipso acquiescere) & *confidere*, idem hic notare: cum pax illa conscientiæ, in rebus adversis sit non fides ipsa, sed fidei effectum, Rom. 5. v. 1. 2. 3. indeque contrà potius sequitur, fiduciam fidei non æquipollere. Alter locus est, 2. Cor. 1. v. 16. *itaque hac fiducia* (πεποιθήσει) *volui ad vos venire.* Sed minorem etiam nullo modo probat: scil. fiduciam fidei ęquipollere: neque etiam fidem esse fiduciam. Probabilius, fiduciam pro spe accipi, dici posset, ut locorum collatio, hoc cap. indicare videtur: cum illa duo verba, inter se, in eadem re describenda, permutentur: nam ut v. 6. dixit Apostolus, *spes nostra firma est de vobis*: sic v. 15. *& hac fiducia* (nimirum quod *vos estis gloriatio nostra*, vers. 14.) *prius volui ad vos venire*, & ut v. 9. dicitur, *ut confideremus*, &c. *in Deo*: sic v. 10. *in quo speramus*: adeò ut affines affectus, aut iidem, permutatione vocum, intelligantur: non autem fides, licet ex ea oriantur. Tertius N. T. locus est, Gal. 5. 2. ἡ πεισμονὴ *non est ex eo, qui vos vocat.* Sed neque eo minor

proba-

probatur: nempe, fiduciam fidei æquipollere; neque etiam fidem esse fiduciam: πεισμονὴ enim *persuasionem* tantùm notat, & quidem hoc loco falsam, de circumcisionis, ad justificationem, & salutem, necessitate. Neque idem est quod πεποίθησις *fiducia*, licet ab eodem themate oriatur: sed, uti diximus, persuasionem notat: ut & vulgatus & noster interpres verterunt. Neque, si notaret, minor probaretur. Quartus locus est Hebr. 3. v. 6. *Cujus domus sumus, si παῤῥησίαν fiduciam, & spem illam, de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.* Sed neque hoc dicto minor probatur: neque etiam fidem esse fiduciam: primo quia παῤῥησία propriè non *fiduciam*, sed *loquendi libertatem* notat: παῤῥησία enim à πᾶν & ῥῆσις quasi παντρησία dicitur, ut rectè Henr. Stephan. in Græcæ linguæ thesauro, notat, & propriè, (ut dictum) loquendi libertatem significat, ut nihil subtrahatur, & occultetur: ut idem Steph. illustribus Demosthenis, & aliorum sententiis, probat: quemadmodum etiam Chrys. 2. Cor. 3. v. 12. eleganter, & consentaneè exponit. Quia verò loquendi libertas ex fiducia, oriri solet: idcirco in N. Test. interdum per Meton. effecti, pro causa, fiduciam notat. Etsi Hebr. 3. probari non potest, eam vocem impropriè pro fiducia accipiendam esse; cum propriæ significationi nihil obstet, sed ei optime conveniat. Ideoque Beza, in major. annot. *loquendi libertatem*, hic interpretatur: aitque, *sic vocari fidei effectum illud præstantissimum, quo fit, ut clamemus Abba Pater*: & Hebr. 10. 35. τὴν παῤῥησίαν interpretatur, *liberam illam professionem*. Nec enim hac voce significatur fiducia, vel confidentia, in animo duntaxat concepta; sed libera, & ingenua professione testata: quam v. 23. vocavit ὁμολογίαν ἀκλινῆ. Quæ interpretatio, Heb. 3. accommodatissima est: quemadmodum liberæ professionis Euangelii, & fidei necessitatem sæpius in hac Epistola inculcat. Deinde etsi hoc loco fiduciam notaret: inde tamen non probaretur minor, nempe fiduciam æquipollere fidei; neque etiam fidem esse fiduciam. Quintus locus, Hebr. 10. vers. 22. *accedamus cum vero corde*, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, similiter nihil etiam ad rem objectam conducit: nec enim πληροφορία *propriè* fiduciam, sed si etymon spectemus *plenam lationem* notat, qualis navium, cum ventis implentur vela secundis: unde πλησίστιος ἄνεμος Home. Odyss. λ *ventus vela implens.* quod Suidas exponit φόρος ἄνεμος ὁ πληρῶν τὸ ἄρμενον. secundus ventus, qui velum implet. Unde per Metaph. ad rei illius, cui adjungitur, plenitudinem, & firmitatem indicandam, transfertur: quemadmodum Hesychius rectè, in laudato suo lexico, exponit, πληροφορία βεβαιότης. Atque itá diversis vocibus, eodem sensu, adjungitur: ut intelligentiæ, spei, fidei: quemadmodum Col. 2. vers. 2. πληροφορία τῆς συνέσεως, Hebr. 6. v. 11. πληροφορία τῆς ἐλπίδος, & in loco nobis objecto, cap. 10. v. 22. πληροφορία πίστεως. In quibus locis *firmitatem*, aut *plenitudinem* (ut vulgatus interpres non malè transtulit) designat: ut firma, vel plena intelligentia, spes, fides intelligatur. Adeo ut πληροφορία πίστεως nihil aliud sit, quàm quod Col. 2. v. 5. dicitur στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως *soliditas, seu firmitas fidei in Christum.* Unde per Synecd. generis pro specie πληροφορία firmam, vel plenam fidem, aut persuasionem notat: ut 1. Thessal. 1. 5. ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ; quemadmodum verbum πληροφορέω notat *plenam fidem facio* (ut Henr. Steph. in concordantiis N. T. Græcis rectè observat) ut 2. Tim. 2. 5. hinc πληροφορέομαι *plena fides mihi facta est*, ut Luc. 1. v. 1. Rom. 4. vers. 21. & 2. Tim. 4. v. 17. sic Rom. 14. v. 5. Atque hæc omnia sunt loca, in quibus πληροφορία, & πληροφορεῖν, & πληροφορεῖσθαι extant in Scriptura: neque ullibi fiduciam notat, ut ostendimus. Obiter autem observandum videtur, quod vox πληροφορεῖσθαι usurpatur à Græcis interpretibus, alicubi, pro *plenum esse*, ut Ecclesiastis 8. 11. ad malum faciendum מלא לב id est, *plenum est cor*: Græci autem interpretantur ἐπληροφορήθη καρδία. Deinde etsi fingeretur πληροφορίαν cum additur vox πίστεως, significare fiduciam, inde tamen non necessariò sequeretur, fiduciam æquipollere fidei: quasi ea phrasis, per appositionem grammaticam, & expositionem, deberet intelligi: sed potiùs, ut effectum, & causam illius notaret: sicut *justitia fidei* Rom. 4. vers. 11. explicata est c. 3. 22. *justitia per fidem illius.* Ac propterea quintus hic locus ex Epistola ad Heb. 10. vers. 22. petitus, de πληροφορίᾳ πίστεως agens, minorem non probat: neque etiam rectè ex eo infertur, fides est fiducia. Sextus locus ad minorem probandam objectus, est Hebr. 11. 1. *fides est hypostasis rerum, quæ sperantur.* Qui locus; quasi palmarium argumentum, obtendi solet, sed frustra: primo, quia nulla hic certa fiduciæ mentio: ideoque inde probari non potest, fiduciam fidei æquipollere: nam ὑπόστασις propriè *subsistentiam* ex etymi ratione, & doctorum consensu, significat: unde per Metonym. pro basi, seu fundamento, quod structuræ subest, seu subsistit, accipitur: ut apud Diodor. Siculum Bibliothecæ historiæ lib. 1. pag. 60. editionis Wecheli ὑπόστασις τοῦ τάφου *sepulchri fundamentum.* Atque eo spectat Calvini interpretatio, Hebr. 11. vers. 1. in comment. *fidei*, inquit, *est hypostasis, id est, fultura, vel possessio in qua pedem figimus.* Et paulo pòst: *fides subsistentia vocatur rerum, quæ in spe adhuc posita sunt.* Sic. P. Martyr in comment. 1. Corinth. 13. v. 3. adducens locum Heb. 11. vers. 1. de fide ait: dicitur ὑπόστασις *quæ est basis, vel existentia rerum, quæ sperantur.* Et Ursinus, explic. Catecheticarum, loco de fide, sect. 5. ait: *dicit Apostolus, fidem circa res speratas versari: fides, inquit, est* ὑπόστασις, *seu subsistentia bonorum sperandorum, id est, illud, quod facit, ut extent, quæ sperantur.* Qua in re, versionem & sententiam Bezæ secutus est: ut Beza Græcum scholiasten Oecumenium, cujus expositionem elegantem describit pleniùs: addo etiam Chrys. cui Oecumenius consentit. Erasmus autem in annot. ὑπόστασιν dixit *certitudinem, & id, cui aliquid innititur.* Atque hæc *subsistentiæ* vox egregiè fidei, & huic loco & scopo convenit, sive eam vocem pro fultura, seu fundamento, cui res speratæ innituntur; sive pro eo, quod rem speratam extare facit, accipiamus: nam quod objicitur, vocabulum ὑπόστασιν, non per subsistentiam, sed per fiduciam reddendam esse: id solidis rationibus (quæ obtenduntur) non probatur. Prima ratio est, quia semper apud Paulum fiduciam significat (intellige aliis in locis, alioquin, si universè acciperetur, petitio principii esset, & controversum argumenti loco poneretur) id, inquam, meritò negamus: Neque tribus, quæ citantur, locis, demonstratur: quæ sunt 2. Cor. 9. v. 4. & 11. v. 17. Heb 3. v. 14 quia quartus omissus, Hebr. 1. vers. 3. ubi certo subsistentiam, & quidem personalem, seu personam notat: ideoque argumentum corruit. Deinde etiamsi hic locus abesset, necessarium non est, ut illis tribus locis fiduciam intelligamus: nam quod 2. Cor. 9. v. 4. dicitur ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, id quod repetitur, 2. Cor. 11. v. 17. quid vetat, quo minus interpretemur, *in subsistentia*, id est, *substantia ista gloriationis*, seu constanti ista gloriatione. Tertius denique locus Heb. 3. v. 14. *si modò firmum tenuerimus principium* τῆς ὑποστάσεως, non fiduciam necessariò significat, sed potius *subsistentiam*, seu *constantiam*, quam initio exhibuerant in fide, spe & libera confessione veritatis, intelligit. Hinc Beza interpretatur *principium illud, quo sustentamur*; non autem fiduciam: cujus significationis nullum necessarium, in S. Lit. demonstratur exemplum: ut etiam in profanis Græcis authoribus hactenus desideratur; de qua re postea. Deinde etiamsi certum esset, omnibus aliis in locis, ubi ὑπόστασις apud Paulum, memoratur, fiduciam notare: inde tamen non sequeretur necessariò, Hebr. 11. v. 1. eundem esse sensum: quia vocabulum potest interdum, in peculiari significatione, uno tantum in loco extare; & in reliquis omnibus, aliâ notione. Quemadmonum nomen victoriæ, 1. Joa. 5. v. 4. significat causam victoriæ; & tamen, cùm alibi sæpius occurrat, in N. T. nullibi ea significatione accipitur. Quare nihil est in hoc argumento subsidii, ut probetur Hebr. 11. v. 1. ὑπόστασιν non per *subsistentiam*, sed per *fiduciam* esse transferendam: nam quod secundo ex contextu Apostoli, objicitur: quod ibi dicatur, quod *Patres V. Test. non adepti sint promissa, sed eminus ea conspicati*: fides igitur non esset subsistentia rerum speratarum, seu id quod extare facit; sed fiducia, qua res illas certo nobis promittimus, iisque confidimus. Negatur consequentia: quia utrumque verum est, fidem res speratas exta-

tas exta-

tas extare facere; & tamen eas eminus conspicere: quia prius intelligitur, non ratione complementi, ac propriè; sed metaphoricè, ratione certitudinis earum, ex Dei promissione conceptæ: quod eas, quasi in speculo promissionis objectas, intueatur; contrà posterius promissionis executionem spectat. Id quod etiam D. Pareus, licet fiduciam fidei formam esse statuat, satis disertè cum aliis, ita vers. 1. explicavit, cur fides dicatur ὑπόστασις: *ratio appellationis est*, inquit, *quia fides facit, in mentibus, & cordibus nostris, quasi realiter existere sua objecta: quæ cum sperentur, neque appareant, fides sibi præsentia sistit, & coram intuetur: est enim fidei vis, etiam procul dissita cernere, inquit Chrys. in Gal. 3. Cujus rei ratio est: quia res eas intuetur in promissione Dei, de qua certa est, quod non fallat.* Hæc ille. Tertia ratio, quæ adfertur, ut eà probetur, ὑπόστασιν Hebr. 11. v. 1. notare fiduciam, deducta est à testimonio LXX. Interpretum, quæ similiter infirma est. Duo enim loca, quæ adducuntur, Ps. 39. v. 8. & Eze. 19. v. 5. aliena sunt: nam Ps. 39. ὑπόστασις non fiduciam sed spem notat: in Hebræo enim est תוחלתי *spes mea*, ut Pagn. Vatab. & Tremell. & Jun. aut *expectatio mea*, ut Arias Montanus, rectè interpretantur: & initium versus ostendit. *Et nunc quid expectavi Domine*, sequitur תוחלתי לך היא *spes mea in te* Sic etiam pro תוחלתי septuaginta Lament. 3. habent ἐλπὶς *spes*. Similiter Ezech. cap. 19. 5. ἀπώλετο ἡ ὑπόστασις αὐτῆς, sensus est, *periit expectatio*, id est, *spes ejus*: hebraicè est תקותנו: quemadmodum etiam hanc vocem LXX. interpretati sunt, Ezec. 37. v. 11. Deinde etiamsi ὑπόστασις apud LXX. Interpretes significaret fiduciam: inde tamen non sequeretur aliud, quam eam vocem significare etiam, *fiduciam*: non autem idcirco debere ita accipi Heb. 11. 1. Quarta denique probatio etiam invalida est, cum dicitur: *denique consensu authorum profanorum idem probatur: ut Polybii in descriptione Horatii Coclitis: hostes metuebant* ἐχ' οὕτω τὴν δύναμιν ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ, *non tam robur, quàm confidentiam ipsius*. Item Diodori Sicul. *gessit se* ὑποστατικῶς, id est, *confidenter, & imperterritè*. Sed resp. negatione consequentiæ: quia non sequitur, vox ὑπόστασις interdum (nam alias, ac varias habere significationes certum est) significat fiduciam: ergo Hebr. 11. non subsistentiam, sed fiduciam notat: hoc enim probandum erat. Quare hæc testimonia nihil ad rem faciunt, etiamsi in iis fiducia certo significaretur. Deinde neque necessariò ex iis testimoniis sequitur, ὑπόστασιν fiduciam notare: nam ut in hac sententia Polybii δύναμις *robur* seu *vim* significat; qua Cocles hostes complures occidit: sic ὑπόστασις subsistentiam, & constantiam: ut etiam in eo loco, qui extat hist. lib. 6. pag. 497. Casaubonus interpretatur: quod scilicet, cum reliquis, non fugerit; sed loco suo substiterit. Quemadmodum paulò ante Polybius ait: *sustinuit irruentium hostium impetum*. Quemadmodum etiam Henr. Steph. in thesauro, ait: ὑφίσταμαι *sustineo, non cedò irruenti*, ad verbum *subsisto:* quo Cæsar, & Livius usus est. Plutarchus Demetrio αὐτὸς ὑφισταμένη τῶν ἐναντίων, ἀλλὰ φευγόντων. Atque ita convenientissime apud Polybium ὑπόστασις *subsistentiam* significat, & quidem corporis, propriè dictam, ut loci circumstantia antecedens (uti monui) ostendit, & distinctio conjuncta indicat: cùm non solùm dicitur, ὑπόστασιν, sed etiam additur καὶ τόλμαν & *audaciam:* nam Polybius ait: adversarios perculsos fuisse, propter ὑπόστασιν subsistentiam illius, quod substiterit, reliquis omnibus Romanis fugientibus; & propter audaciam animi, quæ subsistentiæ causa. Ad Diodori verò testimonium quod attinet: *gessit se* ὑποστατικῶς; quia neque liber illius citatur, neque subjectum, cui tribuitur (ut inde quæri posset) profertur: non temere responderi potest, idem notare, quod ante monitum, id est, *substitit*, vel *constanter se gessit*: quemadmodum Suidas hanc vocem, in suo lexico, Græcè scripto, ita exponit; & hanc sententiã adducit. Quamobrem solutis jam iis, quæ ad probandam primam Minoris partem (nempe fiduciam in Scriptura fidei æquipollere) sunt objecta: non est opus, ut ad alterius partis probationem respondeamus. Veruntamen ad pleniorem Minoris refutationem paucis expendemus. Sic autem objicitur: Fiducia cum fide reciprocari potest; quodcunque enim in V. T. est fiducia, id in Nov. est fides, ut Psal. 31. v. 2. collato cum Rom. 10. v. 11. & Ps. 2. v. 12. coll. cum Matt. 16. v. 17. unde sequitur, fidem esse fiduciam, & fiduciam esse fidem. Sed, inquam, negatur antecedens: quia neutro Psalmo, hoc confirmatur: nam quod Ps. 31. v. 2. dicitur: *in te Iehova* חסיתי *ne pudefiam in æternum*: illud malè confertur cum sententia Roman. 10. v. 11. *Scriptura dicit: quisquis credit in eum, non pudefiet.* hæc enim verba non extant Ps. 31. v. 2. sed Esai. 28. v. 16. quemadmodum etiam inde citantur, ut perspicuè apparet ex pleniori loci citatione, Rom. 9. 33. *pono in Sion lapidem, &c. quisquis credit in eum, non pudefiet.* quemadmodum etiam repetitur, 1. Pet. 2. v. 6. apud Esaiam verò est vox המאמן *credens*, non autem fidens; Quare nihil ad rem. Deinde vox חסיתי non necessario significat *fidere*, seu *fiduciam habere*: quia etiam significat *sperare*, seu *spem habere*: ut etiam hoc ipso in loco LXX. Interpretes ἤλπισα: & vulg. Interpres, Pagni. & Vatablus *speravi*. cum qua versione conclusio Psalmi rectè convenit: *roborate cor vestrum omnes sperantes in Iehovam*. Ideoq; collatio potius instituetur cum cap. 5. ad Rom. v. 5. *spes non pudefacit*. Altera probatio est, ex Ps. 2. v. 12. beati omnes חוסי בו *qui fidunt in eo*, collato cum Mat. 16. v. 17. ubi beatus Simon Jona dicitur, quòd Dei revelationi crederet. Sed resp. primo quod pro vocis significatione verti posset, *qui sperant*: ut non raro, eo sensu, accipitur; & ab interpretibus redditur. Deinde etiamsi necessariò vertendum esset, *qui fidunt:* nihil tamen inde probaretur; quia verba Psalmi à Christo non citantur; neque eadem sunt. Neque etiam sequitur; si, & qui fidunt in Christum, sunt beati, & qui credunt in Christum, sunt beati. Ergo fiducia est fides, & fides est fiducia: plurima enim sunt subjecta, quæ, citra controversiam, non eadem sunt; sed diversa: de quibus communiter vox beatus prædicatur: ut exempla Psal. 1. 1. & 3. v. 1. Prov. 14. v. 21. Esa. 30. v. 18. & alia multa evincunt. Ut autem ea illustrentur, quæ supra de loco Heb. 11. v. 1. monuimus, non alienum erit, si Ægidii Hunnii confessionem audiamus, in expositione hujus loci, cum ait: *Dicit* (supple fidem) esse ὑπόστασιν: *vocabulo usus valde emphatico: etenim vox hypostaseos Metaphorica est: quâ subinnuit esse fidem instar basis, & columnæ, seu firmamenti earum rerum, quæ sperantur: adeo ut indubitatò venturi seculi bona sperare liceat*, &c. Atque ita primum syllogismum, objectum nobis, & probationes illius discussimus. Reliquos duos paucis expendemus Secundus enim hic est: Quodcunque fidei dat distingui, illud est forma fidei. Atqui fiducia, fidei dat distingui. Ergo fiducia est forma fidei. Major probatur: forma enim rei dat distingui: Minor vero; quia aliâs nulla esset differentia inter fidem electorum, & reproborum. Sed primo major negatur; neque ratio firma est. Etsi enim forma rem distinguat, non tamen verum est, quicquid rem distinguit illud esse formam illius: quia res etiam distingui potest, à proprio efficiendi modo: item à proprio fine; & effectis accidentibus; subjectis, adjunctis propriis Deinde negatur Minor, & ratio illius. Sed objicitur: aliâs nulla esset differentia inter fidem electorum, & reproborum: qui sæpe majorem de Dei gratia persuasionem habent, licet falsam, quàm electi. Sed respondetur, à scopo aberrari. Quæstio enim est: An fiducia remissionis peccatorum acceptæ, sit forma fidei, quæ, ad justificationem accipiendam, Euangelio præcipitur? ea autem fides distincta est, à fide justificationis acceptæ: quæ tamen, naturâ fiduciam illam antecedit, ut suprà demonstravimus. Deinde etiamsi quæstio hic esset, de fide justificationis acceptæ; eam tamen non statuimus esse persuasionem quamcunque, veram aut falsam; sed verã, quę ex generali Euangelii doctrina, & ex singulari verâ vivæ fidei conscientiâ promanat: ideoq; falsa reproborum quorundam persuasio, cum eâ malè confunditur. Quo modo autẽ fides electorum, à fide reproborum, differat; suprà ostendimus, ex efficiendi modo, & forma discrepante. Nam quod adversus secundum hoc objicitur, nec differentia videtur constare in vi effectivâ charitatis: quippe quæ plurimis reprobis, cum gaudio verbum Dei excipientibus, & ad tempus credentibus, communis est; licet non semper in actum deducatur: imò sæpe in a-

ctum

ctum deducitur. Resp. differentiam statui in vi effectiva per charitatem: ubi charitatis nomine, charitatis virtus, per Sp. S. in regeneratione indita, significatur: quam fides non efficit, sed per eam conjunctam, excitando illam, opera charitatis efficit: quo modo Gal. 5. v. 5. Apostolus loquitur: quæ charitas in reprobis, quia non regenerantur, citra controversiam, omnino deest: ac propterea cùm non sit in iis (sed electis propria) in actum deduci ab illis non potest: nec leve aliquod gaudium, ex Euangelii luce conceptum; nec quædam umbra operum bonorum (quæ neque ex vivâ fide, neque ex verâ charitate, nec recto fine, sed aliis causis, & modis oriuntur) vera sunt charitatis opera Quod autem huic objectioni attexitur, his verbis: *nec ullam meriti Christi applicationem absque fiducia fieri posse videtur*. Si, inquam, de fiduciâ consequente intelligatur, agnoscimus; & supra ostendimus, ex fide remissionis peccatorum acceptæ, fiduciam promanare: sin verò sensus sit, fiduciam illam, aut causam esse, aut ipsam esse applicationem: quemadmodum in explicationibus Catecheticis Ursini, loco de fide sect. 3. dicitur: illud non immeritò negamus: eamque negationem ipsemet clarè satis confirmat, proxima sua annexa explicatione, cùm ait: *applicamus autem nobis dum certò statuimus, justitiam seu meritum Christi nobis quoque donari, & imputari.* quod nihil aliud est, quàm fateri, applicationem illam esse intellectus actionem: cujus proprium est, aliquid certum, & verum statuere; non autem voluntatis: ideoque neq; fiduciæ, quæ in voluntate est, non autem in intellectu. Atque ita hæc secunda objecta ratio corruit. Tertia, & postrema, est hæc: quodcumque in corde, tanquam in subjecto proprio, residet formaliter, illud est forma fidei. Atqui fiducia in corde, tanquam in subjecto proprio, residet formaliter, Rom. 10. v. 9. 10. Actor. 8. v. 9. 10. Ergo &c. Resp. Propositionem apertè falsam esse: Minorem vero extra controversiam (de eâ enim non disceptatur) sed tamen probationem illius alienam: quia in locis objectis, fidei non autem fiduciæ mentio est. Deinde notetur & illud: hic asseri, quod verum est, fiduciam in corde esse, tanquam in proprio subjecto; ideoque non in alio est: ac propterea falsum esse, fiduciam esse persuasionem, quæ mentis actio. Nam, ut res sit explicatior, observandum est: scriptores nonnullos aliter, ex eo Scripturæ testimonio, disserere; nimirum hoc modo: quod in Sac. Lit. dicitur in corde esse, illud non est tantùm in intellectu. Atqui fides in Sac. Lit. dicitur esse in corde (locis citatis) Ergo non tantùm in intellectu. Verùm negatur propositio, quia nititur falsâ hypothesi: quasi in Sac. Lit. *cor* significaret necessariò voluntatem, cùm contrarium, ex iis, manifestè demonstretur. Nam *cordis* vox, cùm homini attribuitur, per Metaph. à primario, & intimo corporis viscere petitam, pro anima, intima & primaria hominis parte, accipitur, vel simpliciter; vel secundum quid. Simpliciter quidem, ratione facultatis utriusque, nimirum intellectus, & voluntatis, Genes. 8. vers. 21. *figmentum cordis humani pravum est*, id est, & intellectus, & voluntatis ratione: utpassim Scriptura docet, utrumq; depravarunt, & Matth. 15. 18. disertissime dicitur: *quæ ex corde egrediuntur, illa polluunt hominem:* & v. 19. quo modo cor accipiatur (nempe pro utraque illa facultate, exponitur, his verbis: *nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ* (quæ soli intellectui conveniunt) *cædes, & adulteria*, &c. quæ soli voluntati: & utraque cordi, id est, animo tribuuntur. Secundò vox cordis interdum non simpliciter; sed secundùm quid, ratione unius facultatis tantùm, vel intellectus, vel voluntatis, usurpatur: nimirum cùm cordi tribuitur aliquid, quod uni tantum facultati convenit. quemadmodum primùm, secundùm intellectum, accipitur Luc. 2. 35. *cogitationes cordis*, Matth. 13. v. 15. *corde intelligant*, 2. Cor. 4. v. 6. *splenduit in cordibus nostris, ad lumen cognitionis*, 1. Ioan. 3. v. 20. Rom. 1. v. 21. deinde secundùm voluntatem intellecta vox cordis accipitur, Rom. 1. v. 24. cupiditates cordium. & cap. 2. vers. 5. cor impœnitens, & 10. 1. Quare nullo modo sequitur: corde credimus. Ergo fides est in voluntate. Atque hac ratione absolvimus earum rationum (quibus fiduciam esse formam fidei justificantis objicitur) refutationem. Quamvis autem ex hac objectionum refutatione; & ex demonstrationum initio positarum, tractatione, satis liquere potest, fiduciam remissionis peccatorum acceptæ, non esse formam fidei, per quam justificamur; seu, quę, ad remissionem peccatorum accipiendam, Euangelio præcipitur: nihilominus tamen pauca quædam argumenta afferemus contraria: ut ea, ab exceptionibus, quæ objectæ sunt, ad pleniorem rei propositæ illustrationem, vindicemus.

Primum autem est hujusmodi: Fidei, quæ, ad remissionem peccatorum Euangelio præcipitur, forma, est simul natura cum ipsâ fide. Fiducia verò remissionis peccatorum acceptæ, non est simul cum fide, quæ ad remissionem peccatorum accipiendam Euangelio præcipitur. Ergo fiducia non est fidei illius forma.

Secundò, Forma fidei, quæ ad remissionem, &c. non est posterior ipsa fide: fiducia verò remissionis peccatorum acceptæ est posterior fide, quæ ad remiss. &c. Ergo non est forma illius fidei.

Tertiò, Effectum fidei quæ ad &c non est forma illius. Fiducia remissionis peccatorum acceptæ, est effectum fidei, quæ ad &c. Ergo non est forma illius. Trium autem horum syllogismorum propositio major, nititur invicto, & certo logices, de natura formæ, principio: nimirum *forma simul est cum re, cujus est forma.* Ideoque secundò ea non est posterior re ipsa: neque denique effectum rei. Assumtio verò triplex, ex demonstrationibus, initio, in prima & secunda quæstione positis, conspicua est: & præterea tertii syllogismi minor confirmatur ex authoritate dicti Christi, Matth. 9. v. 2. *confide, remissa sunt tibi peccata.* & Pauli Eph. 3. v. 12. *in quo habemus libertatem, & aditum, cum fiducia, per fidem ipsius.* ubi fiducia, fidei in Christum effectum, disertè dicitur. Sed excipitur adversus tertii minorem, hac distinctione: fiduciæ nomine, vel apprehensio, vel applicatio, vel conscientiæ tranquillitas, & acquiescentia intelligitur; priori significatu, minor negatur, ob rationes, tribus syllogismis propositas; posteriori conceditur. Verum hæc exceptio in eo abberrat à recto. Primo quod nititur distinctione significationis vocis fiduciæ, quæ nulla ratione, nullaque scripturæ authoritate, probatur: nam applicatio meriti Christi, id est, certa remissionis peccatorum, & justitiæ propter Christum acceptæ persuasio, in intellectu est: fiducia vero remissionis peccatorum acceptæ in voluntate: est enim per se affectus, qui in intellectu non est: ideoque fiduciæ genus (ut suprà probavimus) esse affectum, seu motum voluntatis, etiam illi, qui fidei formam esse volunt fiduciam, fatentur: & hac sola de causa, fidem, ratione formæ, in voluntate esse contendunt. Deinde fiducia illa, fidem, seu certam notitiam remissionis peccatorum acceptæ, præsupponit: utpote quoniam illi, tanquam certò creditæ, innititur. Denique, quid si etiam fiducia, illam remissionis peccatorum acceptæ certam notitiam, seu persuasionem notaret; nihilominus sequeretur, eam esse posteriorem fide, quæ, ad remissionem peccatorum, primum accipiendam, Euangelio præcipitur: quia illa (ut antea demonstravimus) ordine naturæ, antecedit: contrà fiducia remissionis acceptæ, remissionem acceptam, ordine naturæ, sequitur: multo magis accipiendam. Quod autem à non paucis objicitur: quod πίστις apud Græcos authores interdum significet fiduciam: illud fit non propriè, sed per Meton. causæ pro effecto: quod fides fiduciam efficere soleat: neque etiam utrumque simul, ac conjunctim significat (de quo quæstio est) videl. & fidem, quâ verum credimus; & fiduciam, qua re aliqua creditâ nixi, tranquilli sumus: sed separatim, fides interdum propriè accipitur, de veritatis rei persuasione: interdum impropriè fiduciam notat: nullibi autem vox πίστις, à πείθω, unâ eademque prorsus voce, & propriè, & impropriè accipitur. Sed adversus probationem minoris tertii Syllogismi, ex Paulo Eph. 3. v. 12. ubi fiduciam effectum fidei esse docet (ut etiam communis Interpretum consensus agnoscit) exceptio nobis objicitur, fiduciæ distinctione: quod alia sit habitualis, quæ est habitus mentis & voluntatis: alia actualis, quæ est actio procedens ab illo habitu: Apostolum autem distinguere

guere

guere fiduciam à fide, non habitualem, quæ est ipsa fides; sed actualem, quæ est actio fidei. Sed hæc distinctio argumentum non solvit: verum quidem est, fiduciam esse vel habitualem, vel actualem: sed primùm, malè habitualis describitur, cùm dicitur, quæ habitus mentis & voluntatis: hæc enim duo, propter subjectorum diversitatem, sunt diversæ habitus species, ut Logica docet; neque ex Theologiâ contrarium hactenus probatum est. Deinde genus etiam fiduciæ, nempe affectus, seu motus voluntatis, obstat. Præterea quod dicitur, Apostolus à fide distinguit fiduciam non habitualem, verum est; quia de actuali loquitur: falsum tamen est, quod dicitur, quæ (fiducia habitualis) est fides: nam definitiones fidei, & fiduciæ habitualis, (quæ etiam ab iis proferuntur, qui diversum à nobis sentiunt) diversæ sunt: ideóque definitaidem esse nequeunt. Et licet fiducia actualis sit actio fidei actualis, non tamen est immediata, & in eodem particulari subjecto; sed mediata non in intellectu, sed in voluntate effecta: fides enim habitualis, non qua est, sed quatenus operans est, id est, quatenus actionem fidei producit: eatenus fiduciam habitualem, in voluntate residentem (& sub charitatis voce comprehensam) excitat ad fiduciam actualem producendam. Ex eo enim quod quis verum credit, Deum sibi esse propter Christum proprium; ea fide motus in Deo fiduciam suam collocat. Quare perstat illa argumenti probatio, ex Apostolo deducti. Quia verò in hac quæstione tractanda, ab egregio Theologo (Polano scil. in Syntag.) alia exceptio adfertur, ea quoque expendenda. Aliam enim distinctionem objicit, hoc modo: fiducia, in Pauli dicto, est persuasio certa, in exauditione precum, in nomine Christi factarum. Sed fiducia, quæ est essentialis forma fidei, est certissima persuasio, de veracitate, fidelitate, potentiâ, misericordiâ, & reconciliatione cum Deo, per Christum. Fiducia exauditionis rectè dicitur effectum fidei. Verum hæc distinctio fiduciæ in fiduciam reconciliationis cum Deo, & fiduciam exauditionis, vim argumenti non tollit: quia fiducia exauditionis nihil est aliud, quàm animi, de nostrarum precum exauditione, propter Deum, nobis per Christum reconciliatum, ac Patrem tranquillitas: ideoquè fiduciam reconciliationis includit, Joan. 16. v. 23. Eph. 2. v. 18. Deinde error est in descriptione fiduciæ: persuasio enim ad intellectum, non autem ad voluntatem: fiducia verò ad voluntatem pertinet. Ac licet probatum esset, fiduciam interdum per κατάχρησιν, id est, vocis abusionem quandam, notare persuasionem; inde tamen non sequeretur, fiduciam propriè dictam, esse persuasionem; neque etiam impropriè, hoc loco, accipiendam: quia à propriâ vocum significatione non est recedendum, nisi ratio necessaria postulet, quæ hoc loco deest.

Quartum porrò nostrum argumentum est: quod fidei reproborum commune est, illud non est forma fidei justificantis. Fiducia remissionis peccatorum acceptæ est reproborum fidei commune. Ergo fiducia illa non est fidei justificantis forma. Propositio Logico principio certo innititur: quod forma rei ipsi propria est, non autem communis. Assumtio etiam probatur ex exemplis, Matth. 7. v. 22 Jac. 2. v. 20. cui accedit experientia reproborum, de hac fiducia gloriantium: adeo ut interdum firmiorem habeant fiduciam reprobi, quàm nonnulli verè fideles infirmi, ut etiam in opposito argumento indicatum. At objicitur: quodcunque de fide vera, & salute dubitationem affert, illud non est asserendum. Atqui fiduciam reprobis esse communem, de fide vera, & salute dubitationem affert. Ergo non est asserendum. Veruntamen hęc exceptio argumentum nostrum non solvit. Deinde neque objectionis illius minor vera est: quia fidei vivæ, à mortuâ, distinctio, supra satis est explicata, unde verè fideles salutis habent certitudinem; & licet fiducia remissionis peccatorum, & salutis, sit generatim communis electis, & quibusdam reprobis; speciatim tamen differunt plurimùm: quod videlicet prior ex vivę fidei sensu oriatur: posterior ex inani illius specie, nempe ex fide mortua, ut Matth. 7. v. 22. 23. & Jac. 2. v. 14. 20. apparet.

Atque hoc modo ea, quę diligenter nobis privatim, objecta sunt, absolvimus.

FINIS Appendicis de Fidei Natura.

EXPLICATIO EPISTOLÆ APOSTOLI JACOBI.

Quemadmodum Orthodoxi, Epistolâ Pauli ad Romanos, jure, adversus Pontificiorum errores, utuntur: adeo ut eam quidem, ad Romanos priscos, verè credentes, scriptam, statuant: ita contrà, Pontificii, Epistolâ Jacobi potissimum abutuntur; ut Pauli doctrinam obscurent, & erroribus suis colorem aliquem concilient. Quamobrem opportunè, illâ jam antea explicatâ prolixiori Epistola, ad hanc breviorem, à corruptelis vindicandam, progrediemur.

Ac primùm, ad pleniorem intelligentiam, quædam de titulo, & re ipsa præmittemus; postea ad Epistolæ enarrationem accessuri. Titulus autem est aut universalis, qui operi universo: aut particularis, qui parti illius convenit.

Titulo universali, primùm describitur operis causa: cum efficiens ministra, (quæ adjuncto nomine *Jacobus*; & officio, *Apostolus* declaratur) tum forma communis hujus scripti, nempe *Epistola*; deinde objectum, cum additur *Catholica*. Cujus tituli *authoritas*, *veritas*, & *sententia* excutienda sunt.

De authoritate enim quæri potest ac solet, An hic titulus Epistolæ sit ab authore præscriptus; an vero postea ab aliis adjectus: ut hoc modo à reliquis scriptis, pro more, distingueretur. Arbitramur autem eos rectè sentire, qui ab alio, discretionis causa, præfixum esse titulum censent: nam ut Moses suis libris titulos non indidit; sed alius: idque variè; ita & huic Epistolæ accidisse demonstrat magna titulorum diversitas, in verborum numero, & ordine. Quidam enim breviorem præfigunt, ut Syrus interpres, *Epistola Iacobi Apostoli*, & Oecumen. Græcus Scholiastes. Robert. Stephan. *Iacobi Epistola Catholica*. Alii longiorem, ut Complutensis editio: *Sancti Iacobi Epistola Catholica*; vulgata denique editio, *Epistola Catholica Iacobi Apostoli*. Quæ varietas tanta in tam brevem titulum minimè incidisset, nec ab alio fuisset tolerata, si modo titulus esset genuinus, & non ab alio liberè præfixus. Ac propterea tituli & Epistolæ subjectæ dispar est authoritas.

Ad veritatem deinde quod attinet, non id quæritur, An titulus formam, aut objectum scripti, aut nomen scriptoris fideliter recenseat: hoc enim controversia caret, verumque statuitur consensu communi: sed hoc disquiritur; An officium illius rectè proponat: siquidem de Epistolæ authore, & authoritate, veterum Patrum, & Theologorum nostri ævi, diversæ sunt sententiæ. Multi enim Prophetam, seu hominem sanctum divino Spiritu afflatum, fuisse affirmant: alii tamen pernegant. Et eorum qui affirmant, primùm quidam eum ex Apostolorum numero fuisse arbitrantur. Verùm cùm duo fuerint ejus nominis Apostoli: unus, Zebedæi filius, frater Joannis, dictus Jacobus major;

Syrus

Syrus interpres de illo Jacobo interpretatur, in titulo, cum ait: *ante cujus oculos Deus transformatus est: ut hic fuit Jacobus Zebedæi*, Matth. 17. 1. Sed hæc sententia nec satis quadrat tempori vitæ illius; nec materiæ scripti: non tempori, quoniam Jacobus hic initio tantum Euangelii propagati, apud gentes vicinas, Actor. 8. 4. & 11. 19. è medio sublatus fuerat, per Herodem Actor. 12. hæc verò Epistola postea conscripta est, quando jam inter gentes quoque, longè lateque propagatum esset Euangelium, & ex Judæis, inter eas dispersis, collectæ essent Ecclesiæ, Jacob. c. 1. 1. & donis miraculorum, ac sanationis, presbyteri earum excellerent, Jacob. 5. 14. Deinde nec materiæ scripti convenit: cum enim hæc Epistola potiùs in moribus reformandis fidelium quàm in fide tradenda versetur, apparet conscriptam esse, cùm Euangelium diu multumque esset, Judæis inter gentes versantibus, confirmatum, doctrina & scriptis Apostolorum: idque veterum etiam consensu approbatur.

Alii igitur meliùs censent, qui Jacobum quidem Apostolum, scriptorem hujus Epistolæ statuunt, sed Alphæi filium, Matth. 10. 3. qui frater, hoc est, cognatus Domini, Galat. 1. v. 10. & frater Judæ, Epistola Jud. vers. 1. dicitur; & ætatis suæ, cum altero Jacobo, comparatione, Jacobus minor, Marc. 15. v. 40. & virtutum fama ac præstantia, cum Petro & Joanne, columna nominatur, Galat. 2. vers. 9. Deinde contrà nonnulli Jacobum hunc prophetam, hoc est, divinitus afflatum fuisse agnoscunt, non tamen ex Apostolorum, sed ex LXX. discipulorum numero, eum scilicet quem veteres Patres Jacobum justum, & Obliam (hoc est, *murum*, ut Epiphan. obscura ratione, interpretatur) nominatum, & Hierosolymorum Episcopum fuisse tradunt. De cujus vita, sanctitate, martyrio, multa Hieron. in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, & in comment. ad Galat, 2. & Epiphan. hæref. 78. contra Antidicomarianitas, & Chrysostomus in Matth. homil. 5. Quamvis tamen, contra Helvidium, Hieron. sentiat, hunc Jacobum fratrem Domini fuisse, Alphæi filium: & sanè id probabile videtur, si quis Hieron. argumenta perpendat: nam quod quidam objiciunt: Apostolum non potuisse esse Episcopum, quod Apostolus ad omnes gentes missus sit, Episcopus verò certæ Ecclesiæ astrictus: hunc autem Jacobum justum, à vetustissimis scriptoribus, nominari Hierosolymorum Episcopum; ac propterea non fuisse Apostolum: id negatione consequentiæ, ob argumenti ambiguitatem, diluitur: Episcopus enim (quemadmodum presbyter, 1. Petr. 5. 1.) aut generatim quemvis Ecclesiæ pastorem, qui salutem animarum prospicit, denotat, quomodo hoc nomen Christo, 1. Pet. 2. 25. & Apostolis, Actor. 1. 20. attribuitur: aut speciatim per Synecdoc. particularis tantum Ecclesiæ pastorem significat, 1. Tim. 3. 1. 2.

Quarum significationum hæc quidem in propositione intelligitur; illa vero in assumptione. Non enim propterea appellatus fuit Hierosolymorum Episcopus, quod uni illi Ecclesiæ fuerit affixus, vocationis jure; sed quod ad communem Ecclesiæ utilitatem diutius, ex cæterorum Apostolorum consilio, in ea substiterit, & Apostolatus munere sit functus; ut etiam apparet, Actor. 15. Unde colligitur, cùm postremus suam sententiam dixerit, & statuerit decretum; in Concilio Apostolorum, & Ecclesiæ tum temporis præfuisse: & c. 21. 18. Gal. 1. & 2. Qua etiam ratione Petrus Romanæ Ecclesiæ præfuisse dicitur. Sic enim Aug. contra literas Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit; & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodiè Ioannes sedet*, Deinde ad veterum etiam authoritatem, quod attinet: ea hac in re, (ut in multis aliis historicis) non est tanti ponderis, ut rectę rationi possit præponi: nam si quis eos diligentiùs conferat, comperiet illos in hac Jacobi descriptione à S. Lit. & inter se, variis modis dissidere: legantur tantùm, & conferantur Euseb. hist. Eccl. lib. 2. c. 1. & 23. Epiph. hæref. 78. Chryf. in Mat. homil. 5. & in Acta hom. 3. & 46. & in 1. Cor. hom. 39. & Ambrof. ac Theod. ad Gal. 1. & 2. & Hier. ibidem, & in Epistola ad Aug. & Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, & contra Helvidium.

Cœterùm quod nonnulli hanc Epistolam non à Jacobo discipulo Christi, ac certæ urbis Episcopo: sed contrà, ab Apostolo conscriptam esse, ab Epistolæ objecto probare conantur, quod Catholicam, seu plurimis Ecclesiis communem Epistolam scribere, proprium sit Apostolici muneris: ea ratio probabilis quidem videri posset, sed non necessaria: quia Marcus, qui non fuit Apostolus, commune tamen Euangelium toti Ecclesiæ Dei, conscripsit. Nec mirum etiam fuisset, Judæorum Episcopum, Judæorum hellenistarum quoque habuisse rationem: præsertim, cùm scriptura non hominum voluntate, sed divinitus inspirata sit; illius destinationis, & missionis amplitudo, non pependit à scribentium arbitrio, aut conditione: sed à Spiritus S. dictantis imperio. Atque hæc quidem de eorum sententia, qui Iacobum prophetam fuisse sentiunt, ex Apostolorum, aut LXX. discipulorum numero: ac propterea divinam hujus Epistolę authoritatem agnoscunt ac statuunt. Altera verò sententia contraria eorum est, qui hoc negant, & rationibus quibusdam negationem suam confirmare nituntur: quemadmodum ex Patrum numero præit Euseb. cum ait: *Hactenus de Iacobo, cujus esse dicitur Epistola, quæ inter Catholicas prima est: sciendum est autem, eam esse adulterinam: Non enim multi ex veteribus ejus mentionē faciunt: sicut nec ejus, quæ Iudæ inscribitur, cum & ipsa una sit, quæ ex septem Catholicæ appellantur. Attamen scimus, & istas, cum reliquis, publicè in plurimis Ecclesiis, legi.* Hęc ille hist. Eccl. lib. 2. c. 23. Sed ratio Eusebii infirma est: quia argumentum ab authoritate (ut loquuntur) negativè non concludit. Non meminerunt: Ergo rejecerunt: quia silentium, sufficiens causarum enumeratio non est. Deinde cùm dicat Euseb. ex veteribus mentionem ejus faciunt non multi, testatur aliquos meminisse, quod pluris ęstimandum, quàm aliorum silentium, quo etiam potius, tanquam tacito consensu, quorundam expressum testimonium confirmatum est. Deinde cum Iacobi, & Iudę Epistolę, ab Ecclesia, communi nomine cum reliquis, Catholicæ fuerint dictæ, & publicè in plurimis Ecclesiis lectæ; ex hisce omnibus simul junctis, par authoritas colligitur. Atque eadem est Hieron. sententia, qui, in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, de Iacobo ait: *Unam tantùm scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est, quæ & ipsa, ab alio quodam, sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.* Ut autem à Patribus ad nostra tempora descendamus: inter Pontificios, præcipuè Cajetanus (ut ex Indice errorum ejus, quem Catharinus collegit, apparet) & inter nostros Lutherus potissimum, de hujus Epistolæ authoritate disceptavit. Lutherum secuti sunt ejus discipuli, Magdeburgenses Theologi centuria 1. lib. 2. c. 4. Et Ægidius Hunnius cum collegis in thesibus de S. Scriptura; qui omnes, inter apocrypha N. T. referunt Epistolam Petri secudam, Ioannis secundam & tertiam, Epistolam ad Hebræos, Iacobi, Iudę, & Apocalypsin Ioannis. Sed inquit Hunnius: *quæ tamen scripta, in nostris Ecclesiis majorē authoritatem, quàm Apocrypha V. Test. & propè canonicæ scripturæ parem, obtinent.* Quam sententiam ex Luthero videntur mutuati, qui in pręfatione Epistolæ Iacobi, in Testamento Latino, à se recognito, & edito Francof. anno 54. ait: *Epistolam hanc Iacobi quamvis rejectam à veteribus, tamen laudo, & pro utili ac commoda habeo, vel ob hanc causam, quod planè nihil humanæ doctrinæ asserat, & legem Dei fortiter urgeat. Verùm ut meam de illa sententiam feram (extra tamen præjudicium) existimo nullius Apostoli esse.* Rationes autem suę sententiæ adfert tres potissimum, quas repetunt & amplificant Centuriatores. Nos eas commodioris doctrinæ gratiâ ad certos fontes revocabimus. Rationes enim adductę sunt partim à dissensione scripturæ Apostolicæ, partim à consensione nimiâ, in iisdem sententiis. Ac dissensionis objiciunt tres modos: quorum primus est, in forma seu analogia fidei, à qua, Iacobum, tribus sententiis, dissentire ajunt. Primò, quod apertè contra Paulum, Rom. 3. & 4. & contra reliquam totam S. Scripturam, operibus nostris, & Abrahami, justificationem tribuat. Secundò, quod in eo defendi non possit, quod locum Genes. 15. qui solùm de fide, & non de operibus loquitur (ut Rom. 4. liquet) ad opera accommodet.

Tertiò, quod cap. 1. *legem* vocat *libertatis*; cum tamen à Paulo vocetur *lex servitutis*, Gal. 4. & alibi, *iræ*, *mortis*, *peccati*. Et ob hasce rationes existimo, hanc Epistolam initio appellatam fuisse à Luthero, ex scripturæ phrasi. 1. Cor. c. 3. *stramineam*: quod tantopere Pontificii exagitant; cùm tamen non durius, quàm Euseb. multo prius, ita sit locutus: & postea, re melius perpensa, duriora hæc verba delevit: ut Bibliorum Germanicorum editiones posteriores omnes demonstrant. Sed ad hasce difficultates, à Luthero, & discipulis illius objectas, in earum expositione, opportuniùs suis locis respondebimus, & speciem dissensionis diluemus. Illud tantùm hic observandum est, non satis liquere, quomodo Lutherus, vir alioqui insignis, in hac re, dùm Jacobi cum Paulo dissensionem asserit, ac probare studet, à seipso, & prima assertione sua, non dissentiat. Nam si hęc Epistola (ut initio, profitetur) nihil humanæ doctrinæ asserat, quomodo verum est, quod postea subjicit, eum Paulo, & Sacræ Scripturæ adversari, nec defendi posse?

Cœterum secundus, quem objiciunt dissensionis modus, est in scripti materia, & docendi modo. Quod Christum non docet, non est Apostolicum: quia Paulus dicit, se præter Christum nihil scire, 1. Cor. 2. Et Christus ait Joan. 15. *vos testimonium perhibebitis de me*. Atqui hæc Epistola Christum non docet: quia ne semel quidem meminit passionis, resurrectionis, & Spiritus Sancti missionis. Nominat quidem Christum, sed de eo nihil docet, & loquitur de communi fide in Deum. Unde concludunt: hanc Epistolam non esse scriptum Apostolicum.

Sed negatur assumptio: nam se Christi servum profitetur, eoque passionem, & resurrectionem simul indicat. Deinde fide nos justificari, docet; & fidem veram à ficta discriminat, ex effectis. Nec enim erat necesse tum temporis, ut ita expressè de gratia Christi dissereret, cùm copiose satis illud à reliquis Apostolis esset factitatum: nam quod regerunt Centuriatores, Apostolos reliquos à gratia Christi incipere; & cùm ad præcepta de vita Christiana accedunt, argumenta ex eodem fonte derivare, ac propterea eandem hujus Epistolæ fore rationem, si esset Apostolica. Verùm negatur consequentia, quoniam cum illud abunde factum esset ab aliis, & Judæi illi, ad quos scribit, essent in doctrina fidei satis confirmati, non mirum est, si ad eos sese accommodarit. Quemadmodum in Psalmis de Christo, & gratia Dei, ac fide plurimùm; de moribus parcius; In proverbiis contrà, parum de fide, de moribus plurimùm agitur, attamen unius ejusdemque Spiritus instinctu: ita eadem hîc, & in aliis Epistolis, ratio est. Tertiam addunt dissensionis speciem Centuriatores in titulo positam, quem sibi scriptor hujus Epistolæ tribuit, quod se non Apostolum, ut Paulus, & Petrus; sed servum Christi appellat.

Sed hæc objectio levior est superiori: quia Paulus, Philipp. 1. 1. eundem sequitur modum. Atque hæc de dissensione, quam objiciunt temerè. Alterum verò objectionis genus est consensio nimia, cum reliquis. Apostolis. in iisdem proferendis sententiis: adeo ut hanc Epistolam, ex aliis collectam, conjiciant. Prima autem est sententiæ Petri cap. 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Item *humiliamini sub potenti manu Dei*, 1. Pet. 5. 6. deinde & Pauli; *Spiritus concupiscit adversus carnem*.

Verùm hæc objectio non est magni momenti: nam cum idem Spiritus dictaret Apostolis suas Epistolas, non est mirum, si in quibusdam sententiis conveniant. Quemadmodum Esaiæ, Jeremiæ, & aliis prophetis evenit: & Petrus 1. Petr. 3. v. 9. cum Paulo, Roman. 12. v. 17. convenit Deinde quis ignorat easdem sententias, præsertim breviores, & de rebus notis, variis etiam scriptoribus, sine alterius lectione posse venire in mentem. Quare ex sententiarum paucissimarum & brevissimarum convenientia cum Pauli & Petri Epistolis, colligi nullo modo potest, eam esse ex iis transcriptam. Deinde non solùm consequentia hujus objectionis non est necessaria: sed etiam antecedens ratio non est satis firma. Nam prima illa sententia Petri, non est Petri, sed Salomonis, Proverb. 10. v. 12. nec eam etiam Jacobus habet eo modo; sed aliter, Iacob. 5. v. 20. Deinde nec secunda sententia, Iacob. 4. 10. cum prima Petri, cap. 5. 6. eadem est verbis, quamvis sensu congruat, & quidem talis est sententia quæ cuivis pio, ex communi Vest. Testam. & Christi doctrina potuisset in mentem venire, sine ullo Petri indicio. Denique ad Pauli sententiam quod spectat, ea perperam refertur, & Jacobus verbis & sententia à Paulo diversus est; quemadmodum, cum ad eum locum perventum fuerit, ostendemus.

Atque hactenus Lutheri & Magdeburgensium argumenta. Coronidis autem loco quid de Epistolæ hujus authore sentiat Lutherus, annotandum existimo: ait enim. *In ea sum opinione, fuisse probum aliquem virum, qui sententias aliquas, ex discipulis Apostolorum, collegerit, & in chartas congesserit*: Cujus judicii sui rationem adfert Lutherus hujusmodi: quod nullo ordine pleraque commisceat. Sed aliquem tamen esse ordinem, ex analysi constabit. Hisce addit Luth. *Summa: his voluit resistere iis, & conatus eorum infringere, qui de fide gloriabantur, sine operibus: & tamen impar fuit ei negotio. Vult inculcando legem illud efficere, quod Apostoli fecerunt, ad dilectionum invitando. Quare non possum ei locum dare inter primarios Scripturæ Sacræ libros: nemini tamen prohibitum volo, ut, quo velit, loco habeat. Continet enim multas utiles sententias.*

Hæc de Lutheri atque veterum sententia. Unde apparet non satis gravia esse argumenta, quibus hujus Epistolæ authoritas impugnatur. Ac propterea meritò divinam esse hujus Epistolæ authoritatem concludimus: quia nihil complectitur, quod non cum reliqua Sacra Scriptura probè consentiat, materia, forma, stylo. Deinde quia ex antiquissimis Ecclesiæ scriptoribus, nullus eam rejecit; nonnulli verò eam apertè probarunt, & tandem universa Ecclesia consensit, ut ex superioribus constat.

Atque hactenus de prioris partis tituli hujus veritate, & Epistolæ authoritate: superest jam, ut de alterius etiam partis, nempe objecti descriptione, & sententiâ, pauca dicamus.

Objectùm, adjuncta in titulo vóce *Catholica* describitur: nam quod vulgata Latina interpretatio legit *Canonica*, id aut judicio factum, ut authoritas illius indicaretur: aut errore quodam: quemadmodum in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymi, in descriptione Petri, & Jacobi, pro Catholica, vox Canonica à Sciolo substituta fuit, ut ex Græca Sophronii versione, demonstrat Erasmus. Huc accedit Græcorum omnium Nov. Test. codicum, & Theodoreti, & Oecumenii consensus: ex quo elucet hujus vocis genuina lectio. Ad sententiam verò quod attinet, videri posset is, qui Canonicæ vocem adiecit, vocem Catholicam eo modo interpretatus: quemadmodum media Patrum ætate, *Catholicum* pro orthodoxo, & universali Ecclesiæ probato, κατ' ἐξοχὴν, dictum fuit. Verùm communis & recepta vulgo ea est sententia, quam ex Theodoreto refert Oecumenius: Eas Epistolas appellatas esse Catholicas, id est, universales, quod non separatim genti uni, aut urbi: sed universè credentibus, sive Judæis, sive omnibus Christianis conscriptæ sunt. Sed objiciat aliquis: Veteres Patres, septem Epistolas, Jacobi, Petri, Joannis, Judæ, communiter Catholicas appellarunt, ac septem numerarunt, ut testatur Hieron. Catal. script. Ecclef. in Jacobo; Et ante ipsum Euseb. histor. Ecclef. lib. 2. cap. 23. cum tam secunda & tertia Joannis Epistolæ sint certis hominibus destinatæ. Ergo non videtur ea vera esse nominis ratio. Atque hoc argumentum stabilire videtur eorum sententiam, qui Catholicum, & Canonicum, pro synonymis habent: ut scilicet hac inscriptione quinque Epistolæ; quæ suspectę nonnullis erant, reliquis duabus ac certis, communi nomine, æquarentur. Sed hujus nodi solutio potest esse duplex. Prima, Eusebium, Hieronymum, aliosque veteres hasce septem, Catholicas vocasse Epistolas Synecdochicè, à parte majori. Si quis verò excipiat, in exemplaribus quibusdam Græcis, ut puta Plantini, hanc vocem καθολικὴ, in II. & III. Joannis Epistolæ titulis, expressam esse: reponi potest, eos titulos in veteribus codicibus, & Patribus, aliter extare; ac propterea non esse tanti. Huc

ti. Huc addi potest solutio secunda, *Catholicum* bifariam accipi: propriè pro universali; & impropriè per Meton. pro eo quod illi adjunctum est; illo modo quinque; hoc vero reliquæ duæ Catholicæ sunt appellatæ: ita Psalmi Davidis 150 dicuntur, cum tamen nonnulli ab aliis Prophetis conscripti sint. Absoluta hac tituli primi Epistolæ explicatione, de altero particulari ageremus, qui est *caput primum*: verùm quia de capitum origine, progressu & distinctione varia, aliàs fusius disseruimus, ne quid nos amplius remoretur, pauca etiam de ordine, quem hæc Epist. inter Catholicas obtinet, exponemus. Nam duo potissimum disceptari possunt, nempe quis author sit hujus ordinis, & quæ ratio illius. Cùm enim primum obtineat locum, inter 7. Epistolas Catholicas, quæritur: an hic ordo ab Apostolis ipsis promanarit: an verò ab Ecclesia, quæ, Apostolos secuta, libros Nov. Testam. in certum ordinem redegerit. Nos (salvo aliorum judicio) ab Apostolis ortum minimè arbitramur. Nam alioqui, si ordo omnium librorum Nov. Testam. ab iis promanasset, sequens Ecclesia eundem in recensione religiosè omninò conservasset. At verò secus contigisse, ex veterum scriptis, apparet: nam ex Tertulliano contra Marcion. lib. 5. colligi potest, alium, eo tempore, ordinem certum, aut arbitrarium fuisse Epistolarum Pauli, quàm qui jam extat. Deinde in canonibus, qui falsò quidem Apostolorum vocantur, sed tamen citra controversiam antiqui sunt, Jacobi Epistola, duabus Petri, & tribus Joannis postponitur: deinde Acta Apostolorum ultimo loco collocantur, canon. 84. Contra Athanasius, in Synopsi divinæ scripturæ, 7. Catholicas Epistolas esse ait, easque eo ordine, qui nunc obtinet, enumerat; sed tamen eas Epistolis Pauli præmittit: & inter hasce quoque, Epistolam ad Hebræos, reliquis ad Timoth. Titum & Philem. præponit. Similis ratio est Concilii Laodicei can. 59. in quo etiam pro voce καθολικὰ, quæ in Græco textu reperitur, malè in Latina versione est *canonicæ* vox. Denique, ut alia omittam, in Pontificiis Conciliis Floren. & Trid. Iacobi Epistola Petri & Ioannis Epistolis postponitur: quod non tam antiquitatis, quàm superstitionis studio factum videtur, ut Petrus primas obtineret; & scilicet Petri successor Pontifex: qua de re consulatur prologus in Epistolam Iacobi apud Lyranum, &c. Ex quibus omnibus meritò concludi potest, hanc Iacobi Epistolam ordine primam esse, non Apostolorum, sed sequentis Ecclesiæ judicio. Quæ verò hujus ordinis sit ratio, incertum est: nam cum librorum ordo, alius sit dignitatis, vel causæ, vel objecti; alius temporis: quidam arbitrantur, propter objecti dignitatem, hanc Epistolam primo loco esse collocatam, quod ad Iudæos sit scripta, quibus Dominus per seipsum Euangelium annuntiavit, ad quos primùm etiam missus fuit, Matth. 10. 15. & Apostolos legavit primùm, Actor. 13. 26 Sed hæc ratio infirma est, quoniam Petri Epistola prima, iisdem apertè inscripta est. Alii ordinem temporis, quo conscripta est, servatum censent, quod Jacobus annos post Christi passionem xxx. Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuit, usque ad annum 6. Neronis, quo martyr obiit: Petrus verò ultimo Neronis, quo tempore Epistolas conscripsit, 2. Pet. 1. 13. Ioannes vero post reliquos omnes, ac post mortem Domitiani, Euangelium, & Epistolas conscripsit.

Atque hæc de ordinis authore & ratione, quæ olim arbitraria fuisse videtur, sufficient. Superest ut etiam de reipsa quædam, ad difficilioris hujus Epistolæ diligentiorem explicationem, præmittamus: nam ut ait Hieron. Epist. ad Paulinum tom. 3. *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, Apostoli, 7. Epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas, & breves pariter & longas: breves in verbis, & longas in sententiis: ut rarus sit, qui non in earum explicatione cæcutiat.* Hæc Hieron. Quæ verò ad rem præmittenda, ea sunt *descriptio*, & *partitio*. Descriptionem autem (quæ præter cœtera, occasionem, scopum, materiam complectitur) hanc statuimus: *Epistola Iacobi est sacrum, ac divinum Nov. Testam. scriptum: quo fideles Iudæos, per gentes dispersos, & tentatos, partim foris, hostium persecutione, partim intus, malis hypocritarum exemplis; gravi institutione, ab impatientia, & inani fidei jactatione revocat, & ad Christianam patientiam, fidemque, bonis operibus demonstrandam, provocat, & inflammat: ad Ecclesiæ salutem, & Dei in Christo gloriam.*

Occasio enim scripti videtur fuisse duplex: persecutio illata foris à tyrannis, & Judæis infidelibus, Iac. 1. 1. & 12. 1. Thessal. 2. 14. 15 & noxia quorundam, in Ecclesiæ sinu, hypocrisis, qui malè accepta doctrina de gratuita fidei justificatione, & libertate Christiana, Rom. 6. 1. & 14. eaque abusi, Iac. 2 1. 2. Pet. 1. 19. improbè, ad Christianæ religionis dedecus, & Ecclesiæ detrimentum, vivebant. Quæ utraque scriptionis occasio, ex tractatione Epistolę c. 1. & 2. satis elucet. Et probabile est, quod ait Aug. ad hunc errorem corrigendum, Epistolas Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, esse conscriptas. lib. de fide & operibus c. 14 potissimum verò ex Pauli Epistolis malè intellectis, & perversis, hunc errorem promanasse, credibile est, Rom. 3. 8. 6. 15. Gal. 5. 13. 2. Pet. 3. 15. 16.

Scopus igitur, & finis hujus Epistolæ proximus, est consolatio Iudæorum in adversis, & correctio vitæ. Remotus, est communis Ecclesiæ Christi, ad finem usque mundi, institutio, & salus: quia, ut concinnè, & doctè contra Marcio. Tertull. qui Epistolam ad Ephesios, perperam Epistolam ad Laodicæos vocabat, ait lib. 5: *nihil de titulis interest, cùm ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam.* Hæc ille. Quemadmodum enim in Vet. Testam. scribendi occasionem, Deo dictante, certæ Ecclesiæ judaicæ, aut aliorum populorum conditiones dederunt, & tamen usus Prophetarum est communis Ecclesiæ, & perpetuus Rom. 15. 4. 5. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 19. 20. 21. eadem etiam ratione occasionem quidem scriptioni hujus epistolę prębuit Ecclesię Iudaicę dispersę calamitas, & vita; sed usus est communis hujus epistolæ, fidelibus omnibus, ad finem mundi. Vltimus denique finis spectat Dei in Christo gloriam: ad quem scopum, variis hortationibus, & reprehensionibus, tendit. Ut autem à descriptione, ad partitionem epistolæ, transeamus, partes apparent duæ, *Præfatio*, & *Rei Tractatio*. Et illa quidem ad benevolentiam, & authoritatem comparata, continet salutationem. Cujus pars antecedens scriptorem hujus epistolæ, qui salutat describit, nomine *Iacobus*, de quo in titulo actum est, & officio; cùm se *Dei, ac Domini nostri Iesu Christi servum* vocat. Cùm autem servi Dei sint diversi generis, distinctione est opus, ad hujus officii intelligentiam. *Servus* enim *Dei*, alius est naturâ, quemadmodum propriè omnes creaturę rationales, quæ ad rationalem cultum, creationis & conservationis jure, & summi boni, Dei servitium devinctæ sunt: & impropriè per metaphoram reliquæ omnes creaturæ, quà ratione, communiter, ob creationem, Deus omnium Dominus & Dominus exercituum, passim in Sacris Literis, appellatur. Alius verò servus est accidente gratiâ Dei, vel salutifera ac propria electis, per redemtionem, & vocationem ad veram fidem & spiritualem cultum, ut omnes fideles: vel gratia communi, ratione vocationis ad munus externum, seu politicum, Rom. 13. 4. sive Ecclesiasticum, quemadmodum Dei in Ecclesia ministri ordinarii, aut extraordinarii, *servi Dei* appellantur. Hac autem voce, Jacobus, aut generatim se Euangelii ministrum, aut κατ' ἐξοχὴν apostolum intelligit. Nam quod quidam putant servum Dei, hoc in loco, Euangelii ministrum generatim, Christi verò servum apostolum denotare, illud non videtur satis firmum: sed potiùs alterum alterius expositio est. Præstantius verò est, quod quidam nomen Dei non de Patre, sed de Christo, Deo & Domino, interpretantur, quemadmodum Tit. 2. 13. similis est locus.

Hæc de salutationis parte prima, seu subjecto. Altera verò pars, seu attributum epistolæ, & salutationis objectum, & formam illius, seu quos, & quomodo salutet, disertè indicat. *Salutat* enim *duodecim tribus dispersas*. Intelligit autem κατ' ἐξοχὴν tribus Israëlis, & συνεκδοχικῶς; partem earum, Israëlitas Christianos: quemadmodum Petrus eosdem *electos* 1. Pet. 1. 1. & Iac. 1. 2. *fratres* vocat. Hi autem dispersi fuerunt extra patriam, per varias mundi regiones. Dispersiones autem aliæ fuerunt universales, seu tribuum integrarum: quales præcipuæ fuerunt duæ: prima, cum decem tribus per regnum Assyriorum, sunt dispersæ: al-

tera, cùm reliquæ duæ, Iuda & Benjamin, in captivitatem Babylonicam abductæ sunt: ex quibus minima pars rediit. Quod malum, Monarchiæ Babylonicæ, & Persicæ eversione, & Regum Syriæ persecutione, auctum est. Quarum dispersionum ratione, Act 2. 5. dicuntur fuisse *Hierosolymis Iudæi, ex omni natione eorum, qui sunt sub cœlo.* Atque hæ dispersiones fuerunt antiquæ. Aliæ verò præter hasce extiterunt particulares, & recentiores, conversorum ad Christum, qui propter fidem in Christum, persecutionis tempestate, dispersi erant, Act. 8. 1. & 11. 19. quas quidam, hoc in loco, intelligi putant. Sed cum hi dispersi non habuerint suos distinctos cœtus, ut quos Iacobus alloquitur c. 2. v. 2. & Ecclesias inter gentes; sed cum reliquis Christianis, quos invenerant, coaluerint; non est credibile, Iacobum ad illos particulariter scribere; & recentem paucorum dispersionem intelligere: sed potius eos, qui ex antiquis dispersionibus, longè latèque inter gentes versabantur, & Christum amplexi erant, ut ex collatione 1. Pet. 1. 1. apparet. Atque hæc de salutationis objecto. Forma verò est, *χαίρειν gaudere*, i.e. per Metonymiam effecti pro causa, *salvere*: quam quidem vulgarem salutandi formulam non vulgariter intelligit, sed de salute corporis & animæ, quæ solida gaudii materia. Sed objiciunt nonnulli, hanc salutandi formulam, non esse Apostolicam: Apostolos enim gratiam, & pacem Dei precari, eoque modo videri hanc epistolam non esse Apostolicam. Verùm negatur antecedens: quia Apostoli hac salutatione usi sunt bifariam, primò si rem spectes; nam quod Christus jussit discipulos dicere, more Hebræo, *pax vobis* Mat. 10. illud eodem sensu dicitur, *salvere*: quemadmodum etiam Ioannes epist. 3. habet εὐοδῶσθαι καὶ ὑγιαίνειν *prosperè agere, & valere*. deinde non solùm reipsa salutatio Apostolica est, sed etiam vocis formula, ut constat ex Apostolorum ad gentes epistola, Actor. 15. 23. Huc accedit rei opportunitas: cum enim persecutionibus essent obnoxii, & consolari vellet, commodè salutationem, eo pertinentem, delegit. Quare exposita præfatione, v. 1. ad Tractationem, quæ sequentibus continetur, transeamus. Ea autem est partim dogmatica: partim ac maximè parænetica, variis exhortationibus constans. Ordo autem arbitrarius est, ut in hoc genere fieri solet: quemadmodum etiam proverbiorum liber demonstrat: non enim ita distinctè adhortationes proponuntur, quin subinde insertis commodis digressionibus, ad easdem recurratur. Hortatur autem Apostolus, hoc capite, ad officium, primùm afflictos; deinde divites; postremò utrosque. Et primo quidem continet adhortationem ad bonum; secundò dehortationem à malo. Adhortatio autem est triplex: ad consolationem Christianam; ad perseverantiam; ad preces, ordine convenientissimo. Ac prima adhortatio proponitur, v. 2. & confirmatur, v. 3. Propositionis (quæ tanquam paradoxum, Christianorum carni absurda videtur) autem sententia hæc est: Christiani, variis rebus adversis afflicti, magnoperè gaudere debent. Pars antecedens, seu subjectum, eos, quos apostolus hortatur, describit, à relatis & adjunctis. Vocat enim *fratres suos*, ut mutuam benevolentiam sibi comparet, conjunctionis & amoris significatione: Fratres enim fuere, primùm cognatione carnali, ex semine corruptibili, generatione ex Israële, Act. 7. 23. & 13. 26 Rom. 9. 3. deinde cognatione spirituali, per regenerationem, & adoptionem divinam: qua communem habebant matrem Ecclesiam, Gal. 4. 26. & Deum patrem Eph. 4. 6. & ex Deo nati erant, Ioan. 1. 12. ex semine incorruptibili, verbo Dei 1. Pet. 1. 22. Mat. 23. v. 8. & 9. Hos autem fratres describit ab adjuncta conditione communi Ecclesiæ: *Cum*, inquit, *incideritis in varias tentationes*, id est, res adversas, religionis ergò; quas per Metonymiam effecti pro causa, *tentationes* nuncupat: quia iis, fides, & constantia Christiana, à Deo tentantur, & examinantur, ac probantur, ut v. 3. docetur: loquitur enim Iacob. hoc loco, non universè, de quibusvis, ut Mat. 6. 13. 1. Pet. 4. 15. sed Synecd. de tentationibus externis, seu persecutionibus, ob veræ fidei professionem, & vitam Christianam. Quas, adjuncto, emphaticè illustrat, cum *varias* appellat: ut ostenderet fideles non nonnullis, sed pluribus: nec unius tantum modi afflictionibus, sed diversis esse obnoxios, Psal. 34. 20. Act. 14. 22. 1. Pet. 1. 6. & 8. Hęc autem varietas in causa efficiente, seu personis, & in forma seu reipsa consistit: nam, si efficientem spectemus, hi fideles dispersi affligebantur, primùm à cognatis infidelibus Iudæis; partim excommunicatione, qua Synagoga ejiciebantur; partim accusatione falsâ, & hostili, apud Magistratum & populum, ut è medio tollerentur: deinde ab Ethnicis, qui fidelium cœtus, & conciones non ferebant. Sin verò formam & rem ipsam attendamus, varietas afflictionũ magna fuit, cùm in bonis corporis, exilio, carcere, tormentis; tum in bonis externis, quod facultatibus suis, honore, amicis spoliarentur, & ad paupertatem atque ignominiam redigerentur. Quæ omnia jam dicta, ex Act. c. 13. 50. & 14. 5. 18. 12. Gal. 6. 12. 1. Thes. 2. 14. 15. Heb. 10. 32. manifestè comprobantur. Vnde subjectum quidem adhortationis, quo piorũ, in hac vita, conditio declaratur, intelligi potest. Attributum verò eorundum in tentatione officium continet, ut non tantùm placido animo, sed etiam lętissimo, res adversas ferant, religionis ergo: *existimate*, inquit, *gaudium*, i.e. materiam, & objectum gaudii, seu rem gaudio dignam, per Meton. adjuncti ut Luc. 2. 10. quod quidem amplificat adjuncta quantitate, cum addit *omne*. Quæ vox, hoc in loco, non ad quantitatem discretam: sed quasi ad continuam, referenda est: nec enim universalitatem, ut loquuntur, generis alicujus hic notat; sed rei cui adjungitur perfectionem designat; ut Rom. 15. 13. *omne gaudium*, pro perfecto, seu numeris suis absoluto: & ut Ioan. 1. ep. 1. 4. vocat, *pleno*, & ut Latinè dicimus, pro *solido* accipitur. Sed objiciat aliquis: hęc doctrina est merum paradoxum, quod videtur contra naturam & Scripturam positum: contra naturam ac plusquã Stoicum est, ut amara dulcia habeantur; & ut, quę ortu suo pœnæ sunt peccati, satellites mortis, ac postremi hostis, Apoc. 21. 4. gaudio sint; simulq; lugeamus, & gaudeamus: deinde contra Scripturam, quia primùm testimonia ejus repugnant, Mat. 5. 4. *beati qui lugent*, Luc. 6. 21. *beati qui nunc fletis*: Ioan. 16. 29. *Mundus gaudebit, vos lugebitis*: deinde exempla Sanctorum, quorum lachrymę altera vitâ eluentur. Apoc. 21. 4. Veruntamen ut paradoxum esse agnoscimus: ita rectè intellectum, nec naturę, nec Scripturę adversatur: nam contrariæ affectiones possunt in homine esse, dispari gradu, & diverso respectu, ut apparet ex Ps. 2. 11. *Exultate cum tremore*: nam res adversę, per se, quatenus naturam lędunt, sunt materia tristitię: sed per accidens, ratione conditionis humanę, & usus boni, quem à Deo habent in verè fidelibus, sunt materia gaudii, Mat. 5. 11. & 12. quemadmodum amara potio, per se, ingrata ęgro: sed per accidens morbi, & propter vim potionis, ad morbum tollendum, æger eâ delectatur: sic pii, Christi calicis, & crucis amaritudinem, quam per se habet, sentiunt, & adversantur: sed ratione causę morbi sui, qui eâ curandus, tum spei salutis & glorię Dei, quę inde promovetur, gaudent. Rom. 5. 2. 3 & 2. Cor. 4 17 18. *gemit externus homo. gaudet internus*, 2. Cor. 4. 16. pii non sunt trunci, dolent: sed dolorem tamen fide & spe superant: ac propterea utrumque conjungitur, 1. Pet. 1. 6: nam afflictiones, malę suâ naturâ, per accidens gratię Dei, ipsum amantibus cooperantur in bonum, Rom. 8. 28. & per consolationem Spiritus Christi, per fidem & spem, gaudium afferunt, 2. Cor. 1. 5. Sed dicat aliquis: quod pii refugiunt, ac deprecantur, eo gaudendum non est. At pii afflictiones refugiunt, ac deprecantur, Ps. 50. 15. Act. 12. 5. Ergo iis non est gaudendum. Resp. Argumentum in propositione acceptum simpliciter & generatim, & in assumptione secundum quid ac relatè, paralogismum efficere: nam pii non omninò refugiunt afflictiones: sed quatenus & naturam lędunt, & glorię Dei, ac saluti suę, & Ecclesię interdum obesse vident: deinde cum conditione, si Deus velit. Deprecantur igitur interdum ad gloriam Dei, ne improbi nomen ipsius blasphement, Ioel. 2. 17. Dan. 9. 19. & ad salutem suam, ne malis victi murmurent adversus Dei providentiam, aut justitiam. Ideoque sapiens deprecabatur non paupertatem: sed nimiam paupertatem, Prov. 30. 9. ita nos petimus, ut si Deus volet, ad gloriam nominis sui, & nostram, aliorumque piorum consolationem, malis eripiat; aut fortitudine invicta muniat, secundùm promissionem, Ps. 125. v. 3. 1. Cor. 10. v. 13. 2. Pet. 2. vers. 9. Diversa ergò ratio, contra-

contradictionis speciem tollit; gaudemus persecutionibus, non quatenus sunt afflictiones; sed ratione effecti, per accidens; ita contrà, interdum, effecti contrarii ratione, dolemus. Atque hæc de v.2 & Hortationis ad consolationem Christianam propositione. Sequitur confirmatio bimembris, à persecutionum effectu, & fructu gemino. Primus est *exploratio fidei*: sic enim emphaticè, per Metonymiam effecti, persecutiones vocat, quod iis fides, ut aurum igne, probetur, id est, ad gloriam Dei, & piorum exemplum, Phil. 1. 14. declaretur, & ab hypocritica discernatur, Matth. 13. 21. & quasi à scoriâ purgetur, 1. Pet. 1. 7. & 4. 17. Alter fructus est tolerantia: nam ut corpora tenella, variis laboribus, indurantur: sic animus piorum, variis persecutionibus paulatim assuefactus, firmior, & tolerantior redditur. Quæ duo effecta, & rationes propositæ hortationis, à testimonio conscientiæ fidelium, confirmat Iacobus, cum ait: *scientes*, v. 3. ut Rom. 5. 3. 2. Cor. 4. 18.

Porrò huic primæ adhortationi, altera deinde adjungitur, transitione eleganti, ad tolerantię perseverantiam, quam *opere perfecto* notat, inchoato opponens, & à fine suo illustrat, *ut sint perfecti, nihilque ipsis desit*, id est, ut scientia, & constanti executione officii polleant, v. 4. Tertia adhortatio ad preces, ex superiori concinnè fluens, proponitur anticipatione quadam: potuissent enim quidam fideles objicere, sibi deesse hanc sapientiam, qua cognoscant persecutiones tolerantiam efficere, & justam esse gaudii materiam. Ideoque ostendit primò: si cui sapientia desit, à quo petenda; & quomodo. Docet enim scientiæ & tolerantiæ causam efficientem principalem esse Deum, & instrumentalem precationem fidelium. *Postulet*, inquit, *à Deo*. Idque confirmat ratione, ab effecto, seu promissione donationis, cum ait: *& dabitur illi*: quam etiam probat descriptione Dei, à perpetua consuetudine illius, quod *omnibus*, nimirum bene precantibus, *det*, & quidem *benignè*, ac sincerè *sine exprobratione*, scilicet nisi homines ingrati sint, & donis Dei abutantur, v. 5. Modus verò precationis est, ut adsit fides; quæ gratiæ Dei in Christo, & promissioni exauditionis constanter innitatur: & contrà absit dubitatio de Dei propitia & benevola voluntate donandi sapientiam, ad salutem necessariam. Idque ostendit duobus argumentis, quorum prius à dubitationis, & incredulitatis peccato, ac turpitudine deducitur, quam simili illustrat v. 6. Alterum verò ab effecto, & pœna, quod exauditionem, & quidem omnem impediat, quamdiu scilicet durat, seu nisi resipiscentia & fides succedant, & dubitationem tollant, v. 7. Loquitur autem Apostolus non absolutè, de quavis dubitatione, quæ fidei repugnat: sed de ea solum quæ fidem opprimit, & oppugnat: seu non de dubitatione carnis reluctante; sed dominante: illa enim à spiritu vincitur & exauditionem precum non tollit: hæc verò contrà. Cœterum prima ratio repetitione illustratur, & amplificatur, quod qui ita dubitat in precibus, sit *animo duplici*, id est hypocrita, *& inconstans in omnibus viis*, id est per metaphoram, cogitationibus, studiis, dictis, factis *suis*. Atquè ita, tribus hisce exhortationibus aptè explicatis, redit Apostolus ad primam: cujus subjectum à specie illustrat, & attributum ab effecto amplificat: nam pro variis fratrum tentationibus, de quibus egit v. 2. hic reponit *humilem conditionem*, id est, pauperem & abjectam: & pro omni gaudio, *gloriationem in sublimitate*: quæ sita est in cognitione Christi, Iohan. 17. 3. Phil. 3. 1. justificatione, Rom. 8. 33. & 38 adoptione in filios Dei, Ioann. 1. 13. & 1. Ioan. 3. 1. in crucis Christi dignitate & utilitate 2. Cor. 4. 16. 17. 18. Phil. 2 28. 29. cum in hac vita, Rom. 5. 3. Iac. 1. 3. tum in altera, Iac. 1. 12. Rom. 5. 2. & 2. Tim. 2 12. de quibus omnibus Phil. 3. 8. 9. 10. 11. Atq; hæ hortationes omnes afflictos spectant; sequens verò divites, id est, fortunatos, quos similiter hortatur Apostolus ad gloriationem in sua humiliatione. Verum cum ea sit, aut conditionis, aut animi, id est, aut humilem sortem, aut animi virtutem notet: priori quidem modo bifariam à viris doctis accipitur: à nonnullis de amissione opum: ab aliis probabilius de origine opum, quod nihil habeat dives à se, vel suo merito; sed omnia à Dei misericordia, 1. Tim. 6 16. Sed his modis ratio, quam Iacobus subjicit, non satis videtur convenire. Quare alii non de conditionis, sed de animi humilitate, & demissione rectius interpretantur: ut enim pauperes queruli, nimiâ animi humiliatione, & desperatione impingere solent: sic contrà divites gloriosi, nimiâ elatione, ac superbia, peccare consueverunt. Ac propterea utrosque convenientissimè, ad contrarias hisce vitiis virtutes, hortatur. Ratio autem Apostoli petita est à divitiarum, quibus superbire solent, inconstantia, 1 Tim. 6. v. 17. Quam inconstantiam, eleganti floris herbæ similitudine, illustrat, primum contractè, vers. 10. deinde explicatè suis partibus: protasis quidem est: ut enim solis exorti æstu herba arescit, & flos illius decidit, & decor illius perit: apodosis verò: *ita & dives in suis gressibus marcescet*, est, suo splendore, oborto persecutionis, aut calamitatis alicujus æstu, spoliabitur. Nam quod quidam hunc locum ita exponunt, ac si duæ proponerentur rationes: una, ab adjuncta divitiis inconstantia: altera, ab earum effectu, quod æternum exitium afferunt, dum infinitas peccandi occasiones suggerant, Prov. 30. & fiduciam, quæ Deo debetur, ad se transferant, illud coactius est: nam v. 11. nihil exponitur quod non propositum, v. 10. *Marcescere* enim & præterire, re idem sunt: & Jacobus docet fore, ut dives, etiam humilis animo, prætereat; nempe quà dives, quod ex divite facile fieri possit egenus: atque eadem est marcescendi sententia. Quare quod nonnulli interpretantur *marcescet*, id est, peribit æterno exitio, scilicet si divitiis suis confidat, non autem spem in Dominum reponat, illud alienius est. Cœterùm Apostolus redit ad primam eamque principalem exhortationem, de gaudio in tentationibus, quam epiphonemate confirmat, & tertio novo argumento probat, ab adjuncto, ac consequente beatitudine: quam comprobat à specie, corona vitæ æternæ, quam probatus tandem accipiet. Idq; demonstrat, à veritate Dei, quia eam promisit. Siquidem promisit eam diligentibus ipsum, 2. Tim. 4. 8. & 1. Cor. 9. 24. Rom. 8. 28. Sed qui in persecutionibus tolerat ad finem, ille diligit Deum; ut re ipsa ostendit, cùm Dei amori & veritati illius vitam suam & omnia postponit, Matt. 10. 36. Ergo ei Deus promisit, ut disertè Mat. 5. 10. 21. & 10. 22. 32. 39. Apoc. 1. 7. & 10. Sed objiciunt Pontificii: Qui tolerat persecutionem beatus est. Ergo tolerantia ac bonis operibus justificamur. Consequentiam probant, ex simili Pauli argumentatione, Rom. 4. 6. 7. Verùm diversa est ratio: nam Paulus, cum Davide, loquitur de causa justificationis, & beatitudinis; Iacobus verò non de causa salutis, sed de antecedente conditione, & via: ut Act. 14. 22. declaratur, non propter quid, sed quibus vita detur. Tolerantia via regni est, non causa regnandi. Sed urgent verba sequentia. Vita æterna est corona tolerantiæ: Ergo meritum illius. Negatur consequentia, quia corona, quæ vincenti datur, tam humana, quàm divina, alia est merita, alia est gratuita: qualis hæc est, quæ vincenti, à Deo agonotheta datur: sed non merito victoriæ; primò, quia jure, & creationis, & redemptionis tolerantiam debemus Deo; deinde, quia Deus eam in nobis non invenit, sed operatur, Phil. 1. vers. ult. & 2. v. 13. ac propterea *non merita nostra, sed dona sua coronat*, ut alicubi Augustinus, apostoli ad Hebr. 13. 21. vestigia secutus, rectè monet. Rursus excipiunt adversarii: Corona, quam dat Deus merito justitiæ, ea non est gratuita, sed merita. Atqui coronam hanc Deus ita dat, 2. Tim 4. 8. Verum respondetur, coronam justitiæ dici, non quæ jure meritoque ei debetur, sed quæ justitiæ datur, aut justitiam comitatur. Iustitia autem ut hoc pleniùs exponam, aut Dei est, aut nostra; eaque inhærens, aut imputata. Si de justitia Dei Apostoli verba intelligamus, ea, hoc loco, erit justitia veritatis promissionis divinæ; quia in fide, & pietate constantibus, coronam vitæ æternæ, gratiâ suâ, non merito nostro addixit, ac propterea (ut effectum causæ, & exitus respondere principio debet) gratuito confert. Si verò de nostra justitia inhærente exponere velint, declarabitur non effectum, & meritum, sed consequens proprium. Sin denique de justitia fidei, id est, Christi justitia, per fidem apprehensa, nobisque imputata & donata explicarint, excludetur omne meritum. Veruntamen ex verbis

verbis junctis, *justus judex*, nobis regerunt: Coronam hanc dat Deus justus judex: Ergo non gratiâ suâ, sed merito nostro. Negatur consequentia, quia justitia Dei, hoc in loco, intelligitur de institia promissionis, & veritatis ipsius, quâ gratuitò vitam æternam fidelibus, officium facientibus, promisit, ac donat. Denique urgent, adversus responsionem hanc, locum 2. Thes. 1. v. 5. 6. 7. cum ait Apostolus: Oppressionem fidelium esse manifesto indicio justi judicii Dei, ut digni censeantur regno Dei, pro quo & patiuntur: siquidem justum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt ipsos afflictionem, & afflictis relevationem. Vnde tria colligi possunt, ad impugnandas responsiones superiores, argumenta. Primum: qui à Deo, Dei regno, id est, vita æterna, digni censentur, illis corona vitæ datur, non gratiâ, sed merito. Atqui tolerantes in afflictionibus digni censentur. Ergo. Negatur propositio: dignus enim regno Dei bifariam dici potest, per se & merito suo, vel per accidens meriti alieni: Christus solus, priori modo, regno Dei dignus est, ex pacto legis, *Hoc fac, & vives:* quia solus legem perfectè observavit: altero verò modo fideles digni sunt merito Christi, per gratiam ipsis imputato, cui Christo, per fidem, in unum corpus, conjuncti sunt. & filii Dei effecti, atque hæredes regni, Iohan. 1. v. 12. Rom. 8. v. 17. Digni igitur dicuntur fideles à Paulo, non suo, sed Christi merito, & Dei, nos, nostraque opera justificantis, & in Christo acceptantis, ac coronantis, gratia, Heb. 13. v. 21. 1. Pet. 2. v. 5. Vt interim omittam, dignum interdum non causam, sed adjunctum designare, id est, non promerentem, sed idoneum significare, Matt. 10. v. 11. & 13. & 22. v. 8. Ioan. 4. vers. 27. 1. Cor. 11. v. 27. Act. 13. v. 46. quomodo etiam apti & idonei regno fideles, vocantur digni, Apoc. 3. v. 4. quia ea servandorum conditio, ut officium faciant, non autem salutis meritum: nam, strictè loquendo, perpessiones nostræ, non sunt dignæ futura gloria, Rom. 8. vers. 18. Sed (inquiunt) verba conjuncta expositionem allatam non ferunt; dicitur enim *ut digni censeamini regno, pro quo etiam ista patimini.* Ergo regnum Dei, ut patientiæ fidelium effectum, non ut Christi meritum, neque ut conditio sola antecedens consideratur. Negatur Consequentia, quia tolerantia, hoc loco, ut apparet, spectatur tanquam servandorum antecedens officium, non tanquam regni Dei & salutis efficiens causa: quia argumentatur Paulus ab adjuncto proprio, non ab efficiente: docet enim quinam, & qua via: non quare, seu quo merito serventur. Deinde patiuntur fideles pro regno Dei, non tanquam effectu suo; sed tanquam scopo & fine, ad quem per afflictionis viam contendunt. Sed alterum, ex hac Pauli sententia, argumentum deducunt, quia dicit: tolerantibus, justo Dei judicio, dari vitam. Ergo tolerantiæ merito. Verùm negatur rursus consequentia: nam justum judicium non restringitur ad meritum, sed absolutè refertur ad debitum. Hoc autem est duplex: primò, absolutum & per se, quod judicati merito nititur, & debitum meritum dici potest: alterum est debitum per accidens, ac certa ratione, quod non ex hominis judicati merito, sed ex Dei judicantis antecedenti, & liberali promissione (qua se gratis debitorem fecit) promanat, ac propterea debitum gratuitum est: sic vita æterna, perseverantibus in vera fide, debita est, jure promissionis Dei, qua se gratuitò debitorem constituit, non autem jure meriti nostri officii. Tertium argumentum, quod objici potest, est antithesis piorum & impiorum: nam utrique digni dicuntur: illi quidem regno; hi verò exitio: & utrique judicandi justo judicio. Ergo eorum eadem est ratio: ac propterea, cum impii, qui Ecclesiam affligunt digni sint exitio, idque persecutionis, quam inferunt, merito: inde sequitur, pios, contrario persecutionis, quam perferunt, merito, dignos esse vita: & utrimque judicium justum, merita spectare, alioqui inepta videtur oppositio. Sed consequentia negatur: nam eadem, hoc in loco, piorum, & impiorum statuitur quidem conditio generalis: sed non propterea eadem specialis: justum est utrimque judicium, eoque debitum; sed debiti modi sunt diversi. Mors æterna debita est impiis, & vita piis, utrimque communiter, ratione veritatis divinæ, in propositis comminationibus, & promissionibus: deinde debita etiam est ratione meriti; sed diverso modo: meritum impiorum ipsis est proprium & insitum: piorum contrà, alienum origine, non ipsis, sed Christo inhærens: quod per accidens gratiæ Dei, per fidem, & unionem cum Christo, ipsis imputatur: vitam enim æternam Christus nobis promeritus est, obedientia sua ad mortem usque crucis; & Pater filium gratuito ad eam rem destinavit: illiusque obedientiam, ad salutem, nobis, pro sua misericordia, donat ac imputat. Itaque vita æterna merita est, si Christum spectemus: gratuita verò, si nos ipsos: quia ille obedientia sua meruit; nobis verò, gratuita Dei imputatione, meritum illud donatur.

Sed postremum, adversus hanc declarationem, objiciunt adversarii: Persecutio Ecclesiæ meretur mortem: Ergo perseverantia afflictorum meretur vitam. Si quis consequentiam neget, ajunt; contrariorum esse consequentias contrarias. At persecutio, quæ vitium; & perseverantia, quæ virtus, sunt contraria. Ergo contraria eorum consequentia. Verùm primò propositio generalis negatur: non enim apodictica, sed topica est, & exceptionibus obnoxia: nam contrariorum quidem, quæ verè contraria sunt, contrariæ sunt consequentiæ, ratione formæ propriæ: non autem ratione generis, quo conveniunt, & eadem sunt: neque etiam ratione communium, aut accidentium aut effectorũ. Deinde etsi propositio, in perfectè contrariis, valeret; assumtio tamen strictè sumpta non est vera: nam persecutio, & tolerantia illius, non sunt perfectè contraria, si consideremus absolutè: quia persecutio, ut quodvis singulare peccatum, est simpliciter legis volatio, ac propterea secundùm legis comminationem perfectè meretur mortem; hæc enim legis violationem, quæcunque tandem sit, sive universalis sit omnium præceptorum, sive particularis unius mandati, tanquam proprium consequens, & effectum comitatur, ex injustitiæ merito, & justiæ Dei sententia, Deut. 27. vers. 26. Iacob. 2. vers. 20. contrà verò perseverantia, non est perfecta legis observantia; ac propterea vita ei non debetur, nisi conjuncta sit, ad finem usque, cum omnibus virtutibus, secundum legis sententiam, Levit. 18. vers. 5. Matth. 22. v. 37. adeo ut in Theologia verissimum sit Stoicorum illud paradoxum, rectè intellectum: *Qui unicam virtutem habet* (nempe perfectè) *habet omnes*: nam ad legis observationem requiritur *perfectio partium*, ut omnia mandata serventur; deinde *graduum*, ut singula ad amussim, summa intentione, ex toto corde, toto animo, & omnibus viribus: tertio *durationis*, ac temporis, ut irrupta sit, ac perpetua ad finem vitę, Deut. 27. v. 26. Mat. 22. v 37. atque hóc modo Adamus, ob tertiæ perfectionis modum omissum, antecedenti justitiâ non est vitam consecutus, aut promeritus; sed, ob peccatum unum, mortem promeritus. Quare, ut rem in pauca contraham, cum persecutio mereatur mortem, quatenus per se, & omnino est legis violatio: perseverantia nullo modo meretur vitam, quia non est perfecta legis observatio; eoque modo, per se, ac simpliciter non est virtus, sed peccatum, si absit gratia; quia nec cum omnibus virtutibus conjuncta, quod fieri debet, Iac. 3. v. 2. neque ea perfectione principii, medii, finis, quæ speciali illius mandato requiritur, prædita; idque ob repugnantiam carnis, Rom. 7. Galat. 5. v. 17. Qua de causa, rectè, ac piè Lutherus asseruit (quod Pontificii tam invidiosè & iniquè traducunt) *sanctos in quolibet bono opere peccare*; non quidem quà bonum, sed quà imperfectum. Sed inquiunt rursum: Omnia Dei opera sunt perfecta: perseverantia est opus Dei. Ergo perfecta. Negatur propositio: nam multa Dei opera tam naturæ, quàm gratiæ, cœpta ac inchoata tantum, non autem perfecta, sed perficienda, ut Phil. 1. v. 6. At ajunt omnia Dei opera, quæ in nobis efficit, alio sensu sunt perfecta, id est, reverà justa. Fatemur: sed non absolutè: justa enim sunt ratione operantis Dei; sed non ratione nostri officii, quod amplius postulat; neque ratione carnis nostræ, cujus contagione opus Dei polluitur. Sed excipiunt: Quod Deus bonum opus judicat, illud absolutè, & per se bonum est: quem-

quemadmodum id quod malum vocat, malum est. At perseverantiam, & alias virtutes fidelium, ita vocat, multaque bona opera iis attribuit. Ergo. Verùm negatur propositio: nam sufficit ad sermonis Dei veritatem, ut sit bonum opus, aut simpliciter, ac per se: aut secundùm quid, & per accidens. Atqui mala opera simpliciter ac per se, sua natura, mala sunt: bona verò opera nostra bona sunt, non simpliciter nec per se; sed tantum ratione causę agentis, nempe Sp. S. operantis in nobis; & ratione causę secundę, seu hominis, secundum quid, nempe secundum spiritum, non secundùm carnem, ac veteris hominis reliquias: ut enim pura aqua, per impurum canalem profluens, impura effluit: ita & opera Dei pura, quę per mentem, & voluntatem nostram promanant, peccati nobis innati reliquiis reluctantibus, polluuntur. Id eoque bona sunt, & à Deo dicuntur, non simpliciter, respectu nostri; sed tantùm secundùm quid, & per accidens gratiæ Dei & Christi: nam Deus opus suum in nobis agnoscit, concurrentem verò contagionem nostram, Christi justitia tegit, & ignoscit. Opera igitur nostra, Dei verbo præcepta, bona sunt, primùm relatè, ratione causæ primæ, id est, Dei prævenientis, & adjuvantis gratiâ; & partim ratione causæ secundæ seu nostri, secundum Spiritum, & regenerationis donum; quo vivificati spiritualiter, actiones etiam vitæ spirituales proferimus: deinde per accidens gratiæ Christi, qui, ut personas nostras; sic opera nostra, ob carnis contagionem, & repugnantiam imperfecta, obedientiâ sua justificans, Deo accepta reddit. Qua de re valde insignes extant, & illustres sententiæ, Hebr. 13. vers. 21. καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, εἰς τὸ ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ποιῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ. & 1. Pet. 2. v. 5. quod Exod. 28. v. 38. fuit adumbratum. Atque hactenus de v. 12. & hortatione ad bonum patientiæ; & humilitatis. Cui jam subjicitur dehortatio à malo, transitione, & ordine eleganti. Nam in rebus adversis duo potissimum vitia regnant, impatientia, & proles illius blasphemia. Contra primum vitium, anteà egit: contra alterum verò hoc in loco. Transit enim à tentationibus externis, id est, persecutionibus, quibus tentatur, & exploratur fides, ad tentationes internas, id est, irritamenta, & provocationes ad peccatum. Idque occasione convenientissima: quia enim proximè antecedenti versu beatum dixerat eum, qui tentationes (nimir. prioris generis) sustineret; ne ad posteriores etiam illud raperent, per anticipationem occurrit: & hujusmodi tentationum causam Deo adscribi vetat. Hęc autem dehortatio constat propositione, & confirmatione. Propositio est: *Nemo cum tentatur dicat, à Deo tentor*, nempe malo, i. e. peccato, ut sequens ratio exponit: nam *tentare* generatim *explorare* notat. Exploratio autem alia bona est; alia mala. Bona est, quæ ex bono principio, seu animo sancto, per bonam actionem, ad bonum fidem tendit: sic Deus Abrahami fidem explorans, ut eam patefaceret, tentasse dicitur, Genes. 22. versu 1. similes loci sunt, Psalm. 26. vers. 2. 2. Corinth. 13. vers. 5. sic & Iacob. 1. vers. 2. 3. 12. persecutiones *Tentationes* vocantur, & 1. Corinth. 10. vers. 13. Luc. 8. vers. 13. Matth. 22. v. 28. quam, *Tentationem probationis*, nuncupant. Alia tentatio, malum est ac peccatum, quæ principio, medio, aut fine peccat. Eaque duplex: una, quâ Deus tentatur; cum homines Dei verbo non contenti, ex incredulitate, aut temeraria inobedientia, potentiam, justitiam, veritatem illius explorant, Exod. 17. vers. 7. Hebr. 3. vers. 9. Matt. 4. vers. 7. quam, ab efficiente sua causa, *Tentationem præsumptionis*, vulgò appellant. Altera mala tentatio est, quâ homines tentantur, quæ peccati commendatio est, & ad illud invitatio; de qua, Matth. 6. v. 13. & 26. v. 41. quæ, à suo fine, Tentatio seductionis dicitur: quo sensu *Diabolus* κατ' ἐξοχὴν *tentator* dicitur, Matth. 4. vers. 3. & 1. Thess. 3. vers. 5. De qua re, elegans extat Cassiodori, in Psalm. 26. sententia: *Tentat Deus, ut erudiat; homo ut sciat; Diabolus ut seducat.* De hac seductionis tentatione agit Apostolus, ut ex sequentium confirmatione apparet, quæ rationes varias complectitur. Quarum prima, est à remotione causæ tentationis, ad remotionem effecti: *Deus malis tentari non potest*, Ergo *neminem tentat*, nempe malis, hoc est, pravis motibus, & suggestionibus. Etsi enim Deus omnis mali expers sit, Apostolus tamen loquitur, non de malo naturali, vel pœnæ; sed malo morali, & culpæ, vers. 13.

Altera ratio cur homo non possit Deum tentationum causam dicere, à causa tentationum prima, & præcipua, deducta est, nempe cupiditate propria, quæ & in nobis, & à nobis est, non autem à Deo. Cupiditatem autem, hoc in loco, intelligit non naturalem, quæ à Deo est: quâ illa, quę honesta, utilia, & jucunda sunt, secundum rectam rationem, experimus: sed vitiosam, quę ab homine est, & quidem non actualem propriè, sed habitualem solum, seu peccatum originis; quod quia omnis vitiosæ cupiditatis fons est, per Metonymiam effecti pro causa, *cupiditas* appellatur, id est, ad malè concupiscendum proclivitas. Quæ tentationum malarum origo certis quibusdam gradibus constat, quos elegantibus metaphoris Jacobus, hoc in loco, describit. Primus gradus est quod cupiditas inescat, i. e. ad vitiosos motus in hominibus, voluptatum ostentatione, excitat. Alter est, quod seducit. Est enim similitudo gemina à piscatoribus deducta: ut enim illi hamum esca tegunt, eaque via pisces incautos, ad hamum unà deglutiendum, alliciunt & deinde inescatos extrahunt, ac capiunt: ita cupiditas variis voluptatibus, & occasionibus quasi illecebris, affectus, voluntatem, & mentem, ad vitiosos motus insidiosè provocat; ac tandem decipit. Cœterùm hæc similitudo, hysterologia, id est, transpositione quadam, proponitur: inescatio enim reipsa præcedit, extractio sequitur: hic tamen Apostolus contrarium ordinem observat, eodem tamen sensu; quia ostendit, qua via homines *à cupiditate extrahantur*: sic enim ut servetur metaphoræ ratio, omnino vertendum arbitramur, v. 14. Altera porro metaphora est: quod hæc inescatio, & extractio vocantur conceptio, similitudine sumta à meretricibus: ut enim illæ, amatoribus, jam fuco, & arte sua captis, potitæ, ex iis prolem concipere, & suo tempore parere solent: ita cupiditas, mentem obscurando, & affectus, ac voluntatem, in consensum peccati trahendo, concipit; ac deinde parit, ac producit peccatum. Tertius gradus est, servata eadem Metaphora, quod Peccatum gignit mortem, nempe temporalem & æternam, Rom. 6. vers. 23. *Peccati* autem nomine, actuale hoc loco intelligitur, non exclusivè, sed κατ' ἐξοχὴν: nam quod Pontificii concupiscentiam, seu cupiditatem vitiosam, si consensus desit, peccatum esse negant: illud primum testimonio Pauli, Rom. 7. vers. 7. 8. deinde formali definitione peccati, 1. Ioann. 3. vers. 4. & institutione legis, Mat. 22. vers. 37. denique natura & effectis concupiscentiæ hujus (quæ Spiritui & legi Dei repugnat, Rom. 7. vers. 23. 25. & 8. v. 7. Galat. 5. vers. 16. 17.) perspicuè diluitur. Hæc de vers. 15. & secunda ratione, qua Apostolus probavit, Deum non esse dicendum authorem peccati. Sequuntur jam reliquæ rationes, quibus ritè percipiendis, præfatione viam sibi sternit; primùm, captatione benevolentiæ, cùm *fratres*, & *dilectos* vocat: deinde, amplificatione propositæ dehortationis, à communi ratione, cum blasphemiam illam, à qua dehortatur, errorem vocat, vers. 16.

Tertia igitur ratio à contrariis effectis deducta est, quod Deus, sit omnis boni dator, & origo: datorem autem vocat, cum ait: *omnis donatio bona, & omne donum perfectum est è supernis*, id est, è cœlo, & à Deo proficiscitur. Donum autem perfectum, quidam fucato, alii temporali opponi censent: nonnulli id, quod hominem perficit, per Metonymiam exponunt. Sed simplicius, & concinnius videtur, ut propriè, pro eo, cui nihil deest accipiatur. Deinde Deum originem omnis boni esse indicat, cum *Patrem luminum*, id est (per elegantem Metaphoram) veritatis, & sanctitatis authorem vocat. Sensus igitur hujus tertiæ rationis est, Deus est dator, & origo luminis, id est, omnis boni, veritatis, & sanctitatis. Ergo non est causa errorum, vitiorum, malarum tentationum, quæ tenebræ sunt. Atque hanc ratiocinationem confirmat, ac primum consequentiam, ratione petita ab immutabili Dei natura, de qua Mal. 3. v. 6. Esa. 45. v. 10. quam proponit remotione contrarii, & continuata ele-

ganter metaphora; qua Soli, luminum corporalium præcipuo authori, conversionibus & obumbrationibus obnoxio, præfert, vers. 17.

Secundo, antecedens probat ab hypothesi, seu speciali exemplo regenerationis Iudæorum, ad quos scribit, quam egregiè concupiscentiæ, mortem gignenti, opponit, ac describit à suis causis. Ac primùm ab impulsiva, voluntate Dei, id est, per Synecdochen benigna voluntate, seu gratuita benevolentia, Tit. 3. v. 4 5. Deinde ab instrumentali proxima, *Verbo veritatis*, nempe κατ' ἐξοχὴν salutaris, 1. Pet. 1. v. 23. 25. Nam quod quidam de verbo substantiali, seu Christo exponunt, sanctum quidem est, sed minus conveniens Scripturæ usui, & loci hujus circumstantiis. Tertiò à fine, quem Metaphora eleganti, à primitiarum consecratione deductâ, exponit: *ut essemus primitiæ quædam creaturarum suarum* (nempe novarum) Rom. 1. v. 16. 2. Cor. 5. v. 17. Eph. 2. v. 10. Nam quod generalius exponunt de omnibus fidelibus, enervare videntur Metaphoræ vim, quæ integra est, si de fidelibus Judæis interpretemur. Ut enim primitiis, Deo consecratis, reliquorum terræ fructuum usus erat sanctus, ac licitus: ita Judæis à Deo, per Euangelii prædicationem consecratis, vocatio gentium erat licita. Hæc de vers. 18. de distinctis admonitionibus ad afflictos, & divites. Quibus deinde subjiciuntur hortationes ad officia, utrisque communia, audientiam, & obedientiam, quæ ex antecedenti regenerationis gratiâ, per sermonem veritatis, commodissimâ transitione, concluduntnr. Ac primum hortatur ad audientiam, & docilitatem, præsertim in sermone veritatis excipiendo, ut ex vers. 18. & 21. apparet: quam à remotione contrariorum, dehortatione à linguæ incontinentiâ, & ira, illustrat, v. 19. Cui similis locus est Ecclesiastis 5. v. 1. 2. 3. Rom. 12. v. 3. 19. Ut autem magis moveantur lectores, propositę hortationis confirmatio, Enthymemate gravi apponitur. Cujus antecedens est, v. 20. quod *ira non exequitur, justitiam Dei*, id est per metonymiam, legem Dei, ut Psalm. 119. 7. 142. quæ justitiæ norma justissima: aut ut quidam exponunt, justitiam Dei, quam mandat, quæq; Deo probatur; quod valde concinnum: qua phrasi, *opera Dei*, vocantur, Ioan. 6. v. 28. 29.

Consequens est, v. 21. Cujus partes sunt duæ, prima est aphæresis, quæ concludit, quidnam mali fugiendum, ira nimirum, quam Synecdochicè *malitiam* vocat: & eleganti metaphora illustrat, & amplificat, cùm sordibus & excrementis, quæ abjicienda sunt, comparat. Altera pars est thesis: quæ contrà, quid boni faciendum sit, ostendit, nempe ut cum lenitate recipiamus sermonem insitum, id est, doctrinam legis & Euangelii: qui sermo à Deo exteriùs per verbi ministros; interius per Spiritum S. plantæ instar, animo inseritur, 1. Cor. 3. v. 6. 7. ut fructus fidei & charitatis, ad Dei gloriam, proferat. Cœterum hanc thesin novo argumento firmat Apostolus, à sermonis effecto, quod *possit servare animas*, id est, nos ipsos, Synecdochicè, ut in simili sententia, 1. Petr. 1. v. 9. Sed objiciat aliquis, Sermo insitus est non solùm Euangelium, sed etiam lex: Ergo non solo Euangelio & fide servamur; sed etiam lege, & operibus. Negatur consequentia; quia sermo insitus servare dicitur non simpliciter, sed secundum quid, nempe ratione potioris partis, id est, Euangelii, quod fide acceptum servat, Rom. 1. 16. Ephes. 1. 13. Hebr. 4. 2. Deinde ut demus de utroque agi, dici potest, legem quæ non renatis est litera occidens: contrà renatis per Euangelium esse etiam instrumentum, quo, tanquam vitæ norma, sanctitas per Spiritum Sanct. confirmatur in nobis: ideoque reipsa à peccati dominio, & exercitio servamur: non tanquam causa procreante, sed conservante; nec principali, sed instrumentali. Porrò huic primæ, ad audientiam, & docilitatem in excipiendo verbo Dei, hortationi, subjicitur altera, ad obedientiam, & observationem illius: quæ porro amplificatur thesi, & aphæresi: *Estote factores sermonis, nec auditores soli*, id est, fide, Euangelio, & charitate, legi obedite. Hæc autem proposita adhortatio, ut bimembris est; ita confirmatur ratione duplici. Prima enim secundum membrum, seu aphæresin ab affectu probat: quod dum auditores tantum sunt, falso ratiocinando seipsos fallant, quia præter opinionem aberrant bifariam: primùm à cognitione, cùm voluntatis, ac verbi Dei; tum sui ipsius: deinde à proposito, & sperato, gratiæ Dei, & vitæ æternæ scopo, vers. 22. Cujus fallaciæ modus unus, duplici similitudine insigni, illustratur. Quarum prima est, qua verbum Dei speculo confertur: quod videlicet in eo maculæ nostræ detegantur, ut Rom. 3. v. 20. Lex enim index est earum, non solùm ut cognoscamus, sed etiam abluamus: & index etiam est officii nostri & miserię, cùm culpæ, tum pœnæ.

Secunda similitudo est, qua illi, qui verbum Dei tantùm audiunt, comparantur homini obliviosο, qui in speculo faciem suam, & maculas contemplatus, earum statim oblitus, non abluit, eaque ratione frustrà speculo est usus, v. 24. in qua similitudine apodosis non explicata est, sed implicita. Altera ratio secundum hortationis membrum, seu thesin, confirmata similitudine, probat, à consequente beatitudine. Sed de loci hujus veritate, & sententia diversum est judicium. Quidam enim (ut initio, in assertione de authoritate hujus epistolæ, monuimus) hinc colligere student, hanc epistolam non esse apostolicam, quasi Pauli doctrinæ repugnet, qui ad Rom. 8. v. 15. & Gal. 4. v. 24. legem Mosis servitutem generare docet: contrà verò Jacobus eam legem libertatis vocat, quod Euangelio convenit. Veruntamen nulla hic est contradictio; quoniam lex non eodem modo utrimque consideratur. Nam Paulus non solùm de lege morali, sed etiam ceremoniali, & quidem ex hypothesi, quatenus illæ Euangelio opponuntur, id est, sine Euangelii gratia considerantur, secundùm legalis pacti rigorem, loquitur: qua ratione omnes mortis servitio addicit, & peccati servitutem, non suo, sed hominum vitio, auget, Rom. 7. v. 8. Jacobus verò agit primùm de solâ lege morali, & usu illius in Novo Testamento, ratione hominum regeneratorum. Deinde non vocat legem libertatis eo sensu, quem adversarii statuunt, quasi à servitute maledictionis, quę peccati pœna est, & Euangelii solius ministerio tollitur, nos liberet; sed alia de causa. Sic enim dici potest, primùm ab adjuncto, ut sensus sit: lex libertatis, id est, constructione Hebræa, lex libera, idque duobus modis: primùm à jugo, & servitute ceremoniarum Mosaïcarum, quæ legi Morali in Veteri Testamento fuerunt conjunctę, Galat. 5. v. 1. deinde quod in regeneratis à condemnatione, & rigore expedita sit, Christi mediatoris nostri satisfactione, Rom. 8. 1. ac propterea non servili metu, sed voluntaria obedientia illi pareamus, Rom. 7. v. 25. & 8. v. 15. Secundò etiam piè dici potest, lex libertatis, à subjecto; quod libertati Christianæ, & liberatis necessariò conveniat, Gal. 5. v. 13. 14. qua ratione, scopo hujus epistolæ optimè quadrat: qui est, ut Christiani doceantur libertate Christiana non abuti ad licentiam, & contemptum legis Dei; sed ad obedientiam.

Tertiò lex libertatis appellari potest, ab effectis, bifariam: vel absolutè, ut quidam exponunt, quod libertate in judicando, citra ullam personarum acceptionem, utatur; ut ex collatione c. 2. v. 12. & 13. apparet: quę expositio optimè videtur convenire: vel ratione regeneratorum, quod eos liberet, non quidem à reatu, & pœna peccati, quod ad Euangelium pertinet; sed à dominio, & servitute inhabitantis peccati, & quidem non ut causa procreans, & principalis, sed tanquam instrumentalis & conservans, ob conjunctam Christi gratiam efficacem: quia lex non solùm est (ut ante monuimus & piis constat) index peccati, sed etiam norma vitæ, quæ Spiritu S. utitur, ut officium cognoscamus, & præstemus; eaque ratione à servitute peccati magis magisque vindicemur, Rom. 6. v. 8. Atque hæc quoque sententia non malè instituto Apostoli scopo convenit: ut doceat legis observationem, vitæque pietatem non pugnare, sed cum primis consentire cum libertate Christiana, Rom. 6. v. 14. 15. 16. idque contra errorem, qui tum temporis vigebat, quo statuebatur, Christianos sic esse liberatos à lege, ut liceret dissolutè vivere. Quare cum tam multæ piæ sunt & commodæ hujus loci expo-

expositiones; indignè, & temerariè authoritas & veritas illius impugnatur. Sed excipiunt, non solum sententiæ hujus subjectum, sed etiam attributum illius, Pauli, & reliquorum Apostolorum doctrinæ repugnare: quia Paulus docet, neminem operibus servari: contra Jacobus ait, *beatus erit in opere suo.* Sed variè, & sanctè nodus hic solvi potest. Primò, si dicamus, Paulum de causa salutis agere; Jacobum verò de via, qua eò perveniamus: docet enim quodnam sit bonorum operum, non effectum, sed adjunctum consequens: ut Ioan. 13. 17. Nam quod urgent dici, beatus erit in opere suo. Ergo opus est causa. Non sequitur: quia dictio *in* pro *per* accepta, hoc loco non causam & efficientiam, sed consequentiam & viam notat, per quam incedentes beati simus. Denique quidam existimant hunc locum posse accipi de notitia hominum: erit beatus, nempe apud homines, id est, cognoscetur, ut Matth. 5.45. *ut sitis filii Patris vestri*, id est, cognoscatur vos esse filios. Sed prima responsio simplicior, & accommodatior est. Quare ut sensum hujus loci paucis complectamur: qui in legem, tanquam in speculum pietatis introspexerit, & in ea præstanda, & meditanda permanserit, beatus erit; ideoque non se fallet: opponit autem Apostolus vocem *permanserit*, voci *abiit*, v. 24. Et *perfectam legem* vocat, partim comparatione cum ceremoniarum lege: partim absolutè, ut iniquos legis contemptores, confutaret, vers. 25. Verùm quia hypocritæ, bona opera & legis observationem, in externo Dei cultu solummodo collocare solent; eoq; se arroganter efferunt, alios verò facile condemnant, anticipatione quadam docet ex effectis, vers. 26. quàm non verè, sed vanè religiosi sint: nempe qui lingua sunt effræni, & in Deum aut proximum contumeliosi. Quod vitium tanquam exemplum violatæ charitatis proponit: quoniam eo maximè laborarent Hebræi, ut ex cap. 3. colligi potest. Deinde v. 27. quænam sit vera religio, non definit, ut perperam à nonnullis accipitur, sed ex effectis quibusdam describit, nempe beneficentiâ in viduas, & orphanos afflictos, & abstinentia à contaminatione mundi: quâ mundi (id est, infidelium, per Synecdoch. quia maxima sunt mundi pars) vita impura seriò vitatur, Tit.2.12.

Consectaria.

I. HÆc epistola tanquam à Christi servo, & Apostolo profecta, audienda est cum attentione, & obedientia, Luc. 10. 16. Ioan. 13 10.

II. Exemplo Apostolorum, nec Christi Domini, nec ministerii nostri pudere; sed contrà de eâ re professionem edere, sanctèque gloriari nos decet.

III. Israëlitarum ob peccata sua inter gentes dispersio, primò rerum humanarum inconstantiam; deinde Dei judicis justitiam in pœnis; tertiò, veritatem in minis, Levit. 26. v. 33. testatur: denique ad officium nostrum, nempe humilitatem, fugam peccati, & studium pietatis, stimulus est, 1. Cor. 10. v. 11.

IV. Contrà, eorundem Israëlitarum, per Euangelii prædicationem, & Apostolorum ministerium, ad unitatem, & patriam cœlestem, vocatio & confirmatio, primò, Dei in collatione immeritæ gratiæ misericordiam: deinde ejusdem in promissionibus, de Israëlitarum revocatione & salute veritatem, obsignat: eaque ratione, ad fidei nostræ confirmationem, & consolationem pertinet: denique spem nostram, ne de infidelium conversione facilè desperemus, corroborat, vers. 1.

V. Piorum est, non solum sibi bene velle, sed etiam aliis; ac fratribus inprimis, ex charitatis officio, bene precari.

VI. Cùm fideles sint fratres, dissidia fugere & bono ac saluti studere mutuò debent, Genes. 13. 8. 1. Cor. 6. v. 6. & 8. ex φιλαδελφίας officio, Rom. 12. 10. Hebr. 13. 1.

VII. Crux, & quidem varia, pietatis comes est, 2. Timoth. 3. v. 12. ideoque 1. Petr. 4. v. 12. non est, cur, ea occurrente, offendamur, vers. 2.

VIII. Cum Deus cruce nos tentet, ac fidem exploret, ejus sapientia & bonitas agnoscenda est: qui, ut optimus medicus, venena in medicinam salutarem convertere; & optimus chirurgus, sectione, & cauterio ad salutem suorum uti potest: eoque ingrati sunt, qui de Deo in cruce conqueruntur.

IX. Errant graviter, qui (ut Job. 4. v. 7.) afflictiones fidelium, certa peccatorum, & iræ Dei argumenta esse, temerariè judicant, v. 3.

X. Perseverantia in fide, & crucis tolerantiâ, necessaria est, v. 4.

XI. Sapientia salutaris Dei donum est: ac propterea non nobis, sed Deo adscribenda.

XII. Preces nostræ ad Deum dirigendæ sunt & fide amentandæ, ut petitis potiamur.

XIII. In beneficiis conferendis, Dei exemplo, utendum est benignitate, & candore, v. 5. 6.

XIV. Hypocrisis summa est, Deum sine fide invocare, vers. 8.

XV. Magna, in cruce fidelium impatientiæ & murmuris contra Deum, & invidiæ in opulentiores causa est, quod deorsum in suam miseriam, & aliorum felicitatem oculos defigant: nec sursum ad dignitatem, & beatitudinem cœlestem suspiciant, vers. 9.

XVI. Blasphemi sunt, qui Deum authorem peccati statuunt, v. 16.

XVII. Cum Deus sit immutabilis, illius potentiæ, gratiæ, & verbo fidendum est.

XVIII. Regeneratio, Dei donum est, per verbum veritatis: ac propterea gloria salutis nostræ, soli Deo debetur: & verbum in summo pretio habendum, v. 18.

XIX. Dei verbo tribuenda est audientia, & obedientia, v. 21 22.

XX. Turpiter Libertini quidam, peccatis servientes, legem Dei, libertatis Christianæ prætextu, rejiciunt, v. 25.

Caput Secundum.

POstquam Apostolus egit, sub finem capitis primi de religionis Christianæ descriptione ex effectis: subjungit nunc duplicem dehortationem à vitiis, quæ & religioni, & veræ fidei adversantur. Nam primùm dehortatur à προσωποληψίᾳ, quæ inter Hebræos, tum temporis, vigebat: potissimum verò ea, quâ vana divitiarum admiratione excæcati, divites, cum contumelia in pauperes, honorabant, à vers. 1. ad 14. Deinde ab inani fidei jactatione revocat, & operum bonorum necessitatem copiosè & graviter demonstrat, inde ad finem capitis. Ac prima quidem dehortatio generatim proponitur, & confirmatur, vers. 1. propositio est, vitandam esse προσωποληψίαν. Quę vox, cùm ambigua sit, explicationem desiderat, & ad hujus loci, & aliorum multorum illustrationem: πρόσωπον enim (quod *personam* interpretantur) propriè *faciem*; aut *vultum* denotat: unde, per synecdochen partis pro toto, hominem significat. Quomodo in bonam etiam partem is accipere personam alicujus dicitur, qui alicujus habet rationem justam: quemadmodum Deo tribuitur hæc prosopolepsia, Genes. 19. v. 21. *accepi faciem* seu *personam tuam.* deinde Davidi etiam 1. Sam. 25. v. 35. *accepi faciem tuam.* & Elizęo 2. Reg. 3. 14. *nisi faciem regis Iudæ accepissem.* Deinde, quia facies & vultus humanus sæpe fallax est, aliudque foris promit, quàm cor intus premit: idcirco, alterâ significatione, cordi, & integritati internæ opponitur, 1. Sam. 16. v. 7. unde in malam partem, metaphoricè ad externam, & fallacem quarumvis rerum speciem, & circumstantiam transfertur: ex qua, de rebus ipsis, justè & verè judicari non potest; ideoque veritati opponitur, Marc. 12. v. 14. *non respicis ad personam hominis, sed in veritate viam Dei doces.* sic Ioan. 7. 24. *judicare* κατ' ὄψιν *secundum aspectum*, judicio justo adversum statuitur. quemadmodum eodem sensu, *judicare secundum carnem.* Ioan. 8. 15. & κατὰ πρόσωπον βλέπειν *personam respicere.* Quomodo dicitur, Act. 10. 34. *Deus non est* προσωπολήπτης, & Rom. 2. v. 11. *non est apud Deum* προσωποληψία. Quæ personarum acceptio mala est, & crebrò in Vet. & N. Test. prohibetur, ut Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. & alibi: nec aliud est, quàm quædam injusti-

tiæ

tiæ species, qua non rei veritate, & justitia commoti, sed aliena circumstantia seducti, de aliquo judicamus. Quæ mala προσωποληψία duplex est: quia injustitia illius, aut in sola causa impulsivâ consistit; aut etiam in reipsa. Illa est, cum justum quidem est judicium reipsa, sed tamen justæ causæ, & rei non habetur ratio, sed antecedentis causæ alienę atque injustę: verbi gratia, si judex pauperem, iniquè afflictum, in judicio absolvat, non justitię studio, quod insontem comperiat, sed misericordia, aut indignatione, ut interpellationis molestiam declinet, aut invidiam, justa injustè judicat: quale injusti judicis judicium describitur, Luc. 18. v. 4. 5. 6. Altera species est, quando & judicium ipsum justitię rei adversatur, & causa impulsiva iniqua est: ut si quis divitem insontem damnet opum invidia, ira, aut alio affectu pravo: vel pauperem justum opprimat, paupertatis contemptu, geminam committit injustitiam; quia & injusta judicat, & injustè. Atque, de hac secunda prosopolepsię specie potissimum, disserit Apostolus, & quidem de eo modo, quo divites quivis, solo opum respectu, pauperibus in cœtu Ecclesiastico pręferebantur, adjuncto insigni piorum pauperum contemptu, ut ex seqq. apparebit. Ab hoc igitur vitio dehortatur Jacobus, hoc in loco; & confirmationem addit à contraria causa: quod cum vera fide non posset consistere. Quam rationem probat, ad fidei illustrationem, ab objecto Iesu Christo: quem describit adjuncto gemino: primò ab officio, ac potestate, quod noster, id est, omnium fidelium sit Dominus; deinde à gloria illius, quemadmodum & alibi, *Dominus gloriæ* appellatur 1. Cor. 2. v. 8. unde sequitur προσωποληψίαν, quæ adversus fideles committitur, fidei repugnare, quę rectè statuit, fideles communem in cœlis habere Dominum, à quo redempti sunt & in familiam illius vocati, apud quem non est προσωποληψία, Eph. 6. v. 9. quique gloriæ illius hęredes sunt, Eph. 2. v. 6. Rom. 5. v. 2. & 8. v. 18. Coloss. 1. v. 27. quæ fides hæc credit, & mundi glorię præfert. Quę ratio postea, v. 5. explicatur. Cui firmandę etiam inservit fratrum vox: quæ æqualitatem, & amorem ob communem in cœlis Patrem indicat, & prosopolepsiæ adversatur, v. 1. Quæ sicut culpatur: ita ordo, & gradus honoris, inter magistratum & subditum; parentes & liberos, Dominos & servos, à Deo institutus, & præcepto quinto sancitus, nullo modo ad prosopolepsiam pertinet. Quam Apostolus exponit exemplo eleganti, qua Hebræos hujus vitii convincens, propositæ dehortationis necessitatem ostendit. Primò, enim vitium describit à materia circa quam, seu objecta occasione, v. 2. & à modo bimembri, quod divites, solo divitiarum respectu, & admiratione, honorarent; & contra pauperes, ob solam paupertatem, & quidem in Ecclesiastico cœtu, contumeliosè deprimerent, v. 3. Deinde subjungit reprehensionem, quæ diversè exponi potest. Nam, ut alia prætercam, quidam sine interrogatione legunt, cum Oecumenio, & conjunctionem redundare arbitrantur, ut sit sensus: Judicandi vim corrumpentes, facti estis injusti judices, seu elegistis malas cogitationes. Alii melius cum interrogatione legunt: sed bifariam declarant. Nonnulli, hoc modo: Non pudet vos tam sinistri judicii? nonne damnat vos propria conscientia? ut alio judice non sit opus: de qua re, Rom. 2. v. 15. Reliqui vero de dijudicatione proximi exponunt, eo sensu, quem Beza, sua versione, rectè expressit, ut sit quædam periphrasis prosopolepsię: docet enim honorem illum erga divitem, & contemptum pauperum inde oriri, quod perverso judicio inter utrumque, in ecclesiastico cœtu, discrimen statuerent, eoque modo prosopolepsia laborarent. Sed descriptione maluit uti, amplificationis causâ, ut argumento secundo dehortationem comprobaret à genere, cum prosopolepsiam, perversum judicium esse indicat. Quod vitium illis exprobrat interrogatione emphatica, qua ad illorum conscientiam, fiducia causę, provocat, v. 4. Cui subjicitur deinde confirmatio, qua hanc prosopolepsiam aliis præterea argumentis confutat; quibus viam præfatione sternit; qua amica compellatione, benevolos, & attentos reddit auditores: benevolos quidem; cum *fratres sibi dilectos* vocat, ut reprehensionis antecedentis acerbitatem mitiget, declaratione causæ illius, quod ex amore fraterno prodierit: attentos verò cum ad *audientiam* provocat. Argumentum autem adfert primum (quod ordine tertium est) adversus posterius prosopolepsiæ membrum, quo pauperum contemptum arguit, eosq; perversos esse judices ostendit, à judicii divini exemplo contrario, instituta Dei, & Hebręorum antithesi; cujus prima pars declarat Dei erga pauperes honorem, quod illos elegerit nempe è mundo, eaque ratione divitibus prætulerit: qua sententia pauperes non absolutè omnes, nec solos intelligit; sed comparatè cum divitibus, quod plures longè ex illis, quàm ex hisce elegerit Deus 1. Cor. 1. v. 26. Deinde anticipatione eleganti paupertatis scandalo occurrit. Primo, cùm vocat *pauperes hujus mundi*, id est, ratione bonorum terrenorum, & caducorum hujus vitæ: quorum vanitatem, Jac. 1. 11. declaravit: quæque alibi opponuntur divitiis apud Deum, Luc. 12. v. 21. Secundo, cum ratione Dei, & bonorum spiritualium ac cœlestium, *divites* esse docet, imò *reges: divites*, inquit, *fide*. Quæ verba variè accipi possunt: vel ut fides sit forma; quòd divitiæ pauperum fidelium in fide sitæ sint: quia illa est notitia Christi, quæ magnæ ac spirituales sunt divitiæ: pro quibus Paulus omnia pro stercoribus reputavit, Phil. 3. 8. vel fides hic intelligi potest tanquam causa efficiens instrumentalis, ut fide divites significet, per fidem divites: quia per eam Christi & omnium bonorum simus participes, Actor. 26. v. 18. Rom. 5. v. 1. Ephes. 3. v. 17. vel denique ut fides sit subjectum, quod à quantitate sua describatur, 2. Thess. 1. v. 3. quemadmodum 1. Cor. 1. v. 5. *ditati* dicuntur *omni sermone, & omni cognitione*. Sed hæc interpretatio dilutior est: priores verò graviores, & prima (ut apparet) accommodatissima: quia distinctè additur (quod in secunda interpretatione includeretur) *& hæredes regni* nempe cœlestis, cujus gloria, omnes mundi opes, atque regna, suâ excellentia atque duratione superat, 1. Cor. 2. v. 9. Ac propterea addit, *quod promisit iis, &c.* partim ut hoc regnum, cujus meminit, hac descriptione, à terreno, & præsenti distinguat: partim ut hæreditatis hujus veritatem & certitudinem confirmet, à promissione Dei; de qua egimus, Jac. 1. v. 12. Huc accedit, quod amplificationis causâ addit, *qui diligunt ipsum*, ut indicet pauperes esse divites, non solum fide, sed etiam charitate: quemadmodum etiam hæc duo electioni conjunguntur, 1. Thess. 1. v. 3. 4. Sed objicit Vorstius & Arminiani quidam: Deus elegit divites fide. Ergo æternæ electionis ad vitam æternam objectum antecedens sunt fideles, eoque fides est conditio prærequisita in eligendo ad vitam æternam. Sed negatur consequentia. Primo. Quia sunt quatuor termini: nam electio, in antecedente, & Jacobi verbis, intelligitur de electione temporali, seu segregatione à mundo, per vocationem Euangelii, 1. Cor. 1. v. 26. 27. in consequente de æterna. Deinde etsi electio utrimque eodem sensu acciperetur, pro electione æterna, nihilominus falsa esset consequentia; quia indicaretur electionis, non objectum, sed attributionis illius subjectum; id est, non declararet quomodo in eligendo considerati sint; sed quales sint electi, descriptione à posteriori. Idque demonstratur ex sequentibus: nam ad verba illa, *elegit divites fide*, addit Apostolus, *hæredes regni*. Unde sequitur: si objectum antecedens electionem ad vitam describeretur, fore ut homines prius essent hæredes regni, quàm ad illud eligerentur. Atque hoc est absurdissimum. Ergo & illud, 2. Thess. 2. v. 13. Atque hoc primum est propositæ antitheseos membrum, quo Dei de pauperibus judicium, quo eos honorat, explicatum est. Sequitur alterum, quo Hebræorum contumelia in pauperes opponitur. Argumenti igitur summa hæc est: illi perversè judicant, qui illos quos Deus honorat, dedecore afficiunt. At verò vos Hebræi hoc committitis: Ergo injustè judicatis.

Cœterum huic tertio argumento, quartum, adversus primum prosopolepsias modum, quo divites immodicè honorabant, attexit, à communi experientia, & divitum effectis, seu operibus malis, quibus se honore illo indignos præbuerunt. Ea autem opera recensentur gemina: primum adversus secundam tabulam & amorem proximi, violenta

violenta in Christianos injuria, quod eos per tyrannidem opprimerent, & ad tribunalia traherent, ut honore, bonis, aut vita spoliarent, v. 6. Deinde adversus primam tabulam & amorem Dei, blasphemia in Christum, v. 7. Divites autem non absolutè omnes omnino (nam & pii nonnulli erant divites) sed comparatè cum pauperibus, & multos intelligere, extra controversiam est: sed quales? an fideles, an verò infideles? diversa est sententia. Quidam enim de impiis & profanis divitibus, qui Ecclesiam Christianam persequebantur vi, & Christum blasphemabant: alii verò de divitibus, fidem professis, interpretantur, qui fraudibus variis, exactionibus in emendo, vendendo & forensibus litibus pauperes divexabant, & quasi tyrannidem quandam in Christianos exercebant: de qua etiam re cap. 5. Deinde Christum blasphemabant. Quod vitium quidam angustiùs per Meton. effecti exponunt, quod suis operibus blasphemiæ occasionem præberent infidelibus. Alii verò latiùs generatim accipiunt, quod non solùm malis moribus opprimerent alios, sed etiam profanis sermonibus Christi gloriam per se violarent: nam ditiores de Christi persona, officio, beneficiis, doctrina, sæpius impiè loquuntur, & execrationibus, juramentis temerariis aut falsis, non rarò peccant. Verùm satiùs videtur, ut quàm latissimè, hoc est, de divitibus tam infidelibus, quàm fidelibus communiter interpretemur, eaque ratione sententias hasce, quæ diversæ sunt, non adversæ, complectamur. Atque hanc rationem anticipatione illustrat. Objici enim poterat ab Hebræis: se in divitibus injuriis & impiis honorandis servare legem, quæ dilectionem etiam hostium præcipit, Matth. 5. v. 45. Prov. 25. v. 28. Rom. 12. v. 20. Resp. autem Apostolus, si illam Dei legem servent, eos rectè facere, vers. 8. sin contrà, personam respiciant, peccatum committere. Idque legis testimonio comprobat: quia ab ea velut transgressores redarguuntur: idque partim præcepto generali de dilectione: partim speciali expositione illius, Lev. 19. v. 15. quibus prosopolepsia prohibetur. Cur autem *legem* vocet *regiam*, dissentiunt interpretes. Quidam cum Syro, legem regis, id est, Dei, κατ' ἐξοχὴν exponunt: alii forma proverbiali communem omnibus intelligunt, ut Num. 21. 22. *via regia* dicitur. Præterea sunt qui sic dictam putant, quod regali, id est, forti animo conveniat. Denique nonnulli legem præcipuam interpretantur; quod mandatum de charitate, quasi regina, aut rex, principatum, inter cœtera, obtineat, Marc. 12. v. 30. 31. Rom. 13. 9. Sed tamen prima explicatio maximè videtur convenire: ut lex regalis sit Dei, aut Christi regis: quemadmodum præceptum de charitate, *præceptum Christi*, Gal. 6. v. 2. appellatur: videlicet quod Christus non solùm primùm per Mosen dederit; sed etiam potissimum, quod à corruptelis Pharisæorum, expositione sua, Mat. 5. 8. vindicando, eam serio inculcando, & ab oneroso ceremoniarum jugo liberando, renovarit: unde etiam *novum mandatum*, suo modo, vocat, Ioa. 13. 34: nam quod objicitur, exemplum desiderari, ubi Deus, aut Christus absolutè Rex dicatur: regeri potest Ps. 35. 2. ubi Christus ita absolute nominatur: deinde cum v. 5. regni facta sit mentio, non inconcinnè, hoc loco, de lege Regis agitur.

Hæc de v. 9. Cui subjicitur confirmatio, anticipatione quadam: objicere enim poterant, se non esse transgressores legis, per prosopolepsiam aliquam, quandoquidem pleraque legis præcepta servarent. Sed negat Apostolus hoc consequi. *Quisquis enim totam legem servaverit*, (scil. reliquam) *impegerit autem in uno, omnibus tenetur*, nempe non ratione substantiæ, sed circumstantiæ: nam in singulis virtutibus duo præcipiuntur: primò, virtutis forma; & deinde adjuncta cœterarum virtutum copula: debitum enim virtutum, & actionum non partim & separatim; sed omnino, & conjunctim persolvi debet, Deut. 27. v. 26. Gal. 3. 10. nec vera ac perfecta virtus est, quæ non ex perfecta charitate, seu toto corde, tota anima & omnibus viribus, Mat. 22. 37. eoque omnibus virtutibus prædito, promanet. Quare si quis vel in unum præceptum peccarit, omnium reus est propter individuum eorum nexum, v. 10. Idque adjunctis exemplis confirmat inde, quia Deus eas conjunxit, ac propterea qui separat, ille, *transgressor est legis*, scil. totius v. 11. Vnde sequitur conclusio, non specialis de prosopolepsia tantum; sed generalis, ad sermonum & operum justitiam, adjuncto novo argumento, à consequente judicio secundum legem: quam, ut ante *regalem*, sic nunc etiam *libertatis* vocat, eodem sensu, qui antè expositus est cap. 1. 25. Hoc autem judicium quidam Synecd. de condemnatione exponunt: sed satius est, ut generatim accipiamus, sicut ex sequenti specierum inductione apparet. Sed excipiat aliquis; si fideles etiam secundum legem sunt judicandi, non servabuntur, sed condemnabuntur: quia legis judicium est secundū veritatem; seu merita, & rigorem juris non secundum gratiam. Resp. legis judicium esse duplex: unum per se, quatenus Euangelio opponitur, & ab ejus gratia separatur, & sic ex causis meritis, fideles condemnat: alterum per accidens, quatenus cum Euangelii gratia, & peccatorum remissione, sublato jam rigore, componitur: & eo modo non ex causis absolvit, & servandos judicat; sed vera fide absolutos, & hæredes regni factos, ex operibus (tanquam fidei, & filiorum Dei signis & effectis) declarat, Matt. 25. 35. Atque hanc v. 12. rationem, inductione specierum judicii, confirmat, v. 13: nam aliud est damnatio, quæ immisericordes, & acceptores personarum sequitur, stricto jure, (nisi videlicet resipuerint:) aliud est absolutio, seu liberatio à condemnatione & donum vitæ æternæ, quæ misericordes manet. Cujus certitudinem per Meton. describit, quod misericordia gloriatur, id est, gloriari facit, adversus damnationem. Sed objicitur: Ergo meretur vitam æternam. Resp. nonnulli, misericordiam, hoc loco, non hominum, sed Dei intelligi. Verùm illud contextui non satis convenit: ideoque aliter neganda consequentia: nam misericordia gloriari facit de absolutione, non ut illius causa: sed ut causæ signum, & antecedens absolutionem, conditio, & argumentum, secundum promissionem gratuitam, Matth. 5. 7. & 25. 35. quæ promissio, gloriationis in Deo materia. Hactenus prima capitis hujus pars, quæ dehortationem à prosopolepsia continet, exposita est. Cui altera, valde accommodata anticipatione, annexa succedit: quæ inanem fidei jactationem, & Euangelii, ad peccati licentiam, abusum, solidè confutat. Objici enim poterat ab hypocritis, adversus antecedentem damnationis comminationem: habeo fidem in corde, & professionem in ore: ac propterea tutus sum à condemnatione, ac servabor ex Euangelii promissione, Ioan. 5. 24 Rom. 10. vers. 10. quamvis peccatis serviam, ut Tit. 1. 16. Mat. 7. vers. 19. Rom. 6. vers. 2. Ea nonnullorum licentia reprehenditur. Contrà verò Apostolus hanc consequentiam, emphatica interrogatione, ad conscientiæ judicium provocans, negat; ac docet, hujusmodi fidem, operibus vacuam, inutilem esse, id est, ut per exegesin addit, non posse servare: nam quod quidam distinctè dici putant, innutilem ratione proximi, non servare, ratione incredulorum: illud minus congruit. Rectè autem consequentiam negat Apostolus, quia fides vera, ac salutaris, qualem Euangelium requirit, viva est, & ut Gal. 5. 6. statuitur, per charitatem efficax: nam fides salvifica non est tantum notitia Euangelii, & generalis assensus, quæ fides historica appellatur: sed notitia viva, cum charitate, & fiducia conjuncta; quæque fiduciæ actum, & dilectionis opera parit. Ac propterea fides operibus vacua, historica tantum est & inutilis ad salutem. Unde primò apparet Iacobum Christo, & Paulo minimè repugnare, ut quidam perperam arbitrantur: quia hi in promissionibus Euangelicis fidem vivam, justificantem, ac salutiferam intelligunt: contrà Iacobus historicam, & quidem per mimesin, ex sententia hypocritarū, nominat: ait enim *si quis dicat*, v. 14. Cœterum hanc sententiam suam probat, primò similitudine aptissima, cujus propositio est, v. 16. redditio, v. 17. Summa autem hęc est: quemadmodum charitatis, misericordię professio, qua & miseris bona tantùm optantur, non autē conferuntur, non est vera & utilis misericordia, sed fucata & inutilis: ita quoq; fides operibus vacua, non vera & viva est, sed mortua per se eoq; omninò ad salutē inutilis. Consequentię funda-

fundamentum, seu ratio constat: quia utrimque à remotione consequentis necessarii, ad remotionem antecedentis proceditur. Observandum autem est, nonnullos ea propositionis verba *quæ erit utilitas*, referre ad egentem, alios accommodatius, ad dicentem: quia hæc expositio cum scopo loci, & redditione, meliùs convenit, & antecedentibus aptiùs cohæret: nam ut misericordiæ veræ utilitatem & fructum, v. 13. exposuit: sic contrà fucatæ vanitatem, hoc in loco demonstrat. Atque ex hac ratione secundò probatur, Iacobum Paulo nequaquam contradicere, quia ille loquitur de fide mortua; Paulus de viva, quam distinctionis gratiâ fidem electorum, Tit. 1. 1. & ἀνυπόκριτον vocat 1. Tim. 1. 5. Itaque falsò Bellar. de justif. lib. 1. cap. 15. in hujus loci depravatione, asserit; fidem in S. L. semper veram fidem significare solere. Porrò huic rationi, à similitudine petitæ, alteram subjicit Apostolus, eleganti oppositione fidei hujus hypocriticæ & veræ, per prosopopæiam, quâ duos homines, qui fidem & veram religionem profiterentur, introducit: quorum alter ex collatione effectuum, tanquam latentis fidei κειμηλίῳ, hypocritam, fide viva destitutum, se verò ea præditum ostendit, v. 28. Tertia verò ratio, continuata Prosop. petita est, à subjecto hujus fidei; quia communis est cum diabolo, ideoque mortua, & inutilis ad justitiam, & vitam. Nam, inquit: ut tu credis Deum esse unum, id est, per Synec. habes Dei & voluntatis illius notitiam: sic & diabolus credit, nec tamen verè fidelis est, ac confidit Deo, sed ad Dei notitiam horrescit, judicii metu, nec servari potest. Ergo fides tua non est vera, & viva, justificans fides; sed inanis, & mortua, vers. 19. Unde tertio probatur, Iacobum à Paulo non dissentire; quia Paulus de fide viva, quæ *electorum est*, loquitur, quæ Diabolo improbo, & reprobo evenire non potest: Contrà Iacobus de historica tantum agit, quæ dæmonibus communis est, nimirum ratione rei; quamvis ratione causæ efficientis diversa. Siquidem homines credunt adducti authoritate testimonii verbi Dei, & interna illuminatione S. Sancti persuasi: sed dæmones credunt experientiâ, ac rerum evidentiâ convicti. Atque hæc tertia ratio est: cui duæ reliquæ adduntur, præmissa scopi, & conclusionis repetitione emphatica: quia non solùm fidem, quæ absque operibus est, mortuam, eoque ad salutem inutilem esse asserit Apostolus: sed etiam interrogatione gravi hujus rei probationem solidam afferens, hypocritam provocat, & vanitatis arguit: *vis, inquit, nosse ô homo vane, fidem quæ absque operibus est, mortuam esse:* vanum vocat, quod vivâ fide, & gratiâ Dei vacuus, de utraque tamen gloriaretur. Rationes autem quas adducit, petitæ sunt à duobus exemplis singularibus: quorum prius est Abrahami Hebræi: alterum Rachabæ meretricis gentilis. Ac consequentiæ firmitas, prima fronte exigua videtur: quia à singularibus exemplis, ad regulam generalem proceditur. Sed, si quis rem accuratè perpendat, firma comperietur argumentatio: nam Apostolus nititur certis hypothesibus: quarum prima hæc est: Fides utraque Abrahami, & Rachabæ, fuit vera & viva fides. Altera; vivæ fidei, justificationis, & salutis una & eadem ratio est in omnibus verè fidelibus: ac propterea quali fide unus eorum fuit præditus, justificatus, & servatus; tali & reliqui: quia communes sunt fœderis gratuiti conditiones. Nominatim verò hæc ab exemplo fidei Abrahami consequentia firma est, ut Paulus, Rom. 4. v. 11. 16. 22. 23. asserit, & ex Dei promissione probat. Unde etiam *Patrem credentium*, & *Patrem omnium nostrûm* vocat, quod vestigia illius fidei sequi nos deceat, Rom. 4. 12. 16. & ideo Iacobus quoque Abrahamum, hac periphrasi, describit, *pater noster*: nam quamvis Hebræorum Pater esset propriè, secundum carnem: tamen hoc in loco metaphoricè sic vocat, exemplo Pauli, Rom. 4. quod veræ & salutiferæ fidei commune sit exemplar, quod imitari omnes debemus. Prioris igitur exempli syllogismus hic esse potest principalis: Fides, quæ dissentit à fide Abrahami, ea est mortua: sed fides absque operibus talis est. Ergo est mortua. Conclusio ponitur, v. 20. Propositionis loco ponitur confirmatio, quia Abraham est Pater noster: similiter & pro assumptione ponitur ratio illius, v. 22. Fides Abrahami administra fuit operum, & ex operibus perfecta fuit, id est, metonymicè perfecta & sincera declarata. Hanc enim metonymicam expositionem, natura rei extorquet. Cum enim fides sit causa; opera, effecta, propriè loquendo fides operibus perfici non potest: quia causa non perficitur à suo effectu, sed perfecta declaratur: ut fructus boni, arborem bonam non efficiunt, sed bonam indicant ac judicant. Perfectio autem, hoc in loco, non graduum, sed partium intelligitur. Fides enim Abrahami integra fuit suis partibus, & sincera; sed tamen, quia regeneratio illius non fuit perfecta, & in summo excellentiæ gradu: propterea etiam fides ipsius absolutè non fuit perfecta. Porrò hanc rationem confirmat Iacobus, exemplo illustri, quod indicat: cum ait, *vides*? Deinde cum in expositione illius, per interrogationem, rei certitudinem, & perspicuitatem indicat: Qui ex operibus justificatus est, ille habet fidem administram operum. Propositio Enthymematicè deest, reliqua ordine & apertè exprimuntur. Cœterùm quæstio oritur celeberrima, de consensu Pauli, & Iacobi, qui sibi mutuò contradicere videntur. Quidam enim nullum consensum esse existimant; ac propterea divinam, & apostolicam esse hanc epistolam, negant. Sed perperam, ut ex sequentibus apparebit. Alii verò consensum esse statuunt; sed, in modo illius exponendo, variant. Nam Pontificii acutiores ajunt: Paulum loqui de justificatione prima, seu injusti, quâ quis ex injusto fit justus: quæ ex gratia, per solam fidem, contingat: Iacobum verò agere de justificatione secunda, seu justi: quâ is justior fit, operum merito. Sed falsa hæc est distinctio, ut Paulus ostendit, Roman. 3. 28. Rom. 4. v. 2. 3. 6. ut & ex sequentibus constabit. Quamobrem Orthodoxi aliter conciliant, ac plerique distinctione homonymias utuntur. Ajunt enim *justificare* apud Paulum esse, in judicio accusatum absolvere, & justum judicare; apud Iac. verò justum declarare: seu quod eodem redit, Paulum, agere de justificatione ex causa, qua, coram Dei judicantis tribunali justi judicemur: Iacobum verò de justificatione ex effectis necessariis, ex quibus coram hominibus & angelis, addo & coram Deo, justi declaramur. Quemadmodum enim boni fructus, bonam arborem non efficiunt, sed certò indicant: ita & opera justa ac fidei, non sunt causa justitiæ, & fidei; sed fidei & justitiæ indicia: qua significatione iustificare hoc loco dicuntur. Quo refertur vulgo illud Pauli Rom. 4. 1. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet quod glorietur, sed non apud Deum.* Atque hæc expositio probatur ex analogia & convenientia triplici primo cum historia, de qua agitur: Deinde cum contextu hujus loci: denique cum fide communi, seu doctrina Christiana: nam si analogiam historiæ spectemus, Gen. 22. 12. dicitur à Deo per Angelum: *Nunc cognovi, te esse timentem Dei*, id est per ἀνθρωποπάθειαν (nam Deus ab æterno omnia novit perfectissimè.) nunc declarasti, hac filii tui oblatione, te timentem esse Dei, id est, per Synecd. vera fide & justitia præditum: quemadmodum etiam, Hebr. 11. 17. Abrahamus dicitur fide obtulisse Isaacum. Ex quo Mosis loco, obiter observandum est, minùs rectè vulgò dici, Iacobum agere tantùm de declaratione justitiæ coram hominibus: nam expressè angelus, Dei nomine loquens, testatur contrarium. Sed pro sententia Pontificia objici posset, ex seq. verbis Angeli, Deum promittere benedictionem suam Abrahamo, quod obtulisset Deo filium suum: Ergo oblationem causam esse benedictionis, ideoque & justificationis confirmatæ. Verùm respondemus oblationem statui causam consequentiæ, non consequentis, id est, oblatio ista fuit antecedens subjectum, & conditio, cujus consequens, non effectum, sed adjunctum præmium, erat benedictio Nam jam ante 30. annos promissionem illam benedictionis acceperat: Gen. 12. & 15. Deinde si analogiam contextus, & scopum hujus disputationis attendamus, apparebit hîc non agi propriè, de causis justificationis; sed de effectis, ex quibus fides & justificatio agnosci possunt, vers. 18. ut ex superioribus liquet. Denique huc accedit analogia fidei, quia unum opus non potest hominem, tanquam causa, justificare; sed universa & per-

& perpetua legis observatio Deut.27. v.26.28. Gal. 3. 10. Jac.2.10 Atq; hæc oblatio unum fuit opus.Ergo,&c.Unde concludimus Jacobum voce *justificandi* aliter uti, quàm Paulum. Quidam tamen è nostris arbitrantur,conciliationem posse commodiùs institui,servatâ utrimque eadem *justificationis* significatione, sed ut *operum* vox homonymiam admittat: ac si Paulus eâ propriè uteretur: Jacobus verò per Meton. effecti pro causa,fidem denotaret,ut sit sensus: Abraham justificatus est ex operibus, id est, fide quæ ex se peperit opera. Quæ expositio sancta quidem est, si analogiam fidei consideres: sed nova & durior,utpote quæ cum S.Script. usu, & hujus contextus circumstantiis,præsertim v.22.ubi opera & fides distinguuntur,non consentit.Nam quod objicitur, servata expositione communi, non facturum hoc ad propositum demonstrandum:illud facile ex superiori expositione & v. 20. ac 26. diluitur. Deinde quod excipitur, Jacobum loqui de justificatione coram Deo, agnoscimus;sed eodem sensu,quo Paulus disputat,negamus: quia justificatio coram Deo est aut à priori,seu ex causis,de quaPaulus:aut à posteriori & effectis,de qua Jacobus disputat.Atq; hęc de v.21.& 22.Quibus illustrandis anticipatione eleganti ait,v.23.*& impleta est Scriptura,&c.*objici enim poterat,Scripturam tamen dicere,Gen. 15.Abraham credidisse Deo,& fide justificatum.Resp.Apostolus,verùm esse, sed fide viva, seu tali, quæ administra fuit bonorum operum: nam testimonium illud Scripturę impletum fuit,i.e. compertum est, completum, seu verum, ex illo opere fidei. Nam propriè loquendo,ut rectè à doctis interpretibus observatur , hæc Scriptura impleta est eo ipso momento quo Abraham credidit,ut disertè colligit Paulus, Rom. 4. v. 10. sed complementum illius illustratum ac declaratum est postea,hoc insigni opere fidei, Heb. 11. 17. qua Metonym. versu antecedenti est usus, perfecta est, i. e. perfecta declarata est. Atq; ex hisce jam concludit Apostolus,v.24. alterum,nempe *hominem justificari*, i.e. justum declarari,*ex operibus & non fide tantum*, i. e. fide quæ sine operibus seu operibus destitutâ.Sed objiciunt adversarii,præsertim Bell. de Justif. lib. 1. c. 15. *Justificari*, non posse, hoc in loco, significare,justum declarari:quia sicut fides justificare debet,ita & opera:nam hîc conjunguntur.At fides non justificat declarando: sed vel inchoando justitiam formalem, secundùm Catholicos: vel apprehendendo justitiam Christi,secundum hęreticos.Ergo nec opera.Negatur propositio: est enim petitio principii, seu quæstionem argumenti loco ponit: nam Jacobus in hoc loco *fidem* sumit oppositè, per mimesin, i.e. quę opere vacua sit,non autem comparatè, ut Pontificii statuunt. Deinde falsa est assumptio: nam fides , confessione patefacta, etiam cum operibus declarat justitiam.Sed urgent iterum ex v.22.Fides Abrahami cooperata est operibus, ad justificandū ipsum. Atqui fides non cooperata est ad justitiæ declarationem.Verum negatur primò propositio : non enim dicitur fides cooperata ad justificationem:sed simpliciter cooperata est, i.e. non fuisse opera sine fide : nam revera illa oblatio filii fuit egregium fidei efficacis opus,Rom.4.Heb.11.17. deinde etsi propositionem concederemus,assumptio tamen esset falsa,ut antè ostendimus: nec enim fides solùm est justitiæ causa instrumentalis : sed etiam exercitium illius fidei , est justitiæ signum.Sed contrà tertio excipiunt:Fides ex operibus dicitur esse perfecta. Ergo justificatio inchoata per fidem , incrementum accepit,& perfectionem per opera. Negatur consequentia,quia figuratè perfecta dicitur,quod perfectio & integritas illius declarata fuerint,ut non malè,de hac re,Beda disserit. Nam duplex alioqui oriretur absurditas: Prior, Abrahamum 30. annos habuisse fidem imperfectam,& informē eo tempore,quo justificatus fuit coram Deo; Posterior est,initium justificationis omne gratię Dei,perfectionē verò meritis humanis adscribendam,eoq; salutem non esse merè gratuitam,contra Paulum,Rom.11.6.Eph.2.1. Hæc de priori exemplo,nempe fidei Abrahami. Alterum simile exemplum est Rachabæ.Causa autem,cur hoc potissimum afferatur & conjungatur exemplo Abrahami, cum multa alia extent clariora: videtur esse , ut omnem exceptionem tolleret: Rachab enim & gentilis, & meretrix, non habebat fidem operibus destitutam : sed justificata est, id est, justa comperta ex operibus, ex quibus fidem suam vivam esse ostendit,Heb.11.21. Sed objicit Bell.Rachab non potuit declarari justa, cùm esset meretrix, sed verè justificata est, i. e. ex infideli fidelis, & ex injusta justa facta est. Verùm negamus Rachab tum temporis,cùm ex operibus justificaretur, meretricem fuisse reipsa, sed sic vocatur διακριτικῶς, i.e.distinctionis causâ,quod talis fuisset: ut usus S.Scripturæ, & aliarum linguarum similis est. De cujus fide, ad Hebræos, actum est. Atq; hisce argumentis omnibus propositis,annectitur illustratio à simili:quo ostendit fidem sine operibus mortuam, *sicut corpus sine spiritu mortuum est*. Hoc autem bifariam exponi potest. Primò, ex communi sententia,ut *spiritus* animam significet,ut similitudo ex parte tantùm conveniat : nam Spiritus propriè vivificat corpus; contrà verò opera non vivificant fidem,sed vivam indicant:quia sunt consequentia,& effecta propria illius.Deinde interpretatione nova, quam ut olim proposui; sic repono,ut πνεῦμα, i.e. *spiritus*,hîc non animam,sed effectum, seu anhelitum,qui propriè etiam *anima* dicitur Latinis, significet:ut apud Græcum interpretem,Ps.119.132. *attraxi* πνεῦμα, i. e. *Spiritum* seu animam,& alibi.Quo etiam modo obscurum illum locum exponendum arbitror, 1. Cor.14. v.14.15. *Orare & psallere Spiritu*, i. e. flatu oris : cui opponitur *orare & psallere mente*. Ut sit sensus Jacobi: quemadmodum corpus, quod non respirat,mortuum est; ita & fides,si non spiret bona opera, mortua est,i.e. per metaphoram fucata, & ad salutem inutilis. Nam hoc commune est omnibus gentibus corporis mortui experimentum , unde etiam ad majorem certitudinem,mortuorum ori speculum adhiberi solet,ut ex illius claritate,aut obscuratione,an Spiritus insit,dignosci queat. Quare si hanc expositionem nostram amplectamur:futura est similitudo copiosior & integra,qua facillimè adversariorum objectio diluetur;sic enim argumentantur: quod instar Spiritus est, illud est causa principalior, quàm quod est instar corporis. Atque opera sunt instar Spiritus; fides instar corporis, ut Apostolus docet. Ergo opera sunt causa principalior,quàm fides: eoque cum sint συναίτια justificationis,opera ea in re pręstant fidei. Responderi potest bifariam : primùm negatione consequentiæ: quia est fallacia homonymias ob medii termini ambiguitatem : quia Spiritus in propositione metaphoricè alteram hominis partem, in assumtione propriè flatum oris seu anhelitum notat. Deinde si vulgo usurpatam significationem servemus;negatur etiam propositio.Nam ut ea vera est, si nomen *Spiritus* metaphoricè pro anima accipias : sic falsa,si propriè pro spiritu ac flatu oris. Nam hac etiam ratione constabit similitudo suo modo : sufficit enim similitudinem inesse in simili adjuncto, etsi in effectis sit diversitas: corpus & fides conferentur in eo, quod utrumq; sit mortuum; illud, si anima,hoc, si operibus destituatur: sed differentia est,quod corpus mortuum describetur à remotione animæ , quæ causa vitæ : fides verò à remotione bonorum operum, quæ propria ac certa effecta,& argumenta fidei.Utrovis igitur modo interpretemur,retundetur Pontificiorum telum. Interim satis liquere jam arbitramur, si primam expositionem sequamur, solutionem magis esse illustrem , ac pleniorem : nam præterquam quod propria vocis *Spiritus* significatio servatur , etiam in eo similitudo statuitur,non unica,sed gemina: fides enim confertur corpori bifariam : nam primò, ut corpus est causa Spiritus, ac flatus: sic fides bonorum operum : deinde ut corpus, quod Spiritu caret, tanquam proprio suo effecto, mortuum est: sic fides, quæ operibus bonis caret, mortua est.

CONSECTARIA CAP. II.

I. Vita nostra fidei sanctè conformanda est, & quæ ei adversantur, fugienda, vers. 1.

II. In honorandis proximis, vitanda est & adulatio, & contemtus justus, v.3.

III. Malæ vitæ causa est non rarò malum de rebus divinis judicium : eoque curandum est, ut illud secundum normam verbi divini corrigamus, v. 4.

IV. Non omnes pauperes Deo probantur: sed qui sunt divites fide, & charitate.

V. Paupertas & opulentia duplex est: alia mundi hujus, & corporalis; alia alterius, & spiritualis.

VI. Pauperes pii adversus suam paupertatem & contemtum hominum consolari se debent, partim honore, quo à Deo affecti sunt (quod Dominum habeant gloriosum Jesum Christum, & à Deo electi sunt) partim divitiis Spiritualibus, quibus, præ divitibus hujus mundi, donati sunt, quod scilicet secundum electionem à Deo vocati sunt ad fidem, & charitatem; & hæredes regni cœlestis constituti sunt, vers. 4. & 5.

VII. Divitibus hæc duo mala comprimis fugienda sunt, oppressio pauperum, & blasphemia adversus Christum, v. 6. 7.

VIII. Lex charitatis omnes devincit, tanquam regia ac divina actionum nostrarum regula, v. 8.

IX. Cùm is, qui, servata tota lege, in uno offendit, omnibus teneatur, tanquam legis transgressor; sequitur nullum hominem justificari operum merito; quia, Jac. 3. v. 2. in multis impingimus omnes, v. 10.

X. Judicium Dei secundum legem & opera nostra, stimulus esse debet ad vitæ sanctitatem.

XI. Non innocentia solùm, sed etiam beneficentia à nobis requiritur.

XII. Cum Deus futurus sit tandem severus improborum judex; mala non referenda, sed æquo animo ferenda sunt, v. 13.

XIII. Non solùm verbis bene precandum est afflictis; sed etiam pro virili benefaciendum, v. 16.

XIV. Fides vera, ab hypocritica fructibus distinguitur, v. 18.

XV. Vani sunt Libertini illi, qui fide, operibus destitutâ, gloriantur: eoque vocatio nostra, & fides bonis operibus confirmanda est, v. 20.

XVI. Pia sanctorum exempla, non ad rei notitiam, sed ad imitationem, in Sac. L. proposita sunt.

XVII. Dei voluntàti, exemplo Abrahami, in rebus etiam difficillimis, obtemperandum est, v. 21.

XVIII. Cùm fides pietasque nos Dei amicos reddat; infidelium amicitia parvi pendenda est, v. 23.

XIX. Nulla pœnitentia nimis sera, si seria & vera; exemplum Raabæ docet, v. 25.

XX. Cùm fides sine operibus mortua sit; sequitur, opera ad salutem esse necessaria; nimirum non tanquam causam, sed tanquam viam, v. 26.

CAPUT TERTIUM.

DUo, præ cœteris, vitia, in Ecclesia oriri solita, in Judaicis etiam Ecclesiis vigebant: primùm peccandi licentia, ex perverso, doctrinæ de fidei justificatione, & libertate Christiana, abusu: deinde, ex fiducia arroganti sapientiæ, & justitiæ propriæ, de aliorum fide, & moribus, iniquum & præceps judicium. Ideoque postquam Apostolus prius confutavit; ad alterius vitii, & cognatorum reprehensionem, opportunè transit. Tres enim hujus capitis sunt partes præcipuæ: primùm enim agit Apostolus adversus arrogantiam rigidæ in alios censuræ: deinde adversus duo cognata vitia, linguæ incontinentiam; & inanem sapientiæ persuasionem. Ac prima pars constat dehortatione & confirmatione illius. Illa est: *Ne estote multi doctores.* Quod quidam de publico docendi munere exponunt; ad quod, ob rei difficultatem, & sanctitatē, non multi sunt idonei: alii verò accommodatius ad privatam, & ambitiosam aliorum reprehensionem referunt; ad quam multi, ob superiorem doctrinam, c. 2. 18. & 26. pio zelo, sed admixta humana imperitia, & arrogantia, importunius abrepti, longius justo potuissent prosilire. Loci similes sunt, Matt. 7. 1. Rom. 2. 1. 2. 3. Prohibetur autem non quævis doctrina privata, aut censura, aut ex Levit. 19. & Matt. 18. 15. & Eph. 5. 11. constat; sed vitiosa tantum, i. e. quæ in re, modo, aut fine peccat. In re; cùm falsa est, à Dei judicio, S. L. patefacto, aberrās. In modo, cùm acrior est, quàm æquitas postulat: aut præpostera, quæ ordinem violat: & neglectis omninò suis vitiis, in aliorum nævos promptiùs, ac rigidius inquirit. Denique in fine, qui aliud quàm Dei gloriam, & salutem proximi spectat. Quare si censura sit justa, re modo, & fine; hoc in loco non culpatur. Cœterùm dehortatio hæc firmatur ab effecto, nempe judicio, i. e. pœnæ divinæ incremento, ut Matt. 7. 1. Rom. 2. v. 2. 3. Quæ ratio probatur, partim à censorum conscientia, v. 1. partim à causa judicii, nempe peccatorum multitudine, quâ omnes laboramus: quod contra perfectionis arrogantiam est observandum: nam, qui peccatis scatent, pœnam merentur omnes, sed graviorem, qui, in aliis judicandis, sui obliti, iniqui ac severi sunt, Rom. 2. 1. 2. 3. Matt. 7. 1. & 18. 33. Porrò, *nos in multis labi*, declaratur exemplo speciali lapsus linguæ: eaq; viâ eleganter ad secundam partem procedit; qua, primùm usum bonum, & malum linguæ describit: deinde dehortatur à malo. Ac bonum usum laudat, bifariam. Primò à causa, nempe perfectione. Loquitur autem hîc aut de perfectione absoluta & graduum, hypotheticè, à qua omnes procul absumus; aut de perfectione comparata, & partium, quod linguæ moderatio rarissima sit virtus. Alia ratio est ab effectis: quia ita totū corpus fræno potest moderari, quod metaphoricè proponit. v. 2. Quam rationem duabus similitudinibus illustrat, cum linguam, explicata antecedente metaphora, frænis equorum comparat, v. 3. & navium gubernaculis, v. 4. ut apodosis, utrimque communis, ostendit, v. 5. Similitudo autem constituitur in causarum exiguitate, & effectorum, objectorumq; magnitudine. Atque hæc de bono linguæ usu, & continentiâ. Malus verò describitur, ac vituperatur; primò generatim: deinde speciatim. Generatim ab effecto, efficiente, adjuncto. Ab effecto, nempe damno quod infert, idq; illustratur, partim similitudine explicata ignis: partim contracta in metaphora, cum maculis confert. Ab efficiente verò cum *inflammata* dicitur *à gehenna*, i. e. Meton. à Diabolo, ut Matt. 16. *Portæ inferni*, potentiam Diaboli notant, quemadmodum, v. 15. in vicina sententia sapientiam illam vocat dæmoniacam: Denique ab adjuncta comparatione amplificat, quod cùm feræ omnis generis domentur, v. 7. lingua maneat indomita. Cui adjuncto addit repetitionem effecti, illustratam similitudine veneni, & quidem copiosi ac mortiferi, v. 8. Atq; ita hoc effectum confirmans, aptè transit à generali ad specialem intemperantis linguæ vituperationem, ab effectis. Objici enim poterat à nonnullis: linguâ laudatur Deus, Psalmis, precibus, verbi illius annuntiatione, confessione. Ergo non est plena veneno. Verùm, antecedente omisso, consequentia negatur: quia illa Dei laus vitiatur, conjuncta execratione proximi, quo, tanquam Dei imagine, læso, in Deum etiam peccatur, v. 9. Hactenus descriptio usus boni & mali linguæ: cui succedit consequens ex ea dehortatio, à speciali hoc linguæ abusu, v. 10. Cujus dehortationis ratio est, quod naturæ adversetur. Quam rationem similitudine fontis, v. 11. arborum bonarum, ficus & vitis illustrat. v. 12. Atque hæc de secunda hujus capitis parte. Cum quâ tertia optimè cohæret; in qua falsa sapientiæ persuasio, quæ plerumque censuræ rigidioris, & linguæ intemperantis causa est, reprehenditur, & mansuetudo & pax Christiana commendatur, proposito veræ ac falsæ sapientiæ discrimine, ex effectis contrariis: veræ enim sapientiæ effectum, & *καλῆκαν*, est vitæ sanctitas, & in proximum, præsertim peccantem, mansuetudo prudens, v. 13. contra falsæ sapientiæ nota & effectum, est invidia, & contendendi libido, v. 14. Quod confirmatur à causis, per aphæresin, & thesin, v. 15. Aphæresis autem ex collatione contrariorum effectuum invidiæ, & contentionis, v. 16. & cœlestis sapientiæ, v. 17. demonstratur. Cui additur corollarium; quo sapientia cœlestis, à consequente, non effecto, sed adjuncto fructu; non enato, sed gratiosè à Deo & promisso, & conferendo, Rom. 6. v. 22. 23. commendatur, v. 18.

CAPUT QUARTUM.

POstquam Apostolus, cap. anteced. falsam propriæ sapientiæ persuasionem, tanquam paci adversam & dissidiorum causam reprehendit: in eadem materia excolenda pro-

progreditur, hoc cap. & adversus alias etiam dissidiorū causas differit, voluptates nim. & obtrectationem; quibus addit seriam arrogantiæ, adversus Dei providentiam, reprehensionem. Quæ tres primariæ sunt hujus capitis partes. Quarum prima constat reprehensione voluptatum, à v. 1. ad 7. & adhortatione ad officium à 7. ad 11. & illa quidem est partim generalis, quâ & voluptates Hebræorū arguuntur, quod in ipsis militarent adversus Spiritum, Rom. 3. 13. & 7. 23. & inter se: & ex effectis culpantur, quod inde bella, & pugnæ, i.e. Metaph. contentiones extarent, v. 1. partim specialis, qua inductione optima confirmat generalem. Reprehendit autem avaritiam, ambitionem, atq; intemperantiam. Ac primum argumentum est à damno seu à remotione utilis effecti, quod Deus concupiscentiam, i.e. avaritiam, invidiam, atq; ambitionē, & quę inde oritur contentionem, optato eventu destituat. Quod illustratur à causis promerentibus; nempe precum neglectu in nonnullis, v. 2. & abusu in aliis, quod nim. malè, i.e. in malū finem, precarentur, 1. Ioan. 5. 14. nempe ut in voluptates eorum insumerent: quomodo intemperantiam eorum reprehendit, v. 3. Alterum deinde argumentum ab effecto deducitur, Dei nim. offensione; ait enim *adulteri, & adulteræ*, significatione propria & angustiore, ut ex vers. anteced. connexione colligitur: vel figurata & generali, Sacrisq; Literis frequenti: sic enim non immerito vocantur illi, qui Deum sponsum suum deserentes, mundo & carni serviunt, eaq; ratione spiritualis conjugii pactum violant. Unde subjicit Apostolus amicitiam mundi, esse inimicitiam adversus Deum. Mundum autem nonnulli homines non renatos, alii voluptates & vitia mundi, ad scopum loci accommodatius, exponunt: generatim autem res terrenę & vitia insita mundo intelligi possunt: sed illa erit differētia, quod illarū amor malus est tantum, cum inordinatus sit, & in modo, aut fine, à Dei verbo aberrat: horum verò amor absolutè & simpliciter malus est: hæc autem amicitia, inimicitia dicitur adversus Deum. Unde argumentum à cognatis concludit Apostolus, v. 4. qui voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur. Similes loci, Matt. 6. v. 24. 2. Pet. 1. 4. & 2. 20. 1. Ioan. 2. 15. Porrò sequens versus maxima varietate ab interpretibus accipitur. Quidam enim verba illa: *an putatis*, &c. arbitrantur per ellipsin pronominis τῦτο; pertinere ad antecedentem sententiam, de amicitia mundi: quæ sententia, communi S. Scripturæ doctrina, & similibus locis continetur. Alii verò ad sequentia variè referunt, & quidem vel remota, nempe ad v. 6. ut parenthesi media includantur: vel ad proxima: sed nec hic in verborum sensu, neq; in Scripturę loco consentiunt. Multi enim citari putant dictum, Gen. 8. 21. *omne figmentum, &c.* Sed hęc sententia videtur generalior, quàm ut huic loco congruat. Alii propius respici putant Mosis ad Josuam responsum, Num. 11. 29. *An invides meâ causâ? ô si daretur, &c.* Sed quia est quædam personæ & verborum differentia, idcirco alii potius referunt ad locum Gal. 5. 17. 21. 22. *Spiritus concupiscit adversus, &c.* nam inter concupiscentias carnis numeratur invidia: ut contrà inter Spiritus opera, charitas & gaudium recensentur. Nam quod primùm objici potest, dici à Jacobo Spiritum concupiscere ad invidiam, ut finis & effectum notetur; ideoq; per Spiritum animam intelligi, non Spiritus regenerantis gratiam: ad illud responderi potest, duobus modis; primò, ut vocem πρὸς, non pro *ad*, sed pro *adversus*, h. in l. accipiamus, ut apud authores Græcos interdum usurpatur, & apud Paulum, Eph. 6. 11. & ut sine interrogatione legatur sententia. deinde, ut, per interrogationem, effectum notet: eoq; modo eadem erit sententia, videlicet spiritus effectum non esse invidiam. Deinde quod excipi potest, in Script. citatione V.T. non autem N. intelligi, ideoque locum Pauli alienum esse: illud, Petri aperto exemplo, confutatur, qui Pauli etiam authoritate utitur expressè, 2. Pet. 3. 15. Reliquas interpretationes, quia alieniores sunt, omitto. Ut autem pressius ad rem redeamus, reprehendit Apostolus invidiam à contrario, quod Spiritus ei, tanquam carnis operi, repugnet, v. 5. deinde superbiam, ab effecto illius, & contrarię humilitatis gratuito fructu; quam doctrinam Scripturę authoritate ex Ps. 34. comprobat, quòd Scriptura non solùm non inaniter nos admoneat invidiam spiritui adversam: sed majorem etiam gratiam præstet, i. e. beneficium, dum humilibus, ab invidia alienis, Dei gratiam pollicetur, v. 6. Atque hæc de reprehensione voluptatum & vitiorum, quibus Hebræi laborabant. Sequitur jam, ad officium & resipiscentiam adhortatio, quam ex antecedenti ratione concludit. Hortatur enim generatim ad obedientiam Deo pręstandam, & contrà Diabolo fide resistendum, & reliqua πανοπλία Christiana, de qua Eph. 6. 11. Idq; confirmat, promissione victorię, v. 7. Hortationis autem prius membrum aliis verbis repetit; & promissione gratiæ Dei amplificat; deinde speciatim obedientiam exponit, cùm postulat primò innocentiam; deinde sinceritatem, v. 8. præterea pœnitentiam & luctum ob antecedentes voluptates ac peccata, v. 9. denique humilitatem, quam à præmio suo commendat, v. 10. Hactenus prima hujus Capitis pars, adversus voluptates. Altera verò est dehortatio ab obtrectatione, qua quis, ex suo sensu, & arbitrio solo, condemnat alium. Quæ dehortatio confirmatur duplici ratione: prima est, quia hoc modo damnatur Dei lex, quando id, quod illa permittit, damnatur, v. 11. altera, quia Dei summi judicis officium violatur, v. 12. Tertia denique hujus Capitis pars est, adversus quorundam arrogantiam, ac temeritatem, in rebus suis, neglecta Dei providentia, præfiniendis, eventus felicis sponsione. Ac primò vitium illud prosopopæia quadam describitur, v. 13. & refutatur argumento ducto ab incertitudine vitæ, v. 14. Deinde contrarium officium declaratur, quod contra vitæ ac actionum nostrarum arbitrium, Dei providentiæ sit tribuendum, v. 15. Inde v. 16. reprehensio additur, quæ antecedentibus, per parenthesin distinctis, cum v. 13. est copulanda. Postremò additur, per anticipationem, generalis conclusio ad bona opera commendanda, ut Luc. 12. 40. quod officii conscientia neglectum illius non minuat, sed aggravet, & κατ' ἐξοχὴν, peccatorem, i.e. flagitiosum, constituat, v. 17. sic enim peccatum per Synecdochen accipiendum esse, res ipsa loquitur.

Caput Quintum.

Cum bonorum operum studium, superiori capitis conclusione, generatim commendarit Apostolus: jam progreditur rursum ad specialem quandam explicationem: quam partim à dissentaneis; partim à consentaneis illustrat. Partes autem universę sunt sex: quarum extremæ 4. ad secundam: duæ verò mediæ, ad primam legis tabulam, pertinent. Prima autem pars divites attingit; estque acris reprehensio: cujus primum membrum est interminatio generalis miseriæ consecuturę. Cujus magnitudinem amplificat ab effectu, nempe consecuturo fletu. v. 1. ut Luc. 6. 24. *Væ vobis divitibus.* Divites autem intelligit, non quosvis opulentos propriè & generatim; nam divitiæ sunt donum Dei; & Jobus ac David, Deo accepti fuerunt Divites, & in sinum ditis Abrahæ, Patris fidelium, translatus est pauper Lazarus: & divitibus salutis via aperitur, 1. Tim. 6. 17. sed impropriè per Synecd. maximam divitū turbam, id est, divites suis divitiis fidentes, ac servientes, notat: de qua re, Matth. 6. 20. 21. 24. & Marc. 10. 23. 24 25. Alterum reprehensionis membrum est confirmatio à causis miseriæ, tribus peccatorum generibus, injustitia, intemperantia, crudelitate; & explicatione miseriæ speciali. Injustitia autem duplex arguitur, quarum prima est avaritia & immisericordia, quę partim generatim exponitur, quod divitias suas putrefieri paterentur potiùs, quam quod iis pauperes, pro officio, juvarent: partim speciatim, quod vestimenta, v. 2. & aurum, argentumque vitiari, neglectis pauperibus paterentur. Cui vitio additur, vers. 3. interminatio specialis, quæ miseriam propositam declarat Metaphoricè, fere ut Marc. 9. 44. quod ærugo illa & opum accumulatio futura esset causa, qua convincerentur avaræ immisericordiæ, & gravissimo ultimi diei judicio punirentur, Rom. 2. 5. Mat. 25. v. 45. Altera injustitię species, est rapina: quod non solùm pauperes non juvarent bonis, sed etiam quod exuerent, debitaq; mercede spoliarent, contra disertam justitiæ legem, Deut. 24. 14. Quod vitium amplificat ab effectis: clamore gemino, rapinę, & pauperum. Clamor rapinę, per Me-

Metaph. ac prosopopeiam quandam, peccati magnitudinem, pœnamque gravem denotat, quod pœnam promeritam quasi posceret à Deo: quemadmodum, Gen. 4.10.18. 20.21. Esai.5.7. Clamor verò afflictorum, est querela eorum, de injuria, à raptoribus divitibus facta. Clamor autem hic, dicitur, per quandam Metaph. introiisse *in aures Domini Zebaoth.* i.e. exercituum, seu omnipotentis omnium creaturarũ (quę per Metaph. exercitus dicuntur) divitum & pauperum Domini & judicis justissimi: ut Ex.2.23. Ps. 9.13. Luc.18.7. Ac propterea ira Dei, & imminens pœna à conscio & justo judice denuntiatur, v.4. Porrò alterũ peccati genus, & causa miserię divitum, est eorum intemperantia: quod opibus ad delitias, voluptates, fastumq; abuterentur. Cui specialis interminatio, ad rem accommodata, apponitur, v.5. quod corda enutriverunt, ut in diem mactationis. Quæ phrasis bifariam exponi potest, primò, ut sit descriptio & amplificatio luxus, similitudine, à Judaicis festis, quibus sacrificia mactabantur, epulisque indulgebant, quomodo verba Apostoli ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς vertunt, *ut die epuli.* Qualis describitur epulo, Luc.16.19.20. Quo etiam sensu vox mactationis sumitur, Ezec.39.17. Verùm secundo modo aliter explicari potest, ut εἰς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς interpretemur, non *in die*, sed *in diem mactationis:* quemadmodum præpositio ἐν pro εἰς, crebro vicissim usurpatur, ut ante, v.3. Qua ratione ad descriptionem non peccati, sed pœnæ imminentis pertinebit, ut sit sensus; quod suis delitiis, ovium, vitulorum, altiliumque instar saginati, præparentur in diem mactationis & exitii. Similes omnino & elegantissimi loci sunt, Jer. 12.3. & 45.20.21. Quæ sententia, uti nervosior est; ita magis videtur convenire. Tertia deniq; miserię divitum, & impendentis mactationis, id est, exitii causa, est crudelitas in pauperes innocentes, quod eos in judicio iniquè opprimerent. Quæ oppressio Metaph. mors dicitur, quod iis vitam acerbissimam, & invitam, ac mortis instar, redderent: aut per Metony. effecti pro causa, quod mortis immaturę causa existerent. Similes loci, Esa.1.15. Amoz 4.1. *Justum* autem vocat, non Christum κατ' ἐξοχὴν, quemadmodum quidam minus aptè exponunt: sed pauperes innocentes, justitiæ addictos, per enallagen numeri usitatam, Esa.3.11.12.1.Tim.1.9 Sic & in hoc exemplo: *Romanus prælio victor.* Cùm autem alia sit justitia personæ, & quidem vel imputata, vel inhęrens: alia causę; hæc propriè, hoc in loco, intelligitur, quòd innocentem, & immeritum opprimerent, v.6. Atq; hæc de gravi divitum reprehensione, ex qua altera Capitis pars; quę, ad pauperes & oppressos consolandos; & in officio fidei, & charitatis confirmandos, spectat, concluditur: nimirum admonitio pauperum, iniquè afflictorum. Quæ duobus constat membris. Prima est hortatio ad patientiam: cui similis locus inprimis memorabilis extat, Mal.3.16. 4.1. & Ps.37.73. Quam hortationem confirmat, promissione *adventus Domini*; nempe judicis, & vindicis: qua pœnam malis, pręmia bonis rependet: quemadmodum 2.Thess. 1.6.7. explicatur. Quam consequentiam probat opportuna anticipatione, adversus moræ tædium, utens similitudine à patientia agricolę, ut 2.Tim.2.6. Cujus protasis est, v.7. Apodosis, aucto novo argumento ab adjuncta adventus propinquitate, v.8. Alterum verò membrum est dehortatio ab impatientia, & vindictæ cupiditate, pertinens (ut videtur) ad cautionem, ne iis, quę v.4. dicta sunt, abuterentur. Quam dehortationem confirmat, v.9. à vindictæ effecto, nempe condemnatione; & adjuncta illius propinquitate, quàm eleganti forma proverbiali indicat, cum ait: *ante januam stare*, seu præ foribus esse: ut Gen.4.7. & Marc. 13.29. Hinc, ad confirmationem ampliorem, hortationis ad patientiam, redit, & secundam rationem adjungit, ab exemplo Prophetarum laudato, v.10. quemadmodum, Matt.5.12. Tertia est ab adjuncta laude, quę à communi testimonio probatur. Quarta est, ab eventu felici, qui exemplo Jobi ostenditur (de quo, Job.42.10.12.) & explicatione causæ illius, consequentia quoq; probatur, v.11. Hæc de secunda Capitis parte. Tertia est dehortatio à temerariis juramentis, quæ tum temporis maximè vigebant, v.12. quę confirmatur, ut Ex.20 7. ab effectu suo pernitioso, condemnatione. Nam quod Anabaptistæ omnia juramenta absolute prohiberi censent, illud omninò alienum est: quemadmodum demonstrat Scripturæ analogia, cum particularis hoc in loco; tum communis aliis in locis, per universam S.Script. Particularis analogia hujus contextus elucet ex illa distinctione formularum obliquarum, quibus ad jurandum temerè, & falsò abutebantur Judæi, Matt.23.16.18.22. ideoq; cum Jacobus ait: *nullum aliud juramentum*, illud non est intelligendum de universali inductione: sed, quemadmodum Matt.5.24. de certo juramentorum genere, nempe de temerariis juramentis, quorum exempla nonnulla præmisit; non autem universe de necessariis, verisq; juramentis; quemadmodum etiam analogia communis Sac. Script. perspicuè demonstrat; quandoquidem ipsa juramenti natura, S.L. descripta est: quia est invocatio Dei in testem & judicem; ideoq; Dei cultus est, & gloriam omniscientiæ, veritatis, justitiæ, potentiæ Dei illustrat. Deinde legis pręscriptum idem evincit, Deut.6.13. Accedit etiam tertiò Christi antecedens protestatio, Matt. 5.v.18. quod nolit abolere legem; ideoque in sequentibus legem juramenti non abrogat, sed exponit. Quarto idem etiam arguit Prophetia, Esai.45.33. qua N.T. cultus, Deique confessio, Synecd. juramento describitur, ex expositione Pauli, qui genere expresso, juramentum confessionem interpretatur, Rom.14.11. Quintò laus juramenti & utilitas, Heb.6.16. commendatur. Sextò denique exempla divinitus probata. J. Christi, sancti sanctorum, qui adjuratus, seu ad confessionem sub juramenti religione edendam à Pontifice provocatus, ac jussus, obtemperavit, Matt.26. v.63. Deinde sancti Angeli exemplum extat, Apoc.10.6. qui per Deum juravit. Denique Spiritus S. instinctu scribentis Apostoli Pauli, Rom.1.9. & 2. Cor.1.23. Ex quibus omnibus constat, non omnia juramenta in N.Test. esse prohibita: ac propterea hunc locum perperam omninò ab Anabaptistis detorqueri. Cœterùm quarta hujus Capitis pars succedit, quæ invocationem Dei præcipit: in adversis quidem, petitionem gratiæ; in secundis verò celebrationem & gratiarum actionem, v.13. Quinta Capitis pars de Ecclesiæ officio in curandis ægris disserit: ac constat partim descriptione, partim confirmatione. Descriptio officium complectitur geminum, primò Ægri, deinde Presbyterorum. Officium ægri est, ut accersat, id est, accersi curet Presbyteros Ecclesię. Presbyterorum verò Officium est ut orent pro eo, & inungant eum oleo in nomine Domini, v.14. Quod intelligendum est de iis senioribus, qui temporario illo sanandi dono erant præditi, sicut præcipit Christus, Matt.10.v.8. *infirmos curate:* & Apostoli paruerunt, Marc.6.13. & unxerunt oleo multos infirmos, & curarunt, & 1 Cor.12.28. *Posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, &c. dona sanationum* & v.30 *Num omnes habent donum sanationum*? q. d. minimè. Confirmatio verò descriptionis petita est à *precationis fidei*, i.e. ex fide promanantis, aut cum fide conjunctæ, effecto. Fides autem intelligitur non solum Presbyteri, sed simul etiam ægri, quæ conditio est necessaria; quia sine hac, licet sanatio corporis contingere possit, remissio tamen peccatorum & justificatio non percipitur, Rom.3.28. Matt.21.22. Jac.1. v.6.7. Effectum autem instrumentale est duplex: quorum prius est miraculosum & extraordinarium, ad confirmationem Euangelii, initio Ecclesiæ, pertinens, nempe sanatio & erectio ægri corporis à Deo: deinde sanatio animæ, seu remissio peccatorum. *Peccata* autem intelligit non generatim ac propriè, quamvis legis transgressionem: quia alioqui non addidisset conditionem, *si habuerit peccata:* quâ notat interdum fieri ut æger non habeat peccata. Atqui nullus homo est, qui non habeat, generatim accepta, 1.Ioan.1. v.8. quoniam in multis labimur omnes, Jac.3.1. Sed peccatorum nomine intelligit per Synecd. peculiaria quædam peccata, videlicet, quorum causa, ægritudine divinitus esset castigatus: quomodo loquuntur Apostoli & Christus, Ioan.9. v.2.3. *Uter peccavit*? &c. Ideoque ineptè Pontificii in Catechismo Trid. 1. de extrema unctione, vocem *peccatorum* ad leviora & venialia: aut ad graviora, sed ab ignorantibus perpetrata, referunt. Hæc autem dona sanationis corporis, & animi beneficia, in simili miraculo conjungũtur. Mat.9.25.

Quod

Quod autem Pontificii fictitium extremæ unctionis sacramentum, ex hoc Iacobi dicto exstruere moliuntur; illud perspicuâ, ac multiplici, inter utrumque discrepantiâ, confutatur. Quarum prima est in causa efficiente principali: unctio Iacobi à Presbyteris Ecclesiæ, sanandi dono præditis, peragenda. Pontificia verò unctio tantùm à raso, & uncto sacerdote, qui sit ordinatus ab Episcopis, & sanandi dono destituitur, administranda. Altera est in efficiente instrumentali: oleum enim Iacobi est commune: Pontificium verò non est commune, sed variis superstitionibus consecratum. Tertia est in materia subjecta: Iacobus omnes Ecclesiæ infirmos nominat promiscuè, Pontificii non omnes; sed morti saltem vicinos, unde *extrema unctio, & sacramentum exeuntium*, ab iisdem vocatur, Catech. Trid. de extremâ unct. Quarta in forma consistit: Iacobus unctionis simpliciter meminit: Contrà Pontificii unctiones varias, naribus, ori, auribus, genibus, pedibus adhibent superstitione multiplici. Quinta denique differentia in fine & effectu elucet: unctionis Iacobi certus finis est, & effectus, sanatio corporis: contrà in Pontificia unctione neutrum reperitur. Quare ineptè, & impiè superstitiosam suam unctionem ordinariam, cum divina extraordinaria, ac miraculosa confundunt. Atque hæc de v. 15. Sexta pars est de mutua peccatorum confessione, & precatione pro aliis: quam confessionem, ineptè Pontificii, ad fictitium auricularis confessionis sacramentum, detorquent. Inde enim sequeretur, sacerdotes etiam debere populo vicissim confiteri, aut solos inter sese. Nam quod Bell. objicit εἰς ἀλλήλους, non hic denotare mutuò: sed homines hominibus, ut 1. Petr. 4. v. 9. 10. *hospitales estote invicem: unusquisque sicut accepit gratiam, in alterum illam administrantes:* Quoniam qui tecto carent, non possunt abundantes domibus excipere, nec imperiti doctos erudire: hoc inquam à re alienum est. Nam ex re proposita, & addita expositione liquere potest, eos ab Apostolo Petro compellari, qui donum aliquod acceperant, quod mutuum esse poterat; vel specie, ut fere hospitalitas & alia communium donorum exercitia: vel genere, ut prædicatio Euangelica, *διακονία*, &c. pro quibus gratiam mutuam, pro suo modulo, non specie, sed genere referunt auditores & pauperes, ut Rom. 12. v. 5. 6. Gal. 6. 6. Atque sic etiam Iacobi locum nobiscum intelligit Beda, in eodem testimonio, quod à Bell. citatur: etsi præterea etiam aliud requirat. Deinde etsi vocem illam ἀλλήλους *mutuo*, Petrus eo modo, quo Bell. contendit, acciperet: consequens tamen non esset, hoc in loco ita accipi oportere, & à propria vocis relatæ significatione nobis esse recedendum: sed contrà potius analogia Scripturæ, cum propria vocis significatione, arguit, agi de mutuâ offensarum confessione ac pœnitentiæ professione, ad fratris læsi reconciliationem, de qua sermo est, Luc. 17. 4. Matth. 5. 25. Coloss. 3. 13. ut etiam precationis pro aliorum sanatione descriptio ostendit, & verba illa ὑπὲρ ἀλλήλων *alii pro aliis, ut sanemini.* Quorum ratio deinde subjicitur: quia *multum valet precatio justi efficax*, v. 16. quod exemplo miraculi, precibus Eliæ impetrati, ostendit, v. 17. 18. Ultima denique capitis pars est commendatio curæ in fratribus convertendis, à fructu duplici: conservatione animæ fratrum à morte, & peccatorum ipsius remissione. Nam quod Pontificii vulgo contendunt, fideles, opere conversionis fratris, remissionem peccatorum promereri; est mera loci perversio: quia hic fructus ad conversum, & non ad convertentem pertinet, vers. 19. 20.

FINIS EXPLICATIONIS EPISTOLÆ JACOBI.

IN PRIOREM S. PETRI EPISTOLAM Explicatio.

CAPUT PRIMUM.

TRia cumprimis ad hujus Epistolę explicationem invitare nos debent, *Brevitas, Utilitas, Difficultas*. Nam quod Hieron. ait ep. tom. 3. ad Paulinum: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Apostoli, septem epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas: & breves & longas: breves in verbis, & longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum explicatione cæcutiat:* Illud, inquam, potissimum de hac Petri epistola dici potest, ut ex reipsa postea cognoscemus. Ut autem ex hoc divino scripto melius nos expediamus, & majori cum utilitate eo utamur: quædam de Titulo præmittenda sunt, antequam ad rem ipsam accedamus. Titulus autem est duplex; Universalis & Particularis. Universalem titulum voco, qui universo operi convenit, nim. *Petri Apostoli Epistola Catholica prior:* In quo titulo spectanda sunt autoritas & sententia. Cùm enim tituli alii sint genuini, ab authore profecti; alii vero addititii, discretionis causa, ab aliis postea adjecti: non illius, sed hujusmodi esse hunc Titulum apparet ex lectionis varietate, in tam paucis verbis. Syrus enim interpres habet: *Epistola Petri Apostoli Symeonis Cephæ.* Oecumenius verò Græcus Scholiastes: *Petri Epistola Catholica prima:* quæ varietas non fuisset admissa, si titulus epistolę ab autore ipso fuisset præfixus. Huc accedit quod Veteres nonnulli hanc epistolam Petri appellant *epistolam Petri ad Ponticos*. Deniq; cum addatur in titulo nomen *primæ* aut *prioris*, quę vox ad secundam, suam habet relationem: inde satis etiam constat, ab aliis, quam à Petro, hunc titulum esse præfixum. Unde colligitur, authoritatem hujus tituli non esse divinam, sed Ecclesiasticam & humanam. In sententia verò primò declaratur hujus ripti causa, scùm efficiens instrumentalis, videl. *Petrus Apost.* tum forma communis, videlicet *Epistola:* deinde objectum, quod *Catholica* sit. Quod à nonnullis sic explicatur, quod sit Canonica & pars Canonis Script. quod attributum & huic epistolæ, & aliis. Joannis, Jacobi, Judæ, communiter convenit, ut ostendatur cōmuni ratione hanc ceterasq; esse authenticas. Aliis verò Catholicę dicuntur respectu objecti: quòd hæ epist. 7. Petr. Jacob. Joann. Judæ, etsi proximè ac partim habeant objectum particulare, remotum tamen habeant objectum omnes Ecclesias Christi, ad finem usque mundi: ideoq; usu hanc epistolam esse Catholicam de fine suo; quod ad omnes Christianos & eorum institutionē ac salutem pertineat. Ex quibus apparet, nihil hunc titulum complecti, quod vero non sit consentaneum. Deniq; adjunctum tempus comparatè, cum altera epistola Petri indicatur: *prior* enim dicitur, quòd hęc prius; illa verò posterius paulò ante Petri mortem 2. Pet. 1. 14. scripta sit. idq; disertè indicat, 2. epist. c. 3. 1. cum ait: *banc secundam vobis scribo epistolam.* Hæc de Titulo universali. Particularis verò est, qui parti convenit; quales sunt 5. κεφάλαιον, α, β, γ, δ, ε. Κεφάλαιον α', i. e. *caput* 1. Alpha enim ab Hebræo Aleph, & nomen & usum numeri accepit Κεφάλαιον verò propriè *caput*, summam nim. corporis partem ac primariam: deinde metaph. per similitudinem id significat, quòd est summum ac præcipuum in quaq; re: ut rectè Suidas ait: κεφάλαιον ἀεὶ τὸ μέγιστον λέγεται. Sic Act 22. 28. Πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην, *magnâ pecuniæ summâ comparavi.* Sic etiam inter cetera de summa alicujus rei & argumento usurpatur, Heb. 8. v. 1. Unde per Meton. Subjecti, pro scripti parte aliquâ, quâ certum caput seu argumentum, sive peculiaris materia explicatur: quemadmodum & apud Latinos, ut apud Gellium noct. Att. l. 11. c. 10. Atque hoc modo utriusq; Test. librorum partes, capita vel capitula, & eodem sensu *τμήματα sectiones* ab Hieron. in Esa. c. 63. & ab aliis nominantur. Ea autē capita sunt aut antiqua & exoleta, aut nova & usitata. Priora

Priora sunt, quæ post tempora Apostolorum, veteribus Patribus usitata, & ut videtur, varia, quæ jam diu exoleverunt. Quo sensu videtur Tertull. (quamvis, ut arbitror, argumentum intelligat) capitulorum mentionem facere, libro de monogamia: *Ex hoc enim*, inquit, *capitulo* &c. Item *quæ huic capitulo diversa &c.* Item *sic ergo in eodem ipso capitulo* Similiter Basilius Magnus præfatione in Ethica: *Quæcunque*, inquit, *reperimus in N.T. sparsim vel vetita vel præcepta, ea pro viribus nostris in definitiones summarias (ut captu facilia sint volentibus) congerere studebimus, addentes cuique definitioni numerum quoque capitum eorum, in quibus scripta illius comprehenduntur, sive ex Euangelio, sive ex Apostolo, sive ex Actis: ut qui definitionem legit, & numerum illi adjectum, vel primum ex. gr. vel secundum videt, ipsam Scripturam repetens & caput dicti numeri quærens, ita inveniat testimonium, ad quod facta est definitio.* Ex Latinis verò Patribus Ambros. (aut potius priscus aliquis, & ut videtur Arianus commentariorum illorum autor) Gal.3.6. *Hoc est*, inquit, *quod dicit Spir. ad Rom. octavo capite; Ipse spiritus &c.* nisi fortasse hæc verba (*octavo capite*) ex margine in contextum relata, aut ab interpolatore aliquo inserta: quemadmodum Erasm. in censura præfationis in Epist. ad Rom. Ambrosio adscriptæ, observavit; rapsodum quendam lusisse in commentariis illis. Nam alibi in illis talem capitum citationem nondum observavi: neque etiam tum temporis extitisse, ex iis, quæ postea dicentur, liquebit perspicuè. Alioqui illud constat; Euangelium Luc. in Comment. Ambrosii distinctum esse in titulos, id est, argum. & capita certa, nim. in tit. 165. Sed iis tamen numeri nulli adpositi: & an ab Ambrosio tituli illi, ut vulgò opinantur, præfixi sint, an verò à librario aliquo postea additi, meritò dubitari potest: quia in nonnullis cum phrasi Ambrosii non consentiunt. Apud Hier. vero in Comment. in Prophetas frequentissima capitulorum mentio occurrit: sed similiter sine ullâ numeri adscriptione. Vnde etiam liquet alia fuisse apud Veteres capita, quàm quæ jam in usu sunt. Nam capita tria, Esa. 61. 62. & 63. sex priores versus, unum sunt Hieronymo: & reliquum caput 63. à v.7. cum c. 64. ad unum refert. Vide comment. illius in Esa. c. 63. Atque hæc è multis sufficiant. Idem etiam apparet ex reliquis Patribus ac Scriptoribus antiquis, qui sæpissimè Comment. suorum libros eo in loco auspicantur, ubi nulla nunc est capitis distinctio, & capitis unius initium cum alterius fine copulant. Cæterùm in Patribus antiquis, nullam S. Scr. distinctam numeris capitum distributionem invenio, quàm apud Hieron. in prolegominis Comment. in Matthæum. Quo loco apparet, Eusebium Cæs. Eiscop. ut Hier. ait, sequutum vestigia Ammonii Alexand. Euangelistarum Harmoniam instituisse, ac numeris distinxisse, modis decem, quos Canones appellavit; quorum decimus singulorum Euangeliorum in certa capita distinctionem continet, Mat. in 355. Mar. in 235. Luc in 343. & Ioa. in 232. Qui Canones etiam è Rob. Steph. in Maj. Græc. Test. edit. similiter propositi sunt. Quas distinctiones ad Symphoniam Euangeliorum indicandam inventas, in citandis Script. locis, Patres eos, qui secuti sunt, observâsse, nondum memini. Beda quidem ante 900. circiter an. Marco tribuit capita 45. Lucæ 49. si modo illa distinctio ab ipso sit profecta, non vero ab alio postea apposita. Oecumenius verò ante 500. ann. & amplius Actis Apost. tribuit capita 40. epistolæ Iac. 7. ad Rom. 20. Primæ Petri octo. Et sic Aretas Oecumenio adjunctus ait, *Andream Archiepisc. antecessorem suum Apocalypsin divisisse in 24. partes & hasce rursum in 72. capita.* Porrò de capitum antiquorum ratione memorabilis est Suidæ locus, cujus etiam meminit doctiss. Casaubonus præfatione sua in notas ad Matthæum. Τίτλος (inquit Suidas) *διαφέρει κεφαλαίου, καὶ ὁ μὲν Ματθαῖος ἔχει τίτλους ξή, κεφάλαια τνέ. ὁ δὲ Μάρκος τίτλους μή, κεφάλαια λϛ'. ὁ δὲ Λουκᾶς τίτλους πγ', κεφάλαια τμή. ὁ Ἰωάννης τίτλους ιγ', κεφάλαια σλβ'. hoc est, Titulus differt à capite: & Matthæus quidem habet titulos 68. cap. 355. Marcus titulos 48. cap. 36. Lucas titul. 83. cap. 348. Joannes tit. 18. c. 232.* Quem ad locum, duo annotantur à doctiss. Casaubono. 1. *majores librorum partes olim vocatas fuisse titulos, minores capita, contrà quam hodiè nos facimus, & capita ferè fuisse, quod nobis hodiè versiculus.* Quæ postrema verba Casauboni commodè accipi debent Alterum est, *numerum capitum Marci, apud Suidam esse mendosum:* de quâ conjecturâ minimè dubitamus: quia pauciora capita annotantur, quàm tituli, contra Veterum usum. Ego verò salvo meliori judicio, suspicor non simplex, sed triplex esse erratum, & quidem ex Canone Eusebii, cujus antè memini corrigendum: & in Lucæ numero positum in editione Suidæ π pro γ errore librarii, ex vicinitate lit. orto; deinde in Marci numero deesse initio σ, in fine verò ς pro ι vicino elemento perperam scriptum esse. Cujus conjecturæ ratio est, quia in Luca & Marc. numeri reliqui, & Matt. & Ioan. omnes cum Eusebii capitibus conveniunt. Ac sanè credibile omninò est, Græcos Majorum observantissimos, potius secutos esse Euseb. quam ut novi aliquid sine causa adinvenirent. Atque hactenus de antiquis & exoletis Bibliorum capitibus egimus: nova verò & usitata, sunt sectiones à Scholasticis, ut videtur A. 1241. inventæ, & inde communi usu comprobatæ, teste Genebrardo in Chronicis; qui eodem tempore Concordantias Bibliorum ab iisdem autoribus prodiisse narrat. Sic enim ait: *Circa hoc tempus Biblia in capitula, quæ hodie habemus, distinguuntur. Scholasticorum videtur esse inventum, eorum fortasse qui cum Hugone Cardinale Concordantiarum fuere authores. Nam ante ista tempora Theologi superiores ea non usurpant, inferiores frequenter. Alex. Alesius, Alb. Magnus, D. Thom. Bonaventura & cæteri hujusmodi Scholastici. Inventum tam commodum, ut hodieque Iudæi eos imitari velint, quod eorum in Parschyoth & Haptharoth partitio sit nimis prolixa.* Et paulò post de Hugone Cardinale ait idem; *Primus in capitula libros Sacros distinxit, primus Biblicum indicem, quem vocant* Concordantias Majores *cum Conr. Alberstadio Monacho collegit, conjunctis 500. Monachorum è diversis cænobiis operis, atque omnia nomina, verba, participia, denique omnes tam declinabiles quàm indeclinabiles orationis partes, toto Bibliorum contextu comprehensas, in alphabeticum ordinem digessit, annotatis librorum capitibus, & capitum lineis; labore tam utili S. Literarum studiosis, ut Græci opera Eulalii Rhodii Monachi, & Hebræi studio Rabb. Isaac Nathan istud fuerint æmulati.* Hæc ille.

Si quis verò objiciat in Ethicis Basilii Magni eadem capita fuisse annotata, quæ jam sunt in usu; agnosco quidem, sed hoc factum est posterorum studio, qui ut veteres numeros in Græc. edit. tanquam inutiles omiserunt; sic in Latina versione ad faciliorem inventionem novis permutârunt, quemadmodum idem Bedæ conmentariis evenit. Atque hæc de novorum capitum origine & propagatione. Ad partitionem verò quod attinet, partes capitum sunt duæ; aliæ majores, quæ interdum lit. A, B, C, &c. interdum paragraphis indicantur. Sic Matthæus habet paragraphos 124. nempe singula capit. 4. præter 5. 13. 16. 17. quæ singula habent paragraphos 7. Marc. 76. Luc. 168. Ioann. 105. Aliæ verò minores, quæ appellantur *versus*, aut *versiculi*, quæ voces forsan à vertendo calamo, lineam notant. Vnde & Synecd. vulgo carmen & sacris authoribus sententia brevior aut longior. Quo sensu Hieron. ait: *Prophetæ testimonium est &c. hic habitabit &c: fortissimæ, &c. statimque post duos versiculos sequitur, Regem cum gloriâ videbitis*: Duos versiculos vocat 8. has voces; *Panis ei datus est*, hic primus vers. *at quæ ejus fideles sunt*, hic alter versus. Quod propterea observandum est, ut appareat quosdam non satis accuratè statuisse, quid sint versiculi, qui ex numero dictionum, aliquot sententiarum, quas Augustin. versiculos vocat, & sex dictionibus constant, colligunt, versiculum antiquis Patribus sex dictionibus fuisse definitum. Sic minores capitum & paragraph. distinctiones vulgò versus appellant, qui sæpius periodo, interdum colo aut commate uno atque altero, pro illius, qui primum distinxit, arbitrio, definiuntur. Quis verò primùm versiculorum utriusque Test. distinctionem, notis numerorum instituerit, nondum liquido observavi. Elias quidem Levit. Hebræus, à Iudæis Tiberitis, *pesukim*, h. e. versus fuisse inventos ait Ann. 436. post templi excidium, sed numerorum appositionem non

nominat.

nominat. Videtur autem in V. T. hoc factum à Rabb. Isaaco Mathane, in Concordantiis Hebraicis concinnandis. Author quidem Quæst. in l. 3. Regum, quæ Hieron. attribuuntur, ait: *In Proverbiis versus 915. continentur:* sed hunc authorem recentem esse, non frustra conjiciunt eruditi. Henr. verò Steph. in præfat. sui N. T. Græc. minore formâ, ad Sidnejum ait; Patrem suum Robert. illam singulorum N. T. capit. in certum numerum versuum, distributionem excogitâsse: nam quod ante id tempus Biblia Pagnini a. 1528. excusa fuerant cum versibus, minimè obstat: alii enim sunt versus ac longiores, eoque numero pauciores. Atque hæc de origine capitum, paragraph. & versuum: cujus historiæ usus est, ne sectionibus hisce capitum aut versuum, divinam autoritatem tribuamus, nevè illos temeritatis accusemus qui eas distinctiones alicubi reprehendunt, aut j[illegible] ratione & cautione immutant. Nonnunquam enim cum sensus injuria ineptè ea divelluntur, quæ reipsa conjuncta sunt & contrà; cujus rei multa, si opus esset, adferri possent exempla, & crebræ de eâ re in Calv. Viri Doct. Comment. extant querelæ. Quibus omissis, & absolutis hujus epistolæ prolegomenis, ad rem ipsam accedamus, à descriptione exorsi *Est autem dogmaticum N.T. scriptum à Pet. Ap. ad Iudæos extra patriam dispersos c. 1. v. 1. & ad fidem in Christum, Apostolorum prædicatione conversos, c. 1. v. 212. in vera fide & vitâ Christianâ seu spe, charitate, patientiâ, ordinis politici, œconomici & Ecclesiastici justâ conservatione, primum confirmandos, c. 1. 12. & 14. & 5. 12. Babylone exaratum, c. 5. v. 13. & per Sylv. fidelem Euangelii præconem missum, cap. 4 v. 12.* Dividitur autem in tres partes, *præfationem*, v. 1. & 2. *tractationem* à v. 3. ad c. 5. v. 10. & *conclusionem* inde ad finem. Præfatio constat inscript. & salutatione. Quarum illa causam efficientem ministram, seu *quis scribat*, & objectum, *cui scribat*, complectitur.

Ac Scriptor quidem declaratur nomine uno, & officio speciali.

Hujus enim nomen fuit duplex, aliud à parentibus aut majoribus in circumcisione datum, *Simeon. 2. Pet. 1. v. 1.* quod contractè *Simon* dicitur, & distinctionis causa, ab homonymis, filius Jonæ, Ioan. 1. v. 43. aliud à Christo, in vocatione ad spem Apostolatus additum nempe *Cepha* & addito *s*, pro more Græc. *Cephas*. Quæ vox Græcè Πέτρον & Lat. lapidem generatim petram notat, ut ex rei veritate, Christi verba Ioannes interpretatur, cap. 1. 43. *Tu es*, inquit, *Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, hoc est, si interpreteris* Πέτρος. Atque ita ex Christi instituto vox communis, facta est Simeoni illi quodammodo propria: unde promiscuè appellatus est diversâ linguâ Cephas 1. Cor. 3. v. 22. & 9. 5. & 15. 5. Gal. 2. v. 9. & Petrus, Gal. 2. 14. Vnde apparet, ridiculum esse inepti illius hominis commentum, qui in suppositititiâ suâ Anacleti ep. 3. Concil. tom. 1. finxit, *Cephas* significare caput. Nam quod Bell. ad errorem illum turpem excusandum ac probandum ait, de Rom. Pont. l. 1. c. 18. *κηφᾶς Græcè significare caput : ut l. 2. contra Parmenianum annotavit Optatus*; illud omninò absurdum est. Nec enim Christus Græcâ ling. Cephas elocutus est, sed Syriacâ, ex Hebræo כף derivata, quemadmodum tum temporis Hebræa ling. dicta, Chaldæa seu Syra ling. corrupta & mixta fuit. Itaque ineptum est, significationem illius ex Græcâ ling. petere. Deinde falsum est *Cephas* Græcis significare caput; neque ex ullo docto authore probari potest. Nam quod Optatum Afrum, hominem nec Græcè doctum nobis objicit adversarius, nihil evincit: si Græcum hominem testem adduxisset, probabilius dissereret. Deinde non ait Optatus, Κηφᾶς Græcis significare caput. Verba enim illius sunt: *Petrus omnium Apostolor. caput, unde & Cephas dictus est.* Denique esto, fuerit hæc Optati illius sententia; illa falsi arguitur ab Euangelist. Ioa. c. 1. v. 43. qui disertè ait: *tu vocaberis* Κηφᾶς, *cujus interpretatio est* Πέτρος *hoc est lapis aut petra:* communi etiam Græcorum authorum & curiosissimorum antiquorum & recentiorum Lexicographorum, qui hujus vocis Κηφᾶς *capitis* significationem minimè meminere, consensu. Κέρας quidem *caput* significare, notârunt Eustathius & Hesychius, sed Κηφᾶς nullus: fortè Optatus imperitiâ quadam ob vicinitatem vocis Κεφαλῆς deceptus est, & non observato η & ε discrimine, ita judicavit, si modò ea illius mens fuit, & locus ille à Monachis (ut sæpius factum in priscis Patribus) non sit interpolatus. Cæterùm quia de origine & significatione vocis Cephæ & Petri egimus; de causa appellationis propter adversarios dicendum est. Sic enim objicit Bell. *Christus frequentissimè Petra dicitur, ut 1. Pet. 2. & alibi. Christus ergò communicans suum nomen cum solo Petro, & quidem nomen illud, quo ipse significatur, ut fundamentum & caput Ecclesiæ universæ; quid aliud indicare voluit, quàm se facere Petrum fundamentum & caput Ecclesiæ.* Verùm & antecedens & conseq. hujus argumenti negatur. Prius quidem quia non soli Petro hoc nomen communicavit, sed per Petrum etiam aliis fidelibus, ut 1. Pet. 2. v. 4. Christus dicitur lapis vivus: & eadem appellatio proximè, v. 5. Christianis tribuitur: nam quod vulgo excipiunt adversarii; Cepha non lapidem generatim, sed tantùm lapidem ingentem, ac rupem speciatim denotare, id non admittimus: quia plurimis exemplis contrarium demonstrari potest. Nam Mat. 7. 9. λίθον *lapidem*, Syrus interpres vertit כיפא; & Matth. 3. 9. & 4. 3. Iof. 10. 31. *lapides* vertit Syrus כיפא: quemadmodum & h. l. 1. Pet. 2. 4. Christus כיפא & v. 5. Christiani כיפא appellantur; deinde, v. 7 ubi in Greco est λίθος, similiter Syrus habet כיפא & pro Petro vicissim אבנא, quod *lapidem* designat. Ex quâ permutatione vocum apparet, *Cepha* & *Abna* esse Synonyma. Sed dicent fortè, vocem Πέτρος, quia κηφᾶς exponitur & pétra, de rupibus tantùm dici: Verùm contrà se rem habere apud Græcos, & boni authores Græci, & Lexicographi demonstrant. Nam hæ voces Πέτρα communiter & Πέτρος Atticè, generatim *lapidem* significant, ut Phavorinus docet, & exemplis probatur ab Henr. Steph. quibus alia multa addi possunt: sed figuratè κατ' ἐξοχὴν Πέτρος pro rupe interdùm accipitur, quamvis Latinis *Petra* rupem fere notet. Atque hæc de antecedente objectionis Bellarm. Ad consequentiam verò quòd attinet; ea similiter neganda est. Non enim sequitur; Christus soli Petro communicavit nomen Petræ, quo ipse alibi per Metaph. appellatur; Ergo eadem est utrimque sententia. Quoniam voces non solum Synonymæ extant sed etiam homonymæ & analogicæ. Sicut & Christus lapis vivus, & soli fideles post Christum, 1. Petr. 2. v. 4. 5. etiam appellantur. Sic Christus lucem mundi se vocat, Ioan. 8. & simili nomine suos discipulos, Matth. 5. vers. 14. Sed dispari nominis ratione. Sic etiam diversâ significatione Christus *Servator* dicitur, Luc. 2. 11. & fideles Euang. præcones, 1. Tim. 4. 16. & Obadiæ versu ult. *Servatores* appellantur. Sed instant iterum adversarii, & Christi authoritatem & expositionem, ei quam attulimus, opponunt ferè hoc modo: *Petra illa, seu fundamentum, cui Ecclesia superstruitur, est caput Ecclesiæ universalis. Petrus teste Christo, Matt. 16. is est. Ergo caput.* Sed utraque antecedentis pars negari potest. Propositio quidem, si universè sumatur de fundamento, tam ministeriali quàm principali: nam hoc modo solus Christus fundamentum est, 1. Corinth. 3. vers. 11. quia à se firmitatem habet & ædificio præstat, Ephes. 2. 20. v. 21. ac propterea caput & Princeps Ecclesiæ est, Eph. 1. v. 22. 23. Act. 4. v. 12. Illo verò modo alia etiam sunt fundamenta ministerialia: 1. nim. & proximum est verbum Dei, Euangelium: quod etiam firmum est per se, quia à Deo est, & tanquam efficax Dei instrumentum Ecclesiam sustinet, & Christo imo fundamento & principali conjungit, Eph. 2. v. 20. Alterum remotum sunt Apostoli 12. qui æqualiter fundamenta cœlestis Hierusalem dicuntur, Apoc. 21. v. 14. nec tamen capita fuerunt universalis Ecclesiæ, sed ministri primarii, sub Christo unico instinctu Sp. S. Ecclesiam struentes : quo sensu falsa est propositio. Deinde assumtio etiam negatur: quia Christus, Simonem appellat Petrum; Petram vero supra quam Ecclesia ædificanda erat, non vocat. Neque contrarium evincunt adversarii suis argumentis, quorum hoc palmarium est, ex orationis filo & pronomine deductum: *Hæc*, inquiunt, *verba*, super hanc Petram, *demonstrant Petram*, *de* qua

qua paulò antè locutus erat Christus. Sed non de alia Petra locutus erat, quam de Petro. Ergo non nisi Petrum intelligit: neque aliò verba referenda sunt. Sed assumptio negatur, quia Petræ meminerat, non verbo quidem, sed reipsâ. Cum enim post Petri, de Christo Dei viventis Filio professionem, dixisset Christus; *Beatus es Sim. Barjona*, satis eâ re ostendit, hanc doctrinam, seu hâc doctrinâ descriptum, utpote cum fideles beet, esse Ecclesiæ Petram & fundamentum. Deinde ea ipsa verba, quæ urgent adversarii, demonstrant multis modis, non posse de Petro intelligi. Ac primum ex articulo ita concludimus; *Articulus cum pronomine demonstrativo non potest ex communi consensu nomini proprio hominis præponi, in sermone Hebræo aut Syro: Hominis*, inquam, *quia in aliis potest ut* הירדן Psalm. 114. vers. 3. *ipse Iordanus. Atqui hoc loco art. cum pronom. demonst. proponitur Petræ non Græce solum*, (ut fieri solet) *sed etiam Syriac.* הדה, *& Heb. in utroque Hebræo Matt. tam edit. Merceri quam Munst. contextu* הכפה הזאת *Ergo non potest hæc petra intelligi de nomine hominis proprio.* Deinde idem probatur ex mutatione duplici, cùm pronominis ac personæ, tum nominis ac generis; quia Christus non ait; *Tu es Petrus & super te Petrum*, sed *super hanc Petram*, nim. quam confessus erat Petrus & Christum præsentem indicabat. Simili modo atque Ioa. 2. *destruite templum hoc*; quâ ratione suum corpus præsens denotavit. Sed adversus alteram mutationem excipiunt; hoc Arg. esse nullius ponderis, propterea quod Christus loquutus sit non Græc. sed ling. Syr. aut Hebr. mixta, ubi hujusmodi vocis mutatio non est. Deinde quod Heb. ling, Euangelium à Matt. conscriptum sit, ut veteres plurimi testantur. Fateor, Christus locutus est linguâ Syriacâ, aut Hebræâ mixtâ, ut doctiores probant: ac probabile est, eum utrimque unâ voce כיפא usum, ut elegantia antanaclasεos servetur: quemadmodum etiam in Syra versione & Matthæo Hebraico apparet: sed tamen necessarium non est; quia potuit Christus usus fuisse in prima parte voce כיפא, in altera voce שועא petra, ut Syri Matthæi 7. loquuntur, & quidem Syriacè discriminis causâ. Deinde an Matthæus Hebraicè scripserit, jure dubitari potest, neque ullo argumento solido hactenus probatum: nam quod veteres hoc testantur, ex errore ortum esse apparet, quod Euangelium Matthæi Hebraicum, quo Nazaræi utebantur, genuinum fuisse putaverunt, quo nihil est alienius. Aliud enim fuit illud Euangelium, & multis ineptiis conspurcatum, & falsò Matthæo suppositum; ut ex reliquiis, quas citat Hieronymus, aliàs distinctius demonstravimus. Sed esto, hoc saltem extra controversiam est, Euangelium Matthæi, quod Græce extat, in Apostolica Ecclesia fuisse probatum, & esse authenticum, quicunque tandem sive Matthæus, sive alius vir Apostolicus verterit. Atqui in eo Euangelio Græco, & sine ullo dubio authentico, hæc mutatio observata est *Petri & Petræ*. Sed iterum respondent Adversarii, hanc mutationem & varietatem vocis & generis, non arguere varietatem subjecti: sed aliam esse ejus rei causam, nempe quod πέτρος sit masculini; πέτρα verò fœminini generis, prius viro melius convenisse ac propterea ab Euangelista adhiberi. Agnoscimus verisimile esse, ab Euangelista nomen Simonis Cephæ propterea exponi potius voce πέτρος quàm πέτρα: sed illud nodum non solvit. Quæstio enim manet, cur Euangelista igitur non dixerit, *Tu es* πέτρος καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ *super hunc Petrum*, ut utrimque servata eadem voce & genere res esset concinnior & clarior. Reliqua quæ ex Petræ & fundamenti hujus natura peti possent, ad Pontificios confutandos argumenta, brevitatis causa prætereo. Interim unam atque alteram adversariorum rationem veritatis amplius illustrandæ studio diluam: nam adversus ea, quæ dicta sunt, excipiunt ex cohærentia sequentium; Cui, inquiunt, à Christo dicitur, *Tibi dabo claves &c.* De eodem dicitur, *super hanc Petram, &c.* Atqui Petro dicitur, *Tibi dabo claves.* Ergò & alterum. Propositionem, quia negari potest, probare conantur ex præposita copula *&*, sed nihil efficiunt: quia copula connectit quidem res conjunctas, sed non propterea ad eandem personam pertinentes. Sed instant, *nisi agatur de Petro; inepta erit oratio; quia de eo antè & post agitur, ideoque & in medio alioqui non cohærebit Christi sermo.* Imò verò rectè cohæret: nam postquam Christus Petrum ob veræ doctrinæ fidem & confessionem beatum prædicasset; & doctrinæ ac fidei authorem Deum esse ostendisset, subjicit conclusionem, & promissionem geminam. Illa continet confessionem Christi, quâ vicissim, quid de Petro sentiat, aperit: *Et ego*, inquit, *ubi dico, te esse Petrum*, hoc est, te verè à me Petrum appellatum esse prædico, ut qui sis lapis vivus ac firmus, per fidem veræ doctrinæ, & mihi tanquam fundamento superstructus. Promissio verò est gemina: nam ut antecedentia, doctrinæ & fidei Petri approbationem continent: sic consequentia promissionem de utroque. Ac primùm de doctrinâ Euangelii de Christo, seu de Christo illâ doctrinâ comprehenso ait; quod super hanc Petram, quam scilicet Petrus jam erat confessus, quæque fide percepta ipsum bearet, suam ædificaturus esset Ecclesiam: deinde de Petro, quod ei daturus esset regni cœlorum claves. Verùm postremò ex hisce disputant contra nos ex clavium dignitate: *Cui à Christo, Matt. 16. claves regni cælorum promittuntur, eidem & principatus Ecclesiæ. Atqui Petro claves illæ promittuntur. Ergo & principatus.* Propositionem, quam nostri meritò negant, adversarii probant, quod diversis Metaphoris, altera Petræ ac fundamenti, altera clavium, unus idemque principatus significetur, & una alterius sit explicatio. Quod quia controverti poterat, confirmare nituntur rationibus: Quarum prima est ex usu Scripturæ: primùm Esai. 22. 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet & non erit qui aperiat*, id est, supremam illi in Ecclesia potestatem, & principatum Ecclesiasticum dabo. Deinde, Apoc. 3. v. 7. Christus dicitur habere claves David, qui aperiat & nemo claudat, qui claudat & nemo aperiat. Sic Apoc. 1. v. 18. dicitur Christus habere claves mortis & inferni, id est, dominum esse vitæ & mortis. Sed primùm negatur hæc consequentia; Alibi claves notant principatum. Ergo & hîc. Deinde negatur etiam, Esai. 22. agi de principatu Ecclesiastico: quia Sobna, à quo ad Eliakim claves translatæ, non fuit summus sacerdos: imò neque sacerdos quidem, sed præfectus prætorio, & hoc munere abdicatus. fuit Scriba, 2. Reg. 18. v. 37: nam quod, Esai. 22. v. 15. in vulgatâ versione est *præpositus templo*, illud in Hebræo est *præpositus domus*; nempe Regis. Denique præpositum esse domus, præsente & regente Rege, non est esse dominum & principem domus, sed ministrum primarium. Ad alterum locum quod attinet, alia Christi ratio; alia reliquorum. Ille solus habet claves tanquam Dominus: Petrus & alii Apostoli suo modo, tanquam ministri. Porrò altera ratio est adversariorum, *quod soleant domus aut urbis claves penes eum esse, qui in domo vel urbe princeps est:* solent quidem, sed non semper, ut experientia demonstrat varia. Tertia ratio est ex sequentibus verbis: *Quodcunque solveris super terram, &c.* Qua, inquiunt, metaphora, idem quod duabus prioribus significatur, Petro principatum esse concreditum. Sed contrarium Christus docet: nam eadem promissio & complementum illius Apostolis datur, etsi aliqua sit in verbis differentia: nam quòd Petro promiserat, Mat. 16. idem & reliquis Apostolis, Mat. 18. 18. promittit. Deinde cum Petro rem promissam donat, ibi similiter Apostolis eandem potestatem tribuit, Ioa. 20. 19. 23. Verum excipiunt; claves Petro promissas, Mat. 16. non esse datas, Ioa 20. cum amplius sit ligare & solvere, quam remittere & retinere peccata: quia ligare dicitur in Scripturis, & qui præcipit, Matth. 23. v. 4. & qui punit, Mat. 18. v. 18. Sed negatur consequentia. Quamvis enim uno in loco aut altero ita accipiatur: tamen non sequitur etiam alibi accipi oportere. Deinde locus, Matth. 18. non agit de Pœna politicâ, sed de Ecclesiasticâ censurâ: qua peccata & peccatores ligantur vel solvuntur, ideoque optimè cum Ioannis sententia convenit. Sed postremum urgent; Si Petro nihil hîc sit promissum, quàm quod, Ioh. 20. æqualiter omnibus Apostolis collatum est, non promissum ei esset præmium singulare, quod absurdum: quia confessio fuit singularis: ideoque Petro aliud esse promissum, quàm reliquis fuit collatum. Sed respondemus

demus distinctione argumenti medii. Nam præmium singulare dici potest vel ratione substantiæ vel ratione circumstantiæ: Si hoc modo accipiatur, tum propositionem negamus. Nam quamvis eadem reipsa potestas Petro & reliquis Apostolis fuerit collata: quia eadem fuit fides & voluntas; tamen circumstantia diversa: ut enim Petrus nominatim, quod reliqui Apostoli sentiebant, elocutus est: sic etiam nominatim ipsi promissio facta, reliquis non exclusis, sed ea ratione inclusis: quemadmodum etiam doctè demonstrat Origenes. Sin verò præmium intelligatur ratione substantiæ, falsa est assumptio: quia Petri confessio non fuit singularis, nisi ratione sermonis; sed communis fuit, si animum reliquorum & Petri scopum consideres: idem enim reliqui sentiebant, quod Petrus, idemque dictum volebant, & Petrus idem spectabat, ut similiter, Ioann. 6. vers. 69 quoniam non ipse solus, sed omnes rogati fuerant, quid sentirent: Petrus autem conscius communis confessionis discipulorum, solus respondit: non jure principatus in Apostolos: sed partim ob ætatem, qua ei primas in loquendo, ordinis causa, reliqui modestè cedebant: partim ob zelum ferventiorem, qui in multis apparuit: quomodo etiam, Ioann. 6. vers. 69. præcessit. Nam quod Bellarminus ait de Pontifice, *lib. 3. cap. 13. Petrum solum respondisse quod reliqui Apostoli ignorarent, quid potissimum responderent*: illud nulla nititur Scripturæ autoritate; sed fæda atque contumeliosa in Apostolos, tamdiu cum Christo versatos, & ad Euangelium in Iudæa prædicandum missos, conjectura. Quare ut hanc, de causa nominis Petri disceptationem concludam, ex hisce apparet, fallere Pontificios, cum docent, propterea ita fuisse à Christo appellatum, quod fundamentum & caput Ecclesiæ universalis constitutus sit. Vt autem de recta ac genuina hujus nominis causa sanctius loquamur, observandum est, ita vocatum, aut propter qualitatem inhærentem, aut propter munus & fidelem illius executionem; Si illo modo Πέτρος dictus est; ratio metaphoræ erit similitudo firmitatis & structuræ: quod tanquam lapis vivus firmus in fide fuerit, & Christo Euangelioque ejus tanquam petræ superstructus: quæ laus, ei, forma quidem, cum reliquis fidelibus communis est, 1. Pet. 2. c. 4. 5. sed gradu distincta: quia credibile est sic fuisse appellatum, non absolutè, ratione sui tantùm, sed comparatè & κατ' ἐξοχὴν seu per quandam excellentiam: non quidem potestatis, sed fidei, cujus fervorem Euangelistæ multis modis describunt. Sin verò concedamus, dictum esse Petrum ratione muneris ei demandati & fidelis executionis, quòd sit quodammodo fundamentum Ecclesiæ; communis erit laus cum reliquis Apostolis, qui Apoc. 21. vers. 14. duodecim cælestis Hierusalem fundamenta, scilicet ministerialia & secundum quid nominantur: quod videlicet tanquam primi & præcipui Ecclesiæ Christianæ fundatores & Apostoli doctrinâ suâ divina Ecclesiam collegerint ac fundarint; quorum doctrinam tanquam normam & fundamentum spectantes posteri pastores, Ecclesiam magis magisque superstruxerunt. Nec malè Origenes ait in Matth. 16. *Si super unum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui & Apostolorum unoquoque?* Sed, inquient adversarii, sunt & reliqui Apostoli fundamenta; Petrus tamen κατ' ἐξοχὴν sic dictus est Πέτρος quod inter cæteros excellat. Esto; illa excellentia, ut ostendimus, non est ratione potestatis aut muneris, quasi majorem acceperit potestatem, aut munus sublimius quàm reliqui; sed ratione zeli & executionis; in qua re Petrum excelluisse apparet inter reliquos Apostolos, qui à Christo mortali instituti sunt: quemadmodum contrà ea in re à Paulo superatus est, qui mysteriorum cognitione, persecutionum gravitate, miraculorum copia, gentium conversione reliquis Apostolis præferri debet, Act. 9. vers. 15. 16. Rom. 15. vers. 17. ad 22. v. 2. Corinth. 12. vers. 1. ad 13. Gal. 1. vers. 1. 17. 2. 6. 8. unde communi consensu & usu Ecclesiæ, Paulus κατ' ἐξοχὴν quandam, Apostolus meritò nominatur.

Atque hæc dicta sunt de Scriptoris nomine: cui additur officium speciale, nempe *Apostolus*. Quæ vox Græca quidem est, sed docendi gratia (ut *Ecclesia, baptismus, diaconus* & alia hujusmodi) in Latina versione retenta est, distinctionis gratia: cujus vocis, in Sacris Literis, usus, est varius. Sumitur enim primùm generatim, & propriè pro legato, qui cum mandatis aliquò mittitur; quomodo Epaphroditus pastor Ecclesiæ Philippensium, Apostolus nominatur: quod ab Ecclesia illa ad Paulum esset legatus, Phil. 2. vers. 25. & Christus Apostolus professionis nostræ, quod scilicet sit Patris legatus, Heb. 3. v. 1. quemadmodum sæpius se à Patre missum affirmat, Luc. 4. versu 18.. Ioann. 3. v. 17. & alibi. Deinde usurpatur Synecdochicè & speciatim dupliciter: primùm latius pro iis, qui non unam tantùm Ecclesiam instituunt: sed promulgando passim Euangelio operam impendunt ab Apostolis ad Ecclesias delegati & quasi secundarii Apostoli (qui & Euangelistæ propterea κατ' ἐξοχὴν vocantur, Ephes. 4. 11. qualis Timotheus, 2. Timoth. 4. vers. 5. Titus & similes) ut Rom. 16. vers. 6. Iunius & Andronicus insignes inter Apostolos dicuntur: sic septuaginta discipuli à Christo legati, ad Euangelium prædicandum, Luc. 10. vers. 1. 9. à Tertulliano appellantur Apostoli: *Allegit*, inquit, *& alios 70. Apostolos, super duodecim*: contra Marcionem, lib. 4. idemque ait Chrysostomus, 1. Cor. 15. v. 7. Hier. verò in epistola ad Gal. c. 1. vers. 19. ait, omnes, qui Dominum viderunt & eum postea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos: sed loca Scripturæ, quæ ad eam rem probandam adducit, nim. 1. Cor. 15. v. 7. (etsi de hoc Chrys. idem videatur) Phil. 2. v. 25. 2. Cor. 8. v. 23. id non evincunt. Deinde *Apostolus* angustius κατ' ἐξοχὴν & significatione frequentissima vocatur θεοδίδακτος, seu divino afflatu doctus, & primarius, à Christo immediatè electus & designatus in Ecclesia minister, ad Euangelium annunciandum, & miraculis obsignandum, omnibus gentibus terræ, 1. Corinth. 12. vers. 28. Ephes. 4. v. 11. Luc. 6. vers. 13. & 9. v. 2. Eph. 3. v. 5. Ioh. 16. v. 13. Matt. 28. vers. 19. atque hoc demum sensu, Petrus se Apostolum Iesu Christi vocat. Porrò horum Apostolorum alii designati sunt primùm à Christo mortali, & confirmati post resurrectionem Christi in terris: ut duodecim selecti discipuli, inter quos & Petrus Matt. 10. Luc. 6. v. 13. qui per ellipsin *duodecim* vocantur Act. 6. v. 2. & 1. Cor. 15. v. 5. è quorum numero Iudas Iscarioth Christi proditione & suspensione sui, excidit Act. 1. v. 17. 18. 20. alii à Christo immortali è cœlis instituti: & quidem vel undecim Apostolis statim ab adscensione Christi inserti, ut Matthias, qui in demortui Iudæ locum, auctoritate prophetiæ Davidicæ & sorte divinitus fuit substitutus: vel duodecim Apostolis postea adjuncti, ut Paulus, &, ut videtur, Barnabas, Act. 13. v. 2. 14. 14 1. Cor. 9. vers. 6. Gal. 2. vers. 9. qui κατ' ἐξοχὴν quandam, gentium Apostoli nominantur, Rom. 11. 13. 1. Tim. 2. v. 7. Gal. 2. v. 9. Huc usque prima inscriptionis pars, quæ causæ efficientis instrumentalis seu scriptoris nomen & officium continet. Altera verò Objectum Epistolæ, cui scripta est, declarat ab adjuncta electione, & loco ac statu. Prius indicat, cum *electos* vocat per Synecdochen generis pro specie, nempe à Deo. Electio autem divina alia est ad munus aliquod politicum aut Ecclesiasticum, quomodo Saul dicitur electus, nempe ad regnum, 1. Sam. 10. v. 24. & Iudas cum collegis ad Apostolatum, Iohan. 6. 70. alia est ad vitam æternam & media illius: eaque aut æterna, aut temporaria: Illa est propositum Dei, quo certos ex hominum numero, ad vitam æternam ab æterno secrevit, Mat. 20. 16. Hæc verò est vocatio, nempe opus Dei, quo in tempore certos homines per agnitionem veritatis & Sacramentorum communicationem ex mundo seu hominum lapsorum cœtu ad sui cultum evocat: quomodo vocati 1. Cor. 1. v. 26. electi dicuntur, vers. 27. 28. & Iac. 2. v. 5. & Israelitæ electi à Deo, ps. 105. v. 6. & quod eodem redit, passim in Sacris Literis, populus Dei dicuntur, quorum tamen multi sua adversus vocantem inobedientia perierunt, Heb. 3. v. 18. 4. 3. ideoque electi ad vitam æternam ab æterno non fuerunt. Hæc autem electio seu vocatio alia efficax dicitur, qua vocati ad obedientiam fidei & charitatis adducuntur, & vita iis confertur: alia inefficax,

efficax, quâ certa conditione tantùm offertur, ut eo amplius Dei innocentia, justitia & benignitas ostendatur, & reprobi oblatam, fidei conditione, gratiam incredulitate respuentes, amplius convincantur, & ἀναπολόγητοι reddantur, ad judicii Dei gloriam. Itaque hisce modis, quidam electi, hoc est, per vocationem, ad agnitionem Dei, in tempore, ab aliis secreti dicuntur, secundum quid, ratione oblationis vitæ & invitationis ad media illius: alii verò simpliciter, non solùm ratione oblationis vitæ, sed etiam ratione collationis per gratuitam & efficacem, mediorum necessariorum operationem. Sive autem hîc vocem electorum sumamus pro electis in tempore efficaciter, ut quidam interpretantur: sive pro electis ab æterno, ut aliis placet, sensus non malè utrimque conveniet. Sed posteriorem expositionem plerique non temerè præferunt: quia sic magis loqui solent Apostoli, Rom. 8. vers. 33. 2. Timoth. 2. vers. 10. Coloss. 3. vers. 12. Tit. 1. vers. 1. & 1. Pet. 2. 9. Veruntamen quæri hîc solet, cum Electio Dei sit arcana, quomodo potuit Petrus rectè judicare, hosce Iudæos, ad quos scribit, fuisse electos, aut prædestinatione ad vitam ab æterno, aut vocatione ad fidem & salutis media, in tempore? Antequam verò ad quæstionem respondeamus, quædam quasi fundamenta de judiciis (quibus in bonam partem de aliis judicamus) præmittenda: quæ ad alia etiam Scripturæ loca melius intelligenda pertinebunt.

Iudicium autem hujusmodi pro ratione causæ efficientis est duplex: aliud enim est judicium fidei Christianæ; aliud charitatis. Illud est, quod divina revelatione, quæ fallere non potest, nititur, ac propterea non dubia opinione, sed scientia constat. Vt autem revelatio alia communis est & mediata, quæ Scriptura Sacra exponitur: alia specialis & immediata, quæ à Dei spiritu speciatim & immediatè hominibus contingit: ita fidei judicium duplex est, commune Christianis, quod ex communi: speciale paucis, quod ex speciali revelatione promanat: priori modo nos judicamus, Paulum electum ex revelatione Scripturæ communi, Actor. 9. vers. 15. altero verò modo idem judicavit Ananias ex visione Dei speciali, Act. 9. vers. 10. 15. 17. Similiter nos ex fide communi revelationis Sacrarum Literarum judicamus, Iudam esse reprobatum, idemque prius judicarunt Apostoli, sed ex revelatione speciali Christi & Spiritus illius, Ioann. 6. vers. 70. & 17. 12. Charitatis verò judicium est, quo ex charitate recta, de aliis in meliorem partem judicamus, 1. Corinth. 13. vers. 7. Rectam autem vocamus, quæ verbo Dei regitur, & agnitæ veritati non adversatur. Qua ratione judicium Pontificiorum, quo falsas quasdam Veterùm Patrum sententias subinde contra rei veritatem, & suam ipsorum conscientiam, alio ac saniore sensu exponentes, excusant, eorumque verba interpretantur, ut ait Cajetanus in summa Thomæ, *non ut senserunt, sed ut sentire debebant:* judicium charitatis rectæ dici non potest: quia Scriptura ei maledicit, Esa. 5. v. 20. Quemadmodum ex adverso nec audacia illa, qua sinistrè de iis, sive injustè, sive temerè judicatur, probari debet; quia Charitati Dei & proximi repugnat. Hoc autem judicium Charitatis, quia sola probabilitate constat, & in rebus dubiis occupatur, falli potest. Vt autem hisce quasi jactis fundamentis, ad propositæ quæstionis solutionem accedamus, illud est extra controversiam, hoc Petri judicium suo modo esse charitatis judicium: quia eos, ad quos scribebat, vera charitate complectebatur, & electionis eorum habebat probabilia argumenta ac signa, nempe veræ fidei professionem & Sacramentorum usum, externamque vitæ sanctimoniam. Sed illud jam quæri potest, an hoc judicium fuerit charitatis, simpliciter ac solum, non etiam fidei; seu quatenus à fidei judicio disjunctum; an verò quatenus cum eo conjunctum. Respondere solent, hoc judicium esse prioris modi, nempe charitatis, non fidei erga Dei verbum; quod videlicet eos electos appellarit Petrus, in quibus divinæ electionis & adoptionis notæ apparebant.

Sed salvo aliorum judicio, non video quid obstet, quo minùs dicamus, fuisse judicium, non charitatis simplicis, sed etiam fidei, cum *electorum* voce, Synecdochicè, à præstantiori parte, intelligat Ecclesias visibiles, in quibus electi Dei erant. Nec enim omnes & singulos definitè electos appellat, sed indefinitè. Atque hoc in more est Apostolis, quemadmodum 1. Cor. 1. v. 2. Ecclesiæ Corinthiacæ dicitur *sanctificatis in Christo Iesu:* quum tamen in ea essent nonnulli hypocritæ & falsi fratres 1. Cor. 15. v. 12. & 2. Cor. 11. vers. 13. Hoc aut fidei judicium fuit geminum in Petro: primùm commune & quidem mixtum: partim ex revelatione generali S. Scripturæ, partim ex collatione speciali experientiæ, ortum: nam S. Scriptura hanc propositionem tanquam principium hujus judicii αὐτόπιστον suppeditavit, quod in visibilibus Ecclesiis, ubi verbum Dei prædicatur, & ab auditoribus cum obedientia recipitur ac fovetur, & fructus fidei & charitatis constantis in adversis profert, Deus suos habeat electos, Esa. 55. 10. 11. Matth. 13. vers. 23. Experientia verò certa assumptionem suppeditavit specialem: at inter Judæos dispersos sunt hujusmodi Ecclesiæ. Vnde conclusio est judicium speciale, inter hosce Judæos igitur Deum suos habere electos. Alterum judicium fuit proprium & simplex, ex speciali instinctu ac revelatione Spiritus Sancti, cujus dictata Petrus tanquam amanuensis mente percepit, & Spiritu dirigente, calamo fideliter exaravit. Ex quibus omnibus elucere potest, quid Petrus sibi velit, cum Epistolæ objectum seu eos, ad quos scribit, ab adjuncto declarans, *electos* vocat. Altera verò pars descriptionis, ad priorem, quæ latior est, restringendam, petita est à conditione & loco, cum *advenas dispersos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam* vocat. *Advenas* verò appellari, quod à patria abessent, & in alieno solo versarentur, certum est: sed quidam metaphoricè accipiunt pro omnibus fidelibus, quod in hisce terris sint peregrini & remoti à patria cœlesti, Hebr. 11. 13. Phil. 3. v. 20. quod probari putant ex cap. 2. v. 11. *precor, ut tanquam advenæ & peregrini abstineatis à carnis cupiditatibus:* quo monet, ut tanquam cives cœlestes sanctè ex cœlestis civitatis legibus vivant: ac propterea non ad solos Judæos; sed etiam ac potissimum ad gentiles conversos scribi existimant: idque etiam confirmant ex cap. 2. v. 10 *qui quondam eratis non populus:* at Judæi ad illa usque tempora nunquam desierunt esse populus Dei. Denique idololatria prioris vitæ illis adscribitur cap. 4. v. 3. atque que ex historiis colligitur, post captivitatem Babylonicam populum Judaicum ab ea impietate abstinuisse. Sed altera ab antiquis Patribus allata sententia, vulgo magis ac merito probatur, advenas ac peregrinos intelligi propriè Judæos fideles, qui extra patriam Cananæam inter varias gentes habitabant, Jac. 1. v. 1: nam quamvis peregrini metaphoricè omnes fideles interdum dicantur: tamen in inscriptione illud est insolens: neque à propria significatione, nisi justa subsit causa, recedendum, ut communis interpretationis regula flagitat: alioqui nihil esset certum. Ac verum quidem est, eos ad quos Petrus scribit, cap. 2. non populum dici: sed hoc Judæis tribui non posse, falsum est: nam quidam sunt populus Dei ratione vocationis externæ & secundum quid; alii simpliciter seu omninò, cùm ratione vocationis externæ, tum ratione vocationis internæ: priori modo Iudæi erant populus Dei, etiam ante conversionem seu ante fidem; quia oves erant, sed perditæ: posteriori modo primùm facti sunt populus Dei per fidem, nempe oves inventæ: idque ex Hosea etiam, que m citat Petrus, apparet, qui de Israëlitis ista profert cap. 2. Quod verò idololatria illis ante conversionem attribuitur, illud historiæ ac veritati non repugnat: nam ex Macchabæorum libris facilè colligitur, Iudæos multos, ut Regibus gratificarentur, pericula vitarent & commodis suis studerent, idololatria sese polluisse. Denique quod cap. 2. v. 11. Petrus eos, ad quos scribit, peregrinos vocat, non sequitur propterea eodem sensu hoc loco debere accipi, quia circumstantiæ sunt diversæ: deinde locus etiam ille non agit de peregrinis impropriè, ut multi exponunt, sed propriè, ut ex vers. sequenti, perspicuè constat; *conversationem* inquit, *vestram habeatis honestam inter gentes, ut glorificent Deum &c.* ut suo loco plenius cognoscemus. Quare hoc clarum est ex iis, quæ diximus, Petrum Apostolum per *advenas*, pro-

propriè Iudæos intelligere: quemadmodum etiam alterâ voce indicatur, cum *dispersionem* per Metonym. adjuncti pro subjecto, i.e. *dispersos* nominat: nam quamvis etiam gentiles conversi, essent dispersi, tamen non propterea alibi ab ullo Apostolo ita appellantur: Iudęos autē dispersos vocat, quod partim ejectione & translatione è patria sua à variis Regibus victoribus, partim multis Regnorum perturbationibus diversas gentium regiones incolerent, quemadmodum luculenter apparet Act. 2: nam quod quidam referunt ad dispersionem illam, de qua Act 8. v. 1. illud alienius est: quia illa dispersio non tam latè patuit. Cæterùm cum Iudæi dispersi fuerint multis in locis, quidam eorum hîc recensentur: nam ut Iacobus omnibus Iudæis dispersis & ad Christum conversis scripsit, cap. 1. vers. 1. sic Petrus non omnibus, quia magnæ parti, quæ Babylone versabatur, erat præsens: sed quibusdam tantùm, iis videlicet, qui eas regiones incolebant, quas nominatim exprimit, in quarum plerisque Paulus Ecclesiam collegerat, ut ex Actis apparet: de quibus Plinius, Strabo & alii Geographi consulendi sunt. Hoc interim observandum à Theodoreto & Oecumenio construi Pontum cum Galatia, hoc modo, *dispersis per Ponti-Galatiam*, quasi alia esset Galatia juxta Celtas, quæ vera; alia Ponti, quæ hîc intelligatur: sed vulgò & merito duas distinctas provincias exponunt. Deinde cum hæ regiones, præter Pontum, ad minorem Asiam pertineant, probabilis est eorum conjectura, qui Asiæ nomine Synecdochicè Ioniam intelligunt: in qua Ecclesia Ephesina & Smyrnensis excelluerunt, ut ex Apoc. 2. apparet. Hæc ad vers. 1. Porrò versum secundum cum initio primi connectendum per parenthesin quandam, non est dubium: sed alii aliò referunt. Oecumenius ad Petrum refert hoc modo: *Petrus Apostolus juxta præscientiam Dei Patris in sanctificationem Spiritus in obedientiam & adspersionem sanguinis Christi: reliqua per parenthesin collocentur; nam significant, ad quos scribatur epistola. Vsus est autem eâ particula* juxta præscientiam Dei, *ad significandum, quod in nullo Prophetis sit posterior (quod & ipsi missi fuerant) nisi tempore.* Sed durissima & insolens constructio hæc est & parenthesis: neque opus fuit ulla peculiari Apostolatus Petri commendatione: quia de illius dignitate inter fideles nunquam fuit dubitatum. Alii igitur rectius hæc verba connectunt cum *electis*, ut per parenthesin distinctionis causa inseratur, *advenis dispersis per Pontum &c.* ac propterea in versione perspicuitatis causa vocem *electis* postponunt & cum vers. 2. scribunt: *electis ex præstitutione*, ut eo modo parentheseos asperitatem aliquo modo lenirent & sententiam redderent clariorem; quod quamvis non incommodum, malim tamen servata & annotata parenthesi, situm verborum immutatum retinere. Si cui verò parenthesis minus apta videatur, posset dicere, esse ellipsin repetendæ vocis illius *electis*: quàm alio characterum genere, sensus causa, ut alibi similiter fieri solet, adjicere ad contextum, non esset absurdum. Cæterùm ut à constructione & subjecto hujus loci ad rem veniamus, Electionem Iudæorum fidelium, qua ab æterno ad vitam æternam electi erant, descriptione illustrat, & ab aliis electionum modis distinguit, ad gratiam divinam amplificandam, & ad fideles in debito gratitudinis ac vitæ Christianæ officio ampliùs confirmandos. Hæc autem descriptio electionis, petita est à causa illius efficiente & fine. Efficiens & author est Deus Pater: non exclusivè, quasi ad Filium & Sp. Sanctum non pertineret, sed inclusivè. Patri autem electio nostri tribuitur κατ' ἐξοχὴν per excellentiam quandam, non quidem naturæ aut actionis, quia utraque unica est & communis tribus personis, sed ordinis personalis: quia Pater prima ordine persona est, à qua reliquæ duæ ab æterno habent Personæ originem, ideoque actiones divinę, ad Patrem tanquam ad primam personam ferè referri solent. Efficiendi modus aut causa impulsiva est πρόγνωσις illius: qua voce quidam gratię Dei adversarii, propriè pręscientiam nudam intelligunt, ut ad intellectum tantùm referatur, ut Act. 2. 23. & perperam cognitionem futurę fidei atque operum interpretantur, quasi Deus nos elegisset, quod pręnoverit nos fore sanctos: hac enim ratione electionis & salutis prima causa statueretur, non in Deo, sed in nobis; & sanctitas esset non finis quidam & effectum electionis, sed causa illius: contra disertam S. literarum doctrinam, cùm alibi, ut Eph. 1. v. 4. *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti*, non ait, quia prævidit fore sanctos, & Eph. 2. v. 8. *gratiâ servati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*: tùm hoc in loco, ut ex fine subjecto apparebit. Quare Orthodoxi πρόγνωσιν vocem ambiguam, non propriè; quia analogiæ fidei repugnaret; sed tropicè interpretantur: idque bifariam, aut ut decretum significet antecedens: quo sensu postea Christus dicitur præscitus vers. 20. hoc est, præordinatus: aut ut Metonymicè, dilectionem denotet: quemadmodum Psal. 1. v. 6. *viam justorum novit*, id est, diligit ac probat, Matth. 7. v. 23. *non novi vos*, hoc est, non diligo vos, seu potius, non pro meis servis ac dilectis agnosco, Rom. 11. v. 2. *non repulit Deus populum, quem præscivit*, id est, dilexit. utrovis autem modo interpretemur, sensus erit pius: sed posterior videtur præferendus, ut denotetur gratuita Dei benevolentia, quæ prima electionis & salutis nostræ causa. Atque hac ratione excludentur in electione omnia merita nostra, quemadmodum etiam in executione 1. Ioh. 4. vers. 10. Porrò huic causæ Electionis efficienti adjicitur finis, quæ altera descriptionis illius pars est: finis nimirum non ultimus, sed propinquus: *Sanctificatio Spiritus*. Quæ vox accipitur bifariam. Alii enim de Spiritu humano interpretantur; quemadmodum similis hujus vocis est usus, tùm 1. Petr. 3. v. 4. 19. ut subjectum Sanctificationis notet, nempe animam: Alii verò ut in simili loco 2. Thess. 2. v. 13. de Spiritu Sancto exponunt, ut hac ratione non subjectum, sed efficiens & author sanctificationis denotetur. Quæ expositio uberior est priori & convenientior: quia ut electio Patri tribuitur, redemptio Filio, sic sanctificatio Sp. Sancto 1. Cor. 6. v. 11. quæ tria hoc versu continentur. Et hanc genuinam esse expositionem, vers. 22. perspicuè declarabit. Cæterùm *Sanctificationis* vox, aut generatim sumitur pro consecratione seu segregatione ab usu communi ad usum & cultum divinum, ut passim in S. Literis: aut speciatim pro regeneratione, ut 1. Cor. 1. v. 30. Christus dicitur sanctificatio, id est, sanctificationis autor: aut pro fructu illius, sancta vita Heb. 12. v. 14. Sed prima significatio ordini rei melius convenit. Atque ita sensus erit, Dei gratia esse electos ad sanctificationem, hoc est, separationem à mundi impuritate & consecrationem Deo: quæ consecratio explicatur duabus speciebus: obedientia & adspersione sanguinis Iesu Christi. Quid autem *obedientia* significet, prima fronte obscurius est: quidam enim de Christi obedientia exponunt: idque probari censent ex constructionis ratione, ut intelligatur sanctificationis hujus materia: alii tamen de obedientia fidelium exponere malunt, ut sanctificationis pars altera significetur: sanctificationis enim vox generatim sumpta, regenerationem & justificationem complectitur, & regeneratio duas habet partes, donum fidei & charitatis: hinc quidam de sola fidei, qua obeditur Euangelio, obedientiâ, exponunt, quæ Roman. 1. v. 5. *obedientia fidei* dicitur; de qua hoc cap. v. 22. *animas vestras purificastis obedientiâ veritatis per spiritum*, sed plenior erit sententia, si utrumque obedientiæ modum complectamur: *fidem* qua Euangelio; & *charitatem*, qua Legi, secundum Euangelium obeditur; sicut Euangelium non solùm fidem, sed etiam obedientiam sanctæ vitæ ac resipiscentiam requirit. Atque ea sententia illustratur, si quis conferat cum v. 14. 15. 22. Altera sanctificationis species est *aspersio sanguinis Christi:* qua ratione per metaph. à legali aspersione petitam, vers. 19. Heb 9. 13. 20. Ex. 12. v. 23. obedientiæ & sacrificii Christi imputatio & applicatio, qua coram Deo in Christo perfectè sancti sumus, Hebr. 9. v. 13. & 12. 24. & 10. 10. denotatur. Hæc de inscriptione, prima præfationis parte: altera est salutatio solemnis, quæ fidelibus gratiæ divinę ac pacis incrementum adprecatur, quę aliàs pluribus à nobis explicata. Quare absoluta pręfationis declaratione, ad tractationem, quę secunda principalis hujus epistolę pars est, transeamus.

Tractatio autem constat exordio & variarum hortatio-

num

num propositione. Ac prius quidem quod à verf. 3. ad 13. protenditur, est ἐπαινετικόν, laudationem continens triplicem, Dei Patris, Ecclesiæ Dei, seu fidelium Iudæorum, & doctrinæ fidei. Cujus rei scopus idem est, quem initio hujus epistolæ descripsimus. Laudatio Dei primùm enunciatur, deinde justis rationibus confirmatur. Illud continetur hisce verbis: *Benedictus esto Deus & Pater D. N. I. Christi.* Quæ δοξολογίας formula apud Paulum frequens est, 2. Corinth. 1. v. 3. Eph. 1. 3. Col. 1. v. 3. & alibi. Cujus enunciationis subjectum aliquam habet difficultatem: nam *Dei* vox propriè essentialiter, seu pro communi tribus Personis essentia accipitur: interdum tamen personaliter per Synecdochen pro certâ personâ, & quidem sæpius pro primâ usurpatur: quo modo hîc accipi debet, ut ex adjunctâ voce *Patris*, apparet. Vnde Samosateniani & reliqui Deitatis Christi hostes, ita argutantur: *Qui suum Deum habet & patrem; ille ut nec Pater est, ita nec Deus. Atqui Christus, teste Apostolo Petro, talis est. Ergo nec Deus.* Responderi potest bifariam. Primùm negando assumptionem: quia *Dei* vox hîc non sumitur relatè ad Christum, sed absolutè. Nam quod objiciunt copulam *&* ostendere, sensum esse, *Deus Iesu Christi & Pater*; illud non est admittendum: quia copulativa particula, ut Grammatici & usus probant, accipitur interdum non copulativè, sed exegeticè pro *nempe*, videlicet ut sit sensus, *Deus Pater*: quemadmodum 1. Cor. 15. v. 24. Col. 2. v. 2. Jac. 3. v. 9. Sed regerunt, alia esse similia loca, quibus hæc responsio evertatur, ut Joh. 20. v. 17. *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum* &c. Verùm negamus, hunc locum esse similem: circumstantiis enim pronominum relativorum variant: nam Joan. 20. expressâ relatione dicitur *Deum meum:* hîc verò absolutè, *Deus.* Deinde ut id daremus, nihil obtinebunt: quia secundò respondebitur, propositionem propositi syllogismi esse falsam. Aliquis enim potest habere suum Deum, vel simpliciter & omninò: vel tantùm secundum quid. Priori modo vera est propositio: posteriori falsa: Christus enim secundum humanam naturam, quatenus à Deo formatus, habet Deum suum: secundum divinam verò, non habet Deum; sed ipsemet Deus est. Sed instant iterum *Quemadmodum Christus habet Patrem suum, ita & Deum. Atqui Patrem non habet secundum quid, sed totius personæ respectu simpliciter. Ergo & Deum habet non secundum quid tantum, sed omninò ac simpliciter.* Resp. Negatur propositio: quia dispar comparatorum est ratio, quippe Deum habet secundum humanam tantùm naturam; Patrem verò secundum utramque, sed diversò modo: unus quidem est filius, sed duo tamen filiationis modi, unus proprius & naturalis ex essentia Patris, respectu divinæ naturæ; quo modo dicitur Christus Filius Dei proprius Rom. 8. & unigenitus Joh. 1. alter improprius per metaphoram seu ex gratia, cùm creationis ad imaginem Dei per virtutem Spiritus Sancti; tùm fœderis salutaris ad hæreditatem cœlestem, quo modo multos habet fratres, Rom. 8. Hebr. 2. quatenus homo. Sed quærat aliquis, Quid causæ est, quod primam personam ex relatione ad Christum describat, cum Patrem Domini nostri Jesu Christi vocat. Videtur hoc omninò fieri discriminis causa, & confirmandæ fidei in Christum: quod ut olim dictus est Deus Abrahæ, ut à fictitiis Diis discerneretur, per fœdus cum Abrahamo initum per promissum Jesum Christum: ita in Nov. Testam. dicatur Pater Domini nostri Jesu Christi, ut cognosceremus, eum solùm esse verum Deum Patrem, cujus Filius est Iesus Christus, Iohan. 17. v. 3. 1. Iohan. 2. vers. 23. Atque hæc satis de enunciationis subjecto. Attributum perspicuum est. Ut enim Deus nobis per Metonymiam adjuncti pro subjecto benedicere dicitur, cum benefacit: sic contrà nos propriè Deo benedicimus, cum ejus beneficia & gloriam celebramus: quemadmodum hanc laudis enunciationem confirmat sequente laudis merito, nempe gravissima effectorum seu beneficiorum Dei erga fideles commemoratione. Ea autem statuit quatuor, Regenerationem, Spem, Gloriam cœlestem, & Conservationem. *Regenerationis* voce, per Metaph. usitatam, sanctificationem nostri, de qua antè actum est (quæque in mortificatione veteris hominis seu peccati originis, & vivificatione novi per fidem & charitatem sita est) intelligit. Eamque illustrat suis causis efficientibus, impulsiva & finali. Illa est Dei misericordia, quam à quantitate cum *multam* vocat, amplificat, de qua Tit. 3. v. 5. & 1. Iohan. 3. v. 1. & 4. 10. Finalis verò secundo & tertio beneficio definitur: nam finis proximus regenerationis statuitur, *spes viva*, quam variè exponunt. Quidam enim per Metonymiam impropriè speratam gloriam interpretantur, & sequenti versu *hæreditatis* voce clarius explicari putant, ut Col. 1. v. 5. alii verò propriè affectum ex vivâ fide promanantem, quo promissa à Deo, gratiam ac gloriam cupidè exspectamus: quæ expositio convenientior: quia & vocis servat proprietatem, & priori uberior est. Sed quare *viva* dicatur, disquiritur. Quidam per Metonymiam vivificam exponunt, ut Ioh 6. v. 51. *panis vivus*, id est, vivificus. Verùm exemplum hoc non convenit: quia Christus & vivum & vivificum non frustra distinctè se nominat: angustius etiam vivificatio ad lætitiam cordis refertur: alii verò per Metaph. perennem exponunt: sed maximè videtur consentaneum, ut generalius veram & efficacem exponamus, ut eo epitheto à spe mundanâ distinguatur, quæ nec certâ fide Euangelii, sed fallaci opinione nititur: nec bonorum operum est ferax, sed sterilis ac quasi mortua, ut hypocritarum fides vocatur mortua, Iac. 2. 20. Quòd verò additur *per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*, causam efficientem subordinatam notat: & quidem referri potest, vel ad spem, quæ ex resurrectionis fide oritur ac vivit, Rom. 8. 11. 1. Cor. 15. v. 17. 19. 1. Thess. 4. v. 13. & 14. vel ad regenerationem, ut vulgò exponunt. Nam ut mortis Christi merito vetus noster homo crucifigitur, sic per resurrectionis illius, ut causæ impulsivæ, efficaciam, novus homo suscitatur, Rom. 6. v. 4. & 5. nam amissio imaginis Dei & dominium peccati, pœna sunt peccati primi, quam per lapsum Adamus sibi & posteris inflixit: ao propterea peccato expiato per Christi mortis meritum & expiatione testificata, & efficaciter applicata per resurrectionem Christi (quæ actualis à peccatis absolutio est) sequitur in nobis tanquam Christi membris excussæ imaginis Dei restitutio seu regeneratio. Hæc de v. 3. Porrò alter regenerationis nostræ finis, nempe remotus & ultimus, in nobis est gloria cœlestis, seu vita æterna gloriosa, quæ per Metaph. elegantem ac continuatam hæreditas dicitur; quod ea non ut meritum mercenariis & servis, sed tanquam adoptionis gratuitæ fructus & hæreditas, adoptatis & renatis Dei Filiis donetur, Rom. 8. vers. 17. Deinde tribus adjunctis epithetis eandem amplificat, ut ab hæreditate mundanâ distinguat: quorum primum æternitatem, reliqua duo sinceritatem & integritatem insignibus Metaphoris notant. Quarum prima ex oppositione bonorum externorum (quæ sordibus & rei illicitæ contactu impurari possunt) deducitur: nam quod quidam à pudicitia virginis translationem desumptam putant, videtur alienius. Altera metaphora est à floribus & herbis non marcescentibus: quales ferè amaranthus & similes; quemadmodum contrà marcescenti gramini caduca hujus mundi bona comparantur, Iac. 1. v. 11. 1. Petr. 1. v. 24. Atque hæc adjuncta à causa & loco conservante comprobantur, cum ait: *in cœlis servatam*, nempe à Deo. similes loci sunt, Col. 1. v. 5. Matth. 6. v. 19. & 20. Hæc de verf. quarto, & tertio Dei beneficio: cui quasi per anticipationem quandam objectionis, quartum adjungitur, nempe conservatio in gratia & viâ salutis. Objici enim poterat; tuta quidem hæreditas nostra in cœlo, sed nos hæredes tuti non sumus in terra, propter hostium nostrorum (nempe carnis intus, & Satanæ ac mundi foris) vim & insidias, nostramque imbecillitatem & imprudentiam: deinde hæreditas promittitur quidem, sed differtur possessio illius, neque apparet. Petrus contrà ostendit, nos etiam hac parte tutos, quia conservamur à Deo. Quam conservationem & modum illius eleganti similitudine, à præsidio militari ducta, declarat, cum ait: *præsidio custoditos.* Modus autem est duplex: summus ac principalis, nempe potentia Dei, quæ infinita & invicta, Ioh. 10. v. 28. 29. Rom. 8. verf. 30. 31. 37. 39. 1. Cor. 1. v. 8. Phil. 1. v. 6. deinde subordinatus ac proximus,

ximus est fides, quæ Dei robore fulta, carnem, Rom. 6. 13. 14. 1. Joh. 3 9. Diabolum 1. Pet. 5. v. 9. & mundum vincit, 1. Ioh 5. v. 4. Præterea docet hæreditatem non auferri, sed differri, cum ait: *Salutem paratam patefieri tempore ultimo*, 1. Iohan. 3. v. 2. Salutis autem nomine intelligit non initium, quod in hac vita habemus per sanctificationis, justificationis ac pacis conscientiæ gratiam; sed complementum illius per glorificationem, quod in altera exspectamus, constans perfectâ animi & corporis ab omni miseriâ liberatione & æternâ gloriâ: quæ ut jam latent, sic ultimo die patefient, 1. Ioh. 3. v. 2. *Ultimum* autem *tempus* non accipit comparatè cum tempore, Christi adventum primum antecedente, ut 1. Cor. 10. 11. Heb. 1. 2. & 1. Tim. 4. v. 1. sed absolutè ratione curriculi totius mundi corruptibilis, & status vitæ præsentis, tempus secundi adventus Christi ita designat. Hæc de vers. 5. & prima exordii hujus parte, quę Dei laudem à beneficiorum in Ecclesiam collatione celebrat: cui altera pars succedit, quæ laudem fidelium, ad quos scribitur, à præstatione officii & rectâ horum beneficiorum consideratione & usu prædicat: ut eos hoc modo non palpet, sed sincerè in recta via contineat & consoletur. Laudis autem capita statuuntur tria: patientia seu exultatio in rebus adversis, dilectio Christi, & fides. Ac patientiam quidem describit primùm à causâ impulsiva, cum ait: *In quo*. Quod relativum Oecumenius ad tempus: alii verò accommodatius ad rem antecedentem referunt, seu causam, conservationem Dei ac salutem æternam: quorum consideratio in rebus adversis patientiam & exultationem, seu serium animi gaudium excitat. Deinde patientiæ exultantis subjectum, consolatione egregia describit: primum cum *tentationes*, ut Jac. 1. v. 2. & 12. & 1. Pet. 4. v. 12. per Metonym. effecti pro causa, afflictiones vocat; quod Deus iis fideles tentet: hoc est, exploret. Quia autem tentationes illæ erant variæ, idcircò ita appellat & consolatione mitigat ratione ab adjunctis circumstantiis: primùm à mensura, cum ait *paululùm*; deinde à tempore, cum ait, *nunc*; præterea cum ait, *si opus est*. Quibus verbis quidam non conditionem, sed causam notari putant. Ac fateor sanè id alibi habere locum, ubi vox *si* pro *quia* sumitur: sed hîc nulla est necessitas, ut à propria significatione declinemus, quia proprius sensus probè convenit, & magis ad rem ipsam facit. Verùm duplex esse potest sensus, vel ut utilitatem significet, seu si ad salutem pertinet: vel ut conditionem necessitatis & temporis circumstantiam notet, ut sensus sit, quando per Dei voluntatem necesse est, non enim Deus semper castigat, quemadmodum 1. Pet. 3. 17. dicitur: *Melius est benefacientes, si ita Dei voluntati placeat, pati*; & Iacobus c. 1. v. 2. gaudere jubet, quando in varias tentationes inciderint. Quomodo sermo erit non de acquisitis temeritate afflictionibus, sed à Deo illatis. Atque hoc modo elegans erit consolatio, ad acerbitatem afflictionum mitigandam, tribus quasi gradibus constans: quorum primus est, quod eæ sint exiguæ: alter quod hujus tantùm temporis: tertius quod ne nunc quidem semper eveniant aut durent: sed tantùm quando & quatenus Deo ad suam gloriam & salutem nostram visum est. Similis sententia est in illustribus illis locis 2. Cor. 4. v. 17. 18. 1. Cor. 10. 13. Heb. 12. 10. Hęc de versu sexto. Porrò non solùm ab hisce mensuræ exiguę & temporarię durationis circumstantiis fidelium afflictiones describit Apostolus; sed etiam ad majorem consolationem & exultationem à fine & fructu gemino; propinquo quidem, exploratione fidei: qua etiam periphrasi afflictiones fidelium à suo effecto, Iac. 1. 3. & eodem sensu tentationis voce Iac. 1. & hic v. 6. metonymicè appellantur. Hujus autem explorationis necessitas & dignitas eleganti similitudine auri, per comparationem rei minoris explicatur. Similitudo autem in eo est, quod ut aurum igne exploratur, hoc est, ab adulterino distinguitur, & à scoria ac sordibus purgatur & illustrius redditur: ita & fides nostra in afflictionibus probata elucet, Mat. 13. 21. 22. & ab infirmitate liberata emendatur, Rom. 5. 3. 4. Quæ auri & argenti similitudo frequens est in sacris literis, sed pro circumstantiarum ratione, potissimum, aut distinctionis, Prov. 17. v. 3. & 27. 21. aut purgationis habetur expressa mentio, Zach. 13. 9. Malach. 3. 3. Ps. 11. v. 5. & 66. 10. hîc verò utrumq; intelligitur. Argumentum verò rei minoris in eo est, quod ab Apostolo fides auro preciosior dicatur: quod ab auri accidente corruptione, cujus v. 28. meminit, comprobatur: aurum enim usu & attritu consumitur: fides verò durat usuque augetur. Nam si quis objiciat, fidem opponi adspectui 2. Cor. 5. vers. 7. & cognitionem nostram tandem abolendam 1. Cor. 13. v. 8. & 10. Respondetur primùm hîc sermonem esse de conditione in his terris, quod fides scilicet in hac vita in verè fidelibus non pereat, sed sua habeat incrementa ad finem usque. Deinde ista duo, opposita nobis, non pugnant: Fides enim opponitur adspectui, non absolutè, sed tantum ratione hujus vitæ, in qua cœlestia bona credimus, non autem videmus: in altera verò vita conjuncta erit fides cum visione. Si quis verò tritum illud Augustini dictum regerat; *Si vides, non est fides*. Respondetur, illud verum tantùm esse atque intelligendum non absolutè, sed certo modo, nempe quatenus fides: alioqui duo cognitionis modi optimè possunt pro diversorum principiorum ratione inter se convenire: ut cognitio ex visione, & cognitio ex fide promissionis Dei, ad quam suam quandam habet relationem. Quemadmodum resurrectionem Christi, Apostoli viderunt, & simul crediderunt: sed propriè ac primùm crediderunt, non quatenus viderunt, sed quatenus promissionem Christi habebant, cujus authoritati ac veritati innitebantur: quam etiam fidem suscitavit & confirmavit visio Christi jam suscitati, Iohan. 20. vers. 27. 28. 29. Ita in cœlo erit fides & visio, quarum illa habebit perpetuum suum fundamentum & causam, nempe authoritatem omnipotentis ac veracis Dei: hæc verò experientiam & rei evidentiam. Fides igitur perpetua est, si substantiam illius consideremus: sin vero circumstantiam spectes, mutabitur: quod ea, quæ in terris futura credebat, in cœlis verò jam facta credat; quæ circumstantia fidem non evertit. Quemadmodum fides Patriarcharum & Apostolorum specie conveniunt, quamvis modo differant: imò fides Apostolorum per se considerata, illam admisit varietatem: nam ante Christi mortem & resurrectionem utrumque futurum credebat: postea verò, eadem reipsâ manens, utrumque jam factum credidit. Quod verò objectum est ex 1. Cor. 13. cognitionem nostram ultimo die tollendam: illud relatione accidentis imperfectionis, non ratione substantiæ seu essentiæ intelligi debet: ut locus vers. 11. & 12. satis clarè demonstrat. Si quis autem hac occasione quærat, an etiam spes in cœlo exstet in beatis animabus. Respondetur, usque ad diem ultimum, & animæ ac coporis in cœlo glorificationem durabit: quia est promissæ gratiæ ac gloriæ futura exspectatio: ideoque donec completa promissio fuerit, spes durabit: quemadmodum Apoc. 6. vers. 10. animæ sanctorum mortuorum vindicationem sui sanguinis petunt, quod ex fide & spe vindictæ promissæ procedit. Post completam verò gratiam & gloriam æternam spes necessario, sublato objecto, ex naturæ illius necessitate esse desinet. Atque hæc dicta sunt de nostrarum afflictionum fine & fructu propinquo, & descriptione illius. Remotus verò describitur, 1. in se consideratus à suis partibus: deinde à circumstantia temporis. Partes autem indicantur, cum ait: *ut exploratio fidei vestræ comperiatur* (scilicet vobis) *ad laudem & honorem & gloriam*. Quæ tria velut Synonyma à nonnullis intelliguntur: satius tamen est, ut distinctè exponantur: ut priora duo ad præmia fidei constantis coram tribunali Christi extra cœlum referantur: & honor quidem ad collocationem ad Christi dextram, Matth. 25. 33. *laus* verò, cum benedictos à Patre & ad hæreditatem cœlestem electos vocabit, & ad eam possidendam advocabit, ibid. vers. 34. atque ita fide constanter Christum professos, coram Patre suo cœlesti confitebitur, Matt. 10. v. 32. *gloria* verò gloriosam cœlestis vitæ fruitionem notet, quæ gloriosam resurrectionem Phil. 3. 21. & vitam æternam cum Christo in cœlis complectitur. Deinde exposito explorationis fidei fine remoto à suis partibus: sequitur explicatio circumstantiæ temporis, cùm ait; *In patefactione Iesu Christi*, nimirum gloriosa, hoc est, die ultimo: sed illo

modo loqui maluit, ad impatientiæ remedium & consolationis incrementum: quemadmodum explicatur 1. Ioh. 3. v. 1. 2. & 2. Theſſ. 1. v. 10.

Hactenus de verſ. 7. & prima virtute, nempe patientiâ in perſecutionibus propter Chriſtum & fidei confeſſionem perferendis, à qua fideles Iudæi, ut in officio porrò præſtando perſtent, collaudantur: unde altius ad reliquas duas, tanquam ad patientiæ fontes ac cauſas aſſurgit ac tranſit. Altera enim virtus, quam illis tribuit, eſt dilectio Chriſti: quam amplificat ab adjunctâ circumſtantia, quod Chriſtum non vidiſſent: nam viſus amorem illius, qui amore dignus judicatur, adauget, 1. Ioh. 4.20. Tertia virtus eſt fides in Chriſtum, dilectionis parens: quæ trifariam deſcribitur, primo eadem circumſtantiâ, quâ dilectio: quę vim fidei & felicitatis ſimiliter indicat: ideoque non fruſtra hîc diſtinguuntur, ad fidei, quæ hoc adjumento caruit, commendationem, ut Ioh. 20. 29. ſecundò deſcribitur ab effecto nempe gaudio & exultatione, tam in adverſis, quàm proſperis: de qua re etiam antè actum eſt; ſed hîc repetitur amplificatum epithetis, ut oſtendatur patientiæ illius origo. tertiò à fine vel fructu, nempè ſalute æternâ, quæ ſynecd. à potiori ſubjecti parte indicatur, cum *animarum* dicitur, ut Heb. 10. 39. & 1. Cor 5. 5. Quòd autem in præſenti tempore additur *reportantes*: id accipi poteſt bifariam, vel propriè, ut per ſalutem animarum denotetur tota ſalus, cujus initium in hac vita per converſionem contingit & augetur indies, ut Luc. 19. 9. ut meritò poſſimus dici reportare ſalutem, ut Phil. 2. 12. vel impropriè, ut per enallagen temporis conſuetam, prçſens, pro paulò poſt futuro accipiatur, ad conſolationem fidelium, & *ſalus* ſignificet ſalutis complementum, quod in altera vitâ expectamus: ut ſæpius accipitur & diſtinctè eandem expreſſit, verſ. 5. Prior tamen ſententia uberior eſt: quia ſecundam includit, & ſequentibus aptius convenit.

Hæc de verſ. 2. & fidelium Iudæorum commendatione, ſecunda ſcilicet exordii parte, quæ eleganti tranſitione connectitur tertiæ, quæ doctrinæ fidei & ſalutis laudem, deſcriptione præſtantiæ & certitudinis, complectitur. Ac præſtantiam quidem demonſtrat primùm ab adjuncta Prophetarum inquiſitione & deſiderio maximo. Sed dicat quis, an igitur Prophetæ non ſunt aſſecuti ſalutem? Sanè aſſecuti ſunt vitam æternam: ſed ſalus non ita generatim hoc in loco accipitur, ſed modo ſpeciali; quonam verò, obſcurius eſt: reſpondent vulgò, nomine *ſalutis* notari nihil aliud quàm gratiæ per Chriſtum allatæ publicam manifeſtationem: ut conveniat cum Luc. 10. 24. *multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos &c.* ſed ſalvo aliorum judicio, non videtur illud ſatis convenire: quia *ſalus* hîc ſalutem animarum notat, ut ex verſ. antecedente apparet. Itaque ſervato eodem ſenſu, intelligenda eſt ſalus Iudæorum diſperſorum, hoc eſt, publica eorum, per Euangelii promulgationem ad Chriſtum converſio, & inde conſequens vita æterna; quæ in Chriſti adventum & gloriam, unà cum gentium vocatione reſervabantur. Quam ſalutem Prophetæ avidiſſimè expectârunt, quod ſalutis præſtantiam demonſtrat; quemadmodum certitudinem Prophetia, cujus meminit Apoſtolus, cum addit: *Qui de gratia erga vos prophetarunt*, verſ. 10. Qua *gratiæ* voce per ſynecdochen ſalutem emphaticè ſignificat, ut eam non ex operum meritis, ſed ex Dei gratia & miſericordia proficiſci oſtendat; de qua re plenius ac planius cap. 2. verſ. 9. 10. Porrò propoſitam Prophetarum ſcrutationem & Prophetiæ veritatem expoſitione illuſtrat Apoſtolus, verſ. 11. declaratione modi, videlicet quod obſervata Spiritus Chriſti revelatione, ſcrutati ſunt tempus perpeſſionis & gloriæ Chriſti, Luc. 24. v. 26. 27. unde pendebat Spiritus Sancti miſſio illa extraordinaria & copioſiſſima Joh. 7. v. 39. eoque Apoſtolorum legatio & Judæorum diſperſorum gentiumque converſio ac ſalus. Atque hæc prima eſt laudis pręſtantię doctrinę fidei & ſalutis Judęorum demonſtratio, à ſcrutatione Prophetarum petita: cui altera deinde ſuccedit, deducta à comparatione per diſſimilitudinem eorum, & fidelium Nov. Teſtam. Ea autem eſt quod Prophetę non ſibi, ſed nobis adminiſtrarint, in Prophetiis illis ſcrutandis & conſcribendis: quod confirmatur à revelatione Spiritus Sancti. Unde iterum doctrinę fidei ſeu veritatis Euangelicę certitudo elucet, Rom. 1. v. 2. Quod autem ex hoc loco nonnulli homines impuri concludunt, Prophetas non fuiſſe per Chriſtum ſalvatos: illud analogię cùm fidei & Scripturę, tum contextus hujus repugnat: nec enim ſimpliciter de Chriſto agit Petrus, ſed tantùm ſecundum quid de exhibitione illius, deque perpeſſione & gloria, nempe reſurrectione, adſcenſione, ſeſſione ad dextram Patris, miſſione Spir. Sancti; quæ omnia reſervata fuerant tempori divinitus deſtinato, longè poſt Prophetas. Similis locus eſt, Heb. 11. 39. & Luc. 10. 24. Tertia demonſtratio eſt à teſtimonio divino per Apoſtolos, Eph. 3. 5. Poſtrema ab Angelorum deſiderio. Quod quidam ad dogmata referunt, quaſi nondum plenè omnia Euangelii myſteria habeant perſpecta: alii accommodatius ad rem ipſam, nempe glorię Chriſti & ſalutis noſtrę complementum futurũ ultimo die pertinere cenſent. Hęc de v. 12.

Atque ita explicuimus primam ac nervoſam hujus epiſtolæ partem, nimirum Exordium, quod fundamenta hortationum continet: ſuccedit jam pars altera, quæ variarum hortationum propoſitionem complectitur, & concluſione firmâ ex antecedenti exordio deducitur, eique aptiſſimè cohæret. Hortationes autem ſunt partim univerſales, partim particules. Univerſales autem ſunt, quæ ad univerſos ſpectant, & commune omnium fidelium officium declarant. Et hoc quidem in loco ad tria potiſſimùm capita revocari poſſunt ac debent, nempe ad ſpem, ſanctitatem vitæ & charitatem mutuam. Primùm enim hortatur Petrus ad ſpei vitæ æternæ perſeverantiam, & comites illius: nam per *gratiam, quæ defertur*, ſalutem intelligit, ut antè oſtendimus: quæ ratione complementi nobis obtinget ultimo die, quo Chriſtus ſecundò patefiet. Nam quod quidam interpretum patefactionem hanc non propriè de ſecundo corporali Chriſti adventu, ſed impropriè de prædicatione & notitiâ Euangelii exponunt: illud piè quidem dicitur, ſed minùs aptè huic loco, ſi cum antecedentibus conferas, v. 4. 5. 7. 12. Deinde per vocem τελείως, id eſt, *perfectè*, perſeverantiam intelligit Ac vulgò quidem eam perfectionem de perfectione partium & ſinceritate interpretantur: ſed loci circumſtantia & emphaſis argumenti poſtulat, ut vocẽ τελείως explicemus *finaliter*, εἰς τέλος *ad finem* de perfectione temporis; ut in ſimili loco ſimilis ſententia, Heb. 3. 6. *cujus domus ſumus, ſi fiduciam & ſpem firmam retinuerimus* μέχρι τέλους; id eſt, *ad finem uſque*. Cœterùm ſpei comites & ſubſidiariæ virtutes adjunguntur duę, ſuccinctio lumborum mentis & ſobrietas; quæ vitiis ſpei maximè noxiis, adverſantur. In prioris autem deſcriptione elegans eſt metaphora eaq; gemina: cum videl. menti tribuitur & ſuccinctio, & lumbi, ſimilitudine ductâ ab Orientalium populorum uſu, qui longa & fluctuante veſte cincti, eam iter aut opus facturi, collectam cingulo ſtringebant ad lumbos, ne ipſos impediret, ut 1. Reg. 18. 46. 2. Reg. 4. 29. Luc. 12. 37. & 17. 8. Atque hinc tranſlatione à corpore ad animam ducta ait Paulus, Eph. 6. 14. *State præcincti lumbos veritate*: & Chriſtus eadem hortatione, Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Senſus igitur hujus loci eſt, ut abjectis omnibus vitiis & carnalibus curis, expeditam reddamus mentem ad ſpiritualia meditanda. Altera virtus eſt ſobrietas aut vigilantia: quam notat, cum ait, νήφοντες *ſobrii*: nam vox νήφειν propriè *ſobrium eſſe* ſignificat: inde per Metonym. vigilantiam notat, quod videlicet ea ſobrietatem ſequatur. Inde per Metaph. ſimilitudine conveniente à corpore ad animam transfertur, ac deſignat vel ſanctitatem illius, quæ erroribus mentis & cupiditatibus cordis (quibus anima quaſi ebria redditur) oppoſita, ut 2. Tim. 2. 26. vel attentionem & ſollicitudinem ac curam, ſignificat, 1. Pet. 4. 7. Hoc autem in loco exponi poteſt, ut aut ad corpus, aut ad animam referatur. Si ad corpus, ſenſus non male conveniet cum Chriſti verbis, in eodem argumento Luc. 21. 34. quibus prohibet primum curas hujus vitæ, quæ ſuccinctioni lumborum opponuntur: deinde crapulam & ebrietatem, quæ ſobrietati adverſantur, ut hac via, ſpei comites ſtatuantur duæ virtutes, ſeu duplex ſobrietas, una animi, al-

mi, altera corporis. Sin verò ad animam referamus, aut unum idemque significabit cum succinctione lumborum, diversa tamen metaphora, ut fieri sæpius in Scripturis solet, & quidem eleganter: aut aliud significabit, nempe virtutem animi: ut succinctio lumborum mentis, ad intelligentiam & cogitationes: sobrietas verò ad voluntatis & affectuum moderationem (ne voluptatibus & vitiis reliquis inebrientur) pertineat: unde etiam ex hac animi sobrietate tanquam ex fonte emanat sobrietas corporis. Atque hanc interpretationem, quia uberior est, & rei ac loci circumstantiis plenius convenit, reliquis præferendam esse apparet: nam si succinctionem mentis, ut prima postulat interpretatio, ad solas curas hujus vitæ, non autem ad quævis meditationes malas (quibus mens à meditatione cœlestium impeditur) referamus, angustior erit interpretatio. Cæterùm hanc hortationem ad spem & spei custodes sociasque virtutes, concludit Apostolus ex antecedenti Angelorum desiderio, quo gloriæ Christi & salutis nostræ complementum, videre desiderant: inde enim consequitur nos homines, quibus ea gloria parta est, debere ad eam rem mentem animamque præparare & constanter adversus quasvis difficultates sperare. Hæc de vers. 13. Porrò huic primæ hortationi subjicitur altera ad sanctitatem vitæ: nam quamvis nonnulli sentiant, præpositæ hortationis illustriorem esse expositionem: aliud tamen attentiori apparebit: nam spes & comites illius, mentis succinctio & sobrietas illa, ad internam sanctitatem pertinent, ut antè ostensum est: hæc verò hortatio de externa corporis & operum inter homines sanctitate agit: quemadmodum *conversationis* vox vers. 15. & usus illius vers. 18. & cap. 2. vers. 11. & cap. 3. vers. 1. 16. alibique comprobat. Hæc aut hortatio bimembris est: ostendit enim officium partim dehortatione per aphæresin seu remotionem contrarii mali: partim adhortatione per thesin seu positionem boni. Dehortatio est, ne configurentur cupiditatibus suis pristinis, hoc est, carnalibus, ut vers. 18. & cap. 4. vers. 3. ostendunt. Similes loci sunt, Rom. 12. vers. 2. Gal. 5. vers. 16. Eph. 4. vers. 22. & 1. Pet. 2. vers. 11. & 4. 2. 3. 4 Hanc verò dehortationem confirmat Apostolus duobus argumentis, à causis: quorum alterum à statu præteritæ vitæ petitum procedit à causæ remotione, ad remotionem effectus proprii, hoc modo; Non estis amplius in ignorantia pristina: Ergò debetis ab operibus ignorantiæ, nempe cupiditatibus malis abstinere: alterum est à præsenti statu, nempe adoptionis gratia, & Filiorum Dei officio, à positione causæ ad positionem effectus debiti, hac ratione; Vos estis Filii Dei: Ergò debetis esse obedientes Deo in cupiditatibus (quæ Dei legi repugnant) fugiendis. Eædem argumentationes exstant, Rom. 13. v. 12. 13. Eph. 5. v. 6. 7. 8. Hæc de vers. 14. ac dehortatione. Adhortatio est, ut in omni conversatione sancti reddantur: quod confirmatur ab exemplo Dei Patris, quem periphrasi emphatica à vocationis ad fidem beneficio describit, cum ait: *qui vocavit vos*, vers. 15. Quam consequentiam probat Apostolus ex Scriptura S. & testimonio Dei, vers. 16. Atque hæc tertia est ad propositam hortationem comprobandam ratio: cui deinde communiter plures aliæ adjunguntur. Quarta enim ratio officii necessitatem ostendit, à consequenti judicio Dei justo: quæ ratio addita est per anticipationem quandam adversus eos, qui Dei Patris nomine & benignitate ad scelerum licentiam abutuntur: quos refutat Apostolus, Rom 6. v. 1. & 15. 16. Porrò huic argumento quintum includitur his verbis, *commorationis vestræ tempore*; cujus duplex potest esse sensus, prior, ut de peregrinatione communi fidelium in his terris agatur, quâ ad Deum & cœlestem patriam per cœlestem viam contendimus, ut Heb. 11. 9. 10. 13. & 16. Quâ ratione vis argumenti erit; peregrini estis in mundo: Ergò non institutis & cupiditatibus mundi, sed Patris & patriæ cœlestis legibus debetis inservire, ut Phil. 2. v. 20. & Col. 3. v. 1. 2. 3. posterior autem esse potest, ut Apostolus intelligat commorationem Judæorum inter gentes specialem: quemadmodum cap. 2. vers. 11. ubi eadem hortatio ad sanctitatem repetitur, & argumentum, quod hic brevius ponitur, plenius exponitur; utraque sententia probabilis ac concinna; sed prior præferenda: quia illa, ob argumenti diversitatem, ab eo, quod tractatur c. 2. orationem Apostoli ac probationem pleniorem reddit. Hæc de v. 17. & argmento quinto: cui adjunguntur, tria reliqua, à Dei beneficiis per Christum petita. Sextum enim argumentum est à præstantiâ precii redemptionis ex pristinâ conversatione mala, per aphæresin, v. 18. & thesin vers. 19. adhibita comparatione minoris. Aphæresis est quod redempti sint non auro neque argento; ut scil. in corporali à servitute liberatione fieri solet. Thesis est, quod Christi sanguine effuso. Comparatio verò est, quod illa sint corruptibilia, nec summi precii: hic verò sanguis summè preciosus; partim quia sanguis hominis est, in cujus effusione vita (quæ omnibus mundi opibus dignior) amissa est; potissimùm verò preciosus, quia sanguis hominis innocentis, quod agno Paschali omnis vitii experte, Exod. 12. tanquam Sacramento divino adumbratum: denique quod sanguis sit Christi, nempe Regis & Immanuelis Filii Dei, patefacti in carne, ut Act. 20. 28. *Pascite Ecclesiam Dei, quam acquisivit sibi per proprium sanguinem.* Atque hoc argumentum probatur à testimonio conscientiæ fidelium Judæorum, cum præmittit Apostolus *scientes*, nimirum ex verbo Dei seu doctrina Euangelii per Prophetas & Apostolos prędicata & mentibus ipsorum per Spiritum Sanctum confirmata. Cœterùm duo hîc argumenta connexa sunt, etsi alterum sit primarium. Primum est, empti estis à Christo. Ergò non vestris cupiditatibus, sed honori illius, & justitiæ debetis servire, Rom. 14. v. 8. & 1. Cor. 6. v. 20. & 2. Cor. 5. v. 15. Alterum est, redempti estis sanguinis effusione & morte. Ergò maximi debetis redemptionem æstimare, in eaque perstare, neque iterum in peccati servitutem vos conjicere: alioquin preciosissimum Christi sanguinem, in redemptionem vestri effusum vilipenderetis, Heb. 10. v. 29. Septimum argumentum est ab exhibitione Christi ad utilitatem & conversionem Judæorum dispersorum: quod beneficium amplificatur per comparationem antecedentium temporum, ideoq; Patrum quoque, atque Ecclesiæ Vet. Testam. nam Christus fuit præscitus quidem ante jacta mundi fundamenta, hoc est, ab æterno à Patre præordinatus, Eph. 1. 3. 4. 5. ut Prophetæ demonstrant; sed non prius exhibitus, quam ultimis ac destinatis temporibus, hoc est, ut Gal. 4. v. 4. dicitur, *in plenitudine temporis*: sic enim tempus exhibiti Christi vocatur ex Joele Act. 2. v. 17. comparatè cum tempore Vet. Testam. ut in simili sententia Hebr. 1. v. 1. *olim & novissima tempora* opponuntur. Reliqua quæ ad hoc argumentum pertinent, patent ex antecedentibus, v. 11. & 12. Nam quod vulgò tantùm occupationem objectionis hoc in loco contineri censent, quam etiam diversè exponunt, illud minus videtur accuratum. Sensus igitur argumenti est; Illi ad quorum utilitatem Christus exhibitus est, sanctè secundum illius voluntatem vivere debent, & quidem uberiori jure, quàm illi quibus Christus tantùm promissus fuit: at vobis Judæis dispersis Christus ita exhibitus est; patribus vestris tantùm promissus; eoque illis feliciores, Matth. 13. 17. Heb. c. 11. 39. 40. Ergò sanctè vobis vivendum. Hæc de v. 20. Octavum & postremum argumentum est à beneficio Christi altero, sine quo adventus & redemptio non prodessent, nempe à donatione fidei in Deum Patrem, cum ait, *per quem credentes* &c. ut Mat. 11. 27. Joh. 1. 18. Cujus fidei causam addit subordinatam, nempe suscitationem Christi à mortuis & gloriam: ea enim duo fundamenta & fulcra sunt fidei nostræ, 1. Cor. 15. 14. 17. & 1. Pet. 3. 21. Fides autem in Deum Patrem non excludit fidem in Christum & Sp. Sanctum, sed includit: quia unus sunt Deus: quemadmodum vicissim fides in Christum, fidem in Patrem non excludit, Ioh. 14. 1. similis est ratio suscitationis quæ tribus personis (ut reliqua omnia externa Trinitatis opera) communis est: nam ut hoc loco ea Patri tribuitur: sic Joh. 2. 19. 21. & 10. vers. 18. Filio; & Rom. 8. 11. Spiritui Sancto adscribitur: Pater enim per Filium, virtute Sp. Sancti illius est author. Atque hujus suscitationis & gloriæ finem esse

docet fidem & spem in Deum. Cæterum multi hunc locum aliter exponunt, ac si non esset novum argumentum, sed tantùm antecedentis expositio, quæ scilicet declaret, ad quos Christus propriè pertineat: ad eos nimirum, qui per illum credunt in Deum; & *per illum* exponunt tanquam per mediatorem, quod is demum verè in Deum credat, qui in Christum Filium ejus credit: sed intricatior & à phrasi Scripturæ alienior interpretio est: prior verò, quàm modo attulimus, melius omninò fluit & longè uberior est, ob novi & accommodatissimi argumenti rationem. Hæc de v. 21. & secunda hortatione, quæ ad sanctitatem vitæ pertinet. Tertia est ad fraternam charitatem mutuam, in qua requirit primùm sinceritatem, ut sit simulationis expers: deinde sanctitatem, ut à bono principio, medio bono, ad bonum finem tendat: quam per Metaph. aptâ similitudine puritatem vocat, cum ait *ex puro corde*, ut ab impuro mundi amore distinguat. Denique vehementiam requirit, quam insigni metaphorâ (ab arcuum vel instrumentorum musicorum nervis deducta) indicat ac declarat: ut enim nervus intensus in arcu fortius ac longius telum emittit; & chorda intensa sonum clariorem edit, & à pluribus meliusque sentitur: ita & charitas quo intensior ac major, eò latius & amplius ad aliorum utilitatem sese exserit. Cæterum hanc hortationem confirmat Apostolus duabus rationibus. Vna petita est à purificatione per fidem. Quam fidê descriptione quadam illustrat, cum vocat *obedientiam erga veritatem*, nempe Euangelii per Sp. S. qua de re actum est vers. 2. Purificatio autem est duplex: una per imputationem Iustitiæ Christi, quæ justificatio dicitur, quâ puri reddimur in Christo: altera per infusionem puritatis, quæ sanctificatio dicitur, qua in nobis puri reddimur inchoatè: utroque modo, sed diversè fides nos purificat: priori quidem modo perfectè, tanquam causa justificationis instrumentalis: altero modo imperfectè, tanquam pars internæ sanctitatis, & quidem imperfectè formaliter, uti loquuntur, purificat: quia qualitate seu habitu non solùm fidei, sed etiam charitatis puritas nostra constat. Veruntamen cum puritas hæc imperfecta sit coram Deo, ratione graduum seu intensionis; sequitur, non propter fidem seu dignitatem fidei coram Dei judicio nos purificari, hoc est, puros censeri; sed Christi justitia fide apprehensa, quæ purificatio hoc in loco intelligitur, ut etiam Act. 15. v. 9. Hæc de vers. 22. & prima hortationis ratione: Altera porrò ratio subjicitur deducta à regenerationis nostræ instrumento, nempe Euangelio, quod vocat κατ' ἐξοχὴν *sermonem Dei vivi & manentis in æternum:* quem metaphoricè *semen* vocat. Cujus præstantiam comparatione minoris cum reliquis seminibus amplificat ab adjuncta duratione, quod non sit corruptibile, nimirum ut terrena semina, sed incorruptibile, vers. 23. Quam comparationem amplius exponit sequentibus, testimonio Es. c. 40. 8. recensens vanitatem & instabilitatem naturæ humanæ v. 24. & contrà opponens verbi divini constantiam, quod duret in æternum. Durare autem dici potest bifariam, primum absolutè in se, ratione veritatis perpetuæ ut Mat. 24. 35. deinde relatè in verè credentibus, ut 1. Joh. 3. v. 9: nam semina reliqua, ut ex iis aliquid generetur, prius corrumpantur necesse est, sicut terra concepta semina mutat ac corrumpit: sed semen verbi divini incorruptibile, permanens & immutabile, homines, qui id concipiunt fide, mutat ac regenerat. Vnde facilè solvitur objectio, quæ adferri potest ex Luc. 8. 11. 12. 13. 14. de corruptione seminis: nam non in se corrumpitur, sed tantum respectu hominum infidelium & utilitatis, quam in iis verbum proferre potuisset: ipsis igitur quodammodo perit, quod alioquin per se perstat. Cæterum ne quis hunc sermonem Dei aliter intelligat quàm par est: ambiguitatem vocis tollit Apostolus interpretatione sequenti, cum ait: *Hoc autem est verbum, quod euangelizatum est inter vos;* quo ostendit perspicuè, se loqui non de sermone hypostatico, Dei Filio, ut Joh. 1. v. 1. sed de doctrina divina & quidem Euangelii, quæ hoc loco, ut etiam Matth. 13. rectè semen per Metaph. dicitur, Quare impiè & ineptè Theodoricus Philippi Anabaptistarum Coryphæus in Enchiridio suo, tractatione de Incarnatione, hunc locum detorquet, ut probet, Christum non ex semine humano, sed ex incorruptibili Patris semine, incarnatum: nam si hoc valeret, inde etiam sequeretur, nos quoque jam Christo post regenerationem esse pares, & divinæ naturæ participes, non solum ratione qualitatis creatæ (propter imaginem & similitudinem sanctitatis & justitiæ) sed etiam ratione essentiæ increatæ, & quidem, ut ita dicamus, totius: quia simplicissima & infinita est, ideoque omnis divisionis expers. Hæc de vers. 25. & ultimo.

CONSECTARIA.

I. CVm Petrus neque in hac epistola, neque alibi se Apostolorum & Ecclesiæ Christianæ caput ac Christi vicarium, sed contrà, cæterorum instar, Apostolum Iesu Christi vocet: confutatur eo Pontificiorum de primatu Petri sententia, & Pontificis in eo titulo sibi arrogando superbia.

II. Ecclesia Dei, ad peccatorum castigationem, exilio & dispersione per varias gentes mulctari interdum solet, ut Iudæorum dispersorum exemplum docet: ideoque præsenti patriæ fruitioni non est fidendum, sed resipiscentiâ & sanctitate vitæ, paternis Dei ferulis occurrendum.

III. Ejectio è patria terrena, & electio ad possidendam patriam cœlestem, inter se optimè possunt convenire: ideoque exules Christiani hac consolatione sese munire debent, v. 1.

IV. Electio nostra non ex operum meritis, sed ex voluntatis Dei decreto pendet.

V. Cum electi simus ad sanctificationem & fidem, eaque sint Sp. Sancti effecta; sequitur errare eos, qui sanctitatem nostram & fidem esse causam Electionis, & liberi arbitrii nostrii effectum statuunt.

VI. Orandus est Deus, ut gratiam suam nobis adaugeat, v. 2.

VII. Dei beneficia, præsertim spiritualia, grato animo celebranda sunt; nec solùm, quæ nobis, sed etiam quæ aliis collata sunt.

VIII. Regeniti sumus multâ Dei misericordiâ. Ergò non meritis nostris aut viribus humanis.

IX. Cum vita æterna sit hæreditas, & quidem ex misericordiâ regenitorum; sequitur esse Dei adoptantis donum, non operum meritum, v. 3.

X. Cum hæreditas cœlestis nec perire possit nec contaminari; merito terrenis & caducis omnibus hæreditatibus præferenda, & illius amore ac spe quævis adversa perferenda, v. 4.

XI. Hæreditas hæc nobis in cœlo servatur, & vicissim nos ad illius fruitionem custodimur in terris virtutis Dei præsidio, per fidem: Ergò falluntur & fallunt, qui Sanctorum perseverantiam negant.

XII. Quoniam salus nostra ultimo die perficietur ac patefiet; oportet sortis nostræ humilitatem & mundi contemptum æquo fortique animo tolerare, & diem illum hilari animo exspectare, v. 5. & 6.

XIII. Fideles variis afflictionibus obnoxii sunt, ac propterea non est, quod nobis in his terris perpetuam tranquillitatem spondeamus aut speremus, sed contrà patientia animus adversus eas præmuniendus est.

XIV. Non temerè afflictiones, Donatistarum instar, accersendæ, aut imprudenti zelo appetendæ sunt, sed cum opus est, ex Dei voluntate constanter sustinendæ, v. 6.

XV. In afflictionibus ea primùm consolatio esse debet, quod Dei nos tentantis & explorantis voluntate immittantur: deinde quod nec magnæ sint, nec perpetuæ; denique quod utiles ad fidei explorationem & cœlestis gloriæ incrementum, v. 6. 7.

XVI. Fides & charitas gemellæ sunt & individuæ in veris fidelibus virtutes.

XVII. Eas autem maximè commendat, si Christum non visum complectantur.

XVIII. Quoniam finis fidei est salus animarum, propterea & operum meritum & purgatorium Pontificiorum

(in quo

in quo animas, purgandis reliquis venialibus peccatis, cruciandas post mortem fingunt) simul corruunt: hic enim finis fidei simul effectum est.

XIX. Fides vera non est ociosa, sed inter cætera gaudium ineffabile, ex apprehensione Servatoris Christi; & patefactionis illius producit, vers. 8.

XX. Doctrina Euangelii amplectenda est, ut quæ divino Spir. Sancti per Prophetas & Apostolos testimonio nitatur.

XXI. Cum Spiritus Sanctus, sit Spiritus Christi, cujus instinctu Prophetæ locuti sunt, sequitur utrumque & Christum & Spiritum ejus esse verum & æternum cum Patre Deum: certum enim est non alio quàm Dei instinctu esse locutos.

XXII. Doctrina de Christi statu rectè ad duo potissimùm refertur capita, ad perpessiones & gloriam consecutam, v. 11.

XXIII. In eo melior est piorum Novi, quàm Vet. Test. conditio; quod hi habuerint quidem Christi exhibendi ad salutem ἐπαγγελίαν; nos verò ἐπαγγελίας, id est, promissionis illius impletæ, & Christi exhibiti εὐαγγέλιον, hoc est, lætam annunciationem: ideoque ad majorem gratitudinem ac pietatem à nobis præstandam stimulus esse debet v. 11. & 12.

XXIV. Doctrina Prophetarum ad confirmationem Euangelii pertinet, eaque exemplo Apostolorum utendum. Quare peccant graviter, qui V. T. lectionem tanquam hoc tempore alienam respuunt.

XXV. Cum ipsimet Angeli salutis nostræ complementum adeò avidè exspectent, quid turpius quàm nos hâc in re esse negligentes, v. 12.

XXVI. Cùm tanta hoc in loco à v. 13. ad finem capitis rationum copia afferatur, cur debeant fideles & certi heredes vitæ æternæ piè vivere; sequitur doctrinam de Iustificatione & salute gratuita per fidem deque perseverantia Sanctorum, bonorum operum studio non obstare, ut falsò Papistæ objectant.

XXVII. Cùm animæ purificentur fide: sequitur omnes infideles esse impuros, quamvis essent puritatis specie insignes.

XXVIII. Cùm fides sit obedientia Euangelii; sequitur errare Pontificios, qui fiduciam salutis *temeritatem* vocant, v. 22.

XXIX. Fides est donum Christi, & Spir. Sancti regenerantis: Ergò non est opus liberi arbitrii, v. 21. & 22.

XXX. Cum Euangelium sit regenerationis nostræ semen incorruptibile; id fulcrum est fidei de perseverantia Sanctorum & stimulus ad Euangelium amplectendum & honorandum, v. 23.

Caput Secundum.

Postquam Apostolus sub finem capitis primi hortationem ad charitatem fraternam proposuit, & à regenerationis nostræ beneficio & instrumento probavit: eandem hoc capite continuat & illustrat hortatione bimembri, quam ex eodem argumento concludit. Prius enim membrum est dehortatio à vitiis charitati & regenerationi contrariis; nimirum malitia, dolo, simulatione, invidentia, obtrectatione omni: quæ metaphora & similitudine emphatica *deponere* jubet. Quam nonnulli deductam censent à corporibus mortuorum: quod ut illa ab oculis removeri & sepeliri solent; sic etiam vetus homo crucifixus cum suis vitiis, à nobis segregandus sit ac tollendus. Veruntamen si scopum & circumstantias aliorum similium locorum consideremus, videtur potius similitudo derivata esse à vestibus vetustate detritis, quæ deponi ac rejici solent: quemadmodum deponere veterem hominem & induere novum, inter se è regione opponuntur, Ephes. 4. v. 22. & 24 Aut, ut nonnulli putant, ab oneribus: ut enim ea omnia ab iis, qui in stadio certant, deponuntur, ne cursum & victoriam ullo pacto remorentur: sic etiam fideles jubentur deposito omni pondere & peccato, constanter propositum stadium decurrere, Heb. 12. 1. Sed media expositio aptissima huic loco. Hæc de primo hortationis membro, vers. 1. Alterum est hortatio ad desiderium lactis λογικοῦ & sinceri Quid verò iis verbis intelligere velit Apostolus, diversæ sunt inter doctiores interpretes sententiæ, observatu dignæ: quas idcircò candidè proponemus & expendemus. Quæritur enim, quis hujus loci sit scopus, & quid lactis λογικοῦ vocibus denotetur. Quidam enim per *lac* notari existimant, consentaneam innoxiæ & simplicis infantiæ vivendi rationem, quam Petrus duobus epithetis describat, rationalis & doli expertis; quorum illud prudentiam requirit, hoc verò simplicitatem & innocentiam: ut conveniat cum dictis Christi: *Estote prudentes, ut serpentes* &c. Matth. 10. 16 & 1. Cor. 14. 20. Quæ docta interpretatio est, & cum scopo Apostoli egregiè conveniens. Veruntamen quoniam *lactis* vox eo sensu alibi in sacris literis non occurrit, magis consentaneum est, ut ex usu Scripturæ cum aliis interpretibus exponamus de verbo Dei, cujus usus est duplex, regenerare & regeneratos nutrire & confirmare. Quapropter prioris usus ratione semē dicitur 1. Pet. 1. 23. posterioris verò respectu lac & solidus cibus appellatur; pro diversâ distributionis & usus illius apud infirmos & firmos ratione 1 Cor. 3. 2. Heb. 5. 12. & 13. Sic etiam hoc in loco; adeò ut scopus Apostoli sit hortari fideles ad desiderium & studium verbi divini: nimirum quod ad charitatem & sanctitatem non minus, quàm ad fidem, ordinarium Sp. Sancti instrumentum sit: ac propterea quàm optimè hoc secundum hortationis membrum cum priori & antecedenti cohæret. Ac similis etiam tractationis ordo exstat Jac. 1. 18. & 21. qui locus ad hanc sententiam illustrandam plurimùm pertinet. Cæterùm quamobrem illud lac λογικὸν nominetur, variæ adferuntur rationes. Vt enim λόγος orationem propriè & inde metaph. rationem (quæ mentis quædam oratio est) denotat: sic quidam per appositionem Grammaticam *lac sermonis* exponunt simili loquendi genere, quo postea dicitur, *regale sacerdotium*, vers. 9. Quæ declaratio magnam habet veri similitudinem: sed Syri interpretis autoritate non rectè, ut arbitror, confirmatur: illius verò verba sunt: *appetite illud verbum tanquam lac purum, & spirituale:* sed quis non videt, hunc interpretem illustrationis causa, ut fieri solet, inseruisse duas illas voces, nempe *illud verbum*, ut locum obscurum illustraret, & λογικὸν, vertisse *spirituale*? Altera igitur interpretatio est, quod λογικὸν, *rationale* ac *spirituale* hoc in loco denotet, ut Metaphora hoc epitheto indicetur. Quemadmodum λατρεία λογικὴ *cultus rationalis*, id est, spiritualis, corporali & externo, quale Leviticum fuit, opponitur, Rom. 12. 1. & hæc loquendi ratio Petro non est infrequens: sic enim verbum Dei antea vocavit semen non corruptibile, sed incorruptibile, cap. 1. sicut hoc cap. 2. 4. lapidem vivum, & v. 5. donum spirituale & hostias spirituales. Atq; ita unum epithetum essentiam lactis; alterùm verò ἄδολον *doli expers seu sincerum.* qualitatem indicat: ut distinguatur verbum Dei purum, ab eo quod per falsos Doctores adulteratur; quod ut lac admixtione aquæ; sic illud figmentis humanis corrumpitur, 2. Cor. 2. 17. & 4. 2. Cæterùm hæc adhortatio confirmatur tribus gravissimis argumentis. Quorum primum est à Judæorum dispersorum, ad quos scribit, conditione, quod recens essent regenerati & ad Christum conversi, id quod hisce verbis indicatur: *ut recens nati infantes*, ut sit allegoria concinna: nam quamvis dictio ὡς, id est, *ut* denotare possit similitudinem, quemadmodum quidam interpretantur, ut infantes expetunt lac; ita & vos debetis expetere: tamen aliorum explicatio magis concinna est, qui vocem ὡς intelligunt ἀληθῶς, quod rei veritatem & rationem designet, non autem similitudinem: quemadmodum Eph. 5. 8 *ut filii lucis ambulate:* & Eph. 5. 1. *Estote imitatores Dei ut Filii dilecti:* Petrus enim capite antecedente docuit, eos esse regenitos, itaque convenientissimè eandem Metaph. continuat. Quare sensus primi argumenti est, vos Judæi recens estis regeniti. Ergò opus habetis lacte vobis convenienti, ut sequentia etiam probant. Alterum enim argumentum deductum est à fine utili, nempe novi hominis incremento, in fide scilicet & charitate; quod continetur illis verbis, *ut per illud adolescatis*, vers. 2. Tertium est ab ante-

antecedente experientia benignitatis Domini, hoc est, Christi: quam, imitatus similem sententiam Psalmi 36. 9. eos dicit gustasse, eleganti continuatione Metaphoræ. Quemadmodum enim infantes lactis corporei suavitate, oris externi gustu semel percepta, illud postea avidius appetunt: similiter regenerati per Christum, ubi Christi suavitatem, seu gratiam salutarem, in verbo patefactam & exhibitam, semel fidei ore degustârint, majori deinde Christi & verbi illius desiderio flagrare debent. Cæterùm observandum est gustum Christi & verbi illius, alium esse cum esu & fructu conjunctum: alium iis esse destitutum: sive quod eodem redit, gustum alium esse, qui in nudâ agnitione & approbatione veritatis positus: alium esse qui in vivâ fide consistit: quorum modorum prior sine secundo existere potest, ut in fide mortuâ præditis: secundus verò priorem semper includit: ac de priori agit Apostolus Heb. 6. v. 4. *qui semel*, inquit, *fuerint illuminati, & gustaverint donum cæleste* & vers. 4. *gustaverunt bonum Dei verbum*: de posteriori verò agit hoc in loco; Christus enim verè χρηστὸς est: & verbum illius ipsum annuncians, & fide percipiendum offerens fidelibus, non lacte solùm, sed etiam melle suavius est: ut de verbo Dei loquitur Propheta Psal. 19. vers. 11. & 119. 103. quia ut verè est εὐαγγέλιον, lætissimum illud gratiæ & salutis per Christum nuncium: sic requiem adfert & pacem lassis, & turbatis conscientiis Matth. 11. v. 29. 30. Hæc de vers. 3. quem tanquam sequentis argumenti antecedens, cum proximo versu nonnulli copulant hoc modo: *Experti estis Christum benignum; itaque ad eum accedite* Sed illud non videtur constructioni satis convenire. Quare satius est, ut ad antecedens probandum, quemadmodum jam declaravimus, referatur. Porrò quæ sequuntur, propter vocis ἐποικοδομεῖσθε ambiguitatem accipi possunt bifariam, vel in Indicativo vel Imperativo. Indicativo quidem, ut sit magnifica expositio beneficiorum seu benignitatis illius Christi, de qua jam actum est: atque hoc modo egregiè convenit cum simili loco Eph. 2. v. 20. 21. 22. Beneficia autem erunt, quod Christus nobis sit datus tanquam fundamentum Ecclesiæ: deinde quod consecrati simus in templum Dei & simul in sacerdotes, ut Deum colamus & servemur: quomodo hortatio continebitur non directa, ratione consequentis, sed indirecta, ratione consequentiæ: quod illa commemoratio beneficiorum, & finis eorum sint argumenta & stimulus ad officium. Verùm in Imperativo si legamus, erit non narratio, quod beneficia ea Christi recenseantur; sed hortatio ad officium: quod officium ex beneficiis illis directè concluditur. Quam expositionem quia ad scopum efficacius spectat, vulgò præferunt non immeritò. Hortatio autem bimembris est: primum membrum est, ut ad Christum accedant: alterum, ut tanquam vivi lapides ei superstruantur verâ fide. Quod intelligendum ratione continuationis & incrementi, non autem ratione principii, ut ex vers. 2. apparet: alioquin non fuissent regenerati & Christiani, nisi ad Christum jam accessissent. Hæc autem ædificatio illustratur à fine, partim proximo; ut sint domus spiritualis & sacerdotium sanctum, hoc est, sacerdotes Metonymicè, partim à fine remoto, oblatione hostiarum spiritualium, quæ sitæ sunt in oblatione nostri; primum generali, Rom. cap. 12. v. 1. deinde speciali, fructibus illius; seu in actionum nostrarum sanctificatione, quâ indies mactatur vetus homo, & novus suscitatur in sacrificium non ἱλαστικὸν, quod soli Christo convenit, sed εὐχαριστικὸν gratiarum actionis. Qualia sacrificia sunt officia nostra, cùm pietatis in Deum, ut confessio & laus gloriæ Dei; deinde invocatio, nempe precatio & gratiarum actio, Psal. 50. 13. Heb. 13. v. 15. tum charitatis in proximum, nempe innocentia & beneficentia, præsertim erga afflictos, Heb. 13. v. 16. Hasce autem hostias ab adjuncto illustrat Apostolus, quando ait *acceptas Deo*, ut Ps. 50. 23. & 51. 21. Heb. 13. 16 ut eo modo ad promptam illarum oblationem exstimulet. Quia verò homines nonnulli ejus rei diffidentia segniores sunt: nonnulli verò ex arroganti dignitatis suæ confidentia laborantes, oblationes suas contaminant, utrique malo occurrit, cum addit: *per Christum*, ut ostendat, nostra opera quamvis imperfecta per se, Deo tamen grata esse per Christum, seu Christi mediatoris merito: cujus justitiæ imputatione operum nostrorum maculæ delentur. Similis locus est, Hebr. 13. v. 21. Ac propterea Hebr. 13. v. 15. monentur fideles, ut per Christum, hoc est, fide mediatoris Christi offerant hostiam laudis: nimirum quòd per Christum & non nisi per Christum placeant. Quod autem quidam arbitrantur, hæc verba *per Christum* posse eodem etiam modo construi, cum voce *offerendum*: illud haberet locum, si verba illa abessent, *acceptas Deo*, cum quibus sensu convenientissimo cohærent; ideoque alia quærenda non est constructio. Atque hæc hortatio de accessu ad Christum, & superstructione. Quia verò scandalum hominum Christum rejicientium aliquo pacto obstare posset: propterea Christi periphrasin addit, quâ officium illius indicat, & præstantiam, antithesi quadam recti & honorifici judicii divini & perversi præjudicii humani appositâ: quod scilicet Christus lapis vivus, nempe fundamenti, ab hominibus quidem reprobatus, sed apud Deum electus sit, & preciosus; ideoque ei secundum Dei voluntatem superstruendum. Hæc de vers. 4. & 5. Sequitur utriusque cum antecedentis rationis, tum consequentis conclusionis probatio, authoritate S. Scripturæ. Ac primùm Esa. 28. v. 10. quo declaratur præstantia & officium Christi; deinde officium nostrum & fructus illius. Præstantia Christi; quod sit lapis, positus à Patre in Sione in extremo angulo, electus, preciosus. Primum enim lapis dicitur Metaphoricè, ob similitudinem roboris & usus: quod ut lapis præsertim fundamenti firmus est & ædificio sustinendo aptus: ita Christus lapis est invictus & petra Ecclesiæ. Deinde quod electus & preciosus: quia Patri dilectus filius & noster Immanuel, quo nihil dignius. Officium verò declaratur, cum dicitur *à Patre positus in Sione* & ἀκρογωνιαῖος appellatur. *Sionis* autem, montis Hierosolymitani, voce, quidam synecdochicè urbem Hierusalem intelligunt, in qua per Apostolos primum Euangelium, post Christi adscensionem, accepto Sp. Sancto, promulgatum est, & lapis ille positus, ubi inchoari oportuit spirituale Dei templum: quemadmodum & Esaias ait cap. 2. v. 3. *E Sione prodit doctrina & verbum Domini Hierosolymis*. Alii verò concinnè ac generalius metonymicè Ecclesiam intelligunt: nam ut Sion mons, in quo regia Davidis, erat typus Ecclesiæ Christi; hinc Sion pro Ecclesia accipitur. Deinde perspicuum est, propterea Christum lapidem extremi anguli appellatum, quod ut lapis angularis utrumque parietem continet ac copulat: ita Christus Iudæos & gentes, omnesque fideles sibi fide unitos in unam Ecclesiam compingat, Eph. 2. v. 14. 15. 18. 20 21. Verum cum angelus extremus alius sit summus, alius imus: hinc lapidem extremum angularem quidam viri docti de summo exponunt: quod ut parietes quodammodo è fundamento enascuntur & assurgunt & ad summum angulum & extremam pinnam tendunt: ita nobis ab initio Christus instar fundamenti adjungitur, & pro anguli supremo lapide in vertice fabricæ nostræ constituitur: idcirco velut ab illo per regenerationem orimur, ita quotidianis accessionibus in illum assurgimus. Alii verò longè aptius extremum angularem, de imo interpretantur: quod videlicet ut imus angularis lapis, firmitate & magnitudine excellit, eique tota ædificii moles incumbit; ita Christus Ecclesiam sua potentia sustinet ac conservat. Sic autem lapis angularis dicitur, non quasi pars tantùm sit fundamenti; sed ut potius ostendatur esse unicum & perfectum fundamentum: nam in hoc eodem Esaiæ loco appellatur non solùm lapis angularis, sed etiam fundamenti: ideoque non partem aliquam domus Dei seu Ecclesiæ, sed universam sustinet. Denique alii mediâ viâ utramque sententiam moderantur ac copulant: ajuntque Apostolum voluisse nobis talem lapidem ob oculos proponere, tam magnum & ita fabricatum, ut totius domus ex omni parte sit fundamentum, & ab omni etiam extremâ parte rectâ adscendat ad summitatem usque domus ut angularis lapis, quo diversi parietes simul copulentur eoque tota domus simul contineatur ac conservetur. Sed tamen secunda illa, quæ nostri interpretis & multorum est sententia

tentia maximè genuina: ultima verò nimis arguta & præter ædificandi modum, unde similitudo deducta: nam si quis diligenter examinet ordinem verborum Esaiæ & hujus capitis, vers. 4. & 5. & conferat locum similem Eph. 2. v. 20. videbit non nisi imum & fundamenti lapidem, cui superstruatur ædificium Ecclesiæ, debere intelligi. Atque hæc de Christi dignitate & officio. Nostrum verò officium inde profluens est, *ut credamus*: quo verbo propriè indicatur id, quod antea vers. 5. metaphoricè dictum, *ædificemini*. Fructus verò officii est stabilitas & salus: quæ metonymicè per remotionem contrarii effectus, pudoris (qui spe falsos comitari solet) ut Rom. 5. 5. declaratur. Cætera quæ ad collationem hujus loci Petri, cum verbis & scopo Esaiæ pertinent; quemadmodum quæ ex Prophetis reliquo hoc capite adferuntur, ea doctè in parellelis sacris à Clarissimo Dn. Junio explicata sunt. Hæc de vers. 6. Porrò hanc sententiam applicat Apostolus fidelibus Iudæis, ad quos scribit, præpositâ geminâ antithesi, eaque gravissima, conditionis beatissimæ eorum & contrà infidelium Iudæorum miserrimæ. Qua ratione scandalum (cujus v. 4. per anticipationem meminerat) clarius exponit & adversus illud fideles amplius munit. Oppositionis autem primum membrum est, quod Christus sit fidelibus *honor*. Quæ vox vel per Metonym. adjuncti pro subjecto, seu abstracti pro concreto, honoratum notat: ut ad Christum referatur, & τιμὴ nihil aliud sit quàm ἔντιμος: ut sit sensus, quod ut per se & apud Patrem preciosus est; ita & ipsum in precio habeant atque honore: vel per Metonym. effecti pro causa, *honor* pro causa honoris, aut pro salute, in qua maximus honor positus, quod eodem redit: ut opponatur pudori, de quo antea actum est, cum dicitur, *non pudefiet*. Vtraq; interpretatio probabilis est; sed posterior magis videtur ad rem; quoniam argumentatio hac viâ concinnior est: nam propositio antecessit. Qui credit in Christum, non pudefiet, i. e. non falletur fides illius, sed à Christo honorabitur ac servabitur. Atqui vos creditis. Vos igitur honorabimini, non pudefietis, ut illis fit, qui falluntur. Assumptio & conclusio hoc versu exstant. Atq; huic primo primæ oppositionis membro, alterum opponitur, conflata priori sententiæ parte ex Psalmis; posteriori verò ex Esaia, ad piorum atque infirmorum consolationem & confirmationem: nam cum sacerdotum & doctorum Iudaicorum, quos plerique Iudæi sequebantur, magna esset autoritas, eorum contumacia in Christo rejiciendô & oppugnando fidem infirmorum potuisset debilitare; sed huic malo occurrit Petrus, demonstrando illud fuisse à Prophetis prædictum: ac propterea non esse, cur eâ re, cum prædicta sit, offendantur fideles, ut Ioh. 16. v. 1. sed potius ut ad fidem in Christum confirmandam inserviat: quoniam omnia, quæ de Messia prædicta sunt, in Iesu Christo complentur. Docet enim quod immorigeris, scilicet Euangelio ut 1 Thessal. 1. v. 1. seu infidelibus, Christus (quem ordinarii ministri, ad Ecclesiam super eum ædificandam constituti, contempserunt ac reprobarunt) factus sit iis dedecori, ut Matth. 21. 42. Primò quia conatus eorum contra Christum factus est irritus: Christus enim iis invitis, factus est caput anguli Psal. 118. v. 22. hoc est, lapis ἀκρογωνιαῖος. Secundò quod in Christum impegerint & offenderint suo vitio: nam Christus propriè & per se omnibus facientibus officium, hoc est, fidelibus, factus est lapis fundamenti salutaris: per accidens verò improbitatis humanæ ei adversantis lapis offendiculi, hoc est, non efficiens, sed objectum illius Esa. 8. vers. 14. Cujus offensionis duo sunt gradus; nempe lapsus in peccatum & lapsus in exitium: utrumque enim intelligi ex Esaia apparet. Hæc de vers. 7. Altera oppositio consistit in electione & vocatione: cujus oppositionis primum membrum est, quod infideles Iudæi illi *ad hoc positi sint*, hoc est, decreto Dei ordinati, ut 1. Thess. 5. v. 9. *non posuit nos Deus ad iram*. Ordinati autem dicuntur, quod Deus justo & libero judicio eos fide non donare, sed in incredulitate relinquere, ob eamque justè punire decrevit: de quâ re doctè & prolixè disserit in suis annotationibus majoribus Clariss. Beza, ideoque consuli potest. Alterum membrum est, quod fideles Iudæi essent *genus electum*, *regale sacerdotium, gens sancta, populus à Deo acquisitus*. Quæ elogia Ex. 19. v. 6. populo Israëlitico tributa, hic solis fidelibus applicantur: ut ostendatur, eos demum esse veros non solùm ratione vocationis externæ, sed etiam internæ Israëlitas & acceptos Deo, non autem reliquos infideles, qui hisce titulis, qui iis secundum quid tantùm conveniebant, gloriabantur vanè, ut Rom. 1. vers. 29. Vt verò ad propositam hortationem redeat Apostolus, finem hujus electionis & vocationis addit, nempe celebrationem virtutum Dei, hoc est, sapientiæ & bonitatis ac potentiæ divinæ, easque oppositione status pristini miserrimi, & præsentis per Dei gratiam felicissimi declarat, quod scilicet ante fuissent in tenebris ignorantiæ & vitiorum; jam verò vocati essent ad lucem, hoc est, cognitionem & sanctitatem, quæ luci comparantur, ut Act. 26. vers. 28. Eph. 5 v. 8. & 11. qua de re 1. Ioh. 1. vers. 5. & 7. Deinde quod anteà fuissent non populus Dei, nec misericordiam consequuti: nunc contrà popolus DEI sint & misericordiam consequuti, id est, justificationem & pacem cum Deo. Quam rem verbis Prophetæ Oseæ proponit, ad consolationem eorum vers. 10. Hisce explicatis, Apostolus hortationem ad sanctitatem, de qua cap. 1. vers. 14. 15. egerat, repetit, eique compellatione amica, cum *dilectos* vocat, & precatione, pondus addit. Hortatur autem primùm ad fugam cupiditatum carnalium, de quibus Tit. 2. 12. & 1. Ioh. 2. 16. Hanc autem hortationem confirmat, partim à conditione Iudæorum, quod essent advenæ ac peregrini, nempe inter gentes, cùm ratione corporis inprimis, tùm etiam ratione animæ: partim à cupiditatum effectu pernicioso, quod militent (Rom. 7. 23.) adversus animam, vers. 11. Secundò hortatur ad studium honestæ, & sanctæ vitæ inter gentes; quod probat ab effectu utili & quidem triplici, honore ipsorum fidelium, conversione infidelium, & Dei gloria, v. 12. Atq; hactenus hortationes universales, quæ universale Christianorum officium declarant, & ad omnes promiscuè pertinent: sequuntur particulares, quę ad honestam particularem conversationem, & quintum decalogi præceptum referuntur: suntque politicæ aut œconomicæ: illæ honestatem vitæ civilis, & conservationem ordinis politici præscribunt; qualis est hortatio officii subditorum erga magistratum. Officii autem duas proponit partes, obedientiam & honorem. Obedientiam præscribit his verbis: *Subjecti estote cuivis humanæ creaturæ*, id est, homini, ut Marc. 16. 15. & quidem in magistratu constituto: quam synecdochen sequentia declarant. Ratio autem & modus obedientię additur, nempe voluntatis Domini conscientia; ut Rom. 13. v. 5. Porrò magistratum distinguit Apostolus (pro ratione illorum temporum & fidelium quibus scribit) in Regem, hoc est, Cæsarem Romanum & Præsides: illi parendum docet, quod summam haberet potestatem, vers. 13. hisce verò partim à causa efficiente, quod à Rege mitterentur: partim à fine duplici, ultione maleficorum, & laude seu conservatione ac præmio rectè agentium, vers. 14. Porrò primam generalem rationem, à divina voluntate petitam, repetit & novi argumenti additione amplificat à fine utili, nempe confutatione maledicentium Christianis, v. 15. Atque hanc hortationem anticipatione objectionis confirmat. Objici enim poterat, liberi sumus. Ergo non debemus obedire magistratui. Sed Petrus concesso antecedente, negat consequentiam, v. 16. liberi, inquit, estis nempe à peccato, sed non à justitia (ad quam obedientia erga magistratum pertinet) quia servi estis Dei Rom. 6. v. 16. 17. & 18. Gal. 5. v. 13. Cujus servitutis ingenuæ officia quædam addit: ut singulis sua tribuant, omnes honorent, fraternitatem diligant, Deum timeant & Regem honorent; eaque ratione alterum officium erga magistratum exprimit & priori commodè connectit, v. 17. similes loci sunt, Rom. 13. vers. 7. & 8. Matth. 22. v. 21. Atque inde transit Apostolus ab hortationibus politicis ad œconomicas; quæ videl. agunt de conservatione ordinis domestici in officio servorum erga dominos, & conjugum inter se. De priori agit hoc reliquo capite. Et in famulis requirit hæc duo, nempe obedientiam, & stimulum illius timorem: non quidem servilem ac vitiosum, qui ex sola

sola aut potissima pœnæ consideratione, oritur: sed liberalem atque ingenuum, qui *filialis* vulgò minus Latinè dicitur: quo primùm ex serio amore Dei & dominorum suorum culpam seu peccatum & inobedientiam primum & potissimum aversantur,& secundariò ex justo amore sui boni, pœnam fugiunt: de quo liberali timore ac justo agitur, Eph. 6 v. 5. 6. 7. Deinde per anticipationem, distributione quadam dominorum in æquos & iniquos, non solum illis obedientiam esse præstandam,sed hisce quoque qui iniquè famulos onerant & affligunt, ad aras parendum docet, v. 18. Quam hortationem consolatione ab adjuncto deducta, confirmat: quia tolerantia injuriarum, nimirum ex conscientia voluntatis divinæ orta, Deo grata est, v. 19. Cur autem injuriarum meminerit, declarat Apostolus, quod videlicet perpessio afflictionis meritæ non sit laude digna; sed immeritæ tolerantia, v. 20. Idque comprobat à causa efficiente, quod ad illud vocati essent. Cum autem vocationis ad officium duo sint modi, doctrina verbi Dei, & exemplum vitæ sanctę: ab altero vocationem hanc confirmat Apostolus, videlicet à majori exemplo Christi Domini nostri, & fine mortis illius gemino. Quorum priorem indicat, quando ait: *passus est pro nobis*, hoc est, pro salute nostra. Nam quod quidam etiam nostrum, hunc locum, de utilitate exempli tantum exponunt, illud usui S. Scripturę in hac phrasi & sequenti expositioni, v. 14. non satis convenit: hic enim primarius passionis Christi finis est, nempe justificatio nostra: alter verò & secundarius est duplex: propinquus quidem ut sit exemplar veræ patientiæ, Matt. 16. 24. remotus verò ut vera patientiâ Christum imitemur, v. 21. Utrumq; autem tam primarium, quàm secundarium fusius declarat Apostolus sequentibus; & secundarium quidē propinquum, partim à Christi innocentia, adducto testimonio Esaię, v. 22. partim à tolerantia, in contumeliosis cùm dictis, tum factis patienter perferendis & abstinendo à vindicta bifariam: primùm ab externa corporis: quod nec maledicta maledictis regesserit, nec malefacientibus minatus sit, ut læsi solent: deinde ab interna animi: quod à vindictę cupiditate alienus, Deo totum negocium suum commiserit. Id quod à causa impulsiva, per periphrasin Dei convenientissimè declaratur, quando appellatur justus judex κατ' ἐξοχὴν: ea enim causa est gravissima, quare à vindicta abstinendum sit: quod videlicet Deus sit summus ac justus judex, cui vindicta convenit & qui suo tempore vindicat, Rom. 12. v. 19. Quæ ratio additur ab Apostolo primùm ad exemplum & consolationem servorum, ut Ephes. 6. v. 8. 9. Coloss. 3. v. 24. & 4. v. 1. deinde ad terrorem dominorum, Eph. 6. v. 9. Coloss. 4. ut eâ ratione utrosque in officio, servos quidem in Christianâ patientiâ: dominos verò in æquitate contineat, v. 23. Cæterum ad amplificationem patientię Christi & declarationem finis primarii, ostenditur, quidnam Christus pertulerit, nimirum *peccata nostra*, hoc est, pœnam peccatis nostris debitam, metonymicè, & quidem in ligno crucis, morte maledicta Galat. 3. v. 13. quod additur, ne quis de gravitate injuriarum, non ferendâ, ut fieri solet, conqueratur. Finis autem hujus perpessionis Christi geminus additur, nempe justificatio seu liberatio à peccato, hoc est, à reatu & pœna peccati: & vitæ sanctitas, de qua pluribus agitur, Rom. 6. Nam quamvis utrumque membrum ad sanctificationem referri posset, ut interpretes multi exponunt, ac probabilis sententia est: tamen hoc in loco aptius videtur, ut *peccati* vocem utrobique eodem sensu accipiamus, præsertim cum nihil obstet, & hæc interpretatio sit uberior quàm altera; ut liberatio à peccato justificationem, non sanctificationem designet. Idque probare etiam videtur sequens applicatio, quâ doctrinam hanc generalem nominatim Judæis fidelibus, ad quos scribit applicatione verborum Esaiæ cap. 53. accommodat Apostolus, quando ait: *Cujus vibicibus sanati estis*. nam quemadmodum peccata nostra, quę Christus pertulit, à specie certâ declarat, ad consolationem servorum, qui flagellis & vibicibus erant obnoxii: ita finem & effectum indicat perpessionis Christi, cum ait, *sanati estis*, hoc est, remissis peccatis Deo reconciliati, v. 24. Idque probat ab instrumento sanationis, conversione seu fide: quam indicat ex Esai. 53. oppositione eleganti conditionis prioris & præsentis: *Nam eratis*, inquit, *velut oves errantes*, hoc est, à justitia & vita Dei alieni ac perditi: nunc verò conversi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum, hoc est, ad Christum Servatorem, Pastorem illum bonum, Johan. 10. ideoque sanati. Quam periphrasin Christi addit, continuata eleganter metaphora, ad consolationem servorum, ut sciant, se quoque Christo esse curæ, vers. 25.

CONSECTARIA CAP. II.

I. Ut in sanctitate vitæ proficiamus, & sanctæ vitæ fructus proferamus, à peccati (quasi spinarum noxiarum) exstirpatione inchoandum est.

II. Cùm renatis malitia deponenda sit, ex communi Apostolorum ad omnes doctrina; sequitur peccati reliquias adhuc in iis superesse, Rom. 7. quod enim non adest, non deponitur. Unde etiam evincitur Regenerationem nostram esse imperfectam, eoque & opera, quæ ex ea promanant. Quare ex rigore legis, quę summam perfectionem personæ & operis requirit, Matth. 22. v. 37. non vitam promerentur, sed mortem, Deut. 27. v. 26.

III. Si omnis malitia deponenda est; stultè ac perversè quidam occultorum vitiorum licentiam sibi arripiunt, vers. 1.

IV. Cum verbum Dei lacti comparetur, inde apparet illius præstantia, utilitas, necessitas: ut enim in lacte præter præstantiam coloris, quia album est, habemus suavitatem saporis, quia dulce, & utilitatem usus, quia salubre, & infantibus à Deo ordinatum ac datum ad vitam corporis nutriendam: ita verbum Dei præterquam quod lucidum est, Psal. 19. animo etiam suave est, & lacte, imò melle dulcius fidelium palato, Psal. 119. & salutare ac necessarium animę regeneratorum, ad spiritualem vitam, nutrimentum.

V. Ut illæ nutrices injuriæ ac noxiæ sunt infantibus, ideoque fugiendæ, quę lac purum, corruptum infantibus prębent: ita & illi pastores, qui verbum Dei humanorum commentorum & errorum mixtura adulterant, in Deum & Ecclesiæ salutem peccant, 2. Cor. 2. v. 17. meritoque vitandi sunt.

VI. Cum lac sincerum verbi divini, à fidelibus appetendum sit: consequens est, ut pastores, quasi fideles nutrices non aliud exhibeant, ut 2. Cor. 2. v. 17.

VII. Cum verbum Dei lactis instar sit appetendum, ut eo adolescamus: non sufficit semel atque iterum illud percepisse, sed repetitione crebra opus est, ut paulatim adolescamus: præsertim cum non solum lacti, sed etiam solido cibo, pro diversa ratione, non immeritò divinitus comparetur alibi. Ideoque impiè faciunt & falluntur graviter, qui profectus sui opinione inflati, Dei verbum contemnunt, vers. 2.

VIII. Cum benignitas Domini gustata ad pietatis studium renatos exstimulet: sequitur eos nondum vera fide eam gustasse, qui illa ad impietatem abutuntur, aut eò pertinere arbitrantur, vers. 3.

IX. Cùm Ecclesia sit domus Dei spiritualis, cujus singuli fideles sunt vivi lapides, sequitur primò, eos debere unitatem fidei & charitatis conservare, ad Ecclesiæ ædificationem & Dei cultum: deinde grave esse scelus, si quis falsâ doctrinâ aut vitâ impurâ, Ecclesiæ unitatem & ædificationem violet.

X. Si omnes fideles sunt Sacerdotes N. Testam. ad spirituales gratitudinis hostias Deo offerendas: Ergò malè Pontificii conteptâ plebe, hoc nomen suis sacrificulis tantùm arrogant. Nam quod ajunt, eos offerre hostiam, non solùm gratitudinis, sed etiam propitiationis in Missa suâ, illud injustitiæ crimen non tollit, sed duplicat: cum non solùm plebi honorem suum derogant, sed etiam propriam Christi unici Pontificis Nov. Testam. gloriam ad se rapiunt.

XI. Deinde sequitur etiam, quemadmodum ea sacrificia Deo displicebant, primùm quæ extra templum jam erectum

erectum fiebant: deinde quę non in altari sacro Deo offerebantur: Ita opera quæ ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, seu infidelibus atque hypocritis, sine Christi altaris nostri ac mediatoris fiducia fiunt ac Deo offeruntur, ipsi placere non possunt.

XII. Cum hostię nostrę sint gratæ Deo per Christum; Ergo noster est mediator: qui ut fidelium personas, sic eorum opera imperfecta, justitia sua coram Deo justificat, & accepta reddit. Ideoque injurii sunt in Christum Pontificii, qui suis operibus meritum justitiæ ac vitæ adscribunt, vers. 5.

XIII. Cùm doctrinam de Christo ex Scriptura probet Apostolus; sequitur, eam esse certam doctrinæ Christianæ regulam. Deinde cum ex Scriptura Veteris Test. inde liquet, eam quoque in N. Test. utilem esse, & ad Euangelii & fidei nostræ confirmationem pertinere, ut Prophetiæ de Christo cum eventu comparentur: ac propterea errare eos, qui usum illius in N. T. nullum agnoscunt.

XIV. Christus est fundamentum, quod Ecclesiam totam, ideoque ab initio mundi sustinet ac servat: deinde in eum credendum est. Ergò non solum Servator est noster: sed etiam verus, omnipotens & æternus Deus, & eo nomine honorandus.

XV. Atque hinc etiam sequitur, nec Petrum, nec multo minus Pontifices Romanos, posse esse Ecclesiæ fundamentum, quia Ecclesiam nec totam, nec partem illius, sua vi sustinent. Deinde quia propriè super eos non est ædificandum, hoc est, in eos credendum. Denique quia non fuerunt inde ab initio. Si excipiant, ut solent; Petrum esse fundamentum Ecclesiæ ministeriale, hoc est, impropriè ratione doctrinæ Euangelii, quam ex instinctu & directione Sp. Sancti proposuit: illud non soli Petro, sed reliquis etiam Apostolis æqualiter convenit, Apoc. 21. v. 14.

XVI. Cum Christus sit unicum fundamentum Ecclesiæ; confundentur illi, quotquot aliud quærunt, v. 6.

XVII. Non est mirum, si nostris temporibus Christus à Pontificiis rejiciatur, qui primum sibi locum in Ecclesia Christiana arrogant: cum idem Apostolorum temporibus evenerit, deque ea re per Prophetas simus præmoniti.

XVIII. Cum Christus invitis adversariis, permansurus sit fundamentum Ecclesiæ: Ergò portæ inferorum adversus eam non prævalebunt: Ideoque de Ecclesiæ stabilitate non est dubitandum.

XIX. Ministrorum Ecclesiæ officium est, ut super Christum auditores suos ædificent: etsi multi hoc titulo superbi, falsa doctrina & persecutione Ecclesiam vastare & à Christo avellere contendant, v. 7.

XX. Providentia divina adversus scandala munire nos debet, v. 8.

XXI. Quamvis Pontificii, præclaris Ecclesiæ titulis superbientes, eos fidelibus detrahunt, ut olim Pharisæi; Dei tamen contrario judicio munire nos debemus.

XXII. Cum virtutes Dei annunciandæ sint ex gratitudinis officio: sequitur eos peccare turpiter, qui Christi verbum, confessionem & Sacramenta contemnunt, v. 9.

XXIII. Carnis cupiditates militant adversus animam nostram: Ergo fideles non sunt perfecti in hac vita, v. 11.

XXIV. Non solum bonę conscientię studendum est: sed etiam honestę famę, & ædificationi proximi.

XXV. Finis omnium actionum nostrarum ultimus esse debet Dei gloria, v. 12.

XXVI. Cum magistratus officium & consentanea media ad illud exsequendum habeant autorem Deum & finem bonum, benè à Christianis administrari potest: ideoque errant Anabaptistæ, qui secus sentiunt, v. 13. & 14.

XXVI. Libertas Christiana ordinem Politicum & cultum Dei non tollit, sed confirmat, v. 16.

XXVIII. Non pœna, sed causa facit Martyrem, vers. 20.

XXIX. Non ad voluptates, sed ad crucem vocati sumus, v. 21.

XXX. Dei judicium & justitia nos adversus injurias consolari debet, v. 23.

XXXI. Christus non solùm Redemptor noster, sed etiam conservator, Pastor & Episcopus animarum nostrarum est: ac propterea ei omninò fidendum, vers. 25.

CAPUT TERTIUM.

Diximus superiori capite post hortationes universales, quæ universos attingunt, particulares, quæ partem hominum ac certos ordines spectant, à Petro proponi. Ac primùm politicas, de officio subditorum erga magistratum; secundò œconomicas de officio partim servorum erga dominos, cap. 2. partim conjugum inter se, cap. 3. ad vers. 8. Ut autem conjuges sunt uxor & maritus: ita distinctè primùm uxores ad officium hortatur, versibus prioribus septem. Quod transitione commodâ, superiori hortationi, cap. 2. v. 18 propositæ, & seqq. ad finem capitis probatæ, tanquam simile ratione officii & conservationis ordinis ac charitatis connectit, ac describit hisce virtutibus, simili obedientia, timore, castitate, fuga luxus, lenitate ac quiete. Ad eas autem hortatur partim directè, partim obliquè, additis opportunè probationibus.

Ac primùm hortatio ad obedientiam proponitur, vers. 1. hisce verbis: *uxores suis viris ὑποτασσόμεναι* scilicet *sint*, ut similis ellipsis anteceßit, cap. 2. v. 18. Quâ in re emphasis gemina est. Prior in obedientiæ forma communi, ordinis videlicet à Deo constituti conservatione. Etsi enim vox ὑποτάσσεσθαι alibi generatim quamvis subjectionem, hic tamen secundum vocis originem, ordinatam notat; ut ex rei natura & simili loco, Rom. 13. v. 1. apparet: quod ad obedientiæ confirmationem pertinet. Altera est in subjecti, nempe virorum determinatione, cum additur *propriis* aut *suis*, ut alienis opponantur: quod ad obedientiæ circumscriptionem, & simul ad difficultatis mitigationem & consolationem spectat, ut etiam Eph. 5. v. 21. 22. 23. & Tit. 2. v. 5. Cùm autem viri alii fideles, alii infideles sint, & illis parére non adeò sit grave; hisce verò ob importunitatem & religionis diversitatem, gravissimum: idcircò omissâ probatione generali, specialem, ad hujus obedientiæ gravitatem minuendam, & uxorum, quæ infideles nactæ sunt maritos, consolationem adducit Apostolus à fine utili. Finis enim est illorum conversio; *Ut*, inquit, *si qui non obediunt sermoni*, supple Euangelii, hoc est, infideles (nam *sermo* pro sermone Dei per synecdochen generis, & quidem κατ' ἐξοχὴν pro Euangelio sumitur, cujus obedientia est fides) *lucrifaciant*, id est, à perditione & tyrannide Satanæ liberati, Christi Regno & Ecclesię incremento adjungantur, tanquam ministerii humani lucrum, ut Matth. 18. v. 15. & 25. v. 17. 1. Cor. 9. v. 20. Atque hæc conversio non solùm finis est, sed etiam effectum contingens obedientiæ, tanquam cum reliquis virtutibus causæ efficientis συνεργοῦ. Idque indicatur his verbis, *per uxorum conversationem*, scilicet talem ac bonam; quod amplificatur remotione causæ ordinarię, cùm eam inesse vim ostendit, ut quos verbum non movet, sola vita permoveat: nempe ratione præparationis & initii, quod videlicet ad Euangelii (à quo initio, sæpius licet moniti, abhorrebant) reverentiam & audientiam præparentur, conspecto illius Euangelii fructu in uxorum moribus, unde postea ex verbo, vi Spir. Sancti, fidem concipiunt: quo modo hic locus cum cap. 10. ad Rom. v. 17. conciliandus est. Porrò hæc proposita conversatio, & effectum illius, mariti conversio, clarius exponuntur. Illa quidem partitione seu recensione virtutum quarundam, quæ sub ea continentur, nempe castitatis & timoris liberalis seu reverentiæ, quæ obedientiæ & castitatis custos & judex. Hæc verò exponitur declaratione modi, quæ est spectatio seu observatio harum virtutum, cum obedientia conjunctarum: qua ratione obliquè ad hasce duas virtutes hortatur, v. 2. quemadmodum ad sequentes directè. Quarta enim est fuga luxus, in externo corporis in capillis & vestibus ornatu, vers. 3. Cui deinde opponit studium ornatus cordis interni: quem ornatum definit occulto cordis homine. Quâ periphrasi metaphorica, non substantiam aliquam notat: sed qualitatem, hoc est, imaginem Dei, animo insitam, quæ aliàs novus homo dicitur,

dicitur, & veteri, hoc est, carni seu originali peccato opponitur, de qua Eph. 4. v.24. Col. 3. v. 9.10. Hujus autem hominis cum varia sint quasi membra, ac multis virtutibus constat: aliis omissis, eam quæ obedientiæ & pacis quasi nutrix est, nominatim requirit (quę quinta uxorum virtus est) nempe lenitatem & quietem spiritus. Quæ duo vel eadem significatione, per Synonymiam quandam: vel distinctè diversa significatione accipi possunt: ut *lenitas* opponatur ferociæ & iracundiæ: quies verò garrulitati & arroganti πολυπραγμοσύνῃ, rerum alienarum curæ. utraque expositio commoda est; sed secunda & sensum habet ampliorem & confirmatur loco simillimo 1. Tim. 2. v. 9. 10. ex quo Petrum instinctu Spiritus Sancti suam hanc hortationem mutuatum esse, nonnulli suspicantur, quemadmodum etiam 2. Petr. 3. v. 15. Atque hæc de sensu hortationis; cui adjuncta est confirmatio, constans argumentis tribus: quorum duo ab adjunctis (quibus ornatum externum hæ virtutes antecellunt) deducta sunt, videlicet incorruptione & precii magnitudine; & quidem judicio non hominum fallaci, sed Dei verissimo ac justissimo, v.4. Tertium argumentum est à simili exemplo generali, mulierum Vet. Test. sanctarum, quæ sperabant in Deum, ideoque dignæ erant, quas posteræ imitarentur, quę hisce virtutibus & obedientia erga suos maritos sese ornarunt, vers. 5. Id quod exemplo singulari & eximio Saræ exponitur, quæ Abrahamo obedivit & re & ore, cum eum humiliter, honoris & prompti obsequii causa, Dominum suum, quamvis socia esset, non ancilla, appellavit: quę duo Genes. 18. declarantur. Unde rectè sequitur, quod probandum antecessit: Vos uxores Judaicæ ita debetis vos ornare. Quam consequentiam confirmat Apostolus, quod eo modo se esse demonstrabunt genuinas, non solùm secundum carnem, sed etiam secundum promissionem & imitationem, Saræ, communis credentium matris, filias: dum ejus benefacta & animi (sua innocentia & potissimum Dei providentia freti) constantiam & fortitudinem imitantur. Quod illustrari potest simili loco infra v. 13. 14. 15. Quomodo id quod de timore dixerat, v. 2. & quod Sara Abrahamum dominum suum vocarit, exponit: & ostendit, se non locutum de timore aut obedientia servili, quasi minis & injuriis tanquam dominorum rigidorum debeant consternari servorum more, v. 6. Atque hæc certa hujus loci sententia est, sed phrasis ratio anceps. Nam φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν bifariam exponi potest: primùm ut πτόησις *consternatio* metus formam denotet, phrasi ac pleonasmo non solùm Hebræis, ut Marc. 4. v.41. sed Atticis etiam usitato, quem Latini in quibusdam imitantur, cum ajunt *gaudere gaudium*, *furere furorem*: vel ut objectum & causam efficientem, ut Rom. 13. v. 3. seu terriculamentum significet, quemadmodum Proverb. 3. v.25. *non timebis à pavore repentino*, Septuaginta habent οὐ φοβηθήσῃ πτόησιν ἐπελθοῦσαν. Similis etiam phrasis exstat, Psalm. 53. v. 6. Esai. 8. vers. 12. 13. & infra vers. 14. hoc capite Petri. Ideoque hæc declaratio quia uberior est, videtur præferenda. Atque hæc quidem de officio uxorum. Sequitur hortatio ad officium maritorum: quæ tanquam similis superiori adjungitur & duabus virtutibus constat. Harum autem prior est scientia, hoc est, prudentia & moderatio in uxore gubernanda; *Viri*, inquit, *similiter unà versentur secundum scientiam*, hoc est, convenienter scientię, id est, ut scientes decet. Sensus igitur est, ut mariti sapienter ac prudenter uxores regant: quas metaphorica periphrasi *vas muliebre* appellat: quod ut vas ad usum aut ornatum familiæ formatur, ita & uxor à Deo condita sit, ut instar vasis in domo Dei seu Ecclesia & in domo mariti utilis sit, ad Dei gloriam Ecclesiæque ornamentum, & marito ad commoda vitę & sobolis. In qua metaphora emphasis est, & particularis quędam ratio officii latet. Hanc autem virtutem confirmat à natura muliebri infirmiori, continuata eleganter metaphora: ut enim paterfamilias prudens, vasa infirma attrectat lenius, ne frangantur aut lædantur: ita & maritus uxorem (ut quę non solùm per se infirma sit, sed etiam comparatè cum marito infirmior) gubernare debet sollicitè & humaniter. Infirmior enim est viribus, cùm animæ judicio & affectibus; tum corporis. Quod quidem accipiendum est per se, & secundum communem naturę constitutionem; alioquin per accidens fit nonnunquam, ut quędam mulieres suos viros animi & corporis viribus superent. Altera virtus mariti est honor erga uxorem, nimirum conveniens, ut verbum *tributionis* etiam innuit; ut quemadmodum illa maritum revereri debet tanquam caput; ita ille vicissim eandem, non quasi ancillam & alienam contemptim, sed ut individuam utilemque vitæ sociam & corpus suum in precio habeat & honestè curet, Eph. 5. v. 28. 29. Observandum autem est quosdam hæc verba cum antecedentibus copulare, ac si hoc in loco modus scientiæ declaretur: nempe ut scienter versentur cum vase muliebri, tribuentes honorem ut infirmiori, sicut de membris infirmioribus idem docetur, 1. Cor. 12. v. 22. & 24. sed plenior sententia, & adjunctis rationibus convenientior est, ut distinguamus, & scientiam de prudentia & lenitate (quę amarulentię opponitur, de qua Coloss. 3. v. 19.) accipiamus, ut circumstantia rationis adjunctæ ostendit: deinde ut honoris tributionem oppositè contemptui interpretemur. Hęc autem esse distinguenda allatę utrimque distinctę probationes demonstrant: priori enim additur, ut *infirmiori*: posteriori verò *similiter*: ut *& cohæredes* &c. quare merito ab antecedentibus distinguimus. Cæterum hæc virtus confirmatur duabus rationibus: primò à pari honore & felicitate apud Deum: quod inter se sint *cohæredes gratiæ vitæ*, nempe æternę, καθ' ἐξοχὴν, quę à Deo gratis omnibus fidelibus sine sexus discrimine confertur. Altera ratio est ab effectu contrarii noxio, quod contemptu uxoris (unde dissidium oritur) preces interrumpantur; quod ut omnibus Christianis Matth. 6. v. 15. ita viris fugiendum 1. Tim. 2. v. 8. Hæc de vers. 7. & hortationibus particularibus, cùm politicis, tum œconomicis: unde transitione conveniente ad universales, quæ omnes attingunt, redit Apostolus: ut enim particulare officium maritorum erga uxores esse docuit, ut ita se gererent, ne preces eorum interrumperentur, nimirum discordia: ita hoc in loco inductione quadam virtutum variarum, quæ ad charitatem ac pacem, & sextum Decalogi præceptum pertinent, universale omnium officium præscribit. Ac primum requirit consensionem geminam, quarum altera est in mente ac doctrina, cùm ait ὁμόφρονες, hoc est, *idem* (nempe synecdochicè in bono, seu secundum Dei voluntatem Phil.4. v.2.) *sentientes*: ut Rom. 12. v. 16. Phil. 3. v. 15. & 2. Cor. 13. v.11. aut, ut aliis placet, in animo & voluntate ut sint concordes, ut idem velint ac nolint, quæ demum firma dici solet amicitia: sed tamen prius videtur magis probandum: partim quia ea propria & prima vocis significatio est: partim quia hortationem reddit pleniorem, dum à sequenti distinguit: altera enim consensio est in affectu, ut sint συμπαθεῖς, hoc est, *itidem vel mutuo sensu affecti*: ut bonis malisque aliorum afficiantur, ut suis; seu ut gaudeant cum gaudentibus & fleant cum flentibus; quemadmodum in simili argumento distinctis partibus Rom. 12. v. 15. explicatur. Ad quem locum D. Beza rectè annotavit hęc verba: *Urget* συμπάθειαν *Christianam, sed in gaudio & dolore honesto.* Atque hoc modo videtur hic locus commodius posse exponi, quàm si de mutuo miserię sensu accipiamus: quia illa generalior significatio (quæ etiam usu trita est) hanc specialem includit, ac sequentibus, ad ταυτολογίαν vitandam, convenientior est: quoniam misericordię, quę dolor est ex alterius miseria conceptus, speciatim in hac hortatione fit mentio. Tertia virtus est charitas erga fratres, hoc est, fideles: qui ut aliàs diximus, eandem habent in terris Ecclesiam matrem, Galat. 4. v. 26. & eundem in cœlis Patrem Deum, Matth. 6. v.9. cujus verbi semine incorruptibili renati sunt & ejusdem hæreditatis participes. Charitatis autem effectum est virtus quarta, nempe misericordia; cum ait, εὔσπλαγχνοι *misericordes*. Quinta est comitas, seu in vitæ consuetudine facilitas & humanitas, vers. 8. Porrò sexta virtus est patientia Christiana, cùm generalis in omnibus injuriis, tum specialis in persecutione, religionis odio, instituta. Ad quam patientiam, ut famulos

hortatus

hortatus est peculiariter cap. 2. ita repetitâ hortationis forma & argumentis omnibus generatim hoc in loco præscribit. Ac generalem quidem patientiam, v. 9. partium inductione describit, nempe cùm innocentia in factis & dictis, ne malum malo, nec convitium convitio rependant, Rom. 12. v. 17. tum benignitate benedictionis, quâ maledicentibus benè precentur, Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 14. ad quam rem quia ob insitum honoris & commodi nostri amorem vitiosum, tardi sumus, idcircò duas rationes quasi stimulum addit. Quarum prior à causa efficiente deducta, quod ad id vocati sint, nempe verbo Dei & agnitione veritatis, ut antè cap. 1. v. 21. Altera ratio desumpta est à consequente fine, possessione εὐλογίας. Quæ vox propriè significat benedictionem, quâ benè alicui dicimus, laudando Jacob. 3. v. 9. aut precando, ut antè hoc versu. Deinde per Metonymiam beneficentiam vel beneficium, quod laudem mereatur ac pariat seu provocet, 2. Cor. 9. v. 5. & inde κατ' ἐξοχὴν beneficia divina notat: quę sunt vel corporalia & temporalia, Genes. 24. v. 35. vel spiritualia & æterna, Ephes. 1. v. 3. Atque ita hoc in loco vocem *benedictionis* de salute & vita æterna exponunt, sensu pio: sed accuratius examinata potius generalius videtur accipienda, ex natura rei & loci circumstantiis: nam si rem spectemus, pietas utriusque vitę promissiones habet 1. Timoth. 4. v. 8. quemadmodum mansuetis etiam hæreditas terrę promittitur, Matth. 5. v. 5. & utraque beneficia solenni orationis formulâ peti jussit Christus, Matt. 6. v. 10. 11. 12. sin verò circumstantiam videamus, etiam ratio adducta idem confirmat, quę petita est ab autoritate & testimonio Davidis Psalm. 34. in quo innocentia & beneficentia ac pacis studium v. 10. & 11. commendantur, allato argumento à consequente adjuncto fructu benedictionis divinæ, nempe vitæ longæ ac felicis vers. 10. Sub qua promissione per Synecdochen æterna quoque felicitas, de qua Matth. 5. v. 11. 12. continetur: quemadmodum in Vet. Test. in promissionibus hujusmodi, ad Ecclesiam directis usitatum est: hoc tamen servato discrimine, quod benedictio æterna certò Ecclesiæ addicitur; temporalis verò & corporalis conditione hac, quatenus saluti nostræ & Dei gloriæ inservit. Hoc autem argumentum confirmatur à causa efficiente, Dei providentia, quâ justos benignè curat & exaudit, & contra injustos justè punit: quorum illud ad studium justitiæ; hoc verò ad fugam injustitiæ & patientiam firmandam accommodatum est, vers. 12. atque hæc de Davidis testimonio, & prima ad patientiam generalem commendandam ratione à beneficentia Dei. Altera deinde per anticipationem quandam additur, ab humani maleficii abstinentia. Objici enim posset ac solet, impunitas & patientia nostra maleficos ad nova provocaret maleficia, & plures ad lædendum invitaret. Ergò ea non est curanda. Respondet Apostolus bifariam: primùm contradictione antecedentis, & inversione argumenti: compellato per interrogationem conscientiæ testimonio, *quis est*, inquit vers. 13. *qui vobis malefaciat, si bonitatis æmulatores fueritis?* ac si dicat, nulli aut pauci: quippe beneficiis etiam maximè mali vinci, corrigi aut cohiberi solent, Rom. 12. v. 20. 21. Attamen quia excipi poterat adversus illam rationem ac responsionem, eam quidem veram esse in iis, qui veritatem nôrunt & amant, sed in multis nequaquam: quoniam pertinaces Euangelii adversarios, bonorum patientia reddit deteriores, ut experientia comprobat: propterea addit Petrus secundam responsionem, qua simul prior objectio & hæc exceptio diluuntur, concessione quadam antecedentis, & negatione consequentię: allata ratione à conditione beata: *sed*, inquit, *etiamsi patiamini propter justitiam, beati estis*, h. e. felices. Quæ beatitudo, non de vita tantùm æterna Synecdochicè, sed generatim de statu felici intelligenda est, qui varios habet gradus & causas. Etenim qui justitiæ & veritatis causa, crucem patienti animo perferunt, illi multis nominibus sunt beati. Primò quidem, ratione generali formę, quippe quod patientia hæc Dei verbo conveniat; quod non in exigua felicitate ponendum. Secundò, ratione effecti triplicis, nimirum gloriæ, cùm veritatis, tum justitiæ Dei, quę patienti obedientia in cruce fidelium illustratur, 2. Thes. 1. v. 12. 1. Petr. 4. v. 14. Johan. 21. v. 19. & deinde ratione ædificationis in fide, spe & charitate: ædificationis, inquam, cùm nostræ Jac. 1. v. 2. 3. & 12. tum proximi conversi & convertendi Phil. 1. v. 14. tertiò, denique ratione adjuncti partim præsentis, quod patientia illa fidelibus apud Deum & electos ejus, tam Angelos quàm homines, sit honori, tanquam filiorum Dei nota & singulare Dei donum Phil. 1. v. 19. Act. 5. v. 41. partim consequentis, nimirum gratuitæ mercedis & coronę glorię cœlestis: quâ à Christo honorabuntur potissimum ultimo die, partim sermone, partim communicatione vitæ æternæ & cœlestis, tanquam perfectę beatitudinis, Matt. 10. v. 32. & 5. v. 10. 11. 12. & 25. v. 34. 2. Thess. 1. v. 5. Jacob. 1. v. 12. Quamobrem non immeritò ait Petrus; *Si patiamini propter justitiam, beati estis:* & opportunè hac viâ transit ab hortatione generalis patientiæ, in quibusvis injuriis perferendis, ad specialem patientiam, in persecutionibus, quæ ab Euangelii hostibus inferuntur, perferendis; deinde ad conjunctas virtutes, quæ in illa requiruntur. Hortatio autem ad hanc patientiam bimembris est: quoniam constat dehortatione à malo, & adhortatione ad bonum, tanquam remedium illius mali: quæ sententia deprompta ex Esa. 8. v. 13. Ac dehortatio quidem à malo est, quâ metum adversariorum nimium & perturbationem animi, ut quæ fidei & charitatis officio repugnet, deponere monet; *timorem*, inquit, v. 14. *eorum ne timete, neque turbamini.* Quo in loco *timorem* appellat per metonym. effecti pro causa, afflictiones & minas terribiles; seu quæ timorem possint incutere: quemadmodum antea hanc significationem vers. 6. explicuimus, & usum illius comprobavimus. Timere autem adversarios hîc vetat, non absolutè & simpliciter: sed tantùm supra modum, cum videlicet amplius adversarios homines metuimus, quàm Deum Opt. Max. adeò ut fidei & charitati, quemadmodum monui, repugnet; de qua admonitione in similibus sententiis agitur, Matth. 10. v. 28. Phil. 1. v. 28. Adhortatio verò est, ut *Dominum Deum in cordibus*, hoc est, anima sua *sanctificent*, id est, honorent vera fide & obedientia: quemadmodum illa vox Num. 20. v. 12. & alibi accipitur: qua mentis assensu, laudem Deo tribuant, omnipotentis, justæ, clementis & sapientis providentiæ; & eidem animi fiducia innitantur & offensionem illius timeant & obedire studeant, ut Matth. 10. v. 28. 29. 30. 31. Quia ratione fideles quævis adversariorum terriculamenta, invicto per Sp. Sanctum animi robore, superant Rom. 8. v. 31. Cœterùm huic sanctificationi Dei internæ (quæ in corde seu anima, ac fide & timore Dei consistit) conjungitur ab Apostolo altera virtus, ut effectum illius, nempe sanctificatio externa in ore; seu confessio & defensio Religionis veræ: quam spei voce per Metonym. & deinde per Synecdoch. seu per Metalepsin significat. In hac verò promptitudine confessionis & defensionis additur circumstantia temporis, nempe *semper*: scilicet cum quis rogatur, & personæ objectæ, *ut cuilibet*, nimirum qui vel modestè discendi gratia, vel pro autoritate judiciaria rationem religionis postulat: non autem apud profanos derisores, aut furiosos, & publica inquirendi autoritate destitutos adversarios; ut Christus disertè docuit, Matt. 7. v. 6. *ne date sanctum canibus, neque projicite margaritas vestras coram porcis:* deinde præter temporis & personæ objectæ circumstantiam, adjicitur modus agendi, qui requiritur, nempe lenitas & timor. Quâ voce denotatur non timor servilis pœnæ humanæ aut divinæ, sed timor liberalis culpæ; & quidem vel timor Dei intelligitur, vel timor magistratus rectus, & ut exponunt nonnulli, reverentia vers. 15. Denique requiritur adjuncta vitæ probitas, quę per suum effectum, nimirum bonam conscientiam, impropriè metonymicè declaratur, & à fine suo ac fructu, nempe adversariorum maledicentium confutatione, confirmatur, v. 16. Atque hac via ad præmissam hortationem ac patientiam afflictionis propter justitiam, regreditur Apostolus per anticipationem quandam, ratione deducta à comparatione causæ contrariæ afflictionis. Objici enim poterat justam afflictionem tolerabilem fore, sed inju-

injustam seu immeritam esse miseram & intolerandam; Petrus verò contrà dicit, cum ait: *Melius est ut benè agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quam malè agentes*. Quo, in loco voluntatis Dei meminit, ut providentiæ argumento consoletur, & ad patientiæ obedientiam tanquam altera ratione stimulet, & ut simul afflictionem necessariam à temeraria & acquisita distinguat, v. 17. de qua re anteà etiam similiter actum est, cap. 2. v. 19. 20. Porrò hæc hortatio confirmatur etiam Christi justi & patientis similitudine & exemplo majori: quod videlicet *passus fuit justus*. Cùm autem justitia alia sit causæ & particularis, quando quis causam justam sequitur ac tuetur: alia personæ & universalis, cum ea tota omnibus viribus conformis est legi Dei: utroque modo Christus *justus* dicitur, & à nobis certo discrimine distinguendus est: nos enim fideles, priori quidem modo similes Christo sumus, cum affligimur veritatis & justitiæ (quam tuemur & adversarii opprimere student) occasione: altero verò modo Christus justus est perfectè, habitu justitiæ cùm insitæ in natura, tum acquisitæ per actionum obedientiam perpetuam: nos verò illius justitiæ imputatione, perfectè in illo justi sumus; sed nostræ justitiæ inhærentis & acquisitę ratione, imperfectè justi sumus in nobis. Sed dicat aliquis; Si Christus justus omninò passus est, Deo affligente. Ergo injustè à Patre fuit afflictus. Verùm non sequitur, quoniam licet Christus justus fuerit absolutè, & coram hominibus & coram Deo, ideoque per se afflictionem, quæ peccati pœna, pati non debuerit; per accidens tamen officii mediatoris, quo pœnæ à nobis debitæ sponsor factus est à Patre, eamque in se recepit, Justè à Patre afflictus fuit: ut sequentibus declaratur: iis enim describit Christi passionem à causa efficiente impulsiva & finali. Illa est, quod passus est pro injustis, scilicet nobis, qui extra Christum omninò sumus injusti; tam carentes justitiâ originali & insita (quia peccato originali laboramus) quàm acquisita bonis operibus, propter peccata actualia. Itaque Christus passus est pro injustis, hoc est, vicem subiit nostram, ut postea etiam explicatur. Huic autem causæ impulsivæ, ad consolationem additur temporis circumstantia, cum ait: *semel*: non enim perpetuò passus est, sed è passione emersit, quod & nobis fiet. Licet enim Christus inde ab initio vitę pauper pro nobis factus 2. Cor. 8. 9. ad finem vitæ passus sit: semel tamen passus dicitur, oppositè typicis V. T. sacrificiis pro peccato, quæ quotidiè & quotannis ad Christum usq; repetebantur, Hebr. 7. v. 27. & 9. 11. & 10. 25. tanquam umbrę veri & perfecti propiatorii sacrificii Christi semel peragendi, nec amplius repetendi, Heb. 7. v. 27. & 9. 25. & 10. v. 12. Atque in ea re & perfectio passionis Christi, & similitudo liberationis nostrę, ad consolationem fidelium, indicatur: quod ut Christus passus mortem, non sæpè, sed semel, secuta verò est gloria: sic etiam, si exemplo Christi in hac vita propter justitiam patimur, cum eo glorificabimur, Actor. 14. v. 22. 2. Tim 2. 12. Apoc. 2. 10. Atque hæc de causa impulsiva & ei addita circumstantia temporis passionis Christi: finalis verò sequentibus indicatur, his verbis: *ut nos ad Deum adduceret*, hoc est, ut nos peccatorum merito à Dei gratia & vitâ æternâ secretos & æternę maledictioni obnoxios, Deo reconciliaret. Atque huc pertinet Esai. cap. 53. Rom. 3. 24. 25. Eph. 2. v. 16. 18. Qua in re argumenti vis posita est. Quemadmodum enim similitudo perpessionis Christi, immeritò ab hominibus illatæ, nos consolatur & ad sanctitatem ac patientiam similiter hortatur: sic afflictionum quas pertulit causæ, quas modò attulimus, amplius stimulant. Nam quandoquidem Christus Dominus noster justus, passus est pro nobis injustis, ut nos servaret, vitamque æternam restitueret: multò magis nos servi injusti, pro Christi veritate & justitia, humanas afflictiones perferre debemus, quæ nobis ad veteris hominis mortificationem, & suscitationem novi, utilissimæ sunt. Ad quem locum illustrandum piè & doctè concludit Beda in commentariis hujus capitis. *Qui ergò*, inquit, *justus patitur, Christum imitatur: qui in flagellis corripitur, latronem, qui in cruce Christum rogavit, & à cruce paradisum cum Christo intravit. Qui nec inter flagella desistit à culpis, sinistrum latronem imitatur, qui propter peccatum adscendit in crucem, & post crucem, ruit in tartarum*. Hæc ille. Præterea ad majorem consolationem in rebus adversis, felicem passionis Christi eventum describit, distinctione eleganti, quando ait; *mortificatum quidem carne, vivificatum verò spiritu*. ut enim Christi perpessio & mors nostræ perpessionis est exemplar: sic illius resurrectio, spei nostrę fundamentum est & exemplar salutis nostræ, Rom. 8. 17. 2. Tim. 2. 12. Cæterùm quid *carnis* & quid *Spiritus* voce denotetur, magna est controversia. Primùm enim Pontificii contendunt, *carnem* solum corpus, *Spiritum* verò animam denotare; idque probare contendunt ex oppositione carnis & spiritus, & usu Scripturę, quę Christi animam spiritum vocat, Matth. 27. v. 50. Sed hæc interpretatio meritò negatur: quia locus obstat. Nam ut rectè Augustinus observavit epist. 99. ad Euodium; *cum dicitur*: Vivificatus autem spiritu; *si spiritus animam significaret, sequeretur animam Christi aliquando mortuam fuisse, quod absurdum est*. Nam quod adversarii excipiunt, hanc rationem non concludere; quia passim in Sacris Literis dicitur, vivificari id quod non occiditur, sed vivum servatur, ut 1. Sam. 27. *virum & mulierem non vivificabat David*, id est, non relinquebat vivum, & Act. 17. *ne vivificarentur*, id est, ut non viverent; sed occiderentur. Respondetur, rationem Augustini optimè concludere: quoniam nil vivificari dicitur, quod non fuerit mortuum actu aut potestate, ut corpora: sed neutro modo anima Christi mortua est; ergò non potest dici vivificari. Deinde accedit quod in Sacr. Literis in sermone de Christo, cum *caro* & *spiritus* opponuntur, *carnis* voce synecdochicè natura humana intelligi solet; *spiritus* verò divina, quemadmodum Rom. 1. v. 3 4. 1. Tim. 3. 16. & *spiritus* pro divina Christi natura Hebr. 9. 17. similiter accipitur, atque ita hoc in loco accipi debet. Nam si quis objiciat, oppositionis rationem obstare, quod ut caro est mortificationis subjectum, etiam spiritus vivificationis debeat esse subjectum, non autem causa efficiens, ideoque non divinitatem, sed animam Christi spiritus voce intelligendam: Negatur antecedens: Quia quamvis caro mortificationis sit subjectum, & spiritus causa efficiens vivificationis; optima tamen oppositionis ratio est, quæ in eo consistit, non quod caro sit mortua, spiritus vero non mortuus (nam quorsum illud additum de anima, cum omnibus sit notum, eam esse immortalem?) sed in eo oppositio est quod Christus ut secundum carnem mortem subiit, sic contra naturę suę divinę potentia mortem superavit & à carne sustulit: & sic convenit simili Apostoli Pauli sententię 2. Cor. 13. v. 4. ait: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex potentia Dei*, Rom. 1. 3. 4. 1. Tim. 3. 16. Si quis autem iterum objiciat, carnem denotare non humanam naturam, sed tantùm corpus: ideoque spiritum ex oppositionis rectæ necessitate, significare animam. Negatur consequentia: quia recta nihilominus potest esse oppositio, non dissimilis ei quam modò ex Scripturæ locis explicavimus: quod corpore quidem mortuus fuerit, sed in morte non manserit, verùm divinæ suæ naturæ potentia corpus vivificarit: quod ad nostram consolationem in adversis plurimum facit, ut qui conformes futuri sumus Christo; ut in cruce, sic in gloria. Deinde antecedens etiam negari potest: nec ratio, quam ad illud probandum afferunt, solida est. Si, inquiunt, caro non propriè carnem seu corpus, sed synecdochicè humanam naturam significaret, tum tota humana Christi natura, ideoque non minus anima quàm corpus, fuisset mortua. Sed hoc absurdum. Ergò & illud. Verùm negamus propositionem: nam ad veritatem sententiæ sufficit, ut caro, id est, humana natura, secundum quid, nempe ratione corporis, mortificata fuerit. Atque hæc de vers. 18. Cui additur v. 19. & sequentibus, amplior rei propositæ confirmatio, digressionis quadam specie. Cujus expositio difficilior est, adeò ut nullum in N. Test. locum obscuriorem exstare, plerique tam veteres, quàm recentiores interpretes profiteantur. Quæ difficultas partim ex contextus hujus loci naturâ: partim ex versione minùs recta promanat. Unde nonnihil viri magni ingenuè

ingenuè ſuam ignorantiam profeſſi, hanc doctrinam ejus eſſe generis monuerunt, de quo dicitur, 1. Cor. 13. *quod ex parte cognoſcimus.* Veruntamen hanc difficultatem bona ex parte ſuſtulit ſuo ingenio & ſingulari induſtriâ, primus Clariſſ. Beza, partim verſione meliore, partim conſideratione & examine contextus accuratiori. Nam v. 19. qui maximè agitatur, *per quem etiam ſpiritibus, qui in carcere*; ellipſin eſſe verbi ſubſtantivi, certum eſt: ſed in tempore diſſident. Alii enim cum vulgato Interprete ſententiam ſuppleverunt per verbum præteriti temporis, nempe *erant*: Beza verò ingenioſè & meritò, per verbum præſens, *ſunt*. Deinde aliorum conjecturas ſolide diluit, & convenientiorem explicationem adduxit ac probavit. Quare nos omiſsâ eorum repetitione auditores eò remittimus, & paucis pro modulo noſtro, diutiùs expenſa hujus loci ſententiâ, etiam noſtram ſymbolam afferemus: nam cum partim ratione ſcopi, partim ratione ſenſus horum verborum, admiranda ſit expoſitionis varietas: hæc ſalvo aliorum meliori judicio videtur eſſe aptiſſima, ut ſcopus ſit, confirmatio uberior hortationis ad vitæ ſanctitatem, non ſolùm in proſperis, ſed etiam in adverſis, de quo actum verſ. 13. 14. 16. 17. Quem ſcopum etiam à Chriſti juſti & patientis exemplo probavit, v. 18. unde occaſione, ex mentione ſpiritus ſumta, alteram rationem eleganter annectit Apoſtolus, à perpetuâ Chriſti voluntate: quâ ut ipſe patefactus in carne ſanctitatem coluit, ut modò dictum eſt: ſic ante incarnationem, inde ab initio mundi, ſanctitatem præcepit, cùm ſermone, tùm opere, quando immorigeros diu patienter tulit, tandemque ſeverè punivit, & contrà morigeros ſervavit. Cujus rei cauſam affert exemplum maximè illuſtre, & ad rem accommodatiſſimum, videlicet priſci Mundi & Noachi, quod exemplum typus fuit officii & ſalutis fidelium Nov. Teſtam. Ad ſenſum verò quod attinet, Petrus oſtendit, Chriſtum *ſpiritu*, id eſt, divina ſuâ naturâ hominibus primi mundi prædicâſſe, per os Noachi, reſipiſcentiam, & ad eandem lenitate ſua & arcæ conſtructione invitaſſe: qui tamen exceptis paucis, immorigeri permanſerunt: unde corporibus ſubmerſi, ſpiritibus verò, hoc eſt, animabus in infernum detruſi, nunc in eo carcere, juſto judicio aſſervantur: quemadmodum contrà Deus Noachum morigerum cum familia univerſâ (quæ *octo hominibus* conſtitit) in aquæ diluvio per arcam ſervavit: quod ut monuimus, officii & ſalutis noſtræ typus exſtitit. Atque hæc generalis videtur eſſe ſententia; Ad particularem verò quòd attinet, de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos; hunc locum non ſolùm multi ex veteribus & Pontificii communiter; ſed etiam nonnulli ex noſtris Theologis (quamvis meliori ſententia) exponunt. Nituntur autem potiſſimum eo, quod *Spiritus* verſ. 18. animam, & *carcer* hoc loco, Apoc. 20. verſ. 7. infernum ſignificat: deinde quod additur (*erant*) ab Interpretibus: denique quia dicitur *ſpiritibus*; quæ vox vivis non conveniat, ſed tantùm mortuis. Veruntamen ſolutio non difficilis eſt, vocem *erant*, non eſſe ab Apoſtolo poſitam, neque intelligendam probari poſſe. Spiritus autem vox verſ. 18. non animam, ſed divinam Chriſti naturam notat, cujus effectum eſt vivificatio, Joan. 10. verſ. 17. *Spirituum* verò vox verſ. 19. animas hominum certò notat. Neque verum eſt, vocem *Spiritus* convenire tantùm mortuis, ut objicitur: quia etiam vivis convenit, Matth. 5. v. 3. & 27. 50. Luc. 1. v. 47. Johan. 11. v. 33. 13. 21. Act. 17. v. 16. 1. Cor. 7. v. 34. & 16. 18. Heb. 12. v. 9. Quare non eſt cur Pontificii ſuum fictitium inferni limbum (in quo Patres Vet. Teſtam. ad Chriſti adventum ſervati fuerint) nobis obtrudant: præſertim cum analogia Scripturæ reliquæ & hujus loci repugnet. Etenim hi Spiritus (quorum hoc in loco fit mentio) fuerunt immorigeri; Patres verò quos fingunt fuiſſe in limbo, ſeu orâ inferni, fuerunt morigeri ac ſervati. Deinde Spiritus hi non dicuntur (quod Pontificii docent) ſervari è carcere, ſed dicitur tantum, Chriſtum ſecundum ſpiritum iis prædicâſſe; cui prædicationi ex adverſo reſpondet inobedientia, quæ hoc loco adjicitur. nam quod Pontificii hoſce immorigeros poſtea converſos eſſe objiciunt: vana eſt, & à ſacris literis aliena fabula, quæ iis, quæ modò attuli, adverſatur. Præterea prædicatio nulla eſt in inferno: quia ibi nullus converſionis locus: ideoque hæc ſententia de Inferno non agit. Denique ſi de limbo aliquo ageret, Noachus cum familia in eo numero contineretur, ex communi Pontificiorum hypotheſi: ſed contrà hoc in loco hiſce ſpiritibus è diametro opponitur, quam etiam ad rem ſecunda epiſtola Petri ſpectat. Ergò poëticus inferni ſuperioris carcer ac limbus (quem Pontificii adeò ſtudioſè tuentur) ex hoc loco probari nullo modo poteſt. Atque hæc de verſ. 19. & 20. quibus probavit Apoſtolus, adducto priſci mundi & Noachi exemplo, hanc perpetuam eſſe & fuiſſe Chriſti Filii Dei voluntatem, ut benè vivamus: ſeu Deo, vera fide & charitate ſerviamus: nam illud demonſtravit bifariam, primum ſermone, quando per concionem Noachi infideles & impios ad reſipiſcentiam & fidem adhortatus eſt: deinde reipſa, partim cum immorigerorum corpora diluvio perdidit & ſpiritus eorum detruſit in carcerem inferni: partim cum è contrario morigeros arcæ incluſos ac tutos, aquis ſervavit. Quæ actio ſingularis quidem fuit primariò: ſed ſecundariò typus fuit conſervationis Eccleſiæ, Chriſto obedientis. Cum autem typi ſint duplices; primum communes, qui nihil aliud ſunt, quàm exempla, quæ ſimilitudine quadam ad inſtitutionem accommodata ſunt communem, nec prophetiam continent, ut 1. Cor. 10. verſ. 11. alii verò deinde ſint proprii ac Prophetici; qui propter ſimilitudinem inſitam, etiam ad certam rem futuram figurandam deſtinati ſunt divinitus, ut Hebr. 9. verſ. 24. Poſterioris generis typus hoc in loco videtur intelligendus. Idque ſequentibus indicat Apoſtolus, cum ex Nov. Teſt. typo, nempe baptiſmo, hanc Chriſti eſſe voluntatem probat, ut ſanctè vivamus. Vnde conſequitur, in utroque, Vet. & Nov. Teſtamento, ac propterea perpetuò hanc eſſe Chriſti voluntatem; quoniam baptiſmum appellat antitypum. Ea autem vox, Hebr. 9. verſ. 24. typum notat, diſtinctè ab archetypo, cui reſpondet; hîc verò typum cum altero typo ſignificatione convenientem. Quemadmodum enim aqua diluvii arcam ſublatam, eique incluſos, & ſecundum Dei voluntatem morigeros, Noachum & familiam ſuſtinuit, & ab interitu communi ſervavit & ſalutem Eccleſiæ ſignificavit: eadem ratione baptiſmus fideles in Eccleſiam tanquam in arcam collectos ſervari ſignificat, & ſervat. Veruntamen quoniam non omnes, qui externo baptiſmo baptizantur, ſervantur ab exitio æterno: propterea objectionis hujus anticipatione, commodè ſeſe explicat Apoſtolus, diſtinctione bapitiſmi: alius enim eſt, quo corporis ſordes abjiciuntur tantùm, id eſt, tantum externus, qui ſine recto uſu eſt; de quo ſe non loqui oſtendit Apoſtolus: qualis baptiſmus fuit Judæ Iſcariotis & Simonis Magi, de quo Actor. 8. alius eſt conſcientiæ bonæ ἐπερώτημα εἰς θεόν, qui cum bonâ conſcientia conjunctus eſt, quo effecto per Metonym. cauſam illius, nempe ablutionem internam intelligit, accommodatè ad argumentum: quia ad vitæ ſanctitatem, id eſt, bonos fidei & charitatis fructus hortatur. Talis autem baptiſmus nos ſervat, non ſolum typicè ſignificando; ſed etiam obſignando ſalutem; ideoque etiam efficiendo, tanquam inſtrumentum, non inchoans; ſed adjuvans, & quidem remotius: quia fidem, quæ proximum eſt, firmat & auget. Verum quid ſibi vox ἐπερώτημα velit, obſcurius eſt. Quod ut illuſtretur, pauca neceſſariò de vocis origine & uſu præmittenda ſunt. Ἐρωτάω Latinis eſt *rogo*. Quę vox ut non ſolum *interrogo*; ſed etiam *peto* ſignificat: Ita Græca, ut Suidas ait, ἐρωτῶ σε, παρακαλῶ σε, ἱκετεύω σε, δέομαι, & antiquum illud ac laudatum H. Stephani gloſſarium ἐρώτησις exponit *interrogationem, ſtipulationem*. Sic Joan. 4. v. 40. 47. 17. 9. & 15. 1. Theſſ. 4. 1. Hinc ἐπερωτάω compoſitum, quod, Phavorinus ait, propriè dici, cum ad quæſtionem alia utimur quæſtione. Sed confirmationem illius deſidero. Hoc certum eſt, idem notare quod ſimplex ἐρωτάω. Atque hinc gloſſarium Stephani interpretatur

tatur *stipulo, interrogo*, & ἐπερωτᾶμαι, *promitto, spondeo, stipulor*. & Suidas ἐπερωτᾷ τὸ ἐρωτᾷ. In N. T. usum invenio duplicem: primò ut significet *interrogo* Joh. 18. v. 21. secundò *peto* Matth. 16. v. 1. Rom. 10. 20. Hinc ἐπερώτημα pro originis suæ ratione, tria notat: *interrogationem, petitionem* seu *stipulationem*, denique *promissionem* seu *sponsionem*. Atque hùc pertinent ferè variæ hujus loci expositiones & interpretationes. Nam ex prima significatione (quam vulgatus Interpres sequitur) quidam nostrûm exponunt de interrogatione, qua bona conscientia in precibus Deum rogat, nonne tu meus es Pater? Ex significatione secunda duplex emergit expositio; una ut effectum conscientiæ notetur, petitio apud Deum, seu libera apud Deum invocatio: altera ut effectum Dei & conscientiæ adjunctum, scilicet, stipulationem seu petitionem notet, quâ in baptismo Deus nos adstringit, ut fœderis symbolo, ad bonam conscientiam Act. 8. 27. Denique ex tertia fluit sensus bonæ conscientiæ promissio: quo spectare videntur Græca Oecumenii Scholia, quæ vertunt *arrhabonem, pignus*, & *demonstrationem*; & εἰς θεὸν, exponunt, κατὰ θεὸν, *secundum Deum*. Atque hæc de triplici hujus vocis significatione, & ortis inde diversis illius quatuor expositionibus: quas ad rei illustrationē paucis expendemus. Ac prima quidem, quæ *interrogationis* significationem retinet, minus apta: quoniam neq; ex etymo vocis, neque ex usu illius, neque ex loci circumstantiis probari potest, ἐπερώτημα εἰς θεὸν notare interrogationem ad Deum, annon meus Pater es? deinde loci circumstantiis minimè convenit: quia Apostolus de eo, quod in Baptismo fit, loquitur, in quo talis interrogatio insolens. Postrema expositio ex tertia significatione, nempe *promissione* petita, optimè baptismo convenit, in quo fœdus Dei obsignatur: quo ut ille gratiam, sic nos promittimus Deo bonam conscientiam: sed obstat tamen, quod licet glossarium antiquum (cujus meminimus) illam significationem promittendi indicet, nullum tamen neque ex S. Literis, neque ex Græcis autoribus exemplum proferat. Restant reliquæ mediæ expositiones duæ, ex secunda significatione *petendi*. Quarum prima simplicissima est, ut bonæ conscientiæ petitionem apud Deum notet: quia ἐρωτᾷ pro *peto*, id est, *precor*, usitatum, Matth. 15. 23. & εἰς pro *coram, apud*, tritum est: ut diversis Græcorum exemplis H. Stephanus Græc. ling thesuaro demonstrat. Altera verò expositio, ut ἐπερώτημα petitionem notet (non quatenus precationem, sed quatenus stipulationem notat) optimè conveniret: sed obstat, quod ea significatio adfertur quidem, sed, neque ex S. Literis, neque ex Græcis autoribus probatur. Bona autem conscientia niti dicitur resurrectione Christi (quippe quæ salutis nostræ initium & pignus est, Rom. 4. 21. & 8. 11. 1. Cor. 15. 17. 20.) & adscensione & sessione ad dextram Patris, dominioque in omnes creaturas, v. 22.

CONSECTARIA.

I. CUm uxores suis viris subditas esse, & naturæ & Dei lege oporteat; utrique indignè repugnant, cùm uxores imperiosæ, quæ sibi in maritos autoritatem arrogant, tum viri γυναικοκρατούμενοι, hoc est, *uxorii*, qui dignitatis & officii sui immemores, uxorum imperio, sese præposterè subjiciunt.

II. Uxores iniquè faciunt, quæ aliis potius, quàm suis viris parere ac placere student.

III. Si etiam infidelibus maritis obediendum est; Ergò impiè faciunt quidam Anabaptistæ, qui religionis diversæ prætextu, conjuges invitâ altera parte, segregant: unde Belgicè **Echt-myders** / hoc est, Conjugifugæ appellantur.

IV. Finis verbi divini est, non solùm ut illud intelligamus, sed etiam ut obediamus

V. Nullum est præstantius lucrum, quàm cum alienos à Christo & Ecclesia, nostro studio convertimus & animas perditas, è Regno Satanæ & æterno exitio, ad Christi regnum, & Ecclesiæ ac vitæ æternæ societatem adducimus.

VI. Quare nihil molestiæ, ad rem tam sanctam, tam utilem, detrectandum est.

VII. Plus sæpè initio, ad infidelium conversionem, vitæ exemplo, quàm verbis efficitur: ideoque graviter peccant in Dei gloriam & proximi salutem, qui improbè vivunt & scandala parvi æstimant.

VIII. Quemadmodum ex eo, quod quidam viri infideles Euangelio non obedirent, nisi uxorum suarum honesta conversatione, tanquam occasione moverentur; non tamen sequitur, majorem esse apud illos fideles, uxorum, quàm Euangelii autoritatem: itaque neque ex celebri illa Augustini, de se quondam infideli sententia: *Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas*; concludere possunt Pontificii, majorem esse, apud fideles, Ecclesiæ, quàm Scripturæ autoritatem, v. 1.

IX. Si mulieres dedecet luxus, in capillorum contortorum nodis, & vestium immodico & superbo ornatu: meritò nostri ævi juvenes & viros concinnatos & fœminarum instar comptos pudere debet, quod cincinnorum fimbriis, & vestium preciosarum ac variarum luxuria muliebri, sexus masculi gravitatem deturpant, v. 3.

X. Corporis ornandi nimia cura animum inornatum & neglectum arguit.

XI. Cum virtutes non corpus, sed quod longè præstantius est, cor seu animum nostrum exornent, Deoque valdè placeant; is ornatus maximo in precio habendus est, ac præcipuè curandus, v. 4.

XII. Non quorumvis nec quęvis majorum exempla probanda, sed Sanctorum, quatenus scil. communem verbi divini normam secuti sunt.

XIII. Sanctorum fidem, spem, charitatem non solùm nôsse & probare, sed etiam imitari nos decet.

XIV. Subjectio uxorum, libertati Christianæ minimè repugnat, vers. 5.

XV. Sanctorum vitę in S. Literis nobis pręscriptę sunt, non solùm ad notitiam historiæ, sed etiam tanquam illustria virtutum exemplaria, ad vitę institutionem.

XVI. Illi demum sunt genuini Sanctorum majorum liberi, qui eorum bona opera sequuntur. Ac propterea frustra Pontificii Sanctorum Patrum, Apostolorum & Christi successione gloriantur, cum eorum vestigiis non insistant, sed ab iis declinent, vers. 6.

XVII. Indigni sunt maritorum nomine, qui autoritate sua ad illiberalem uxorum contemptum & sęvitiam abutuntur.

XVIII. Cùm omnes fideles sint vitę ęternę cohęredes, eo nomine amandi & honorandi sunt.

XIX. Cùm vita ęterna sit gratia; inde omninò sequitur falsum esse illud Pontificiorum dogma, quo asserunt, nos vitam bonis nostris operibus promereri.

XX. Ut Deus nobis sit propitius, pacem cum proximo colere debemus.

XXI. Preces nostrę ad Deum non interrumpi, sed continuari debent, earumque impedimenta seriò cavenda, vers. 7.

XXII. Non carnis, nec mundi, sed Dei vocantis nos judicium, in vitæ institutione sequendum est.

XXIII. Ad pietatem sola non sufficit innocentia, sed addenda etiam est beneficentia: ideoque periculosè errant, qui hęc à Deo copulata, divellunt, v. 9. 10. & 11.

XXIV. Detestandum est illud proverbium, tanquam Dei verbo adversarium, quo vulgo vindictę studium excusant; *qui se gerit ut ovem, à lupis devoratur*: contrà enim Deus se pastorem ovibus suis, defensorem & beneficum fore pollicetur, vers. 10. & 12.

XXV. Cum bonos Dei gratia; malos vero ira Dei maneat, non est cur statu pręsentis & quasi momentaneę, sortis adversę piorum, & prosperę impiorum, ullo modo offendamur: sed contrà, eventus consideratione nos ipsos consolari debemus, vers. 12.

XXVI. Si paratos esse nos decet ad confessionem & defensionem veritatis: Ergò Sacris Literis seria danda est opera, ut veritatem rectè cognoscamus, eaque nos ipsos pręmuniamus. Peccant igitur plurimum, qui iis neglectis, imparati hostibus sese exponunt, vers. 15.

XXVII. Ea

XXVII. Ea optima est adversariorum confutatio, cum vitæ probitate pudefacti, à maledictis congerendis in vitam fidelium abstinent, vers. 16.

XXVIII. Cum Christus semel patiendo, nos Deo reconciliarit: sequitur, longè præstantiorem esse illius victimam, quàm sacrificiorum Vet. Test. quæ sæpius repeti oportuit.

XXIX. Cum S. Literæ multa, quæ de Christo dicuntur, distinguant ratione carnis seu humanæ naturæ, & Spiritus seu divinæ, servata tamen unitate personę: sequitur errare turpiter Anabaptistas & similes, qui cum hunc S. Scripturę ductum imitamur, & quędam Christo secundum humanam, quędam secundum divinam naturam distinctè convenire asserimus, nos duas Christi naturas dividere in duas Personas iniquè exprobrant, vers. 18.

XXX. Cùm Christus per Noachum olim suo Spiritu prędicavit: Ergò homo factus non est ψιλὸς ἄνθρωπος homo tantùm, ut Samosateniani docent, sed Immanuel, Deus patefactus in carne, θεάνθρωπος, hoc est, Deus homo.

XXXI. Baptismus alius est merè externus: alius cum interno conjunctus.

XXXII. Sacramenta extra legitimum usum non servant, vers. 21.

APPENDIX AD ILLUSTRATIONEM
versus 15. 1. Pet. 3.

AN Απολογία doctè verti possit *declaratio* aut *responsio*? Aff. Nec versiones Gallica & Belgica 1. Pet. 3. v. 15. nisi imperitè hoc nomine culpari possunt. ἀπολέγω enim, pro præpositionis ἀπὸ usu duplici, primo δεικτικῶς καὶ ἐπιτατικῶς notat ἀπαγγέλλω *denuncio*, teste Hesychio, & ἀποδεικνύω, *demonstro*, ut doctè Budæus è Philone comprobat, secundo στερητικῶς significat *abdico*, *denego*. Ex quo similiter ἀπολογία, ex secunda significatione, *causæ dictionem* seu *defensionem*: ex prima verò *declarationem*, aut synecdochicè *responsionem* notat, ut Phavorinus apud Rhetores, in usu esse expresè docet, καὶ ὡς οὐδὲν ἀλλήλων διαφέρονται. οἷον ἀπολογία ἀντ' ἀποκρίσεως, καὶ ἀντ' ἀπολογίας ἀπόκρισις Et Sap. 6. 11. invenient ἀπολογίαν *responsionem*, ut Pagninus: quid *respondeant*, ut Hieronymus vertit. Quemadmodum ἀπολογισμὸς *defensionem*, ut Rhetor. ad Alexandrum: aut *declarationem* notat, ut Martiano Heracleotæ ad Nicomedem, βουλόμενος οὖν σοι φανερὸν ἐκθέσθαι σαφῶς τὸν ἀπολογισμὸν τῆς ὅλης συντάξεως αὐτῶν δηλῶσαι τῇ προσθέσει λόγον μὴ πολύν. Ex cujus similitudine illustratur non parum Petri sententia 1. Epist. c. 3. vers. 15. *parati semper* πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐλπίδος. Quod Syrus consentaneè vertit, *ad depromendum Spiritum omni petenti à vobis sermonem*: ut rectè ad verbum Fabricius. Quo relatè opponuntur *petere sermonem*, aut *rationem*; & ἀπολογία quam Rittershusius apud Isidorum Pelusiotam lib. 4. ep. 118. *rationis redditionem* vertit: & doctè Isidorus de didascalia exponit. Chrysostomus etiam de sacerdotio hom. 4. cap. 6. explicat ex Col. 4. vers. 6. ὁ λόγος *sermo vester sit cum gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique* ἀποκρίνεσθαι *respondere*. Sic Didymus Alexandr. in 1. Pet. 3. Denique his congruit peritissimorum Græcæ linguæ interpretum consensus. Sic Faber ἀπολογίαν ait *defensionem* vel *responsionem*: & Erasmus πρὸς ἀπολ. *ad respondendum*: quem sequuntur non solùm Calvinus & Beza, Hussus & Bullingerus in 1. Petr. 3. Gallica nostraque versiones, & Hispan. Ital. Danica, Anglica, Hebræa Hutteri; sed etiam Castellio, Illyricus, Hemmingius quoque cum Chemnitio in locis, de confessione, exponunt.

Caput Quartum.

POstquam digressionem suam inde à vers. 19. ad finem capitis tertii absolvit Apostolus, commodè hoc capite ad propositam hortationem, ad vitæ sanctitatem & tolerantiam crucis regreditur, repetito argumento & novis aucto. Concludit enim primùm enthymemate, cujus antecedens est, *quod Christus pro nobis passus sit carne*. Consequens seu hortatio est, *vos eâdem quoque cogitatione armamini*: hoc est, statuere debetis veterem hominem vestrum cum Christo esse crucifixum ipsius merito, eaque meditatione vos adversus peccatum armare ac munire; ne regnet in mortali corpore vestro. Hortatur enim à passionis & mortis Christi exemplo, per allegoriam convenientissimam: quia ea non solùm imago seu similitudo est, sed etiam merito suo causa est efficiens mortificationis veteris hominis; quemadmodum prolixius explicatur Roman. 6. quod caput huic loco & sequentibus, vice commentarii inservire potest. Atque hæc similitudo declaratur, cum per parenthesin inseritur, *quoniam qui passus est carne*, h. e. cujus caro seu vitiositas nativa, vi mortis Christi mortificata, *destitit à peccato*, Rom. 6. v. 7. Deinde finis mortificationis & meditationis illius additur bimembris: nempe ut non amplius cupiditatibus hominum, sed Dei voluntati serviant, vers. 2. Ac primum quidem membrum confirmatur à comparatione vitæ præteritæ & status præsentis: & à cupiditatum humanarum, quas inductione quadam recenset Apostolus, turpitudine, vers. 3. Deinde anticipatione objectionis commodâ consolatur & rationem adfert gravem: nam hominum infidelium ac sceleratorum præjudiciis & calumniis, quibus resipiscentiam fidelium accusabant, vers. 4. opponit consequens severum Dei judicium, vers. 5. Quod autem consequitur: *nam idcircò mortuis quoque prædicatum est Euangelium*: non exiguam habet difficultatem, ac variè ab interpretibus exponitur. Quidam mortuos intelligunt propriè; alii metaphoricè. Et qui propriè accipiunt, nonnulli eos intelligunt, qui temporibus Noachi diluvio mortui sunt. Sed eorum expositio cum scopo, phrasi & circumstantiis Petri utroque in loco collatis non satis videtur convenire: quia cap. 3. Spiritus intelligi dicuntur immorigeri; deinde opponuntur servatis. Alii itaque probabilius de mortuis tempore N. Test. interpretantur. Neque malè etiam videntur exponere illi, qui metaphoricè accipiunt, continuata ex vers. 1. metaphorâ, de infidelibus, vera Dei imagine ac justitiâ tanquam animæ vitâ destitutis, & ut Scriptura loquitur, mortuis in peccatis: quibus Euangelium prædicatum fuit in eum finem, ut judicarentur carne, hoc est, ut mortificaretur illorum caro, & Spiritus contrà Dei efficacia viveret. Si quis objiciat, hanc expositionem non quadrare: quod mortui versu antecedente propriè accipiantur & hîc de iisdem agatur: illud inquam, non est necessarium: nam à mortuis corpore ad mortuos animo transiri potest, per elegantem & acutam vocis unius diversam acceptionem, ut ex cap. 4 v. 1. & similibus locis constare potest, Matth. 8. 22. & 19. 12. Hæc de v. 6. Atque hactenus de generali exhortatione ad veteris hominis mortificationem: sequuntur jam, ad illius illustrationem speciales. Ac primùm ratione proposita ab adjuncto, nempe propinquo mundi fine, hortatur ad serias preces, in quibus requirit sobrietatem & vigilantiam, vers. 7. deinde ad charitatem mutuam ac vehementem stimulat; cujus hortationis, vers. 8. addit rationem ab utilitate, nempe condonatione mutuâ: quæ necessaria est ad pacem, non solùm cum Deo, sed etiam cum proximo, & cum conscientia nostra fovendam. Quod autem Pontificii objiciunt ex hoc loco; *Id quod multitudinem peccatorum tegit, illud justificat nos coram Deo*, Rom. 4. 7. *Charitas multitudinem peccatorum tegit*, ut hîc asseritur. *Ergò nos justificat*. Negatur consequentia. Quia quatuor sunt termini: Medius enim ambiguus est; in majore enim expressè accipitur de tectione coram Dei judicio, quando Deus per fidem in Christum, peccata nostra condonat: sed in minore accipitur de tectione, quæ ab hominibus & coram hominibus fit: Paulus enim Rom. 4. loquitur de condonatione divina: Petrus verò de humana, ut ex Prov. 10. v. 12. unde hæc sententia deprompta, & Jacob. 5. vers. 20. apparet. Porrò hortatio tertia est ad mutuam hospitalitatem: in qua, remotione contrarii vitii, promptitudinem requirit, vers. 9. Quarta est ad rectum & mutuum donorum, pro vocationis ratione, usum & subministrationem. Cujus confirmatio additur, primùm à donorum datore Deo, qui tanquam paterfami-

familiàs fideles in sua domo, seu Ecclesia (tanquam œconomos) constituit: deinde ab adjuncta varietate, quę Ecclesię utilis est, vers. 10. Quam hortationem duarum specierum, nempe ministrorum Euangelii & diaconorum, inductione explicat: & illis quidem prę cipit, ut verbum Dei dignè ac sanctè annuncient: his verò, ut pro virili ac gnaviter pauperibus serviant. Communem verò utrisque rationem addit à fine & effectu utili, nempe gloria Dei. Ea autem confirmatur à Jure & merito Dei; cui gloria & potentia in ęternum convenit, quod voti formula concluditur, ut Matt. 6. v. 13: nam hęc explicatio uberior est & nervosior quàm ut cum aliis nudam δοξολογίαν statuamus, vers. 11. Porrò hisce explicatis redit Apostolus ad propositam singulis capitibus antecedentibus doctrinam de patientia Christiana, quam ob temporum difficultatem, & hominum, quibus scribit infirmitatem, sæpius repeti & inculcari ad consolationem eorum, adversus frequentes carnis & mundi tentationes oportuit. Hortatio autem est bimembris: constat enim aphæresi, seu remotione pravi, & thesi seu positione recti. Prima enim est dehortatio à scandalo crucis, ne cruce (quam πύρωσιν, *ustionem* seu *explorationem per ignem* metaphoricè vocat) percellerentur. Idque probat ab illius fine, nempe tentatione, hoc est, experimento fidei & charitatis: quę cruce, ut aurum igne, 1. Pet. 1. vers. 6. 7. probantur ac spectantur, vers. 12. Secunda verò hortatio est ad officium, ac duobus gradibus constans. Quorum prior est gaudium, de quo cap. 1. vers. 6. actum: idque confirmatur partim à simili exemplo passionis Christi: honestum enim & justum est, ut Christo capiti membra conformentur, Matth. 17. v. 24. Rom. 8. 29. partim ab adjuncta consequente simili gloria: quę metonymia effecti pro causa, gaudio & exultatione describitur, vers. 13. Atque hæ tres sunt ad patientiam Christianam commendandam rationes; quibus per anticipationem quandam duas alias adjungit Apostolus. Objici enim poterat; Afflictiones aliquo modo posse tolerari, sed probris & blasphemiis in se & in Christum indignè lacerari, miserum & intolerandum. Sed contrà respondet & asserit Apostolus, v. 14. id esse beatum. Idque probat à duplici perpessionis illius effecto; nempe gloria ipsorum afflictorum, quod ea ratione ostendant, sese Spiritu Dei esse prę ditos; & gloriâ Dei: quę à blasphemantibus quidem læditur, sed ab iis qui blasphemiam immeritò tolerant, promoveatur: quia hac patientia martyres, hoc est, testes sunt veritatis divinæ; & obedientiæ suæ constantiâ, Deum esse summè amandum & colendum, demonstrant; quibus Dei gloria continetur & illustratur, Joh. 21. 19. Quoniam verò non pœna sola, sed causa potissimum facit martyrem & tolerantiam Christianam: idcircò innocentiam expressius requirit: nam quod ante innuit, cum afflictionum & tolerantiæ probrorum, nomine Christi meminit, illud nunc distinctius ac clarius exponit, cum præcipit, ne quis affligatur suo merito: exempli gratia, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος alienarum rerum inspector. Qua voce non generatim quivis alienarum rerum curiosus & πολυπράγμων (de quo 1. Thess. 4. vers. 11.) hoc in loco significari videtur: sed potius speciatim per synecdoch. talis inspector, qui aliorum negociis sese iniquè ingerendo peccat: tales enim meritò affligi solent, v. 15. contrà verò Deo gratias agendas esse docet, si quis affligatur ut Christianus. Atque ita secundus statuitur theseos, seu hortationis propositę gradus: videlicet ut non solùm gaudeant in cruce propter Christi nomen quod honorant, & cujus testimonio ipsimet honorantur, sed etiam Deo gratias agant. Quod autem hîc dicit Apostolus, *ut Christianus*, illustrari potest ex Tertulliano, qui in Apologetico contrà gentes, cap. 3. & 4. eleganter docet, ob hujus tantùm nominis professionem innocuos fideles olim fuisse exosos & afflictos. Idemque profitetur C. Plinius in epist. suis, in epist. ad Trajanum. Cæterùm de hujus nominis origine pauca dicenda sunt. Hoc enim constat, fideles, qui ante *discipuli* κατ' ἐξοχὴν, nempe Christi discipuli, vocabantur, dictos esse Christianos primùm Antiochiæ, Act. 11. vers. 26. Sed de authore quæstio est. Quidam enim Spiritum S esse censent; qui hoc nomen primus indiderit credentibus in Christum. Idque probare conantur ex significatione vocis, quâ Lucas utitur, Actor. 11. dicit enim fideles primùm Antiochiæ χρηματίσαι, hoc est, oraculo seu responso divino dictos Christianos: hanc enim vocis hujus significationem esse, probari posse, non solùm ex profanis autoribus; sed etiam ex Sacris, ut Heb. 12. 25. Matth. 2. 12. Actor. 10. 22. Rom. 11. 4. Alii verò contra existimant, fideles vel à se, vel potius ab Ethnicis ita nuncupatos, quod sese Christi discipulos profiterentur: & fideles hoc nomen non rejecisse, sed tanquam professioni suæ omninò conveniens, complexos: quod maximè videtur probabile: nam si authore Spir. Sancto ita fuissent appellati, haud dubiè Apostoli & Euangelistæ illo nomine, divinitus imposito ac sacro, non abstinuissent, sed sæpius in suis scriptis eo fuissent usi: atqui si exceperis locum Act. 11. ubi origo nominis narratur, & hunc locum Petri, ubi *per mimesin* ponitur, nullus exstat, præterquam in oratione Agrippæ Act. 26. 28. Ex quibus inter se collatis, facilè potest colligi, quod sicut fideles à Judæis, odio & contemptim, vocati fuerunt Nazaræi, Actor. 24. vers. 5. ita à Gentibus, quod se Christi discipulos vocarent, eodem sensu & Philosophorum more (quorum discipuli à præceptoribus denominabantur, Platonici, Pythagorici &c.) Christiani fuerint appellati. Neque obstat vocis χρηματίσαι, quâ Lucas usus est, significatio: nam χρηματίζειν significat etiam generatim *nominari, nuncupari*, ut Rom. 7. 3. Atque hoc modo frequentissimè apud bonos authores Græcos usurpari, & prisca Lexica ac recentia, & authorum lectio demonstrat. Hæc de vers. 16. Cui deinde subjiciuntur aliæ rationes duæ, ad tolerantiam persecutionis, à judicio Dei, quod exercet, duplici. Primum est temporarium ac salutare: quo mortificationem carnis, fidei explorationem & martyrium, seu testimonium ad confirmationem veritatis, ad salutem domus suæ seu fidelium procurat. Alterum judicium est exitiosum; quo infideles puniet: cujus gravitatem ex hypothesi prioris judicii per comparationem minoris amplificat & concludit, v. 17. & 18. Ex quibus postremò aptè deducitur conclusio antecedentis hortationis, ad patientiam, fidem & beneficentiam, adjunctis novis aliis argumentis, à causa efficiente afflictionum, Dei scilicet voluntate, & à veritate in promissionibus: denique ab omnipotentia, quam ab effecto creationis discribit, v. 19.

CONSECTARIA.

I. IN Christi passionem injurii sunt illi, qui carni serviunt.

II. Cum adversus carnem seu nativam vitiositatem armare nos debeamus; inde apparet, errare illos graviter, qui carnis mortificationem levem ac facilem opinantur; tum etiam qui rei difficultate territi, de victoria desperant, vers. 1.

III. Operum regenerationis & resipiscentiæ nostræ duæ sunt partes, mortificatio carnis & vivificatio Spiritus.

IV. Cum hominum infidelium cupiditates Dei voluntati opponantur; sequitur opera infidelium esse peccata: ac propterea peccare graviter, qui ea imitantur, & suis vitiis excusandis prætexunt.

V. Dei voluntas unica vitæ nostræ norma est, ad quam nos examinare & conformare debemus.

VI. Non possumus simul Deo servire, & mundo ac peccato, vers. 2.

* VII. Gravissimè in Deum peccant, qui agnitâ veritate resipiscentiam subinde differunt.

VIII. Infideles bifariam peccant, partim perpetratione & approbatione scelerum; partim maledictis in eos, qui resipiscentia Christiana à scelerum societate abstinent.

IX. Perversa infidelium adversus fideles judicia & maledicta, nos à recto dimovere non debent, vers. 4.

X. Quamvis Dei judicium universale differtur, non tamen auffertur: ideoque non est cur impiorum sceleribus

rib us & felicitate temporariâ offendamur, vers. 5.

XI. Si temporibus Apostolorum finis omnium suo modo imminebat, quanto magis hisce temporibus: quæ non solum ultima tempora communiter cum antecedentibus, à Christo exhibito, dici possunt relatè ad tempora Christi adventum antecedentia & longiora; sed etiam comparatè cum Apostolorum temporibus.

XII. Cùm Charitas à nobis requiratur mutua & intensa: indignè faciunt, qui ab aliis diligi se volunt, ipsi verò alios negligunt, aut quasi tepidi parùm diligunt.

XIII. Si aliorum peccata silentio & condonatione tegere, Charitatis officium & argumentum est; charitatem violant, qui citra necessitatem, occulta aliorum vitia aperiunt aut ulciscuntur, v. 8.

XIV. In charitatis officiis requiritur non solùm beneficentia, sed etiam benevolentia & comitas, v. 9.

XV. Dotes hominum non merita sunt, sed dona à Deo accepta: ac propterea causa non est, cur iis superbi sint, sed ut aliis inserviant.

XVI. Cùm pro donorum ratione dispensatores Dei simus, idcircò fideles esse nos oportet.

XVII. Dei dona varia sunt, nec uni omnia, nec pari mensura collata: Ergo non est, cur donorum nostrorum usum aliis subtrahamus, aut aliorum dona invidè aut superbè contemnamus, v. 10.

XVIII. Infideles in Dei domo dispensatores sunt illi, qui pro Dei verbo, aut præter illud aliam doctrinam & humanas traditiones docent. Unde apparet, quid de Pontificiis doctoribus judicandum sit, qui innumera hominum commenta, quasi Dei verbum populo proponunt.

XIX. Finis actionum nostrarum summus esse debet gloria Dei.

XX. Ea autem procuratur per Christum, qui scilicet Spiritu suo quicquid boni à nobis fit, efficit, & carnis impuritatem, quæ illud bonum inficit ac contaminat, suo sanguine tegit & expiat.

XXI. Cum Deo gloria & imperium, jure, tanquam summo bonorum omnium fonti, & omnipotenti Domino conveniant: sequitur non vanum esse, sed justum, quòd glorificationem nominis sui à nobis requirit: & contrà gloriæ nostræ studium, cùm nihil habeamus boni in nobis, damnat ac vetat, v. 11.

XXII. Ad persecutionis tolerantiam præmeditatione illius & utilitate secutura præparare & munire nos debemus.

XXIII. Quemadmodum non miramur, aurum ab aurifice in ignem mitti, quod id eo non consumi, sed probari ac purgari cognoscamus: ita neque mirandum est, si in crucis ignem à Deo immittamur, ut nobis aliisque fides nostra probetur ac purgetur, non autem aboleatur, v. 12.

XXIV. Non est cur de gloria nobis promissa quamvis mundo non appareat, dubitemus aut conqueramur, cum Christi eadem fuerit ratio, v. 13.

XXV. Cùm Christus & Deus, nempe Pater atque Sp. Sanct. distinguantur: trinitas personarum divinarum neganda non est, v. 14.

XXVI. Cùm judicium à domo Dei incipere debeat, malè faciunt, qui eo offensi, à Dei domo recedunt.

XXVII. Pœna infidelium fine carebit seu æterna erit: ideoque non est, cur eorum conditionem in his terris sæpe feliciorem, nostræ afflictioni temporariæ, in æternam gloriam commutandæ, præferamus.

XXVIII. Cùm Euangelium sit Dei tanquam authoris: idcirco contemptores illius justè punientur, ac propterea ei parendum est, v. 17.

CAPUT QUINTUM.

Diximus initio hujus secundæ partis epistolæ (nempe tractationis) eam constare variis hortationibus, quæ sunt partim universales, partim particulares: quas ita tractat Petrus, ut subinde eodem recurrat: nam quemadmodum primùm incepit ab universalibus à capite primo ad capitis secundi v. 13. ac deinde ad particulares, tam Politicas quam Oeconomicas transiit, à cap. 2. v. 13. ad cap 3. vers. 8. sic iterum universales reposuit, inde à capitis 3. v. 8. ad finem cap. quarti: à quibus hoc capite quinto ad vers. 5. redit ab particulares, & postremò in universalibus conquiescit. Particulares autem hortationes sunt duæ: quarum prior *Presbyterorum*; posterior *Iuniorum* officium præscribit. Et illa quidem præfatione, hortatione, confirmatione pertractatur. Præfatio describit primùm hortationis objectum, seu quosnam hortetur, nempe Presbyteros: deinde authorem illius, seipsum, à similitudine vocationis præsentis & gloriæ futuræ: in qua re quasi stimulus quidam & ratio ad sequentem hortationem confirmandam præstruitur. Hortatio autem Presbyterorum officium proponit generatim, ut pascant commissum gregem, hoc est, Ecclesiam: & modum illius exponit speciatim, ac remotione contrariorum illustrat: requirit enim in gubernatione Ecclesiæ animum lubentem & liberalem, v. 2. & humilitatem atque ædificationem Ecclesiæ, vers. 3. Confirmatio denique est à præmio cælestis gloriæ: quæ describitur à causa efficiente Christo; qui periphrasi eleganti & opportuna *pastorum princeps* appellatur: & ab adjuncto gemino, nempe tempore, adventu Christi & æternitate, per Metaphoram à floribus deductam, vers. 4. Atque huic primæ particulari exhortationi, altera succedit; quæ juniorum erga Presbyteros officium definit subjectione; quæ in reverentia, obedientia & ministerio sita est. In qua sententia observanda est vocis *Presbyteri* apta significatio: nam aut propriè seniores ętate, seu qui ętate provecta sunt, notat: aut tropicè officium Ecclesiasticum & pastores eorumque adjutores in Ecclesię gubernatione commodè significat: nempe quod id munus senibus ętate, aut saltem senili sapientia prędiitis conveniat: quemadmodum etiam à senio, senatus & senatores in Republica appellantur, quod ad eam regendam tales potissimùm, qui experientia per ętatem valent, eliguntur: atque hoc altero modo Presbyteri, scilicet Ecclesię intelliguntur, vers. 1. & 1. Tim. 5. v. 17. Quo loco, ut obiter hoc dicam, hę duę seniorum Ecclesię species, clarè indicantur, cum ait: *Presbyteros duplici bonore dignos, præsertim eos, qui laborant in verbo & doctrinâ*. Vnde ex comparatione & distinctione apparet, *seniores* alios esse, qui laborant in verbo & doctrina, hoc est, pastores: alios, qui non laborant in doctrina, hoc est, eos, qui vulgo jam per Synecdochen generis pro specie, *Seniores*, nempe Ecclesię & quidem secundarii nominantur. Quod munus ignavia & superbia primariorum seniorum, hoc est pastorum, in Ecclesia prisca paulatim neglectum & exstirpatum est, ut in genere in commentariis suis in hanc epistolam, sed antecedenti loco, 1. Tim. 5. 1. profitetur Ambrosius: etsi commentarios illos in epistolas Pauli, qui Ambrosio adscribuntur, multi viri docti, non ipsius, sed tamen antiqui scriptoris esse censent. Sic autem loquitur: *Vnde & Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit; quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod quâ negligentiâ obsoleverit, nescio: nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* Hęc ille. Vt autem ad rem redeamus, *seniores* hoc in loco Petri, vers. 5. priori ac propria significatione intelliguntur, ut antithesis relatę vocis *juniorum* evincit. Porrò ab hisce particularibus hortationibus, eleganti transitione ad universales, quę omnes Christianos attingunt, accedit. Prima est ad subjectionem mutuam: qua nulla ordinis perturbatio, sed servato ordine, mutua in bono officia (quibus nos ad aliis serviendum subjiciamus) intelliguntur, ut Phil. 2. vers. 3. hac enim ratione eorum occurritur supercilio, qui sua authoritate ad aliorum & officii mutui neglectum poterant abuti. Altera hortatio est ad humilitatem animi: quam consuetâ metaphora eleganti, ab indumento deducta, confirmat, cum ait, ἐγκομβώσασθε. quę constans est Gręcorum codicum lectio: nam quod Henr. Stephanus in appendice sui Thesauri Gręc. p. 804. ait: *Sed notandum, Complutensem editionem in illo loco Petri Apostoli habere* ἐγκομπώσασθε, *ut apud Suidam quoque* ἐγκομπώσασθε *legitur expositum* στολίσασθαι. id, inquam, minimè notandum, quia error est perspicuus: Complutensis enim editio expressè

 cum

cum aliis consentiens, habet etiam ἐγκομβώσασθε. Ad sensum verò vocis quod attinet, *induere* seu vestire notat, ut Hesychius Κομβώσασθαι (nam male α pro ω scriptum) exponit στολίσασθαι: nam quod noster interpres vertit, *Estote intus ornati*, minus videtur convenire: quia licet Suidas κομβώματα, καλλωπίσματα interpretetur; nullo tamen exemplo id probat: sed ἐγκομβώσασθαι accipi pro *indui, vestiri*, exemplum quod refert Suidas ex Apollodoro demonstrat, ut etiam quod ex Epicharmo adducit. Sic Pollux Onomastici l.4.c.18 Hinc Erasm. in Annotat. ad hunc Petri locum ait; *Perinde sonat, quasi dicas innodate arcte retinete quasi nodis illigatam*. Sed nullum exemplum proferunt. Optimè verò convenit *induite*; ut verbi usum exemplis antè ostendimus, & consueta metaphora induendi, cum de virtutibus agitur, ostendit, ut Rom. 13. v. 12. Eph. 2. 22. & 6. 11. 14. Col. 3. 10. 11. 1. Thes. 5. 8. Quare ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, est, *modestiam induite*. Quæ hortatio optimè, tanquam causa prioris, adjicitur: ut enim inofficiosos reddit superbia: sic officiosos modestia: quâ ex Dei reverentia, honestè de aliis, & modestè de nobis sentimus. Quia verò ob vitiosæ naturæ φιλαυτίαν ardua ac difficilis hæc virtus est: idcirco hortationem enthymematicè confirmat ratione, ex sententia, Prov. 3. v. 34. duplici, ab adjunctis petita: primùm à pœna contrarii vitii, nempe superbiæ, quod Deus superbis resistit, hoc est, eos punit; deinde à præmio modestiæ, quod Deus submissis suam det gratiam, hoc est dona gratuita, cùm corporalia, tum spiritualia, Ps. 34. 19. & 51. 19. 2. Cor. 7. 6. Atque hoc est antecedens Enthymematis, v. 5. Consequens verò novo auctum argumento, ab omnipotentia Dei (per metaphoram *manus potentis* significata) subjicitur; repetito & applicato per promissionem, humilitatis seu modestiæ adjuncto præmio. Quod eleganti oppositione, servata metaphora, exaltationem vocat; quod ad consolationem & patientiam pertinet, quemadmodum etiam illius circumstantia, cum ait: *In tempore*, nempe convenienti, cum Dei sapientia & salute nostrâ, v. 6. Verùm quia huic humilitati coram Deo, cùm immediatè, tum mediatè obstat solicitudo seculi, & oppressionis metus, ad fiduciam in Deum tanquam salutare remedium hortatur: quæ tertia hortatio est, quam à cura Dei paternâ confirmat, vers. 7. Reliquæ duæ hortationes pertinent ad virtutes contra Satanam necessarias: quibus partim nobis caveamus à Satana, partim adversus eundem certemus. Quarta enim hortatio est ad sobrietatem & vigilantiam: & ratio est ab objecto periculo à Diabolo, dæmonum principe, κατ' ἐξοχὴν sic dicto: quod Deum accuset & calumnietur apud homines, Gen. 3. 4. 5. homines apud Deum, Iob. 1. & Apoc. 12. v. 10. & homines inter se, Iohan. 8. v. 44. ut eleganter ait & pluribus explicat Chrysost. in 2. ad Corinth. c. 1. Homil. 2. Et quia nobis accusatione suâ litem intendit, ἀντίδικος, *adversarius* appellatur: quemadmodum eodem sensu Hebraicè *Satan*: cujus crudelitas, potentia, & nocendi studium, comparatione leonis, & quidem rugientis illustratur, v. 8. Verùm quia hæc potentia & crudelitas, potuissent animum fidelium dejicere; idcircò opportunè eum erigit quinta & postrema hortatione, ad fidei exercitium, cujus firmitate Satanam (cùm per se, tum per instrumenta oppugnantem) sustineri ac superari posse indicat, ut 1. Pet. 1. 5. & 1. Iohan. 5. v. 4. & in descriptione *panopliæ* Christianæ, Eph. 6. v. 16. & 1. Thess. 5. vers. 8. Cui hortationi ad consolationem, confirmatio additur à pari conditione fratrum, quorum sortem communem recusare arrogantis, & virtutem ac constantiam nolle imitari, hominis est abjecti, & indigni, cùm fidelium societate, tum Christi vexillo ac Regno, v. 9. Hactenus tractationem, quæ altera, & quidem principalis epistolæ pars est, explicavimus. Cui conclusio, quæ tertia ac postrema est, subjicitur, quinque partibus constans. Quarum prima est votum (scopo epistolæ & antecedentibus convenientissimum) quo precatur iis à Deo in fide & charitate perseverantiam. Quam eleganti gradatione amplificat, & DEI descriptione ab effectis, confirmat: cum eum omnis gratiæ, hoc est, donorum, (ut Iac. 1. 5. & 17.) & vocationis nostræ efficacis scilicet ad fidem & vitam æternam, authorem nominat. Vnde sequitur, quod bonum opus salutis, Phil. 1. v. 6 quod in Iudæis fidelibus cæperat, perfecturus esset, v. 10. Altera pars est celebratio Dei, quæ aut ut ratio antecedentis per assertionem proponitur, ut Matt. 6. 13. aut epiphonemate sancto, antecedenti beneficiorum Dei relationi tanquam effectum subjicitur, v. 11. Tertia pars tabellarium, brevitatem, & scopum epistolæ exprimit, v. 12. Quarta salutationes complectitur, nomine Ecclesiæ Babylonis & Marci Euangelistæ. Cœterum Babylonem quidam propriè intelligunt, & quidem plerique ac probabilius de Babylone Assyriæ: alii de Ægyptiaca exponunt. Quâ de re consulatur Cornelius Bertramus lucubrationum Franckenthalensium c. 9. Quidam verò etiam veterum Metaphoricè vocem *Babylonis* interpretantur de Roma, quæ in Apocalypsi Babylon dicitur ob vitiorum similitudinem, idololatriam, superbiam, libidines, potentiam, crudelitatem in Ecclesiam Dei. Sed hæc sententia non videtur probabilis: nam quorsum in plana hac epistola ea nominis permutatio adhiberetur? In Apocalypsi verò alia est ratio, quæ Mysteriis, ut in Prophetiis fieri solet, redundat. Hæc de v. 13. Denique finitur Epistola solenni Christianæ salutationis & valedictionis formula, vers. 14. quam conclud t trita illa voce, *Amen*.

CONSECTARIA.

I. NOn solùm generatim officium faciendum est; sed etiam speciatim pro vocationis & ordinis cujusque ratione.

II. Ministri Euangelii non minùs quàm reliqui officii sui seriò admonendi sunt.

III. Cùm ministri Euangelii vocentur Presbyteri, hoc est, seniores: senili prudentiæ & honestæ gravitati studere eos decet, & ab erroribus ac cupiditatibus juvenilibus abstinere.

IV. Petrus se συμπρεσβύτερον nominat, neque ullibi dominium sibi in alios attribuit, aut ei ab Apost. aliis est tributum: Ergò non agnovit se caput Ecclesiæ universalis à Christo constitutum: ac propterea multo minus id potestatis convenit Pontifici Romano.

V. Pastores Ecclesiæ non solum alios monere officii debent; sed etiam vitæ Christianæ exemplo suarum admonitionum sinceritatem confirmare, vers. 1. & 3.

VI. Cum fidelium afflictiones sequatur gloria: æquiori animo perferendæ sunt, vers. 1.

VII. Cum Presbyterorum officium sit commune, pascere Ecclesiam; Ergo inde sequitur, falsò à Pontificiis doctoribus Petri Monarchiam ex hac sententia Christi, Iohan. 21. *pasce oves meas*, concludi: nam quod regerunt diversam esse rationem: Petro universas oves esse commendatas, presbyteris aliquas, nempe gregem, qui penes ipsos est: illud nodum non solvit: quia ad amplitudinem, non autem ad formam dominii illud pertinebit: & sequetur presbyteros habere saltem dominium in suum gregem: atqui hoc falsum esse, ex diserta vers. 3. interdictione liquet. Vt interim non dicam, falsum esse Petro universas, hoc est omnium temporum oves, esse commendatas peculiariter: sed communi cum reliquis Apostolis mandato ac jure. Matt. 28. *docete omnes gentes*, sui temporis Ecclesiis ex omnibus gentibus colligendis pro virili inservivit.

VIII. Quandoquidem presbyterorum officium hic statuitur ἐπισκοπεῖν, quemadmodum Paulus *presbyteros* Ephesinos dictos Act. 20. 17. vocat deinde *Episcopos* v. 28. & Phil. 1. 1. Ecclesiæ unius urbis Philippensis tribuit Paulus *Episcopos* & *Diaconos*: neque ullibi in Sacris Litteris Episcopus presbyteris præfertur: inde sequitur, non ex divinâ institutione; sed humana traditione; cui deinde accessit superbia, Episcopos à Presbyteris fuisse distinctos, eisque potestate & authoritate prælatos.

IX. Episcopi, ex sententia Simonis Petri, non debent turpiter lucrum affectare: Ergò sequitur, Pontificem, apud quem Sacra penè omnia sunt venalia, ut ipsimet Pontificii doctiores conqueruntur; quique ex rebus impuris quæstum facit, esse Simonis non Petri, sed Magi, Act. 8. vers. 18. 19. successorem.

X. Ec-

X. Ecclesia Christi, grex Dei (utpote quem Deus Filius vocavit & sanguine suo redemit, Act. 20. v. 28.) & *cleri*, id est, hæreditates Dei (Levitis Veteris Test. 1. Petr. 2. v. 9. adumbrati) ad fidelium consolationem vocantur: Ergò indignè hoc nomen ad solos Ecclesiæ ministros, eorumque seminarium traductum est, jam olim, imitatione pædagogiæ legalis, sub qua Levitæ ita vocabantur. Quomodo loquitur Tertullianus de Monogamia c. 11. & 12. ubi *Laicis* opponit *Clerum & Ordinem Ecclesiasticum*; quem alibi Synecdochicè vocat *Ordinem*, & *plebi* opponit: in hortatione ad castitatem, c. 7. Deinde ex Canonibus, qui Apostolis falsò adscribuntur, sed tamen antiqui sunt, idem apparet: nam can. 13. & 15. *Clericus* & *Laicus* opponuntur, vers. 2.

XI. Presbyteris interdicitur dominatus in Ecclesiam, ut Apostolis, Mat. 20. 25. & Christus pastorum princeps solus nominatur, v. 4. Ergò corruit Pontificis Hierarchia & tyrannis, quâ asserit Bonifacius Papa: *Subesse Romano Pontifici omnem creaturam humanam, declaramus, dicimus & pronunciamus omninò esse de necessitate salutis*. Extravagant. Commun. lib. 1. de majoritate & obedientia cap. 1. *unam sanctam*. De quo dominio blasphema omninò glossa est ad eum locum. Et majori impudentia additur in decreto Gratiani dist. 40 Si Papa; *non licere cuiquam Papam redarguere, etiamsi innumerabiles populos catervatim secum raperet in gehennam*. Ad quem dominatum confutandum inter errorum nebulas, insignes emicant in libris Bernhardi, licet Pontificii & idololatria infecti, ad Eugenium Papam, sententię.

XII. Fidelibus Ecclesiæ pastoribus corona gloriæ ultimo die donabitur à Christo pastorum principe: Ergò fideliter & constanter in officio perstandum, 1. Tim. 4. 8. licet homines in pastores maximè essent ingrati, v. 2.

XIII. Iuniores in Dei mandatum peccant, qui seniores despiciunt.

XIV. Iniqui sunt, qui aliorum officia desiderant: ipsi verò ad mutuam præstandam operam se submittere detrectant.

XV. Acer ad virtutem stimulus est Iudicii Dei contemplatio, vers. 3.

XVI. Cum Deus benignam nostri curam gerat; illi tàm in rebus adversis fidendum, quàm in prosperis agendæ gratiæ, v. 7.

XVII. Quandoquidem Deus, cum opportunum est, succurrit; patienter est exspectandus, nec ei certum auxilii tempus præfigendum.

XVIII. Ebrietas & crapula corporis animique vitanda, v. 8.

XIX. Cùm Diabolus nobis ad perniciem insidietur; orandus est Deus, ne nos inducat in tentationem, sed liberet ab illo malo.

XX. Quum afflictiones sint nobis cum fratribus communes: non est cur in adversis adversus communem patrem murmuremus, aut meliorem sortem præ aliis nobis arroganter postulemus, v. 9.

XXI. Afflictionum brevis duratio & futura gloria, magnum in adversis solamen.

XXII. Orandus est Deus pro confirmatione fidei: ideoque frustrà docetur (ut 1. Cor. 3.) nisi Deus det incrementum, v. 10.

Reliqua, quia facilia sunt, omittimus.

EXPLICATIO EPISTOLÆ
SECUNDÆ PETRI.

Absolutâ primæ Epistolæ Petri explicatione, alteram, ob scriptoris & argumenti convenientiam, scriptique ordinem in Codice sacro, & brevitatem, examinare & illustrare operæ precium duximus: sed priusquam ad descriptionem & partitionem accedamus, pauca de epistolæ auctoritate & scriptore præmittenda sunt; quoniam de iis, & olim, & nostris temporibus diversæ extiterunt sententiæ. Quidam enim authorem Deum, & scriptorem Petrum Apostolum affirmant: alii verò utrumque negant: petitis ex iisdem generalibus fontibus, argumentis, partim epistolæ initiis, nempe à stylo seu scribendi genere, materiâ ac formâ: partim foris assumptis, à testimonio Ecclesiæ antiquæ. Nam qui divinam & Apostolicam hujus Epistolæ authoritatem esse asserunt, eam stylo & orationis forma cum primâ Epistolâ (quàm certò Petri esse constat) congruere, ex eo probant: quoniam genus illud dicendi Petro præ cæteris peculiare, quod Græci πλατικὸν vocant (quo videlicet omnia, vix distinctis periodis, inter se connectuntur) facilè in hac epistolâ observari potest. Deinde si materiam & formam spectemus, optimè cum primæ epistolæ sententiâ, & veritatis Sacrarum Literarum norma consentit: adeò ut eandem ac divinam authoritatem & majestatem, Petrumque Apostolum scriptorem spiret & apertè præ se ferat, cap. 1. 1. 14. 16. Et ut hoc addam, si Petri Apostoli scriptum non sit; ne inter Apocryphos quidem libros locum, ob insignem ac blasphemam mentiendi impudentiam, merebitur: cùm sibi, quæ Petro Apostolo propria sunt, tribuat. Denique si Ecclesiæ consensum quæramus, adducunt testimonia, cùm publica Conciliorum; ut *Romani* sub Damaso, *Laodiceni, Carthaginiensis Tertii*, & *Romani alterius* sub Gelasio: tum privata Sanct. Patrum; ut Græcorum, Athanasii in Synopsi, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii; & Latinorum Augustini de doctrinâ Christianâ, & Ruffini in Symbolo. Qui verò contrà hujus epistolæ authoritatem divinam negant; styli & materiæ, à prima epistola dissensionem & judicium Ecclesiæ priscæ contrarium objiciunt: nam ex Græcis Didymus in Commentar. hujus epistolæ ait: *Non est igitur ignorandum, præsentem epistolam esse falsatam: quæ licet publicetur, non tamen in Canone est*. Et Eusebius historiæ Eccles. lib. 3. cap. 3. *Petri*, inquit, *epistola quæ prior dicitur, citra controversiam recepta est, & hac veteres olim Presbyteri sine ulla hæsitatione in Scripturis usi sunt. Eam verò quæ posterior dicitur, non esse in Testamento, accepimus: & tamen quia multis videtur utilis, cum aliis usurpata est Scripturis*. Ex Latinis verò Hieronymus, ut ajunt, idem testatur epistolarum tomo primo in catalogo Ecclesiasticorum scriptorum in Petro; *Scripsit*, inquit, *duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur: quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli dissonantiam*. Cæterùm in hac sententiarum pugna, meritò cum Ecclesiis Reformatis priorem & illius rationes comprobamus. Nam quod pro adversa parte objicitur primùm; *Stylus diversus est: Ergò & author*; dilui potest bifariam, primùm negatione antecedentis: quia antè ostendimus genere dicendi Petro peculiari hanc Epistolam cum priori convenire; deinde negatione consequentiæ: quia non quævis styli diversitas, diversum authorem aut scriptorem arguit: cùm idem scriptor, pro argumenti aut ætatis diversitate, stylo uti possit nonnihil diverso: quemadmodum experientia bonorum authorum evincit: inprimis in Scriptis divinis, in quibus Sp. Sanctus ad scriptoris ministri sui stylum non est adstrictus: sed eo, aut diverso, liberè uti potest. Neque solidius est, quod secundo loco adversus nos, de materiæ dissensione adfertur: nullum enim proferunt locum, qui cum prima Epistola Petri, aut cum Sacra Scriptura reliqua, ullo modo reverà dissideat. Nec denique Ecclesiæ consensus nos gravat; quia privatis quorundam, licet multorum, judiciis, contrà opponimus Conciliorum & Patrum aliorum insignium sententiam: & quia recta ratione nititur, jure præponimus: nam ad Didymum quod attinet, ex eo optimè, ut arbitror, discere possumus, aperto errore factum esse, ut ignorata verborum Petri mente, & ipse, & alii hanc epistolam à fidei canone secreverint: offensi enim fuerunt Petri sententia, c. 3. 6. 7. & 13. de mundi muta-

mutatione & interitu: quasi non unum numero mundum, pro temporum ratione variatum, sed tres numero diversos mundos, per successionem statuisset. Quod quia vulgo minus observatum, diligenter ad hujus argumenti notitiam, & similium declarationem, notandum est: sic enim & epistola ad Hebræos, & Apocalypsis Ioannis, ob imperitam quorundam locorum intelligentiam & expositionem, atque hæreticorum abusum, pari errore ac temeritate, à multis olim fuerunt à Canone resecta ac rejecta. Ad Eusebium deinde quod attinet, eadem est parata responsio. Sed Hieronymum, quem etiam objiciunt, omninò à nobis stare asserimus: nam primùm, quoniam in loco nobis objecto quid plerique sentiant, refert; ostendit ea loquendi forma nonnullos, & inter eos etiam sese in alia esse sententia: quod apertè confirmatur ex verbis antecedentibus: *Scripsit*, inquit, *Duas Epistolas:* quibus rei veritatem & judicium suum, quorundam præjudicio anteponit. Deinde epistola ad Paulinum disertissimè ait; *Iacobus, Petrus, Iohannes, Iudas, septem epistolas ediderunt, tam mysticas quàm succinctas: ut rarus sit, qui non in earum cæcutiat lectione*. Quo etiam pertinet, quod tom. 3. epistolarum, ad Hedibiam quæst. 11. ait: *Denique duæ Epistolæ feruntur Petri, quæ stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum: ex quo intelligimus, pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus*. Hæc Hieronymus. Vnde perspicuè apparet, eum hanc epistolam Apostolo Petro certò adscripsisse: quanquam, quod de styli diversitate monet, jam antè à nobis solutum est. Deinde quod de diversis interpretibus ait, mera & aliena conjectura est, licet à nonnullis Pontificiis authoribus mirificè probetur: nam hinc sequeretur, Petrum Apostolum suas Epistolas, non sermone Græco, ex Spiritus Sancti instinctu scripsisse, sed Hebraicè dictasse suis Amanuensibus, quos pro temporum ratione habuerit diversos, eosque suo dicendi genere Græcè scripsisse: sicut primam epistolam quidam conjiciunt à Marco; hanc verò ab alio versam; ac propterea pro diversitate interpretum, diversum esse stylum. Quod quàm alienum sit, inde facilè cognoscitur, quod & scriptor Petrus linguarum omnium notitia præditus; eaque usus, Act. 2. fuerit: deinde quod illi, quibus scripsit, Iudæi extra Patriam constituti, Græcè ob imperium Græcorum antecedens loquerentur. Quare omissa hac conjectura, & demonstrata satis hujus epistolæ autoritate divina, & scriptore Petro Apostolo, ad descriptionem & partitionem illius transeamus. *Est autem hæc epistola divinum Novi Testamenti scriptum dogmaticum à Petro Apostolo post primam epistolam exaratum: quo jam Martyrio vicinus, Iudæorum dispersorum Ecclesias in agnita doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ veritate, & secundum eam vitæ sanctitate confirmare & adversus utriusque adversarios præmunire studuit, ad salutem ipsorum, & perpetuam Ecclesiæ ædificationem, & Dei gloriam*, cap. 1. v. 1. 11. 12. 14. 15. & c. 3. 1. & c. 2. 3. &c. Quæ singula ex Epistolæ divisione & explicatione plenius intelligentur. Dividitur enim in Præfationem, vers. 1. & 2. Tractationem à vers. 3. ad capitis 3. vers. 17. & Conclusionem, cap. 3. vers. 17. & 18. Ac Præfatio inscriptione & salutatione constat. Quarum illa & causam epistolæ instrumentalem & objectum: seu *quis & quibus scribat*, exponit. Scriptor enim denotatur adjuncto duplici, nomine & officio. Nomen est duplex, primò inditum, & primo additum. Primum est, quod ei datum pro more communi, in circumcisione, nempe Simeon & contractè Simon: nam quod doctissimus Drusius ad loca Pentateuchi in Genesi ait; *Simon aliquando contractum esse putavi, ex Hebræo Simeon; nunc inclino, ut credam Græcum Σιμὼν, quod non malè Simo scribitur:* illud, inquam, videtur omninò alienum: nam Σιμὸς Græcè aut depeculatorem, aut Simum seu hominem depressis naribus, citra controversiam significat: unde ab hoc vitio Simon Græce dicitur, ut Latinis Naso, Fronto, à nasi & frontis magnitudine. Ideoque præter vocis quandam convenientiam nihil rei significatæ habet commune cum Hebræo שמעון. cujus origo prima & etymon honestum indicatur, Genes. 29. vers. 33. à שמע *audire*, quod mater illius à Deo exaudita: unde frequens apud Iudæos nominis illius usus promanavit. Quod nomen ibidem à L X X. interpretibus σιμεὼν redditur: ubi per Syncopen Hebræa adspiratio, Græcis insolens, rejecta, & euphoniæ gratiâ pro chireck parvo υ ψιλὸν, & pro Scheva seu nota vocalis absentis sub consonâ mobili ponitur ε ψιλὸν. quomodo noster Apostolus, Actor. 15. vers. 14. Συμεὼν, ut etiam in hujus epistolæ initio appellatur: idemque sæpissimè & Hebræo propinquius Σιμὼν, Actor. 10. vers. 5. & 32. & passim in Euangeliis. Hæc de nomine Hebræo Scriptori hujus epistolæ primùm indito. Alterum verò est Syriacum כפא & terminatione Græca Κηφᾶς à Christo additum, hoc est, Græcè Πέτρος, Ioann. 1. v. 43. Ideoque, Actor. 10. vers. 5. Angelus eum vocat Simonem, qui cognominatur Petrus. De quo nomine contra Pontificios in prima epistola pluribus disseruimus. Atque hæc de primo, Scriptoris hujus epistolæ, quo describitur, adjuncto, scilicet nomine duplici. Alterum est officium illius: quod primùm generatim & per Synecdochen indicat, cum ait: *Servus Iesu Christi:* nam ut communi cum fidelibus omnibus ratione, ut Christo tanquam Domino, fidei & charitatis obedientia serviret, erat adstrictus: sic præterea peculiari ratione, quod ad Euangelium prædicandum vocatus esset, Christi servus dicitur: ut Paulus se vocat, Rom. 1. vers. 1. & Phil. 1. vers. 1. Deinde quia inter Christi, in Euangelii prædicatione, servos, diversi sunt modi: idcircò speciatim addit *Apostolus*, ad autoritatem Scriptoris & epistolæ commendandam & fidem excitandam; de qua re in prioris epistolæ initio actum. Hactenus de efficiente instrumentali hujus epistolæ: sequitur deinde objectum, seu *quibus ea scripta est*, Id quod ab adjuncto fidei declarat, cum ait, *iis, qui nobiscum sortiti sunt fidem æquè preciosam*, nempe ratione non mensuræ, sed Dei & fructus illius, seu justificationis ac salutis: ut sequentia demonstrant verba, quibus fidem describit, cum ait: ἐν δικαιοσύνῃ *in justitia Dei nostri & servatoris nostri Iesu Christi*. Quæ verba diversè exponuntur. Cujus rei occasio est, quod vox ἐν & *justitia* diversam significationem admittant: nam ἐν interdum causam efficientem notat, ut διὰ cum Genitivo *per*: quemadmodum quod 1. Corinth. 12. vers. 8. est διὰ πνεύματος *per Spiritum*, eodem sensu est bis vers. 9. ἐν πνεύματι: interdum adjunctum notat, quando pro σὺν seu μετὰ, id est, *cum* accipitur: ut quod Marc. 13. vers. 26. dicitur, *cum potentia & gloria*, illud Matth. 25. vers. 31. & Luc. 9. v. 26. *in*, id est, *cum gloriâ suâ*, & 2. Corinth. 7. vers. 1: ἐν φόβῳ id Philip. 2. v. 12. μετὰ φόβου, & Petrus hoc cap. 1. v. 5. 6. & 7. voce ἐν pro σὺν, septies utitur. Deinde ad vocem *Iustitiæ Dei* quod attinet, intelligi potest, vel quæ in Deo, qua Deus justus seu verax ac fidelis in promissis servandis, ut Rom. 3. v. 25. 26. vel quæ à Deo est, quàm à Christo acquisitam nobis donat, ut Rom. 10. vers. 3. Atque hinc exposita vocum ἐν & δικαιοσύνης significatione diversa, oritur inprimis duplex hujus phrasis interpretatio ac sensus. Prior est ut ἐν significet *per*, & *justitia Dei* per Synecdochen intelligatur fidelitas illius in promissis, de Iudæorum dispersorum ad fidem in Christum vocatione: ut eo modo causa efficiens fidei indicetur, ad Dei gloriam & fidelium humilitatem & gratitudinem. Quæ nostri interpretis & quorundam sententia. Posterior expositio est, ut ἐν pro σὺν, & *justitia Dei* pro donata Christi justitia accipiatur: *cum justitia Dei nostri & Servatoris Iesu Christi*. Quo ostenditur fidem eorum æquè preciosam esse, quod non minus quàm Apostoli fidem à Deo sint sortiti: sed etiam cum ea, per imputationem, justitiam Dei & Christi ad justificationem & salutem. Quæ expositio plenior & scopo accommodatior est. Cœterùm cum hac periphrasi, *qui æquè preciosam sortiti sunt fidem* &c. fideles intelligi perspicuum ac certum sit, utri intelligantur, Iudæi an gentiles, diversa sunt judicia. Quidam enim gentiles intelligi putant: idque ex comparatione instituta parium, & Dei justitia (cujus fit mentio) colligunt; ac si Petrus gentiles sibi & reliquis Iudæis æquales assereret in fide: qui antea erant secreti à Dei fœdere & Ecclesia, Eph. 2. vers. 12. 13. Deinde quod Deus justitiam suam in eo demonstrarit, quod gentes secundum promissionem Christo exhibito & glorificato vocarit, & Iudæis æquarit, ut Ephes. 2. vers. 12. 13. 17. 18. 19. Alii

verò

verò melius de Iudæis dispersis exponunt: nam iisdem hanc epistolam conscripsit Petrus, quibus primam, 2. Petr. 3. vers. 1. Atqui primam scripsit Iudæis dispersis, ut 1. Pet. 1. vers. 1. ostendimus. Ergo & hanc. Nec propterea aliena est comparatio: quia ad consolationem & confirmationem Iudęorum dispersorum pertinet, ut 1. Pet. 2. vers. 9. & 10. quod non minus illis, quàm in Iudęa natis Euangelium annunciatum esset, & fides ac justitia Christi, secundum Dei, per Prophetas, promissiones communicata, vers. 1. Atque hęc de Inscriptione epistolę. Cui deinde additur, vers. 2. Salutatio: quæ votum continet incrementi gratiæ, pacis & agnitionis Christi, hoc est, fidei Synecdochicè, ut Es. 53. quæ causa augendæ gratiæ instrumentalis est, vers. 2. Hactenus Præfatio: cui aptissima connexione adjungitur altera epistolæ pars, nempe Tractatio, cujus quatuor primariæ sunt partes: commendatio fidei & gratiæ divinæ; deinde hortatio ad opera fidei; præterea confirmatio doctrinę fidei ab Apostolis & Prophetis declaratæ: denique præmunitio adversus doctrinæ fidei & operum adversarios. Quorum primum connectitur antecedenti salutationi tanquam ratio voti, & præmittitur sequenti hortationi tanquam fundamentum & confirmatio ipsius: nam propositum votum incrementi agnitionis Christi, seu fidei, probat à donorum illorum initio collato: quorum consequens adjunctum proprium est incrementum & perseverantia, Rom. 8. vers. 30. 1. Pet. 1. vers. 5. & 9. Initium autem donorum collatorum describit primùm à causa efficiente principali: quod Servatoris nostri Iesu Christi divina potentia, omnia quæ ad vitam, hoc est, hæreditatem vitæ æternæ, & ad pietatem pertinent, donavit nobis: instrumentalis verò est fides, seu *agnitio ejus, qui vocavit nos, per gloriam & virtutem*, hoc est, (ut nonnulli exponunt) per gloriosam virtutem, ut sit ἓν διὰ δυοῖν: ut *virtutis* vox pro Dei bonitate accipiatur; ut in simili Petri sententia, 1. epist. 2. vers. 9 Altera plenior expositio esse potest, ut *gloria* Metonymicè Dei potentiam notet, ut Iohan. 2. v. 11. & Rom. 6. v. 4. *Sicut Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris*, hoc est, per potentiam: quam exeruisse dicitur in fidei nostræ effectione & in Christi resurrectione, Eph. 1. vers. 19 20. Quod enim noster interpres & quidam alii ipsum secuti hæc Petri verba διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς *ad gloriam & virtutem* interpretantur, & utrumque ad fideles referunt; illud phrasi non convenit. nec enim διὰ pro εἰς, id est, *ad* in S. L. usurpatur: nam quod profertur locus, Rom. 6. vers. 4 alienum est: quia διὰ δόξης *per gloriam* optimâ significatione convenit, & circumstantiæ insolentem significationem non postulant, sed propriam. Atque hæc de donorum collatorum descriptione à causa efficiente principali, Christi potentia divinâ: & instrumentali agnitione Dei, seu fide & origine fidei, gloria & virtute, seu potentia & bonitate Dei. Quas describit ab effectis & fine earum. Effecta sunt quod per eas nobis fidelibus maxima ac preciosa promissa donata sint, nempe justificatio, pax cum Deo, & vita æterna. Finis verò est, ut elapsi à mundanis cupiditatibus, quæ exitium pariunt, divinæ fiamus naturæ participes; non essentiæ, quæ simplex & infinita, sed qualitatum similitudine, hoc est, ut ad imaginem illius in vera sanctitate & justitia reformemur, vers. 4. Hæc de fidei & gratiæ divinæ commendatione. Cui tanquam fundamento adstruitur altera tractationis pars, nempe hortatio ad serium studium operum fidei & vitæ Christianæ. Quæ hortatio constat propositione & confirmatione. Ac propositio ex antecedenti declaratione finis fidei ac promissionum Dei, quæ Euangelio propositæ, accuratè concluditur: nam si finis est fuga vitiorum, & divinæ naturæ communicatio: sequitur, fidem non debere esse ociosam, sed fructuosam: nam quod vulgò statuunt, in hujus sententiæ explicatione, Petrum, v. 5. hortari tam ad fidem, quàm ad opera & virtutes illius: illud si antecedentem partem spectes, verum est: sed si hujus loci scopum & circumstantias consideres, apparet, Apostolum ipsis, fidem (quum antè donatam asseruit) attribuere tantùm: & ut cum ea conjungant opera fidei, hortari. Utitur autem gradatione quadam, & promiscuâ officiorum fidei enumeratione. Quare requirit virtutem, scientiam, v. 5. continentiam, tolerantiam, pietatem, v. 6. fraternam dilectionem & charitatem, v. 7. Cum autem *virtus* generatim sumi soleat pro justitia erga Deum, aut proximum: hoc in loco videtur, ut quidam rectè ex virtutum adjunctarum catalogo conjiciunt, *beneficentiam* denotare: quia aliæ deinde virtutes distinctè annectuntur. *Scientiæ* verò voce *prudentiam* significare videtur; quæ, observata diligenter circumstantiarum ratione, beneficentiam dirigat ac moderetur. Fraterna verò charitas & charitas tanquam universale & particulare differunt: fraterna enim charitas est specialis, quâ fratres, id est, fideles amamus, ut filios Dei, ejusdem Patris (non solùm creatoris, sed etiam in Christo redemptoris) & Ecclesiæ matris, atque in Christo fratres. Charitas verò generatim ea est, quæ quosvis etiam infideles & inimicos complectitur: ut Mat. 5. v. 44. ad finem usque; & de utraque distinctè & comparatè, Galat. 6. v. 10. Hæc de hortationis propositione: quæ apposita confirmatione stabilitur quinque argumentis. Quorum primum petitum est ab effecto, hac ratione; quod vos in fide reddit & ostendit fructuosos, ei studere debetis. Atqui harum virtutum exuberatio vos reddet & ostendet fructuosos. Ergò iis studere debetis, vers. 8. Altera ratio est à causa efficiente oppositi privantis, hoc modo; quod effectum proprium & indicium est cæcitatis spiritualis, seu rerum cœlestium ignorantiæ, & incredulitatis, ab eo cavere debetis. Atqui harum virtutum absentia, cæcitatis effectum & argumentum est. Ergò ab ea re cavere debetis; ac propterea virtutibus studere. Tertia ratio est ab adjuncta ingratitudine: quod oblivionem purgationis peccatorum (qua per Christi sanguinem & Spirit. seu justificatione & sanctificatione purgati sumus 1. Cor. 6. v. 11.) arguit, illud vitandum. Atqui peccatorum studium & justitiæ fuga oblivionem illam in credentibus arguit. Ergo peccatorum studium vitandum, v. 9. Quarta ratio hortationis specie proposita ab effectu utili hæc est; quo vocationem & electionem æternam facimus firmam, ei opera danda est. Atqui virtutum studio id obtinemus. Ergo iis danda est opera. Electionis autem confirmatio propriè hîc intelligitur non ratione Dei (quia consilium ejus æternum ac stabile est, Rom. 11. vers. 29. 2. Timot. 2. vers. 19.) sed ratione conscientiæ humanæ, cùm nostræ inprimis, tum etiam alienæ: quoniam ex bonis operibus tanquam ex fructibus & effectis propriis, dignoscimus ac demonstramus fidem nostram, Iacob. 2. tanquam causam propinquam, & ex iis, cùm nobis, tum aliis confirmamus. Eoque modo à vocationis efficacis confirmatione, gradatim ad electionem (à qua vocatio illa tanquam à causa necessariò dependet, Rom. 9. 28. 29. & 30.) adscendimus. Quinta ratio est ab effectu, conservatione perpetua, à lapsu in salutis viâ, quum ait, *nunquam impingetis*. Neque huic repugnat dictum Iacobi c. 3. v. 2. *in multis enim impingimus omnes*. Quia Petrus hoc loco non absolutè loquitur; sed præmissâ conditione; *Hæc enim si feceritis*. Quia verò ex parte tantùm fideles hæc faciunt, ex partè verò non faciunt (quia carnis reliquiæ pugnant adversus Spiritum, Galat. 5. v. 17.) idcirco quatenus hæc infirmitate carnis non facimus, eatenus impingimus: quatenus verò hęc, Spiritu adversus carnem repugnante, eamque superante, facimus, non impingimus. Quare Petrus & Iacobus probè inter se consentiunt. Hæc quinta. Sexta denique ratio est, vers. 11. ab adjuncto, nempe consequente beatitudine: quod ea via in Regnum Christi cæleste, copiosus dabitur introitus, ut Matt. 25. 34. 35. Act. 14. 22. Atque hæc de propositâ hortatione & apposita confirmatione illius: ex qua per objectionis anticipationem quandam, hortationis necessitatem concludit. Objici enim poterat; periti sumus & confirmati in præsenti veritate. Ergò non est, cur ita nos commonefacias. Respondet Apostolus negatione consequentiæ. Imò verò contrà, propter has, quas attuli rationes, non desinam vos commonefacere: quia scilicet vobis amplius confirmandis utile ac salutare est, & ego salutis vestræ studiosus, v. 12. Deinde alteram rationem adjicit, ab officio suo & scientia illius, quod dum in hoc corporis quasi tabernaculo sua anima peregrinaretur,

pararetur, 2. Cor. 5. v. 1. justum esset, ut eos excitaret, suâ commonefactione, tanquam ad id à Christo vocatus, v. 13. Tertia ratio est ab adjuncta temporis circumstantia & mortis propinquitate: quæ amantium de suis curam acuit. Cujus scientiam & certitudinem confirmat à prophetia Christi, *sicut*, inquit, *Dominus noster Iesus Christus significavit mihi*. Quod vulgo de prædictione, quæ extat Ioa.21. v. 19. interpretantur: sed tamen aliquid adjiciendum est, quia Christus eo in loco tantùm martyrium Petri, non autem circumstantiam temporis designat. Unde satis constare arbitror, Petrum habuisse duplicem mortis prædictionem: unam Ioa.21. quæ antecessit, & mortis genus definivit tantum: alteram quæ postea successit, & mortis tempus determinavit: alioqui quomodo posset dicere; *Scio futurum brevi, ut deponam Tabernaculum*, v. 14. Quarta ratio ab utili est; ut possint non solùm horum meminisse, post migrationem Petri ex hac vita: sed etiam mentionem ejus rei facere, ad Ecclesiæ videlicet in fide ac vitæ sanctitate utilitatem, v. 15. Atque hîc definit altera Tractationis hujus epistolæ pars; ac tertia succedit, quæ commendationem doctrinæ fidei, ab Apostolis & Prophetis traditæ, complectitur, transitione aptissima: nam ostendit ea, quæ à se & reliquis Apostolis proposita sunt, esse memoratu dignissima, ob certitudinem & dignitatem Euangelicæ doctrinæ. Eam autem demonstrat à causis, per remotionem falsæ causæ, figmenti scilicet humani, & positionem veræ, nempe revelationis divinæ duplicis. Quarum prior est miraculosa, & Novi Testamenti, consistens in Majestatis Christi patefactione & Patris cœlestis testimonio. Quæ à suâ & collegarum experientia sensuum comprobat, nempe quod illius fuerint spectatores, hujus verò auditores. Cæterùm majestatem suam Christus, operum divinorum efficacia in vitâ, morte, resurrectione, & postea testatam fecit sæpius. unde communiter de hisce omnibus intelligi potest, v. 16. ita tamen ut potissimum de cœlesti, & planè admirabili illa Christi apparitione, quæ Mat. 17. describitur, accipiatur, ut expressè, v. 17. & 18 exponitur. Altera revelatio divina est Sanctorum Prophetarum consensus, de quo idem Petrus, Act. 10. v. 43. quem sermonem ait βεβαιότερον *firmiorem* Quæ vox bifariam exponi potest. Quidam enim per enallagen gradus, comparativum pro absoluto sivè positivo positum esse arbitrantur: quemadmodum, Actor. 25. v. 10. κάλλιον pro καλῶς. Cujus expositionis ratio est, ne doctrinæ Apostolicæ, quæ Propheticæ par est, minui videretur authoritas. Alii verò propriè & comparatè explicant *firmiorem*; sed in comparationis accommodatione diversi sunt. Quidam enim comparari Prophetarum doctrinam putant, non cum doctrinâ Apostolica, sed cum hominum fabulis ac traditionibus (à quibus etiam Scripturam ortam esse negat) Alii cum doctrina Apostololorum, qua dicatur firmior non per se, sed tantùm per accidens, videlicet ratione opinionis Iudæorum, ad quos scribit. Quæ expositio probari videtur non multùm dissimili loco, Ioh. 5.47. Sed quid si dicatur sermo Propheticus firmior, hoc audito ab Apostolis sermone: non ratione veritatis, quæ utrimque æqualis est; sed solummodò ratione modi patefactionis: quod nim. vox illa cœlitus delata & audita à tribus tantùm Apostolis, eaque præterierit: contrà verò Prophetarum sermo literis etiam fuerit consignatus, & sæpius successione quadam Prophetarum confirmatus, & communi consensu probatus à Christo, qui eam miraculis prætulit, Luc. 16. vers. 31. 34. Denique ut obiter illud addam, nihil etiam magnopere videtur obstare, quominus relatè non ad doctrinam Apostolicam, sed ad seipsam dicatur nunc firmior: scilicet quod Christi majestate, & Patris testimonio confirmatus sit. Cæterùm hinc ad commendationem illius sermonis Prophetici transit Apostolus: ut pios in officio & amore erga Scripturam Prophetarum confirmet, & illorum calumniis occurrat, qui aut eam contemnere inter Christianos audebant: aut Apostolos tanquam illius adversarios traducebant. Ac primùm agit de lectione, deinde de interpretatione Prophetarum. Laudat enim Iudæorum fidelium studium, quod sermoni Prophetico attenderent: idque probat ab effecto illius per allegoriam suavissimam, cum ait; *velut Lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer* seu clara Christi notitia *exoriatur in cordibus vestris*. Sed objicere aliquis posset; Si attendendum est sermoni Prophetarum, donec dies illucescat. Ergo postquam jam illuxit, nullus illius est usus. Negatur consequentia: quia vox *donec* antecedens tempus semper includit, sed consequens non necessariò excludit, ut Matth. 28. 20. & alibi. Sed regerent paulo adhuc speciosus, Si lucernæ, orto die, nullus omninò est usus. Ergò nec sermonis Prophetarum (qui instar lucernæ spiritualis, orto die spirituali, nempe clariore Euangelii cognitione) ullus apud fideles erit usus. Negatur consequentia: quoniam similia non sunt eadem, neque paria; sed in similitudinibus considerandus est scopus, nec omnia sigillatim in iis similia esse debent. Deinde ut id maximè hîc valeret; dicimus diem non plenè illuxisse fidelibus, ob tenebras adhuc reliquas in hac vita, à quibus paulatim verbi divini & spiritus illustratione liberamur: in cœlo verò & æternâ vitâ plenè lucebit dies, plena erit cognitio & æterna, ideoque neque sermonis Prophetici erit usus. Alioqui si fideles, qui per Euangelii doctrinam illustrati sunt, quibusque ex parte dies ortus, Prophetarum sermonem legere non deberent; hi Iudæi, quibus ejus lectio præcipitur, non fuissent fideles, Euangelii doctrinâ illustrati. Atque hoc falsum esse docuit Petrus, v. 1. 3. 4. 5. 10. & 12. Ergo & illud. Quamobrem lectio Prophetarum utilis ac perpetua esse debet in Ecclesia militante, ut quæ nunc ex parte cognoscit: triumphans verò plenè, 1. Cor. 13. 9. 10. v. 19. Ideoque *donec dies illucescat*, intelligendum est de pleno die in Ecclesia triumphante. Sed ad intelligentiam rectam de Prophetarum lectionis & interpretationis legitimæ regulâ, observationem addit Apostolus, adversus adversariorum Iudæorum præjudicium. Docet enim causam efficientem principalem, seu unde ea petenda sit, remotione contrarii, quod videlicet nulla Scripturæ prophetia sit propriæ explicationis, hoc est, non ab hominis ingenio, aut voluntate, sed à Deo petenda sit: qui scilicet & in verbo, locis apertioribus & commodis circumstantiis, obscuriores, de doctrinâ salutis, sententias declarat & interpretatur, & Sp. Sancto rectam interpretationem fidelium animis probat ac persuadet, v. 20. Idque confirmat Apostolus ab unico authore Scripturæ Propheticæ, Spiritu Sancto, qui propterea unicus & optimus est, erroris omnis expers, suorum verborum interpres summus.

CONSECTARIA.

I. CVm Petrus etiam hanc secundam Epistolam confirmandis fidelibus conscripserit: in eo elucet argumentum fidelitatis in Christi agnis, secundum mandatum officium, pascendis, Ioann. 21. vers. 15. & veri pastoris exemplar, quod alii imitentur.

II. Cùm hæc epistola ab Apostolo Christi conscripta sit: divina illius authoritas agnoscenda est, & debita obedientia excipienda.

III. Petrus neque hîc neque alibi majores sibi titulos adscripsit, quàm servi & Apostoli Iesu Christi. Ergo malè contrà statuunt Pontificii.

IV. Fideles fidem sortiti sunt, divinâ scilicet providentiâ dispensante: Ergò fides Dei donum est, non humanarum virium effectum.

V. Quamvis fideles fidei mensura dispares sint, dignitate tamen objecti Christi, in quem fertur, & justitiæ illius participatione pares sunt: ideoque mutuò se in precio habere debent, v. 1.

VI. Gratia & pax, Dei potissima bona sunt, quorum incrementa aliis nobisque optare debemus.

VII. Per agnitionem Dei & Iesu Domini nostri, hoc est, per fidem, gratia & pax nobis multiplicantur: Ergò danda est opera, ut precibus & studio in fide proficiamus, vers. 2.

VIII. Cùm divina Christi vis omnia nobis donet, quæ ad vitam æternam & pietatem pertinent, per agnitionem Dei; sequitur Christum esse perfectum servatorem & fidei dato-

datorem; ac propterea Pontifices non esse Petri successores ac Christi vicarios, sed adversarios utriusque; cum salutem suis meritis, & fidem suis viribus ex parte tribuant.

IX. Christus praeditus est divinâ virtute & salutis nostrae author ac consummator est; Ergo verus est Deus, cui adversus carnis, Sathanae, mundi machinas, merito inniti possumus ac debemus.

X. Vocationis nostrae ad fidem author est Deus: Ergo gratia & potentia illius grato animo celebranda est, v. 3.

XI. Promissionum & gratiae Dei finis, est fuga cupiditatum mundanarum, & sanctitatis Dei imitatio.

XII. Unde sequitur, nos ante promissiones & gratiam Dei, mundi cupiditatibus esse deditos, & à Dei natura alienos, v. 4.

XIII. Veri Christiani non sunt, qui de fide operibus vacuâ (ut Iac. 2.) gloriantur.

XIV. Sanctitati vitae, omni collato studio danda est opera: ideoque peccant illi, qui eâ in re frigidi sunt, aut tepidi, v. 5.

XV. Qui sanctitate & bonis operibus destituitur, ejus fides iners est & infructuosa, ac propterea Deo ingrata, ut arbores infructuosae agricolis, v. 8.

XVI. Cum à peccatis veteribus simus purgati; sequitur ea tanquam sordes esse aestimanda ac vitanda.

XVII. Purgationis peccatorum memoria, ad peccati odium & fugam excitat. Quare illa nunquam est obliteranda, v. 9.

XVIII. Bona opera non merentur Electionem neque salutem; sed electionis & salutis nostrae sunt indicia & argumenta.

XIX. Peccant illi non parum, qui Electionis & vocationis praetextu, carnis & peccati licentiam tueri student.

XX. Optima de Electione nostrâ judicandi via est, si paulatim ab effectis illius assurgamus; nimirum ab operum bonorum studio, ad vocationem efficacem, & illinc ad Electionem.

XXI. Quemadmodum qui male vivunt, tanquam caeci, facilè in Dei iram & condemnationem impingunt: ita contra qui bonis operibus addicti sunt, tanquam in luce agnitionis Dei, & officii sui ambulantes, nunquam impingent, v. 10.

XXII. *Bona opera*, ut eleganter ait Bernhardus, *non sunt causa regnandi, sed via regni.*

XXIII. Admonitiones Christianae non solùm infirmis in fide & charitate, sed etiam confirmatioribus proponendae sunt. Quare errant gravissimè illi, qui quotidiè in fide & moribus peccantes, admoneri se officii sui non sustinent.

XXIV. Ministrorum Christi officium est, ut auditores de officio ipsorum commonefacere nunquam negligant, v. 12.

XXV. Quod justum est, seu quod aliis debemus, illud praestandum est, quamdiu tempus vitae superest.

XXVI. Cum corpus nostrum sit animae tabernaculum: sequitur, vitam hanc esse viam & peregrinationem: Patriam verò nostram non hîc in terris, sed alibi, nempe in caelo esse quaerendam, ac potiorem animae tanquam hospitis, quàm hospitii, corporis, curam esse habendam.

XXVII. Hinc etiam sequitur, animam non esse mortalem; nec mortem magis nobis esse metuendam, quàm migratio metuenda sit ex hospitio iis, qui peregrinantur & ad Patriam contendunt.

XXVIII. Ne in officio faciendo segnescamus, sed ut in eo pergamus, perpetuò commonefactionum stimulis excitandi sumus, v. 13.

XXIX. Petri exemplo, Christi verbis credendum est, & adversus crucem nobis praenunciatam, constantiâ Christianâ animum praemunire debemus.

XXX. Sacrarum Literarum usus quoque est veritatis salutaris memoria.

XXXI. Scripta Apostolorum sunt verae & colendae Sanctorum reliquiae, auditione, lectione, & fide ac charitate.

XXXII. Apostolica de Christo scripta, non humanum commentis constant sed rei veritate, & Apostolorum experientia nituntur: unde sequitur primùm, eos in Dei veritatem esse injurios qui illa contemnunt omninò, aut humanarum fabularum commentis adulterant: ideoque Pontificem non esse Petri successorem, cum bona doctrinae illius pars ex humanis fabulis & traditionibus composita sit, vers. 16.

XXXIII. Cum Christus sit Dei filius dilectus, in quo acquiescit, verus igitur est ὁμοούσιος Patri Deus: utpote filius proprius, & unigenitus, ut Rom. 1. & Ioan. 1. explicatur, v. 17.

XXXIV. Prophetae non solùm in Vet. Test. fuerunt legendi, sed etiam in Novo, ad fidei institutionem & confirmationem. Ideoq; eorum explodenda est sententia, qui Prophetarum in Ecclesia Christianâ, usum esse negant.

XXXV. Sacra Scriptura est instar lucernae in hisce mundi tenebris ignorantiae & impietatis, donec tandem plena cognitionis luce in caelis perfruamur: ac propterea in Scripturae lumine ambulandum.

XXXVI. Sacrae Scripturae interpretatio à Dei Verbo & Spiritu petenda est. Quamobrem errant plurimùm Pontificii, qui interpretationis normam esse contendunt Patrum & Conciliorum interpretationem.

XXXVII. Cum Prophetarum scripta à Spiritu Sancto profecta sint, ergo eorum divina est authoritas, ac major, quàm Ecclesiae, quae ei superstructa est tanquam fundamento, contra quàm Pontificii statuunt.

Caput Secundum.

Superiori capite tres priores tractationis hujus epistolae partes explicatae sunt; quae partim laudatione, partim hortatione constant, & ad rectum Ecclesiae statum pertinent. Nunc verò sequitur quarta, quae in reprehensione perturbatorum hujus recti status occupatur. Continet enim praemunitionem quandam contra doctrinae Apostolicae & Propheticae adversarios duplices: primùm opertos, qui falsâ veritatis & sanctitatis specie utrique adversantur cap. 2. deinde apertos, qui palam religionem & adventum Christi derident, cap. 3. utrosque verò primùm futuros praedicit, deinde describit cùm ab effectis ac moribus, tanquam notis, tum ab adjunctis & meritis paenis: ut eo modo & melius cognosci & diligentius caveri possint. Operti sunt falsi Doctores; quorum adventum praedicit, & adversus novitatis scandalum illustrat à simili conditione Ecclesiae V. T. quod in populo Israëlitico (quem κατ' ἐξοχὴν *populum* vocat, nim. Dei) olim fuerunt Pseudo-prophetae, non minus quàm veri Prophetae, de quibus paulò antè egit: eaque ratione hanc Tractationis partem aptissimè antecedenti connectit. Cui praedictioni adjicitur descriptio ab effectis & moribus. Ac priori loco illis tribuit, quod subintroducent, aut praeter fas inducent haereses exitiales. *Haeresis* autem *electionem* significans, Graeca quidem vox est; sed Ciceroni aliisque Latinis authoribus etiam usitata. Quae propriè accipitur aut impropriè. Ac propriè quidem electam animi sententiam, quâ ab aliis dissidetur, designat, quae vario modo distingui potest: nam primum ratione causae efficientis aut à nobis aut ab aliis inventa est: deinde ratione objectae materiae vel religiosa est, quae religionem spectat; vel non religiosa, sed Philosophica aut Politica: denique ratione adjuncti, vel bona est, quae cum veritate consentit; vel mala, quae ab ea dissidet: siquidem haeresis vox media est, ut bonorum authorum usus evincit. Haec de significatione propriâ. Impropria verò seu tropica est aut per Meton. aut per Synecd. per Metony. accipitur aut pro subjecto, hoc est, pro caetu eorum qui haeresin tuentur, ut Act. 5. 17. *quae est haeresis Sadducaeorum:* aut pro objecto, hoc est, doctrina aliqua peculiari, ut Act. 24. 14. *secundum viam quam dicunt haeresin, servio Deo.* per Synecdochen verò generis pro specie, in deteriorem partem accipitur, pro mala haeresi, & quidem religiosa, hoc est, quae religionem attingit, ut 1. Cor. 11. 19. *Oportet enim haereses inter vos esse*, & Gal. 5. 20. inter opera carnis recensentur dissidia, haereses: & haereticum hominem vitandum docet Apo-

Apostolus, Tit. 3. 10. Quæ significatio in Ecclesia Christiana usitatissima est; atque ita hæreseos vocem vulgo non malè hoc in loco interpretantur.

Sed quid vetat, quo minùs generatim accipiamus, præsertim cum genus ad suam speciem per effectum suum, nempe *exitium* restringatur, cùm phrasi Hebræa, *hæreses exitii*, in est, exitiosas appellat. Optimè tamen accipi potest vox *exitii*, tanquam Epitheton ad perniciem ac damnum, quod infert hæresis denotandum. Cœterum *quid hæresis sit, definire omninò*, ut alicubi ait Augustin. *difficile est*. Videtur autem, ut rem totam in pauca contraham, non incommodè definiri posse hoc modo: *falsa de religionis Christianæ fundamentis doctrina, justo Ecclesiæ examine, demonstratione & judicio confutata, & adversus illius admonitionem sæpius propositam, cum pertinacia, defensa.* Unde apparet, duo potissima esse hæreseos membra: genus quidem, falsam de religionis fundamento doctrinam: formam verò ac differentiam, contumaciam adversus Ecclesiæ confutationem & admonitiones iteratas, Tit. 3. 10. Porrò hoc propositum generale falsorum doctorum effectum, ac primam notam speciali exponit, nempe *abnegatione Domini, qui ipsos mercatus est, aut emit.* De cujus loci genuino sensu, controversia est memorabilis, ac dignissima, quæ discutiatur: ut doctrinæ fidei puritas illustretur, & adversariorum errores accuratius diluantur. Quorum errorum firmandorum occasio est duplex, ac communis interpretum in hujus loci explicatione hypothesis. Primum quod vox Δεσπότης Dominum Christum notet; deinde quod vox *emit* modum acquisiti dominii, nempe redemptionem per sanguinem & mortem, designet. Vnde gratiæ salutaris universalis patroni, ubiquitarii & Arminii sectatores, Christum pro omnibus & singulis, tàm Electis quàm Reprobis, mortuum probare contendunt, hoc modo: quos Christus suo sanguine & morte emit, pro iis etiam est mortuus: Atqui falsi ac reprobi doctores sunt, quos Christus suo sanguine & morte emit. Ergo pro falsis ac reprobis doctoribus Christus etiam est mortuus: ac per consequens, Christus non aliter pro Reprobis, quàm pro Electis mortuus. Propositio extra omnem controversiam certa est. Assumptionem probari statuunt, partim ex Petri verbis disertis: qui loquitur de falsis doctoribus, & quidem æterno exitio certò perituris, v. 1. 3. 9. 10. eoque reprobis: partim ex communi hypothesi duplici antè posita, Δεσπότην Christum, & *emit* sanguine & morte redemit significare. Quem nodum nostri Theologi, duplici potissimum ratione solvere conati sunt. Primùm enim plerique integrum Syllogismum, Propositionem, Assumptionem & Conclusionem concedunt: sed consequens illius rectè inde deduci negant. Quod licet Christum fateantur, pro omnibus & singulis mortuum, tam reprobis quàm electis; aliter tamen pro hisce, quam pro illis: pro electis enim mortuum & sufficienter & efficaciter: pro reprobis verò tantùm sufficienter. Verùm hæc responsio bifariam à veritate aberrat: primùm malâ concessione Syllogismi, ut postea demonstrabitur: deinde indigno distinctionis allatæ effugio: duo enim eâ continentur, nimirum mortis Christi finis communis, & modus illius diversus. Finis communis enim statuitur, quod mortuus sit pro electis & reprobis: quod quàm falsum sit, ex phrasis declaratione constat: quod *mori pro nobis* sit nostro bono pœnam maledictionis, peccatis nostris debitam, perferre ac plenè pro nobis satisfacere, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & sanctificationem impetrare; ut cum aliis tum hisce Dei testimoniis demonstratur, Ies. 53. 4. & 5. & 6. Mat. c. 20. 28. & 26. 28. Rom. 5. 10. Gal. 1. 4. Eph. 5. 26. Heb. 10. v. 10 Rom. 6. vers. 6. Quare cum reproborum pœnæ, Christo non sint impositæ, quia ipsimet eas ferunt; eo quod Deus solutionem bis justè exigere non possit, nec remissionem peccatorum, nec reconciliationem cum Deo habeant, sed iræ Dei perpetuò subsint, nec à dominio peccati liberati nec sanctificati sint: sed sub peccato dominante impuri maneant: hisce aliisque de causis merito in Synodo Nationali, sententia illa rejecta, quâ Christum pro omnibus, tam reprobis quàm electis mortuum statuitur. Atque hæc de primo responsionis allatæ membro vitioso. Alterum est modi mortis Christi diversi explicatio ista, quâ dicitur, quod mortuus sit pro electis sufficienter & efficaciter; pro reprobis tantùm sufficienter, non efficaciter. Atqui ista inter se pugnant: nam mors Christi pro hominibus, pro quibus mortuus est, non potest non esse efficax: quia finis & effecta (ut antè ostensum) sunt efficacissima, pœnæ iis debitæ perpessio & plena solutio, remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, & Veteris hominis abolitio ac sanctificatio. Nam quod à nonnullis objicitur; hunc solum esse sententiæ illius sensum, Christi mortem omnibus & singulis hominibus redimendis esse sufficientem, idque ab omnibus concedi: Respondetur primò, hunc non esse solum sensum: quia asserunt, Christum etiam pro omnibus esse mortuum: cui sola sufficientia, ut antè ostendimus, repugnat. Deinde non simpliciter & absolutè, mors Christi sufficiens est: nam quamvis illius dignitas ob infinitam personam, utpote filii Dei, sit infiniti valoris: non inde tamen sequitur pro omnibus esse susceptam sufficienter: quia requiritur præterea voluntas Dei & Christi, quâ pro iis voluerit mori, quemadmodum enim, licet immensos thesauros collegerit Salomon, qui multis pauperum Iudæorum myriadibus ditandis sufficerent; non propterea tamen pro iis fuisse sufficienter collectos dici posset: quia non solùm ad eam sufficientiam requirebatur thesauri magnitudo, quæ adfuit; sed etiam finis ille à Salomone thesauros colligente propositus, qui defuit. Ac si ille (qui obtenditur) sit sensus, quidni etiam dici posset similiter, Christum (quod absit) pro omnibus & singulis dæmonibus mortem obiisse: quia si illius excellentiam consideremus, eo respectu pro iis abundè suffecisse negari non potest: sed tamen absolutè non sufficit: quia non solùm mortis Christi in se consideratæ dignitas: sed etiam illius voluntas, ut pro iis mortuus sufficienter statueretur, erat necessaria: quæ deest ratione dæmonum, 2. Pet. 2. 4. Iudæ, v. 6. & reproborum, pro quibus se non orare testatur, Ioa. 17. v. 2. & quorum maxima pars Christo id sciente ac moriente, irrevocabili Dei judicio, æternis inferni pœnis erat subjecta. Ideoque qui Christum pro iis servandis mortuum esse statuunt, insipientiam & injustitiam Christo manifestè adscribunt. Sed quærat aliquis, annon, si reprobi crederent, Christus pro iis esset mortuus? Agnoscimus consequentiam: sed consequens negatur, quia antecedens conditionē habet impossibilem: quia fides electorum propria, non autem reprobis communis, Tit. 1. 1. Joan. 6. v. 37. 44. 65. Ioan. 10. v. 26. Si enim crederent, essent electi, non reprobi. Si autem Christus mortuus est tantum pro credentibus, reprobi autem nunquam credant; sequitur eum omninò pro reprobis non esse mortuum. Atque hæc de primæ sententiæ ad Syllogismum pro universali Christi gratia ex 2. Pet. 2. v. 1. initio objectum, examine: unde apparet, eam omninò esse vitiosam, licet magnis nominibus nitatur.

Altera iisdem hypothesibus, initio positis, innixa, Syllogismi consequentiam negat: quod paralogismus sit homonymias; quia medius terminus seu argumentum, nempe *emit*, in Propositione accipiatur pro revera emit; in Assumptione verò quod emit non revera, sed opinione ipsorum falsorum doctorum, & piorum, qui ex charitate opinati fuerint, eos esse verè fideles, eoque sanguine Christi redemptos: ut ab apostolo non καθ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν empti dicantur. Quę explicatio ut fidei analogiam servat, ac propterea priori melior: contextui tamen hujus loci non consentit: quia cum Apostolus loquatur de falsis Doctoribus, hęreses exitiales subintroducentibus, & quidem Dominum suum abnegaturis: quique sibi accersunt velox exitium; quomodo credibile est, plerosque pios tam egregiam de iis habituros opinionem, licet multos in errorem seducant? Deinde quę causa est, cur Apostolus hosce falsos doctores ex falsa opinione eorum, qui seducentur, potius, quàm ex recto piorum ac constantium judicio, & rei veritate describeret? Denique cum nullibi hæc vox in S. L. ita accipiatur, neque à propria significatione ad impropriam & insolentem, sine ratione necessaria, in interpretatione, salvâ auctoritate Scripturæ, discedere liceat, meritò

hæc

hæc interpretatio non est admittenda. Nam ea, quę obtenditur, duarum hypothesium necessitas (quarum præjudicium illos in hanc sententiam adegit) si quis rectè expendat, nulla omninò est. Quia ad primam hypothesin quod attinet: qua statuitur δεσπότην *herum, dominum*, hoc in loco, de Christo intelligi, id necesse non est: quia rectè de Deo Patre accipi potest: sic enim ea vox citra controversiam illi tribuitur: ut Luc. 2. 29. Act. 4. 24. & 2. Tim. 2. 21. imò quod amplius est, semper Patrem, nunquam Filium (qui κύριος vocari solet) notat. Neque duo qui obtenduntur loci, contrarium evincunt. Primus enim est Apostoli Iudæ, v. 4. *Impii qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam, & τὸν μόνον δεσπότην θεὸν, καὶ κύριον ἡμῶν Jesum Christum negant.* At inquam, τὸν δεσπότην hîc Christum notare non est necesse, imò contrà circumstantiæ loci objecti suadent. Ac primùm antecedentia verba: cùm enim dicitur *gratiam Dei nostri*, Dei voce, Patrem intelligi pro more Scripturæ, certum; neque causa ulla est, cur in proximis verbis δεσπότην θεὸν, ea vox Dei aliter, quàm de Patre accipiatur. Deinde idem ostendit distinctio manifesta Dei & Christi, δεσπότῃ & κυρίῳ, quę Subjecti diversitatem indicant. Neque ratio quæ objicitur, contrarium evincit; cum excipiunt, unicum articulum tantùm esse ante vocem δεσπότην θεὸν, non verò ante vocem κύριον: ac propterea utramque vocem unum subjectum notare, nempe Christum. Respondetur enim, Regulam linguæ Græcæ de articulo fingi non necessariam; neque usu bonorum authorum, neque etiam Scripturæ comprobatam. Quia cum Θεοῦ & Χριστοῦ distincta fit mentio, interdū utrique articulus pręponitur: interdum in utroque omittitur: interdum priori præponitur: & in posteriori omittitur, ut 1. Tim. 5. 21. & 6. 13. & 2. Thess. 1. 12. & 2. Pet. 1. 2. Quare illa de articulo regula non est certa; neq; ex hoc priori loco, Christum vocari δεσπότην, probari potest; sed Patri convenire apparet. Alter qui superest locus, similiter eo non pertinet, nempe Apoc. 6. v. 10. *Quousque ὁ δεσπότης sancte & verax non judicas?* Nec enim necessariò δεσπότης hîc Christum notat, quum nulla loci circumstantia hoc demonstret: sed potius Patrem, qui ut judex throno insidere traditur, v. 16. & c. 5. 6. & 13. quibus locis ab agno disertè distinguitur. Concludimus igitur meritò, primam illam hypothesin, δεσπότην denotare 2. Pet. 2. 1. Christum, nullâ niti ratione necessariâ, sed contrà potius Deum Patrem significare; quia nullibi de Christo, ubique verò de Patre in N. T. usurpatur, & loci hujus circumstantiis probè convenit. Neque quod objicitur *emendi* vox obstat: nam secunda hypothesis, quâ hoc probare nituntur (nempe *emere*, nihil aliud esse, quàm sanguine redimere, quod Filio soli, Act. 20. 28. non autem Patri convenit) merito negatur: quia *emendi* vox, in S. L. similitudine quadam ab emptione civili petita, generatim pro acquirere, ac suum facere usurpatur, ut cum alibi, tum Ies. 55. 1. *emite* (LXX. ἀγοράζετε) *absq; argento, & absque precio vinum & lac.* & Apoc. 3. 8. *ut emas à me aurum igni exploratum.* Atque hoc sensu rectè, consentaneè analogiæ tam fidei quàm circumstantiarum hujus loci Petri accipi potest: nimirum quod falsos illos doctores *emerat*, h. e. sibi acquisiverat. Modus autem acquisitionis fuit vocatio è mundi ignorantia, & profana scelerum licentia, ad cognitionem Euangelii, & externam Christi Ecclesiam ac disciplinam illius: qua vocatione acquisiti fuerunt in servos. Quod emptionis seu acquisitionis beneficium commodè inseritur, ad impietatē illorum in Deum apertius demonstrandā. Quare confutatis hisce hypothesibus, & prioribus duabus ad Syllogismum adversariorum responsionibus, tertia subjicienda, nempe negatione assumtionis: Petrus enim vocat quidem δεσπότην, sed ea vox nullibi Christo tribuitur (licet alia voce semel οἰκοδεσπότης, Mat. 10. 25. dicatur) sed ubiq; Patri: deinde generatim *emit* quidem dicit, h. e. acquisivit: non autem addita differentiâ restringit, quēadmodum fieri solet, cum de Christo est sermo: ut *empti precio* 1. Cor. 6. 20. & 7. 23. Apoc. 5. 9. & 14. 3. *empti sunt è terra*, i. e. ut v. 4. *empti sunt ex hominibus*, scilicet reprobis, ut circumstantiæ evincunt. Ex quibus etiam locis probari potest solidè, reprobos non esse emptos sanguine Christi: nam si empti sunt sanguine, ex hominibus, ex omni tribu, natione: ergo non omnes homines empti Christi sanguine sed tantum omnes electi. Quare hoc loco falsi doctores non statuuntur à Christo empti. Atqui hoc modo Syllogismus adversariorum, ob falsam assumptionem corruit. Atque ita explicata falsorum doctorum effecta duo, subintroductio hæresium exitialium, & abnegatio Dei, qui ipsos emit seu vocatione acquisivit. Quibus annectitur tertium, quod accersant sibi velox exitium, nempe æternum, ut sequentia declarant. Hæc de vers. 1. Quartum est multorum, in societatem hæreseos & blasphemiarum, seductio perniciosa: quod indicat, cum hæreses, per meton. effecti pro sua causa *exitia* appellat (quamvis pro voce ἀπωλείαις, lectio etiam alia est ἀσελγείαις *lasciviæ*) ut hac ratione apostasiæ & multitudinis scandalum tollat, & à contagione hæresium absterreat. Blasphemias autem ab objecto describit, nempe *via veritatis*, quam variè exponunt. Quidam enim Christum intelligunt: qui via est metaphoricè, tum quà Mediator, per quem ad Patrem patet aditus: tum quà doctor ac ductor, doctrinâ & vitæ exemplo. Vnde Veritas, Via, Vita, Ioan. 14. nominatur.

Atq; ita conveniet cum v. 1. ex eorum sententia, ut idem sit, Dominum abnegare, id quod falsi Doctores faciunt: & eundem blasphemare, quod eorundem etiam discipuli & sectatores committunt. Alii verò longè aptius, & Scripturæ phrasi convenientius Euangelium interpretantur: siquidem per Hypallagen Hebræam *viam veritatis* idem esse volunt quod veritatem viæ, hoc est, quæ via est ad cælum. Sed simplicior ac solidior est ratio, quod Euangelium ita appelletur, quod sit doctrina veritatis salutiferæ, quæ veritatis nomine κατ᾽ ἐξοχὴν intelligitur. Nam *viam* per Metaphoram accipi non solùm pro vitæ instituto, 2. Pet. 2. 15. sed etiam pro doctrina notum est, quemadmodum, v. 21. Euangeliū *via Iustitiæ*, & Act. 16. 17. *via salutis*, & κατ᾽ ἐξοχὴν, *via*, Act. 24. 22. & 19. 9. & 23. appellatur. Cœterùm doctrina Euangelii non minus quàm Christus sæpius blasphematur, ut 1. Tim. 6. 1. Tit. 2. 5. Cujus rei varii sunt modi. Alii enim simpliciter & omninò, alii partim ac secundum quid; idque vel expressè, vel consequentiæ necessitate dictis aut factis blasphemant; ut exempla Valentinianorum, Marcionitarum, aliorumque omnium hæreticorum evincunt; de quibus post Epiphanium & Philastrium scripsit Augustinus in libro de hæresibus, quem utili ac docto commentario D. Lamb. Danæus illustravit. Hoc autem in loco, quidam blasphemiam, de contumeliis, quod Euangelio essent oblatraturi: alii de factis, quod occasionem daturi essent hostibus, ut protervè Dei veritati maledicant, exponunt. Sed satius est, ut cùm Scriptura non distinguat, sed generatim loquatur, ut non tam angustè ac speciatim, sed latius ac generatim de utroque, ut circumstantiæ ostendunt, interpretemur. Hæc de v. 2. cui subjicitur alia falsorum doctorum nota, nempe avaritia cum hypocrisi conjuncta; quod avarè sermonibus fictis (hoc est, fallacibus, quæ speciem sapientię & veritatis apud imperitos habent) utentes, ut v. 17. 18. 19. fidelibus quibusdam tanquam mancipiis ad nundinationem abutantur: quod indignissimè non solum Dominum suum, qui ipsos mercatus est, abnegent; sed etiam servos illius, peccato & Sathanæ mancipare studeant. Propterea Petrus repetit & confirmat pœnam de qua egit, vers. 1. & ostendit, damnationem & exitium, illis destinatum, instare. Quâ in re utitur anticipatione quadam, per remotionem contrarii, & Metaphoram elegantem, à viatore ductam, ut Prov. 6. 11. quod exitium eorum non otiatur, nec dormitat, sed quasi laneis ac tacitis (ut ille ait) pœna venit pedibus, v. 3. Hujus autem exitii certitudinem, admixtâ consolatione liberationis bonorum illustrat ac confirmat inductione ac similitudine: primùm trium horribilium exemplorum. Cujus similitudinis antecedens est, v. 4. 5. 6. 7. 8. consequens, v. 9. Quod quia nonnulli minus observant, primum exemplum; quod ab Angelis magis petitum est, ἀνανταπόδοτον seu redditione defectum putant, ac supplendum hoc modo; *neque illis parcet.* Simile autem primum est Angelorum, qui peccaverunt, de quorum lapsu alias pluribus disseruimus. Quorum pœna proponitur, partim per aphæresin seu remotionem contrarii falsi, quod

Deus

Deus illis non pepercerit, licet dignitate præstantibus; partim per θέσιν, positione veri, quod eos è cælo deturbârit & catenis caliginis tradiderit, damnationi servatos. Unde apparet, dæmonum pænam hîc triplicem assignari; præteritam, præsentem, futuram. *Præteritam*, privationem boni, nempe deturbationem è cælo, & luce ac gaudio illius: *præsentem*, nempe custodiam: *futuram* denique, damnationem æternam. Ac de prima pæna dicitur *in tartarum detrusos*. Cœterùm quid *Tartari* nomine intelligatur, non inter omnes convenit. Plerique infernum exponunt, ex significatione communi. Sed quia objici potest, dæmones in sublimi, seu in aëre, Eph. 2.2. & 6.12. & terra versari, Iob. 1.7. & 2. 2. nec in inferni abyssum detrusos, quod deprecantur à Christo, Luc. 8.31. idcirco respondent nonnulli, illud intelligendum esse de archidæmone, qui in tartaro servetur: sed unde quæso hoc probabunt, cum certum sit, eum esse diabolum dictum & Sathanam, à quo Christus tentatus in hac terra? Alii verisimilius putant Deum initio à commisso peccato quosdam Angelorum detrusisse in tartarum seu infernum, ita tamen ut quoties ei visum est, ante ultimum judicium eos inde exire permittat in terram, & liberum hunc aërem, rursusque ad tempus saltem, aliquam illorum partem in tartarum includat, ne hominibus noceant, ut Apoc. 9. v. 1. & 20. 3. Alii verò nomine *tartari* significari putant non solum infernum sub terra positum, sed imprimis ipsum aërem totumq; spacium infra Lunam: ac propterea exponunt Angelos malos omnes de cœlo detrusos, in loca quę sunt intra cœlestes orbes; & infra. Veruntamen annon potius vox ταρταρόω generatim pro *deturbo* seu *præcipito* accipi pòssit ac debeat, diligentiores inquirant. Altera Angelorum malorum pœna est custodia: quod catenis caliginis constricti serventur. Quid autem *caligo* significet hoc loco, obscurum est. Vulgo exponunt metaphoricè miserrimam & horroris plenam conditionem, qualis est dęmonum, Mat. 8.29. Iac. 2.19. per Metaph. à damnatis facinorosis, qui in obscuro carcere detinētur, donec ad ultimum supplicium rapiantur. Deinde quidam de aere & locis inferioribus exponunt; quod in iis, tanquam in carcere ac vinculis, cælesti ac gloriosâ luce exclusi, coërceantur. Si quis autem objiciat, catenas æternas dici Iudæ, v. 6. ideoque non intelligi de statu mutando die ultimo, cum in infernum relegabuntur, Mat. 25. respondere possent, æternas catenas non significare infinitas duratione, sed continuas longasque, nempe usque ad judicium ultimum. Tertia pœna est damnatio æterna, futura ultimo die; de qua Luc. 8. v. 31. & Mat. 25 41. Hæc de v. 4. & primo exemplo vindictę divinę, in impios. Alterum est hominum prisci mundi ante diluvium, ex Gen. 7. quod eadem ratione tractatur, nempe per aphæresin & thesin. Illa est, quod Deus iis non pepercerit; hęc verò quod diluvio puniverit. Idq; ad consolationē fidelium illustratur, à contraria conservatione Noachi & familiæ illius; quorum paucitas numeri designatione indicatur, ut scandalo multitudinis impiorum (de quo egit, v. 2.) occurratur, v. 5. Tertium deniq; exemplum, est civitatum, Sodomæ & Gomorræ: quarum conflagratio & subversio, exemplar est justę vindictæ divinæ, ad terrendos impios, v. 6. De qua re, Gen. 19. & Iosephus de bello Iudaico l. 5. 5. & Tacitus historiarum l. 5. & Strabo l. 16. & Tert. in apologet. c. 40. & in carmine de Sodoma ait;

Semiperempta etiam, si qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes; facile optima sese
Promittunt oculis pyra, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum,
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

Reliqua ex eodem carmine peti possunt. Cęterum hoc pœnæ impiorum exemplum, eodem modo & scopo, quo secundū, à contrario illustratur: videlicet conservatione Lothi, hominis justi. Cujus justitia declaratur ab effecto, justitię zelo, nempe dolore ac fatigatione ex nefariis eorum moribus: hic enim dolor ex virtutum & Dei gloriæ ac salutis humanæ amore serio ac zelo, & peccati odio pocessit v. 7. Quemadmodum clarius exponit & amplificat, cùm dolorem, tum objectum illius doloris v. 8. dolorem quidem, cum cruciatū & quidē quotidianum vocat: objectum verò seu id quod considerabat & circa quod versabatur dolor, nempe mores malos, cùm facta iniqua, visa auditaq; appellat. Atq; hęc de inductionis propositę antecedente. Consequens verò est, quod Deus pios servare noverit ex tentatione h.e. ex afflictione eripere; contrà verò injustos, in diē judicii, pœnas daturos servare: ideoq; ut ait Apostolus, maximè qui inter injustos excellunt, nempe hęreticos; quod erat confirmandū. Quemadmodū etiam sequentibus à thesi seu sententia generali, ad hypothesin seu sententiam specialem redit, nempe ad hæreticorum speciem, quam etiam notis suis ac moribus & merito interitu describit. Ad mores quod attinet, attribuit illis impuras libidines & contemptum magistratus, quem Metonymicè, ut Eph. 1. 21. *dominatum* vocat. Cujus contemptus gravitatem, epiphonemate illustrat bifariam. Primùm enim amplificat partim dignitatem magistratus, (quem metonymiâ adjuncti pro subjecto) *glorias* vocat, quod jure divino humanoque iis honor & gloria debeatur, Rom. 13. 1. &c. 1. Pet. 2. 13. 14. 15. partim indignitatem contemptus, quod non leviter contemnant, sed probris & maledictis & quidem impudenter incessant. Deinde explicat causas, quod ex audacia & arrogantiâ malum illud oriatur vers. 10. & ut ex seqq. colligi potest, falsus libertatis Christianæ usus ac contemptus potissimùm eò etiam spectavit. Porrò hujus contemptus ac maledictorum improbitatem oppositione contrarię modestiæ Angelorum demonstrat: quod Angeli, qui robore & potentia majores sunt, non ferant adversus magistratus apud Dominum judicium maledicum. Qui locus difficilis est & variè ab interpretibus explicatus. Quidam enim de malis Angelis seu dæmonibus exponunt, & spectari putant historiam 1. Reg. 22. 21. ubi Diabolus ad Achabum Regem decipiendum, suam quidem offert operam, sed Achabo, quāvis improbissimo, nō maledicit. Sed meritò hęc sententia ab attentioribus rejicitur: quoniam Diabolus omniū blasphemiarū in Deū & homines origo est, & mendaciorū parens Ioa. 8. Propterea alii de bonis Angelis interpretantur: sed bifariā. Nonnulli enim de judicio bonorum Angelorum inter ipsos: quod quanquā unus Angelus altero major sit officii dignitate; alii provinciis, Dan. 10. alii hominibus tantùm præsint; tamen inferiores superioribus minimè maledicunt. Ergo hominem homini subjectum illi maledicere indignissimum est. Sed hanc sententiam, ut alia omittantur, loci circumstantia satis confutat: nam quorsum alioqui illa majoris comparatio adhiberetur, *qui sunt robore ac potentia majores*, nisi ut homines maledicos amplius convincat, hac ratione; Angeli cùm robore naturæ, tum potentia dignitatis majores hominibus in magistratu constitutis, nihilominus tamen eos apud Dominum non probrosè incessunt: ergò indignissimum, subditos & minores suo magistratui & Dominis maledicere. Quare alii hunc locū ita de bonorū Angelorū adversus magistratū judiciis rectius interpretántur; nimirū *quod dignitatem Magistratus, & εὐταξίαν in Rep. à Deo institutam in honore habeant & regnis etiam impiorum custodiendis tanquam ministri præsint*, Dan. 10. *Neque in conspectu Domini adversus Achabū, quamvis impium, exsecrationē ullam proferant* 1. Reg. 22. 20. *sed solus spiritus mendax se sponte ad malas artes offerat* 1. Reg. 22. 21. *& servos Dei calumnietur* Iob. 1. 9. & 10. Atq; hęc videtur maximè probabilis explicatio v. 11. Porrò hujus contemptus & maledictionis in magistratū, indignitatē, ab adjuncta stupida ignorantia amplius illustrat, & fructum perniciosū adjicit: *quod videl. hac ratione interitus sui ipsimet authores sint*. Cujus rei stupiditas declaratur simili brutorum animalium, *quæ ad interitū facta sunt: quæ dum escam bruto impetu persequuntur, ultrò in retia & exitium suum ruunt*. Cæterum vocem φθοράν, quę *corruptionem* seu *corruptelam* notat; alii metaphoricè de *corruptione morum* exponunt, ut etiam v. 19. alii de *corruptione naturæ* seu *interitu*, ut Gal. 6. 8. & hujus versus initio, *facta ad capturam & interitum*. Sed prior interpretatio commodior est: nam interitum distinctè, tanquam effectum suæ causæ subjicit, cum ait: *sua ipsorum corruptela interibunt* v. 12. Cujus justitiam probat, cum docet, fore injustitiæ eorum mercedem: deinde injustitiam illam fusius specierum inductione declarat. Quarum priores quatuor, ad mo-

ad mores & vitam pertinent. Prima injustitia est *intemperantia in cibo & potu:* altera *hypocrisis,* quod in sacris Ecclesiæ conviviis versantes, communionem cum Ecclesia simularent, & tamen suis cupiditatibus servirent: Ecclesiæq; puritatem (quasi labes & maculæ in veste) conspurcarent v.13. Idque declaratur adjuncta tertiâ injustitia, *oculorum incontinentia:* quam amplificat à quantitate cùm rei, tum temporis. rei quidem, *quod oculos plenos habeant adulterii,* ut Mat.5.28. temporis verò, *quod in peccando cessare nesciant.* Deinde describit ab effecto, nempe *seductione animarū instabilium:* eamq; eleganti metaphora à piscatoribus sumpta illustrat. Quarta injustitia est avaritię habitus, cum ait; *Cor habentes ad avaritiam exercitatum.* Quibus vitiis Petrus, (ut, ad majorē cautionem, factum antea sępius) epiphonemate gravi pœnā meritā ac consequentē infert, cū ait: *Exsecrationis filii* h.e. exsecrationi obnoxii, ut Judas proditor Joh.17.12. *filius perditionis* appellatur Hebraismo tritō v.14. Porrò hęreticorū avaritiā & conjunctam dementiā comparatione exempli similis illustrat ex V.T. Docet enim *eos imitari Balamū filium Bosor;* de quo Num.22.5. ubi appellatur filius בעור: In qua contradictio esse videtur, quā quidā cum Beda tollere conantur, secuti veterē interpretem, qui legit ex Bosor: quā urbē Balami fuisse conjiciunt; quemadmodū alibi etiā ejus nominis oppida extitisse apparet: ut inter Israëlitas in tribu Ruben בצר quod Gręci Βοσὸρ vocant; & aliud in regione Moab בצרה, quod Gręci Βοσὸρ nominant Ier.48.24. Sed probabilius est, quod alii monent, pro *beor* sive *Boor* dici *Bosor* per Epenthesin Euphonicam literę s, nam cum summus sit Veterum Codicum consensus, erratum hoc in loco Petri subesse, non est adeò verisimile. Si conjecturę locus esset, uti esse videtur, dici posset *Patrem Balami fuisse binominem,* uti quam plurimi in V.T. binomines exstant: vel quod magis premere videtur, salvo doctiorum judicio, arbitramur, Apostolum paronomasia quadā mutasse nomen Beor vel Boor, & pro eo *filium Bosor* h.e. carnis à בשר appellâsse, quod reverà carni esset addictus, ut falsi doctores, de quibus agit: quemadmodū hujusmodi paronomasiis in nominum mutatione emphatica & Scriptura sæpius & Judæi vulgò usi sunt: sicut locum *Bethel,* id est, domum Dei Ose. c. 4. 15. propter idololatriam vocat Bethaven, id est, *domum vanitatis,* & Beelzebub, i.e. *Deum muscarum* 2. Reg.1. Iudęi posteriores appellârunt Beelzebul, i. e *Deum stercorum* Matt. 10 25. & 12.24. & 27. & alibi: idq; factum videtur imitatione quadam Scripturæ, quæ idola dæmonibus destinata, ad detestationem eorum גלולים, id est, *stercora,* quasi Deos stercoreos nuncupat Ez. 22 3. & alibi. Cęterum Balami peccatum eo exprimitur, quod mercedem iniquitatis amaverit, h. e. quod donis à Rege Balaco provocatus & allectus ad maledicendum Israëlitis, sese itineri accinxerit, v.15. Deinde dementia Balami, ex redargutione miraculosa per asinam, humana voce loquentem, convincitur. Sed objiciat aliquis: Balamus, à Rege Balaco muneribus invitatus, cognita Dei voluntate, initio ire renuit: deinde altera legatione largis promissionibus provocatus, eas contempsit, nec profectus est, priusquam explorasset Dei voluntatem. Ergò avaritia & dementia non rectè illi tribuuntur. Verùm negatur primum antecedens: nam quamvis Num 22. v. 18. constantiam responsi divini (quod muneribus flecti nequiret) asseruerit; tamen dona non contempsit, neque donantis ánimum; sed avarè concupivit oblata munera, ut ex maledicendi studio & tentatione Dei perspicuum est, v. 19. Vnde etiam falsitas consequentiæ apparet: Deus enim eum proficisci jussit eo animo, ut populo Israëlitico secundum voluntatem ipsius benediceret, v.12. & 20 Ille contrà profectus est, non divini responsi & veritatis amore, sed avaritia allectus & maledicendi animo, ex Balaci voto, quemadmodum indicatur Ios.29.9. & 10 & ex pernicioso illius consilio Num.24. 14. & 25.1.2.3. & 31.16. & Apoc.2.14 colligitur. Ergò avaritia & dementia Balamo non immeritò à Petro adscribuntur hoc cap. v.16. Atque hæc de quarta falsorum doctorum injustitia, quæ cum antecedentibus tribus ad mores ac vitam pertinet: sequitur quinta, quę doctrinam potissimum spectat, nempe vanitas perniciosa; quam explicatione gravi, similibus duobus allatis Metaphoricè declarat. Primùm enim comparat fontibus aqua carentibus: qui ut sitientem atq; adeuntem fallunt: ita & illi eos qui veritatem & justitiam sitiunt, vanâ pollicitatione ac spe, miserè decipiunt Deinde comparat nebulis à turbine agitatis: quę uti pollicentur quidem pluviam; sed ob inconstantiam suam eam non dant: ita & illi nebulones veritatem, libertatem, justitiam, vitamque pollicentur, sed minimè præstant. Quod ut scelus gravissimum est ob injustitiam; ita pœnam illis imminentem adjicit; quod tenebrionibus illis æterna caligo tenebrarum, h. e. miserrimus inferni cruciatus impendeat ex justo Dei judicio v.17. Ut autem similitudines allatæ plenius intelligantur, implicatam eorum apodosin explicat ac confirmat facti specie Argumentationis autē vis & summa hęc est; qui prætumidam vanitatem loquendo, Christum profitentes, & à mundi contagio liberatos carnis cupiditatibus, ut esca pisces, decipiunt ac perdunt; illi meritò fontibus siccis, & nebulis à turbine agitatis comparantur. Atqui tales sunt falsi illi Doctores: Ergo meritò illis comparantur. Conclusio probanda antecessit, v.18. Assumptio extat, v.18. Ex quibus intelligitur & colligitur propositio. Assumptio autem probatur à vanitatis & deceptionis modo, quod suâ doctrinâ polliceantur aliis libertatem, nimirum ab obedientia legum divinarū & humanarum. Cujus rei vanitas demonstratur ab effectis bifariam. Primùm à conditione ipsorum contraria, quod dum libertatis Christianæ prætextu, ad carnis cupiditates & legum divinarum humanarumq; libertatem alios alliciunt, *servi sint corruptionis,* h. e. peccati, metaphoricè: quia peccatum quasi corruptio morum est. Porrò eam conditionē probat descriptione servi generali, à causa efficiente: siquidem *à quo quis superatus est, illius servus est:* sed qui ad carnis cupiditates, libertatis Christianę specie fallaci alios invitāt, illi à peccato superati sunt. Ergò illius sunt servi. Cęterùm victoria peccati duplex est; perfecta & imperfecta. Prior est quâ is qui superatus est, fractis jam viribus ac captus non repugnat, sed victori peccato mancipatus est: quo sensu Christus ait Ioh.8 34. *qui peccatū operatur, servus est peccati,* & & 1.Ioh 3.9 *qui natus est ex Deo, peccatum non operatur* &c. & Rom.6.14 *Peccatum vobis non dominabitur.* Imperfecta verò repugnat, & tandem superior evadit: de qua re Paulus agit, Rom.7.23. Hoc autē loco priorem victoriam intelligit Apostolus: quemadmodum loci circumstantiæ, & horum hæreticorum, de quibus agit, deplorata improbitas evincit. Quare homonymia ludunt; qui ex hoc loco doctrinam *de perseverantia Sanctorum* evertere conantur, v. 19. Atque hæc prima vanitatis falsorum doctorum demonstratio, ab effecto conditionis eorum. Altera porrò est ab effecto damno, quod iis inferunt, quos decipiunt: nimirum quod efficiant, ut illi, qui inquinamenta fugerant ac superarant, per agnitionem Christi, his rursum implicentur, & à peccato superentur, ideoque in servitutem redigantur. Cujus damni gravitatem amplificat, comparatione duplici: primo minoris, quod ultima eorum conditio deterior fit priore v. 20. idque illustrat & confirmat oppositione adjunctorum v 21. quod jam antea peccarint, voluntatis Dei ignorantia: jam verò à sancto resipiscentię Euangelio traditę mandato scientes deficiant: qua in re peccati & pœnæ gravitas consistit, Luc.12. Altera amplificatio sita est in comparatione similium, v.22. Antequam vero finem faciam, solvenda prius est objectio, quæ communiter ex v.18. & 20. & seq. colligi solet ab illis, qui *perseverantiam Sanctorum* negant: Si inquiunt, qui verè effugerant eos, qui in errore versantur, cupiditatibus inescari possunt; & qui inquinamenta mundi per agnitionem Christi effugerant, rursus implicari ac superari possunt, adeò ut conditio eorum posterior, priore fiat deterior: sequitur verè fideles, à fide & sanctitate posse excidere. Atqui verum est prius, teste Apostolo, Ergo & posterius. Verùm negatur propositio: nec enim recta est illius consequentia: nam fuga & quidem vera errorum & inquinamentorum mundi, duplex est, una generalis, quæ consistit tantùm in cognitione veritatis & in externa resipiscentia ac confessione; quę communis esse potest electis & reprobis, seu verè fidelibus & hypocritis; altera vero propria est, quæ sita est in viva fide & sanctificatione ac resipiscentia interna cordis, quæ solis verè fidelibus compe-

competit: de qua Petrus non agit, sed de priori tantùm. Ergò non immeritò Propositio à nobis negata est. De qua materia copiosius in pleniori *de perseverantia Sanctorum* disputatione actum.

C o n s e c t a r i a.

I. Ecclesiæ Vet. Testamenti conditio ad nostri institutionem ac consolationem diligenter consideranda est.

II. Cum in Ecclesia Vet. Test. extiterint falsi Prophetæ, talesque in Novo futuros, per Apostolos prædictum sit; non est, cur iis tanquam re novâ offendamur; nedum ut propterea à veritate deficiamus.

III. Cum hæreses sint exitiales; non solùm cavendæ sunt, sed iis etiam seriò & constanter occurrendum: ideoq; graviter ab illis peccatur, qui eas parvi æstimant, nec pro officio & virili iis resistunt.

IV. Cum Dominus nos sit mercatus; eum pectore, ore ac reipsa amare ac confiteri debemus.

V. Cum hæretici sibi velox exitium accersant; non est, cur brevi eorum felicitati invideamus, aut hæreses parvi esse momenti statuamus, v. 1.

VI. Multitudo sectatorum non est certum veritatis & Ecclesiæ Christi κριτήριον.

VII. Heretici veritatem, quam rationibus vincere non possunt, blasphemiis impetere solent, v. 2.

VIII. Avaritia hæresium comes, v. 3.

IX. Angeli ob peccatum defectionis suæ à Deo justè puniti sunt: ergò non creati sunt mali, sed vitio suo facti tales.

X. Exempla justitiæ divinæ in peccatores, ad consolationem & institutionem fidelium servire debent, v. 4. & 6.

XI. Nec malitiam neque errores propter multitudinem sequi; nec bonos propter paucitatem contemnere debemus.

XII. Piorum est, impios non imitari, sed eos contrà justitiam docere, vers. 5. & si indociles ac contumaces sint, ex animo & zelo Christiano impietatem detestari, vers. 8.

XIII. Magistratus munus in honore habendum est: ac propterea peccant turpiter Anabaptistæ, qui illud ob gladii usum, divinitus nihilominus præscriptum, Rom. 13. probris incessunt, dum Christianæ professioni ac patientiæ contrarium esse asserunt; & ea quæ adversus privatam vindictam à Christo dicta sunt, perperàm ad publicam magistratus, Dei loco justitiam administrantis, jurisdictionem rapiunt.

XIV. Turpissimum est, homines nonnullos, recta ratione contemptâ, brutorum instar, cupiditatibus abripi.

XV. Judicium rectum, rei cognitionem non prævertere, sed subsequi debet, v. 12.

XVI. Non animum solùm, sed oculos etiam continentes habere nos decet, v. 14.

XVII. Libertas Christiana non in peccandi licentia, sed potius in peccati fuga consistit. Ergò impudentes impostores sunt Libertini, qui secus docent, v. 18. & 19.

XVIII. Ut peccatorum sunt gradus; ita & pœnarum, v. 20.

C a p u t T e r t i u m.

Explicato capite secundo, quo absoluta est prædictio ac præmunitio adversus opertos veritatis adversarios, qui fallaci religionis specie ac professione, veritati & sanctitati repugnant: superest jam caput tertium, in quo adversus apertos ac profanos religionis & adventus Christi ad judicium derisores disseritur. Ac primum ab anticipatione orditur, qua scopum & usum hujus etiam epistolæ declarat. Objici enim poterat à Judæis dispersis ac fidelibus; Nos habemus mentem sinceram & doctrinæ Propheticæ atque Apostolicæ attendimus: non igitur opus est hisce epistolis & commonefactionibus hujusmodi. Contrà verò respondet Petrus, concedendo antecedens & negando consequentiam. Nam scopum suum esse in utraque epistolâ, non ut mentem eorum sinceram reddat; sed ut pro officio & amore suo (unde dilectos vocat) per commonefactionem, ne segnescant, excitet & in sinceritate illa confirmet, vers. 1. Cujus finis indicatur, ne fraude adversariorum inescati, doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ obliviscantur, sed memores illius, in officio persistent. Doctrinam autem Apostolicam vocat mandatum, ut cap. 2. v. 21. & 1. Joh. 3. 23. nimirum de fide & charitate. Quod à causa efficiente principali & ministrâ (ut pondus addatur) describit. Principalis est Dominus & Servator, nempe Jesus Christus: ministra verò sunt Apostoli, Petrus & reliqui. Cæterùm ex hac & antecedenti sententia Bellarminus adversus perfectionem S. Scripturæ ita argutatur: Quod scriptum est, ut fideles commoneret & excitaret; illius finis est, non ut sit norma fidei integra, sed tantùm ut sit quoddam commonitorium, quo retineamus ac foveamus, doctrinam vivâ voce traditam. At verò S. Scriptura scripta est, ut fideles commoneret & excitaret. Ergò non est norma fidei integra. Verùm negatur Propositio, duabus de causis: Primùm, quia unius rei usus possunt esse diversi; & commonefactio cum fidei norma non pugnat, quemadmodum utrumque scripturæ tribuitur, 2. Tim. 3. v. 16. 17. Deinde non omnis commonefactio est de doctrina, vivâ tantùm voce tradita: nam Petrus disertè latiùs extendit, cum ait: *ut memores sitis verborum; quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis*. atqui ea sunt scripta 2. Pet. 1. 19. 20 21. omniaque continent quæ Apostoli docuerunt, Act. 26 22. unde Paulus de eadem Scriptura loquens, omnem sapientem posse reddere ad salutem 2. Tim. 3. 15. & *virum Dei* (hoc est, Ministrum verbi Dei) ad omne opus bonum perfectum efficere; ex inductione concludit, vers. 16. 17. multo magis reliquam Ecclesiam. Ex quo etiam loco perspicuè constat, assumptionem objectam esse falsam: & Scripturam non solùm ad credentium fidem fovendam, monendo pertinere; sed etiam ut credentes ad fidem & salutem adducantur, Joh. 20. v. 31. Denique Pontificii à scopo aberrant: quia de Sacra Scriptura tota, non de singulis illius partibus quæstio est. Deinde quid si epistolę Petri (quę pars tantùm S. Scripturę) hunc haberent usum solum, ut fideles monendo confirmarent: inde tamen non sequitur, idem de integrâ Scriptura judicandum, aut etiam de Euangeliis: nam ut libri Mosis Scripturæ V. Testamenti fundamentum doctrinæ continent; reliqui verò declarationem, & ad statum Ecclesiæ opportunam accommodationem: sic quatuor Euangelia, Scripturæ N. Testamenti fundamentum, omnia ad salutem necessaria continent: quæ reliquis libris ad usum Ecclesiæ accommodatè illustrantur. Quare nihil hîc perfectionis S. Scripturæ in dogmatis ad salutem sufficientibus detrahitur, v. 2. Hæc de commonefactionis exordio. Cui deinde succedit ipsa commonefactio: quæ quatuor partibus absolvitur, prædictione de futuris irrisoribus, descriptione eorum, confutatione, & denique expositione officii nostri. Descriptio autem partim irrisorum mores vers. 3. partim irrisionis modum, enthymemate depingit: nempe conclusione & probatione illius. Conclusio formam irrisionis continens, hæc est; *ubi est promissio adventus ejus?* In qua sententia *promissio* per Metonym. pro re promissa seu complemento promissionis (ut v. 9.) aut per Hypallagen Hebræis usitatissimam, *promissio adventus*, pro adventu promissionis, id est, promisso accipitur: quemadmodum anteà c. 2. 18. *prætumida vanitatis*, per Hebraismum pro *vanitas prætumidorum*, hoc est, tumidissima. Deinde adventus ejus, id est, κατ' ἐξοχὴν Christi intelligitur: nam ut cùm Pythagorici olim de suo preceptore Pythagora loquerentur, dicebant *αὐτὸς ἔφα, ille dixit*, ob excellentiam preceptoris: sic hoc in loco pronomen illud de Christo accipitur; ut similiter 1. Joh. 3. 1. 2. & 3. Adventus autem illius duplex est: primus humilis, & ad subeundum pro nobis judicium, qui antecessit: secundus verò gloriosus, & ad ferendum de omnibus universale judicium, qui succedet, promissus, & hoc loco intelligitur. Sensus igitur irrisionis est, vanam esse promissionem adventus Christi, & inte-

interitus ac renovationis mundi. Probatio verò illius est à constanti mundi duratione, hoc modo: Hactenus mundus ab initio creationis ita ut nunc est, sine mutatione duravit. Ergò deinceps quoque semper durabit: Ideoque Christus non veniet ad judicium & mundum destruendum. Quę argumentatio ab experientia deducta, malè concludit: quoniam de duratione illius judicandum est ex Dei potentia, tanquam causa conservante; & Dei voluntate verbo per Prophetas & Apostolos patefacta: quod verbum testatur, mundum posse interire, & aliquando interiturum v.4. Idque confutatione sequenti declaratur: qua & causam impiæ hujus derisionis indicat Apostolus & simul refutat: ostendit enim causam esse ignorantiam voluntariam, cum creationis v. 5. tum diluvii universalis v. 6: nam si per eum omnia sunt condita; Ergò ea per eundem possunt destrui. Deinde si terra initio creata, est aquis obruta, & Dei verbo ex illis eruta; ac deinde universali diluvio ad impios puniendos iisdem iterum operta est: ergò non omnia ita permanent, ab initio creationis: neque absurdum est statuere, Deum impios tandem mundi interitu, ejusdem sermonis potentia puniturum. Ac simul declaratur interitus instrumento & temporis circumstantiâ. Instrumentum enim statuitur ignis: cujus commodè mentionem facit objectionis anticipatione. Quia enim objici poterat, mundus aqua non amplius interibit. Ergò diluvium, cujus mentio facta, non est futuri interitus mundi, sed potius conservationis illius imposterum argumentum. Ideò Petrus ostendit hoc non sequi, siquidem non diluvio, sed alia vi, nempe igne, mundus destruetur. Tempus verò discribitur ab adjuncto judicio & exitio universali impiorum v. 7. Atque hoc modo absolvitur derisorum confutatio: cui deinde adjicitur fidelium in hac adventus Christi doctrina, & recto usu illius, confirmatio: nam cum fideles ferè aut nimiâ festinatione & impatientia moræ adventus Christi: aut contrà, ignavia & securitate carnali laborent; utrique vitio, ordine & graviter medetur Apostolus: illi quidem institutione in vera fide ac consolatione: huic verò admonitione ad opera fidei, ex consideratione ac fide adventus Christi. Ac prius quidem agitur, v. 8. & 9. anticipatione objectionis infirmorum fidelium, qua querelam eorum proponit ac diluit. Objici enim poterat ab iis, impatientius miseriam suam & impiorum impunitatem ferentibus: quamvis Christus tandem ad judicium venturus sit; tamen tardus est diutiusque adventum differt, quàm conveniret. Quæ quidem objectio inest hisce verbis: *quemadmodum nonnulli tarditatem dicunt*. Cui opponitur responsio Apostoli constans negatione & probatione. Atque illam indicat eodem loco; *non*, inquit, *tardat Dominus promissionem*. Hujus autem rei probatio rationem continet duplicem. Quarum prior ex Ps. 90. v.4. petita; & quidem vel à Dei natura æterna, apud quem Deum, id est, in quo nulla temporis longi aut brevis differentia: ideoque tarditas in eo locum habere non potest: vel à statu vitæ ęternę in cœlis apud Deum, cujus comparatione omnis mora brevis est: ut *apud Deum*, intelligatur *in cœlis*, v. 8. Altera ratio est à causa moræ ac dilationis; nempe Dei amore ac studio resipiscentiæ & salutis electorum: ac propterea non est cur electi de ultimi judicii salutis suę morâ conquerantur, cùm potius salutem eorum hoc modo procuret. Similem locum videre est Apoc. 6. 10. & 11. Cæterùm de electis agi ex naturâ rei & circumstantiis apparet; siquidem Petrus hoc in loco non disserit adversus impios derisores, quos antea confutavit: sed consolatur fideles, quos compellat & dilectos vocat, v. 8. deinde secum conjungit, quando ait: *patiens est erga nos*: & prædictionem adventus Christi præterea promissionem vocat, ratione fidelium, quibus adventus Christi erit salutaris; quemadmodum contrà, impiorum ratione, non promissio, sed comminatio horribilis diei diceretur. Ergò cum ait; *nolens ullos perire*; intelligit verè electos; *ullos*, nempe nostrum, ut antecedens ostendit. Et licet etiam hic agatur de reprobis, quod tamen non fit, nihil obtinerent. Nam *velle* aut decretum Dei æternum notat, quod semper fit, Es. 46. 10. Rom. 9. 19. aut gratum habere, ut Psal. 5. v. 5. Priori autem significatione accipi non potest, quia alias reprobi servarentur. deinde quia Petrus subjicit, *velle ut ad agnitionem veritatis*, h. e. vivam fidem *perveniant* quod reprobis non fit, quia multi eorum neq; ad fidem, neque ad ullam cognitionem veritatis perveniunt: idque Deo sic justè volente; cum prædicationem Euangelii ad cognitionem veritatis necessariam, ab iis arcet, Act. 16. 6. 7. aut si prædicationem audiunt; cognitionem ipsis non dat, nec dare tenetur, ut Mat. 11. 25. & 26. asserit Christus. Itaq; *vult* accipi posset pro gratum habere tanquam officium, quod mandet ac probet: nam Euangelium mandat, ut saluti studeant. Ergò objectio adversariorum vana est. Atque hac ratione perspicuè impatientia & querela, de morâ finis seculi (ad piorum in vera fide confirmationem ac consolationem) confutata est, v. 9. Verùm quia alii contrario vitio laborantes, supina adventus Christi negligentia ac socordia ad peccata prolabuntur: idcirco admonitionem subjicit Apostolus, constantem duobus quasi gradibus; videlicet officii demonstratione & hortatione. Et illam quidem Enthymemate concludit, cujus antecedens complectitur argumentum officii geminum: nempe descriptionem duplicem: Quarum prima est diei adventus Christi, ab adjuncto: quod futurus sit repentinus & inopinatus: quod simili adventus furis nocturni adumbratur, ut Matt. 24. 43. Secunda descriptio modum interitus mundi ostendit esse conflagrationem v. 10. Consequens verò v. 12. & 13. antecedente repetito & amplificato, concludit officium nostrum: cum erga proximum, videl. conversationem sanctam; tum erga Deum, nempe pietatis exercitia v. 11. & spem ac desiderium adventus diei ultimi & renovationis mundi. Quem mundum novum describit ab adjuncta justitia. Novos autem cœlos & terram intelligit, non ratione substantiæ (quemadmodum olim nonnulli, ut Didymus, perperam interpretati sunt, atq; eo nomine hanc epist. quasi sacris Lit. contrariam imperitè ac temerè rejecerunt) sed ratione qualitatum. Quod verò ad consequentiæ rationem attinet, h. e. connexionem consequentis cum antecedente; de priori parte & argumento nihil est dubii: nam perspicuum est, si Christi adventus repentinus & inopinatus futurus est: nos sanctâ vitâ & spe ac desiderio ad eum debere esse pręparatos, ut Mat 24. 42. & 44. docetur. Ad alteram verò quod attinet partem: quidam argumentum à comparatis petitum putant, hoc modo; Si corruptio cœli & terræ igne purgabitur, ut regno Christi respondeant; quantò magis necessaria est hominum à peccatis purgatio. Sed rectius videtur, ut cum aliis dicamus, quando interitum mundi describit Apostolus, argumenta deduci ab adjuncto horrendo Dei judicio in impios ultimo die: nam si ultimo die mundus conflagrabit, & impii condemnabuntur: ergo oportet nos puritati studere, ne cum mundi impiis pereamus: Deinde quando renovationem mundi proponit, argumentum desumit ab adjunctorum incolarum conditione, hoc modo; Si in novo mundo Iustitia inhabitabit, nempe tantum (ideoque injusti non habituri sunt locum) danda est opera, ut justi simus, vers. 13. Quæ explicatio confirmatur hortatione sequenti: qua fideles argumentis ex antecedentibus petitis exstimulat. Primum ad sanctitatem vitæ: ratione sumpta, partim ab exspectatione ac spe adventus Christi, & renovationis mundi; partim ab adjuncta felicitate, quam *pacis* voce denotat: nam quod nonnulli *pacis* vocem ad conscientiæ tranquillitatem referunt, piè quidem dicitur: sed ea, quam attuli, interpretatio uberior & accommodatior videtur: quemadmodum etiam si quis ad pacem cum proximo referat: ut Heb. 12. 14. ea sanctitati connectitur. Verum objicitur à nonnullis; qui irreprehensibiles coram Christo comperientur in die judicii; illi legem perfectè in hac vita implent. Atqui fideles tales, teste Apostolo, comperientur. Ergò Legem perfectè in hac vita implent. Verum negatur consequentia syllogismi: quoniam quatuor sunt termini: medius enim ambiguus est. Nam *irreprehensibilis* sumitur in propositione simpliciter & per se: in assumptione verò per accidens: quandoquidem fideles irreprehensibiles erunt in judicio extremo, non per se, jure meritoque justitiæ, à se, sine ullo reprehensionis merito, peractæ Ps. 143. 2. sed per accidens justitiæ Christi ex gratia imputatæ: quæ fidelium imperfectam, & cum

cum carnis lucta conjunctam obedientiam (Rom. 7. v. 22. & 23. Gal. 5. v. 17.) ideoque maledictioni, si per se, ex rigore legis judicetur, obnoxiam (Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. sua perfectione tegendo perficiet. Atque hoc modo immaculati & irreprehensibiles coram Christo comparebimus ultimo die. Quo Christo Mediatore, ut personæ nostræ, sic opera nostra bona justificantur, hoc est, justa censentur, Deo agnoscente ac probante, quod per Spiritum suum in nobis operatus est boni; & clementer ignoscente ac condonante, ob Christi satisfactionem; quod à nobis accessit, mali & contagii. Qua de re duæ cumprimis consentaneæ ac memorabiles exstant sententiæ, Heb. 13. 21. *Deus perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo per Iesum Christum.* & 1. Pet. 2. v. 5. *Fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christ.* Neque est quod quis ex priori sententia regerat, quod Deus nos perficiat in omni opere bono: ac propterea nihil in nostris operibus sit imperfectionis: quia Apostolus loquitur, non de perfectione graduum; quâ Deo obeditur toto corde, tota anima, cogitatione ac viribus, sed de perfectione partium: quod videlicet Deus suo Spiritu regenerante ac sanctificante, in nobis obedientiam efficiat, secundum omnia præcepta sua, & operum genera; sed non ita, ut eo perfectionis gradu singula observemus quo præcepit: quoniam per sanctificationis gratiam carnis dominatum tollit, sed tamen ad humilitatis nostræ exercitium, & gratiæ suæ gloriam, luctam reliquiarum carnis relinquit, ut modò ostendimus. Deinde verò quamvis disputandi causa daremus, de utraque perfectione & partium & graduum agi: tamen non sequeretur, nihil in nostris operibus, ratione meriti nostri esse imperfectionis; sed tantum opera esse perfecta & grata, nempe ut additur *per Christum*, hoc est, intercessione justitiæ mediatoris nostri Christi: qui mortis suæ merito nos sistet coram se sanctos, irreprehensibiles & inculpatos, Col. 1. v. 22. Quamobrem ex hoc Petri loco nihil adversus doctrinam orthodoxam Ecclesiarum nostrarum Perfectistæ concludere possunt. Cæterùm nonnulli aliter respondent, negando assumptionem: quod videlicet Petrus non asserat, nos irreprehensibiles fore, sed scopum officii declaret, ad quem debeamus contendere pro virili, licet in hac vita hoc sequentes plenè non assequamur. Sed quia fideles propter inchoatam obedientiam, qua sanctitati student, & peccato seriò reluctantur; & propter accidentem gratuitam imperfectionis remissionem, per fidem etiam in hac vita irreprehensibiles dicuntur coram Deo, Luc. 1. v. 6. idcirçò in priori allata responsione arbitror acquiescendum, vers. 14. Hæc de prima hortationis parte ac stimulo ad sanctitatem vitæ. Altera verò est ad fidem, fructus patientiæ & moræ Christi, quod patientia sit salus, hoc est, per Metonym. salutaris; ut antè v. 9: plenius exposuit. Idque declarat testimonio epistolæ Pauli: quem collaudat à communi religione & amore suo erga eum, & sapientia divina, h. e. à Deo accepta: laudis autem scopus esse videtur, ut falsorum doctorum calumnias refutaret, quibus Pauli authoritatem (quasi animo & doctrina à Prophetis & à Petro reliquisque Apostolis dissideret) minuere conabantur. Quænam verò hîc epistola Pauli citetur, quæri potest. plerique ad Romanos cap. 2. v. 4. ubi similis exstat sententia; nonnulli verò epistolam ad Hebræos intelligunt: quod ea sola ad Hebræos nominatim scripta sit, quemadmodum hîc dicitur: *scripsit vobis*: scil. Hebræis; quemadmodum etiam Petrus ad Hebræos seu Iudæos, scribit: deinde quod pluribus & gravissimè hæc hortatio in epistola ad Hebræos c. 9. 28. & c. 10. 35. 36. 37. 38. 39. & cap. 11. & 12. declaretur. Utraque probabilis explicatio est; sed posterior, quam noster proponit interpres, & alii nonnulli sequuntur, videtur magis convenire. Hæc de vers. 15. & testimonio Pauli; quod à similibus reliquarum epistolarum dictis generatim amplificatur: nam scandalo occurrit eorum, qui Pauli scriptis in hoc argumento & similibus abutebantur. Occurrit autem bifariam; declarando primum rerum quarundam difficultatem: deinde imperitorum & instabilium hominum, in iis detorquendis perversitatem: quemadmodum etiam de ea re conqueritur Paulus, Roman. 3. v. 8. 2. Thess. 2. v. 2. Quam perversitatem ab eorum in reliquas Scripturas injuria atque impietate illustrat, & à consequente effecto, nempe exitio describit: ut iis modis occasionem contemptus Pauli tollat Apostolus, & corruptores illos ac depravatores fugiendos esse ostendat, v. 16. Hactenus de Tractatione seu secundâ principali hujus epistolæ parte egimus. Tertia verò ac postrema est illius conclusio brevis, constans primùm repetitione hortationis universalis, cum ad fugam errorum & constantiam in officio vers. 17. tum ad incrementum in fide; deinde celebratione Christi, vers. ultimo.

CONSECTARIA.

I. Fidelium Euangelii ministrorum est, Ecclesiam diligere, & salutaris doctrinæ repetitione, in officio confirmare.

II. Sacræ literæ non solum imperitis instituendis; sed etiam peritis stabiliendis conscriptæ sunt: ac propterea iniqui sunt in Deum & salutem suam, qui vanâ scientiæ opinione inflati, eas negligunt.

III. Fideles rectè sentientes crebrâ commonefactione excitandi sunt, ne carnis ignaviâ, & torpore quodam deficiant, v. 1.

IV. Ad agnitæ veritatis & sinceræ doctrinæ conservationem, & hæreticorum fugam, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ memoria præsentissimum remedium est.

V. Cum Petrus (quemadmodum etiam reliqui Apostoli & Jesus Christus) Christianis memoriam doctrinæ Propheticæ commendet; sequitur eos errare turpiter, qui Prophetis nullum in Ecclesia Christiana instituenda locum concedunt, v. 2.

VI. Impuritas vitæ, impietatis comes, v. 3.

VII. Epicureismi causæ potissimæ sunt, quod homines profani suis cupiditatibus addicti, & neglecta Dei, naturæ authoris & gubernatoris potentia, in naturæ ordinarium cursum tantùm intenti sunt, v. 3. & 4.

VIII. Cùm profana, adventus Christi, & religionis omnis derisores, ignorantia non simplici, sed (ob contemptum verbi cogniti) voluntariâ blasphemi sint; criminis eorum atrocitas ignorantia hac non minuitur, sed contrà augetur, v. 5.

IX. Impii tandem adventu Christi certò damnabuntur: quamobrem causa non est, cur temporariæ eorum felicitati, vel tantillum invideamus, Ps. 37. & 73. nedum ut illa quasi illecebrâ allecti, impietatem eorum sequamur, vers. 6.

X. Querelarum adversus Dei promissiones, causa sæpè est, quod Dei naturam & providentiam, sacris literis abunde explicatam, minimè, ut par erat, considerent. Quare potius seipsos, quàm Deum ipsum accusare debent, vers. 8. & 9.

XI. Exitii æterni remedium in hominibus à Deo adhuc aversis, est conversio & resipiscentia: quam Deus in electis opportunè procurat, vers. 9.

XII. Cum Christi adventus futurus sit repentinus & inopinatus; cavendum est sedulò, ne aliqua moræ illius diuturnioris opinione, ad peccandi licentiam abutamur.

XIII. Cum dies ille adventus Christi fidelibus sit sperandus, utpote futurus salutaris; inde omninò apparet, eos in fidem & spem Christianam peccare, qui fidelibus horrendum eum diem esse statuunt vers. 12.

XIV. Cum cœlum novum ac terram novam secundum promissionem exspectemus, vers. 13. inde colligitur cœli præteritionem ac mundi conflagrationem talem non debere intelligi, qua omninò in nihilum redigantur ratione substantiæ; sed eam, qua mutabuntur ratione qualitatum: ut plenius demonstratum est, Matth. 24. & Rom. 8.

XV. Pauli scripta sunt divina, v. 15. & 16.

XVI. Sacrarum literarum detorsio adfert exitium. Ergo ea nec admittenda, nec tanquam res levis parvi æstimanda est, vers. 16.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS appendix, contra Pontificios & imprimis Bellarminum.

QVoniam Pontificii obscurum illum Petri locum primæ epistolæ cap. 3. vers. 18. de Christi ad infernum descensu proprio exponunt, eumque mirificè ad sententiã Orthodoxam oppugnandam jactant: propterea de hoc argumento nonnulla dicemus, & quæ præterea ad eum errorem stabiliendum, ab adversariis proferuntur, diluemus. Ut autem ordine ac perspicuè disseramus, quid *Infernus* significet, prius explicandum est paucis, ne ambiguitate vocis implicemur. Hebræi infernum vocant שאול quod à themate שאל, hoc est, *petere, desiderare*, derivatum est: ac propriè sepulchrum notat, sic appellatum, ex communi Grammaticorum sententia, quod cadavera in eo consumantur; adeò ut feræ instar, nunquam satiari, sed quasi perpetuò, aperto ore, plura cadavera appetere videatur: ut Etymologia hæc confirmatur Prov. 30. vers. 15. *Tria sunt insatiabilia, imò quatuor, non dicentia*, sufficit; *sepulchrum* שאול &c. & Prov. 1. vers. 12. *absorbebimus eos ut* שאול *sepulchrum vivos & integros, ut descendentes in foveam.* Sic etiam accipitur 1. Reg. 2. vers. 9. *descendere facies canitiem ejus in sanguine ad* שאול *sepulchrum.* Unde per Metaph. ac translationem ob horrorem, fœtorem ac corruptionem, quæ in sepulchro est, similitudine quadam, pro horribili damnatorum loco accipitur. Cui voci Hebrææ, significatione respondet Græca ᾅδης, quasi *locus* ἀϊδὴς *invisibilis, luce carens*; quippe & pro inferno damnatorum loco, Luc. 16. 23. & pro sepulchro accipitur: ut usus illius vocis apud 70. Bibliorum interpretes probat. Tertia significatio est, ut humiliationem summam, & dolores infernales notet, ut 1. Sam. 2. v. 6. *Dominus deducit ad infernum, & reducit*; & Psal. 16. & ex eo Acto. 2. 27. *non relinques animam in* שאול *inferno*: de quo loco postea. His jam præmissis quæritur; An Christi anima post mortem, propriè ad infernum, damnatorum locum descenderit, nec ne? Pontificii asserunt; nostri negant; primùm quoniam S. Literis non traditur: deinde quia illis adversatur. Ac prius quidem ex refutatione argumentorum, quibus innituntur, constabit. Adferunt autem Scripturæ ex utroque Test. testimonia: sed, ut de nonnullis scribit Petrus 2. ep. c. 3. Scripturæ depravatione ac detorsione. Nam ex V. T. producunt primum ex Psal. 107. v. 16. *contrivit portas æneas, & vectes ferreos confregit*. Sed nihil ad rem: quia agitur de liberatione ex Ægypto, ut adversarii quoque fatentur. deinde etiamsi typicè de liberatione ab inferno per Christum, esset sermo: tamen non inde sequeretur, illud factum esse animæ Christi descensu, sed personæ merito & potentia divinitatis. Alter quem objiciunt, locus, est ex Ecclesiastico cap. 24. ubi sapientia Dei sic loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*; *Inspiciam omnes dormientes. & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sed neque illud ad rem. Primùm, quia non ex S. Scriptura, sed libro Apocrypho: quem neque Ecclesia ante Christum Iudaica, neque Patres Orthodoxi ad Hieronymi usque tempora, pro libro S. Scripturæ agnoverunt: quique etiam cum Græcè scriptus sit, ad Canonem Scripturæ V.T. pertinere non potest: neque Propheticus est, ideoque hoc testimonium ex libro Apocrypho desumptum, nullius est momenti. Deinde error etiam est manifestus; quia in Græco contextu, è quo Latina versio traducta est, non exstat, ut etiam adversarii fatentur. Quare omninò hoc argumentum alienum est. Tertius locus est Zach. 9. v. 11. *Tu autem in sanguine Testamenti, eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Sed nihil etiam evincit: quoniam Latinus interpres non rectè sententiam vertit: nam primum vox illa *Tu* apud Hebræos, est fœminina nempe את, & ad Hierosolymam refertur. Deinde non est vertendum *eduxisti*, sed *eduxi* aut *emisi*. Ad verbum enim ita rectè interpretantur nonnulli; *Etiam tu* (nempe Jerusalem) *in sangine fœderis tui* (supple *es*) *Emisi vinctos*. Ad sensum verò quod attinet, Propheta agit de liberatione ex captivitate Babylonica: ad cujus spem & fiduciam excitat ac consolatur, fœderis per Christi Regis sanguinem, initi ac firmati mentione: quemadmodum eo quasi fundamento omnes promissiones tam corporales quàm sprituales, in V.T. fundatę ac firmatę fuerunt. Deinde ut demus etiam agi de liberatione ex inferno & servitute Sathanæ, tanquam re adumbrata typo liberationis externæ: tamen non inde sequeretur proprius animæ Christi ad inferos descensus; quoniam nihil aliud significabitur, quàm quod Col. 1. v. 13. dicitur: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ*: nam infideles qui in his terris versantur, vincti dicuntur & in carcere, per Metaphoram, Esa. 61. v. 1. & Luc. 4. v. 18. quod peccati vinculis constricti, æternæ damnationi obnoxii sint: à quibus merito & efficacia Christi, per fidem liberantur, Col. 1. 21. 22. & c. 2. 12. Quamobrem hæc loca, ex V. Test. petita, adversariorum sententiam nequaquam confirmant: quemadmodum neque illa, quę ex Novo proponunt. Ea autem sunt sex numero. Primus locus est, Matth. 12. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes: sic erit filius hominis in corde terræ*, hoc est, ut objiciunt, in inferno. Nam quod nostri expositionem illam ut alienam statuunt, & sepulchrum exponunt; excipiunt adversarii, similitudinem huic interpretationi obstare: cor enim in profundissimo animalis esse situm: at sepulchrum Christi videri fuisse supra terram. Deinde si Jonas, inquiunt, vivus fuit in ventre ceti: ergò aliquid vivum in Christo, nempe anima debet fuisse in corde terrę. Non igitur cor terrę sepulchrum, sed infernum designabit. Verum ad prius illud à nostris rectè respondetur; *cor* pro interiori spacio sumi generatim, ut Prov. 30. 19. *via navis in corde maris*. atqui certum est, navem non profundissima penetrare, sed summa tantùm maris. deinde Ezech. 27. Tyrus dicitur sita in corde maris: cùm tamen non procul à continente distaret. Deinde falsum est, Christi sepulchrum, quod è petra excisum erat, supra terram exstitisse: quis enim rupes & petras terrę partes esse unquam negavit? Ad exemplum verò Jonę quod attinet, negatur consequentia; quia similitudo latius extendi non debet, quàm scopus dicentis patitur; alioqui dici posset eodem modo disserendi: Si Jonas corpore per triduum fuit in ventre ceti. Ergò & Christus corpore in corde terrę, hoc est, in inferno, ut adversarii exponunt, manserit. Quare hic locus alienus. Secundus verò est Act. 2. *non relinques animam meam in inferno.* Sed duplex nostrorum responsio est. Primùm quidam ajunt, animam synecdochicè, pro corpore animato: & deinde per catachresin pro corpore mortuo usurpari, ut Lev. 21. vers. 1. & 11. deinde infernum hic sumi pro sepulchro. Sed adversus utrumque excipitur. Primùm enim negatur ab adversariis ψυχὴν *animam* tam latè patere, atque נפש Verum id confutatur à LXX. Interpretibus Lev. 21. 1. Deinde objiciunt, cum anima opponitur carni, non potest accipi pro corpore. Atqui hic opponitur carni. Ergò non potest accipi pro corpore. Sed assumptio negari posset; quod videlicet anima non opponatur carni, sed cum ea ponatur ac conjungatur, Synonymia quadam, eodem sensu, ut differentia tantũ sit in diverso attributo. Duo enim sunt, quæ de anima, seu carne dicuntur: primum quod Deus eam non relinquet in sepulchro: alterum quod non videbit corruptionem, hoc est non experietur seu non corrumpetur: quæ duo reliquis corporibus eveniunt. Veruntamen in hac responsione tota multa ponuntur, quæ à recepta significatione declinant: ac propterea altera deinde ac solidior, ad primariam objectionem responsio est, infernum hîc intelligi (ut antè indicavi) significatione tertia, pro humiliatione summâ & doloribus inferni, quos *dolores mortis* Petrus appellat, ibidem Act. 2. vers. 24. quos Christus ante mortem pertulit; quique morte sunt soluti, ut mors resurrectione. Quæ duo ordine indicantur, cum ait: *Non relinques animam meam in inferno; neque dabis, ut Sanctus tuus videat*, hoc est, experiatur, *corruptionem*: quod idem repetitur distinctè vers. 31. Ideoque temerè hęc non sunt confundenda. Atque hoc modo nihil obtinent Pontificii: quia *descensus ad inferos*, aut *esse in inferno*, pro subjectâ materiâ, modò propriè accipi potest; modo metaphoricè,

phoricè, quemadmodum Christo convenit: cujus anima Patris manibus excepta, non minus quàm commendata à Christo; queque cum converso latrone eodem die fuit in Paradiso, quę ad infernum accommodari non possunt: etsi enim Deus in inferno etiam habeat manum potentię ac præsentię; manum tamen gratię paternę non habet. Tertius porrò ex Novo Testamento locus, qui ab adversariis opponitur, est Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo, quis descendet in abyssum? id est Christum à mortuis revocare.* Ergò inquiunt, Christus fuit post mortem in abysso, hoc est, inferno. Sed negatur consequentia. Nam abyssus hic notat mare, ut ex Mose, quem Paulus citat, apparet. Sensus autem loci genuinus videtur esse hujusmodi: ne dixeris in corde tuo, quis adscendet in cœlem, scil. *ut ex eo cognoscamus legem, eamque præstemus*: nam hoc esset Christum quasi ex alto deducere, & negare eum è cœlo descendisse, ut legis genuinum sensum nobis aperiret, & præstandi viam patefaceret: aut quis descendet in abyssum, hoc est in mare navigio, ut ex locis remotissimis cognitionem legis, & præstandi facultatem nobis suppeditet? hoc enim esset Christum quasi à mortuis reducere ac negare eum mortuum pro peccatis, & resurrexisse ad justificationem nostri, & ut missis Apostolis nos plene erudiret: nam propinquum est verbum Euangelii, quo enunciatur usus legis & impletio illius offertur in Christo. Quartus locus est Eph. 4. *Qui adscendit, ipse est qui descendit, in inferiores partes terræ*, hoc est, inquiunt, infernum. Sed respondetur bifariam. Primùm inferiores partes terræ, non denotare infernum, sed terram, quæ per appositionem sic appellatur; inferiores enim partes dici relatè, non cum aliis partibus terræ; sed cum cœlo: & descensum metaphoricè denotare incarnationem quâ patefactus est in terra. Altera responsio est, quamvis relatio comparationis esset inter partes terræ; tamen infernus non esset intelligendus, sed sepulchrum: ut sit sensus, quod non solùm incarnatione se demiserit Dei Filius in terram, sed etiam ad mortem & sepulchrum: quod partes inferiores meritò dici potest ratione superioris superficiei. Nam quod objiciunt adversarii; Sepulchrum Christi fuisse non in terra, sed in excisa rupe supra terram: illud antea à nobis refutatum est. Deinde quod ajunt à Paulo addi, *ut adimpleret omnia*, id est, omnia loca omnesque regni sui partes, quod tripartitum est, cœlum, terra, infernus: illam expositionem negamus. Nam sensus est, ut impleret omnia membra Ecclesiæ donis: vel ut compleret omnia quæ de se ipso scripta, erant: vel ut omnia perficeret, ut Eph. 1. vers. 13. quemadmodum etiam Gagnejus Parisiensis Theologus exponit. Et res ipsa docet, de impletione omnium locorum intelligi non posse, ratione animæ Christi: quia anima Christi nec cœlum, nec terram, nec infernum unquam implevit, neque per naturam definitam implere potuit. Nec quicquam probat, quod præterea ex epist. ad Philipp. cap. 2. (ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, subterraneorum) objiciunt. Ergò in locis subterraneis sunt aliqui spiritus humani, qui Christo reverentiam exhibere debent: & ad eum locum Christus descendit, ut se totius mundi Regem ac Dominum declararet. Infirma enim consequentia est. Subterranei enim non sunt spiritus hominum, sed dæmones, qui Christo tanquam vero Deo exhibent reverentiam, non voluntariam, sed coactam, Marc. 5. 6. ad quam rem non opus fuit animæ Christi ad inferos descensu. Leviculum etiam est quod objiciunt; genuflexionem dæmonibus non posse competere: quasi verò hæc vox propriè accipiatur, & propriè spiritibus humanis queat convenire: perspicuum enim est per Metaphoram quandam eâ voce subjectionem & honoris exhibitionem declarari. Quintus locus est 1. Pet. 3. *in quo (Spiritu) his qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicavit.* Sextus & ultimus 1. Pet. 4. *Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium, ut judicarentur quidem secundum hominem, carne: vivant autem secundum Deum, spiritu.* Sed neuter locus ad animæ Christi descensum ad inferos pertinet: nam non dicitur in Græco (ut ostendimus) *qui in carcere erant*, sed *iis qui in carcere*, nempe *sunt*. Deinde quod mortuis Euangelium annunciatum dicitur; Mortui aut intelliguntur propriè de vita corporali privatis: & sensus erit, iis, nec in cœlo, nec in inferno, sed adhuc in terris existentibus annunciatum Euangelium (*Mortui* vox, prædicationis objectum describit à consequuta morte, id est, iis qui jam mortui sunt, non autem tempus prædicationis: quemadmodum dicitur Christum judicaturum vivos & mortuos: non quod mortui futuri sint, cum judicabit, sed quod antè.) Aut Mortui intelliguntur non propriè, sed impropriè per Metaph. pro infidelibus, ignorantia & vitiositate mortuis, ut in explicatione illius loci ostendimus: atque etiam hoc modo nihil ad rem. Deinde si vera esset adversariorum sententia; duo inter cætera sequerentur absurda; primò in inferno esse prædicationem & conversionem, quod falsum esse ostenditur, Gal. 6. 10. *dum tempus habemus, operemur bonum.* quo loco apertè indicatur, non esse post hanc vitam locum pœnitentiæ & reconciliationis; ut fatetur Bellarmin. controvers. 2. lib. 4. c. 16. Huc etiam pertinet celebris illa Apostoli ad Heb. 9. vers. 27. sententia: *Omnibus statutum est semel mori, & pòst judicium.* cujus scilicet initium ab anima est; consummatio verò in corpore ultimo die. Atque huc etiam refert Bellarm. locum 2. Cor. 5. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis*; quod plenius Apostolus ait: τὰ διὰ τοῦ σώματος. Alterum absurdum est, quod Pontificii ajunt, animas piorum fuisse ante Christi adventum in limbo inferni superiori. Statuunt enim Infernum dividi gradatim in quatuor loca, infimum locum esse æternis pœnis destinatum, ubi pœna est damni gloriæ cœlestis, gratiæ Dei & pacis conscientiæ; & pœna sensûs, cruciatus infernalis: qui locus reprobis destinatus ac proprius, qui sceleribus suis sunt promeriti; unde nulla sit liberatio. Reliqua autem tria spacia inferni sic distinguunt, ut locus, infimo inferno proximus, sit purgatorium: in quo eodem igne infernali crucientur animæ, quæ à peccatis suis venialibus, nondum plenè purgatæ, eò descenderunt; ut purgentur, satisfactione illarum pœnarum, ut tandem in cœlum purificatæ adscendant. Reliqua verò duo spacia superiora inferni vocant *Limbos*, hoc est, oram seu extremitatem duplicem. Proximum enim purgatorio limbum, statuunt esse locum pœnæ damni gloriæ cœlestis, non autem pœnæ cruciatus seu sensûs. In quo limbo statuunt infantes, sine baptismo mortuos, perpetuò mansuros, sine liberationis spe. Alterum denique ac supremum limbum, statuunt esse locum, in quo omnes sancti Patres, post mortem, usque ad Christi adventum fuerunt; unde per Christum liberati jam sint: adeò ut locus ille seu limbus Patrum sit vacuus; in quo limbo Patres habuerint pœnam, non sensûs, sed tantum damni, & quidem temporalis, non æterni, ut de Limbo infantum suprà dictum. Verùm ut hęc è locis Scripturæ, ineptè detortis, elicere conantur: probare tamen non possunt; cùm Scriptura Sacra duo tantùm loca nôrit animarum post mortem: *cœlum* servandis; *infernum* perituris. Objiciunt quidem exempla nonnulla ex utroque Testamento; sed quæ omninò aliena sunt. Ac primùm Iacobi & Iosephi Gen. 37. *descendam ad Filium meum in infernum.* Sed facilis est solutio; vocem שאול hîc sepulchrum notare, non infernum, & agi de statu corporis, non autem animæ: nam quod objicitur, Josephum filium, opinione Jacobi, cujus hæc verba sunt, non fuisse sepultum, sed à fera devoratum: verum est, propriè non sepultum censuisse, sed tamen sepultum quodammodo Metaphoricè, quod feræ intestina censeret instar sepulchri. Deinde quod etiam afferunt ex 1. Sam. 28. *Samuelem è terra adscendisse post mortem*; ideoque non fuisse in cœlo, sed in inferno: illud vanissimum est: quia Samuelis nomine per Metaphoram, ob similitudinem figuræ, dæmon appellatur. Nota est enim Metaphora, qua id quod alicui simile est, eo nomine appelletur sæpius: quemadmodum pictura ac similitudo Platonis, Plato dicitur: & Angeli duo, qui Abrahamo apparuerunt specie virorum, viri appellantur. Res ipsa quoque hoc evincit: quia pugnat hæc expositio contra statum piorum mortuorum, qualis fuit Samuel: nam *nulla est condemnatio iis, qui*

sunt

sunt in Christo Jesu, Rom. 8. v. 1. Ergo in limbo inferni non luerunt pœnam damni gloriæ ad Christi adventum. Deinde ad Coloss. 1. v. 13. asserit Apostolus fideles esse liberatos à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & inferni, in quo tenebræ exteriores. Ergò pœnam damni gloriæ non luerunt in inferni limbo. Præterea repugnat etiam Apocalypsi Johannis cap. 14. v. 13. nam *Beati illi sunt, qui moriuntur in Domino: nam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum* (id est, merces operum) *sequuntur eos*. Ergò non luunt pœnam damni in inferno, neq; privantur longo tempore, mercede operum cœlesti. Præterea repugnat etiam iis, quæ Esaias c. 57. 2. asserit; nempe cum docet, *pios justos mortuos, pacem habere, & requiescere in suis cubilibus*. Atqui qui pacem habent, illi non habent pœnam damni gloriæ. Deinde pugnat etiam hæc sententia contra analogiam fidei: nam sequeretur dæmones & homines necromanticos, habere potestatem in animas piorum defunctorum, ac pro arbitrio evocare: quo nihil indignius dici potest, cùm fideles morientes ac vivi sint in manu Dei, & liberati à potestate Sathanæ. Denique non consentit historia cum adversariis: nam Samuel, de quo sermo est, visus fuit à Pythonissa, sed anima Samuelis videri non potuit: quia incorporea, utpote Spiritus. Quibus addo, & illud refutare Pontificios, cum dicitur, v. 19. *Cras eritis mecum, tu & filii tui*. Atqui Saul non potuit esse cum Samuele: quia imo inferno adjudicatus jam erat, & nullum est commercium inter sinum Abrahę & infernum, nullus adventus eò ex inferno, ut Luc. 16. docetur. Denique quod objiciunt, Lazarum Luc. 17. in inferno fuisse, absurdum est: dicitur quidem divitem fuisse in inferno, & illinc Lazarum sublatis oculis vidisse; sed non illic: ut etiam Stephanus in terra & è terra, Christum in cœlo existentem, contemplatus est, Actor. 7. Atque hæc ad objectionem è parabola Lazari, & explicationem quæstionis de descensu Christi ad inferos.

FINIS EXPLICATIONIS EPISTOLARUM PETRI.

ANALYSIS PRIMÆ EPITOLÆ JOHANNIS.

Explicatis hactenus duabus Petri epistolis Catholicis; reliquum est, ut tres Johannis, quæ supersunt, pro modulo nostro illustremus. Eæ autem scriptæ sunt, partim certis personis nominatim, ut duæ postremæ: partim Ecclesiis multis, ut prima, de qua nunc acturi sumus. Et ut à descriptione exordiamur; *Ea est, Divinum Novi Testamenti scriptum, à Johanne Apostolo fidelibus exaratum, quo omnes, fideli Religionis Christianæ institutione, & variis hortationibus ac consolationibus, in officio continere, & contra adversarios illius præmunire studuit: ut in communione cum Ecclesia & Deo Patre ac Jesu Christo, & consolatione Christiana confirmaret, ad perpetuam Ecclesiæ Christianæ ædificationem, & Dei in Christo gloriam*. Unde hujus Epistolæ scriptor, objectum, occasio, materia, & finis, cognoscuntur: de quibus ordine pauca dicenda sunt. Scriptor enim Iohannes, Apostolus & Euangelista: cujus historiam (ut Euangelia & Acta Apostolorum prætereeam) recensent Eusebius histor. Eccles. lib. 3. cap. 1. 18. 20. 25. & 28. & Hieronymus tom. 1. in Scriptor. Ecclesiasticorum catalogo. Quibus accedit Pseudo-Dorotheus in Synopsi. Hunc autem Iohannem Apostolum, esse hujus Epistolæ scriptorem ut controversia caret, sic etiam arguit styli & materiæ summa, cum reliquis Johannis scriptis convenientia, & perpetuus & ab initio Ecclesiæ Christianæ, imò & hostium, qui id negare non sunt ausi, consensus. Objectum verò cui hæc epistola est destinata ac missa, sunt fideles cap. 2. vers. 4. & 2. vers. 12. 13. 14. & 5. v. 13. Quos quidam Judæos fuisse arbitrantur ex hujus epistolæ cap. 1. vers. 1. quod Johannes se cum iis, quibus scribit, à mundo, hoc est, reliquis gentibus mundi distinguat: quemadmodum factum Rom. 11. v. 12. Alii tamen non temerè totam Ecclesiam, ex Judæis & gentibus constantem intelligunt: idque duabus de causis. Quarum prima est, quod doctrinæ & circumstantiæ epistolæ communiter ad omnes omnium nationum & conditionum fideles pertineant. Nam quod Johannes se cum iis, quibus scribit, à mundo distinguit: dici posset, *mundi* nomine intelligi electos adhuc infideles in toto mundo dispersos, per Christum redemptos & ad fidem vocandos; vel ut omnium temporum fideles ob initio mundi intelligantur. Altera causa est, quod hoc scriptum, quamvis & olim, & nunc vulgo Johannis Epistola appelletur & ita inscribatur, videri queat, potius esse *brevis quædam Christianæ doctrinæ epitome, & Euangelii à Ioanne scripti, succinctum Enchiridion; cui adhortationes quædam, pro communi totius Ecclesiæ conditione sint adjectæ*. Idque eo probant verisimiliter, quod hoc scriptum non inchoetur inscriptione ac salutatione; nec concludatur salutatione aut valedictione ulla: quod tamen in epistolis solemne est, & à Joanne, cùm in consequentibus, tum in Apocalypsi observatum: nam licet epistola ad Hebræos careat inscriptione ac salutatione in initio, & epistola Iudæ in fine; nulla tamen utrimque, ut hoc in loco apparet. Cæsar verò Baronius annalium tomo primo, anno 99. aliter sentit: conjicit enim, titulum seu inscriptionem initio hujus epistolæ fuisse à Ioanne præmissum: ex quo constaret, *quis* ac *quibus* scripsisset, sed temporum injuria, titulum intercidisse. Quæ audax omninò conjectura; & ratio, qua eam probat, inanis: nam quod ait; *à majoribus Higino epistola prima, & Augustino, in quæstionibus Novi Testamenti quæst. 39. hoc titulo citatur, Ioannes ad Parthos: quod quomodo scissent, nisi titulus ejus, qui dedit & ad quos data, demonstrasset?* Illud, inquam, facilè refutari potest: nam ad antecedens quod attinet, falsum est Higinum & Augustinum, citare epistolam hanc eo titulo: nam scripta illa, quæ obtendit, sunt pseudepigrapha & adulterina: nam epistolæ illæ Romanorum Pontificum priscorum (inter quas illa Higino adscripta) quæ in Conciliorum tomis recensentur, styli & materiæ absurditate à scriptoribus illius ævi, omninò dissentiunt. Ex qua re adulterinas esse, vel adulteratas, meritò ab Orthodoxis concluditur. Deinde quæstiones illas Novi Testamenti, non esse Augustini, imò ne Catholici quidem scriptoris, non solùm gravi sua censura probavit Erasmus; sed etiam approbat ac multis demonstrat Bellarminus controv. tom. 3. de gratia primi hominis c. 1. Deinde aut error numerorum est: aut memoriæ, quod caput 39. citat, quoniam illo in loco, Ioannis non meminit omninò, & an alibi Ioannis ad Parthos mentionem faciat, dubito. Deinde etsi valeret antecedens, infirma tamen est consequentia: quia alia esse potuit causa, quam Ioannis judicium & titulus, cur hanc epistolam ita appellarit: ac fortasse, quod (ut sibi parum consentiens ait Baronius) cum apud Parthos prædicarit Euangelium, etiam ad eosdem scripsisse putaretur. Quamvis (ut de hac re etiam aliquid dicam) non video, unde probare possit Baronius, certò Ioannem prædicasse Euangelium apud Parthos: præsertim cùm illud distinctè tribuatur à veteribus, non Ioanni Apostolo, sed Thomæ: quemadmodum ex Origine tradit Eusebius hist. Eccles. lib. 3. c. 1. & Dorotheus in Synopsi. Pro-

si. Probabilior quodammodo esset conjectura Ioannis Lorini Iesuitæ; nempe videri posse hanc epistolam Ephesiis scriptam, quod ibi diutius vixerit ac sepultus sit. Quare meritò Baronii conjecturam non admittimus. Porrò ut ab Objecto, ad Occasionem scripti transeamus, ea videtur fuisse periculum Ecclesiæ geminum. Primum externum, à religionis Christianæ adversariis, partim apertis ac persequutoribus, c. 3. 1. & 13. partim opertis ac seductoribus hæreticis cap. 2. 18. 19. 22. 26. & 4. 1. Quales hæretici (ut ex Eusebio, Epiphanio, aliisque veteribus scriptoribus apparet) fuerunt illi qui impugnarunt Christi personam, aut Christianorum officium: ac personam quidem Cerinthus & Ebion, qui divinam: & Basilides Simonis Magi discipulus, qui humanam Christi naturam, negarunt; adeò ut illi Christum non ab initio mundi & ab æterno extitisse verum Deum, sed contrà ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem tantùm ex Maria natum, neque prius exitisse assererent: Hic verò non verum hominem, nec verè natum, passum, crucifixum, sed speciem tantùm externam corporis habuisse, contenderet. Christianorum verò officio adversati sunt Nicolaitæ, qui scortationem & idololatriam sectabantur. Apoc. 2. 6. & 15. Secundum periculum fuit internum, in Ecclesię visceribus latens, & ortum ab Ecclesię visibilis membris, & Christianis, à recto aberrantibus, qui fidem & charitatem iniquè separabant. Alii enim fuerunt Libertini, qui cognitione Dei, & inani fidei professione freti, de adoptione in filios, communione cum Deo & Christo, remissione peccatorum, justitiâ sua, & amore erga Deum gloriabantur, & charitate neglecta, peccatis serviebant, cap. 1. 6. & c. 2. 4. 6. 9. & c. 3. 7. & 4. 20. Alii hypocritæ, qui inani virtutum fiducia superbi, sese non habuisse, aut non habere peccatum; (contra veræ fidei naturam, & veritatis ac misericordiæ divinæ gloriam) jactabant c. 1. 8. & 10. Ex quibus omnibus materia hujus epistolæ facilè cognosci potest. Continet enim brevem religionis Christianæ institutionem & hortationes varias eò pertinentes. Proponit enim primum doctrinam de Deo, uno essentia, trino personis, 1. Joh. 5. 7. ac potissimum de secundâ personâ, Filio Dei: cujus cùm personam, divinâ & humana naturâ, inseparabili unione constantem, c. 1. v. 1. & 2. & c. 4. 2. & cap. 5. v. 20. tum officium ac beneficium redemptionis c. 1. 7. & cap. 2. v. 1. 2. & c. 3. v. 5. 8. & c. 4. v. 9. 10. & 5. 1. & 20. declarat. Deinde alteram addit doctrinam, de nostro, erga Deum Patrem & Filium ejus redemptorem officio, ac notis filiorum Dei, nempe fide vivâ in Christum, c. 5. 1. 10. 13. & sanctitate vitæ, cùm generatim, tum speciatim, ac præsertim charitate in proximos. Atque hanc Christianæ religionis ac sanctæ Theologiæ brevem institutionem amplificat, insertis variis hortationibus, quibus ad officii studium, & adversariorum fugam exstimulat; quorum omnium finis est, fidelium in verâ fide & sanctitate, & in communione cum Ecclesia & Christo, confirmatio & consolatio, c. 5. 13. & 1. 3. 4. & c. 3. 1. 2. 13. Atque hæc de Epistolæ descriptione. Ad divisionem verò quod attinet, ea ut reliquæ, tribus constat partibus, Exordio c. 1. ad v. 5. usque; Tractatione, ac potissimum, Quæstionis de notis filiorum Dei, eorumque officio, à c. 1. v. 5. ad cap. 5. v. 13. & Conclusione, inde ad finem. Exordium autem doctrinæ Apostolicæ præstantiam declarat tribus modis, nempe materiæ dignitate, certitudine & utilitate: primum ad attentionem, medium ad docilitatem, ultimum ad benevolentiam comparandam pertinet. Quorum duo priora, orationis subjecto continentur: tertium verò attributo, v. 3. annectitur. Ac subjectum quidem proponitur v. 1. & exponitur v. 2. Ac primùm materiæ dignitas in Christo sita est, quem se & Apostolos reliquos annunciare asserit Joannes; Christi autem personam, distinctione duarum naturarum, & earundem personali unione explicat ac describit, eodem ferè modo (quamvis contractiori) quo in Euangelii sui initio. Quippe naturam divinam indicat Apostolus, primùm ab æternitatis proprietate, cum ait: *Quod erat ab initio*; nempe mundi, ut Joh. 1. 1. demonstratum: nam si à principio mundi non esse cœpit, sed erat sermo: ergò principio temporis caret; cum ante principium illud sola fuerit æternitas; ideoque verus est Deus. Neq; obstat, quod neutro genere dicitur ὃ ἦν pro τὸν ὃ ἦν *id quod erat*: quia neutrum genus potest non solum de re, quæ non est persona, intelligi; sed etiam de re, quæ persona: quemadmodum hac epistola cap. 5. v. 4. πᾶν τὸ γεγεννημένον pro πᾶς ὁ γεγεννημένος accipitur, ut etiam Ioannes cap. 3. v. 6. sic hoc loco ὃ ἦν *quod erat* pro *qui erat ἀπ' principio*. sic enim λόγος Filius Dei, qui erat in principio Ioan. 1. 1. intelligitur; ut ibidem pluribus ostendimus. Ad quod comprobandum, servit quod secundo loco *sermo vitæ* nuncupatur: sive ita vocetur (ut quidam exponunt) quod vitæ sit author: id quod esse non potest, nisi vita sit per se: sive (ut potius statuendum) ἐξηγητικῶς, ut Ioan. 2. 21. & 11. 13. per Appositionem Grammaticam, quod sit vita: ut eo modo vita non accidens & effectum in nobis, sed fontem vitæ significet, quemadmodum Ioan. 1. 4. *vita* apellatur. Vnde deinde necessariò sequitur, eum etiam esse authorem vitæ, cum naturalis, tum supernaturalis, tam gratię, quàm glorię: quemadmodum propterea nominatur vita æterna v. 2. & 5. 12. Ex quibus duobus cum æternitate, tum essentia Christi, divina ejus natura demonstratur. Humana verò ab objectis Johannis & aliorum Apostolorum sensibus, auditu, visu accurato & tactu indicatur. Quod autem multi tactum, ad historiam Thomæ, Ioh. 20. v. 25. & 27. restringunt: illud angustius est: nam Apostoli etiam Christum ante mortem tetigerunt, ut Petrus Matth. 14. v. 31. & Iohannes, ut scribit Euangelii cap. 13. 23. & reliqui etiam Apostoli in lotione pedum eorum à Christo, ibidem vers. 5. & 12. Unde certitudo doctrinæ elucet; ut quæ confirmetur testibus, certissima experientia nitentibus, & qui αὐτόπται spectatores & ministri facti sunt λόγου *sermonis*, hoc est, Christi, ut eleganter & huic loco consentaneè ait Lucas Euangelii cap. 1. 2. & Petrus 2. ep. 1. 16. Cæterum ut hæ duæ naturæ in Christo, divina & humana, vinculo personalis unionis continentur: ita eam Apostolus distinctè per præpositionem περὶ *de* indicat, cum ait: *Manus nostræ contrectârunt de sermone vitæ*. Ut ita *sermo vitæ* personam Filii Dei incarnati, ab una naturâ denominatam notet, quæ deinde in suas naturas, divinam & humanam, ex ipsarum proprietatibus adjunctis distinguatur (nam *erat ἀπ' principio* naturæ divinæ: *quod vidimus* &c. humanæ competit) & hac prædicationis forma (nempe *de sermone vitæ*) personæ unitas indicetur, ut Rom. 1. v. 3. & 4. quamvis vocis περὶ diversa nonnihil significatio: nam ut apud Latinos præpositio *de* pro *quantum ad* interdum accipi certum est: sic huic dictioni Latinæ, περὶ apud Græcos respondere, Henricus Stephanus in Thesauro rectè notavit. Hæc de v. 1. qui clarius per parenthesin exponitur, anticipatione quadam, ut tacitæ objectioni occurrat. Quia enim quæri poterat: quomodo vidistis sermonem vitæ, cum sit invisibilis? Deinde; ubi erat ille ab initio? Propterea Apostolus utrumque exponit. Prius cum ait: *Nam vita patefacta est*, nempe in assumpta carne 1. Tim. 3. 16. unde *vidimus & testamur & annunciamus vobis vitam illam æternam*. Similis locus est Joh. 1. 14. Alterum verò declarat, cum ait, *quæ erat apud Patrem*, hoc est, in sinu Patris, ut Filius unigenitus, unum cum Patre natura & gloria, non aliud, diversus verò & alius persona, Ioh. 1. vers. 1. Sed adversus Orthodoxorum rectam expositionem objicit Enjedinus Samosatenianus: primùm, ambiguum esse, an λόγος hoc loco Christum, an verò Euangelium notet: quod similiter & verbum, & verbum vitæ appellatur. Sed Christum intelligi docent attributa, quia visio & contrectatio Christi personæ, non verò Euangelio possunt convenire: & Ioh. 1. v. 1. ipsemet adversarius λόγον de Christo exponit. Sed aliter hunc locum corrumpit, quod scilicet illud ἀπ' ἀρχῆς referendum sit ad tempus illud, quo Christus cœpit docere & miracula edere, ut Luc. 1. v. 2. dicitur; *qui ἀπ' ἀρχῆς ab initio spectatores & ministri fuerunt τοῦ λόγου*. Respondetur verò primùm, hæc esse longè diversa. Nam apud Lucam ἀπ' ἀρχῆς construitur relatè, cum αὐτόπται *spectatores fuerunt*; hic verò absolutè dicitur, ut Ioh. 1. v. 1. *quod erat* (id est, existebat) *ab initio*. Deinde idem quoque refutant sequentia, cum de sermone vitæ, id est, Christo, qui erat ab initio, dicitur; *& vita*

vita erat apud Patrem, & patefacta est nobis, ut Ioh. 1. v. 1. cum 14. Nam quod excipit, *Christus erat apud Patrem*, hoc est notus ei, sed hominibus occultus & ignotus; quia ei opponitur, *& patefacta est nobis*. Respondetur contrà dici hîc, *erat à principio*, nempè vita; ut postea etiam sermo vitæ appellatur, cui patefactio tribuitur, Ioh. 1. 1. cum 14. & cap. 16. 28. Quòd autem denique objicitur, verborum illorum, *quod erat à principio*, sensum esse, eundem fuisse à principio tum, cum auditus, visus &c. omnia enim ad idem tempus pertinere, quia non intercedit copula *&* nempe, *& quod vidimus* &c. Negamus ad idem tempus debere propterea referri, ut etiam 1. Tim. 3. 16. de eodem Christo plurima, tempore discrepantia sine copula intercedente recensentur. Hæc de subjecto exordii & doctrinæ Apostolicæ dignitate & certitudine. Attributum verò ejusdem, adjunctam Apostolorum annunciationem, & utriusque cum doctrinæ, tum annuntiationis & scriptionis utilitatem, quæ ex fine elucet, complectitur. Finis autem statuitur, cùm proximus; tum remotus. Proximus quidem est communio triplex. Quarum una est cum Apostolis, ut Ioh. 20. 29. 30. 31. quæ eleganter exponitur, partim ad Ephesios, 4. 5. 6. 12. 13. 16. partim hoc in loco, ex reliquâ communione duplici. Sic enim declaratur, qualis ea sit communio quam fideles cum Apostolis habent, nempe communio cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo: quarum illa in reconciliatione & adoptione in Filios: hæc verò in spirituali, cum Christo capite unione, per fidem consistit: unde etiam tanquam à suâ causâ, communio cum Patre; & ab utraque hac communio cum Apostolis, ac fidelium inter se dependet. Quam triplicem communionem Apostolus doctrinæ Apostolicæ apud fideles finem statuit: non quidem ratione initii (nam jam reverà, quia fideles erant, habebant quoque communionem, ut vers. 7. indicatur) sed ratione continuationis & incrementi: quemadmodum Paulus iis, qui gratiam Dei acceperant, eam tamen precatur in salutationibus suis, nempe (ut 2. Pet. 1. v. 2. exponitur) ratione augmenti: & Christus eodem sensu, præcepta sua servantibus, amorem à Patre ac se & notitiam sui pollicetur Joan. 14. 21. Hæc de vers. 3. & fine proximo. Ex quo vers. 4. sequitur remotus, nempe gaudii plenitudo. Quod quidam de vita æterna (in qua solum perfectum, & omnibus numeris absolutum est gaudium) exponunt. Oecumenius verò & nonnulli alii, de gaudio conscientiæ, orto ex fide communionis cum Deo & Christo, commodius interpretantur: ad quod hortatur Paulus Phil. 4. v. 4. Nam quamvis in cœlo absolutè perfectum sit gaudium: comparatè tamen cum parvo, & cum infidelibus gaudentibus in his terris, in verè fidelibus exstat: quemadmodum *plenum gaudium*, de magno dicitur: quemadmodum ea phrasi utitur Christus, Johan. 15. v. 11. & 16. 24. & 17. 13. Lucas Actor. 13. v. 52. Paulus Rom. 15. v. 13. & 2. Timoth. 1. 4. Denique Johannes secunda epistola vers. 12. Hujus autem gaudii opportunè meminit, quia fideles afflicti, consolatione opus habebant, qua se sustentarent: quemadmodum etiam ex communione cum Deo & Christo, ac fructibus illius, consolationis & gaudii argumenta producit Apostolus cap. 3. v. 1. & 2. Hactenus Exordium. Cui altera hujus epistolæ pars, nempe tractatio quæstionis, de notis & officiis filiorum Dei, & verorum Christianorum succedit, quæ partim demonstrationibus, partim sequentibus ex ea hortationibus promiscuè constat, & cum exordio eleganter cohæret: nam postquam finem hujus epistolæ esse ostendit, communionem cum Apostolis, cum Deo & cum Christo; jam demonstrat (ab effectis ad causas assurgendo) unde cognoscamus, nos illam habere communionem. Duas autem hoc capite notas proponit; sanctitatem vitæ, & confessionem peccatorum. Ac priorem quidem notam seu signum enthymemate duplici concludit, quorum enthymematum conclusio diversa est: quippe prior remotionem contrarii falsi; posterior positionem veri complectitur: antecedens verò unum idemque est. Ac prius enthymema est hujusmodi: Deus lux est purissima. Ergo si in tenebris incedentes, dixerimus nos communionem habere cum eo, mentimur. Addita propositione, syllogismus integer erit: Si Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ; Ergo si in tenebris incedentes dixerimus, nos communionem cum eo habere, mentimur. Atqui Deus lux est. Propositionis consequentia, ex oppositorum immediatorum, aut privantium naturâ perspicua est: nam ut 2. Cor. 6. v. 14. dicitur; *Quodnam consortium justitiæ cum iniquitate & quæ communio luci cum tenebris?* Assumptio quamvis per se clara sit, confirmatur tamen ab authoritate Christi: qui cum sit verus Deus, verba ejus oracula sunt; & de eo (quod stultè Pythagorici de Pythagorâ usurparunt) sapienter ac verè tanquam certissimum argumentum, & principium Theologicum dici potest, αὐτὸς ἔφα. Ac propterea Iohannes etiam, hoc in loco non Christum nominat; sed absolutè & κατ' ἐξοχὴν, αὐτὸν, *ipsum* appellat: quemadmodum vers. 10. & cap. 2. 12. 25. 27. 28. & 3. 2. & eodem sensu ἐκεῖνον *illum* cap. 3. 5. 7. 16. Quo etiam modo Deum Patrem alicubi absolutè αὐτὸν nominat cap. 2. v. 29. & c. 3. v. 19. Ioannes igitur ait: *& hæc est annunciatio quam audivimus ex ipso, Deum esse lucem*. Deum autem hypostaticè Patrem (quamvis idem attributum etiam Filio & Spiritui Sancto conveniat) hoc loco intelligit; ut collatio, v. 7. (in quo relatio est Dei ad Filium ipsius, quæ relatio Patri soli, non Filio: non Sp. Sancto quadrat) evincit. *Lucem* autem vocat Metaphoricè, propter similitudinem aliquam in naturâ & effectis. In natura; quia ut lux per se pura est: sic Deus sanctus ac purus est, ab omnibus ignorantiæ ac peccati tenebris ac sordibus. In effectis verò similitudo est, primùm quod ut lux aërem illuminando, tenebras pellit, eâque ratione colores ac faciem rerum & discrimina, viamque ambulantibus utiliter conspicua reddit: Ita Deus gratuitâ sua præsentiâ & communione, tenebras ignorantiæ & peccati, Spiritus sui illustratione, per fidem & charitatem donatam, discutiens, rectam Dei & officii nostri notitiam, justique & injusti discrimen, viamque ad cœlum demonstrat. Deinde ut lux oculos corporis recreat, & animos tristes exhilarat: Ita Deus oculos animi reficit & fideles solido gaudio beat. Atque hæc de syllogismi propositi assumptione seu Enthymematis Ioannis antecedente, vers. 5. Unde consequens seu conclusio necessariò deducitur: Ergò si dixerimus, nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur nec veritatem facimus. Conjunctio quidem conclusiva *ergò* non ponitur, sed perspicuâ & frequenti ellipsi omissa, satis ex reipsa patet. Quid verò *in tenebris ambulare* sit, ex lucis oppositione colligi potest. Nam ut *tenebræ* ignorantiam Dei & peccata significant: sic *ambulare* serium studium (per Metaphoram à viatoribus desumptam) significat, ut Psal. 1. 1. unde sensus hujus allegoriæ est perspicuus. Illi enim in tenebris ambulant: non qui infirmitate peccant (ut omnes fideles, vers. 8.) sed qui studio, hoc est, qui peccatis operam dant ac serviunt: quique κατ' ἐξοχὴν peccatores, hoc est, scelerati in Sacris Literis, Psal. 1. v. 1. Joan. 9. v. 24 & alibi appellantur; id quod fidelibus non convenit, Rom. 6. 14. & 1. Joh. 3. 9. Denique *mentiri* & *veritatem non facere*, idem ferè illustratione à contrario denotant; nisi quod prius ad sermonem, posterius ad facta referatur: unde noster interpres rectè versione sua sensum expressit, hoc modo; *nec sincerè agimus*, ut Joan. 3. 21. ac similis sententia est, Tit. 1. 16. Atque hæc de primo Enthymemate, quo Joannes docuit per remotionem falsi, sanctitatem vitæ esse notam filiorum Dei. Ostendit enim quàm falsò tales eo titulo glorientur, partim ut Libertinos confutaret & ad resipiscentiam invitaret: partim ut pios redderet cautiores, v. 6. Alterum Enthymema, repetito & inserto antecedente in consequenti annectit, v. 7. Deus est lux. Ergò *si in luce ambulamus, communionem habemus cum eo, & sanguis Iesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato*. Syllogismus erit; Si Deus lux est. Ergò si in luce ambulamus, communionem habemus mutuam. At Deus lux est. Propositionis consequentia patet per se, & ex antecedenti argumentatione. Assumptio, quæ vers. 5. communiter præmissa est, repetitur verbis paululùm mutatis, sed eodem tamen sensu, *sicut Deus in luce est*, hoc est, luce justitiæ

justitiæ præditus. Cui opponitur esse in tenebris, ut cap. 2. v. 9. & 10. Denique conclusio est: Ergò *si in luce ambulamus*, (hoc est, sanctitati operam damus, eique servimus) *communionem habemus mutuam*, nempe cum Deo. Nam quod nonnulli de communione charitatis inter fideles interpretantur: illud scopo & circumstantiis loci, non satis convenit. Deinde quod additur: *Et sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*; alteram communionem (nempe cum Christo) indicat per Synecdochen. Nam Christi sumus participes per fidem: primò ratione personæ, quia vi Spiritus Sancti in unum corpus mysticum cum eo coalescimus: deinde ratione meritorum ac beneficiorum Christi, quæ ab eo tanquam capite, in nos, ut membra ipsius profluunt, nempe justitia & sanctitas vitæ. Hîc autem tantùm justificationis meminit, quâ ab omnium peccatorum nostrorum sordibus seu reatu purgamur, obedientiæ Christi imputatione: quam obedientiam tropicè *sanguinem* vocat: sanguis enim ipsius effusus sicut sacrificii Christi pars nobilissima est, ita pro toto sacrificio, imò pro totâ obedientiâ Christi, quæ in sanctitate vitæ, & voluntariâ passione ac sacrificio consistit, accipitur: quoniam hæc duo, re distincta, tempore conjuncta fuerunt: nam Christi vita quasi perpetua quædam perpessio fuit: & mors illius, obedientiæ communis & singularis quasi colophon: quia in ea morte, cùm amor Dei, tum proximi summus emicuit. Unde non immeritò ei salus nostra ascribi solet: quemadmodum de hoc argumento, in disputatione de Justificatione, distinctius & copiosius disseruimus. Sensus igitur hujus loci est; eos habere communionem cum Patre & Filio, seu esse Dei Patris, per adoptionem, filios, atque hæredes vitæ & Christi membra, ejusque sanguine per fidem verè justificatos, qui in luce sanctitatis vivunt, vers. 7. Quo modo absolvitur explicatio primæ notæ filiorum Dei, quæ vitæ sanctitas est. Altera est peccatorum confessio, quam per anticipationem objectionis, eleganter priori (in qua purgationis peccatorum meminit) annectit: ac similiter tractat per aphæresin & thesin; ut hypocritarum arrogantiam clarius & acrius retunderet. Aphæresis seu remotio contrarii falsi, ostendit quàm non sint veri, eoque quàm sint à Dei & Christi gratiæ communione alieni, illi nimirum, qui se dicunt non habere peccatum, vers. 8. Thesis contrà, Dei filios & sanguine Christi purgatos ac justificatos, eos esse indicat, qui sua peccata confitentur, hoc est, coram Deo & hominibus sese peccatores agnoscunt, non superstitiosâ confessione auriculari, seu recensione singulorum peccatorum, quam Pontificii prædicant: sed generali agnitione, ut ex præpositâ & oppositâ aphæresi apparet: nam dicere, se non habere peccatum & confiteri peccata, hoc est, dicere se habere peccata, opponuntur. Atque hæc sententia est horum verborum: *Si confiteamur peccata nostra*. Consequens autem est: *remittet peccata, & purgabit nos ab omni iniquitate*. Quæ duo Synonymia quadam, idem omninò significant: nam ut peccata & iniquitas unum sunt: sic etiam remittere & purgare, per diversam metaphoram ad eundem scopum tendunt: siquidem ut peccata comparantur vinculis quibusdam ac catenis, quibus iræ Dei & damnationi obstringimur; deinde sordibus, quibus in nobis & coram Deo immundi ac detestabiles reddimur: ita contrà condonatio reatus peccatorum seu obligationis ad pœnam, remissio dicitur & purgatio. Quod ut melius intelligatur, observandum est, purgationem à peccatis esse duplicem; unam ratione reatus; alteram ratione vitiosæ qualitatis. Prior fit justificatione seu imputatione satisfactionis Christi, qua, tanquam λύτρῳ perfectissimo, à reatu, id est, obligatione ad pœnam liberamur: quomodo tam actualia, quàm habitualia peccata purgari possunt. Posterior fit sanctificatione: qua vitiosa qualitas reipsa tollitur: quomodo actiones vitiosæ cum fiunt, cohiberi; sed cum factæ sunt, purgari non possunt: quia factum infectum fieri non potest. Contrà verò habituale peccatum in nobis inhærens, paulatim merito Christi per Spiritus Sancti efficaciam tollitur atque expurgatur. Cœterùm hoc in loco, ut anteà ostendimus, de purgatione à reatu, seu justificatione tantùm agitur; quæ confessioni peccatorum; non cuivis (quod observandum) sed ex vera vivaque fide proficiscenti, tribuitur: & quidem tanquam consequens, non effectum, sed adjunctum. Quamvis enim confessio peccatorum, ad remissionem eorum necessaria sit: non tamen causa est, sed antecedens solum conditio. Deinde hoc in loco intelligenda est remissio, non ratione initii, quia de fidelibus agit: sed ratione continuationis, qua justificati justificantur adhuc, ut in Apocalypsi dicitur, c. 22. v. 11. Hanc autem sententiam probat Johannes à Christi natura: quia fidelis est & justus, hoc est, in promissionibus, secundum veritatis & justitiæ regulam servandis, constans. Quo innuit, eum promisisse peccatorum remissionem, peccata sua rectè, hoc est, cum pænitentiâ & fide confitentibus: ut oratio etiam Dominica evincit, & nobilis illa promissio, *quicquid à Patre petieritis*, &c. Unde argumentationis hujus robur, & consequentiæ necessitas elucet, v. 9. Porrò thesi jam apposita, aphæresin reponit & amplificat Apostolus. Nam ut peccata nostra alia sunt præsentia; alia præterita: sic hypocritæ quidã præterita confitentur, præsentia negant, quasi jam per sanguinem & spiritum Christi prorsus sanctificati & purgati sint: alii verò impudentiores etiam præterita inficiari audent. Adversus priores egit Apostolus, v. 8. eosque seipsos fallere ac mendaces esse ostendit: adversus posteriores verò differit hoc loco, v. 10. quos in Christum (quem κατ' ἐξοχὴν vocat αὐτὸν *ipsum*) blasphemos esse indicat: quod ipsum mendacem faciant, & sermo ipsius non sit in iis. Quæ duo reipsa unum declarant, sed modo tantùm differunt. Nam Christum mendacem facere, non est naturam illius veracem mutare (quia natura divina Christi simplicissima, infinita, & immutabilis est, Jacob. 1. 17. in qua tenebræ non sunt ullæ, Johan. 1. 9. & humana ejus natura sanctissima est ac permanet, ex personæ & officii necessitate, Heb. 7. 26. Johan. 8. 29. 46. 1. Petr. 2. 22.) sed mendacem facere, hîc notat mendacem judicare ac dicere: quemadmodum *faciendi* vox, ut apud profanos autores interdum & in omnibus penè linguis, sic Matth. 12. 33. accipitur, cum ait Christus: *Aut facite arborem bonam*, item, *aut facite arborem putrem*. hoc est, judicate, ut Joan. 5. 18. & 8. 35. & 10. 33. & 12. 7. 12. Sic etiam hoc in loco Metaphoricè *facere* pro *judicare* accipitur. Cujus etiam explicatio & confirmatio continetur in illis verbis: *Et sermo ipsius non est in nobis*, hoc est, sermonem ipsius fide non recepimus, sed incredulitate & contradictione respuimus, quemadmodum hi duo loquendi modi in simili sententia conjunguntur, 1. Joh. 5. 10. Sermo autem Christi totus, cùm legis, tùm Euangelii, nos peccatores esse multis modis clamat; præsertim declaratione sui muneris & beneficii erga nos; & officii nostri erga se; ac clarissimè in communi omnibus mandata peccatorum confessione, Matth. 6. *Remitte nobis debita*, hoc est, peccata, Luc. 11. v. 4.

CONSECTARIA.

I. CUm Christus sit sermo vitæ, qui erat ab initio: falsa est Samosatenianorum veterum & recentium, nempe Socinianorum sententia: qui Christum ψιλὸν ἄνθρωπον merum esse hominem, quique non prius exstiterit, quàm à Maria conciperetur, docent.

II. Christus visus, auditus, tactus. Ergo vero corpore humano præditus. Ac propterea errant non solùm Marcionitæ veteres, qui corpus Christi non verum, sed phantasticum asseruerunt: sed etiam Ubiquitistæ, qui, ut Christi corpus sub pane Cœnæ latere docent, tale nobis Christi corpus in terris somniant, quod (contra corporis naturam à Christo explicatam Luc. 24. 39.) non suis terminis dimensum, visibile ac palpabile sit, sed ubique immensum, invisibile & impalpabile.

III. Cùm Johannes asserat, se id quod erat ab initio, quod cum Apostolis audiverat, viderat de sermone vitæ, annunciare: sequitur, sermonem vitæ non duas esse personas, neque duas separatas aut confusas naturas: sed personam unam duabus unitis ac distinctis, per suas proprietates, naturis constantem. Ac propterea errare Nestorianos, qui

qui personæ unitatem; & Eutychianos, qui naturarum distinctionem negant. Hæc ex v. 1.

IV. Apostoli ea, quæ sensuum experientia perceperunt, de Christo perscripserunt, adeò ut præter certissimam revelationem divinam, & directionem spiritus, etiam habuerint multorum experientiam. Ergò non pro fabulis, ut 2. Petr. 1. v. 16. sed pro Dei veritate, scripta eorum habenda sunt, v. 1. 2. & 3.

V. Cum Apostolis vita patefacta sit, eamque viderint: sequitur pium & elegans esse tritum illud *de Christi persona* ænigma:

Sum quod eram (nempe Deus) *nec eram quod sum*(nempe homo) *nunc dicor utrumque* (nempe Deus & homo, θεάνθρωπος.)

Et simul sequitur errare graviter Anabaptistas, qui docent, sermonem vitæ carnem factum, non assumptione & unione carnis, hoc est, per Synecdochen naturæ humanæ (quomodo Adam factus dicitur anima vivens, unione scilicet) sed mutatione in carnem; ac propterea sermonem vitæ dici visum: quod caro, quæ ex sermone orta sit, visa sit. Quam ad rem hoc Johannis loco frequentissimè abutuntur. Atqui si ita esset, inde sequeretur sermonem vitæ, non amplius exstare, neque vitam patefactam: sed illud tantùm, quod ex vita, permutatione quadam habet materiam: contrà quàm Johannes asserit. Deinde etiam sequeretur, cum vita Deum notet, Filium Dei per incarnationem, desiisse jam esse Deum: nam quod mutatur in aliud, jam id, quod erat, non manet, sed esse desiit: eaque etiam ratione sequeretur, naturam divinam seu essentiam esse mutationi obnoxiam: ideoque cum una sit tantùm essentia Dei, si illa sit mutata in carnem, sequeretur, jam nullum esse Deum, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum. Error autem Anabaptistarum inde oritur, quod *Mysterium unionis hypostaticæ*, & quæ ex ea unione promanat, communicationis idiomatum, non intelligant.

VI. Si Christus erat apud Patrem. Ergò distincta est à Patre persona, contra Sabellianos: qui Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, tria nomina, unam verò Personam asseruerunt, v. 2.

VII. Agnitio Christi in nobis (præsertim in Euangelii præconibus) ociosa esse non debet, sed aliis etiam exemplo Apostolorum communicari.

VIII. Scopus prædicationis Euangelii esse debet, ut alios ad communionem Sanctorum, eoque cum Patre & Christo adducamus, & in ea confirmemus.

IX. Cum prædicationis Euangelii hic scopus sit & utilitas, sequitur primum eos salutis suæ & aliorum esse hostes, & impios, qui eam, ut inutilem, contemnunt, aut humanis studiis postponunt. Deinde cum tam illustris sit Theologiæ dignitas ac fructus, eo adversus cæcum profanorum hominum judicium, & mundi ingratitudinem præmunire nos debemus, v. 3.

X. Ex sola doctrina Christiana, vera animi tranquillitas, & solidum gaudium promanat, v. 4.

XI. In Deo nullæ sunt tenebræ. Ergò impiè à nonnullis peccati author statuitur, dum phrases Scripturæ ad eam rem detorquent.

XII. Non est, cur hoc seculo offendamur, si multi, qui Christum ore profitentur, deque fide gloriantur, factis negent: cum viventibus adhuc Apostolis, hæc pestis in Ecclesia exstiterit.

XIII. Fides sine operibus ficta est, v. 6.

XIV. Cum sanctitas vitæ sit nostræ cum Deo communionis nota, ei seriò studendum.

XV. Christi sanguis purgat nos ab omni peccato. Ergò satisfactiones humanæ, merita Sanctorum, quæ obtenduntur, & vanum purgatorium Pontificium, quibus purgari à venialibus peccatis homines statuunt, unico illo purgatorio, Christi sanguine confutantur, v. 7.

XVI. Cum omnes homines sua habeant peccata, sequitur, Legem (cujus transgressio peccatum est 1. Joh. 3.) à nemine perfectè impleri. Ac propterea nulla sunt hominum merita bona, nedum opera (uti loquuntur) supererogatoria, quæ Pontificii somniant, v. 8. & 10.

XVII. Cum peccata solis iis, qui ea coram Deo confitentur, remittantur; ea confitenda sunt, & ut præclarè ait hoc in loco Augustinus: *Non vis ut ille damnet? tu damna. Vis ille ignoscat? tu agnosce*, v. 9.

CAPUT SECUNDUM.

POstquam Johannes capite primo, duas filiorum Dei notas, sanctitatem & peccati confessionem proposuit, & à fructibus collaudavit: antequam ad priorem fusius explicandam regrediatur, alteram initio capitis secundi, per anticipationem quandam objectionis illustrat, à fine illius. Etenim quia multi, Euangelii gratia, seu gratuitâ peccatorum remissione per Christum ad peccandi licentiam abutebantur, Rom. 6. vers. 15. 16. docet jam, hanc doctrinam à se contrario esse animo ac fine propositam, nimirum ut Fideles (quos per Metaphoram, ratione ministerii sui & regenerationis per Euangelium, *filiolos* vocat) *non peccent*, hoc est, non ut omnibus omninò peccatis hîc careant (nam hoc nobis ἀδύνατον ob sanctificationis in hac vita non perfectæ rationem, ut etiam Johannes cap. 1. vers. 9. asseruit) sed ut ad eum scopum collimantes, pro virili peccata omnia fugiant. Ne quis verò hac sententia infirmitatis suæ ac peccatorum conscientia commotus desperet, consolationem adjicit, anticipatione altera. Objici enim poterat; Atqui peccavi, quomodo igitur miser ego coram Deo subsistam? Respondet Johannes: *Quod si quis peccârit* (ut nimirum omnes peccasse ostendit, cap. 1. 8.) *habemus apud Patrem Iesum Christum παράκλητον*. Quæ vox hoc in loco notat advocatum, aut consolatorem, ut Ioha. 14. 16. communi cum Spiritu Sancto nomine; quod suos consoletur; quanquam quidam viri magni utrobique & hîc, & Iohann. 14. advocatum exponunt: quod Christus sit παράκλητος, hoc est, intercedat & oret pro nobis: Spiritus verò Sanctus dicatur παράκλητος, advocatus, quia facit nos orare & in conspectum Dei prodire cum fiducia, Rom. 8. 15. & 26. Cæterùm de hac voce pluribus egimus Ioan. 14. Porrò Christum esse advocatum nostrum, appositissima descriptione, partim ab adjunctis, partim ab effecto declarat. Nam quæ duo ad acceptum & perfectum apud Deum mediatorem requiruntur, Iustitia & Satisfactio, Hebr. 7. v. 26. & 27. illa Christo tribuit: primum quidem cum dicit, ipsum esse *justum*, vers. 2. alterum cum subjicit, *& ipse est propitiatio*, hoc est, per metonymiam effecti, propitiator, ut Roman. 3. vers. 25. Quæ propitiatio amplificatur ab objecti amplitudine, per distributionem, cum ait, *nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi*. Quę sententia ut admodum illustris est: ita de genuino illius sensu disceptatur. Quidam enim totius mundi nomine omnes & singulos homines, tam reprobos, quàm electos intelligunt: sed propitiationem diversè exponunt. Quidam enim docent, quod Christus sit propitiatio eorum ratione efficientiæ: quod non solum pro electorum, sed etiam pro reproborum peccatis sua morte satisfecerit, eâque expiarit. Sed hoc repugnat Christi officio, Ioh. 17. 9. *Non oro pro mundo* (id est, reprobis mundi, ut oppositio docet) *sed pro iis, quos dedisti mihi*. Alii verò Christum propitiationem esse tàm reproborum, quàm electorum, non efficaciæ, sed sufficientiæ ratione: ut post Thomam Aquinat. plurimi explicant. Sed hoc adversatur Analogiæ fidei: nam quorum Christus est propitiatio, eos Deo reconciliat: eoque efficit Deum ipsis propitium seu pacatum. Atqui reprobi cum sint infideles, sub ira Dei manent, Iohan. 3. 36. Quod autem dicunt, Christum mortuum pro eorum propitiatione sufficienter; duo ea re indicantur: primùm quod Christus sit mortuus pro iis, h. e. in eum finem, ut pœnam iis debitam ferendo, Deo reconciliaret: alterum est modus, nempe sufficienter. Atqui illud prius quod statuunt, apertè falsum: quia finis mortis Christi non fuit reproborum cum Deo reconciliatio, quia illud erat ἀδύνατον, imprimis cum maxima eorum pars æternis inferni pœnis cruciaretur. Quare alii nomine *mundi* electos

electos etiam fideles intelligi statuunt: quod non solùm Christus sit propitiatio pro peccatis Judæorum (quos Apostolus intelligat, cum ait, *pro nobis*) sed etiam pro totius mundi electis ac fidelibus omnium gentium, ut Rom. 1. v. 16. & 3. 22. & 11. 30. 31. 32. Eph. 2. 14. 15. 16. vel ut *pro nobis* non significet Iudæos, qualis erat Iohannes, sed fideles illius temporis, quibus se annumerat. Deinde ut per *totum mundum* omnium temporum electi ac fideles intelligantur, ut 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando iis peccata ipsorum:* ubi per *mundum* totius mundi fideles intelliguntur: quia illi soli reconciliantur Deo: & peccata iis non imputantur. Nam ut κατ' ἐξοχὴν quantitatis seu multitudinis, totus mundus in malo jacens, & oppositus iis qui ex Deo sunt, infideles totius mundi notat, 1. Iohan. 5. vers. 19. sic contrà *totus mundus* κατ' ἐξοχὴν qualitatis seu præstantiæ, pro fidelibus totius mundi accipitur hoc loco: adeò ut Christus non solùm sit mediator fidelium illius temporis: sed omnium totius mundi inde ab initio ad finem: non autem singulorum hominum reproborum & electorum: quod distinctè ab Ecclesiâ triumphante asseritur, Apoc. 5. v. 9. *Mactatus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & gente.* Hæc de v. 2. & filiorum Dei, qui cum Patre & Filio communionem habent, nota secundâ. Unde ad prioris explicationem ampliorem regreditur Apostolus, occurritque variis quorundam sermonibus, qui fidem suam, charitatem in Deum, & communionem cum Christo jactantes, improbè vivebant. Ac primùm docet, observationem mandatorum Christi, nobis esse signum & κριτήριον fidei nostræ, ut Matth. 7. vers. 21. & 23. Ioh. 13. 35. & 14. 15. Cùm autem Christi, ad fideles mandatum, sit duplex: alterum fidei: alterum charitatis; hoc est, de fidei & charitatis exercitiis & operibus, ea hoc in loco intelliguntur, tanquam effecta & genuini fructus, unde ad causas assurgendo, de fide nostrâ possumus judicare. Atque hoc sibi vult Apostolus, cum ait: *Per hoc scimus, quod ipsum novimus.* Nam quamvis notitia per Metonymiam pro consequente affectu ac dilectione, non rarò in Sacris Literis accipiatur (ut Psal. 1. vers. 6.) & quidam hoc in loco ita exponant, magis tamen videtur convenire, ut Synecdochicè, pro certâ notitiæ specie, nempe vera fide accipiatur, ut Es. 53. v. 11. & Iohan. 17. 3. Hujus autem notitiæ seu fidei scientiam habemus duplicem: unam ex caussis, materia & forma fidei, ex assensu Euangelii effectivo charitatis, & conscientia illius: alteram ex effectis, de quibus hoc in loco disseritur, ex quibus fidem nostram, tanquam propriam causam concludimus, vers. 3. Atque hanc notam, per thesin propositam, remotione contrarii illustrat & amplificat Apostolus, cum asserit, eum *qui dicit, novi ipsum, & mandata ejus non servat, esse mendacem,* hoc est, non verè posse Christum vivæ fidei notitia, Tit. 1. 16. Quibus verbis ostendit Ioannes obedientiam non solùm esse certam fidei notam, quæ ei soli: sed etiam quæ omni conveniat. Cùm autem observatio mandatorum alia perfecta sit; alia inchoata: de priori, quæ ex rigore legis exigitur, hoc in loco non disserit Apostolus, quia illa nobis impossibilis, ut v. 1. monuimus: sed de altera, qua pro virili, dominante Spiritu, sanctitati studemus; & infirmitates ac lapsus quotidianos, fide & resipiscentia diluimus ac corrigimus. Quæ obedientia quamvis stricto jure, ob imperfectionem suam, inobedientia dici posset: tamen obedientia à potiori parte denominatur, secundum Euangelii æquitatem & gratiam in Christo, qua defectus tegitur, v. 4. Porrò aphæresi seu remotione contrarii apposita, redit Apostolus ad thesis propositæ explicationem & confirmationem. Nam ut antè ostendit, observationem mandatorum Christi, propriam esse notam veræ fidei: sic eodem modo ostendit esse notam primùm veræ charitatis Dei, hoc est, erga Deum: Deus enim non efficiens, sed objectum intelligi debet, & ut vulgò loquuntur, dilectio Dei non activè, qua diligit, sed passivè, qua diligitur, intelligenda. Deinde *charitas adimpleta* dicitur, non quod sit numeris omnibus absoluta (nam nullus servat Dei sermonem, Christo excepto, perfectè) sed quod sit integra seu sincera, quemadmodum c. 4. v. 12. 17. 18. quæ perfecta etiam dici potest, comparatè cum fucata. Secundò obedientiam hanc, non solum charitatis in Deum: sed etiam communionis cum Christo, ideoque filiorum Dei & verè Christianorum notam esse ostendit, cum ait: *Ac per hoc scimus, nos in ipso esse,* hoc est, ipsi esse unitos & insitos, tanquam palmites viti, Iohan. 15. & surculos oleæ cœlesti & arbori vitæ, & tanquam membra in corpore, Rom. 12. v. 5. Cum autem hæc insitio & unio sit gemina; externa primum, qua per verbi & Sacramentorum societatem, & fidei professionem, Christi Ecclesiæ externæ, & eatenus Christo, conjuncti sumus: deinde interna; qua etiam per fidem vivam Christo capiti uniti sumus, operatione Spir. Sanct. Prior illa communis est reprobis multis cum electis, quia palmites utrique sunt in Christo tanquam vite insiti; sed altera propria est electis: nam reprobi sunt instar palmitum emortuorum in vite, qui ex vite non vivunt, nec succum vitalem hauriunt, & instar membrorum emortuorum, quæ corpori quidem adhærent, sed vita & motu carent: unde etiam à sua illa externa Christi in corpore Ecclesiæ unione exscinduntur & in ignem projiciuntur, Iohann. cap. 15. vers. 6. Matth. 25. vers. 32. & 41. Contrà electi ac verè fideles sunt palmites vivi, & membra viventia, quæ in corpore à capite & spiritu conservantur ac servantur, Iohan. c. 15. vers. 5. Hæc de vers. 5. Porrò cum observatio mandatorum Dei latè pateat, hanc notam filiorum Dei speciatim exponit Ioannes, per charitatem fraternam. Ad quam præmissa præfatione transit, qua eos *fratres* vocat & huic doctrinæ auctoritatem conciliat ab adjuncto gemino, nempe cum antiquitate, tum novitate, diverso respectu. Antiquitatem quidem proponit, partim per aphæresin, *non novum,* inquit, *mandatum scribo:* partim per thesin repetitam, *sed mandatum vetus:* idque à circumstantia temporis confirmat, quod illud habuerunt à principio. Quod quidam de principio vocationis per Euangelium intelligunt: ut referatur ad hosce tantum, quibus Epistola hæc missa est. Alii verò altius ad tempus ante Christi adventum; ut intelligantur non hi solum, sed etiam conjuncti cum majoribus: ut sit sensus, quod hoc mandatum antiquum sit, quia à Deo ab initio mundi, per Patriarchas, Mosen & Prophetas in Veteri Testam. propositum. Priori interpretationi favet, vers. 24. sed utraque non incommodè gradatim conjungi potest: quod eam doctrinam tradat, quam & olim Deus per Mosen & postea ab Apostolis sæpius propositam audiverant, vers. 7. quâ ratione antiquitas doctrinæ de charitate declaratur: Cui per correctionem quandam alterum adjunctum, nempe novitas additur: *rursus*, inquit, *mandatum novum scribo vobis:* Novum verò appellat, ut Christus, Iohan. 13. vers. 34. non substantiæ, sed circumstantiæ ratione seu non propter formam & promulgationem (sic enim vetus est) sed propter adjuncta. Primum quod à Christo renovatum & vindicatum, partim ab antiquis corruptelis Judaicis (idque per rectam expositionem & repetitionem crebam, Matth. 5. vers. 21. 22. 42. 43.) partim à ceremoniarum Mosaicarum onerosâ laciniâ ac jugo, Galat. 5. vers. 1. Hebr. 8. vers. 13. Deinde quod ab eodem, nova efficacia Spiritus Sancti, cordibus inscribatur, Hebr. 8. vers. 10. novoque charitatis summæ à Christo exhibitæ, exemplo confirmetur. Nam quamvis sub Veteri Testamento Spiritus Sanctus fuerit etiam collatus, 2. Cor. 4. vers. 13. longè tamen copiosius & pluribus, in Novo. Atque huc pertinet declaratio Johannis, cum ait; *quod verum est in ipso & in vobis,* hoc est, mandatum verè novum est; cùm Christi præcipientis, exponentis, exemplum præbentis illustrissimum, & Spiritus Sancti conferentis ratione: tum vestri, qui rectam intelligentiam mandati percepistis, & obediendi facultate, per regenerationis gratiam donati estis: quemadmodum probatur sequentibus verbis, *quia tenebræ prætereunt, & vera illa lux jam lucet:* hoc est, quia discussis paulatim per Spiritum, veteris hominis ignorantiæ tenebris, vera lux cogni-

cognitionis Dei ac fidei in animis vestris lucet. Quam lucem ac fidem, opera charitatis, tanquam fructus genuini consequuntur, v. 8. Cujus lucis mentione, absoluta jam præfatione, commodissimè transit Apostolus ad notam filiorum Dei specialem primam explicandam, per aphæresin & thesin. Aphæresis est; qui dicit, *se in luce esse*, h. e. vera Euangelii luce illustratum, fideque donatum, & *fratrem suum odit, is in tenebris est usque adhuc*, h. e. nondum vera fide præditus est. *Odii* autem nomine intelligit, non iram ex infirmitate, quæ etiam in verè fideles cadere potest: sed iram inveteratam, & sine resipiscentia, quæ demum infidelium nota est. Deinde *fratrem*, quidam generatim proximum intelligunt, seu quemvis hominem, seu fratrem, creationis ab eodem Deo Patre ratione, ut hoc loco doctrina de charitate sit universalis: sed plerique probabilius fidelem, seu Christianum intelligunt κατ' ἐξοχὴν, ut c. 3. 13. & 1. Cor. 5. 11. & 6. 6. qui nobis frater est, non solùm ratione universali, creationis ad imaginem Dei: sed etiam ac potissimum ratione particulari, regenerationis & adoptionis in numerum filiorum atque hæredum Dei, quemadmodum passim in N. Test. *fratris* vox usurpatur. Hæc de aphæresi, & v. 9. Thesis verò est, v. 10. *Qui diligit fratrem suum, in luce*, h. e. vera fide, *manet, & in eo non est offendiculum*, h. e. lapsus & peccati causa. Quod bifariam exponi potest: aut ratione ejus qui diligit, quod non sinat se à Deo & sanctitate abalienari: vel ratione proximi, quod peccandi occasionem proximo non præbeat; quia, ut Apostolus docet, charitas ædificat, 1. Cor. 8. v. 5. utraque commoda interpretatio: sed prior sequenti versui aptius convenit, in quo aphæresin repetit & amplificat continuata allegoria. Repetitio est, *qui odit fratrem suum, in tenebris est*, de quo v. 9. actum. Amplificatio verò est, qua miseriam illius, qui fratrem odit, exaggerat: quod non solùm in tenebris sit, sed etiam in tenebris incedat, ut nesciat, quò eat, hoc est, opera tenebrarum exerceat & multa habeat offendicula: hoc enim per Metalepsin ac Metonymiam (quâ antecedens pro consequente ponitur) per incessionem in caliginosa & ignota via significat Iohannes. Hujus autem rei culpam expositione causæ, in infidelitatem refert, cujus tenebris mentis oculi obcæcati sunt, vers. 11. Porrò hanc de charitate fraterna doctrinam, anticipatione quadam, adhibito repetitionum lumine, ostendit ac probat esse communem omnibus fidelibus: idque bifariam. Ac primùm universè, v. 12. *filioli*, id est, fideles discipuli per Metaphoram, *scribo vobis*, nimirum hoc de charitate mandatum, ut vers. 1. & 7. Probatio est ab acceptò beneficio remissionis peccatorum propter nomen Christi, id est, propter Christum, ut c. 1. v. 7. & 9. & 2. v. 1. 2. Act. 4. 12. Deinde particulatim, fidelium ratione utentium, in tres ætates distinctione, in Patres, seu senes; adolescentes, & puerulos. Quibus ordine ac distinctè, suas rationes, ætati convenientes adjicit. Ut enim senes antiquitate delectantur, inde argumentum ducit ac dicit: *Scribo vobis, Patres, quoniam nostis ipsum, qui à principio est*, id est, Christum, ut c. 1. 1. unde sequitur, illius voluntatis authoritate & vitæ exemplo commotos, charitatem colere debere, ut vers. 3. & 6. ostendit. Deinde quia adolescentes, roboris sui declaratione exultant, inde ad charitatem hortatur: *Scribo*, inquit, *vobis adolescentes, quia malum illum*, (id est, Satanam, Dei gloriæ ac voluntatis, & justitiæ ac salutis vestræ adversarium summum, Matth. 6. v. 13. & 13. v. 19. & 1. Pet. 5. 8.) *vicistis*: nimirum veræ fidei, & armaturæ Christianę reliquę robore, Deique auxilio muniti, 1. Pet. 5. 9. & Eph. 6. 11. & 16. Ergo turpe est abjectis armis à Satana superari, & à dilectione fratrum, ad eorum odium abripi. Denique quia pueri Patribus suis gloriari solent, & eorum benevolentiam maximè quærunt, convenienter probat hoc de charitate præceptum, ad eos etiam pertinere: *quia noverunt Patrem*, nempe cœlestem: ac propterea secundum voluntatem illius, Dei filios, suos in Christo fratres, amare debent, vers. 13. Cæterùm duo, propositæ distinctionis membra reponit, & alterum explicat Johannes, non ociosa repetitione; sed utili ἐπανόδῳ: partim ad majorem attentionem & negligentiæ nostræ correctionem, quemadmodum, Phil. 3. v. 1. & 18. Gal. 1. v. 8. & 9. partim ut sint sequentis hortationis argumentum antecedens. Ut enim Patribus & adolescentibus maximum periculum est à mundo; & puerulis à seductoribus: ita distinctè eos docet. Ac primùm Patres & adolescentes, ut cùm illi Christum nôrint; & hi fortes sint fide (qua verbum Dei conservant) Satanam vicerint, v. 14. mundum non diligant, neque ea quæ in mundo sunt. Nomine autem *mundi* intelligi potest, vel mundi pars inferior, terra & creaturæ quæ in ea: cujus mundi amor alius moderatus est, cum quis eo utitur secundum Dei voluntatem: alius immoderatus, cum quis contra Dei voluntatem & gloriam eo abutitur, eique servit; 1. Cor. 7. 31. Jacob. 4. 4. vel intelligi possunt infideles & impii hujus mundi, ut Roman. 12. 2. utraque vera & satis apta: sed prior uberior & versui 17. congruentior est sententia: quia alteram etiam includit: quoniam infideles sunt pars hujus mundi, & amandi quidem sunt, quà creaturæ, & recto modo atque ordine: non verò quà infideles, neque supra Deum, aut supra fideles. Deinde per *ea, quæ in mundo sunt*, Synecdochicè vitia, quæ in his terris regnant, significantur: ut postea ab Apostolo exponitur. Quorum amorem fugiendum demonstrat, primum vers. 15. à contrario, nempe amore Dei, quocum mundi & vitiorum illius amor consistere non potest, Roman. 12. 2. Tit. 2. v. 2. & Galat. 5. v. 17. Jacob. 1. v. 27. & 4. vers. 4. secundò à causa efficiente, per aphæresin & thesin; insertâ rei subjectæ illustratione. Declarat enim quid sibi per *ea, quæ in mundo sunt*, potissimum velit; partitione trimembri, in concupiscentiam cùm carnis, tum oculorum, & fastum vitæ. Quæ verba diversè accipi possunt, partim ob vocum ambiguitatem, partim ob rei convenientiam cum loci scopo. Ac primùm *caro*, aut substantiam notat, aut accidens, hoc est, aut corpus, aut totius hominis innatum injustitiæ habitum seu peccatum originale, quod vetus homo Metaphoricè dicitur. Atque hoc modo caro dicitur concupiscere adversus spiritum, Galat. 5. v. 17. quâ ratione omnia peccata sunt illius effecta, Galat. 5. vers. 19. Quo sensu si hoc loco carnis concupiscentia intelligeretur, sequentibus duobus membris contineretur Synecdochica explicatio illius ab effectis. Sed uberior ac verior videtur sententia, si cum plerisque distinctè, priori modo carnem pro corpore accipiamus, ut concupiscentia carnis, corporis libidines & comessationes designet, ut Roman. 13. v. 14. *Carnis curam ne agatis ad concupiscentias*. Deinde *oculorum concupiscentiam* quidam libidinosos adspectus exponunt; ut conveniat cum Iob. 31. vers. 1. Proverb. 23. vers. 31. & Matth. 5. v. 28. & 2. Petr. 2. 4. Alii verò de avaritia interpretantur: quod videtur melius convenire; quia sensum habet pleniorem & ab antecedenti concupiscentia carnis distinctum, ut ab Apostolo tria vitia, quæ potissimum in mundo regnant, arguantur, libidines, avaritia (ex qua injuriæ & cædes oriri solent) & superbia. Quò spectat sententia Ierem. 22. vers. 17. Denique *fastus vitæ* superbam vivendi rationem denotat, quæ in nimis sumptuoso victu, vestitu, ædificiorum splendore ac famulorum copiâ consistit. Quæ tria, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, dicuntur non esse ex Patre, sed ex mundo, hoc est, non habere Deum authorem, ut qui nec ea præcipiat neque efficiat: sed mundum, hoc est, infidelium cætum, vers. 16. Cui secundo dehortationis argumento, tertium accedit, ab adjunctâ mundi & concupiscentiæ illius præteritione, de qua Eccles. cap. 1. v. 1. & Psal. 90. vers. 10. & 1. Corinth. 7. vers. 31. & contrariâ Sanctorum duratione perpetuâ ac vita ęterna, vers. 17. Atque hoc modo absoluta est dehortatio, à mundi & rerum mundanarum amore, pertinens ad patres & adolescentes: non quod soli, sed quod potissimum eo vitio laborent. Huic autem deinde additur admonitio ad puerulos, qui ut imprudentię & socordię obnoxii esse solent: ita convenientissimè eos adversus Antichristos dolosos, sanę doctrinę & rectę vitę adversarios pręmunit; ita tamen, ut do-

ut doctrina hæc naturâ sua sit communis. Quæ admonitio partim dogmatica, partim parænetica est. Dogmaticam appello, quæ in veri declaratione occupatur, à vers. 18. ad 24. Ac primùm asserit, *ultimam horam*, hoc est, per Synecdochen speciei pro genere ultimum tempus *jam adesse*. Quo in loco ad pleniorem notitiam observandum est, tempus distingui vulgò in tempus ante legem, ab initio mundi ad Mosen: & in tempus sub lege, à Mose ad Christi adventum, Rom. 5. vers. 13. 14. denique in tempus post legem, sub gratia Euangelii, à Christi adventu primo, Galat. 4. 3. 4. ad ejus adventum secundum gloriosum ad judicium, de quo Matth. 28. 20. Actor. 2. v. 17. 1. Petr. 2. v. 20. Nec incommodè etiam pro diverso mundi statu triplici, secundum rei veritatem distingui posset in tempus mundi primi, 1. Petr. 3. 5. & 6. nempè à creatione ad diluvium: & in tempus mundi recreati, 2. Petr. 3. 7. post diluvium ad Christum: & tempus mundi reconciliati, quo (per redemptionem sanguinis Christi & vocationem efficacem ad communionem illius) nova facta sunt omnia, 2. Corinth. 5. vers. 17. & 18. à Christi primo adventu ad reditum ad judicium. Denique tempus, in primum, quod Christi primum adventum antecessit; & in ultimum, quod inde ab eo exhibito consequitur, distribui potest, quemadmodum ad Hebr. 1. v. 1. Cæterùm prima distinctio temporis ab Adamo ad Mosen, & à Mose ad Christum, & inde ad finem mundi optimè convenit. Quod etiam tempus ultimum dividi videtur, relatione partium suarum, in tempus primum, à quo Christus in Judæa, & Apostoli etiam inter gentes Euangelium annunciarunt; & in tempus ab Apostolorum morte ad Christi reditum, ut 1. Timoth. 4. v. 1. & 2. Timot. 3. 1. & 2. Pet. 3. v. 3. de quo tempore hoc in loco agitur: nam reliquis Apostolis jam vita defunctis, Ioannes superfuit solus. Porrò ultimum jam tempus adesse, Syllogismo demonstratur ex adjuncto proprio signo, nimirum Antichristorum apparitione. Propositio syllogismi est: Illud tempus, quo exorientur Antichristi multi, est ultimum (ut authoritate doctrinæ Apostolicæ, quam audierant fideles, comprobat) Assumptio est: Atqui hoc tempore Antichristi multi exorti sunt. Ergò hoc tempus est ultimum. Cæterùm ad consequentiæ pleniorem intelligentiam notandum est, vocem *Antichristi* posse accipi bifariam: vel generatim pro falso doctore, Christique adversario quovis, ut in assumptione: atque ita per numeri singularis pro plurali enallagen, Antichristus pro Antichristis usurpabitur: vel speciatim κατ' ἐξοχὴν de insigni illo Christi adversario, de quo 2. Thessal. 2. disseritur. Cujus ortus est duplex: prior in præcursoribus hæreticis: qui illi viam præpararunt; alter in ipsomet. Utrumque, ultimi temporis, suis gradibus, argumentum est & signum, sed ad præsentis syllogismi consequentiam, generatim & indistinctè ortus, intelligi debet, ut cum assumptione conveniat: de qua Antichristi tractatione, plenius publica disputatione egimus. Cæterum quod Johannes de Antichristis jam exortis ait, illud verissimum esse ex Cerinthi, Ebionis, Simonis Magi, Basilidis, & Nicolaitarum historia constat. De quibus Augustinus & Philastrius de hæresibus consulendi. Cæterùm quia hic Antichristorum ex Ecclesia egredientium ortus potuisset infirmos offendere, adeò ut de doctrinæ Christianæ veritate, & Dei erga Ecclesiam providentia & amore dubitarent: idcircò opportunè huic scandalo per anticipationem occurrit Apostolus & fideles consolatur bifariam: primo descriptione Antichristorum: deinde expositione utilitatis nostræ, quam Deus inde elicit. Descriptio autem continet distinctionem à verè fidelibus: nam ut concedit, eos ex Ecclesia egressos esse: sic negat, eos fuisse *ex nobis*, hoc est, ex verè fidelium numero, seu viva corporis Ecclesiæ membra. Ut enim palea frumenti acervo mixta continetur, sed frumentum non est, cumque ea per ventilabrum discussa est, frumento tamen nihil decedit: Ita hypocritæ in Ecclesia latentes, in ea sunt, sed non simpliciter sunt ex eâ. Quippe communio Ecclesiæ, ut aliàs ostendimus, alia externa est, quæ in externa professione fidei, & usus verbi ac sacramentorum consistit: altera est interna, quę in communione cum Christo capite, & Ecclesia illius, per veram fidem & eundem spiritum vivificantè consistit, ut antè exposuimus: hypocritæ autem, qui sunt in Ecclesia, priori modo sunt ex Ecclesia, altero verò non sunt: contra verò fideles utroque. Ergò hypocritæ tantùm secundum quid, non autem simpliciter sunt ex Ecclesia: quo sensu Johannes hîc loquitur. Idque probat ab adjuncto verè fidelium proprio, nempe perseverantiâ in Ecclesiæ societate. Cæterùm ne quis erret, observanda est duplex defectionis ab Ecclesia distinctio. Nam ab Ecclesia disceditur, aut omnino, aut partim: deinde aut perpetuò, aut tantùm pro tempore: hypocritæ omninò deficere possunt, h. e. ab externa communione, quam solam habent cum visibili Ecclesia: deinde non solùm ad tempus, ut interdum fit, sed etiam perpetuò, ut nunquam resipiscant: sed verè fideles, nec omninò, neque perpetuò deficere possunt, per accidens gratiæ Dei conservantis: sine qua per se deficere possent, & Satanæ, carnis, mundi viribus, superati deficerent. Quod si fortè ab externâ societate ad tempus deficiant, & interna minuatur, infirmata & quasi sopita fide, nihilominus tamen fundamentum fidei, quasi semen illius in ipsis manet, 1. Ioan. 3. 9. Quemadmodum ignis cineribus tectus, licet non appareat, exstinctus tamen non est: & arbores licet hyemali tempore fructibus & foliis sint nudatæ; nihilominus mortuæ non sunt, sed suo tempore fructus producunt: sic fides ad tempus aliquod sopita & quasi mortua, Dei spiritu suscitatur: quo sensu Joannes hoc in loco ait: *Si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum*. Hæc de prima anticipationis parte, seu Antichristorum descriptione. Altera est declaratio, à Dei permittentis & regentis fine, nempe utilitate nostra, quam Deus inde elicit, nempe examine Ecclesiæ: quod ea defectione palea à frumento, & hirci ab agnis separentur, atque ita latentes hypocritæ patefiant, v. 19. Atque hanc doctrinam confirmat Apostolus ab adjuncta fidelium scientia: *Nostis*, inquit, *omnia*. Omnia autem intelligit non simpliciter, sed relatè: nempe hæc & alia omnia ad salutem necessaria, de quibus loquitur. Id quod comprobat à causa efficiente, nempe unctione, quam acceperant à Sancto. Quo in loco videndum est, quid *unctio*; & quid *sanctus* significet. Unctio enim non Spir. S. essentiam, sed dona illius denotat, per Metaph. à typica legis unctione, Exod. 29. v. 29. Spiritus autem ungit bifariam immediatè ac tantum per internum afflatum: aut mediatè per ministerium Euangelii, cui internam suam efficaciam conjungit, quum mentes illuminat & cor reformat: priori modo unctionem acceperunt Apostoli, Actor. 2. & Prophetæ utriusque Testamenti: posteriori verò modo reliqui fideles, ut 2. Cor. 1. v. 21. 22. de qua re hîc loquitur Apostolus, ut ex antecedentibus apparet, v. 7. & 18. & postea, v. 24. unde liquet, cum interna Spir. S. institutione tanquam unctione, conjunctam fuisse externam per Euangelii ministros. Deinde hanc unctionem dicit eos accepisse *à Sancto*, h. e. à Christo: quemadmodum ex collatione, v. 27. colligi potest. Sic autem Christus vocatur ab adjuncto sanctitatis κατ' ἐξοχὴν, quod videl. sit unctus ille Sanctus Sanctorum, Dan. 9. v. 24. Sanctus ille & verax, qui habet clavem David, Apoc. 3. v. 7. qui nos ungit bifariam: primum merito obedientię ad mortem usq; crucis, Rom. 6. v. 6. deinde efficacia sui spiritus, qua secundum meritum sanctificationis nostræ, spiritu suo nos cognitione veritatis illustrat, & ad obedientiam Deo præstandam sanctificat, unde sanctificatio nostra dicitur, 1. Cor. 1. v. 30. Hæc de vers. 20. Verùm quia objici poterat à fidelibus: Si ita se res habet, quid igitur ad nos tanquam ignaros veritatis scribis? Idcirco anticipatione quadam respondet Apostolus, se non tanquam ad ignaros scribere, sed ad eos qui nôrint veritatem, & nullum mendacium esse ex veritate, hoc est, à veritate proficisci & cum ea consentire: ideoque ad eos confirmandos in agnitâ veritate, non ignota docere, sed ea quæ nota essent, in memoriam revocare, vers. 21. Quid autem *mendacii* nomine intelligi velit, una specie exponit, & ita redit ad propositam de Antichristis

christis tractationem. Nam ut de ortu eorum egit: sic eosdem à qualitate & doctrina describit, cum ostendit, eum esse mendacem & Antichristum, qui negat Jesum esse Christum, sive ratione personæ, sive ratione officii. Idque probat à consequente effectu, quod eo modo Patrem simul negent & Filium, v. 22. Quam consequentiam roborat à relatorum natura & declaratione mutua, vers. 23. quo pars dogmatica de Antichristis absolvitur. Cui altera attexitur parænetica: cujus quidem propositio est hortatio ad perseverantiam in fide doctrinæ Apostolicæ: confirmatio verò à fructu & utilitate duplici: prior est communionis cum Patre & Filio continuatio, vers. 24. alter verò fructus est vita æterna: cujus certitudinem à promissione Christi confirmat, vers. 25. & conclusionem admonitionis subjicit, quę rem, de qua agit, declarat, vers. 26. & consolationem addit geminam: priorem quidem ab unctionis acceptę gratia; eamque amplificat à perfectione, quod necesse non haberent, ut quis eos doceret; nempe non absolutè, aut ad eos confirmandos (nam hoc ipsum agit Johannes) sed certo modo, nimirum tanquam rudes & ignaros tyrones, ut Heb. 8. 11. alteram verò ab unctionis perseverantia, quam promittit, v. 27. deniq; hortationem repetit, ad fideles, quibus scribit, transferendo, quos filiolos, ut v. 12. vocat: & hortationem confirmat ab effectu obedientiæ, nempe à libertate ac fiducia, seu intrepida ac pacata conscientia in Christi adventu secundo ad judicium. Id quod amplificat ab effectu contrariæ inobedientiæ, nimirum pudore, vers. 28. Huc usque pertingit inserta tractationi, de notis filiorum Dei, admonitio, quæ ad fidem pertinet. Sequentibus verò redit Apostolus ad opera fidei, & doctrinam de notis filiorum Dei, eodem ordine, quo in antecedentibus; primùm enim agit de nota generali, secundò de speciali; sed in probandi modo differt, quia non tam ex effectis, ut ferè antea, quàm ex causis argumenta desumit. Generalis autem nota est Justitia: quæ hîc non strictè accipitur, sed debitum nostrum erga Deum & proximum officium designat: ac propterea utriusque tabulæ legis obedientiam complectitur: quemadmodum etiam, c. 3. v. 7. & 8. *facere justitiam*, & *facere peccatum*, inter se opponuntur. De quâ notâ agit Apostolus hoc vers. ult. ad c. 3. v. 10. unde satis perspicuè apparet, hanc sententiam incommodè à capitum authore à capite tertio avulsam. Constat autem conclusione & probatione illius antecedente. Conclusio est: *quicunque exercet justitiam, ex ipso natus est*. Exercere autem justitiam non est intelligendum de rigida perfectione legis ratione graduum, seu ex tota mente, corde & omnibus viribus; (quia ita nemo eam exercet in his terris aut exercuit, Christo excepto, c. 1. 8. & Hebr. 4. 15. & 7. 26.) sed ratione partium; videlicet, cùm dominante spiritu, ac carnem subjugante, justitiæ seu obedientiæ legis secundùm omnia Dei præcepta dare operam incipimus. Deinde natum esse ex ipso, significat per regenerationem Spir. S. esse filium Dei, ut c. 3. v. 9. & 10. ista συνώνυμως usurpantur. Probatio verò antecedens petita est à Dei attributo eodem: Deus Pater justus est, imò justitiæ fons. Ergò quicunque justitiâ ipsum imitatur, ejus filius est, v. 29.

CONSECTARIA CAP. II.

I. EUangelii ministri, auditores suos fideles, quasi filios, verbi divini pabulo nutrire, & ad vitam æternam curare debent.

II. Populus Christianus suos pastores mutuò amare, & ut Patres revereri debet.

III. Non viva tantùm voce præsentes, sed etiam, ubi usus requirit, scriptis absentes fideles in vera doctrina & obedientia confirmandi sunt.

IV. Cum gratuita omnium peccatorum remissio, sit acerrimus ad peccati fugam stimulus, perversè faciunt Pontificii, qui eam doctrinam tanquam peccati irritamentum traducunt; & iniquius illi, qui ea gratia ad scelerum licentiam abutuntur.

V. Cum Jesum Christum Advocatum habeamus apud Patrem; malè faciunt, qui peccatorum suorum conscientia pressi, de gratia Dei desperant: aut cum Pontificiis alios mediatores aliasque salutis vias comminiscuntur, vers. 1. Cui alia loca illustria consentiunt, Matth. 11. 28. Ioan. 14. 6. Hebr. 4. 15. & 16.

VI. Cum Christus non solùm sit justus, sed etiam propitiatio pro peccatis nostris: hinc omninò sequitur, falli ac fallere graviter Pontificios, qui ob Christi veri Dei cum Patre & Spir. Sanct. Justitiam nobis reverendam, nobis intercessoribus aliis apud Christum & Patrem opus esse contendunt.

VII. Cum ad expianda peccata nostra Christum mitti ac mori oportuerit: injurii sunt in Christum & in salutem suam, Libertini, qui libertatis Christianæ falso obtentu ac titulo, ad peccati licentiam abutuntur.

VIII. Si Christus expiatio est peccatorum totius mundi fidelium: ergo Pontificii turpiter impingunt, qui suas satisfactiones, ad quotidiana post baptismum peccata expianda, necessarias docent, v. 2.

IX. Cum ex operibus de verâ fide nostra scientiam habeamus: falsa est Pontificiorum sententia, qua salutis nostrę certitudinem tanquam arrogantiam traducunt, v. 3.

X. Christus non solùm Dei mandata docuit ore, sed etiam opere: ac propterea qui sincerè ac rectè docere volunt in Ecclesia Dei, Christi exemplum hoc imitari debent.

XI. In Ecclesia Dei nulla merè nova, sed vetus doctrina docenda est tantùm, hoc est, quæ à Deo originem habet & ab initio tradita est; ideoque meritò Pontificiorum traditiones extra Scripturam, tanquam Ecclesiæ Propheticæ & Apostolicæ ignotas rejicimus, v. 7.

XII. Cum agnitio Christi & fides sint lux spiritualis; ignorantia verò & infidelitas tenebræ; sequitur, non fideles, sed infideles, licet specie externa florentes, verè esse miseros, v. 8.

XIII. Remissio peccatorum fit propter Christum. Ergò non meritis nostris omninò, nec etiam partim, ut Pontificii volunt.

XIV. Cùm propter Christum nobis sint remissa peccata: inde sequitur, nos Christo contentos esse debere, illique vera obedientia gratitudinis officia præstare.

XV. Ea maxima fortitudo est, qua Satanæ ad peccata provocantis tela retundimus & tentationes superamus.

XVI. Verbum Dei non solùm senibus & adolescentibus; sed etiam pueris conscriptum est. Ergò ab omnibus legi debet. Quare impiè Pontificii contrarium docent, vers. 13.

XVII. Ut fortes simus adversus Satanam, eumque vincamus, verbum Dei in nobis per fidem habitare debet. Quocirca Pontificii qui lectionem Verbi Divini populo liberam non relinquunt, sed ab arbitrio pastorum ipsorum suspendunt, arma militantibus necessaria, ad eorum perniciem subtrahunt, v. 14.

XVIII. Deus non est peccatorum author, v. 16.

XIX. Consideratione præmii cœlestis & vitæ æternę, omnes obedientiæ & crucis molestias superare debemus, vers. 17.

XX. Prophetiæ cum eventu suo, ad prudentiam & patientiam Christianam conferendæ sunt, v. 18

XXI. Verè fideles nunquam à fide penitus deficiunt. Ergo doctrina de perseverantia Sanctorum, iniquè à Pontificiis & aliis oppugnatur.

XXII. Ecclesia non est culpanda, etiamsi hæretici in ea oriantur: ac propterea malitiosè, aut imperitè saltem faciunt Pontificii & similes alii, qui Ecclesiæ Orthodoxæ, apostatarum errores ac scelera imputant, iisque nominibus condemnant.

XXIII. Non omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt omninò ex Ecclesia: ideoque prudentes esse nos oportet ac constantes.

XXIV. Quamvis hæreses per se malæ sint: Dei tamen optimi providentia accidente, ad bonum Ecclesiæ pertinent ac diriguntur.

XXV. Non solùm rudes erudiendi sunt Dei verbo; sed etiam docti in veritate confirmandi.

XXVI. Sacræ literæ etiam doctis scriptę sunt: Quare superbè & iniquè faciunt, qui eas tanquam sibi minimè necessarias contemnunt.

XXVII. Cum Christus sit unctionis nostræ autor: sequitur eum esse verum Deum: quia per Spiritum Sanctum in nobis efficax est.

XXVIII. Agnitio veritatis salutaris, Christi donum est, v. 20. 21.

XXIX. Si, qui negat Jesum esse Christum, Antichristus est: sequitur Pontificem à nobis non injustè eo nomine appellari; ut qui verbo quidem Christum esse fatetur, sed reipsâ per triplicis officii illius conspurcationem ac violationem, negat.

XXX. Si is qui filium negat, Patrem eadem opera negat: ergò Judæi, Turcæ, Ariani, Samosateniani, meritò Deum Patrem negare, & falsò de Veri Dei Confessione gloriari dicuntur.

XXXI. Fides viva communionis cum Deo & Christo causa est Instrumentalis, non solùm procreans, sed etiam conservans, v. 24.

XXXII. Fideles adversus seductores confirmandi, & in recta via retinendi sunt.

XXXIII. Cum viventibus adhuc Apostolis, ac florentibus miraculis, Ecclesia à seductoribus fuerit agitata; non est, cur iis jam offendamur, v. 25. & 26.

XXXIV. Si fideles manent in Christo: Ergo vera est doctrina de perseverantia Sanctorum, v. 27.

XXXV. Quamvis Christus jam lateat in cœlis à conspectu nostro remotus; tandem tamen patefiet secundo adventu ad judicium: ideoque vera fide, spe & obedientia exspectandus est.

XXXVI. In Christi adventu fideles, tanquam oves ad dextram collocatæ, fiduciam habebunt gratiæ illius: contrà infideles tanquam hirci ad sinistram collocati, ignominia notabuntur. Ac propterea non est, cur impiis invideamus fluxos mundi honores, & hujus vitæ commoda, aut nos sortis nostræ humilis & abjectæ in terris pœniteat, v. 28.

XXXVII. Si justitia filios Dei notat tanquam proprium eorum indicium: Ergò è contrario Injustitia Dei hostes arguit, v. 29.

Caput Tertium.

Ex superioribus constat, Iohannem absolutâ adversus Antichristos admonitione, quæ ad fidem pertinet, redire ad tractationem de notis filiorum Dei, & de operibus fidei, eodem ordine, quo in antecedentibus, sed probandi modo diverso. Ac primùm agit de nota generali, secundò de speciali. Generalis est justitia, de quâ agere cæpit, cap. 2. v. 29. & eam persequitur hoc c. 3. ad alteram usque partem v. 10. Veruntamen initio hujus capitis, arrepta occasione mentionis eorum, qui ex Deo nati sunt seu filiorum Dei, hujus nominis & rei dignitatem, convenienti digressione amplificat, à causa efficiente, admiranda Dei Patris charitate. Cujus præstantiam etiam præfatione ostendit: qua ad contemplationem illius hortatur: partim ut ea ratione in vera fide confirmet ac consoletur: partim ut eo quasi stimulo, ad dilectionem Dei & justitiam provocet, & sequentis tractationis de nota filiorum Dei fundamentum & probationem præstruat: *Videte*, inquit, *qualem charitatem dederit nobis Pater; ut filii Dei vocemur*, hoc est, simus, per Meton. consequentis pro antecedente. Cùm enim filii Dei vocari possint, aut juste, ut cum à Deo, vel hominibus, convenienter rei veritati: vel injustè & falsò, ut cum ab hominibus tantùm ita appellantur: prior vocationis modus hoc in loco intelligendus est, & quidem, ut rei veritas ita significetur: quemadmodum etiam *vocari* pro *esse*, cùm apud profanos scriptores, tum in S. Litt. usurpatur, ut Gen. 21. 12. *in Isaac vocabitur*, id est, erit *tibi semen*: ut rem Paulus exponit, Rom. c. 9. v. 7. & 8. & Matt. 21. 13. *domus orationis vocabitur*, i. e. erit, ut Luc. 19. v. 46. interpretatur, *domus mea, domus orationis est*. Hujus autem nominis & rei causam efficientem indicat cum ait: *Qualem charitatem*, h. e. quàm admirandum charitatis opus, per Meton. causæ pro effecto (ut crebrò virtutum nomina, pro effectis suis accipiuntur.) Nec enim adoptio in filios Dei, propriè loquendo, charitas Patris est, sed illius charitatis effectum & argumentum illustre. Cujus charitatis excellentia elucet primùm (ut summa tantùm capita perstringamus) in Patris adoptantis, & fidelium adoptatorum oppositione, in essentia, proprietatibus, & operibus: deinde in adoptionis & charitatis causa, nempe gratia Patris seu gratuita & immerita benevolentia, 1. Ioan. 4. v. 10. & Eph. 1. v. 5. denique in adoptionis consequente fructu, hæreditate inenarrabilis & incomprehensibilis gloriæ cœlestis, 1. Cor. 2. v. 9. Rom. 8. v. 17. Cœterùm hujus dignitatis certitudinem illustrat Ioannes, anticipatione quadam, qua occurrit huic tacitæ objectioni ac scandalo, si filii Dei sumus, cur non tales ab omnibus agnoscimur. Quæ tentatio fideles etiam interdum sollicitat, Psal. 73. & Jer. 12. Responsio duabus rationibus constat: quarum prima est ignorantia Patris: *Propterea*, inquit v. 1. *mundus* (hoc est, infideles, qui per Synecd. sic appellantur, utpote maxima pars mundi) *non novit nos*, hoc est, non agnoscit pro Dei filiis, sed contemnit, odit ac persequitur, *quia non novit eum*, nempe Deum, Patrem Christi, naturâ, & per gratiam, fidelium, ut Ioan. 15. 21. & c. 16. v. 3. & 17. 25. Qua in re consolationis argumentum geminum est, nimirum à causa contemptus, & à simili Dei Patris & nostrûm conditione: cum enim Deus Pater non agnoscatur à mundo, non est cur nos miselli homines, impatienter eandem sortem feramus, Matth. 10. v. 24 & 25. Altera ratio, cur mundus nos pro filiis Dei non agnoscat, hæc est, quod gloria hæreditatis nostræ nondum patefacta est. Sed ne patefactionis mora diuturnior nobis sit molesta, eam à temporis descriptione illustrat & certitudinem illius indicat: *scimus*, inquit, nempe fide, 2. Cor. c. 5. v. 7. ex Dei verbo, & spiritu illius, qui est pignus hæreditatis nostræ, Ephes. 1. 14. *fore ut cum patefactus fuerit*, nempe Christus, in gloria, altero suo adventu, die judicii 1. Ioan. 2. 28. Matth. 26. 46. *fore ut similes ei simus*, nempe in gloria, hoc est, gloriosa conditione, 1. Cor. 15. 49. & 2. Thess. 1. 10 cùm animæ scientia & sanctitate, 1. Cor. c. 13. v. 8 10. 12. tum corporis immortalitate, pulchritudine, splendore, 1. Cor. 15. 53. & 2. Cor. 5. 4. & Matt. 13. 43. & utriusque gaudio ineffabili & æterno, Matth. 25. 21. 1. Cor. 2. 9. Cœterùm hanc fidelium cum Christo similitudinem confirmat Iohannes à plena illius visione, nempe læta, 1. Ioan. 2. v. 28. & perpetua, 1. Thessal. 4. 17. cum qua gloria nostra necessariò conjuncta est; alioqui infideles etiam eum videbunt, sicuti est, gloriosum, Matth. cap. 26. v. 64. sed cum pudore & terrore, ut innuitur à contrario, 1. Ioan. 2. v. 28. & Apocal. 6. 16. & ad tempus tantùm, Matt. 25. v. 41. & 46. Quod autem nonnulli hęc verba, *videbimus eum, sicuti est*, de Patre & ipsa essentiæ visione interpretantur, alienum est: quia loquitur de Christi patefactione in adventu ipsius, ut antecedentia ostendunt, c. 2. v. 28. 29. & consequentia, c. 3. v. 5. quę de Christi patefactione prima agunt. Hæc de v. 2. & digressione: ex qua Ioannes deducit filiorum Dei notam. Ac filios Dei quidem, ab adjuncta spe visionis, & similitudinis Christi per periphrasin indicat, cum ait: *Quisquis hanc spem in eo sitam habet*. Nota verò & indicium illorum est purificatio sui, quæ serium justitiæ studium & peccati fugam denotat. Quæ purificatio & à Deo est, & à fidelibus, diverso tamen modo. A Deo enim est, quatenus sanctificationis habitualis causa efficiens & perficiens, & actualis excitans & adjuvans. A fidelibus verò, quatenus à Deo regenerati, ac vitæ spiritualis principio, & quasi anima donati, & excitati atque adjuti, rectè vivere & agere incipiunt, ac sese Dei Spiritu adjuvante purificare student. Quam notam illustrat & confirmat Apostolus à simili, cum addit, *sicut & ille* (nempe Christus) *purus est*: nam Christi Domini, summi doctoris ac ductoris nostri puritas est exemplar puritatis nostræ, quod imitari debemus, Matth. 11. v. 28. & 29. Ioan. 13. 13. & 15. & 34. & 35. Eph. 4. 32. & 5. 2. Phil. 2. 5. Hebr. 12. 1. & 2. cujus perquam opor-

oportunè meminit: nam si speramus, nos gloria similes Christo fore in altera vita, oportet ei in hac vita, similes simus, puritate ac justitia: ut quæ gloriæ & vitæ æternæ principium est, v. 3. Idque amplius illustratur & confirmatur sequentibus argumentis. Quorum primum est à contrarii indignitate: nam ut puritati repugnat peccatum: sic purificare se, & dare operam peccato, contraria sunt. Argumentatio autem hoc modo videri posset construenda, ut argumenti vis appareat: quisquis dat operam peccato, legem studiosè transgreditur. Nullus qui habet spem in Christo, legem studiosè transgreditur. Ergo nullus qui habet spem in Christo, dat operam peccato. Conclusio aliis quidem verbis; sed eodem sensu antecessit, v. 3. *quisquis habet hanc spem, purificat se.* Assumptio tanquam hypothesis certa intelligitur. Propositio denique exprimitur, v. 4. & descriptione peccati à forma suâ confirmatur; peccatum enim ἀνομία iniquitas ac legis transgressio appellatur, Metonymicè: quia propriè est habitus vel actus legem Dei transgrediens. Alterum argumentum est à fine adventus Christi primi; quo patefactus est in carne, nempe ut peccata nostra tolleret, ut Tit. 2. 14. cum merito obedientiæ ad mortem crucis, qua peccatorum remissionem & sanctificationem, nobis promeritus est: tum efficacia sua, qua verbo exterius, & Spiritu S. interius, nobis applicat peccatorum remissionem per fidem, & nos à peccatorum sordibus sanctificatione purgat, infundendo fidem ac charitatem. Tertium est ex antecedente, v. 2. repetitum, quod peccatum in Christo non est, v. 5. unde concludit filiorum Dei notam, cum ait: *quisquis in eo manet*, hoc est, per veram fidem ei insitus est, *non peccat*, nempe κατ' ἐξοχὴν peccato regnante. Rom. 7. 12. Nam dum fideles hîc vivunt, iis peccatum semper inest, 1. Joh. 1. v. 8. sed nunquam penitus præest ac dominatur, Rom. 6. 14. Idque illustrat Apostolus, conversione simplici enunciationis negatæ, quæ ex ea necessario sequitur; *quisquis peccat, non videt eum, neque novit eum*, hoc est (ut Ioan. 17. 3. per Synecdochen generis pro specie) fidem vivam non habet, ideoque in Christo non manet, v. 6. Verùm quia huic sententiæ sanctæ contradicebant nonnulli, qui se justos esse gloriabantur, & tamen non justè vivebant: idcirco Ioannes inserit admonitionem, qua ad cautionem hortatur; & contraria assertione declarat ex effectis & conjugatis, quisnam justus dici possit, nempe qui exercet justitiam: idque probat repetito Christi exemplo, v. 7. deinde confirmat conclusionem antecedentem: ac primum illius conversionem, *quisquis peccat*, &c. idque à causa efficiente: quod qui peccato operam dat, ex Diabolo sit, scilicet non ratione substantiæ, sed accidentis vitii; seu non quà homo est, sed quà malus; ideoque generatione non propria, sed Metaphorica, propter exemplum & regimen: quod peccatores, peccato prorsus addicti, exemplum Diaboli imitentur, & illius suggestionibus malis, filiorum instar pareant: unde filii Diaboli propter imitationem & obedientiam appellantur, ut Ioh. 8. 44. Eph. 2. 2. explicatur: quemadmodum ratio, quæ adfertur, hoc in loco ostendit: *quoniam à principio*, nempe mundi, *Diabolus peccat*: cùm in se, tum in aliis, Ioan. 8. v. 44. Idque illustrat à contrario filii Dei studio, & adventus illius fine: quod non solùm justus sit, sed ideo quoque patefactus, ut opera Diaboli, peccata videlicet, dissolveret, nempe in electis ac fidelibus, ut v. 5. utrumque conjunxit, patefactum ut peccata tolleret, & quidem nostra. Hæc de v. 8. & conclusionis conversione. Cui conclusionis repetitio, paululùm immutatis verbis, subjicitur hoc modo: *Quisquis natus est ex Deo, non dat operam peccato*; & confirmatio apponitur à causa efficiente, seu impediente in nobis peccati dominium, nimirum quod semen Dei in regenerato maneat. Cæterùm quid *semen* significet, quæri potest. Quidam Sp. S. ab effectu ita vocari censent: quod ejus virtute, tanquam ex semine quodam novi homines efficiamur. Quæ expositio pia sanè est: sed tamen magis videtur phrasi consentaneum, ut de Euangelio interpretemur, quod à Christo, Matth. 13. v. 19. semini comparatur, & à Petro 1. Ep. c. 1. v. 23. cum ait: *Renati non ex semine mortali, sed immortali, per verbum Dei viventis & manentis in æternum. Manere* autem *semen* Euangelii dicitur: quod corde per fidem, ab electis susceptum, & radicatum, latere quidem possit ad tempus, ut in agris initio fieri solet, & ut pruna sub cineribus: sed excidere non possit, Matth. 13. 23. Porrò ut conclusio reposita sit illustrior, eam amplificat à majori, addita actui potentia, *nec potest*, inquit, *peccare*: *quia ex Deo natus est.* Quæ ἀδυναμία & potens impotentia ac perseverantia, pendet non à viribus humanis, natura insitis, aut regeneratione infusis: sed à Dei, in filiis suis fidem conservantis, voluntate & potentia, 1. Pet. 1. v. 5. Joan. 10. vers. 28. Ad cujus rei pleniorem intelligentiam plenius in defensione doctrinæ Orthodoxæ de perseverantia Sanctorum disseruimus. Hæc de v. 9. Quem consequitur conclusio doctrinæ de nota filiorum Dei generali: *Per hoc*, inquit, *manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli*; *quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo.* Cum autem Justitia generalem utriusque tabulæ legis obedientiam declaret, eam illustrat à parte altera, à contrario, cum addit, *& qui non diligit fratrem suum.* Eâque viâ à generali filiorum Dei notâ, ad specialem, hoc est, à Justitia universali, in Deum simul & proximum, ad charitatem proximi transit, v. 10. Eamque notam confirmat variis argumentis: primùm à dilectionis causâ efficiente, Dei mandato antiquo, cui is, qui natus ex Deo, paret, v. 11. Idque amplificat à contrario exemplo Caini, quem filium mali illius, hoc est, κατ' ἐξοχὴν, Diaboli, Matth. 6. 13. 1. Iohan 5. v. 18. vocat: quod primus fratrem occiderit. Cujus sceleris atrocitatem, à causa impulsiva, odio & invidia virtutis fraternæ, exaggerat; ad consolationem fidelium, adversus grave mundi ingrati, & immundi odium, vers. 12. Quemadmodum consolatio adjicitur his verbis: *Ne miremini, fratres mei, si odit vos mundus*, vers. 13. Eamque confirmat à charitatis Consequente eximio, nimirum confirmatione fidei, liberationis à morte æterna & hæreditatis vitæ æternæ: quod ex charitate, tanquam ex effectu proprio, sciamus nos esse filios Dei, & hæredes vitæ æternæ. Idque amplificat à contrarii effectu, Syllogismo integro, ordine tamen (ut fieri sæpius solet) inverso; Nullus homicida scilicet non conversus, habet vitam æternam in se manentem. Quisquis odit fratrem suum, homicida est; Ergo nullus, qui odit fratrem suum, habet vitam æternam in se manentem. Conclusio aliis quidem verbis, sed eodem omninò sensu præponitur; vers. 14. reliqua expressè apponuntur, vers. 15. Quia verò in fraternæ charitatis limitibus angustius definiendis, ab hominibus peccari solet, quousque illi porrigantur, demonstrat, v. 16. nimirum quod etiam pro fratribus mortem subire debeamus; si scilicet illud ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem requiratur. Idque confirmatur exemplo Christi, qui nobis amoris author & exemplar, Iohan. 15. 12. & 13. & 13. 24. unde vanitatis arguit hypocritas, qui opibus suis fratrum inopiam sublevare detrectabant: concludit enim, eos charitate Dei esse vacuos: nam si proximo vitam tenemur impendere, quantò magis facultates, vers. 17. Atque hinc hortationem deducit, vers. 18. ad charitatem sinceram, per aphæresin & thesin. Illa est; *ne diligamus verbo neque linguâ*; hæc verò, *diligamus facto & veritate.* Diligere autem verbo, sumitur hoc in loco non generatim: (nam omninò ex legis præscripto, pectore, ore, re, ut dici solet, proximum amare debemus) sed speciatim & oppositè facto ac veritati, ut etiam Iacob. 2. 15. & 16. declaratur. Atque hanc hortationem munit Apostolus rationibus, ab utilitate triplici petitis. Quarum prima est, quod per hoc, tanquam per effectum cognoscamus, nos esse ex veritate. Quam vocem quidam de Deo, qui infinitè verus est, interpretantur, sancta quidem sententiâ, sed huic loco non satis consentaneè. Nam quod objiciunt, hoc probari ex sequenti pronomine αὐτῷ; illud alienum est: quia ea vox κατ' ἐξοχὴν, interdum de Patre, & sæpius de Filio absolutè dicitur, quemadmodum suprà demonstravimus. Quamobrem magis quadrat, ut vocem *veritatis*, Metonymicè de Euangelio, à materia, nempe veritate salutifera, sic dicto per Metonymiam exponamus: quemadmodum alibi quoque *verbum veritatis*, Ephes. 1. v. 13. & Coloss. 1. 5. & veritas,

Ioan. 17. 17. & Galat. 3. 1. & 5. 7. nominatur: & eodem sensu dicitur: Quisquis est ex veritate, Ioan. 18. 37. hoc est Euangelio, tanquam semine immortali regenitus. Altera ratio est securitas cordis coram Deo: quæ ex fide, per charitatis contemplationem confirmata, stabilitur, vers. 19 de qua etiam re dictum est, cap. 2. 28. Cujus securitatis & bonæ conscientiæ præstantiam amplificat à contrariæ malæ conscientiæ morsu, & conjuncta majori judicii divini severitate, vers. 20. Cui additur vers. 21. ut plerique exponunt, rationis allatæ repetitio: etsi nonnulli distinctè interpretentur, ita ut vox παῤῥησίας accipiatur non per Catachresin, de libertate, ac fiducia: sed propriè de loquendi libertate, qua Deum tanquam propitium Patrem invocamus, quæ oritur ex conscientiæ tranquillitate. Atque hæc de vers. 21. Tertia & ultima principalis ratio, est impetratio eorum, quæ à Deo in precibus petierimus, nempe vera fide, secundum Dei voluntatem, ad ipsius gloriam, ut cap. 5. 14. declaratur. Idque confirmatur ab antecedente adjuncto, observatione præceptorum Dei, vers. 22. Quæ verò præcepta intelligat, distributione materiæ eorum, in fidem & charitatem illustrat, vers. 23. & utilitatem observationis eorum addit, communionem cum Christo, Iohan. 14. 23. Cujus cum notas externas hactenus tradiderit; jam alteram addit internam, nempe Spiritus Sancti testimonium, vers. 24. de quo Rom. 8. 9. & 16.

CONSECTARIA.

I. Fideles ad beneficiorum à Deo acceptorum contemplationem excitandi sunt, alioqui in officio torperent.

II. Cùm fons adoptionis & salutis nostræ sit Dei charitas: ergo non est, cur prævisis operibus, eam gloriam tribuamus.

III. Hinc etiam sequitur, Deum Patrem esse redamandum, eique in omnibus fidendum: quoniam filii illius sumus, & quidem ex gratia, ut Mal. 1.

IV. Filii Dei mundi infidelium contemptui & persecutioni obnoxii sunt. Ergò ad crucem ferendam patienter & fortiter parati esse debemus.

V. Non est cur iniquo mundi judicio offendamur, cum eadem etiam sit hac in re Dei Patris conditio.

VI. Cum mundus Deum Patrem non nôrit: illius de Religione judicium minimi æstimandum est. Ac propterea imperitè faciunt, qui multitudinis judicium, idoneum veritatis argumentum esse arbitrantur, v. 1.

VII. Adversus hujus vitæ calamitates, consolari nos debemus spe gloriæ cælestis futuræ.

VIII. Cum sciamus, nos fore Christo in gloria similes: ergò iniqui sunt Pontificii, qui doctrinam de certa persuasione salutis, temeritatis arguunt.

IX. Quoniam scimus, nos Christi adventu servandos, & gloriâ cælesti donandos, idque sperare debemus: sequitur, eos in fidem & spem Christianam peccare, qui ad diei judicii memoriam perpetuò contremiscunt.

X. Spei Christianæ effectum & argumentum est puritas vitæ. Ergò certa salutis gratuitæ fiducia & exspectatio, non fovet peccandi licentiam, ut adversarii Pontificii objectant, sed eam tollit.

XI. Cum purificare debeamus nos ipsos: sequitur, nos esse naturâ impuros.

XII. Christi puritas nobis debet esse sanctitatis exemplar & stimulus. Quocircà impiè faciunt, qui frena cupiditatibus carnis, gratiæ Christi prætextu laxant, v. 3.

XIII. Cùm peccati forma sit ἀνομία, *Legis transgressio*: sequitur damnandam esse Pontificiorum superstitionem: quâ traditionum suarum humanarum transgressionem non solùm peccata vocant, sed graviora quàm Legis divinæ trangressionem (ut pastorum conjugium adulterio gravius) judicant.

XIV. Hinc etiam concluditur Justitiam esse ἐννομίαν Legis divinæ observationem: ac propterea non humanas traditiones; sed Dei Legem esse unicam justitiæ & bonorum operum normam.

XV. Cùm omnia peccata sint Legis transgressio, ideoque mortem mereantur, Deut 27. Rom. 6. 23. Ergo falsa est Pontificiorum peccati ratione meriti sui distinctio, in mortale, quod mortem; & veniale, quod sua natura non mortem mereatur, sed venia dignum sit.

XVI. Hinc etiam sequitur, ad fugam peccati Legem diligenter esse meditandam, v. 4.

XVII. Si Christus peccata nostra tollit: ergo pro iis homines non satisfaciunt suis meritis, ut Pontificii comminiscuntur: peccata enim tollere dicitur, non quod quædam fidelium peccata, sed quod omnia tollat: ut etiam cap. 1. dictum: *sanguis Christi purgat nos ab omni peccato.*

XVIII. Cum fideles id sciant: sequitur adversarios non esse verè fideles, cùm id nesciant; imò apertè negent.

XIX. Si quisquis in Christo manet, non peccat, peccato scilicet dominante: ergo certa est sanctorum perseverantia, v. 6.

XX. Non est mirum, seductores hisce temporibus extare, & quidem qui Euangelii gratia ac justificationis doctrina, ad peccatorum licentiam abutuntur: cùm viventibus etiam Apostolis, ejusmodi seductores in Ecclesia exstiterint.

XXI. Pastorum officium est, Christi oves adversus seductores præmonere: fidelium verò est, eosdem cavere diligenter.

XXII. Christianorum justitia, non in solis verbis, sed in vita sancta consistit potissimùm, v. 7.

XXIII. Christi hostes sunt, qui peccatum in se aut in aliis fovent.

XXIV. Si regenerati peccare non possunt, quia semen Dei in iis manet: ergò vera est doctrina de perseverantia Sanctorum; falsa contrà eorum sententia, qui regeneratos ac verè fideles quosdam, omnino fidem ac Spiritum Sanctum amittere docent.

XXV. Unde etiam fideles ea re sese in tentationibus sustentare ac consolari debent.

XXVI. Malorum hominum facta nobis in Sacris Lit. narrantur, non ut ea imitemur aut tantùm cognoscamus; sed ut eò cautiores reddamus, adversus tentationes carnis, mundi, Satanæ; utque eorum exemplum tanquam scopulum fugiamus.

XXVII. Qui piè volunt vivere, persecutionem patientur.

XXVIII. Injusta piorum cædes, non debet fideles à pietatis studio deterrere, v. 12.

XXIX. Piorum historiæ in Sacris Literis ad nostram consolationem conscriptæ sunt, v. 12. & 13.

XXX. Si scimus ex charitate, nos translatos ex morte ad vitam: ergò salutis fiducia, iniquè à Pontificiis damnatur.

XXXI. Si quisquis fratrem odit, homicida est; quod odium homicidii fons sit: ergò non solùm manum à cæde, sed etiam animum ab odio abstinere debemus, v. 15.

XXXII. Qui proximum non diligunt, ingrati sunt in Christum, v. 16.

XXXIII. Misericordia & liberalitas erga fideles inopes, charitatis Dei nota est, v. 17.

XXXIV. Studendum est, ut habeamus ac foveamus bonam conscientiam, v. 19.

XXXV. Cùm Deus omnia nôrit; ejus providentiæ consideratio, adversus injurias, impatientiæ frenum est, & ad pietatem ac justitiam stimulus, Mal. 3. 16.

XXXVI. Non est, cur ob sceleratorum impunitatem adversus Deum murmuremus: quandoquidem illi scelerum suorum testem ac judicem ipsos condemnantem, in se habeant, nimirùm conscientiam, & supra se Deum omnipotentem, v. 20.

XXXVII. Si is, qui facit id, quod Deus imperat, illud, quod ab eo petit, impetrat: ergo Deo parére utilissimum est, v. 22.

XXXVIII. Fides & Charitas individuo nexu copulata sunt.

XXXIX. Si fideles sciunt ex Spiritu; Christum habitare in ipsis. Ergò doctrina de fiducia gratiæ & salutis nostræ

nostræ particularis, immeritò à Pontificiis temeritatis damnatur, v. 24.

Digressio brevis de Interpretatione 1. Joh. 3. v. 19.

IN eo cognoscimus, quod ex veritate sumus, & coram eo πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν. Quæstio proposita est, an accuratè à nostro Interprete, aliisque ipsum secutis sit versum, *secura reddemus corda nostra*. Licet enim eam sententiam non rejecerimus neque examinaverimus, quia sensum commodum retinet; & per consequentiam ex textu sequatur: verti tamen melius potest, *persuadebimus cordibus nostris*; ut Matth. 28. 14. quia nullibi in Sacris Literis ea vox, in præsenti aut futuro significat *secura reddere*, neque ex bonis authoribus Græcis hoc evincitur. Ac propterea quod hoc in loco inusitata significatio ponitur; ut ferri potest ratione sensus, ita accuratè non fit. Deinde idem etiam demonstrat adjunctum cordium, v. 20 21. nam condemnare (quod judicii mentis actio, non autem voluntatis) tribuitur iisdem cordibus. Ideo vox hæc non voluntatem notat, sed animam, & quidem secundum quid seu mentem: ut de eâ significatione plurimis egimus sub finem Epistolæ ad Hebræos in tractatione de formâ fidei.

CAPUT QUARTUM.

QUoniam nonnulli solam doctrinæ puritatem, sine charitatis studio sectantur, ac de fide suâ gloriantes, opera fidei negligunt: & alii contrà ita bonis operibus intenti sunt, ut doctrinæ & fidei sinceritatem parvi æstiment: idcircò utrique malo occurrit Apostolus hac Epistolâ: priori quidem, cum ad justitiam & charitatem, tanquam filiorum Dei notam, pluribus hortatur: posteriori verò, cum adversus veræ doctrinæ corruptores, fideles præmunit, cap. 2. vers. 18. ad vers. 29. partim cap. 3. vers. 23. quo fidem charitati connectit, & præsertim hoc capite quarto, 6. prioribus versibus, quos in eum finem doctrinæ de charitate inserit. Quæ tractatio antecedentibus optimè cohæret; quoniam ex iis tanquam conclusio consequitur: si enim fides præcepta est divinitus: ergo videndum est, ne ab ea in errores seducamur. Deinde quoniam mentio Spiritus nobis dati, facta est, vers. 24. antecedente; inde ad tractationem de spiritibus aliorum, occasione commodâ eleganter transitur. Cæterùm hæc tractatio constat propositione & expositione. Propositio est admonitio bimembris, complectens dehortationem à malo & adhortationem ad bonum. Dehortatio est à credulitate seu fide temeraria, *Ne*, inquit, *credite cuivis spiritui*, id est, per Metonymiam, spiritu prædito, seu qui se Prophetam esse dicit; quemadmodum ex versu proximo apparet, ubi dicitur, *quicunque spiritus profitetur*. Adhortatio verò est ad examen & probationem spirituum, *an ex Deo sint*, hoc est, ex Dei instinctu loquantur. Hoc autem examen aliud est privatum, quod ad singulos fideles spectat: aliud est publicum, quod ad Synodos & communem Ecclesiæ consensum pertinet. De utroque generatim hoc in loco agit, ut 1. Thess. 5. 19. 20. & 21. Hæc de propositione: cui additur expositio, continens examinis causam impulsivam & modum, additâ consolatione. Ac causa quidem est seductionis periculum, nimirum quod multi Pseudoprophetæ venerunt in mundum. Modus verò examinis, communem notam & dignoscendi regulam complectitur: estque particularis, vel universalis: particularis modi nota, est doctrina de Christi adventu in carnem. Regula verò dignoscendi duplex est: prior, quâ verus spiritus, qui ex Deo est, cognoscitur, hujusmodi statuitur: *Quicunque Spiritus profitetur Iesum Christum* ἐν σαρκὶ (pro εἰς σάρκα) *in carnem venisse, ex Deo est*. Cujus sententiæ pars utraque exponi potest bifariam. Nam primò profiteri Jesum Christum in carnem venisse, accipi potest, tanquam summa doctrinæ de Christo, ut simul personæ, officii & beneficiorum confessionem complectatur: siquidem ut in persona Christi considerandæ sunt duæ naturæ, & earum unio personalis: ita divina natura indicatur hoc in loco, cum dicitur *venisse*; nempe è cælo à Patre, ut v. 9. declaratur; & humana natura assumpta, cum additur, *in carnem*. quâ voce non corpus solum, strictiore Synecdoche, sed latiori, corpus anima rationali præditum intelligitur, ut Joh. 1. v. 14. unio verò personalis notatur, cum Jesus Christus singulari numero appellatur, ostenditurque unam esse personam, non plures. Deinde officium indicat vox *Christi*: ut qui unctus sit & legatus per Spiritum Sanctum, ut sit summus Ecclesiæ ac spiritualis Propheta, Sacerdos, Rex. Denique beneficium, ex officio illo promanans, nimirum salus nostra, voce *Jesus* continetur, Matth. 1. 21. Secundò exponi potest, ut tantùm referatur ad naturæ humanæ veritatem, ut quemadmodum cap. 2. 22. & 23. Apostolus disseruit adversus Antichristos, qui Jesum negabant esse Christum filium Dei: ita hoc in loco distinctè agat contra eos, qui negabant, Christum venisse ἐν σαρκὶ *in carne*, hoc est, carne præditum, seu veram humanam naturam assumpsisse: ut scilicet quemadmodum anteà Cerinthum & Ebionem: sic hoc in loco Simonem Magum, & discipulum illius Basilidem confutet. Atque hæc sententia videtur orationis contextu confirmari: nam Iohannes quasi extra controversiam ponit, Iesum esse Christum: sed illud controversum, an in carnem, aut in carne venerit, nec-ne. Ac sanè, ut prior expositio uberior est: ita hæc videtur verior, nisi fortasse versionem aliam, quàm quæ vulgò extat ac probatur, hîc statuamus, hoc scilicet modo: Quicunque Spiritus confitetur Iesum Christum, qui in carnem venit, per ellipsin articuli Græci τὸν, quæ nec durior, nec insolens est. Quod verò ad alteram hujus Regulæ partem attinet, quidam cum Oecumio *ex Deo esse*, simpliciter & omninò de regenerationis gratia interpretantur: & quia objici poterat, hanc non esse certam filiorum Dei notam, quia etiam Diabolus & hypocritæ hanc doctrinam profiteri possunt: idcirco professionem hanc, non generatim, sed speciatim, cum vera fide conjunctam, & ex ea promanantem intelligunt. Alii verò secundum quid explicant, seu non ratione personæ, quasi illa regenerata sit, sed ratione doctrinæ: quæ expositio, v. 1. (ubi eadem phrasis est, idemque scopus) confirmatur. Hæc de prima examinis regula, qua Spiritus verus, qui ex Deo est, cognoscitur, v. 2. Altera est, qua spiritus falsus, qui non ex Deo est, percipitur, nempe quod contrarium asserat: *Quicunque*, inquit, Spiritus non profitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: & ille est spiritus Antichristi (τὸ scilicet πνεῦμα) idque ab adjuncta auditione Prophetiæ illustrat (quemadmodum antea, c. 2. 18.) ad consolationem fidelium, vers. 3. Quo etiam planius & plenius pertinent sequentia, quibus adversus Antichristorum scandalum fideles consolatur, oppositione duplici. Nam primùm opponit Antichristis fideles, quod ut illos ostendit non esse ex Deo, sic hosce esse ex Deo testatur, *quodque illos vicerint*, nempe veræ fidei ac doctrinæ constantia, c. 5. 4. Cùm autem victoria de Antichristis & mundo sit duplex, perfecta aut imperfecta: quidam de priori intelligunt, quod videlicet non re, sed spe certa adversarios superarint: alii verò de altera interpretantur, quod imperfecta & inchoata victoriâ seductores reipsa superarint, dum in veritate constantes, adversus illorum conatus & insultus varios, hactenus perstiterunt. Quæ sententia magis consentanea est. Hanc autem victoriam, à causa efficiente principali amplificat (ad humilitatem 1. Cor. 4 v. 7. & ad fidem ac spem fovendam) *Quoniam*, inquit, *potentior est, qui est in vobis, quàm qui in mundo est*: hoc est, Deus, qui in verè fidelibus est, sui Spiritus gratia & regimine salutari potentior est, quàm Diabolus, qui in infidelibus mundi est ac dominatur, vers. 4. Huic primæ oppositioni Antichristorum & fidelium, altera additur, qua Antichristi & Apostoli opponuntur: nimirum quod illi quidem è mundo sint, hoc est, ex infidelium & non regeneratorum numerò; deinde quod mundana, quæ originem habent à mundo, non autem à Deo, doceant: quodque eos infideles mundi audiant, hoc est, per Synecdochen iis credant ac pareant, v. 5. & contrà quod Apostoli ex Deo sint; deinde quod

quod qui noverint Deum vera fide, Apostolos audiant ac probent, contraque qui non sunt ex Deo, non audiant. Qua ratione Apostolus notam universalem, cujus initio capitis meminit, qua spiritus dignoscamus, demonstrat esse doctrinam Apostolorum. Regula autem prima est, *qui Apostolos audit, ex Deo est:* Altera, *qui non audit, non est ex Deo.* Nam sententia, cujus jam memini, *qui novit Deum, audit nos,* &c. est reciproca, qui non audit nos, non novit Deum: ideoque addit Apostolus: *Ex hoc cognoscimus, spiritum erroris,* v. 6. Hactenus prima hujus capitis pars, nempe tractatio de spiritibus dignoscendis, quæ ad fidem pertinet. Unde iterum redit ad doctrinam de dilectione: in qua spectanda est hortationis propositio & confirmatio. Illa est: *dilecti, diligamus alii alios.* Hæc verò rationes adhortationis profert diversas. Quarum prima est à Causa Efficiente, quod charitas sit ex Deo, quia auhor illius est, partim exterius, mandato: partim interius Spiritus sanctificantis efficacia. Altera verò ratio est à subjecto: quia nota est filiorum Dei & verè fidelium, vers. 7. Idque illustratur à contrario: quod privatio illius sit argumentum infidelium, qui non verè nôrunt Deum: qua in re tertia existit ratio, quam probat à natura Dei: *nam Deus est charitas:* hoc est, Metonymicè fons charitatis, perfectissima charitate prædiţus, quam imitantur, quicunque vera fide Deum nôrunt, v. 8. Hæc autem Charitas confirmatur ab effecto, & opere illustrissimo, nempe missione Filii ipsius, & quidem unigeniti, & causis illius, primùm fine remoto, ut vivamus per eum, vers. 9. deinde efficiente impulsiva, gratia illius. Quæ indicatur partim remotione falsi, quod nos non dilexerimus Deum: partim positione veri; quod ipse dilexerit nos, nempe prior, ideoque miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris, qui finis missionis propinquus, vers. 10. Similes loci sunt, Johan. 3. vers. 16. Roman. 5. 8. Atque hinc quartam rationem colligit Apostolus, qua dilectionem mutuam fidelibus commendat: *Dilecti,* inquit v. 11. *si Deus nos eo modo dilexit, debemus & nos alii alios diligere;* ut Eph. 4. 32. & 5. 1. Matth. 18. 33. & 35. Quinta ratio est, quod cùm Deus sit invisibilis, eum in nobis habitare constet ex effecto charitatis, scilicet proximi, mutuæ. Sexta ratio est, quod sit argumentum Charitatis nostræ erga Deum, *Charitas,* inquit, *ejus in nobis est perfecta,* hoc est, adimpleta, seu verè & re comprobata. Etenim perfectum, hoc in loco opponitur non imperfecto suis partibus ac gradibus, sed simulato; quemadmodum Ezechias, Esai. 38. 3. ait, se animo perfecto continenter ambulasse coram Deo; & tamen v. 17. peccata sua confitetur; ideoque satis ostendit, se non loqui de perfectione graduum, à qua imperfectio omnis absit; sed de sinceritate. Hæc de vers. 12. Cæterùm quia habitationis Dei in nobis meminit, & illius argumentum esse docuit charitatem proximi, jam digressione quadam, alias duas inserit notas, ad fidem pertinentes. Quarum prior, est spiritus regenerantis communicatio, vers. 13. quam notam similiter, cap. 3. 24. Charitati conjunxit. Altera nota est professio Christi; cujus confirmatio præmittitur ab Apostolorum, oculatorum testium, doctrina. *Nos verò spectavimus, & testamur, Patrem misisse Filium, qui esset Servator mundi,* vers. 14. de qua re amplius actum est cap. 1. 1. 2. 3. Atque hinc rectè professionis Christi forma ac summa adjicitur: *Quisquis professus fuerit Jesum esse Filium Dei,* nempe sincera fide, *Deus in eo habitat, & ipse in Deo.* Verùm ne quis hallucinetur, observandum est, ut strictim attigi, professionem hanc, non esse generatim intelligendam, sed speciatim & Synecdochicè, de certa illius specie. Nam ratione causæ efficientis, professio Christi non unius est modi: alia enim contra animi sententiam spe vel metu expressa est: alia verò ex mentis notitiâ promanat; & quidem vel sola, seu fide mortua; vel ex viva fide exurgit: qui modus solus hoc in loco & similibus, Matth. 10. 32. & Rom. 10. v. 10. intelligendus est: nam priores duo hypocritis & dæmonibus etiam communes sunt. Deus autem in iis, qui Christum profitentur, dicitur habitare, & hi in Deo, quatenus per Fidem & Spiritum Sanctum, cum Filio Dei unum sunt, ut membra sub eodem capite, spirituali nexu devincta; eoque & cum Patre communionem habent, qui in Filio est, ratione unius & ejusdem essentiæ, v. 15. Porrò ut ad doctrinam de Charitate redeat Apostolus, illustat suum, quod antè attulerat, testimonium, à causa efficiente, cognitione & fide charitatis Dei erga nos, in missione Filii; & inde repetit rationem quintam, & probationem rationis tertiæ. Nam charitatem eo nomine commendat, quod sit communionis cum Deo, argumentum: Idque comprobat à natura Dei, nimirum quod Deus charitas est, hoc est, fons & origo charitatis, ut antè ostendimus. Sed objiciat aliquis; Quænam est ratio consequentiæ, Deus fons est charitatis: Ergo qui charitatem habet, ille manet in Deo? similiter enim argumentari liceret: Deus est veritas seu autor omnis cognitionis Christi. Ergo quicunque habet cognitionem Christi, in Deo manet, quod omninò falsum est. Verùm respondetur, diversam longè esse rationem; quoniam notitia veritatis donum est Dei fidelibus & infidelibus commune; sed charitas donum est fidelibus peculiare. Ergò si Deus charitatis fons & author est in solis verè fidelibus (quod tanquam certa hypothesis hoc in loco præteritur) sequitur necessariò, eos omnes habere communionem cum Deo, qui charitate præditi sunt. Sed iterum excipi potest; quod commune electis & reprobis, fidelibus & infidelibus, illud non potest esse certa nota filiorum Dei. Atqui charitas proximi fidelibus & infidelibus communis est, quemadmodum experientia demonstrat: nam officia secundæ tabulæ, & charitatis proximi opera, in Ethnicis & aliis incredulis illustriora sæpe sunt, quàm in verè fidelibus. Ergò charitas proximi non est filiorum Dei nota. Verùm negatur assumptio: quoniam in hominibus infidelibus charitatis proximi fallax species seu similitudo externa esse potest, sed rei veritas deest. Nam ea solùm legitima ac Deo grata est charitas proximi, quæque hoc in loco intelligitur, quæ ex Dei creatoris, & in Christo redemptoris agniti ac crediti amore promanat, & cum professione veritatis salutaris, (quæ amoris Dei actualis pars est) conjuncta est: ideoque ut fides per charitatem efficax dicitur, Gal. 5. v. 6. sic charitas ex fide non simulata oriri asseritur, 1. Tim. 1. v. 5. Hæc de v. 16. Cœterùm septimam rationem ad commendandam nobis charitatem, adjungit Apostolus, petitam ab effectu, nempe fiducia in die judicii: de qua re etiam actum est, cap. 2. 28. idque probat bifariam, primò quod qualis ille, nempe Christus est in cœlo, tales nos sumus in hoc mundo: hoc est, quod per charitatem Christo reddamur similes sanctitate in hac vita: unde confirmatur fiducia gratiæ & similitudinis gloriæ in altera vita, v. 17. Idque à contrario declarat ac probat. Id enim confirmat fiduciam, quod metui adversatur, eumque foràs ejicit: atque charitas perfecta, hoc est, sincera, talis est. Ergo fiduciam confirmat. Cum autem metus alius sit liberalis; alius illiberalis & servilis: posterior hoc in loco intelligitur, & quidem contrarius fiduciæ salutis, qui cum vera charitate & timore Dei liberali non consistit: quia charitas fructus fidei est, & ab ea separari non potest. Ac propterea Apostolus probationem allatam roborat, argumento deducto ab effectu metus: quod conscientiam cruciet: id quod charitati repugnat, vers. 18. Verùm ne quis charitate sua superbiat: idcirco Apostolus causam efficientem esse docet Dei amorem erga nos: ut Deo gloria, & gratiarum actio cedat, v. 19. Octava ratio, ad commendandam charitatem, est, quod à Dei dilectione separari non possit: idque stabilitur duobus modis. Primùm à comparatis: *Qui enim fratrem suum non diligit, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere?* Ratio consequentiæ est, quod dilectio fratris sit etiam dilectio Dei, sed mediata: ad quam non solùm verbo, sed etiam adspectu provocamur, cùm interim Dei tanquam invisibilis queamus oblivisci, v. 20. Altera ratio est, quia Deus charitatem utramque, Dei & proximi, præcepit, & conjungi à nobis voluit, vers. 21.

CON-

CONSECTARIA.

I. Utrique peccant graviter, tam illi qui quamvis doctrinam temerè admittunt, quàm alii, qui ob deceptionis periculum omnia eodem modo aversantur.

II. Cùm superstitibus etiam Apostolis Pseudo-prophetæ Ecclesiam divexârint, iniquè faciunt, qui propter exortos in Ecclesia falsos doctores, offensi, ab Ecclesiæ communione desistunt, v. 1.

III. Doctrinæ probatio privata, non solum ad Ecclesiasticos, sed etiam ad laicos, ut vocant, pertinet: ideoque iniquè ac superbè faciunt Pontificii doctores, qui hoc plebi derogant, & stultè plebs eam curam in suos *pastores* solos, qui sæpè *depastores* sunt, & tecti ovilla pelle lupi, à se rejicit.

IV. Verorum Doctorum præcipuum κριτήριον est doctrina sana de Christi personâ, officio & beneficiis, v. 2.

V. Cum Anabaptistæ, quamvis verbis aliud profiteantur, reipsa tamen negent, Christum venisse in carnem, cum verbum in carnem mutatum asserunt; sequitur eos non esse ex Deo, seu doctrinam eorum hujusmodi non esse divinam, v. 3.

VI. Filiorum Dei est, vincere mundum & falsos doctores.

VII. Christi potentia maximum fidei & spei Christianæ fulcrum est, v. 4.

VIII. Non est cur offendamur, si videamus maximam mundi partem errores probare, & Euangelium aversari, vers. 5.

IX. Si doctrina Apostolorum unica & certa est Veritatis doctrinę nota. Ergò malè faciunt Pontificii, qui multitudinis consensum, & traditiones Patrum jactantes, hujus notæ censuram subterfugiunt, v. 6.

X. Cum Christus sit missus à Patre, ut vivamus per eum: ergò falsum est Pontificiorum dogma, & in Deum Patrem Christumque injurium, quo nos bonis operibus vitam æternam promereri asserunt, v. 9.

XI. Quandoquidem Deus nos charitate suâ prævenit ac prior amârit: falsa est eorum sententia, qui prævisorum operum merito, nos Deo gratos, & ad fidem adductos comminiscuntur, vers. 10.

XII. Doctrina de gratuita peccatorum remissione, maximum est ad charitatem argumentum & quasi stimulus: ac propterea iniqui sunt Pontificii, qui per eam doctrinam, bonorum operum studium imminui & exstingui objectant, versu 11.

XIII. Cum Apostoli sint testes Euangelii oculati ac fidi: eorum doctrinæ credendum est, v. 14.

XIV. Cum professio Iesu Christi recta, sit filiorum Dei nota: ergò illius pudere nos minimè debet, v. 15.

XV. Si metus non est in charitate: inde consequitur, Pontificiorum sententiam à veritate discedere, quâ fideles, dum in his terris vivunt, in perpetua dubitatione & metu salutis versari debere statuunt, v. 18.

CAPUT QUINTUM.

POstquam capite antecedente demonstravit Apostolus, Dei & fratrum nostrorum, hoc est, fidelium dilectionem, inter se cohærere: in eadem materia amplius confirmanda, initio hujus capitis progreditur, & deinde ad doctrinam fidei transit in eaque conquiescit. Ac primum dilectionem fratrum, non posse à dilectione Dei separari, probat à fratrum seu fidelium, ac fidei causa efficiente, nempe regeneratione. Syllogismus autem qui variè ab interpretibus formatur, hoc modo commodissimè, uti videtur, concludi potest: Si, qui diligit genitorem, etiam diligit eum, qui ex eo genitus est: Ergo qui diligit Deum, diligit etiam fratem suum, hoc est, credentem in Christum. Sed qui diligit genitorem, etiam diligit eum, qui ex eo genitus est. Ergò qui diligit Deum, diligit etiam fratrem suum. Conclusio antecessit, cap. 4. v. 21. Assumptio exprimitur hoc cap. 5. vers. 1. Propositionis denique loco ponitur illius probatio: quia quisquis credit Jesum Christum, hoc est, quisquis frater ac fidelis est, ex Deo genitus est, ideoque Deus illius genitor. Quo in loco observandum est, quod credere Jesum esse Christum (ut etiam Ioan. 20. vers. 31.) non notet quamvis Christi notitiam generatim (quia ea quoque mortua fide præditis, Diabolo & reprobis multis communis est) sed vivam fidem, quæ per regenerationem donata, & charitatis effectiva, Johan. 1. 13. Galat. 5. 6. quæ fideles electis & regeneratis est propria, Tit. 1. vers. 1. Hæc de vers. 1. Porrò quia dilectio fratrum, alia recta est; qua ad benè agendum: alia prava, qua ad malè agendum benevoli sumus: nequis pernicioso errore, hanc pro illa, probet ac colat: rectæ ac sanctæ dilectionis fratrum notam ac normam describit, nempe dilectionem Dei; quæ propria est dilectionis proximi causa & origo; & mandatorum Dei observationem, quæ dilectionis norma est, vers. 2. Cùm autem observatio alia fit secundum ἀκρίβειαν seu summum Legis jus & rigorem: alia verò secundum ἐπιείκειαν ac moderationem Euangelii; prior hoc in loco non intelligitur: quia omnes habemus nostra peccata 1. Iohan. 1. 8. sed posterior, quâ sincerè ac pro virili Legi divinæ mente ac secudum spiritum servimus, Roman. 7. 25. Quo etiam pertinet sequens expositio, qua causam reddit, cur dilectioni Dei, mandatorum observationem adjunxerit: nempe quod hæc sit dilectio, ut mandata ejus servemus. Dilectio autem Dei ambiguè quidem dicitur: quia *Deus* notare potest causam efficientem vel objectum: sed tamen liquet objectum hîc designari, ac dilectionem, non quâ nos diligit, sed qua à nobis diligitur, esse intelligendam. Quæ esse dicitur mandatorum ejus observatio, non tam definitione ex causis, quàm descriptione ex effectis, ut Johann. 14. v. 21. & 24. Verùm quia objici poterat Legis difficultas, anticipatione quadam eam removet, & à facilitate, mandatorum observationem illustrat; cum ait, *& mandata ejus gravia non sunt*, nimirum certo respectu & modo. Nam si homines non regeneratos consideras, Lex est onus omninò intolerabile; primùm ratione rigoris ac perfectionis partium & graduum ac temporis quam requirit: idque propter contrariam corruptionem naturæ humanæ, qua legem perficere non possunt; imò ne incipere quidem, propter mentis cæcitatem & cordis obdurationem, Ephes. 4. 18. hoc est, propter carnis in toto homine dominium: cujus, ut ait Paulus, Roman. 8. v. 7. *Cogitatio inimicitia est adversus Deum: legi enim Dei non subjicitur, neque enim potest*: unde etiam lex dicitur iis impossibilis: quod etsi ea observari possit à natura integra, non tamen à corrupta, qua infirmatur per carnem, Rom. 8. 3. Secundò ratione annexæ, adversus legis transgressores, maledictionis: quæ ut conscientiam infidelium gravat ac territat: ita sese suis viribus ab ea liberare & eximere non possunt. Contrà lex Dei, si regeneratos spectemus, & intolerabilis, & tolerabilis ac facilis, sed diversis modis, dici potest. Intolerabilis quidem est, quatenus perfectam obedientiam requirit, quam nemo, solo Christo excepto, præstare potest, ob carnis adversus spiritum repugnantis reliquias: atque ita jugum est intolerabile, Actor. 15. vers. 10. 11. Tolerabilis verò ac facilis est comparatè ac secundum quid: Primum propter sanctificationem, qua per Spiritum Sanctum regenerantem lex Dei animis fidelium inseritur: partim cum menti inditur notitia illius & approbatio: partim cum cordi inscribitur desiderium illius observandæ ac studium, Hebr. 8. v. 10. Ac menti quidem inditur illuminatione illius bimembri: ea enim constat intelligentiâ legis & assensu, Roman. 7. vers. 16. Cordi verò inscribitur, cùm voluntatis Dei, lege patefactæ, delectatio & amor serius, ingeneratur: seu cum voluntas nostra ad observationem legis propensa ac prompta redditur. Cum autem hæc sanctificatio, quâ secundum omnia Dei præcepta vitam instituimus, sit inchoata in verè fidelibus, non autem gradibus suis consummata (quoniam caro seu peccatum originis, dum hîc vivimus, reliquias suas habet, in nobis, ac pugnat adversus spiritum, Roman. 7. 23. & Gal. 5. 17.) idcircò mandatorum & legis Dei observatio, facilis est regeneratis, non simpliciter, sed se-

sed secundum quid, secundum interiorem & novum hominem. Nam si veterem hominem spectemus, legi Dei adversatur & legi peccati servit, Rom. 7. 23. & 25. sin verò spiritum & interiorem hominem intueamur, secundum eum legi Dei delectamur, Roman. 7. 22. eique servimus, Roman. 7. 25. Secundò facilis est fidelibus legis Dei observatio per fidem seu ratione accidentis gratiæ Christi per justificationem, cùm personarum, tum operum. Personarum quidem, quâ ab onere maledictionis legis liberantur: seu, ut Petrus ait, corda fide purificantur, Actor. 15. v. 9. nempe à reatu mortis, quam & caro tota, & illius reliquiæ, hoc est, injustitia corruptæ naturæ nostræ promeretur. Operum verò nostrorum justificatio est, cum eorum defectus & contagio à carne promanans, Christi justitiâ tegitur, & illud, quod boni inest, & à fide ac spiritu Dei proficiscitur, Deo acceptum est: quippe non malè hoc sensu dicitur, Christum non solùm personas nostras, sed etiam nostra bona opera justificare, & intercessione suâ, deletis maculis adjunctis, Deo reddere grata, Hebr. 13. 21. & 1. Petr. 1. 2. & 5. Denique facilis est mandatorum Dei observatio, propter conscientiæ, de Dei gratiâ & amota maledictione certæ, & à terroribus legis, comminantis ac damnantis, liberatæ tranquillitatē. Quare hisce de causis, Dei mandata non omnibus, sed fidelibus (quia de hisce tantùm hoc loco disseritur) non esse gravia asserit Joannes, vers. 3. Quemadmodum etiam ex probatione hujus sententiæ, quam subjicit, colligi potest. Nam causam facilitatis efficientem adducit, regenerationem & fidem: *Quoniam* inquit, *quicquid natum est ex Deo, vincit mundum*, hoc est, infideles. Nam quemadmodum infideles mundi, Dei mandata violant: ita Ecclesiam etiam oppugnant, & ab observatione mandatorum Dei avellere student, partim vi comminationum & persecutionis: partim dolo falsæ doctrinæ & promissionum illecebris, & malorum operum exemplis. Contrà, pii superant hasce difficultates, quando in officio, Deo adjuvante, constantes permanent. Causa autem instrumentalis est fides, quam propterea per Metonymiam appellat *victoriam*, hoc est, causam victoriæ, vers. 4. quod ea scilicet Christum ejusque justitiam apprehendat & per charitatem sit efficax, Galat. 5. v. 6. Atque hinc transit Apostolus à doctrina charitatis ad fidem, cujus ut effectum repetit, nempe vincere mundum: sic etiam, ne quis à recta fidei professione seducatur, veram à falsâ distinguit, describens fidem ab objecto præcipuo, Jesu Filio Dei, vers. 5. Eaque viâ probat Iesum Christum esse Filium Dei; primum ad adventu gemino; cum per aquam, tum per sanguinem. Quem adventum, amplificatione à minore repetit & ait; *non per aquam solùm: sed per aquam & sanguinem.* Quid autem aqua, quidque sanguis significet, primâ fronte obscurius est, & diversa sunt doctorum Interpretum judicia. Primum enim quidam *aquam* Metaphoricè exponunt sanctificationem seu ablutionem à peccati labe; cujus Symbola erant purificationes illæ sub lege usurpatæ, & cujus nunc tessera est baptismus noster, Roman 6. 2. 4. 5. Per *sanguinem* verò expiationem à peccatis, per sanguinis Christi adspersionem intelligunt: cujus visibilia Symbola erant in Vet. Testam. sanguinis victimæ adspersio; in Novo verò Baptismus & Cœna Domini. Alii deinde per aquam & sanguinem, Baptismum & Cœnam Domini notari censent; quibus tanquam novi fœderis sigillis, obsignatur testimonium Euangelii de Iesu Christo filio Dei & salute per eum. Atque hinc Ubiquitistæ student suum dogma de corporali Christi in pane Cœnæ præsentia stabilire, hoc modo; Si voce *sanguinis* Cœna hîc intelligitur, tum necesse est sanguinem Christi esse sub visibilibus Elementis, reipsa præsentem in Cœna; quemadmodum aqua, quæ conjungitur, in baptismo. Atqui verum est prius. Ergò & posterius. Sed falsa est Propositionis Consequentia. Nam etsi voce *sanguinis*, significaretur Cœna; non inde tamen sequeretur (ut contendunt) sanguinem esse reipsa sub elementis præsentem: neque Cœna vocaretur sanguis propriè, sed impropriè, per Metonymiam: quia est signum & sigillum sanguinis; nec solius, sed etiam corporis Christi: quemadmodum liquet ex natura phrasium Sacramentalium, & ex articulorum fidei, & institutionis Cœnæ analogia. Tertiò alii per *aquam* & *sanguinem* Christi baptismum, & mortem, in qua sanguinem effudit, significari ajunt: quod in utroque luculenta testimonia divina sint exhibita, quibus declaratum est esse Filium Dei, Matth. 3. Joan. 1. 33. Matth. 27. 51. & 52. Denique quarto loco multi de aqua & sangune, ex Christi mortui perfosso latere promanante, Johan. 19. 34. exponunt. Quo Mysterio significatum putant, veram expiationem pecatorum nostrorum esse factam; & purificationem animorum nostrorum, in solo sacrificio Domini nostri Jesu Christi peractam; eaque ratione omnes Legis purificationes & sacrificia abrogata. Quæ sententiæ omnes, si rem spectemus, orthodoxæ sunt & probabiles. Postremam tamen multi reliquis convenientiorem esse arbitrantur: sed obstare videtur primùm phrasis Apostoli; *venit non per aquam tantùm, sed etiam per sanguinem.* Deinde quod non satis clara est ratio, ut probetur Iesum esse Dei Filium. Tertia verò sententia ad rem propositam videtur aptissima, ut ex locis Scripturæ citatis apparet. Atque hæc de probatione prima, eaque gemina, quâ demonstratur, Iesum esse Filium Dei, nempe ab adventu, cùm per aquam baptismi, tum per sanguinem in morte. Altera probatio, quæ tertium testem complectitur, est testimonium Spiritus, nempe Sancti, à Christo promissi & missi, Hebr. 2. v. 4. quod verissimum est. Nam verba illa, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἀλήθεια, videntur optimè vertisse, qui ab antecedente distinguunt, tanquam expositionem dignitatis testimonii Spiritus Sancti, *quia est veritas*, id est, verissimus, eoque omni exceptione major, vers. 6. Atque hanc de tribus hisce testibus doctrinam, illustrat & amplificat Ioannes repetitione per distributionem quandam testium in *tres in cælo*, & *tres in terra* De quorum verborum authoritate & intelligentia, non eadem sunt Interpretum judicia. Nam ad authoritatem quod attinet, quæstio est; An hæc verba, quæ vers. 7. extant, sint Iohannis Apostoli, ac propterea divina ac genuina: an verò alterius, qui ea huic Epistolæ ex suo ingenio inseruerit Arianis confutandis? Quidā enim (& inter eos potissimùm Erasmus in suis ad hunc locum interpretationibus) hęc verba non esse Iohannis contendunt. Neq; huic sententiæ probabilia desunt argumenta, partim ex Patribus, partim ex Codicibus manuscriptis editisq; partim deniq; ex versionibus antiquis. Nam (ut de Patribus agamus) ex Græcis Theologis, citantur Athanasius, primus ac præcipuus, Arii, & hæreseos illius, observator & adversarius; Gregorius Nazianzenus, orat. 5. de Theologia; Dydimus Alexandr. Chrysostomus & Cyrillus in thesauro lib. 14. cap. penultimo qui citat antecedentia & consequentia, & in medio omittit hanc sententiam, de quâ quæritur: quibus adde Oecumenium, qui neque in textu ponit, neque etiam exponit. ex Latinis verò proferuntur Hilarius & Augustinus contra Maximinum Arianum lib. 3. cap. 22. quo in loco verborum primorum mentionem facit; sed hujus versus omninò non meminit; quod tamen pro ratione materiæ quam tractat, fieri debuisset: denique huc adducitur etiam Beda: qui omnes cùm aliis argumentis & locis Scripturæ, ad confutandos Arianos conquisitis utantur; hunc tamen versum adeò illustrem penitus prætereunt; unde causam suam firmissimè potuissent stabilire. Quibus addo, quod neque in Concilio Nicæno, ubi contra Arii hæresin Trinitas probata est, ex Ioann. 10. v. 30. & 1. Ioann. 5. 6 *& spiritus testatur, quia spiritus est veritas*; versus tamen septimus, qui aptissimus, omittitur, ut ex actis concilii editi Paris. part. 2. pag. 146. & 133. constat. Ideoque videtur eos verba hæc, aut non legisse, in suis Codicibus: aut tanquam suspecta, & dubiæ fidei neglexisse. Deinde si Codices manuscriptos spectemus, Erasmus ait, in Codice manuscripto Minoritarum Antwerpiensium defuisse in textu, sed manu recentiori ad marginem fuisse annotatum: nec etiam in Codice publico Academiæ Basiliensis exstare: deesse etiam in codice pervetusto Bibliothecæ antiquissimæ Vaticanæ Romanæ. In editis etiam exemplaribus nonnullis non legi, ut in Aldina & Badiana editione. Addo nec in Græco Testamento Gerbelii Haganoæ 1521. nec Coli-

Colinæi Parisiis edito. Si denique versiones spectemus, Syriaca quæ antiquissima habetur, hunc versum non agnovit: nec etiam Latinæ ante Hieronymum, ut ex ejus verbis postea liquebit: nec in vulgata, in antiquissimis nonnullis Codicibus, quales duo Brugenses Sancti Donatiani Bibliothecæ, quos laudat Erasmus. Quibus omnibus testimoniis & rationibus, nonnulli adducti sunt, ut hunc versum genuinum esse negarent: quemadmodum etiam Tigurini Theologi in Latinâ suâ versione Bibliorum hunc versum omittunt, & ad marginem illius loci, inter alia notant, ita esse in antiquissimo Tigurinæ Bibliothecæ Codice. Atque ita tandem concludunt; *Vide annotationes Erasmi. Nos Cyrilli & aliorum veterum lectionem, tum probatissimorum Græcorum Codicum fidem sequi maluimus.* Alii contrarium sentiunt. Ac primùm Patrum Orthodoxorum testimonia adducunt: qui partim ita legerunt: partim etiam ita legendum asseruerunt. Cujusmodi sunt Higinus Epist. 1. Cyprianus de simplicitate Prælatorum, Athanasius lib. 1. ad Theophilum de unita Deitate Trinitatis, Ioannes II. Papa Epistola ad Valerium, Idacius lib. adversus Varimadum; Eugenius Carthaginiensis in explicatione fidei Catholicæ, apud Victorem lib. 2. de persecutione Vandalica; Author disputationis Athanasii cum Ario habitæ in Concilio Nicæno: Fulgentius lib. contra objectiones Arianorum: denique Hieronymus; cujus censura memorabilis est (ut etiam Erasmus recenset) in prologo in Epistolas Catholicas. Sic enim de iis loquitur; *Quæ si sicut ab iis digestæ sunt: ita quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium; neque ambiguitatem legentibus facerent; nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipuè loco, ubi de unitate Trinitatis, in prima Ioannis epistolâ positum legimus: in quâ etiam ab infidelibus translatoribus, multum erratum esse à fidei veritate comperimus, trium tantummodò vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis & spiritus, in ipsa suâ editione ponentibus, & Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris ac Filii ac Spiritus Sancti una divinitatis essentia comprobatur.* Hactenus Hieronymus. Unde etiam secundum testimoniorum genus confirmatur, petitum à Græcorum Codicum fide, ad quam Hieronymus provocat & Latinam versionem restituit. Huc etiam accedit manuscriptorum Codicum plurimorum & optimorum (quibus usus est uterque Robertus Stephanus, Pater in Testamento majori forma, filius in octavo.) consensus: nullam enim lectionis varietatem in hoc vers. 7. quasi in nonnullis suis exemplaribus deesset, indicant. Deinde Britannicus codex, ut Erasmus, qui eo usus est, fatetur, eundem versum habet, quanquam sine articulis, Πατὴρ, Λόγος καὶ Πνεῦμα. Denique idem confirmat editio Hispaniensis laudatissima, Complutensis nimirum, quæ antiquissimorum codicum collatione edita: sed vocem εἰσι omittit, & pro ἕν legit εἰς τὸ ἕν. & pleræque editiones Græcæ, ut Basiliensis Oecolampadii, & altera Brittingeri, & Lipsensis Vogelii, qui duplicem lectionem agnoscit, unam in textu ἕν εἰσι, *unum sunt*, & in margine, εἰς τὸ ἕν εἰσι, *in unum sunt.* Atque hæ sunt rationes præcipuæ, quibus partim Bellarminus; partim alii probant, hunc vers. 7. esse genuinum: quæ sententia probabilis est. Nam quamvis multi Veterum eum prætereant, non tamen negant esse Johannis: & contrà Hieronymus, in prologo in Epistolas Catholicas, cujus ante memini, disertè asserit. Et licet à quibusdam vetustis exemplaribus Græcis abfuerit, illud Arianorum (qui Constantii tempore, pulsis Orthodoxis totum penè orbem occuparant) fraude factum videtur: unde exemplaria alia descripta, reliqua tamen exemplaria incorrupta conservata sunt, ut jam antè ostendimus: unde illa exemplarium Græcorum varietas videtur orta: ut ex Hieronymo diligentissimo scriptorum Veterum & Scripturæ indagatore colligi potest. Atque hæc dicta sunt de hujus, vers. 7. authoritate. Quæ piis ac modestis ingeniis, rem diligenter considerantibus omninò amplectenda est, & ad Ecclesiæ utilitatem proponenda: etsi in disputatione cum Samosatenianis & Arianis res non ita explicata est, ut contumaces posset ita convincere, ut os eis oturetur: idque ob probabilia initio posita argumenta. Antequam verò finem faciam, paucis Erasmi adversus Hieronymum Censura expendenda. Sic enim ait; *Hactenus Hieronymi verba retulimus: ex quibus liquet, Hieronymum nihil queri de Codicibus Græcis, sed tantùm de iis, qui Græca Latinè verterunt. At nunc in Græcis Codicibus hoc potissimum deest, quod omissum queritur, & habetur in Codicibus Latinis, licet non omnibus. Sed unde Hieronymus castigavit errorem Interpretum? nimirum è Græcis exemplaribus. Sed illa aut habebant, quod nos vertimus, aut variabant. Si variabant, quemadmodum & Latina, quonam argumento docet, utrum sit rectius, utrumve scriptum sit ab Apostolo: præsertim cum quod reprehendit, tum haberet publicus usus Ecclesiæ? Quod ni fuisset, non video qui possint habere locum quæ sequuntur: sed tu virgo Christi Eustochium, dum à me impensius Scripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo senectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falsarium corruptoremque sacrarum pronunciant Scripturarum. Quis eum clamâsset falsarium, nisi publicam mutâsset lectionem? Quod si apud Græcos legit Cyrillus, quod nunc habent Græci Codices, si apud nos Augustinus & Beda, aut tantùm hoc legit, aut utrumque legit; non video, quid adferat argumenti Hieronymus, quo docet germanam esse lectionem, quam ipse nobis tradit.* Hæc Erasmus. Sed respondetur primò, verùm esse quod ait, Hieronymum non queri de Codicibus Græcis: & hoc magnum indicium est, etsi Græci codices nonnulli essent corrupti ab Arianis, incorruptos tamen fuisse notos, & extra controversiam sinceros. Quod autem addit Erasmus; *nunc in Græcis codicibus hoc potissimum deest, quod omissum queritur*, illud generalius dictum negatur, ut ex omnibus Roberti Stephani codicibus manuscriptis antiquissimis patet. Deinde si qui Codices sint, qui omittant, eos esse per imprudentiam ex corruptis descriptos, aut vitiosæ Latinæ, ante Hieronymum, versionis occasione per imperitiam depravatos. Nam incorruptos Græcorum Codices Hieronymi tempore fuisse citra controversiam apud Græcos certò notos, indicat primò, cùm initio translatores infideles nominat, qui omiserunt hunc versum. Deinde cum in fine subjicit, *sed ego in tali opere nec æmulorum meorum invidentiam pertimesco, nec sanctæ Ecclesiæ veritatem poscentibus denegabo.* Quæ lectionis indubiæ in Græcis, apud doctos cognitæ, argumentum est. Si enim dubia fuisset lectio, sanè æmulorum suorum invidentiam meritò timuisset. Quare hæc verba satis ostendunt, Hieronymum, ad certò incorrupta Græca exemplaria, hoc modo provocare: quæ ad rem ipsam compertam provocatio insignis. Et ut in libris Sacræ Scripturæ vindicandis ac judicandis, summa Hieronymi fides constat apud omnes: sic eandem, in corrigenda versione Latinâ (producendo Lectionem Græcam sinceram) adhibuit. Quemadmodum etiam secundo tomo Epistola ad Marcellam ultimâ apparet; ubi ait, *se Latinorum Codicum vitiositatem (quæ ex diversitate librorum omnium comprobatur) ad Græcam originem, unde & ipsi translata non denegant, voluisse revocare.* Hæc ille: quæ duobus illustribus exemplis demonstrat. Quod verò Augustinum citat: is linguæ Græcæ (ut alicubi ingenue fatetur) fuit ignarus: ideoque Latinam versionem, quæ tum obtinebat, vulgò vitiosè translatam proposuit. Quemadmodum etiam Beda (ut in Commentariis solet) authoritatis illius præjudicio, secutus est. Neque satis magnam diligentiam adhibuisse, res ipsa docet: quoniam in antecedenti sententia; *quoniam spiritus est veritas*, pro voce *spiritus*, vocem Christi posuit; *quoniam Christus est veritas*: nec solùm ita ponit in textu, sed etiam in expositione geminâ. Ad Cyrillum verò quod attinet, quo potissimum Erasmus nititur, & quem hoc loco objicit; verum est, verba illa sic à Trapezuntio versa: sed Græcum exemplar desideramus, ut certò constet, an ita in Cyrillo extet, an Interpretis (ut aliis sæpè factum) aut

descriptoris vitio versus septimus sit omissus. Et sanè locum suspectum esse debere, discrepantia à textu satis ostendit. Nam sic habetur in versione illa hujus loci, *Hic venit per aquam & sanguinem & spiritum, Jesus Christus* (hoc primum vitium citationis, quod contra omnium veterum & recentiorum fidem malè inferitur *& spiritum*) *Iesus Christus non in aqua solùm, sed in spiritu* (Nota perperam *spiritu* pro *aqua* positum) *& sanguine, quia tres sunt* (rursus pro καὶ & ponitur *quia*) *qui testimonium perhibent* (omittitur ἐν τῇ γῇ) *& aqua & sanguis, & hi tres unum sunt* (pro εἰς ἕν εἰσι, ut Græca exemplaria manuscripta Roberti Stephani consentiunt) cæterum plus haberet coloris, si citatus fuisset locus Cyrilli de fide ad Reginas: sed & ibidem Græcus codex esset consulendus ad certitudinem. Denique Augustino & Bedæ opponitur meritò antiquior & Græcæ linguæ peritissimus Cyprianus de unitate Ecclesiæ, cujus hæc sunt verba; *Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus* (Johan. 10. vers. 10.) *& iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est, & hi tres unum sunt* (1. Johan. 5. vers. 7.) Ad sensum verò quod attinet hujus versus septimi (de cujus authoritate egimus) scopus satis clarus est, nempe propositum esse Johanni probare, Jesum esse Filium Dei, & Spiritum esse Veritatem. Ostendit enim non solùm Spiritum id testari, sed etiam Patrem & Sermonem, hoc est, Filium, sermonem vitæ, 1. Iohan. 1. v. 1. Pater enim testatus est, Matth. 3. vers. 17. & Matth. 17. v. 5. Filius autem testatus est, cùm alibi dictis & factis: tum nominatim, Joan. 5. 20. 32. & Ioan. 10. 30. collato cum v. 33. & 36. & 38. & imprimis suscitando se à mortuis, Ioann. 2. v. 19. & 10. 17. Spiritus verò in columbæ specie in Christum descendens & super eum quiescens, Ioann. 1. vers. 32. 33. 34. & Matth. 3. vers. 16. & cum à Christo secundum promissionem missus est è cælo, & in Apostolos delapsus ignearum linguarum specie, Actor. 2. & super credentes, Actor. 8. vers. 16. 17. Christo testimonium perhibuit, Hebr. 2. vers 4. & Ioann. 15. vers. 26. Atque hosce tres de Christo testes describit ab unitate, *& hi tres unum sunt*. Quam unitatem Erasmus & quidam alii, non ad essentiam, sed ad testimonium & consensionem animi referendam esse arbitrantur, ut Ioan. 17. v. 22. *ut unum sint, sicut nos unum sumus*: Alii verò ad essentiam pertinere censent, quæ maximè vulgò nec immeritò probatur sententia. Veruntamen duo adversus eam objiciuntur argumenta. Quorum primum est à scopo & antecedente petitum, quod cum eo, ut debebat, non consentiat: quoniam Ioannes in antecedentibus, non de essentiâ Spiritus, sed de testimonii illius veritate locutus est.

Alterum est à consequentibus, quod proximo versu similiter, eademque ratione, de aquâ, sanguine & spiritu dicatur, *& hi tres unum sunt*. Atqui aqua, sanguis, spiritus, non sunt unum essentia, nec numero, neque specie: sed tantùm testimonii consensione: quo sensu unum dicuntur. Ergo eadem in tribus testibus prioribus debet esse ratio: præsertim cum similis locus, ut antè ostendimus exstet, Joann. 17. v. 22. Sed respondetur ad primum, cum scopo, qui est, Jesum esse Filium Dei & Spiritum esse verum, rectè convenire. Nam quamvis non de essentiâ Spiritus, sed de veritate illius, in antecedentibus disserat Apostolus, rectè tamen hoc loco trium horum testium essentiæ unitatem adducit, tanquam causam veritatis & consensionis necessariam & præstantissimam. Ergo fatemur hisce verbis consensionem designari, sed mediatè per suam causam; non autem immediatè, ut nonnulli volunt. Deinde neque altera ratio nobis obest: quia negamus eandem esse phrasin, vers. 7. & 8. nam vers. 7. dicitur: *unum sunt*; sed vers. 8. probatissima exemplaria habent: in unum sunt, hoc est, in unum conspirant. Sed excipiunt rursus, *in unum esse* phrasi Hebræâ idem significare, atque unum esse: quemadmodum dicitur: *ego ei ero in patrem & ipse erit mihi in filium*: hoc est, ego ero ei Pater & ipse erit mihi filius, Hebr. 1. v. 5. Sed negatur consequentia: fatemur quidem, alicubi eam phrasin locum habere posse, eo sensu; sed nisi contextus orationis necessitas postulet, negamus ad eum pleonasmum esse recurrendum, propriâ significatione neglectâ. Quid autem hic possit esse causæ, cur Iohannes phrasin in hac sententia mutarit? Ac propterea licet (quod Erasmus objectat) Iohan. 17. 22. dicatur; *ut unum sint, quemadmodum nos unum sumus*, nempe non essentia, sed consensione, sic etiam hoc in loco: Illud, inquam, minime sequitur; quia diversa phrasis est: nam Iohan. 17. utrimque ponitur *unum esse*, non autem in altera parte *in unum esse*: sed hoc in loco Epistolæ Ioann. v. 7. *unum*, & v. 8. *in unum* distinctè dicitur. Deinde Ioh. 17. subjectorum, Dei Patris ac Christi, & fidelium, essentiæ citra controversiam oppositæ sunt: illa enim infinita est & æterna: hæc verò finita est & temporalis: ac propterea de essentiæ unitate accipi non posse evincitur: Patrem verò, Filium & Spiritum Sanctum non esse ejusdem essentiæ, probari non potest. Ac quamvis in Complutensi exemplari utrimque ponatur *εἰς ἕν εἰσι in unum sunt*: omnia tamen quindecim Roberti Stephani exemplaria Græca manuscripta & alii habent in priori tantùm *ἕν εἰσι, unum sunt*: non autem *in unum*. Neque obstat, quod alicubi apud veteres quosdam utrimque ponatur in Latina versione *unum sunt*. quia facilè scriptorum vitio, vers. 8. vox *in* omitti potuit. Atque hæc de vers. 7. & tribus testibus cælestibus. Quibus subjiciuntur totidem, qui in terra testificantur, spiritus, aqua & sanguis. Quæ verba difficiliora & maxima varietate ab interpretibus accipiuntur. Nam quidam arbitrantur *aquam & sanguinem* alio sensu quàm in antecedentibus debere accipi, nimirum quod ut ibi notarint sanctificationem & justificationem, quibus Christus instructus venit: ita hoc in loco Mysterium eorum ac notam externam designare, nempe aquam & sanguinem, ex Christi profosso latere emanantem. Verùm quam obscurum & minus solidum illud sit testimonium, jam anteà ostendimus. Secundò alii conjiciunt, vers. 7. tres Deitatis Christi testes citari: hîc verò totidem humanitatis illius testes adduci: nempe spiritum humanum, quem Christus Patri in manus tradidit, Luc. 23. vers. 46. & aquam & sanguinem, quæ ex mortui latere profluxerunt, Johann. 19. vers. 30. tanquam certa humanæ naturæ Christi argumenta. Veruntamen si quis antecedentia & consequentia diligentius expendat, comperiet Apostoli scopum non esse alium, quàm ut probet Christum esse Dei filium; quod verè Spiritus Sanctus testatus est. Quare alii rectius videntur sentire, qui hæc verba aliter interpretantur. Cæterùm quidam censent *aquæ* nomine Euangelium, *sanguine* mortem, *Spiritu* vim Spiritus & miracula denotari: quod scilicet Christus venerit primùm ut Propheta *per aquam*, id est, per doctrinam Euangelii, quæ alibi aquis etiam confertur, ut Esai. 11. vers. 9. quamque Christus attulit & per mundum sparsit: secundò ut Pontifex *per sanguinem*, scilicet quod talem obierit mortem, qualem Prophetæ de Messia sacerdote simul & victima prædixerant: denique ut Rex *per Spiritum*; quòd talia miracula edidit, qualia de Messia à Prophetis erant prænunciata. Alii verò aliter non incommodè *Spiritum* Metonym. ut 2. Corinth. 3. vers. 6. Euangelium exponunt, *aquam & sanguinem*, duo ordinaria Novi Testamenti Sacramenta, Baptismum à materia, & Cænam Domini à re significata Metonymicè interpretantur: quia ut Euangelium testatur Iesum esse Filium Dei, Iohann. 20. vers. 31. sic etiam Sacramenta tanquam Euangelii sigilla divina idem in terris nobis perpetuò testantur, Iesum esse Filium Dei, servatorem mundi. Denique salvo doctiorum judicio, videtur dici posse, *Spiritum* hîc distinctè designare donum Spiritus Sancti, quo per Euangelium exterius nobis testimonium perhibetur de Jesu Christo Filio Dei, & interius in mente nostrâ per donationem fidei; de quâ re 1. Johan. 5. vers. 10. deinde, *aquam* baptismum nostrum designare, quo baptizamur in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti: denique *sanguinem* significare Apostolorum & fidelium pro Christo cædem: unde Martyres, id est, testes dicuntur, Apocal. 2. vers. 13. Atque hæc de vers. 8. & testibus tribus in terra, quibus veritatis testimonii cælestis Patris confirmationem

subdit

subdit Apostolus, argumento ducto à minori, nempe testimonio hominum. *Si hominum testimonium accipimus, testimonium Dei majus*, hoc est, certius ac fide dignius est. Atqui hominum testimonium accipimus, Deut. 17.6. & 19.15. Hebr. 10.28. 2. Cor. 13.1. Ergo testimonium Dei majus, eoque magis à nobis admittendum. Qualis etiam argumentandi ratio à Christo observata est, Joan. 8.17. & 5.34. & 37. Cæterùm verba illa quæ sequuntur, nempe (*nam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo*) primâ fronte sunt obscuriora: verùm illustriora redduntur, si observemus, primùm, vocem ὅτι, hoc in loco non indicare confirmationem seu *quia*; sed expositioni inservire: quemadmodum frequenter eo sensu, etiam apud bonos authores occurrit: deinde, orationem esse hoc in loco imperfectam, ut quæ tantùm partem antecedentem, seu orationis subjectum, non autem attributum complectatur, & antecedentis partis declarationem *versum decimum* tanquam parenthesin interseri, ac demum, vers. 11. repetitione quadam antecedentis partis, & adjunctione sequentis attributi, sententiam absolvi. Parenthesis autem, declarat Testimonii divini subjectum: hoc autem quinam illi sint, qui id accipiant: quod qui credit in Filium, habet Testimonium Dei in seipso. Quam fidei dignitatem à contraria incredulitatis indignitate & impietate amplificat, quod hæc Deum *mendacem faciat*, hoc est Metaphoricè, judicet. Idque inde declarat, quod testimonio Dei, de Filio suo, non crediderit, vers. 10. Atque hinc orationem cœptam absolvit, repetitione, quâ testimonium Patris describit à materia, nempe re testata, quod Filium Pater nobis donârit ad salutem, vers. 11. Unde concludit Joannes utilitatem unionis cum Filio: quod qui filium habet, scilicet per fidem, Johan. 3. vers. 36. Ephes. 3. vers. 17. habeat vitam: Illudque à contrario illustrat: quod qui non habet Filium Dei, vitam non habeat: id quod pertinet ad amplificationem, ut constet, Christum non solùm esse causam vitæ efficientem, sed etiam necessariam, imò solam, vers. 12. Atque hactenus altera Epistolæ pars explicata est, quæ tractationem rei continet. Sequitur jam postrema, quæ conclusionem de fide, spe, precatione & fuga idololatriæ complectitur, & antecedenti commodè cohæret. Etenim Apostolus primum objectum & finem tractationis antecedentis ac scriptionis suæ indicat. Objectum, cui destinata ac scripta est Epistola, sunt verè fideles, qui credunt in nomen Filii Dei. Finis verò est duplex, scientia vitæ æternæ, & fides in Christum, cum ait, *ut credatis*. Hæc autem fides intelligenda est, non ratione initii: nam disertè fideles alloquitur, sed ratione continuationis & incrementi, vers. 13. Quæ fides describitur ab effectu suo, fiducia certa exauditionis in sanctis ex fide promanantibus precibus, vers. 14. Unde concludit certitudinem exauditionis antecedentium precum, vers. 15. Cæterùm cum precatio alia sit pro nobis: alia pro aliis; à priori ad alteram transit Apostolus, adhibitâ quadam distinctione fratrum, hoc est eorum qui fideles habentur (sive revera tales etiam sint coram Deo, sive sola externa specie, ac coram hominibus) in eos qui non peccant ad mortem, & in eos, qui peccant ad mortem: pro illorum vita, nempe æterna precandum esse docet: idque confirmat à promissione exauditionis: pro hisce verò precandum negat. *Peccatum* autem *ad mortem*, si phrasin spectemus, variè accipi potest. Primùm id quod durat ad mortem, seu in quo sine resipiscentia homines pereunt: quemadmodum quidam hunc locum exponunt. Sed ex textu apparet, non de duratione peccati, sed de peculiari natura & specie peccati, sermonem institui: nam cum dicitur: *Si quis viderit fratrem suum peccare*, inde liquet, de actione, quę in sensus nostros & mentem, dum vivunt, incurrit, intelligi: ideoque non de futuro, sed de præsenti peccato sermonem esse. Secundò peccatum ad mortem dici potest, quod ad mortem deducit, seu quod mortem infert, idque bifariam: vel jure, vel re seu facto. Jure quod mortem secundum Legis divinæ justitiam promeretur: & sic quidam, inprimis Pontificii, hoc in loco explicant de peccatis capitalibus, & ex eo distinctionem fingunt peccati venialis, quod non mortem æternam, sed tantùm pœnam temporalem, ac veniam mortis æternæ mereatur; & peccati mortalis, quod mortem æternam. Sed illud alienum est. Primùm, quia si peccata per se, ratione meriti consideres, omnia sunt mortalia; ut quæ legem divinam, & infinitam Dei majestatem violent, Deuter. 27. v. 26. Rom. 6. vers. ult. sin verò per accidens, & ratione eventus peccata spectemus, omnia fidelium peccata venialia sunt, per accidens gratiæ Christi, regenerantis suo spiritu & justificantis suo sanguine: quia ad resipiscentiam adducit, & à peccato ad mortem tuetur, & peccatorum nostrorum veniam à Deo Patre impetrat, ut Mediator noster, 1. Johan. 2. v. 1. Neque est, quod objiciant, peccata esse inæqualia, ac propterea non debere esse æquales pænas, id est, æternas: sed partim æternas, partim temporales, pro peccatorum disparium ratione. Respondetur enim pænas statui æquales, non simpliciter, quum id fieri non posse, per justitiam Dei fateamur, sed tantùm certâ ratione pares sunt, quantitate temporis, dispares quantitate gradus, Matth. 11. vers. 22. & 24. idque ad justitiam Dei asserendam sufficit. Secundò circumstantiæ hujus contextus demonstrant, hunc locum non posse de peccatis generatim intelligi: quoniam pleraque eorum remitti posse testatur Christus, Matth. 12. & pro remissione eorum precari licere & dictis & exemplis ex utroque Testamento evincitur: contrà verò peccatum ad mortem nec veniam à Deo obtinet, neque pro eo precari licet, ut Apostolus hoc in loco testatur. Quare peccatum ad mortem hoc in loco non tantùm ratione juris, quod mortem mereatur, intelligitur, & omnibus peccatis convenit: sed etiam ratione facti, quod certò mortem adferat. Verùm eo modo peccata sunt ad mortem bifariam, vel per se & semper, ut peccatum in Spiritum Sanctum, Matth. 12. vers. 31. 32. vel contingenter, ut reliqua; quæ aut pænitentiam habent conjunctam & fidem, ac remittuntur, Matth. 12. v. 31. 32. vel pænitentiâ ac fide carent, ut omnia reproborum peccata. Hoc autem in loco de priori agit Apostolus, nempe de peccato, quod non solùm mortem jure adferat, sed etiam facto; & quidem per se ac semper, in quocunque tandem inveniatur: alioqui preces pro eo remittendo, non prohiberentur. Hoc autem peccatum ad mortem, est peccatum, quo quis Euangelii veritatem, per Spiritus Sancti revelationem agnitam, sciens ac volens, ex destinato Christi odio oppugnat; ut suis cupiditatibus satisfaciat. Quale peccatum fuit Pharisæorum & Iudæorum quorundam, de quibus Christus, Matth. 12. & Stephanus, Actor. 7. v. 51. & Apostolus, Hebr. 6. Cujusmodi etiam credibile est fuisse Juliani Apostatæ peccatum: *Vicisti Galilæe*. Huc etiam refertur vulgò Apostasia Francisci Spiræ, qui post abnegatam, contra conscientiæ testimonium, Euangelii veritatem, ita conscientiæ furiis exagitatus fuit, ut horrenda desperatione videatur periisse: de quo Sleidanus lib. 21. historiæ, anno 1548. Sed tamen satius videtur, ut cum moderatioribus nonnullis Theologis mitius judicemus: quandoquidem historiæ illius circumstantiæ huic peccato non in omnibus conveniunt: quia non ex destinato odio in Christum, sed ex terrore cruciatus ac mortis, Christum abnegavit. Quanquam hujus exempli conspectus, Petrum Paulum Vergerium Episcopum insignem, non ignarum veritatis, spem Cardinalatus, & patriam Italiam deserere, agnitamque veritatem profiteri compulit, ut Sleidanus eodem in loco demonstrat. Quod præclarum etiam est reliquis, ad Dei timorem & constantiam in professione veritatis, documentum. Cæterùm hoc peccati genus, quia contra conscientiam, & ex destinato in Christum odio procedit: idcirco merè Diabolicum est: & quemadmodum Diaboli peccatum (quo gloriæ divinæ æmulus, perpetuo in Deum odio æstuat) nunquam remittitur: ita nec illis hominibus reprobis, qui Diabolum in hoc horrendo scelere sequuntur. Idque non eâ de causâ, quasi Christi meritum non sufficeret (hoc enim vel mille im-

immundis mundis pœnitentiâ verâ præditis sufficeret: utpote infinitum dignitate, quia meritum est non simpliciter hominis, sed Filii Dei) sed quoniam qui id perpetrant, nunquam à Patre fuerunt regenerati, neque spe, fide & resipiscentiâ post peccatum illud donantur: sed in sua pertinaci & diabolica malitia deserti, suo vitio justissimè pereunt. De quo peccato in Sp. S. pleniùs egimus: in explicat. Mat. c. 12. 31. Verùm explicatâ jam hujus peccati ad mortem natura, superest ut declaremus paucis, quomodo à nobis cognosci possit, ut pro illo, ex Apostoli præcepto, non precemur. Ratio autem cognitionis est duplex: una vera ac certa: altera verisimilis & incerta. Prior est revelatio divina, quæ certa est ac sola certa simpliciter: quia Deus solus est καρδιογνώστης, 1. Reg. 8. v. 29. qui mentem & animum hominis solus inspicit ac scrutatur ac novit, quinam contra conscientiam destinato Christi odio, Euangelii veritatem à Spiritu Sancto ipsis patefactam, blasphemiis impetant. Revelat autem Deus hoc peccatum vel immediatè & internè Prophetis: vel mediatè & externè aliis per Prophetas, qui duplex revelationis modus initio Ecclesiæ Apostolicæ fuit frequens, ut ex 1. Cor. 12. & Actis Apostolorum constat, quales etiam fuere Hymenæus & Alexander ærarius, 1. Tim. 1. vers. 20. & 2. Timoth. 4. v. 14. 15. Ac propterea cognitio peccantium in Spiritum Sanctum illis temporibus (quibus hæc Epistola conscripta est) vigentibus Prophetis, non ita fuit difficilis. Altera cognitionis ratio est per experientiam humanam, quæ ex diligenti & assidua dictorum factorumque impiorum adversus Christi majestatem atque Euangelium observatione promanat: unde tanquam ex effectis ad causam, in mente ac voluntate abditam, gradatim assurgitur. Quemadmodum olim judicatum est, Julianum Imperatorem Apostatam, peccasse in Spiritum Sanctum, quod Christum, quem antea erat diu multumque à teneris etiam, in Lectoris scripturæ in Ecclesia officio professus, postea abnegarit & blasphemarit horrendis modis, & non solùm nefandas Magicas artes exercuerit; sed etiam idololatriam coluerit, & Christianos, ad scelerum societatem variis modis adegerit, & Juratis Christi hostibus Judæis in Christi & Christianorum despectum, templi Hierosolymitani, rursus extruendi potestatem & opes dederit, neque ultione divina insignis miraculi monitus, vel tantillum resipuerit. Quippe dum Judæi templi restaurationem moliuntur, ut Ammianus Marcellinus histor. lib. 23. initio testatur, *metuendi globi flammarum, prope fundamenta, crebis adsultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum*. Hæc ille, non Christianus, sed Ethnicus scriptor, Juliani miles & fautor. Denique quod in pugna adversus Persas, sagitta aut telo, incerto authore, lethaliter percussus, exceptum manu sanguinem è vulnere fluentem, in cælum projecerit, hac exclamatione, *Vicisti Galilæe* (id est, Christe, quem per contemptum Galilæum vocavit) quemadmodum testatur Theodoretus histor. Eccles. lib. 3. cap. 15. in fin. pag. 320. edition. Græcæ Robert. Stephan. De quo postremo tamen mirum, Gregorium Nazianzenum adversus Iuliani impietatem scribentem non meminisse: fortè Theodoretus historiam nactus, quæ ad manus Nazianzeni non pervenerat. Hæc de peccato ad mortem, vers. 16. Quod illustratur anticipatione convenientissima, ad consolationem fidelium. Objici enim poterat, nos injustitiæ nostræ, & interdum contra conscientiam conscii sumus; annon igitur hujus peccati ad mortem rei sumus? Respondet Apostolus primùm, illud non sequi. Omnis enim injustitia peccatum est, sed non omne peccatum est ad mortem, vers. 17. Deinde demonstrat Syllogismo, fideles quibus scribit ac sese annumerat, esse omninò ab eo peccato immunes, argumento ducto à regenerationis proprietate. Propositio est eadem, quæ posita & exposita est, cap. 3. vers. 9. Quisquis natus est ex Deo, non peccat, nempe peccato dominante, eoque neque ad mortem (nam omnes peccare, generatim loquendo, cap. 1. asseruit.) Id autem confirmat partim à communi fidelium conscientia, cum ait, *scimus*, nempe ex Dei verbo & revelatione Christi, Mat. 16. 18. & Ioan. 10. 28. aliisque plurimis Sacræ Scripturæ locis partim à causa efficiente, fidelium conservatione: quod sese adversus peccatum illud conservent fide viva per charitatem efficaci: quæ ut Dei virtute firmata vincit mundum, 1. Ioan. 5. 4. sic principem mundi: quod fide, quasi clypeo tecti sunt, ac tuti, adversus Satanæ tela, Eph. 6 16. & 1. Pet. 1. v. 5. & 5. v. 9. Sed objiciat aliquis: Quidam fratres nostri possunt peccare ad mortem, alioqui ineptè cautionem illam & distinctionem addidisset Ioannes, vers. 16. *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato, quod non est ad mortem*. Atqui omnes fratres nostri sunt nati ex Deo. Idcirco enim *fratres* dicuntur, quia communem habent nobiscum in cælis Patrem. Ergo quidam nati ex Deo, possunt peccare peccato ad mortem. Verùm negamus consequentiam, propter argumenti homonymiam; quoniam fratres alii sunt secundum quid, ratione communionis externæ, per veræ doctrinæ professionem cum visibili Ecclesia; alii verò simpliciter, ratione communionis non solùm externæ, sed etiam internæ; qui vera ac viva sunt Ecclesiæ electorum membra, & per regenerationem atque adoptionem Dei filii. De prioribus agit Apostolus, v. 16. & objecta propositio, qui tantùm filii Dei sunt, ratione vocationis externæ, hoc est, numero filiorum Dei exterius adscripti: de posterioribus verò assumptio. Quare falsa est consequentia. Sed adversus sequentia verba *& malus*, id est, Diabolus, *non tangit eum*, objicitur experientia verè fidelium: quia Davidem & Petrum Apostolum tetigit. Verùm respondemus, *tangere*, per Synecdochen generis pro specie, significare interdum malis afficere, Ps. 105. 15. Atque hoc modo Diabolus tetigit Davidem & Petrum: ut graviter peccarint, sed peccato infirmitatis, non verò peccato dominante, de quo hîc agitur, ut suprà strictim indicatum. Atque hæc de Syllogismi à Ioanne adducti propositione & examine illius, vers. 18. Assumptio est: nos autem ex Deo sumus, idque probat à scientia ac conscientia: *Scimus*, inquit, nempe ex Sp. S. & fidei testimonio, 2. Cor. 1. 22. & Rom. 8. 16. Eph. 1. 14. & 4. 30. Gal. 4. 6. & ex effectis regenerationis propriis, serio peccati odio & pietatis studio, ut Rom. 8. 14. & 17. Deinde illustrat à contraria totius mundi, hoc est, non renatorum conditione: quod in illo malo sint, hoc est, in Diaboli principis mundi potestate, Eph. 2. v. 2. & 3. Coloss. 1. 13. & 1. Tim. 2. 16. vel malo, hoc est, malitiæ mancipati, ut Exod. 32. 22. *in malo esse* eodem modo dicitur. Hæc de v. 19. Hanc autem regenerationis nostræ certitudinem demonstrat Apostolus ex fide in Patrem & Filium, & unione cum Christo: quem describit à persona & officio, quod sit *Deus verus & vita æterna*, ut Ioan. 14. 6. per Metonym. effecti pro efficiente, hoc est, vitæ æternæ author, Hebr. 5. 9. & quidem solus, Act. 4 12. Quæ doctrina hîc repetitur, quoniam summa Euangelii est & scopus etiam hujus Epistolæ, ac propterea rectè in fine repetitur, v. 20. quemadmodum etiam initium Euangelii sui, & hujus Epistolæ cæpit, cum sermonem vitæ appellavit. Nam quod Erasmus hanc nobilem de Christi Deitate sententiam ad Patrem posse referri statuit, docto viro & pio indignum est, duabus inprimis de causis. Primùm quia obstat constructionis ratio, quæ non fert, ut pronomen ad remotius nomen antecedens referatur, nisi cum id rei veritas requirit, ac propinquo nomini convenire non potest. Atqui Filio, de quo proximè egit Apostolus, optimè potest competere, ut agnoscit Erasmus; qui Christi Deitatem apertè profitetur. Deinde obstat Tautologiæ absurditas, quæ eo modo statueretur: hic nempe, verus Deus est verus Deus. Quod autem objicitur; Etiamsi Christus diceretur verus Deus, non tamen sequi, esse æternum Deum: quia verum opponitur ficto: Negatur, quia verus Deus semper in Scriptura dicitur æternus Deus, ut inductio locorum evincit, opposité ei qui non est æternus Deus. Deinde solus Deus est author vitæ æternæ, quod de Christo hîc & alibi dicitur: quia æternam habet vitam, & vitæ cùm corporalis tum spiritualis author. Postremo subjicit Apostolus hortationem ad fideles discipulos, quos *filiolos* vocat, ad fugam idolorum, & solennis voti formulâ, nempe *Amen*, concludit, v. 21.

CON-

CONSECTARIA.

I. PRæcipuum fidei objectum est Jesus Christus.

II. Cùm omnes fideles sint renati; sequitur eam non esse veram fidem, quæ à charitate & regeneratione, ejusque effectis separata est, v. 1.

III. Amor Dei, amoris proximi nota est mutua, v. 1. & 2.

IV. Amoris Dei indicium est mandatorum observatio, v. 2.

V. Si fides vincit mundum: ergo cum peccati dominio non consistit, v. 4.

VI. Cum Pater, Verbum & Spiritus, dicantur tres testes, & unum, non autem unus: ergo doctrina Trinitatis personarum, & unitatis essentiæ divinæ, non est neganda, v. 7.

VII. Cum doctrina de Christo, tribus testibus in cælo, & totidem in terra, divinitus comprobetur; ei fides, sine summa impietate, derogari non potest, v. 6. 7. & 8.

VIII. Si incredulitate Deus mendacii arguitur: hinc apparet gravitas peccati, & quantopere fallantur, qui incredulitatis crimen elevant.

IX. Vita æterna data nobis est in Filio. Ergo non est operum nostrorum meritum, v. 11.

X. Qui non habet Filium, non habet vitam: Ergò impiè à nonnullis dicitur generatim, quemque, suâ fide, verâ aut falsâ, vivâ aut mortua, & citra Filii cognitionem ac communionem posse servari, v. 12.

XI. Cum fideles sciant ac scire debeant, se habere vitam æternam seque à Deo exaudiri: falsa est Pontificiorum sententia, qua hanc doctrinam & assertionem temeritatis arguunt, v. 13. & 14.

XII. Precum nostrarum norma unica, est Dei voluntas, quæ verbo patefacta est, v. 14.

XIII. Præcandum est, non solùm pro nobis, ex amore nostri; sed etiam pro aliis, ex amore proximi, vers. 15.

XIV. Cum peccatum ad mortem nunquam remittatur: à gradibus, qui eò ducunt, serio Dei timore & amore, abhorrere debemus, v. 16.

XV. Si qui natus est ex Deo, non peccat ad mortem, sed conservet seipsum, & à Diabolo non tangatur lethaliter: ergo perseverantia fidelium in vera fide certa est, vers. 18.

XVI. Cùm fideles sciant, se ex Deo esse: ergo falsò Pontificii dubitationem ea in re requirunt, v. 19.

XVII. Fides est donum Christi. Ergò Christus est verus Deus.

XVIII. Christus est verus Deus, & vita æterna. Ergo Ariani, Samosateniani, cæterique Deitatis Christi hostes, blasphemi sunt, v. 20.

XIX. Idola fugienda sunt: ergò Pontificii hac in re graviter peccant, v. 21.

FINIS Epistolæ primæ.

EXPLICATIO BREVIS EPISTOLÆ SECUNDÆ JOHANNIS.

EPistolæ Joannis sunt tres numero, quarum prima ad Ecclesias integras conscripta est: reliquæ verò duæ, ad Ecclesiæ membra: & quidem vel plura, ut secunda; vel unam, ut tertia. Primam explicavimus; ideoque ad secundam succinctè procedemus. Ea autem est *Epistola Iohannis parænetica, quâ fidelem quandam matronam ejusque liberos, compertâ eorum pietate, & cognito seductorum perverso studio, ad charitatis & fidei constantiam exstimulat.* Ex qua descriptione occasio, & scopus scripti elucent. Occasio est cognitio pietatis quorundam è liberis, v. 4. & periculum à seductoribus, v. 7. Scopus autem est in officio pietatis confirmatio. Partes autem sunt tres, præfatio, versibus tribus: tractatio à vers. 4. ad 12. conclusio, inde ad finem. Præfatio autem semina tractationis & hortationum continet: ac constat partim inscriptione, partim salutatione. Quarum illa primum causam Epistolæ instrumentalem, deinde objectum: seu quis & quibus scribat, exponit. Scriptor per Antonomasiam ab adjuncto describitur: qui non suo nomine Iohannem se vocat, sed presbyterum, hoc est, seniorem. Quæ vox cum interdum ætatem, interdum dignitatem & officium in Ecclesia designet; nonnulli priori modo exponunt, quod Joannes jam esset ætate provecta, cum hanc Epistolam scriberet, ut Paulus ad Philemon. v. 9. se *senem* nominat: & illud nomen positum putant ad authoritatem & benevolentiam, quæ senibus debetur, comparandam. Sed quia illud adjunctum communius est, alii aptius altero modo interpretantur. Sed cum seniores Ecclesiæ sint omnes, qui Ecclesiam gubernant; eorumque duo sint genera: alii pastores, qui gubernant ac docent; alii qui gubernant tantùm, 1. Timoth. 5. v. 17. priori modo Joannes se presbyterum vocat, ut & Petrus 1. Epist. cap. 5. vers. 1. Cæterum cur nomen suum proprium prætererit Iohannes, familiaritas & notitia mutua videtur fuisse in causa; quod non est absurdum, cum prima etiam epistola omninò sit inscriptionis expers Scriptor igitur est Joannes, & quidem Apostolus (non alius, ut nonnulli olim opinati sunt) ut etiam styli & sententiarum, cum prima Epistola accuratus consensus indicat, ut v. 4. cum 1. Joan. 2. v. 7. & 5. cum eodem loco & 3. 23. & 5. 2. & vers. 6. cum 1. Iohan. 2. v. 7. & 11. & v. 7. cum 1. Johan 18 &c. Objectum verò, cui hæc Epistola conscripta ac missa est, duplex statuitur. Primum est Electa Domina, alterum liberi illius. De priori non idem est omnium judicium. Nam quidam *Electam*, nomen proprium esse arbitrantur: alii commune & epitheton esse malunt. Prima autem ratio est, quod constructio id ostendat, quia alioqui dicendum fuisse putant, Dominæ Electæ, ut substantivum præcedat, adjectivum sequatur; non autem Electæ Dominæ. Sed constructionem quam urgent, ut Hebræa lingua flagitat: sic Græca non requirit, ut 1. Timoth. 1. vers. 2. dicitur *genuino filio*, & vers. 5. *puro corde*, & v. 11. *beati Dei*, vers. 19. *bonam conscientiam.* Quare hæc ratio infirma: altera verò aptior, quia soror hujus etiam Electa dicitur, eodem uti verisimile est sensu. Electam autem hanc nonnulli ineptè Ecclesiam Christianam: alii verò aptè certam aliquam matronam fidelem atque honoratam fœminam intelligi censent, quæ ita vocata sit per excellentiam: vel ratione virtutum insitarum, quasi eximiam dicas; vel potius (quod probabilius est) ratione accidentis electionis divinę ad vitam ęternam: quemadmodum ex judicio charitatis, omnes, qui veram fidem ore & opere profitentur, pro electis haberi debent ac solent; donec Deus contrarium revelarit, ut Coloss. 3. v. 12. 2. Thessal. 2. vers. 13. Dominam Κυρίαν verò quidam nomen proprium esse censent, ut quædam in Martyrologiis Dominæ nominatæ indicantur: alii verò sic nominatam, ob potentiam, servos ac famulitium ipsi subjectum, & principis aut magnatis uxorem fuisse conjiciunt. Cujus liberi, alterum sunt objecti membrum. Porrò objectum illustrat, ad comparandam benevolentiam & docilitatem ab adjuncto, suo scilicet & reliquorum fidelium amore, vers. 1. & amoris causa ac merito, fidei, cum Joanne aliisque fidelibus, communione: quâ veritatem Euangelii complectebantur. Quam fidem ab adjuncta perseverantia amplificat, cum ait: propter

propter veritatem, quæ manet in nobis, & nobiſcum erit in æternum. Iiſque modis aperta hortationum ſequentium ſpargit ſemina (quia turpe eſt à laudatis virtutibus deficere) & adverſus tentationes conſolatur, v. 2.

Hæc de Inſcriptione, cui ſalutatio adjungitur, quâ huic Dominæ & liberis illius, pio ac conſueto voto benè precatur. Votum autem indicat, quid & à quo voveat: nam ſummam bonorum ſpiritualium eorumque authorem complectitur. Bona autem ſpiritualia ordine ſuo convenienter collocantur, primùm externa; quæ fidelibus adſunt: deinde interna, quæ fidelibus inſunt; ac priora ſunt tria; *gratia*, quæ gratuitam Dei benevolentiam; *miſericordia*, quæ benevolentiam in miſeros, nempe remiſſionem peccatorum ex gratiâ promanentem; & *Pax*, quæ reconciliationem ſignificat. Nam quamvis Pax noſtra laudabilis, alia ſit cum Deo, alia cum hominibus; & quidem vel aliis, vel nobis, ſeu conſcientiæ noſtræ tranquillitas: hoc tamen in loco, nec pax cum proximo, nec pax cum conſcientia noſtra (quemadmodum ex bonis internis apparet) ſed utriuſque cauſa, nempe pax cum Deo intelligi videtur, ut Roman. 5. verſ. 1. Interna verò bona indicat, cum ait; *In veritate & charitate*, ἐν pro μετὰ, *in* pro *cum* poſito. *Veritas* autem per Metonym. eſt fides erga veritatem Euangelii: & charitas eſt Dei & proximi amor. Quæ duo opportuniſſimè hoc voto continentur, quia ſcopus ſunt hujus Epiſtolæ. Hæc autem bona Apoſtolus optat, non ratione initii (nam electionis & veritatis notitiam huic matronæ & liberis antea tribuit) ſed ratione continuationis & incrementi, ut 2. Petr. 1. v. 2. Authorem verò bonorum ſtatuit Deum Patrem, quaſi fontem, & Jeſum Chriſtum, quaſi canalem. Quem deſcribit à natura divina, cum *Filium Patris* vocat: quemadmodum ſæpius Epiſtola prima, ut eo modo adverſus hæreticos & Antichriſtos, Deitatis Chriſti hoſtes præmuniat, verſ. 3. Hæc præfatio eſt; cui ſuccedit rei tractatio complectens gratulationem & hortationem. Ut autem gratulatio eſt, cum alterius felicitatem nobis gratam ſignificamus: ſic hoc loco ſignificatio gaudii eſt, ex comperta liberorum quorundam hujus matronæ vita fideli, ſecundum Dei Patris præſcriptum, verſ. 4. Hæc de gratulatione: cui hortatio nervoſa deinde ſubjicitur, conſtans præfatione, & propoſitione. Præfationis ſcopus eſt, ut ſit inſtar aculei, ad excitandam benevolentiam & obedientiam, cum rurſum *dominam* appellat, & non mandat, ſed rogat, quaſi beneficium ſibi futurum. Quo modo etiam Paulus frequenter eſt uſus, Philipp. 1. v. 9. 1. Theſſal. 4. 1. & 5. 12. & alibi. Propoſitio verò ipſius hortationis duas habet partes. Prima eſt ad mutuam charitatem, quam deſcribit, primo à præcepti generalitate, cum ait, *diligamus alii alios*: deinde ab antiquitate, verſ. 5. ut 1. Iohan. 2. 7. Altera hortatio eſt ad fidem, eaque bimembris. Continet enim adhortationem ad veram fidem, & dehortationem à contrariis. Et adhortationem quidem, egregiè priori ad charitatem ſpectanti connectit, charitatis deſcriptione à nota, & cauſa illius: nempe inceſſione ſecundum Dei mandata, hoc eſt, non ſolùm charitatis, ſed etiam fidei, ut ſequentia docent: Idque mandatum ſimiliter, ut charitatis, ab antiquitate commendat v. 6. & confirmat à conjuncto periculo à multis ſeductoribus, ut 1. Ioan. 2. 18. qui adventum & incarnationem Filii Dei negabant, & à vera fide & charitate ſeducere conabantur, 1. Iohann. 2. v. 26. & 3. 7. quos ſeductores Antichriſtos eſſe aſſerit, v. 7. Atque ita abſolvitur adhortatio: Cui additur dehortatio à duobus fidei contrariis, nimirum doctrina & commercio hominum ſeductorum. Ac dehortatio à doctrina eorum proponitur his verbis: *Videte vos ipſos*, nempe ne Antichriſti vos ſeducant, quod probat ab effecto pernicioſo, primum falſæ doctrinæ, nempe amiſſione mercedis fidei & charitatis, cum ait; *Videte ne perdamus, quæ operati ſumus.* Cæterùm obſervandum eſt, pleroſque codices manuſcriptos legere in prima perſona, uti citavimus, ἀπολέσωμεν, εἰργασάμεθα, ἀπολάβωμεν, *perdamus, operati ſumus, recipiamus*: pauca, ut quatuor Roberti Stephani, in ſecunda perſona, ἀπολέσητε εἰργάσασθε ἀπολάβητε, *perdatis, operati eſtis, recipiatis*, & ſic vulgata verſio habet: idque D. Beza ait, melius quadrare antecedenti βλέπετε ἑαυτοὺς *videte vos ipſos*, ſive *attendite*. Sed ſenſus interim eodem redit: adeo ut meritò pleraque exemplaria ſecuti ſimus. Nam prima perſona ſecundæ perſonæ in hortatione ad commune officium ſæpè conjungi ſolet, non ſolùm eleganter, ſed etiam majori pondere. quemadmodum 1. Iohan. 2. 28. *manete in eo, ut habeamus fiduciam.* & in hac Epiſt. verſ. 5. *rogo te, ut diligamus alii alios*: & Iacob. 3. v. 1. *ne ſitis multi magiſtri, ſcientes fore, ut gravius judicium auferamus.* Quare cauſa nulla eſt, cur iſta varietate perſonę, aliam lectionem ſequamur; quę videtur tamen habere originem ex opinione ea, quaſi non ſatis rectè à ſecunda, ad primam perſonam tranſiretur. Altera deinde probatio, quam ſubjicit Apoſtolus, petita eſt ab effectu utili, nempe conſecutione mercedis plenæ, verſ. 8. Mercedem autem intelligit non meritam (quia omnes ſumus peccatores & debitores, Matth. 6. & 18. & 1. Iohan. 1. & fides noſtra, ut & charitas imperfecta eſt ob carnis repugnantiam adverſus ſpiritum, Roman. 7. & Galat. 5. 19. ideoque ob imperfectionem, pœnam meretur ex legis ſententia, Deuter. 27. v. 26.) ſed mercedem immeritam & ex gratia propter Chriſtum promiſſam, ac reddendam, nobiſque debitam, ob gratuitam Dei promiſſionem & veritatem illius. Quæ vita æterna, non eſt ſtipendium noſtræ juſtitiæ, ſed per imputatam Chriſti juſtitiam, donum Dei, Rom. 6. v. 23.

Atque hanc ab effectis petitam rationem geminam illuſtrat ac ſimul confirmat Apoſtolus ab effectis neceſſariò ſubordinatis: quod quiſquis tranſgreditur, ſcilicet incredulitate ac defectione, doctrinam Chriſti, ſeu doctrinam Euangelii de perſona & officio ac beneficiis Chriſti, Deum non habet, hoc eſt, caret communione cum Deo Patre, 1. Iohan. 2. 23. & Euangelii, Ioan. 14. deindè contrà quod qui in doctrina manet, habet & Patrem & Filium, verſ. 9. Atque hæc dehortatio prima eſt, à ſeductorum doctrina. Altera eſt ab eorum conſortio & familiaritate, ne eos hoſpitio excipiant familiari: deinde ne AVE eis dicant. Quod non abſolutè intelligit, ſed cum teſtificatione familiaris benevolentiæ: qua errores ſeductorum probentur, aut diſſimulando foveantur, verſ. 10. idque declarat adjecta ratio, qua hæc dehortationis pars comprobatur, nimirum communicatione operum malorum: quod *qui dicit ei AVE, communicat operibus ejus malis*, nempe probando vel fovendo, verſ. 11. Hactenus Epiſtolæ tractatio: cui annectitur concluſio bimembris. Conſtat enim excuſatione brevitatis Epiſtolæ & ſalutatione ab aliis. Illa cauſas exponit, primùm remotione contrarii: quod non inopia materiæ finem faciat (cum multa haberet ſcribenda) deinde poſitione veri, ſed ſpe adventus & colloquii præſentis: quorum finem addit gaudii complementum. Quod intelligendum non abſolutè (nam id in altera demum vita continget) ſed comparatè cum antecedente conditione, verſ. 12.

Salutatio deinde pro aliis, eſt pro ſororis illius Electæ liberis, quæ clara eſt & continetur verſ. 13. addita ſolemni clauſula, AMEN.

CONSECTARIA.

I. Verbi miniſtri, *Seniores* divinitus appellantur: ac propterea Sapientiâ & honeſtate aliis prælucere debent, pro nominis & functionis ratione.

II. Qui fidei & charitatis opera edunt, pro electis habendi ſunt.

III. Divitiæ & dignitates civiles, ſi adſit pietas, neminem à ſalute excludunt; quemadmodum etiam nec ſexus diverſitas.

IV. Religio non tollit juſtum civilium dignitatum ordinem & diſcrimina: ac propterea inepti ac ſuperſtitioſi ſunt illi, qui omnes dignitatum titulos, quaſi profanos averſantur.

V. Hoc curandum eſt, ut non ſolùm matres, ſed etiam liberi earum in religione & probitate inſtruantur.

VI. Fideles, à fidis Dei miniſtris, amandi ſunt.

VII. Di-

VII. Dilectio nostra debet esse non fucata, sed vera, ut Deo Deique servis placeamus.

VIII. Fideles, sese mutuò diligere debent, v. 1.

IX. Maximum dilectionis fraternæ fundamentum ac vinculum est consensus in veritate Euangelii: eoque perversè faciunt, qui potissimùm bona externa ac commoda intuentes, alios diligunt.

X. Si veritas nobiscum est in æternum: Ergò de Sanctorum perseverantia non est dubitandum. Quocirca peccant graviter divinæ gratiæ adversarii, qui liberi arbitrii lubrici obtentu, eam negat, v. 2.

XI. Cùm à Christo gratia, pax, misericordia, veritas, &c promanent; quæ opera Dei sunt propria: ergo verus est Deus.

XII. Bonorum spiritualium, non solum initium, sed etiam continuatio & incrementum optari debet.

XIII. Non solùm nobis, sed etiam aliis benè velle, & bona vovere debemus, ex charitatis lege & Apostolorum sancto exemplo, versu 3.

XIV. Aliorum pietas, maximè verbi ministris, ad ejus promotionem missis, debet esse gaudio.

XV. Non solum debemus noscere veritatem Euangelii, sed etiam in eâ ambulare.

XVI. Ea fides ac vita, rectæ sunt, quæ cum Dei mandato conveniunt, v. 4.

XVII. Dilectio fraterna colenda est, vers. 5.

XVIII. Charitas, quæ fide rectâ destituitur, vera non est, v. 6.

XIX. Cum viventibus adhuc Apostolis, multi seductores exorti sint; non est cur offendamur, si idem hisce temporibus eveniat.

XX. Cum illi sint impostores & Antichristi, qui negant Christum venisse in carnem; quid de Anabaptistarum primoribus sentiendum sit, non est obscurum, v. 7.

XXI. Fideles à seductoribus sibi cavere debent.

XXII. Fidei perseverantia, suam à Deo mercedem obtinet; defectio pœnam, v. 8.

XXIII. Permanendum est constanter in doctrina Christi, v. 9.

XXIV. Si nulla iis communio sit cum Deo (ideoque non sint filii Dei, hæredes vitæ illius, neque Spiritus illius participes) qui Filium non habent: ergò Iudæi, Mahumetani, Ariani, Samosateniani, alieni à Deo meritò dici possunt, v. 9.

XXV. Seductorum (hoc est, eorum, qui alios seducunt à vera religione) familiaritas seriò vitanda est, v. 10. & 11.

Corollarium.

EXpositâ jam secunda Ioannis Epistola, non alienum fore arbitramur, si illud quod de Scriptore Secundæ & Tertiæ Epistolæ, deque authoritate illarum controversum est, paucis perstringamus. Siquidem duplex ea de re est sententia. Plerique enim Epistolas hasce, non minus quàm primam, Iohannis Apostoli esse agnoscunt, ideoque authenticas, ac Novi Testamenti partem genuinam statuunt: qua in re consentiunt cum Concilio Pontificiorum Tridentino, Ecclesiæ Reformatæ. Alii verò contrarium statuunt, ut ex Pontificiis Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis, & discipuli Lutheri, qui Apocryphis Novo Testamento adjunctis scriptis, annumerant: ut liquet ex Propositionum Hunnii & Danielis Arcularii, Doctorum & Professorum Marpurgensium, tom. 1. disputat. de Sacra Scriptura, & tom. 2 disputat. 1. & similiter ex Matthia Hafsenreffero, Doct. & Profess. Tubingensi, in Locis Theologicis Wittebergæ excusis, qui in loco de Sacra Scriptura sic ait: *Apocryphi libri Novi Testamenti sunt posterior Epistola Petri, secunda & tertia Joannis, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, Epistola Iudæ, & Apocalypsis Joannis. Hi autem libri, quanquam in dijudicatione dogmatum, canonicam authoritatem non habeant: quia tamen, quæ ad institutionem faciunt, continent plurima, cum utilitate & fructu tum privatim legi, tum publicè in Ecclesia recitari possunt.* Hæc ille. Qua in re Flaccium Illyricum cæterosque Theologos centuriarum Magdeburgensium authores, multosque alios sequitur. Argumenta autem à Veterum Patrum testimoniis, & initio Epistolæ desumuntur, ubi scriptor Presbyter vocatur.

Ad Patres quod attinet, de iis agit Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Ioanne (quod opus tom. 1. in fin. exstat) ubi ait; *Reliquæ autem duæ* (nempe Ioannis Epistolæ) *quarum primæ principium est*, senior Electæ Dominæ & natis ejus; *& sequentis*; Senior Gajo, &c. *Ioannis Presbyteri asseruntur: cujus & hodiè alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur. Et nonnulli putant, duas memorias ejusdem Euangelistæ Ioannis esse.* Et ibidem in Papia verbis ipsis prolatis ostendit, Ioannem fuisse alium Apostolum, alium non Apostolum, sed ex reliquis Domini discipulis, Presbyterum seniorem Ioannem dictum. Et Hieronymus deinde addit: *Hoc autem diximus propter superiorem opinionem, quam è plerisque retulimus, traditam, duas posteriores Epistolas Ioannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri.* Hieronymo autem præivit Eusebius histor. Eccles. lib. 3. cap. 22. (in Græco Codice 25.) dicens: *Quibus verò contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc; Epistola quæ Iacobo tribuitur, & Epistola Iudæ, & posterior Petri, & altera cum tertia Ioannis: sive illæ Euangelistæ sint, sive alterius cujusdam, ejusdem cum eo nominis.* Et libr. 6. cap. 24. in Græco 25. verba Origenis proponit hujusmodi: *Reliquit autem* (nempe Ioannes Apostolus) *post se Epistolam admodum paucis versibus comprehensam. Esto, adjiciantur & altera & tertia. Etenim non omnes illas germanas esse dicunt.* Hæc ille. Ubi observandum, Interpretem Eusebii, Musculum, legisse πάντες; sed in editione Græca Roberti Stephani exstat οὐ πάντη *non ubique*.

Verùm hisce difficultatibus objectis, commodè responderi potest. Nam ut primùm Cajetano Cardinali, Concilium Tridentinum opponimus, quod contrarium definivit: sic Lutheranis Lutherum in præfatione Latinâ Epistolarum Ioannis, ita loquentem opponimus: *Reliquæ duæ Epistolæ, non sunt Epistolæ didacticæ, sed exempla dilectionis & fidei: quæ & ipsæ, verè Apostolicum spiritum habent.* Deinde ad ea, quæ ex Hieronymo proferuntur, dicimus ea ipsum recensere non ex suâ, uti pòst apparebit, sed ex aliorum sententia: quam etiam opinionem vocat, & non ab omnibus, sed à plerisque traditam: iis scilicet, quibus Papias author antiquus, sed exiguo judicio præditus, nimiâ credulitate imposuit: qui etiam multis posteris antiquitatem ipsius spectantibus, errandi occasionem præbuit, ut Eusebius testatur ac probat, histor. Eccles. libr. 3. cap. ultimo.

Præterea non ait, divinam illius authoritatem negari, sed scriptorem Ioannem Apostolum: quasi essent alterius, nempe Presbyteri Ioannis, & quidem discipuli Domini. Denique opinionis illius causa, consequentia fuit infirma hujusmodi: Quidam fuit tempore Ioannis Apostoli, nomine Presbyter Ioannes, Domini discipulus. Ergo hæ duæ Epistolæ sunt illius; quia harum Epistolarum scriptor se *Presbyterum*, id est, seniorem vocat, non Apostolum. Atqui cum Paulus ad Philemon. vers. 1. se servum Christi vocet, non Apostolum, & in utraque ad Thessal. cap. 1. v. 1. utrumque & Apostoli & servi Christi titulum omittat, an propterea eas Epistolas alterius Pauli esse dicentur? cùm in reliquis, sese Apostolum vocet? Quod autem Ioannes se Presbyterum seu seniorem nominat, in eo Petrum habet antecessorem, 1. Epistolâ cap. 5. (ut initio hujus Epistolæ ostendimus) idque facit ratione muneris Ecclesiastici, & fortè simul ætatis jam provectæ (quâ reliquos omnes Apostolos superarit) Id quod ad attentionem, docilitatem & benevolentiam comparandam factum est, ut etiam Paulus propterea ad Philemon. vers. 9. se πρεσβύτην vocat. Atque ita sensit Athanasius in Synopsi Sacræ Scripturæ tom. 4. ubi agit de secunda Epistola Ioannis: *Hanc senior*, inquit, *factus, Dominæ scribit*, ταύτην ὡς πρεσβύτης γράφει κυρίᾳ.

Quod autem nomen Ioannis omittat, sententiam adversariorum non probat: quia & in prima Epistola omisit: neque opus erat, cum ad notos scriberet & per notos fra-

tres, ad ipsum, à Domina electa & liberis adventantes, se Epistolam mittere, vers. 6. declaret.

Deinde quid in eo esset dubii? Imò dubii plus fuisset, si de alio quàm Apostolo nomen *Presbyteri*, id est, senioris esset intelligendum. Nam Presbyteri nomen latè patet, & ille Presbyter Ioannes longè obscurior fuit Apostolo, ideoque majori distinctione, si Scriptor fuisset, in hisce Epistolis erat utendum.

Ad Eusebium verò & Origenem quod attinet, eadem est solutio: quia non suam, ut verba indicant, sed aliorum opinionem recensent. Quibus multos opponimus alios, rectè sentientes, qui neglecto quorundam, è falsa consequentiâ præjudicio, hasce duas Epistolas genuinas agnoverunt, ut ex antecedentibus objectis testimoniis apparet. Idque etiam ex præstantissimis Patribus & Conciliis laudatissimis probari potest. Nam, ut alios omittamus, Origenes in Iosuam homil. 7. sic ait: *Petrus etiam duarum Epistolarum suarum tubis personat: Iacobus quoque & Iudas: Addit nihilominus adhuc Iohannes tubâ canere per Epistolas suas & Apocalypsin.* Consentit huic Hieronymus tomo 3. Epist. ad Paulin. cum ait: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Apostoli, septem Epistolas tradiderunt.* Reliqua retulimus in explicatione primæ Epistolæ Petri.

Hisce insignibus testibus (qui maximè tamen ab adversariis objici solent) accedit consensus eorum, qui catalogum librorum Canonicorum consignârunt suis scriptis; ut Athanas. in Synopsi librorum Sacræ Scripturæ: *Catholicæ*, inquit, *Epistolæ variorum Apostolorum omnes, numero septem, uno volumine comprehensæ*, &c. *Ioannis tres, & primæ quidem initium est:* Quod erat ab initio: *secundæ verò*, Senior electæ Dominæ, &c. *tertiæ*, Senior Gajo, &c. Et Ruffinus in expositione Symboli, ad articulum, *Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

Deinde Concilium Laodicenum can. 59. ait: *Catholicæ Epistolæ* (sic enim Græcè legitur; malè verò in Caranza *Canonicæ*) *sunt septem, Iacobi una, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ una.* Et Carthaginiense Concilium 3. can. 47. ait: *Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Apostoli una, & Iacobi una.* Quæ Concilia licet fuerint particularia, tamen in universali Synodo sexta Constantinopoli, in Trullo habita, confirmata sunt, canone 2. Quibus omnibus accedit harum duarum Epistolarum styli & materiæ cum prima Ioannis, ut res ipsa evincit, consensio: adeo ut neque de authoritate, neque de scriptore Ioanne Apostolo, sit dubitandum.

Finis Epistolarum Joannis.

EXPLICATIO EPISTOLÆ JUDÆ.



Ntequam ad hujus Epistolæ explicationem accedamus, pauca de titulo dicenda sunt: quoniam de authoritate & veritate illius quæstio est. Primùm enim inquiri solet, an hic titulus, nempe, *Iudæ Apostoli Epistola catholica*, ab authore Epistolæ ac Scriptore fuerit præpositus, an verò postea ab aliis distinctionis causâ appositus. Sed varietas tituli in manuscriptis codicibus hanc litem dirimit: quia verborum numerus, forma, ordo, in titulis differunt: unde colligi potest authoritatem hujus tituli esse non divinam, sed humanam. Ad veritatem verò quod attinet, quæstio altera est, an hæc Epistola, ut titulus præfert, sit Judæ Apostoli, nec ne? Quidam ajunt: quorum sententia à nostris Ecclesiis probatur. Alii contra negant, freti aliquot argumentis, partim insitis, partim assumtis, quæ paucis proponemus ac diluemus.

Ac primum quidem objiciunt, Judam non vocare se hîc Apostolum. Sed respondemus bifariam: primùm negando antecedens; quamvis enim se non vocet Apostolum explicitè, tamen implicitè, cùm se servum Christi κατ᾽ ἐξοχὴν, & Jacobi, qui Apostolus fuit, fratrem vocat: deinde negando consequentiam: quia silere munus Apostoli, non est negare: quemadmodum nec Paulus ad Philipp. neque ad Thessal. neque ad Philemonem sese Apostolum; sed servum Jesu Christi vocat.

Verùm inquiunt iterum, quod secundum argumentum est; Judas non solum non meminit Apostolatus sui, sed etiam posteriorem se Apostolis facit, vers. 17. Fateor, si scriptionem spectes: sin verò munus Apostolicum consideres, falsum est: nam Petri verba citat, ex 2. Epist. cap. 3. quemadmodum Petrus eodem in loco v. 13. 15. Epistolas Pauli.

Tertiò objiciunt linguam obstare; quod Iudas in Perside Euangelium annunciarit: ac propterea debuerit non Græcè, sed Persicè scribere. Verùm ut de antecedente nihil dicam, negatur consequentia: quia ob vocationem omnium gentium, Novum Testamentum lingua maximè communi, videlicet Græca scribi oportuit: deinde quia Epistola hæc scripta est Iudæis dispersis, quibus etiam Epistolæ Petri: ut colligitur ex vers. 17. & 18.

Quartò objiciunt, recenseri in hac Epistola altercationem de corpore Mosis, & Enochi prophetiam: quorum nulla in Sacris Literis mentio. Verum est: sed inde non sequitur hanc Epistolam non esse Apostolicam: quoniam cum traditiones essent apud Judæos quam plurimæ, partim veræ, partim falsæ: potuit Spiritus S. ex veris, quamvis dubiis, quasdam per Apostolos asserere & certas reddere. Quemadmodum Paulus ex traditione (quæ etiam extat in Targum seu paraphrasi Chaldæa Ionathanis dicta, Exod. 7.) adversarios Mosis, Iannem & Jambrem recenset instinctu Spiritus, 2. Timoth. 3. 8. Qua explicatione traditio illa certa reddita, & ab incertis ac vanis discreta.

Quintò objiciunt, Iudam librum Enochi citare, ideoque eum probare: quod tamen Apostolicæ veritati ob libri vanitatem repugnat. Verùm & antecedens & consequentiam negamus: nam Iudas prophetiam Enochi nominat, sed non propterea scriptam: deinde ut daremus librum Apocryphum Enochi nomine olim confictum ac suppositium, à Iuda citari: inde tamen non sequeretur, eum librum omninò probari tanquam divinum: quoniam ex eo libro, id quod ex vera traditione acceptum erat ac fideliter positum, ut verum excerpere & sanctificare Spiritus Sancti instinctu potuit. Quemadmodum & Paulus ex Poëtis profanis vera quædam proponit, & orationi suæ ac scriptis inserit; ut ex Arato, Actor. 17. v. 28. deinde ex Menandro, 1. Corinth. 15. 33. denique ex Epimenide, Tit. 1. 12. de qua re consulendus est insignis Hieronymi locus in commentariis ad Tit. cap. 1.

Postremò objiciunt; nulla scripta Apostolorum aliunde transcripta sunt, quia sunt immediatè à Spiritu Sancto. Atqui hæc Epistola aliunde transcripta est, videlicet ex 2. Petr. 2. Ergo non est scriptum Apostoli. Sed negatur, ut de propositione nihil dicamus, assumptio. Nam quamvis conveniat hæc Epistola in plerisque cum 2. Petr. 2. tamen habet quædam diversa. Idem Spiritus author est Epistolę Petri & Judę, eandemque doctrinam utrique dictavit: & posteriora sua verba per Iudam proposita illustravit testimonio verborum suorum, prius scriptorum, ministerio Petri. Qua in re nihil est absurdi: quemadmodum Paulus ad Ephes. 4. & ad Coloss. 3. ejusdem Spiritus regimine eadem ferè conscripsit. Similiter prophetia Obadię bonâ sui parte apud alios Prophetas ex ejusdem Spiritus instinctu extat.

Atque hæc de argumentis adversariorum insitis, seu è repetitis, quę à testificatione cum tacita, tam expressa scriptoris Iudę; deinde à lingua & materia sunt deducta. Assumpta vero aliunde argumenta, sunt testimonia veterum: ut Eu-

ut Eusebii, qui hanc Epistolam rejicit & ait; *non multi veterum hujus meminerunt*. Sed Eusebio opponimus Tertullianum longè antiquiorem in libro de habitu muliebri, cap. 3. quamvis in eo hallucinetur, quod Enochi librum divinum esse ex Judæ verbis imprudenter collegerit.

Deinde Origenem etiam opponimus in Matth. cap. 13. *Iudas quidem*, inquit, *Apostolus, scripsit Epistolam paucorum versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiæ cælestis, qui in principio dicit Iudas, Iesu Christi servus, frater autem Iacobi.* Et in commentario Epist. ad Rom. lib. 5. cap. 5. disertè hanc Epistolam Judæ Apostolo tribuit; præterea Dydimum in comm. in hanc Epistolam, Epiph. hæres. 26. Hieron. cæterosque qui hanc Epistolam tanquam catholicam honorarunt. Deinde cum Eusebius dicat non multos veterum meminisse; aliquos saltem meminisse indicat: quorum sanè affirmatio certa pluris est, quàm dubium multorum silentium, aut etiam præjudicium, quoniam nulla solidâ ratione nixum est: ut ex Hieronymo apparet in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi sic ait: *Iudas frater Iacobi, parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliquit, & quia de libro Enochi qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur : tamen authoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter Sacras Scripturas computatur* : & in comment. Epist. ad Tit. ait : *Qui autem putant totum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Enochi, è quo Apostolus Iudas in Epistola testimonium posuit, inter Ecclesiæ scripturas recipere.*

Quare nihil causæ est, quamobrem de hujus tituli veritate & Epistolæ authoritate dubitemus, cum doctrinæ veritas & styli Majestas Apostolo probè conveniant. Ut autem à titulo ad Epistolæ argumentum ac descriptionem accedamus, dicimus eam esse, *N. Test. scriptum divinum, ab Apostolo Iuda, Iacobi fratre exaratum, ad Iudæos dispersos ac fideles: ut eos adversus falsos & sceleratos doctrinæ salutaris corruptores, in vera fide, per charitatem operante institutos, amplius confirmaret.* Dividitur autem in præfationem, v. 1. & 2. tractationem à v. 3. usque ad 24. & conclusionem v. 25. 26.

Præfatio constat inscriptione & salutatione. Inscriptio, quis, & quibus scribat, indicat. Scriptor autem describitur nomine proprio *Iudas*, & adjuncto officii ministerii Christi, in Euangelio annuntiando : quod κατ' ἐξοχὴν indicat cum ait, *servus Iesu Christi* : deinde adjuncto cognationis Jacobi, nimirum Apostoli: Actor. 1. v. 13. ad differentiam Iscariotis, Luc. 6. v. 16. & Barsabæ, Actor. 15. 22. Quibus verò scribat, ostenditur adjunctis Dei beneficiis, vocatione ad fidem, sanctificatione & conservatione per Christum, v. 1. Salutatio autem quæ altera præfationis pars est, votum habet, v. 2. quo fidelibus precatur incrementum misericordiæ Dei, qua peccata condonantur; ac pacis Dei, quæ misericordiæ & justificationis est effectum, Rom. c. 5. v. 1. & charitatis Dei, quæ misericordiæ causa est, 1. Joh. 4. v. 10. Aut ut nonnullis placet, *pacis* voce conscientiæ tranquillitas, *charitatis* verò nostra erga Deum & proximum dilectio intelligi potest, ut Ephes. 6. v. 23.

Hæc de præfatione ad benevolentiam non minus quàm ad authoritatem comparata: cui succedit tractatio trimembris, constans propositione, confirmatione & hortatione: quæ paucis tantùm percurremus; quia argumento cum secunda Petri, c. 2. conveniunt.

Propositio autem, præmissa, ad benevolentiam & attentionem comparandam, amoris & studii sui summi erga fideles testificatione, hujus Epistolæ scribendæ, efficientem, materiam, formam, & finem proponit. Efficiens, nempe impellens, est necessitas, non quidem absoluta, sed ex conditione officii Apostolici ritè præstandi, & salutis fidelium. Materia generatim est doctrina salutaris : ac speciatim fides seu Euangelium, per Meton. subjecti sic appellatum : ut Gal. 1. v. 23. & 3. 23. 25. Forma est hortatio. Finis remotus est fidelium salus: proximus decertatio pro fide, seu fidei doctrina, v. 3.

Confirmatio, scriptionis & hortationis ac certaminis necessitatem demonstrat, à periculi magnitudine, ex hostium subdolâ præsentia & contagiosa impietate. Ac præsentiam subdolam indicat, quando eos *subrepsisse*, videl. in Ecclesiam, testatur: & ad consolationem fidelium, malique fugam addit, id non temerè accidisse, sed Dei providentiâ illud justè ordinante, ad reproborum condemnationem justam, 2. Petr. 2. 3. de quo argumento ad Rom. pluribus disseruimus. Impietatem verò indicat Apostolus generatim, & exponit speciatim: primum fœdo abusu & perversione doctrinæ de gratia Christi & libertate Christiana, ad carnis licentiam & effrænatam libidinem, contra veritatis Christianæ rationem, Rom. 6. 15. Galat. 5. 13. Tit. 2. 12. deinde abnegatione gemina, tum Dei patris, tum Jesu Christi, ratione doctrinæ & vitæ: quæ abnegatio utriusque agnitioni, ad salutem necessariæ Ioh. 17. 3. repugnat. Cujus impietatis indignitatem descriptione excellentiæ Patris & Christi, distinctis potestatis epithetis amplificat : Patris quidem, cum Deum, nempe Patrem, δεσπότην, hoc est, *herum* seu *dominatorem* nominat, ut Luc. 2. 29. & Actor. 4. v. 24. & quidem *illum solum*, oppositè, non reliquis *Deitatis* personis, sed creaturis, quemadmodum Iohan. 17. 3. similis sententia, & 2. Cor. 8. v. 6. Iesum Christum verò describit, cum *Dominum nostrum* appellat, v. 4. Sed objici solet, verba hæc; *illum solum herum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum*, non de Patre & Filio distinctè, sed omninò de solo Christo intelligenda: quia unus est articulus, unius personæ index : dicitur enim τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον, non autem τὸν κύριον Sed negatur consequentia: quia ubi diversæ personæ indicantur, sæpè priori tantùm articulus præmittitur: ut Matth. 17. 1. Act. 3. 11. & 18. 14. 10. 10. 15. 22. 17. 15. & 2. Thess. 1. v. 12. quem locum de duabus personis doctissimi interpretes accipiunt: ut 1. Timoth. 5. & 6. 2. Petr. 1. vers. 1.

Hæc de abnegatione Dei & Christi: unde etiam judicii divini & pœnæ imminentis justitia apparet. Cujus certitudinem tribus exemplis illustrissimis declarat : cujus consequentiæ ratio est, primò Dei, de puniendis iis, qui non convertuntur, certa ac perpetua voluntas, secundò Scopus Dei in his exemplis statuendis: ut colligitur ex v. 7. & 2. Petr. 2. v. 6. Primum & extremum exemplum sunt hominum: medium Angelorum. Primum est Iudæorum, qui infidelitate suâ, Heb. 4. 2. terrâ promissionis exclusi, in deserto, justissimo Dei judicio perierunt, vers. 5. Alterum est nonnullorum Angelorum exemplum, quorum lapsum Deus severissimè est ultus: qua de re fusè alias egimus. Tertium est Sodomorum & finitimarum civitatum, quas ob scortationes & libidines nefandas potissimum, aliis exemplo, Deus justissimè subvertit & igne æterno punivit, v. 7. Cui exemplo, seductores ab Apostolo comparantur, partim similitudine quod corpus suum libidinibus polluant: partim argumento à majori; quod quamvis exemplum Sodomorum eos ad timorem Dei, & castitatem excitare deberet, tamen quasi sopiti impuritati se darent. Quod scelus Apostolus amplificat, altero eorum dogmate pernitioso, quo Magistratus authoritatem rejiciunt, convitiisque proscindunt, vers. 8. Cujus criminis gravitatem amplificat, oppositione modestiæ Michaelis Archangeli, qui adversus Satanam decertans de corpore Mosis, eundem, omissis convitiis, Dei judicio coercendum reliquit. Quæ historia, non quidem è Sacris Literis, sed ex traditione nota recensetur : eaque ratione veritas illius, de qua antea dubitari potuisset, Spiritus Sancti instinctu ac monitu certa redditur. Quænam autem propria certaminis hujus causa fuerit, incertum est. Verisimile tamen est, Sethanam cultus Dei sinceri hostem, voluisse Mosis corpus, loco omnibus Israelitis noto sepeliri, ut homines ad idololatriam propensissimi, eo ad superstitionem abuterentur: contrà verò, Michaelem sanctum Dei Angelum, veri cultus Dei studiosum ac vindicem, ut idololatriæ occasionem tolleret, Mosis corpus abdidisse à conspectu omnium hominum, & (ut quidam arbitrantur) etiam Dæmonum: de quo tamen nihil certi affirmari potest. Huc pertinet locus, Deut. 34. 6. *Sepelivit eum in valle*, &c. Hæc de Angeli modestia: cui ex adverso opponitur seductorum audacia, in iis vituperandis, quæ non norant; & impudentia, in iis, quæ sensu naturali norunt, brutorum instar appeten-

dis

dis & amplectendis, v. 10. unde merito Apostolus concludit & prædicit horum seductorum exitium: & veritatem ac justitiam illius, antecedentibus satis probatam, amplius confirmat argumento duplici: Primò descriptione reliquorum morum: Deinde prophetiæ Enochi. Ac mores quidem non simpliciter proponit: sed comparatione exemplorum & similium exponit & amplificat. Exempla adducit tria, primò Caini quem invidia & parricidio, Genes. c. 4. v. 5. secundò Balami, quem avaritiâ, tertiò Core, quem contradictione ac seditiosa ordinis ac status Ecclesiæ perturbatione, Numer 16. imitantur. Quæ imitatio incremento suo, & quasi gradatione insigni declaratur, nimirum ingressu, effusione & interitu, v. 11. Porro similia ad mores seductorum amplius depingendos, adducit quinque. Primò enim comparat eos maculis. Quod ut hæ vestes & corpora impura reddunt: ita & illi Ecclesiam in fraternis Ecclesiasticorum cœtuum conviviis (quæ quoniam ad charitatem mutuam testandam ac fovendam erant instituta, ἀγάπας appellabant) intemperantia sua & impudentia conspurcent; de quibus agitur, 1. Corinth. 11. vers. 31. 2. Petr. cap. 2. vers. 13. de Agapis verò in Apologetico Tertulliani elegantissimè, cap. 39. differitur. Altera similitudo est, qua hypocrisis seductorum declaratur exemplo nubium, quæ aquâ carentes, à ventis circumaguntur: quod ut hæ spem pluviæ vanam faciunt: sic & illi seductores veritatem & sanctitatem falsò præ se ferant. Tertia deploratam improbitatem arguit; quod ut arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ, nullos fructus proferunt: ita nec illi fructus justitiæ edunt, vitali pietatis succo destituti, vers. 12. Quarta vanitatem & impudentiam doctrinæ perstringit: quod ut undæ maris efferatæ despumant sordes: ita & seductores sua prætumida & inani grandiloquentia, sua ipsorum dedecora & impuritates patefaciunt. Postrema similitudo inconstantiam reprehendit, cum stellas erraticas vocat. Atque ex hac morum descriptione, conclusio meritæ pœnæ, iterum apponitur & explicatur. Nam ut antea, vers. 11. væ illis, hoc est, pœnam imminere ostendit: sic etiam pœnæ speciem declarat quando ait: *iis caliginem tenebrarum in æternum servari:* hoc est, densissimas & æternas inferni tenebras illis esse destinatas, vers. 13. Porrò, alterum argumentum quo hanc conclusionem probat, est prophetia antiquissima Enochi, septimi ab Adamo, qua prædicitur Dei adventus, vers. 14. ad judicium universale, quo omnia omnium impiorum facta dictaque impia puniturus est, vers. 15. De hac autem prophetia diversæ sunt sententiæ. Quidam enim scriptam arbitrantur ab Enocho, eo libro qui olim sub Enochi nomine extabat: quæ sententia fuit Tertulliani de habitu muliebri, cap. 3. Alii verò traditione tantùm acceptam, & in librum postea relatam, multisque fabulis auctam. Quæ sententia, multis nominibus præferenda est: quoniam nec Sacra Scriptura ejus libri meminit; neque Ecclesia Iudaica, fida aliàs Sacrarum Literarum, extra controversiam, custos, Roman. 3. vers. 2. eum librum unquam probavit. Quod etiam Tertull. dicto libro agnoscit, cum ait; *Scio scripturam Enochi non recipi à quibusdam, neque in armarium admitti Iudaicum.* Quod autem idem, argumentum illud eludere conatur, vana nititur accusatione Iudæorum; quasi illud scriptum rejecissent odio prophetiarum de Christo: quia clarissima de Christo testimonia apud Prophetas extant, quos propterea tamen non rejecisse certum est.

Deinde Christus ipse antiquiorem scriptorem sacrum Mose, non agnoscit, Luc. 24. alioqui non à Mose, sed ab Enocho, ducere debuisset initium explicationis prophetiarum de humilitate sua & gloria, ad quam hæc Enochi prophetia certo pertinet: sed Christus à Mose auspicatus est, Luc. 24.

Denique Iudas scripti nullius meminit, ut initio etiam diximus, sed tantùm prophetiæ. Neque dubito, quin ex perverso hujus loci intellectu, impostor aliquis fingendi libri Enochi sumserit occasionem: ut & ex mala interpretatione loci, Coloss. 4. vers. 16. *& Epistolam, quæ ex Laodicæa, vos quoque legatis*, ac si Paulus indicaret Epistolam à se ad Laodicenses conscriptam, conficta est eo titulo Epistola ea, quæ Wormatiæ inventa, & postea à Fabro Stapulensi, in notis ad Epistolas Pauli, simul edita est.

Porrò hac interposita prophetia, regreditur ad descriptionem seductorum, v. 16. & citat anticipatione quadam, ne novitate rei percellantur, prophetiam Apostolorum, v. 17. & verba Petri, v. 18. Ac duo præterea in seductoribus illis arguit: unum quod se segregarent à piis: alterum quod spiritu carerent, v. 19. Atque ita transit à secunda parte tractationis ad tertiam. Nam absoluta propositione & confirmatione, subjicit jam hortationem. Primò ad perseverantiam & profectum in fide; cujus medium esse ostendit operationem Spiritus Sancti & preces, v. 20. Secundò ad charitatem & spem vitæ æternæ, ex misericordia Christi, v. 21. Tertiò, ad effecta charitatis erga seductos: ut eorum conversioni pro diversis ingeniis, prudenter incumbant: ut erga dociles utantur commiseratione & clementia, v. 22. erga reliquos verò terrore, quo quasi ex præsenti incendio eos rapiant. Quartò, ad libidinum detestationem, v. 23. Qua sententia tractationem finit. Cui postremo conclusio, tertia Epistolæ pars attexitur, celebratione Dei. Quem ad consolationem, vitæ sanctitatem, & precationis stimulum, describit ab omnipotentia, v. 24. & sapientia ac gratia salutari, v. 25.

FINIS Epistolæ Iudæ.

EXPLICATIO CAPITUM PRIORUM APOCALYPSIS.

Quemadmodum Vet. Testam. scripta partim in narratione, cùm rei præteritæ, quæ historia est; tum futuræ, quæ prophetia: partim in dogmatum explicatione versantur: sic & Nov. Testam. similis est ratio. Narrationem enim primùm rerum gestarum continet Pentateuchus Euangelistarum; constans quatuor Euangeliorum de Christo, & Actorum Apostolicorum historia; deinde rerum futurarum, quam Joannis Apocalypsis ac prophetia nobis exhibet. Cujus principium, Deo aspirante, delibare, pro modulo conabimur. Quippe ut hactenus in Catholicis, Jacobi, Petri, Joannis, Iudæ, & selectis Apostoli Pauli Epistolis versati sumus, non alienum ab officio duximus, si illustres illas Ioannis Epistolas, in vestibulo Apocalypsis comprehensas, nonnihil explanarem: præsertim cum non solum genere, cum antè explicatis: sed materiæ quoque præstantia, & cum Ecclesiarum nostrarum statu, mirificè consentiant. Ut igitur à descriptione operis ordiamur; *Ioannis Apocalypsis est divinum Nov. Testam. scriptum propheticum, de Ecclesiæ Christi, ad finem usque mundi, statu, variis visionum typis adumbrato: quod à Christo, per Angelorum ministerium, Ioanni Apostolo revelatum, & ab eo fideliter ad selectas septem Ecclesias Asiaticas perscriptum ac missum: ad earum, & totius Ecclesiæ Christianæ resipiscentiam, & in fide, spe, charitate ac patientia christiana confirmationem, ad Dei in Christo redemptoris ac defensoris gloriam.* Quæ, cum satis ex ipso opere,

pere, & inprimis ex primo & ultimo capite sint manifesta: demonstrationem minimè desiderarent, nisi discrepantia veterum & recentium Theologorum, de hujus operis authore & scriptore à nobis designato judicia obstarent. Quare nonnihil ea expendenda sunt; ut descriptionis propositę, de authore & authoritate operis veritas, ad fidei nostræ confirmationem, stabiliatur. Siquidem ut primum de authore agamus, quidam certi aliquid definiunt: alii verò de eo dubitationem suam proponunt. Qui certi aliquid asserunt, multi Deum authorem, nonnulli hominem, statuunt: ideoque illi divinam authoritatem agnoscunt: hi verò, ut humanam ac fallacem, rejiciunt. Quod fecere olim partim hæretici varii (quales fuêre Cerdon & Marcion, ut testatur Tertullian. de priori, lib. de præscriptione adversus hæreses cap. 51. de posteriori, contra Marcionem lib. 4. cap. 5. deinde Alogi & Theodotiani, ut Epiphanius hęresi 51. & 54. & August. de hęresibus cap. 30. narrant) partim quidam Orthodoxi teste Eusebio histor. Ecclesi. libr. 3. cap. 21. & 22. inprimis Cajus cap. 24. & 25. qui Cerintho attribuit. Secundò alii authorem non definierunt, sed de eo dubitarunt: ideoque Apocalypsin inter Nov. Testam. scripta authentica, minimè admiserunt. Quemadmodum olim quidem, Ecclesię Grçcorum, ut Hieronym. tomo 3. Epistola ad Dardanum ait: *quod si eam* (nempe Epistolam ad Hebræos) *Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsin Ioannis, eadem libertate, recipiunt.*

Deinde nostro seculo, Erasmus annotationibus suis ad Apocalypseos caput 22. in eandem sententiam disserit. Eumque secuti sunt, primùm Lutherus, qui posteriori Nov. Testam. editione Latina, Francofurti cum notulis edita anno 1554. paulo benignius, quàm antea, judicat, cum in præfatione Apocalyps. sic ait: *Propter hanc incertam expositionem & occultum sensum, etiam nos reliquimus hactenus intactum* (scilicet hunc librum) *præsertim cum juxta sententiam quorundam Patrum, non sit Ioannis Apostoli: quemadmodum lib 3. Ecclesiasticæ historiæ cap 25. habetur; In qua sententia & nos acquiescimus, ita tamen ut nemini prohibitum velimus, sive Ioannem Euangelistam authorem statuat, sive diversum sentiat.*

Deinde quidam Lutheri discipuli ipsum sunt imitati, ut inter alios Doctor Matthias Haffenrefferus, Theologus Tubingensis, in Locis Communibus: deinde Theologi duo Marpurgenses, celebres, Ægidius Hunnius, & Joannes Winckelmannus, disputatione de Sacra Scriptura: ubi Apocalypsin Joannis (non minus quàm Epistolam Jacobi, secundam & tertiam Joannis, secundam Petri & Iudæ) inter Apocrypha, & dubiæ authoritatis Nov. Testam. scripta annumerant; ac tandem subjiciunt; *Quæ tamen scripta in nostris Ecclesiis majorem authoritatem, quam Apocrypha Vet. Testam. ac propè canonicis parem obtinent.* Atque hęc de authore & authoritate Apocalypseos Ioannis judicia. Qua in re nostrę Ecclesię, in confessione sua, primam sententiam meritò profitentur. Quippe ea, & solida ratione, & Ecclesię antiquissimæ testimonio, fide digno comprobatur. Rationes enim ipsum opus exhibet, partim sanctitate sua, partim lumine prophetico insigni.

Nam liber, qui doctrinę Euangelicę capita primaria sanctè complectitur, & cum libris Canonicis ad amussim convenit, & proprias atque eventu comprobatas, de Ecclesiæ statu complectitur prophetias, est divinus, Esai. 41. v. 23. Atqui Apocalypsis est hujusmodi. Nam & personam Christi, officia & beneficia, cultumque ipsi debitum, passim, imprimis verò capitibus quinque prioribus, & ultimo describit; & de statu Ecclesiæ, cùm in Asia cap. 2. & 3. tum per universum orbem eventuras calamitates, & Antichristi Romani originem, sedem, tyrannidem, cap. 13. & 17. verissimè prædixit, ut experientia evicit. Ergo divinus est liber. Altera ratio est, quia nihil in universo opere extat, quod authoritatem humanam arguat, ut ex objectionum confutatione constabit. Nam quod ideo divinum librum esse negant, quod & inepta & falsa quædam continet: meræ sunt ineptię ac calumnię. Prius quidem probare conantur bifariam; primum ex curiosa, ut ajunt, septenarii numeri observatione, in septem Angelis, septem stellis, septem oculis, septem candelabris, septem tubis, phialis, septem sigillis, & aliis. Sed vana exceptio est; quia Spiritui Sancto numerus septenarius in visionibus & prophetiis non est insolens: ut Genes. 41. vers. 2. 3. bis septem boves, & vers. 22. & 23. bis septem spicæ, & Zach. 3. v. 9. septem oculi, & cap. 4. 2. 10. septem lucernæ & septem infundibula. Deinde ineptam contendunt Apocalypsin, propter obscuritatem: quod præposterè obscurior sit Veteris Testam. prophetiis, & interim beatum illum prædicet, cap. 1. v. 3. qui audit & observat verba prophetiæ hujus: quam nemo tamen intelligat: adeo ut non Apocalypseos, sed καλύψεως, id est, non revelationis, sed velationis nomen mereatur: videatur Eusebius libr. 7. cap. 24. Sed negamus omnia esse obscura: quædam enim satis disertè explicantur, ut inter alia cap. 1. 20. & 17. inde à v. 7. Deinde ut major in Nov. Testam. est notitia, quam fuit in Veteri: ita hoc modo attentionis, & examinis diligentiam, acuere voluit Spiritus Sanctus obscurioribus; quemadmodum expositione clariori, cujus memini, multa alia illustrantur: adeò ut recte monuerit August: *In hoc*, inquit, *libro, cujus nomen est Apocalypsis, obscura multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, & pauca in eo sunt, quorum manifestatione, indagentur cætera cum labore: maximè quia sic eadem multis modis repetit, ut alia atque alia dicere videatur, cum aliter atque aliter hæc dicere investigetur.* Hæc ille, de civitate Dei, lib. 20. 17. Deinde quod Joannes, cap. 1. vers. 3. ut etiam 22. 7. verba prophetiæ hujus observanda statuit: ea, non tam ad rerum futurarum arcana singularia, quàm ad præcepta pertinent: qualia in septem illis Epistolis secundo & tertio cap. clarè proponuntur: ut cap. 2. 25. 26. *Id quod habetis tenete, quousque veniam. Nam si quis vicerit, & servaverit ad finem usque opera mea*, &c. cap. 3. 3. *Memento quæ acceperis & audiveris: serva igitur & resipisce:* & vers. 10. & 11. *quoniam servasti sermonem tolerantiæ meæ*, &c. *Ecce venio cito, tene quod habes, ut nemo coronam tuam accipiat.* Sic vers. 18. & 19. Deinde calamitates Ecclesiæ & persecutiones gravissimæ, & lætus postremò eventus afflictæ Ecclesiæ & Antichristi aliorumque hostium miserrimus, sic proponuntur, ut nemo sit, quin si attente legat, generatim saltem intelligat scopum hujus libri, nimirum resipiscentiam, fidem, charitatem, consolationem ac constantiam in rebus adversis, ut Apocal. 13. 8. 19. 10. & alibi. Ideoque verba prophetiæ hujus, servare meritò dici potest, qui summam ac scopum rei memoria complectitur, & secundùm præcepta & commendationem virtutum, officium pietatis pręstat, etiamsi particularia nonnulla minus assequatur. Verùm gravius est, si modo verum, quod, si non inepta, falsa saltem dogmata hoc opere contineri objectant, nimirum terreni regni Christi Hierosolymis, & templi Iudaici restaurationem, Apocal. 20. sed merito hoc negatur: Nam quæ per propheticam allegoriam, de Spirituali regni Christi felicitate dicuntur, ea ineptè omninò ac falsò interpretati sunt propriè: quemadmodum doctè observavit Hieron. in pręfatione libri 18. commentariorum in Esaiam. *Quæ* (inquit) *qui recipiunt, mille quoque annorum fabulam, & terrenum Salvatoris imperium, Iudaico errore susceperunt: non intelligentes, Apocalypsin Ioannis in superficie literæ, medullata Ecclesiæ sacramenta continere.* Hęc ille. Quare frustrà adversus divinam Apocalypsis authoritatem, Deumque authorem illius contendunt. Id quod etiam (ut Concilia, & Patres alios omittamus) ex antiquissimorum Patrum, & Ecclesiarum testimoniis constat. Nam qui proximo Ioannis Apostoli seculo, imò & eodem vixêre, hoc disertè testantur ac demonstrant. Primum Iustinus Martyr (pag. 240. editionis Commelini Grçco-Latinę adversus Tryphonem) qui ait: *Ioannes è duodecim Apostolis Christi unus, in ea, quæ illi facta est revelatione*, &c. Vixit autem ac scripsit Iustinus, vix quinquaginta annos post scriptam à Ioanne Apocalypsin, ut ex Chronico Eusebii constare potest. Deinde Irenęus contra hęreses lib. 5. sub finem, Apocalypsin prophetiam vocat, & de Ioanne ait, *qui & Apocalypsin viderat. Neque enim ante multum temporis visum est: sed penè sub nostro seculo, ad finem*

ad finem Domitiani imperii Plura etiam præmittit, quæ quoque ex eo recitat Eusebius, histor. Eccles. lib. 5. c. 8. sic Irenæus lib. 3. cap. 3. se in prima ætate, Polycarpum senem Joannis discipulum vidisse commemorat. Utrumque autem tam Iustinum, quam Irenæum, commentariis suis Apocalypsin exposuisse ex Hieronymo de viris illustribus in Ioanne, constat. Tertio loco Tertullianus quoque, contra Marcionem lib. 4. cap. 5. ait; *habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit: ordo tamen Episcoporum ad Origenem recensus, in Ioannem stabit authorem.* Hæc ille. Unde apparet Ecclesias illas, quas Ioannes docuit, successione certa in officio, Apocalypsin ab eo acceptam servasse, ejusque fidem adversus hæreticos confirmasse; quod idem de Ioannis discipulis ab Irenæo, lib. 5: sub finem asseritur. Neque quisquam ex antiquissima Ecclesia Orthodoxus, Apocalypsis authoritatem negasse, aut de ea dubitasse legitur: sed hæreticos solum. Nam quod Cajus, posterior iis, apud Eusebium, Cerintho tribuit, in eo judicium omninò defuisse apparet: nam diserrissimè, inde ab initio, Cerinthi errores adversus Deitatem Christi, refutantur, ut Epiphanius etiam rectè observavit hæresi 51. & 54. Quis autem ita insaniat, ut ad stabiliendum errorem, non solùm vano uteretur prætextu: sed etiam primaria sua dogmata egregiè confutaret? Quocirca cum Cerinthus Ioannis fuerit adversarius, quem etiam Ioannes gravissimè reprehendisse & increpasse, prisci Patres testantur, & historia Ecclesiastica: inde potius colligitur, scriptum hoc esse Ioannis Apostoli, qui apertum & noxium hostem toties doctrinâ suâ Ecclesiam muniendo, confutavit. Quod autem Hieron. de suo seculo ait, Græcorum Ecclesias Apocalypsin Ioannis non recepisse: illud non de omnibus, sed nonnullis tantum intelligendum esse, res ipsa arguit, si præstantissimos Græcos Patres consulamus. Nam primum Theophilus Antiochenus, Apocalypsis testimoniis utitur, teste Euseb. histor. Eccles. lib. 4. 23. Secundò Meliton Sardensis, de Apocalypsi Joannis librum conscripsit, ut ibid. Euseb. c. 25. Tertiò Clemens Alexandrinus Pœdagogiæ lib. 2. cap. 12. tanquam Apostolicum opus citat. Quartò Origenes in primum Psalmum in Catalogo librorum Canonicæ Scripturæ Joanni Apostolo tribuit, non solum Euangelium, sed etiam Apocalypsin, ut Eusebius demonstrat hist. Eccl. lib. 6. 24. Idem etiam liquet, cum alibi apud Origenem, tùm præfatione in Joannem, ubi ait: *Itaque in Apocalypsi Ioannes, ac Zebedæi filius.* Quintò Dionysius Alexandrinus in Epistola ad fratres Ægyptios, de Apocalypsi ait: *Consentio enim esse eam sancti cujusdam, & divino spiritu imbuti*, teste Euseb. hist. Eccl. lib. 7. cap. 24. Sextò Eusebius in Chronico suo, ad annum Christi 96. ubi ait; *sub eo* (nempe Domitiano) *Apostolus Ioannes in Pathmum insulam relegatus, Apocalypsin vidit, quam Irenæus interpretatur.* Septimò Athanasius in Synopsi Sacræ Scripturæ. Octavò Epiphanius multis hoc asserit; hæresi 51. & 54. Nonò Chrysost. in homilia 2. in Psal. 118. Sic enim ait: *ut ipse* (nempe Deus) *per prophetiam: quia neque frigidus es, neque calidus*, Apoc. 3. quibus addimus decimo loco Dionysium, quem Areopagitam vocant, Ecclesiasticæ hierarchiæ, cap. 3. quamvis enim revera non fuerit verè ille Areopagita; antiquum tamen esse scriptorem Græcum, res ipsa arguit. Denique, quod nonnulli Orthodoxi Apocalypsin olim rejecerint, illud nullo modo scripti vitio, jureque factum: sed ob abusum illius, & imperitam quorundam audaciam: siquidem Apocalypsi Joannis abusi sunt, partim hæreticus Cerinthus, Johannis Apostoli adversarius, & coævus: qui regni mille annorum prophetiam, Apocal. 20. ad terrenum regnum Ecclesiæ & corporis voluptates & sacrificiorum ac festorum Judaicorum restitutionem, impiè transtulit: partim Orthodoxi Patres, Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullian. & alii non pauci, qui mille annorum regnum, terrenum quidem, sed castum ac sanctum statuerunt: unde Chiliastæ dicti sunt. Atqui hinc, cùm errorem Cerinthi aliorumque, licet disparem, confutare niterentur nonnulli, neque argumenta ex Apocalypsi petita valerent expedire, nodum secantes, authoritatem Apocalypsis negarunt, & Cerinthum authorem, ut de Cajo ostendimus stultissimè statuerunt: ut res ipsa demonstrat, cum vix ullo libro, disertius ac plenius, Cerinthi errores contra Christi Deitatem refutentur. Ac talis fere ratio quorundam fuit, qui olim Epistolæ ad Hebræos authoritatem in dubium vocarunt, aut etiam negarunt: quod Novatianis favere putarent. Sanctius verò ac prudentius Dionysius, Alexandrinus Episcopus, apud Euseb. lib. 7. 24. ait; *Arcanam quandam, & admirabilem in singulis illius capitibus, futurarum rerum expectationem contineri suspicor. Etenim ubi illum non intelligo, altiorem quendam sensum verbis inesse cogito: nec de istis meo intellectu inquiro & judico.; sed fide potius acquiescens sublimiora illa, quam quæ à me intelligantur, esse puto. Nec refuto ea, quæ non consideravit; sed magis admiror, quod non ipse perspexi* Hæc ille. De Orthodoxis verò qui Apocalypsis dicta quædam malè interpretati sunt, recta est Eusebii in Papiam, Chiliastarum inter Orthodoxos authorem, censura, quâ ait: *In quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dicit. In quibus regnum Christi in hac terra, corporaliter consistere debeat. Quæ illum ex eo suspicatum esse puto, quod Apostolicas disputationes non rectè acceperit, nec quæ ab illis per hypodigmata dicta sunt, ritè considerârit; eo quod admodum modico esset judicio præditus, sicut ex ipsius libris indicium capi poterit. Attamen quamplurimis post se Ecclesiasticis viris, ejusdem erroris causam dedit, qui ad antiquitatem ipsius respexerunt: utpote Irenæo, & si quis alius consimilia sensisse deprehenditur.* Hactenus Eusebius histor. Eccles. lib. 3. cap. ultimo. Quocirca ex hisce jam satis apparere arbitramur, rectè à nobis in descriptione Apocalypsis authorem Deum constitui, ac divinam propterea illius esse authoritatem: & frivola esse, quæ objectantur; ideoque scriptorem illius non esse Cerinthum, Christi adversarium, sed ut cap. 1. & alibi asseritur, Joannem Christi servum. Verùm altera jam, sed minor tamen controversia est, quis iste fuerit Joannes? Plerique Ioannem Apostolum, statuunt: alii alium fuisse conjiciunt. Priorem sententiam, ut vero consentaneam, descriptione expressimus. Rationes autem duæ sunt, ex verbis ipsius Ioannis, quibus se describit, cap. 1. petitæ. Nam primo loco, v. 2. ait, se Ioannem esse, qui testificatus est λόγον τοῦ θεοῦ, & testimonium Iesu Christi, & quæcunque vidit. Quis autem non videat, hæc de Ioanne Apostolo dici, qui testificatus est λόγον τοῦ θεοῦ Euangelii cap. 1. vers. 1. *In principio erat λόγος*, & 1. Epist. cap. 1. v. 1. 2. 3. *Quod erat à principio, quod audivimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt* περὶ τοῦ λόγου *de Sermone vitæ*, &c. *Quod vidimus & audivimus, id annuntiamus vobis*: & Ioan. 19. 35. *qui vidit, testatur, & verum est testimonium ejus. Ille scit se vera dicere, ut & vos credatis*: Deinde Apocal. 1. 9 ait: *Ego Ioannes, qui & frater vester, & socius in afflictione & regno & tolerantia Iesu Christi, eram in Insula, quæ vocatur Pathmos, propter sermonem illum Dei & testimonium Iesu Christi.* Atqui unanimi consensu veteres Patres, & historia Ecclesiastica, hoc accidisse Ioanni Euangelistæ testantur, persecutione Domitiani: de alio verò Joanne nullo, ea ullibi recensentur. Quibus accedit Patrum Orthodoxorum, Apostolis proximorum consensus, ut ante ostendimus. Quæ argumenta ut sint clariora, objectionum oppositarum nebulas discutere conabimur. Illæ autem à Dionysio Alexandrino (qui divinum Ioannis scriptum agnoscit, sed alterius quam Apostoli) sunt propositæ modestius, apud Euseb. histor. Eccles. lib. 7. cap. 4. & ab Erasmo, additis nonnullis conjecturis, minori modestia, ac valde lubricè repositæ in annotationibus ad Apoc. cap. 22.

Prima autem objectio, est petita ex styli utriusque, in Apocalypsi, & Ioannis Apostoli scriptis diversitate: quod stylus ille impurior sit: hic vero purior appareat. Altera, quod Ioannes Apocalypsis scriptor, tam solicitè suum inculcet nomen, *Ego Ioannes, ego Ioannes*, perinde quasi syngrapham scriberet, non librum: præter Apostolorum reliquorum, & Ioannis inprimis Apostoli morem. Tertia objectio, à titulo operis desumitur, quòd in Græcis, quos Erasmus viderit codicibus, in titulo non fuerit Ioannis Euangelistæ, sed Ioannis Theologi. Quarta est à testimoniis quo-

niis quorundam Patrum, Dorothei, qui in catalogo Sacræ Scripturæ Apocalypsin omittit: deinde Anastasii, qui in catalogo suo non ausit affirmare, eam esse Euangelistæ, sed tantum dicit, receptam à quibusdam tanquam illius opus; ad hæc Dion. Alexandrini; præterea Eusebii, qui hist Eccles. lib. 3. c. 36. ait; *in revelatione quæ dicitur Iohannis.* Denique obtenditur veterum quorundam Patrum historia, qui præter Ioannem Apostolum, alterum etiam tum temporis extitisse Joannem, discipulum & seniorem dictum, tradunt, teste Eusebio hist. Eccl. lib. 3. cap. 36. qui etiam addit: *Etenim verosimile est alterum, nisi quis primum malit, Apocalypsin illam vidisse, quæ sub nomine Ioannis circumfertur.* Sed hisce non immeritò respondetur. Primum styli diversitatem nihil obstare: cum diversa sit utrimque materia & scribendi ratio; in Euangelio, historia est; in Apocalypsi, prophetia: in Euangelio afflatu ac directione Dei audita & visa narravit, suo loquendi more, quem à Spiritu Sancto per linguarum donum acceperat: in Apocalypsi verò scribit, quæ Angelus dictarat, & tali stylo, quo Deus, pro sua sapientia ac libertate, uti voluit. Deinde tanta etiam non est styli diversitas, quin multa cum Euangelii stylo, & totidem sententiis ac verbis conveniant. Deinde nec nominis Joannis repetitio adversatur: nam in prophetiis crebrò, (qualis hæc est) & ad intelligentiam atque authoritatem conciliandam prophetæ nomen repeti solet: ut ex Mose, Esaia, Ieremia, aliisque constare potest. Quemadmodum Daniel, nominis sui plusquam sexagies meminit, & nominatim non solum nominis sui, Danielis, meminit, sed prætereà inculcat illud, *Ego Daniel*, cap. 7. 15. & 28. & 8. 1. & 27. 9. 2. 10. 2. 7. Quare mirum non est, si in prophetia Ioannis universa, nomen ipsius quinquies tantum (Apoc. 1. v. 1. 4. 9. 21. 2. 22. 8.) repetatur. Quod etiam in titulo, *Apocalypsis Ioannis Theologi* appelletur, nihil evincit: partim quia quædam exemplaria antiqua, & quidem laudatissima, titulum habuerunt, *Apocalypsis S. Apostoli & Euangelistæ Ioannis Theologi*, ut ex Complutensi codice & Regio similiter apparere potest: partim quia Ioanni Euangelistæ egregiè & καθ' ἐξοχὴν hoc nomen convenit: quoniam de divina Christi natura (cujus explicatio, *Theologia* à priscis Patribus dici solet) optimè conscripsit. Neque ullum alium Ioannem, ipsius tempore aut sequentibus, Ioannem Theologum appellatum fuisse legitur. Hinc Athanasius ait: *Apocalypsis Ioannis, nomine, vocatur hic liber, propterea quod hanc revelationem ipse Ioannes Euangelista Theologus, in Pathmo insula dicta, dominico die vidit.* Hæc ille in Synopsi divinæ scripturæ. Ac sanè, divinam Christi naturam ac majestatem, adeo luculenter, hoc etiam libro describit, ut vel ex capite primo & ultimo apparet, & nomen Christi λόγον, convenienter Euangelio, Apocal. 19. 13. asserit: ut meritò huic potissimum libro, Theologi nomen, ab antiquis sit inscriptum. Neque paucorum atque obscuriorum Patrum adversa opinio, plurimis illis antiquioribus; quos antea protulimus, conferenda, multo minus præferenda. Quod denique quidam olim Apocalypsin, Ioannis discipuli Domini, & senioris dicti, esse conjecerunt, facile solvitur. Primum quia hæc elogia Apostolo Ioanni optimè conveniunt: nam Irenæus lib. 4 c. 37. tradit, Apocalypsin esse Ioannis discipuli Domini: & tamen paulò post testatur, Ioannem eum esse, qui in sinu Domini, in cœna recubuit. Deinde ex Epistola Ioannis secunda & tertia constat ipsum etiam seniorem dictum: vel propter ætatem, præ cœteris valde provectam, (ut Athanas. in synopsi Sacræ Scripturæ arbitratur) vel fortè potius ratione muneris, ut 1. Pet. 5. v. 1. Quod autem ad Eusebii verba lib. 3. c. 36 attinet; ea, conjecturâ, ex Papiæ hominis fabulosi dictis petitâ, nituntur, & in Chronico suo Eusebius assertione contrariâ, ut antea proposuimus, correxit. Quem locum ab Erasmo (cum Ecclesiasticæ historiæ verba objiciat) minus observatum miramur: alioqui melius statuisset. Quibus & illud addi potest, Ioannem illum alterum, quem tradunt discipulum Domini & seniorem appellatum, clarissimo Bezæ videri suppositititium. Ac sanè incertum esse, meritò colligi potest, non solum ratione authoris: quod illud à Papia promanarit; sed deinde etiam ex Hiero, in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in Ioanne. Quare ex hisce constare satis existimamus, non alium Ioannem (sive quis Ioannem Marcum, Actor. 12. 25. & 15. 37. nimirum Euangelistam, ut Baronius opinatur: sive diversum quis putet) sed Apostolum hujus Apocalypseos scriptorem: ut ex argumentorum allatorum robore, & contrariæ sententiæ vana origine, objectionumque imbecillium confutatione apparet.

Quamobrem cum ea, quæ in descriptione Apocalypsis de authore & scriptore diximus, hactenus probata sint satis, ad partitionem illius transeamus. Dividitur enim in Exordium, Narrationem & Conclusionem. Exordium, ad authoritatem & benevolentiam comparatum, primis octo versibus absolvitur. Constat autem titulo, dedicatione, & salutatione. Titulus, hujus libri genus, efficientem, finem, & effectum utile declarat. Genus est Apocalypsis, de qua voce sic ait Hiero: *Verbum quoque ipsum* ἀποκαλύψεως, id est, *revelationis, propriè scripturarum est, & à nullo sapientum seculi apud Græcos usurpatum. Unde mihi videntur, quemadmodum in aliis verbis, quæ de Hebræo in Græcum LXX. Interpretes transtulerunt: ita & in hoc magnopere conatos, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes, & sonare, cum quid tectum & velatum, ablato desuper operimento, ostenditur, & profertur in lucem.* Hæc ille ad Gal. c. 1. Quæ intelligenda sunt, de nomine Apocalypseos, non de themate ἀποκαλύπτω. nam ut hujus, in profanis & sacris: sic illius tantum usus observatus est in rerum sacrarum scriptoribus; ut Ecclesiastici c. 22. 29. & c. 42. 20. & in Sacris Literis, ut Rom. 16. 25. & 1. Cor. 14. 6. Eph. 3. 5. Apocalypsis autem hoc est revelatio, per Metonymiam, doctrinam revelatam; & quidem per Synecdochen, divinitùs, hoc est, prophetiam hic notat: qua illud, quod ante occultum erat in Deo mysterium, revelatur ac conspicuum redditur, ut Amos. 3. 7. *Non faciet Dominus Deus verbum nisi* גלה סודו *revelarit mysterium servis suis Prophetis.* eoque etiam sensu prophetia dicitur, Apocal. 1. 3. Cujus deinde efficiens, eleganti gradatione declaratur. Est enim vel author: vel minister. Author primus est Deus. Cum autem ea vox *Dei*, sumatur in sacris literis, vel communiter & οὐσιωδῶς, ut essentiam tribus personis communem significet; vel propriè, ut singularem Deitatis personam notet; puta Patrem Ioan. 3. 16. vel Filium Actor. 20. v. 28. hoc in loco distinctione à Christo facta, Deum Patrem intelligi apparet. Autor secundus est Iesus Christus, non ut solùm Deus, quemadmodum Prophetæ in V. T. Spiritu Christi prophetati sunt, 1. Pet. 1. 11. sed ut θεάνθρωπος, Deus patefactus in carne 1. Timoth. 3. 16. Quomodo discrimen statuitur inter V. & N. T. prophetiam, ut Heb. 1. 1. Hanc autem Apocalypsin, Iesus recepisse à Deo dicitur bifariam: primùm ratione cognitionis: atque ita non secundum divinam naturam (quæ omniscia est per se) sed secundùm humanam tantùm accepit: secundùm quam, ut sapientia profecit in terris Luc. 2. v. 52. sic diem judicii ignoravit, Marc. 13. 32. aliaque, quæ ad ipsius perfectionem, in sanctitate, & muneris executione, non requirebantur: sed in gloriam cœlestem subvectus, admirabili scientiæ gloria excellit: deinde ratione communicationis & patefactionis apud homines, secundùm summi Prophetæ munus. Atque hoc modo secundum utramque naturam accepit à Patre, suo modo: quemadmodum secundùm utramque conjunctim Christus est: nam Filius Dei, voluntaria œconomia ac dispensatione, sese humiliavit, assumpta servi forma; ut in ea ὑποστατικῶς sibi unita, Patris consilio, in munere mediatorio obediret Phil. 2. v. 7. 8. Finis autem hujus datæ & acceptæ Apocalypseos, est, *ut indicaret servis suis, quæ oporteat fieri citò*, ut Apoc. 22. v. 6. Ideoque objectum & finis ᾧ, cui inservit, sunt *servi Dei*; qui intelligi possunt καθ' ἐξοχὴν vel generatim fideles: vel speciatim ministri Euangelii, qui in prædicatione illius, Deo serviunt. Sed prius uberius est: quia posterius includit, & loci quoque circumstantiis magis accommodatum. Finis verò οὗ *cujus*, hoc est, bonum propositum atque intenta utilitas illius, cujus gratia hæc revelatio accidit, est indicatio eorum, quæ oportebat fieri citò. Quo, materia etiam Apocalypseos, ab adjuncto

 executio-

executionis tempore propinquo, illustratur: ut revelationis opportunitas, attentionem paret. Citò autem futura dici possunt, vel, ut celeritas, denotet opportunitatem, & opponatur tarditati, quam judiciis Dei prænunciatis objectare solent derisores: nam quamvis tempus sit longum, ratione sensus nostri, tamen ratione, cùm naturæ & utilitatis rei; tum ratione Dei, & collatè cum æternitate, breve est, de quibus 2. Petr. 3. v. 8. 9. vel ut denotet propinquitatem, ut remotis temporibus opponatur: & quidem ut non simpliciter, sed secundùm quid, seu ratione partis, atque initii, non autem ratione totius, ac complementi intelligatur. Hujus autem enuntiationis modus, quo hæc dicuntur futura, indicatur voce δεῖ, *oportet*. Cum autem τὸ δεῖν aliud sit officii, ut Luc. 18. v. 1. & Actor. 5. v. 29. aliud necessitatis, ut 1. Cor. 11. 19. *oportet hæreses esse*; posteriori significatione hic locus accipiendus est, quod necessarium fuerit; veruntamen non absoluta necessitate, videlicet interna naturæ, aut externa violentiæ & coactionis, quamque necessitatem consequentis vocant; sed necessitate relata, ex hypothesi, &, ut loquuntur, necessitate consequentiæ: quomodo necesse esse dicitur, ut scandala eveniant, Matth. 18. v. 7. posito enim Dei consilio ac decreto, quod immutabile est, & fine destinato, eorumque indice, Verbo Dei verissimo, aliter evenire, eo quidem respectu (licet naturâ sit contingens) non potest: quia nec falli sapientissimus, nec mentiri verissimus, nec superari, & à creaturæ arbitrio impediri potest omnipotens Deus. Huc pertinet, quod ἀμετάθετον τῆς βουλῆς immutabilitas consilii, Deo ascribitur, Hebr. 6. v. 17. quia Deus simplex & absolutè æternus: nihil autem absolutè simplex, mutabile; & quicquid propriè ęternum, idem immutabile. *Quod enim mutatur* (ut ait Augustin. de Trin. lib. 7. c. 6.) *non manet; quod autem mutatur, non est æternum.* Idemque docent clarius illustria hæc testimonia scripturæ. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo & non faciet? loquutus est, & non implebit?* Num. 23. 19. *Ego Iebova non mutor*, Mal. 3. 6. *Multæ cogitationes insunt animo cujusq; sed consilium Iebovæ ipsum stabit*, Prov. 19. 21. *Iebova exercituum ineunte consiliũ, ecquis irritũ faciet?* Esa. 14. 27. *Consilium meũ stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Esa. 46. 10. *Consilium Iebovæ in seculũ consistit &c.* Ps. 33. 11. *apud eũ non est transmutatio &c.* Jac. 1. 17. Similiter Dei verbum, consilii patefaciendi index, excidere non potest, Mat. 24. 35. Rom. 9. 6. Ioh. 10. 34. Qua de re doctè Dionysius Carthusianus ad hunc locum: *ista*, inquit, *futura, non oportet fieri necessitate absoluta, cum in se sint futura contingentia, non sine magno impiorum peccato implenda: Sed eo modo, quo necesse est ut veniant scandala, & oportet hæreses venire; verùm necessitate conditionata ex hypothesi consequentiæ, non consequentis. Cum enim à Deo provisa sint, & à Dei sapientia ad electorum profectum præordinata, non possunt non evenire, secundum respectum. Veruntamen providentia Dei mutabilibus necessitatem non imprimit, nec libertatem hominis tollit.* Quare hinc liquet, quis finis sit datæ Christo revelationis, qui cum Patre causa efficiens principalis statuitur. Causa verò efficiens ministra, est duplex: Angelus Christi, & Ioannes. Per Angelum autem revelata dicitur, non simpliciter & omnino, ut quidam opinantur, sed maxima ex parte: siquidem nec soli apparuerunt Joanni, nec soli loquuti sunt. Et ex prima visione constabit, Christum etiam, citra Angeli ministerium, & se, & multa patefecisse. Ioannes verò significatur Apostolo, v. 1. ut sequenti descriptione illustratur, ex effecto, cum ait; *qui testificatus est sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcunque vidit.* De cujus loci scopo, & quæ eo dirigitur sententia, quæritur. Alii enim scopum esse censent, ut Joannes Apostolus distinguatur (ad hujus Prophetiæ certitudinem & authoritatem) à reliquis, qui ipsi erant cognomines. Idque ea via fieri, quod dicatur testificatus λόγον τοῦ Θεοῦ hoc est Iesum, ac de eo testatum quæcunque vidit: idque factum scriptione Euangelii Ioan. 1. 1. & 19. 35. & 21. 24. & 1. Joan. 1. vers. 1. 2. aut ut alii volunt, prædicatione, quod Euangelium ex Pathmo reversus primum conscripserit. Alii contra scopum esse putant, non Ioannis, à cognominibus distinctionem: sed fidei Iohannis in hac prophetia tradenda commendationem: ac sensum esse, quod ut Christus revelationem (quam à Patre indicandam suis servis acceperat) fideliter per Angelum tradiderit Joanni: ita Johannes vicissim eam, tanquam sermonem Dei Patris, & testimonium de Jesu Christo, & quæcunque visionibus septem illustribus ipsi revelata erant, fideliter hóc libro testificatus sit. Veruntamen quid si mediam interpretationem adferamus, ut prior pars συνωνύμως, per expositionem quandam, scripturæ more intelligatur: quod τὸ λόγον τοῦ Θεοῦ, hoc est, testimonium de Jesu Christo egregiè professus sit, scripto & sermone, quemadmodum, locorum similium collatio videtur requirere, capit. 1. 9. *Eram in Pathmo propter* λόγον *Dei, & testimonium Iesu Christi:* & cap. 6. 9. & 20. 4. *qui securi percussi propter testimonium Iesu & sermonem Dei.* Deinde ut altera pars, *& quæcunque vidit*, ad hujus prophetię materiam ac visiones inprimis referatur, ut Apoc. 1. 11. 19. *scribe quod vides:* atque inde concilietur operi authoritas, ex fidelitate Iohannis, cùm in Iesu Christo confitendo, & ejus nomine crucem atque exilium fortiter ferendo: tum in Apocalypsi hac, pari fide describenda: quod videlicet non ficta, sed facta & visa testificetur. Atque huc videtur pertinere altera lectio, quam citat Laurentius Valla; *In nostris*, inquit, *codicibus desunt, post, quæcunque vidit,* καὶ ἅτινα εἰσὶ καὶ ἃ χρὴ γίνεσθαι μετὰ ταῦτα, *quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc:* sic in complutensi editione, quam secutus est Plantinus; & in decimo quinto Roberti Stephani manuscripto codice, ex regia Bibliotheca similiter legitur. Et Aretas amplius ait, *in altero exemplari hæc addi*, καὶ ὅσα ἤκουσε καὶ ἅτινα δεῖ γενέσθαι μετὰ ταῦτα: quæ author ille Græcus exponit, &, ut videtur, probat. Quod ut glossema videtur ex vers. 19. ad oram libri adscriptum, quod tandem in quorundam codicum contextum irrepserit: ita loci scopum non malè explicat. Porrò hoc modo Apocalypseos causa efficiente, cum principali, Deo & Christo, tum ministra Angelo & Iohanne, proposita & exposita: effectum illius utile describitur & confirmatur. Descriptio autem tradit utilitatis subjectum proprium ac conditionem: & formam, seu usum & utilitatem. Illud declaratur prophetiæ hujus, partim cognitione, per lectionem vel auditionem: partim observatione, per fidem veritatis, & dilectionem præceptorum: ut Luc. 11. v. 28. Matth. 7. 26. Iacob. 1. v. 23. utilitas autem est beatitudo seu felicitas; non particularis, quæ in bono particulari versetur: sed universalis, quæ in bonorum cumulo cùm cœlestium, tùm terrestrium, quatenus ad illa conferunt, consistit: ut 1. Timoth. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis, &c*. Hæc autem utilitas confirmatur à temporis, rerum narrandarum circumstantia, quod propè sit: ideoque ad cautionem ac fugam peccati ac calamitatum, & ad consolationem per notitiam illius & observationem conducant, vers. 3.

Hæc de titulo: cui dedicatio libri, ac salutatio succedit. Dedicatio quidem librum inscribit septem Ecclesiis: sub quibus universitatem Ecclesiarum intelligi multi statuunt, sed non satis accommodatè. Quamvis enim septenario numero interdum perfectio denotetur: illud tamen non habet locum, cum rerum numeratarum nomina & circumstantiæ exprimuntur, ut hoc in loco accidit: Iohannes enim non ait generatim, *septem Ecclesiis*; sed adjungit *Asiæ* scilicet Minoris, & quænam illæ sint, apertè sequenti vers. 11. exprimitur. Quare certis quibusdam Ecclesiis Apocalypsin solummodo inscripsit, ita tamen ut earum ministerio (ex communi scripturæ scopo) communicatio & usus, pertineat ad omnes. Hęc de dedicatione. Salutatio verò (quæ oratio est, quâ salutem iis vovet) constat voti subjecto, & objecto. Subjectum seu id quod vovet, est gratuita Dei benevolentia ac favor; & pax, seu felix rerum hujus & alterius vitæ successus per synecdochen. De quibus aliàs, in epistolarum explicatione sæpe à nobis actum est. Objectum est duplex, cui scilicet & à quo voveat. Cui? *vobis septem Ecclesiis*. A quo? Est triplex. Primum hisce verbis continetur, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *à qui est, quierat, & qui venturus est.* De quorum etiam constructione & sententia, diversa sunt judicia. Nam ad constructionem quod attinet, eam vitiosam

vitiosam esse, quasi Græca verba ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν solœcismum haberent, nullumque sensum præberent, Erasmus & Gagnæus contendunt. Alii contrà modestius & peritius statuunt; idque bifariam: nam Ioachimus Camerarius, & alii qui eum sequuntur, ellipsin statuunt vocis ὄντος, nempe hoc modo, ἀπὸ τοῦ ὄντος ὁ ὢν &c. hoc est, ab existente qui est. Beza clarissim. interpres sine ellipsi exponit: ut hęc descriptio sit instar nominis proprii Iehova, ut Exod. 3. *sum qui sum*. Quod quemadmodum subtile est, ita prius simplicius: cui & illud addi posset, ut articulus τοῦ ponatur pro τούτου, & ut ὁ articulus præpositivus, pro ὃς accipiatur: quemadmodum neutrum, bonis Græcæ linguæ authoribus est insolens & in scriptura reperitur. De sententia etiam quæritur horum verborum: Quidam enim de tribus personis; idque vel conjunctim, ut tota oratio eo referatur; vel disjunctim, ut, *qui est*, de Patre, Exod. 3. 14. *qui erat*, de Filio, Iohan. 1. 1. *qui venturus est*, de Spiritu Sancto, Ecclesiæ promisso intelligatur, Iohan. 16. v. 13. Contrà alii accommodatius, de una tantum persona exponunt: ac nonnulli de Filio, ut Apocal. 1. 8. *qui est*, & Iohan. 8. 58. *antequam Abraham esset, ego sum; qui erat in principio*, Ioh. 1. 1. & qui venturus est ad judicium, Apocal. 22. 7. 12. Alii aptius hæc verba, (licet per se sint tribus personis, communia, ut quæ sunt, & erant, & venturæ, hoc est futuræ sunt: quæ æternitatis quædam descriptio est) ad Patrem tantum referunt, ut Apocal. 11. 17. quia à Spiritu & Christo in hac salutatione distinguitur. Alterum salutationis, seu salutis petitæ objectum, sunt *spiritus septem qui sunt in conspectu throni ejus*. Id quod à priscis & novis Pontificiis, atque orthodoxis etiam interpretibus, bifariam explicatur. Quidam enim per spiritus, creaturas; alii verò creatorem intelligunt; & utrimque argumentis nituntur probabilibus; quæ diligentius, ob loci abusum, expendenda sunt. Qui ad creaturas referunt, Angelos, & quidem bonos exponunt: qui ut ab officio Angeli, hoc est, nuntii: sic à natura incorporea, per metaphoram, à spiritu ac vento invisibili ac potente petitam, etiam *spiritus* appellari solent, Heb. 1. 14. Quos septem nominari censent; alii quidem propriè ob certum quendam Angelorum numerum: ut primarii illi septem Angeli notentur, quorum maxima est potentia. Idque eo probari censent, quod in sacris literis, non semel, sed sæpius, septem spirituum fiat mentio, Apocal. 5. 6. Agno tribuuntur cornua septem & oculi septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram, & cap. 8. v. 2. dicitur, *& vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ*, & cap. 15. 16. 17. septem Angeli memorantur tanquam universæ terræ administratores, & Zachar. 4. 10. *septem sunt isti oculi Domini qui discurrunt in universam terram*. hisce addunt locum ex Tobię c. 12. *Ego sum Raphaël, unus ex septem, qui astamus ante Dominum*. Quam sententiam etiam sequitur Clem. Alexandr. strom. libr. 6. & Irenæus, ut attestatur Arethas in Apocal. cap. 4. Alii contrà, cum Lyrano, Septem, non propriè certum Angelorum numerum; sed eorum universitatem, figuratè per synecdochen, sacris Literis usitatam, notare arbitrantur. Contrà alii non creaturam, sed creatorem intelligi volunt; ut veteres Theologi, Primasius, Ambrosius, Rupertus, Haymo, Victorinus, Martyr & Thom. Aquinas, & Joach. Abbas, qui de Spiritu Sancto interpretantur, quos plerique orthodoxi nostri ævi Theologi sequuntur, ac probant: quamvis argumentis speciosis impugnetur. Quorum primum est petitum à numero, quia hi spiritus sunt septem; Spiritus sanctus unus, non septem; ideoque hi spiritus, non sunt Spiritus sanctus. Alterum à statu: hi spiritus sunt in conspectu throni Dei: Spiritus sanctus non est in conspectu throni Dei; quia hęc phrasis notat ministerium & inęqualitatem, ut Apocal. 7. 15. atque Angelis convenit Apocal. 8. 2. *Vidi septem Angelos qui coram Deo stant*, & Zachar. 3. *de illis qui nunc assistunt*; & 1. Samuel. 16. *stet David in conspectu meo*, id est, ministret mihi. Deinde addi posset, hac phrasi etiam denotari separationem. Atqui Spiritus sanctus est in Patre, non separatus à Patre. Tertium argumentum est ab ordine, quia pręponitur Filio. Quartum denique à locorum similium comparatione & expositione, Apoc. 4. 5. & *septem lampades accensæ coram throno sunt septem spiritus Dei*: cap. 5. 6. *septem oculi agni, sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram*. Verùm ad prius quod attinet argumentum, fatemur quod Spiritus S. unus sit essentia ac persona; sed donis tamen est multiplex, 1. Cor. 12. 4. & Esa. 11. 2. 3. septemplex spiritus Christo datus proponitur: unde vulgo etiam antiquitus septem dona Spiritus S. colligere studuerunt. Neque est alienum, si prophetico, ac figurato stylo significetur unus spiritus (per Metonym. effecti pro causa) per septem dona: quemadmodum vicissim, contraria causæ pro effecto metonymia, *spiritus*, Johan. 7. 39. & alibi, *dona spiritus* appellantur: quemadmodum una Dei providentia per innumerabiles oculos, ab Ezechiele indicatur, & una Christi persona, variis umbris Veteris Testamenti significata. Similiter assumptionem secundi argumenti negamus. Nec enim hæc phrasis, *esse coram throno*, aut etiam *stare coram throno*, semper ac necessario inæqualitatem aut separationem notat: ut enim spiritus, quamvis æqualis Patri essentiâ, officio tamen voluntario ac per dispensationem, mitti à Patre & Filio dicitur: sic hoc in loco, per Metaphoram esse dicitur in conspectu throni illius, hoc est, promptus ad officium exequendum. Tertium argumentum levius est: quia ordo personarum, in recensione interdum, ubi distinctione non est opus, confunditur; & hoc in loco valdè opportunè, quia cum de Filio acturus esset Propheta, prudenter, ne justa orationis propositæ series interrumperetur, prius de spiritu egit. Denique quod ex capit. 4. & 5. objectatur, Spiritui sancto probè convenit: nam Lampadibus, ratione donorum comparatur: quemadmodum alibi, ignitis linguis se patefecit, Actor. 2. Et septem oculis, ob perfectam scientiam ac curam eleganter comparatur, ut Zachar. 3. vers. 9. lapidi, id est, Christo apponuntur septem oculi: qui Zachar. 4. vers. 10. sunt oculi Dei, peragrantes terram: quod Christus Spiritu Sancto sit plenus. Et sanè, quemadmodum Principum consiliarii & nuntii, Principum oculi rectè nominari solent; quia propter ignorantiam iis quasi oculis, ut etiam auribus opus habent: sic contrà Christus, quia novit omnia, non alienis, & Angelorum, sed suis videt oculis: quemadmodum etiam suis cornibus, hoc est, potentia potens est, non Angelorum. Præterea cum capit 4. & 5. animalia & seniores Deum adorent, quæ adoratio creaturæ est propria: illud spiritibus septem neutiquam adscribitur: quo innuitur, non creaturam, sed creatorem intelligi. Hisce accedunt contraria alia ex capit. 1. vers. 4. argumenta. Quorum primum petitum est ab adjuncto ordine; quod septem Spiritus præponantur Christo, quod indignum est, si de Angelis intelligatur. Nam quamvis inter personas Deitatis ordo interdum confundatur, Galat. 1. vers. 1. & 2. Corinth. 13. vers. 13. 2. Thessalon. 2. vers. 16. Ephes. 5. v. 5. (quia ratione Deitatis, unitas est & personarum æqualitas) nihil est absurdi. Alterum argumentum est gravius, & naturâ prius, à materia; quia quod à Deo solo Patre, Filio, Spiritu Sancto datur, illud Deus Angelis non attribuit: quia *gloriam suam nemini communicat*, Esai. 42. hoc enim justitiæ ipsius repugnaret. Atqui gratia & pax, à solo Deo dantur; neque ulla in sacris literis extat promissio aut exemplum, petitæ aut datæ ab Angelis, aut ulla creatura, gratiæ Dei & pacis, sed gloria illa soli Deo tribuitur. Veruntamen objiciuntur nonnulla, ac primum authoritas divina & exemplum simile, Genes. 48. vers. 15. 16. *Deus qui pascit me ex quo die sum, usque in hunc diem. Angelus ille, qui vendicat me ab omni malo, benedicat pueris istis*. Sed responderi potest bifariam; Primùm, quod vendicatio illa à malo & benedictio, non sint idem quod gratia & pax: nam ad illa utitur Deus Angelorum etiam ministerio, cum homines tuentur à malis externis, & externa beneficia conferunt. Deinde quod aptius & gravius est, Angelus hoc loco non creaturam, sed Filium Dei creatorem notat; qui alibi etiam Angelus dicitur, Exod. 14. v. 19. & Jehova, Exod. c. 13. vers. 21. & 14. v. 24. & Angelus fœderis, Malach. c. 3. v. 1. Filii autem Dei, Jacobus Patriarcha hic meminit, quia

quia fœderis cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, mediator & fœderatorum conservator: quemadmodum etiam Angelus qui vindicavit Jacobum, Gen.31.11. vocatur Angelus, & v.13 Deus fortis, cui Betheli voverat votum, qui verus Jehovah.Gen.18.13.20. Filius autem Dei vocatur Angelus, hoc est nuntius; partim ratione officii mediatorii, partim quod Angelorum more, in assumpta aliqua, non autem hypostaticè unita figura humana, dispensatione temporali, sese patefecerit, & ad unionem hypostaticam simili præiret. Quod clarius apparet ex Genes. 18. ubi, ex tribus, qui viri metaphoricè, ob speciem similem vocantur, v.2. duo sunt Angeli creaturę, Gen.19.1.tertius est Iehova, Gen.18. v.13.17.22.26.judex totius terræ, v. 25. Abrahami Dominus, v.27. Quæ Angelo creato convenire non possunt. Ideoque minus piè, à quibusdam magnis interpretibus, de Angelo creato, exponuntur. Quod iterum ex Nov. Testament. reponunt, 1. Timoth. 5.21. *obtestor in conspectu Dei & Domini Iesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc serves:* illud nihil ad rem. Non enim Angeli invocantur hoc loco; nec ut judices; sed ut testes futuri nominantur, quoniam sunt Spiritus ministratorii, qui ad ministerium servandorum emittuntur, Heb.1.14.quosque circumstant, Psalm.34. Deinde aliud est obtestari coram Angelis indefinitè: aliud definitè septem nominare, neque illud est gratiam & pacem dare: ut enim homines: sic Angeli actionum nostrarum spectatores, testes citari possunt. Sed rursus effugium quærunt. Sic enim quidam Pontificii ajunt, gratiam & pacem expectari ab Angelis, quod per eorum preces nobis Deus gratiam largiatur. Sed illud apertè ineptum: nam eadem ratione, idem petere licebit ab Ecclesia, & ab Apostolis. Quare aliud effugium proponunt, quod gratia & pace veram amicitiam ac reconciliationem intelligamus, quam solemus fratribus precari, ut 2. Macchabeor. 1.*exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis.* Precatur igitur illis amicitiam & pacem cum Deo, per remissionem peccatorum & sanctificationem & amicitiam & pacem cum septem Angelis, ut semper ab iis diligantur & adjuventur: quemadmodum hoc indicat communis sermo; *redire in gratiam, invenire gratiam coram aliquo.* Sed gratiam & pacem conjunctim illud significare, ac duplici significatione, dicitur quidem temerè; sed non probatur: quia salutatio Apostolica frequentissima est, & significatio alia: nam per gratiam, gratuita Dei benevolentia intelligitur: at verò Angelorum amor erga Ecclesiam, non est gratia omninò; sed debitum ipsorum erga conservos suos. Qua etiam de causa, Angelus à Iohanne honorari humilius noluit: sed Deum adorari jussit, Apocal. 22. 9. Nec invocatio est Angelorum, uti objiciunt, quod David ait Ps.103. *benedicite Iehovæ Angeli ejus*, sed officii eorum, mandati figura confirmatio est, quemadmodum versic.22.*benedicite Iehovæ omnia opera ejus, in omnibus locis dominationes ejus.* Denique objiciunt, Rhemenses Iesuitę Anglici, quosdam è nostris ita exponere de Angelis, ideoque non esse, cur illud Pontificiis exprobremus plerisque. Fatemur quidem id à nostris suo modo factum; sed cum analogia sit servanda, primùm fidei, ne quid in expositione sit, quod sacrarum literarum dogmatis repugnet: deinde analogia contextus, ut nihil statuatur, quod loci circumstantiis repugnet: à priori declinant Pontificii, quod tolerari non potest; quia peccant impietate contra Decalogum, & verę religionis fundamenta; à posteriori verò nonnulli è nostris discedunt, quod magis tolerabile est. Nam discrimen est maximum expositionis utrimque: Pontificii quidem statuunt esse precationem, quemadmodum invocationem Angelorum vulgò in Missalibus suis usurpant: nostri verò illi, non precationem, sed votum intelligunt, quod ad Deum dirigatur tanquam datorem, non ad Angelos; sed quod Angelorum meminerit tanquam instrumentorum, quod per eos gratiam Deus & pacem dicatur dare, suo quodam modo; ratione conservationis, quatenus per eos Satanæ & mundi conatus impedit & Ecclesiam tuetur, ne gravitate afflictionum oppressa, à fide & charitate deficiat, eoque modo Dei gratia & pace excidat. Quare nihil illud ad Pontificiorum superstitiosam ἀγγελολατρείαν & invocationem conducit; quæ una hac demonstratione confutatur; Quod gloriam soli Deo debitam creaturis tribuit, illud injustitia & impietas est; quia ut justitia suum cuique, sic Deus suam gloriam alteri non tribuit, Esai. 42. Atqui cultus & invocatio Angelorum (quemadmodum & sanctorum defunctorum) gloriam soli Deo debitam, creaturis tribuit: Deus enim solus religiosè colendus & adorandus, non Angeli, Matth. 4. v. 10. Coloss. 2. 18. Apocal. 22. v. 9. deinde Deus solus omniscius cordium scrutator, qui preces illius & sinceritatem potest perspicere, 1. Reg. 8. 39. & solus omnipotens, qui ab omnibus malis potest liberare, 1.Tim. 6. 15. Esai. 43. vers. 11. in quibus attributis & consequente adoratione, gloria Dei certissimè consistit. Ergo injustitia & impietas est: id quod Pontificiorum ἀγγελοδουλεία & missalia eorum satis evincunt. Ut autem eo, unde digressi sumus, redeamus, per septem Spiritus, Spiritus sanctus per tropum Metony: intelligitur; qui Spiritus alterum est salutationis propositæ objectum, à quo gratia & pax postulatur, vers. 4. Tertium est Iesus Christus: cujus ad prophetiæ hujus authoritatem & attentionem, subjicitur descriptio, ex officio adjuncto, & beneficiis erga nos. Officium enim triplex designatur. Primum Propheticum, cum *testis ille fidus* vocatur. Testis quidem; quia in hoc natus est, ut testimonium perhiberet veritati, Iohan. 18. v. 37. quod fecit cùm doctrinâ, per se & per suos ministros Apostolos ac discipulos alios: tum factis, partim vitæ sanctitate seu actionibus piis ac justis: partim mortis constantiâ & effusione sanguinis, 1. Timoth. 6. v. 13. Fidus verò dicitur, propter scientiam, cum justa constantia in veritate conjunctam. Deinde regium officium duobus epithetis notat: primum est, quod sit mortuorum & vivorum Dominus: id quod indicat, quando *primogenitum ex mortuis* vocat, ut Coloss. 1. 18. *Primogeniti* autem vox Christo diversis in locis, ac variè tribuitur: propriè aut impropriè. Ac propriè quidem, vel qua Deus, ratione generationis æternæ, Coloss. 1. v. 15. primogenitus πάσης κτίσεως, id est, πρὸ πάσης κτίσεως: vel qua homo, ratione temporalis generationis: sic Matth. 1. 25. relatè primogenitus Mariæ dicitur. Impropriè verò per Metaphoram, Principem ac Dominum notat: qui scilicet inter eos, qui è mortuis resurrexerunt, primas obtinet, tempore, (quia vi sua solus & ad immortalem vitam primus) & dignitate: quia ut primogenitus primus est natus; sic in Vet. Testam. ex Dei lege, inter fratres excellebat: primum bonis, quia duplici hæreditatis sorte potiebatur, Deuter. 21. 17. deinde honore ac potestate; quia (quasi in Patris locum subvectus) fratrum Dominus, Gen. 27. v. 37. statuebatur: hinc Genes. 49. 3. *prior in donis*, hoc est sacerdotio; *major in imperio*, hoc est regno: quæ etiam duo Rubeno ablata, & sacerdotium Levi, & regnum Iudę, v.8. attributū. Alterum epithetum est regni, quod sit *Princeps Regum terræ*, ideoque viventium etiam Dominus, Mat. 28. 18. Ps. 2. 8. 9. Id quod ad fidelium afflictorum atque affligendorum consolationem, adversus sequentium calamitatum narrationem, opportunè adjicitur. Sacerdotium denique Christi indicatur per suam causam, & effectum. Causa est dilectio nostri, nempè gratuita, pręter, imò contra meritum nostrum, Rom. 5. 8. Ephes. 5. 2. Effectum verò duplex statuitur: primùm est lotio nostri à peccatis nostris, per sanguinem ipsius, hoc est, remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, per fusi sanguinis ipsius sacrificium propitiatorium. Rom. 3. 25. 1. Ioh. 1. 7. Hebr. 9. 25. 26. Hæc autem lotio, hoc est, sordium peccati ablatio, duobus modis peragitur: primùm merito in cruce, Actor. 20. 28. & deinde efficacia seu applicatione illius meriti, dum credentium corda per Spiritum S. sanguine suo aspergit, 1. Petr. 1. 2. Ephes. 1. 7. Hebr. 9. 14. Alterum effectum est, quod nos regeneratione fecerit Deo sacerdotes: idque amplificatur, præmisso effecto regni, quod nos etiam fecerit reges; quia & sapientia & viribus instruit nos in terris, ut in pugna, cùm adversus carnem intus, tum contra mundum & mundi Principem Diabolum foris, superiores evadamus, & in cœlis cum Christo regnum cœleste possideamus, Matth. 5. 10. 2. Timoth. 2. v. 12. denique, quia devicta etiam omnino ultimo

ultimo die, illius beneficio, morte, mundum, & impuros Angelos, adversarios, judicaturi sumus, 1. Cor. 6. 2. 3. & anima ac corpore, (subditis omnibus hostibus) cœlestis regni gloria in æternum fruituri & triumphaturi, Mat. 25. 34. Sacerdotes verò nos fecit; quoniam ad hoc, sui Spiritus regenerantis ac sanctificantis donis inungens nos fecit idoneos, non ut propitiatorias, (quod soli Christo convenit) sed ut gratitudinis hostias, per fidem & charitatem Deo offeramus: primùm nos ipsos, Rom. 12. 1. ut animo & corpore, omnibusque membris ac viribus, ad gloriam Dei utamur: deinde nostra bona, Hebr. 13. 16. Philip. 4. 18. denique proximum, nostro studio conversum aut confirmatum, ad Deum adducamus eique consecremus; quod licet omnibus fidelibus sit commune, Iacob. 5. 20. 1. Petr. 3. 1. imprimis tamen ministris verbi convenit, Rom. 15. v. 16. Quæ duo beneficia Christi nempe regni & sacerdotii, nobis collati, simul exprimuntur, Exod. 19. 16. *Eritis mihi regale sacerdotium, gens sancta*, & 1. Pet. 2. 9. *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, ut virtutes prædicetis illius*. Quæ dona Christi cum sint prestantissima, eorum magnitudo, solenni hac gratiarum actione celebratur; *Ei sit gloria, & robur in secula seculorum, Amen*, vers. 6. Vox autem *ei* licet ratione analogiæ fidei & rei propositæ, tam Patri quam Filio conveniat (sicut utrique attribuitur Apocal. 5. 13.) sequentium tamen verborum series, v. 7. ad Filium referenda ostendit. Deinde regium Christi officium, ab effectu altero, nimirum adventu glorioso ad judicium declaratur, quod cum nubibus veniet, ut Actor. 1. 9. 10. 11. Matth. 26. 64. Quas nubes, cum adjuncto glorioso Angelorum satellitio (de quo 1. Thes. 4. v. 16. 17. & Matth. 16. 27.) signum illud esse Filii hominis arbitror, cujus Christus meminit, Matth. 24. 30. *& tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, ac tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa, & mittet Angelos suos cum tuba, voce magna*. Porro Christi adventus, eventu duplici describitur, nimirum visu omnium, & terrore hostium. Prius est, quod eum omnes visuri sint, non solum amici, sed etiam hostes qui eum transfixerunt, Mat. 26. 64. Joan. 19 37. Alterum est, quod *plangent* (hoc est, tundent præ dolore pectora) *coram eo omnes tribus terræ*. Id quod à nonnullis de conversis ac servandis, & planctu salutari accipitur; qualis est Actor. 2. 37. quoniam hæc verba è S. Literis, nempe Zachar. 12. 10. ubi de conversis agitur, sunt deprompta, quemadmodum Joh. 19. 37. ostenditur. Alii vero contrà de damnandis Christi adversariis intelligunt, qui ipsius personam, ac fideles membra ipsius transfixerint: nec enim plangent servandi fideles die ultimo, sed gaudebunt & exultabunt. Deinde non necesse est ut statuamus, Iohannem in Euangelio citare Zachariam, aut hoc in loco, quia nullam facit scripturæ nec Prophetæ mentionem. Et certum est, iisdem phrasibus, Spiritum S. in diversis uti solere argumentis. Denique ut maximè concederemus, non videtur posse evinci, ea verba apud Prophetam de servandis esse intelligenda: planctus enim intelligetur, non ex resipiscentia, qualis piorum, Actor. 2. sed ex pœnitentia mera, ob conscientiam peccati, & imminentis pœnæ solummodo; qualis fuit Iudæ: qui planctus eleganter depingitur, Apocal. 6. v. 15. 16. & 17. Quod autem de omnibus tribubus dicitur, scripturę more, non simpliciter, sed secundùm quid, de majori earum parte, intelligendum. Atque hunc reditum Christi ad judicium confirmat Ioannes, primùm voto suo synonymia quadam, cum addit; *etiam Amen*: quemadmodum Apocal. 22. 20. Deinde Christi testificatione, qua divina illius natura asseritur: primùm ęternitate; quia est alpha & omega, id est, principium & finis, & quod eodem redit; qui est, qui erat, & qui venturus est: nam in α & ω, metaphora à literis petita, idem de Filio asseritur hoc in loco, quod passim in Vet. Testamento, à Prophetis Patri tribuitur, cum primus & ultimus nominatur. Deinde divina Christi natura, demonstratur etiam omnipotentię attributo Deo proprio, cum ait: *ille παντοκράτωρ omnipotens:* ideoque & illius testimonio credendum est, & illi tanquam διαθέσθαι, reditus ad judicium convenit, v. 8. Atque hac confirmatione finitur Exordium, tanquam prima Apocalypsis pars, inscriptione, dedicatione, & salutatione constans. Cui altera, quæ principalis est, adjungitur, videl. tractatio seu narratio revelationum illustrium septem de statu Ecclesiæ Christianæ. Ea autem continet Apocalypsis seu revelationis partim communes circumstantias, partim modos varios. Circumstantia prima est subjectum recipiens, Propheta, cui revelatio contigit; qui ad authoritatem operis, & ad consolationem Ecclesiæ, variis calamitatibus obnoxiæ, describitur, adjuncto nomine Johannis, & conjunctâ communione cum Ecclesiis Asiæ, primùm in religione, deinde in statu, & præstito officio. Communio in religione est, quod eorum esset frater, nimirum spiritualis, quod per communem fidem in Christum, eundem haberent in cœlis Patrem, Matth. 23. v. 8. 9. Galat. 3. v. 26. & in terris eandem matrem, cœlestem Hierusalem, Galat. c. 4. v. 26. hoc est, Ecclesiam cœlitus regeneratam. Communio altera, in statu utroque, & humili & glorioso posita: humili quidem, quod socius esset in afflictione ac persecutione: glorioso verò, quod socius in regno cœlesti, cui, persecutio ac tolerantia illius præstituta est via, Actor. c. 14. vers. 22. Matth. 5. v. 10. Verùm quia non pœna facit Martyrem, sed causa, 1. Petr. 4. v. 15. 16. nec causa sola, sed causæ comes, fidelis tolerantia, Deo gratum & salvum facit, Heb. 10. v. 36. Matth. 10. v. 22. Luc. 8. v. 15. & 21. 19. Jacob. 1. v. 4. 12. idcirco communionem tolerantiæ, & quidem Christi annectit. *Tolerantia* autem *Christi* variè exponi potest: ut Christus sit, vel illius efficiens, putà tolerantia Christi, quam Christus requirit ac præcipit; aut ut sit finis, tolerantia Christi, id est, propter Christum, *ut crux Christi*, id est, propter Christum appellatur: aut ut sit objectum, & ὑπομονὴ notet *expectationem*, quæ moræ tolerantia: quomodo ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ, 2. Thessal. cap. 3. vers. 5. noster interpres vertit, *expectationem Christi*, quod non malè regno adjicitur: nam ut illud habemus hic jure hereditario, (quia Filii Dei, Rom. 8. 17.) deinde facto, cùm perfectè, in capite nostro Christo, Eph. 2. 6 tum imperfectè & inchoatè in nobis; quatenus justificatione, sanctificatione, pace cum Deo, & conscientię gaudio, initia vitę ęternę in terris delibamus: ita complementum regni in nobis futurum per animę solutionem à corpore, ac beatitatem cœlestem, & corporis resurrectionem gloriosam, per fidem & spem patienter expectamus, Tit. 2. 13. Aut denique *Christi* vox accipi potest, ut subjectum notet; ac tolerantia non hominum, sed Christi virtutem designet, quâ nobis exemplo pręivit crucis, quam tulit, ac tolerantię, qua patienter pertulit, & regni quod ea viâ obtinuit 1. Pet. 2. vers. 21. Heb. 12. 2. 3. Qua ratione *Christi* vox per ellypsin usitatam τὸ κοινὸν, ad afflictionem, regnum, tolerantiam pertinebit: atque hoc modo earundem rerum communio declarabitur, quod ad scopum loci, & consolationem aptissimum & efficacissimum est, Matth. 5. 12. Iohan. 15. vers. 20. & 17. 33. Hebr. 12. v. 1. 2. 3. & 2. Timoth. 2. v. 12. ac similiter 1. Petr. 4. 13. dicitur: *sed quemadmodum communionem habetis afflictionum Christi, gaudete, ut & cum patefiet ejus gloria, gaudeatis exultantes*. Qua ratione prima Apocalypseos circumstantia, nempe Iohannes, cui ea Prophetia contigit, explicatur. Reliquę verò circumstantię, sunt locus & tempus. Locus est Pathmos Insula, una ex Sporadibus dictis, in mari Icario (quod vicinum Asię minori) posita, habens in circuitu triginta passuum millia, ut tradit Plinius Natur. histor. libr. 4. 12. Tempus autem indicatur, cum eò esset in exilium, à Domitiano Tyranno, ex Christi & Christianę religionis (quam Iohannes constanter profitebatur) odio relegatus: ut uno etiam ore antiquissimi Theologi, & Ecclesiastica historia attestantur. Idque indicat Iohannes cum ait, *propter sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi*, v. 9. de qua re actum, v. 3. Unde jam satis intelligi possunt Apocalypsis seu revelationis circumstantię loci & temporis communes, hoc est, quę ad universam Apocalypsin pertinent. Sequuntur jam revelationis modi varii, qui septem visionibus constant de pręsenti, & inprimis futuro Ecclesię Christianę statu. Quarum prima,

prima, usque ad caput quartum, particularem septem Ecclesiarum; reliquæ, universalem omnium, sequentibus describunt. Et in prima quidem revelatione ac visione notantur rei circumstantiæ, & res ipsa. Circumstantia autem est gemina, scilicet præparatio Johannis, ad recipiendam revelationem & tempus. De priori dicitur, *fui in Spiritu*. Quod accipitur bifariam; primum ut intelligatur Spiritus infinitus Dei: quemadmodum à Græcis dicuntur esse ἐν μούσαις, qui Musis correpti sunt: ita in Spiritu esse, qui à Spiritu S. correpti, & afflati sunt, sacro enthusiasmo. Id quod Camerario, & nostro interpreti placet: qua etiam de causa *Spiritus* vocem, majusculâ litera, hoc in loco notant. Secundò accipi potest pro Spiritu finito & humano, hoc est, Johannis anima seu intellectu: Idque aut, ut *esse in Spiritu*, significet sacram Joannis meditationem & exercitium animæ, in precibus & meditatione verbi; aut ut denotet proximum receptæ Apocalypseos subjectum, nempe Spiritum ac mentem; ut ostendat revelationem hanc non fuisse externam, corporeis sensibus, sed internam, atque animæ objectum, ut Prophetis veteris etiam Test. accidit. Atque hoc modo reliquis locis, quibus hæc phrasis *esse in Spiritu & in Spiritu*, in Apocalypsi extat, probè convenit, ut Apocal. 4. 2. *fui in Spiritu*, & Apoc. 21. v. 10. & 17. 3. *abstulit me ἐν πνεύματι Spiritu*. Nam quamvis Apoc. 21. de Spiritu S. intelligi possit: quoniam factum illud Filio Dei rectè convenit, non tamen Apocal. 17. v. 3. quoniam illa correptio in Spiritu, effectum est Angeli creati, unius è septem, v. 1. qui per Spiritum S. agere non potest, sed ab eo agitur ac movetur. Quamobrem revelationis subjectum proximum denotatur, Iohannis Spiritus. Tempus verò est dies Dominicus; Quod quidam de primo die hebdomadę sacro; alii verò de die apparitionis Domini, scripturæ more, accipiunt. Hisce duabus circumstantiis res ipsa subjicitur, revelatio Christi, quæ Iohanni partim à tergo, partim à fronte contigit. A tergo quidem, Christi vox ac sermo: cujus indicatur primum magnitudo, serviens attentioni, quæ similitudine tubæ illustratur, v. 10. deinde forma, constans expositione, primùm causæ efficientis ac revelantis, ab æternitatis, proprio Deitatis attributo, quod sit α & ω, hoc est, (metaphorâ ab alphabeto petita) primus & ultimus, ut antea vers. 8. quæ laus soli Deo convenit, Esai. 44. v. 6. & 48. 12 deinde mandati declaratione cùm scriptionis hujus Apocalypseos, tum missionis illius, ad Ecclesias septem minoris Asiæ, quæ nominatim recensentur, vers. 11. Atque hujus revelationis à tergo factæ, effectum est, conversio: ut *videret vocem, quæ locuta erat*, hoc est, vocem proferentem, metonymicè, ut Johan. 1. v. 23. Nam quod nonnulli *vocem* propriè, *Videre* autem per catachresin Hebræam, sive Synecdochen sentire, & audita percipere, exponunt, illud non videtur congruere: quia vocem magnam tubæ instar jam perceperat satis, sed loquentem nosse desiderabat. Quare opportunè adjicitur revelatio à fronte facta, complectens visa & audita. Visa sunt res & persona: nempe *candelabra*, & *similis Filio hominis*. Et illorum quidem indicatur materia, quod aurea essent, & numerus, quòd septem: quod mysterium, Ecclesias septem Asiaticas, v. 20. adumbrat. Quarum præstantia, auro denotatur: quod ut fulgore & pretio reliquis metallis antecellit: sic quoque Ecclesia primùm per notitiam & confessionem veritatis salutiferæ, vitæque puritatem fulgeat; deinde pretiosa sit, coram Deo, Deique Filiis; utpote cùm pretioso Filii Dei sanguine sit redempta, & ex filiis Dei justificatis ac sanctificatis constet, v. 12. Alterum visum, est *similis filio hominis*. Quæ verba diverso modo accipiuntur. Nam primùm filium hominis, multi veterum & recentiorum definitè Christum intelligunt; quemadmodum κατ' ἐξοχὴν, frequentissimè sese nominat; quod, ut quibusdam placet, inter homines fuerit abjecta conditione, ut Esai. 53. & Psalm. 22. aut potius per excellentiam, non humilis conditionis, sed muneris: quod sit Filius ille promissus Evæ, Abrahamo, Judæ, Davidi. Alii accommodatius contrà indefinitè hominem aliquem interpretantur: idque ex eo verisimiliter probant, quod desit utrimque articulus υἱῷ ἀνθρώπου: ut Daniel. 7. v. 13. & 10. 16. ea significatione, filius hominis accipitur pro homine aliquo. Deinde *similem*, quidam ad Christum referunt, alii ad Angelum, qui personam Christi sustinuerit. Idque ex eo probare conantur, quod Jesus Christus Apocalypsin missam per Angelum suum Johanni significarit, Apoc. 1. 1. sed in eo hallucinantur, quod quæ de magna parte dicuntur de toto exponunt, ut v. 1. ostendimus. Nam Christum esse eum qui loquitur, ex illius descriptione, vers. 11. 17. 18. quæ Angelo competere non potest, satis liquet: ut enim humana figura, duobus Angelis stipatus, Abrahamo, antequam natus esset, exterius sese patefecit, Genes. 18. 2. 17. ita postquam in cœlos ascendit, non suo corpore proprio (quod in cœlis ad diem judicii permanebit, Actor. 3. 21.) sed sub specie humana, spiritui Iohannis interius objecta, sese revelavit, & hoc loco describitur, adjuncto vestitu, & corporis externa specie. Vestitus autem, muneri Christi designando conveniens, statuitur, primùm talaris vestis; quali solebant uti sacerdotes Levitici, Ex. 28.) ut sacerdotium Christi indicetur; quo partim functus est, sacrificio & precatione pro Ecclesia, in terris: partim jam fungitur, sui sacrificii intercessione ac benedictione, in sacrario cœlesti. Aliis tamen alia placet interpretatio. Quidam enim gravitatis & sapientiæ indicium fuisse opinantur: quemadmodum usus senatorum, scribarum & legis doctorum apud Iudæos, Marc. 12. v. 38. Nonnulli verò simul intelligunt justitiam, nobis induendam, qua velut munda veste, peccata nostra tegantur, ut Esai. 61. v. 10. *Induit me vestimentis salutis, & vestimento justitiæ circumdedit me. Quod sit velut sponsus in sacerdotali ornatu*: Psalm. 132. v. 11. *sacerdotes tui induantur justitiâ*, Ephes. 6. v. 15. *induti thorace justitiæ*. Sed prima, quam attulimus expositio simplicior & accommodatior, ut quæ utramque hanc quodammodo simul complectatur: talaris enim vestis, tanquam muneris gravitati conveniens, & justitiæ quasi typus, non frustra sacerdotibus in usu fuit: nec malè Christus sacerdos, hac vestitus specie, sese Iohanni revelavit. Cui accessit Zona aurea, quæ regale sacerdotium, & Christi Ecclesiæ vindicis potentiam, videtur indicare: nam ut sacerdotes legales Zona, opere Phrygiano, Exod. cap. 28. vers. 26. utebantur: sic reges militaturi, ut ajunt, Zonâ aureâ. Ac propterea etiam Angeli illi septem, Christi regis ministri, aureis quoque zonis ad pectora præcincti visi sunt, Apoc. 15. vers. 6. ut regum magnificentiam, primarii ministri quodammodo imitantur. Cum autem zona, præcingendis fluxis vestibus, & corpori confirmando, inserviat; Christi diligentia, promptitudo, & robur ad munus obeundum hic declaratur: quemadmodum Luc. 12. vers. 35. & 1. Petr. 1. vers. 13. hæc Metaphora præcinctionis lumborum, in usu est. Atque huc pertinet prophetia de Christi regno cœlesti, Psalm. 93. vers. 1. *Dominus regnavit, decore indutus est, indutus est Dominus fortitudine, & præcinxit se*. Sed quare Christus non ad lumbos ut moris, sed ad mammillas, & Angeli, Apoc. 15. ad pectus præcincti sint, obscurius est, nec temere asserendum. Nonnullis placet eo designari, primùm Christi & Angelorum puritatem: quod lumbi sint libidinum sedes, qui in hominibus peccatoribus omninò constringi debent; in Christo & Angelis justis, nullo modo. Deinde charitatis Christi erga Ecclesiam perfectionem, & constantiam notari putant; quod cor (cujus ad mammillas in pectore sedes) zona cinctum significet. Sed priori causæ, prophetia de Christo obstat, Esai. 11. 5. *Erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides zona renum ejus*: & visio Daniel. 10. vers. 5. huic consentanea. Quidam verò zonam auream de charitate exponunt, quæ auro denotetur, Apocal. 3. *suadeo tibi, ut emas à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*. quod ut zona corpus constringit: ita charitas Christum constringebat, & urgebat, ut salutem hominum quæreret: quemadmodum Paulus de se ait 2. Corinth. 5. *charitas Christi urget nos*. Alii verò de veritate, seu vera, de Dei essentia & voluntate, doctrina: quæ ex duabus mammillis Christi, videl. ex duobus Testamentis, quæ ex pectore Christi, tanquam perrenni fonte, nutrimentum vitæ æternæ accipiunt, haurienda est. Sed quod primùm attulimus, illud accommodatius apparet.

Atque

Atque hæc quidem de prima Christi, à vestitu descriptione, v. 13. Altera est à corporis specie, qua apparuit Ioanni; quæ inductione partium, & adjunctorum declaratur, cujusmodi fuerint caput & capilli, oculi, pedes, vox, dextra, os, facies. Caput & capilli, ab adjuncto candore, (cujus excellentia gradatim similitudine gemina, cùm lanæ albæ, tum nivis indicatur) describitur: quo modo Christi antiquitas, æternitas & sapientia, ideoque divina natura, communis cum Patre, quodammodo adumbratur: quemadmodum simili specie ac sensu etiam Pater apparuisse dicitur, Daniel. 7. 9. Nam quod nonnulli ad solam gravitatem & sapientiam (quæ in sensibus propter experientiam potissimùm elucere solet, Iob. 12. v. 12.) referunt, non sufficit. Quod verò alii caput notare censent, Christum esse caput Ecclesiæ, quod omnia impleat, Ephes. 1. v. 22. 23. & candorem illius munditiem ac sanctitatem, quam Ecclesiæ impertiatur: id alienius est à rei analogia, cum satis appareat, reliqua membra, quæ hic recensentur, non esse intelligenda de corpore mystico, Ecclesia, cujus Christus est caput, sed de persona Christi. Cujus secundo loco describuntur oculi, à similitudine flammæ ignis: quemadmodum in visione simili, Daniel. 10. v. 6. oculi ejus similes tædis ignis, hoc est, ardentibus. Ut autem in igne habemus lucem, qua illuminat, & calorem, quo calefacit: & sic partim probat ac purgat admota; partim consumit: ita denotatur Christi, corda & renes scrutantis ac probantis, sapientia, & in suis curandis, & auri instar purgandis, gratia; & contrà in adversariis, quasi fœno & stipulis perdendis, ira ac potentia, ut ex capitis 2. 18. 19. 23. collatione apparet. Atque huc pertinent similia loca, Psalm. 34. v. 16. 17. *oculi Domini super justos, vultus autem Domini super mala*: item *Deus ignis consumens est*. Deut. 4. 24. & Hebr. 12. 29. Hæc de vers. 14. Tertio porrò loco describuntur pedes, duplici similitudine; primò chalcolibani, deinde ignis. Chalcolibanus autem composita vox est ex χαλκὸς, id est, *æs*, & λίβανος, quæ vox notat primò arborem thuriferam, deinde stillam illius, sive thus, à λείβω, hoc est stillo. Cæterum pro diversa vocum acceptione, varia exurgit expositio. Nam Arethas Græcus enarrator Apocalypseos, hoc loco duas adfert sententias; unam χαλκολίβανον æs in monte Libano fabrefactum notare; id quod noster interpres ea de causa refutat, quod nusquam legerit in Libano fuisse ærifodinas: sed potius in montibus, qui Palæstinam ab Arabia Petræa dirimunt. Altera sententia est, thus intelligi, quod æris speciem habeat: id quod Medici *masculum* appellant, quod & ipsum igni adsimile, suffumigationes suavis emittit odoris. Quam significationem huic loco maximè convenire, contendit Anton. Nebrissensis qui addit apud Orpheum in hymnis frequentem esse titulum χαλκολίβανος, in Apollinem, in Latonam aliosque Deos, id est, *masculum thus*, sive *masculi thuris sacrificium*: quemadmodum apud Virgilium in Bucolicis;

Verbenasque adole pingues & mascula thura.

Denique Suidas χαλκολίβανον ait esse speciem electri, auro pretiosiorem, mixtam auro, vitro & lapide. Quid autem electrum sit, Plin. lib. 33. c. 4. docet, ubi de auro ait: *ubicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur, &c.* item, *fit & cura electrum, argento addito.* Ego verò hoc tempore adhuc ἐπέχω. Prima tamen sententia probabilis videtur, si similes visiones, Ezech. 1. 7. & Daniel. 10. 6. conferamus, ubi dicitur; *pedes ejus, sicut color æris politi*, hoc est, fulgentis: utut sit, pedum splendor flammeus denotatur. Cui consentit altera similitudo, qua pedes dicuntur quasi in fornace ardentes, ut Apoc. 10. v. 1. Ad significationem verò hujus mysterii quod attinet, justitia & potentia Christi invicta, in exequendo munere denotari videtur: ut enim pedes, processum notant: ita fulgur, justitiam: ardor, potentem severitatem, in castigationibus Ecclesię & pœnis hostium eleganter depingit. Atque huc pertinet locus, Apocal. 2. 18. *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & cujus pedes sunt similes chalcolibano.* Cui congruit, vers. 23. *Ego interficiam morte.* Nam quod quidam pedes de humana Christi natura, alii etiam de Apostolis exponunt: quod ut pedes sustinent corpus, ita fundamentum sint Ecclesiæ: illud alienius esse apparet. Porrò quarto loco vox describitur, comparatione aquarum multarum: quemadmodum Daniel. 10. quæ, ut vento, fluxuque agitatæ, murmure magno ac terribili sonant: ita Christi magnificentia denotatur, quemadmodum v. 10. vox illius magna, tubæ instar fuisse dicitur. Quibusdam tamen videtur Euangelium Christi, per universum orbem sparsum denotari: quod non magis coërceri possit, quàm aquarum copiosarum sonitus. Sed prius verisimilius. Hæc de v. 15. Quinto describitur dextra Christi manus, ab adjunctis septem stellis, hoc est, ut v. 20. septem Angelis ac pastoribus Ecclesiarum Asiæ; qui stellarum instar, in tenebris hujus mundi, hominibus luce doctrinæ & vitæ prælucent. Dicuntur autem esse in dextra Christi manu, quoniam eos habet in sua potentia, tanquam omnipotens Dominus, & sub cura sua tanquam supremus Ecclesiæ pastor: quomodo oves suas in manu habere docetur, cum ait Iohan. 10. fore ut eas nemo è sua manu eripiat. Sextò os illius describitur, ab adjuncta ancipite romphæa inde prodeunte. Qua notari censent plerique verbum Dei & Euangelium, ut Hebr. 4. 12. Ephes. 6. v. 17. Sed tamen potius apparet, sententiam Christi judiciariam (quâ adversarios suos conficiet) denotari: quemadmodum indicat similis locus, Apocal. 19. 15. ubi de Christo etiam dicitur, *ex ore ejus prodibat gladius acutus, ut eo percuteret gentes. Ipse enim reget eos virga ferrea; & is est, qui calcabit lacum vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis.* Septimò ac postremò describitur Christi facies, similitudine Solis in suo vigore, hoc est, in meridie constituti & cœlo maximè sereno, v. 16. Similis verò locus, Jud. 5. 31. quæ species gloriæ cœlestis, Matt. 13. 43. & majestatis Christi index, ut Matth. c. 17. 2. Actor. 26. 13. Quomodo etiam Angeli specie apparuit, Apocal. 10. 1. ad reverentiam majorem & ad consolationem; quod videlicet, ut sol vigens, luce sua recreat: ita Christus suam Ecclesiam, ut Psalm. 4. v. 7. vultus sui lumine exhilaret ac foveat. Hinc igitur apparet, quis fuerit vestitus, & quæ species corporis in hac Christi visi revelatione. Cujus eventus adscribitur geminus; primus est Iohannis consternatio, ex hac visione orta: *Cùm*, inquit, *vidissem eum, cecidi ad pedes ejus, veluti mortuus.* Qualem etiam perturbationem contigisse legimus Esaiæ, Ezechieli, Danieli, Esa. 6. 5. Ezech. 2. 1. Daniel. 10. 9. & in Angelorum visione, piis mulieribus, Matth. 28. 4. Causa autem hujus terroris fuit, partim naturæ humanæ imbecillitas, partim peccati conscientia. Naturæ quidem imbecillitas; quod nisi fulciatur, splendorem illum & gloriam propter excellentiam illius, & rei novitatem percellentem ferre nequeat. Conscientia verò peccati; quod Deum per se, aut per Angelos judicem gloriosum, justumque peccatorum vindicem subitò concipiant: ut Esai. 6. vers. 5. Atque huc pertinet illud Iud. 13. vers. 22. *morte moriemur, quia vidimus Deum.* Atque hinc sibi plurimum gratulatur Iacob Patriarcha, Genes. 32. v. 30. cum ait, *vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Alter eventus est clemens ac benigna Iohannis confirmatio, à Christo facta: idque partim facto, partim sermone: facto, quod ei imposuit manum; & quidem dextram, qua stellas continebat; potentiæ & gratiæ, (qua ita consternato animum & vires restituit) indicem: quemadmodum Ezech. 2. v. 3. & Daniel. 10. 10. sermone vero, cùm consolatur: atque ita ad alteram revelationis hujus partem, nempe à visis ad audita, transitur, quibus illa explicantur.

Consolatur autem mandato duplici; primum positionis metus, quod confirmat descriptione suæ personæ, ab utraque divina & humana natura; & officii, cum se Christum esse, ostendit; eaque de causa Iohannis discipuli sui dilecti, non judicem severum, sed fautorem ac servatorem benignum: ideoque non terroris, sed gaudii materiam, cùm ipsi, tum Ecclesiæ, ut Apoc. 2. 8. 10.

Naturam autem divinam indicat v. 7. cum se primum & ultimum vocat: quod soli Deo convenit, absolutè æterno, ut Esa. 44. v. 6. Apoc. 1. 8. eoque modo capitis canitiem quæ apparebat, interpretatur. Deinde humanam describit naturam, à vita, per resurrectionem restituta, &

morte nempe pro nobis. Ac vitam repetitione apposita, ab æternitate amplificat, ut Rom. 6. v. 9. Quo similiter exponitur talaris species: quod sacerdos atque etiam victima fuerit, ac mortuus pro nobis, Johan. 10. v. 15. 17. & in cœleste sacrarium receptus, jam vivat in æternum. Officium autem regium declaratur à potestate, (quam metaphoricè *claves* vocat) inferorum & mortis: quod mortem & infernum superârit, 1. Cor. 15. v. 54. Heb. 2. v. 14. 15. ac jus habeat suos ab iis liberandi ac servandi, & contrà hostes perdendi: ideoque clavium non minister, ut alii, sed verè Dominus. Atque ita illustratur species zonæ aureæ, regalis ac militaris, & pedum, oculorum, vocis ac faciei mysterium, v. 18. Quare cum similis filio hominis esset Christus Dominus noster, non erat metuendus. Alterum mandatum, consolans adversus metum, est de fine visionis, videl. descriptione revelationis præsentis & futuræ, v. 19. ac præsens quidem ex duobus Christi adjunctis exponitur hoc loco. Jubet autem mysterium septem stellarum, & septem candelabrorum describi, atque interpretatur: *septem illæ stellæ, sunt septem Angeli Ecclesiarum:* h. e. metonymicè, eorum signa, ut Gen. 40. 12. & 41. 26. Angelos autem, hoc est, nuntios vocat, non cœlestes spiritus, sed Ecclesiarum pastores, qui à Deo emittuntur, ut Euangelium hominibus annuntient, ut Mal. 3. v. 1. Matth. 11. v. 10. Deinde septem candelabra, septem Ecclesias designant, typo convenienti: nam ut candelabrum, lucernis gestandis inservit: ita Ecclesia, luce verbi divini, Dei gratiâ per ministerium Euangelii instructa, Dei gloriæ & hominum saluti inservit. Idque adumbratum etiam apparet, aureo candelabro legali septem lucernis adornato, Exod. 25. vers. 31. quod Ecclesiæ Dei significationem habere videtur etsi aliò vulgò traducatur. Similis typus ac similitudo extat, Zach. 4. 2. Hæc de vers. ult.

Consectaria.

I. Cum Apocalypsis hæc Deum Patrem & Christum habeat authorem, divina illius authoritas agnoscenda est.

II. Apocalypsis data est, ut indicaretur servis Christi, quæ oporteret fieri citò. Ergò impurè faciunt, atque impiè loquuntur, qui quorundam obscuriorum locorum prætextu, eam κάλυψιν, non ἀποκάλυψιν vocant, & lectionem illius inutilem esse criminantur.

III. Angeli sunt Christi servi: ergo Christus eorum Dominus: ac propterea illi, ut conservi nostri, adorandi non sunt, v. 1.

IV. Joannes in Euangelio annuntiando, & Apocalypsi tradenda fidus est: Ergo ei fides est adhibenda, ejusque exemplum in nostra vocatione, fideliter obeunda, imitandum, v. 2.

V. Apocalypsis Prophetia est: Ergo Johannes Propheta.

VI. Beati sunt, qui legunt, audiunt, & observant eam: Ergo ejus lectio & scrutatio utilis: ideoque felicitati suæ & aliorum adversantur, qui eam negligendam omnino statuunt.

VII. In eo elucet Dei misericordia, quod Ecclesiam de calamitatibus imminentibus præmonet, ut tela prævisa minus feriant, v. 3.

VIII. Cum gratia & pax, à Deo Patre & Spiritu S. qui in conspectu throni Dei, & Christo petatur: Trinitas personarum, & unitas divinæ essentiæ confirmatur, v. 4 & 5.

IX. Christus est fidus testis: ergo ei credendum est: deinde princeps est regum terræ: ergo ei in omnibus obediendum, eique in prosperis & adversis fidendum: denique lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum: ergo aliud purgatorium perperam à Pontificiis confingitur, vers. 5.

X. Christus fecit nos reges & sacerdotes spirituales Deo & Patri: Ergo non amplius carni, mundo, Satanæ, pernitiosè serviendum: sed panopliâ Christiana iis repugnare, & nos ipsos animo & corpore sanctitatis hostiam Deo offerre debemus, Christumque in æternum celebrare, vers. 6.

XI. Cum Christus venturus sit ad judicium, omnesque tribus terræ, Christo & Christianis adversariæ, plangent: persecutiones nobis ab iis illatæ, fortiter ac patienter ferendæ sunt, nec præsenti, ac suppliciis æternis commutandæ impiorum felicitati, invidendum. Quam etiam ad rem pertinet, Psalm. 37. & 73. & Malachiæ locus cap. penult. & ultimo memorabilis.

XII. Christi reditus ad judicium, tanquam salutaris fidelibus, optandus est, exemplo Johannis, qui solenni voce Amen id vovet v. 7.

XIII. Christus est α & ω, principium & finis: Deinde qui est, qui erat, qui venturus est, (ut Pater, v. 1.) omnipotens. Ergo verus Deus, v. 8.

XIV. Fideles sunt inter se fratres & afflictionis ac regni socii in Christo. Ergo sese mutuò amare debent.

XV. In afflictione tolerantes esse nos decet, fretos causæ bonitate, Christi & Christianorum, cùm Apostolorum, tum aliorum societate atque exemplo; denique regni cœlestis consecuturi præmio.

XVI. Testimonium Jesu Christi periculorum & exilii metu omittendum non est: sed fortiter Johannis exemplo perhibendum, v. 9.

XVII. Christus divina sua essentiâ & auxilio suo in medio Ecclesiæ versatur, ut hic & Matth. 18. v. 20. & 28. 20. docetur. Ergo præsens est nobis; ideoque vicarium in terris non requirit, nedum Pontificem Romanum, v. 13.

XVIII. Cùm Prophetæ sancti, ad illustrem Christi visionem, infirmitatis conscii consternentur, sine justa causa, ut exposuimus: inde sequitur impios die ultimo, longè amplius conterrendos, licet jam protervè eum contemnant.

XIX. Deus suos ita interdum tentat, ut non deserat, sed potius confirmat.

XX. Christi adventus fidelibus non debet esse terrori, vers. 17.

XXI. Cum Christus sit primus & ultimus, qui vivit & fuit mortuus; sequitur verè esse Immanuelem seu θεάνθρωπον.

XXII. Christus habet claves inferorum & mortis: ac propterea ei fidendum est: si enim tantus est pro nobis, quis contra nos? Deinde ei obtemperandum est, ut iram ejus mortemque declinemus, v. 18.

XXIII. Cum Pastores Ecclesiarum sint Angeli Dei, & stellæ; non dominari Ecclesiæ, sed fideliter ac constanter, quod mandatum est, nuntiare eos decet: nec tenebris errorum & vitæ, Dei gloriam & Ecclesiæ sanctitatem obscurare, sed doctrinæ & vitæ luce in tenebris hujus mundi prælucere debent, ad gloriam. & Ecclesiæ in recta via salutis directionem, Matth. 5. 14. 15. 16.

XXIV. Cum Ecclesiæ sint candelabra, versic. 20. humiles esse eas decet & gratas: humiles; quod candelabri instar, luce propria careant: gratas; quod lucernâ ministerii & verbi Dei, Matth. 5. 15. sibi imposita, lucem sustineant. Quo etiam modo Ecclesia columna & firmamentum veritatis dicitur, 1. Timoth. 3. v. 15.

COROLLARIUM ac quæstio ex v. 4. & 8.

An & quomodo Christus sit αὐτόθεος.

Cum Deus Pater, Apocal. 1. v. 4. (ut & capit. 4. 8. & 11. 17.) vocetur ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος: idemque Filio attribuatur, v. 8. eamque periphrasin ortam constet ex Dei sententia, Exod. 3. v. 14. *sum qui sum*: illud quæri potest, an eodem omnino sensu, utrique conveniat; ut quemadmodum Pater citra controversiam, est αὐτουσία, αὐτόθεος, ita & Filius rectè αὐτόθεος appelletur. Nam quemadmodum λογομαχίας, & profanas κενοφωνίας, stultasq; & imperitas quæstiones, fugere nos decet, 2. Tim. c. 2. 14. 16. 23. sic rectus ac sanus vocum, quæ in Theologia usitatæ sunt, usus cognoscendus est; ne in errores incidamus, aut adversariorum contentionibus implicemur. Nam quemadmodum ab hæreticis olim: sic nostris etiam temporibus, variè hæc controversia, ad Christi & Christianorum contumeliam, agitata est. Quare ad uberiorem veritatis

veritatis intelligentiam & Filii Dei gloriam, pro modulo hanc quæstionem explicare conabor, à vocis origine & usu exorsus. Αὐτόθεὸς enim (accentu in ultima non penultima) vox antiqua est, non nupera. Nam ut apud Dionysium Areopagitam dictum, de divinis nominibus, cap. 11. extat αὐτοθεότης, sic αὐτόθεὸς apud Originem in Joannem tom. 2. p. 272. & Epiph. hæresi 76. contra Anomæos. Nam quod Gregorius de Valentia, in opusculis Theologicis, & in primam summæ Thomæ Aquin. partem p. 717. & Bellarm. de Christo lib. 2. cap. 20. hæresin 69. contra Ariomanitas citant, ne quis frustra quærat, memoriæ lapsus est. Hanc autem vocis αὐτοθεοῦ formam, à Scholæ Platonicæ (in ideis, poëtica licentia exprimendis) consuetudine, qua nomina cum pronomine αὐτὸς conflabant, fluxisse arbitror: quemadmodum ex Origene, & potissimum, ex Dionysio, Platonis æmulo, de divinis nominibus, c. 5. 6. 11. & Græcis illius interpretibus clarissimè apparet. Quo etiam pertinet illud Suidæ. Αὐτὸ ἔλεγον οἱ φιλόσοφοι τὸ κυρίως λεγόμενον καὶ τὴν ἰδέαν διὰ τ' αὐτὸ ἐδήλουν, αὐτοάνθρωπος λέγοντες, καὶ αὐτοδόξαστον, τὸ κυρίως καὶ μᾶλλον δόξαστον, &c. Sic Arist. Metaph. 7. c. 16. ait ideas declarari, addita rebus sensibilibus voce αὐτό. Ad sensum verò & usum quod attinet αὐτόθεὸς dicitur ipse Deus κατ' ἐξοχὴν, ut non solum Deum notet, sed etiam, ex pronominis præfixi usu, excellentiam Deitatis (ut etiam Callimach. hymno primo in Jovem ipsum vocat θεὸν αὐτὸν ἀεὶ μέγαν, ἀεὶ ἄνακτα *Deum ipsum semper magnum, semper regem*) idque bifariam, vel omni, ut creator, qui natura infinita Deus omniumque author: vel aliquo respectu, ut Angeli, qui gratia creationis & similitudinis officii cum Deo, *Dii* sunt ac dicuntur, quod primum sint conditi aliisque præfecti: hinc Angelus vocatur ipse Deus, relatè ad homines, qui etiam Dii appellantur. Quam distinctionem ex Dionysio de divinis nominibus hausimus capit. 11. pag. 404. & duabus sequentibus & Græcis illius interpretibus, Maximo & Pachymerio: ostendit enim quomodo interdum dicat, Deum esse αὐτοζωὴν interdum verò αὐτοζωῆς ὑποστάτην conditorem: αὐτοεῖναι, καὶ αὐτοζωὴν, καὶ αὐτοθεότητα vocari quidem Deum ἀρχικῶς καὶ θεοπρεπῶς: Angelos verò (quos providentes virtutes vocat) μεθεκτῶς participatione; unde etiam distinctè, cùm à Deo (quem ἀμέθεκτον αἴτιον appellat cap. 12.) αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν, tum distinctè ab hominibus, c. 12. αὐτοψυχὰς nominat. In qua distinctione, Dionys. indignè omnino, præter omnium bonorum autorum usum nugatur. Exposita jam vocis αὐτόθεὸς origine & usu, reliquum est ut propositæ controversiæ authores, & examen paucis consideremus. Author illius, quantum potui observare, fuit Origenes, qui in Euangelium Johannis, tom. 2. pag. 272. abutens illis verbis. θεὸς ἦν ὁ λόγος, de Patre ait; *dicendum enim est illis, quod* αὐτόθεὸς *quidem Deus ille est cum articulo:* nempe ὁ θεὸς) *propter quod & servator in precatione ad Patrem, inquit, ut agnoscant te, illum solum verum Deum. Quicquid verò est præter hunc, qui* αὐτόθεὸς *dicitur, participatione & communione divinitatis illius deificatum; non ille Deus cum articulo: sed Deus sine articulo, magis propriè dicendum esse: Quomodo omnino primogenitus omnis creaturæ, quippe qui cùm primus sit apud ipsum, attrahens divinitatem ad se ipsum, honorabilior & reliquis diis qui sunt præter ipsum, quorum ille Deus, Deus est, juxta id quod dicitur. Ille Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, dans esse diis, à Deo hauriens abundanter; unde ipsos efficiat Deos, & unde illis juxta suam ipsius bonitatem suppeditet. Verus igitur Deus est ille Deus cum articulo; qui autem Dii efformantur, ad ejus formam velut imagines quædam sunt primi exemplaris.* Et paulò post de Filio ait; *Haud quaquam Deus mansurus, nisi perpetuo permansisset in contemplatione paternæ profunditatis. Sed quoniam fortassis verisimile est, futurum ut multi offendantur, quia diximus unum esse verum Deum, nempe Patrem, & præter Deum verum multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo, præter datam differentiam, per quam Deus λόγος diximus reliquis omnibus Diis ministrum esse Deitatis, &c.*

Ex quibus apparet Origenem statuisse, Patrem αὐτόθεον, hoc est, ipsum Deum (nam non satis fideliter Interpres vertit, *per se Deum*) per excellentiam appellari, comparatum non solum cum creaturis, sed etiam cum λόγῳ, eoque solum verum & naturâ Deum: Filium verò & creaturas, participatione Deitatis: ac propterea Filium θεὸν γέννητον *Deum factum*, alicubi nominat. Qua de causa hoc arguit Epipha. hæresi 64. contra Origenem: & Hieronymus Origenem hæresis Arianę fundamenta jecisse, cum Epiphanio statuit: quamvis Origenes alicubi loquatur sanctius, sibique non satis, veritatis vi actus, constet. Origenem igitur secuti sunt Ariani, ut ante Concilium Nicenum, Eusebius de demonstratione Euangelica, libr. 5. cap. 1. 4. 12. 16. qui opponit θεὸν αὐτὸν, & θεὸν λόγον, & Patrem unum ac solum esse Deum propriè; Filium verò esse δεύτερον secundum Deum, qui extet à deificante ipsum Patre. Similia ab aliis Arianis Arioque prolata, ostendit Epiphan. hæres. 69. & 76. Nostris, verò temporibus ortus est Valentin. Gentilis, qui prothesi 8. ait; *solus Pater est* αὐτόθεὸς, *id est, à nullo superiore numine essentiatus, sed à seipso Deus.* & 12. *qui Filium* αὐτόθεον *esse contendit, is vel duo asserit principia, vel turrim Babel ædificet necesse est.* & prothesi XL. atque ultima: *unus Jehova Pater* λόγου, *& unus ille Deus Israel, synonyma sunt primæ personæ Trinitatis.* Huic accesserunt calumniandi potius libidine, quam erroris alicujus cum Arianis consensione observata aut probata, primùm Pontificius Genebrardus, qui hæresin nominat autotheanorum, ut Calvin. Zanch. Simlerum, Bez. Danæum traduceret. Quem quidam alii secuti sunt, inprimis Ægidius Hunnius, in Calvino Judaizante. Contrà verò Filium etiam αὐτόθεὸν sive αὐτοθεότητα, statuerunt orthodoxi Patres bifariam, partim κατὰ τὸ ῥητὸν, eadem voce; partim κατὰ τὴν διάνοιαν, eodem sensu, licet vocibus diversis. Et eadem quidem voce, ut Dionys. Areopagita dictus de divinis nominibus c. 11. quo loco Deum ἑνιαίως καὶ ἁπλῶς citra ullam personarum distinctionem consideratum, eoque Patrem, Filium, Spiritum Sanctum αὐτοθεότητα nominat: deinde Epiphanius hæresi 76. contra Anomæos de Patre & Filio ait; φύσις δὲ θεοῦ ἀΐδιος, ἀπαλλοτρίωτος ἔχουσα τὸ ἀξίωμα, οὐ διά τι ἕτερον, ἀλλὰ διὰ τὸ αὐτόθεος, καὶ αὐτοαληθ. ἄρα γε καὶ τὸ γέννημα ὁμοιόν ἐστι. Diversa verò voce, sed eadem sententia multis modis enuntiatur: Filius enim Dei vocatur, primùm αὐτοουσία *ipsa essentia* κατ' ἐξοχὴν, videl. divina, quæ primum ens est.

Arius enim filium appellavit alienum à patris essentia, & exclamavit πῶς οὖν ἡ αὐτὴ οὐσία τυγχάνει, hoc est, *Quomodo igitur ipsa essentia est?* ut testatur Epiphan. hæres. 69. p. 317. & 335. & Arii assecla, Marcellus; *si inquit, essentiæ est imago, non potest esse* αὐτοουσία *ipsa essentia*, Epiphan. contra Marcellia. hæres. 72. pag. 357. & Aëtius αὐτοουσίαν de solo Patre asseruit, ibid. hæres. 76. pag. 406. Contra verò Aëtium Epiphan. dicit pag. 413. *quapropter* αὐτοουσία *est Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & non* ἑτερουσία: & Basilius Magnus contra Eunomium libr. 4. p. 392. edit. Genevens. *si ingenitus, non est nomen essentiæ, sed* αὐτοουσία *ipsa essentia. Est autem Filius quoque essentia, fuerit quoque Filius ingenitus.* Deinde αὐτοζωὴ, *ipsa vita*, ut Basilius ibidem pag. 409. *si per Patrem vivit Filius, per alium, non per se vivit; qui verò per alium vivit,* αὐτοζωὴ *ipsa vita esse non potest: neque qui ex gratiâ factus est,* αὐτοάγιος *ipse sanctus. Fefellerit igitur Filius cum dixerit, ego sum vita.* Sicut de Spiritu Sancto, ait Gregor. Nazianzen. oratione de Herone Philosopho οὐδὲ ἐκ θεσμῆς ὁ ἁγιασμὸς ἀλλ' αὐτοαγιότης *ipsa sanctitas.* Ac rursus Basil. lib. 1. contra Eunom. ὄντως ὄντα τὴν πηγὴν τῆς ζωῆς vocat, & Apologia sua de discessu pag. 361. *Quicquid enim per alium vivit,* αὐτοζωὴ *esse non potest: quemadmodum neque quod ab alio calefactum est* αὐτοθερμότης *ipse calor esse potest. Christus vero & Deus noster dixit: Ego sum vita.* Tertiò αὐτοδύναμις; quod refert ac reipsa probat de Filio Epiphan. contra Marcelli. hæres. 72. pag. 358. Neque aliud sivi vult Basil. contra Eunom. libr. 2. pag. 339. editionis Genevensis, cum de Filio ait, ἐκ τῆς αὐτοδυνάμεως ἡ τοῦ θεοῦ δύναμις. Quartò αὐτοάγαθον *ipsum bonum*. Basil. ibid. pag. 335. hanc esse omnibus Christianis (qui hoc nomine quidem digni sunt) insitam anticipationem, Filium esse genitum, lucem ex ingenita luce refulgentem, & αὐτοζωὴν καὶ αὐτοάγαθον ex

θεῦ ex vivifico fonte, paterna scilic. bonitate: & Epiphan. contra Anomæos hæres. 76. pag. 407. de filio ait ὄνομα ἔχων αὐτοαγαθὸν ὑπὸ τοῦ αὐτοαγαθοῦ ὄντος. Quibus omnibus consonat Damasc. orthodoxæ fidei lib. 1. cap. 8. quo loco clarissimè Deum absolutè, & communiter tribus personis vocat αὐτοφῶς, αὐτοαγαθότητα, αὐτοζωὴν, αὐτουσίαν, ὡς μὴ παρ' ἑτέρου τὸ εἶναι ἔχουσαν, ἢ τί τῶν ὅσα ἐστιν. hoc est, *Non ab alio esse habentem, aut quicquam eorum, quæ est.* nam perperam interpres vertit, *sunt.* Quintò αὐτοαλήθεια, *ipsa veritas:* ut Nazian. oratione 2. de Filio pag. 216. *si enim illud solum verum Deum, de Patre ponis, ubi pones* αὐτοαλήθειαν. Similiter Origenes ab errore suo interdum declinans, in Joan. tom. 6. sub fine, in illa verba *sum veritas*, Filium vocat αὐτοαλήθειαν, pag. 290. editionis postremæ Basiliensis; & tom. 2. dialogo 3. de Christo homine pag 842. Sextò αὐτοσοφία *ipsa sapientia:* quomodo Deum ὑπερθέως & communiter tribus personis vocat Dionys. αὐτοεῖναι, αὐτοζωὴν, αὐτοδύναμιν, αὐτοσοφίαν, de divinis nominibus cap. 11. & Orig. in Joan. tom. 2. p. 272. de Filio ait, *cum sit ipse* αὐτοσοφία vel αὐτοῦ ἡς *ipsa sapientia, vel Filius ipse &c.* Denique αὐτοδικαιοσύνη, *ipsa justitia* appellatur à Bas. apolog. de discessu. *Filius vero* αὐτοδικαιοσύνη *& immaterialis*, inquit, *est.* Cui & illud addi potest octavò αὐτοτέλειον *ipsum perfectum*, & nonò αὐτοδόξα *ipsa gloria*: quæ ex superioribus attributis necessario fluunt. Ut enim Athanasius dialogo 2. de Trinitate pag. 80. de Patre ait θεὸς ὢν καὶ αὐτοδόξα: sic Epiph. contra Ariomanitas hæres. 69. pag. 341. ait de Filii Deitate, eam habere τὸ αὐτοδεδοξασμένον καὶ αὐτοτέλειον. Similia contra Marcellia: hæres. 72. pag. 358. recenset, convenienter suæ sententiæ: quo loco Filius αὐτοδόξα αὐτοβουλὴ αὐτοδύναμις vocatur; ut etiam à Nonno in Ioan. c. 1. carm. 40. λόγος αὐτοτέλεστος &c. Atque hæc de Patribus orthodoxis: quorum consensionem secuti sunt clarissimi Theologi Calvinus, Simlerus. Zanchius, Beza, Danæus, Pareus in Calvino orthodoxo lib. 1. cap. 9. aliique insignes doctores non panci. Ad rem, autem quod attinet, & controversiæ examen, hoc modo ratiocinamur; quicunque est ipse Deus, ac verè propriè & essentialiter Deus, ille est αὐτόθεος. Atqui Filius est ipse Deus, verè, propriè, & essentialiter Deus. Ergo est αὐτόθεος.

Propositio confirmatur ex genuina significatione & usu vocis αὐτόθεος apud eos Patres, à quibus ducit originem, ut antè demonstravimus. Quo etiam pertinet illud Justini Martyris antiquissimi Theologi qui hortatione ad Græcos p. 3. edit Commel. θεὸς αὐτὸς exponens, ait, *per pronomen* τὸ ὄντως ὄντα θεὸν *significans.* Assumptio deinde certa est. Unde & certa deducitur conclusio.

Secundo; quicunque est αὐτουσία, αὐτοζωὴ, αὐτοχρ..., αὐτοδύναμις, αὐτοαγαθότης, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοσοφία, αὐτοτέλειον, αὐτοδόξα, ille etiam est αὐτόθεος: Quia Deitas, & essentia illius atque attributa, sunt reciproca. Atqui filius est hujusmodi, ut ex vocum harum recta interpretatione & usu, ex superioribus, & ex Filii natura, quæ sacris literis describitur, Johan. 5. v. 20. & alibi, constat. Ergo est αὐτόθεος: quemadmodum etiam Patres rectè asserunt. Atque hoc adeo clarum & certum est, ut inter Pontificios Bellarminus, id apertè agnoverit, & Calvinum (in quem sæpius iniquus est frustra) ea in re defenderit adversus Genebrardum, hominem quidem eruditum, sed ad calumnias ac maledicta profusissimum. videatur Bellarmin. de Christo lib. 2. cap. 19.

Sed dicat aliquis, rectè dicatur, Filium esse αὐτόθεον hoc sensu, qui antiquitati atque usui vocis convenit; modum tamen loquendi reprehendit Bellarminus, quod Calvinus dicat Filium esse αὐτόθεον, hoc est, Deum à seipso, & impropriè ac durè dictum esse statuat in symbolo Athanasii; *Deum de Deo, lumen de lumine.* Sed contrà ineptè cavillatur Bellarm. Nam *à seipso esse* dicitur bifariam: aut positivè, à se effectum esse: aut negativè, esse ἀναίτιον, seu non esse ab alio effectum: priori modo nec Deitati, nec ulli convenire potest: quia contradictionem includit: posteriori necessariò Deo convenit: quia *Deitas est Ens primum, causæ expers, & causa omnium Entium*, ut nomen Jehovæ, & natura Dei, Exod. 3. & Apoc. 1. evincunt, & rotundè ac piè Anastasius & Cyrillus in compendiaria expositione fidei, *quid est Deus?* inquit, ὅτια ἀναίτιος, αἰτία πάντων τῶν ὄντων. Et Gregor. Nazian. oratione 2. de Filio τί τῶν ὄντων ἀναίτιον, θεότης: nemo enim posset causam Dei dicere. Sic ibid. cum Patrem vocat personæ Filii causam, hoc est, genitorem, Filii tamen Deitatem ἀναίτιον vocat. Deinde quod objicit Bell. Calvinum dicere malè, *Filium habere essentiam à seipso*; iterum cavillatur. Nam primùm, iis quæ adducit locis, non probat. Aliud enim est essentiam aliunde mutuari, quod Calv. ait; aliud habere: illud enim notat habere essentiam non naturâ, sed gratiâ. Deinde aliud est absolute loqui; aliud relatè ad certam materiam & phrasin ac sententiam adversariorum. Atque hoc modo, quidni ea relatione dicere liceat Filium essentiam habere à se? nimirum non quatenus vox *à* notat terminum: sic enim habet à Patre, communicatione, per generationem æternam; nec quatenus *à se* notat effectum positivè: sed quatenus tantùm notat metaphoricè negativè ἀναίτιον seu à nullo effectum, contra sententiam Valentini hæretici, qui fatebatur Filium habere essentiam à Patre, sed effectam, quod esset essentiatus à Patre: cui sententiæ contradixit Calvinus, asserens Filium habere essentiam communicatam & à se ipsa existentem, id est, à nullo effectam. Atque hoc modo loquitur Damasc. orth. fidei lib. 1. cap. 8. cum de Deo communiter dicit αὐτουσίαν: ὡς μὴ παρ' ἑτέρου τὸ εἶναι ἔχουσαν, *ut quæ ab alio esse non habet*, videl. effectivè, non autem communicativè: nam hoc αὐτουσίαν non infringit, sed maximè confirmat. Atque hæc sanè adeo solida sunt & perspicua, ut Gregor. de Valentia Pontificiorum Theolog. coryphæus idem stabiliat, ad primam partem Summæ Thomæ Aquin. disput. 2. quæst. 1. puncto 1. p. 718. *Tribuit*, inquit, *etiam Genebrardus hunc errorem Calvino lib. 1 inst. c. 3. sed revera, si attentè legatur tantum videbitur voluisse Filium, ut Deus quidem essentialiter est, ex se esse; & solummodo ut persona est, esse ex Patre: idque verum est Nam licet verissimè Patres & Concilia asserant, Deum esse ex Deo, accipiendo vocabulum Dei personaliter, ut sic significat quoque personam ipsam Patris & Filii: tamen Filius quatenus essentialiter Deus est, id est, ut est, illud unum simplicissimum quod est Deus, non est ab alio, quia ut sic, est quid absolutum. Quod si hoc tantum voluerunt alii hæretici, quos Autotheanos nominant, non esset cum illis hac de re certandum. Nam & in eo sensu videtur Epiph. hæres. 69. Filium appellasse* αὐτόθεον; *deinde pag 716. Filius non habet essentiam à Patre tanquam productam aut genitam, sed tantùm ut communicatam hoc ipso, quod Filius producitur subsistens in illa.* Atque hæc Gregorius de Valent. Quibus Bellarmini, lib. 2 19. de Christo, objectio egregiè refellitur, qua ait: *Si Calvinus asserit Patrem communicasse Filio essentiam, quomodo potest vere dicere, Filium habere à se essentiam?* Item, *si Filium dicit esse productum à Patre, quo modo potest negare essentiam & vitam in Filio esse à Patre?* Facile respondetur; esse quidem à Patre communicatam, sed non esse à Patre effectam, de quo controversia erat: ut antecedentibus Bellarminus ait: *Valentinus Gentilis perpetuò jactabat solum Patrem esse* αὐτόθεον, *& per hoc nomen intelligebat, solum Patrem habere essentiam verè divinam & increatam; Filium autem & Spiritum Sanctum habere aliam essentiam, productam à Patre; & ideo quoad essentiam eos non esse* αὐτοθέους. *Calvinus igitur occurrere volens Valentino, contrarium asseruit, nempe Filium esse* αὐτόθεον *quoad essentiam, id est, in eo sensu quo id à Valentino negabatur.* Ergo cum Calvinus respectu sententiæ adversarii ita sit locutus, sophistam agit Iesuita, dum absolutè accipit. quemadmodum etiam dum ait: *Si* αὐτόθεος *significaret eum qui est Deus à se ipso, certè nec Pater, nec Filius posset dici* αὐτόθεος. *Nam Filius non est Deus à se, sed à Patre, Pater etiam non est Deus à se, sed à nullo. Esse enim à se, est productum esse à se.* Hæc ille, sed observandum, *à se esse*, accipi, aut positivè, & ita vera est sententia Iesuitæ, aut negativè, ut denotet à nullo productum esse, per quandam similitudinem: quod quæ à nullo sunt, sint ac si essent à se: quibus modis diversis ait & negat Epiphanius. Nam Aëtium arguit, pag. 417. quod cum antè vocasset Deum ἀγέννητον, nunc vocet αὐτογέννητον, cum tamen se ipsum non fecerit: non quod absolutè damnet loquendi modum, sed quod

Sophistæ,

Sophistæ, vocum censori nimis rigido, neglectum proprietatis objicit, quemadmodum apparet ex antecedentibus, p. 407. ubi de Patre ait: καὶ τὸ ἀγέννητος, διὰ τὸ αὐτογέννητον, *& ingenitus, quia à se genitus*, id est, à nullo. Et Hesychius antiquus ac laudatissimus Lexicographus Græcus ait: αὐτογενὴς αὐτογένεθλος οὐκ ἔκ τινος γενόμενος. Item, αὐτολόχευτος θεὸς ἀγέννητος, αὐτογέννητος: quem sequitur Suidas. αὐτογέννητος ὁ θεὸς ἀγέννητος. Sic Deus Pater vocatur à Synesio hymno 6. αὐτολόχευτος, & à Nonno in Ioann. cap. 1. & 5. αὐτογένεθλος, & Ioan. 1. αὐτόφυτος, & Ioan. 3. αὐτογενής: quemadmodum & antea ex Orpheo Iustinus Martyr, hortatione ad Græcos, Pag. 12. & in Sibyllinis oraculis, lib. 1. αὐτογενὴς ἀγένητος. Quod etiam vidit Lactantius divinarum institut. lib. 1. cap. 6. *Verum*, inquit, *quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit: Consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus. Ideoque ab Apolline* αὐτοφυὴς, *à Sibylla* αὐτογενὴς *&* ἀγέννητος *&* ἀποίητος *nominatur. Quod Seneca, vir acutus, in Exhortationibus vidit; Nos inquit aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui, quod est optimum in nobis, animam debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit: Deus ipse se fecit.* Hæc ille. Improprie sanè & incommodè, licet Metaphoricè. Ex quibus omnibus liquere jam arbitror, temerè & iniquè, Pontificios nonnullos, & Ubiquitarios quosdam, in nostros Theologos invehi, quod Christum esse αὐτόθεον professi sunt: quum eodem sensu Patri & Filio competere demonstratum sit: neque eam vocem nostri sint commenti, neque aliter usurparint, quàm ut Deitatis Christi hostes, ea voce abutentes, refutarent.

CAPUT SECUNDUM.

QUemadmodum Ioanni Prophetę mandata est à Christo descriptio Apocalypseos rei præsentis & futuræ cap. 1. v. 19. & præsens deinde exposita est: ita jam futura describitur, complectens primùm septem Epistolas; ad septem Ecclesias Asiæ, de quibus. c. 1. v. 11. Quarum priores quatuor, secundo; tres reliquæ, tertio capite absolvuntur. Quæ, pro Ecclesiarum conditione temperatæ, sunt variæ. Nam Ecclesiæ illæ habuerunt potissimum, aut fideles ἀνυποκρίτους seu sinceros; qui vel reprehensibiles in aliquo fuerunt, ut epistola prima, tertia, quarta; vel irreprehensibiles ac sanctè vivebant, ut epistola secunda & sexta: aut potissimum hypocritas, ut epistola quinta & septima. Ac propterea scopus est varius, correctio vitiorum, aut confirmatio virtutum: methodus tamen communis, eademque. Constant enim præfatione epistolæ, & reliqua epistola. Et præfatio quidem mandatum scriptionis proponit: epistola verò primùm Exordium habet, quod authorem epistolæ, Christum (ad authoritatem & docilitatem comparandam) describit, accommodata materiæ periphrasi, petita ex aliqua visionis superioris parte: deinde tractationem doctrinæ, cùm propriæ ad particularem Ecclesiam, (qua Christi judicium de ea, & hortatio exponitur) tum communis, ad quosvis fideles. Quæ sigillatim reipsa demonstrabuntur. Nam epistola, quæ recensetur à vers. 1. ad 8. præfationem habet his verbis, v. 1. *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe.* Quibus scriptio præcipitur, & objectum indicatur Synecdochicè, Angelus Ecclesiæ Ephesinæ. Quomodo Ecclesiæ Episcopus seu pastor, ab officio vocationis & missionis divinæ, ad verbum Dei annuntiandum, Angelus, id est, nuntius (ut Apoc. 1. v. 20. & Malach. 2. v. 7. & 3. v. 1.) appellatur κατ' ἐξοχὴν, inter homines voluntatis Dei nuntius: alioqui frequentius de spiritibus cœlestibus usurpatur, qui distinctè Angeli sancti, Marc. 8. v. 3. electi, 1. Tim. 5. v. 21. Angeli è cœlo, Galat. 1. 8. dicuntur. Deinde simul complectitur gregem seu reliquam Ecclesiam: ut ex hujus epistolæ, & sequentis materia apparebit: Cui præfationi succedit epistola ἐπανορθωτική: scopus enim est correctio: Ac propterea Exordium eò spectat: Christus enim describitur his verbis: *Hæc dicit* (primùm) *qui tenet septem stellas in dextra sua*, ac deinde addit *qui ambulat inter septem candelabra illa aurea.* Quæ descriptio petita est ex cap. 1. v. 13. & 16. & 20. Cujus priori parte, Christi in septem Ecclesias Asiaticas dominium seu potestas, potentiæ conjuncta: posteriori præsentia ac scientia: utroque cura denotatur, ut ex antecedentibus apertum est. Quæ ad reverentiam & resipiscentiam excitandam opportunè adhibentur, v. 1. Exordium subsequitur tractatio doctrinæ: ac primum particularis, quæ ad Episcopum & Ecclesiam Ephesinam peculiariter pertinet: & primò: Christi judicium de Angelo proponit, partim laudis, partim vituperii. Laudis, non ut aduletur ac corrumpat: sed ut eo approbationis suę judicio, acriori stimulo, ad officium revocet. Laudat autem à virtute: quam primùm generatim proponit. *Novi*, inquit, *opera tua*, nempe κατ' ἐξοχὴν, bona, quod deinde partim ac speciatim exponit, Christianâ patientiâ & zelo sancto. Patientiam denotat labore & tolerantia: zelum verò, seu fervens gloriæ studium declaratur, partim animo, quod non possit ferre malos, partim facto, per disciplinam Ecclesiasticam: primum quod explorârit Pseudoapostolos, qui se dicunt esse Apostolos, nec sunt: deinde, quod compererit eos esse mendaces: qui nec vocatione, nec doctrinâ essent Apostolicâ præditi, licet utrumque præ se ferrent. Intelligit autem subdolos illos Pseudo-Apostolos Judæos, quales arguuntur à Paulo 2. Cor. 11. v. 13. Hæc de vers. 2. Cæterum hanc laudem patientiæ & zeli Christiani, illustrat & exaggerat bifariam: primum à fine, quod propter nomen Christi laborârit: non enim pœna, sed causa facit martyrem: deinde à constantia quam objectis periculis ac difficultatibus indicat, & metaphora insigni, ab athletis desumptâ, (quod laborârit, nec defatigatus sit) illustrat. Veruntamen cùm vers. 2. dicatur, non posse ferre malos; hoc autem loco asseratur tulisse & tolerantiam habere, videtur esse contradictio, sed conciliatio expedita est: priori enim statuitur, ipsum non potuisse, nempe æquo animo, & quantum in ipso erat, ferre malos; sed obstitisse pro virili: hoc verò loco tulisse ipsorum molestias renitentem, adeo ut pro Christi nomine laborârit, vers. 3. quæ laus est virtutis egregia. Deinde adjicitur vituperatio: quæ generatim indicatur, cum ait: *sed habeo adversus te*, nempe, τοῦτο, *hoc*, aut τὶ *aliquid*, ut nostro interpreti placuit, ex v. 14 simili, ellipsis suppleri potest: hoc est habeo, quod in te desiderem ac culpem, etiamsi in nonnullis laudem. Deinde explicat particulatim, dicens; *quod charitatem tuam omiseris*, nimirum non simpliciter, sed secundùm quid ratione gradus & fervoris, cum in habitu animi, tum in usu seu operibus illius: ideoque addit distinctè, *primam*: ut postea priorum operum meminit, ut comparatè jam imparia ac minora esse indicet, vers. 4. Atque ita finitur Christi, de Angelo Ecclesiæ judicium: ex quo deinde aptissimè concluditur hortatio: quę primum proponitur, deinde confirmatur. Propositio autem est hortatio ad conversionem: quę uti bimembris est, ac duobus quasi gradibus constat, ita & propositio. Hortatur enim ad agnitionem ac meditationem culpæ: deinde ad emendationem vitæ. Prius est: *memor itaque esto, unde*, hoc est, è quo charitatis fervore & gradu *excideris*; metaphora eleganti: posterius est: *resipisce, & priora opera facito.* Quæ ἐξηγητικῶς à nonnullis accipiuntur ac si eadem essent, ac priora verba posterioribus explicarentur: Verùm satius est & uberius, ut distinctè exponamus; nimirum ut resipiscentia ad animum relata, odium peccati & amorem virtutis designet: priora verò opera fructus resipiscentiæ notent, ut Matth. 3. v. 8. hoc est opera charitatis. Quæ propositio confirmatur, comminatione pœnæ immorigero inferendæ à Christo; primùm generatim, quod citò ei venturus esset; præsentia non corporis, quod cœlo ad diem judicii gloriosè asservatur, Actor. 3. v. 19. nec essentię divinę, quia ubique præsens advenire non poterat; sed præsentiâ vindicantis potentiæ, ut *tibi veniam*, adversus te veniam, designet, quod alibi dicitur *visitare iniquitates*: ut deinde speciatim exponitur; *movebo candelabrum è loco suo.* Quid autem candelabrum hîc notet, ambigitur. Quidam Ecclesiam interpretantur, Christo indice, capite primo versu 20; alii contrà officium episcopale; ut sit sensus, fore ut Episcopus à suo munere removeretur,

veretur, & alteri administratio committeretur: quemadmodum, Matth. 5. vers. 15. dicitur, lucernam poni super candelabrum; & Apoc. 11. vers. 4. de duobus testibus, *hi sunt duo candelabra.* Sed ut hæc loca episcopos notent; non tamen episcopatum. Neque video quid causæ subsit, quare hic, novam aliamque significationem meditemur, quam antea. Nam quod objiciunt: si candelabrum Ecclesiam notaret, puniretur Ecclesia iniquè, propter peccata pastoris: illud inquam facilè solvitur: siquidem communione pœnæ, communio peccati declaratur. Atque hoc est, quod initio hujus capitis monui, epistolam quidem ad Angelum Ephesinæ Ecclesiæ dirigi; sed ita tamen, ut etiam Ecclesiam complectatur. Sensus igitur hujus loci est, fore ut Ecclesia Ephesina (quod tandem contigit) suo loco moveretur ac sedibus repelleretur, nisi resipisceret, v. 5. Quam reprehensionem ac comminationem mitigat, aspersa laude zeli, quod hoc laudabile haberet, quod facta Nicolaitarum odisset. Cujus odii sanctitatem demonstrat convenientia in ea re cum Christo, vers. 6. Atque hoc modo hortatione absoluta, finitur doctrina particularis, ac propria Angeli Ecclesiæ Ephesinæ. Cui coronidis loco attexitur doctrina communis: quæ constat præfatione & propositione. Præfatione autem comparatur attentio, & omnes verè fideles ac regeniti, quibus aurem cordis Deus aperuit, provocantur ad audiendum: ut Matth. 11. vers. 15. & 13. vers. 9. partim à causa efficiente: quod verba sint Spiritus, hoc est, κατ' ἐξοχὴν, Spiritus increati, ac Dei, seu Spiritus Sancti, per quem Christus loquitur: partim ab objecto, quia loquitur Ecclesiis, ideoque doctrina communis est, ad eos quoque pertinens. Quid autem loquatur, propositio indicat, quæ promissionem complectitur, constantem declaratione objecti, seu cui promittitur, & subjectæ materiæ, seu rei quæ promittitur: ac priori officium Ecclesiæ: posteriori beneficium Christi, tanquam officii præmium indicatur. Objectum enim est victor, hoc est, fidelis ad mortem, ut vers. 10. qui contra hostes Spirituales, cum externos, mundum & ejus principem Satanam: tum internum, carnem seu veterem hominem, hoc est, innatam vitiositatem, ita panoplia Christianâ (de qua Ephes. 6. vers. 11.) certarit, ut fidem & charitatem conservarit ad vitæ finem, ut 2. Timoth. 4. vers. 7. 8. Subjecta materia ac victoriæ præmium, est ejus, Christi beneficio, esus ex arbore illa vitæ, quæ est in medio paradisi. Quæ verba allegoriam continent: siquidem paradisus Dei, non est propriè terrenus hortus, de quo Genes. 2. vers. 8. sed metaphoricè illo adumbratus, ac cœlestis, hoc est, cœlum denotatur, ut Luc. 23. vers. 43. *Hodie mecum eris in paradiso* & 2. Corinth. 12. v. 4. *raptus est in paradisum*, hoc est, v. 2. in tertium cœlum: nam ut paradisus non ab hominibus, sed à Deo fuit consitus; deinde locus fuit amænissimus vitæ & lætitiæ terrenæ: ita & cœlum non hominem, sed Deum habet authorem, Heb. 8. 2. & 9. 24. & vitæ ac lætitiæ æternæ sedes est, Matth. 25. v. 23. Idque indicatur, cum adjunctum illius subjicitur, nempe esus ex arbore illa vitæ. Arborem autem illam vitæ, non propriè accipi, ut Genes. 2. 9. sed Metaphoricè: & esum illius, fruitionem vitæ æternæ adumbrare, certum est. Verùm quidam per arborem illam vitæ Deum intelligunt; quod videlicet in Dei visione ac fruitione vita æterna consistat. Alii verò Christum mediatorem, quod videtur commodius, si quis cum v. 17. & cap. 22. v. 2. 14. conferat. Quoniam ut per Christi communionem inchoatam, habemus hîc in terris vitam gratiæ: ita per plenam & perfectam in cœlis, vitam gloriæ æternæ. Nam si sapientia, Prov. 3. v. 8. vocatur lignum vitæ, quod qui teneant eam, beati sint: & Prov. 11. 30. fructus justi, & Prov. 15. 4. sanitas linguæ, lignum vitæ appellentur: non immerito Iesus Christus arbor vitæ appellari potest: quia ut arbor vitæ, Deum solum habuit satorem, Genes. 2. deinde & in medio paradisi consita fuit: denique vitam edentibus corporibus tribuere poterat æternam in terris, Gen. 3. 22. ita & Christus, Dei potentia collocatus in medio Ecclesiæ triumphantis, in cœlo gloriosè residet, iisque vitam æternam donat ac perpetuat, v. 7. Hæc de prima epistola. Altera verò consequitur: cujus præfatio, objecto tantum, cui epistola scribitur, à superiori variat. Hoc autem est Angelus Ecclesiæ Smyrneorum, hoc est civium & incolarum Smyrnæ. Quæ urbs fuit Ioniæ, in Asia minori; de qua Stephanus de urbibus, & Geographi consulendi sunt. Quis autem hic Angelus seu Episcopus fuerit, non opus est ut curiosè inquiramus, re incertâ. Nonnulli Polycarpum martyrem, discipulum Ioannis Apostoli fuisse arbitrantur; quod circumstantiis temporis & persecutionis rectè convenit, ac probabilius, quàm quod nonnulli, v. 1. Angelum Ephesinæ Ecclesiæ Timotheum exponunt: quamvis enim Ephesi collocatus fuerit à Paulo, ut deterreret ab heterodidascalia, 1. Timoth. 1. v. 3. de qua actum, v. 2. tamen reprehensio, v. 4. sanctitati Timothei non congruit. Epistola autem ad Smyrnæos est παρακλητική, hoc est consolatoria; cui probè consentiens exordium, Christi authoris epistolæ descriptionem continet, ad consolationem comparata. Describit enim à natura divina & humana, ex cap. 1. v. 17, 18. divinam notat à proprietate æternitatis, *Ego sum primus ille, & ultimus:* humanam verò ex morte & resurrectione, quæ mortis victoria, v. 8. Deinde post Exordium, tractatio rei adjicitur. Ac primum, ad doctrinam particularem pertinens judicium, partim laudis, partim vituperationis complectitur: laudat enim Angelum, primum à bonis operibus, ut antea vers. 2. *Novi opera tua;* deinde à tolerantia crucis & malorum omnis generis, in corpore, bonis, fama: in corpore, per afflictionem; in bonis, per paupertatem ex facultatum, religionis odio, direptione; ut Heb. c. 10. v. 34. & 1. Thess. 2. 14. Nam quod nonnulli de paupertate spirituali figuratè interpretantur, alienius est. In fama; per Judæorum blasphemiam, hoc est, famæ læsionem ac maledicentiam. Cui laudi egregiæ, consolationem opportunam interserit: primùm adversus paupertatem, quod dives esset bonis spiritualibus, nempe partim internis, scientia, ac virtutibus fidei, spei, & charitatis, & conscientiæ tranquillitate: tùm externis, partim præsentibus, Dei gratia ac pace: partim futuris, gloria cœlesti, cùm animæ, tum corporis: ideoque verè dives in Deo; Luc. 12. v. 21. & 33. & Matth. 6. v. 19. & 19. 21. 1. Cor. 1. v. 5. & 1. Tim. 6. 18. Jac. 2. v. 5. Secundo consolationem addit adversus blasphemiam hostium, vituperatione eorum, à simulatione ac vana jactatione: quod se, adversus Smyrnæos gentiles ac Christianos, esse Judæos, legis peritos Deoque fœderatos, ut Rom. 2. 17. gloriarentur, cùm contrà non essent, hoc est, non essent genuinum Judæ & Abrahæ semen, secundum spiritum Rom. 2. v. 28. 29. sed Synagoga seu cœtus Satanæ, cujus ductum sequebantur: ut Matth. 3. v. 7. & 9. Ioan. 8. v. 39. & 44. Hæc de v. 9. & Christi judicio duplici, laudis Angeli Ecclesiæ, & vituperationis Pseudo-Judæorum. Cui judicio admonitio annectitur, dehortatione à metu, & adhortatione ad perseverantiam constans. Dehortatio autem primùm proponitur, deinde exponitur. Proponitur autem his verbis: *Nihil eorum metue, quæ passurus es.* Quibus futura perpessio, ut metus objectum prædicitur accommodatissimè, ut tela prævisa minus feriant; quemadmodum, Ioan. 16. v. 1. 4. à Christo declaratur. Deinde perpessionis illius adjunctum frequens, metus, prohibetur, nimirum non quivis; sed carnalis & immodicus: qui ex incredulitate ortus, officium Christianum impedit, ut Matth. 10. v. 28. Exponitur autem objectum propositum à suis causis, formâ ac fine; deinde ab adjuncta duratione. Forma est conjectio aliquorum ex ipsis in carcerem, à Diabolo, tanquam causa principali, Ephes. 6. v. 13. Ioan. 8. v. 44. qui ad eam rem utitur (tanquam princeps mundi infidelium) hominibus, Euangelii hostibus; è sua Synagoga, Judæis & gentilibus administris: ut vers. 9. & 2. Cor. 12. v. 7. Qua de re Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libro 4. cap. 15. Finis verò est tentatio externa, quæ ab externo principio. Estque aut divina ac bona, quæ à Deo, bono animo, bono modo, bonoque fine existit: aut Diabolica, quæ contrà. Utraque locum hîc habere potest: nam persecutiones inferuntur, à Diabolo quidem tanquam tentatore malo, Matth. 4. 3. & 6. 13. ad malum, ut Act. 5. 3. & 1. Cor. 7. 5.

& 1. Thess.

& 1. Thess. 3. 5. à Deo verò ut tentatore bono; qui malis etiam instrumentis bene atque utiliter utitur, ad bonum finem, Genes. 22. v. 1. Jacob. 1. v. 13. & 1. Petr. 4. v. 12. Quamvis autem tentatio accipi possit tanquam finis Diaboli, ut ejus declaratio, ad cautionem fidelium inserviat: accommodatius tamen est, ut de scopo Dei intelligamus: idque videtur innuere, quia non dicit, *ut tentet*, nempe Diabolus; sed *ut tentemini*, hoc est, ut vestra fides à Deo exploretur, ut Jacob. 1. v. 2. 3. Porrò afflictionis ac persecutionis duratio, *decem diebus* indicatur: idque Synecdochicè, pro tempore incerto, exponunt bifariam. Quidam enim ad amplificationem persecutionum pertinere putant, ut dies multos notet: quemadmodum, Gen. 31. v. 17. & 41. *mutavit mercedem meam decem vicibus*. 2. Sa. 19. v. 43. *decem partibus ergo major sum apud Regem*, Job. 19. 3. *En decies confunditis me.* Alii verò contrà, denarium numerum ad diminutionem referunt, ac decem dies, paucos denotare existimant; quod videlicet brevi duratura esset persecutio; quemadmodum decem dies multis opponuntur, Gen. 24. 55. Amos. 5. 3. & 6. 9. decem viri paucos notant. ut enim decas, monadi collata, multum est; sic contrà comparata centuriæ parum est: ideoq; diversa ratione ac relatione, contraria notare potest. Sed secundo loco alii exponunt decem dies de tempore certo: idque etiam duobus modis. Aut enim dies propriè accipiunt, qua ratione sensisse videtur Ambrosius quidam in hunc locum, cum ait: *Tempus, quo hæc persecutio crudelius sævitura erat, demonstrat.* Aut rursus, ut dies convenienter stylo prophetico, annum designet; ut Num. 14. 34. Ez. 4. 5. 6. Dan. 9. 24. ut ita decem anni imperii Trajani, ut eruditis quibusdam placet, intelligantur, quibus magna extitit persecutio, inde ab eo anno, quo Ignatius Antiochenus Episcopus, Joannis discipulus, martyrio affectus est, anno Christi 109. usque ad annum 119 initiumque imperii Adriani. Veruntamen quoniam cœpta per Trajanum persecutio, non diu duravit, sed Plinii secundi monitu repressa est, ut docet Tertullianus in Apolog. suo, verisimilius est, ut per decem dies, paucos intelligamus: quod accommodatum antecedenti fini, ad consolationem & dehortationis confirmationem pertinet, ut 1. Cor. 10. v. 13. Adhortatio verò ad perseverantiam, propositione & confirmatione absolvitur. Propositio officium complectitur, *Esto fidelis usque ad mortem:* Fidelis autem est, qui fidem servat. Fides autem est aut dictorum factorumque constantia; aut fides vera in Christum. Utravis intelligatur, eodem res, hoc quidem in loco, redibit; sed prius accipiendum videtur, ut fidum ac veracem in debita ac promissa confessione Christiana, & vera religione, per fidem & charitatem conservanda, intelligamus, ut Apoc. 2. 13. quemadmodum fidelis & verus connectuntur, Apoc. 3. v. 14. & 19. 11. & 21. 5. Hanc autem fidelitatem ad mortem usque requirit; qua ratione, aut simpliciter vitæ terminum notat; aut etiam termini illius modum, fore nimirum ut Smyrnensis Ecclesię Angelus, hoc est Polycarpus Episcopus, mortem pro Christo subiret. Qua de re Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap 15. consulendus. Confirmatio verò hujus hortationis, est promissio præmii vitę æternę. Quam per Metaphoram valde convenientem, atque ab athleris petitam, coronam vocat, quam Christus, certaminis fidelium præfectus, victori daturus est, 1. Cor. 9. 24. 25. Jac. 1. 12. & 1. Pet. 1. v. 4. 5. 6. Hæc de v. 10. & doctrina hujus epistolæ particulari. Universalis vero quę ad omnes fideles communiter pertinet, præfationem omnino habet, qualem, v. 7. & propositionem promissionis fidelibus factæ. Cujus objectum, ad quod pertinet, est victor, ut v. 7. Forma verò promissionis, est non affici injuria à morte secunda, hoc est æterna. Siquidem vita est prima, aut secunda: prima; ratione quidem animæ est justitia, Deique gratia seu benevolentia; ratione autem corporis, actus animæ: secunda verò animæ, est justitię, per peccatum amissæ, restitutio in terris, & gloriæ accessio in cœlis: ratione corporis, vita illius gloriosa ultimo die. Ita mors, opposita, vitæ duplex est, prima & secunda. Prima; ratione animę, est privatio justitię, & comitis illius, Dei gratię seu pacis cum Deo: ratione corporis, privatio vitæ animalis. Secunda mors, ratione animæ & corporis, est universalis privatio gratię & glorię Dei cum ęternis cruciatibus in inferno, Mat. 10. 28. Apoc. 20. 6. 14. & 21. 8. Qui autem vicerit, ab hac secunda morte non afficietur injuria, hoc est, per Metaphoram non lædetur; ut Apoc. 6. & c. 7. 3. & 9. v. 4. ideoque vitam habebit æternam, ut Mat. 10. 22. & Apoc. 2. 7. Porrò absoluta secunda epistola, tertia sequitur: cujus prefatio, objectum tantum habet proprium, Angelum videlicet Ecclesię Pergami. Quę urbs Mysię majoris olim celeberrima, Attalicorum regum sedes. Epistola verò epanorthotica est: cujus exordium Christum describit, ex iis, quæ cap. 1. v. 16. proposita, nimirum à judiciaria severitate, quod sententia oris sui condemnabit contumaces: id quod scopo, & versui 16. probè convenit. Hæc de vers. 12. Tractatio verò doctrinæ particularis, primum judicium Christi, cum laudis, tum vituperationis proponit. Laudat enim bona eorum opera, ut vers. 2. & 9. & confessionis Christi constantiam. Quam amplificat à periculo, primùm loci: quod degerent ubi thronus erat Satanæ, id est, ubi ministri Satanæ, infideles Euangelii purioris hostes dominabantur: deinde temporis, quo trucidatus fuit fidelis Christi Martyr, Antypas dictus: quod arguit verè Satanam homicidam, Joann. 8. v. 44. ibi habitasse, v. 13. Atque hæc quidem ad laudem primo loco pertinet. Deinde vituperat generatim, quod haberet adversus eos pauca, ut v. 4. speciatim verò neglectum disciplinæ Ecclesiasticæ, in Nicolaitas exercendę. Quos describit Metaphoricè, quod tenerent doctrinam Balaam, id est, ei similem, ut 2. Pet. 2. 15. Jud. v. 11. idololatria & scortatione: quemadmodum similitudine explicat, cujus portasis seu propositio ponitur v. 14. quę petita est ex Num. 25. 1. 2. & 31. 16. apodosis verò seu redditio, cum adjuncto Christi odio, v. 15. Huic reprehensioni admonitio ad officium succedit. Cujus propositio est, *resipisce:* confirmatio verò à comminatione pœnę inobedientię duplici, partim Episcopi, partim Ecclesię: *veniam*, inquit, *adversus te cito*, ut vers. 5. deinde Nicolaitarum, cum ait: *pugnabo cum illis gladio illo oris mei*, ut cap. 1. 16. id est, eos exterminabo, quemadmodum olim gladio Balaamum & Madianitas, Num. 31. v. 8. 16. 17. Hæc de vers. 16. & doctrina particulari. Universalis verò præter præfationem, habet propositionem promissionis: cujus objectum, ut in antecedentibus est victor; forma verò est bimembris. Primum enim membrum est, esus de manna abscondito, hoc est Christi plena in cœlis fruitio; qui ut Manna Israelitis ignotum erat, unde & nomen habet, Exod. 16. vers. 15. מן הוא *quid hoc*? ita Christus verè panis noster cœlestis, Joann. 6. vers. 32. ignotus, nisi à Patre gratuito reveletur, Matth. 11. vers. 25. 27. & 17. 17. quæ promissio convenit cum vers. 7. & opponitur esui impuro idolothytorum, de quo vers. 14. Secundum quod promittitur, est calculus albus, cum inscripto novo nomine, quod nemo novit, nisi qui accipit. Calculorum autem, hoc est, lapillorum usus erat antiquitus duplex; unus ad numerationem, alter ad suffragium: idque vel in judiciis, vel in comitiis. In judiciis quidem, albo eoque integro calculo seu lapillo reus absolvebatur; atro verò & perforato, ut doctiss. Camerarius probat, condemnabatur. Quod eleganter Ovidius libro Metamorph. 15. indicat, cum ait:

Mos erat antiquus, niveis, atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpâ.

Atque hinc usus manavit notandi & numerandi dies felices albo lapillo seu creta, de qua re Erasmus copiosè in Adagiis (*album addere calculum, & cretâ notare*) disserit. In comitiis verò, nomen ejus, cui favebatur, calculo, ut ad hunc locum observavit Erasmus, inscribebatur: quibus addit Arethas, in theatris ac stadiis certantibus ac vincentibus, dari solitum album calculum. Quod verò nonnulli non ignobiles interpretes carbunculum, aut gemmam interpretantur, refutationem non meretur. Hoc autem certum, à gentilium consuetudine, phrasin hanc derivatam: sed tamen variè exponitur. Plerique per album lapillum, absolutionem notari censent: quidam diem felicem, id est, vitam felicem & plenam veris voluptatibus: Arethas denique ad certamina spectari putat: quod an historia

antiqua probari possit, inquirendum amplius. Interim prima sententia maximè fluit, ut absolutio à reatu mortis denotetur, ac si diceretur, non intrabit in judicium, hoc est, condemnationem, Ioan. 5. v. 24. Rom. 8. 1. ideoque non lędetur à morte secunda ut ante, v. 11. Nam quamvis fideles, Dei judicio interno, propter Christum, sint à peccatis absoluti in his terris, ejusque sententiam habeant à ministris verbi Dei, sub fidei conditione promulgatam, & à Spiritu Sancto fidei authore in cordibus suis patefactam & obsignatam privatim, Roman. 8. ultimo tamen die judicii, absolutè ac simpliciter, coram universis Angelis & hominibus absolventur, Matth. 25. 34. Nomen verò novum lapillo inscriptum, quidam novum hominem seu imaginis Dei in nobis restaurationem intelligunt: sed temporis ratio obstat, quia post victoriam & mortem lapillus promittitur, regeneratio verò utrumque antecedit. Nonnulli deinde electionis obsignationem per Spiritum Sanctum interpretantur: sed eadem ratio obstat. Alii denique nomen *filii*, hoc est regni Dei hæredis interpretantur; quod Metaphoræ, à comitiis ductæ, (de qua re paulò ante egimus) optime convenit, & locis similibus: ut enim victores fideles ultimo die absolventur: sic etiam vocabuntur benedicti à Patre, & regni illius hæredes, Mat. 25. 34. qui etiam nomen Dei in fronte habituri, & regnaturi sunt in æternum, Apoc. 22. 4. 5. Hoc autem nomen novum est, hoc est renovatum; ut Ioan. 13. 34. & 1. Ioan. 2. 8. mandatum novum, eo sensu nominatur; & nemo hominum, nisi qui accipit, 1. Joan. 3. v. 1. 1. Cor. 2. 9. novit. Hæc de vers. 17. & Epistola tertia. Quarta deinde succedit: Cujus præfatio objectum Epistolæ Angelum Ecclesiæ Thyatirensis notat. Thyatira autem urbs minoris Asiæ, à quibusdam Mysiæ, ab aliis Phrygiæ attributa, de qua Geographi, Strabo, Plinius, Ptolomæus, consulendi. In qua urbe nullam, Joannis Apostoli tempore, fuisse Ecclesiam objecerunt Alogiani, & inde concluserunt Apocalypsin non esse Apostoli. Sed ut omittantur brevitatis causa, ea quæ habet Epiphanius hære. 51. negatur antecedens: imò quia Lydia Thyatirensis credidit, Act. 16. & Joannes in Asia minore vicinas civitates, Ephesum, Smyrnam & cœteras instituerit, cur non & Thyatiram iis vicinam? utpote cum diutissime vixerit; & antiquissimus scriptor Tertullianus contra Marc. lib. 4. has septem Ecclesias Asiæ, Joannis alumnas vocet. Cœterum hæc Epistola ἐπανορθωτικὴ est. Cujus Exordium, authorem Christum describit à persona, quod sit Filius Dei, & ex c. 1. 14 à potestate & severitate in adversarios, v. 18.

Tractatio verò doctrinæ particularis, judicium habet, primum laudis, cùm virtutum, tum progressus in iis, v. 19. deinde vituperationis, ob neglectum disciplinæ Ecclesiasticæ, in permissione impietatis Pseudo-prophetissæ. Quam videtur per Metaphoram, à similitudine potentiæ atque impietatis, Jesabel ex 1. Reg. 16. nominare. Cujus impietas ex effectis primùm describitur certis gradibus: quod doceret, contra ordinem sexus, 1. Corinth. 14. 34. 1. Timoth. 2. 11. deinde quod seduceret servos Christi, id est Christianos, ad scortationem & esum idolothytorum, eoque ad impiam Nicolaitarum doctrinam, v. 20. Deinde amplificatur à contumacia, vers. 21. & pœna varia: quam proponit suis partibus, & effecto illustrat. Pœna enim statuitur primum Jezabelis dejectio in lectum & mors: ut antiqua Jesabel miserè periit, 2. Reg. 9. 33. deinde eorum qui ipsam attingebant, cùm discipulorum, cum ea adulterium committentium maxima afflictio, nisi resipiscerent, v. 22. tum filiorum ex ea natorum, & impietatis sociorum, mors. Nam quod nonnulli filios, ut etiam adulterium, figuratè accipiunt, vers. 20. non convenit. Quę varia pœna illustratur, ab effecto utili, hoc est, duplicis Christi gloriæ, coram Ecclesia, illustratione, primùm quidem scientiæ divinæ, quod sit καρδιογνώστης: quę laus Deo propria, 1. Sam. 16. 7. & 1. Reg. 8. v. 39. deinde judicii ultimi, quo Nicolaitis hisce, ut reliquis impiis, daturus est secundum opera: cujus rei argumentum ac specimen, futura erat pœna temporalis, quam comminatur, v. 23. Atque ita finitur judicii, laudis & vituperationis illustratio: cui jam additur hortatio ac mandatum: & hujus quidem objectum sunt reliqui Thyatirenses pii, qui describuntur ab innocentia duplici: primum præsenti; quod non haberent, hoc est non sequerentur doctrinam hanc Nicolaitarum; deinde à præterita; quod non novissent, hoc est, ut Matt. 7. v. 23. non approbassent profunditates Satanæ: nam notitiam Paulus sibi & fidelibus tribuit, 2. Cor. 11. 10. 11. Profunditates autem vocat, ironiâ quadam, per μίμησιν imitatione adversariorum: qui ut suam hęresin impuram commendarent, profunditatem, quam scilicet imperiti non caperent, nominabant: quemadmodum contrà profunditas sapientiæ & scientiæ Deo attribuitur, Rom. 11. 33. & Spiritus profunda Dei scrutari dicitur, 1. Cor. 2. 10. Ideoque addit, *ut ajunt*, hoc est, gloriantur: quemadmodum ex ipsis Nicolaitis orti, similes, Gnostici, quasi scientes, à vana scientiæ professione appellati sunt, ut Augustin. de hæres. cap. 6. & alii docent. Veruntamen cum profunditas alia sit Dei: alia Satanę, fatetur Christus in hac Epistola profunditatem, hoc est profundam quandam doctrinam: sed ut ostendat, non esse divinam ac veram, sed fallacem (qualem Paulus, 1. Tim. 6. v. 20. arguit ψευδώνυμον γνῶσιν *falsò nominatam scientiam*) addit, *Satanæ*. Hisce autem fidelibus quid mandet, exponit primùm per aphæresin, cum ait: *Non imponam vobis aliud onus*, hoc est Metaphoricè præceptum, ut Act. 15. v. 28. 29. deinde per thesin, cum ait, *tantum quod habetis retinete*, *donec veniam*, scilicet ad judicium, &c. Idque confirmat à promissione generali ad omnes fideles. Atque ita transitur à doctrina particulari, quæ Thyatirensibus propria, ad doctrinam omnibus communem, quæ constat promissione & mandato; ut in antecedentibus, v. 7. 11. & 17. sed inverso eleganter ordine: quippe ut antecedentem hortationem etiam confirmet, promissionem præmittit, in qua describitur cui, & quid promittatur. Objectum cui est victor: quod exponitur, cum ait, *qui servaverit ad finem vitæ opera Christi*, hoc est ab ipso pręcepta: ut *opera Dei* dicuntur eodem sensu, Johann. 6. v. 28. & 29. ut circumstantiæ ostendunt; adeò ut locus ille, non de causa efficiente Deo per Spiritum, sed præcipiente fidem, per verbum, intelligatur. Res promissa est donum Christi duplex: primum in gentes infideles, regnum, cùm ratione juris ac potestatis, v. 26. tum ratione facti, seu potentis possessionis ac regiminis; quod reget eas, virga ferreâ domando, & ut vasa figuli conterendo: idque à simili regni Christi, de quo Psal. 2. 9. & Psal. 110. 3. Apoc. 19. 15. qui ut rex est regum, Apoc. 19. 16. sic etiam Ecclesiam reginam, Psal. 45. 11. & fideles reges fecit, Psal. 45. 17. Apoc. 1. 6. & 1 Pet. 2. 9. 2. Tim. 2. 12. Verùm quæstio hoc in loco exurgit, de regni hujus tempore, & modo. Quidam enim ad præsentem vitam referunt, qua sceptro verbi hostes veritatis prosternunt ac comminuunt, 2. Cor. 10. 4. 5. sed minus rectè; quia hæc potestas, de qua Ioannes, non pugnanti in terris, sed victori seu ad finem vitæ perseveranti promittitur: ideoque aliò non pertinet, quàm ad præmium post hanc vitam. Nam quod regeritur, Christum de iis loqui quos præscit perstituros, & Euangelii virgâ infidelium corda domaturos, illud argutius est, quàm verius: quippe præmia promittuntur à Christo, & in antecedentibus & alibi, non ratione prævisionis, sed conditionis perseverantiæ ac victoriæ: ut hoc stimulo ad officium adigat. Alii igitur ad cœleste præmium & futuram vitam accommodant: sed de regiminis modo, diversa sentiunt. Costerus in Enchiridio de veneratione Sanctorum, propos. 4. asserens constare ex Scripturis, Sanctos in cœlis regnantes, hæc terrena curare & administrare, hunc locum adducit, & inde concludit; *Datur itaque Sanctis authoritas impios cogendi, cohibendi, puniendi, & pios ex ipsorum manibus eripiendi.* Verùm hallucinatur Jesuita. Nam & à sociis hoc in loco deseritur, & malè concludit. Nam Christus loquitur quidem de regimine fidelium, veruntamen non statim à morte, sed die ultimo; quo cum Christo, mundum & principem mundi judicaturi sunt, assensu suo, 2. Corinth. 6. v. 2. & 3. & contritis omnino hostibus regnaturi sunt in gloria: quemadmodum in his terris, in medio hostium, regnarant in cruce & militia. Atq; hæc de

de vers. 27. & primo promisso dono. Alterum est stella matutina; quæ Metaphoricè sic dicta est, quam ineptè omninò quidam ex Esa. 14. de Diabolo; alii aptius de gloria & splendore cœlesti ex Dan. 12. 3. alii denique optimè de Christo exponunt: ut 2. Pet. 1. 19. Lucifer, & Mal. 4. oriturus suis sol justitiæ, & Apoc. 22. 16. stella splendida & matutina appellatur, v. 28. Denique huic promissioni subjicitur hortatio ad attentionem, vers. 29. atque ita caput secundum concluditur.

CONSECTARIA.

Ex Epistola Prima, quæ scripta ad Ephesinam Ecclesiam.

I. Christus in medio Ecclesiæ præsens est, ejusque opera novit ac curat: quare tanquam Deus noster & rex reverendus est, & coram eò sanctè vivendum, v. 1. & 2.

II. Ecclesiæ virtutes citra adulationem interdum candidè laudari possunt ac debent; ut in laudato officio fortius progrediatur.

III. Pastorum & Ecclesiæ est piè probeque vivere, ac crucem tolerare.

IV. Mali ac scelerati, doctrinâ aut vitâ, in Ecclesia ferendi non sunt; sed pro virili segregandi, ne bonis noceant.

V. Sed in disciplina Ecclesiastica vigere debet non solùm zelus, sed etiam charitas & ordo: ut judicio præluceat ac præeat examen, & experientia, qua convincantur, ne medicina salutaris abeat in venenum.

VI. Cum etiam Apostolorum temporibus nonnulli fuerint, qui se Apostolos mendacio jactabant: non est cur his temporibus, falsorum doctorum scandalo, ab Ecclesia resiliamus; aut facilè fidem iis adhibeamus, sed patientia, & prudenti examine malo occurrendum, v. 2.

VII. Assertores veritatis persecutioni obnoxii sunt.

VIII. In persecutione ferenda requiritur non solum laboris & pœnæ tolerantia, sed etiam causa justa, ut propter Christum feramus (quemadmodum etiam, 1. Petr. 2. docetur) & constantia, ne defatigemur, vers. 3.

IX. Fidelis pastoris est, non solùm Ecclesiam, ob veras virtutes, laudare candidè; sed etiam Christi exemplo, vitia simul ac serio arguere, ne laude ad superbiam abutatur: sed utrimque ad pietatem acuatur.

X. Charitatis zelus in Ecclesia paulatim defervere solet, vers. 4.

XI. Reprehensioni prudenter & utiliter hortatio, tanquam patefacto vulneri, medicina adjicitur.

XII. In peccatoribus, ad veram conversionem requiritur memoria lapsus, & resipiscentia, ejusque opera.

XIII. Ut Christus peccata Ecclesiæ diu ac patienter perfert: ita nisi repiscat, subitò & inopinatò adfuturus est ultor.

XIV. Cum Christus jam diu Ecclesiam Ephesinam reliquasque Asiæ punierit: solicitè ac piè vivendum est, ne nobis idem eveniat.

XV. Cum facta Nicolaitarum, Ecclesiæ Ephesinæ & Christo fuerint justè exosa: similiter Henrico-Nicolaitarum & Libertinorum facta impura, ex impuris dogmatis orta, detestari nos decet: ideoq; viderint quomodo Christo satisfacturi sint, qui iis favent ac fovent, v. 6.

XVI. Non omnes habent aures idoneas ad ea percipienda ac probanda quæ de Christo dicuntur: ideoq; orandus est Deus, ut nobis aures magis magisque aperiat.

XVII. Sic adversus nominis Christi hostes certandum est, ut victores evadamus: & certaminis difficultas ac molestia gravis, eventus præmii vitæ æternæ consideratione devoranda, v. 7.

Ex secunda Epistola, *Ad Smyrnæorum Ecclesiam.*

I. Cum Christus Servator noster & vindex, opera & afflictiones Ecclesiæ norit, illius ope freti, patienter crux ferenda est.

II. Paupertas religionis nomine, divitiarum spiritualium consideratione mitiganda est.

III. Ecclesiæ & fœderatorum Dei titulis falsò gloriari, non novum, sed antiquum est: ac propterea non est, cur iis magnopere moveamur, si idem à Pontificiis contingat, qui Ecclesię & Catholicorum nomine sese efferunt ac jactant.

IV. Ecclesia blasphemiæ adversariorum, inde à priscis Apostolorum temporibus obnoxia est.

V. Extra Ecclesiam est Synagoga Satanæ, vers. 9.

VI. Metus perpessionum imminentium Christi amore & timore frænandus est.

VII. Tyranni sunt Diaboli mancipia, cujus ductu in Ecclesiam Dei sæviunt.

VIII. Cum crux fidelium, eorum explorationi, & probationi fidei inserviat; ac deinde, & brevis sit, & salutaris: illius imminentis metus, horum consideratione, tollendus est fortiter, & præsentis sensus ferendus constanter.

IX. Non solum cœpto opus est, in pietatis studio ac stadio, sed etiam perseverantia ad finem vitæ.

X. Si corona vitæ, fideli ad mortem, à Christo promissa, ecquis locus est purgatorio fictitio, ubi cum longè acerbissimo incendio certandum defunctis animis confingunt, v. 10.

XI. Liberatio à morte secunda, ad mortem corporis pro Christo subeundam, armare & animare nos debet, v. 11.

Ex tertia Epistola, *Ad Pergamensem Ecclesiam.*

I. Ubi impura doctrina & vita dominantur, ibi habitat Satanas.

II. Fides in adversis est servanda: quique eam sanguine obsignant, meritò laude digni sunt, v. 13.

III. Neglectum disciplinæ Ecclesiasticæ in falsos Doctores Christus odit ac punit, v. 14. 15. 16.

IV. Scortatio spiritualis & corporalis facilè concurrunt, v. 14. & 15.

V. Mundi voluptatibus & honoribus non est invidendum: sed manna absconditum & calculus albus novumque nomen Christianis promissa, iis præferenda sunt, v. 17.

Ex Epistola quarta, *Ad Thyatirensem Ecclesiam.*

I. Piorum laus est in pietate & charitate, pręsertim erga fideles minimè deficere, sed proficere indies, v. 19.

II. Ut Christus ad lenitatis & justitiæ suæ patefactionem non statim punivit: ita neque illius servis statim urendum, secandum: sed falsis Doctoribus tempus ad resipiscendum concedi oportet.

III. Docere in Ecclesia, mulierem omninò dedecet, vers. 20.

IV. Falsos doctores eorumque asseclas Christus puniet: ac propterea commercium eorum, piè & prudenter, fugiendum est, v. 22. 23. 24.

V. Cum Christus sit scrutator cordium & judex justus: solicitè ac sanctè coram eo vivendum est, v. 23.

VI. Falsorum Doctorum est, suos errores speciosis profundæ scientiæ ac similibus titulis fucare: ac propterea ne decipiamur, Thyatirensium exemplo, vitandi sunt, v. 24.

VII. Doctrina à Christo semel tradita solummodo tenenda est: ideoque à traditionum aliarum fermento abstinendum, v. 25.

VIII. Cum Christi mandatorum observationem consequatur triumphus cœlestis de omnibus adversariis, & plena Christi in vita æterna fruitio: idcirco pietas constanter colenda, vers. 26. & 27.

COROLLARIUM de Nicolaitis.

Quoniam Apoc. 2. 6. & 15. damnata est à Christo Nicolaitarum doctrina, quę Ephesinam & Pergamensem Ecclesiam potissimum infestabat; idcirco pauca, ad pleniorem

rem intelligentiam, de Nicolaitarum authore & dogmate, ex veterum Theologorumq; monumentis exponenda sunt. Ac primum quidem illud extra controversiam est ex vocis Etymo, Nicolaitas à Nicolao appellatos: eum autem fuisse proselytum illum Antiochenum, Ecclesię Apostolicę Diaconum, de quo Act. 6. 5. veteres Scriptores uno consensu tradunt: sed in causa nominis variant. Alii enim verè, alii falsò ab eo nominatos Nicolaitas asserunt. Ac verè quidē, quod Nicolaus ille, hæresis eorum fuerit author, ut sentit Irenæus advers. hæreses lib. 1. c. 27. & Tertull. de præscriptionibus, & Hilarius in Matth. c. 25. & Hieronymus epistola prima ad Ctesiphontem, & 48. contra Luciferianos; denique Epiph. hæres. 25. qui etiam occasionem hæreseos illius hanc tradit, quod Nicolaus, cum haberet uxorem formosam, & ab ipsa se continuisset, ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, atque aliquotenus tolerarit, non tamen in finem suæ intemperantiæ dominari potuerit, sed volens velut canis ad proprium vomitum reverti, prætextus quosdam non ita bonos sibi ipsi venans, excogitabat, ad proprii affectus petulantię defensionem, ea quę magis ipsi conferebant:, deinde igitur à proposito elapsus, cum propria uxore rem habuisse minimè curiosè: postea verò erubescens se victum esse & veritatem deprehendi, audebat dicere, nisi quis singulis diebus venerem exerceret, non posset particeps fieri vitę æternę, &c. Epiphanium sequitur Philastrius & Damascenus. Contrà verò alii prisci Theologi tradunt, falsò ac sine culpa Nicolai quosdam homines impuros, ab eo sese denominasse Nicolaitas, ut hæreticorum more, honesto nomine, suas sordes velarent. Sic Ignatius epistola ad Trallianos & Philadelphos inquit, *qui falsò nomine Nicolaitæ dicuntur.* Etsi, ut obiter hoc dicam, epistolæ quæ extant Ignatii nomine, supposititiæ non temerè à multis eruditis Theologis censeantur. Deinde Clem. constitutionum lib. 6. cap. 8. *falsi*, inquit, *nominis Nicolaitæ*; quanquam hi (ut Ignatii) Clementis libri supposititii multis argumentis à viris doctioribus statuantur. Veruntamen Clemens Alexandr. Stromat. lib. 3. idem narrat, & quidem occasionem arreptam ex facto, dictoque Nicolai Quod cum formosam haberet conjugem, eique ab Apostolis exprobrata esset Zelotypia. in medium adducta muliere, permiserit, cui vellet, eam nubere. Ajunt enim, hanc actionem ei voci consentaneam, quæ dicit, quod carne uti oporteat, ejusque factum & dictum absolutè & inconsideratè sequentes, qui ejus hęresin sequuntur, impudenter effuseque fornicentur. *Ego autem*, inquit Clemens, *audio Nicolaum nulla unquam alia quàm ea, quæ ei nupserat uxore, usum esse, & ex illius liberis filiam quoque consenuisse virginem; filium autem permansisse incorruptum. Quæ cum ita se habeant, vitii erat depulsio atque expurgatio, in medium Apostolorum circumductio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypia: & continentia à voluptatibus (quæ magno studio parantur) docebat illud, uti carne, hoc est, exercere carnem. Neq; enim ut existimo volebant convenienter Domini præcepto duobus Dominis servire, voluptati & Deo. Dicunt itaque Matthiam quoq; sic docuisse: cum carne quidem pugnare, & ea uti (nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem) augere autem animam per fidem & cognitionem.* Hæc Clemen. quæ ex eo repetit ac probat Euseb. Eccles. hist. lib. 3. c. 26. & Theodor. hæreticarum fabularum lib. 3. c. 1. & Aug. de hæresibus c. 5. Nicephorus verò Callistus nutat, nam histor. lib 3. c. 15. Nicolaitarum authorem Nicolaum diaconum fuisse ait: sed alios tamen abusos ejus dicto, ex Clemente ostendit. contra verò lib. 4. c. 2. Nicolaum recenset inter hęreticos. Ex posterioribus etiam nonnulli dubiè loquuntur. Atque hæc veterum Theologorum de Nicolaitarum authore, & hæreseos impurissimæ fonte, discrepantia judicia, quæ posteri secuti sunt. Quidam enim, ut Centur. Magdeb. & Cæsar Baronius in annalibus Ecclesiasticis Clementis sententiam probant: alii verò, ut Lambertus Danæus ad Augustin. de hæresibus, Epiphanii narrationem longè probabiliorem arbitrantur. Verùm de utriusq; veritate fortasse non immeritò dubitari potest: neutrum enim, salvo peritiorum judicio, videtur verisimile. Nam ad Clementis narrationem quod attinet, quis jure credat Nicolaum, virum Ecclesiæ & Apostolis probatum & æstimatum, Spiritu Sancto plenum, Act. 6. 3. 5, 6. adeo impudenter insanivisse, adeoque Dei, sui, uxoris, & Apostolorum sanctitatis oblitum, ut objectam scilicet Zelotypiam, non aliter quàm uxorem coram Apostolis circumducendo, iisque prostituendo, studuerit diluere? Quibus accedit, quod posteriores multi Patres fidem huic narrationi non adhibuerunt: ut inde apparet, quod alia longè tradunt ac dissentanea. Neque Epiphanii magis probabilis apparet historia: nam pręterquam quod antiquiorum Patrum testimonio destituitur, & aliorum veterum Patrum recensione confutatur, plena est superstitione, quæ doctrinę Apostolorum & sanctitati Ecclesię Apostolicę minimè consentit. Nam primùm viguisse in Ecclesia Apostolica votum illud continentiæ; deinde Nicolaum jam conjugatum, nec sui juris, eam vovisse; denique reversum ad uxoris consuetudinem, ab Ecclesia petulantiæ convictum, divinis repugnat præceptis 1. Cor. 7. v. 2. 3. 4. 5. 9. 10. Nec ullo modo videtur credibile, Nicolaum, etiamsi stulto quodam & improviso impetu ac zelo, votum fecisset continentiæ, ab Ecclesia, quę rectius erat à Paulo instituta, fuisse reprehensum, aut etiam adeo fuisse imperitum, ut re diligentius perpensâ ignoraverit doctrinam Apostolicam, Ecclesiæ usum, suamque in voto concipiendo culpam, ut iis omissis, quo sese purgaret, omnem pudorem exuerit. Quamobrem utraq; de hæreseos occasione historia fabulosa videtur. Ac quamvis propter veterum consensum contendere nolim, non ausim tamen certò asserere, Nicolaum diaconum hæreseos illius authorem: cum enim Judæ & Apostolatus, & proditio, Sacris Literis consignetur; putarem Nicolai nomen non solùm in descriptione diaconorum, Actor. 6. sed etiam in scriptis Apostolicis indicandum fuisse, si ita res fuisset gesta ad Ecclesiæ cautionem: quemadmodum Hymenæi & Alexandri, 1. Timoth. 1. 20. & Hymenæi & Phileti, 2. Timoth. 2. 17. & Alexandri, 2. Timoth. 4. 14. fit mentio. Neque magnoperè moveri debemus Irenæi & Tertulliani authoritate hac in re.

Nam aliarum hujusmodi vanarum traditionum historicarum, partim authores sunt ex locis Sac. Scripturæ malè intellectis, partim Papiæ ductu. Nam ut alia præteream, quemadmodum ex Judæorum verbis, Ioan 8. v. 57. *quinquaginta annos nondum habes*, colligit ac tradit Irenæus, Christum vixisse plusquam annos quadraginta: ita forte ex loco Apocalypseos cap. 2. ubi Nicolaitarum fit mentio, à Nicolao diacono ortos constituit, aut ut traditionem similiter confictam credulus retulit: quemadmodum generalis & illustris est de hujusmodi credulitate Eusebii locus historiæ Ecclesiasticæ lib. 3. c. 36. cum de Papia ait: *Et alia quædam idem commentator tanquam ex viva traditione ad se relata, & peregrinas quasdam Servatoris parabolas & doctrinas cum aliis nonnullis fabulosis adjicit. In quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dicit, in quibus regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debeat. Quæ illum ex eo suspicatum esse puto, quod Apostolicas disputationes non rectè acceperit; nec quæ ab illis per hypodigmata dicta sunt, ritè considerarit, eo quod exiguo admodum esset judicio præditus, sicut ex ipsius libris indicium capi poterit. Attamen quam plurimis post se Ecclesiasticis viris [e]jusdem erroris causam dedit, qui ad antiquitatem ejus respexerunt, utpote Irenæo, & si quis alius consimilia sensisse deprehenditur.* Hactenus Eusebius. An vero Nicolaitæ ab illo Nicolao, falsa aliqua arrepta occasione ex dicto illius aut facto denominati sint; an verò ab alio, incertum. Ad dogmata verò quod attinet, præterquam quod de Deo & Christo multa absurda finxisse ab Irenæo, aliisque Patribus dicatur, hoc certum est, insignes fuisse eorum errores duos, scortationis & communionis idolothytorum, Apoc. 2. v. 14. 15. 22. Idolothyta autem appellantur ea quæ immolata simulacris: quorum esus fuit duplex, unus religiosus, alter communis. Religiosus erat, qui fiebat ex religione falsa in sacrificiis idolorum & sacris atque Eucharisticis epulis, de quibus 1. Corinth. 10. v. 20. 21. *quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolim autem*

vos

vos consortes dæmoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ Dæmoniorum. Communis verò idolothytorum esus erat in conviviis communibus; cùm quæ idolis erant immolata, in macello venderentur, non religionis ullius sed usus communis gratia: aut quę idolis essent immolata, in usum privatum & communem à gentilibus converterentur. Quorum prior esus, nempe religiosus, erat omninò & per se illicitus; de quo in epistola Apostolorum, Actor. 15. posterior verò communis licitus per se: sed interdum per accidens, conscientię imbecillis fratris præsentis ac monentis, illicitus, 1. Cor. 10. v. 23. 25. 27. 28. 29. Cœterum prior esus in Nicolaitis damnatur: ut Apoc. 2. 15. & 16. & ex collatione Balaami apparet. Sed hæc hactenus.

CAPUT TERTIUM.

EX septem Epistolis, ad Ecclesias Asiæ perscriptis, quatuor priores expositę sunt, cap. 2. reliquę verò tres ad Ecclesias, Sardianam, Philadelphiensem, Laodicensem, hoc capite tertio continentur. Ac prima quidem ἐπιστολικὴ sex prioribus versibus: cujus præfatio à reliquis, objecto tantum differt, Ecclesia Sardium. Sardes autem fuit metropolis Lydiæ, de qua Herodotus. Exordium epistolæ, accommodatè ad scopum, authorem Christum describit, ex c. 1. v. 4. & 16. ex septem, quę habet, cùm spiritibus, tum stellis. Ac per septem stellas, Ecclesiarum pastores notari eleganti Metaphora, ex c. 1. v. 20. & c. 2. v. 1. perspicuum est. Quid autem septem Spiritus Dei significent, obscurius est nonnihil. Quidam enim ἐκ παραλλήλου, seu eodem sensu, eosdem cum stellis putant: quemadmodum 1. Tim. 4. v. 1. & 1. Ioan. 4. v. 1. Ecclesiæ pastores ac doctores Metonymicè *Spiritus* vocantur, quod videlicet reipsa, aut opinione, spiritu Dei sint præditi. Alii verò diversos statuunt. Sunt enim qui Angelos illos septem, judiciorum Dei in terrarum orbem missos ministros intelligunt, Apoc. 8. 2. quos eosdem putant cum septem spiritibus Dei, Apoc. 4. v. 5. & & 5. 6. Sunt etiam qui Sp. Sanct. exponunt, ut c. 1. 5. quæ verisimilior sententia, ut ex iis, quæ ad illum locum annotavimus, apparet: Christus enim Spiritum Sanctum & universitatem donorum illius habere dicitur, non quidem simpliciter ratione humanæ naturæ, quatenus homo, & Spir. Sanctum accepit *sine mensura*, hoc est, Metaphoricè copiosè, Ioan. 3. 34. eo quod supra consortes unctus, Heb. c. 1. 9. nec ratione divinæ, quatenus ab æterno Sp. Sanctus ab ipso & Patre procedit: sed ratione οἰκονομίας divinę, & officii ac status exaltationis in munere mediatorio: quod habeat à Patre potestatem Spir. Sanct. mittendi in universam terram, eoque Ecclesiam regendi, tanquam summus Rex & Propheta, Ioan. 7. 39. & 15. 26. & 16. 13. 14. & 20. v. 22. Actor. 2. 33. Eph. 2. 8. Huic descriptioni Christi additur tractatio doctrinę, ac primum particularis, quę judicio & hortatione absolvitur. Judicium est non laudis, sed vituperationis: quia hypocrisin arguit, & in Ecclesiæ administratione negligentiam: quod nomine esset vivus sed reverâ mortuus. Vitam intelligit non corporis sed animæ, & quidem non naturalem propriè, quia ea est immortalis; sed impropriè per Metaphoram, justitiam, quę instar vitę est; quemadmodum contrà illius privatio, morti similis. Sic autem mortui dicuntur bifariam: vel absolutè ac simpliciter, infideles & non renati, Matth. 8. 22. *sine mortuos sepelire suos mortuos*, ubi elegans & acuta est antanaclasis seu ejusdem vocis primum impropriè & Metaphoricè, deinde propriè acceptæ quasi refractio opposita, & Rom. 6. 13. Eph. 5. 14. sic peccata *opera mortua* vocantur, Heb. 6. v. 1. & 9. 14. vel relatè & secundum quid; ut fideles in officio communi pietatis, aut singulari administrationis, ipsis commissæ negligentes, & ita peccatis quibusdam magis, quàm virtutibus addicti: adeò ut relatè, ad debitum officium, & ad antecedentem pietatis zelum comparatè, non vivere sed mortui dicantur, quod sint quasi mortui, quod opera mortua emineant, ac pietas quasi scintilla sub cineribus pressa lateat, ut 1. Tim. 5. v. 6. *quæ lascivit, ea vivens mortua est.* Quomodo etiam carnales interdum relatè dicuntur, non in quibus caro penitus dominatur; sed qui peccatis quibusdam, sine actione resipiscentię detinentur: ut Corinthii 1. Cor. 3. v. 1. 3. sic hoc loco Angelus mortuus dicitur, v. 1. ut ex sequenti etiam hortatione apparet: nam ut somnus mortis imago est, sic sopitum vocat mortuum: ideoque utitur voce *evigila*; deinde ait, *reliqua moribunda*, ac propterea nondum mortua; nec ipse etiam, cujus relatione reliqua dicuntur; deniq; opera omnino non negat, sed tantùm plena. Cœterum hortatio proponitur & confirmatur accuratè. Propositio est bimembris. Hortatur enim primò ad vigilantiam, utque è somno negligentiæ & securitatis carnalis excitetur ac vigilet: quemadmodum decet pastorem fidum, Luc. 2. v. 8. & prudentem Patremfamilias, Matth. 24. v. 43. secundò ad curam Ecclesiæ, ac nominatim infirmorum: ut confirmet reliqua moribunda, hoc est, eos qui paulatim (nisi occurreretur) à pietate deficerent ac perirent.

Hujus autem hortationis necessitatem, primum anticipatione objectionis confirmat. Nam ne exciperet; Atqui ego officium facio, ut homines norunt: idcirco ait, *opera tua non sunt coram Deo,* (nimirum justo judice, Luc. 16. 15.) *completa*, hoc est sincera, v. 2. Deinde hortationem repetitione illustrat, & comminatione amplius confirmat. Hortatur enim, cùm ad memoriam accepti verbi Dei, tum ad observationem & resipiscentiam. Id autem confirmat ab inobedientiæ contrariæ effecto noxio ac fugiendo, nempe consecutura eam pœna, *Quod si*, inquit, *non vigilaveris, veniam adversus te:* Quod amplificat ab adjuncto tempore, & modo inopinato, *tanquam fur; neque intelliges quâ hora veniam adversus te*, ut Matth. 24. 43. 44. & 1. Thes. 5. v. 2. 3. 2. Pet. 3. 10. Apoc. 16. 15. Sed hoc in loco, ut ante Apoc. 2. 5. & 16. non agit propriè de adventu personæ ad judicium universale; sed impropriè de adventu particulari, seu patefactione præsentis potentiæ & justitię in contumaces, vers. 3. Verùm ne reprehensio (quæ videtur totam Ecclesiam notare) & comminatio fit acerbior, anticipatione quadam, & mitigatione occurrit ac medetur: exceptione quorundam, & promissione: exceptione, laudat quod *quædam habuerit nomina* (hoc est capita seu personas: Metaphorâ, ab usu civili & militari, in subditorum nominibus adscribendis) Sardibus, seu in Ecclesia Sardiana, *quæ non inquinârant vestimenta sua:* quod variè exponunt. Quidam propriè, quod Nicolaitarum more, sese suasque vestes non impurarant libidinibus: ut Jud. v. 23. *odio habentes, vel eam tunicam, quæ à carnis contactu commaculata est.* Alii figuratè: idque vel ut tantùm innocentiam notet, quod ut à malo, sic etiam ab externa mali specie (quæ vestibus adumbratur) abstinuerint: vel ut simpliciter innocentiam & sanctitatis conservationem notet: nam ut Christus vestis est, quam induimus fide & baptismo: sic & sanctitas per regenerationem donata, est instar lotæ ac candidæ vestis, quæ nuditatem nostram tegat & nos exornet: quemadmodum in prisca Christianorum Ecclesia, ad ea denotanda, vestes veteres exuebantur ante baptismum, & novæ induebantur in baptismo. Laudantur igitur fideles quidam Sardiani, quod in religione ac pietate probè se & constanter gessissent: eoque continuata allegoria subjicitur promissio illis facta, *mecum incedent albis vestiti.* Id quod quidam ad gaudium referunt, Metaphora à conviviis priscorum hilaribus ducta, ut Eccles. 9. v. 8. *sint vestimenta tua candida.* Alii à Regum more, qui albis vestiri solerent, ductam similitudinem arbitrantur. Veruntamen geminus videtur esse sensus, ut à triumphis antiquis deducta Metaphora, gloriam cœlestem notet, cujus albæ vestes signa statuuntur, ut Matth. 17. 2. Act. 1. v. 10. Apoc. 4. v. 4. ut sit sensus; mecum triumphali veste induti, regnabunt in cœlis. Nec enim quod nonnulli putant, de vestibus justitiæ, sed gloriæ loquitur: quæ vestis priori succedit & accedit, ut Apoc. 7. v. 9. *stabant ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis & palmæ in manibus ipsorum*, nempe erant; & cap. 19. v. 14. Exercitus cœlestes describuntur equis albis, vestiti bysso alba & pura. Porrò hæc promissio hac ratione stabilitur, quod ἄξιοι

digni sunt: puta non per se aut ullo merito (nam contrarium, Rom. 8. v. 18. asseritur) sed per accidens gratuitæ promissionis, qua officium facientibus hoc præmium gratis addictum, propter Christum competit, 1. Timoth. cap. 2. vers. 12. Hæc de vers. 4. Quomodo doctrinam particularem, Sardianis propriam, absolvit, & deinde valde opportunè universalem ac communem quibusvis fidelibus subjicit: quæ promissionem habet, & attentionis mandatum. Ac promissionis quidem objectum est victor, hoc est, qui in fide & sanctitate vitam finierit, carne, mundo, & principe illius Satana, superatis. Res verò promissa per aphæresin & thesin tractatur, v. 5. Aphæresis est: *non delebo nomen ejus ex libro vitæ*, hoc est non expungâ eum ex cœlestium civium catalogo, neque excludam à possessione civitatis cœlestis, ut improbis eveniet Matth. 7. vers. 23. & 10. 33. & 25. 41. Thesis verò est confessio Christi, quâ coram Patre & Angelis ipsius pro suis agnoscit, ut Mat. 10. v. 33. & 25. 34. 35. Mandatum verò est v. 6. quo epistola quinta concluditur: ac sexta deinde adjicitur, ad Ecclesiam Philadelphiensem, ut præfatio ostendit. Cum autem Philadelphia una fuerit Ægypti, altera Syriæ, tertia Mysiæ, aut ut aliis placet Lydiæ; postrema quæ minoris Asiæ est, intelligitur (cum ad Ecclesias Asiaticas scribat Apostolus) in qua, Ecclesia fuit insignis. Est autem hujus epistolæ scopus, confirmatio in officio fidei ac pietatis: quo etiam exordium dirigitur, continens Christi authoris epistolæ descriptionem ab officio triplici, sacerdotali, prophetico & regio. Ac primùm sacerdotale innuitur adjuncta conditione sanctitatis. *Talis enim nobis conveniebat Sacerdos, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7. v. 26. Sanctus enim est sanctitate perfecta; cùm innata naturæ (unde ob conceptionem è Spiritu S. Sanctus dicitur, Luc. 1. v. 35.) tum enata vitæ, seu actionum omnium cùm animæ, tum corporis, cum lege Dei ad amussim consentanea perfectio; ac propterea à summo sacerdote Veteris Testamenti fuit adumbratus, cujus fronti, ut in Exodo docetur, typicè nomen præpositum fuit, *sanctitas Domini*, ad Israelitas sanctificandos: id quod Christo verè convenit typorum archetypo: quemadmodum Daniel. 9 v. 24. dicitur *ungetur sanctus sanctorum*: qui sanctus omnino, nosque sanctificans ut spirituales Israelitas; unde sanctificatio nostra dicitur, 1. Cor. 1. v. 30. Propheticum deinde munus indicatur similiter adjuncto veritatis, Ioan. 8. v. 40. & 14. 6. & 18. 37. Regium denique additur & explicatur, cum habere dicitur clavem Davidis; quod aperiat & nemo claudat, & claudat, nemoque aperiat, hoc est quod habeat potestatem omnem gubernationis Ecclesiæ, recipiendi aut excludendi, ratione ecclesiæ, cùm militantis in terris, tum triumphantis in cœlis; Metaphora ab usu humano deducta; ut etiam suo modo Esai. 22. v. 22. de Eliakimo dicitur: *ponam clavem domus David super humerum ejus; aperiet & nemo claudet, claudet & nemo aperiet.* sed differentia est, quod hic fuerit servus in externo regno; Christus Dominus summus à Patre constitutus in Ecclesia, & quà Deus creator, & quà redemptor: ut Mat. 11. 27. & 28. 18. 19. & Luc. 1. 33. Angelus Mariæ dicit: *dabit illi Dominus sedem David Patris ipsius, regnabitque super domum David in æternum.* Atque huc pertinet Matth. 16. v. 19. & 18. 18. & Ioann. 20. v. 23. & 21. 25. Hæc de exordio, v. 7.

Tractatio verò Epistolæ, primum habet judicium laudis; quod initio generatim innuitur; *Novi opera tua*; quod præmii promissione inserta, speciali explicatione amplificatur & illustratur. Promissio autem est triplex: prima est ostii aperti conservatio, ne quis possit claudere. Per *ostium* autem Ecclesiæ propagationem vulgò intelligunt; quod multi illius prædicatione, ad Ecclesiam essent accessuri: ut 1. Corinth. 16. vers. 9. *permanebo Ephesi; ostium enim mihi apertum est magnum*, videlicet per quod multi, me prædicante, in Ecclesiam intrabunt; & 2. Corinth. 2. v. 12. *Cum venissem Troadem propter Euangelium Dei, & ostium mihi apertum esset Domino.* Sed tamen si quis accuratè consideret, in propositis hisce locis, *ostium* Metaphoricè notat commoditatem prædicandi Euangelii: quod recepturi multi essent, non autem exclusuri, Pauli prædicationem. Atque ita hoc loco accipi potest, convenienter promissioni, vers. 9. Sed, ut arbitror, aptius est, ut ex antecedenti, per *ostium apertum* intelligamus conservationem in Ecclesia & via salutis, de qua re Ioan. 10. v. 28. & 1. Pet. 1. 5. à qua Satanas & illius ministri studebant excludere, partim falsâ doctrinâ ac dolo, partim vi ac persecutione, solicitando ad defectionem à sermone Christi, & ad abnegationem nominis illius. Cum autem habenti detur, Matth. 13. v. 12. & donis Dei rectè utenti, ea conserventur atque augeantur divinitus: idcirco hanc promissionem, expositione laudis & officii specialis ac bimembris confirmat: tribuit enim Angelo, primùm obedientiam erga sermonem seu Euangelium Christi: quæ in fide, per charitatem operante consistit, Galat. 5. versu 6. 1. Ioann. 3. v. 23 deinde constantem confessionem veritatis; quam per aphæresin indicat, ad periculi indicium, & constantiæ laudem. Quæ etiam amplificat, ex adjuncto imbecillititas; *parvam habes vim δύναμιν, & servasti sermonem meum:* hoc est, quamvis exiguis sis viribus externis, humanisque amicorum potentum subsidiis minimè suffultus, constanter tamen perstitisti in officio. Nam quod nonnulli insignes interpretes δύναμιν, de internis viribus exponunt: ut quasi ratio prima adferatur, cur Christus sit ostium aperturus, quod videlicet hic Episcopus propter imbecillitatem opus haberet Christi auxilio; illud à scopo proposito aberrare, res ipsa ostendit, v. 8. Porro priori promissioni, de ostii apertura constanti, additur altera de Iudæis quibusdam Euangelii hostibus victoria, per conversionem eorum. Quæ proponitur primum generatim, *Ecce do*, nimirum tibi, *aliquos ex Synagogâ Satanæ, eorum* videlicet, *qui se dicunt Iudæos esse*, nempe genuinos coram Deo, *& non sunt, sed mentiuntur*, ut c. 2. 9. deinde speciatim: *Ecce*, inquit, *faciam ut adorent ante pedes tuos, & sciant quod ego dilexi te.* Cum autem adoratio ac prostratio in terram, alia sit religioni propria, quæ religiosa dicitur: alia communis ac civilis, & quidem vel propria, vel Metaphorica; hæc postrema intelligitur. Quemadmodum enim victi, ad victorum, quos oppugnarant, pedes se prosternere solent, ut culpæ suæ pænitentiam testentur, veniam precentur, atque officium in posterum polliceantur; ita per Metaphoram à victis hujusmodi deductam, conversio quorundam Iudæorum designatur. Cum autem alia sit vi extorta ac fucata: alia verò ex agnitione culpæ libera ac seria: idcirco distinctionis gratiâ, causa conversionis additur, *& sciant*, inquit, *quod ego dilexi te*, hoc est te mihi carum, eoque vera religione ac pietate præditum, contrà quàm antea, zelo quodam imperito laborantes, Rom. 10, 2. putarant, Ioan. 16. 2. Hæc de v. 9. & promissione secunda. Tertia denique, tertium beneficium, nempe officii præmium complectitur, præmissa officii antecedentis expositione. Officium est quod Episcopus servârit sermonem tolerantiæ Christi; hoc est Euangelium, quo tolerantiam præcipit, Mat. 10. 22. & 16. 24. Quali etiam phrasi opera Christi, ab eo præcepta ipsique debita dicta sunt, c. 2. 26. Præmium verò, est mutua servatio, sed alterius modi: conservatio videlicet adversus imminentem tentationem. Quam ad beneficii illustrationem & amplificationem describit, partim à magnitudine, quod in orbem universum ventura esset, hoc est orbem Romani imperii Synecdochicè: partim à fine, scilicet tentatione (unde etiam tentatio hic & alibi vocatur, Iacob. 1. v. 2. 3.) *ad tentandos* inquit, hoc est explorandos in religione & constantia illius *incolas terræ*, hoc est Synecdochicè Christianos per orbem dispersos. Quod non de Domitiani (quam patiebatur Ioannes, brevique erat desitura) sed de secuta, per Trajani Tyrannidem, persecutione Ecclesiæ intelligendum, rectè interpretes monuerunt: qua factum est, ut multa Christianorum millia, religionis odio trucidata sint indies; quemadmodum Plinius in epistolis lib. 10. circa finem, & Tertullianus apologetico, & Eusebius lib. 3. cap. 30. & 32. ostendunt. Hæc de v. 10. & judicio laudis Episcopi atque Ecclesię Philadelphiensis. Hortatio verò sequitur: quę propositione, & confirmatione explicatur. Propositio officium notat, *Tene quod habes*, hoc est Euangelium meum tibi traditum

traditum serva, vera ac constanti, fidei, charitatis ac tolerantię obedientia. Confirmatio officii rationem duplicem notat, prima est adventus Christi subitus ad puniendos sontes: ut c. 2. 5. 16. & 3. 3. altera est à periculo, *ut nemo accipiat coronam tuam*; hoc est vitam ęternam. Metaphora ac similitudine quadam à priscis certaminibus petita; qua de re valdè illustres sunt loci, 1. Cor. 9. 25. & 2. Tim. 4. 7. 8. 1. Pet. 4. 5. Hęc de v. 11. Quo absolvitur doctrina propria Episcopo & Ecclesiæ Philadelphiensi. Communis verò promissionem, & mandatum etiam continet. Ac promissionis quidem objectum, cui ea facta est, est victor. Res vero promissa, est gloria cœlestis gemina. Prima est; *efficiam ut sit columna in templo Dei mei*: hoc est, in Ecclesia triumphante in cœlis, ut emineat instar columnæ, non quæ suffulciat reliquos (ut Gal. 2. v. 9. de primariis Apostolis dicitur: nam in cœlo hoc non requiritur) sed tantum ornamento sit: quales columnæ quasi typicæ, in vestibulo templi Salomonis 1. Reg. 7. v. 5. & 21. describuntur. Quæ gloria, beneficii perpetua continuatione amplificatur, *nec foras egredietur amplius*, hoc est, ab eo tempore. Nam *non amplius*, ut plerumque excluso futuro, includit tempus pręteritum: sic interdum tantum ad futurum refertur, ut Ier. 22. 11. *Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ, qui egressus est de loco illo, non revertetur huc amplius, sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur*; hoc est omninò ab eo tempore non revertetur: nunquam enim prius Sellum captivus extra Iudęam exierat. Similis locus in Apocrypho Tobię. cap. 3. v. 10. ubi de Sara virgine dicitur *amplius ex te non videamus filium*: id est nunquam; & Act. cap. 13. v. 34. de Christo nunquam corrupto dicitur, non reversurum amplius in corruptionem.

Quare quod quidam hunc locum ad præsentem vitam, quæ mutationi est obnoxia, accommodant, habitâ hujus vocis significatione primâ, ut sit promissio perseverantię, non parùm hallucinantur: quia victori, hoc est, ad mortem constanti, hęc glorię primę promissio tantùm competit ac tribuitur. Altera verò promissa gloria, nominis in eo inscriptio est; quæ proprietatem inscripti notat, & ex eo ortam subjecti præstantiam. Similitudo autem deducta est ab usu civili antiquo, in quo possessores, suis bonis sua inscribebant nomina: ut ea ab alienis distinguerent, & eo modo ab injuria tutarentur: quemadmodum etiam statuis, quę consecratę erant gentium Diis, eorum nomina inscripta pręferebant; quemadmodum etiam monimenta honoris ab ambitiosis hominibus erecta, ut Absolomi, 2. Samuel. 28. 18. *Erexerat sibi*, inquit, *cum adhuc viveret titulum, qui est in valle regis. Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei, vocavitque titulum nomine suo & appellavit Manus Absolomi.* Deinde nomen inscriptum, triplex hoc in loco recensetur. Primum Dei Patris: quem Christus Deum suum vocat secundum quid, ratione humanæ naturæ, sic enim à Deo factus est, cum ut esset homo, tum ut esset mediator Dei & hominum: quo etiam sensu locutus est, Ioan. 20. v. 17. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum.* Talis autem inscriptio depingitur, Apoc. 14 1. Alterum nomen, est civitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ; quæ communio civium Dei sub uno rege Deo & Christo. Cœterum hoc nomen inscribitur bifariam: Primùm in his terris, cum per Spiritum Sanctum internè, conscientiarum nostrarum tabulis quasi inscribitur & obsignatur nos esse Dei filios, Rom. 8. 16. partim cum exterius tales à fidelibus agnoscuntur ac nominantur. Qua de re locus elegans, Esai. 60. 14. *Et venient ad te filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini Sion Sancti Israel*: quod ad illustrationem vers. 9. pertinet. Deinde in cœlo, cum verè fideles judicio ultimo ad dextram Christi segregati, benedicti Patris coram toto mundo nominabuntur & innotescent gloriosè, Mat. 25. 1. Ioa. 3. 2. Atque hac ratione dicitur Christus inscripturus nomen civitatis Dei sui. Quę appellatio illustratur descriptione, cum additur *nova Ierusalem*; quia vetus typicè Christi Ecclesiam adumbravit, Gal. 4. 25. 26. Ideoque distinctè origo additur, quod descenderit de cęlo: quia origo Ecclesię militantis & triumphantis est à Deo: eoque sensu è cœlo esse dicitur: ut & baptismus Ioannis, Matth. 21. vers. 25. è cœlo, hoc est à Deo. Tertium nomen est Christi novum nomen. Quod quidam intelligunt figuratè, ut gloriam notet, ex epistola ad Phil. 2. 9. id est, mecum regnabit. Alii contrà propriè, & quidem convenientius antecedenti nominis significationi accipiunt: ac quidam Filii Dei; alii Christi nomen: nonnulli nomen Iesu: sed quid si potius Rex regum, Dominus Dominorum intelligatur? quale nomen Christo glorioso inscriptum statuitur, Apoc. 19. 16. Hoc certum est interim, hac nominis Dei, civitatis Dei, & Christi inscriptione, designari Dei gratiam, & futuram Episcopi gloriam: quod Deus Pater, eum agniturus sit in regno cœlesti pro suo fœderato ac filio; & Ecclesia triumphans, quę civitas Dei, pro suo cive: Christus denique, pro Christiano & membro suo, v. 12. Atq; huic promissioni additur mandatum attentionis, v. 13. Atque hoc modo finitur Epistola sexta. Septima verò & ultima est ad Ecclesiam Laodiceæ; quæ Laodicæa urbs quidem est, sed cum plures fuerint ejusdem nominis, in Lydia, Syria, Lycaonia, Media, Caria, quænam intelligatur, anceps est. Veruntamen, quoniam Ioannes, Apoc. 1. 4. Ecclesiis Asiæ scribit, idcircò quidam primam, alii ultimam intelligunt, de qua Plinius, lib. 5. c. 29. quæ imposita flumini Lyco. Hæc autem Epistola est ἐπανορθωτικὴ ad vitæ correctionem instituta. Exordium autem ad eum scopum, & media, egregiè pertinet, & Christi authoris Epistolæ descriptionem, ex cap. 1. 5. & 8. duobus hisce, veritate, & potentia in mundi creatione exhibita, complectitur. Veritas autem indicatur voce Amen. Quę Hebræa est, ac plerumque adjectivè verum notat: interdum substantivè veritatem, ut Esa. 65. 26. *Iurabit in Deo Amen*, id est, veritatis, hoc est vero, ut Hebræa constructio regiminis demonstrat. Sic Ioa. 14. v. 6. Christus se veracem demonstrat, cum ait, *Ego sum via, veritas & vita*. Idque explicatur, cum additur hoc in loco, *testis ille fidelis & verax*, ut Apoc. 1. 5. quod ad propheticum illius munus pertinet: quo non solùm verbis suis, sed etiam sanguine suo veritati divinæ Testimonium perhibuit, Ioa. 18. 37. & 1. Tim. 6. 13. ideoque verissimus Martyr. Potentia verò in mundi creatione exhibita, (quæ ad divinam naturam pertinet) indicatur, cum vocat ἀρχὴν *principium creaturæ Dei*. Quod Ariani avidè olim arripuerunt, ut inde persuaderent, primam ac meram esse creaturam, per quam formatæ deinde sint reliquæ: ac propterea non esse verum & æternum cum Patre Deum, ut Orthodoxi statuunt. Veruntamen solutio esse potest duplex; primum negatione consequentiæ. Etsi enim diceretur, filium Dei esse primam creaturam, ut Ariani contendunt: illud non simpliciter de ipso, sed secundum quid, hoc est, humanam ipsius naturam esset intelligendum: & quidem non in creatione prima ac propria, sed in secunda ac metaphorica seu regeneratione: quatenus novi mundi principium, & secundus Adam, Rom. 5. vers. 14. & 1. Cor. 5. v. 45. in quo sumus nova creatura, 2. Cor. 5 17. Deique opus, & creati in Christo Jesu ad bona opera, Eph. 2. 10. Ac propterea ea ratione inde nullo modo concludi posset adversus Filii Deitatem. Altera verò responsio est negatione antecedentis falsę hypotheseos, quam sua interpretatione statuunt: quasi ἀρχὴ principium, hoc est primam rei alicujus partem notare deberet, aut necesse esset saltem hoc loco ita accipi. Contra enim ἀρχὴ trifariam quoque usurpatur. Ac primò causam interdum notat: ut de vocis ἀρχὴ significationibus Aristoteles Metaphysicor. lib. 4. cap. 1. inter alia sic ait: πάντα γὰρ τὰ αἴτια, ἀρχαί. πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἐστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται supple πρᾶγμα. τούτων δὲ αἱ μὲν ἐνυπάρχουσαί εἰσιν, αἱ δὲ, ἐκτός. Sic Ecclesiastici c. 37. 20. ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος, hoc est, *principium omnis operis oratio*; ut quidem interpretantur, quamvis forte aptius esset ratio seu consilium, ut idem sequentibus illustratur. Atque ita Christus ut dicitur principium & finis, Apoc. 1. v. 8. & 21. 6. & 22. 13. quia æternus est Deus: sic etiam principium, h.e. causa efficiens omnis creaturę est: ut de Deo dicitur, Rom. 11. 36. *ex eo, per eum, & in eum sunt omnia*, & de Christo similiter, Col. 1. v. 16. qua signifi-

gnificatione observata, egregiè quadrabit. Secundò ἀρχὴ notat interdum Metaphoricè principatum ac dominatum; ut Arist. Metaph. 4. cap. 1. docet, & LXX. interpretes, Gen. 1. v. 16. pro Hebræa voce ממשל, hoc est, dominio, usurparunt. Vnde tertiò per Metonymiam adjuncti pro suo subjecto vox ἀρχὴ, τὸν ἄρχοντα, id est, principem notat; atque hinc ἀρχαὶ ϗ ἐξουσίαι vocantur Angeli, Ephes. 3. 10. & Col. 1. 16. & magistratus, Tit. 3. 1. Atqui hoc modo voce ἀρχῆς accepta, optimè convenit cum antecedente c. 1. v. 5. ubi Christus vocatur ὁ ἄρχων *princeps regum terræ.* Nam Christum non dici propriè principium creaturæ, quasi esset prima creatura, demonstrat etiam, Ioan. c. 1. v. 1. cum de verbo ait: *in principio erat* λόγος, non autem creatus est λόγος: *& erat Deus*, & 1. Ioan. 1. v. 1. *quod erat à principio*, & c. 5. 20. de Jesu Christo: *hic est verus Deus & vita æterna*: denique res ipsa hoc evincit, nam Deus verus solus est creator, Esa. 44. v. 24. Christus autem, ut Ariani etiam profitentur, est creator: ac propterea verus est Deus, qui Melchisedeco adumbratus, Heb. 7. vers. 3. *nec principium dierum nec vitæ finem habet.* Atque hæc de v. 14. quo exordium continetur. Tractatio verò Epistolæ in doctrina particulari, ante hortationem, judicium vituperationis, præmittit; quo, mala opera notat, non solum generatim, cum ait, *novi opera tua*; sed etiam speciatim. Arguit enim primum *teporem*, hoc est, Metephoricè supinam in officio, negligentiam, & zeli gloriæ Dei atque pietatis remissionem insignem. Idque amplificat, partim comparatione minorum, *utinam frigidus esses, aut fervidus.* Quod quidem intelligendum est, non absolutè; sed ratione conditionis tacitæ, nempe nisi resipueris; quoniam officii conscientia, neglectum illius & pœnam graviorem reddit, Luc. 12. vers. 47. 48. partim quoque amplificat teporem illum comminatione pœnæ, continuata eleganter allegoria. Quemadmodum enim Medici haustu tepentis aquæ, vomitum excitare solent: Ita Christus rejectionem ex Ecclesia indicat, cum ait, *futurum est, ut evomam te ex ore meo.* Quod etiam non absolutè, sed cum exceptione resipiscentiæ, hoc est, nisi resipiscat, intelligendum, vers. 16. quemadmodum sequentia illud etiam ostendunt. Alterum deinde quod arguit, est arrogantia gemina: prima quidem, quod adscriberet sibi divitias, nempe spirituales, hoc est, copiosam sapientiam & justitiam: secunda verò quod iis fidens opem fastidiret alterius: idque illustratur à causa efficiente, ignorantia miseriæ suæ; quod nesciret se esse ærumnosum, ideoque miserabilem. Idque inductione declarat, servata allegoria; quod pauper esset, hoc est, bonorum spiritualium inops; cæcus, sapientia spirituali bona parte destitutus: nec enim absolutè hæc dici, ex sequentibus constat; sed per Synecdochen à potiori parte: denique nudus justitiâ, v. 17. Quæ gravis vituperatio est: cui hortatio apponitur gemina, tanquam conveniens superioribus vitiis, & miseriæ medela. Nam primùm contra arrogantiam, hortatur ad humilitatem & fidem; primùm ut (ad curandam paupertatem) emat à Christo aurum igne exploratum, ut dives fiat. *Emere* autem hîc, pro oblatum acquirere, accipitur. Nec intelligitur de justitia, hominum merito comparanda, tanquam pretio; sed fide, qua divitias Christi, Euangelio oblatas ac donatas, percipimus, ut Esa. 55. *Eme sine argento*: deinde ut (ad tegendam nuditatem) vestimenta alba redimat; quæ innocentiam & novæ vitæ obedientiam notant: denique (ut oculis cæcutientibus succurratur ac cernat) ut collyrio inungat oculos suos; hoc est, Euangelii lectione, & Spiritu Sancto precibus obtento, vera sapientia oculi mentis illustrentur, Eph. 1. 17. 18. Hæc de v. 18. Altera verò hortatio, primo vitio, nempe tepori opposita, proponitur & confirmatur. Propositio est *ferve ac resipisce*; quo fervore, ardens Dei gloriæ & pietatis studium designat. Confirmatio petita est, ex regimine Christi in Ecclesia, & amore illius erga fideles. Cujus effectum geminum proponitur; primum, quod quos amat, hoc est suos fideles atque oves errantes infirmitate, arguat, seu verbis increpet: secundò; quod improbitate non obedientes, castiget, ne pereant. Ideoque hisce de causis resipiscendum, quandoquidem ex amore arguit, & ut castigationem justam illius evadamus, necessarium, v. 19. Primam autem rationem illustrat & amplificat: quia primum docet, quo modo arguat; deinde obtemperanti promittit præmium. Arguit autem, *stando ad ostium & pulsando*, hoc est, quos amat fideles, eos errantes officii seriò monet. Promissio verò est, quod aperienti, hoc est, resipiscenti & Christi voluntatem præstanti, pollicetur sui communionem in gloria cœlesti: quam allegoria cœnæ indicat, ut Luc. 13. 29. Atque hæc de doctrina particulari, v. 20. Universalis verò constat promissione, & mandato attentionis. Illa est, v. 21. qua victori promittitur communio regni cum Christo: ut 2. Tim. 2. 12. Mandatum, v. 22.

COROLLARIUM PRIMUM
De Libro Vitæ.

QUoniam in hujus capitis tertii explicatione brevius ea perstrinximus, quæ ad deletionem à libro vitæ, vers. 5. & ostii apertionem, vers. 20. spectant; eaque pleniorem discussionem desiderant; idcirco in finem capitis distulimus, ac primum *de libro vitæ* è Sacris Literis disseremus.

Ut autem ad rem ipsam, à generalioribus exorsi, accedamus; liber Dei alius est externus, ac visibilis, & à Deo, hominibus datus, qui propriè liber appellatur, quemadmodum Sacræ Scripturæ libri, ut Esa 34. v. 16. *quærite ex libro Domini & legite*: alius est internus & invisibilis, scilicet in ipso Deo: qui sic vocatur non propriè, sed figuratè per metaphoram, similitudine ab hominibus deducta, ut enim illi libris utuntur, iisque acta aut agenda inscribunt, partim ad memoriæ suæ & aliorum subsidium, partim ad inviolatam ac perpetuam rei certitudinem: ita Dei sapientia & præscientia, Liber illius dicitur; quod omnia, ab æterno, certissimè & apertissimè ex decreti præfinitione, scientiæ suæ infinitate habeat definitè cognita, & quasi in libro exarata. Atque hic liber Dei unus quidem est reipsa: sed tamen, pro objectorum & graduum diversitate distinguitur: alius enim universalis est: alius particularis. Universalis liber, est præscientia universalis, quæ modo explicata est, quam propterea librum scientiæ & providentiæ vocant: in quo omnia quæcunque sunt, fuerunt, erunt, continentur: de quo agitur, Psalm. 139. v. 16. *& in libro tuo hæc omnia scripta sunt*: quo etiam pertinere videtur, Psalm. 56. v. 9. Particularis verò liber, est præscientia particularis: quæ distribuitur præcipuè in librum vitæ æternæ, & judicii. Liber quidem judicii (per similitudinem, ab usu forensi, quo, in librum, litigantium acta, & sententiæ Magistratus referuntur, derivatam) dicitur præscientia decreti à Deo judicii: estque vel particularis judicii: ut præscientia status Ecclesiæ ad finem mundi, liber vocatur, Apoc. 5. v. 1. alius liber est judicii universalis: estque Dei præscientia, qua omnes creaturas rationales, seu Angelos & homines, eorumque cogitata, dicta, facta, (secundum quæ ultimo judicio judicandi sunt) perfectissimè cognoscit: de quo etiam libro agitur, Apoc. 20. vers. 12. *libri aperti sunt, & judicati mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Quos libros aperiet, cum occulta hominum acta patefaciet, 1. Cor. 4. v. 5. Si quis autem objectet, quod cum non unus, sed plures libri dicantur; idcirco Dei præscientiæ simplici non conveniant: consequentiam negamus: quia hæc præscientia non ratione sui, quasi esset multiplex, librorum nomine denotatur, sed ratione objectorum, & ad multitudinem actorum denotandam, pro captu nostro: quæ acta, quasi in plures codices relata, ultimo die detegentur. Non pauci etiam sentiunt horum librorum nomine partim ac præcipuè intelligi Dei præscientiam, partim hominum conscientiam: quemadmodum hæc duo, 1. Ioan. 3. v. 20. conjunguntur: quodque hominum conscientiæ, futuræ sint librorum & testium instar; cujus rei præludium in hac vita apparet, Rom. 2. v. 15. Liber verò vitæ æternæ est, quo suos novit, 2. Tim. 2. v. 19. seu notitia eorum, quos gratuita dilectione, ad vitam æternam elegit ac prædestinavit. Liber enim est præscientia: Scritura verò vel inscriptio, est electio. Hic autem *liber vitæ* κατ' ἐξοχὴν dicitur, puta vitæ æternæ, Apoc. 3. 5. 17. 8. & 20. 12. & 15.

12. & 15. & 21. 27. & 22. 19. & *liber vitæ agni*, Apoc. 13. v. 8. & 21. 27. & *liber viventium*, Psal. 69. verſ. 29. & ut multi cenſent, ſeu *liber Dei*, Exod. 32. v. 32. & 34. tum *liber ille*, Dan. 12. v. 1. quo etiam ſenſu quidam arbitrantur, *arcanum populi*, & *Scripturam domus Iſraelis* vocari, Ezech. 13. v. 9. & eodem pertinere quod ait, Eſa. c. 4. v. 3. *quiſquis adſcriptus fuerit illi vitæ Jeruſalem*. Atque hujus ſignificationis Metaphoram, quidam putant à duce belli petitam: qui milites delectos in libro conſignat, & rejectitios exauthorat. Sed commodius alii ſtatuunt, ſimilitudinem eſſe derivatam ab uſu civili, & civitate donatis, quorum nomina in civium catalogum referuntur: ut colligitur ex Apoc. 22. v. 19. Quo ſenſu piorum nomina dicuntur ſcripta in cœlis, Luc. 10. v. 30. & Clemens, cum nonnullis aliis, ſcriptus in libro vitæ, Phil. 4. v. 3. & Apoc. c. 3. 5. *neque delebo nomen ejus ex libro vitæ*. Verùm hoc in loco exurgit quæſtio, an inſcripti libro vitæ æternæ, ex eo deleri poſſint? id quod prima fronte ex præpoſitis verbis, *non delebo nomen ejus* videri poteſt, idemque confirmatur exemplo voti Moſis, qui Ex. 32. 32. ait: *dele me de libro vitæ, cui inſcripſiſti*. Verùm ſolutio eſt, negatione conſequentiæ, duplex, prima; quia fallacia eſt homonymiæ: nam quęſtio agit de vita ęterna: argumentum verò à Moſis voto petitum, de vita temporali, qua qui donantur, Metaphoricè ſunt inſcripti à Deo, in libro vitę: contrà qui è vivis eximuntur, è libro & catalogo viventium eximi dicuntur. Nam Moſis ſermo reſpondet Dei, adverſus populum comminationi, qua pœnam, ipſis inferendam, in ſe transferri deſiderat. Atqui pœna illa erat eorum interfectio, verſu 10. & 12. nam quamvis multi eſſent reprobi, nonnulli tamen fuerunt electi; ideoque mortem æternam Deus non eſt comminatus. Neque eam comparatè optavit Moſes, quaſi mallet vita æterna excludi quàm Iſraëliticus populus occideretur. Neque etiam, ſi quis penitius conſideret, abſolutè potuit privationem ſummi boni & communionis cum Deo deſiderare. Deinde etſi abeſſet homonymia, conſequentia nihilominus eſſet infirma; quia in precibus & votis, non ſemper ea quę fieri poſſunt, ſed interdum ἀδύνατα à ſanctis petuntur & optantur: nec impiè tamen, quia non abſolutè, ſed expreſſa vel tacita conditione voluntatis Dei, & boni alicujus reſpectu illud contingit. Nam pro objecti ratione, variè afficiuntur ſancti. Cum enim ſalutem ſuam aut aliorum & Dei gloriam ſpectant, ſecus affecti ſunt, quàm cum Dei decretum intuentur: ut Chriſti exemplum demonſtrat, qui cum Iudæorum crudelitatem & ruinam perpendit, ſeriò deplorat, Luc. 19. v. 41. Contrà verò, cum Patris juſtum decretum aſpicit, in eo acquieſcens, gratias ipſi agit, Mat. 11. verſ. 25. 26. Eâdem etiam ratione, cum irę Dei imminentis pondus graviſſimum perpenderet, horrore correptus eſt ac deprecatus, & quidem ſine ullo vitio: primùm quia naturale eſt, & à Deo inſitum, ut homo interitum ſui averſetur, & conſervationem appetat: deinde quia non abſolutè, ſed voluntatis Dei adjecta conditione hoc poſtulat. Contrà verò cum ad Patris voluntatem & decretum oculos attollit, naturale deſiderium reprimens in eo acquieſcit, Matth. 26. v. 39. ſimiliter ſancti Prophetæ fuerunt affecti, cum hac parte Dei decretum; illa verò ſalutem hominum & Dei gloriam conſiderant: cujuſmodi eſt Moſis votum. Verùm dicat aliquis; Eſto, ſit in prædictis locis conditio intellecta, eam tamen fieri poſſe, Deus ipſe ſua ſententia, Exod. 32. declarat: ait nimirum, v. 33. *dixit vero Deus ad Moſen: eum qui peccaverit mihi, delebo nomen ejus de libro vitæ*. Verùm reſponderi poteſt, deletionem eſſe duplicem, prout eſt inſcriptio. Quidam enim inſcripti ſunt libro vitæ, re & veritate: ſeu electione æterna à Deo deſtinati ad vitam; atque ita Deo noti pro ſuis ac ſervandis: alii contrà ſpecie tantùm & opinione, ut hypocritæ, qui externa tantùm vocatione & obedientia in Eccleſia Dei ſunt, & ut electi filii & hæredes Dei, opinione ſua probabili, & charitatis judicio ab Eccleſia cenſentur. Sic contrà deletio è libro vitæ, bifariam dici poteſt; una enim eſt deletio veræ & æternæ inſcriptionis; de qua, eſto, dixerit Moſes: altera deletio fucatę & temporarię inſcriptionis, de qua Deus. Atque ita per ἀντανάκλασιν non minus elegantem, quàm illa eſt, *ſine mortuos ſepelire mortuos*, Mat. 8. verſ. 22. phraſis illa accipienda erit: nam per μίμησιν quandam, Metaphoricè, deleri dicuntur hypocritæ, cum detecto illorum fuco, ad filiorum & electorum Dei numerum, non pertinere declaratur: quod partim fit in hac vita; ſed omnino ac pleniſſimè ultimo die, Mat. 7. 22. 23. & 25. 33. & 41. Atque hinc rectè Auguſtin. in Pſal. 68. (Hebraicè 69.) v. 29. *deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*, ait; *Fratres non ſic accipere debemus, quod quemquam Deus inſcribat in librum vitæ, & rurſus deleat eum. Si homo dixit, quod ſcripſi, ſcripſi, Deus quemquam ſcribit & delet?* & paulò poſt: *hoc dictum eſt ſecundum ſpem ipſorum, quia ibi ſe ſcriptos putabant. Quid eſt, deleantur de libro vitæ? ut ipſis conſtet non illos ibi eſſe*. Et paucis interjectis addit: *ſic ergo & hic & illi, qui ſe ſperabant, tanquam merito juſtitiæ in libro ſcriptos Dei, cum producta fuerit damnatio eorum, etiam ad cognitionem illorum delebuntur è libro viventium, id eſt, non ibi ſe eſſe cognoſcent. Nam verſus qui ſequitur, exponit quod dictum eſt: & cum juſtis non ſcribantur. Dixi ergo, deleantur ſecundum ſpem eorum: ſecundum æquitatem autem tuam quid dico? non ſcribantur*, &c. Quibus conſentit in Apocalypſin Ambroſio adſcriptus commentarius; *Si*, inquit, *librum vitæ prædeſtinationem vocat, quomodo de libro vitæ aliquis deleri poteſt? cum Apoſtolus dicit, quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit, & quos juſtificavit, ipſos & glorificavit. Niſi forte ita intelligamus: ſunt multi, qui ab hominibus juſti putantur, ſed in conſpectu Dei injuſti exiſtunt. Ergo homines, qui eos juſtos æſtimant, jam in libro Dei eos ſcriptos eſſe putant: ſed in die judicii, cum facta reproborum atque juſtorum omnibus patebunt, hæc inſcriptio atque falſa ſuſpicio, à mentibus eorum delebitur, cum eorum damnationem pro impietatibus ſuis conſpexerint*. Hæc ille. Ac ſane locus idem ſatis oſtendit. Nam agitur hic de ſtatu triumphante fidelium poſt hanc vitam, cum gloria cœleſti donati fuerint: quia antecedit primum in hoc Apocalypſeos loco: *qui vicerit*. Ergo poſt hanc vitam. nam ante mortem victoria non eſt. Deinde, *incedet mecum albatus, neque delebitur nomen ejus*. Atqui hoc eſt certum, neminem in cœlum poſt hanc vitam receptum, rejici, & à vita æterna excludi. Neque eſt cauſa, cur quis excipiat; quorſum igitur deletio negatur, ſi fieri non poteſt? ſiquidem ea ratione æternitas beneficii & vitæ deſignatur: quemadmodum, v. 12. *qui vicerit, faciam ut is ſit columna in templo Dei mei, nec foras egredietur amplius:* non quod aliquis egredi poſſit, ſed ut ea negatione perpetuitas gloriæ indicetur; & ut ſit quædam antitheſis inter ſtatum Eccleſiæ militantis in terris; in qua ſunt hypocritæ, qui tandem detecti ſecernentur ultimo die; & ſtatum Eccleſiæglorioſæ, quæ tantùm puris ac genuinis civibus conſtabit perpetuò.

COROLLARIUM ALTERUM
De Oſtii apertione ex v. 20.

HÆc de libro vitæ, ad Verſus quinti explicationem pleniorem. Reliquum eſt, ut ea quę v. 20. continentur, ac ſtrictim à nobis in Analyſi expoſita ſunt, uberius declaremus, & à Semipelagianorum, inprimis verò Pontificiorum, corruptelis vindicemus. Verba autem Chriſti ſunt; *Ecce, ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit oſtium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo & ipſe mecum*. Quo in loco Chriſti beneficium, hominis officium, & illius præmium notari certum eſt. Chriſti beneficium eſt; quod ſtet ad oſtium & pulſet. Et oſtii quidem nomine, cor noſtrum deſignari; pulſatione verò, excitationem illius, ad reſipiſcentiam & obedientiam per externam verbi prædicationem, & internam Spiritus inſpirationem, extra controverſiam eſt. Hominis verò officium, cujus cauſa pulſatur, eſt Chriſti vocem audire & aperire. De cujus recta ſententia bifariam, ſi quis diligentius perpendat, diſceptatur: primùm de cauſa illius efficiente, deinde de modo. De cauſa efficiente. An hæc apertio tribuatur hoc loco homini regenerando ſeu nondum regenerato, an verò regenerato. De modo deinde; an viribus naturalibus voluntatis humanæ, & libertate arbitrii fiat, omninò, aut partim; an verò viribus ſupernaturalibus gratiæ Dei ſanctificantis.

Bellar-

Bellarminus de homine nondum converso, sed convertendo & regenerando; & quidem etiam viribus liberi arbitrii exponit: dum hinc eruere conatur, dari quibusdam ad conversionem sufficiens auxilium, quibus non datur efficax. Auxilium autem sufficiens definit libro primo, de gratia & libero arbitrio, cap. 2. quo Deus ita hominem vocat & excitat, ac juvare, dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut revera possit ille, sic excitatus & vocatus velle credere, velle converti, velle bonum aliquod facere. Sic autem argutatur lib. 1. c. 11. de gratia & libero arbitrio. *Apocalypseos 3. Dominus ait, Ego sto ad ostium & pulso; si quis aperuerit, intrabo ad eum. Vel igitur ii quorum cor Dominus pulsat, habent sufficiens auxilium aperiendi; vel non habent. Si habent, est quod volumus. Si non habent, cur obsecro Dominus pulsat, An igitur ignorat eos aperire non posse? an stultus non esset, qui ostium vicini pulsaret, si certo sciret neminem intus esse qui aperire posset? Habemus igitur ex divinis literis, dari quibusdam sufficiens auxilium, quibus non datur efficax.* Verùm in utroque errat Iesuita: primùm quia hic putat agi de conversione & apertione prima, qua quis penitus aversus & infidelis ad Deum convertitur; cum res ipsa loquatur, agi de converso, sed in peccata prolapso, qui ad resipiscentiam vocatur: quoniam hæc sententia accommodatur Episcopo Laodiceno, & iis, quos Christus amat, hoc est, conversis ac fidelibus, sed officium negligentibus, ut ex textu & analysi proposita apparet. Qualis pulsatio allegorica sponsi, & apertio ostii à sponsa Cantic. 5. describitur. Quod adeo clarum est, ut etiam Pontificii doctores insignes attestentur, ut Petrus Bulengerus ait: *bonos imitare, pænitentiamque agito mæstus ac ingemiscens, qui huc usque tam piger ac negligens extiteris, &c. Præsto sum, sto ad ostium cordis tui.* & Franciscus Ribera Iesuita sic ait: *Ecce sto ad ostium & pulso: ne forte desperaret Episcopus, Christum sibi propitium futurum, aut se ad priorem statum redire posse, quoniam dixerat, sed quia tepidus es, &c. misericordiam & benignitatem suam pollicetur, Ecce sto ad ostium,* &c. Sic etiam Johannes Gagnæjus Parisiensis Theologus eruditus. Deinde, ut maximè concederetur agi universè etiam de non renato, & de conversione prima; in eo tamen errat Bell. quod sufficiens auxilium ab efficaci, in non conversis dividat, & apertionem ostii liberi arbitrii viribus adscribat. Nec enim sequitur, Christo pulsanti homo aperire debet: ergo viribus liberi arbitrii potest; siquidem denotatur hoc modo officium hominis, ad quod tenetur: non autem naturalis efficiendi facultas. Nam quod Bellar. objicit, hoc repugnare Dei scientiæ & sapientiæ: quod pulsaret ostium, ubi nemo intus sit, qui aperire possit: illud merito negatur, quoniam pulsatio pertinet ad reproborum superbam surditatem & contumaciam convincendam, Esa. 6. v. 10. & Ioann. 12. 40. & instrumentum est conversionis electorum: quam Deus, ut verbo docet atque exigit foris, sic suo spiritu intus, mentem cæcam & voluntatem obduratam regenerando, novisque qualitatibus donando efficit, ut causa sola, ratione habitus, & ut causa principalis ratione operationis: nam habitus ratione, homo merum est subjectum, non causa: operationis verò συνεργὸς, cooperans Deo: ideoque, rectè Deo tribuitur, ut causæ primæ ac principali efficienti atque etiam adjuvanti: homini verò ut causæ non coordinatæ viribus generationis naturalis, sed subordinatæ viribus regenerationis supernaturalis: qua vitâ spirituali donatur, unde actiones vitæ producit; neque solum à spiritu agitur, sed etiam sub spiritu ac cum spiritu agit. Atque hæc ad loci hujus genuinam sententiam.

CONSECTARIA.

Ex Epistola quinta.

I. CUm Christus habeat septem Spiritus Dei, quibus Spiritus Sanctus designatur: inde sequitur eum non solum à Deo Patre, sed etiam à Filio procedere, contra Græcorum posteriorum opinionem.

II. Cum Christus Ecclesiæ Episcopos in manu sua habeat, & eorum omnia opera norit; piè & sincerè in conspectu illius vivendum est.

III. Quidam hominum opinione probantur, quos Christus improbat: ideoque non est cur in fallaci hominum, de nostræ virtutis opinione acquiescamus; sed hoc agendum, ut probemus an simus in fide, & ut Domino nostro placeamus.

IV. Ea demum vita est, quæ virtuti consecrata est.

V. Hypocritæ viventes quodammodo mortui sunt, vers. 1.

VI. Vigilantes nos esse oportet in officio communi pietatis, & proprio administrationis commissæ: ac propterea, qui in illo sopiti sunt, sese excitare ac corrigere tenentur.

VII. Pastorum impietatem & officii negligentiam auditores imitantur: ideoque mors pastoris spiritualis, reliquos reddit magis magisque moribundos. Quocirca in pastorum vocatione, ad salutem Ecclesiæ, non solum doctrina, sed etiam veræ pietatis habenda est ratio.

VIII. Quare pastorum est, & sese ad virtutes stimulare, & infirmos in Ecclesia confirmare: quod etiam, servato ordine, omnibus fidelibus convenit.

IX. Opera nostra non languida, neque externa tantum esse decet, ut Deo placeant; sed plena.

X. Ad quam rem verbi divini meditatio, ad nostri officii & vitii examen atque resipiscentiam requiritur.

XI. Inobedientiæ contumacis comes est subita & inexpectata pœna: ideoque cita opus est correctione, ne inopinata Dei irâ ac vindictâ opprimamur.

XII. Quare non est justa causa, cur præsenti impiorum felicitati invideamus, sed potius exitus infelicis contemplatione, ut Psal. 73. & 37. iis condolendum, & opera danda, ut si fieri possit, in pietatis viam revocemus, v. 3.

XIII. In Ecclesiis etiam corruptis, Christus suos habet & agnoscit cultores sinceros, qui verâ fide & justitiâ ipsi inserviunt. Quocirca non temerè tota Ecclesia, licet multi sint vitiis addicti, condemnanda est.

XIV. Quamvis polluti vitiis, multitudine præstent, eorum tamen contagio non est admittenda; sed Christo & pietati, forti animo adhærendum, ac puritas vitæ conservanda.

XV. Neque est cur hominum judiciis & mundi contemptu moveamur, sed Christi scientia atque approbatione, & præmio vitæ æternæ secuturo, consolari nos debemus, v. 4. & 5.

Ex Epistola sexta,

ad Phyladelphiensem Ecclesiam.

I. CUum Christus sit sanctus sacerdos, verax propheta, & potens rex, cœlestibus clavibus instructus: idcirco fide, amore, ac timore, ut Psal. 2. colendus est, omniaque fortiter illo duce perferenda; & contra, Pontificis Romani aliorumque, adulterinæ claves & excommunicationes Christo adversæ, contemnendæ sunt, v. 7.

II. Obedientia erga Christum, & tolerantia Christiana, tum maximè elucent, cum vires sunt exiguę & res adversæ, v. 8.

III. Satan Ecclesiam oppugnare potest, sed non expugnare.

IV. Cum Deus ex Synagoga Satanæ, quosdam ad seriam resipiscentiam adducat, non est temere de adversariis veritatis desperandum: sed orandus Deus ut eos convertat, & è regno Satanæ ac tenebrarum, in regnum Filii & lucis clementer transferat, ne veritati & Ecclesiæ amplius maledicant, sed debitam tribuant gloriam.

V. Cum hic prędicetur fore, ut è Satanæ Synagoga adorent ante Episcopi Philadelphiensis pedes: errant Pontificii, qui ex similibus propheticis promissionibus, Ecclesiæ, factis, illud soli Episcopo Romano ascribunt, & perversa omnino sententia tyrannicam & idololatricam pedum Pontificis adorationem concludunt. Quales promissiones sunt, Esai. 49. 23. *Reges erunt nutritii tui, & reginæ eorum nutrices tuæ; prono in terram vultu adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent;* & c. 60. 14. *Venient ad te humiles filii eorum, qui humiliaverunt te & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini, Zion Sancti Israel.* Nec enim aliud denotatur, quàm (similitu-

militudine à civili adoratione desumpta) subjectio spiritualis, qua reverenter de Ecclesia & Christi verbo, per illius ministerium proposito, corda sua incurvabunt ac submittent. Nam ut orientales populi ceremoniis abundarunt: ita non solùm reges adorarunt, ut Davidem, 1. Sam. 25. 23. & 2. Sam. 9. 6. & 14. 5. & 24 20. & Salomonem, 1. Reg. 1. v. 53. aut duces, ut Ioabum, 2. Sam. 8 21. sed etiam parentes & majores, ut Moses socerum suum Jethronem, Exod. 18. vers. 7. Salomon Matrem. 1. Reg. 2. v. 19. & qui parentum quasi loco, ut prophetam Elisæum, 2. Reg. 4. v. 37. & fratres minores natu, primogenitum, Gen. 27. vers. 29. & 49. v. 8. Imò etiam honoris causa, & testandi animi, ad officia præstanda prompti, tum iis qui benefecerunt, ut Gen. 23. 7. tum hospitibus honestis, ut Gen. 18. 2. & 19. v. 1. (licet enim Angeli essent, homines tamen putabantur, Heb. 13. 2.) Ac quamvis Danielem Rex Nebucadnezar. Dan. 2. v. 46. pronus adorârit, tamen non probatur; quia illud ex impetu ac superstitione gentili, non recta ratione factum: quoniam Danielem quasi semi-deum habuit: sicut etiam præcepit ei sacrificia offerri: ut sequentia arguunt. Multo minus juvat, quod Saul spectrum Samuelis, prophetam ratus, adorârit, 1. Sam. 28. v. 14 quia omnino superstitio fuit, qualis eorum qui bestiam adorant, Apoc. 14. 9. ideo & Angeli, Apoc. 19. 10. & 22. 9. adorationem respuerunt, & Petrus, Act. 10. 25. Pedum verò oscula, exceptis Tyrannis nonnullis impiis, nemo admisit: quod Pontifex sibi arrogat. Imò, quod nullus unquam Tyrannus ausus fuisse legitur, Regibus & Imperatoribus summis pedem osculandum præbet salutantibus.

VI. Dilectio Christi erga Ecclesiam, etiam in adversis durat, ac tandem innotescit etiam hostibus: ideoque non est, cur ob persecutionem de ea re dubitemus, v. 9. & 10.

VII. Tolerantia & obedientia fidelium, etiam conservatione à pœnis corporalibus, à Christo honorari solet, v. 10.

VIII. Perseverantiâ opus est ad coronam vitæ: cujus instrumentum est hortatio ad officium, & propositio judicii Christi imminentis: quibus etiam modis, quos ab æterno elegit, conservat, & ad certam ac destinatam salutem adducit, v. 11.

IX. Gloriæ cœlestis & æternæ promissio, ad brevem ignominiam & persecutionem hominum temporariam superandam stimulare nos debet, v. 12.

Ex Septima Epistola, *ad Laodicensium Ecclesiam.*

I. CUm Christus sit Amen, testis fidelis ac verax: illius verbo attendendum & innitendum est. deinde quoniam est principium creaturæ Dei, ei tanquam authori & Domino nostro serviendum, v. 14.

II. Tepor in religione & charitate, Ecclesiæ frequens & perniciosus est, v. 15.

III. Arrogans de sua præstantia gloriatio, ut Christo exosa est, sic etiam stultitiæ & ignorationis miseriæ propriæ, certum argumentum, v. 17.

IV. A Christo nostra justitia, & sapientia dependet: ideoque ut gloria eorum illi debetur, sic ab eodem humiliter postulanda, v. 18.

V. Cum in religione adeo tepidi simus: non mirum esse debet, cur Christns nos castiget.

VI. Cum autem castigatio Ecclesiæ, ex amore Christi oriatur; ad patientiam & vitæ correctionem excitari nos decet, v. 19.

VII. Christo monenti, ostium cordis aperiendum vera obedientia, considerata monentis authoritate, amore, lenitate, & præmii promissâ excellentia, v. 20. & 21.

CAPUT QUARTUM.

SUperioribus exposita est prima visio, quæ Joanni contigit, ac particularis est, quoniam ad septem particulares Ecclesias Asiæ pertinuit. Cui jam succedit altera, eaque universalis; quæ universalis Ecclesiæ Christianæ futurum, ad finem mundi statum adumbrat. Quæ visio præparatione ad rem, & rei ipsius revelatione, seu status illius tractatione continetur. Ac præparatio quidem, c. 4. & 5. absolvitur. Constat autem descriptione partim circumstantiæ, partim authoris secuturæ revelationis: & utrumque est geminum. Circumstantia enim est temporis & loci. Tempus indicatur cum ait: *post hæc*, nimirum post primam jam narratam visionem, & epistolas ad Ecclesias Asiæ septem à Christo dictatas. Locus verò est cœlum; unde & in quo, visio & revelatio facta est Ioanni, duarum causarum concursu: prima enim est apertio cœli: altera ascensio Ioannis. Ac prius illud, comparata initio attentione, per emphaticam demonstrationis vocem *Ecce*, sequentibus indicatur hoc modo; *ostium apertum est in cœlo*, quod minimè accipiendum est allegoricè, (ut veteres & recentiores Interpretes multi statuunt) quasi cœlum Ecclesiam (quæ interdum regnum cœlorum nuncupatur) aut Sacram Scripturam, ostium verò Christum ex Ioan. 10. v. 9. notaret: sed de tertio cœlo ac sublimi, gloriæ Dei domicilio intelligendum; licet ostium Metaphoricè dicatur. Hanc autem apertionem cœli se vidisse Ioannes asserit. Cœterum cum & apertio cœli, & visio illius esse potest, aut reipsa & oculis corporis, ut Ioannes Baptista, Matt. 13. 16. & Stephanus cœlos apertos vidit, Act. 7. v. 56. aut specie quadam menti oblata: posterius hoc eruditorum interpretum judiciis probatur, & huic etiam loco maximè consentaneum apparet, si quis diligenter conferat cum similibus locis, cap. 1. v. 10. & alibi, atque cum sequenti Prophetæ Joannis explicatione. Porrò huic primæ causæ, qua revelationem accepit, altera annectitur, videlicet ascensio Ioannis in cœlum; quæ proponitur causæ efficientis, ac modi ascensionis declaratione. Causa autem efficiens est vox cœlestis: quæ primùm ab authore describitur Christo: dicitur enim fuisse prima, quam audiverat, tanquam tubæ loquentis cum ipso, de qua c. 1. 10. Quæ vox dicitur prima, non quidam formæ suæ singularis, sed efficientis ejusdem & formæ communis ratione; quod non alterius vox fuerit, nec alio modo, sed ut prima, tubæ instar sonârit. Id quod ad authoritatem hujus prophetiæ pertinet; utpote quæ è cœlo cœlestis est, & à cœlesti Domino Iesu Christo profecta. Nam quod quidam primam dici, relatè ad sequentia oracula arbitrantur, illud dilutius & alienius esse, res ipsa ostendit. Deinde vox hæc describitur à materia comprehensa bimembri: primum enim est mandatum ad Ioannem: *adscende huc*: deinde ratio à fine promisso, videlicet Apocalypseos acceptione, cum dicitur; *& ostendam tibi, quæ oportet fieri citò post hæc.* quomodo materia & argumentum sequentium declaratur: cujus rei neglecta observatione, non pauci, in hujus loci explicatione impegerunt. Hæc de causa ascensionis Ioannis efficiente, vers. 1. Modus verò ita indicatur *fui ἐν πνεύματι, in spiritu:* quod bifariam exponitur probabiliter: vel ut Spiritus Sanctus intelligatur translationis in cœlum author: ut Paulus ait, 2. Cor. 12. 4. *Raptus sum in paradisum:* vel ut Spiritum seu mentem Joannis notet; quod fuerit mentis visione ibi, nimirum quo vocabatur, hoc est, in cœlo (quemadmodum Ezechiel hoc visionis genere è Chaldæa in Judæam translatus dicitur) ut *Spiritus* vox subjectum modumque perceptę visionis notet, quod videtur magis accommodatum, ut similem phrasin, c. 1. 10. expendimus. Hęc porro ascensio, temporis sui circumstantiâ amplificatur, cum dicitur; *statim*. Atque hæc de circumstantia revelationis gemina, sequitur jam descriptionis altera pars, nempe authoris illius cœlestis: partim ratione visæ illius Majestatis, partim perceptæ honorationis ejusdem. Cujus descriptionis scopus est primùm commendatio Apocalypseos ex authore cœlesti: deinde Ecclesiæ in fide ac timore Dei ac patientia confirmatio: ex majestate & honoratione illius promanans: quæ describuntur opportunè. Nam revelandum hoc libro mysterium, est status Ecclesiæ afflictissimæ: ut quę communiter cum mundo, à Deo, sit peste, fame, terræ motu, & per homines bellis concutienda: tum propriè perpessura persecutiones, intus quidem à falsis fratribus; foris verò à tyrannis & falsis doctoribus, hæreticis scilicet atque Apostatis, eorumque capite Antichristo. Quorum omnium prædictio etiam constantes animos posset perturbare, & eventus illius, omnes de eo non præmonitos percellere ac proster-

nere:

nere: quasi ista tam gravis rerum perturbatio fieret Deo nesciente, aut non curante, vel omninò, vel saltem injustè. Ne igitur fideles, fidei & patientiæ Christianæ facerent naufragium, describitur Dei Patris creatoris, & Filii Dei redemptoris sapientia, sanctitas, bonitas. Author enim Apocalypseos primarius ac dator est Pater; secundarius verò ac Mediator est Filius θεάνθρωπος, qui pro muneris ratione, eam à Patre accepit ac tradidit Joanni Ap. 1. v. 1. Ac primarius quidem describitur à cœlesti majestate, c. 4. & libro septem sigillorum, capitis 5. initio. Majestas autem declaratur visa regali magnificentia, & illius honoratione à nobilissimis cœlestibus creaturis. Quæ magnificentia primùm summatim proponitur sede seu throno cœlesti, & Patris sessione, ut in similibus visionibus, Ies. 6. & Dan. 7. Quorum primum potestatem regalem ac judiciariam: hoc verò regimen ac judicium, quo potestatem præpotentem exequitur, similitudine à terrenis regibus deducta, Exod. 11. v. 5. & 1. Reg. 1. v. 13. Prov. 20. v. 8. designat, ut liquet ex Dan. 7. 9. *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & libri aperti sunt*, & Psal. 9. v. 4. 5. *fecisti judicium meum & causam meam: sedisti super thronum, qui judicas justitiam*, & Psal. 29. 10. *sedebit Dominus rex in seculum*. Quare allegoria importuna hallucinantur, qui per thronum Angelos, Ecclesiam, aut electorum corda intelligunt: quemadmodum etiam qui sedentem in throno interpretantur Filium, & eo sequentia omnia malè accommodant: nam cap. 5. 7. agnus, hoc est, Christus, librum accipit ab eo qui sedebat in throno; accepit autem librum à Patre, Apoc. 1. v. 1. Pater igitur est sessor, non Filius. Hæc de v. 2. Cœterum hæc proposita; cum sedis, tum insidentis regis magnificentia exponitur: ac primum ὑστερολογίᾳ opportuna, à digniori facto initio, sedens Pater ab aspectus præstantia describitur. Quæ res, apta orationis connexione depingitur, similitudine gemmæ duplicis, Iaspidis & Sardii. De quibus, si quis plura desideret, consulendus est Plinius, naturalis historiæ lib. 37. Georgius Agricola de natura fossilium l. 6. Christoph. Encelius de re metallica; & Franciscus Ruæus de gemmis, præsertim quarum in Apocalypsi mentio. Iaspidis autem colores sunt varii: aut enim viridis est gemma, aut cærulea, aut purpurea, rosea, vel mistis coloribus variata. Sarda verò, vel Sardius lapis, igneo rubore emicat. Atque hinc quidam simpliciter hasce gemmas ad elegantiam, & lævorem aspectus divini referunt. Alii verò Dei attributa & effecta denotari arbitrantur; & quidem diversa; per Jaspidem (cujus species frequentior viret) Dei vitam æternam, qua viget ac quasi viret & vivificat; per Sardium verò justitiam & judicium quod exercet, notari putant: ut ignis consumens est Heb. 12. 19. & à cujus in solio sedentis conspectu, ignis emicuit, Dan. 7. 9. 10. Albertus verò Magnus paulò aliter ait: *Iaspis viret; in quo figuratur incredibilis beatitudo, quam promittit bonis. Sardius rubet: in quo signatur ignis æternus, quem comminatur malis.* Alii denique ad unum tantum, nempe ad justitiam & judicium, licet tempore & instrumento diversum, accommodant. Sic enim Primasius (quem multi sequuntur) ait: *Iaspidis colore aquam, & Sardii ignem significari puto: quibus duobus judicium novimus celebrari, primum per diluvium; in seculi autem fine per ignem.* Ex hisce autem variis judiciis, secunda maximè probabilis videtur sententia. Nam quod nonnulli Jaspidis virorem ad divinam Christi naturam; Sardii ruborem ad Christi, sanguine effuso rubentis, humanam naturam spectare putant, à scopo aberrare, ex superioribus apparet: cum non de Christo, sed Patre agatur. Quemadmodum etiam, quod quidam Iaspidis virorem, ut bonæ spei symbolum, misericordiam significare arbitrantur; & Sardium justitiam: quod hisce attributis ornetur Deus: illud probatæ jam sententiæ postponendum esse, ex collatione signi, & sequenti distincta misericordiæ nota elucebit. Nam sessoris Dei Patris illustrationi, subditur expositio throni ab adjunctis: ac primùm ex circumpositis supernè & infernè: supernè in circuitu throni erat iris: qua Dei veritas in servandis promissis: ac clementia erga genus humanum, & potissimum Ecclesiam denotatur: quemadmodum partim ex Gen. 9. partim ex coloris descriptione potest colligi. Nam cum iris sit versicolor; hoc tamen in loco emphaticè apparuit similis aspectu Smaragdo, gemmæ viroris longè excellentissimi ac jucundissimi: adeò ut quemadmodum Dei aspectus potuit terrere; sic talis iridis arcus, consolari. Quod verisimilius est quàm variæ, quæ circumferuntur expositiones. Quidam enim actionem, Dei scilicet judicium, quod universos complectitur: alii personam notari censent; & quidem nonnulli divinam Spiritus Sancti, nonnulli verò Christi: quasi nubes iridis, humanam naturam, & duo arcus cornua, divinam & humanam notarent. Alii verò humanas personas, hoc est sanctos significari putant. Nam ut inquit Primasius, *cum nubes imbriferæ, splendore solis fuerint radiatæ, arcus speciem addunt: ad cujus comparationem, cum sole justitiæ, qui est Christus, sanctorum animæ fuerint illustratæ, eorum intercessu divinitas propitiari dignatur.* Quæ recensere, refutare est. Si quis verò præter dicta, allegoriam desideret, ad scopum accommodatius diceretur; ut sol radios; in obscuram ac pluviam nubem dirigens, iridem efficit, coloris specie insignem: sic Deus Pater luminum, lumen gratiæ & gloriæ suæ creaturis tenebrosis immittit, easque gloriosè relucere facit, v. 3. Porrò ut iris supernè circumposita hic dicitur: sic infernè cinxerunt Dei Patris thronum, Seniores. Throni autem viginti quatuor proponuntur & seniores totidem. Qui describuntur ornatu vestium, & coronarum: earumque præstantia declaratur; vestium quidem à colore albo, justitiæ & gloriæ signo: ut Apoc. 3. v. 4. & 5. coronarum verò à materiæ pretio & splendore aureo, victoriæ & regni symbolo, Apoc. 2. 10. & 19. 14. & 1. Corinth. 9. 25. & 2. Tim. 4. 8. Jac. 1. 12. & 1. Pet. 1. v. 4. Quid verò hi seniores notent, quidque definitus eorum numerus sibi velit, disquiri solet. Quidam per Synecdochen numeri definiti pro indefinito, universas beatorum animas intelligunt: similitudine, ut arbitrantur, à Pontificum Synedriis, deducta, quæ eodem numero celebrari solita. Sed hoc non probant. Nam ut majus Synedrium constabat LXX. judicibus, & præterea præside pontifice: sic minus tantum viginti tribus, ut ex Talmude probat Galatinus, & Sigonius de republica Hebræorum. Quare alii duodecim Patriarchas Jacobi filios, & duodecim Apostolos, quibus duodecim sedes promissæ erant à Christo. Mat. 19. 28. intelligunt. Sed hoc videretur alienum, ab eo numero Abelem, Enochum, Noachum, Melchisedecum, Isaacum, Jacobum, Jobum, Samuelem, Davidem, Eliam, Danielem, similesque excludi. Reliqui igitur, maximè ut videtur consentaneè, seniores hosce denotare putant insigniores Ecclesiæ utriusque Test. in cœlis triumphantis antistites: qui quasi Dei Patris senatores, gloriæ illius sunt participes & præcones. Ut enim magnates ac judices, regibus suis gloriosè in throno sedentibus ac judicantibus, assident: ita Dei Majestati hi seniores, similitudine ab hominibus derivata, adjunguntur assessores: quemadmodum Dan. 7. *& throni positi sunt, & antiquus dierum judicaturus sedet.* Nam quod nonnulli, veterum quorundam Patrum vestigia secuti, de libris V. Test. viginti quatuor accipiendum contendunt: illud iis, quæ adducuntur argumentis, non probatur. Et quod fundamenti loco substernitur, quod universa throni gloria, (cujus hi seniores pars adjuncta) sit in terris: illud meritò negatur & vestitu ac corona seniorum confutatur evidentissimè. Iam verò rationes, quas opponunt pro hac probanda sententia, expendamus. Prima ducitur ab officio; quia hi seniores, v. 10. & 11. dicuntur glorificare Deum die nocteque: Sed ab hisce viginti quatuor libris maximè glorificatur. Verùm negatur consequentia; quia in secunda figura, ex puris affirmatis nihil sequitur, nisi propositio sit reciproca: nam *maximè* hoc in loco pro *valde* videtur accipi. Deinde esto: assumptio etiam negatur. Primum, quia non solum, sed etiam magis à Novi T. scriptis Euangelicis glorificatur: ideoque argumenti imbecillitatem agnoscunt, cum subjiciunt, glorificari Deum S. Literis, ex quibus hi libri priores sunt: nam si id quod maxime glorificat Deum, intelligendum est, sequitur aut Euangelia cum reliquis Novi Test. scriptis tantùm intelligenda, aut simul cum aliis: ideoque corruit hypothesis. Deinde magis etiam à cœlitibus glori-

glorificatur Deus, si agendi modum, & continuationem illius consideremus. Altera ratio est, quod nomine conveniunt: quod ut hi 24. vocantur seniores, ita viginti quatuor libros hosce vocari Testamentum Vetus Sed eadem est, ut ante inconsequentia, quæ augetur novo quarti termini vitio: nam seniores & Vetus Test. longe diversum notant. Tertia est, à numeri consensione: nam ut hi seniores sunt 24. ita & libri authentici V.T. sunt 24. atq; ita nominati ab Hieronymo in prologo Galeato. Sed eadem est ἀναλογυσία, quę antea. Quarta ratio est, Quicquid nomine seniorum prolatum est hoc loco, illud in aliquo Veteris Testam librorum, comperietur. Sed utrimque hic est eadem, quę in superioribus, inconsequentia. Ac sane quam alienum est rei inanimatæ, qualis est V.T. scriptura, attribuere, sessionem, adorationem, vestes albas, redemptionem per Christum, coronam victoriæ & visionis, Ioanni in N.T. primum factæ, explicationem? Quę cuncta, nisi in personas, cadere non possunt. Idq; agnoscere coguntur, quando ajunt, viginti quatuor seniorum nomine V.T. libros, & Metonymicè, cùm veros eorum scriptores, tum omnes fidos professores, certo denotari: alioqui non posse dici Apoc. 5. 9. & 10. per Christum redemptos, & regnare super terram. Quæ etiam assertio suis partibus malè cohæret. Si enim Metonymicè scriptores V. T. intelliguntur: Ergo non propriè libri. Deinde, non omnes fidos V. T. professores hisce senioribus denotari apparet, cum aliunde, tum ex c. 14. 3. & 4. ubi certo illi seniorum numero, distinctè ab iis, Myriades sanctorum adjunguntur. Sed hisce objectis rationibus explicatis, hypothesin ac fundamentum earum expendamus. Asseritur enim descriptionem hanc throni, non esse descriptionem Majestatis Dei in cœlo: sed veræ illius religionis, cui insidet, inter sanctos electos in terris. Nam quamvis dicatur thronus positus in cœlo: statuunt tamen non esse visionem gloriæ cœlestis: primò, quia cœlum plerumque propheticè accipitur pro Dei cœlestibus electis, aut vera Ecclesia in terris: deinde, quia, ut ajunt, esset curiositas superflua, ampliora nosse cœlestia Dei mysteria, quàm simplicia salutaris doctrinæ capita: tertiò, quia scriptura testatur nullius pennam posse describere, nec intellectum capere Dei gloriam in cœlis. Atque hæc sunt quæ objiciuntur. Verum primæ objectionis negatur antecedens & consequentia; & visionibus similibus, Esai. 6. Ezech. 1. Dan. 7. confutatur. Neque altera firmior est: quia scire quæ Deus revelat, curiositas non est, sed recta sapientia: & revelata hic Mysteria, ad salutaris doctrinæ capita illustranda pertinent, scilicet Deum esse regem cœlestem: sanctos selectos esse assessores: judicia Dei esse sapientia, justa, potentia. Tertia quoque nihil evincit: quia etsi Dei gloriam cœlestem non queamus capere, tamen umbram aliquam illius (quæ hic depingitur specie certa, & alibi Metaphoris, idem denotantibus, indicatur) capere valemus. Sed quarta objectio speciosior est; quod quatuor animalia & 24. seniores, (quæ sunt membra cohærentia huic throno) Apoc. 5. vers. 9. & 10. confitentur, se Christi sanguine redemptos, & regnare super terram. Verùm negatur primùm antecedens: quia non dicunt *regnamus*, sed *regnabimus*. Deinde negatur consequentia, nam fideles in cœlis regnant super terram bifariam: primùm quodam modo in suo capite Christo, qui in medio inimicorum suorum regnat: deinde in membris sibi conjunctis verè fidelibus: qui similiter in medio inimicorum regnant suo modo, superiores per fidem, Satana, carne, mundo, 1. Ioann. 5. vers. 4. & 5. Postrema objectio est, quod inter quatuor illa animalia, orta sit fames & annonæ caritas, Apoc. 6. vers. 6 Sed hoc eo in loco non dicitur: sed prędicitur futurum in terris. Quare quod statuitur, per thronum veram religionem denotari, in qua Deus Pater sedeat, & qua illius authoritas & thronus stabilitur in terris: illud à scopo & circumstantiis Apocalypseos aberrat: contraque thronus Dei regiam majestatem in cœlis; viginti verò quatuor seniores, selectos è sanctis assessores denotant. Hæc de v. 4.

Atque hæc de iis quæ circumstiterunt thronum superne & infernè: Prodeuntia verò è throno, sunt primum terrentia, cùm visum, ut fulgura: tum auditum, ut tonitrua & voces: deinde recreantia, septem lampades igneæ ardentes ante thronum; quæ sunt septem Spiritus Dei. Quæ variè exponuntur. Quidam enim tam illa quàm hæc, ad idem omninò pertinere putant; & Spiritus Sancti efficaciam, variis signis adumbrari. Alii verò ad diversa; convenienter iis quæ antè monuimus. Sed tamen non ad eandem rem referunt. Nonnulli enim typicè notari putant, signis quidem terribilibus legem Dei; quod ea ratione in monte Sinai esset tradita; ejusque officium sit terrere peccatores: contra verò signis jucundis lampadum, Euangelium adumbrari: quod Spir. S. eo nos illuminet, foveat ac consoletur: de quibus duobus 2. Cor. 3. & Heb 12. 18. disseritur. Alii verò aliter: Sed maximè probabilè videtur, fulgure, vocibus ac tonitruis, ut in legis promulgatione, Exod. 19. designari, Deum pœnarum in orbem immittendarum, esse autorem præpotentem ac justum: ut ex collatione, Apoc. 8. 5. & c. 10. 3. 4. & c. 16. 18. patet. Deinde Ecclesiæ conservatorem esse suo spiritu, qui donis perfectis suis illuminat, recreat ac dirigit fideles: ideoque lampadibus, & quidem numero septenario depingitur: ut Apoc. 1. vers. 4. declaratum est. Idque videtur lucernis septem, lampadis tabernaculi, Exod. 37. vers. 23, & Zach. 4. vers. 2. adumbratum. Nam ut iis tabernaculum illustrabatur: sic Spiritus S. luce multiplici, universa Ecclesia, per tabernaculum adumbrata (sicut etiam templum Domini à Paulo appellatur) illustratur. Quorum utrumque ad fidelium consolationem pertinet: illud quidem, ut fides de Dei justitia adversus impios Ecclesiæ hostes: hoc verò ut fiducia de Dei cura & misericordia erga Ecclesiam, adversus tentationes stabiliatur, v. 5. Atque hæc de iis quæ è throno prodibant. Tertiò verò loco annotatur illud quod erat ante thronum; nempe mare vitreum, simile crystallo. Ac mare quidem vulgo cum Primasio & Beda baptismum exponunt: quia omnis, qui ad thronum Dei vult accedere, per Baptismi mare transire debeat. Atque hinc Paulum volunt mari rubro comparare, 1. Cor. cap. 10. Sed virtrum & crystallum, mira varietate obscurant multi. Alii enim ad eandem rem referunt: idque vel ut animam baptizatam notet: quæ ut vitrum solis radiis; ita hæc Deo pervia, gratiæque donis est illustrata: vel ut animæ dotes significet, & quidem antecedentem baptizandi conditionem, vel fidei sinceritatem, quæ vitro sit similis, quod ut vitrum, nihil aliud, exterius, indicat, quam, quod interius continet: ita ad baptismum accedentem oportere corde credere & ore confiteri: vel baptismi effectum, puritatem & claritatem cognitionis divinæ; unde Græci Patres baptismum φωτισμὸν *illuminationem* appellant; derivata ex Heb. 6. v. 4. & 10. 32. nominis origine. Alii verò ista ad diversa accommodant: vitrum ad præsentem statum; crystallum ad futurum post resurrectionem: quod fideles modò vitrei sunt, id est, lucidi, sed mortalia corpora portantes, vitri instar, fragilia, post resurrectionem verò futuri sint crystalli instar, solidi & immortales. Sed hæc de baptismo sententia, aliis non immerito displicet. Et per mare vitreum, pœnitentiæ, ut vocant, sacramentum, Pontificii quidam significari ajunt: Mare, propter abundantiam lachrymarum: vitreum, propter confessionis perspicuitatem: crystallum, propter firmitatem propositi non peccandi imposterum; & propter splendorem gratiæ. Contra verò alii non Sacramentum verum, baptismi; neque fictitium pœnitentiæ, per mare vitreum intelligi rectè censent: sed mundum, qui in conspectu Dei est ejus oculis instar vitri ac crystalli pellucidus: quia omnia aperta sunt oculis ejus, contra Epicuræorum securam incredulitatem. Idque ex verbis Ioannis probant, Apoc. 15. *& vidi aliud signum in cœlo, magnum & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas, quoniam illis consummata est ira Dei.*

Quibus verbis de eorum suppliciis, qui bestiam adoraverunt; ac deinde subjicit; *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Mosis servi Dei.*

Vidit mare vitreum, mistum igne; quandoquidem homines scelerati in terra viventes, in fine mundi conflagraturi sunt: & ante hanc extremam conflagrationem, cum variis calamitatibus affligendi sunt impii, tum æstu & igni, ut c. 16. prædicitur. At sancti qui in hoc mare mersi non sunt, sed inter sceleratos degentes pietatem coluerint, & ex illis fluctibus enatarint, stabunt super illud, hoc est, ad illius littus, jam securi, & cantabunt canticum quod Moses cecinit, cum Dei populus salvus exiit è mari rubro, Ex. 15. Quæ postrema expositio videtur huic loco, si summam rei spectemus, magis consentanea. Sed si conjecturæ locus est, putarem simplicissimè posse solum ac quasi pavimentum cœli beatorum ita designari; quod Deus ita gloriosus in cœlo resideat, ut per illud quasi per mare vitreum & crystallinum, omnia habeat, quæ in terra sunt, oculis suis aperta & conspicua. Quo etiam sensu hic inferior mundus, Apo. 15. mari vitreo comparetur; quod quæ in eo eventura essent, Deo aperta sint, & Joanni clarè revelata. Ex quibus omnibus colligi potest, quid de mari vitreo hoc in loco judicandum videatur. Cui ultimo subjiciuntur, quæ in throni medio & ambitu visa sunt animalia: qualia partim, Esa. 6. & Ezech. 1. Quæ describuntur insitis ac visis circumstantiis, & effectis auditis. Circumstantiæ sunt, primum numeri quaternarii: deinde oculorum copia & situs; quod plena fuerint oculis, ante & retrò: tertiò figura: ac primum singulis propria; leonis, vituli, hominis, aquilæ: deinde adjuncto, senarum alarum, communis. Verùm de recta eorum interpretatione disceptatur. Quidam putant propriè denotari hac visione, omnes creaturas cœlestes, terrestres, Dei imperio parére: in cœlo tonitrua, fulgura, tempestates, iridem: in terris verò animalia, primùm rationalia, homines; deinde irrationalia, partim gressilia, cùm fera, quæ Leone, tum mansueta, quæ vitulo notentur; partim volatilia, quæ aquilâ, tanquam excellenti specie, Synecdochicè declaretur. Alii contrà (priscorum Theologorum opinione freti) Euangelia quatuor adumbrata existimant: idque vel similitudine initii Euangelii: vel argumenti, quod cum horum animalium natura conveniat. In qua re tamen inter se dissident. Verum utraque hæc sententia, quamvis virorum sit illustrium, confutatur tamen; primum hujus visionis circumstantiis: quia nec bruta, nec Euangelia sunt in cœlo ac Dei throno; nec plena oculis, nec die ac nocte laudem & gratiarum actionem concinunt: deinde nec attributa sequentium capitum iis conveniunt: ut procidere coram agno c. 5. vers. 8. acclamare Amen, vers. 14. Joannem monere ut ad agnum aperientem sigilla veniat & videat, cap. 6. 1. 3. 5. 7. dare septem Angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viventis, cap. 15. vers. 7. cum senioribus 24. Deum procidentes adorare & acclamare Alleluja, Apoc. 19. vers. 5. Quamobrem nec vera animalia, nec Euangelia, adumbrari hac animalium specie concludimus: multo minus alia, quæ importunè ac mira varietate à multis adferuntur.

Denique contra ab aliis doctè de Angelis, & quidem selectioribus exponitur: idque meritò. Nam eorum natura excellens fortitudine ac magnanimitate, quæ similitudine leonis notatur: deinde mansuetudine & laboris tolerantia, quæ vitulo notatur: ad hæc prudentia, quæ per hominem: denique celeritas admirabilis, quæ per Aquilam & alarum senarum similitudinem designatur. Et oculorum plenitudine, Angelorum vigilantia gemina denotatur, partim introrsùm, in observando Dei nutu, & mandatis: ne aliquo imprudenter provolent, nisi quo tanquam Spiritus administratorii mittuntur divinitus: partim extrorsùm, in observandis creaturis, quibus destinantur vel conservandis, vel puniendis, ne quid præter mandatum exequantur: earum prior vigilantia internis alarum oculis, posterior externis reliqui corporis antè & retrò depingitur: adeo ut cum visione Ezech. 1. egregiè in summa rei consentiat: licet circumstantiis quibusdam (ut in diversis visionibus fieri solet) differat. Vnum tamen disquirendum superest, quomodo citra contradictionem dicatur, hæc animalia fuisse in throni medio & ambitu. Sed illud conciliatur hoc modo: quod non secundum idem ea dicantur. Veruntamen hoc sensu alio tamen atque alio modo ab interpretibus exponitur. Quidam putant animalium tria reliqua fuisse in throni ambitu: aquilam verò supernè in medio throni, alis explicatis: quia non tantùm dicitur, quartum animal fuisse simile aquilæ, sed volanti. Alii verò contrà statuunt, hæc simul de cunctis 4. animalibus fuisse dicta, sed non secundum eandem eorum partem: nam posteriori corporis parte fuisse sub throni medio: capite verò & anteriori parte ante thronum, commodo ordine in throni ambitu: quemadmodum regalibus sedibus, ornamenta similia solent adhiberi: ut in throni Salomonis gradibus, leones duodecim substrati fuerunt. Atque hoc situ, Angelorum subjectio & servitium erga Deum cœlestem regem depingetur. Atque hactenus Dei Majestatis visæ descriptio: Cui, apta connexione, additur illius honoratio à circumpositis, primùm animalibus, deinde senioribus. Nam ut animalium visæ circumstantiæ antè descriptæ sunt: ita hoc in loco ascribitur eorum effectum, Dei videlicet laudatio. Ea autem, præmissa temporis circumstantia, nempe diei ac noctis, sine intermissione recensetur. Constatque laude attributorum Dei Patris, primùm sanctitatis perfectissimæ ac summæ, quæ ut Esai. 6. terna repetitione indicatur: deinde omnipotentiæ: denique æternitatis, quæ licet sit termini ac successionis expers, similitudine partium temporis præteriti, præsentis, futuri, ut Apoc. 1. 8. denotatur; *qui est, qui erat, & qui venturus est.* Hæc de v. 8. Cum verò hæc celebratio Angelica, ad Dominum Deum omnipotentem dirigatur: eam partim expositione quadam illustrat & amplificat Propheta. Expositio quidem declarat primùm celebrationem, cum ait v. 9. animalia illa dedisse gloriam, honorem, gratiarum actionem.

Id quod bifariam intelligi potest; nimirum vel ut nihil aliud sit quàm ea prædicasse, Deum afficiendum esse gloria, honore, gratiarum actione: vel ut distinctè de diversis capiatur: ut dare gloriam & gratiarum actionem, significet Dei præstantiam & beneficia ab eo accepta, sermone celebrare: dare honorem, sit gestu corporis humili, exempli gratia, prolapsus in solum adoratione, subjectionem ac reverentiam testari, quemadmodum Apoc. 17. 14. Deinde declaratur hujus celebrationis objectum esse, eundem qui sedebat in throno, qui vivit in secula seculorum: quo æternitas (per antecedentem sententiam *qui est, qui erat, & qui venturus est*) proposita, clarius illustratur, v. 9. Et conveniens causa atque effectum describitur, consequente altera illorum, videlicet viginti quatuor seniorum honoratione duplici: primùm facto; quo honorem geminum tribuerunt; adorationis Dei Patris & abjectionis coronarum suarum ante thronum illius: idque in signum subjectionis & gratitudinis debitæ: *Deo* videlicet *assignando* (ut Primasius ait) *quicquid virtutis, quicquid habent dignitatis.* Quod, ut nonnulli observant, prisco etiam Romanorum ritui convenit: quo, ut ferunt, Imperator hostium victor, apud Romanos, triumpho exacto, superstitiose in Jovis Capitolini gremio, reponebat coronam triumphalem; ut victoriæ datorem agnosceret. Hæc de v. 10. & honoratione, quæ facto præstita. Altera verò est, quæ verbis ac laude exhibita est: constans propositione illius, & confirmatione. Propositio est; dignum esse Dominum, qui accipiat gloriam, honorem, & virtutem. Cum autem dare & accipere sint relata: quemadmodum dare gloriam & honorem ante ostendimus posse explicari bifariam; ita & accipere gloriam & honorem: vel ut eodem modo utrumq; ad oris confessionem referatur; ut sit sensus; dignus es, cujus prædicetur gloria, honor, potentia; vel ut distinctè accipere gloriam, sit laudari; accipere honorem, affici honore: ut illud ad sermonem, hoc verò ad factum referatur. Quod sicuti est uberius, ita & antea, & hoc in loco, in sententiarum diversitate videtur præferendum: præsertim cum & animalia honorem dederint, & seniores. Sed difficultas aliqua ex tertia voce emergit: quomodo Deus dicatur *virtutem accipere?* nam Deus à creaturis ore celebrari & gestu honorari potest: sed cum sit omnipotens, v. 8. ideoque potentiam ab ipso omnes, ipse verò à nemine accipit, nec accipere potest propriè: qua de causa, quidam contendunt, accipere gloriam, honorem,

honorem, potentiam, similiter ad celebrationem oris tantum pertinere: adeò ut vox accipiendi propriè sumatur; sed gloria, honor, potentia Metonymicè pro confessione testimonioque eorum: ut Apoc. 5. 12. *dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat potentiam.* Sed aliter nodus à quibusdam expeditur; nimirum ut accipere dicatur Deus gloriam & honorem ab hominibus: à se verò potentiam; non quidem essentialem, quæ æterna, sed illius in hostibus vincendis operationem temporalem: aut potius potentiæ patefactionem Metaphoricè, quæ fit quasi illius acceptio: ut sit sensus, dignus es qui accipias amplitudinem, ut tibi cuncta subjicias: sic Esa. 51. dictum esse, *consurge, consurge, induere fortitudinem.* Eumque sensum esse genuinum, censent demonstrari loco simili, Apoc. 11. 17. Nam cum locutus fuisset Propheta de punitis impiis, tandem subjicit: *factum est regnum hujus mundi Domini nostri & Christi ejus*, & continuò procidentes Seniores 24. ajunt; *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, quia accepisti virtutem tuam magnam & regnasti*; & eodem modo explicant, Apoc. 5. 12. utraque probabilis apparet sententia, sed secunda magis fluit. Deniq; confirmatio hujus propositionis est ab omnipotentiæ & bonitatis divinæ effecto gemino; creatione omnium, & conservatione: quæ repetitione prioris à causa finali amplificatur, his verbis: *propter voluntatem tuam sunt*, hoc est, creata sunt ac perstant: nam Deus causa mundi est efficiens, non solum procreans, sed etiam finis, ut Rom. c. 11. v. 36.

CONSECTARIA.

I. CUm secunda visio, Joanni Apostolo, Christi ope in cœlis contigerit; Ergo ei tanquam divinæ ac veræ, fides adhibenda est.

II. Joanni revelata sunt quæ oportuerat fieri: ergo ea à nonnullis, bona parte, ad præteritum Vetus Testam. perperam referuntur.

III. Hinc etiam sequitur Apocalypsin ad usum necessarium & cautionem pertinere: ideoq; malè faciunt, qui ab illius lectione, difficultatis prætextu, prorsus abstinendum censent; cum multa capita commodè satis queant percipi magnaque utilitate observari, v. 1.

IV. Quandoquidem Deus throno suo judiciali, quo particularia judicia exercet, sedet, orbemque gubernat; in illius providentia & cura nobis est acquiescendum, eiq; tam in adversis, quàm in prosperis, tanquam Domino nostro summo ac judici, reverenter ac piè obtemperandum, v. 2. 3.

V. Deus terribilis est sua potentia, sed contra suavis est Ecclesiæ suæ, misericordiæ ac fœderis intercessione, v. 3.

VI. Cum Deus fideles suos servos cœlesti gloria ac coronâ donet, suosque in cœlis quasi assessores constituat: non est causa justa, cur impiis in hoc mundo florentibus, & vestium luxu pompaque mundana, & plerorumq; gratiâ exultantibus invideamus: aut humilis nostræ sortis observatione, animum despondeamus: sed contrà, per quævis adversa forti invictoque animo ad coronam cœlestem contendendum, v. 4.

VII. Dum mundus Dei tonitru concutitur, lampade sui Spiritus Ecclesiam recreat: ideoque fugiendæ sunt errorum ac vitiorum tenebræ, & in veræ notitiæ Dei & religionis luce vivendum, ut filios lucis decet, v. 5.

VIII. Quoniam Deo omnia sunt pellucida, Angelique oculis pleni; curandum est ut in eorum conspectu in timore & tremore salutem nostram operemur, v. 6.

IV. Angeli quatuor, quasi quatuor mundi plagis destinati, excellunt robore: mansueta promptaque laboris tolerantia, prudentia ac celeritate admirabili: quamobrem si officium fecerimus Deoque placeamus, non est cur mundi vel Satanæ, mundi principis potentiam aut astutiam metuamus: cum Angeli boni, qui nobiscum sunt, iis longè antecellant, v. 7.

X. Quandoquidem Angeli die ac nocte sine intermissione Deum in cœlis celebrant: turpe & impium est, si nos tardi simus ad preces & gratiarum actiones.

XI. Deus est ter Sanctus: eoque profani sunt, ac ter miseri, qui illius gubernationi impiè obtrectant.

XII. Beatæ in cœlis animæ, Angelorum exemplo, Deum honorant: Ergo & nos in terris hominum piorum exemplis provocati, eorum pietatem confestim imitari debemus.

XIII. Quamvis Deus internam cordis humilitatem potissimum spectet ac requirat: externa tamen corporis humilitas, tanquam internæ index ac socia; exemplo 24. seniorum requiritur, partim justitiæ, partim ædificationis causâ: justitię quidem; quod ut animo & corpore sumus redempti Deoque proprii; ita utroque ei servire debeamus, 1. Cor. 6. vers. 20. ædificationis verò, ut proximus, nostro exemplo excitetur, aut confirmetur in officio simili.

XIV. Cùm Sancti ipsi in cœlis Deum adorent, ut viventē in sęcula seculorū, & dignū qui accipiat gloriam, honorem, virtutem: ergo eorum exemplo, non sanctos, sed solùm ter sanctum Deum adorare, eique soli servire debemus, Matth. 4. v. 10.

XV. Hi seniores coronas ante thonum abjiciunt, seque non suo merito, sed Dei gratia regnare profitentur: ergo impiâ superbiâ Pontificii turgent, dum Sanctorum meritis fidunt, imo suis meritis sese coronam cœlestem assequi posse jactant, v. 10.

XVI. Deus omnia creavit ac sustentat: ergo ei tanquam Domino nostro jure meritoque servire debemus, & ad ejus laudem omnia referre, v. 11.

CAPUT QUINTUM.

PRimarius Apocalypseos author ac dator Deus Pater, descriptus est, capite antecedenti, à visa cœlesti majestate, seu regali magnificentia; & illius honoratione à nobilissimis creaturis, cœlitibus Angelis & beatorum animabus. Altera descriptio est cap. 5. à dextræ illius adjuncto libro, qui depingitur suis circumstantiis, internis & externis. Internæ sunt scriptionis modus, & scripti obsignatio. Scriptionis modus est, quod fuerit scriptus intus & à tergo; hoc est utrimque conscriptus. Nam ut rectè à quibusdam observatum est, veteres libri una membrana oblongâ constabant, quę circum cylindrum volvebatur; unde etiam מגלות Hebraicè, & *volumina* Latinis nominabantur: sic Luc. 4. 17. Christus dicitur librum explicuisse, & v. 20. complicuisse: & Apoc. 6. 14. *cœlum recessit sicut liber, qui convolvitur.* Hinc volumina intus conscribebantur tantùm, nisi tanta materiæ esset copia, ut etiam foris seu à tergo esset scribendum. Quo spectat illud Juvenal. Saty. 1.

---- ---- *Plenâ jam margine libri*
Scriptus, & in tergo, necdum finitus Orestes.

Obsignatio verò hujus voluminis declaratur à causa efficiente, sigillis septem: quæ non uno loco conjunctim, ut vulgo sentiunt, sed diversis voluminis partibus apposita fuisse, ex separata eorum apertione colligimus. Quid verò hæc omnia denotent, disquirendum est. Multi, veterum vestigiis insistentes, per librum, Sacras Veteris Novique Testamenti literas intelligunt: sed libri hujus circumstantiis & materia confutantur. Nam liber hic omninò obsignatus fuit: nec à Ioanne, nec ab ulla creatura potuit aperiri, neque inspici, vers. 1. & 3. sed Sacræ Literæ fuerunt Joanni & Apostolis apertæ, lectæ & intellectæ. Ergò liber hic non sunt Sacræ Literę. Deinde quę hoc libro continentur, ea bona ex parte sequentibus exponuntur, quæ reliquis Sacris Literis, non omnino continentur. Quare rectius alii Dei præscientiam & consilium, de rebus in Ecclesia, & hostibus illius gerendis intelligunt: ut ex sigillorum apertione, & cœlesti interpretatione, ex sequentibus liquere potest. Similis quodammodo liber describitur, Ezech. 2. v. 9. 10. *Et ecce manus missa ad me, & Ecce in ea volumen libri, & expandit illud coram me: & erat scriptum ante & retro, & scriptura in eo lamentationes & gemitus & væ.* Scriptio verò intus & à tergo, rerum scriptarum copiam: obsignatio verò septem sigillis, hoc Dei consilium per se arcanum esse designabat, v. 1. Atq; hę sunt internæ libri circumstantiæ. Externa verò est illius apertio & solutio sigillorum, cujus causa efficiens describitur: atq; hoc ordine, ab authore Apocalypseos primario, nempe Deo Patre, commodè transitur ad descriptionem secundarii, nempe

nempe Filii θεανθρώπου mediatoris. Declaratur enim apertionis causa ad amplificationem, per aphæresin, & thesin. Aphæresis removet causas alienas, ac notat, quis non aperuerit: quod exponitur antecedente, Angeli ad libri apertionem, provocatione, v.2. & creaturarum omnium impotentia, v.3. & consequente Ioannis dolore ob suam & Ecclesiæ jacturam, v.4. Thesis verò eum qui aperturus erat, declarat, antecedente primum senioris indicio, deinde acceptione libri per Christum: denique consecuta honoratione. Vnus enim ex senioribus illis, de quibus cap. 4. v. 4. Ioannem consolatur, dehortatione à fletu, & confirmatione illius, per revelationem ejus, qui esset librum aperturus. Eum autem describit, à persona & effectis. Personam notat, à natura humana: cujus indicat majores Judam & Davidem, unde etiam è Iuda esse dicitur, ut Genes. 49.9. Heb. 7.14. & *radix*, hoc est, Metonymicè non minus quam Metaphoricè, è radice Davidis, ex Esa. c. 11. Effecta designantur cùm vocatur *Leo ille qui vicit*; hoc est, sua justitia peccatum, Satanam, mortem, leonina fortitudine superavit, & tribu Iuda, Gen. 49. fuit adumbratus. Quæ victoria Christi, & via fuit, & causa ad glorificationem, non solùm in regno & sacerdotio, sed etiam in prophetia, ut dignus esset qui arcanum Dei, de Ecclesiæ regimine, calamitatibus, conservatione in iis, ac salute; co ntraque hostium exitio, à Patre intelligeret, & hominibus patefaceret, v.5. Nam secundo loco indicatur illius revelatio, & per eum libri acceptio. Revelatio quidem à loco; quod inter thronum & quatuor illa animalia, & inter seniores illos steterit: deinde à specie, quod ut agnus mactatus, & septem cornibus atque oculis fuerit instructus. Quorum prius, illius naturam humanam & sacerdotium notat: quemadmodum agno Paschali & legali fuit adumbratus, Exod. 12. & 1. Pet. 1. v. 19. & 1. Cor. 5. v. 7. Posterius divinam illius naturam notat, quod ille fortitudinis & sapientiæ divinæ sit fons, è quo Spiritus Sanct. mittatur ac donetur, v. 6. Atque ita revelatio loci & speciei, qua Christus Ioanni apparuit, absolvitur. Cui adscribitur effectum accessus ad Patrem, & acceptio libri è dextra illius: cujus finis fuit (quemadmodum ex v. 2. 4. & 5. constat) ut ostenderet se dignum esse, qui aperiret & legeret librum, & solveret illius sigilla, v. 7. Quæ apertio, sicut suam meretur gloriam; ita honoratio Christi sequitur triplex. Prima fuit selectorum Angelorum & beatarum animarum: qui typo quatuor animalium & seniorum, de quibus c. 4. actum est, adumbrantur. A quibus Christus honoratus est, adoratione & laudatione. Adoratio declaratur & gestu & habitu. Gestu; quod prociderint in terram, atque ita per corporis demissionem, animi sui subjectionem, & Christi Regis sui dominium sint professi. Habitu; quod singuli habuerunt cùm citharas, tum phialas aureas ad morum Levitarum servientium in tabernaculo aut templo Veteris Testamenti: nam primum citharæ psallendis Dei laudibus adhibebantur, 2. Chron. cap. 5. v. 12. Unde dicitur, Ps. 33. v. 1 & 2. *Exultate justi in Domino, rectos decet laudatio, confitemini Domino cithara.* quo modo cœlitibus etiam tribuitur Apoc. 14. v. 2 & c. 15. v. 2. ad cœleste encomium depingendum. Phialæ verò aureæ, inter vasa sacra altaris, serviebant odoramentis continendis; de quibus, Exod. 25. v. 29. *parabis & acetabula ac phialas, thuribula ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo:* & 1 Chron. 28. v. 17. & 2. Reg. 25. 15. Chaldæi è templo spoliasse dicuntur thuribula & phialas. Tales autem in templo phialę aureæ centum fuerunt, 2. Chron. 4. 8. Harum phialarum legalium similitudine, dicuntur animalia & seniores phialas habuisse plenas suffituum: quorum suffituum mysterium, convenienter umbræ legali exponitur his verbis: *quæ sunt preces Sanctorum:* ut enim suffitus sursum tendit, & odoris suavitate acceptus est: sic etiam preces Sanctorum ad Deum ascendunt eique grati sunt: quo modo incensi ordor suavissimus Domino dicitur, Num. 28. 26. & Ps. 141. 2. *dirigatur oratio mea sicut thus in conspectu tuo.* Veruntamen ex hoc loco invocationem sanctorum Angelorum & beatarum animarum stabilire conantur Pontificii satis speciosè, hoc modo; Qui norunt preces nostras easque offerunt Deo, illi à nobis sunt invocandi, tanquam intercessores nostri apud Deum. Angeli & animæ beatæ norunt preces nostras, easque ita offerunt Deo. Ergo ut intercessores sunt à nobis invocandi. Sed primum negatur propositio. Nam ad invocationem illam, non requiritur aliquarum tantùm precum notitia: sed omnium perfecta & per se notitia, quæ soli Deo, soli sapienti, & καρδιογνώστῃ 1. Reg. 8. v. 39. convenit: ideoque solus adorandus, Mat. 4. v. 10. Deinde oblatio omnium precum nostrarum, sanctificatur dignitate & merito offerentis Christi, 1. Pet. 2. v. 5. unici mediatoris nostri, 1. Tim. 2. v. 5. per quem solum pervenitur ad Patrem, Ioan. 14. ideoque impiè illud à Pontificiis, Sanctis, in cœlo constitutis, communicatur. Deinde ad assumptionem quod attinet, Angelos & animas nosse preces nostras, easque offerre Deo, non asseritur hoc loco, sed de Sanctis: dicit enim, *preces Sanctorum*. Sancti autem alii sunt imperfecti; qui in terris adversus peccatum, mundum & mundi principem Satanam militant: alii in cœlis perfecti & peccato exuti triumphant, quorum preces sunt instar suffitus, de quibus agitur hoc loco. Nam quod regeritur, eos cum sint in gloria, nulla re opus habere: ac propterea eorum non esse preces, quarum hîc mentio, sed nostras: antecedens negatur: nam & beatæ animæ victoriam de hostibus Ecclesiæ, & morte, hostium ultimo, 1. Cor. 15. expectant ac precantur, Apoc. 6. v. 10. & fratrum, sibi sub Christo capite unitorum, generatim conditionem non ignorant, & salutem eorum desiderant, quia perfectus eorum est amor: sed speciatim singula nosse vota cordis nostri ac preces, scripturæ repugnat: quę ut ostendimus, 1. Reg. 8. soli Deo cordis notitiam tribuit: & rerum nostrarum specialem scientiam beatis adimit, Esa. 63. 16. Atque hæc de adoratione Christi, v. 8. Laudatio verò primùm generatim describitur, cum vocatur *Canticum novum*, hoc est, Synecdochicè eximium: aut potius propriè novum, ob rei novitatem. deinde formula illius exprimitur, constans propositione & confirmatione. Propositio est, *dignus es qui accipias librum & sigilla aperias.* Confirmatio est à beneficio erga Ecclesiam, morte ejusque fructu. Quorum illud indicatur his verbis: *mactatus es, & redemisti nos Deo, per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Hæc autem redemtio est, per justi pretii & λύτρου solutionem, à peccato & Satanæ servitute liberatio, qua Deo iterum restituimur ac consecramur. Hinc dicuntur primum redemti Deo: quo etiam modo in simili cœlestium cantico dicitur; *Hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno:* nempe sacræ, Apoc. 14. v. 4.

Deinde cum λύτρον seu redemptionis pretium sit Christi anima seu vita, Matth. 20. v. 28. quam sanguinis effusione profudit: idcirco redempti dicuntur per sanguinem, ut pretii dignitas eluceret: ut 1. Pet. 1. 18. *scientes quod non corruptibilibus, argento, &c.* eoque 1. Cor. 6. v. 20. huic loco consentaneè dicitur *emti estis pretio; glorificate igitur Deum in corpore vestro & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Quod verò dicitur *ex omni tribu & lingua*, tanquam liberationis terminus accipi potest, & cum ea construi: ut 1. Pet. 1. 18. Apoc. 14. 3. 4. ut quemadmodum alibi nos ex mundo electi dicimur: sic hoc loco, aliis relictis, gratiosè redempti: vel ut ad subjectum pertineat, & ad amplificationem referatur; ac si esset, nos qui ex omni tribu, ἡμᾶς (supple ὄντας) ἐκ παντὸς. Sed prius magis convenit, quia constructione simplicius est ac magis fluit, & alterum sub se complectitur. Verùm alia oritur difficultas; quum enim quatuor animalia à nobis statuantur quatuor selecti Angeli: alii contrà beatas animas intelligunt, hinc ita disputant; Quatuor hæc animalia dicunt, *redemisti nos Deo:* atque nulli Angeli verè dicere possunt, *redemisti nos*, quia non peccarunt, eoque nec redimi potuerunt. Ergo nulli Angeli sunt quatuor animalia. Verùm negatur syllogismi consequentia: quia *redemisti nos*, ambiguè dicitur, in assumptione propriè, in propositione verò synecdochicè: Angeli enim sub animalium specie dicunt *redemisti nos*, non ratione suarum personarum, sed cœtus & civitatis cœlestis (cujus sunt pars Hebr. 12. vers. 22. Apoc. 19. vers. 10.) ratione habita; *redemisti nos*, id est, cœtus nostri bonam partem, beatarum animarum myriades. Qualis synecdochica loquendi ratio usitatis-

usitatissima est vulgo, & in S. Lit. ut inter alia Mat. 27.44. Marc. 15.32. latrones dicuntur Christo convitiati, hoc est, interprete Luca c. 23.39. unus ex latronibus, sic Mat. 24. 9. *tunc tradent vos*, id est, ex Ecclesia, cujus estis membra, fratres vestros; & v. 23. *si quis dixerit vobis*; & v. 33. *ita & vos*. Nam multis ante seculis Apostoli obierunt, ante impletionem Propheticæ illius concionis Christi. Imò ratione seniorum etiam hoc in loco aliqua est synecdoche. Nam quod dicunt se redemptos ex omni tribu, lingua, populo: illud non de solis hisce potest intelligi; sed quatenus conjuncti censentur reliquis omnibus sanctis. Quocirca nihil obstat, quominus per quatuor animalia Angelos intelligamus, vers. 9. Atque hæc de mortis Christi jure meritoque: fructus verò & efficacia est, quod nos fecerit Deo nostro reges & sacerdotes: ut cap. 1.6. expositum. Quorum prius ab effecto declaratur; quod regnabimus super terram. Quod intelligi potest bifariam: primùm ratione ultimi judicii; quo omnia subjicientur pedibus Christi & Christianorum, & perditis reprobis, terra liberabitur ad gloriam regni Filiorum Dei; quibus ea inserviet tanquam illustre clementiæ Dei theatrum, è quo in cœlestem aulam traducti: vel ratione antecedentium temporum; quibus in suis fratribus dominabuntur cum suo capite in medio inimicorum. Utrovis verò modo accipiamus, sive de regno gloriæ & quietis; sive de regno gratiæ & militiæ; nihil facit pro iis qui contendunt, animalia & seniores hosce denotare præfectos Ecclesiæ in terris militantis, v. 10. Porrò hæc prima Christi à cœtu animalium & seniorum honoratio: Altera est à reliqua Angelorum circumstantium multitudine, innumerabili; quæ ut Dan. 7. Myriadibus & Chiliadibus, tanquam maximis numerorum vocibus indicatur, vers. 11. Quorum canticum partim à vocis magnitudine, partim à formula describitur: qua Christum dignum esse asserunt, qui accipiat à Patre potentiam, divitias, sapientiam & fortitudinem congruentem regi & regni quoque administrationi in apertione ac lectione libri sigillorum: deinde à creaturis honorem, gloriam, benedictionem vers. 12. Tertia honoratio est omnium reliquarum creaturarum; quæ distinctè exponuntur; primùm creaturæ; deinde honoratio. Creaturæ describuntur loci distributione, cœli, terræ, maris. Creaturæ cœli sunt, partim rationales, animæ beatæ, ut Apoc. 7.9. 10.13. & 14.4. partim irrationales, ut astra, Sol, Luna. Creaturæ terræ sunt vel super terram, animatæ & inanimatæ; vel sub terra, res terræ visceribus contentæ. Nam quod Pontificii nonnulli hinc purgatorium stabilire contendunt; illud omnino ineptum est. Omnes creaturæ (inquiunt) sub terra Deum celebrant: Ergo aut Diaboli, aut animæ. Non Diaboli, quia Dei adversarii: Ergo animæ; non autem quæ in inferno (quia dicitur Psal. 5. v. 6. *in inferno quis confitebitur tibi?*) Ergo quæ in purgatorio. Veruntamen primùm falsa est hypothesis, in propositione disjunctiva; quasi solæ rationales creaturæ Deum honorarent; cum contrà suo modo, id etiam inanimatis, Ps. 19.1.2. & alibi tribuatur. Deinde assumptio etiam falsa est; quoniam Diaboli, licet Dei sint adversarii, Christum tamen Dominum suum agnoscere, & inviti, illius potentia subacti ac domiti, honorare coguntur: ut ex Euangeliorum exemplis & Philip. 2. apparet, idemque de animabus damnatis etiam evincit, quod dicitur; omnem cœli, terræ, maris, creaturam, & omnia quæ in iis sunt. Ergo nihil excipitur. Quod enim ex Psalm. 6. objicitur, à re proposita alienum est: quandoquidem locus ille non agit de animabus, sed corporibus, quæ in sepulchro, (sic enim potius quàm in inferno exponendum) exanimata, Deo non confitentur: Præcedit enim, *Non est in morte, qui memor sit tui.* Idque etiam apparet ex persona Davidis, de se etiam ista loquentis: qui ab inferni metu, per fidem erat liber, sed morti & corruptioni corporis in sepulchro erat obnoxius: Deinde David de confessione voluntaria loquitur, non autem metu extorta. Quare non agitur de animabus in purgatorio: ne quidem; si prius, (quod oportebat) purgatorium hujusmodi extare, aliunde esset demonstratum. Ideoque creaturæ quæ sub terra sunt, eo trahi non debent. Quod verò additur, *& quæ in eis sunt omnia*; illud quidam ad creaturas referunt hoc sensu; Non solum creaturæ, quas commemoravi, sed omnia etiam quæ in eis sunt, hoc est, singulæ earum partes: quemadmodum dictum est Ps. 103. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Verùm obstare constructio videtur: primum propter numerum diversum, omnis creatura & quæ in eis sunt: quamvis hæc numeri diversitas, per enallagen, ratione sensus excusari posset, ut 2. Cor. 5. 19. *reconcilians mundum, non imputans iis peccata*: quia mundus sumitur pro fidelibus in mundo, ad quos constructio ratione sensus refertur. Deinde quia ita remotiores erunt partes construendæ: ac propterea, *qui in eis sunt*, ad cœlum, terram, mare referenda arbitramur, h. e. omnes earum partes atque contenta: quomodo sacræ Literæ hæc jungunt, ut Act. 14.15. *Deum vivum qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in iis sunt*; Actor. 17. 24. *qui fecit mundum & omnia quæ in eo*; & Apoc. 10. vers. 6. *creavit cœlum & quæ in eo, & terram & quæ in ea, & mare & quæ in eo.* Hæc de creaturarum descriptione; sequitur earum effectum, honoratio Patris & Filii. Patrem enim vocat Iohannes sessorem throni, ut Apoc. 4. vers. 2. & 10. Filium *agnum*, ut hoc capite vers. 6. & 8. Honoratio est, qua benedictionem, honorem, gloriam, robur in secula seculorum Patri Filioque attribuunt, vers. 13. Quæ etiam honoratio simili exemplo confirmatur 24. seniorum, qui viventem in secula seculorum, prostrati in suas facies adorant. Verùm quid per viventem in secula denotetur, ambigi potest. Nam Patri convenire potest, sessori throni, cui hæc descriptio addita, c. 4. 9. & 10. vel Filio, ut Apoc. 1.18. *vivo*, inquit, *in secula seculorum*. Utrique appositè, quia uterque eadem laude, v. 13. celebratus est, vel denique habita Deitatis unius ratione, ad utrumque communiter referetur; tanquam adorationis causa; v. 14. Hæc de capitis quinti explicatione: in qua subsisto.

CONSECTARIA.

I. DEi consilia de Ecclesiæ statu futuro, sunt liber obsignatus, quem nulla creatura aperire nec legere potest: Ergo cœlestes Angeli & animæ beatorum non sunt omniscii, ideoque impium est, quod de Trinitatis speculo, in quo videant omnes res, comminiscuntur; impiaque cœlestium adoratio, quæ hoc falso fundamento innititur, v. 1. & 3.

II. Christus est Leo è tribu Iuda, & stirps illa Davidis: Ergo corpus suum non habet è cœlo, sed ex matre. Ideoque errant graviter Anabaptistæ, v. 5.

III. Christus solus Dei secreta novit ac pandit & potens leo est, qui habet septem Dei Spiritus; Ergo non est merus homo, sed etiam verus Deus.

IV. Cum Christus sit victor, leo & agnus mactatus, ejus fortitudini & misericordi lenitati fidentes eum constanter colere debemus, versic. 5. & 6.

V. Christus adorandus est à cœlestibus spiritibus. Ergo verus est Deus.

VI. Cum Jesus sit noster redemptor; & vitâ, & invocatione precum ac gratiarum actionis colendus est, v. 9.

VII. Angelorum ministrorum Christi plurimæ sunt myriades: ergo plures sunt pro nobis quàm contra nos: ideoque non est, cur in adversis desperemus, v. 11.

VIII. Christus æquali eademque gloria cum Patre honorandus est. Ergo verus est Deus, vers. 12. & 13.

COROLLARIUM De Seculis.

QUoniam *seculi* frequens occurrit usus, & Valentiniani ad suos Æones, Manichæi ad Deum malum statuendum, Judæi denique cùm olim, tum nostris temporibus ad ceremoniarum legalium observationem stabilendam pertinaciter ac gloriosè in citandis S. Literis abutuntur; & prisci Theologi multa argutius, quàm verius (absit dicto invidia) de seculis disputarint; ut Augustin. tom. 5. de civ. Dei lib. 12. cap. 19. & tom. 8. in Psalm. 9. Hieron. ad Gal. 1. idcirco diligentius ac distinctius de hujus vocis origine & usu corollarii loco disserendum duximus; ut multa

ut multa Scripturæ loca illustrentur, & adversariis Judæis ora obturari possint. Αἰὼν Græcis dicitur quasi ἀεὶ ὤν, quod semper sit, ut rectè Aristot. de cœlo lib. 1. cap. 9. Hebræis frequentius עולם quod propriè longum tempus (unde Latini *olim*: quod sensu & significatione ferè convenit) à עלם *abscondere*, quod longo tempore res aboleantur atque abscondantur. Latini interpretantur *seculum*, sive literarum quadam transpositione à Græco ἡλικία ætate, ut doctè Turnebus Advers. lib. 26. c. 13. putat: sive à Latino *sene*, ut Perotto placet, aut *sequendo*, ut quidam conjiciunt, derivetur. Usurpatur autem hæc vox vel propriè vel figuratè. Propriè Græcè sumta, æternitatem seu infinitum tempus significat: idque vel simpliciter & absolutè, quod terminis, principio & fine ac successione caret. Sic Deo soli convenit, Genes 21. 33. Esai. 40. v. 27. *Deus seculi* seu æternus, ut Rom. 16. 26. αἰώνιος Θεὸς & 1. Timoth. c. 1. v. 17. *rex seculorum*: vel secundum quid & comparatè, ratione termini vel prioris seu à quo, hoc est, quod initio caret, Psalm. 93. v. 2. *à seculo tu es*, Eph. 3. 11. *secundum propositum* αἰώνων id est, αἰώνιον *æternum*. Actor. 15. 18. *ab æterno nota Deo opera ipsius*: vel ratione termini posterioris & ad quem, seu quod fine caret. Quod Scholastici in rebus creatis, distinctionis gratia, *ævum* vocant. Sic Daniel. 12. v. 3. *in seculum*. Atque hæc æternitas inchoata, à resurrectione quidem mortuorum & adventu Christi glorioso ad judicium, vocatur *seculum illud futurum*, Luc. 20. v. 35. Matth. 12. 32. Hebr. 6. v. 5. & venturum Luc 18. 30. Figuratè verò primum per synecdoch. speciei pro genere, αἰὼν tempus finitum ac diuturnum significat, עולם verò propriè. Idque aut præteritum ac priscum. ut *dies seculi* Deut. 32. 6 Esa. 63. 9. *semitæ seculi*, Ier. 18. 15. *terminus seculi*, Esa. 42. v. 14. sic Ier. 2. 20. à seculo, id est, ut Kimchi explicat, *à longo tempore*, & 28. 8. & Luc. 1. v. 70. & Actor. 3. v. 21. *Prophetæ qui à seculo*, id est, olim fuerunt. Sic Genes. 6. v. 4. *à seculo*, id est, olim, à longo tempore. Aut futurum tempus notat; vel indefinitè, ut Ios. 4. 7. *in monumentum, in seculum*, seu in posterum, Genes. 6. 3. *in seculum*, ac si diceret, in longitudinem dierum. Huc refertur Eph. 2. 7. secula succedentia: vel definitè quod insigni aliqua mutatione definiatur. Sic curriculum vitæ humanæ, *seculum* vocatur, ut Kimchi in lexico, Psalm. 119. *non obliviscar in æternum*; *omnibus diebus vitæ* exponit. Sic 1. Samuel. 2. vers. 22. *maneat ibi usque in seculum*, & 27. 22. *erit mihi servus seculi*, hoc est, æternum serviet, ut Horatius loquitur: *servit æternum, quia parvo nesciat uti.* Quemadmodum Latinis seculum, hominis ætatem longiorem, quæ centum annis definiri solet, notat. Unde *ludi seculares* dicti, centesimo quoque anno celebrati: & Græcis αἰὼν, teste Aristotel. de cœlo lib. 1. c. 9. sicut etiam Matth. 13. 22. *solicitudo seculi*, hoc est, βίου vitæ, ut Luc. c. 18 15. interpretatur. Sic Jerem. 25. 9. *Vastitates seculi*, hoc est, perpetuæ dicuntur, quæ v. 11. & 12. septuaginta annorum spacio definiuntur, & Deut. 15. 17. *Erit servus seculi*, hoc est, ad diuturnum usque jubilæi tempus, Levit. 25. 39. 40. Eoque Kimchi in Lexico ait; *Vult dicere, omnibus diebus usque ad jubilæum.* Sic terra Chanaan semini Abrahami addicitur in seculum, Genes. 13. 15. ita circumcisio, Pascha & Sabbathum vocantur fœdus seculi, Gen. 17. 13. Exod. 12. 24. & 31. 16. hoc est, ad diuturnum Christi adventum; quo templum cum sacrificiis abolendum erat, ac novum gratiæ fœdus confirmandum, Dan. 9. 26. Ierem. 31. 31. 32. Sic denique diuturnum illud ad alterum Christi adventum tempus vocatur, *seculum*, Matth. 28. 20. & *seculum hoc*, Luc. 10. 34. ut etiam, *tempus hoc* Luc. 18. 38. oppositè *seculo illi & futuro*. Quid autem sit futurum seculum, ad superiorum illustrationem, ex loco Eliæ Levitæ Iudæi, quædam adserimus. Sic enim ait in suo Thisbi in עולם הבא. *Controversia est inter novissimos scriptores, de tempore seculi venturi. Quidam enim dicunt, quod sit seculum animarum: alii referunt ad tempus dierum Messiæ: alii verò ad tempus quod erit post resurrectionem mortuorum, & quisquis adducit argumenta pro confirmanda sententia sua.* Hæc ille. Deinde per metonym. adjuncti, *seculum* usurpatur pro mundo generatim, Heb. 1. 2. *secula fecit*, & c. 11. 3. *fide intelligimus aptata esse secula*. Quo etiam modo *Deum seculi*, Esa. 40. 27. Kimchius exponit. Quemadmodum & vulgo, hæc loca Matth. 13. 39. *messis verò est, consummatio seculi*, & v. 40. & 49. *in consummatione hujus seculi* & c. 24. 3. & Matth. 28. v. 20. *ero vobiscum ad consummationem seculi.* Nec valde repugno, sed tamen commodius arbitror, ut Matthæi loca de tempore à primo Christi adventu ad secundum intelligantur. Nam præter hæc loca, ubi συντελείας τοῦ αἰῶνος fit mentio, tantum reliquus est, Hebr. 9. 26. ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, *in consummatione seculorum*, ex quo priores illustrantur. Nam ut *secula* hic notant tempora ad primum Messiæ adventum præterita, & præterita consummatio seculorum *plenitudinem temporum*, Galat. 4. 4. ac *fines seculorum*, 1. Cor. 10. 11. ita futura consummatio seculi, *novissima tempora* ad alterum Christi adventum designat, simili locutionis modo. Huc etiam pertinet quod τελεῖν & συντελεῖν (quantum observare potui) de temporibus quidem dicuntur Luc. 4. v. 2. Actor. 21. 27. &c. non autem de mundo & non consumtionem (quod mundo convenit) sed consummationem notant. Ideoque in concordantiis Stephani in voce συντελεῖν *consumo* pro *consummo*, errore typographi positum est. Quo etiam pertinet Tertulliani interpretatio, qui libro de resurrect. carnis locum illum Matth. 24. 3. consummationem seculi, interpretatur conclusionem seculi: quod tempori convenit. Longè verò aptius ad hanc significationem mundi accommodari potest, 1. Corinth. 2. 7. *quam præfinierat ante secula*: & 2. Timoth. 1. v. 9. *ante tempora secularia*, hoc est, mundana, seu ante jacta mundi fundamenta, ut rectè Beza exponit: & Tit. 1. 2. *quam promiserat Deus ante tempora secularia*. De cujus loci explicatione malè Hieronymus ex Origenis lacunis nonnulla depromsit in comment. in eum locum: Ideoque merito ab interpretibus illius rejicitur. Quare (ea omissa) hoc constat, seculum generatim mundum etiam notare: Speciatim verò per synecdoch. maximam incolarum mundi partem, Rom. 12. v. 2. ut Iacobus declarat c. 1. 27. & Luc. 16. v. 1. 1. Cor. 1. v. 20. & 2. 6. & 2. Cor. 4. 4. Deus hujus seculi, & Galat. 1. v. 4 *præsens seculum malum*. Atque hæc de simplici seculi voce. *Seculum* verò *seculorum*, Esa. 34. 10. vel *secula seculi* Esa. 45. 16. vel *secula seculorum*, 1. Pet. 4. 11. Apoc. 1. 6. 8. 18. & 4. 9. 10. & 5. v. 13. 14. sic dicuntur Hebraismo, emphaticῶς & per auxesin, ac pro re subjecta intelligenda sunt. His autem locis Apocalypseos æternitatem significant, fine carentem. Nam & Dei vita infinita est & æterna naturâ: eoque rectè vivens & gloriosus in secula seculorum asseritur. Hactenus de seculo & seculis ex Scripturæ usu diximus.

FINIS eorum, quæ Author in Apocalypsin scripsit.

APPEN-

APPENDIX,

QVÆ

Continet Explicationem Prophetiarum Mosis de Christo:

ET ANALYSIN HOBADIÆ.

Explicatio Genes. 3. vers. 15.

Quamvis omnes Prophetæ testimonium de Christo venturo perhibeant, Luc. 24.27. Actor. 11. v. 43. Moses tamen, temporis ordine & revelationis modo, primas inter eos obtinet, Num. 12. v. 6. & primus Euangelista dici potest. Ac propterea Christus & Apostoli, ex illius scriptis potissimùm, Euangelicæ doctrinæ veritatem confirmarunt, & ad illa provocarunt, Luc. 24. v. 47. Iohan. 5.46. Siquidem doctrina de Christo proponitur ab eo partim typis (cum personarum, tum rerum ac ceremoniarum) implicata: partim sententiis apertioribus directè vel obliquè explicata. Quarum tres præstantissimæ, Genesi continentur: duæ quidem priores, immediatè hominibus à Deo patefactæ; Postrema verò per Iacobum Patriarcham, Gen. 49. v. 10. Et illarum quidem altera in Paradiso, Adamo & Evæ, altera verò extra eum Abrahamo divinitus declarata. Prior continetur Gen. c. 3. 15. & primum Euangelium proponit, hisce verbis; *Et inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & illius: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.*

De quo loco dicturi, pauca præmittenda de occasione illius: & ad sensum deinde procedemus.

Occasio ex antecedentibus perspicua est. Postquam enim Moses narrasset peccatum Adami & Evæ, primum, quo à Deo defecerant, & causam illius impulsivam externam, cum principalem Satanam, tum instrumentalem Serpentem; subjicit deinde eventum, nempe Dei justum examen & judicium adversus omnes. In examine de facto inquirit: & peccati confessionem, ex ipsismet reis (Adamo & Eva) elicit. Ut autem Adamus ab Eva; & hæc per serpentem à Satana seducti fuerunt: Ita in judicio, pœnam servato ordine denuntiat, initio ducto à causis impulsivis externis. Ac primùm serpenti maledicit, & pœnam statuit itionem super ventrem, & pulveris esum, vers. 14. Quod nec contra Dei justitiam, nec contra sapientiam est. Nam quamvis serpens ratione, eoque & peccato, caruerit, & orationis intellectu: justum tamen fuit & prudens factum, ut Diabolus in suo instrumento, quòd à Deo creatum, Dei gloriæ servire debuerat, puniretur, & homines (in quorum usum ac bonum irrationales creaturæ datæ) fierent certiores de amore Dei erga salutem hominum, & cautiores, ad defectionem, aliorumque seductionem evitandam. Si cui tamen videatur hæc oratio directa; non tantùm ad serpentem; sed etiam ad Satanam suo modo pertinere: dicere posset, pœnam etiam Diaboli allegoricè esse adumbratam: quod à cœli sublimitate & gloria, unde antea exciderat, perpetuò esset arcendus & terrenis concupiscentiis & hominibus reprobis sociandus, & à justitiæ & resipiscentiæ fructibus alienus futurus. Sed hisce tanquam minus solidis prætermissis, ad alteram judicii partem accedamus. Quæ ut quodammodo ad serpentem aptari potest: ita certò ad Satanæ pœnam pertinere colligitur ex adjunctis circumstantiis, & Apostolorum interpretatione, 2. Cor. 11. v. 3. Heb. 2. 14. Apoc. 12. 9. Ioh. 8. 44. & Rom. 16. 20. Pœna autem statuitur duplex, opposita convenientissimè factis illius ac meritis. Nam ut mulieri & posteritati illius, per peccatum, inimicitiam Dei conciliarat, & sibi auscultantem devicerat: ita contrà Deus minatur illi inimicitiam mutuam cum ea, & feminis utriusque inter se; deinde feminis de ipso victoriam. Cujus rei scopus est perspicuus, nempe constans, ad finem usque mundi adversus peccatum, mortem ac Satanam, Ecclesiæ consolatio & in vera fide institutio & confirmatio ad salutem. Per mulierem autem intelligit Evam: ut articulus Hebr. & circumstantiæ rei ipsius ac totius loci demonstrant. Per *inimicitiam* verò cum Satana, ex relatorum natura & oppositorum ratione, amicitiam ac reconciliationem cum Deo obliquè, certâque consequentia promittit, quod regenerata & in gratiam Dei restituta osura esset justè, injusta satanæ consilia & opera, iisque repugnatura, per veram fidem & charitatem, Eph. 6. v. 11. 1. Pet. 5.9. Cui inimicitiæ primæ ac mutuæ altera statuitur adjuncta, nempe inter utriusque *semen*. Satanæ autem *semen* non est proprium nec corporale, quia spiritus est: neque etiam spirituale, ex essentia illius, quia spiritus generationis & divisionis est expers: sed improprium per Metaph. sic dictum, nempe scelerati & reprobi; quos quasi gignit, exemplo scelerum & malitiæ instillatione, atque exitiosa gubernatione, Ioh. 14. vers. 30. Eph. 2. v. 2. similes sibi efficiendo, cùm impietate, tum exitii hæreditate. Quo sensu ac modo dicuntur esse filii Diaboli, Ioh. 8. v. 44. & ex Diabolo nati. Ioh. 3. v. 10. Verum quid *semen mulieris* sit, controversia est nobilis. Nos cum orthodoxis Patribus & communi Ecclesiæ interpretatione, ex rei ipsius veritate, Christum esse asserimus: cui propriè, tanquam Deo & servatori, Satanæ contritio convenit, Hebr. 2. 14. Ioh. 3. 8. Sed quatuor inprimis huic sententiæ potissimum objiciuntur, quæ distinctè solvenda sunt.

Primum etiam à quibusdam orthodoxis adfertur; qui de Christo quidem exponunt, non tamen solo: sed etiam de electis, eo argumento ducti, quod *semen* sit nomen collectivum ac posteros denotet; ideoque singulari Christi personæ convenire nequeat. Verum negamus hoc esse perpetuum; freti primum vocis usu, in S. Lit. Nam per Metonym. materiæ pro effectu illius vox *seminis*, cum de homine agitur, primò singulariter, prolem notat: ut Gen. 4. 25. de Setho dicitur: *posuit mihi Deus semen aliud pro Habele*: ubi disertè & Sethus & Habel *semen* nominantur: & Gen. 21. 13. de Ismaële dicitur *quia semen tuum est*: & 2. Samuel. 7. 12. *Non dedisti mihi semen*, id est, prolem, non autem liberos, ut nonnulli exponunt. Abrahamus enim non de paucitate liberorum sed de defectu prolis & hæredis conqueritur, & Gen. 38. 8. *Exsuscites semen fratri tuo*, id est, prolem, non autem liberos. Nam, de unica prole, nempe primogenita accipiendum esse aperte docetur, Deut. 25. 6. & Matt. 22: 24. 25. Deinde ab hac prima significatione, quod prolem notat, per Synecdochen collectivè, uti loquuntur frequentissimè, pro liberis ac posteris accipitur. Huc accedit Apostoli interpretatio certa, Gal. 3. *in semine tuo, qui est Christus*. Denique ex Chaldæi paraphrastis interpretatione idem comprobatur, qui *filium* vertit. Hæc de primo argumento.

Reliqua verò tria ab Anabaptistis adferuntur. Mulier, inquiunt, est spiritualis, nempe Ecclesia, quam antiquus serpens Diabolus oppugnat, Apoc. 12. 4. Ergo semen etiam spirituale est.

Sed negatur antecedens & probatio illius, quia diversa est utriusque loci sententia. Moses enim loquitur de Evæ reconciliatione cum Deo, quam ut fidelem oppugnaturus erat mutuò Satan: Iohannes verò agit figuratè de Ecclesia N. T. tanquam Christi regis sponsa; adversus quam certaturus erat Satan. Quod declaratur prophetica similitudine, ad historiæ Mosis imitationem: quemadmodum Adami & Evæ conjugium, Christi & Ecclesiæ conjunctionem adumbravit, 2. Cor. 11. 2. & 3. Eph. 5. 31. & 32.

Sed inquiunt; secundò, semen Satanæ spirituale est: ergo & oppositum semen mulieris spirituale esse oportet.

Verùm negatur consequentia: quia semen pro diversa parentum ratione, etiam diversum. Eva mulier fuit corporalis; ergo & corporale ipsius semen: Satan contra spiritus; Ergo & semen spirituale.

Denique objiciunt, mulieres non habere semen naturale, ut Philosophi non pauci testantur: quod etiam observavi, authorem libri de viro perfecto, qui Hieronymo suppositus est atque extat tomo illius quarto, asserere. Ergo semen mulieris, non de naturali propriè, sed de alio semine figuratè intelligi oportere.

Verùm negatur antecedens, quod Medicorum anatomicorum sententiâ & experientiâ, ac demonstratione, & Pauli testimonio diserto confutatur; qui Heb. 11. 11. Saram ait accepisse vim ad καταβολὴν, id est, *dejectionem seminis:* convenienter etiam sententiæ Mosis, Lev. 12. 2. *mulier cum ediderit semen & pepererit masculum* אשה כי תזריע וילדה זכר Hæc de semine Satanæ & mulieris, primæ enuntiationis fundamento.

Effectum verò, est inimicitia mutua: quæ in mundi improborum, tanquam seminis Satanæ, & Christi contraria natura, studiis & operibus elucet, Joh. 3. 19. 20. 7. 7. 15. 18. 16. 34. 17. 9. 16. & 1. Joh. 5. 19. Quam inimicitiam, ut mundus exercet in Christi personam & membra illius, fideles, in quibus ipsum persequitur, Actor. 9. vers. 5. ita Christus in mundum, & caput illius Satanam; dum errores, impietatem, & injustitiam oppugnat. In qua mutua & gemina inimicitia, prima, ut ostendimus, Satanæ pœna consistit. Deus autem inimicitiæ Satanæ & seminis ipsius author non est: sed inimicitiæ Christi & corporis ipsius, adversus Satanam: utriusque verò gubernator sapientissimus ac justissimus. Alterum, quod hic observandum, est de ipso frustra renitente victoria: quæ hisce verbis describitur; *ipsum conteret tibi caput; & tu conteres ei calcaneum.* Quo victoria Christi denotatur, & improbus irritusque Satanæ conatus. Verum in priori, de subjecti efficientis & attributi effecti, sententia inquirendum est. Nam Pontificii vulgò legunt in vulgata versione (quam Concilio Tridentino authenticam reddiderunt) non *ipsum* sed *ipsa*, ac de Maria virgine, Christi matre, passim & inprimis in psalterio Mariæ interpretantur: cujus etiam pedibus caput serpentis in picturis suis idololatricis subjicere solent, addito hoc elogio; *ipsa conteret caput serpentis.* Cujus etiam idololatriæ documenta in frontispiciis Iesuiticorum quorundam librorum apparent. Ut autem hoc facerent eo speciosius, vigente jam Dei beneficio luce Euangelii, in Bibliis Regiis interlinearibus Antverpianis Hebræum contextum, perfida Guidonis Fabricii operâ, corruperunt: ut Lucas Brugensis vir eruditus testatur in libro quem ad vulgatæ versionis correctionem edidit. Idemque etiam patet ex clariss. Francisco Raphelingio, qui illud vitium postmodum correxit in Plantiniana officina sui soceri. Nam cum in Hebræo contextu sit pronomen הוא quod ad *semen* refertur: Pontificii ne genus discreparet, posuerunt in Bibliis Regiis היא imposito circulo, trita variæ lectionis nota, ac si esset ἀντισοιχία seu vocalium permutatio, qualis interdum reperitur: ac si esset ו pro י quod apud Mosen frequens est, ut ante v. 12. & Exod. 3. v. 8. in quo etiam typographi vitium (ut Lucas Brug. etiam notavit) reperitur ה pro א. Atque hinc Bellarm. ait: *unum exemplar legi, in quo erat scriptum* היא: quod sine dubio de corruptis hisce Bibliis regiis intelligendum: quia ea Bellarmino non fuerunt ignota. Atque hac depravatione vertunt *ipsa*, nempe mulier, *conteret caput serpentis.* Sed hæc perversio convincitur variis modis. Ac primùm sequentium syntaxi duplici: partim quia verbum ישופך *conteret* generis est masculini: eoque non ad ipsam mulierem, sed ad semen, quod Hebræis est ejusdem generis, aptari necesse est: partim quia pronomen affixum in תשופנו *conteres ei* similiter est generis masculini: ac propterea nequaquam ad mulierem, sed ad semen illius referendum est. Neque quicquam habet momenti; quod objiciunt Pontificii, inveniri interdum generum enallagen. Nam ubi ea extat, ex loci circumstantiis necessitas enallages, ac permutationis concluditur: neque generis enallage admittenda, nisi res ipsa evidenter hoc flagitet. Hoc autem in loco causa nulla adferri potest, neque adfertur, cur à propria generis ratione ad enallagen, seu permutationem illius adigamur. Deinde etiam attributum, quod sequitur & huic subjecto competit, nempe *conteret caput serpentis*, soli Christo, qui verus & omnipotens est Deus, ac solus humani generis redemptor, propriè competere potest: ac propterea non de alio, aut alia; puta virgine Maria, hic est sermo. Tertium genus argumentorum, est petitum ex fidelibus veterum & recentiorum testimoniis. Nam primùm LXX. Interpretes, servato genere vertunt αὐτὸς *ipse*, ut ad filium per semen mulieris descriptum referatur, sensus habita ratione: alioqui dixissent αὐτὸ nempe σπέρμα, & talis constructio non est inusitata. Deinde Chaldæus paraphrastes antiquissimus ac probatissimus Onkelos, quemadmodum *semen mulieris* interpretatur filium: ita paraphrasi quadam addit, ut in Hebræo contextu, vocem הוא. Accedit tertio loco Hebræor. interpretum doctiss. Abenezra, qui vocem הוא interpretatur זרעה hoc est, *semen illius.* Præterea Hieronymus cum LXX. Interpretibus Hebræos etiam sequitur, tomo tertio Quæst. in Genesin; Deinde Procopius in Genesin. Quibus, ut alios omittam, accedit veterum codicum & Masoritarum, hoc est, *criticorum Hebræorum vetustissimorum, ad superstitionem usque diligentium*, consensus, qui nullam hoc in loco lectionem variam annotarunt. Denique ut omittam Irenæum libr. 3. c. 77. Cyprianum libro contra Iudæos, Leonem Pontificem Rom. oratione in nativitatem: etiam doctissimi Pontificii nostro ævo, vi veritatis adacti assentiuntur: quemadmodum ex præstantissimis Bibliorum interpretibus, Pagnino, Vatablo, Isidoro Claro, Cajetano, Augustino Steucho recognitione in Genesin, Aloysio Lipomanno, Marco Marino in Arca Noë, & ex ingenua Francisci Georgii Minoritæ professione apparet; sic enim ait; *Ex falsa traductione, qua habetur, ipsa conteret caput tuum, Latini communiter attribuunt victoriam hanc reginæ cœlorum. Quæ licet sublimior sit quam dici queat; dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ debetur; ubi habetur, ipsum conteret caput tuum, ipsum vid. semen mulieris, quod Christus fuit.* Hæc ille problematum tom. 1. Probl. 55. Ex quibus omnibus concludimus, cum loci syntaxis & materia & antiquorum interpretum ac codicum consensus, ac doctiorum adversariorum, imò Pontificis Romani Leonis professio, vulgarem Pontificiorum, de subjecto hujus sententiæ interpretationem confutent, eam merito esse explodendam. Idque ex attributo quoque clarius & plenius liquet: quod est capitis Satanæ contritio. *Caput* autem vim & potestatem metaph. notat: quæ sita est in peccato, Eph. 2. 2. 6. 11. 12. & 1. Ioh. 3. vers. 8. & in morte utraque, præviisque afflictionibus, Heb. 2. 14. *Contritio* vero continuata allegoria, oppressionem significat: adeo ut *contritio capitis*, sit abolitio potestatis Satanæ in Ecclesiam: quod opus est solius Dei Christique proprium. Qui hoc caput superavit bifariam. *Primum ratione sui*: cùm oppugnantem, partim per se, tentatione (*ut ad peccatum adduceret*) Matth. 4. partim per instrumenta sua, maledictis & malefactis (*ut omnino perderet*) contraria sanctitate perpetua ac patientia, & potentiâ divinâ, quâ tandem resurrexit, superavit. Johan. 6. vers. 76. 14. 30. *Deinde ratione nostri*: primum merito humilis obedientiæ suæ, & patientiæ ad mortem usque crucis: *qua Satanam condemnavit*, Joh. 16. 11. *eumque mortis imperium habentem eatenus abolevit*, Heb. 2. 14. *& expoliata imperia ac potestates traduxit, palam triumphatis illis per crucem*, Col. 2. v. 15. Deinde efficaciâ sua, partim pro nobis electis, partim in nobis. Pro nobis quidem; gloriosa exaltatione: ac primùm resurrectione, qua mortis (*à qua detineri non poterat*, Act. 2. v. 24. & Satanæ (*qui potestatem mortis habeat* Heb. 2. 14) vim convenienter merito suo, reipsa & efficaciter devicit: secundò ascensione in cœlum, *qua ascendens in sublime, captivam duxit captivitatem*, Ps. 68. 19. & Eph. 4. 8. tertiò sessione ad dextram Patris: *qua Pater eum collocavit longe supra omne imperium ac potestatem & domi-*

dominium, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro, omniaque ejus pedibus subjecit, Eph. 1. 12. *& in summam extulit sublimitatem & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cœlestium & terrestrium & subterraneorum,* Phil. 2. 9. Ex quibus liquet, Christum efficacia sua pro nobis seu pro Ecclesia sua per exaltationem gloriosam Satanæ potentiam superasse, ideoque caput contrivisse: deinde in nobis etiam idem præstat, fructu consequente gloriam, Spiritus sui potentiâ, 4 hisce gradibus, *vocatione, justificatione, sanctificatione, & redemtione seu glorificatione,* Rom. 8. 30. & 1. Cor. 1. 30. Vocatione quidem; partim dum misso extra ordinem, aut ordinariè Spiritu S. *alios dedit Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem pastores & doctores*, Ephes. 4. vers. 11. 12. per quos vocat exterius *à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum,* Act. 26. vers. 18. partim dum interius operam ministrorum vocantium efficacem ac fructuosam reddit, donatione regenerationis, qua mens illustratur agnitione veritatis salutiferę, & cor fiducia illius & charitate accenditur: quibus modis vis & potestas Satanæ prima (quę posita est in incredulitate, & aversione à Deo, ad quam primum hominem adduxit, & qua ratione mundi princeps dicitur Eph. 2. vers. 2.) frangitur, *dum à Deo per spiritum idonei efficimur ad participandam sortem sanctorum in luce, & liberamur à potestate tenebrarum, ac transferimur in regnum Filii Dei dilecti,* Col. 1. vers. 12. 13. Eaque fide Satanam & mundum superamus, Ephes. 6. vers. 16. 1. Petr. 5. vers. 9. & 1. Johan. 5. vers. 4. 5. Secundus gradus est justificatio: qua justi coram Deo censemur, & à pœna peccati, & carnificis Satanæ potestate liberamur, aspersione sanguinis Christi per Spiritum illius: qui, ut nobis fidem donat: ita illius fidei vinculo unit nos Christo, & ejus sanguine, tanquam agni immaculati paschalis nos aspergit, ne ab Angelo exterminatore Ægyptiorum instar occidamur Exod. 12. vers. 13. sed ut cum Israelitis servemur, 1. Pet. 1. vers. 2. & 19. Tertius gradus est sanctificatio reliqua, quæ in virtutum practicarum habitu seu in charitate Dei & proximi consistit: qua *fit* ut à Christo per spiritum regenerationis vivificati, non amplius vitam mundi hujus vivamus *secundum principem, cui potestas est aëris, & spiritum nunc agentem in hominibus infidelibus* Eph. 2. vers. 2. sed dissolutis operibus Diaboli per Christum sanctè vivere incipiamus, 1. Joh. 3. vers. 8. Postremus gradus est glorificatio: quæ in redemptione partium hominis (hoc est, liberatione efficaci) & judicio ultimo universi posita est. Redemptio partium hominis est, qua primum anima à corporis & peccati, ac tentationum Satanæ vinculis & molestiis soluta, in cœlum, invito Satana, ad authorem suum Deum & servatorem Christum Spiritu illius subvehitur; & corpus deinde, à molestiis quiescens, ultimo die à morte tanquam vulnere Satanæ ac potestate, & ut à stipendio peccati liberatam, immortale, & glorioso Christi corpori conforme, resurget, 1. Cor. 15. 54. & 55. & Phil. 3. 21.

Judicium ultimum & universale universi mundi est, quo post corporis resurrectionem, electis à Christo vita æterna (cujus aditu, Satanæ dolo, exciderant) adjudicabitur & conferetur; contraque Satanas æternis pœnis ac flammis addictus tradetur. Qua ratione plenissimè Satan conculcatus sub pedibus Christi & Christianorum, vi Christi jacebit. Mat. 25. 34. 41. Rom. 16. 20.

Atque hac viâ constat, quid conculcatio capitis serpentis complectatur, & quam verè & accuratè illa, de Satanæ victoria, Christo, & quidem soli, quadret, tanquam authori. Interim ea ab adjuncta repugnatione Satanæ, quæ in hisce terris habet locum, illustratur his verbis: *& tu conteres ei calcaneum*, hoc est, tu Satanas serpentis instar, non caput Christi, neque cor, sed tantum calcaneum & infimam partem lædes. Qua allegoriâ corpus primariò naturale certò intelligitur & secundariò mysticum intelligi videtur: sicut per contritionem afflictiones & mors denotantur: nam Satanæ astu & instinctu, Christum odio prosecuti sunt Iudæi, Joh. 8. vers. 44. Iudas prodidit Joh. 13. 2. & 27. Synedrium & Pilatus per milites ceperunt, crucifixerunt & sepulchro clauserunt (de qua re Luc. 22. 53. *Hæc vestra hora est & potestas tenebrarum*) qua potestate læso corpore, illæsa mansit divinitas & anima sancta atque immortalis, quæ in manus Patris & in Paradisum recepta est, Luc. 23. 43. 47. Quapropter quia Satanas Christi corpus quidem læsit; imò morte fregit: sed divinitatem & animam intactam reliquit: idcirco dicitur *contriturus* non caput & cor, quæ primaria corporis membra, in quibus potestas & vita consistit: sed *calcaneum* tantum, quo læso aut conculcato, corpus sanari ac vivere potest. Atque huc pertinet quod Christus ait Joh. 14. v. 30. *Venit princeps mundi & in me non habet quicquam:* nempe ratione, non plagæ, quam intulit; sed victoriæ, quam frustra affectans, non retulit. Quemadmodum si serpens calcaneum læderet alicujus: sed à serpente læsus, caput illius contereret, nihil haberet potestatis in hominem, quod in certamine succumberet ac periret: Ita Christus pertulit à Satana mortem, sed per eam, mortis fuit mors, & Satanam abolevit, hoc est, caput & potestatem illius conculcavit ac contrivit, Heb. 2. v. 14 Quæ differentia in capitis & calcanei oppositione observanda est. Atque ita primariò & immediatè in Christi corpore naturali, calcaneum conculcaturus erat Satanas. Idemque secundariò ac mediatè præstat in Christi corpore mystico, Ecclesia ipsius. In quo corpore considerandum primò est quasi caput; anima: quam oppugnare potest, sed expugnare & conterere non potest; nec ratione essentiæ ac vitæ naturalis, quæ immortalis est, Matth. 10. vers. 28. nec ratione vitæ supernaturalis & cælestis; quæ in tuto reposita est, ac Christi potentissimi Domini ac Pastoris virtute & manibus continetur, Johan. 10. & 1. Pet. 1. Alterum est quasi calcaneus, nimirum corpus, quod animæ subest, quodque variis afflictionibus, tormentis ac morte, Deo permittente, à Satana, per instrumenta ipsius, conteritur, ad majorem victoris Christi triumphum, & Ecclesiæ, per mortem immortalis ac victricis, gloriam, & Satanæ conculcationem atque ignominiam majorem, Eph. 4. vers. 16 1. Ioh. 2. v. 13. Rom. 16. 14. Apoc. 12. vers. 11. Hæc de primo Euangelio, immediatè à Deo, in Paradiso, primis nostris parentibus, Adamo, & Evæ, ad perpetuam Ecclesiæ institutionem, fidem ac consolationem proposito. Cui non incommodè ad Euangelii olim promissi intelligentiam adjungi potest locus, Genes. 15. v. 1. & seqq.

Brevis explicatio loci Genes. xv. vers. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

QUoniam illustris cumprimis est locus de fide & justificatione Abrahami, Genes. 15. vers. 6. de quo Roman. 4. non inutile nec ingratum fore arbitramur, si conjunctis antecedentibus expendamus. Continetur autem Prophetæ oratio, sex prioribus hujus capitis versibus, estque bimembris, complectitur enim colloquium Dei cum Abrahamo, & felicem illius eventum.

Colloquium quod attinet, scopus illius est consolatio ac confirmatio Abrahami, in vera fide, & omnium verè fidelium. Explicatur autem adjuncto gemino, & forma ac partibus suis.

Adjunctum primum est tempus, nempe *his rebus transactis:* hoc est, ab Abrahamo devictis quatuor Regibus, benedictione à Melchisedecho accepta, contemptisque ac rejectis hostium spoliis & opibus. Alterum adjunctum est *Visio Dei:* quæ unus est ex ordinariis illis modis, quibus Deus olim priscis Patribus & Prophetis Majestatem suam patefaciebat, Num. 12. vers. 6. Cum autem visio alia sit spiritualis, quæ vel phantasiæ, vel menti objicitur: alia corporalis, quæ corpori proponitur; posterior videtur intelligenda, nempe visibile, gloriæ divinæ symbolum, ad ampliorem orationis authoritatem & fidem. Hisce adjunctis subjicitur proximè colloquii forma, quæ ex partium dispositione elucet. Partes autem primariæ sunt tres, Dei alloquium, vers. 1. Abrahami exceptio, vers. 2. & 3. & divina illius solutio unà cum eventu, vers. 4. 5. & 6. Dei alloquium est, quo Abrahamum primum gratiosè compellat, dehortatione & confirmatione illius. Dehortatio est ne metuat. Causa enim metus erat gemina, nempe adversariorum

tiorum potentia malusque animus; & contrà Abrahami, cum iis collati, impotentia. Adversarii autem erant partim aperti; partim operti ac tecti. Aperti erant Reges illi devicti, qui insperatâ & gravi clade ab Abrahamo acceptâ offensi, redintegratis viribus, collectisque copiis, eum potuissent adoriri ac delere: operti verò erant, ut probabiliter colligitur incolæ nonnulli, quibus, pro more ingenii humani, invidiosa erat Abrahami victoria, & exosa illius (ob simile cum Regibus victis periculum) fortitudo. Idcirco metum hunc excutit Deus, cum ait: *Ne metue*. Idemque confirmat ratione ac consolatione suavissima, à promissione gemina: quarum prior est ablatio mali, ac defensio contra adversarios & mala quævis: quod insigni & crebra (in psalmis potissimum) metaphorâ illustratur, cum ait Deus: se esse *Abrahami clypeum*, hoc est, tutissimum adversus hostes noxamque munimentum: posterior est collatio boni, quod illius *merces magna valdè*, hoc est, maxima. Cum autem hîc ellipsis sit verbi substantivi, bifariam exponi potest: vel ut tertia persona, *est*: vel potius ut prima, *sum*, intelligatur: etsi enim utrumque cum reipsa, & cum contextu orationis conveniat: magis tamen est emphaticum, si prima persona adhibeatur, ut nimirum hac via, promissionis expositæ subjectum & antecedens sit Deus, cui ista duo attributa ascribantur, primum, quod sit Abrahami clypeus; deinde, quod merces maxima: quemadmodum sese Deus quoque appellat, Numer. 18. 20. *Ego portio & hæreditas tua*, & David eam laudem Deo ascribit, Psal. 16. v. 5. *Dominus portio est & hæreditas mea*. similiter Psal. 119. 57. Quod attributum ad consolationem Abrahami pertinuit plurimum: cum asseritur, quod Deus (nempe beatus & unicus dynasta, Rex regum & Dominus dominantium, 1. Timoth. 6. 15. à quo omne bonum profluit, Jacob. 1. 17.) illius esset merces: hoc est, per metonymiam effecti pro causa, author ac donator mercedis; nempe non meritæ sed immeritæ & gratuitæ. Ita enim intelliguntur omnia bona Abrahamo promissa & conferenda, corporalia & spiritualia, temporalia & æterna.

Hæc de alloquio Dei, prima videlicet parte hujus colloquii; cui altera succedit, nempe Abrahami exceptio adversus alteram promissionis partem, qua objicit & iterat querelam, quod & liberis careat & hæredem habeat alienum. Qua ratione promissioni divinæ quodammodo sese opponit. Tertia pars est Solutio divina, qua Deus contradicit huic exceptioni ὕστερον πρότερον. Deinde promissione filii asserit, eum fore hæredem. Quam promissionem, Abrahamo ex tabernaculo suo foras educto, amplificat Deus, altera pollicitatione multitudinis liberorum: quam demonstratione & comparatione stellarum cæli innumerabilium illustrat: ut quotiescunque illas oculis aut animo contemplaretur, promissio hæc symbolo illo, in mentem revocaretur, ad fidei confirmationem. Cœterum hoc seminis incrementum pertinet non solùm ad filios Abrahami secundùm carnem, nimirum Israelitas, aliosque; sed etiam ad liberos secundùm spiritum, nempe fideles omnium gentium, qui fide ipsum imitarentur, & Christi seminis Abrahami membra facti, genuini Abrahami filii, censerentur: quemadmodum Rom. 4. vers. 16. 17. Galat. 3. vers 29. ab Apostolo Paulo explicatum. Cùm autem hæc gentilium vocatio, in familiam & potestatem Abrahami, non aliunde quàm à propria causa sua Jesu Christo dependeat, Gal. 4. vers. 28. 29. consequentiæ necessitate, Christi adventus, illius mentione ac promissione simul includitur. Hæc de Colloquio. Eventus verò sermonis Dei, effectus complectitur duos, non coordinatos quidem, sed subordinatos. Primus effectus est fides Abrahami, quam Dei sermoni & promissioni, quæ Euangelium de Christo includebat, adhibuit: alter est imputatio ad justitiam. Quæ cum ambiguè dicta, &, *imputavit ei hoc justitiam*, accipi posset, vel tanquam effectum Abrahami, qui Deo justitiæ & veritatis in promissionibus laudem tribuat: vel tanquam effectum Dei, quo Abrahamum justum censuit: posterior sententia certa est ex Apostoli interpretatione, Roman. 4. vers. 3. Deinde cum justitia, pro obedientia & satisfactione legis accipiatur, eaque sit vel particularis, vel universalis: particularis, qua ex parte legi obeditur, particulari virtute & opere bono; universalis verò, quâ omnino: prior justitia intelligitur in illa sententia, Psal. 106. vers. 31. qua factum Pinchasi dicitur *ei imputatum ad justitiam*: hoc est, tanquam opus justum, probatum, & laudatum ab hominibus; quemadmodum verba addita, *per quamque generationem usque in seculum*, demonstrant. Quamvis etiam dici posset, imputatum ei à Deo ad justitiam, hoc est, Deum illud tanquam justum opus approbasse: nam ut persona Pinchasi placebat Deo, fide & communione justitiæ Christi: ita & opus hoc bonum, ex fide per charitatem operante profectum, in Christo placebat, ac propter Christum. quemadmodum vulgatâ in scholis sententiâ dicitur, Deum justificare non solum personas, sed etiam opera per fidem in Christum: quia nullum tam laudabile est opus fidelium, quin propter imperfectionem veniâ opus habeat. Posterior verò justitia nempe universalis, hoc loco intelligitur: ut ex divina interpretatione Rom. 4. apparet: illud enim ex scopo, antecedentibus, consequentibus, totaque orationis Apostolicæ serie extra controversiam, non de particulari operis, sed de universali personæ coram Dei tribunali justitia Apostolum disserere. Veruntamen quæritur hoc in loco, quomodo fides dicatur imputata in justitiam; an formaliter; an vero efficienter. Pontificii prius statuunt: sed adhibitâ distinctione quadam: quoniam ut justitia inhærente nos justificari asserunt; ita duas illius partes proponunt, fidem tanquam justitiæ initium, & charitatem quam fidei justificantis formam ponunt, tanquam complementum. Atque hoc modo ait Bellarm. lib. 2. de justif. c. 4. *Non igitur fides est ipsa formalis justitia, nisi inchoata & imperfecta*. & Felicianus Capito explicationum Catholicarum tomo primo, explicatione 18. ait: *fides initiativè: opera verò completivè & consummativè justificant*. Contra verò Orthodoxi posterius tuentur ac docent, fidem justificare & imputari ad justitiam non formaliter, sed efficienter tantùm: non ut causam impulsivam, dignitate sua & merito, quam causam meritoriam vulgo appellant: quasi fide complementum inhærentis justitiæ promereremur, quemadmodũ Pontificii tradunt: sed instrumentaliter tantum; quod sit spiritualis oculus & speculum in quo Christi justitia relucet; & manus, qua Euangelio oblata justitia Christi apprehenditur. Nam si fides esset formaliter justitia nostra, esset satisfactio & impletio legis. Atqui non est satisfactio & impletio legis: quia particularis est & imperfecta actio. Si quis verò excipiat, fidem charitati junctam esse impletionem legis; illud eo refellitur, quod propter pugnam carnis adversus spiritum, regeneratio nostra imperfecta est: adeoque fides infirma, & charitas languida, si cum lege, justitiæ regula, conferatur. Deinde si fides hæc, formaliter justitia diceretur, justificatio esset per justitiam propriam, ex opere. Atqui illud est contra Apostoli sententiam & scopum, Rom. 3. v. 21. & c. 4. Quod porrò objicit Bellarminus, eodem quem citavi loco, à Luthero & Philippo Melanchthone disertis verbis positum; causam formalem justificationis nostræ esse solam fidem: illud per catachresin dictum, contra authorum mentem, malè interpretatur: nam fidem intelligunt, non propriè, ut adversarius accipit: sed tropicè per Metonym. justitiam Christi imputatam, fide apprehensam: quæ formalis nostra justitia est, hoc est, justitia universalis qua coram Dei tribunali justi sumus seu justificationis causa materialis; licet ingenuè profitendum sit, illam fidei significationem è scripturâ probari non posse. Quod autem Bel. ait alibi de justificatione lib. 4. c. 18. *si verba Hebræa diligenter inspiciantur, hunc habere sensum, quod actus ille credendi fuerit opus justum & meritorium, & pro tali, sit à Deo judicatum & acceptum*: illud omninò repugnat Apostolo. Nam cum justitia alia particularis sit: alia universalis; deinde alia operis alia personæ; non de priori, sed de posteriori agi, ex Apostoli disputatione, Rom. 3. vers. 28. & 4. constat: alioqui non cohæret sententia. Quæ enim esset consequentia; Abraham fide est justificatus, hoc est, fidei opere factus est justior, ut Pontificii volunt: Ergo (quod probandum erat) homines justificantur, coram Deo, fide sine operibus?

cùm

cùm potius sequatur, ergo homines justificantur, non sine operibus. Ex quibus apparet Pontificiorum error. Quod verò Apostolum Jacob c. 2. nobis opponunt, illud in explicatione illius pluribus & distinctè diluimus. Porrò cum justificatio alia sit injusti; alia justificati & justi: quarum illa prima dicitur; qua quis in se omninò injustus, & nondum justificatus, coram Deo, per fidem in Christum, justus censetur: hæc verò secunda, quæ prioris continuatio est, qua justus justificatur adhuc; non de prima hic locus accipiendus est, qua Abraham primum fide donatus, Dei promissiones amplexus est, (ut Aug. in Ps. 31. & Anselm. in explic. c. 4. ad Rom. accipiunt: quam sententiam Bell. merito rejicit de justif. lib. 4. c. 18.) hoc enim longè antecessit, Heb. 11. sed de secunda, qua per fidei exercitium, Deo in illustri Euangelii promissione reposita credidit, eique continuata est imputatio ad justitiam. Nam cum antea suam erga promissiones Dei fidem, abundè satis esset testatus Abrahamus obedientia sua, qua patriam reliquerat, Hebr. 11. v. 8. Deumque sacrificiis coluerat: inde satis apparet agi hîc, non de prima, sed de secunda justificatione. Sed quæstio est hoc loco, cur non antea, sed hoc demum c. 15. seu in hac historia dicatur fidem ei imputatam ad justitiam. Responsio est duplex. Prima est quod hoc tempore maximè illustris fuerit Abrahami fides, cum tot periculis ac tentationibus esset expositus, nec promissæ è Sara, prolis spem, humanitus posset concipere, unde Messias tandem oriretur. Secundò responderi etiam potest, quod cum antea, fides illius fuisset infirmata quodammodo, & dubitatione quadam peccasset (quemadmodum ex querela adversaria Dei promissioni conspicitur:) opportunè finem promissionis atque eventum fuisse declaratum his verbis; *credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam:* hoc est, ad remissionem peccatorum & obedientiam Deo debitam consequendam. Quemadmodum enim peccamus indies: ita opus habemus convenienti & perpetua peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione. Quare ut antecedentia hujus historiæ, Abrahami lapsum infirmitatis: sic sequentia egregiam restitutionem indicant, cùm fides illius commendatur, ad laudem Abrahami, & aliorum hominum exemplum atque imitationem. Sed huic secundæ solutioni contra objici potest adversa Pauli assertio multiplex, Rom. 4. v. 18. *Contra spem sub spe credidit;* Ergo non infirmatus est fide: & vers. 19. expresse adjicitur; *ac minimè infirmatus est fide,* & vers. 20. *ad hanc promissionem non dubitavit infidelitate, sed corroboratus est fide:* denique v. 21. πληροφορίαν seu plenam persuasionem Abrahamo attribuit. Ex quibus omnibus firmitas fidei Abrahamo demonstratur. Unde sequitur illum infirmitate fidei non laborasse. Sed facile, re perpensa, quæ objecta sunt dilui possunt. Primum enim negatur consequentia, Paulus enim disserit de fide Abrahami, post promissionem illam: *Ita erit semen* &c. quo tempore firmitatem ei tribuit: solutio verò allata, de fide, ante promissionem illam, hoc tempore, ad fidei confirmationem, propositam, loquitur. Deinde quod nonnulli, Roman. 4. & Genes. 15. Apostoli versum 18. & sequentes de uno eodemque tempore & eodem fidei actu intelligunt: illud neque verbis Apostoli, neque historiæ veritati congruere, res ipsa docet; adeo ut sese in eas pedicas conjiciant, è quibus nequeant extricari. Nam promissio hæc, cui credidisse dicitur Abraham, nimirum: *ita erit semen tuum,* extat Genes. 15. atque contigit ante conceptum Ismaëlem, & cum Abrahami corpus nondum esset emortuum: sed fidei Abrahami firmitas illa, de qua agitur, vers. 19. pertinet ad tempus posterius, cum jam Ismael ab eo procreatus annos esset natus tredecim, Gen. 17. v. 35. cum corpus ejus jam esset emortuum & effœtum, ut Apostolus, Rom. 4. testatur. Nam non de uno eodemque fidei actu, sed de gemino loquitur. Prior est post promissionem auditam, Genes. 15. posterior est post iteratam solenniter promissionem, Genes. 17. Quod enim vers. 17. illius capitis ait Moses, Abrahamum procidisse in faciem, & risisse ac dixisse in animo suo, *an nato centum annos nasceretur proles? an etiam Saræ? an nata nonaginta annos pareret?* illud inquam fidei illius firmitati non obstat: quoniam risus ille ortus ei fuit, non ex incredulitate aliqua, quemadmodum Saræ evenerat, sed contra ex gaudio insigni. Interrogatio verò nullam dubitationem hoc in loco, sed tanquam fidelis hominis (qui Dei potentiam cum sua & uxoris impotentia comparat) admirationem declarat: quemadmodum illud innuitur partim eo, quod se prostraverit coram Deo, nimirum acturus gratias: partim quod nullo modo à Deo reprehenditur, quemadmodum risui Saræ contrarium accidit, Genes. 18. vers. 12. ut rectissimè à clarissimo D. Junio observatum. Si porrò quis roget, cur de fide Abrahami dicatur, quod ei imputata sit ad justitiam? respondemus non solùm hoc factum esse ad commendationem insignis fidei & felicitatis Abrahami: sed etiam ad doctrinam de justificatione illustrandam, & ad communem fidelium institutionem ac consolationem, quemadmodum Apostolus ait: *Non scriptum esse propter eum solum, sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur,* Rom. 4. vers. 24. Ex qua re confutantur Pontificii, qui diversam justificationis causam statuunt, in prima justificatione & secundâ, cum docent primam fieri fide tantùm, sed secundam operibus: cum contrà Abrahami, jam fidelis, & antea justificati, justificatio evincit, unum & eundem esse justificationis modum per fidem, non tanquam justitiam nostram, ut perperam Pontificii contendunt, sed ut causam instrumentalem illius in Christo obtinendæ, ut idem etiam comprobat exemplum & dictum Prophetæ, Psal. 143. vers. 3. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia in conspectu tuo non justificabitur ullus vivens:* quod in eam sententiam, ad justificationem operum omnino tollendam, adducitur, ad Roman. 3. 20. Galat. 2. 26. quamvis Prophetæ, in sententia illa proponenda, nulla facta sit mentio, cum satis nota esset, & vulgo trita, ideoque indicium Prophetæ non erat necessarium.

Explicatio loci Genes. XXII. à v. 15. usque ad 19.

NOn immeritò ait Servator, Joh. 8. v. 56. *Abraham Pater vester gestivit, ut videret diem meum, & vidit, ac gavisus est.* Etsi enim oculis corporis Christum in carne patefactum non viderit, animi tamen seu fidei oculis, Hebr. cap. 11. vers. 1. 13. in prophetiis ac divinarum promissionum operculo propositum contemplatus est; quemadmodum ex iis, quæ ante de Gen. 15. vers. 6. disseruimus, apparet, & ex hoc cap. 22. clarius etiam elucebit. In quo, si materiam & dispositionis formam consideremus, tum exploratio fidei & obedientiæ Abrahami, tum eventus illius felicissimus declaratur. Exploratio constat probatione di-divina, & probitate Abrahami. Quemadmodum enim hæc à Deo tentatio, origine, via ac modo, fineque recto procedens, mandato gravissimo, de Filio unigenito dilectoque mactando, fidem & obedientiam Abrahami examinavit: ita & ille probum in fide ac timore Dei sese exhibuit; dum & prompto animo, ad obediendum Deo sese præparavit, & ad locum præscriptum profectus constanti animo filium Deo mactare in sacrificium, accepto cultro, conatus est. Unde eventus lætissimus multiplex est consequuntus. Primus est divinum cædis ab Abrahamo tentatæ impedimentum, & obedientiæ laus. Secundus, est arietis, divinâ providentiâ, Isaaci loco, ad sacrificium substituti, & ab Abrahamo accepti, mactatio. In quo ariete, Christi, pro nobis morti obnoxiis, mactati & mortui, typum Cyrillus contra Julianum lib. 10. non ineptè constituit. Postremus, est promissio beatitudinis, & authoris illius, Christi. Ad cujus prophetiæ explicationem nos invitare debet materiæ dignitas, & summa utilitas: & mentio illius, cum alibi in S. Lit. facta, tum in Ep. ad Heb. 6. 14. & 11. 12. 17. 18. Constat autem hæc prophetia, præfatione, promissionis propositione & confirmatione.

Præfatio ad authoritatem comparata, promissionis authorem Deum, & certitudinem, juramento solenni demonstrat: quemadmodum exponitur, Luc. 1. v. 73. Hebr. 6. vers. 14 deinde rationem adfert ad promissionem confirmandam, & occasionem illius declarandem, his verbis; *quan-*

bis; *quandoquidem fecisti rem hanc, & non subtraxisti filium tuum unicum.* Quæ ratio causa est, non consequentis, sed consequentiæ ut loquuntur: quoniam ex mera gratiâ, jam inde ab initio vocationis Abrahami, Deus promissionem illam ultro proposuerat, Genes. 12. vers. 3. & postea repetierat crebrius. Ac propterea Deus hoc in loco, dum promissionem plenius ac planiùs reponit, non ostendit ullum Abrahami meritum, sed gratiæ suæ constantiam & gratuitum fidei & obedientiæ debitæ præmium. Qua ratione præstructa, astruitur & apponitur promissionis propositio. Quemadmodum autem pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habet vitæ præsentis & futuræ: sic & pietas Abrahami hoc in loco utilitate sua non caruit. Etenim Deus promittit benedictionem: hoc est, felicitatem primùm Abrahamo; deinde semini illius; denique per semen omnibus gentibus. Ad Abrahami benedictionem quod attinet, cùm corporalem, tum spiritualem, ea antè explicata est, non obscurè Gen. 12. v. 2. 3. neque ea de re controversia est, sed de reliquis disceptatur. Judæi enim *semen*, denotare posteros seu liberos arbitrantur: ac contendunt non solùm alibi, sed etiam in hoc loco, quod semen ex eorum sententia, sit nomen numero quidem singulare, sed significatione collectivum & plurale Contra vero Christiani accuratiores asserunt, id non esse perpetuum: quamvis enim *semen* collectivè sæpius accipiatur, singulari tamen significatione & quidem prima ac propria etiam accipi, ante à nobis est demonstratum, è quibus pauca reponemus, aliaque ad majorem evidentiam adjungemus. Nam primum ex V. Test. est Gen. 4 25. *reposuit mihi Deus pro Abele aliud semen*, hoc est, prolem, seu filium; ut res ipsa evincit & Chaldæus Paraphrastes interpretatione sua astipulatur. II. est Gen. 15. *Non dedisti mihi semen*, hoc est, prolem. III. Gen. 21. 13. *filium ancillæ hujus in gentem redigam: quia semen tuum est.* IV. Gen 38. 8. *Exsuscita fratri tuo semen*, hoc est, non liberos sed prolem unigenitam, ut liquet ex Deut. c. 25. 5 6. Deinde ad Christianorum confirmationem ex N. Test. tria pertinent illustria testimonia: I. 2. Cor. 11. 22. *Semen Abrahami sunt? sum & ego*, supple semen: in qua oratione, priori loco collectivè, posteriori singulariter accipitur. II. Galat. 3 16. cui III. consentit expositio Petri, Act. 3. 25. 26. Ex quibus locis abunde probatur, *semen* accipi interdum de semine singulari; & in hac promissione Abrahamo facta ita debere accipi. Nam quod vulgo *semen* exponunt, v. 17. collectivè, de liberorum multitudine, seu posteris: sed v. 18. singulariter de Christo. quasi (ut subjecta ex attributis, & contrà vicissim sunt intelligenda) attributa hoc in loco illud demonstrent; in posteriori versu merito assentimur, sed bona illorum veniâ, in priori, necessitatem expositionis minimè observamus. Nam quod objicitur, *multiplicabo* collectivè debere accipi: illud sequenti expositione potest confutari. Si quis enim attentius consideret, comperiet *seminis* vocem, significatione singulari distinctè accipiendam & attributis optimè convenire. Ut autem ad rem ipsam progrediamur, *semen* hoc in loco non posteros ac filios, sed filium notat, & quidem non Ismaelem, sed Isaacum, qui promissiones acceperat Gen. 21. 12. 13 & ex illius stirpe prognatum, & per eundem adumbratum, videlicet Jesum Christum. Quemadmodum enim Isaacus non vi naturæ, sed promissionis & potentiæ divinæ à Patre ferè emortuo satus est, atque conceptus à matre sterili atque effæta; unde cum posteris è rupe excisus dicitur, Esai. 51. v. 1. 2. Ita & Christus, à Maria Virgine, non è virili semine, sed gratuita Dei destinatione ac promissione, & virtutis Altissimi obumbratione, conceptus est Luc. 1. 34. 35. Unde lapis, è rupe, sine hominum manibus excisus, appellatur, Daniel. 2. 34.

Deinde quemadmodum Isaacus fuit filius Abrahami è Sara unigenitus, dilectus & omnium bonorum hæres, Genes. 15 4. 21. 10. & 22. 2. sic & Christus Patris est filius unigenitus, Joh. 1. 14. 18. dilectus ille in quo acquiescit, Mat. 3. 17. quem hæredem constituit omnium, Ps. 2. 8. Heb. 1. 2. Tertiò ut Isaacus, à Patre ad sacrificium destinatus est, eique obedienti ligna imposita sunt, quibus ipse, ad mactationem postea impositus est & alligatus: similiter & Christus à Patre ad sacrificium propitiatorium electus ac datus, lignum crucis suæ, cui affixus est, & cruciatus, nostra causa, à Patre inflictos, lubens pertulit, factus hostia salutifera. Quartò, ut Isaacus à Patre suo, animo & conatu mactatus, non periit, sed servatus est, Gen. 22. v. 15. ad 19. & similitudine quadam à mortuis suscitatus, Hebr. 11. v. 19. ita & Christus à Patre, animo & conatu, & quod amplius, facto mactatus, Es. 53. Act. 2. 23. non mansit in morte, nec corruptionem expertus est; sed resurrexit, Act. 2. 24. 30. Quinto ac postremo, quemadmodum cum de Isaaco, qui promissiones acceperat, actum videri potuisset, Hebr. 11. 17. 18. nihilominus tamen, posteritate ac potentia, adversus hostes in immensum excrevit: sic & Christus, post mortem, posteritate immensâ auctus, & ad summam evectus est gloriam, adeoque lapis, qui excisus erat, imaginem comminuens, effectus est mons magnus, ita ut impleat totam terram, Dan. 2. 35. ut ex sequentibus similiter apparebit. Ex hisce igitur statuere possumus, non frustra Christum Isaaco adumbratum, & voce *seminis* hoc in loco includi ac connotari (ut multa de Davide tanquam typo, & Christo tanquam archetypo atque adumbrato suo modo ὑπαλλήλως ac gradatim intelliguntur) quemadmodum ipsius attributa quoque ostendunt.

Promissio autem est bimembris; propagatio liberorum immensa, & hereditas portarum hostilium. Propagatio liberorum, multiplicatione seminis designatur, hoc est, quando ut ex uno semine grana plura; ita ex uno filio plurimi posteri oriuntur. Quo sensu dicitur Adamo & Evæ: *Crescite & multiplicamini*: & Abrahamo, Gen. 17. 2. *multiplicabo te*, & Jacobo, Gen. 35. 11. *fructuosus esto & multiplicare.* Vide etiam Gen. 28. 3. Deinde immensitas hujus propagationis declaratur, similitudine rerum innumerabilium duplici, primo stellarum ut antea, c. 15. 5. deinde arenæ maris: sicut antea, pulveri terræ, c. 13. 16. comparârat eodem omninò sensu. Quæ duæ hyperbolicæ ac proverbiales multitudinis maximæ formulæ, ad unum idemque, nempe ad qualitatem & conditionem pertinent. Ac propterea alienum est quod nonnulli argutantur, priori electos quasi cælestes: posteriori reprobos quasi terrenos denotari.

Cæterum multiplicatio illa est duplex: alia carnalis, alia spiritualis. Carnalis quidem ratione *Isaaci*, Deut. 1. v. 10. Spiritualis vero ratione Christi, *qui quoniam se exposuit pro reatu, videt semen*, Es. 53. 11. Hoc autem sunt omnes fideles, quos, ex Ecclesia, per verbum & spiritum regenerat: quorum maxima est multitudo, adeo ut plures sint filii desolatæ, quàm conjugatæ, Esa. 54. v. 1. Quam expositionem mysticam, historiæ velo contentam, confirmat Apostolus (si quis diligenter examinet) Rom. 4. vers. 17. 18. Gal 3. 29. Huc etiam pertinet locus Jer. 33. 22. *ut non potest numerari exercitus cælorum, nec potest mensurari arena maris: ita augebo semen Davidis*, &c. Quo in loco, per *semen Davidis* intelligit fideles, insitos per fidem, Davidis filio Christo, qui fecit nos reges ac sacerdotes Deo ac Patri suo, 1. Pet. 2. vers. 5. ut orthodoxi rectè exponunt. Et hoc primum est promissionis de semine Abrahami attributum.

Alterum est portarum hostilium possessio hæreditaria. Quæ hostium subjugationem & consequentem ditionis eorum possessionem firmam complectitur per synecdochen convenientissimam. Nam cum in portis urbium essent, cùm munimenta ac custodiæ; tum curiæ, Amos 5. v. 15. ea voce urbes (ut Græci rectè sua versione expresserunt) earumque potentia & consilia intelligantur. Hæc autem portarum possessio etiam est gemina, pro seminis gemini ratione; carnalis & spiritualis: illa adumbrans, hæc adumbrata. Carnalis convenit Isaaco, qui primùm immediatè in se, jure ex Dei donatione acquisito, deinde mediatè, reipsa ac facto, in posteris suis, hostium portas possidet, cum devictis & expulsis Chananæis, terrâ ante promissa, Gen. 13. v. 15. potitus est. Spiritualis verò carnali adumbrata, convenit Christo, tum in se tanquam capite, tum in fidelibus tanquam membris suis ac posteris per Spiritum regenerationis propagatis. Et in se quidem ratione juris omnino ac simpliciter: quia Filius Dei patefactus in carne: ratione

ratione verò rei ac facti ante diem judicii ex parte tantùm; sed eo die & in æternum, omninò. Nam quemadmodum peccatum, mortemque temporalem ac æternam, & Sathanam, mundumque, obedientiæ merito, prorsus devicit, Joh. 16. v. 11. 33. & 12. 31. Col. 2. 15. Heb. 2. 14. 15. ita efficaciæ quidem initio, eosdem jam superavit, cum electos à peccati servitute ac condemnatione & à potestate Satanæ ac mundi, per fidem eripuit & eripit, Col. 1. 13 & jam in medio inimicorum suorum regnat, Psal. 110. v. 2. efficaciæ vero complemento, ultimo die omnes hostes suos conteret, ac pedibus suis abjiciet, postremo hoste, nempe morte, prostrato, & Satana ac mundo impuro, in ignem inferni, præcipitatis Ps. 2. & 110. 1. Cor. 15 v. 25. 26. Matt. 25. v. 41. 2. Thes. 1. 8 9. Neque solum hostes devicit Christus, sed etiam ea ratione portas eorum occupat, quando pro jure suo (cum meriti, tum eidem convenientis donationis paternæ) reipsa mentes & corda fidelium, iniquis dominis ac fortibus armatis expulsis, possidet ac regit, & per orbem universum, ubi peccatum & Satanas regnaverat, suam colligit, regit & adversus hostes tuetur Ecclesiam. Deinde Christo quoque hæc victoria & possessio convenit, in membris suis seu fidelibus, quos ex peccati, mortis, Satanæ, mundique servis, per fidem & resipiscentiam Luc. 1. reges facit ac sacerdotes Deo Patri, 1. Pet. 2. 5. Apocal. 1. 6. & 5. 10. & victoriæ ac possessionis suæ participes: victoriæ quidem, dum fide per charitatem operante, & Christi Spiritu adjuvante, mundum superant, 1. Johan. 5. 4. & Satanæ resistunt, ignitaque ejus tela extinguunt, Eph. 6. 16. eumque vincunt 1. Iohan. 2. v. 13. carnemque mortificant: possessionis verò participes reddit, partim dum peccatores & infideles luce veritatis & Spiritus Christi adjuncta efficacia, illustrant & convertunt, eaque via peccati & Satanæ regnum imminuunt, Act. 26. 18. Christique amplificant; adeo ut, semen Christi & Ecclesiæ, gentes hæreditario possideat, Esai. 54. v. 3. partim dum Christus sub fidelium pedibus, Sathana omnibusque hostibus conculcatis, velut alter Iosua, in cœlestem Cananæam (unde dæmones hostes nostri exciderunt, nosque aditu illius privarunt) eosdem deducit. Atque hæc dicta sunt de promissione benedictionis facta Abrahamo, & semini illius: sequitur promissio benedictionis gentium omnium per semen: quæ continetur hisce verbis: *omnes gentes in semine tuo* והתברכו Per *omnes gentes* autem Synecd. fideles ex omnibus gentibus cùm Iudæis tum reliquis totius mundi intelliguntur, ut communis benedictio & Apostolorum interpretatio ostendet. והתברכו autem quidam vertunt *beabunt se*, hoc est, beatas se prædicabunt; sed minus rectè. Nam licet vox Hebræa sit in conjugatione *hitpahel*, quæ reciprocationem notare solet: illud tamen non est perpetuum, ut Grammatici profitentur, & usus demonstrat. Deinde Apostolus Petrus Act. 3. 25. 26. passivè exponit, & benedictionis actionem non gentibus, sed Christo tanquam semini disertè adscribit. Quæ benedictio ac beatitudo in hisce gradibus (de quibus in superiori Prophetia enarranda plenius egimus) in vocatione, justificatione, sanctificatione & redemptione consistit: & à semine promisso procedit, hoc est, Christo, primum in Iudæos, deinde in gentiles: ut explicatur hoc effectum & ordo Actor. 3. 25. 26. Galat. 3. v. 14. 16. Sed difficultas quædam exurgit: Iudæi enim objiciunt, per semen, quia collectivum est, intelligi Israëlitas, in quibus se gentes beabunt, hoc est, hoc exemplo, tanquam illustri & proverbiali formula, sibi bene precabuntur, Gen. 48. v. 19. *in te benedicent Israëlitæ, dicendo*, &c. Sed contrà jam antea demonstratum est, *semen* sumi, non semper neque primum collectivè, sed nonnunquam, primaque significatione, singulariter. Deinde quamvis alicubi phrasis hæc, *in te benedicent*, significet similitudinem, interdum tamen causam notat, ut Jerem. 42. והתברכו *benedicent sibi* (ut quidam vertunt) aut potius *benedicentur in ipso*, hoc est, Christo, vero cum Patre Deo, *gentes, & in eo gloriabuntur*: & Esa. 65. v. 16. *benedicetur in Deo veritatis*, hoc est vero. Quæ loca, rectè accepta, huic promissioni, de benedictione gentium, per Jesum Christum, ratione phrasis ac materiæ & sententiæ, conveniunt.

Hactenus de promissionis propositione: cui confirmatio, ex præfatione repetita; ac propterea à nobis in eo loco explicata, subjicitur.

ANALYSIS
PROPHETIÆ OBADIÆ.

CUm præter auctoritatem diviniam tria hęc pręcipuè pios ad sacrorum Prophetarum examen allicere soleant, brevitas, difficultas, utilitas: ea omnia in Hobadiæ Prophetia elucent; adeo ut non immeritò ad illius elogium dixerit Hieronymus; *versuum supputatione, non sensuum, brevem; ut ex tribus libris Salomonis Canticum canticorum, quo brevius eo difficilius.* Si quis utilitatem etiam spectet, comperiet ad Dei justitiam contra Ecclesiæ hostes, & misericordiam erga Ecclesiam per Christum asserendam, eaque ratione, ad fidem & resipiscentiam confirmandam, conducere plurimum. Quare σὺν Θεῷ hanc Prophetiam explicaturi, paucis discriptionem & partitionem præmittemus. Ad prius quod attinet; *Hæc Prophetia est scriptum θεόπνευστον V. T. per Hobadiam Prophetam contra Idumæos editum; quo ob variam crudelitatem ab ipsis in Ecclesiam Iudæorum, in Iudææ & Hierosolymorum per Nebucadnezarem vastatione, perpetratam, & viribus artibusque suis præfidentibus, iis ad Ecclesiæ consolationem judicia Dei denuntiat, cùm severam & justam eorum pœnam, tum Judæorum gratiosam & gloriosam ab hostibus corporalibus & spiritualibus redemtionem in regno Christi.* Hæc autem Prophetia dividitur in titulum & tractationem. Titulus est aut adventitius & disjunctus: aut conjunctus & genuinus. Adventitius ab Ecclesia præmissus est, distinctionis gratia, *Liber Hobadiæ* vel *Hobadias*: quemadmodum in libris Mosis & aliorum Prophetarum variè ab Hebræis & Græcis Latinisque, tituli, à materia, scriptore, scripti initio aut genere præfixi sunt; quamobrem de eo non laborabimus. Titulus genuinus est, *Visio Hobadiæ*: quo auctoritas & attentio comparatur: hinc enim elucet hujus scripti genus & scriptor. Genus est *visio* quæ κατ' ἐξοχὴν de visione divina ac prophetica accepta, bifariam usurpatur: vel speciatim, de speciali prophetiæ ratione ac modo revelationis secreto voluntatis divinæ per visionem, de qua distinctè agitur, Num. 12. v. 6. Ioel. 2. 28. vel generatim per synecdochen de quavis prophetia: cujusmodi sunt varii, ut ad Heb. 1. 1. indicatur, familiare colloquium, visio, insomnium, subita Sp. S. afflatio: quo sensu Prophetæ olim *videntes* dicti fuerint. 1. Sam. 9. v. 9. 2. Chron. 33. 18. & *visionis* vox accipitur in distincta & eleganti comminatione, Ezech. 7. 26. *à prophetis visio, à sacerdote lex, à senibus consilium.* Utrovis autem modo accipiamus *visionis* vocem, si rem ipsam spectes, parum interest: certum est enim denotari prophetiam, & probabile etiam est, certum illum prophetiæ modum, quo res enuntiandę, visione quadam adhibita, à Deo revelatę sunt, indicari. Per metonymiam autem subjectę rei signatę, pro adjuncto signo, *visio* accipitur pro scripto, quo visio illa significatur. Atque hęc de scripti hujus genere. Unde causa efficiens principalis Deus, prophetię autor, & modus simul intelligitur: quod etiam prophetię eventus & aliorum Prophetarum collatio confirmat. Scriptor verò & causa instrumentalis indicatur nomine *Hobadias*, in quo omen est, & nominis cum re convenientia: nam quemadmodum in Actis Stephanus dictus est, qui martyrio coronatus est tandem: sic & iste Hobadias, hoc est, *servus Domini* appellatur: sicut Hieronymus non ine-

Ptè ad hunc locum observavit. Quis autem fuerit, & quando vixerit, non satis apertè constat. Hebræorum plerique eum fuisse censent, qui Achabi tempore vixit, & Prophetas pavit, 1. Reg. 18. eundemque Idumæum fuisse adjiciunt: quemadmodum ex Rabbi Salomone & Kimchio apparet. Sed illud ab Abenezra merito refutatur: nam historia illa Abdiæ satis ostendit illum non fuisse Prophetam, sed tantum Prophetarum amantissimum aulicum; & hęc prophetia demonstrat Prophetam hunc vixisse post vastationem urbis Hierosolymorum & templi, v. 11. Quapropter omissis incertis conjecturis, non Elię & Achabi, sed potius Ieremię & Ezechielis temporibus vixisse, ex prophetię materia & collatione similium, cum multis interpretibus, colligimus. Et à prophetiæ titulo ad prophetiæ tractationem transimus, quæ constat exordio & narratione. Quorum illud notat causam efficientem: *Dominum Deum*, & objectum *Edom*. Quæ vox communiter *rufum* notat, & inde ad nomen proprium designandum translata est. Quo modo bifariam accipitur: de hominibus, vel eorum regione. Hominibus, vel uno, vel plurium collectione: nam Esau Jacobi frater Edom appellatus est, non à colore nativo, ut quidam arbitrantur; sed ab eventu, quod lentium edulium, *Edom*, hoc est, *Rufum* appellasset, & primogenituræ jus eo vendidisset, Gen. 25. 30. Unde per Metonymiam efficientis pro effecto, Edom pro Edomitis accipitur: quomodo Esau *pater Edom* appellatur, Genes. 36. v. 9. Denique per Meton. adjuncti locati pro subjecto loco, aut potius possessorum pro re possessa, pro regione Edomitarum accipitur. Quo sensu hoc loco usurpatur: quemadmodum constructio pronominis fœminini, cum subjicitur, *adversus eam*, indicat. Sic tamen regionem compellat, ut incolas sub illius complexu intelligat. Similes prophetiæ adversus Idumæos extant in plerisque prophetis, Esa. 21. 11. & 34. 5. & 63. 4. Ier. 9. 26. & c. 27. 3. & 49. 7. Ezech. 25. v. 35. Amos 1. 11. Ioel. 3. vers. 21. qui loci diligenter collati, commentarii vice, diligentioribus esse possunt. Hæc de exordio, prima tractationis prophetię parte dicta sunt. Reliquum est ut ad alteram transeamus. Ea autem est narratio; quę ad amussim fere cum Ierem. 49. conveniens, de pœna Idumęis inferenda, & Iudęis auferenda, per comminationem & promissionem differit. Quę docendi ratio & ordo partium, servatur etiam Esa. 34. & 35. & Ezech. 35. 36. Comminatio antecedit adversus Idumęos: quę propositione, & expositione copiosa ac gravi absolvitur. Ac propositio bimembris est, quoniam bellum eventurum denuntiat, & eventum effectumque illius, cladem acerbissimam. Bellum v. 1. causis suis describitur, à quibus inferendum. Quarum prima ac principalis statuitur *Deus*, & secunda ac ministra *gentes*, hoc est, Chaldęi eorumque imperio subditi & socii: quemadmodum explicatè declaratur, Ier. 25. v. 9. & 25. Ac priorem causam efficientem indicat Propheta cùm ait, legatum à Iehova missum ad gentes concitandas ad bellum adversus Idumęos. Quo occulta Dei providentia, per Metaph. significatur: quod instinctus & gubernatio divina sit instar legati alicujus. Quo sensu in Prophetis sæpius gentes evocasse, eas mittere, iisque aliquid præcepisse pronuntiatur: & servi Dei appellantur reges, quorum opera providentiæ suæ judicia perfecit. Qua de re illustris locus est de hoc bello & calamitate Idumæorum, Ierem. 25. vers. 9. Hæc autem belli denuntiatio stabilitur ac confirmatur à testimonio Prophetarum & revelatione divina, quando initio hujus narrationis præmittitur: *rumorem à Jehova audivimus*: hoc est, Abdias & alii Prophetæ quorum antea meminimus, nominatim verò Ieremias cap. 49. vers. 14. *Rumorem*, inquit, *audivi à Jehova*: cui conjunctus Abdias meritò ait, *audivimus*. Porrò hujus belli eventus & effectus, nempe clades, declaratur, vers. 2. bifariam; partim effecto exiguitatis & adjuncto magni contemptus: ut enim bellum magnos & potentes imminuit & atterit: ita contemptus, cladis magnæ & impotentiæ comes. Cujus Prophetiæ veritas & complementum, Malach. 1. vers. 3. & 4. ostenditur. Nam quod nonnulli hunc locum ita explicant, ac si declararetur antiqua Idumæorum conditio, quod essent exigui numero & contempti inter reliquas gentes, ideoque non haberent probabilem ullam superbiendi materiam: illud Prophetiæ gravitatem videtur imminuere, nec satis quadrare sequentibus, quibus eorum potentia declaratur. Hæc de propositione pœnæ; Cui additur gravissima expositio, quæ cladis hujus & calamitatis magnitudinem & justitiam describit, remotione bonorum & subsidiorum, quibus impunitatem sibi pollicebantur, & minas Dei superbè poterant aspernari. Utitur autem inductione eleganti & accurata: nam subsidia Idumæorum, in quibus potentia eorum erat sita, recenset partim externa, partim interna. Externa alia sunt animata, & alia inanimata. Inanimata, sunt loci naturâ muniti ac propugnacula, & thesauri reconditi. Quorum prius ab adjuncta fiducia, & arroganti superbia Idumæorum, & conjuncta vanitate describitur. Superbiam indicat, cùm hanc gloriationem animi Idumęorum recitat; *quis dejiceret me in terram?* Vanitatem verò arguit quando ait, *superbia animi tui decepit te*, v. 3. Quam vanitatem demonstrat Deus oppositione omnipotentię suę, per comparationem majoris; *Quamvis exaltares tuam habitationem, veluti aquila, imo inter stellas poneres nidum tuum, inde tamen te dejicerem, ait Deus*. Ergo multo magis te è tuis montibus dejiciam, v. 5. Qua ratione priori felicitatis & subsidiorum parte & superbiæ materia Idumæis erepta, ad alteram transit Propheta, nempe thesauros reconditos. Quorum spoliationem non simpliciter enunciat: sed interrogatione stupendam esse ostendit; & comparatione minorum ac disparium amplificat: etenim confert ac præfert Chaldæos furibus & vindemiatoribus; eoque demonstrat calamitatem Idumæorum longè majorem esse, quam si à furibus & vastatoribus nocturnis, aut vindemiatoribus spoliati essent: nam fures non omnia, sed obvia, & quod satis ipsis est rapiunt: vindemiatores relinquere solent residuos aliquos racemos; partim secundum legem, Deut. 24. v. 21. in usum viduarum, pupillorum & peregrinorum; partim etiam quod non omnia ita accuratè perscrutentur aut curent, v. 5. Contrà verò omnia Esavi loca abdita pervestiganda & perquirenda ostendit, v. 6. Quo in loco per metonymiam *Esavum* vocat Esavi posteros: quemadmodum antea *Edom*. Sic autem dictus est filius Isaaci primogenitus ab ortu, à verbo עשה hoc est, *facere*: quod natus sit pilosus & quasi perfectus & adultus, Genes. cap. 25. vers. 23. Deinde abditorum etiam mentionem facit: quia ut ait Hieronymus, *omnis australis regio Idumæorum ab Eleutheropoli, ad Petram & Hailam, in specubus habitatiunculas habet; & tuguriis subterraneis, propter nimium solis æstum, quia meridiana est provincia, utitur*. Atq; hac ratione externa inanimata subsidia, cum locorum opportunitatem, tum thesauros reconditos; belli nervum, nil profutura, sed auferenda Idumæis ostensum est. Deinde idem de animatis subsidiis, nempe fœderatis sociis, iisq; omnibus, & amicis familiaribus asseritur. Quos obfuturos ostendit, partim perfida defectione sua, partim oppugnatione insidiosa & violenta. Ac fœderatorum perfidiam & insidias describit, cùm ait, *deducturos ad terminum usq; ac decepturos*. vim ostendit, quando addit, *prævalebunt tibi*, hoc est, non solum oppugnabunt, sed etiam expugnabunt: amicorum etiam familiarium vim declarat, cum ait, *convivæ tui imponent vulnus*: insidias verò, cùm adjicit, *loco tuo, cujus nulla erit intelligentia*, v. 7. Quia verò præter externa hæc subsidia, cùm inanimata, locorum opportunitatem & thesauros reconditos: tum animata, socios, cùm fœdere ac pace, tum familiaritate conjunctos, alia etiam sunt interna subsidia, quæ in hominibus hærent: sapientia in animo, & potentia ac robur in corde & corpore (quorum illud ad consilium: hoc verò ad effectum requiritur) ne quę spes ulla Idumæis supersit, horum etiam subsidiorum jacturam minatur Deus, præmissa præfatione, qua hujus comminationis & pœnæ auctorem Deum ostendit, & circumstantiam temporis innuit, *illo die*, hoc est, eodem tempore: quod ad amplificationem calamitatis pertinet, cum omnia mala concurrant. Huic præfationi comminatio subjecta, primùm sapientiæ & prudentiæ jacturam indicat his verbis; *perdam sapientes & intelligentes è monte Esau*: hoc est, per Me-

per Metonymiam Idumæos, qui in regione montosa degebant, v. 8. Secundo jactura potentiæ ac roboris describitur, v. 9. partim potentum terrore, quod ad cor & animum; partim excidio, quod ad corpus pertinet. Quorum prius indicant illa verba; *& terrebuntur potentes tui ô Theman:* posterius cum additur; *ut exscindatur quisque è monte Esavi à strage;* seu propter stragis magnitudinem. Theman autem fuit nepos Esavi, Gen. 36. 11. unde per Metonymiam pro Themanitis, & per synecdochen, pro Idumæis generatim accipitur: aut per synecdochen Theman, loci in Idumæa nomen, Ezech. 25. vers. 13. de Idumæa & deinde de incolis intelligitur. Eadem omnino comminatio extat, Jerem. 49. v. 7. Ex quibus omnibus, calamitatis bellicæ Idumæorum, inducta subsidiorum omnium elegantissima enumeratione, magnitudo intelligitur: quæ prima expositionis pars est. Cui altera accedit, quæ pœnæ & magnitudinis illius justitiam, causæ & meriti inductione exponit. Causa enim statuitur peccatum in Iudæos multiplex: cujus magnitudinem proponit generatim primùm, deinde inductione speciatim illustrat ac probat. Peccatum definitur violentia in Iacobum; hoc est, Judæos, Iacobi posteros. Sic autem illos appellat, ut ea via peccati magnitudinem, objecti indignitate ostendat: Iacob enim & Esau fuerunt fratres, à quibus Iudęi & Idumęi orti etiam fratres, hoc est, cognati erant & fraterno animo sese mutuo amare ac tueri debebant: quamobrem Deus Idumæos, hoc nomine ab Israëlitis violari prohibuit, Deut. 2. 3. & 23. v. 6. Grave est alicui vim inferre immerenti: gravissimum & indignissimum, amorem promerenti fratri; idcirco addit Propheta amplioris declarationis gratia, *in fratrem suum,* ut etiam Amos 1. v. 11. & excidii pœnam repetit, & adjuncto consequente pudore & circumstantia temporis exaggerat, quando ait, *exscinderis in seculum;* quo demonstrat, fore, ut Idumæi in posterum, eodem jure & more, regionem suam nunquam recuperent Psal. 10. Similes loci sunt Ezech. 35. vers. 9. Esai. 34. v. 10. Ierem. 25. v. 9. Ioel. 3. v. 19. Malach. 1. vers. 4. Porrò violentiam Idumæorum in Iudæos probat & declarat inductione sequentium. Primùm immisericordi consensione ac delectatione calamitatis Iudæorum. Quam à signo describit; quod ex adverso steterint, quo die extranei Chaldæi & eorum socii captivas abduxerunt copias. Deinde facto & rapinæ societate; quod cùm alienigenæ victores Hierosolymam ingrederentur & sortitione incolas & spolia dividerent, Idumęi illorum fuerint socii, v. 11. Quæ duo expolitione gravi explicantur & amplificantur ordine, per exprobrationem, qua officium indignissimè violatum objicit & pœnam propterea denuntiat. Ac primum quod priori loco reprehenderat, quod videlicet ex adverso stetissent, illud exponit, v. 12. convenientissimè tribus membris & quasi gradibus; primùm immisericordia; deinde ἐπιχαιρεκακία; denique conviciis: primum indicatur cum ostenditur fuisse spectatores calamitatis; *ne spectas* hoc est, non spectasses, non spectare debuisses, *diem,* hoc est, calamitatem *illo die fratris tui.* fraternum enim est & misericordiæ humanæ officium, non procedere spectatum calamitatem alterius, sed oculos potius avertere à miseria fratrum: alterum est, quod lætati fuerint de Iudæis in die, quo perierunt: postremum, quod conviciis insultarint victis: de qua re Psalm. 137. 7. Alterum de rapina Idumæorum explicat, v. 13. & amplificat adjuncta sede & proditione: sede, quod rupturas e quibus evadere poterant, ut Amos 4. 3. observarint, ad eos qui evaderent, excindendos: proditione, quod elapsos prodiderint: quamvis si פרק de compitis exponamus, indicabitur crudelitas, quod aditus viarum observarunt, ut elapsos concluderent ac necarent; quod cum eorum animo, de quo Ps. 137. non malè convenit, vers. 14. Atque hæc dę descriptione odii & violentiæ Idumæorùm in Iudæos. Cujus origo, quoniam ad rem plurimum pertinet, & vulgò non satis accuratè explicatur, investiganda est. Causa prima fuit exemplum stirpis: nam Esau odio capitali Iacobum fratrem prosecutus est, adeo ut mortem ei minaretur, Genes. 27. vers. 43. Cujus occasio fuit ex opinione acceptæ injuriæ ob præreptam, venditis primogenituræ privilegiis, benedictionem. Ac quamvis fratri fuerit postea reconciliatus; hęsit tamen in posteris animi abalienatio & odium in Israëlitas: quod significatum fuit divinitus, partim miraculo concussionis mutuæ Esavi & Iacobi in utero matris; partim interpretatione Dei, quod concussio illa signum esset duarum nationum, quæ separarentur, quarum una robustior alterâ, & minor serviret majori, Gen. 25. 22. Atque hoc odium ex eo primum liquet, quod Israëlitis, ex Ægypto in Chananæam promissam tendentibus, transitum per suam regionem commodissimum invidiose negarunt, & armata manu hostiliter prohibuerunt. Num. 20. vers. 20. deinde, quod inter publicos Israëlitarum hostes recensentur postea, 1. Sam. 14. v. 28. Cujus inimicitiæ occasio & causa fuit invidia possessæ ab Israëlitis Chananææ & status felicis, Ezech. 35. 5. & 11. quemadmodum vicini eorum Hammonitę hanc causam belli prætulerant, similiter Iud. 11. 15. Altera causa odii & violentiæ Idumæorum fuit damnum à regibus Israëlitarum acceptum. Primùm à Saule, qui ipsos cum reliquis hostibus bello repressit & inquietavit, 1. Sam. 14. 28. Deinde potissimum à Davide qui subjugavit, 2. Sam 8. 14. & omnes mares, nempe bello aptos, per Joabum confodit, 1. Reg. 11. vers. 15. Quæ victoria Davidis, prædicta fuerat Bileami prophetia, Num. 24. v. 18. & 19. imo etiam Isaaci, Genes. 25. v. 25. Hæc autem servitus Idumæorum duravit ad Josaphati tempora, 1. Reg. 22. 48. Nam à Ioramo defecerunt, constituto rege, & à servitute deinde liberati sunt, 2. Reg. 8. 20. secundum Prophetiam Isaaci, Genes. 27. v. 42. Tertiò damnum bello acceperunt à Ioramo, 2. Reg. 3. v. 1. denique ab Amasia, qui eorum decem millia percussit & Petram urbem, Arabiæ Petrææ metropolim, occupavit, 2. Reg. 14. v. 7. Ex quibus omnibus odii & violentiæ Idumæorum in Judæos antiquitas, occasiones, duratio, & pertinacia, de qua Ezech. 35. 5. apparet. Reliquum igitur jam est, ut ad rem propositam redeuntes, explicata reprehensione peccati & violentiæ Idumæorum in Judæos, pœnam, culpæ comitem & effectum, attendamus: quæ comminatione declaratur, & parium subjectorum comparatione amplificatur ad consolationem afflictæ Ecclesiæ, cum ait; *Nam propinquus est dies Iehovæ adversus omnes istas gentes. Gentium* enim nomine Idumęos iisque vicinos, & in Judęis violandis socios intelligit, nimirum Hammonitas, Moabitas, Syros, Philistæos, Tyrios, Sydonios, quemadmodum disertè exponitur, Ierem. 49. & Ezech. 25. & 26. Quibus omnibus communiter comminatur propinquam pœnam: quam adjuncto tempore metonymicè significat. *Dies* enim *Dei* dicitur hoc loco tempus vindictæ divinæ destinatum, seu dies judicii particularis; quod judicium Deus per Nebucadnezarem exercuit, Jer. 9. & 27. v. 3. & Ezech. 25. & 26. Porrò hujus pœnæ justitia confirmatur ratione duplici, ad consolationem Ecclesiæ & terrorem meritum hostium illius. Quarum rationum prima est deducta ex lege talionis, in judiciis publicis, æquissima; *quemadmodum fecisti, fiet tibi; retributio tua revertetur in caput tuum,* v. 15. Similis locus generalis est, Esa. 33. 1. *cùm desieris esse vastator, vastaberis, cùm absolveris perfidè agere, perfide agetur contra te:* & particularis ad Idumęos pertinens, Esa. 34. 8. Jer. 49. Ezech 25. & 36. 5. 6. Altera ratio est comparatione minorum, nempe judiciorum Dei in suum populum Judæorum; *Nam,* inquit, *cum biberitis in monte sanctitatis meæ, bibent omnes gentes jugiter, bibent inquam & absorbebunt, eruntque ac si non fuissent.* Quę comparatio plena constat protasi & apodosi. De protasi quæritur, quosnam compellet Deus, & quid *bibendi* voce denotetur. Quidam compellari putant Idumæos & vicinas gentes, ac sensum esse, cùm in Hierosolymorum vastatione hilares symposia & convivia agitaveritis, vobis idem ab aliis expectate. Atque ita prophana eorum convivia sacris epulis opponerentur: quemadmodum Esa. 62. v. 8. & 9. Alii verò Apostrophen esse ad Judæos statuunt, & *bibendi* voce per synecdochen non convivia, sed pœnam denotari, Metaphora à conviviis desumpta. Quæ interpretatio, quemadmodum nervosior est, ita rei quoque magis convenit, & similes etiam loci hoc evincunt, quibus Metaphora & tecta similitudo perspicuè declaratur: ut enim vinum largius

potum, inebriat, sensuum vires & totius corporis robur enervat, hominesque prosternit: ita pœna Dei homines de felicitate & tranquillitate deturbat: quemadmodum adversus Idumæos dicitur; *inebriavi eos*, Esai. 63. v. 6. Et ne quis dubitationi esse possit locus, Jeremias hanc sententiam luculentissimè duobus in locis, adversus Idumæos disserens, declarat: quorum prior extat cap. 25. vers. 15. & 16. *& sume poculum istud vini æstus è manu mea, & bibendum dato omnibus illis gentibus ad quas ego mitto te, ut bibant & concutiantur atque insaniant propter gladium quem ego missurus sum in terras.* Quibus addit deinde Propheta se poculum sumpsisse, ut daret primum Hierosolymis & civitatibus Judææ, deinde aliis gentibus, & inter eas Idumæis, vers. 21. ac tandem subjicit, vers. 28. & 29. Dei verba: *si renuant accipere poculum bibendum, dicas omnino bibituri estis, Nam ecce in ea civitate, quæ de meo nomine vocatur, ego initium feci afficiendi malis, & vos omnino impunes eritis? non eritis impunes.* Alter locus est, cap. 49 ubi eadem Prophetia recensetur, v. 12 *Nam sic ait Iehova: quorum nullum erat jus bibendi poculum, illi omnino bibent: tu autem omnino esses impunis? non eris impunis, sed omnino bibes.* Hac etiam phrasi usus est Jesus, Matth. 20. v. 22 Johan. 18. v. 11. & Johan. Apocal 14. Quamobrem *bibendi* voce, in protasi comparationis, non effectum Idumæorum sed adjunctam pœnam Judæorum denotat. Eademque est ratio in apodosi, *bibent omnes gentes.* hoc enim non de poculo lætitiæ & triumpho gentium, quæ Idumæos oppressuræ erant: nec de bonorum consumptione, quasi sensus esset, Exhaurient omnia bona vestra (ut quidam exponunt) sed de poculo iræ divinæ dicitur: seu de pœna quam Idumæi & sociæ gentes erant subituri. Quæ pœna amplificatur, partim ab adjuncto tempore, cum dicitur, *jugiter:* partim quantitate, cùm additur, *absorbebunt*: hoc est, non liquidum ac purum, ut populus meus, sed quod longè gravius est, feces ipsas quæ in fundo resident, ebibent, quemadmodum ea Metaphora eleganter explicatur, Esai. 51. v. 17. & Ezech. 33. v. 34 Huc etiam pertinet expositio Dei hoc in loco, *& erunt ac si non fuissent.* Quo excidium Idumæorum designatur, quod intelligendum est non ratione singulorum, sed ratione populi, qui partim cæsus, partim in exilium pulsus est, nec unquam regionem suam pristino modo recuperavit. Cujus Prophetiæ eventus & constantia, ut antea monuimus, Malach. 1. 4. recensetur; Hæc de vers. 16. & prima tractationis hujus prophetiæ parte, nempe comminatione, de pœna gravissima & justissima Idumæis inferenda. Altera est promissio de pœna Judæis auferenda, & referenda salute, ut Ecclesiæ, hostium impiorum felicitate & sua calamitate pertentatæ, consolatio esset plenior ac suis partibus absoluta, & hostibus Ecclesiæ superbis eo major terror injiceretur. Cæterum promissio hæc restitutionem bonorum amissorum & victoriam de hostibus pollicetur. Bona amissa erant patria, & adjuncta illius commoda; cùm spiritualia, cultus Dei; tum corporalia, opes hæreditariæ, quæ singula suo ordine promittuntur. Ac primum patria, qua per exilium Babylonicum ejecti erant, cum dicitur, *in monte Tzione erit evasio*, ita enim per synecdochen Hierosolyma & Judæa intelligitur, ut simili promissione Esa 35. v. 10. Cultus Dei, cùm additur, *eritque sanctus*, hoc est, cùm à Babyloniis, vastato & spoliato templo, esset prophanatus, Esa. 47. cultui Dei iterum consecrabitur. Opes, cum dicitur *totus Iacob possidebit possessiones suas hæreditarias.* cujus promissionis complementum ab Esra & Nehemia recensetur. Cæterum quemadmodum exilium & captivitas Babylonica typus fuit exilii nostri à cœlesti Tzione & Hierosolymis, ad Galat. 4. v. 26. ad Hebr. 12. 22, seu à regno gratiæ & Ecclesia, ideoque & à regno gloriæ & cœlo: ita liberatio populi & reditus in patriam, typus est redemptionis electorum per Christum, qua in Ecclesiæ societatem per fidem vocantur ac servantur, quemadmodum apparet, ex Esai. cap. 35. v. 4 & 10. & c. 61. v. 13. & Ezech. 36. vers. 24. & 25. & Joel. 2. vers. 32 *quicunque*, inquit Joel, *invocaverit nomen Iehova, eripiet se: quia in monte Tzionis & Ierusalaimis erit liberatio.* Qui locus ad Ecclesiam & credentes in Christum pertinet: quemadmodum ad Rom. 10. v. 13. declaratur. Deinde sanctificatio Tzionis est typus, quo Ecclesiæ ab erroribus & sceleribus repurgatio. per Christi sanguinem & Spiritum denotatur: cujus initium, cum Ecclesia Judaica, prædicatione Christi & Apostolorum, fide & resipiscentia mundata est, Ezech. 36 24. 25 Restitutio præterea hæreditariarum possessionum, de qua Esai. cap. 65. v. 9. adumbrat communionem cum Deo & vitam æternam, 1. Pet. 1. 4. Atque hæc de prima promissionis parte, restitutione bonorum amissorum, v. 17. Altera est victoria de victoribus hostibus Idumæis, cùm ratione hominum, tum ratione locorum. Ratione hominum, quod sint Idumæos deleturi: quod significatur metaphorâ ignis, cui Iudæos & Israelitas (quos domum Iacobi & Iosephi vocat) & paleæ, cui Idumæos, Esavi posteros comparat. Et auctoritate sua probat Deus cum ait, *quia Iehova eloquitur.* Hoc autem factum est, cum propter violentiam Judæis illatam, Idumæi à Deo deleti sunt. Quo typo simul significatur pœna spiritualium Idumæorum in Ecclesia N. T. seu impiorum Ecclesiæ hostium, Mich. 5. 8. & 9. cujus initium in hoc seculo, 2 Cor. 2. 16. complementum verò in altero, 2. Thess. 1. 6. & 7. Atque hæc de victoria ratione hominum. Altera est ratione locorum, fore ut Judæi, præter antiquos suos terminos, etiam conterminos & hostiles possideant. Quod partitione & finium producendorum descriptione declarat. Dividit enim possessores in regionem australem, campestrem, Benjaminum, Israelitas & Hierosolymitanos: quibus suas regiones ordine attribuit. Per regionem australem & campestrem partitione quadam Iudæa intelligitur: cujus hæ partes cum reliquis recensentur, Ios. 15. v. 21. 33. australis ea dicitur, quæ Idumææ, campestris, quæ Palestinæ ad occasum vicina erat. Unde per Metonymiam incolæ harum regionum denotantur. Docet igitur fore, ut prolatis finibus australes Judæi possideant montem Esau, hoc est, montosam & conterminam Idumæam: campestres verò vicinam Palæstinam (in qua urbes quinque celebres Gath, Gaza, Ascalon, Acaron, Azotus) & tribus Ephraim Samariæ regionem ad septentrionem sitam. Quia verò inter tribum Judæ & Ephraim, Josuæ 18. interjacet Benjamitarum regio: iis distribuit ulteriorem possessionem, nempe Gileadem, quæ ultra Jordanem sita, & tribui Rubenis, Gadis, & alteri dimidiæ tribui Manassis in sortem cesserat, v. 19. Præterea quarto loco, deportatis Israelitarum copiis, hoc est, decem tribuum exulibus, pollicetur regionem Chananæorum, Tzarphatam usque. Nam Chananæi residui, illum regionis promissæ tractum, ac terminum servarunt: quemadmodum apparet ex Jud. 1. 31. 32. unde Chananæa mulier ex illis finibus venisse dicitur, Matth. 15. 22. Tzarphat autem urbs fuit media inter Tyrum & Sidonem, ut ex Josepho liquet; unde Sarphat Sidoniorum dicitur: quo Elias, à viduâ alendus, ablegatus, 1. Reg 17. Ac propterea rectè dicitur, *quod Chananæorum usque Sarphat:* quia Sidon terminus fuit regionis Chananæorum, Genes. 10. Ex quibus satis superque apparet, frivolum esse Judæorum commentum, quo Sarphat Galliam, & Chananæos Germanos, & Sclavos seu Illyrios, Dalmatas, vicinosque populos esse tradunt, quod in eorum regiones sese à Tito relegatos comperiant. Denique deportatis Ierosolymitanis, *qui sunt in Sepharade*, promittit urbes Austri. Quid autem *Sepharad* sibi velit, quia nulla ejus in scripturis est mentio, dubium est. Quidam appellativè accipi debere, ac finem dominatus denotare judicant. סוף enim *finem* & רדה *dominare* significat: ut sit sensus, justos limites suos possidebunt. Plerique contrà, propriè nomen loci describere censent: sed ubi situs, controversia est. Primùm Judæi Hispaniam interpretantur; idque probant ex Chaldæo Paraphraste, qui אספמיא vertit. Quod aliis non probatur, ob literarum diversitatem, quod aliud sit Spania aut Hispania, aliud Spamia. Deinde quidam conjiciunt Paraphrastem Chaldæum, hâc voce notare urbem Ziphron, de quâ Num. 34 9. 10 quia eam nominat Sephamia. & nomen propinquum esse voci Scephan, cujus etiam mentio eodem loco, adeo ut videri possit, destructâ Jonathanis tempore urbe Ziphron, alteram urbem Scephan nominaverit, quæ ei erat vicina Alii cùm Hieronymo Bosphorum. Alii denique locum Babyloniæ exponunt. Quæ ut maximè recepta, ita verisimilis est sententia. Dicuntur autem hi Judæi possessuri urbes australes, quod videlicet australes Judæi earum urbium loco habitaturi essent Idumæam, ut antè ostensum, v 20. Hæc de loci hujus intelligentia. Cujus complementum duos habet gradus: primus est victoria terrena, quæ apparuit, partim in reditu Israelitarum ex captivitate Babylonicâ, cum Judæis: partim dum Machabæi expulsis hostibus, Israelitarum fines amplificarunt. Sed quia pauci reversi sunt Israelitæ, ut ex Ezra & Nehemia cognoscitur, & Machabæi hostes quidem vicerunt, sed non exterminarunt, nec regiones eorum hæreditario jure obtinuerunt: idcirco minima complementi hujus prophetiæ pars, in hâc terrenâ victoriâ sita est. Alter igitur gradus, priori adumbratus, est victoria spiritualis, quâ Ecclesia fines suos longè lateque per orbem propagatura erat, initio à Judæa sumpto, Actor. 1. 8. Verum, ut quæ hactenus in promissione de restitutione bonorum amissorum, ac salute Judæorum & Ecclesiæ, & de victoria proposuit, sint clariora, ea illustrat amplius, vers. 21. à causa efficiente ministrâ & principali.

Causa ministra sunt *servatores*, quos ait ascensuros in montem Tzionis. Servatores autem pro salutis diversitate intelliguntur, primum typici, deinde typo adumbrati: illi sunt liberatores Populi Judaici, Zorobabel, Ezras, Nehemias, Machabæi: hi vero qui potissimum intelliguntur sunt Apostoli, eorum socii & successores, fideles Euangelii præcones, qui, ut Christi instrumenta, se & Ecclesiam, prædicatione Euangelii, ad obedientiam illius adducendo servant, Actor. 26. 18. & 1. Cor. 3. 5. & 1. Tim. 4. 16. Hisce autem servatoribus Ecclesiæ attribuitur etiam *judicium, contra montem Esavi*, hoc hoc est, Idumæos. Quod judicium in victoria consistet, de qua ante actum, partim corporali in V. T. partim spirituali in Novo. Cujus duo gradus sunt, primus est in hoc seculo, secundus in altero.

In hoc, judicant Apostoli & reliqui ministri Euangelii spirituales Idumæos, hoc est, incredulos & reprobos, dum, ut electis, quos servant, sunt odor vitæ, reprobis sunt odor mortis ad mortem, 2. Cor. c. 2. 16. In altero, cum in Christo capite, tum assessu & consensu, Matth. 19. 28. & 1. Cor. 6 2.

Atque hæc de causa salutis & victoriæ ministrâ. Principalis est Deus, cujus ait *regnum futurum.* Is autem Jesus Christus, in N. T. exhibitus Rex: qui, ut cum Patre habet regnum generale omnipotentiæ, ita habet speciale, de quo hic agitur, mediationis ac redemtionis geminum, nempe gratiæ in terris, quod per ministerium verbi, & efficaciam Spiritus gubernat, & gloriæ in cœlis, ut Luc. 1. v. 33.

FINIS.

FRANCISCI GOMARI
S. S. Theologiæ Doctoris ac Professoris,

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ:

Habitæ in variis Academiis: quarum

PRIMA EST

DE THEOLOGIA.

THESIS I.



HEOLOGIA à voce θεόλογος derivata propriè ex etymo suo & usu apud Græcos, non Dei sermonem, qui θεοῦ λόγος, sed sermonem de Deo, περὶ θεοῦ λόγον, [a] designat.

a Clemens Alex. strom. l. 5.

II. Idque vel promiscuè quemvis, verum falsumve, [x] vel distinctè verum.

x Euseb præp. lib. 4. præf.

III. Illo modo & poëtæ [b] ob θεολογουμένους μύθους [c] prolatas de Deo fabulas, & philosophi, qui de Deo physicè & mysticè disseruerunt [d], & sacerdotes vatesque profani theologi dicti sunt. Unde triplex falsa theologia [e], 1. fabulosa, seu historica. 2. naturalis ac mystica. 3. civilis, consuetudine ac lege constituta.

b Iust. Martyr cohort. ad Græc. c Clem. Alex. strom. 5. d Iust. cohort. ad Græc. Isidor. etig. lib. 8. c. 1. e Euseb. præp. lib. 4. præfat.

IV. Hoc verò modo accipitur, vel latius Deo considerato, quavis ratione [f], vel strictius & oppositè creaturis.

f Theod. in Gen. qu. 1.

V. Latiore sensu communiter Prophetæ & Apostoli theologi [g] dicuntur: strictiore verò peculiariter, & Johannes Apostolus à prisca Ecclesia κατ' ἐξοχὴν, ob sublimiorem de Filii deitate sermonem θεόλογος est appellatus [h]: & à Græcis Patribus opponuntur, dicta de Christo κατ' θεολογίαν, & κατ' οἰκονομίαν [i], secundum doctrinam de Deitate, & secundum dispensationem, nempe qua λόγος caro factus est, & inter nos ut homo conversatus [k]. Sic distinctè ἡ πνεύματος θεολογία [l], theologia de Spiritu Sancto. Denique à sermonis figurati, affirmati, negati, accidentibus, theologia symbolica seu mystica [m], theologia καταφατικὴ καὶ ἀποφατικὴ [n] nuncupatur.

g Dion. Hier. cæl. cap. 8. h Titulo Apocal. ac Dionys. epist. ad Ioh. i Theod. dial. 1. c. 17. Damasc. orth. fid. lib. 5. c. 15. k Ioh. 1. 14. l Dion. mystica theolog. cap. 3. m Ib. c. 1. & 3. n Ib. c. 3. Tres Patr. in cantica.

VI. Deinde ex distincta illa significatione latiori, metonymicè pro scientiâ, seu notitiâ verâ, de Deo, vulgò usurpatur. Qua ratione Gregorius Nazianzenus ob egregiam rerum divinarum scientiam, Theologus [o] olim dictus.

o Greg. Presbyter in vita.

VII. Cum autem theologia, & objectum & hujus adjectum, seu attributum compositione vocis & sensus vi, complectatur, duas generatim hypotheses præstituit: quarum prima est, quasi fons, *Deus est:* secunda, quasi rivus, *de eo scientia est.* Omniscius quippe Deus sui nequit esse nescius ullo modo: nec imago Dei, creatura rationalis, omni modo.

VIII. Quæ scientia, cum objecto & modo excellat, rectè, *sapientia*, hoc est, præstans scientia, & cum Dionysio [p] θεοσοφία, de Deo Sapientia appellatur.

p De Myst. theolog. c. 1.

IX. Objectum enim est Deus, quo nihil majus cogitari potest: & modus sciendi excellens, sed pro varia theologiæ ratione, varius.

X. Hæc enim, distinctione homonymi analogici, aut Dei est, aut à Deo patefacta. Unde illa, increata, ac prima veritas: hæc creata dici solet, Augustini [q] imitatione, sed non satis accuratè, nec planè, ob alterius vocis angustiam.

q Confess. lib. 11. cap. 15.

XI. Increata, aut naturalis est, aut voluntaria.

XII. Naturalis, est essentialis Dei, de se ipso sapientia, eoque absolutissimè necessaria.

XIII. Quæ versatur circa Deum ratione vel essentiæ unius, vel subsistentiæ in tribus personis.

XIV. Ac priori modo non solum in Deo est, sed etiam ipse Deus. Quippe mirabiliter hujusce theologiæ suæ solus & simul est objectum, subjectum, adjecta forma: ἐπιστητὸν, ἐπιστήμων, ἐπιστήμη, scitum, sciens, scientia: seu, res theologica, theologus, theologia. Utpote simplicissimus, cui hic sapere, ratione licet distinctum, reipsa est esse. Hinc σοφὸς [r] *sapiens*, & σοφία [s] *sapientia* cum sacris literis, & αὐτοσοφία [t] *ipsa sapientia*, cum priscis theologis appellatur.

r Rom. 16. 27. s Luc. 11. 49. t Dionys. de div. nom. c. 7.

XV. Posteriori modo accedente, theologiæ Dei naturalis objectum redditur adæquatum, *Deus unus* essentia, trinus personis, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

XVI. *Voluntaria Dei theologia* est, quæ versatur circa Deum, qua à se decreta creaturæ causa est, cum efficiens, tum finis: seu à qua & ad quam ordinantur [u] reliqua. Unde ἀρχέτυπος exemplaris cum scholasticis [x] scitè dicitur.

u Rom. 11. 36. x Thomas & ad eum Binnes p. 1. 4. 1,

XVII. Quæ, pro objecti sui & subjecti natura, voluntaria est, quia Deus rerum est causa, non naturæ suæ necessitate, sed voluntatis decernentis libertate [y]: tum, objecti ratione, finita. Hæc de theologia Dei.

y Psal. 115. 3. & 33. 9. Apoc. 4. 11.

XVIII. Theologia verò à Deo patefacta est sapientia de Deo, creaturæ rationali, ab ipso, ex mera bonitate, ad theologiæ suæ similitudinem & exemplar, communicata bono publico, ad sufficientem hominum saluti, de Deo, notitiam, & debitam pietatis & justitiæ gratitudinem, & beatitudinem ad Dei gloriam.

XIX. Hujus theologiæ *causa efficiens* statuitur Deus: utpote theologiæ fons primaque veritas, & summa bonitas. [z]

z Iac. 1. 5. 17. & 3. 17. Matth. 19. 17. Actor. 17. 25.

XX. *Materia* circa quam, seu objectum, est Deus à se bono publico patefactus, sub quo omnia, quæ sunt in hac theologia, continentur, non quidem ut partes, species, accidentia, sed quia sunt vel ipse Deus, vel aliquo modo ordinata ad Deum.

XXI. *Forma* est conformatio ad theologiam Dei: *remotè* quidem ad similitudinem naturalis, eam quodam modo adumbrando; *proximè* verò ad exemplar voluntariè κατά τι, seu pro decreto modulo, exprimendo: unde theologia ἔκτυπος expressa nominatur.

XXII. *Finis communis* & summus est Dei gloria [a]: *proprius* verò triplex, proximus, sufficiens saluti hominum de Deo notitia, *remoti*, cùm debita pietatis, & justitiæ gratitudo [b], qui & *medius*: tum beatitudo, qui *ultimus*. Quorum propriorum *finium medium*, per se necessarium & solum, est theologia à Deo patefacta [c].

a Rom. 11. 36. b Rom. 11. 21. c Matt. 11. 27.

XXIII. Subjectum in quo, est creatura rationalis: eaque sola, quia nec creatori, primo theologo ac sapienti αὐτοσόφῳ, potest patefieri, ob perfectionem infinitam: nec creaturæ irrationali, ob imperfectionem definitam, & inopiam mentis ac rationis, in qua sola, ut proximo subjecto, sapientia potest residere.

XXIV. Ex cujus subjecti natura & statu vario, liquet theologiam patefactam, *finitam* esse, & *accidentalem*, variisque patefactionis modis, gradibus, cancellis *circumscriptam*.

XXV. Nam, pro patefactionis modo, aut naturalis est, & communis; aut supernaturalis, & propria.

XXVI. Naturalis est, quæ ex naturali rationis potentia ac luce deducta est.

XXVII. Lucem autem intelligimus duplicem, *unam* δυνάμεως facultatis rationalis [d], ad simplicium apprehensionem, compositionem & divisionem, ratiocinationem, & ordinem: *alteram* ἕξεως habitus principiorum theologiæ [e] theoreticorum & practicorum, non solum universalium, sed etiam particularium.

d Joh. 1. 9. e Rom. 1. 9. 10. 12. & 2. 14. 15. Joh. 1. 9.

XXVIII. *Theoretica* vocamus, quorum objectum est, verum, finis illius contemplatio: quale universale ac primum illud; Nihil potest simul esse & non esse &c. & particularia; 1. Deus est. 2. Creator est. 3. Gubernator est. 4. Judex est. [f] Practica verò, quorum objectum est, res agenda; finis, ejus actio. Quale ex theoreticis fluens, universale quidem ac primum illud, Bonum est faciendum, malum fugiendum: & particulare, Deus rectè colendus est. [g]

f Rom. 1. 19. 30. g Rom. 1. 32. & 2. 14. 15.

XXIX. Quorum prima notitia, non ex ἀναμνήσεως recordatione: nec ex sensu & inductione (licet hisce confirmetur, & expoliatur,) raptim acquisita: sed ex latente rationis & religionis semine naturali, enata; quod semen ab impiis premi potest & obscurari; sed non opprimi, nec exstingui [h], *habent enim legem sine lege:* quoniam sibi ipsis sunt lex. [i] Rectèque Damascenus [k], πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. Omnibus enim notitia, quod Deus sit, ab ipso naturaliter insita est.

h Rom. 1. 32. i Rom. 2. 14. k Orthod. fidei l. 1. c. 1. &c.

XXX. Hæc autem naturalis theologia in homine (ut de Angelis sileam) vel immediata & congenita est, vel mediata & acquisita.

XXXI. Immediata, est habitus sapientiæ de Deo creatore, creationis gratia, homini, à Deo, ab origine inditus [l]: ad illustriorem majoremque naturæ perfectionem & salvificam cognitionem & cultum Dei sufficiens [m], ad Dei gloriam. Quare originalis theologia dici potest.

l Gen. 1. 27. Col. 1. 10. Eph. 4. 24. m Lev. 18. 5.

XXXII. Siquidem ad naturalem hominis cùm perfectionem, tum vitæ terrenæ felicitatem, sufficere potuerat interna animæ ad habitum sapientiæ de Deo uno, creatore, gubernatore, judice, noscendo & colendo, paulatim acquirendum, potentia: sed gratiæ Dei donum fuit, & perfectionis gradus, quod hanc potentiam per se ac statim deduxerit in actum & habitum theologiæ, (partim secundum naturæ vires, de Deo creatore uno essentia: partim supra eas, de trino personis) indiderit, sufficientem ad supernaturalem felicitatem operandam. Eaque re & modo, partim supernaturalis dici potest.

XXXIII. Mediata theologia est, quæ in adultis sana mente præditis naturalium rerum objecto sensum excitante, & naturali animæ potentia ac lumine agente communicata est.

XXXIV. Deus enim creaturis rationalibus sui imaginem [n], irrationalibus vestigium impressit.

n Gen. 1. 27. Job. 1. 6.

XXXV. Unde mundus hic instar, non solum magistri, testis, præconis [o], sed etiam libri, speculi, theatri, in quo suam cùm Deitatem, tum erga nos beneficia, & nostrum erga ipsum officium, legenda præbet & contemplanda, imò quasi palpanda. [p] Quapropter metonymicè sapientia Dei vocatur, rectèque philosophus [q], πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται θεός.

o Job. 12. 7. 8. 9. Psal. 19. 1. 2. 3. Actor. 14. 17. p Rom. 1. 14. 20. Matt. 6. v. 26. Prov. 6. 5. 1. Cor. 1. 21. Actor. 17. 27. q De mundo.

XXXVI. Ratio verò insita per sensum & voluntatis ad verum observandum, propensionem excitata, naturali sua luce instar est oculi legentis ac contemplantis [r], apprehensione simplicium, compositione & divisione, ratiocinatione & ordinatione: quibus, ut reliquæ scientiæ, sic theologia mediata constituitur.

r Rom. 1. 20.

XXXVII. Quæ theologia naturalis, pro causarum rationis & mundi, congenita integritate aut corruptione accidente, omnino integra aut partim corrupta est. [f] Illa ad felicitatem suam sufficiens, hæc ab eadem deficiens. [t]

f Rom. 1. 21. 32. t 1 Cor. 1. 21.

XXXVIII. Integræ theologiæ accidens & quasi lacinia, fuit notitia revelationis externæ & immediatæ verbi divini & legis [u] arbitrariæ de abstinentia fructus arboris vetitæ, ad debitæ obedientiæ experimentum.

u Gen. 1. 17.

XXXIX. Corrupta theologia alterius ad salutem necessitatem invexit: non pristinæ & integræ naturalis (quæ innocentem & pium beare potuit [x], reum & impium expiare non potest [y]) sed novæ & supernaturalis. [z]

x Levit. 18. 5. y Gen. 1. 7. Deut. 27. 27. Rom. 8. 3. z 1 Cor. 1. 21. Eph. 2. 12. Act. 17. 30. 31.

XL. Etsi autem, quà errore corrupta est, vana sit & noxia ignorantia ac stultitia [a], licet specie & opinione sapientia [b], tamen κατά τι & quà adhuc integra est ac vera, metonymicè veritas [c], hoc est, vera notitia nominatur, suamque habet utilitatem.

a Act. 17. 30. 1 Cor. 3. 19. b Rom. 1. 21. 22. 2. Cor. 1 18. 20. c Rom. 1. 18.

XLI. Quoniam divinitus relicta est, cum in timoris Dei stimulum [d], & ex eo ordinis Politici & Oeconomici fulcrum & societatis humanæ bonum [e], tum in convincendæ ingratæ impietatis argumentum & augmentum [f], ad Dei creatoris ac judicis gloriam.

Hactenus de theologia naturali.

d Jer. 5. 22. 24. Act. 17. 27. e Rom. 2. 14. 15. f Rom. 1. 20. 32. Act. 12. 48.

XLII. [g] Supernaturalis verò est sapientia, à Deo, ex misericordi gratia [h], homini post lapsum ipsius, supra naturæ vires [i], luce Spiritus Sancti revelata [k]: ad naturalis de Deo creatore theologiæ restaurationem [l]; & novam mysterii, de Deo per Christum redemtore, notitiam [m], debitamque hominum obedientiam, ac Dei redemptoris gloriam. [n]

g Deut. 4. 5. Psalm. 19. 8. 2 Tim. 3. 15. 16. & 1 Cor. 2. 7. h 1 Cor. 1. 21. & 2. 9. 12 Matth. 11. 27. Psalm. 147. 1. 9. i 2 Corinth. 2. 4. & 1 Cor. 2. 7. 14. k 1 Cor. 1. 10. 12. l Act. 17. 23. 32. m 1 Cor. 2. 6. 7. 8. 10. n Rom. 1. 5. Tit. 2. 10. 11. 12.

XLIII. Unde supernaturalis rectè dicetur: quod supra, non contra naturæ vires: cum verum vero repugnare nequeat.

XLIV. Est autem supra naturam, partim ratione modi patefactionis tantum [o]: partim ratione, & modi & objecti. [p]

o Act. 17. 23. p Act 17. 31. 1 Cor. 2. 7. 8. 20.

XLV. Modus patefactionis est Dei revelatio: objectum verò Deus supernaturaliter revelatus: quia circa eum tota hæc theologia versatur: ad quem, ut principium, vel finem, ordinantur reliqua.

XLVI. Quæ theologia, pro statu hominis duplici [q], cæli ac patriæ, & soli ac viæ, relatione quadam, τέλειος *perfecta est*, aut οὐκ τέλειος, *imperfecta*. [r]

q Heb. 11. 13. 16. r 1 Cor. 13. 9. 10. 12.

XLVII. Quarum licet commune objectum sit Deus revelatus: gradu tamen, & modo cognoscendi, & lumine gloriæ & gratiæ differunt. [s]

s 1 Cor. 13. 12.

XLVIII. Ille est beatorum ac perfectorum in cœlis [f] ex glorificatione mentis per infusionem luminis intellectualis perfecti [t]; sapientia de Deo permanens, in beatitudinis fruitionem & ad Dei servatoris gloriam. [u]

f Heb. 12. 23. t 1 Corinth. 13. 10. 12. u 1 Corinth. 13. 10. 11. 1 Joh. 3 2. 2 Corinth. 5. 7.

XLIX. Quam theologiam visionis [x], nempe claræ & perfectæ, κατ᾽ ἐξοχὴν vulgò nuncupant. Eoque, ut beatitas immota est, sic illa perpetuò durat.

x Matt. 5. 8. 1 Ioh. 3. 2. 2 Cor. 5. 7.

L. Hæc verò est viatorum & peregrinantium à Domino [y] sapientia sermonis & spiritus luce revelata [z], ad fidei officium & beatitudinis iter cognoscendum sufficiens. [a]

y 2 Cor. 5. 6. z 1. Cor. 2. 6. 7. 10. a 2 Tim. 3. 15.

LI. Unde relatè ad cœlestem, cognitio dicitur imperfecta, & visio obscura per speculum in ænigmate [b]: relatè verò ad finem, perfecta, quod nihil cognitionis ad hunc consequendum in illa desit.

b 1 Cor. 13. 10. 12. c 2 Tim. 3. 11. 17.

LII. Estque vel adspirata divinitus [d]: eoque ἀψευδὴς & αὐτόπιστος vel humanitus acquisita.

d 2 Tim. 3. 16. 2 Pet. 1. 21. e Tit. 1. 2.

LIII. Illa est quam Deus sermone, externo vel interno, revela-

revelavit: etsi enim theologiæ partes ænigmate visionum & somniorum communicarit [f]; totam tamen non nisi sermone. [g]

f Num. 12. 6. 7. g 2 Tim. 3. 15. 17.

LIV. Et quidem pro diversa temporum hominumque conditione vario cultus externi ceremonialis, & lucis doctrinæ, incremento & mutatione sapienter temperavit.

LV. Qualis theologia primùm ἄγραφος, non scripta: deinde ἔγγραφος, scripta.

LVI. Non scripta fuit potissimum πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς [h] patriarcharum usque ad Mosem, aucta cultu sacrificiorum, & in Abrahami familia, circumcisione & illustriore patefactione.

h Heb. 1. 1.

LVII. Scripta est quæ scripturæ sacræ instrumento ad ipsius puritatem & memoriam conservandam tradita est, ad perpetuam hominum institutionem, eaque vel umbrosa vel aperta.

LVIII. Illa est quæ velata ceremoniarum legalium umbris & jugo, obscurius & gravius tradita, in novum cultus externi incrementum [i]; ad tutelam & pædagogiam morte Christi adumbrati terminandam. [k]

i Col. 2. 17. Heb. 10. 1. Act. 15. 10. Gal. 4. 7. k Gal. 3. 23. 24. 25. & 4. 2. 3. 5. Col. 2. 16. 17.

LIX. Hæc verò est in qua ceremoniarum velo & jugo multiplici baptismo & cœnæ permutatione liberati [l] retecta facie gloriam Domini κατοπτριζόμεθα [m] velut in speculo intuemur.

l Gal. 3. 25. & 4. 5. m 2 Cor. 3. 9. 18.

LX. Acquisita est quæ ex theologia divinitus adspirata, studio comparatur. Quæ propterea αὐτόπιστος non est, imò nec absolutè πίστις, nisi quatenus adspiratæ, & hoc quidem tempore, sacra scriptura traditæ, authoritate confirmatur: sive ea in sacrarum literarum expositione, quam *theologiam positivam* vocant, occupetur; sive in dogmatum & locorum communium adversus hæreses tractatione & disputatione scholastica: quam *theologiam scholasticam* nominant.

COROLLARIA.

1. *An Theologia patefacta sit scientia merè theoretica? N.*
2. *An merè practica? N.*
3. *An mixta? A.*
4. *An præcipuè practica? N.*
5. *An præcipuè Theoretica? A.*
6. *An Deus patefactus sit theologiæ subjectum, seu objectum remotum? N.*
7. *An religio sit adæquatum theologiæ subjectum? N.*
8. *An theologi beati, videndo Deum in cœlis, videant reliqua in ipso, tanquam in speculo? N.*
9. *An theologia beatorum angelorum & hominum in omnino immediata essentiæ Dei visione consistat? N.*
10. *An eadem incremento sit obnoxia? A. distinctè.*
11. *An fides & spes cum eadem queant esse in cœlo? A. distinctè.*
12. *An theologia hujus vitæ in cœlo sit duratura? Affirm.*
13. *An theologia animæ Christi in his terris æqualis fuerit, ut Scholastici volunt, scientiæ Dei quæ visionis dicitur? N.*
14. *An theologia sapientum ethnicorum fuerit merè naturalis? N.*

Hieronymus epist. ad Paulinum.

Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlis.

DISPUTATIO II.

DE SCRIPTURA SACRA.

QUemadmodum prudentes architecti fundamentum, suo ædificio, præstruere solent; ut tota structuræ moles, illius ope, fulciatur; eâdem quoque ratione, *Sacræ Theologiæ tractationi*, doctrina de *Scriptura sacra*, consultò præmittenda est; quod ea ab hac, tanquam *basi & principio organico*, exurgat ac sustentetur [a]. Idque majori propterea curandum studio: quoniam *Pontificii*, non opertis solum sophismatum cuniculis, sed apertis etiam, contumeliarum & anathematum, machinis, *auctoritatem usumque* illius, minuere ac subruere moliuntur. Quocirca non abs re fore arbitramur, si orthodoxam, de *Scriptura sacra*, sententiam, paucis ac dilucidè, pro modulo nostro, complectamur, & publicâ dissertatione, veritati muniendæ, ventilandam, à vocibus ad rem progressi, proponamus.

a Ephes. 2. 20. Joh. 5. 39. Actor. 26. 23.

THESIS I.

QUod Hebræis, *Cethabh* [a], *michtabh* [b], *cathubh* [c], & Judæis vulgò *cethubhá*, & *micra*, id est, lectio, quia assiduè legenda [d] (quomodo etiam Nehem. 8. v. 8. insignes nonnulli interpretes, accipi putant) id Græcè, γραφὴ [e] & γράμματα [f], Latinè verò, *scriptura*, dici solet.

a Esth. 8. 8. b Exod. 32. v. 16. c 2 Chron. 30. 18. d Deut. 17. 18. 19. e 2 Tim. 3. 16. f Ib ver. 15.

II. Ea autem vox, aut activè, *scribendi actionem*: aut passivè ac metonymicè, *opus scriptum*: idque vel absolutè, quodvis; vel relatè, *sermonis signum*, notat.

III. Utque hoc signum, pro materiæ suæ ratione; aut sacrum est, aut profanum: sic sacrum, pro auctorum suorum diversitate, in *scripturam divinam* & *humanam*, distribuitur.

IV. *Divina* rursum *scriptura*, vel *immediata* est; vel *mediata*.

V. *Immediata* est, quæ, solius Dei manu, est exarata. Qualis *primò* est, Decalogus, *Dei digitis* (hoc est, potentia) *descriptus* [a]: unde etiam, *Scriptura Dei* [b], nuncupatur. *Altera* deinde est, scriptum, de templi Dei structura, Davidi, à Deo, exhibitum: quod propterea, *Scriptura manus Domini* [c] nuncupatur. *Tertia* denique est scriptura, in pariete, regiæ Baltasari [d], consignata.

a Exod. 31. 18. Deut. 10. 2. 4. b Exod. 32. 16. c 1 Chron. 28. 19. d Dan 5. vers. 7. 24.

VI. *Mediata* verò *scriptura* est, quam Deus, per amanuensem suum, conscripsit. Eaque vel *politica*, vel *religiosa*.

VII. *Politica* est, quæ populi Israëlitici, rationem usumque temporarium, spectat. Qualis fuit *Liber Samuelis, de jure regni*: cujus authenticum exemplar, coram arca, fuit depositum [a]: deinde *Liber bellorum Domini* [b]: adhæc *Liber recti* [c], tempore Josuæ & alius ejusdem nominis, ad artem militarem pertinens [d]: similesque historiæ politicæ, ab Ecclesiasticis, distinctæ, & ad ordinem politicum comparatæ.

a 1. Sam. 10. 25. b Nu. 21. 14. c Jos. 10. 13. d 2 Sam. 1. 18.

VIII. *Religiosa* verò *scriptura* est, quæ toti Ecclesiæ, de religione salutari, in perpetuum usum, tradita ac consecrata. Qua ratione, synecdochice, *Sacra litera* [a] & κατ' ἐξοχὴν (quasi indice digito exerto) *haccathubh*, unde *baccathubh* [b], ἡ γραφὴ [c], hoc est, *Scriptura illa*, & (intellectâ, non autem demonstratâ, illius excellentiâ) γραφὴ *Scriptura* [d], ut præ reliquis omnibus, hoc nomine dignissima, nuncupatur.

a 2 Tim. 3. 15. b 2 Chron. 30. 18. c Joh. 10. 35. d 2 Tim. 3. 16.

IX. Quomodo vel *generalius*, quodvis scriptum divinum (sive integer sit liber [a], sive sectio illius [b], quæ expressius περιοχὴ τῆς γραφῆς dicitur [c]) vel specialius librorum divinorum, de theologia salutari, syntagma designat. Quo sensu, hoc loco accipimus, & proposita, è suis causis, *definitione* describimus.

a Act. 8. 32. b Mar. 12 10. c Act. 8. 32.

X. *Scriptura sacra, est librorum sacrorum ac divinorum syntagma, quo, per homines sanctos, immediatè vocatos, tota vera religionis doctrina, ad salutem necessaria, inspiratione ac directione Spiritus Sancti extraordinaria, ad communem Ecclesiæ usum, conveniente lingua, descripta ac tradita est: ut ea, integra puraque, conservaretur ac propagaretur, in cognitionis*

ac cultus Dei redemptoris, perpetuum ac sufficientem canonem, ad ædificationem & salutem Ecclesiæ, & Dei servatoris gloriam.

XI. *Genus* Scripturæ, est *sacrorum librorum syntagma.* Quippe non uno, sed pluribus libris [a], constat: ideoque, plurali notione, sæpius γραφαὶ *Scripturæ* [b], & vulgo βίβλια libri, & *biblia sacra*, κατ' ἐξοχὴν nominari atque inscribi solent. Qui libri, à dispositione, in unum, librorum sacrorum, quasi corpus ac codicem, idcirco *syntagma:* & eodem sensu, singulari notione, *Scriptura* [c] nuncupantur.

a Matt. 21. 26. Luc. 3. 4. & 4. 17. Act. 1. 20. & 7. 42. &c. b Luc. 24. 27. Act. 18. 24. c Ioh. 2. 22. & 10. 9. 2 Pet. 1. 20.

XII. *Causa* autem *efficiens* Scripturæ est duplex, *auctor*, & *ministri* illius.

XIII. *Auctor* est Deus, Pater [a], Filius [b], Spiritus Sanctus [c]: ideoque *syntagma divinum*, dicimus: sicut λόγια τοῦ θεοῦ *eloquia Dei* [d], divinitus nominantur.

a Heb. 1. 1. Luc. 1. 70. b 1 Pet. 1. 11. c 2 Pet. 1. 21. d Rom. 3. 2.

XIV. *Ministri* verò auctoris, sunt *homines sancti*, actuarii Dei, *immediatè* ad hoc *vocati*, & à Spiritu Sancto, theologiam edocti, & ad illam, communi Ecclesiæ usui, describendam ac tradendam, deducti ac directi [a].

a Heb. 1. 1. 2 Pet. 1. 21. & 3. 2. 2 Tim. 3. 16. Ioh. 14. 16. & 16. 13.

XV. *Materia subjecta* Scripturæ, est duplex: una, *in qua*; altera, *circa quam*, ea versatur.

XVI. Quomodo, à verbo Dei, de theologia salutari antea tradito, partim *discrepat:* partim cum eo *convenit.*

XVII. *Discrepat*, quod Scripturæ materia, in qua, cum aliis scriptis communis, sunt libri & atramentum ac characteres [a]: unde *libri* [b], & *literæ* [c], appellantur: sed verbi, antea traditi, materia in qua, sunt voces; ideoque *verbum* ἄγραφον *non scriptum*, dici consuevit.

a Ier. 36. 11. 2 Ioh. 12. 2 Cor. 3. 3. b Mar. 12. 26. c 2 Tim. 3. 15. Ioh. 5. 47.

XVIII. *Convenit* verò, materiâ circa quam: quæ inprimis est, tota veræ religionis doctrina, ad salutem necessaria [a], Ecclesiæ, Verbo Dei (cujus fide, servata est [b]) ante communicata. Qua etiam ratione, Scriptura sacra, *eloquia Dei* [c] & *verbum Dei* [d], metonymicè, & per excellentiam, quod perfectum illius sit symbolum, nominatur.

a 2 Tim. 3. 15. 16. b Heb. 11. 4. 5. 6. 7. 10. 16. c Rom. 3. 2. d Eph. 6. 17.

XIX. *Forma scripturæ*, est integra, hujus doctrinæ, ex divina atque extraordinaria inspiratione, descriptio: seu totius, de vera religione, ad salutem necessariæ, ex immediata revelatione & directione Spiritus Sancti, conceptis ipsius verbis, significatio.

XX. Quo sensu, *Scriptura* θεόπνευστος *divinitus inspirata* [a], dicitur: quòd & res, & voces, à Deo menti, sanctorum illorum hominum, sint inditæ; & ductu illius, consignatæ. *Non enim hominis voluntate, allata est olim Prophetia; sed acti à Spiritu Sancto, loquuti sunt sancti Dei homines* [b]. Quod de sermone, non solùm ἄγραφον, sed etiam ἔγγραφον ex Sacrarum literarum usu [c], pronuntiari, antecedentia Petri verba, versu 19. & 20. luculenter demonstrant.

a 2 Tim. 3. 16. b 2 Pet. 1. 21. Ioh. 16. 13. c Luc. 24. 25. 27. Act. 2. 31. & 28. 25.

XXI. Hæc autem *forma*, partim *essentialis* est: partim *accidentalis.*

XXII. *Essentialis*, est totius doctrinæ, ad salutem necessariæ, ex divina inspiratione, significatio: qua, cum verbo Dei ante ἀγράφῳ, omnino convenit, & à reliquis omnibus differt.

XXIII. *Accidentalis forma*, est per literas descriptio. Quæ licet accidens sit, ei, cum omnibus scriptis, *commune*, Scripturam nihilominus, à verbo ἀγράφῳ, *distinguit.* Quippe ut verbum non scriptum, sermonis signo & enuntiatione: sic contra Scriptura, ut verbum scriptum, literarum notis & descriptione, constat.

XXIV. Atque ex hac materiæ & formæ distinctione, illustris illa, *de antiquitatis, Scripturæ & Ecclesiæ*, comparatione, controversia expeditur. Quippe ratione, & materiæ circa quam versatur, & formæ essentialis; qua constat, *Scriptura prior* omnino est, tanquam *semen*, ex quo Ecclesia *renata* est [a], & *lac sincerum* [b], ex quo succrevit, & *fundamentum, cui superstructa* [c]; sed ratione materiæ in qua, & formæ accidentalis, *Scriptura posterior* est, quàm Ecclesia: cujus selecta membra, scriptores nimirum sacri, materiæ & formæ illius, causæ extiterunt [d]. Hæc de *materia* & *forma.*

a 1 Pet. 1. 23. b Ib. 2. 2. c Eph. 2. 20. d 2. Pet. 1. 20. 21. Luc. 24. 27.

XXV. *Finis* verò est *duplex*; Ecclesiæ utilitas, & Dei Servatoris gloria.

XXVI. *Utilitas* autem *Ecclesiæ* alumnæ [a], & columnæ veritatis [b], est triplex.

a 1 Pet. 2. 2. b 1 Tim. 3. 15.

XXVII. *Prima*, est perpetua doctrinæ, ad salutem necessariæ, adversus omnia, oblivionis & corruptionis pericula [a], in Ecclesia, apud Pastores & Gregem, conservatio ac propagatio [b].

a Eph. 4. 11. 12. 13. 14. & 6. 17. 14. b Esa. 30. 8. Deut. 17. 18. 19. & 31. 26. Iof. 1. 8. & 2. Pet. 1. 13. 15. 16. & 2. Tim. 3. 16. 17.

XXVIII. Quæ integra atque illæsa, multò certius, uberius, ac promptius, Scriptura constanti, tanquam fido depositario, veritatis teste [a], gladioque spirituali [b], quàm memoria labili, voce fluxa, & traditione lubrica, continetur ac vindicatur.

a Iob. 19. 23. Esa. 34. 16. 1 Sam. 10. 25. Ioh. 5. 39. Rom. 3. 21. b Eph. 6. 17. Matt. 4. 4. 7. 10.

XXIX. *Secunda utilitas* est, ut sit Ecclesiæ, perpetuus, perfecteque sufficiens, cognitionis Dei, creatoris ac redemtoris, cultusque fidei ac vitæ sanctè regendæ [a], ac corrigendæ [b], lux, via, & canon [c]. Unde *Scriptura Canonica*, κατ' ἐξοχὴν appellatur.

a Deut. 4. 2. & 5. 32. & 12. 1. 8. & 17. 18. 19. Ezech. 20. 11. 18. 19. Jof. 1. 8. Joh. 22. 31. 2. Pet. 1. 19. Eph. 2. 20. Rom. 15. 4. 1. Tim. 4. 13. & 2. Tim. 3. 15. 16. 17. b 2. Reg. 23. 2. 3. 24. 2. Chron. 17. 9. Ezre. 6. 18. Nehem. 8. 8. Matth. 22. 29 31. 2. Tim. 3. 16. c Prov. 6. 23. 2. Pet. 1. 19. Psal. 119. 5. 9. 133. Gal. 6. 16. & 1. 8. Philipp. 3. 16. Joh. 5. 39. Actor. 17. 11. & 26. 22. Rom. 16. 17.

XXX. *Tertia*, est Ecclesiæ, per Scripturæ lectionem & auditionem, in vera Dei cognitione, & fidei ac charitatis cultu, recta institutio atque ædificatio [a], & ad salutem æternam deductio [b].

a Psalm. 19. 8. 9. 2. Pet. 1. 19. Ephes. 2. 20. & 4. 11. 12. 13. 14. 15. Joh. 20. 31. b Prov. 6. 23. Joh. 5. 39. & 20. 31.

XXXI. Ex qua triplici Scripturæ, in Ecclesia, utilitate, tanquam propinquo fine ac medio suo *subordinato*; *finis ultimus* ac *præordinatus*, *Dei servatoris gloria* [a], exurgit: quod pro sua misericordi & immensa bonitate, adeo salutare, cognitionis, ac cultus sui instrumentum, Ecclesiæ servandæ, literis consignatum tradiderit ac propagarit [b]. Atque hactenus de *Scripturæ sacræ causis.*

a Deut 4. 6. 7. 8. Psal. 147. 13. 19. 20. b Rom. 3. 2. & 15. 4. 2. Tim. 3. 15. 16.

XXXII. Ex quibus, tanquam fontibus, illustria illa, Scripturæ attributa, *auctoritas divina*, *perfectio*, & consentanea, in rebus ad salutem necessariis, *perspicuitas*, promanant. *Prima*, ex efficiente, materia, forma, fine: *secunda*, ex materia, forma fine: *tertia*, ex efficiente, & fine scripturæ, procedit.

XXXIII. Ex iisdem etiam causis, & attributis, consectaria tria emergunt: I. *Scripturam, summum esse, doctrinæ salutaris atque interpretationis sui*, κριτήριον *ac normam.* II. *ab omnibus jam legendam.* III. *ideoque ut id, cum intellectu & usu fiat, in vernaculas linguas vertendam.*

XXXIV. *Adjunctum* denique *Scripturæ*, est certum idioma, seu lingua, qua divinitus tradita est, consentaneè Ecclesiæ intelligentis conditioni [a]. In qua lingua solùm, absolutè authentica est, & αὐτόπιστος à cujus rectitudine; si deflectat versio, eatenus perversa est, & ad illum, divinæ linguæ, canonem revertendo, corrigenda.

a 1 Cor. 14. 6. 9.

XXXV. Qui *Canon*, pro varia ac sapiente theologiæ salutaris revelatione [a], unicus quidem (ut loquuntur) *substantia*; sed *circumstantiis*, *duplex* est: *vetus* & *novus.*

a Heb. 1. 1. Rom. 1. 2. Eph. 2. 20.

XXXVI. *Vetus* est, qui olim, ante Christum, soli Hebræorum Ecclesiæ, Hebraicè, Mosis Pentateucho, fuit plenè constitutus, ac *primò propositus: deinde* verò, Prophetarum sequentium scriptis, Canoni consecratis, clarius *expositus:* & eadem lingua (paucis Chaldaicè aptè insertis [a]) suis circumstantiis auctus. Eoque, *Moses & Prophetæ* [b], metonymicè, *Scripturæ Prophetarum* [c], & *sermones Prophetarum* [d], ac *Prophetici* [e], appellantur.

a Ier. 10. 11. Ezræ 4. 7. ad 6. 19. Dan. 2. 4. ad 8. 1. b Luc. 19. 29. c Matt. 26. 56. d Act. 15. 15. e 2 Pet. 1. 19.

XXXVII. Qui *Canon*, ab objecto suo, Hebræorum Ecclesia, *Canon Hebræorum*, quod *iis*, *eloquia Dei, concredita sint* [a], vocatur: & à materiæ modo (quòd parcius, fœdus gratiæ: uberius verò, Legem ac fœdus operum, seu vetus testamentum,

stamentum, describat) metonymicè, κατ' ἐξοχὴν, in Sacris literis, *Lex* [b]: & vulgò, *vetus Testamentum*, nuncupatur.

a Rom. 3. 2. Psal. 147. 13. 19. 20. b Prov. 6. 23. Rom. 3. 19.

XXXVIII. *Novus* verò, imo novissimus *Canon* est, qui ex veteri, & ex ultimo illius auctario, Euangelistarum & Apostolorum scriptis, completus est, ad Christianæ, totius orbis, Ecclesiæ structuram salutarem [a].

a Eph. 2. 21. Ioh. 20. 31.

XXXIX. Quod *auctarii syntagma*, veterem Scripturæ Canonem, non solùm illustrat, sed sua etiam perfectione includit: θετικῶς, quatuor Euangeliis: συνθετικῶς, reliquis suis scriptis. Atque à materia præcipua, distinctè *Euangelium*, & *Novum Testamentum*, nominatur.

XL. *Totus* autem *Canon*, ab objecto suo, collecta Christianorum, ex Judæis & Gentibus, Ecclesia, *Canon Christianorum*, dicitur: & post Apostolos, deficiente doctrinæ salutaris revelatione immediata, cognitionis *theologiæ Christianæ principium organicum* αὐτόπιστον est, atque *unicum*: ex quo, oritur primò, & in quod, ultimò resolvitur. Cujus auctori Deo, sit Gloria.

DISPUTATIO III.

DE DEO VERO.

THES. I.

Nomen Dei, propriè acceptum, ac Sacris literis traditum, est vox, ex arbitrio significans, qua seipsum appellat Deus; ut à nobis cognosci queat ac coli. Unde etiam *memoriale* [a], nuncupatur. Idque vel proprium est, vel commune.

a Exod. 3. 15.

II. *Proprium* est, quod soli Deo convenit. Quod, pro subjecti sui consideratione, bifariam distribuitur. *Aliud* enim, essentiam Dei infinitam: *Aliud*, attributum ac perfectionem essentiæ, designat.

III. *Quod essentiam infinitam notat*, est triplex; *Ehjé* [a], *Iehovâ* [b], &, quod ex eo contractum est [c], *Iáh* [d]. Quæ omnia, ab *hajâ*, vel *havâ* (esse) derivantur. Ideoque ut Septuaginta interpretes, ὁ ὤν (ENS) vertunt [e]: & alii plenius, αὐτοων, aut (ut Bucerus in Psalmorum versione) αὐτοφυὴς, qui à se est, aut αὐτόθεος, qui à se Deus: sic Apostolus, latentem nominis vim, & periphrasin illius, Exod. 3. 14. Ehje ascher ehjé, *ero, qui ero*, seu, *Sum, qui sum*, his verbis distinctè exprimit & illustrat, ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, qui erat, & qui venturus est*, i. futurus. Et Epiphanius [g], ὃς ἦν, καὶ ἐστὶ, καὶ ἀεὶ ὤν, *qui, erat, qui est, & semper est*.

a Exod. 3. 14. b Exod. 3. 15. & 6. 3. c R. Mosche More lib. 1. c. 61. Kimchi in Psal. 104. d Psal. 68. 5. Esa. 12. 2. & 26. 4. & 38. 11. e Exod. 3. 14. f Ap. 4. 8. g Contra Archonticos.

IV. Quocirca etiam *nomen Iehova* [a] (cui reliqua duo sunt æqualia) ob hanc suam excellentiam, *nomen illud* [b], & *nomen illius magnum* [c] nuncupatur. Quod, tanquam proprium, sibi soli vendicat Deus [d]: & humano ingenio (citra revelationem) ignotum asserit [e]. Pro qua voce, interdum Θεὸς *Deus* [f]; creberrimè verò, Judæorum more (ne importuna adhuc pronuntiatione, offenderentur) κύριος *dominus* [g], Apostolorum interpretatione, substituitur.

Hæc de *nomine* Dei *proprio: quod essentiam notat*.

a Lev. 24. 16. b Lev. 24. 11. c Ier. 44. 26. d Esa. 43. 8. Psalm. 83. 19. e Prov. 30. 4. f Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Iac. 2. 23. g Matt. 4. 10. & 22. 37. &c.

V. *Quod* verò *attributum & perfectionem essentiæ Dei indicat*, vel absolutum est, vel relatum.

VI. *Absolutum* est, quod Dei proprietatem, per se consideratam, declarat. Cujusmodi est, *Schaddai* [a]. Quæ vox, non tam à *schadád* vastare, ut vastatorem notet; quàm à *sche*, qui, & *dai* sufficientia, derivatur [b]: quod, *nullius indigus* [c], sibi abundè sufficiat: ut Elias doctè, cum R. Salomone aliisque, exponit [d].

a Exod. 6. 3. Eze. 1. 24. b R. Mosche More l. 1. c. 62. c Act. 17. 25. Psal. 16. 2. Rom. 11. 35. 36. d In Tischbi.

VII. Ac proinde Septuaginta quoque interpretes (etsi interdum Hebræam vocem σαδδαΐ retineant [a]) plerumque voce ἱκανὸς *Sufficiens* [b], & παντοκράτωρ *Omnipotens* [c] transtulerunt. Atque hinc quidam Latinam vocem *Deus*, ab Hebræo *dai*: sed alii aptius, à Græco Θεὸς, vel à Διὸς, Æolicè pro Ζεὺς, derivarunt. Quamvis Isidorus, à δέος *timor: quod eum colentibus sit timor* [d], deducat: ut *timor Isaaci* [e], pro Deo illius verendo, metonymicè usurpatur.

a Ezech. 10. 5. b Rúth. 1. 20. Epiphanius contra Archonticos. Hier. t. 3. epist. ad Marcel. & in Ezech. 10. c Iob. 27. 2. 11. 13. d Etymolog. l. 7. c. 1. e Gen. 31. 42. 53.

IIX. *Relatum* verò *Dei nomen* est, quod creaturas, tanquam effecta vel adjuncta Dei, respicit.

IX. Quippe illud, *aut creationis beneficium* notat, ut Borê [a], ὁ κτίσης [b] creator: à *bará* creare: aut ortam, ex creationis jure, in creaturas, potestatem [c]: ut *Adonái* [d] (cum vocali, a, per se longa) Dominus: plurale, sed significationis, per numeri Enallagen, singularis. Oritur autem ab *adon* dominus, quod ab *eden* basis, eleganti metaphora, quasi creaturarum basis: ut Græcis βασιλεὺς rex, quod sit βάσις τοῦ λαοῦ populi basis [e]. Ideoque Deus ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων καὶ κύριος τῶν κυριευόντων, *rex regum & dominus dominantium* [f]: & κατ' ἐξοχὴν *rex* [g]: *dominus universæ terræ* [h]: *cæli terræque dominus* [i], nominatur. Hæc de *nomine proprio*.

a Eccl. 12. 1. b 1 Pet. 4. 19. Rom. 1. 25. c Deut. 10. 14. Ps. 89. 12. Act. 17. 24. 25. Apoc. 4. 11. d Esa. 3. 17. Psal. 16. 2. e. Etymologicum magnum. f Deut. 10. 17. 1 Timoth. 6. 15. g Ierem. 40. 18. h Mich. 4. 13. Psal. 47. 8. i Actor. 17. 24.

X. *Commune* verò *Dei nomen* est, cujus vox aliis etiam convenit. Idque similiter, in *absolutum*, & *relatum*, distinguitur.

XI. *Absolutum* rursus, vel à *sanctitate* Dei, vel à *potentia*, deducitur.

XII. *Prioris modo nomen* est *Kadosch* [a], *Sanctus*; à Kadásch mundum à vitiis, vel sanctum esse [b]: posterioris, est *El* [c] *Potens*: ab *Ejál*, potentia: quasi Deus fortis: ut doctissimi interpretes [d] verterunt. Ideoque Apostoli (non minus quàm passim Septuaginta) disertè Hebræum *El*, Græca voce Θεὸς Deus [e], exponunt.

a Iob. 6. 10. Esa. 57. 15. b Esa. 40. 25. Lev. 11. 44. c Deut. 6. 15. d Tremel. & Iun. e Mat. 27. 46. Marc. 15. 34. Hier. t. 3. epist. ad Marcellam.

XIII. Quæ *Sancti* [a] & *Potentis* [b], nomina absoluta, etiam rebus creatis sunt communia, cum voce, tum rei quadam analogia [c]; sed Deo tamen, sanctissimo ac præpotenti, primum, & (κατ' ἐξοχὴν accepta) soli tribuuntur. Unde, *sanctus, sanctus, sanctus* [d] (ut à Judæis etiam passim *hakkadósch barúch hu*, Sanctus ille benedicendus) & ὁ ἅγιος [e] *Sanctus ille*: & ὁ δυνατὸς *Potens ille* [f], & solus *El* [g] distinctè nuncupatur. Quemadmodum etiam μόνος δυνάστης *solens Potens* (ut Vetus etiam Henrici Stephani Glossarium, & vulgatus interpres, non malè vertunt, & LXX interpretes, eo sensu, voce δυνάστης frequentissimè utuntur) aut, ut aliis placet, solus dynasta, seu princeps (à potentia sic dictus) nominatur. Hæc de *nomine communi absoluto*.

a Dan. 7. 21. 22. 1 Cor. 14. 33. b 1 Cor. 1. 26. Luc. 1. 52. c Lev. 11. 44. 1 Pet. 1. 15. 16. d Esa. 6. 3. Ap. 4. 8. e Apoc. 3. 7. & 6. 10. f Luc. 1. 49. g 2. Sam. 22. 32. h 1 Tim. 6. 15.

XIV. *Relatum* verò *Dei nomen*, partim *ad locum*: partim *ad subditos*, refertur.

XV. *Quod ad locum refertur*, est duplex. Unum, est οὐρανὸς *Cœlum* [a]: quod, quum primaria sit gloriæ Dei sedes [b], pro Deo ipso, cœli præside ac Domino, metonymicè (ut & apud Judæos, *Schamajim*, cœlum, eadem significatione [c]) usurpatur. Alterum eodem ferè sensu, est *ngheljón* [d], *Excelsus, Altus*: à *nghalá* ascendere. Quod, à Luca (explicatâ vocis emphasi) ὁ ὕψιστος [e] *Altissimus*: qui excelsa ac cœlesti sede [f], & potentia [g], supremus [h]. Cujus synonymum nomen est *Ram* [i], à *rum* altum esse.

a Matth. 21. 25. Luc. 15. 18. b Esa. 66. 1. c Elias in Tischbi. d Num. 24. 16. Psal. 91. 2. Esa. 14. 14. e Luc. 1. 32. Actor. 7. 48. f Psal. 91. 9. Esa. 14. 13. 14. & 66. 1. g Psalm. 83. 19. h Psalm. 96. 9. & 113. 4. 5. 6. i Esa. 57. 15.

XVI. Quod verò *ad homines refertur*, id, aut *potentiam* ferendi auxilii: aut poteſtatem judicii ac gubernationis, ſignificat.

XVII. *Potentiæ Dei nomen*, eſt duplex: *Tſur* [a], & *Tſebaóth* (pro quo, Septuaginta interpretes, & Apoſtoli [b], mollius, ex Græcæ linguæ genio, σαβαώθ) & quidem tum demum, cum citra conſtructionem regiminis, per Appoſitionem grammaticam, nomini Jehovæ [c], aut Adonai [d], ſubjicitur.

a Deut. 32. 15. 18. 2 Sam. 22. 32. b Eſa. 17. 10. Rom. 9. 29. Iac. 5. 4. c Eſa. 1. 24. d Eſa. 10. 16.

XVIII. Quorum prius, *Petram*, à *tſur* arctare: poſterius Copias militares, à *tſaba*, exercitus, deſignat: & ab Apoſtolo [a] (Eſaiæ ſententiam [b] repetente) παντοκράτωρ *Omnipotens*, exponitur. Quo etiam ſenſu, *Chajil* [c] *Exercitus*, vocatur. Quæ nomina Deum, quaſi rupis & exercitus inſtar, tanquam ſolum verè & abſolutè, Averruncum & Soſpitatorem, illuſtribus metaphoris, & quidem κατ' ἐξοχὴν, deſignant [d].

a Apoc. 4. 8. b Eſa. 6. 3. c 2 Sam. 22. 32. d Eſa. 26. 4. Pſal. 18. 3. 32. & 95. 1.

XIX. *Poteſtatis* verò judicii ac gubernationis nomen, eſt *Elóah* [a], & eodem ſenſu [b] (per enallagen numeri pluralis, pro ſingulari) *Elohim* Deus. Quæ vox, & à LXX. interpretibus, & ab Apoſtolis [c], Græcè θεὸς *Deus*, conſentaneè redditur. Cujus etymon (ſignificatione, voci *Elohim*, concinnè reſpondenti) à quibuſdam [d], ad θέω vel θῶ, diſpono atque efficio refertur: etſi alii, à θέω curro [e]: aut à θεάω [f] video, originem nominis arceſſant.

a Deut. 32. 15. 17. b Hier. Tom. 3. ep. ad Marcellam. c Matth. 4. 10. & 22. 27. Heb. 1. 8. &c. d Etymologicum magnum. e Ibidem: & Euſeb. de præpar. lib. 11. f Damaſ. de Orthod. fide l. 1. c. 12.

XX. Vox autem *Elohim*, *generatim* ac communiter, judicem, aut potius gubernatorem, notat [a]: ideoque & magiſtratui [b], & Angelis [c], attribuitur. *Speciatim* verò ac κατ' ἐξοχὴν, ſummum gubernatorem, Deum verum [d], ſignificat: nec ullibi aliter, quàm ſignificatione ſingulari, de vero Deo accipitur.

a R. Moſche More lib. 2. cap. 6. b Ex. 21. 6. Pſ. 82. 6. cum Ioh. 10. 34. 35. c Pſ. 97. 7. cum Heb. 1. 6. d Pſal. 18. 32.

XXI. Sed, quemadmodum ſingularis vox, θεὸς *Deus*, aut οὐσιωδῶς unam & communem Deitatis eſſentiam deſignat [a]: aut ὑποστατικῶς, pro una Deitatis perſona, Patre [b] aut Filio [c], aut Spiritu Sancto [d], accipitur: ſic etiam nomen *Elohim* Deus, vel Dei eſſentiam, tribus perſonis communem, abſolutè notat (ideoque, quæ de Elohim Deo, ea ratione dicuntur, tribus perſonis, ſub ſignificatione communi, ſed ſingulari) conveniunt [e] vel propriè unam Deitatis perſonam: ut *Patris* [f], aut Filii [g], relatè ſignificat.

a Matt. 19. 17. Act. 17. 24. b Ioh. 3. 16. 17. c Act. 20. 28. d 1. Tim. 3. 16. Act. 3. 4. e Deut. 6. 5. Gen. 1. 1. f Pſal. 45. 8. Pſal. 45. 7. 18. cum Heb. 1. 8. Pſal. 68. 19. Eſa. 40. 9. Hoſ. 1. 7.

XXII. Per catachreſin verò, *Elohim*, pro falſis etiam diis, uſurpatur. Idque vel citra enallagen numeri, cum de multis diis agitur [a]: vel per enallagen, pluralis pro ſingulari, cum, de ſingularibus Diis ſermo eſt nominatim [b]. Atque hoc modo explicatâ *nominis Dei ſignificatione*, viâque ad *rem ipſam* quodammodo ſtratâ, ad brevem *Dei deſcriptionem*, ac declarationem illius tranſeamus.

a Pſal. 95. 3. & 96. 5. b Iud. 11. 24. & 16. 23. 1. Sam. 5. 7. 1. Reg. 11. 33. 2. Reg. 1. 2.

XXIII. Deus eſt *ſpiritus, abſolutè infinitus, ac ſimplex, ſcientia, ſanctitate infinita ac ſimplici præditus: eoque perfectus ac beatus: & unicus ac ſingularis.*

XXIV. Quod *Spiritus* dicitur, illud diſerto Chriſti teſtimonio, πνεῦμα ὁ θεὸς *Deus eſt ſpiritus* [a]: & rei ipſius conſenſione, comprobatur. Quoniam ſpiritualis natura, Deo eximiè quadrat.

a Ioh. 4. 24.

XXV. Deus enim eſt ens, per ſe ſubſiſtens [a], incorporeum (ſeu quantitatis omnis expers, & inviſibile [b]) vivens [c], immortale [d], intellectu [e] ac voluntate [f], præditum. Id quod, ex internis eſſentiæ Dei attributis (quibus, communis hæc Spiritus notio, quodammodo, quaſi differentiis ſuis, reſtringitur) clarius elucebit.

a Exod. 3. 14. b Rom. 1. 23. Eſa. 40. 17. 18. 25. 1 Tim. 1. 17. c Ier. 10. 10. d 1. Tim. 1. 17. e Rom. 11. 34. f 1. Pet. 3. 17.

XXVI. *Attributa* enim *Dei interna*, vocantur proprietates Dei, quibus eſſentiæ illius perfectio, diverſa ratione concepta, verè adumbratur.

XXVII. Ea autem ſunt, vel *primaria*, vel *ſecundaria*. Quorum *illa* ſunt *negativa*, quæ perfectionem Dei, obliquè, per negationem imperfectionis, denotant: hæc verò *affirmativa*, quæ, Dei perfectionem, directè ſignificant.

XXVIII. *Primaria*, ſunt duo, *infinitas* & *ſimplicitas abſoluta.*

XXIX. *Infinitas abſoluta*, eſt eſſentiæ Dei proprietas, qua, neque cauſæ, neque menſuræ ullius, cancellis finitur. Unde *duplex* infinitatis *modus*.

XXX. *Primus*, quo omnis *cauſa*, tam externæ, quàm internæ, eſt expers. Unde ἄναρχος & ἀναίτιος dici ſolet: & eodem ſenſu, increati voce vulgò, licet non ſatis accuratè, denotari ſolet.

XXXI. Et *externa* quidem *cauſa* expers ſtatuitur: quia nec efficiente, nec fine terminatur. Non efficiente, quia, *ante ipſum, non eſt Deus* [a]: neque eſſe poteſt, quia *primus eſt & ultimus* [b]: non fine, quia efficiente caret, & ultimus finis eſt omnium ac ſummum bonum [c].

a Eſa. 43. 10. b Eſa 44. 6. 7. c Rom. 11. 36. Prov. 16. 4.

XXXII. *Interna* verò *cauſa* caret: quia materia & forma non conſtat. Non materia, ex qua; quia omnis materiæ auctor [a]: non forma, per quam exiſtat; quia nec efficientem habet cauſam, à qua: nec materiam informandam, in quam introducatur. Quum ipſemet ſibiipſi quaſi forma ſit, & omnia: adeo ut *forma Dei* [b] nihil aliud ſit, quàm ipſa infinita Deitas.

a Eſa. 44. 24. b Phil. 2. 6.

XXXIII. Secundus infinitatis modus eſt, quo, ab omni temporis locique menſura, eſt immunis. Quæ infinitas idcirco, in propriè dictam æternitatem, & immenſitatem, diſtribuitur.

XXXIV. *Æternitas* propriè dicta, eſt duratio infinita: ſeu quæ, omni termino, & mutatione, neceſſario caret. Quod etiam attributum, Deo ſoli convenit.

XXXV. Nam *primùm*, utroque termino, cum initii à quo, tum finis ad quem, tenditur, ſolus neceſſario caret. Unde, *à ſeculo in ſeculum Deus* [a]*: primus & ultimus* [b]*:* ac *ſolus immortalis* [c], κατ' ἐξοχὴν (utpote à ſe & abſolutè) celebratur. *Deinde* ab omni ſucceſſione ac mutatione, actu & potentia, per ſe & à ſe, eſt immunis. *Idem* enim *permanet* [d]: abſolute & à ſe *incorruptibilis* [e]*: apud quem non eſt tranſmutatio, nec mutationis obumbratio* [f].

a Pſal. 90. 2. b Eſ. 44. 6. & 48. 12. c 1 Tim. 6. 16. d Pſal. 102. 27. 28: Heb. 1. 11. 12. e 1 Tim. 1. 17. f Iac. 1. 17.

XXXVI. Ideoque Deus, propriè eſt *æternus* [a]: creaturæ verò, non niſi impropriè ac metaphoricè, æternè appellantur. Quoniam, & initium à Deo habent: & finem habere poſſent, per Dei potentiam: multiſque ſucceſſionis ac mutationis modis ſubjiciuntur. Ac propterea, quamvis & per ſe ſint, & ſuo modo æternæ, Dei tamen, fontis eſſentiæ ac vitæ [b], comparatione, nec æternæ ſunt, neque quicquam eſſe, divinitus cenſetur [c].

a Rom. 16. 26. Eſa. 40. 28. Gen. 21. 33. 1 Tim. 1. 17. b Pſal. 34. 10. c Eſa. 40. 17. vide Hier. 10. 2. epiſt. ad Damaſum.

XXXVII. *Immenſitas* verò *Dei* eſt, qua individua illius eſſentia, nulla loci dimenſione, finiri poteſt [a], *An non cœlos & terram, ego impleo? ait Jehova* [b]*:* nec iis tamen includi poteſt [c]. Ideoque à Judæis, Deus metonymicè, *makóm, i. Locus* vocari ſolet, *quód ſit ubique, nec ullus tamen locus, eum valeat comprehendere.* Hæc de *infinitate Dei* [d].

a Pſal. 145. 3. Act. 17. 27. 28. b Ier. 23. 24. c 1. Reg. 8. 27. Pſal. 139. 7. 8. 9. 10. Eſa. 66. 1. 2. d Elias, in Tiſchbi.

XXXVIII. Ex qua, *alterum primarium Dei attributum, ſimplicitas abſoluta*, promanat. Quod ſimiliter negativum eſt: quia vox, *ſimplex*, à *ſine* & *plica* deducitur. Hæc autem ſimplicitas, eſt proprietas Dei, qua omnis compoſitionis eſt expers. Siquidem compoſitio, ſolius eſſentiæ finitæ eſt. Quæ ut ſola, ex partibus ſuis (integralibus aut eſſentialibus) confici; ſic ſola, ex eſſe & eſſentia, actu & potentia, ſubjecto & accidente, perfici poteſt. Quæ omnia ſpiritui infinito, ideoque individuo, repugnant. Atque hæc, *de primariis attributis.*

XXXIX. *Se-*

XXXIX. *Secundaria* verò atque affirmativa, seu (ut loquuntur) positiva, sunt reliquæ Dei proprietates: quæ priores etiam includunt: & ad tria capita, infinitam ac simplicem *scientiam*, *sanctitatem*, & *potentiam*, referuntur. In quibus *vita Dei*, qua actuosus est, consistit.

XL. *Scientia Dei* est, qua omne ac totum γνωστὸν (id quod sciri potest) uno infinito & simplici intelligentiæ actu, perfectissimè comprehendit. In qua, *objectum*, & *adjunctus* sciendi *modus*, distinctè apparent.

XLI. *Objectum scientiæ* Dei est γνωστὸν (id quod sciri potest) omne, & totum. *Omne*, quia Deum[a], & reliqua præter ipsum[b], complectitur: *totum*, quia non partim, sed penitissimè, & seipsum, & res omnes, cum omnibus suis circumstantiis, pernoscit. Unde *omniscientia*, rectè appellatur.

a Matt. 11. 27. 1 Cor. 2. 10. 11. b 1 Ioh. 3. 20. Psal. 139. 11. 12. 16. Ier. 16. 17. & 33. 24. Matth. 10. 29. 30.

XLII. Sub quo objecto, non solum præterita, & præsentia, sed etiam futura[a], continentur: omniaque possibilia: & futura ex hypothesi, seu, qua posita conditione, quidnam esset eventurum: non solùm necessarium ex causa necessaria, sed etiam contingens ex causa contingente[b]. Quæ omnia Deus, infinito essentiæ suæ lumine, complectitur.

a Esa. 46. 9. 10. b 1 Sam. 23. 12. Matt. 11. 21.

XLIII. *Modus* verò *sciendi adjunctus*, est omnis, ac totius rei cognitæ, uno actu, non finito, nec composito, sed infinito ac simplici, comprehensio. Adeò ut à se, per suam essentiam, omnia, omnino, & simul, oculi instar, perfectissimè cognoscat. Unde *prima veritas* vulgò, & *sapientia*[a], ob suam excellentiam, dici solet.

a Rom. 11. 33.

XLIV. Siquidem, *nota sunt Deo, ab æterno, opera sua*[a]: ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt[b]; *nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; sed omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*[c]: *corda & renes perscrutatur*[d]; *intelligit cogitationes è longinquo*[e]: *intelligentiæ illius non est numerus*[f]: *novit omnia*[g]. Ac propterea Deus, κατ' ἐξοχὴν, ob singularem præstantiam, *solus sapiens*[h], asseritur, quum nulla, creaturæ intelligentis, acies, à se, neque omnia, neque omninò, neque simul, comprehendat. Hæc de *scientia Dei*.

a Act. 15. 18. b Iob. 28. 24. c Heb. 4. 13. d Ier. 17. 10. e Psal. 139. 2. f Psal. 147. 5. g 1 Ioh. 3. 20. h Rom. 16. 27.

XLV. *Sanctitas* verò *Dei*, est universalis illius justitia: seu infinita, ac simplex, Dei virtus, qua sese, ut summum bonum, omnisque boni fontem[a], aliaque rectæ suæ rationi ac voluntati consentanea, amat[b]: & dissentanea aversatur[c]. Unde *perfectus*[d], *Sanctus ille*[e], κατ' ἐξοχὴν (cum *nullus sit sanctus ut Iehova*[f]) *solus sanctus*[g], solus bonus[h] (utpote à se perfectissimè, & immutabilis essentia, ac sanctitatis fons) nuncupatur. Creaturarum verò sanctitas, accidens est: quod à Deo habent, & mutari, rursumque, per datoris sui omnipotentiam, tolli potest. Ideoque, comparatè cum infinita sanctitatis Dei excellentia, sanctitas non est[i].

a Iac. 1. 17. b Psal 33. 5. c Ps. 5. 5. 6. Hab. 1. 13. d Matt. 5. 48. Ps. 18. 31. e Esa. 40. 25. f 1 Sam. 2. 3. g Ap. 15. 4. h Matt. 19. 17. i Esa. 40. 17. Iob. 25. 4. 5.

XLVI. Quæ *sanctitas Dei*, pro diversis etiam, erga creaturas actionibus, in virtutes ipsius particulares *distribui* potest. In quibus eminent, *gratia*[a] & *justitia particularis*[b].

a Psal. 145. 7. 8. 9. b Ps. 145. 17.

XLVII. *Gratia* hæc, est virtus, amoris Dei, ad benè recteque immeritis[a] volendum ac favendum[b]. Unde etiam metonymicè, χάρις pro χάρισμα, gratia, pro gratiæ dono, usurpatur[c]. Quæ *bonitas* etiam, synecdochicè dici solet[d]: ut effectum illius, *benignitas*[e].

a Rom. 4. 16. & 11. 6. b Rom. 9. 16. & 11. 5. Eph. 2. 4. Tit. 3. 4. 5. c 1 Cor. 3. 10. 1 Pet. 4. 10. d Psal. 34. 9. & 145. 7. 2 Thess. 1. 11. Tit. 3. 4. e Rom. 2. 4.

XLVIII. Quæ, pro objectis variis, πολυποίκιλος χάρις, *varia* gratia[a], variis nominibus insignitur. Nam, quæ erga miseros versatur, ea *misericordia*[b]; quæ erga peccatores, peccata sua cumulantes, ἀνοχὴ & μακροθυμία *tolerantia* & *lenitas*[c]: appellatur. Hinc Psaltes, *Misericors & gratiosus Jehova: longanimis, & multus benignitate*[d]. Hæc de *gratia Dei*.

a 1 Pet. 4. 10. b Lament. Ier. 3. 22. c Rom. 2. 4. & 9. 22. 1 Tim. 1. 16. d Psal. 103. 8. Exod. 34. 6.

XLIX. *Iustitia* verò Dei est virtus, jus suum cuique tribuendi. Eaque exercetur, dictis vel factis.

L. *Iustitia in dictis*, est quum oratio universa, assensum auditorum requirens, & animo ipsius, ac rectæ rationi, & rei consentanea est[a]. Adeò ut, & in mandatis sit æquitas; & in enunciationibus, veritas ac rectitudo; tam in dogmatis, quam denuntiationibus promissionum[b] & minarum[c]. Quæ justitia *fides Dei* dici solet.

a Psal. 12. 7. & 33. 4. Tit. 1. 2. b Heb. 10. 23. c 2 Tim. 2. 13.

LI. *In factis*, est vel *justitia creationis ac gubernationis judicandorum*, vel *justitia judicii*.

LII. *Illa* est, qua omnes suas actiones, in creatione & gubernatione judicandorum, ad rectæ rationis normam, summa æquitate instituit ac dirigit. Ideoque & actiones illius rectæ, & opera[a]: adeò ut, neque in creatura peccati auctor esse possit[b]: neque ipse, actionibus suis, à recto, ulla ratione, declinare[c].

a Psal. 33. 4. Iac. 1. 17. b Iac. 1. 13. c 1 Ioh. 1. 5. Iac. 1. 17.

LIII. *Iustitia* judicii est, qua secundum opera, mercedem retribuit[a]. Eaque est vel remunerans, vel vindicans. *Illa*, qua præmia bonis[b], pro gratuita promissione[c]: hæc qua supplicia malis, pro injustis ipsorum meritis, & justis suis minis, rependit[d]. Hæc de *sanctitate Dei*.

a Ier. 17. 10. Rom. 2. 5. 6. 7. 8. 2 Thes. 1. 5. b 1 Tim. 4. 8. 2 Tim. 4. 8. 2 Thes. 1. 5. 8. c Luc. 17. 10. d 2 Thes. 1. 7. Rom. 2. 5. 8. 2 Tim. 2. 13.

LIV. *Potentia* verò Dei, est infinita ac simplex vis agendi ea omnia, quæ essentiæ & attributis ipsius sunt consentanea[a]. Contraria enim potenter non potest, quia impotens esse nequit[b]. Unde κατ' ἐξοχὴν *Potens ille*[c], *Omnipotens*[d], *solus potens*[e], quod à se, & omnia, & immutabili essentiæ robore, facillimè efficere valeat[f]. Cujus trimembris excellentiæ, nihil creaturis competit. Ideoque *supereminens magnitudo potentiæ*[g], Deo propriè vindicatur: & *illius esse potentiam*[h], asseritur.

a Matt. 19. 26. b 2 Tim. 2. 13. c Thesi 13. d 2 Cor. 6. 18. e Thesi 13. f Esa. 40. 26. 28. g Eph. 1. 19. h 1 Chron. 29. 11. Matt. 6. 13.

LV. Ex quibus omnibus Dei attributis ac proprietatibus, duo essentiæ Dei elogia consequuntur. *Primum* est, summa illius perfectio ac beatitudo; *Alterum*, singularis ac necessaria unitas.

LVI. Nam, ubi infinita ac simplex est essentia, sapientia, sanctitas, potentia, *à qua, per quam, & ad quam reliqua*[a]: nihil desideratur, sed summum ac perfectum est bonum: in cujus, per cognitionem & amorem, fruitione æterna atque immutabili, summa & absoluta consistit beatitudo. Ideo Deus (ut diximus[b]) *Schaddai Omnisufficiens*, & *beatus*[c], κατ' ἐξοχὴν (à se, nimirum, omninò, & immutabili constantia) nominatur. Creaturæ verò, non nisi Dei gratiâ, pro suo modulo, & mutabili, per Dei omnipotentiam, conditione, perfectæ ac beatæ, censentur.

a Rom. 11. 35. 36. Iac. 1. 5. 17. Act. 17. 28. b Thesi 6. c 1 Tim. 1. 11. & 6. 15.

LVII. *Deinde*, ubi hæc perfectio ac beatitudo præest, *unitas singularis* & absolutè necessaria, consequitur. Siquidem ens infinitum, simplicissimum, solum sapiens, solum bonum, solum potens (qualis est Deus) non nisi unicum esse potest. Ideoque graviter, ut multa, Tertullianus[a], *Veritas Christiana*, *distinctè pronuntiat*, *Deus*, *si non unus est*, *non est*. Quare *nobis* (ait Apostolus) *nullus est Deus*, *nisi unus*[b]. *Regi* igitur *æterno*, *immortali*, *invisibili*, *soli sapienti*, *Deo*, *honor & gloria*, *in secula seculorum*, *Amen*[c].

a Contra Marc. l. 4. b 1 Cor. 8. 4. Deut. 4. 35. 39. Esa. 44. c 1 Tim. 1. 17.

COROLLARIA.

1. *An nomen* Jehovæ, *ulli rei*, *præter Deum in S. literis tribuatur?* *N.*
2. *An impium sit*, *id pronunciare*, *ut Judæi contendunt?* *N.*
3. *An nomen* Jehovæ *primum Mosi patefactum*, *ut videtur è loco*, *Ex. 6. 3?* *N.*
4. *An Mosi re ipsa*, *magis hoc fuerit revelatum*, *quàm* El Schaddai? *N.*
5. *An vox Elohim*, *cum Deo tribuitur*, *significationem habeat pluralem: ut Petrus Lombardus primus asseruit? Negatur.*

6. *An in ea sententia proponenda, sibi apertè contradixerit? A.*

7. *An rectè dicatur Deum unum esse numero? Basil. epist.* 141. *ad Cæsar. & Rufinus in expos. symb. N. Alii affirmant. Malumus distinctè: si unum numero, notet unicum, Aff. Sin, cum Philosopho Categ. c.* 2. *individuum, seu unum è multis ejusdem speciei, Neg.*

8. *An igitur Deus, melius unicus ac singularis, quam unus numero, dicatur? Aff. ob phrasis hujus homonymiam: de qua Arist. top.* 1. *c.* 7. *& Metaph.* 4. *c.* 6.

DISPUTATIO IV.

DE NOMINIBUS DEI.

THES. I.

NOminis autem vox, Latinè, à nosco orta est, quasi *novimen* [a], aut *notamen*; *quòd res notas efficiat* [b]: *& Græcè* ὄνομα, quasi ὀνίομα [c]: quòd rei noscendæ, sit adjumentum: aut à νέμω [d] distribuo; quòd nomine suo, res quæque distinguatur. Quod tamen, à doctioribus [e], ob insolentem vocalis, o, prosthesin, minus approbatur, Hebraicè verò שם, nomen notans, vox est, non è verbo orta; sed prima: unde Syri suum שמא *nomino* (quod Hebræis est קרא) derivarunt.

a Festus de verb. sign. b Isidor. orig. l. 1. c. 6. c Iul. Scal. de causis L. L. c. 76. d Etym. Gr. e Iul. Scal. de causis L. L. c. 76.

II. Ut autem nomen, *vox* est, *ex arbitrio significans, ad rem noscendam, indita*; ita, pro rei illius diversitate, aliud est universale [a]: aliud singulare [b]. Quorum illud, synecdochicè *vocabulum*: hoc verò, *Nomen*, Latini appellarunt. Sicut Varro ait: *oppidum, sit vocabulum*; *Roma, nomen* [c]: & Nonius Marcellus; *Nomen, est proprium vocabulum, singulorum* [d].

a Gen. 2. 19. 20. b Ib. 2. 11. & 3. 20. c De ling. Lat. l. 9. d De propr. sermonis c. 4. §. 323.

III. Quæ nominis *significatio*, aliarum, per *tropum*, accessione, bifariam *variatur*. Ac *primò* quidem, per *metonymiam*, nomen, pro eo, cujus est nomen (ut nomen Dei [a], pro ipso Deo: & specialius, ὀλίγα ὀνόματα [b] *pauca nomina*, pro paucis hominibus) aut pro honesta nominis fama [c], seu gloria, accipitur. *Deinde* verò per *synecdochen* השם [d] *nomen illud*, pro Dei nomine, utpote excellentissimo, usurpatur.

a Prov. 18. 20. Psal. 20. 2. Ies. 30. 27. b Apoc. 3. 4. c Prov. 22. 1. Psal. 25. 11. d Levit. 24. 11. & 10.

IV. Quamvis enim Deus, ob infinitam naturæ suæ eminentiam, & finitam creati ingenii aciem, nequeat comprehendi: ideoque nec sermone ac nomine, perfectè exprimi, unde rectè ἀνώνυμος à priscis dictus (*quodnam enim nomen ejus, si nosti* [a]?) quædam tamen Dei nomina, in Scriptura extant [b]: quibus sese (ut pro modulo nostro, cognosci ac coli posset, ad salutem) concinna quadam analogia, adumbravit [c].

a Prov. 30. 4. b Exod. 3. 14. 15. & 6. 3. c Gregor. Nazian. orat. 36. seu 2. de Filio.

V. Quæ nomina, *ratione sua forma* (seu *significationis* illius eminentis, qua Deo tribuuntur) nulli alteri; sed soli ipsi, conveniunt. *Ratione* verò *materia* (seu *vocis* atque usus illius) nomen Dei, aliud est *proprium*: aliud verò *commune*: & utrumque rursus, vel *absolutum*; quod Deo, ratione ipsius tantùm: vel *relatum*; quod, alterius relatione, dicitur.

VI. *Proprium* autem atque *absolutum*, Dei nomen, vel *essentiam*, vel *attributum*, seu perfectionem illius, designat.

VII. Ad *essentiam tria*, ejusdem originis & significationis [a], pertinent. Quorum, *duo* sunt *integra*, ac quatuor consonantium: unde κατ' ἐξοχὴν τετραγράμματα quadrilitera, dicuntur: *tertium* verò, ex integro *contractum*, duarum est consonantium: unde διγράμματον appellatur.

a A. Ezra. comment. ad Exod. 3. 15. & 15. 2.

VIII. *Integra* autem *nomina*, recensentur Exod. 3. Quorum *prius*, *temporarium* atque *extraordinarium*, Mosi, à Deo, indicatum [a], & semel tantum, Israëlitis propositum [b], est אהיה *Ehje*. Cujus *origo* est ab היה esse, ex futuro illius, per communicationem vocis, formatum.

a Exod. 3. 14. b Ibid. 4. 30.

IX. *Significatio*, verò ejus, non est, *Ero*, vel *sum* (ut contra communem nominis, quod personæ ac temporis est expers, naturam, minus rectè exponi solet) sed *Ens* (ut LXX. ὁ ὤν [a] & *Hieronymus* [b] periphrasticè, *Qui est*) & quidem non ejusdem, cum creatis ac finitis essentiis, generis intellectum; sed κατ' ἐξοχὴν, peculiare atque infinitum: nempe æternum absolutè atque immutabile. Unde illa oppositio; *Ipsi peribunt; tu vero permanes: & mutabuntur; tu vero idem es* [c].

a Exod. 3. 14. b Tom. 3. ep. ad Marcell. de X. Dei nominib. c Psal. 102. 27. 28. Heb. 1. 11. 12.

X. Idque præmissa, à Deo, nominis illius ratio אהיה אשר אהיה [a] *Sum* (nam futurum, pro præsenti) *qui sum*: & divina illius periphrasis; ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος [b], *Qui est, qui erat, & qui venturus est*, hoc est, ἐσόμενος futurus: ut in ejusdem sententiæ repetitione, Apoc. 16. 5. ubi, è vetusto codice, pro ὅσιος, concinnius ἐσόμενος, legitur [c]. Quo modo, essentia Dei æterna, partium temporis distinctione, non propriè (quia immutabilis est, ac propterea successionis expers) sed metaphoricè describitur. Atque hæc de *priori nomine integro ac temporario*.

a Exod. 3. 14. b Ap. 1. 8. c Beza in Annotat. Apoc. 16. 5. 6.

XI. *Posterius* verò nomen Dei proprium, quod ei soli convenit [a], *ordinarium* atque æternum [b], est יהוה. Quod priori nomine, non solùm antiquius, sed etiam vocis, à verbo suo, distinctione, magis idoneum: sive ab היה mutatione jod, in vau [c]: sive ab הוה eodem sensu, derivetur.

a Psal. 83. 19. b Exod. 3. 15. Psal. 135. 13. c A. Ezra. ad Exod. 15. 2.

XII. Quod nomen Deus, non celandum, sed sanctè memorandum, Israëlitis commendavit. Quandoquidem & *memoriale sui* [a] appellat: & eo, ter repetito, benedicendum, à sacerdotibus, populo; & populo, per illud etiam, sancte jurandum præcepit.

a Exod. 3. 15. Hos. 12. 5. b Num. 6. 24. 25. 26. c Deut. 6. 13. & 10. 20. Ios. 9. vers. 19.

XIII. De *cujus recta pronuntiatione*, ut docti certant, sic adhuc sub judice lis est. *Quidam* enim, *Jehova*, genuinam esse pronuntiationem, affirmant: *alii* vero id negant, & adjectas, huic nomini, vocales alienas esse, contendunt: suis utrimque argumentis subnixi. Qua in re controversa, uti temere Palæmonis munus mihi arrogare nolim; sic οὐδέτερον ac σκεπτικὸν esse, instituta eorum, qui hac de re eruditè scripserunt, collatio, & honestum seriumque auditorum desiderium atque exspectatio, minimè permittunt.

XIV. Quare bona eruditorum ac bonorum (quibus nihil præscribimus) venia, priorem sententiam, ut quæ veritati magis videatur consentanea, tueri, hac dissertione, conabimur.

XV. *Ratio* enim *prima* est, quod vocales nominis Jehova, consonantibus adscriptæ, iis (non minus, quàm suæ nomini Jehuda) queant convenire: neque ulla subsit causa necessaria, cur alienæ vocales censeri debeant. Id quod ex adversæ sententiæ examine, postea (uti speramus) non obscurè cognoscitur.

XVI. *Altera* est; quia prior ac dimidia nominis, *Jehova*, pars, nempe יהו *Jeho*, iisdem omnino punctis, in vocibus ex ipso compositis extet, & ab omnibus, citra controversiam, eodem modo legatur. Cujusmodi nomina, idcirco à clariss. Drusio ἰαωφόρα, & τετραγραμματοφόρα appellantur. Quale est יהונתן [b] jehonathan, & contracte יונתן [c] Jonathan, hoc est θεόδωρος, Deodatus) & similia non pauca.

a Tetrag. p. 78. & 104. & 113. b 1 Sam. 19. 1. c Ibidem.

XVII. Nam

XVII. Nam quod excipitur, in tali compositione, non *Io*, ex *Ieho*, per syncopen esse contractum; sed *Ieho* contra, ex *Io*, per epenthesin auctum, illud nec canone grammatico, nec ullo idoneo exemplo demonstratur. Neque enim יהושיע salvabit, ex יושיע nec יהודה: celebravit, ex יודה: nec יהוסף[e] ex יוסף, per epenthesin ה formatum; sed ex futuro primo integrè, ה conjugationis charactere (ut D. Kimchi[d] docet) retento; præter normam (quæ syncopen illius, in futuro secundo postulat) derivantur.

a Psal. 116. 6. b Nehem. 11. 17. c Psal. 81. 6. d Michol par. 1. pag. 169. edit. in 8.

XVIII. *Tertia ratio* est, à lxx. interpretum testimonio: qui ex verbis Jerem. 23. 6. יהוה צדקנו *Iehova justitia nostra*, nomen, ex Jehova & tsedeck *justitia*, ἰωσεδὲκ (ἰω, pro *jeho*, per contractionem, Scripturæ usui, & Græcæ linguæ genio, convenientem) construxerunt.

XIX. *Quarta ratio* est, à prisco Judæorum more. Qui ut ab integri nominis *Iehova*, pronuntiatione, vetusta quadam religione ducti, abstinebant: sic eandem illius partem, quæ in vocibus, ex eo, compositis extabat, libereque in iis proferebatur simili libertate, pro integro *Iehova*, pronuntiarunt, nimirum *Iaho*, ac Græcè ἰαὼ[a], mutantes Sjeva, non in e, ut sæpe, sed suaviori sono, in a. Sicut lxx. נבו[b] Ναβὼ: שבא & דדן σαβὰ, δαδὰν: שמואל[d] σαμουὴλ protulerunt.

a Diod. Sic. Biblioth. lib. 1. Theodor. qu. 15. in Exod. & Therap. lib. 2. b Num. 32. 38. c Gen. 10. 7. d 1 Sam. 1. 20.

XX. *Quinta ratio*, commodius sequenti examini[a] inseretur. Omitto, quod nonnulli[b] nomen Jovis (quod Ennio erat nominativus, & Satanæ impietate, ex lingua Hebraica videatur traductum) pronuntiationis Jehova, aut aptius Ihova, esse indicium, opinantur: cui addi posset, quod Varro, Jovem esse Judæorum Deum putarit: nisi id alibi Augustinus de re, non de nomine, exponeret[d]. Atque hæc, de *priori sententia*.

a Thesi 32. b Forsterus. Lex. in היה. c August. to 4. de consensu Euang. l. 1. c. 22. d De civ. Dei l. 4. c. 1.

XXI. *Altera* verò, huic *adversa*, tradit, vocales nomini יהוה adscriptas, non esse proprias, sed alienas: atque ex nomine vicario אדני substitutas. Ideoque non Jehova; sed Adonai, legi oportere. Quam sententiam, quatuor (Bellarmino præeunte[a]) rationibus, quibus primum, prioris sententiæ argumentum oppugnatur, demonstrare contendunt[b].

a Grammat. Heb. Exercit. Psal. 33. 1. b Drusius Tetragr. cap. 14. & p. 71. Anonym. lib. de punctis Orat. de Tetrag.

XXII. Prima autem ac præcipua ratio, quæ propterea sæpius, quasi invicta, à Clar. Drusio, protenditur, hæc est; Si puncta nominis יהוה, ab אדני sejuncti, essent genuina, tum hoc adjuncto, non mutarentur, ut fit, in puncta nominis, אלהים. Verùm consequentia infirma est. Quia ea, lectionis & scriptionis, mutatio, nulla nititur ratione necessaria. Nam, ut ista nominis Elohim, pro Jehova, lectio, à consuetudine, minus gravi; sic scriptio ista, ab audaci Masoretharum licentia, originem traxit.

XXIII. Quippe (ut notum est) si quando nomen, *Iehova*, cum *Adonai*, junctum occurreret, ne bis dicatur Adonai, puncta nominis *Elohim*, ei substituerunt: ut vicariam, & more recentiori usitatam, lectionem, quasi fixa lege, stabilirent. Cum qua, prisca illa Judæorum consuetudo, minimè consentit: quia, in lectione nominis Jehova, nullam omnino adjuncti, vel sejuncti Adonai, rationem habuerunt: ut lxx. interpretum usus (in editione Romana, quam sequimur) perspicuè demonstrat.

XXIV. Nam quum in solo Ezechiele, Jehova cum Adonai junctum, ducenties & undecies expressum comperiamus, inter ea, viginti non extant exempla, in quibus θεὸς (quod voci Elohim respondet) pro consueto κύριος. arbitraria varietate, posuerunt. Imo licet frequenter pro אדני יהוה κύριος κύριος in eodem Propheta occurrat, prius, minimum centies & vicies septies, omittunt. Ut etiam alibi Jes. 10. 23. & ex eo Rom. 9. 28. & Jes. 61. 1. cum Luc. 4. 18. observatur, non autem θεὸς, pro יהוה ponitur. Contra verò interdum pro eo, non κύριον (ut Masoretharum lex & lectio postulat) sed θεὸν Gen. 15. 6. & Paulus, in eodem loco citando Rom. 4. 3. & Gen. 18. 1. posuerunt.

XXV. Quod autem Masorethæ, *Iehova*, sine Adonai, scriptum, Adonai legunt, illud quidem antiquam Judæorum (ad humanas traditiones, post Prophetarum tempora, paulatim vergentium) consuetudinem redolet: sed alienas esse vocales, minimè evincit.

XXVI. Siquidem, ut pro voce, ישגלנה (qua Scriptura utitur[a]) temeraria quadam verecundia[b] ישכבנה (mutatis in pronuntiatione consonantibus, sed vocalibus, ob convenientiam, retentis) legendum, suorum more, statuerunt: sic quum, pro *Iehova*, legerent Adonai, consonantes quidem, in pronuntiatione mutandas, sed vocales adscribendo (quod eædem essent utrimque) genuinas non mutarunt: neque etiam, salva nominis Adonai lectione consueta, mutare potuerunt. Alioqui, pro superstitioso, occultandi nominis illius, studio, minimè neglexissent.

a Deut. 28. 30. b R. Sal. Ies. 36. 12.

XXVII. Cujus rei, perquam illustre, in Paraphrasi Chaldæa, Jonathanis dicta, extat documentum: quod Dei, de nomine Jehova, sententiam Exod. 3. 15. impiè atque impudenter adulterarit. Nam quod dicitur; *Hoc nomen meum* לעלם *in æternum: & hoc memoriale mei, in generationem & generationem*, illud, ad superstitionem istam firmandam, in לעלם *ad occultandum*, turpi contradictione, pervertit.

XXVIII. Nam, si nomen Jehova, est occultandum; memoriale non est: sin verò sit memoriale; non est occultandum. Idque etiam ex ejusdem sententiæ, à Davide, repetitione, Psal. 135. 13. apparet: ubi etiam לעולם cum vau extat: quod לעלם *lealem* legi non potest.

XXIX. Nam quod R. Salomo ait; *Vau deest* (Exod. 3. 15.) *quasi diceret* העלימהו *cela illud, ne legatur prout scribitur*, illud, in eundem erroris ac contradictionis lapidem, impingit.

XXX. Quod verò prætexitur, Masorethas nomini יהוה vocales genuinas adscribere non valuisse, ob earum ignorantiam: nec voluisse, ob religionem: neutrum solidè probatur. Quamvis enim ἀνεκφώνητον ineffabile olim fuerit dictum, illud non de re, sed de jure, accipiendum: non quasi notitia Masorethis defuerit; sed quod pronuntiare, nefas duxerint. Deinde, etsi vulgo effari atque audire (ut *Philo* tradit[a]) fuerit illicitum: an etiam literis exarare, prohibitum?

a De vita Mosis.

XXXI. Nam, quod *Iosephus*[a], ab ejus scriptione expressa abstinens, ait; οὐ θέμις μοι εἰπεῖν, *non fas mihi dicere*: illud non est, ignoti nominis (præsertim quum esset sacerdos) sed noti, & religione quadam, apud profanos, taciti indicium. Scribebat enim profana lingua, in profanorum gratiam, Græcè, Græcis omnibus[b], historiam: quos, à nominis Dei notitia, arcendos judicabat: non quod illud, in sacro codice, sacraque lingua, suis vocalibus, insignire nefas existimarit.

a Antiq. l. 2. cap. 5. b Ibid. l. 1. c. 1.

XXXII. Denique contra, ex hujus primæ rationis objectæ retorsione, *quintum*, pro priori sententia, oritur *argumentum*. Si enim *Iehova*, haberet puncta nominis אדני Adonai, tum ex eodem similiter, punctum primum, non esset Sjeva simplex; sed cum patach: sicut, quum certò puncta nominis אלהים Elohim, primum ex eo, convenienter est Sjeva, cum Segol. Cujus rationis nervi ac vires, ex enervi (ut videtur) responsione, amplius elucent.

XXXIII. Primò enim prætexitur[a], quum *Iehova* legitur *Adonai*, quia id passim occurrit, idcirco tantum Sjeva notari; patach vero (quod erat adjungendum) compendii gratia, omitti: quum verò legitur *Elohim*, quia hoc rarius extat, integrum illius punctum (seu Sjeva, una cum Segol) adscribi. Verùm quinam illud verisimile: quum nulla ratione gravi, nulloque exemplo simili, comprobetur?

a Drus. Tetrag. p. 40.

XXXIV. Nam quomodo nominis Jehova, sine Adonai positi, frequentia, mutilati primi puncti, esse potest causa: quum (ut alia sileam) in voce Elohim, quæ frequentissime

me

me obvia, nihil tale observetur? Et quum puncta, vocis Elohim, consonis יהוה, in solo (ut ante dictum) Ezechiele, ducentis undecimque vicibus, integrè adscripta, extent: an hic raritas (ut diversæ scriptionis causa) obtendi potest? Ut interim omittam, quòd multa etiam alia, ejusdem scriptionis sunt exempla: quæ, in laudato illo [a] Eliæ curru (רכב) ob angustiam illius, minimè continentur. Nec enim tantummodo רכב, hoc est, ducentis & viginti duabus vicibus, ita scribitur: sed, præter CCXI. in Ezechiele, in reliquis, LIX supersunt: ut plenior saltem numerus ער seu CCLXX sit statuendus: ut quærenti, loca fidem facient.

a Drus. Tetrag. p. 99.

XXXV. Neque etiam alia, quæ subsidio additur, responsio, magis stringit: quòd antiqui interdum Sjeva, per a breve, pronuntiarint. Quia illud, pronuntiationis convenientiam, attingit; sed adscripta puncta, esse aliena ac nominis Adonaj propria, nequaquam demonstrat.

XXXVI. Nam si propterea, Sjeva simplex tantùm, pro Sjeva cum patach, sit adscriptum, quod pro eo interdum legatur: eadem ratione, Sjeva simplex, ubi Elohim legitur, non autem (ut fit) Sjeva cum Segol esset expressum, quia Sjeva sæpius, per e breve, pronuntiatur. Sicut כרבם χερουβὶμ [a]: שרפים σεραφὶμ [b]: דברה Δεβόρρα [c] aliaque plurima testantur. Atque hæc ad primam rationem: à qua, trium reliquarum momenta non multum abludunt.

a Gen. 3. 24. b Jes. 6. 2. c Gen. 35. 8.

XXXVII. *Secunda* enim *ratio* est; Si Jehova, non haberet adscripta puncta aliena ac nominis Adonai propria, tum ei, literis כלב & ו præfixis, non Patach (ut fit) sed chirik subscribi deberet. *Tertia*; quòd tum, etiam literæ מ (ex præpositione מן contractæ & præfixæ) Chirik, non autem Tseri, supponi oporteret. *Quarta* denique *ratio* est; quod tum post יהוה literæ בגד כפת positæ, carere deberent puncto lenitatis indice.

XXXVIII. Verùm quid hic incommodi? Agnoscimus, ita scribi debere: quia ratio grammatices, & nominis, *Jehova*, consonantes, hoc requirunt: sed Masoretharum vitio, aliter scriptum. Illi enim puncta nativa, isto modo corruperunt, ut vicariam ac consuetam, *Adonai*, lectionem (quæ, retentis punctis genuinis, fuisset impedita) conservarent.

XXXIX. Neque id Masorethas ausos fuisse, admirandum: quum eosdem, leviori etiam de causa, similem in aliis usurpasse licentiam, negari non possit. Nam (ut constat) 2. Reg. 18. 27. pro חראי הם & שיניהם *stercora* & *urinas suas* צאתם & מימי רגליהם *excrementa sua* & *aquas* pedum suorum (inepta honestatis affectatione [a] legentes) pro nativis, aliena ac portentosa, harum vocum, puncta, superstitiosa audacia, adscripserunt: *Ionathanem* [b], contra priscam Hebræorum consuetudinem secuti.

a R. Sal. Jes. 36. 12. & D. Kimchi 2. Reg. 18. 27. b Targum. 2 Reg. 18. 27. & Jes. 36. 12.

XL. Ea enim perversa lectio, antiquis Judæorum Magistris, fuit ignota: ut ex LXX etiam interpretibus constat: qui voces illas modo memoratas, genuinis suis consonantibus ac punctis consentaneè, legerunt: ut fidelis eorum interpretatio, κόπρον καὶ οὖρον *stercus* & *urinam*, evincit.

XLI. Quare, ex hisce satis apparere videtur, *quatuor* illas, adversus primum, primæ sententiæ argumentum, *rationes*, non *è media* (uti asseritur [a]) *Grammatica*; sed ex temerariis, Masoretharum & Scribarum [b], corruptelis, depromptas. Una enim eaque fragilis, earum omnium rationum est basis; *Masorethæ sic scribunt: sic legunt.* Quorum etsi in aliis fides, non desideretur: in hisce tamen ac similibus, superstitiosam eorum licentiam quis meritò probet?

a Drus. Tetrag. p. 40. & ex eodem Anonym. Orat. de Tetrag. b R. Sal. Jes. 36. 12.

XLII. Quod verò Christus, & Apostoli (qui salva pietate, *Iudæis*, in rebus adiaphoris, *facti sunt Judæi* [a]) pro *Iehova*, non semper [b] (ut fertur [c]) sed plerumque [d] (*Adonai*) κύριος usurparint, illud sanè, nec religione ulla, nec lectionis illius stabiliendæ gratiâ, contigit: sed ne intempestiva, vocis, Jehova, pronuntiatione, Judæos irritarent, atque ab Euangelio alieniores redderent, consuetudini eorum (ut in re libera) prudenter atque utiliter, cesserunt, & cognomen pro nomine, usurparunt. Quæ offensa, Judæis diutissimè abdicatis, nobis minimè æstimanda.

a 1 Cor. 9. 20. b Vide thes. 24. c Drus. Tetrag. p. 29. d Matt. 4. 10. & 22. 37. &c.

XLIII. Quare omnibus hisce perpensis, ut secundam sententiam ferendam; sic primam tamen (donec contrarium, victrice veritate, cui servire nos omnes oportet, demonstretur) præferendam non temere existimamus.

XLIV. Nam, quòd à viro alioqui doctissimo, optimeque de linguæ & Scripturæ sacræ illustratione merito, admiranda fiducia asseritur; *Qui Jehova legunt, ajo eos male legere. Hoc tam mihi liquet, quam bis duo quatuor esse. Dabo nunc operam, ut etiam aliis liqueat* [a]: an illud, quatuor iis, quas ad eam rem adducit, quasque expendimus, rationibus [b], satis liqueat: an verò, aliis ac firmioribus omnino opus sit principiis, ut demonstratio constet, & in ea acquiescamus, doctiores judicent.

a Drus. Tetrag. p. 35. b Ib. p. 39.

XLV. Cæterum quod rationibus istis, minus (ut videtur) solidis, variorum auctorum testimonia adjungit; ea speciem habent majorem, quàm firmitatem. Quia *rationum fulcro dissoluto, humana concidit auctoritas.*

XLVI. Interim ut citatos testes nonnihil exploremus: quid si, ante Masorethas, interpretes Chaldæi, Arabes, Græci, Hieronymus, non aliter, nomen יהוה quàm Adonai, legissent [a]; an ex eo consequitur necessario, vocales nominis *Iehova*, alienas ac nominis Adonai proprias, & non potius utrimque (ut ante ostendimus) communes?

a Vide Drus. Tetrag. p. 43.

XLVII. Deinde ut Græcos, in lectione nominis, יהוה non convenire cum Masorethis thesi XXIV. demonstravimus: sic & Arabica Pentateuchi paraphrasis (quæ cum Chaldæa, & Persica, Hebræo charactere, Constantinopoli impressa) ab iisdem dissentit. Nam ut usus illius (dum clementia numinis vixero) ab Amplissimo, Consultissimo, & regionum ac linguarum Orientalium peritissimo, atque humanissimo viro, D. D. Borelio, Ordinum Zelandiæ à Secretis, mihi benignissimè est indultus; sic inde comperi, quod Adonai quidem רבי [a] aut רב [b] *dominum*, interpretetur: sed pro nomine יהוה (contra Masoretharum lectionem ac legem) non רב dominum; sed vel אללה, si Adonai absit [c]: vel אללהם [d] si adsit (quod quater tantum in Mose extat) apertè legat. Ideoque doctiores viderint, an credibile sit R. Saadiam (uti inscribitur) hujus paraphrasis verum auctorem esse, aut potius antiquiorem: ut qui tam constanter à Masoretharum lectione recedit: quod à R. Saadia, Talmudi & Masorethis (uti ferunt) addictissimo, alienum videtur.

a Gen. 15. 2. & 8. b Deut. 3. 24. & 9. 26. c Gen. 2. 4. d Gen. 15. 2. & 8. Deut. 3. 24. & 9. 26.

XLVIII. Præterea, quod in Chaldæa Persicaque paraphrasi, יי, pro יהוה extare dicitur [a], verum est: sed quod additur, id valere *Adonai*, vel *Elohim*, minus videtur consentaneum. Neutrum enim horum nominum, initio habet Jod, aut Sjeva simplex; neque alterum, nempe *Elohim*, in fine Kamets: contra verò ea omnia, in voce Jehova, perspicuè apparent. Ac propterea, non Adonai, sed Jehova potius, legendum probaretur: etsi usus Judæorum aliter obtineat.

a Drus. Tetrag. p. 46.

XLIX. Nam quod initio jod, in יי, geminatur, consonantis est, non insolens Hebræis, etiam additis vocalibus, indicium. Ideoque succinctè & eruditè Valentinus Schindlerus, in Lexico laudatissimo [a]; ait *Targum* יי; *quod est nomen veri Dei, Iehova abbreviatum, sed Adonai legitur.*

a Radic Haja.

L. Idque editio illa Constantinopolitana (cujus meminimus) à Judæis adornata, luculenter demonstrat. Nam, ubi toto primo capite Geneseos in editione majori, ac minori etiam Veneta, pro Elohim (non quod idem valeat: sed nominum permutatione paraphrastica) est יי; in Constantinopoli-

nopolitana; promiscuè integrum יהוה, & contractum יי, pro eodem adhibentur. Nam quòd pro יהוה, scribunt ירוה: illa corruptio illis, pro more Judæorum, in eo opere est consueta ac perpetua, etiam in Hebræo contextu: ut etiam in utroque, אלירים pro אלהים pingunt.

LI. Denique quòd inter recentiores secundæ sententiæ testes, Tremellius Hebræus, verè pius, & suæ linguæ peritissimus, etiam advocatur ac testimonium è notis illius (à studioso olim exceptis) petitur: illud sanè causam adversam non tam juvat, quàm lædit. Nam si perpendantur illa, è notis istis, verba, *Dicunt*, *Addunt*, *Constare:* inde non obscurè, alienam à Tremellio, non propriam recitari sententiam, constabit. Cujus rei etiam testis est, nominis, Jehova, in Bibliorum versione, expressio, minimè (ut putatur[a]) miranda: quum eandem vocem, jam antea in Enarratione Hoseæ (anno 1563. Heydelbergæ excusa) capite primo, similiter expresserit: licet in textu nondum mutaret.

a Drus. Tetrag. pag. 52.

LII. Qua in re, ut plurimis viris doctissimis prævivit[a]: sic Hebrææ linguæ peritissimos (Galatinum, & quantum videtur, priorem eo Porchetum, Munsterum, Fagium & magnum illum Vatablum, in versionis Pagnini correctione, aliosque non paucos) est secutus. Inter quos etiam est, insignis ille Joh. Reuchlini successor, Forsterus[b]: qui & *Iehova* legit, & ait; *Optarim (si fieri posset) secundum illa puncta, quibus scribitur, pronuntiari, & non verti, vel Dominus, vel Deus: quod hæc attributa, neque essentiam divinam, neque nominis propriam significationem, exprimant. Sicut etiam, eadem de causa, multa alia nomina, in aliis linguis manserunt invariata: ut sunt Alleluja, Osanna, Zebaoth, Immanuel, Amen.* Atque hæc de genuina *nominis Iehova pronunciatione:* deque *duobus* Dei *nominibus*, essentiam denotantibus, atque *integris*.

a Drus. Tetrag. pag. 105. b Lexic. Heb. in Haja.

LIII. Tertium verò, ac contractum ex יהוה, est יה[a] ut tradit expressè, non Maimonides (ut putatur[b]) sed ipsius qui lectoribus imposuit interpres[c]: & R.D.Kimchi, qui ait esse חצי השם[d], *dimidium illius nominis* (Jehova) & Kimchio ac Maimonide antiquior, R.Salomo[e], qui יהוה asserit esse השם שלם nomen illud integrum: יה verò הלוק divisum.

a Exod. 15. 2. b Drus. Tetrag. p. 2. c Lib. 1. c. 62. d Comment. in Psal. 104. 35. e Comment. in Ies. 12. 2.

LIV. Nam licet contrà Hieronymus[a] (quod vulgo minus observatur) יהוה, ex geminato יה compositum statuat, communi tamen analogiæ (quia יהוה puncti ultimi est expers) minus videtur consentaneum: deinde etymon ab היה satis Exod. 3. 14. cum 15. indicatur. Denique origo & usus illius videtur longè antiquior: quum nomen יה primùm, in epinicio Mosis[b], proponatur.

a Tom. 3. epist. ad Damasum. b Exod. 15. 2.

LV. Neque opus est, ut יה, ex יהה (ficta, ex היה per transpositionem, radice) cum eruditissimo viro[c], derivemus: quia *etymon*, modo explicatum, est idoneum, & doctissimorum Hebræorum consensu comprobatur.

a Val. Schindler. Lex. Heb.

LVI. Cæterum *significatio* illius, eadem est, quæ vocis integræ.[a] Unde Maimonides ait; notare נצחות היציאה æternitatem essentiæ: & Theodoretus (τὸν ὄντα) *eum qui est*[b]: Theodotio verò (ut fertur[d]) τὸν θεὸν *Deum*. Pro quo (forte memoriæ allucinatione) τὸ ὄν citatur.[e] Qua verò ratione Hieronymus[f], *invisibilem sonare* affirmet; se videre, eruditiores meritò negant. Atque hæc de *propriis* atque *absolutis* Dei nominibus *tribus*: quæ Essentiam illius notant & reliquis præcellunt.

a A. Ezra. Exod. 3. 15. & 15. 2. b More par. 1. c. 63. c Comment. in Psal. 110. d Com. Hier. adscrip. in Psal. 146. e Drus. Tetrag. p. 1. f Tom 5. in Ies. 26.

LVII. Proprium verò atque absolutum Dei nomen, quod perfectionem essentiæ illius designat, est שדי[a] Sjaddai: vel ut LXX. *mollius* σαδδαΐ ubi in codice Romano diæresis malè ponitur. Cujus *etymon* à שׁ[c] (pro אשר) & די[d] *sufficientia*, derivatur: ut R.Saadias[e], R. Salomo[f], Maimonides[g], & Elias[h] eruditè tradunt.

a Exod. 6. 9. Ezech. 1. 24. b Ezech. 10. 5. c Iob. 19. 23. d Mal. 3. 11. e Vide A. Ezram. Exod. 6. 2. f In Gen. 17. 1. g More par. 1. cap. 63. h Tischbi.

LVIII. *Significatio* autem est, ὁ αὐτάρκης sibi sufficiens, scilicet absolutè κατ' ἐξοχὴν, seu αὐταρκέστατος. quod nullius sit indigus[a]; sed infinita Deitatis suæ perfectione, beatus, 1. Tim. 1. 11. & 6. 15. Quomodo etiam LXX. *ratione etymi*; ἱκανὸν *sufficientem*, Ruth. 1. 20. 21. & (quod eo etiam continetur) παντοκράτορα *omnipotentem*, Job. 5. 7. & 8. 5. &c. *ratione* verò *subjecti*; θεὸν, in Pentateucho, constanter interpretantur.

a Act. 17. 25. Rom. 11. 35.

LIX. Quod verò, Hebræi non pauci, שדי epithetum esse commune, ac fortem notare, nec solùm de Deo, sed de aliis etiam dici, asserunt: illud sanè ex Ezech. 1. 24. & Job. 22. 25. frustra probare nituntur[a]: quia & circumstantiæ, & loca similia (Psal. 18. 14. & 29. 3. 4. 5. & 7. 9. & Ezech. 10. 15.) Deum intelligi, ostendunt.

a A. Ezra. ad Exod. 6. 2. D. Kimchi ad Ezech. 1. 24.

LX. Nec enim, ut A. Ezra[a] *primum* ait שדי, simile est τῷ דוי *languidus:* quia hujus radix vera est דוה: illius verò, שדה temere ficta. Nec *pulchrè* videtur Nagid R. Samuel (ut ibidem A. Ezra *secundo* laudat) statuere, à שדד *vastare* (quasi *fortem ac victorem*) deduci: etsi D. Kimchi[c], eundem sit secutus. Siquidem analogia terminationis in ־ַי *ai* repugnat.

a Ad Exod. 6. 2. b Lament. 1. 22. c Lib. Rad.

LXI. Nam *Iod*, non est vice literæ geminatæ, ut asserunt[a] quia talis permutatio est omnino insolens: neque ullo exemplo idoneo comprobatur. Quod enim A. Ezra producit[b] דליו *attollite:* alienum est, quia thema illius non est דלל; sed synonymum ejus, דלה & *jod*, est pro *he:* ut etiam R. D. Kimchi, in utraque parte Michlol[c], profitetur. Idemque de[d] בזאו (quod etiam adducit A. Ezra) censendum.

a A. Ezra. ad Exod. 6. 2. b Prov. 26. 7. c Grammat. in 8. p. 159. b & l. Radicum, in Dala. d Isa. 18. 2.

LXII. Nam (præterquam quod de *jod*, non verò de *aleph* quæstio est) א hic non est vice geminatæ literæ, & à בזז (ut A. Ezra statuit: & Kimchi initio, in commentariis suis, ipsum est secutus) sed loco ה à בזה spernere. Idque rectè Chaldæus paraphrastes docet, quum בזז exponit: & Kimchi tandem, in suo libro Radicum (etiamsi multos aliter sentire testetur) in radice בזה agnoscit. Qua in re observandum est mirum auctoritatis A. Ezræ fascinum, quo Kimchius seductus, rationem eorum probavit: cujus tamen fundamenta ipsemet rectè subvertit. Quare prius nominis שדי etymon & significatio, retinenda. Atque hæc de *nominibus Dei absolutis* ac *propriis*.

LXIII. *Absolutum* verò ac *commune*, est duplex; nempe קדוש[a], *sanctus*, à קדש sanctum, & à vitiis mundum esse[b]: & אל[c] Potens, ab איל potentia. Quæ nomina *communia* dicimus: quòd & voce, & suo etiam modo, hominibus tribuantur.

a Iob. 6. 10. Ies. 57. 15. b Lev. 11. 44. c Deut. 6. 15.

LXIV. Nam *sanctus*[a], pro Dei cultore: & אל[b] ac δυνατὸς[c] *potens*, pro opibus ac viribus prædito analogia quadam[d] substantivè usurpantur: sed Deo tamen, ut sanctissimo ac præpotenti, κατ' ἐξοχὴν tributa soli conveniunt. Qua de causa; *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*[e]: & ὁ ἅγιος[f] *sanctus ille:* ac *solus sanctus*[g], & *Potens excelsus*[h], μόνος δυνάστης[i] *solus potens*, vel *dynasta*, nominatur. Ideoque LXX. interpretes, interdum *respectu etymi*, ἰσχυρὸν *Potentem* 2. Sam. 22. 31. 32. 33. 48. sæpius verò, *respectu eminentiæ* significationis, & subjecti denotati, θεὸν (Gen. 14. 18. 19. 20. 22.) interpretantur. Quæ duo paraphrasticè, Clar. Interp. Tremellius & Junius, copulantes, *Deum fortem*, constanter exponunt. Atque hæc, de *absoluto* Dei *nomine*, cum *proprio*, tum *communi*.

a Dan. 7. 21. 22. 1 Cor. 14. 33. b Ezech. 31. 11. Psal. 29. 1. c Luc. 1. 52. d Lev. 11. 44. Ies. 40. 29. e Ies. 6. 3. Apoc. 4. 8. f Apoc. 6 10. g Ib. 15. 4. h Gen. 14. 19. i 2 Sam. 22. 32. Ies. 45. 22. 1 Tim. 6. 15.

LXV. *Re-*

LXV. *Relatum* verò *Dei nomen* est, quod ad creaturas, tanquam effecta illius, vel adjuncta, refertur.

LXVI. Ac *proprium* quidem est: quod *vel creationis beneficium* notat: ut בורא [a], ὁ κτίστης [b] creator: à ברא creare: vel ortam, ex creationis jure, *in creaturas potestatem* [c]: ut אדני [d]: quando vox simplex est, & cum Kamets (non per accentus distinguentis accidens, ut Gen. 18. 3. & 19. 18; sed per se) scribitur, Quod nomen, LXX. interdum retinentes, ἀδωναΐ proferunt: in quo (ut ante de χαλδαϊ diximus,) ineptas ultimæ syllabæ, diæresis, à librariis observata.

a Ecclesf. 12. 1. b 1 Pet. 4. 19. c Deut. 10. 14. Psal. 89. 12. Act. 17. 24. 25. Apoc. 4. 11. d. Ies. 3. 17.

LXVII. Quæ vox, à singulari ארון flexa, si terminationem spectes, pluralis est (per Apocopen ם pro ארונים: ut חלוני fenestræ Jer. 22. ℣. 14. pro חלונים) sed sensu singularis (per enallagen numeri; in hac etiam voce, consuetam [a]) ac dominum notat. *Orta* autem est à radice, non דון judicare; sed ארן basis: quasi subditorum basis ac columen: ut & Græcis βασιλεὺς, quasi βάσις τοῦ λαοῦ [b] *populi basis*, appellatur.

a Gen. 24. 9. 10. & 39. 2. Jud. 3. 25. 1. Reg. 1. 11. b Etymol. mag.

LXVIII. Qua *significatione* hæc vox, κατ' ἐξοχὴν intellecta, Deo tribuitur: quòd absolutè omnium sit dominus. Unde ארוני ארונים [a] *dominus dominorum*, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ κύριος τῶν κυριευόντων [b], *rex regum & dominus dominantium: rex, & dominus universæ terræ* [c]: *rex gentium* [d]: *rex sempiternus* [e]: & κατ' ἐξοχὴν *rex ille* [f], *cœli terræque dominus* [g], nominatur. Atque hæc, de *relato nomine Dei proprio*.

a Deut. 10. 17. b 1 Tim. 6. 15. c Psal 47. 8. Mich. 4. 13. d Jer. 10. 7. e Ib. ver. 10. f Ib. 46. 18. g Act. 17. 24.

LXIX. *Commune* verò, vel ad *locum*, vel ad *subditos*, refertur.

LXX. Ad *locum* spectat *primum* οὐρανὸς [a] *cœlum*: quod quia primaria est gloriæ Dei sedes, pro Deo ipso, cœli præside ac domino, metonymicè (ut etiam apud Judæos שמים [c]) usurpatur. *Deinde*, eodem fere sensu עליון [d] *excelsus*, à עלה ascendere. Quod à Luca [e] (exposita latente nominis emphasi ac nominati excellentia) ὕψιστος *altissimus*, dicitur: ut qui excelsa ac cœlesti sede [f], non minus quam potentia [g], supremus [h]. Cui synonymum nomen רם רום [i] *sublimis*, à altum esse, accedit. Nam quod Maimonides [k], hoc de Deo, ratione, non loci, sed gradus dignitatis dici, statuit, nimis strictum apparet.

a Matth. 21. 15. Luc. 15. 18. b Jes. 66. 1. Psalm. 103. 19. c Elias Tischbi. d Num. 24. 16. Psal. 82 6. & 92. 2. Jes. 14. 14. e Luc. 1. 32. f Psal. 91. v. 9. Jes. 14. 13. 14. g Psal. 83. 19. h Ib. 96. 9. & 113. 4. 5. 6. i Jes. 57. 15. k More par. 1. c. 20.

LXXI. Ad *subditos* verò *relatum* Dei nomen *commune*, aut *potentiam* ferendi iis auxilii: aut *potestatem* ac gubernationem (ut plerique sentiunt) significat.

LXXII. Ac *potentiæ Dei nomina*, sunt primum צור [a]: Deinde צבאות [b], (quod LXX. interpretes [c], & Apostoli retinentes [d], suavius, ex Græcæ linguæ genio, σαβαὼθ proferunt) non semper, sed tum demum, quando citra constructionem regiminis, per Appositionem grammaticam, nomini *Iehovæ* [e], subjicitur: sive cum Hebræis [f], per ellipsin אלהי: sive, per metaphoram potius exponamus. Neque obstat, quod Tsebaoth, separatim positum, Deum non designet: ut Epiphanius, de hæres. contra Archonticos, hær. 20. aliàs 40. & A. Ezra ad Exod. 3. 15. objiciunt: quia appositio hæc, ad nominis constitutionem sufficit; quum constructio ostendat vocem Tsebaoth, ea ratione, absolutè usurpari. Ideoque illud non temere Hieronymus [g] cæteris Dei nominibus, distinctè adscripsit; etsi Cl. Zanchius [h] id miretur: nec vulgo peritè satis *Iehova tsebaoth, dominus exercituum*, (quasi regiminis esset constructio) transfertur atque intelligitur.

a Deut. 32. 15. 18. 30. 2 Sam. 22. 32. b 1 Sam. 1. 3. c Jes. 1. 9. 24. & 2. 12. & 10. 16. d Rom. 9. 29. Jac. 5. 4. e Jes. 1. 24. f A. Ezra. ad Exod. 3. 15. g Tom. 3 epist. ad Marcell. h De Attribut. Dei lib. 1. cap. 11.

LXXIII. Ad significationem verò duorum istorum nominum, quod attinet; *prius* petram, à צור arctare: *posterius*, copias militares, à צבא exercitus, designat, & à Lxx. interpretibus [a], sæpissimè, & ab Apostolo [b], Jesaiæ sententiam [c] repetente (expressâ significationis, qua de Deo dicitur, excellentiâ) παντοκράτωρ *omnipotens*, exponitur. Quæ nomina Deum, quasi rupis, & exercituum omnium instar (tanquam solum verè *Averruncum* & *Sospitatorem*) illustribus metaphoris, κατ' ἐξοχὴν designant [d]. Hæc de *nominibus Dei*, quæ *ferendi auxilii potentiam* declarant.

a Mal. 1. 4. 6. 8. 10. 11. 13. 14. b Apoc. 4. 8. c Ies. 6. 3. d Ies. 26. 4. Psal. 18. 3. 32. & 91. 1.

LXXIV. *Potestatis* verò ac gubernationis nomen, plerique viri insignes, cum Hebræis, אלוה [a], esse statuunt. Quæ vox, prima videtur; non autem orta, ab אל; ut quibusdam placet: ut nec vice versa, El, ab Eloah, quod aliis arridet: neque ab אלה jurare: quia utrique isti etymo, vocis Eloah, in ה cum puncto, desinentis analogia, adversatur.

a Deut. 32. 15. 17.

LXXV. Concinnius verò, prima fronte, videtur, quod à diversis viris doctis, ab אלה derivatur: quasi hoc Arabicè adorare significet: quod Deus sit adorandus: sed an ea vox, eaque significatio, probari queat (quum nec in magni illius D. Fr. Raphelengii, nec etiam in doctissimi Valentini Schindleri, Lexico Arabico, neque in Arabica, Pentateuchi Mosis, paraphrasi, ubi adorandi fit mentio, sit comperta) periti illius linguæ judicent ac demonstrent.

LXXVI. Deinde, quid si forte etiam Arabicè id extaret, ac significaret, an non potius origo illius ab Eloah, aut ab Arabico Allah (quasi Deum statuere, adorare) deduceretur? Omitto quod non satis aptum videatur, ut primæ linguæ voces, ex aliena ac posteriori derivenwr, præsertim quum nihil vetet, quo minus primitivam vocem esse censeamus: & adorandi verba Hebræis non desint.

LXXVII. Quare primitivam vocem esse, magis videtur consentaneum. Nec enim certum est, quod obtenditur, omnia nomina, quæ potestatem & officium notant, aliunde derivari: quia similes radices non desunt. Quales sunt סגן antistes, סרן satrapa, פחה dux, קצין gubernator, שטר præfectus. Nam quòd Lexicographi, quædam ex hisce, ad fictas radices, referunt, illud communi errore (quem alicubi reprehendit Mercerus) contingit: quo, omnia pene nomina, sæpeque sine ulla justa causa, à verbo, etiamsi non extet, derivare conantur.

LXXVIII. Cæterum, à nomine *Eloah*, non est diversum Dei nomen *Elohim* (ut Hieronymus tradita) sed plurale illius, eodem, per enallagen numeri, sensu singulari, quum de Deo dicitur. *Generatim* enim ac communiter (ut Hebræi quidem statuunt) judicem ac gubernatorem notat. Nam David Kimchi [b] ait; כל אלהים עבינו שופט. *Omnis Elohim significatio, est judex*. Ideoque *primum magistratus* Exod. 22. 28. *Elohim* dicti [c]: quod Chaldæus Paraphrastes דייניא judices rectè exponit: ineptè verò atque impiè Julianus apostata [d], ad Deos gentilium detorsit. *Deinde* idem etiam nomen tribuitur *Angelis* [e]. Per utrosque enim, & magistratus & Angelos, judicia sua diversè exercet Deus. *Singulari* verò *modo* ac κατ' ἐξοχὴν judicem ac gubernatorem summum, Deum verum, significat. Unde, *judex universæ terræ* [f]: *judex omnium* [g], *unus judex* [h]: *Elohim æternus* [i], ac *solus Elohim* [k]: (ob significationis hujus vocis, quum Deo tribuitur, excellentiam) nominatur. Atque ita LXX. Job. 5. 8. nomen Elohim, τὸν πάντων δεσπότην *omnium dominum*, exponunt.

a Tom. 3. epist. ad Marcell. b In Psal. 4. 2. c Exod. 21. 6. d Vide Cyrill. lib. 7. contra Iul. e Psal. 8. 6. cum Heb. 2. 7. Psal. 97. 7. cum Heb. 1. 6. f Gen. 18. 25. g Heb. 12. 23. h Iac. 4. 12. i Ies. 40. 28. k Ib. 37. 16.

LXXIX. Plerumque tamen iidem, ut & Apostoli [a], Θεὸς *Deus*, transtulerunt. Cujus vocis origo, à vetustissimo scriptore Herodoto [b], & ab Etymologo, à θέω dispono, concinna analogia, cum tradita ab Hebræis, vocis Elohim, significatione, statuitur.

a Matt. 4. 10. & 22. 37. Heb. 1. 8. b Euterpe edit. H. Steph. p. 69.

LXXX. Veruntamen, quia nomen singulare Eloah, nullibi in Sacris literis, significat judicem; sed tantùm pro Deo vero; aut per catachresin atque ironiam, pro falso (& quidem non nisi ter [a]) accipi comperimus; idcirco simplicius atque aptius videtur, ut vocis Elohim, pro judice acceptio, non prima ac generalis; sed metaphorica & specialis, censeatur. Quo etiam spectare videtur, dictum ad Mosem; *Ecce ego statui te Elohim Pharaoni* [b]; hoc est vice Dei [c]: ut sequen-

Ecce ego statui te Elohim Pharaoni [b]; hoc est vice Dei [c]: ut sequentia ostendunt; *Aaronem verò, ut sit Propheta tuus.* Ideoque magistratus *dii* [d] appellati, quia, in judiciis & regimine, *Dei ministri* [e] ac vicarii, existunt [f]. Atque hoc modo gubernatores hominum, cum Angelos, tum Magistratus, Elohim interdum significat: non propriè, quatenus sunt gubernatores; sed quatenus in eo, vices Dei delegatas, sustinent, eatenus Dei nomine (augustiori, quàm gubernatorum aut judicum) ornantur. Atque hoc videtur collatio Psal. 82. 6. cum Joh. 10. 34. 35. postulare.

a Dan. 11. 36. 37. 39. b Exod. 7. 1. c Tremel. & Iun. d Psal. 82. 6. e Rom. 13. 1. 2. 4. 6. f 2. Chron. 19. 6. vide A. Ez. ad Exod. 21. 6.

LXXXI. Denique ut singularis vox θεὸς, aut ὑσιωδῶς, unam & communem Deitatis essentiam, designat: aut ὑποστατικῶς, pro una aliqua Deitatis persona usurpatur: sic etiam nomen Elohim, *vel Dei essentiam*, tribus personis *communem*, *absolute* notat: ac propterea, quæ de Elohim, ea ratione dicuntur, tribus personis, sub significatione Deo communi, ac singulari sensu, conveniunt [a]: vel *proprie unam* Deitatis *personam*, ut Patris [b], aut Filii [c], significat.

a Deut. 6. 5. Gen. 1. 1. b Psal. 45. 8. c Ibid. ver. 7. cum Heb. 1. 8. Psal. 68. 19. Jes. 43. 9. Hos. 1. 7.

LXXXII. Per *catachresin* verò vox Elohim, pro *falsis* etiam *diis* (qui non *naturâ sunt dii* [a]; sed vana opinione *dicuntur dii* [b]) usurpatur. Idque vel citra enallagen numeri, quum de multis diis agitur [c]: vel per enallagen pluralis, pro singulari, quando de singularibus diis, sermo est nominatim [d]. De quo nomine multa pereruditè à Clariss. Drusio, in libro de Elohim, explicata, quæ inde peti possunt. Atque hactenus de *nominibus Dei*. Cui gloria in æternum.

a Gal. 4. 8. b 1. Cor. 8. 5. c Exod. 22. 20. Psal. 95. 3. d Jud. 11. 24. & 16. 23. 1. Sam. 5. 7. 1. Reg. 11. 33. 2. Reg. 1. 2.

COROLLARIA.

1. *An omnia Dei nomina, sint synonyma? Negat.*
2. *An impium sit, pro* יהוה, *legere Adonai? Neg.*
3. *An illud (cum Adonai junctum) rectè legatur, Iehovi? cum Cl. Drusio, N.*
4. *An qui id probant, ideo digni sint, ut Iehovistæ ab eo vocentur? N.*
5. *An Clar. D. Iunius (ob probatam, post alios quosdam, & Iehova & Iehovi lectionem) hanc Clar. Drusii notam,* Has literas, ut infeliciter didicerat, ita infelicissimè docebat, *fuerit promeritus? Neg. nec enim ille hanc notam; sed utroque indignissima nota, meretur spongiam.*
6. *An in literis hujus nominis, mysteria vera lateant? Adversus Cabalistarum fabulas, Negat.*
7. *An huic nomini cognito, vis ulla patrandis miraculis, sit insita? Adversus eosdem, Neg.*
8. *An Capnio, illud nomen,* mirificum *esse, ex Iud. 13. 18. rectè probet? Neg.*
9. *An idem, ex Ies. 63. 16. verè statuat, hoc nomen fuisse, ante mundi creationem? Neg.*
10. *An illud, ante Mosem, absolutè fuerit ignotum? Neg. cum A. Ezra, contra Iosephum, ejusque asseclas.*
11. *An vulgo illius pronuntiatio, Mosis avo, fuerit nota? Aff. cum D. Drusio.*
12. *An integra illius nominis significatio sit,* ens æternum, & causa omnium quæ sunt? *N. Prius enim, est nominis ratio: posterius verò, non est pars illius, sed tantum consequens: quod omne ens reliquum, à primo ente.*
13. *An Genes. 18. is, qui Abrahamum est allocutus, fuerit, angelus Raphaël (ut R. Sal. & Bahal hatturim, docent) an verò Dei Filius? Illud Neg. hoc Aff.*
14. *An in S. literis nomen Iehova absolutè positum, ulli rei creatæ (ut Angelo, Arcæ, aut aliis) tribuatur? Neg. contra R.* Joseph Albo, *& assensores illius.*
15. *An rectè dicat R. D. Kimchi, ad Psal. 89. Deum* Jah vocari, quod sit creator orbis? *Item, in Ies. 26. 4.* Jah est nomen accidentis, Jehova verò, substantiæ? Neg.
16. *An ex Gen. 1. 1.* creavit Elohim, *plures esse personas Deitatis, ex constructionis vi, rectè demonstretur? Cum D. Drusio, (contra Petrum Lombardum, & assensores illius) Neg.*
17. *An rectè dicatur;* Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt tres Elohim? *N. quia Deus est unus, non tres Dii.*
18. *An R. David Kimchi, rectè in Michlol suo probarit Hebrææ lingua esse usum, ut quis, etiam de se, loquatur verbo plurali? N.*
19. *An Hosea, & Jehosua, Num. 13. 17. idem omnino, nempe servatorem, notent? Neg.*
20. *An nomen Iesu, sit idem quod Iehosua? an verò diversum, & ex Iehova inserto* ש *(ut ex ineffabili, fieret effabile) sit ortum? Illud Aff. hoc verò, adversus Capnionem, Neg.*
21. *An* יהושע *sit factum ex Iehova &* שוע *salus? Aff.*
22. *An non inde syncopen, (*הו *expuncto) sit contractum* ישוע*? Aff. ex Nehem. 8. 17. & ex* Ἰησοῦς, *Act. 7. 45. & Heb. 4. v. 8.*
23. *An nomen Iehova, directè significet, promissorum effectorem: an vero indirectè tantum, per consequentiam? Illud N. hoc A.*
24. *An Christus in S. literis ullibi nominetur (ut non pauci putant)* Angelus magni consilii? *N. illud enim, ex prava* Lxx. *interpretum versione, processit: qui verba illa Ies. 9. 6.* consiliarius, אל גבור Deus fortis *&c. ita corruperunt,* μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.
25. *An probari possit, è S. literis,* הוא *Ipse, esse Dei nomen? Nos cum D. Drusio, contra Capnionem, N.*
26. *An ex Dei nominibus istis* Jehova *&* Sanctus, *rectè sequatur eum nec esse, nec esse posse, iniquitatis auctorem? an vero ulla ratione contra doceri possit, eum esse auctorem? Prius Aff. poster. Neg.*
27. *An non sit* ἁμάρτημα μνημονικὸν *in Hieronymo, quòd Comment. in Ezech. 6. tradit; quum (apud* Lxx. *interpretes) bis Dominus Dominus occurrit; prius, esse commune: posterius, proprium: & contra, ad cap. 28. dicat, tum prius, proprium; secundum, commune? Aff.*
28. *An Epiphanius de hæresibus contra Archenticos hær. 20. aut 40. apte interpretetur Elohim, quum ait;* ἐλωείμ, θεὸς ἀεί; *Neg.*
29. *An ibidem rectè exponat,* τὸ ἀδωναΐ, ὁ ὢν κύριος; *Distinctè A. Nam ut proprie notat* κύριος *sic quum à Græcis usurpatur, pro Iehova, est* ὁ ὤν. *quare commate distinguendum à sequenti.*
30. *An & ïà, proprie interpretetur voce,* κύριος; *N.*
31. *An sine ludicro homonymias sophismate, à multis affirmetur eruditis, Hebræa, Arabica, Persica, Græca, Latina lingua ac plerisque aliis, nomen Dei, esse quatuor literarum? Neg.*
32. *An Ies. 13. 6.* Sjod misjaddai *vastitas à Sjaddai, dicatur* κατ' ἐτυμολογίαν *an verò* κατὰ παρονομασίαν; *Prius Neg. post. Aff.*
33. *An ex lege Levit. 24. rectè statuatur, solam eam in Deum blasphemiam, fuisse capitalem, in qua, nomen tetragrammatum, esset expressum: non autem in qua, aliud ullum recenseretur? N.*

DE NONNULLIS QUÆSTIONIBUS CIRCA NOMINA DEI, ET ALIA.

THESIS I.


Elebris est atque explicatione dignissima quæstio; *An vox pluralis Elohim, quando cum singulari aliqua voce construitur, plures idcirco personas significet?* Qua de re, inter eos, qui in asserenda divinarum personarum trinitate consentiunt, nonnulla dissensio est. Quidam enim id affirmant: alii verò negant; ex Pontificiis, Tostatus, Cajetanus, Sixtus Senensis, Bellarminus, Pererius: è nostris, Calvinus, Danæus, Mercerus, Drusius, Paræus, viri insignes. Quorum sententiam, gravibus rationibus innixam, priori non temerè præferendam arbitramur.

II. *Prima* enim *ratio* est, quod contraria opinio, nullo argumento solido demonstretur: neque ullum orthodoxorum Patrum, Hebræorum, aut Christianorum doctorum, ante Pontificiæ synagogæ Magistrum sententiarum Petrum Lombardum, habeat fautorem aut indicem.

III. Cujus magistri sententiarum lib. 1. Dist. 1. f. hac de re oratio, non solùm imperitia laborat; quòd *Elohim*, à singulari EL, deducit: sed etiam, contradictione manifesta, seipsam evertit. Quum enim Gen. 1. 1. *Per Deum, Patrem significari* dixisset, subjicit tamen; *Elohim ad pluralitatem personarum referri.* Quod si verum est, non notat Patrem, qui una est persona: aut si ipsum notat, ad plures personas non refertur.

IV. *Secunda ratio generalis* est, quia consueta est ac frequens Hebræis enallage, qua vox *Elohim* pluralis, cum singulari voce constructa, sensu singulari, cum *de Deo*, tum *de aliis*, usurpatur. Quorum singula exempla, totidem sunt argumenta.

V. *De Deo* quidem, vel *Patre*, vel *Filio*. De *Patris* persona certò accipitur Psal. 45. 8. *Unxit te Elohim Elohecha*, hoc est, Deus, Deus tuus: quemadmodum transfertur atque exponitur Heb. 1. 9. Ungens enim, est Pater; unctus, Filius; oleum unctionis, Spiritus sancti operatio: ut etiam Jesa. 61. 1. declaratur.

VI. *De filii* verò *persona*, Psalm. 45. 7. dictum; *Solium tuum Elohim* hoc est, *Deus*: ut Heb. 1. 8. exponitur & ad Filium refertur. Deinde Hos. 1. 7. *Servabo eos, in Iehova Elohehem*, hoc est, *Deo eorum*, Christo. Denique Jud. 13. Angelus Jehovæ ver. 21. dictus, idem Elohim ver. 22. & Jehova ver. 23. nominatur. Quare, ex hujusmodi constructione vocis Elohim cum singulari, plures personas minimè designari apparet.

VII. Neque *de Deo* solùm, sed *de aliis* etiam simili omnino phrasi, vocem *Elohim*, singulari sensu, ex Hebrææ linguæ genio, usurpari, ex sequentibus sacrarum literarum exemplis constabit.

VIII. *Primum* enim de singularibus *falsis diis*; ita accipi demonstrat 1. *vitulus aureus* dictus Exod. 32. 13. *Elohe Zahab.* ver. 31. id est Deus *aureus* vocatur. Quemadmodum de eodem dicitur Nehem. 9. 18. *Fecerunt vitulum, & dixerunt; Hic Elohecha*, hoc est, *Deus tuus, qui eduxit te.* 2. de Baale Jud. 6. 31. *Si Elohim ipse:* & eodem 1. Reg. 18. 27. *Quia Elohim ipse*: hoc est, *Deus* est. 3. de variis singularibus falsis diis 1. Reg. 11. 33. *Asthoreth Elohe Sidoniorum, Cemosch Elohe Moab, Milcom Elohe filiorum Ammon.*

IX. *Secundo* de *singulari homine Mose*, dicitur Exod. 4. 16. *Tu eris ei in Elohim* & cap. 7. 1. *dedi te Elohim Pharaoni.*

X. *Denique* 1. Sam. 28. 13. *spectrum Samuelis Diabolicum* vocatur *Elohim:* & de eodem quærit Saul; *Qua figura ejus?* Ac quamvis & vocans & quærens, fuerint impii, Hebrææ tamen linguæ suæ morem designarunt.

XI. *Tertia ratio generalis* est, quia idem phrasis genus (unde plures personas concludunt) in aliis etiam pluralis numeri nominibus, quæ *Deo*, aut etiam *creaturis* tribuuntur, frequenter comperitur.

XII. Dei enim nomen est *Adonai* quod pluralis est numeri ac dominos notaret, sed sensu singulari, per enallagen, dominum notat: ut quum de persona sola Patris dicitur Jesa. 61. v. 1. *Spiritus Adonai Iehovæ super me:* ubi *Adonai*, dominum & quidem Patrem notat, ut distincta illius à Spiritu & Filio relatio, & Christus Luc. 4. 18. 21. ostendit.

XIII. Deinde Prov. 1. 20. cum dicitur; *chochmóth sapientia* (pro sapientia Prov. 8. 1.) *cantat, & dat vocem:* & cap. 9. 1. *chochmoth ædificavit*, Filium Dei designari perspicuum, & inter Trinitatis assertores confessum est.

XIV. Sic etiam voces plurales *gnhosaich, factores tui*, & *bognhalaich mariti tui*, cum singulari junctæ, sensu singulari usurpantur: ut Jesa. 54. 5. *Bognhalaich gnhosaich Iehova* & Job. 35. 10. *Eloach gnhosai* (hoc est Deus factor meus) *dans cantica.* Nam licet Pater sit creator, & Filius creator & Spiritus Sanctus creator, tamen non sunt tres creatores, sed unus creator Deus.

XV. Similiter vox *Adonim*, domini pro dominus cum voce singulari, ac sensu singulari, cum de *Deo*, tum de *hominibus*, profertur. Ac primùm *de Deo*; Malach. 1. 6. *Si ego Adonim*, hoc est, dominus. Nam ut Athanasius in symbolo, *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, & tamen non tres domini, sed unus est Dominus.*

XVI. *Deinde* de hominibus creberrimè eadem phrasi ac sensu singulari, pro linguæ Hebrææ more, usurpatur; ut Genes. 39. 20. De Potiphare dicitur, *Accepit Adone Iosephi:* & de ipso Josepho ibidem cap. 42. v. 30. *Locutus est Adone terræ:* similiter de quovis etiam plebejo Domino usurpatur Exod. 21. ℣. 4. 6. 8.

XVII. Adhæc, *Baalim* possessores domini, singulari sensu vocantur: ut Exod. 21. 29. & 36. *Et non custodierit Baalau*, id est, dominus ejus. Alias verò complures aliarum vocum hujusmodi constructiones (licet non pari frequentia usitatas) præterimus, quod hæc abunde sufficiant: ut ex vi hujusmodi constructionis (nominis pluralis, cum singulari) sensum pluralem demonstrari non posse constet.

XIIX. Denique cum singulare *Eloach*, significet Deum; si pluralis ejus *Elohim*, in tali constructione, plures notet, notabit Deos: quia pluralis, à singulari solo numero, non autem significatione differt. Atqui hoc absurdum: ut & *Athanasius* rectè *in symbolo* ait; *sicut sigillatim unam quamque personam, Deum ac dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.*

XIX. Sequitur *altera quæstio*, facilior quidem priori, digna tamen quæ discutiatur paucis, ne in dissertatione, cum deitatis Christi, adversariis (uti nonnullis contigisse compertum) intricemur. Ea autem est; *An nomen Adonai, cum camets in fine, de solo Deo in sacris literis dicatur? An vero interdum etiam de creaturis?* Prius vulgò à plerisque statuitur: ab aliis verò accuratius negatur: posteriùs verò, adhibita distinctione, affirmari & negari posse asserimus.

XX. *Affirmari* quidem, ratione ejusdem soni vocis: *negari* verò ratione naturæ ejusdem diversæ. Quia cum de Deo dicitur, ultima est camets per se ac semper: cum vero de creatura, idem est per accidens pausæ sive accentus distinguentis, qui brevem vocalem patach producit in camets: ut Gen. 18. 3. & 19. 18. exempla sunt illustria.

XXI. Deinde cum de Deo dicitur, perpetuò *Adonai*, est vox simplex & dominum tantummodò significat: cum verò, vel reipsa, vel opinione loquentis, de creatura dicitur, *interdum simplex* est, ut Gen. 18. 3. in verbis Abrahami, qui obvium sibi hominem arbitratus, *Adonai*, per enallagen numeri, dominum vocat: ut singulari constructione ostendit, cum ait; *si gratiam inveni in oculis tuis:* interdum vero vox *composita* est ex nomine & pronomine affixo, ac *dominos meos* significat, ut in verbis Lothi, quibus duos angelos compellat, Gen. 19. 18.

XXII. Ter-

XXII. *Tertia quæstio* est de bonis hominum operibus; An iis vitam æternam mereantur? Pontificii asserunt. Orthodoxi verò meritò negant: idque inter cæteras, hisce etiam rationibus demonstratur.

XXIII. *Primum*, quia etiamsi bona hominum opera essent perfecta, vitam tamen æternam mereri non possent *duabus* de *causis*. *Prima* est, quia ea Deo sunt *debita: altera*, quia sunt *imparia* vitæ æternæ.

XXIV. *Debita* quidem, jure duplici. Primum communi creationis ac benignæ conservationis: deinde proprio redemptionis per Christum: ideoque iis præstitis, nihil mereri possunt apud Deum, nedum vitam æternam, ut Christus asserit Luc. 17. 10. *Quum feceritis omnia quæ præcepi vobis, dicite servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.*

XXV. *Imparia* verò sunt vitæ æternæ; quia ea sunt finitæ naturæ & finiti atque exigui pretii ac temporis opera, quæ Deo nihil commodi adferunt: contra verò vita æterna, beatitudine ineffabili atque imperscrutabili 1. Cor. 2. 9. & nunquam finienda, constat, Adeò ut, quod Apostolus de perpessionibus Christianorum ait (*eas quas præsenti tempore perpetimur, non esse pares futuræ gloriæ in nobis revelandæ*) eadem ratione, ad omnia bona hominum opera (etiamsi perfecta essent) pertineat.

XXVI. Secundò verò, quia & *numero*, & *modo ac gradu* imperfecta sunt, multo minus aliquid apud Deum præmii mereri possunt. Quippe *numero* imperfecta sunt, quia multa bona opera à Deo mandata desunt: & mala adsunt. *Nemo enim est qui non peccet.* 1. Reg. 8. 46. Prov. 20. 9. & 1. Joh. 1. 8. imo *in multis labimur omnes* Jac. 3. 2. *Modo* vero ac *gradu* imperfecta sunt; quia non eo modo atque integritate studii ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus (ut Deus præcepit Luc. 10. 27.) peraguntur, ob carnis adversus spiritum repugnantiam, Rom. 7. 23. & Gal. 5. 17.

XXVII. Unde rectè ab Orthodoxis, contra Pontificios, concludi solet, si bonorum nostrorum operum meritum, per se solum consideremus; id revera esse maledictionem & mortem æternam. Quia *maledictus, qui non permanserit in omnibus scriptis in libro Legis, ut faciat ea*, Deut. 27. 27. & Gal. 3. 10. *& stipendium peccati mors*; *donum vero Dei per Christum vita æterna* Rom. 6. 23.

XXVIII. Atque hinc necessariò sequitur, nullum hominem peccatorem suorum operum merito, ab accusatione Legis absolvi ac justificari coram Deo.

COROLLARIA.

1. *An* Hitsdik *aut* Tsiddek *Hebræum, aut Græcum* δικαιοῦν *in S. literis, cum de justificatione peccatoris coram Deo agitur, significet internâ justitiâ animam justam efficere, ut Pontificii contendunt? N.*

2. *An alibi ita in S. literis usurpetur? N.*

3. *An* δικαιοῦν *apud Græcos auctores priscos, eo sensu accipiatur? Kemnitius constanter negavit: neque hactenus ullo exemplo convictus ab adversariis, licet doctissimis.*

4. *An probari possit vocem* Eloah *(unde plurale Elohim) esse non primam, sed derivatam ab alia voce, vel Hebrææ vel alterius linguæ? N.*

5. *An demonstrari possit, voces* Schamajim & Erets *Hebræas, ab alia linguâ affini derivatas? N. Idemque (bonis auctoribus & rationibus non contemnendis nixi) de Chaldæis vocibus*, Sabbeca, Psanterin & sumphonia *Dan.* 3. *(quas à Græcis traductas ad Chaldæos vulgò censent) statuimus.*

DISPUTATIO VI.

DE PERSONARUM DIVINARUM TRINITATE.

QUoniam *fides catholica hæc est* (ut sanctè graviterque monet *Athanasius*) *ut Unitatem, in Trinitate; & Trinitatem in Unitate, veneremur:* opportunum fore arbitramur, si, priori membro à nobis ante declarato, ad alterum, ex Sacrarum literarum oraculis, illustrandum, & adversus noxias hæreticorum machinas muniendum, pro instituti & moduli nostri ratione, procedamus. *Quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur* [b]. Quum autem perverso, *ambiguitatis* variæ, *vocum* ὑποστάσεως, προσώπου, & *Personæ, abusu* [c] nebulas imperitioribus offundere, & peritiores fatigare, consueverint, ab earum distincta, & paulò uberiori (quam vulgò fieri solet) *explicatione*, Deo secundante, ordiemur. Qua in re tractanda, si consuetæ brevitatis limites, nonnihil excedamus, illud (quemadmodum confidimus) & utilitatis publicæ (ad varia Scripturæ, & Patrum, dicta facilius intelligenda) & novitatis alicujus, intercessione, veniam non difficilem, à benignis lectoribus, impetrabit.

a In Symbolo. b August. to. 3. de Trinit. l. 1. c. 3. c Damasc. de duab. Christi Nat.

THESIS I.

YΠόστασις, vox Græca, ab ὑφιστάναι [a] subsistere *derivatur:* non autem ἀπὸ τοῦ στήκειν τῇ οὐσίᾳ quòd stet essentia: ut perperam, in *Tractatu definitionum*, docetur, qui indignissimè *Athanasio* [b] adscribitur: quum eodem posterior sit, & indoctior: ut *Greg. Nysseni* mentio, stylus, & materia evincunt. *Significat* autem (ut loquuntur) *subsistentiam:* & quidem *abstracte*, vel *concrete.*

a Damasc. Dial. c. 26. Suidas Lex. b Tom. 2.

II. *Abstracte*, actum subsistendi, *proprie* significat: ut forma vocis, & *tropicæ* acceptionis propagines, perspicuè demonstrant. Nam *primo, per synecdochen*, ἀντίστασιν [a] resistentiam; aut ἐνέδρας [b] insidias, sive subsessas, notat: quod illa, apertè; hac, opertè ac tectè, adversus hostes subsistatur. *Deinde per metaphoram*, aut *active*, constitutionem indicat (ut ὑπόστασις τοῦ ἀνθρώπου [c], hominis constitutio, dicitur) aut *passive* ὕπαρξιν existentiam, qua res quævis, aut per se ac vi sua, ut substantia, aut in alio, tanquam in subjecto, ut accidens [d], subsistit. Quæ duo, τρόποι ὑπάρξεως modi existendi, rectè ac generatim, nuncupantur [e].

a Ælianus apud Suidam. b Sophocles apud Socrat. hist. eccles. l. 3. c. 7. edit. Græc. c Porphyr. Isago. c. 12. collat. differ. & speciei. d Simplicius in Arist. Categor. Subst. Relat. Qualit. e Ammonius in Arist. Categ. procem.

III. *Concretè* verò, hypostasis, *rem subsistentem*, declarat. Quæ eodem sensu, ὑπόστημα [a], ὑφεστὼς [b], & vulgò ὑφιστάμενον appellatur. Quomodo, vel *propriè*, vel *impropriè*, usurpari solet.

a Lxx. Jere. 23. 18. Gregor. Naz. de Theol. orat. 2. orat. 34. b Concil. Nic. Acta par. 2. c. 20. Theodo. dial. 1. c. 2.

IV. *Propriè rem* quamvis, *sub* alio *stantem* ac sustentantem, indicat [a]: ut etiam, conjugatis vocibus, innuitur. Siquidem *Polluce* [b] auctore πᾶν ὑπόθημα quodvis suppositititium fulcrum, ὑπόστατον dici solet: & *Philosophus* [c] gravissimum quid sit, definiens ait, τὸ πᾶσι ὑφιστάμενον, τοῖς κάτω φερομένοις *quod omnibus, quæ deorsum feruntur, subsitat.* Unde *matstsáb*, i. *militum statio* [d]: *sedimentum* [e]: *& crassamentum* [f]: & *statuæ* [g], quæ erectæ, sua basi subsistunt, eadem hypostaseos voce, communi quadam subsistendi ratione, nominantur.

a Lxxx. interp. in Ps. 69. 3. Gr. 68. sed hic & postea Hebr. numeros secuti sumus. b Onomast. l. 10. c. 22. c Arist. de cœlo lib cap. 3. d Lxx. 1. Sam. 14. 4. e Arist. Meteor. lib. 2. c 1. & l. 4. c. 5. f Menander apud Polluc. l. 6. c 9. g Lxx. Eze. 26. 11.

V. *Impropriè* verò hypostasis, concretè accepta, per *metaphoram* variè usurpatur: ob *similitudinem*, vel *simplicem*, stationis, aut subjectionis ac sustentationis: vel *geminam*, utriusque.

VI. *Primo modo*, quamcunque rem extantem, etiam accidens subjecto inhærens, notat [a]: ideoque, τῷ ἀνυποστάτῳ non existenti, & mero nomini, opponitur [b]. Quo etiam modo artium notitiam ac qualitatem, in mente existentem, ὑπόστασιν *Basilius* [c] nominat.

a Simplic. in Arist. Categ. Relat. b Ibidem & Damasc. Dial. C. 10. 27. & 28. c Contra Eunom. lib. 2.

VII. *Altero*, id significat, quod est *velut fundamentum*, sustentandi *hominis*, vel *actionis*. *Hominis* quidem, partim ratione *corporis*: ut *vitæ duratio* [a], & vitæ subsidia: *merces* [b], ac *victus* [c] (ut & synonyma, ὕπαρξις [d], οὐσία [e], & Heb. *hon.* [f] substantia, pro facultatibus usurpantur) partim ratione *animæ fac.* ut virtutes, *spei* [g], *constantia* [h], *fidei* [i], quæ etiam *rerum sperandarum hypostasis* [k] (quod, constantiæ illius conditioni [l], innitantur) ab *Apostolo*, nuncupatur. *Actioni* verò, quando, pro *consilio*, accipitur. Quippe, ut *sod* consilium Hebræis, à *jesód* fundamento (quod rerum rectè gerendarum sit quasi fundamentum) derivatur: sic eandem vocem, servata emphasi, Lxx *interpretes*, ὑποστήματος & ὑποστάσεως [m] vocibus reddiderunt. Ac felicius sanè, quàm *Latini Patres* [n], qui Græcos interpretati, *personam*, minus concinnè, transtulerunt.

a Lxx. Psal. 39. 6. & 89. 48. b Lxx. Ier. 10. 16. c Lxx. Iud. 6. 4. d Heb. 10. 34. e Luc. 15. 13. f Prov. 13. 7. g Lxx Psal. 39. 8. & Ruth. 1. 12. h 2. Cor. 9. 4. & 11. 17. i Heb. 3. 14. k Ib. 11. 1. l Heb. 3. 14. & 10. 35. 36. 38. m Ierem. 23. 18. 22. n Augustin. tom. 3. de Trinit. l. 7. cap. 4.

VIII. *Tertio* denique *modo*, vox hypostasis, *substantiam* significat [a]: quod ea per se (seu non in alio, ut in subjecto) hypostasis instar, subsistat. Unde distinguendo, ab accidente, αὐθυπόστατον vocant [b]: & *Anastasius Theopolita*, ac *Cyrillus* [c] (& ex iis *Damascenus* [d]) definiunt; τί ἐστιν οὐσία; πρᾶγμα αὐθύπαρκτον, μὴ δεόμενον ἑτέρου, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σύστασιν. *quid est essentia? res per se existens, neque alterius, ad sui constitutionem, indiga.* Atque hoc modo, vel *generatim*, vel *speciatim*, usurpatur.

a Simplic. in Arist. Categ. in procem. & de subst. b Ammonius in Porph. de spec. & in Arist. Catego. Subst. c Expos. orth. fidei. d Dial. cap. 1. 2. 23.

IX. *Generatim*, quamlibet substantiam, seu rem, per se subsistentem [a] (sive accidentibus subsit, sive non subsit: seu vivens sit, seu vitæ expers [b]) significat. Quomodo etiam igni, à *Cyrillo Alexandrino* [c], & cometæ similibusque à *Philosopho* [d], sua attribuitur hypostasis. Quare etsi rectè *Socrates* [e] *historicus*, recentiores philosophos hypostaseos vocem sæpius usurpasse fateatur: illud tamen minus rectè, quod, à veteribus præteritam, asserat.

a Damasc. primæ instit. cap. 2. & Dial. 10. & 25. b Tractat. defin. t. 2. Athanas. c De Trin. & perso. Chri. cap. 8. d De mundo cap. 4. e Hist. Eccles. l. 3. c. 5. Gr. 7.

X. De qua generali significatione, ait *Hieronymus* [a]; *Tota secularium schola, nihil aliud hypostasin, nisi usian, novit:* & *Athanasius* [b]; ὑπόστασις, οὐσία ἐστὶ· καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαίνει, ἢ αὐτὸ τὸ ὄν. *hypostasis, essentia est: ac nihil aliud significat, quàm id ipsum, quod est.* nimirum, si usum vocis, extra Ecclesiam, spectes [c]. Ideoque in *Concilio Sardicensi* (in quo plerique erant occidentales) *una Patris, Filii & Spiritus Sancti, hypostasis* [d], hoc est, ut ibidem exponunt, *essentia*) asserta est. Quod *Hieronymus* [e] initio acrius est secutus: quemadmodum remissiùs *Augustinus* [f].

a Tom. 2. epist. ad Damasum. b Epist. ad Africa. & epist. ad Antiochenos. c Theodoret. dial. 1. cap. 2. d Theodoret. hist. Eccl. l. 2. cap. 8. e Tom. 2. epist. ad Damas. f Tom. 3. de Trinit. lib. 5. cap. 8. & 9.

XI. *Speciatim* verò hypostasis, per *synedochen*, ab essentia communi, distinguitur [a], & quodvis essentiæ individuum proprium, in se subsistens, (etiam brutum, aut inanimum [b]) significat [c]. Quo etiam modo accipitur, in *Concilio Niceno* [d] & à *Dionysio Areopagita* dicto [e], à *Justino* [f], & à *plerisque Latinorum*; *qui, de hac re scribentes Græcè, dicere consueverunt* (ut docet *Augustinus* [g]) μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *unam essentiam, tres substantias.* Qua etiam *substantiæ* voce, pro individuo substantiæ, synecdochicè accepta, persæpe *Hilarium* [h], nomen hypostaseos Latinè reddidisse, constat. *Posteri vero, ne vocis ambiguitas* (ut *Thomas Aquinas* [i] refert) *fuit esse erroris occasio, maluerunt, pro hypostasi transferre subsistentiam, quàm substantiam.*

a Cyril. de Trin. & pers. Ch. c. 13. b Ib. c. 8. Damasc. Dial. cap. 10. 11. 25. 26. 32. & primæ instit. cap. 2. 4. 7. c Athan. dial. 1. de Trin. Cyr. dial. 1. de Trin. Theod. dial. 1. c. 2. d Actis Conc. Nic. par. 2. c. 12. & 21. e De divin. nomin. cap. 2. f Expos. fidei. g Tom. 3. de Trin. l. 5. c. 8. h Lib. de synodis. i Sum. p. 1. q. 29. art. 2. ad 2.

XII. Atque hac vocis hypostaseos, generatim, vel speciatim, acceptæ, distinctione, in concilio Alexandrino præses *Athanasius* [a], indignam in Ecclesia, de hac voce, litem & λογομαχίαν (explorata ac demonstrata partium, in reipsa, consensione) piè, prudenter ac feliciter, diremit. Et hujus specialis usus vocis hypostaseos, causæ duæ, in eodem concilio, fuere redditæ; dogmatum (adversus hæreticorum, homonymiis ludentium, strophas) explicandorum necessitas, & verborum inopia [b]. Quæ justissimæ ac consuetæ sunt, vocis dilatandæ, aut novandæ, rationes [c]. Quumque rerum infinita penè sit copia: & nominum inopia [d], scitè ait *Simplicius* [e], οὐ δεῖ τῇ τῶν ὀνομάτων ἐπιλείψει, συναπολλύναι τὰ πράγματα, *nominum penuriâ, rem simul perire, neutiquam oportet.* Quare immeritò *Irenæus grammaticus*, hypostaseos vocem, Græcam ac probam, à Græcis theologis tropo variatam, *barbaram* judicavit [f].

a Athanas. epist. synodica ad Antiochenos. Greg. Naz. orat. 21. in laudem Athanasii. b Socrat. hist. l. 3. cap. 5. Gr. 7. c Cic. de finibus l. 3. & de orat. l. 3. d Arist. De soph. Elen. cap. 1. e In Arist. Categ. Qualit. f Socr. hist. l. 3. c. 5. Gr. 7.

XIII. Atque hoc sensu in *Iobo* [a], Hebræam vocem *Kim* (à *Kum*, surgere, stare) id est substantiam aut subsistentiam, Lxx interpretes rectè *hypostasin*, exponunt. Nec aliter Kimchi [b], quam de *persona*, accipit. Et huic affine est, quod *Iekum* [c] substantiam individuam, viventem, citra controversiam, denotat [d].

a Cap. 22. 20. b In Lexico. c Gen 7. 4. d Kimchi in Lexico & alii.

XIV. Hisce accedit *Apostoli* usus, omni exceptione major; quum Dei Patris Filium, ait esse, *expressam imaginem, hypostaseos illius* [a], hoc est, subsistentiæ, seu personæ: non autem essentiæ [b]: ut typi & archetypi, producti & producentis, necessaria diversitas: & essentiæ Filii, & Patris unitas, solidè evincit: Quare ex hisce omnibus perspicuum est, vocem *hypostasis*, & reipsa, & usu, S. literis comprehendi. Ideoque temerè, & olim, & nostris temporibus, ab *Arianis*, & *Samosatenianis*, condemnatam. Cui voci significatione convenit altera, πρόσωπον [c] cujus etiam *origo*, & *usus*, paucis nobis explicandus.

a Heb. 1. 3. b Ibid. & interpretes Chrysost. Theod. Theophyl. Oecum. Athan. dial. 1. de Trin. Damas. orth. fid. l. 1. cap. 9. c Nazianz. orat. 32.

XV. Πρόσωπον *faciem*, *solius hominis*, apud Græcos denotat [a]: sed quidam *angustius*, ore, oculis, genis [b]: alii *latius*, fronte addita [c], circumscribunt. Atque hinc *diversam nominis rationem*, descriptioni suæ consentaneam, adferunt. *Illi*, à situ, quasi πρὸς ὦπας [d], quod, *ad oculos*, extendatur (ut μέτωπον frons, quod supra oculos [e]) derivarunt. *Hi* verò, ab actione, à πρόσω ὄπτει [f], quod homo solus animalium erectus *prorsum* rectaque, non obliquè, *prospiciat:* aut quasi πρόσω τὰς ὦπας ἔχων [g] *prorsum habens oculos.* Sicut ἄνθρωπος (si, in magna etymologiæ varietate, Ammonio [h] credimus) quasi ἄνω θρεῖν ἔχων (& ut aliis placet τρέπων) τὰς ὦπας, quod oculos sublimes habeat, non, ut cætera animalia, in terram pronos [i].

a Arist. de hist anim. l. 1. c. 8. Pollux. l. 2. c. 4. b Gellius noct. Att. l. 13. c. 28. Pollux. l. 2. c. 4. c Arist. hist. anim. l. 1. c 8. d Etym. magn. e Ib. & Pollux. l. 2. c. 4. f Arist. de part. anim. l. 3. c. 1 g Etymol. magnum. h In Porphyr. c. de Genere. i Ovid. metamorph. l. 1.

XVI. Quæ vox, ut *proprie* faciem, idemque quod Hebræis *panim*, significat: sic impropriè, per tropum triplicem, usurpatur.

XVII. Ac *primò* per *metaphoram*, ob similitudinem quandam, vel *expressam*, vel *adumbratam*, ad alia significanda transfertur.

XVIII. *Priori modo*, pro persona scenica [a] (quæ aliàs προσωπεῖον & προσωπίς, usitatius [b]) accipitur. Quæ ab artificibus, certis hominibus perspicuè, & ad vivum designandis, figura & coloribus consimilibus, efformari solebat [c]: ut doctè *Budæus* [d] observavit. Quam significationem propriam esse, & πρόσωπον dictum, παρὰ τὸ πρὸς ὦπας τίθεσθαι, *quod, ante oculos, obtegat vultum*, non satis politè *Boëthius* [e] statuit.

a Pollux. lib. 2. c. 4. b Ibid. c Schol. Arist. ad ἱππεῖς edit. Bas. pag. 201. d Comm. Græc. ling. e De duab. Christ. naturis.

XIX. *Poste-*

XIX. *Posteriori* verò *modo*, vel superficiem [a], vel externam ac fallacem rerum speciem ac circumstantiam, causæ justæ oppositam [b] (quæ sit instar vultus; qui sæpè aliud promit, quam cor premit [c] in S. literis designat. Quâ etiam ratione προσωποληψία *personarum acceptio*, Deo veraci ac justo, rectè derogatur [d].

a Lxx. Gen. 2.6. Luc. 12.56. b Lxx. Deut. 1.17. & Prov. 24.23. c 1. Sam. 16. v. 7. d Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Job. 34. 19.

XX. Deinde per *metonymiam* signi, pro re signata, vel *favorem*: quod vultu sereno [a]: vel *iram*, quod torvo [b], soleat indicari, denotat.

a Lxx Psal. 4. 7. & 102. 3. b Lxx Psal. 34. 17. 1 Pet. 3. 12.

XXI. Denique bifariam accipi solet, per *synecdochen*: vel *partis*, pro toto: vel *speciei*, pro genere.

XXII. Per *synecdochen partis*, pro toto, humanam hypostasin, seu personam, notat. Qua ratione, in hac *Apostoli* sententia, *ut donum*, ἐκ πολλῶν προσώπων *è multis personis, per multos celebretur* [a], perspicuè intelligitur: ut prisci [b], novique [c] interpretes, & res ipsa, attestantur: nisi quod vetus versio (ineptâ, vocis *facierum*, adjectione, scribarum vitio perversa) redundet.

a 2. Cor. 1. 11. b Chrysf. Theophyl. Oecumen. Vetus versio. c Valla in annot. Erasm. Beza &c.

XXIII. Idemque usus apud Lxx. *interpretes*, apparet [a]. Eoque sensu, *personarum acceptio*, Deo [b] justo (ut & Angelo ipsius [c]) non injustè attribuitur: qui, & *miseretur, cujus vult* [d], & pios sui cultores, licet infirmos, gratos habet & acceptos [e]. Atque huic προσώπου significationi, respondet interdum vox ὀνομάτων [f] *nominum* (& ut docti vertunt, *capitum*) quæ, personas, per metonymiam signi, pro re signata, declarat. Quam tamen vocem, hoc sensu, *Patres* orthodoxi, justa *Sabellii* [g] (qui unam trinominem confinxit hypostasin) detestatione, minimè usurparunt; sed ὑπόστασιν, ὀνόματι ψιλῷ nomini mero [h], rectè opposuerunt.

a Lxx his locis Job. 42. 8. Genes. 19. 21. Mal. 1. 8. b Lxx Mal. 1. 9. & Job. 42. 8. c Gen. 19. 21. d Exod. 33. 19. e Job 42. 8. f Actor. 1. 15. g Epiph. cont. hær. 42. Gr. 62. Lat. h Conc. Nic. Act. par. 2. c. 12. Athanas. dial. 1. de Trinit.

XXIV. *Deinde per synecdochen speciei*, pro genere, ad quamvis hypostasin, creatam, vel increatam, denotandam, à priscis theologis, distinctè & cautè, adhibetur [a]. Sicut in *Conc. Niceno* sæpius [b]: inprimis verò à *Leontio* [c] cum ait; προσώπου audimus, *ne suspicemur Deum, humana forma præditum: compositionis enim & figuræ est expers*. Quamvis hypostasis voce potiùs, quam προσώπου, *Græci Patres* uti maluerint: *non solum* (ut conjicit *Augustinus* [c]) *quod secundum linguæ consuetudinem aptius diceretur*; sed etiam, quia S. Scriptura præivit [e]. Scitè tamen ab eo dictum; *Excedit supereminentia Deitatis, humani eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quàm dicitur: & verius est, quàm cogitatur* [f]: Atque hæc de verbis Græcis, ὑποστάσεως, & προσώπου dicta plus satis: reliquum est, ut Latinæ vocis, *persona*, originem & significationem, afferamus.

a Greg. Nazianz. orat. 32. Anastas. expl. fidei. b Actis conc. p. 2. c. 12. c Ib. c. 20. d Tom. 3. de Trinit. l. 7. cap. 6. e Heb. 1. 3. f Tom. 3. de Trinit. l. 7. c. 4.

XXV. *Persona propriè* larvam, seu scenicum humanæ faciei simulacrum [a], significat: ut *etymon* arguit, *à personando* (o literâ, propter vocabuli formam, productiore) quod vocem, in unum collectam, magis faciat resonare: ut C. Bassus, laudante Gellio [b], censuit. Sed quid si potius, quod histrio *per* eam *sonet*: & causa, cur ô producatur, ea sit, ut ab adjectivo persona (id est, sonora) distinguatur? *Alii* tamen, ab eo quod sit περὶ σῶμα [c] *circum corpus*, malunt derivare: quod, an vocis & rei analogiæ, satis aptè conveniat, alii judicent. *Quidam* denique personam, quasi *per se unam* dictam putant [d].

a Cic. de orat. l. 2. b Noct. Att. l. 5. c. 7. Boëthius de duab. Chr. nat. c J. C. Scal. Poët. l. 1. c. 13. d Gul. Altissiod. Sum. l. 1. c. 4. q. 3. Tho. Sum. p. 1. q. 29. ar. 4. Bonavent. Sent. 1. d. 23.

XXVI. *Impropriè* verò aut *accidens* quoddam, aut *substantiam* designat. *Accidens* quidem, per metaphoram, quum, pro hominis conditione ac qualitate usurpatur: ut *Cicero*, *duabus nos natura indutos personis* [a], & *personam gerere* [b], dixit: *substantiam* verò, bifariam notat.

a De offic. l. 1. b Ibid.

XXVII. *Primò*, quum per *metonymiam signi*, pro re signata, hypostasin humanam significat. Quomodo apud *Celsum* [a], *splendida persona*; apud *Valerium Maximum* [b], *necessaria persona*: apud *Ciceronem* [c], *persona obscura* dicuntur. Et, solis radiis clarior, *Tullii* [d], definitio: *Nomen est, quod unicuique personæ datur, quo, suo quæque proprio & certo vocabulo, appellatur*: idem evincit. Quibus denique *Quintiliani* [e], & priscorum ac disertorum *jurisconsultorum* usus celeberrimus, patrocinatur: & falsam magis, quàm solidam, *Laurentii Vallæ* [f] aliorumque censuram, accuratè diluit.

a De Medic. l. 1 proœm. b Memor. l. 2. c. 1. c Ep. ad fam. lib. 3. epist. 5. d De invent. l. 1. e Inst. Orat. l. 3. c. 8. 4. c. 1. 9. c. 2. f Elegant. lib. 6. cap. 34.

XXVIII. *Secundò* personæ vox substantiam notat, quum ab hac prima significatione, per *synecdochen speciei*, pro genere, latius extenditur: & pro quavis hypostasi intelligente, usurpatur. Quod accidit, ob Latini sermonis inopiam, & vocis generalis, quæ hypostasi & προσώπῳ responderet, necessitatem: ut orthodoxæ doctrinæ veritas, apud pios explicaretur distinctius, & hæreticorum insidiæ melius possent patefieri. Id quod ex *Gregorii Nazianzeni* [a] indicio, & ex ingenua *Augustini* confessione [b], comprobatur. Qua personæ significatione, Latinorum Patrum antiquissimus *Tertullianus* [c], persæpe est usus, & posteris exemplo suo rectè præluxit.

a Orat. 21. in laudem Athanas. b Tom. 3. de Trin. l. 5. c. 9. & 7. c. 3. 4. 5. 6. c Contra Praxeam c. 11. 12. 13. 14. &c.

XXIX. *Quippe* (ut ait *Augustinus*) *licuit, loquendi & disputandi necessitate, personam dicere; non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit* [a]. Qualis etiam ratio in reliquarum scientiarum & artium tractatione, observatur: in quibus voces plurimæ, ob copiam rerum, & verborum inopiam, à communi usu, aliò sunt translatæ: ut necessariæ rerum distinctioni, & doctrinæ accuratæ inserviretur.

a Tom. 3. de Trin. l. 7. c. 4.

XXX. *Itaque loquendi causa* (ait idem *Augustinus*) *de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est à nostris Græcis, una essentia, tres substantiæ* (id est, hypostases) *à Latinis vero, una essentia, vel substantia, tres personæ* [a].

a Tom. 3. de Trin. l. 7. c. 4.

XXXI. Quam etiam, *personæ* vocem, multi, cum *Augustino* [a], cæteris prætulerunt: quod *substantia* Latinis ferè aliud nihil, quàm essentiam: & *hypostasis* ac *prosopon*, Græcis Patribus, generatim substantiam singularem propriam [b] (animatam [c] aut inanimatam) significet. Unde *Damascenus* [d] ait; *Sancti Patres hypostasin, individuum & prosopon, idem vocaverunt* [e]. *Persona* verò, de solo intelligente individuo, accipitur. Atque hactenus, *vocum* ὑποστάσεως, προσώπου, *& Personæ, originem* & *usum* variis modis implicitum, extricare conati sumus: ideòque *rem* ipsam, Deo duce, aggrediemur: & hac quidem disputatione, *personæ definitionem*, & *divisionem*, proponemus & expendemus.

a To. 3. de Trin. l. 5. c. 8. & 9. b Vide thesin 9. & 11. c Ibid. d Dialect. c. 16. & primæ instit. c. 1. e Tractat. defin. tom. 2. Athan. Cyril. de Trin. & pers. c. 13. Athanas. de Trin. dial. 1.

XXXII. *Personæ definitionem*, in Ecclesia Christiana, duplicis esse modi comperimus: unam, *Græcorum*: alteram, *Latinorum*. Quæ pro diversa, vocum hypostaseos, & personæ, acceptione, ac dispari amplitudine, inter se plurimùm discrepant: etsi reipsa, ad eundem veritatis scopum suo modo colliment. Quod, quum vulgò minus explicetur, diligenter observandum, tanquam filum necessarium, ut ex Labyrintho difficili, evadamus: & hostium veritatis nodos, facilius dissolvamus.

XXXIII. *Græcorum* Theologorum, *hypostasis definitiones*, inter se consentaneæ, duæ occurrunt.

XXXIV. *Prima* est *Anastasii Theopolitæ & Cyrilli* [a]; τί ἐστιν ὑπόστασις; οὐσία μετά τινῶν ἰδιωμάτων, ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν, διαφέρουσα. τουτέστι, πρόσωπον ὁμοούσιον. *quid est hypostasis? essentia, cum suis quibusdam proprietatibus ab iis, quæ ejusdem sunt speciei, numero differens, id est, prosopon coëssentiale*.

a Expos. Orth. fidei.

XXXV. In qua definitione, per *catachresin* ac synecdochen quandam non necessariam, nec temerè imitandam, nomen ὁμοειδῶν eorum, qui ejusdem sunt speciei, pro ὁμοουσίων,

 qui

qui ejusdem sunt essentiæ, usurpari liquet. Quemadmodum apud alios etiam Patres, *speciei* nomen pro essentia communi (universali, aut singulari) accipitur: & de Deitate quoque durius enuntiatur [a].

a Damasc. orth. fid. l. 3. c. 4. & Prima instit. c. 7.

XXXVI. *Altera*, quæ iisdem vestigiis inhæret, est *Damasceni*; *hypostasis est quiddam speciale, ut res singula, quæ eadem specie* (nempe substantiali) *continentur* [a]: & alibi, *hypostasis est, quæ per proprias operationes, & proprietates, manifestam & circumterminatam, ab his, quæ unius naturæ cum ipsa, tribuit nobis expressionem* [b].

a Damasc. primæ instit. c. 2. & orth. fid. l. 3. c. 4. b Idem Dial. c. 26.

XXXVII. Sed utraque hæc *Græcorum definitio*, non solum illâ vocis *speciei*, abusione, est obscurior: sed etiam *nimis lata*, eoque mutila: quia generatim, substantiam singularem ac propriam, nobis describit. Ideoque non minus Bucephalo, quàm Alexandro: nec Deo Patri magis, quam humanæ Filii naturæ, videtur convenire.

XXXIIX. *Latinorum* verò *personæ definitio*, initio quidem fuit neglecta, sed tandem, piorum & eruditorum industriâ laudabili, accuratius, quàm à Græcis, fuit instituta, & variis suis incrementis, illustrata. Alia enim est *prisca*: alia, est *nova*.

XXXIX. *Prisca* est, quæ, ante annos mille, à *Boëthio* (occasione quadam, dubitationis ipsius, & ignorantiæ aliorum, in Concilio Romano, assessorum [a]) seriâ indagine, quæsita fuit ac reperta hujusmodi; *rationalis naturæ substantia individua* [b].

a De duabus Christi naturis. b Ibidem.

XL. *Substantiam* autem vocat: quia est ens, per se subsistens, completum; non verò accidens, neque pars substantiæ: *rationalis naturæ*, hoc est (per *synecdochen speciei*, pro genere) intellectualis [a]; non intellectu destitutæ: *individuam*; hoc est, singularem, ac propriam, & in se sustentatam; non autem in sua subjecta divisam & communem, nec in alia sustentatam: ut quæ subjectum sit, & de nullo subjecto dicatur [b]. In qua definitione, hoc modo intellecta, *Scholastici theologi* vulgò [c], *Johanne Scoto* [d] frustra renitente, acquieverunt.

a Thomas sum. p. 1. q. 29. Bonaventura in sent. 1. d. 25. q. 2. Occam. in 1. sent. d. 23. Biel. in sent. 3. d. 1. q. 1, b Arist. in Categ. de Substantia: & Boëthius in commentariis, in Categ. Arist. c Alexander de Ales Sum. p. 1. q. 44. Thom. Sum. p. 1. q. 29. Biel in sent. 3. d. 23. q. 1. & l. 3. d. 1. q. 1. d In sent. 1. d. 23. ad qu. resp.

XLI. *Nova* verò *personæ definitio* est, quæ, priscæ illustrandæ, successit. Qualis est, *Scholasticorum*: aut *Philippi Melanchthonis*.

XLII. *Scholasticorum definitio* ea dicitur, quæ à Scholæ Pontificiæ theologis, *Petri Lombardi* (quem *Magistrum sententiarum* vocant) discipulis & interpretibus, tradita est. Eaque, vel *explicatior* est, vel *contractior*.

XLIII. *Explicatior*, est duplex: *prima*, quam *Richardus de sancto Victore* lib. 4. de Trinitate, ut *Boëthii* definitionem illustraret, & corrigeret [a], descripsit, hoc modo; *intellectualis naturæ, incommunicabilis existentia.* Illustrare conatus est, quum pro *rationali*, *intellectualem*: & pro *substantia*, *existentiam*, posuit: corrigere verò studuit; quum *incommunicabilis* vocem (ut animam, à personæ appellatione, discerneret [b]) adjecit. *Incommunicabilem* autem dici, duabus de causis, exponit *Scotus* [c]; quod communicari non possit, neque ut universale inferiori: neque ut forma, materiæ: ut anima corpori communicatur. Quam tamen expositionem mutilam esse, *Occamus* [d] contendit. *Secunda* definitio est *Bonaventuræ* [e]; *rationalis naturæ suppositum, proprietate distinctum.*

a Alexand. de Ales. Thomas Biel, Scotus, ibidem. b Scotus in sent. 1. d. 23. ad q. resp. c Ibidem. d In sent. 1. d. 23. e In sent. 1. d. 25. q. 1.

XLIV. Verumtamen, in illa *Richardi definitione*, *duo*, illius perfectioni, *obstare* apparet. *Unum* est, vocis *existentiæ*, pro re existenti, non necessaria catachresis: *alterum*, nominis *incommunicabilis*, ambiguitas magna [a]: quæ lucem definitionis offuscant.

a Occam. in sent. 1. d. 23. Biel sent. 3. d. 1. q. 1. Suarez metaph. disp. 34. sect. 5. §. 14.

XLV. *Contractior* verò *definitio* (quam vulgò Pontificii theologi sequuntur) est *Occami* [a], hoc modo; *persona, est suppositum intellectuale.* Ac *suppositum* (ut addit) *est ens completum: non constituens aliquod ens unum: non natum alteri inhærere: nec ab aliquo alio sustentatum.* Nam, *ut Biel* [b] exponit; *quod est individuum, in omni natura, hoc suppositum, in natura, per se subsistente: & persona, in natura intellectuali.* Atque hæc de *Scholasticorum definitionibus.*

a In sent. 1. d. 23. b In sent. l. 3. d. 1. qu. 1.

XLVI. *Philippi* verò *Melanchthonis* [a] *definitio* (redundantior nonnihil, sed nihilominus expressa magis ac perspicua) hæc est; *persona, est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alia natura.* Cui *Ursinus*, quasi ultimam addens limam, consentit, quum definiens ait; *subsistens individuum, vivum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio, nec pars alterius* [b].

a Locis commun. in defin. Theologicis. b Locis commun. de tribus pers. & Catech. in expos. symboli.

XLVII. Cui definitioni, non immeritò in Scholis probatæ, uti libenter assentimur: ita nostrum quoque, veritati illustrandæ, symbolum, sincerè, bonâque, bonorum & eruditorum, veniâ, conferemus. Nam quid si potius, non negatè, quid non sit; nec ambiguâ (ut modo ostendimus) *incommunicabilis* voce: sed affirmatè quid sit, & verbis perspicuis (ut definitionis canones præscribunt [a]) describamus, hac ratione? *Persona, est substantia, completa, singularis, intelligens, propria, in se sustentata.* Quæ paucis explicanda.

a Arist. Top. 1. c. 5. & 6. c. 2.

XLVIII. Persona, *substantia* dicitur; quia est ens, per se existens, non autem in alio inhærens, ut accidens: *completa*; non partialis (ut loquuntur) seu non pars (neque integralis, neque essentialis) alterius: ut caput corporis, anima hominis: & forma & materia, compositi. Quæ substantiæ quidem sunt [a], sed non completæ. *Deinde intelligens*, ideoque & viva; non bruta, neque inanimata: *singularis*; non universalis: ut genus vel species: *propria*; non communis, ut essentia divina: denique *in se sustentata*; non in alio, ut humana Christi natura.

a Arist. Categ. Subst.

XLIX. Quoniam verò nonnulli [a] (viri alioqui, doctrinæ insignis, & assertæ veritatis nomine, suspiciendi) receptam atque usitatam personæ, à *Boëthio* & *Melanchthone* traditam definitionem, nec accuratam, neque tutam satis, arbitrantur, eamque mutato prorsus genere recudunt: multique ea opinione, aut à recto, periculosè declinant: aut in bivio, ancipites hærent: necesse est, ut eam, succinctè expendamus, & ad sincerioris, de personarum Trinitate, doctrinæ præmunitionem, & veritatis conservationem, diluamus. Nec enim trita magis, quàm sancta *Philosophi* [b] norma, δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε, τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν· item ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Veritati conservandæ, etiam propria tollenda esse decreta: quum enim utraque sint cara, veritas præferenda est.*

a Barthol. Keckermannus system. theol. p. 16. 17. 19. Jacob. Martin. de tribus Elohim l. 2. c. 4. & 10. b Ethic. Nicomach. l. 1. cap. 6.

L. Nam, quod *genus personæ*, non esse substantiam, seu essentiam, per se subsistentem: sed *subsistentiam*, abstractè sumptam, seu *modum existendi*, contendunt: id neque solidâ ullâ ratione, neque Scripturæ auctoritate, nec veterum Patrum orthodoxorum consensu, stabilitur: sed, omnibus hisce modis, gravissimè confutatur.

LI. *Primum* enim, quum Pater, Filius, Spiritus Sanctus, & singuli homines, & Angeli, sint personæ: nec ullæ sint aliæ, præter hasce: & singulæ, citra ullam controversiam sint substantia, proprio suo existendi modo prædita: sole clarius est, hac inductione, evinci, nullam personam esse solum existendi modum, aut subsistentiam absolutè consideratam.

LII. *Deinde* quicquid intelligit, vult, potenter operatur, est substantia intelligens propria, in se sustentata. Omnis persona, intelligit, vult, potenter operatur: ergo substantia est. Contra nulla subsistentia, absolutè considerata, intelligit, vult, operatur: ergo nulla talis subsistentia, est persona.

LIII. Denique, ut alia omittamus, omne suppositum est substantia: omnis persona est suppositum, communi consensu: ergo etiam substantia, non mera subsistentia.

LIV. Quibus

LIV. Quibus *rationibus* accedit Sacræ *Scripturæ auctoritas:* quæ, per *hypostasin Patris* [a], substantiam Patris, suo subsistendi modo distinctam: seu Patrem ipsum, qui Filium sibi ὁμοούσιον characterem producit, designat: & per πρόσωπα πολλὰ [b] *personas multas*, humanas substantias singulares multas, intelligit.

a Heb. 1. 3. b 2. Cor. 1. 11.

LV. *Deinde*, perpetuus ac constans Orthodoxorum *Patrum* & Ecclesiæ *usus* ac *sententia* idem ostendit: ut antecedentibus thesibus, copiosè à nobis est demonstratum.

LVI. Nam, quod à *Damasceno* [a] & *Iustino* [b], personam, τρόπον ὑπάρξεως *existendi modum*, definitam esse, obtendunt: id omninò alienum est.

a Dialect. cap. ultimo. b Expos. fidei.

LVII. *Damascenus* enim, eo in loco, non personam, sed personæ subsistentiam ac formam, definit; ut antecedentia verba disertè demonstrant: & alia loca plurima, quibus personam, substantiam esse definit [a]: quorum nonnulla, Thesi 35. indicavimus. Quum enim hypostasis, aut abstractè subsistentiam, aut concretè, ens subsistens, notet: non priori modo, ut hîc, sed posteriori accipit, quum de integra, divina, aut creata, persona disserit. Quemadmodum quum ait; *hypostasis individuum declarat: ut Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, Petrum, Paulum* [b]. Et alibi [c]; *hypostasin definiunt substantiam, cum accidentibus* (de creata persona loquitur) *quare hypostasis, quod commune est, cum proprietate habet, & per se existit.* Commune autem essentiam intelligit, ut ibidem exponit.

a Orthod. fid. l. 3. cap. 5. b Damasc. Orth. fid. l. 3. cap. 4. c Ib. cap. 6.

LVIII. *Iustinus* verò, (ut & reliqui *Patres* [a]) ingenitum, genitum, procedens, *modos existendi* vocat, quibus Pater, Filius, Spiritus Sanctus existunt: sed hypostasin non definit. Nam in hypostasibus illis, disertè duo distinctè statuit, communem & eandem essentiam, & modi existendi differentiam: ut doctè etiam Basilius [b] & Nazianzenus [c], distinxerunt.

a Basil. contra Eunomium l. 4. Theodoret. Epitome divinorum dogm. c. de Spiritu Sancto. b Contra Eunom. l. 2. c Orat. 23. in laudem Heronis.

LIX. Hactenus de *persona* definitione egimus: cui *divisio* analoga succedit. Persona enim alia, *divina* est & *increata:* alia, à Deo *creata*.

LX. *Divina*, est essentia infinita Deitatis, proprio subsistendi modo, à coëssentialibus distincta: ut inductione constat. *Creata* verò est hypostasis finita, ab iis, qui ejusdem sunt speciei, essentia sua, & accidentibus, divisa.

LXI. Unde illustres *divinarum*, & *creatarum personarum*, pro essentiarum discrepantia, *differentiæ* consequuntur. [a] Quarum distincta explicatio, ad mysterium Trinitatis melius intelligendum, & fortius asserendum, plurimùm conducit [b].

a Cyril. de Trinit. & pers. Chr. c. 10. b Damasc. Orth. fid. l. 1. c. 11.

LXII. *Primum* enim, quia personarum divinarum essentia, est simplex & infinita, creatarum verò composita ac finita: propterea necessario, *divinæ*, habent unam eandemque essentiam individuam, inter se communem (unde *unum* [a] in Scriptura: & ὁμοούσιοι, unius ejusdemque omnino essentiæ, vetustissimorum Patrum exemplis [b] in Symbolo Niceno, appellantur) *creatæ* verò, diversam ab aliis, ac sibi propriam. Unde propriè ὁμοειδεῖς ejusdem speciei: & relatè, ad essentiam universalem, ὁμοούσιοι [c] relatè verò ad essentiam singularem, ὁμοιούσιοι ἑτερούσιοι similis & alius essentiæ, nominantur. Quia quot hic sunt personæ, tot etiam sunt substantiæ singulares.

a Ioh. 10. 30. & 1 Ioh. 5. 7. b Theod. hist. l. 1. c. 8. c Basil. contra Eunomium l. 4. Tractat. definit. t. 2. Athanas.

LXIII. *Deinde*, ex prima hac differentia, aliæ plurimæ oriuntur. Nam quum eadem sit, in *divinis personis*, essentia; eadem etiam necessariò est intelligentia, eadem voluntas, eadem potentia, eadem operatio. Ac concinnè Athanasius, εἴ τι ἴδιον τῆς οὐσίας, τοῦτο κοινόν ἐστι τῶν ὑποστάσεων, τῶν ὑπὸ τὴν οὐσίαν [a] *si quid est essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt.* Quod enim de attributo dicitur, idem etiam de subjecto: ut rectè ex *Philosopho* [b], *Damascenus.* [c] *Contra* verò, quia *personæ creatæ*, essentiam habent diversam inter se, ac sibi propriam, differunt etiam inter se, intelligentia, voluntate, potentia, operatione, & variorum quoque accidentium cumulo proprio. [d]

a Dial. 1. de Trin. & Nazianz. orat. 32. b Arist. Categ. proœm. c Orth. fid. l. 3. cap. 6. d Porph. Isag cap. 2.

LXIV. *Tertiò*, ex eadem essentiæ infinitæ unitate, & opposita finitæ diversitate, præsentiæ mutuæ modus, diversus & adversus, promanat. Quia personarum divinarum intima mutuaque præsentia, est simpliciter necessaria & æterna. Qua, per & propter, unam eandemque essentiam, ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως inconfusè & indivisè, aliæ sunt mutuò in aliis. Quam Græci Patres, Scripturæ [a] normam secuti, τὴν ἐν ἀλλήλαις μονὴν καὶ ἵδρυσιν [b] mutuam (ut interpretantur) immanentiam & stabilitatem vocant: & eodem sensu, licet obscurius, sed vulgo usitatius, ἀσύγχυτον ἐν ἀλλήλαις περιχώρησιν [c], inconfusam in se mutuo, comprehensionem (nam malè interpres, *circuitionem*) ac præsentiam, appellarunt. *Contra* verò *personæ creatæ*, quia compositæ, finitæ, & diversæ sunt essentiæ, hac intima, mutuaque, per eandem naturam, præsentia, necessariò carent: & locorum, partimque temporum (ut humanæ personæ) intervallis dirimuntur.

a Ioh. 10. 38. & 14. 11. b Damasc. orth. fid. l. 1. c. 19. c Ib. l. 1. c. 11. & 3. c. 5. Cyril. de Trin. & pers. Chr. c. 10.

LXV. *Denique* ex iisdem unitatis, & diversitatis fontibus, reliqua *duo* oriuntur *discrimina*. Quorum *prius* est, quod personæ divinæ, plures, atque inter se differentes sint, non simpliciter; sed secundum quid: non ratione essentiæ; quia ea communis est: sed ratione modi existendi; quia singulis est proprius, & incommunicabilis. Nam (ut rectè prisci Theologi [a]) *inconfusè uniuntur: & indivisè discernuntur.* Discrimen verò *posterius*, inde profluens, est quod in personis divinis ideo non est aliud, & aliud: sed *alius*, atque *alius* [b]: unum, non unus. Contrà verò personæ creatæ, simpliciter, & aliâ essentiâ propriâ, & aliâ propriâ accidentium congerie, inter se separantur [c].

a Damasc. Orth. fid. l. 3. c. 5. Athan. in Matt. 11. omnia mihi tradita. Greg. Naz. or. 13. de pace. b Ioh. 5. 32. & 14. 16. Nazianz. orat. 51. Athanasius dial. 1. de Trin. c Porphyr. Isagog. cap. 2.

LXVI. Ex quibus omnibus liquet nihil esse iniquius & indignius, quàm, si personæ divinæ coëssentiales & infinitæ, ad creatarum personarum (quæ finitæ & diversæ sunt essentiæ) modulum finitum, redigantur, ac judicentur. [a]

a Nazianz. orat. 37. de Spiritu Sancto.

COROLLARIA.

1. *Pater, Filius, Spiritus Sanctus, sunt tres personæ, unus Deus.*
2. *Ideoque Trinitatem imprudenter tollunt, qui Patrem, Filium, Spiritum Sanctum* tres modos existendi, *definiunt.*

DISPUTATIO VII.

DE PATRIS ET FILII PERSONIS.

PRæsenti disputatione de *Divinarum Personarum*, inter se *distinctione* (quia plures sunt) Deo duce ac Scripturæ luce (sine qua, in hac inprimis materia, vana ac cæca est omnis humana ratio) agemus.

THESIS I.

PErsona autem *Deitatis* alia est *prima:* alia, *orta à prima.*

II. *Prima* est, quæ originis omnis expers, reliquas, æterna ac naturali, ejusdem divinæ suæ essentiæ, communicatione ineffabili, in se produxit. Unde, à priori, eaque absoluta proprietate, qua, à nullo est, ἀναρχος simpliciter: à posteriori verò, qua alias produxit; ordinis existendi ratione, κατ' ἐξοχὴν, *persona producens*, & *fons Deitatis*, ab Orthodoxis Patribus, nominatur.

III. *Orta* verò *à prima*, pro originis diversitate, duplex est: *una*, per generationem (unde & gignens, Pater: & genitus, Filius dicitur) *altera* verò per processionem, à Patre & Filio, ut Spiritus Sanctus. Ideoque tres hasce Deitatis personas [a], & quidem solas, Sacræ literæ agnoscunt: & expresse *tres* [b], nominant: & hinc *Trinitatis* vox, consentaneè usurpatur. Nunc verò tantùm, de *Patre & Filio*, acturi, à *vocum etymo* & *significatione*, ordiemur: & quæ strictum proposuimus, eadem retexentes, sigillatim illustrare ac firmare nitemur.

a Psal. 33. 6. Ies. 61. 4. cum Luc. 4. 18. & 21. Ies. 63. 7. 9. 10. 2 Sam. 23. 2. Agg. 2. 5. 6. Matth. 3. 16, 17. & 28. 19. Ioh. 14. 16. 17. Gal. 4. 6. 2 Cor. 13. 13. b 1. Ioh. 5. 7.

IV. Ad *etymon*, quod attinet, *Pater*, Hebraicè *Abb*, ab *Abbá* voluit, ob nativam, erga prolem, benevolentiam, derivatur. Unde Syriacum, *Abba* [a]: è quo Græcum βᾶ [b], hoc est, pater [c]: ac fortè etiam Syracusanum πᾶς [d]: & inde, πατὴρ: ut ex μᾶ [e] (quod è Syro *Emma*) πατὴρ & μήτηρ, profluxit. *Filius* verò, Hebr. *Ben*, à *Baná* exstruere, quod familiam paternam, quasi exstruat ac conservet: Græcè, υἱός: quod à φύω gigno, per aphæresin, deducunt [f]: ut Latinè, *Filius*, à Græcò φίλιος benevolus (ob mutuum in patrem amorem) aut, ut vulgò sentiunt, charus: si modò σκύλακες φίλιοι (quo solo nituntur) charos catulos [g], & non potius blandos, significet. Hæc de *vocum etymo*.

a Rom. 8. 15. b Æschyl. Ἱκέτιδ. edit. H. Steph. p. 336. c Schol. ib. d Etymol. Mag. in πάππας. e Æschyl. & Schol. pag. 336. f Etymol. & Eusthat. ad Iliad. & edit. Rom. p. 12. g Hen. Step. Thes. Gr. ling.

V. *Significatio* verò earum alia *propria*: alia, *impropria*. Ac *propriè* quidem *pater*, generatim dicitur, qui aliam, ex se, personam, essentiæ suæ communicatione, genuit: ac *filius* vicissim persona, quæ à patre suo, essentiæ ipsius communicatione, genita est. *Impropriè* verò, per metaphoram, qui illis sunt similes, iisdem vocibus, designantur.

VI. Utraque acceptione, patris vox, ut de hominibus (qui *patres carnis* [a], ac terreni) sic etiam, de prima Deitatis persona (quæ, *pater cœlestis* [b]) sed diversa relatione, usurpatur.

a Heb. 12. 9. b Matth. 6. 14. & 18. 35.

VII. *Impropriè* enim, relatè ad creaturas intellectu præditas (ob gratiæ collationem, generationi similem) refertur. Quæ gratia, aut *universalis* est; ut creatio, ad imaginem Dei, quomodo Angeli, *Dei filii* [a], & homines [b], qui etiam, *progenies Dei* [c], dicti: & Deus, eorum pater [d]: aut *particularis*; ut quorundam hominum vocatio. Eaque, vel ad solam Dei (patris instar erudientis [e]) notitiam, & externam, Ecclesiæ ipsius, communionem adducuntur: unde hujus participes, Filii Dei [f], vocantur: vel ad notitiam simul ac sanctitatem: quæ idcirco metaphoricè *regeneratio* [g], dicta. Qua ratione vocati, *divinæ naturæ* κοινωνοὶ *consortes* [h], *ex Deo geniti* [i], *Deique filii*: & Deus, eorum *genitor* [k] ac *pater* [l], ob peculiarem gratiam ac similitudinem [m], κατ' ἐξοχὴν nominantur.

a Iob. 1. 6. b Ies. 45. 11. Mal. 2. 10. c Act. 17. 29. d Ies. 64. 8. Heb. 12. 9. e Deut. 8. 5. f Gen. 6. 2. 4. g Tit. 3. 5. 1 Pet. 1. 23. h 2 Pet. 1. 4. i Ioh. 1. 13. Iac. 1. 18. 1. Pet. 1. 23. k 1. Ioh. 5. 1. l Hos. 1. 10. Rom. 9. 8. 26. m Eph. 4. 24. Col. 3. 10.

VIII. Quæ *impropria* patris, ad creaturas ita relati, notio, primæ personæ, cum reliquis duabus, communis est: ut ex sequentibus etiam elucebit.

IX. *Propriè* verò accepta, soli, è tribus personis, primæ, solaque ad Filium, propriè dictum, relatione, convenit: ut *Patris*, è Sacris literis, collecta *descriptio*, ejusque demonstratio, comprobabit.

X. *Pater* enim, est *prima Deitatis persona: quæ sola, per æternam ac naturalem divinæ essentiæ suæ, communicationem primam, in se, Filium unicum, genuit.* Unde, necessaria relatione, *Filius*, est *secunda Deitatis persona, quæ ita, à Patre, genita.* In qua descriptione, primùm Patris, cum Filio (ut & cum Spiritu Sancto) *convenientia*: deinde vero, *differentia propria*, continetur. Quarum sententiam & veritatem, ordine ostendemus.

XI. *Convenientia communis* est, quòd absolutè, *Deitatis persona*, dicitur. *Persona* quidem, quoniam & hypostasis [a], eodem sensu, & propria personæ [b], eidem conveniunt. *Deitatis* verò, quia persona est, non creata, sed increata ac divina: ut Sacra pagina demonstrat.

a Heb. 1. 3. b Ib. 1. 2. 3.

XII. *Primum*, quòd *Deus verus* [a], *Deus vivus* [b], *Deus æternus* [c], ac *solus immortalitatem habens* [d], *Deus magnus* [e], *unus ille Deus* [f], denique *ille solus verus Deus* [g] (oppositè iis, qui impropriè dii [h]) nominatur.

a 2 Chro. 15. 3. b Ies. 37. 4. Matt. 16. 16. c Rom. 16. 26. d 1. Tim. 6. 16. e Deut. 10. 17. f 1 Cor. 8. 6. g Ioh. 17. 3. h 1 Cor. 8. 4. 5. 6 Gal. 4. 8.

XIII. *Deinde solus sapiens* [a], *solus sanctus & solus bonus* [b], *solus potens* [c], & *omnipotens* [d], *solus* præterea *orbis creator*, & Ecclesiæ *redemptor* [e]. *Denique* is, cui soli, tanquam *regi immortali*, adoratio, omnisque cultus divini *gloria*, competit [f]. Quæ omnia similiter oppositè creaturis, Patri, in Sacris literis, tribuuntur. Quocirca etiam, Dei vox (quæ aliàs absoluta) relata ad personam, pro Deo Patre, sæpius usurpatur [g]. Quæ clariora, quàm ut, uberiorem demonstrationem, desiderent. Atque hæc de *Patris, cum Filio, convenientia.*

a Rom. 16. 27. 1. Tim. 1. 17. b Apoc. 15. 4. Matt. 19. 17. c 1. Tim 6. 16. d 2 Cor. 6. 18. e Ies. 44. 24. f 1 Tim. 1. 17. Matth. 6. 13. g Ioh. 1. 1. & 18. & 3. 16. 17. &c.

XIV. *Differentia* verò, qua distinguitur, est *proprietas* gemina, una *ordinis*: altera *actionis personalis*.

XV. *Ordinis* quidem, quum persona *prima* dicitur. Pater enim simpliciter ac solus, non tantùm essentiæ (ut reliquæ personæ) sed etiam personalis existentiæ ratione, primus est: è quo, reliquæ personæ, procedunt ac succedunt: ut harum origo, & ei conveniens operandi ordo [a], & ordinata earum recensio [b], demonstrant.

a Heb. 1. 3. Ioh. 15. 26. b Agg. 2. 5. 6. Matt. 28. 19. 1 Ioh. 5. 7.

XVI. *Actionis* verò *personalis* proprietas, in generatione Filii, consistit: ac primùm descriptione, contractius *proponitur*, deinde *modi expositione*, latius *declaratur*.

XVII. *Proponitur* enim, primùm quum *Filium genuisse*, consentaneè Sacris literis, asseritur. In iis enim extat; *Quod est nomen Filii ejus, si nosti* [a]? Et illud; *Filius meus es tu: ego hodie genui te* [b]. Hunc autem Filium Dei, non impropriè dici (ut Angeli, & homines) sed propriè, Apostolus eo demonstrat, quòd, licet nomen illud homonymum, illis commune sit: nominis tamen ratio, qua, secundæ personæ, tribuitur, diversa sit, nec ulli creaturæ conveniat. Ideo ait; *Excellentius præ illis sortitus est nomen. Nam cui Angelorum unquam dixit; Filius meus es tu: ego hodie genui te? Et rursus; Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius* [c]? Quod etiam discrimen, à Christo fuit indicatum: & à Judæis, probè intellectum, licet improbè atque impiè reprehensum [d].

a Pro. 30. 4. b Psal. 2. 7. c Heb. 1. 4. 5. d Ioh. 5. 7. 18. & 19. 7. Matt. 26. 63. 64. 65.

XVIII. *Deinde* genuisse hunc Filium, *unicum*, in propositione, additur: quia ut *primogenitus* [a], quoniam ante ipsum nullus: sic *unigenitus* [b], quia neque post ipsum, alius à Patre genitus. Atque hæc, de generationis Filii (quæ actio personalis propria) *propositione*.

a Heb. 1. 6. b Ioh. 1. 34. & 3. 16. 1 Ioh. 4. 9.

XIX. *Expositio* verò, in *modi*, *generationis* illius, *declaratione* consistit. Qui partim, cum productione Spiritus, ut ante [a] indicavimus, *communis*: partim verò, illi *proprius*.

a Thesi 2.

XX. *Communis modus*, est *communicatio essentiæ divinæ* (unde *vitam Filio dedisse* [a] dicitur: & Filius *in forma*, hoc est natura, *Dei esse*: seu ἰσόθεος, & *æqualis Deo* [b] Patri) & quidem non temporalis; sed *æterna* (quia essentia Dei, mutabilis non est [c]: & *exitus Filii, à diebus seculi* [d]) nec libera (aliàs Filius, non esset Deus & ens summè necessarium) sed *naturalis*: denique non extra se genuit, sed *in se*. Ex eo enim Filius sic manat, ut in eo maneat. Manat; alias Pater, non esset Pater: in eo verò manet; alioqui Pater, non esset Deus. Quia essentia Dei, nec separari potest, nec dividi, quia simplicissima. Ideo & *Pater in Filio: & Filius, in Patre esse* [e]: & *unum, cum eo* [f]; essentiæ unitate ac communitate, simpliciter statuitur.

a Ioh. 5. 26. b Phil. 2. 6. c Heb. 1. 10. 12. Iac. 1. 17. d Mich. 5. 2. Pro. 8. 22. 23. 27. e Ioh. 10. 38. & 14. 10. f Ib. 10. 30.

XXI. Ex qua, divinæ essentiæ (utpote unicæ atque individuæ) communicatione, necessariò sequitur Filium, *unum esse*, cum Patre, *Deum*. Id quod præterea, in Sacris literis, partim expressa *affirmatione*: patrim nervosa *rationum demonstratione*, comprobatur.

XXII. *Affirmatione* quidem; quum *nominibus Dei*, partim *per se*, partim *vocum adjectione*; *propriis* describitur.

XXIII. *Per se*, quum *Iehova* absolutè vocatur: quem Israëlitæ tentarunt in deserto, Num. 14. 26. 27. & 21 5. ut Apo-

Apostolus 1. Cor. 10. 9. attestatur & Jesa. 6. 3, 5, 8. is, cujus gloria apparuit, Jehova est: quod de Filio dictum Joh. 12. 41. affirmat. Et Jehova, cui omne genu curvandum, Jes. 45. 23. Filius est, Rom. 14. 11. Phil. 2. 10. 11. *Iah* & *Iehova* Psal. 102. 19, 20, 21. cum 26. est Filius Heb. 1. 8, 10. Ac sanè *nominis* Jehovæ *expositio*, ut Patri, sic Filio Apoc. 1. 8. *Qui est, qui erat, & qui venturus est* (hoc est, futurus) attribuitur.

XXIV. *Vocum* verò *adjectione* propriis, Dei nominibus, describitur, *primùm* in orationis *attributo:* quum *Deus verus ac vita æterna* 1. Joh. 5. 20. *Deus benedictus in secula* Rom. 9. 5. *magnus ille Deus*, cujus apparitionem exspectamus, Tit. 2. 13. de Filio prædicantur. *Deinde in subjecto:* quum Dei nomen (quod aliàs est absolutum) relatè, Deum Filium, designat: ut Act. 20. 28. *Deus acquisivit Ecclesiam, suo sanguine.* 1. Tim. 3. 16. *Deus patefactus in carne:* unde *Immanuel, Deus nobiscum*, dictus Matth. 1. 23. Atque hæc de *affirmatione:* qua, Scriptura sacra, Filium *verum* esse *Deum*, eoque Patri ὁμοούσιον, *affirmat.*

XXV. *Ratione* verò, idem etiam, demonstrat: quia Deo propria, Filio Dei adscribit: cum *generatim*, Joh. 16. 15. *Omnia quæ Pater habet, mea sunt:* tum *speciatim*; tam *interna*, quàm *externa.*

XXVI. *Interna*; quia *& essentiales* Dei *proprietates* (quæ Attributa vocantur) & *actiones* Dei internæ, ad creaturas relatæ, eidem tribuuntur.

XXVII. Ad *proprietates essentiales* quod attinet, prima est *æternitas:* quia *primus est & ultimus* Ap. 1. 17. & 22. 13. Ab æterno est & creationem omnem antecessit. Pro. 8. 22, 23. Joh. 1. 1. Col. 1. 17. quo sensu *primogenitus omnis creaturæ* Col. 1. 15. vocatur: eique *æternus spiritus*, hoc est spiritualis essentia æterna, qua operatur, adscribitur Heb. 9. 14.

XXVIII. *Altera*; *immensitas:* quia simul in cœlo & in terra est: Matth. 18. 20. & 28. 20. Joh. 3. 13. nec ullis loci spatiis finitur: quia ante ullum creatum locum, extitit, Proverb. 8. 22. Joh. 1. 1, 3.

XXIX. Tertia est *immutabilitas:* quia cœli & terra mutabuntur; *sed ipse idem est, & anni illius non deficient*, Heb. 1. 12. ex Psal. 102. 26.

XXX. Quarta; *omniscientia:* novit enim omnia Ioh. 21. 17. ejusque oculis omnia pervia & aperta Heb. 4. 12, 13. in eo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt reconditi Col. 2. 3. corda & renes scrutatur Apoc. 2. 23. Joh. 2. 25. solus, per se, novit Patrem, solusque patefacit, pro arbitrio, Matth. 11. 27. Unde metonymicè *Sapientia Patris* 1. Cor. 1. 24. Prov. 8. 1, 22, 24. & *sermo illius*, metaphoricè, Joh. 1. 1, & 18. Luc. 1. 2. & 1. Joh. 1. 1. nuncupatur.

XXXI. Quinta denique; *omnipotentia:* quia *omnipotens* est Apoc. 1. 8. *qui sibi omnia, sua efficacia, potest subjicere*, Phil. 3. 21. Unde metonymicè, *Dei potentia*, 1. Cor. 1. 24. dicitur.

XXXII. Hisce attributis ac proprietatibus Dei, accedunt etiam *actiones Dei internæ*, ad creaturas relatæ, quas, Filio convenire, ut ex attributis necessariò colligitur, sic ex servandorum *electione æterna* (quæ Filio, cum Patre, tribuitur) constat. Pater enim nos, *in ipso*, hoc est per ipsum, ante jacta, mundi fundamenta, elegit, Ephes. 1. ℣. 4. Atque hæc de *internis Dei propriis:* quæ Filio, cum Patre, communia.

XXXIII. *Æterna* verò sunt; primùm solius *omnipotentiæ* Dei *opera:* deinde *cultus divinus.*

XXXIV. *Opera* quidem *generatim* Joh. 15. ℣. 17. *Pater meus adhuc operatur: & ego operor.* & vers. 19. *Quæcunque enim Pater facit, Filius similiter facit: speciatim* verò, tam *universalia*, quàm *particularia.*

XXXV. *Vniversalia*, ut mundi, ac rerum omnium (cum visibilium, tum invisibilium) *creatio.* Psal. 102. 26. Heb. 1. 8, 10. & 3. 3, 4. Joh. 1. 3, 10. Col. 1, 16. Deinde *omnium, potentia sua verbo, sustentatio* Col. 1. 17. Heb. 1. 3.

XXXVI. *Particularia* verò, *primò miracula* illa, quæ, creaturarum omnium, vires exsuperant, qualis est mortuorum, sua potentia, suoque arbitrio, suscitatio Joh. 5. 21. non solùm ad vitam temporalem Joh. 11. v. 43, 44; sed etiam ad æternam Joh. 2. v. 19, 21. & 6. v. 40. Philipp. 3. v. 21. Ideoque, *resurrectio & vita*, Joh. 11. 25. id est, auctor earum, appellatur.

XXXVII. *Deinde* divina ac *salutaria* in Ecclesiam *beneficia:* eaque partim *extraordinaria*; ut *Prophetiæ*, in antiquis Prophetis, inspiratio, 1 Pet. 1. 11. in Apostolis donatio *elocutionis* & *sapientiæ* invictæ Luc. 21. 15. & *missio Spiritus Sancti*; & Apostolorum, per eum, in omnem veritatem, deductio, Joh. 16. 13, 14. Act. 2. 4. partim *ordinaria*, ut novi externi cultus Dei, nempe *Sacramentorum*, suâ auctoritate, *institutio*, 1. Cor. 11. 23. Matth. 28. 19. *regeneratio* Eph. 2. 10. & 2. Cor. 5. 17. *peccatorum*, propriâ potestate, *remissio*, Matth. 9. 6. *gratiæ* ac *pacis divinæ donatio* Rom. 1. 7. Quare *opera Dei propria, Filio Dei conveniunt.*

XXXVIII. *Cultus* denique *divinus* Filio, cum Patre, etiam communis: id quod Sacræ literæ, non solum *generatim* testantur, Joh. 5. 23. *Filium ab omnibus honorandum, sicut honoratur Pater*; sed etiam *speciatim* exponunt. Ac *primum* quum omnibus, etiam Angelis, adoratio Filii, divinitus imperatur, Heb. 1. 6. Rom. 14. 11. *deinde* cum ejus, omni in loco, *invocationis* ab Ecclesia precibus religiosis, illustria exempla proponuntur ac commendantur. 1. Cor. 1. 2. Actor. 7. 59, 60. & 9. 14. Apoc. 22. 20. *Adhac* cum in ipsius nomen, *& cultum*, non minus, quàm Patris, Baptismus consecratur, & ad ipsius cultum religiosum, auctoramur. Matth. 28. 14, 20. *Denique* quum fides & fiducia (quæ invocationis fundamenta Rom. 10. 14.) in Filio collocanda, ad beatitudinem præscribitur. Psal. 2. 12. Joh. 14. 1. Rom. 10. 11.

XXXIX. Quare, quum Deus, *gloriam suam, nemini tribuat*, quia verè hoc asseruit, Jes. 48. 11. nec tribuere possit, quia justus: eamque Filio tribuere, ex antecedentibus copiosè demonstratum: inde necessariò sequitur, Filium esse Patri ὁμοούσιον ejusdem cum eo essentiæ, unumque atque æternum, cum eo, Deum. Atque hæc de *generationis Filii*, cum productione Spiritus Sancti, *modo communi.*

XL. *Proprius* verò *generationis modus*, licet reipsa sit arcanus (ut qui nec lingua exprimi, nec mente queat concipi) *ordine* tamen, communicationis essentiæ, & utriusque termini generationis unitate, adumbratur.

XLI. *Ordine* quidem, quia communicatio essentiæ *prima* est: quippe nulla eam præcedit: & altera succedit. *Unitate* verò utriusque *termini:* quia unicus est Pater, *solus* sine socio & socia, generans: *unicus* etiam Filius: ἀμήτωρ Heb. 7. 3. & *unigenitus à Patre*, Joh. 1. 14.

XLII. Qua de re, concinnè ac nervosè Theologus [a], quum quod de Patre antè dixerat, de Filio relatè enuntians ait, ἀληθῶς τὸν υἱὸν, ὅτι μόνον, καὶ μόνου, καὶ μόνως, καὶ μόνον, hoc est; Filium, *verè Filium, quod & solus* (sit Filius) *& solus* (Patris) *& singulari modo, & solum* (Filius non simul Pater.)

a Gregor. Nazianzenus Orat. 23. in laude Heronis.

XLIII. Unde liquet, Patrem & Filium ut Deitatis essentia, unum sunt, personis tamen, inter se distingui. Quod *primum*, relatio eorum mutua (Pater enim, non sui ipsius Pater: nec Filius, sui ipsius Filius, esse potest) demonstrat: *deinde* proprietates personales diversæ, genuisse & genitum esse: *præterea* operandi ordo, Patris quidem à se, per Filium, Heb. 1. 1, 2. Filii verò per se, à Patre Johan. 16. 26. adhæc Filii Dei assertio, qui Patrem, alium à Filio esse, affirmat Johan. 5. 32. cum 37. Denique, metaphorica personarum nomina, idem declarant: quum Pater, soli: Filius splendori ejus: Pater, formæ imprimenti: Filius, formæ impressæ: Pater, corpori: Filius, imagini comparatur. Sicut Heb. 1. 3. Filius dicitur *splendor gloriæ* (hoc est Patris gloriosi, ut 2. Pet. 1. 17.) & *character hypostaseos ipsius:* & Col. 1. 15. *imago Dei* (i. e. Patris) *invisibilis* nominatur. Atque hæc de Patris & Filii, una eademque Deitate: & diversa subsistendi proprietate: quibus, descriptio Patris ac Filii, comprobata.

XLIV. Usus hujus doctrinæ, est *recta Dei cognitio:* & *glorificatio. Cognitio recta* [a] erit, si illius ductum secuti, Patrem & Filium, *unum æternumque* esse *Deum: personis* verò *distinctos*, agnoscamus [b]: & à *recto declinantes*, sive ad *dextram* (ut qui vel unitatem Deitatis negant, ut Tritheitæ: vel

vel diſtinctionem perſonarum, ut Sabelliani) ſive ad *ſiniſtram*, ut qui, Filii æternam Deitatem rejicientes, creatum ſtatuunt (partim ante orbem conditum; ut Ariani: partim poſt conceptionem & nativitatem, è virgine Maria; ut Samoſateniani) averſemur. *Glorificatio* verò, in præſcripta divinitus obedientia, conſiſtit [c]. Atque hactenus de Patris & Filii perſonis, diximus: quibus, gratiarum actio, & gloria in æternum.

a Rom. 1. 19. & 21. b Ioh. 17. 3. 5. & 20. 31. c Matth. 5. 16. Ioh. 15. 8. Rom. 1. 21.

DISPUTATIO VIII.

DE SPIRITUS SANCTI PERSONA.

THES. I.

UT *ſpiritus* Latinè, à ſpiro; ſic Hebraicè *Rúachh*, à *Ravachh* reſpirare; & Græcè πνεῦμα à πνέω (unde κατ' ἐτυμολογίαν dictum; πνεῦμα πνεῖ [a] *ſpiritus ſpirat*) derivatur: atque in Sacris literis, *propriè*, vel *impropriè*, uſurpari ſolet.

a Ioh. 3. 8.

II. *Propriè* quidem, generatim flatum ſignificat: ſive anhelitus ſit (ut cum alibi [a], tum, quod obſervandum, Jac. 2. 26. *corpus, ſine ſpiritu, mortuum*) ſive ventus. Quomodo Deus, *creator ſpiritus* [b], id eſt, venti, & *Spiritus Dei* [c] ventus ab ipſo excitatus, nominatur.

a Ieſ. 2. 22. Matth. 27. 50. cum Marc. 15. 37. b Amos 4. 13. c Exod. 15. 10. Pſal. 147. 18. Ieſ. 11. 15.

III. *Impropriè* verò eadem vox, ab hac prima ſignificatione, per tropum, partim *metaphora*, partim *metonymia*, aliò transfertur.

IV. Per *metaphoram* enim, ad ſubſtantiam, vento ſimilem, nempe inviſibilem atque efficacem, ſive *corporea* ſit ac bruta anima [a], ſive *incorporea* atque intelligens eſſentia, & quidem *creata*, aut *increata*, accommodatur. *Creata*; quia interdum hominis animam [b], interdum Angelum, bonum [c] malumve, deſignat. Qui diſtinctè, *ſpiritus malus à Iehova*: & *ſpiritus malus Dei*, non quod mali ſit auctor, ſed rector & ultor appellatur. Ad increatam autem, aut abſolutè, aut relatè transfertur.

a Eccl. 3. 21. b Num. 16. 22. Heb. 12. 9. Eccl. 3. 21 & 12. 7. c Heb. 1. 7. 14.

V. *Abſolutè*; quum vel communi analogia, de eſſentia Dei, prædicatur (ut; *Deus eſt ſpiritus* [a]; hoc eſt, eſſentia incorporea, intelligens) vel pro eſſentia divina [b], ſingulariter ſubjicitur.

a Ioh. 4. 24. b Rom. 1. 4. 1 Tim. 3. 16. 1. Pet. 3. 18. Heb. 9. 14.

VI. *Relatè* verò ad Deum (Patrem & Filium) tertiam, divinæ eſſentiæ, perſonam, diſtinctè ſignificat. Qua peculiari relatione, partim expreſſa, *Spiritus Dei* [a] & *Spiritus Sanctus Dei* [b]: partim ſuppreſſa, *Spiritus* [c], & *Spiritus Sanctus* [d], nominatur. Ideoque ut abſoluta Spiritus acceptio, ad eſſentiam; ſic relata, ad perſonam pertinet. Unde priori modo, οὐσιωδῶς, poſteriori verò, ὑποστατικῶς uſurpari, vulgò dici ſolet. Atque hæc de *ſignificatione* ſpiritus, *per metaphoram*: cui altera, hinc orta, ſuccedit.

a Gen. 1. 1. 2. Ioh. 3. 3. 4. 1. Cor. 2. 1. & 6. 11. b Pſal. 51. 13. Ieſ. 63. 10. Eph. 4. 30. c Ioh. 3. 5. 6. 8. d Matth. 1. 18.

VII. Nam per metonymiam ac primùm cauſæ, pro ſuo effecto, poſitæ, ſpiritus vox (incorpoream atque intelligentem eſſentiam, notans) pro illius *in ipſo*, aut *extra ipſum*, *effecto* accipitur.

VIII. *In ipſo* quidem; quum pro actione intellectus, aut voluntatis, ſive in Deo, ſive in homine, adhibetur. Quomodo interdum, *ſpiritus Dei* [a], pro mente [b], ſive ſententia ac propoſito Dei: & ſpiritus hominis [c], pro affectu mentis ac ſententia: ut Hieronymus in epiſt. ad Epheſ. libro 2. ad cap. 43. exponit, uſurpatur.

a Ieſ. 40. 13. b Rom. 11. 34. 1. Cor. 2. 16. Prov. 1. 23. c Heb. 1. 11. Hoſ. 4. 12. Eph. 4. 3.

IX. Extra ipſum verò; quum ſpiritus, ſpiritus Dei, Spiritus Sanctus (quod tertiæ Deitatis perſonæ, nomen) de donis illis ordinariis [a], aut extraordinariis [b], intelligitur. Qua ſignificatione, ut plures [c], ac diſpares [d] ſpiritus, in Sacris literis, recenſentur: ſic ab uno eodemque Spiritu, tanquam omnium cauſa ac datore ſuo, diſertè diſtinguuntur [e].

a Pſal. 51. 12. Ezech. 36. 26. 27. Gal. 5. 17. b Exod. 31. 3. Iud. 6. 34. Ioh. 7. 39. Act. 19. 2. c 1. Cor. 14. 1. cum 12. d 2. Reg. 2. 9. Dan. 6. 3. e 1. Cor. 12. 4. 11. Rom. 8. 5.

X. Ex qua ſignificatione, per *metonymiam* reciprocam (*effecti* ſcilicet, pro ſua cauſa) *Spiritus Septem* [a], unum illum (hoc eſt, multorum, ex Scripturæ uſu [b],) donorum datorem, Spiritum deſignat. Id quod & ſimili locutione plurali de uno Filio Dei, Prov. 1. 20. *Sapientia* (hoc eſt, omnis ſapientiæ efficiens, Filius) *clamat*, illuſtratur: & loci etiam circumſtantia, de perſona Spiritus Sancti, accipi debere, evincit.

a Apoc. 1. 4. b Prov. 24. 16. Lev. 26. 18.

XI. *Altero metonymiæ genere*, *adjuncti*, pro ſuo ſubjecto, Spiritus, pro ſpirituali, Joh. 3. 6. ſeu Spiritu prædito 1. Cor. 6. 17. & per ſynecdochen, prophetico (ſeu propheta, fuco aut revera) 1. Joh. 4. 1. 2. uſurpatur. Quare, *vocis* ambiguitate diſcuſſa, ad *rem* procedemus: eamque primùm ſummatim *deſcriptione* complecti, deinde verò, diſtinctè *explanare*, conabimur.

XII. Spiritus Sanctus eſt *tertia Deitatis perſona*, *quæ per æternam internamque ac naturalem*, *divinæ eſſentiæ*, *communicationem ſecundam ultimamque*, *à Patre & Filio*, *incomprehenſibili ſpiratione*, *procedit*. In qua deſcriptione, primùm Spiritus Sancti, cum Patre & Filio, *convenientia*, ac deinde *differentia*, deſignatur.

XIII. *Convenientia* eſt, quòd *perſona Deitatis* dicitur. *Perſona*; quia definitio illius, Spiritui Sancto, omninò convenit: *Deitatis* verò; quia non creata, ſed increata perſona eſt, ac verus Deus: ut utriuſque probatio, demonſtrabit.

XIV. *Perſonæ* enim *definitio*, non minus Spiritui Sancto, quàm Patri & Filio, idcirco convenit, quoniam eſt *ſubſtantia intelligens*, *ſingularis*, *completa*, *propria*, *& in ſe ſuſtentata*. Quippe *ſubſtantia* eſt; quia per ſe ſubſiſtit: nec accidens eſt, alteri inhærens. Idque ut innumera probant: ſic vel ſolus Philippi raptus ac tranſlatio, Azotum uſque [a] (quæ ſubſtantiæ opus) evicerit. *Intelligens*, quia intelligit [b], ac pro arbitrio operatur [c]: atque intelligentiam donat [d]. Ex quo etiam, ſubſtantiam eſſe, ſimul conſtat. *Singularis*; unus enim idemque numero eſt Spiritus [e]: *completa*; quia non eſt pars alterius: *propria*, quia de uno ſolo, prædicatur: denique *in ſe ſuſtentata*, quia non ſuſtentatur ab alio: ſed ſubſiſtentiæ ſuæ proprietate, exiſtit, & à reliquis diſtinguitur. Quæ omnia, etiam ex ſequentibus, plenius ac planius elucebunt. Ideoque merito, Spiritum Sanctum, *perſonam* eſſe, in deſcriptione illius, ſtatuimus.

a Act. 8. 39. 40. b 1 Cor. 2. 10. 11. c 1 Cor. 12. 11. d Ieſ. 11. 2. 1 Cor. 12. 8. e 1. Cor. 12. 4. 11. 1. Ioh. 5. 7. Eph. 4. 4.

XV. *Deitatis* verò perſonam: ſeu verum eſſe Deum, non minus, quàm Patrem & Filium, Sacrarum literarum, cum *affirmatione*: tum *rationum* invictarum, per neceſſariam conſequentiam, *demonſtratione*, confirmatur.

XVI. *Affirmatio* enim illius extat, *primùm* in Veteri Teſtamento: tam *per ſe*, quàm *comparatè* cum Novo.

XVII. *Per ſe*; quia Jehova ille, quem tentarunt Iſraëlitæ, in diſerto, Num. 14. 27. Deut. 6. 16. & 9. 7. idem eſt Spiritus Sanctus, Jeſ. 63. 10: ut etiam aſſeritur, Heb. 3. 7. 9. Deinde, Spiritus Jehovæ, 2. Sam. 23. 2. idem eſt Deus Iſraëlis, verſu 3.

XVIII. Sin vero, *cum Novo teſtamento*, *conferas*, Jehova, qui de ingreſſu ſacrarii, legem tulit, Lev. 16. 2. idem eſt etiam, Spiritus Sanctus, Heb. 9. 7. 8. Secundò, Jehova,

qui

qui Jes. 6. 9. locutus est, idem est etiam, Spiritus Sanctus, Actor. 28. 25. Denique Jehova, qui Novum fœdus, nobis promittit, Jerem. 31. v. 31. est Spiritus Sanctus Heb. 10. v. 15. 16.

XIX. In *Novo* verò Testamento similiter, Spiritus Sanctus, Act. 5. 3. Deus definitur, versu 4. & 1. Cor. 3. 16. 17. In quibus locis, eæ adduntur circumstantiæ, ut *Dei* vocem, non nisi de vero & æterno Deo, accipiendam, appareat. Hæc de *affirmatione*.

XX. *Rationum* verò (quibus idem consequentiæ necessitate in Sacris literis, demonstratur) *summa* est, quod ea, quæ soli vero Deo, sunt *propria*, cum *interna*, tum *externa*, Spiritui Sancto, divinitus tribuantur.

XXI. *Interna*, sunt proprietates Dei essentiales: ac primum, *æternitas*; quia creationem antecessit[a]. Deinde, *immensitas*, quia ubique est, neque ullis locorum spatiis finitur, Psal. 139. 7. Rom. 8. 9. & 1. Cor. 3. 16. & 2. Tim. 1. 14. Tertio *omniscientia*; quia est infinitè sapiens. *Spiritus enim omnia, etiam profunditates Dei, scrutatur* [b]: hoc est (per metonymiam, de Deo *usitatam* [c] intimè pernoscit: ut sequentia proximè attestantur; *Quis enim hominum* (inquit) *novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo? Ita etiam, quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei* [d], nempe qui est in eo: ut comparatio arguit, & Cyrillus [e] sæpius supplet.

a Gen. 1. 1. 2. Psal. 95. 5. cum Heb. 3. 7. 9. b 1 Cor. 2. 10. c Rom. 8. 27. Apoc. 2. 23. d 1 Cor 2. 11. e In Iohan. lib. 1. c. 4. & Thesauri lib. 13. cap. 1.

XXII. Denique *omnipotentia*; quia *Deus magnus Jehova, & rex magnus super omnes Deos*, Psal. 95. 3. est Spiritus Sanctus Heb. 3. 7. 9. Deinde, quia *operatur omnia, in omnibus, sicut vult* 1. Cor, 12. 6. cum 11. Unde etiam in omnipotente, conceptionis Christi, opere conficiendo, *potentia altissimi*, Luc. 1. 35. appellatur ὑποστατικῶς. quod in ipso, Patris (qui, oppositè creaturis, altissimus dicitur) potentia resideat, & per eundem exerceatur ac patefiat. Atque hæc de *internis Dei propriis*, quæ Spiritui Sancto conveniunt.

XXIII. *Externa* verò, Dei propria, quæ Spiritui quoque Sancto in Sacris literis adscribuntur, sunt primùm, Dei solius *opera*: deinde, *cultus* religiosus ac divinus.

XXIV. *Opera* autem sunt partim *omniscientiæ*: partim *omnipotentiæ*.

XXV. *Omniscientiæ* opus, est inprimis *prophetia*, ideoque Deo propria[a], cujus universæ inspiratio, Spiritui Sancto attribuitur, Joh. 16. 13. & 1. Pet. 1. 11. & 2. Pet. 1. 21.

a Ies. 41. 22. 23. & 46. 9. 10. & 48. 5.

XXVI. *Omnipotentiæ* verò opera, eidem etiam conveniunt: ac *primùm universalia*: ut creatio mundi. Nam *Jehova, qui mare fecit, & cujus manus aridam formarunt*, Psal. 95. 5. est Spiritus Sanctus Heb. 3. 7. 9. cui consentiunt Psal. 33. 6. & Psal. 104. 30. & Job. 26. 13. & 33. 4.

XXVII. *Deinde particularia*, ac *primùm miracula*, creaturarum omnium vires excedentia, qui vi sua efficit, 1. Cor. 12. 9. 10. Qualia inprimis sunt mortuorum suscitatio, Rom. 11. *deinde* divina ac salutaria, in Ecclesiam, beneficia, (unde & *Spiritus bonus* Psal. 143. 10. & *beneficus*, seu liberalis Psal. 51. 14. dictus) partim *ordinaria*, partim *extraordinaria*.

XXVIII. *Ordinaria*; ut regeneratio Joh. 3. 5. & 2. Cor. 3. 10. Tit. 3. 5. seu animæ sanctificatio 1. Cor. 6. 11. & 1. Pet. 1. 22. novique cordis Ezech. 36. 26. 27. Eph. 3. 16. seu fidei, 2. Cor. 4. 13. spei, Rom. 15. 13. charitatis: 2. Tim. 1. 7. & justitiæ Rom 14. 17. donatio. Unde Spiritus Dei, non natura solùm, sed etiam operatione, *Spiritus sanctus*, peculiari ratione (quod Pater & Filius, nos per ipsum sanctificent) appellatur. Nam quamvis uterque sit, Spiritus absolutè, & sanctus: nusquam tamen Spiritus Sanctus relatè, aut conjunctim appellatur.

XXIX. *Extraordinaria* verò; ut Apostolorum immediata, in omnem veritatem, deductio, Joh. 16. 13. Act. 2. 4. ac variorum charismatum, quæ, à sola Dei omnipotentia promanant, distributio, 1. Cor. 12. 9. 10. 11. Spiritui Sancto auctori adscribuntur. Atque hæc, de *primis externis Dei propriis*, nempe *operibus*.

XXX. *Alterum* est *cultus religiosus ac divinus*; qui (non minus, quàm opera divina) Spiritui Sanctó, divinitus attribuitur. Ac *primus* est; religiosa illius adoratio. Ea enim ipsi, & ab Angelis præstatur, Jes. 6. 3. cum Act. 28. 25. & Ecclesiæ etiam præcipitur, Psal. 95. 6. *Venite incurvemus nos, & procumbamus coram Iehova, qui fecit nos.* Hic enim etiam est Spiritus Sanctus vers. 9. teste Apostolo, Heb. 3. 7. 9. *Secundo* invocationis religiosæ ac sanctæ exempla extant in Apostolis: in Paulo quidem, 2. Cor. 13. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis:* in Johanne verò; Apoc. 1. 4. *gratia vobis & pax, ab eo qui est, & erat, & futurus est, & à septem spiritibus, qui sunt coram throno ejus.*

XXXI. *Tertiò* templa ipsius, fideles appellantur: quæ, soli Deo sacrata. 1. Cor. 3. 16. 17. & 6. 19.[a] *Quarto*; ipsius nomini ac numini in Baptismo (tanquam rei obsignatæ, donatore Matth. 3. 11. Joh. 3. 5. Tit. 3. 5.) non minus, quàm Patri & Filio, religiosè obligamur: Matth. 28. 19. *Denique* cultui divino ipsi præstando, fidem etiam facit, horrenda illa, adversus cultus illius violationem ac blasphemiam in ipsum, comminatio, quòd nunquam remittetur Marc. 3. 29. Heb. 6. 4. & 10. 26. & 29.

a Vide August. contra Maximin. lib. 1. c. ult.

XXXII. Ex quibus omnibus liquet, quum Deus gloriam nominis sui, alteri tribuere nolit: quia verus Jes. 48. 11. nec tribuere possit, quia justus, & gloriæ, nominis sui, zelotes, Deut. 32. 4. & Exod. 20. 5. & 7. eamque gloriam, Spiritui Sancto, affirmando, eum esse Deum ad Jehovam: & propria Dei (cum interna, seu proprietates essentiales; tum externa, merè divina opera, & cultum religiosum ac divinum) eidem adscribendo, tribuerit: ideo, invicta consequentia, concludimus, *Spiritum Sanctum, verum esse Deum:* rectéque, hanc *convenientiam* ipsius, cum Patre & Filio, quòd *persona sit Deitatis*, in descriptione propositam.

XXXIII. *Differentia* verò apposita (quum alia, sit *communis*, alia *propria*) *communis* ea dicitur, qua, ut à Patre differt, sic cum Filio, convenit. Ea autem est, quod sit *à Patre, per æternam internamque ac naturalem, essentiæ divinæ communicationem.*

XXXIV. A Patre est; quia Spiritus Dei [a], & *ex Deo esse* [b], idcirco statuitur: *per ejusdem* verò *essentiæ divinæ communicationem*; quia (ut antè demonstravimus) verus est Deus. Eaque communicatio *æterna* est; quia mutatio in Deum non cadit [c]: *interna*; quia Spiritus sic à Patre procedit, ut ab origine sua nunquam recedat: ut essentiæ divinæ unitas, cum Patre, evincit; & Patris, Spiritum producentis, persona flagitat: quæ alias Deus esse desineret. *Naturalis* denique est; quia Spiritus, non liberæ voluntatis contingentia, sed naturæ Patris necessitate, emanat: alias, ens summè necessarium non esset: eoque nec verus Deus. Hæc de *communi*, Spiritus Sancti, differentia.

a Rom. 8. 9. Isa. 61. 1. b 1. Cor. 2. 12. c Iac. 1. 17.

XXXV. *Propria* verò, est proprius existendi modus; quod *spiratione* divina *procedat*. Procedere enim, seu originem ex aliquo habere, non minus Filio (*cujus egressus est ab æterno* [a]) quàm Spiritui Sancto, qui à *Patre procedere* [b] dicitur, convenit. Sed in eo discrimen est, quòd ille, generatione; hic verò spiratione, procedat: eoque sensu, per synecdochen, *processionis* vox, à Theologis priscis novisque, specialius usurpatur.

a Mich. 5. 2. b Ioh. 15. 26.

XXXVI. Spiritus autem, generatione non procedit: quia ipse, in Sacris literis nullibi, dicitur, genitus: nec dici potest, quia Filius unigenitus[a] definitur: spiratione verò, quia relatè, *Spiritus Dei* [b], & expressiore ad captum nostrum metaphora, *Spiritus oris Dei* [c] (hoc est, qui quasi ex ore Dei spiretur) nominatur.

a Ioh. 1. 14. 18. b Ies. 61. 1. c Psal. 33. 6.

XXXVII. Veruntamen illius divinæ & æternæ, à Deo, & in Deo, *spirationis* ac processionis, *modus*, quo, à generatione, differt, reipsa quidem est *incomprehensibilis*: sed communicationis *ordine*, & *originis termino*, quodammodo adumbratur.

XXXVIII. *Ordine*; quia in Filii generatione, est prima, essentiæ divinæ, communicatio: quippe, ante eam, nulla, & post

post eam, alia. In Spiritus verò Sancti processione, *secunda* est, & *ultima:* secunda; quia, ante eam, prima: ultima verò; quia post eam, nulla: non defectione, sed perfectionis illius terminatione. Ideoque *tertia* Deitatis pesona, meritò dicitur: neque ultra tres Personas divinas [a], divinæ literæ, ullas agnoscunt.

a Matt. 28. 1 Ioh. 5. 7.

XXXIX. *Originis termino:* quia non à solo Patre (ut recentiores Græci, contendunt) sed etiam à Filio, per communicationem ejusdem essentiæ divinæ, procedere, inter alios [a] priscos Græciæ theologos, Cyrillus agnovit in Johan. 15. 26. lib. 10. cap. 36. *ex Patre* (inquit) *ipsum procedere,* ait. *Nam sicut Filii Spiritus est, naturaliter in ipso manens, & per ipsum procedit: sic certè, Spiritus quoque Patris est.* Idque hac ratione probat; *Nam, quum ei consubstantialis sit, ex Patre, per ipsum procedit* [b]. Cui rationi solidæ, alias etiam Sacræ literæ adjiciunt.

a Chrysost. tom. 5. homil. 1. & 2. in symbolum. Athanas. epist. ad Serap. b In Ioh. l. 12. cap. 50.

XL. *Primum,* quia non solùm Patris; sed etiam *Filii, Spiritus:* Gal. 4. 6. *Spiritus Christi,* Rom. 8. 9. & 1. Pet. 1. v. 11. *Spiritus Iesu Christi* Phil. 1. 19. *Spiritus oris Domini,* 2. Thess. 2. 8. appellatur. Quamobrem, æternam hanc spirationem ac processionem Spiritus, temporalis, per eundem, operationis signo, quodammodo innuit Christus, Joh. 20. 22. quum adspirans diceret; *Accipite Spiritum Sanctum. Nimirum ut etiam de se procedere, ostenderet:* quemadmodum Augustinus De Trinit. lib. 15. cap. 20. observavit [a].

a Vide Cyril. in Ioh. lib. 12. c. 56.

XLI. *Secundum argumentum* est, operatio Filii, per Spiritum Sanctum. Nam ut à Spiritu mittitur Jes. 61. 1. qua filius hominis: sic eundem, qua Filius est Dei, *mittit à Patre,* Joh. 15. 26. & 16. 17. non loci mutatione; sed (per metaphoram, ab hominibus derivatam) operationis suæ, per Spiritum, patefactione: *baptisat Spiritu Sancto* Matth. 3. 11. vi sua, *dat Spiritum Sanctum* Joh. 20. 22. & *effundit Spiritum Sanctum,* Act. 2. 33.

XLII. *Tertium,* est operatio Spiritus Sancti: quia *non loquitur, à seipso,* sed *quæ à Filio accepit* Joh. 16. 13. & 15. id quod essentiæ divinæ, à Filio ipsi communicatæ, & operationis per ipsum ratione, verè asseritur.

XLIII. Ex qua, ordinis & termini originis, differentia, Spiritum Sanctum, essentia quidem unum eundemque esse, cum Patre & Filio, Deum: sed persona distinctum, constat. Eaque de causa, non aliud (quia *unum* est cum iis, 1. Joh. 5. 7.) sed *alius* ab iis, dicitur, ac docetur, Joh. 14. 16. Ut etiam singularis illa, in Baptismo Christi, sub specie columbæ, apparitio Matth. 3. 16. 17. & distincta illius, in Baptismi Christianorum consecratione, recensio, Matth. 28. 19. ostendunt.

XLIV. Idque diversis illustribus, Scripturæ Sacræ, sententiis demonstratur. Ac *primum in Veteri Testamento;* Psal. 33. 6. A Jehova, & Verbo illius, Spiritus ejus: & Jesa. 61. 1. Spiritus Jehovæ, à Jehova (Patre) & Filio, homine facto, quem unxit: & cap. 63. à Jehova, & *Angelo faciei ejus* (Filio) versu 9. Spiritus Jehovæ, vers. 10. & Agg. 2. 6. à Jehova exercituum (Patre) & Verbo illius, Spiritus Jehovæ, disertè distinguitur.

XLV. *Deinde in Novo Testamento* (ut alia omittam) Rom. 8. 9. & 11. à Deo Patre, Christoque ut Spiritus utriusque, & operationis ordine distinctus, proponitur. Sic ad Gal. 4. 6. à Deo (Patre) ut mittente, & Filio ejus, ut Spiritus Filii, & à Patre missus, distinguitur. Denique 1. Joh. 5. 7. à Patre & Verbo, Spiritus Sanctus, tertius testis, distinctè numeratur.

XLVI. In qua *distincta,* personarum divinarum, *Trinitate,* & individua, ejusdem *Deitatis, unitate,* admirandum & adorandum mysterium consistit. De quo, non minus pia ac memorabilis, quam celebrata est, Theologi [a] sententia; οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Hoc est; *Unum cogitare non possum, quin trium fulgore circumfundar: nec tria possum distinguere, quin ad unum referar.* Atque hæc, de *Spiritus Sancti descriptionis* propositione, & expositione ac probatione illius, dicta.

a Gregor. Nazianz. orat. 4. de sancto Baptismo sub fin.

XLVII. *Usus* denique hujus *doctrinæ,* est recta Spiritus Sancti *cognitio,* & cogniti *glorificatio.*

XLVIII. *Cognitio* est, ut ipsum, cum Patre & Filio, unum eundemque verum Deum: & persona tamen, ab iisdem, distinctum, agnoscamus: eosque, qui aut *alterum* (*prius* nempe, aut *posterius*) aut *utrumque* negant, seriò detestemur.

XLIX. *Prius* enim impiè rejecerunt, qui Spiritum Sanctum, aut alium, à Patre & Filio, Deum; ut *Tritheitæ:* aut creaturam, ut *Ariani* & *semi-Ariani,* statuerunt. Quorum illi, creaturam creaturæ (sic enim Filium vocabant) hi verò, nempe *Macedoniani,* creaturam quidem, sed veri Dei, nempe Filii, asserebant. *Posterius* verò *Sabelliani,* inducta confusione, oppugnarunt, eandemque Spiritus, Sancti, cum Patre & Filio, personam esse, triplici tantum nomine variatam, contenderunt.

L. *Utrumque* denique, & olim πνευματομάχοι nonnulli, & nostris temporibus, *infaustus* ille Ecclesiæ Dei *Socinus* ac *Sociniani:* qui Spiritum Sanctum, nec Deum, nec personam esse, sed accidentia (nempe qualitates & operationes sanctas, à Deo, in animis hominum excitatas) impurè tuentur. Hæc de recta Spiritus Sancti *cognitione.*

LI. *Glorificatio* verò cogniti, in religioso illius cultu, consistit: ne scilicet ipsi resistamus [a]: aut impuritate vitæ, ipsum contristemus [b], (hoc est per metaphoram, ipsi displiceamus) sed nos totos, animo & corpore, tanquam sancta illius templa [c], ad vivam ac spiritualem, ipsi & Patri ac Filio, hostiam (nostri abnegatione, & fidei, spei, ac charitatis obedientia) offerendam, consecremus [d]. AMEN.

a Act. 7. 5. Heb. 3. 7. 8. b Eph. 4. 30. c 1 Cor. 3. 16. 17. d 1 Cor. 6. 19. Rom. 12. 1. 2. 1 Pet. 2. 5.

DISPUTATIO IX.

DE ÆTERNO DEI DECRETO.

THES. I.

Actionem Deo convenire, & Scripturæ testimonia [a], & perfectio divina (quæ otiosa esse non potest) manifestè demonstrant.

a Eph. 1. 11. Rom. 11. 36.

II. *Ea* autem, vel *interna est* atque *æterna:* vel *externa* ac *temporalis.*

III. *Interna* autem dicitur, quæ, ut à Deo est, sic in Deo manet: unde, *immanens,* appellatur: *æterna* verò, cujus duratio infinita.

IV. *Interna* rursum, vel *absolutè* ac *simpliciter necessaria* est: vel *merè arbitraria.* Unde, *earum æternitas,* convenienter *distinguenda.*

V. *Absolutè necessaria,* dicitur: quæ sic est, ut propter agentis perfectionem, nullo modo abesse potuerit.

VI. Eaque vel *essentialis* est, vel *personalis.* Quarum *prior,* ex iis, quæ de essentia Dei: *posterior* verò, ex reliquis, quæ de personis divinis disseruimus, elucet. Quas propterea strictim tantùm, ad sequentium illustrationem, attingemus.

VII. *Essentialis* actio est, quæ à communi, tribus personis, essentia oritur. Estque aut *divini intellectus,* aut *voluntatis.*

VIII. *Illa,* est *actio omniscientiæ Dei,* quâ seipsum omniaque absolutè δυνάμει perfectissimè à se, & in se cognoscit: *hæc* verò est *bonitatis actio,* qua se ipsum, ut summum bonum, omniaque ipsi consentanea, amore complectitur.

IX. *Personalis* verò *actio* est, quæ certis tantùm personis divinis, convenit. Eaque, vel *Patri propria;* ut Filii generatio: vel *ipsi,* cum Filio, *communis;* ut spiratio Spiritus Sancti.

X. Quæ actiones, cum essentiales tum personales, introrsum, ad Deum referuntur: unde vulgò, *actiones ad intra,*

(aptè

(aptè magis, quàm Latinè) nominantur. Atque hæc de *actionibus Dei internis atque æternis, absolute necessariis.*

XI. *Actio* verò Dei interna atque æterna, *merè arbitraria:* extrorsum in res extra Deum, refertur: unde, *actio ad extra*, dici solet. Ea autem est, *universa Dei, de rebus futuris, præfinitio* [a]. Quæ, concinnâ, ex propria significatione, Metaphorâ [b], in Scriptura, πρόθεσις [c] *propositum*; & eodem sensu in Scholis, *decretum Dei æternum*, nuncupatur: atque ita, plenius *describi*, potest.

a Actor. 2. 23. & 4. 28. & 17. 26. b Heb. 9. 2. cum Actor. 11. 23. c Eph. 1. 11. & 3. 11.

XII. Decretum hoc Dei, est *actio illius interna atque æterna, qua, ex rebus possibilibus atque indefinitis, ea omnia & sola, quæ jam fuerunt, sunt, & erunt, secundùm sapientiæ suæ judicium, immutabili, liberrimæ voluntatis, placito, ut ita fierent, ad suam gloriam, rectè præfinivit.* In qua descriptione, partim *communis* hujus decreti *natura:* partim *propria differentia*, continetur.

XIII. *Communis*, decreti hujus, *natura*, est *actio* Dei interna atque æterna: qua analogicè, cum aliis convenit. *Actio* autem *Dei* est, quia à Deo agente [a]: & *interna*; quia in eodem existit: *æterna* vero; quia duratio illius, est infinita: seu utriusque termini, & successionis, expers. Siquidem, ut in Deo (quia ipse *permanet atque idem est* [b]) nihil esse potest novi: sic eidem, *ab æterno, opera sua sunt cognita* [c]. Ideoque decreta [d].

a Act. 4. 28. Rom. 9. 11. Eph. 1. 11. b Heb. 1. 11. 12. c Act. 15. 18. d Eph. 1. 11. 1. Cor. 2. 7.

XIV. *Differentia* verò *propria*, communem hanc naturam restringit: & *objecto, subjecto*, ac *causis* decreti, continetur.

XV. *Objectum* decreti divini, sunt *res possibiles ac indefinitæ.*

XVI. *Possibiles* quidem; quia quæ fieri nequeunt, aut quæ actu existunt, ea, à Deo, decerni non possunt. Utrumque enim, infinitæ illius sapientiæ (quæ nihil frustra, aut temere, potest agere [a]) è diametro repugnat.

a Rom. 11. 13. 34. 35 36.

XVII. *Indefinita* verò; hoc est, in neutram partem (seu, neque ut fierent, neque ut non fierent) definitæ. Nam ut objectum hoc, naturæ ordine, adjuncto suo decreto, est prius: sic decretum, res possibiles, quatenus illæ sunt futuræ, similiter antecedit. Siquidem ab eo, tanquam à primo, determinationis ipsarum, principio, dependent. Hæc de *objecto.*

XVIII. *Subjectum* verò *decreti* adæquatum, seu, ea quæ decreta, sunt res possibiles: non universæ (plura enim, & aliter, pro infinita sua sapientia ac potentia, decernere poterat [a]) sed ex iis omnia & sola ea, quæ fuerunt, sunt, & erunt: quæ, cum omnibus suis circumstantiis, præfinivit.

a Matt. 26. 53.

XIX. Ea autem, in *mundi creationem*, & *gubernationem* (quasi in *duo membra*) universè *dividuntur:* ut, huic decreto respondens executio, demonstrat. Ideoque *objecto* & *subjecto* (quasi *decreti materia*) satis explicato, ad *causas (efficientem, formam, finem)* considerandas, transeamus.

XX. *Causa efficiens, qua* decrevit, *unica* est, nimirum Deus. Quippe illius (ut antea ostendimus) actio est: *causa* verò *qua* decrevit, *gemina* est, *sapientiæ* illius *judicium*, & *voluntatis liberrimæ placitum.* Quarum *prior*; remota & adjuvans, *posterior* verò, proxima ac principalis causa, existit.

XXI. Hoc autem *sapientiæ judicium*, in Sacris literis, *non propriè*, sed *metaphoricè, consilium* [a], appellatur.

a Jesa. 46. 10. Eph. 1. 11.

XXII. *Non propriè*; quia consilium (quum sit, *aliquid faciendi, aut non faciendi, excogitata ratio*) sapientiæ quidem actio est; sed imperfectæ. Quoniam *origo* illius, est ignorantia ac dubitatio: *modus* verò, est rationis discursus ac mora: quorum utrumque sapientiæ Dei infinitæ (quæ finem, mediaque omnia, uno quasi intuitu, contemplatur ac dijudicat [b]) omnino adversatur. Ideoque propriè, *consilium*, dici non potest. Atque hoc demum sensu (non autem absolutè) celebrem illam, magni viri, sententiam, qua ait; *Tam est impia vox, in divinis, consilium, quàm pluralitas Deitatis* [c]: veritati consentaneam, agnoscimus.

a Cic. de invent. b Heb. 4. 13. c Jul. Scalig. de subtil. exercit. 385. §. 8.

XXIII. *Metaphoricè* verò, sapientiæ divinæ judicium, piè ac Scriptura duce, *consilium* (quia huic simile est) dici consuevit. Nam ut consilium humanum, rebus sapienter instituendis atque agendis, prævium est, iisque modum præparat ac proponit: non autem imperat, neque ullam, rebus liberis statuendis, necessitatem imponit: sic sapientiæ Dei judicium, voluntatis ipsius decretum, ordine quidem antecedit: illudque voluntati, non ut necessarium, sed (quemadmodum revera est) tanquam idoneum & liberum, proponit. Atque hæc de prima *causa, qua* Deus decrevit: *remota* videlicet & *adjuvante:* quæ ex sequenti, clarius innotescet.

XXIV. *Proxima* verò ac *principalis*, est *voluntatis Dei placitum.* Siquidem *omnia efficit, secundùm consilium voluntatis suæ* [a]: hoc est, voluntate ratum [b]. Qua de causa, interdum vocatur, εὐδοκία *placitum* [c]: εὐδοκία τοῦ θελήματος [d], *placitum voluntatis:* ὡρισμένη βουλὴ [e] *definitum consilium:* & eodem sensu, *consilium* [f]: *mens Dei* [g], & *cordis illius cogitationes* [h] (quod decreto præeant) denique *voluntas Dei* [i] (quòd proxima decreti sit causa) metonymicè nominatur.

a Eph. 1. 11. b Jes. 46. 10. c Matth. 11. 26. Luc. 10. 21. d Eph. 1. 5. 11. e Act. 2. 23. f Psal. 33. 11. Act. 4. 28. Heb. 6. 17. g Rom. 11. 34. h Psal. 33. 11. i Isa. 46. 10. Rom. 9. 19.

XXV. Hoc autem placitum, voluntatis *liberrimæ*, dicimus: ut ab internis ac necessariis, voluntatis Dei actionibus (de quibus initio egimus) distinguatur. Siquidem Deus, *nulla* prorsus *necessitate*, sed *mera libertate*, ad res, extra se futuras, decernendas processit.

XXVI. *Nulla necessitate*; quia externam bonitatis ipsius communicationem, creationis & gubernationis decreto, statuendam, neque divinæ naturæ proprietas requirebat; quoniam verè שדי sibi absolutè sufficiens ac perfectè beatus [a], nullius est indigus [b]: neque ullum, rei decretæ, jus, id exegit; quia nihil ei debebat [c], sed ipsa, Deo debet omnia [d]: nec denique vis ulla coëgit; quia nec cogens aderat, quum Deus esset solus: nec qui cogere posset, quia decernens est omnipotens [e].

a 1. Tim. 6. 15. b Psal. 16. 2. Act. 17. 25. c Rom. 11. 35. d Ib. 36. e 2. Cor. 6. ver. 18.

XXVII. *Mera* verò *libertate*, futura decrevit; quia, ab omni interna externaque decernendi necessitate, immunis, res futuras ita decrevit Deus, ut, pro earum origine contingente, & summa in eas potestate [a], salvaque sua sapientia ac justitia (ut quæ, libertatem illam, in neutram partem, adstringebant) à decernendo, abstinere potuerit.

a Rom. 9. 21. & 11. 35.

XXVIII. Ex qua, efficientis decreti, explicatione, gravis illa & ad veri Dei notitiam ac cultum pertinens, controversia; *An decretum Dei, sit Deus, nec ne?* commodissimè dirimi potest. Siquidem spectata, cum *rei*, tum *Dei, natura*, negationis veritas, perspicuè demonstratur.

XXIX. *Nam à natura rei* hæc demonstratio est; *Nulla actio, à consilio & voluntate Dei liberè agente dependens, est Deus:* Deus enim, à se, naturâ est: non verò, à consilio ac voluntate liberè agente, dependet: *Atqui decretum Dei, est actio, à consilio & voluntate Dei, liberè agente, dependens: Ergo decretum Dei, non est Deus.*

XXX. A *natura* verò *Dei* (ut causæ efficientis decreti) altera etiam invicta demonstratio promanat; *Deus, est ens absolutè necessarium: Decretum Dei, non est ens absolutè necessarium. Ergo decretum Dei, non est Deus.*

XXXI. Ex quibus etiam (ut alia omittamus) clarissimum *æternitatis Dei & decreti discrimen*, elucet. Nam ut Dei existentia sic æternitas ejusdem, absolutè necessaria est. Contra verò, ut decreti existentia, à causa, liberrimè agente, dependet: sic ejusdem æternitas, merè arbitraria est: ut quæ sic est, ut non esse potuerit: quemadmodum ex superioribus constat. Ideoque decretum, non συνωνύμως, seu eadem prorsus ratione, qua Deus; sed ἀναλόγως, æternum appellatur. Ac propterea ex eo, decreti deitas, non firmatur; sed evertitur.

XXXII. *Neque* tamen, *essentiæ* divinæ *simplicitatem* (qualem Sacræ literæ ei attribuunt) ideo *violari*, si *non omne, quod in Deo est, sit Deus*, ex actionibus personalibus (generatione Filii à solo Patre, & spiratione Spiritus Sancti, ab utroque) evincitur.

XXXIII. Eas enim, sic in Deo esse, ut tamen, illæsa illius simplicitate, non sint Deus, sole clarius apparet. Essentia

enim Dei, absolutè ac simpliciter, communis est tribus personis: contra verò actio personalis, ut generatio Filii, non est absolutè & simpliciter communis tribus personis; sed propria certæ: Ergo actio personalis, non est essentia Dei. *Deinde*, Deus συνωνύμως prædicatur, de singulis personis divinis: actio personalis Dei, non prædicatur συνωνύμως de singulis personis divinis: Ergo ea, non est Deus.

XXXIV. Ideoque mirandum non est, si liberrima voluntatis Dei, in rebus futuris, pro arbitrio, determinandis, actio, in Deo sit, nec tamen sit Deus. Idque sanè non ignorasse, Clar. Ursinum, apparet ex Catechesis explicatione, ad quæst. 58. de vita æterna quæst. 1. etsi minus accuratè exponere videatur.

XXXV. Cæterum hoc Dei placitum, seu decretum, licet suæ, à libera voluntate, originis ratione (quâ esse potuit, aut non esse) sit contingens, posita tamen existentiæ illius hypothesi, *immutabile* (ob summam Dei decernentis sapientiam, justitiam, ac potentiam) Scriptura prælucente, meritò appellamus.

XXXVI. Sic enim ait; *consilium Iehovæ, in seculum consistit: cogitationes cordis ejus, in ætates singulas* [a]. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam* [b]. Ideoque Apostolus, in Deo, ἀμετάθετον τῆς βουλῆς [c] *immutabilitatem consilii*, prædicat. Nec enim sapientia illius falli [d], nec justitia depravari [e], nec potentia superari [f] potest. Utpote *apud quem, non est transmutatio, aut conversionis obumbratio* [g]. Atque hæc de *causa efficiente*.

a Psal. 33. 11. b Jes. 46. 2. c Heb. 6. 17. d Ibid. 4. 13. e 1 Joh. 1. 5. f Jes. 14. 27. g Jac. 1. 17.

XXXVII. *Forma* verò *decreti*, est recta rerum, ut ita fierent, prout eveniunt, præfinitio [a]. *Rectitudo* autem, in sapienti, *finis boni, præordinatione, & justa mediorum*, cum omnibus circumstantiis, *subordinatione*, consistit.

a Act. 4. 21. Eph. 1. 11.

XXXVIII. *Finis* autem *boni præordinatio*, *sapiens* est, quia ille propter se: *media* verò, propter finem, ordinantur. Ideoque, ex necessaria sapientiæ lege, finis, in animo decernentis, naturæ ordine, primùm intenditur ac præfigitur: media verò deinde ad eum reipsa assequendum, substernuntur: etsi tempore, neutrum in Deo, altero sit prius, aut posterius.

XXXIX. *Mediorum* verò *subordinatio justa* est: quia omnia, quæ eveniunt *bona* (cum naturalia, tum moralia) ea efficere [a]: quæ *mala culpæ*, ea, suâ potentia, non impedire [b]: *utraque* verò sapienter, ad finem usque ultimum, dirigere decrevit [c].

a Eph. 1. 11. b Joh. 19. 11. c Act. 2. 23. & 4. 27. 28.

XL. *Finis* autem *decreti mediorum ultimus*, est gloria Dei [a]: quæ est Deitatis & perfectionis illius (seu sapientiæ, benignitatis, justitiæ ac potentiæ) celebratio, cum *à Deo*, tum *à creaturis*, futura.

a Prov. 16. 4.

XLI. *A Deo* quidem; ut suam illam eminentissimam excellentiam, in creationis ac gubernationis mundi speculo, adumbratam, creaturis intelligentibus, noscendam proponeret [a].

a Psal. 19. 2, 3. & 148. 3. ad 11. Rom. 11. 33. & 36. 1 Cor. 1. 21.

XLII. *A Creaturis* verò *intelligentibus* (angelis [a] atque hominibus [b]) ut ea agnita, grato animo ac cultu, celebraretur [c]: quod ex membris hujus decreti, & executione illius plenius cognoscetur. Atque hactenus, de *æterno Dei decreto*.

a Psal. 148. 2. b Ib. vers. 11. & 12. Act. 17. 26, 27. c Rom. 11. 36. & 1. 19. cum 21.

COROLLARIA.

1. *An, ob decreti Dei veritatem immotam, res omnes decretæ, in se, sint necessariæ? N.*

2. *An eadem, relatæ ad decretum, ratione consequentiæ, necessariæ sint? A. & quidem reciproca. Ut enim ex decreti hypothesi, rei decretæ consequentia, necessaria est: sic similiter, posita re decreta, decretum Dei necessario concluditur.*

3. *An peccata creaturarum, decreti Dei prætextu, rectè queant excusari? N.*

DISPUTATIO X.

DE DIVINA HOMINUM PRÆDESTINATIONE.

THESIS I.

Nequaquam ab hujus rei doctrina, aberrantium, quorundam hominum præjudiciis, absterreri nos decet: qui, & olim [a], & nostra memoria, universam de prædestinatione doctrinam (quasi inutilem noxiamque aversantes) æterno silentio supprimendam, inique arbitrantur.

a Prosper. Epist. ad August. de reliquiis Pelagia. hæreseos. Hilarius Augustino. tom. 7. Augustini.

II. Quippe quum illa, à Prophetis [a], Christo [b], & Apostolis [c], ad Ecclesiæ totius institutionem, sit proposita: eandem, non sine fructu, in Scholis templisque, cum *reverentia*, *veritate*, ac *prudentia*, doceri posse ac debere, merito affirmamus.

a Exod. 33. 19. cum Rom. 9. 15. Mal. 1. 2. cum Rom. 9. 13. Jes. 10. 22. cum Rom. 9. 27. & 11. 5. b Matth. 25. 34. 41. & 22. 14. Joh. 6. 37, 39. c Rom. 8. 28, 29. Jac. 2. 5. 1 Pet. 1. 2, 20. Judæ 4.

III. *Reverentia* autem, in eo sita, ut sanctam hanc doctrinam, sancta mente ac lingua, religiosè tractemus: ne, quæ non capimus, ea carpamus; sed admiremur [a]: & quasi sacrum Dei montem, Mosis instar, conscensuri, impuros, præjudicii & affectuum, calceos exuamus [b].

a Rom. 9. 20. & 11. 33, 34. b Exod. 3. 5.

IV. *Veritas* deinde requiritur, ut & *sobriè*, & *sincerè*, literarum divinarum canonem, ac fidei mensuram, sectemur [a]. *Sobriè* quidem; ut mysteria à Deo velata, ipsi relinquamus: & in doctrina ab eo revelata, acquiescentes [b], studeamus, μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν [c], *non sapere, supra quàm oportet sapere; sed sapere, ad sobrietatem*. *Sincerè* verò; *ne sermonem Dei*, in ullius gratiam, *adulteremus* [d], aut *dissimulemus* [e]; sed puritatem illius, fideli professione [f], constanter tueamur.

a Deut. 4. 2. Gal. 6. 16. Rom. 12. 3. b Deut. 29. 29. c Rom. 12. 3. d 2. Cor. 2. 17. & 4. 2. e Matt. 10. 32, 33. f Actor. 20. 27. 1. Cor. 4. 1, 2.

V. *Prudentia* denique (quæ, in recto hujus dogmatis tradendi modo, consistit) ea adhibenda; ut, pro diversa auditorum ratione, vel *sublimius*, à summis gradibus, ad imos, συνθετικῶς· vel *humilius*, ab imis, ad summos paulatim deducendo, ἀναλυτικῶς proponatur. Atque illo modo, peritioribus, quasi solidior cibus [a]: hoc verò, imperitioribus, lactis aut cibi præmansi instar [b], appositè præbeatur.

a 1. Cor. 3. 2. Heb. 5. 13, 14. b Ibid.

VI. Quam doctrinam, priori modo (ut Academico disputationum, inter eruditos, curriculo consentaneum) repetituri, ad penitiorem illius intelligentiam, à vocis origine atque usu, ordiemur.

VII. Ὁρίζειν *propriè*, *terminare*, designat: *impropriè* verò derivata, ἀπὸ τῶν ὅρων θέσεως [a], termini positione, metaphora, *duobus modis*, usurpatur.

a Actor. 17. 26.

VIII. *Interdum* enim, *declarare*, significat [a]: sæpius vero, ad animi propositum, seu destinationem ac decretum [b], transfertur. Quo etiam modo, synonyma illius τιθέναι [c], *ponere* (in animo) τάττειν [d] *ordinare*, ἑτοιμάζειν [e] *parare*, denique ἱστάναι [f] *statuere*, simili, à re corporea, translatione, in Sacris Literis adhibentur.

a Rom. 1. 4. & Chrysost. Ibid. b Actor. 11. 29. & 17. 31. c 1. Thess. 5. 9. 1. Pet. 2. 8. d Actor. 13. 48. & 15. 2. e Matth. 25. 34, 41. f Actor. 17. 31.

IX. Utque *locus rei* [a], à finitore seu mensore, & *res collocata* [b]

cata[b] à loco continente, terminari ac suis finibus definiri, dicuntur: sic & *decretum*, seu destinatum Dei consilium, & res decreta, seu destinata, communi voce, ὡρισμένον[c] determinatum seu definitum, appellatur; sed dispari tamen gradu.

a Deut. 19. 14. b Exod. 19. 12. c Luc. 22. 22. Act. 10. 42.

X. *Decretum* enim determinatur, à voluntate seu volendi potentia; ideoque ὡρισμένη βουλὴ[a] *determinatum consilium*, & vulgo ὁρισμὸς determinatio dicitur: *res* verò *decreta*, per voluntatis actum, seu decretum, definitur ac statuitur.

a Actor. 2. 23.

XI. Porro voce ὁρίζειν (eodem sensu; sed expressa, temporis inclusi, circumstantia) componitur προορίζειν[a], antè terminare, *præfinire*, seu *prædestinare*, sicut ex synonymis, antè memoratis[b], προθέσθαι[c] *proponere* προτάττειν[d] *præordinare*, προετοιμάζειν[e] præparare: ut etiam προγινώσκειν[f], pro *præsciscere* (ut γινώσκειν pro sciscere, seu decernere[g]) interdum usurpatur.

a Rom. 8. 29, 30. Act. 4. 28. 1. Cor. 2. 7. b Thesi 8. c Rom. 1. 13. Eph. 1. 9. d Act. 17. 26. e Rom. 9. 23. 1 Cor. 2. 9. f 1. Pet. 1. 20. g Demosthen. orat. adver. Aristocrat. edit. Wolphii p. 451.

XII. Unde prisci theologi Græci, docendi gratiâ προορισμὸν *præfinitionem*, seu *prædestinationem*, accommodata analogia, efformarunt. Cujus perspicua periphrasis, πρόθεσις τῆς καρδίας[a] *propositum cordis*, à Luca profertur.

a Actor. 11. 33.

XIII. *Destinatio* autem, seu *prædestinatio*, pro efficientis voluntatis diversitate, alia, est *Creatoris*[a]: alia, *intelligentis creaturæ*[b].

a Rom. 8. 29. b Act. 11. 29.

XIV. Quarum *prior* (pro infinita, excellentiæ suæ, dignitate) interdum *synecdochicè*, generali voce, designatur: ut quum Euangelista ait; *Filius hominis vadit*, κατὰ τὸ ὡρισμένον[a] *quemadmodum definitum*; nimirum à Deo. Sicut Paulus πρόθεσιν τῶν αἰώνων, *propositionem seculorum* (hoc est, propositum æternum) distinctius nominat.

a Luc. 22. 22. b Eph. 3. 11.

XV. Porro *Dei prædestinatio*, pro objecti, & subjecti sui, diversitate, vel est *universalis*, quæ res omnes spectat, totumque Dei decretum est: vel *particularis*, quæ ad quasdam earum tantùm pertinet: & pars, æterni atque universalis illius decreti, existit. Qualis ea est, & quidem præstantissima, quæ ad creaturas intelligentes, Angelos hominesque refertur.

XVI. Et *universalis* quidem, ante à nobis explicata[a]: *particularis* verò, & quidem hominum inprimis, restat explicanda. Ac quamvis ea sit *duplex*; *una*, ad gratiæ Dei salutiferæ: *altera*, ad vindicis illius justitiæ, gloriam[b]: utramque tamen, ad majorem rei perspicuitatem, & uno quasi intuitu contemplationem, sequente *descriptione*, complectemur.

a Disput 8. b Rom. 9. 22, 23.

XVII. Divina hominum prædestinatio, est *particulare Dei decretum, quo, ex hominibus indefinitè præscitis, omnes eos, qui fuerunt, sunt, & erunt, in eum finem, bonos creare, & rectâ gubernatione, lapsum eorum, ac justitiæ originalis amissionem permittere, ac porro, ad æternum, animæ corporisque statum, dirigere decrevit: ut in electis eorum, per misericordem, cum Christi servatoris, tum salutis æternæ, per eundem, donationem, suæ misericordis gratiæ: in reliquis verò præteritis, justa per meritum ipsorum condemnatione, vindicis suæ justitiæ, gloriam celebrandam, manifestaret.* Atque hæc *descriptio*: quæ, ut *genere* suo, & *differentia*, constat: ita utrumque, pleniorem explicationem, desiderat.

XVIII. Ac *genus* quidem remotum, statuimus Dei decretum, seu prædestinationem generatim sumptam[a]. Unde, partim *causa interna* illius *movens*, εὐδοκία[b] seu liberum voluntatis divinæ (à nulla re futura dependentis) placitum[c]: partim, *æternitatis*[d] atque *immutabilitatis*[e], attributa, necessario concluduntur: quemadmodum Dei, & decreti illius, natura[f] evincit.

a Rom. 8. 29. Eph. 1. 5. b Matt. 11. 26. Eph. 1. 5. c Rom. 9. 11. & 18. & 22. & 11. 35, 36. Eph. 1. 9, 11. d Matth. 25. 34, 41. Act. 15. 18. e Ies. 46 10. f Ib. 14. 27. Iac. 1. 17. Prov. 19. 21.

XIX. *Propinquum* verò fit *genus*, quum decretum hoc, *particulare*, dicitur; ut ab universali (cujus pars est) distinguatur: & similibus homogeneis consentaneum, declaretur.

XX. Cui generi, sua subnectitur *differentia* duplex: *communis*, & *propria*. *Communis* autem est, quæ utrique hominum prædestinationi, conveniens, eam, à reliquis omnibus particularibus decretis, distinguit. Et in *communi*, partim *materia* (ut vocant) partim *forma*, consistit.

XXI. Ac *materia* quidem, vel *objecta* est, vel *subjecta*: quæ duo, *ordine*, & *numero*, inter se differunt.

XXII. *Ordine*; quia *objectum* præcedit: *subjectum* verò, ex objecti prædestinatione, procedit: *numero*; quia illud est totum: hoc verò, pars illius.

XXIII. *Objectum* enim prædestinanti Dei voluntati (quæ, ob summam intellectus illius sapientiam, in ignotum, aut temere, ferri non potest) ab indefinita illius præscientia, monstratum, fuerunt homines, quatenus poterant prædestinari. *Subjectum* verò, sunt omnes illi ac soli homines singulares, qui divinitus prædestinati. Quæ duo, succincta ac distincta, præscientiæ Dei, propriè acceptæ, explicatione, fient clariora.

XXIV. Siquidem præscientia Dei, est rerum universarum, & singularum, quæ fieri possunt, perfectissima, in Deo scientia.

XXV. Nam *præscientiæ objectum*, sunt τὰ δυνατὰ, quæcunque fieri possunt: eorumque ratione, bifariam distinguitur.

XXVI. *Una* enim, est τῶν δυνατῶν ἁπλῶς, eorum, quæ simpliciter fieri possunt: seu quæ, in neutram partem (neque ut fiant, neque ut non fiant) sunt definita. Altera verò est τῶν ὡρισμένων καὶ τῶν μελλόντων eorum possibilium, quæ futura sunt.

XXVII. Unde prior, *præscientia indefinita* ac *simplicis intelligentiæ*: & *naturalis* etiam ac *necessaria* dici consuevit: quod Deo nihilominus conveniret, etiamsi nihil omnino decrevisset: posterior verò, *definita* nominatur: quod circa res, tanquam decreto definitas[a], occupetur.

a Act. 2. 23. & 15. 18.

XXVIII. Etenim omnia futura, fieri possunt: sed innumera possunt[a], quæ nunquam sunt futura.

a Matth. 26. 53. & 3. 9.

XXIX. Nam si plura, quàm fiunt, efficere nequit Deus, non est omnipotens: si quid autem valeat efficere, aut fieri possit, ignoret, non est omniscius: eòque nec Deus. Quibus nihil, in infinitam, potentiæ[a] ac sapientiæ Dei[b], majestatem, indignius fingi potest.

a 2. Cor. 6. 18. Apoc. 4. 8. b Rom. 11. 33, 34. 1. Cor. 2. 11. Heb. 4. 13.

XXX. Sub *indefinita* autem *præscientia* (omnes, simpliciter possibilium, modos respiciente) etiam illa, quam vulgò, *conditionatam*, nuncupant, continetur.

XXXI. Ea autem est, quâ Deus, ex infinito, scientiæ suæ, lumine, quædam futura, non absolutè, sed certa conditione posita, prænovit.

XXXII. Quemadmodum, si certa, rerum ac circumstantiarum, series poneretur, quisnam inde eventus (non fato Stoico, sed pro causarum ratione) necessarius, aut contingens, esset futurus, certissimè præscivit: *sive* ea series, succedente *Dei decreto*, sit *definita*, *sive indefinita* manserit. Quoniam præscientia hæc indefinita, à decreto definiente, minimè dependet; sed illud necessariò (tanquam objectum, suum adjunctum) naturæ ordine, antecedit.

XXXIII. Ac *posterioris modi*, in re indefinita, exemplum (præter alia) illustre *primum* est, quòd Deus præsciverit futurum, ut David, si modo in urbe Kehila maneret, à Saule invaderetur, & à civibus traderetur[a]: quorum neutrum tamen, ob Davidis fugam, perpetratum. *Alterum* vero, quod Deus similiter prænoverit, ac prædixerit futurum, ut gentes exteræ Ezechielem, si ad ipsas mitteretur, audirent[b]: quamvis etiam, nec res ipsa, neque rei futuræ conditio antecedens, evenerit.

a 1. Sam. 23. 11. 12. b Ezech. 3. 6.

XXXIV. *Prioris* verò in re, succedente decreto, definita exemplum, in hominum quoque prædestinatione, elucet. Siquidem Deus, inter alia, pro immensâ suâ scientiâ, prænovit, si homines, ex iis, quos creare poterat, certos (nempe eos, qui fuerunt, sunt, & erunt) in recto justitiæ originalis statu, in Adamo crearet, daretque, de abstinentia arboris scientiæ boni & mali, mandatum, Satanæ tentationem non impediret, & consentaneè suæ sanctæ potestati, atque hominum libertati (ut fecit) dirigeret, prænovit (inquam) futurum, ut boni specie ac voluntatis libertate abusi, mandati transgressione laberentur, ac justitiam originalem excuterent: atque ita viam omninò idoneam (cum ad misericordis ac salutiferæ suæ gratiæ, tum ad vindicis justitiæ gloriam) adfuturam.

XXXV. Quam objectam (inter cæteras) rerum ſeriem, non ut cauſam, ſed ut occaſionem, in hac prædeſtinatione ſpectans Deus, libero ac ſapienti decreto, diſtinctè præfinivit. Idque eventus, certiſſimus decreti Dei index, evincit: ut qui omnia, ex conſilio voluntatis ſuæ, efficiat [a].

a Eph. 1. 11.

XXXVI. Ut enim innumeros alios homines, & aliter creandos ac gubernandos, pro ſua ſapientia ac bonitate, deſtinare potuit, quia omnipotens [a]: idque voluntati ſuæ objecit, quia omniſcius [b]: ita certum tantum numerum, certaſque ſingulares perſonas, pro ſua libera juſtaque poteſtate [c], prædeſtinavit.

a 1. Tim. 6. 15. Matth. 19. 26. b 1. Tim. 1. 17. c Matth. 20. 15. Rom. 9. 18, 22. & 11. 35, 36.

XXXVII. Cujus numeri, à Deo definiti, & ſingularum perſonarum, myſterium, ſolus novit [a], qui, ſine conſiliariis, prædeſtinavit [b].

a 2. Tim. 2. 19. b Rom. 11. 39.

XXXVIII. Ideoque *ſubjectum* hoc, non ſigillatim, ſed generalius, & à poſteriori executione, tantùm adumbrantes, his verbis, in præmiſſa prædeſtinationis deſcriptione, innuimus; *qui fuerunt, ſunt, & erunt*. Atque hæc de *altera communi*, prædeſtinationis hominum, *differentia:* quæ, in *materia* (cum *objecta*, tum *ſubjecta*) conſiſtit.

XXXIX. *Tertia* denique eſt in *communi* ac generali *forma:* qua, à reliquis particularibus Dei decretis, diſtinguitur. Eaque *partim*, in hominum, ad ultimum finem, præordinatione, *partim*, in mediorum, ad eum idoneorum, ſubordinatione, apparet.

XL. Quæ duo, licet æternitatis ratione, & perfectiſſima Dei (ſine ulla deliberatione, omnia decernentis) conſideratione, ſint ſimul: reipſa tamen, ſeu naturæ ſuæ ordine, ſunt diſtincta. Ideoque à Deo diſtinctè intellecta ac decreta: ut veritas ipſius (qua res ſicut ſunt, cognoſcit) manifeſtè demonſtrat.

XLI. Quum enim finis ſapienti propoſitus, non propter media ſua, ſed propter ſe intendatur: media verò (ſive efficienda, ſive permittenda) propter finem, futura ordinentur: propterea, naturæ ordine, & intentionis Dei (ut ſapientia ipſius flagitat) ratione, finis ultimi hominum, prædeſtinatio, mediorum illius futurorum, ordinationem, neceſſario antecedit.

XLII. Quare, quum media non minus, quam finis (ac licet ſimul, ordine tamen poſteriore) ſint deſtinata: idcirco ea, *nec cauſa, nec objectum*, prædeſtinationem antecedens, ſine evidenti contradictione, dici poſſunt.

XLIII. *Deinde*, ex eodem liquet, prædeſtinationem hanc, *non* eſſe *conditionalem* ac dubiam, ſed ſtabilem [a]. Quoniam, ut finis mediis certo eſt præordinatus: ſic media, fini obtinendo certiſſimè (ut veritas Dei, & conſtantia decreti illius, poſtulat [b]) ſubordinata.

a Eph. 1. 11. Rom. 9. 11. 2. Tim. 1. 19. b Jac. 1. 17. Prov. 19. 21.

XLIV. *Finis* autem *ultimus communis*, eſt Dei, in æterno hominum, anima & corpore, ſtatu ac gradu, gloria: ut, ex propriis finibus, clarius conſtabit.

XLV. *Media* verò *communia*, ad hunc poſtremum hominum finem, deſtinata atque idonea, ſunt *duo:* nempe eorum, in Adamo, cum juſtitia originali, *creatio* [a]: & creatorum, recta *gubernatio*. Quæ *primum* legis lationem [b]: *deinde* tranſgreſſionis illius [c] & excuſſionis gratiæ Dei [d], atque originalis juſtitiæ [e], permiſſionem, & perpetuam ad ultimum uſque ſtatum directionem [f], complectitur.

a Gen. 1. 27, 31. Eph. 4. 24. b Gen. 2. 16, 17. c Ib. 3. 6, 11. d Rom. 5. 10, 12. e Eph. 2. 1, 3. f Rom. 9. 14. & 11. 35, 36.

XLVI. Idque, ex reipſa, perſpicuè demonſtratur. Nam quæ ad ultimum hominum finem, ſunt ordinata, illa ſunt media, illi ſubordinata: atqui hæc creatio & gubernatio hominum, ad finem eorum ultimum, ſunt ordinata. Is enim eſt Dei, in æterno hominum ſtatu, gloria: eique creatio, & permiſſione lapſus gubernatio, inſerviunt: & propter eam, tanquam ultimum ſuum bonum, ſunt, & eodem diriguntur [a]. Ergo creatio hominum, & permiſſione lapſus, gubernatio, ſunt media, ad ultimum hominum finem, ordinata. Ideoque, à prædeſtinationis ambitu, nequaquam excludi debent. Atque hæc de prædeſtinationis hominum, *differentia communi.*

a Jeſ. 43. 7. Pro. 16. 4. Rom. 9. 20. ad 24.

XLVII. *Propria* verò eſt, quæ non totius humani generis communiter; ſed alterius tantùm partis prædeſtinationi, convenit: & in *diverſis* utrimque, *cum cauſis extremis* (efficiente impulſiva, & fine ultimo) *tum mediis*, conſiſtit. Unde *duplex* hominum *prædeſtinatio*, exſurgit: quarum prior, *Electio:* poſterior, *Rejectio*, & *Reprobatio* nuncupatur.

XLVIII. *Electio* autem, non humana, ſed *divina:* eaque non ad vitæ hujus (civilia, aut eccleſiaſtica) munia [a], aut ad externam Eccleſiæ ſocietatem [b]: ſed *ad vitæ æternæ hæreditatem*; & quidem non temporalis (quæ eſt vocatio infidelium, è mundo, ad fidem [c]) ſed *æterna, qua certos ex hominum univerſitate, ad ſalutem prædeſtinavit* [d] κατ' ἐξοχὴν, ac relatione quadam, deſignatur.

a 1. Sam. 10. 24. Joh. 6. 70. b Deut. 7. 6, 7. c Joh. 15. 16. 19. & 13. 18. d Eph. 1. 4.

XLIX. Electio enim non abſolutè, quorundam tantùm aſſumtionem; ſed relictionem etiam reliquorum conjunctam (ex propria vocis natura, & Scripturæ uſu) deſignat. Quemadmodum *electio* (hoc eſt metonymicè, electi) *reliquis* [a] opponuntur. Ac propterea, *Electio univerſalis*, non ſine apertâ contradictione, nec ſine rejectione Chriſti (qui, *multos vocatos; paucos verò electos* [b] aſſerendo, particularem ſtatuit) dici poteſt.

a Rom. 11. 7. Marc. 13. 20. b Matth. 22. 14.

L. Cujus *Electionis*, à rejectione diſcrepantis, *propria* extrema cauſa prima, ſive *efficiens impulſiva*, eſt Dei gratia: hoc eſt, merè gratuita dilectio: à libera illius, de ſuis bonis ſtatuendi poteſtate ac voluntate [a], promanans. Ac propterea, *electio gratiæ* [b] vocatur: & operum efficaci dignitati, è diametro adverſa opponitur [c]. Atque ita dilectos & electos Deus τοὺς ὄντας αὐτοῦ [d] *eos, qui ſunt ſui*, non minus, quàm *electos Dei* [e], peculiariter appellat.

a Matth. 20. 15. Rom. 9. 14. 15. 21. & 11. 35. Eph. 1. 5. 11. c Rom 11. 5. c Ib. v. 6 & 9. 16. 2. Timoth. 1. 9. d Joh. 17. 6. 9. 2. Timoth 1. 19. e Rom. 8. 33.

LI. Quippe homines eligunt, quos meritò diligunt: Deus verò contra, ab æterno diligit, quos immeritò eligat. *In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum; ſed quod ipſe dilexerit nos* [a]. Item, *Nos diligimus ipſum, quia ipſe prior dilexit nos* [b]. *Quis prior dedit ei, & reddetur ipſi* [c]*?*

a 1. Joh. 4. 10. 2. Tim. 1. 9. b 1. Joh. 4. 10. c Rom. 11. 35.

LII. *Secunda* verò Electionis, propria atque *extrema cauſa*, ſeu *finis ultimus*, eſt miſericordis ac ſalutiferæ Dei gratiæ, gloria. Quia propter illam, electorum creatio, & ad æternum ſtatum gubernatio, exiſtit: ut Rom. 9. 23. *ut notas faceret divitias, gloriæ ſuæ, erga vaſa miſericordiæ: quæ præparavit, ad gloriam*. Et Eph. 1. 5, 6. *Prædeſtinavit nos &c. ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ.* Sic Jeſ. 43. 7. *Et omnem, qui invocat nomen meum, ad gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum.*

LIII. *Media* verò *propria*, ad eum, miſericordis ac ſalutaris gratiæ, finem, ordinata ſunt duo: *primum*, eſt Chriſti ſervatoris: *ſecundum*, ſalutis per eundem, miſericors donatio: ut præter alia, hæc Scripturæ dicta, atteſtantur.

LIV. De Chriſto quidem, in *Veteri Teſtamento* Iſa. 42. v. 1. *En ſervus meus, quem ſuſtento: electus meus*, (hoc eſt, *quem elegi* [a]) *quo delectatur anima mea, indidi ſpiritum meum ipſi: judicium Gentibus proferet*. Et verſu 6. *Ego Iehova vocavi te & dedi te, in fœdus populi, in lucem Gentium.* Et cap. 49. 7. *Dedi te, in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea, uſque ad extremitatem terræ* [b]. Et cap. 9. 6. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, &c.*

a Matth. 12. 18 Jeſa. 49. 7. b Act. 13. 47.

LV. In *Novo* verò *Teſtamento*, idem aſſeritur 1. Pet. 1. 18, 19, 20. *Redempti eſtis*, &c. *pretioſo ſanguine, ut agni immaculati & incontaminati Chriſti: præordinati quidem, ante fundationem mundi; patefacti verò ultimis temporibus, propter vos.* 1. Joh. 4. 9, 10. *In hoc, patefacta eſt charitas Dei, in nobis, quod Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas, non quod dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium ſuum, ut eſſet propitiatio, pro peccatis noſtris.*

LVI. Ac propterea, quoniam Chriſtus Electis, miſericordi Dei gratia, eſt donatus, idcirco electi, *Chriſto dati*, ejuſque *oves*, appellantur: non ſolum, ratione vocationis, qua ad eum ſunt adducti (ut Apoſtoli fideles [a]) ſed etiam, ob ſolam prædeſtinationem æternam, qua tandem ad ipſum, ejuſ-

que

que ovile, vocandi, ut per ipsum serventur. Quemadmodum Joh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & venientem ad me, non ejiciam foras: & versu* 39. *Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo; sed suscitem illud, ultimo die.* Et cap. 10. 15, 16. *Animam meam pono pro ovibus meis. Et alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere: & vocem meam audient, fietque unum ovile, & pastor unus.*

a Joh. 17. 6.

LVII. Ex quibus omnibus perspicuè apparet, Christum quatenus Mediator est ac Redemptor, medium esse, ad salutem electorum, destinatum: ac propterea, Electio illius, aliorum ad salutem destinationem, ordine non præcedit, sed ut medium, ei fini subordinatum, succedit.

LVIII. Quatenus tamen, æternus cum Patre Deus est, Electionis etiam auctor, cum Patre statuitur, Eph. 1. 4. *Elegit nos in ipso:* & cap. 3. 11. *Secundùm propositum æternum, quod fecit in Christo Iesu.* In quibus locis, ἐν pro διὰ, tritissimo Apostoli usu, adhibetur: ut Eph. 2. 13. *in sanguine:* vers. 18. *in Spiritu:* & cap. 4. 30. *in quo:* & 5. 26. *in verbo.* Sic Col. 1. 16. *in ipso, condita sunt omnia* (hoc est, ut ibidem, & Eph. 3. 9. & Heb. 1. 2. exponitur, *per ipsum:* nempe Christum) & v. 17. *omnia in ipso consistunt.* Ideoque non minus, quàm Patri, liber vitæ scriptus ipsi Apo. 21. 27. attribuitur. Atque hæc de *primo* electionis, ad misericordis ac salutaris Dei gratiæ gloriam, *proprio*, ac *primario medio.*

LIX. *Alterum* verò est electorum lapsu miserorum misericors ac gratuita per Christum salus, primùm *inchoata*: deinde *perfecta.*

LX. *Inchoata* autem, est interna (per merè gratuita *fidei* ac *spei vivæ*, & *charitatis*, dona) *sanctificatio*, & *effecta* illius. Cujus medii consideratione, ab Augustino [a], aliisque *prædestinatio sanctorum*, appellatur.

a Tom. 7. de prædest. Sanctorum.

LXI. *Effecta* autem *fidei* quidem (ut instrumenti) sunt *unio cum Christo* vivifica: & *duplex*, per eam, *fructus*; justificatio, & υἱοθεσία in filios atque hæredes Dei, adoptio: charitatis verò, à fide excitatæ [a], effectum, est vitæ sanctitas, seu, bona opera.

a Gal. 5. 6. 1 Tim. 1. 5. Jac. 2. 17. 18.

LXII. *Perfecta* deinde *salus*, est electorum glorificatio: seu, beatæ in cælis vitæ, anima ac corpore gloriosè suscitato, æterna possessio. Quæ κατ' ἐξοχὴν, *salus* [a], & *salus æterna* [b], dicitur: & ultimum ac proprium est, electionis medium, & postremus simul status, ac finis penultimus: ad quem, antecedentia omnia media, destinata sunt, ac diriguntur: ut Sacræ literæ demonstrant.

a Rom. 1. 16. 1. Thes. 5. 9. b Heb. 5. 9.

LXIII. Hujus enim *perfectæ salutis* destinatæ ratione *Electio* synecdochicè πρόθεσις *propositum*, nempe servandi Rom. 8. 28. & πρόγνωσις τοῦ πατρὸς *præscitum*, vel prænotio) *Dei Patris* 1. Pet. 1. 2. vocatur. *Electi* verò consentanea *periphrasi*, dicuntur, *Quos prænovit*, Rom. 8. 29. *conscripti in cælis*, Heb. 12. 23. *quorum nomina scripta sunt in cœlis*, Luc. 10. 20. *in libro vitæ*, Phil. 4. 3. *à fundatione mundi*, Apoc. 17. 8. *Quibus, Patri placuit, dare regnum*, Lucæ 12. 32. *ordinati ad vitam æternam*, Act. 13. 48. *præparati ad gloriam*, Rom. 9. 23. *vasa, ad decus, facta*, vers. 21. *Quibus paratum est regnum, à fundatione mundi*, Matth. 25. 34. *Positi, ad acquisitionem salutis*, 1. Thess. 5. 9.

LXIV. *Inchoatam* verò (cum sanctificationis, tum effectorum illius) *salutem*, ex gratuita hac, ad perfectam salutem electione, pendere: & ad eam, tanquam finem suum, esse destinatam, Scriptura etiam declarat. Nam, de *sanctificatione* (quæ metaphoricè *regeneratio* [a], dicitur) & ratione *originis*, & *finis*, *generatim* hoc docet. De *origine* quidem 1. Pet. 1. 2. *Electi, secundùm præscientiam Dei, ad sanctificationem Spiritus.* De *fine* verò, cui hoc medium est destinatum, Rom. 6. 22. *Nunc verò liberati à peccato, mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum, ad sanctimoniam: finem autem, vitam æternam.*

a Tit. 3. 2.

LXV. *Speciatim* verò idem tradit, ac *primum*; de *fide.* Cujus *origo*, statuitur Electio ad salutem: & *finis*, salus. Origo Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati, ad vitam æternam*, Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit:* nempe per Euangelii [a], & Spiritus Sancti [b] efficaciam, ad fidem: ut ibidem, sequens *effectum illius, justificatio evincit. Sic* Phil. 1. 29. *Vobis donatum est, in Christi negotio, non solum, in eum credere; sed etiam, pro eo affligi.* Eph. 2. 8, 9, 10. *Gratia enim servati estis, per fidem: idque non ex vobis; Dei donum est: non ex operibus; ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus; conditi in Christo Iesu, ad opera bona.*

a Rom. 10. 17. 1 Pet. 1. 23. b 2. Cor. 4. 13. Eph. 3. 16. 17.

LXVI. Nec solùm, *efficiens causa procreans fidei*, est Deus; sed etiam *conservans* ac *perficiens:* 1. Pet. 1. 5. *virtute Dei custodimur per fidem, ad salutem: quæ parata est patefieri, die ultimo.* 2. Thess. 1. 11. *Precamur semper pro vobis, ut vos dignetur ista vocatione, Deus noster, & compleat omne bonitatis placitum, & opus fidei, potenter.* 1. Thess. 5. 23. 24. *Ipse autem Deus pacis, sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima, & corpus, inculpatè in adventum Domini nostri, Iesu Christi, serventur. Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam efficiet.*

LXVII. *Salutem* autem, esse *finem*, ad quem fides, tanquam medium illius, ordinata est, non solùm ex effectis, sed ex aperta quoque Scripturæ assertione, apparet. Ut 1. Pet. 1. 9. *Finis fidei, salus animarum.* Hæc enim, bonum est illud, cujus gratia creditur [a], ac fides datur. *Quos* enim *prædestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit &c. eos etiam glorificavit* [b].

a Ioh. 3. 15, 16, 20, 31. Act. 16. 30, 31. b Rom. 8. 30.

LXVIII. *Effectorum* etiam *fidei*, similis est ratio. Nam *primum*, ut Christi donatio, ab electione ad salutem (sicut supra ostendimus) promanat, sic ab eadem vivifica, *cum Christo unio*, per fidem procedit. Eph. 3. 17. *per fidem, inhabitat Christus, in cordibus nostris.* 1. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in communionem Filii ipsius, Iesu Christi, domini nostri. Finem* verò hujus unionis per fidem, esse salutem, liquet Gal. 3. 28. 29. *omnes enim vos, unus estis, in Christo Iesu. Quod si vos, estis Christi; semen Abrahæ estis, & secundum promissionem, hæredes.*

LXIX. *Deinde* uterque *unionis* hujus per *fidem*, *fructus*, ab electione ad salutem, oritur: eique, ut medium subordinatum, inservit. *Primus* enim *fructus*, est *justificatio*: de qua Rom. 8. 1. *Nulla est igitur condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu.* Et cap. 5. 1. *justificati igitur ex fide, pacem habemus, apud Deum, per Dominum nostrum, Iesum Christum.* Et cap. 8. 30. *Quos vocavit, eos etiam justificavit.* vers. 33. *Quis accusabit electos Dei?* (scilicet vocatos ad fidem) *Deus est, qui justificat: quis condemnabit? Christus mortuus est, &c. pro nobis.* Salutis verò *medium* esse, inde liquet, quòd vers. 30. asseritur; *Quos justificavit, eos etiam glorificavit.* Unde, *justificatio vitæ* (hoc est, vivifica) Rom. 5. 18. nominatur.

LXX. *Alter* verò, unionis cum Christo, per fidem, *fructus*, est *adoptio* in filios & hæredes Dei. Cujus etiam *origo* est electio ad salutem: & *finis*, salus. Nam de *origine* dicitur: Eph. 1. 52. *Qui prædestinavit nos, in adoptionem, in filios, per Iesum Christum.* Rom. 8. 29. *Quos præscivit, eos etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui: ut is sit primogenitus, inter multos fratres.* Joh. 1. 12. *Quotquot eum acceperunt, dedit eis potestatem, ut filii Dei fierent, iis qui credunt, in nomen ejus.* Gal. 3. 26. *Omnes enim vos, filii Dei estis, per fidem, in Christo Jesu.* Unde, ut electi credentes, filii Dei, reipsa [a]: sic electi nondum credentes, solius prædestinationis ratione, Joh. 11. 25. *filii Dei* (hoc est metonymicè, destinati in filios) appellantur.

a Rom. 9. 26.

LXXI. *Finis* deinde *adoptionis*, est salus æterna [a]. Rom. 8. 17. *Quod si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hæc de *fide* & *effectis* illius, ab electione ad salutem ortis, eique subordinatis.

a 1. Joh. 3. 1.

LXXII. *Spei* quoque (quæ *alterum* est *sanctificationis membrum*) eadem est ratio. Nam, de *origine* illius, dicitur 2. Thess. 2. 16. *Ipse verò Dominus noster, Jesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam, per gratiam, consoletur vestra corda.* Rom. 15. 13. *Deus verò spei, impleat vos, omni gaudio, & pace credendo, ut spe abundetis per Spiritum Sanctum.* De *fine* verò (cui, ut medium, inservit) non minùs quam de origine, seu Dei gratia, agitur

tur 1. Pet. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi; qui, ex multa sua misericordia, regenuit nos, in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis, ad hæreditatem, quæ nec perire potest, nec marcescere, nobis in cœlis servatam.*

LXXIII. De *charitate* denique & *effectis* illius, *vita sanctitate* ac *bonis operibus*, similiter in Sacris literis docetur, ab electione, ad salutem æternam, oriri: & medium esse, ad salutem destinatum. Eph. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipso, ante fundationem mundi: ut simus sancti, & inculpati, coram eo, per charitatem.* Et cap. 2. 10. *Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona: quæ præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* Sic etiam pro fide & charitate Ecclesiæ, Deo, ut auctori, gratias agit Eph. 1. 15, 16. & pro utriusque incremento Apostolus v. 16. & 17. & 6. 23. precatur.

LXXIV. Unde charitatis & bonorum operum, ab eligentis Dei gratia, *origo* conspicua: *finis* verò est salus. Nam ut *sine sanctimonia nemo videbit Deum*, Heb. 12. 14. nec in cœlum ingredietur, Apoc. 21. 27. Matth. 7. 21. *sic contra diligentibus Deum omnia ad salutem conferunt: qui secundùm propositum, vocati sunt*, Rom. 8. 28. Atque hæc quidem de iis Scripturæ dictis; quibus, destinata salutis media, sigillatim declarantur.

LXXV. Hisce verò accedunt alia, quæ ea, cum suis causis, plenius comprehendunt: ut 2. Thess. 2. 13, 14. *Nos autem debemus Deo gratias agere semper, de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus, ab initio, ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati. Ad quod vocavit vos, per Euangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini nostri, Iesu Christi*, 2. Tim. 1. 9. *Qui* (Deus) *servavit nos, & vocavit vocatione sancta: non ex operibus nostris; sed ex suo proposito & gratia: quæ data quidem est nobis* (hoc est metonymicè, decreta, ut daretur) *per Christum Iesum, ante tempora secularia.*

LXXVI. Sic 1. Pet. 1. 2. *Electis ex prænotione, Dei Patris, ad sanctificationem Spiritus, ad obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi.* Tit. 3. 4, 5, 6, 7. *Postquam benignitas & φιλανθρωπία erga homines amor apparuit servatoris nostri Dei, non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed, ex sua misericordia, servavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti: quem effudit in nos copiosè, per Iesum Christum servatorem nostrum: ut justificati, ipsius gratia, hæredes efficeremur secundùm spem, vitæ æternæ.*

LXXVII. Ex quibus omnibus invictè concluditur: quum fides, spes, charitas bonaque opera, sint consequentia, electionis ad salutem effecta, ac gratis destinata media, nihil eorum antecedens, electionis illius, objectum (nedum causam) sine enormi contradictione, posse constitui. Atque hactenus de *Electione*: quæ *prima prædestinatio.*

LXXVIII. *Altera* verò, est *hominum in electione præteritorum, ad æternam, peccatorum merito, condemnationem, prædestinatio.* Quæ non incommodè *reprobatio*, vulgò nuncupatur. Nam licet ea vox, in sacris literis, non sit expressa; conjugata tamen, nempe reprobatus, electo generatim oppositus 1. Pet. 2. 4. & origo illius Jer. 6. 30. *Argentum reprobatum vocabunt eos, quia Iehova reprobat illos*, comperitur: & res ipsa, in iisdem, extat: ut ex *causis extremis*, & ex *mediis ordinatis*, apparet.

LXXIX. *Extrema* enim *causa prima*, seu *efficiens impulsiva*, est liberum Dei, de vindice justitia, in non electis, exercenda, placitum Rom. 9. 18. *Itaque cujus vult, miseretur: quem vult, indurat.*

LXXX. *Altera* verò *causa extrema*, seu finis ultimus, à Deo reprobante destinatus, est vindicis illius justitiæ gloria: quia propter eam, omnia media (tam communia, quàm propria) ordinantur: & ad eam, ut bonum ultimum, diriguntur; ut sequentia etiam demonstrabunt.

LXXXI. *Media* autem *propria*, sunt duo; reprobatorum, in miseria, peccatorum & reatus, cum lenitate & absque liberatione, relictio [a]: & merita æternaque eorum, ob peccata, condemnatio [b].

a Rom. 9. 22. b Ibid.

LXXXII. *Relictio* est, quod iis nec Christus servator: nec salus, per eundem, reipsa donetur. Quum enim hæc duo, liberæ bonitatis Dei beneficia, ex mera misericordi gratia, electis sint propria, reprobatis minimè communicari, perspicuè apparet.

LXXXIII. *Primùm* enim, *Christum electis esse proprium*, hæc etiam dicta attestantur; Matth. 1. 21. *Vocabis nomen ejus Iesum. Ipse enim, servabit populum suum, à peccatis ipsorum.* Eph. 5. 23. *Christus est caput Ecclesiæ, & ipse est salvator corporis sui* [a]. Joh. 17. 2. *Dedisti ei auctoritatem, in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det iis vitam æternam.* Apoc. 5. 9. *Mactatus es, & redemisti nos Deo, per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

a Eph. 5. 25. 26. Joh. 10. 15. Act. 20. 28. Gal. 1. 4.

LXXXIV. Contra verò, de reprobatis, ait Christus, Matth. 7. 23. *nunquam novi vos.* Et Joh. 17. 9. *Non oro, pro mundo* (nempe reprobatorum, ut res ipsa, & proximè addita oppositio, comprobat) *sed pro iis, quos dedisti mihi* [a]: hoc est pro mundo electorum, cui servando datus [b]: pro quo orat, ut credat vers. 21. & 23. & quem credentem, *Deus, per Christum, reconciliat sibi, non imputans iis peccata*, 2. Cor. 5. v. 19.

a Joh. 6. 37, 39. b vers. 51.

LXXXV. Cujus *totius mundi*, seu universitatis electorum, idcirco *propitiatio* dicitur, 1. Joh. 2. 2. & hosce *omnes*, Deus *vult* (hoc est, decrevit) *servari, & ad agnitionem veritatis pervenire*, 1. Tim. 2. 4. Unde Petrus ait; *Patiens est erga nos, nolens ullos* (nempe nostrûm) *perire; sed ad resipiscentiam tendere*, 2. Ep. 3. 9. Quæ reprobis minimè conveniunt.

LXXXVI. Nam quòd quidam eorum, eodem teste 2. ep. 2. 1. *herum illum, qui illos emerat, abnegant*: ex eo, minimè colligi potest, Christi sanguine redemptos. Nam vox *emendi*, in S. literis, non solùm *speciatim, acquirere pretio*, notat (ut Apoc. 5. 9. ad Christum dicitur; *Emisti nos Deo, sanguine tuo*: & 1. Cor. 6. 20. *pretio empti estis*) sed etiam sæpissimè *generatim, acquirere*, designat. Ut Dan. 2. 8. *tempus emitis*: & Eph. 5. 16. & Col. 4. 5. *tempus ementes*, aut *redimentes*: & Jesa. 55. 1. *Venite, & emite sine argento, & sine pretio, vinum & lac.* Deut. 7. 8. *Iehova emit te, è domo servorum*: & 9. 26. *Populum tuum, & possessionem tuam, quam emisti.* Atque hoc demum modo Deus, reprobos quosdam *emisse*: hoc est, ut *herus*, servos (non ut Pater, hæredes filios) vocatione ad externam Ecclesiæ, domus suæ, societatem, acquisivisse affirmatur.

LXXXVII. *Deinde*, quum Christus non sit reprobatis donatus servator, *nec in alio quoquam sit salus* [a]: inde etiam necessariò sequitur, illis *salutem*, per eundem, *neque perfectam*, neque *inchoatam*, communicari.

a Actor. 4. 12.

LXXXVIII. Nam, ad *inchoatam*, quod attinet, *fides viva* [a] (quæ per fiduciam [b], & charitatem est efficax [c]) electis, propria est: à reprobatis verò, aliena. Nam licet horum aliqui, per Spiritus Sancti illustrationem, Euangelii veritatem, & bonorum, eo promissorum, excellentiam mente degustent [d], levique gaudio excipiant [e]; radice tamen (seu viva fide) carent [f]. Nec *Spiritus consolatoris* [g] *simul & veritatis (quem mundus non potest recipere* [h]) participes evadunt.

a Jac. 2. 16, 26. b Eph. 3. 12. c Gal. 5. 6. d Heb. 6. 4, 5. e Matth. 13. 20. f Ibid. g Rom. 8. 15, 16. h Joh. 14. 16, 17.

LXXXIX. Hinc Joh. 10. 26. ait Christus; *Sed vos non creditis: non enim estis, ex ovibus meis.* Et cap. 12. 37, 38, 39, 40. *Non credebant in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quum dixit; Domine, quis credidit audito sermone nostro, & brachium Domini, cui retectum est? Propterea non poterant credere: quia iterum dixit Esaias; Excœcavit oculos eorum, & obduravit cor eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Et cap. 6. 36, 37. *Sed dixi vobis, etiam vidistis me, nec creditis. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet*: & vers. 64. & 65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt, &c. & dicebat; propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

XC. Quam credendi impotentiam, per communem suum, in Adamo, lapsum, imagine Dei (qua credendum omni Dei verbo, erant idonei) excussa, sibi ultro acquisiverunt: eamque non pauci, propria sua contumacia augent [a].

gent [a]. Ideoque nec Deo culpam illius, nec sibi veniam, ullo jure adscripserint. Atque hæc, de vivæ *fidei*, in reprobatis, *defectu*.

a Ioh. 5. 40, 42, 44. 2. Thess. 2. 10, 11, 12.

XCI. Deinde neque *effecta fidei propria*, reprobatis donari (quum dono fidei careant) apparet: & inductione eorum (nempe *unionis cum Christo*, & *unionis* illius, per fidem, *fructuum*) clarius evadet. Nam *primum*, *de unione*, testatur Apostolus, (de Christo capite electorum, & capite anguli domus Ecclesiæ ipsius, agens) 1. Pet. 2. 7. 8. *Lapis offendiculi & petra scandali iis, qui offendunt ad sermonem immorigeri, ad quod etiam positi* (nempe permittendi ac gubernandi eorum contumaciam, decreto) *fuerunt. Vos autem genus electum*, &c. ubi reprobati, alieni à Christo, & oppositi electis, statuuntur.

XCII. *Fructus* verò *fidei*, atque *unionis*, cum Christo (*justificationem* & *adoptionem* in filios atque hæredes Dei) solis electis, non autem reprobatis, convenire, & superiora demonstrant: & de justificatione ac fide quidem Apostolus testatur. *Quid igitur; quod requirit* [a] *Israël, hoc non est assecutus: sed electi, assecuti sunt: reliqui verò, occalluerunt. Sicut scriptum est: Dedit iis Deus, spiritum soporis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, usque ad hodiernum diem.*

a Rom. 9. 31. & 10. 3.

XCIII. De *adoptione* verò, in filios atque hæredes Dei, idem, ex utroque, cum fidei, tum justificationis, defectu constat. Unde Christus reprobatos, electis opponens, *filios illius mali* [a], hoc est Diaboli, quod tales facti maneant, nominat: etsi interdum, quidam eorum impropriè, *filii Dei* [b], (quod Dei filiis, externa vocatione ac specie; sint similes) appellentur.

a Matth. 13. 38. b Gen. 6. 2.

XCIV. *Deinde*, ut fide & fructibus illius, reprobati carent, sic *vera charitate*, vereque bonis operibus (quæ adjuncta, salutis destinatæ, media) carere, absentia fidei, & unionis cum Christo, apertè arguit. Unde oppositè electis ac piis, *inquinantes, & abominandum ac mendacium perpetrantes*, dicuntur [a].

a Apoc. 21. 27.

XCV. Nam licet eorum nonnulli, per externam vocationem, cognitione Euangelii donati, verè errorum & scelerum mundi inquinamenta, exterius loti, effugisse dicantur; internam tamen suis lotæ instar, immunditiam reservant: & facili occasione allecti quidam, ad pristinos suos errores, & impuros mores (mortuæ suæ fidei naufragium passi [a]) revertuntur [b]. Unde reprobati, *mali*, oppositè electis justis [c], appellantur. Atque hæc de *primo* destinato, ac proprio, reprobationis *medio*, nempe divina reprobatorum, *in miseria*, peccati ac reatus, *relictione*.

a 1. Tim. 1. 19. 1. Ioh. 2. 19. b 2 Pet 2. 18. ad finem. c Mat. 13. 49.

XCVI. *Alterum* verò est, justa æternaque eorum, ob peccata, condemnatio: quæ, *status* est *ultimus*, & *mediorum* omnium antecedentium (tam communium, quàm propriorum) *finis penultimus*. Siquidem Deus, reprobatos creavit, ac labi permisit, atque in miseria, peccati & reatus, relinquit leniterque tolerat, ut justum suum, in illis judicium exerceat.

XCVII. Quo pertinent etiam, hæc Scripturæ dicta; Prov. 16. 4. *Omnia fecit Iehova, propter se, etiam impium* (quà scilicet est, non quà impius est) *ad diem malum.* Et Rom. 9. 22. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit magna lenitate, vasa iræ, coagmentata ad interitum:* scilicet iræ, seu justæ vindictæ. Nam interitus, per se consideratus, nec rei, nec Dei prædestinantis, finis esse potest. Non rei, quia finis illius, est bonum: non Dei; quoniam interitum, per se, non appetit, quia bonus [a]: sed quatenus merita vindicta, quia justus [b].

a Gen. 18. 25. b Rom. 12. 19. & 2. 5, 6.

XCVIII. Hujus etiam ultimi status reprobatorum, à Deo destinati, ratione, reprobati, electis ad vitam, *oppositi contradictoriè*, hac periphrasi notantur; *Non scripti, in libro vitæ:* Apoc. 20. 15. *Quorum nomina, non sunt scripta in libro vitæ, à fundatione mundi* Apoc. 17. 8. *Contrariè* verò, hoc modo describuntur; *Vasa, facta ad dedecus* Rom. 9. 21. *Quos Deus posuit, ad iram* 1. Thess. 5. 9. *descripti, ad hanc damnationem* Judæ vers. 4.

XCIX. Quare, ex hisce mediis, reprobantis Dei justitia, elucet. Nam, ut Apostolus Rom. 9. 20. & 21. ait; *Tu vero homo, quis es, qui, ex adverso, responsas Deo? Num dicet figmentum fictori; Cur me, talem fecisti? An non habet potestatem figulus, in lutum, ut ex eadem massa, faciat aliud quidem vas, ad decus: aliud verò, ad dedecus?*

C. Quæ *justitia*, eò est clarior, quod cœlestis noster figulus, non mera potentia, sed (suæ bonitatis [a] ac justitiæ legi [b] consentaneè) non nisi permissis, ac magna lenitate toleratis, reproborum peccatis (tanquam medio, simul subordinato) ipsos, ad exitium, recto judicio inferendum, destinarit ac crearit: adeo ut exitii, efficiens ac sufficiens, causa, in solis reprobatis, comperiatur.

a Ezech. 18. 23. 32. b Gen. 18. 25.

CI. Quamvis enim Deus reprobatorum peccata, in hoc, justi exitii, decreto non spectarit, velut causam illius, aut antecedens objectum; habuit tamen permissionis illorum, tanquam medii, rationem: quo simul uno atque individuo reprobationis decreto, fini suo subordinavit. Ac propterea quæ Deus rectè conjunxit, ea non sunt perperam divellenda.

CII. Quare, ut paucis concludam, si Deus certos ac singulares homines, ab æterno ad justam condemnationem, peccatorum ipsorum merito, inferendam destinarit, injustitiæ nomine insimulari, sine summa injustitia, non potest. Atque hæc de utraque *hominum prædestinatione*, absolutè ac per se considerata: superest, ut strictim, cum Angelorum prædestinatione, conferamus: ut primaria, *convenientiæ*, ac *differentiæ*, capita cognoscantur.

CIII. In *Electione* enim *convenientia prima*, in ultimo statu communi, consistit: quod ut hominum, sic Angelorum altera pars, Dei gratia, ad salutem æternam in cœlis, destinata: ideoque distinctè, *& Angeli electi* [a], appellantur: & homines electi ac fideles (quod cœlo sint adscripti & illius cives [b]) ad *Angelorum myriades accessisse* [c], dicuntur.

a 1. Tim. 5. 21. b Phil. 3. 20. c Heb. 12. 23.

CIV. *Secunda*, est in *mediis*, ad salutem, destinatis: ac *primùm* in creatione, ad imaginem Dei: quæ utrimque communis. Qua de causa, ut Adam *Dei filius* [a]; sic etiam Angeli, ob eandem creationis gratiam, *filii Dei* [b], appellantur. *Deinde*, in recto imaginis Dei, usu; nempe, obedientia erga Deum.

a Luc. 3. 38. b Iob. 1. 6.

CV. *Differentia* verò est, quòd *Angelorum electio*, est ad sanctitatis obedientiam perpetuam: *hominum* verò ad cœptam tantùm, & redemptoris Christi remedio, restaurandam: ut utriusque eventus, destinationi conveniens, demonstrat.

CVI. In illa enim, est gratia, in recto justitiæ originalis, statu conservans: in hac verò, & permissio lapsus, & gratia, à miseria peccati ac reatus, liberans [a]. Quorum neutrum, Angelis convenit: *quum sani, non opus habeant medico, sed ægri* [b].

a 2. Tim. 1. 9. b Mar. 2. 12.

CVII. Angelos autem electos sanos, seu peccati & reatus expertes, perstitisse Scriptura asserit; non solùm quando *sanctos angelos* [a], vocat, oppositè iis, *qui peccarunt, quique originem suam*, hoc est sanctitatem, *non servarunt* [c]) sed etiam, *efficientes verbum ejus, auscultantes voci, verbi ejus* [d], appellat. Denique, quum *nihil, in cælum, immundum ingrediatur* [e]: *Angeli* verò electi, *semper Dei faciem, in cælis, cernant* [f], à peccato immunes esse, necesse est.

a Matt. 8. 38. Luc. 9. 26. b Act. 10. 23. 2. Pet. 2. 4. c Iudæ 6. d Psal. 103. 20. e Ap 21. 27. f Matth. 18. 10.

CVIII. Neque etiam ullibi, peccasse Angelos electos, à Deo traditur. Nam sententia Job. 4. 18. & 15. 15. frustra obtenditur: partim quia humana est; non divina: Eliphazi, hominis quidem pii & eruditi; sed non prophetantis, ut qui ob quædam non rectè dicta, à Deo, meritò reprehensus [a]: partim, quia aliena: ut quæ, Angelis non absolutè peccata adscribit: sed comparatè, minorem quàm Deo, sanctitatem attribuit.

a Iob. 42. 7.

CIX. Neque etiam Apostoli dicta, Eph. 1. 12. & Col. 1. 20. de col-

de *collectione sub unum caput*, & *reconciliatione ac pacificatione omnium, qui in terris, & in cælo sunt*, Angelos attingunt; sed homines electos ac fideles: qui, partim in terris militant, partim in cœlo triumphant: qui hostes Dei, fuerunt, & reconciliatione, per Christi sanguinem, habuerunt opus. Ideoque simul, Christi promissi adventu (si meritum spectemus) consecrati [a], affirmantur. Ideoque Christus, *mediator Dei & hominum* [b]: non autem Angelorum sanctorum, existit: quamvis horum etiam sit dominus (potestate in ipsos data, non redemtione eorum facta) constitutus [c]. Atque hæc de electionis, hominum & Angelorum, collatione.

a Heb. 11. 39. b 1. Tim. 2. 5. c Eph. 1. 21.

CX. In *reprobatione*, non minus *similitudo* & *dissimilitudo*, apparet. *Similitudo* enim *prima* est, quod, ut hominum, sic Angelorum, pars non electa, ad justam damnationem, est destinata [a].

a Matth. 25. 41. 2. Pet. 2. 4. Judæ 6. 1. Cor. 6. 3.

CXI. *Secunda* verò, in *mediis* ei subordinatis, consistit: nempe *origine*, à Deo creatore, sancta: & lapsus ab ea, ac reatus *permissione*: & perpetua, in iis *relictione*. Unde Angeli reprobati, *nec servasse originem suam* [a], *nec stetisse in veritate* [b], dicuntur. Quibus, & origo sancta, atque in veritate statio antecedens, cum consequenti defectione, denotatur. Ideoque *Angeli, qui peccarunt* [c] distinctè à sanctis, qui non peccarunt, nominantur.

a Judæ 6. b Joh. 8. 44 c 2. Pet. 2. 4. 1. Joh. 3. 8.

CXII. *Dissimilitudo* verò est, quod reprobatis, nullis quidem Angelis, sed hominibus multis, Euangelii prædicatio est, suo modo, destinata. Ac *primum* ut nonnulli eorum, ad fidem generalem, seu veritatis illius assensum, Dei illustratione, adducerentur: idque, ut qui, pro virili, in officio persisterent minusque peccarent, minus etiam punirentur [a]: qui verò ab agnita veritate, & honesta disciplina, deficerent, gravius, justo Dei judicio, damnarentur [b].

a Luc. 12. 47. 48. b 2. Pet. 2. 17. 20. 21.

CXIII. *Secundo* verò, ut aliorum, quibus ea revelatio non obtigit, latente ac proterva impietate (ut in Pharaone, similiter factum [a]) occasione Euangelii retecta, omnis excusatio præriperetur, Deique, in iis ferendis, lenitas, & in pœnis inferendis, justitia, magis illustretur [b].

a Rom. 9. 17. b Matt. 11. 22. Joh. 9. 41. & 15. 22. 2. Thess. 2. 10.

CXIV. *Proterva* autem *impietas*, in eo consistit: quod non solùm, acquisito, per lapsum communem, vitio, credere nequeant [a]: sed propria etiam contumacia, credere nolint [b], dum Euangelium audire recusant: aliosque ab eo dehortationibus suis, aut etiam minis, absterrere conantur [c]: vel auditum, maledictis, aut etiam malefactis, insectantur [d]. A quibus sceleribus, libera potestate, sese reprimere & abstinere, poterant: ut externarum hujusmodi actionum natura, multorumque experientia, demonstrat. Atque hæc de *prædestinationis* utriusque Angelorum & hominum, collatione.

a 1. Cor. 2. 14. Joh. 6. 65. Eph. 2. 8, 10. b Joh. 5. 40. c Ib. 10. 20. & 9. 22. d Ib. 10. 31, 33. Actor. 7. 51, 54, 57. & 13. 45.

CXV. Ceterum, in *modo cognitionis*, quo ea, sive Electio, sive reprobatio, utrimque innotescit, non leve est discrimen. Angeli enim, præter experientiam, tam electi [a], quàm reprobati [b], revelationem habent, in Dei verbo, expressam [c]: hominum verò, diversa est ratio.

a Matth. 18. 10. b 2. Pet. 2. 4. Iudæ 6. c Matt. 22. 30. & 25. 31. Heb. 12. 22. Matth. 25. 41. & 8. 29.

CXVI. Electio enim singularis, ab electis hominibus adultis, cognoscitur, in his terris, ordinariè, partim exterius, per Euangelium: partim interius, per fidem vivam, & Spiritum Sanctum.

CXVII. Euangelium enim docet, ex effectis propriis, quales certò Deus elegerit, ad vitam: nempe vocatos fideles ac resipiscentes [a]: fidei autem vivæ, ac resipiscentiæ, sensus [b]: & Spiritus Sancti, corda nostra suo testimonio, obsignantis consensus [c], confirmant non esse fideles ac resipiscentes.

a Rom. 8. 28, 29, 30. 2. Thess. 2. 13. 14. Eph. 1. 4. b 2. Cor. 13. 5. Ioh. 6. 39, 40. 1. Ioh. 3. 19, 21. c Rom. 8. 14, 16, 17. Eph. 1. 13.

CXVIII. Ex quibus, tanquam *syllogismi* practici *Antecedente* (*Propositione*, & *Assumptione*) firma, in animis nostris, *Conclusio* conficitur, & à Spiritu Sancto obsignatur, nimirum; Nos electos ad vitam æternam & præparatos seu destinatos, ad omne opus bonum ac decus [a]. Unde Spiritus Sanctus, *arrhabo hæreditatis nostræ* [b], vocatur: & *bona opera*, *electionem nostram confirmare* [c] (non in Deo, in quo firmissima; sed in animis nostris, tanquam argumenta, quæ eam probent) asseritur.

a Eph. 2. 10. 2. Tim. 2. 19, 20. b Eph. 1. 14. c 2. Pet. 1. 10.

CXIX. *Reprobatio* verò ordinariè, à reprobatis hominibus, cognoscitur solùm, ex peccato in Spiritum Sanctum: quia id, remitti non potest [a]: & ex incredulitate, ad finem vitæ, perdurante: quæ in nullos electos, quorum est fides [b], sed in solos reprobatos cadit. Atque hæc de *Prædestinationis* doctrina, & *cognitione* illius.

a Matth. 12. 31. 1. Iohan. 5. 16. b Tit. 1. 1. Iohan. 6. 39, 44. & 10. 26. 27.

CXX. *Usus* autem *cognitionis* hujus doctrinæ, est multiplex. Nam ratione quidem *Electionis* triplex, in ea, excellit. *Primus*, est humilis Dei timor: quòd salutis nostræ origo, progressus, ac complementum, à Dei electione atque effectione, pendeat [a]. *Secundus* est fidei adversus omnes tentationes fiducia erga Deum [b]: quod *dona* (dilectionis atque Electionis) *Dei*, *ac vocatio*, *sint* ἀμεταμέλητα [c] ac *firmum fundamentum* [d]: cui tutò innitamur [e]. *Tertius*, est sanctæ vitæ gratitudo: qua nos Deo electori, anima simul ac corpore, pro dilectione, & miserationibus, electionis vi, præstitis consecremus [f], eumque in æternum, gratias agendo, celebremus [g].

a Eph. 2. 9. 1. Cor. 4. 7. Phil. 2. 12. 13. b Rom. 8. 33, 38, 39. 1. Ioh. 4. 10. 16, 17. Luc. 12. 32. c Rom. 11. 28, 29. d 2. Tim. 2. 19. e Rom. 8. 33, 39. f Rom. 12. 1. 1. Ioh. 4. 10. 11. 1. Thess. 5. 8. 9. g 2. Thess. 2. 13. Rom. 11. 36.

CXXI. *Doctrinæ* verò de *reprobatione usus*, inter alios, *primus* est, ut peccatum atque exitium, hominibus: justa verò judicia, Deo tribuamus. *Deinde* verò, consideratione severitatis, erga reprobatos (quam in nobis etiam exercere poterat) gratiam nobis præstitam, eo ampliorem, cum admiratione, agnoscamus, ac perpetua pietatis gratitudine colamus ac laudemus [a].

a Rom. 9. 22, 23. & 11. 32. ad finem. 1. Thess. 5. 8. 9.

COROLLARIA.

1. *An*, Prædestinare, *Rom.* 8. 29, 30. & *Eph.* 1. 5. *per se, ac speciatim ponatur, pro eligere: an verò significatione generali, pro decernere; quæ expressa, vel per ellipsin suppressa, atque ex antecedente, intellecta circumstantia restringatur, ad speciem? Posterius affirmamus.*

2. *An destinatio hominum ad laudem misericordiæ Dei, relationem aliquam habeat, ad eorum miseriam? A.*

3. *An propterea, ad miseriam, vel actu existentem: vel ut objectam ac præordinatam conditionem? An verò, ut possibilem, atque uno decreto subordinatam? Posterius Aff.*

4. *An ad Heb.* 11. ℣. 6. *dictum sit*; Sine fide autem impossibile εὐαρεστῆσαι, *de omnibus hominibus universè consideratis? an verò de Henocho? Posterius Aff.*

5. *An non, ante datam fidem, impossibile, electos non placere Deo? Aff. Nam dilectio ac misericordia Dei, est propria atque antecedens fidei causa, Eph.* 2. 8. *Tit.* 3. 5. & 1. *Timoth.* 1. 16.

6. *An non, in his dictis contradictio? N. quia ea, non relatè ad idem, sed ad diversam causam, dicuntur. Nam ante fidem, electi placent Deo, solius gratiæ ipsius, non autem conditionis suæ ratione Rom.* 5. 8. 10. & 11. 28. *post fidem verò, etiam conditionis suæ respectu, placent bifariam:* primum, *quatenus justificati, Rom.* 5. 1. *ac grati facti in Christo, Eph.* 1. 6. Deinde *quatenus placita Deo opera, fide, per Charitatem efficaci, proferunt: Heb.* 12. 28. & 13. 16, 21. *Col.* 1. 10. *Rom.* 14. 18.

7. *An Ioh.* 15. *v.* 19. Ex mundo, elegi vos: propterea, odit vos mundus, *de electione æterna (quæ sanè Christo, qua Filius Dei, convenit) an verò de temporali, seu de vocatione, in Discipulos & Apostolos dicatur? Posterius probant*

probant extremâ verba: quia electio æterna, mundo prorsus ignota, hujus odii causa esse, nequaquam potuit.

8. *An doctrina eorum, qui à reformata Ecclesia, in hoc etiam dogmate, desciverunt, piè possit tolerari? N. Quippe (ut alia omittam) quemadmodum perfectionem fidei, ab humano, liberi arbitrii, assensu suspendunt, sic electionem ad salutem, ab hac fide pendere, impurè utrimque asserunt: & gratuitæ salutis gloriam, Deo derogantes, hominibus arrogant.*

DISPUTATIO XI.

DE CREATIONE MUNDI.

THES. I.



Cturi de *mundi creatione*, præmittimus vocum explicationem: Quarum *prima*, est *mundus*: qui *Hebraicè* vulgò, *gnholam*, seculum, ab adjuncta duratione longâ, metonymicè appellatur: quamvis eo sensu, in Vet. Testamento (nisi fortè Prov. 8. 23. convenienter dicto Joh. 17. 5.) nusquam occurrat. Quod enim *Hieronymus*, etiam in commentariis, Hab. 3. 6. *Colles* (gnholám) *mundi*, non autem seculi, interpretatur, illud non satis, cum adjunctis loci, consentit.

II. *Græcè* verò, simili tropo, αἰὼν *seculum*, Matth. 13. 39. & 40. & 28. 20. & per enallagen numeri, αἰῶνες, Heb. 1. 2. & 11. 3. *Secula*: deinde ex communi usu, cocinnè κόσμος appellatur. Hæc enim vox, ut *ornamentum* propriè ac *generatim*, 1. Pet. 3. 3. sic *speciatim*, universam cœli, terræ, ac maris, rerumque iis comprehensarum, structuram ornatissimam (ut & *mundus* Latinis, à munditie dictus) designat. Matth. 13. 35. Joh. 1. 10. & 17. 24. & 1. Pet. 1. 20. Quo modo etiam, in hac dissertatione, intelligimus.

III. Unde *primùm per synecdochen*, pro *parte* mundi, *majori*, aut *minori*, usurpatur. Pro *majori* quidem; quum cœli, terræ ac maris, opificium, à rebus comprehensis distinctum, indicat: ut Act. 17. 24. Pro *minori* verò; quum terram Matth. 26. 13. Joh. 16. 28. designat. Deinde per *metonymiam*, pro hominibus qui in mundo sunt, variè, generalius aut specialius, Rom. 3. 19. Joh. 15. 19. & 17. 9. & 2. Cor. 5. 19. accipi solet. Atque hæc de *prima voce*, nempe *mundi*.

IV. *Altera* verò est, *creare*: qua, & *Hebræum bará*, & *Græcum* κτίζειν, interpretantur. Quæ duo, ea in re, citra controversiam, differunt: quod *bara*, de solo Deo; κτίζειν verò, etiam de hominibus, Levit. 16. 16. à LXX. interpretibus, & Heb. 9. 11. cum 8. 2. collato (ex communi Græcorum usu) dictum comperimus.

V. Quænam verò genuina sit, *vocis bará, significatio*, inter eruditos disceptatur. *Quidam* enim Hebræi (ut *D. Kimchi*) eam *proprie* esse, *aliquid è nihilo facere*, affirmant: *alii* verò contrà sentiunt, & quidem non temerè. Quia, ut in priori sententia probanda, solida ratio desideratur: sic eandem, nec *LXX. interpretes* (qui, Gen. 1. & alibi sæpissimè, ποιεῖν exponunt) agnoverunt: neque doctissimo Hebræorum A. Ezræ probatur; sed in commentariis, ad Gen. 1. 1. disertè hoc negat, & S. Scripturæ usu, eruditè confutat.

VI. Nam quamvis (ut id solùm objici solet) in creationis cœli & terræ, descriptione, Gen. 1. 1. & locis similibus, effectio è nihilo, intelligatur, illud tamen, non per se, seu ex propria vocis, *bará*, significatione, sed per accidens tantùm, ex rei videlicet subjectæ natura, & circumstantiis illius promanat.

VII. Idque ex eo satis demonstratur, quòd in eadem creationis historia, vox *bará* creare, de aliis etiam dicatur, quæ non è nihilo, sed ex materia, facta esse recensentur: ut de cetis vers. 21. & de homine. De quo, ut à Deo dictum, *Faciamus Hominem*: vers. 26. sic eundem *creasse*, ter affirmatur vers. 27.

VIII. Quemadmodum etiam cap. 2. 3. & 4. *facere* & *creare*, de universis sex dierum operibus, promiscuè ac συνωνύμως dicta, apparet. Ut etiam Jes. 45. 12. *Ego feci terram, & hominem, super eam, creavi.* Idque etiam usitatum, non solum, quum de prima hominis origine, sed etiam quum de ordinaria, posterorum illius, propagatione agitur. Nam ut Deus, *factor cœli*, Psal. 115. 16. & 121. 2. & *creator* ejusdem, Jes. 42. 5. & 45. 18. sic factor, Jes. 17. 7. & *creator hominis*, Eccles. 12. 1. eodem utrimque sensu, appellatur.

IX. Imò non solùm, quum substantiæ, sed etiam quando accidentis, à Deo producti, origo memoratur, eadem, harum vocum significatio, apparet. Ut Exod. 34. 10. *Faciam mirabilia, quæ non sunt creata* (id est facta) *in ulla terra*: & Num. 16. 30. *Sin autem briá jibhrá, creaturam creaverit*, hoc est, factum fecerit: quod de apertione terræ, & exitio Coræ, ibidem exponitur. Et Jes. 45. 7. *Faciens lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Ego Iehova faciens omnia hæc*: & cap. 57. 19. *creans* (id est efficiens) *proventum labiorum*. Denique Jerem. 31, 22. *Iehova, rem novam creabit, in terra: femina circumdabit virum.*

X. Præterea vox *bará*, non solùm de prima alicujus rei *effectione*, seu origine (ut Gen. 1. 1.) sed etiam de illius *refectione* ac restauratione, Jes. 65. 17. Psal. 51. 12. usurpatur.

XI. Quare ex hisce, satis perspicuè elucere, arbitramur, *bará* (non minus, quàm Latinum *creare*, aut Græcum κτίζειν) per se ac propriè, non significare, substantiæ, *è nihilo, effectionem*; sed *effectionem communiter*: sive ea sit, substantiæ, sive accidentis: sive è nihilo, sive è materia: sive de origine rei, sive de restauratione illius, differatur.

XII. Quamvis autem *gnhasa*, facere, & *bará*, creare, ita conveniant: interdum tamen angustius, & distinctè inter se, per synedochen, *bará*, rei originem: *facere* verò, rei factæ perfectionem, significat: ut Jes. 43. 7. *Creavi eum: formavi eum: feci eum.*

XIII. Denique huic, & propriæ, & synecdochicæ, vocis *bará*, significationi, accedit *contraria, per antiphrasin*: quum non efficere, sed factum exscindere ac perdere, denotat, ut Jos. 17. 15. *Ascende in sylvam, & Beretha* exscinde; & vers. 18. Deinde Eze. 23. 47. & *baré, exscindet eos gladiis suis.* Quo etiam *A. Ezra*, refert illud (cujus memini) dictum, Num. 16. 30. ac de excidio, non alienè à scopo, exponit.

XIV. Porro à generali illa, vocis *creandi*, significatione, *creationis* nomen derivatum, creantis actionem, qua creatura existit, (ut κτίσις creatio, 2. Pet. 3. 4. Mat. 10. 6.) designat. Unde, *per metonymiam*, idem est κτίσις *creatio*, quod κτίσμα *creatura*: Col. 1. 15. Heb. 4. 13. & κατ' ἐξοχὴν *homo*, Mar. 16. 15. qui expressius 1. Pet. 2. 13. *humana creatura* (hoc enim sequentium constructioni, & vocis usui, videtur aptius, quàm *ordinatio*) nominatur. Nos autem, de *mundi creatione*, differentes, *propria significatione* accipimus: eamque (vocibus jam explicatis) hoc modo, *describimus*.

XV. Creatio mundi, est *externa, temporalis, atque universalis, Dei actio, qua cœlum, terram, mare, omniaque iis comprehensa, solus, omnipotentis suæ voluntatis vi, sex dierum spatio, fecit, ac perfecit; ad suam, ex bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ patefactione, gloriam, & creaturarum, inprimis intelligentium, utilitatem, æternamque Electorum, in cœlo salutem.*

XVI. In qua descriptione, *subjectum* quidem, *creationem* mundi, *esse* (tanquam certum, ac S. literis assertum, Rom. 1. 20. & Act. 17. 24. fidei articulum, Heb. 11. 3.) fundamenti instar, substernit: *attributum* verò *quid ea sit*, partim, *generis*, seu communis naturæ: partim, *differentiæ propriæ*, & *finis* indicio, delineat.

XVII. *Genus*, est *actio Dei, externa, temporalis, atque universalis*: quia hæc, communis est, creationis, & gubernationis (ut speciei, illi oppositæ) natura.

XVIII. *Actio* autem dicitur; quia creare, est agere: & creatione, creaturæ sunt factæ: *Dei* verò; quia creatio, ab eo est. Rom. 1. 20. & 25. Ideoque Heb. *boré* Jesa. 45. 18. & Græcè κτίστης 1. Pet. 4. 19. h. e. *creator*, appellatur. Atque hoc modo, *efficiens* creationis *causa*, exprimitur.

XIX. *Quæ*

XIX. *Quæ Dei actio*, quum sit voluntaria, Ap. 4. 11. (utpote, à liberrimo illius decreto, orta, Eph. 1. 11.) non unius est personæ propria, sed (quia una eademque est Deitas) *tribus communis*, Gen. 1. 26. Psal. 33. 6. Ac propterea, ut *Patri*, Act. 4. 24. sic *Filio* Joh. 1. 3. & 10. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. & 10. & *Spiritui Sancto*, Job. 26. 13. & Psal. 95. 5. collato cum Heb. 3. 7. & 9. servato tamen agendi ordine, attribuitur.

XX. *Externa* deinde vocatur; quia creationis actio, à Deo quidem, tanquam à principio suo, oritur; sed in creaturis ipsis, non autem in Deo, terminatur.

XXI. *Temporalis* autem est, quia non ab æterno creatus est mundus (cum enim Deus antecessit, Psal. 90. 2. & Filius illius, Prov. 8. 25, 26. & Joh. 1. 1. & 17. 5. & 24.) sed in tempore cœpit, ac desiit Gen. 1. 1. & 5. & Gen. 2. 1. & 4. Idque Mosis & Prophetarum Chronologia testatur, ac mundum, ante certa aut pauca annorum millia, primùm exortum, demonstrat.

XXII. Nam (ut rectè, contra Arianos, *Athanasius*, orat. 2. edit. Comel. p. 158. disserit) *Etiamsi Deo, possibile fuerit, ab æterno opera facere; non tamen potuerunt ea, quæ facta sunt, ab æterno fuisse. Siquidem, ex non entibus emerserunt, nec erant, priusquam fierent. Quæ autem non erant, antequam fierent, quomodo illa coëxistere poterant, cum Deo semper existente?*

XXIII. *Universalis* denique dicitur actio; ut, à particulari, distinguatur: quia universum mundum attingit. Idque distincta, principum illius partium (*cæli, terræ, maris, omniumque iis comprehensorum*) recensione (Scriptura præeunte, Exod. 20. 11. Nehem. 9. 6. Psal. 146. 6. Act. 4. 24. & 14. 15. Col. 1. 16.) explicatur. Atque hæc, de *genere*, dicta.

XXIV. *Differentia* verò *propria*, partim suo *agendi modo*, quasi *forma:* partim *temporis adjuncto*, designatur.

XXV. *Agendi* autem modus (quum *triplex* sit) *primus* est, quòd Deus *mundum fecit*, ac *perfecit*. Quorum *prius*, originem illius, notat Gen ef. 1. 1. & 2. 1, 2. posterius verò, perfectionem, Genes. 1. 31. & 2. 2. Quæ in sapienti ac benigna, partim *dispositione*, Gen. 1. 7. & 18. Psal. 104. 24. & 136. 5. partim varia, cæli, Gen. 1. 14. 16. terræ, vers. 11. 25. 27. & maris, vers. 21. *exornatione*, omniumque bonitate, vers. 31. consistit. Atque hoc modo, creatio, à mundi facti ac perfecti, gubernatione distinguitur.

XXVI. *Secundus* deinde *agendi modus* est, quòd mundum *solus*, nullo usus socio, nullo ministro, aut directore, creavit. Unde Jes. 44. 24. dicit; *Ego Jehova, faciens omnia: extendens cælos solus: expandens terram, per meipsum.* & Job. 8. 9 *extendens cælos solus.* Ac propterea Deus, sese, hoc opere (tanquam sibi proprio) ab omnibus aliis, discernit. Psal. 96. 5. Jes. 37. 16. & 40. 12, 13, 26, 28. & 45. 12, 18. & 48. 13. & Jer. 10, 11, 12. Idque, ex sequenti modo, etiam confirmatur.

XXVII. *Postremus* enim est, quòd Deus mundum, omnipotenti, voluntatis suæ, vi condiderit. Quæ vis, uti celebratur Jes. 40. 26, 28. & Jer. 10. vers. 12. & 32. 17. sic mandati metaphora, Genes. 1. vers. 3. & Psal. 33. 9. & 148. 4. 5. & Jes. 45. 12. describitur. Ejus autem *operatio*, *duplex* est.

XXVIII. *Quædam* enim creaturæ *simpliciter*, *è nihilo* (ut termino) & ut Apostolus Heb. 11. 3. loquitur, ex non apparentibus: seu, è nulla materia, universæ suæ essentiæ ratione, à Deo conditæ. Cujusmodi inprimis sunt, cælum, terra, aquæ, Gen. 1. 1, 2. Psalm. 24. 2. & lux primæva, Genes. 1. 3, 4. & 2. Cor. 4. 6.

XXIX. *Alia* verò, *secundùm quid*, seu ratione suæ formæ tantùm: ut quæ, non ab insita atque efficaci materiæ potentia, ac successione quadam (ut in naturali generatione contingit) sed sola, *omnipotentia Dei vi*, & quidem momento, productæ. Qualis herbarum, arborum, corporisque humani, è terra, Gen. 1. 11. & 2. 5. 7. & piscium, ex aquis, Gen. 1. 21. creatio recensetur.

XXX. Quamvis enim naturæ vi (quæ finita) *ex nihilo, nihil fiat:* nec forma, ulli materiæ, sine efficaci potentiæ illius concursu, nec sine successione aliqua, introducatur: infinitæ tamen Dei potentiæ, dispar est ratio. Nam si materiæ, aut aptitudinis illius præsentia, definiretur: infinita atque omnipotens, esse desineret. Atque hæc de *agendi modo*, prima ac *primaria* scilicet, *differentiæ* creationis, *parte*.

XXXI. *Altera* verò, est *temporis adjunctum:* quòd mundum Deus condiderit universum, *sex dierum* naturalium spatio: quorum singuli, nocte & die (unde νυχθήμερον Græcis dictum) definiuntur, Gen. 1. 5, 8. &c. suisque creaturis differunt.

XXXII. Licet enim Deus, pro sua omnipotentia, momento, universa condere, valuerit: voluit tamen, hisce intervallis uti (ut *Ambrosius* Hexaëm. lib. 1. cap. 7. rectè sentit) quò apertius creationem mundi, non ab æterno, sed in tempore factam, declararet: & ut homines, in particulari, distinctorum operum, meditatione, attentiores retineret: ut ex Psal. 104. & 136. in primis apparet.

XXXIII. *Primo* autem die, *in principio* rerum & temporis, *creavit Deus cælum & terram*, Gen. 1. 1. prima verò nocte finita, *lucem* vers. 3. 4. 5. ad diem, nocti oppositæ succedentem, statuendum produxit. Quid autem *cælum* & *terra*, hic designent, antiqua ac celeberrima est quæstio: quæ, admiranda opinionum discrepantia, agitatur. Ideoque reliquis, brevitatis causa omissis, eam sincerè, ac Scriptura duce, explicare conabor: ut hujus doctrinæ, primæ ac gravissimæ, veritas illustretur.

XXXIV. *Cælum* autem & *terram*, Gen. 1. 1. non rude ac confusum mundi *chaos*, ac *primam* rerum cælestium ac terrestrium, *materiam*, (ut plerique sentiunt) sed *ipsum cælum, ipsamque terram*, significare innuit Moses, quum disertè ait, cum articulo demonstrativo, ac quasi digito indicans *Hasshamájim, haárets, hoc cælum, hanc terram:* quæ jam conspiciuntur.

XXXV. Eamque sententiam (ne quis novam putet) tradiderunt prisci theologi illustres, ut *Tertullianus*, adversus Hermogenem, cap. 19. & 25. & 26. *Athanasius*, de incarnatione, edit. Comelin. p. 39. *Lactantius*, Institut. lib. 2. ultra medium: *Ambrosius*, Hexaëm. lib. 1. c. 7. *Chrysostomus*, in Gen. homil. 2. *Basilius Seleuciensis*, homil. 1. in Gen. 1. *Theodoretus* in Gen. quæst. 11. *Damascenus*, Orthod. fid. lib. 2. cap. 5. & *Basilius magnus*, Hexaëm. homil. 2. disertè ait; *Fecit Deus cælum & terram: haud dimidia ex parte, sed totum cælum, totamque terram, ipsam essentiam, cum specie, comprehensam.* Idque, ex rationibus sequentibus, constabit.

XXXVI. *Primùm*, quia ista impropria, vocum cœli & terræ, pro chao ac prima mundi materia, interpretatio, nullo, S. Scripturæ, usu: neque ullo, hujus loci, indicio, hactenus probata; sed ex impuris, poëtarum, & profanorum philosophorum (*Timæi*, & *Platonis*) figmentis, derivata.

XXXVII. *Deinde* quoniam creationem, cœli ac terræ, è nihilo, tollit. Nam si cœlum & terra, & chao, ut prima materia, creata sunt: non igitur è nihilo, hoc est, è nulla materia. Hæc enim, è diametro, inter se dissident: seque mutuo evertunt.

XXXVIII. Neque contradictionem diluit, quod ea, è nihilo esse mediatè, non autem immediatè, regeri solet, sed eandem potius confirmat. Nam mediatè esse è nihilo, nihil est aliud, quam esse è materia, quæ è nihilo.

XXXIX. Denique ista, cœli & terræ, Gen. 1. 1. de chao, ut prima eorum materia, interpretatio, creationem eorum (quæ isto capite, citra controversiam, continetur, ut conclusio vers. 31. & cap. 2. 1, 2, 3. evincit) omissam statuit. Nam inde à secundo, ad ultimum usque versum, nusquam describitur: ideoque si primo non tradatur, neglectam esse, necesse est.

XL. Nam si terram & aquas, terræ globo & nomine (pro frequenti Scripturæ usu, Gen. 2. 1. & 4. & 14. 22. Exod. 31. 17. & 2. Reg. 19. 15. Jesa. 51. 13.) comprehensas, consideremus, res est perspicua. Quia Gen. 1. 2. non dicitur, terram creavit; sed *Terra autem erat:* etsi adhuc *desolata ac vacua* (*Tohu vabhohu*, ut Jer. 4. 23.) quæ videlicet, & *super se*, incolis (brutis atque hominibus) & *in se*, herbis atque arboribus, esset destituta: & profunda aquarum mole, tota supraque montes suos, non confusa, sed circumfusa (ut postea similiter in diluvio evenit, Gen. 7. 19, 20.) lateret.

XLI. Unde

XLI. Unde *terram*, utrimque suo modo, liberatam, atque aquis, in terræ alveos, reclusis, arefactam *apparuisse*, non autem factam esse, traditur Gen. 1. 9. & 8. 3, 13. 14. Ideoque rectè *Tertullianus*, contra Hermog. cap. 29. ait; *videatur arida, videatur*, inquit non fiat: *jam enim facta erat.*

XLII. Idque, accurata etiam descriptione, explicatur, Psal. 104. 5, 6, 7, 8. *Fundavit terram, super bases ejus, ne dimoveretur in seculum & perpetuum. Abysso, ut indumento, operueras eam: supra montes stabant aquæ. Ab increpatione tua, diffugerunt: à voce tonitrui tui, accelerarunt. Conscenderant montes, descenderunt per convalles, ad locum, quem fundaveras ipsis.*

XLIII. Ex qua explicatione, copiosa ac nervosa hæc demonstratio, promanat; Si quum terra fundata est, aquæ eam operuerunt: *deinde* si hæ, supra montes, steterunt; *ad hæc*, si aquis Deus locum fundaverat: *denique* si in eum, per convalles, descenderint: Ergo terra, montes, convalles, & destinatum, aquis congregandis, terræ spatium, initio reverà extiterunt.

XLIV. Ac propterea, inveterata multorum, de chao, ut confusa cæli & terræ materia, opinio perspicuè confutatur.

XLV. Neque alia cæli est ratio: quia cum terræ creatione, Gen. 1. 1. & reliquo S. literarum usu, ejusdem creatio, ut simul facta connectitur. Neque ulla diversitatis ratio apparet.

XLVI. Nec enim obstat, quòd dicitur Gen. 1. 7. *Fecit ergo Deus expansum*: & vers. 8. *expansum autem vocavit cælum*. Quia hisce verbis, non simul æthereum, sed solùm aëreum, & quidem infimæ tantùm regionis, intelligitur. Hoc enim solùm, inter duplices aquas, inferiores & superiores, expansum est, easque dividit.

XLVII. Nec enim superiori aëris regioni (ad quam initio aquæ, utpote, supra omnes montes elatæ, pertingebant) tribui potest; multo verò minus cœlo æthereo: supra quod nec aquæ sunt ullæ: nisi contra duplices aquas (quas Scriptura solas agnoscit) triplices fingantur. Nec si essent, inter eas, & inferiores, quæ terra continentur, divideret: sed inter eas, & aërem superiorem; non verò inter eas, & aquas nubium: nedum aquas inferiores.

XLVIII. Ac quamvis, cœlum æthereum, expansum Gen. 1. 14, 15, 17. rectè appelletur (ut etiam Psal. 19. 1. & 150. 1. quod aulæi Psal. 104. 2. & conopœi ac tentorii instar, sit extensum, Jesa. 40. 22. Zach. 12. 1.) non propterea tamen, cum expanso aëris infimo, ob nominis, cœli & expansi, generalis convenientiam, confundendum: quum natura, effectis, atque adjunctis suis, inter se distinguantur.

XLIX. Quibus accedit, quòd de infima aëris regione, distinctè Gen. 1. 6. dicitur; *Sit rakiangh expansum, in medio aquarum*: & vers. 7. *Fecit Deus harakiangh illud expansum*, scilicet, in medio aquarum, de quo proximè dixerat; sed quum de cœlo æthereo, vers. 14, 15, 17, 20. loquitur, *expansum cæli* appellat.

L. Unde meritò concludimus, quum creatio ipsius cœli & terræ, Gen. 1. à vers. 2. ad finem, minimè describatur; sed, de eorum exornatione, tantùm agatur: eam vers. 1. intelligi: quum eodem capite, citra controversiam, recenseri constet. Unde sequitur repudiandam esse illam opinionem, quæ cœlum & terram, chaos, seu confusam eorum materiam, significare, statuit.

LI. Quamobrem laudem meretur, Doctissimi *Piscatoris* candor, quòd errorem illum, de chao: quem, & Bibliis suis Germanicis, & in Genesin Commentario expresse statuerat, deprehensum tandem, Quæstionibus in Pentateuchum, Gen. 1. Resp. ad quæst. 6. & 7. disertis verbis, rejecit ac confutavit.

LII. Cæterum quum ex iis, quæ disseruimus, satis appareat, cœlum & terram Gen. 1. 1. & 2. non confusam aliquam, cœli & terræ, materiam; sed ipsum cœlum, ipsamque terram, denotare; superest, ut paucis declaremus, *quidnam*, hoc loco, *significent*. Ac *terram* quidem, globum illius, aquarum mole circumfusum, notare (ut antea ostendimus) satis clarum. Ideoque distincta aquarum creatio, non recensetur: quòd creationis terræ expressione, simul comprehendatur.

LIII. Ad *cœlum* verò, hoc loco, quod attinet, illud, ex iis, quæ ante exposita sunt, liquet, *duplex* saltem *cœlum*, intelligi: *æthereum*, & *aëreum*, infima aëris regione excepta. Ea enim non initio, sed secundo demum die, Gen. 1. 6, 7, 8. creata, & parte aquarum superiore, in mediam aëris regionem, evecta, locum illius, dividendis aquis, obtinuit. Ideoque nullum, in hac creatione, vacuum (quasi cœlum & terra, sine aëris intervallo, essent initio creata) statuendum.

LIV. *An* verò *summum cælum*, hujus cœli mentione, etiam *includatur*, ut significatione generali, imum, medium, & summum (quod *tertium* 2. Cor. 12. 2. dicitur, & cujus *artifex & conditor*, Deus Heb. 11. 10, 16.) denotetur, diversæ sunt sententiæ. Quidam negant: alii verò, magis consentaneè, affirmant. Idque ex hisce rationibus, colligi potest.

LV. Primùm, ex Gen. 2. 1. *Et perfecti sunt cœli & terra, & omnes exercitus eorum.* Exercitus enim cœlorum (ut Prophetæ, Mosis interpretes, testantur) non solùm æthereo cœlo, tribuuntur; sed etiam summo: ut apparet ex 1. Reg. 22. 19. *vidi Iehovam, insidentem solio suo, & totum exercitum cœli, adstantem ei.* Quo etiam sensu, Luc. 2. 13. angeli, *exercitus cœlestis*, appellantur. Ideoque omnium exercituum mentione, angeli etiam, notantur, & cœli voce, etiam domicilium eorum, summum cœlum (*cœlum cœlorum* 1. Reg. 8. 27. & 2. Chron. 2. 6. & Psal. 148. 4. dictum) comprehenditur.

LVI. Idque etiam expressius docetur, Nehem. 9. 6. *Tu ille Iehova solus es: tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum; terram, & quicquid in ea; maria, & quicquid in iis, & tu vivificas hæc omnia: etiam exercitus cœlorum tibi se incurvant.* Hoc est angeli, summi cœli exercitus. Quibus verbis accurata dicti Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, explicatio, & perspicua conclusionis illius (Gen. 2. 1. *Itaque perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus illorum*) paraphrasis, apparet.

LVII. Deinde, ex aliis etiam Mosis sententiis, idem confirmatur. Siquidem Deut. 26. 15. ait, cœlum esse habitaculum Dei: & cap. 4. 39. populo mandat, ut sciant & in animum revocent, *Iehovam Deum esse in cœlo*: nimirum summo: & cap. 10. 14. dicit; *En Iehova Dei tui, sunt cœli, & cœli cœlorum, & terra, & quicquid est in ea.* Quis igitur, non apertam, loci Gen. 2. 1. explicationem, hic animadvertat?

LVIII. Nam si populum rudem, hoc modo, erudire voluit, ut cælum cælorum, hoc est, summum existere: illudque, Dei esse habitaculum, scirent: ejusque dominium (quod à creatione dependet: Psal. 24. 1. 2. & 89. 12. & 2. Reg. 19. 15. Jer. 27. 5. Act. 17. 24. eamque consequentiæ necessitate, indicat) Deo competere, declaret: quomodo credibile est, summi cæli (Israëlitis noti) creationem, in creationis historia, cæli nomine generali, ob ruditatem populi, noluisse comprehendere, sed in universa descriptione præterire? Atque hactenus de *creationis mundi differentia.*

LIX. *Finis* denique, in descriptione, additur *duplex: primus* ac summus, & *secundus*; sub primo ordinatus. Ac *primus*, est Dei gloria, Prov. 16. 4. Rom. 11. 36. & 1. Cor. 8. 6. Col. 1. 16. Quæ in *bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ* illius, *patefactione* (cum *à Deo*, tum *à creatura Dei*, intelligente) consistit.

LX. *A Deo* quidem, quia in creatione mundi, triplicis hujus gloriæ notas creaturis impressit: sic ut illustre, illius cognoscendæ, speculum existant. Psal. 8. 2, 4, 5. & 19. 1. & 136. 5. Jes. 40. 26. Rom. 1. 20. Ideoque concinnè Basilius Magnus, Hexaem. hom. 1. de hac mundi, à Deo, creatione gloriosa, ait; ἐποίησεν ὡς ἀγαθὸς, τὸ χρήσιμον· ὡς σοφὸς, τὸ κάλλιστον· ὡς δυνατὸς, τὸ μέγιστον. *Fecit ut bonus, quod utile: ut sapiens, quod pulcherrimum: ut potens, quod maximum.*

LXI. *A creatura* verò *intelligente* patefactio, est *vera* debitaque Deo (ut optimo, sapientissimo, maximoque creatori ac domino) religio. Quæ in eo sita, ut ipsum rectè cognoscat, & sincera fide atque reverenti amore, colat atque observet. Psal. 148. 1. ad 14. & 136. 1. ad 10. & 146. 5, 6. Jes. 51. 13. Psal. 33. 8, 9. & 95. 1. ad 9. Act. 14. 15. Rom. 1. 20, 21, 25.

n, 25. Apoc. 4.10, 11. & 14. 7. Hæc de *primo* ac *summo fine*.

LXII. *Secundus* verò, ac sub primo ordinatus, & ad eum tendens, est duplex: *primus*, est creaturæ, Psal. 104. in primis intelligentis, utilitas. Nam *hominum usui*, terra, Psal. 115. 16. & Jes. 45. 18. & bruta, Gen. 1. 26, 28. *Angelorum* verò *domicilio*, Jud. 6. cælum conditum. *Vltimus* est, *Electorum omnium, aterna in calo salus*. Matth. 25. 34. & 22. 30. & Rom. 9. 23. Hactenus *de creatione mundi*: quibus hæc adjicimus.

COROLLARIA.

1. *An quod apocryphus, libri Sapientia, auctor cap.* 11. 18. *ait*, Creavit mundum, ex materia informi, *ex Mose, an verò, ex prophanorum philosophorum figmentis, hauserit? Hoc Aff.*

2. *An non igitur errat* Eucherius, Augustinum *secutus, quòd* 1. *universam mundi molem, ex materia, qua cali & terra nominibus Gen.* 1. 1. *significetur, factam, probare ex Sap.* 11. *conatur? Aff.*

3. *An rectè idem, eodem auctore, statuat calum, & terram, & terram inanem, & abyssum, diversa esse nomina, sed eandem notare materiam? N.*

4. *An vi phrasis illius*, bará elohim, *Gen.* 1. 1. *designetur mysterium Trinitatis, aut plures saltem persona divina? N.*

5. *An* Spiritus Dei, *Gen.* 1. 2. *Spiritum Sanctum, ventum, vel aliud quid, notet? Primum Aff.*

6. *An vox* Sjamajim *calum, certò composita sit, ex* Sjam, *&* majim, *quasi ibi aqua? N.*

7. *An illæsa Grammatica, ea vox, ex* Sjamam, *obstupescere, à nonnullis derivetur? N. ac potius à* Sjem, *nomen, fama, deduci posse, apparet: quia cœlum, inter orbis partes, nominis est (ob suam excellentiam) celeberrimi. Unde etiam à Gracis,* κόσμος, *& à Latinis, mundi nomine, non raro intelligitur.*

8. *An Gen.* 1. 1. In principio, creavit Deus, cœlum & terram, *sit propositio universalis, qua summam totius historia creationis, contineat: quaque sequentibus distinctè explicetur? Negat.*

9. *An eorum, qui ita sentiunt, expositio hac* 1. *vers.* 1. *in* principio, *id est, toto, à primo creationis puncto, sex dierum spatio.* 2. Terra autem erat, *hoc est, creabatur à Deo.* 3. Desolata & vacua, *h. e. non solida, non compacta partibus, non rotunda, in centro consistens: sed tota liquida ac mollis.* 4. *Prius terram creatam, quàm cœlum athereum, aut aëreum.* 5. Expansum & cœlum, *vers.* 7. *de aëreo & athereo dici: quaritur, inquam, an hac expositio, sit Mosis historia consentanea? N.*

PSAL. 121. 2.

Auxilium meum, à Jehova, factore cæli & terræ.

DISPUTATIO XII.

DE ANGELIS CREATIS.

THES. I.

QUod in S. literis Hebraicè *Maleach* [a], & Græcè ἄγγελος [b], illud trita Ecclesiæ consuetudine (à priscis theologis, *Tertulliano* [c], aliisque, derivata) *Angelus*, similiter appellatur. Cujus vocis *significatio, propria* est, aut *impropria*.

a Matt. 3. 1. b Matth. 11. 10. c Apologet. cap. 22. &c.

II. *Propria*, est *nuntius* generatim, sive hominis [a], sive Dei [b]: sive sit increatus, ut Dei Filius [c]: sive creatus, cœlestis spiritus [d], aut homo [e].

a Gen. 32. 3, 6. Luc. 7. 24. b Mal. 2. 7. Apoc. 2. 1. 8. c Gen. 48. 16. Exod. 14. 19. & 23. 20. d Num. 22. 22. 23. Matt. 28. 5. e Luc. 7. 24. & 9. 52.

III. *Impropria* verò est, quum per synecdochen speciatim, pro *Dei nuntio*, & quidem spiritu cœlesti creato [a], usurpatur. Quam *vocem*, eodem sensu, in hac dissertatione accipimus, & *rem* ipsam, hujusmodi descriptione, delineari posse, arbitramur.

a Gen. 19. 1. Ioh. 5. 4.

IV. Angeli, sunt *spiritus, à Deo, ad suam gloriam, mutabili sanctitate, cum mundo creati, ab unione corporis hypostatica absolute liberi, scientia ac potentia excellentes, summique cali incola constituti, ut Deum sanctè colant, & celebrent, eique, ad mandata excipienda, assistant, & in terras, ad hominum (inprimis servandorum) gubernationem demissi, imperata nuntia atque opera, exequentes, ministrent*. Cujus *descriptionis*, sententia & veritas, ex sequenti *partim* illius (cum *generis*, tum *differentia*) explicatione, elucebit.

V. *Genus* quidem statuitur hoc modo; *spiritus, à Deo, ad suam gloriam, mutabili sanctitate, cum mundo creati*: quia hæc communis est, Angelorum, & hominum (ut speciei, proximè oppositæ) natura. Quæ, *essentiam* eorum, & *causas* (cum efficientem, tum finem ultimum) atque *adjuncta*, complectitur.

VI. *Essentiam* notat, vox, *spiritus* ut Sacra Scriptura, Angelos definiens, comprobat, quum ait; *Nonne omnes sunt spiritus* [a], *&c.* Idemque res ipsa evincit. Siquidem spiritus, oppositè corpori (sive de increato [b], sive de creato spiritu [c], agatur) est *substantia incorporea, immortalis, intellectu ac voluntate, & potentia (ad externas suas actiones exercendas) pradita*. Ea autem singula, Angelis, ad amussim, conveniunt.

a Heb. 1. 14. b Ioh. 4. 24. c Luc. 24. 39.

VII. *Substantia* enim primùm sunt, quia *entia*, non ficta, sed vera: nec accidentia (ut falsò Sadducæi, tradebant [a]) sed *subsistentia per se*: ut attributæ qualitates & actiones eorum, S. literis copiosè explicatæ, demonstrant, & sequentia fidem facient pleniorem.

a Act. 23. 8.

VIII. *Incorporea* deinde; quia physica materia, & dimensione triplici, carent: neque visu, tactu, aut alio sensu corporeo, percipi possunt [a].

a Luc. 24. 39.

IX. *Immortales* etiam; ut natura incorporea probat: & à Christo, disertis verbis indicatur; *Neque enim* (inquit) *mori amplius possunt: sunt enim Angelis pares* [a]. Hæc tamen *immortalitas*, iis non convenit absolutè, sed naturalis tantùm potentiæ respectu. *Deus* enim *solus, habet immortalitatem* [b]: absolutè scilicet, & à se: Angeli verò in se, sed à Deo: qui ut, è nihilo creando, vitam immortalem, iis dedit; sic etiam, in nihilum redigendo, auferre valet: etsi nunquam sit ablaturus.

a Luc. 20. 36. b 1. Tim. 6. 16.

X. *Intellectu* porro, *ac voluntate, & potentia, ad externas suas actiones exercendas, praditos*, officia & effecta illorum plurima, verbo Dei tradita, abundè testantur: quæ non, nisi hujusmodi creaturæ, conveniunt. Ideoque Angelis, scientia [a], desideria [b], & potentia [c], expressè adscribuntur. Ex quibus omnibus, *Angelos, esse spiritus*, meritò concludimus: eaque ratione, *essentia* illorum cognita, ad *causas* procedemus.

a Matt. 28. 5. b 1. Pet. 1. 12. c Psal. 103. 20. 2. Thess. 1. 7.

XI. *Efficiens* enim Angelorum indicatur, quum, *à Deo creati*, dicuntur: atque ita à Deo, tanquam spiritu creatore distinguuntur: ut divina, Prophetarum & Apostolorum, auctoritas demonstrat.

XII. *Prophetarum* quidem, ut Gen. 2. 1. *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum*: hoc est, non solùm stellæ, ætherei; sed etiam Angeli, summi cæli, exercitus. Sic enim Nehem. 9. 6. idem explicatur; *Tu fecisti calos, calos calorum, & omnes exercitus eorum &c. etiam exercitus calorum, tibi se incurvant*: hoc est, Angeli: ut 1. Reg. 22. 19. Psal. 148. 2. & Luc. 2. 13. nominantur. Denique Psal. 104. 4. *Qui facit, Angelos suos, spiritus*.

XIII. *Apostolorum* verò auctoritas accedit illustrior. Nam verba illa, Psal. 104. 4. præmissa, de Angelis dici, Heb. 1. 7.

aper-

apertè asseritur.. Deinde Col. 1. 16. *Per eum* (inquit Apostolus) *creata sunt omnia, quæ in cælo sunt, & quæ in terra: visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive principatus, sive potestates.* Idque etiam generatim complexus est, Act. 17. 24. *Deus* (inquit) *qui fecit mundum, & omnia quæ in eo:* ergo & Angelos: quos, in mundo esse, constat. Hæc de *efficiente*.

XIV. *Ultimus* verò *finis*, eadem Col. 1. 16. sententia, proximè subjicitur, quum ait; *Omnia per eum, & in eum* (hoc est, ad gloriam ejus) *creata sunt*. Quemadmodum & Prov. 16. 4. *Omnia operatus est Iehova, propter se:* & Rom. 11. 36. *Quia ex eo, per eum, & in eum, sunt omnia.* Atque hæc de *causis*.

XV. *Adjuncta* denique, genere comprehensa, sunt *tempus creationis*, & *qualitas*. *Tempus creationis*, est *cum mundo*, non ante. *Primum*, quia quum hic initio fuerit creatus a, nihil ante eum, nisi æternum: ut æternitatis periphrases, *Antequam hic mundus esset*, Joh. 17. 5. & versu 24. *Ante fundationem mundi*, evincunt. *Deinde*, quum *sex diebus Deus, cœlum, terram, mare, & omnia quæ in iis sunt, fecerit*, Exod. 20. 11. Angelosque, in iis esse, sit certissimum: nec citius, nec tardius creatos, evincitur.

a Gen. 1. 1.

XVI. *Qualitas* verò eorum est *sanctitas mutabilis*, à Deo, in creatione, cum intellectui, tum voluntati eorum, indita. *Intellectum* enim, recta Dei & officii erga ipsum, cognitione: *voluntatem* verò amore sincero, ad perfectam Deo obedientiam, præstandam instruxit.

XVII. In qua gemina sanctitate, originalis, creaturæ intelligentis, bonitas, inprimis consistit: ut, sine ea, ne bona quidem, nedum valde bona (pro creaturarum elogio a) dici queat. Eaque præcipuè ratione, *filii Dei* b (non propriè c) sed metaphoricè, ob sanctitatis similitudinem, non minus quàm *sancti* d, appellantur.

a Gen. 1. 31. b Job. 38. 7. c Heb. 1. 7. d Mar. 8. 38. Act. 10. 22.

XVIII. *Mutabilis* tamen sanctitas, dicitur; ut à divina, distinguatur. Hæc enim, absolutè immutabilis est a: illa verò, liberæ voluntatis abusu, mutari potuit: ut magnæ partis Angelorum, apostasia b, & orta inde vitiositas c, demonstrat. Atque hæc de Angelorum *genere*, seu communi eorum, cum homine creato, natura: *prima* scilicet descriptionis *parte*: cui *altera* subjicitur.

a Jac. 1. 13, 17. 1. Joh. 1. 5. b 2. Pet. 2. 4. Judæ 6. c 1 Joh. 3. 8. Joh. 8. 44.

XIX. *Differentia* enim, qua Angeli, ab hominibus, & spiritibus illorum, corporis vinculo solutis, distinguuntur, partim, *subsistendi perfectione*, partim, *accidentium excellentia*, declaratur.

XX. *Subsistendi* autem *perfectio*, in eo statuitur, quòd, ab unione corporis hypostatica, omnino sint liberi: ideoque spiritus, in se completi, non autem pars alterius. Nam licet Angeli, veris corporibus, non rarò apparuerint a: ea tamen, neque partes hypostaseos eorum fuere: neque perpetua; sed vestis instar, ad tempus, certisque ministeriis obeundis, divinitus aptata.

a Gen. 18. 2, 9. & 19. 1, 3, 16.

XXI. *Accidentia* deinde, quibus longè, supra reliquas creaturas, *excellunt*, sunt partim *interna*, partim *externa*. *Interna*, sunt scientiæ, & potentiæ eorum, dotes eximiæ quidem; sed tamen finitæ.

XXII. *Scientia* enim Angelorum, omniscientia non est: sed, certis suis objectis ac modis, definita. Quæ, licet humanam superet, à divina tamen (utpote infinita) superatur: sive objectum Deum, sive alia extra ipsum, spectemus: ut, ex distincta explicatione, cognoscetur.

XXIII. *Primùm* enim Deus solus, & suam *essentiam*, & *quæ in se* sunt recondita, cum simpliciter, tum immediatè, cognoscit.

XXIV. *Essentiam* autem suam, idcirco solus cognoscit; quia ea infinita est: ac propterea, à finito creaturæ intellectu, capi non potest. Ac rectè à Theologo Deus dicitur φύσις ἄληπτος καὶ ἀπερίληπτος *natura, quæ nec prehendi, nec comprehendi potest:* Ac quàmvis (ut tradit) sciamus Deum esse, essentiam tamen illius, ne ab Angelico quidem intellectu posse cognosci a.

a Gregor. Nazianz. Orat. 2. de theologia Al Orat. 34.

XXV. Nam quòd à Pontificiis, priscis novisque theologis excipitur, essentiæ Dei scientiam, aliam esse comprehensionis, quæ Deo propria: aliam apprehensionis, quæ Angelis, & beatis animabus, conveniat, illud re ipsa essentiæ divinæ, è diametro repugnat. Quum enim infinita sit ac simplicissima, nec totum est; nec partes illius ullæ: Ideoque, si apprehendi potest, etiam comprehendi posse, necesse est.

XXVI. Neque etiam Dei essentiam, ab Angelis, cognosci, ut lux ab oculis conspicitur, ex summa, quæ utrimque intercedit discrepantia, apparet. Objecta enim lux, finita est, & subjecto oculo ac potentiæ illius, analoga: essentiæ verò Dei infinitæ, & intellectus Angelorum finiti, nulla est convenientia.

XXVII. Deinde quum Deus non aliter, quàm per suam essentiam, se ipsum, omniaque quæ in ipso sunt, cognoscat: si Angeli Deum ipsum, per essentiam ipsius, viderent, per eandem similiter omnia, quæ sunt in Deo, pervidérent: id quod manifestè, à veritate, abhorrere postea constabit.

XXVIII. Quod autem Angeli, *perpetuò Patris Christi faciem videre, in cælis*, Matth. 18. 10. asseritur; ad visionem essentiæ, non pertinet. Quia *facies Dei*, ex Scripturæ usu, non essentiam illius, sed gloriam a, (hoc est, gloriosam majestatis illius speciem b) designat.

a Exod. 33. 18. b Ib. vers. 22.

XXIX. Qualis Israëlitis extitit, duplex *columna*, *nubis*, & *ignis* a: cujus causa, Jehova iis dicitur *visus*, *oculo ad oculum* b. Sic etiam, quia gloriosa quadam specie, Deus Mosi apparuit; idcirco Deum, *aspectu*, *non autem ænigmatibus*, *similitudine Iehovæ*, *intuitus* c: *eumque Deus novisse*, *facie ad faciem* d, affirmatur.

a Exod. 13. 21. & 22. b Num. 14. 14. c Ib. 12. d Deut. 34. 10.

XXX. Nec enim essentiam Dei, imo nec comparatè, cum clariori gloria, faciem Dei vidisse, apparet. Quum enim, illustriorem tantùm *Dei gloriam* a, videre expeteret, annuit quidem Deus b, ac sese in humana specie, stupendæ majestatis, à tergo solùm, non autem à fronte, conspiciendum obtulit c: ea causa reddita, *Quod faciem Dei, mortalis videre non posset* d. Quare ex visu faciei Patris, essentiæ illius, ab Angelis visio, concludi non potest.

a Exod. 33. 18. b vers. 19. c vers. 20. & 23. d vers. 22. & 23.

XXXI. Neque etiam ex sententia, 1. Joh. 3. 2. *videbimus ipsum, sicuti est*; essentiam Dei Patris, propriè nobis fore conspicuam demonstrari potest. Primùm quia vox *Ipsum*, non necessario ad Patrem referenda; sed potius ad Christum: qui licet non nominetur, ea tamen voce, per excellentiam, designatur. Nam ut discipuli, de Pytagora, αὐτὸς ἔφα *Ipse dixit:* sic justius Johannes, in hac epistola, αὐτὸς & ἐκεῖνος *Ipse & Ille*, pro Christo, sæpius usurpavit: ut 1. Joh. 2. 28. & cap. 3. 4, 6, 7. & 16.

XXXII. Christo etiam, res ipsa probè convenit: quum enim patefactus fuerit, similes nos ipsi fore Phil. 3. 20, 21. Col. 3. 3, 4. & 1. Cor. 15. 49. & nos visuros ejus gloriam Joh. 17. 24. promittitur.

XXXIII. Deinde licet illa verba de Patre, necessario essent intelligenda, ea tamen, non ad essentiæ, sed ad gloriæ illius cœlestis visionem, pertinerent. Non enim dicitur; Videbimus eum, *quid sit*; sed καθώς ἐστι, *qualiter est*, seu qualis est: quali gloria in cœlis se patefacit.

XXXIV. Quemadmodum etiam καθώς ἐστι, usurpatur sequenti cap. 4. 17. καθὼς ἐκεῖνός ἐστι *qualis est ille, nos sumus, in hoc mundo*. Ubi, non essentiæ convenientia; sed charitatis similitudo, notatur. Nam ad essentiam quod attinet, *Deus habitat lucem inaccessam*; *quem nullus hominum vidit, neque videre potest* a, illi tamen videbunt Deum, in gloria cœlesti: qua etiam in Filio suo relucebit b: *cujus gloria* c, *gloria Patris* d, merito nominatur.

a 1. Tim. 6. 16. b Matth. 5. 8. c Ib 25. 30. d Ib. 16. 27. Mar. 8. 38.

XXXV. Denique quòd Apostolus ait, 1. Cor. 13. 12. *Cernimus enim nunc, per speculum & per ænigma*; *tunc autem, facie ad faciem*, notitiam clariorem, ac familiarem, comparatè cum hujus vitæ statu, & metaphoricè, designat. Nos enim hîc *gloriam Domini* (in Euangelio) *ut in speculo*, *intuemur* 2. Cor. 3. 18. in cœlo verò, gloriam Domini clarius, sine speculo, coram contemplabimur: Id quod, usitata S. literis similitudine,

tudine, *facie ad faciem*, appellatur: & *ænigmatibus*, opponi solet: ut Num. 12. 8. Deut. 34. 10. Exod. 33. 11.

XXXVI. Quod autem 1. Cor. 13. 12. additur; *Nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam sicut cognitus sum:* illud similitudinem, non paritatem, notat: ut immensa, naturæ Dei infinitæ, & nostræ finitæ, disparitas flagitat. Deus enim, simpliciter & absolutè, nos novit; nos verò, pro modulo, ac terminis intellectus nostri finitis, gloriam illius, qua se, exterius & interius, in cœlis patefaciet, perfectione nobis convenienti, cognoscemus. Atque hæc de *essentia Dei*, captum Angelorum excedente.

XXXVII. *Quæ* autem *in Deo, sunt recondita:* ea quoque solus, & omnia, & immediatè, cognoscit: ut Apostolus ait Rom. 11. 34. & 1. Cor. 2. 16. *Quis enim, novit mentem Domini?* & 1. Cor. 2. 11. *Ea quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Angelis verò quædam tantùm, eaque mediatè, vel Dei revelatione sunt cognita[a]: vel ex rei eventu, certò collecta; quòd Deus *omnia*, *secundùm consilium voluntatis suæ, exequatur*[b]. Atque hæc, de *cognitione Dei.*

a Apoc. 1. 1. Eph. 3. 10, 11. b Eph. 1. 11.

XXXVIII. *Quæ* verò *extra Deum sunt*, sive *præsentia*, sive *futura*, licet multa sint Angelis, longè supra humani intellectus captum, notissima (unde *sapientia*[a], & *lingua Angelica*[b], meritò extollitur) non pauca tamen, iis sunt ignota: ut S. literæ testantur.

a 2. Sam. 14. 20. b 1. Cor. 13. 1.

XXXIX. De *præsentibus* enim, partim, ex *divinis gubernationis mundi*, (& *Ecclesiæ* inprimis) *mysteriis:* partim, ex *humani spiritus arcanis*, perspicuè constat.

XL. *Divinæ* enim *gubernationis Ecclesiæ, mysteria*, quædam Angeli revelata vident sed non omnia pervident. Hinc Paulus Rom. 11. 33. ait, *O profundas divitias, cum sapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ imperverstigabiles?* & Petrus, de Euangelii mysteriis, 1. Epist. 1. 11. ait; *In quæ Angeli, introspicere desiderant.* Non omnia igitur ea, introspiciunt ac penetrant.

XLI. *Spiritus* deinde *humani* arcana, Deus solus & omnia, & immediatè, cognoscit: uti asseritur, 1. Reg. 8. 39. *Tu Deus nosti solus, corda filiorum hominis:* & Jer. 17. 9. 10. *Pravum est cor, supra omnia, & ægrum: quis cognoscet ipsum? Ego Jehova scrutator cordis, probator renum.* Ideoque distinctè à creaturis, καρδιογνώστης[a], & καρδιογνώστης πάντων[b] *cordiscius* (ut sic dicam) & *cordiscius omnium*, appellatur.

a Act. 15. 8. b Ib. 1. 24.

XLII. Angeli igitur, cogitationum & voluntatum humani spiritus secreta, non omnia, sed quædam tantùm: eaque non immediatè, sed Dei revelatione, vel propriorum, effectorum aut signorum, indicio percipere valent. Atque hæc, de *præsentium notitia.*

XLIII. *Futura* quoque plurima, vel *rei*, vel *circumstantiæ illius* ratione, ignota, apparet. *Rei* quidem *ratione*, ut merè contingentia, quæ à singulari & arcanâ; Dei gubernatione, vel à liberâ latente voluntate humanâ, dependent. Quarum rerum, nec omnium, nec ullarum, sine patefactione, Angelis convenit: sed, soli Deo propria, asseritur Jes. 41. 22. & 42. 8, 9. & 44. 6. & Heb. 4. 13.

XLIV. *Circumstantiæ* verò *ratione*, futura quædam rei notæ, esse ignota cum ex aliis, tum ex Euangelii arcanis, apparet: Christi enim, ad judicium, adventus, Scripturæ indicio[a], constat; *sed, de die illo & hora, nullus novit, ne quidem Angeli cœlorum; sed solus Pater*[b]. *Qui ea tempora & oportunitates, in sua ipsius potestate, posuit*[c].

a Dan. 12. 6. b Matt. 24. 30. c Act. 1. 7.

XLV. Sic etiam, ante Gentium vocationem, *multiformis* Dei, ea in re, *sapientia*, Angelis prius occulta, *per Ecclesiam* vocatam, *innotescere* cœpit[a]. Et specialem Ecclesiæ, post Apostolos statum, ante revelationem, ipsis, à Filio Dei, factam[b], Angeli ignorarunt[c]. Atque hæc, de *finita Angelorum scientia.*

a Eph. 3. 10. b Apoc. 1. 1. c Ib. 5. 3, 4, 5.

XLVI. *Potentia* eorum similiter *eximia, primùm* inde apparet, quòd κατ' ἐξοχὴν *fortes robore*, Psal. 103. 20. *Angeli potentiæ Domini Jesu*, 2. Thess. 1. 7. & hominibus, *potentia ac robore, majores*, 2. Pet. 2. 11. divinitus meritoque appellantur.

Idemque deinde stupenda illorum effecta (cum in aliis creaturis: tum in hominibus, eorumque operibus) sæpius varieque exercita, demonstrant: ut ex Gen. 19. 11, 13. & 2. Sam. 24. 15, 16, 17. & 2. Reg. 19. 35. Dan. 3. 25, 28. Act. 5. 19, 23. & 12. 7, 8, 9, 10. aliisque locis similibus, constat.

XLVII. Quæ tamen potentia, licet verè magnifica, dimensa tamen est, non immensa: potentia, non omnipotentia: quia, & naturæ finitæ cancellis continetur: & operatio illius, divini numinis, partim fræno, Gen. 19. 22. partim imperio, vers. 13. gubernatur. Ideoque eadem actio, & Angelo, ut causæ proximæ atque exequenti: & Deo, ut causæ remotæ atque imperanti, distinctè attribuitur: ut subversio Sodomorum Angelis, per se agentibus Gen. 19. 19. Deo verò, per Angelos, vers. 14. & 24. & 25. Eodemque discrimine servato, Israëlitarum, peste illata, exitium, Angelo, 2. Sam. 24. 16. 17. & Deo, ver. 15. adscriptum. Atque hæc de *internis Angelorum accidentibus*, nempe *dotibus eximiis.*

XLVIII. *Externa* verò, quibus excellunt, *accidentia*, sunt *domicilii*, & *officii*, dignitas. Ac *domicilium* quidem his verbis, indicatur; *Summi cæli incolæ, ab initio constituti.* Cælum enim Judæ 6. *proprium* eorum *domicilium dicitur.* Ideoque, *exercitus cæli* (nempe summi) 1. Reg. 22. 19. & *exercitus cæli cælorum*, Nehem. 9. 6. & *cælestis exercitus* Luc. 2. 13. à domicilio suo, nominantur.

XLIX. *Officium* verò eorum, aut *commune* est cum hominibus, aut *proprium. Commune est*; ut *Deum, sanctè colant:* hoc est, perfecto amore, ei obediant, ac celebrent: ut Dei creatoris, ac domini eorum benignissimi, jus requirit. Job. 38. 7. Psal. 103. 20. & 148. 1. 2.

L. *Proprium* est, cæleste eorum *ministerium:* unde, *ministri* Dei, appellantur Psal. 103. 21. Hoc autem *primum* est; ut in cælis, ad mandata Dei, attentissimè excipienda, assistant 1. Reg. 22. 19. Job. 2. 1. *deinde*, ut in terras, ad hominum gubernationem demissi, imperata nuntia & opera, alacriter ac fideliter exequantur. Unde etiam *Angeli*, hoc est, *nuntii*, sunt dicti.

LI. *Officii* tamen eventu, inter se dissidentes, distinguuntur in *perfidos*, & *fidos*. Quorum *illi*, sponte sua, violato officio, sanctitate sua, ac domicilio, exciderunt[a]: *hi* verò Electionis divinæ gratia, in omnibus hisce, firmiter perstiterunt. Ideoque, distinctè ab illis, *Angeli electi*[b], & *Angeli cælorum*[c], *Angeli sancti*[d], & *ministri Dei, facientes voluntatem ejus*[e], appellantur.

a Judæ 6. b 1. Tim. 5. 21. c Matth. 24. 36. d Mar. 8. 38. e Ps. 103. 21.

LII. Nam, ut Deum sanctè colunt, ac celebrant, Jesa. 6. 3. Luc. 2. 13. 14. Apoc. 5. 13. sic ad imperata ab eo, nuntia, atque opera, audienda, promptissimè ei assistunt, ac summa alacritate exequuntur: ut S. literæ demonstrant. Quæ, non solùm, hoc officium eorum, describunt, quum *ministerii causa mitti, propter eos, qui hæreditate salutem possessuri*, asserunt[a]; sed & laudem obedientiæ, variis exemplis prolatis, iisdem attribuunt, Zachar. 1. 10, 11. & alibi frequenter.

a Heb. 1. 14.

LIII. *Nuntia* enim ad homines, fideliter delata, à Prophetis multa recensentur: qualia Gen. 16. 7. & 19. 12, 13. & 22. 17, 18. & 1. Reg. 19. 5, 6, 7. Dan. 8. 16. 18. & 9. 21: ab Euangelistis verò, præstantissima: ex quibus, *primos Euangelii præcones* fuisse, apparet. Cujusmodi fuerunt nuntia, de Christi præcursore[a], & conceptione (cum futura[b], tum facta[c]) nativitate[d], morte & resurrectione[e], ascensione in cœlum ac reditu[f], & intercedente Ecclesiæ statu[g].

a Luc. 1. 13. & 19. b Ib. 1. 26, 31. c Matt. 1. 20, 21. d Luc. 2. 9, 10. e Ib. 24. 5, 6. f Actor. 1. 10, 11. g Apoc. 1. 1.

LIV. *Opera* verò imperata à Deo, & ab Angelis præstita, sunt *beneficia* aut *pœnæ*. *Beneficia* autem quædam sunt *corporalia*, quum vel *liberant* pios, è malo, 1. Reg. 19. 5, 6. Ioh. 5. 4. Act. 5. 19. & 12. 7, 10. vel *defendunt*, adversus malum. Gen. 19. 10, 16, 22. & 2. Reg. 6. 16, 17. Psal. 34. 8. & 91. 11. Dan. 3. 25, 28. & 6. 22. quædam *spiritualia:* quale inprimis Luc. 16. 22. *Pœnæ* verò, vel *salutares:* ut quæ, castigationis gratiâ inflictæ 2. Sam. 24. 13, 15, 16. vel *exitiosæ*, Gen. 19. 11, 13. & 2. Reg. 19. 35. Act. 12. 23.

LV. Ut autem *perfidorum* ac malorum Angelorum *numerus* est permagnus[a]: sic & fidorum ac bonorum, copia admiranda,

miranda, describitur: quum Christus, subsidii *duodecim legionum*[b]: & Psaltes (metaphoricè curribus comparans[c]) duarum myriadum[d], meminit: & Daniel, de Angelis Dei ministris, & satellitibus, ait; *Decies centena millia, ministrabant ei, & coram eo, centies millena millia stabant*[e]. Atque hæc, ad *descriptionis Angelorum explicationem*, dicta.

a Matt.5.9. b Matt.26.53. c 2.Reg.6.17. d Psal.68.18. e Cap.7.10.

LVI. *Usus* postremò *doctrinæ, de Angelis*, ex verbo Dei traditæ, est veræ pietatis confirmatio: ut, ex tribus primariis illius virtutibus, apparet. Ea enim est, *fidei* antidotum: *spei* clypeus: & *charitatis* stimulus salutaris.

LVII. *Fidei antidotum* est, contra venenum ἀγγελοθρησκείας καὶ ἀγγελοδουλείας religiosi cultus & servitutis Angelorum. Quum enim *primò* sint *spiritus creati*; non autem Deus creator[a]: *deinde scientiâ finitâ*, non omniscientiâ præditi, nec arcanorum cordis conscii. *Denique* quia ministri sunt Dei; nostri verò σύνδουλοι *conservi*, idcirco non sunt religiosè colendi: ut ipsimet, hujusmodi argumentis, id piè aversantur ac prohibent[b]: quod Satanas impiè, sibi arrogat[c]: & Apostolus damnat[d].

a Matt.4.10. b Apoc.19.10.& 22.9. Iud.13.16. c Matth.4.9. d Col.2.18.

LVIII. *Spei* deinde ac fiduciæ *clypeus* est, quia eam, adversus terrores hostium ac rerum adversarum, munit, consideratio præsidii ac subsidii, custodum Ecclesiæ Angelorum[a].

a Psal.34.8. 2.Reg.6.16.

LIX. *Charitatis* denique *stimulus* est: quia benignitas illa Dei summa, qua Angelorum ministerio, nobis regendis ac protegendis utitur, ad seriam, studio boni ac fuga mali, gratitudinem, excitat & inflammat. Eorumque præsentiæ memoria, ad timorem Dei, & recti ordinis observationem, conducit.

a 1.Tim.5.21. 1.Cor.11.10.

COROLLARIA.

1. *An Angelis, aut ulli rei, præter Deum creatorem, nomen Jehovæ, in S. literis tribuatur?* N.
2. *An verum sit, Angelos esse, orbium cœlestium, motores?* N.
3. *An Angeli, sint simul omnibus in locis?* N.
4. *An singulis servandis, proprium, à Deo, Angelum, custodem præfectum, probari queat?* N.
5. *An primogenitorum in Ægypto cædes, Angelis adscribatur?* N.

DISPUTATIO XIII.

DE LEGIS DIVINÆ, ET PONTIFICIÆ DOCTRINÆ REPUGNANTIA.

Non adeo mirum est, Ecclesiam Pontificiam ita insolescere, ut sanctæ Christi Ecclesiæ, & columnæ veritatis, elogium sibi, & quidem soli, magna arrogantia vendicet: licet vix umbram, priscæ ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ, retinuerit. Nam ut scorta frontem perfricant & quidvis audent: sic meretrix *illa* magna, *pudorem omnem excussit. Id quod, collata vera, veræ Ecclesiæ doctrina, cum falsis Pontificiorum dogmatis, perspicuè evincit. Cujus, hac tempestate, succinctum, in* Legis divinæ *(quæ rectam sanctæ vitæ normam complectitur) & falsæ atque impuræ* doctrinæ Papalis, *repugnantia, specimen proponemus. Qua in re, ad publicæ dissertationis materiam singula Legis præcepta, percurremus.*

THESIS I.

PRimo enim *mandato*, Jehovam, pro unico vero Deo, habendum: eique propriam gloriam tribuendam, præscribitur: hoc est, summo amore prosequendum, fidem, fiduciam ac spem, in eo solo, collocandam: illum solum adorandum, ac religiosè colendum. *Contra Pontificii*, quot in cœlo sunt Angeli, & sancti à Papa approbati, tot sunt divi alieni, quibus propriam illam Dei gloriam adscribunt: ut statæ ipsorum precandi formulæ: & inprimis virginis Mariæ invocatio, cùm alibi, tum in Psalterio virginis Mariæ, ab auctore Bonaventura Cardinali (quem Papa, in Sanctorum numerum retulit) conscripto evincunt. In quo, ea propria Dei gloria, quæ à Davide, Deo tribuitur; virgini Mariæ, horrenda impietate accommodatur.

II. *Secundo præcepto* imaginum cultus, omnisque εἰδωλοθρησκεία prohibetur. *Contra Pontificii*, idololatria multiplici, & traditionum suarum, partim superstitione, partim impietate, eidem adversantur: ut publica ipsorum decreta, & quotidiana experientia, demonstrat. In qua impius idoli Missatici cultus atque adoratio *hostiæ* ipsorum, excellit: & deinde *adoratio crucis*, de qua Thomas Aquinas, Sanctus apud Pontificios, Sum. Theologiæ par.3. quæst.25. *Illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem salutis: cantat enim Ecclesia, O crux ave spes unica, hoc passionis tempore: auge piis justitiam, reisque dona veniam. Ergo crux Christi adoranda est, adoratione latriæ.*

III. *Tertio præcepto*, nominis Dei sanctificatio, imperatur: *Contra Pontificii*, variis id modis polluunt. Nam inter cætera, horrendis incantationibus, *salem, aquam, cereos, cineres, ramos, campanas, agnos* (ut impiè vocant) *Dei*, aliaque magiæ Papalis instrumenta, indigna nominis Dei profanatione, consecrant, & tanquam salutis subsidia, commendant. Quæ inprimis patent, ex *Rationali divinorum officiorum Durandi, episcopi*: & *Sacrarum ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ, libro Christophori Marcelli, episcopi*: & *Christianis Institutionibus Costeri*, Papæ auctoritate, & indulgentiis impuris, munitis: denique ex *Pastorali Romano*, & Libro *de fuga dæmonum*, aliisque probatis, apud Pontificios, monumentis.

IV. Cujus profanationis, vel hoc solum suffecerit, de *Agno illo Dei* exemplum: quod, à Corcyrensi episcopo, Marcello, *Sacrarum cerem. lib.1. sect.7.* recensetur. *Legimus* (inquit) *Urbanum quintum, Pontificem maximum, misisse ad Imperatorem Græcorum, tres agnos Dei, cum versibus infra scriptis.*

Balsamus & munda cera, cum Chrismatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum:
Fulgura desursum depellit: & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, *& angit:*
Prægnans servatur, simul & partus liberatur:
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus mundè, de fluctibus eripit unda.

Quæ etiam, profanationis nominis Dei, recensio, refutatio est.

V. *Quarto præcepto*, sanctificatio Sabbati, ad publicum rectumque Dei cultum, præscribitur. *Contra* verò, *Pontificii*, multa festa, templa, altaria, suis consecrarunt Sanctis: quos in ordinem Sanctorum, à Papa relatos, adorant atque invocant. Quorum nonnulli, aut nunquam extiterunt; ut *Sanctus Christophorus*: aut impii fuerunt, ut *Sanctus Georgius*, Arianus & crudelis Ecclesiæ persecutor. Quod & Cæsar *Baronius* in *Martyrologio Romanæ Ecclesiæ*, veritate victus agnovit.

VI. *Deinde* varios etiam, publicæ ac superstitiosæ *Religionis*, modos, diversosque ministrorum Ecclesiæ Ordines, præter Dei verbum, Ethnicorum imitatione (ut *Durandus* in *Rationali divin. officiorum* lib.2. cap.1. profitetur) statuerunt: suisque (ut vocant) *Annatibus*, Pontifices divendunt: ut experientia comprobat.

VII. *Quinto præcepto*, honor atque obedientia erga parentes sive natura, sive officio ac cura sint tales (quales inprimis sunt Magistratus) mandatur. *Contra* verò *Pontificii* Ecclesiasticas personas, à debita Magistratui, patriæ patribus, observantia atque obedientia (Rom.13.1.) violato hoc præce-

pto, exemptas docent. Adeo ut Pontifex (probantibus id Pontificiorum doctoribus) Principes, Reges, Imperatores, ad pedum suorum oscula, impiâ ac plusquam barbaricâ insolentiâ, detrudat: ut Marcellus episcopus Sacr. Cerem. sect. 13. praxin consuetam describit. Imo neque hoc solo contentus Pontifex, Frederici Barbarossæ, Imperatoris (ad pedes submissi) collum impresso pede, conculcavit. Quod *Philippus Bergomas* Monachus, in *Supplemento suppl. chronicorum*, his verbis describit; *Isto igitur fœdere inito, Alexander summus pontifex, confestim ad januas templi divi Marci Euangelistæ accessit, & ibidem universo adstante populo, Imperatori jussit, ut se humi prosterneret, & veniam denuo expostularet. Quo facto, Alexander Pontifex, imperatoris collum, pede comprimens, ait: Scriptum est; Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. At Fridericus; Non tibi, inquit, sed Petro, cui successor es, pareo. Et summus Pontifex respondit. Et mihi & Petro.* Imitatus egregiè Satanam præeuntem, Matth. 4. 9.

VIII. *Sextum præceptum*, homicidium vetat: *contra Pontificii* belli sacri obtentu, & Hierosolymis occupandis, Pontifici licere statuunt infinitam pene infidelium multitudinem (nihil tale promeritam) ferro tollere: multasque Christianorum myriades hostium lanienæ exponere: ut historia belli sacri demonstrat.

IX. Deinde horrendam *Inquisitorum* suorum *tyrannidem* (in numerosa, Euangelium Christi profitentium atque innocenter viventium, turba, variis modis crucianda ac necanda) quasi sanctam justamque comprobant.

X. *Septimum* Legis Dei *mandatum*, castitatem & matrimonium legitimum, in quibusvis probat Heb. 13. 4. imò iis qui continentiæ dono carent, præscribit 1. Cor. 7. 9. *contra* verò *Pontificii*, omnium verbi ministrorum, sacerdotum, monachorum, (licet multi continentiæ dono destituantur) cœlibatum, non solùm matrimonio præferunt, sed etiam scortationem, eorum conjugio meliorem, impudenter affirmant. Sic enim Pontificiorum antesignanus, Cardinalis Bellarminus; *Est majus malum, sic nubere, quam fornicari: quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum, quod non facit, qui fornicatur.* Hæc ille lib. 2. de Monachis c. 34.

XI. *Octavum præceptum*, furtum, omnemque alienorum bonorum iniquam aversionem, prohibet: & ut cuique sua tribuantur ac relinquantur, imperat. *Contra* verò *Pontificii*, non solùm non dant Cæsari, quæ sunt Cæsaris, sed etiam è contrario, illius & regum aliorum regna, pro summa potestate arbitrioque Pontificis (*Extravag. com. lib. 1. De major. & obed. c. 1. unam sanctam*) dari, minui, auferri posse statuunt. Quemadmodum revera sæpius justis Dominis, per Pontificum sententiam, illa erepta, & injustis dominis tradita, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Navarræ, Indiarum, Judææ, aliorumque regnorum exempla, & Pontificiorum historiæ evincunt.

XII. *Nonum præceptum*, falsum, contra proximum, testimonium prohibet, & veritatem, fidemque datam, servandam esse, præcipit. *Contra Pontificii*, non solùm fidem datam (quum ipsis commodum est) perfide violant, sed etiam fidem hæreticis non esse servandam, Concilii Constantiensis auctoritate Sessione decima nona, definiunt.

XIII. *Decimum præceptum*, concupiscentiam, à charitate proximi discrepantem prohibet, & Apostolus Paulus disertè (tanquam legis divinæ transgressionem) peccatum esse asserit Rom. 7. 7. *Contra Pontificii*, Concupiscentiam, in Concilio Tridentino Sessione quinta, peccatum esse negant, & aliter sentientibus, anathema denuntiant.

XIV. Quamobrem ex hac *Legis divinæ* & humanæ *Pontificiorum doctrinæ repugnantia* manifesta, perspicuè elucet, quum Deus mandarit, ut omnia Legis præcepta observarentur & maledictionem iis sit interminatus, Deut. 27. 27. & Gal. 3. 10. qui non permanserint in omnibus: *ex adverso Pontificem Romanorum*, & Pontificios theologos, hoc contrariis suis dogmatis studuisse, ut nullum Legis divinæ mandatum, à violatione liberum; permitterent.

XV. Quapropter quum Christi Ecclesia, vocem ipsius audiat ac sequatur: *Contraque Pontificii*, ei adversentur, inde deducimus hæc

CONSECTARIA.

1. *Ecclesiam Pontificiam non esse Christi sponsam, multo minus Ecclesiam Catholicam.*
2. *Nec Apostolicam.*
3. *Nec sanctam.*
4. *Nec Papam Romanum, esse veræ Ecclesiæ caput: neque pastorem; sed depastorem ac lupum: ideoque iis omnibus, qui saluti suæ consultum velint, fugiendum.*

DISPUTATIO XIV.

DE EUANGELIO CHRISTI I.

QVoniam *suavissimæ*, de Euangelio Jesu Christi, *doctrinæ, adeo eximia est dignitas; ut suâ sublimitate, utilitate, ac necessitate summâ, ad sui amorem, nos invitet ac rapiat; tantaque contrà adversariorum, existit impietas; ut eandem, variis erroribus, vitiare ac subvertere moliantur: omnium piorum studium accendi debet; ut veritati divinæ, & Ecclesiæ saluti, justæ doctrinæ illius assertione, patrocinentur. Quocirca, nostri quoque officii esse, arbitramur, ut sinceram, de* Euangelii voce, *&* natura *sententiam, Deo favente, illustremus ac vindicemus, & publica disquisitione expendendam, proponamus.*

THESIS I.

EVangelii vox, à priscis Latinæ [a], & Syriacæ [b], Ecclesiæ theologis, hactenus usurpata, ex Græco, εὐαγγελίου nomine, traducta est: quod, Hebrææ dictioni *besorá, origine*, & *significatione* sua, concinnè respondet.

a Tertul. contra Marc. lib. 1. c. 1. 3. & reliqui Patres. b Syrus interpres Marc. 1. 1. Rom. 1. 1. 16.

II. *Origine* quidem; quoniam, ut εὐαγγέλιον (quod eodem sensu, εὐαγγελία dicitur [a]) ab εὖ bene, & ἀγγελία nuntiatio [b] (ut hoc, ab ἀγγέλλω nuntio) deducitur: sic nomen *besorá* (à quo, per metathesin, oritur Syriacum *sebhartá* [c]) à verbo *bisser* promanat. Quod, ex Græcorum interpretum [d], & Sacrarum literarum [e], expositione, εὐαγγελίζειν, hoc est, *bonum nuntiare* [f], designat.

a Græci interp. 2. Sam. 18. 27. 2 Reg. 7. 9. b Isidorus Originum lib. 6. cap. 4. c Syrus Matt. 4. 23. & Marc. 1. 15. d Esa. 61. 1. e Luc. 4. 18. f Glossar. vetus, H. Stephani.

III. Nam *bisser*, à nomine *basár* carne, derivatur, notatione eleganti: ut sit, quasi carnem (hoc est, mollia ac suavia) nuntiare; quemadmodum Forsterus [a] opinatur: aut potius, quasi carnem ac vires, læto nuntio, reficere: sicut Marcus Marinus [b] censet. Cui etymologiæ, res ipsa, & Salomonis sententiæ, videntur non obscurè suffragari. *Animus* (inquit) *lætus, benè medicinam facit: spiritus autem fractus exsiccat ossa* [c]: & alibi, *Vt aqua frigida, ergà animam fessam; ita est auditio bona* (en Euangelii periphrasin) *è terra longinqua* [d].

a Lex. Hebræo. b in Arca Noë. c Prov. 17. 22. d Ibid. 25. 26.

IV. *Significatione* verò, hæ voces similiter, Græcè & Hebraicè, inter se, ad amussim congruunt, bifariam: *propriè & impropriè*.

V. *Propriè* enim utraque, *bonum*, seu lætum, *nuntium* significat: quemadmodum, bonorum auctorum usus, & exempla illustria, perspicuè demonstrant. Qualia nonnulla, in medium proferemus; ut, eo certius & accuratius, constet veritas.

VI. Nam, de *Græcæ vocis* εὐαγγελίου *usu*, fidem faciunt, inter cæteros, indubitatam, primùm Plutarchus, quum ait: εὐαγγελίων γραφομένων [a] *scriptis bonis nuntiis*: γραμματοφόροι

ἥκει-

ευαγγελίζοντες εὐαγγέλια [b] *tabellarii ferentes bona nuntia:* μισθὸν εὐαγγελίων ἔχειν [c] *mercedem habere bonorum nuntiorum.* Deinde Aristophanes [d], εὐαγγέλια κἀγὼ ἔφθασα *bona nuntia etiam ego dixi.*

a In vita Phocionis. b In v. Pompei. c In Artaxerx. d ἱππεῦσι.

VII. Ideoque despuendum est *Judæorum commentum:* quod impio, ad Christi & Christianorum contumeliam, sarcasmo, Græcam & amabilem εὐαγγέλιον vocem, ad Hebræi sermonis formam, insulsè corrumpentes, detorqueant, & *avengillajón* [a], quasi volumen vanitatis, pronuntiant ac cognominant.

a Bahal Haruch in Avengillajón: etsi in Basil. edit. relicto spatio, consultò omissum.

VIII. *Euangelium* enim (ut *Elias* Judæus [a], rejecta suorum hominum sententia, ingenuè agnoscit) Græca, non Hebræa, vox est: quæ, Hebraicè *besóra tobhá* (addo etiam, simpliciter *besórá*) appellatur.

a In Tisbhi in Gillajón.

IX. Siquidem de consentanea, vocis Hebrææ *besórá*, significatione, hæc Sacræ scripturæ dicta, sunt insignia; *Si solus est* (ait David) *in ore ejus est besórá* [a]: hoc est bonum nuntium. Item; *Hic est dies besórá* [b]: seu boni nuntii. Ideoque Græci interpretes, priori loco, εὐαγγέλια· posteriori, εὐαγγελίας, eodem omninò sensu, reddiderunt.

a 2. Sam. 18. 25. b 2. Reg. 7. 9.

X. Ac propterea unico duntaxat loco, in Sacris literis (non distinctionis, sed explicationis, gratiâ) *besórá tobhá* [a] *Euangelium bonum*, nuncupatur: ut, insita latensque vocis efficacia, clarius exprimeretur.

a 2. Sam. 18. 27.

XI. Quemadmodum conjugata dictio *mebhassèr* [a], hoc est, Apostolo interprete, *euangelizans* [b], simili emphasi, *mebhassèr tobh* [c], est, *euangelizans bonum* [d], nominatur.

a 2. Sam. 4. 10. Esa. 41. 27. b Rom. 10. 15. c Esa. 52. 7. d Rom. 10 15.

XII. Etsi unicus occurrat locus, ubi, *catachresi*, seu abusione quadam, generalius, de *nuntio*, *tristitia referente*, usurpatur [a]. Unde Hebræi quidam [b], ansam arripuerunt, ut voces hasce, *bisièr*, *mebhassèr*, *besórá*, propria acceptione, generales esse, & ad *quodvis nuntium* pertinere, minus accuratè judicarint.

a 1. Sam. 4. 17. b David Kimchi, Comment. 1. Sam. 4. & Lib. Rad. David de Pomis in Tsemach.

XIII. Similis enim *vocis Græcæ abusio*, alicubi etiam reperitur: ut ex hoc veteri scholio (quod apud Hesychium [a] extat) manifestè elucet; εὐαγγέλια, μηνύματα, κηρύγματα· *Euangelia* (hoc est) *indicia, nuntia, seu præconia.* Quia, luce meridianâ clarius est, hanc vocem, ex compositionis suæ vi, *nuntia læta, bona*, non alia, designare.

a In Lexico Hesychii.

XIV. *Impropriè* verò (per metonymiam causæ, pro effecto) *besórá* & εὐαγγέλιον, pro *boni nuntii præmio* nonnunquam usurpantur: quemadmodum ordine, certis documentis, constabit.

XV. Nam de *vocis Græcæ* acceptione, testis est Homerus, εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω [a] *euangelium verò mihi esto: hoc est* ἀγαθῆς ἀγγελίας δῶρον, *boni nuntii donum:* ut vetus ac laudatus Scholiastes [b], exponit. Item; εὐαγγέλιον τίσω σοι [c] *hoc boni nuntii præmium solvam.* Cui accedit Cicero; *O suaves* (inquit) *epistolas* &c. *quibus* εὐαγγέλια, *quæ reddam nescio* [d]. Denique Pollux; qui εὐαγγέλια, *donum quod nuntio* redditur, eadem ratione, interpretatur [e].

a Odyss. ξ. b Didymus ibidem. c Hom. ibidem. d Ad Attic. l. 2. epist. 12. e Onom. l. 6. c. 41.

XVI. De *Hebraica* verò *dictione* congruentia Scripturæ exempla, hæc sunt manifesta; *Ut darem ipsi besórá* [a]: quod Græci interpretes, εὐαγγέλια· Chaldæus, *donum euangelii:* & Hebræi [b], mercedem *euangelii*, doctè, ac consentaneè, explanarunt. Item; *Non besórá obtinget* [c]: hoc est, boni nuntii præmium, ut Chaldæus Jonathan, & David Kimchi, rectè ad eum locum declarant.

a 2. Sam. 4. 10. b R. Solomo. D. Kimchi. R. Iesaia. c 2. Sam. 18. 22.

XVII. Interim *Græca vox* εὐαγγέλια latius sese, quàm Hebræa, extendit, ac peculiari quâdam metonymiâ, *sacrificium, ob lætum nuntium*, significat: ut frequens illud, apud Græcos εὐαγγέλια θύειν [a] *euangelia sacrificare:* seu, *læti nuntii sacrificium offerre*, demonstrat. Quo etiam eleganter utitur Comicus [b] ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν ἠγγελμένοις εὐαγγέλια θύειν *ob successus bonos annuntiatos, euangelia sacrificare.*

a Isocrat. Orat. Areopagitica. Plutarchus in Sertorio &c. b Aristophanes ἱππεῦσι.

XVIII. Nam, quod vir eximius [a], εὐαγγέλια vocem, propriè in hac phrasi, *per ellipsin* præpositionis διὰ *propter*, interpretatur: quasi εὐαγγέλια θύειν idem sit, atque, *ob lætum nuntium, sacrificare*, illud, nonnullis sanè in locis, non malè quadrabit. Quemadmodum, ex similibus hisce, patet; θύειν μετοίκια [b] θύειν βοηδρόμια [c] hoc est, *ob Metœcia, ob Boëdromia, sacrificare:* προθύσων ξένια καὶ γενέθλια [d] *antè sacrificaturus, ob Xenia & Natalitia:* denique ἑορτάζειν εὐαγγέλια [e] *ob læta nuntia* (ut doctiores interpretantur [f]) *sacrificare.*

a Budæus Commen. Gr. linguæ & Wolphius in Isocrat. Areopag. b Plutarchus in Theseo. c Ibidem. d Euripides in Jone. e Plutarch. in Phocione. f Amiotus Gal. & Cruser. Latinè.

XIX. Veruntamen ellipsis hæc, propositæ Aristophanis sententiæ, minùs videtur convenire, ut prior illius pars demonstrat: nisi, insolentem atque inconcinnam tautologiam, statuere velimus. Deinde litem, Pollucis auctoritas, dirimit; qui disertis verbis, eandem metonymicam significationem, sic describit: ἡ μὲν τοι (inquit) ἐπὶ τῷ συνήθει θυσία, εὐαγγέλια [a]. hoc est, *sacrificium quidem, ob communem lætitiam, euangelia* [b].

a Onomast. l. 5. c. 25. b Hæc aliter interpres reddit: sed ut liquet, minus rectè.

XX. Nullibi tamen, *Euangelii nomen*, in *Novi Testamenti scriptis*, metonymicâ significatione alterutrâ, usurpari, sed, *bonum nuntium*, significare, comperitur. Atque hæc hactenus, de communibus, vocum Euangelii, Græcè & Hebraicè, significationibus, dicta plus satis: consequens est, ut ad *rem ipsam à genere* exorsi, accedamus.

XXI. *Bonum* enim *nuntium*, non unius est generis: sed à sua efficiente causa diversa, aliud est humanum; aliud verò divinum.

XXII. *Humanum* est, quod ab homine promanat. Cujusmodi fuit Euangelium, de nativitate Jeremiæ [a]: & Euangelium, de Thessalonicensis Ecclesiæ fide, & charitate [b].

a Jer. 20. 15 b 1. Thes. 3. 6.

XXIII. *Divinum* verò est, quod Deum habet auctorem: sive illud per se; sive per ministros suos (Angelos, aut homines) patefaciat.

XXIV. Quod, pro *materiæ* suæ *subjectæ* discrepantia, vel est *boni corporalis* ac *præsentis vitæ:* quale fuit euangelium, per Angelum nuntiatum, de nascituro Zachariæ filio [a]: vel est *boni spiritualis*, & *æternæ*, *per Christum*, *salutis.* Quo modo κατ' ἐξοχὴν, in sacris literis [b] frequenter, & à nobis hac disputatione usurpatur. Cujus vera *natura*, *definitionis* & *distinctionis* lumine, deinceps erit illustranda.

a Luc. 1. 19. b Esa. 53. 7. Rom. 10. 15.

XXV. *Euangelium* autem, hoc modo, non incommodè *definiri* potest; *doctrina divina, quâ arcanum Dei fœdus, de gratuita salute, per Christum, hominibus in peccatum lapsis, annuntiatur: & cum electis inchoatur ac conservatur, ad ipsorum salutem, & Dei servatoris gloriam.*

XXVI. *Doctrina* enim *divina* dicitur, quia efficiens & auctor illius est Deus: ut attributa divinitus encomia, demonstrant. Quippe κατ' ἐξοχὴν *verbum Dei* [a]: aut ellipsi quâdam, ὁ λόγος *verbum illud* [b]: & distinctius *Euangelium Dei* [c], nominatur.

a 1. Pet. 1. 23. cum 25. Rom. 10. 17. b Marc. 16. 20. Act. 6. 4. & 8. 4. c Rom. 1. 1, 2. 2. Cor. 11. 7. 1. Pet. 4. 17.

XXVII. Ex quo *auctore* summo, summa etiam illius *auctoritas* (quæ duobus hisce, *veritate*, & *sanctitate* divinâ continetur) perspicuè exsurgit. Ideoque prioris ratione, *veritas* [a], *via veritatis* [b], & magis propriè, *verbum veritatis* [c]: posterioris verò, *via Domini recta* [d], & *bonum Dei verbum* [e] (ob eximiam, præ aliis veris ac bonis Dei verbis, dignitatem) κατ' ἐξοχὴν appellatur.

a 1. Pet. 1. 23, 25. b 2. Pet. 2. 2. c Eph. 1. 13. Jac. 1. 18. d Act. 13. 10. e Heb. 6. 5.

XXVIII. Cujus doctrinæ *subjecta materia*, statuitur duplex: *communis* & *propria.* *Communis*, est fœdus Dei, cum hominibus (quippe Euangelium hac in re, cum doctrina legis Dei, convenit [a]) *propria* verò, est fœdus Dei, de salute, per Christum, gratuita.

a Heb. 8. 9.

XXIX. *Fœdus* quidem *Dei*, quia Euangelium, mutuam Dei & hominum obligationem, de vita æterna, ipsis certa conditione danda, promulgat. *De salute verò per Christum gratuita*; quia Deus Euangelio, ex mera gratia, non solùm Christum, & perfectam in eodem justitiam, ad reconciliationem, & vitam æternam, hominibus quibusvis; sub conditione veræ

veræ fidei, prædicat & offert[a]: sed etiam præscriptam, fidei & resipiscentiæ, conditionem[b], electis suis promittit, & in iisdem perficit[c].

a Esa. 28.16. 1.Pet.2.6. Act.10.43. Rom.10.6,8,9. b Gal.5.6. Luc. 24.47. Act.13.39. Deut.30.6. Ezech.11.19,20. Heb.8.10.11.

XXX. Atque hujus *subjecti beneficii* ratione, Euangelium, in Sacris literis, *verbum gratiæ Domini*[a]: *Euangelium gratiæ Domini*[b]: *Euangelium pacis*[c]: & *fœdus*[d], nuncupatur: & à conditionis, *officii subjecti*, *præscriptione*, *lex fidei*[e]: lex Dei[f], κατ' ἐξοχὴν & *verbum fidei*[g] & metonymicè *fides*[h], nominatur.

a Act.14.3. b Ib.20.24. c Eph.6.15. Esa.52.7. Rom.10.15. d 2.Cor. 3.6. e Rom.3.27. f Esa.2.3. g Rom.10.8. h Act.6.7. Gal.2.25.

XXXI. Quia verò, hoc fœdus salutis per Christum, naturâ omnino ignotum est[a] (quippe quod à mera voluntatis Dei gratia dependet[b]) multisque ad Christum seculis non est revelatum gentibus[c], idcirco, *arcanum*, meritò appellamus. Quoniam eandem etiam ob causam, doctrina hujus fœderis, *mysterium voluntatis Dei*[d]: *mysterium Euangelii*[e]: *mysterium Christi*[f]: *mysterium* denique *pietatis*[g], indigitatur.

a Matt.11.27.& 16.17. b Ephes.2.8. c Rom.16.25,26. Actor.14.15, 16. d Eph.1.9. e Ib.6.19. f Ib.3.4. g 1.Tim.3.16.

XXXII. Ex quo *subjecto*, consequitur etiam *objectum* Euangelii, reipsa esse homines, non perstantes in sua justitia originali (*quia sani non opus habent medico*, nec sancti reconciliatione[a]) sed lapsos in peccatum[b]: ac propterea, violati fœderis operum reos, ac legis transgressores. Quibus, fœdus salutis per Christum, nuntiatur & offertur[c]. Atque hæc, de *subjecta*, & *objecta*, *Euangelii materia*.

a Marc.2.17. b Ibidem. c Gen.3.15. Esa.61.1. Luc.4.18.

XXXIII. *Forma* verò *Euangelii*, divina hujus materiæ, seu fœderis salutis per Christum, annuntiatione, indicatur. Quia, per eam, Euangelium est, & à reliquis omnibus, differt ac discernitur.

XXXIV. *Finis* denique Euangelii, est *duplex*: alius enim est *finis* ῷ *cui*: alius verò *finis* οὗ *cujus*, appellatus. De quibus specialius atque uberius nonnihil, ob rei ipsius & controversiarum gravitatem, nobis est disserendum.

XXXV. *Finis* ῷ *cui*, seu ad cujus utilitatem, Euangelium datum est à Deo, sunt homines peccatores. Nam, ut illis, reipsa annuntiatur; eaque de causa, illius *sunt objectum*: sic etiam, ad *eorundem utilitatem*, nuntiatur: atque hac ratione, *finis* Euangelii existunt[a]: sed modo dispari.

a Marc.2.17.

XXXVI. Siquidem *electi*, primariò: *reprobi*, secundariò: *illi*, utilitatem Euangelii, plenè hauriunt[a]: *hi* verò, partim ac leviter tantùm, delibant[b], ut, ex sequentibus, patebit.

a Mat.13.23. b Ib.v.13,19,21,22. Heb.6.5.

XXXVII. *Finis* verò οὗ *cujus*, est utilitas, cujus gratia, Euangelium Christi, divinitus est destinatum, ac datum hominibus. Estque vel *propinquus*, vel *remotus*.

XXXVIII. *Propinquus finis*, est Christi notitia: & illius notitiæ fructus geminus.

XXXIX. *Notitia Christi* est, qua, per Euangelii doctrinam, & revelationem Spiritus Sancti, Christus, & gratuitæ salutis per ipsum fœdus, cognoscitur. Eaque vel est viva: vel vitæ expers.

XL. *Notitia Christi viva*, est *fides per charitatem efficax*[a]. Quæ, electis ad salutem, est propria[b]: & κατ' ἐξοχὴν, *notitia Christi*[c]: *notitia Patris ac Christi*[d]: & *notitia, secundùm pietatem*[e], nuncupatur. Qui *scopus* est atque *effectus Euangelii primarius*[f].

a Gal.5.6. b Actor.13.48. cum Tit.1.1. 2.Thess.3.2. c Esa.53.11. d Ioh.17.3. e Tit.1.1. f Ioh.20.31. Luc.8.15.

XLI. *Notitia* verò *vitæ expers*, ea, est, quæ charitate ac bona conscientia destituitur[a]. Quæ *fides mortua*[b], dicitur: & reprobis obtingit[c]: *circa quam* etiam, non rarò *naufragium faciunt*[d].

a Math.13.20,21,22. Luc.8.13,14. Heb.6.8. b Iac.2.17. c Luc.18. 13,14. Iac.2.17. d 1.Tim.1.19.

XLII. *Fructus* verò *geminus*, ex hac notitia promanans, est *sanctificatio*, & *communio cum Christo ac Deo*. Qui etiam est *scopus*, ad quem, *Euangelii doctrina*, *collimat*[a]: & *effectus* organicus, quem producit[b].

a Tit.2.11. Phil.1.27. 1.Ioh.1.3. b Act.2.41.42.

XLIII. *Sanctificatio*, est purgatio, à peccati immunditia, virtute Spiritus Sancti, per Euangelii & Christi notitiam effecta. Quæ etiam, pro electorum, & reproborum discrimine, suis differentiis, plurimum utrimque distat ac distinguitur.

XLIV. *Electorum* enim *sanctificatio*, est vitiosæ ipsorum naturæ, virtute Spiritus Sancti, per Euangelium, regeneratio. Quæ, *sanctificatio*[b] κατ' ἐξοχὴν, in Scriptura dici solet. Atque huc pertinet oratio Christi; *Sanctifica eos, in veritate tua: sermo tuus est veritas*[c]: & dictum Jacobi, de Deo; *Progenuit nos sermone veritatis*[d]: & illud Petri; *Renati* &c. *per sermonem Dei vivi*[e]: hoc est, per Euangelium[f]: item, *Animabus vestris purificatis, auscultatione veritatis, per Spiritum*[g].

a Heb.6.7. Joh.3.5. b 1.Cor.6.11. c Joh.17.17. d Jac.1.18. e 1.Pet.1. 23. f Ib. vers.25. & 1.Cor.4.15. g 1.Pet.1.22.

XLV. Ac propterea, quia Euangelium, in electis, efficax est, sanctificationis, per Spiritum Sanctum, instrumentum; non temere *Spiritus*[a]: *ministerium Spiritus*[b]: *speculum transformationis, ad imaginem Domini*[c] nominatur.

a 2.Cor.3.6. b 2.Cor.3.8. c 2.Cor.3.18.

XLVI. Atque hujus sanctificationis, Euangelium causa est externa efficiens, non solùm inchoans; sed etiam conservans ac perficiens. Ideoque, prioris ratione, *semen regenerationis incorruptibile*[a]: posterioris verò ratione, *lac sincerum*[b], & *solidus* etiam *cibus*[c], nuncupatur.

a 1.Pet.1.23. b 1.Pet.2.2. c 1.Cor.3.2. Heb.5.13.

XLVII. *Reproborum* contra *sanctificatio*, est quædam naturæ ipsorum vitiosæ, à Spiritu Sancto illuminante[a], per agnitionem Euangelii, refrænatio ac repressio temporaria[b]. Quo demum modo, *mundi inquinamenta*, *per agnitionem veritatis effugisse*[c], dicuntur: vitiis cohibitis paulisper; non verò per Spiritum regenerantem extinctis.

a Heb.6.4. b Luc.8.13,14. Heb.6.4,5,8. c 2.Pet.2.20.

XLVIII. Quandoquidem consolatorem ac regenerantem, *Spiritum veritatis*, *mundus* (hoc est, reproborum ac pereuntium cœtus) *accipere non potest*[a]: sicut *nec mors secunda, locum habere potest, in iis sanctis, qui resurrectionis primæ* (seu regenerationis) *sunt participes*[b]. Atque hæc de *primo notitiæ, Euangelicæ doctrinæ ac Christi, fructu*.

a Joh.14.16,17. b Apoc.20.6.

XLIX. *Alter* verò *fructus* est, *cum Christo ac Deo communio*: quâ homines peccatores, suo modo, Dei & Christi, fiunt participes. Alia enim, est *integra* ac *vivifica*: alia, *mutila* & *vitæ expers*. Illa solis electis, tanquam verè filiis hæredibus[a]: hæc reprobis, tanquam servis in domo & regno Dei[b], contingit.

a Matth.13.38. Rom.8.16.17. Eph.2.19. 1.Pet.2.5. b Matth.13.38,41.

L. *Electorum* enim *communio*, est Dei, per Euangelii notitiam ac fidem vivam, beneficium: quo Christi personæ, tanquam capiti, & Ecclesiæ Dei, tanquam corpori Christi, uniuntur[a]: in eoque justificantur[b], & ad vivos bonorum operum fructus proferendos, vi illius, permoventur[c]. Ideoque Euangelium, *ministerium justitiæ*[d]: & *sermo reconciliationis*[e], nominatur: & electi, ob vivam communionem, *palmites in Christo fertiles*[f]: & *filii regni*, κατ' ἐξοχὴν & omnino, nominantur[g].

a Eph.3.6.16.17.18.20.& 2.22,23. b Rom.5.1.& 8.1. 1.Cor.6.11. Eph.2.17,18. c Ioh.15.5. 1.Cor.1.30. & 6.11. d 2.Cor.3.9. e 2.Cor.5.13. f Ioh.15.2. g Matth.13.38.

LI. *Reproborum* contra, cum Deo & Christo *communio*, est beneficium Dei, quo, per notitiam Euangelii, ab externa mundi immunditia, & erroribus, liberati[a]: ad externam Ecclesiæ, tanquam corporis Christi, ac domus Dei, societatem (quæ, communi professione fidei, & Sacramentorum usu constat) sunt adducti[b].

a 2.Pet.2.20. b Act.8.13,21. 1.Tim.1.20. 1.Cor.10.3,4,5.

LII. Cujus, mediatæ & imperfectæ, communionis ratione, reprobi quoque, *palmites in Christo*, censentur; sed *steriles*: & à Patre agricola tollendi[a]. Deusque eorum etiam vocatur δεσπότης *herus* (ut passim hæc vox Patri tribuitur) *qui ipsos emit*[b]. Emisse autem dicitur, non pretioso Filii sui sanguine (quia, *pro Mundo* reproborum, *non oravit*[c]) sed externa in servos suos, vocatione: qua illos sibi parte aliqua (unde *filii regni*[d], secundùm quid, dicuntur) acquisivit[e].

a Ioh.15.2. b 2.Pet.2.1. c Ioh.17.9. d Mat.8.12. e Exod.15.16. Deut.32.6.

LIII. Nam, ut vox *acquirendi* generalis, per synecdochen specia-

ſpecialius, pro *emtione*, ſæpius uſurpatur [a]: ſic viciſſim, ſpecialis *emendi* dictio, generalius, pro *acquiſitione* [b] (ſicut *venditio*, pro traditione [c]) ſimili tropo, in Sacris literis, accipi ſolet. Atque hæc, de *Euangelii fine propinquo*, dicta.

a Eſa. 24. 2. Jer. 32. 7. Prov. 20. 14. & 23, 23. Gen. 25. 10. cum Actor. 7. 16. b Eſa. 55. 1. Apoc. 3. 18. c Jud. 4. 2, 9. Pſal. 44. 13. Eſa. 52. 3.

LIV. *Remotus* verò *finis*, & *effectus* Euangelii organicus, etiam eſt duplex: *medius* & *ultimus*.

LV. *Medius*, eſt electorum ſalus æterna [a]: ideoque Euangelium, *verbum vitæ* [b]: &, *Euangelium ſalutis* [c], appellatur.

a Johan. 20. 31. b Phil. 2. 16. c Epheſ. 1. 13.

LVI. *Ultimus* verò *finis*, ex prioribus emergens, eſt *Dei ſervatoris gloria*: quæ, in ſapientiæ, miſericordiæ, juſtitiæ, & potentiæ ipſius, patefactione conſiſtit. Quæ, uti maximi eſt momenti, ſic paucis explicanda.

LVII. *Primùm* enim *ſapientia Dei* πολυποίκιλος multiformis, ex arcana & imperveſtigabili, ſalutis per Chriſtum, via: illiuſque opportuna, & Angelis etiam admirabili, per Euangelium patefactione, eluceſcit [a]. Qua etiam de cauſa, Euangelium, *ſapientia Dei in myſteriis abſcondita* [b]: &, per ironiam perſpicuam, *ſtultitia Dei* [c], nominatur: ad ſtultum incredulorum judicium, traducendum: qui, ita perversè, de Dei ſapientia, ſentiunt [d].

a Epheſ. 3. 8, 9, 10, 19. Rom. 11. 31, 33. 1. Corinth. 1. 24, 25. b 1. Cor. 2. 7. c 1. Cor. 1. 21. 25. d Ibid. verſ. 18. & 23.

LVIII. *Deinde miſericordia Dei*, ſeu ipſius, erga miſeros peccatores bonitas, nullâ omnino doctrinâ, tam copioſè tantaque claritate, quàm Euangelio Chriſti, illuſtratur [a]. Siquidem hæc ſola, eam ſalutis viam, divinitus datam & patefactam miſeris, proponit: cujus notitia ac fructu, electorum quidem miſeria, aboletur penitus (quæ *miſericordia* [b] κατ' ἐξοχὴν ideo nominatur) reproborum verò, miſera conditio (fugatis Euangelio ignorantiæ tenebris, & refrænata priorum ſcelerum licentia) mitigatur [c].

a Eph. 2. 4, 5, 6, 7, 8. b Eph. 2. 4. Luc. 1. 72. c Vide Theſ. 47.

LIX. Præterea, *Dei* quoque *juſtitia*, Euangelio bifariam revelatur: partim *erga electos*: partim *erga reprobos*.

LX. *Erga Electos*; quod, eum ſalutis modum retegit: quo, juſtitiæ Dei, peccatis noſtris læſæ, pretioſa Filii morte eſt ſatisfactum [a]; *ut fieremus juſtitia Dei in eo* [b]: quodque, juſtificationis & ſanctificationis, documentum, & organum, eſt ſalutare: ut antea oſtendimus.

a Rom. 3. 25, 26. b 2. Cor. 5. 21.

LXI. *Erga reprobos* verò: quod, ex Euangelii doctrina & effectis, ſit perſpicuum, Deum neque injuſtitiæ, neque exitii ipſorum, auctorem, aut adjutorem; ſed, culpam utriuſque, in ipſis reſidere.

LXII. Quippe Deus juſtus ac miſericors, ipſis, ſuo vitio miſeris, liberationem à miſeria, Euangelio offert: illi contra eandem, aut ſua contumaci ignorantia averſantur [a]; aut notitia illius, à Deo donati, tantique boni, fiducia & amore vacui, abutuntur [b].

a Joh. 3. 19. b Joh. 3. 19, 20. Matth. 13. 20, 21, 22.

LXIII. Denique *potentia Dei*, variis modis, Euangelio declaratur: in primis verò, in procuranda, tuenda ac perficienda (invito mundo, & inferni portis) ſalute Eccleſiæ, per Chriſtum [a]. Euangelio enim celebratur, & exercetur, *excellens illa magnitudo potentiæ, in nobis, qui credimus pro efficacitate forti roboris ipſius, quam exeruit in Chriſto*; *quum ſuſcitavit eum à mortuis, & collocavit ad dexteram ſuam in cœlis* [b]. Unde etiam Euangelium, *potentia Dei* [c]: & *potentia Dei, ad ſalutem omni credenti* [d]: & ſummatim, *Euangelium gloriæ beati Dei* [e], indigitatur. Atque hæc pertinent, ad finis Euangelii coronidem.

a Matt. 16. 18. Joh. 20. 28. 29. Rom. 8. 37, 38, 39. 1. Pet. 1. 5. b Eph. 1. 19. 20. c 1. Cor. 1. 18. d Rom. 1. 16. e 1. Tim. 1. 11.

LXIV. *Adjuncta* verò *Euangelii*, ſunt *Sacramenta*, quæ tanquam verbum inviſibile, illius doctrinam, fœderatis ſignant & obſignant. Qua de cauſa metonymicè, *fœdus* [a]: & propriè, *ſigna fœderis* [b], & metaphoricè, *ſigilla fœderis* [c], appellantur. Hactenus *Euangelii definitionem*, & *expoſitionem* illius, tractavimus: quibus ſuccedit *diſtinctio*.

a Gen. 17. 10, 13. Act. 7. 8. b Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. c Rom. 4. 11.

LXV. Etſi *Euangelium* reipſa (quam expoſuimus) ſit *ſimplex* [a]: rei tamen *circumſtantiâ*, *duplex* comperitur. Quippe aliud eſt, *Euangelium promiſſionis Chriſti*: aliud, *miſſionis illius*. Unde prius, promittens [b] ac præmiſſum [c]: poſterius verò, promiſſum Euangelium [d], appellatur.

a Gen. 3. 15. cum Joh. 12. 31. Coloſſ. 2. 15. Heb. 2. 14. & Gen. 12. 3. cum Gal. 3. 6, 7, 8. & Gen. 22. 18. cum Gal. 3. 8. Rom. 4. 22, 24. Act. 2. 25. & 10. 43. & 4. 12, 13. & 15. 11. Heb. 11. 12. b Rom. 1. 2. c Gal. 3. 8. Heb. 4. v. 6. d Rom. 1. 2.

LXVI. Siquidem *Euangelium promiſſionis Chriſti* eſt, quo olim Deus fœdus gratuitæ ſalutis per Chriſtum, annuntiavit ac pepigit [a], Chriſtique adventum promiſit [b]. Qua de cauſa, Euangelium hoc, ἐπαγγελία *promiſſio* [c] diſtinctè ac κατ' ἐξοχὴν (ut reliquis promiſſionibus longè ſublimior) appellatur.

a Heb. 1. 1. Actor. 16. 43. b Actor. 3. 22, 24. & 13. 32. c Act. 13. 32. Gal. 3. v. 17, 18.

LXVII. Hoc autem *Euangelium*, à Deo *nuntiatum* ac patefactum eſt duobus modis, *immediatè* ac per ſe: & deinde *mediatè* per homines.

LXVIII. *Immediatè* ac per ſe Deus hoc præſtitit, ratione diverſa: primùm enim obliquè: poſtea verò directè.

LXIX. *Obliquè* enim, primis parentibus, in paradiſo, Euangelium initio revelavit, in comminatione Serpenti facta. In qua *ipſum* (mulieris ſemen) *ſerpentis caput contriturum* [a] (hoc eſt Chriſtum virginis filium, *per mortem, aboliturum eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt diabolum* [b]) pro ſua miſericordia, promiſit.

a Gen. 3. 15. b Heb. 2. 14.

LXX. *Directè* verò Patriarchis, Euangelium de Chriſto, patefecit [a]; quorum idcirco fides in Chriſtum, tam magnificè celebratur [b]. Inter quos excelluerunt, Abrahamus [c], Iſaacus [d], Jacobus [e]: quibus, illuſtriſſimæ promiſſiones, de Chriſto ac ſalute, obtigerunt.

a Luc. 1. 55. 73. b Actor. 15. 11. Heb. 11. 2. Rom. 4. 12. 16. 2. Corinth. 4. 13. c Gen. 12. 3. & 22. 18. Gal. 3. 8, 14, 17, 18. Luc. 1. 55, 73. d Gen. 26. 4. e Ib. 28. 14.

LXXI. *Mediatè* verò Deus, ſuum Euangelium, revelavit *per Prophetas*. Nam, ut illud *per ſe*, ſuo Spiritu, ipſis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *multis partibus multiſque modis*, indidit ac retexit [a]: ſic *per eoſdem*, partim ſermone [b], partim Sacris literis [c], declaravit Iſraëlitis ſolis [d]: *permiſſis interim Gentibus ingredi in viis ipſarum* [e]: non rimando, ſed adorando nobis, myſterio [f].

a 2. Tim. 3. 16. 1. Pet. 1. 11. 2. Pet. 1. 21. Heb. 1. 1. b Gen. 49. 10. c Rom. 1. 2. Actor. 10. 43. d Pſal. 147. 20. e Actor 14. 16. & Pſal. 147. 20. f Rom. 11. 33.

LXXII. Ad cujus *Euangelii declarationem* & *obſignationem* adjuncti & annexi fuerunt, *partim* diverſi, rerum, perſonarum ac factorum *typi prophetici*: partim *ceremoniæ* (ſeu, externi cultus Dei, ritus) temporariæ.

LXXIII. Quippe μεχρὶ καιροῦ διορθώσεως *ad tempus uſque correctionis ſunt impoſita* [a]: nec diutius, quàm ad Chriſti mortem, tanquam cultus Dei, duraturæ: ſed rarioribus ac clarioribus permutandæ [b]. Quo mortis Chriſti termino, *ſeculum* (ſeu longa duratio) iis attributum [c], omnino finitur. Utpote quum fuerint *umbra futurorum: corpus autem, Chriſti* [d]: *umbra bonorum futurorum*; *non ipſa expreſſa forma* [e]: & *chirographum debitorum noſtrorum* [f]: ideoque debitis perſolutis, abolendum: ut veritati, & juſtitiæ divinæ ſatisfieret.

a Heb. 9. 10. b Heb. 8. 13. c Gen. 17. 13. Exod. 12. 24. d Col. 2. 17. e Heb. 10. 1. f Col. 2. 14. Gal. 5. 1, 2, 3.

LXXIV. In quibus ceremoniis excelluere, *ſigna fœderis* illuſtria, cum *Sacramenta* ordinaria, circumciſionis & paſchatis: tum *ſacrificia*, non ſolùm ἱλαστικὰ *propitiatoria*; quæ, ad primam fœderis partem, relata, Chriſtum ejuſque beneficia, adumbrabant: ſed etiam εὐχαριστικὰ *gratiarum actionis*, quæ, ad alteram ſpectantia partem, officia quoque Eccleſiæ deſignabant. Atque hæc de *Euangelio promiſſionis*.

LXXV. *Euangelium* verò *miſſionis Chriſti* eſt, quo Deus poſtremis temporibus fœdus ſalutis per Chriſtum: & impletam, de miſſione ipſius promiſſionem, annuntiavit [a].

a Heb. 1. 1. Luc. 1. 69. 70. & 2. 10, 11.

LXXVI. Quo modo κατ' ἐξοχὴν oppoſitè promiſſioni tanquam lætiſſimum illius complementum [a], *Euangelium Chriſti* [b], nempe exhibiti: *Euangelium regni Dei* [c]: & *Euangelium regni* [d]: & à ſuo ſubjecto metonymicè, *novum fœdus* [e], hoc eſt, novi fœderis doctrina, appellatur.

a Luc. 2. 10. b Rom. 1. 9. 1. Cor. 9. 12, 14. c Marc. 1. 14. d Matth. 4. 23. e 2. Cor. 3. 6.

LXXVII. Atque hoc modo fideles, post Christum exhibitum, priscis patribus feliciores longè, judicantur [a]. Licet enim Christi & fœderis gratiæ, fideique, ac salutis, communione, nobis fuerint pares [b]: solam tamen, Christi venturi, pro populo suo morituri, totoque orbe regnaturi, promissionem; non autem rem promissam (quæ ab Apostolo, *promissionis* voce [c], metonymia consueta [d], designatur) adepti fuerunt: eoque modo, nobis inferiores.

a Matt. 13. 17. Luc. 10. 24. b Gen. 12. 3. Gal. 3. 6, 7, 8. Heb. 11. 2. 2. Cor. 4. 13. c Heb. 11. 39. d Actor 1. 4. Heb. 6. 12, 13. & 10. 36.

LXXVIII. Atque hinc etiam quatuor divini, (historiæ nativitatis, doctrinæ, vitæ, mortis, & resurrectionis, Jesu Christi) libri, ab uno seipsa missionis Euangelio, *Euangelia* [a] (per subjectæ materiæ metonymiam) nuncupantur.

a Marc. 1. 1. Actor. 1. 1. 2. Cor. 8. 18.

LXXIX. Hujus autem *Euangelii promulgatio* (pro temporis, divinitus præstituti, ratione) *objecto* plurimùm discrepavit.

LXXX. *Primùm* enim, usque ad Christi mortem & resurrectionem, Israëlitico tantum populo ordinariè nuntiatum est [a]. Idque factum est, per Angelos [b], Johannem Baptistam [c], Filiumque Dei Jesum Christum [d]: & delectos illius (cùm duodecim [e], tum septuaginta [f]) discipulos.

a Rom. 3. 2. & 9. 4. Ephes. 2. 11, 14. Matth. 10. 5, 6. & 15. 24. b Luc. 2. 10. c Ib. 3. 18. d Marc. 1. 14. Heb. 1. 1. e Matt. 10. 7. f Luc. 10. 1.

LXXXI. *Deinde*, post Christi ascensionem, misso Spiritu Sancto, prædicatum est Euangelium, non solùm Israëlitico populo (licet ordine fuerint præferendi [a]) sed omnibus etiam gentibus [b]: utpote quum jam, per Christi mortem, legalium ceremoniarum religio ac septum [c], & discrimen gentium, è medio esset sublatum [d].

a Act. 1. 8. & 13. 46. Rom. 1. 16. b Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. c Eph. 2. v. 14. d Ephes. 2. 14. 16.

LXXXII. Hæc autem Euangelii *promulgatio* facta est, per *ministros Christi*: partim *extraordinarios* cum Apostolos [a], tum eorum adjutores, qui idcirco, κατ' ἐξοχὴν *Euangelista* [b] dicti: partim *ordinarios*; pastores, & doctores [c]. Quæ promulgatio Euangelii, metonymicè interdum *Euangelium* [d], nuncupatur.

a Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. b Act. 21. 8. Eph. 4. 11. 2. Tim. 4. 5. c Eph. 4. 11, 12. d Gal. 2. 7. 1. Cor. 9. 14. Phil. 4. 15.

LXXXIII. Cui etiam, Euangelio missionis Christi, sanciendo *adjuncta* sunt divinitus, *signa fœderis*, seu *Sacramenta*: sed minori numero, & luce ac facilitate majori, *Baptismus* & *Cœna Domini*, ad secundum Christi adventum, cum ministerio Euangelii, duratura [a].

a Matt. 28. 19, 20. 1. Cor. 11. 26. Gal. 1. 7, 8.

LXXXIV. Quapropter *Euangelium*, hisce de causis, meritò *æternum* [a] dicitur: non autem æterno opponendum. Ideoque impuram illam Origenis hæresin (ut de Monachis quibusdam, pseudo-euangelii æterni fabris, taceam) cum Hieronymo detestamur: qua, duplex Euangelium confinxit. Unum enim statuit temporale, de salute hominum, in hoc seculo prædicatum: alterum verò æternum, de salute dæmonum, post hanc vitam, in cœlis prædicandum [b]. Hactenus de *Euangelio Christi*.

a Apoc. 14. 6. b Hiero. t. 2. epist. ad Avitum, ex Origine περὶ ἀρχῶν.

COROLLARIA.

1. AN Gentes, *quas Deus olim sivit incedere in viis suis* Act. 14. 15, 16. *per* fidem generalis Dei misericordiæ (*beneficiis naturalibus patefacta*) *&* per pœnitentiam, *sine Euangelii Christi cognitione, potuerint servari?* *Neg.*

2. *An ex hisce (aut similibus) euangelicis dictis* Joh. 3. 16, 17, 18. *aut* 1. Tim. 1. 15. *aut* c. 2. 4, 6. *aut* 2. Pet. 2. 1. *aut* 1. Joh. 2. 2. *aut* cap. 5. 10, 11. *à Reproborum patronis rectè probetur*, Christum à Patre morti traditum in eum finem, ut pro omnibus & singulis, tam reprobis, quàm electis Redemptionis pretium persolveret? *N.*

3. *An illud Dei justitia, aut misericordia non repugnet, si* talis universalis gratia *non admittatur?* *N.*

4. *An hinc rectè colligatur, Reprobos aliàs fore excusabiles?* *N.*

5. *An Americani illi ac similes, quibus Euangelium, neque exterius verbo, neque interius à Spiritu Sancto fuit ullo modo revelatum, ob* fidei *illius* absentiam, *tanquam* causam efficientem, *sint condemnandi?* *Neg. ex dictis*, Rom. 4. 15. *&* 1. Joh. 3. 4.

6. *An igitur hi, nullo legis jure condemnabuntur?* *A. distinctè: etsi enim hoc non fiet, ob legem fidei (seu Euangelii de Christo) violatam (ut qua iis neque natura, neque revelatione ulla, patefacta) fiet tamen justè, ob legis natura declarata transgressionem*, Rom. 1. 19, 20. *&* 32. *&* cap. 2. 12, 14, 15.

DISPUTATIO XV.

DE ADAMI PRIMI ET SECUNDI COLLATIONE.

PRæclarum *est illud* γνῶθι σεαυτὸν Nosce te ipsum; *sed frustra hac notitia quæritur, nisi nos ipsos, in* utriusque Adami *speculo, contemplemur; & in* primo, *lapsum atque exitium; in* altero, *restaurationem ac salutem redundantem observemus: ut ex* illo, *ad seriam animi coram Deo demissionem; ex* hoc *verò adpiam erga eundem gratitudinem stimulemur. Quocirca non abs re fore arbitramur, si eam,* primi & secundi Adami, collationem, *publica dissertatione expendamus.*

THESIS I.

ADam, vox Hebræa, in S. literis primùm *homini*, deinde *urbi* [a], attribuitur.

a Jos. 3. 16.

II. *Priori* autem *ratione, à* materia sua, *Adamah* [a], id est, terra (ut homo, Latinis ab humo, licet quidam dissentiant [b]) nominatur. Ideoque LXX interpretes γηγενὴς [c]. & Hieronymus [d] vulgatusque Psalmorum interpres [e], *terrigena*, consentaneè transtulerunt.

a Gen. 2. 7. 1. Cor. 15. 47. b Quintil. Instit. l. 1. c. 9. c Jer. 32. 20. d De nomi. Hebraicis. e Psal. 49. 3.

III. Quo sensu hæc vox *Adam*, aut *latius*, aut *strictius*, usurpari solet.

IV. *Latius* quidem, animal rationale (marem aut feminam [a]) notat: strictius verò, *speciali* aut *singulari* modo accipitur.

a Gen. 1. 27. Levit. 18. 5. Num. 31. 35.

V. *Speciali* quidem, opposité, vel Deo, *homines impios* [a] vel איש *isch* [b], aut *geber* [c], viro (hoc est κατ' ἐξοχὴν potenti ac magnati) *plebejum* designat.

a Gen. 6. 2. b Ps. 49. 3. & 82. 7. c Job. 14. 10.

VI. *Singulari* verò *modo, hominem primum* [a], notat: qui proprio carens communi nomine, ob originis privilegium, appellatur. Ideoque sæpius [b] articulo demonstrativo, *ha* (à quo propria hominum nomina abhorrere solent) insignitur, *haadam*, ille homo: ut Græcis ὁ ποιητὴς pro Homero (ut similia non pauca) excellentiæ denotandæ gratia, usurpatur.

a Gen. 2. 18. b Gen. 2. 23, 25. &c. cap. 3. 8, 9. & 4. 1.

VII. Utque *Adam est Christi typus* [a]: sic *ille primus homo*, Adam [b]; *hic* verò, *postremus Adam* [c], & *secundus homo* [d], comparatè, meritoque appellatur. Quemadmodum *utriusque*, cum in *persona*, tum in *attributis*, collatio partim convenientiæ, partim differentiæ, perspicuè declarabit.

a Rom. 5. 14. b 1. Cor. 15. 45. & 47. c Ib. v. 45. d Ib. v. 47.

VIII. In *persona* autem observanda est *natura*, & *hypostasis*, seu ἡ ὑφισαμένη subsistentia personalis.

IX. In *natura* quidem, convenientia est *speciei*, & *partium*. *Speciei*, quia utrimque natura est humana, uterque homo [a]: *partium*, quia uterque corpore mortali, & anima immortali præditus [b], homo verus: & sine patre, citra generationem, sola Dei omnipotentia formatus [c].

a 1. Cor. 15. 45, 47. b Gen. 1 27. & 2. 7. Luc. 23. 46. c Gen. 2. 7. Luc. 1. 35. Heb. 7. 3.

X. *Diffe-*

X. *Differentia* vero naturæ utriusque, est in *numero*, & *partium causis* atque *adjunctis*.

XI. In *numero*, quia Adami primi natura est unica humana [a]; unde homo merus: in secundo altera etiam adest, divina: ideoque *Deus verus* [b], *Immanuel* [c], *Deus Verbum caro factum* [d], *Deus patefactus in carne* [e], *& Dominus è cælo* [f], (opposite Adamo primo) nominatur.

a 1. Cor. 15. 47. b 1. Ioh. 5. 20. c Matth. 1. 23. d Ioh. 1. 1, 14. e 1. Tim. 3. 16. f 1. Cor. 15. 47.

XII. In *partium* quidem *causis differentia* est, cum *efficientis*, tum *materiæ* ratione.

XIII. *Efficientis*; quod *Adami primi* corpus & anima, formata sint à secundo [a]: *secundi*, à seipso [b], ut qui verus sit Deus, *per quem*, *& in quem*, *creata sunt omnia* [c].

a Ioh. 1. 3. b Heb. 2. 16. c Col. 1. 16.

XIV. *Materia* verò *propinqua corporis differentia est*, quod Adami primi, sit è terra [a]; secundi, ex substantia virginis Mariæ [b], ex Adamo primo propagata. Ac propterea, *filius Adami* [c] & *filius hominis* [d] κατ' ἐξοχὴν, promissus inde à paradiso [e], nominatur. Hæc de *partium causis*.

a Gen. 2. 7. 1. Cor. 15. 47. b Gen. 3. 15. Luc. 1. 42. Heb. 2. 14, 16. c Luc. 3. 23. 38. d Ioh. 5. 27. e Gen. 3. 15.

XV. In *earum* verò *adjunctis* differentia est; quod corpus primi Adami poterat, servando justitiam, non mori [a]: secundi verò, servando justitiam, mori debuit [b]. Atque hæc de naturæ Adami utriusque, *convenientia* & *differentia*.

a Gen. 2. 17. Rom. 5. 12. b Ioh. 18. 11. Luc. 24. 26.

XVI. In *hypostasi*, vero, sive subsistentia personali, *convenientia* quidem est in *numero*, quia utrimque est *unica*; ideoque & unum ὑφιστάμενον, persona una, utrimque [a]. *Differentia* verò est in *modo*.

a Rom. 5. 17, 18. 1. Cor. 15. 21. 45.

XVII. *Humana* enim *Adami primi natura* suam habuit propriam hypostasin: adeo ut corpus & anima illius, unam constituerint personam, seu substantiam, singularem, vivam, intelligentem, incommunicabilem, non sustentatam ab alio, nec partem alterius.

XVIII. Contra vero, *secundi Adami humana natura*, hypostasi propria destituitur; ut quæ, per se ac seorsim extra Filii personam, nunquam & nusquam substiterit, antequam in unitatem personæ assumeretur. Adeo, ut, naturæ sint duæ, *persona* verò *unica*, *unus* Christus, non duo [a].

a 1. Cor. 8. 6. Eph. 4. 5. 1. Tim. 2. 5.

XIX. *Altera collatio* sita est, in personæ *attributis*: quæ in duos, quasi ramos, diffunduntur, nempe in *dotes* & *effecta*.

XX. In *dotibus* autem observandæ sunt, cum *species*, tum *finis* illarum *communis*.

XXI. *Species* illæ potissimùm in *imagine Dei*, & *dominio* in creaturas *idoneo*, continentur.

XXII. *Imago* autem *Dei*, est *essentia* illius spiritualis [a] & in primis *virtutis*, in creatura rationali, similitudo [b]. Qua in re, Adami primi & secundi, partim *convenientia*, partim *differentia*, est perspicua.

a Gen. 9. 6. b Eph. 4. 24. Col. 3. 10.

XXIII. *Convenientia* quidem, quia *primum* utrique anima rationalis indita est divinitus [a]: quæ essentia est spiritualis; eoque & vita immortali, & facultate gemina, cum mentis, tum voluntatis, Deo similis. In quo, *primus* & immutabilis, bipartitæ *imaginis Dei, gradus* [b] consistit.

a Vid. thes. 9. b Gen. 6. 9.

XXIV. *Deinde* præter essentiam spiritualem addita *virtus gemina*, mentis, & voluntatis, ad earum perfectionem, alterumque imaginis Dei gradum, priori sublimiorem, statuendum.

XXV. *Virtus mentis*, est agnitio Dei, & officii erga ipsum, ad salutem sufficiens [a]: quæ κατ' ἐξοχὴν *veritas* [b] appellatur.

a Col. 3. 10. b Eph. 4. 24.

XXVI. *Virtus voluntatis*, est justitia, seu habitus rectæ voluntatis, jus suum cuique tribuendi: primùm Deo; ut creatori ac patri, quæ *pietas* [a] & *sanctitas* [b], dicta: deinde proximo; aut, fratri creato ab eodem patre, eoque congeneri [c]: quæ, communi voce, *justitia* [d], per synecdochen, à sanctitate distincta, appellatur.

a Tit. 2. 12. b Luc. 1. 75. c Matt. 2. 10. d Luc. 1. 75. Eph. 4. 24.

XXVII. Quibus virtutibus (quæ vulgo *justitia originalis*) quoniam homines Deo maximè similes redduntur, idcirco iisdem, *imago Dei*, in S. literis describi solet [a]. Atque hoc etiam sensu ac consensu, *Adamus primus*, factus ad imaginem Dei [b], & *secundus*, conceptus ac natus sanctus [c], affirmatur. Atque hæc, de utriusque Adami, in imagine Dei, *convenientia*.

a Eph. 4. 24. Col. 3. 10. b Gen. 1. 26, 27. 1. Cor. 11. 7. c Luc. 1. 35.

XXVIII. *Differentia* verò in eadem comperitur duplex: *una*, ratione *partis secundæ imaginis*, seu *virtutis*: *altera* ratione *numeri imaginis*.

XXIX. *Virtus* enim *primi Adami*, fuit mobilis; ut lapsus illius arguit: *secundi*, verò immobilis; partim ob personæ θεανθρώπου naturam [a], partim ob veritatis prophetiarum de Christo [b], & officii illius mediatorii necessitatem [c].

a Ies. 9. 6, 7. b Dan. 9. 24. Ies. 53. 9, 11. c Heb. 7. 26.

XXX. *Numerus* deinde imaginis Dei differt: quod in *primo Adamo unica* fuerit *imago*, nempe creata (prout unica fuit natura) qua Deo extitit ὁμοιούσιος καὶ ὁμοιότατος, similis essentia ac sanctitate: in *secundo* verò præter hanc, etiam increata est imago Dei Patris (prout altera quoque est natura increata) qua ὁμοούσιος καὶ ὁμοιότατος ejusdem est essentiæ, & sanctitatis. Unde *imago Dei invisibilis* [a], & *character hypostasis Dei Patris* [b] (utpote *filius proprius* [c], & *unigenitus* [d]) appellatur. Ex quibus, *collatio in imagine Dei*, *prima dote* proposita, illustratur.

a Col. 1. 15. b Heb. 1. 3. c Rom. 8. 32. d Ioh. 1. 14, 18.

XXXI. *Altera* verò *dos*, est *dominium* in creaturas *idoneum*. Dominium, potestatem: *idoneum*, sapientiam & potentiam, & auctoritatem usumque dominii necessariam designat.

XXXII. *Convenientia* autem *utriusque Adami*, in eo elucet, quod ut *primo*, tanquam typo [a], datum in terram, mare & animalia omnia imperium [b], & sapientia ac potentia imperio necessaria [c]; ita & *secundo*, per primi typum adumbrato, *filio hominis*, idem est attributum [d].

a Psal. 8. 5, 7. b Gen. 1. 26. c Gen. 2. 19. d Ps. 8. 5. 7. Heb. 2. 6, 8.

XXXIII. *Differentia* verò est, in *dominii terminis* & *modis*.

XXXIV. *Termini* enim *imperii primi Adami*, angustis terræ, maris & animalium limitibus fuerunt definiti [a]: *secundi* verò *Adami dominium*, cæli, terræ omniumque creaturarum latifundia comprehendit [b]. Ideoque sapientia & potentia longè excellentiori stabilitum.

a Gen. 1. 28. Psal. 8. 7, 8. b Matt. 28. 18. Heb. 2. 8. Eph. 1. 21, 22.

XXXV. *Modus* deinde *dominii Adami primi* (pro naturæ unius humanæ modulo) unicus fuit ac dimensus: *secundi* verò (pro naturæ humanæ & divinæ sapientia ac potentia, distinctè finita & infinita) geminus, dimensus, scilicet & immensus [a]. Atque hæc de *primo*, personæ utriusque Adami, *attributo* nempe *dotibus*.

a Apoc. 1. 8. & 17. 14.

XXXVI. *Alterum*, nempe *effecta*, sunt duo, *propagatio generis*, *& communicatio conditionis*.

XXXVII. *Prius*, *uxoris formatione*, & *liberorum* ex ea *procreatione*, continetur.

XXXVIII. *In uxoris formatione*, *convenientia* est, quod ut uxor *primi Adami* ex dormiente ipsius corpore, est constructa; sic & *secundi*.

XXXIX. *Differentia* verò est, quod *Adamo primo* dormiente vitali somno [a], uxor carnalis exorta est, caro propriè, ex carne, & os, ex ossibus ejus [b]: ex *secundo* verò, dormiente mortis somno [c], uxor spiritualis Ecclesia [d], *caro* (per metaphoram, è typo illo petitam) *ex carne ejus*, *& os ex ossibus ejus* [e], emersit.

a Gen. 2. 21. 22. b Ibid. v. 23. c Ioh. 11. 11, 13. Act. 20. 28. Eph. 5. 25. d 2. Cor. 11. 2. e Eph. 5. 30, 31, 32.

XL. *In Liberorum* etiam ab utrisque *procreatione convenientia* est, quod uterque Adamus, è sua uxore matre omnium viventium, liberos, secundum imaginem suam, uberibus matris alendos generarit.

XLI. *Differentia* vero est, quod à *primo Adamo*, ex semine corruptibili, ac naturæ vi [a], ex Eva matre omnium viventium [b] vita corporali, generati sunt liberi carnales secundùm imaginem illius vitiosam [c], carnali lacte educendi,

a Gen. 1. 28. b Gen. 3. 20. c Ib. 5. 3.

XLII. A *secundo* verò, ex semine sermonis Euangelii incorruptibili [a], ac virtute Spiritus Sancti [b], ex Ecclesia matre omnium [c], vita spirituali viventium [d], Spirituales liberi [e], secundum imaginem virtutis ipsius [f], sunt regenerati [g], gemino veteris & novi Testamenti ubere, *rationali lacte sincero* [h], nutriendi.

a Iac. 1. 18. 1. Pet. 1. 23. b Ioh. 3. 5. Tit. 3. 5. c Gal. 4. 26. d Rom. 6. 11, 13. e Ioh. 1. 12, 13. f 2. Cor. 3. 18. g Eph. 4. 24. Isai. 53. 10. & 8. 18. 1. Pet. 1. 23. h 1. Pet. 2. 2.

XLIII. Unde *stirpes* omnium hominum duæ emergunt. *Una* quidem, omnium generatorum secundùm carnem, *Adamus primus: altera* verò, omnium generatorum secundùm spiritum, *Adamus secundus*. Atque hæc de *primo* personæ *effecto*, nempe *generis* utriusque *propagatione*.

XLIV. *Alterum* vero est, communicatio conditionis, cum liberis generatis; quæ utrimque *genere convenit*, sed *specie differt*.

XLV. *Primus* enim *Adamus*, & *bona* caduca, & deinde *mala* solida; *secundus* verò *beneficia* tantùm, malis illis antidota longè excellentiora, communicat [a].

a Rom. 5. 15, 16, 17.

XLVI. *Bona* enim *primi* fuêre, inchoata justitiæ originalis conservatio, & ex recto illius usu cœpta obedientia, & ex utroque consequens pax cum Deo, & juris, ad beatam æternamque in cælis vitam, acquirendi facultas: non autem jus ipsum, quod perseverantia ad finem destinatum, erat primùm acquirendum [a].

a Lev. 18. 5. Deut. 27. 26.

XLVII. *Mala* verò ab eodem promanantia, sunt *peccatum*, & *mors*, suo calamitatum variarum satellitio instructa.

XLVIII. Contra verò *secundi Adami beneficia*; sunt consummata ad finem *justitia*, & *vita aeterna*. Quæ utriusque Adami oppositio, distinctione pleniori, fiet illustrior.

XLIX. *Peccatum* enim, ab Adamo primo communicatum ipsius posteris (vi naturæ propagatis, seu generatis) *generatim* quidem est malum ab officio, ex jure Dei ipsi debito, dissentaneum; & ut Apostolus, à forma deformi, describit, ἀνομία *à Lege declinatio* [a]: *speciatim* verò distribuitur, in *primum*, & à primo *ortum*.

a 1. Ioh. 3. 4.

L. *Primum* (quod παράβασις *transgressio* [a], παράπτωμα *lapsus* [b], per metaphoram simul & κατ' ἐξοχὴν dictum) est inobedientia [c] Adami primi, qua per superbiam incredulam, inaccessam Dei similitudinem [d], Satanæ astu [e], & uxoris suasu [f], affectans [g], fructusque vetiti præstantia allectus, eum comedit [h], ac se suosque posteros generandos, constituit peccatores, concessaque virtutis Dei similitudine privavit & mortis condemnationem attulit [i]. *Quia ut per unum illum hominem, peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt* [k].

a Rom. 5. 14. b Ibid. v. 15. c Rom. 5. 19. d Gen 3. 5. cum 22. e Ibid. f Ibid. v. 6. & 12. & 17. g Gen. 3. 22. h Ib. v. 6. i Gen. 2. 17. & 3. 19. k Rom. 5. 12.

LI. Cujus peccati primi *antidotum*, est *secundi Adami obedientia universalis*; *qua, cum esset in forma Dei, non duxit rapinam Deo æqualem esse, sed tamen ipse se exinanivit, forma servi accepta, & habitu compertus ut homo, ipse se submisit, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis*.

a Phil. 2. 6, 7, 8.

LII. *Cujus* obedientiæ universalis *merito*, justi constituti, ab Adami primi peccato, aliisque nostris sumus absoluti. Hinc Apostolus ait; *Sicut enim per obedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam, justi constituenter multi* [b].

a Rom. 5. 15, 16. b Rom. 5. 19.

LIII. *Peccatum* verò à primo illo *ortum*, est innata omnibus, ex Adamo primo generatis, privationis justitiæ originalis vitiositas: qua, ad totius legis divinæ transgressionem, primùm propendent [a].

a Gen. 8. 21. Eph. 2. 3.

LIV. Ideoque quùm ea pravarum cupiditatum sit scaturigo [a], κατ' ἐξοχὴν, *peccatum* [b] dicitur, & per metaphoram, *vetus homo* [c], ut Adami primi vitiosi imago, & quasi spiritualis, à leproso patre, lepra (ipsius & posterorum in ipso lapsorum [d], merito) propagata.

a Rom. 6. 12, 13. b Ibid. & cap. 7. 8. c Rom. 6. 6. Col. 3. 9. d Rom. 5. 12.

LV. Quæ cum nobis sit innata ab origine [a], *originale peccatum*, dici consuevit: & quia similis est morti (ob privationem justitiæ, quæ animæ, quasi anima & vita) *mortui* [b], in sacris literis, nervosa quadam metaphora, homines appellantur.

a Gen. 8. 21. Psal. 51. 7. Eph. 2. 3. b Matth. 8. 22. Ioh. 5. 25.

LVI. Cujus *mali medela*, à *secundi Adami beneficio* confertur. Nam mortis illius merito, *vetus noster homo cum ipso crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne post hac nos serviamus peccato* [a], & resurrectionis ejusdem efficacia, *novus homo* [b] (secundi Adami justi imago) resurgit [c], nunquam moriturus [d]: ut in novitate vitæ ambulemus [e]. Atque hæc de *primo malo*, nempe peccato primi Adami, & remedio illius, à secundi beneficio.

a Rom. 6. 6. b Eph. 4. 24. Col. 3. 10. c Rom. 6. 4, 5. d Ib. v. 6. 7. & 14. e Ibid. v. 4. & 10. & 18.

LVII. *Alterum malum* quod præter peccatum, à primo Adamo posteris ipsius communicatum, est *stipendium peccati, mors* prima & secunda [a].

a Rom. 6 23. Gen. 1. 17. Rom. 5. 12, 17. Apoc. 21. 8.

LVIII. Contrarium verò beneficium ac remedium à *secundo Adamo* datum, est per meritum obedientiæ & *efficaciam* resurrectionis & Spiritus ipsius, vitæ æternæ, cum animæ, tum corporis [a], hæreditas & possessio. Siquidem *justificati illius gratia ut hæredes fieremus secundùm spem vitæ æternæ* [b]. *Et consecratus, factus est auctor salutis æternæ omnibus, qui ipsi obediunt* [c]. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur* [d]. *Et sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cœlestis* [e]. *Etenim si per unam offensam, mors regnavit per unum, multò magis, qui redundantem illam gratiam, & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt, per unum Iesum Christum* [f]. Amen, Amen!

a Ioh. 6. 40. b Tit. 3. 7. c Heb. 5. 9. d 1. Cor. 15. 22. e 1. Cor. 15. 49. Phil. 3. 21. f Rom. 5. 17.

COROLLARIA.

1. *An* secundus Adam, *sit prædestinatus servator prius ordine, quàm homines, per ipsum servandi? N.*

2. *An pro* omnium *per* Adamum primum *perditorum etiam* reproborum *salute*, secundus Adam *sit mortuus? an verò tantum pro* omnibus *ad salutem* electis? *Prius Neg. posterius Affirm.*

3. *An* primus Adamus, *peccaverit* contingenter? *an vero necessario? Prius A. posterius N. quia omnes causæ fuerunt contingentes ac voluntariæ.*

4. *An eo modo, prædestinatio Dei, reddatur incerta? N.*

Θεῷ δόξα.

DISPUTATIO XVI.

DE COLLATIONE DAVIDIS CUM CHRISTO.

THES. I.



Quamvis Euangelium, de salute, per Jesum Christum, communis sit, Prophetis & Apostolis, doctrina: ob dissimilem tamen administrationem illius, distinguendum.

II. Aliud enim, est *Prophetia* ac *promissionis* Christi venturi [a]: aliud, *historiæ* ac *missionis* illius, Euangelium [b]. Ac prius, multis modis, ac minori evidentiâ, propositum; alterum verò, per Filium [c] & Apostolos ipsius, clarius patefactum [d]. Unde illud, *umbra*, quæ obscurior: hoc verò, *imagini*, quæ clarior [e], comparatur.

a Rom. 1. 1, 2. b Mat. 1. 1, 14, 15. c Heb. 1. 1. d Ioh. 1. 17. & Eph. 3. 5. e Heb. 10. 1.

III. Deus

III. Deus enim, ante Christum exhibitum, doctrinam illam, pro infantiæ Ecclesiæ ratione [a], partim *sermone*, proposuit [b]: partim certis, rerum & personarum, *typis*, eodem destinatis, mediatè adumbravit [c].

a Gal. 4. 1, 2. b Gen. 3. 15. & 22. 14. & 49. 10. &c. c Col. 2. 17. Heb. 9. 24. & 10. 1.

IV. Quorum typorum, ac quasi visibilium prophetiarum, illustre ac memorabile, *in Davide*, exemplum, sacris literis, describitur. Quod, cum suo archetypo, *Christo*, Deo duce, ad fidei Christianæ illustrationem, & ad publicæ dissertationis exercitium, paucis, in *nomine*, *officio*, *statu*, *& effectis*, conferemus.

V. *Nomen* enim *Davidis*, non temerè, sed tanquam auspicatum, rei præsagium, Dei providentiâ, filio Isai accommodatè fuisse impositum, ex significatione & eventu, colligi potest.

VI. *David* enim Hebraicum (idem, quod *Dod*) dilectum significat: ac reverâ, Deo dilectus, fuit: ut de eo ait *Propheta* [a]; Quæsivit Jehova sibi virum, secundum cor suum: & *Paulus* repetens; de quo (inquit) testimonio dato, dixit; Inveni *David*, filium Jesse, virum, secundum cor meum [b].

a 1. Sam. 13. 14. b Act. 13. 22.

VII. Sic & Jesus, spiritualis est David, seu dilectus, testante id cœlitus Patre; Hic est Filius meus dilectus, in quo acquiesco [a]. Unde à Paulo Apostolo, *dilectus ille* [b] κατ' ἐξοχὴν, nominatur.

a Matt. 3. 17. & 17. 5. 2. Pet. 1. 17. b Eph. 1. 6.

VIII. Utrinque etiam, *dilecti* à Deo, *argumentum* est, Filii Dei, & quidem primogeniti, nomen, diversâ tamen typo & archetypo, convenienti notione, attributum. *Davidi* enim, per regenerationis & adoptionis gratiam, quâ inter reges terræ excelluit [a]: *Christo* verò, per regenerationis æternæ naturam [b], quâ ita Filius Dei primogenitus [c], ut etiam unigenitus [d], jure nuncupetur.

a Ps. 89. 27, 28. b Ps. 2. 7. Ioh. 1. 1. c Heb. 1. 1, 6. d Ioh. 1. 14.

IX. Deinde, si *officium* spectemus, *David*, fuit unctus à Deo, oleo sancto, per Samuelem prophetam, in Israëlis, populi à Deo electi, regem [a] (unde *rex Dei* & *Messias*, nominatur [b]) & spiritu regio ac prophetico, ad regnum ritè administrandum, donatus [c].

a 1. Sam. 16. 13. Psal. 89. 21. b Psal. 18. 51. c 1. Sam. 16. 13.

X. Ita & *Iesus*, spiritualis noster *David*, singulari ratione Christus [a], hoc est unctus, à Deo Patre, supra consortes, oleo lætitiæ, Spiritus Sancti [b]: quem sine mensurâ [c], ac copiosissimè accepit: qui & columbæ instar, super ipsum descendit ac mansit [d]. Unctus autem in regem Spiritualem [e] super Israëlem Dei, hoc est, Ecclesiam universam [f], monte Sionis, *Davidis* regiâ adumbratam [g].

a Luc. 2. 11. b Psal. 2. 7. Act. 4. 27. Psal. 45. 8. Heb. 1. 9. c Ioh. 3. 34. d Ioh. 1. 33. e Ioh. 18. 36. Esa. 9. 7. f Gal. 6. 16. g Psal. 2. 6.

XI. Præterea, si *statum* horum regum consideremus, *accessus* regni est pauper & humilis; sed *successus* tandem gloriosus.

XII. *David* enim creatus rex, à caulâ ad aulam [a], divinitus destinatus & electus, ad tempus sine regni possessione, ignotus & abjectus latuit: ac cognitâ deinde illius, in regem Israëlis, electione, odio Saulis regis, & persecutioni gravi, fuit obnoxius; adeo ut fugatus, extra Israëlis fines, adactus fuerit in exilium inter gentes profanas [b]. Ita & *Christus*, natus rex Judæorum [c], in vili stabulo, pauper & spretus, atque ignotus initio: postquam regi Herodi innotuit, odio illius capitali & persecutioni ita fuit obnoxius, ut fugâ, extra Israëlis fines, ad gentes in Ægyptum [d], evaserit.

a 1. Sam. 16. 11, 12. & 2. Sam. 7. 8. b 1. Sam. 21. 10. & 22. 3. & 27. 2. c Matth. 2. 2. d Matth. 2. 20, 21.

XIII. Deinde, sicut *David*, regni administrationem nactus, à Philistæis aliisque conterminis hostibus, adversus ipsum conspirantibus [a], fuit oppugnatus [b]: à filio Absolone regno pulsus [c], à Semei, maledictis proscissus [d]: ab Achitophele, familiari consiliario, proditus [e]: & à populo suo desertus & ad necem impetitus [f]: ac quodam modo fellis escâ & aceti potu exceptus: * ita & *Christus*, rex Israëlis [g], à suis est rejectus [h], convitiis horrendis traductus [i], à Judâ, discipulo familiari, proditus [k], à scribis ac sacerdotibus, vineâ suâ ac regno ejectus [l], à populo persequente ad crucem postulatus [m], & rege Herode ac Pilato convenientibus, tandem morti traditus, ac felle acetoque tentatus, ut sub *Davidis* typo [n], prædictum [o].

a Psal. 2. 1. b 2. Sam. 5. 17. & 8. 1, 2, 3, 5. & 10. 6. c 2. Sam. 15. 12, 14. d 2. Sam. 16. 5, 6, 7. e Ib. v. 21. & 17. 1. f 2. Sam. 18. 6. * Psal. 69. 21. g Ioh. 1. 50. h Ioh. 1. 11. & 9. 21. i Matth. 10. 25. & 12. 24. Ioh. 9. 24. k Psal. 41. 10. & 55. 14. & Ioh. 13. 18. l Psal. 118. 22. Matth. 21. 42. & 43. m Ioh. 19. 15. Act. 2. 23, 36. & 3. 13, 14. n Psal. 2. 1. & 69. 22. o Act. 4. 25, 27. Matt. 27. 34. Ioh. 19. 28. 29.

XIV. Similis convenientia est in *statu glorioso*. Nam primùm, sicut *David*, post multas afflictiones, regnum iniit, multisque difficultatibus superatis, magno honore ac quiete retinuit [a]: sic etiam *Christus*, per varias passiones ac mortem, penetravit in gloriam [b].

a 2. Sam. 7. 1. & 22. 51. & 1. Reg. 1. 37. b Luc. 24. 26. Heb. 2. 9, 15. Phil. 2. 8. &c.

XV. Deinde ut *David*, caput gentium vicinarum, est constitutus, adeo ut populi, quos antea, pro suis subditis non cognoverat, ipsi servirent [a]: sic & *Christus*, omnium, prius à se & Ecclesiâ alienarum [b], gentium dominium, divinitus obtinuit [c].

a Psal. 18. 44. b Eph. 2. 12. c Psal. 2. 8. Matth. 28. 18, 19.

XVI. Postremò in *effectis* typi & archetypi illustribus, similitudo concinna existit. Nam primùm *generatim* considerando, sicut *David*, obedientiam Deo gratam præstitit, totamque illius voluntatem (sed cum exceptione, bonæque partis relatione) sincero corde perfecit [a]: sic & *Christus*, Deo fuit obediens absolutè, usque ad mortem, mortem autem crucis [b]: ac quæ placita erant ei, fecit semper [c].

a 1. Reg. 9. 4. Act. 13. 22. 1. Reg. 15. 3. 5. b Phil. 2. 8. c Ioh. 8. 29.

XVII. Deinde *speciatim*, obedientia utriusque, partim *innocentia*, partim *beneficentia*, demonstratur. *Innocentia*, in eo elucet, quod ut *David*, relatè ac comparatè cum adversariis, iniquitatem à manibus suis abesse [a], seque injuriâ pressum, quod non rapuerat, rependere coactum profitetur [b]: ita & Christus sed absolutè & simpliciter, secundùm legis rigorem, innocens [c] & à Judæis injustè afflictus, quod non rapuerat, exsolvit [d].

a Psal. 7. 4. b Psal. 69. 5. c Heb. 4. 15. 1. Pet. 1. 19. & 2. 22, 23. d Psal. 69. 5. Isa. 53. 5. Act. 3. 14.

XVIII. *Beneficentia* verò utriusque *in fidei* ac *spei* & *Charitatis* exercitiis eximiis consistit. *Fides* enim ac *spes Davidis*, in eo sese exeruit, quod, in gravissimis calamitatibus, in paternâ Dei, erga se benevolentiâ, ac providentiâ (sed cum infirmitate aliquâ humanâ [a]) acquievit [b], & ab ipsius omnipotenti robore, verâ precum fiduciâ, & ingenuâ querelâ, auxilium imploravit [c]: sic & *Christus*, fide suâ ac spe, in Deo Patre suo benignissimo & omnipotente, firmissimè inde à matris uberibus recubuit [d], &, *Davidis* adumbrantis instar, precibus ad ipsum, cum certâ exauditionis perpetuæ fiduciâ [e], in cruce exclamavit; Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me? [f]

a Psal. 73. 2. b Psal. 3. 47. & 18. 3. 5. c Psal. 22. 2. & 17. 6, 13. d Psal. 22. 17. e Ioh. 11. 42. f Psal. 22. 2. Matth. 27. 46.

XIX. *Charitas* verò utriusque, ex cultus Dei *Zelo*, & *proximi* amore insigni, emicuit. *Zelus* enim *Davidis*, partim in serio erga Dei verbum (ipsi, auro gratius, ac melle dulcius [a]) amore, ac pietatis, in cœtu Ecclesiæ exercendæ, studio [b]: partim in flagranti, contaminationis illius, aversione [c] consistit: Sic summus Christi *Zelus* (*Davidis* umbrâ, quodammodo depictus) eò sese patefecit, quod escam suam judicarit, perficere Patris sui voluntatem [d], vitamque suam, illi postposuerit [e]: & *Zelo* domini totus occupatus [f], templi ac cultus divini profanatores disturbarit [g].

a Psal. 119. 72. 103. b Psal. 84. 11 & 122. 1. c Psal. 69. 10. & 101. 7. 8. d Joh. 4. 34. e Matth. 26. 42. f Psal. 69. 10. Joh. 2. 17. g Joh. 2. 15.

XX. *Proximi* verò *amor*, cum erga *parentes*, tum ergà *subditos* reliquosque, utrimque consentit. Nam, si *parentes* spectes, *ut David*, patri suo ac matri, paruit [a]; eosque, in adversis: apud regem Moab, deposuit ac commendavit [b]: sic *Christus* matri, ac quasi patri Josepho, obtemperavit [c], matremque, moriturus, Johannis Apostoli dilecti curæ, commisit [d].

a 1 Sam. 10. 26. & 17. 20. b 1. Sam. 22. 3. c Luc. 2. 51. d Ioh. 19. 26. 27.

XXI. *Amor* deinde, erga *subditos*, in iis, & pacis tempore, rectè regendis, & in bello fortiter, adversus perduelles, defendendis, elucet. Nam *David*, in *regimine subditorum*, duas istas virtutes exeruit, *justitiam* & *clementiam* insignem. *Illam*, dum rectis legibus instruxit, & suum cuique, justo judicio, tribuens sontes puniit, & insontes absolvit ac fovit [a]:

hanc

hanc verò, quum juris rigorem, æquitate temperat & prudenti indulgentiâ, injurias sibi factas, condonat; & inimicis quoque bona, pro malis, rependit[b], proque iis preces effudit[c].

a Psal. 101. 6, 7, 8. b 1. Sam. 24. 18. & 19. & 20. & 26. 21. 2. Sam. 16. 11. & 15. 21, 23. c Psal. 35. 13. & 109. 4.

XXII. Sic *Christus* utroque excelluit. Nam, & *David* ait, virga recta, virga regni tui: dilexisti justitiam & odisti iniquitatem[a]: & tam clementi supereminuit benignitate, ut non solùm, pro multis inimicis suis, precibus, apud Deum, intercesserit[b], sed etiam, pro salute eorum, redemptionis pretium, suo sanguine, morteque, crucis maledictæ, persolverit[c]. In quo summus amor proximi eluxit[d].

a Ps. 45. 7, 8. Heb. 1. 8, 9. b Isa. 53. 12. Luc. 23. 34. c Isa. 53. 6, 7. Matth. 20. 28. Gal. 4. 13. d Ioh. 14. 13. Rom. 5. 6, 7, 8.

XXIII. Denique *in defensione* subditorum, *fortitudinem* suam, *David* in devincendis Philistæis, eorumque duce Goliatho prosternendo, suoque, ipsius, gladio trucidando, armisque spoliando, & Israëlitas, ab hostili metu, liberando, patefecit[a]: Christumque (tanquam typus idoneus) adumbravit. Sic enim Christus, non solùm hostes Ecclesiæ, veterem nostrum hominem, secum crucifixit[b], mundumque devicit[c]: sed etiam mundi principem, fortem illum armatum[d], in tentationis luctâ, scripturæ armis, repressit[e], corporibus multorum, ejecit[f]: per mortem denique suam, eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, abolevit. Ut liberos redderet, quotquot metu mortis, per omnem vitam, obnoxii essent servituti[g]: atque expoliatum in cruce suâ (quasi curru quodam triumphali) traduxit[h].

a 1. Sam. 17. 50, 51. b Rom. 6. 6. c Iohan. 16. 33. d Luc 11. 21. 22. e Matth. 4. 11. f Matth. 8. 24. g Heb. 2. 14, 15. Gen. 3. 15. Ioh. 12. 31. h Col. 2. 15.

XXIV. Quare satis ex hisce constare potest, magnam esse, in *nomine*, *officio*, *statu*, *effectis Christi*, similitudinem: adeo ut rectè, tanquam typus propheticus, Christum suum archetypum, in hisce ac similibus, adumbrarit. Quâ etiam de causâ Christus, à Prophetis, sub *Davidis* nomine (per metonymiam adjuncti signi, pro re significatâ) designatur[a]. Hactenus Collatio: cui, ad uberiorem disputandi materiam, sequentia adjungimus.

a Ezech. 34. 23, 24. & 37. 25. Ose 3. 5.

COROLLARIA.

1. *An rectè à Pontificiis, in prophetiis typicis, duo dicantur sensus, proprius & allegoricus? N.*

2. *An unus tantum sit? A. sed bimembris: ut primum membrum, ad historiam: secundum mediatè, per eandem, ad prophetiam pertineat.*

3. *An illud Psal. 2. 7. Filius meus es tu, ego hodiè genui te, ad* Davidem *quoque, ut Christi typum, sit referendum, an verò ad Christum solum? posterius A.*

4. *An his verbis, proximè æterna Christi generatio, designetur? An verò, per solidam consequentiam? prius N. alterum A.*

5. *An hoc loco, vox* hodie, *de resurrectionis die: & vox* genui, *metonymicè, pro genitum ac filium declaravi, accipiatur? A. ex Act. 13. 32. & 33. collato cum Rom. 1. 4.*

6. *An Psalmi 69, (in quo* David *Christi figura) versus 6. O Deus, tu novisti stultitiam meam, & delicta mea non sunt tibi abscondita:* de Davide *simul & Christo, accipi queant? A. Cum iis, qui ironiam statuunt; alioqui, de solo* Davide: *nec insolens esset sermo, typo interjectus, ut 2. Sam. 7. 13. simile extat exemplum.*

7. *An Salomon, fuerit etiam typus Christi? A. ex 2. Sam. 7. 14. cum 1. Chron. 28. 6. & Heb. 1. 5. Psal. 45. & 72. &c.*

8. *An fide & gratiâ Dei exciderit? N. ex 2. Sam. 7. 15. & 16. & aliis locis.*

9. *An verba illa, 2. Sam. 7. 14. Ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, ad Salomonem, & Christum simul, pertineant? A. ex 1. Chron. 28. 6. Sed distinctè. De Salomone, ut filio, per regenerationis & adoptionis gratiam: de Christo, ut filio genuino ac naturâ. Atque eo sensu, Angelis hoc tributum, negatur, Heb. 1. 5.*

10. *Quum 2. Sam. 7. 14. sequentia verba; Qui, si quid iniquè gesserit, ad Salomonem pertineant, an in eo, ut typus Christi, describatur? N.*

11. *An promissio regni æterni, 2. Sam. 7. 16. ad solum Christum pertineat, an verò etiam, ad Salomonem? A. sed distinctè: ad Christum archetypum absolutè: ad Salomonem cum conditione perseverantiæ in obedientiâ erga Deum 1. Chron. 28. 7.*

12. *An Christus origine sit maternâ ex* Davide? *A.*

13. *An per Salomonem: an verò per Nathanem? Prius N. alterum A.*

14. *An non, eâ ratione, irrita reddatur promissio de Christo 2. Sam. 7? N.*

15. *An ab utroque, Lucâ & Matthæo, Christi genealogia recenseatur? A. sed, ab illo, plenè ac directè: ab hoc, partim ad* Davidem: *partim per consequentiam generis Iosephi, & hypothesin notam de ortu Iosephi & Mariæ, ex eodem* Davide, *communi.*

16. *An Salomonis proles, in Ochoziâ, desierit? N.*

17. *An Iechonias manserit improles? N.*

18. *An Salathiel & Zorobabel Luc. 3. & Matth. 1. eædem fuerint personæ? N.*

19. *An certum sit Luc. 3. Iosephum vocari filium Heli? N.*

20. *An Christus, carnis suæ originem habeat,* ex Davidis *semine: an verò, ex mutatione verbi, in carnem? Prius affirmamus, ex Rom. 1. 3. posterius contra Anabaptistas negamus.*

21. *An Cainan in genealogiâ Christi apud Luc 3. 36. à nonnullis interpretibus, ex ipso contextu rectè sit expunctus? Negat.*

DISPUTATIO XVII.

DE SIMILITUDINE SACERDOTII CHRISTI ET MELCHISEDECI.

QVum, præ cæteris Vet. Testamenti *typis, quibus,* Christi sacerdotium, *fuit adumbratum,* Melchisedeci ordo, [a] *cum rei præstantia, tum controversiarum celebritate ac pondere, antecellat; non abs re facturi videmur, si Sacra Scripturæ ductu, veram ac propriam Sacerdotii Christi, & Melchisedeci, similitudinem, alibi à nobis expositam, recolamus, & publico examini, in auditorum gratiam, proponamus: ut rei veritas, in vera Ecclesia, ad Christi gloriam, illustretur.*

a Psalm. 110.

THESIS I.

Similitudo autem, *Sacerdotii Christi & Melchisedeci*[a], propria, partim, in *persona* sacerdotis: partim, in *reliqua* sacerdotii *dignitate*, consistit.

a Heb. 7. 15.

II. In *persona*, admirandæ *originis*, & *durationis*, convenientia, elucet. *Originis*; quod uterque, *sine Patre, sine Matre*: eoque *sine genealogia*[a] est: *durationis*; quod, *nec initium dierum, nec finem vitæ, habeat*[b]: re utrimque simili; quamvis modo diverso.

a Heb. 7. 3. b Ibidem.

III. *Talis* enim est *Melchisedecus*, non naturæ suæ genio (quasi Deus esset, Filius[a], aut Spiritus Sanctus[b], sub humana forma: ut quidam olim perperam tradidere: quod etiam nomine, regno, sede, sacerdotio, professione, donisque datis & acceptis, Christique similitudine, confutatur) sed Scripturæ silentis, eaque ratione prophetantis, mysterio: ut hoc saltem modo (quod aliter, in hisce homo mortalis, nequibat) Christum adumbraret. Quo sensu *testatum esse*, dicitur, *quòd vivat*[c] non testimonio expresso; sed silentii *typo*.

a Epiphan. contra Melchisedecianos hær. 55. b Ibidem contra Hierarchitas hær. 67. Hieron. to. 3. Ep. ad Euagrium. c Heb. 7. 8.

IV. *Chri-*

IV. *Christus* verò *reipsa* talis existit. Nam, ut æterna, à Deo Patre, generatione [a], est ἀμήτωρ sine matre, & initii temporis, finisque vitæ, expers, *principium & finis, primus & ultimus* [b]; sic temporali conceptione, per Spiritum Sanctum, è matre virgine [c], propriè est ἀπάτωρ sine patre. Quocirca etiam Melchisedec, *assimilatus Filio Dei* [d], asseritur. Hæc de prima *similitudine*, ratione *personæ*.

a Prov. 8. 24, 25. Joh. 1. 1, 18. b Apoc. 22. 13. c Esa. 7. 14. Matth. 1. 23. d Heb. 7. 3.

V. *Altera*, quæ, in reliqua sacerdotii dignitate, existit, & suis *adjunctis*, & cum Leviticis *comparatione*, describitur.

VI. *Adjuncta* enim sunt; regnum, & in æternum duratio. *Regnum*; quia uterque, rex & sacerdos [a]: sed Melchisedeci, est terrenum: Christi verò *regnum, non est de hoc mundo* [b]; sed cæleste [c].

a Heb. 7. 1, 2. Ps. 110. 1, 2, 4. b Joh. 18. 36. c Heb. 8. 1. Ps. 110. 1. 1. Cor. 15. 25.

VII. In regno autem, & *regia* & *virtutibus regiis*, conveniunt. *Regia* illius, fuit *Salem*; sed terrena ac typica [a]: hujus verò etiam, Salem, seu *Ierusalem* [b] cœlestis; vera fidelium Ecclesia [c].

a Hebr. 7. 1, 2. b Psalm. 76. 3. Zach. 9. 9. Johan. 12. 13, 15. c Gal. 4. 26. Heb. 12. 22.

VIII. Virtutes regiæ, imprimis duæ, *justitia & pax*. Quæ, ut in Melchisedeco viguerunt; ita non casu, sed providentia Dei dirigente, totidem regis, & regiæ, nominibus, typicè sunt expressæ.

IX. *Expressa* quidem; quia *Melchisedec, regem justitiæ, & Salem, pacem* [a], denotat: *typicè* verò; quia non solum in iis, indicatæ sunt Melchisedeci dotes, sed eo etiam, quasi gradu ac typo, Christi ornamenta, sunt depicta. Siquidem verus hic est Melchisedec [b], verusque Salomo [c]: cui nomina, & quidem propriè, divinitus attributa, sunt hæc; *Iehova tsidkenu* [d], *i. justitia nostra* (quod LXX. interpretes in unam vocem contrahentes, communi nomine [e], *Iosedek*, perversè reddunt) & *Deus, princeps pacis* [f]. Hactenus de *regno, primo sacerdotii adjuncto*.

a Heb. 7. 2. b Psal. 45. 7, 8. Heb. 1. 8, 9. c 1. Chron. 28. 6. cum Heb. 1. 5, 8. d Jer. 23. 6. e Ezd. 3. 2. f Esa. 9. 6. Eph. 2. 14.

X. *Alterum* verò, est regni & sacerdotii duratio, in æternum [a]. In Melchisedeco, non reipsa; sed sola descriptionis Propheticæ forma ac typo (qui, in eo situs est, non solùm quod finem illius reticuit; sed quòd, ea de causa reticuit, ut regni ac sacerdotii Christi durationem, finis expertem, eo modo adumbraret) in Christo verò reipsa, æterna hæc regni & sacerdotii duratio, comperitur.

a Psal. 45. 7. & 110. 4. Heb. 7. 3.

XI. Nam, ut *regnum* ejus est *sine fine* [a]: & *regiæ virtutes, justitia* & *pax*, sempiternæ [b]; ita successoris expers, *ex vi indissolubilis vitæ, sacerdos est in æternum, secundùm ordinem Melchisedec* [c]: ut prototypus, suo typo [d], respondens. Eoque evertitur Theodoti, Melchisedecianorum auctoris, hæresis: qua Melchisedecum Christo, & majorem finxit (quasi ille, Angelus, Angelorum esset advocatus: Christus, hominum) & meliorem; quòd hic, secundùm illius ordinem, sacerdos institutus [e]. Hæc, de *similitudine dignitatis prima*: quæ, in *adjunctis consentaneis*, consistit.

a Psal. 45. 7. Luc. 1. 33. b Esa. 9. 7. Heb. 1. 8, 9. c Heb. 7. 16, 17, 24. d Heb. 7. 3, 21. e Tertull. de Præscript. cap ult.

XII. *Altera*, est in comparatione utriusque, cum Levitico sacerdotio: cui, multis modis, sacerdotium Melchisedeci, & inprimis Christi, antecellit ac præfertur.

XIII. Primo, *persona*: quòd uterque, sine patre, sine matre, sine genealogia, immortalis [a]: contra Levitici sacerdotes, homines fuere, ex genere Levi, mortales [b].

a Heb. 7. 3. 8. 24. b Ib. 7 11, 23.

XIV. Deinde, *regno*: quòd sacerdotium utriusque regale [a]: contra Leviticum sacerdotium, secundùm ordinem Aaronis, ut à Juda, tribu regia; sic à regno, secretum [b].

a Psal. 110. v. 1, 2, 4. Heb. 7. 1, 3. b Heb. 7. 14.

XV. Tertiò *duratione*, sacerdotis & sacerdotii, perpetua. Uterque enim sacerdos, in æternum [a]: Melchisedec, typo; Christus verò, rei veritate. Ideoque, jurejurando Patris irrevocabili [b], stabilitus [c]: *quia in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium* [d].

a Psal. 110. 4. Heb. 7. 3. 8. 24. b Gen. 22. 16, 18. Heb. 6. 14, 17. c Heb. 7. 20, 21, 28. d Heb. 7. 24.

XVI. Contra, *Leviticum sacerdotium*, durationem habuit temporariam: partim, *ratione sacerdotis*: quia ad Christum usque, successione quadam, *plures facti sunt sacerdotes*; *quod mors prohiberet eos permanere* [a]: partim *ratione sacerdotii*, quòd, *sine jurejurando* [b], & ut, sacerdotii Christi venturi, umbra prophetica, fuit institutum [c], sic illius veritate exhibita, omnino sit abrogatum [d].

a Hebr. 7. 23 b vers. 21. c Heb. 8. 5. & 9. 11, 23, 24. d Heb. 8. 5. & 7 11, 12. & 10. 1. Col. 2. 17.

XVII. Denique, *officiis, & effectis sacerdotii*, uterque Leviticis sacerdotibus, potior: id quod, præmissa, descriptionis sacerdotis, hypothesi, erit illustrius. Quippe sacerdos, est homo, à Deo vocatus, ut sit fœderis, inter Deum & homines, legatus, in iis, quæ sacra oratione, & operatione, utriusque nomine, peragenda [a].

a Heb. 5. 1, 4.

XVIII. Nam primò, Dei quidem, fœdus pangentis, *nomine, oratio*, in verbi fœderis (de gratiæ divinæ beneficio, & humanæ gratitudinis officio) institutione ac doctrina: *operatio* verò, in Sacramentorum (tanquam signorum ac sigillorum fœderis) distributione, consistit. Deinde *hominis* confœderati *nomine oratio*, posita est, in precatione ac benedictione sacra: *operatio* verò, in donis ac sacrificiis: utrimque, pro populo, offerendis.

XIX. Quorum *prius*, in descriptione similitudinis, Christi & Melchisedeci propriæ, in Scriptura, non spectatur; sed *posterius*. Uterque enim, in hoc, convenit; quod in iis, quæ populi, Deo fœderati, nomine, apud Deum peragenda, Leviticis sacerdotibus, præstat, donariorum, & intercessionis, ordine ac gradu superiore: quamvis, si rerum naturam attendas, diversa sit, Melchisedeci & Christi, ratio.

XX. Nam Melchisedecus, donorum & sacrificiorum, nec efficacia, nec genere (quod, cum Patriarchis, commune habuisse, temporis circumstantia, & communis, sacerdotis Dei, appellatio, innuit) nec benedictionis natura (quia salutem vovit, non contulit) Leviticis sacerdotibus fuit major [a]; sed gradu. Ut ex effecto liquet, quòd, tanquam major Levitis, pro munere sacerdotis regalis, Abrahamo Patriarchæ, & sacerdoti, benedixerit, & à Levitis, in ipso, tanquam, in stirpe, comprehensis, sacrum decimarum donarium acceperit [b].

a Num. 6. 23. &c. b Heb 7. 6, 9.

XXI. *Christus* verò *excellentior Levitis*, non solùm in iis, *quæ Dei nomine*, peragenda apud populum, quatenus summus Propheta, Verbi & Sacramentorum, simul administer & auctor [a]; sed etiam in iis, *quæ populi nomine*, apud Deum, perficienda, cum *sacrificii*, tum *precationis*, genere ac natura.

a 1. Pet. 1. 11. Heb. 1. 1, 2. Matth. 28. 19. Luc. 22. 19.

XXII. *Sacrificii* quidem; quòd idem, non typicè, sed verè ac simul, sacerdos justus, & victima innocens [a], unica sui, pro peccatis nostris, per Spiritum æternum, oblatione [b], ea perfectè expiarit [c], & chirographum debitorum, decretis ceremonialium legalium, descriptum, nobisque adversum, cruci affixerit ac deleverit [d]. Ideoque, *æternam redemptionem nactus*, ob peractæ victimæ, pretii ac valoris æterni, perfectionem [e], offerri desiit in sacrificium [f].

a Heb. 7. 26, 27. b Ib. 7. 27, & 9. 14. Act. 20, 28. c Heb. 9. 25, 26. d Col. 2. 14. e Heb. 9. 12. 26. & 10. 12, 14. f Heb. 8. 7, 8. & 9. 25, 26. & 10. 2, 10, 12, 14.

XXIII. Contrà *Levitæ*, typici tantùm sacerdotes, ad tempus correctionis, per Christum futuræ, instituti [a], brutas victimas, ac pro suis etiam peccatis, obtulerunt quotidie [b]. Quæ cum essent alienæ, & indignioris, quàm humana, naturæ, omnisque rationis, & sanctitatis expertes, non potuerunt auferre peccata [c], nec cultorem sanctificare [d]. Quippe in iis, partim, qua chirographum erat debitorum, mortis, ob peccata tuendæ, reatum, profitebantur [e]: partim, qua typi erant, sacrificii Christi venturi, redemptionem, non conferebant; sed, per ipsum futuram, adumbrabant [f].

a Hebr. 9. 10, 11. b Ib. 7. 27, 28. c Heb. 9. 9. & 10. 4, 11. d Heb. 10. 1, 2. e Col. 2. 14. Heb. 10. 3, 11. f Ib. 8. 5. & 9. 9, 23, 24. & 10. 1. Col. 2. 17.

XXIV. Deinde, *intercessionis* & *benedictionis* sacerdotalis modo, excellit: quam, ut in terris inchoavit, pro solis electis [a]; sic peragit, pro iisdem, in cœlis [b]. Quippe in sacrarium cœleste, per proprium sanguinem, semel ingressus [c], ut compareat coram Deo, pro nobis [d], *servare prorsus potest eos, qui, per ipsum, accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro iis* [e], sacrificii ac sanguinis sui (non vindictam, sed condonationem, pro nobis, flagitantis [f]) dignitate: qua, ut nos, sic

Eeee bonas,

bonas, sed imperfectas, actiones nostras, ut sacrificia spiritualia [g], sanctificat, ac Deo accepta reddit [h].

a Joh. 17. 9. 20. 21. Esa. 53. 12. Luc. 23. 34. cum Act. 3. v. 17. b Rom. 8. 34. 1. Joh. 2. 1. Heb. 6. 20. c Ib. 7. 26. & 9. 11, 12. d Heb. 9. 24. & 10. 20. 21. e Ib. 7. 25. f Ib. 12. 24. g Ib. 13. 15, 16. h Ib. 13. 15. 21. 1. Pet. 2. 5.

XXV. Ideoque minimè, otiosus sacerdos (ut falsò exprobrant) hoc modo statuitur, etiamsi non amplius sacrificet (quemadmodum nec typus ejus Pontifex Leviticus, cum, sanguine hostiæ, in sacrarium illato; ministraret [a]) sed perpetuum, per se ipsum, continuat & exercet sacerdotium [b].

a Heb. 9. 7. b Ib. 7. 24. 25. & 8. 1, 2. & 9. 12. 13, 14.

XXVI. Quippe, ut sanguinem prius in terris mactatus & occisus, ad redemptionis pretium persolvendum, semel obtulit Deo [a]: sic postquam à mortuis resurrexit, illatum jam sacrario cælesti (*cujus est minister* [b], & *sacerdos magnus, præfectus Domui Dei* [c]) intercedens, perpetuo offert ac sistit Deo, tanquam pretium solutum, ad partam redemptionem, nobis, ad finem usque mundi, communicandam. Quo tempore, sacrificio expiatorio (ob sublatum omnino fidelium peccatum, & mortem) non erit opus: spiritualia tamen, gratiarum actionis, & laudis sacrificia, ob redemptionis & salutis consummationem debita, tum amplius vigebunt, nunquam desitura [d].

a Matt. 26. 28. Rom. 3. 2, 25. Heb. 9. 15. b Heb. 8. 1, 2. c Ib 10. 21. d Apo. 5. 9. & 7. 11, 12. & 19. 1, 3, 4, 5, 6.

XXVII. Contrà *Levitici sacerdotes*, in sacrarium terrenum, semel in anno, ingrediebantur, non sine sanguine, sed tamen alieno [a], pro suis, & populi, peccatis interpellaturi: non sui sacrificii viribus (ideoque egressi quotannis, iterum in sacrarium redibant [b]) sed Christi per illud adumbrati [c], dignitate. *Deinde* populo, ut ministri apud Deum, benedicebant [d]: sed bona optata, non conferebant: quod ea, propria sit Christo, præstantia: *in quo, benedicendæ omnes gentes terræ* [e].

a Levit. 16. 17, 24, 34. Heb. 9. 7, 25. b Ibid. 9. 25. & 10. 3, 4. c Ibid. 10. 1. d Numer. 6. 23, 24. e Genes. 22. 18. Actor. 3. 25. 26. Gal. 3. 14. Ephes. 1. 3.

XXVIII. Quamobrem ex hisce satis constat, quænam sit similitudo, sacerdotii Christi & Melchisedeci: eumque, ex Apostoli interpretatione, *Ordinem esse Melchisedeci*, in quo, sacerdos est persona, sine patre, matre, genealogia, initio fineque vitæ: rex justitiæ ac pacis, & sacerdos in æternum, socii & successoris expers, ordine Aaronis longè præstantior. Quare viderit Bellarminus, quam prudenter dixerit; *Paulus non tractat, quis fuerit ordo Melchisedeci; sed solùm ostendit, excellentiam Christi supra Aaronem* [a]. Atque hactenus, de vera ac propria, *sacerdotii Christi, & Melchisedeci, similitudine.*

a De Missal. l. 1, c. 6.

DISPUTATIO XVIII.

DE MORTE JESU CHRISTI.

QVoniam, à Iesu Christi morte, vita nostra promanat; nihil omnino, recordatione illius, piis animis, jucundius, utilius, magisque necessarium, comperitur. Ac propterea nullum est religionis Christianæ dogma, quod Satanas & mundus (capitales, crucis ac mortis Christi, hostes) graviori odio ac contumelia [a], *perpetuò impetunt, & variis erroribus, ad Ecclesiæ perniciem, turbare ac subvertere moliuntur. Quamobrem, ut veritati divinæ, & Ecclesiæ saluti, pro modulo nostro, inserviamus, succinctam, gravissimæ hujus, de morte Christi, doctrinæ explicationem (à vocibus, ad rem progressi) in medium proferemus.*

a 1. Cor. 1. 23.

THESIS I.

MOrs Hebraicè *máveth*, à *mavéth* mori, & Græcè θάνατος, similiter à θανεῖν *mori* (non autem aliunde: ut variis ludunt conjecturis [a]) derivatur. Cujus synonymum, est μόρος, quod *mortem* [b]: aut *fatalem portionem sortemque* [c], designat. Quocirca, amplificationis gratia, hæc duo παραλλήλως nonnunquam conjunguntur: ut θάνατόν τε μόροντε [d], *mortemque lethumque. Origo* autem est, à μείρω [e] *partior*: hoc est, *divido* ac separo: vel *distribuo*. Unde, pro duplici hac significatione, *originis ratio* (ad rei, nobis propositæ, intelligentiam opportuna) *bifariam* reddi potest.

a Etymol. mag. in θάνατος. b Hesych. in μόρος. Homer. Iliad. φ. ver. 133. c Hom. Ili ζ. v. 357. d Id. Odys. I. v. 61. & λ. 408. e Etym. mag. in μόρος.

II. *Prima* est (quæ vulgò traditur) ut, à communi viventium sorte, μόρος dicatur; quasi ὁ μεμερισμένος πᾶσιν [a], quæ omnibus distributa. *Omnibus* enim *destinatum est, semel mori* [b]. Quocirca mors, *via universæ terræ* [c]: & homo μορτὸς [d], ac θνητὸς [e], non minus Græcè, quàm Latinè *mortalis* [f], absolutè nominatur.

a Etym. in μόρος. b Heb 9 27. c Jos. 23. 14. d Hesych. in μορτός. e Hom. Il. μ. v. 242. & Il. ω. v. 567. f Cic. & Sallust. passim.

III. *Altera* ac strictior *originis ratio*, à dividendi significatione, depromi potest; ut sit, quasi μερισμὸς divisio: utpote, *corporis animæque disjunctio* [a]. A qua voce Græca, μόρος, Latinè, *mors* contractè derivatur [b]. Hæc de *origine*.

a Tertull. de anima c. 27. August. in Psal. 45. Hesychius in θανάτος. b Jul. C. Scal. contra Card. Exerc. 152. sect. 1.

IV. *Significatio* verò, vocis mortis, in S. literis est duplex; propria & impropria. *Propria* est, ut vitæ animalis, ex animæ à corpore separatione, privationem notet. Quod, idoneis illius *nominibus*, partim à *forma*, partim ab *efficiente* depromptis, egregiè denotatur.

V. Siquidem, à *forma* sua, τέλος ζωῆς [a], τέλος τοῦ βίου [b], τελευτὴ τοῦ βίου [c] *vitæ finis* [d]: & absolutè, per synecdochen generis, τέλος [e], & τελευτὴ [f], *finis* [g], pro morte: & τελευτᾷν τὸν βίον [h], *vitam finire*: & absolutè, τελευτᾷν [i], *finire* [k], pro mori, utraque lingua, usurpatur. Similique sensu, in Prophetis, *finis carnis* [l], & *finis hominis* [m], dici solet.

a Heb. 7. 3. b Hesych. in θάνατος. c Herod. in Clio. edit. H. Steph. p. 7. d Lucret. l. 3. p. ult. e Mat. 10. 22. cum Ap. 2. 10. f Mat. 2. 15. g Horat. Car. l. 1. Ode 11. h Herod. Clio. p. 8. i Ib. p. 9. Act. 2. 29. k Tacitus Annal. 6. p. ult. l Gen. 6. 13. m Eccles. 7. 3.

VI. Ab *efficiente* verò, per metonymiam, mors ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος [a], *depositio tabernaculi*, ἔξοδος [b], *exitus* (ut etiam Latinis, *exitus Neronis* [c]: *excessus Romuli* [d]:) & ἀνάλυσις [e] *dissolutio* (ut Orator exponit; *dissolutione, id est, morte* [f]) nuncupatur. Sicut ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος [g] *demigrare è corpore*: & absolutè, per synecdochen, ὑπάγειν [h], πορεύεσθαι [i] *abire*: ἀναλῦσαι [k] *dissolvi*, pro mori, usurpantur. Quia (ut scitè ait Plato [l]) θάνατος ὀνομάζεται, λύσις καὶ χωρισμὸς τῆς ψυχῆς, ἀπὸ σώματος [m] *mors, animæ à corpore, solutio ac separatio, nominatur.* Hæc de *significatione propria*.

a 2. Pet. 1. 24. b Ib. v. 15. c Tacit. Hist. l. 1. p. 1. d Cic. de Legibus l. 1. p. 1. e 2. Tim. 4. 6. f Cic. de finib. l. 2. g 2. Cor. 5. 8. h Matt. 26. 24. i Luc. 22. 22. k Phil. 1. 23. l In Phædone. m Cic. Tusc. qu. l. 1.

VII. *Impropria* verò, per tropum, *bipartita* existit. Alia enim significatio, est mera: alia, mixta. *Mera*, vel synecdochica, vel metonymica, vel metaphorica, comperitur.

VIII. *Synecdochica* est, cum speciatim, pro *duratura morte* (qualis malè existimabatur) accipitur, hisce dictis; *Puella, non est mortua* [a]: *Ægritudo, non est ad mortem* [b].

a Luc. 8. 52, 53. b Joh. 11. 4, 14.

IX. *Metonymica* verò est, quando mors, pro causa: vel, pro subjecto mortis, usurpatur. Pro *causa*; ut, *Mors est in olla* [a]: hoc est mortiferum quid: *Peccatum est mors* [b]: id est, *mortem efficit* [c]: *Cogitatio carnis*, est *mors* [d]: *id est mortem parit* [e]. Pro *subjecto*, ut, *mors* (hoc est, mortuus) *non laudabit te* [f].

a 2. Reg. 4. 40. b Rom. 7. 13. c Ibid. d Rom. 8. 6. e Jac. 1. 15. f Esa. 38. vers. 18.

X. *Metaphorica* denique significatio est, cum ad eam rem, quæ morti quodammodo similis est, variè transfertur. *Primùm* enim *pericula lethalia & ærumnas* (quæ βίος ἄβιος vita non vitalis, ac mortis instar) significat. Ut; *in mortibus crebro* [a]: *Morti tradimur* [b]: *Mors in nobis agit* [c]: *Cur periclitamur omni momento? indies morior* [d]. *Deinde privationem rei*, bonæ vel malæ, designat.

a 2. Cor. 11. 23. b 2. Cor. 4. 11. c Ib. v. 12. d 1. Cor. 15. 30. & 31.

XI. *Rei bonæ*, cum *injustitiam*: vel *cruciatus infernales*, notat. Utraque enim, privatio est, & quasi mors: illa quidem, justitiæ; quæ, altera animæ vita: hæc verò, æternæ gloriæ ac lætitiæ; quæ, vitæ vita, dici potest.

XII. De

XII. De *priori*, hæc loquuntur dicta: *Quis me liberabit, à corpore mortis hujus*[a]: id est, peccati innati[b]: *Sine mortuos* (spiritu: seu, incredulos:) *sepelire mortuos suos*[c]: *Quum essemus peccatis mortui*[d]: hoc est peccatis, quasi morte justitiæ, detenti. Item: *Quæ deliciis dedita est, viva* (carne) *mortua est*[e] (spiritu). *Purgabit nos, ab operibus mortuis*[f]: hoc est, vita justitiæ cassis, seu injustis.

a Rom. 7. 24. b Rom. 6. 6. c Matt. 8. 22. Ioh. 5. 25. d Eph. 2. 1. e 1. Tim. 5. 6. Apoc. 3. 1. f Heb. 9. 14.

XIII. De *posteriori* verò, agunt ista; *Peccatum, ad mortem*[a]: *Mortem non videbit*[b]: *Mortem non gustabit*[c]: hoc est, cruciatus inferni, non experietur. Quæ, *mors secunda*[d], nuncupatur. Unde, per *metonymiam*, *causam* hujus *mortis proximam*, denotat, cum dicitur, *Stagnum ignis: quæ est mors secunda*[e].

a 1. Ioh. 5. 16, 17. b Ioh. 8. 51. c Ib. v. 52. d Apoc. 2. 11. & 20. 6. e Apoc. 20. 14. & 21. 8.

XIV. *Deinde*, nomen mortis, *rei malæ privationem*, notat, quum sanctificationem nostri (qua, innata naturæ corruptæ, aut enata operum, vitia tolluntur, ac quasi morti traduntur) adumbrat. Unde simili tropo, *resurrectio prima*[a], nuncupatur: non propriè; ut falsò *novi Chiliastæ* asserunt. Eo pertinent hæc testimonia; *mortui sumus peccato* (hoc est, peccatum, in nobis, emortuum est) *quomodo adhuc in eo vivemus*[b]? *Ut peccatis mortui, justitiæ viveremus*[c]: *Si verò spiritu, actiones carnis mortificaveritis, vivetis*[d]. Hæc, de *significatione mortis tropica*, ac *mera*, seu *simplici*.

a Ap. 20. 6. b Rom. 6. 2, 11. c 1. Pet. 2. 24. d Rom. 8. 13. Col. 3. 5.

XV. *Mixta* verò *ac composita* (ex propria & impropria, per synecdochen quandam) est utriusque mortis, primæ & secundæ, comprehensio. Qua ratione, mortis nomen, usurpatur: quando meritum, peccati hominis, coram Deo supplicium, definitur. Ut; *Qua die comederis, morieris*[a]: *Stipendium peccati, mors*[b]. Nec enim altera tantùm; sed utraque simul, intelligitur: quippe, non prima solùm; sed secunda etiam mors, peccatoribus debetur[c]. Atque hæc, de *voce mortis*: nunc verò, de *reipsa*, ac *Christi morte*, disserendum.

a Gen. 2. 17. b Rom. 6. 23. c Apoc. 21. 8. Matth. 25. 41, 46.

XVI. *Mors Christi*, in Sacris literis descripta, aut simplex est (eaque propria, vel impropria) vel composita.

XVII. *Propria* quidem intelligitur, quando ab impropria, suis quibusdam circumstantiis[a], distinguitur. Ut; *Significans, qua morte, esset moriturus*[b]: *Reus est mortis*[c]. Contraque *impropria*, quando à propria discernitur. Ut: *Quem suscitavit, solutis doloribus mortis*[d]. Nam Christus, morte sua, solutus est à doloribus mortis impropriæ (*quia non relicta est anima illius in inferno*[e]: hoc est, in doloribus infernalibus) quemadmodum suscitatione, liberatus est à morte propria: *quia Deus non sivit, ut caro illius, corruptionem experiretur*[f].

a Esa. 53. 9. Col. 1. 22. b Ioh. 12. 32. 33. c Mat. 26. 66. d Act. 2. 24. e Ib. v. 27. f Ibidem.

XVIII. *Composita* verò *significatio* (quæ, utramque mortem, notat) intelligitur, quum sine distinctione, pro universa morte, pro peccatis nostris, sponsori nostro debita, usurpatur. Ut hisce, ac similibus, in locis; *Sed Iesum videmus, paulisper inferiorem Angelis factum, propter mortis perpessionem, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus, mortem gustaret*[a]. Item, *Ut per mortem, aboleret eum, qui mortis habet imperium: hoc est, Diabolum: & liberos redderet, quotquot metu mortis, per omnem vitã, obnoxii erant servituti*[b].

a Heb 2. 9. b Heb. 2. 14, 15.

XIX. Hoc autem in loco, *primam mortem* intelligimus: & quidem *propriè* dictam: quæ corporis est: non autem animæ, quæ metaphorica, ac justitiæ privatio. *Hæc* enim, cum summa & absoluta, personæ Christi[a], in natura[b] & vita[c], sanctitate & officii sponsoris ac pontificis nostri perfectione[d], è diametro pugnat. *Illa* verò, cum utroque, ad amussim, convenit[e]: ut ex *definitionis propositione*, & *expositione*, constabit.

a Dan. 9. 24. b Luc. 1. 35. c Phil. 2. 8. Heb. 4. 15. d Heb. 7. 26. e Heb. 2. 10.

XX. Mors enim Christi, est *cruenta, vitæ animalis illius, in cruce, per separationem animæ, à corpore, privatio: quam, ex Dei, erga homines, electos ac peccatores, justa, ac misericordi, voluntate, & gratuita sponsione sua, vice illorum, pertulit: ut eos, à peccati pœna, & iniquitate, liberaret: ad ipsorum salutem, & Dei redemptoris gloriam.* Quæ *definitio*, distincta & uberiori causarum declaratione, nobis illustranda.

XXI. *Causa efficiens* mortis Christi, aut est primaria: aut secundaria. Primaria autem, vel est movens: vel ad efficiendum mota. *Movens* rursum, externa est, aut interna.

XXII. *Externa* ac *promerens*, sunt peccata nostra: quorum *stipendium est mors*[a]. Ideoque, Christus dicitur *traditus, propter peccata nostra*[b]: *Pertulisse peccata nostra*[c]: hoc est, pœnam peccatis nostris debitam.

a Rom. 6. 23. b Ib. 4. 25. c Esa. 53. 5. 1. Pet. 2. 24.

XXIII. *Interna* verò, est virtus Dei erga nos duplex: nempe justum meritumque, vitii nostri, odium: & immeritus, salutis nostræ, amor: seu *justitia* Dei *vindicans*: & *dilectio servans*.

XXIV. *Iustitia vindicans*, est justa ac constans Dei (tanquam judicis mundi[a]) voluntas, peccata nostra, in nobis, aut in sponsore nostro, morte puniendi[b]. *Sontem* enim *non absolvit*[c]: impunitum. Ideoque *decebat, ut principem salutis nostræ, per afflictiones consecraret*[d]: & *eum, qui peccatum non norat* (experientia sua) *pro nobis fecit peccatum*[e]: hoc est, peccati hostiam[f].

a Gen. 18. 25. Rom. 3. 5, 6. b Gen. 2. 17. Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. c Exod. 23. 7. d Heb. 2. 10. e 2. Cor. 5. 21. f Eph. 5. 2.

XXV. *Dilectio* verò *servans*; alia communis est: alia propria. *Communis* est, quæ Patri, Filio, & Spiritui Sancto, similiter convenit: quæ est gratuita, salutem æternam, nobis certò dandi, voluntas. Ex qua, mortis Christi destinatio, tanquam unica, salutis nostræ, via[a], necessariò consequitur. De qua dilectione dicitur: *Ut gratia Dei, pro omnibus, mortem gustaret*[b].

a Act. 4. 12. b Heb. 2. 10.

XXVI. *Propria* vero *Dei dilectio*, est ea, quæ distinctè Patri & Filio attribuitur. *Patri* quidem: quod Filium suum unigenitum, nobis sponsorem, & mediatorem novi fœderis, gratis statuerit: *Filio* verò, quòd pro nobis, hostibus suis, sponsor & mediator, fieri clementer voluerit[a].

a Heb. 7. 22. & 8. 6. & 10. 5. 7.

XXVII. Ac *primum*, de *Patris* dilectione, dicitur: *Commendat autem, suam charitatem, erga nos, Deus: quòd quum essemus peccatores, Christus, pro nobis, mortuus est*[a]. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum, dederit*[b]. *In hoc, est charitas Dei, non quòd nos dilexerimus Deum: sed, quòd ipse dilexit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio, pro peccatis nostris*[c].

a Rom. 5. 8, 10. b Joh. 3. 16. c 1. Joh. 4. 10.

XXVIII. *Deinde* verò, de Filii dilectione, agunt hæc dicta: *In fide vivo, Filii Dei: qui dilexit me, & tradidit se ipsum, pro me*[a]: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum, pro ea*[b]; *Christus dilexit nos, & tradidit se ipsum, pro nobis, oblationem ac victimam, in odorem bonæ fragrantiæ*[c]. Hæc, de *primaria* causa *efficiente* ac *movente*.

a Gal. 2. 21. b Eph. 5. 25. c Eph. 5. 2.

XXIX. *Efficiens* verò *mota*, ad mortem Christo inferendam, est partim æternum Dei, de ea decretum: partim temporalis, decreti hujus, executio.

XXX. Ad *decretum*, de Christi morte, pertinent, hæ sententiæ; *Filius hominis abit, prout definitum est*[a]: *Hunc definito consilio & providentia Dei, deditum, quum accepissetis, manibus injustorum affixum, interemistis*[b]: *Ut facerent, quæcunque manus tua* (id est potestas ac jus) *& consilium tuum, definierant facienda*[c].

a Luc. 22. 22. b Act. 2. 23. c Act. 4. 28.

XXXI. *Executio* verò *decreti*, de Christi morte, duobus quasi gradibus, continetur. Quorum prior, est *mandatum*; posterior verò, *traditio*.

XXXII. *Mandatum* hoc, est voluntatis, Dei Patris, signum, quo, Filio suo, homini facto, ut eam mortem subiret, imperavit. *Modus* autem est, partim *externus*, per Verbum suum: partim *internus*, per Spiritus Sancti dirigentis revelationem.

XXXIII. Per *verbum* quidem: quia hoc Filii officium, Sacris literis, per Prophetas prædixit ac præscripsit[a]. Per *Spiritum* verò: quia in eum etiam finem, à Patre, est unctus, Spiritu Sancto; ut sacerdos esset ac victima[b]: & ejusdem ductu, mortem subivit. De quo mandato profitetur, quum ait; *Potestatem habeo, ponendi animam, & potestatem habeo, rursus assumendi eam. Hoc mandatum accepi, à Patre meo*[c].

a Gen. 3. 15. Psal. 22. 16, 17. & 40. 8, 9. cum Heb. 10. 5, 10. Es. 53. Zach. 13. 7. Dan 9. 26. Luc. 24. 25, 27. 1. Pet. 1. 11. 1 Cor. 15. 3. b Esa. 61. 1, 2. c Joh. 10. 18.

XXXIV. *Traditio* autem *in mortem*, est duplex: *una*, à Patre: *altera*, ab ipsomet Filio facta.

XXXV. De *Patre* enim dicitur; *Non haberes ullam in me potestatem, nisi datum tibi esset supernè* [a]: *Qui proprio Filio non pepercit; sed tradidit eum, pro nobis* [b]: *Gladie evigila, contra pastorem meum, & virum proximum meum* (Filium meum) *dictum Iehovæ exercituum, Percute pastorem, & dispergentur oves* [c].

a Joh. 19. 11. b Rom. 8. 32. c Zach. 13. 7. Matth. 26. 31.

XXXVI. De *Filio* verò hæc dicta (præter illa, quæ modo adduximus [a]) fidem faciunt; *Deus* (nempe Filius) *Ecclesiam suam, proprio sanguine, acquisivit* [b]: *Christus per Spiritum æternum, seipsum obtulit, inculpatum, Deo* [c]. Atque hæc, de *causa efficiente primaria*.

a Thes. 28. b Act. 20. 28. c Heb. 9. 14.

XXXVII. *Secundaria* verò, mortis Christi, efficiens, est *creatura duplex*. *Alia* enim, est *pia*; quæ, justo animo, modo, & fine, in agendo directa: *alia impia*; quæ contra, ab hac norma, deflexit.

XXXVIII. *Pia*, est solus Christus, secundùm humanam naturam, Patris mandato, ex amore erga nos summo [a], rectaque ratione ac prompta voluntate, obsecundans. *Patri enim fuit obediens ad mortem, mortem autem crucis* [b]. *An* (inquit) *poculum, quod mihi dedit Pater, non bibam* [c]? Item, *Ideo, ingrediens in mundum, dicit &c. ecce venio* (*in capite libri scriptum est de me*) *ut faciam, Deus, voluntatem tuam* [d]: *Ponet animam suam, delictum* [e]: id est, in sacrificium, pro delicto: *Effudit in mortem, animam suam* [f]: *Qui dedit semetipsum, pro peccatis nostris, &c. secundùm voluntatem Dei, & Patris nostri* [g].

a Ioh. 15. 13. 1. Ioh. 3. 16. b Phil. 2. 8. c Ioh. 18. 11. d Psalm. 40. 9. Heb. 10. 7. 10. e Esa. 53. 10. f Ib. v. 12. Mat. 20. 28. g Gal. 1. 4.

XXXIX. Ideoque, licet per se, ex recto, ac naturæ omnium insito vitæ conservandæ amore, mortem utramque, tanquam naturæ bono repugnantem, aversaretur: & ea ratione, si per Dei voluntatem fieri potuisset, à morte liberari petierit: per accidens tamen, voluntatis Dei contrariæ, eaque spectata, acquievit, & Patris nutui, suam voluntatem, subjecit, quum ait; *Pater mi, si fieri potest, hoc poculum, à me, transeat: verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu* [a]. Hæc de *pia*, mortis Christi, *causa*.

a Mat. 26. 39.

XL. *Impia* verò *causa efficiens*, est Satanas, & mundus. *Satanas* enim, *contrivit* Christi *calcaneum* [a]: casus illius, in mortem, auctor extitit, dum mundum, ad Christi necem, concitavit ac perpulit [b]. *Mundus* autem Christi adversarios, *Judæos* ac *Gentiles*, complectitur.

a Gen. 3. 15. b Ioh. 8. 41. 44. & 13. 2. & 14. 30.

XLI. Judæi enim, *partim* operta fraude ac proditione, ut Judas Iscarioth [a]: *partim* aperta vi, ut synedrium, quod condemnavit, ac Pilato necandum tradidit [b]: & populus, qui cum synedrio Gentiles, ad mortem Christo inferendam, παμπληθεὶ universa turba, adegerunt [c]. *Gentiles* verò; partim lata sententia, ac mandato, ut Pilatus [d]: partim operè, ut milites illius [e], Christum occiderunt.

a Luc. 22. 48. b Mat. 26. 66. Ib. 27. 1. 2. c Luc. 23. 18. 21. 23. Act. 2. 23. 36. & 3. 14. 15. & 4. 10. d Ioh. 19. 16. e Ib. ver. 23.

XLII. Ex quibus omnibus, satis liquere potest; quod, ad unam eandemque Christi mortem, plures concurrant causæ agentes: sed non eâdem actionum rectitudine: quum *origine, modo,* ac *scopo* suo, longissimè inter se dissideant.

XLIII. *Primùm* enim, *actionis Dei & Christi origo*, fuit sancta; rectus scilicet, Dei gloriæ & salutis nostræ, amor: ut superiora demonstrarunt: Contra verò, *origo actionis hostium* fuit vitiosa. *Iudas* enim, ex avaritia & vindicta [a]: *Sacerdotes*, ex invidia [b]: *populus*, concitatione sacerdotum [c]: *Pilatus*, horum & Cæsaris metu [d]: *milites*, hujus imperio [e], Christum enecarunt.

a Mat. 26. 14. 15. Ioh. 12. 4. 5. 6. b Mar. 15. 10. c Ib. v. 11. d Ioh. 19. 15. 16. e Ib. v. 16. & 23.

XLIV. *Deinde, modus, actionis Dei & Christi*, fuit justissimus: nimirum occasionis mortis Christi, ab adversariis expetitæ, oblatio [a]: & recta, perversæ actionis hostium, ad Christi mortem (Deo, pro nobis, ex sponsione debitam) gubernatio. *Actio* enim *Dei*; fuit justa, à judice, pœna [b]. *Christi actio*; justa, erga judicem, obedientia [c]. Contra verò *modus actionis hostium*, fuit injustus: qui contra legem generalem [d], ac sine speciali mandato [e], suis cupiditatibus obsecuti, innocentem ac justum, occiderunt [f].

a Ioh. 19. 11. Act. 2. 23. b Gal 3. 13. c Phil. 2. 8. Heb. 10. 7. d Exod. 20. 13. & 23. 7. e Quale Gen. 22. 2. f Mat. 26. 65. 66. Ioh. 19. 6. Act. 2. 22. 23. & 3. 13. 14.

XLV. Denique, scopo ac *finibus*, distermінantur. Nam *actionis Dei & Christi, finis* fuit rectus ac sanctus; ut postea demonstrabitur: contra *hostium Christi*, perversus fuit & impius *scopus*. *Iudæ*; ut avaritiæ & vindictæ suæ: *sacerdotum*; ut ambitioni & odio suo, inservirent: *populi*; ut gratificarentur sacerdotibus: *Pilati*; ut hisce placeret, & quieti suæ potius, quam justitiæ, consuleret: *militum*; ut præsidi magis, quàm Deo & conscientiæ, obtemperarent. Quemadmodum ex iis, quæ de origine diximus, manifestè constat.

XLVI. Quare licet Christi hostes, ea fecerint; quæ, à Deo & Christo, justè erant definita ac directa; non propterea tamen, Dei ac Christi justitia hostium injustitiam, purgat: nec horum injustitia, Dei justitiam, contaminat. Quia *origine, modo, & fine* actionum, utrimque (sicut ostendimus) omnino discrepant. Ac propterea Christus justè ait; *Filius hominis abit prout definitum est: verumtamen væ homini illi, per quem proditur* [a]. Atque hæc de *causa efficiente*.

a Luc. 22. 22.

XLVII. *Subjecta* verò, mortis Christi, *materia*, non est Pater (ut *Praxeas* [a], & hac in re sectatores, ideo *Patrispassiani* dicti, impie delirarunt) sed sola Filii persona; à qua, mortis dignitas infinita, dependet: nec simpliciter, ac secundùm utramque naturam; sed secundùm humanam duntaxat, & quidem ratione corporis. Ut enim *divina natura*, per se, & absoluta necessitate, *sola* est *immortalis* [b]: quia spiritualis, infinita ac simplicissima essentia: sic etiam *anima humana*, quia spiritus est creatus, ex gratia Dei *immortalis*, à nulla creatura occidi potest [c].

a Tertull. de præscript. c. ultimo. b 1. Tim. 1. 17 & 6. 16. c Matth. 10. 48.

XLVIII. Ideoque, quod *Filius Dei occisus* [a]: & *Dominus* gloriæ *crucifixus* [b]: asseritur, illud per κοινωνίαν ἰδιωμάτων & κατ' ἄλλο, de persona Christi, quæ Deus est; verumtamen, non qua Deus; sed qua homo ac secundùm corpus humanum, pronuntiatur. Unde, *mortificatus carne* [c] dicitur: &, *Caro mea* &c. (inquit) *quam dabo, pro mundi vita* [d]. Hæc de *subjecta materia*.

a Mat. 21. 38. Rom. 5. 10. b 1. Cor. 2. 8. c 1. Pet. 3. 18. d Ioh. 6. 51.

XLIX. *Forma* verò, hujus mortis; est privatio vitæ, corporis Christi; quæ, à proxima sua causa, separatione animæ (cujus actus, in corpore, vita est) describi solet. Nam, ut Christus ait; *In manus tuas, commendo spiritum meum* [a]: sic etiam dicitur; *Emisit spiritum* [b]: Item; *Succisus est, è terra viventium* [c].

a Luc. 23. 46. b Mat. 27. 50. c Esa. 53. 8.

L. Quæ *separatio*, animæ à corpore, non est absoluta; sed *relata*. Licet enim, ratione unionis naturalis & immediatæ, facta sit eorum disjunctio; interim tamen, ratione unionis supernaturalis & mediatæ, in persona Filii Dei, conjunctæ & indivulsæ permanserunt. Quemadmodum unio hypostatica, quæ facta est ἀχωρίστως inseparabiliter, flagitabat.

LI. Hujus autem *forma circumstantia* (quæ in Christo requirebatur) duplex, in definitione propositâ, observatur, *Una*, quod *cruenta* fuerit mors: *altera*, quòd in *cruce* acciderit.

LII. *Cruenta*; quia sanguinis Christi effusio divinitus erat decreta, & cruentis, Legis Mosaicæ, sacrificiis expiatoriis, adumbrata [a]. Adeo ut, *sine sanguinis effusione, non fiat remissio* [b].

a Heb. 9. 13. 14. 23. 1. Pet. 1. 19. b Heb. 9. 22.

LIII. *In cruce* verò evenit mors: quia hoc necis genus, maxime ignominiosum, Dei consilio & verbo, erat præfinitum [a]: variisque figuris olim designatum: & maledictionis nostræ, in Christum translatæ, signum: *scriptum est enim*; *Omnis, qui pendet in ligno, maledictus* [b]; hoc est, Christi, pro nobis, maledictionem subituri, typus. *Et prout Moses, extulit serpentem, in deserto: ita, extolli oportebat, Filium hominis* [c]. Ideoque *Patri factus obediens* dicitur usque *ad mortem: mortem autem crucis* [d]. Hæc de *forma & circumstantia illius*.

a Psal. 22. 17. cum Ioh. 20. 25. 1. Pet. 2. 22. Ioh. 12. 31. 32. b Gal. 3. 13. Deut. 21. 23. c Ioh. 3. 14. d Phil. 2. 8.

LIV. *Finis* denique *mortis Christi* (qui simul distinctè ejusdem, ac passionum, est effectus) alius, est οὗ *cujus*: alius, ᾧ *cui*.

Finis

Finis *ꝗ cujus*, est utilitas, seu bonum illud, cujus gratia, mors Christi, à Patre, & Filio decreta atque effecta est. Hic autem *propinquus* est, vel *remotus*.

LV. *Propinquus*, est *partim* satisfactio, pro nobis: *partim* gratiæ Novi Testamenti confirmatio, seu, liberatio nostri, ex ea satisfactione, promanans.

LVI. *Satisfactio*, est qua, tanquam sponsor noster [a], debitam, pro peccatis nostris, mortis pœnam, perfectè tulit. De qua re dicitur: *Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur: sed, ut ministraret, & daret animam suam, λύτρον redemptionis pretium, pro multis* [b]: *Qui dedit seipsum, ἀντίλυτρον pretium redemptionis, pro omnibus* [c]: *Iehova fecit, ut incurrat, in illum, iniquitas* (id est pœna iniquitatis) *omnium nostrûm* [d]: *Deletoque, quod adversum nos erat, rituum chirographo, quod nobis erat contrarium: & ipsum, cruci affixum, è medio sustulit* [e].

a Heb. 9. 15. b Mat. 20. 28. c 1. Tim. 2. 6. d Esa. 53. 6. e Col. 2. 14.

LVII. *Liberatio* verò, quæ, ex hujus satisfactionis dignitate, procedit, est duplex. *Alia* enim est, à peccati pœna: quæ (per metonymiam causæ, pro effecto) *peccatum* dici consuevit: *alia*, à peccati iniquitate, nobis inhærente.

LVIII. *Pœna peccati*, est mortis ac Satanæ potestas, & ira Dei. De utroque dicitur; *Christus nos redemit, à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, &c. ut benedictio Abrahæ Gentibus fieret in Christo* [a]: *Ad abolitionem peccati, per immolationem sui ipsius, est patefactus* [b]: *Qui dilexit nos, & lavit nos, à peccatis nostris, per sanguinem suum* [c]: *Sanguis Filii Dei, purgat nos, ab omni peccato* [d]: *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis, fecit peccatum; ut fieremus justitia Dei in eo* [e]: *justificati igitur ejus sanguine* [f].

a Gal. 3. 13. 14. b Heb. 9. 26. c Ap. 1. 5. d 1. Joh. 1. 7. e 2. Cor. 5. 21. f Rom. 5. 9.

LIX. De *priori* verò etiam dicitur; *Ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium: hoc est, Diabolum: & liberos redderet, quotquot metu mortis, per omnem vitam, obnoxii erant servituti* [a].

a Heb. 2. 14. 15.

LX. Quoniam, *ob* passionis, & *mortis Christi*, meritum, *ab utraque morte*: sed dispari modo, *liberamur*. Nam, à *secunda*, extricamur simpliciter: à *prima* verò, suis gradibus. Quamprimùm enim, mors nostra, desinit esse, irati judicis pœna, & mortis secundæ janua [a]: factaque est, finis culpæ, & via æternæ vitæ [b]: deinde verò, ultimo die, omnino abolebitur [c].

a Rom. 8. 1. b 2. Cor. 5. 8. Phil 1. 23. Ap. 14. 13. c 1. Cor. 15. 26, 54, 57.

LXI. De *posteriori* verò, seu de *liberatione ab ira Dei*, ait Propheta; *Castigatio pacis nostræ, imponitur ei* [a]: & Apostolus; *Reconciliati fuimus Deo, per mortem Filii ejus* [b]: & alibi; *Utrosque in uno corpore, reconciliaret Deo, per crucem, peremptis inimicitiis, per eam* [c]: Item Petrus; *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis; ut nos ad Deum adduceret: mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu* [d]. Hæc de *liberatione*, à *peccati pœna*, per Christi mortem.

a Esa. 53. 5. b Rom. 5. 10. c Eph. 2. 16. Col. 1. 21. 22. d 1. Pet. 3. 18.

LXII. *Liberatio* verò *à peccati iniquitate, nobis inhærente* (quæ, metaphoricè, *vetus homo*, dici consuevit) est illius, ex vi pretii mortis Christi, per Spiritum Sanctum, abolitio. Quæ, *mortificatio* metaphoricè dicta, *bimembris* existit: *inchoata*, & *consummata*.

LXIII. *Inchoata*, est *liberatio*, qua, à peccati dominio, per sanctificationis gratiam, in perpetuum, immunes reddimur. *Consummata* verò ea est, qua peccati reliquiæ, omnino in nobis, extinguuntur. *Utrumque* enim membrum, proprius est, *mortis*, quam Christus, pro nobis est perpessus, *finis* ac *fructus*.

LXIV. De *qua liberatione*, hæc dicta loquuntur; *illud scientes, veterem illum nostrum hominem, cum eo, crucifixum; ut destruatur corpus peccati; ne posthac, nos serviamus peccato* [a]: *Peccatum, vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia* [b]: *Vos quoque, mortificati estis legi* (quatenus scilicet, carnis vitio, peccati erat occasio [c]) *per corpus Christi; ut essetis alterius: ejus, qui ex mortuis excitatus est: ut fructum feramus, Deo* [d]: *Qui, dedit semetipsum, pro peccatis nostris, ut, eximeret nos, ex præsenti seculo malo* [e]: *Nunc sanè reconciliavit, in corpore illo carnis suæ, per mortem: ut sisteret vos sanctos, & irreprehensos, & inculpatos, coram se* [f].

a Rom. 5. 6. b Ib. 6. 14. c Rom. 7. 5. 8. d Ib. v. 4. e Gal. 1. 4. confer 1. Ioh. 5. 19. f Col. 1. 21. 22.

LXV. Quibus, hæc consentiunt: *Ut qui sciatis, vos non caducis, argento vel auro, fuisse redemptos, ex vana vestra conversatione, à patribus tradita: sed, pretioso sanguine, utpote, agni immaculati & incontaminati, Christi* [a]: *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus vibicibus, sanati estis* [b]. *Sanctifico me, ut & ipsi sancti sint* [c]. *Dilexit ecclesiam, & tradidit sese pro ea: ut eam sanctificaret* [d].

a 1. Pet. 1. 18, 19. b 1. Pet. 2. 24. & 2. Cor. 5. 15. c Ioh. 17. 19. cum 17. d Eph. 5. 25, 26.

LXVI. Talia denique, sunt etiam hæc testimonia; *Qui dedit semetipsum, pro nobis, ut redimeret nos, ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum* [a]: *Quanto magis, sanguis Christi, qui, per Spiritum æternum, seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram, ad serviendum Deo vivo* [b]: *Unica enim oblatione, consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur: testificatur autem nobis, & ipse Spiritus Sanctus. Nam posteaquam prædixit* [c]; *Hoc est fœdus meum, quod paciscar cum iis, post dies illos (dicit Dominus) indam leges meas cordibus eorum, & mentibus eorum eas inscribam, & peccatorum atque iniquitatum ipsorum, non recordabor amplius* [d].

a Tit. 2. 14. Eph. 5. 25, 26, 27. b Heb. 9. 14. c Ier. 31. 33. d Heb. 10. 14. 15, 16, 17.

LXVII. Ideoque, mortis ac passionis Christi, finis & fructus proprius, in iis, (quorum, tanquam sponsor novi fœderis ac testamenti, vicem subiit [a]) non solum est justificatio, ac pœnæ, peccatis debitæ, remissio ac reconciliatio cum Deo; sed etiam sanctificatio: qua, peccatum in nobis, aboletur: dum leges Dei (cùm fidei, tum charitatis) spiritualibus, mentis & cordis tabulis inscribuntur [b]: ut, in fœdere Dei perpetuò maneamus [c].

a Heb. 7. 22. & 9. 15. b Ier. 31. 33. Heb. 8. 10. c Heb. 8. 10, 12.

LXVIII. Ac propterea ait Christus: *Hoc est sanguis meus, novi testamenti: qui, pro multis, effunditur ad remissionem peccatorum* [a]. De quo fœdere, Jeremias ita testatur: *Et pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me, à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis: &, reverentiam mei indam animo ipsorum: ut non recedant, à me* [b]. Hactenus de *propinquo fine & fructu*.

a Mat. 26. 28. b Ier. 32. 40. Ezech. 36. 27.

LXIX. *Remotus* verò *mortis* Christi *finis* ac *fructus*, est *duplex*. *Primus*, est eorum, pro quibus Christus mortuus est, *vita æterna*: *secundus*, est *Dei*, in Christo redemptoris, *gloria*.

LXX. *Vita* autem *æterna*, in animæ & corporis glorificatione, consistit. De qua dicitur: *Extolli oportet Filium hominis: ut, quisquis credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam* [a]: *Caro mea est, quam ego dabo, pro mundi vita* [b]: *Et consecratus, factus est auctor salutis æternæ, omnibus, qui ipsi auscultant* [c]. Quæ vita, ex justificatione, ac sanctificatione, divino nexu, consequitur [d]. Ideoque Christus, υἱὸ complexu, dicitur *factus nobis à Deo, sapientia, justitia, & sanctificatio, & redemptio* [e].

a Joh. 3. 14. b Ib. 6. 51. c Heb. 5. 9. d Rom. 8. 30. e 1. Cor. 1. 30.

LXXI. *Dei* verò *gloria*, ultimus est, mortis Christi, finis: qui, ex antecedentibus omnibus exurgit. Ea enim in admiranda justitiæ, misericordiæ, sapientiæ, ac veritatis divinæ patefactione (ad quæ, mors Christi destinata est, & effecta) consistit.

LXXII. *Justitia* Dei *gloria*, ex eo elucet; quòd, peccata nostra, inulta esse, noluerit [a]: *misericordia*: quòd, eorum pœnam, in Filium suum unigenitum, transtulerit [b]: *sapientia*: quòd hunc, summæ simul justitiæ, & misericordiæ, concursum ac concordiam, admirando, etiam Angelis, mysterio ordinarit, adeoque opportunè sit executus [c]: *veritatis* denique gloria ex fideli, decretæ, ac promissæ, mortis Christi, donatione, illustratur. Hæc de *fine ꝗ cujus*, seu, de *utilitate*, *mortis Christi*, dicta.

a Rom. 3. 24, 25, 36. b Esa. 53. Eph. 1. 5, 6, 7. c Eph. 1. 8, 9. 10. 1. Pet. 1. 11. 1. Tim. 2. 6. d Gal. 4. 4. 5.

LXXIII. *Finis* verò *ꝗ cui* ea, mortis Christi, bona sunt destinata divinitus, sunt *omnes*, & *soli*, electi. *Omnes*; quia singulis eorum, communia: *soli*; quia iis, non verò reprobis, propria.

LXXIV. Unde, prioris ratione, interdum, ob *excellentiam dignitatis*, Electorum universitas (cum, de mortis Christi fine ac

fructu, agitur) *omnes* [a], *omnia* [b], *mundus* [c], *totus mundus* [d], nempe Electorum, nuncupatur: & distinctè à Judæis, Gentilium Electorum cœtus, *mundus* [e] dicitur. Ut contrà, Reproborum turba, ob *numeri excellentiam, mundus* [f]; *mundus impiorum* [g], *totus mundus* [h], oppositâ synecdoche, nominatur. Adeo ut, in duos hosce, quasi mundos particulares, *universus mundus* [i]; ex usu Scripturæ, distribuatur: ne temerè, in mundi voce, impingamus.

a 2. Cor. 5. 15. Heb. 2. 9. b 2. Cor. 5. 17. 18. c Joh. 1. 29. & 3. 17. & 4. 42. & 6. 51. & 17. 21. 23. 2. Cor. 5. 19. 1 Joh. 4. 14. d 1 Joh. 2. 2. e Rom. 11. 12. 15. f Joh. 14. 17. & 17. 9. g 2. Pet. 2. 5. h 1. Joh. 5. 19. i Rom. 3. 19.

LXXV. Posterioris verò ratione, distinctè, non omnes; sed *multi*, nominantur. Etsi enim, ob personæ Christi infinitam dignitatem, mortis illius pretium valoris sit infiniti (adeo ut, vel mille mundis servandis, si crederent, abundè sufficeret) interim tamen non omnium, etiam Reproborum; sed Electorum, loco ac bono, Servatorem esse mortuum, hac *multorum*, à reliquis discretione, aliisque invictis rationibus, in sacris literis, demonstratur.

LXXVI. Huc pertinent illustres hæ sententiæ; *Notitia sui, justificabit, justus servus meus, multos; & iniquitates eorum, ipse bajulabit* [a]: *Ipse, peccatum multorum tulit* [b]: *Ut daret animam suam, redemptionis pretium, pro multis* [c]: *Hoc est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum* [d]: item, *qui pro vobis* (fidelibus) *effunditur* [e]: *Oblatus ad tollenda multorum peccata* [f].

a Esa. 53. 11. b Ib. v. 12. c Mat. 20. 28. d Mat. 26. 28. e Luc. 22. 20. f Heb. 9. v. 28.

LXXVII. *Idem* etiam *ostendit* cœlestis Ecclesiæ professio, cum distinctè, hoc mortis Christi, pro Electis privilegium, extollens ait; *Mactatus es, & redemisti nos Deo, per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione* [a]. Non omnes igitur & singuli nationum; sed electi *ex* iis multi [b], Christi morte sunt redempti: qui scilicet soli, *stolas suas, laverunt ac dealbarunt, in sanguine agni* [c].

a Apoc. 5. 9. b Ib. v. 7. & 8. c Ib. v. 14.

LXXVIII. Nec aliud Scriptura docet, quum ait; *Christum animam suam ponere, pro ovibus suis* ac *propriis* [a] (hoc est pro Electis [b]: quorum tantùm est pastor, non pro hircis, non pro lupis [c]) *Tradidit seipsum, pro Ecclesia* [d]: *pro nobis* [e], fidelibus: *pro sanctificatis* [f]: *pro vocatis* [g]. Qui soli, populus sunt ipsius, & quorum tantùm salvator est: ut nominis Jesu definitio propria, demonstrat; *vocabis nomen ejus Iesum: Ipse enim servabit populum suum, à peccatis ipsius* [h]: *Prophetavit fore, ut Iesus, pro ea gente, moreretur: nec tantùm pro ea gente; sed ut, filios Dei dispersos, cogeret in unum* [i]: *Unde debuit, per omnia, fratribus similis fieri; ut misericors esset, & fidelis, pontifex in iis quæ apud Deum* (agenda) *ad expiandum peccata populi* [k].

a Joh. 10. 15. 12. b Ib. v. 16, 28, 29. c Ib. v. 26, 27. d Eph. 5. 25. e Esa. 53. 6. Eph. 5. 2. 1. Joh. 4. 10. f Heb. 10. v. 14. g Ib. 9. 15. h Matt. 1. 21. i Joh. 11. 51, 52. k Heb. 2. 17.

LXXIX. Huc accedunt *demonstrationes aliæ*, ex *causis* (efficiente & *fine* ac *fructu*) deprompta, quæ solis Electis, non autem Reprobis, conveniunt. Ac *primùm* quidem, à causa efficiente primaria ac movente gemina; *justitia* Dei vindicante, & servante *dilectione*.

LXXX. A *justitia Dei*: quæ, nec sontem ferre impunitum: nec meritas pœnas bis (à reo simul, & sponsore) exigere potest. 1. Quicunque enim soli à pœna pro peccatis suis debita, omnino liberantur, pro iis solis, Christus mortis pœnam persolvit: at Electi ad salutem soli, à pœna pro peccatis suis debita, omnino liberantur: Ergo, pro iis solis, Christus mortis pœnam persolvit.

LXXXI. 2. Quicunque debitam peccatis suis pœnam, æterno supplicio, ipsimet persolvunt, pro iis, Christus, mortis suæ pretio, non satisfecit: sed Reprobi omnes debitam pro peccatis suis pœnam, æterno supplicio ipsimet persolvunt: ergo Christus, mortis suæ pretio, pro iis non satisfecit.

LXXXII. Ab *æterna* verò *dilectione Dei*, hoc modo; 3. Quoscunque Deus, ab æterno, gratuita dilectione servare decrevit, illi sunt Electi, non Reprobi: quia dilectio, illâ Electionis definitione, continetur: & contra Reprobationis definitione omnino excluditur: atqui Deus, omnes eos, pro quibus Christus mortuus est, ab æterno, gratuita dilectione, servare decrevit [a]: ut supra ostensum: ergo omnes illi, pro quibus Christus mortuus est, sunt Electi, non Reprobi.

a Rom. 5. 8. 9. 10. & 8. 39.

LXXXIII. Deinde, à *finibus* [a] *cujus*, & *fructibus* mortis Christi; 4. Quicunque sunt hæredes gratiæ Novi testamenti, illi sunt Electi, ad salutem: quippe illi soli certò servantur [a]: at vero omnes illi, pro quibus sanguis Christi, in mortem, effusus est, sunt hæredes gratiæ Novi testamenti: quia illorum est mediator apud Deum, & sponsor [b]: ergo omnes illi, pro quibus Christus est mortuus, sunt Electi ad salutem.

a Heb. 8. 6. 9. 12. b Luc. 22. 20. Heb. 7. 22. & 8. 6. & 9. 14. 15. & 13. 20.

LXXXIV. 5. Qui non sunt hæredes Novi testamenti, pro iis sanguis Novi testamenti in morte Christi non est effusus: atqui Reprobi sunt hujusmodi (sunt enim exhæredes) ergo sanguis Novi testamenti, in morte Christi non est pro iis effusus.

LXXXV. 6. Pro quibus Christus mortuus est: illi non possunt condemnari [a]: quia satisfecit iræ Dei, & contrivit caput Serpentis morte sua [b]: at soli Electi ad vitam, non possunt condemnari [c]: ergo, pro solis Electis ad vitam, Christus est mortuus.

a Rom. 8. 34. b Gen. 3. 15. Heb. 2. 14. c Rom. 8. 29. 33. Matt. 24. 24.

LXXXVI. 7. Contra; Quicunque condemnantur, pro iis, Christus non est mortuus [a]: Reprobi condemnantur: ergo pro iis, Christus non est mortuus.

a Rom. 8. 34. & 5. 8. 9. 10.

LXXXVII. 8. Pro quibus Deus proprium suum Filium in mortem dedit, iis omnia, ad salutem necessaria, cum ipso, donat [a]; at solis Electis, non autem Reprobis, ea omnia donat [b]: ergo, pro solis Electis, non pro Reprobis, est mortuus.

a Rom. 8. 32. b Ib. v. 28.

LXXXVIII. 9. Qui reconciliati sunt Deo, per mortem Filii ipsius, illi reconciliati, magis servabuntur, per vitam ipsius [a]: at soli *Electi* (*quorum nomina scripta sunt, in libro vitæ agni mactati* [b]) non Reprobi, servabuntur, per vitam Christi [c]: ergo soli Electi, non Reprobi, reconciliati sunt Deo per mortem Filii ipsius.

a Rom. 5. 10. b Apoc. 13. 8. c Matt. 25. 34. 41. 46.

LXXXIX. 10. Quorum peccata Christus norat, non posse remitti, pro iis sanguinem suum, in remissionem peccatorum, moriens non effudit: at vero, Reproborum multorum peccata non posse remitti, Christus norat: ergo, pro iis, in remissionem peccatorum, sanguinem suum, moriens non effudit. Sciebat enim maximam totius mundi partem, eo tempore, ob peccata sua, æternis inferni flammis, sine ulla spe veniæ, cruciari [a]: nec paucos in Spiritum Sanctum, & peccare [b], & peccaturos [c]: quorum peccata remitti non possent [d]. Ideoque moriendo, eorum remissionem, contra voluntatem Dei, & sententiam propriam [e], nec piè, nec sapienter, potuit destinare.

a Luc. 16. 24, 25, 26. b Matth. 12. 31. c 1. Joh. 5. 15. 16. d Matt. 12. 31. 32. 1. Joh. 5. 16. e Ibidem.

XC. 11. Pro quibus Christus mortuus est, illi mente & corde (ex Novi fœderis formula [a]) sanctificantur: ut morte Christi sancitum [b]: atqui soli Electi, ita sanctificantur: non autem Reprobi [c]: ergo pro solis Electis, non autem Reprobis, Christus est mortuus.

a Heb. 8. 9, 10. & 10. 14. 16. b Joh. 17. 19. c Eph. 1. 4. 2. Thes. 2. 13. Joh. 14. 17.

XCI. 12. Denique ex *adjuncto* mortis Christi *proprio*; pro quibus peccatoribus, Christus tantùm orat, pro iis tantum est mortuus. Hæc enim, Mediatoris ac Pontificis nostri, officia duo (intercedere mortis sacrificio, & orationis thure: seu, velle peccatorum remissionem, ac se pro ea, in mortem offerre: & eam velle ac petere à Patre) indissolubili vinculo, sunt connexa [a]. Atqui Christus pro Electis tantùm orat, non pro mundo Reproborum [b]: imo contra eum orat [c]: Ergo pro Electis tantùm, non pro mundo Reproborum, est mortuus.

a Rom. 8. 34. Heb. 7. 25. 1. Joh. 2. 1. b Joh. 17. 9. c Ps. 69. 23. ad 30. Rom. 11. 9.

XCII. Ideoque cum plurimi ex iis, qui mortis ipsius erant auctores, ad vitam essent electi; pro eorum etiam conversione, ac reconciliatione, Deum oravit, *Pater, remitte iis, nesciunt enim, quid faciant* [a]: & ut *semper Pater eum exaudivit* [b]: sic eos etiam, primùm ad tria [c], deinde ad quinque [d] usque millia, convertit, & in gratiam recepit.

a Luc. 23. 34. b Joh. 11. 42. c Act. 2. 22. cum 41. d Act. 3. 17. cum. 44.

XCIII. Quum

XCIII. Quum autem Electi, quos servare vult Deus, in omnibus hominum generibus (seu in omni gente, sexu, ætate, conditione) reperiantur [a]: idcirco Apostolus ait; Christum *se dedisse, redemptionis pretium, pro omnibus* [b], h.e. omnibus generibus hominum (seu quibusvis) non singulis generum. Quomodo vox *omnis*, pro subjecti sui ratione, sæpius cùm alibi [c], tum ter præterea, eodem in loco [d], usurpatur.

a Apoc. 5. 9. & 7. 9. Gal. 3. 28. b 1. Tim. 2. 6. c Matt. 12. 31. Luc. 11. 42. Act 13. 10. Rom. 14. 2. d 1. Tim. 2 2. 8. & 11.

XCIV. Ideoque, in Euangelio quidem, jubentur omnes [a], vera ac viva fide (seu, cum resipiscentia ac charitate, conjuncta [b]) credere Jesum, esse Christum, Filium Dei [c]: qui redemit, omnium verè fidelium Ecclesiam, suo sanguine [d]. Ad quam fidem, etiam Reprobi sunt obstricti: sed, quia nulli eorum, ob nativam corruptionem, ac culpam suam, hanc obedientiam Euangelio præstant [e] (quòd, aut lumine notitiæ careant [f]: aut illuminati, à Spiritu Sancto [g], resipiscentia ac charitate, destituantur [h]) idcirco meritò, à Christo judice, punientur [i].

a Marc. 16. 15. 16. b Luc. 24. 47. Gal. 5. 6. c Ioh. 20. 31. Act. 8. 37. d Act. 20. 28. e Ioh. 6. 44. 45. & 10. 26. 1. Cor. 2. 14. f Eph. 4. 18. g Heb. 6. 4. h Ib. v. 8. i 2. Thes. 1. 8.

XCV. Ut verò quisquam, cum Paulo, nominatim, de Christi morte, credat ac dicat; *Qui dilexit me & tradidit seipsum pro me* [a]: illud, neque communi Euangelii sententiâ narratur, neque præcipitur: nec ullus certò credere tenetur, aut potest, nisi qui, fide viva, in Jesum Christum, pro Ecclesia mortuum, sit præditus, & inde (tanquam ex proprio effecto) de sui, ad vivam Christi & Ecclesiæ communionem, vocatione sit certus. Adeo ut, cum Paulo, etiam dicere queat; *Unà cum Christo crucifixus sum. Vivo autem non amplius ego: sed vivit in me Christus: & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo, per fidem Filii Dei*: ut sequentia addere possit; *qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.*

a Gal. 2. 20.

XCVI. Hic enim fidei actus particularis: ex fidei vivæ (quam Euangelium omnibus præcipit) conscientia, necessariò consequitur. Ideoque, in descriptione fidei, eo modo adhiberi solet. Siquidem Euangelium, *fundamentum* ac *Propositionem* substernit; Qui viva fide credunt, Jesum esse Christum, Filium Dei, populi sui (seu omnium verè fidelium) servatorem, pro iis Christus est mortuus: conscientia verò hominis fidelis (ex fidei suæ, cum fide Euangelio præscripta comparatæ, consensione comperta) *Assumptionis structuram* subministrat: ego autem viva fide, id credo: unde *Conclusionis fastigium* imponit; ergo Christus pro me est mortuus. Qualis Syllogismus ab August. proponitur [a].

a Tom. 9. Tractat. 22. in Iohan.

XCVII. Quod autem falsos doctores fore ait Apostolus, *qui subintroducent hæreses exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi velox exitium* [a]: illud (ut & olim [b], à nobis est demonstratum) Christi mortem, Reprobis communem, nequaquam reddit.

a 2. Pet. 2. 1. b Disput. de Euang.

XCVIII. Nam vox δεσπότης *herus*, ad Patrem sæpius: ad Filium, vix uno in loco, relata: de illo, non de hoc, sermonem esse, indicat. Deinde *empti* etiam dicuntur, non pretioso sanguine; sed ratione externæ, in servos Dei, vocationis: qua illos, à mundi erroribus, & dissoluta scelerum licentia, ad externam Ecclesiæ disciplinam, adduxit, ac sibi, parte aliqua, acquisivit [a]. Unde, tales etiam, secundùm quid, *filii regni* [b], (quod, simpliciter acceptum, solis servandis convenit [c]) dici solent.

a Exod. 15. 17. Deut. 32. 6. b Mat. 8. 12. c Ib. 13. 38.

XCIX. Quoniam, ut vox, *acquirendi*, generalis, synecdochicè specialius pro *emptione*, sæpius usurpatur [a]: sic vicissim specialis *emendi* dictio, generalius, pro *acquisitione* [b] (sicut relatione concinna, *venditio*, pro *traditione*) simili tropo, in Sacris literis, accipi consuevit [c].

a Esa. 24. 2. Jer. 32. 7. Prov. 20. 14. & 23. 23. Gen. 25. 9. cum Act. 7. 16. b Esa. 55. 1. Ap. 3. 18. c Judic. 4. 2. 9.

C. Denique neque ullo in loco, Reprobi, sanguine Christi, sanctificati asseruntur. Nam, quod Apostolus ait; *Qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis profanum duxerit, per quem fuit sanctificatus* [a]: nihil evincit. Nam (ut omittam quod sanguis fœderis, de Cœnæ poculo, utpote sacramento sanguinis [b], & *sanctificatio*, de externa Ecclesiæ societate, à nonnullis intelligitur) verba illa non ad Christi adversarium, sed ad Christum, referuntur: qui, sanguine fœderis, fuit sanctificatus, hoc est, effusione sanguinis sui, sese Patri, in hostiam, pro peccatis Ecclesiæ, consecravit. Ut eodem sensu loquens ait; *Pro eis ego sanctifico meipsum: ut & ipsi sint sanctificati, in veritate* [c]. Quæ circumstantia, peccatum aggravat. Hactenus *de morte Christi*.

a Heb. 10. 29. b Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. c Joh. 17. 19.

COROLLARIA.

1. *An certum sit, Christum vocari Ap.* 13. 8. agnum mactatum, à constitutione mundi? *N. quia cum Aretha dici potest*; à constitutione mundi, *non ad proxima verba*, agni mactati: *sed ad præcedentia*, scripta sunt, referri: ut Ap. 17. 8. *eodem sensu conjunguntur*; ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα, ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου· *quorum nomina, scripta non sunt, in libro vitæ, à constitutione mundi.*

2. *An etiam (si priori modo construatur) satis aptè, ad mactationis Christi destinationem: aut ad agni paschalis, aliorumque sacrificiorum, typos: aut ad pretii illius efficaciam, priscis patribus nobiscum communem (ut variè declarari solet) referatur? N. Quia scopus loci, mactandorum pro Christo, in vera patientia confirmatio, persuadet consolationem esse, à Christi, & Ecclesiæ, exemplo perpetuo, seu, ab agno mactato, non solùm in se, sed etiam in membris suis, inde ab origine mundi. Qualis consolatio Heb.* 12. 1. 2.

3. *An rectè Pontificii doceant; Quòd Christus in cruce quidem, corpore ac sensibus, sustinuerit cruciatus: in anima verò rationali, non solùm eorum fuerit expers; sed etiam summo, ex vita æterna fruitione, gaudio fuerit plenus* [a]*? N. Quia Antichristiana est, passionis & dignitatis mortis Christi, mutilatio.*

a Thomas Aq. Summæ par. 3. q. 46. art. 8. Melchior Canus loc. Com. l. 12. c. 14. Bellar. cont. t. 1. De Christo l. 4. c. 8.

4. *Cui altera similis; qua* contritionis capitis serpentis *laudem (quæ passioni & morti Christi propria est Heb.* 2. 14.*) ad matrem Christi referunt, & primum Euangelium, horrenda hac perversione,* ipsa conteret caput tuum, *corruperunt. Imo, in Bibliis regiis Gen.* 3. 15. *vocem* hou, *ipse, in* hi *ipsa, eam ob causam, contra omnium codicum & antiquorum, consensum, profanè & ridiculè depravarunt: Quia vox conterendi Hebræa* Jeschouphcha, *masculini generis, eam sententiam ad mulierem nullo modo referri posse, perspicuè evincit.*

5. *An pia sit Hilarii sententia, quæ, in passione ac morte, Jesum quidem esse Christum agnoscit: sed* sine sensu doloris, sine metu mortis [a]*? N.*

a Comment. in Mat. Can. 31. & de Trin. l. 10. p. 208. &c. edit. Froben.

6. *An Christus sit, pro bonis Angelis, mortuus: ut, aut nævos eorum expiaret, aut sanctitatis perseverantiam iis acquireret? Neg. quia S. literis non probatur: nec* Angelos assumpsit, *Heb. cap.* 2. *v.* 16. nec sani opus habent medico, *Marc. c.* 2. *v.* 17.

7. *An reprobi absolutè teneantur credere, Christum pro ipsis mortuum? N.*

8. *An non saltem posita hac conditione, si viva in Christum fide essent prædití? A. Nam licet absolutè, & antecedens & consequens, sit falsum; consequentia tamen vera est: ut in hypothetica Christi Ioh.* 8. *v.* 55. *si dixero, me eum (Patrem) non nosse, ero similis vobis mendax: & Pauli Gal.* 1. 8. *Si nos, aut angelus è cœlo euangelizaverit vobis, præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto. Ex falso antecedente non verum consequens: sed vera consequentia oritur.*

9. *An voluntaria mortis Christi, pro nobis perpessio, sit perfecta illius pro nobis justitia? Neg. quia pars tantum est universalis justitia Deo debitæ & pro nobis præstitæ, obedientia.*

10. *An rectè dicatur: quòd* Christus sese *voluntariè* in manus hostium, tradidit, juxta vaticinium Isaiæ 53. 7. oblatus est, quia voluit? *N. quia error est, ex vulgata versione: quem, fons Hebræus consultus, diluit.* Arctatus est & ipse afflictus.

EX libro, *Præceptorii Nicolai de Lyra*, excuso Coloniæ per Hermannum Bungart. anno 1497.

Interrogationes faciendæ, infirmo morienti.

Primò interrogari debet; si credit omnia, quæ sunt fidei Christianæ? & respondeat; Credo. *Secundò*, si gaudet se mori, in fide Christiana? respondeat; Gaudeo. *Tertiò* si recognoscit, se Deum multum offendisse? & respondeat; Recognosco. *Quartò*; si dolet, de omni Dei offensa? & respondeat; Doleo. *Quintò*; si proponit de cætero, ab omni offensa peccati mortalis, abstinere? & respondeat; divino auxilio mediante, propono. *Sextò*; *si credit, se meritis passionis Christi, & non propriis, ad gloriam pervenire?* & respondeat tunc; *Credo. Ultimò* debet sibi dici; si occurrerit tibi inimicus Diabolus, *semper ei opponas, merita passionis Christi.* Amen. Hactenus ille.

Bellarminus de justific. l. 5. c. 7. Tertia propositio: Propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ, *tutissimum est fiduciam totam, in sola Dei misericordia, reponere.*

O quàm verè (ut alicubi à Lactantio dictum)

Veritas, ex invitis pectoribus, erumpit:

& Ecclesiarum nostrarum fidem, in ipsa morte confirmat.

DISPUTATIO XIX.

DE MERITO CHRISTI, EJUSQUE BENEFICIIS ERGA NOS.

HUc usque de Personâ & Officio Iesu Christi Mediatoris. Sequitur ut Meritum, quod Persona illa per Officium illud nobis acquisivit, consideremus.

THESIS I.

VOcabulum Meriti pro vario ad relatum suum respectu (est enim in categoriâ relationis) vel *propriè*, vel *impropriè* sumitur. *Impropriè & figuratè* capi debet, cum ad mercedem gratis datam [a], citra perfectam conditionis, à parte præmium promittente exactæ, præstationem, refertur. Ejusmodi meritum notatur, cum dicitur apud Euangelistam, Diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra multa, ac Filii eritis Altissimi [b]. Etenim talis merces, seu præmium, non ex rigore legis, & jure debiti, quare neque ex merito propriè, sed ex acceptilatione gratiosâ Dei proficiscitur, & benevolâ tantum ipsius sponsione nititur: ita ut Deus hîc tanquam gratuitus remunerator in considerationem veniat. *Propriè* verò meritum de J. Christo θεανθρώπῳ prædicari potest [c], cum ex hypothesi legis pactique divini, & plenâ muneris mediatorii perfunctione, citra ullam conditionis in eo requisitæ omissionem, præstitit [d], quod ad redemtionem nostrî præstare debebat. Atque ita relatio inter meritum & præmium, quæ hîc est, mutua est: quæ ibi, non-mutua.

a Rom. 4. 4. Matth. 5. 12. cum Rom. 6. 23. Matth. 5. 46. cum Luc. 6. 32. Luc. 6. 32, 33, 34. cum v. 35. b Luc. 6. 35. c Thomas Sum. p. 3. q. 48. a. 1. d Joan. 19. 30.

II. Neque verò meriti nomine gratia Dei evacuatur; equidem fatemur, si quis simpliciter & per se Christum judicio Dei opponere vellet, non fore merito locum, quia non reperiretur dignitas in homine quæ Deum promereri posset: at cum de Christi merito agimus, non statuimus in eo principium salutis: sed conscendimus altius usque ad Dei voluntatem & ordinationem [a], quæ prima causa est, quia puro puto beneplacito suo mediatorem constituit, qui salutem nobis compararet. Atque ita meritum Christi misericordiæ Dei supponitur, non opponitur: sunt enim subalterna: subalterna autem non pugnare Logica docet. Quare nihil impedit, quo minus gratuita sit hominum justificatio ex merâ Dei misericordiâ, & simul intercedat Christi meritum [b], ita ut operum nostrorum causalitas aut concausalitas omnis & omnino excludatur [c].

a Aug. 1. de Præd. 15. & de bono perf. c. ult. b Rom 3. 24, 25. c Luc. 17. 10.

III. Est autem meritum Christi *integra & absoluta obedientia Filii Dei altissimi, qua à Patre, ad officium mediatorium in mundum hunc missus voluntati* [a] *ejus ultrò* [b] *ad mortem* [c] *usque & maledictionem* [d] *humiliando sese subjecit, legem perfectè implevit* [e], *ac judicio Dei plenè satisfecit* [f], *ut nos à mortis cùm prima tum secunda* κατάρας [g] *liberaret, & vitæ æternæ præmium nobis acquireret* [h].

a Heb. 10. 7, 9. b Ioan. 10. 17, 18. Gal. 1. 4. Eph. 5. 2, 25. c Phil. 2. 8. d Gal. 3. 13. e Mat. 3. 15. 5. 17. Gal. 4. 4. f Ioan. 19. 30. g Gal. 3. 13. Oseæ 13. 14. 1. Cor. 15. 54. Hebr. 2. 14. h Ioh. 10. 28. & 17. 2. Heb. 5. vers. 9.

IV. *Causa* προκαταρκτικὴ meriti hujus gemina est, *justitia* sc. Dei, & *misericordia* ejus; *illa*, quâ iniquitatem, quam in hominibus conspicit, impunitam relinquere non potuit [a], ut justus judex: *hæc*, quâ, quod suum est, perdere in iis non voluit [b], ut misericors Pater. Quare pro suâ inenarrabili sapientiâ *justitiam* cum *misericordiâ*, & *misericordiam* cum *justitiâ* inconfusè temperavit, & ad *utriusque* declarationem hoc salutis nostræ mysterium invênit in Filio dilectionis suæ [c]: ut qui justificemur gratis, ejus gratiâ, per redemtionem factam in J. Christo, quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrandam justitiam suam per remissionem antecedentium peccatorum [d]. Atque ita evênit quod regius Propheta prædixerat; benignitas & fides occurrent inter se, justitia & pax osculabuntur se [e].

a Deut. 27. 26. Exod. 20. 5. Deut. 5. 15. Psa. 5. 5, 6, 7. b Ioan. 3. 16. Ro. 5. 8, 10. 1. Ioan. 4. 9, 10, 11. c Rom. 8. 3. d Rom. 3. 24, 25. e Ps. 85. 11. Os. 2. 19.

V. *Causa efficiens* est J. Christus, Filius Dei [a] secundum divinitatem, Filius hominis [b] secundum humanitatem, mediator Dei & hominum [c], magnus noster Pontifex [d], & advocatus [e], qui cum esset in formâ Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo, sed ipse se exinanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus, & habitu compertus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis [f]. Hic & solus hic causa meritoria salutis nostræ est: quâ de causâ appellat eum Paulus αἴτιον σωτηρίας αἰωνίου [g], & Petrus ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς [h]. ipseque de se pronunciat, ἐγώ εἰμι ἡ θύρα [i], ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, &c. καὶ ἡ ζωή [k]. Falluntur igitur & fallunt illi, qui Christum instrumentum duntaxat, & ministrum salutis, non etiam primarium ac promerentem plenissime, constituunt.

a Ioan. 6. 69. b Ioa. 6. 62. c 1. Tim. 2. 5. d Heb. 4. 14. e 1. Ioa. 2. 1. f Phil. 2. 6, 7, 8. g Hebr. 5. 9. Hebr. 2. 10. h Act. 3. 15. i Ioa. 10. 9. k Ioan. 14. 6.

VI. *Materia*, sive *subjectum*, est idem J. Christus, qui & *Causa efficiens* est, ipse enim & sacerdos noster est & victima; utpote qui in consummatione seculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est [a], & per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo [b], atque ita non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est in sacrarium [c]. Cum Christum materiam statuimus, totum Christum, ut est θεάνθρωπος, consideramus, non solam ejus divinam naturam, neque solam humanam: illa enim cum rerum omnium sit domina, atque per se & in se passa non sit, imò prorsus sit impatibilis [d], nihil ab hac separata pro nobis mereri potuit: neque hæc ab illa separata quicquam potuit mereri, cum per se sit ἀνυπόστατος, propter eaque à λόγῳ in unitatem ὑποστατικῶς assumta. Quemadmodum igitur actiones non ad naturam, sed ad personam referuntur, ita quoque meritum ex actionibus fluens, ad totum J. Christum, qui homo-Deus & Deus-homo in unâ personâ est, referri debet [e].

a Heb. 9. 26. b Ibid. 14. c Ibid. 11. d Iac. 1. 17. e Aug. ad Pasch. Epist. 174.

VII. Hic Christus totâ suâ exinanitione & spontaneâ submissione tam in *actione* quam in *passione* pro nobis satisfecit: tam

tam enim *actionem* [a] quam *passionem* [b] lex à nobis, quippe & ad imaginem Dei conditis, & debitoribus, requirebat, quæ bimembris cum esset, nempe ἀνομίας retributio per pœnæ sufficientis λύτρον, ut legis violationi, & maledictionis anathemati satisfieret (quam *justitiam passivam* vocamus) & εὐνομίας universalis & perfectæ, naturæ & vitæ, juxta legis postulatum, impletio (quæ *justitia activa* dicitur) idcircò meritum Christi duas hasce partes [c] integrales, non quidem tempore, naturâ tamen distinctas continere debuit. Alioqui juxta legem (quæ hîc, ut tetrica & rigida hera, observanda attenditur) adhuc dum aut rei condemnationis, aut nondum vitæ hæredes essemus. Ideoque rectè utrumque connectitur à Prophetâ, expiatio iniquitatis, & adductio justitiæ perpetuæ [d]. Quos duos actus non quidem sejungi, omninò tamen inter se distingui oportet: nam inter utrumque esse potest innocentia, & justitia incompleta, saltem ratione durationis, qualis erat in primis hominibus ante lapsum, qui nec rei erant mortis, necdum tamen etiam jus habebant ad vitam.

a Deut. 6. 25. Lev. 18. 5. Rom. 2. 13. 10. 5. b Deut. 27. 26. c Mat. 3. 15. 5. 17. Rom. 5. 19. 10. 4. Gal. 4. 4. Phil. 2. 8. Hebr. 7. 26. d Dan. 9. 24.

VIII. *Passiva justitia* Christi est *voluntaria illa obedientia in passione ipsius fundata & sita* (quæ obedientia non tantum est secundum arbitrarium ac peculiare mandatum, respectu Christi innocentis non promeriti, sed etiam respectu noxæ nostræ, & ipsius fidejussionis, juxta communis legis anathema [a], ac secundum legis præceptum [b], quæ pœnam Deo debitam rigidè exigunt.) Hæc passio complectitur, tum demissionem illam sui ipsius & humiliationem, quâ exinanivit se usque ad servi formæ assumtionem, tum perpessionem ejus quicquid mali ipsi accidit per vitæ universæ cursum, tum mortem ipsam ac sanguinis effusionem, tum etiam ineffabiles illos animæ cruciatus [c], & horrendæ maledictionis ac divinæ iræ sensus [d], quorum in horto præsensio facta: calcavit enim ipse lacum vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis [e]; siquidem non tantum mortem corporalem, sed & execrationem nostri perferre debebat [f]. Hinc meritò nostrum ἱλαστήριον [g], & πάσχα [h], & ἀμνὸς [i], imò & ἁμαρτία [k], & κατάρα [l] dicitur. Neque vero hæc Christi justitia est ipsamet legis justitia integra, utpote quæ etiam perfectam præstationem postulet, sed compensatione quadam, seu culpæ debiti, & pœnæ crediti inter se contributione, quasi primæva integritas.

a Deut. 27. 26. b Exod. 20. 5. Deut. 5. 15. c Esa. 53. 11. Matt. 24. 34. d Esa. 53. 4, 5. Psalm. 18. 5, 6. & 22. 7, 15, 16. & 69. 1. 2. & 116. 3. Matth. 27. 46. Hebr. 5. 7. e Apocal. 19. 15. f Gal. 3. 13. g Hebr. 9. 5. Rom. 3. 25. h 1. Cor. 5. 7. i Ioan. 1. 29, 36. k 2. Corinth. 5. 21. l Gal. 3. 13.

IX. *Activa* Christi *justitia* est *universalis & perfecta à vitæ ipsius principio ad finem usq; obedientia* [a], *quâ secundum strictum præceptorum legis rigorem ambulavit, ab illis ne in minimo quidem sive internè sive externè recedens* [b]; unde κατ' ἐξοχὴν *justus ille* [c], itemque *sanctus ille* [d], *sanctus sanctorum* [e], & *agnus inculpatus & incontaminatus* [f] vocatur: nisi enim vita ejus sancta, pura & innocens fuisset, legem non modò non implevisset, sed novis insuper transgressionibus violasset. Habet autem justitia hæc membra duo, nempe *justitiam originalem*, nostræ injustitiæ originali, & *justitiam actualem*, nostræ injustitiæ actuali, oppositam; illa *naturam* Christi, hæc ejusdem *vitam* concernit. Hæc gemina justitia Christi geminam nostram injustitiam suo modo tegit, non quidem reatum auferendo (hoc enim *justitiæ* ejus *passivæ* competit) sed defectum integræ justitiæ supplendo, quam conditio vitæ consequendæ postulabat [g]. Quare non tantum *passiva* Christi *justitia*, sed etiam *activa*, h. e. neutra sola, sed utraque simul, justificationem nostrî causat, illa peccati ablationem, hæc justitiæ collationem.

a Phil. 2. 8. b Esa. 59. 9. 1 Pet. 2. 22. 2 Cor. 5. 21. Marc. 12. 14. Luc. 20. 21. Joan. 8. 46. c Actor. 7. 52. 3. 14. d Ib. & Luc. 1. 35. e Dan. 9. 24. f 1. Pet. 1. 19. g Lev. 18. 5. Deut. 6. 25.

X. At enimverò quia nihil *activâ justitiâ* promeritus fuisset Christus, nisi chirographum [a], quod nobis adversum erat, cruci affixum è medio sustulisset, ac planè suâ morte, in quâ [b] integræ ipsius justitiæ colophon & coronis elucet, delevisset; hinc jure merito in *passivâ* ejus *justitiâ* (non tamen exclusâ *activâ*, sed synecdochicè inclusâ) umbonem fidei & galeam salutis ponimus [c], ideoque etiam illuc afflictæ & trepidæ conscientiæ à S. Script. diriguntur [d], & illinc contra terrores legis, & Satanæ insultus consolatione afficiuntur [e].

a Col. 2. 14. b Heb. 10. 14. c Rom. 8. 34. d Heb. 10. 19. e 1. Ioan. 1. 7.

XI. *Forma* est, tum voluntaria & plenissima suscepti à Christo, ex dispensatione œconomica divina, debiti nostri persolutio, etenim morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros bajulavit [a]: tum legis perfectissima impletio, nam finis legis est Christus [b].

a Esa. 53. 4. b Rom. 10. 4.

XII. *Finis* est, ut Deum, cui propter ἀνομίαν nostram eramus omnes exosi, placaret [a], & nobis vitæ æternæ jus, ac possessionem compararet [b].

a Rom. 3. 25. 2. Cor. 5. 18, 19. Rom. 5. 10. b Heb. 9. 12.

XIII. Ex iis omnibus, quæ hactenus diximus, colligere licet, quænam apotelesmata, effecta, & beneficia ex merito Christi redundent, quæ *generaliter* spectata ad hæc ferè capita deduci possunt [a]. 1. *Liberavit nos à servili præstatione legis* [b], quatenus ipse legem nobis latam & à nobis violatam perfectè adimplevit. 2. *Liberavit nos à peccato* [c] *ejusque servitute*, quatenus per eum redemti sumus [d], & pro nobis peccatum factus est, ut nos fieremus justitia Dei in ipso [e]. 3. *Liberavit nos à potestate diaboli* [f], quatenus remissa nobis sunt peccata, & Deo Patri reconciliati sumus, & temerariè in ejus mortem ille machinatus est [g]. 4. *Liberavit nos à reatu pœnæ* [h], quatenus ejus meritum fuit superabundans pro peccatis satisfactio, & causa remissionis peccatorum, quibus homo pœnam merebatur. 5. *Liberavit nos ab irâ Dei* [i], quatenus peccatum removit, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam in odorem bonæ fragrantiæ [k]. 6. *Adaperuit nobis januam regni cœlorum* [l], quatenus non modò à peccato communi humanæ naturæ, quoad culpam & pœnam, sed etiam à peccatis specialibus singulorum nostrum [m], liberati sumus.

a Thomas sum. p. 3. q. 49. b Gal. 4. 4, 5. c Apoc. 1. 5. d 1. Cor. 1. 30. Heb. 9. 12. e 2. Cor. 5. 21. f Ioa. 12. 31. g Matth. 4. 10, 11. h Gal. 3. 13. i Rom. 5. 9. k Eph. 5. 2. l Heb. 10. 19. m 1. Ioa. 1. 7.

XIV. *Specialiter* verò considerata, multa, imò infinita sunt [a]. Si enim *Salus* quæritur, ipso nomine Jesu docemur penes eum esse [b]: si *spiritus*, alia quælibet dona in unctione ejus reperientur: si *fortitudo*, in ejus dominio: si *puritas*, in ejus conceptione: si *indulgentia*, in ejus nativitate se profert, qua factus est nobis per omnia similis, ut condolescere disceret [c]: si *sanctitas & innocentia*, in ejus vitâ: si *redemtio*, in ejus passione: si *absolutio*, in ejus damnatione: si *maledictionis remissio*, in ejus cruce: si *satisfactio*, in ejus sacrificio: si *purgatio*, in ejus sanguine [d]: si *reconciliatio*, in descensu ad inferos: si *mortificatio carnis*, in ejus sepulchro [e]: si *vita novitas*, in ejus resurrectione [f]: si *immortalitas*, in eadem: si *hæreditas regni cœlestis*, in cœli ingressu: si *præsidium*, si *securitas*, si *bonorum omnium copia & facultas*, in ejus regno: si *secura judicii expectatio*, in potestate judicandi illi traditâ [g]. Denique in ipso thesauri omne genus bonorum cum sint, inde ad satietatem hauriantur, non aliunde [h].

a Calvin. Inst. l. 2. c. 16. §. 19. b Act. 4. 12. Matt. 1. 21. c Heb. 2. 17, 18. d 1. Ioan. 1. 7. e Col. 2. 11, 12. f Ibid. & 3. 1. g Iac. 5. 8. h Ioan. 4. 14. & 7. 37. Apoc. 21. 6.

XV. Quanquam autem hoc meritum Christi *subjectivè* sit in ipso, *objectivè* tamen in nobis est, fitque nostrum duplici applicatione, *divinâ* sc. & *nostrâ*. *Illâ*, quâ Pater Filii sui meritum nobis imputat [a], propterque id nos à culpa & à reatu absolvit [b], proque justis reputat [c], perinde quasi pœnam peccato debitam nos ipsi luissemus, nosque ipsi legem præstitissemus [d]. *Hâc*, quâ meritum illud per fidem apprehendimus, & nobis appropriamus [e]. *Utriusque* autor Deus est, qui non tantum meritum applicandum offert, verum etiam fidem applicantem confert [f].

a Esai. 53. 4. b Ibid. 5. c 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. d Eph. 5. 26, 27. e Rom. 3. 25. 10. 10. f Rom. 12. 3. Phil. 1. 29. Hebr. 12. 2. 1. Cor. 12. 9. 2. Cor. 4. 13.

XVI. Quare meriti hujus vim & ἐνέργειαν non ad universum corpus hominum, sed tantum ad corpus illud mysticum fidelium pertinere statuimus [a], qui ut viva membra capiti suo Christo per Spiritus S. gratiam prævenientem [b], & in omni vitâ concomitantem [c], unita manent [d], ac denique per gratiam ejusdem perseverantem [e], in hac beneficiorum Christi communione sanctè vivunt ac moriuntur.

a Ioan. 3. 16, 36. b Ioan. 6. 44, 65. c Ioan. 14. 16, 17. d Ioan. 6. 56. e Heb. 12. 2. 13. 21.

XVII. Unde verò sit illa Christi meriti dispensatio, & cur fideli-

fidelibus tantum, ac non singulis hominibus ipso actu confertur, causa Deus est, qui cum sit liberrimum agens, & sapientissima mens, conditionem fidei prærequirere voluit [a]. Causa eventus sunt homines ipsi, qui plus amantes tenebras quam lucem [b], in hoc euangelium fidei, tanquam in lapidem offendiculi, sua incredulitate impingunt [c], ac Filium Dei conculcantes, & sanguinem fœderis profanum ducentes [d], sermonemque Dei repellentes, indignos seipsos decernunt æternâ vitâ [e], & accersunt sibiipsis velox exitium [f].

a Rom. 3. 25. b Joan. 3. 19. c Rom. 9. 32. d Hebr. 10. 29. e Act. 13. 46. f 2. Pet. 2. 1.

XVIII. Cæterum quotquot jam inde ab initio mundi salvi facti fuerunt, hodieque salvi fiunt, & ad finem usque mundi salvi fient, illi omnes per hoc Christi meritum, fide per operationem Spir. S. apprehensum, servati sunt [a], servantur, & servabuntur: est enim J. Christus heri, & hodie idem, & in secula [b]: estque ipse agnus ille mactatus jam inde à jacto mundi fundamento [c]. Cui merenti, cum Patre meritum præparante, & Spiritu S. meritum nobis per fidem applicante, sit honos & gloria sempiterna. *Amen.*

a 1. Cor. 10. 1, 2, 3, 4. Eph. 4. 5. b Heb. 13. 8. c Apo. 13. 8. 1. Pet. 1. 19. 20.

CONSECTARIUM.

An piorum animæ ante Christum ipsius merito in cœlo fuerint? Aff.

Leo Papa in Sermon. VII. Mensis.

Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, si universitas captivorum in Redemtorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

DISPUTATIO XX.
DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM DEI.

Quæcunque, ad seriam rerum indaginem, divinæ veritatis cultores, stimulare solent, ea sanè, in illustri hac, de sessione Christi ad dextram Dei, *materia concurrere comperimus. Ut enim sublimitas & fructus illius est singularis: sic ejusdem quoque difficultas, variis, veterum & recentium theologorum, controversiis agitata, clarissimè elucet. Adeo, ut quidam in hac re omnino fluctuent* [a]: *alii etiam quæstionem hanc inexplicabilem* [b], *judicarint. Ac propterea, non alienum fore, arbitramur; si genuinam gravissimi hujus dogmatis, sententiam, à* vocibus *ad* rem *progressi, paucis enucleemus, & in publica hujus Academiæ palæstra, ventilandam proponamus.*

a Vide Bellar. De Christo l. 3. c. 15. Maldon. comment. in Mar. 16. & Johan. 1. b Cyrillus catech. 14. apud Maldon. ibid.

THES. I.

Voces autem, hoc loco observandæ, occurrunt duplices: partim disjunctæ: partim conjunctæ. Illæ sunt, *dextera* & *sedere*. Dextera, Hebraicè *jamin:* Græcè, δεξιὰ nuncupatur: origine & significatione consentanea. De quibus, paulò uberius, in rudiorum gratiam, disseremus: ut eâdem operâ, & proposita doctrina, & plurima Sacræ scripturæ loca, magis illustrentur.

II. Hebræa autem vox *jamin*, ab *amán* firmare [a], deducta, *propriè* dexteram animalis partem, lævæ oppositam concinnè designat [b]: quòd in ea, firmitas ac robur animalis potissimùm consistat [c]: &, ab eadem, progressus existat initium [d]. *Impropriè* verò, trifariam usurpatur.

a Forster. lex. Heb. b Jud. 3. 15, 16. Ex. 29. 22. Zach. 11. 17. c Plinius nat. Hist. l. 7. c. 17. d Arist. 2. de Cœlo, c. 2.

III. *Primùm* per metonymiam, cum *generalius*, pro loco quovis, ad dexteram sito [a]: tum *specialius*, pro regione australi [b]: quòd ea, spectantibus Orientem (quæ *kedem* [c] anterior pars: ut occidens, *achor* [d], posterior, in Scriptura, nominatur) posita sit ad dexteram [e]. *Deinde*, per synecdochen, manum dexteram [f], tanquam primarium, dexteræ partis, membrum designat.

a Gen. 13. 9. 2. Sam. 2. 21. b Psal. 89. 13. c Gen. 11. 2. Esa. 9. 12. d Esa. 9. 12. e Epiph. contra secundianos Hæres. 32. f Gen. 48. 14. 18.

IV. *Denique* per metaphoram, *duobus modis*, alio transfertur. Quorum *prior* est, ut vires ac potentiam [a], significet. Qua etiam ratione, is, ad *dexteram* hominis, stare dicitur; qui vires illius, vel propugnat amore [b]: vel oppugnat odio [c]. *Posterior* est, cum effectum virium, seu præsidium atque auxilium [d], designat. Quæ etiam metaphora, Latinis trita: sicut Poëta: *dextram dare* [e] dixit: & Orator, addita, metaphoræ expositione, ait; *tendit dexteram Italia: summque ei præsidium pollicetur* [f].

a Psal. 144. 8. b Psal. 16. 8. & 109. 31. c Psal. 109. 6. d Lam. 2. 3. e Virgil. Æneid. 6. f Cicero in Ant. Philip. 10.

V. Atque huic *voci Hebrææ jamin*, respondent *Græca* τὰ δεξιὰ & ἡ δεξιὰ, substantivè accepta. Nam, ut δεξιὰ μέρη [a], partes dexteræ; & eodem sensu, absolutè τὰ δεξιὰ [b] dextera nominantur: sic ἡ δεξιὰ χεὶρ [c], δεξιὰ σιαγὼν [d] dextera manus, dextera maxilla, & absolutè ac synecdochicè ἡ δεξιὰ [e] dextera, pro dextera manu, dici solet.

a Ioh. 21. 6. Arist. problem. sect. 6. b Matth. 20. 21, 23. & 27. 38. c Mar. 5. 30. d Mat. 5. 39. e Mat. 6. 3.

VI. *Origo* autem vocis δεξιὰ, est ἀπὸ τοῦ δέχω, δέξω [a], accipio: quoniam, ut ea, viribus naturâ potior est, quàm sinistra; ita quoque, ad acceptionem, magis est idonea [b]. Τοῖς γὰρ δεξιοῖς, πάντα πέφυκε τὰ ζῶα, ἀδρὰ μᾶλλον [c]: *parte enim dextera, efficaciora sunt, suapte natura, animalia omnia.*

a Eustath. in Iliad. β & Etymol. mag. in δεξιὰ. b Etym. ibid. c Arist. de part. animal. l. 4. c. 8.

VII. A qua re, altera, nonnihil argutior, etymologia, non abludit: quod δεξιὰ, dicta sit, quasi δεξιά τις οὖσα· ἀπὸ τοῦ, τὰς πλείους δι' αὐτῆς δεξιῶς πράξεις [a], quod pleræque, per eam, actiones procedant ac peragantur. Quemadmodum, è contrario, sinistram, σκαιὰν (scævam) vocant: σκαιὸς γὰρ ὁ ἀδέξιος πρὸς τὰς πράξεις [b] quippe, ad actiones, inepta est. Ideoque, per antiphrasin, εὐώνυμον boni-nominis: ac similiter, ἀριστερὰν, τὴν οὐκ οὖσαν ἀρίστην· ἀλλὰ τῇ ἑτέρᾳ ὑπηρετοῦσαν [c] optimam, quæ optima non est: sed alteri (dexteræ) inservit. Quia φύσει βέλτιον, τὸ δεξιὸν ἀριστεροῦ [d] *dexterum, natura etiam melius est, sinistro.* Quocirca, dexteram olim, fidei firmandæ, quasi testem certum, consecrarunt [e].

a Etymol. mag. in δεξιὰ. b Etymol. mag. in σκαιὰ. c Ibid. in ἀριστερὰ. d Arist. l. de incessu animal. cap. 4. e Plin. nat. Hist. lib. 11. cap. 45. Gal. 2. v. 9.

VIII. Qua etiam de causa, Græcis δεξιὸς [a], ut Latinis dexter, peritum, ac rebus agendis idoneum faustumque, metaphoricè designat: ut contra σκαιὸς [b] & lævus [c], imperitum atque infaustum [d]: & ἀριστερὰ sinistra, τὰ μωρὰ [e] stulta, significat. Quo etiam modo, à sapiente Hebræo, *cor sapientis, ad dexteram ipsius: at stulti cor, ad sinistram ipsius esse* [f], asseritur, Confer, cum Ecclesi. 2. 14. & Prov. 17. 24.

a Aristoph. νεφέλαις. Pollux l. 2. c. 4. b Aristoph. νεφ. c Virg. d Scholiast. in Aristoph. νεφ. e Sophocles Ajace & Scholia. f Eccl. 10. 2.

IX. A qua voce δεξιὰ, eodem significatu, per epenthesin ac pleonasmum [a], δεξιτερὴ [b], & δεξιτερὰ, profluxit: unde per syncopen, Latina vox, *Dextera*, propagata est. Atque hæc quidem, *de voce prima:* cui *altera*, paucis explicanda, succedit.

a Eustath. Iliad. λ. b Homer. Iliad. α. & Apollinar. in Psal. 110.

X. Sedere, in hac, de sessione Christi ad dexteram Dei, doctrina, in sacris literis Hebraicè est *Iaschabh* [a]: Græce καθίζω [b], & κάθημαι [c]. Quorum *prioris origo*, est à κατὰ de, & ἵζω sedeo [d], aut sedere facio [e]: & similiter *propriè* desidere [f]: aut desidere facere [g], designat. *Posterioris* verò notatio, est à κατὰ de, & ἧμαι sedeo: quod ab ἵω synonymo suo promanat [h]. Latinum verò sedeo, à sedes: quod à Græco ἕδος solum, sella (ut hoc rursum ab ἵζω [i] sedeo [k]: quod etiam, ab ἵω per pleonasmum ζ, ortum [l]) derivant.

a Psal. 110. 1. b Mar. 16. 19. c Mat. 22. 44. d Homer. Il. β. vers. 769. e Ib. v. 53. f Mar. 16. 19. Hom. Il. γ. g Eph. 1. 20. Hom. Il. ζ. h Etym. mag. in κάθημαι. i Idem. in ἕδος. k Id. in ἵζω. l Id. in σύζω.

XI. Im-

XI. *Improprie* verò, tropo duplici, usurpatur. *Primum enim per synecdochen*, sessionem; unà cum honore ac potestate, significat. Quemadmodum, & septem Persidis principes, dicuntur *sedisse primi, in regno*[a]; quod in consessu & consilio ac judicio regni, primas obtinerent: & *sedens in solio*[b], regnantem, ac solio utentem, designat. *Deinde, per metaphoram* sedendi vox, pro quiescere[c], manere ac *residere*, seu commorari[d]: aut *præsidere*[e], seu regere ac judicare[f], usurpatur. Quo etiam tropo *sedes*[g], gloriam ac potestatem: & καθίζειν[h] sedere, facere judicem ac præsidem litis dirimendæ, statuere, denotat. Hinc Augustinus[i] *sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem; sed judiciariam significat potestatem.*

a Esther. 1. 14. b 1. Reg. 8. 25. c Mich. 4. 4. Zach. 1. 11. d 1. Reg. 2. 38. Actor. 18. 11. e Psal. 29. 10. f 1. Sam. 2. 8. Psal. 9. 5, 8. & 47. 9. g Psal. 45. 7. Luc. 1. 52. h 1. Cor. 6. 4. i De fide & symb. c. 7.

XII. Ut enim sessio, quieti ac moræ, idonea: sic etiam in regimine & consiliis ac judiciis, pro more[a], & quodammodo lege[b] (ad majorem cognitionis ac judicii maturitatem, & judicis auctoritatem) observari solet. Unde etiam, *sessiones judicum*, dictæ: & judices, non solùm *assessores*; sed etiam metonymicè, συνέδριον[c] consessus, appellantur. Ideoque *sedere*, pro judicare[d], à Latinis quoque usurpatum. Sed vocibus hisce *disjunctis*, plus satis explicatis, ad *conjunctas phrasi*, procedamus.

a Exod. 18. 13. Psal. 122. 5. Prov. 20. 8. Ioh. 19. 13. Act. 6. 15. & 23. 3. b Decretal. 6. de sent. & re judic. c. 5. c Mat. 26. 59. Act. 5. 21. d Cic. pro Cluent. & in Vatinium: & Ibid. Govea. Budæus Forensib.

XIII. *Sedere* enim ad *dexteram* (præsertim regis) *proprie* ad quietam & honorificam, corporis desidentis, positionem refertur[a]. Quo modo mater Salomonis, ad filii sui, solio insidentis, dexteram, honoris ergò, proxima consedit[b]. *Improprie* verò, *bifariam* usurpatur: cum de regis dextera, agitur.

a Ecclesiastici 12. 12. b 1. Reg. 2. 19.

XIV. *Primò enim per synecdochen*, præter honorificam hujusmodi sessionem, conjunctam etiam gubernandi potestatem designat: sicut in illa petitione, ad Christum, facta; *dic ut sedeant, isti duo filii mei, unus, ad dexteram tuam: alter, ad sinistram, in regno tuo*[a]. Quali fere modo, Ecclesia gloriosa, reginæ instar, ad dexteram Christi, sponsi sui ac judicis, non autem Dei Patris, collocanda describitur[b]: & fideles, unà cum Christo, sedere in cœlestibus[c]: seu, beatè quiescere, in primitiis sui capitis, & spe certa[d], asseruntur.

a Matt. 20. 21. Mar. 10. 37. b Psal. 45. 10. Mat. 25. 33. c Eph. 2. 6. d Ioh. 14. 3. Rom. 8. 24. 2. Tim. 2. 11, 12.

XV. *Deinde per metaphoram*, proximam à rege gloriam & regendi potestatem, designat: similitudine quadam, à communi regum more, ducta[a]: qui eum, quem cæteris omnibus, in regno suo, gloriæ ornamentis, ac potestate, anteponere, & cui, regni sui gubernationem, committere volunt, proximè, ad dexteram suam collocare, consueverunt. Quo etiam modo *Christus, ad dexteram Dei; sedere*[b], *esse*[c], *stare*[d], in Sacris literis, apta translatione, asseritur. Siquidem cum *Deus sit Spiritus*[e] (seu essentia incorporea) necessariò dexteræ, propriè acceptæ, est expers: ideoque ad eam, nonnisi impropriè, sederi potest. Hisce de *vocum* & *Phrasis* usu præmissis: de *reipsa* nobis tandem est differendum: eaque *definitionis propositione*, & *expositione*, nonnihil illustranda ac munienda.

a Hieron. in comment. ad Eph. 1. b Psal. 110. 1. c Rom. 8. 34. Psal. 110. 5. d Act. 7. 55. e Ioh. 4. 24.

XVI. *Sessio autem Christi, ad dexteram Dei*, hoc modo definiri potest; *propria, ac debita ipsius, post ascensionem in cœlum, in persona gloria, & regio officio, à Deo Patre, secundùm veritatem & justitiam, in æternum, exaltatio: ad perfectam Ecclesiæ salutem, & Dei Patris gloriam.* Quæ definitio, *causarum*, & *accidentium*, declaratione, distinctè est retexenda.

XVII. *Causa efficiens* sessionis hujus, vel propinqua est: vel remota. *Propinqua*, est Deus Pater: edicto[a] ac facto suo[b]: *remota* verò, aut est προκαταρκτικὴ & externa: quæ in infinita humiliationis Filii Dei, ad mortem usque crucis, dignitate, consistit[c]: aut προηγουμένη atque interna; quæ, Dei Patris, veritate, & justitia, continetur.

a Psal. 110. 1. Matth. 22. 44. b Eph. 1. 20. Psal. 8. 5. Heb. 2. 7, 8, 9. Act. 2. 33, 34. c Ap. 5. 9, 12, 15. Heb. 12. 2. Phil. 2. 6, 7, 9.

XVIII. Quarum *illa* quidem, accuratam executionis rei[a], cum decreto & prophetia Dei[b], convenientiam: *hæc* verò, debitam Filio Dei, pro minimè debita humiliatione & ignominia[c], gloriæ & honoris coronam, flagitabat[d]. Quæ, licet humanæ naturæ consideratione, dicatur gratuita[e]: pacti tamen ac promissi ratione, debita[f]; & personæ infinitæ, ac summè humiliatæ, valore ac jure[g], *merita* non immerito, censetur. Hæc de *causa efficiente*.

a Act. 2. 36. 1. Cor. 15. 2. b Psal. 110. 1. Act. 2. 34. c Esa. 53. 4, 5. 9, 10, 11. 1. Pet. 2. 22, 24. & 3. 18. d Heb. 2. 9. & 12. 2. Ap. 5. 21. 2 Thes. 1. 6, 7. e Phil. 2. 9. f Esa. 53. 10. Lev. 18. 5. Rom. 10. 4, 5. g Act. 20. 28. Ioh. 17. 5. Heb. 1. 8, 9, & 9. 14. & 12. 2. Esa. 53. 10. 12. Phil. 2. 6, 7, 8, 9, Apoc. 5. 9, 12, 13.

XIX. *Materia* verò *subjecta*, sessionis hujus ad dexteram Dei, propria, est sola Christi persona[a]. *Persona* quidem, non partim; sed omnino ac simpliciter. Quia, secundum utramque naturam, distinctè ac suo utrimque modo, convenit: ut, rei forma, & effecta illius, perspicuè demonstrant. *Sola* verò; quia solus, est *Immanuel*[b], *& Deus homo*: solusque, rex Ecclesiæ gloriosus constitutus[c]. Cujus, hoc est privilegium, quòd nulli est commune: neque ulli, sive mero Deo, sive meræ creaturæ, communicari potest.

a Heb. 1. 13. b Matth. 1. 23. c Psal. 2. 6. & 11. 1, 2. Actor. 2. 33. 36. Eph. 1. 20. 22.

XX. *Non mero Deo*; quoniam, ob beatitudinem[a] immutabilem[b], & infinitam suam perfectionem (quâ est altissimus[c], *schaddai*[d], nullius indigus, sibi abundè sufficiens[e]) exaltari, ac beatior reddi, nequit. *Nec meræ creaturæ*; quia illa ob perfectionem suam, mutabilem ac finitam, Deo infinito, gloriâ æquiparari, non potest. Quæ ambo, in sessione ad dexteram Dei (ut sequentia ostendent) distinctè comprehenduntur. Hæc quidem, de *materia*.

a 1. Tim. 6. 15. b Iac. 1. 17. c Psal. 9. 9. d Gen. 17. 1. Act. 17. 25. Rom. 11. 35, 36. e Esa. 42. 8. & 48. 11.

XXI. *Forma* verò est *duplex*; communis & propria. *Communis*, est personæ Christi exaltatio[a], seu glorificatio[b], hoc est, ex humiliori statu, in gloriosum evectio: quæ pluribus rebus convenit. *Alia* enim est, ex conditione mortali, ut resurrectio: quæ glorificationis est initium: alia verò, ex immortali; ut in cœlum ascensio; quæ est gloriæ progressus: & sessio ad dexteram Dei; quæ apex glorificationis, ac coronis existit.

a Esa. 52. 13. Phil. 2. 9. b Ioh. 7. 39. & 17. 5.

XXII. *Propria* verò *forma*, exaltatione ac glorificatione, peculiari ac bimembri, continetur. *Alia* enim est, ratione personæ ipsius; *alia*, ratione officii regii. Utramque eleganter complexus est propheta, his verbis; *Reportaturus est decorem, & sessurus ac dominaturus in solio ipsius*[a]. Ac *prior pars*, vel immediata est: vel mediata.

a Zach. 6. 13.

XXIII. *Immediata* personæ Christi glorificatio, est proxima Deo naturæ illius humanæ, supra omnes creaturas, beatitudo[a]. Quæ, in summa perfectionis & gaudii, animi ac corporis, excellentia, consistit. Quo etiam spectat, illud Augustini; *Ad dexteram ergo intelligendum est, dictum esse, in summa beatitudine: ubi justitia, & pax, & gaudium est*[b].

a Psal. 45. 8. Rom. 8. 29. b L. 3. de fide & symb. c. 7.

XXIV. *Perfectio animæ*, est scientiæ illius & potentiæ, ad summum usque gradum, amplificatio: quæ sanctitati pristinæ (quæ ab ortu fuit ac mansit perfecta) accessit. *Corporis* verò *perfectio*, summum robur, & pulchritudinem, forma ac splendore eximiam[a] (quæ *gloria*[b] ipsius, synecdochicè dici solet) complectitur. Cujus præludium & umbra, in statu humili antecessit[c].

a Psal. 45. 3. Luc. 9. 26. Psal. 97. 6. Ioh. 17. 24. Phil. 3. 21. c Matth. 17. 2. 2. Pet. 1. 10.

XXV. Qua etiam ratione, sessionem Christi ad dextram Dei, oculis percipi posse, Sacræ literæ attestantur. *Videbitis* (inquit Christus) *Filium hominis, sedentem à dextris Dei*[a]: & Stephanus; *video cœlos apertos, & Filium hominis, stantem à dextris Dei*[b].

a Matth. 26. 64. b Act. 7. 56.

XXVI. Gaudium vero utriusque, animæ & corporis Christi, est illius suavissima, ex Dei visione, & perfectionis suæ scientia ac sensu[a], affectio. De quo suo gaudio, in sessione, ad dextram Dei, comprehenso, gloriatur Christus, hoc modo; *Scire facies me, semitam vitæ: satietas gaudiorum, est cum vultu tuo: delectationes sunt in dextera tua, in seculum*[b].

a Esa. 53. 11. Psal. 45. 8, 9. b Psal. 16. 11.

XXVII. De

XXVII. De quo etiam gaudio, tanquam obedientiæ in terris peractæ, præmio, loquitur Psaltes; *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, præ consortibus tuis*[a]. Hæc enim, non est unctio gratiæ, in terris: sed gloriæ, in cælis. Illa enim ad humilem luctus sortem, cujus ratione, *vir dolorum, & familiaris morbo*, appellatur[b]: hæc verò ad beatam, omnisque luctus expertem conditionem, pertinet (metaphorâ, ab hilaribus festisque conviviis, deductâ[c]) ut tota Psalmi, de glorioso Christi statu, differentis series: & sequentia, de Christi regis, & reginæ, Ecclesiæ gloriosæ, ornamentis ac delectatione, demonstrant[d]. Atque hæc de *immediata Christi glorificatione*, humanæ naturæ tributa, sufficiant.

a Psal. 45. 8. b Esa. 53. 3. c Psal. 23. 5. Esa. 61. 3. Luc. 7. 46. d Psal. 45. 9. 10.

XXVIII. *Mediata* verò, naturæ divinæ, sine ulla illius mutatione, convenit. *Ea* enim, nihil *est* aliud, quàm divinæ majestatis Christi, ex humanæ naturæ gloria, relucentis, illustrissima patefactio.

XXIX. Nam, *ut* Filius Dei, sub humilis ac crucifixæ, humanæ naturæ, velo, suam, in terris, contexerat gloriam[a]; adeo ut, raræ, solùm illius, & à plerisque despectæ[b], scintillæ emicuerint[c]: *sic* contra, ex carne, in gloriam subvecta, solis instar; discussa, humilis & obscuræ conditionis nube, illustri ac sublimi suo fulgore, enituit: & Filium hominis, esse Filium Dei ac verum Deum, luculenter ac gloriosè, declaravit ac declarat.

a Psal. 22. 7, 8. Esa. 52. 14. & 53. 2, 3. Phil. 2. 7, 8. b Esa. 53. 1. Matth. 11. 6. c Ioh. 1. 14. & 2. 11.

XXX. Quam etiam gloriam, postulavit Christus, solenni hac oratione; *Glorifica me, tu Pater, ea gloria apud te, quam habui apud te, priusquam hic mundus existeret*[a]. Hoc est, me tuum esse Filium unigenitum, gloriosè declara. Quod præcipuè, in collocatione ad dexteram, tanquam glorificationis fastigio, comperitur. Et hæc quidem, de *glorificatione personæ Christi*.

a Ioh. 17. 5.

XXXI. *Glorificatio* verò, seu exaltatio, *ratione officii regii*, est gloriosa Christi, in regni ipsius possessionem, introductio. Ideoque, quod à Psalte *sedere ad dexteram*[a], vocatur; illud, ab eodem, *Dominari*[b]: & à Paulo, *Regnare*[c], per synecdochen, exponitur: eique opponitur, *ministrare*[d]. Quo etiam modo Petrus, collocationem hanc ad dexteram, explicat his verbis; *Fecit eum Dominum ac Christum*[e]. Quod quidem intelligendum est, non de effectionis initio[f]: sed de gradu summo, ac perfectione illius gloriosa[g]. Etsi Græci theologi[h], de patefactione, metaphoricè interpretentur: ut *faciendi* vox, interdum usurpatur[i].

a Psal. 110. 1. b Ib. v. 2. c 1 Cor. 15. 25. d Heb. 1. 13. 14. e Act. 2. 34. 36. f Luc. 2. 11. g Eph. 1. 20. 21. Phil. 2. 9. h Athan. orat. 3. Cont. Arian. Oecumen. Act. 2. i Ioh. 5. 18. & 10. 33. & 19. 7.

XXXII. Priori etiam modo, Latini Theologi (felicius sanè, quàm Græci plerique) explicarunt. Nam Tertullianus, *sedere* Christi, *præsidere* interpretatur[a]: Hieronymus, *Sed & ipsum verbum* (inquit) *sedere, regni significat potestatem*[b]: Sedulius; *Ad dextram sedet ipse Patris, mundumque gubernat*[c]. Denique Augustinus; *Ipsam dextram, intelligite potestatem: quam accepit homo ille, susceptus à Deo: ut veniat judicaturus, qui prius venerat judicandus*[d].

a Lib. de Carne Christi cap. 10. b Comment. ad Eph. 1. c Carm. l. 5. in fin. d Tom. 9. l. 2. de symb. c. 7.

XXXIII. Hoc autem *gloriosum* Christi *regnum*, *vel* universale est: *vel* particulare. *Universale* est, quo omnium creaturarum, dominus ac judex, est constitutus[a]. Cujus regni accepti, partes, & modus, distinctè sunt observandi: ne in multas difficultatum tricas incidamus: quibus non pauci, prisci & nuperi scriptores, impliciti hæserunt.

a Eph. 1. 20, 21, 22. Phil. 2. 9, 10, 11. Act. 2. 36. & 17. 31. Apoc. 1. 8. & 2. 23.

XXXIV. *Partes enim universalis* hujus *regni*, Christo demandati, sunt duæ. *Prima* est ipsius *regimen*, ut in omnes creaturas dominetur, iisque summa potestate imperet[a]. *Altera* est, creaturis omnibus mandata[b] certoque tandem omnino eventura, *subjectio*[c]. Quomodo jure & cœpto, *omnia pedibus illius subjecta*, dicuntur[d]: quamvis, rei perfectione, *nondum omnia, ei subjecta, videamus*[e].

a Psal. 110. 2, 3, 4. Matth. 28. 18. 1. Pet. 3. 22. b Phil. 2. 10, 11. Heb. 1. 6. 1. Cor. 15. 24. c Psal. 110. 2. 1. Cor. 15. 27. d Ephes. 1. 22. 1. Cor. 15. 27. Heb. 2. 8. e Heb. 2. 8.

XXXV. *Modus* verò aditionis hujus *regni*, pro diversa duarum disparium, in persona Christi, naturarum ratione, *diversus* existit.

XXXVI. Nam *primus* hujus regni *modus* secundùm divinam ejus naturam, conveniens, est patefactio & approbatio potestatis illius, quam Filius Dei, homo factus, in omnes creaturas, tanquam creator earum omnipotens, jure suo, obtinet in æternum.

XXXVII. *Ut* enim, regni sui gloria, ad tempus humiliationis, sese quodammodo exinanivit: non privatione aliqua dominii sui; sed illius, sub humili carne ac servili afflictaque forma, velatione[a]: *sic* contrà regnum, post carnis glorificationem, accepisse dicitur: non novæ potestatis, qua antea caruerit, accessione; sed pristini regni, quod perpetuò habuerat, revelatione atque confirmatione illustri: qua, ab omnibus, *Dominus*, licet carne vestitus, agnoscatur[b].

a Phil. 2. 7. b Psal. 110. 1, 2. Phil. 2. 9, 11.

XXXVIII. *Alter* verò, regni universalis, modus, ad humanam naturam pertinet: estque omnis, finita potestas, longè supra omnes, & in omnes creaturas attributa[a]. Atque hæc, de *regno* Christi *universali*.

a Matth. 28. 18. Eph. 1. 21.

XXXIX. *Particulare* vero, est suprema & gloriosa construendi ac servandi Ecclesiam, ex omnibus gentibus collectam, potestas[a]. Quæ bimembris est. Alia enim, in hac vita; alia, post hanc vitam, exercetur.

a Luc. 19. 12, 15. Psal. 2. 8. Mat. 28. 18, 19. Eph. 1. 22, 23.

XL. *Prior* enim *potestas*, *partim*, ad Ecclesiæ, ex omnibus gentibus colligendæ[a] (quod antea, ob Dei decretum ac præscriptum, erat illicitum[b]) vocationem & constitutionem[c] pertinet: *partim*, ad salutarem, adversus hostes illius, defensionem[d], refertur. *Posterior* verò, in Ecclesiæ glorificatione (quæ perfectam, omnium adversariorum, subjugationem[e], & vitæ æternæ donationem[f] complectitur) consistit.

a Matt. 28. 19. Act. 1. 8. & 13. 47. Esa. 49. 6. b Eph. 2. 12. Matt. 10. 6. & 15. 26. c Eph. 2. 20. & 4. 10, 11, 12. d Matth. 28. 20. e 1. Cor. 15. 24, 25, 26. Luc. 19. 27. 1. Thess. 1. 8, 9. f Eph. 5. 27. 2. Thess. 1. 10.

XLI. Quæ potestas Christi, pro naturarum ipsius diversitate, *diversa* quoque sortitur *munia*.

XLII. *Alia* enim, sunt divinæ atque infinitæ naturæ, propria. Qualia sunt; missio Spiritus Sancti[a]: donatio sapientiæ[b]: cordium scrutatio[c]: vivificatio & glorificatio mortuorum[d] cæteraque miracula[e], & opera, omnipotentiæ & omniscientiæ Dei, propria.

a Iohan. 15. 26. Actor. 2. 17. & 33. b Luc. 21. 15. 1. Cor. 12. 5, 6, 11. c Apocal. 2. 23. 1. Reg. 8. 39. d Phil. 3. 21. Rom. 4. 17. & 8. 11. e Mar. 16. 20.

XLIII. *Alia* verò, etiam humanæ naturæ, conveniunt: ut Pauli, è cœlo reprehensio[a], & consolatio[b]: & Angeli, ad Petrum, è carcere liberandum, missio[c]: aliaque similia, viribus creaturæ consentanea. Quæ, in hac Christi potestate explicanda, prudenter distinguere: non autem temere confundere, oportet. Atque hæc, de *forma*, sessionis Christi, ad dextram Dei.

a Actor. 9. 4. b Act. 18. 9. c Act. 12. 17.

XLIV. *Finis* verò, & *fructus* illius, est duplex; perfecta Ecclesiæ salus: & Dei Patris, in Christo redemtoris, gloria.

XLV. Ad *perfectam Ecclesiæ salutem* pertinent, *primùm*, missio Spiritus Sancti, ad idoneos Euangelii ministros informandos, & inchoandam ac conservandam, corporis Ecclesiæ, ex omnibus gentibus colligendæ, sanctificationem ac structuram[a]. Quam ad rem, hæc Christi glorificatio erat necessaria[b], *Deinde* omnium adversariorum subjugatio: & æterna Ecclesiæ gloria ac triumphus[c].

a Ephes. 4. 10, 11, 12, 13. b Ioh. 7. 39. & 16. 7. c Psal. 110. 2. & 2. 9. & 45. 10.

XLVI. *Gloria* verò *Dei*, ultimus est finis, ad quem præcedentia omnia, collimant[a]: quia *Zelus Domini* (seu justum, gloriæ ipsius, studium) *hæc peragit*[b]. Gloria autem veritatis ac potentiæ, justitiæ & gratiæ, ea ratione collustratur. Quippe *veritas* ac *potentia*, ex præpotenti ac constanti,

stanti, promissæ sessionis, præstatione [c]: *Iustitia*, ex debita, coronæ ac præmii gloriæ, *Domino gloriæ crucifixo*, tributione [d]: *gratia* denique, ex humanæ Christi naturæ, longè supra omnes Angelos, evectione [e]: nostræque salutis, eo modo, procuratione elucescit. Quorum omnium contemplatio, Christianorum fidem erigit [f]: Spem ac patientiam firmat [g]: Charitatem denique accendit & inflammat [h]. Hactenus de *causis*.

a Phil. 2. 11. b Esa. 9. 7. c Psal. 110. 1. Ephes. 1. 19. 20. d 1. Cor. 2. 8. Heb. 2. 9. 10. e Eph. 1. 21. Phil. 2. 9. f Heb. 12. 2. Rom. 8. 34. g Heb. 6. 19. 20. h Col. 3. 1. 2.

XLVII. *Accidentia* verò *sessionis Christi, ad dexteram Dei*, sunt *partim* conjuncta gloria: *partim* adjuncta, loci, & temporis, circumstantia.

XLVIII. *Conjuncta gloria*, (ex usu Scripturæ [a]) hic vocatur, conspicuum, præsentiæ signum: ad Christi gloriam, & regiam majestatem, collustrandam.

a Exod. 16. 17. & 24. 17. & 33. 22. & 40. 32, 33, 34. Lev. 9. 23, 24. 1. Reg. 8. 11.

XLIX. *Ea* autem est *duplex*: alia est, *Dei Patris*: alia, *Angelorum gloria*. De priori, agit Matthæus; *Futurum* (inquit) *ut Filius hominis, veniat, in gloria Patris sui, cum Angelis suis* [a]: Et Lucas; *Filius hominis, cum venerit, in gloria sua & Patris* [b]: Et alibi: *Intentis in cælum oculis, vidit gloriam Dei: & Iesum stantem, ad dexteram Dei* [c].

a Matth. 16. 27. b Luc. 9. 26. c Act. 7. 55.

L. De *posteriori* verò (quæ in glorioso, satellitii, adstantium Christo, eumque adorantium, Angelorum exercitu [a], consistit) distinctè agit Lucas, & cum Christi gloria, conjunctam, utramque eadem sententia complexus, ait; *Cum venerit Filius hominis*, (I) *in gloria sua*, (II) *& Patris*, (III) *& Sanctorum Angelorum* [b]. Quæ gloria, Christo, non minus, hoc tempore, ministrat in cœlo [c]: quàm, ultimo die, ministrabit [d]. Hæc de *conjuncta gloria*: reliquum est, ut de *adjuncta*, loci, ac temporis, *circumsta*[illegible]*a*, nonnulla adjiciamus.

a Psalm. 97. 7. Heb. 1. 6. b Luc. 9. 26. c Ephes. 1. 21, 22. Apocalyps. 5. 13. d Matth. 25. 31.

LI. *Locus*, sessionis Christi, *ordinarius* quidem est cœlum [a]: *extraordinarius* verò est, sub cœlo: idque die judicii: quo descendet, ad dextram Dei sedens, in aërem [b]: ut ibidem universale judicium exerceat [c]: & Ecclesiam suam, in cœlum assumat [d].

a Marc. 16. 19. Actor. 7. 55. & 3. 21. Ephes. 1. 20. Col. 3. 1. Heb. 1, 3. & 8, 1. 1. Pet. 3. 22. b Actor. 1. 11. 1. Thess. 4. 17. c Matth. 25. 31. & 26. 64. d 1. Thess. 4. 17. Joh. 14. 3. & 17. 24.

LII. *Tempus* vero, est duratio illius; in qua, initium, ac finis observandus. *Initium*, à Sacra scriptura, post resurrectionem & ascensionem in cœlum, disertè definitur [a]: & rationibus suis, solidè demonstratur. Quum enim sessio, sit summa Christi exaltatio ac gloria [b], eam, ante resurrectionem, evenisse; sine crassa *Dei*, & *rei*, contradictione, dici non potest.

a Marc. 16. 19. Actor. 2. 36. Ephes. 1. 20. Heb. 1. 3. & 10. 12. 1. Pet. 3. 21. Apoc. 3. 21. b Phil. 2. 9. Eph. 1. 20, 21.

LIII. *Dei* quidem; quia præviam gloriæ perpessionem, præfinivit ac prædixit [a]: *rei* verò; quoniam servilis, misera ac maledicta, pro nobis, ante resurrectionem, conditio [b] (qua *vermis, non homo: opprobrium hominum* [c] & *vir dolorum* [d], ac *maledictio* [e], nominatur) cum beatissima, sessionis ad dexteram Dei, gloria, è diametro pugnat [f].

a Luc. 24. 26. Heb. 2. 9. 1. Pet. 1. 11. b Matth. 20. 28. Phil. 2. 7, 8. Gal. 3. 13. c Psal. 22. 7. d Esa. 53. 3. e Gal. 3. 13. f Heb. 12. 2.

LIV. *Finis* verò, seu *terminus*, sessionis Christi, *ratione glorificationis personæ*, nullus est omnino: quia cœlestis illa beatitudo ac gloria, æterna est, nulloque fine terminatur [a]: *ratione glorificationis* in regno, distincta est duratio.

a Dan. 7. 14. Psal. 16. 11. 1. Pet. 5. 10. 2. Pet. 1. 1.

LV. Nam, si regni universalis, & particularis Christi, gloriosi formam internam, & rem ipsam, seu potestatem consideremus, *illius nullus est finis* [a]. Ideoque *ad dextram Dei sedere* dicitur, *in perpetuum* [b].

a Dan. 7. 14. Luc. 1. 33. Ap. 5. 13. b Heb. 10. 12, 13.

LVI. Sin verò, accidentem illius circumstantiam, formamque externam regiminis, spectemus: qua, Ecclesiam, adhuc in terris militantem, verbi sui, ac Sacramentorum, ministerio colligit, ac tuetur: & *in medio inimicorum suorum*, concertans *regnat* [a]: eatenus durabit tantùm, *usque dum posuerit, omnes inimicos, sub pedibus suis* [b]: & Ecclesiam, sibi, Patrique statuerit gloriosam [c]. Atque hoc demum modo, *Patri regnum traditurus*, asseritur [d]: eique (quatenus unum, cum Ecclesia, corpus mysticum constituit [e]) subjicitur perfectè. Quod ante diem ultimum, ob imperfectionem Ecclesiæ, ex carnis & Satanæ repugnantia [f], mortisque jugo [g], promanantem, nequaquam continget.

a Psalm. 110. 2. b 1. Corinth. 15. 24, 25. c Eph. 5. 27. Apoc. 21. 2. d 1. Corinth. 15, 24. e 1. Corinth. 12. 12. f Rom. 7. 23, 24, 25. g 1. Corinth. 15. 26 57.

COROLLARIA.

1. *An, sedere ad dexteram, apud antiquos, minus fuerit honorificum; quam sedere ad sinistram? Affirmat id quidem* Antonius Nebrissensis *in Explicatione, quinquaginta locorum Scripturæ, capite* 39. *ut facilius difficultatem*, in sessione Christi *(non ad sinistram, sed ad dextram Patris) expediat: & Pontificis sui honori subveniat. Scilicet, ne Paulus, Petro potior, videatur: quod, in diplomatis, Pontificum sigillo, munitis, Paulus semper sit Petro* dexter. *Quæ res, etiam Thomam Aquinatem Gal.* 1. *antea torserat. Eodem studio, Iesuitarum Coryphæi, Bellarminus controv. Tom.* 1. *De Christo l.* 3. *cap.* 15. *& Maldonatus commentar. ad Marc.* 16. *non minus, quàm Baronius, eam sententiam (ut & auctorem illius, Nebrissensem) laudant. Nos verò, præter communem Orthodoxorum Patrum (ut Hieronymi commentar. ad Eph.* 1. *Augustini Tom.* 3. *de fide & symbolo cap.* 7. *aliorumque) consensum, Scripturæ auctoritatem opponimus Gen.* 49. 18, 19. *Matth.* 25. 34. *unde liquet, apud Iudæos, aliud fuisse observatum. Nam, quod, de Romanorum more objiciunt: illud in hac materia, omnino alienum est: & à viris antiquitatum peritissimis: ut à Turnebo in Adversariis lib.* 14. *cap.* 24. *& lib.* 18. *cap.* 29. *& copiosè ac nervosè à Lipsio in Electis lib.* 2. *cap.* 2. *& Centur.* 3. *ep.* 90. *adversus Becanum eadem sentientem, refellitur. Licet Ribera comment. ad Heb.* 1. *(de Iudæorum more, cum antiquitate, de Romanorum, cum Nebrissensi & Becano sentiens) reluctetur.*

2. *Si dextera honoratior statuatur, quàm sinistra, an non inde sequatur Filium præferri Patri? Neg. Idque etiam eodem loco Ribera Iesuita (collegis hac in re oculatior) vidit & agnovit.*

3. *An verum sit, illud Maldonati, commentar. ad Psal.* 110. 1. *paradoxum; dextera (in sessione Christi) non solùm significat Christum æqualem Patri: sed etiam majorem &c.* administratione *scilicet regni, non autem reipsa? Neg. & pudorem in Iesuita, requirimus: qui, ab universa antiquitate & Ecclesia (de cujus consensione tantopere gloriatur) imò à tota Scriptura, in articuli fidei explicatione, dissentit.*

4. *An sessio Christi ad dexteram, significet, æqualem esse cum Deo: ut prisci quidam theologi, & Bellarminus de Christo lib.* 3. *cap.* 15. *probabilius esse statuit? Neg. quamvis ex eo Christum, partim æqualem, partim inæqualem esse, pro diverso, naturarum & sessionis, modo consequatur: ut, suo loco antè demonstravimus.*

5. *An Christus, ab æterno, sederit ad dextram Patris: ut Thomas Aquinas, comm. ad Heb.* 1. *& in* 3. *sent. d.* 22. *ad* 3. *& Maldonatus comment. in Ioh.* 1. *& Brentius Catech. in exposit. symboli, tradiderunt? N.*

6. *An Christus secundùm humanam naturam, sederit ad dexteram Dei, quamprimum verbum caro factum est: ut Brentius ibidem contendit? N.*

7. *An Spiritus Sanctus, possit propriè dici, sedere ad dexteram Patris, vel Filii: ut Thomas Aq. statuit Sum. par.* 3. *q.* 59? *N.*

8. *An sessio, ad dexteram Dei, soli humanæ naturæ Christi in Sacris literis tribuatur? N.*

9. *An sessio, ad dexteram Dei, Christianis etiam immediatè, in suis personis, conveniat? N.*

10. *An iis, conveniat mediatè in Christo; ut Bellarminus censet de Christo l.* 3. *c.* 15? *N. & apertam, in Bellarmino, contradictionem, observamus.*

11. *An rectè, ibidem Bellarminus asserat; datam humanitati, istam sessionem: sed datam esse,* non ipsi in se, sed in supposito? *N.*

12. *An Pater dicatur esse, ad dexteram Filii, Psal.* 110. 5. *ut Bellarminus, de Christo l.* 3. *c.* 15. *cum vulgo interpretum, sentit? disquiri potest: an verò contra, vox Domini, ad Filium sit referenda: ut Bellarminus contra comment. ad Psal.* 110. *exponit? Posterius, ut orationis contextui convenientius, amplectimur.*

13. *An Psal.* 97. 7. adorate eum omnes Elohim: *rectè à plerisque de idolis accipiatur? N. ex Apostoli auctoritate Heb.* 1. 6.

14. *An hic locus, de honore Christi regis, ad primum ipsius adventum, sit referendus? N. ex psalmi materia ac serie, qua propria secundi adventus describit: & ex Pauli declaratione Heb.* 1. 6. *quo loco, vocem* πάλιν *rursum, ad vocem,* introducit; *referendam liquet: nec aliò, nisi trajectione non necessaria & violenta, accommodari potest.*

15. *An exaltatio in sacerdotio, sub sessione contineatur? N. conjuncta quidem est, sed distincta.*

DISPUTATIO XXI.

DE ANTICHRISTO.

QVemadmodum *vera, de* Christo servatore, *institutio, ad fidem ac salutem necessaria est; sic recta, de* Antichristo, *doctrina, ad salutarem perfidiæ & exitii fugam apprimè conducit. Ideoque non illa solummodo, sed hæc etiam, diligenter, in Sacris literis, explicatur. De qua, gravis & ardua, existit controversia: quæ, ab Orthodoxis non paucis, prolixè & accuratè, pertractatur. Quocirca, non inutile, nec ingratum, fore arbitramur, si laudabilem aliorum secuti industriam, eandem materiam, tenuis symbola nostra illustratam, brevi compendio, à* voce *ad* rem *ipsam progressi publica disquisitione ventilandam proponamus.*

THESIS I.



ANtichristus, Græca vox est: non auctore quidem, sed partibus suis, & compositionis earum analogia. *Auctor* enim, ex Spiritus Sancti afflatu, est Joannes Apostolus [a]: qui, primus & solus, eam, in Sacris literis, usurpavit. Partes verò, ex quibus, ea conflata est, sunt duæ, atque ambiguæ; χριστὸς & ἀντί. Quarum illustrationem succinctam (ne quis, ancipiti vocum homonymia, in rei indagine, intricetur) distinctè præmittemus.

a 1. Ep. 2. 10. & 22. & cap. 4. 3. & 2. ep. 7.

II. Χριστὸς enim primùm, diversa notione accipi consuevit. Quippe aut adjectivè, *unctum* [a], communiter indicat: aut substantivè atque absolutè, κατ' ἐξοχὴν, soli *Servatori nostro*, & quidem *bifariam*, attribuitur. Quippe, aut *ipsum*, tanquam Spiritu Sancto *unctum* [b], caputque Ecclesiæ [c]: per se tantùm consideratum [d]: aut simul cum Ecclesia, corpore suo mystico, unitum [e], designat.

a Lxx. Lev. 6. 22. b Luc. 4. 18. Heb. 1. 9. c Eph. 1. 22. Col. 2. 19. d Dan. 9. 25, 26. Mat. 22. 42 2. Cor. 11. 2. e 1. Cor. 12. 12.

III. Ἀντὶ verò, præter cætera, aut *Pro*, aut *Contra* (tam per se positum, quàm compositum) denotat: usu tamen utrinque dispari.

IV. Nam *per se positum*, creberrimè *Pro*, seu *Loco* ac *Vice*; rarissimè, *Contra*, significat.

V. *Prioris exempla* sunt hæc, *Carnem* ἀντ' αὐτῆς [a] *loco illius: Semen* ἀντὶ Ἀβελ [b] *loco Abelis: Holocaustum* ἀντὶ Ἰσαὰκ [c] *loco Isaaci: Regnabat* ἀντὶ Ἡρώδου [d] *loco Herodis: Serpentem* ἀντὶ ἰχθύος [e] *loco piscis.*

a Lxx. Gen. 2. 21. b Gen. 4. 25. c Gen. 22. 13. vide etiam Gen. 44. 33. Jud. 15. 2. 2. Sam. 16. 8. d Mat. 2. 22. e Luc. 11. 11.

VI. *Posterioris*, hæc sola comperio; Τρώων ἀνθ' ἑκατὸν [a] *contra centum Trojanos:* Ἀνὴρ ἀντ' ἀνδρὸς ἴτω [b] *vir contra virum ito:* ἴμεναι ἀντ' Ἀχιλλῆος [c] *ire contra Achillem.* Quam significationem, non satis commodè, Lexica atque Grammatici, præterisse videntur. *Quod enim nos, Contra* (ut rectè monet *Festus Pompejus* [d]) *illi* (Græci) ἀντὶ *dicunt.*

a Homer. Iliad. θ. vers. 233 b Iliad. Y. vers. 356. c Ib. Y. vers. 366. d De verb. sig. in Anti.

VII. *Compositum* verò, sæpissimè, *Contra:* rarius, *Pro*, seu *Vice* ac *Loco* significat.

VIII. Quum autem, *Contra*, notat, tum *Substantivum* cum eo junctum, in omnibus fere, *subjectum* est: ut ἀντίθεσις [a] positio contraria, seu oppositio &c. in paucissimis verò *objectum* existit; ut ἀντίθεος [b] contrarius Deo: ἀντίπαις puber, quasi contrarius puero, qui impuber.

a 1. Tim. 6. 20. b Theodoret. Epit. decret. de Antich.

IX. Sed quando, *Pro* (seu *Vice* ac *Loco*) designat, tum nomen non subjectum, sed *objectum* est: ut, ἀντωνυμία pronomen, τὸ ἀντ' ὀνόματος *quod vice nominis* [a]: sic ἀντίπτωσις & ἀντονομασία, vulgò trita: & ἀντιβασιλεῖς [b] proreges, qui vice regum: ἀνθύπατος [c] qui pro consule, proconsul: ἀντιστρατηγὸς verò, utraque significatione, aut dux contrarius [d]: aut, qui vice ducis ac legatus [e], dici solet.

a Apollon. περὶ συντάξ. lib. 2. cap. 2. b Dionys. Halic. Antiq. Rom. l. 10. p. 65. c Act. 13. 7. d Dionys. Ant. Rom. l. 6. p. 334. e Budæus Comment. ling. Græcæ.

X. Ex quibus perspicuè apparet, *Antichristum*, ratione quidem analogiæ, exponi posse, Christum contrarium, vel contrarium Christo; aut eum, qui vice Christi, seu Christi vicarium: ratione verò usus vocis, in Sacris literis, *contrarium Christo* [a], Servatori nostro, *acceptione generali*, aut *speciali*, declarat.

a Tertul. de præscript. c. 4. August. in 1. Joh. Tract. 3. Damasc. Orth. Fid. l. 4. cap. 27.

XI. *Priori modo*, quemvis Christi desertorem & adversarium [a], notat. Unde *Hieronymus* [b] ait, *Omnes hæresiarchas, Antichristos esse, & sub nomine Christi, ea docere, quæ contraria sunt Christo.*

a 1. Ioh. 2. 18, 22. 2. Ioh. 7. b In Matth. 24.

XII. Posteriori verò κατ' ἐξοχὴν, & (ut *Damascenus* [a], de hac re, loquitur) ἰδιοτρόπως καὶ ἐξαιρέτως peculiari modo & eximiè, de insigni illo, reliquis majore [b], & Antichristorum ordine ac cœtu, usurpatur [c]. Qui, subjecta hac descriptione, non incommodè delineari potest.

a Orthod. Fid. Lib. 4. c. 27. b August. contra adversf. legis lib. 2. c. 12. c 1. Joh. 2. 18. & 4. 3.

XIII. *Antichristus* magnus, est *Episcopus Romanus, Satanæ efficacia, ex varia Ecclesia, à doctrina Christi, defectione, paulatim exortus: ac tandem, Romani imperii ruina, patefactus: qui, sub professionis Christi larva, scelerosus est Christi adversarius, supra omnem Deum sese efferens, & quasi Deus, Ecclesiæ universalis, ac totius Orbis, dominium, sibi arrogans: quique, doctrina & signorum, mendaciis, vitaque impuræ exemplis, ac sævitia, in errores, idololatriam, atque exitium, seducit: ac tandem, Christi verbo, atque illustri adventu, destruetur.* Quæ singula, ex sequenti *partium*, distincta *expositione* ac *confirmatione*, clarius elucebunt.

XIV. *Genus Antichristi*, est *Episcopus Romanus. Episcopus* quidem, quoniam, Ecclesiæ Dei, est antistes: utpote, in qua, non solùm sit; sed etiam præsit ac præsideat. Ac propterea, *in templo Dei* (hoc est Ecclesia [a], ac populo Dei [b]) *sedere* [c], dicitur. *Romanus* verò, quia locus ac sedes illius, est Roma: *magna illa, septem montium, civitas* [d]: quæ Johanne vaticinante, *regnum habebat, super reges terræ* [e].

a Eph. 2. 21. 2. Cor. 6. 16. b Apoc. 18. 4. c 2. Thes. 2. 4. d Apoc. 17. 17. Varro de lingua Lat. l. 4. e Apoc. 17. 17.

XV. Quibus quasi vivis coloribus, sola Roma, ad unguem expressa, indigitatur. Ac propterea Romanus scriptor [a], consentaneè cecinit; *Sed quæ de septem, totum circumspicit orbem,*

orbem, *montibus*, *Imperii Roma Deumque locus.* Unde etiam ἑπτάλοφος [b] *ſepticollis*, dicta: & feſtum ac ſacrum, apud Romanos, ſolenne, *Septimontium* [c], olim nuncupatum.

a Ovid. lib. 3. Triſt. 4. eleg. b Plutarch Quæſt. Romanis, qu. 69. c Ibidem. Varro, de ling. Lat. l. 5. Tertul. de idololat. cap. 10.

XVI. Epiſcopum autem Romanum, *genus Antichriſti*, idcirco ſtatuimus; quoniam attributum illud, ei, cum anteceſſoribus, commune eſt: & ſequenti (ab *auctore*, *origine*, *moribus*, *effectis*, *atque eventu*) *differentia*, ad Antichriſtum reſtringitur: ut, ab omnibus aliis, diſcernatur.

XVII. Ac primùm, *auctor*, & fautor *Antichriſti*, eſt Satanas. Quia hic, primus eſt, ac ſummus, Chriſti adverſarius [a]: mendacii parens [b]: *qui in incredulis operatur* [c]. Unde Apoſtolus diſertè, de Antichriſto, ait; *Cujus adventus eſt, ex Satanæ efficacia* [d].

a Gen. 3. 1. b Ioh. 8. 44. c Eph. 2. 2. d 2. Theſ. 2. 9.

XVIII. *Origo* verò Antichriſti, ſeu cauſa miniſtra & occaſio (qua Satanas abuſus, illum produxit) alia eſt *formationis*, alia *patefactionis*. Illa eſt, *Eccleſiæ à doctrina Chriſti defectio*: hæc verò, *Romani imperii ruina.*

XIX. *Defectio* autem illa eſt varia: *particularis* videlicet, & *univerſalis*: utraque, ſuo modo, ad monſtri illius conſtitutionem, concurrens.

XX. *Particularis* ea eſt, quæ parti Eccleſiæ convenit: & *primùm* Apoſtolorum tempore, provenit. Cujus *auctores* extitere, partim hæreſiarchæ [a]: partim ambitioſi ac φιλοπρωτεύοντες Eccleſiæ miniſtri [b]: quorum illi errore, hi verò ſuperbia, à recto deflectentes, gregem Domini ſeduxerunt.

a 1. Ioh. 4. 1. b 3. Ioh. 9. & 10.

XXI. Ac de illis dicitur; *Etiam nunc multi Antichriſti facti ſunt* [a]: nempe magni illius *Antichriſti, præcurſores* [b]. Utpote *in quibus Spiritus illius, etiam tum, extabat* [c]: & *myſterium iniquitatis*, *peragebatur* [d]. Adeo ut, arcana Satanæ molitione, noxia Antichriſti ſemina ac fundamenta, in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis, ſubdolè jacerentur.

a 1. Ioh. 2. 18, 19. b Tertullian. contra Marc. l. 4. c. 16. c 1. Iohan. 4. 3. d 2. Theſ. 2. 7.

XXII. *Cujuſmodi* fuere, non ſolùm *ſtipulæ* multæ [a]: ſed graves etiam ac varii *errores*; cum quibus, Apoſtolis fuit colluctandum. Ut, inter alia, veritatis perſonæ [b], & officii [c] Chriſti, negatio: hominum coram Deo, ex operum dignitate, juſtificatio [d]: Angelorum cultus [e] & adoratio [f]: ciborum quorundam interdictio [g]: ἐθελοθρησκεία, arbitrarius Dei cultus [h]: & humilitatis oſtentatæ, corporiſque immodicè affligendi ſuperſtitio [i].

a 1. Cor. 3. 12. b 1. Ioh. 2. 22. & 23. & 4. 13. 2. Ioh. 7. c 1. Ioh. 2. 22. d Gal. 5. 4. e Col. 2. 18. f Theodor. ibid. Concil. Laodic. can. 35. g Col. 2. 21. h Col. 2. 22, 23. i Ibidem.

XXIII. *Similis* deinde, ſublatis jam Apoſtolis, à doctrina Chriſtianà *defectio*, minimè defecit; ſed myſterium iniquitatis, magis magiſque profecit, ac ſuccrevit [a]: ut, ex hoc ſpecimine, eluceſcet.

a Act. 20. 29. 30.

XXIV. *Gnoſtici* enim, imaginum Chriſti cultum [a]: *Collyridiani*, Mariæ virginis adorationem [b]: *Manichæi*, cœlibatus Epiſcoporum neceſſitatem [c]: *Encratitæ*, eſus carnium interdictionem [d]: *Cathari*, de bonorum operum meritis gloriationem [e]: *Pelagiani*, de gratia & libero arbitrio, errores [f], invexerunt. Cunctique viam Antichriſto, (eoſdem errores poſtea interpolaturo) ſtratam ac paratam, reddiderunt.

a Iren. adverſ. hær. l. 1. cap. 24. b Epiphan. de hær. c. 46. c Aug. epiſt. 74. d Ibidem c. 25. e Iſidor. Origin. l. 1. c. 2. f Auguſt. de hære. c. 88.

XXV. *Univerſalis* verò *defectio*, eſt ea, qua univerſæ Eccleſiæ, à Chriſti doctrina, quodammodo declinarunt. De qua inprimis, ait Apoſtolus; *Niſi venerit defectio prius, & revelatus fuerit homo ille peccati* [a]. Ea autem, eſt duplex: una quidem, aperta: altera verò, operta ac latens.

a 2. Theſ. 2. 3.

XXVI. *Aperta defectio*, eſt Arii, & ſectatorum illius, propria: quæ æternam Chriſti Deitatem oppugnans, totius orbis Eccleſias [a], etiam Romanam, cum *Liberio* Epiſcopo [b], contagione ſua, & crudelitate, occupavit.

a Hieron. cont. Lucifer. c. 7. b Hilarius in Hiſtoricis fragmentis.

XXVII. Unde *Athanaſius*, hæreſin Arianam, non ſolùm ἀποστασίαν *defectionem*, *poſt quam revelaretur Antichriſtus* [a]: ſed etiam Ἀντιχρίστου πρόδρομον [b] *Antichriſti præcurſorem*, & *præludium ac præparationem illius* [c], non immerito nuncupavit.

a Ep. ad ſolit. vit. agentes p. 667. b Apol. 2. p. 625. c Ad ſol. vit. agen. pag. 663.

XXVIII. Quippe, ut hominum animos, ad facilem *religionis mutationem*, aſſuefecit: ſic etiam debiti, *erga veritatem amoris neglectum* peperit, & (juſto Dei judicio [a]) Antichriſti tendiculis idoneos præparavit.

a 2. Theſ. 2. 10. Apoc. 3. 16.

XXIX. *Operta* verò *defectio univerſalis*, eſt communis, Eccleſiæ univerſæ, labes: qua paulatim, examinis Scripturæ incuriâ, & ignorantiâ ac credulitate, laborans, *Epiſcoporum* ſuorum *vitiis* à doctrinæ & vitæ Chriſtianæ puritate, in multis receſſit.

XXX. *Vitia* autem *illa* fuere, quibus, & mens illorum, & animus, fuit infectus. *Illam* enim, imperitia: *hunc* verò, partim cæcus religionis zelus; partim, gemellæ peſtes, avaritia & ſuperbia, corruperunt.

XXXI. *Imperitia* autem, multorum *Epiſcoporum*, adeo indigna extitit, ut ſæpe, & juris divini, & naturalis [a], ignaros fuiſſe, comperiatur. Ideoque non eſt mirandum, ſi cæci duces, cæcos aſſeclas, ſecum abductos, in varios errores, præcipitarint [b]. Ac teſtis, è multis, *Auguſtinus* ille, *Epiſcopus Cantuarienſis*, Gregorii Magni, in Angliam (converſionis illius colore) legatus, & ab eo, toties ac tam accuratè, commendatus: qui, ita rudis fuit, ut per literas; *An licita eſſent cum novercis, conjugia?* à Gregorio perquiſierit [c].

a Levit. 18. 8. 1. Cor. 5. 1. b Matth. 15. 14 c Gregor. ad interrogata Auguſt. Inter. 6.

XXXII. *Cæcus* autem *religionis zelus*, in eo ſe exeruit, quòd, dum phraſis Scripturæ, & cultus eâ præſcripti, ſimplicitatem, Judæis, & Gentilibus alliciendis, minus idoneam arbitrantur, ac majorem religioni, apud omnes, reverentiam conciliare ſtudent, eam imprudenter, *Oratione* & *inſtitutis*, à recto deviis, varia noxiaque *ſuperſtitione* minuerunt.

XXXIII. *Oratione* quidem, quòd apoſtrophis, hyperbolis, & vocum catachreſi, ex Judæorum & Gentilium ceremoniis, importunè derivatis, veritatem obſcurantes, conſecutis erroribus, anſam præbuerunt.

XXXIV. Cujus rei, inter alia, documentum eſt, quòd *oratoriis*, ad ſanctos cælites, *apoſtrophis* abuſi, invocationis eorum occaſionem, incautis præbuerunt. Deinde, quod periculoſa *vocum abuſione*, *mereri*, pro conſequi; *meritum*, pro quovis opere: *Chriſtianos*, pro ſolis baptizatis: pro miniſtris Euangelii, *ſacerdotes*: pro Cœna, *ſacrificium*: pro fœderis Dei ſignis, *myſteria*, uſurpare maluerunt: & Gentium more, à conſpectu & intelligentia eorum, & Catechumenos, tanquam *profanum vulgus arcuerunt.*

XXXV. Unde illa *Chryſoſtomi*, in homiliis, de ea re, obſcurè, & hyperbolicè loquentis, frequens formula; *Initiati intelligunt quid dicamus:* & *Theodoreti*, in Dialogis, cum de Sacramento diſſerit apertius, ſolicita cautio; Orthodoxus (inquit) *Non aperto ſermone utendum. Fieri enim poteſt, ut adſint aliqui*, ἀμύητοι *nondum myſteriis initiati.* Eraniſtes: *Ænigmatica igitur, ſit reſponſio* [a].

a Dialog. 2.

XXXVI. Quæ orationis, de Sacramentis, ſuperſtitioſa obſcuritas, ſinceram de iis doctrinam, ita offuſcavit ac corrupit: ut, eò facilius, Antichriſti errores, in Eccleſiam irrepſerint, &, ſpecioſo orationis Patrum obtentu, pertinaciter adhæreſcant.

XXXVII. *Inſtitutis* verò ſuis, puram religionem, Epiſcopi corruperunt, *partim*, commentis humanis: *partim* miraculorum, & antiquarum traditionum, figmentis: ut res ipſa arguit.

XXXVIII. *Commentis* quidem humanis, *primùm*, quod conſuetudinum ſuarum jugum atque onus intolerabile, ac plus quàm Judaicum [a], Eccleſiæ humeris, ordinis ſpecie, impoſuerint. Ex quo, falſa religionis opinio, emerſit: qua, conſuetudines illas, Dei præceptis, non ſolùm, pares ſanctitate; ſed etiam digniores, ſtatuerunt [b]. Quò etiam pertinet Victoris Romani Epiſcopi temeritas: qua, ob diverſum feſti Paſchatis, diem obſervatum, ab Eccleſiis Aſiaticis, eas iniquè, ab Eccleſiæ communione, excluſit [c].

a Auguſt. Ep. 119. ad Januar. c. 19. Socrat. Eccleſ. Hiſt. l. 5. cap. 21. b Aug. Ibid. c Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 23.

XXXIX. *Deinde*, quoniam, dum Christianos, ad majorem fidei constantiam ac vitæ sanctitatem, martyrum & sanctorum denatorum exemplo, stimulare moliuntur, panegyrica atque immodica eorum laudatione, & superstitiosa Reliquiarum ostentatione, ac reverentia, abusi[a], à recto solius Dei cultu, Ecclesiam paulatim seduxere: & copiosam Idololatriæ Antichristi erigendæ materiam suggesserunt.

a Gregor. Mag. Ep. l. 5. c. 150. & l. 3. c. 30.

XL. Quæ profana superstitio, Romanam præcipuè Ecclesiam invasit. Adeo ut *Gregorius Magnus*, de clavibus Petri, à se missis ac donatis, jactare non erubuerit, eas *de collo suspensas, contra omnia adversa, munire: ut, præsentem salutem & æternam, habere valeant*[a]. Quæ labes, miraculorum & traditionum figmentis, amplius excrevit.

a Ep. l. 12. c. 17. & l. 5. c. 106. & l. 6. c. 187.

XLI. *Miracula* enim non pauca aut temerè credita, aut fraude consuta, aut probandæ constantia[a], divinitus indulta, imprudenti Ecclesiæ, nimium commendando, errores varios instillarunt. Qualia in ridiculo & impuro illo, *Gregorii Magni, de Patrum Italicorum miraculis, dialogo*, quam plurima, superstitionibus colorandis, cumulantur.

a Deut. 13. 3.

XLII. *Antiquarum* verò *traditionum fabulas*, à majoribus, vana credulitate, acceptas Episcopi non pauci, temerè propagarunt. Unde major Ecclesiæ, à veritate & sanctitate, defectio processit. Quod (ut alia sileam) memorabili, duorum exemplorum specimine, illustratur.

XLIII. *Primum* quidem *exemplum*, in fabulosis Papiæ[a], scriptoris antiquissimi, traditionibus, consistit. Quippe, quum ille, sine ullo judicio, Apostolorum traditiones, ex iis, qui ipsos audierant, curiosius esset expiscatus, ac temerè credens, eas scriptis suis promulgasset, *quamplurimis*, (ut Eusebius testatur) *post se, Ecclesiasticis viris, antiquitatem illius spectantibus, erroris causam ministravit* [b].

a Euseb. hist. Eccles. l. 3. c. 36. b Ibidem.

XLIV. *Alterum* verò, est antiqua illa, ac Sacris literis adversa, de Romano, Petri Apostoli, Episcopatu ac primatu: deque cathedra ac potestate illius Romæ: & successoribus ac vicariis affixa, traditio. Quæ, ut à Romanis Episcopis conficta, & vano verborum Christi (de petra Ecclesiæ, & clavibus regni cœlorum[a]: de fide Petri non defitura[b]: deque pascendis, ab eo, Christi ovibus[c]) abusu turpi, fucata est[d]: sic imprudenti veterum quorundam adulatione[e] (cum magno libertatis Ecclesiæ, & veritatis Christianæ, detrimento) paulatim stabilita, & Antichristi *mendaciis*, ac tyrannidi via strata est, ac patefacta.

a Matth. 16. 18. b Luc. 22. 32. c Joh. 21. 17. d Leo primus Serm. 2. de anniversario die. Gregor. M. ep. l. 6. c. 201. & l. 4. c. 80. e Gregor. Ep. l. 7. c. 30.

XLV. *Avaritia* porro *Episcoporum*, non minimum quoque, defectioni Ecclesiæ, momentum adjecit: utpote communis ambitionis nutrix, & religionis adulterandæ, lena. Quæ inde elucet, quod illis, sacra Ecclesiæ munia, fuerint venalia. Adeò ut, in iis conferendis, non tam pietas, ac doctrinæ, quàm pretii rationes, perpenderentur. Unde, indoctis & improbis hominibus, ad ea patuit accessus: & Ecclesiæ, à recto tramite, magis magisque seductæ, aberrarunt.

XLVI. Qua de re gravis est, *Gregorii Magni*, querela, quum ait; *Quòd, in Galliarum vel Germaniæ, partibus, nullus, ad sacrum ordinem, sine commodi datione, perveniat*[a]. Id quod iisdem verbis, *de Hellade*[b], seu *Græcia*, repetit: idemque vitium, in *Epiro*[c] & *Orientis Ecclesiis*[d], viguisse, auditum asserit.

a Epist. l. 4. c. 95. 97. b Ib. c. 110. c Ib. l. 5. c. 107. d Ib. l. 7. c. 47. & 11. c. 46.

XLVII. Nec ipsos tamen *Romanos Episcopos*, ab eo vitio, magis immunes fuisse, *Gregorii* ipsius, & *Damasi* antecessoris, gesta ostendunt. *Illius* quidem, quod *Petri* (ut loquuntur) *patrimonium*, in Gallia, Sicilia, aliisque in locis, tam solicitè adeoque flagranti studio, commendarit[a]. *Hujus* verò; quòd, per horrendam, multorum hominum, cædem, ad Episcopatum Romanum irrumpens, ambitiosam suam avaritiam, humano sanguine, posteris descripsisse, videatur[b].

a Ep. l. 2. c. 61. & l. 5. c. 110. & l. 1. c. 2. & l. 7. c. 117. b Ammian. Marcel. Hist. l. 27.

XLVIII. Denique *superbia Episcoporum*, avaritiæ comes fere perpetua, rectam Ecclesiæ fidem, mores ordinemque, labefactans, *partim* adversus Deum, *partim* adversus homines, exultavit.

XLIX. *Superbia* autem, *adversus Deum*, *primus gradus* extitit, quòd unius legislatoris, ac judicis *Dei*[a] *instar*, de rerum liberarum ac licitarum abstinentia, leges varias, anathemate sancitas, figendo, conscientias hominum subjugarunt. *Alter* est, quod etiam *supra Deum sese efferentes*, humana sua placita, divinis legibus, impudenter prætulerunt. Quæ duo, præcipuè in Romanis Episcopis, (*mysterium iniquitatis* strenuè peragentibus, ac genuinis Antichristi præcursoribus) viguisse comperimus.

a Jac. 4. 12.

L. *Prioris*, inter alios, specimen præbuit *Gregorius Magnus*, qui, unà cum Concilio Romano, sic decrevit; *Si quis presbyter vel diaconus, duxerit uxorem, anathema sit*[a]. Adeo ut, nec contrariam Dei sententiam[b], nec censuram[c], formidarit: neque Concilii Nicæni, in eundem pene errorem prolapsi, & à *Paphnutio* cœlibe in viam revocati[d], exemplo fuerit absterritus.

a In fine Epist. Concil. Rom. Decreto. a. b 1. Tim. 3. 4. 12. Heb. 13. 4. c 1. Tim. 4. 1, 2, 3. d Gelasius Actis Concil. Nic. c. 33.

LI. *Posterioris* verò indicium, est illud *Marcelli* Episcopi Romani, antecessoris Gregorii, dogma; *Baptismus est majoris necessitatis: manus verò impositio, majoris dignitatis, ex ministro*[a]. Item; *eam Sacramentum esse, majori veneratione dignum*[b].

a Epistola decretali. b Ibidem.

LII. *Superbia* verò *Episcoporum, adversus homines*, ea est; qua, honoris mundi splendore & illecebris, inescati, ac modestiæ obliti, sacrum ministerii ordinem, in profanum dominatum, pervertentes, se, *supra pares*, & *superiores*, indignè *efferendo*, Antichristi retectionem, maturarunt.

LIII. *Supra pares* quidem, quum, à communi sorte, sese eximentes, alios Episcopos, suæ, potestati subjicere, sunt moliti. Quæ pestis, potissimum *tetrarchas Ecclesiæ*, seu quatuor *Patriarchas*, (urbium suarum dignitate & Oecumenici Episcopi titulo inflatos) occupavit: ut ex *Constantinopolitano*, & *Romano* inprimis *Episcopo* constat.

LIV. De *Constantinopolitano* quidem Episcopo (quum affectata *Oecumenici*, seu *universalis*, appellatione, ad Monarchiam in Ecclesia, aspirare videretur) sic ait *Gregorius Magnus*; *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua, Antichristum præcurrit*[a]. Item *Rex superbiæ prope est: & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus: quia cervici militant elationis, qui adpositi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis*[b].

a Ep. l. 7. c. 154. b Ep. l. 4. c. 84. vide etiam c. 80 83. & l. 7. c. 182. & 194.

LV. *Superbia* verò *Romani Episcopi*, longè fuit major & insolentior, ut mirum sit, Gregorium adeò cæcutisse, ut eam non observarit: aut alios ignorasse, existimarit. Sic enim olim ante ipsum *Vigilius Papa* erat gloriatus; *Sancta Romana Ecclesia, ejus* (Petri) *merito, Domini voce consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum. Ad quam, tam summa Episcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quam & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, referenda sunt*[a].

a Epist ad Extherum.

LVI. Imo verò licet *Gregorius*, declinata, superbi cognominis *Universalis*, invidia[a], *servum servorum Domini*[b], sese solenni more, primus nuncuparit: reipsa tamen, dominus eorum, censeri concupivit. Idque narrata, ac probata ab eo, *Pelagii* Papæ arrogantia, demonstrat. Qui nominis *œcumenici*, à Johanne Episcopo, in Synodo Constantinopolitana, usurpati, livore percitus, *directis* (ut ait Gregorius) *literis*, EX AUCTORITATE PETRI, *ejusdem Synodi acta cassavit*[c]. Ac simili superbia inflatus *Gregorius*, universis Dalmatiæ Episcopis pro imperio loquens, inquit; *Quibus ex beati* PETRI, *principis Apostolorum*, AUCTORITATE PRÆCIPIMUS[d]. Atque hæc, de *Episcoporum*, *adversus pares*, *superbia*.

a Epist. l. 7. c. 30. b Johannes Stella in vita Gregorii. c Epist. l. 4. c. 80. & c. 7. & 83. d Ib. 3. c. 16. vide etiam l. 4. c. 82. & 83.

LVII. *Superbia* verò *Episcoporum*, *adversus superiores* ea est, qua, *partim*, in politici magistratus ac procerum munia, irrupe-

irruperunt: *partim*, regibus atque imperatoribus, subesse, honoremque debitum[a] deferre, dedignati, iisdem præesse voluerunt.

a Rom. 13. 1.

LVIII. *Prioris*, testes sunt locupletes, ingenuæ ac gravissimæ, *Socratis* & *Gregorii Papæ*, querelæ: Illius quidem, quum ait, *Romanum Episcopatum Alexandrini instar, ad principatum*, JAM OLIM *provectum*[a]. Hujus verò, quum ita scribit; *Hoc in loco, quisquis pastor dicitur, curis exterioribus, graviter occupatur: ita ut sæpe incertum fiat, utrum pastoris officium, an terreni proceris, agat*[b]. Et alibi; *Tanta quippe occupationum onera deprimunt; ut, ad superna animus, nullatenus erigatur*[c].

a Hist. Ecclesf. l. 7. c. 11. b Epist. l. 1. c. 24. c Ib. l. 1. c. 7.

LIX. *Posterioris*, indicium est, quod Rom. Episcopus, à Nicæno, aliisque orientalibus Conciliis, ea de causa, missis tantùm legatis, perpetuo abfuerit; ne scilicet, præsenti in illis Imperatori (primum consessus locum occupaturo) cedere, aut ea de re tumultuari cogeretur. Quemadmodum, hoc iniquitatis mysterium, sagaci Cardinalis Bellarmini suspicione[a], revelatur.

a De conciliis & Ecclesia l. 1. c. 19.

LX. Cujus arcanæ *superbiæ fomites* ac *flabella* accessere, Christianorum rudiumque Imperatorum ac regum superstitio: qua, debitæ Episcopis reverentiæ[a], limites[b] immodica observantia, ac fœda majestatis suæ violatione, transgressi, superbos Patriarcharum animos, amplius inflammarunt. Quemadmodum *Constantini Magni*, & *regum* (inprimis *Galliæ*) gesta demonstrant.

a 1. Tim. 5. 17. Heb. 13. 17. b 1. Pet. 5. 3. & 1. 17. Rom. 13. 1.

LXI. *Constantinus* enim, adeo imprudenter, & indignè, aberravit, ut, de Episcoporum litigantium causis, cognitionem ac judicium, detrectans, eos, humanis omnibus judiciis, sublimiores, & à solo Deo judicandos: quod *Dii*, in Sacris literis, vocarentur, asseruerit[a]. Quam falsam noxiamque sententiam, Romani Episcopi, adeo avidè arripuerunt; ut ea abusi, & Dei nomen[b], & supremam in terris majestatem, sibi arrogarint[c].

a Gelas. Act. concil. Nicen. c. 8. b Greg. M. Ep. l. 4. c. 75. Nic. Papa Decr. dist. 96. c. satis evid. c Decr. ibidem.

LXII. Reges verò, adeo excellentiæ suæ obliti sunt, ut, & regni sui opes, vano honoris ac *patrimonii Petri* colore[a], seducti, profuderint: & quasi Deum rectè, in Pontifice, ita indignè efferendo, colerent; turpissimè subjecerint[b]. Quæ res, temporis tractu, & majorum exemplis, adaucta, Antichristum tandem patefecit. Atque hæc quidem, de *Ecclesiæ defectione, prima Antichristi* (qua paulatim formatus est) *origine*.

a Gregor. Ep. l. 5. c. 105. & 110. b Blondus decad. 1. l. 10. p. 157. & 159.

LXIII. *Altera* verò *origo*, qua patefactus est, *Romani imperii ruina*, describitur. Ut enim Romani Imperatoris, in medio urbis Romæ, præsentia, & imperium, latentis Antichristi tyrannidis, obstaculum fuit ac frænum: sic, utriusque, è medio, sublatio, effrenem Antichristum, patefecit.

LXIV. Siquidem *duo, labentis Romani imperii, gradus* insigniores extiterunt. *Primus*, quo Roma, ab Imperatore, Byzantium migrante, deserta, sedes esse imperii desiit: *alter* verò, quo ipsa vicissim Imperatorem deserens, antiquum illius jugum excussit: ac propterea, reliquum Imperium, Romanum esse imperium, cessavit[a]. Quibus duobus gradibus, Antichristi patefactio, in *Bonifacio tertio*[b] & *Stephano secundo*[c], gradatim respondet.

a Abbas Vrspurg. Chron. an. 754. b Ib. 607. c Ib. an. 754.

LXV. Qua de re, oraculum *Scripturæ* duplex, Primum, Pauli, *Et nostis* (inquit) *nunc quid obstet: ut is, suo tempore, retegatur. Iam enim, peragitur mysterium iniquitatis tantum: donec, qui nunc obstat* (sic enim sine ellipsi transferendum) *è medio fuerit* (sublatus) *& tunc exlex ille, retegetur*[a]. *Alterum* est *Iohannis*, qui, *Bestiam è terra* (id est Antichristum, quasi terræ filium) *ascendere*, docet, *post primam bestiam, lethali plaga sauciatam*[b]: hoc est, post pristini Romani imperii ruinam. Hactenus, de utraque (cum formationis tum patefactionis) *Antichristi origine: primo* videlicet *differentiæ* membro: *alterum* sunt mores illius.

a 2. Thes. 2. 6. b Ap. 13. 3. 11. 12.

LXVI. *Mores* autem Antichristi, in proposita, à nobis, definitione, indicati sunt, nempe perversi illius animi *hypocrisis* & *vitiositas* eximia.

LXVII. *Hypocrisis* illius, est subdola, professionis Christi larva; qua aliud intus premit, aliud foris promit, ut suam vitiositatem, hominibus seducendis, occultet: ut *Scriptura* & *experientia*, demonstrant.

LXVIII. *Scriptura*; quum ipsum, *in Templo Dei sessurum ac seducturum*[a]: *Dei spiritum ac prophetam falso simulaturum*[b]: & *duo cornua, similia Agno habiturum*; *sed draconis instar locuturum*[c], vaticinatur: ipsumque cum subditis doctoribus, *Spiritus deceptores per hypocrisin falsiloquos*[d] vocat.

a 2. Thes. 2. 4. 10. b 1. Joh. 4. 13. c Ap. 13. 11. d 1. Tim. 4. 1. 2.

LXIX. *Experientia* verò: quia Pontifex Romanus, inde à *Bonifacio tertio*, Christum, & *generali*, & *speciali* quadam ratione, *profitetur*.

LXX. *Generali* quidem; quia integram Sacram Scripturam: & summam doctrinæ illius, catechesi Christiana (seu Decalogo, Symbolo Apostolorum, Baptismi, & Cœnæ institutione, & oratione Dominica) comprehensam, velut Christianismi tesseram, prima fronte prætendit: sed utrumque tamen, variis modis, inficit ac subvertit.

LXXI. *Speciali* verò, quum se *Christi vicarium*[a]: & vana Gregorii imitatione, *Servum servorum Dei*[b], ore nuncupat; reipsa verò confutat: ut, ex effectis, postea liquebit. Hæc de *hypocrisi*.

a Extrav. com. l. 1. de Major. c. unam san. b Sexti lib. 1. in proœmio.

LXXII. *Vitiositas* autem Antichristi, definitione indicatur *generatim*; quum *scelerosus*: & *speciatim*; quum *Christi adversarius* nuncupatur.

LXXIII. *Scelerosum* fore, in *Sacris literis*, prædicitur, quum κατ' ἐξοχὴν, *homo ille peccati*[a] (hoc est, peccati servus eximius: ut *homo Dei*, pro servo Dei[b]) & ὁ ἄνομος *exlex ille*[c] appellatur: *Christi* verò *adversarium* docet; quum ὁ ἀντικείμενος *adversarius ille*[d] (Dei scilicet ac Christi) & ὁ ἀντίχριστος *Antichristus ille*[e], nominatur. Utrumque autem, ex distincta, effectorum sequentium, inductione, plenius cognoscetur.

a 2. Thes. 2. 3. b Deut. 33. 1. Cum 34. 5. 1. Timoth. 6. 11. 2. Timoth. 3. 17. c 2. Thes. 2. 8. d 2. Thes. 2. 4. e 1. Joh. 2. 18. & 4. 3.

LXXIV. *Effecta* enim *Antichristi* præcipua, declarantur duo, *elatio*, & *seductio* eximia.

LXXV. *Elatio* autem gemina est: una, qua impiè, supra Deum: *altera*, qua injustè, supra homines, sese attollit.

LXXVI. *Elatio supra Deum* demonstratur, *partim*, prædictionis *Scripturæ* auctoritate: quum ait; *Efferens se, supra omnem, qui dicitur Deus aut numen*[a]: *partim* evidentis *experientiæ* sensu ac consensu.

a 2. Thes. 2. 4.

LXXVII. *Primùm* quia Pontifex Romanus, Dei legibus suas opponit, ac præponit: ut, ex antecessoribus ipsius, quos probat, ac sequitur[a], &, è reliquis effectis, constabit.

a Decret. causa 15. q. 6. auctor. & dist. 34. c. Lector.

LXXVIII. *Deinde*, quia graviorem, legum suarum humanarum, quàm divinarum violatori, redempturam præscribit. Nec mirum: *talis enim præsumptio* (ut ait) *genus est blasphemantium Spiritum Sanctum*[a]. Adeo ut horrendos incestus, vilius quàm res nullius momenti[b], æstimet: ut, pudenda hæc statuta, evincunt; *Absolutio, pro eo, qui matrem, sororem, aut aliquam consanguineam, vel affinem suam, ac commatrem, carnaliter cognovit gross.* V.[c] Et paulò post; *Absolutio, pro presbytero, qui, corpora defunctorum excommunicatorum, in terra sancta sepelivit gross.* VIII.[d]

a Decret. causa 25. q. 1. Can. violatores. b Matt. 15. 9. c Taxæ pœnit. Apostolicæ, De Absolutione. d Ibidem.

LXXIX. *Denique*, quòd sacram, ex hominibus mortuis, divos & religiosa invocatione colendos, efficiendi potestatem, sibi arroget, ac profana ἀποθεώσει & (ut vocant) *Canonizatione*, exerceat. Id quod Deus facere non potest: quia *seipsum abnegare, suamque gloriam alteri*, contra justitiam, *attribuere*, omnino non potest[a].

a 2. Tim. 2. 13. Ex. 20. 5. Esa. 42. 8.

LXXX. *Elatio* verò *supra homines*, ea est, qua, in Ecclesia universa, & totius orbis politia, dominium Dei ac Christi instar[a],

instar [a], sibi arrogat: ut *Scriptura*, & *experientia*, cum *generatim* tum *speciatim* attestantur.

a Glossa extra Com. l. 1. de Major. c. unam sanctam.

LXXXI. Ac *generatim* quidem quum in *Scriptura*, *magna illa civitas* [a] (cujus caput est Antichristus Romanus) ait; *Sedeo regina* [b]: & *magna illa meretrix*, *sedere super aquas multas* [c] (hoc est populis multis præsidere [d]) ac *bestia*, Antichristi index *habere duo cornua*, *similia agno* [e] (hoc est duo regna: Ecclesiæ & politiæ, Christi agni, cœli terræque domini, usurpare) asseritur.

a Ap. 11. 8. & 18. 2. b Ap. 18. 7. c Ap. 17. 1. d Apoc. 17. 15. e Ib. 13. 11.

LXXXII. *Experientia* verò; quia *Iohannes* XXII. Papa ait; *Summum Pontificem, cui, in persona beati Petri, terreni simul & cælestis imperii jura Deus ipse commisit* [a]. Cujus indicium est Tiara Pontificis (quam *regnum* vocant) triplici corona aurea insignis [b]. *Deinde*, quoniam *Bonifacius* VIII. hunc novum, de Papali dominio, fidei articulum, promulgavit; *Porro subesse Romano Pontifici, omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, diffinimus & pronunciamus omnino esse, de necessitate salutis* [c].

a Extr. Joh. 22. tit. 5. c. si fratrum. b Ceremon. sacr. l. 1. lect. 2. c. 3. c Extrav. com. l. 1. de Major. & obedientia c. unam sanctam.

LXXXIII. *Speciatim* verò, arrepti, ab Antichristo, *dominii*, *elatio prima* ea est, qua, *Dei* ac *Christi instar* in Ecclesiam, dominationem absolutam, & (ut loquitur) *plenitudinem potestatis* [a], usurpat. Cujus rei *testis divinus*, est *Scriptura sacra*, quæ, non solùm ipsum, in Ecclesia *sedere*, seu præsidere; sed etiam, *Dei instar* [b] & *ostentare*, *se esse Deum* [c]: & *à terra habitatoribus*, *adorandum* [d], prædicit. *Humanus* vero *testis* certus, *experientia* est: quæ & *Papa*, in Ecclesiam *dominium*, & *modum* illius *impium*, sole clarius demonstrat.

a Extrav. commu. lib. 5. de Pœnit. cap. 1. b 2. Thess. 2. v. 4. c Ibid. d Apoc. 13. v. 8.

LXXXIV. Ac *Dominium* quidem, in *Bonifacio tertio*, primo illo Antichristo patefacto, luculenter declaratur. *Cujus rogatu* (ut ait Abbas Urspurgensis) *Phocas constituit sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, caput omnium Ecclesiarum* [a]. Atque ita tandem injusta tyranni illius, domini sui imperatoris Mauritii parricidæ, auctoritate publica, stabilitum est; quod, Bonifacii illius antecessores, tam avidè, frustra affectarant [b]. Ideoque, in solenni illa, Antichristi Romani, coronatione, solebant ita acclamare, ac bene ominari *Pontifici* ET UNIVERSALI PAPÆ, *vita* [c].

a Chronico. An. 607. & Platina in vita Bonif. 3. &c. b Vide supra, Thesi 55. c Sacrar. ceremon. l. 1. sect. 2. c. 3.

LXXXV. *Deinde*, idem etiam, immani illo *legum Papalium* (anathematis comminatione munitarum) *jugo*, quo Ecclesiam gravat & opprimit, perspicuè comprobatur. Qua de re, justè olim conquestus est Theologus primarius ac celeberrimus; *Fit* (inquit) *amplius de levi jugo Christi, & lege libertatis, jugum ferreum & onus grave, premens cervices Christianorum: dum scilicet aliqui, suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas & statuta, arbitrari volunt, accipiendas esse, sicut præcepta legis Dei, ad æternæ mortis interitum, si prætereantur, vergentia* [a].

a Gerson de vita spirituali animæ, lect. 2.

LXXXVI. *Præterea* huc accedit effrænis illa Papæ superbia, qua sua *judicia*, imo & *flagitia*, omnium conciliorum [a] atque hominum judiciis (primatus Petri & ligandi ac solvendi potestatis, obtentu [b]) eximit ac præponit. Unde, ὁ ἄνομος *exlex ille*, de quo Apostolus [c], suo se prodens indicio, palam innotescit.

a Causa 9. q. 3. cap. ipsi sunt. Et c. Cuncta. b Ibid. cap. Aliorum. c 2. Thess. 2. v. 8.

LXXXVII. De *judiciis* enim sic gloriatur *Nicolaus* Papa; *Patet profectò, sedis Apostolicæ* (CUIUS AUCTORITATE MAIUS NON EST) *judicium, à nemine fore retractandum: neque cuiquam, de ejus liceat judicare judicio* [a]. Idque *Innocentii* & *Gelasii* Paparum, decretis similibus, probare contendit. Et alibi ait; *Nemini est, de sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare, permissum: videlicet, propter Romanæ Ecclesiæ* PRIMATUM, *Christi munere, in beato Petro Apostolo, divinitus collatum* [b].

a Causa 9. q. 3. c. Patet. b Causa 17. q. 4. cap. Nemini. Et causa 9. q. 3. c. Patet.

LXXXVIII. De *flagitiis* verò sic ait *Antherius* Papa; *Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò à Domino judicantur* [a]. Et *Symmachus* similiter; *Aliorum hominum causas, Deus voluit per homines terminare: sed sedis istius præsulem, suo sine quæstione reservavit arbitrio* [b].

a Causa 9. q. 3. c. Facta. b Ibid. c. Aliorum.

LXXXIX. Huc pertinet etiam (quasi interpres) celebre illud atque infame decretum: *Si Papa, suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & remissus in suis operibus, à bono taciturnus: quod magis officit sibi, & omnibus, nihilominus innumerabiles populos secum ducit, primo mancipio gehennæ* [a], *cum ipso, plagis, in æternum, vapulaturus: hujus culpas, istic redarguere, præsumit nullus; quòd cunctos ipse judicaturus*, A NEMINE EST JUDICANDUS *nisi deprehendatur, à fide devius* [b]. Unde, *Papæ dominium*, cognosci potest.

a 1. Diabolo. Gloss. Ibid. b Decret. dist. 40. c. Si Papa.

XC. *Modus* verò *dominii*, illius in Ecclesiam, *impius*, ex eo apparet; quòd *Dei*, & *Christi instar*, *dominetur*. Qui modus (ut alia omittamus) ex eo conspicitur *primùm*, quod se, potestatis *Christi vicarium* [a]: & Ecclesiam (spreto Christi, unici illius sponsi & capitis [b] zelo) *sponsam* suam [c], & *corpus, cujus* ipse sit *caput* [d], apertè statuit. Hinc *Bonifacius* VIII. Sexti l. 4. de immun. c. 4. ait; *Nos justitiam nostram, & Ecclesiæ sponsæ nostræ, nolentes negligere.*

a Sexti l. 4. tit. 23. c. 4. Quoniam Extravag. Com. l. 1. De Major. c. unam. b Joh. 3. 29. 1 Cor. 11. 2. Eph. 5. 23. c Extrav. 1. Joh. 22. tit. 5. c. 2. Si fratrum. d Causa. 9. q. 3. c. Aliorum.

XCI. *Deinde*, quòd liberè ac pro arbitrio suo, partim, aut omnino, peccatorum remissionem, & varios cælestis gloriæ gradus, distribuit ac dispensat: ut Clementis Papæ statutum perhibet [a].

a Extrav. com. l. 5. de pœnit. c. 2. Unigenitus.

XCII. *Postremò*, ut nominis Dei [a], & *divinæ majestatis* [b] regibus adorandæ arrogatio [c]; sic religiosa Pontificis, in altare, numinis instar, subvecti, adoratio, manifestam divinitatis affectationem demonstrat. Pontifex enim (ut ad Leonem X. Papam, Archiepiscopus Corcyrensis, coronationis Papæ ritum, describit) *à Cardinalibus super altare, ad sedendum constituitur, cum mitra: & prior Episcoporum, genuflexus, incipit; Te Deum laudamus* &c. *Interim Cardinales, pedes electi, manus, & os, deosculantur* [d].

a Distinct. 96. Can. Satis evid. b Concil. Later. ult sub Leone, Sess. 9. c Ibidem. d Sacrarum ceremon. l. 1. sect. 1. c. 5.

XCIII. *Altera specialis*, dominantis Antichristi Romani, *elatio* est, qua, fallaci, potestatis Petri & successorum illius, specie, reges & imperatores, ita inebriavit [a], ut sceptra sua ac coronas, mitræ ac pedo, imo & pedibus ipsius (falsa, *cultus Dei* opinione fascinati [b]) subjecerint: ut ejus rei prænuntia est *Scriptura* sacra, eique congruens, ac mille testium instar, *experientia* comprobat.

a Apoc. 17. 2. b Alexius episc. orat. in Concil. Later. sub Julio Sess. 3.

XCIV. *Scriptura* quidem: quia, de Antichristo, ait, *Efferens se supra omnem, qui dicitur Deus* [a]: qua voce generali, non solùm verus Deus, sed magistratus etiam (ob potentiæ, ac judicii, similitudinem [b]) intelliguntur. Deinde etiam, de regibus ita testatur; *Hi unum consilium habent: & vires ac potestatem suam bestiæ tradent* [c].

a 2 Thess. 2. 4. b Exod. 21. 6. c Apoc. 17. 13.

XCV. *Experientia* verò, innumera stupendæ *injuriæ*, atque *ignominiæ* magistratui summo illatæ, documenta subministrat. Quorum pauca duntaxat seligemus: ut, ex iis, quasi unguibus, efferata, leonis Romani, insolentia, cognoscatur.

XCVI. *Injuria* enim, ex eo, *primùm* se prodit; quod Pontifices Romani, & sese, & suos Ecclesiasticos, civilis magistratus imperio, injustè [a] subtraxerint [b]. Quippe, sic decernit, *Cajus* Papa Romanus: *Nemo unquam Episcopum, aut reliquos clericos, apud judicem secularem, accusare præsumat* [c]. Et *Sylvester* pontifex: *Si quis* (inquit) *clericus, accusans clericum, in curiam introierit, anathema sit* [d]. Cui injuriæ colorem vanum ex eo induxerunt, quòd, & *dii* appellarentur: &, ab humanis judiciis, Constantini sententia, essent immunes [e].

a Rom. 13. 1. b Sexti lib. 3. tit. 23. de immun. Eccles. c. clericus. c Causa 11. q. 1. c. Nemo. d Ib. c. siquis. e Dist. 69. c. Satis.

XCVII. *Deinde*, ex eo etiam, *injuria* emicat; quod in omnes Reges ac Principes, arrogata potestate [a], non rarò subditos eorum, à debita obedientia, & fidelitatis juramento, solven-

solventes, regnis & imperiis, pro libidine sua, exuerunt [b]. Quam, falsa *Apostolicæ potestatis plenitudine*, quasi divinitus accepta [c], fucare ac confirmare studuerunt [d]. Quæ *injuria*, apertis *Gregorii* II. *Zachariæ*, *Gregorii* VII. pontificis, aliorumque successorum flagitiis comprobatur.

a Sexti. l. 2. de Sent. c. 2. Ad Apost. b Causa 15. q. 6. c. Alius. c. Extrav. com. l. 5. de pœnitentia, c. 1. d Ib. l. 1. de Major. c. unam.

XCVIII. *Gregorius* enim II. [a] impio adorationis imaginum œstro percitus, Leoni Imperatori, propterea quod illa idololatriæ instrumenta constanter sustulisset, infensus, *Romam* [ut Abbas ait] *cum tota Italia, ab ejus Imperio, recedere fecit* [b].

a Platina & Joh. Stella Gregor. III. vocant. b Ab. Urspurg. Chronic. an. 73.

XCIX. *Zacharias* verò, Francos sacramento, quo regi suo legitimo, Childerico, obstricti erant [non ulla, iniquitatis illius sed ignaviæ solius, causa [a]] absolvit [b]. Unde *Pipinus*, beneficio Pontificis, rex salutatus, & à Stephano secundo coronatus, Ravennatem præfecturam, & oppida ducatus Romani, nimis amplo injustitiæ præmio, superstitiose rependit [c]. Sic etiam *Gregorius* VII. Henricum IV. Imperatorem, imperio primùm abdicavit: & deinde *non prius absolvit, quam deposito regali ornamento, nudis pedibus, quamvis aspera esset hyems, & gelu cuncta rigescerent, ad Pontificem veniret, & veniam ab ipso peteret* [d].

a Causa 15 q. 6. c. alius. b Paulus Æmil. Hist. Franc. lib. 2. c Ibidem. d B. Caranza Sum. Concil. in pontifice 163. Concil. Lateran. Sess. 3. in Orat. Alexii episcopi.

C. *Ignominiæ* verò majestati illatæ, speculum est, quòd, abjecta regum superstitione abusi, eos, ad pedum suorum oscula, fœdissima barbarie, admiserint. Adeo ut de ea re *Gelasius* Papa impudenter glorietur; *Quippe* (inquit) *quum videas, Regum colla, & principum, submitti genibus sacerdotum, & osculata eorum dextera, orationibus eorum, credant se communicari vel muniri* [a]. Et *Ant. Puccius*, in oratione ad Leonem X. in Concilio Lateranensi, ei, ut *divinam* tribuit *majestatem*, sic postea ait; *Quorum* (regum) *libentia oscula, tui exceperint pedes: quasi in te uno, vero, atque legitimo, Christi vicario, propheticum* [b] *illud, debuerit rursus impleri*; *Adorabunt eum, omnes reges terræ: omnes gentes, servient ei* [c].

a Dist. 96. c. Duo sunt. b Ps. 72. c Concil. Lateranensi ult. sess. 9.

CI. Quale, de *Pipino*, exemplum recensetur. *Equo* (inquit Blondus) *descendens, Pontificis pedes osculatus, illum, terra incedens, & frænum, Pontificis equi, regens, ad cubiculum usque deduxit* [a]. Unde hæc fœditas, priscis exemplis, fucata, in morem & legem evasit: ut solennes, coronandi & colendi Pontificis, ritus, manifestè arguunt.

a Decad. 1. l. 10. Platina de vitis Pontif. in Zacharia. Et Johan. Stella de vitis Pontif.

CII. Nam, præter pedum Romani pontificis oscula, equi illius ductum, pollubri & ferculi primi ministrationem, aliaque servilia Imperatoris officia ac dedecora, hoc etiam, cæremoniarum magister commemorat; *Si verò Pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor majores principes, etiamsi inter eos*, IMPERATOR, *aut quivis maximus princeps adesset*, IN HONOREM SALVATORIS *Iesu Christi* (en superstitionis & idololatriæ Papalis fundamentum ac fascinum! quo homines miserè deceperunt) *sellam ipsam, cum Pontifice*, HUMERIS *suis portare, aliquantulum debent* [a].

a Sacrar. cerem. l. sect. 2. c. 3.

CIII. Quibus accedit, impudentis hujusmodi elationis, fastigium in *Alexandri* tertii, contra Fredericum Barbarossam, insania, quæ ab historicis plerisque, iisdem pene verbis recensetur. *Isto* (inquiunt) *fœdere, Alexander Pontifex, inito, confestim ad januas templi divi Marci, accessit: & ibidem universo adstante populo, Imperator accessit; ut se humi prosterneret, & veniam denuo postularet: At summus Pontifex, Cæsaris Imperatoris collum, pede comprimens ait: Scriptum est; Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. At Fredericus; Non tibi, inquit, sed Petro, cujus successor es* (en superstitionem, & mali originem!) *pareo. Et Pontifex respondit: Et mihi, & Petro* [a]. Hæc de *primo* Antichristi *effecto principali*, tyrannica ac detestanda illius, supra Deum, hominesque, *elatione*, sufficiant.

a Nauclerus Chronographiæ gener. 40. Philippus Berg. Supplemento Supplementi Chronic. p. 299. Johannes Stella de vitis Pontif. in Alex. III.

CIV. *Alterum* verò *effectum* est hominum, à Christo, & salutis via, seductio. In qua, *modus*, & *terminus*, ad quem tendit, in præposita, à nobis, Antichristi definitione, distinctè indicantur.

CV. *Modus* autem seductionis illius, est *duplex*: suasionis illecebræ, & coactionis crudelitas. *Prius* autem, *partim*, doctrinæ, & signorum, mendaciis: *partim*, vitæ impuræ exemplis, continetur.

CVI. Ac *Doctrinæ* quidem *mendacia*, primùm *Sacræ literæ*, apertè prænunciant: cùm *generatim*; quando *spiritum Antichristi* Dei spiritui, opponunt [a]: eumque, *Pseudoprophetam illum* [b], eximiè appellant: *omnemque iniquitatis seductionem* [c] illi attribuunt: tum *speciatim*; quum iniquarum legum, (de cœlibatu, & ciborum religioso delectu) exempla, hoc modo proponunt; *Spiritus disertè dicit, fore, ut posterioribus temporibus, deficiant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis Dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum: quorum conscientia, cauterio resecta est: prohibentium contrahere matrimonium: jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit, ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus iis, qui cognoverint veritatem* [d].

a 1. Ioh. 4. 3. b Apoc. 16. 13. c 2. Thes. 2. 10. d 1. Tim. 4. 1, 2, 3.

CVII. *Deinde*, cum divinis hisce vaticiniis, consentit etiam *experientia*, ut ingens *errorum Papalium*, de *Scriptura*, & *dogmatis illius*, sylva, copiosè evincit: è qua, sarmenta quædam, speciminis gratiâ, colligemus; ut Antichristus, amplius dignoscatur.

CVIII. De *Scriptura* enim *errores* sunt hujusmodi. I. Libros quosdam Apocryphos non minus, quàm Mosis & Prophetarum, esse sacros & canonicos [a]. II. Scripturam, non esse perfectum, doctrinæ ad salutem necessariæ, canonem: sed eum partim Scriptura, partim traditionibus non scriptis [parique pietatis affectu venerandis] contineri [b]. III. Veterem vulgatam Latinam versionem, esse authenticam: & Hebrææ ac Græcæ (Prophetarum & Apostolorum) scripturæ, sicubi dissentiant, præferendam [c]. IV. Nec singulis privatim, nec cunctis, in publico Ecclesiæ usu, Scripturam, linguis vulgaribus, esse legendam [d].

a Concil. Trid. sess. 4. decret. 1. Contra 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 19, 20, 21. b Concil. Trid. sess. 4. decr. 1. Contra Act. 20. 27. cum c. 26. 22. 2. Tim. 3. 15, 16, 17. c Concil. Trid. sess. 4. dec. 1. Bellarm. de verbo Dei Lib. 2. c. 10. 11. Contra. Rom. 3. 4. Eph. 2. 20. d Pius IV. in Indice lib. prohibitorum. Bellarm. de verbo D. l. 2. c. 15. Contra Psal. 1. 2. Ioh. 5. 39. Act. 15. 21. & 17. 11.

CIX. De *dogmatis* verò in Scriptura traditis, errores sunt innumeri: nos verò paucos duntaxat, compendii studio, excerptos, quasi in tabella quadam (unde Antichristi facies relucebit) proponemus. Quorum alii, æternam charitatis *legem*, Decalogo expressam: alii, *Euangelium*, ac fidei in Christum normam, è diametro oppugnant.

CX. *Legem* quidem; quia Pontifex contra *primum* legis *mandatum*, complures Deos alienos, Angelos, & homines mortuos (in Deorum tutelarium numerum, ac canonem, à se relatos, divosque factos) tradit: iisque Dei gloriam (cordis scilicet scrutationem, potentiam tutelarem, internumque fiduciæ, spei, atque invocationis, cultum [a]) adscribit. Quibus, & Deus Missaticus, seu hostia: & ipsemet Pontifex Romanus, ut antea ostendimus [b], accenseri debent. Hinc Julius II. in concione de Christo præsens, appellari se impunè permisit, *Iovem Opt. Max. qui dextra omnipotente tenens ac vibrans trisulcum & inevitabile fulmen solo nutu faceret quicquid vellet* [c].

a Psalterium Beatæ V. Mariæ. b Thes. 91. c Erasmus (qui interfuit) Ciceroniani p. 115. edit. Sim. Colinæi.

CXI. Ut autem, horrenda hæc impietatis hydra fiat conspectior, unum illius duntaxat caput, de *Mariolatria*, retegemus. Quam ad rem, sufficiet *Divi* Pontificii, *Bonaventuræ* Cardinalis *Psalterium B. Virg. Mariæ* [a]: in quo, gloriam Deo attributam, *Domini*, in *Dominæ* nomen mutatione virgini Mariæ adscribit: aliisque blasphemiis adjunctis, amplificatur.

a Constantiæ an. 1611. approbatione Constantiensis Episcopi recusum, & canticis, aliisque auctum.

CXII. Qualia, è multis, hæc sunt illustria; *Sancta, sancta, sancta, Mater Dei genetrix* [a]. *Fiat, misericordia tua magna, nobiscum: quia in te confidimus: in te, clementissima Domina,*

Domina, speramus: defende nos, in æternum. Amen. Te decet laus, te decet imperium, virtus & gloria, in secula seculorum. Amen [b]. *In nomine tuo, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum* [c]. *Misericordia illius, nostrorum auferat multitudinem peccatorum* [d]. *Munda cor meum, igne amoris* & *charitatis tuæ. Tu es mater illuminationis cordis* [e]. *Qui te in hac vita non invocat, non perveniet ad regnum Dei* [f].

a Cantico Psal. 3. b Ibidem. c Cantico Psal. 5. d Psal. 16. e Psal. 40. f Psal. 80.

CXIII. Contra *secundum* etiam impingentes Romani Pontifices, imaginum adorationem, docent [a]. Qua de re, divus Pontificius; *Christus* (inquit) *est adorandus, adoratione latriæ: ergo & ejus imago* [b]. Item; *Illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis; sed, in cruce Christi, ponimus spem salutis. Cantat enim Ecclesia; O Crux, ave spes unica: hoc passionis tempore, auge piis justitiam reisque dona veniam. Ergo crux Christi, adoranda est, adoratione latriæ* [c].

a Concil. Trid. ses. 25. decret. 2. b Thomas Aquin. Sum. Theo. p. 3. q. 25. ar. 3. Et ibid. Cajetanus. c Ib. ar. 4. Et Cajet.

CXIV. Contra *tertium*, horrendis suis benedictionibus, & incantationibus, salem, aquam, ceram, ramos, cineres, campanas, aliaque magiæ, aut superstitionis suæ instrumenta, indignissimâ nominis Dei profanatione, consecrare, atque exorcizare, docent: eaque tanquam salutis subsidia, commendant. Quemadmodum *Pastorale Romanum: Rationale divinorum officiorum* Durandi Episcopi: & Christophori Marcelli archiepiscopi, *Sacrarum ceremoniarum libri*: & Hieronymi Mengonis, *Fuga Dæmonum*, abundè describunt.

CXV. Contra *quartum*; festa, templa, altaria, Missæ sacrificia, divis suis [a] (quorum nonnulli, aut nunquam extitere; ut Christophorus Gigas: aut impii, ut Gregorius Arianus [b]) dedicarunt [c]. *Deinde*, varios Religionum modos: variosque ministrorum sacrorum ordines, præter Dei verbum, Ethnicorum more, instituerunt [d].

a Concil. Trid. sess. 22. Can. 5. b Baronius Martyrologio Romano. c Durandus ration. div. offic. l. 2. c. 1. &c. d Ibidem.

CXVI. Contra *quintum* quoque, de honorandis parentibus, præceptum, quàm indignis modis, patribus patriæ, summo magistratui, debitum honorem derogandum, decernant; ex iis, quæ de *Pontificum elatione*, disseruimus, perspicuè convincitur.

CXVII. Contra *sextum*; horrendam Inquisitorum in hominum, ab iis etiam sanctè dissidentium, sanguine effundendo crudelitatem, suo calculo ac præscripto confirmant [a].

a Dominicus Bannes in 22. Thomæ. q. 11. ar. 2.

CXVIII. Contra *septimum*, & Apostoli doctrinam [a], non solùm Ecclesiasticorum matrimonia prohibent: sed etiam, scortatione deteriora, affirmant. Sic enim inter cæteros ait Cardinalis; *Majus malum, sic nubere; quàm fornicari. Quia, qui ita nubit, reddit se inhabilem, ad votum servandum: quod non facit, qui fornicatur* [b]. Deinde Gregorius III. statuit; *Si mulier, infirmitate correpta, non valuerit, debitum viro reddere*, &c. *qui se non poterit continere, nubat* [c].

a 1. Cor. 7. 9. b Bell. lib. 2. de Monach. cap. 34. c Concil. 1. 2. Epist. ad Bonifacium contra Matth. 5. 32.

CXIX. Contra *octavum*; non solùm, quæ Cæsaris sunt, ea à suis Ecclesiasticis, Cæsari non tradenda, statuunt: ac secus facientes excommunicant [a]: sed illius etiam, aliorumque regum, imperia ac regna, pro summa potestate, atque arbitrio, dari, minui atque auferri posse, decernunt [b]: ut inter alios, *Gregorius* VII. asseruit [c].

a Sexti l. 3. de immunit. Eccles. c. 2. Clericus. b Extrav. com. l. 1. de Major. c. unam. Et Glossa ibid. c Platina de vitis Pontif. In Gregor. III.

CXX. Contra *nonum*, promissione securitatis, hæreticis data, si in sententia perstiterint, promittentem minimè obligari, statuerunt. Sic enim loquitur Concilium: *Dicto salvo conductu, non obstante, liceat* & *punire, quantum justitia suadebit, si, suos errores revocare, pertinaciter recusaverint: etiamsi, de salvo conductu confisi, ad locum venerint judicii, aliàs non venturi: nec sic promittentem (cum alias fecerit, quod in ipso est) ex hoc, in aliquo, remansisse obligatum* [a].

a Concil. Constantiense sess. 19.

CXXI. Contra *decimum* Apostoli sententiam, ac rationem [a], *Concupiscentiam, spiritui repugnantem, non verè ac propriè, in renatis, peccatum esse*, in Conc. Trid. [b], statuerunt.

a Rom. 7. 7. Matth. 22. 37. b Ses. 5. de Peccato Originis.

CXXII. *Denique* adversus commune, *legis* universæ, *sigillum* ac minacem illam sanctionem (*Maledictus, qui non manserit, in omnibus, quæ scripta sunt, in libro Legis, ut ea faciat* [a]) *Pontifices Romani*, iis omnibus, qui Legem (neglectis ipsorum quæ retulimus, decretis) observarint, anathema ac maledictionem, interminantur [b]. Atque hæc, de *Pontificum*, in divina *Lege* violanda, *erroribus*, strictim dicta.

a Deut. 27. 27. Gal. 4. 10. b Concil. Trid. passim.

CXXIII. *Evangelium* verò, non minus fœdè, corruperunt. Siquidem, sinceram illius, de *Christi persona*, & *attributis*: deque *fidei*, ac sigillis illius (seu *Sacramentis*) doctrinam, infinitis penè hæresibus vitiant ac convellunt.

CXXIV. Nam, si *personam* consideramus, non solùm *humanæ naturæ veritatem*, *qua nobis per omnia est similis* [a]: sed illius quoque privilegium, integram ac perpetuam conceptionis ac vitæ *sanctitatem*, qua omnibus hominibus dissimilis existit [b], indignis modis violarunt.

a Heb. 2. 17. b Heb. 4. 15.

CXXV. De *veritate* enim *corporis Christi*, *Evangelium* docet, I. illud è virgine Maria factum [a]: *Pontifices* contra, idem fieri è pane, à sacrificulis, monstrosè contendunt [b]. Unde sese *creatores esse, creatoris* [c], gloriantur. II. *Evangelium* docet, Christi corpus, ascendisse in cœlum, & in eo, ad judicii diem, hæsurum [d]. Contrà *Pontifices*, idem corpus, in his terris, innumeris in locis, variaque intercapedine dissitis, in hostia, & singulis hostiæ fragmentis, totum contineri, decernunt [e].

a Gal. 4. 4. b Concil. Florent. de Eucharistia. c Stella clericorum. d Actor. 3. 19. & 21. e Concil. Flor. de Euchar. Concil. Trid. sess. 13. c. 3.

CXXVI. De *sanctitate* verò naturæ humanæ Christi *Evangelium* asserit, ipsum conceptum ac natum *sanctum* [a], *nobis, per omnia, similem, excepto peccato* [b]: *segregatum à peccatoribus* [c]: reliquos verò homines *universos, esse peccatores* [d]. Contrà *Pontifices*, Mariam virginem peccati omnis expertem, Christoque, conceptionis & vitæ totius, sanctitate, similem esse, decretis suis [e], & novo, *Conceptionis* illius immaculatæ, *Festo* [f], promulgarunt.

a Luc. 1. 35. b Heb. 4. 15. c Ibid. 7. 26. d 1. Ioh. 1. 8. Rom. 3. 23. Iac. 3. 2. Luc. 11. 4. e Conc. Trid. ses. 5. De pecc. Orig. f Extrav. com. l. 3. de Reliquiis.

CXXVII. *Attributa* quoque, cum *officia*, tum *beneficia* Christi, non dissimili ratione, oppugnarunt. Nam (ut ab *officiis* ordiamur) non solùm *Propheticum* illius munus (quod, ex superioribus constat) sed etiam *sacerdotale* ac *regium*, detestandis erroribus, conspurcarunt.

CXXVIII. *Sacerdotale* quidem; I. quia *Evangelium*, Christum esse unicum, æternumque ac successoris expertem, Novi testamenti, peccatis expiandis, sacerdotem, asserit [a]. Contrà *Pontifices* hanc laudem sibi, suisque sacrificulis, arrogant [b]. II. *Evangelium*, unicam etiam expiatoriam, Novi testamenti, victimam, eamque cruentam, corporis nimirum Christi oblationem, semel factam, prædicat [c]. Contra *Pontifices*, eandem indies, incruentam, in Missæ sacrificio, repeti atque offerri, contendunt [d]. III. *Evangelium, unicum, Dei & hominum, mediatorem, hominem Jesum Christum* [e], statuit: *Pontifices* contrà, gloriam illam, suis divis, & inprimis Mariæ virgini (hoc modo invocantes) communicant; *Maria, Dei & hominum mediatrix, ora pro nobis* [f], *venite, ad eam omnes, qui laboratis, & tribulati estis, & refrigerium dabit animabus vestris* [g].

a Heb. 7. 23. 24. b Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. c Heb. 9. 12. 14. 26. & cap. 10. 12. 14. 18. d Concil. Trid. ses. 22. cap. 1. & can. 2. e 1. Tim. 2. 5. 1. Joh. 2. 1. f Litania B. Mariæ V. pag. 346. Psalterii V. Mar. Constantiæ excusi. g Ib. Ps. 2.

CXXIX. *Regium* verò *munus*, similiter impugnant, I. *Evangelium* ait; *unus est Dominus, Iesus Christus* [a]: cui *potestas data est, in cœlo & in terra* [b]. Contrà *Pontifices*, virginem Mariam, Christo sociam, constituunt: ut, divus illorum Bonaventura, ipsam, ita invocare, docet; *Diligam te, domina cœli & terræ* [c]. II. *Evangelium* soli Christo, illud vendicat elogium; *Sede, à dextris meis* [d]. Contrà *Pontifices*, hanc gloriosam majestatem, virgini Mariæ, hisce verbis communicant; *Dixit Dominus Dominæ nostræ, sede mater mea, à dextris meis* [e]. Item; *Tu, cum filio tuo, sedes ad dextram Patris* [f].

a 1. Corinth. 8. 6. b Matth. 28. 18. c Psalt. B. Mar. Psal. 17. d Psal. 110. 1. Heb. 1. 13. e Psalt. B. Mariæ. Ps. 109. f Ib. cantico Ps. 3

CXXX. Et,

CXXX. Et, ne quid desit impietatis, *utrumque* cum *sacerdotium*, tum *regnum Christi*, Pontifices Romani, sibi adscribunt [a], seque veros esse Antichristos, demonstrant. Unde, enata est illa blasphemia; *Hujus autem regni, & Sacerdotii, principatum perpetuum commisit Filius Dei, Petro, & successoribus ejus* [b]. Item; *Christus commisit summo Pontifici vices suas; ut habetur Matth.* XVI. c. & XXIV. q. I. *quodcunque. Sed Christo data erat omnis potestas, in cœlo & in terra, Matt.* XXVIII. *Ergo summus Pontifex, habebit hanc potestatem* [c].

a Vide Thes. 84. b Glossa Extrav. com. lib. 1. de Major. c. unam. c Ibid. Et Sixtus IV. Sacra. ceremon. l. 1. sect. 7. c. 7.

CXXXI. Ad *beneficia* verò Christi, quod attinet, I. *Evangelium* tradit, ipsum esse servatorem unicum [a]: *nec, in alio quoquam, salutem esse: neque aliud nomen esse sub cœlo datum, inter homines, per quod oporteat nos servari* [b]. Contrà verò *Pontifices*, & virginis Mariæ, & sanctorum nomina, ad salutem consequendam, adjungunt [c]: illamque, hoc titulo, invocare docent; *per te placatus mihi Dominus &c. Domina* SALVATRIX MEA [d]. Item; *Domina, in nomine tuo, salvum me fac* [e]. Item; *Ipsa est porta vitæ, janua salutis, & via nostræ reconciliationis: spes pœnitentium: solamen lugentium: beata* PAX *atque* SALUS *cordium* [f]. Item; *Per te, inventricem gratiæ & salutis* [g].

a Ioh. 14. 6. b Act. 4. 12. c Extrav. com. lib. 5. de pœnit. cap. 2. d Psalter. B. Mar. cantico. Ps. 28. e Ibid. Ps. 53. f Ibid. Ps. 46. g Ib. Ps. 8.

CXXXII. II. De *modo & perfectione salutis*, per Christum, partæ, *Evangelium* docet, *Ipsum propitiatorium esse, in sanguine suo* [a]: *sanguinem ipsius purgare nos ab omni peccato* [b]: pœnam omnem peccatis nostris debitam, tulisse [c], & abstulisse [d]. Contrà Pontifices, hoc beneficium, ad alios etiam, derivant.

a Rom. 3. 25. b 1. Ioh. 1. 7. c Esai. 53. 5. 6. 1. Pet. 2. 24. d Heb. 9. 12, 16. Rom. 8. 1. Ioh. 5. 24.

CXXXIII. *Primum*, ad virginem Mariam: ut, ex hac invocatione illius, constat: *Maria, propitiatorium universæ terræ* [a]: & ex illa; *Ablue, omnia peccata nostra* [b]. Idem etiam Urbanus V. Papa, cereo suo agno, adscripsit; *Omne* (inquiens) *malignum peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit* [c]. Denique, agnoscunt quidem, Christum, pro æternis peccatorum pœnis, satisfecisse: sed pœnam, pro iis, temporalem, fidelibus adhuc restare, vel in hoc seculo, vel in Purgatorio (quod commenti sunt) exsolvendam, definiunt [d].

a Litania B. Mariæ, addita Psalt. B. Mar. pag. 156. b Ib. Ps. 61. c Ceremon. sacra. l. 1. sect. 7. c. 9. d Concil. Trid. ses. 6. c. 30.

CXXXIV. III. *Evangelium* docet, *vitam æternam, esse donum Dei, per Iesum Christum* [a]. Contra *Pontifices*, eam, bonorum operum meritum esse, contendunt [b].

a Rom. 6. 23. b Concil. Trid. ses. 6. Can. 32. & cap. 16.

CXXXV. IV. Denique *Evangelium* tradit, nos Christi beneficio, non solùm esse liberos, à merita, violatæ *legis charitatis, maledictione*; sed etiam, à servili, *ceremonialis legis, jugo* [a]: & propterea religiosum ciborum delectum, vetat: & contrarium dogma, *doctrinam dæmoniorum* [b], appellat: *Pontifices* contrà, partim imperitia, Judaicum ciborum discrimen: partim impia superstitione, novam, delectus ciborum, servitutem, in Ecclesiam revexerunt [c].

a Gal. 5. 1. Col. 2. 14. 16. b 1. Tim. 4. 1. c Vide supra thes. 85.

CXXXVI. *Prius* demonstrat *Zacharias* Papa: qui, ad Bonifacium legatum suum, (Thuringorum ac Saxonum nomine quidem conversorem: reipsa verò perversorem, primumque indignum Moguntinum Archiepiscopum) sic scribit: *Flagitasti à nobis, quæ recipienda, quæ respuenda sint, inprimis de volatilibus, graculis, & corniculis, atque ciconiis. Quæ omnino cavenda sunt, ab esu Christianorum: etiam & fibri, atque lepores* [a]. An non, hæc stupenda est in utroque, cum Archiepiscopo [b], tum Pontifice Romano, libertatis Christianæ ignorantia, & aperta Judaismi [c] restitutio?

a Concil. t. 2. Epist. Zachar. Papæ ad Bonifacium. b Vide supra thes. 118. ad ocram c. c Lev. 11. 6. 14. 19.

CXXXVII. *Alterum* verò, probat Pontificum ἐθελοθρησκεία: quod impurum *Concilii Toletani primi* decretum (*quod quisquis, sine inevitabili necessitate &c. diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis Domini; verùm etiam alienus, à communione* [a]) amplexi complures alios, abstinentiæ, carnis & sanguinis, dies instituerunt [b].

a Tom. 2. Concil. can. 9. b Concil. Selegunstadiensi c. 1. Tom. 2. Concil.

CXXXVIII. De *fide* porro, non minus perfidè docent: si originem, effecta, & durationem illius, consideremus.

CXXXIX. I. De *origine* enim *fidei*, docet *Evangelium*, eam *esse donum*, & *opus Dei*; *non autem ex nobis; ne quis glorietur* [a]. Contra *Pontifices*, eam partim à Deo, partim ex nobis, à liberi arbitrii viribus, oriri gloriantur [b].

a Eph. 2. 8. 9. 10. b Concil. Trid. ses. 6. cap. 9.

CXL. 2. De *effecto*, tradit *Evangelium*, primùm quòd, *in Christo, habeamus libertatem & aditum, cum fiducia, per fidem ipsius* [a]: & *Deum orandum, cum fide, sine hæsitatione* [b]. Contra *Pontifices* docent, quòd *nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum* [c]. Deinde *Evangelium* asserit, Christi justitiam, fide apprehensam, esse nostram, coram Deo, justitiam [d]. Contra *Pontifices* definiunt, *nos non, per Christi justitiam, formaliter esse justos* [e]: *sed per inhærentem justitiam*, seu *per sanctificationem, & renovationem interioris hominis* [f]. Denique *Evangelium* concludit; *hominem fide justificari, absque operibus Legis* [g]. Contra *Pontifices* statuunt, *bona opera, augendæ justificationis esse causam* [h]. Item, *verè mereri augmentum gratiæ* [i].

a Eph. 3. 12. b Iac. 1. 5. Heb. 4. 16. c Concil. Trid. ses. 6. cap. 9. d Phil. 3. 9. 2. Cor. 5. 21. e Concil. Trid. ses. 6. Can. 9. f Ibid. cap. 7. & 16. g Rom. 3. 28. h Concil. Trid. sess. 6. Can. 24. i Ibid. can. 32.

CXLI. 3. De *duratione fidei*, *Evangelium* docet *eam custodiri virtute Dei*: & ad finem usque vitæ, perseverare [a]. *Pontifices* contra, dubiam illius perseverantiam, statuunt [b].

a Ioh. 6. 39. & 10. 28. 1. Ioh. 3. 9. 1. Pet. 1. 5. Rom. 8. 30. 38. b Concil. Trid. ses. 6. cap. 13, 14, 15. & can. 16.

CXLII. Denique, de *Sacramentis*, errores Pontificum, sunt quamplurimi: è quorum numero, *primus* est, quod veris duobus, Baptismo & Cœnæ Dominicæ, alia quinque falsa, adjecerint [a]: quæ partim, divinis etiam Sacramentis, anteponunt [b]. *Deinde*, vera, etiam, mirificè corrumpunt. Nos verò, è magna corruptelarum caterva, paucas, brevitatis gratia, perstringemus.

a Concil. Trid. sess. 7. can. 1. b Vide supra thes. 51.

CXLIII. De *Baptismo* enim *Pontifices* docent, I. Si aqua communis pura desit, non licere baptizare, aqua rosacea: licere verò, uti lixivio, & aqua, è jure carnium, aut luto, subtilius expressa [a]. II. Si sacerdos desideretur, fas esse fœminis, paganis, hæreticis, baptizare [b]. III. Ritibus humanis variis, partim insulsis, partim fœdis, partim impiis, & indigna verborum Christi abusione, Baptismum contaminant [c]. IV. Denique hominem, Baptismo primùm justificari, infusa charitate, contendunt [d].

a Thomas Aq. Sum. p. 3. q. 66. ar. 4. Guido de monte Roch. Manipulo Cur. de Baptismo c. 4. b Concil. Florent. de Baptismo. c Pastorale Roman. de Baptismo Guido Manip. Cur. c. 8. de Baptismo. d Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. & 7.

CXLIV. *Cœnam* verò *Domini*, longè indignius pervertunt. Nam I. Laicis (ut loquuntur) calicis usum, denegant [a]. II. Panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi, permutari, & (ut vocant) transsubstantiari [b], docent.

a Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. b Ib. sess. 13. cap. 4.

CXLV. III. *Nicolaus* Papa, cum Romana Synodo, *Berengario*, hanc confessionis formulam, præscripsit; *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem, Domini nostri Iesu Christi, esse; & sensualiter, non solùm sacramentum; sed in veritate, manibus sacerdotum, tractari*, FRANGI: *fidelium* DENTIBUS, ATTERI [a].

a De Consecrat. dist. 2. c. Ego Berengarius.

CXLVI. IV. Denique *Sacramentum* Christianum, in horrendum, & idololatricum, Missæ *sacrificium*, detorquent ac transformant [a]. Atque hæc, de *Pontificum erroribus*: *primo* videlicet *mendaciorum*, quibus Christo adversantur, *genere*, diximus.

a Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. & sess. 22. cap. 2.

CXLVII. *Alterum*, sunt signa mendacia: ut expressa *Scripturæ* vaticinia: & evidens rei ipsius *experientia*, perspicuè demonstrant.

CXLVIII. *Scripturæ* quidem *vaticinia*; quia de Antichristo sic prænunciat: *Cujus adventus est, ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, ac prodigiis mendacii* [a]. Item; *Editque signa magna: adeo ut, etiam ignem, faciat è cœlo descendere, in terram, in conspectu hominum* [b]. *Signa* autem *mendacii*, intelliguntur, quæ ad mendacia, doctrinæ suæ, fucanda accommodant [sive ea falsa sint simpliciter & absolute; ratione & rei, & finis,

& finis, quales præstigiæ: sive partim, ac ratione finis tantùm] quæque partim per se, partim per suos ministros, efficit.

a 2. Thess. 2. 9. b Ap. 13. 13.

CXLIX. *Experientia* verò: quia Pontificum, & ministrorum illius, signa mendacia, [&, inter ea, ignis cœlitus descendens [a]] sunt innumera. Sicut *Vita Pontificum*, *Legenda Sanctorum*, *Chronica*, inprimis Monachorum: *Canonizationes* (ut vocant) multorum [b]: denique *Diva* Lauretanæ, Hallensis, Aspricollis, & similium, *descriptiones*, evincunt. Atque hac ratione, *Pontificum mendacia* (cum doctrinæ, tum signorum) *primum* videlicet *seductionis*, per illecebras, *modum*, exposuimus.

a Abbas Urspurg. Chronico an. 1101. pag. 241. &c. Centur. 12. Magd. ex Othone Frisin. l. 7. c. 32. & ex Chronico Saxoniæ. b Platina de vitis Pontif. in Clemente V. Ioh. XXII. &c.

CL. *Alter* verò *modus*, sunt impuræ Antichristi vitæ exempla: quibus, cerei ac proni in vitia animi, ducum suorum auctoritate allecti, facillimè seducuntur [a].

a Adrianus Papa Instructione Legati. Vide Fasciculum rerum expetendarum.

CLI. *Scriptura* enim, hanc vitæ impuritatem, non solùm innuit: quum fontem illius, ac mores, *hominis peccati* atque *exlegis* [a], nominibus aperit: sed etiam, quum Ecclesiam Romanam (cujus caput est, ac pars primaria, pontifex) *meretricem illam magnam* [b]: *Babylonem magnam*, *matrem scortationum & abominationum terra* [c]: *Ægyptum*, *& Sodomam* [d], metaphoricè, appellat. Ut enim hæc loca, magiæ, idololatriæ, superbiæ, luxus, avaritiæ, crudelitatis, & nefandæ libidinis, theatra extiterunt: sic futura, Romanæ Ecclesiæ, cum Antichristo capite, vita omnibus sceleribus cooperta, similitudine insigni, adumbratur.

a 2. Thess. 2. 3, 8. b Ap. 17. 1. c Ap. 17. 5. d Ap. 11. 8.

CLII. *Experientia* similiter, luce clarius, rem ipsam, nobis patefacit: si *gesta Pontificum*, cum *propria*, plurimorum: tum *communia*, omnium (inde à Bonifacio tertio) perlustremus. Adeo ut verè de pontifice, dictum: *Qui, super hoc mare debuerat dare se, quasi pontem in Sion, omnibus est via plebibus, ad phlegetontem* [a]. Et, de curia Romana, non solùm asseruit olim idem Monachus gravissimus; *Roma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi* [b]: sed etiam *Adrianus* Papa VI. agnoscere coactus, ait: *Inde corruptio, in omnes inferiores manavit* [c].

a Bernardus Morlanensis de contemtu mundi lib. 3. b Ibid. lib. 3. c In Instructione Legati ad Principes Germanos: In fasciculo rer. expetendarum, fol. 173. & Claud. Espencæus in epist. ad Tit. p. 70.

CLIII. Nam, ad *plurimos*, *Pontifices*, quod attinet: & *malis artibus* (partim humanis, partim magicis ac diabolicis) Pontificatum *occuparunt*: & deterius *gesserunt*. Adeo ut iis, verè conveniat, quod de Anacleto Papa, Innocentii adversario, ait Bernardus; *Bestia illa, de Apocalypsi, (cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum sanctis) Petri cathedram occupat, tanquam Leo, paratus ad prædam* [a].

a Epistola 125.

CLIV. *Malis enim artibus humanis*, grassati sunt, ad sedem Pontificiam (ut Platina, & Stella, aliique testantur) Martinus II. Formosus, Christophorus, Bonifacius VII. Bonifacius VIII. (de quo, tritum illud; *Intravit, ut vulpes: vixit, ut leo: mortuus est, ut canis* [a]) Johannes XXII. aliique. De quibus Platina; *Eo enim tum Pontificatus devenerat; ut, qui plus, largitione & ambitione (non dico, sanctitate vita, & doctrina) valeret, is, summum dignitatis gradum, bonis oppressis & rejectis, obtineret. Quem modum, utinam aliquando, non retinuissent nostra tempora* [b]!

a Ioh. Stella de vitis Pontif. Vixit. Caranza scribit; regnavit ut lupus. b De vitis pontif. in Sylvestro II.

CLV. Deinde *diabolicis artibus*, Sylvester tertius (ut, discipulos ipsius, Pontifices prætereeam [a]) Pontifex evasit. De quo Stella; *Romanus Pontifex, Diabolo adjuvante, constitutus: hac tamen lege; ut, post obitum, totus illius, in anima, & in corpore, esset* [b].

a Vide Benonem Cardinal. de vita & gestis Hildebrandi in Fasciculo rer. expet. b De vitis Pont. in Sylv. III. Platina aliique.

CLVI. *Prava* verò, in Pontificatu, *gesta*, adeo multa sunt; ut Platinam, Johannem Stellam, utrumque Bernardum, (Clarevallensem abbatem, & Morlanensem monachum) Benonem Cardinalem, Baptistam Mantuanum monachum, Claudium Espencæum, Parisiensem theologum, aliosque complures, iis recensendis, fatigarint. Nos binis tantùm, & *crudelitatis*, & *libidinis* horrendæ exemplis contenti erimus.

CLVII. *Crudelitatis* quidem, *primum* est, in *Stephano* VI. qui *multa cum rabie, consilio habito, Formosi ipsius* (Pontificis) *corpus, è tumulo, extrahi fecerit: tractumque pontificalibus exui vestimentis, ac seculari indui habitu, & postea, abscissis duobus dexteræ ejus digitis, in Tiberim projici, deinde reliquum corpus, in laicorum sepultura sepeliri mandavit* [a]. Truculentius *alterum* est, in Sergio III. facinus, *qui Formosi acta, iterum improbavit: atque in ultionem sua injuria ejus cadaver, è sepulchro tractum, ac si viveret, capitali affecit supplicio: corpus verò, in Tiberim, truncum projici jussit: tanquam sepultura indignum* [b].

a Iohannes Stella de vitis Pontificum An. 901. Platina de vitis Pontificum. b Stella Ib. an. 907. & Platina in Sylvestro.

CLVIII. *Libidinis* verò effrenatæ par, in *Iohanne* XIII. & *Alexandro* VI. comperitur. Nam, *ille* quidem, ut huic *Cardinali*, *nasum*; *illi vero*, *manum abscidit* [a] crudelitate babara: sic, infami libidine, traducta vita, *in adulterio deprehensus, à viro adultera confossus, interiit* [b]. *Hic* verò, homo bello ac rapinis assuetus, & *libidinosissimus* [c], in celeberrimo Lucretiæ, filiæ suæ nothæ, (& à notho ipsius filio, non minus quàm ab ipso, vitiatæ) epitaphio, ab *Accio Sannazario*, *ita* describitur;

Conditur hoc tumulo, Lucretia nomine: sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Hæc specimina propria; unde scilicet *Sanctissimus* [d], & *sanctitas sua* [e] (ut loquuntur) cognoscitur.

a Stella de vitis Pont. an. 958. in Ioh. XIII. quem Platina XII. vocat. b Ibid. Stel. & Plat. c Abb. Ursp. Chron. in Append. d Concil. Later. ult. sub Leone X. sess. 9. e Ibidem.

CLIX. Sin verò omnes Pontifices spectemus; nullus, à Bonifacio tertio, à divinæ, humanæque Majestatis violatæ, & Ecclesiæ, tyrannicè oppressæ [a], ac veræ reformationis neglectæ [b] criminibus immunis comperietur: etsi nonnulli, ab effreni illa, multorum scelerum licentia, abstinentes, paulo cautius, aut etiam castius, vixerint. Atque hæc, de *primo*, *seductionis* (per illecebras, falsæ doctrinæ, & impuræ vitæ) *modo*.

a Vide de his theses supra. b Claudius Espencæus comment. in Epit. ad Tit. digress. 2. Platina de Vit. Pont. in Benedict. IV. &c.

CLX. *Alter* verò, in efferata *Antichristi* contra Christianos *sævitia*, consistit. De qua *Scriptura* vaticinans, ait; *Mulierem illam, ebriam sanguine sanctorum: & sanguine Martyrum Iesu* [a]: & *experientia*, ac sanguis piorum, (toto orbe, copiosissimè effusus hactenus) clamat, ac vindictam, à vindice Deo efflagitat [b].

a Ap. 17. 6. b Ap. 6. 9, 10. & 18. 5. & 19. 2.

CLXI. Hujus porro *seductionis terminus* atque *effectum*, est duplex: error [a], atque idololatria [b] in hac vita: & post hanc, exitium [c]: idque justo Dei (contemptum Euangelii vindicantis) judicio [d].

a 2. Thess. 2. 10, 11. & Ap. 18. 3. b Apoc. 13. 15. c 2. Thess. 2. 10, 12. d Ib. vers. 10, 11, 12.

CLXII. *Eventus* denique *Antichristi*, est *destructio illius*. Quæ *primùm inchoatur verbo Dei* [a], cum prædicato (quo errores perniciosi & tyrannis illius, reteguntur) tum fidem accedente; qua & subditi è Babylone exeunt [b]: & reges, post diutinam poculi meretricis ebrietatem, excitati eam deserunt, & injustis regnorum spoliis, & honoribus, exuunt ac denudant [c]: ut *experientia* probare cœpit. *Deinde perficietur illustri Christi adventu* [d]: quo in ignem inferni dejicietur [e]. *Etiam veni, Domine Iesu* [f].

a 2. Thess. 2. 8. b Apoc. 18. 4. c Ap. 17. 16. d 2. Thess. 2. 8. e Ap. 19. 20. f Ib. 22. 20.

DISPU-

DISPUTATIO XXII.

DE PETRI APOSTOLI, ET PAPÆ ROMANI, REPUGNANTIA.

QVoniam jam antea, Romanæ Ecclesiæ doctrinam, & Legi divinæ, & Euangelio Christi (Apostolorum symbolo, & Baptismi, ac Cœna Domini, Sacramentis comprehenso) repugnare sigillatim ac perspicuè demonstravimus: non alienum fore arbitramur, si originem errorum, ac caput ipsum, petamus, & succincta, Petri Apostoli & Papæ Romani, comparatione instituta, utriusque (in nomine, officio, ac potestate, atque executione illius) repugnantiam, ob oculos proponamus: ut reipsa Papam, non Petri Apostoli successorem, sed adversarium: & Ecclesiam Romanam, non Apostolicam, sed apostaticam esse, luculenter appareat.

THESIS I.

AC primùm (ut à nomine ordiamur) Petro vetus, & novum obtigit. Vetus; quod à majoribus inditum, est Simon[a], & quod eodem redit, Symeon[b]: & distinctè ab aliis, Simon Barjona[c], hoc est filius Jonæ[d], non autem Johannis (ut cum nonnullis, vulgaris versio Latina, malè statuit) & per ellipsin, Simon Jona[e], nempe filius, appellatur. Novum verò, quod divinitus, à Christo, non mutatione veteris[f], sed additione alterius, impositum, est Cephas[g], Græca terminatione, pro Cepha (ut pro Iona[h], Ionas[i]) dictum.

a Matth. 10. 2. b 2. Pet. 1. 1. c Matth. 16. 17. d Ioh. 1. 43. e Ib. 21. 15, 16, 17. f Matth. 16. 16. 2 Pet. 1. 1. g Ioh. 1. 43. 1. Cor. 1. 12. & 9. 5. Gal. 2. 9. h Ion. 1. 1. i Matth. 12. 40.

II. Contra verò Papa Romanus, vetus suum nomen, novo permutare, consuevit: non Dei institutione, nec Petri (ut vanè obtenditur[a]) sed Papæ, Sergii secundi, exemplo. Qui (ut graves Pontificii auctores testantur) antea vocabatur, OS PORCI: unde, ab isto Sergio, cæteri, proprium nomen, deinceps mutarunt[b]. Sed nonne longè justius, ominosum illud nomen, potuissent sibi assumere: quod vineam Domini, porcini rostri more, subruendo vastare, non desinant?

a Glossa in Procemio Sexti. b Martinus Polonus archiepiscopus in Suppur. Iohannes Stella de vitis Pontificum in Sergio.

III. Ad interpretationem verò nominis, quod attinet, quum Cephas, Apostolo interprete[a], πέτρος (hoc est, lapidem) significet; unde Petrus vocatur[b]: contra Papa Romani, Anacletus[c] & Vigilius[d], divinæ interpretationi, & linguæ sacræ, repugnantes; Cephas, id est, caput, perridicula imperitia, exponunt.

a Ioh. 1. 43. b Matth. 10. 2. c Epist. 3. & Decret. dist. 22. can. Sacrosancta. d Epistola ad Eleutherium.

IV. Quam non tollit, sed auget ineptè, cum Cardinale Baronio[a], Bellarminus[b]: quum, de Cepha, ait; Syriacè significat petram &c. Græcè autem significat caput. Quasi scilicet, κηφᾶς & κεφαλὴ, convenirent! Neque eum, Optati Milevitani, scriptoris, non Græci, sed Afri (Anacleti & Vigilii errore impingentis) lapsus, ab imperitiæ, aut malæ fidei, labe repurgarit. Atque hæc est prima, Petri & Papæ (quæ in nomine consistit) repugnantia.

a Annalium lib. 1. an. 31. Num. 37. b De Pontifice lib. 1. c. 17.

V. Secunda verò in officio existit: Petri enim (ut & reliquorum Apostolorum) officium, ratione sui principii, finis, & medii, fuit extraordinarium. Siquidem principium, fuit divina atque immediata, à Christo, vocatio[a]: finis autem; ut unus esset, ex primariis, oculatis atquè auritis, Christi testibus[b], ad Euangelium, perpetua veritate, omnibus gentibus, prædicandum, Ecclesiasque fundandas ac gubernandas, legatus[c]. Medium denique, ad eum finem idoneum ac necessarium, fuit Christi, ab initio, conspectus, ac doctrinæ auditio, & miraculorum, passionis, mortis, resurrectionis atque ascensionis illius, experientia[d], & extraordinaria, Spiritus Sancti donatio[e]: qui & mentem Apostoli, linguarum & omnis veritatis tradendæ notitiâ[f], & animum constantiâ invictâ imbuit, & in docendo; perpetuò direxit, ac miraculis editis, confirmavit[g].

a Matth. 28. 19. Joh. 20. 21. b Act. 1. 8. 1. Cor. 12. 28. Eph 4. 11. 1. Joh. 1. 1. 2. Pet. 1. 16. c Matth. 28. 20. Mar. 16. 20. Joh. 20. 21. d Act 1. 2, 22. & 2. 32. & 10. 39, 41. 1. Joh. 1. 3. e Joh. 20. 22. Act. 2. 1, 11. f Ibidem. Joh. 16. 13. g Luc. 12. 11, 12. Joh. 16. 13. Marc. 16. 20. Heb. 2. 3, 4.

VI. Contra verò Papa Romanus, huic Petri officio, variè repugnat. Primum, quod extraordinarium, totius orbis[a], apostolum, ordinarium unius urbis (Antiochiæ initio, ac postea Romæ) episcopum extitisse[b], nullo Scripturæ indicio, nullaque ratione solida; sed aperta contradictione, confingit. Deinde, quòd Romanum episcopum, ordinarium Petri successorem institutum, falsò gloriatur[c].

a Mat. 16. 15. b Damasus Papa in vita Petri. c Decreti causa 24: qu. 1. can. Rogamus.

VII. Etenim, si officii principium spectemus, Papæ Romani vocatio, non est extraordinaria atque immediata, à Christo; sed ordinaria ac mediata, ab hominibus, & quidem scelere sæpius occupata. Cujus rei, quam plurima exempla, Paparum historia (ab antiquis & recentibus Pontificiis auctoribus descripta) recenset. Ex quibus illustre, trium Paparum, specimen jam suffecerit.

VIII. Primus est, Bonifacius septimus: qui (ut Iohannes Stella ait) quum malis artibus, hoc Pontificatus munus, adeptus fuisset, malè vixit: & pessimè vitam finivit[a]. Huic accedit secundus, Sylvester secundus: qui (ut idem narrat) totum se DIABOLO OBTULIT, modo quod optaret, obtineret, &c. ut postremò Romanus Pontifex, DIABOLO ADJUVANTE, fuerit constitutus: hac tamen lege, ut post ejus obitum, totus illius, in anima & corpore esset, cujus fraudibus tantam adeptus esset dignitatem[b]. Denique tertius, est Bonifacius octavus: unde (ut idem refert) de eo prophetatum; Intravit, ut vulpes: vixit, ut leo: mortuus est, ut canis[c].

a De vitis Pontificum in Papa 142. & Bartholomæus Cananza Summa concil. in Bonif. 7. b Johan. Stella de vitis Pontif. in Papa 147. & Martin. Pol. archiep. Supput. ad an 983. & 1007. c Joh. Stella de vit. Pont. in Papa 202. Barthol. Carranna Sum. concil. in Bonif. VIII.

IX. Deinde finis institutionis Papæ, non est, ut sit, oculatus atque auritus, Christi testis: & ad euangelium, inter omnes gentes, prædicandum legatus: sed ut Romanæ Ecclesiæ sedem possideat: ut experientia, citra controversiam, demonstrat. Denique medium, ad officii Petri executionem, necessarium, Papæ Romano, prorsus deest. Nec enim in omnem veritatem, interna Spiritus Sancti revelatione, deductio: multoque minus, perpetua, ab eodem, directio, Papæ convenit: sed ordinaria, institutionis humanæ, doctrina: eaque non rarò, cum enormi Sacrarum literarum ignorantia, atque erroribus variis, conjuncta.

X. Cujus rei (ex innumera pene copia) memorabile exemplum, in responsis Zachariæ Papæ, non minus, quàm in Bonifacii, apostoli illius, quæstionibus, conspicitur. Flagitasti (inquit) quæ recipienda & quæ respuenda sint, inprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atque ciconiis, quæ omnino cavenda sunt, ab esu Christianorum: etiam & fibri atque LEPORES; & equi sylvatici, multò amplius cavendi. Attamen sanctissime frater, de omnibus Scripturis Sacris BENE COMPERTUS ES[a]. Item, Et hoc inquisivisti, post quantum temporis, debet lardum comedi? Nobis à Patribus, constitutum pro hoc non est: tibi autem petenti, consilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priusquam super FUMO siccetur, aut IGNE coquatur. Si verò libet, ut INCOCTUM manducetur; post PASCHALEM FESTIVITATEM, erit manducandum[b]. Quàm similes habent labra lactucas! quàm stupenda, in Papa simul, & egregio, ad Germanos convertendos, Apostolo, primoque tandem archiepiscopo Moguntino, sancto scilicet Bonifacio, doctrinæ sacræ, sub arrogantia scientiæ, ignorantia; & Christianismi, cum Judaismo, confusio!

a Epistola ad Bonif. b Ibidem.

XI. Erro-

XI. *Errorum* etiam illustre speculum, est diserta *Paparum* in contrariis *de religione* decretis, *repugnantia*. *Primum* enim *Gelasius* Papa *communionem* (ut vocant) *sub una specie*, *grande sacrilegium*, piè asseruit [a]. Contra verò, *Pius quartus*, impiè, *Si quis hoc dixerit*, *anathema* ei denunciat [b]. Deinde, infantibus Eucharistiam, ad salutem necessariam (loci Joh. 6. 53. abusu, communi sui temporis errore) statuit olim *Papa Innocentius* [c]: contra verò, *Papa Pius quartus* rectè hoc rejicit: imò ita statuentes, anathemate ferit [d]. Atque hæc *prima* errorum, in Papis Romanis, *demonstratio*.

a Decret. dist.25. can. comperimus. b Concil. Trid. Sess. 21. can. 2. c August. tom. 2. in epist. Innoc. ad Synod. Milevit. Aug. contra 2. epist. Pelag c. 4. d Concil. Trid. Sess. 21. can. 4.

XII. *Altera* est, quòd complures eorum (non minus quàm alii) facti sint hæretici. Cujus rei (inter cætera) *duo* clarissima, & omni exceptione majora, *exempla proferemus*. *Primum* est *Liberius Papa*: qui apertè ad Arianos defecit: ut non solùm *Athanasius* [a], *& Hieronymus* [b], aliique testantur; sed etiam ipsemet *Liberius*, in sua ad presbyteros & coëpiscopos orientales epistola, liberè ac disertè profitetur. Adeò ut *sanctus Hilarius* idcirco, insertis, ei epistolæ, parenthesibus, illum *Apostatam* ac *prævaricatorem*, pia indignatione accensus, vocet, eique *anathema*, etiam atque etiam denuntiet.

a Epist. ad solitariam vitam agentes. b In Chronicis Euseb.

XIII. Sic enim *Liberius*; *Ego Athanasium non defendi &c. At ubi* COGNOVI, *quando* PLACUIT DEO, JUSTE *vos illum* CONDEMNASSE, *mox* CONSENSUM *commodavi sententiis vestris, &c. Nam ut* VERIUS SCIATIS, me VERA FIDE, *per hanc epistolam*, *ea* LOQUI, *dominus & frater meus communis Demofilus, qui dignatus est*, *pro sua benevolentia* FIDEM VESTRAM ET CATHOLICAM *exponere*, *quæ* [a] *Syrmium, à pluribus fratribus, exposita, ac suscepta est* (HÆC EST PERFIDIA ARIANA: HOC EGO NOTAVI, NON APOSTATA: LIBERIUS SEQUENTIA [b]) *ab omnibus qui in præsenti fuerunt*, *hanc ego libenter animo suscepi* (* ANATHEMA TIBI, A ME DICTUM, LIBERI, ET SOCIIS TUIS * [c]) in nullo contradixi, sensum accommodavi: hanc sequor: hæc à me tenetur (* ITERUM TIBI ANATHEMA, ET TERTIO PRÆVARICATOR LIBERI [d]) Sane petendum credidi, quia jam PERVIDETIS in OMNIBUS, ME VOBIS CONSENTANEUM ESSE &c.

a Leg. apud. Sirmium: ut res ipsa, & in fine epist. Hilar. ostendit. b Parenthesis prima Hilarii. c Altera ejusdem. d Tertia ejusdem.

XIV. Eandemque, ad Arianos, apostasiam suam, *Liberius Papa*, in epistola secunda, de exilio ad Ursacium, Valentem, & Geminium Arianos, attestatur. Ideoque Hilarius, fini illius subjicit; PRÆVARICATORI, ANATHEMA A ME DICTUM *. Idemque Liberius, in epistola tertia, ad Vincentium, apertè profitetur: ut hæc omnia in *B. Hilarii*, ex opere historico *fragmentis* (editis anno M.D.XCVIII. Parisiis ex officina Plantiniana, apud Hadrianum Perier) sunt conspicua. Et Bellarminus [a] similiter agnoscit; *Legi* (inquit) *ipse epistolas Liberii manuscriptas, ex Vaticana Bibliotheca: quæ partim ad Imperatorem*, *partim ad episcopos Orientales scripta erant, in quibus* SATIS APERTE *significabat*, *se tandem imperatoris voluntati* ACQUIESCERE VOLUISSE. Atque hæc, de *Liberio Papa hæretico*.

a De Pontifice lib. 4. c. 9.

XV. *Alterum* exemplum est *Honorius Papa*: qui ad Monothelitas defecit. De quo (præter *Concilii* generalis Constantinopolitani *sexti* Actor. 13. & 18. & in eo *Agathonis Papæ* assensum) *Papa Leo secundus*, tanquam de convicto hæretico, hanc damnationis sententiam protulit; *Anathematizamus* &c. *& Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina*, *lustravit*; *sed profana proditione*, *immaculatam* FIDEM SUBVERTERE CONATUS EST [a].

a In fine Constant. Concilii 6. in epist. ad Constant. August.

XVI. Unde perspicuum est, quàm vana sit Papæ Bonifacii octavi assertio; *Quod Pontifex Romanus jura omnia*, *in scrinio pectoris*, *censeatur habere* [a]: & similis, *Eusebii Papæ*, sententia; *In sede Apostolica, citra maculam, semper servata est catholica religio* [b]. Ac propterea corruit præcipuum, religionis Pontificiæ, fundamentum Pythagoricum; αυτὸς ἔφα, *Papa dixit*: quasi omnia concilia, etiam universalia (nisi Papæ assensus accesserit) errare possint [c]: solus verò pontifex, ab errore doctrinæ, esset immunis [d]. Atque hæc de *secunda*, Petri & Papæ, in utriusque officio, *repugnantia*.

a Sexti lib. 1. 2. Can. licet. b Decreti causa 24. qu. 1. can. in sede. c Bellar. de Conciliis l. 2. c. 11. d Idem de Pontif. lib. 4 cap. 5. & 6.

XVII. *Tertia* verò, in *potestate* eorum existit. Nam *potestas officii* Petri, *primùm non* fuit *politica*; sed merè Ecclesiastica: quæ ipsum, à magistratus potestate, non exemit; sed ei subjectum reliquit. Hoc enim Christus, & mandato illo generali; *Date Cæsari*, *quæ sunt Cæsaris* [a]: & singulari, Petro imperavit, suoque exemplo (licet summi regis esset filius) sancivit [b]: *regnumque suum, non esse hujus mundi* [c], asseruit. Idemque suo, per Apostolum, decreto, *Omnis anima*, *potestatibus supereminentibus*, *subjecta esto* [d], confirmavit. Hoc est (ut Chrysostomus rectè declarat) *omnis anima &c. etiamsi Apostolus sis*, *si Euangelista*, *si Propheta*, *sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subvertit*, *ista subjectio* [e].

a Matth. 22. 21. b Ibid. 17. 25, 26, 27. c Ioh. 18. 36. d Rom. 13. 1. e Comment Rom. 13. 1.

XVIII. Contrà verò *Nicolaus Papa* Romanus, Scripturæ & Petri potestati repugnans, primùm ita decernit: *Qui* (Christus) *beato Petro, æternæ vitæ clavigero*, TERRENI SIMUL ET CÆLESTIS IMPERII, JURA COMMISIT [a].

a Dist. 22. can. omnes.

XIX. *Deinde* etiam *Papa Bonifacius octavus*, se suosque Ecclesiasticos, ab ea, erga magistratum, subjectione subtrahens, ait; quòd, *Ecclesiæ*, *Ecclesiastica persona*, *ac res ipsarum*, *non solùm* JURE HUMANO, *quinimo* ET DIVINO, *à secularium personarum exactionibus*, *sint immunes* [a]. Imò non solùm Cæsari, regibus ac magistratibus *subesse*, Papa detrectat; sed iis etiam *præesse* debere, contendit: ut *Clemens tertius*, & *Bonifacius Octavus*, admiranda insulsitate, impioque Scripturæ abusu ac lusu, demonstrant.

a Sexti lib. 3. tit. 20. c. 4. Quanquam.

XX. *Clemens* quidem *tertius*, quum ad Constantium Imperatorem ait: *Ad firmamentum igitur cœli*, *hoc est*, *universalis Ecclesiæ*, *fecit Deus duo magna luminaria*; *id est*, *duas instituit dignitates*: *quæ sunt Pontificalis auctoritas*, *& regalis potestas. Sed illa*, *quæ præest diebus*, *id est*, *spiritualibus*, *major est*: *quæ verò carnalibus*, *minor*: *ut quanta est*, *inter solem & lunam*; *tanta*, *inter Pontificem & reges*, *differentia cognoscatur* [a]. Et *Glossa* adjecta ait: *Sicut igitur*, *quum terra sit septies major luna*, *sol autem octies major est terra*: *restat ergò*, *ut Pontificis dignitas*, *quadragesies septies*, *sit major regali dignitate*. Ita vano ac profano Pontificis decreto, putida Glossa respondet. Hæc de *Clemente Papa*.

a Decretal. lib. 1. tit. 33. De majoritate & obedientia.

XXI. *Bonifacius* verò *octavus*, de Ecclesia sic ait: *In hac*, *ejusque* POTESTATE, DUOS ESSE GLADIOS, *spiritualem videlicet & temporalem*, *Euangelicis dictis instruimur* [a]. *Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladio duo hic* [b] (*in Ecclesia scilicet*, *quum Apostoli loquerentur*) *non respondit Dominus*, *nimis esse*, *sed satis est* [c]. *Certè qui in potestate Petri*, *temporalem gladium esse negat*, *male verbum Domini* [d] *attendit proferentis*: *Converte gladium tuum*, *in vaginam tuam* [e]. *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ*, *spiritualis scilicet gladius*, *&* MATERIALIS: *sed is quidem pro Ecclesia*: *ille verò ab Ecclesia*, *exercendus*: *ille*, *sacerdotis*: *is*, *manu regum & militum*; *sed* AD NUTUM & PATIENTIAM SACERDOTUM [f]. Sed nonne, simili jure, Papa concluserit: Ergo baculus stat in angulo?

a Ratio. 1. b Luc. 22. 38. c Ibid. d Ratio 2. e Matth. 26. 52. f Extravag. commun. de majoritate & obedientia c. Vnam sanctam.

XXII. Idemque sui similis, postea subjicit: *Nam veritate testante*: SPIRITUALIS POTESTATIS, TERRENAM POTESTATEM INSTITUERE EST, ET JUDICARE *si bona non fuerit*. *Et sic de Ecclesia & Ecclesiastica potestate*, *verificatur vaticinium Jeremiæ* [a]; *Ecce constitui te hodie*, *super gentes* [b]: *& cætera*, *quæ sequuntur*. *Ergo si deviat terrena potestas*,

potestas, judicabitur à potestate Spirituali: sed si deviat spiritualis, minor à superiori: si verò suprema, A SOLO DEO; NON AB HOMINE, POTERIT JUDICARI: *testante Apostolo* [c]; *Spiritualis homo judicat omnia: ipse autem, à nemine judicatur* [d].

a Ratio. 3. b Cap. 1. 10. c Ratio. 4. d 1. Cor. 2. 15.

XXIII. Quibus proximè hæc annectit; *Est autem hæc auctoritas, etsi data sit homini, & exerceatur per hominem, non humana; sed potius divina, ore divino, Petro data, suisque successoribus in ipso Christo, quem confessus fuerat, petra firmata, dicente domino ipsi Petro* [a]. *Quodcunque ligaveris* [b], *&c. Quicunque igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit: nisi duo (sicut Manichæi) fingant esse principia* [c]. *Quod falsum & hæreticum judicamus: quod testante Moyse, non in principiis, sed in principio, cælum Deus creavit & terram. Porro* SUBESSE ROMANO PONTIFICI, OMNEM HUMANAM CREATURAM, *declaramus, judicamus, diffinimus, pronuntiamus*, OMNINO ESSE DE NECESSITATE SALUTIS. Quis hîc non exclamet, papæ! quàm egregia ex hisce principiis, potestatis Papæ, demonstratio?

a Ratio. 5. b Matt. 16. 19. c Ratio. 6.

XXIV. Nam hæ rationes omnes, adeo ineptæ ac ridiculæ sunt, ut eas doctiores Pontificii (in hac tractanda materia) pudore prætereant, excepta quinta: quæ nihilominus prorsus à scopo, aliena est. Nam *ligandi* & *solvendi potestas* (ut Petro, sic reliquis Apostolis promissa) non Politica, sed Ecclesiastica est: ut *claves* non *regni* terreni, sed *cælorum* promissæ, & expositio Christi, Matth. 18. 18. & Joh. 20. 23. definiunt. Atque hæc, de *Petri* & *Papæ*, in *politica potestate, repugnantia*.

ALTERA PARS, DE PETRI APOSTOLI, ET PAPÆ ROMANI REPUGNANTIA.

Quandoquidem priorem, *de* Petri Apostoli, & Papæ Romani, repugnantia, *partem absolvimus; reliquum est, ut* alteram *(quæ in* potestate Ecclesiastica, & officii executione, *consistit) subnectamus: ut vana, majestatis ac sanctitatis Pontificiæ, larva detrahatur, & mysterium iniquitatis retectum, à salutis suæ, & Dei gloriæ cupidis, majore studio evitetur.*

THESIS I.

AD prius autem quod attinet, *Potestas Ecclesiastica Petro data*, ministerium fuit; non dominium. Quia dominus ipsi, aliisque Apostolis, disertè hoc interdixit. *Scitis* (inquit) *principes gentium, in eas dominari: & qui magni sunt, licentia uti in eas: verùm non ita erit inter vos. Quicunque voluerit, inter vos, magnus fieri, sit vester minister* [a]. Ideoque *Bernardus*, hisce recitatis, subjicit; *Forma Apostolica hæc est, interdicitur dominatus; indicitur ministerium* [b].

a Matth. 20. 25, 26. b De considerat. ad Papam Eugenium lib. 2.

II. Ac licet Petrus, ætate [a], amoris erga Christum, ac confessionis fidei ardore, ac dicendi promptitudine, inter Apostolos excelluerit: ipsique, ordinis causa, primas in dicendo permiserint: eorum tamen *singuli, potestate* fuerunt *pares:* & *universi*, in Ecclesia gubernanda, *majores*.

a Hieron. t. 2. contra Jovin. l. 1.

III. *Pares* enim fuisse *singulos*, suo etiam exemplo, *Paulus* Apostolus demonstrat, quum ad *Corinthios*; *se* NIHILO INFERIOREM, *summis Apostolis* [a], testatur. Et ad *Galatas*; 1. NIHIL *sibi ab iis* COLLATUM: 2. Concreditum *sibi*, Euangelium præputii; sicut *Petro* circumcisionis: 3. Deum, non minus per *ipsum*, inter gentes, quàm per *Petrum*, inter Judæos, operatum: 4. Jacobum & *Cepham* & Johannem, dextram dedisse societatis ut *ipse* cum Barnaba inter gentes: *illi* verò, inter Judæos [b], officio fungerentur. Unde *paritatem Petri, & aliorum Apostolorum*, prisci *Patres* [c], rectè demonstrarunt.

a 1. Ep. 11. 5. b c. 2. 6, 7, 8. c Chrysost. & Ambros. ibidem.

IV. Eamque, *jus Pontificium* [a], (contradictionibus suis fœcundum) ex *Cypriano Papa* (non Romano, sed Cartaginensi: ut *Papa vox*, olim episcopis communis fuit, eoque nomine *Cyprianus* à presbyteris Romanis [b], & *Augustinus*, ab Hieronymo [c] appellatur) sic statuit; *Hoc utique erant cæteri Apostoli, quod Petrus:* PARI CONSORTIO *præditi, &* HONORIS ET POTESTATIS [d]. Idemque *Anacletus Papa Romanus* ait; *Cæteri Apostoli, cum eodem* PARI CONSORTIO, HONOREM & POTESTATEM, *acceperunt* [e].

a Decret. causa 24. qu. 1. can loquitur. b Cyprian. ep. 17. lib. 2. c August. tom. 2. ep. 13. & 17. d Cypr. de unit. Ecclesiæ Sect. 3. e Dist. 21. can. in novo.

V. Idque *res ipsa*, etiam probat: quia id quod primùm ac nominatim Petro (ad unitatem, cum reliquis Apostolis, pro quibus simul erat locutus, indicandam [a]) promiserat Christus; illud postea, aliis quoque promisit, & promissa præstans, ad omnes Apostolos pertinere (iis omnibus communiter dando [b]) declaravit. Hinc *Hieronymus* ait; *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum, in alio loco, super omnes Apostolos fiat: & cuncti, claves regni cælorum, accipiant*, & EX ÆQUO, *super eos Ecclesiæ fortitudo, solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Ætati delatum est; quia Petrus senior erat* [c]. Atque ita paritatem Apostolorum ostendit: nec aliam, quam ordinis præstantiam, Petro tribuit.

a Cypria. de unit. Ecclesiæ Sect. 3. Hier. contra Jovin. l. 1. b Matt. 18. 18. Joh. 20. 21. 22. 23. c Tom. 2. adversus Jovin. l. 1.

VI. *Deinde* quòd *universi* Apostoli (seu eorum cœtus) Petro, in gubernanda Ecclesia, fuerint *majores:* illud inde etiam cognoscitur, partim quòd eorum auctoritate cum Johanne Apostolo, ad Samaritanos fuerit legatus [a]: partim quòd parium collegium, singulis suis membris, prævalere constet.

a Act. 8. 14.

VII. *Contra* verò *Papa Romanus*, huic Petri ac singulorum Apostolorum, paritati, duplici errore repugnat. *Primus* est, quòd Petrum Ecclesiæ principem, à Christo institutum, fingit [a]. Idque *ut ab ipso, quasi quodam capite* (ut *Papa Nicolaus* ait) *dona sua, velut in corpus omne, diffunderet. Hunc enim*, IN CONSORTIUM, INDIVIDUÆ UNITATIS ASSUMTUM, *id quod ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo; Tu es Petrus & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam: ut æterni templi structura, Deo ædificante instructa mirabili munere gratiæ Dei*, IN PETRI CONSISTERET FIRMITATE [b]. In quo decreto, & *falsum* est *Antecedens:* & *infirma* omnino *consequentia*.

a Marcellus Papa Decret. Causa 24. qu. 1. can. Rogamus. b Sexti lib. 1. Tit. 6. can. fundam.

VIII. *Antecedens* enim est *falsum*, quia Christus non ait; *Super te Petrum:* sed distinctè ab eo; *Super hanc Petram.* Quam scilicet & Petrus erat confessus, & Christus præsentem, etiam hac loquendi forma, demonstrabat; ut & alibi, de se, quasi intento digito ait; *Destruite templum Hoc* [a]: item; *Hic est panis, qui de cælo descendit* [b]. Hinc *Augustinus* etiam ait; *Non enim dictum est ei; Tu es Petra; sed tu es Petrus: petra autem, erat Christus: quem confessus Simon (sicut eum tota Ecclesia confitetur) dictus est Petrus* [c]. Idque & *vocum* & *rei ratio*, demonstrat.

a Joh. 2. 19. 21. b Ibid. 6. 50. c Tom. 1. Retract. lib. 1. c. 21.

IX. Nam ad *voces* quod attinet, ut in Syriaca lingua (qua Christum usum constat) *Cepha* [a], & *Schuba* [b], lapis & petra,

petra, tanquam genus & species, differunt: sic πέτρος & πέτρα, Græcè. Ac licet interdum per synecdochen, *Cepha* lapis [c] (ut ejus synonymum *Abbna* [d]) pro petra, seu rupe (ut *Ceph* Hebræis) usurpetur: propriè tamen, pro lapide *quinquagies*, in Novo Testamento Syriaco, subductâ ratione, comperitur. Πέτρος verò Græcis, rarius ad synecdochen, à propria significatione deflectens, petram designat; sed propriam retinens, trito bonorum auctorum usu, lapidem notat. Unde *Hesychius*, in Lexico suo; πέτρον, λίθον, *lapidem* exponit. Id quod pluribus exemplis (quia & rariora, à Lexicographis etiam, adferuntur, & ad rem propositam, maximè conducit) ex *Homero*, *Euripide*, *& Sophocle*, illustrandum.

a Syriac. Testam. Matth. 7. 9. Joh. 10. 31. b Matth. 7. 24, 25. c 1. Cor. 10. 4. d 1. Pet. 2. 6.

X. *Homerus* enim Iliad. η. versu 278. μυλοειδεῖ πέτρῳ & Batrachomyomachiæ versu 217. πέτρῳ μυλοειδεῖ molari lapide: & Iliad. π. ver. 740. λάζετο πέτρον, prehendit lapidem: & Iliad. υ. ver. 293. βάλε πέτρῳ percussit lapide. *Euripides* autem *Supplicibus*, ver. 503. πέτροις καταξανθέντες lapidibus contriti: & *Cyclope*, ver. 51. ῥίψω πέτρον jaciam lapidem: & *Helena* ver. 75. εὐστόχῳ πέτρῳ rectè jacto lapide: & *Heraclidis*, versu. 1002. πάντα κινῆσαι πέτρον, omnem movere lapidem: & *Electra*, ver. 328. πέτροις πλάδᾳ lapidibusque lapidat, seu pulsat. Denique *Sophocles Philoctete*, edit. Henr. Steph. pag. 387. ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων lapidibus (silicibus) lapidem atterens. Ideoque frustra *Cardinalis Baronius* ait, *Apud illos* (Græcos) πέτρος, idem *est*, *quod* ἡ πέτρα. item *Cephas*, *Syriacè petram significat: non tamen quamlibet petram; sed quæ omnium durissima* [a].

a Annal. lib. 1. an. 31. Num. 24.

XI. Neque illud obstare potest, quòd interpres Syriacus Matth. 16. eadem voce *Cepha* (quam fere semper propriè accipit) utrumque, & πέτρον & πέτραν, obscurius transferat. Priori enim loco, propria significatione, pro lapide: posteriori verò, impropriè, pro lapidis specie, seu petra usurpat: ut Rom. 9. 33. utrumque, cum λίθον, tum πέτραν (quæ certè distincta) eadem tamen voce, diverso modo accepta, similiter interpretatur. Magis autem consentaneum est, Christum vocibus diversis Syriacis, *Cepha* & *Schuba* (id est lapide & petra) distinctè usum. Quemadmodum hunc sensum esse, docet Matthæus, qui Græcè (non Hebraicè, ut aliàs demonstravimus) scribens, πέτρος & πέτρα, distinctè interpretatur.

XII. Nec *voces* solùm, sono ac significatione, diversæ: sed etiam *res ipsa*, ad diversos referri oportere; ex contrariis, Petri & Petræ, attributis evincit. Si enim hæc duo, unum hîc denotarent, tum Christo dicente: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, revera quoque fuisset petra: seu idoneum atque immobile, struendæ Ecclesiæ, fundamentum, ab errore omni alienum. Atqui hoc perspicuè falsum est, Quia licet, Patris cælestis revelatione, Jesum esse Christum, Filium Dei vivi, agnosceret; mortis [a] tamen & resurrectionis Christi [b] doctrinam, nondum rectè intelligebat, sed in eam (*non quæ Dei, sed quæ carnis* erant, *sapiens* [c]) gravissimè impegit [d]: & à Christo est increpatus [e].

a Matth. 16. 22, 23. Joh. 18. 10, 11. b Luc. 18. 34. c Matth. 16. 23. d Luc. 24. 11. Matth. 16. 11. e Matth. 16. 3.

XIII. Petrus tamen, πέτρος, hoc est lapis, Christo superstructus [a] (licet ob fidei, in nonnullis, infirmitatem, nondum ei plenè cohæreret) rectè appellatur. Neque enim hisce repugnat, quod Lucas ait; *Christum pro Petro orasse, ne fides illius deficeret* [b]: quia inde non sequitur, ipsum, ab omni errore fuisse immunem: quum contrarium sequentibus testetur [c]: neque hoc, Petro fuit proprium; sed reliquis etiam sanctis Apostolis [d], imo & omnibus verè fidelibus, commune beneficium [e]. Atque hæc de *Antecedentis*, ratiocinationis Papæ, *falsitate*.

a 1. Pet. 2. 5. b Luc. 22. 12. c Luc. 24. 11. d Joh. 17. 8. 9. 11. 15. e Ib. ver. 20. & cap. 10. 28, 29. 1. Pet. 1. 5.

XIV. *Consequentia* verò ejusdem, propterea *infirma* est, quod licet Petrus (ut vanè obtenditur) petra seu fundamentum struendæ Ecclesiæ, fuisset appellatus: non ideo tamen sequeretur, eundem, potestate officii à Christo data, reliquis Apostolis majorem, & caput ac fundamentum eorum, ac totius Ecclesiæ, constitutum.

XV. Nam ut Christo servatori unico [a], ea laus *propriè* loquendo, convenit [b] (neque enim biceps Ecclesia [c]: nec sponsus ejus, est alius, quam ipse [d]) sic *impropriè* ac similitudine quadam, ob cælitus ac immediatè revelatam, doctrinam: & Ecclesiæ Christianæ fundationem, fundamentum Ecclesiæ (ministeriale scilicet) communi cum cæteris Apostolis ratione; appellaretur. Siquidem *duodecim* cælestis civitatis *fundamentis*, non Petri unius; sed duodecim Apostolorum nomina inscripta, divinitus affirmatur [e]. Quod doctrinæ fundamentum, iis etiam mortuis, non periit, sed in scriptis ipsorum, ad perpetuam Ecclesiæ structuram [f], conservatur.

a Act. 4. 12. b 1. Cor. 3. 4. Eph. 2. 22. 1. Pet. 2. 4, 5. c Eph. 1. 22. & 4. 15. & 5. 23, 24. d 2. Cor. 11. 2. Eph. 5. 32. e Apoc. 21. 14. f Eph. 1. 22.

XVI. Quæ adeo perspicua sunt, ut etiam Bellarminus, veritate victus assentiri cogatur, quum ait; *Tribus modis Apostolos fuisse Ecclesiæ fundamenta, sine ullo tamen Petri præjudicio. Uno modo, quia ipsi primi Ecclesiam fundarunt &c. Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesiæ, Apostoli & Prophetæ, ratione doctrinæ, à Deo revelatæ &c. Nec in his duobus, major est Petrus cæteris &c. Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apostoli ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt* CAPITA, RECTORES, ET PASTORES ECCLESIÆ UNIVERSÆ [a]. Hæc ille.

a De Pontifice lib. 1. c. 11.

XVII. Unde sequitur, hoc *non esse Petri Privilegium*, quod jussus est, *oves Christi pascere* [a]: licet illud, ad peculiarem ac triplicem Christi abnegationem abstergendam, ter sit mandatum [b]. Quod etiam Bellarminus confirmans ait; *Dari Apostolis, per illa verba, Ego mitto vos* [c], *quod Petro fuerat promissum per illud; Tibi dabo claves* [d], *& postea exhibitum per illud; Pasce oves meas* [e]. Habuerunt igitur eandem potestatem.

a Joh. 21. 15, 16, 17. b August. in Joh. tract. 123. Isidor. Pelusiota. lib. 1. ep. 103. c Johan. 20. 21. d Matth. 16. e Johan. 21. 16. Bellarmin. de pontif. lib. 4. c. 23.

XVIII. Quod autem alibi excipit; *Sed non eodem modo. Illi enim habuerunt summam atque amplissimam auctoritatem, ut Apostoli, seu legati: Petrus autem, ut Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab illo penderent: non è contrario* [a]. In iis (inquam) seipsum, imprudenti contradictione, confutat. Nam si Apostoli fuerunt *capita & pastores Ecclesiæ* (ut antea asseruit) *universæ*, *summamque habuerunt auctoritatem*, caput ac superiorem non habuerunt: sin contrà Petrus eorum fuerit caput, iisque superior, summa auctoritate fuerunt destituti.

a Ibid. lib. 1. c. 11.

XIX. Nam quòd ait; *Habuerunt, non eodem modo. Illi ut Apostoli & legati: Petrus, ut pastor ordinarius* [a]: vanum omnino effugium est. Quoniam discrimen illud nusquam Scriptura tradit, sed contra parem legationem iis attribuit [b]: nec Petrus ullibi majorem potestatem sibi adscribit. Deinde nec diversus paritatis modus, paritati repugnat: nec denique modus ille fictitius, contradictionem tollit; sed geminat. Eundem enim, & extraordinarium esse Ecclesiæ universæ pastorem, & simul ejusdem ordinarium, se mutua contradictione evertunt. Ita Bellarminus, semel à veritatis tramite deflectens, quò ulterius procurrit, eò longius aberrat, & contradictionum suarum laqueis sese miserè implicat atque adstringit.

a Ibidem. b Matth. 28. 19, 20. Mar. 16. 15. 20. Act. 1. 8.

XX. Præterea quomodo potuit Petrus esse ordinarius, universæ Ecclesiæ, pastor, ubi nullus in eadem potestate, ordo constitutus? Quod enim objicit; *Hoc promittitur Petro Matth. 16. cum soli, coram aliis, dicitur; Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam* [a], illud jam ante, falsum esse, ostendimus: quia nec de Petro hoc dictum, neque etiam tum dici potuit; nec si dictum fuisset, ipsi soli conveniret. Ideoque audiendus *Augustinus*, quum ait; *Super hanc ergo petram*, QUAM CONFESSUS ES, *ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus: super quod fundamentum, etiam ipse ædificatus est Petrus* [b]. Atque hæc de *primo modo*, quo Papa Romanus, Ecclesiasticæ Petri potestati, repugnat: dum eum caput esse reliquorum etiam Apostolorum, quasi ipsi subjectorum, insigni injuria, læsaque simul Christi majestate, affirmat.

a De Pontif. lib. 1. c. 11. b In Johan. tractatu 104. & de verbis Domi. Serm. 13.

XXI. Ali:

XXI. *Alter* verò *modus* est, quod episcopos Romanos officii ac potestatis Petri, in universalis ecclesiæ gubernatione, successores ab ipso institutos, nullo Scripturæ testimonio, sed ineptis frivolisque tantùm ratiunculis, tueri conatur. Nam quòd Petrum Ecclesiæ Romanæ episcopum ordinarium fuisse, prætendit: illud Apostolico illius muneri repugnat. Eundem enim esse ordinarium ac distinctum Ecclesiæ unius episcopum & simul Ecclesiæ universæ episcopum ac pastorem ordinarium, sibi mutuo adversantur.

XXII. Nam quòd prisci Patres nonnulli, Jacobum apostolum, Ecclesiæ Jerosolymitanæ: Johannem verò Ephesinæ episcopum distinctè nominant: metaphoricè loquuntur: quòd episcoporum particularium instar, diutius ibidem in Euangelii prædicatione ac gubernatione, sint versati: revera autem generatim *episcopi* [a] universæ Ecclesiæ constituti [b]. Nam quæ de Jacobi minoris à Petro, Jacobo & Johanne, in episcopum ordinatione, ab *Anacleto Papa* traduntur [c]: adeo sunt inepta, ut in iis explicandis, Glossa, quintuplici varietate, implicetur.

a Act. 1. 20. 22. b Matt. 28. 29. c Distinct. 66. Can. Porro.

XXIII. Deinde si Petrus, ordinarius Romanæ Ecclesiæ factus est episcopus, quis ipsum, ad munus illud particulare, vocavit? an Christus? an Ecclesia? nihil horum apparet. Imò an Petrus Romæ unquam fuerit (licet vetusta sit traditio) multi dubitant: probabilibus ex Apostolorum Actis atque epistolis rationibus freti. Viginti autem quinque annos ibidem episcopum fuisse (licet antiqua, & communis etiam Pontificum sit sententia) non immeritò tamen in ipsa *Primatus Petri defensione*, ab *Onuphrio* [a] confutatur.

a Lib. 3. c. 1.

XXIV. Sed esto, fuerit tot annos Romæ & Ecclesiæ illius episcopus, an propterea privilegia ac peculiaria illius dona, successoribus erunt communia? Deinde an non Ecclesiæ Antiochenæ episcopus (quem primùm Petro successisse, asserunt) eadem ratione, tantundem habebit juris: ac non inferior Romano episcopo, sed ordine sedis, & Christiani nominis origine, superior? Atque ita Romani Papæ imperium collabetur.

XXV. An quia Petrum Romæ mortuum, veteres scriptores tradunt, idcirco episcopus Romanus illius est successor, & universæ Ecclesiæ monarcha? an ideo Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum caput, ejusque jurisdictioni (ut Romanus Papa decernit) in omnibus parendum? Sic enim de Petro & Paulo agens, ait; *Ambo sanctam ecclesiam Romanam consecraverunt, atque omnibus aliis urbibus, in mundo universo, tam sua præsentia, quam venerando triumpho, prætulerunt* [a]. Quis verò hujus consequentiæ vanitatem non videat, non rideat?

a Anacletus Papa Dist. 22. Can. sacrosanct. Pelagius Papa Distinct. 21. can. quamvis.

XXVI. Nam si præsentia, & mortis triumphus, spectetur, tanto præstantior erit Ecclesia Jerosolymitana, quanto summus Dominus, major est suis servis. In hac enim Jesus Christus, Filius Dei, Ecclesiam fundavit, miracula edidit, passus est, & morte sua, in cruce, de diabolo & peccato triumphans [a] ecclesiam universam redemit [b]: ut interim missionem Spiritus Sancti, primam Apostolorum prædicationem, & Euangelii inde ad gentes propagationem, prima Petri vincula ac flagellationem, Jacobi majoris & minoris martyria aliaque ejus ornamenta, omittamus.

a Col. 2. 14. 15. b Actor. 20. 28. Joh. 6. 51.

XXVII. Quare vanæ sunt prorsus, Romani Papæ rationes, quibus officii & potestatis Petri successionem sibi arrogat, *& Romanam Ecclesiam, disponente Domino, super omnes Ecclesias, ordinariæ potestatis obtinere principatum* [a], definit.

a Innocentius tertius in Concil. Lateranen.

XXVIII. Cui contrarium *Hieronymus* (talem Domini dispositionem, non agnoscens) liberè statuit: idque jure etiam Pontificio [a], relatum ac probatum, apparet. *Si auctoritas* (inquit) *quæritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Ubicunque fuerit episcopus, sive* ROMÆ, *sive Eugubii, sive* CONSTANTINOPOLI, *sive Regii, sive* ALEXANDRIÆ, *sive Tunis*, EJUSDEM MERITI EST, ET EJUSDEM SACERDOTII. *Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, sublimiorem, & inferiorem episcopum, non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt* [b].

a Dist. 93. can. legimus. b Tom. 2. Epist. ad Euagrium.

XXIX. Quod autem Romana Ecclesia olim, reliquis patriarchalibus Ecclesiis, prælata, id non à jure divino; sed ab *instituto humano*, neque jurisdictionis; sed *ordinis* ac consessus in Synodis, ratione promanavit.

XXX. Ac de *instituto humano*, testatur quartum concilium universale Chalcedonense dictum; *Etenim* (inquit) *sedi senioris Romæ*, PROPTER IMPERIUM *civitatis illius, Patres consequenter privilegia reddiderunt: eadem intentione permoti, centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi* [a] *ÆQUA* (Græcè additum *sanctissimæ*: quod Caranza omisit) *sedi novæ Romæ, privilegia, tribuerunt: rationabiliter judicantes*, IMPERIO ET SENATU *urbem ornatam, ÆQUIS senioris* (Græcè additum *regiæ*) *Romæ privilegiis frui, & in Ecclesiasticis*, SICUT ILLAM, *majestatem habere* (Gr. μεγαλύνεσθαι) *negotiis, & secundam post illam existere* [b].

a Concil. universal. Constantinopol. can. 5. b Sum. Caranzæ de Concil. Calched. Sess. 16. Et concil. Græcis canonibus in Synodi Calched. can. 28.

XXXI. Unde origo primatus, ab urbis amplitudine ac potentia, & Romani & Constantinopolitani episcopi paritas (cum sola, ordinis ac consensus differentia) sexcentorum, & triginta episcoporum, unanimi consensu, (frustra Romani Papæ legatis, superbè reclamantibus *Sedem Romanam* ESSE IN OMNIBUS, ET PER OMNIA, PRIMAM) definitur.

XXXII. *Ordinem* enim solùm, præ reliquis omnibus episcopis, Romano prisca Ecclesia attribuit: ideoque *primæ sedis episcopum*, vocarunt: & ut gliscentem illius superbiam refrænarent, in Concilio Cartagin. tertio (in sexta synodo generali, in Trullo habita, confirmato) decretum est; *Ut primæ sedis Episcopus, non appelletur, princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid simile* [a].

a Canon. 26.

XXXIII. Qumque Africanis episcopis præesse contenderet, & appellationes ab eorum subditis, ad sese rapere conaretur, *concilium Milevitanum*, excommunicationis sententia, in appellantes lata, constanter ita coërcuit; *Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam, in communionem suscipiatur* [a]. Ac quamvis Zosimi Papæ legati, in sexta synodo Africana (cui & Augustinus interfuit) ex ipsius Commonitorii (ut vocatur) verbis, supposititio Concilii Nicæni decreto, Papæ Romani, in Ecclesiam Africanam, jurisdictionem ac primatum stabilire conarentur, collatis tamen ac lectis, genuinis Concilii Nicæni exemplaribus, fraus ac mendacium detectum est: & can. 28. arrogans Papæ Romani jurisdictio, confutata, dum ad eum appellandi potestas, sub excommunicationis pœna, decreto interdicta [b]. Atque hæc de *altero modo*, quo *Papa Romanus Ecclesiasticæ Petri potestati, repugnat*: dum eandem, sibi falsò attribuit.

a Canon. 22. b Canonib. Syn. Græ. concil. Cartag. 6. Can. 38. Et ibidem in epist. synodi ad Celestinum Papam.

XXXIV. *Tertius* est, quod etiam longè majorem sibi vendicat. *Primùm* enim Petrus non habuit plenam, nec liberam, pro arbitrio, regendi ac gubernandi Ecclesiam universam, potestatem; sed in Euangelii prædicatione, & disciplinæ exercitio, adstrictum Christi legibus ministerium [a]. *Deinde*, ut à morum lapsu, non fuit immunis; sic & aliorum, justæ reprehensioni, fuit subjectus: ut Pauli Apostoli censura demonstravit [b].

a Matth. 28. 20. Marc. 16. 16. Matt. 18. 13. ad 19. b Gal. 2. 21.

XXXV. *Contrà* verò *Papa Romanus* (ut ex *Clementis Sexti* & *Bonifacii octavi*, decretis constat) *primum Apostolicæ plenitudinem potestatis, Petro ejusque successoribus, tributam* asserit: qua, ex conflato, è *Christi sanctorumque meritis, thesauro* [a], *pœna peccatorum temporalis, vel universæ, vel partis illius, remissionem* indulgeat [b].

a Nota blasphemiam. b Extra. com. lib. 5. de pœnit. & remiss. can. unigenitus. & cap. 1. can. Antiquorum.

XXXVI. *Deinde Papa* sese omnium, universalis Ecclesiæ, hominum judicem, & ab omnibus aliorum judiciis (ut ex Bonifacio octavo præcedenti parte ostendimus) immunem gloriatur [a]. Cui juris Pontificii *canon*, ita subscribit; *Si*

Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehendatur, &c. & innumerabiles populos, catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis, in æternum vapulaturus: hujus culpas isthic redarguere, præsumit mortalium nullus: quod CUNCTOS JUDICATURUS, A NEMINE JUDICANDUS, *nisi deprehendatur* A FIDE [b] DEVIUS[c]. Atque hæc de *potestatis* Petri & Papæ repugnantia.

a Bellar. de Pontif. lib. 2. c. 26. b Ergo ab ea deficere potest. c Dist. 40. can. si Papa.

XXXVII. *Reliqua*, in *officii* ac potestatis *executione contraria*, (cùm *doctrina* tum *vitæ exemplo*) consistit. *Ad doctrinam* quod attinet, *Petrus* Ecclesiam, sincera Legis & Euangelii institutione, duxit ac servavit: ut Acta Apostolorum, & epistolæ illius, citra controversiam, testantur. *Contra* verò *Papa Romanus*, multiplici Legis & Euangelii depravatione (ut distinctis disputationibus evicimus) Ecclesiam seducit ac vastat.

XXXVIII. Idque etiam ex sequenti, *Petri & Papæ*, de *Ecclesiæ* Christianæ (cum *ministeriali*, tum *principali*) *fundamento*, *repugnantia*, elucebit. Ac de *ministeriali*, *prima dissensio* est, quòd *Petrus Apostolus* non *fabulas artificiosè compositas*, neque traditionum humanarum commenta; sed certa ac comperta [a] tradidit, & Sacras, Prophetarum & Apostolorum, literas, Ecclesiæ commendavit [b]. *Contrà* verò Papa Romanus, *Belis, Draconisque* (ut *Hieronymus* meritò appellat [c]) *fabulas*, & Apocryphos libros, divini, fidei & morum, canonis (non minus quàm sacra Prophetarum scripta) partes statuit: & traditiones Ecclesiæ, pari cum Dei verbo reverentia, venerandas decernit [d]. Imo humanam ac vulgarem versionem Latinam (multorum licet errorum, etiam ab eruditis Pontificiis, convictam) authenticam habendam, *neque ullo prætextu rejiciendam*, statuit [e].

a 2. Pet. 1. 16. b Ib. 3. 2. 15. 1. Pet. 1. 10, 11. c Præfat. in Danielem. d Concil. Trid. Sess. 4. decreto de Canon. Script. e Ibidem.

XXXIX. *Altera dissensio* est, quod *Petrus* fideles, *rectè facere*, ait, *quod sermoni Prophetico attenderent* [a]: ut ante *Psaltes*, eam meditantem, beatum pronuntiarat [b]: & Christus Scripturarum scrutationem mandarat [c]. *Contrà* verò *Papa Romanus*, Sacrarum literarum, vulgari lingua, lectionem, *sine ordinarii facultate* prohibet, & sine ea legentem, *peccatorum remissionem accipere non posse* definit [d].

a 2. Pet. 1. 19. b Psalm. 1. 1, 2. c Ioh. 5. 39. d Indice librorum prohibit. facto in Concil. Trid. à Pio 4. probato, regula 4.

XL. De *principali* verò *fundamento*, seu Jesu Christo, numerosa *discrepantia* est; sed una documenti gratia, suffecerit. *Petrus* enim *Apostolus*, Christum, unicum principale fundamentum Ecclesiæ tradit: & causam illius exponit, quòd unicus illius sit servator, his verbis; *Hic est lapis ille, pro nihilo habitus à vobis: qui factus est caput anguli. Nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari* [a].

a Act. 4. 11, 12.

XLI. *Contrà* verò *Papa Romanus*, hoc lapide angulari, unico salutis datore contempto, socios ei, sacrilegio manifesto, adjungit plurimos: quorum meritis salutem quoque adscribit. Id quod ex Mariæ virginis sanctorumque elogiis atque invocatione, aliàs à nobis, copiosè demonstratum: & impius ille, quem fingunt, *thesaurus*, è Christi Sanctorumque meritis, ad peccatorum remissionem pertinens (cujus modo memini [a]) luculenter evincit. Atque hæc, de *repugnantia in doctrina*.

a Thes. 35.

XLII. In *vitæ* verò *exemplo*, similis *discrepantia*, qualis inter lucem & tenebras, comperitur. Unde, velut ex copioso acervo, pauca speciminis gratiâ proferemus. *Petrus* enim *Apostolus* doctrinæ suæ sinceritatem, morum integritate, cohonestans, Ecclesiæ Christianæ ita præluxit, ut *piè*, erga Deum; *justè*, erga proximum; & *sobriè*, in se, pro Christiani hominis officio [a], vixerit.

a Tit. 2. 12.

XLIII. Ac *pietatis* (inter cætera) indicium est *primum*, quod Simonem Magum, dona Spiritus Sancti ab ipso empturientem, severissima increpatione rejecit [a]. *Deinde*, quod humanæ suæ conditionis memor, servata Deo Gloria, à Cornelio, humilius prostrato, honorari noluit: ipsumque erexit [b]. *Justitiæ* documentum est, quod Cæsari, id quod illius erat, tribuit [c]: quodque à Paulo, justè reprehensus, illud modesta patientia pertulit [d]. *Sobrietatis* denique, quod conjugatus, Apostolico munere imposito, uxorem non abdicarit, sed (ut reliqui Apostoli) circumduxerit [e].

a Act. 8. 20, 21. b Ib. 10. 26. c Matth. 17. 27. d Gal. 2. 11. 14. e 1. Cor. 9. 5.

XLIV. *Contrà* verò *Papæ Romani*, inter alia, *impietas* apparet, quod sacra munia plerumque habeat venalia, & *Simonis*, non Petri, sed *Magi* imitatione (ea emendo & vendendo) Simoniam, ab ipso dictam, exerceat. Idque à multis seculis experientia, & enata inde publica, probatorum Pontificiorum, querela, scriptis variè consignata, demonstrat. Ideoque liberè *Bernardus* (licet immodicus fuerit dignitatis Pontificiæ præco) se continere non potuit, quominus illud *Papæ Eugenio tertio*, his verbis disertè exprobraret; *Quem dabis mihi, de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit, pretio seu spe pretii, non interveniente* [a]. Eundemque indignis modis, eam fovisse impietatem, gravissima indignatione accensus, demonstrat [b].

a De considerat. ad Eugenium lib. 4. b Ib. lib. 1. & 3.

XLV. Nec successores illius, fuisse sanctiores (ut alios omittamus) *Papa Paulus secundus*, testatur: qui (ut de eo, *Carranza* ait) *sacerdotio illaudabiliter procurato* &c. *suo tempore, omnia officia, Romæ venalia erant: & ferè semper beneficia & episcopatus, his committebat, qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus posset* [a]. Atque eadem plurimorum antecessorum ratio. Sed ne quis obtendat, hæc morum tantùm, non etiam religionis Papalis vitia, quæ ex doctrina promanant: quum Simoniam etiam decretis suis damnarint: & licet *malus prælatus, non habeat diadema sanctitatis, habere tamen diadema dignitatis: quæ ex se nec de se peccavit* [b]: ideoque Bonifacium 8. ex *actionibus quidem improbis, Simoniis & turpiloquiis, ecclesiam fœdasse, nec propterea dici posse, malæ memoriæ: quia respici debet, non ad id quod fecit: sed ad id, quod ipsum facere decuit* [c]. Ne quis (inquam) hæc ineptè hoc modo excuset, Annatarum institutio atque observatio, Simoniam usitatam Paparum, decreto stabilitam evincit.

a Sum. Conc. in Papa 219. b Glossa Extrav. commun. lib. 5. de Schismat. cap. Dudum. c Ibidem.

XLVI. Qua de re *Carranza* de Papa *Bonifacio nono* loquens ait; *Hic Annatarum (hostium potentiam veritus, vel augendæ ditionis Ecclesiasticæ causâ, ut aliqui volunt) usum, beneficiis Ecclesiasticis, primus imposuit, hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium anni proventus, fisco Apostolico, persolveret* [a]. Unde intoleranda, potestatis Pontificiæ obtentu, *Paparum impietas* atque injusta avaritia, conspicitur: quæ *non pastorem* Ecclesiæ, sed *depastorem* esse demonstrat.

a Summa Concil. in Pontif. 209.

XLVII. Deinde *injustitiæ* atque *impietatis* plusquam barbaricæ, Romani Papæ, demonstratio est, quod Imperatoribus (superstitionis fascino seductis, & scortationis illius vino inebriatis) ad vilissima etiam servitia, abutatur. Qualia (inter cætera) sunt, ut præsentes, *aquam lavandis Papæ manibus, & primum mensæ ferculum, adferant* [a]: *stapedem, equum conscensuro, teneant, & accepto fræno, per aliquot passus, equum illius ducant* [b]: ipsumque prostrati, *venerentur*.

a Christoph. Marcel. archiep. Sacrarum cerem. ad Papam Leon. 10. lib. 1. sect. 3. b Ib. sect. 5. cap. De process. Pontif.

XLVIII. Unde *Christoph. Marcellus*, de Imperatore ait; *Et ut primum Pontificem videt, detecto capite, illum, genu terram tangens veneratur. Et iterum, cum appropinquat ad gradus sedis, genu flectit: demum ad Pontificis pedes pervenit: illos in reverentiam Salvatoris, devotè osculatur* [a].

a Ibidem c. 3.

XLIX. Cujus *exemplum* memorabile ac detestandum, recenset ac laudat *Cardinalis Baronius*: quod in coronatione *Henrici sexti* Imperatoris & Imperatricis, perpetratum. Sic enim, ex *Rogerii Annalibus*, ait; *Sedebat autem Dominus Papa, in cathedra Pontificali, tenens auream coronam imperialem, inter pedes suos: Imperator, inclinato capite, recepit coronam: & Imperatrix similiter, de pedibus Domini Papæ. Domi-*

nus

nus autem Papa, statim percussit cum pede suo, coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, significans, quod ipse potestatem, ejiciendi eum ab Imperio, habet, si ille demeruerit. Sed Cardinales statim arripientes coronam, imposuerunt eam capiti Imperatoris. Quam abominandam Papæ insolentiam, his verbis, subjecto suo calculo, approbat Baronius; *Ut autem id fixum menti ejus hæreret, nempe dare, custodire, conservare, & auferre (si causa exigeret) Imperium*, ESSE IN VOLUNTATE ROMANI PONTIFICIS, *ejusmodi voluit commonstrasse exemplo.*

L. *Alterum* deinde *injustitiæ Papæ Romani* (ex doctrinæ vitio, ac falso potestatis justæ prætextu, procedentis) *documentum* est, quod regna & Imperia multorum, quia jussis ipsius, parere detrectarant, excommunicationis sententia, aliis donarit: subditosque, à fidelitatis juramento, absolverit [a]: imo si quis ita excommunicatos, *zelo Ecclesiæ, interfecerit, non esse homicidas* decrevit [b].

a Decreti causa 15. qu. 6. can. alius. & can. nos. Platina de vitis Pontif. in Bonif. VIII. & in Gregorio VII. b Decreti causa 23. qu. 5. can. excommunicatorum.

LI. *Tertium* est, quod Ecclesiasticos à tributis, Cæsari ac magistratibus, solvendis non solùm sententia eximit; sed etiam ea exigentes anathemate ferit [a]: ut cum alia, tum Gregorii VII. gesta demonstrant.

a Sexti. lib. 3. tit. 23. cap. 2. can. clericus.

LII. *Quarta* denique, injustitiæ Paparum demonstratio, in crudelitate illorum, conspicua est. Nam ut horrendam in veris Christi cultoribus, laqueo, ferro, flamma necandis lanienam, religionis larva velatam, omittamus, in mutuis ac capitalibus Paparum multorum, odiis ac sævitia incredibili, relucet. Cujus rei illustre specimen, in multis, post Formosum, Romanis episcopis extat: *quos tanquam monstra quædam* (ut ait Platina) *è medio, brevi Deus sustulit* [a]. Quorum duo, in *Formosi Papæ* cadaver plusquam ferina immanitate, sævierunt.

a De vitis Pontif. in Christoph.

LIII. Nam (ut *Stella* monachus narrat) *Stephanus sextus ercatus Pontifex, tanto odio, Formosi nomen persecutus est, ut statim ejus decreta, omnino abrogaverit: & non modo actibus contrariatus, verum etiam multa cum rabie, consilio habito, Formosi ipsius corpus, è tumulo extrahi fecerit, tractumque, pontificialibus exui vestimentis, ac seculari indui habitu, & postea, abscissis duobus dexteræ ejus digitis, in Tiberim projici* [a]. Quis crediderit eo credulitatem Paparum, potuisse prorumpere? sed in eo tamen, non quievit.

a De vitis Pontif. in Papa 118. Martin. Polon. archiepisc. in Supput. ad an. 902.

LIV. Postea enim (ut idem auctor recenset) *Papa Sergius tertius, Formosi quoque acta, iterum improbavit: atque in ultionem suæ injuriæ, ejus* CADAVER *è sepulchro tractum ac si viveret*, CAPITALI AFFECIT SUPPLICIO: CORPUS VERO, IN TIBERIM TRUNCUM, PROJICI, JUSSIT, *tanquam sepultura indignum* [a]. Unde *Carranza* monachus (iisdem strictim narratis) cohorrescens subjicit; *Res plena horroris, ut videas, quantum degenerabant Pontifices, à majoribus suis:* NE *Cui* MIRUM SIT, SI QUI ABUSUS, ET PERVERSÆ OPINIONES IN ECCLESIAM IRREPSERINT [b].

a De vitis Pontif. in Papa 125. Mar. Archiepisc. Supput. ad an. 907. b Summa. Concil. in Papa 125.

LV. Cui prævivit *Platina*, de illorum temporum Papis, ita conquestus: *Vide quæso, quantum isti degeneraverint, à majoribus suis. Illi enim (utpote viri sanctissimi) dignitatem, ultro oblatam contemnebant, orationi ac doctrinæ Christianæ vacantes:* HI VERO LARGITIONE ET AMBITIONE, *Pontificatum quærentes* POSTHABITO DIVINO CULTU, INIMICITIAS NON SECUS AC SÆVISSIMI TYRANNI, INTER SE EXERCEBANT: *suas voluptates, postea securius expleturi: cum nullibi extarent, qui* EORUM VITIA COERCERENT [a].

a De vitis Pontif. in Sergio Tertio.

LVI. Atque hæc *Paparum* Romanorum immanis *truculentia, ante annos* plus quàm *septingentos* extitit. Cujusmodi scelera & atroces injuriæ, in vitis Pontificum, aliisque Pontificiorum historiis, passim comperiuntur: longéque plura accciderunt, quæ periculi metu, ab historicis retinentur. Idque *Iohannes Stella*, opus suum, *de vitis Pontificum*, in Epistola ad Antonium Surianum, Venetiarum patriarcham, concludens attestatur, quum ait; *Fateor quidem, atque Deum meum testor, me non falsa proposuisse*, &c. *R. D. innotescat me de industria*, PLURA PRÆTERMISISSE, PERICULA UNDIQUE PRÆCAVENTEM, *maximè in his novissimis temporibus gesta: quæ sine* QUORUNDAM NOTA, *scribi non potuissent.* Atque hæc de *Papæ Romani injustitia.*

LVII. Denique *luxuria* atque impuritas illius (qua suo cœlibatu, sobrietati conjugii Petri adversatur) in eo apparet: quod contra Sacrarum literarum statuta [a], Ecclesiasticos (licet continentiæ dono destituti sint plurimi) à conjugio, tanquam ipsis illicito atque impuro abstinere jubet [b]: eaque ratione & sese ipse non rarò & Ecclesiastici non pauci, scortationibus, adulteriis, nefandisque libidinibus polluunt. Cujus rei (inter alios Papas impuros) exemplum *Iohannis decimi tertii* sufficerit. Qui teste *Stella*, & *ira percitus, duos cardinales ceperat, & huic nasum: illi verò, manum absciderat*, &c. *tandem in* ADULTERIO DEPREHENSUS, *à viro adulteræ* CONFOSSUS, *interiit* [c]. Atque hæc, de *vita Petri & Papæ Romani, repugnantia.*

a Heb. 13. 4. 1. Tim. 4. 3. & 3. 2. 1. Cor. 7. 9. b Syricius Papa epist. 4. Innocent. Papa, ep. 31. c De vitis Pont. in Papa 137.

Quare ex hisce omnibus perspicuè, *Petri Apostoli, & Papæ Romani dissensio* apparet: ideoque *Papam*, non Petri Apostoli successorem, sed *adversarium: & Ecclesiam Romanam*, non Apostolicam, sed *apostaticam* existere, merito concludimus. Idque amplius sequentia ostendent.

COROLLARIA.

Hasce enim Papæ Gregorii VII. in Concilio Romano, de privilegiis Pontificum, sententias (quas recenset Baronius [a]) vera esse negamus.

a Annal. lib. 11. anno 1076. Num. 31.

1. *Quod Pontifex Romanus, si fuerit Canonicè ordinatus, meritis B. Petri, infallibiliter sit sanctus.*
2. *Quod solus Romanus Pontifex, jure dicatur, universalis.*
3. *Quod nullum capitulum nullusq; liber Canonicus habeatur, absque illius auctoritate.*
4. *Quod sententia illius, à nullo debeat retractari: & ipse omnium solus retractare possit.*
5. *Quod à nemine ipse judicari debeat.*
6. *Quod nullus audeat condemnare, Apostolicam sedem appellantem.*
7. *Quod majores causæ, cujuscunque Ecclesiæ, ad eum referri debeant.*
8. *Quod nulla synodus, absque præcepto ejus debeat Generalis vocari.*
9. *Quod illi liceat, Imperatores deponere.*
10. *Quod à fidelitate iniquorum, subjectos, possit absolvere.*

Quibus falsis, alia vera, adversus Pontificem subjicimus.

1. Ecclesiæ universalis monarcha, solus est Christus.
2. Neque in Ecclesia, neque in politia totius mundi, ab uno homine mero, gubernatio est optima.
3. Solus Deus leges religionis condere potest: non Papa Rom.
4. Justitia, qua à legis condemnatione, absolvimur, ac perfectè justi sumus, non est (ut Papa tradit) fides & charitas; sed Christi justitia, fide apprehensa.

DISPUTATIO XXIII.

DE FIDE SALVIFICA.

QVoniam, de salutari *Christianorum* fide, *gravissimæ, inter Orthodoxos, & Pontificios, aliosque Gratiæ hostes, controversiæ agitantur: idcirco, veritatis illustrandæ atque asserendæ studio, sinceram illius doctrinam, succinctè ac distinctè, pro modulo nostro, à vocibus exorsi, ventilandam proponemus.*

THESIS I.

HEbraicè *Emuná*, Græcè πίστις, Latinè *fides*, concinna origine, ac significatione, dicitur. Quippe *Emuná*, ab *Amán*, firmare (ut *Neemán* a, firmum esse) deductum, propriè, firmitatem b: impropriè verò, per metaphoram veritatem c, aut, per metonymiam inde derivatam, fidem d designat. Πίστις verò, à πείθω e & πίστωσις, persuasus est, promanat. *Fides* denique ab eodem fonte (ut eruditis placet) derivatur: licet *Varro*, è Sabinorum lingua f, & *Cicero*, Stoica allusione, è Latina, *quia fiat, quod dictum est, appellatam* g conjiciat.

a 2. Sam. 7. 16. b Exod. 17. 12. c Deut. 32. 4. d Hab. 2. 4. e Etymolog. magnum. f De lingua lat. l. 4. g De Offic. l. 1.

II. Πίστις porro, id est *fides*, primum *propriè* ac generatim est animi, de alicujus veritate, persuasio a. Unde *Philoponus* ait b; πίστις, γνῶσις τοῦ πειθομένου, *fides, est ejus, quod suadetur agnitio.* Deinde *impropriè*, per metonymiam, usurpatur duobus modis.

a Act. 17. 4. Heb. 11. 13. cum Rom. 4. 20, 21. & 14. 23. cum 14. b In Arist. l. 3. de anima.

III. *Primus* est, ut id, quod fidem facit, significet. Atque ita, vel pro rei *argumento* a: vel pro *fidelitate* b (ut quæ, ad persuadendum, maximè sit idonea c) accipitur. Quo sensu interdum, *fides Dei* d (hoc est, promissionum, in Deo, veritas) dicta: & Deus e, Deique sermo f, hominesque g *fideles* nominantur. *Alter* est, ut fidei objectum, seu verbum creditum, ac peculiariter, Euangelium de Christo exhibito h, denotet.

a Act. 17. 31. cum Act. 1. 3. b Mat. 23. 23. Tit. 2. 10. c Heb. 10. 23. & 11. 11. Rom. 4. 20, 21. d Rom. 3. 3. e 1. Thes. 5. 24. f 1. Tim. 1. 15. g Mat. 25. 21. h Gal. 1. 23. & 3. 2, 23, 25. 1. Tim. 1. 19. cum 1. Tim. 1. 18. 1. Tim. 4. 1.

IV. *Propriè* autem accepta fides, pro diversitate, cum argumenti, tum objecti, distribuitur. *Primùm* enim alia est, quæ à verisimili ac contingente a: alia, quæ à vero ac necessario argumento, procedit. Eaque, vel *humana ratione* concipitur (qualis est, cum principiis, per se fide dignis, vel conclusionibus, inde deductis b: aut rei, sensu recto perceptæ, evidentiæ c, credimus) vel *divina auctoritate*, existit. Quomodo nonnunquam, *fides Dei* d (hoc est, erga Deum) appellatur.

a 1. Cor. 11. 18. b Arist. Poster. l. 1. c. 2. c Ioh. 20. 25, 29. d Mar. 11. 22.

V. *Deinde*, hæc erga Deum fides, pro objecto, divinitus proposito, in diversa quoque significata dirimitur. Siquidem alia, est *fides miraculi*, edendi a, vel obtinendi b: alia, *fides Euangelii* c, nominatur. Idemque à Chrysostomo d, *fides signorum, & dogmatum*, distinctione indicatum.

a Mat. 17. 20. 1. Cor. 12. 9. & 13. 2. b Mat. 9. 21, 22. Actor. 14. 9. c Phil. 1. 27. d In 1. Cor. 12. 9.

VI. *Fides* autem *Euangelii*, aut absolutè, totius: aut relatè, partis ratione, intelligitur. Ac *prior*, est certa, de veritate totius, de Deo & Christo servatore, Euangelicæ doctrinæ, persuasio a. Quam *Basilius* b, ita delineat; Πίστις μὲν οὖν ἐστι συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων, ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι, i. e. *Fides igitur est assensus indubitatus, ad ea, quæ audita sunt, persuasione veritatis eorum, quæ, Dei gratia, prædicata sunt.* Sed *posterior*, est certus, de libertate Christiana, Euangelio tradita, assensus. Qui, *fidei* voce c, synecdochicè accepta, interdum designatur.

a Phil. 1. 27. Ioh. 20. 31. Heb. 11. 6. b In Asceticis de fide. c Rom. 14. 20, 23. cum vers. 1. & 14.

VII. Porro *fides Euangelii totius*, alia, *mortua*, & ad salutem inutilis a: alia, *viva*, ac salvifica b, insigni metaphora, statuitur. Et utraque, vel ut *habitus* inhærens, vel ut *actio* transiens, consideratur.

a Iac. 2. 14. 17. b Gal. 5. 6. Heb. 10. 39.

VIII. *Mortua* autem *fides*, est non renatorum, nuda atque infructuosa a, veritatis doctrinæ, de Deo & Christo servatore, agnitio. Quæ vulgò, angustius & obscurius, *fides historica*, nominatur: sed, plenius ac planius, *fides nuda notitia*, diceretur.

a Iac. 2. 17. Tit. 1. 16. 2. Pet. 1. 8.

IX. Eaque, partim est *dæmonum fides*; sed cum horrore, atque odio Dei Christique, conjuncta a: partim, *hominum reproborum*; qui, mortuam suam fidem, aut vitæ improbitate, apertè produnt b: aut levi, veritatis Euangelii, gustu ac delectatione, & profusæ impuritatis mundi fuga, sibi aliisque, ad tempus imponunt c.

a Iac. 2. 19. Mat. 8. 29. b Iac. 2. 18, 20. Tit. 1. 16. Heb. 6. 7, 8. c Mat. 13. 20, 28. Ioh. 5. 35. 2. Pet. 2. 18, 20. 1. Ioh. 2. 19.

X. Quæ fides, sive terrore hostium a, seducentium errore, carnisve illecebris b, victa deficiat (unde, *fides temporaria* c, dici solet) sive ad finem vitæ duret d, *mortua* nihilominus, & ad salutem inutilis, esse non desinit e. Qualis eorum etiam fuit fides, *qui in Christum crediderunt; quibus tamen seipsum non credidit* f.

a Luc. 8. 13. b 2. Thes. 2. 10, 11. 1. Tim. 1. 18. 2. Pet. 2. 18, 19, 20, 21. c Mat. 13. 21. Luc. 8. 13. d Mat. 7. 22. e Mat. 7. 23. Iac. 2. 26. 2. Pet. 2. 20, 21. f Ioh. 2. 23, 24.

XI. *Fides* verò *inhærens viva* (hoc est ἐνεργὴς, actuosa ac fructuosa b) ut novæ creaturæ, seu doni regenerationis, pars est d, & cognatis, spei ac charitatis, virtutibus, individuo regenerationis nexu, conjuncta e, sic per easdem, est efficax f. Ideoque ἀνυπόκριτος *sincera* (ut quæ talis est, qualem, ad salutem, Christus requirit, ac solum probat h) & *fides* i, κατ' ἐξοχὴν passim appellatur. Quæ, ad uberiorem rei intelligentiam, *proposita* & *exposita definitione*, ita poterit illustrari.

a Philem. 6. b Luc. 8. 15. 1. Thes. 1. 2. Jac. 2. 18. 2. Pet. 1. 8. c Gal. 6. 15. cum 5. 6. d Joh. 1. 12, 13. Eph. 2. 10. Col. 2. 12. e 1. Pet. 1. 22, 23. Heb. 8. 10. Ezech. 36. 26. f Gal. 5. 6. 1. Tim. 1. 5. g 1. Tim. 1. 5. h 2. Tim. 1. 5. Gal. 5. 6. i Rom. 3. 27, 28. & 4. 9. &c.

XII. Fides viva, est *virtus supernaturalis, à Deo, gratis, Electorum (peccati pœnitentiam, ac liberationem desiderantium) cordibus, per Euangelium, & regenerationem, ad justitiam, ac salutem ipsorum, suamque gloriam, infusa: qua, Verbi divini veritatem, & in primis Iesum esse Christum, Filium Dei unicum ac perfectum omnium vere credentium, ideoque & suum, servatorem agnoscunt.*

XIII. *Virtus* autem dicitur; quia est habitus animi, mandato Dei conformis. *Habitus*; quoniam est qualitas durabilis, ad credendum, habilem reddens. Unde fidei hujusmodi, *soliditas* a, & *duratio* b, tribuitur: & hac instructi, *fideles* c, & *credentes* d, κατ' ἐξοχὴν nominantur. *Mandato* verò *Dei conformis est*, quia & initio Euangelicæ doctrinæ, præcipitur e, & finis illius f, atque obedientia g, existit.

a Col. 2. 5, 7. b Luc. 8. 15. Eph. 3. 17. Col. 1. 23. 2. Tim. 1. 5. c Act. 10. 45. & 16. 1. d Act. 2. 44. e Mar. 1. 15. 1. Ioh. 3. 23. f Ioh. 20. 31. g Rom. 1. 5. & 10. 16.

XIV. *Supernaturalis* deinde vocatur; quia, neque à naturæ origine insita est a, neque à viribus illius (sive ingenii acumine, sive liberi arbitrii electione, ac frequentis actionis industria) omnino, aut partim, acquisita b.

a Ioh. 1. 13. Eph. 2. 3. b Act. 16. 18. Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14. Mat. 11. 27. & 16. 17. Eph. 2. 8. Ioh. 6. 44. 65.

XV. Nam licet *audire posse*, Euangelium prædicatum, sit naturæ: *sensum* illius *intelligere*; institutionis ac diligentiæ (ut, infidelium Ecclesiæ hostium exempla, evincunt) auditi tamen, & intellecti, Euangelii, *assensus* ac *fides* (seu, veritatis illius agnitio, quæ, κατ' ἐξοχὴν interdum *intelligentia* a, dicitur) supernaturalis est potentiæ: sine qua, sapiens fidei doctrina, rationi merè humanæ, stultitia videtur b: ac propterea, *mysterium fidei* c, nuncupatur. Id quod ex *causis*, perspicuè constabit.

a Heb. 11. 3. Rom. 15. 21. Col. 1. 9. 1. Ioh. 5. 20. b 1. Cor. 1. 21, 22, 28. & 2. 14. c 1. Tim. 3. 9.

XVI. *Efficiens* enim, seu creator ac dator, *fidei*, solus est Deus, Pater a, Filius b, Spiritus Sanctus c: ut donationis, *causa movens*, & *modus*, demonstrabunt.

a Phil. 1. 29. Eph. 1. 17, 18, 19. & 2. 8. 2. Thes. 1. 11. Ioh. 6. 44. 45. Mat. 11. 25, 27. & 16. 17. b Matth. 11. 27. Ioh. 1. 18. Eph. 2. 10. 1. Pet. 1. 21. 2. Pet. 1. 3. 1. Ioh. 5. 20. c 1. Ioh. 3. 5. 2. Cor. 4. 13. 1. Pet. 22, 23.

XVII. Mo-

XVII. *Movens* quippe *causa*, *interna* quidem est, non prævisum hominum meritum [a]; sed immerita atque æterna, dilectionis, & electionis ad salutem, gratia [b]. *Externa* verò, est Christi, Mediatoris ac Servatoris, à Patre dati, ad mortem usque obedientia: qua nobis, ut vitam æternam [c], sic fidem in Servatorem (tanquam necessarium salutis instrumentum [d]) eadem ratione acquisivit [e]: ut divina, novi fœderis, cujus est, sponsor [f], promissio, ac justitia, in ea servanda, requirit [g]. Ideoque, *fidem nacti* dicimur, *per justitiam Dei nostri, & Iesu Domini nostri* [h].

a Rom. 3. 9, 23. 1. Tim. 1. 16, 2. Tim. 1. 9. Tit. 3. 4, 5, 6, 7. b Rom. 8. 28, 30. Mat. 11. 25, 26. Eph. 1. 4, 8. 9. & 2. 8, 9, 10. 2. Tim. 1. 9. 1. Pet. 1. 2, 3. 2. Thes. 2. 13, 14. 16. c Ioh. 3. 16. Rom. 6. 23. Heb. 5. 9. d Ioh. 3. 36. e Rom 6. 3, 4. 5. f Heb. 7. 22. g Heb. 6. 6, 10, 11, 12, & 9. 14, 15. h 2. Pet. 1. 1.

XVIII. *Modus* verò *effectionis* ac donationis *fidei*, est revelatio & illuminatio Dei duplex. Quarum *prior*, est *externa* ac *ministra*, nempe Euangelii annuntiatio [a]: quæ, *testimonium Dei* [b], dicitur. Eaque, vel *immediata* est, atque *extraordinaria*: quæ à solo Deo (qualis, in Abrahami fide [c], adhibita) vel *mediata* & ordinaria, per Euangelii ministros [d].

a 2. Cor. 4. 4, 6. 1. Pet. 1. 23, 25. b 1. Cor. 2. 1. c Heb. 11. 8. cum Act. 7. 2. 4. d Ioh. 17. 20. Rom. 10. 14. 17, 18. 1. Cor. 3. 5. Eph. 4. 11, 12, 13.

XIX. *Posterior* verò, est *interna* ac principalis, per regenerationem Spiritus Sancti, illustratio [a]. Sine qua, prior illa, ad fidem vivam generandam, ob mentis cœcitatem & cordis duritiem, non sufficit [b]. Nam ut Euangelii annuntiatio, credenda proponit, & ad credendum vocat: sic Deus, sola Spiritus sui potentia cæcitatem mentis discutiendo, & cordis duritiem molliendo, fideique lumen infundendo, & ad Euangelii lumen, occultâ mente, intuendum, ac vocationi parendum, adducit [c]. Cujus efficaciæ ratione, ut *fides efficacia Dei* [d]; sic effectio illius, *vocatio*, *è tenebris, ad lucem* [e], κατ' ἐξοχὴν appellatur. Hæc de *causa efficiente*.

a Ioh. 1. 12, 13. Eph. 1. 17, 18. & 2. 10. Iac. 1. 18. 1. Pet. 1. 22, 23. Ioh. 5. 19, 20. b Eph. 4. 18. 1. Cor. 2. 11, 12, 14. & 3. 7. & 4. 3, 4. c Ezech. 36. 26, 27. Eph. 1. 17, 18, 19. Matth. 16. 17. 1. Cor. 3. 5, 6, 7. d Col. 2. 12. e Act. 26. 18. 1. Pet. 2. 9.

XX. *Materia* verò *fidei*, alia, *subjecta*: alia, *objecta* est: & illa, vel *proxima*, vel *remota*, existit.

XXI. *Remota*, sunt soli electi, ad vitam æternam [a] (unde, *fides*, *non omnium* [b]; sed *electorum* [c], dicta) & quidem illi, qui Legis, peccata indicantis, ac damnantis [d], terrore, ad pœnitentiam (quæ inde, *Legalis*, vocari solet) adducti, liberationem, de suis viribus desperantes, anxiè desiderant [e].

a Joh. 6. 37, 44, 45. & 8. 47. & 10. 16, 26, 27. Act. 15. 48. Rom. 8. 30. 2. Thes. 2. 13. b 2. Thes. 3. 2. c Tit. 1. 1. d Rom. 3. 20. 2 Cor. 3. 9. Gal. 3. 13. e Mar. 1. 15. Matth. 11. 28 Joh. 7. 35. Esa. 55. 1.

XXII. *Proxima* verò, *fidei subjecta*, *materia*, mens est, seu *intellectus* [a]. Quia hoc proprium est, & fidei in genere, & actionis credendi, & periphrasis illius (*fidelem existimare promittentem* [b], prædicato Euangelio, *persuasum esse* [c], acceptis promissionibus persuasum [d] esse, ac *plenè persuasum esse* [e]) & contrariæ incredulitatis ac dubitationis [f] subjectum.

a Act. 26. 18. Eph. 1. 17, 18. Heb. 10. 16. & 11, 3. b Heb. 11. 11. c Act. 28. 24. d Heb. 11. 11. e Rom. 4. 21. cum Heb. 11. 19. f Act. 17. 4, 5. Matth. 14. 31. Rom. 4. 19, 20. & 14. 22. 23. Jac. 1. 6.

XXIII. Idque, *cordis* voce [a], interdum denotatur: non quà animam, secundùm intellectum ac voluntatem, simul complectitur (hæc enim opposita sunt, distinctorum habituum, subjecta: quæ, composita ac communis, virtutis unius, sedes esse, non possunt) sed quatenus, pro anima, secundùm intellectum tantùm, significatione tritissima [b], usurpatur.

a Rom. 10. 9, 10. Ephes. 3. 17. Heb. 3. 12. b Matth. 9. 4. & 13. 15, 19. & 24. 48. Marc. 2. 6, 8. & 11. 23. Luc. 1. 51. Rom. 1. 21. & 10. 6.

XXIV. *Objecta* verò *fidei materia*, *universalis* quidem, est solum, ac totum, Dei verbum, ad credendum propositum, ac Scripturâ sacrâ, omnino comprehensum [a]. Particularis verò, est *verbum reconciliationis* ac *verbum salutis* [b], seu Euangelium [c]: nempe doctrina Dei, de Jesu Christi, persona, & attributis illius, cum officiis, tum beneficiis [d].

a 1. Cor. 4. 6. 2. Tim. 3. 15, 16, 17. Act. 24. 14. & 16. 24, 27. Joh. 5. 39. 2. Pet. 1. 19. b 2. Cor. 5. 19. Act. 13. 26. c Marc. 1. 15. & 16. 15, 16. Rom. 1. 16. d Joh. 3. 16. & 17. 3. 1. Cor. 2. 2. & 3. 11 1. Joh. 5. 10. 11.

XXV. Cujus summa est; Jesum esse Christum, Filium illum Dei [a], unicum ac perfectum [b], omnium verè credentium, servatorem [c]. Hujusque objecti ratione, ut Euangelium, *lex* (hoc est doctrina) *fidei* [d], & *verbum fidei* [e]: sic vicissim, *fides Euangelii* [f], *fides in Deum* [g], & *fides Iesu Christi* [h] *fidesque Filii Dei* [i], & *scientia salutis* [k], *agnitio gratiæ Dei* [l], *agnitio Christi* [m], nominatur. Hæc de *fidei materia*.

a Matt. 16. 16. Ioh. 6. 69. & 11. 27. & 20. 31. Actor. 8. 37. 1. Ioh. 5. 1. b Ioh. 14. 6. Act. 4. 12. & 13. 38, 39. Heb. 9. 16. & 10. 14. 1. Ioh. 1. 7. c Ioh. 3. 16. Rom. 3. 25. & 4. 24, 25. 1. Cor. 1. 30. Heb. 2. 10. & 5. 9. & 10. 14. d Rom. 3. 27. e Rom 10. 8. f Phil. 1. 27. g 1. Thes. 1. 8. 1. Pet. 1. 21. h Rom. 3. 22. i Gal. 2. 20. k Luc. 1. 77. l Col. 1. 6. m Isa. 53. 11.

XXVI. *Forma* verò, est infusa, ac fructuosa, hujus objecti, per regenerationem, agnitio [a], veræ, de omnium credentium, eoque & sua, per Christum justitia, ac salute, persuasionis ferax [b]. Hac enim ratione, fides viva est, & à reliquis omnibus differt.

a Esa. 53. 11. Luc. 1. 77. & 8. 15. Ioh. 11. 12, 13. & 17. 3. & 20. 31. Act. 8. 37. & 26. 18. 19. Eph. 1. 17, 18. Phil. 3. 8. Col. 1. 9, 10. 1. Ioh. 5. 1. b Esa. 53. 5. Luc. 1. 47. Phil. 3. 9. Act. 15. 11. & 26. 18, 19. Rom. 5. 1, 2, 5. & 8. 15, 16, 32, 38. Gal. 2. 20. 2. Tim. 4. 7. 8. Heb. 3. 6. & 4. 16. & 10. 22. 1. Ioh. 3. 19. & 4. 16. & 5. 14.

XXVII. Nam licet aliqua illius, in quorundam reproborum fide, umbra appareat [a], veritas tamen desideratur. Quoniam & regenerationis gratiâ, & fertilitate destituitur [b].

a Heb. 6. 4, 5. b Luc. 8. 12, 14. cum 15. Heb. 6. 7, 8. Iac. 2. 26. Tit. 1. 16.

XXVIII. Atque hujus formæ, omnibus (ante & post Christum) fidelibus communis [a], ratione, *communis fides* [b], & *una fides* [c], appellatur: licet singulis fidelibus, sit sua [d], ac propria; cum mensuræ, tum effectorum, accidentibus, in se, & inter se, dispar ac varia [e].

a Act. 10. 43. & 15. 9, 11. Rom. 4. 23, 24. 2. Cor. 4. 13. Gal. 3. 8, 9. Heb. 11. 39, 40. b Tit. 1. 3. c Eph. 4. 5, 13. 2. Tim. 1. 5. d Hab. 2. 4. Iac. 2. 18. e Rom. 12 3. & 14. 12. 1. Cor. 12. 11. Eph. 4. 7, 16. 1. Thes. 3. 10. 2. Thes. 1. 3.

XXIX. *Finis* porro *fidei summus*, est Dei redemptoris gloria. Quæ *partim*, ab ipso Deo est; quando fidem, cæcis & adversariis suis (secundùm fœdus novum, propter Christum) donando, veritatis, justitiæ, gratiæ misericordis, & potentiæ suæ, virtutes, fidelibus patefacit [a]: *partim* à fide donatis; quum hasce Dei virtutes, in se, & in aliis, grata mente animoque, & lingua, factisque, concelebrant [b].

a Luc. 1. 77, 78, 79. Joh. 3. 33. Eph. 1. 18. 19. & 2. 7, 8. & 3. 10, 12, 18, 19. Rom. 3 26. & 5. 8. & 10. 19, 20. 1. Tim. 1. 16. 2. Pet. 1. 3. b Joh. 3. 33. 1. Pet. 2. 9. 2. Thes. 1. 3. & 2. 13.

XXX. *Subjectus* verò huic *finis*, ac fructus organicus (unde inprimis fidelium *fides* ἰσότιμος *æquè pretiosa* [a], dicitur) est unio cum Christo [b], & communio justitiæ illius [c]: quæque ex hac fluunt, justificatio [d], adoptio [e], vitaque æterna [f]. Quorum organum, est fides operans: non per se, seu insita vi sua (ut instrumenta naturæ, & artis) neque merito suo (quia Deo debita est, &, ob carnis residuæ contagionem [g], imperfecta) sed, per accidens gratiæ, & promissionis divinæ, & potentiæ Spiritus Sancti [h]. Hactenus de *causis*.

a 2. Pet. 1. b Joh. 6. 56. 2. Cor. 13. 5. Gal. 2. 20. Eph. 3. 17. Col. 2. 7. 1. Joh. 5. 20. c Phil. 3. 9. Rom. 5. 17, 18, 19. 2. Cor. 5. 21. d Gal. 2. 16. Act. 10. 43. & 13. 39. & 26. 18. Rom. 3. 22. e Joh. 1. 12, 13. Gal 3. 26. f Joh. 20. 31. 1. Pet. 1. 5, 9. Heb. 5. 9. & 10. 38, 39. g Gal. 5. 17. Eph. 1. 17, 18. h 1. Cor. 12. 13.

XXXI. *Effecta* verò fidei (quæ vi sua, & divina ope [a], producit) *primùm* quædam sunt *propria* ac *propinqua*: partim *immediatè*, è forma illius, fluens, viva Euangelii, de fidelium omnium salute, credendi actio [b]: partim *mediatè* consequens, fidelis cujusque, de salute sua, per Christum, certa persuasio [c]. Quæ vulgo (ut interdum, in S. literis [d]) per catachresin, *fiducia*, dici solet.

a Joh. 15. 5. Phil. 1. 9, 10, 11, 29. b Rom. 4. 5. & 10. 10. c Gal. 2. 16, 20. Rom. 8. 16, 37, 38. Act. 15. 11. 2. Cor. 4. 13, 14. Heb. 10. 22. d 1. Joh. 5. 14.

XXXII. Cujus certitudo, licet Dei verbo, non sit nominatim expressa: ex illius tamen, de fide, doctrina, atque fidei sensu (tanquam vero certoque, practicæ ratiocinationis, antecedente) solidè concluditur. Euangelium enim, *Propositionem* illius, protendit, *divini testimonii* [a] auctoritate, firmatam; Quicunque viva fide, Euangelio Dei, de gratuita, omnium verè fidelium, justificatione ac salute, per Christum, credit, justificatus est ac servabitur [b]. *Assumptionem*, certa conscientiæ, de hujusmodi fide, experientia, dictat; Ego ita credo [c]. Unde hanc *conclusionem* necessariam, deducit; Ergo justificatus sum, ac servabor. Quod, spiritus ac conscientiæ fidelium, testimonium, ac judicium, consona Sp. Sancti testificatio, in animis ipsorum (arrhæ ac sigilli instar, accedens) sigillatim obsignat [d].

a 1. Cor. 2 1. 1 Joh. 5. 9, 10, 11. b Joh. 3. 16. & 20. 31. Rom. 8. 30. & 10. 10. Gal. 5. 6. c 1. Tim. 1. 16. 2. Tim. 1. 12. Rom. 8. 16, 38. 2 Cor 4. 13. & 13. 5. Act. 8 37. Heb. 10. 39. 1. Joh. 3. 19. d Rom. 8. 16. Eph. 1. 13.

XXXIII. Veruntamen hæc fidei actio, *propria* quidem est, sed non perpetua. Siquidem interdum carnis, mundi, Sathanæ, tentationibus (quibus, vel Propositionis illius, ab Euangelio statutæ, vel *Assumptionis* conscientiæ, memoria,

obnubilatur) infirma fit, aut ad tempus supprimitur; sed nunquam extinguitur [a]. Quemadmodum etiam Spiritus Sanctus, fidelium peccatis castigandis, provocatus obsignationem fidei, ac consolationem suam, aliquamdiu ad seriam resipiscentiam, differt, sed non aufert penitus [b]. Atque hæc de *effectis propriis.*

a Psal. 30. 7, 8. & 4. 2, 6. & 73. 2, 22. cum 17. Matt. 14. 30, 31. & 26. 72, 74. b Psal. 51. 12, 14. Eze. 36. 27.

XXXIV. *Communia* deinde, ac *remota fidei effecta*, sunt charitatis, spei, ac fiduciæ in Deum, opera [a]. Quæ proximè quidem, ab insita, hisce virtutibus potentia, promanant [b]; remotè verò, à fide viva, salutiferam Dei, per Christum, gratiam, oblatam ac creditam (tanquam efficacissimum, ad actiones earum producendas, argumentum ac stimulum [c]) objiciente, oriuntur. Unde *fides*, *per charitatem*, *efficax* [d], & *rerum speratarum hypostasis* [e], seu sustentaculum, appellatur: & fiducia Christiana (quia est *intrepida animi*, *adversus objecta pericula*, *ex fide gratia atque auxilii Dei*, *audentia* [f]) fidei proles, statuitur [g]. Hæc, de *effectis*, generatim.

a Ioh. 6. 68, 69. 1. Tim. 1. 5. Rom. 4. 17, 18. & 5. 2. b 1. Cor. 13. 4, 5. Rom. 8. 25. Eph. 3. 12. Heb. 4. 16. c Eph. 5. 2. Rom. 4. 17. 18. & 5. 5. Heb. 4. 14. cum 15. & 16. d Gal. 5. 6. e Heb. 11. 1. f Psal. 23. 4. & 43. 5. Heb. 4. 16. g Eph. 3. 12. Heb. 3. 6. & 4. 16. & 10. 22, 34, 35.

XXXV. Adjunctum denique, hujus fidei, certum, est illius, per Dei gratiam, & potentiam, ad finem vitæ, sed gradibus dispar, conservatio ac perseverantia [a].

a Luc. 8. 15. Joh. 10. 27, 28, 29. Rom. 8. 28. 30. 1. Pet. 15. 9. 1. Joh. 3. 9. & 5. 18.

DISPUTATIO XXIV.

DE ARTICULORUM FIDEI APOSTOLICÆ, ET FIDEI ECCLESIÆ ROMANÆ, REPUGNANTIA.

Non alienum, ab instituto nostro, existimamus, si nonnulla subinde, discutienda interponamus: quæ partim ad errorum confutationem, partim ad veritatis illustrationem, varietate quadam, pertinere videbuntur. Qualis jam erit, de Articulorum fidei Apostolicæ, *&* fidei Ecclesiæ Romanæ, repugnantia: *ut inde perspicuè constet*, Pontificiam, *de religione*, sententiam, *non solùm divina* operum *legi*, *Decalogo tradita*, *è diametro adversari: sed etiam* doctrinæ fidei, *Euangelio, & Symbolo Apostolorum, summatim comprehensæ, adversâ fronte repugnare: ideoque, non Apostolicam, sed* Apostaticam *jure meritoque appellandam. Qua in re tractanda, non omnia (ne brevitatis modum excedamus) sed quædam deligemus.*

THESIS I.

PRimus enim *articulus fidei* est, ut *in Deum Patrem, omnipotentem credamus*: hoc est, in eo, fiduciam ac spem omnem, non autem in ulla creatura, ponamus [a]: ut qui solus Deus [b], solus omniscius [c], solus omnipotens [d], solus invocandus [e]. *Contra* verò *Pontificiorum fides*, ab Apostolica hac *deficiens*, hanc propriam Dei gloriam, suis sanctis, inprimis virgini Mariæ, his verbis adscribit; *In te Domina speravi, non confundar in æternum, &c. Tu es fortitudo mea & refugium meum* [f]. *Miserere mei Domina: miserere mei. Tu enim es lux & spes, omnium confidentium in te* [g]. *In te, dulcis Maria, confidimus: in te, clementissima Domina, speramus: defende nos, in æternum, Amen. Te decet laus: te decet imperium: tibi virtus & gloria, in secula seculorum, Amen* [h]. Observandum, nos in citatione Psalterii Mariæ, sequi editionem Constantiensem, anni M. DC. XI. episcopi auctoritate præmissâ, commendatam.

a Jer. 7. 5, 7. b Joh. 17. 3. c 1. Reg. 8. 39. Jes. 63. 16. d 1. Tim. 6. 15, 16. e Mat. 4. 10. f Psalter. Mariæ, Psal. 30. g Ibid. Psalm. 46. h Ibid. Cant. ad Psalm. 3.

II. *Secundus fidei Apostolicæ articulus* est, quo *creditur in Iesum*, hoc est, mundi servatorem [a]: & quidem perfectum [b], ac solum. Quia *non est in alio ullo salus. Nec enim aliud est nomen, sub cœlo hominibus datum, per quod nos oporteat servari* [c]. Contrà *Pontificiorum fides apostatica*, aliud nomen componens sic ait: *Agnosce Dominam nostram, salvatricem tuam* [d]. *Domina mea, salvatrix mea* [e].

a Joh. 4. 42. 1. Joh. 4. 14. Mat. 1. 21. b 1. Joh. 1. 7. & 2. 2. Rom. 5. 17, 18, 19, 21. Heb. 9. 26. Eph. 1. 23. c Act. 4. 1. d Psal. Mar. Psal. 133. e Ib. Cant. ad Psalm. 28.

III. *Deinde* eodem articulo, creditur in Jesum *Christum*, hoc est, unicum Dei & hominum mediatorem [a] atque advocatum [b], propitiatorium [c]: qui solus, via ad Patrem [d]: quique omnes laborantes, ad seipsum (ut salutis & vitæ æternæ fontem [e]) vocat [f]. Contra *Ecclesiæ Romanæ fides*, hoc proprium Christi officium, virgini Mariæ ita attribuit; *Talem tibi dedit Mediatricem Deus tuus* [g]. *Maria advocata nostra: Maria propitiatorium universæ terræ: Maria Dei & hominum Mediatrix* [h]. *Omnes sitientes, venite ad illam: & de fonte suo, gratanter vos potabit. Ex quo qui haurit, saliet in vitam æternam: & qui ex eo bibit, non sitiet unquam* [i]. *Venite ad eam omnes, qui laboratis, & tribulati estis: & refrigerium dabit animabus vestris* [k].

a 1. Tim. 2. 5. b 1. Joh. 2. 1, 2. Heb. 4. 15, 16. & 7. 25. Rom. 8. 34. c Rom. 3. 25. 1. Joh. 2. 2. & 4. 10. d Joh. 14. 6. e Joh. 4. 14. & 7. 37. f Joh. 7. 37. Mat. 11. 28. g Ps. Mar. Psal. 28. h Ibid. in Litania p. 356. i Ibid. Ps. 81. k Ib. Psal. 2.

IV. Denique *eodem* etiam *articulo*, fides Apostolica, *Iesum Christum*, *Dominum nostrum*, agnoscit, & quidem solum. *Unus enim Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & nos per ipsum* [a]: cui, *in cœlo & in terra*, *potestas data* [b]. Contrà verò *Ecclesia Romana*, ab eo *deficiens*, virginem Mariam, sic invocans compellat; *Tu Angelorum Domina* [c]. *Tibi omnes Angeli & Archangeli: tibi omnes principatus, humiliter serviunt* [d]. *Diligam te, Domina cœli & terræ* [e]. *Eripe me, de inimicis meis, Domina mundi* [f].

a 1. Cor. 8. 6. Eph. 4. 5. b Mat. 28. 18. c Psalt. Mar. cant. ad Psal. 3. d Ib. e Ib. Ps. 17. f Ib. Ps. 58.

V. *Tertio* fidei Apostolicæ *articulo* creditur, Christum *conceptum esse ex Spiritu Sancto*: eoque solum sanctum [a]: reliquos verò homines universos, conceptos in peccatis & natura iræ filios [b]: ac peccasse ad unum omnes [c]. Contrà verò *Pontificiorum fides*, ab hoc articulo *deficiens*, Mariæ & conceptionis, & totius vitæ perfectam ac perpetuam sanctitatem, ita eam invocando, profitetur; *Maria sine peccato concepta* [d]. *Per immaculatam conceptionem tuam: per sanctam nativitatem tuam, libera nos virgo gloriosa* [e]. Atque ita eam, quæ piè, se Servatorem habere, agnoscit [f]: nec servatore Christo, nec oratione Dominica (utpote peccati omnis expertem [g]) opus habuisse, impiè statuunt.

a Luc. 1. 35. Heb. 4. 15, 16, & 7. 26. b Psal. 51. 7. Ioh. 3. 5, 6. Eph. 2. 1, 2, 3. c 1. Reg. 8. 46. Rom. 3. 10, 23, 24. Iac. 3. 2. 1. Ioh. 1. 8, 10. d Psal. Mar. Litan. p. 347. e Ib. p. 359. f Luc. 1. 47. g Bellar. in Catechis. Papæ Clementis 8. Bulla confirmato cap. 5.

VI. Deinde, multo majori sacrilegio, à *Papa Romano Sixto quarto*, anno M. CCCC. LXVI. hæc *apostatica*, de conceptionis virginis Mariæ sanctitate, *fides*, peculiari festo, fuit consecrata [a]: quum de ea re, & ante, & postea acerrimè inter Pontificios sit concertatum. Adeo ut diversorum ordinum Prædicatores, etiam hoc festo instituto, annis plus quàm septendecim, *quotidie prædicare non cessarent*, eam, de Conceptione V. Mariæ, sine peccato originali, sententiam tenentes, aut asserentes, esse hæreticos: graviterque peccare, qui ejusmodi officium (à Papa institutum) celebrarent [b].

a Extravag. commun. lib. 3. de reliq. & vener. sanctorum, cap. 1. & 2. b Ibid. cap. 2.

VII. *Quar-*

VII. *Quartus* fidei Apostolicæ *articulus*, Christum *sub Pontio Pilato passum, crucifixum, mortuum & sepultum, descendisse ad inferos, tradit.* Quo, (Scripturâ sacrâ indice) non solùm corpore, sed etiam anima rationali, dolores inferni perpessum [a], denotatur. Contrà verò *Romanæ Ecclesiæ fides* ab ista Apostolica *deficiens*, Christi passionem, pro nobis debitam, ita mutilat, ut eam quidem, corpori & sensibus, tribuat: sed anima rationali quicquam perpessum esse mali, in horto aut in cruce, apertè neget: ut Doctores ac Sancti, apud Pontificios, testantur [b].

a Ies. 53. 11. Mat. 26. 37, 38. Act. 2. 24, 27. Heb. 5. 7. b S. Thom. Aquin. par. 3. qu. 46. art. 7. & 8. Thom. ab Argent. in 3. sent. dist. 15. art. 3. &c.

VIII. Imo crassiori contradictione asserunt, Christum, inde à conceptione, futuram animæ suæ, in vita æterna, gloriam non sperasse; sed eadem, perpetuò sibi præsenti, fuisse beatam [a]. Ita ut in cruce quidem, summos corpore & sensibus cruciatus, sustinuerit: anima verò rationali, non solùm eorum fuerit expers, sed etiam summo, ex vitæ æternæ fruitione, gaudio fuerit plenus [b].

a Th. Aq. par. 3. q. 46. art. 7. Melchior Canus locor. commun. l. 12. cap. 14. b Th. Aq. par. 3. q. 46. art. 8. Thom. ab Arg. sent. 3. dist. 15. art. 3.

IX. Denique turpi commento, tradunt Christum, in infernum (quem in quatuor specus, *imum*, damnatorum: *proximum* ei, Purgatorium [a]: *tertium*, infantum non baptizatorum: *summum* denique, limbum Patrum, ridiculè & impiè distribuunt) descendisse & damnatos terruisse: Purgatorii animas, futura tandem liberatione, consolatum: Patres verò ac sanctos, ante Christum mortuos, ipsumque exspectantes, è limbo exemptos, secum in cœlum transtulisse fingunt [b].

a Cost. lib. Societat. lib. 5. p. 441. limbum infantum inferius Purg. ponit. Bellarm. catechis. c. 3. exp. 5. art. fidei. b Ibidem.

X. Quumque promissionem latroni factam; *Hodie mecum eris in paradiso* [a], figmentis hisce obstare, animadverterent, ad infernum impie accommodarunt. Ita enim, ait Jesuita: *Sic inferni loca perlustravit, ut tenebrosum carcerem, in Paradisum converterit, juxta illud, quod latroni dixerat; Hodie mecum eris in Paradiso* [b].

a Luc. 23. 43. b Costerus pag. 442. libri societatis à Papa Greg. 13. diplomate & indulgentiis, anno 1577. approbati.

XI. *Sextus* apostolicæ fidei *articulus* est: quod Christus *ascendit in cœlum.* Quo indicatur, passione sua ac morte penetrasse in cœleste gaudium & gloriam [a]. Deinde quod ibidem *sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis*, & quidem solus [b]: adeo ut ipsi tanquam regi, omne genu flectatur [c]. Contra verò *apostatica Ecclesia Romanæ fides est: Primò, quod* (ut ajunt) *Christi anima, ab initio perfectè beata, nihil accidere potuerit majoris gloriæ* [d]. *Secundò* quod hanc propriam Christi gloriam, virgini Mariæ, communicant: quum, & *reginam cœlorum* [e] vocant, atque ita invocant; *Tu, cum filio tuo, sedes ad dexteram Patris* [f]. *In nomine tuo, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum* [g].

a Luc. 24. 26. Heb. 2. 9. & 12. 2. b Heb. 1. 13. Rom. 14. 11. Phil. 2. 10. d Th. Aq. par. 3. q. 34. art. 4. e Papa Sixtus IV. extrav. com. l. 3. de reliq. c. 1. f Psalt. Mar. cant. ad Pf. 3. g Ib. cant. ad Psal. 5.

XII. *Septimo*, fidei apostolicæ, *articulo*, creditur Christum, *inde venturum, ad judicandum vivos & mortuos.* Quo (ut sacræ literæ etiam docent) satis clarè indicatur, corpus Christi, post ascensionem, in cœlo esse, ac manere ad ultimum usque judicium: non autem esse in terris [a], nec in ea fore, ante ultimum diem [b]. Contrà verò, *apostatica*, Romanæ Ecclesiæ, *fides* est, corpus Christi, è cœlo indies descendere, seque sacrificulis sistere in Missa præsens [c]: rursumque in cœlum, Angelorum ministerio, referri; quemadmodum in Canonis Missæ precatione, traditur: ut reliqua interim absurda omittamus.

a Col. 3. 1. 2. Matth. 24. 26, 27. Iohan. 12. 8. b Actor. 1. 11. & 3. 21. c Francisc. conformitatum. lib. 1. c. 7.

XIII. *Nono*, Apostolicæ fidei, *articulo* bimembri, credimus primùm, *Ecclesiam sanctam, catholicam:* cujus Christus, tanquam domus suæ [a] spiritualis [b], universale fundamentum est unicum [c]: & tanquam corporis sui [d], uno eodemque Spiritu, per fidem sanctificati, & uniti [e], unicum est caput, servator, unusque Dominus [f]. Contrà *apostatica* Pontificiorum *fides*, ut sanctam & catholicam hanc Ecclesiam, cum profana ac particulari Romana Ecclesia, confundit: sic alterum ei caput vicarium, Pontificem Romanum, monstrosè affingit: eique in universos mortales, etiam orbis monarchas, potestatem adscribit. Qua de re Papa Bonifacius octavus, sic statuit: *Subesse Romano Pontifici; omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, diffinimus, & pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis* [g]. Cui similis labri Glossa subjecta ait: *Christo data erat omnis potestas, in cœlo & in terra, Matth. 28. ergo summus Pontifex, qui est vicarius, habebit hanc potestatem.* Atque hæc de *primo*, octavi articuli, *membro.*

a Heb. 3. 6. b 1. Pet. 2. 5. c 1. Cor. 3. 11. Eph. 2. 20, 21, 22. d Col. 1. 18. 1. Cor. 12. 27. e 1. Cor. 12. 13. & 6. 11, 17. Eph. 3. 16, 17. & 4. 4, 16. & 5. 30, 31, 32. f Ephes. 4. 15. 16. & 5. 23. Act. 4. 12. Eph. 4. 5. g Extravagant. commun. l. 1. de major. & obed. cap. unam.

XIV. Alterum est, quo credimus *sanctorum communionem*, eamque (ut Scriptura docet) duplicem: *unam*, cum Christo [a]: *alteram*, inter se mutuam [b]. *Cum Christo*, quod omnes & singuli verè fideles, tanquam viva corporis illius Ecclesiæ catholicæ, sub eodem capite, membra, illius & omnium salutarium beneficiorum, sint participes [c].

a 1. Ioh. 1. 3. b Ibidem. c 1. Cor. 1. 30. Eph. 4. 4. 5.

XV. *Deinde inter se*, quod singuli sua, quæ acceperunt, à capite communi, dona, ad communem corporis ipsius seu Ecclesiæ, utilitatem conferre teneantur [a]. Ita tamen, ut quisque non aliena, sed *sua fide vivat* [b], bonaque fidei, charitatis ac spei opera, operantis sint propria, non aliis communia: multò minus, ut pro aliorum pœnis temporalibus, sua dignitate redimendis, sint idonea.

a Rom. 12. 5, 6, 7, 8. 1. Cor. 12. 25, 26, 27. Eph. 4. 8, 12, 25. Hab. 2. 4. b Ezech. 18. 20. 30. 2. Cor. 5. 10. Gal. 6. 5.

XVI. Contrà verò *apostatica*, Romanæ Ecclesiæ, *fides* est, hanc communionem sanctorum, in eo consistere, quòd *omnia bona opera sint communia* [a]. Adeo ut *Christianorum etiam remotissimorum atque ignotorum, Missæ, preces, divina officia, aliaque bona opera, nos juvent. Neque hanc communionem solam esse in his terris: sed etiam Missas, preces, & bona opera, iis qui in Purgatorio sunt, opem ferant. Deinde preces eorum, qui sunt in cœlo, & nobis, & animabus in Purgatorio, esse adjumento* [b]. Hæc de *nono.*

a Bellarm. Catechis. cap. 3. expos. 9. art. b Ibidem.

XVII. *Decimo*, fidei apostolicæ, *articulo* credimus, remissionem peccatorum. Quod Deus solus auctoritate suâ omnibus verè fidelibus, pœnas universas, peccatis ipsorum debitas, propter Christi solius satisfactionem, fide viva perceptum, gratis condonet [a]. *Deinde* quod hujus condonationis annuntiandæ, non liberam potestatem; sed verbi divini præscripto, definitum ministerium, Apostolis, aliisque Euangelii præconibus, commisit [b].

a 1. Iohan. 1. 7. Rom. 3. 24, 25. & 8. 1. b Marc. 16. 15, 16. Ioh. 20. 23. Matth. 18. 17, 18.

XVIII. Contra, *apostatica*, Romanæ Ecclesiæ, *fides* hæc est; *Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri, dixerit, ut nullus remaneat reatus, pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit* [a]. Item; *Quod temporalibus flagellis, à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Christum Iesum, satisfacere valeamus* [b].

a Concil. Trid. Ses. 6. can. 30. b Ibid. Sess. 14. c. 9.

XIX. Quibus accedit, impium hoc, Papæ *Bonifacii Octavi*, decretum; Pontificem Romanum, *Apostolicæ potestatis plenitudine*, suis indulgentiis, *plenissimam, peccatorum omnium, concedere veniam* [a]. Deinde Papam, hanc remissionem peccatorum largiri è thesauro Ecclesiæ, ex Christi & sanctorum meritis, conflato: ut Papa *Clemens sextus*, summa impietate, decernit, & ait; *Eum thesaurum, per beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationalibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter (prout, cum Deo, expedire cognoscerent) verè pœnitentibus & confessis, misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, beatæ Dei genitricis, & omnium electorum, à primo justo, usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur* [b].

a Extravag. commun. lib. 5. de pœnit. & remiss. c. 1. b Ibid. c 2. unigenit.

XX. *Duo-*

XX. *Duodecimo*, apostolicæ fidei *articulo*, credimus nos, cum omnibus vera fide præditis, secundùm Euangelii promissionem, vitam æternam [a], dono Dei, per Christum consecuturos [b]: contra verò *apostatica* Pontificiorum *fides*, vitam æternam, bonis operibus nostris esse promerendam [c]: & certam illius fiduciam, esse noxiam temeritatem passim tradit, ac spem salutis dubiam in ejus locum statuit. *Quum nullus (inquit) scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum* [d]. Atque hactenus speciem vidimus *repugnantiæ* manifestæ, *inter Apostolicam*, & *Romanæ Ecclesiæ fidem*: unde hanc *apostaticam* esse, constare potest. Ideoque omnibus quibus salus est curæ, hâc tanquam peste vitatâ, apostolica fides amplectenda.

a Marc. 16. 16. Ioh. 3. 36. & 5. 24. & 6. 35. 3. 9. 10. 58. b Rom. 6. 23. Eph. 2. 8. c Concil. Trident. sess. 6. can. 32. d Ibid. c. 9.

DISPUTATIO XXV.

DE HOMINIS, CORAM DEO, PER CHRISTUM, JUSTIFICATIONE.

QVum recta doctrinæ, de Iustificatione hominis, coram Deo, per Christum, notitia ad Iustitiam & salutem fidelium, necessario pertineat [a] *(ideoque sinceritatem illius* ἀντίδικος *noster* [b] *Diabolus, hominibus partim ambitiosè impiis, partim minus attentis abusus, variis artibus inficere & extinguere, inde à Christo* [c] *& antea, sit molitus, nostroque (proh dolor!) ævo, in Ecclesiæ viscera, imo & visceribus similiter grassetur* [d]*) non absre fore speramus, si veritati stabiliendæ, & ad cautionem utilitatemque Academiæ, hanc doctrinam, certis thesibus examinandam, ab hypothesibus exorsi, proponamus.*

a Esa. 53. 11. Ioh. 17. 3. Rom. 10. 3. Gal. 5. 4. b 1. Pet. 5. 8. c Act. 15. 1. 2. Cor. 11. 3, 13. Gal. 3. 1. d Per Pontificios A. Osiandrum, Claudium Albertinum, hinc Apostatam Cornhartum, &c.

HYPOTHESIS I.

IUstificare, vox Glossario veteri * nota, non in Latio, sed in Ecclesiâ nata, exprimendæ voci Hebrææ צדק aut הצדיק, & Græcæ δικαιόω, *justum facere* significat: ideoque hæc duo complectitur. I. *Iustum*. II. *Facere*. De quibus nonnulla rei declarandæ, præmittemus.

* Ab Henrico Stephano edito.

II. *Iusti forma* est Justitia (unde & pro justo metonymicè *Iustitia* [a]) quæ à jure (quod à jusso, ut jura olim *jussa* [d] deducunt) orta, Hebraicè צדק: Græcè δικαιοσύνη (& interdum synecdochicè δικαίωμα [c]) cujus à δίκη id est jus, prima origo: quod acutè, & ad rem concinnè Arist. [d] à δίχα, propter æqualitatem, (ut & Apostolus [e] τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα exegeticè copulat) alii à צדק, per aphæresin, *derivant*.

a Esa. 41. 2. 2. Cor. 5. 21. b Festus de Verb. c Rom. 5. 18. d Nicomach. lib. 5. c. 4. e Col. 4. 1.

III. *Iustitia hominis* est bonitas [a], ex officio, Deo debito [b], rectæ rationi ac jure divino consentanea [c].

a Gen. 1. 17. 33. Matth. 12. 35. Luc. 23. 50. b Luc 17. 10. Rom. 13. 8. d Deut. 9. 5. Prov. 14. 6. Esa. 26. 7. 2. Paralip. 30. 20.

IV. *Recta* autem *rationis* & *juris divini norma*, prima ac summa, est mens ac voluntas Dei, in cœlis: cujus revelatio & adumbratio nobis est, jussum ac lex Dei, in terris; officium Justitiæ (ex quo metonymicè, cum *voluntas Dei* [a] tum *Iustitia* [b], & *Iustitia Dei* [c] vocatur) mortem, (temporalem corporis, tum etiam animæ infinitam valore, aut compensatione quadam, ob finitam naturam nostram, infinitam duratione, id est æternam: ob infinitam Dei majestatem) severè & absolutè transgressori comminando [d], sanciens.

a Matth. 6. 10. & 7. 21. b Psal. 5. 9. Iac. 1. 20. c Psal. 119. 172. d Gen. 2. 17. Exod. 23. 7. Deut. 27. 26. Rom. 2. 2, 13. & 3. 31. & 6. 23. Gal. 3. 10, 12.

V. Cujus *mortis perpessio* (& quidem voluntaria ac sancta: alioquin reatus non tolleretur, sed nova ἀνομία augeretur [a]) non est ipsamet Justitia legis: ut quæ, innocentiâ & obedientiâ perfectâ, constet [b]: sed compensatione quâdam, seu, debiti culpæ & creditæ pœnæ inter se contributione, quasi pristinâ innocentiâ. Quare non simpliciter justum facit, ac salutis præmio dignum (quod ante peccatum, ob inchoatam tantùm duratione justitiam, definit [c]) sed à reatu absolutum, aptumque ad justitiam, & jus vitæ (quod solùm iis adest, quibus omnino ac perpetuo peccatum deest [d]) obedientia consequendum.

Ruit ergo πρῶτον illud, *detruncationis justificantis Iustitiæ Christi*, ψεῦδος *ac falsum fundamentum geminum, Pœna, pro inobedientia, merita perpessionem*; Item *remissionem peccatorum omnium, commissionis & omissionis, esse perfectam, ad salutem, justitiam. Illud* enim causa tantum est absolutionis à reatu: *Hoc* verò ipsa absolutio, ad innocentiam: neutrum perfecta Justitia; imo nec per se propriè Justitia: ut quæ & ἐννομία est, &, si à reliquâ universali justitiâ sit secreta, justitia non sit [e]. Eâdemque operâ secundi fundamenti appendix dejecta est. *Qui remissis peccatis, non est peccator* (hoc est reus peccati) *coram Deo, eum esse perfectè justum*. Nam inter utrumque esse potest innocentia & justitia imperfecta, saltem ratione durationis: ut in Adamo ante lapsum: qui nec Reus erat mortis, & necdum jus habebat ad vitam.

a Deut. 27. 26. Jac. 2. 10. b Deut. 27. 26. Ps. 34. 15. c Deut. 27. 26. d Levit. 18. 5. e Levit. 18. 5. Deut. 27. 26.

VI. Porro lex Dei, ab ipso, partim per imaginem Dei, naturæ ac menti indita & impressa, ac propterea *lex naturæ* recte [a] dicitur: partim postea, sermone edita ac promulgata. Atque hinc, metonymia formæ, ut peccatum ἀνομία [b], sic justitia τῇ ἀνομίᾳ contrariè opposita [c], ex hujus, & τοῦ ἐννόμου [d] potius (ut videtur) analogia, quàm ex usu, ἐννομία, vulgò appellatur.

a Rom. 2. 14, 15. b 1. Joh. 3. 4. c 2. Cor. 6. 14. d 1. Cor. 9. 21.

VII. Sed *lex Dei promulgata*, pro originis diversitate, alia est necessaria: alia arbitraria.

VIII. *Necessaria* quidem est, ex natura, cum gloriæ Dei, summi boni ac creatoris, tum hominis imagine Dei ac justitiâ naturali donati [a], simpliciter dependens, *lex charitatis* [b], quam *moralem* nuncupant: quæ *Decalogo* (exceptis substantiæ Sabbathi additis circumstantiis [c]) continetur, & solis obedientibus, vitam [d], non stricto debiti jure, sed pro sua liberalitate [e], addicit. Quam legem, pro se tantùm, singuli homines posteri, ad debitam perfectionis suæ curam, gratitudinem & Dei gloriam: pro se verò & suis posteris, humani generis (Adamus primus per generationem; Secundus, Christus, per regenerationem) stirpes [f], præstare potuerunt ac debuerunt, ex hypothesi promissionis [g], ad præmium vitæ æternæ. Ita ut illa obedientia, in stirpe considerata, communis usu esset, ratione ramorum: in ramis singulis verò applicata, singularis, pro ipsis, non pro aliis. Quo evertitur *falsum* illud *mutilationis justificantis justitiæ Christi, fundamentum* tertium; *quod quis pro se debet, illud pro alio quoque præstare non potest*: Et quartum, *quod pro alio præstitum, ad illud is non obligatur*. Stirpis enim & ramorum discrimen, & modus ac finis debiti diversitas (ut & passionis ac mortis Christi pro nobis, cum nostra consensionis exemplum [h]) omnem hic repugnantiæ speciem diluit.

a Mal. 1. 6. Exod. 20. 15. Esa. 42. 8. b Matth. 22. 40. Rom. 13. 10. c Col. 2. 16. d Deut. 27. 26. Levit. 18. 5. e Exod. 20. 6. Job. 35. 7. Luc. 17. 10. f Rom. 5. 14, 15. g Levit. 18. 5. h 2. Tim. 2. 11. 12.

IX. Præterea, ut *hac charitatis lex*, legis naturæ integræ expressio est; ita à lapsu corruptæ, correctio [a], & perfectæ *Iustitiæ*, Deo in natura & actionibus [b], tota vita, debitæ, *regula perpetua & necessaria* [c], ac sub utroque fœdere, per se immutabilis [d], & plusquam ἀρχιτεκτονική, ac quasi regina [e], reliquas generali suo imperio ac complexu continens [f].

a Deut. 12. 8. 12. Ps. 19. 8, 9. b Matth. 22. 38, 39. c Deut. 27. 26. & 12. 31. d Rom. 13. 8, 10. Gal. 3. 8, 10. e Jac. 2. 8, 9, 10. f Matth. 22. 40.

X. Ideo-

X. Ideoque *obligatio* illius, nec pœnâ[a], imo nec justitiâ nostrâ[b], dissolvi potest (quia Deus seipsum ac gloriam suam abnegare non potest[c]) imo & accedente justitiâ Dei (cum imputatâ, tum inhærente) augescit, magisque stringitur vinculum: quod tum Deo non solum, ut creatori sancto, communiter; sed etiam ut redemptori & sanctificatori, peculiariter, ad officium gratitudinis devincat[d].

Quare caducum est & *falsum illud* mutilationis justificantis justitiæ Christi *fundamentum* quintum, *Obligationem hominis esse, aut ad obedientiam, aut ad pœnam.* Nam nec ante lapsum, nec post restitutionem ac justificationem, ad alterutrum, sed ad alterum, seu prius tantum[e]; post lapsum verò ad utrumque. Ad prius necessitate, cum absolutè Dei creatoris & naturæ suæ[f]; tum relatè, ex hypothesi conditionis vitæ consequendæ[g]. Ad posterius, ex hypothesi, partim comminationis legis absolutæ ac justi judicii Dei, partim peccati sui[h].

Similiter tollitur falsi hujus fundamenti *falsa* hæc *appendix gemina. Cui obedientia vitæ Christi imputatur, ei mors illius non est necessaria, sed superflua:* & contra; *Cui mors imputatur, illi vitæ obedientia non est opus.* Nec enim hoc modo injustè, idem omnino, debitum exigitur bis, dum utrumque postulatur: sed duo debita, naturâ & re diversa: quorum solutio, ad unam bimembrem legis justitiam concurrit.

a Deut 27.26. Levit. 18.5. b Rom. 13.8. c 2. Tim. 2.13. Esa. 42.8. d Luc. 1.75. Rom. 6.20.22. 1. Cor. 6.20. Eph. 5.1, 2. 1. Pet. 2.5.9. e 1. Tim. 1.9. f Mal. 1.6. g Levit. 18.5. h Deut. 27.26. Exod. 23.7. 2. Thess. 1.5, 6. Rom. 2.2.5.

XI. Atque hujus legis solius *plena obedientia* (quæ *perfectione* & rei, seu partium, graduumque, & temporis constat: ut legis præcepta omnia, omnino, omnique tempore vitæ observentur[a]) in se & per se, citra gratiam & veniam, Deo accepta[b], & ex fœdere operum, digna est vita æterna[c]. Quare vulgò à Theologis, *justitia universalis*[d] absolutè: & *justitia personæ*[e], nominatur. Quam lex omnibus præcipit[f], nec in ullo mero homine in hâc vitâ invenit[g]; Euangelium verò credenti in Christum promittit[h], & Deus verè donat & imputat[i]. Ideoque re eadem, modo diversa, synecdochicè, & distinctè illo, *justitia legalis* (ut in sacris literis *Justitia ex lege, & per legem*[k]) hoc modo *justitia Euangelica, justitia fidei*[l], *& ex fide & per fidem*[m], *quæ ex Deo*[n] *& Donum Dei*[o] *& imputata*[p], ab Orthodoxis, non *putativa*, cum Pontificiis, dici solet.

Quocirca falsa est ista, ad peccati originis negationem, & vires liberi arbitrii extollendas, *Pelagianismi* Hypothesis; *Hominem suis viribus, Dei legem ipsi propositam, re perfectè in hâc vitâ, posse implere: & Semipelagianismi* (quem impudenter & impiè Socinus & Cornhertus *verum Christianismum*, reipsâ indigitant) *hominem renatum & posse & implere hic perfectè; non suis tamen, sed Spiritus Sancti viribus.*

Collabitur etiam sextum *falsum illud detruncationis justificantis justitiæ Christi fundamentum*, justitiam legis & justitiam Euangelii *essentia differre*: cum eadem sit; & materiâ obedientia Deo præstita: & formâ, universalis conformitas cum lege necessariâ.

a Deut. 27.26. Iac. 2.10. b Levit. 18.5. Rom. 4.4. & 10.3. c Rom. 2.13. & 10.5. d Deut. 6.25. Rom. 2.13. e Matth. 9.13. Act. 7.52. f Deut. 27.26. g Ps. 143.3. Iob. 4. 1. Reg. 8.46. Prov. 20.9. Matth. 6.12. Rom. 7.23.25. Gal 5.16.17. 1. Ioh. 1.8, 9. Iac. 3.2. h 2. Cor. 5.19. i Rom. 4.6, 11. k Rom. 10.5. Gal. 2.21. l Rom. 4.11.23. m Philipp. 3.9. n Ibid. o Rom. 5.15.17. p Rom. 4.6.

XII. Arbitraria verò Lex est, quæ, pro Dei arbitrio, hominem ad particularem aliquam obedientiam adstringit: Ideoque, lex divina positiva, opposita naturali, à Theologis appellata. Quales, sapienti Dei dispensatione, multæ leges positæ sunt, spectantes vel ad fœdus operum, ante[a], aut post[b] lapsum: vel ad gratiæ fœdus, partim ad tempus (idque aut certò μέχρι καιροῦ διορθώσεως[c], aut dispensatione quadam brevi, ad ædificationis necessitatem, impositæ[d]) partim perpetuò duraturæ[e].

a Gen. 1.29. & 2.16.17. b Gen. 9.3.4. & 17.10. c Gen. 17.10. Gal. 5.2, 3. Heb. 9.10. d Act. 15.28. e 1. Cor. 11.23.26. Rom. 3.27.

XIII. *Quarum legum observatio* justitia quidem est[a], sed, quia particularis, integram, Deo debitam, obedientiam non complectitur: nec universalis & perfecta justitia, nec absolutè ac per se[b], nec citra veniam in nobis Deo accepta, nec sine perfecta legis charitatis, seu, moralis, observatione, mereri vitam æternam, dici potest[c].

a Psal. 51.21. b 1. Sam. 15.22. Amos 5.21.22. c Deut. 27.26. Gal. 3.10.

XIV. Porro, ut à justitiæ norma, ad divisionem illius, progrediamur, justitia hominis, pro duplici suo objecto, habitu & actu, alia est *habitualis*, alia *actualis*: illa *hærens*, hæc *transiens*.

XV. *Habitualis* est durabilis animæ bonitas, quâ mente, voluntate, affectibus apta ac propensa est, ad legis Dei obedientiam. Eaque vel insita, vel acquisita. Insita quidem est, quæ infusa divinitùs, formatione ad imaginem Dei, sive per creationem primam (quæ *justitia* propterea *originalis* dicitur) naturalis ac perfecta[b]: sive per creationem[c] secundam & regenerationem, supernaturalis ac perficienda[d]. *Illa*, à nobis debita, ratione non ortus; quâ Dei beneficium, & principium ac facultas justè vivendi: sed conservationis; quâ officium nostrum ex beneficio accepto profluens, & justitiæ universalis fundamentum ac prima pars: *Hæc* verò, & quidem perfecta, debita est creationis jure, ratione utriusque cum ortus, conservationis (eoque lege exigitur[e]: & contrariis illius defectus, inimicitiæ adversus Deum, & inobedientiæ in legem & peccati nomine accusatur[f]: & mortem efficere dicitur[g]) etsi re à Deo detur dono, gradu hîc inchoata. *Acquisita* verò est, quæ crebris actionibus, Deique præsidio, ex insitâ justitiâ derivatis, orta[h].

a Gen. 1.27 31. Eph. 4.24. b Gen. 1.27.31. c Eph. 2.10. d Eph. 4.16. 24. Col. 3.10. Tit. 3.5, 6. e Deut. 10.12.16. Rom. 7.7. f Ierem. 9. 26. Act. 7.51. Rom. 8.7. Psalm. 51.7. g Rom. 7.13. & 8.8. Eph. 2.3. h Psal. 131.9. Prov. 1.2.

XVI. Utraque rursus habitualis justitia, relatè ad suum genus, est, aut particularis, aut universalis. *Particularis*, quæ *aliqua* tantum: aut *una virtus*, & quidem vel quævis promiscuè (sive Deum, sive proximum spectans) vel certa ad officium erga proximum pertinens virtus, suum cuique, distributione vel commutatione, tribuens[a]. In quâ, cùm excellent, & *veritas*[b], & *eleemosyna*[c], κατ' ἐξοχὴν relatè *justitia* dicuntur. *Universalis* verò est cunctarum virtutum inhærentium chorus.

a Exod. 23.8. Levit. 19.36. Esa. 1.21.26. & 5.7. Matth. 20.4.7. b Ps. 52. 5. & 58.2.4. & 119.40. Esa 46.15. c 1. Cor. 9.10.

XVII. *Actualis* verò *justitia* est bonitas actus, orta ex habituali, justitiâ, juri divino consentanea[a]. Quæ pro suâ origine, seu habituali ἀναλόγως perfecta est, vel imperfecta: Illa, quæ ex habitu perfecto: hæc, quæ ex imperfecto. Et utraque rursus, relatè ad suum genus, vel particularis, vel universalis. *Particularis*, quæ *aliquot* tantum *actionum*; unde synecdochicè, si pleræque adsint, ut rectè Basilius[b], vocantur *justi*[c], aut *unius* (quæ *justitia operis* dicitur, ut & bona opera, *justitia*[d]) sive *cujusvis* promiscuè, sive distinctè justitiæ particulares dictæ[e]. Ex quo, & *justitia causæ controversæ*[f], vulgo trita & civilis & externa vitæ integritas, vera[g] synecdochicè, nec fucata[h] metaphoricè justitia nominatur. *Universalis* verò justitia est omnium actionum. Atque hæc de *justitia* & *justo.*

a Phil. 1.11. 1. Ioh. 3.7. b Sermone de pœnit. c Prov. 10.7. Matth. 23.29. Apoc. 22.11. d Deut. 24.13. Psal. 11.7. & 15.2. & 106.31. e Gen. 30.33. Levit. 19.15.36. 2. Sam. 8.15. Psalm. 103.6. f Psalm. 9.6. 2. Paral. 6.23. Esa. 5.23. g Iob. 34.5. h Esa. 57.12. Ezech. 3.20. & 8. vers. 26.

XVIII. Alterum, quod justificandi voce continetur, est Facere. Quæ vox, ut sæpius efficere, sic non raró, tam sacris, quam profanis auctoribus, judicare[a] metaphoricè significat: potissimum cùm in formatione vocis, non exprimitur, sed potestate includitur. Quod ex usu frequentiori Hebræarum vocum צרק aut הצריק & græcè δικαιοῦν, quas justificare (sed צרק justum esse re[b]: aut judicio vel aliena[c] & δικαιοῦσθαι ac justificare se aut justificari) interpretantur. Deinde ex synonymis, & ex contrariis הרשיע[d] quasi impiare & ἐγκαλεῖν καὶ κατακρίνειν[f], in sacris literis elucet. Hactenus hypothesis, sequitur.

a Matt. 12.33. 1. Ioh. 1.10. & 5.10. b Gen. 38.26. Iob. 34.5. & 35.7. c Iob. 9.29. Gal. 5.4. d Psal. 143.3. cum LXX. interpret. & Gal. 2.16, 17. Psalm. 51.6. cum Rom. 3.4. Esa. 4.3.9. e Iob. 9.20. & 40.3. f Rom. 8.33, 34. & 5.18.

THESIS I.

HArum enim *vocum significatio* in Sacra Scriptura genere tantum est triplex. *Prima, justum judicare* (LXX[a] δίκαιον κρίνειν) mente[b] (ut δικαιοῦν Suidas δίκαιον νομίζειν, & Glossarium vetus, æquum censere) vel sermone[c], absolutè[d]

tè[d] vel relatè ad accusationem ac contrariè condemnationi[e]: Cui synonymum est (servatâ, ritus standi in judicio coram tribunali[f], metaphorâ) alicujus justitiam statuere[g]: ut etiam justitiam dare[h] (cui adversum *justitiam removere ab aliquo*[i]) imputare justitiam[k]. Et justificari similiter, *constitui justum*[l], *fieri justitiam*[m], *justum esse in oculis alicujus*[n], & *apud aliquem*[o].

a Psal. 17. 15. b Psal. 143. 3. Luc. 18. 14. Rom. 4. 5. 1. Cor. 6. 11. c Deut. 25. 1. Matth. 11. 19. cum Luc. 19. 35. d Rom. 4. 2. e Rom. 2. 12, 13. & 5. 16. 18. f Esa. 50. 8. Matth. 25. 33. Iud. 24. g Rom. 10. 3. h Iob. 36. 3. i Esa. 5. 23. k Rom. 4. 6. 11. l Rom. 5. 19. m 2. Cor. 5. 21. n Iob. 32. 1, 2. o Rom. 2. 13.

II. *Altera* effecti metonymia, *justum ostendere*[a], aut specie[b]: absolutè facto, aut per catachresin, innocentiæ comparatione[c]. *Tertia* per Metaphoram, à similitudine, reum absolvendi, petitam, *liberare*, & ab adversario vindicare[d]. Hinc contra Pontificios concludimus.

1. Quum de justificatione hominis, coram Deo, per Christum, agitur, nullibi, in sacris literis hæc vox, *infusâ justitiâ justum facere*, notat.
2. Imò, attentè considerando, nullibi omnino, eo sensu, in Scriptura extare, demonstrat singulorum locorum inductio.

a 1. Tim. 3. 16. Apoc. 22. 11. b Luc. 16. 15. cum Matth. 23. 28. c Exod. 23. 7. 1. Reg. 8. 32. Ierem. 3. 11. Ezech. 15. 51. 52. d Daniel. 8. 14. Rom. 6. 7. cum 1. Pet. 4. 1.

III. Justificatio Judicii (quæ propriè δικαίωσις[a], metonymicè interdum δικαίωμα[b]) in judicante est, ut in subjecto, cui inhæret; in judicato, ut in objecto, quod respicit: Illius ratione, ut causæ, actio; Hujus, mutua relatione, passio dici solet. Est autem ab efficiente & auctore, divina aut humana. Illa, quâ Deus hominem[c]: hæc, quâ homo Deum[d], aut hominem (sive seipsum[e] quod ut צדק sic הצטדק[f], sive alium[g]) justum judicat, judicio sententiæ, vel simplicis[h], vel jurisdictionis[i].

a Rom. 7. 1. b Rom. 5. 16. c Rom. 3. 26. d Luc. 7. 29. e Luc. 10. 29. f Gen. 44. 16. g Iob. 27. 5. h Luc. 7. 29. Iob. 27. 5. i 2. Sam. 15. 4. 1. Reg. 8. 32.

IV. *Iustificatio* autem *Dei* ab objecto suo, est, aut particularis, aut universalis. *Prior* est qua particularem justitiam, actum[a], aut controversum negotium[b]: *Posterior*, quâ personam, universali justitiâ[c], justam judicat.

a Deut. 24. 13. Psal. 106. 31. Iac. 2. 21. cum Gen. 22. 12. b 2. Paral. 6. 23. c Psal. 143. 3. Gal. 2. 6.

V. Ac universalis justitia hæc est duplex, una ex causis rei ac consequentis judicii, seu, ex justitia universali[a]. Altera ex justitiæ effectis, quæ causæ, seu, argumenta tantum consequentis judicii[b], sive in hâc vitâ, quâ viventes[c]: sive in alterâ, ultimo δικαιοκρισίας Dei[d] die: quâ ante mortem justificati, coram Deo, ex causis, tum ex vitâ hîc peractâ, tanquam ex verè Christiani fructibus, justificabuntur ac justi pronunciabuntur, coram toto mundo, per Christum[e]. Quo etiam sensu tantùm, dicitur *misericordia* (nempe hominis erga proximum) *gloriari* (hoc est gloriari facere) *adversus judicium*[f], nempe condemnationis: non ut merito suo, sed ut argumento, secundum Dei, per Christum pacati[g] promissionem[h].

a Esa. 50. 8. Ps. 143. 3. Act. 13. 38, 39. b Matth. 12. 37. Luc. 7. 47. c Ioh. 2. 21. cum Gen. 22. 12. d Rom. 2. 5. e Matth. 12. 37. & 25. 31, 34, 35. &c. f Iac. 2. 13. g Ioh. 5. 24. Rom. 8. 1. & 39. h Prov. 15. 21. Matth. 5. 7.

VI. Utraque rursus, justitia est duplex, *una in se justi*: & operanti, rigore legis adumbrantis, debita[a], ex justitia propria[b], ad justi salutem[c], & justitiæ, divinæ & humanæ[d], gloriam. Quam, *justificationem legalem*, relatè ad oppositum, vocant[e]: qualis solius Christi[f]: qua solus[g], perfectè naturâ innocens & sanctus, perfectè & absolutè legem & omnem justitiam, internè & externè, toto vitæ curriculo, implevit[h]: unde κατ' ἐξοχὴν ab hâc ἀνομίας ac justitiâ, *justus ille*[i], nuncupatur. Ideoque *justificatio Christi*, à proprio objecto (ni obstaret ambiguitas,) dici posset.

a Rom. 4. 4. & 11. 6. b Rom. 2. 12. & 10. 3. Philip. 3. 9. c Lev. 18. 5. Gal. 3. 12. d Rom. 3. 27. Eph. 2. 8. 9. e Act. 13. 38. f Esa. 50. 8. Ps. 143. 3. Heb. 7. 26. g Rom. 3. 20. 23. Gal. 3. 10, 11. 1. Pet. 3. 18. h Esa. 53. 9. Matth. 3. 15. & 5. 17. Ioh. 8. 46. Rom. 10. 4. Philipp. 2. 8. i Act. 3. 14. & 7. 52. &c.

VII. *Altera* est *in se injusti*, ac debitoris, lege accusati[a], sed in alio justi[b], justificatio gratuita[c], ex justitia, ortu quidem aliena[d], sed Christi redemptoris ac capitis solventis[e], & Dei creditoris ac judicis[f] donatione, credenti & semini ejus electo, ex fœdere gratiæ Euangelii, communicata[g], ad solius Dei gloriam[h]. Quæ *justificatio Christianorum*, ac per Christum[i], & Euangelica[k], vocatur: à legali, non essentiâ, sed modo, usu, & fine ultimo discrepans[l] ἀναλόγως utrique justitiæ, de quâ actum est. Et hanc quidem, sed è causis rei & judicii ortam, sequenti descriptione proponemus, & exponemus.

a Rom. 4. 5. & 3. 10. & 1. 33. b 2. Cor. 5. 21. c Rom. 3. 24. d Rom. 10. 3. Philipp. 2. 9. e Esa. 53. 6. 7. Matth. 20. 28. 1. Cor. 6. 20. Col. 2. 14. Heb. 7. 22. f Matth. 16. 12. & 18. 23. 35. 2. Cor. 5. 21. g Gen. 17. 4, 7, 18. Rom. 4. 16, 17. Gal. 3. 9, 14. h Rom. 3. 26, 27. Eph. 1. 6. & 2. 3. i Rom. 3. 24. & 5. 1. k 2. Cor. 5. 19. l Matth. 5. 15. Rom. 3. 31. Gal. 4. 4.

VIII. Ea justificatio est actio Dei, interna, judicialis, justa ac gratuita[a], qua electum ad vitam[b], in se injustum, & propterea accusationi & maledictioni legis in se obnoxium[c], Christoque mediatori suo & capiti vere unitum, & in eodem justum[d], acceptatæ universalis Christi erga legem justitiæ, pro ipso solutæ[e], imputatione, justum, coram suo, justitiæ pariter ac gratiæ, tribunali, ἀμεταμελήτως judicat[f]; ad suæ solius justitiæ & misericordis gratiæ laudem[g], & certam justificati sanctificationem ac salutem[h].

a Rom. 3. 24. Tit. 3. 7. b Rom. 8. 29, 30. c Rom. 4. 5. & 8. 33. d Rom. 8. 1, 30. e 2. Cor. 5. 21. Rom. 5. & 10, 4. Eph. 1. 6. Philipp. 3. 9. f Rom. 3. 24, 26. & 8. 30, 32, 34. & 5. 1. g Rom. 3. 26, 27. Eph. 1. 6. & 2. 9. h Rom. 5. 18. & 8. 30.

IX. Quâ definitione Justificationis subjectum proximum, & causas complexi sumus. Ac *Subjectum* quidem *proprium*, cui soli & omni convenit, est aut remotum & inæquale, aut proximum & æquale.

X. *Remotum* est electus ad vitam[a], in se injustus (unde *justificatio impii*[b] vocatur) & propterea accusationi & maledictioni legis in se obnoxius[c]. Legis autem *accusatio* est, qua hominis ἀνομίαν & injustitiam detegit[d], & hoc nomine, non jus vitæ (quod, ob imperfectam tempore justitiam, nondum aderat) sed aditum ad vitam æternam, injusto derogat ac præcludit, & mortem æternam exigit[e].

a Rom. 8. 29, 30. b Rom. 4. 5. c Rom. 3. 19, 20, 23. & 8. 33. Gal. 3. 10. 11. d Rom. 3. 20. e Deut. 27. 26.

XI. *Proximum* subjectum est, vere, ex gratia, unitus cum Christo, in unum corpus, & in illo factus justus, ex unionis hujus & communionis, capitis Christi cum corpore suo mystico, naturâ[a], & Christi fidejussoris à creditore Deo admissi, imò emissi ac persolventis[b], & absolvendi debitoris jure communi, denique ex objecti judicii Dei, veri & justi, conditione[c]. Qui Christo unitus, solus, omnibus, & semper justificatus est[d].

a Eph. 1. 22, 23. & 5. 25, 26, 29, 30. Col. 2. 10, 13. Phil. 3. 6, 8. 2. Cor. 5. 21. b Esa. 53. 5, 10. Ps. 69. 5. Mat. 20. 28. 1. Cor. 6. 20. Eph. 5. 7. 1. Pet. 1. 18. c Exod. 23. 7. Rom. 1. 2. d Rom. 8. 1. Eph. 5. 23.

XII. Cujus gratuitæ *unionis modus* duplex: *immediatus*, qui fit à Spiritu Sancto, secundum electionis & confœderationis gratiam[a]; ut in electis fidelium infantibus, ante usum rationis morientibus: & *mediatus*, in adultis, per veræ, in Christum servatorem, fidei donum[b]. Hæc de subjecto.

a Gen. 17. 7. Heb. 11. 18. Gal. 3. 29. 1. Cor. 7. 14. b Ioh. 6. 56. Gal. 3. 26, 27. Eph. 3. 17. Matth. 16. 16. Ioh. 3. 36.

XIII. In *Causis Iustificationis*, I. Efficiens est duplex, princeps & ministra. Princeps est vel movens, & προηγουμένη antecedens, Dei gratuita electio & misericordia[a]: vel mota & consequens, Deus solus[b], jure (utpote solus summus noster creditor[c], legislator, & judex[d]) & reipsa cum remotè, qua Christum ad justificandum destinavit ac misit[e], eique electos unit, ac fidem perpetuam donat[f]: tum propinquè, quâ in eo justos apud se æstimat ac judicat[g]: ut causa procreans ac conservans ἀμεταμελήτως ac perseveranter[h].

Quocirca impurum illud *Pontificiorum* (ad tollendam Christianorum in vitâ & morte consolationem) *fermentum*, reformatarum Ecclesiarum confessione expurgatum, constanter cavendum: quo asserunt, *justificatum*, *omnino à fide & justificatione interdum excidere: sed reprobum lapsu perpetuo; electum ad tempus, sed non finaliter*.

a Eph. 1. 6, 7. & 2. 4, 5, 8. Tit. 3. 7. b Rom. 3. 14. & 8. 30. c Psal. 51. 6. Matth. 6. 12. d Heb. 12. 23. Iac. 4. 12. e Rom. 4. 25. & 8. 32. Gal. 4. 4. 1. Pet. 1. 20. 1. Ioh. 4. 10. f Ioh. 6. 44, 45, 65. Col. 1. 12. g Rom. 8. 33. 2. Cor. 5. 21. h Rom. 8. 30, 39. & 11. 29. Ioh. 6. 40. & 10. 28. Matth. 24. 24. 1. Pet. 1. 5.

XIV. Atque hinc etiam apparet justificationem meritò internam, justam ac gratuitam nominari: ut quæ ex Deo, & in Deo, per ac propter Christum. Cujus *judicii* latentis *patefactio*

ctio divina & ordinaria est primum *singularis*, quæ fit clam Spiritus Sancti, adminiculo Euangelii, in corde justificati, testificatione & obsignatione [a]. Deinde *communis*, quæ fiet palam, coram toto mundo, judicio universali, per filium Judicem universi [b]. *Extraordinaria* est, quæ Externo Dei sermone, per Prophetam summum Christum [c], aut Christo subditum [d], ex peculiari gratiâ, ad Dei gloriam, & justificati Ecclesiæque salutem, contingit.

a Rom. 8. 16. 2. Cor. 1. 21, 22. Eph. 1. 4. b Matth. 25. 34. 1. Ioh. 3. 2. Actor. 10. & 17. c Matth. 9. 20. Luc. 7. 48. & 18. 14. d Actor. 22. vers. 16.

XV. *Ministra* verò, quæ Principi inservit, est aut primaria aut secundaria. Primaria & προκαταρκτικὴ efficiens & conservans [a], est Jesus Christus, mediator & advocatus [b], suâ pro nobis justitiâ: per quem & propter quem, solum & in solidum justificamur [c].

Adeo ut hinc luculenter appareat, justitiæ & gratiæ justificantis throni ac tribunalis, justitiæ & gratiæ, concursus & complexus [d], illius, ratione condemnationis Christi fidejussoris nostri justæ [e]; hujus ratione solutionis datæ & imputatæ gratuitò [f].

Eoque dissipatur *falsum septimum* mutilationis justificantis justitiæ Christi *fundamentum*, quo *hic thronus nostri justificatione, prioris respectu detruncatione minuitur*, & *thronus misericordiæ, à throno justitiæ separatur*, eique opponitur omnino.

a Rom. 5. 9. b Ioh. 3. 16. 1. Tim. 2. 5, 6. 1. Ioh. 2. 1, 2. c Esa. 53. 11. Rom. 3. 24. 25. & 5. 19. & 8. 33, 34. Gal. 1. 4. d Rom. 3. 25, 26. e Gal. 4. 4. f Rom. 3. 25. & 8. 32.

XVI. *Secundaria* est vel remota & externa, vel propinqua & interna. *Remota* rursus, aut *inchoans* est & *conservans*, ministri Euangelii [a], (qui propterea מצדיקים justificantes dicti [b]) & Euangelium [c]; quâ fidei procreandæ & justificationis divinæ nunciandæ instrumenta: aut *conservans tantum* Sacramenta [d], ut *signa & sigilla justitiæ fidei* [e].

a Act. 13 38. 2. Cor. 5. 18. b Dan. 12. 3. c Rom. 1. 17. 2. Cor. 5. 19. 2. Tim. 1. 10. Actor. 14. 3. & 20, 24. d Actor. 22. 16. Ephes. 5. 26. Tit. 3. 5. e Rom. 4. 11.

XVII. *Propinqua* verò est unio mystica cum Christo [a]: & in adultis, fidei in Christum manus [b]; quæ Christum, nos justificantem, Euangelio oblatum, amplectitur, eique (non verò insitâ, ut instrumentum naturale, aut artificiale; sed Euangelii pacto gratuito, & Christi & Spiritus Sancti efficacia, ut instrumentum supernaturale) nos unit ac maritat [c]. Quæ *fides* sine operibus non [d]: sed *sola* sine *operibus justificat* [e]. Quo sensu causæ efficientis dicitur *fides imputari ad justitiam* [f], *credi ad justitiam* [g], *& justificatio fidei* [h], *ex fide* [i].

a Rom. 8. 1. Gal. 3. 29. b Esa. 53. 11. Actor. 10. 43. & 26. 18. Rom. 5. 1. 17. c Eph. 3. 17. 2. Cor. 11. 2, 3. d Jac. 2. 26. e Rom. 3. 28. f Rom. 4. 5. g Rom. 10. 10. h Rom. 3. 28. i Rom. 5. 1.

XVIII. *Materia justificationis communis* ac *remota*, est justitia: *propria vero & propinqua* Christi redemptoris justitia (qua id solum est, quo, Christo uniti, perfectè justi sunt: quodque, pro iis justificandis, acceptatur & adjudicatur à Deo [a]) & quidem legalis ac universalis [b]. Eoque non essentialis (ut perperam Osiander) quippe cum hæc sit æterna simpliciter & infinita ac Deitas, quæ ἀκοινώνητος, nec hominis accidens fieri potest) sed accidentalis; quam lex à nobis, & ad imaginem Dei creatis, & debitoribus, requirit.

a 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. Philipp. 3. 9. Rom. 5. 19. b Rom. 10. 4. Matt. 3. 15. & 5. 17. Gal. 4. 4.

XIX. Quæ cùm sit bimembris (ut antea ostendimus) ἀνομίας compensatio, per sufficientis pœnæ λύτρον, ut legis præceptis violatis, & anathemati maledictionis, satisfiat (quæ synecdochicè *justitia innocentiæ*, vulgò *justitia passiva* dicitur) & ἐννομίας universalis ac perfectæ, naturæ ac vitæ, secundum præceptum legis solutio [a] (quæ synecdochicè, & *justitia obedientiæ & activa vulgo*) sic justitia Christi redemptoris, pro nobis præstita, duas hasce partes integrantes, naturâ non tempore distinctas, complectitur [b].

Alioqui secundum legis postulatum (cui nihil potest sine satisfactione, [illegible]) adhuc aut rei essemus condemnationis, aut nondum hæredes vitæ. Eoque rectè à Propheta copulatur, *deletio iniquitatis & adductio vitæ æternæ* [c], & Christus *Sanctus Sanctorum* [d], *sol justitiæ* [e], & *Iehova justitia nostra* [f] (quod lxx. Ἰωσεδὲκ) & verus *Melchisedec* [g], hoc est, *rex justitiæ*, appellatur.

a Deut. 6. 25. & 27. 26. Levit. 18. 5. Rom. 2. 13. & 10. 5. Gal. 4. 4. b Ps. 40. 9. 2. Corinth. 5. 21. Matth. 3. 15. & 5. 17. Rom. 10. 4. Gal. 4. 4, 5, 21. cum 1. Corinth 9. 20. Philipp. 2. 8. Heb. 9 10. c Dan. 9. 24. d Dan. 9. 24. e Malach. 3. 20. Al. 4. 2. f Jerem. 23. 6 & 33, 16. g Heb. 7. 2. 3.

XX. Cujus justitiæ bipartitæ, *prior* est, Christi θεανθρώπου sancta & voluntaria [a] (secundum arbitrium & peculiare, à redemptore Deo, mandatum [b]) humiliatio & passio, unde ab ortu ad sanguinis effusionem [c] & mortis crucis ac maledictionis, ex lege nobis debitæ λύτρον ac solutionem [d], patri oblata ut à maledicto legis ecclesiam redimeret, & deleto debitorum nostrorum Chirographo, innocentem Deo sisteret [e]. Idem enim & Sacerdos noster & victima [f]. Qui Aaronis instar [g], inter vivos mortuosque medius, grati odoris [h] sacrificio, & precum thymiamate sævientem Dei iram, & mortem averruncat [i]: unde verus *rex Salem*, id est *pacis* [k], & *pax nostra* [l], dicitur.

a Ps. 40. 10, 11 Heb. 9. 10. Esa. 53. 7. Philipp. 2. 8. b Matth. 26. 42. Ioh. 4. 10. Heb. 10. 10. c 2. Cor. 8 9. 1. Pet. 2. 24. Rom. 3 25. Heb. 9. 22 & 10. 9. d Psal. 69. 5. Matth 20. 28. Gal. 4. 4, 5. Philipp. 2. 8. e Coll. 1. 13, 14. & 2. 14. Actor. 20. 28. 1. Pet. 1. 18, 19. & 3. 18. Heb. 9. 24, 26 & 12. 24. f Heb. 9. 14. g Num. 16. 48. h Eph. 5. 2. i 1. Thess. 1. 10. k Heb. 7. 2, 3. Esa. 9. 6. l Eph. 2. 14. Col. 1. 10.

XXI. Ex quibus patet, hanc obedientiam Christi esse non solùm ex mandato arbitrario ac proprio, respectu ipsius innocentis non promeriti; sed etiam respectu nostræ noxæ & fidejussoris ipsius, secundum legis communis anathema [a], & primam legis tabulam, quæ obedientiam, Deo debitam, generatim postulat. Deinde, cum Christum mortem ac maledictionem nostram pertulisse, constet; non sola mors ac pœna corporalis, sed cum inculpato horrendæ maledictionis sensu [b], (cujus in horto præsensio [c]) intelligitur. Quæ ratione dignitatis infinitæ (utpote Dei [d], seu, Filii Dei, qui *per Spiritum æternum Patri se obtulit* [e]) æternis inferni, mortisque secundæ cruciatibus aqualis (unde *descendisse ad inferos* [f], metaphoricè & rectè dicitur) infiniti Dei offensam planè diluit [g]. Quare meritò nostrum (veterisque ἀντιτύπου) ἱλαστήριον propitiatorium [h], *agnus paschalis* verus, tollens peccata mundi [i]. Hirco emissario peccata omnia verorum Israëlitarum ferenti, & auferenti in solitudinem [k], cæterisque victimis adumbratus [l].

a Deut. 27. 26. b Esa. 53. 4, 5. Rom. 8. 32. Matt 27. 47. Heb. 5. 7. c Matt. 26. 38. Luc. 22. 43, 44. d Actor. 20. 28. e Heb. 9. 24. f Actor. 2. 27. g Heb. 9. 26. Esa. 53. 5. h Heb. 9. 5. Rom. 3. 25. i 1. Cor. 5. 7. 1. Joh. 1. 29. k Levit. 16. 21. l Heb. 10. 1.

XXII. *Posterior justitia* Christi est & universalis & perfecta erga necessariam & communem charitatis legem ad mortem usque, ut λύτρον, sic martyrium [a], obedientia [b]: qua nobis adhuc justitiâ vacuis, benedictionem [c] ac jus vitæ æternæ & salutem [d] acquireret. *Cujus justitiæ membra* sunt *justitia habitualis* ac originalis naturæ, & *actualis* vitæ, perpetua. Quorum illud, injustitiæ nostræ originali; hoc, actuali opponitur. Eamque suo modo tegit, non tollendo reatum, quod passioni convenit) sed supplendo defectum integræ justitiæ, quam conditio vitæ requirit [e].

a 1. Tim. 6. 13. b Joh. 8. 29. & 17. 4. Rom. 10. 4. Philipp. 2. 8. c Gal. 3. 14. d Heb. 10. 19, 20. Rom. 5. 17, 18, 21. e Cap. 10. 5.

XXIII. Quum autem integræ legalis *Christi justitiæ* (& passionis & charitatis) complexus ac coronis [a], in sanguinis ipsius effusione & morte [b], eluxerit: Hisce de causis, non semper [c], sed sæpius, nunc sanguine, nunc morti utrumque, & à maledictione absolutio, & vitæ æternæ jus [d] ac salus, conjunctè, sed distinctè adscribitur. Quippe illud prioris: hoc posterioris ratione competit. Ut enim laus, quæ sanguini aut morti pro totâ obedientiâ synecdochicè sumptâ (propter individuam ex gratia copulam, & ad conscientiæ, contra terrores legis, consolationem præcipuam) attribuitur, nec mutuo, nec antecedenti passioni συνεχίαν derogat [e]: Sic nec justitiam vitæ reliquam excludit; sed synecdochicè, colophonis instar, includit: ut tota Christi justitia, quam, legi & Patri plenè obediendo, vita & perpessione præstitit, intelligatur.

a Heb. 10. 14, 15. Joh. 19. 30. b Joh. 14. 9. 31. & 15. 13. & 13. 1. Rom. 5. 8, 9. c Rom. 5. 17, 19, 21. & 10. 4. d Heb. 10. 19, 20. e 1. Pet. 2. 24. & 13. vers. 18.

XXIV. Quamobrem *falsa* est ea *sententia*, quæ justitiam nostram coram Deo, ac totam justificandi materiam, detruncatâ parte alterâ, justitiâ activâ dictâ, sola Christi passione & morte; ut justitia passiva (cujus activa sit, non causa so-

sa socia ac συνεργὸς, sed tantum accidens necessarium, seu antecedens & conjuncta conditio) restringunt.

Abominanda verò [a] *Socini* (non Christiani, sed semi-Turcæ, personæ & officii ac beneficii Christi adversarii: ut qui nec Filium Dei, natura verum Deum & αὐτόθεον, sed tantum hominem Deificatum gratiâ; nec redemptorem sua morte, ut sacrificio ἱλαστικῷ, sed tantum martyrio, agnoscit) impietas; qua Petri Abaillardi, Bernardi tempore nati ac damnati, ductu, utrumque tollitur: Christusque servator tantum, quâ salutis viam docet, & exemplo vitæ martyrio mortis ac resurrectione confirmat, tandemque se imitatis vitam est daturus, confingitur.

a De J. Christo Servatore p. 1. c. 1. &c.

XXV. Ut autem materia communis justificationis, est justitia; propria verò justitia Christi: sic ἀναλόγως Forma duplex, communis & propria. Communis, est imputatio justitiæ [a], & quidem bipartita, pro justitiæ, cum innocentiæ, tum obedientiæ charitatis, ratione. Constat enim *abjudicatione injustitiæ*, seu *non imputatione peccati*, *ac remissione peccatorum* [b] (quæ synecdochicè, propter cognationem ex Dei fœdere individuam, & consolationem fidelium, contra horrorem anathematis, pro toto interdum usurpatur [c]) qua reatum nostræ ἀνομίας, seu, mortem primam & secundam, injustitiæ nostræ debitam, abjudicat [d]: & *adjudicatione seu imputatione justitiæ*, quæ εὐνομίαν, seu, perfectam legis observationem adjudicat, ad vitam æternam.

Unde *falsum* in detruncatione justificantis justitiæ Christi *fundamentum octavum*, labitur, quod *remittere peccata & imputare justitiam simpliciter sint ἰσοδύναμα*, ac paria, eademque.

a Rom. 4. 6. 11. b Rom. 4. 8. c Rom. 4. 7, 8. d Rom. 8. 1, 30.

XXVI. *Propria forma* est universalis justitiæ Christi (quâ adversus legis accusationem & maledictionem, Deo plane satisfacit, & in eo justi sumus) bimembris imputatio [a]. Quippe sola, nostri ex causa, coram Deo, justificationem informat ac constituit, & à reliquis discernit.

Unde pernitiosus ille, & *communis Pontificiis*, aliisque gratiæ, adversantibus, *Arminii error detestandus*, quo præter remissionem peccatorum gratuitam per fidem, contenditur, *formam justificationis esse in nobis inhærentem*, nempe *fidem*: quòd illa sit nostra coram Deo justitia: non quidem ex summo rigore severi judicii Dei, sed propter Christi meritum & intercessionem. Sed Pontificii statuunt, fidem esse formam inchoatam ac justitiam veram, sed charitate complendam: *Alii* * verò partim deterius Pontificiis fidem esse formam totam, verum non per se, sed gratiosa Dei æstimatione: ut quæ rigore juris non sit perfecta justitia, sed illius loco ac vice, acceptetur. Eoque modo *imputativam* dici posse.

Utrumque indoctum ac impium apparet: *indoctum*, quia formam vocant, quod alienum est: quippe justitia, & quidem justi forma; sed justificationis, ex eorum hypothesibus effectum: *Impium*, quia & Dei judicium pervertunt [b], & loco justitiæ & obedientiæ Christi, quâ coram Deo justi constituimur, supponunt: aut dubiâ lance, rectaque ad præcipitium; & Papismum, via (quod in Claudio Alberico post Palinodiam in Bernensi Synodo, apostata, aliisque eluxit) componunt.

Ideoque illam fidei justitiam formalem asserimus (cum Orthodoxis Ecclesiis reformatis & Augustanæ confessionis: quâ meritò gravissimi hujus articuli puritatem tuentur, & novitatibus hujusmodi, aut interpolatis erroribus plurimum, ut scripta docent, offenduntur) merè fictitiam, & ut vocant *putativam*. eam verò Dei, fideique justitiam, quam sacræ literæ commendant, non fidei genus, non formam illius, nec justificationis statuimus, sed fidei effectum instrumentale, cujus participes simus fide, ut ex superioribus constat.

a Rom. 4. 11. & 15. 1. 18, 19 & 10. 4. 1. Corinth. 1. 30. 2. Corint. 5. 21. Gal. 4. 5. Philipp. 3. 9. Socinus & Sociniani b Exod. 23. 7. Deut. 27. 26. Rom. 2. 2. Proverb. 17.

XXVII. *Finis & effectus* justificationis duplex est, *summus & remotus*, *gloria* Dei [a], sita in patefactione ipsius, cùm justitiæ, tum gratiæ ac misericordiæ [b]: *justitiæ*, quod Filium suum potius peccatum [c] fieri voluerit, quàm illud inultum relinquere; *gratiæ & misericordiæ*, quod nobis miseris justitiam Christi imputarit [d]. *Propinquus*, sanctificatio ac glorificatio [e], seu justificati sanctitas [f], & vita æterna [g]. Unde δικαίωσις ζωῆς celebratur [h].

a Eph. 1. 6. b Rom. 3. 26. c 2. Cor. 5. 21. Gal. 4. 4, 5. Rom. 8. 3. d Rom. 4. 11. & 5. 17, 18, 19. 2. Cor. 5. 1. e Rom. 8. 30. f Tit. 3. 14. g Rom. 5. 21. h Rom. 5. 18.

COROLLARIA.

1. *An imputare per se ubique in sacris literis significet* gratiosam æstimationem, *reique imputatæ* imperfectionem? *Neg. Imo nullibi, ut ex natura vocis, usu scripturæ, & locorum in ea omnium inductione evinci potest.*

2. *An* fidem imputari ad justitiam, *significet necessariò, loco ac vice justitiæ haberi? N. Ut ex naturâ, & vocum, & rei ipsius demonstrari potest.*

3. *An merces (ex Rom. 4. 4) citra ullam catachresin aut ellipsin dici possit*, operanti imputari secundum debitum? *Affir.*

4. *An verè & rectè, ex scripturæ usu, phrasi dici possit*, obedientiam Christi ipsi imputatam esse ad justitiam? *Affirmatur.*

DISPUTATIO XXVI.

DE HOMINIS, CORAM DEO, JUSTIFICATIONE.

THESIS I.

Justificare, Vox est, non in Latio, sed in Ecclesia, nata, exprimendæ voci Hebrææ *Tsiddek* aut *Hitsdik*, & Græcæ, δικαιοῦν· cujus significatio in S. literis, genere tantùm est triplex. *Prima*, est judicis; *justum judicare*, mente [a], vel sermone [b]; absolute [c], vel relatè ad accusationem, ac contrariè condemnationi [d]: *secunda*, est indicis; *justum indicare* [e]: tertia denique, est vindicis, *vindicare*, seu liberare [f]. *Prima*, propria est: *reliquæ duæ*, ab ea, per metaphoram, derivatæ.

a Psal 143. 2. Rom. 3. 19, 20. b Deut. 25. 1. c Rom. 4. 2. & 8. 33. d Prov. 17. 15. e Luc. 16. 15 cum Matt. 23. 28. Apoc. 22. 11. f Rom. 6. 7.

II. *Justificatio judicii*, divina est, aut humana. *Illa*, qua Deus, hominem [a]: *hæc*, qua homo, Deum [b] hominemve [c], justum judicat; judicio sententiæ, vel simplicis [d], vel jurisdictionis [e].

a Rom. 3. 26. b Luc. 7. 29. c Luc. 10. 29. d Job. 27. 5. e 2. Sam. 15. 4.

III. *Iustificatio* autem *Dei*, vel est *particularis*; qua partim & relatè ad particularem justitiam, actum [a], aut controversum negotium [b]: vel *universalis*, qua, simpliciter & absolutè, ob universalem, erga legem, justitiam, justum judicat [c]. Unde illa, *justificatio causæ controversæ*: hæc *personæ*, vulgò nuncupatur.

a Psal. 106. 31. b 2. Chron. 6. 23. c Gal. 2. 16.

IV. Quæ *personæ justificatio* est, aut *ex causis judicii*, seu justitia universali [a]; aut *ex aliis judicii argumentis*, seu *ex justitiæ propriæ effectis* [b]: sive, in hac vita [c], justi judicentur; sive, in altera, die illo, δικαιοκρισίας Dei ultimo [d]. Quo illi qui ante mortem, ex justitia, tanquam causa, justificati fuerint coram Deo, post resurrectionem à mortuis, ex vita, hic peracta (tanquam ex veris, justificati ac justitiæ, fructibus & argumentis) justi pronuntiabuntur, coram toto mundo, per judicem Christum [e].

a Actor. 13. 38, 39. b Matth. 12. 37. c Jac. 2. 21. cum Gen. 22. 12. d Rom. 2. 5, 7. Matt. 12. 37. e Matt. 12. 36, 37. & 25. 31, 34, 35.

V. Porro *universalis*, *ex causis justificatio*, est hominis in se, aut justi, aut injusti. *Illa* est, quæ operanti, rigore legis approbantis, est debita [a], ex justitia propria [b], ad justi salutem [c].

lutem[c]. Quæ, quoniam pacto legis patefacta est[d], *justificatio legalis*, appellatur: qualis, solius est Christi[e]. *Hac* verò, est hominis Christiani, in se quidem injusti ac debitoris[f], sed Dei gratia, in Christo, justi[g]. Quæ, ut Lege velata est; sic Euangelio revelata[h]: ideoque distinctè, *Euangelica*, dici consuevit.

a Rom. 4. 4. & 11. 6. b Rom. 2. 13. & 10. 8. Phil. 3. 9. c Gal 3. 12. Rom. 10. 5. d Phil. 3. 9. e Esa. 50. 18. f Heb. 7. 26. Rom. 4. 5. & 3. 19, 20. g 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. h Rom. 1. 17. 2. Tim. 1. 10.

VI. Hæc *Christiani justificatio, est actio Dei interna, judicialis, gratuita, qua electum ad vitam, & vocatum fidelem, in se injustum, Christoque mediatori suo & capiti unitum, & in eodem justum, acceptata universalis Christi erga Legem, justitia, pro ipso soluta, imputatione, justum judicat; ad sua solius justitiæ, & misericordiæ gratiæ, laudem, & certam justificati sanctificationem, ac salutem.*

VII. Qua descriptione, *justificationis subjectum proprium* & *causas* complexi sumus. *Subjectum*, est electus ad vitam, & vocatus fidelis[a], in se quidem injustus[b], & propterea legis maledictioni obnoxius[c] (unde, *justificatio impii*[d], vocatur) sed Christo verè unitus, & in illo factus justus, pro unionis hujus, & communionis, Christi capitis, cum corpore mystico, natura[e]: Christique fidejussoris, à creditore Deo admissi, imò & emissi, solutione[f]: & judicii Dei, veri & justi, conditione[g].

a Rom. 8. 29, 30, 33. b Rom. 3. 23, 24. c Rom. 3. 19, 20. d Rom. 4. 5. e Rom. 8. 1. Gal. 3. 29. Eph. 1. 22, 23. & 5. 25, 26, 30. Col. 2. 10. 13. Phil. 3. 8, 9. f Esa. 53. 5. 10. Matt. 20. 28. 2. Cor. 5. 21. 1. Joh. 4. 10. g Exod. 23. 7. Rom. 2. 2. & 3. 4.

VIII. In *causis* verò *justificationis*, primò *efficiens* est *duplex*, princeps & ministra. *Princeps*, est vel *movens ac* προηγούμενον *antecedens*, Dei gratuita electio & misericordia[a]: vel *mota* ac *consequens*, Deus solus[b]: cum jure; quia solus hic noster creditor[c], legislator ac judex[d]; tum reipsa, partim remotè, quatenus Christum, ad justificandum, destinavit ac misit[e], eique electos, fide donatâ, unit[f]; partim (quod hic spectatur) propinquè, quatenus in eo justos, tales apud se æstimat ac judicat[g], ut causa procreans & conservans, ἀμεταμελήτως ac perseveranter[h]. Atque, hinc apparet, justificationem meritò *internam* ac *gratuitam* nominari: ut quæ, à Deo & in Deo, per ac propter Christum, gratis datum, existat.

a Eph. 1. 6, 7. & 2. 4, 5, 8. Tit. 3. 7. b Esa. 43. 25. Rom. 3. 30. c Psal. 51. 6. Matth. 6. 12. d Heb. 12. 23. Jac. 4. 12. e Rom. 4. 25. & 8. 32. 1. Joh. 4. 10. f Joh. 6. 44, 45, 46, 65. Eph. 3. 16. 17. g Rom. 8. 32, 33. 2. Cor. 5. 21. h Rom 8 30, 39. & 11. 29. Joh. 6. 40. & 10 28

IX. *Ministra* verò *justificationis causa*, quæ principi inservit, est aut primaria, aut secundaria. *Primaria*, ac προκαταρκτικὴ efficiens ac conservans[a], est Jesus Christus, mediator & advocatus[b], sua, pro nobis, justitia: per quem, & propter quem, solum, & in solidum, justificamur[c]. Ideoque relatè ad Deum, *servus illius justus, multos justificaturus*[d], & *justitia nostra*[e] (hoc est, nos justificans, metonymicè) appellatur.

a Rom. 5. 9. b 1. Tim. 2. 5, 6. 1 Joh. 2. 1, 2. c Rom. 3. 24, 25. & 5. 19. & 8. 33, 34. d Esa. 53. 11. e 1. Cor. 1. 30.

X. *Secundaria*, est vel remota & externa, vel propinqua & interna. Ac *remota* quidem, aut *inchoans* est & *conservans*, ut ministri Euangelii[a] (unde, *matsdikim*, justificantes dicti[b]) & Euangelium[c]; quia sunt fidei procreandæ, & justificationis divinæ nuntiandæ, instrumenta: aut *conservans* tantùm; ut Sacramenta[d]: tanquam *signa & sigilla justitiæ fidei*[e]. *Propinqua* verò, est unio mystica cum Christo[f], &, in adultis, etiam fidei manus[g], quæ Christum, nos justificantem, Euangelio oblatum, amplectitur, eique nos maritat, &, in unum corpus mysticum, unit[h]: non vi insita, ut instrumentum naturale, aut artificiale; sed, ex Euangelii pacto gratuito, & Christi ac Spiritus Sancti efficacia[i], ut supernaturale instrumentum. Quæ *fides*, sola ac sine operibus, non est[k]; sed, *sola* ac sine operibus, *justificat*[l]. Quo sensu, causæ efficientis dicitur, *fides imputari ad justitiam*[m], *credi ad justitiam*[n], *justificari fide*[o], *ex fide*[p]. Hæc de *causa efficiente*.

a Act. 13. 38. 2. Cor. 5. 18. b Dan. 12. 3. c Rom. 1. 17. 2. Cor. 5. 19. 2. Tim. 1. 19. d Act. 22. 16. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. e Rom. 4. 11. f Rom. 8 1. Gal. 3. 28, 29. g Esa 53. 11. Act. 10. 43. & 26. 18. Rom. 5. 17. h 2. Cor. 11. 2, 3. Ephes. 3. 17. & 5. 25, 26, 23. i 1. Cor. 12. 12, 13, 27. k Jac. 2. 26. Gal. 5. 6. l Rom. 3. 28. m Rom. 4. 5. n Rom. 10. 10. o Rom. 3. 28. p Rom. 5. 1.

XI. *Materia justificationis*, est justitia Christi redemptoris: quia id solum est, quo, uniti Christo, perfectè justi sunt, quodque pro iis justificandis, acceptatur, & adjudicatur à Deo[a]. Hæc autem *Christi justitia*, est *legalis* ac *universalis*[b]: qualem lex à nobis, ut ad imaginem Dei creatis, & debitoribus, requirit.

a 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. Phil. 3. 9. Rom. 5. 19. b Rom. 10. 4. Matth. 3. 15. & 5. 17. Gal. 4. 4.

XII. *Quæ* cum sit *bimembris*, nempe ἀνομίας, seu injustitiæ ex legis, compensatio, per sufficientis pœnæ λύτρον ut Legis transgressioni, & anathemati maledictionis, satisfiat[a]; & εὐνομίας universalis, seu justitiæ perfectæ (naturæ & vitæ) Legis præceptis debitæ, solutio[b]: sic justitia Christi redemptoris, pro nobis præstita, duas hasce partes (natura, non tempore, distinctas) complectitur[c]. Unde rectè, à Propheta, de Christi donis disserente, utrumque copulatur, *deletio iniquitatis*, & *adductio justitiæ æternæ*[d]: & Christus *Sanctitas Jehovæ* (frontalis Aaronis titulo, expiandis & reconciliandis Israëlitis imperato[e], adumbratus) *sol justitiæ*[f]: *Iehova justitia nostra*[g], & verus *Melchisedec*, hoc est *rex justitiæ*[h], nuncupatur.

a Deut. 27 27. Rom. 6. 23. b Levit. 18. 5. Rom. 2. 13. & 10. 5, 7. Matth. 22. 5, 39. c Psal. 40. 9. 2. Cor. 5. 21. Matth. 3. 15. Rom. 10. 4. Gal. 4. 4. Phil. 2. 8. d Dan. 9. 74. e Exod. 28. 36, 38. f Mal. 4. 2. g Ier. 23. 6. & 33. 16. h Heb. 7. 1, 2, 3.

XIII. Cujus *justitiæ pars prior*; est Christi θεανθρώπου[a], sancta ac voluntaria[b] (secundùm arbitrarium ac peculiare, à redemptore Deo, mandatum[c]) *humiliatio & passio* (inde ab ortu, ad sanguinis effusionem[d], & mortis crucis ac maledictionis λύτρον ac solutionem[e]) Patri oblata; ut, à maledicto Legis, Ecclesiam redimeret, &, deleto peccatorum chirographo, *innocentem* Deo sisteret[f].

a Act. 20. 28. 1. Tim. 3. 16. b Psal. 40. 8, 9. Heb. 10. 10. Esa. 53. 7. c Matth. 26. 42. Heb. 10. 10. d 2. Cor. 8. 9. Rom 3. 25. Heb. 9. 12. & 10. 10. e Matth. 20. 28. Gal. 4. 4, 5. Phil. 2. 8. f Col. 1. 14. Act. 20. 28. 1. Pet. 1. 18, 19. & 3. 18, 19. Heb. 9. 26. & 12. 24.

XIV. Idem enim, & *sacerdos* noster est, & *victima*[a]. Qui, Aaronis instar[b], inter vivos mortuosque medius, *grati odoris sacrificio*[c], & precum thymiamate, sævientem Dei iram, & mortem, averruncat[d]. Unde verus, *rex Salem*, id est *pacis*[e], & *pax nostra*[f], nostrum veterisque archetypum, ἱλαστήριον *propitiatorium*[g], *agnus paschalis* verus *tollens peccata mundi*[h], hirco emissario, peccata omnia Israëlitarum ferenti, & auferenti in solitudinem[i], cæterisque victimis & holocaustis adumbratus[k], statuitur.

a Heb. 9. 14 b Num. 16. 48. c Eph. 5. 2. d 1. Thes. 1. 10. e Heb. 7. 2, 3. Esa. 9. 6. f Eph. 2. 14. Col. 1. 20. g Heb. 4. 16. & 9. 5. cum Rom. 3. 25. h 1. Cor. 5. 7. Joh. 1. 29. i Levit. 16. 21. k Heb. 9. 11, 12. & 10. 1.

XV. *Posterior* verò *pars justitiæ Christi*, est universalis & perfecta, erga necessariam ac communem charitatis legem, ad mortem usque, obedientia[a], qua nobis, adhuc justitia vacuis, benedictionem plenam[b], ac jus vitæ æternæ, & possessionem illius ac salutem[c], acquireret. Ut enim Christus Deo (& tanquam Deo, seu summo bono, summè amando, & tanquam domino ac creatori, & servatori, suo benefico, redamando) amorem & obedientiam debitam præstitit, quatenus homo; sic eandem pro nobis etiam præstitit, quâ pro nobis factus ac natus homo, nobisque datus[d], & *secundus Adamus*, prioris adverso typo adumbratus[e], & justitiæ ac salutis, in omnes homines, ab ipso regeneratos, propagandæ, stirps communis[f], imo, corporis Ecclesiæ, caput[g] constitutus.

a Joh. 8. 29. & 17. 4. Phil. 2. 8. b Gal. 3. 14. c Heb. 10. 19, 20. Rom. 5. 17, 18, 20. & 10. 4. d Esa. 9. 6. e Rom. 5. 12, 14. f Rom. 5. 18, 19, 21. 1. Cor. 15. 47, 49, 52. g 1. Cor. 12. 12, 13, 27. Eph. 1. 22, 23.

XVI. *Cujus justitiæ membra* sunt duo; *justitia habitualis* ac *originalis*, naturæ, & *actualis* vitæ, perpetua. Quarum illa, injustitiæ nostræ originali: hæc, actuali opponitur: eamque suo modo tegit; non tollendo reatum, quod passioni convenit; sed supplendo defectum integræ justitiæ: quam & jus Dei absolutum[a], & conditio vitæ æternæ consequendæ[b], à nobis requirit. Qua de re, Catechesis nostra, rectè Resp. ad Quæst. 46.

a Deut. 6. 5. vide th. 15. b Levit. 18. 5.

XVII. Quum autem integræ legalis Christi justitiæ, complexus ac coronis[a], in sanguinis ipsius effusione & morte[b], eluxerit; (idcirco nunc sanguini, nunc morti, utrumque cum à maledictione absolutio, tum vitæ æternæ jus ac salus[c]) conjunctè quidem, sed distinctè tamen adscribitur. Quippe illud priori, hoc posteriori, justitiæ parti, competit.

a Heb. 10. 14. 18. Joh. 19. 30. b Joh. 14. 31. & 13. 1. 15. 13. Rom. 5. 8, 9. c Heb. 10. 19, 20.

XVIII. Ut enim laus, quæ sanguini effuso, aut morti (pro tota obedientia, propter individuam, ex gratia, copulam, sumptis)

ſumptis) attribuitur, nec mutuò, nec antecedenti humiliationi, & paſſioni, συνεχῶν derogat[a]: ſic nec juſtitiam vitæ, ad mortem uſque excludit, ſed per ſynecdochen ſimilem ac ſuaviſſimam, colophonis inſtar, includit: ut tota Chriſti juſtitia, quam Legi & Patri, plenè obediendo[b], vita & perpeſſione, obtulit, eo modo intelligatur[c]. Hæc de *materia.*

a 1.Pet. 2.23, 24. & 3.18. 2.Cor. 8.9. b Rom. 5.18, 19, 21. Phil. 2.8. Rom. 10.4. c Vide Catecheſ. ad quæſt. 60. & 61.

XIX. *Forma* verò *juſtificationis* eſt, univerſalis hujus bimembris juſtitiæ Chriſti, imputatio[a]: quippe hæc ſola, noſtri, ex cauſis, corám Deo, juſtificationem informat ac conſtituit, & à reliquis diſcernit. Conſtat enim *abjudicatione injuſtitiæ*, & *adjudicatione juſtitiæ.*

a Rom. 4.11. & 5.1, 18, 19. & 10.4. 1.Cor. 1.30. 2.Cor. 5.21. Gal. 4.5. Phil. 3.9.

XX. *Abjudicatio injuſtitiæ*, eſt qua Deus, paſſionis & mortis Chriſti, pro peccatis noſtris, ſolutione imputatâ, mortem injuſtitiæ noſtræ debitam, abjudicat[a]. Quo ſenſu, *remiſſio peccatorum*[b], vocatur: quæ propriè non eſt juſtitiæ imputatio, ſed vindictæ tantùm, ſeu pœnæ, ob injuſtitiam debitæ, prætermiſſio, & ex reorum ac damnandorum catalogo expunctio, ut & vocis ſignificatio communis, & veritas, exigit. Nam ut peccata à nobis facta, non ignorat Deus, quia omniſcius; ſic, nec facta, infecta judicat, quia verus; ſed pœnam peccatis noſtris meritam, propter Chriſti mediatoris λύτρον ac ſatisfactionem, ignoſcit. Chriſtus enim ſolvit pœnam, quam non debebat[c], pro nobis debitoribus: ut nos ære ſanguinis ſui pretioſi, à debita, omiſſionis officii, & commiſſionis vitii, pœna, quaſi ære alieno, liberaret[d]. Quæ demum, à reatu & pœna liberatio genuina eſt *peccati remiſſio.*

a Rom. 3.24. & 8.1. b Luc. 1.77. Act. 13.38. Eph. 1.7. Hebr. 10.18. Col. 1.14. c Pſal. 69.5, 6. d Eſa. 53.4, 5, 6. Mat. 20.28. & 26.28. 1.Pet. 1.18, 19.

XXI. *Adjudicatio* verò *juſtitiæ*, eſt qua Deus, perfectam mandatorum Legis obſervationem, à Chriſto fidejuſſore, ſecundo Adamo, marito & capite noſtro, nobis nato & dato, præſtitam, nobiſque cum eo (ob unionem, & communionem illam) communem, nobis adjudicat, ad vitam æternam[a]. Quæ, cum individuo nexu, ex Dei fœdere, remiſſioni peccatorum, ſit conjuncta; non eſt mirum, ſi illius interdum voce, per ſynecdochen, ſimul comprehendatur[b]. Hæc de *forma:* quæ, ex materiæ explicatione antecedenti, plenius illuſtrantur.

a Vide Theſ. 7. &c. Rom. 4.11. & 5.18, 19. & 10.4. Phil. 3.9. b Rom. 4. verſ. 6, 7.

XXII. *Finis* denique *juſtificationis*, eſt remotus, vel propinquus. *Remotus* & *ſummus*, eſt *gloria Dei*[a], ſita, in patefactione, ipſius juſtitiæ, & gratiæ ac miſericordiæ[b]. *Juſtitiæ*, quod Filium ſuum, potius *peccatum fieri*[c], voluerit, hoc eſt, reum victimamque peccati, quàm illud inultum relinquere: *gratiæ* & *miſericordiæ*, quod, nobis miſeris, juſtitiam Chriſti gratis donarit, & imputarit[d]. *Propinquus finis*, eſt beneficium Dei, & officium noſtrum. *Beneficium Dei*, eſt adoptio[e], ſanctificatio & glorificatio[f]. *Officium noſtrum*, eſt grata, vitæ noſtræ, ad Dei, in Chriſto juſtificantis, voluntatem & laudem, in vera juſtitia, directio[g]. Qua, licet vitam minimè mereamur[h], Deo tamen creatori ac domino, & per Chriſtum, redemptori ac patri noſtro[i], gratitudinem debitam[k] præſtamus: &, noſtri, per fidem, juſtificationem, peccati odio, & juſtitiæ ſtudio, tanquam fructibus, cohoneſtamus ac comprobamus[l]. Ideoque juſtificanti nos, per fidem in Chriſtum,

Deo, ſit Gloria!

a Epheſ. 1.6. b Rom. 3.24, 26. c 2.Cor. 5.21. Gal. 4.4, 5. Rom. 8.3. d Rom. 4.11. & 5.17, 18, 19. 2.Cor. 5.21. e Ioh. 1.12. Gal. 4.5. Eph. 1.5. f Rom. 8.30. Tit. 2.14. Heb. 9.14. g Luc. 1.74, 75. 1.Pet. 2.24. Tit. 2.11, 12. h Luc. 17.10. Matth. 6.12. i Mal. 1.6. Act. 17.27, 28. 1.Cor. 6.20. k Tit. 2.11, 12. 1.Pet. 2.9. 1.Ioh. 4.11. l Heb. 9.14. Phil. 1.11, 27. Col. 1.10. Iac. 2.18. 2.Pet. 1.8, 9, 10.

DISPUTATIO XXVII.

DE JUSTIFICATIONIS MATERIA ET FORMA.

INter orthodoxa, *religionis Chriſtianæ capita, nullum (poſt illuſtrem illam, de Deo & Chriſto* θεανθρώπῳ, *doctrinam) magis neceſſarium, quàm, de* hominis coram Deo juſtificatione, *dogma: neque aliud majori cura, à corruptelæ fermento protegendum: ut fidei ac ſaluti Eccleſiæ conſulatur. Quocirca, quum non ſolùm* Pontificii, materiam *&* formam, *ſalutaris hujus doctrinæ, vitiarint; ſed* Georgius *etiam* Cargius[a], *in eoſdem ſcopulos, novo commento, impegerit: aliiſque non paucis, errandi occaſionem, præbuerit: idcirco, ad veritatis defenſionem, errores illius retegemus, & falſas hypotheſes ac rationes, quibus fucantur, Deo annuente, à* materia juſtificationis *exorſi, diluemus.*

a De curriculo vitæ Abrah. Scultet.

THESIS I.

DE *materia juſtificationis*, error eſt; eam non eſſe totam Chriſti, ab initio vitæ ad finem illius, legis obedientiam; ſed eam ſolummodo, quam in paſſione & morte adhibuit[a].

a Piſcat. Apolog. pro Diſp. p. 104.

II. *Hypotheſis* autem *prima*, à Cargio propoſita, hæc eſt; *Legem, aut ad obedientiam, aut ad pœnam, non ad utrumque, obligare*[a]. Quæ aperta eſt, in Deum & Legem illius, contumelia: ac totius religionis ſubverſio.

a De curric. vitæ Ab. Scult.

III. Nam, *per accidens peccati*, merito ejus, & juſtâ Legis ſententiâ, *obligati* ſumus *ad pœnam*[a]. Ad *obedientiam* verò, non ſolùm *relate* ſeu conditione finis; ſi ex operibus noſtris, vitam obtinere velimus[b]: ſed etiam *abſolute*; ratione & *Dei*, & *noſtri.*

a Deut. 27.27. Rom. 6.23. b Lev. 18.5. Rom. 10.5.

IV. *Dei* quidem, cùm *jure eſſentiæ:* quia ſummum eſt bonum[a], eoque maximè amandus: tum *jure beneficentiæ* (tam communis; quia creator & gubernator[b]: quam propriæ; quòd noſter ſit redemptor[c]) Dominus noſter redamandus. *Noſtri* verò ratione; quia in Legis obedientia, bonum noſtrum, animique perfectio, ac Dei ſimilitudo, conſiſtit[d]. Ac propterea gemino hoc nodo indiſſolubili, ad Legis obedientiam (quæ Dei proximique amore continetur) aſtringimur. Ideoque hæc *hypotheſis*, quæ hominem peccatorem ac reum pœnæ, ad Deum & proximum amandum, minimè obligari, affirmat, Legis vim ac pietatem (ut error inde ortus, Euangelium) corrumpit.

a Matth. 19.17. b Act. 17.26, 27, 28. Mal. 1.6. c Exod. 20.2. 1.Cor. 6.20. d Mat. 5.48. 1.Pet. 1.16.

V. *Altera* Cargii (ut & Piſcatoris[a]) *hypotheſis* (*Quod Chriſtus, pro nobis præſtitit, ad id præſtandum, nos non obligari*[b]) vana eſt: quia finium diverſitas, Chriſti obedientiam & noſtram, optimè conciliat.

a Apologia pro diſp. p. 20. & 88. b De curric. vitæ Ab. Scult.

VI. Quod enim Chriſtus, pro nobis præſtitit; id non, eodem fine, præſtare tenemur (nempe ut vitam, ex pacto ac jure Legis ſervatæ[a], conſequamur) ſed alio; hoc eſt, ut abſolutè debitum amoris officium ac gratitudinem, præſtemus: ut antè oſtendi. Sicut Chriſtus, pro nobis eſt paſſus, ut nos redimeret ac Deo reconciliaret[b]: attamen nos etiam, pati debemus, ejus exemplo[c]: non ut nos alioſve redimamus (quod Chriſto proprium) ſed ut Dei voluntati, patientiæ officio, pareamus[d]. Atque hæc de *Cargii errore*, & *hypotheſibus* illius falſis.

a Levit. 18.5. b 1.Pet. 1.18. & 3.18. c Matth. 16.24. 1.Pet. 2.21. d Ibid. Heb. 10.36.

VII. *Tertia* verò *hypotheſis*, quæ à Cargii aſſenſoribus af-

ferri solet, nempe; *Quam obedientiam quis pro se debet Deo, eam, pro alio quoque, præstare non potest*, similiter infirma est. Quamvis enim id, de nobis, alisque generis humani posteris, dici queat [a]: falsò tamen, de stirpe atque origine generis, asseritur. Siquidem suam simul, & posterorum, vicem, ex Dei instituto, sustinet. Adamus enim primus, secundi typus [b], ad tempus, pro se, suisque posteris generandis, stetit atque obedivit: ut etiam, pro se suisque, lapsus & inobediens factus est [c]. Similiter secundus Adamus Christus (qui nobis natus ac datus [d]) pro se suisque posteris regenerandis [e], stetit atque obedivit, illiusque obedientia ac justitia, est nostra [f].

a Ezech. 18. 19, 20. b Rom. 5. 14. c Rom. 5. 12, 19. d Esa. 53. 10. e Ibid. 9. 6. f Rom. 5. 18, 19. Phil. 3 9. Rom. 10. 4.

VIII. *Quarta hypothesis*, gemino errore, & destructione sui, fœcunda hæc est; quòd in Christo, duplex sit perfecta obedientia, activa & passiva: ideoque quum perfecto nihil addi possit: unâ nobis imputatâ: alteram non imputari [a]. *Primus* enim *error* est, quòd eam, quæ perfecta non est, perfectam statuat obedientiam. Siquidem obedientia Christi, in passione adhibita (quam, vocum contradictione, passivam vocant) perfecta obedientia esse non potest: quia tantùm est, perfectæ obedientiæ Legis, pars aliqua: nempe patientia, in pœna (quæ nobis debebatur) subeunda ac perferenda.

a Pisc. Apol. pro Disp. p. 39. & 70.

IX. Quæ patientia, fuit dilectionis Dei ac proximi perfectissimæ, actio, non universalis; sed particularis quædam. Joh. 14. 30. 31. *Venit princeps mundi, & in me non habet quicquam. Sed hæc fiunt, ut cognoscat mundus, me diligere Patrem: prout autem mandavit mihi Pater, ita facio.* Eph. 5. 1. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum, pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Quare non duplex est, sed unica tantùm, perfecta Christi obedientia: quæ tam extra passionem, quàm in passione, versata est: nec pars illius, perfecta seu tota obedientia, sine turpi contradictione, dici potest. Hic igitur *primus* est hypothesis *error*.

X. *Alter* verò est, quod obedientiam actionum Christi perfectam, subtractione partis illius (seu obedientiæ, in passione, exhibitæ) imperfectam perspicuè constituat. Ideoque hypothesis hæc, de duplici perfecta Christi justitia, justissima erroris talione, seipsam evertit: & Legem non minus, quàm Euangelium, mutilando violat.

XI. *Quinta hypothesis* est; Duo illa pronunciata; *Christus, sanguinis sui effusione, redemit nos, ab execratione Legis: &; Christus obedientiam præstitit, pro nobis, implicare contradictionem* [a]: quæ similiter falsa est. Siquidem ista duo probè, inter se, consentire, res ipsa demonstrat: quia alterum, alterius, reciproca est ac necessaria, conditio.

a Pisc. Apol. Disp. p. 17.

XII. Nam ut sanguinis Christi effusio, quæ nos, à maledictione redemit, id præstare nequivisset, nisi perfecta adfuisset obedientia (aliàs enim ipsemet peccator fuisset, ac pro se puniendus) sic vicissim, totius vitæ ipsius obedientia, non potuisset nos perfectè justos constituere, nisi pro nobis pœnam, quam Legi violatæ ac justitiæ divinæ debebamus, simul pertulisset. Et jam antè ostendi, obedientiam passionis, fuisse obedientiæ Christi, pro nobis lapsis, partem necessariam, ideoque, unius positio, alterius inclusio est, non exclusio.

XIII. Hisce hypothesibus, ratio quædam, addi solet; quòd, quum justificatio & vita æterna, oblationi corporis & sanguinis Christi, tribuantur [a]: inde consequi, vitæ Christi obedientiam, non esse nostram coram Deo justitiam, sed eam tantùm, qua passionem & mortem pertulit. Verùm falsa est consequentia: quia per synecdochen, parti obedientiæ, quod totius est, attribuitur. Nam (ut modo demonstravimus) sola pœnæ patientia, perfecta justitia (quæ sola justos constituit) propriè dici non potest, neque oblationi corporis & sanguinis Christi, justificatio, sine synecdoche, verè adscribitur.

a Rom. 3. 25. Joh. 6. 51.

XIV. Christus enim, non solùm corpus & sanguinem, sed etiam animam suam, pœnis pro nobis ferendis, obtulit: nec ea solùm, in fine vitæ crucem mortemque ferendo, sed simul inde ab initio, pro nobis patiendo [a]: nec *corpus & animam* solum obtulit ad pœnam & redemptionem; sed suam etiam perfectam totius vitæ obedientiam ad justitiam & vitam. Quæ duo, individuo nexu fuerunt conjuncta: & ad justificationem perfectam concurrunt. Quippe, *per Spiritum æternum, seipsum obtulit inculpatum Deo* [b]: *& passus est justus, pro injustis, ut nos ad Deum adduceret* [c].

a 2. Cor. 8. 9. Phil. 2. 8. b Heb. 9. 14. c 1. Pet. 3. 18.

XV. Neque obstat, quod ad Heb. 10. 9. dicitur; *Ecce adsum, ut faciam Deus voluntatem tuam:* & vers. 10. *Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis semel* (factam.) Nam voluntas illa Patris, à Christo facta, obedientiam universam Christi complectitur: cujus pars una, in oblatione corporis sita, pro materiæ subjectæ ratione, describitur: non autem plenè definitur. Idque ex Psal. 40. 8, 9. (quem adducit Apostolus) apparet; *Ecce venio &c. facere voluntatem tuam Deus mi delector: & lex tua est in visceribus meis.* Deinde etiamsi definiret, pars tantùm justificationis, oblationi corporis attribueretur: quia sanctificatio hoc in loco, purgationem à peccatis, solummodo designat (ut versus 1. & 2. & 4. & 11. & 12. ostendunt) quæ, passioni ipsius, propriè convenit.

XVI. Nam quod nonnulli objiciunt; Qui purgatus est à peccato, is perfectè justus est, ac jus habet vitæ æternæ: illud meritò negatur. *Primùm* quia ad perfectè justum, requiritur non tantùm purgatio à reatu peccati (qualis Heb. 10. intelligitur: quia purgati, de quibus agitur, originalis peccati reliquas adhuc maculas retinent) sed etiam ab omni macula illius.

XVII. *Deinde*, neque omnis peccati absentia sufficit, ut quis perfecta justitia, quæ jus habeat vitæ, sit præditus, sed etiam obedientia legis perfecta requiritur: hoc est, ut omnia præcepta, omnino, & omni tempore, observentur. Quomodo Adamus ante lapsum, etsi non fuerit injustus ac peccator; non fuit tamen perfectè justus, ea justitia, quæ ad jus vitæ requirebatur: quia duratio justitiæ inchoatæ, ad finem non successit. Atque hæc de *materia justificationis*, totius Christi obedientiæ nobis imputatæ, veritate, adversus Cargianos errores falsasque hypotheses, sufficere speramus: ideoque ad *formam* ejusdem asserendam, procedemus.

XVIII. *Error*, in ea tradenda, Cargianus, exprimitur, ab assensore, his verbis; *De causa formali justificationis doceo; justificationem, nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum* [a]: quo, indigna justificationis mutilatio, continetur: impurisque hypothesibus innititur: ut examen demonstrabit.

a Piscat. Apol. pro Disp. p. 104.

XIX. *Hypothesis* enim *prima* & erroris fons est; *imputare justitiam, & remittere peccata, esse idem* [a]: quod à veritate omnino abhorret, & res diversas, imperitè noxièque commiscet, ac veram justitiæ Christi imputationem, & salutem inde pendentem, è medio tollit.

a Pisc. Apol. p. 4.

XX. Quia *imputare* alicui *justitiam*, nihil aliud est, (citra controversiam) quàm justum ceu perfecta legis obedientia præditum, judicare [a]. *Remittere* verò *peccata*, est tantum, pœnam peccatis debitam, prætermittere: seu, à pœnâ meritâ, absolvere. Quod sanè longè est aliud, quàm justitiam, hoc est, perfectam Legis obedientiam, imputare [b]. Quare, ut justitia imputetur: non sufficit, ut Deus, propter pœnæ, à Christo, pro nobis solutæ, satisfactionem, ab ea nos absolvat; sed etiam, ut obedientiam perfectam (qua caremus) à Christo præstitam, nobis donet. Nam licet justificatio quædam sit à peccatis [c], quod ea non imputentur, illa tamen non est universalis personæ justificatio (qua simpliciter coram Deo perfectè justi & hæredes vitæ æternæ constituimur) sed particularis, ac pars illius, quâ adversus Legis condemnationem, ob Christi passionis satisfactionem, à debito pœnæ, immunes censemur.

a Ibid. p. 70. b Vide thesin 16. c Act. 13. 39.

XXI. Nec ea obstat argutia, quod non solum peccata commissionis, sed etiam omissionis, sint remissa. Siquidem non propterea, tales à Deo judicantur, quòd nihil mali commiserint, nihilque boni omiserint (hoc enim scientiæ, & veritati, justoque Dei judicio, repugnat) sed quod à debita, omissionis officii, & commissionis vitii, pœna (quia eam Christus, pro iis persolvit) liberos judicet. Solis verò iis justitiam

tiam imputat, seu justos judicat, qui perfectam habent legis obedientiam [a]: quæ in solo Christo extat: ipsique fide unitis, à Deo datur atque imputatur [b].

a Pisc. Apol. p. 70. b Heb. 7. 26. Phil. 3. 9. Rom. 10. 3.

XXII. Quare falsum est illud consectarium; *Propter quam rem, Deus nobis remittit peccata, propter eam ipsam rem, nobis imputat justitiam* [a].

a Pisc. Apol. p. 60. & 61.

XXIII. Sed rursus, imbelle telum, objicitur; *Pro quibus Christus mortuus est, illi SUNT injusti*, 1. Pet. 3. 8. *illi quibus imputatur obedientia Christi activa, non sunt injusti: Ergo pro illis, quibus imputatur obedientia Christi activa, Christus mortuus non est. Et per consequens, frustra est mortuus* [a]. Nam propositio falsa est. Non enim omnes illi, pro quibus Christus mortuus est, SUNT injusti: neque Petrus hoc asserit.

a Pisc. Apol. p 82.

XXIV. Nam etiam pro sanctis, qui in cœlis sunt, Christus est mortuus, Apoc. 5. 9. qui tamen, non sunt injusti; sed absolutè ac simpliciter justi, Heb. 12. 23. Quare, ut vera fiat sententia, addendum, injusti sunt, aut FUERUNT: atque ita, Assumptio erit falsa.

XXV. Deinde si subjectum speciatim, & correctione quadam, ad eos, qui in terris sunt, restringatur, nihil rursum efficiet. Nam injusti intelligentur, aut absolutè, aut relatè. Si absolutè; falsa erit Propositio. Nam, pro viva fide præditis, in terris, Christum esse mortuum, nemo dubitat: attamen illi non absolutè sunt injusti; sed contra, in Christo justi ac justificati. Sin verò relate tantùm, seu quales sunt, si per se, ratione naturæ suæ vitiosæ, & in se considerentur, Assumptio erit falsa. Quia fideles, etsi ratione unionis cum Christo, per fidem, & in eo sint perfectè justi: in se tamen, ratione reliquiarum carnis, & repugnantiæ illius, adversus spiritum [a], eatenus sunt injusti [b]. Quare malæ causæ malum accessit patrocinium.

a Gal. 5. 17. b 1. Joh. 1. 8.

XXVI. Quale etiam, quod ex detortis Apostoli, ad Rom. 8. 3. & 4. 6, 7. verbis, proponunt [a]. Nam ad prius quod attinet, licet Deus Filium suum, miserit in sacrificium, pro peccato, ut δικαίωμα Legis impleretur in nobis; illud tamen non probat, in sacrificio Christi (à vitæ obedientia distincto) perfectam esse Legis obedientiam, eamque nobis imputari. Nam obedientia ac justitia Legis, quæ nobis imputatur, non in nobis impletur: sed in Christo, impleta est: deinde sacrificii obedientia particularis, non est perfecta atque integra justitia, quam Lex à nobis exigit; sed extrema tantùm illius portio. Ideoque δικαίωμα justitiam potius quam justificationem notat: quæ paulatim, in nobis impletur, sanctificatione, quam Christus, sacrificio suo, est promeritus [b]. Hæc de prima Pauli sententia.

a Pis. Apol. 70. & 63. b Rom. 6. 6.

XXVII. Ex secunda quoque, infirmum prorsus argumentum, deducitur: licet palmarium existiment. Nam Syllogismus est hujusmodi; *justificationem esse justitiæ imputationem, probat Paulus Rom. 4. 6, 7. testimonio Davidis, aut per ipsa verba illius, aut per æquipollentiam verborum: non autem probat per ipsa verba: probat igitur per verborum æquipollentiam, & per consequens, locutiones istæ, imputare justitiam, & remittere peccata, æquipollent* [a]. Sed vana est Propositionis disjunctio: ac falsa nititur hypothesi: quia dictio ac probatio alicujus sententiæ, esse potest non solùm per ipsa verba, aut per æquipollentiam: sed etiam absque iis, per consequentiæ vim.

a Pisc. Apol. 63. & 48.

XXVIII. Sicut Christus ait, de resurrectione mortuorum *dictum* esse à Deo, *ego sum Deus Abraham* [a]: ubi nec verba ea, neque æquipollentia; sed alia (unde, per consequentiam necessariam, resurrectio dependet) recensentur. Sic hoc in loco, quia remittere peccata, & imputare justitiam, individuo, fœderis gratiæ, nexu (licet à distinctis causis procedant) constringuntur: ut cui unum Deus donet, alterum etiam largiatur: idcirco uno posito, alterum, necessariâ consequentiâ, indicatur.

a Matth. 22. 31, 32.

XXIX. Deinde altera etiam hic subest, hypothesis falsa, quasi ea esset tantùm æquipollentia verborum, quum propriè, absque synecdoche aliove tropo, verba intelliguntur: quum tropus & alibi non rarò, & hoc in loco subsit. Nam remissio peccatorum, non propriè, sed per synecdochen, partis pro toto, commodissimè (ob mutuam ac necessariam, cum imputatione justitiæ, connexionem) totam justificationem, designat. Nec enim, sine hac considerata, justos & beatos constituere posse, jam antea demonstravimus. Quam Pauli synecdochen, quædam etiam Ecclesiarum Confessiones imitantur: ut inde frustra, erroris prætextus, rapiatur.

XXX. Denique, quod passim, magna confidentia, inculcatur; *Scripturam nusquam tradere, nobis ad justitiam, imputari obedientiam Christi activam* [a]: illud facillimè, discussa falsarum hypothesium ac rationum, caligine, in Scriptura relucere, conspicietur. Nam Dan. 9. 24. duo illa Christi beneficia, nobis parta, recensentur, *expiatio iniquitatis*, & *adductio justitiæ æternæ*: quæ diversa esse, jam antè evicimus.

a Piscat. Apol. p. 11. & 39.

XXXI. *Deinde* Jer. 23. 6. Christus dicitur, *Iehova, justitia nostra*: & 1. Cor. 1. 30. *vos autem estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, Iustitia* &c. 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non norat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut fieremus, Iustitia Dei, in eo.* Phil. 3. 9. *Ut inveniar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex Lege; sed quæ per fidem est, Christi: quæ ex Deo justitia, per fidem.* Atqui justitia nostra esse non potest, nisi sit perfecta totius Legis observatio.

XXXII. *Præterea*, ad Rom. 5. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius hominis* obedientiam, justi *constituentur multi.* Hoc est [a], ut Phil. 2. 8. *seipsum submisit, factus obediens USQUE AD mortem, mortem autem crucis.* Quæ obedientia non alia quàm perfecta ab initio, usque ad finem vitæ, intelligi potest: quia hæc sola justitia, perfecta fuit, solaque, justum constituere, valuit: quod obedientiæ (de qua hic agitur) hoc loco tribuitur. Qua de re vera hæc est confessio, *concedo oportere nos, habere obedientiam Legis perfectam, quæ per imputationem, nostra fiat* [b].

a Piscat. Anal. Rom. 5. 19. b Pisc. Apol. 69. & 70.

XXXIII. Quod verò subnectit; *Sed dico, hanc imputationem fieri propter obedientiam Christi passivam* [a]: illud, falsa & jam ante confutata hypothesi, nititur; quod obedientia illa, qua sub finem vitæ, passionem pertulit, sit perfecta obedientia Legis: quum illius tantum sit pars, imo partis pars (licet excellens) quoniam obedientia passionis Christi, ab initio vitæ cœpit, & ad mortem usque perduravit [b]. Neque potest Deus, quia verax est ac justus judex, partem justitiæ, integram esse justitiam, judicare, quia seipsum abnegare non potest.

a Ibid. b 2 Cor. 8. 9. Phil. 2. 8.

XXXIV. Denique Rom. 10. 4. *Finis legis est Christus, ad justitiam omni credenti.* Ubi finis vox, aut συμπλήρωμα complementum (ut Chrysostomo placet) aut causam, cujus gratia Lex est, designat, nempe obedientiam perfectam. Quæ quum nobis natura desit: soli verò Christo adsit: ea nostra fit per fidem, ut justi simus & jus vitæ obtineamus.

XXXV. Nam quod Christum legis finem, ideo dici asserunt, *quod ea lata sit, ut per illam, de peccato & impotentia implendi eam, convicti* (Rom. 3. 20. & 8. 5.) *justitiam per fidem quæramus in Christo* [a]: alienum est. Primò, quia, hic non est finis legis, per se: sed hic usus tantùm est per accidens lapsus: ut convincamur peccati & impotentiæ nostræ: & usus non primarius: quia hic est, obedientia. Deinde verum non est, Legem ideo latam, ut Christum quæramus: aliàs Christum doceret, & ministerium esset, non mortis, sed vitæ: quod Euangelio est proprium. Neque etiam *pædagogus ad Christum* Lex moralis dicitur, sed ceremonialis: quæ Christi umbram continuit. Atque hactenus *errorum* retectio, & *hypothesium falsarum de materia & forma justificationis*, elenchus.

a Pisc. Apol. Disp. p. 12.

XXXVI. Ve-

XXXVI. Veruntamen Corollarii loco attexitur atque objicitur *Confessionis Ecclesiæ Belgicæ consensus*, nobis etiam ad falsitatis elenchum expendendus, ac primum de justificationis materia. In eadem (inquit Piscator) doctrina consentit Confessio Belgica articulo XXIII. ubi sic legitur; SOLA *Iesu Christi crucifixi obedientia suffulti, in ea prorsus acquiescimus: quæ quidem nostra est, cum in eum credimus. Hæc porro una abundè sufficit ad omnes iniquitates nostras obtegendas, tum etiam ad nos tutos securosque reddendos, adversus omnes tentationes* [a]. Deinde, de *causa formali* justificationis, ait; idem etiam docet confessio Belgica articulo XXIII. his verbis; *Credimus* OMNEM *felicitatem nostram sitam esse, in peccatorum nostrorum remissione, quæ est in Christo Iesu:* eaque UNICA, TOTAM *nostram justitiam coram Deo, contineri* [b].

a Pisc. Apol. Disp. p. 103. b Ibid. p. 104.

XXXVII. Speciosa sanè oratio: sed minus proba: ob pii & eruditi viri, in expositione Confessionis nostræ, errorem: & falsarii, à quo deceptus est, fraudem. Error est quòd SOLAM *crucifixi obedientiam*, de ea sola (quam passivam vocat) accipiat: quum tota intelligenda sit, quam crucifixus habuit: quæ ab effecto suo synecdochicè describitur,. non autem plenè definitur, quum iniquitates nostras obtegere dicitur: ut ad Rom. 4. cujus meminit. Et quamvis verum sit, hanc (UNAM ABUNDE) sufficere: illa tamen verba, non bona fide, à falsario sunt inserta.

XXXVIII. Idque art. XXII. (ubi justitia nostra coram Deo definitur) apertè demonstrat, his verbis; *Iesus Christus nobis imputans, omnia sua merita,* ET TAM MULTA SANCTA OPERA, QUÆ PRÆSTITIT PRO NOBIS AC NOSTRO LOCO (hæc falsarius ille interpres Cargianus, errori suo adversa, detruncavit) *est nostra justitia.*

XXXIX. Sic etiam initio artic. XXIII. verba illa, OMNEM & UNICA, TOTAM (in quibus totum, probandi consensus, momentum, ponitur) ab eodem illo falsario, perfidè sunt infarta: neque in Confessione nostra continentur. Ac propterea meritò, pro depravata illa Confessionis nostræ versione (in Harmonia Confessionum, & in Corpore ac syntagmate Confessionum) Genevæ edita, incorrupta ac pura, esset bona fide restituenda.

XL. Atque hæc de *erroribus, falsisque hypothesibus*, ac *falsis testimoniis*, circa doctrinam de *materia* & *forma justificationis*. Quæ controversia est, non de re levi; sed de uno, è primariis religionis Christianæ capitibus: & quidem non de circumstantia; sed de essentia illius: quæ, materia ac forma, certò continetur. Ac propterea errorum istorum confutatio, non est *rixa inanis* (ut à patronis illorum, qui justificationem, sua materia ac forma inanem reddunt, exprobratur) sed defensio veritatis Orthodoxæ necessaria: ut & doctrina Legis, & Euangelii (quæ, uti ostendimus, corrumpuntur) illæsa integraque conservetur.

XLI. Neque hæc doctrinæ assertio, subtilitatis alicujus nomine, potest infamari: quum, inter primaria ac necessaria religionis elementa, discenda, tradatur & inculcetur pueris, in Catechesi nostra. Quæ primum fuit Palatina, & ante promulgationem ejus à Principe Palatino missa ad Gallicas, Anglicas, aliasque Ecclesias censenda, & communibus earum calculis probata est: ac tandem, in Synodo Nationali, solenniter confirmata.

XLII. In ea autem, ad quæst. 60. *Quomodo justus es coram Deo?* in Resp. dicitur, quòd, *mihi perfecta* SATISFACTIO, JUSTITIA ET SANCTITAS CHRISTI, *imputetur ac donetur: perinde ac si, nec ullum ipse peccatum admisissem, nec ulla mihi labes inhæreat: imo verò, quasi eam* OBEDIENTIAM, *quam Christus* PRO ME *præstitit, ipse perfectè præstitissem.*

XLIII. Et repetitur Quæst. 61. *Cur sola fide te justum affirmas? Non quod dignitate fidei meæ, Deo placeam; sed quòd* SOLA SATISFACTIO, JUSTITIA ac SANCTITAS *Christi*, MEA JUSTITIA, *sit coram Deo.*

XLIV. Huc accedit solennis, *administrationis Cœnæ, forma:* quæ ab omnibus Cœnæ administris pastoribus, ante Cœnam, toti Ecclesiæ prælegitur, & communi illius consensu approbatur. In qua, eadem veritas ita proponitur atque iteratur; *Secundò quisque cor suum examinato, an etiam, hæc certa promissa Dei credat, quod ipsi, omnia* PECCATA *sua, solùm passionis & mortis Christi causa* REMISSA *sint,* ET PERFECTA CHRISTI JUSTITIA, *ipsi tanquam propria, imputata ac donata sit, imò ita perfectè, ac si ipsemet in propria persona, pro omnibus peccatis suis, satisfecisset, omnemque justitiam implevisset.*

XLV. Idemque postea, in beneficiis Christi recensendis, inculcatur his verbis; IRAM DEI *(sub qua necesse fuisset, nos in æternum submergi) ab initio, quo homo factus est, ad finem vitæ* suæ, in terra, pro nobis, PERTULIT: ET OMNEM OBEDIENTIAM ET JUSTITIAM DIVINÆ LEGIS, PRO NOBIS IMPLEVIT. Ex quibus firma & clara, Ecclesiæ nostræ, de justificatione sententia, & quantopere ea, cum adultis, tum pueris etiam sit proponenda ac discenda, elucet.

COROLLARIA.

1. *An justificare, in Sacris literis, interdum significet liberare? A. ex Rom. 6. 7.*

2. *An recta sit versio Piscatoris, Rom.* 4. 4. merces non imputatur ex gratia, sed *datur* ex debito: *ut inseratur per ellipsin vox*, datur? *Neg.*

3. *An vera sit hypothesis ullius, quæ in scholiis subditur,* Nam certò ex debito non dicitur quippiam imputari: *cum imputatio, sit rei, quæ non debetur? Neg.*

4. *An orthodoxè à Pisc. dicatur Rom.* 8. 4. Hic indicat finem, cujus gratia Deus, in carne Filii sui condemnavit peccatum nostrum, ut scil. justificatio Legis in nobis compleretur, h. e. ut justificaremur, præditi, ea justitia, quam Lex à nobis postulat. *Lex enim à nobis postulat aut perfectam obedientiam, aut pœnam.* Nos autem obedientiam perfectam, non præstitimus: at pœnam luimus in Christo: is enim pro nobis luit. Ergo Legi satisfecimus in Christo: & proinde Lex non potest nos condemnare; sed tenetur nos justificare? *Negamus.*

DISPUTATIO XXVIII.
CONTRA ERRORES PONTIFICIORUM, DE JUSTIFICATIONE.

Quemadmodum, citra controversiam, orthodoxa, de hominis, coram Deo, justificatione, doctrina, illustris est, & ad salutem necessaria: idcirco, non solum fideliter ea est tradenda, sed etiam adversus veritatis hostes, constanter & prudenter, vindicanda. Quocirca, quum aliàs, copiosè satis sæpiusque, sinceræ doctrinæ fundamenta, sint explicata: non incommodum fore videtur, si nudè, Pontificiorum hac in re errores, in theatrum Academicum produceremus: & oppositis rectæ sententiæ dogmatis, fœditatem illorum, eo luculentius retegeremus. Hac enim ratione facilius ac tutius, hanc materiam, cum adversariis disceptari, & promptius, sinceram Ecclesiæ confessionem, cognosci ac defendi posse, arbitramur. Quare ad Christianam de hisce rebus συζήτησιν, pios & eruditos auditores, invitamus.

THESIS I.

Vocem Hebræam *tsiddek*, vel *hitsdic*, Græcam δικαιοῦν (quam docendi causâ, confictο verbo, in Ecclesiâ Latinâ, justificare, interpretantur) in sacra scriptura, quum, de justificatione hominis, coram Deo, agitur, justum facere, infusione justitiæ inhærentis, denotare, Pontificii contendunt. Bellarminus de justif. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 3. & 6. & lib. 4. cap. 18.

II. Orthodoxi verò contra statuunt, hujusmodi vocis acceptionem, esse alienam. Et quamvis probabile nonnullis videatur, alicubi in sacris literis (ubi, de justificatione nostri, coram Deo, non est sermo) eo sensu usurpari: neque id, causæ Pontificiorum, vel hilum opituletur; nihilominus tamen verissimè, & ad errores Pontificis, hac in re, funditus extirpandos accommodatius, contrarium, ab aliis orthodoxis assertum, eadem ratione statuimus. Nullus enim omnino, ex Sacra Scriptura, neque ex Apocryphis, locus adferri potest, unde, ea significatio, certò demonstretur: ut, instituto singulorum examine, facilè liquebit. Imo, & frustra hactenus, à Papæ promachis, ex profanis Græcæ linguæ authoribus probatis, hujusce significationis exempla, desideramus.

III. Utque in *vocis* hujus significatione, quasi in limine hujus dogmatis, impegerunt; sic, in rei significatæ penetrali, gravius & copiosius offenderunt. Siquidem, præstitutâ justificationis, in primam & secundam, distributione, primam exponunt, quâ homo impius, seu nondum regeneratus, infusione justitiæ, primum fit pius. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. Bellarm. de justif. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 3. & 6. & 15.

IV. Contra Orthodoxi docent, justificationem, hoc modo, in sanctificationem, seu regenerationem (à quâ, in Dei verbo, ut diversum beneficium, distinguitur) perversè commutari: eamque quum imperfecta sit (ut carnis, contra spiritum repugnantis, reliquiæ contagiosæ, demonstrant) nos neutiquam posse justificare.

V. Hujus etiam justificationis partes, simili errore, constituunt, remissionem peccatorum; (ut terminum à quo, & internam hominis sanctificationem, seu infusionem, justitiæ; ut terminum ad quem: unde justificatio, suum nomen acceperit; ut omnes similes notiones, illuminatio, calefactio &c. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 7. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 6. Bellarm. de justif. lib. 1. cap. 1. & l. 2. c. 3. & 6. & 11. & 12.

VI. Orthodoxi contra sanctificationem, ab universa justificatione, ut modo diximus, justè discernunt.

VII. Remissionem etiam peccatorum, impurè asserunt Pontificii, non esse solam condonationem pœnæ, sed etiam ablutionem & emundationem culpæ: quâ, peccatum originis, & mortalia, tolluntur penitus, & evelluntur, ex animo. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 1. & quæst. 113. art. 2. Bellarmin. de justific. lib. 2. cap. 7. & 10. & 11. & 12. Gregorius de Valent. commentar. theolog. tom. 2. disp. 8. quæstione 5. puncto 5.

VIII. Orthodoxi contra, remissionem peccati, à sanctificatione, sanctè distinguunt: & peccatum originis tolli, non penitus, sed partim, in hac vita, ex reliquiis illius noxiis, evincunt. Rom. 7. Gal. 5.

IX. Subjectum etiam justificationis, latius, quàm scripturæ latices ferant, Pontificii diffundunt ac definiunt, non esse solos prædestinatos ad vitam æternam, sed etiam reprobos. Concil. Trident. Sess. 6. can. 17. Bellar. de justificatione lib. 3. cap. 14.

X. Contra verò Orthodoxi, solos ad vitam æternam electos, justificari, Deo duce, agnoscunt.

XI. Causam efficientem, disponentem ad justificationem statuunt Pontificii, non solam fidem; sed actum fidei, spei, timoris, dilectionis, pœnitentiæ &c. Bellarm. de justif. lib. 1. cap. 10. & 13. & lib. 2. cap. 15. fidemque aliquo modo mereri justificationem. Idem de justif. lib. 1. cap. 17.

XII. Contra Orthodoxi, præviâ verbi divini luce, solam fidem id habere privilegii, non opera aliarum virtutum: nec mereri tamen ullo modo justificationem, constanter asserunt.

XIII. Instrumentalis item causa, ut Concilium Tridentinum definit, est sacramentum Baptismi: quo nondum regeniti, Christum induentes, infusione fidei, spei, charitatis, nova prorsus in illo efficimur creatura, & integram peccatorum remissionem consequimur. Sess. 6. cap. 4. & 7. & Sess. 14. cap. 2.

XIV. Quod impurum commentum, ut naturæ novi fœderis, justificationis, & sacramentorum, adversarium, Orthodoxi purè aversantur.

XV. Causam formalem justificationis, simili errore, definiunt, esse justitiam habitualem infusam, nobis reipsa inhærentem. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. & can. 10. & 11. Bellarmin. de Justif. lib. 1. cap. 18. & lib. 2. cap. 12. & 15. Gregor. de Valen. Comment. Theol. tom. 2. disp. 8. quæst. 5. puncto 3.

XVI. Eodem pertinet erroris hujus explicatio; fidei habitum, esse causam formalem inchoatam justificationis, sed charitatem, consummantem. Eamque charitatem, esse formam extrinsecam fidei; non intrinsecam: quæ det illi; non ut sit; sed ut moveatur. Bellarm. de Justif. lib. 1. cap. 17. & lib. 2. cap. 4.

XVII. Ad secundam justificationem quod attinet, pari erroris progressu eam describunt, esse hominis prius justificati, qua justus justificatur adhuc, seu, ex justo fit justior, justitiæ inhærentis incremento. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 10. Bellarm. de justif. lib. 2. cap. 15. & lib. 4. cap. 18.

XVIII. Hujus justificationis causam efficientem, merito suo, docent esse opera fidei, spei, charitatis &c. eaque hominem justificare meritoriè, ut loquuntur: quod augmentum justitiæ promereatur. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 10. & can. 24. & 32. Bellarmin. de justificat. lib. 1. cap. 19. & 2. 16. & l. 4. c. 18.

XIX. Contra Orthodoxi eam sententiam, perfectæ Christi gratiæ, & operum nostrorum imperfectioni, è diametro repugnantem, meritò refutant.

XX. Denique justificationis adjunctum, statuunt Pontificii, dubitationem. Neque illud (ait Concil. Trident. Sess. 6. cap. 9.) asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absque ullâ omninò dubitatione, apud semetipsos statuere, se esse justificatos. Quod placitum Pontificis, quia fidei veræ adversatur, Orthodoxi justè detestantur, non minus, quàm antecedentia: ut

Deo soli sit gloria.

DISPU-

DISPUTATIO XXIX.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Q*Vum Dei, per Christum Servatorem, beneficia*, gratiæ & gloriæ[a] *complexu constent: quorum illud, salutis est fundamentum & structura; hoc, fastigium illius ac coronis: consentaneum est, ut* gratiâ, *suis gradibus, sæpius explicatâ, ad* gloriam *asserendam, transeamus. In quâ, chorum ducit*, fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum[b]*: sine qua, fallax & ingrata gratia*[c], *fides insida ac vana*[d], *vitaque fidelium, non vitalis; sed mera mors ac summa miseria*[e]. *Quamobrem, ut & orthodoxa fidei, pro tenuitate nostra, succurramus: & noxiis impiorum ludibriis*[f], *quibus incautos irretiunt, & cautos fatigant, commodè occurramus; eximiæ hujus doctrinæ* veritatem, & utilitatem, *in arenam literariam reducendam, Deoque duce expendendam, arbitramur. Quæ* veritas (*ex* vocis reique, descriptione *&* distributione) *explicata ac demonstrata, perspicuè, uti speramus, elucebit.*

a Psal. 84. 12. Rom. 8. 30. 2. Thess. 1. 10. b Tertul. lib. de Resur. c. 2. c 1. Cor. 15. 17, 18, 19. d Ibid. vers. 14. 17. e Ibid. 18. 19. f Matth. 22. 23. Actor. 17. 32. 1. Cor. 15. 19, 32, 33, 34. 2. Tim. 2. 17, 18. 2. Pet. 3. 3, 4.

THESIS I.

R*Esurrectio*, Hebræis *tekumá*[a] (ut Syris *Kejameta*[b]) Græcis verò ἀνάστασις[c] & ἔγερσις[d] dicitur: hoc est, (ut Damascenus[e] interpretatur) δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *secunda ejus, quod ceciderat, statio*: aut potius ac plenius, iterata corporis, à recto statu, quocunque modo, declinati, erectio[f].

a Matthæus Hebraicus uterque c. 22. 23. David Kimchi in Psal. 1. b Test. Syr. Mat. 22. 28. 2. Tim. 2. 18. c Ioh. 5. 29. d Matth. 27. 53. e Orthod. fidei lib. 4. cap. 28. f Matth. 9. 9. Luc. 4. 39. & 5. 24. 25. & 6. 8. Act. 9. 40, 41.

II. Qualis alia, est vivi: alia, mortui; quæ idcirco distinctè, *resurrectio mortuorum*[a], & relatè ad mortuos, per *ellipsin, resurrectio*[b] vocatur. Unde metaphoricè, insignem ex calamitatibus (quæ mortis instar) liberationem[c], notare solet. Prior autem significatio (ut & metaphorica) à nostro instituto aliena est: posterior verò hoc modo *generatim*, *subjecti*, & *causarum* cancellis comprehensa, *delineari* ac *definiri* potest.

a Mat. 22. 31. b Mat. 22. 30. Act. 23. 8. c 2. Cor. 1. 9, 10.

III. *Resurrectio mortui, est actio divina, qua hominis cadaver restitutâ per unionem hypostaticam animâ, vivificatur, & resuscitatur; ad immensæ Dei sapientiæ & potentiæ gloriam.*

IV. *Subjectum* resurrectionis hujus *proprium* (& quasi *materia*, *in qua* exercetur) est *hominis cadaver*, à cadendo dictum[a]: quod corpus, per animæ separationem vita cassum, & casu consequente prostratum, seseque erigendi facultate destitutum, simul designat: & Hebræis *nebhelá*[b], ac Græcis πτῶμα[c], eodem sensu, ac simili etymo, dicitur. *Proprium* autem ideo appellamus, quod hæc resurrectio, ei *soli*, conveniat: &, ab hoc censu, bruta quidem, ob vitæ suæ impotentiam; anima verò humana, ob immortalis suæ vitæ potentiam[d], excludantur.

a Tertul. de Resur. c. 18. b Esa. 26. 19. c Mar. 6. 29. d Matt. 10. 28.

V. Hæc enim *resurrectio, caduca rei est*, anima verò *cadere non potest, quæ suscitabit ingressa: non potest ruere, quæ elidit egressa*[a]. Etsi impropriè similitudine quadam, sanctificatio illius, *resurrectio*[b], & *resurrectio prima*[c] (corporis utique resurrectioni gloriosæ prævia[d]) appelletur; quod, ut originalis justitiæ, & Dei gratiæ privatio, animæ quasi mors[e] est; sic justitiæ illius, & Dei gratiæ restitutio, animæ vivificatio ac resurrectio ad novam vitam, censeatur[f]. Sic etiam resipiscentia à mortuis operibus[g], *revictio*[h] dicitur: unde concinnè Andreas Cæsariensis[i] ait, πρώτη ἀνάστασις, ἡ ἐκ νεκρῶν ἔργων ζωοποίησις· *prima resurrectio, est vivificatio ex operibus mortuis.* Hæc de *materia*.

a Tertul. lib. de Resurrect. c. 18. b Ioh. 5. 25. Luc. 2. 34. & 15. 32. c Apoc. 20. 5, 6. d Ioh. 5. 25, 28. e Iohan. 5. 25. Matth. 8. 22. 1. Tim. 5. 6. f Eph. 5. 14. Ioh. 5. 25. Col. 2. 13. & 3. 1. g Heb. 6. 1. h Luc. 15. 32. i In Apoc. 20.

VI. *Forma verò resurrectionis* corporis mortui ac collapsi, vivificatione & resuscitatione[a], absolvitur. Quippe per hæc est, id quod est: & ab omnibus aliis actionibus, primò distinguitur. Unde per synecdochen, à priori ac potiori parte, morti opposita, *vivificatio*[b], nuncupatur: ut & Syrus interpres sæpius ἀνάστασιν νεκρῶν *chaijat majeta*[c], *vivificationem mortuorum*, vertit: à posteriori verò, casui & sepulturæ adversa[d], *resurrectio* ac *suscitatio*[e] dicitur. Utrumque etiam interdum, eâdem sententia eodem sensu continetur[f]. Quæ *forma causis* suis externis, *efficiente* & *fine* uberius illustratur.

a 1. Reg. 13. 21. Ioh. 5. 21. b Rom. 4. 17. c 1. Corinth. 15. 12, 13, 21, 42. d Ioh. 5. 28, 29. e Mat. 22. 23. & 27. 53. f Rom. 8. 11. Ioh. 5. 21.

VII. *Efficiens* enim, pro duplici ista actione, *variatur*. Siquidem *vivificationis* (quæ insigni, ad consolationem piorum metaphorâ, *excitatio à somno*[a] & *evigilatio*[b]: ut mors, *somnus*[c] dici solet) *causa efficiens* est, aut *patrans* vi suâ: aut *impetrans* alienâ. Ac *patrans* rursum, vel *prima* est, vel *secunda*.

a Joh. 11. 11, 13. b Dan. 12. 2. c Joh. 11. 13.

VIII. *Prima* ac princeps, quæ agit, est Deus (Pater, Filius, ideo metonymicè, *resurrectio & vita*[a], dictus, & Spiritus Sanctus) *qui vivificat mortuos*[b]: vis autem, *quâ agit*, est sapientia immensa, quæ dirigit, & omnipotentia, quæ perficit[c], & ut Apostolus celebrat, *supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius, & efficacitatis fortis roboris ipsius*[d]: *actio* omnipotentiæ *per quam* agit, est animæ cum corpore suo exanimi, per unionem personalem conjunctio[e].

a Joh. 11. 25. b Joh. 5. 21. Rom. 4. 17. & 8. 11. 2. Corint. 1. 9. c Phil. 3. 21. d Eph. 1. 19. 20. e 1. Reg. 17. 21, 22. Joh. 16. 17, 18.

IX. *Secunda* ac proxima causa, *quæ agit*, est ipsa anima, quæ emigrarat: vis autem, *quâ agit*, est nativa illius facultas, corpus suum[a], ita divinitus sibi unitum, animandi ac vivificandi[b]. Hæc de *causa patrante*.

a Job. 19. 25, 26, 27. Joh. 2. 19. 1. Cor. 15. 53. b Gen. 2. 7. 1. Reg. 17. 22. Ioh. 10. 17. Act. 20. 10.

X. *Efficiens* verò *impetrans* vi alienâ, est creatura rationalis, hoc dono affecta ac directa cœlitus; ut, ad indicium illius, Deus vi suâ, mortuum vitâ donet[a]. Hæc enim actio, quum potentiæ sit infinitæ, soli creatori (ut similes, viribus creaturæ agentis longè majores[b]) meritò adscribitur[c]. Hæc de *vivificatione*.

a 1. Reg. 17. 22. 2. Reg. 4. 33, 35. b Actor. 3. 12, 16. & 9. 34. c 1. Reg. 17 21. Rom. 4. 17 1. Tim. 6. 13. 1. Joh. 5. 21. 2. Cor. 1. 9.

XI. Contra *suscitationis*, hominis vivificati, causa *efficiens vi suâ*, non solùm est Deus; sed etiam rationalis creatura: ille, princeps quidem; sed hæc, adjuvans vitæ suæ vi atque opera: cujus modulum, actio hæc vitalis nullo modo excedit[a].

a Joh. 11. 43. 44. Act. 9. 40, 41.

XII. *Finis* denique *resurrectionis*, est sapientiæ, & potentiæ Dei gloria: quia & ad hunc scopum, in proposito resurrectionis collimat; & ad eundem, propositi sui executione reipsa pertingit[a]. Hactenus *resurrectionis* proposita & exposita *descriptio*: cui succenturiata est *distributio*, rem universam distinctè pandens.

a Luc. 7. 16. Ioh. 11. 40, 45. & 12. 9. 17, 18. Rom. 4. 20, 21.

XIII. Hæc enim *resurrectio*, aut est ad *vitam mortalem*: aut ad *immortalem*. Illa propria est paucis: hæc, communis omnibus mortuis. Utramque omissis ferè *generalibus*, ante explicatis, *speciatim* expendemus.

XIV. *Resurrectio ad vitam mortalem*, est qua corpora animalia resurgunt, iterum moritura, & ad judicii diem quietura[a]. Ac propterea quum mortem solam, non autem mortalitatem (seu potentiam atque necessitatem moriendi) tollat, non incommodè, *imperfecta*[b], comparatè appellatur. Cujus *exempla*, in veteri[c], novoque Testamento[d], ad potentiam Dei, extra ordinem privilegio quodam demonstrandam, extant illustria.

a 1. Cor. 15. 44. Ioh. 5. 28, 29. b Thomas sum. par. 3. qu. 53. art. 3. c Heb. 11. 35. 1. Reg 17. 22. 2. Reg. 4. 33, 35. & 13. 21. d Matt. 9. 25. & 27. 52, 53. Luc. 7. 15. Ioh. 11. 11, 44. Act. 9. 40. & 20. 10.

XV. Resur-

XV. *Reſurrectio ad vitam immortalem*, eſt qua corpora, qualitatibus mutatis, immortalia & incorruptibilia, ſolius Dei Spiritus potentiâ, ad judicium Dei univerſale, momento [a] ſuſcitabuntur. Ideoque ut corporum *qualitatibus:* ſic *efficiendi modo*, & *fine proprio*, à priori dirimitur.

a 1.Cor. 15. 52.

XVI. *Qualitatibus* quidem; quia corpora (relatè ad vim, non creatoris, ſed creaturarum) immortalia futura [a], & incorruptibilia [b]: ideoque à nutritione, generatione, incremento, decremento, ſimilibuſque aliena [c]. Unde reſurrectio hæc, priori oppoſita, *perfecta* [d] concinnè vocatur: quod corpora, non à ſola morte, ſed ab illius etiam neceſſitate & potentia, omninò eximat. Hinc reſurrectio ab Andrea Cæſarienſi [e] deſcribitur, ἡ ἐκ φθορᾶς τῶν σωμάτων, εἰς ἀφθαρσίαν, μεταποίησις *corporum, ex corruptione, in incorruptionem, transmutatio.*

a Luc. 20. 36. 1.Cor. 15. 51, 53. 2.Cor. 5. 4. b 1.Cor. 15. 52. 2.Cor. 5. 4. c Luc. 20. 35, 36. d Thom. par. 3. q. 53. art. 3. e In Apoc. 20.

XVII. *Efficiente* etiam diſcrepat; quia licet anima ſit συναίτιον Dei, ſeu cauſa adjuvans, vitæ: immortalitas tamen & incorruptibilitas, opus eſt ſolius Spiritus Dei. Ideoque *corpus ſpirituale* [a], ut à *corpori animali* [b] (quod carne & ſanguine corruptibili [c] conſtat, & ab anima naturaliter ſolum vivificatur) diſcerni queat, oppoſitè dicitur.

a 1.Cor. 15. 44. b Ibidem. c 1 Cor. 15. 50, 53.

XVIII. *Fine* denique ſuo differt: quia hæc ſola reſurrectio, ad univerſale judicium pertinet [a]: ut ex ſequenti diſtinctione liquebit.

a Ioh. 5. 29.

XIX. Hæc enim *reſurrectio*, pro diverſi ſubjecti ſui ratione, *duplex* [a] eſt, aut *judicis Chriſti* [b], aut *mortuorum, qui à Chriſto judicandi* [c]: *illa* tempore & cauſa prior; *hæc* verò utroque modo poſterior [d].

a 1.Cor. 15. 23. b Act. 10. 41, 42. Apoc. 1. 18. c 2.Cor. 5. 16. d 1.Cor. 15. 20, 21, 22, 23. Col. 1. 18.

XX. *Reſurrectio* autem *Chriſti*, eſt qua corpus ſuum exanimum & incorruptum [a], vi ſuæ Deitatis [b], à Patre per Spiritum Sanctum [c], anima ſua è cœlo [d] recepta, vivificavit [e], & immortale, incorruptibile [f], ac glorioſum [g] (gloriæ radiis in terris, ob diſcipulorum infirmitatem ſuppreſſis) è ſepulchro ſuſcitavit, tertio die [h]; ad animorum & corporum Eccleſiæ ſuæ ſalutem [i], & ad judicium univerſale, ultimo die exercendum [k].

a Pſalm. 16. 10. Actor. 2. 24, 27. & 13. 34, 35. b Ioh. 2. 19, 21. & 10. 18. c Rom. 8. 11. & 1. 4. & 2. Cor. 13. 4. Gal. 1. 1. d Luc. 23. 43. e Ioh. 10. 17, 18. f Rom. 6. 9, 10. & 14. 9. Act. 13. 34. Ap. 1. 18. g Act. 26. 13. Phil. 3. 21. h Matth. 12. 40. 1. Cor. 15. 4. i Ioh. 12. 24. Rom. 4. 25. & 14. 9. & 1. Cor. 15. 20, 23. k Ioh. 5. 27. Act. 10. 41, 42. & 17. 31. Rom. 14. 9. 10.

XXI. *Reſurrectio à Chriſto judicandorum* eſt Patris [a], in Filio [b], per Spiritum Sanctum [c] actio, qua mortui univerſi, vi decreti divini, ac Scripturæ prænuntiæ, & jure juſtitiæ diſtributivæ [d], per efficaciam ſapientiæ & omnipotentiæ divinæ [e], momento vivificabuntur, ac reſurgent, celeuſmate Chriſti, voce Archangeli, & Dei tuba [f], ultimo die [g], ad judicium extremum ſubeundum, & æternam operum mercedem recipiendam [h], ad juſtitiæ Dei gloriam [i].

a Rom. 8. 11. b Apoc. 1. 18. Ioh. 5. 21, 28, 29. c Rom. 8. 11. d Vide theſ. 24. e Phil. 3. 21. Matth. 22. 29. f 1. Cor. 15. 52. 1. Theſſ. 4. 16. Ioh. 5. 28. g Ioh. 6. 40. h Heb. 6. 2. Dan. 12. 2. 2. Cor. 5. 10. Matt. 25. 46. i 2. Cor. 5. 10. 2. Tim. 4. 8. Ioh. 5. 29.

XXII. *Subjectum* hujus *reſurrectionis*, ſunt univerſi, à mundi initio ad finem, mortui ac judicandi [a]: unde diſtinctè à reliquis (quæ *particulares* ſunt) *reſurrectio univerſalis* aptè dici conſuevit [b].

a Ioh. 5. 28, 29. Apoc. 20. 12. b Tertul. de Reſur. cap. 25.

XXIII. *Cauſa* efficiens, vel *principalis* eſt: vel *inſtrumentalis*; nempe Chriſti celeuſma, Archangeli vox, & Dei tuba [a]. Principalis, eſt *movens*, aut *mota* atque *exequens*.

a Ioh. 5. 28. Matth. 24. 31. 1. Cor. 15. 51. 1. Theſ. 4. 16.

XXIV. *Principalis movens cauſa*, eſt partim decreti divini, & Scripturæ prædicentis [a], conſtantia & veritas indiſſolubilis [b], partim juſtitiæ Dei diſtributivæ, jus neceſſarium & inviolabile [c]. Quod, quia nec in hac vita perfectè exercetur [d], neque poſt mortem, in ſolam animam, queat exerceri (ut quæ non homo, ſed altera tantùm totius hominis pars eſt [e], & corporis conſors) corporis ejuſdem, non alterius, ad juſtum judicium [f], reſurrectio, neceſſaria eſt.

a 1. Cor. 15. 53, 54. Act. 17. 31. Matt. 22. 29, 31. Heb. 9. 27. Dan. 12. 2, 3. b Heb. 6. 17, 18. Ioh. 10. 35. c 2. Cor. 5. 10. 2. Theſſ. 1. 5, 6, 7. Iudæ 14. & 15. d Pſal. 73. 12, 13, 17. 2. Pet. 2. 9. & 3. 7. Rom. 2. 5. e Matt. 10. 28. f Iob. 19. 25, 26, 27. 1. Cor. 15. 53. 2. Cor. 5. 10.

XXV. At ſcitè dictum, *perfectionem judicii, non niſi de totius hominis repræſentatione conſtare* [a]: *non poſſunt ergo ſeparari* (caro & anima) *mercede, quas opera conjungit* [b]: & *Deo indignum aliam ſubſtantiam operari, alium mercede diſpungi* [c]. Adeò ut hæc ratio & demonſtratio, apud eos, qui rectæ rationi parent, fidem imperet atque impetret; *Deus eſt ſummus & juſtus omnium judex* [d]: *ergo corporum judicandorum reſurrectio eſt* [e].

a Tertul. de Reſur. c. 14. b Ibid. cap. 8. 2. Cor. 5. 10. c Tertul. Ibid. c. 5. 6. d Pſal. 7. 12. Gen. 18. 25. Heb. 12. 23. 2. Tim. 4. 8. e 2. Theſſ. 1. 5, 6, 7. Matth. 22. 32. 2. Cor. 5. 10.

XXVI. *Cauſa* verò *exequens*, eſt ſapientiæ divinæ atque immenſæ directio, & omnipotentiæ recta operatio [a]. Quæ, pro mortuorum conditione diverſa, eſt diſpar. Alia enim *corpora* ſunt *integra:* alia *diſſoluta* [b]: aut in ſua elementa, aut in alimentum. Priora animat: poſteriora, collecta redintegrat, animæque ſuæ unione denuò vivificat: ut propheticâ viſione [c], à reſurrectione corporum ſimilitudine derivatâ, adumbratur. *De vacuo enim* (ut ait Tertullianus [d]) *ſimilitudo non competit.*

a 1. Cor. 15. 38, 42. Matth. 22. 29. 1. Cor. 6. 14. b Iob. 19. 26. Apoc. 20. 13. c Ezech. 37. d Tertul. de reſur. c. 30.

XXVII. Nam quod ἀνθρωποφαγίαν καὶ ἀλληλοφαγίαν *hominum* devorationem [a], & interdum *mutuam* [b], veritati reſurrectionis adverſarii obtendunt: quod eadem caro, diverſorum hominum facta, in diverſis reſurgere, & in his puniri, in illis coronari nequeat, illud fucatâ quâdam ſcientiæ ſpecie, ex triplici ignorantiâ [c], 1. perfectionis Dei ſuſcitantis: 2. naturæ carnis ſuſcitandæ: & 3. ſuſcitationis illius, indignè emergit.

a 1. Reg. 6. 29. b Vt in Novo orbe. c Matth. 22. 29. 1. Corinth. 5. 34, 35, 36.

XXVIII. *Perfectio* enim *Dei* tam immenſa eſt, ut nihil ſapientiæ illius, cuncta ſimul accuratiſſimè cernentis ac diſcernentis, oculos ſubterfugere valeat [a]: nihil omnipotentiam illius infinitam remoretur [b]. Cognovit homines penitiſſimè non natos, non formatos: deformatos ac denatos ignorabit? *Idoneus eſt reficere, qui fecit: quanto plus eſt feciſſe, quàm refeciſſe* [c]?

a Heb. 4. 13. b Matt. 9. 26. Phil. 3. 21. c Tertul. de reſur. c. 11.

XXIX. Comeſa ſit caro ab injuſtis raptoribus: an difficile eſt, omnipotenti Deo eam primis juſtiſque poſſeſſoribus, vendicatam reſtituere? Auguſtè Auguſtinus [a]; *reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero, tanquam mutuo ſumpta deputanda eſt: quæ, ſicut æs alienum ei redhibenda eſt, unde ſumpta eſt: ſua verò illi, quam fames exinaniverat, ab eo qui poteſt exhalata revocare, reddetur.* Quare Abrahami patris fidelium exemplo [b], gloria hæc Deo tribuenda.

a De Civit. Dei lib. 22. c. 20. b Rom. 4. 16, 20, 21. Heb. 11. 19.

XXX. *Carnis* deinde ea eſt *natura*, ut & diſſoluta, non in nihilum, ſed in ſua, Dei nutui ſubdita [a], remeet elementa [b]: & cœnis Thyeſteis abſumta nec tota alat, nec ſola. Quippe, & minima ſui parte, alimento idonea: & potus, cibuſque (herbarum, farinæ, & ſimilium) una aſſumptus, non minimam ἀνθρωποφάγων nutritioni, conferunt ſymbolam: aut etiam totam.

a Pſal. 135. 6. Apoc. 20. 13. b Gen. 3. 19. Eccleſ. 12. 7.

XXXI. Nam quid vetet? quum Deus mortales, etiam ſine cibo poſſit alere [a]: & potum cibumque in immenſum augere [b]: quid ni, hujus etiam potus ac cibi adjecti vires, licet invalidas; valeat auctare, ut brutorum iſtorum hominum alimento abundè ſuppetat? Quid ni efficere queat ut comeſa hominis caro, adde & concocta, variis modis, præpotenti Dei dextera, excernatur; ne Polyphemis illis accreſcat: aut etiamſi accreverit, tabe, labore, inedia, in auras abſumat, & ab iniquis immanibuſque uſurpatoribus emancipatam, ſuſcitando corpori ſecernat & aſſervet? Qua de re doctè multa *Athenagoras* [c].

a Exod. 24. 18. 1. Reg. 19. 8. Matth. 4. 2, 4. b 1. Reg. 17. 16. Matth. 16. 9, 10. c De reſurrectione.

XXXII. *Suſci-*

XXXII. *Suſcitationis* denique *ejuſdem corporis* ea eſt *conditio*, ut eandem carnis ſubſtantiam, non molem univerſam, magnaque parte inutilem, quæ aut in auras abiit, aut aliis modis abſumpta; ſed tantam (quanta ad beatam membrorum corporis perfectionem apta ac deſtinata eſt) requirat. Nec ſi quid materiæ deſit, idem corpus eſſe deſinit.

XXXIII. Atque hoc modo idem fuit corpus Mathuſalachi, inde ab incunabilis: quamvis nongentorum ſexaginta ſex annorum [a] intercapedine, magna pars carnis, fame, nativi caloris paſtu, aliiſque modis evanuerit, pars non exigua alimento accreverit. Quæ moles univerſa, ſi coaluerit, pluſquam monſtroſum Typhoëum conflaverit. In Chriſti, & aliorum corporibus eadem, etſi diſpar, eſt ratio. Adamus ſimiliter, coſta carneque ad Evæ formationem exempta, non alio fuit corpore, quàm prius: quamvis carnis aliquid deceſſerat, aliquid acceſſerat [b]: eademque fuêre Adami & Evæ corpora, ante & poſt liberorum, è ſemine ipſorum, procreationem; etſi materia inæquali. Ideoque coſta Adæ, in Eva: & ſeminis eorum traduces, non in parentibus, ſed in liberis, citra difficultatem, reſurgent. Unde *efficientis Dei*, & *effecti reſurrectionis corporum*, *conſenſus* accuratus conſpicitur.

a Gen. 5. 27. b Gen. 2. 21. 22. 23.

XXXIV. *Finis* denique *reſurrectionis hujus, ad vitam immortalem, à Chriſto judicandorum*, eſt ut toti homines, ad tribunal Chriſti ſiſtantur [a]: & operum ſuorum mercedem recipiant [b], & ut Dei, in Chriſto judicis, juſtitia patefiat [c].

a 2. Cor. 5. 10. Ioh 5. 27, 28, 29. b Ibidem. 2. Theſ. 1. 5, 6, 7. c Rom. 2. 5, 6. Act. 17. 31. 2. Cor. 5. 10.

XXXV. Porro hæc *judicandorum reſurrectio*, in duplicem multitudinem [a], diſtribuitur: una eſt *juſtorum* (quam diſtinctè à Paulo [b], ἐξανάστασιν, quaſi *reſurrectionem* è terra, in aërem ac cælum, vocari cenſent [c]) altera *injuſtorum* [d]. Et harum qualitatum ratione, illa, ad vitam beatam; hæc, ad miſerrimam refertur [e].

a Dan. 12. 2. Act. 24. 15. b Phil. 3. 11. c Theophyl. in Ioh. 6. 39. Phil. 3. 11. Et Oecumenius in Phil. 3. 11. d Act. 24. 15. e Dan. 12. 2. Ioh. 5. 29. Rom. 2. 7, 8.

XXXVI. *Reſurrectio juſtorum* dicta [a], eſt qua, eadem corpora [b] electorum [c] mortuorum in Chriſto [d], tanquam membra illius [e], per ſalvificam, perfecti redemptoris [f], capitis ſui ac primitiarum reſurgentium [g], efficaciam, animabus ſuis è cœlo [h] reſtitutis, rediviva, ſpirituali, potenti & glorioſo Chriſti corpori reſurgent conformia [i], (diſpari licet, & capitis, & ipſorum inter ſe, gloria [k]) ad judicium vitæ beatæ in cœlis [l], & ad gratiæ Dei, in Chriſto ſuſcitantis ac ſervantis, gloriam ſempiternam [m].

a Luc. 14. 14. b 1. Cor. 15. 53, 54. 2. Cor. 5. 10. c Mar. 13. 27. d Apoc. 20. 12, 15. 1. Theſ. 4. 16. 1. Cor. 15. 23. Ioh. 6. 39. 40. e 1. Cor. 6. 13, 15. f Iob. 19. 25. Eſa. 25. 8. 1. Theſ. 1. 10. & 4. 14. & 2. Theſ. 8. 10. g 1. Cor. 15. 20, 21, 22. h Eccleſ. 12. 7. Luc. 16. 22. & 23. 43. Act. 7. 59. 2. Cor. 5. 8. Phil. 1. 23. Ap. 14. 13. i Phil. 3. 21. Act. 26. 13. cum Matt. 13. 43. 1. Cor. 15. 42, 43, 44, 49. Dan. 12. 3. Rom. 8. 17, 18. Col. 3. 3, 4. & 1. Ioh. 3. 2. k 1. Cor. 15. 41, 42, 43. l Dan. 12. 2. Ioh. 5. 29. Matt. 25. 34, 46. m 2. Theſ. 1. 12. & 1. Cor. 15. 57.

XXXVII. Unde à *tribus* illis *qualitatibus cœleſtibus* reſurgentes juſti, *cœleſtes*, qualis Chriſtus [a], & ἰσάγγελοι [b] non ὁμοούσιοι (angelis pares, non ejuſdem eſſentiæ) nominantur. *Quippe ſimilitudo promittitur* (ut ait Hieronymus [c]) *non natura mutatur:* Et reſurrectio illa *regeneratio* [d]: *redemptio noſtri* [e]: υἱοθεσία *adoptio in filium* [f] *metonymicè: & eodem ſenſu, revelatio filiorum Dei* [g]: & abſolutè, à fine, *reſurrectio vitæ* [h]: & comparatè, *reſurrectio melior* [i]: denique κατ' ἐξοχὴν *reſurrectio*: ut & reſurgentes hujuſmodi, *filii reſurrectionis* [k], nominantur.

a 1. Cor. 15. 48. b Luc. 20. 36. c Tom. 2. epiſt. ad Pammach. d Matt. 19. 28. e Rom. 8. 23. f Ibid. g Rom. 8. 19, 21. 1. Ioh. 3. 2. h Ioh. 5. 29. i Heb. 11. 35. k Luc. 20. 36.

XXXVIII. Cujus *reſurrectionis juſtorum quaſi præludium*, eſt *pignus* certiſſimum divinitus donatum *triplex*. *Primum* exiſtit in cœlis, Chriſti corpus ſuſcitatum ac glorioſum: noſtræ reſurrectionis & gloriæ radix ac primitiæ [a]: adeò ut propterea nos *una excitatos & collocatos in cœlis, cum Chriſto* [b], *vitamque noſtram cum ipſo abſconditam in Deo* [c], aſſeratur: reliqua *duo pignora*, ſunt in terris.

a Ioh. 2. 24. & 4. 3. & 17. 24. Rom. 4. 25. 1. Cor. 15. 20, 23. Col. 3. 3, 4. b Eph. 2. 6. c Col. 3. 3, 4.

XXXIX. Quorum *prius* quidem *cordi inditum*, eſt *conſolator Spiritus Sanctus*, perpetuus teſtis, ſigillum, & arrhabo redemtionis & hæreditatis noſtræ [a]: *poſterius* verò *corpori additum*, eſt *Baptiſmus*, *ſignum* ac *ſigillum* emerſionis & reſurrectionis noſtræ utriuſque: cum primæ, qua anima, à morte metaphorica, ſeu privatione gratiæ Dei & juſtitiæ (quæ animæ, quaſi anima ac vita) per juſtificationem & ſanctificationem, reſurrexit: tum ſecundæ, qua corpus, à morte propria, privationis animæ ac vitæ, excitabitur ultimo die [b].

a Ioh. 14. 16. Rom. 8. 11, 15, 16, 17. 2. Cor. 1. 21, 22. & 5. 4, 5. Epheſ. 1. 13, 14. & 4. 30. b Rom. 6. 4, 5. 1. Cor. 15. 29. Col. 2. 12, 13. 1. Pet. 3. v. 21.

XL. Qua de re memorabilis ac conſentanea priſci theologi [a] ſententia: *Hic ſequeſter Dei atque hominum appellatus, ex utriuſque partis depoſito, commiſſo ſibi, carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo, arrhabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit; ita & à nobis, arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securè eſtote caro & ſanguis; uſurpaſtis & cœlum, & regnum Dei, in Chriſto!*

a Tertul. de Reſur. cap. 51.

XLI. Huic *reſurrectioni affinis* & *comes*, eſt viventium juſtorum, eodem ultimo die ac momento, ſine morte mutatio [a]: reſurrectionis juſtorum æmula, & *mortis* (addo & mortalitatis) *expuncta compendium* [b]: iiſdemque cœleſtibus, à Chriſti Spiritu, qualitatibus, ad eandem beatitudinem perficienda [c]. Ideo Chriſtus dicitur, *à Deo deſtinatus judex vivorum & mortuorum* [d]. Quod *privilegium* [e], exceptionis à communi lege mortis [f], arcanum, Deus per Apoſtolum & Prophetam Paulum retexit: ideoque *myſterium* patefactum [g] nuncupatur. Hæc de *reſurrectione juſtorum*, *illiuſque adjunctis*.

a 1. Cor. 15. 51, 52. 1. Theſ. 4. 16, 17. Tertul. de reſur. c. 41. & 42. b Ibid. cap. 41. c 1. Cor. 15. 51, 52, 53, 54. 1. Theſ. 4. 15, 16, 17. d Act. 10. 42. & 2. Tim. 4. 1. e Tertul. de reſur. cap 41. f Hebr. 9. 27. 1. Cor. 5. 22. g 1. Cor. 15. 51. 1. Theſ. 4. 15.

XLII. *Reſurrectio injuſtorum*, eſt qua corpora reproborum [a], Dei in Chriſto judicis ac vindicis, juſta ſeveritate [b], animabus ipſorum etiam ex inferni cuſtodia [c], reductis, & unitis [d]; reviviſcent immortalia; ſed ingloria: ad ignominiam judicii condemnationis [e], & pœnas ignis inferni, in perpetuum ſufferendas [f].

a Matth. 25. 41. Ap. 20. 15. b 2. Theſ. 1. 5, 6, 7, 8. 2. Cor. 5. 10. c Luc. 16. 23. 1. Pet. 3. 19. d Ap. 20. 13. e Dan. 12. 2. Pſal. 1. 5, 6. f 2. Theſ. 1. 8, 9. Ap. 20. 15. Mat. 25. 41, 46.

XLIII. A qua corporis, non minus quàm animæ, miſeria & cruciatibus perpetuis, vita hæc immortalis, *mors ſecunda* [a], luculentâ tranſlatione, tanquam vitæ, gratiæ & gloriæ Dei, privatio; ideoque βίος ἄβιος vita ſine vita, atque *exitium* [b], & diſtinctè *reſurrectio condemnationis* [c], appellatur. Ideoque impium illud *Davidis Kimchi* [d] paradoxum eſt, *impiorum, non eſſe reſurrectionem; ſed animam, cum corpore, interire.* Multoque magis abominanda eſt *Iohannis vigeſimi tertii* Papæ Romani, merè Antichriſtiana impietas, qua *dixit & pertinaciter credidit, Animam hominis, cum corpore humano, mori & extingui, adinſtar animalium brutorum: dixitque mortuum ſemel, eſſe etiam in noviſſimo die minimè reſurrecturum*, ut concilium Conſtantienſe teſtatur Seſſ. 11. Atque hactenus *doctrina* de *reſurrectione veritas* explicata, quam *utilitas* ſumma amplius illuſtrat ac commendat.

a Ap. 20. 6. b Matth. 10. 28. Phil. 3. 19. & 2. Pet. 3. 7. c Joh. 5. 29. d Comment. in Pſal. 1.

XLIV. *Uſus* enim & *fructus* illius, eſt eximius. Ea enim eſt fidei & ſpei noſtræ baſis ac columna [a], patientiæ & conſolationis fons ac fomes [b]: peccati frænum [c]: timoris ac amoris Dei ſtimulus [d]. Adeo ut *Chriſtianorum panacéa*, meritò dici queat. Quamobrem *Deo ſit gratia, qui dedit nobis victòriam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* [e].

a 1. Cor. 15. 19. 2. Cor. 5. 6, 7, 8, 9. Job. 19. 26, 27. Rom. 8. 23, 24. b Mala. 3. 16, 17, 18, 19, 20. Pſalm. 16. 9, 10. 2. Corinth. 4. 16, 17. Philipp. 3. 21. 1. Theſſ. 4. 13, 14, 18. Heb. 11. 35. c Luc. 21. 34, 35, 36. 1. Corinth. 15. 32, 33, 34. 2. Corinth. 5. 9, 10, 11. 2. Pet. 3. 11, 12, 13. d 2. Corinth. 5. 9, 10, 11. Philipp. 3. 10, 11, 12, 14. 1. Corinth. 15. 58. 1. Timoth. 6. 13, 14. e 1. Corinth. 15. 57.

COROL-

COROLLARIA.

1. *An omnes homines propriè resurgent? N. ex 1. Cor. 15. 51.* Resurgere enim dicitur, quod prius moriendo cecidit *(ut Acacius, apud Hieronymum to. 2. ep. ad Minerium) non omnes autem morientur; teste Paulo.*

2. *An igitur perversa vulgati interpretis versio. 1. Cor. 15. 51.* omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabimur? *Aff. ut quæ mera illius sententiæ, duplici contradictione, est eversio. vide Hieronym. to. 3. epist. ad Minerium: & tom. 3. Epist. ad Marcellam, & Thomam Aq. in 1. Corinth. 15.*

3. *An mutatio illa, de qua 1. Cor. 15. 51. reprobis ullis conveniat? N. quia* stipendia peccati, mors. *Rom. 6. 23.*

4. *An corpora rediviva, futura sint homogenea & invisibilia, ut* Origenes *& cum eo* Johannes Hierosolymitanus, *asseruere. Neg. Utrumque cum Hieronymo to. 2. epist. ad Pammachium.*

5. *An citra curiositatem definiri possit locus animarum piarum, ante resurrectionem? A. posse & debere, luce & duce Scriptura, Luc. 23. 43. Phil. 1. 23. Actor. 14. 13.*

6. *An post mortem, anima in loco invisibili, extra cælum, ad resurrectionem exspectatura: ut Irenæus lib. 5. contra hæreses sub finem statuit? N.*

7. *An usque ad resurrectionem caritura sunt conspectu Dei: ut* Irenæus *ibidem tradit: &* Papa Johannes vigesimus secundus *à Parisiensibus theologis, publicè præmisso buccinæ sonitu, condemnatus, asseruerat? Ockam. Compendio errorum Iohannis 22. & Iohannes Gerson, sermone in festo Paschæ, tom. 4. p. 36. edit. Basil. Adami Petri, anno* 1518. *ubi errore typographico* virgine, *pro visione, legitur? N.*

8. *An Chiliastarum de resurrectione, & mille annis in terris, ex Apocal. 20. arrepta sententia, sit S. literis consentanea? N. ex 1. Cor. 15. & 1. Thes. 4. &c.*

9. *An omnes infantes, sine Baptismo obeuntes, resurgent ad resurrectionem condemnationis: ut Pontificii contendunt: Bellarm. de amiss. gratia lib. 6. cap. 3.? N.*

10. *An spirituales corporum qualitates futuræ sint effecta animæ: ut Thomas Aquinas in 1. Corinth. 15. sæpius ingerit? Neg.*

11. *An certa sit scientia, quod Bellar. de bonis operibus lib. 1. c. 13. ex Matth. 25. ℣. 6. & Luc. 17. ℣. 34. concludit, resurrectionem media nocte futuram? N. etsi Diodorus, apud Hieronymum epist. ad Numerium, ex iisdem locis, idem olim judicarit: obstat enim Mar. 13. 35.*

12. *An argumentum Pauli 1. Corinth. 15. 32* nihil concludat, nisi præsupponat animas esse mortales, si corpora non resurgant: *ut Bellarminus contendit, De purgatorio lib. 1. cap. 3.? N. Quod enim argutatur,* si animus est immortalis, etiamsi corpora non resurgant, multùm proderit &c. benè vivere: quia proderit ad gloriam animæ acquirendam: *id sanè minus piè, & indoctè nimis, à docto viro, asseritur. Quia salus corporum, & salus animarum, individuo nexu cohærent Ioh. 6. 39, 40. ut uno sublato, alterum necessariò tollatur 1. Corinth. 15. 16, 17, 55. Corpora enim piorum, non minus quam animæ, sunt membra Christi 1. Corinth. 6. 13, 15. Ephes. 5. 30. & sanguine Christi redempta, Deoque fœderata 1. Corinth. 6. 20. Adeo ut salus utraque ex iisdem omninò fontibus, fœdere gratiæ, Christi mortis pretio, & resurrectione, Heb. 2. 14, 15. & 1. Cor. 15, 16. 17, 56, 57. imo & Christi ipsius perfectione & gloriâ 1. Corinth. 6. 13, 15. & 2. Thes. 1. 10. 12. necessariò profluat. Itaque si utraque vel altera, animæ aut corporis salus desit, fontes illos deesse necesse est. 1. Corinth. 15. 13, 16.*

13. *An saltem argumentum Christi Matth. 22. 32.* nihil concludat, nisi præsupponat animas esse mortales, si corpora non resurgant: *ut Bellar. de Purgat. l. 1. c. 3. censet? N. Nam quod ait,* Deus erit viventium, etiamsi mortui non resurgant: *error est, ex ignorantia fœderis Dei, & Abrahami fœderati promanans. Nam Deum, esse Abrahami & piorum Deum; est propitium in Messia patrem, peccatorum condonatorem, servatorem esse ac remuneratorem Gen. 3. 15. cum Heb. 2. 12. Exod. 28. 38. Levit. 16. 30. Psal. 33. 12. Jer. 31. 33, 34. Abrahamus etiam non animam solùm, quæ altera ejus pars; sed personam totam, animam & corpus illius, denotat. Quinam autem potest Deus dici propitius pater & peccatorum condonator: si corpora suorum filiorum, sub pœna & stipendio peccati, morte Gen. 2. 17. Deut. 27. 26. Rom. 6. 23. contra fœdus suum Gen. 3. 15. cum Heb. 2. 12, 13. & Gen. 12. 3. cum Gal. 3. 8, 9. Levit. 16. 21, 22, 30. Ierem. 31. 33, 34. perpetuò deserat? Quomodo perfectus servator ac remunerator existit, si partem filiorum suorum fœderatam sibi, ac sigillo fœderis sui confirmatam Genes. 17. ℣. 13. & fœderis fidam cultricem, à mortis ultimi hostis Genes. 2. 17. & 1. Corinth. 15. 26. 55. domino ac victoria, non vindicet ac servet? Quomodo illi* beati, quorum Deus est Jehova, *Psal. 33. 12. si parte sui prima, perpetuò miseri? Denique quomodo Abrahamus benedictus & in ipso, hoc est cum ipso, fideles. Gen. 12. 3. Gal. 3. 8, 9. si mortis maledictioni subsint? Quare absurda Bellarmini est oratio: Christi verò demonstratio solida,* illi quorum Deus est Deus, non sunt mortui, sed vivi. Abrahami, Isaaci, Jacobi, Deus est Deus: Ergo non sunt mortui, sed vivi. *Mortuos autem intelligit corpore (de iis enim erat quæstio) & quidem non generatim quosvis, vita corporis orbatos (alioqui nec Abrahami, Isaaci, Iacobi, esset Deus: nec Christus, mortuorum Dominus Rom. 14. 9.) sed speciatim, morte perpetuâ, sine spe resurrectionis universalis, extinctos: ut Sadducæi intelligebant Matt. 22. 23. quos Christus in significatione vocis sequitur, ut directè refutet. Quemadmodum simili occasione, similiter est locutus, de Jairi filia,* non est mortua, sed dormit. *Luc. 8. 52. mortuam negat, non generali notione, & absolutè: nam revera erat mortua vers. 53. sed speciatim & relatè ad sensum domesticorum, qui mortuam, sine particularis resurrectionis per Christum spe, sentiebant atque indicarant vers. 49. Christus igitur hoc sensu, mortuam negat hoc est mansuram in morte, & contra dormire, ac quodammodo vivere, metaphoricè ob suscitationem paulò post futuram, asserit. Eodem modo mortuos Matth. 22. relatè ad Sadducæorum mentem, de iis accipit, qui vita corporis privati in perpetuum. Vivos eadem ratione vocat illos, qui victuri ac resurrecturi: qui licet naturâ essent mortui, gratia tamen destinationis divinæ, meriti mortis Christi, & resurrectionis ipsius vi & spe certa quodam modo vivebant ac salvi erant. Unde Apostolus Rom. 8. ℣. 23, 24.* suspiramus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Nam spe servati sumus.

14. *An die resurrectionis, mundus sit mutandus, in statum meliorem? an verò in nihilum sit redigendus? A prius. ex Rom. 8. 19, 20, 21, 22. Heb. 2. 11, 12. & 2. Pet. 3. 13. N. posterius.*

15. *An verè à Thoma Aquinate dictum sit in commentariis 1. Cor. 15.* Resurrectionis activa causa, solus est Deus: etsi ad hoc utatur, ministerio Angelorum, quantum ad pulverum collectionem? A. *membrum prius: N. posterius. Quo nomine, resurrectionis auctori,*

SOLI DEO GLORIA.

DISPU-

DISPUTATIO XXX.

DE ECCLESIA DEI.

Quum tanta sit, Ecclesiæ Dei, dignitas, *ut* vinea [a], *ac* domus Dei Spiritualis [b], sponsa [c], *ac* corpus Christi [d], superna Jerusalem, mater omnium nostrûm [e], *appelletur*; *ad cujus aggregationem* [f], *atque observantiam* [g], *Deus & salutis conditio, nos seriò provocent*; *quumque, de essentia illius, & attributis, gravissimæ, inter Orthodoxos & Pontificios, agitentur* controversiæ: *non importunum, nec inutile, fore arbitramur, si hanc materiam (ad veritatis illius, pro modulo nostro, illustrationem) breviter ac distinctè pertexendo, publicâ dissertatione ventilandam, à* vocibus, *ad* rem, *progressi, proponamus.*

a Matth. 21. 33. b 1.Timoth. 3. 15. 1.Pet. 2. 5. c Ioh. 3. 29. 2.Cor. 11. 2. d Ephes. 5. 23. e Gal. 4. 26. f Hebr. 10. 25. g Matth. 18. 17, 18. Actor. 2. 47.

THESIS I.

Quod Hebraicè, *Kahál* [a], aut *Kehillá* [b], ac, per metathesin, *lahaká* [c]; & *Latinè*, *concio*, appellatur; id *Græcè*, à septuaginta interpretibus [d], & à sacris, Novi Testamenti scriptoribus, ἐκκλησία, dici solet [e]: unde, & à priscis theologis Latinis [f], *Ecclesiæ vox*, quasi Latio donata, hactenus usurpatur.

a Psal. 22. 23. b Nehem. 5. 7. c 1.Sam. 19. 20. d Psal. 22. 23. e Heb. 2. 12. f Tertul. de Orat. c. 2. &c.

II. Quarum vocum origo, inter se consentanea est. Nam, ut Kahál, à Kahál, congregando; *concio*, à conciendo, id est, convocando, quasi convocatio [a]: sic *Ecclesia*, ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, ab evocando, quasi cœtus evocatus, derivatur.

a S.P. Festus, de verb. signif.

III. Cujus *vocis significatio*, in Sacris literis, alia est propria: alia, impropria.

IV. *Propria* est, cum (non aliter, quàm Romanis concio [a]) multitudinem hominum, è suis locis, publica superioris auctoritate, in unum, convocatam ac congregatam, denotat [b]. Quæ *Ecclesia* ἔννομος *legitima* [c], distinctè dicitur: ut à *confusa* & illegitima [d] (quæ nomen Ecclesiæ, abusione quadam, interdum obtinet [e]) discernatur. Quæ Ecclesia, tum esse desinit; quando conventus est dimissus ac solutus [f]: quia forma illius, in congregatione, consistit.

a S.P. Festus Gellius lib. 18. c. 7. b 1.Cor. 11. 18, 22. & 14. 35. Actor. 7. 38. Heb. 2. 12. c Act. 19. 39. d Act. 19. 32. e Act. 19. 40. f Ibidem.

V. *Legitima* autem *Ecclesia, distribuitur* bifariam. *Primò*, à causa efficiente: quia alia est Dei; alia est hominis: illa, quæ divina; hæc, quæ humana auctoritate, convocata est. *Deinde*, à fine suo, alia religiosa est; quæ, ad religionem, seu agnitionem & cultum Dei: alia profana; quæ, ad rem profanam, est congregata.

VI. *Impropria* verò *significatio*, Scripturæ peculiaris est: ut, κατ' ἐξοχὴν, Dei Ecclesiam [a], seu cœtum, ad salutem electorum, ac vocatione sanctificatorum, in Christo [b], universum, indicet: sive ille, uno in loco, sit congregatus, sive segregatus. Adeò ut dimissa solutaque concione, Ecclesia tamen (ita accepta) neutiquam dissolvatur: sed, suis commissuris ac vinculis compacta, perduret [c]. Quæ *vocis significatio*, per synecdochen, variè modificata, in plures diducitur: ut, ex *reipsa* (quæ, sequenti *descriptione*, & *partitione*, continetur) clarius elucescet.

a Col. 1. 18, 24 Eph. 5. 32. b 1.Cor. 1. 2. Eph. 5. 26. c Eph. 2. 20, 21. & 4. 16.

VII. *Ecclesia* autem *Dei* (ut plenius describamus) *est universa multitudo hominum, ad salutem electorum, sua culpa perditorum, Christique sanguine redemptorum: quos Deus gratuita sua misericordia, ex mundo, per Euangelii revelationem, & Spiritus Sancti potentiam, efficaciter vocando, sanctificavit, & Christo, capiti ac servatori, uniendo, in unum corpus, ad communionem benedictionis, gratiæ & gloriæ illius, collegit ac compegit: ut, immensa ac salutifera ipsius bonitas, sapientia, & potentia, patefiat, &, in æternum, agnoscatur, ac celebretur.*

VIII. Quâ descriptione, *causas* Ecclesiæ strictim complexi sumus: quas, sequenti analysi atque expositione, ordine suo evolvemus. *Prima* enim *causa* est *efficiens* (à qua Ecclesia originem ducit) eaque, cùm principalis; tum instrumentalis. *Principalis*, est vel exequens ac perficiens; vel movens atque impellens.

IX. *Exequens illa* ac *perficiens*, est unus Deus, Pater [a], & Filius [b], per Spiritum Sanctum [c], *partim*, externâ Euangelii revelatione, vocans; *partim*, internâ potentiâ, vocationi efficaciam adjungens, quâ, ad vocationis metam, vocatos perducit. Unde, ex horum *duorum* concursu, *vocatio efficax*, constituitur: quæ, *vocatio secundum propositum* [d] (nempe servandi) & *superna* [e], *cœlestis* [f], *sancta* [g], κατ' ἐξοχὴν nominatur.

a Col. 1. 13. 1. Cor. 12. 6, 28. b Matth. 16. 18. Act. 2. 47. 1. Cor. 12. 5. Eph. 4. 11, 12. c 1. Cor. 12. 4. Act. 20. 28. d Rom. 8. 28. e Phil. 3. 14. f Heb. 3. 1. g 2. Tim. 1. 9.

X. *Euangelii* autem *revelatio*, vel est *immediata*, cum Deus, per seipsum, sine ullâ ministrorum operâ, doctrinam, de salute per Christum, pandit (ut Abrahamo [a], & Paulo [b], aliisque nonnullis evenit) vel *mediata*, cum hominum industriam atque operam adhibet: inprimis verò, cum ministros Euangelii mittit [c], ac tuetur [d].

a Gen. 12. 1, 2, 3. Gal. 3. 8. b Gal. 1. 12. c Joh. 20. 21. Col. 1. 25. Eph. 4. 10, 11, 12. d Matth. 28. 20.

XI. *Potentia* verò vocationis *interna* [a], est quâ Deus vocatorum animos, ad audientiam [b], & obedientiam Euangelii [c], Christique unionem [d], &, gratiæ [e], ac gloriæ [f] illius, communionem [g], perducit.

a 2.Thess. 1. 11. Heb. 8. 10. b Actor. 16. 14. c 1.Pet. 1. 2, 22. 23. d 1. Cor. 1. 9. & 12. 12. Eph. 1. 22. e Gal. 1. 6. Rom. 3. 24. & 5. 17. f 1.Thess. 2. 12. 1.Pet. 5. 10. Eph. 5. 27. g Rom. 8. 29, 30, 32.

XII. *Causa* verò, exequentem *movens*, est, vel prima, vel primæ subordinata. *Illa*, est Dei gratuita misericordia: seu, immerita, imò contra meritum, erga miseros, atque osores sui, benevolentia [a]: quâ eorum, ex mundo, seu perdito genere humano, vocationem, & salutem, clementer voluit: & Servatorem, ac salutis adminicula, idcirco donavit [b]. *Hæc* verò, est Christi, pro iisdem, oblatio [c], & intercessio [d]: quibus, vocationem ac sanctificationem, & salutem ecclesiæ, redemit, & acquisivit [e].

a 2.Tim. 1. 9. Tit. 3. 5. Rom. 5. 8, 10. 1.Pet. 1. 3. b 2.Thess. 2. 13, 14. 1.Ioh. 4. 10. 1. Pet. 1. 2, 3. c Esa. 53. 12. Ioh. 17. 19. Actor. 20. 28. Gal. 1. 4. d Ioh. 17. 20, 21, 24. Psalm. 2. 8. e Actor. 20. 28. Heb. 7. vers. 25.

XIII. *Instrumentalis* causa, vel remota est, vel proxima. *Remota*, sunt ordinariè, Euangelii ministri ac pastores [a]. Quorum *unus*, est *princeps*, Christus: unius ac totius ovilis, pastor unus, & universalis [b], magnus ille ovium pastor [c], ἀρχιποίμην ac dominus [d]: *reliqui* verò, *Christi ministri* [e]: qui, ut illius ratione, sunt oves [f]; sic, ratione pascendi gregis, sunt pastores [g], cooperarii Dei, ac structores ecclesiæ [h], per *fidelem mysteriorum Dei dispensationem* [i]. Quæ, sincera Euangelii prædicatione, & legitimâ Sacramentorum administratione, continetur [k]. Quorum illud, struendæ; hoc, confirmandæ ecclesiæ, inservit. *Proxima causa*, est Euangelium, voce vel scripto, traditum [l]: quod etiam interdum, extra ministerii ordinem, solâ lectione, aut privatâ institutione, vocationis instrumentum existit, ut experientia demonstrat.

a Ephes. 4. 12. b Joh. 10. 16. c Heb. 13. 20. d 1.Pet. 5. 4. Actor. 20. 28. e 1.Cor. 4. 1. f Matth. 26. 31. & 25. 33. g 1.Pet. 5. 2. h 1.Cor. 3. 9, 10. i 1.Cor. 4. 1, 2. k Matth. 28. 19, 20. 1.Cor. 11. 23, 24. l 1.Pet 1. 23, 25. Ephes. 5. 20. Jac. 1. 18.

XIV. *Materia* (ex qua, Ecclesia est) sunt omnes & soli electi [a], perditi, seu, justitia & gloria Dei, destituti, Christique sanguine redempti [b].

a Rom. 8. 29, 30, 33. 1.Pet. 2. 5, 9. b Act. 20. 28. Eph 5. 25, 26, 27.

XV. *Forma* (per quam Ecclesia est, id quod est, & à reliquis distinguitur) est individua [a] (per eundem Spiritum

sanctificantem [b], & unius agnitionis Filii Dei, & charitatis mutuæ vinculum [c]) cum Christo capite [d], & inter se in unum corpus [e], ac Dei populum filiosque [f], conjunctio, & benedictionis [g], gratiæ, ac gloriæ, seu justitiæ ac vitæ æternæ [h], per Christum communio [i].

a Matt. 16. 18. Joh. 6. 37, 56. b 1. Cor. 6. 11, 17, 19. & 12. 13. Eph. 2. 21, 22. c Eph. 4. 3, 4, 15, 16. d Joh. 17. 20, 21, 22. Eph. 1. 22, 23. & 4. 3. 12, 13, 15, 16. e Rom. 12. 5. 1. Cor. 12. 27. f Rom. 9. 26. g Gen. 22. 18. Gal. 3. 14. h Rom. 5. 17. & 8. 1, 29. Eph. 5. 23. 27. 2. Thes. 2. 14. i Joh. 1. 16. & 17. 24. Eph. 5. 23, 26, 27. 1. Cor. 15. 49. Phil. 3. 21. 1. Pet. 5. 1.

XVI. Ex qua unione, & communione, fluit, quod Ecclesia Christi (quæ corpus, & complementum, illius est [a]) per synecdochen suavissimam, capitis sui nomine decorata, *Christus*, ab Apostolo appelletur [b].

a Eph. 1. 23. b 1. Cor. 12. 12.

XVII. A qua etiam *forma* ecclesiæ, *triplex* illius promanat *attributum*; unitas, sanctitas, universitas: ideoque *una*, *sancta*, *universalis*, (seu, Græcâ voce, *catholica*) nuncupatur. *Una*; quia, licet multa sint membra, σύσσωμα [a] tamen dicuntur: ut quæ, unum sunt corpus [b], sub uno capite [c], uno Spiritu (quasi unâ animâ) vivificatum [d], & unius agnitionis Filii Dei, charitatisque mutuæ, commissura ac vinculo, aptè compactum [e]. *Sancta*; quia sacrificio [f], & verbo ac Spiritu Christi [g], sanctificata, & in populum Dei sanctum, ac cultores illius, consecrata [h]. *Catholica*, seu *universalis*, quia omnia Christi membra [i]: seu universos, omnium locorum, temporum, & conditionum, homines, ad benedictionem Christi vocatos, sinu suo comprehendit [k].

a Ephes. 3. 6. b 1. Cor. 12. 12. Eph. 4. 4. Rom. 12. 5. c Ephes. 1. 10. & 4. 15, 16. d 1. Corinth. 12. 13. 2. Cor. 3. 6. Eph. 4. 4. e Eph. 4. 12. 13, 15, 16. f Joh. 17. 19. Heb. 10. 10. Ephes. 5. 26. g 1. Cor. 6. 11. 1. Pet. 1. 2, 22, 23. h 1. Thess. 4. 7. 1. Pet. 1. 15, 16. & 2. 5. 9. i Eph. 4. 16. k Ephes. 1. 10. Gen. 22. 18. Gal. 3. 14, 28, 29. Joh. 10. 16. & 11. 51, 52. 1. Joh. 2. 2. Ap. 5. 9. & 7. 3, 4, 9.

XVIII. Ex utroque autem, cum materia, tum forma, confutantur *Pontificiorum errores* varii, in Ecclesiam, & caput illius, contumeliosi 1. quod vera, Ecclesiæ catholicæ, membra, à corpore suo resecent: cum quosdam fideles, qui partim nondum sacris communicarunt, partim ab iis, excommunicati sunt, omninò excludunt. 2. quod, falsa membra, supponant plurima: dum reprobos atque infideles, à Christo, & sanctitate alienos, Ecclesiæ membris, annumerant. 3. quod Christo, unico capiti, solique universali Episcopo, caput vicarium, Petrum Apostolum, illiusque, ut fingunt, successorem, Papam Romanum, substituant: & ecclesiam, in biceps monstrum, transforment. 4. quod Romanam Antichristi synagogam particularem, pro vera, & catholica, Christi Ecclesia, venditent.

XIX. *Finis* denique *Ecclesiæ catholicæ*, (propter quem, Ecclesia divinitus formata ac constituta) est Dei vocantis (*ex quo, per quem, & in quem, sunt omnia*) *æterna gloria* [a]. Quæ, in patefactione, & grata agnitione, ac celebratione, immensæ ac salutiferæ bonitatis, sapientiæ, & potentiæ illius, consistit. *Bonitatis*, quod, cum mundo perditos (seu peccato, & condemnationi, obnoxios) è tenebris, ad lucem suam admirandam vocare [b], &, ad Christi communionem, & in populum suum, atque hæredes, adsciscere; vitâque æternâ donare, voluerit [c]: *sapientiæ* πολυποίκιλος, quod modum decentissimum, atque ipsis etiam Angelis admirandum, ordinarit [d]: *potentiæ*, quod, quæ benignè, &, sapienter, voluit; & ordinavit, ea, adversus omnium hostium vires, invicto robore, exequatur [e]. Atque hoc modo explicata *ecclesiæ*, *descriptione*, ad *partitionem* illius, procedemus.

a Rom. 11. 36. b 1. Pet. 2. 9, 19. c Ibidem, & 2. Thess. 2. 13, 14. Rom. 9. 23, 24, 25. d Rom. 11. 26, 33. Eph. 3. 10. e Eph. 1. 19, 20, 22, 23. & 4. 10. 11. Matth. 16. 18. Ioh. 10. 28, 29. 1. Pet. 1. 5. 2. Thess. 1. 11.

XX. *Ecclesia* enim *catholica*, pro duplici suo (ad capitis sui Christi conformitatem [a]) statu ac gradu, *bifariam distinguitur* [b]. Quippe, aut ingloria est [c], aut gloriosa [d]: illa, militans; hæc, triumphans, dicta.

a Matth. 16. 24. Luc. 24. 26. Actor. 14. 22. b Ephes. 1. 10. Heb. 12. 23. c Ioh. 16. 33. 2. Cor. 4. 17. 1. Pet. 5. 1. d Eph. 5. 27.

XXI. *Ingloria* ac *militans*; est cœtus, omnium fidelium, in terris: qui, virtute Christi [a], Deo & justitiæ, militantes [b]; intus, cum carne sua [c]; foris, cum Satana [d], mundoque [e], panoplia Dei [f], decertant: ut, ad metam perfectionis, ac palmam supernæ vocationis Dei, in Jesu Christo, pertingant [g]. Quæ Ecclesia, cum toto terrarum orbe diffundatur, &, ad finem usque mundi, invitis inferorum portis, perpetuò duret [h], idcirco relatè, non absolutè, *universalis*, quoque, & eatenus *invisibilis*, vocari consuevit.

a Mat. 16. 18. & 28. 20. Eph. 6. 10. Ioh. 10. 28. & 16. 33. b Rom. 6. 13, 23. c Rom. 7. 23. Gal. 5. 17. d Ephes. 6. 12. e 1. Ioh. 5. 4. 5. f Ephes. 6. 11, 13. g Eph. 4. 13. Phil. 3. 12. 13. h Matth. 16. 18. & 28. 20. Luc. 1. 33. Ps. 89. 29, 35, 36.

XXII. *Militans* rursus (pro diversa, vocationis & communionis vocatorum ratione) in *duas* etiam *partes*, *distributa* est. Quarum *una*, est eorum, qui, ad communionem externam, sunt adjuncti: *altera*, eorum, qui, ab ea disjuncti.

XXIII. *Prior*, est multitudo omnium, qui sincerâ Euangelii prædicatione, & legitimâ Sacramentorum administratione, & Spiritus Sancti efficaciâ, ad Euangelii obedientiam, & communionem ac benedictionem Christi, sunt perducti.

XXIV. In qua vocatorum Ecclesia, quia vocatio, & communio, externa, reprobis quibusdam est communis: efficacia verò, & communio, interna, electis est propria; propterea, *multi vocati, pauci electi* [a], asseruntur. Et *reprobi*, velut hædi, cum ovibus, permixti [b], propriè *sunt in Ecclesia*; *sed non, ex Ecclesia* [c]: nisi secundùm quid, ac metaphoricè, ob similitudinem, professionis fidei & obedientiæ: qua, hircinum ingenium, ovinâ hac pelle, contegunt, & oves Christi (verâ fide ac charitate, Christo capiti, mutuò devinctas) fallaci specie, simulant: quodque tales etiam, donec patefiant, à veris ovibus, ex charitatis (in meliorem partem, de proximo sperantis ac judicantis) regula [d], censeantur.

a Matth. 22. 14. b Matth. 25. 32. c 1. Ioh. 2. 19. d 1. Cor. 13. 7.

XXV. Quæ Ecclesia, cum multos cohabitantium cœtus particulares, Euangelii ministerio collectos ac colligatos, tanquam partes, complectatur; ea etiam de causa, harum relatione; ipsa, *universalis*, & *invisibilis*; partes verò illius, *particulares Ecclesiæ*, &, à visibili convocatione & communione, *visibiles* (quod videri queant) nominantur: etsi interdum, persecutionum nube contectæ, publicè non appareant [a]. Quâ vocis acceptione, non una tantùm est Ecclesia: sed plurimæ [b], quæ tamen, universalis Ecclesiæ unitatem, non destruunt: sed, interna sua unione & communione, construunt ac componunt.

a 1. Reg. 19. 10. Rom. 11. 3. Apoc. 12. 14. b 1. Cor. 1. 2. Gal. 1. 2, 22. Apoc. 1. 11. 1. Cor. 14. 33.

XXVI. *Particularis* autem *Ecclesia*, constat, partim *pastoribus* ac præfectis [a], partim *cleris* [b], hoc est (ut Scriptura exponit) grege [c]: unde, per synecdochen, vox Ecclesiæ, aut presbyterium [d], aut cleros, seu gregem solum [e], distinctè significat.

a 1. Cor. 12. 27, 28. 1. Pet. 5. 2. b 1. Pet. 5. 3. c Ibidem. d Matt. 18. 17. e Actor. 20. 28.

XXVII. Ut autem pastores Ecclesiam, ministerio fideli, seu, sincerâ, Euangelii prædicatione, & legitimâ Sacramentorum administratione, colligunt ac gubernant [a], sic grex vicissim, sancta Euangelii auditione ac professione, & Sacramentorum perceptione; obtemperat [b].

a Matth. 28. 19, 20. 1. Cor. 11. 23. Eph. 4. 12. b Ioh. 10. 27. & 13. 35. Act. 2. 41, 42.

XXVIII. Quorum conjunctio, ubi comperitur, ibi vera est visibilis Christi Ecclesia; quæ ideo, *columna & firmamentum veritatis* [a], dicitur: quod Euangelii veritatem, ad salutem necessariam, columnæ instar, doctrinâ, & professione suâ, appensam ac confirmatam, sustineat ac prætendat [b]. Quod τεκμήριον ac κριτήριον, seu *nota certa* ac documentum est [c], quo Ecclesia particularis, ac visibilis, *vera* (cui tuto nos possimus adjungere) à *falsa* discernatur, ac dignoscatur. Ut autem sinceritatis doctrinæ, suos habet gradus; ita, quo magis, aut minus, sincera est doctrina; eò magis, minusve, sincera Ecclesia, dijudicatur. Hæc de *priori, militantis Ecclesiæ, parte*.

a 1. Tim. 3. 15. b Phil. 2. 15, 16. Matth. 10. 32. Rom. 10. 8, 9. c Esa. 2. 2, 3. & 59. 21. Eph. 2. 20. Ioh. 8. 31.

XXIX. *Posterior* verò, est cœtus omnium fidelium, qui nondum, Sacramentorum usu, sunt initiati: sive ordinariè, per pastores, sint vocati; ut Catechumeni: sive præter hunc ordinem, divinâ revelatione, aut humanâ privatæ lectionis, vel auditionis Euangelii, industriâ, ad fidem, Christique, & corporis illius, communionem spiritualem, sint perducti: ut nonnulli alii. De quibus, illud scitè dicitur *multos esse, ex Ecclesia*, *qui*

siæ, qui non sunt in Ecclesia. Quo modo, expositâ *Ecclesiæ militantis naturâ, & partibus*; ad triumphantem, tanquam Colophonem illius, transeamus.

XXX. *Ecclesia gloriosa* ac *triumphans*, est cœtus justorum [a], qui, post consummatam suam, spiritualem ac sanctam, militiam, victores [b], palmam ac coronam, vitæ & gloriæ æternæ, assecuti in cœlis [c], Deum, perfectâ scientiâ, cognoscunt, ac de facie ad faciem vident [d], & coram throno ipsius, perfectâ justitiâ [e], ac lætitiâ [f], colunt ac celebrant in æternum [g].

a Matt. 25.37. b 2.Tim. 4.8. Apoc. 3.21. c 1.Cor. 9.25. 1.Pet. 1.4. Apoc. 2.7, 10. & 7.9, 10. d 1.Corinth. 13.10, 12. e Ephes. 5.27. Apoc. 21.27. f Matt. 25.21. Joh. 16.22. Apoc. 21.4, 7. g Apoc. 7.10, 15.

XXXI. Quæ etiam *Ecclesia* (ratione disparis amplitudinis suæ) *particularis* est, vel *universalis. Illa* est cœtus spirituum justorum perfectorum [a]; qui, in cœlesti gloria, corporum suorum resurrectionem ac glorificationem desiderant [b]. *hæc* verò, est cœtus omnium hominum electorum, & justorum; qui, ab initio mundi, ad finem usque, animâ & corpore, æternâ vitâ & gloriâ, capiti suo Christo, sunt conformes [c], & ἰσάγγελοι Angelis pares [d]: quique, perfectè beati, nihil boni desiderant: omniaque, Dei fruitione, possidendo, nihil amplius expectant [e].

a Heb. 12.23. b Apoc. 6.10. & 22.17. c Matt. 25.32, 33, 34, 46. Rom. 8. v. 29. Phil. 3.21. 1. Cor. 15. 49, 53. d Luc. 20.36. e Apoc. 21. 7. 23. 1.Cor. 15.28.

XXXII. Quæ Ecclesia, non ante ultimum diem complebitur: quo, Angelorum congregationi omnino conjuncta, beatorum ac cœlestium civium rempublicam, absolvet. Quorum pars illa, Dei filios, gratia creationis & perseverantiæ; hæc verò, filios gratia redemtionis, vocationis, & adoptionis, complectitur. Illa, Christo domino subest, non inest: hæc verò, ei sic subest, ut etiam insit, tanquam vivus palmes in vite [a], & corpus, capiti suo complendo, arctissimè unitum [b].

a Joh. 15.5. b Eph. 1.23. Vide Thesin 14. & 15.

XXXIII. Ex quibus liquere potest, cœlestem, beatorum Angelorum, cœtum, Ecclesiæ concives esse; non membra: sponsæ Christi amicos; non sponsam: ut quæ, ex Christi, secundi Adami, morte obdormientis, latere enata sit ac ducta, veraque Eva, viventium mater, effecta, & ab ignominia, ad gloriam cœlestem, traducta ac subvecta [a].

a Eph. 5.25, 26, 27, 30, 31, 32. Esa. 53.10. Apoc. 21.29, 10, 11.

XXXIV. Deinde quoniam ultimo, restaurationis omnium, die [a], omnia Ecclesiæ membra, in unum congregabuntur [b], gloriaque illius propria, tum futura est conspicua [c], idcirco *universalis* hæc *Ecclesia*, sponsa Christi gloriosa, *visibilis*, cum capite suo apparebit [d]. AMEN.

a Actor. 3.21. b Matt. 3.12. & 13.30. & 24.31. & 25.32, 33. c Matth. 13.43. Rom. 8.19. 1. Joh 3.2. d Rom. 8.18, 19 Col. 3.4. Apoc. 21.2, 9. Matt. 25.33.

COROLLARIA.

1. *An Ecclesia Catholica, in terris, prorsus possit deficere? Neg.*
2. *An errare possit, in doctrinâ fidei? A. distinctè.*
3. *An notæ, Ecclesiæ particularis, visibilis, quas Pontificii, (præter eas, quas exposuimus) obtendunt, sint propriæ? N.*
4. *An pars Ecclesiæ, (ut Pontificii contendunt) sit animarum laborantium, in Purgatorio? N. quia Purgatorium est in Utopia.*
5. *An ministerio Ecclesiæ consecrati, opposite Ecclesiæ, quasi Laicis, rectè Clerici Veterum quorundam imitatione, consentaneè Sacris literis, nominentur? N. ex demonstratione* 1.*Pet.* 2.9. & 5.3.

DISPUTATIO XXXI.

DE SACRAMENTIS.

Non importunum fore arbitramur, si orthodoxam de Sacramentis sententiam, ex Sacris literis, & sanis Patrum sententiis, auditoribus communicemus, & publica disquisitione, ad veritatis illustrationem, & ad errorum nebulas clarius discutiendas, publico examini, à generali doctrina exorsi, submittamus.

THESIS I.

Sacramenti vox, non à secretis virtutibus (ut malè conjicit Isidorus [a]) sed à *sacro* [b], dicta est, ac præter alia, probatis linguæ Latinæ auctoribus, *juramentum militum* [c] (unde Glossarium vetus; *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικός) notat: quo, ad fidem & obedientiam, Imperatori suo præstandam, certis ritibus consecrabantur. *Nam* (ut ait Vegetius [d]) *victuris in cute* [e] *punctis, milites scripti, quum matriculis inseruntur, jurare solent: & ideo, militiæ sacramenta, dicuntur, &c. jurant autem milites, omnia se strenuè facturos, quæ præcepit imperator: nunquam deserturos militiam; nec mortem recusaturos, pro Romana republica.*

a Originum lib. 6. c. 19. b Varro de lingua Lat. l. 4. c Cic. de off. l. 1. & Sueton. Julio Cæsar. c. 42. d De re militari l. 2. cap. 5. e Scil. manus: unde in lege Mauritii: In manu signati, periphrasis militum apud Gregor. Mag. Ep. lib. 3. ep. 100.

II. Unde, à re militari, ad sacram, eleganter deducta est metaphora. Quippe, ut non solùm Christianus scriptor [a], disertè testatur; sed etiam prophanus Philosophus agnovit; Θεῷ ἔδει καὶ ἡμᾶς ὀμνύειν, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι; *nos etiam Deo decebat jurare; ut milites Cæsari.*

a August. To. 10. De Tempore Serm. 181. Arrianus Epict. lib. 1. cap. 14.

III. Ideoque, ad signa fœderis Dei, per Christum (quibus Deo, ut cœlesti Imperatori, ad sacram militiam consecramur) ab antiquioribus Patribus, *Sacramenti vox*, translata est [a]: quamvis clarius, plenius ac tutius, *signa fœderis* [b], Deo duce nominassent. Tertullianus autem, *Sacramentum Baptismi & Eucharistiæ* [c], primus appellavit: quem postea Cyprianus [d], Ambrosius [e], Hieronymus & Augustinus [f], sunt secuti: à quibus, hoc nomen, latius ad alios dimanavit, & communi Ecclesiæ consuetudine, hactenus receptum.

a Tertull. de Corona. c. 11. & De præscript. cap. 40. August. de temp. Serm. 181. Hier. Epi. lib. 1. ad Heliod. b Gen. 17.11. c Contra Mar. l. 4. c. 34. d Serm. de Cœna. e Libris de Sacram. f Locis ante citatis.

IV. *Usus* tamen illius, est diversus. *Aut* enim *relatè* accipitur, pro signo [a]: *aut absolutè* pro utroque, & signo & signato. Ut quum, *Sacramentum constare*, ajunt, *re terrena, & cælesti*: quòd de Eucharistia indicat Irenæus [b].

a August. in Joh. Tract. 26. & 27. b Lib. 4. cap. 34.

V. Quarum significationum *prior*, naturæ Sacramentorum (ut, ex singulorum genere, atque inductione, constat) propria est ac genuina. Ex qua etiam, orta est illa, in Patrum scriptis, *Sacramenti, & rei, veritatis, gratiæ, virtutis Sacramenti* [a]: & apud Tertullianum [b], *figuræ, & veritatis*, oppositio. *Posterior* verò significatio, impropria est, per synecdochen quandam, idque non satis apta Irenæi imitatione: ut postea ostendetur: ideoque priorem meritò amplectimur.

a Cyprian. Serm. de Cœna §. 7. & 8. Aug in Joh. Tract. 26. & 27. & de Bapt. contra Donat. c. 21. & in Levit. qu. 84. b Contra Mar. l. 4. c. 40.

VI. Quum autem hujusmodi *Sacramentum*, aliud, sit *extraordinarium* ac temporarium (ut Baptismus in mari, & nube: & manna, ac petra in deserto [a]) aliud, *ordinarium* ac perpetuum, ad alterutrum Messiæ adventum [b], duraturum: nos, illo omisso, hoc potissimum definiemus.

a 1.Cor. 10.2, 3, 4. b Genes. 17.10, 11. Exod. 12.14, 24. Heb. 9.10. Col. 2. 16, 17. 1.Cor. 11.26.

VII. Sacramentum, est *sacrum ac visibile signum ac sigillum, à Deo, in usum, fœderata per Christum, visibilis & in terris militantis, Ecclesiæ institutum, & prædicationi Euangelii annexum, ad fœdus gratiæ, per illud revelatum, amplius declarandum, & obsignandum: ut fides & obedientia Ecclesiæ confirmetur, ad salutem illius, & ad Dei, per Christum Servatoris ac patris, gloriam.*

VIII. Idemque trita ex Augustino [a] definitio, *Forma* [b] *visibilis*

visibilis invisibilis gratiæ, complectitur: sed generalius atque obscurius. Quamobrem, pleniorem illius expositionem subnectemus.

a De Catech. rudibus cap. 26. Concil. Trid. Sess. 13. c. 3. b Vulgo Signum visib.

IX. Sacramentum enim primùm, *signum*, appellamus, ex S. literarum consuetudine [a], & rei convenientia. Quia *est res* (ut Augustinus [b] signum definit) *præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid, extra se, faciens in cogitationem venire.* Ideoque Theodoretus, *symbolum* [c], & Scripturæ imitatione, *typum* [d], appellat.

a Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. Exod 12. 13. Luc. 22. 19. b De doctrina Christ. l. 2. c. 1. M. Sent. lib. 4. dist. 1. §. Sacramentum. c Dialog. 1. d 1. Pet. 3. 21.

X. Quum autem, finis ratione, signa alia sint *prophana*: alia *sacra* (quomodo per synecdochen speciei, voce generalius accepta, Augustinus [a] ait, *Sacramenta, id est, sacra signa*) & utraque rursus, vel visui, vel auditui, vel etiam aliis sensibus, destinata sint, idcirco Sacramentum, ab eo sensu, quo potissimum percipitur, *sacrum ac visibile signum*, vocamus: quia rem sacram oculis significat.

a Contra adversf. Legis l. 2. c. 9. & de civit. Dei l. 10. c. 5.

XI. Ac propterea, *verbum visibile*, eleganti ac trita, ex Augustino [a], metaphora, nominatur. Sicut vicissim, sacra, de rebus arcanis, verba, præsertim tropica (ut Augustinus ait [b]; *Sacramentum figuratum, allegoria est*) simili translatione. *Sacramenta* [c] (ut loquuntur) *audibilia*, nuncupantur. Quod scilicet, quæ verbum auribus notat, ea Sacramentum oculis, suo modo vicissim significet.

a De doctrina Christ. l. 2. c. 3. & contra Faustum. Man. l. 19. c. 16. & in Joh. tract. 80. b In Psal. 103. c Hilar. de Trinit. lib. 10. Aug. in Ps. 33. & 93. Hier. comment. Eph. 5. 31.

XII. Verùm, ut signa visibilia, *quædam signant*, & mentem erudiunt; *quædam obsignant*, & cor afficiunt; quædam denique, utrumque præstant, tanquam *signa obsignantia*; idcirco distinctionis gratiâ Sacramenta, non solùm signa, sed etiam (per metaphoram, à literis & diplomatis [a] derivatam) *sigilla*, Deo auctore [b], nuncupamus.

a 1. Reg. 21. 8. 1. Cor. 9. 2. b Rom. 4. 11.

XIII. Quod non ideo fit, ut verbo Dei, quasi per se infirmo, aut apud nos dubio, auctoritatem & fidem conciliarent (ut ineptè nobis Jesuitæ objectant:) sed quòd verbo appensa, & sigillatim communicata, veritatem promissam ac creditam, clarius in animis nostris, signent & obsignent, dum pluribus sensibus, eandem proponunt, & quasi infigunt: non sua quidem natura, sed ex promissionis divinæ, eis annexæ, pacto.

XIV. *Nam* (ut præclarè ait Chrysostomus [a]) *si incorporeus esses, nuda ipsa dona incorporea, tradidisset tibi: quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus, intelligenda tibi, traduntur.* Atque ideo etiam Augustinus [b], eadem, *signacula rerum divinarum*, vocat: & Tertullianus [c], de Baptismo ait, *lavacrum illud, obsignatio est fidei:* & Basilius [d], ἔστι γὰρ τὸ βάπτισμα, σφραγὶς τῆς πίστεως, *est enim Baptisma, sigillum fidei:* denique Theophylacti [e] verba, hisce concinunt; *Ait igitur, quòd circumcisionis signum acceperit, pro sigillo obsignante ac prædicante, quòd ex fide justificatus est.*

a In Matth. homil. 83. b De catechizandis rud. cap. 26. c Lib de pœnit. c. 6. d Contra Eunom. l. 3. e Enarrat. ad Rom. 4.

XV. Deinde, quoniam hujusmodi signa & sigilla, vel hominem, vel Deum habent auctorem, à quo data [a], vel mandata sunt [b]: propterea & ab humanis, & à datis tantùm signis, Sacramentum discernentes, *à Deo institutum*, duplici de caussa, asserimus.

a Gen. 9. 11, 12. b Ib. 17. 10. 11. Exod. 12. 25, 26. & 43. Matth. 28. 19, 20. Luc. 22. 19.

XVI. 1. Quia pars est cultus Dei [a]: quem instituere, solus Deus jure potest [b]: quia solus est Ecclesiæ dominus, & legislator [c]: cujus verbo, nihil addendum [d], quique ἐθελοθρησκείαν detestatur [e]. Ideoque filii Aaronis, quod ignem alienum, non præceptum, obtulissent Deo, cælesti igne absumpti, ἐθελοθρησκείας arbitrarii cultus, pœnas luerunt [f].

a Gen. 17. 13, 14. Exod. 12. 26. Matth. 3. 15. Ioh. 1. 33. b Ezech. 20. 18. 19. Matth. 15. 9. c Iac. 4. 12. d Deut. 4. 2. e Col. 2. 23. f Lev. 10. 2.

XVII. 2. Quoniam, ut Deus solus, rei Sacramento promissæ, seu gratiæ, est auctor; sic solus potest ejus instituere signa ac sigilla, citra omne fallaciæ, & crimen, & periculum: siquidem *Deus verax: omnis verò homo mendax* [a]. Quare Paulus, hanc gloriam Deo attribuens, ait; *Accepi à Domino, quod tradidi vobis* [b]. Ac propterea Tertullianus, *Sacramenta divina* [c]: & Ambrosius, *cælestia* [d]: quod è *cælo sint* [e], & à Deo instituta, non immeritò nuncuparunt.

a Rom. 3. 4. b 1. Cor. 11. 23. c De præscr. cap. 40. d De Sacram. lib. 5. c. 2. e Matth. 21. 25.

XVIII. Hæc autem divina Sacramenti institutio, *verbo gemino*, partim *mandati officii humani*, partim *assertionis ac promissionis beneficii divini*, continetur.

XIX. Ac *mandatum* quidem *officii humani*, est legitimus signi usus: qui in *recta*, cum *administratione*, tum *perceptione* illius, consistit.

XX. *Administratio recta* est, quæ fit, per ministrum divinitus institutum: & in Novo quidem Testamento, per solum Euangelii (cujus prædicationi annexa est [a]) præconem: utpote solum, diplomatis ac sigilli gratiæ, dispensatorem [b]: idque ex præscripta à Deo liturgia ac formula, agentem [c]. Cæterum nec *recta*, animi illius, *intentio*, Sacramenti ipsius integritatem, efficit: nec *prava*, sinceritatem ejusdem, inficit; etsi administrum iræ Dei obnoxium reddat.

a Matth. 28. 19, 20. Heb. 5. 4, 5. b 1 Cor. 4. 1. & 11. 23. c Ibid.

XXI. *Perceptio* verò *recta* est, qua signa, non mutila, sed integra, & secundùm Dei institutionem, piè à communicantibus, accipiuntur [a]. Atque hæc de *mandato*, ut *primo* Sacramenti *verbo*.

a Matth. 3. 6, 7, 8. Act. 2. 38. 1. Cor. 11. 28, 29.

XXII. *Alterum* verò est rei signo designata ac beneficii divini assertio ac promissio. Quo gemino (mandati & promissionis) *verbo accedente ad elementum, fit Sacramentum:* ut rectè ex Augustini [a] sententia vulgò statuitur.

a In Joh. Tract. 80.

XXIII. Nam, si *verbum mandati* desit, non erit signum divinitus institutum: sin verbum promissionis; non erit sigillum fœderis: ideoque nec omnino Sacramentum. Quo sensu etiam, ab Ambrosio [a] dicitur; *Sermo operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur.*

a De Sacram. lib. 4. c. 4.

XXIV. Ideoque *mutatio* & conversio quædam, in Sacramentis, existit: non quidem essentiæ signorum, in rem significatam, per μετουσίαν *transsubstantiationem* (alioqui signa & Sacramenta esse desinerent) neque insitarum proprietatum, per novæ qualitatis infusionem; quia Sacræ literæ hoc non tradunt: sed mutatio est tantùm usus naturalis, per gratuitam Dei institutionem; qua res absoluta, fit relata, & in signum fœderis ac Sacramentum consecratur ac convertitur.

XXV. Quomodo rectè Theodoretus, τὴν ἐκ τῆς χάριτος μεταβολὴν, *eam, quæ ex gratia est, mutationem* [a], agnoscit: sed propriam, τῆς φύσεως μεταβολὴν *naturæ mutationem*, pernegat [b].

a Dialog. 1. b Ibid.

XXVI. Quòd verò, à nonnullis Patribus [a], contrarium videtur statui: illud, non de naturæ essentia, sed de illius usu, intelligendum. Nempe, quòd naturalis elementorum (ut vocant) usus, in supernaturalem & mysticum ac cœlestem, verbo permutetur, & rei significatæ voce, insigniatur. Atque hæc de *signi* Sacramentalis *efficiente: Dei* videlicet *institutione*.

a Ambros. De Sacr. l. 4. c. 4. & De his qui initiantur cap. 9.

XXVII. *Subjectum* verò, & *quasi materia signi:* seu id, quod ad significandum, in Sacramento, institutum, duobus constat membris. *Prius*, est substantia: quæ, per metonymiam caussæ, *elementum* [a], & *res terrena* [b]: & eodem sensu, *species elementorum* [c]: ac brevius, *species* [d], *& forma* [e], nuncupatur: *Posterius* verò, est *accidens ritus*, quem, peculiari sua phrasi, Tertullianus [f], *rem Sacramenti* (hoc est rem, non significatam Sacramento, sed significantem, seu ipsammet Sacramenti ceremoniam sacram) nominat: sicut Augustinus [g] generalius, *rem quæ significat & rem quæ significatur*, distinguit.

a Ambr. de iis qui init. cap. 4. & 9. Aug. de Catechiz. ru. lib. 1. cap. 26. b Irenæus l. 4. cap. 34. c Ambr. de iis qui init. cap. 9. d Ibid. & August. in Ioh. Tract. 45. e Idem de Doctr. Christ. l. 2. c. 1. f De præscr. c. 40. g Epist. 102. ad Euodium.

XXVIII. *Substantia* est, ut culter aut organum circumcidens: agnus: aqua, panis & vinum. *Accidens* verò *ritus*, sunt actiones solennes, quæ ab hominibus, & in administratione, & in perceptione illius substantiæ, ritè peraguntur: ut sunt circumcisio, mactatio & manducatio, immersio & ablutio: denique panis & vini distributio, eorumque communicatio.

XXIX. Quo-

XXIX. Quorum rituum nominibus, Sacramenta pleraque, Synecdochicè appellantur. Ideoque non satis commodè, nec plenè, in accurata eorum definitione, *genus* statuitur *ritus*, vel *actio sacra:* quoniam generis tantummodo pars existit. Atque hactenus de *signi Sacramentalis subjecto*.

XXX. *Objectum* verò, seu *res significata*, ad quam, hoc signum bimembre, refertur, est *fœdus gratiæ:* partim *externum*, partim *internum*. Ideoque Circumcisio, *signum fœderis*[a] (generali, seu communi, cum aliis Sacramentis, ratione) vocatur.

a Gen. 17. 11. b Col. 2. 11, 12. 1. Cor. 11. 24.

XXXI. *Externum* autem *fœdus*, situm est in externa, cum Deo & visibili, militantis in terris Ecclesiæ, conjunctione: qua quis, externa, fidei & vitæ, professione, sese, à mundi impietate & impuritate, segregat, & Dei cultui, Ecclesiæque visibili, aggregat & obstringit[a], & Deus vicissim ipsum, pro externo, visibilis Ecclesiæ suæ, membro, & eatenus saltem fœderato ac sancto, suscipit atque agnoscit[b].

a Deut. 26. 15. b Ibid. 26. 18, 19.

XXXII. Atque hoc modo Deus communiter sese, totius Ecclesiæ visibilis, *Deum*[a]: eamque, *populum suum*[b], & *regnum*[c], & *filios regni*[d], appellat: quamvis lolium, cum tritico[e], sit mixtum, & hypocritæ vera fide destituti, cum veris fidelibus, eadem externa societate, sub Dei signo militantes, comprehendantur.

a Psalm. 81. 11. b Ib. vers. 12. c Matth. 13. 41. d Ibid. 8. 12. e Matth. 13. 25. 30. f Heb. 4. 2. Deut. 29. 4, 6.

XXXIII. *Internum* verò *fœdus*, est mutua inter Deum, & fidei vivæ Spiritu præditos, obligatio, qua Deus, *ex gratia*, sese Deum ipsorum ac servatorem esse, ac perpetuo fore, per Christi & beneficiorum illius communionem, asserit ac promittit: & vicissim, fidei & obedientiæ perpetuæ cultum, ab illis *jure stipulatur*[a]. Quomodo *Circumcisio*, non tantùm *signum fœderis*; sed etiam *sigillum justitiæ fidei*[b], appellatur.

a Gen. 17. 1. Marc. 16. 16. b Rom. 4. 11.

XXXIV. Ideoque nec *beneficium Dei*, nec *hominis officium* (fœdere Dei comprehensum, & Sacramentis obsignatum) præsenti tantùm confœderationis tempore, concluditur: ut postea pluribus liquebit. Hæc de Sacramenti *objecto*, seu *re significata*, ad quam refertur.

XXXV. *Forma* verò & *differentia* Sacramenti συστατικὴ (quia relatum est) *in* hujus signi, ad suum terminum signatum, seu rem significatam, *relatione*, consistit: hoc est in ordinatione, ad illam, fœderis gratiæ, visibilem significationem & obsignationem. Quippe ea, & Sacramenti essentiam constituit, & ab omnibus differre facit.

XXXVI. Quæ relatio, quoniam vinculi instar, inter signum & rem significatam, intercedit, & tanquam duos terminos conjungit, ac quodammodo unit: idcirco, nova & obscura phrasi, *unio Sacramentalis*, Ubiquitariorum imitatione, non satis recta, vulgò nominatur. Quia res significata, nobis verius unitur[a], quàm signis: idque signis denotatur, ac confirmatur.

a Joh. 6. 56. 1. Cor. 12. 13. Gal. 2. 20. Eph. 5. 30.

XXXVII. Quamobrem hæc unio, non est οὐσιώδης substantialis & absoluta, sed σχετικὴ relativa. Quia non versatur, in rei, sub signo, occultatione, neque in eodem, rei & signi, perceptionis modo: sed partim, in *similitudine* signi & rei significatæ: partim, in communicationis rei obsignatæ in legitimo signi usu, ex Dei pacto, *certitudine*.

XXXVIII. Signum enim, & significata fœderis Dei gratia, *simul* à fidelibus percipiuntur[a], sed *non similiter*.

a Genes. 17. 7, 11. Exod. 12. 13. Psalm. 51. 9. Marc. 16. 16. Gal. 3. 27. 1. Cor. 10. 16.

XXXIX. *Simul* quidem; non simpliciter & absolutè, sed tantùm quatenus verbo declaratur. Quia obsignata gratia, partim præterita, partim præsens, partim futura est: pro fœderis ac pacti, substantia & circumstantia.

XL. Quemadmodum in Abrahami circumcisione, *gratia præterita*, fuit antecedens justitia fidei. Gen. 15. 6. & Rom. 4. 11. *præsens*; quòd Deus, ipsius esset Deus, & justitiæ illius continuatio: *futura*; quòd Deus, porro futurus esset ipsius Deus, Gen. 17. 7. ideoque servaturus ipsum, Matt. 22. 32. & cœlo promissione Chananeæ adumbrato) donaturus Gen. 17. v. 8. Heb. 11. 9, 10. denique quod Christum, ex ipsius semine, idcirco esset producturus: in quo, *pater fieret multarum gentium* Gen. 17. 4. & 22. 18. Rom. 4. 13.

XLI. *Non similiter* verò, nec eodem instrumento, signa & res significatæ, exhibentur, neque percipiuntur: sed (pro diversa conditione ipsorum) *signa*, oblata per ministrum, corporis sensibus, *res* verò *significatæ*, collatæ à Domino, à fidelibus, corde recipiuntur ac viva fide[a]. Qua in re *legitimus*, seu *dignus*[b], & salutaris, percipiendi à nobis Sacramenti, *usus* continetur.

a Matt. 36. 11. 1. Cor. 12. 13. Col. 2. 11, 12. Gal. 3. 27. Tit. 3. 5. Eph. 5. 26. b 1. Cor. 11. 29.

XLII. Atque hac mente, veteres quidam theologi, *in signaculis visibilibus, & sub specie visibili, rem invisibilem percipi*, affirmarunt. Ut etiam *Irenæus*[a], non absolutè ratione omnium communicantium, sed relatè ad fideles & servandos, *Eucharistiam constare* ait *duabus rebus, terrena & cælesti:* non ut partibus integrantibus, eodemque loco sitis; sed quòd simul, diverso tamen modo, præbeantur & acceptentur. Ideoque salutarem resurrectionem, fructum esse hujus Eucharistiæ, statuit: quæ fidelibus solis, citra controversiam, convenit.

a Lib. 4. c. 34.

XLIII. Ex quibus etiam satis liquet, *errare eos* graviter primùm, qui Sacramenta, nuda *signa*, rei præbitione & perceptione destituta, & solas externæ professionis tesseras esse contendunt: Deinde qui talia à nobis statui protervè confingunt. Atque hæc de *forma* ac *differentia* constituente Sacramentum.

XLIV. Cujus *formæ ac relationis*, non solùm *effectum*, sed etiam, ad nostri consolationem, indicium, est *prædicatio Sacramentalis:* quam rectè ἐναλλαγὴν ὀνομάτων *nominum permutationem* Theodoretus[a] vocat. Cujus causam esse ait; *ut Sacramentis utentes, non intenti essent in naturam rerum, quæ cernuntur, sed per nominum permutationem, crederent ei, quæ ex gratia facta est, mutationi*[b].

a Dialog. 1. b Ibid.

XLV. *Prædicatio* autem *Sacramentalis* ea dicitur, qua nomina & attributa Sacramenti, & rei (seu signi & significati) inter se permutantur, per metonymiam, in sermone de signis (cum quibusvis, tum præcipuè sacramentalibus) usitatam: in utroque Testamento: ut exempla demonstrant.

XLVI. Nam in *veteri Testamento*, quando *de signis* agitur, *septem* cùm *vaccæ*, tum *spicæ sunt septem anni*[a]: *arbor, est rex*[b]: *quatuor bestiæ, sunt quatuor regna*[c]: *cornua decem, sunt decem reges*[d]. In *Novo* etiam *Testamento, ager, est mundus: bonum semen*, sunt *filii regni: & messis, est consummatio seculi: messores, sunt Angeli*[e]: *septem capita, sunt septem montes: decem cornua, sunt decem reges*[f]: hoc est, eorum signa[g].

a Gen. 41. 26. b Dan. 4. 17, 19. c Ibid. 7. 17. d Ib vers. 24. e Matt. 13. 38. 39. f Apoc. 17. 9. 12. g Vide Aug. tom. 4. Quæst. in Levit. 57.

XLVII. *In Sacramentis*, est similis ratio. Nam, in *veteri Testamento*, dicitur, *Circumcisio, est fœdus*[a]: quia *signum fœderis*[b], ut Deus exponit: *agnus est Pascha*[c], id est transitus; quia *signum illius*[d]. In *Novo Testamento*, simili tropo; *Petra, erat Christus*[e]: *Baptismus, est ablutio peccatorum*[f], *& lavacrum regenerationis*[g]: *panis est corpus*[h]: & simul *est communio corporis Christi*[i]: *poculum, est novum fœdus*[k]: *& sanguis Christi*[l]: atque etiam, *communio sanguinis Christi*[m]. Quæ omnia ita dicuntur, *non ratione substantiæ; sed significationis*: ut eruditè Augustinus[n] declarat: & ut ait Theodoretus[o], *non natura mutatione, sed gratia adjectione:* quia earum signa sunt ac Sacramenta.

a Gen. 17. 13. b Ib. 17. 11. c Exod. 12. 11, 21. d Ib. 12. 13, 27. e 1. Cor. 10. 4. f Act. 22. 16. g Tit. 3. 5. h 1. Cor. 11. 4. i Ib. 10. 16. k Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 25. l Marc. 14. 24. m 1. Cor. 10. 6. n Tom. 4. Quæst. in Levit. 57. o Dialog. 1.

XLVIII. Quare ineptè omnino, ab Ubiquitariis, *inusitata prædicatio*, nominatur: quæ usu tritissima. Qua de re, celebris, & à Pontificiis[a] laudata, Augustini sententia; *Si Sacramenta, quandam similitudinem rerum quarum Sacramenta sunt, non haberent: omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, plerumque etiam, ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum, Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: ita Sacramentum fidei, fides est*[b]. Et alibi; SOLET *res, quæ significat, ejus rei nomine quam significat, nuncupari*[c]. Item; *Aliquando res, quæ significat ejus rei nomen, quam significat, accipit, &c. Sic enim & petra, Christus: quia significat Christum*[d].

a M. Sentent. l. 4. dist. 1. Sacramentum. b Epist. 23. ad Bonifacium. c In Levit. qu. 57. d Epist. 102. ad Evodium.

XLIX. Et ante Augustinum, Tertullianus ait; *Acceptum panem & distributum, corpus suum illud fecit. Hoc est corpus meum, dicendo: id est, figura corporis mei* [a]: & Cyprianus, de pane & vino, corpore & sanguine, loquens ait; *Quod significantia & significata, iisdem nominibus, censerentur* [b]. Denique Ambrosius; *Sicut* (inquit) *mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam, similitudinem pretiosi sanguinis, bibis* [c].

a Contra Mar. l. 4. c. 45. b Sermone de unctione Chrismatis. c De Sacram. lib. 4. c. 4.

L. Ex quibus, citra ullum errorem, veterum Sacramentales hyperbolæ, intelligi possunt ac debent. Unde piè Augustinus; *Ut literam sequi, & signa, pro rebus, quæ iis significantur, accipere, servilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est* [a]. Atque hæc de *forma* Sacramentorum *effectu*, nempe *prædicatione Sacramentali*, superest, ut de *fine* agamus.

a De Doctr. Christ. lib. 3. cap. 9.

LI. Quum autem *finis sit vel* οὗ, seu bonum illud, cujus gratia, Sacramentum est institutum; *vel* ᾧ, seu ille, cujus bono est institutum; *prior* est *duplex*; *proximus*, vel *remotus*.

LII. *Proximus*, est significatio & obsignatio mysterii fœderis gratiæ: eaque de causa Sacramenta, ab Apostolo appellantur, res *spirituales* [a]: non essentiâ; sed fine ac significatione: & à Græcis [b] (quos Latini [c] sunt imitati) *mysteria*, hoc est arcana, *& mystica symbola:* utpote (ut Augustinus ait [d]) *aliud existentia, aliud significantia*, nominantur.

a 1. Corinth. 10. 3, 4. b Orig. homil. 9. in Levit. Chrysost. in Matth. hom. 83. Theodoret. dial. 1. c Ambros. de Sacra lib. 1. cap. 1. d Contra Maxim. lib. 3. c. 22.

LIII. *Remotus* verò *finis*, est *medius*, vel *summus*.

LIV. *Medius*, est *fidei & obedientiæ fœderatorum confirmatio.* Quum enim ad oblivionem gratiæ Dei, & gratitudinis nostræ, & ad diffidentiam atque inobedientiam (nativa tabe, & Diaboli ac mundi insidiis) propendeamus: oblivionem mentis, significatio [a]: diffidentiam, & inobedientiam cordis, obsignatio corrigit [b].

a Exod. 12. 13, 14. Luc. 22. 19. b Rom. 4. 11.

LV. Quod adeo clarum est, ut ex invitis pectoribus, erumpat veritas. Sic enim pontifex Pius V. in Catechismo suo Tridentino [a]; *Christus Salvator noster, quum nobis peccatorum veniam, cælestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quædam signa, oculis & sensibus subjecta, instituit: quibus eum, quasi pignoribus obligatum, haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum, dubitare nunquam possemus.* Quam sententiam, contrariæ Jesuitarum impudentiæ, meritò opponimus.

a De Sacramentis.

LVI. *Ultimus* verò *finis* (ex priori, promanans) ratione Sacramentum percipientis, est vel *internus*, vel *externus*.

LVII. *Internus*, est Ecclesiæ salus: quam spectat & efficit non immediatè ac per se; sed mediatè, per fidem: quatenus eam excitat ac fovet, ad gratiam amplius percipiendam. Atque hoc modo rectè dicitur, quod *Sacramenta*, sint *gratiæ instrumenta efficacia:* & vicissim, quòd *eorum privatio non damnet*; *sed contemptus.* Nam & sine iis, per fœderis gratiam, servatus est *latro* [a]: & cum iis, per fœderis violationem, damnatus est *Iudas* [b].

a Luc. 23. 43. b Joh. 17. 12.

LVIII. *Externus* verò Sacramenti *finis*, est gratiæ Dei per Christum servatoris, gloria. Qua etiam de causa, *Sacrificia eucharistica*, nempe Spiritualia, synecdochicè (nam & alia etiam sunt ejusmodi [a]) vulgò nominantur. Hæc de *fine* οὗ seu *bono*, *cujus gratia* Sacramentum est institutum.

a Heb. 13. 15, 16.

LIX. *Finis* verò ᾧ, seu ille *cui*, ad bonum ipsius, Sacramentum est institutum, sunt omnes Deo, in visibili ac militante in his terris Ecclesia, fœderati, κατ᾽ ἀναλογίαν, seu, pro ratione confœderationis ipsorum.

LX. *Illis* enim, qui simul, externo internoque fœdere, Deo, ejusque Ecclesiæ, sunt conjuncti, Sacramenta sunt destinata simpliciter, ut *signa fœderis* utriusque, & ut *sigilla justitiæ* [a].

a Gen. 17. 1, 7. Marc. 16. 16. Actor. 2. 38, 39. & 8. 37. 1. Cor. 11. 28. Rom. 4. vers. 11.

LXI. Contra verò, qui externi fœderis solùm sunt participes, iis, eatenus etiam Sacramenta, sunt *signa* & *sigilla fœderis* [a], non autem simpliciter & absolutè, etiam *sigilla justitiæ:* quum ea careant; sed tantùm ex hypothesi conditionis, si verè resipiscant & credant in Jesum Christum [b]. Eadem enim est significationis, Sacramenti & verbi, materia.

a Gen. 17. 11, 12, 13, 14. b Matt. 3. 7, 8. Act. 8, 13, 21, 22.

LXII. Atque hoc demum sensu, rectè dicitur; *Sacramenta, ratione offerentis Dei, talia permanere, sed ratione hypocritæ abutentis ipsi Sacramenta esse desinere* [a]: imo fieri supplicii majoris occasionem, ob gratiam Dei, in suis signis, contemptu violatam [b]. Quomodo *Circumcisio*, *sigillum fœderis*, ratione Dei dantis, transgressoribus fiebat præputium [c]: Et *hoc* (seu, indigna Cœnæ participatio) *non est cœnam Domini accipere* [d].

a Jes. 66. 3. Agg. 2. 13, 14, 15. b 1. Cor. 11. 27. Mar. 16. 16. c Rom. 2. 25. d 1. Cor. 11. 20.

LXIII. Qua de re præclarè *Chrysostomus*, ἂν μὴ τοιαύτην ἔχῃς, οὐδὲ τὸ σημεῖον λοιπὸν εἶναι δύναται, τίνος γὰρ ἔσται σημεῖον, τίνος δὲ σφραγὶς, οὐκ ὄντος τοῦ σφραγιζομένου &c. εἰ γὰρ δικαιοσύνης ἐστὶ σημεῖον, δικαιοσύνην δὲ οὐκ ἔχεις, οὐδὲ σημεῖον ἔχεις. Διὰ γὰρ τοῦτο, ἔλαβες σημεῖον, ἵνα τὸ πρᾶγμα ἐπιζητῇς, οὗ τὸ σημεῖον ἔχεις, hoc est; *Si hanc* (fidem) *non habueris, neque signum reliquum, signum esse potest, &c. Si enim,* (circumcisio) *justitiæ signum est, justitiam autem non habeas, neque signum habes. Propterea enim accepisti signum, ut* REM *exquireres, cujus* SIGNUM *habes* [a].

a In epist. Rom. 4. Homil. 8.

LXIV. Quod etiam rectè, in mediis Pontificiorum tenebris, vidit Bernardus; *Nam* (inquit) *& Sacramentum, sicut accipit ad vitam dignus: sic, ad judicium & mortem propriam, indignus.* SACRAMENTUM *enim, sine* RE SACRAMENTI, *mors est sumenti:* RES *verò* SACRAMENTI, *etiam præter* SACRAMENTUM, *vita æterna est accipienti* [a]. Atque hæc de *Sacramentorum fine* simul, & *definitione.*

a Sermone de Cœna.

LXV. *Divisio* verò est; quòd Sacramentum aliud, est *initiationis* [a]: aliud, *confirmationis* [b]. Quorum *prius*, signum est, receptionis in fœdus, cum Deo; ideoque, semel duntaxat, peragitur: *posterius* verò, est symbolum, continuationis, in fœdere cœpto: ac propterea sæpius repetendum [c].

a Gen. 17. 11. Matth. 28. 19. b Exod. 12. 47. Luc. 22. 19. c Exod. 12. 14. 1. Cor. 11. 25, 26.

LXVI. Utque fœdus gratiæ, ante, & post Christum, non substantia, sed quibusdam solùm circumstantiis, variat: ita etiam Sacramenta [a]. Ac propterea errorum Pontificiorum [b] contrarium, meritò repudiamus: & hæc Augustini dicta (ut Dei verbo consentanea) amplectimur; *Sacramenta, illa fuerunt: in* SIGNIS, *diversa sunt*; *sed in* Re, QUÆ SIGNIFICATUR, *paria sunt* [c]. Item; *Fide manente, signa variata* [d]. Hactenus, de *generali Sacramentorum doctrina.*

a Rom. 4. 11. 1. Corinth. 10. 2. 3, 4. b Concil. Trid. Sess. 7. can. 2. de Sacram. M. Sent. l. 4. dist. 1. §. Sacr. & §. ideo. c In Joh. Tract. 26. d Ibid. Tract. 45.

COROLLARIA.

1. *An* per *Sacramenta* omnis vera justitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur? *Concil. Trid. Sess.* 7. *proœmio A. Nos verò N.*

2. *An rectè, de N. Testamenti Sacramentis, asserat Concil. Trid.* per ipsa, ex opere operato, conferri gratiam [a]? hoc est (*ut Bellarm. exponit*) Sacramentum conferre gratiam, ex vi ipsius actionis Sacramentalis, à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis. *Item*, quòd activè, & proximè atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, & sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur: & hæc vocatur, opus operatum [b]. *Resp.* opus operatum, passive ac barbarè, usurpari [c]: & sententiam illius, esse falsam.

a Sess. 7. De Sacram. in genere, Can. 8. b De Sacram. in gen. lib. 2. cap. 1. c Bell. Ibid.

DISPU-

DISPUTATIO XXXII.

DE BAPTISMO.

In præsens de Baptismo (*tanquam initiationis Sacramento*) *à vocibus ad rem progressi, disseremus.*

THESIS I.

B*Aptismus* [a], & *baptisma* [b], voces sunt, ad usum Latinæ Ecclesiæ, à priscis Theologis translatæ: sed Græca origine. *Origo* autem, *non* est duplex, (ut quidam arbitrati [c]) à βάλλω & πτῦσμα, *quasi* βάπτυσμα, ἐν ᾧ βάλλεται τὸ πτῦσμα, in *quo abjicitur offensa* (hæc enim allusio, non etymologia) sed *simplex*.

a Tertull. de Bapt. c. 13. b Id. de resurrect. cap. 48. c Etymo. mag. & Anastasius de Etymol.

II. Nam ut à κνῶ, κνάπτω; ῥῶ, ῥάπτω; θῶ, θάπτω, sic à βῶ *eo*, per paragogen, fit βάπτω [a]. Quod *significat* 1. *mergo*: quod mersa subeant [b]. 2. Synecdochicè, *intingo* [c], vel *abluo* [d], ut Suidas [e], ex Aristophane, βάπτουσι, πλύνουσι interpretatur.

a Eusthat. in odyss. ex Herodiano. b Etymolog. magnum. c Joh. 13. 26. d Luc. 11. 38. e Lexico.

III. Unde frequentativum βαπτίζω: quod à Tertulliano propriè, *mergitare* [a]: ac per metonymiam efficientis, *tingere* ac *diluere* [b], redditur: quo sensu etiam in Sacris [c] usurpatur. Quemadmodum Hebræum, *tabhál*, mergere, tingere (quod LXX. βάπτω [d], & βαπτίζω [e] vertunt) & *racháts*, lavare, eodem sensu permutantur [f]: atque ita Syracides, βαπτιζόμενον ἀπὸ νεκροῦ de λουτρῷ, lotione, exponit [g].

a De corona cap. 3. b De Baptis. cap. 4. c Mar. 7. 4. d Lev. 4. 6. e 2. Reg. 5. 14. f 2. Reg. 5. 13, 14. g Ecclesiastici 34. 36.

IV. Hinc, per *metaphoram*, à mersione ductam, *gravissimè affligere* [a]: à tinctione verò & ablutione, *donis effusis* [b] *imbuere* designat [c].

a Mar. 10. 38. b Act. 2. 17. Tit. 3. 6. c Luc. 3. 16.

V. Ex qua demum voce (servata significationum illius varietate) βαπτισμὸς [a] & βάπτισμα [b], derivantur. Quæ *baptizandi actum*, hoc est, vel *mersionem* solam: vel *intinctionem* atque *ablutionem* consequentem [c], denotant: eoque sensu, καθαρισμὸς [d] *purgatio* appellatur. Hinc Isidorus, *Baptismum* [e] *Græcè, Latinè tinctionem, interpretatur* [f]. Quare etiam à Tertulliano *intinctio* [g]: & vulgò, *Baptismus fluminis*, & *aqua* [h], nuncupatur.

a Mar. 7. 4. 8. b Heb. 6. 2. c Mar. 7. 4, 8. d Joh. 3. 25. e Sic etiam vocat Tertul. de bapt. c. 15. f Originum l. 6. cap. 19. g De pœnit. cap. 5. & 6. h Joh. 1. 26.

VI. Deinde hæc vox, ob similitudinem, cum utroque, transfertur, *primùm*, ad gravissimas *afflictiones* [a], quibus homo, *quasi aquis immergitur* atque absorbetur [b]: qui *baptismus sanguinis*, à Cypriano [c]: & *intinctio secunda* [d], & *lavacrum sanguinis* [e], à Tertulliano nominatur.

a Matt. 20. 22. Luc. 12. 50. b Psal. 66. 12. & 69. 2, 3, 15, 16. c Epist. 73. Sect. 19. d Tertul. de patientia c. 13. e De Bapt. c. 13.

VII. *Secundò* ab altera, tinctionis & ablutionis, significatione accommodatur, ad Spiritus Sancti, regenerantis vel extraordinariis donis exornantis, donationem: quod Spiritus, aquæ instar, in animam effundatur, eamque imbuat [a], atque abluat [b]. Ideoque hæc actio, *Baptismus flaminis*, seu *Spiritus* [c]: & geminata metaphora, *Baptismus Spiritus & ignis* [d] (ut alibi, *nativitas ex aqua & Spiritu*, expositione quadam) appellatur [e].

a Ezech. 36. 25. Joh. 3. 5. Actor. 2. 27. b Tit. 3. 6. Ezech. 36. 25. c Joh. 1. 33. d Matt. 3. 11. confer. cum Malach. 3. 23. Num. 31. 23. e Joh. 3. 5.

VIII. Cæterum *Baptismus aqua*, vel est *vulgaris*; vel *mysticus*: & *hic* rursus, vel *humanus* ac superstitiosus; vel *divinus* ac religiosus.

IX. *Humanus*, est qui ab hominibus, ad superstitionem, est institutus; quales Baptismi, cum *Pharisæorum* [a]: tum *Ethnicorum*. Quippe (ut scitè ait Tertullianus) *Diabolus, res Dei æmulans, Baptismum in suis exercet* [b].

a Mar. 7. 4. Luc. 11. 38. b De Baptismo cap. 5.

X. *Divinus* verò *Baptismus* est, qui à Deo, ad religionem, est institutus. Et quidem vel *ante Christum*; ut *ordinarii legales Baptismi varii, ad tempus correctionis impositi* [a]: quibus, analogia quadam, respondit *extraordinarius Baptismus in nube & mari* [b]: vel *post Christum exhibitum*, quo Christianæ militiæ tyrones palam, Christo duci, auctorantur, & in illius solius verba jurant [c]. De quo Apostolus; *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma* [d]. Quo sensu potissimum, *Baptismi* vox, κατ᾽ ἐξοχὴν, communi Scripturæ & Ecclesiæ usu, celebratur, & à nobis hîc *definitur*.

a Heb. 9. 10. Levit. 8. 7. & 16. 26. Num. 15. 8. 18. Psal. 51. 9. b Exod. 14. 24. 1. Cor. 10. 1, 2. c Hieronym. lib. epist. ad Heliodorum. 1. Cor. 1. 13. d Eph. 4. 5.

XI. Baptismus, est *Sacramentum Novi Testamenti primum, à Deo institutum, & per Iohannem Baptistam, & Iesum Christum, promulgatum, quo per ministrum Euangelii, omnes Deo, per Christum, fœderati, aqua tingi debent, in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, ad significandam & obsignandam susceptionem, in novum gratiæ fœdus per Iesum Christum exhibitum, & fidei atque resipiscentiæ confirmationem.* Cujus *definitionis propositæ* veritas, *sequenti expositione*, elucescit.

XII. Baptismum enim, *Sacramentum*, vocamus: quia illi, non solùm brevis ac trita, ex Augustino descriptio, *Forma visibilis invisibilis gratiæ* [a]: & brevior ac melior è S. literis, *Signum fœderis* [b] & *sigillum justitiæ fidei* [c]; sed etiam explicatior illa, à nobis, aliàs tradita definitio, ad amussim convenit: ut ex distincta *causarum* inductione, constabit. Ex quibus etiam, *Novi Testamenti primum* esse, cum institutione, tum usu, perspicuum evadet.

a De Catechiz. rudibus cap. 26. b Gen. 17. 11. c Rom. 4. 11.

XIII. Nam, ut ab *efficiente* ordiamur, ea statuitur duplex; *primaria*, & *secundaria*. *Primaria* est, auctor & legislator illius, *Deus*: qui verbo, cum mandati sui, tum gratiæ Euangelio promissæ. Judæorum Ecclesiæ *primùm instituit* [a]: *deinde* institutum, Christi usu, & illustrissima trium personarum patefactione, apud eandem *confirmavit* ac sancivit [b]: *denique* ad Ecclesiam, ex omnibus gentibus colligendam, perpetuæ observationis ordine, *propagavit* [c]. Ideoque *Baptismus è cœlo esse* [d], dicitur, & *Dei consilium* [e], imo opus [f]: cujus obedientia, sit *justitia* [g]: inobedientia verò, *contemptus Dei* [h]. Unde à Lactantio, *caleste lavacrum* [i], meritò appellatur.

a Iohan. 1. 6, 7. 33. Luc. 3. 2, 3. b Matth. 3. 16, 17. c Matth. 28. 19, 20. Mar. 16. 15, 16. d Matth. 21. 25. e Luc. 7. 30. f Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. g Matth. 3. 15. h Luc. 7. 30. i Divinar. instit. l. 7. c. 5.

XIV. *Secundaria* verò *causa efficiens* est, quæ primæ inservit; seu, quæ Deo auctore Baptismum efficit. *Modus* autem *efficiendi*, est *promulgatio*, vel *administratio*.

XV. *Promulgator* primus quidem tempore, est Johannes, præcursor Christi [a]: sed dignitate, primus est Christus, Johannis dominus [b]. Qui, sicut Baptismum, qua Deus est, instituit; ita, qua homo, promulgavit [c].

a Luc. 3. 2, 3. Mar. 1. 2, 4. Act. 13. 24. b Ioh. 1. 27, 30. 31. c Ioh. 3. 22. 26. & 4. 2. Matth. 28. 20.

XVI. *Administer* verò Baptismi, est is, qui ex Dei vocatione baptizat, solus nimirum Euangelii minister: quia propria, ministerii illius, pars est [a]. Unde, pro toto ministerio, synecdochicè interdum, Baptismi [b] vox usurpatur. Ac propterea, *quæ Deus conjunxit*, *homo ne separet* [c]: ut generali edicto imperatur.

a Matth. 28. 19, 20. b Act. 18. 25. c Matth. 19. 6.

XVII. Ut autem *vocatio*, alia est *extraordinaria*; quæ Dei revelatione: alia *ordinaria*, quæ ordine, per Dei verbum, præscripto, nititur: ita *administer* alius est *extraordinarius*: alius, *ordinarius*.

XVIII. *Extraordinarius* enim fuit *primò Iohannes* Zachariæ, primus Euangelii & Baptismi præco, & administer [a]. Ideoque, *Baptista* [b], vocatur: deinde *Iesus Christus* [c], cum Apostolis: sed illi per se; Christus verò per illos, Baptizavit [d].

a Matth. 11. 13. Mar. 1. 4. Act. 19. 5. b Matt. 3. 1. & 11. 11. 12. c Ioh. 3. 22. d Ibid. 4. 2.

XIX. *Ordinarius* verò *administer*, est quivis ordinarius Euangelii minister: cujus etiam prædicationi, ad finem mundi duraturæ Baptismi administratio annexa est [a]. Quamvis

vis prius, ita excellat, ut interdum, non absolutè, sed comparatè, posterius excludat[b].

a Matth. 28. 19, 20. b 1. Cor. 1. 15, 16, 17.

XX. Quæ administratio, ad Ecclesiæ Baptizatæ securitatem, recta est, si ex præscripta, à Deo liturgia ac formula[a] peragatur. *Aliud est enim* (ut rectè monet Augustinus) *Baptizare per ministerium: aliud, baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille in cujus potestate datur: non qualis ille, per cujus ministerium datur*[b]. Atque hæc, de *causa efficiente*.

a Matth. 28. 19, 20. b Tractatu 5. in Iohan.

XXI. *Materia* deinde Baptismi, seu subjecta res, quam Deus in eo, ad significandum instituit, pro communi Sacramentorum natura, *duobus* etiam *membris, substantia, & accidente ritu*, continetur.

XXII. *Substantia*, est aqua pura quævis. *Aqua*; quia Deus sic instituit[a] (ideoque κατ' ἐξοχὴν, *lavacrum aquæ*[b], & à Tertulliano, *Sacramentum aquæ*[c] vocatur:) *pura*; quia talem, & res significata[d] (cui impura repugnat) & Deus postulat[e]: *quævis* denique, siquidem nullum Scriptura discrimen statuit. Ideoque rectè Tertullianus ait; *Nulla distinctio est, mari quis, aut stagno, flumine aut fonte, lacu aut alveo, diluatur*[f].

a Ioh. 1. 33. Act. 8. 26. b Eph. 5. 25. c De Bapt. c. 1. & 12. d Eph. 5. 26. e Heb. 10. 22, 23. f De Bapt. c. 4.

XXIII. *Accidens* verò aquæ ritus, est tinctio, & ablutio, seu baptizandi ceremonia. A quo membro, synecdochicè, *Baptismus* appellatur. Parum autem interest, sive ea ceremonia, tinctione una, aut terna: sive etiam totius corporis, vel capitis, in aquam immersione: sive aquæ infusione & aspersione peragatur. Quali Petrum, in trium, & in quinque illorum millium Baptismo, Hierosolymis[a]: & Paulum, quum domi quosdam baptizaret[b], usos esse, citra culpam apparet. Utrimque enim, quædam est immersio ac mora sub aqua, & ablutio atque emersio: quibus ceremonia Baptismi continetur. Neque ea res strictius in S. literis definitur.

a Act. 3, 41. & 4. 4. b Act. 16. 43.

XXIV. Porro hæc *subjecta Baptismi materia*, relatione sua, ad objectam rem significatam, & obsignatam, *informatur*, & signum ac Sacramentum efficitur.

XXV. *Objecta* enim *res significata*, est susceptio in fœdus perpetuum cum Deo, per Christum exhibitum. De cujus fœderis (partim externi, partim interni) summa, pluribus ac distinctè antecedenti disputatione egimus[a].

a Disput. 16. de Sacram.

XXVI. *Forma* igitur *Baptismi integra*, & quasi συστατικὴ differentia, est divina, hujus susceptionis in fœdus, cum Deo, per Christum exhibitum, significatio atque obsignatio: ut verbum mandati ac promissionis[a], & formula Baptismi, *in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti*[b], demonstrat. Hinc rectè Augustinus[c]; *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum, tanquam visibile verbum.* Hæc enim, ordinatione divina, significatio & obsignatio, Baptismum constituit, & ab aliis omnibus Sacramentis, distinguit: ideoque genuinam esse *formam*, apparet.

a Mar. 1. 4. Act. 2. 38, 39. b Matth. 28. 19, 20. c In Ioh. tract. 80.

XXVII. *Oritur* autem ea, ex signi, cum re significata, similitudine, partim insita (ut metaphoræ, inde derivatæ[a], ostendunt) partim divinitus proposita, & annexo verbo (à quo etiam obsignatio dependet) declarata: ut, ex *singulorum membrorum* inductione, fiet illustrius.

a Ies. 1. 16. Ierem. 4. 14. Ezech. 16. 9.

XXVIII. *Primum* enim, *signi* Baptismatis *membrum*, seu substantia aquæ puræ, ut tinctioni & ablutioni, convenit, sic *aquam mysticam*[a] nempe Christi carnem & sanguinem, & Spiritum Sanctum mergendis & abluendis peccatis idoneos, significant[b].

a Ezech. 36. 25. & 47. 1, 9. b Ibidem. Ioh. 3. 5. 1. Cor. 6. 11.

XXIX. *Secundum* etiam signi membrum, seu *accidens aquæ ritus*, divinitus præscriptus, partim *Dei baptizantis*, per Christum *beneficium*, partim *hominis baptizati officium*, designat. Quemadmodum circumcisio, symbolum fuit, internæ circumcisioni duplicis, cùm ejus, quam Deus gratis promisit[a]: tum illius, quam ab hominibus, ut debitam gratitudinem, vicissim exegit[b].

a Deut. 30. 6. b Ib. 10 16.

XXX. *Dei* enim *baptizantis beneficium*, per ceremoniam *mergentis aqua* significatum, & ex Christi communione promanans, est duplex. *Primum* est, sanguinis illius effusi ac mortis & sepulturæ, communio: quibus, quasi aquis Christus pro nobis, quodammodo immersus est (unde &, *baptismum suum*, vocat[a]) & nos in illo. *Si enim* (ait Apostolus) *unus pro omnibus, mortuus fuit: omnes igitur mortui sunt*[b]. *An ignoratis, quotquot baptizati sumus, in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos*[c]*? Sepulti igitur sumus, una cum eo, per baptismum, in mortem*[d]. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus, rectè Baptismum vocat, ἀντίτυπον τῶν Χριστοῦ παθημάτων *exemplar perpessionibus Christi respondens*[e].

a Matth. 20. 22. b 2. Cor. 5, 15. c Rom. 6. 3, 4. d Col. 2. 12. e Catechesi.

XXXI. *Secundum* verò, ex communione Christi, ortum *beneficium*, est mortis illius, & effusi sanguinis, fructus: nempe, peccati submersio, & quasi sordium spiritualium *ablutio gemina*[a], baptismo designata. *Prior* qua, per aspersionem ac purgationem, sanguinis & mortis Christi[b], reatus peccati eluitur: *posterior*, qua, per Spiritum regenerationis[c], peccatum inhabitans, seu vetus homo, submergitur ac tollitur: unde *Baptismus Spiritus*[d] vocatur. *Tollitur* autem *primùm*, ratione dominii, inflicto lethali vulnere[e]. *Deinde* ratione inhærentis contagionis reliquæ. quæ in hac vita, variis gradibus, imminuitur, sed in morte, per Christi gratiam extinguitur[f]. Hinc Apostolus ait; *Corpus Carnis peccato obnoxia exuistis, per circumcisionem Christi: consepulti cum eo per Baptismum*[g]. Atque hæc de significatione *ritus*, *quo* baptizans Deus, per ministros, aqua *mergit*.

a 1. Cor. 6. 11. b 1. Ioh. 1. 7. Act. 22. 16. Heb. 9. 14. Apoc. 1. 7. 1. Pet. 1. 2. c Tit. 3. 5, 6, 7. d Matth. 3. 11. e Rom. 6. 13, 14. f Eph. 4. 22. Rom. 7. 24, 25. g Col. 2, 11, 12.

XXXII. *Reliquus ritus*, est eductio ex aqua: quæ suscitationis Christi, qua, ex morte & sepultura pro nobis, emergens se exemit, communionem, & fructum ejusdem (justificationem, & novi hominis, secundùm animam & corpus[a], vivificationem) significat. Unde Baptismus, *lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum Sanctum*[b], vocatur. *Per quem* (Baptismum) *cum eo* (Christo) *resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis: vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis*[c].

a Matt. 19. 28. Rom. 6. 3, 4. 5. & 8. 1. 1. Cor. 15. 29. b Tit. 3. 5. c Col. 2. 12, 13. Eph. 5. 26, 27.

XXXIII. Atque hæc de Baptismi, *ratione baptizantis Dei*, significatione. Quam rectè etiam Theodoretus, de Baptismo disserens, ita expressit; ἀρραβὼν γάρ ἐστι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἰσομοίρης ἀναστάσεως τύπος, καὶ κοινωνία τῶν δεσποτικῶν παθημάτων, καὶ μέθεξις τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως· Baptismus, *est arrha futurorum bonorum, & futura resurrectionis typus, & communio passionum Domini, & consortium Dominica resurrectionis*[a].

a Divin decret. Ep. cap. de Baptismo.

XXXIV. *Ratione* verò *Baptizati, immersio, mora sub aqua, & emersio*, significant illius debitum, pro accepta, communionis Christi & beneficiorum gratia, gratitudinis officium; quod, *bona conscientiæ stipulatione*[a], denotatur. Hoc est *primò* quod *justificati*, per exercitium fidei, Christo, quasi immergantur & arctius uniantur[b], & *stolas suas lavando & dealbando in sanguine agni*[c], *justificentur adhuc*[d]. Deinde quod sanctificati, per charitatis usum, veteris hominis concupiscentias & opera mortificando & eluendo[e], novique hominis opera suscitando[f], in vitæ puræ novitate ambulent[g]: atque ita *sancti, sanctificentur adhuc*[h]. Atque hæc de *Baptismi forma* cum *integra*, tum *partibus* suis explicata.

a 1. Pet. 3. 26. b Eph. 3. 17. c Apoc. 17. 14. d Ib. 22. 11. e Rom. 8. 13. Ep. 4. 22. Col. 3. 5, 8, 9. f Col. 3, 10. g Rom. 6. 4. h Ap. 22. 11.

XXXV. *Finis* cujus gratia institutus Baptismus, vel *proprius* est, vel *communis*. *Proprius* (qui solis, interius & exterius, Deo fœderatis, convenit) est, ut eo signo ac sigillo, partim *fides, gratia* communionis Christi, & ablutionis peccatorum, excitata confirmetur, & per fidem, gratia ea continuetur in iis[a]: *partim*, debita Deo, per Christum servatori, gratitudo provocetur: hoc est, ut perpetua resipiscentia,

tia, peccatorum suorum sordes eluant ac deponant[b], & vitæ puritati ac sanctitati, ad Dei baptizantis gloriam, & salutem suam, inserviant. Siquidem *sepulti sumus una cum eo* (Christo) *per baptismum in mortem, ut, sicut excitatus est Christus ex mortuis, in gloriam Patris, ita & nos, in novitate vitæ, ambulemus*[c].

a Mat. 1. 4. Actor. 2. 38. & 22. 16. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 21. b Mat. 1. 4. Act. 2. 38. c Rom. 6. 4.

XXXVI. *Communis* verò *finis*, omnibus externa Christi communione fœderatis congruens, est ut iis, conditione fidei & resipiscentiæ, gratia Baptismo signata, confirmetur. Quò pertinet Christi dictum, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*[a]. Hinc Johannes prædicavit *Baptismum resipiscentiæ, ad remissionem peccatorum*[b]: ut etiam Petrus[c]. Hæc de *fine cujus*: seu de bono, cujus gratiâ Baptismus est institutus.

a Mar. 16. 16. b Ib. 1. 4. Matth 3. 7. 8. c Act. 2. 38.

XXXVII. *Finis* verò *cui* & *subjectum* recipiens *proprium*, cui Baptismus est institutus, sunt fœderati Deo, per Christum exhibitum, nondum Sacramentis Novi Testamenti initiati[a]: quibus omnibus & solis (ut ex fine cui apparet) Baptismus est imperatus, ad bonum ipsorum, confœderationis ratione[b].

a Matth. 28. 19. Ephes. 5. 27, 28. b Vide Disput. 16. De Sacrament. Thes. 60. & 61.

XXXVIII. Fœderatos autem suos, Deus agnoscit, sine sexus discrimine[a], primùm *adultos*, fidem & resipiscentiam, ore & opere profitentes[b]: deinde *infantes*, ex altero saltem parente fideli prognatos[c]. Id quod ab Orthodoxis, contra Anabaptistas, hisce quoque argumentis demonstratur.

a Actor. 8. 12. Gal. 3. 27, 28. b Matth. 28. 19. & 3. 6. Actor. 8. 36, 37. c 1. Cor. 7. 14.

XXXIX. 1. Ad quos promissio fœderis salutis, per Christum exhibitum, pertinet, illi sunt baptizandi: fidelium infantes sunt hujusmodi[a]. Ergo baptizandi. Quomodo Apostolus Petrus est argumentatus[b].

2. Ad quos Spiritus Sanctus pertinet: illis aqua Baptismi, denegari non potest[c]: ad infantes Spiritus Sanctus pertinet[d]. Ergo iis aqua Baptismi denegari non potest. Qua etiam ratione idem Apostolus disseruit[e].

3. Qui ad Christum & ad Ecclesiam illius pertinent: illis etiam convenit Baptismus[f]. Fidelium infantes, non minus quam adulti, ad Christum, & ad Ecclesiam illius pertinent[g]. Ergo iis convenit Baptismus.

4. Sacramentum Novi Testamenti, quod in locum circumcisionis successit, non minus nunc convenit infantibus, quàm olim circumcisio: quia gratia non minor Christianis facta, quàm Judæis. Atqui Baptismus in locum circumcisionis successit[h]. Utrumque enim signum & sigillum est fœderis gratiæ per Christum, & initiationis Sacramentum, ut pluribus antea probatum est. Ergo baptismus infantibus convenit. Ideoque quum par utrimque sit ratio, infantum baptizandorum expressam fieri mentionem, non erat necessarium.

a Gen. 17. 7. 1. Cor. 12, 13. Act. 8. 36, 37. Matth. 19. 14. b Actor. 2. 39. c Act. 10. 47. d Act. 2. 39. Matth. 19. 14. Luc. 18. 15. e Act. 10. 47. f Ephes. 5. 26, 27. g Matth. 19. 13, 14. Actor. 2. 39. 1. Cor. 7. 14. h Col. 2. 11.

COROLLARIA.

1. *An Baptizati omnes, regenerentur? N. contra Pontif. & Ubiquitarios.*

2. *An Baptismus Iohannis Baptistæ, & Apostolorum, idem specie fuerit? A.*

3 *An ex verbis Tertulliani, de Baptismo c. 18. probari possit, pædobaptismum, in Ecclesia, tum non fuisse in usu? an verò contra? Posterius? A.*

4. *An rectè ibidem asserat*; Cunctatio Baptismi utilior est: Præcipuè tamen circa parvulos? *N.*

5. *An quod addit*; Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi, per mortalitatem, destituere promissiones possunt, & proventu malæ indolis falli: *an inquam recta sit ratio? N.*

6. *An argumentum, pro pædobaptismo tum ex Matt. 19. 14. usitatum, rectè refutet? N.*

DISPUTATIO XXXIII.

DE BAPTISMI SACRÆ SCRIPTURÆ, ET ECCLESIÆ ROMANÆ, REPUGNANTIA.

HAc disputatione apostaticæ Romanæ Ecclesiæ, dissensionem, *ac* defectionem *multiplicem*, de Baptismo *in* causis, effectis, subjectis, *&* adjunctis, repugnantiam, *à* causis *exorsi, demonstrabimus & ad veritatis divinæ gloriam, & Romanæ apostasiæ confutationem, ac fugam, publicæ dissertatione ventilandam, proponemus.*

THES. I.

PRima enim *repugnantia*, est in *causa efficiente ministra*. Nam *Sacra Scriptura*, eam, non aliam, esse tradit, quàm vocatum ad Ecclesiæ ministerium: quoniam ad alteram illius officii partem, Baptismi administratio[a] pertinet.

a Matt 28. 19. cum Eph. 4. 11, 12.

II. *Contra* verò, *Ecclesia Romana apostatica* docet, infantem aut Catechumenum, in vitæ periculo, absente sacerdote, tam à muliere[a], quam virò, tam infideli, quàm fideli, posse baptizari[b]. Qua de re, hæc consentanea Bellarmini pronuntiata; *Laicis Baptizatis licere, in casu necessitatis, baptizare*[c]. Item, *Non Baptizatis in casu necessitatis, licere Baptismum dare, si sciant ritum*[d]. Idemque Thomas Aquinas docet[e]. Imo & Baptismum etiam, per lusum & oblectationem puerilem collatum esse verum Baptismum[f]. Idque exemplo pueri Athanasii (quod temerè olim nonnulli ratum habuerunt[g]) frustra fucare conatur[h].

a Decreto. causa 30. q. 3. can. Super. b Guido Manupuli Curatorum de Bap. cap. 4. c Tom. 2. De Baptis. l. 1. 7. d Ibidem, e Sum. par. 3. q. 67. ar. 5. f Bell. t. 2. de Bap l. 1. c. 7. g Ruf. Hist. l. 10. c. 14. h Tom. 2. de Sacra. l. 1. cap. 28. & de Pœn. l. 1. cap. 13.

III. *Altera repugnantia*, in *materia* existit duplex. *Sacra* enim *Scriptura* primùm *aquam communem*, in Baptismo adhibet[a]: deinde *mundam*[b]: ut rei significatæ, seu purgationis, analogia[c], requirit.

a Matt. 3. 6. Act. 8. 38. b Heb. 10. 22. c Ezech. 36. 25. Eph. 5. 26.

IV. *Contra* verò *Ecclesia Romana apostatica*, in utroque adversatur. *Primùm* quippe, non aqua communi, sed exorcismo aquæ, ad Satanam (quem ei inesse falsò credit) expellendum, variisque superstitionibus impuris præparatâ[a].

a Pastorale Romanum De Baptis. edit. Plant. P. 2.

V. Sic enim Durandus episcopus; *In benedictione baptismi* (inquit) *sunt sex, quoniam sacerdos orat: aquam manu tangit: vocem mutat: cereus immergitur, & alii cerei illuminantur: insufflat sacerdos: & chrisma miscet. Primo ergo orat sacerdos Deum Patrem, ut per Iesum Christum imploret Spiritum, ut in fontes descendat*[a]: & deinde ter tangit aquam. *Primo dividens aquam, in modum crucis: per quam, ut præmissum est, Baptismus maximam efficaciam recipit, ut aqua Spiritu Sancto fœcundetur, & Spiritus immundus expellatur &c. Secundò, aquam manu tangit, ut eam, per invocationem sanctæ trinitatis, muniat, ne hostis, ab illa expulsus, redeundi habeat potestatem*[b] &c. Easque aquas, etiam *purificandis mentibus efficaces*[c] tradit: Eaque omnia, ex liturgia publica, demonstrat.

a Rationali divinorum officiorum l. 6. c. 82. Num. 3. b Ib. Num. 5. c Ibid. Num. 6.

VI. Deinde *Ecclesia Romana apostatica*, non solùm aqua munda, sed etiam, si ea desit, immunda licitum esse Baptizare, fœdissimè tuetur. Sic enim post Thomam Aquinatem[a], Cardinalis ait; *Omnem veram & naturalem aquam, quantumvis*

tumvis accidentaliter alteratam & mutatam, esse materiam idoneam, ad Baptismum [b].

a Sum. par. 3. q. 66. ar. 4. b Bellar. t. 2. de Bap. l. 1. c. 2.

VII. Id quod clarius anno M. CCC. XXXIII. celebris Pontificius explicavit. Postquam enim aqua rosacea, aliisque artificialibus, baptizari posse negavit, hæc subjicit; *In lixivio tamen (si aqua non possit inveniri) posset fieri Baptismus: quum lixivium, nihil aliud sit, quàm aqua, colata per cineres. Et propter eandem rationem, dicunt aliqui Doctores, quod in urina, propter defectum aquæ, posset baptizari: quod non credo verum: quia urina, non est aqua, sed humor resolutus à cibis comestis: & idem dico de saliva. Sed nonne in jure carnium: posset fieri Baptismus: ubi alia aqua, non posset inveniri? &c. Si autem non sit tanta spissitudo; sed jusculum sit pingue, credo quod tum, in illo, posset fieri Baptismus. Et idem dico de luto: scilicet, si aqua exprimatur, ex illo, in illa aqua expressa, posset fieri Baptismus* [a]. Hæc ille: eademque de JURE CARNIUM, & aqua è LUTO expressa, Thomas Aquinas, asseruit [b]. Hæc de *secunda*.

a Guido Manip. Curat. de Bap. c. 2. b Sum. par. 3. q. 66. ar. 4.

VIII. *Tertia* verò *repugnantia*, in *Baptismi formula* conspicitur. *Sacra* enim *Scriptura*, docet, *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, baptizandum* [a]; neque aliud nomen [b] aut additamentum probat: quia nullus alius est verus Deus, in quem credendum, cuique in Baptismo consecramur: neque statutis illius quicquam addendum aut detrahendum; sed omnia servanda [c].

a Mat. 28. 19. b 1. Cor. 1. 3. c Matth. 15. 9. & 13. & 28. 20.

IX. Contra verò Ecclesiæ Romanæ apostaticæ, *Papa Zacharias*, etiam alio nomine adjuncto, Baptismum agnoscit [a]: ut etiam Guido tradit. *Si autem* (inquit) *non intendat mutare formam Ecclesiæ, sed, ex quadam fatua devotione, addat aliquid*, sic dicendo; Baptizo te, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, *& beatæ virginis: vel, beata virgo juvet te: vel aliquid simile, talis additio, non impedit Baptismum* [b]. Et paulò post addit; *Sicut narratur, (in Decreto Dist. 4. cap. Retulerunt nuntii) quòd quidam sacerdos, ignarus Latinæ linguæ, baptizabat sub ista forma; Baptizo te, in nomine patria, & filia & Spiritua Sancta: & dicit Papa, in decreto illo, quod verè baptizat.*

a Decret. de consecr. dist. 4. c. Retulerunt. b Guido Manip. De Bapt. c. 3. Idem ait. Thomas Aquinas par. 3. q. 66. ar. 8.

X. Imo quàm horrenda blasphemia Durandi episcopi, qui ait; *Baptismi autem forma, non vitiatur, si quid in eo superfluè ponitur: ut si dicatur; Baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Diaboli: vel; Arma virumque cano: & ego Baptizo te: &c. Si verò aliquid interponatur, ut si dicatur; Ego Baptizo te, & Deus est: in nomine Patris, & Filii &c. dicunt quidam non esse Baptizatum: alii verò contradicunt. Si autem verborum ordo aut forma mutetur: ut si dicit; baptizo te in nomine Filii, Patris, & Spiritus Sancti, dicunt non esse baptizatum: quia ordo verborum, de forma est* [a]. At quis fœdam hanc deformitatem, non detestetur?

a Rational. l. 6. de Bap. Nu. 29.

XI. *Quarta repugnantia*, in *fine Baptismi* consistit. *Sacra* enim *Scriptura* credentes in Christum, baptizandos docet [a]: ut inchoata regenerationis [b], & remissionis peccatorum ac justitiæ, gratia [c] signetur, & fidei, per verbi ac signi objectum, excitatione [d], confirmetur. Quemadmodum Apostolica Sacramenti descriptio *Signum & sigillum justitiæ fidei* [e], declarat.

a Mat. 16. 16. Act. 8. 37. b Ioh. 3. 12, 13. 1. Pet. 1. 22, 23. c Mat. 9. 2. Luc. 7. 48. Actor. 10. 43. & 47. Rom. 3. 22, 25. d Rom. 10. 17. 1. Pet. 1. 22. & 23. & 2. 3. e Rom. 4. 11.

XII. *Contra* verò Ecclesia Romana apostatica finem Baptismi esse, regenerationis & justificationis inchoationem ac perfectionem, statuit. Sicut ait Bellarminus; *Finis principalis secundum Catholicos, imo secundum Scripturas, est justificare, & regenerare* [a]. Idque sequentibus clarius evadet.

a Tom. 2. de Bap. l 1. c. 1.

XIII. *Quinta* enim *repugnantia* in *Baptismi effectis*, conspicua est. *Sacra* enim *Scriptura*, de credentium in Christum Baptismo docet, effectum illius esse, inchoatæ regenerationis, & gratiæ justificationis, significationem, & confirmationem: ut propositus & probatus, Baptismi finis (cujus, ad amussim respondens, executio est) ostendit. Idem enim, quatenus hìc intenditur, finis est: quatenus verò existit, effectum. Quocirca etiam Bellarminus, pro eodem (quum ait; *Effectum seu finis principalis Sacramenti* [a]) usurpat.

a Tom. 2. De Baptis. l. 1. c. 1.

XIV. *Contra* verò *Ecclesia Romana apostatica*, regenerationis ac justificationis gratiam Baptismi opere, primùm inchoari ac simul perfici: sive, non solùm peccata omnia remitti; sed etiam fidei, spei, charitatis, habitus infundi [a]: ut Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1. decernit; *Per Baptismum* (inquit) *Christum induentes, prorsus in eo efficimur nova creatura*. Et Sessione quinta; *Si quis* (inquit) *asserat, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed dicit, illud tantùm radi aut non imputari, anathema sit*. Unde etiam Bellarminus asserit; *Baptismo reipsa tolli omnia peccata: ita ut non solùm non imputetur, sed nec sit, quod imputari possit, ad culpam* [b].

a Concil Trident. Sess. 6. c. 7. Bellar. t. 3. de gratia. l. 1. c. 1. b Tom. 2. c. 2. De Bapt. l. 1. c. 13.

XV. Deinde verò, & tertium Baptismo effectum *apostatica Romana Ecclesia* affingit: nempe proprii characteris, in anima Baptizati impressionem, Ut Concilium Trident. *Siquis* (inquit) *dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima (hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint) anathema sit* [a]. Attamen Cardinalis Cajetanus, liberè, de hoc charactere, asserit, eum *ex Scriptura non haberi; sed ex Ecclesiæ auctoritate & non multùm antiqua &c: quod Innocentius tertius (extra de Bapt. cap. majores causas) determinavit* [b].

a Sess. 7. De Sacram. can. 9. b Ad summ. Thomæ par. 3. q. 63. ar. 1.

XVI. Neque Scriptura solùm, hujusmodi characterem, non agnoscit; sed ne ipsi quidem assertores, quid certò sit, norunt: dum alii relationem rationis, alii qualitatem esse conjiciunt [a]: & ridicula obscuritate definientes, ignorantiam suam produnt. Bellarminus quidem quum ait; *Character Baptismatis est passiva potestas: facit enim hominem aptum, ad suscipienda omnia alia Sacramenta: & sine ipso, nulla aliorum Sacramentorum susceptio est rata* [b]. Nec scientius Cajetanus; *Character* (inquit) *Sacramentalis, est quædam spiritualis potestas, ad ea, quæ sunt divini cultus* [c]. Nec etiam Thomas, quum ait; *character est quoddam signaculum, quo anima insignitur, ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt divini cultus* [d].

a Bel. t. 2. de Sact. l. 2. c. 19. b Ibidem c in Sum. Thomæ par. 3. q. 3. d Sum. par. 3. qu. 63. 3. ar. 4.

XVII. *Sexta repugnantia*, in subjecto, seu Baptizandis, elucet. *Sacra* enim *Scriptura*, eos esse docet primùm adultos, credentes in Christum [a] (ideoque Christo insitos [b], regenitos [c], ac justificatos per fidem & reconciliatos Deo [d]) deinde eorum infantes [e]: qui quoniam saltem ad externam Dei Ecclesiam pertinent, *sancti* appellantur, & neutros, ob Baptismi absentiam, si pertinax contemptus absit, ullibi à salute excludit [g].

a Matt. 16. 16. Act. 8. 37. b Eph. 3. 17. c Ioh. 1. 12. Actor. 10. 15. cum 15. 9. 1. Pet. 1. 22, 23. d Rom. 5. 1. e Act. 2. 39. f 1. Cor. 7. 14. g Mat. 16. 16. Luc. 18. 16, 17. & 23. 43. Ioh. 3. 15.

XVIII. *Contra* verò, *Romana Ecclesia apostatica*, baptizandos omnes, tam adultos quàm infantes, Christi, & regenerationis ac justificationis omnino expertes, tradit (ut ex iis, quæ de effectis diximus, constat) ideoque si, absque Baptismo, vel voto illius, aut Martyrio, moriantur; infantes quidem visionis Dei absentia, adultos verò, præterea cruciatibus æternis damnandos [a]. Imo etiam, antequam Baptizentur, à Satana infessos, & ut ille exeat, trina primum insufflatione ac mandato exitus: deinde exorcismo, trina crucis formatione ei inserta, expiandos [b].

a Thom. par. 3. q. 68. ar. 2. & 3. b Pastorale Romanum de Baptis. p. 20. & 15.

XIX. Deinde nondum etiam natos, sed in matris utero adhuc hærentes, si caput, vel manum, aut pedem, exerant, in vitæ periculo, esse Baptizandos (in Pastorali Romano *p.* 7. & in Decreto, de consecrat. dist. 4. cap. *in maternis*) decernit.

XX. *Septima* denique de *Baptismo repugnantia* in *adjunctis ritibus*, consistit. *Sacra* enim *Scriptura*, simpliciter Baptismi

ptismi materiam & formulam, cum tinctione tantùm, præscripsit: nec ullis ceremoniarum laciniis oneravit.

a Matth. 28. 19.

XXI. *Contra* verò, *Apostatica Romana Ecclesia*, hac simplicitate spreta, superstitiosis atque impuris ceremoniis, Baptismum conspurcat. Cujus rei specimen est, quod ante Baptismum, & ante baptizandi exorcismum, *salis modicum ori infantis indendo dicunt*; N. *accipe sal sapientiæ, ut propitietur tibi Dominus in vitam æternam. Amen* [a]. Eumque salem antea, hac forma incantant; *Exorcizo te creatura salis* &c. *ut in nomine sanctæ Trinitatis, efficiaris salutare Sacramentum, ad effugiendum inimicum* [b].

a Pastorale Romanum p. 13. b Ibidem p. 12. & 15.

XXII. Quibus impiis ceremoniis accedit impurum sacrificuli sputum. Quibus in manum suam primùm ejicit: sic deinde *utramque aurem baptizandi tangens, dicit Eppheta, hoc est, adaperire:* deinde *nares tangit ac dicit, in odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole. Appropinquabit enim judicium Dei. Ad dextram manum, inprimendo signum crucis, dicit Sacerdos*; N. *trado tibi signaculum domini nostri Iesu Christi, in manu tua dextra, ut te signes, & à te adversarium, ab omni parte, repellas, & habeas vitam æternam, & vivas cum eo; in secula seculorum. Resp. Amen* [a].

a Pastorale. p. 17. & 18.

XXIII. Denique similis superstitio sequitur, quum sacerdos *oleo* superstitiosè consecrato, *cruce facta in pectore infantis*, dicit; *Ego te, oleo salutis, linio* (& simili modo, eodem *oleo inter scapulas inungens, dicit) In Christo Iesu domino, ut habeas vitam æternam* [a]. Sed impiarum ac fœdarum superstitionum, quibus adjunctis, Baptismus contaminatur, satis. Ex quibus omnibus meritò concludimus; quum in *Baptismi causis, effectis, subjectis, adjunctis*, demonstrata sit, *Sacræ Scripturæ, & Romanæ Ecclesiæ, repugnantia:* hanc non *Apostolicam*, & Christianam; sed *apostaticam*, & Antichristianam, non calumnia; sed verâ justaque reprehensione, appellari.

a Ibid. pag. 19.

COROLLARIUM.

I. *An Iohannis Baptismus à Christi Baptismo fuerit reverà alius? Contra Pontificios, N.*

DISPUTATIO XXXIV.

DE COENA DOMINI.

IN præsens secundum, nempe δεῖπνον κυριακὸν, Cœnam Dominicam, *continuationis fœderis gratiæ, & nutritionis spiritualis, sigillum, à vocum declaratione exorsi, considerare decrevimus.*

THES. I.

VOx Græca, τὸ δεῖπνον (& ὁ δεῖπνος [a]) rectè, præ cæteris etymis [b], à duobus fontibus derivatur; quasi μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν [c], quo sumpto, laboribus sit incumbendum. Atque *cibum* notat; ut Apostolus loquitur, δεῖπνον φαγεῖν [d]. & Lxx. interpretes, δεῖπνον καὶ τὸν οἶνον [e], distinctè copulant. Cui synonymum est, per metonymiam, τράπεζα [f] *mensa*, pro cibo, convivis in mensa posito: ut etiam Lxx. ἐσθίοντες τὴν τράπεζαν [g] comedentes cibum.

a Etymolog. magnum. b Ibid. & Plutarch. Sympos. 8. quæst. 6. c Eustath. in Iliad. λ & in odyss. β. d 1. Cor. 11. 20. e Dan. 1. 16. f 1. Cor. 10. 21. g Dan. 1. 13. & 15.

II. Ideoque, pro etymi ratione, *propriè* quidem δεῖπνον, *prandiculum* [a] seu jentaculum: vel *prandium*, vetustioribus Græcis [b], significavit. Cui synonymum est, ἄριστον: unde, quod Matthæus, ἄριστον [d]; id Lucas, δεῖπνον [e] vocat. Quamvis ea, interdum variè distinguantur: ut δεῖπνον, jentaculum; ἄριστον prandium, designet [f]: vel contra [g].

a Veterum ac Plauti vox, apud Festum de verb. sign. b Eustath. Iliad. λ & odyss. β. c Idem odyss. ρ. Chrysost. in 1. Cor. 11. d Cap. 22. 4. e Cap. 14. 16. f Tzetz. in Hesiod. ἔργ. β. & Eust. odyss. β. g Æschyl. apud Eust. odyss. ρ.

III. *Impropriè* verò, *primò* per catachresin, pro *vesperna* [a], seu cibo vespertino, à Comicis, & plerisque recentioribus Græcis, usurpatur [b]: quasi non esset δεῖπνος; sed δείλινος, μεθ' ὃ δεῖ ὕπνου ut argutè alludit Eustathius [c]. Quomodo etiam utitur Euripedes; ἦμος ἐκ δείπνων ὕπνος [d]: & sic distinctè, à Luca, ἄριστον ἢ δεῖπνον [e], connectuntur. *Secundò*, per Synecdochen, aut utrumque significatum, prandii ac vespernæ, complectitur [f]; aut pro cibi potusque victu, & κατ' ἐξοχὴν, pro convivio, seu epulo, accipitur [g]. Hæc de *voce* tantum *Græca*.

a Plaut. vox ap. Festum. b Etymolog. mag. c In odyss. β. d In Hecuba. e Cap. 14. 12. f Homer. odyss. ο & Eustath. ibid. g Mat. 23. 6. Mar. 6. 21.

IV. Cui respondet *Cœna:* quæ usu quidem, Latina est: sed origine, Græca: ejusque *usum*, cum priscum, tum novum, exponens Festus ait; *Cœna, apud antiquos dicebatur, quod nunc est, prandium: vesperna; quam nunc Cœnam appellamus* [a]. Quæ, eodem sensu, à Plauto [b] etiam, vesper, metonymicè ac sæpius, vocatur: ut, *De vesperi vivat suo* [c], id est, cibo vespertino, cœnaque sua.

a De verb. signific. b In Rudente. c In Milite glorioso.

V. *Vesperna* autem, Cœna, κοινὰ dicitur, παρὰ τὴν κοινωνίαν [a]: quasi κοινὴ τροφὴ communis cibus καὶ σύνδειπνον convivium & quidem vespertinum. *Quoniam* (ut ait Plutarchus) *seorsim prandebant prisci Romani: sed cum amicis cœnabant* [b]. Hinc Isidorus; *Cœna vocatur, à communione vescentium* [c].

a Plutarch. Sympos. 8. quæst. 6. b Ibidem. c Orig. 20. cap. 2.

VI. Cœna autem, pro convivio accepta, alia *humana* est: alia *divina*. Illa quidem; quæ ab homine, vel ad societatem fovendam, vel ad superstitionem, instructa est.

VII. Ac *socialis Cœna*, aut *civilis*, aut *Ecclesiastica*; ut Christianorum ἀγάπη [a] dilectio [b], Metonymicè (quasi dilectionis convivium) dicta. Quam Chrysostomus [c], & communis mensæ ac *communionis* Ecclesiæ Hierosolymitanæ, κοινωνίας [d] defluxum, & apud Corinthios corruptam, statuit. Clemens verò Alexandrinus, abusum vocis corrigens, ait; δι' ἀγάπην, γινόμενον τὸ δεῖπνον ἀλλ' οὐκ ἀγάπη, τὸ δεῖπνον; δεῖγμα δὲ εὐνοίας κοινωνικῆς καὶ μεταδοτικῆς [e]: hoc est; *Ob charitatem, factum convivium: sed convivium non est charitas; verùm, benevolentia socialis ac liberalis indicium.*

a Iudæ 12. b Tertull. Apol. cap. 39. c In 1. Cor. 11. Orat. 27. vide etiam Concil. Laodicenum can. 27. & 28. d Actor. 2. 46. & 6. 1. 2. e Pædag. lib. 2.

VIII. *Superstitiosa* verò est, quæ, ad falsam religionem, instituta. Qualis fuit, in idololatricis, Ethnicorum [a], ac Judæorum [b], sacrificiis: quæ propterea, *mensa, & poculum dæmoniorum* [c], nominantur. Cujusmodi etiam fuere, pseudochristianorum nefandæ & ψευδώνυμοι *Agapæ* [d]: quarum infamia, iniquè ab Ethnicis, Ecclesiæ Christianæ, olim adspergebatur [e]. Hæc de *Cœna humana*.

a Exod. 34. 15. Iustin. mart. Apol. 2. b 1. Cor. 10. 7. c Ib. vers. 20. & 21. d Clem. Alex. Strom. lib. 3. & 7. e Tertullian. Apol. cap. 39.

IX. *Divina* verò est, quæ à Deo, ad veram religionem, est instituta. Eaque *vel ante Christum* exhibitum, vel *postea*.

X. *Ante Christum* quidem, Cœna fuit, *partim*, Dei omnipotentiâ, parata ac data; ut mannæ, & aquæ è petra, cibus ac potus [a]: *partim*, verbo Dei imperata: cum in Sacrificiis variis [b]; tum in Paschatis Sacramento, vesperi celebrando [c]: quod inde meritò, *Cœna*, appellatur [d].

a 1. Cor. 10. 3. 4. b Exod. 18. 12. Deut. 12. 17. 18. Psal. 116. 13. 1. Cor. 10. 18. c Exod. 12. 8. d Ioh. 13. 2.

XI. *Post Christum* verò exhibitum, *Cœna* instituta est *Dominica:* quam hoc loco consideramus, atque ita describimus.

XII. Cœna Dominica, est *alterum N. Testamenti Sacramentum, ad finem mundi, sæpius repetendum, à Christo institutum: quo, per ministrum Euangelii, adjuncta gratiarum actione, panis & vini præscripto usu, cœtui baptizatorum adulte-*

dultorum, *fidem & resipiscentiam*, *ore & opere*, *profitentium*, *significatur & obsignatur*, *communionis corporis & sanguinis Christi exhibiti*, *& gratiæ Novi Testamenti*, *continuatio*, *ad fidei & charitatis cœnantium gratitudinem*, *& salutem*, *amplius confirmandam*. Quæ *descriptio*, sequenti *explicatione* illustratur ac stabilitur.

XIII. *Cœnam* enim hanc, *Sacramentum* vocamus: quia signum ac sigillum est, justitiæ fidei: omniaque illa, quæ ad Sacramentum constituendum pertinere, superiori de Sacramentis dissertatione, ostendimus, eidem accuratè conveniunt: ut sequens *causarum expositio* demonstrabit.

XIV. Nam, ut à *causa efficiente* auspicemur, *primaria* est, auctor Christus, novi fœderis mediator [a], verusque Deus ac Dominus noster, qui *verbo* suo (cum *mandati*, tum *gratiæ* Euangelii) hoc Sacramentum, crebrius, ad reditum suum, repetendum [b], immediatè, vespere quo traditus fuit, peracta Paschali Cœna, instituit [c], eique opportunè substituit. Unde à Tertulliano, *convivium Dominicum* [d]: & ab Apostolo, *Cœna Dominica* [e], partim ab auctore; partim ab accidente ac libera, vespertini temporis, circumstantia nominatur [f].

a Heb. 9. 15. b 1. Cor. 11. 25, 26. c Matth. 26. 26. Luc. 22. 15, 19. d Ad uxorem lib. 2. cap. 4. e 1 Cor. 11. 20. f 1. Cor. 10. 21. & 11. 23.

XV. *Secundaria*, est minister Euangelii: cui Cœnæ administratio, pro communi Sacramentorum, Novi Testamenti, natura [a], divinitus imperata est. Qualis, præ cæteris, *primus* est, tempore & dignitate, pastorum princeps Christus. Qui ut Cœnam, qua Deus, auctoritate atque imperio suo, instituit; ita qua homo, fideli obsequio & exemplo, promulgavit, & administravit [b].

a Vide disput. de Sacram. b Matth. 26. 26.

XVI. *Subjectum* verò, ac quasi *materia*, quam Christus, in hoc Sacramento, ad rem significandam instituit, pro generis sui (seu Sacramenti) ratione, *duabus* quoque *partibus* continetur.

XVII. *Prior*, est *substantia* nutrimenti gemina, *panis* (sive azymus, ut in prima Cœna, per accidens festi azymorum, sive ζυμίτης fermentatus) & *vinum*, *genimen vitis* [a]. A quibus duobus, Cœna hæc, *panis* ac *mensæ*, & *poculi Domini* [b], periphrasi, describitur. Quæ, ut olim grata communicantium, erga Deum & Ecclesiam, liberalitate solebant offerri; idcirco *oblationis* & *sacrificii* (nempe eucharistici) nomen, ad Cœnam, à priscis theologis [c], est traductum: etsi postea, in superstitionem evaserit.

a Matth. 26. 27, 29. b 1. Cor. 10. 21. & 11. 26, 27. c Irenæus lib. 4. cap. 32. & 34.

XVIII. *Posterior* materiæ *pars*, est accidens panis & vini *ritus* atque *usus*, à Christo *præscriptus*. Cujus *adjunctum commune*, & *partes*, observari debent.

XIX. *Adjunctum commune*, est invocatio Dei duplex: *una*; Cœnam Dominicam *antecedens*: *altera*; eandem *consequens*.

XX. *Antecedens*: est εὐχαριστία *gratiarum actio*: qua, accepto pane, & poculo, distinctè ac jure [a], Deus, ut bonorum auctor, à Ministro Euangelii, celebratur. Quæ, eodem sensu, εὐλογία benedictio (per synecdochen generis) nominatur. Nam ut Matthæus [b], & Marcus [c], ait, εὐλογήσας quum benedixisset: sic idem referens Lucas [d], εὐχαριστήσας, quum gratias egisset, exponit. Gratiarum enim actio, est ob benefacta, benedictio.

a Deut. 8. 10. b Cap. 26. 26. c Cap. 14. 22. d Cap. 22. 19.

XXI. Hinc rectè Theophylactus, Luca præeunte, ait; εὐλογήσας δὲ, ἀντὶ εὐχαριστήσας [a]. & Apostolus 1. Cor. 16. consentaneè scribit; τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ (pro καθ' ὃ, usitata ellipsi [b]) εὐλογοῦμεν *poculum benedictionis*, (*circa*) *quod benedicimus*: hoc est quo, manibus accepto, Deo gratias, pro beneficiis agimus: ut Græci Patres [c] (sequuti Apostolum, qui ibidem cap. 14. 16. εὐλογεῖν, per εὐχαριστίαν, exponit) interpretantur.

a Comment. Mar. 14. 22. b Actor. 18. 3. Heb. 1. 9. & 10. 22, 23. c Chrysost. Theophyl. Photius apud Oecum. 1. Cor. 10. 16.

XXII. *Consequens* verò, Cœnam Domini, invocatio, *cuncta* (ut Augustinus ait) *concludens* [a], est hymnus [b]: quo Dei benignitas, ad gratitudinem testandam, celebratur. A qua utraque gratiarum actione (ac prima præcipuè) Cœna Domini, εὐχαριστία (gratiarum actio) à Græca Latinaque Ecclesia [c], (quemadmodum & *Eucharistiæ Sacramentum* [d]) dici consuevit. Atque hæc de *Cœnæ adjuncto*.

a Epist. 59. ad Paulinum. b Matth. 26. 30. c Justinus apolog. 2. Irenæus lib. 4. cap. 34. Tertull. de Orat. cap. 14. d Idem de Corona, cap. 3.

XXIII. *Partes* verò *ritus*, in actione, cum *Ministri*, tum *Cœnantium*, consistunt: quæ *generatim*, à Justino [a], διάδοσις, καὶ μετάληψις, *distributio*, & *perceptio*, dicta. Unde Cœna, à priori, interdum synecdochicè λειτουργία & ἱερουργία *ministerium publicum*, *& sacrum* [b]: à posteriori verò, *Communio*, vulgò appellatur. Quæ, ex distincta *utriusque* explicatione *speciali*, fient clariora.

a Apolog. 2. b Dionys. Ecclesiast. Hier. cap. 3.

XXIV. *Actio* enim *Ministri*, est qua, Christi convivatoris, nomine & exemplo, *panem* acceptum *frangit*, *edendumque præbet* [a]: & *vinum* similiter, poculo *infusum*, omnibus convivis *bibendum porrigit* [b]. Unde Cœna rursus, à priori, *panis fractione* [c]: à posteriori; *potatione* [d] designatur.

a Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. b Matth. 26. 27. 1. Cor. 11. 28. c Act. 2. 42. d 1. Cor. 12. 13.

XXV. *Actio* verò *convivarum Domini*, seu *Cœnantium*, est quæ, Christi & discipulorum exemplo [a], de accepto illo *pane edunt*; & *de poculo illo*, *bibunt omnes* [b]. Apostoli enim in prima Cœna, fuerunt convivæ tantùm: sed *Christus convivator* simul, & *conviva*, imo & *convivium*, externo signatum. Ut enim Circumcisus fuit [c], & Pascha edit [d]; ut promissiones Patribus factas, confirmaret: sic Baptizatus fuit [e], & Cœnam sacram percepit [f] ut Euangelium, obsignaret, per se alioqui peccati omnis expers [g]: & virtutibus perpetuò abundans [h].

a Luc. 22. 19, 20. Matth. 26. 29. b 1. Cor. 11. 24, 25, 26. Marc. 14. 23. c Luc. 2. 21. d Luc. 2. 15, 16. e Matth. 3. 15, 16. f Marc. 14. 24. 25. Chrysost. in Matth. 26. Hom. 83. August. de doctr. Christ. lib. 2. c. 3. g 1. Pet. 2. 22. h Phil. 2. 8.

XXVI. Hactenus de *Cœnæ Dominicæ materia*: quæ (pro communi Sacramentorum natura) suam quoque habet *rem significatam*, ad quam *refertur*, ob similitudinem, partim, naturâ insitam (ut metaphoræ frequentes, inde ortæ declarant) partim, verbo Domini, distinctè propositam.

XXVII. *Res* autem *significata*, est communionis Christi & gratiæ Novi Testamenti, continuatio: ut, ex distincta ac particulari, relationis explicatione, clarius elucebit.

XXVIII. *Prior* enim *materia* Cœnæ Dominicæ, *pars* seu *substantia gemina*, terrenus *panis* & *vinum*, ad hanc vitam, & quidem perfectè nutriendam, idonea, *carnem & sanguinem Christi*, tanquam panem & potum cælestem, ad vitam æternam, perfectè conservandam, efficacem significant. Ideoque de pane, ait Christus; *Hoc est corpus meum* [a]: de vino; *Hoc est enim sanguis meus* [b]. Sicut antea, de re significata; *Ego sum panis vitæ* [c]. *Caro enim mea*, *verè est cibus*, *& sanguis meus*, *verè est potus* [d]. Atque hinc nata ista distinctio, inter *panem Domini*, & *panem Dominum* [e].

a Matth. 26. 26. Marc. 14. 23. b Matth. 26. 28. c Joh. 6. 48. d Ib. 6. 55. e August. in Johan. Tract. 59.

XXIX. *Posterior* verò materiæ *pars*, nempe ceremoniæ, seu *actiones sacræ*, de panis & vini crebro usu, divinitus præscriptæ, *partim*, convivatoris *Christi beneficium*, nempe communionem ipsius, & gratiæ fœderis novi, continuationem: *partim* convivarum *Christianorum officium*, seu, rectum, beneficii illius, usum, designant. *Illud* quidem, per ministri; *hoc* verò, per Cœnantis actionem.

XXX. Nam *in panis usu*, primùm *actio Ministri*, seu, panis accepti fractio, & *communicatio*, corporis Christi, pro nobis traditionem, ac, sine crurifragio [a], clavis & lancea, contritionem [b], &, per Spiritum Sanctum [c], communicationem illius, utilem ac necessariam, ad vitam æternam, designat. Idcirco ait Christus; *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis datur* [d], *& frangitur* [e]: ut antea, de re significata, allegoricè; *Panis*, *quem ego dabo*, *caro mea est*: *quam dabo*, *pro mundi vita* [f]. *Amen dico vobis*, *nisi granum frumenti*, *cadens in terram*, *mortuum fuerit*; *ipsum solum manet*: *si verò mortuum fuerit*, *multum fructum adfert* [g].

a Joh. 19. 36. b Jes. 53. 5. Psal. 22. 17. Zach. 12. 10. Joh. 20. 25, 27. & 19. 34. c 1. Cor. 12. 13. d Luc. 22. 19. e 1. Cor. 11. 24. f Joan. 6. 51. g Ibid. 12. 24.

XXXI. Deinde *actio Cœnantis*, nempe panis accepti, *esus corporalis*, & per participationem [a], *communio externa*, ad

vitam

vitam hanc temporalem conservandam, significat internum, unius ejusdemque corporis Christi, per fidem accepti, esum spiritualem & communionem, ad vitam, justitiæ & gloriæ, æternam, & communionis hujus consequens, Sanctorum, inter se & cum Christo, communionem.

a 1.Cor.10.17. & 11.27.28.

XXXII. Quæ, Apostoli explicatione, comprobantur, quum ait; *Panis, quem frangimus, nonne est communio corporis Christi? Quoniam unus est panis, unum corpus, multi sumus: omnes enim, unius panis, sumus participes* [a]. Atque ita Christus, rem significatam, & communionis modum, allegoricè describit; *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam* [b]. *Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ* [c]. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: si quis ederit, ex hoc pane, vivet in æternum* [d].

a 1.Cor.10.16,17. b Joh.6.35. c Vers.47.&48. d Vers.51.

XXXIII. Hisce concinit celebre Augustini dictum; *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti* [a]: & alterum; *Qui non manet, in Christo, & in quo, non manet Christus, procul dubio, nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem; licet, carnaliter & visibiliter, premat dentibus, Sacramentum corporis & sanguinis Christi* [b].

a In Joan. tract.25. b Ib. tract.26.

XXXIV. In *vini* verò *usu*, primùm *actio ministri*, nempe *vini*, in poculum *effusi*, *communicatio* ad corporis nutrimentum perficiendum, & vitam illius conservandam, pertinens, *sanguinis Christi* (ad remissionem peccatorum, & Novum Testamentum sanciendum) è corpore *effusionem*, pro nobis, & *communicationem* illius, significat. Ideoque Christus ait; *Hoc est enim sanguis meus, novi Testamenti: qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum* [a]: & quod eodem spectat; *Hoc poculum est novum Testamentum, in sanguine meo, qui pro multis effunditur* [b]. Ideoque Apostolus; *sanguinem æterni Testamenti* [c], nuncupavit.

a Matt.26.28. b Luc.22.20 c Heb.13.20. Conf. cap.9.14.15. &c.

XXXV. Deinde, *actio Cœnantis externa*, nempe accepti *vini*, ore corporis, *haustus*, & *communio*, internam, sanguinis Christi, animæ ore, seu fide, perceptionem, & communionem, significat. Quo pertinet, illa Apostoli explicatio; *Poculum benedictionis (circa) quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est* [a]? & Christi, de re significata, promissio; *Qui ederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo* [b].

a 1.Cor.10.16. b Joan.6.56.

XXXVI. Atque hæc, de *distincta materia Cœnæ*, ad rem suam cœlestem ac spiritualem, significatam, ex Christi verbo, *relatione*, qua informatur: & signum ac Sacramentum Cœnæ, perficitur. Quod, ut ratione, cum materiæ suæ, tum modi quo percipitur, terrenum ac *corporale* est; sic hujus relationis & significationis respectu, *spirituale* ac cœleste, Scripturæ imitatione [a], dici solet [b].

a 1.Cor.10.3,4. b August. apud Gratian. de consecrat. dist.2. Can. Hoc est.

XXXVII. *Forma* igitur *Cœnæ Dominicæ*, & quasi συστατικὴ differentia, est divina, panis & vini, ususque eorum, per Christi verbum, ordinatio ad visibilem, communionis invisibilis Christi, & gratiæ fœderis novi continuandæ, significationem & obsignationem: ut superiora demonstrant.

XXXVIII. Utque *ex forma*, (seu Sacramentorum relatione) communi, promanat *phrasis* duplex; *propria*, qua, nomina, & attributa signi, signo: & rei significatæ, sua similiter, tribuuntur: & *impropria*, seu metonymica (quæ vulgo, κατ' ἐξοχὴν, *prædicatio Sacramentalis*, dici solet) qua nomina, & attributa signi, cum re significata, permutantur: utraque, in doctrina, de Cœna Dominica, usitata est [a]. & secunda, in Sacris etiam literis, expressa.

a Theodoret. dial.1. cap.8. vide Disp. de Sacram.

XXXIX. Cujus exemplum *primum* est; *Hoc* (id est, hæc res, seu panis acceptus ac fractus) *est corpus meum, quod pro vobis frangitur* [a]: id est Sacramentum, seu signum ac monumentum [b], corporis frangendi. *Alterum*; *Hoc poculum, est novum Testamentum, in meo sanguine* [c]: id est vinum, poculo contentum, est Sacramentum, seu signum ac monumentum, novi Testamenti [d], sanguine meo (ut Tertullianus rectè exponit [e]) obsignati. *Tertium* est; *Hoc est enim sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effunditur, ad remissionem peccatorum* [f]: id est, Sacramentum, seu signum, in sanguinis effusi recordationem [g].

a 1.Cor.11.24. b Ib. & vers.26. Luc.22.19. c 1.Cor.11.25. d Ibid. e Contra Marc. lib.4. cap.40. f Matth.26. v.28. g 1.Corinth.11. v.25,26.

XL. *Quartum* exemplum est; *Panis, quem frangimus: nonne communio corporis Christi est? Poculum benedictionis, circa quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est* [a]? id est, communionis illius Sacramentum, seu signum ac monumentum [b]. Sicut in Cœna Paschali, 1. de *agni carne* dictum, *Accipite* [c], *comedite* [d]: ea est *Pascha (Latinè transitus) Iehovæ* [e]: id est, signum ac monumentum illius [f]. 2. De *sanguine agni*; *Accipite, adspergite postibus* [g]: *sanguis ille, erit vobis, in signum* &c. *ut videns transeam* [h]. Et de utroque, *sacrificium, est Pascha Iehovæ*; *qui transivit* [i]: hoc est, signum illius.

a 1.Cor.10.16. b Ibid.11.24,25. c Exod.12.5. d Vers.11. e Ibidem. f Vers.14. g Vers.7. h Vers.13. i Vers.27.

XLI. Hujusmodi metonymicas, Scripturæ, de Cœna Domini, phrases, prisci Patres imitati sunt sæpius, imo durioribus hyperbolis, ad reverentiam excitandam, auxerunt: nec rarò interim propriis, disertè ac perspicuè explicarunt. Ut Tertullianus; *Acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum fecit; hoc est corpus meum, dicendo: id est, figura corporis mei* [a]: & alibi; *vinum, in sanguinis sui memoriam, consecravit* [b]. Et Augustinus; *Non dubitavit, Dominus dicere; Hoc est corpus meum: quum daret signum corporis sui* [c].

a Contra Marc. lib.4. cap.45. b De anima cap.17. c Contra Adimantum lib.1. cap.12.

XLII. Sic Theodoretus panem & vinum Domini, vocat *corporis & sanguinis mystica symbola, imaginem, antitypa* [a]. Qualia multa, apud reliquos Patres, in Disput. de Sacramentis, pridem adduximus. Imo *jus Pontificium*, hoc etiam agnoscere cogitur, teste Gratiano [b]: qui hæc, ex Augustino, laudat; *Cælestis panis, qui Christi caro est, suo modo, vocatur corpus Christi: quum revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, mortale, in cruce positum est. Vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio.*

a Dial.2. cap.29. & cap.8. b De Consecrat. dist.2. Can. hoc est.

XLIII. Et Glossa ibidem, consentaneè ait; *Cælestis, id est, cœleste Sacramentum, quod verè repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed* IMPROPRIE: *unde dicitur; Suo modo; sed non rei veritate, sed significante mysterio: ut sit sensus; vocatur Christi corpus,* ID EST SIGNIFICATUR. Hæc de *forma*, & ex ea promanante phrasi, Cœnæ Dominicæ, dicta.

XLIV. *Finis* denique, quum generatim sit duplex, *primus* [?] (seu bonum, cujus obtinendi gratia, Cœnam Christus instituit) potissimùm est triplex.

XLV. *Primus*, ut Cœnantium *Christi recordatio* ac *fides* in ipsum, pro nobis mortuum, nobisque ad justitiam ac salutem communicatum, hoc sacro signo ac monumento suscitata, & obsignata, augeatur.

XLVI. *Secundus* est, ut hac recordatione ac fide aucta, magis magisque obsignata novi Testamenti beneficia (seu communio Christi, & ex ea, justitia ac salus) continuentur.

XLVII. *Postremus* est, ut horum etiam beneficiorum recordatione ac fide (quasi fomite) charitatis, erga Christum servatorem, *gratitudo* accendatur: ad ipsum colendum ac celebrandum; & mutuam membrorum Christi dilectionem, ac communionem augendam, qua fidelium, *cor unum, animaque una*, reddatur. Qui fines Cœnæ, verbis institutionis, & expositionis divinæ, indicantur.

XLVIII. *Primus*, mandato de usu, cum panis; *Hoc facite, ad mei recordationem* [a]: tum vini, *Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei recordationem* [b].

a Luc.22.19. b 1.Cor.11.24. 1.Cor.11.25.

XLIX. *Secundus* verò declaratur promissione, 1. de usu panis; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* [a], *ac frangitur* [b]. *Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est* [c]? 2. de usu vini, *Hoc poculum, est sanguis meus novi Testa-*

Testamenti: & Novum Testamentum, in meo sanguine, qui pro vobis, & multis effunditur, in remissionem peccatorum [d]. *Poculum benedictionis,* circa *quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est* [e] *? Omnes una potatione potati sumus, per unum Spiritum* [f]. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* [g].

a Luc. 22. 19. b 1.Cor. 11. 24. c Ibid. 10. 16. d Matth. 26. 28. cum Luc. 22. 20. e 1.Cor. 10. 16. f 1.Cor. 12. 13. g 1.Cor. 6. 17.

L. *Tertius* denique *finis* ẽ Cœnæ Dominicæ, ex prioribus omnino promanans, à Paulo explicatur, quum ait; *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, usque quo venerit* [a]. Item; *Quoniam unus est panis, unum corpus, multi sumus* [b]. Quocirca etiam, ob dissidia, & indignum fratrum contemptum, Cœnam Domini, inter Corinthios fuisse, negat Apostolus: & ad contrarium officium exstimulat [c]. Ex quibus omnibus, finis ẽ comprobatur.

a 1.Cor. 11. 26. b Ib. 10. 17. c 1.Cor. 11. 18, 20, 22, 23.

LI. *Secundus* generalis *finis* nempe ẽ, seu *subjectum proprium,* cui soli Dominus, Cœnam suam, instituit, est *Cœtus Baptizatorum adultorum, fidem & resipiscentiam, ore & opere, profitentium.*

LII. *Cœtus* enim, *primùm* requiritur, exemplo Cœnæ primæ [a]: ut verè sit κοινὴ Cœna, seu commune ac Domini convivium [b], & communionis Christi & Ecclesiæ, Sacramentum [c]. Hinc Paulus ait; *Omnes, ex uno pane, participamus* [d]. Nec solùm conventum in Ecclesia, & quidem ad panem illum edendum, requirit [e]; sed mutuam quoque exspectationem, & communem mensam, præscribit [f].

a Matth. 26 26. b 1.Corinth. 11. 20. c Ib. 10. 16. d Vers. 17. e Ib. 11. 20 f Vers. 33.

LIII. Ac propterea etiam, *Cœnæ propriæ, Dominicam Cœnam,* (tanquam σύνδειπνον [a], hoc est, Tullio interprete [b], *concœnationem)* opponit. Unde olim σύναξις [c] *congregatio, &* κοινωνία [d] *communio* (à participationis societate) & μυστηρίων κοινωνία [e], *mysteriorum communio*, à Græcis Patribus appellatur.

a Oecumenius in 1.Corinth. 11. b De Senectute. c Dion. hier. Eccles. lib. 3. d Chrys. 1.Cor. 11. Basil. Eth. def. 21. e Chrys. 1.Cor. 11.

LIV. *Deinde,* ad hunc Cœnantium cœtum, pertinent, non quivis, sed triplici conditione præditi. *Prima,* ut sint Baptizati: sicut ad Paschalem Cœnam, admissi sunt tantùm circumcisi [a]. Quia Baptismus, est regenerationis Sacramentum: ideoque, primum ac præmittendum [b]: contrà verò Cœna, nutritionis, ac confirmationis spiritualis, sigillum: ut ex superioribus constat: ideoque Baptismum consequens.

a Exod. 12. 48. b Tit. 3. 5. Matth. 28. 19. Heb. 6. 2.

LV. *Altera* est, ut sint adulti: quia hi soli, ad necessaria, convivarum Domini, officia, sunt idonei: qualia sunt, seipsos probare: corpus Domini discernere: illiusque recordari: & mortem ejusdem annuntiare [a].

a 1.Cor. 11. 28, 29. 24. 5 26.

LVI. *Tertia* denique, Cœnæ Domini communicantium, conditio est, ut fidem & resipiscentiam, ore & opere, profiteantur: ut, ex superioribus finibus atque officiis, liquet. De quibus omnibus, præclarè Justinus Martyr ait; *Porro alimentum hoc, appellatur apud nos* EUCHARISTIA: *quod nulli alii participare licitum est quàm* (1.) *veram esse doctrinam nostram credenti: &* (2.) *lavacro, propter remissionem peccatorum & regenerationem, abluto: & ita* (3.) *ut Christus tradidit, viventi* [a].

a Apologia 2.

LVII. Quales soli, pro Sacramenti Cœnæ Dominicæ consortibus, ab Ecclesiæ pastoribus, censendi [a]: iisque sub fidei conditione, res significata obsignatur. Ideoque ut gratiæ, Sacramento significatæ, participes fiant, præter confessionem oris & vitæ, requiritur consentanea cordis, fides & charitas [b].

a 1.Cor. 10. 21. & 11. 20, 27, 28. b Joan. 6. 27, 29. Rom. 10. 10. Gal. 5. 6.

LVIII. Quarum operatio, si in Cœnæ Domini usu abfuerit, corporis & sanguinis illius, per contemptum violati, crimen incurrunt [a]: ac pœnam divinam, sibi accersunt. *Fideles* quidem, si officium hoc negligant, *temporalem*, ne cum mundo pereant [b]; sed castigati, ad resipiscentiam reducantur [c]. *Infideles* verò *hypocritæ*, etiam æternam [d]. Qua ratione considerata, Cœna Domini, officium facientibus suavissima atque optatissima, ob violationis pœnam, à Chrysostomo, φρικτὰ μυστήρια [e]: καὶ φρικωδεστάτη τράπεζα [f], hoc est, *horrenda mysteria, & pertremenda mensa*, appellatur. Atque hactenus, de *Cœna Dominica:* faxit autem Dominus, pro sua clementia, ut ea, nobis omnibus, sit salutaris!

a 1.Cor. 11. 29. b Ibid. vers. 30. & 32. c Ibid. 31. Heb. 11. 10, 11. d Matt. 24. v. 51. Marc. 16. v. 16. Rom. 8. v. 13. e In Matt. 26. Hom. 89. f In 1. Cor. 11.

DISPUTATIO XXXV.

DE VERBIS COENÆ DOMINI.

QUemadmodum, *de* sacra Domini Cœna, *verè ait Augustinus*; O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis [a]! *sic adversus depravatam Pontificiorum Eucharistiam, meritò exclamari potest*; O Sacramentum impietatis! ô signum apostasiæ! ô vinculum iniquitatis! *Impietas enim, in fictitiu corporis Christi, sub specie panis, sacrificio atque adoratione consistit. Cujus falsa opinio, defectionem à doctrinæ (de persona, officio & beneficiis, Christi) fundamento, complectitur: & capitale, contra piè dissentientes, odium concitavit. Quibus malis, ut commodius occurramus,* veram, verborum Domini de Sacra Cœna, *expositionem antea traditam, plenius* demonstrare *conabimur: &* falsam Papistarum interpretationem *(utpote impietatis illius fulcrum unicum) Deo favente*, diluemus. *Ac primùm disputationi repetendæ præmittemus.*

PARALLELA

Verborum institutionis Cœnæ Domini, ex capite,

Matthæi 26.	Marci 14.	Lucæ 22.	Pauli 1. Cor. 11.
26. *Quum accepisset Jesus panem, & benedixisset, fregit, deditque discipulis, & dixit; Accipite, edite: hoc est corpus meum.*	22. *Quum accepisset Jesus panem, quum benedixisset, fregit, deditque illis, & dixit; Accipite, edite: hoc est corpus meum.*	19. *Quum accepisset panem, quum gratias egisset, fregit, & dedit illis, dicens; Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem.*	23. *Dominus Iesus ea nocte qua proditus est, accepit panem.* 24. *Et quum gratias egisset, fregit & dixit; Accipite, edite: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem.*
27. *Et quum accepisset poculum, ac gratias egisset, dedit illis, dicens; Bibite ex eo omnes.*	23. *Et quum accepisset poculum, quum gratias egisset, dedit illis: & biberunt ex eo omnes.*	20. *Itidem poculum postquam cœnasset dicens;*	25. *Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicens;*
28. *Hoc enim est sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*	24. *Et dixit illis; hoc est sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effunditur.*	*Hoc poculum, est novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.*	26. *Hoc poculum est novum Testamentum, in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem.*

Quo-

Quorum *verborum*, hæc est *paraphrasis*,
1. Cor. 10. 16.

Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est?
Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?
Hinc *Scotus* ait; *Hic Apostolum determinare, de modo perceptionis hujus Sacramenti,* in 4. sent. dist. 8.

THESIS I.

IN *verbis* autem *Cœnæ* præmissis, *tres* potissimùm occurrunt *enuntiationes:* de quarum *subjectis* & *attributis*, disceptatur. 1. *Hoc, est corpus meum.* 2. *Hoc, est sanguis meus.* 3. *Hoc poculum, novum Testamentum est, in sanguine meo.* Ac [illegible]*ectum*, in prima, & secunda est, *Hoc* (quod genere neutro, absolutè, ut solet [a], hanc rem notat) rem præsentem demonstrat [b]: in tertia verò est, *Hoc poculum*; quod metonymicè, potum, poculo contentum, citra controversiam, significat [c].

a Lxx. Gen. 2. 23. & Exod. 16. 15. Marc. 10. 7. Luc. 18. 36. b Catechis. Concil. Trident. de Euchar. Bellarm. de Euchar. lib. 1. c. 11. c Thomas Aqu. in 1. Cor. 11. Bellarm. de Euchar. lib. 1. cap. 11.

II. Sed *quæstio* est; An primum, *Hoc*, panem: & reliqua, *Hoc*, & *hoc poculum*, vinum denotent, nec ne? Nos utrumque, cum Orthodoxis, meritò affirmamus: ut, ex hisce *argumentis*, liquebit.

III. *Primum.* Quod Christus in Cœna accepit, benedixit, fregit, deditque discipulis, de eo dixit; *Hoc* [a]: atqui panis est id, quod Christus in Cœna accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis: ergo de pane dixit; *Hoc.* Quæ demonstratio adeò clara est ac firma, ut eandem Bellarmino, Lutheri discipulos oppugnanti, veritas expresserit. *Nam* (inquit) *Dominus accepit in manibus panem, eumque benedixit, & dedit Discipulis, & de eo ait; Hoc est corpus meum. Itaque panem accepit, panem benedixit, & de pane dixit; Hoc est corpus meum* [b].

a Gregor. de Valent. de Euchar. l. 1. c. 9. b De Euchar. l. 3. c. 19.

IV. *Secundum.* Id, quod in Cœna Domini editur, de eo dicitur, *Hoc:* panis autem est id, quod in Cœna Domini editur: ergo de pane dicitur, *Hoc.* Ut Propositio certa est: sic Assumptio quinque locis, à Paulo asseritur: 1. *Quotiescunque ederitis panem hunc* [a]. 2. *Quisquis ederit panem hunc* [b]. 3. *De pane illo edat* [c]. 4. *Unus panis est* [d]. 5. *Unius panis sumus participes* [e].

a 1. Cor. 11. 26. b Vers. 27. c Vers. 28. d 1. Cor. 10. 17. e Ibidem.

V. *Tertium.* Quod in Cœna Domini frangimus, & communio est corporis Christi, illud per, *Hoc*, denotatur: sed panis, in Cœna Domini, est hujusmodi: ut Paulus attestatur: *Panis quem frangimus, nonne est communio corporis Christi* [a]? ergo panis per, *Hoc*, denotatur.

a 1. Cor. 10. 16.

VI. *Quartum.* Quod Christus dicendo; *Bibite ex eo*, pronomine, *eo*, intellexit, de eodem dicitur, in proximè sequenti, *Hoc*, sive *Hoc poculum:* ut antecedens nomen, & annexæ rationis nota, *enim*, comprobant, & adversarii confitentur [a]. Atqui Christus dicendo; *Bibite ex eo*, intellexit pronomine *eo*, vinum: quia tum temporis, nihil aliud poculo continebatur [b]. Ergo de eodem vino dicitur, proximè sequenti, *Hoc*, sive *Hoc poculum.*

a Bellarm. de Euchar. l. 1. c. 11. b Ibidem.

VII. *Quintum.* Quod Apostoli biberunt, in Cœna illud denotatur, *Hoc poculo:* sed *vinum* est, quod Apostoli biberunt in Cœna: 1. Quia hic potus solus iis fuerat datus ac præscriptus: ut modò probavimus. 2. Quia (teste Marco) biberunt ante pronuntiata verba; *Hoc poculum* &c. quo tempore, vinum fuisse, non est dubium [a]. Ergo, *Hoc poculum*, denotat vinum.

a Ibid. Bellarm.

VIII. *Sextum.* Quod Christus, cum Apostolis, in Sacramento Cœnæ, bibit, de eo, *Hoc poculum*, dicitur: atqui vinum est quod Christus, cum Apostolis, in Sacramento Cœnæ bibit; testibus, post Patres, adversariis [a]: ergo vinum est, de quo, *Hoc poculum*, dicitur. Propositioni veræ ac perspicuæ, vera subest Assumptio.

a Chrysost. in Matth. homil. 83. August. de doctr. Christ. l. 2. c. 3. Bonavent. in 4. Sent. dist. 9. qu. 4. Thomas Aq. in 4. Sent. dist. 11. ad 5. & Summæ par. 3. qu. 81. ar. 1. Biel. in 4. Sent. dist. 9. qu. 1. Canus locis comm. lib. 12. cap. 13.

IX. Nam ut Christus eundem, cum Apostolis, cibum cœnavit (quod Lucæ 22. 20. & Pauli 1. Cor. 11. 25. parallela testantur) ita eundem potum bibit: quem *genimen vitis*, hoc est vinum ipsemet disertè nominat; *Non bibam* (inquiens) *amplius ex hoc genimine vitis.* Quæ verba, ut antè, de postremo Paschali poculo, Luc. 22. 18. sic postea, de poculo Cœnæ, non amplius gustando, pronuntiavit, Matth. 26. 28. & Marc. 14. 25.

X. Ex quibus omnibus, jam liquet, *Subjecta*, in verbis illis Christi, esse *panem* & *vinum: Attributa* verò (si voces spectemus) certa sunt, *corpus* & *sanguis Christi*, a[illegible] *Novum Testamentum:* sed de sententia *quæritur, An* hisce enuntiationibus, insit *tropus*, nec ne?

XI. *Prius* tuentur Orthodoxi: qui in reipsa conveniunt, atque ita declarant; Hic panis est Sacramentum, seu signum, corporis Christi: vel, significat corpus Christi. Quæ (ut etiam Jesuitæ agnoscunt [a]) *eodem redeunt:* ac se mutuò consequuntur. Veruntamen in sede tropi definienda, judiciis discrepant. Ideoque, bonâ bonorum veniâ, ad illustrandam, & ab exceptionibus vindicandam, veritatem, ea breviter expendemus.

a Bellarm. de Euchar. l. 1. c. 11. Stapleton. Antidot. in Matth. 26.

XII. *Quidam*, in hisce aliisque tropicis enuntiationibus, singulas voces, propriam suam significationem retinere, tropumque, nec in sola Copula, neque in Attributo solo, sed in tota attributione consistere, disputant: quod disparatum, directè de disparato, in iis affirmetur. Verùm hoc modo, nec Rhetoricis, neque Logicis principiis, satis videntur consentire. Quia tropum (quem, communi cum aliis hypothesi, agnoscunt) sua expositione, præter opinionem, evertunt: ut ex sequentibus firmamentis apparet.

XIII. *Primum.* Ubicunque enim *tropus* est, ibi *à propria significatione, in aliam, mutatio est* [a]; unde τρόπος dictus: atqui in hisce enuntiationibus tropicis, servata omnium vocum proprietate, non est propriæ significationis, in aliam, mutatio: ergo in hisce enuntiationibus tropicis, servata omnium vocum proprietate, non erit tropus. Ἀδύνατον.

a Quintil. instit. l. 8. c. 6.

XIV. Siquidem eandem omnino enuntiationem, veram simul & falsam, inopinatò statuunt. Nam quicunque enuntiationem, quam veram agnoscit, ait esse directam disparati de disparato affirmationem; ille statuit, idem, simul verum esse, & falsum: sed qui omnia illa verba; *Panis est corpus meum* &c. asserunt propriè accipienda, illi ajunt enuntiationem, quam veram agnoscunt, esse directam disparati de disparato, affirmationem: ergo qui omnia illa verba; *Panis est corpus meum* &c. asserunt propriè accipienda, statuunt idem, simul esse verum & falsum.

XV. Assumptio certa est: Propositio verò principium est Logicum ἑρμηνείας quo nihil verius. Nam omnis directa, disparati de disparato, affirmatio, falsa est. *Primum*, quia aliud significat, quàm res est. Nam quæ natura non sunt ὑπάλληλα, sed differentiis inter se separata, ideoque, ex norma Logices, erant disparanda (unde disparata quoque, *incompossibilia* [a], à Scholasticis dicuntur) ea, contra rerum naturam (ut cum Plauto loquar) comparat, & opposita, quasi ὑπάλληλα, perperam componit.

a Bonavent. in 4. sent. dist. 8. qu. 1. Franc. de Mairon. in 4. sent. dist. 9. qu. 3.

XVI. *Deinde*, contradictionem implicat manifestam. Nam quatenus disparatum dicitur Attributum, eatenus quoque omnes illius differentias simpliciter attributas, subjecto quoque convenire, affirmatur [a]. *Contraque* quatenus Attributum, dicitur disparatum, eatenus idem negatur: quia disparatorum, diversæ sunt differentiæ & attributa [b].

a Arist. Categ. cap. 3. b Ibid. & Top. 1. c. 15.

XVII. *Tertiò*, quia omne subjectum, veræ enunciationis, ἐν τῷ τί ἐστι, est Attributi sui species, aut individuum; sed nullum disparatum, est sui Attributi disparati species, neque individuum, quia ὑπάλληλον non est, sed heterogeneum: ergo nullum disparatum est subjectum veræ enuntiationis, ἐν τῷ τί ἐστι.

XVIII. Quamobrem Bellarminus de hujusmodi enuntiationibus loquens, non minus in Logicam impingit, quàm in seipsum, quum ait; *In exemplis allatis* (circumcisio est fœdus &c.) *semper prædicatur disparatum, de disparato; ut patet ex illis, boves sunt anni, Semen est verbum, Christus est vitis &c. In his enim, quum nullo modo fieri possit, ut illa propriè sint vera, cogitur necessario recurrere ad tropum* [a]. Et paulò ante. *Tales sunt etiam illa* Matth. 13. *Semen est verbum Dei: &* Gen. 41. *Septem boves, septem anni sunt. Atque in hoc genere propositionum accipiuntur semper prædicata tropicè, non propriè.* Quæ dicta minimè inter se consentiunt.

a De Euchar. lib. 1. cap. 11.

XIX. Nam nulla affirmatio, disparati, de disparato, est vera: omnes autem hæ divinæ enuntiationes, sunt veræ: ergo nulla earum, est disparati de disparato. Si enim ex Dei auctoris sententia, tropicè accipiuntur (ut fieri debere rectè agnoscit Jesuita) ὑπάλληλα sunt ac consentanea, non heterogenea ac disparata: sin verò propriè, veræ Dei enuntiationes, in falsas pervertentur.

XX. Qua de re postea differens Bellarminus, veritate cogente, in viam redit, & sibi contradicens, rectè ait; *Non hic opus habemus Aristotele cum sensus communis sufficiat. Nam si liceat disparata, de disparatis, licebit eodem jure, affirmare, de nihilo, aliquid; de aliquo, nihil: de luce, tenebras; de tenebris, lucem: de Christo, Belial; de Belial, Christum. Neque fides nostra, nos obligat, ut defendamus, quæ contradictionem implicant* [a].

a De Euchar. lib 3. c. 19.

XXI. *Denique* oratio, quæ notat hunc panem Cœnæ, esse signum corporis Christi, non est affirmatio disparati de disparato: quia est attributio generalis signi corporis Christi, de congenere subjecto singulari. Atqui enuntiatio, *Panis est corpus*, est oratio, quæ notat hunc panem Cœnæ, esse signum corporis Christi: ergo enuntiatio, *Panis est corpus meum*, non est affirmatio disparati, de disparato. Quare ex hisce liquet, tropum non esse in tota oratione.

XXII. Idcirco alii, in copula, *est*, posita pro significat, tropum consistere arbitrantur. Verum hic modus quoque nec Rhetoricis neque Logicis Principiis, neque confessæ, metonymiæ sacramentalis, hypothesi, videtur congruere.

XXIII. Nam *primò*, ubi non ponitur subjectum signatum, pro adjuncto signo, nec contra, ibi non est metonymia illa sacramentalis: atqui ubi, *est*, usurpatur pro significat, non ponitur subjectum signatum, pro adjuncto signo, nec contra: ergo non est metonymia illa sacramentalis.

XXIV. *Deinde* nullum, *est*, τρίτον προσκατηγορούμενον [a], seu συγκείμενον *tertio loco adjectum*, potest esse sedes tropi: atqui, *est*, in hisce enuntiationibus, *Hoc est corpus meum* &c. est tertio loco (inter subjectum scilicet & attributum) adjectum: ergo non potest esse sedes tropi. Assumptio liquet: Propositio verò ita demonstratur.

a Aristot. de Interpret. cap. 10.

XXV. Quod præter temporis circumstantiam, & terminorum connexionem, sive affirmationem attributi, de subjecto, nullam rem significat, illud non potest esse sedes tropi, atqui, *est*, tertio loco adjectum, præter temporis circumstantiam & terminorum connexionem (unde, *verbalis copula*, dici solet) nullam rem significat. Ergo, *est*, tertio loco adjectum, non est sedes tropi. Propositionem, allata è Quintiliano, tropi definitio [a], confirmat: Assumptionem Aristoteles docet, & simplicitas illius copulæ demonstrat: quia omnia verba, in illam, & in rem aliquam (ex quibus duobus significatio eorum conflata est) resolvuntur. Exempli gratia, vivit, significat: in illo enim complexum; est vivens: in hoc verò; est significans.

a Vide Thes. 13.

XXVI. Quamobrem primùm necessariò consequitur, quum in hisce tropicis enuntiationibus, nec in *subjectis* (*pane & vino*) nec in tota attributione, nec in Copula, *est*, sit tropus: reliquum esse, ut optimè in attributo statuatur. *Deinde* in omnibus directis ac veris attributis, quæ, si absque tropo affirmarentur, forent disparata, est tropus: atqui *corpus, sanguis Christi, Novum Testamentum*, sunt hic directa ac vera attributa, quæ, si absque tropo affirmarentur, forent disparata (ut ante demonstratum, & res ipsa evincit) ergo *in iis attributis est tropus*.

XXVII. *Is* autem, est *metonymia* quædam, in divina Sacramentorum explicatione tritissima [a]: qua, nomen rei significatæ, pro signo illius, ponitur [b]. Quod bifariam in hujusmodi, enuntiationibus, fieri solet. Quippe nomen rei significatæ, pro *signo* illius, usurpatur: & quidem 1. vel *particulari*, si nomen illud sit subjectum: 2. vel *universali*, si sit attributum, quod de particulari suo, directè affirmetur.

a Vide anteced. Disp. de Sacram. Thes. 47. & de Cœna Dom. Thes. 39. &c.
b Hugo Cardinal. in 1. Cor. 11.

XXVIII. *Exemplum prioris* est; *Pascha erat mactandum* [a]: Pascha enim, id est, transitus, non significatione generali, signum transitus notat hoc loco; sed particulare illius signum, nempe agnum Paschalem [b]: ut attributum etiam demonstrat. *Posterioris* contra; *Victima est Pascha* [c] (transitus) hoc est, non agnus Paschalis (quia is subjecto designatur) sed generali significatione, transitus signum [d]: quod de agni victima, ut signo particulari prædicatur. Ac propterea ut rectè tropum hîc agnoscit Jesuita; sic, inepta omnino tautologia, agnum interpretatur [e]. Similiter *Petra erat Christus* [f]: id est, signum Christi [g]. Denique conjunctum utriusque exemplum illustre extat Gen. 17. 13. *Fœdus meum est in carne vestra, in fœdus perpetuum.* Hic enim fœdus, in subjecto, signum particulare, nempe Circumcisionem; in attributo verò, signum fœderis [h] generatim notat.

a Luc. 22. 7. b Biel. in Canon. Missæ lect. 34. c Exod. 12. 27. d Hier. ab Oleastro: Lipoman. & Ystella in Exod. 12. e Maldonat. in Matth. 26. f 1. Cor. 10. 4. g Thom. Aq. Lyra & Glossa interlin. in 1. Cor. 10. h Gen. 17. 11. & Ibidem Ludovicus Ystella.

XXIX. *Ad priorem* quidem *modum* pertinet, quod apud Patres, tropicè loquentes, corpus Christi (id est, panis Cœnæ) tangi, frangi, in terram cadere: & sanguis Christi (id est vinum Cœnæ, signum illius) *ora rubefacere*; dicitur [a]. Sic etiam Jesuita ait; *Sacramentalis locutio esset, si aqua diceretur regeneratio: si panis, corpus Christi: si corpus Christi, frangi & dentibus teri: quemadmodum D. Chrysostomus locutus est. Hæc non possunt nisi Sacramento tenus intelligi: quia non corpus propriè frangitur, sed Sacramentum* [b].

a Chrysost. Homil. 60. ad pop. Antioch. &c. Gratian. causa 1. qu. 1. interrogo. &c. b Maldonat. Matth. 26.

XXX. *Ad posteriorem* verò modum spectat, quum, de pane monstrato, dicitur, *est corpus meum:* id est, Sacramentum, vel signum, corporis mei: ut prisci *Patres*, Scripturæ ductum secuti, disertè exponunt [a], & *Pontificium decretum* [b], ejusq; *Glossa* [c], confirmant. Ac propterea, vanum omnino est, quod Jesuita [d], signum corporis Christi, generatim, à nostris hic intellectum, cum pane Cœnæ, qui signum est particulare, ineptè confundit.

a Vide Disp. 18. de Cœna D. thesi 41. & 42. b Ibid. thes. 42. c Ib. thes. 43. d Stapleton. antidot. in Matth. 26.

XXXI. Quare in hisce præmissis Christi enuntiationibus, tropum esse, & quidem in attributis, satis est demonstratum. Veruntamen, ut res ipsa amplius illustretur, tenebras Pontificiorum, cum hac luce, conferemus, ac falsam eorum Sententiam, confutabimus.

XXXII. *Consentiunt* quidem plurimùm, in vocum proprietate, & communi significatione, *tribus* hisce hypothesibus. 1. *Enuntiationes illas propriè, & ut sonant, accipi oportere* [a]: *quia materia de qua agitur, est pactum, Sacramentum, lex & dogma: quæ omnia requirunt propriam, non figuratam, locutionem* [b]. 2. *Præsentiam totius & corporis, & sanguinis, Christi, sub speciebus, panis & vini, & qualibet eorum parte* [c]. 3. *Modum præsentiæ, conversionem panis & vini, in corpus & sanguinem Domini iisdem significari* [d]. Quamvis olim inter Pontificios nonnulli [e], qualis Rupertus Abbas [f], conversionem negarint.

a Cajetan. in 3. Thom. qu. 75 art. 1. Staplet. & Mald. in Matth. 26. b Bellarm. de Euchar. lib. 1. cap. 8. & 9. c Concil. Trid. sess. 13. & Cano. 3. d Ibidem & Bell. de Euchar. l. 1. c. 11. e Vide Rich. de med. villa in 4 sent. dist. 11. qu. 1. f Bellarm. de Euchar. lib. 1. cap. 11.

XXXIII. *Dis-*

XXXIII. *Dissentiunt* verò, stupenda varietate ac repugnantia, in *explicandi modo*: quo & Sacris literis, & hisce hypothesibus, & sibi mutuo, & sibi ipsis, fœdè contradicunt. Cujus labyrinthi inextricabilis, non universum Chaos, sed breve tantùm specimen, ex scriptis ipsorum depromptum, edituri sumus. Ac primùm, in *subjecti, copulæ, & attributi* verborum Christi, expositione: ut quàm egregiè suas hypotheses tueantur, perspicuè appareat.

XXXIV. Ac de *subjecto* quidem, *primò* censent Jesuitæ, Maldonatus, Stapletonus, *Hoc*, in priori membro, monstrare corpus Christi: in altero, sanguinem. *Quamvis enim corpus nondum illic esset, tamen quia statim futurum erat, illud, eo pronomine, demonstratur:* ait Maldonatus[a]. *Hoc est* (inquit Stapletonus) *corpus meum. Pronomen Hoc, nihil aliud significare potest; quàm, quod prædicatum enuntiat*[b]. Item; *Totam Ecclesiam Latinorum hactenus semper ita intellexisse, quia ex certa fide credebant, non aliud, hujus Propositionis esse subjectum, quàm id, quod enuntiat prædicatum, videlicet sanguinem Christi.* Cui expositioni, ipsemet ante repugnat, inquiens; *Dicit Christus, de porrecto calice, id est, de vino, non solum, hic est sanguis meus &c.* & falsitas illius, sequentibus contrariis judiciis, & assertionibus, convincitur apertè: quemadmodum vanitas testimonii (quo, illam expositionem, toti Latinorum Ecclesiæ, affingit) à Scholasticis ante citatis, ipsoque Maldonato[c], aliisque refellitur.

a In Matth. 26. & Robertus Holcot. in 4. sent. qu. 3. b Antidot. in Matth. 26. c in Matth. 26

XXXV. Contrà, enim ex Latinis, S. Bonaventura Cardinalis; *Hoc* (inquit) *demonstrat panis substantiam, sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt: & tangitur illud, quod convertitur, per subjectum: sicut illud contra, in quod, per prædicatum*[a].

a In 4. sent. dist. 8. qu. 1.

XXXVI. Utramque verò *tertiò*, cum illorum Jesuitarum, tum S. Cardinalis sententiam, non solum S. Thomas Aquinas[a] (Jesuitarum patriarcha) sed etiam Jesuita Cardinalis Bellarminus, falsi arguit. *Hoc* (inquit) *non demonstrat panem, nec corpus Christi*[b]. Ac contra idem sibi repugnans dicit. 1. *Restat igitur, ut vera sit Catholicorum sententia, qui illud, Hoc, demonstrare volunt, non panem, sed rem contentam sub speciebus panis: quæ etsi antea fuerat panis, tamen tunc jam erat Christi corpus*[c]. Postea rursus hæc subvertens ait; *Licet fuerit panis ante consecrationem, tamen vi illorum verborum, incipit esse corpus Domini*[d]. Item; *Licet vinum fuerit ante consecrationem; tamen finitis verbis consecrationis, non vinum, sed sanguis erat*[e], Item; *Quando dicitur, Hoc, tum non est præsens, substantia corporis Christi*[f]. Et alibi, *De pane dixit, Hoc est corpus meum*[g].

a Sum. par. 3. qu. 78. ar. 5. b De Eucha. l. 1. ca. 1. 1. & Paulus Soncinas in epit. Capreol. in 4. sent. d. 8. & 9. conclus. 4. c De Euchar. l. 1. cap. 10. d Ib. c. 11. e Ibidem. f Ibidem. g De Euchar. lib. 3. cap. 19.

XXXVII. Paulo tamen post, sibi contradicens ait; *De pane mutato verissimè dixit; Hoc est corpus meum, id est, quod sub specie panis continetur, non est amplius panis, sed corpus: & hoc dicunt Catholici*[a]. Denique Protei instar, in aliam se vertens formam, *Hoc est corpus meum exponit, sub his speciebus est corpus meum*[b]. Qualis lubrica inconstantia, in Guitmundo[c], quem imitatur ac commendat Bellarminus[d], etiam reperitur.

a Ibidem & lib. 1. c. 8. b De Euchar. lib. 15. cap. 11. c De Sacram. lib. 2. d De Euchar. lib. 1. c. 11.

XXXVIII. *Quartò* alius porro, frontibus adversis, secum pugnantia ponens Jesuita, primam & secundam sententiam, vaga significatione ac gemina, conflans (adeoque ex uno subjecto, geminum & successivum, in una simplici enuntiatione, indoctè fingens) *Hoc*, interpretatur, *substantiam contentam sub accidentibus panis & vini: quæ quidem principio illius enuntiationis, verè fuit panis & vinum; sed in fine, verè corpus ac sanguis Christi*[a]. Quod (ut omnino videtur) ex Thoma (præsertim in 1. Cor. 11.) mutuatus: ita egregiè à Francisco de Mayronis, in 4. sent. d. 9. qu. 3. impugnatur.

a Gregor. de Valent. De Euchar. l. 1. c. 9. & 3. c. 5. & Exam. inst. lib. 2 c. 1.

XXXIX. *Quintò*, hisce omnibus adversi nonnulli vocem, *Hoc*, nihil demonstrare, censent: ut Innocentius Papa[a], & Josephus Angles[b]. Cujus sententiæ vanitatem oppugnat, non solùm Thomas Aqu. in 4. sent. dist. 8. sed etiam Biel, in Canon. Missæ, lect. 48. & Bellarminus, de Euchar. lib. 1. cap. 11. imo idem, qui eam propugnat. 1. Angles subjecta interpretatione sua, evertit, quum affirmat, sensum esse; Hoc ens: vel; Hoc individuum factum ex pane, est corpus meum[c]. Atque hæc, inter cætera, de *subjecto*, *Hoc*, disceptantur.

a De sacro altaris lib. 4. c 17. b In 4. sent. qu. 1. c. 10. Concil. 3. De Euchar. c Ibidem Concil. 3. & 5.

XL. Deinde ad *Copulam*, est, quod attinet, eam *primò* Bonaventura, *conversionem dicere*[a], asserit, Ideoque Josephus Angles, illius opinionem esse ait, *Est, verbo, Fit*, æquivalere; ut sit sensus; Panis, fit corpus meum[b]. Contra, ut hac sententiam referunt, sic etiam refellunt, Alexander Ales[c], & Gabriel Biel[d].

a In 4. sent. dist. 8. qu. 1. b In 4. sent. de Euchar. qu. 1. ar. 10. c Sum. par. 4. qu 33. ar. 2. d In Can. Missæ, lect. 48.

XLI. Denique *attributum* primæ enuntiationis 1. plerique contendunt esse corpus meum, propriè acceptum: & sibi tamen repugnantes, impropriè atque insolentissimâ Sacris literis synecdoche, de sola corporis substantia, exponunt. Contra verò, 2. ex sententia Bonaventuræ, *non est, corpus meum*, sed ens, quod convertitur, in corpus meum: ut recenset ac confutat Biel[a]. Ac similis *attributi secundi*, nempe sanguinis, est ratio.

a Ibidem.

XLII. *Tertium* quoque, *Novum Testamentum*, Jesuitarum antesignani, contrariè exponunt. Nam *primò* Bellarminus[a], Stapletonus[b], Maldonatus[c], propriè accipi, contendunt. *Deinde* verò contra, è societate eadem, Gregorius de Valentia[d], tropum esse agnoscit; *Hic calix* (inquit) *est Novum testamentum in sanguine meo, oportet prorsus calicem ibi accipi, pro re contenta, quæ est Christi sanguis; & consequenter de hoc sanguine Testamentum, seu promissionem, non nisi figuratè prædicari: quatenus promissionem videlicet & Testamentum confirmat: ut explicat ille dicendi modus Matthæi & Marci, in casu nominis obliquo, sanguis Novi Testamenti.* Sic etiam Thomas Aq. in 1. Cor. 11. & Cajetanus in Luc. 22. Hæc de *primo*, contradictionis Pontificiæ, *genere*.

a De Euchar. l. 1. cap. 11. b Antidot. in Matth. 26. c In Matth. 26. d De Euchar. lib. 1. c. 9

XLIII. *Altera* inter eos *concertatio* est, *de conversionis panis*, in corpus, & *vini*, in sanguinem Christi, *significatione*. *Primum* enim quidam statuunt, hisce verbis, *Hoc est corpus meum &c.* conversionem *ante* factam, significari tantùm: ut Innocentius Papa[a]: & Bellarminus; *De pane* (inquit) *mutato, verissimè dixit. Hoc est*[b] &c. idemque docet Franciscus de Mayronis in 4. sent. dist. 9. qu. 3. *Contra* verò id oppugnatur, ab Alberto Magno, in Mar. 14. & à Thoma Aquin. in 1. Cor. 11. atque à Thoma ab Argentina, in 4. sent. dist. 8. qu. 1. ar. 2.

a De sacro alt. lib. 4. c. 6. Vide Alex. Ales sum. par. 4. qu. 33. ar. 2. b De Euchar. l. 3. c. 19. & lib. 1. c. 11.

XLIV. *Deinde* plerique conversionem, *hisce verbis finitis*, demum significari, & simul *effici*, docent: quòd ut de verbis hisce Henricus à Gandavo ait, *non tantùm sunt significativa, sed etiam effectiva*[a]: & ut Lyra in 1. Cor. 11. ait; *Conversio fit subitò, in fine prolationis verborum, quod tunc habent sensum perfectum, & effectum.* Idemque, sibi repugnans Bellarminus, etiam asserit[b].

a Quodlib. 9. qu. 10. & Thom. Aq. 1. Cor. 11. & Richar. de med. villa in 4. sent. d. 8. ar. 3. qu. 1. b De Euchar. lib. 1. c. 11.

XLV. *Tertiò* nonnulli dubitatione fluctuant: ut Guilielmus Altisiodoriensis, (Summæ lib. 4. tract. 5. cap. 2.) inter cæteros. Verùm & hi rursum, instar fratrum Cadmæorum, inter se digladiantur. Nam I. Durandus hanc *conversionem* fieri tradit, *non materiæ, sed formæ mutatione*[a]. Idcirco Josephus Angles, ei ut crimen exprobrat, *quòd omnino negat transsubstantiationem*[b]. Sed *contra* Petrus de Aliaco Cardinalis, ait; *Ille modus est possibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati Biblicæ, imo est facilior ad intelligendum, & rationabilior, quàm aliquis aliorum*[c].

a In 4. sent. d. 11. qu. 1. & 3. b In 4. sent. de Euchar. qu. 5. ar. 1. c In 4. sent. qu. 5. ar. 1.

XLVI. Alii contra, *etiam materiæ mutationem*, agnoscunt; sed ita *ut aliquid panis maneat*: ut Cajetanus Cardinalis[a]. Quod refutans Josephus Angles ait inde *sequi, conversionem*

nem istam, in corpus Christi, non esse Transsubstantiationem[b].

a In Thom. par. 3. qu. 74. ar. 4. b In 4. sent. de Euchar. qu. 5. ar. 1.

XLVII. Quidam 3. modum conversionis se ignorare, profitentur: ut Glossa ordinaria in 1. Cor. 11. & Pontificiorum magister, Petrus Lombardus, 4. sent. dist. 11.

XLVIII. Reliqui 4. (ut hac camærina nos tandem expediamus) conversionis modum definiunt, esse substantialem, *nihilque substantiæ panis superesse; sed conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi: & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis ejus*[a]. Ideoque, *Transsubstantiationis* vocem[b], confinxerunt.

a Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. Catechis. Concil. Trid. de Euchar. b Ibidem.

XLIX. Quod *Christi corpus* 1. Concilium Romanum, cum Nicolao Papa, *sensualiter*, *non solum sacramentum, sed in veritate*, *manibus sacerdotum tractari*, *frangi*, *fidelium dentibus atteri*[a], asseruit. 2. Guitmundus[b] (quem Bellarminus[c], huic concilio cum Lanfranco, interfuisse putat) hanc sententiam excusans; de illius tamen certitudine dubitavit.

a Lanfran. adversus Berengar. pag. 3. Decret. Gratiani de consecrat. dist. 2. Ego Berengar. b De Sacram. l. 1. p. 34. & 41. c De Euch. ar. l. 1. c. 11. & 3. c. 21.

L. *Contra* 3. Innocentius Papa[a], illi concilio & Papæ repugnans, disertè rejicit: & Glossa Decreti (de Consecrat. dist. 2. *Ego Berengarius*) audentior ait; *Nisi sanè intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresin, quam ipse habuit, & ideo omnia referas, ad species ipsas. Nam de Christi corpore, partes non facimus.* Sic etiam *propriè loquendo*, hæc verba, non debere concedi docet Robertus Holcor[b], quum tamen propriè, à Concilio, accipiantur, ut antithesis illa, *Non solùm Sacramentum, sed in veritate*, perspicuè demonstrat. Hæc de *specimine*, Labyrinthi *errorum* Papalium: quos paucis, ab ipsorum *hypothesibus* exorsi, diluemus.

a De sacro alt. lib. 4. cap. 10. b In 4. sent. qu. 3. ad 4.

LI. Primùm enim, non possunt hi, Sacris literis demonstrari: ut, clarissimi Pontificii Doctores, confitentur. 1. Cardinalis Cajetanus; *Non apparet* (inquit) *ex Euangelio coactivum aliquod, ad intelligendum, hæc verba, propriè:* item; *Alterum, quod Euangelium non explicavit expressè, ab Ecclesia accepimus, scilicet conversionem panis, in corpus Christi*[a]. 2. Ante hunc, celebris auctor, Thomas ab Argentina, ait; *jam dictam igitur conversionem, teneo: non propter rationem aliquam cogentem; sed propter sanctorum auctoritatem, & sacræ matris Ecclesiæ definitionem*[b]. Quem secutus postea Cardinalis Cameracensis, de *transsubstantiatione*, liberius ait; *Quod ita esse non sequatur evidenter ex Scriptura, nec etiam, videre meo, ex determinatione Ecclesiæ*[c]. Et ibidem; *Hæc opinio* (scilicet, substantiam panis, non desinere esse simpliciter) *non posset reprobari, nec per evidentem rationem, nec per auctoritatem Scripturæ cogentem.*

a In 3. Tomæ qu. 75. ar. 3. b In 4. sent. dist. 11. ar. 2. c Petrus de Alliaco card. Cam. in 4. sent. qu. 6. ar. 2.

LII. Nam, quæ ab adversariis adferuntur, ea non sunt firma argumenta; sed totidem Grammatici errores. Siquidem quod *primò*, ad proprietatem, attributi corporis, afferendam, ex proximis verbis, *pro vobis datum*, vel, *quod pro vobis datur*, vulgò obtendunt[a], *corpus* non posse accipi, pro signo corporis, quod alioqui signum pro nobis diceretur datum: id mera halucinatio est.

a Bellar. de Euchar. lib. 1. c. 10. Maldonat. & Staplet. in Mat. 26.

LIII. Constructio enim est, Hoc est signum corporis mei, pro vobis dati: vel (quod eodem redit) Hoc est signum corporis mei, quod scilicet corpus (non autem signum corporis) pro vobis datur. Ut rectè ac multis comprobat etiam Cajetanus[a].

a In 3. Thom. qu. 75. ar. 1.

LIV. Qualis syntaxis trita est vulgò, & à Deo, in Sacramentis, usitata: ut; *Victima, est Pesach Jehovæ, qui transivit*[a]: ubi, relativum, *Qui*, refertur non ad casum rectum *Pesach*, sed ad obliquum, *Jehovæ:* quamvis Hebraicè, genere infinito, cum utroque conveniat. Ac sensus est, victima est signum pesach, hoc est transitus, Jehovæ, qui, nempe Jehova, transivit. Quare hoc commune Pontificiorum, post Innocentium Papam[b], argumentum, inane est atque indoctum. Ideoque mirandum est, viris doctis ita potuisse arridere, ut *corpus*, propriè accipi debere, idcirco judicarent.

a Exod. 12. 27. b De sacro altar. l. 4. c. 7.

LV. *Deinde* quod Jesuitæ[a], *Hoc poculum*, non vinum, sed sanguinem, demonstrare, contendunt, ex adjunctis verbis, quasi τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον[b], cum sola voce *poculi*, construi posset: illud non pauci, per metonymiam solvunt; quod vinum, sit Sacramentum ejus, quod pro nobis effusum: verùm tropi subsidio, hac in re, non est opus.

a Bellarmin. de Euchar. lib. 1. cap. 10. Maldonat. & Staplet. in Matth. 26. b Luc. 22. 20.

LVI. Quia hic *secundus* est error grammaticus, quem vulgata & authentica ipsorum versio, Jesuitas poterat dedocere: quia pro articulo, relativum *Qui*, ponit: ut τὸ sit, pro ὃ· non ex aliquo Hebraismo, sed ex usu Græcorum non insolenti. Ut Homerus τὴν οἱ πόρε[a], pro ἣν teste Didymo[b]: & Lucianus (ut alii) τὸ δ' μέγιστον[c] pro ὃ· denique Apostolus una periodo τῷ pro ᾧ quater utitur, imò ipsemet τὸ ὑπὲρ ὑμῶν quod pro vobis, in cœna exponunt[d]. Quare hoc non est *argumentum*, ex Scriptura, robustissimum; ut Bellarminus gloriatur[e]: sed planè vitreum, ac fragile, ex syntaxeos ignorantia conflatum.

a Iliad. 1. ver. 72. b Ibidem. c Dialogo deorum 1. d Rom. 13. 7. e De Euchar. lib. 1. cap. 10.

LVII. *Præterea*, quod alius Jesuita[a], voces illas, ad corpus & sanguinem, pertinentes, nempe *frangitur* & *effunditur*, urget, quasi non nisi de præsenti actione, in Eucharistia, possent intelligi: quia & tempus est præsens, & fractio corporis, crucifixioni Joh. 19. 36. repugnet: illud omnino est ineptum.

a Maldonat. in Matth. 26.

LVIII. Nam *primò*, præsens, pro paulò post futuro, rectè usurpari solet: ut 2. Tim. 4. 6. *Ego jam libor & tempus resolutionis meæ jam instat:* & Joh. 10. ℣. 15. *Pono animam meam:* & in conclusione Cœnæ Matth. 26. ℣. 29. πίω & πίνω *bibo* pro bibam, geminatur.

LIX. Sic hoc loco, *effunditur*, pro effundetur: ut authentica Pontificiorum versio, Canon Missæ, & Catechismus Concilii Tridentini, à Papa confirmati, de Eucharistia, tradiderunt. Idque, cum doctissimis adversariis, exponi posse, etiam Bellarminus[a] agnoscit: imò debere, asserit Cardinalis Cajetanus[b]. Ideoque *tertius* hic est *error grammaticus.*

a De Euchar. lib. 1. cap. 10. b In 1. Cor. 11.

LX. Quem *secundò*, res ipsa quoque, diluit: quia nec corpus Christi fractum, nec sanguis effusus, in mensa; sed in cruce tantùm. In qua rectè (illæsis ossibus Joh. 19. 36.) corpus clavis, & lancea, fractum dici potest, *propter confractionem cutis & nervorum ac venarum:* ut etiam Bellarminus[a] attestatur: & verissimè dici, antea docuit Cardinalis Cajetanus[b].

a De missa lib. 1. c. 12. b In 1. Cor. 11.

LXI. Quod *denique* ex 1. Cor. 11. 27. *panem indignè edentes, fieri corporis reos* objiciunt, illud eos lædit, non juvat. Nam panem dicuntur edere, non autem corpus: corporis verò dicuntur rei, quia illius Sacramento abutuntur: sicut Genes. 17. rei erant violati fœderis, qui, signum illius, contempserant. Ac propterea, ex his omnibus apparet Pontificiorum, in Christi verbis explicandis, hypotheses, sacris literis minimè comprobari: ideoque fidem nullam mereri.

LXII. Nec mirum, quoniam à suis etiam expositionibus (quibus deberent stabiliri) convelluntur: ut, vel ex Bellarmino, liquere potest. *Primùm* enim apertè cum aliis, fatetur, tropum esse in voce, *poculi*[a]: ergo falsi arguit *hypothesin primam*, & rationem illius universam, quam à Petro Martyre nondum confutatam, ineptè jactat[b].

a De Euchar. l. 1. cap. 11. Thom. Aqu. in 1. Cor. 11. Stapleton. in Matth. 26. b De Euchar. lib. 1. c. 9.

LXIII. *Deinde* qui in verbis Cœnæ, *Hoc*, exponit, *Quod continetur sub hisce speciebus*, ille reipsa negat propriè accipi, ac tropum statuit. Bellarminus autem sic exponit[a]; ergo reipsa negat propriè accipi, ac tropum statuit. Propositio firma est, quia sic duplex fingitur tropus: prior est synecdoche, quum, *Hoc* (quod demonstrat substantiam cum accidentibus) ad accidentia propriè pertinere statuitur[b]. Posterior, est metonymia continentis pro contento. Quibus adde, duos alios in vocibus, *corporis* & *testamenti*, tropos, thesi 41. & 42. demonstratos.

a Ibid. l. 1. c. 8. & 10. & 11. b Ibid. c. 11.

LXIV. *Tertiò*, qui, *Hoc est corpus meum*, ait significare, *sub*

sub hisce speciebus est corpus meum, ille reipsa negat, verba illa, propriè & ut sonant, accipienda; atqui Bellarminus ait: *Hoc est corpus meum*, id est, *sub his speciebus est corpus meum* [a], ergò negat, verba illa, propriè & ut sonant, accipienda, suaque ὑπόθεσιν, hypothesin subvertit. Propositionis ratio, solida est: Quia hoc modo, pervertitur *primò*, subjecti, & attributi sedes. Nam; *Corpus meum*, fit subjectum: &, *Hoc*, attributum. *Deinde* sensus, vocis, *Hoc*, falsò & indoctè permutatur, verbis istis, sub hoc, vel, sub hisce speciebus (hoc est accidentibus) quæ, toto categoriæ genere, differunt.

a De Euchar. lib. 1. c. 11.

LXV. Omitto, quod Maldonatus vocem, *Frangitur*, tropicè (sed falsò etiam) in Matth. 26. exponit: aliique aliter, à proprietate vocum deflectunt; suæque hypothesi repugnant: & dum orthodoxis, tropum sacramentalem, objiciunt, ipsimet plures, à sacramentis abhorrentes, tropos confingunt.

LXVI. *Reliquas* etiam *hypotheses suas* similiter tollunt. *Primò* enim, ubi substantiæ panis nulla fit mentio, ibi quoque nulla, conversionis panis, potest esse significatio. Quia contradictoria sunt, de aliquo mentionem fieri, & non fieri: atqui in verbis sacræ cœnæ, *Hoc est corpus meum*, à Bellarmino ita intellectis & expositis, *Quod sub his speciebus continetur, est corpus meum*, vel, *Corpus meum est sub his speciebus*, nulla substantiæ panis fit mentio: ergo ibi nulla potest esse conversionis panis Significatio, multo minus effectio.

LXVII. *Secundò*, id quod initio orationis præsens monstratur tunc, cum dicitur, *Hoc*, illud non efficitur, nec etiam significatur primùm præsens futurum, reliqua oratione finita: quia præsens esse, & non præsens esse, sed futurum, sunt opposita: atqui corpus Christi (ut etiam, sibi repugnans, exponit Bellarminus [a]) initio orationis tunc præsens monstratur, quum dicitur, *Hoc:* ergo corpus Christi non efficitur, nec significatur; præsens, reliqua oratione finita. Quod est contra Pontificiorum hypotheses.

a Vide thes. 37.

LXVIII. *Tertiò*, quæcunque res, enuntiatione omnino propria, verè significatur esse, ea falsò dicitur, enuntiationis illius effectum: atqui conversio panis, in corpus Christi (ut Pontificii vulgò exponunt) est res, quæ hac enuntiatione omnino propria, *Hoc est corpus meum*, verè significatur esse: ergo conversio panis in corpus Christi, falsò dicitur illius enuntiationis effectum. Propositio firma est: quia ut effectum suam causam, necessario ordine, sequitur; sic contra essentia rei, quum sit subjecta ac significata affirmationis veræ materia, adjunctam sui significationem, necessariò antecedit.

LXIX. Nam, ut verâ ac probatâ citra controversiam sententiâ, ait Philosophus; τῷ γὰρ, τὸ πρᾶγμα εἶναι, ἢ μὴ εἶναι, τούτῳ, καὶ ὁ λόγος ἀληθὴς, ἢ ψευδὴς, εἶναι λέγεται· *eo enim, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa, esse dicitur* [a], & rectè celebris illius interpres; ἡ ἀλήθεια, ἐν τῇ ἐφαρμογῇ τῶν λόγων, πρὸς τὰ πράγματα· *Veritas, in orationum, cum rebus convenientia* [b], consistit. Ideoque vanum effugium est quod Bonaventura ait; *Hoc est corpus meum, esse singularem, inter omnes enuntiationes reliquas, indicativas veritatis; hanc, effectivam* [c].

a Aristot. categor. cap. 5. in fine. b Ammonius Ibidem. c In 4. sent. Dist. 8. qu. 1.

LXX. Quod argumentum, ut prorsus invictum est, ita subtilem illum Scotum, in eas angustias, redegit, ut, quasi scotomate perculsus, in clarissima ἑρμηνείας principia, turpissimè impegerit. *Qualitercumque* (inquit) *Logicus salvet, istam propositionem esse veram, saltem non est oratio sacramentalis, ut vera; sed ut tale signum sensibile, præcedens forte tempore, & ad minus naturaliter, suam veritatem.* Item: *Si quæras tunc, qualis? aut ut vera, aut ut falsa, est propositio conversiva? Dico quod neque sic, neque sic; sed tantùm, ut est propositio neutra, & prior naturaliter, & forte tempore, sua veritate* [a].

a In 4. Sent. Disp. 8. qu. 2.

LXXI. In easdem intricatas tenebras incidit Theodoricus à Nihem [a], & Nicolaus de Orbellis [b]. Ideoque Josephus Angles [c] contra asserit, *propositionem, prius natura veram esse, quàm conversivam.* Sed eadem manet difficultas.

a Resolut. sup sent. tractat. 6. De Euchar. qu. 1. par. 3. b In 4. sent. Dist. 8. qu. 2. c In 4. sent. De Euchar. qu. 1. ar. 10. dif. 5.

LXXII. Nec minus miserè Bellarminus, contradictione sua, implicatur, quum ait; *Simul tempore sunt completa, significatio verborum, & conversio panis in corpus Christi: ordine tamen naturæ, invicem se præcedunt, & sequuntur, hæc duo. Nam verba illa, quatenus causa sunt illius conversionis, præcedunt conversionem: & contra, quatenus veritas propositionis, pendet à rei essentia, conversio præcedit significationem* [a]. Itane verò idem, eâdem omnino re, prius, & posterius, simul naturâ existet? & verum erit, antequam sit verum? O miseram conversionem, quæ sine sui, per apertam contradictionem, eversione, defendi non potest!

a De Euchar. lib. 1. cap. 11.

LXXIII. Atque hunc errorem, quem statuit Bellarminus, vidit olim Scholasticus non ignobilis, Richardus de Media Villa; sed, dum vitare studuit, easdem hypotheses (quas diluimus) similiter sustulit, quum ait; *Sensus orationis est, Illud, quod statim erit, sub hac specie, est corpus meum* [a]. Ideoque & Bellarmino vicissim, ista opinio displicuit [b]. Sed hæc sufficiunt, ut, hypotheses illas & dogmata Pontificiorum, propria expositione ipsorum, convelli atque everti, constet.

a In 4. sent. Dist. 8. qu. 1. b De Euchar. lib. 1. cap. 11.

LXXIV. Superest porro, ut etiam demonstremus, eosdem errores, & 1. *Sacris literis*, & 2. *rectæ rationi seu invictis naturæ principiis, fœdissimè repugnare.* Etsi enim prima (videlicet de verborum cœnæ proprietate) hypothesis, sententiæ orthodoxæ, initio propositæ, assertione, luculenter refutetur: eaque eversa, reliquæ quoque duæ (nempe de præsentia corporis, & de conversione panis) simul corruant; quia proprietatis fundamento innituntur: pauca tamen, iis refellendis, coronidis loco, *argumenta* subnectemus.

LXXV. Nam *primum* ad *sacras literas* quod attinet, earum veritas, cum in *Cœna historia*, tum *aliis* in *locis* proposita, multis modis, hypothesibus illis oppositis, violatur.

LXXVI. *Historia* quidem *Cœnæ*, quia, quum panem in corpus Christi, converti asserunt, simul naturam, *signi* & *signati*, tollunt. *Signi*, quia substantiam panis perire docent, eóque mutuam analogiam (seu similitudinem) ac sacramentum destruunt: *Signati*; quia, repugnantia corporis Christi attributa, constituunt: ut ex *hisce*, aliisque *antithesibus*, evincitur. Quarum singulæ, totidem sunt, adversus Pontificiorum errores, firmissima argumenta.

LXXVII. Nam ex eorum sententia, cum Historia Cœnæ comparata, unum idemque corpus 1. mensæ assedit, extra species panis: & non assedit, sed sub specie panis, contentum fuit. 2. Idem vestibus indutum fuit: & simul non fuit, sed specie tantum panis velatum. 3. Visui & tactui fuit expositum: & simul non fuit. 4. In sinu suo, habuit assidentem Johannem: & simul non habuit; sed unà cum sinu suo ore Johannis fuit exceptum, & in stomachum illius transmissum.

LXXVIII. Præterea 5. corpus Christi accepit panem, sua manu, fregit, deditque Discipulis: & idem simul non accepit panem, nec fregit, nec dedit sua manu: sed, sub specie panis, totum, unà cum suis manibus, contentum fuit sua manu, ac Discipulis datum. 6. Dixit; *Hoc est corpus meum:* idemque non id dixit; sed obmutuit, specie panis contentum. 7. Idem corpus, suo loco, ad mensam manens, non fuit esum ore discipulorum: & simul, suo loco non manens, fuit esum.

LXXIX. Adhæc 8. Corpus Christi esum fuit à Discipulis, & intra stomachum eorum receptum (ut Pontificii contendunt) & tamen contra idem, extra stomachum positum, non esum fuit, sed sub specie vini, per *Concomitantiam* (ut loquuntur) præsens, rursus oblatum totum, parte sua, nempe manu, & à Discipulis potatum. 9. Eodemque modo sanguis Christi, in venis ipsius, extra ora Discipulorum, mansit, & simul non mansit, sed cum corpore, per *Concomitantiam*, esus fuit, & intra stomachum receptus. 10. Et rursum non esus, sed à corpore, in cujus tamen venis inclusus manebat, Discipulis (ut volunt) poculo oblatus, & ab iis potatus.

LXXX. Denique 11. Christus cum Apostolis cœnans (ex adversariorum sententia) corporis sui ore, corpus suum integrum, edit: & postquam edit, rursus bibit, sub specie vini: & sanguinem suum, similiter primùm edit, per Concomitantiam, sub specie panis præsentem: deinde postquam ita

ita edit, rurſum bibit, ſimul extra ſe manens, & ſeſe, intra ſe, recipiens. Eoque totum ſimul extra, & non extra: intra ſe, & non intra ſe manens.

LXXXI. Quod non eſt Chriſti veritatem tueri (*apud quem non eſt ſimul, eſt & non*[a]) ſed ridiculum *Amphitruonis Soſiam*, geminum ac Soſioplectēn, domi foriſque ſimul exiſtentem[b], impiè imitari, ac longe ſuperare. Ac propterea, ſole meridiano clarius eſt, *Hiſtoriæ Cœnæ veritatem*, Pontificiorum expoſitione indigniſſimè *violari*.

a 2.Cor. 1. 18. b Plaut. Amphit. Act. 2.

LXXXII. Neque ea ſolùm; ſed etiam *fidei analogia* ac *Scripturæ reliquæ conſenſio* iiſdem erroribus oppugnatur. Ea enim corpus Chriſti, poſt aſcenſionem, non in *terris, ſed in cœlo eſſe, ac manſurum, donec veniat ad judicium*, perſpicuè ac ſæpius atteſtatur[a]: licet viſione quadam, tanquam in ſpecula, ſeſe in terris interdum patefecerit[b]: & in cœlo exiſtens, è terris viſus[c].

a Actor. 1. 11. & 3. 21. 2.Cor. 5. 6. Col. 3. 1. 2. b Actor. 18. 9. & 23. 11. c Ibid. 7. 55. & 22. 14. 1.Cor. 15. 8.

LXXXIII. Quam futuram ſui abſentiam, in Cœnæ inſtitutione, indicavit, quum ait; *Hoc facite, in mei recordationem*[a]: ut Apoſtolus rectè exponit; *Quotieſcumque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*[b]. Ac propterea perſpicuum eſt, Pontificiorum, de Cœnæ verbis, expoſitionem, Sacræ Scripturæ veritati, cum hiſtoriæ inſtitutionis Cœnæ, tum analogiæ fidei, ratione disertè repugnare.

a Luc. 22. 19 b 1.Cor. 11. 26.

LXXXIV. Nec minus *denique* univerſa *natura*, & veriſſima *rectæ rationis principia*, hiſce Pontificiorum erroribus deſtruuntur. *Primùm*, dum *accidentia* panis & vini, ſine ſubſtantia ſubſiſtere, eoque, contra definitionem, accidens, non accidere, aſſerunt. *Deinde*, quòd accidentia per ſe ſubſiſtere (quod eſt ſubſtantiam eſſe) indigna utrimque repugnantia[a], contendunt.

a Ariſt. Categor. cap. 2. & Top. 7. c. 5. & Metaph. 7. (Græcè 6.) cap. 1.

LXXXV. *Tertiò* corporis Chriſti naturam evertunt 1. unitatis illius, multiplicatione. 2. continuitatis ſeparatione. 3. dimenſionis & formæ ac figuræ confuſione. 4. totius & partis adæquatione. 5. contrariorum accidentium attributione.

LXXXVI. Unum enim idemque corpus, in cælo & in terris, pluri miſque in locis, ſub ſingulis hoſtiis; earumque ſingulis minutiſſimis particulis, & vini guttis, per *concomitantiam* (ut loquuntur) totum extare: eoque modo membra ſingula, à ſeipſis, & totum corpus, à ſeſe, diſtare tradunt.

LXXXVII. Ac rurſus, in ſingulis, Cœnæ micis, & vini guttis, confundunt; tantumque corpus, ſub iis ſingulis contineri, docent, quantum pependit in cruce: eoque continens minus, æquale eſſe, majori ſuo contento: & partes corporis, quæ minores toto, toti tamen corpori, eſſe pares.

LXXXVIII. Denique, ne ſingula commemorem, unum idemque corpus, eodem tempore, quieſcit (ut loquuntur) in ciborio: & contra movetur in altari: & quidem (ob miſſarum diverſarum copiam) unum idemque movetur contrariis motibus: ſurſum, & deorſum: ſimulque retrorſum, & prorſum. Quæ ſtupenda, in verum corpus, portenta non cadunt.

LXXXIX. Quem *duplicem*, de *accidentibus*, & *corpore*, *errorem*, doctè rejecit olim Auguſtinus, quum ait; (1) *Spatia locorum, tolle corporibus; nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt.* (2) *Tolle ipſa corpora, qualitatibus corporum, non erit ubi ſint: & ideo neceſſe eſt, ut non ſint*[a]. Quamobrem ex hiſce omnibus abundè liquet, *falſam eſſe Pontificiorum, de verbis Cœnæ, ſententiam*: &, quæ inde dependet, *hoſtiæ adorationem*, abominandam eſſe ἀρτολατρείαν.

a Epiſtola ad Dardan.

COROLLARIUM.

An rectè olim in epiſt. ad Concil. Milevitanum (quæ inter Aug. epiſtolas eſt 93.) ab Innocentio Papa aſſertum, Infantes, ſine Euchariſtiæ uſu, non poſſe vita æterna donari: Ut neque etiam ſine Baptiſmo? *Neg.* & ut communem illius ſeculi errorem, meritò rejicimus.

DISPUTATIO XXXVI.

DE COENÆ DOMINI DOCTRINA, SACRÆ SCRIPTURÆ, ET ECCLESIÆ ROMANÆ, REPUGNANTIA.

ALterum *Novi Teſtamenti* Sacramentum de Cœna Domini, *indigniſſimè, à Romana Eccleſia, conſpurcatum, maxima impietate, violari, ex ſequenti hac* Doctrinæ, S. Scripturæ, *&* Papalis ſynagogæ, *in ſigno & re ſignificata*, repugnantia, *perſpicuè elucebit.*

THESIS I.

NAm, ut à *ſigno Cœnæ* (quod ſubſtantia ſua, & accidente ritu, conſtat) ordiamur, *Sacra Scriptura*, ſubſtantiam illius ſtatuit, verum panem, nutritioni idoneum, ac conſuetum[a]: deinde vitis genimen[b], vinum: ut analogia ſigni, & rei ſignificatæ, utrimque requirit[c].

a Matt. 26. 26. 1. Cor. 11. 26. b Matth. 26. 27. 29. c Ioh. 6. 54. 56.

II. Contrà verò, *apoſtatica Romana Eccleſia*[a], panis veri ac conſueti loco, nummularium atque azymum, ſaliſque expers[b] panis ſimulacrum, inſtar nummi, quo Judas Chriſtum prodidit[c], efformatum, ſubſtituit. Quod *Epiſcopus Durandus*, in Rationali divinorum officiorum (quod, à Pontificiis doctoribus, ſummopere commendatur) ita confirmat; *Panis autem hic formatur, in modum denarii: quia panis vitæ, pro denario, traditus eſt*[d]. Denique vinum, aquæ mixtura, quaſi neceſſaria, in ſacerdotum uſu, ſuperſtitioſè, ex Paparum decretis[e], adulterat, atque ineptis ratiunculis fucare conatur[f].

a Durandus Rationali lib. 4. c. 41. Num. 9. b Ibid. Num. 7. c Mat. 26. 15. d Lib. 4. c. 41. Num. 8. e De conſec. Diſt. 2. can. in Sacram. f Concilium Florentin. de Sacram. Euchariſt. Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 9. & cap. 7. Innoc. 3. Papa, De ſacr. altar. myſt. l. 2. cap. 57.

III. De *accidentibus* verò ritibus, *Sacra Scriptura* memorat *primùm de pane*, Chriſtum illo accepto *benedixiſſe*[a], (hoc eſt, Deo Patri, *gratias egiſſe*[b]) *fregiſſe*, denique *dediſſe* diſcipulis, atque ut *acciperent*, & *ederent*, præcepiſſe[c]: non autem Deo, in ſacrificium propitiatorium (quod ſolùm ac ſemel, in cruce, ſanguinis effuſione, erat offerendum[d]: ſæpius verò fractione panis obſignandum[e]) obtuliſſe demonſtrat.

a Matth. 26. 26. b Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. c Mat. 26. 26. d Gal. 3. 13. Heb. 9. 14. 22. 25. 26. e 1. Cor. 11. 24. & 26.

IV. Contra verò, *apoſtatica Romana Eccleſia*, accepto pane ſuo nummulario, cum benedictionis Chriſti perverſione, ſuperſtitioſam crucis ſignationem (quâ, ut loquuntur, *panis benedicitur*) adhibet[a]. *Nec* etiam, in Cœnæ communione, panem *frangit*: ſed integrum (contra rei ſignificatæ analogiam[b]) relinquit. *Neque* etiam *accipiendum* communicantibus, porrigit; ſed ori eorum indit, ut experientia teſtatur.

a Durand. Ration. l. 4. c. 41. Num. 14. b 1. Cor. 11. 24. & 10. 17.

V. Quibus accedit *primùm* impia, nummularii illius panis ante communionem, à ſacerdote, in ſacrificium expiatorium, oblatio[a]. Unde etiam, *hoſtiam* (non quod ſignum hoſtiæ cum priſcis; ſed propriè) appellant. Deinde hoſtiæ illius, in uſum infirmorum, ſuperſtitioſa conſecratio[b], atque cuſtodia[c]: adeo ut interdum putredo, & vermium aut murium eſus, conſequatur[d]. Hinc Guido ait; *Sed, quid ſi, ex illis ſpeciebus corruptis, ſint vermes generati; quid debet fieri, ex illis vermibus?*

bus? Dico quod debent comburi, & cineres; intra altare, recondi[c]. Et antea; *sed pone, quod mus, vel aliqua alia bestia, sumpserit species consecratas. Quid faciendum* est? *Dico, quod si possent extrahi istæ species, ab illo animali, illud animal debet aperiri, & species illa reverenter in sacrario reponi, & animal comburi, & cineres intra altare recondi.*

a Bell. tom. 2. de Missâ lib. 1. c. 24. b Pastorale Roman. de Eucharistia. c Concil. Trid. sess. 13. can. 7. d Innoc. 3. de s. alt. lib. 4. c. 11. & 16. e Manipulo Curat. de Euchar. cap. 11.

VI. *Secundò* de vini ritu, *Sacra Scriptura* tradit, Christum accepto vini poculo, illud *discipulis suis tradidisse*, ac *jussisse*, ut ex eo, *omnes biberent*[a]: eosque omnes bibisse affirmat[b]. Idque similiter, ab Apostolis, Ecclesiæ traditum, & in ea observatum, attestatur[c]. Unde rectè, *Gelasius Papa*, ita decrevit; *Aut integra Sacramenta percipiant: aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest pervenire*[d]. *Et Soter* Papa; *Ab omnibus fidelibus ac pœnitentibus*[e] *percipienda, corporis & sanguinis dominici, Sacramenta*, constituit.

a Mat. 26. 27. b Mar. 14. 23. c 1. Cor. 10. 16. & 11. 25, 27. d De consecrat. dist. 2. can. comperimus. Ibid. Can. in Cœna.

VII. Contrà verò, *apostatica Romana Ecclesia* hoc Scripturæ Sacræ, & consentaneum priscorum Paparum decretum, Concilio suo repugnante, hoc modo, diris devovet; *Siquis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem, sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, sumere debere anathema sit*[a].

a Concil. Trid. sess. 21. Can. 1.

VIII. Ad hæc *Sacra Scriptura* docet, Christum, Cœnam suam (pro Sacramenti illius communione[a]) non uni tantum, sed cœtui discipulorum, instituisse[b]: idemque Apostolos tradidisse[c], & ab Apostolica Ecclesia observatum[d]: declarat.

a 1. Cor. 10. 17. b Matth. 26. 26. c 1. Cor. 11. 23, 24, 25, 33. d Act. 2. 4.

IX. Contra verò *apostatica Romana Ecclesia*, violata hujus Sacramenti communione, ejus loco, *privatas* sæpius *Missas*, eodem in templo; & tempore, concelebrat[a]: in quibus, unus auditor, nempe minister (quasi totius populi, vicem sustineret) sit satis[b]: Sin verò, populi adsit frequentia, panem etiam, in tres partes fractum[c], solus[d] (reliquis non communicantibus, sed tantùm spectantibus) contra antiquos Paparum canones[e], absumit. Adeo ut revera, *non* synaxis, seu congregatio, ac *communio*; sed segregatio atque *excommunicatio*, dici mereatur.

a Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. b Thom. Aqui. part. 3. qu. 83. ar. 5. c Guido Man. Curat. de Euchar. cap. 10. Durand. Rational. lib. 4. c. 51. Num. 1. & 4. d Conc. Trid. sess. 22. can. 8. e De consecr. dist. 1. can. omnes.

X. Præterea *Sacra Scriptura* docet, panem Cœnæ, manere panem, atque edi: ut nutritioni sit idoneus, & verum, nutritionis spiritualis, eo significatæ, symbolum ac Sacramentum. Idque Apostolum, frequenter inculcasse, declarat, his verbis; *Omnes, unius panis, sumus participes*[a]. *Quotiescunque ederitis, hunc panem*[b]. *Qui ederit, panem hunc*[c]. *Et sic, ex hoc pane edat*[d].

a 1. Cor. 10. 17. b Ib. 11. 26. c Ib. vers. 27. d Ib. v. 28.

XI. Contra verò, *apostatica Romana Ecclesia*, panem non permanere, nec edi; sed in Christi corpus, à sacerdote, virtute verborum (*Hoc est corpus meum*) converti, seu (ut loquuntur) *transsubstantiari*, contendit[a]. Adeo ut, substantia panis, omnino pereat: ut nec forma illius, nec prima materia, maneat[b]: sed sola accidentia (color, odor, sapor, figura, pondus) non tantum sine suo, sed etiam sine ullo subjecto, supersint ac subsistant[c]. De qua transsubstantiatione, *Stella clericorum*, ita gloriatur; *Iste qui creavit me, dedit mihi, creare se: qui creavit me sine me; creator mediante me*[d]. O creatores creatoris!

a Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. b Bellar. to. 2. de S. Euch. l. 3. c. 18. c Thom. Aq. par. 3. qu. 7. ar. 1. &c. d Editione Parisina Petri vid. ultra libri medium.

XII. Qua in re, non solùm signi, seu panis, sed etiam rei significatæ, nempe corporis Christi, veritas negatur. Nam, si conversione panis, corpus Christi fit; antè non erat: si autem erat; non fit. Deinde & suam quoque de transsubstantiatione, panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, sententiam, stupenda contradictione, falsi arguit: ut vel ex Papa, & Cardinali, perspicuum.

XIII. Nam *Papa Innocentius tertius* transsubstantiationem, à Christo factam, illis verbis. *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, tradit[a]. Contra verò, idem ait; *Christus tum confecit, cum Benedixit*[b]. Item; *Benedixit panem, formam fregit, dedit corpus*[c]. *Card. verò Bellarm.* primò adstruit; *Licet fuerit panis, ante consecrationem, tamen vi illorum verborum, incipit esse corpus Domini.* Item; *Licet vinum fuerit, ante consecrationem, tamen finitis verbis consecrationis, non vinum, sed sanguis erat*[d]. Quæ manifesta contradictione, rursus destruit sequentibus; *Quare simul tempore sunt, completa significatio verborum, & conversio panis, in corpus Christi: ordine tamen naturæ, invicem se præcedunt, & sequuntur, hæc duo. Nam verba illa, quatenus sunt causa illius conversionis, præcedunt conversionem: & contra, quatenus veritas propositionis, pendet à rei essentia, conversio præcedit significationem*[e].

a De s. altar. myst. l. 4. c. 11. & 2. b Ib. cap. 17. c Ibidem. d Tom. 2. de Euch. l. 1. c. 11. & l. 4. c. 12. & 13. e de Euchar. l. 1. c. 11.

XIV. Insuper *Sacra Scriptura*, corpus Christi, in cœlis regnare gloriosum[a]: ibique ad finem mundi: permansurum[b]: nec in terris quærendum[c]; sed supra[d], & ut, ex prisca Cœnæ Liturgia Pontificii retinent, *sursum corda habenda ad Dominum*. Ideoque, ad sui memoriam, Cœnam instituisse[e]: utque mortem ipsius annuntiaremus, donec veniat, præcepisse[f], demonstrat.

a Col. 3. 1. b Act. 3. 21. c Matth. 24. 26, 27. d Col. 3. 1. e Luc. 22. 19. f 1. Cor. 11. 26.

XV. Contrà verò *apostatica Romana Ecclesia*, corpus Christi, in cœlo quidem, semper[a], esse fatetur: sed nihilominus, in Cœnæ celebratione, è cœlo indies descendere[b]: & diversis atque innumeris in locis, sub panis specie, & singulis illius separatis particulis, in terra simul existere[c], ac rursum cum hostia corrumpi incipit, recedere[d], & in cœlum rapi[e] atque ascendere[f]: & (ne quid monstri desit) recedente Christi corpore, novam, illis accidentibus, panis substantiam, miraculosè creari, affirmat[g].

a Conc. Trid. sess. 13. c. 1. b S. Francis. Conformit. l. 1. p. 177. c Con. Trid. sess. 13. c. 1. & 3. & can. 4. d Guid. Man. de Euch. c. 11. Innoc. de s. alt. l. 4. c. 16. e Durand. Rat. l. 4. c. 41. Num. 23. f Innoc. de S. alt. l. 4. 1. c. 16. g Ibid. c. 11. Dur. Rat. l. 4. c. 41. Nu. 23.

XVI. Qua ratione, *ex signo sacramentali*, Ecclesiæ ordinario contra rei naturam, & sinceram Patrum doctrinam[a], *miraculum*[b], omnium maximum, statuit; ut in eo (ex *Thomæ Aquinatis* sententia) plura sint difficilia, quam in creatione[c]. Adeo ut *Durandus* Episcopus[d], in corpore hoc Christi, *undecim miracula* esse, asserat, atque recenseat: nec omnia tamen quæ, ex Transsubstantiationis figmento, consequuntur, complectitur. Ut interim copiosas, veri corporis Christi, & fictitii illius (quasi, sub speciebus panis, latentis) repugnantias, omittamus.

a August. de Trinit. l. 3. c. 10. b Innoc. de s. alt. l. 4. c. 11. c Par. 3. qu. 75. ar. 8. d Rational. l. 4. c. 41. Num. 16. &c.

XVII. Qualis est, quòd docet, Christum in Cœna, suum ipsius corpus, manu sua, gestasse, & ore suo comedisse[a]; Alterum, quòd licet gloriosum, & passionis omnis expers, sit Christi corpus; nihilominus tamen, in usu Cœnæ dentibus frangi, *Nicolaus Papa*, cum Concilio CXIV. Episcoporum, Romæ statuit, & Berengario profitendum, præscripsit atque approbavit, his verbis; *Panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, esse: & sensualiter, non solùm Sacramentum, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri*[b]. Imo (ut Thomas Aquinas ait) *si hostia, tempore mortis Christi, fuisset in pyxide servata; Christum non solùm mortem subiturum in cruce, sed etiam in pyxide*[c].

a Thom. Aq. par. 3. qu. 81. ar. 1. b Conf. dist. 2. can. Ego Bereng. Guitmund. de Sacram. l. 1. p. 35. & 41. c Par. 3. qu. 83. ar. 3.

XVIII. Denique *Sacra Scriptura* docet, panem Cœnæ, esse memoriale, corporis Christi, pro nobis traditi[a], ideoque non esse ipsum Christum, nec Christi corpus: ac propterea minimè adorandum[b].

a Luc. 22. 19. b Matth. 4. 10.

XIX. Contra verò, *apostatica Romana Ecclesia*, hostiam esse *adorandam*, statuit[a]: eaque de causa, horrendam ἀρτολατρείαν, exercet. Ac propterea *Romanam Ecclesiam*, revera esse *apostaticam, Sacra Scriptura*, ut in plurimis, sic etiam in *doctrina de Cœna*, manifestè *repugnantem*: ac propterea ab omnibus salutis æternæ cupidis, seriò fugiendam concludimus.

a Conc. Trid. sess. 1. c. 5. & can. 6.

COROL-

COROLLARIA.

1. *An in verbis Cœnæ*; Hoc est corpus meum, *sit tropus? A.*

2. *An Pontificiorum & Ubiquitariorum propositio, quæ tropum inesse negat, expositioni eorum consentiat? N. Utrique enim tropum, in subjecto fingunt: quia vocem* Hoc, *exponunt; Quod sub hoc continetur. Ut* Innocentius III. Papa *ait*; Hoc est corpus meum, id est, illud quod præbeo, sub hac forma[a]. *Et Bellarminus*, Ut sensus sit, Hoc, id est, quod sub his speciebus continetur[b].

a De sacro alt. myst. l. 4. c. 17. b Tom. 2. de S. Eucharist. l. 1. c. 8. & 10.

3. *An* τῦτο Hoc, *Matt.* 26. 26. *panem, & vers.* 28. *vinum poculi, designet? Aff.*

4. *An in illis Lucæ* 22. 20. *verbis* τῦτο τὸ ποτήριον &c. ἐν τῷ αἵματί μȣ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *sit vitiosa constructio, si* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *non ad* ποτήριον, *sed ad vocem* αἵματι *referatur? N. adversus Bellar.*[a]: *quia articulus præpositivus, pro postpositivo,* τὸ pro ὃ, *apud Græcos auctores, reperitur: & in N. Testamento frequenter, ut Rom.* 13. 7. *quater usurpatur* τῷ *pro* ᾧ.

a De Euch. l. 1. cap. 10.

5. *An igitur, verè ex his Lucæ verbis, Bellarm. glorietur,* argumentum *inde* robustissimum[a] *peti, ut probetur,* Hoc *Matt.* 26. 26. *non demonstrare panem: nec vers.* 28. *vinum poculi? Neg.*

a Ibidem.

6. *An idem aptè concludat,* Calix igitur, non significat calicem vini; sed calicem sanguinis[a]? *Imo ineptissimè. Nec enim nostri statuunt calicem (aut potius poculum) notare calicem vini; sed vinum poculi, seu poculo contentum. Et si primùm, finitis consecrationis verbis mutatio sit panis & vini, in corpus & sanguinem; quomodo,* Hoc, *corpus & sanguinem, demonstrabit?*

a Ibid.

7. *An quod Bellarm. ait.* Vera sit Catholicorum sententia, qui illud, Hoc, demonstrare volunt, non panem, sed rem contentam sub speciebus panis: quæ etsi antea fuerat panis, tamen tunc jam erat Christi corpus[a]: *An inquam illud cum sequentibus* (Illud Hoc, non demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub speciebus) *consentiat? Neg.*

a Ibidem.

8. *An rectè, à Bellarmino*[a] *asseratur, Iohan.* 6. *de Sacramento Eucharistiæ agi? Neg.*

a Ibid. c. 11.

DISPUTATIO XXXVII.

DE SACERDOTIO CHRISTI ET MELCHISEDECI: ET MISSIFICI SACERDOTII, CUM UTROQUE, REPUGNANTIA.

Quum Sacræ literæ, non solùm ad doctrinam, sed etiam ad redargutionem, conducant[a]; *opportunum fore existimamus, si alias, demonstrato jam, à nobis, sincero similitudinis sacerdotii, Christi & Melchisedeci, dogmate, in præsens repugnantes noxiosque Pontificiorum errores, Deo favente, diluamus: quo, & veritati suus constet honor, & ora passim contradicentium, facilius obstruantur.*

a 2. Tim. 3. 16. Tit. 1. 9. 10.

THESIS I.

Siquidem *duplex*, hac de re, inter *Orthodoxos* & *Pontificios*, agitatur *controversia*. Quarum *prima est*; An similitudo, sacerdotii Christi & Melchisedeci, in iisdem utriusque, *panis & vini*, sacrificiis, consistat? *Secunda*; An *Missificum sacerdotium*, cum iis consentiat? Utrumque enim, *Pontificii* asserunt, & pro ea re, tanquam pro aris & focis suis, dimicant: *Orthodoxi* contra, utrumque meritò inficiantur: quòd neutrum, sit Sacris literis traditum: imo neutrum, iis consentaneum.

II. Nam (ut, à *priori controversia*, ordiamur) ea, quam obtendunt, utriusque sacerdotii similitudo, nec, disertis Scripturæ verbis, exprimitur; nec, probæ consequentiæ necessitate, continetur. Nam si, sacram, de Christi cœna, narrationem, & Melchisedeci actionem, à Mose traditam, perscrutemur; Christus propriè panem & vinum, discipulis dedit, in sui memoriam ac sacramentum: Melchisedec verò (ut Moses recenset) *protulit Lechem*[b], *& vinum. Lechem* autem, ut speciatim, per synecdochen, panem[c], aut carnem[d]; sic propriè ac generatim, quamvis escam, designat[e]. Ideoque, ut sine pane esset potuit; sic & aliam, præter panem, adfuisse escam, munificentiæ regiæ consentaneum. Unde *Philo* ait; *Fausta illi precatus, mactatisque victimis splendidum epulum, sociis dedit*[f]. Et antecessor illius, *Josephus* similiter; *Xenia* (inquit) *& omnium necessariarum rerum copiam, præbuit*[g]. Quam sententiam, nobilis & antiquus scriptor Pontificius, *Petrus Comestor*[h], recenset ac comprobat.

a 1. Cor. 11. 24, 25, 26. b Gen. 14. 18. c Exod. 12. 8, 39. d Lev. 3. 16. & 21. 6. e Psal. 136. 25. & 147. 9. f De Abrah. pag. 250. g Antiquit. l. 1. c. 11. h Historiæ Scholasticæ de Genesi cap. 46.

III. Deinde, *protulisse* dicitur, non autem obtulisse, in sacrificium. Quia vox, *hotsi*, Hebræa, qua Moses utitur, non sæpe (ut Pontificii[a] fingunt, & ineptè locum, Jud. 6. 18, 19. testem citant) sed nusquam, in Sacris literis, eo sensu, usurpatur. Protulit autem, non Deo; sed Abrahamo: ut, loci circumstantia, ostendit, Patres docent[b], & Bellarminus (licet, Pererius Jesuita, anceps fluctuet) fateri cogitur. *Nos*, inquit, *non negamus data illa, in cibum, Abrahæ & sociis*[c].

a Bellarm. l. 1. de Missa c. 6. Ludovicus Ystella & Pererius in Gen. 14. b Tertul. adversus Iud. c. 3. Epiphan. contra Melchis. hære. 55. &c. c De Missa l. 1. cap. 6.

IV. Sed, à *verbis* rejecti, ad *Scripturæ*, & circumstantiarum, *consequentiam*, confugiunt, atque excipiunt, *prius fuisse Deo oblata & consecrata, & tum data hominibus; ut de sacrificiis participarent*[a]. Sed quonam *argumento*? An quod *paulò ante* comederant, nec pane & vino, iis esset opus, qui spoliis abundabant[b]? Atqui, ante comedisse Scriptura asserit[c]: *paulò antè*, Scripturæ depravatio est. Deinde esto: an illud Melchisedeco constitit, aut commeatus copia & usus, humanitatis[d], aut victoriæ, mori[e], & regiæ munificentiæ donis (quibus, vel in præsentia, vel postea, frui licebat) ullo modo repugnarit? Quocirca apertè, argumenti hujus infirmitatem, Pererius Jesuita, agnoscit[f].

a Bellarm. de Missa l. 1. c. 6. b Ibidem. Lyra & Tostatus ad Gen. 14. c Gen. 14. 24. d Ios. 9. 14. e Deut. 23. 4. Iud. 8. 5. 6. f Comment. in Gen. 14. Num. 71.

V. Præterea, quam infirma est, *altera ratio*, qua panis & vini, sacrificium, inde colligunt, quòd alioqui sacrificium Melchisedeci (eoque & sacerdotium) nobis foret ignotum[a]? Quasi verò, non satis commodè, sacerdotis voce[b], & temporis illius circumstantia, indicaretur: aut quasi ad ordinem, sacerdotii Melchisedeci, proprium, quo ab Aaronico discrepat, cognoscendum, consueti ac communis sacrificii declaratio, pertineret.

a Bellar. de Missa lib. 1. c. 6. b Gen. 14. 18.

VI. Nam quòd, *efficacissimè probari*; jactant, ex verbis sequentibus, *erat enim sacerdos*[a]: quasi *ratione, à Spiritu Sancto, reddita, cur panem & vinum protulerit: quæ omnino cogat, ut intelligamus, panem & vinum, oblata in sacrificium*[b]: illud planè vanum

vanum est. Siquidem, in Hebræo, non extat; *Erat enim sacerdos*; sed; *Et erat*. Ac quamvis, catachresi quadam, vox Hebræa, quæ, *&* propriè notat, interdum pro, *enim*, sententia prorsus hoc flagitante, usurpetur: quòd tamen Bellarminus, *id fieri frequentissimè*, asserit; illis, quæ selegit, testimoniis[c], minimè evincit: nec, si evinceret, idem hoc in loco, rejecta significatione propria, necessarium esse, probaverit.

a Gen. 14. 18. b Bellar. de Missa l. 1. c. 6. c Gen. 20. 3. & 30. 27. Ies. 64. 5.

VII. Neque obstat, *accentus Sophpasuc*, ut, Bellarminus[a], & Cotonus[b], Jesuitæ regerunt. Quoniam Sophpasuc, non semper periodum terminat: ut ex frequentibus Scripturæ exemplis[c], etiam hoc capite Gen. 14.[d] conspicuis, elucet: & sacrosancta Pontificiis, Vulgata versio, ibidem, tum hoc etiam in loco, demonstrat, quum hunc versum (de quo disceptatur) cum sequenti, eadem periodo, complectitur[e].

a De Missa l. 1. c. 6. b Geneva plagiaria ad Gen. 14. c Gen. 15. 18, 19, 20. & 16. 19, 20. & 17. 3. 26. & 27. 20, 21. & 23. 5, 10. 14. 17. & 24. 26. &c. d vers. 1. & 5. & 22. e Gen. 14. 18.

VIII. Neque etiam, si terminaret, obesset nobis, nec, hilum prodesset, adversariis. Ut enim Moses, regem Melchisedecum, describit ab effecto; quòd protulerit cibum & vinum honorarium; sic, ab adjuncto sacerdotio, quòd etiam fuerit sacerdos Dei altissimi, amplificaret.

IX. Idque commodè, proxima sententia, ab effecto ipsius, benedictione sacerdotali, esset illustratum. Quod etiam vidit, nec invidiam suorum metuens, veritate adactus, ingenuè professus est, eruditissimus Cardinalis Cajetanus, quum ait; *Nihil hic scribitur de sacrificio, seu oblatione: sed de prolatione, seu extractione: quam Josephus, dicit factam, ad reficiendum victores. Quod autem, in Vulgata editione, subditur, ut causa oblationis*; *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, *in Hebræo non habetur, ut causa, sed ut separata clausula: Et ipse erat sacerdos, Deo excelso*[a].

a Comment. in Gen. 14.

X. Utque, præfidens adversariorum, de efficacissima illa ratione, jactatio, amplius confutetur, quid si scriptum esse, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, largiremur: an panis & vini sacrificium, ea ratione, demonstraretur? minimè verò. Siquidem ratio redderetur, cur rex Melchisedec, cibo vinoque, Abrahamum decorarit: quòd non solùm esset rex potens (tales enim & alii fuere in ea regione, qui Abrahamum neglexerunt) sed imprimis etiam, sacerdos Dei, pius ac benevolus: qui Abrahamo, vera religione sibi devinctissimo, gratulatus benefecit, &, ut regalis sacerdos, benedixit.

XI. Præterea, si sacerdotii, Christi & Melchisedeci, similitudo, in illa, panis & vini, prolatione, fuisset posita (quod alienum esse, Bellarminus agnoscit) aut, in aliqua antecedenti actione, ut idem arbitratur[a], consisteret: quorsum illud Apostolus, de ea re, ad Hebræos multis disserens, reticuisset?

a De Missa l. 1. c. 6.

XII. An ob doctrinæ, de Eucharistia, difficultatem, ut objectant? Atqui illa disertè, ab eodem, alibi[a] explicata: & sublimia sacerdotii Christi, longeque difficiliora, quàm Eucharistiæ, mysteria (excusso prius Hebræorum torpore, & attentione seria, reprehensionum stimulis, comparatâ[b]) accuratè ac minutè describit: & Christi sacrificium, non minus, quàm intercessionem, fidelibus Hebræis, opportunè ac plenè, pertractat, Leviticoque plurimùm antecellere convincit.

a 1. Cor. 11. 23, 24, 25. b Heb. 5. 11, 14. & 6. 1.

XIII. Denique, quum nec Sacris literis, ullo modo affingenda sit historia: nec, si ea sit expressa, aliter certus statuendus sit typus ac prophetia, quàm Scripturâ interprete: nec ubi typus est certus, certum ex eo stabiliri possit, dogma; nisi res ipsa, & typi significatio, Sacris literis exponatur: quis Pontificiæ sententiæ ruinam, non animadvertat?

XIV. Siquidem, in historia sacra, non traditur, Melchisedecum Deo, panem & vinum, obtulisse in sacrificium: multò minus, fuisse sacrificii Christi typum. Quod si etiam fingatur, quomodo ostendetur, typum fuisse, non veri sacrificii, in cruce oblati; sed Eucharistiæ? quum eam, veri & unici sacrificii Christi signum ac monumentum, esse constet[a]: quo sensu Eucharistia impropriè, à priscis theologis *sacrificium*, appellatur, & exponitur[b].

a 1. Cor. 11. 24, 25. b Theodor. dialogo 2. August. contra Faustum lib. 20. c. 2. &c.

XV. Neque, hac in re, *Clementis Alexandrini*[a], *Cypriani*[b], aliorumque (quos Bellarminus objicit) *Patrum consensus*, Pontificios juvat. Quia non tam assensum, propter antiquitatem & concursum; quàm veniam, propter hallucinationem, promerentur. Qua factum, ut allecti, Clementis illius, Philonis æmuli, in allegoriis effingendis (quod vel liber citatus, arguit) licentia, à genuino Scripturæ sensu, non rarò aberrarint.

a Lib. 4. Strom. in fine. b l. 2. ep. 3. ad Cæcilium. al. ep. 62.

XVI. Cujus etiam rei, in eadem *Cypriani* epistola, documenta sunt varia: sed unum suffecerit specimen, ut luculentum, sic sancto homine indignum, quum ait; *Quod Noë, typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem Dominicæ passionis, expresserit.* Item; *Figuram, Dominicæ passionis, extitisse, quod vinum biberit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est,* &c. Idque, non ut conjectura; sed ut argumentum scilicet, contra Aquarios (qui aquam, in Cœna, vini loco, adhibebant) inter cætera, ejusdem genii, proponit.

XVII. Non negamus interim, quin, & ex aliis locis, & ex hac historia, servatâ fidei analogia, peti possit similitudo. Qualis est; quòd, ut Melchisedec, pane & vino, regali munificentia ac favore, Abrahamum, post partam de hostibus victoriam, donarit ac refecerit: sic Christus, fideles, tanquam genuinos Abrahami filios, mundi, per fidem, victores[a], corporis & sanguinis sui pane ac vino spirituali, donet ac nutriat, ad vitam æternam[b]: ut Cœna Domini obsignatur[c].

a 1. Ioh. 5. 4, 5. b Ioh. 6. 35. & 54. & 55. & 63. c 1. Cor. 11. 25, 26.

XVIII. Veruntamen hanc similitudinem, Melchisedeci actione, ut prophetiâ typicâ, peculiariter designatam, probari non potest: multo minus, eam actionem, sacrificium fuisse, & ejusdem, cum Christi sacrificio, modi: & sacrificii Christi, & Cœnæ, prænuntium. Quæ Pontificii, temerè sibi assumunt.

XIX. *Deinde*, similitudo illa sacrificii, Christi & Melchisedeci (quam comminiscuntur) non solùm, ut hactenus ostendimus, *Sacris literis* non traditur: sed iis etiam *adversatur. Nam primò*; sacrificium illius, est quo seipsum obtulit Deo: hujus, quo rem vitæ expertem. *Secundò:* illius, est verè propitiatorium: hujus, typus tantùm. Ideoque sacrificii genere, Christus & Melchisedecus, differunt.

XX. *Præterea*, ut Pontificiorum, hac de re, doctrina, à Sacra Scriptura dissentit: sic, nec sibi, satis consentanea est. Nam, si Melchisedeci sacrificium, in eo fuerit situm, quòd, panem & vinum, obtulerit Deo, quomodo probabunt, fuisse propitiatorium: quale, in Missa, fingunt: quum, *sine sanguinis emissione, non fiat remissio*[a]? Ac cur non potius, eucharisticum: quum, victoriæ & gratulationis causa, panem & vinum, protulerit, &, pro victoria, Deo gratias egerit[b]?

a Heb. 9. 22. b Gen. 14. 20.

XXI. *Ad hac*, si id, quod prætexunt, obtineat, cur, Christi sacerdotium, magis secundùm ordinem Melchisedeci, quàm, Aaronis, dicetur: quum & Aaron, ex lege, panem vinumque, obtulerit[a]? *An* quòd, oleum adjunctum, dicatur? Atqui, hæc circumstantia, naturam rei non mutat: & si mutaret, quomodo non similiter, in Eucharistia, mutabit: in qua, aquam adhibitam, & adhiberi oportere, contendunt.

a Exod. 29. 40. b Bellar. de Missa lib. 1. c. 6.

XXII. *An* potius, quòd Melchisedeci sacrificium, tantùm fuerit incruentum: Aaronis verò etiam cruentum[a]? Atqui, hoc modo, sacerdotium Christi, non erit, secundùm ordinem Melchisedeci: quia non incruentum tantummodo: sed contra, magis erit, secundùm ordinem Aaronis: utpote, & cruentum, in cruce: & incruentum (uti fingunt) in Eucharistia.

a Ibidem.

XXIII. *Denique*, si, ut contendunt, oblatio illa, panis & vini, fuit figura prophetica, veritatis sacrificii Christi, non idem igitur, utriusque sacrificium. Quia typus propheticus, & veritas, sunt diversa, & prius, posteriori aboletur. *Nec enim opus est typis, ubi veritas adest*[a]: imo veritas nondum adest, si typus

typus propheticus superfit ac vigeat. Atque hæc, de *prima controversia*.

a Ibidem.

XXIV. *Altera* est, de *Missifico sacerdotio*: quod, secundum ordinem Melchisedeci, institutum, falso gloriantur: quoniam Scripturæ omnino ignotum est, & adversarium: ut, ex utriusque *causis, subjectis, adjunctis, repugnantibus*, liquebit.

XXV. 1. *Ex causis*; quia auctor sacerdotii Melchisedeci, est idem, qui laudator, Deus: Missifici; non Deus sed homines, farraginis illius sutores: ut proximè pluribus, Deo favente, ostendemus. *Deinde*, quia illud est, *non secundum legem carnalis mandati* (quod oleo, & ritibus carnalibus, peragebatur [a]) *sed ex vi indissolubilis vitæ* [b]: hoc verò, secundùm legem humanam (qua, oleo, & ritibus superstitiosis, sacrifici consecrantur [c]) institutum.

a Exod. 29. 1. 5, 9. b Heb. 7. 16, 17. c Durandus Rationat. divini offic. lib. 2. c. 8. Num. 14. & cap. 10. Num. 14.

XXVI. 2. *Ex subjectis*; quia persona, illius sacerdotii, est patris, matris, genealogiæ, initii, finisque vitæ, expers; ut, priori disputatione, docuimus: quorum nihil omnino, sacerdoti Missifico, convenit.

XXVII. 3. *Ex adjunctis tribus*; regno, societate, duratione. *Regno*; quia illic idem est sacerdos, & rex: cum jure, tum re ipsa: contrà Missifici sacerdotes, neutro modo: etsi, raso in orbem vertice, coronam ridiculè jactent, seque, reges simul ac sacerdotes esse, glorientur [a]. *Societate*; quia illud, uni personæ proprium, impatiens consortis: contrà, hoc socios requirit innumeros. *Duratione*; illud enim est æternum: in quo sacerdos immortalis, successorem admittit neminem: contrà, hoc temporale: in quo, sacerdotes immortales, successores habent plurimos.

a Ibid. l. 2. c. 1. Num. 26. & 30 & 31.

XXVIII. 4. Denique, *ex repugnantibus*: quia (ut Papalem, de Melchisedeci & Missæ sacerdotio, errorem, omnibus modis convictum, ac deploratum esse, appareat) ipsemet sese, diffidentium sententiarum contradictione, subvertit. Sacerdotium enim Melchisedeci, panis & vini veritatem habuisse, agnoscunt: non solam eorum speciem: contrà, Missæ sacrificium, solam eorum speciem; non autem veritatem, complecti, profitentur. Quæ, quasi è diametro, ac toto genere, dissidere, quis non videat?

XXIX. Rursus, in sacrificio Missæ, corpus & sanguinem Christi, offerri contendunt: contra verò, in Melchisedeci sacrificio, neutrum admittunt. Quare, jure meritoque, cum Orthodoxis, concludimus, omnibus verè fidelibus, ad sanctum Christi, secundum ordinem Melchisedeci, sacerdotium, vera fiducia, esse recurrendum [a]: contraque, repugnans ei, Missificum sacerdotium, missum esse faciendum: orandumque Deum, ut mentes eorum, quibus hæc veritas nondum satis est perspecta, remoto, opinionis inveteratæ, velo ac zelo, luce verbi & Spiritus sui, illustrare dignetur. *Amen, Amen.*

a Heb. 4. 15, 16. & 7. 25. & 10. 22.

COROLLARIA.

1. *An extet Pontificiorum Purgatorium? Negamus.*
2. *An, bona piorum opera, aliis, aut etiam sibi, mereri possint, remissionem peccatorum & vitam æternam? Neg.*
3. *An ea, propriè loquendo, causa vitæ æternæ dici possint? Neg.*
4. *An, extrema unctio Papalis, sit divinum sacramentum? Neg.*

DISPUTATIO XXXVIII.
DE COENÆ DOMINICÆ ET MISSÆ, REPUGNANTIA.

QVum *Pontificii Doctores*, Missam *suam, tanquam Christi, pro vivis & mortuis, sub panis & vini specie, Deo, pro remissione peccatorum, & aliorum malorum liberatione, oblati, proprium ac propitiatorium sacrificium* a, *falso statuant: & veluti Cœnam Domini* b, *ac totius* Christianæ Religionis arcem c, *vulgò jactitent: idcirco, ut ante,* sacerdotii *ipsorum,* impietatem, *ostendimus; sic &* sacrificium *illius, subjecta,* Cœnæ & Missæ, repugnantia, *ejusdem criminis convictum, elucebit.*

a Concil. Trid. sess. 22. Can. 1. & 3. & cap. 1. & 2. b Ib. cap. 1. c Miletus Refut. error Hessius loco 8.

THESIS I.

PRima enim *repugnantia*, in voce sita, non obscura est. Quippe *Cœnæ Dominicæ* vox, origine & significatione, sancta est: ut quæ, à Spiritu Sancto, sacræ rei significandæ, Sacris literis, tradita [a]. *Contra Missæ* appellatio (quæ, non Hebræa; sed Latina [b]) origine & significatione, à Pontificiis maximè recepta, humana est, ac profana.

a 1. Cor. 11. 20. b Bellarmin. de Missa l. 1. cap. 1.

II. *Sive* enim ex communi, Scholæ Pontificiæ magistri [a], & fluctuantium illius interpretum [b], sententia, inde sit dicta, quòd Angelus, è cœlo mittatur, qui, hostiam corporis Christi, in cælum deferat ac transmittat: *sive* potius, cum aliis, à *Missa*, id est, emissione Catechumenorum, olim ante Cœnam Domini, usitata [c], derivetur, profanam arguit originem.

a Pet. Lombar. l. 4. dist. 13. & 14. b Thomas pag. 3. qu. 83. ar. 4. c Bellar. de Missa lib. 1. cap. 1.

III. *Prius* enim, Christi in cœlos ascensioni, & in iis mansioni [a]: *posterius*, Catechumenorum, fide instructorum, dignitati, adversatur: quod, superstitionis Ethnicorum imitatione, tanquam profani, à sacræ Cœnæ cognitione, procul abesse, juberentur [b]. Unde profana, *vocis Missæ*, origo elucet: quemadmodum & *rei significatio*, olim ignota, Pontificiis verò usurpata, meram spirat impietatem.

a Actor. 1. 11. & 3. 21. Phil. 3. 20. Col. 3. 1. b Guil. Durand. Rational. 4. c. 1. § 46.

IV. *Secunda* enim *repugnantia*, in *reipsa* consistens, clarius hoc evincit, ac copiam dicendi, suggerit uberrimam. Ex qua, pauca duntaxat, è *causis* & *adjunctis* contrariis, deligam strictim; ne, justæ brevitatis limites, excedam. Utque, à *causa efficiente*, exordiar, *auctor* Cœnæ, unicus est, Dominus Christus: unde etiam, *Dominica* [a], nuncupatur: *contra* verò, *Missæ* Papalis *auctor*, non unus est, sed plurimi infidi, diversorum temporum, servi: qui, centonem Missæ, collatis superstitionum symbolis, paulatim consuerunt [b].

a 1. Cor. 11. 20. b Innocent. de sacro alt. myst. lib. 2. cap. 26. & 3. c. 10. & 11. &c. Platina in vita Sixti. Durand. Rat. lib. 4. pass.

V. *Administri* verò *Cœnæ*, sunt omnes, vocati à Deo, ministri Euangelii, cujus illa, est sigillum [a]; *contra Missæ mystæ*, sunt soli Sacerdotes, oleo superstitiosè consecrato, citra contraque divinam vocationem [b], ad sacrificandum, ab hominibus inuncti [c].

a Luc. 22. 29. Matth. 28. 19, 20. 1. Cor. 11. 23. b Heb. 5. 4. cum 7. 23, 24. c Conc. Trid. sess. 22. Cap. 1. & 2. Magist. lib. 4. d. 24. Guido Manipulo Curat. tract. 4. cap. 2.

VI. *Materia* quoque *subjecta*, ad significandum instituta, utrimque opposita est, ratione & *substantiæ* ipsius, & *circumstantiæ* ritus, seu *actionis* sacræ.

VII. *Substantia* enim *Cœnæ*, est panis verus, & vinum [a]: *contra in Missa*, solùm est nummularium, veri & ordinarii panis, simulacrum: & vinum, aqua superstitiosè dilutum [b].

a Mat. 26. 26. b Innocent. de S. altar. mysterio lib. 4. c. 31. Concil. Trid. sess. 22. c. 7. & can. 9.

VIII. *Circumstantia* verò *actionis*, & primùm *ministri, in Cœna*, est qua, panem fractum, & vinum fusum, distribuit omnibus convivis sacris [a]. *Contra in Missa*, si *privata* sit, nulla omnino est, panis aut vini [b]: sin *publica* sit, nulla est vini illius; sed sola, speciei panis, & quidem non fracti, distributio [c]: imò in ea, quæ, *sicca* [d], dicitur, siccus etiam est sacerdos.

a Matth. 26. 27. Mar. 14. 23. 1. Cor. 11. 28. b Conc. Trid. sess. 22. can. 8. c Ibid. sess. 21. cap. 2. d Durand. Rat. l. 4. c. 1. § 23.

IX. *Actio* deinde *communicantium*, priori illi respondens, *in Cœna*, est communicatio panis & vini. *Contra in Missa*, illius loco, indigna est populi, aut ab utroque, aut à vino saltem, excommunicatio. Adeo ut, quamvis aliam fuisse, & Christi institutionem, & primæ Ecclesiæ praxin, Constantiense concilium [a],

cilium [a], disertè profiteatur; *ea* tamen (ut ait) *non obstante*, contrariam posterorum consuetudinem, pro lege censet ac præfert, eamque sub excommunicationis pœna, injungit.

a Sess. 13.

X. In qua, *sacrarum* Cœnæ *actionum* indigna *detractione*, sacrilegium extat manifestum: sicut in copiosa, orationum, actionum, salutationum populi, gestuum, vestiumque (partim sacris, partim impiis rebus, adumbrandis) *additione* [a], damnata à Christo, superstitio [b] elucet.

a Innoc. de alt. Myst. Durand. Rat. lib. 4. passim. b Matth. 15. 9, 13.

XI. Utque *materia*, inter se dissident; sic nec *forma*, utrimque conformis. Etenim *cœnæ forma*, sita est, in communionis sacrificii, corporis & sanguinis Christi, per panem fractum ac comesum, & vinum effusum atque haustum, significatione & obsignatione divina [a]: *Contrà Missæ forma*, & essentia, in corporis & sanguinis Christi (è pane & vino conversi, & sub eorum specie, à sacerdote consecrati, & manducati) sacrificio, constituitur [b], repugnantia deformi ac numerosa.

a Matth. 26. 26. 1. Cor. 10. 16. b Bellar. de Missa l. 1. c. 27.

XII. Nam *forma* vera *Cœnæ*, hujus Sacramenti *materiam*, panis & vini substantiam, *conservat*, & usu solùm corporali, in spiritualem, converso informat ac perficit [a]. *Contra* verò, ficta *Missæ forma*, materiam Sacramenti, panis scilicet & vini, nucleum ac substantiam, in nihilum redigit, ac signum, relicto tantum fallaci accidentium putamine ac specie, enervat ac destruit [b].

a 1. Cor. 10. 16. & 11. 26. b Conc. Trid. sess. 13. can. 2.

XIII. Qua in re, cum primis triplex monstrum naturæ & Scripturæ repugnans, existit. 1. *Substantiam omnino interire, non forma solùm; sed etiam materia* [a]. 2. *Accidentia sola, sine ullo subjecto, superesse* [b]. 3. *Ex his solis accidentibus, fieri posse substantiam:* ut dum hostia servata, ac putrefacta, vermes: aut combusta, cineres, producit [c].

a Catechef. conc. Trid. De Euchar. b Ibid. c Durand. Rat. divin. offic. l. 4. c. 41 §. 33. &c. Viguerius Inst. Theol. c. 16. §. 3.

XIV. Deinde *forma Cœnæ*, *rem* Sacramento *significatam*, corpus & sanguinem Christi, *non efficit*; sed, pro communi Sacramentorum natura, signat & obsignat convenientissimè. Christus enim seipsum, nec efficere *voluit*; quia, voluntatis illius, nullum omnino extat indicium: nec *valuit*; quia omnipotens ac verax, invalidus ac mendax esse, seque ipsum abnegare, non potest [a].

a 2. Tim. 2. 13. 2. Cor. 2. 18, 19.

XV. *Contra Missæ forma*, corpus & sanguinem Christi, ex panis & vini substantia, fieri [a], fœdissima contradictione, statuit. Nam si Corpus Christi est, non fit: si fit, nondum est: eoque quum Missa utrumque statuat, *substantiam*, corporis Christi, evertit: quemadmodum & reliquas *circumstantias*.

a Concil. Trid. sess. 13. can. 2. Bellar. de missa, l. 1. c. 27.

XVI. Quippe, ut Missæ forma, sola *accidentia*, panis & vini, sine substantia fingit; ita contra, *substantiam* solam, corporis & sanguinis Christi, sine suis accidentibus, & proprietatibus naturalibus, extare, & (quod absurdius) easdem nihilo minus retinere: hoc est, corpus, non corpus; idem, non idem, esse confingit. Quod perspicuè liquet, ex *antithesi*, veri *corporis Christi*, *in prima Cœna*, & *corporis Missatici*; quod, post consecrationem, ibidem, sub specie panis, latitasse contendunt.

XVII. Nam *verum* Christi *corpus*, ad mensam accubuit, & ad finem usque Cœnæ, mansit: trinaque dimensione circumscriptum, vestitum, conspicuum, contactum fuit: panemque ac poculum, Discipulis porrexit, simulque ex iisdem, edit ac bibit, Deumque, canora voce, celebravit, & tandem, à mensa surrexit [a]. Quorum *nihil*, *fictitio*, sub specie panis, *corpori*, attribui potest: ut *contra*, quæ huic affinguntur [b], à vero Christi corpore, omnino abhorrent.

a Matth. 26. 20, 26. &c. b Vide Durand. Rat. div. off. l. 4. c. 41.

XVIII. Qualia sunt; incircumscriptum, inconspicuum, intactum, vestibus exutum, panis specie tectum, tacitum, manu Christi contentum, è mensa, supraque eam, sublatum, ore & stomacho Discipulorum receptum, denique unum idemque corpus, à se ipso, locorum spatiis, & contrariis attributis, divisum esse, ac separatum: ut dum intra unius Apostoli os receptum esset, alteri nihilominus edendum; imo utrumque iisdem rursus sub vini specie, bibendum porrigeretur.

XIX. Quomodo, pro uno *corpore* (ut & sanguine) *triplex* monstrosè, loci intervallis, tripliciter diremptum, confingitur. Quorum *primum* sit, sub specie panis, *transsubstantiatione* factum atque *edendum:* deinde *secundum* per concomitantiam (uti loquuntur) solùm, sub specie vini, contentum, ac *bibendum:* contraque *tertium verum* Christi corpus, extra species illas, conspicuum, quod reliqua duo, sub speciebus contenta, cum Discipulis Cœnans, suo etiam ore, sumpserit & consumpserit [a].

a Bellarm. de missa, l. 1. c. 27. sub finem.

XX. Quibus denique hoc etiam monstrum accedit, quod, pro fragmentis specierum, inter edendum, factis plurimis, plurima etiam, iis singulis (uti docent) contenta corpora [a], cum Discipulis constituerit atque ederit. Sed portentorum (cujusmodi in Missa, sunt & alia plurima [b]) satis: ex quibus constat, *Missæ formam*, corporis Christi veritatem, Cœna obsignatam ac confirmatam, tollere; imo seipsam quoque contradictionibus hisce aliisque, evertere, ac deridendam propinare.

a Con. Trid. sess. 13. can. 3. b Vide Durand. Rat. lib. 4. &c. & Gab. Biel. in Can. Mis.

XXI. Præterea, *forma Cœnæ*, divinum, gratiæ Christi, *Sacramentum*, solùm constituit ac proponit: quo panem ac vinum, corpori nostro, & corpus ac sanguinem suum, animæ tantùm credenti, accipiendum, gratuito Testamento, *offert* ac *donat* [a]. Cui *contraria*, *Missæ forma*, humanum *sacrificium*, affingit & opponit: quo, *Christi corpus ac sanguis*, sub specie panis ac vini, *Deo offerantur*, ac donentur [b].

a Luc. 22. 19, 20. 1. Cor. 10. 16. Joh. 6. 35, 63. b Conc. Trid. sess. 22. Can. 1. Bellar. de missa l. 1. c. 25.

XXII. Denique *forma Cœnæ*, verum ac propriè dictum novi Testamenti sacerdotium: ratione *sacerdotis*, *sacrificii*, & *sacrificationis*, legitimum Deoque acceptum, obsignat: *contra Missæ forma*, id ipsum, apertè & omnino, oppugnat.

XXIII. *Cœna* enim *Dominica*, *novumque testamentum*, nullum proponit alium, quam æternum, successoris & peccati expertem, *sacerdotem* simul *ac regem*, secundum ordinem Melchisedec, *Iesum Christum:* qui, peracti semel sacrificii, efficacia æterna, nunc intercedit, pro nobis, apud Patrem [a]. *Contra Missa Papalis*, alios insuper, temporales ac peccatores, *sacerdotes* opponit *plurimos*, qui, pro suis, & populi, peccatis, sacrificent [b]: imo *Mediatores* sint, *Mediatoris* Christi; dum pro eo, in Missa oblato, orant Patrem, ut, *propitio ac sereno vultu*, *respicere dignetur*, *& acceptum habere:* & *per manus angeli sui*, *in sublime altare suum*, *perferre jubeat* [c].

a Heb. 7. 23, 24, 25, 26, 28. b Conc. Trid. sess. 22. Canon. 1. & 2. c Can. Missæ. Miletus Refut. Hessusii ad err. 172.

XXIV. Deinde *Cœna Domini*, novumque testamentum, *unum* tantum *numero* proprium sacrificium, solius corporis & sanguinis Christi, proponit [a]: *contra* verò *Papalis Missa*, aut *duo specie* comminiscitur: *unum*; panis & vini, Deo, ad transsubstantiationem, oblati [b]: *alterum*, corporis & sanguinis Domini [c]: aut *unum specie*, ex duobus hisce, conflat [d]: sed *numero*, ob infinitam pene, quotidianarum Missarum, copiam, *sacrificia innumera*; majori contradictione opponit.

a Heb. 9. 25, 26. & 10. 14. b Can. Missæ. c Ibid. d Bellar. de Missa lib. 1. c. 27.

XXV. Postremò, si *sacrificationem* spectes, *Cœna Dominica*, novumque testamentum, veram, & sacrificio consentaneam immolationem [a], significat ac confirmat: quæ, in externa ac visibili, corporis Christi, in ara crucis, fractione, & sanguinis effusione ac morte, consistit [b]. *Contra*, ficta *Missæ sacrificatio*, huic omnino adversatur: ac justissima talione, seipsam quoque, descriptione sua, evertit.

a Bellarm. de Missa l. 1. c. 2. & 27. b Luc. 22. 19, 20.

XXVI. Nam si, vel in sola, panis & vini, consecratione (ut multis placet) vel, partim in consecratione, partim in manducatione sacerdotis, ac consumptione (quod Bellarminus, contra priores, tuetur [a]) consistere definiant, generalis *sacrificationis natura*, (quæ, viventis victimæ, occisionem & oblationem, flagitat [b]) nullam sacrificationem, in *Papalis Missæ sacrificatione*, fieri, convincet. Nam nec *consecratio*

(ex Pontificiorum sententia) corpus Christi interficit; sed efficit: nec *manducatio* sacerdotis, Christum planè destruit ac consumit (quod in omni vero sacrificio requiri statuunt[c]) sed, oblatum Sacramento, assumit: alioqui, parricidium esset sacrilegum; non autem sacrificium.

a De Missa l. 1. c. 27. b Ibid. c. 2. & 27. c Ibidem.

XXVII. Cui deformitati, tam enormi, *repugnantia finis*, succedit, ratione, cùm *utilitatis*, ad quam collimat; tum *illius*, cui illa inservit. Nam *finis* atque utilitas, *cujus* gratia, *Cœna Domini*, ab ipso instituta est, & ministro, Ecclesiæque, imperata, est fidelis ac grata Christi, pro nobis crucifixi, ad spiritualem ipsius, ac beneficiorum, ex eo promanantium, communionem, recordatio[a]: qua, *sursum corda habeamus, ad Dominum*[b], olim pro nobis mortuum, nunc verò in cœlis gloriosum ac mansurum, donec inde veniat, ad redemptionem, ultimo die[c].

a 1. Cor. 11. 24, 25. & 10. 16. b Col. 3. 1, 2. c 1 Cor. 11. 26.

XXVIII. *Contrà Missæ finis* est, ut Christus etiam deorsum quæratur, & sub specie panis, ore corporis, edatur, ad remissionem peccatorum, aliaque beneficia spiritualia, & corporalia, impetranda[a].

a Con. Trid. sess. 22. ca. 3. Catechef. conc. Trid. de Euchar.

XXIX. Similiter *finis* alter, *cui*, proposita utilitas, inservit, utrimque est dissentaneus. Nam 1. *Cœna utilitas*, ad solos homines[a]: *Missa contra*, etiam ad res, quæ ad homines pertinent, extenditur[b]. 2. Cœna solùm vivorum hominum commodo[c]: *contra Missa*, etiam animabus mortuorum, ex Purgatorii Utopia, redimendis, destinata[d]. 3. *Cœna*, solis Ecclesiæ membris[e]; *contra Missa*, etiam alienis ab Ecclesia convertendis, conducit[f]. 4. Denique *Cœna*, præsentibus ac communicantibus, solùm[g]: *Missa contra*, spectatoribus & absentibus quoque, utilis confingitur[h].

a Luc. 22. 19. b Con. Trid. sess. 22. can. 3. Bellar. de Missa l. 2. c. 9. c 1. Cor. 11. 22, 23. d Con. Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. e 1. Cor. 10. 16, 17. f Bellar. de Miss. l. 2. c. 6. g 1. Cor. 10. 16, 17. & 11. 28. h Con. Trid. sess. 22. can. 3.

XXX. Neque hisce solùm *causarum (efficientis, materiæ, formæ, finis)* contradictionibus demonstratis, hæc *Cœnæ* & *Missæ pugna*, finitur; sed *adjunctis circumstantiis*, accrescit. Nam *Cœna Domini*, omnia bona hominum merita (peccatorum, per Christum, remissionem obsignans) excludit: & solius Dei gratiam, invocationem & adorationem continet[a].

a Luc. 22. 19. 20.

XXXI. *Contra Missæ farrago*, sanctorum merita[a], ac partim invocationem[b], includit: & panem consecratum Christi Dei instar, in Missa[c], & extra eam, inprimis in nupero ac profano, *corporis* Christi festo (anno 1264. ab Urbano IV. ex Julianæ virginis superstitiosæ monitu, instituto[d]: & ob neglectum, à Clemente V. anno 1313. restituto[e]) adorandum prostituit.

a Canon Miss. b Bellar. de Missa l. 2. cap. 8. §. 5. c Concil. Trid. sess. 13. c. 5. & Can. 6. d Baron. Annal. t. 13. an. 1264. N. 4. e Clement. lib. 3. tit. 16.

XXXII. Deinde *Cœna*, lingua communicantibus nota, à Christo & Apostolis, ad ædificationem, administrata est[a]: *Contra Missa*, Latino *ignotoque* vulgò sermone, imo, & principali sua parte, *secreto*, paragenda[b]. Quare, ex hisce omnibus, perspicuum est, *Missam Papalem, Cœnæ Dominicæ*, è diametro repugnare: Ideoque Cœnam sanctè observandam: Missam contrà profanam, missam faciendam ac detestandam: orandumque Deum, ut noxia sanctitatis illius opinione seductos, in rectam veritatis viam clementer reducat.

a 1. Cor. 14. 16. b Con. Trid. sess. 22. cap. 5. & Can. 9. Durand. Rationali lib. 4. cap. 35.

COROLLARIA.

1. *An orthodoxum sit statuere, perfectam mandatorum legis, à Christo præstitam, obedientiam, non esse meritoriam, vitæ nostræ æternæ, causam? Negamus.*

2. *An verè dicatur, tantùm esse conditionem illius, & causam sine qua non? N.*

3. *An orthodoxum sit, credere remissionem peccatorum, propriè ac sine synecdoche acceptam, esse perfectam nostram, coram Deo justitiam? Negamus.*

4. *An sine falsis hypothesibus, & sine justificationis mutilatione, dici possit, perfectam vitæ Christi, erga mandata legis obedientiam, non esse nostram, coram Deo judice, justitiam? N.*

DISPUTATIO XXXIX.

DE QUINQUE FALSIS PONTIFICIORUM SACRAMENTIS.

PRæsenti disputatione falsa Pontificiorum sacramenta paucis expendemus, & confutabimus: quo, & sententiæ orthodoxæ veritas reddatur illustrior, & errorum Pontificiorum fucus ac turpitudo clarius detegatur.

THESIS I.

QUæstio est, an præter Baptismum & Cœnam Domini, reliqua sint quinque N. T. verè ac propriè dicta, Sacramenta? Pontificii quidem hoc statuerunt primum in Concilio Florentino[a]: deinde in Tridentino, hoc canone, confirmarunt[b]; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis, non fuisse omnia, à Iesu Christo Domino nostro, instituta, aut esse plura, aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum; anathema sit.* Orthodoxi vero tantum duo N. T. sacramenta agnoscunt: unum regenerationis ac pœnitentiæ, Baptismum; alterum nutritionis ac confirmationis spiritualis, Cœnam Domini: reliqua quinque falsa esse, veris rationibus demonstrant: ut, ex sequenti examine, constabit.

a Decreto Eugenii 4. b Sess. 7. de Sacram. in genere. Marc. 1. 4.

II. Cujus normam præcipuam & κριτήριον, cum Pontificiis commune præstruemus celebrem illam ex Augustino[a] collectam, Sacramenti definitionem: signum visibile invisibilis gratiæ. In qua, ut signum intelligitur, quod habet authorem Deum, & materiam visibile elementum: (quippe, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum) sic gratia non quævis, sed justificationis, designatur. Quæ omnia perspicuè à Concilio Tridentino & Papa Pio V. asseruntur[c]. Quemadmodum & Bellarminus[d] ait: Ad omne Sacramentum propriè dictum requiruntur & sufficiunt, 1. ritus externus, S. Symbolum, 2. divinitus institutum, & 3. promissio gratiæ justificantis, illi ritui, seu Symbolo annexa. In qua sententia ea fraus latet, quod nec elementum, nec visibile signum requiri censet. Contra rectam Augustini, & Concilii Tridentini sententiam. Quare, ut ad hanc normam, singula exigamus, primum confirmationem infirmabimus & diluemus, à descriptione illius exorsi.

a Lib. 10. de liv. D. cap. 5. Lombard. lib. 4. Dist. 1. b August. in Joh. tract. 80. c Catechis. ad Paroch. de Sacram. d De pœnitent. lib. 1. cap. 9. & de confirm. cap. 2.

III. Ea autem ex Concilii Tridentini sententia[a], est Sacramentum, quo is, qui baptizatus est, quum ab Episcopo sacro chrismate ungitur, additis solennibus illis verbis; signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: nisi aliud sacramenti efficaciam impediat, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit. Quo fere modo Scholastici, Scotus, Biel, Petrus de Alliaco, aliique in 4. sent. dist. 7. antea descripserant.

a Catechis. ad Paroch. de Confirm. & Concil. Trident. decreto Eugenii.

IV. Hanc verò confirmationem, non esse Sacramentum à Christo institutum, demonstrari potest duobus modis.

V. 1. Quia neque signum, seu materia, & ritus illius, neque verborum formula, in S. literis, quæ hominem Dei, ad omne opus bonum perfectè instruunt & informant[a], declaratur. Materia enim est chrisma ex oleo & balsamo (aut potius opo-

opobalsamo [b]) confectum: quod ex N. T. probari non potest: sed potius Judaicam superstitionem, & Colobarsiorum superstitionem, redolet. Ideoque Alexander ab Ales ait [e]: *Neque Dominus hoc Sacramentum, ut est Sacramentum, instituit, neque dispensavit, neque Apostoli.* Item, *institutum fuit hoc Sacramentum Spiritus Sancti instinctu, in Concilio Meldensi; quantum ad formam verborum, & materiam elementarem,* Idemque probat Cardinalis Bonaventura [f]. Quibus antiquior præluxit Gulielmus Episcopus Antisidoriensis [g], licet inconstantior, quum ait: *Quantum ad Chrismationem, ortum habuit ab institutione Ecclesiæ.*

a 2. Tim. 3. b Polyd. Virg. de Inv. rer. l. 5. cap. 3. c Exod. 30. Vide Bellarm. de Confirm. cap. 8. d Iren. lib. 1. cap. 18. e 1. Sum. par. 4. qu. 24. mem. 1. f In 4. sent. d. 7. art. 1. qu. 1. & 2. g Sum. lib. 4. tract. 4. cap. 3.

VI. Nam primò quod Apostolorum exemplum ex Act. 8. & 9. obtendunt [a], illud omnino alienum est: I. Quia actio illa Apostolorum non fuit Sacramentum; cum & elementum abfuerit, & certa gratiæ justificantis promissio. II. Perspicua etiam est utrumque tum in signo ritus, tum in re significata, differentia. 1. Illic ritus fuit, manus impositio: hic verò, loco illius, frontis unctio: ut & Ecclesia Romana olim etiam agnovit: Per frontis chrismationem (ait Innocentius [b] tertius) manus impositio, designatur: & Eugenius IV. [c] per manus impositionem, Spiritum Sanctum dabant: loco autem illius impositionis manus, datur in Ecclesia confirmatio. 2. Illic, significata fuere dona Spiritus Sancti miraculosa: eoque, cum suo signo, temporaria: hic verò, ut fingunt, ordinaria & perpetua. Quare exemplum illud, nihil ad rem.

a Conc. Flor. decr. Eugen. 4. & Bellarm. de Confirm. c. 2. b Decret. de sacra unct. tit. 15. c Concil. Flor. in Decret.

VII. Deinde, quod duobus hisce Sacræ Scripturæ locis 2. Cor. 1. qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus: qui & signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: & 1. Joh. 2. & unctio, quam accepistis, manet in vobis; expressè chrismatis fieri mentionem, vel certè ad eam alludi contendit Jesuita [a]: hac duplici sententia indignè, in re seria ludit duplici sophismate.

a Bellarm. de Confirm. cap. 8.

VIII. Prius est, homonymia: quia Apostoli agunt de unctione metaphorica & interna cordis; ut puta, quæ manere, & fideles docere dicitur: Jesuita verò de propria & externa frontis; quæ non manet, sed sale & aqua brevi abluitur [a]. Nec eo errore contentus, falsò Theodoretum testem citat. Posterius est, non caussa, ut caussa: non enim ea est hujus metaphoræ unctionis caussa, quod Scriptura ad chrisma Pontificium alluserit (prius enim probandum esset) tum in usu fuisse: neque alio spectasse hæc loca, sed ad unctionem, regum & sacerdotum V. T. typicam: quæ, unctionem Spiritus Sancti internam adumbravit.

a Guil. Paris. d. 7. de Sacram. Confir.

IX. Probabilius dixisset Jesuita, ex metaphorarum scripturæ abusu, & Judaicarum cæremoniarum, actionumque Christi & Apostolorum, κακοζηλία, cæremoniam chrismatis, aliasque plurimas esse confictas; ut Judæos & Gentiles, religionis Christianæ simplicitate offensos, ad eam magis allicerent, & Christianos magis erudirent, & commoverent. Unde paulatim opinio necessitatis cultus, meriti, superstitiosè invaluit. Quomodo lactis, & mellis [a], item lactis & vini [b], post Baptismum, delibatio, allusione quadam ad metaphoras Esa. 55. v. 1. & 1. Pet. 2. 2. olim fuit usurpata. Ex eodem fonte, apud Pontificios, salis & sputi in baptismo; & halitus, in Chrismate, aliorumque observatio, promanavit: ut à Guilelmo Durando [c], copiose demonstratur.

a Tertull. contra Marc. lib. 1. cap. 14. b Hieronym. in Es. cap. 55. c Ration. Divin. off. Vide etiam decretum de consec. D. 4.

X. Denique unguentum Leviticum, quo tabernaculum & sacerdotes, Dei jussu, Exod. 30. olim ungebantur, non fuit figura corporalis chrismatis; ut Jesuita [a] objicit: sed Spiritus Sancti; quo oleo Christus cum suis consortibus Christianis [b] regali sacerdotio [c], non in fronte est, sed in anima, delibutus. Quare, quum chrisma Pontificium, non fuerit à Christo institutum, confirmationem non esse Sacramentum apparet.

a Bellarm. de Confirm. cap. 8. b Psal. 45. v. 10. Actor. 10. v. 38. c 1. Pet. 2. v. 5. Apoc. 1. v. 6.

XI. Altera ratio accedit, quod chrisma illud ne potuerit quidem, à Christo, institui: adeo Christo contrarium est. Hic enim Sanctus Sanctorum [a]; illud verò summæ [b] impietatis instrumentum; ut, ex prophana consecratione & præparatione elucet: 1. In exorcismo; *Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio & omne phantasma Sathanæ eradicetur & effugetur à te, ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum: in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Iesu Christi Filii ejus, Domini nostri: qui, cum eo vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Sp. Sancti.* 2. *In præfatione; te igitur precamur, &c. ut, hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, & Spiritus Sancti ei admiscere virtutem* [c]. 3. *Post præfationem; hæc commistio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio & custodia salutaris in secula seculorum* [d].

a Dan. 9. v. 24. b Pontif. Roman. cap. 3. de off. fol. 186. c Ibid. fol. 187. d Ib. fol. 188.

XII. Quibus verbis & similibus, impietas copiosa continetur: 1. In Deum creatorem; dum creaturam illius bonam [a], ab exercitu diaboli, ante exorcismum, obsideri fingunt. 2. In Filium redemptorem; quum propitiationem, adoptionem filiorum, & salutem, consecrato chrismati attribuunt. 3. In Spiritum sanctificantem; quum virtutem illius, spiritualem gratiam, & plenitudinem sanctificationis, chrismati infundi statuunt. Denique in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quum nominibus eorum in exorcismo ad falsam dæmonum ejectionem, profanè ac magicè contra tertium Decalogi præceptum, abutuntur. Quæ impietas augetur, execrandæ idololatriæ accessione, præsertim eâ, quâ Episcopus & sacerdotes duodecim, in secundum præceptum, impingentes chrisma adorant: nam ut testatur Pontificale Romanum 6. in varia distantia genuflectunt coram ampella, qualibet vice semper altius dicendo, in tono prædicto; *Ave sanctum chrisma.* Quo dicto labium ampellæ reverenter osculantur.

a Gen. 1. v. 31. 1. Tim. 4. v. 4. b Parte 3. fol. 188.

XIII. Quamobrem quum chrisma Pontificium, neque institutum sit, neque institui potuerit, à Christo; merito concludimus, chrismatis confirmationem, non esse, Novi Testamenti Sacramentum: ideoque prophanam esse Romanæ Ecclesiæ sententiam, quæ non solum verum esse Sacramentum contendit, sed etiam imprimere characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile [a]: & majori veneratione venerandum, ac tenendum, quam Baptismum [b]: idque ut pleni Christiani inveniantur [c]: item, ut Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis venire in hominem declaretur [d]: imo, quod nunquam erit Christianus nisi in confirmatione Episcopali fuerit chrismatus [e]. Hæc de confirmationis confutatione, ad pœnitentiam procedamus.

a Concil. Trident. sess. 7. can. 9. de Sacram. b Decret. de Consec. dist. 5. c. de his. c Ibid. c. omnis. d Ibid. c. Noviss. e Ib c. jejuni.

XIV. Quum autem Pœnitentia sit, merè interna, vel signis externis declarata: illam quidem non esse Sacramentum extra controversiam est; hanc verò externam, cum verbo absolutionis conjunctam, verum ac proprium esse Sacramentum Pontifices [a] statuunt: eamque definiunt [b], Sacramentum à Christo institutum, quod peccata illis remittenda, qui post Baptismum gratiam Dei amiserunt, ac deinde peccatorum pœnitentia ducti, in gratiam illius redire desiderant. Ac subjiciunt [c], id potissimum esse situm in confessione peccatoris auriculari, & absolutione sacerdotis. Et hujus Sacramenti quasi materiam esse actus pœnitentis tres, Pœnitentiam, Confessionem, & Satisfactionem pro peccatis, secundum arbitrium sacerdotis; præcipuè, orationem, jejunium, eleëmosynam: Orthodoxi contra, non esse ejusmodi Sacramentum à Christo institutum, rectis rationibus demonstrant.

a Catech. ad Paroch. & Catech. Bellarm. de Pœnit. b Ib. Catech. Bell. c Ib & Conc. Flor.

XV. Primum, quia deest signum Sacramentale. Nullum enim hic 1. elementum, 2. aut visibile gratiæ Symbolum. Eoque frivolum est, quod in verbo Confessionis & Absolutionis, signum collocant [a]. Deinde, quia hæc auricularis confessio caret Christi mandato: & Apostolorum exemplo. Denique,

que, quia hæc à peccatis absolutio à Christo institui non potuit; quum illius doctrinæ & gloriæ adversetur falsis hisce aliisque hypothesibus. Primum distinctionis peccati in mortale & veniale; quod & merito peccati, & justitiæ Dei repugnat; quum nullum sit, quod maledictionem & mortem non mereatur [b]. Deinde absolutionis à peccato, 1. remissa culpa, non semper remitti debitum, pœnæ temporalis luendæ, cum in alia vita, in purgatorio; tum in præsenti [c]. Quod & merito atque efficaciæ Christi, & Dei gratiæ, adversatur: quia ut Christi sanguis nos purgat ab omnibus peccatis [d]; sic nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo [e]: etsi castigationes paternæ, ad medicinam interdum adhibeantur [f]. 2. Debitum illud pœnæ per satisfactionem pœnitentis posse redimi. 3. Hujus satisfactionis quoque judicem esse sacerdotem, &c. Quæ omnia bonorum operum nostrorum debito & imperfectione, peccatorum merito, & mortis Christi λύτρῳ, Deique judicis potestate confutantur.

a Catech. ad Paroch. & Cat. Bellarm. de Pœnit. & Controv. de Pœnit. l. 1. c. 15. & 16. b Deut. 27. Rom. 6. c Concil. Trid. sess. 14. Bell. de Pœn. lib. 1. cap. 1. & 2. d 1. Joh. 1. v. 7. e Rom 8. v. 1. f 2. Sam. 2.

XVI. Nam quod potestas remissionis peccatorum Apostolis commissa Joh. 20. à Concilio Tridentino Sess. 14. adducitur, illud ineptum est: Quum iis, non jurisdictio, sed ministerium, committatur: quo, remissionis peccatorum, non sunt judices, ac authores constituti; sed judices ac præcones divini, ad consolationem credentium. Quod vel ex suo sententiarum Magistro [a] addiscere potuissent. Quare Pœnitentia illa nullo modo est Sacramentum. Idemque de extrema unctione, cum Orthodoxis, sentimus.

a Sent. 4. d. 18. f.

XVII. Eam enim intelligunt, qua æger in discrimine vitæ constitutus, oleo, per Episcopum consecrato, in oculis, clunibus, auribus, manibus, pedibus, renibus, à presbytero ungitur hac verborum forma: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum*, &c. 1. Ut reliquiæ peccatorum inprimis venialium (quorum videlicet aut est immemor aut inscius) abstergantur. 2. Et anima ægroti divinæ misericordiæ fiducia confirmetur: quo facilius morbum ferat, & Sathanæ resistat. 3. Utque sanitatem corporis, si animæ expediat, consequatur [a] verum, hoc non esse verè Sacramentum à Christo institutum, similiter demonstratur.

a Concil. Flor. in Decr. Eugen. & Trid. Conc. sess. 14. Catech. Trident. ad Paroch. de Extr. unct.

XVIII. 1. Quia neque signum illius, materia ac ritus; neque forma, sacris literis continetur. Nam materia, oleum, per Episcopi exorcismum & orationem, consecratum; ritus, inunctio septuplex; forma verò, *Per istam*, &c. de quibus nihil omnino in Scriptura extat. Nam quod ajunt [a]; apud Marcum [b] quidem insinuatum, per Jacobum [c] Apostolum ac Domini fratrem commendatum ac promulgatum, reipsa confutatur. Hi enim non loquuntur de tali oleo, nec de ordinario ac perpetuo Sacramento; sed de extraordinarii & temporalis miraculi signo: quod cessante miraculi dono omnino vanum est, nec citra κακοζηλίαν usurpari potest. Quodque Jacobus remissionis peccatorum etiam meminit, eam, non oleo, sed orationi fidei presbyteri & ægri adscribit: ut Matth. 9. v. 2. 3. quare unctio hæc non est à Christo instituta. 2. Imo, neque potuit à Christo institui, ob multiplicem impietatem; quæ in olei exorcismo & sequente oratione [d] elucet: simili ferè modo, quo in Chrismate, ut antea ostendimus.

a Concil. Trident. sess. 14. & Catech. ad Paroch. de extr. unct. b Cap. 6. c Cap. 5. d Pontif. Rom. part. 3. de off. fol. 184.

XIX. Unctioni succedit Ordinis Sacramentum: de quo ferè Pontificiorum tot dissensiones sunt, & errores; quot capita: è quibus paucos tantùm delibabimus. 1. Dum ordines & gradus clericorum, qui in Ecclesia serviunt, septem, ostiarii, lectoris, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotis plerique statuunt totidem esse Sacramenta: hinc conficitur, non septem fore sacramenta; sed tredecim, &, ex Bellarmini sententia, quatuordecim: quum sacerdotem in majorem, sc. episcopum, & minorem, scilicet presbyterum decidat: & utriusque ordinem Sacramentum esse tradat [a]. Nam, quod excipit, omnes ordines, licet sint per se singuli Sacramenta, tamen unum Sacramentum censeri, vel genere, vel quia ad unum finem omnes referuntur [b]; nihil juvat. Si enim genere sunt unum, diversæ sunt species, & quum, si unus sit finis remotus, non propterea Sacramentum unum; quum proximi fines sint diversi: diversa quoque materia ac forma: & separata subjecta.

a Bellarm. de Sacram. Ord. cap. 5. b Ib. cap. 8.

XX. 2. Quum horum ordinum materiæ & formæ [a], sacris literis non sint traditæ, perspicuum est, non esse Sacramentum. Quod partim vidit Pontificiorum Magister lib. 4. sent. d. 24. *Diacondtus* (inquit) *& presbyteratus solos primitiva Ecclesia legitur habuisse: &, de his solis, Apostoli præceptum extat.* 3. Ut varias, materiæ & formæ partim ineptias, partim blasphemias omittamus; (ut quod Episcopum fingunt, potestatem tribuere Exorcistæ dæmones exorcismis, & catechumenis & Baptizatis fugandi: subdiacono verò legendi Epistolas; & diacono Euangelia; utrimque pro vivis & defunctis: denique diacono & presbytero Spiritum Sanctum [b]) quum hi ordines; ut à Pontificiis observantur ad impium Missæ, pro vivis & mortuis, sacrificium, vel conficiendum, vel administrandum perspicuè pertineant [c]: eos non potuisse à Christo unico Novi Testamenti secundum ordinem Melchisedec sacerdote, institui [d], concludimus.

a Conc. Flor. decr. Eug. 4. Pontif. Rom. part. 1. Catech. Trident. ad Paroch. de Ordin. Sacram. b Ibid. & Conc. Trident. sess. 23. Can. 4. c Ibid. d Heb. 7.

XXI. Postremo loco Matrimonium non esse Novi Testamenti Sacramentum apparet: quia 1. ante lapsum institutum est. 2. Et utrique Testamento proprium. 3. Tam extra quàm intra Ecclesiam commune. 4. Nec ullum habet elementum à Deo mandatum. 5. Neque gratiæ justificationis promissionem ullam. Quamvis similitudinem aliquam habeat, cum magno illo unionis Christi & Ecclesiæ arcano [a]. Quamobrem merito, quinque illa Pontificiorum Sacramenta falsa esse statuimus.

a Eph. 5. v. 32.

COROLLARIA.

1. *Missa non est sacrificium: nec presbyteri sunt veri sacerdotes, secundum ordinem Melchisedec.*
2. *Purgatorium Pontificium est figmentum humanum.*

FINIS.

CON-

CONCILIATIO
Doctrinæ Orthodoxæ
DE PROVIDENTIA DEI.

Caput I.

PERICLEM narrant [a] historici, *antequam ad habendam concionem accederet, Deum semper precari solitum, ne ullum verbum, quod ad rem præsentem non conveniret, invito sibi excideret.* Religiosè profectò & prudenter, ob teneras vulgi aures, quæ levi momento offenduntur, & perversum quorundam studium, qui omnia in deteriorem partem rapiunt & interpretantur. Verùm id mihi multò religiosius, de Providentia Dei acturo, observandum arbitror. Quam ad rem non solùm tenuitatis meæ conscientia, materiæ gravitas, & accuratum doctorum judicium, sed multorum etiam præjudicium hortatur & exstimulat. *Nam* (ut cum vetustissimo [b] scriptore loquar) *confiteor libenter à sapienti & fideli viro dictam sententiam, quam sæpe suscipio, de Deo & verè dicere, periculum est. Neque enim ea tantùm periculosa sunt, quæ falsa de Deo dicuntur, sed etiam quæ vera sunt, & non oportunè proferuntur, dicenti periculum generant.* Quare ad te me converto Deus optime maxime, veniam opemque Spiritus tui & providentiam imploro: da quæso ut veritatem perspiciam eamque sanctè & oportunè proferam: lectores rectè capiant: omnes denique studia nostra, veritati & paci Christianæ, ad nominis tui gloriam & ecclesiæ bonum, certatim consecremus. Dicturus igitur de Providentia Dei, ut via quadam & ratione procedat oratio, à vocis explicatione, quæ rei nota est, ordiendum existimo; ne ambiguitate illius à vero aberremus. Etenim *providentiæ vox* variis modis accipi solet. *Primum* enim accommodata à sensu metaphora, ad intellectum transfertur & præscientiam notat: ut Græcis πρόνοια. Hinc Phavorinus [c] προνοεῖ, τὸ ἀπλῶς πρότερον νοεῖ. Et Hesychius πρόνοια, προθύμησις. Sic Nicias, ἐπιθυμίᾳ μὲν ἐλάχιστα κατορθοῦται, προνοίᾳ δὲ πλεῖστα, *Cupiditate quidem paucissima rectè geruntur, providentia verò plurima.* Huc etiam pertinet nota illa ac trita definitio [d]: *Providentia est per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. Deinde* synecdochicè ad voluntatem etiam pertinet, & bonum consilium seu decretum significat: hoc est, sapientem rerum ad finem bonum destinationem. Duo enim ad hanc providentiæ rationem omnino pertinent, præscientia, & præfinitio, primùm finis, secundò mediorum. *Finis enim* (ut ex naturæ luce omnibus notum & communi sermone tritum) *prior est mediis, in intentione* (si non tempore, saltem ordine) *posterior autem executione.* Sin secus, non providentia, sed temeritas appellanda est. Deinde finis esse debet non solum bonus, sed etiam δυνατὸς, qui obtineri possit. Nam si malus, versutia est; si ἀδύνατος qui fieri nequeat, inscitia: quorum utrumque quasi è diametro providentiæ adversatur. Interdum tamen καταχρηστικῶς ad pravum etiam consilium refertur. Sic à Philosopho [e] ἐκ προνοίας καὶ μετὰ βουλῆς τοῦ ἀπολέσαι αὐτὸν *ex providentia & animo perdendi eum*, abusione quadam vocis, eodem sensu usurpantur. Cæterum meliorem in partem, quum virtus sit, adhiberi consuevit. Qua ratione πρόνοια *providentia* Felici, Act. 24. 4. & synonymum προβλέπειν *prospicere* Deo ascribitur, Hebr. 11. 40. & δύναμιν προνοητικὴν *providendi vim*, Damascenus nominat, Orthod. fid. lib. 2. cap. 28. *Tertio* metonymicè ad actionem refertur & effectum quendam providentiæ, hoc est, sapientem rerum existentium ad finem suum gubernationem indicat vulgo. Quo quidem modo ab effectione distinguitur: ut in artium distributione fieri solet. *Sic enim artifices quidam*, ait Greg. Nyssenus, de providentia cap. 1. *ad hoc tantum, ut bene operentur, sunt eruditi, & nullius amplius habent curam; ut tectores, scribæ, figuli: alii solùm provident; ut agasones & pastores.* Sic loquitur Apostolus εἰ δέ τις τῶν ἰδίων οὐ προνοεῖ, *si quis verò suis non providet* [a]. Quum autem ad hanc gubernationem requirantur duo, utilium mediorum procuratio & noxiorum cautio: hinc fit ut synecdochicè modò pro hac, modò pro illa parte à bonis auctoribus providentiæ vox passim usurpetur. Sic etiam in sacris literis, *Deus sibi pecudem videbit*, seu providebit, hoc est, procurabit, Gen. 22. 8. Similis locus est Exod. 18. 21. & alibi. Atque huc etiam quadrat illud Apostoli, προνοοῦντες καλά· *providere honesta*, Rom. 12. v. 17. 2. Corinth. 8. v. 21. *Quartò* denique & synecdoche amplissima rerum efficiendarum & curandarum consilium & executionem illius simul complectitur. Quo sensu providentiam Dei hoc loco statuimus ex reipsa & veterum, à quibus voces promanarunt, sententia. Sic Cicero, De natura Deorum lib. 2. *Dico igitur providentia Deorum mundum & omnes mundi partes & initio constitutas esse & omni tempore administrari.* Lactantius, de ira Dei cap. 10. *Est igitur divina providentia (ut senserunt ii homines quos nominavi) cujus vi ac potestate omnia quæ videmus, & facta sunt & reguntur.* Nec enim creari mundus, sine divina providentia, potuit: nec perdurare, nisi providentia gubernaretur. Interim tamen providentiæ vox κατ' ἐξοχὴν & distinctionis ergo, quum creationi opponitur, non ad decretum Dei æternum, nec ad creationem extenditur, sed ad solam rerum gubernationem significandam commode adhibetur vulgo. Hinc Sapiens Hebræus [b], *Parvum & magnum ipse fecit æqualiterque providet omnibus.* Et Theodoretus [c], *Posuit tum ea quæ pertinent ad creationem, tum quæ faciunt ad providentiam. Quia non modo condidit universa, sed etiam in iis gubernandis perseverat.* Sic denique ut alios præteream ex Gregorio Nysseno Damascenus [d], πρόνοια τοίνυν ἐστὶν ἡ ἐκ Θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια, *providentia igitur est Dei in ea quæ sunt cura.*

a Plutarchus in Pericle. b Origenes in Ezech. hom. 1. c Thucyd. lib. 6. d Cicero de Inventione lib. 2. & August. Quæst. octuag. q. 31. e Arist. mag. moral. lib. 1. cap. 17.

a 1. Tim. 5. 8. b Sap. 6. 8. c Comment. Jer. 51. & Divinor. decre. epit. cap. Provid. d Lib. de Prov. cap. 2. Orth. fid. lib. 2. c. 28.

Caput II.

ATQUE hactenus *de providentiæ voce & usu illius*: jam verò ad *rem ipsam* & Dei providentiam accedamus, *deque natura illius & cognitionis usu*, pro tenuitate nostra disseramus. De natura autem quæritur generatim, an aliqua sit Dei providentia: & nominatim quid ea demum sit. Quæ singula deinceps persequemur suo ordine. Ac prior quidem pars tam aperta est & naturæ luce perspicua, ut orationem minime desideraret, nisi singularis profanorum hominum obstaret audacia & imbecilliorum quos pervertere student, habenda esset ratio. *Iisdem enim argumentis*, ait Nyssenus de Provid. c. 1. *quibus divinitas, demonstrari potest.* Nam quum omnibus mortalibus innatum & eorum animis quasi insculptum sit [illegible] esse Deum, adeo ut ne ipsi quidem Epicuræi id negaverint, quis providentiam illius inficietur? *Etenim si Deus est*, inquit Lactant. de ira Dei c. 9. *utiq; providens est, ut Deus: nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi & præterita teneat & præsentia sciat & futura provideat.* Eaque ratione & idolorum vanitatem arguit & divinitatem sibi asserit Deus, *Indicate*, ait Esa. 41. 23. *istorum signa in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos.* Et alibi, *Ego sum Iehova, illud est nomen meum & gloriam meam alteri non dabo. Priora ecce evenerunt & nova ego indico, quum nondum exoriuntur, pronuntio vobis*, Esa. 42. 9. Quare pro-

re providentiam quisquis sustulerit, etsi divinitatem verbis assereret maximè, reipsa tamen divinitatem negat. Ac sanè quum nullum mortalium dignum censeamus appellatione patris, qui liberorum curam abjiciat; aut regis, qui subditos negligat: quid fieri possit indignius, quàm putare justissimum ac benignissimum rerum omnium dominum ac patrem, abjecto mundi gubernaculo, regnum & opus suum, ludibrio fortunæ, aut insolenti subditorum arbitrio, prostituere? Quare rectè ac graviter, ut multa de Deo Nyssenus de Provid. c. 8. *Quia sapiens est & bonus, sapienter & optimè eorum quæ sunt providentiam gerit. Nam siquidem non providet, non est bonus: si verò non bene, minimè sapiens est.* Verum, ut ab illa sublimi Dei natura, ad opera illius & illustrissimam mundi fabricam, oculos circumferamus, quis adeo rudis est, ut ex cæli magnitudine, firmitate, motu, innumerabili syderum copia, dispositione, splendore, & ad statas temporum vices moderandas terræque fæcunditatem utilitate, conspicuam Dei providentiam non agnoscat? Quis tam hebes ut ex soli medio aëre librati stabilitate: & admirabili animalium, arborum, fructuum, structura, varietate, opportunitate, generis cujusque conservatione ac propagatione incredibili, Dei sapientiam & potentiam non persentiat? Quis adeo cæcus est, ut ex perenni fontium scaturigine, perpetuo fluminum cursu, oceani amplitudine, fertilitate, fluxu & refluxu certissimo; ex omnium denique mundi partium compage, usu, ordine & ornatu summo, quasi ex speculo, relucentem Dei providentiam, non pervideat, admiretur, prædicet? Qua de re divinè, ut omnia, Apostolus Rom.1.19,20. ait: *Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis. Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia, jam inde à condito mundo, ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna videlicet ejus, cùm potentia tum divinitas, ad hoc, ut sint ipsi inexcusabiles.* Et præclarè Jobus, Dei providentiam, adeo claram esse docet, ut & bruta animantia, eandem docere valeant. *Cæterum*, ait, *interroga quæso bestias & unaquæque docebit te: & volucrem cœli & indicabit tibi. Aut alloquere terram & docebit te: etiam narabunt tibi pisces maris. Quis non cognovit ex omnibus istis, quod manus Iehovæ fecit istud*; *in cujus manu est anima omnis viventis & spiritus totius carnis humanæ?* Job.12.7, 8, 9, 10. Et Paulus, *Non passus est Deus se expertem esse testimonii, dans nobis cælitus pluvias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra*, Act. 14.17. Et alibi, *Definivit tempestivitates, quas præstituit: & posuit terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, si forte palpando, eum invenirent*, Actor.17.26, 27. Hinc *cœlos enarrare gloriam Dei*, ait Psaltes Psal. 19. 1. & in providentiæ laudem erumpens, *Iehova*, inquit, *Domine noster, quàm magnificum est nomen tuum in tota terra, qui ponis decus tuum supra cælos*, Psal. 8. 1. Nec mundus solum universus, sed hominis etiam constitutio & regimen (unde [a] μικρόκοσμος & *mundi majoris breviarium* dicitur) Dei providentiam ostendit. Nam admirabilis humani corporis structura, artificis sapientiam celebrat: & animi conjunctio & imperium, gubernationem illius evincit. Siquidem quum nec corpus sine ratione, ut nec respublica sine rectore, nec sine gubernatore navigium, queat consistere: an universa hæc mundi machina, quæ ex innumera rerum contrariarum varietate conflata est, tot seculis tantaque firmitate & ordine, sine ordinantis Dei providentia perduraret? Itaque memorabilis sanè Gregorii Magni sententia, Moral. in Job. lib. 6. cap. 6. *Quis*, inquit, *omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat? quòd cuncta ex nihilo creavit, quòd ipsa mundi fabrica mira potentiæ virtute disposita sit, & super aëra cælum suspenditur, & super abyssum terra libratur: quòd ex rebus invisibilibus ac visibilibus omnis hæc universitas existit: quòd hominem fecerit, (ut ita dixerim) in brevi colligens mundum alterum, sed rationalem*; *quòd hunc ex anima & carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum & lutum.* Præterea quid imprudentius, imo impudentius fieri potest, quàm ut eum, qui providendi facultatem (quæ non nisi à providente natura manare potuit) non hominum solùm animis, sed & brutis animantibus quodammodo impressit, providentiæ laude spoliemus? Eoque merito exclamat Psaltes, *Animadvertite ô brutissimi & stultissimi, quando intelligentes eritis? Plantator auris an non audiat? aut formator oculi non intueatur? An castigator gentium, non reprehendat: qui docet homines scientiam?* Psal. 94. 8. Huc etiam accedit religionis quoddam quasi semen, omnium mortalium pectoribus insitum penitissimè: adeo ut nulla sit gens tam barbara, tam efferata, quin Deum colendum esse sentiat, & aliquam saltem religionis & divini cultus habeat rationem, eoque providentiam Dei reipsa agnoscat. Nam quid obsecro precibus opus est, si eas non audit, aut non exaudit Deus? quid gratiarum actione alienius, si nulla ab eo beneficia? quid religione & timore Dei vanius, si neglecta universi cura, pietatem & impietatem mortalium pari ratione & modo æstimat? At secus omnium temporum & locorum experientia comprobatum est. Etenim apertissima copiosaque divinæ in sceleratos vindictæ & erga probos benignitatis exempla nunquam defuerunt. Cujus rei testes locupletissimi sunt historiæ non solùm sacræ, sed etiam profanæ, & quæ *mille testium instar conscientia.* Illius enim naturam paulisper examina, nihil verius comperies. Nam quid ea tandem aliud est, quàm judicii divini quoddam quasi præjudicium & certissimum providentiæ in utramque partem argumentum? Scitum enim illud ac suo modo verum monostichon, βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός. *Omnibus mortalibus conscientia* (quasi) *Deus. Nam quum gentes*, ait Apostolus, *quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus*, Rom. 2. 14, 15. Itaque ut omnia bonis interdum malè: malis verò benè & ex sententia fluere videantur: illorum tamen felicitatem id minimè evertit: nec horum miseriam tollit. Hos enim maleficiorum conscientia Dei iram intentans perpetuo stimulat & excruciat: illos recti & providentiæ divinæ conscientia in media etiam morte consolatur: *quia præsentem vitam, viam, non patriam*; *militiam, non palmam deputant:* ut scitè Gregorius Magnus Moral. in Job. l. 8. c. 6. Nec obstat, quòd gubernationis divinæ rationem in multis non capimus: *imo vel hoc ipsum maximæ est providentiæ, quòd rerum rationes nobis arcanæ sunt & ineffabiles:* ut doctè Chrysostomus [a] monet & pluribus confirmat. Præterea quid de ostentis & prodigiis, quæ rerum eventu comprobata sunt, statuemus? quid de miraculis, quæ non casu aut fortuna, sed consulto supra naturæ vires, præstita sunt innumera; nonne potentissimam Dei manum & divini numinis providentiam disertè testantur? Denique, ut alia prætercam, quum crebrò & ab omni pene memoria, rerum etiam multis post seculis futurarum, prædictiones verissimæ & clarissimæ extiterint, quæ nulla naturæ luce, nulla conjectura concipi potuerunt: ecquis aliquam esse Dei providentiam dubitare audeat? Quare ex his omnibus, id quod instituimus, generatim divina confirmatur providentia: quæ copiosius ac distinctius ex sacrarum literarum auctoritate demonstrabitur suo loco.

a Gregor. Nyss. lib. de homine cap. 4.

a Comment. ad Ephes. 5. sermone 20.

CAPUT III.

ITAQUE ut ordinis, à nobis propositi, ratio postulat, *quid providentia Dei sit*, porro explicemus. Ea autem est providentia, qua Deus, ad gloriam suam, universas actiones suas externas earumque circumstantias, decrevit ab æterno: & tandem exequitur. Quod autem providentiam appellamus, non inanis est ταυτολογία, sed generis analogici, quod κατ' ἔλλειψιν non ineptè omitti solet, declaratio. Siquidem alia est, creaturarum ratione præditarum, Angelorum & hominum: alia Dei providentia. Illa cum ratiocinatione & consultatione; hæc sine ea: illa imperfecta; hæc perfectissima [a]. Quod ex descriptione constat, quæ porro nobis re-

a Arist. Ethic. lib. 6. c. 6. & Thomas part. 1. qu. 22. art. 1.

texenda

texenda est ac distincta partium explicatione illustranda. Etenim quum [a] providentia, generatim sumpta, consilium & executionem illius complectatur: ita & providentiæ divinæ partes sunt duæ, consilium seu decretum Dei, & illius executio [b]. Hinc rectè Scholastici, *sciendum est, quod circa providentiam duo sunt consideranda. Unum est ipsa præordinatio: & aliud est ipsius præordinationis executio: Primum est æternum; & secundum temporale.* Consilium seu decretum Dei est prior providentiæ divinæ pars, qua ab æterno res omnes præscivit, & ex iis, pro suo arbitrio, certas cum omnibus suis circumstantiis, quàm optimè præfinivit. Cæterum ut consilium omne ad intellectum pertinet & voluntatem: sic etiam consilium seu decretum Dei, analogicè complectitur, præscientiam Dei indefinitam, & præfinitionem illius, quæ, ὡρισμένη βουλὴ τοῦ Θεοῦ, *definitum* seu *destinatum Dei consilium*, dicitur Actor. 2. 23. Etsi enim in Deo, propter summam essentiæ simplicitatem, hæc duo, ut similia, reipsa sint unum; nec tempore differant, quia æterna: ratione tamen ordinis & conceptus nostri, cui se clementer Deus accommodavit, distinguuntur. *Præscientia* autem *Dei indefinita* est rerum universarum & singularum, quæ fieri possunt, perfectissima in Deo scientia. Nam præscientiæ objectum sunt τὰ δυνατὰ quæcunque fieri possunt: quorum ratione distinguitur. Est enim τῶν δυνατῶν ἁπλῶς, ἢ τῶν μελλόντων, eorum quæ simpliciter fieri possunt (sive ea futura sint, sive minus) aut futurorum. Unde illa *præscientia indefinita* & *simplicis intelligentiæ*; hæc verò *definita* nominatur [a]. Etenim omnia futura, fieri possunt; sed infinita possunt fieri, quæ nunquam futura sunt: utraque tamen à Deo præsciuntur ab æterno [b]. Nam si plura, quam fiunt efficere nequit Deus; non est omnipotens: si, quid valeat aut fieri possit, ignoret; non est omniscius: quibus nihil magis absurdum, nihil in divinam majestatem indignius, dici aut fingi potest. Nam & ratio dictat & sacræ literæ testantur, Deum esse infinitum: eoque scientia & potentia infinita præditum. Omnipotens tamen non hoc solùm nomine, quod omnia possit, quæ velit; sed & reliqua, quæ velle potest & naturæ ipsius tanquam summo bono, minimè repugnant. Quæ summa demum potentia est. Ideo enim verè omnipotens est, quia impotens esse non potest. Sic noluit Christum, Angelorum subsidio, morti eripere: attamen potuit. *An putas*, inquit Servator Matth. 26. 53. *me non posse rogare Patrem, & sistet mihi plures quàm duodecim legiones Angelorum?* Et ut potuit Deus, ita posse se, ab æterno præscivit: quia summè sapiens, sibi ignotus esse non potest.

a Resolutio Theolog. super sententias. b Tract. 1. par. 3. por. 1. q. 3. & Thomas Par. 1. q. 22. art. 1.

a Thomas Aq. Par. 1. qu. 14. ar. 9. &c. b Greg. de Valent. comment. Theol. Disp. 1. q. 14. pun. 5.

Caput IV.

PRÆFINITIO verò est actio voluntatis Dei qua ad suam gloriam ex rebus præscitis creationem & gubernationem hujus mundi præfinivit. *Actionem* voluntatis appello: quia, quemadmodum præscientia ad intellectum, ita & præfinitio ad voluntatem pertinet. Quare & consilio ab Ecclesia Hierosolymitana ascribitur, his verbis, *Quæcunque manus tua & consilium præfinierat facienda*, Act. 4. 28. & ad voluntatem ab Apostolo refertur, *Præfiniti*, inquit, *secundùm propositum ejus, qui omnia efficit secundùm consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. 11. Non enim omnia, quæ præscivit, quum infinita sint; sed quæ voluit, eoque certa quædam præfinivit Deus: *quia omnia quæ voluit fecit*, Psal. 115. 5. Unde etiam præfinitio, quæ voluntatis actio, metonymicè, *voluntas Dei*, passim appellatur. Quum verò ad præfinitionem, ut ante ostendimus, duo requirantur, primùm finis, deinde media: seu, propositum finis & accommodata mediorum, ex rebus præscitis, ad eum finem destinatio; utrumque descriptione proposita explicatur. *Ac finis* quidem *præfinitionis Dei* est ipsius gloria: quæ ut summo bono & bonorum omnium fonti, jure meritoque convenit: etsi Deo ad beatitudinem nihil conferat, Act. 17. 25. Deut. 10. 13, 14. Alioqui non esset summum bonum, [a] *sibi ad omnia sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint & ut bene sint.* Hunc autem esse finem perspicuum est. Sic enim ait Sapiens, *Omnia Deus fecit propter semetipsum, etiam impium ad diem malum*, Pro. 16. 4. *Quoniam ex eo* (inquit Apostolus Rom. 11. 36.) *per eum, & in eum sunt omnia.* Et alibi exclamat, *Regi autem æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria, in secula seculorum, Amen*, 1. Tim. 1. 17. *Media* verò sunt creatio & gubernatio hujus mundi: quæ ad gloriam suam, quàm optimè præfinivit ab æterno: quia ante creationem, nihil nisi æternum. Porro quum ex rebus præscitis creationem & gubernationem hujus mundi pro voluntate sua præfinierit Deus: consequitur hanc *præfinitionem* non solùm *optimam*, hoc est, sapientissimam esse & justissimam: verum etiam *liberrimam* & *immutabilem.* Hæc enim voluntatis Dei optimi, maximi, propria. Quum autem alia sit libertas à necessitate naturali, alia à necessitate accidente seu coactione: hoc quidem libertatis modo, seipsum vult Deus: utroque verò, reliqua à se. Etenim seipsum, hoc est, suam sapientiam, potentiam, bonitatem, gloriam, non potest non velle, liberrima ab omni coactione necessitate naturæ: *quia seipsum abnegare non potest*, 2. Tim. 2. 13. Reliqua verò creationem nimirum & gubernationem hujus mundi, poterat non velle, aut aliter: voluit autem Deus, nulla naturæ necessitate, vel coactione absoluta, aut *mixta* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ [b] volens nolente animo, *(ut hominibus contingit)* sed voluntate omnino liberrima. Quia nullius est indigus, nulli devinctus, solus αὐτάρκης & omnipotens: qui nec cogi potest nec impediri. *Eoque omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. 11. *miseretur quorum vult: quos vult indurat*, Rom. 9. 18: *elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ*, Eph. 1. 4. *dona sua distribuit, prout vult*, 1. Cor. 12. 11. *(nam quis prior dedit Domino, ut retribuatur ei?* Rom. 11. 35.) *denique de suo facit quod vult*, Matt. 20. 15. Itaque nullæ hoc loco fatales Stoicorum affingendæ sunt tabulæ, quæ Deo creationis aut gubernationis destinandæ legem modumve imponant. Qua de re graviter Nyssenus lib. de fato c. 4. *Neque* (inquit) *voluntatem ejus servire necessitati fas est dicere. Etenim necessitatis est conditor. Nam necessitatem sanè imposuit astris, ut semper secundùm idem moveantur: & mare circum terminavit: & universalibus & generalibus necessarium terminum imposuit. Quem si Fatum vocare volunt: eò quod ubique & semper secundum necessitatem fit, ut omnia per successionem sint in generatione & corrumpantur, nihil curamus. De nominibus enim non velitamur adversus eos. Ipse verò supra omnem necessitatem, non modo consistit: sed & dominus & factor ejus est. Omnipotens enim existens & suapte natura ipsa potestas, nihil neque naturæ necessitate, neque legis dispositione facit. Omnia verò ei sunt contingentia, etiam necessaria. Et ut hoc monstretur, cursum Solis & Lunæ, qui necessitate feruntur & semper uno modo habent, quandoque stare fecit: ut ostendat nihil à se secundùm necessitatem fieri, sed omnia per potestatem contingenter.* Quamobrem præfinitio Dei liberrima est: quemadmodum & constantissima atque immutabilis. Propterea ἀμετάθετον τῆς βουλῆς *immutabilitas consilii* Deo ascribitur in [a] Sacris literis. Nec sanè immeritò. Primùm quidem, quia Deus simplex est & æternus: *nihil* autem *simplex mutabile*, & quidquid propriè æternum, idem immutabile. *Quod enim mutatur*, ait Augustinus [b], *non manet: quod non manet, non est æternum. Idque inter immortale & æternum interest, quòd omne æternum immortale est: non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur. Quia etsi semper aliquid vivat: tamen si mutabilitatem patiatur, non propriè æternum appellatur: quia non semper ejusmodi est: quamvis immortale, quia semper vivat rectè dici possit.* Deinde etiam præfinitio immutabilis est, quia nec falli sapientissimus, nec mentiri verissimus, nec superari aut ab ullius creaturæ arbitrio pendere potest omnipotens, & (ut cum Nysseno [c] loquar) ἀναίτιος *causæ* superioris *expers* Deus. Atque huc cum primis faciunt disertissima hæc Sacrarum literarum testimonia, *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis ut mutetur*, Num. 23. 19. *Dixit ergo & non faciet? locutus est & non*

a Aug. de civit. Dei l. 10. c. 5. b Arist. Ethic. ad Nicom. l. 3. c. 1.

a Heb. 6. 17. b August. de Trinit. l. 7. c. 6. Quæst. octuag. q. 19. c Lib. de fato cap. 4.

implebit? Mal. 3. 6. *Ego Iehova non mutor. Multa cogitationes insunt animo cujusque, sed consilium Iehovæ ipsum stabit*, Prov. 19. 21. *Iehova exercituum ineunte consilium, ecquis irritum faciet? & manum ejus extentam, quis avertat?* Esa. 14. 27. *Ego sum Deus & non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum & ab initio quæ nondum facta sunt, dicens, Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet*, Esa. 46. 9, 10. *Consilium Iehovæ in seculum consistit: cogitationes cordis ejus, in ætates singulas*, Psal. 33. 11. *Omne munus bonum & omne donum perfectum supernè est, descendens à patre luminum: apud quem, non est transmutatio nec conversionis obumbratio*, Jac. 1. 17. Unde etiam *solus sapiens: solus bonus, solus potens & immortalis*[a] appellatur. Nec quidquam huic adversatur sententiæ quod pœnitentia Deo attribuitur, cum alibi, tum Gen. 6. 6. *Pœnituit Jehovam, quod fecisset hominem*: & 1. Sam. 15. 11. *Pœnitet me constituisse Saulum in regem.* Ea enim voce non mutabilis in Deo affectus (quum nullum accidens sit in eo, utpote simplicissimo & infinito) sed destinata effectus mutatio ἀνθρωποπαθείας metaphora adumbratur. Quod vel ex interpretatione Samuelis, altero in loco, constat. *Triumphator*, inquit, *Israëlis, non mentietur, neque pœnitebit eum: quia non est homo, ut pœniteat eum*, 1. Sam. 15. 29. *Quomodo enim* (ait Theodoretus Quæst. in Gen. c. 7.) *pœnitentia cadat in eum, qui sua præscientia regit universa? Quare pœnitentia Dei nihil aliud est, quàm mutatio dispensationis ejus. Pœnitet me, inquit, quod constituerim Saulum regem: pro eo, quod est, statui illum deponere & alterum creare. Sic in hoc loco, Pœnitet me fecisse hominem, hoc est, decrevi perdere hominum genus.* Quapropter scitè ac rotundè Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 20. cap. 24. *Quia ipse immutabilis, id quod voluerit mutat; pœnitere dicitur: quamvis rem mutet, consilium non mutet.* Et Augustinus in Psal. 109. *Pœnitentia mutatio rerum significatur.* Et de civit. Dei l. 15. c. 25. *Cogitatio verò ejus & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim ut hominem, ita Deum, cujusquam facti sui, pœnitet: cujus est de omnibus rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia.* Porro nec veteris testamenti abrogatio nec cæterarum rerum mutatio præfinitionis constantiam tollit. *Nam hæc omnia* (ut idem Aug. Epist. 5. ad Marcellum ait) *mutantur, nec mutatur divina providentia ratio: qua fit, ut ista mutentur.* Præterea quod minas non semper exequitur Deus ut Abimelechi, Ezechiæ & & Ninivitarum historia comprobat, nullam consilii mutationem arguit: sed sapientem Dei clementiam demonstrat. Siquidem tacita exceptione resipiscentiæ, minarum terrore, strata consilio via, ad destinatum officium & salutem peccatores, non gratiosè solùm invitat: sed & Spiritus efficacia pertrahit ac perducit. Qua de re præclarum in Ezechiele cap. 33. 11. testimonium; *vivo ego, dictum Domini, non delector morte improbi: sed ut convertatur & vivat.* Ac rectè Theodoretus in Jon. 3. *Quoniam conservare Deus gaudet, minatur tristia, ne in nos tristia invehat;* Et in Ezech. 7. *Ineffabilis Dei clementia pœnas minatur, ne in pœnas inferat.* At de Ezechiæ exemplo nominatim & graviter, Augustinum[a] secutus, Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 12. cap. 1. ait, *Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decrevit, qualiter per secula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat: ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est, quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat. Nam etsi annos quindecim, Ezechiæ regi, ad vitam addidit omnipotens Deus: quum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur, quomodo ei per Prophetam dicatur* 2. Reg. 20. 1. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives. Cui quum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lachrymas est vita addita. Sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur: per largitatem verò misericordiæ illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante secula ipse præscivit. Nec propheta igitur fallax; quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec Dominica Statuta convulsa sunt; quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit: atque spatium vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento in præscientia fuit intus statutum.* Hinc etiam Deus Abimelecho mortem initio minatus, expressa postmodum conditione, minarum sententiam illustravit, Gen. 20. 3, 7. Qua de re tota insignis & ἀνθρωποπαθὴς figuratus Jeremiæ locus, *Quum eloquar*, inquit Deus cap. 18. 7, 8. *contra gentem & contra regnum, me convulsurum & demoliturum & perditurum momento, conversa gente illa à malo suo, contra quam locutus fuero, pœnitebit me quoque ejus mali, quod cogitaveram facere ei.* Atque eadem est promissionum ratio. *E contrario*, ait Ezech. 18. 9, 10. *quum loquar de gente & regno me ædificaturum & plantaturum momento, si fecerit quod malum in oculis meis, non auscultando voci meæ, vicissim pœnitebit me illius boni, quo dixeram me benefacturum ei.* Hujusmodi promissio est de sacerdotio Heli 1. Sam. 2. 30. & de regno Sauli 1. Sam. 13. 13. Talis etiam quodammodo promissio extitit, de introducendis in Chananæam[b] Israëlitis: quæ ratione quidem populi seu generis Israëlitici, fuit absoluta ac tandem re comprobata[c]: verùm, si singulos spectes, tacitam habuit conditionem, nimirum, si Deo se morigeros præberent. Quamobrem hæc frustra decreti divini certitudini & veritati opponuntur.

a Rom. 16. 27. Luc. 18. 19. 1. Tim. 6. 15, 16.

a Aug. de Genes. ad lit. lib. 6. cap. 18. b Exod. 3. 17. c Num. 15. 2. & 14. 30.

CAPUT V.

ATQUE hactenus *de præfinitionis attributis* ac præsertim libertate & constantia illius immutabili: reliquum est, ut *distinctionem* illius attexamus. Siquidem objecti ratione distinguitur. Etenim quæcunque eveniunt bona, ea præfinivit Deus efficere: quæ peccata, ad bonum permittere: utraque justè & ad destinatos fines dirigere. Quamobrem distinctè illud decretum efficax: hoc verò permittens, dici solet. Eoque præfinitio Dei bonorum omnium causa efficiens prima ac summa: omnium vero rerum in universum moderatrix. Quo quidem sensu nonnulli[a] *potens & efficax decretum* nominant: quatenus nimirum permissioni otiosæ & à gubernatione vacuæ (quam quidam malè statuunt) opponitur. Nam decretum efficax dicitur vel per se & ἁπλῶς *simpliciter*, ratione regiminis & effectionis: vel per accidens & κατά τι *aliquatenus*, ratione regiminis solùm. Illud est, quo res objectæ & fiunt & diriguntur divinitus; ac speciatim ad bona restringitur: hoc verò est, quo res objectæ omnino, hoc est, antequam fiant, quum fiunt & factæ sunt, ad fines usque destinatos tantummodo diriguntur: & peccatis congruit. Quamobrem ex hac verissima distinctione, nostrorum in hoc argumento sententias (quæ ex Sacris literis haustæ, minus attentis, inter se dissentire videntur) optimè convenire perspicuum est. Qua de re tota quid ex divina auctoritate & orthodoxo piorum consensu statuendum sit, plenius ac planius suo loco[a] exponemus. Cæterum Dei præfinitionem ad omnia tam mala, quàm bona, quamvis diversa ratione referri, Sacræ literæ & res ipsa testantur. Quoniam non minus verum, quàm tritum illud dictum, *Quicquid Deus agit in tempore, id*[b] *præfinivit ab æterno.* Quia nihil, sine consilio, agere potest sapientissimus: nihil contra consilium suum, omnipotens & immutabilis Deus. Itaque quum non solùm bona efficiat, sed mala etiam permittat ac dirigat: utraque hoc modo, æterna voluntate sua, præfinivisse certissimum est. Ac rectè Augustinus[c] ait, *Propterea namque opera exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo, non fiat præter ejus voluntatem: quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens, etiam de malo, facere posset bene.* Atque hoc testatur Ecclesia Apostolica quum ait Act. 4. 27. *Coacti sunt enim verè, adversus sanctum tuum Filium Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, ut facerent, quæcunque ma-*

a Beza colloq. Mompelg. parte altera pag. 179.

a Cap. 11. & 12. b Act. 15. 18. c Enchrid. ad Laur. c. 100.

nus

nus tua & consilium tuum προώρισε γενέσθαι *præfinierat facienda.* Et Apostolus Act. 2. 23. τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ, *hunc definito consilio & præscientia Dei deditum, quum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum, interemistis.* Et Christus Luc. 22. 22. *Filius hominis vadit, prout definitum est, sed væ homini, per quem traditur.* Atque ex hisce patere satis existimo, qua ratione, sine ulla in Dei majestatem injuria, à magno viro [a] dictum sit, quòd, πρόγνωσις *ad ea quoque transferatur, quæ sicut optima sunt, quod ad Dei decretum attinet; ita hominum ipsorum respectu, summa maximaque sunt scelera: ut* Act. 2. 23. *dicitur Christus* προγνώσει τοῦ Θεοῦ *proditus, & impiorum manibus crucifixus.* Quare frustra, ex hac sententia, calumniandi occasionem arripiunt. Sed plura suo loco.

a Beza præl. in Rom. 6.

Caput VI.

PORRO à natura *præfinitionis* Dei ad *effectum* illius proprium & necessarium accedamus. Id autem est *præscientia definita*, quæ est rerum omnium à Deo præfinitarum in Deo scientia. Quandoquidem *nota sunt Deo ab æterno omnia opera sua*, Act. 15. 18. *Ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cælo sunt*, Joh. 26. 24. *Nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*, Hebr. 4. 13. *Adeo ut tenebræ perinde sint ei atque lux*, Psal. 139. 12. *Novit omnia: Corda & renes perscrutatur*, 1. Joh. 3. 20. Jerem. 17. 10. *Intelligit cogitationes è longinquo*, Psal. 139. 2. *Sapientiam dat sapientibus & scientiam scientibus intelligentiæ*, Dan. 4. 21. Eoque meritò *solus sapiens* appellatur, 1. Tim. 1. 17. Quod eleganter expressit Boëthius, De consol. Philos. lib. 5. metro 2.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt:
Non nox atris nubibus obstat:
Uno mentis cernit in ictu
Quæ sunt, quæ fuerint, veniantque.
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

Hanc autem definitam Dei præscientiam, *Scientiam visionis & intuitivam Dei notitiam* [a] nominant: quod res omnes præfinitas, tanquam præsentes, intueatur ac cognoscat penitissimè. Etenim *non singula*, ut Augustinus de Trinitate lib. 15. cap. 7. ait, *cognoscendo aspicit, sed una æterna & immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ novit.* Itaque si res ipsas, Præscientia; sin æternam Dei naturam consideres, Scientia potius dicenda est, quàm, Præscientia. Quia quod propriè æternum est, successione & intervallo temporis caret. Unde æternitas vulgo definitur ex Boëthio [b]; *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Deus autem inhabitat æternitatem*, Es. 57. 15. ac propriè æternus & infinitus dicitur, eoque omnia habet sibi præsentia constantissimè. Hinc *mille anni, ante oculos ejus, sunt tanquam dies hesterna, quæ præteriit:* ut ait Psaltes Psal. 90. 4. Quem imitatus Apostolus asserit, *unum diem, apud Deum perinde esse ut mille annos: & mille annos, ut diem unum*, 2. Pet. 3. 8. Quare scitè, ut solet, Augustinus de civit. Dei lib. 11. c. 21. *Non quod ullo modo scientia Dei varietur, ut aliud in eo fiant, quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim, more nostro, vel quod futurum est: prospicit: vel, quod præteritum est, respicit: sed alio modo quodam, à nostrarum cogitationum consuetudine longè latèque diverso. Ille quippe non ex hoc, in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt. Ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt & futura, nondum sint; & præsentia, jam sint; & præterita, jam non sint: ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendit.* Ac præclarè Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 20. cap. 24. *Quomodo est præscius, dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciantur? Et scimus, quia Deo futurum nihil est: ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe omne quod nobis fuit & erit, in ejus prospectu præsto est: & omne quod præsens est, scire potest potius, quàm præscire.* Hanc autem præscientiam Dei definitam, præfinitionis effectum necessarium ac proprium appellamus, quòd certò & ex ea solum oriatur. Ut enim præscientia Dei indefinita (qua Deus omnia, quæ contingere simpliciter possunt, tanquam δυνάμει novit) præfinitionem Dei ordine antecedit, tanquam subjectum & materia, unde certa quædam definiri possunt futura; sic etiam præfinitio, ex præscitis possibilibus futura quædam determinans, præscientiam definitam (quæ futurorum est) ordine & causa tanquam efficax objectum, & primum determinationis futurorum principium, antecedit. Nam definita Dei præscientia non à rebus futuris promanat, sed à determinante futura decreto Dei. Siquidem temporale æterni causa esse non potest: alioquin & accidens aliquod esset in Deo & indigna ejus majestate imperfectio. Quod naturæ illius simplicissimæ, immutabili, perfectissimæ & infinitæ omnino repugnat, & ab orthodoxo consensu abhorret. Itaque non res futuræ, sed æternum de futuris decretum, præscientiæ definitæ causa est. In quam sententiam eleganter ac doctè Augustinus de trinitate lib. 15. c. 13. *Universas ergo creaturas suas & spirituales & corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit: non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quàm creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus, sicut oportebat & quando oportebat, illa mansit, ut erat.* Et Augustini imitator Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 20. cap. 24. *Quia ea, quæ nobis futura sunt videt (quæ tamen ipsi semper præsto sunt) præscius dicitur: quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæcunque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* Quam sententiam pluribus argumentis probant ac tuentur etiam *Scholastici* [a]. Quare præscientiæ definitio, & ut loquuntur, limitatio, non provenit à conditione rerum quæ videntur, sed à voluntate & decreto Dei tanquam determinationis futurorum principio. Verum hinc nova exoritur quæstio, *An igitur contrà, Dei præscientia sit rerum causa necne?* Quæ commoda vocum præscientiæ & causæ distinctione tollitur. Itaque operæpretium existimo, ut eam, è suis fontibus huc derivem: quo res tota fiat explicatior & aperta. Nam *præscientia* aut *propriè* ad intellectum restringitur, & solam rerum notitiam indefinitam aut definitam notat; aut *impropriè* synecdochicè conjunctam cum voluntate seu providentiam, & interdum κατ' ἐξοχὴν electionem, significat, Rom. 8. 29. & 11. 2. Illam θεωρητικὴν contemplativam, quod in sola rerum contemplatione sita sit: hanc verò πρακτικὴν activam, quod in actione occupetur, appellant vulgò. Eoque distinctè [b] Lombardus, *His enim duobus modis accipitur cognitio vel scientia Dei; scilicet pro notitia sola, vel pro notitia simul & beneplacito.* Deinde *vox causa*, non eodem semper modo sumitur. Nam aut *generatim* pro argumento quovis & ratione consequentiæ accipitur, unde *causa consequentiæ* [c] dicitur: aut *speciatim* pro argumento essentiali, cujus vi res est, nempe efficiente, materia, forma, fine: & *causam essendi & consequentis* nominant. Hinc κατ' ἐξοχὴν pro efficiente plerumque accipitur. *Denique impropriè* & metaphoricè pro antecedente aut adjuncto necessario, quod sit instar causæ, usurpatur. Quam *causam sine qua non* (etsi à veteribus, materiæ propriè sic dictæ, id nominis interdum tribuatur) nuncupant. Quo etiam pertinet objectum: quia similitudinem habet materiæ: unde materia circa quam appellatur. Cæterum hæc ita esse comparata nec tricas sophistarum, sed tritas disertiorum sententias, res ipsa loquitur & doctiorum consuetudo. Sic enim Cicero, [d] quem de usu vocum differentem nemo facile rejecerit, *Causarum igitur* (inquit) *genera sunt duo, unum quod vi sua, id quod sub ea subjectum est, certè efficit: ut ignis accendit: alterum quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit: ut, si quis æs causam statuæ velit dicere, quòd sine eo non possit effici. Hujus generis* causarum sine quo non *efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo: ut locus, tempus, mate-*

a Thomas Aquinas Par. 1. q. 14. art. 9. &c. b De consol. Philos. lib. 5. prosa ult.

a Lombardus lib. 1. dist. 28. Thom. Aq. par. 1. quæst. 14. art. 8. & alii. b Sent. l. 1. dist. 38. c. Hanc igitur. c Thom. Aq. Par. 1. q. 14. art. 8. &c. d Topic. ad Trebatium.

ria,

ria, ferramenta, & cætera generis ejusdem. Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum & quædam adferunt per se adjuvantia, etsi non necessaria: ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Idem lib. de fato, accuratius communem hanc loquendi rationem examinans ait, *Non sic causa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei causa sit: sed quodcunque efficienter antecedat.* Ac paulò post, *Nulla igitur earum causa est, quoniam nullam rem, sua vi efficit, cujus dicitur causa: nec id,* sine quo *quippiam* non *fit, causa est, sed id, quod quum accessit, id cujus causa est, efficit necessario.* Atque hæc de vocum significationibus: quæ neglectæ, summam in hoc argumento & similibus pariunt difficultatem: observatæ verò, lucem adferunt maximam. Quare (ut instituto nostro aptemus) præscientia propriè sumpta sola & θεωρητικὴ, non est causa efficiens rerum: quia illius vi non existunt. Innumera enim sunt (ut antè ostendimus) quæ indefinitè præscivit Deus, quæ nunquam futura sunt: & quam plurima contingunt scelera, quæ definitè præscivit, quorum propriè causa dici, sine summo scelere non potest. *Deus* (ait Augustinus De lib. arb. lib. 3. cap. 4.) *omnia, quorum ipse auctor est, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor.* Atque hoc sensu, præscientiam rerum causam esse, plerique negant; etiam illi, qui secus statuere videntur. Qua de re scitè gravissimus Theologus [a] ait, *In* προγνώσει *verò, si verbum* γινώσκειν *de simplici Dei notitia accipiatur, certe* πρόγνωσις, *quam præscientiam vocant, nullam efficientis causæ rationem habebit. Nec enim res futuræ, idcirco futuræ sunt, quia Deus illas futuras prænovit: sed contra, idcirco sunt futuræ & illas futuras prænovit, quoniam futuras illas decrevit.* Sin verò causæ vocem generatim pro argumento quovis & consequentiæ ratione capiamus: tum quidem præscientia indefinita, causa esse non potest; sed definita, optimè. Quia illa est τῶν ἁπλῶς δυνατῶν eorum, quæ simpliciter fieri possunt, unde rerum constitutio non consequitur: hæc verò, rerum decreto Dei præfinitarum: unde earum consequentia vicissim concluditur; quia decretum Dei, ex quo promanat, constans & immutabile est. Atque hoc sensu definita Dei præscientia rerum causa à nonnullis Orthodoxis appellatur. Præterea si impropriè nomen causæ usurpemus; præscientiæ Dei optimè convenit. Est enim causa sine qua non, & materia circa quam, seu objectum præfinitionis & operationis divinæ. Unde *causam exemplarem*, (quod ad eam tanquam exemplar res existant) Scholastici [a], Augustinum secuti nominant. Denique quum præscientiæ vox impropriè & synecdochicè non pro sola, sed conjuncta cum voluntate notitia seu providentia usurpatur, tum meritò causa rerum variè, ut antè explicavimus, appellatur: efficiens quidem bona, permittens mala, regens omnia [b]. Qua de re multa non indoctè à Scholasticis disputantur. Unde perspicuum est divinæ sanctitati nihil à D. Beza derogari, quum, ut ante indicavimus, ait, *Res futuras, ideo futuras esse, quoniam futuras illas Deus decrevit.* Siquidem, ut alibi fusius explicamus, Dei decretum est bonorum omnium causa efficiens absolute & per se, ratione actionis, qualitatis & ordinis: malorum verò per accidens, ratione actionis & ordinis, quæ bona sunt; non autem ratione vitiosæ qualitatis & ἀνομίας, quæ peccatum est & à creatura sola promanat. Sed ut eo, unde digressus sum, redeam, hoc sensu de præscientia cum Dei voluntate conjuncta, sic alicubi disserit Calvinus Comment. in Gen. 41. 17. *Quod Deus, inquiunt, præscius est rerum omnium, nulla inde necessitas inducitur. Quasi verò nudam præscientiam dicamus rerum causam esse: ac non potius hanc copulam teneamus à Mose positam, quæ futura sunt Deum præscire, quoniam ea facere decrevit. Ipsi verò inscitè ac perperam ab æterno Dei consilio & continua actione providentiam divellunt.* Itaque quum reipsa inter se consentiant Orthodoxi, non est cur loquendi varietate offensi eos aut inter se, aut cum Sacris literis committamus. Ingenui enim est aliorum dicta benignè interpretari: nisi de contraria sententia penitius constet. Cæterum, ut hujus varietatis fontes aperiam, ea partim ex vocum ambiguitate, partim ex adversariorum variè loquentium occasione profluxit. Quæ ratio non solum in hoc argumento; sed in aliis etiam obtinet.

a Beza Prælect. in Rom. 9.

a Quæst. 83. qu. 46. b Lomb. l. 1. dist. 38. Thom. Aquin. par. 1. qu. 14. art. 8. &c.

CAPUT VII.

ATQUE hactenus *de priori providentiæ parte*, seu *decreto Dei* disseruimus: ad *executionem illius* transeamus. Ea autem est altera providentiæ Dei pars, qua decretum illud, potentissimè, ad suam gloriam, omnino exequitur. Etenim quum Deus omnipotens sit & immutabilis, *omnia quæ voluit fecit*, Psal. 115. 3. sine ulla penitus difficultate aut mutatione sui. *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt*, Psal. 33. 9. *An non nosti*, ait Esaias c. 40. 28. *an non audisti, quod Deus æternus Jehova creator finium terræ, non lassatur nec defatigatur, nec est pervestigatio prudentiæ ejus?* Deinde quum decretum illud Dei sit optimum, hoc est, sapientissimum, justissimum, benignissimum, parem esse illius executionem necesse est. Unde qui finis decreti & executionis rerum, Dei emergit gloria: ut postea melius liquebit. Porro ea *executio distribuitur in creationem & gubernationem* hujus mundi: quia ut hæc sola decrevit Deus; ita non alia exterius operatur. *Creatio* autem est prima externa Dei actio, qua solus, è nihilo, universum hunc mundum, secundùm decretum suum, in principio temporis produxit & sex dierum spacio disposuit ad electorum salutem & gloriam suam. *Externam Dei actionem* appello: quia *actio Dei* alia est interna, quam immanentem: alia externa, quam transeuntem & *ad extra* nominant. Interna est quæ in Deo terminatur: eaque vel essentialis & communis tribus personis; cujusmodi est decretum Dei æternum: vel personalis & propria certis, quæ personis distinctè convenit & *opus Dei ad intra* vulgo dicitur: ut Patris, Filium gignere & amborum producere Spiritum. De quibus copiosius agere non est nostri instituti, nec hujus argumenti. Interim hinc constat, Deum ante mundi creationem, non fuisse otiosum: eoque ineptè hoc argumento quosdam ad mundi æternitatem statuendam esse abusos. Externa verò Dei actio est quæ extra Deum, in res alias exercetur. Nec aliud est, quàm decreti æterni executio. Quæ omnino consistit, in creatione & gubernatione hujus mundi. Cujus gubernationis pars est humani generis redemptio: eoque verè quidem, sed paulo angustius, Dei opera, in creationis & redemptionis opera dividuntur vulgo. Deinde ut *efficiens, creationis* est Deus: ita *subjectum* opus est mundus. Qua voce in hoc argumento, non cælum (ut veteres [a] nonnunquam κατ' ἐξοχὴν) aut terram simul: aut homines, trita synecdoche: sed rerum [b] universitatem seu universam cæli solique & quæcunque eorum complexu continentur compagem ornatissimam & inanimem intelligimus. Nam qui mundum definierunt [c] animantem, ejusque animam, aut æternum aut conditum aliquem Deum docuerunt, non Sacris solum literis; sed rationum etiam pondere, jam olim explosi sunt. Mundum autem à Deo Patre, per Filium, & Spiritum Sanctum esse conditum, Sacræ literæ passim docent. Nam, ut de Geneseos [d] historia nihil dicam & è multis pauca excerpam, *Mundus*, inquit Johannes, *per eum factus est*, Joh. 1. 10. & 16. 3. Quod interpretatur, *Omnia per eum facta sunt & absque eo factum est nihil, quod factum est. Deus*, inquit Paulus Act. 17. 24. *fecit mundum & omnia quæ in eo sunt.* Et Act. 14. 15. *Fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt.* Item, *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia per eum & in eum condita sunt*, Colos. 1. 16. Huc accedit Psaltes, *Verbo Jehovæ cæli facti sunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum*, Psal. 33. 6. Jobus denique cap. 26. 14. ait, *Spiritu suo ornavit cœlos.* Porro *materiam, ex qua* mundum effecit Deus, nullam agnoscimus. Nam quum Deus, *solus* [e] *æternus* (initio, fine, successione carens) *& immortalis* sit,

a Cicero de universo. b Arist. de mundo cap. 2. Plato Timæo. c Plato Timæo. d Cap. 1. & 2. e 1. Tim. 6. 16.

sit, omniaque sine exceptione, eoque & materiam, condiderit: sequitur mundum non ex materia aliqua æterna (multo minus ex Dei essentia, quippe infinita, simplicissima, & immutabili; sed è nihilo, tanquam termino, potentia Dei extitisse. *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt*, Psal. 33.9. Nam Deus *vocat ea quæ non sunt, tanquam sint*, Rom. 4. 17. Idque creandi verbum, quod alias generalius usurpatur, in hoc argumento declarat. Qua de re Apostolus Heb. 11. 3. *Per fidem intelligimus, constituta fuisse secula verbo Dei: ut quæ cernimus, non sint ex apparentibus facta.* Itaque quidquid est, illud aut immediatè, ut cælum, terra, aquæ, anima, Angeli: aut mediatè ut alia, ratione primæ materiæ è nihilo promanant. Nam commune ac tritum illud Philosophorum placitum[a] *ex nihilo nihil fit*, ordinariæ rerum corporearum constitutioni & humanis artificiis aptari potest: sed creationi (quam ignorarunt) & divinæ potentiæ opponi nequit. Quæ, si materiæ præsentia definitur & astringitur, infinita non est, eoque nec divina. De qua re tota eleganter & graviter Theodoretus[b], *Est autem hoc quoque humanarum rationum imbecillitatis argumentum. Quoniam enim omnis ars, apud homines subjecta materia indiget: & fingendi quidem ars, luto; ædificandi verò, lapidibus & lateribus; lignis autem fabrilis & navium ædificatrix; texendi ars, lanis; & coriariorum quidem ars, pellibus; pingendi autem & incrustandi, coloribus; & ut semel dicam, unaquaque ars, materia convenienti: existimarunt stolidi, etiam Deum non posse, sine materia fabricari; nec intellexerunt, quanta sit Dei & hominum differentia, & quod fieri non potest ut imago omnia habeat quæ exemplar, & quod homo quidem, ut imago, ex iis quæ sunt fabricatur: Deus autem & ex iis quæ non sunt. Et hoc nos apertè docuit Sacra Scriptura. Apostolus enim dicit*, Heb. 11. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Et rursus* Rom. 4. 17. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint.* Cæterum *forma mundi* interna, in abdita universi natura: externa verò in dispositione omnium partium, cum in se, tum inter se ornatissima & utilissima consistit. Unde κόσμος Græcis, *mundus* Latinis appellatur. *Creationis* enim duæ sunt *partes*, productio rerum & dispositio sapientissima: utraque Deo propria; ut nulla Angelorum aut hominum usus sit opera. Quod creationis [c] historia & Prophetarum testimoniis comprobatur. *Ego Iehova* (inquit Esaias cap. 44. 24.) *facio omnia, extendo cælos solus, qui expando terram per meipsum.* Sic Ezechias, *Tu es Deus ille solus omnibus regnis terræ, tu fecisti cœlum & terram*, Esa. 37. 16. Et Jobus, cap. 9. 8. *Qui extendit cælos solus, qui calcat excelsa maris.* Unde, *Creator* dicitur 2. Pet. 4. 19. & hac nota se ab idolis distinguit, *Dii*, inquit, *qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra & de his quæ sub cœlo sunt*, Jerem. 10. 11. Unde admirabilis Dei creatoris sapientia, bonitas & potentia elucent: quorum agnitio & celebratio corde, lingua, opere, *creationis*, ut decreti, scopus ac *finis* ultimus existit. Hinc Jeremias cap. 10. 12. de Deo ait, *Qui fecit terram virtute sua, stabilivit orbem sapientia sua & prudentia sua extendit cœlos.* Et Moses Gen. 1. 31. *Vidit Deus quacunque fecerat & erant valde bona.* Ac Psaltes, *Quàm ampla sunt opera tua ô Jehova, omnia sapienter fecisti!* Psal. 104. 25. Et alibi dicuntur *Cœli enarrare gloriam Dei*, Psal. 19. 1. & ad illam prædicandam omnes creaturæ passim excitantur, Psal. 147. & 148. &c. *Quia omnia*, ait Sapiens Prov. 16. 4. *fecit Deus propter semetipsum*: & ut monet Apostolus, Rom. 11. 36. *ex eo, per eum, & in eum sunt omnia: Ipsi gloria in secula.* Huc etiam sanctorum epiphonema Apoc. 4. 11. pertinet, *Dignus es Domine, qui accipias & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Atque hic *summus* creationis mundi *finis*: *proximus* verò & ad illum pertinens, est salus electorum. Ut enim omnia hominum gratiâ condita sunt: sic ipsi propter se mutuo & potissimum ad electorum bonum. *Subjicite terram*, ait Deus Gen. 1. 28. 29. *atque dominamini piscibus maris & volatilibus cœli & omni bestiæ reptanti super terram. Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam producentem semen in superficie totius terræ: & omne lignum, in quo est fructus arboris producentis semen, vobis erit in escam.* Et Psaltes Psal. 8. 6, 7. *Dominari fecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus*, Et Paulus denique 1. Cor. 3. 22. *Omnia*, inquit, *vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura.* Porro ut à *causis* creationis mundi ad *circumstantias* transeamus, ea nec ab æterno, nec momento, sed in principio temporis, sex dierum spacio, ut distinctius & attentius Dei gloriam consideremus, contigit: quemadmodum Genesis demonstrat. Nam locus & tempus, sunt rebus creatis propria. Siquidem prius & posterius rebus finitis (cujusmodi omnes & solæ sunt creaturæ) solùm competunt: infinitis verò, qualis solus est Deus, minimè quadrant. Qua de re acutissimè, ut solet, Tertullianus contra Praxeam: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia.* In qua sententia acquiesco & doctrinam de creatione hujus mundi concludo.

a Vide Damasc. orth. fid. lib. 2. c. 5. b Divinor. decret. epitom. ca. materia. c Gen. 1. & 2.

CAPUT VIII.

RELIQUUM igitur est, ut de *administratione*, seu potius *gubernatione* illius, disseram. Hæc enim vox minus diluta est & adumbrando Dei regimini accommodatior. Nam præclarè ex naturæ luce ait Philosophus[a], Καθόλου δὲ, ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμὼν, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ· πλὴν καθ' ὅσον τοῖς μὲν καματηρὸν τὸ ἄρχειν πολυκίνητόν τε καὶ πολυμέριμνον· τῷ δὲ ἄλυπόν τε, ἄπονόν τε πάσης κεχωρισμένον σωματικῆς ἀσθενείας. hoc est, *Ad summam, quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus: nisi quod illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus & anxius est; huic autem expers mœstitiæ & laboris ab omni corporali infirmitate separatus.* Itaque rectè sapiens Hebræus ad hoc argumentum gubernationis vocem transtulit, quum ait Sap. 11. 3. ἡ δὲ σὴ πάτερ διακυβερνᾷ πρόνοια. *At tua, pater, gubernat usque providentia.* Cæterum *gubernatio mundi* est altera externa Dei actio, qua universum hunc mundum & quæcunque in eo, secundùm decretum suum gubernat. Ac synecdochicè, ut initio monuimus, *providentia* vulgo appellatur. Quam Deo competere eleganter & nervosè ait, ex Greg. Nysseno de prov. cap. 1. (è quo multa transscripsit) Damascenus Orthod. fid. lib. 2. c. 29. Ἀνάγκη γὰρ τὸν αὐτὸν εἶναι ποιητὴν τῶν ὄντων καὶ προνοητήν· οὔτε γὰρ πρέπον, οὔτε ἀκόλουθον ἄλλον μὲν ποιητὴν εἶναι τῶν ὄντων, ἄλλον δὲ προνοητήν· οὕτω γὰρ ἐν ἀσθενείᾳ πάντως εἰσὶν ἀμφότεροι· ὁ μὲν τοῦ ποιεῖν, ὁ δὲ τοῦ προνοεῖν. *Necesse enim est eundem esse factorem eorum quæ sunt & provisorem. Neque enim consequens est, neque decens, alium quidem esse factorem eorum quæ sunt, alium provisorem. Sic enim omnino uterque infirmitate laboraret: hic non faciendi, ille non providendi.* Cui consentit probè Theodoretus, *Est enim*, inquit Decret. divinorum epit. cap. Providentia, *longè absurdissimum, dicere quidem ipsum omnia fecisse (non quod ipse eis opus haberet, sed sola sua benignitate & humanitate adductum) & creaturam veluti cymbam aliquam & clavo & gubernatore destitutam à contrariis ventis, huc atque illuc impelli, scopulisque & rupibus allisam confringi.* Cæterum *gubernationis* hujus *partes* sunt duæ, conservatio & ordinatio mundi constituti, quæ κατ' ἐξοχὴν plerumque *gubernatio* dicitur. Hinc Damascenus Orthod. fid. l. 2. c. 28. ὅτι γὰρ γένεσις ἡμῶν, τῆς δημιουργικῆς αὐτοῦ δυνάμεώς ἐστι· ἡ δὲ διαμονὴ, τῆς συνεκτικῆς δυνάμεως αὐτοῦ· καὶ ἡ κυβέρνησις καὶ σωτηρία, τῆς προνοητικῆς αὐτοῦ δυνάμεως. *Nam & generatio nostri conditricis ejus potentiæ est: & permansio, continentis potentiæ illius: & gubernatio ac salus, providentis illius potentia.* Et rotundè ac piè Augustinus Epist. 57. ad Dardanum. *Sic Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi: sine labore regens & sine onere continens mundum.* Et alibi (de Gen. ad lit. lib. 4. cap. 12.) quæstionem huic argumento convenientissimam explicans ait, *Quapropter sic accipimus, Deum requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut jam novam naturam nullam conderet: non utique, ut quod condiderat*

a Arist. de mundo cap. 6.

rat continere & gubernare cessaret. Unde & illud verum est, Quod in septima die requievit Deus, Gen. 2. 2. & illud, Quod usque nunc operatur, Joh. 5. 17. Sed à partitione, ad partium definitionem, transeamus. Itaque conservatio mundi est prior gubernationis pars, qua Deus mundum continuat: hoc est, universam mundi machinam illiusque vim & positum à se naturæ ordinem, quasi manu sustinet ac conservat. Quam providentiam universalem nominant: & copiosè ac graviter à Psalte, cum alibi tum Psalmo centesimo quarto, describitur. Etenim cæli cursum & efficaciam, seu, ut Deus loquitur Job. 38. 33. statuta cæli & dominatum ejus in terra, temporum vices, soli fertilitatem, maris fines, animalium fructuumque propagationem perpetuat. Unde principium motus & primus motor (etsi augustius nonnunquam id accipiatur) vulgo dici solet. Eoque Dei Filio non solum tribuit Apostolus, quòd secula condiderit, sed etiam, quòd omnia, potente suo verbo, sustineat, Heb. 1. 2, 3. Et alibi, Colos. 1. 16. ait: Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt. Item, In ipso enim vivimus, movemur, & sumus, Act. 17. 28. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia, Rom. 11. 36. Et Jer. cap. 31. 35, 36. Sic ait Iehova, qui disponit Solem & lucem interdiu, statuta Luna & stellarum noctu: qui disrumpit mare & fremunt fluctus ejus: cui nomen est Iehova exercituum. Si amovebuntur statuta ista à conspectu meo. Et cap. 33. 25. Si non fœdus meum interdiu & noctu, si statuta cæli & terra non disponam. Quomodo, ait Sapiens ille Hebræus Sap. 11. 26. mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisses? aut non vocatum à te, conservaretur? Sic enim (ut scitè Aquinas Comment. Col. 1.) se habet Deus ad res, sicut Sol ad Lunam: quo recedente, deficit lumen Luna: & sic, si Deus subtrahat suam virtutem à nobis, in momento deficerent omnia. Ac præclarè Augustinus, de Genesi ad lit. lib. 4. cap. 12. Creatoris namque potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creatura. Qua virtus, ab eis qua creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structura ædium, quum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait Joh. 5. 17. Pater meus usque nunc operatur, continuationem quandam operis, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit.

CAPUT IX.

PORRO non tantùm res omnes creatas sustinet, & naturæ ordinem generali providentia continuat Deus; sed etiam particularem singulorum curam gerit, & ad certos ac destinatos fines ordinat ac dirigit. Nam ex Deo, ut ait Augustinus, Quæst. 83. q. 69. Sunt omnia, non solum ut sint; verum etiam ut ordinata sint. Quamobrem alteram gubernationis partem statuimus, ordinationem mundi constituti specialem. Ordinatio autem nihil aliud est, quam effectio ordinis. Quem definiunt, ait Orator [a], compositionem rerum aptis & accommodatis locis. Cui definitioni convenit illa Augustini de civ. Dei lib. 19. c. 13. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio: & Philonis, de opificio mundi: τάξις δ' ἀκολουθία καὶ εἱρμός ἐστι προηγουμένων τινῶν καὶ ἑπομένων, hoc est, Ordo est consequentia seriesque rerum præcedentium & subsequentium. Itaque ordinatio mundi est ordinis in mundo constitutio. Quare genuinam vocis illius significationem non attendunt, qui secus accipiunt, & metonymia quadam, non ordinis, sed rerum effectionem, aut mandatum interpretantur. Cæterum ordinatio alia interna est consilii: alia externa & executionis. Illa nihil aliud est quàm ordinis præfinitio: eoque præordinatio distinctius appellatur. Sic credidisse dicuntur, qui erant ordinati (hoc est, ut vetus interpres habet, præordinati) ad vitam æternam, Act. 13. 48. Hæc verò est ordinis præfiniti effectio. Sic potestates ordinatæ (hoc est, ad bonum universi aptè positæ, dicuntur à Deo: aut potius sub Deo, Rom. 13. 1. Ut autem ea quæ de ordinatione generatim diximus, instituto nostro accommodemus, interna mundi ordinatio decreti divini pars est: externa verò ad executionem illius pertinet. Estque ea vel creationis seu constitutionis mundi, vel gubernationis & mundi constituti. Illa est mundi in creatione dispositio, quæ sex dierum spacio finita est; quam alteram creationis partem supra appellavimus. Hæc vero à mundi creatione continua est: eaque vel generalis quæ conservatio ordinis naturæ dicitur; quam modo explicavimus: vel specialis de qua hoc loco agimus ac sic definimus. Ordinatio mundi constituti specialis est altera gubernationis pars, qua Deus mundum universum & singula quæ in eo, modo placito regit, & ad suos, hoc est à se destinatos, fines medios ultimumque perducit. In qua re duo potissimum, quæ expendenda sunt accuratius, denotantur; ordinationis subjectum & modus. Ac prius quidem statuimus esse mundum universum & singula quæ in eo fuerunt, sunt, & erunt. Cæterùm omnes creaturas magnas, parvas, præstantes, viles, omnes motus, omnia consilia, affectus, dicta, facta, eventus rerum, fine ulla omnino exceptione, divino subesse regimini perspicuum est, non solum ex iis quas antè [b] adduximus rationibus, sed etiam ex diserta Sacrarum literarum auctoritate. Nam ut ex infinitis pene testimoniis pauca seligam, quid aliud sibi hæc volunt? Tu ille Iehova es, Solus es, tu fecisti cælos, cælos cælorum & omnem exercitum eorum: terram & quidquid est in iis, & tu vivificas hac omnia: etiam exercitus cælorum tibi se incurvant, Nehem. 9. 6. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi, Psal. 119. 91. Omnia efficit (Deus) ex consilio voluntatis sua, Eph. 1. 11. Omnia operatur Iehova, etiam impium ad diem malum, Prov. 16. 4. Ipse dat omnibus vitam & halitum & omnia, Act. 17. 25. Vita humana constituit terminos, qui præteriri non poterunt, Job. 14. 5. Alit volucres cæli, circumvestit herbam agri, Matth. 6. 26. 30. Singulis seminibus suum dat corpus, ut voluit, 1. Cor. 15. Dat cælitus pluviam ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra, Act. 14. 17. Iehova morte afficit & in vitam restituit: Iehova depauperat & ditat, 1. Sam. 2. 6. Ipse mutat tempora & tempestates: transfert reges & constituit reges, dat sapientibus sapientiam, & scientiam scientibus intelligentiæ, Dan. 2. 21. Equus paratur ad diem belli, sed Iehova est ipsa salus, Prov. 21. 31. Ego Iehova & nemo præter me, formans lucem & creans tenebras: faciens pacem & creans malum: ego Iehova faciens omnia hac, Esa. 45. 6, 7. Quis est iste qui dicit, existit Domino non jubente? ex ore excelsi non prodit malum quodque & bonum? Lament. Jer. 3. 37, 38. Quis statuit os homini? aut quis statuere potest surdum aut sensibus valentem aut cæcum? nonne ego Iehova? Exod. 4. 11. Hominis sunt dispositiones cordis, sed à Iehova est sermo lingua, Prov. 16. 1. Cor hominis deliberat de via sua, Dominus autem dirigit gressum ejus, Ibid. 9. Novi Iehova non esse penes hominem, viam ipsius, non esse penes virum ambulantem dirigere gressum suum, Jer. 10. 23. Irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum, Psal. 33. 11. Operatur in nobis velle & perficere pro bona sua voluntate, Phil. 2. 13. Sicut rivi aquarum est cor regis in manu Iehova: ad omne quod vult, inclinat illud, Prov. 21. 1. Ergo & multo magis reliquorum. Denique, ne quid ab hac ordinatione Dei alienum existimes, etiam illa, quæ fortuita vocantur, eidem adscribuntur divinitus. Siquidem de fortuito homicidio ait Deus, Exod. 21. 12, 13. Qui percutit quenquam, ita ut moriatur, omnino morte plectitor; tamen qui non quæsierit, sed Deus ipse objecerit manui ejus, constituam tibi locum, quo ille confugiat. Quod alibi (Deut. 19. 4.) exemplo illustratur: Hoc autem, inquit, esto jus occisoris qui fugerit, ut vivat: qui percusserit proximum imprudenter, quum ipse non oderit eum antea: ut qui iverit cum proximo suo ad cædendum lignum, dejecerit ferrum è manubrio ejus, quod offendat proximum ejus, ita ut moriatur, is fugiens ad unam harum civitatum fugito. Nec dispar est cæterorum ratio. Nam quid quæso magis fortunæ, quæ fingitur, ludibrio, aut casui possit attribui, quàm inconstans ventorum flatus, fluctuum motus, dubius avicularum, capillorum, & sortium, casus? At ea divino subesse regimini Sacræ litteræ demonstrant. Descendentes, inquit Psaltes, ad mare navi-

a Cic. de Off. lib. 1. b Cap. 2. Vide Nyssenum de Provid. c. 7. & 8.

navibus, quique faciunt opus in aquis multis. Ipsi viderunt opera Jehova & mirabilia ejus in profundo. Et dixit & stare fecit spiritum turbinis & exaltavit fluctus ejus, Psal. 107.23,24,25. *Et clamaverunt ad Dominum in angustia sua & de angustiis eorum eduxit eos. Stare fecit turbinem in silentium & siluerunt fluctus eorum. Et lætati sunt quoniam siluerunt, & duxit eos ad portum voluntatis eorum*, Vers. 28,29,30. *Passer unus*, ait Christus Matth. 10.32,33. *non cadit humi sine patre vestro. Vestri etiam capilli numerati sunt. In gremium*, inquit Salomon Prov. 16.33. *conjicitur sors: à Jehova autem est tota ratio ejus.* Atque huc pertinet providentiæ divinæ adumbratio prophetica Ezechielis capite primo. De qua nonnulla eleganter auctor libri de Trinitate: qui Tertulliano suppositus est. Denique rotundè & piè Sapiens Hebræus de sapientia & providentia Dei ait Sapient. 8. v. 1. *Pertingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia utiliter*: & Ib. 11. v. 21. *Omnia mensura numeroque & pondere ordinasti.* Nam si Satanam & homines & singularum rerum naturam spectes confusa & perturbata sunt penè infinita: sin Deum sapientissimè etiam confusa in se, ad fines cælitus destinatos & ad ordinem ac bonum universi dirigentem consideres, nihil potest esse ordinatius & ornatius. *Summo enim Deo* (ait Augustinus quæst. 83. q. 27.) *cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo nihilque injustum est, sive scientibus sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix: tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, & ea patitur, quæ eam pati æquum est, universum regnum Dei nulla sui fœditate deformat. Quamobrem, quoniam non omnia novimus, quæ de nobis bene agit ordo divinus, in sola bona voluntate secundùm legem agimus: in cæteris autem secundùm legem agimur: quum lex ipsa incommutabilis maneat, & omnia mutabilia, pulcherrima gubernatione moderetur.* Atque hisce quas adduximus auctoritatibus, omni exceptione majoribus, accedunt etiam copiosa & perspicua ordinationis universi & singulorum exempla, quæ passim Sacræ paginæ monumentis expressa continentur: in quibus ecclesiæ regimen excellit. Unde satis superque demonstratur universa & singula divinâ ordinatione gubernari. Adeo ut nihil tam vile sit & abjectum, quod Dei notitiam aut curam fugiat: nihil tam sublime aut liberum, quod illius gubernaculo careat. Quare eleganter Augustinus, de Gen. ad lit. lib. 5. c. 21. *Nec omnino*, inquit, *audiendi sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes, id est, à confinio corpulentioris aëris hujus & supra, divinâ providentiâ gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam aërisque hujus vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius & fortuitis motibus agitari. Contra hos loquitur Psalmus* 148.7, 8. *qui quum explicasset laudem cælestium, se etiam ad ista inferiora convertit dicens, Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam videtur casibus volvi, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cæli hujus inferioris (quod non immerito etiam terræ deputatum est) facies variatur & vertitur? Sed quum addidit, Quæ faciunt verbum ejus, ostendit earum quoque rerum ordinem, divino subditum imperio, latere nos potius, quàm universitatis deesse naturæ. Quod autem ore suo Salvator dicit*, Matt. 10.29. *Unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate: &, quod fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat*: Id. 6.30. *Nonne confirmat non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam; verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina providentia regi?* Itaque & prophani hominis vox est [a], *Magnas res Deum curare, parvas fortunæ committere*: ad quam utinam propius non accessisset alicubi [b] Hieronymus! & indigna Damasceno sententia, qua voluntatem humanam à Dei providentia exemit. Sic enim ait Orthod. fid. lib. 2. c. 30. τὰ γὰρ ἐφ' ἡμῖν οὐκ τῆς προνοίας ἐστὶ, ἀλλὰ τοῦ ἡμετέρου αὐτεξουσίου. *Quæ enim sunt in nobis non sunt providentiæ, sed nostri liberi arbitrii.* Nec propterea tamen Deus, ut arbitratur, peccati auctor censeri potest: quemadmodum ex ordinationis ratione ac modo constabit: & [c] Scholastici agnoverunt. Atque hanc mundi constituti ordinationem, quod ad singulas mundi partes pertineat, *singularem & particularem providentiam* appellant. Quum verò ad homines ac potissimum fideles restringitur, *specialem & peculiarem* vulgo plerunque nominant: quia præcipuam & paternam horum curam gerit Deus: quemadmodum & eorum bono creavit reliqua. Nam curæ divinæ certi sunt gradus. Etsi enim *homines & jumenta servat Deus*, Psal. 36.7. illos tamen accuratius, & præcipuè fideles, Matth. 6.26. Unde etiam appellatur *servator omnium, maximè fidelium*, 1. Tim. 4. 10. In quam sententiam comparatè *curare nos*, 1. Pet. 5. 7. & *boves non curare*, 1. Cor. 9. 9. *impios nescire*, Matt. 25. 12. imo & *mortuorum oblivisci* statuitur, Psal. 88.6. Nam quod quidam hoc postremum ad sensum impiorum, alii ad infirmitatem turbati Prophetæ referunt, videtur aliquantò alienius. Nec obstat huic de providentiæ gradibus sententiæ, quod ex sapiente illo Hebræo objicitur, Sapient. 8. *Æqualiter providet omnibus.* Non enim paritatem indicat, sed similitudinem notat: ut ex verbis liquet, ὁμοίως τε προνοεῖται περὶ πάντων. Quamobrem malim vertere *similiterque providet omnibus*. Hoc enim & verbis & rei convenientius.

a Euripides in Plutarc. Pericle. b Comm. in Habac. 1. c Thomas Par. 1. q. 22. rat. 2. & 6.

CAPUT X.

PORRO, ut quæ de *ordinationis* divinæ *subjecto* disseruimus, ea paulo distinctius explicentur, ad *modum* illius transeamus. Is autem est varius: & ritè distribuitur in ordinarium & extraordinarium: utrumque tamen ordinatum. Ordinarius autem est, qui communem naturæ aut gratiæ ordinem observat. Illius exemplum è multis illustre exprimitur promissione illa Domini, *Erit*, inquit, Hos. 2. 21. 22. *die illo ut exaudiam cælos & ipsi exaudiant terram & terra exaudiat frumentum & mustum & oleum & ista exaudiant Izrehelem.* Hujus, Apostoli sententia, *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10. 17. Extraordinarius verò est, qui præter communem ordinem existit: ut quum Israëlitas mannâ & conturnicibus; Eliam corvo pavit: Paulum cælitus convertit Deus. *Deinde modus* ordinationis divinæ alius est, *mediatus*, alius *immediatus*. Ille est, qui mediis & causis secundis utitur: hic verò qui minimè. Ita, verbi gratia, extra ordinem, non solum Mosem & Eliam immediatè & per sese vocavit Deus, sed etiam mediatè Elyseum per Eliam: & hunc quidem pavit primùm mediatè pane & aqua, deinde quadraginta dies immediatè, virtute sua. Quos modos graviter explicavit August. Quæst. 83. q. 53. *Non itaque Deus deceptor est: quod credere nefarium & impium esse quis non intelligat? sed meritorum & personarum justissimus distributor, faciens quædam per se ipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt (sicut est illuminare animas & seipsum eis ad perfruendum præbendo, sapientes beatasque præstare) alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens, usque ad passerum administrationem, sicut Dominus in Euangelio dicit, & usque ad fœni decorem, usque ad minimum etiam capillorum nostrorum, divina providentia pertendente atque veniente. De qua etiam dictum est* Sapient. 8. 1. *Pertingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Quibus ordinationis divinæ modis Dei illustratur gloria. Siquidem mediatus, bonitatis; quòd συνεργίαν operationis societatem naturæ communicat: immediatus, potentiæ; quòd illi non sit astricta: uterque verò multiformis sapientiæ Dei speculum existit. Cæterum quia *media* non unius sunt generis, ea porro distinguenda sunt, ut ordinationis divinæ rationem & modum illustremus. Ac primum quidem media alia sunt necessaria; alia contingentia, & quidem aut rarò, aut plurimum, aut æqualiter, ut ex philosophis distinguit Nyssenus, de volunt. & involunt. cap. 5. Necessaria sunt, quæ secundùm naturam suam, certum necessariò producunt effectum: contingentia verò sunt, quæ contingenter. Unde illa *causæ definitæ*: hæc verò, *indefinitæ* nominantur. Atque hinc tanquam à causis proximis & internis, effecta alia sunt & vocantur necessaria quæ à causis mediis ac proximis necessariis: alia contingentia, quæ à contingentibus promanant. Etsi salvâ rerum naturâ, ratione decreti tanquam causæ primæ & externæ, definita & suo modo necessaria sint omnia. Cæterum quia necessitatis varii sunt modi, eos paulo fusius ex veterum sententia (ne quid novi effingere videamur) proponemus. Hac enim ratione facilius & sophistis calumniandi & rudioribus errandi præcludetur via. Necessarium itaque id dicitur quod aliter se habere non potest: ut & nominis ratio, à non cessando, demonstrat: cui contrarium est contingens. Necessarium autem est duplex; per se & absolutè

 neces-

necessarium, necessitate, ut vocant, consequentis; aut per aliud, secundùm quid & conditione quadam antecedentis, conjuncti, aut consequentis, necessitate, ut appellant, consequentiæ. Sic Philosophus, (ut, quæ in Metaphysicis Lib. 4. c. 5. disserit, prætercam) ait de part. animal. lib. 1. c. 1. οὐ διελόμενοι ποσαχῶς λέγεται τὸ ἀναγκαῖον· ὑπάρχει δὲ τὸ μὲν ἁπλῶς, τοῖς ἀϊδίοις· τὸ δὲ ἐξ ὑποθέσεως καὶ τοῖς ἐν γενέσει πᾶσιν. *Non distinguentes quot modis necessarium accipi debeat. Inest id ipsum, rebus quidem æternis, simpliciter; sed iis etiam quæ generantur omnibus, ex suppositione.* Quam sententiam imitatus est Orator [a], quum inter alia hæc ait, *Atque etiam hoc mihi videor videre esse quasdam cum adjunctione necessitudines: quasdam simplices & absolutas.* Et paulo post, *Reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit, nisi propter aliquam causam, quam adjunctionem nominamus. Pariter autem invenias esse multas res, ad quas necessitudinis similis adjunctio non accedit. Quod genus, ut homines mortales necesse est interire: ut cibo utantur non necesse est, nisi cum illa exceptione, si nolint fame perire.* Et alibi Philosophus [b], ἡ δ' ἀνάγκη διττή· ἡ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμήν, ἡ δὲ βίαια, ἡ παρὰ τὴν ὁρμήν. ὥσπερ ὁ λίθος ἐξ ἀνάγκης καὶ ἄνω καὶ κάτω φέρεται, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν αὐτὴν ἀνάγκην. *Necessitas autem est duplex: una est secundùm naturam & propensionem: altera est violenta, quæ contra propensionem. Quemadmodum lapis necessitate & sursum & deorsum fertur, sed non eadem necessitate.* Qua de re plenius Scholasticorum coryphæus Thomas Summa 1. q. 82. 1. *Necesse est, quod non potest non esse. Quod quidem convenit alicui uno modo ex principio intrinseco: sive materiali, sicut quum dicimus, Omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi; sive formali, sicut quum dicimus, quod necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Et hæc est necessitas naturalis & absoluta. Alio modo convenit alicui, quod non possit non esse, ex aliquo extrinseco, vel fine, vel agente. Fine quidem, sicut quum aliquis non potest sine hoc consequi finem aliquem; ut cibus dicitur necessarius ad vitam & equus ad iter. Et hæc vocatur necessitas finis: quæ interdum etiam utilitas dicitur. Ex agente autem hoc alicui convenit, sicut quum aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quod non possit contrarium agere: & hæc vocatur necessitas coactionis.* Atque hæc de necessitate satis: quæ ad hujus argumenti intelligentiam necessaria sunt & veterum verbis proposita, ut majoris essent ponderis. Reliquum jam est, ut ea ad institutum nostrum aptemus. Nam rectè vir doctissimus [c] ait, *Non temere in scholis inventas fuisse distinctiones de necessitate secundùm quid & absoluta: item consequentis & consequentiæ.* Addo immutabilitatis, utque loquuntur infallibilitatis & coactionis. Etenim nihil sua natura tam contingens existit, ut non tribus modis ex hypothesi sit necessarium existentiâ, decreto, & præscientiâ Dei definitâ. Nam non minus verum quàm tritum illud ex Aristotele dictum, de interpretatione c. 10. §. 5. *Quidquid existit, quà existit* (addo quidquid futurum, quà futurum) *necessarium est:* quia alias duo contradictoria simul essent vera: quod naturæ repugnat & veritati Dei; *in quo non est simul Etiam & Non,* 2. Cor. 1. 18. 20. De qua re acutè, ut solet, Augustin. Contra Faust. lib. 26. cap. 4. *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita: quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est. Quapropter omnia quæ futura sunt, sine dubio fient: si autem facta non fuerint, futura non erant: ita omnia quæ verè præterita sunt, sine dubio præterierunt.* Deinde si rerum naturam & causas secundas (quas Deus non tollit, sed ordinat) & notitiam hominum, occultam Dei administrationem ignorantium spectes, contingentia sunt innumera, in rebus animatis & inanimis: sin Dei decretum & præscientiam suspicias, pariter necessaria sunt omnia ex hypothesi, necessitate, ut vocant, immutabilitatis & consequentiæ. Nam quum universa & singula non solùm eventa, sed etiam conditiones & media, ut ante probavimus, decreta & præscita sint à Deo & secundùm decretum & præscientiam ordinentur: consequitur ea secus evenire non posse: eoque omnia, suo quodam modo, esse necessaria. Quandoquidem nec decretum Dei immutari potest, nec præscientia falli. Nam si quid aliter eveniat, quàm decrevit Deus, id eo fit nomine, quòd decretum exequi, aut non possit, aut nolit: at prius omnipotentiæ, alterum sapientiæ & constantiæ voluntatis illius è diametro adversatur: ut pluribus antè demonstravimus. In quam sententiam rectè de Deo ait Augustinus, De Gen. ad lit. lib. 6. c. 15. *Cujus voluntas, rerum necessitas est.* Hæc autem contingentiæ & necessitatis in una re, sed diversa ratione, convenientia, exemplis firmari & illustrari potest plurimis: sed nos pauca, brevitatis causa, decerpemus. Josephus in Ægyptum deductus, ad regiam dignitatem evectus, à fratribus honoratus iisque alendis præfectus est & contingenter & necessario. Ac contingenter quidem ex natura ipsius Josephi & causarum secundarum serie, nempe fratrum invidia & plagio, mercatorum accessu & emptione, captivitatis occasione, somniorum recitatione, pincernæ memoria, mandato Pharaonis, fratrum in Ægyptum adventu & reditu. Quæ causæ mediæ, ut fuerunt contingentes sua natura & principiis; ita contingenter ex iis effecta illa consecuta sunt: quia fuerunt arbitraria. Contrà vero eadem fuere necessaria, ex Dei providentia: ut liquet non solum ex eventu (qui necessarium & maximè illustre decreti argumentum: quia nihil fit, quod non decreverit aut efficere aut permittere omnipotens Deus) sed etiam ex certa decreti Dei præscientia & prophetia, iterato divinitus somnio: Gen. 37. 7. 9. Unde etiam necessariò ex hypothesi, eventus illi promanarunt. Quia Deus immutabilis & ἀψευδὴς *qui mentiri non potest,* Tit. 1. 2. Nec secus ille [a] qui prophetam certum, rogantem id Dei jussu, ferire noluit, à leone occisus est contingenter; quia per causas secundas servari poterat: attamen necessariò, ratione decreti & prophetiæ divinæ. Similiter in prælio cæsus est Achabus [b] contingenter & fortuitò ratione causarum secundarum, cùm sagittarii hostilis in incertum jaculantis, tum occursus Achabi: at necessariò ratione decreti & prædictionis Dei. Paribus etiam modis scelerata Achabi conjux [c] Jezabel in Jezrehel à canibus devorata est contingenter: quia in vita servari diutius, aut alia ratione mori potuit: si naturam illius & regis, qui de fenestra præcipitari curavit, arbitrium spectes: deinde exposita canibus, ab iis negligi: aut canum ferocia ab hominibus arceri potuit. Contra verò etiam necessario id contigit, ex decreto, præscientia, & prædictione divina. Sic etiam Cyrus procreatus est & hoc nomine donatus, in regnum evectus, Babylone potitus, Judæorum liberator & templi divini restaurator effectus est; contingenter quidem, si parentum & Cyri naturam liberamque voluntatem consideres; sed necessariò ratione decreti divini, quod jam olim patefecerat Deus, Esa. 44. 28. & 45. 1. Porro ut ad Novum testamentum me conferam: illustrissimum est, quod primò sese offert nostri Servatoris exemplum. Etenim Christum in templo vinciri contingens erat: nam vinciri poterat si naturam illius spectes, imo fere necessarium, si adversariorum furorem attendas: at non vinciri necessarium fuit, *quia ejus hora nondum aderat,* Joh. 7. v. 30. 44. Contra verò postea sub Pascha Jerosolymis, à Juda domestico proditum, vinciri, à Pilato damnari & medium inter latrones crucifigi, lanceaque transfigi erat contingens, si naturam Christi valentem & vegetam, ac voluntatem [d] illius liberam potestatemque consideres: deinde, si causas secundas, Judam, sacerdotes, milites, Pilatum, spectes: quorum operandi principium fuit voluntas. Eoque & consilio & executione contingens fuit Christi perpessio. Nam ut aliud potuerunt Christi hostes statuere: sic statutum, mutata voluntate, minimè exequi: ut ante crebrius contigerat. Eadem tamen Christi perpessio alia ratione fuit necessaria, nimirum, præfinitione, præscientia [e] & prædictione Dei: quia *hora ejus advenerat,* Luc. 22. 53. *& mortis poculum auferri aut differri erat,* ἀδύνατον, Matt. 26. 42. Marc. 14. 35. Hinc Christus ait, *Filius hominis vadit prout definitum,* Luc. 22. 22. & perpessionis suæ ejusque circumstantiarum necessitatem toties inculcat. Sic Christi ossa non sunt fracta [f] contingenter & necessario; contingenter, si fragilem ossium naturam & vires liberamque militum voluntatem spectes: necessariò, ex hypothesi decreti & præscientiæ Dei immutabilis, & horum indice prophetia Joh. 19. 36. quæ fieri irrita non potuit; quia *Scriptura solvi non potest,* Joh. 10. 55. Denique templum Jerosolymitanum eversum est contingenter & necessariò, quia perstare potuit, si interna illius principia & causarum secundarum naturam, mutabilem Romanorum militum [g] voluntatem, contra Imperatoris sui mandatum nitentem, intuearis: sin Dei præfinitionem, præscientiam & prædictionem animadvertas, dirutum est necessariò. Quia ut decretum & præscientia Dei constant: sic & *ver-*

a Cicero De invent. lib. 2. b 2. Post. anal. c. 11. c Calvinus Instit. l. 1. c. 16. §. 9.

a 1. Reg. 20. 36. b 1. Reg. 22. 34. & 28. c 2. Reg. 9. 35. 36. d Esa. 53. 7. Joh. 10. 17, 18. e Matth. 26. 2. & 45. f Luc. 9. 24. & 17. 25. & 22. 37. & 24. 26. &c. g Egesippus de excid. Hierosol. lib. 5. c. 42. Matth. 24. 2.

bum

bum Dei excidere non poteſt, Rom. 9. 6. Itaque contingentia, hoc eſt, ordo inter cauſam & effectum mutabilem, cum neceſſitate eventus ex hypotheſi præfinitionis divinæ optimè congruit. Quia mediorum naturam non tollit, ſed tuetur, eaque utitur & ordinat, tanta ſapientia & opportunitate, ut ex cauſis contingentibus, ſine ulla coactione, eventus deſtinatus neceſſariò conſequatur. *Sic itaque*, ait Auguſtinus de civit. Dei lib. 7. cap. 30. *adminiſtrat omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* Quare nec Deum peccati auctorem ſtatuimus, nec fatum cum Stoicis fingimus: nec voluntatis nativam libertatem, nec conſiliorum aut operum cæterorumque mediorum uſum, decreti & præſcientiæ Dei conſtantia & neceſſitate, ſubvertimus; ſed potius ſtabilimus. Idque graviter copioſeque adverſus Ciceronem, *(qui dum vult facere liberos, facit ſacrilegos)* demonſtravit Auguſtinus. Nam inter cætera quæ præclare, rejecto fato, diſſerit, *Non eſt autem*, inquit de civit. Dei lib. 5. cap. 9. *conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates, in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo ejuſque præſcientia continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt. Atque ita qui omnes rerum cauſas præſcivit, profectò in iis cauſis, etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit: & ideo quidquid valent, certiſſimè valent; & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt; quia valituras atque facturas ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt.* Et cap. 10. *Proinde non fruſtra ſunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes, vituperationes: quia & ipſas futuras eſſe præſcivit, & valent plurimum, quantum eas valituras eſſe præſcivit, & preces valent ad ea impetranda, quæ ſe precantibus conceſſurum eſſe præſcivit.*

Caput XI.

ATQUE hæc *de contingentia & neceſſitate* ac prima mediorum, (quibus divina utitur providentia) diſtinctione: ad alteram porro tranſeamus. Media enim alia ſunt bona & per ſe ordinata, alia mala ſeu peccata & in ſe ordinata. Illa ſolùm & potenter efficit: hæc conſultò ad bonum permittit: utraque ordinat & ad deſtinatos fines regit Deus, conſilio & modo ſæpe occulto; ſed nunquam injuſto. *Nihil enim*, ait Auguſtinus de trinit. lib. 3. c. 4. *fit viſibiliter aut ſenſibiliter, quod non de interiori atque inviſibili aula ſummi imperatoris, aut jubeatur aut permittatur, ſecundùm ineffabilem juſtitiam præmiorum atq; pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.* Qui *tertius ordinationis divinæ modus.* Ac bona quidem tam naturæ (ut ſubſtantias, motus, actiones & perfectiones rerum) quàm morum, ſeu virtutes tam civiles quàm ſpirituales, à Deo non ſolum ordinari, ſed etiam effici, ex Sacris literis, ut ante oſtendimus, & natura conſtat. Quia ut Deus ſummum bonum, ita omnis boni, & tantum boni origo & auctor eſt: iiſque modis, quos modò explicavimus. Unde ex communi hominum ſenſu definitur à Platone in Definitionibus ὀυσία ἀΐδιος τὸ τ' ἀγαθοῦ φύσεως αἰτία, *eſſentia ſempiterna & boni naturæ cauſa.* Etenim *omne munus bonum & omne donum eſt perfectum, ſupernè deſcendens à patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec converſionis obumbratio*, Jac. 1. 17. *Deus eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt ulla*, 1. Joh. 1. 5. Qua de re eleganter Auguſtinus Enchir. ad Laur. c. 23. *Nequaquam dubitare debemus rerum quæ ad nos pertinent bonarum cauſam non eſſe niſi bonitatem Dei: malarum verò, ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius Angeli, poſtea hominis.* Nec obſtat, quod alibi ait Dominus, ſe *formare lucem & creare tenebras: facere pacem & creare mala*, Eſa. 45. v. 6, 7. *Neque enim mala*, ut ait Gregor. Magn. Moral. in Job. lib. 3. c. 6. *quæ nulla ſua natura ſubſiſtunt, à Domino creantur: ſed creare ſe mala Dominus indicat, quum res bene conditas, nobis malè agentibus, in flagellum format: ut ea ipſa, & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala ſint: & per naturam, qua exiſtunt, bona.* Qua de re tota graviter & diſtinctè Tertullian. Adverſus Marc. l. 2. *Mala dicuntur & delicta & ſupplicia.* Item, *Nos autem adhibita diſtinctione utriuſque formæ, ſeparatis malis delicti & malis ſupplicii, malis culpæ & malis pœnæ, ſuum cuique parti definimus auctorem. Malorum quidem peccati & culpæ, Diabolum: malorum verò ſupplicii & pœnæ Deum creatorem: ut illa pars malitiæ deputetur, iſta juſtitiæ mala condenti judicia adverſus mala delicta. De his ergo creator profitetur malis, quæ congruunt judici. Quæ quidem illis mala ſunt, quibus rependuntur: cæterum ſuo nomine bona; quia juſta & bonorum defenſoria & delictorum inimica atque in hoc ordine Deo digna.* Mala verò ſeu peccata, quæ fiunt, Deum permittere (hoc eſt, non impedire quum poſſit) res ipſa loquitur. Nam alias ea efficeret ac probaret, aut ignoraret, aut impedire non poſſet: ſed prius juſtitiæ, alterum ſapientiæ, poſtremum omnipotentiæ illius adverſatur. Atque huc pertinent ſequentes Scripturæ loci, *Impedivi te ne peccares mihi, nec permiſi, ut tangeres eam*, Gen. 20. 6. *Non permiſit ei Deus ut noceret mihi*, Gen. 31. 7. *Non permiſit cuiquam opprimere eos*, *Qui in præteritis ætatibus permiſit gentes ſuis ipſarum viis ingredi*, Actor. 14. 16. *Tentatio vos non apprehendit, niſi humana. Fidelis Deus qui non permittet vos tentari, ſupra id quod poteſtis*, 1. Cor. 10. 13. Permiſſio interim ſic malis, quæ fiunt, attribuitur, ut bonis tamen minimè derogetur. Sic Paulus 1. Cor. 16. 7. ait, *Spero temporis aliquantum manſurum me apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Et Hebr. 6. 3. *Atque id faciemus, ſiquidem permiſerit Deus.* Hæc tamen differentia quod illa etiam efficiat; ſed mala minimè. Cæterum *Deum peccata permittere* non inſcium, nec invitum, aut negligentem, ſed *conſulto* & *volentem* perſpicuum eſt. Quia nec ſapientiſſimus quidquam agit imprudenter, nec omnipotens mundi gubernator incuria aut invitus. Itaque non parum hallucinantur qui permiſſionem conſilio & voluntati omnino opponunt. Nec propterea tamen contrarias in Deo ſtatuimus voluntates, quia diverſa ratio contrarietatis ſpeciem tollit. Quamvis enim Deus peccata quæ eveniunt propriè & per ſe non velit, aut velle poſſit, qua peccata ſunt; quia ſanctiſſimus: eadem tamen κατά τι aliquatenus per accidens vult, nimirum permittere, propter aliud quà media ſunt, & per accidens ſapientiæ divinæ rationem habent boni. Sic Joſephi venditio Gen. 45. 8. Jobi afflictio Job. 1. 17, 21. Achabi deceptio 1. Reg. 22. 23. filiorum Heli 1. Sam. 2. 25. Rechabeami 1. Reg. 12. 15. Amaziæ 2. Par. 25. 20. contumacia; Semei maledictum, 2. Sam. 16. 10. Chriſti crucifixio, Eſa. 53. 10. Gergeſenorum [a] vaſtatio, peccata fuerunt hominum & Satanæ graviſſima: at eadem tamen, quamvis aliâ ratione, Deum juſtè voluiſſe Scriptura demonſtrat. Nec conſultò ſolùm, ſed etiam *ad bonum* mala permittit Deus: quia ſummi boni perpetuò bona mens & bonus animus. Eoque à peccato in permiſſione illius omnino immunis eſt. Quandoquidem impedire, hominum inſtar, non tenetur maximus; nec niſi ad bonum permittere decrevit ac permittit optimus. Qua de re præclarè Auguſtinus Enchirid. ad Lauren. c. 27. *Melius enim judicavit de malis bene facere, quàm mala nulla eſſe permittere.* Et poſtea c. 96. *Non ergo fit aliquid niſi omnipotens fieri velit vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt Deum facere benè etiam ſinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc niſi juſto judicio ſinit. Et profectò bonum eſt, omne quod juſtum. Quamvis ergo ea quæ mala ſunt, non ſint bona: tamen ut non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio quam facile eſt, quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium: qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult,* (adderem, aut poteſt velle) *poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

a Matt. 8. 32.

Caput XII.

ATQUE hæc de peccati permiſſione: cujus adjunctum neceſſarium eſt ordinatio illius & regimen. Quo ſenſu *permiſſionem* peccati, *efficacem* [a] nonnulli, non ſimpliciter, ſed quodam modo nominant: non quod peccatum Deus efficiat; ſed ordinem illius. Non enim pro libidine Satanæ & hominum, peccata quovis tempore aut modo, aut in quemvis erumpere aut poſtea promiſcuè graſſari permittit Deus: ſed inde ab initio ad fines uſque deſtinatos ordinat ac dirigit. Nam

a Beza Tom. 1. De æterna Præd. pag. 572.

universa & singula consilia moderatur, voluntates flectit, conatus vertit huc illuc, eventus temperat pro arbitrio suo: ut antea copiosè demonstravimus. Itaque *ordinationis peccati* non minus quàm boni, *partes* sunt duæ, principium quod in consiliorum, voluntatum & conatuum regimine situm est: & perfectio quæ in eventuum ad fines decretos gubernatione consistit. Quare à veritatis scopo aberrant plurimùm qui aut otiosam omnino permissionem statuunt: aut concesso eventus regimine principium peccati ab ordinatione divina eximunt. Utrumque enim divinitus ordinari & regi non tantùm ex iis, quæ supra disseruimus, sed ex aliis etiam expressioribus Sacrarum literarum testimoniis constat. Qualia è multis sunt hæc Gen. 45. 8. *Non vos misistis me huc, sed Deus ipse.* Exod. 4. 21. *Et ego indurabo cor ejus, ut non dimittat populum.* Exod. 9. 12. *Et induravit Iehova cor Pharaonis, neque obedivit eis quemadmodum locutus fuerat Iehova ad Mosem.* Exod. 14. 17. *Ecce ego induro cor Ægyptiorum & ingredientur post eos.* Deut. 2. 30. *Et noluit Sihon rex Hisbon, ut transiremus per se: induraverat enim Iehova Deus tuus spiritum ejus & obfirmaverat cor ejus ut daret eum in manum tuam.* Jos. 11. 20. *A Iehova enim fuit quod obfirmabant cor suum ad occurrendum bello Israëli, ut internecioni devoveret illas, nec fieret illis gratia: sed ut perderet eas, quemadmodum præceperat Iehova Mosi.* 1. Sam. 2. 25. *Et non audiverunt vocem patris sui: quia volebat Iehova occidere eos.* 1. Sam. 16. 15. *Spiritus autem Iehovæ recessit à Saule & terruit eum Spiritus malus à Iehova.* 2. Samuel. 12. 11, 12. *Sic dixit Iehova, En ego suscitaturus sum adversus te malum de domo tua, tollamque uxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo, dormietque cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël & in conspectu Solis hujus.* 2. Samuel. 16. 10. *Dominus enim præcepit Semei, ut malediceret Davidi: & quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?* 2. Sam. 24. 1. *Et addidit furor Iehovæ irasci contra Israëlem & concitavit Davidem in eos dicendo, vade numera Israëlem.* 1. Reg. 12. 15. *Et non exaudivit rex populum, fuit enim causa à Iehova, ut confirmaret verbum suum quod locutus fuerat ipse per manum Abiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nebat.* 1. Reg. 22. 23. *Nunc ergo dedit Iehova Spiritum mendacii in ore omnium istorum Prophetarum tuorum.* 2. Par. 11, 4. *Sic dixit Iehova, Ne ascendatis neque pugnetis contra fratres vestros: revertimini quisque in domum suam: quia à me facta est res ista.* 2. Par. 25. 20. *Et non acquievit Amazias: quia à Deo erat ut traderet eos in manum.* Jobus cap. 1. 21. non ait, Dominus dedit: Diabolus abstulit; sed, *Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Job. 19. 21. *Manus Dei tetigit me.* Psal. 105. 25. *Convertit cor eorum, ut odio haberent populum suum, ut machinarentur dolos in servos ejus.* Esa. 6. 10. *Impingua cor populi hujus & aures ejus aggrava & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & convertatur & sanet eum.* Esa. 10. 15. *An gloriabitur securis adversus secantem ipsa? an magnificabitur serra adversus eum qui ipsam agitat?* Esa. 19. 14. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo.* Esa. 63. 17. *Quare fecisti nos errare Iehova à viis tuis: recedere fecisti cor nostrum à timore tui.* Ezech. 14. 9. *Propheta quum erraverit & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ezech. 24. 21. *Sic ait Iehova; ecce ego prophanaturus sum sanctuarium meum, excellentiam roboris vestri, desiderium oculorum vestrorum & cui indulget anima vestra: etiam filii vestri & filiæ vestræ quas reliquistis, gladio concident.* Act. 2. 27. *Hunc definito illo consilio & præscientia Dei deditum, quum accepistis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* Act. 3. 17. 18. *Scio vos per ignorantiam ista fecisse sicut & primores vestros: Deus autem quæ prænunciaverat per os omnium Prophetarum suorum Christum suum perpessurum, ita implevit.* Rom. 1. 26. *Tradidit illos Deus fœdis affectibus.* Rom. 9. 18. *Cujus vult, miseretur: quem vult, indurat.* 2. Thes. 2. 11. *Ideo igitur mittet eis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio.* 1. Pet. 3. 17. *Melius enim est ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm male agentes.* 1. Pet. 4. 19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei.* Sed testimoniorum satis: ex quibus omnibus liquere existimo, non ea solùm quæ bona sunt, sed peccata quoque, divina gubernatione ordinari & omnino dirigi. Quod & Augustinus, cujus apud orthodoxos gravissima semper habita est auctoritas, pluribus in locis, disertè testatur ac comprobat. Qualia inter cætera sunt hæc, De Gen. ad lit. c. 5. *Nam,* inquit, *& vitiorum nostrorum non est auctor Deus, sed ordinator est: quum eo in loco peccatores constituit & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quod oves ponuntur ad dextram, hœdi ad sinistram. Quædam ergo & facit & ordinat: peccatores autem, in quantum peccatores, non facit sed ordinat tantùm.* Et de civit. Dei l. 14. c. 26. Deum appellat, *creatorem omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutorem ac remuneratorem, malarum autem relictorem & damnatorem, utrarumque ordinatorem.* Et ibid. l. 5. c. 9. *In ejus voluntate summa potestas est: qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat: & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Atque huc etiam pertinet quod in Confessionibus lib. 1. c. 10. ait, *Et tamen peccabam Domine Deus, ordinator & creator omnium: peccatorum autem tantummodo ordinator.* Sic enim locum illum, qui vulgò vitiosè legitur, *Tantum non ordinator,* restituendum omnino censeo: ut ex reipsa & iis quæ adduximus aliisque ejusdem auctoris sententiis constat. Nec dubito, quin compendio literarum, *Tantummō,* scriptum fuerit: quod librariorum incuria in, *Tantum non,* abierit. Sic etiam Fulgentius, qui Augustini sententiis adeo delectatus est, ut eas pluribus in locis non tam imitatus sit, quàm expresserit, *Mala verò,* inquit ad Monimum l. 1. c. 24. *futura opera illorum, quos non prædestinavit ad regnum, sed ad interitum, præscivit potentissima Deitate & ordinavit provida bonitate.* Et ibid. c. 26. *Deus itaque licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum: & de malo opere cujuslibet mali, non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis injustæ voluntatis operibus deserit operum suorum justum ordinem: quia & hoc in ipso ordine habet, quod malam justè deserit voluntatem. Quam tamen sic, in suis malis operibus à se descendentem, deserit; ut ibi permittentis Dei operatio bona non desit: dum & in peccatis voluntate injusta implet ipse justitiam, & de malo quo peccantem judicat, quibus ipse vult beneficium prorogat.* Atque hujus ordinationis gratia fit, ut ea quæ à Satana hominibusque promanant mala, etiam Deo, quamvis alia ratione, passim in Sacris literis ascribantur. Nam ut è multis pauca delibemus, sic Pharao & à se & à Deo induratus dicitur, Exod. 7. 13. & 4. 21. Jobi bona & à Chaldæis Diaboli instinctu & à Domino ablata, Job. 1. 12, 17, 21. Satanas Davidem incitavit ut populum superbè numeraret, 1. Paral. 21. 1. idemque Deo attribuitur 2. Sam. 24. 1. Semei sceleratè Davidi maledixit, & Dominum ei præcepisse fatetur David 2. Sam. 16. 10, 14. Satanas & pseudoprophetæ populum decipiunt; quod Deus etiam sibi vendicat 1. Reg. 22. 23. Ezech. 14. 9. denique quemadmodum crudelis Judææ vastatio Sancheribo, & excidium Moabitarum Chaldæis ascribitur Esaia. 10. v. 12. sic utrumque *Dei opus* appellatur Jeremia. 48. v. 10. Verum enimvero non ea mente hæc dicuntur divinitùs, quod illorum & similium auctor sit Deus, quà peccata sunt, (nam eatenus permittit solùm) sed ratione subjecti & ordinis illius. Quia ad eandem actionem Deus, homines, Satanas concurrunt variè, sine ulla divinæ justitiæ & majestatis macula. Nam actio per se & regimen à Deo est, tanquam causa prima: à creatura, ut secunda: vitium verò à creatura sola. *Quod potest Deus punire, non facere:* ut scitè monet Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 19. Etenim quum ea quæ perpetrantur peccata sint ἔργα ἄνομα actiones aut *opera contra legem Dei*; unde *opera mala* appellantur 2. Pet. 2. v. 8. 2. Tim. 4. 18. tria in illis sunt observanda: materia in qua hærent, forma, & adjunctum regimen. *Materia seu subjectum peccati* sunt actiones, eæque aut internæ & animi, nimirum mentis, voluntatis, affectuum: aut externæ & corporis. Unde peccàta ex Augustino contra Faustum lib. 22. cap. 27. vulgo definiuntur *facta, dicta, concupita contra legem Dei. Forma peccati,* est ἀνομία violatio legis: quæ non est proprium actionis, sed accidens & singularis illius ἀταξία ordinis naturalis perturbatio, cùm actionis in se consideratæ, tum ratione finis debiti. Siquidem actionis integritas ita corrumpitur: & ordo illius, ad finem legitimum, tollitur. Adjunctum denique regimen est peccati ad bonum universi, per accidens providentiæ divinæ, εὐταξία justa ordinatio. Primum igitur peccati subjectum, ut per acci-

accidens peccati malum, sic per se bonum est: eoque promanat à Dei providentia, non solum universali (qua tanquam causa prima creaturas & operationis principia ac facultates à se primùm inditas sustentat ac continuat) sed etiam particulari; qua ut agens liberrimum singula pro arbitrio variè permovet. Nam Deus omnis motus & actionis, (quà naturalia, non quà vitiosa) omnisque boni citra controversiam origo & auctor est. Act. 17. 28. *In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Idque doctè & eleganter demonstrat Augustinus in Enchirid. ad Lauren. c. 12. *Natura igitur omnes*, inquit, *quoniam naturarum prorsus omnium summè conditor bonus est, bonæ sunt.* Item ibid. c. 13. *Omnis namque natura, etiamsi vitiosa est; in quantum natura est, bona est: in quantum vitiosa est, mala est.* Et contra adversar. legis c. 5. *Quod enim malum est per vitium, profectò bonum est per naturam. Vitium quippe contra naturam est, quia naturæ nocet: nec noceret, nisi bonum ejus minueret. Non est ergo malum nisi privatio boni: ac per hoc nusquam nisi in re aliqua bona, etsi non summè bona (quoniam summè bona incorruptibilis & immutabilis perseverat, ut Deus est) non tamen nisi in bona: quoniam non noceret nisi minuendo quod bonum est. Ac per hoc, bona sine malis esse possunt sicut ipse Deus & quæque superiora cælestia: mala verò sine bonis esse non possunt.* Hinc igitur constat etsi peccatum non possit esse in se bonum, bonum tamen illius esse subjectum. Deinde & ordinatio illius justa est: quia ex puro auctore, bono fine, & modo promanat. Quæ tria ad perfectionem operis requiruntur. Nec enim sanctitati divinæ quidquam derogat, quod peccata ordinet: sed sapientiam & bonitatem illius demonstrat, quod ea quæ creaturæ culpa inordinata sunt, in ordinem creator redigat. *Sicut enim*, ait augustus ille scriptor August. De peccat. remiss. lib. 1. c. 29. *bono uti male, malum est: sic malo bene uti bonum est.* Et in Euang. Joh. tract. 27. *Sicut iniqui malè utuntur bonis operibus Dei: sic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum.* Ut enim medicus venena non procreat, sed ad corporis incolumitatem venenis probè & cum laude utitur: sic & Deus peccata non efficit, sed ad bonos fines bonoque modo semper dirigit: quamvis ea non semper assequamur. *Quia judicia Dei sunt abyssus multa*, Psal. 36. 7. Adeo ut non immeritò exclamet Apostolus, Rom. 11. 33. *O profunditatem divitiarum tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!* Fines autem sunt varii: è quibus præcipuos & communiores recensebimus. Ac primùm si reprobos spectes, proximus finis est, justa eorum patefactio & pœna; quam aut sibimet inferunt, aut ab aliis ferunt: remotior est merita damnatio & interitus. Sic gentiles tradente Deo fœdis suis affectibus mancipati, *mercedem quam oportuit, erroris sui in sese receperunt*, Rom. 1. 26, 27. Et quia multi *amorem veritatis non receperunt, propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia*, 2. Thess. 2. 10, 11, 12. Sic Deus Satanæ & pseudoprophetarum mendacia occulto providentiæ fræno (quod præceptum metaphoricè dicitur) effrænatam Achabi impietatem justissimè punivit, 1. Reg. 22. 23. De quo argumento eleganter & distinctè Gregorius Magnus Moral. in Job. l. 25. c. 12. *Omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est & causa peccati: aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solùm peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur: ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immeritò pœna peccati dicitur, quod justa desuper irrogata cæcitate, ex præcedentis peccati ultione, perpetratur. Quod videlicet agitur dispensatione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa: ut & præcedens culpa sit causa subsequentis, & rursum culpa subsequens sit pœna præcedentis.* Sin pios spectes, finis ad quem peccata hominum dirigit Deus, proximus quidem est, aut conservatio eorum in hac vita, vel in pietatis officio: aut exploratio virtutis, præsertim *ut probati per patientiam manifesti fiant, vel sibi ad spem, vel aliis ad imitationem*, Aug. contra Secundinum cap. 10. Rom. 5. 4. aut denique castigatio vitiorum; ut meliores reddantur, quum vel ipsi peccant, vel in ipsos peccatur. Remotus verò finis est eorundem salus. Sic Deus optimus maximus sceleratam Josephi venditionem ad peccantium fratrum conservationem clementer convertit, Gen. 45. 5. Quemadmodum & Satanæ improbitatem ad Apostolum in officio & modestia continendum, 2. Cor. 12. 7. patientiam Jobi etiam nostro bono explorandam Job. 1. 11, 12. Jac. 5. 10. 11. Davidem cum populo castigandum, salutem eorum omnium procurandam gubernavit Deus, 2. Sam. 24. 1. In quam sententiam rectè Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 16. cap. 19. *Apostata quippe angeli perversa voluntas est, sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant dum tentant.* Et ib. l. 33. cap. 18. *Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas Diaboli: inde piè perficitur benignitas Dei.* Elegantissimè verò Basilius Magnus Tom. 1. Orat. quòd Deus non sit auctor peccati. Συνεχρήσατο οὖν αὐτοῦ τῇ πονηρίᾳ εἰς γυμνάσιον τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ὁ σοφὸς καὶ προνοητικῶς οἰκονομῶν τὰ ἀνθρώπινα· ὥσπερ ἰατρὸς τῷ τῆς ἐχίδνης ἰῷ εἰς σωτηρίαν φαρμάκων κατασκευὴν ἀποχρώμενος. Hoc est, *Ille igitur sapientissimus & providentissimus rerum humanarum dispensator ejus* (Diaboli) *improbitate simul utitur ad nostrarum animarum exercitationem, quemadmodum medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem.* Sic Paulus ait 1. Cor. 11. 19. *Oportet hæreses esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiant.* Et 1. Cor. 10. 13. *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana. Fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari, supra id quod potestis: sed præstabit, una cum tentatione, etiam evasionem.* Et ad Rom. cap. 8. 28. *Novimus autem iis qui diligunt Deum, omnia simul conferre ad bonum: usque adeo omnia*, ait Augustinus de correptione & gratia cap. 9. *ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando, tanquam de sua virtute fiduciam permanendi: nec dicendo in abundantia sua, Non movebor in æternum*, Psal. 30. 7. Ultimus denique finis est sapientiæ, potentiæ, bonitatis & justitiæ Dei gloria, Rom. 9. 17. Ad quam demonstrandam, ut Pharaonem excitavit & pios regit: sic & *omnia operatur etiam impium ad diem malum*, Prov. 16. 4. Porro *modus ordinationis peccati varius est* ac sæpe occultus, nunquam autem injustus: quia à solo bono Matt. 19. 17. & summè justo promanat. *Quid si*, ait Apostolus Rom. 3. v. 56. *injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Num injustus Deus, qui inferat pœnam? (humano more loquor) Absit: alioqui quomodo judex erit Deus mundi?* Qua de re scitè Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 20. *Scriptura ostendit non solùm bonas renatorum voluntates, quas ipse facit ex malis: verumetiam illas quæ conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine dubio justissimo.* Generalior verò ordinationis peccati modus est duplex: quorum prior est privatio gratiæ peccato adversantis. Quum autem hujusmodi gratia alia sit interna; lux mentis & frænum cupiditatum: alia externa; furoris Satanæ & mundi repressio: sic & privatio illius duplex est. Una internæ gratiæ, qua mens luce & judicio recto destituitur & cupiditatibus fræna sic laxantur, ut ea tamen Deus perpetuò contineat & pro arbitrio gubernet. Atque hujus privationis ratione à quibusdam Deus *deficiens, & removens, prohibens* peccati *causa* impropriè nominatur. Pet. Mart. in Locis cap. 14. §. 7. & 16. *Sicut accidit de domo ruinosa quæ sustentetur columna; accedit aliquis, amovet columnam, cadunt lapides & ædificia de summo loco, suo pondere cadunt, quæ in seipsis descensus habent causam: tamen qui aufert columnam dicitur utcunque facere casum: removet enim fulcrum, quod ruinam prohibebat. Sic Deus natura sua bonus est, quatenus tamen justus, vult punire peccantes, tollit gratiam & quoquomodo causa eorum quæ postea malè fiunt potest dici: non vera causa: nam ea propria est interior, mala scilicet eorum voluntas.* Etsi ab illa phrasi abstinere malim: non quia non sanctè ab iisdem intelligitur, sed propter ambiguitatem illius & insignem adversariorum calumniandi libidinem: qui secus, quam par est, interpretantur. Etenim quum peccatum non sit natura, sed naturæ vitium, unde &

de & *nihil* ab Augustino dicitur in Euang. Joh. tract. 1. non tam efficiens, quàm deficiens illius causa statuenda est. Ut doctè ab Augustino De civi. Dei lib. 11. c. 7. explicatur; quum ait, *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec ulla effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summè est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum (cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes) velle invenire, tale est ac si quisquam velit videre tenebras vel audire silentium: quod tamen, utrumque nobis notum est: neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures: non sanè in specie, sed in speciei privatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio: nisi fortè ut nescire discat, quod sciri non sciendum est: Ea quippe quæ non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, ut sciendo nesciantur.* Cæterum *deficiens* causa ὁμωνύμως ambiguè appellatur, per se, aut per accidens. Illa est, quæ in se à rectitudine legis debita; hæc verò quæ in alio, à gratiæ suæ communicatione indebita, deficit. Hic defectus peccato caret: & creatori tribuitur: ille verò peccatum est, & creaturæ soli convenit. Qua de re subjicit Augustinus, *Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere: & ea posse deficere, quæ ex nihilo facta sunt. Quæ tamen quanto magis sunt, & bona faciunt: tunc enim aliquid faciunt, quum causas habent efficientes: in quantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt (quid enim tunc faciant nisi vana?) causas habent deficientes.* Sic postea cap. 9. *Quum ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, si dici potest, essentialis nulla sit causa (ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum) nec talem voluntatem facit nisi defectio, quâ deseritur Deus: cujus defectionis etiam causa utique deficit.* Quam Augustini sententiam nostri approbant, etsi & alia declarationis ergò adjiciant. Hinc doctissimus Theologus Calvinus De æterna Dei prædest. opusc. pag. 998. *ut verè ab Augustino dictum libenter amplectar, In peccato, sive in malo, nihil esse positivum.* Atque hac ratione doctè vulgò dicitur, *Privationem rectitudinis activè sumptam esse posse à Deo; non autem passivè:* quia illa est justa pœna: hæc injusta culpa. Atque hæc prima est privatio, gratiæ nimirum internæ. Altera verò est, externæ gratiæ; qua mortales Satanæ & mundi injuriis, non absolute, sed definitis à Deo judice & temporis & modi limitibus, variè exponuntur. Quod ex Jobi, cap. 1. 12. & 2. 6. & Achabi, 1. Reg. 22. v. 22. historia liquet, & Gergesenorum calamitas, Matth. 8. v. 31. demonstrat. Etenim si ne in porcos quidem sævire Satanas potuit, nisi data à Christo venia: quantò minus in homines? Itaque Diabolus *efficax* quidem *est in incredulis*, Eph. 2. 2. atque operatur in iis, quod vult; sed non quantum vult. Quidquid enim Deo permittente ac gubernante mali facit, illud vult, quia malus: non autem quidquid vult, illud perficit: quia insatiabilis in eo malefaciendi libido & determinata divinitus potestas. In quam sententiam graviter & rotundè Augustinus de civi. Dei lib. 2. c. 23. *Quia*, inquit, *sicut ipsi mali homines in terra: sic etiam illi* (immundi spiritus) *non omnia quæ volunt facere possunt, nisi quantum illius* (Dei) *ordinatione sinuntur: Cujus plenè judicia nemo comprehendit: justè nemo reprehendit.* Et Gregorius Magnus Moral. in Job. lib. 18. cap. 1. *Omnis voluntas Diaboli injusta est & tamen permittente Deo omnis potestas justa. Ex se enim tentare quoslibet injustè appetit, sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi, non nisi tentari Deus justè permittit.* Atque hic prior est ordinationis peccati modus. Alter verò est bonarum occasionum oblatio: quibus impii ad peccata perperam abutuntur. Quales sunt intus bonæ cogitationes, aut ordinariæ ex communibus naturæ principiis, institutione, experientia; aut extraordinariæ & immediatè singulari Dei instinctu excitatæ: foris, tum dicta, ut præcepta, narrationes, promissiones, minæ; tum facta cæteraque quæ in sensus incurrunt. Atque hinc facile perspicitur sana mente à D. Martyre, Comment. ad Rom. 9. dictum, *Indurationem esse effectum iræ & ultionis Dei, sive à Deo ipso, ut loqui solent, immediatè: sive per Diabolum: sive per hominem exerceatur.* Nam immediatè Deus indurare potest, privatione gratiæ justa & interna atque admirabili bonarum occasionum & cogitationum oblatione. Ad quam sententiam illustrandam præclarum illud ac celebre Augustini contra Julianum lib. 5. cap. 3. dictum pertinet: *Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit justa sua judicia non solùm in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari: qui non facit voluntates malas: sed utitur eis ut voluerit, quum aliquid iniquè velle non possit.* Nec Deo injurius Martyr, quod postea addit, *Clamant absurdum esse, Deum ponere causam indurationis: at velim ex ipsis audire in quem articulum fidei hoc absurdum incurrat?* Etenim induratio, ut multa, & peccatum est & pœna peccati. Illius causa dici non potest propriè; sed tantùm per accidens, & occasio qua creaturæ abutuntur, ut modò ostendimus: hujus verò optimè; quia, quum Deus summus & justus sit judex, pœna omnis, quà pœna, proprium justitiæ illius opus est. Sic ait Augustinus contra Julianum l. 5. c. 3. *Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, ut fiant quæ non conveniunt: sed ipse convenienter tradit, & fiunt eadem peccata supplicia præteritorum & suppliciorum merita futurorum: sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium, sicut tradidit Roboam in falsum consilium.* Et de prædest. sanct. c. 10. *Etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ etiam sint peccatorum (unde dictum est, Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniant) non ibi peccatum Dei est, sed judicium.* Sed ut eò unde digressus sum, redeam: sic Deus peccatores movet & bonas occasiones offert malis, ut interim à mali contagione utrimque sit immunis. Ut enim conspicuus hic Sol radiis suis flores & sordes æquè feriens, ex illis odorem suavissimum, ex his verò teterrimum elicit: sic & inconspicuus ille Sol noster Deus, eadem sæpe ratione providentiæ suæ radiis & bonos & malos permovet: sed, pro vario eorum ingenio, ex illis quam insevit pietatem; ex hisce, quam non effecit, sed invenit impietatem, in lucem justè educit. Et ut aër sole per vitrum coloratum pellucente, lumen habet à sole, sed colorem à vitro: sic actiones humanæ à Deo habent ut sint & ordinatæ sint; ab hominis vitio, ut malæ sint. Quamobrem in eodem argumento accusatur ac sæpius punitur creaturarum scelus & laudatur Dei justitia: *quæ etsi justo ordine, injustum aliquid fieri justè permittit, inultum tamen abire non sinit*, Greg. Magn. Moral. in Job. lib. 16. cap. 36. Quod vel ex hisce testimoniis perspicuum est. *Gen.* 50. 20. *Vos cogitastis adversus me malum, Deus autem cogitavit illud in bonum: ut faceret secundùm diem hanc. Deut.* 13. 2, 3. *Si dixerit Propheta, Eamus & consequamur Deos alienos, non audies vocem ejus: quia tentat vos Dominus, utrum diligatis eum. Propheta autem ille interficiatur: quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro.* Job. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Esa. 10. 5, 6, 7. *Assur virga furoris mei & virga quæ est in manu eorum, est ira mea. Ad gentem impiam mittam eum & super populum furoris mei mandabo ei, ut spoliet spolia & prædetur prædam & ponat eum in conculcationem, sicut lutum platearum. Ipse autem non sic existimabit, nec cor ejus ita reputabit, sed ad perdendum erit cor ejus.* Et vers. 12. *Et erit quum compleverit Dominus omne opus suum in monte Sion & in Ierusalem, visitabo super fructum magnitudinis cordis regis Assur.* Luc. 22. 22. *Filius hominis quidem, prout definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi per quem proditur.* Idem egregiè illustrat Augustinus in epist. Joh. Tractatu 8. *Facta est*, inquit, *traditio à Patre: facta est traditio à Filio: facta est traditio à Iuda. Una res facta est: sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, seipsum Filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem magistrum suum? Quia hoc fecit Pater & Filius in Charitate: fecit autem hoc Iudas in proditione. Videtis quia non, quid faciat homo, considerandum est: sed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Iudam: Patrem benedicimus, Iudam detestamur. Quare Patrem benedicimus, Iudam destamur? Benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano de tradito Christo? nunquid hoc cogitavit Iudas, ut traderet? Deus cogitavit salutem nostram, qua redempti sumus: Iudas cogitavit pretium quo vendidit Dominum: Filius ipse cogitavit pretium quod dedit pro nobis: Iudas cogitavit pretium, quod accepit ut venderet. Diversa ergo intentio, diversa facta facit. Quum sit una res ex diversis eam intentionibus si metiamur, unum amandum, alterum damnandum: unum glorificandum, alterum detestandum invenimus.* Sic idem & in tract. de natura boni c. 32. *Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur & malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem Diabolo datam & Iob probatus est, ut justus appareret, & Petrus tentatus est, ut non de se præsumeret, & Paulus colaphizatus, ne se extolleret, & Iudas damnatus, ut se suspen-*

se suspenderet. Quum ergo per potestatem quam Diabolo dedit, omnia justè ipse Deus fecerit; non tamen pro his justis factis, sed pro iniqua nocendi voluntate, quæ ipsius Diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium, quum dicetur impiis, qui ejus nequitiæ consentire perseveraverint, Ite in ignem æternum, quem paravit Pater meus Diabolo & Angelis ejus, Matth. 25. 41. Hisce consentit Fulgentius ad Gnomimum lib. 1. cap. 27. Bene, ait, quippe malis interitus à Deo redditur, quamvis sit malus interitus eis, qui nunc justè deseruntur & postmodum justè torquebuntur. In talibus enim Deus judicium suum desertione inchoat, cruciatione consummat. Nam & hoc tempore, quo discedentes malos deserit Deus, non operatur in eis, quod ei displicet; sed operatur per eos, quod ei placet: postmodum eis redditurus, quod ab ejus justitia merentur. Recipient enim non pro eo, quod Deus bene usus est eorum operibus malis: sed pro eo, quod ipsi malè abusi sunt Dei operibus bonis. Quamobrem etsi eadem opera Satanæ, hominibus & Deo tribuantur, peccati tamen auctor Deus minimè constituitur. Nam diversa natura, finis & modus voluntatem actionesque Dei & malorum distinguunt. Ea enim omnia in Deo summè bono, pura puta sunt; in malis verò mala: ideoque in illo laudem; in hisce supplicium promerentur. Nec aliud sensit D. Calvinus Opusc. De æterna prædest. pag. 998. (etsi id mirificè exagitent) quum ait, Quæ perperam & injustè ab hominibus fiunt, eadem recta & justa esse Dei opera. Quod non solùm ex apologia contra Castellionem: verumetiam ex aliis ejusdem auctoris sententiis demonstrari potest. Non enim ex charitate tantùm, quæ viro de ecclesia Dei optimè merito debetur, sed certo etiam judicio in meliorem partem hoc dictum & similia interpretamur. Quod ex iis quæ producemus testimoniis omnibus citra præjudicium attentis, fiet perspicuum. Quod verò Deus, inquit Comment. in Esa. 44. 18. excæcare atque in reprobum sensum tradere dicatur, patet ex variis Scripturæ locis, nempe quum lucem Spiritus sui aufert & fræna laxat hominum libidini, ut nulla amplius ratione cohiberi possint. Satanam quoque armat efficacia erroris, ut neque ab ejus insidiis caveant & fallaciis obnoxii sint, qui recusarunt veritati parere. Et Ibid. c. 19. 14. Itaque quum Deus homines excæcat aut reprobat, sævitiæ accusari non potest. Iusta enim improbitatis & nequitiæ eorum pœna est, nec potest auctor mali dici, qui scelera puniendo justè agit. Nunc ad puniendi modum veniamus. Permittit eos Satanæ puniendos. Ipse enim est qui propriè permiscet Spiritum vertiginis & pravitatis: sed quia nihil agit nisi mandato Dei, propterea Deus ipse id agere dicitur, quod Satan agit. Nam quod vulgò dicunt fieri permissu Dei, nimis frivolum est effugium: Plus enim expressit Propheta, nempe inflictam à Deo hanc pœnam, quod justus sit judex. Agit ergo Deus per Satanam ut judex per carnificem, justasque pœnas sumit, de iis qui ipsum offenderunt. Et ut alia omittam, præclarè ac rotundè in Institutionibus suis Lib. 2. c. 4. sententiam suam orthodoxam, de hoc argumento exponit. Quomodo, inquit, idem opus ad Deum, ad Satanam, ad hominem auctorem referamus, quin vel Satanam excusemus Dei consortio, vel Deum mali auctorem prædicemus? Facile, si finem agendi primùm inspiciamus, Deinde modum. Domini consilium est servi sui patientiam calamitate exercere: Satan molitur eum ad desperationem adigere: Chaldæi ex re aliena præter jus & fas lucrum quærere affectant. Tanta in consiliis diversitas opus jam valdè distinguit. In modo non minus est discriminis. Satanæ affligendum servum suum Dominus permittit: Chaldæos quos ad id exequendum ministros delegit, illi permittit ac tradit impellendos. Satan alioqui pravos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illi ad injustitiam furiosè ruunt: omniaque membra scelere obstringunt ac contaminant. Propriè ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est nequitiæ, exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quod Satan ipse, instrumentum quum sit iræ ejus, pro ejus nutu ac imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda ejus justa judicia. Omitto hic universalem Dei motionem: unde creaturæ omnes ut sustinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt. De illa speciali actione tantùm loquor, quæ in unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini assignari videmus non esse absurdum: sed varietas in fine & modo facit ut illic inculpata Dei justitia reluceat, Satanæ hominisque nequitia cum suo opprobrio se prodat. Atque hæc quidem de peccati permissione divina & adjuncta Dei ordinatione. Ex quibus non adeo difficile est Orthodoxorum in hac quæstione sententias conciliare, quum alii hanc Dei permissionem statuunt: alii rejiciunt. Illi enim non quamvis permissionem, sed conjunctam cum ordinatione & regimine Dei intelligunt: hi verò non simpliciter tollunt, sed nudam & à Dei regimine secretam, quam nonnulli fingunt, aversantur. Qua de re, ut alios brevitatis causa prætermittam, doctissimus D. Beza ad Francisc. Claud. Apologia altera. Permissionem enim à nobis non simpliciter tolli, quum aliter in bonis, aliter per malos agat Deus, sed eo sensu duntaxat, quo & à Iuliano quondam usurpabatur (contra quem errorem ex professo disputat Augustinus contra Julianum lib. 5. cap. 3.) & à nobis nunc accipitur, quasi videlicet voluntati & decreto opponatur, quoties à nobis est inculcatum? Et Prælect. in cap. 9. ad Romanos. Et ad hanc distinctionem spectat rectè intellectum συγχωρήσεως id est permissionis nomen, tam malè à nonnullis acceptum, qui Dei voluntati, id est decreto, illud opponunt (quod Augustinus ante à nobis citatus copiosissimè refutat) quàm rectè ab iis usurpatur, qui sic distingui volunt, Dei actionem in bonis & per bonos verè agentis, ab eodem sic per malos etiam peccantes, justa sua judicia exequentis, ut tamen malam in ipsis voluntatem non efficiat, neq; malè moveat, sed mala ipsorum voluntate benè utatur. Atque hinc facile colligitur, quo sensu ab eodem providentia paulò antè ibidem definiatur, Vis illa Dei sapientissima & optima à cujus efficacitate cuncta cùm facta tùm facienda dependeant. Itaque frustra ex eo invidiam doctissimo viro conflare moliuntur.

Caput XIII.


Atque hæc quidem *de natura providentiæ* divinæ pro tenuitate nostra disseruimus. Ex quibus hujus *doctrinæ usus & utilitas* singularis elucet. Etenim sapientiæ, bonitatis & potentiæ Dei infinitæ theatrum est illustrissimum: fidei & spei fulcimentum: superbiæ & impatientiæ frænum: gratitudinis stimulus: optima denique religionis magistra. Quæ singula ut ex superioribus constant, sic & scriptis catecheticis accuratè vulgò explicantur. Quare iis illustrandis & confirmandis supersedeo, ac finem facio. Hactenus *Conciliatio doctrinæ orthodoxæ de providentia Dei*; *ex quo, per quem, & in quem sunt omnia*. Rom. 11. v. 36. *Ipsi sit gloria in secula*. Amen.


FINIS.


SEQUITUR

SYNOPSIS DOCTRINÆ

DE PROVIDENTIA.







FINIS.

ANTI-

ANTI-COSTERI
LIBRI TRES:
SEU

Enchiridii Controversiarum præcipuarum nostri temporis in Religione, à FRANCISCO COSTERO

D. Theologiæ Soc. Jesu conscripti: nempe

I. *De Discrimine Hæreticorum & Catholicorum.*
II. *De Sacra Scriptura.*
III. *De Ecclesia Christi.*

REFUTATIO.

Autore
FRANCISCO GOMARO
D. & Profess. Theologiæ in Academia Leydensi.

ARGUMENTA CAPITUM
LIBRI PRIMI.

In exordio fœda Sodalitatis virginis Mariæ idololatria fideliter ostenditur ac solidè confutatur.

Cap. I. *De discrimine hæreticorum & Catholicorum quatuordecim antitheses.*
Prima in contrario eorum erga Christum studio consistit. Ac demonstratur à Christiana ecclesia Christum piè honorari: contrà verò Pontificiam ecclesiam Christi personam, triplex officium, beneficia, & Sponsam indignissimè ac variis modis violare.

Cap. II. *Secunda antithesis in contrario erga Pontificem animo. Pontificem à Christiana ecclesia jure meritoque rejici: contra verò à Pontificia ecclesia injustè & ad summam Christi ignominiam observari ac coli.*

Cap. III. *Tertia antithesis in contrario erga episcopos & presbyteros studio. Christianam ecclesiam à Pontificiis episcopis, presbyteris & Sacerdotibus, tanquam lupis rapacibus, prudenter abhorrere ac fugere: contrà verò Pontificiam ecclesiam eosdem gravissimo errore amplecti ac sequi tanquam fideles pastores.*

Cap. IV. *Quarta antithesis in contrario erga Monachos studio. Monastica Pontificiorum instituta, tanquam diram in ecclesia Christi pestem, verè à Christiana Ecclesia reprehendi: contrà vero eadem falsò à Pontificia ecclesia defendi & indies novis & indignis modis augeri.*

Cap. V. *Quinta antithesis in contraria templorum & Sacramentorum tractatione. Christianam ecclesiam, sine ullo Sacrilegio idololatrica Pontificiorum templa contemnere: contrà verò eadem à Pontificiorum ecclesia cultu idololatrico honorari.*

Cap. VI. *Sexta antithesis in contrariis doctrinæ fructibus. Ex Christianæ ecclesiæ doctrina veram fidem & veram charitatem: contrà verò ex Pontificiæ ecclesiæ doctrina magnam superstitionum, crudelitatis, libidinum, hypocriseos, avaritiæ & perfidiæ messem oriri.*

Cap. VII. *Septima antithesis in contraria successione. In Christiana ecclesia veram vigere successionem tam doctrinæ, quàm ministerii ecclesiastici: contrà verò in ecclesia Pontificia utramque desiderari.*

Cap. VIII. *Octava antithesis in contrariis consiliis & actionibus. Christianam ecclesiam Dei gloriæ & virtuti operam dare: contrà verò clerum Pontificium magna ex parte, avaritia, ambitione & impuritate vitæ contaminatum.*

Cap. IX. *Nona antithesis in contrariis erga patres antiquos & concilia studiis & judiciis. Christianam ecclesiam eos honorare tanquam testes; sed eis tamen Sacras literas præferre tanquam unicam fidei regulam: contrà verò Pontificiam ecclesiam patrum & conciliorum consensum, si veritatem spectemus, Dei verbo æquare.*

Cap. X. *Decima antithesis in contrariis loquendi modis. Christianam ecclesiam fidei suæ confessionem edere ex Sacris literis & certa prudenter ab incertis distinguere: contrà Pontificiam Ecclesiam humana niti doctrina & de rebus abstrusis, sine Sacris literis, magna temeritate pronunciare.*

Cap. XI. *Undecima antithesis in judiciis de majorum salute. Christianam ecclesiam neminem qui bona conscientia fidei fundamentum retinuerit condemnare & de proximi salute benè sperare: contrà verò Pontificiam ecclesiam in majoribus & verè fidelibus reipsa condemnandis esse temerariam.*

Cap. XII. *Duodecima antithesis in contraria ad ministerium ecclesiasticum vocatione. Christianæ ecclesiæ pastores legitime secundùm verbi divini præscriptum vocatos, & per januam in ovile Christi fideliter ingressos: contra verò Pontificiæ ecclesiæ ministros plerosque per fenestram tanquam fures irrepsisse.*

Cap. XIII. *Decima tertia antithesis in duratione doctrinæ. Christianam ecclesiam in fundamento fidei constantem esse: contrà Pontificiam ecclesiam in ea re esse instabilem.*

Cap. XIV. *Decima quarta antithesis in miraculis. Christianam ecclesiam Christi & Apostolorum miraculis instructam nullis jam amplius egere miraculis ad doctrinæ suæ confirmationem: contrà Pontificiam ecclesiam veritate destitutam confictis miraculis niti.*

Cap. XV. *De ratione agendi cum hæreticis & Pontificiæ ecclesiæ crudelitate, qua in suos adversarios sævit: & quænam optima cum ea disputandi ratio: quamque multæ & horrendæ hæreses in ea doceantur.*

Cap. XVI. *De ratione agendi cum iis qui hæreticis credunt: & qua ratione à verè Christianis Pontificiorum quæstionibus possit satisfieri.*

ANTI-

ANTI-COSTERI
LIBER PRIMUS,
DE
DISCRIMINE HÆRETICORUM ET CATHOLICORUM.

QVISQVIS operis tui titulum & proœmium attente volet observare, quid de enchiridio tuo judicandum sit, Costere, minimè dubitabit. Nam quemadmodum profanarum gentium poetæ, non veri Dei sed falsorum numinum, auspiciis, sua scripta exordiri solent; sic tu, non à Christi, sed à Christi matris patrocinio, orationis hoc principium inducis.

COSTERUS.

POSTQUAM, Deo Opt. Maximo volente, multi eruditione præstantes viri atque adolescentes summa spe animi & ingenii, sub augustissimo nomine & patrocinio matris Dei, cælorum Reginæ & humani generis singularis advocatæ, beatissimæ semper virginis Mariæ, in sodalitatem, certis legibus, à S. sede Apostolica comprobatis, ad multorum salutem curandam ac promovendam, convenerunt (quæ sodalitas jam per universum fere terrarum orbem propagata, non exiguum fructum peccatoribus convertendis & hæreticis ad ovile Christi reducendis, divina gratia reportat) cumque sodalium studium in eo potissimum sit collocatum, ut priscam & orthodoxam fidem pro sua virili parte tueantur, hæresesque refellant, eorum autem plerique, vel per ætatem, vel per ingenium, aut eruditionis tenuitatem subtiliorum disputationum minus capaces videantur; visum fuit operæ pretium ad eorum captum, præcipua religionis nostræ capita, de quibus hoc tempore cum Novatoribus controversiam habemus, ruditer explicata eis tradere, simulque quæ vulgò objici solent diluere; ut, quemadmodum ait Apostolus, Tit. 1. v. 9. *Amplectentes eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, potentes sint exhortari, in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem*, 1. Pet. 3. v. 15.

GOMARUS.

INSIGNIS sanè in Christum contumelia. Quid enim Christiano homine indignius dici aut fingi potest, quàm, & regiam & sacerdotalem Christi dignitatem, aliò derivare? At tu Costere, dum papalem religionem ornare studes, id minimè reformidas. Nam quum Sacræ literæ perspicuè demonstrent, Jesum Christum unicum esse Dei & hominum mediatorem, 1. Tim. 2. 4. unicum servatorem, Joh. 14. 6. Act. 4. 12. unicum Ecclesiæ Dominum, 1. Corinth. 8. 6. Ephes. 4. 5. & cælestis aulæ Regem: tu verò contrà, singularem hanc Christi gloriam, sermonis tui auspicio, virgini Mariæ vendicas & adscribis. Hanc enim *cælorum reginam & humani generis singularem advocatam* appellas. Nec mirum quum & eo impietatis processerint Doctores vestri, ut non solum Christi matrem, Christo in plurimis componant & æquent, sed interdum etiam anteponant. Id quod ex profano illo & celebri Hymno vestro (Missali Parisiensi) constat, *Nostra pians scelera, jure matris impera Redemtori.* Ac sanè si quis reliquos ejusdem farinæ hymnos, Psalteria & Officia beatæ Mariæ evolvat, nihil tam sublime & sanctum, nihil tam Deo singulare & proprium comperiet, quod non ad virginem Mariam transtulerunt. Et ne longius abeam, nonne fidem, spem, charitatem animis indendi, in adversis servandi, ac tandem cælo beandi potestatem Mariæ asscribunt? nonne fide, invocatione, religiosa gratiarum actione, aliisque divini cultus privilegiis eandem venerantur? Atque huc etiam pertinet (ut cætera omittam) egregium illud carmen, imò crimen, quo librum hunc, insigni impietate, virgini Mariæ dedicas & inscribis, & inter cætera sic ais:

Quod quoniam Christi Mariæque favore peractum,
Est libitum nulli tale dicare viro:
Sed majestati (res justa) vovere supernæ
Tutelæque sacræ virginis esse datum.
Supplice quocirca prece sollicitamus eandem
Incidat in varias hæc ut opella manus.

Est postea in fine:

Hunc una cupimus dignère pudica libellum
Tutari auspiciis virgo parensque tuis.
Personasque libro normaque fideliter usas
Nos simul Elisiis annumerare choris.

Paris omnino pietatis est Confluentinorum Jesuitarum, quod præfationi subjicitur carmen;

Casta parens, & stella maris, depelle tenebras
Sinceramque animis fac radiare fidem:
At nobis, quibus est animus defendere matris
Virgineæ laudes, robur opemque feras.

Ut similes habent labra lactucas? Scilicet maris cura Mariæ demandata est. An verò nondum tam crassæ & supinæ idololatriæ vos pudet? Unde quæso maris esse stellam didicistis? An ex sacris literis? At in iis ne γρῦ quidem. An ex nominis ratione? at quis divinitùs id impositum, aut illam hujus vocis esse significationem, demonstret? pudendus sanè error, qui ex librarii incuria & superstitione vestra promanavit. Nam quod Hieronymus, de nominibus Hebraicis interpretatus est, *Stilla maris*, illud scriptorum errore mutatum est in, *Stella maris*; ut ea, quam spectavit, nominis ratio certò demonstrat & evincit. Nam ים *jam* Hebræis mare: מר *mar* verò non stellam, sed stillam & guttam significat. Si quid igitur ex nomine esset eruendum sanctius longè diceretur, ut stillæ maris, maris amplitudo & vires absurdissimè tribuerentur; sic virgini Mariæ, Dei creaturæ, creatoris Dei gloria: *Cui omnes gentes quasi* מר *mar, stilla situlæ & quasi momentum stateræ deputatæ sunt*, Esa. 40. 15. Itaque meritò ait Deus, *Gloriam meam alteri non dabo*, *Esa.* 48. 11. Ac propterea quis non videat, Costere, quàm toto aberres cælo, quando eum scriptionis tuæ præfigis scopum, *ut lectores potentes sint exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere?* Nam si hæc doctrinæ vestræ est sanitas, quæ ægritudo? Si lumen vestrum tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Ostende sodes hujus erroris vestri vel apicem in sacris literis, & aspersam idololatriæ notam absterseris, piisque rationem poscentibus, satisfeceris abundè. Sed illud tum demum eventurum est, quando luci & tenebris conveniet. Quod ut, ex orthodoxæ antiquitatis monumentis, clarius patefiat, insignem Epiphanii, adversus hanc Mariolatriam & Sanctorum invocationem, locum auctarii vice recensebo; qui licet prolixior sit, tamen propter summam illius præstantiam, & Costeri aliorumque Jesuitarum, in hujus operis limine, stupendam & frequentem idololatriam, necessariò præmittendus est. Nam quum *patres, patres*, perpetuò crepent adversarii; ut Scripturarum auctoritate, sic orthodoxo patrum consensu, obruendi sunt: ut insolentem suam jactationem compescere incipiant. Quare patienter & attentè Epiphanium contra hæreticos libro tertio, Tom. 2. Contra Collyridianos, hæres. 79. Costeri & Je-

& Jesuitarum Majores differentem, audiamus. *Unde* (inquit) *non est simulacrificum hoc studium & facinus, diabolicum? Prætextu enim justitiæ, semper subiens hominum mentes Diabolus, mortalem naturam, in hominum oculis, deificans, statuas, humanas imagines præ se ferentes, per artium varietatem expressit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur; ipsorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt) adorandas introducunt, adulterante mente ab uno & solo Deo: velut commune scortum, ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum, & quod temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: revera Virgo erat ipsa virgo & honorata; sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est; de cœlis verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens, quod ipse Dominus* Johan. 2. 4. *dixerit: Quid mihi & tibi cura est mulier? nondum venit hora mea: quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellavit; velut prophetans quæ futura essent in terra, sectarum & hæresium gratia: ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim ejusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res & anicularum fabula, ut ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narravit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata: velut corpora sanctorum & si quid aliud ad glorificationem dixerim, sicut Elias, ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus: sicut Iohannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus: sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterii, quâ digna facta est. Sed neque Elias adorandus est, etiamsi in vivis sed neque Iohannes adorandus, quanquam per preces suas proprias, dormitionem suam admirandam effecerit, imò potius, ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus, adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viventem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim* & *adoraverunt creaturam* præter creatorem & stulti facti sunt, Rom. 1. 25. & 22. *Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam quæ genita est ab Anna, quæ ex Joachim, donata est Annæ, &c. Carnem induit Deus Verbum ex sancta virgine: non tamen ut adoretur virgo, neque ut Deum hanc efficeret: non ut in nomen ipsius offeramus: non ut post tot secula mulieres sacerdotes ac sacrificulas ostenderet. Non complacuit hoc Deo in Salome fieri: non in Maria. Non permisit ipsi dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra jussit, sed solum ipsam sanctificationem esse & dignam factam esse regno ipsius, &c. Sit in honore Maria: Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque virum: Deo debetur hoc mysterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ male scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni: convertatur rursus figmentum ad Dominum, revertatur Eva cum Adam, ut Deum colat solùm, ne ducatur serpentis voce, sed permaneat in Dei præcepto*, Gen. 2. 17. Ne comedas de ligno: *& erat lignum, non error, sed per ipsum lignum facta est inobedientia erroris. Ne comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum, sed tamen non ad cibum: Etsi pulcherrima est Maria, & sancta & honorata; at non ad adorationem. Hæ verò rursus renovant fortunæ mixturam & præparant Diabolo & non Deo mensam, velut scriptum est: Et pascuntur cibo impietatis: velut dicit divina Scriptura,* Et fœminæ ferunt pollinem, & filii colligunt ligna, ut faciant placentas oleo subactas exercitui cæli, Jer. 7. 17. *Compescantur à Ieremia tales mulieres & ne turbent orbem terrarum, ne dicant,* Honoramus reginam cæli, &c. *Sive enim veluti ipsam adorantes Mariam ipsi offerunt collyridem sive placentam, vanæ istæ mulieres sive pro ipsa offerre conantur prædictam hanc putidam oblationem, tota res stolida est & aliena & ex dæmonum motu fraus & impostura. Quo verò non longiùs extendam sermonem, sufficient nobis relata, Maria in honore sit: Dominus adoretur.* Hactenus Epiphanius ante mille ducentos annos Mariolatriam & Costeri societatem & religionem damnavit.

Caput I.

Interim an in reliquis veritatis scopum attigeris melius, videamus.

Costerus.

CÆTERUM, quo fructuosius sodales cum id genus hominibus versentur, duo præmittenda videntur; quorum alterum ad eos cognoscendos, alterum ad modum cum iis congrediendi pertinet. Utrumque enim subinde magnam requirit industriam, dum *angelus Satanæ se transfigurat in angelum lucis*, 2. Cor. 11. 14. *& sermo hæreticorum serpit ut cancer*, 2. Tim. 2. 17.

DE MORIBUS HÆRETICORUM ET CATHOLICORUM.

FATEMUR quidem non omnes catholicos sanctos esse, & hæreticos quosdam, moralis cujusdam probitatis & honestatis commendatione, bonorum virorum speciem præ se ferre: nonnullos catholicos variis sceleribus coopertos & multos hæreticos à vitiis multis alienos esse. Denique plerosque catholicos feris ac belluinis moribus, blasphemiæ causam præbere infidelibus: & quosdam hæreticos, externa quadam verborum morumque decentia, in sui admirationem & imitationem aliorum animos allicere.

Gomarus.

DUO, ut apparet, explicanda tibi proponis: unum est, de moribus Hæreticorum & Catholicorum: alterum de ratione agendi cum hæreticis. Quæ vestigia tua ordine lubet persequi. Ac primùm quidem quod Catholici nominis splendorem vobis pontificiis adscribis solùm, agis quidem more vestro satis confidenter, sed quàm verè, paucis ad rectæ rationis libram examinemus. *Catholici* enim καθ᾿ ἐξοχὴν veteribus dicti sunt, qui ad catholicam, id est, universalem Christi ecclesiam pertinent. Ea autem est fidelium universitas, seu (ut [a] Patres orthodoxi ecclesiam describunt) *sanctorum omnium congregatio*: & [a] Pontifex vester ait, *Catholica ecclesia congregationem fidelium comprehendit.* Quare ut doctè & rotundè definit Augustinus, libro quæst. ex Matth. cap. 11. *boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur & mores bonos:* Et Hieronymus in Psal. 133. *Ecclesia ibi est, ubi fides vera est.* ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα, ecce Rhodus, ecce saltus. Demonstra fidei vestræ integritatem morumque bonitatem; & Catholici nominis honorem ultrò vobis deferemus. Ac de fidei quidem integritate controversias postea disceptabimus, nunc vero quid de moribus statuas, perpendendum. *Fatemur quidem*, inquis, *non omnes catholicos sanctos, imò plerosque catholicos feris ac belluinis moribus.* Aperta sanè & rei consentanea (utinam etiam ingenua!) confessio. *Adeò ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit*, ut graviter & verè monet Lactantius De originis erroris lib. 2. cap. 1. Etenim si quis non solùm Jesuitarum, monachorum, sacerdotium, episcoporum, Cardinalium, sed etiam summorum Pontificum gesta, animo perlustrarit, nihil hac tua confessione verius comperiet. Quamobrem illustrandæ & firmandæ veritati, breve morum Papalium specimen, ex vestris

a Augustin de unit. Ecclesiæ cap. 2. & 3. Hieronymus in Iob. 26. &c.

a Extravag. communium. l. 3. de celebr. Missar.

vestris scriptoribus fideliter expressum ad controversiam de Pontifice Romano, corollarii loco adjungemus, ut (quod ajunt) ex ungue leo, & ex hisce indiciis, patrum (ut appellantur) sanctissimorum sanctitas, & sermonis potius, quàm animi tui, veritas, hac in re, cognoscatur. Quippe ut sapienter ait Augustinus de Doctrina Christian. lib. 4. c. 27. *Etiam non veritate, annunciari veritas potest, id est, ut pravo & fallaci corde quæ recta & vera sunt prædicentur.* Ac sanè, Costere, quum tam protervè orthodoxos in variis libellis, mendaciorum quasi plaustris impudenter in odium omnium adducere studeas, satis patet, veritatem abs te annunciari hoc loco, non veritate, sed dolo malo: ut quum in vestris, quæ negare non potes, sceleribus, cogente veritate, agnoscendis, tam apertus videaris, in aliis postea falsò accusandis, parem veritatis opinionem ac fidem tibi concilies. Verum ne id causam, cujus patrocinium suscepisti, lædat gravius, continuò medicam apponis manum.

Costerus.

VERUM quum duplices sint errores hominum; uni, qui ex præscriptione doctrinæ suscipiuntur: alteri, qui contra doctrinam quam profitemur, à sola cupiditate proficiscuntur; de prioribus nos in præsentia disputamus; de moribus videlicet Catholicorum, quà Catholici sunt: quemadmodum medicorum actiones, non quæ vitio quodam & animi pravitate, sed quæ ex arte medendi ab ipsis suscipiuntur, nominamus. Medicus enim, quà medicus, moderatè vivit, tametsi non desint, qui pro sua intemperantia, contra normam & præscriptionem artis, strenuam abdomini suo operam navent. Porro ad mores proprios hæreticorum, qui nimirum ipsi hæresi comitantur, investigandos, oportet animadvertere, qui in omnes, non unius seculi, sed omnium temporum atque ætatum hæreticos conveniant. Qui enim omnibus, simul atque in hæresin inciderunt communes esse deprehendentur, videntur ab illa non obscurè manare. Quare placet in medio ponere quandam Hæreticorum Catholicorumque inter se pugnantium conflictionem & quasi concursum, ut *ex fructibus eorum*, quemadmodum cælestis magister admonet Matth. 7. 20. *cognoscamus eos.*

Gomarus.

NON displicet distinctio. Quare ne acrius Papalis sanctitatis moveamus camarinam, de iis moribus agamus, qui non ex hominum solùm vitio, sed præcipuè ex doctrinæ contagione promanant, & quæ inter vos & adversarios vestros, proponis discrimina, perlustremus.

ANTITHESIS PRIMA.

Costerus.

PRIMO hæretici ad unum omnes verbo quidem videntur esse valde Christi salvatoris nostri gloriæ studiosi atque observantes; re autem vera penitus gloriam Christi obscurare atque obruere moliuntur. Statim à principio Ebion, Cerinthus & alii nonnulli temporibus Apostolorum, nefarium ac sacrilegum bellum divinitati Christi intulerunt. Arius & Macedonius eandem eum cum Patre naturam habere pernegaverunt. Monothelitæ humana voluntate, Apollinaristæ anima, Manichæi natura humana, Christum spoliaverunt. Nestorius duas in Christo personas, sicut duas naturas: Eutyches humanam naturam in divinam transfusam esse nugatus est, à quo non abhorrent nostri temporis Ubiquitarii, qui divinam proprietatem, qua Christus Deus cœlum & terram implet, etiam ad humanam ejus naturam transferunt. Basilides Christi passionem, Cerinthus resurrectionem, Apelles cum carne humana in cœlum ascensionem, in dubium vocaverunt. Pelagius gratiæ Christi, Berengarius sanctissimo augustissimoque ejus corpori, plagam imposuit. Joannes Wiclephus divinum Christi corpus in panem, quasi in aliquam artocream, inclusit. Johannes Hussus, quum omnia, fatali necessitate, evenire crederet, preces, quibus Christi gratia & auxilium imploratur, è medio sustulit. Iconoclastæ, quum imagines, quibus memoriam beneficiorum Christi & pium erga ipsum affectum conservabant Majores nostri, ex templis convellebant; non obscurè cum honore & gloria Christi belligerarunt. Illi quoque insigniter contumeliosi in Christum videri debent, qui sponsam ejus ecclesiam, omnibus convitiis & maledictis oneraverunt, & bellum ad eam funditus delendam continenter gesserunt. Quod quidem omnibus, qui fuerunt hactenus, hæreticis commune fuit: quorum alii Ecclesiam *Meretricem Babylonicam*, alii *congregationem excommunicatorum*, alii *idololatram*, alii aliis fœdioribus nominibus appellarunt.

Gomarus.

NIHIL profectò verius est, quàm quòd Hæreticos omnes gloriam Christi obscurare affirmas; sed non omnes ea nominis infamia notandi sunt, quos perstringis. Arium, Apellem, Pelagium & reliquos, quos iis præmittis, meritò pii omnes, tanquam gravissimorum errorum auctores, aversantur: sed quæ de Berengario & sequentibus adjungis, probari non possunt, *Berengarius*, inquis, *sanctissimo augustissimoque corpori plagam imposuit.* Fateor sanè, sed tum demum, quum, deserta turpiter veritate, Nicolai Papæ subscribens errori, confessus est [a], *panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm sacramentum, sed etiam corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter, non solùm Sacramentum, sed in veritate, manibus sacerdotum* (horreo referens) *tractari, frangi, fidelium dentibus atteri.* Antea verò non plagam corpori Christi inflixit, sed sanctè cum [b] sacris literis, [c] Augustino & [d] canonibus vestris judicavit, *panem suo modo vocari corpus Christi, quum revera sit sacramentum corporis Christi: Dominum non dubitasse dicere, Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui.* Deinde verò quòd Wiclephum, divinum Christi corpus in panem, quasi in aliquam artocream inclusisse accusas, unde probabis? At Concilium Constantiense Sess. 8. artic. Wiclephi 3. reclamat, quod sententiam Wiclephi his verbis disertè proponit, *Christus non est in eodem sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.* Item ibidem sess. 15. *Quod absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio, Hoc est corpus meum, sicut illa in verbis Christi, Ioannes est Elias.* Idem etiam infestissimus Wiclephi adversarius, Guilielmus Widefortus contra Wiclephum art. 2. testatur. Tertia calumnia est, quod Johannem Hussum, omnia fatali necessitate evenire credidisse affirmas: eadem scilicet fide, qua blasphemiam illam eidem & Wiclepho impegistis, [e] *Deum debere obedire diabolo.* Adeò ut [f] Hussus non immeritò de accusatorum ac testium calumniis gravissimè & justissimè sit conquestus. Quod præterea de Iconoclastis & imaginum cultu, hoc in loco & sequentibus profers, postea discutietur. Nec erat quod expostulares de iis, qui Pontificem & Romanam ecclesiam *meretricem Babylonicam* appellarunt. Ingenui est in rebus gravibus non perplexè loqui: ficus, ficus: ligonem, ligonem vocant. Nec sine exemplo, nec sine Dei verbo. Sic vestri veritate victi (ut [g] Waldenses etiam demonstrarunt) interdum appellant: sic [h] orthodoxi Patres: sic [i] sacræ literæ; quæ *Babylonicam Meretricem urbi septicolli regum dominæ*, id est, Romæ, *insidentem* describunt. Quamobrem non est cur amplius conquераris: aut nostros accuses, nisi gravioribus argumentis causam tuam stabilias. Nam quid quæso tantopere perstringis?

a De consecratione dist. 2. Can. Ego Berengarius. b 1 Corinth. 11. 24. 26. c August. contra Adimantium cap. 12. d De consecrat. dist. 2. Can. Hoc est quod dicimus. e Concil. Constant. Sess. 8. art. 6. f Ibid. sess. 15. g Responsione, contra literas Augustini. h Tertull. contra Judæos c. 9. & Hieronymus ad Marcellam. i Apoc. 17. 9. & 18.

COSTERUS.

CERTE nostri seculi hæreses omnes, quamvis pleræque non videantur directò Christum petere, omnes tamen in ipsum sunt injuriosæ. Virgini Deiparæ matri Christi cæteras mulierculas, etiam contaminatissimas, gratia & sanctitate pares affirmare (quod post Copronymum fecit Lutherus) valde in Christum contumeliosum est. Negare sanctos, ævo sempiterno in cœlo fruentes, preces mortalium audire, atque auxilium, vel precibus apud Deum suis, vel opera sua, ferre nobis posse, non est aliud, quàm surdos ac debiles principes Christo assignare. Arbitrii libertatem cum meritis bonorum operum tollere, non parum efficaciam passionis Christi infirmat. Denique quisquis soli fidei salutem adscribit, injustitiæ crimine manifestò Deum condemnat. In reliquos errores siquis studiosè velit oculos conjicere, in singulis insignem aliquam Christi injuriam deprehendet. Neque mirum: sic enim jam inde à principio generis humani futurum Deus pronuntiavit, Gen. 3. 15. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Mulieris semen Christus est, & pii illius satu editi Christiani. Ad semen serpentis illi inprimis pertinent, qui nihil penitus cum Christo commune habere volunt, ut infideles omnes, Pagani, Judæi & hæretici, qui fide, spe, & charitate (quibus homo cum Deo conjungitur) repudiatis, odium, præsumtionem & opinionem assumserunt. Negant enim D. Athanasius & Epiphanius hæreticos, nisi homonymως, appellandos esse Christianos, Orat. 2. in Arian. Hæresi 29.

GOMARUS.

GRAVIS profectò Lutheri in Christi matrem, si vera narras, contumelia est: at quum falsa confingas, turpis Costeri calumnia est. Nec enim Lutherus aliud unquam docuit, postquam ex Pontificiarum tenebrarum abysso emersit, quàm omnes homines, excepto solùm Christo, si naturam spectes, esse *conceptos & natos in peccatis*, Psal. 51. 6. & *iræ Dei filios*, Ephes. 2. 3. sin Dei gratiam consideres, fideles donata quidem sanctitate, pro varia regenerationis mensura, esse dispares; sed imputatâ Christi sanctitate & justitiâ pares, Heb. 10. 10. & 13. 12. 1. Cor. 1. 30. Quemadmodum & Paulus ad Rom. 3. 22, 23. 24. ait; *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes qui credunt: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt & destituuntur gloriâ Dei, justificantur autem gratis ejus gratiâ per redemtionem factam in Christo Iesu.* Alioqui virginem Mariam gratia dotibusque insignem, præ cæteris mulieribus, extitisse, apertè Lutherus [a] profitetur in eadem concione, ex qua putidam hanc viri magni accusationem instituere soletis. Quare meritò causæ pontificiæ infirmitatem prudentes Lectores vident: quum à fragili calumniarum fundamento subsidium petat. Sed quid præterea adducis argumenti, ut gloriam Christi à nobis impugnari demonstres? *Negare*, inquis, *sanctos ævo sempiterno in cœlo fruentes, preces mortalium audire, atque auxilium, vel precibus apud Deum suis, vel opera sua, ferre nobis posse, non est aliud, quàm surdos ac debiles principes ac ministros Christo assignare.* Parciùs Costere. Plus enim tibi assumis, quàm datur, & aliud concludis, quàm justè sequitur. Ecquis enim orthodoxus concesserit sanctos in cælis esse principes, &, ut alibi [b] exponis, *cum Christo hac terrena curare & administrare?* nec surdi propterea aut debiles sunt, ut falsò judicas; quia ad felicitatem eorum id minimè pertinet. *Abraham*, inquit Esa. 63. 16. Job. 14. 21. *nescivit nos & Israël ignoravit nos: tu domine pater noster, redemtor noster, à seculo nomen tuum.* Nec tertium quod objicis adversariis majoris est pretii, *Arbitrii libertatem cum meritis bonorum operum tollere, non parum efficaciam passionis Christi infirmat.* Imò verò confirmat maximè, ut Apostolus docet; *Non justificabitur ex operibus legis ulla caro*, Gal. 2. 16. Item, *Non abrogo gratiam Dei: nam, si per legem est justitia, Christus sine causa mortuus est*, v. 21. & alibi, *Gratia enim servati estis per fidem*; *idque non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur*, Ephes. 2. 8, 9. Atque hinc perspicuum est, quàm verum sit, quod attexis; *Denique quisquis soli fidei salutem ascribit, injustitia crimine manifestè Deum condemnat.* Hæc enim non in nos, sed in Deum ipsum contumelia est: cujus hæc superioribus consentiens sententia est; *Christum proposuit Deus placamentum, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam justitiam suam, per remissionem præcedentium peccatorum*, Rom. 3. 25. Item, *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis*, Rom. 3. 28. Quare vides opinor Costere, quàm iniquè orthodoxos accuses. Propterea si cuiquam, vobis sanè jure meritoque cumprimis convenit, quod censoria quadam virgula appono, *In reliquos errores, si quis studiosè velit oculos conjicere, in singulis insignem aliquam Christi injuriam deprehendet. Nec mirum: sic enim jam inde à principio generis humani futurum Deus pronunciavit* Gen. 3. 15. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.* Adde Costere, quæ sequuntur, & per vos etiam, antiquum illum serpentem, Christi calcaneo insidiatum, imò caput ipsum appetiisse, comperies. Sequitur enim, *Ipsum conteret caput tuum.* Quem locum ad fucandam vestram idololatriam in sacrosancta scilicet versione vestra, turpiter corrupistis: ut etiam ex vestris Doctoribus potest probari. *Ex falsa traductione* (inquit Franciscus Georgius minorita Problematis Tom. 1. problem. 55.) *qua habetur*, ipsa conteret caput tuum, *Latini communiter attribuunt hanc victoriam Reginæ calorum. Quæ licet sublimior sit, quàm dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ, debetur, ubi habetur*; Ipsum conteret caput tuum: *Ipsum videlicet semen mulieris, quod Christus fuit.* Nec satis fuit Latinos codices corrupisse, etiam Hebræos sacrilega manu vitiare quidam studuerunt. Testantur id Biblia operis regii interlinearia quibus genuina lectio הוא perversa est in הוֹת (legendum הוֹת) ipsa: addito circulo variæ lectionis nota, ac si esset antistoichia vau pro jod. Quam profanam audaciam, qui secundæ ejusdem operis editioni præfuerunt detestati, veram & Spiritus Sancti lectionem pristinæ integritati restituerunt. Verùm ne in gloria Christi minuenda, cæteris Pontificiorum doctoribus esses inferior, non solum in *libello sodalitatis* hanc de Christo sententiam ad Mariam in præfatione tua transtulisti; sed etiam ut idololatria vestra esset conspectior, profana pictura, in editione Antwerpiana, & in Enchiridio tuo Coloniæ ante excuso, in fronte & titulo libri præmisisti. Unde perspicuè apparet, quantum fidei mereatur alterum primæ antitheseos tuæ membrum, quò vestrorum hominum (quos falsò Catholicos nominas) mores, ex adverso describis.

COSTERUS.

CATHOLICI contrà, ut filii sponsæ, in Christi sponsi gloriam, omnes conatus & studia conferunt: unde non ipsius personam modò, sed ea quoque omnia, quæ ipsum quoquo modo attingunt, ad majorem sponsi gloriam, piè venerantur; Matrem, ministros, imagines, sacramenta, passionem, merita, vicarios, &c. Hinc tot sacræ ceremoniæ, tot dies festi, tot templa, tot altaria, tot monasteria, tot vota, tot peregrinationes, tot jejunia & bona opera, tanta majorum observantia, tam humilis obedientia.

GOMARUS.

INSIGNE profectò elogium, *in Christi gloriam omnes suos conatus conferre!* verùm si *Christi personam, officia, beneficia, cultum, sponsam*, variis modis violare, gloriam illius illustrare est, fatebor equidem libens meritoque, vobis hujus studii laudem, cumprimis deberi. Nam, si *personam* spectes, sacræ literæ unicum Christi corpus agnoscunt, quod vi Spiritus Sancti, ex virgine Maria formatum, non jam in terra, sed in cœlo, (Col. 3. 1.) servata veri corporis natura, contineatur, ac mente non dente percipiatur: Joh. 6.

a Postilla in Euangelium nativit. Mariæ. Gregorius de Valentia in Thomam Disp. 1. q. 12. p. 4. b Enchiridio controvers. 12.

Joh. 6. 35. & 63. vos contrà alterum etiam revera affingitis, quod à ſacerdote, ex pane [a] transſubſtantiatione factum, non in cœlo tantùm, ſed etiam in ſolo & contra veri corporis [b] naturam pluribus in locis exiſtat: nec mente tantùm, ſed etiam dente tangatur, frangatur & atteratur [c]. Nec majorem *triplici Chriſti officio* honorem exhibetis. Nam ſi *propheticum Chriſti munus* conſideres, nonne ſacris Chriſti literis Pontificum ſententiam & decreta adæquatis, imò præfertis? nonne eas imperfectionis arguitis, & traditionum humanarum additione violatis? ſi neges, prima, de ſacra ſcriptura, controverſia, fidem faciet. Sin *Chriſti ſacerdotium* attendas, nonne dignitatem, nonne munia illius ſanctis & ſacerdotibus veſtris indignè communicatis? Etenim ſacræ literæ (Hebr. 4.15. Rom. 3. 23.) Chriſtum talem nobis ſacerdotem deſcribunt, qui ſolus natura & vita perfectè ſanctus ſit: eoque à reliquis omnibus hominibus, quippe natura peccatoribus, Pſalm. 51. 6. & iræ filiis, Epheſ. 2. 3. ſit ſecretus: vos contrà hanc geminæ ſanctitatis, cum naturæ, tum vitæ, dignitatem, Virgini Mariæ: alteram verò, etiam reliquis quibuſdam ſanctis, contra ſacrarum literarum ſententiam, vendicatis. Deinde quum ſacerdotii Chriſti munia ſint, unicum ſacrificium corporis ipſius, & meritis ſuis nixa interceſſio: utrunque ſoli Chriſto deberi ſacræ literæ (Heb. 7. 24. Heb. 9. 12, 26.) teſtantur, quæ unicum illum novi teſtamenti ſacerdotem, unicam corporis illius, & quidem cruentam, oblationem, quæ ſola & perfectè peccata diluat, Heb. 7. 25. unicum denique mediatorem, 1. Tim. 2. 4. qui meritis ſuis Patrem pro nobis interpellet, 1. Joh. 2. 1, 2. agnoſcunt & prædicant. Vos contrà ea partim vobis, veſtriſque monachis & ſacerdotibus, partim cælitibus aſcribitis. Nam infinitos pene ſacerdotes Chriſto adjungitis, & Sacrificium corporis Chriſti, nòn figuratè (ut quidam Orthodoxi loquuntur) ſed propriè ab iis iterari, tertiari, imò quotidie & incruentè repeti, ad peccatorum remiſſionem promerendam, ſtatuitis. Deinde Chriſti merita & ſatisfactionem enervatis, quum ſatisfactiones humanas & ſanctorum merita, ad iram Dei placandam, cum Chriſto concurrere, docetis. Interceſſionis etiam Chriſti præſtantiam tollitis, quum ſanctos etiam, ſuis meritis, pro nobis intercedere affirmatis. De *regno* denique quid Chriſto ſupereſt, quod non à vobis violatum? Sacræ literæ ſtatuunt, Jeſum Chriſtum unicum eſſe dominum, regem, & protectorem noſtrum, 1. Cor. 8. 6. Epheſ. 4. 5. reliqua omnia noſtra: vos contrà Virginem Mariam (ut ſanctos taceam) cælorum reginam, dominam veſtram, & Aſylum prædicatis, ut antea demonſtravi. Sacræ literæ docent Chriſtum eſſe unicum Eccleſiæ ſuæ Legiſlatorem & Magiſtrum, cujus ſolius voci in cultu Dei obtemperandum eſt: (Jac. 4. 12. Matth. 23. 8.) veſtri contrà Pontifices, hanc auctoritatem, imò plenam in omnia poteſtatem ſibi vendicant & aſſcribunt. Nec officia ſolùm Chriſti, ſed etiam *beneficia* iis parta, conſpurcatis. Nam ſacræ literæ Chriſtum reverà unicum eſſe Jeſum, hoc eſt, ſervatorem aſſerunt, Joh. 14. 6. Actor. 4. 12. qui nos ſolus ſervet, obedientiæ ſuæ merito, & Spiritus ſui efficacia; qua certis gradibus, meriti participes facit, vocatione ad fidem, juſtificatione, ſanctificatione, conſervatione, & glorificatione, Rom. 8. 29. 1. Cor. 1. 30. 31. Quid verò Pontificii? nonne hæc propria Chriſti beneficia, partim minuunt, partim aliis communia faciunt? Ac minuunt quidem variis modis: Primùm, quum miſeriam, unde à Chriſto liberamur, mirificè extenuant. Nam ſacræ literæ clamant, omnia peccata mereri mortem, Deut. 27. 27. Rom. 6. 23. vos contra quædam, natura ſua, venialia ſtatuitis. Sacræ literæ inculcant, nos eſſe *natura filios iræ*, Epheſ. 2. 3. *hoſtes Dei*, Rom. 5. 10. *obſcurata mente*, Eph. 4. 18. *tenebras*, ib. 5. 8. *adeo ut ſapientia Dei nobis videatur ſtultitia*, 1. Cor. 2. 14. *ad cogitandum aliquid boni* (quod ad verum Dei cultum pertineat) *omnino ineptos*, 2. Cor. 3. 5. *cordibus obduratis ac lapideis*, Eph. 4. 18. Ezech. 26. 36. *mortuos* denique in *peccatis*, Eph. 2. 1. *ſola verò Chriſti gratia regenerari*, Joh. 1. 13. *fide illuſtrari, vivificari*, Eph. 2. 5. Vos verò non mortuos peccato, ſed ſemivivos & imbecilles tantùm eſſe traditis: quaſi Chriſti gratia præeunte & adjuvante, reliquis liberi arbitrii viribus, ad fidem & ſalutem aſſurgamus. Secundò etiam Chriſti ſervatoris beneficia minuitis, quum purgatorium illius ſanguinem, (1. Joh. 1. 7.) non pro omnibus peccatis noſtris & pœna debita, plenè ſatisfeciſſe; ſed nobis etiam temporalem aliquam pœnam (qua judicio Dei ſatisfiat) vel in hoc ſeculo, vel in purgatorio veſtro, perſolvendam [a] affirmatis. Atque hiſce potiſſimum rationibus, beneficia Chriſti apertè minuitis: nec minuitis ſolùm, ſed in eorum etiam, quæ Chriſto relinquitis, ſocietatem, non minori flagitio alios advocatis. Quippe fidem, reconciliationem, ſanctificationem, conſervationem, glorificationem Virgini Mariæ (ut de reliquis interim taceam) quemadmodum vulgò, ſic carminibus, hymnis, & ſcriptis veſtris, attribuere, non erubeſcitis. Hinc ex tenebris Pontificiis de Maria ait Bernardus Sermone 1. ſuper Salve Regina. *Vocatur Regina miſericordiæ, quòd divinæ pietatis abyſſum, cui vult, ac quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire.* Profana omninò ſententia! adeò verum eſt quod de Bernardo quidam judicarunt, *ubi benè, nemo melius: ubi malè dicit, nemo pejus.* Quare quàm ſanctè beneficiorum Chriſti gloriam illuſtretis, quis non videat? præſertim quum *cultus Chriſti* eadem ſit ratio: quem mirificè à vobis lædi, non tam confirmationem deſiderat, quàm deteſtationem. Primùm enim alienum Chriſto cultum, & quem apertè repudiat, exhibetis. Nam ſacræ literæ aſſerunt, *nihil in Chriſto valere, præter fidem per charitatem efficacem*, Gal. 5. 6. At Pontificii neutrum ſyncerè obſervant. Siquidem ſalutis fiduciam temeritatis inſimulant, & dubitationem in illius locum ſubſtituunt. Deinde charitatis & cultus Chriſtiani normam, non in ſolo Dei verbo, ſed bona ex parte in ἐθελοθρησκείᾳ & Pontificum voluntate collocatis. Atque hinc, ut tecum loquar, *tot apud vos*, ſuperſtitioſæ & ineptæ *ceremoniæ, tot dies feſti, tot templa ſanctis*, cum Dei dedecore, *dicata, tot altaria, tot monaſteria, tot vota, tot peregrinationes, tot jejunia* præter Dei verbum inſtituta: addo, tot imagines, ad cultum contra ſecundum legis Divinæ præceptum proſtitutæ, tanta miſſarum pompa & varietas, tot ſacramenta à vobis excogitata, aliaque ſuperſtitionis veſtræ opera (in quibus proram & puppim divini cultus conſtituitis) emanarunt. Nec alienum tantùm Chriſto tribuitis cultum, ſed proprium etiam ad alios traducitis. Solus enim cum Patre & Spiritu Sancto, fide, ſpe, invocatione, religioſa gratiarum actione colendus eſt; quia verus Deus, cui iſta propria. Vos verò pleraque hæc Sanctis, omnia verò Mariæ virgini, larga quod ajunt manu, attribuitis: ut ex ſuperioribus conſtat. Quibus firmandis addo, ex infinitis veſtris blaſphemiis, pauca ex vita ſancti veſtri [b] Anſelmi, cui aſcribitur oratio hoc titulo, *Invocatio matris virginis ſimul & Filii*: Sic enim ad finem, Maria Chriſto exæquatur; *Ille bonus filius hominis, venit perditum ſponte ſalvare: & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille Filius hominis, venit vocare ad pœnitentiam peccantem: & mater Dei num contemnet peccantem, in pœnitentia? ſed etſi pariter ambo offenſi eſtis, non & ambo clementes eſtis? Fugiat ergo reus juſti Dei, ad piam matrem miſericordis Dei: refugiat reus offenſæ matriſque ad pium filium benignæ matris.* (Ergone Chriſtus mediator apud matrem? ô tempora! ô mores!) *Ingerat ſe reus utriuſque, inter utrumque: injiciat ſe inter pium filium & piam matrem. Pie Domine, parce ſervo matris tuæ: pia domina, parce ſervo filii tui: qui me injicio inter duas tam immenſas pietates, non incidam, inter duas tam potentes ſeveritates. Bone Fili, bona mater, non ſit mihi fruſtra quod confiteor de vobis hanc veritatem: non erubeſcam quod ſpero in vobis hanc pietatem. Dic mundi judex cui parcis? dic mundi reconciliatrix, quem reconciliabis? ſi tu Domine damnas, & tu Domina averſaris homunculum, bona veſtra cum amore, mala ſua cum mœrore, confitentem?* Talis etiam impietatum abyſſus & ſacrarum literarum fœdiſſima perverſio in ſancto veſtro Bonaventura elucet, qui omnes Pſalmos Davidis, expuncto Dei nomine, Virgini Mariæ accommodavit, non ſolùm non prohibente, ſed etiam pro-

a Concil. Trident. ſeſ. 13. c. 4. b Auguſtin. Ep. 57. ad Dardanum. c De conſecrat. diſt. 2. Can. Ego Berengarius.

a Concil. Trident. Seſſ. 6. Can. 30. b Præfatione operum Anſelmi editorum Noribergæ ann. 1481.

bante Pontificiorum consensu. Denique ne quid Christo superesset integrum, etiam *sponsam* illius Pontifici vestro subjecistis: qui, justum Christi sponsi nostri zelum nihili æstimans, non solùm se caput Ecclesiæ, sed Ecclesiam quoque suam sponsam [a] appellat, & dominium in eam exercet. I nunc Costere, & vos *sponsæ filios & gloriæ Christi studiosos* gloriare. Sed de hisce in controversiarum disceptatione plura.

a Decret. sexto lib. 4. tit. 23. cap. 4.

Caput II.

ANTITHESIS SECUNDA.

Quare absoluto prioris antitheseos examine, ad alteram progredior: quæ ex contrario in Pontificem animo existit. Alii oderunt & oppugnant: Pontificii amant & venerantur. De priori membro sic ais.

Costerus.

FUIT semper proprium Hæreticorum, Christi vicarium D. Petri successorem (quem constituit Dominus super universam [a] familiam suam, gubernare & regere agnos & oves suas) impetu quanto possent maximo oppugnare. Princeps ille hæreticus Simon magus, (Actor. 8.) quantum negotii D. Petro, primo Pontifici Romano, facessit? Quas non machinas ad evertendum S. Cornelium [b] Novatiani commoliti sunt? quàm indignè S. Liberius ab Arianis in exilium projectus fuit? Quibus non injuriis & contumeliis illa Arianorum Episcoporum ad Felicem epistola referta est? Donatistæ (teste D. Augustino lib. 2. contra liter. Pet. c. 9.) cathedram Romanam appellitabant *cathedram pestilentiæ*. Berengarius Romanos episcopos, ut in eos ex pompæ fastusque nomine odium populi commoveret, ignominiosè *Pompifices* appellare solebat. Nostri temporis Hæreticis persuasum est, [c] *Pontificem Romanum esse ipsissimum Antichristum:* à quo, Catholicis Papistarum nomen imponunt; sicut olim Aëtiani, Antiquariorum. Istud porrò tam grave odium in sedem Romanam, ex eo causam habet, quod videant, illa stante, nova sua dogmata necessariò ruere debere. Si enim jussu Christi homo iste constitutus petra Ecclesiæ, accepit potestatem, de omnibus religionis quæstionibus judicandi & dogmata fidei contraria notandi, jam sibi nullum in Ecclesia Dei locum, ubi consistant, relictum esse facile intelligunt.

a Cypr. lib. 1. Epist. 3. b Recognit. Clement. c Greg. Tur. de Glor. Mart. lib. 1. cap. 80. Epiph. hæres. 79.

Gomarus.

AUDIO splendidam Pontificis, quem Christi vicarium & D. Petri successorem appellas, descriptionem; qua rudiorum animos studes circumscribere: sed fraus suis locis detegetur. Omitto quod perperam vulgi errorem secutus, Petrum, [a] *Divum* appellas: nisi forte ἀποθέωσιν illius nobis probes. Prætereo etiam quòd Liberium Papam (quem orthodoxi Patres Arianis subscripsisse [b] testantur, & Liberius ipsemet suis literis demonstrat) sanctum nominas. Nam id fortasse à vobis excusari posset, ut Glossa vestra Benedictum undecimum, qui Bonifacium octavum, *bonæ memoriæ Papam* appellavit. *Sed*, inquit Glossa [c], *quæro, quidam Papa exactionibus improbis, Simoniis, & turpiloquiis ecclesiam fœdavit, ut hic, numquid propter dictos actus posset dici, malæ memoriæ? Dic, quod non: quia respici debet, non ad id, quod fecit; sed ad id, quod ipsum facere decuit.* Et ut alibi [d] Glossa distinguit, *Sanctus non persona, sed statu.* Cæterùm iniquè facis, quod Arianorum & Donatistarum factiones, cum Berengarii & Orthodoxorum zelo æquas: non secus, ac si cum antiquis impiorum hominum, in pios prophetas & sacerdotes maledictis, justam Christi, Joannis Baptistæ & Apostolorum in Pharisæos libertatem, comparares. Quid enim Berengarius à vero alienum protulit? an quod Pontifices vocavit *Pompifices?* At considera quæso paulisper triplicem Papæ coronam, vestium splendorem, universam pompam & fastum plusquam Persicum; quid aliud inde judicabis? Res ipsa loquitur. Itaque ingenuè ad Eugenium Papam, non hostem, sed amicum & olim discipulum suum, Bernardus de consideratione lib. 4. *Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ovium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus: sic Paulus ludebat. Vides omnem Ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda? honori totum datur, sanctitati nihil aut parum.* Idem paulò post, *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, vel tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum; Si amas me, pasce oves meas. In his successisti non Petro, sed Constantino.* Et tu Costere Pontifices, *Pompifices* esse negabis? Sed audiamus quid amplius accuses? *Nostri*, inquis, *temporis Hæreticis persuasum est, Pontificem Romanum, esse ipsissimum Antichristum.* Imò persuasum est orthodoxis, & ex sacris literis copiosè & solidè à multis demonstratum. Frustra ergo conquereris, quod inde *Papistarum* nomen vobis imponunt: quum ad Pontificis potius, quàm ad sacrarum literarum præscriptum, fidem & vitam componatis: ut pluribus suo loco ostendetur. Quare erras graviter, quod ais; *Tam grave odium in sedem Romanam, ex eo causam habet, quod videant, illa stante, nova sua dogmata ruere debere.* Imò verò, quod videant illa stante, sacrarum literarum auctoritatem & veritatem indignissimè conculcari & ecclesiæ salutem impediri. Nec quicquam nos movet quod subdis; *Si enim jussu Christi homo iste constitutus petra Ecclesiæ, accepit potestatem de omnibus religionis quæstionibus cognoscendi, de novis doctrinis & sectis judicandi, & dogmata contraria fidei notandi, jam sibi nullum in Ecclesia Dei locum, ubi consistant, relictum esse facilè intelligunt.* Quippe non alio nobis opus est responso, quam eo, quo [a] Lacedemonii olim Philippo Macedonum Regi, non valde dissimili conditione, minitanti, solùm rescripserunt, *SI.* Nam falsissimam eam esse, quam hîc statuis hypothesin, postea in controversia de Romano Pontifice apparebit. Atque hæc de priori antitheseos membro. Quid verò in altero, ad vestram probitatem commendandam, adducis?

a Turnebus adversar. lib. 28. c. 6. b Vide Hilarii, ex opere Historico, fragmenta. c Extrav. comm. l. 5. De Schismaticis. d Ibid. lib. 1. de Majoritate.

a Plutarch. de garrulitate.

Costerus.

CONTRA verò Catholici, quanti semper Apostolicam D. Petri sedem fecerint, divinæ literæ & veteres historici testantur. Cornelius se ad D. Petri genua projecit, Actor. 10. 25. Ecclesia Hierosolymitana totas noctes, pro ejus salute & liberatione, Deo supplicavit; quum sequenti die ad necem producendus esset, Actor. 12. 5. D. Paulus honoris causa venit Hierosolymam videre Petrum: cum quo & cum Jacobo atque Joanne, qui cæteris dignitate antecellebant, euangelium, quod prædicabat, communicavit, Gal. 1. v. 18. Illi enim non modo erant, sed etiam (δοκοῦντες) tanquam præ reliquis illustres & conspicui, videbantur esse columnæ; hoc est, summa veneratione & observatione, tanquam principes & optimates Ecclesiæ, colebantur. Quo loco sanctissimi doctissimique viri, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Hieronymus, Pontificem habuerint, testantur illorum epistolæ & scripta, in quibus amplissimè honorificentissiméque de Romano episcopo loquuntur. Imperatores & Reges Christiani muneribus & officiis suum erga Pontifices animum testificati sunt. Constantinus & Carolus Magnus Italiâ Pontificem & diademate ornaverunt: Luitprandus Longobardorum, & Pipinus Francorum Reges, hic

hic Stephani Secundi, ille Zachariæ Pontificis equum venerabundus manu sua pedes duxit. Agnoscunt nimirum & venerantur Catholici Christum, in suo vicario, & in summi beneficii loco ponunt, hominem in terris humanæ fragilitatis participem relictum, cui Filius suam potestatem impartivit. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio.

GOMARUS.

AMPLUM potestatis & pompæ Pontificiæ encomium! *Catholicos semper magni Apostolicam D. Petri sedem æstimasse*: sed erras, Costere, quum sedem Petro asscribis, quæ Episcopis convenit, qui certis locis astringuntur; non Apostolis, qui omnibus gentibus destinati ac missi sunt, Matth. 28. 19. Actor. 1. 8. Galat. 2. 9. Sed quomodo sententiam probas? *Cornelius Centurio se ad D. Petri genua projecit.* Fateor: sed quid illud ad Petri sedem? Deinde, vel hinc liquet, Pontificem non Simonis Petri, sed Simonis Magi potius vestigiis inhærere. Nam ille, ut Simoniæ hostis, sic à superbia alienus, centurionem demissius, quàm par erat, ad pedes accidentem, erexit, & immodicum honorem hac sententia repressit, *Surge; nam & ego ipse homo sum*, Act. 10. 26. hic verò, ut Spiritus Sancti dona mercari, sic tandem, pro Deo haberi, & coli voluit, Act. 8. 19. Nec longè secus Papa Romanus, qui ut habet *venalia* omnia *sacra* & *Deum* ipsum (ut Baptista Mantuanus [a] monachus ante annos centum conquestus est) sic Dei & humanæ sortis oblitus, pedem suum Principibus, Regibus, Imperatoribus, intolerabili & inaudita superbia, osculandum præbet. Qua de re Christophorus Marcellus episcopus Corcyrensis, ad Leonem decimum Pontificem Romanum, ait [b]; *Electus Imperator, ut primùm Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur: & iterum, quùm appropinquat ad gradus sedis, genuflectit: demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devotè osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens, ad osculum manus & oris recipit. Tum Cæsar iterum genu flexus, auri massam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore suscepto, prout ei videbatur. Pontifex benignè illi respondens, illum sublevat, & summæ charitatis declaratione amplectitur. Et stante ibi ad dextram pontificis Cæsare, Pontifex recipit Imperatorem ad osculum pedis & manus: Regem verò, si quis adest, ad osculum pedis, manus, & oris: alios autem prælatos, proceres, & nobiles Cæsaris, ad osculum pedis tantùm.* Sic etiam [c] Durandus Mimatensis Episcopus ait, *Illud quoque vacare non creditur mysterio, quòd summus Pontifex septem modis accipit osculum: videlicet ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua, ad pedes.* Huc accedit, quòd supra naturæ humanæ conditionem impotenter se attollit Pontifex Romanus, ut cum aliunde, tum ex Glossa vestra in Clementinarum procemium apparet; *Papa, inquit, id est, admirabilis, quia vices Dei in terris gerit. Inde dixit ille Anglicus poëta, in poëtria nova;*

Papa stupor mundi. ——

Et circa finem; —— *qui maxima rerum*

Nec Deus es, nec Homo, quasi neuter es inter utrumque.

Papæ, quale ergo monstrum Papa est! & quantum à Petro diffidet? qui, ne plus justo honoraretur, se *etiam hominem esse* Cornelio centurioni prædicavit, Actor. 10. 26. Deinde verò quòd Romanum Episcopum olim à viris sanctissimis & doctissimis honoratum gloriaris, esto: *fuere quondam strenui Milesii*: quid ad hæc tempora? Verum est illud; *Heroum filii noxa.* Nam quemadmodum antiquorum regum & patriæ patrum ornamenta & laudes, tyrannis posteris; & priscorum ac piorum sacerdotum, Aaronis & similium, laudes, Caiphæ & Annæ improbis successoribus, minimè conveniunt: sic nec vestri Pontifices veterum Episcoporum honores (à quorum doctrina & moribus defecerunt) ulla ratione promerentur. Deinde verò nunquam Patres illi tantam Romano Episcopo auctoritatem, quantam confingitis, tribuerunt. Qua de re audiatur Hieronymus [d] instar omnium, *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii: potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit: cæterùm omnes Apostolorum successores sunt. Sed dicis quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas?* Porro à patribus ad posteros descendis; *Imperatores*, inquis, *& Reges Christiani, muneribus & officiis suum erga Pontifices animum, testati sunt:* sed summam vicissim ingratitudinem, in iisdem tandem compererunt. Addis; *Constantinus & Carolus Magnus Italiâ Pontificem & diademate ornaverunt:* sed de priori secus omninò, inter alios demonstravit ex Pontificiis vir doctissimus Laurentius Valla [a], & fictæ illius Constantinianæ donationis fabulam, solidis rationibus evertit: frustra reluctante Eugubino. Idem præstiterunt olim Nicolaus de Cusa Cardinalis lib. 3. De concordantia Catholica cap. 3. Hieronymus Pau. canonicus Barcinonensis cubicularius Alexandri VI. Pontificis in Practica Cancellariæ Apostolicæ, ac sententiam suam non solùm rationibus, sed etiam Papæ Pii contra Constantini donationem Dialogo, confirmavit. Præterea Raphaël Volaterranus in vita Constantini, & doctissimus Pontificiorum historicus Guicciardinus lib. 3. & 4. Historiæ, quemadmodum hi loci, fraude omissi, in historia, tandem Basileæ prodierunt anno 1569. Plura siquis desideret, consulat Fasciculum rerum expetendarum pag. 81. De Carolo verò Magno & Pipino honestius potuisses tacere; adeò id honori vestro detrectat. Nam ut Pontifex Romanus regnum [b] Galliæ summa injuria legitimo regi Childerico & posteris illius ereptum, Pipino Childerici subdito tradiderat, & firmarat; sic Pipinus pari injuria Imperatorem exarchatu (cujus partem Longobardi occuparant) spoliavit, & adjunctis quibusdam aliis urbibus, Papæ, gratitudinis ergò, dedit: & Carolus confirmavit & auxit. Quam iniquissimam donationem, falsò Constantini liberalitati ascribitis. Quare non mirum est, si *Pipinus Stephani Papæ*, Tyrannidis suæ auctoris & fautoris, *equum venerabundus*, ut ais, *duxit*. Nempe ut clarius constaret, quænam sit Babylonica illa meretrix, quæ, idololatriæ suæ poculo, inebriat reges terræ, Apoc. 17. 2. Quem insolentem fastum agnovit tandem & vetuit Papa Cælestinus quintus: de quo, præcipuus Pontificum [c] propugnator, cogente veritate, ita loquitur, *Fertur edixisse, ne deinceps Romani pontifices & Cardinales veherentur equis & mulis, sed tantùm asinis, Christi, cujus vicarii esse vellent, exemplo. O legem nunc prodigiosè eversam!* Sed quam reformationis hujus gratiam à Bonifacio octavo retulit? *Per cannam* (ait cum reliquorum Pontificiorum historicorum consensu) *deceptus est (voce tanquam cælitus missa) insonantem, ut desereret pontificatum, & Bonifacium institueret.* Cæterum miror cur non etiam aliis Paparum honoribus, præclarum illud Alexandri tertii Papæ facinus adjicias, quod cum ab aliis, tum à Jacobo Philippo Bergomense monacho recensetur, *Isto igitur* (inquit Supplem. Suppl. chron. pag. 299. *fœdere inito, Alexander summus pontifex confestim ad januas templi Divi Marci Euangelistæ accessit, & ibidem, universo astante populo, Imperatori jussit, ut se humi prosterneret & veniam denuò expostularet. Quo facto, Alexander pontifex imperatoris collum pede comprimens, ait; scriptum est*, super aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. *At Fredericus; Non tibi, inquit, sed Petro, cui successor es, pareo. Et summus Pontifex ait; Et mihi, & Petro.* A qua insolentia Antichristiana, non abludit, quod addis; *Agnoscunt nimirum & venerantur Catholici, Christum, in suo vicario, & in summi beneficii loco ponunt, hominem in terris humanæ fragilitatis participem relictum cui Filius Dei suam potestatem impertivit.* Venerati sanè sunt nonnulli, non tamen religione id factum est, sed superstitione & contumelia in Christum & magistratum singulari. Ac propterea jugum Pontificium

a De Calamitatibus temporum lib. 3. b Sacrarum Cæremoniarum Romanæ ecclesiæ lib. 1. sect 5. cap. 3. c Rationali divinorum officiorum lib. 4. cap. 53. d Tom. 2. Ep. ad Euagrium.

a De ficta donatione Constantini. b Martinus Polonus Episcopus supput. anno 751. c Genebrardus chronicorum lib. 4. anno 1294.

non immeritò olim Philippus pulcher, Galliarum rex, & multi Romani Imperatores, excusserunt. Nec enim Christus, summus nimirum & solus novi testamenti sacerdos, in eo munere, parem agnoscit, aut vicarium. *Siquidem alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco, quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*, Heb. 7. 23, 24. Deinde nec summam potestatem suam ulli mortalium communicavit, aut communicare potuit, quum ea Christo conveniat qua θεάνθρωπος Deus-homo, generis humani mediator & ecclesiæ rex. Verùm hæc vestra est religio, ut divinam Christi potestatem & gloriam, ad Pontifices vestros, audacter derivetis. Quod ut melius appareat, & hujus sententiæ tuæ detegatur impietas, Glossam [a] vestram interpretem audiamus, *Christo data erat omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. 28. *Ergo summus Pontifex, qui est ejus vicarius, habebit hanc potestatem.* Et paulo post, ex Hostiensi episcopo; *Item quod Iesus Christus Filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturaliter dominus fuit, & de jure naturali in Imperatorem & quoscunque alios depositionis sententias ferre potuisset & damnationis, & quascunque alias, utpote in personas quas creavit, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat & conservabat. Et eadem etiam ratione, & vicarius ejus potest. Nam non videretur Deus discretus fuisse (ut cum reverentia ejus loquar) nisi unicum post se vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.* Hæc scilicet est summa illa, & (ut vulgò appellatis) *plenaria* Romani pontificis *potestas*, quam boni, scilicet, vestri Catholici tantopere extollunt ac pertimescunt. Sed contrà Christus & Petrus, Matth. 22. 21. 1. Pet. 5. 3. (quorum nominibus indignissimè ad fucandam Pontificiam Tyrannidem abutimini) præceperunt. Contrà etiam Bernardus, alioqui superstitioni in multis addictior, docuit: contrà fecit. Hinc præclara & trita illius ad Eugenium Papam censura [a], *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans, Apostolatum; ut Apostolicus, dominatum.* Verùm ne sine auctoritate saltem loqui videaris, adducis ad oram hujus loci Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio: sed mala, ut soletis, fide. Nec enim de aliquo Pontificis privilegio, & summa in omnes mortales potestate (quam probandam suscepisti) sed de communi sacerdotum ministerio, in peccatorum remissione (Pontificis Romani nulla prorsus facta mentione) orationem instituit. Denique si Tyrannidis Pontificiæ metum, aut gratiæ emolumentum tollas, qualis quæso Pontifici Romano, ab ipsis Romanis exhibetur honos? Hoc demonstrat satis crebra & ferina, in Pontificum cadaveribus violandis, crudelitas: quam ut referre ex vestris Historiis facile; sic sine horrore referre difficillimum. Quamobrem ex iis, quæ à nobis hactenus explicata sunt, satis constat; nec eos omnes esse hæreticos, qui Pontificem Romanum oppugnant; nec verè Christianos & Catholicos, qui Tyrannidem illius probant ac tuentur.

a Extravag. commun. lib. 1. de Majorit. & obed. cap. 1. Unam sanctam.

a De consideratione ad Eugenium lib. 2.

CAPUT III.

ANTITHESIS TERTIA.

Cæterum an tertiam hæreticorum & Catholicorum antithesin rectius definias, & quid primùm de adversariis tuis scribas, audiamus.

COSTERUS.

VETUS est Hæreticorum consuetudo, Episcopos, Presbyteros, & clerum Catholicum universum, variis modis insectari. Nemo, enim, vel leviter in ecclesiasticis [a] historiis versatus, ignorat, quibus damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis ac suppliciis orthodoxi Episcopi ab Arianis & Iconoclastis Imperatoribus exagitati. Quomodo enim æquis oculis intueri possent eos, quibus Christus clavem scientiæ commendavit, atque in conciliis negotia religionis dijudicandi potestatem fecit?

a Ern. Ep. 195. Petrus Clunia. 2. Epist. 2. Nicet. l. 5. Thesau. 34.

GOMARUS.

HÆRETICOS ab orthodoxis contrario in catholicos Episcopos & presbyteros studio distinguis, *ac veterem hæreticorum consuetudinem esse* ais, *quòd catholicos Episcopos variis modis insectentur.* Sed quid illud ad rem? nec enim, nos quos accusare tamen voluisti, hæretici, nec vos orthodoxi, ut audacter tibi arrogas, quod maximè controversum, ac primùm probari oportuit. Deinde, quòd crudelitatem nobis affingis & impingis, id non solùm vestrorum hominum & sacrificulorum apud nos vitæ securitas, sed & vestra, ab aliquot seculis, in acerbissimis infinitorum piorum episcoporum, & aliorum Christianorum suppliciis, plusquam belluina immanitas, abundè & perspicuè refutat. Vix enim tot belli tempestas, longo temporis tractu, invexit funera, quot brevi momento Inquisitionis vestræ carnificina trucidavit. Specta mihi vel solam Galliam, an lanienæ Parisiensis & vicinarum urbium meminisse posses, ut, servata fronte, non assentiaris? Omitto singulis penè Belgii urbibus, præsertim sub Albano Tyranno, numerosam piorum Dei servorum turbam, exquisitissimis cruciatibus, furca, ferro, flumine, flamma, religionis veræ odio, crudelissimè enecatam. Quòd verò à vestris sacrificulis ita abhorreamus, non ea est causa, quam falsò prætexis, *quòd Christus iis clavem scientiæ commendarit*, Luc. 11. 52. sed quòd eam Pharisæorum instar, Christum exosi, sustulerint, nec ipsi in regnum cælorum intrent, & intrare conantes, obnixè impediant & impetant crudelissimè. Deinde etiam quòd omni flagitiorum genere & morum turpitudine ecclesiam corrumpant, & summam Christiano nomini conflent infamiam. Quod non minus verè quam ingenuè in concilio Tridentino Bavariæ ducis orator conquestus est [a]; *Clerus*, inquit, *noster, gula libidinibusque indulget, ac quasi velit, in contemtum Dei hominumque, omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quàm minima aliqua in re emendatum animadverti. Ut cætera Cleri vitia, quæ cum populo communia habet, taceantur; at certè, libido illa nimis libera, atque notoria, propter quam is nunc potissimè infamis est, à plebe, irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Denique quæ de conciliorum auctoritate attexis, ea commodius suo loco [b] discutientur. Interim, qua ratione Pontificii vestri, erga Catholicos ecclesiæ episcopos & presbyteros affecti sint, videamus.

a Liber nomin. & cognom. patrum concil. Trident. & orationum à Legatis habit. b Libro 2.

COSTERUS.

QUOD quum probè teneant Catholici, mandatum Apostolicum ante oculos habentes, obediunt præpositis suis, (Heb. 13. v. 17.) & subjacent eis, quos sciunt à Spiritu Sancto positos esse, regere Ecclesiam Dei: (Actor. 20. v. 28.) neque conturbant eos vitia episcoporum & Cleri (quæ nunquam defuerunt in concionatoribus hæreticorum graviora) quòd sciant potestatem, non sanctitati, sed homini datam, ut Christi erga nos benevolentia testatior esset & illustrior: qui ad populi sui consolationem, etiam per malos & flagitiosos ministros, gratiam suam voluerit, ad animos nostros, permanare. Et esto, sint plerique rectores populi mali, nullam tamen inde boni capiunt detrimentum, nisi vel impietatem Judæ sanctis Apostolis, vel impuritatem Nicolai Antiocheni reliquis sex diaconis, vel quarundam levium fæminarum turpitudinem, honestissimis prudentissimisque matronis, fraudi ac crimini fuisse dicere velimus.

GOMA-

GOMARUS.

AUDIO quid in Pontificiis collaudes, Costere, sed errorem vestrorum hominum agnosco duplicem. Prior est vitæ; quod in traditionibus humanis & variis superstitionibus, vobis ducibus, contra Dei mandatum parent, Matt. 15.13,14. Præpositis enim, ex Apostoli sententia, Heb. 13. v. 7. obediendum est, non quibusvis; sed iis, qui verbum Dei docent. Alioquin oracula ista Christi observanda sunt; *Cavete vobis à fermento* (hypocriseos & doctrinæ) *Pharisæorum*, Matth. 16. 12. *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum*, Matth. 15. 14. Alter verò error est judicii, quòd præteritis & spretis veris Dei servis, illos à Spiritu Sancto ecclesiæ Dei præfectos opinantur, qui bona ex parte in ecclesiam aut irruperunt aperta vi, aut malis artibus irrepserunt. Idque ex Pontificum vitis & usu communi constat. Quibus accedit gravissimum Bernardi [a], sancti vestri, testimonium: qui, ex adversaria Pauli descriptione, Pontificum mores graphicè ad Eugenium Papam depingit & seriò hac severa increpatione expostulat, *Numquid ad eum* (Paulum) *de toto orbe confluebant ambitiosi, avari, Simoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi & quæque hujusmodi monstra hominum, ut ipsius Apostolica auctoritate, vel obtinerent honores ecclesiasticos, vel retinerent?* Sed excipis; *sint pleriq; rectores populi mali, nullum tamen inde boni capiunt detrimentum:* sanè tum demum, quum ejusmodi pastorum vocatio legitima est, & doctrina sana. Quorum prius quum plerisque vestrum desit, alterum vero omnibus: gravissimum auditores, ex contagione Pontificia, damnum patiuntur. Ac propterea à Clericis vestris non ut *catholicis* pendere, sed tanquam à *cacolycis*, lupis gravibus ac rapacibus, Christo [b] & Paulo [c] monitoribus, fugiendum.

a De Consid. lib. 1. b Matth. 7. 15. c Actor. 20. 29.

CAPUT IV.

ANTITHESIS QUARTA.

Verùm à clericis vestris, ad monachos delaberis, & quartam antithesin, contrario hæreticorum & Catholicorum in eos studio, definis.

COSTERUS.

ANTIQUÆ intercedunt inimicitiæ hæreticis cum monachis, & religiosam vitam professis. Tametsi enim veteres hæretici, Waldensium & Wiclephi secula præcesserint, qui singulari monachorum odio primi monachatum impugnarunt, omnes tamen fuerunt capitales monachorum hostes. Non tacent historiæ, quid egerint in hoc genere, per suos circumcelliones, Ariani & Donatistæ. Quæritur B. Augustinus, in Psal. 132. monachos à Donatistis & circumcellionibus multis conviciis laceratos esse, seque à Petiliano [a] graviter redargutum, quòd illud vitæ genus instituerit. Multa præterea monachorum domicilia, veterum hæreticorum immanitate, vel penitus eversa, vel hominibus nudata fuisse antiqua literarum monumenta testantur. Neque id mirum videri debet, quum illud genus, non modò vitæ sanctitate, impuros hæreticorum mores condemnet; sed etiam tanquam præcipua & nobilissima ecclesiæ membra, fidem orthodoxam & doctrinam catholicam firmius retineant, doceant ac tueantur, hæresesque acrius insectentur, & jejuniis, pœnitentiis, orationibus, concionibus, scriptionibus tanquam machinis quibusdam, facilius feliciusque expugnent: Siquidem hæreses omnes, quibus hactenus Respublica Christiana fuit conflictata, monachorum Deoque dicatorum hominum studio potissimùm conciderunt.

a Lib. 3. contra lit. Petil. c. 40.

GOMARUS.

ANTIQUÆ, (inquis) *intercedunt inimicitiæ hæreticis, cum monachis & religiosam vitam professis.* Sed quam mihi religionem nominas? falsamne quæ superstitione; an veram quæ εὐσέβεια vero Dei cultu definitur: verus autem Dei cultus est, qui verbi divini [a] auctoritate & norma instituitur. At Monachatus vester hominum traditione & ἐθελοθρησκείᾳ fictaque humilitate & vana corporis afflictione, non sacrarum literarum præscripto, nititur. Quare ad falsam, non ad veram religionem, pertinet. Deinde verò inique monachos vestros, primis illis comparas: à quibus, latissimis superstitionis, otii, & impuritatis finibus [b], disterminantur. Itaque quod odii in monachos vestros causam in hæreticorum confers impuritatem, qui monachorum sanctitatem & eruditionem ferre nequeant, id sane à ratione & rei veritate alienum esse experientia & communes querelæ vociferantur. Sed hoc loco suffecerit Francisci Pici comitis [c] Mirandulani viri doctissimi & Pontificii ad Leonem decimum expostulatio; *Quid* (inquit) *aliud Pater sanctissime: quidnam aliud nobis intelligi dedere? quàm sacras ædes & templa lenonibus & catamytis: quàm nefariis lupis optimi pastoris ovilia demandata: quàm virginibus olim dicata plerisque in urbibus septa, in meretricios fornices & obscœna latibula fuisse conversa?* Hisce similia ante quadringentos & quinquaginta annos conquestus est Bernardus [a] Morlanensis monachus Cluniacensis: conquesti sunt alii innumeri, & indies querelarum tristissima materia. Nec te latet, quum omnes remusculos ita studiosè captes, quàm horrenda monasteriorum scelera, lustratis in Anglia & Belgio monasteriis, retecta sint. Quare non est cur vobis amplissimos illos honores quos monachis apud vos delatos gloriaris, magnoperè invideamus. Ais enim:

a Matt. 15. 9. Deut. 4. 2. & 5, 32. Col. 2. 18, 23. b Augustin. de moribus Eccl. Cathol. lib. 1. cap. 31. Vide Vitas Dominici & Francisci. c Epistol. ad Leon. x. & Concil. Lateran. de reformandis morib.

a De contemtu mundi.

COSTERUS.

QUO animo fuerint Catholici erga monachos, testantur per universum orbem maximis sumtibus exædificata fructibusque uberrimis [a] dotata monasteria pene innumerabilia: testantur honores, quibus affecti, & insignes immunitates, quibus ad vitam quietius ducendam, à Regibus & Imperatoribus donati fuerunt.

a August. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 25.

GOMARUS.

VERUM utinam, Costere, summam illam profusionem in veros Dei servos & pauperum numerosam turbam potius convertissetis, minus superstitionis & plus pietatis ac dilectionis haberetis. Nam præterquam, quod vestra monasteriorum institutio, hominum placitis solum nixa, à Dei verbo aliena est, eorum certè innumerabilis illa, quam tantoperè extollis, copia, prudentioribus omnibus Pontificiis semper displicuit. Nam ut alios, quos referre possem, prætercam, audiatur Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis & celeberrimus Pontificiorum scriptor; *Primò* (inquit de reformat. Ecclesiæ cap. de reform. Relig.) *videtur, quò tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat: quæ inducit ad varietatem morum & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpe ad singularitatem, & ad superbiam & vanam extollentiam unius status super alium. Et maximè videtur necessarium, quod diminuerentur religiones ordinum mendicantium, quia totsunt, & in numero conventuum, & in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosoriis & hospitalibus, ac aliis verè pauperibus & miserabilibus indigentibus, (quibus convenit jus & verus titulus mendicandi) ipsis quoque curatis parochialibus: & si benè consideretur etiam præjudicialis*

lis omnibus Ecclesiæ statibus, & specialiter hujusmodi religiosis intolerabilis, & eorum professioni contrarius. Reliqua quæ à Cardinale vestro severa animadversione redarguuntur, quamvis dignissima sint, quæ omnium oculis exponantur, ea tamen, ne propositæ brevitatis limites excedam, prætcribo. Itaque honores illi, quibus monachos vestros affectos commemoras, ut Regum & Imperatorum zelum & opes ostentant, sic deplorandam veri ignorationem & superstitionem arguunt: dum hominum traditiones, sacrosanctis Dei mandatis æquarunt; & munificentia sua, cœlum redimere, à monachis delusi, studuerunt. Nec quicquam probat Augustini, quem citas, locus lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 25. quum nullam omnino Monachorum faciat mentionem. Sanè si memoria, aut aliorum indicio lapsus es, ignoscendus est error: sin lectorem fallere studuisti, agnoscenda est etiam hoc in loco mala vestra in Patribus citandis fides.

CAPUT V.

ANTITHESIS QUINTA.

Interea verò ad sequentem Antithesin quintam progrediamur.

COSTERUS.

EST præterea illud commune hæreticorum omnium studium, ut in sacramenta & ecclesias catholicorum sint injurii: idque duplici nomine, tum, quòd eorum communionem defugiant; tum, quòd sacra eorum, sacrilega impietate, detestentur. Et quidem nonnullos hæreticos (qui ex professo damnant religionem nostram & apertum bellum gerunt contra sacrificia, sacramenta, reliquaque mysteria catholicorum) non est mirum demoliri templa, confringere imagines, & id genus alia committere sacrilegia: sed Donatistas, Arianos, & reliquos qui istos errores non sunt professi, non minus quàm cæteros, in sacra omnia debacchatos fuisse, mirandum videtur. Narrat Optatus, Lib. 2. sanctissimum Christi corpus canibus à Donatistis objectum, & vitream pyxidem, cum sacro chrismate, per fenestram, in acervum lapidum, missam. Ariani [a] quum nullum sacrilegii genus in Catholici nominis odium & detestationem prætermitterent, sacrum etiam Christi sanguinem, in terram effundere, non dubitaverunt; congruenter sanè visioni [b] D. Antonii, cui per visum demonstrati fuerunt muli altaria disturbantes: quos ipse, Arianos fore, prædixit. Ea videlicet est natura hæresis, quum sit doctrina dæmoniorum, illa omnia velle abolita, quibus aliquis Christo *(qui conterit caput serpentis)* honor defertur.

a Chrys. Ep. 1. ad Innoc. & Hom. 1. in 1. ad Corinth. b D. Athan. in ejus vita.

GOMARUS.

SIT sanè, ut affirmas, commune hæreticorum omnium studium, ut in sacramenta & Ecclesias Catholicorum sint injurii: quid nos attingit, Costere? Quippe nec Catholicos ullo modo, nec Pseudo-Catholicos Pontificios injuria ulla, lædere studemus. Illorum enim sacramenta & ecclesias, meritò in pretio habemus & observamus: horum verò sacra, divina auctoritate ducti, fugimus ac detestamur. Sequimur enim Deum præcipientem, *Fugite ab idolorum cultu*, 1. Cor. 10. 14. *Impurum ne attingite, tum ego excipiam vos & ero vobis Pater, & vos eritis mihi filii ac filiæ, dicit Deus omnipotens*, 2. Cor. 6. 17. *Etiamsi nos, aut Angelus, è cælo evangelizet vobis, præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto*, Gal. 1. 8. *Exite ex ea*, (Babylone) *popule mi, ne participes sitis peccatorum & ex plagis ejus accipiatis*, Apoc. 18. 4. Nec mirum est sacrificia vestra oppugnari, quum ea perspicuè unico Christi sacrificio (Heb. 7. 23, 24.) & meritis illius (quæ nobis vita nostra debent esse cariora) repugnent. Ac propterea infamem sacrilegii notam non meretur, sed sacro Dei mandato consentaneum est, quòd magistratus noster orthodoxus, aras & imagines vestras, ad Dei & sanctorum cultum, turpissima idololatria, prostitutas, comminuit ac dissipat. Quòd verò de Donatistis & Arianis hæreticis subjicis, nos minimè lædit. Interim fidem in citandis Patribus videamus. *Narrat*, (inquis) *Optatus, sanctissimum Christi corpus, Canibus à Donatistis objectum:* imo verò quamvis figuratè sic Patres interdum loquantur, hoc tamen in loco, non corpus, sed *Eucharistiam profusam* Optatus narrat [a]. Cujus sanè violatio reos omninò sancti corporis facit, 1. Cor. 11. 27. quum sacramenti injuria, in rem significatam redundet. Etsi quoque nonnulla de Chrismate fiat mentio, nihil id tamen ad vestrum Chrisma, quo moribundos inungitis, omninò pertinet; sed ad unctionem, quæ tanquam athletis, contra Satanam luctaturis, Baptismo, præter Dei verbum, adhibebatur. Eoque, quum hic nævus sit veterum, notandus est, non imitandus. Similiter quæ de Arianorum sceleribus recenses, facilè credent, qui veterem [a] historiam observarint: sed iis quæ ex Chrysostomo adducis testimoniis, iterum fidem tuam in Patribus adferendis non immeritò suspectam reddis. Nam prius ex homilia 1. in 1. ad Corinthios testimonium, omnino vanum est: quum nihil tale contineat: alterum verò ex epist. 1. ad Innocentium depravatum est. Non enim Arianos ejus sceleris arguit Chrysostomus: sed Theophili Alexandrini episcopi milites, rectæ quidem fidei; sed non rectæ vitæ. Denique quod ad fontem malorum aperiendum subjicis, *ea natura est hæresis, quum sit doctrina* [b] *Dæmoniorum, illa omnia velle abolita quibus aliquis Christo*, (qui conterit caput serpentis) *honor defertur:* id verum agnoscimus, & in vestram doctrinam summo jure orthodoxi scriptores retorquent. Siquidem Paulus apostolus doctrinam dæmoniorum definit, prohibere conjugium, urgere abstinentiam à certis cibis: quæ non solùm veteribus hæreticis, sed Pontificiis etiam, ad amussim convenire res ipsa demonstrat. Vos enim conjugium, quod *in omnibus honorabile esse* Apostolus Heb. 13. 4. testatur, monachis & sacerdotibus vestris non solùm prohibetis, sed intolerabili etiam impietate, scortatione pejus affirmatis. Sic enim (ut alios, quos referre possem, omittam) antesignanus vester Bellarminus lib. 2. de monachis cap. 34. ait; *Est majus malum, sic nubere, quàm fornicari: quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum; quod non facit, qui fornicatur.* Quantò verius & sanctius Bavariæ ducis legatus in concilio Tridentino liberè pronunciavit: [c] *requiri ut more primitivæ ecclesiæ docti mariti & ad docendum instructi admittantur ad sacros ordines: præsertim verò ad prædicandum & amplificandum populo verbum Dei. Legis enim divinæ quum non sit, ut oporteat hominem sacerdotem esse cælibem, siquidem constet veterum monumentis atque historiis, maritos sacris ordinibus initiatos esse, & non modo ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad sublimitatem Episcopi pervenire.* Deinde verò non solum contra Dei verbum conjugium prohibuistis, sed carnis etiam abstinentiam, certis diebus, contra Christianam libertatem, & unici legislatoris Dei honorem, ad cultum Dei, præscripsistis, & usum illius summi sceleris loco habendum judicatis. Præterea quàm variis & indignis omnino modis honorem Christi violetis, jam antea copiosè demonstravi, cap. 1. & 2. Et tamen non desinis vestrorum hominum pietatem hac ratione commendare.

a Genes. 17. 13, 14.

a Victor Uticensis hist. persec. Vand. lib. 3. &c. b 1. Tim. 4. 1. c Vid. lib. nominum Patrum Concilii Trid. & orationum à legatis habitarum.

COSTERUS.

NON sic Catholici, qui quò vehementiùs pietati dediti fuerunt, hoc plus operæ, studii ac sumtuum in Ecclesiarum ornatum cultumque divinum, muneribus, veneratione, ceremoniis ad divini nominis gloriam populique devotionem augendam impenderunt. Nobilissima vasa sacra, magnificè & pretiosè factas statuas, Constantinus Magnus, temporibus Sylvestri Pontificis templis donavit: sumtuosis vestibus variaque supellectili templa per universum orbem terrarum, majorum nostrorum pietate, instructa atque ornata videmus.

GOMA-

Gomarus.

SANE si pietas traditionum humanarum splendore definiri debet, meritò in eo Ecclesiæ vestræ primas tenent: sin verò Dei mandata fidei & charitatis Christianæ norma sunt, non aliunde clarius superstitio & impietas vestra demonstrari potest. *Nam quis consensus templo Dei cum idolis?* 2. Cor. 6. 16. Honor Dei & Christi non arbitrario cultu, Col. 2. 23. sed obedientia definitur. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum est ariolandi, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*, 1. Sam. 15. 22, 23. Quum verò de nobilissimis vasis sacris tantopere glorieris, Chrysostomum censorem audias, *Perdiscamus* (inquit in Mattheum Hom. 51.) *igitur Christum Iesum philosophari & ipsum ex voluntate sua honorare. Nam quod honoratur, eo maximè honore lætatur, quem ipse voluit; non quem optamus. Sic Petrus Christum honorare credebat, si eum à lotione pedum prohibuisset: quod certè contrarium erat. Pariter tu etiam ita eum honora, ut ipse vult: expone divitias tuas pauperibus. Non est opus vasis, sed animis aureis.* Hinc [a] Bonifacius martyr *interrogatus, an liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere? respondit, Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc contrà lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Nec antiqui solùm, qui in clariori luce versati sunt, ita judicarunt; sed etiam ex mediis Pontificiorum tenebris, Petrus de Aliaco [b] Cardinalis Cameracensis superstitionem vestram quam adeò celebratis, minuendam judicavit. Ait enim; *Circa hujusmodi reformationem, quæ necessaria est, providendum esset, quod in divino servitio, non tam onerosa prolixitas, quam devota & integra brevitas servaretur: quod in ecclesiis non tam magna imaginum & picturarum varietas multiplicaretur, quòd non tot nova festa solennizarentur, quòd non tot novæ ecclesiæ ædificarentur, quòd non tot novi sancti canonizarentur.*

a Concil. tom. 2. Concil. Tribunensi c. 19. b De reformat. Ecclesiæ, §. de refor. Prælat.

Caput VI.

Antithesis Sexta.

Sed à templorum lapideorum pompa, ad Dei viventis spiritualem domum, & templum Spiritus Sancti transeamus & sextam antithesin perlustremus.

Costerus.

HÆRESES omnes inducunt vitæ laxitatem, aliæ quidem ex professo id ipsum docentes, ut Gnostici & Ebionitæ, qui improbarunt virginitatem: Waldenses, qui obedientiam majoribus debitam sustulerunt: Circumcelliones, qui homines ad sibi ipsis manus violentas inferendas instituerunt: Manichæi & majores ipsorum, discipuli Simonis Magi, qui omni turpitudine & obscœnitate vitam hominum commaculaverunt, 2. Pet. 2. & Ep. B. Judæ. Possunt his adjungi nostri Anabaptistæ, quibus uxores communes sunt: & illi, qui in novam Henrici Nicolai amoris domum se dicaverunt, qui ut sibi suisque bene prospiciant, in aliorum facultates & possessiones involare dicuntur.

Gomarus.

ANTIQUUM obtines, Costere. Nam, quum sextam hæreticorum & Catholicorum repugnantiam morum dissidio definias, improbos aliis, probos verò pontificiis ascribis; eadem usus veritate & candore, quo superioribus antithesibus. *Hæreses* (inquis) *omnes inducunt vitæ laxitatem:* & earum duas constituis species: quarum prior sit eorum, qui ex professo illud docent: iisque Waldenses annumeras: qui (ut objicis) obedientiam majoribus debitam sustulerunt. Ac sanè si accusare ad victoriam sufficit, præclarè adversarios devicisti: sed probationibus est opus. Nam unde tandem id demonstrabis? Contrarium enim Waldenses in professione fidei suæ [a] ad Uladislaum Hungariæ regem apertè profitentur. Et in excusatione contra literas doctoris Augustini ajunt, *Quæcunque statuta cognoscimus non esse contra justitiam, ea facimus: quæ si & ex magna parte contra justitiam forent, si possimus aliquo tamen modo, uti eis ad justitiam, ipsis utimur ad bonum sensum.* Quid sanctius dici potuit? an illud est obedientiam majoribus debitam auferre? Huc accedit Æneæ Sylvii Pontificis Romani in Bohemica historia cap. 35. pag. 105. &c. consensus: qui quum ordine & accurate Waldensium doctrinam recenseat, hujus tamen, quam affingis, improbitatis nullam omninò facit mentionem. Itaque, si hæc novisti, insignis est accusationis tuæ impudentia; sin ignoras & vestrorum hominum calumniis temere fidem accommodas, magna imprudentia est: utrumque verò, bono ac sapienti viro indignissimum. Quæ præterea de Manichæis, Anabaptistis, Henrico-Nicolaitis, & similibus hæreticis recenses, Ecclesiam nostram reformatam non attingunt: quum & communes illi sint adversarii, & fortius ac crebrius à nostris refutati, quàm ut cuiquam possit esse obscurum. Itaque progrediemur.

a Cap. de Ecclesia Sancta.

Costerus.

ALIÆ Sectæ quamvis nihil ejusmodi præ se ferant, neque quicquam ex professo & instituto vitiosum doceant, ex spiritu tamen professionis, vitæ dissolutionem conjunctam habent. Testes sunt Ariani, Donatistæ, Iconoclastæ, Hussitæ & plures alii: qui licet de moribus vitiosis verbum nullum fecerint, universum tamen terrarum orbem, seditionibus & bellis perturbaverunt, libidinibus inquinaverunt, immanibus sacrilegiis violaverunt, & jura omnia divina atque humana inexpiabili scelere polluerunt. Nihil de factionibus & imposturis erroneum docuerunt Ariani & Donatistæ: at, Deus bone, quæ turbæ, quanta barbaries, quanta crudelitas hæresin statim secuta fuit!

Gomarus.

QUEMADMODUM à prioris sectæ studio alieni sumus, ita non minus profectò ab hujus quam oppugnans contagione immunes esse comperies, si semoto adversarii animi præjudicio rem ipsam perpendas. Verùm quum pro Romanæ Ecclesiæ more Hussitas, & plures alios (quibus nominibus Orthodoxos gravas) seditionis accusas, audire mihi videor seditiosorum Judæorum contra Paulum & Silam clamorem, *Hi sunt qui orbem perturbant*, Act. 17. 6. & Achabi vocem, *Tune es ille qui conturbas Israëlem?* Liceat igitur nobis cum Elia respondere: *Non ego turbavi Israël, sed tu & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini & secuti estis Baalim*, 1. Reg. 18. 17, 18. Sic enim se res habet: vos à vero Dei cultu defecistis, & homines innocentes ac pios ferro flammaque persecuti, coëgistis tandem adversus crudelitatem vestram justè se tueri. Quæ verò de libidinibus & sceleribus recenses, ea rei veritas & Pontificiæ sanctitatis collatio satis superque refutabunt. Quare ad causas hæresium, quas exponis, attendamus.

Costerus.

HUJUS rei causa hæc est, quod spiritus erroris gratiam Dei tollat; qua qui privatus est, in omne vitiorum genus præceps ruit: neque solùm gratia spoliat, sed alibi quàm in Ecclesia, aliisque mediis, quàm Christus instituit, salutem quærere docet. Quemadmodum ergo gentiles sua sapientia & Judæi lege Mosaica confisi, teste divo Paulo, *traditi sunt in reprobum sensum*, Rom. 1. 28. quia sine Christo, extra

extra Ecclesiam, beatitudinem se consequi posse speraverunt: quemadmodum viatores à recta via aberrantes, quo cupiunt non aspirant: sic hæretici quum iter aliud ac deberent ingrediuntur, quò longius procedunt, eo deteriores evadunt: & tantum abest, ut eò, quò intendunt perveniant, ut ad metam planè contrariam tandem deducantur. D. Paulus concionatores hæreticos, appellat *Spiritus erroris*; & hæreses, *doctrinam dæmoniorum*, 1. Tim. 4. 1. Nam sicut dæmonum studium est ad graviora semper peccata hortari atque impellere; ita hæretici hoc sibi proprium officium ac munus sumsisse videntur, deterioribus mentem imbuere, & per eos malè affecta voluntate, in graviora scelera miseram animam protrahere. Unde rectè D. Augustinus: *Et omnes quidem hæretici scientiæ pollicitatione decipiunt & reprehendunt eos quos simpliciter credentes invenerint, & quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur.*

Gomarus.

EST sanè, ut rectè mones, hæc *doctrina Diabolica*, & hæresium ac scelerum multorum origo apertissima, quòd *spiritus erroris non solùm gratia spoliat, sed alibi quàm in Ecclesia, aliisque mediis quàm Christus instituit, salutem quærere docet.* Nam ut alia omittam, considera quæso Ecclesiæ Romanæ ἐθελοθρησκείαν & infinitam illam superstitionem, nihil verius comperies. Hinc tanta apud vos monasticarum religionum, quibus æternæ vitæ meritum arrogatis, colluvies: tanta in ceremoniis vestris, aqua benedicta, campanis, palmarum ramis, cineribus, agnis Dei, & cæteris idololatriæ instrumentis fiducia: adeò ut illa tanquam salutis causas præter & contra Christi institutum & dignitatem extollatis, & pretioso Christi sanguini, summo scelere, adæquetis. Quod ita usu profano & scriptis protritum est, ut non tam probatione nostra, quàm ipsorum exstirpatione indigeat. Etenim si quis superstitionum earum copiam amplissimam requirat, perlustret modo *Pastorale* ad usum Romanum accommodatum, & Archiepiscopi Mechliniensis jussu anno superiore Antvverpiæ editum: evolvat Guilielmi Durandi Mimatensis Episcopi *Rationale divinorum officiorum*: &, *Sacrarum ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ* libros tres à Christophoro Marcello Episcopo Corcyrensi conscriptos: perlegat etiam *Christianarum institutionum tuarum* (quas Gregorius XIII. Papa auctoritate & indulgentia sua stabilivit) librum quartum ex communibus Romanæ Ecclesiæ orationibus, & Pastorali conflatum, & cum horrore satisfiet. Nam aquæ incantationibus Pontificiis benedictæ hasce vires spirituales ascribis,

Cap. 8.

I. *Profligantur dæmones ex locis & creaturis.*
II. *Remittuntur venialia peccata.*
III. *Phasmata diabolica, pravæ cogitationes, & mentis distractiones in oratione aliisque temporibus excluduntur.*
IV. *Mens à terrenis rebus colligitur.*
V. *Disponitur animus ad orationem & devotionem.*
VI. *Gratia, favor, & præsentia Sancti Spiritus impetratur.*
VII. *Præparatur mens hominis, ut rectius divina mysteria peragat, sacramentaque percipiat.*

Et, nequid desit impietatis, hasce vires spirituales, sequentibus corporalibus accumulas;

Cap. 9.

I. *Curatur sterilitas hominum, jumentorum, humanarumque rerum.*
II. *Impetratur bonorum multiplicatio & ubertas.*
III. *Infirmitates corporum ne invadant præcaventur; & ubi occupaverint, curantur. Conceditur enim sanitas mentis & corporis.*
IV. *Noxius aër purgatur, depellitur pestis, & omnis contagio.*

De cineribus est eadem superstitio: quos consecrari ais,

I. *Ut valeant ad sanitatem animarum & corporum, terra marique.*
II. *Ut, de locis, ubi accensi fuerint, dæmon & quicquid dæmonis ars est machinata, depellatur.*
III. *Ut mentes & corda nostra, invisibili igne & splendore Sancti Spiritus illustrentur, omniumque peccatorum & vitiorum cæcitate careant, ut cernere possimus quæ Deo sunt placita & utilia saluti.*
IV. *Ut ignis Charitatis cum lumine fidei in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.*

Cap. 10.

De Cineribus similis est ratio. *Petit* (inquis) *multis orationibus in cinerum benedictione ecclesia, ut istos salutares effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus usuri:*

I. *Ut juvetur Homo ad internam humilitatem cordis.*
II. *Ut benedictio cælestis in aspersos descendat, qua serio compungantur & de peccatis doleant; considerantes per peccatum hominis & ipsam terram maledictam fuisse in opere nostro, & nos omnes in terram & cinerem redituros.*
III. *Ut hi cineres sint salubre remedium ad assequendam remissionem peccatorum & præmium vitæ æternæ.*
IV. *Ut detur corporis sanitas, ad pœnitentiam pro peccatis agendam.*
V. *Ut anima ipsa divina tutela protegatur.*
VI. *Ut illa à Domino impetremus quæ ad ipsius voluntatem petimus.*
VII. *Ut in bono constanti animo perseveremus.*

Præterea non minor est in palmarum ramis benedicendis superstitio, quum à Romana Ecclesia Deus rogatur, *ut gestantes hos ramos,*

Cap. 11.

I. *Accipiant protectionem mentis & corporis in salutis remedium, & ad gratiam divinam obtinendam.*
II. *Ut, sicut rami virentibus sunt foliis; ita frondeant opera nostra virore justitiæ & virtutum multarum pulchritudine.*
III. *Ut sicut Hebræorum populus Christo his ramis occurrit, & cum ipso in civitatem Hierusalem intravit: ita nos bonis operibus instructi Domino obviam procedamus, ejusque vestigia sequentes, per ipsum & cum ipso in cælestem Hierusalem admittamur.*
IV. *Ut sicut Christus de hoste per passionem triumphavit, ita & nos, sæpe hoc opus misericordiæ animo volventes, amore Christi accendamur, ad pugnam & ad victoriam de dæmone, carne, & mundo referendam.*
V. *Ut in quemcunque locum importati fuerunt hi rami, habitatores, Dei benedictionem consequantur & omni adversitate fugata, dextera Dei protegantur.*

Ejusdem planè impietatis ea sunt, quæ de orbiculis quibusdam cereis (quos, à figura impressa à Pontifice, *agnos Dei* appellatis) recenses. Verùm ut magis conspicua sit Romanæ Ecclesiæ idololatria, Pontificis vestri profanos versus ascribam, quemadmodum à Corcyrensi Episcopo referuntur. *Legimus*, (inquit Sacrarum Ceremon. Rom. Eccles. lib. 1. Sect. 7.) *Urbanum quintum Pontificem maximum misisse ad imperatorem Græcorum tres agnos Dei cum versibus infra scriptis:*

Balsamus & munda cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica, sanctificatum:
Fulgura desursum depellit: & omne malignum
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit:
Prægnans servatur, simul & partus liberatur:
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus mundè, de fluctibus eripit unda.

De campanis denique an sanctius judicatis? Audiatur vester Episcopus, Durandus ration. divin. off. l. 1. c. 4. Pastorale. *Pulsatur autem & benedicitur campana, ut per illius tactum & sonitum, fideles invicem invitentur, ad præmium, & crescat in eis devotio fidei: fruges, mentes, & corpora credentium serven-*

serventur: procul pellantur hostiles exercitus, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infestaque tonitrua & ventorum flumina suspendantur: spiritus procellarum & aëria potestates prosternantur: &, ut hoc audientes, confugiant ad sancta matris ecclesia gremium, ante sancta crucis vexillum, cui flectitur omne genu. Hæc referre, refutare est. Nam si hæc non est idololatria, magna profectò profanis gentibus fit injuria, quum gloriam Dei, ad creaturas transtulisse (Rom. 1. 25.) arguuntur. Sin verò, ut ante ex sacris literis pronuntiasti, *ea vitiorum omnium origo est, quod spiritus erroris, suos non solùm gratia spoliet, sed alibi quàm in ecclesia, aliisque mediis, quam Christus instituit, salutem quærere docet*, inde omninò consequitur, non esse mirum, si pietatem & probitatem, in Pontifice, clero & Monachis vestris, desideremus. Nam quemadmodum gentiles sua sapientia & Judæi lege Mosaica malè intellecta, & suorum operum meritis, & humanis commentis confisi, traditi sunt in reprobum sensum: sic sanè Pontificiis doctoribus contigisse res ipsa docet. Nihil enim tam præclarum, tam singulare & Christo proprium, quod sine Dei verbo, vestris ceremoniis, cum summa in Christum contumelia non arrogetis. Nam ostende si potes ex sacris literis & orthodoxo Patrum [a] consensu, novam illam religionem (qua aquam lustralem, cereos, palmarum ramos, cineres, agnos Dei, campanas, templa, domos privatas, enses & reliqua consecratis) à Christo institutam, aut tanquam salutis media, ecclesiæ mandata, & pretioso ipsius sanguini æquata? Sin verò id præstare nullo modo potes, agnosce errores vestros, veritati cede, & desine Ecclesiam Romanam, à pietate & probitate tam prolixè commendare. Verùm, ut vera Dei gloria & Ecclesiæ Romanæ turpitudo clarius etiam patefiant, reliqua quæ adjungis perpendamus.

a Vide Synodum Mogunt. anni 1549. cap. 39. Et Concil. Mediolan. quintum, anni 1579. cap. Quæ ad Sacram.

COSTERUS.

LONGE alii sunt fructus doctrinæ Catholicæ, quæ reddit homines mansuetos, humiles, castos, sobrios, obedientes, virtutum omnium & perfectionis sectatores; replet monasteria monachis & virginibus, solitudines anachoretis, urbes probis & bene moratis civibus. Solent enim Catholici doctores frequenter auditores suos ad pœnitentiam, ad lachrymas, ad perfectas solidasque virtutes, ad martyrium denique incitare: sicuti è contrario hæretici ad discordias, ad seditiones, ad bella, ad sanguinem effundendum, faces alacriter suis præferre. Antequam Romanum imperium, desertis idolis ad Christum se aggregasset, quum essent multa Christianorum millia, qui vi atque armis debellatis gentilibus, religionem Christianam inducere ac constituere potuissent, maluerunt tamen profundendo sanguinem suum crudeliter occumbere; quam, sanguinem aliorum effundendo, gloriosè regnare. Porro Catholicos pia quædam hæreticorum misericordia, desideriumque conversionis tenet: illi contrà nomen nostrum funditus deletum atque exstinctum cupiunt. Catholici à concione redeunt compuncti corde, tundentes pectora sua, aliorumque peccata gementes, quemadmodum Propheta Jona & D. Petro concionante contigisse novimus. Illi contrà vani, leves, spirantes minarum & cædis discedunt: ut non sit difficile, columbam discernere ab accipitre. Unde fere homines dissoluti & perditi hæresibus se dedunt, qui parum pietati dediti laxiorem vivendi rationem adamarunt. Quod B. Johannes Apostolus notasse videtur, quum de signis hæreticorum disserens ait, *Ipsi de mundo sunt* (homines carnales) *ideo de mundo loquuntur* (carni & mundo grata) *& mundus eos audit*, 1. Joh. 4. 5. hoc est, homines carnales sectam vocemque eorum sequuntur. Scribit & B. Augustinus Eusebio, Epist. 169. subdiaconum quendam Sapinensis Ecclesiæ, nomine Primum, quum, contra Majorum interdictum, virgines Deo sacras accedere non esset veritus, clericatu motum esse: illum verò graviter hac re commotum atque irritatum, abductis secum duabus sanctimonialibus ad Donatistas defecisse atque rebaptizatum esse.

GOMARUS.

UTINAM, Costere, gratulandi vobis hanc pietatem justa sese offerret occasio! sed mores à pietate alieni, quos partim doctrina, partim vitæ exemplo instillatis, reclamant: & propterea non tam communi hominum infirmitati (quæ plus minusve, ubique sese exerit) sed Pontificiæ Ecclesiæ constitutioni ascribi debent. *Longe*, inquis, *alii sunt fructus doctrina Catholica, qua reddit homines mansuetos, humiles, castos, sobrios, obedientes, virtutum omnium & perfectionis sectatores.* Imo verò, quomodo quæso doctrina Pontificia (quam falsò Catholicam vocas) mansuetos reddit, aut humiles, quæ Pontificis & Episcoporum fastum plusquam Persicum, & immanem eorum, in Christianis ferro flammaque, levi hæresis suspicione, tollendis, crudelitatem probat ac tuetur? quomodo castos & sobrios, quæ impollutum conjugii thorum, (Heb. 13. 4.) contra Dei verbum pollutum arguit & in sacerdotibus scortatione pejorem [a] docet? quomodo obedientes, quæ Pontificem, contra Christi [b] & Petri [c] præcepta & exempla, omnium mortalium imperio eximit: clerum universum cum monachis, Regum & Imperatorum potestati contra Dei [d] præscriptum subducit: quosvis subditos, pro Pontificis arbitrio, à debita suis dominis obedientia, non solùm absolvit, sed etiam minis & anathemate deterret? Denique quomodo virtutum omnium sectatores reddit, quum veram virtutum regulam, non solùm Dei verbum, sed humanas etiam traditiones, quibus frustra colitur Deus (Matt. 15.) proponat? Quare quod non desint apud vos viri probi, id non doctrinæ vestræ, nec cleri aut monachorum prælucenti pietati, sed Dei clementiæ tribuendum, qui in media etiam Babylone suos habet electos, quos inde tandem educit. *Repleat sanè doctrina vestra monasteria monachis & virginibus*, sanctitate tamen minimè complet. Notæ enim sunt totius orbis jam à longo tempore querelæ. Consulatur uterque Bernardus, [e] Clarevallensis (quem inter sanctos numeratis) & [f] Morlanensis; Iliadem quandam impietatis monachorum & sacerdotum explicabunt. Et ut Benonem, Petrumque de Aliaco, Cardinales, aliosque Pontificios scriptores quàm plurimos prætermittam, audiatur vel una [g] Francisci Pici Mirandulæ Comitis ad Leonem Pontificem querela justissima; *Apud plerosque religionis nostra primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset, aut nullus, aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia: Institia vel in odium vel in gratiam declinavit: Pietas in superstitionem pene procubuit.* Et paulo post, *Nostra verò & in sacras ædes fit irruptio, & ab illis etiam (proh pudor!) fœmina abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorii pueri à parentibus commodantur & condonantur his, qui ab omni etiam corporis concessa voluptate sese immaculatos custodire deberent, hi postea ad sacerdotiorum gradus promoventur, ætatis flore exoleti. Non igitur miremur si dejerant & falsò se nosse utrumque sacrarum literarum instrumentum profiteantur: quoniam nec quid ejus nomen significet, pernovere. Ac memini puerum quendam in Episcopi locum ascitum, qui, quoniam literas penitus ignorabat, per jocum dum rogaretur an magnos progressus fecisset in disciplinis? respondit ingenuè, Nondum se didicisse exordium ejus orationis, quam de more sacerdotes præfari solent sacra facturi: novi & qui annuas sacerdotii pecunias, commendatas eorum fidei, spurcissimis voluptatibus & impendant & impendisse glorientur.* Quamobrem ex hac ingenua summi inter Pontificios viri querela satis apparet, verissimè Adrianum sextum Papam in Epistola ad Principes Electores confessum, [h] *à curia Romana processisse hoc malum, & inde corruptionem in omnes inferiores emanasse.* Quod pluribus etiam testimoniis & argumentis, ante annos viginti duos, à Claudio Espencæo, inter Pontificios theologos doctissimo, declaratum est, in epist. ad Tit. 1. Nam quod ais, *Solere catholicos doctores, auditores suos ad pœnitentiam, ad lachrymas, ad perfectas solidasque virtutes, ad martyrium denique incitare:* imo verò contrà, inquam, ad fu-

a Bellarminus lib. 2. De monachis cap. 34. b Matth. 22. 21. & 17. 27. c 1. Pet. 2. 13. d Rom. 13. 1. e De considerat. ad Eugenium. f De contemtu Mundi. g De reformandis moribus. h Fasciculus rerum pag. 173.

catam

catam pœnitentiam; quæ non Dei verbo, sed hominum placitis superstitiosè conformatur. Eóque nec ad veras virtutes exstimulant, sed ad externam & inanem pietatis speciem: quam graphicè describit Apostolus, *Itaque* (inquit Col. 2. 20.) *si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid, ut viventes in mundo, ritibus oneramini, ne attigeris, neque gustaris, neque contrectaris? quæ omnia ipso usu pereunt ex mandatis & doctrinis hominum, quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quod corpori non parcant.* Atque huc pertinent Pontificiæ pœnitentiæ præscriptiones, quæ non Dei imperio, sed Pontificis voluntate diriguntur: ut vel ex Christianis tuis institutionibus apparet. Siquidem præfixa Gregorii XIII. Pontificis epistola toties debitam annorum viginti pœnitentiam remittit, quoties quis alterum ex eo opere quicquam docuerit. Hæc scilicet est pœnitentiæ vestræ præstantia! hæc pietas singularis, qua Pontifex pro arbitrio, in Christi unici legislatoris & conscientiæ Domini munus irrumpit, & verum Dei cultum adulterat ac pervertit! Omitto auricularis confessionis normam & usum, quo castas aures polluitis, & tenellis ac lubricis animis voluptates & scelera ignota fœdissimis quæstionibus instillatis. Adeò enim impudenter inaudita & nefanda quæque libidinum & facinorum monstra, à Confessoribus vestris (quorum ora sancta esse debebant) in confessione auriculari inquiruntur & explicantur, ut de iis sine summo horrore castus & pius animus cogitare non possit. Ac propterea hanc confessionis vestræ doctrinam & exercitationem meritò omnium vitiorum magistram appellare possis. Negas Costere? Ad confitentes vestros provoco; &, ut illi pudore aliquo fortasse sileant, Pœnitentiale Romanum & Burchardi Wormatiensis Episcopi decretorum librum XIX. (quo auricularis confessionis inquirendi formulæ præscribuntur) consule, & verissimum comperies. Prætereo indignam illam rerum sacrarum nundinationem & Simoniam, qua quorumvis scelerum impunitatem certo præscripto pretio divenditis: & hac ratione non tam fenestram, quam viam latissimam, ad omnium vitiorum licentiam, aperitis. Extant enim recusi sæpius de hoc argumento Ecclesiæ Romanæ libri, inscripti, *Taxa cancellariæ apostolicæ:* deinde, *Taxa sacra pœnitentiariæ Apostolicæ:* quibus certa singulis sceleribus redimendis pecunia præscribitur. Qua de re frustra sæpius prudentissimi Reges & Imperatores editis suis, ut vocant, Gravaminibus conquesti sunt. Quamobrem animadvertis omnino, quales sint doctrinæ Pontificiæ fructus, quales doctores, & quam procul à recta virtutum verarum institutione seducant. Et sanè ut vel maximè ad veras perfectasque virtutes interdum auditores incitarent, eorum tamen irritus esset conatus: quòd imprudentes auditores in vitam sæpius, quàm in doctrinam oculos defigant. De qua re graviter & justissimè in concilio Tridentino Bavariæ ducis Legatus conquestus est totidem verbis, [a] *Quæ morum turpitudo in clero, vehementer offendit imperiti populi animos, tantopere ut sacerdotium una cum sacerdotibus, doctrinam una cum doctoribus execretur, dirisque devoveat.* Præterea quod adversarios vestros eo nomine accusas, quòd *ad discordias, ad seditiones, ad bella, ad sanguinem effundendum facem alacriter præferant:* in eo profectò Pontificios Doctores, Monachos, Jesuitas, imprudenter descripsisti. Quod ut probem, non colligam infinita, quæ historiæ vestræ subministrant, exempla Imperatorum, Regum, Principum, qui à vestris monachis, sacerdotibus, ferro aut veneno patrum & nostra memoria necati sunt: omittam ab iisdem turbata regna varia: hoc verò tantum abs te quæro, cur edicto regio Jesuitæ tanquam Christiani orbis pestes Gallia nuper ejecti sint? reliqua prætereo, quia nihil tam copiosè de Jesuitarum factionibus & crudelitate à me dici potest, quod non clarius omnium mortalium animis contineatur. Itaque quod de prisca Christianorum pietate subjicis, *eos maluisse sanguinem suum profundendo crudeliter occumbere, quàm sanguinem aliorum effundendo gloriosè regnare*, id revera à moribus vestris alienissimum esse docent Romanorum Pontificum in bello sacro accendendo & in plurimis Imperatoribus oppugnandis furor. Idem demonstrat multarum myriadum in Belgio, Anglia, Gallia, religionis veræ odio exquisitissimis tormentis trucidatio. Itaque frontem perfricuisti, Costere, quum addis, *porro Catholicos pia quadam hæreticorum misericordia desideriumque conversionis tenet.* Lachrymæ crocodili! sed quæ prudentiores, non facile inescabunt. Viget enim Concilii Constantiensis apud vos de fide hæreticis non servanda decretum, Sess. 19. & apud omnes illius memoria. Adeo ut non immerito Hussi & Hieronymi Pragensis; & multorum nostris temporibus vestigia, prudentes deterreant. Ac propterea verè mones, *Non difficile esse, ex hisce, columbam discernere ab accipitre.* Verùm de laxa vivendi ratione frustra expostulas. Nam si ea demum laxa & dissoluta est, quæ à Verbi divini vinculo soluta diffluit: stricta contrà, quæ eo regitur; nihil vestra vivendi ratione dissolutius esse perspicuum est. Nam quemadmodum Baalis sacerdotes non eò sanctiores extiterunt, quòd in cultu suo se inciderent cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine (1. Reg. 18. 28.) sic nec vestris mastigiis & monachis ἀφειδία illa (Col. 2. 23.) & afflictio corporis, ex arbitrio humano, ad cultum Dei instituta, sanctitatem conciliat; sed superstitionem eorum demonstrat. Itaque, Babylone vestra exeuntes, audimus & amplectimur Paulum præcipientem; *In libertate igitur, qua Christus nos liberavit, perstate, & ne è contrariò implicamini servitutis jugo, &c. tantùm ne libertatem detis in occasionem carni*, Gal. 5. 1. & 13. Audimus & observamus Christum docentem; *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum*, Matth. 15. 9. Eoque de divino judicio certi, vestrum præjudicium minimè formidamus.

[a] Lib. nominum Patr. Concil. Trident. & Orat. à legatis habitarum.

CAPUT VII.

ANTITHESIS SEPTIMA.

Quare expensa jam antithesi sexta, septimam quoque, quam passim inculcas, percurramus paucis: quia in secunda controversia pluribus erit pertractanda. Ea autem est successionis diversitas, quam hac ratione describis.

COSTERUS.

NULLAM prorsus invenias sectam, cujus originem possis per continuam & non interruptam successionem ad Apostolos Christi revocare, sed noti sunt omnium sectarum principes & architecti. Ariani suum esse dicunt Arium [a], Novatiani Novatum suum jactant, Lutherani auctorem & parentem suum Martinum Lutherum esse confirmant, atque ita de reliquis omnibus, quotquot ullo unquam tempore hæreses viguerunt. Est enim proprium hæreticorum omnium, ut Apostoli tradiderunt, *segregare se*, Judæ 19. *exire ex nobis*, Act. 15. 24. 1. Joh. 2. 19. *discedere à fide*, 1. Tim. 4. 1. *afferre nova præter illud, quod accepimus*, Gal. 1. 9. quod quidem adeò verum est, ut nemo hæreticorum vel unicum hominem potuerit hactenus producere, qui ante tempora sui hæresiarchæ per omnia senserit & docuerit, sicut ipse sentit ac docet. Jactant quidem [a] omnes, etiam illi, qui capitali odio inter se dissident, Christum & Apostolos; sed quo ordine, quave successione doctrinam suam ab Apostolis acceperint, demonstrare non possunt, quare coguntur fere eò confugere ut dicant ecclesiam ante sua tempora, vel nullam fuisse (ut de Donatistis refert Augustinus de unitate Ecclesiæ c. 12.) vel invisibilem

[a] Athan. Oratione 1. contra Arianos.

[a] Vincent. Lerinus contra omnes Hæref.

bilem & sua potissimum opera è tenebris in lucem vocatam: quod non sine insigni Christi optimi maximi contumelia Lutherani nostra tempestate, palam profitentur ac præ se ferunt. Alii ad antiquos hæreticos suam doctrinam referunt, ut quidam Anabaptistæ ad Manichæos, & hi ad antiquissimos Simonis Magi discipulos. Sed ut nullus est Hæresiarcha, qui non aliquid veteribus errorum magistris acceptum referat: ita nullus est, qui non sit novi aliquid commentus: sic ut tot hæreses sint & sententiæ, quot capita.

Gomarus.

MAGNUM causæ Pontificiæ subsidium in successione situm existimas: verùm si quis rem ipsam non obiter & quasi per transennam sed penitus & accuratè intueatur ac ponderet, confestim apparebit, eam quam Scriptura commendat successionem, non vestræ, sed nostræ ecclesiæ, tribuendam. Nam quum duplex in Ecclesia laudabilis sit successio, una doctrinæ Apostolicæ: altera ministerii Ecclesiastici: & utramque nobis competere, jam sæpius ab orthodoxis demonstratum sit, sanè iniquè facis, quod sectis nos aggregas. Etenim doctrinæ puritatem ex sanctorum Prophetarum & Apostolorum literis graviter copioseque nostri probant, & in hujus operis tui examine comprobabo. Quare non solum insignis calumnia est, quod ais, *Lutherani auctorem & parentem suum Martinum Lutherum esse confirmant*, sed etiam falsi abs te convincitur, quum ais, *jactant quidem omnes Christum & Apostolos:* quomodo igitur auctorem suum Lutherum esse confirmant? Est sanè proprium hæreticorum omnium segregare se, exire à nobis, discedere à fide: hoc enim Apostoli tradiderunt, sed de vera ecclesia & doctrina, non de vitiata, qualis vestra. Nam ut meretrix fieri potest civitas fidelis Esa. 1. 21. sic ab ea tum temporis discedendum esse, non solùm sacrarum literarum mandato, sed etiam Apostolorum & Christi exemplo demonstratur, Matth. 15. 3. 15. & 16. 6. Verum, ne sine ratione loqui videaris, argumentum adfers, ut tu quidem putas adamantinum & palmarium: ut verò orthodoxi censent planè vitreum ac fragile. *Quod*, inquis, *adeò certum est, ut nemo hæreticorum vel unum hominem potuerit hactenus producere, qui ante tempora sui hæresiarchæ per omnia senserit & docuerit, sicut ipse sentit ac docet.* Hoc mirificè tibi placet Costere: unde passim toto hoc opere idem repetis & adversarios eo pancraticè provocas. Sed producimus tibi Christi & Apostolorum consensum, omni exceptione majorem. *Si solus Christus audiendus est*, (ut inquit Cyprianus distinct. 19. & decreto Pontificio insertum ac sancitum est) *non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid primus qui ante omnes est, fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, quum per Esaiam prophetam loquatur Deus & dicat, sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.* Deinde verò Irenæum, Cyprianum, Basilium, Augustinum, cæterosque orthodoxos Patres testes adducimus, quatenus cum sacris literis consentiunt. Quam conditionem ipsimet Patres [a] & decreta Pontificum Romanorum præscribunt. Quare non est quod purioris doctrinæ successionem in nobis desideres. Ad successionem verò ministerii Ecclesiastici quod attinet, si quid apud vos recti, id nostri habent; si quid pravi, id ad normam Apostolicam, ex officio, reformarunt. Nam Johannes Hussus, Hieronymus Pragensis, Lutherus, Zvvinglius, Oecolampadius, Bucerus, cæterique reformatæ Ecclesiæ antesignani, aut doctores fuerunt apud vos, aut ecclesiæ ministri: quibus in ecclesia & schola sacras literas docendi & errores refutandi munus fuit demandatum. In quo sic versati sunt, ut ecclesiam, quæ jugo pontificio premebatur, in lucem clarius produxerint & auxerint plurimùm. Nam semper ecclesiam extitisse, non modo ex sacris literis, sed experientia quoque edocti sumus: ut *Catalogus testium veritatis* & historiæ demonstrant. Cæterùm, qua ratione Ecclesia invisibilis dici possit, suo loco plenius ex sacris literis & orthodoxo Patrum consensu disseremus. Interim quid ex adverso de Romana Ecclesia glorieris, attendamus.

a Gratianus dist. 9. §. Ego Solis, & noli meis, &c.

Costerus.

AT verò doctrina Ecclesiæ Catholicæ, ab ipsis Apostolis accepta, integra atque inviolata per tot sæcula & ætates ad nos usque pervenit: quod enim credimus hodie in Ecclesia Romana, id majores nostri ante annos centum, id ante annos ducentos, trecentos, mille, atque adeo ipsis Apostolorum temporibus crediderunt. Et quidem usqueadeò est hæc fides & doctrina ecclesiæ catholicæ, ut neminem hactenus adversarii dare potuerint, qui illam vel excogitarit, vel mutarit, vel depravarit. Hanc incorruptam doctrinæ per tot annorum ætatumque spatia ad posteros propagationem, veteres illi doctores [a] Irenæus, [b] Tertullianus, [c] Cyprianus, [d] Origines, [e] Eusebius, [f] Epiphanius, [g] Augustinus, [h] Optatus Milevitanus tanti fecerunt, ut in ea certissimam veræ ecclesiæ cognoscendæ ac demonstrandæ notam constituerint.

a Lib. 3. & lib. 4. cap. 43, 45, 63. b Lib. de præscript. hæret. c Lib. 1. Ep. 3. & 6. lib. 2. Ep. 10. lib. 3. Ep. 10. & de Simpl. prælat. d Lib. 6. περὶ ἀρχῶν. e Eccl. histor. lib. 5. cap. 6. f Hæresi 27. g Epist. 165. & de util. cred. cap. 17. contra Faustum lib. 28. cap. 2. contra Ep. fund. cap. 4. Quæst. 100. vet. & novi test. h Lib. 2. contra Donatist.

Gomarus.

INANIS & solita vestra jactatio est, quam Centuriæ Magdeburgenses & varia concilii Tridentini examina multique viri doctissimi refutarunt, & nos pro modulo, Symbolam nostram, in secunda hujus præfationis parte & in controversia de ecclesia, ad Babylonis fundamenta subvertenda & ad Dei gloriam illustrandam, conferemus. Interim ut è plurimis pauca tantùm attingam & Pontificiæ religionis arcem petam: quis ante Bonifacium octavum Papam, docuit [a] *subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, omninò esse de necessitate salutis?* Quis ex tota veteri ecclesia unquam asseruit, imagines Christi, eodem cultu cum Christo, adorandas: ut cum sanctis vestris doctoribus Thoma [b] Aquinate & Bonaventura Cardinale docetis? Quis veterum lanceam, crucem ligneam, spem salutis vocavit & invocavit? Quis veterum campanas, cereos, cineres, aquam, ramos, more vestro, tanquam salutis organa, consecravit? Summam præterea Romanæ Ecclesiæ cum orthodoxis Patribus & inter vos dissensionem, in tractatu de Ecclesia, prolaturus sum [c]: ut arrogantem & perpetuam gloriationem vestram, rei veritate, humiliem. Quare frustra de successione vestra gloriaris. In qua licet Patres orthodoxi aliquam esse notam constituerint, antequam publica in ecclesiam Christi invecta esset apostasia & tyrannis, id tamen à nostris temporibus & ab Ecclesiæ Romanæ calamitate, alienum est. Imo, si hæc certissima veræ ecclesiæ nota est, consequitur necessariò, Romanam ecclesiam non esse veram Christi Ecclesiam; quum majorum & Apostolorum doctrinam & successionem corruperit variis modis: ut, in controversiarum disquisitione, plenius ac planius constabit.

a Extravagant. commun. lib. 1. de majoritate cap. 1. b Summa Theol par. 3. qu. 25. c Vide etiam cap. 15. hujus libri.

CAPUT VIII.

ANTITHESIS OCTAVA.

Quare ad octavam antithesin, quæ in contrariis hæreticorum & Patrum sanctorum studiis consistit, progrediamur.

COSTERUS.

OMNIUM hæresium parens ac procreatrix superbia, aut aliud id genus peccatum est. *Mater omnium hæreticorum* (inquit Augustinus [a]) *superbia est.* Simon Magus (Act. 8.) dicebat se esse aliquem magnum, Arius & Novatus quum ecclesiæ principatu, cujus cupiditate ardebant (ille Alexandrinæ, hic Romanæ) potiri non possent, perniciosissimos errores & hæreses sunt commenti, ut nomina sua, virtute obscura, insigni scelere, ad memoriam sempiternam propagarent. Lutherus in disputatione Lipsica, de mutatione religionis à se excitata, *Neque*, inquit, *propter Deum cœpit res ista, neque propter Deum finietur.* De veterum hæreticorum ambitione, libidinibus & voluptatibus scribunt S. Petrus & Judas Apostolus, *Dominationes contemnunt & audaces sibi placentes, majestatem blasphemant*, &c. 2.Pet. 2. 10. Epist. Jud. 8.

a Lib. 2. de Genes. contra Manich. cap. 8. Theodoretus lib. 1. hist. Eccl. cap. 24. Chrys. Hom. 27. in Johan.

GOMARUS.

QUÆ de Hæreticorum origine commemoras, controversia carent: & iisdem argumentis, Papatum, non veritatis, sed superstitionis & hæresium scholam esse, demonstramus. Nec enim aliunde Pontificum dominatus & doctrinæ perversitas, quàm ex superbia, avaritia & libidine eorum promanavit. Testantur id non solùm gravissimæ orthodoxorum rationes, sed multorum etiam Pontificiorum scriptorum consensus, ut suis locis apparebit. Ac propterea verius longè Pontifices Romanos Simoni Mago, Novato & Ario (quorum vestigia insequuntur) copulasses, quàm veritatis & Dei amantem Lutherum. Nam quod ei aspergis maculæ, ut à vobis confictum est: sic responsionem longiorem non meretur. Sed fuerint (ut fingitis) hæc Lutheri verba, mentem tamen illius mala exponis fide: quum ea non de suo, sed de Pontificiorum studio protulerit: qui ut indulgentiarum nundinationem, non Dei (cujus verbo repugnant) sed avaritiæ gratia instituerant; sic eodem animo propugnabant; qua de re Reges, Principes, Imperatores, & infiniti alii suis ad concilia (ut appellarunt) Gravaminibus liberè & graviter sæpius conquesti sunt. Deinde graphica illa hæreticorum ex sacris literis descriptio, *Dominationes contemnunt, & audaces, sibi placentes, majestatem blasphemant*, nullis mortalium magis convenit, quàm Pontificibus, Cardinalibus, episcopis, presbyteris, monachis, Jesuitis. Quænam enim major esse potest arrogantia & dominationum contemtus, quam se totumque ordinem Ecclesiasticum, magistratus imperio eximere: dominationes omnes sibi subjicere: Principes, Reges, Imperatores, religionis specie, ad pedes osculandos detrudere: constantes in officio & Imperatoriæ & regalis majestatis suæ memores, pro arbitrio, de solio deturbare, & subditos eorum à debitâ suis dominis, divino jure, obedientiâ, anathematis fulmine prohibere: summam denique, & (ut in re barbara barbarè loqui soletis) *plenariam*, in omnes *potestatem* sibi arrogare? Agnoscis, opinor, hîc vivos Pontificum colores, & dominationum contemtum, & conculcationem intolerabilem, priscisque temporibus inauditam. Nec dominationes solùm contemnunt, sed etiam, quod summum superbiæ fastigium est, à nullo mortalium sua scelera reprehendi posse affirmant. *Si Papa* (inquit jus Pontificium Dist. 40. c. Si Papa.) *suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis ac remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus: nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus; hujus culpas redarguere istic præsumit mortalium nullus; quòd cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus: nisi deprehendatur à fide devius.* Nunc verò conferto cum hac Pontificum Romanorum insolentia sacrarum Literarum & Chrysostomi (cujus scripta Pontificum decretis Dist. 15. Can. sicut Sancti. confirmata sunt) judicium. *Potestatibus* (inquit Comment. Rom. 13.) *ex debito obedire debent. Ostendens quod ista imperentur omnibus & sacerdotibus & monachis, non solùm secularibus, id quod statim, in ipso exordio, declarat, quum dicit; Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: etsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Quid hic obsecro excusationis prætendis?

COSTERUS.

CONTRA verò sicut Apostoli (qui sanguine, secundùm Christum, ecclesiam fundaverunt) admirabili virtute præditi fuerunt: ita in illustrioribus illis Patribus & doctoribus, qui, in pascendo grege dominico, Apostolis successerunt, singularis vitæ sanctimonia eluxit. Admiramur summam in Augustino & Gregorio humilitatem, incredibilem victus cultusque asperitatem in Hieronymo, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo; Angelicam in D. Thoma & Bernardo castitatem. Neque quisquam est inter sanctos ecclesiæ patres, qui non, ut doctrina erudire, ita singulari aliqua virtute excellere & aliis prælucere conatus fuerit.

GOMARUS.

SICUT Judæos, Abrahamo patre & Prophetis gloriantes Joh. 8. 40. doctrinæ & vitæ corruptio refellebat: eadem sanè ratione, quæ de Apostolorum & Patrum sanctitate recenses, non aliò spectant, quàm ut eò clarior sit vestra impuritas. Nam, *si non est quisquam inter sanctos Ecclesiæ patres, qui non, ut doctrina erudire, ita singulari aliqua virtute antecellere & prælucere conatus sit*; necessariò sequitur, pontifices, episcopos, sacerdotes, monachos, Jesuitas vestros, nihil cum iis habere commune: quum à multo tempore vix quisquam inter eos sit, quin doctrinæ & vitæ turpitudine, reliquos superare contenderit: ut ex iis quæ ante proposui & ex justis totius orbis querelis constat.

CAPUT IX.

ANTITHESIS NONA.

Quamobrem quam iniquè hæc à te explicata sit antithesis, prudenti lectori perspicuum est: an verò sequens nona plus habeat roboris videamus.

COSTERUS.

HÆRETICI omnes (quemadmodum veteres animadverterunt) non Patrum, non conciliorum, non ecclesiæ totius, sed solius scripturæ auctoritatem admittunt [a]. Unde cum ipsis in disputatione solis scripturis est agendum; quas deinde pro suo arbitratu vel mutilant, vel ad suæ causæ commodum torquent, vel prorsus more Sadducæorum

a Tertullianus de præscrip. Augustin. lib. 32. contra Faustum cap. 29. Cypr. de unit. Eccles. Petrus Cluni. lib. 1. Epist. 2.

reji-

rejiciunt. Pleni sunt omnes veterum [a] libri istarum querelarum. Maximinus Arianorum Episcopus ita dicebat, *si quid divinis scripturis attuleris, quod commune est omnibus; necesse est ut audiamus: hæ vero voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu, à nobis suscipiuntur; quum ipse Dominus moneat & dicat, Sine causa colunt me docentes mandata & præcepta hominum.* Item, *Si affirmaveris de divinis scripturis, si alicubi scripti lectionem protuleris, nos divinarum scripturarum optamus inveniri discipuli.* Nostri temporis hæretici adeo ad solas scripturas tanquam ad saxum adhærescunt, ut se non Catholicos, sed ab Euangelio, *Euangelicos* vocari velint: quos libet cum Divo Augustino lib. 32. Con. Man. cap. 19. in hunc modum affari: *Videtis id vos agere, ut omnis scripturarum de medio auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit; quid in quaque scriptura probet, quid improbet: id est, non ut auctoritati subjiciatur scripturarum ad fidem, sed ut sibi scripturas ipse subjiciat: non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit.* Hactenus Divus Augustinus. Neque injuria hoc faciunt hæretici, quum (ut Beatus Gregorius loquitur) *non contenter suis inquisitionibus veritatem assequi, sed victores videri:* hoc est, quod semel conceperunt, volunt à Scriptura dici, non autem judicium suum ad sanum scripturæ intellectum accommodare: & quia scriptura chartis mandata patitur se quoquoversus inflecti, deduci, distrahi, neminem volunt præter illam opinionum suarum judicem.

a Vide August. lib. 1. contra Maximin.

Gomarus.

De Patrum & Scripturæ auctoritate inter hæreticos & & orthodoxos disceptari, nemini dubium esse potest: sed quàm rectè, obsecrò, hanc litem definis? *Hæretici*, inquis, *non Patrum, non conciliorum, non ecclesiæ totius, sed solius Scripturæ auctoritatem admittunt.* Verùm confusè agis, Costere, ut aliqua contumaciæ suspicione orthodoxis invidiam conflare possis. Nam quum, in dirimendis religionis controversiis, duplex sit auctoritas; primaria, quæ summo judici, & secundaria, quæ indici & testi convenit; priorem, Deo in Sacris literis loquenti, alteram, orthodoxis Patribus, distinctè ac sanctè concedemus. Quid igitur in hac confessione nostra, justè desideras? Præsertim quum hujus sententiæ, non Deum solùm, sed Patres etiam auctores habeamus. *Ego* (inquit Augustinus Epist. 19. ad Hieron. & ex eo Pontificum decretum Gratianus dist. 19. §. Ego solis) *fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre; ut nullum eorum auctorem, scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in iis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non dissentiant, persuadere potuerunt.* Hæc Augustinus, qui postea, sacram scripturam *in summo & cælesti auctoritatis culmine collocatam*, affirmat. Quare salva, suo ordine, Patrum auctoritate, solam Sacram Scripturam, tanquam certam fidei normam admittimus, eique quod iniquè vitio vertis, tanquam saxo salutari adhærescimus, *superstructi Prophetarum & Apostolorum fundamento*, Eph. 2. 20. Hæc enim genuina est sanctæ catholicæ ecclesiæ nota: eoque ut veros Catholicos, ab adulterinis nostri distinguerent *Euangelicorum* nomen, sana sententia, usurparunt. Quod autem ex Augustino contra Maximinum de Arianorum errore (qui voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu se suscipere profitebantur) adjungis; nihil omnino ad nos pertinet. Siquidem de re tantùm solliciti, profanam illam vocum superstitionem, meritò aversamur. Quod reliquum est, celebrem illam Augustini in eodem opere sententiam amplectimur, vobisque regerimus, *Sed nunc* (inquit contra Maxim. lib. 3. cap. 14.) *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Nec minus à ratione alienum est, quod nos iis verbis affaris, quibus ille Manichæos, quatuor Euangeliorum auctoritatem respuentes, perstringit, quum contrà nos illam reliquamque Scripturam sacram, tanti faciamus, ut ea de causa, vel te teste, Euangelicorum nomen amplectamur. Quare quum summam, quam merentur, auctoritatem, iis ultrò deferamus, vos verò contrà mirificè minuatis & ecclesiæ judicio apertè postponatis [a], facile lectores vident, hanc sententiam, in vos ipsos, non immeritò posse retorqueri. Nos enim Scripturis lubentes nos subjicimus, non tanquam regulæ Lesbiæ & inconstanti, ut iniquè censes, sed ut certo fidei & vitæ canoni: unde meritò communi Patrum consensu *Canonicæ* appellantur. Vos verò hanc Scripturæ auctoritatem detrahitis eamque vobis subjicitis ac torquetis. Exempla desideras? aquam in mari, aut ligna in sylvis, eadem opera deesse, judicares: adeò corruptelis vestris pleraque scripturæ loca contaminata & ad errores vestros fucandos indignis modis detorta sunt. Nam ut ex infinitis pauca delibemus: quomodo obsecro Bonifacius octavus Pontifex sacris literis non illusit? Nam quæ Deus Jeremiæ cap. 1. 17, 18, 19. de ministerii ipsius officio, quo gentium & regnorum eversiones constanter erat prædicaturus, pronunciavit; ea ad summam Papæ in omnes Reges & Imperatores potestatem, [b] detorsit. Eadem injuria verba Apostolorum, *ecce duo gladii hic:* & Christi, *satis est.* Item, *Converte gladium tuum in vaginam*, ita pervertit, ut concludat, *utrumque gladium esse in potestate Ecclesiæ, spiritualem scilicet & materialem: sed eum quidem pro ecclesia, illum verò ab ecclesia exercendum: illum sacerdotis, hunc manu regum & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotum.* Pari fide Papam nullius subesse debere imperio inde probat, quòd Apostolus ait, *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*, 1. Cor. 2. 13. Similes sacrarum literarum perversiones crebræ, in decretis Pontificum & cæterorum Romanæ ecclesiæ doctorum scriptis, occurrunt: unde luce meridiana clarius apparet, quàm parvi Dei verbum æstimetis. Quod ut amplius illustretur, omisso tuo adversus orthodoxos præjudicio, quid de Patrum & Sacrarum literarum auctoritate Pontificii judicent, ex te ipso cognoscamus.

a Costerus Enchirid. contra. 1. b Extra. Com. de major. cap. 1.

Costerus.

Catholici magno in honore habent antiquas Majorum traditiones, Conciliorum decreta, sanctorum Patrum (qui, per universum orbem, Christianum populum instituerunt) concordem & consentientem doctrinam, à quorum placitis transversum digitum discedere nefas arbitrantur. Hos magistros à Deo datos in omnibus audiunt, horum mente divinas literas interpretantur, quum sciant *ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. 15. & eum *qui ecclesiam non audierit, loco Ethnici & Publicani habendum*, Matth. 18. 17. & item illud concilii Hierosolymitani, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, Act. 15. v. 28. & à sapiente denique seriò præceptum, *Ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri*, Prov. 22. 28.

Gomarus.

Magna profectò laus est antiquos Patres justè honorare, sancta eorum placita amplecti: sed major gloria est Patrem cælestem revereri, illius verba tanquam amussim omninò observare & omnium mortalium patrum sententiis præferre. Ac propterea duplex in hoc sermone tuo apparet error, judicii nimirum & professionis. Judicii quidem, quòd Patrum placita Canonicis æterni Patris literis honore exæquas. Itaque Patrum doctissimum Augustinum oppono, *Nos*, inquit, contra Crescenti. lib. 2. cap. 31. *Cypriano nullam facimus injuriam, quum ejus quaslibet literas, à canonica divinarum Scripturarum auctoritate distinguimus.*

 Ne-

Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia, Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis, vel fidelium vel infidelium, liberè judicemus. Et paulò post, ibidem cap. 32. *Ego hujus Epistolæ auctoritate non teneor, quia literas Cypriani, non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in iis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* Sed ne sine ratione loqui videaris, adducis quatuor Scripturæ Sacræ testimonia, quibus vestram de Patrum auctoritate sententiam firmare studes: quorum duo priora quum in prima controversia repetantur, eorum explicationem in eum differamus locum: reliqua verò, quæ hîc tantùm recenses, omninò aliena sunt. Primùm enim agnoscimus concilium Hierosolymitanum dixisse, non minus verè quam disertè, *Visum est Spiritui Sancto & nobis:* sed inde malè concludis, omnium conciliorum eandem esse auctoritatem. Nam quis ferat, ex singulari exemplo, regulam statui generalem? Ac sanè perquam diversa est Concilii Hierosolymitani & reliquorum ratio. Interfuerunt enim Apostolici viri, singularibus Spiritus Sancti donis instructi: præfuerunt etiam Apostoli, qui perpetuò à Spiritu Sancto afflati, ab erroris periculo in doctrina fuerunt alieni. Reliqua verò concilia, ex iis hominibus constiterunt, qui errare, labi, decipi, potuerunt, ut tristis rerum experientia sæpius comprobavit. Denique quum Concilium Hierosolymitanum non fuerit universale, ut historia convincit, & vestri doctores agnoscunt, non minus eo firmari potest, particularium conciliorum (quæ tamen errare posse nobiscum agnoscitis) quàm universalium auctoritas. Itaque quum nihil ad causam vestram, ex hoc testimonio sit subsidii, alterum quoque perpendamus, quo Patrum auctoritatem, quasi in summa arce collocas. *A sapiente*, inquis, *præceptum ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri*, Proverb. 22. v. 28. Sed nihil efficis Costere, quum sapiens ille, non figuratè de fidei finibus, sed propriè de agrorum terminis loquatur, & Mosis de ea re præceptum Deuteron. 19. v. 14. repetat. Nec enim hæresim prohibet, sed avaritiam, qua alieni fines occupantur. Sic Basilius Magnus Sermone in aliquot scripturæ locos, exponit, *terminos patrum ne moveas, ne cupias proximi agrum.* Itaque rectè interpres vester Lyranus in Prov. 22. *ne transgrediaris terminos antiquos, occupando injustè possessionem vicini tui.* Sed esto, valeat allegorica ista interpretatio, intelligentur termini, non quivis, sed secundùm Dei verbum præfixi: alioqui attendendum ad illud Dei oraculum, *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, Ego sum Iehova Deus tuus in præceptis meis ambulate*, Ezech. 20. 18. & ad Christi sermonem, quo, objicientibus Pharisæis, *Quare discipuli transgrediuntur traditionem seniorum?* liberè respondit, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram, &c. Frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum*, Matth. 15. 2, 3, 9. Quare judicii vestri de Conciliorum & Patrum auctoritate errorem animadvertis: professionis verò vanitas (qua vos Patres per omnia audire, horum mente divinas literas interpretari, gloriaris) pluribus in hujus operis progressu elucebit.

CAPUT X.

ANTITHESIS DECIMA.

Itaque, refutata Antithesi nona, decimam consideremus, quæ in diverso loquendi modo, consistit.

COSTERUS.

EST quoque modus loquendi hæreticorum alius, quam catholicorum. Nam hæretici, *qui sibi juxta nomen suum* (ut ait Tertullianus de præscr.) *quod credant, eligunt*, quando dogmata sua proferunt, quasi propriam ac privatam doctrinam venditantes, *sic se sentire, sic docere, sic sibi videri* dicere solent. Hinc tot Catechismi, quibus sua quisque somnia exponit, sparguntur, sicut olim Ariani alias atque alias fidei professiones identidem proponebant.

GOMARUS.

DE hæreticis, non laboramus: sed quandoquidem orthodoxos nostrarum ecclesiarum scriptores, in eorum numero intelligis ac perstringis, gravissimam iis fieri injuriam, prudentiores nobiscum vident. Hoc enim nostri in ore habent loquendi genus, *sic sacræ litteræ docent: sic Prophetæ: sic Apostoli tradunt.* Et si quando hoc loquendi genere, *sic sentio, sic doceo* utantur, non illud eo fit nomine, ac si privatam doctrinam (ut iniquè exponis) venditarent; sed ut fidem suam ex sacris litteris petitam, ad Dei gloriam & ecclesiæ institutionem, liberè profiteantur. Ac propterea sententiæ suæ rationes, ex Dei verbo & orthodoxo Patrum consensu, adjungunt; ut auditores suos, non ab humanis placitis (ut apud vos solenne est) sed à cælestibus oraculis pendere doceant. Denique si *quando sic sibi videri, aut sese ita putare dicant*, non ea ratione doctrinæ suæ fundamenta incerta esse ostendunt; sed in rebus dubiis modestiam suam testantur. Quis enim assertionem omnibus in rebus meritò requirat? quis vestrorum doctorum non aversetur temeritatem, qua de rebus cælestibus & ab humana cognitione abstrusis, ita extra sacras literas arroganter statuunt, ac si cum Paulo Apostolo, in tertium usque cælum penetrassent, & omnia Dei mysteria pervidissent? Ac propterea non nostri solùm, sed etiam Erasmus, Vives, & ante eos sapientissimi viri, Ecclesiæ Romanæ addicti, de ea re gravissimè conquesti sunt, & vestrorum scholasticorum theologiam, turpem esse ματαιολογίαν pronunciarunt. Cæterùm quam de Catechismorum nostrorum origine allinis maculam, eam Harmonia earundem & vestrum exemplum facile diluet. Sed quid de Pontificiis doctoribus proponis?

COSTERUS.

CATHOLICI quum privatam aut propriam religionem non habeant, sed communem, universalem, Catholicam, aliter loquuntur. *Sic*, inquiunt, *credit Ecclesia, ita docuerunt majores. Hæc est fides Catholica.* Obstupescentibus claudi curationem Judæis, *Viri Israëlitæ* (inquit D. Petrus Actor. 3. 12.) *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi propria virtute, aut religione fecerimus hunc ambulare* (ita enim Græcè legitur) *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, &c. quasi velit dicere, Fecimus ita, non propria sed communi religione, qua Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob colitur: quam etiam vos hactenus, sed in umbra atque figura, tenuistis.

GOMARUS.

AIS quidem vestros communem, universalem, Catholicam habere religionem; verùm secus à nobis antea demonstratum est: & id ipsum quod probationis loco adducis (etsi doctrinam nostram non lædat) sententiam, quam probandam suscepisti perspicuè evertit. Nam majores vestri, concilio Tridentino (Sess. 4.) vulgatæ versionis auctoritatem sanxerunt: tu vero contrà (ut fieri debere censet Augustinus, & decretum Pontificum [a] confirmat) ex Græcis fontibus repurgare studes. Ex quo omninò sequitur, non quicquid majores instituerunt probandum, nec semper eorum vestigiis vos inhærere. Ac sanè laudabile esset studium tuum, Costere, si cum recta ratione à Majoribus discederes. Nunc verò, quum sanam eorum sententiam & sacrarum literarum sensum pervertas, quid fidei Jesuitæ mereantur lectores judicent. Quod ut meliùs liqueat, age Patrum & Costeri interpretationem conferamus. Illi εὐσέβειαν verterunt *pietatem*: tu

a Gratian. Dist. 9. §. Et veterum.

vero

religionem, *ita enim*, ais, *Græcè legitur*. Imò verò Costere, si vocis naturam examinare velimus, non religio Græcè legitur, sed recta religio, hoc est (ut rectè majores verterunt) *pietas*, quæ in Deum justitia est. Religio enim aut vera est aut falsa, de quarum utraque graviter scripsit Latinorum Patrum longè eloquentissimus Lactantius Firmianus. Quamobrem perperam vocem εὐσέβειαν aliter interpretaris: quum potius, siquid in antiqua & vulgata versione libuisset corrigere, præcedentem dictionem potuisses, ad vitandam ambiguitatem, permutare, & δύναμιν, non *virtutem* sed *vim* interpretari. Cæterùm (ut error errorem trahit) quemadmodum verba Apostoli corrupisti, sic rem ipsam multò indignius pervertis. *Quasi* (inquis) *velit dicere, fecimus non propria, sed communi religione, qua Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob colitur*. Sed quæso, Costere, quando ut Catholicos loqui gloriaris, ita credidit ecclesia, ita docuerunt majores? Ostende, si potes, non propriam, sed communem & universalem interpretationis tuæ religionem. Misera profectò Pontificiæ religionis comprobatio, quæ rei, quam firmandam suscepit, tam disertè contradicit! Quis enim tam cæcus est, ut in tanta orationis Apostolicæ luce, non videat, Petrum non opponere propriam δύναμιν, & εὐσέβειαν majorum religioni, sed Dei & Christi potentiæ & gratiæ: ut demonstraret non humanum, sed divinum esse, quod acciderat? ut doctè Chrysostomus & Theophylactus exponunt. Idque patet ex sequentibus Petri verbis, *Glorificavit Filium suum Jesum: &, hunc confirmavit nomen ipsius*, Act. 3. 13, 16. Quare hæc tua interpretatio, quemadmodum doctrinam nostram non minuit; sic scripturam contaminat, & à Majorum ac Patrum interpretatione recedit. Ac propterea, quum ne hoc quidem in loco (ut demonstrare contendis, Pontificios sic loqui, *ita credit Ecclesia, ita docuerunt majores, hæc est fides Catholica*) Majorum & Catholicam doctrinam secutus sis, facilè prudentes lectores vident, quàm parum fidei, dum Patres jactatis, vobis tribuendum sit.

Caput XI.

ANTITHESIS UNDECIMA.

Porro undecimam instituis antithesim, in contrario, de majorum salute, judicio.

Costerus.

HÆRETICI, tametsi neminem damnari à se dicunt, ipso tamen facto, præ se condemnant orbem universum. Quum enim ex arcanis sacrarum literarum constet, *Unicam esse fidem, sicut unus est dominus, unum Baptisma, unus Deus & pater omnium*, Eph. 4. 5. & planissimè liqueat, *Sine fide impossibile esse placere Deo*, Heb. 11. 6. necessario efficitur, illos omnes, qui aliter, atque hæretici, crediderint, à benevolentia & gratia Dei alienos extitisse. Perierunt ergo omnes majores nostri, perierunt omnes ecclesiæ sanctæ Patres & doctores, perierunt omnes Christi martyres & confessores: nec quisquam in cælum aspiravit toto orbe terrarum, à primis Apostolorum temporibus, usque ad illum hæresiarcham, qui *novam fidem*, in omni memoria inauditam, invenit. Sed ajunt simplicitate excusari majores, quia aliter instituti non fuerunt. Verum D. Paulus quum dicit, Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile esse placere Deo*, neminem prorsus à damnatione excipit, sive indoctum, sive simplicem, sive seductum. Quia nulla infidelitas qualiscunque, seu Judaica, seu Ethnica, seu hæretica (tot enim sunt ejus species) quocunque colore aut prætextu, gehennam effugiet. Deinde viros ingeniosissimos, doctissimos, in divinis scripturis versatissimos, magistros & Doctores Ecclesiæ laudatissimos (quales per orbem universum, in omni ætate, non pauci floruerint) nulla poterit ignorantia, ab interitu vendicare, quum illis clavis scientiæ & munus docendi commissum sit: sed sicut indoctus præceptor graviori mulcta dignus est, quod, quum sit ineptus ad docendum, cathedram ascendat: ita Doctores errantes, & in errorem inducentes, digni sunt, qui plagis vapulent multis: sicut populus cæcus cæcos duces sequens, etsi plagis vapulabit paucioribus, vapulabit tamen, & cum cæcis ducibus in foveam cadet, Matt. 15. 14. Luc. 12. 48. Matt. 15. 14.

Gomarus.

GRAVE profectò crimen est, condemnare præ se orbem universum: nec levius est, Costere, quòd immerentibus, id criminis impingis. Etsi enim hæreticorum patrocinium suscipere, nec jure possim, nec velim; pios tamen Dei servos, quos hoc nomine odioso, cum reliquis adversariis vestris involvis, adversus injustam accusationem tuam tueri veritas & charitas Christiana jubent. Quarum utramque, indignè abs te hoc loco violatam, comperio. Primum enim, quænam ea disserendi est ratio, quod toties tibi assumis, vestram doctrinam esse antiquam illam majorum religionem, adversarios vestros hæreticos & doctrinam eorum novam, quum id in controversia maximè versetur? Mala certè causa, non melioribus digna firmamentis! Nam quis adeò desipit & contra rei veritatem liberalis est, ut id vobis largiatur? Frustra tam graves agitantur controversiæ, frustra tantum operæ in Enchiridio tuo perscribendo impendisti, si id, quod vobis arrogas, citra controversiam, concedendum. Negamus, Costere, negamus vestram doctrinam esse antiquam illam Apostolorum & orthodoxorum Patrum doctrinam: novitatem, quam nobis affingis, non agnoscimus, & ad sacrarum literarum judicium (quod tantopere pertimescitis) & ad orthodoxorum patrum consensum (quem tam confidenter jactatis) provocamus. Hinc causæ vestræ argumenta desume, siquid obtinere voles: & quod in quæstione versatur, rationis loco adducere, desine: ne, apud prudentem lectorem, justum doctrinæ Pontificiæ contemtum, concilies. Deinde verò, ut hoc imbecille & controversum ecclesiæ vestræ fundamentum omittam, quàm sanctè de majoribus judicas? Agnoscimus unam esse fidem, si fundamentum consideres, sed circumstantiarum tamen ratione certi cognitionis & fidei sunt gradus. Itaque qui fundamentum fidei evertunt, illos verbum Dei à salute excludit: qui verò aliter in reliquis, infirmitate quadam humana, sentiunt, eos minimè damnandos, cum sacris literis, censemus, 1. Cor. 3. 11, 15. Phil. 3. 15. Quare quod infers, *Perierint ergo omnes majores nostri*, id minimè consequitur. Quamvis enim omnes adversus veram religionem errores damnationem, ut reliqua peccata (Deut. 27. 26.) mereantur: non omnes tamen exitium adducunt: sed plurimi, si fundamentum piè retineatur, à Deo gratiosè condonantur. Nam si, ad rigidam judicii tui lancem, orthodoxos Patres examinare lubeat, non solum Originem & Tertullianum, sed etiam Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Hilarium cæteraque antiquæ ecclesiæ lumina, quibus sui (ut postea ostendemus controversia 2. de Ecclesia) in religione non defuerunt errores, condemnabis. Quare dum adversariorum vestrorum, in damnandis Patribus temeritatem probare studes, in eandem iniquitatem imprudenter incidisti. Ut vero à primis illis Patribus, ad posteros & propinquiores descendamus, nunquam suis fautoribus destituta fuit veritas. Quamvis enim, Romani Pontificis tyrannide, depressa fuit ecclesiæ libertas; nunquam tamen ita oppressa, quin semper durarit, & liberam vocem subinde ediderit, ad Dei gloriam & Babylonis ruinam. Hinc illæ Romanæ Ecclesiæ lachrymæ & in cætum piorum (quem odiosè Waldensium, Wiclephistarum, Hussitarum & similium nominibus infamem reddere studuit) crudelitas subsecuta est. Quam veritatis oppugnationem densioribus ignorantiæ tenebris, Deus justissimè vindicavit. Quare non est, cur tam verbosè, magistros & doctores vestros à veri ignorantia purgare, studeas. Nam quum, rejecta divini verbi norma & lucerna, ad humana commenta, se totos conformarint, quid mirum est eos, gravissimè hallucinatos, in errorum scopulos impegisse?

Etenim ut adversarii vestri fileant, scripta ipsorum, quæ tam fœdè cum sacris literis & inter se dissentiunt, id apertissimè demonstrant. Quod quum hoc loco probare sit facillimum, in controversiam de Ecclesia, ubi commodior futura est occasio, differemus. Quare reliqua hoc loco excutiamus.

Costerus.

PRÆTEREA majores nostri magna deliberatione, diligentique inquisitione ac maturo judicio adhibito, hæreses omnes, quæ post ipsos exortæ fuerunt, exploserunt atque ejecerunt: quomodo ergo eos, harum rerum ignaros atque insolentes fuisse, credibile est? Nam quod ad nostra quidem attinet tempora, nulla ferè est excogitata hæresis, quæ olim, licet diversis temporibus, notata, & totius Ecclesiæ anathemate icta, non fuerit. Errores de fide explosi sunt in Eunomio & Aëtio; de sanctissima Eucharistia in Berengario; de veneratione sanctarum reliquiarum in Vigilantio; de ecclesia in Donatistis; de pœnitentia in Novatianis; de imaginibus in Iconoclastis, &c. Damnant igitur orbem universum hæretici, non exigui sed gravissimi sceleris, blasphemiæ, infidelitatis, idololatriæ. Ariani, qui post Ebionitas negarunt Christi divinitatem, majores omnes idololatriæ mortuos condemnaverunt. Qui in Eucharistia, præter panem, nihil esse concedunt, coguntur dicere, tot seculis orbem universum pro Deo suo frustum panis coluisse. Qui cultum sanctorum, venerationem imaginum, sacrificium Missæ, sacras ceremonias, meram superstitionem esse docent, omnes omnium temporum atque locorum Christianos, impios atque nefarios in Deum fuisse pronunciant. Anabaptistæ, qui Christianorum Baptismum, pro nihilo putant, Christianos omnes, pro non baptizatis, pro Judæis, atque ethnicis habent.

Gomarus.

MAJORES vestros mirificè extollis, Costere: sed quum ab eorum antiquissimis, doctrina & moribus, longissimè dissideatis, frustra eorum auctoritatem prætendis. Nam errorem vestrum de traditionibus humanis, quas Dei verbo æquatis, in Pharisæis Christus & Apostoli damnaverunt: errorem de Angelorum cultu, post Apostolum Paulum in Ep. ad Col. & Concilium Laodicenum, Chrysostomus, Theodoretus [a], Epiphanius, Augustinus in Simone Mago & Angelicis; de invocatione & cultu virginis Mariæ, in Collyridianis Epiphanius [b], & alii Patres: de imaginum Christi veneratione, in Gnosticis & Carpocratianis Epiphanius [c] & Augustinus, de liberi arbitrii viribus [d] & operum meritis in Pharisæis & Pelagianis [e], extremam unctionem in Heracleonitis: & reliquos errores vestros in aliis condemnaverunt. Quæ verò de fide, Eucharistia & cæteris objectas, ea distinctè in controversia de Ecclesia (ubi eadem repetis) explicabuntur. Quare quæ de orbis universi damnatione proponis, vobis potius, quàm adversariis plerisque conveniunt: à nobis verò aliena esse ex superioribus antithesibus apparet. Cæterùm quod ais; *Qui in Eucharistia, nihil præter panem esse concedunt, coguntur dicere: orbem universum, pro Deo suo, frustum panis coluisse:* in iis, inquam, paucis verbis, non pauci errores. Nam quis adeò à sacris alienus, quin, in Eucharistia, præter panem, verbum & institutionem divinam agnoscat: qua accedente, fiat sacramentum? sed ea scilicet est vestra sanctitas, ut Christi doctrina repudiata, non panem esse in Eucharistia, sed species tantum & accidentia panis statuatis: sub quibus verum Christi corpus (quod scriptura & articuli fidei cælo ad diem judicii ascribunt) commentitia vestra transubstantiatione abscondatur. Deinde verò gravis admodum in Christum contumelia est, quum frustum panis consecrati, pro vero Deo colitis: & insignis in homines injuria, quod orbi universo idololatriæ vestræ & errorum societatem, ascribis. Nam ut de orthodoxis patribus & ecclesiis Græcis, Syris, Ægyptiis, quæ Pontificis jugum non agnoscunt, nihil dicamus, quamvis jamdiu in Ecclesia Romana publicè frustum panis consecrati, pro vero Deo turpissimè, à plerisque adoratum sit; non dubitamus tamen quin multa piorum millia in ea latuerint, quæ genua sua Baali (ut Eliæ conquerenti respondit Deus 1.Reg. 19. 18. Rom. 11. 4.) nullo modo inclinarint. Nec id solum sentimus ex communi charitatis lege, (1.Cor. 13. 7.) quæ optimam de aliorum salute spem concipit, sed etiam, ex plurimorum testium veritatis constantia, habemus exploratum. Quare quum cultum sanctorum, venerationem imaginum, sacrificium Missæ, plerasque sacras vestras ceremonias, meram esse superstitionem docemus, non *omnes omnium temporum atque locorum Christianos* (ut falsò concludis) *impios ac nefarios in Deum fuisse* pronunciamus; sed eorum laudamus pietatem, qui idem nobiscum ex sacris literis orthodoxè senserunt: ut in hujus enchiridii tui examine plenius liquebit. Nunquid verò sanctius de iis judicatis?

a De Hæres. cap. 39. b Contra hæres. lib. 3. Tom. 2. hæres. 79. c De hæres. cap. 7. d Rom. 10. 3. e August. de hæres. cap. 16.

Costerus.

NON ita contumeliosè sentiunt ac loquuntur Catholici de Majoribus, quorum memoriam sempiternam in benedictione colunt, quorum mores & fidem admirantur, quorum vestigia persequi toto pectore conantur. Ipsorum vox est [a]: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* His semper ante oculos obversatur illud Apostolicum, *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri & hodie ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*; Heb. 13. 7. & novis doctoribus omnibus qui Majorum doctrinam non afferunt, sed aliud Euangelium præter id quod à Patribus per manus acceperunt, cum eodem Apostolo anathema dicunt.

a Felix Can. 2.

Gomarus.

IMO verò, quid fieri potest in Patres contumeliosius, quàm, quod errores vestros iis aspergitis: quod eorum scripta, ad veritatem obscurandam pro arbitrio truncatis & adulteratis, ut *Indices* vestri *expurgatorii* evincunt? Qua in Patres contumelia, nihil unquam extitit indignius, nihil impudentius: nullumque malæ causæ ac malæ fidei certius argumentum. Quod autem addis, *Ipsorum vox est, Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* Agnosco verba Hormisdæ Papæ: quæ quàm feliciter Felici ascribas, videris. De re autem sic statuimus, Primam salutem esse rectæ fidei regulam, hoc est, doctrinam s. literis (quæ propterea Canonicæ dicuntur) à Deo traditam custodire, & à constitutionibus Patrum, quatenus ei regulæ consentiunt, nullo modo declinare. Quæ omninò Apostoli mens est, in eo quod adfers præcepto, *Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt* VERBUM DEI. Et in eandem sententiam Felix primus pontifex, Epist. 3. ad sacrarum literarum fontes, contra Arianos provocat, *Hi*, inquit, *ignorantes divinarum Scripturarum & Apostolorum jura, ex proprio aut adulterino sensu talia fabricant & seducere corda fidelium quærunt. Nos verò ad ipsius fontis originem redeamus, ex quo, Filium Patrem semper videre potuisse, vel posse, evidentioribus testimoniis de veteris & novi instrumenti literis doceamus.* In qua pia sententia acquiescimus: nec aliud, quam quod ab Apostolis & Euangelistis traditum est, amplectimur.

CAPUT XII.

ANTITHESIS DUODECIMA.

Itaque ad duodecimam antithesin progrediamur; quæ vocationis, aut potius executionis illius diversitate, definitur.

COSTERUS.

NULLI hæretici, ad sua dogmata nova populo proponenda, legitimè missi sunt: quanquam enim plerique eorum Episcopi, Presbyteri & doctores, ex ordine munus & officium docendi acceperunt, nulli tamen facultas data est, nova decreta fabricandi, sed hoc tantùm candidè & syncerè tradendi, quod ei, qui misit, probatur. Quemadmodum enim ei, qui doctor juris publicè renunciatur, non confertur potestas Medicinam vel Theologiam profitendi, sed jurisprudentiam: & legatus ad aliud nihil censetur mitti, quàm ad ea, quæ à Principe accepit negotia tractanda: simili modo instituitur Episcopus aut concionator, ad Catholicam & universalem totius Ecclesiæ doctrinam populo explicandam non ad novas, vel suas, vel aliorum novatorum, opiniones venales exhibendas.

GOMARUS.

CELEBRIS est profectò de vocatione pastorum quæstio: sed ita à nostris pertractata, ut veritatis studiosò plenè satisfactum sit. Duo enim ab iis demonstrata sunt, nempe legitima nostrorum pastorum ad Dei verbum (non hominum commenta) promulgandum vocatio, & fidelis illius administratio. Quorum prius nobis non potes derogare: ut antea ostendimus, & hisce verbis non obscurè significas; *quanquam plerique eorum Episcopi, Presbyteri, & doctores, ex ordine munus & officium docendi acceperint:* alterum verò negas, quum ais, *ad sua nova dogmata:* sed accusationis hujus vanitatem, totius operis nostri series, confutabit. Nam quæ ex divinis & antiquis Prophetarum & Apostolorum literis deprompta sunt, novitatis notam non merentur; sed quæ ex humani ingenii vanitate, sacris literis accesserunt. Quorum amplissimam apud vos copiam extare, ex tam variis traditionibus & ceremoniis vestris, elucet. Sed quid de vestrorum hominum vocatione asseras, attendamus.

COSTERUS.

CATOLICI [a] maximam semper legitimæ missionis & vocationis rationem habuerunt: usque adeò, ut multos virtute præcellentes viros, non solùm vocare aut mittere; sed cum Mose & Jeremia quasi per vim impellere oportuerit, ut constat de Ambrosio, Basilio, Gregorio aliisque innumerabilibus.

a Vide Innocentium 3. de hæreticis, cap Cum ex injusto.

GOMARUS.

SI Catholici maximam semper legitimæ vocationis habuerunt rationem, inde consequitur vestros Pontifices, episcopos, pastores, nihil minus esse, quàm catholicos. Nam quum libera electio, doctrinæ, morumque examen & approbatio, consensus Ecclesiæ, ad legitimam vocationem pertineant, ut sacræ literæ & vestri canones docent, pleraq; in vobis desiderantur: contrà verò simonia, ceteræque artes malæ, primas obtinent: ut rei experientia & gravissimorum auctorum vestrorum testimonia declarant. Nam quod sanctus vester Bernardus (de Considerat. lib. 4.) de Eugenio Pontifice ait, *Quem dabis mihi de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit pretio aut spe pretii non interveniente*, id plerisque Romanis Pontificibus & Episcopis convenit. Quod si neges, Annatarum (ut appellatis) improbitas, quam sapientes Reges, Principes, Imperatores sæpius frustra tollere studuerunt, & eorum Gravamina conciliis vestris missa abundè demonstrant.

CAPUT XIII.

ANTITHESIS DECIMA TERTIA.

Porro decimam tertiam antithesin, doctrinæ duratione describis.

COSTERUS.

INCONSTANTIA in dogmatis fidei, propria est hæreticis & perpetua. Et illa quidem duplex [a]. Nonnunquam unus & idem ad priorem suam opinionem, tanquam imperfectiorem, adjicere aliquid solet, & doctrinam mutare. Quod fecisse Novatianos confirmat D. Ambrosius Lib. 1. de pœnit. cap. 2. qui quum prius docuissent, nullum posse peccatum in ecclesia condonari, postea Catholicorum argumentis convicti, exceperunt leviora. Pelagianos scribit D. Augustinus Hæres. 88. ad Quodvult Deum, quum principiò orationes, quæ ad gratiam Dei impetrandam fieri solent, damnavissent, postea palinodiam cecinisse. Ariani Christum nunc heterousion, nunc homoousion dicebant, & singulis ferè conventibus novas formulas fabricabant. De inconstantia Berengarii multa Guitmundus. Loci communes Philippi Melanchthonis, vivente auctore, vix unquam sine novo errore typis mandati fuerunt. Confessio Augustana, initio quidem contra Calvinianam disciplinam apertè decertavit, postea ejus adversus Lutheranos patrona & vindex facta est. Non minor inconstantia & dissimilitudo in discipulis hæreticorum apparet: qui ut auctoritatem sibi parent, & in numero doctorum & sapientum virorum habeantur, ad impiam præceptorum doctrinam, aliquid, & id quidem fere deterius, apponere solent: sicut videre est in omnibus discipulis Simonis Magi, Arii, Donati & cæterorum omnium. Hinc nulla unquam hæresis sola constitit, sed quum plures unum doctorem audirent, quod ingenii ostentandi gratia alius aliud adderet, proseminatæ sunt variæ, quasi familiæ, dissentientes inter se & multùm disjunctæ & dispares. Ex officina Simonis Magi exiit pene innumerabilis diversorum hæreticorum multitudo usque ad ipsos Manichæos: qui postea in Catharitas, Macarios, & in propriè dictos Manichæos, sunt dispertiti. Ab Aëtio orti sunt Macedoniani, Aëriani, Aëtiani, & alii plurimi, sicut hac tempestate à Luthero, Calvinistæ, Anabaptistæ, Confessionistæ emanaverunt. *Pars Donati* (inquit D. Augustinus Lib. 1. contra Donatum cap. 6.) *in multa minutissima frusta concissa fuit.*

a Prior inconstantia.

GOMARUS.

MAGNA & laudabilis est virtus, in doctrina puriori, constantia: turpis contrà inconstantiæ macula. Ac propterea, quum modis omnibus adversarios vestros superare coneris, iis duplicem inconstantiam objectas. Quarum priorem statuis in Doctoribus, quòd suam doctrinam mutent. Cujus rei, ut veterum hæreticorum exempla (quæ nos non attingunt) producis; sic etiam pii & orthodoxi viri Philippi Melanchthonis locos communes indignè accusas. Exprobras enim, quòd vivente auctore, vix unquam, sine novo errore, typis mandati fuerint: sed qua ratione id confirmas? An quod librum suum ad ecclesiæ utilitatem auxerit & illustrarit? at hac ratione Enchiridion tuum condemnabis,

bis, quod nuper aliquot locis & bona controversiarum parte locupletatum atque emendatum, in fronte & titulo libri profiteris. Deinde verò, ut id vobis ad accusationis tuæ iniquitatem amplius convincendam largiamur, mutavit sanè aliquid in doctrinæ modo; quum in melius mutarit, non odium aut dedecus, sed laudem & amorem promeretur. Nec etiam mirandum est, eum, qui in densissimis Papatus tenebris erat enutritus, ex iis emersisse paulatim, & diligenti sacrarum literarum examine, & pia Dei invocatione, in veritate profecisse. Quæ progressus ratio in antiquis etiam Patribus observari potest. *Ego* (inquit ingenuè ac piè Augustinus Epist. 7.) *proinde fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt.* Qua pia mente errores suos non paucos, per varios libros dispersos, virum sanctissimum retractare non puduit: ut quos imprudentia sua & auctoritate in errorem adduxerat, hac Christiana palinodia, in veritatis viam secum revocaret. Quem sanè, si tam re imitari, quam verbis extollere studeretis, plus apud vos pietatis & sinceræ doctrinæ eluceret. Deinde verò ad confessionem Augustanam quod attinet, non mirum est si eandem, ex Philippi Melanchthonis auctoris mente, interpretemur. Itaque frustra ex hisce, nostrorum doctorum in doctrina inconstantiam, probare studes. Nec melius etiam discipulorum inconstantiam demonstras. *Apparet* sanè *ea* (quam statuis) *dissimilitudo in discipulis hæreticorum; qui, ut auctoritatem sibi parent, & in numero doctorum & sapientum virorum habeantur, ad impiam præceptorum doctrinam aliquid, & id quidem fere deterius apponere solent:* sed quid illud quæso ad Ecclesias nostras pertinet? Nam primùm demonstrandum tibi est, Costere, præceptorum nostrorum doctrinam, quam sequimur, esse impiam, aut ab aliqua pia illorum sententia nos recedere. Nam quum Calvinus & alii in veritatis stadio longius progressi sunt, quam Lutherus (qui ut vir fuit maximus & de ecclesia optimè meritus, sic residuum aliquid fæcis pontificiæ, in doctrina de sacramentis, retinuit) iniquè eos inconstantiæ & erroris insimulas. Denique quod ais, *à Luthero Calvinistæ, Anabaptistæ, Confessionistæ emanaverunt*, injuriis abundat. Primùm enim quod Calvinistas eos nominas, qui in Christi nomen baptizati sunt, ejus solo verbo omnia reformanda docent, & in Christo solum gloriantur, convitium est, à rei veritate & charitate Christiana alienum. Nec enim Calvinum novæ doctrinæ auctorem agnoscimus, sed fidelem antiquæ sacræ scripturæ præconem: nec in verba illius juramus, sed eatenus tantùm sequimur, quatenus Dei verbum fideliter proponit. Deinde verò quod Calvinistas à Luthero emanasse affirmas, mera ac solita vestra calumnia est. Nec enim Lutherus auctor doctrinæ nostræ, sed propagator tantum. Denique quod Anabaptistas ab eodem profluxisse objicis, pari omnino ratione & jure, Simonem Magum, Ebionem, Cerinthum, aliaque hæreticorum portenta (quæ in ecclesia Apostolica à puritate doctrinæ defecerunt) Apostolis asscribes. Itaque refutata accusatione tua, reliquum est, ut quæ ad Romanæ ecclesiæ laudem proponis, expendamus.

COSTERUS.

VERUM Ecclesia Catholica, tot circumfrementibus hæresium & innumerabilium sectarum procellis, sui semper similis, stabilis ac prorsus immobilis persistit. Est enim *columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. 15. & à sapiente architecto, super firmam petram ædificata, *adversus quam portæ inferni non prævalebunt*, Matth. 16. 18. Et licet in rebus ad fidem non pertinentibus, diversi diversa sentiant, sive illa philosophica sint, sive Theologica: licet non uno more institutoque vivatur in Ecclesia Catholica (alia enim est secularium, alia Ecclesiasticorum, alia monachorum vivendi ratio) licet varii sint religiosorum ordines, sicut & secularium, & Ecclesiasticorum hominum plures sunt gradus: in dogmatibus tamen fidei, est unus omnium consensus. Et quamvis forte nonnulla melius fuerint posterioribus temporibus enucleata, prout necessitas postulavit, nihil tamen unquam in Ecclesia creditum fuit à posteris, quod cum fide Patrum vel pugnaret, vel ab illa quoquo modo discreparet.

GOMARUS.

EST sane, Costere, Ecclesia vera, *columna & firmamentum veritatis* & super firmam petram ædificata & ab exitio libera; quamvis non ab omni periculo & jactura: ut tristis multarum ecclesiarum & verè piorum casus sæpius demonstravit, & in controversia de ecclesia, pleniùs exponetur. Quòd autem hanc veræ Ecclesiæ laudem Romanæ ecclesiæ ascribis, vobis libenter largiemur, ubi veritatem doctrinæ vestræ, ex sacris litteris comprobatis. Verum quum ab iis ad humana commenta & fabulas defeceritis, & Christum unicam illam ecclesiæ & salutis petram esse pernegetis, inanem vestram jactationem prudentes vident. Nam quod vestrorum Doctorum perpetuum consensum extollis, id ex accurata eorum comparatione in controversia De Ecclesia pluribus & apertissimis contradictionibus ipsorum diluetur. Ex quibus perspicuè summa doctorum Pontificiorum cum sacris literis, orthodoxa antiquitate, & inter se dissensio, & doctrinæ ipsorum turpitudo, apparebunt.

CAPUT XIV.

ANTITHESIS DECIMA QUARTA.

Quare ad postremam Antithesin, quæ in miraculis consistit, transeamus.

COSTERUS.

VIDENTUR denique ad unum omnes hæretici contra miracula, quæ per sanctos in ecclesia Dei fiunt, conjurasse. [a] Quum enim nulla illi vera miracula, ad sua dogmata stabilienda, patrare possint, nec à sua perfidia, Catholicorum miraculis, abduci velint; necesse est, ut ea, vel pro dæmonum operibus (more Pharisæorum, qui divina Christi opera, principi dæmoniorum Beelzebub, asscribebant) vel pro fictis & commentitiis habeant. Conatus quidem fuit Cyrola Episcopus Arianus (ut est apud D. Gregorium Turonensem Lib. 2. Hist. Francorum cap. 5.) cuidam, qui se cæcum simulaverat, lumen restituere; sed ita parum negotium successit, ut videntem lumine orbaverit. Ex hoc odio miraculorum eò audaciæ & insaniæ proruperunt hæretici, ut quum populum miraculis commoveri cernant, sacras reliquias & imagines, ad quas ejusmodi mirabilia Deus operari dignatur, disturbent, confringant, exurant.

[a] De Arianis B. Ambros. Serm. 91.

GOMARUS.

UT magna est verorum miraculorum præstantia, sic non perpetua est eorum necessitas. Itaque quod adversariis vestris eorum exprobras inopiam, eadem Chrysostomi sententia, quam ipsemet postea subjicis, respondemus. Etenim si miracula requiris, producimus tibi Prophetarum, Christi & Apostolorum miracula, omni exceptione majora: Quibus ea doctrina, quam tuemur, ante multas annorum centurias confirmata est. Nam quod de novitate doctrinæ nostræ perpetuò regeris, eadem facilitate & majori jure à nobis negatur, quàm à vobis asseritur. Nos enim ad sacrarum literarum examen & judicium, Christo duce, provocamus: vos verò, noctuarum instar, lucem & summum earum judicium subterfugitis ac detrectatis. Scilicet ut inde omnibus constet, quantum doctrina vestra fidei mereatur. Miracula verò vestra ejusmodi sunt, ut ea non immeritò adversarii vestri aspernentur; *quod* (ut rectè opinaris)

vel

vel pro dæmonum operibus, vel pro fictis & commentitiis habent. Nam ut omnia Christi miracula (quæ impiè à Pharisæis damnabantur) fuerunt reverà miracula divina, & ad sacrarum literarum doctrinam confirmandam edita: sic contra, quæ à vobis tam prolixè commendantur, ad erroris patrocinium & doctrinam Dei verbo repugnantem, vi dæmonis aut arte humana effecta: aut ad rudiores fallendos, à vobis conficta sunt. Ut enim Christophorum & similes sanctos, qui nunquam in rerum natura extiterunt (quod doctores Pontificii Villa-vicentius & Baronius agnoscunt) fabulosè estis commenti: miracula plurima pari fraude & impudentia confinxistis. Nam, ut alia infinita omittam, quid absurdius & indignius fingi potest iis miraculis quæ Aurea vestra Legenda, Conformitatum libris & Sanctorum vestrorum, Bonaventuræ Cardinalis Legenda, & Antonini Episcopi Historia, de Dominico, Francisco, & reliquis ejus farinæ sanctis vestris referuntur. Ea enim adeò à miraculorum divinorum gravitate & sanctitate abhorrent; adeò putida sæpe & insulsa sunt, ut referre pudeat. Cæterùm quia non solùm vulgò & imperitis probantur, sed etiam à sanctis vestris conscripta, à summis doctoribus & monachis vestris confirmata, & non ita pridem, consensu Pontificio, iterum in lucem edita sunt: quædam ex iis in controversia de Ecclesia recensebo; ut admirandam miraculorum vestrorum absurditatem lectores cognoscant. Interim præterire hoc loco silentio non possum, Laureteni sacelli fabulosissima miracula, quæ ab Horatio Tursellino Romano Jesuita, in Lauretana historia Moguntiæ hoc anno 1590. edita, & Clementis octavi Romani Pontificis privilegio confirmata, describuntur. Narrat enim (Hist. l. 1. c. 1.) domum beatæ virginis, funditus cum simulacro ipsius, è Galilæa Angelorum ministerio per aërem transportatam primùm in Dalmatiam: atque inde secundo (cap. 5. & 6.) post quinque menses, in Italiam, in Pyceni Sylvam: unde tertio, (cap. 7.) post octo menses, in collem duorum fratrum: postremò (cap. 8.) inde, post paucos menses, in eum collem, ubi nunc visitur, translatam. Hisce miraculis simile est quod ais, (cap. 9.) *venienti domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinasse se: ac deinde pronas perstitisse, quoad ævo, ventis, ferro procumberent.* Alia, paris momenti, omitto; quæ summam vestrorum sacrificulorum & Jesuitarum, in miraculis fingendis & spargendis, impudentiam perspicuè demonstrant. Omitto fœdam illam Sacelli Lauretani inscriptionem. *Hic tabernaculum Dei cum hominibus*, & Leonis Papæ reliquorumque idololatriam: quæ eadem historia recensentur. Itaque quod à miraculis vestris tantoperè abhorreamus, nulla id contingit insania vel audacia (ut perversè judicas) sed sancto idololatriæ odio & justo gloriæ divinæ amore. Quis enim adeò vestrarum rerum imperitus, ut varias fictorum miraculorum imposturas non observet? Quis adeò inhumanus, ut eum simplicioris populi, à vobis gravissimè seducti, non misereat? Quis denique adeò amore Dei vacuus, ut reliquias vestras & imagines, quibus miserè rudiores fascinatis, tanquam perniciosa idololatriæ instrumenta disturbare, confringere, exurere, si auctoritate magistratus jubeatur aut probetur, non contendat? Nam si hujus rei confirmationem ex sacris literis desideres, ne longius evageris, secundum tantùm decalogi præceptum & Dei explicationem attende; & quàm justa judicii lance imagines vestras ponderemus & æstimemus, facilè comperies. De reliquiis verò quid dicam? Etenim quum nec certæ apud vos extent sanctorum reliquiæ, nec rectè honoretis: miraris, quod eas aversemur? nam quid certi in iis esse possit quum eadem corpora, capita, & reliquias sanctorum, variis in locis, eodem tempore extare, turpissima contradictione fingatis & turpiori idololatriæ adoretis? Quod adeò rei experientia perspicuum est, ut probationem ampliorem non desideret, & quam plurimis ac claris exemplis apertè & prolixè à fidelissimo Christi servo Joanne Calvino, in *Admonitione de reliquiis sanctorum* demonstratum est. Deinde verò etiamsi quædam certæ apud vos sanctorum corporum essent reliquiæ, iis tamen non justum sepulturæ honorem defertis, sed Dei gloriam, insigni idololatria in eas transferendo, contaminatis indignis modis. Siquidem thura religiosè illis adoletis, cereos in earum honorem accenditis, genu flectitis, magna pompa circumfertis & adorandas ostentatis: nec denique prætermittitis quicquam, quod idolis suis ethnici detulerunt. Quare quum reliquias vestras adeò honorandas statuatis, nihil solidæ pietatis aut frontis vobis reliquum esse apparet, ut ex sequentibus magis elucebit.

Costerus.

Catholici è contrario sanctorum miracula & [a] admirantur & venerantur: quippe quæ signa sunt, vel sanctitatis eorum, per quos efficiuntur, (sive vivant illi adhuc in terris, sive beatam cum Christo in cælis vitam degant) vel orthodoxæ fidei & doctrinæ, quam profitentur. Certè Christus Dominus, posteaquam plurima miracula, ad doctrinam suam in vulgus probandam persuadendamque edidisset, sub finem vitæ de Judæorum pertinacia conquerens, *Si opera*, inquit, Joh. 15. 24. *non fecissem in eis quæ nemo alius, peccatum non haberent:* non obscurè significans ad novam doctrinam inducendam miracula esse necessaria. Et quamvis [b] Catholica fides, tot seculorum decursu per orbem universum confirmata, miraculis non egeat, sed illa potius indigeat, quæ nova hactenus & omnino inaudita, pro vero Dei cultu jactatur; multis tamen miraculis, etiam nunc, ad sacras imagines & divorum reliquias, illustratur Ecclesia, & fidei nostræ veritas comprobatur: quum hæretici (qui hoc quasi diplomate divinæ voluntatis, missionem suam, in novo isto reformandi orbis studio, confirmare deberent) ne minimum quidem signum edere potuerunt.

a Amb. Ep. 5. Aug. lib. 22. De Civit. c. 8. b Chrysost. Hom. 14. in Mattheum. Patian. Ep. 3. ad Sympronianum.

Gomarus.

Quis neget sanctorum miracula in pretio habenda? sed non omnes sancti, quos eo nomine insignitis, nec omnia vera & divina miracula, quæ à vobis tam prolixè jactantur. Ostende, si potes, talia vestrorum sanctorum esse miracula (si quæ forte speciem eorum habere possunt) qualia Servatorem nostrum edidisse constat: & pari honore amplectenda agnoscemus. Verùm summa auctorum, formæ, & finis diversitas secus omnino demonstrant. Nam si quis seriò & candidè legendas vestras, quibus Romanæ ecclesiæ miracula recensetis, perlustret, & aniles illas fabulas cum sacrarum literarum gravitate & sanctitate contulerit, non magis lucem cum tenebris, quàm illa inter se dissentire, comperiet. Atque eadem est expositionis tuæ & sententiæ Christi, quam adducis concordia. Ait ille quidem: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Joh. 15. 24. Sed an inde (ut falsò interpretaris) non obscurè significavit, ad novam doctrinam inducendam, miracula esse necessaria? An igitur doctrina Christi nova, quam ex Mose probat, & ad sacras literas examinari jubet? Patienter ferte fideles Christi servi, quod qui Christi domini nostri doctrinam novam appellant, vestram similiter, quam ex sacris literis à Christo accepistis, novitatis accusent. Deinde verò fœdus est error, quod novam doctrinam in Ecclesia Dei, miraculis confirmari posse, doces, & hac lege miracula ab adversariis vestris, quasi divinæ voluntatis diploma, requiris. Nos contrà si vel mille ad novam doctrinam stabiliendam prodirent miracula, Pauli, imò Spiritus Sancti sententiam opponimus, *Sed etiamsi nos, aut Angelus è cælo evangelizet vobis, præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto*, Gal. 1. 8. & Christi monitum & præceptum, *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos. Ecce prædixi vobis. Itaque si dixerint vobis ecce* (Christus) *in deserto est: ne egredimini; ecce in conclavibus, ne credite*, Matth. 24. 24, 25, 26. Verum de hoc argumento, copiosius in controversia de Ecclesia disseremus.

Caput XV.

Quamobrem ex harum Antithesium refutatione satis apparet, Pontificios doctores non esse fideles veritatis præcones, sed errorum patronos: ac propterea ab omnibus salutis suæ amantibus sedulò fugiendos. Quod ut magis fiat perspicuum, alteram Præfationis partem paucis percurramus, quam proponit.

Costerus.

De ratione agendi cum Hæreticis.

MAGNUM *est discrimen* (inquit B. Augustinus ad Honoratum de utilit. cred. cap. 1.) *inter Hæreticum & eum qui credit Hæretico. Ille compendii sui & præcipuè gloria principatusque gratia, novas & falsas opiniones, vel gignit, vel sequitur: hic verò ejusmodi hominibus specie quadam veritatis & pietatis assimulata deceptus fidem habet.* Hac significatione, *Hæreticum post unam & secundam correptionem vult vitandum* D. Paulus Tit. 3. v. 10. *quia subversus est ejusmodi & proprio judicio condemnatus.* Veteres quoque Patres omnes communi consensu disputationem, cum proprii nominis hæretico, dissuadebant: quod ejusmodi concertatio (ut dicebat apud Sozomenum Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus Hist. Tripart. lib. 9. cap. 18.) *non solùm schismata non uniret, sed amplius divideret.* Nam sicut vulpes, nec mansuescit unquam, nec cibo utilis est (ut ait B. Ambrosius lib. 7. in Lucam) ita neque hæreticus, vulpeculæ nomine, in divinis literis designatus. Contentiosi enim nimium sunt hæretici (ait B. Cyrillus Lib. 2. thesau. cap. 1.) & quia perversi sunt & decreverunt animo non mutare sententiam, quodcunque etiam contigerit, inquit B. Chrysostomus, Homil. 6. ad Titum.

Gomarus.

ETSI pleraque, quæ, de ratione agendi cum hæreticis, adducis, nos minimè attingant; sed communia utrique parti sint præcepta: ea tamen breviter ad ecclesiæ institutionem & veritatis divinæ gloriam excutiemus. Magnum est, fateor, inter hæreticum & eum qui credit hæretico discrimen: sed illud indignissimis modis à Romana ecclesia violatur. Nam primùm hæreseôs crimen, non ad sacras veteris & novi Testamenti tabulas (ut fieri oportebat) sed ad humana pontificum vestrorum placita, examinatis. Unde veritatis cælestis assertores laudatissimi, qui, ad verbi divini normam, doctrinam vestram reformare student, infami hæreticorum nomine onerantur à vobis, & summis suppliciis, à veritatis propagatione deturbantur. Deinde non solùm doctores, qui à doctrina vestra recedunt; sed eos etiam qui illis fidem aliquam adhibent, imò verò vel tantillum favoris demonstrant, hæreticorum numero accensetis ac trucidatis. *Nam* (ut summus vester [a] doctor ait) *inquisitores hæreticæ pravitatis procedunt ex præsumtione, & tenentur punire vel hæreticum eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse hæreticus, etiamsi revera non sit hæreticus.* Ad quam crudelitatem magis ac magis accendendam, faces à vestris doctoribus adhibentur. Nam quum hæresim definiant [b] *errorem pertinacem catholicæ fidei manifestè contrarium in eo, qui fidem Christi profitetur:* & pertinacia temporis moram requirat, ut Pontificii prudentiores agnoscunt, alii tamen (quod id tyrannidi suæ obstare animadvertunt) turpi contradictione & turpiori improbitate adversantur. Nam quum videant sæpius infinita imperitorum virorum, & fæminarum, rudium adolescentium, tenellarum virginum, millia, levi herescôs suspicione oborta, nullius erroris revera (nedum pertinaciæ) convicta, ad crucem, ferrum, fossam, flumen, flammam raptari; ut hujus injustitiæ & crudelitatis infamiam levent, vocum naturam pervertunt, & eos qui scientes à Romana Ecclesia (quam solam veram ecclesiam agnoscunt) vel tantillum deflectunt, pertinaces vocant. Sic enim (ut alios sileam) Salamanticæ academiæ in Hispania [a] Professor primarius ante paucos annos scripsit, *Deceptus est Sylvester* (observa Pontificiorum Doctorum consensum) *in verbo hæresis. 1. §. 2. ubi ait, necessarium esse temporis diuturnitatem & perseverantiam aliquam, ut quis dicatur pertinax. Quod falsum est; quia in momento, quo aliquis sciens auctoritatem ecclesiæ sibi contrariam, assentit alicui propositioni, statim pertinax est in suo assensu.* Eòdem etiam pertinent, quæ postea subjicit, *si quis dissentit alicui propositioni, sive vera sit, sive falsa, neque pertineat ad fidem: erit tamen hæreticus, si putat oppositum ejus, quod ipse sentit, definitum esse ab Ecclesia. Quia tunc habet errorem pertinacem; scilicet non esse in universum verum quod definitur ab Ecclesia de fide.* Hoc scilicet est observare magnum illud inter hæreticum & eum qui credit hæretico discrimen! Sed ea justa Dei vindicta est, ut, Madianitarum instar, mutuis gladiis concidatis. Cæterùm quæ, in disputatione cum hæreticis & iis qui hæreticis fidem habent, observanda mones, perpendamus.

a Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ qu. 11. art. 2. b Ibidem.

a Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ q. 10. art. 11.

Costerus.

Quatuor servanda cum hæretico.

SI tamen vitari nequeat congressus, ne sine fructu eorum saltem qui audiunt, voces mittantur, quatuor quæ sequuntur videntur utiliter observari posse. Primùm, ut respondentis potius, quàm oppugnantis personam, sustineas; eò quòd facilius sit, argumenta in contrarium allata confutare, quàm superbum & arrogantem adversarii animum rationibus convincere, qui omnes rimas evadendi quærit, scripturas torquendo, mutilando, rejiciendo. *Quid promovebis* (ait Tertullianus Lib. de præsc.) *experientissime scripturarum, quum si quid defenderis negetur: è diverso si quid negaveris, defendatur, & tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi vilem de blasphemia laudem.*

Gomarus.

REVERA, quemadmodum deplorati hæretici indigni sunt, cum quibus de Religione amplius disputetur: quod, Camarinæ instar, commoti, sordibus suis & blasphemiis (ut Tertullianus Lib. de præsc. observavit) Dei gloriam & pios auditores conspurcent: tamen quando periculum subest, ne tenellas Christi oves à veritate, seducant; agendum est fortiter, iisque ne noceant (ut Apostolus Tit. 1. 11, 12. docet) obturanda sunt ora. Qua in re sæpius eorum mendacia oppugnare & expugnare longè facilius est ac tutius, quàm intricatos Sophistarum nodos expedire. Adeò enim plerumque crassi & fædi sunt multorum errores, ut levi momento, etiam à minus in religione exercitatis, queant refutari: contra adeò speciosæ interdum falsorum doctorum objectiones, ut etiam exercitatis negotium facessant? Nam quod Hieronymus de Lactantio adversus gentiles disserente In Epistola ad Paulinum de institut. Monachi ait, *utinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facile aliena destruxit:* id non immeritò de plurimis aliis, qui cum hæreticis disceptarunt, usurpari potest. Quamobrem tutissima & optima cum hæreticis disserendi via est, ut ex Pauli præcepto [a], non solùm scuto fidei nos muniamus, sed etiam gladio spiritus, hoc est, Dei verbo adversarios jugulemus. Cujus egregia illa Hieronymi sententia (in Esa. cap. 13.) consentit, *Filios hæreticorum & omnium qui decepti sunt, interficiamus sagittis spiritualibus,* id est, *Testimoniis Scripturarum.* Deinde ut errores

a Ephes. 6. 16. 17.

inter

inter se devincti & concatenati sunt, superbus & arrogans adversarius ad absurda illa, quæ ex hæresi ipsius oriuntur, adigendus est; & tumultuari desinet: aut, si fronte amissa, non cedat, auditores saltem, ab eo abhorrentes, in veritate magis firmabuntur. Quam convincendi præfractum adversarium rationem, non solum Apostoli [a] secuti sunt, sed etiam ex communi naturæ judicio Ethnicorum [b] sapientes præscripserunt. Quare ut minus peritum lectorem, ad Pontificiorum hæreses superandas, instituam; nihil ad eam rem præstantius est, quàm ut earum absurditas, & quàm graves errores inde necessariò consequantur, adversarii naribus & auditorum auribus ingeratur. Nam quod contra priscos hæreticos disputans ait Irenæus Lib. 2. c. 12. *Adversus eos victoria est sententia eorum manifestatio: quapropter conati sumus universum malè compositum vulpeculæ hujus corpusculum, in medium producere & apertè facere manifestum: jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendam doctrinam eorum, manifestam omnibus factam:* id inquam, de Romanæ Ecclesiæ doctoribus & religione meritò affirmari potest. Nam ut perspicuè convincantur, demonstretur, quàm indignè sacrarum literarum auctoritatem humanis traditionibus componant, imò postponant [c]: & summa illarum capita, legem Dei & Euangelium violent.

Ac primum quàm turpiter *primum & secundum* legis divinæ *preceptum* idololatria sua plusquam Ethnica infringant, & Dei honorem, ad creaturas rapiant ac traducant: quam horrendis [d] incantationibus salem, aquam, vinum, herbas, aliaque magiæ Pontificiæ instrumenta, contra *tertium Dei præceptum*, indigna nominis Dei profanatione exorcizent, & tanquam salutis subsidia commendent. Quàm multos in ordinem Sanctorum retulerint & adorent, qui aut [e] nunquam, aut impii extiterunt: quam multa iis [f] festa, templa, altaria consecrarint: quàm varios religionum modos, & diversos Ecclesiæ ministrorum ordines, præter Dei verbum [g] Ethnicorum exemplo instituerunt, & fœdissimis, ut vocant, [h] Taxis & Annatibus divendant. Quibus omnibus modis *quartum Dei præceptum* violatur. Declaretur etiam, quàm indignè magistratus, patriæ patres, à Pontificibus, non solùm debito honore, contra *quintum præceptum*, fraudentur, sed etiam ad [i] pedum oscula & nonnunquam ad [k] conculcationem detrudantur: exponatur quanta immanitate ad infideles, quod regnis suis cedere nolint, evertendos, classicum canant & bellum quod nullo divino aut humano jure sacrum appellant, pro arbitrio, cum infinita Christianorum pernicie, accendant: addatur, quàm crudeliter à doctrina Pontificia vel leviter dissidentium sanguinem, contra *sextum* Dei *præceptum*, Inquisitorum tyrannide effundendum, sermone & reipsa [l] doceant. Explicetur quàm turpiter omnium sacerdotum & monachorum (licet plerique continentiæ destituantur dono) cælibatum non solùm matrimonio præferant, sed etiam scortationem eorum matrimonio meliorem, contra *septimum* Dei *præceptum*, [m] affirment. Indicetur quàm injustè Pontificii monachi & sacerdotes contra *octavum præceptum*, non solùm non dent Cæsari quæ Cæsaris sunt, Matth. 22. 21. Sed etiam è contrario illius & regum aliorum regna, pro summa potestate arbitrioque Pontificis, dari, minui, & auferri posse [n] statuant. Quemadmodum revera sæpius justis dominis Pontificum [o] sententia erepta & injustis tradita esse, Germaniæ, Galliæ, Navarræ, Indiarum, Judææ & aliorum regnorum exempla & Pontificiorum historiæ luculenter evincunt. Aperiatur non solùm quàm perfidè, fidem datam, cum ipsis utile est, violent; sed etiam, quàm impudenter fidem hæreticis non servandam, contra *nonum* Dei *præceptum*, concilii Constantiensis (sess. 19.) auctoritate, definiant. Denique monstretur, quàm profanè concupiscentiam, contra *decimum præceptum*, & Apostoli definitionem, concilio Tridentino (sess. 5.) peccatum esse negent, & secus sentientes anathemate feriant. Ex quibus apparet quum Deus præceperit ut legis ipsius præcepta omnia accuratè observentur, & maledictionem iis sit interminatus, qui non permanserint in omnibus, (Deut. 27.) Pontificem & Pontificios doctores id studuisse, ut nullum eorum inviolatum permitterent.

Contra Euangelium.

Si verò à lege Dei, decalogo comprehensa, ad Euangelium (cujus summa duodecim articulis fidei & sacramentorum institutione continetur) devenire lubeat; in singulis ferè Pontificiæ doctrinæ absurditas & copiosa refutationis materia elucebit. Ac primùm objiciatur adversariis, quòd contra *primum* fidei *articulum* non in solum Deum credant, nec eum solùm omnipotentem agnoscant: sed etiam Mariæ virgini & sanctis, quos invocant, geminam hanc & propriam Dei gloriam communicent, Rom. 10. 14. Esa. 42. 8. Ostendatur deinde, eos nomine quidem Filium Dei esse Jesum, id est, servatorem & dominum nostrum confiteri; sed reipsa, utrumque honorem, soli Christo convenientem, contra *secundum* fidei *articulum*, virgini Mariæ & Sanctis arrogare. Quorum duorum articulorum profana violatio, non solum ex iis quæ capite primo à nobis allata sunt, constat; sed etiam profana illa Florida Mariana Martini del Rio Jesuitæ (quæ anno superiore, ex officina Plantiniana, cum Episcopi Leodiensis approbatione, prodierunt) perspicuè demonstrant. Nam ut Costerus suum Enchiridion, sic Martinus opus illud virgini Mariæ, blasphemo hoc Elogio, consecravit. *D. Mariæ S. Dei Genitrici, semper virgini, misericordiæ matri, cælorum, terræ, maris, reginæ, catholicæ ecclesiæ protectrici, hæresium expugnatrici, virtutum cunctarum speculo, Optimæ, Maximæ, Patronæ hoc de corollis multicoloribus sertum, pancarpum, vovit, panxit, solvit, servulus Martinus Delrius ætatis* XLV. *& salutis humanæ* M. D. IVC. Præterea adjiciatur contra *tertium* de sancta Christi conceptione *articulum*, non solùm Pontificios Mariæ virgini conceptionis sanctitatem attribuere: sed eam quoque multo majori sacrilegio, à Romana Ecclesia [a] peculiari festo obsignatam: & quidem, quod magis absurdum est, quum de ea re, nondum quicquam certi à Pontifice aut à Pontificiorum doctoribus esset definitum, sed & antè & postea acerrimè de hac quæstione concertarint. Declaretur [b] quàm absurdè Pontificii doctores, contra *quartum* fidei *articulum* & sacrarum literarum definitionem Christi Passionem adeò mutilent, ut eam corpori quidem & sensibus tribuant, sed [c] anima rationali quicquam perpessum esse in horto, aut in cruce, apertè negent. Scilicet ut crassiorem errorem tueantur, [d] Christum inde à conceptione futuram animæ suæ in vita æterna gloriam, non sperasse, sed eadem perpetuo sibi præsenti, fuisse beatum. Ita ut in cruce quidem summos corpore & sensibus sustinuerit cruciatus; [e] anima verò rationali, non solùm eorum fuerit expers, sed etiam summo, ex vitæ æternæ fruitione, gaudio, fuerit plenus. Quibus absurdis & profanis sententiis addatur; Pontificios doctores, adversus *quintum articulum*, infernum convertere in Paradisum. Quemadmodum Costerus Christ. instit. lib. 5. in expositione symboli de Christi descensu ad inferna ait; *Sic inferni loca perlustravit, ut tenebrosum carcerem, in Paradisum verterit, juxta illud quod latroni dixerat, Hodie mecum eris in Paradiso.* Demonstretur eorundem, adversus *sextum articulum* & sacrarum literarum auctoritatem, (Esa. 53.) error, quod Christus per passionem non intrarit ascensione sua in gloriam, ratione corporis & animæ, sed corpore tantùm: videlicet quod (ut [f] ajunt) animæ ab initio perfectè beatæ, nihil accedere potuerit majoris gloriæ. Indicetur eos adversus *septimum articulum*, Christi & Apostolorum definitionem, (Actor. 4. 12. 1. Cor. 11. 26.) Christi corpus non expectare primum ad diem judicii, ut præsentia illius potiantur: sed contra statuere, id è cælo indies [g] descendere & se sacrificulis sistere, in missa præsens. Ostendatur præterea

a 1. Corinth. 15. 14. &c. Galat. 2. 21. b Aristot. top. 8 &c. c Coster. Enchirid. de S. Script. d Vide Sup. cap. 1. Pastorale & De fuga Dæmonum. e Baronius Martyrolog Roman. f Durandus Ration. divin. officior. g Ibidem lib. 2. cap. 1. h Taxæ sacræ pœnit. apostolicæ & Taxæ cancellar. apostolicæ. i Sacrar. ceremon. sect. 13. k Supplem. supplem. Chron. l. 12. p. 299. l Dominic. Bannes in 2. 2. Thomæ qu. 11. art. 2. m Bellarminus lib. 2. De monachis cap. 34. n Extravag. commun. lib. 1. de Majoritat. & obed. cap. 1. unam Sanctam. o Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ quæst. 10. art. 10.

a Extravag. commun. lib. 3. de reliquiis & veneratione Sanctor. cap. 2. b Ibidem. c Thomas Aquinas par. 3. qu. 46. art. 7. & 8. Thomas ab Argentina in 3. Sent. 15. dist. 3. art. & alii vulgò. d Thomas Aquin. par. 3. qu. 7. art. 4. Melchior Canus loc. commun. lib. 12. cap. 14. e Thomas Aquin. part. 3. qu. 46. art. 8. Thomas ab Argentina Sent. 3. dist. 15. art. 3. f Thomas Aquin. par. 3. qu. 34. art. 4. g Sanctus Franciscus Cnofor. lib. 1. pag. 177.

præterea eos, adversus *nonum* fidei *articulum*, ecclesiam sanctam catholicam cum particulari & impura sua Romana ecclesia confundere: adeò ut vulgò Romanam & Catholicam ecclesiam pro eadem absurdissimè usurpent. Adjungatur error gravissimus, quod adversus *nonum* & *decimum articulum* statuant sanctos, (qui tamen omnes nobiscum communiter, in hac vita debitores extiterunt & remissionis peccatorum vitæque æternæ communionem cum reliquis fidelibus habent, Matth. 6. 12. Rom. 3. 23, 24.) non solùm habere sua apud Deum merita, sed iis etiam remissionem peccatorum aliis [a] promereri: dum vivunt quidem animis in purgatorio afflictis, post mortem verò reliquis etiam fidelibus in terra constitutis. Denique (ut alia quæ fusius initio hujus operis (cap. 1.) proposui, omittam) demonstretur Pontificios doctores contra *duodecimum articulum* & reliquos omnes, loco [b] fidei veræ qua vitam æternam, propter Christum gratis promissam, vera fiducia amplectuntur fideles, [c] dubitationem substituere, & quod [d] Scriptura donum Dei esse testatur, operum suorum meritum, indignissimè appellare. Nec in fidei solùm articulis violandis Pontificiæ doctrinæ absurditas consistit, sed etiam in sacramentorum institutione cumprimis apparet. Nam ut à Baptismo fiat exordium, ostendatur primùm Pontificios doctores, *contra Baptismi materiam* docere, si aqua elementaris desit, illius loco, [e] non aquis distillatis sed jure carnium uti licere: imò, quosdam doctores eò impudentiæ procedere, ut etiam [f] *urina, propter defectum aquæ, baptizari posse* affirment. Deinde [g] celebres nonnullos Pontificiorum doctores (*contra* præscriptam [h] à Deo *verborum formulam*, Dei honorem & Apostoli decretum) apertè tradere Baptismum esse posse, si quis dicat, *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti & beatæ virginis Mariæ*. Præterea objiciatur, eos de *ministris Baptismi* non minus absurdè sentire, quod contra [i] Christi & antiquorum [k] Patrum doctrinam, Baptismum, si sacerdotes desint, à [l] fæminis fidelibus aut infidelibus administrari posse, doceant. His addatur, quod statuant [m] infantes in utero matris adhuc latentes, in vitæ periculo, si caput tantum, pes, aut manus extet, debere baptizari. Præterea de *ceremoniis Baptismi* non minora objici possunt absurda, ut quod Pontificii sacerdotes, præter Christi institutionem, ritibus variis, partim insulsis, partim fædis, partim impiis Baptismum conspurcent: [n] ut quum digitos suos infantum auribus immittunt & [o] Christi in miraculo patrando sermone abutantur, quum salivam suam ori infantis indunt, crucibus superstitiosè signant: dæmonem, ut de anima baptizandi recedat, adjurant: iterum cruce è sputo (ne quid purum relinquatur) aures, nares, os infantis notant: salem magicè exorcizant, & infantis ori imponunt: oleo exorcizato crucem in pectore & scapulis baptizandi, formant: vestem albam capiti imponunt: adduntque cereum accensum, conjuncta in singulis hisce, mira verborum Dei profanatione. Denique quod contra Christi honorem & Apostoli decretum [p] *nomen sancti* alicujus imponunt, ut eo patrono Baptizatus [q] omnes animæ & corporis molestias superet. Nec minor in altero sacramento servata est reverentia. Nam ut ora adversariis obturentur, demonstretur primum eos *sacramenti Cœnæ naturam* pervertere; quòd signa divinitus instituta non solum mutent, quum vinum, aquæ admixtione [r] superstitiosè adulterant; sed etiam mutilent, quum [s] contra Dei institutum & veterum Patrum ac [t] Pontificum decretum, laicis calicem denegant. Imò quòd sacrificuli (ut omnibus perspicuè constat) contra sacramenti hujus communionem & naturam, loco unius Cœnæ Dominicæ, sex, septem, decem & plures privatas Missas (in quibus singulis unus auditor nempe [u] minister, qui totius populi personam sustineat sit satis) uno in templo, & quidem [x] contra Dei verbum [a] ignotâ auditoribus linguâ, concelebrent: & (quod absurdius) ipsi plerumque panem in tres partes fractum, reliquis non communicantibus sed tantum spectantibus, [b] soli, contra [c] Pontificum canones antiquos, absumant: adeò ut revera, non tam synaxis & communio [d] (ut vocant) quàm excommunicatio & ecclesiæ distractio dici mereatur. Objiciatur etiam, quòd panem in corpus Christi, contra [e] institutionem illius, [f] corporis veritatem, [g] Apostolorum doctrinam & communem sensum [h] transubstantiari statuant: ita ut sublata panis substantia, accidentia tantum, non solùm sine suo, sed etiam [i] sine ullo omninò subjecto, contra naturam supersint. Qua ratione ex signo sacramentali ecclesiæ ordinario, contra rei proprietatem, & [k] Patrum doctrinam, [l] miraculum faciunt omnium maximum: adeò ut in eo plura sint difficilia, quàm in creatione, quemadmodum Pontificiorum sanctus, [m] Thomas Aquinas, ex communi Romanæ ecclesiæ consensu, docet. Addatur hisce quod Christi corpus gloriosum (quod in cælis regnat, [n] nec alibi quærendum,) in finitis ferè in locis, in hostiis, & [o] singulis earum particulis, eodem tempore, in terra simul existere contra [p] veri corporis modum, [q] gloriæ rationem, [r] Cœnæ institutionem & [s] Patrum consensum affirment. Deinde quod sacramentum [t] Eucharisticum, ad recordationem beneficii Christi & nostræ gratitudinis officium excitandum, institutum, [u] in sacrificium proprium & propitiatorium ac satisfactorium pervertant. Et quod absurdius est, non solùm in Dei, sed etiam in [v] sanctorum variorum honorem variè celebrent. Conjungatur quod in ejus usu, non sibi solum manducantibus [x] sed aliis etiam tam mortuis, quàm vivis remissionem peccatorum & varia corporalia beneficia, & quidem non fidei, sed operis (ut loquuntur) operantis dignitate, promereri sese affirment. Unde pro diversis necessitatibus precio venalem missam celebrent: ut verè Simonis magi potius, quàm Simonis Petri successores sese probent, Actor. 8. 20, 21. Atque hinc trita illa Pontificiorum sanctorum & doctorum quæstio, [y] *Utrum sacerdos accepto stipendio obligatus ad missam specialiter, pro uno celebrandam: postea alteri quoque pretio missam addixerit, una & eadem opera utrique possit satisfacere?* Objectetur etiam, quòd hostiam [z] corpus Christi & Deum suum appellantes, adorent & adorandam aliis attollant ac circumferant: & in conclavibus reponant, ac dicant *Ecce Christus*. Quæ omnia cum [a] Christi institutione atque [b] interdicto, & [c] veterum Patrum doctrina, gravissimè pugnant. Addatur etiam profana illa Pontificiorum sententia, qua ajunt, [d] *Si hostia tempore mortis Christi fuisset in pyxide servata, Christum non solùm mortem subiturum in cruce, sed etiam in pyxide*. Denique (ut multas alias Pontificiorum doctorum de hoc sacramento absurdas impietates, quas referre possem, brevitatis causa omittam) objiciatur iis, quòd, turpissima contradictione, doceant, [e] Christum in cœna suum ipsius corpus manu sua gestasse, & ore suo comedisse, & aliis similiter, tam impiis hypocritis, quàm verè fidelibus, sub specie panis ita comedendum, [f] dentibus frangendum & atterendum tradidisse: & ne quid impietatis desit, [g] Christi corpus & Deum verum, ut à muribus aliisque brutis animantibus posse deglutiri, sic ab ebriosis & aliis evomi & ignibus traditum cælestes sedes petere. Adeò ut non sit mirandum [h] Averroëm Arabem summum philosophum absurdis & cyclopicis ac Canibalicis illis Capernaitarum, Pontificiorum doctorum, impietatibus offensum, dixisse; *Quoniam Christiani manducant Deum*,

a Coster. Christ. Inst. lib. 5. Exposit. Symboli. b Johan. 10. 27, 28. Rom. 8. 38. 1. Johan. 3. 2. & 5. 10, 11, 12, 13. c Concil. Trident. Seß. 6. c. 11. & Can. 12. 13. d Rom. 6. 23. e Thomas Aquin. par. 3. qu. 66. art. 4. Holcot. in sent. lib. 4. qu. 1. Guido in manip. curat. de Baptis. cap. 2. f Guido ibidem. g Idem cap. 3. Holcot. in Sent. 4. qu. 1. h Matth. 28. 19, 20. 1. Cor. 1. 13. i Matth. 28. 19, 20. 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 12. k Tertul. de Virg. Velandis. Epiph. contra Collyr. hæres. 79. l Pastorale de Baptismo. Guido manip. curat. de Baptis. cap. 3. m Pastorale de Baptismo. n Ibidem & Guido manip. de Baptismo, cap. 8. o Mar. 7. 34. p 1. Cor. 1. 12, 13. q Pastorale de Baptis. r De Consecrat. dist. 2. Can. 1. in sacram. s Concil. Trid. Seß. 21. cap. 2. t De Consecrat. dist. 2. Can. Comperimus. u Thomas Aquin. par. 3. qu. 83. art. 5. x 1. Cor. 14. 16, 28.

a Concil. Trid. Seß. 22. Can. 9. b Ibidem Can. 8. c De Consecrat. dist. 1. Can. Omnes d Thomas Aquin. par. 3. qu. 73. art. 4. e Matth. 26. 26. Luc. 22. 19. f Heb. 2. 17. Luc. 24. 39. g 1. Cor. 10. 16. & 11. 26, 27, 28. h Concil. Trid. Seß. 13. cap. 4. i Thomas Aquin. par. 3. qu. 77. art 1. &c. k August. de Trinit. lib. 3. cap. 10. l Innoc. Papa de sacro altar. myster. lib. 4. cap. 11. m Par. 3. qu. 75. art. 8. n Col. 3. 1. o Concil. Trid. Seß. 13. cap. 4. p Heb. 2. 17. Luc. 24. 39. Johan. 12. 8. q Col. 3. 1. r 1. Cor. 11. 25, 26. s Augustin. Epist. 57. ad Dard. & in Joh. 12. Tractatu 50. t 1. Cor. 10. 16. & 11. 25. u Concil. Trid. Seß. 22. cap. 2. & Can. 1. v Ibidem. cap. 3. & Can. 3. x Ibidem cap. 2 & 3. y Institut. Viguerii cap. 16. §. 3. vers. 15. Gabriel Biel. in Canon. missæ lect. 27. Holcot. in sentent. lib. 4. q. 3. z Concil. Trid. Seß. 13. cap. 5. Costerus præfat. Enchirid. antithesi 11. a Luc. 22. 19. b Matth. 24. 26. c August. de doctr. Christ. lib. 3. cap. 5. Cyril. in Lev. lib. 5. Hieron. in 1. Cor. 1. d Thomas Aquin. par. 3. qu. 81. art. 3. e Thomas ibidem art. 1. f De consecrat. dist. 2. Can. Ego Bereng. Guitmundus de Sacram. lib. 1. p. 35. & 41. g Thomas par. 3. qu. 83. art. 6. Et in Sent. lib. 4. distinct. 13. Biel in 4. Sentent. dist. 12. qu. 1. art. 3. Guido manip. Curat. de Eucharistia, c. 11. h Comment. in lib. 12. metaphys. Arist.

quem

quem adorant, sit anima mea cum Philosophis. Nos verò rectius, Quoniam Pontificii hoc faciunt, sit anima nostra cum Apostolis & piis Christi discipulis. Reliqua Pontificiorum sacramenta, quæ ab hominibus præter Dei verbum instituta sunt & pluribus absurditatibus gravissimis scatent, ne prolixior sim, prætereo. Quare ut rem totam concludam, optima illa est cum Pontificiis & aliis falsis doctoribus disserendi & convincendi ratio, ut primùm errores eorum & statum quæstionis rectè intelligamus ac fideliter proponamus, sacrarum literarum gladio jugulemus, & absurditatibus propositis, contradicentium ora obturemus. Præsertim verò, ut quæstio de sacrarum literarum auctoritate, adversùs humanas traditiones (ad quas perpetuò Pontificii recurrunt) expediatur priori loco. Ac propterea, Costere, hanc ipsam in Enchiridii tui examine viam sequar, ut veritas, patefactis & discussis erroribus vestris, illustretur. Sed, priusquàm finem præfationi imponam, reliqua perpendamus.

Costerus.

DEINDE danda est opera, ut intra limites unius materiæ adversarius contineatur. Est enim hæreticis, præsertim rudioribus, qui sibi tamen non parum sapere videntur, familiare, ut, quum dissolutis argumentis, in una aliqua causa se convictos animadvertunt, aliò dilabantur, & rerum diversarum multitudine antagonistas suos obtundant, ne si nihil in medium afferant, manus dare vincique videantur.

Est præterea ad rectam argumentandi formam astringendus hæreticus, utque omissis superfluis nudam ratiocinationem proponat: qua in re non parum laboratur ab adversariis, qui vel Dialecticæ ignari, in argumentando graviter halucinantur, vel sophistarum more ratiocinationes suas oratoriis pigmentis, quasi fuco quodam colorando, falsa pro veris, dubiaque pro certis, indoctis auditoribus venditant.

Gomarus.

SANE si hæc præcepta, quæ à nostris tam diligenter urgentur, apud vos vigerent, facilius veritati cederetis. Nam quid magis vobis familiare est, quàm statum quæstionis propositæ aut vitare & subterfugere, aut vitiare? quæ maximè in controversia versantur, argumenti loco assumere ac centies inculcare? quum vos argumentis & scripturæ robore pressos animadvertitis, ad traditionum latebras confugere? & ne causa cadere videremini, Patrum rectè dicta eò pervertere, aut nævos eorum, relictis sanioribus sententiis, accumulare? Tertii par ratio est: nam quàm turpiter sæpe, contra rectam disserendi disciplinam, principia aliena ad res cælestes indignè traducitis: aut communia & perpetua naturæ & scripturæ fundamenta, quum lubet, pernegatis? Legantur scholastici vestri doctores, & qui eorum vestigia nostris temporibus insequuntur; videantur vel ea solùm, quæ de Missa à vestris disseruntur, nihil verius comperies. Ad formam verò argumentandi quod attinet, eam quidem in otiosis scholarum vestrarum umbris, in usu esse qualemcunque non nego: sed eandem in publica luce & justo cum adversariis vestris certamine aut nunquam, aut rarò, adhibetis. Atque utinam id à vobis impetrari aliquando posset, ut recta argumentandi forma causam vestram nobiscum disceptaretis! sperarem enim fore, ut quam longis ambagibus obscuratis veritatem, ea stricto illo & aperto disserendi modo illustrata, faciliorem nobis victoriam largiretur. Atque hoc consilio D. D. Antonius Sadeel, Guilielmeus Witakerus, Christophorus Pezelius, Sybrandus Lubberti aliique complures viri doctissimi scholasticam illam & pressam disputandi rationem secuti sunt, ut vestros errores eò distinctius & clarius confutarent. Itaque in hisce præceptis nihil est quod in nobis desideres. De quarto verò quid proponas audiamus.

Costerus.

AD extremum convitia, maledicta, cognomina, quibus nomen nostrorum urgere solent, surda velut aure sunt prætervehenda. Nam sicut qui malam causam coram judice tuetur, quum rationibus & æquitate deficitur, clamoribus instat: ita hæreticus, quum veris ac solidis argumentis se vincere posse desperat, contumeliis certat, ut rem à legitima disputatione ad contentionem detorqueat. Tu verò dissimulatis omnibus verborum portentis, quasi cum homine phrenetico ac furioso negotium habeas, in solam miseri hominis salutem & conversionem animum intendas. Cogita non hominem, sed spiritum erroris, sed ipsum dæmonem, per os hominis ista maledicta evomere. Quare misereat te potius ejus, verbis utere adversus eum humanis & benevolis, tacitusque subinde Deum pro anima Dæmonis laqueis & æternorum suppliciorum periculis irretita precare. Quod si apud ipsum nihil proficies, saltem auditoribus infectis scrupulum aliquem ac dubitationem injicies. Sumus enim ita comparati, ut moveamur modestia, indignemur petulantia.

Gomarus.

SUMUS revera *ita comparati*, Costere, *ut moveamur modestia, indignemur petulantia:* sed nec justam orbis Christiani indignationem, nec veritatis dignitatem, nec præsentis Dei majestatem reveritus esse videris, quum ea, quæ optimè de Christiana modestia hoc loco definis, summa immodestia nuperis tuis libellis pessimè violasti. Nec enim solum Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, Calvini, Bezæ aliorumque plurimorum fidelium & præstantium Christi servorum famam falsissimis maledictis in odium adducere studuisti, sed etiam nostrates D. Tilenum, Grevenchovium, Bogardum, aliosque viros innocentissimos atque optimos ita putidis & crassis, contra publicam populi conscientiam, mendaciis proscindere voluisti, ut facile inde appareat, te quum rationibus & causæ bonitate destituaris, de vestra doctrina desperantem ad contumeliam & mendacia prorumpere. Itaque non solùm nos consolatur Christi sententia, Matth. 5. 11. 12. *Beati eritis quum convitiati fuerint vobis, & persequuti fuerint, & dixerint quidvis mali, adversus vos, mentientes propter me:* sed magno nobis etiam gaudio est, quod vel tuo indicio ex hac maledicendi improbitate rem vestram ad triarios rediisse, & exitio proximam, videamus. Si quid verò à nobis adversus vestrorum hominum mores gravius dicatur, non illud maledicendi, sed arrogantiæ vestræ reprimendæ studio contingit: nec de paucis doctoribus, aut eorum qui ad mentem redierunt, peccatis sermo est: sed de plerisque Pontificibus, Cardinalibus, episcopis, sacerdotibus, monachis: quorum effrænem & minimè Christianam vivendi licentiam, non ex nostrorum hominum, aut aliorum, qui vobis adversantur, scriptis, aut rumoribus carpimus, sed ex consignatis veterum & recentium pontificiorum, Regum, Principum, & Theologorum fide dignorum querelis, accusamus. Adeò ut non iniquæ contumeliæ sed justæ reprehensionis nomen mereatur. Novimus enim ex Dei verbo (Exod. 20. 16. Joh. 8. 45.) edocti, non solum fidelibus sed etiam infidelibus & hæreticis fidem (contra Concilii vestri Constantiensis [Sess. 19.] decretum) omnibus modis servandam: nec pias eas putamus fraudes, quibus ad causæ veritatem demonstrandam, mendaciis adversarii onerantur. Novimus etiam ecclesiam Dei agro comparari, in quo non solùm bonum semen, sed etiam zizania succrescant; & sagenæ (ibidem, 48.) in quam non solùm boni colligantur pisces, sed etiam mali. Agnoscimus in familia, communis fidelium patris Abrahami, (Gal. 4. 29, 30.) non modo fuisse Isaacum probum, sed etiam Ismaëlem reprobum; in Isaaci domo, non tantùm Jacobum pium, sed etiam Esavum impium (Heb. 12. 16.) in Jacobi liberis, non solùm Josephi & Benjaminis probitatem, sed etiam reliquorum alioqui piorum Patriarcharum peccata, non exigua, quorum eos tandem seriò pœnituit, Gen. 40. 4/5. & 50. 17. in Davide, viro secundum cor Dei, (1. Sam. 13. 14.) non solum innocentiam penè perpetuam, sed etiam lapsus aliquos graviores, adulterium, & homicidium, 2. Sam. 12. 9. in filiis verò longè majora offendicula ex S. literis cognoscimus. Denique inter duodecim Christi Apostolos non solum Judam furem, proditorem, filium perditionis extitisse, Joh. 6. 70. & 12. 6. & 17. 12. sed etiam inter pios Apostolos Petri abnegationem & resipiscentiam legimus, Matth. 26. 75. Quemadmodum & inter diaconos septem, ab Apostolis electos, non solùm, Stephanum, Philippum & reliquos sanctos, sed etiam Nicolaum, postea sectæ Nicolaitarum auctorem fuisse, ex veterum testimonio didicimus, Actor. 6. 5. Apo. 2. 15. Quamobrem non propterea à Romana Ecclesia abhorremus, quod multi inter vos extent Episcopi, sacerdotes, monachi, sceleribus cooperti; (quemadmodum nec à Christiana ecclesia nostra deflectimus, quòd interdum contra doctrinæ nostræ sanctitatem, aut latentium hypocritarum improbitas, aut quorundam piorum Dei servorum lapsus aliqui, appareant) sed eo nomine Romanam Ecclesiam justè accusamus, quod doctrina sit impura, & pares, ex doctrinæ & gubernationis vitio, maximæ partis ecclesiasticorum, ut supra ostensum est, mores.

Caput XVI.

Atque hæc quidem de modo agendi cum hæreticis; reliquum est ut, quemadmodum credentes hæreticis tractandi sint, perquiramus.

Costerus.

De Ratione Agendi cum iis qui hæreticis credunt.

HACTENUS de iis quos propriè & verè hæreticos appellamus: superest dicamus, quemadmodum credentes hæreticis, hoc est, qui vel ad hæreticos defecerunt, vel in fide nutant, tractandi videantur: inter quos majori studio videntur illi juvandi, in quibus major conversionis spes apparet. Ad quam rem præter rationes, quibus hoc libello singuli articuli controversi confirmantur, tria ista communia puncta poterunt esse adjumento, ut primo perconteris ab eo, quicum agis, quas ob causas ab ecclesia recesserit, ac totius orbis Christiani societatem & communionem deseruerit, majoresque suos atque adeò omnes omnium rationum, omnium seculorum, omnis memoriæ homines, qui Catholicè decesserunt, sceleris ac nefariæ infidelitatis mortuos tam severè condemnaverit? Quia si rectè credit hæreticus, omnes isti perierint.

Tum deinde, qua ratione, quave auctoritate commotus hujus potius quàm illius hæretici sectam sequatur: quum non minus Calvinistæ, Anabaptistæ, Svvencfeldiani atque Lutherani, sua dogmata sacrarum literarum testimoniis, confirment; cur horum potius quam illorum vocem interpretationemque audiat? Si dicat horum, vel istorum videri sibi magis veritati & rationi consentaneam, fateri cogitur, illud suum VIDERI esse regulam fidei. Unde concludes illum hæreticum esse, hoc est, electorem, qui sibi ex multis quod credat suo ipse arbitrio & voluntate deligit.

Gomarus.

DE hisce punctis tuis, non est cur multùm laboremus. Nam ut frequens, imò perpetua quæstio est, quàm adversariis vestris occinere soletis (& adversus hæreticos valere potest) nimirum, quas ob causas ab Ecclesia recesserint, ac totius orbis societatem ac communionem deseruerint? ita facilis & expedita nostris fratribus est responsio, vos id frustra Romanæ ecclesiæ arrogare & nobis derogare, quod probare non valetis. Antiquitatem jactatis? hac parte ne latum quidem unguem Prophetarum & Apostolorum auctoritate freti cedimus. Patres obtendis? quàm parum vos juvent, imò quam acriter errores vestros refellant, & antea sæpius ostendi, & in operis hujus progressu pleniùs ac planius demonstrabo. De condemnatione verò quod mones, quibus quæso rectiùs, si ex rei veritate & animi sedati sensu, judicare velis, competet, quàm vobis: qui plurimas pias orthodoxorum sententias conciliorum vestrorum decretis damnatis, & ita sentientes anathemate feritis? Exemplis illud hoc loco probare possem quàm plurimis, nisi ex iis, quæ superioribus à nobis explicata sunt & deinceps exponentur, apertè constaret. Quod verò secundò quærendum consulis, qua ratione aut auctoritate adversarius vester commotus, hujus potius quàm illius sententiam sequatur? in promtu nostris est hujus facilioris nodi solutio, non id à se fieri, quod ea sibi magis veritati videantur consentanea, (ut falsò affingis) sed quod sacrarum literarum auctoritate eò impellantur. Quærat igitur aliquis vestrum à nostris fratribus, quamobrem Arianorum, Pontificiorum, Anabaptistarum, doctrinam aversentur? respondebunt illi, eò sese pertrahi, quòd Dei verbo & orthodoxæ antiquitati repugnantes comperiant. Sciscitetur iterum Pontificius, quamobrem, quum in plerisque religionis capitibus ipsoque fidei fundamento, cum magno illo Dei servo Martino Luthero sentiamus, in doctrina de Cœna Domini & præsentia corporis Christi ab eodem dissideamus? respondebunt nostri, quod hac parte veteris fermenti Pontificii in Luthero reliquias deploremus, easque ex Dei verbo, sacramentorum & Corporis Christi naturis, & articulis fidei, repurgare coacti simus: ac quamvis magni faciamus insignem Dei servum Lutherum, pluris tamen, ut par est, veritatem æstimemus. Quamobrem hac parte expediti, postremum tuum punctum audiamus.

Costerus.

DENIQUE urgebis illum, ut vel unicum hominum ex omni antiquitatis memoria producat, qui antequam Lutherus nasceretur, secum in omnibus senserit. Neminem proferre poterit, neminem nominare, ne ex hæreticorum quidem albo, quorum quisque diversam, quam sibi ipse finxit, religionem coluit, & persecutus fuit. Age igitur, amice, estne æquum, ut repudiata totius orbis disciplina, doctrinam vel hactenus inauditam, vel olim totius antiquitatis consensu explosam atque ejectam, complectaris, hac sola ratione motus, quia isti nescio qui obscuri homines, præclarè tibi videantur divina oracula & mysteria interpretari! Ergo tot fortissimos invictissimosque viros ac mulieres, qui sanguine suo ecclesiam rigaverunt; tot ingeniosissimos homines, qui in divinarum literarum studio & interpretatione totas ætates contriverunt; tot integerrimos spectatissimosque Christi confessores, qui fidei suæ veritatem, vitæque sanctimoniam innumeris miraculis testatam reliquerunt, impios, infideles, idololatras fuisse confirmabis? Ergo omnes illos in sceleratorum sedem atque regionem præcipites ages, ac sempiternis suppliciis vivos mortuosque mactabis? Et hoc solum propterea, quia tute tibi videris melius sapere & rectius intelligere Scripturas? Quasi verò Christus Opt. Max. ecclesiam illam, quam acerbissima sibi morte in cruce despondit, in tam cæca caligine tetrisque erroribus totos 1500. annos jacere ac consenescere passus fuerit, donec post tot secula, tui ingenii lumine mundus illustraretur.

Hæc atque alia id genus cum quadam pia commiserantis animi significatione modestè proposita, magnum habent momentum & pondus ad animum hominis seducti, non prorsus obstinati, commovendum: præsertim, si magnitudo periculi, æternitas, inquam, suppliciorum, vehementer etiam atque etiam inculcetur; quæ sine ulla dubitatione omnibus iis subeunda est, qui, extra Ecclesiam & sine fide catholica & orthodoxa, à vita discedunt, juxta illud Isaiæ 60. 12. *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

His namque cogitationibus jactatus hæreticus, si non omnino errorem deponet, nutabit tamen fortasse, & rei gravitatem imminensque periculum serio cum animo suo considerabit, cogitans fieri posse, ut non minus ipse, cum pauculis suis symmistis, in errorem sit inductus, quàm orbis terrarum universus.

Gomarus.

QUUM tertium hoc præceptum jam antea sæpius, & præsertim capite septimo, à nobis refutatum sit, ne importunè eadem repetantur, ad illa loca diligentem lectorem remittimus. Et ut insolentem hanc gloriationem Costerus deponat, meminerint orthodoxi, ex justa talionis lege, ab eo postulare, ut vel unum primis, post Apostolorum tempora, sexcentis, imò mille annis, qui idem in omnibus cum hodierna Costeri & Pontificiorum doctrina senserit, demonstret. Age Costere, qui tam crebro & inpotenter te hac provocatione jactas, nomina vel unum Patrem orthodoxum, vel unicum hominem, & consentientem in omnibus proba: aut, quia id amplius longè est, quàm, ut sperari unquam possit, ostende saltem in iis omnibus, quæ pauca ex copioso errorum vestrorum cumulo, à nobis capite præcedenti selecta sunt, consensum: aut potius (quum id præstare nullo modo possis) cede quæso veritati, da gloriam Deo, excede ocyus ex Babylone[a], ne peccatorum contagione, ruina illius obruaris. Quod veritatis studium, ut tibi aliisque Jesuitis & Pontificiis, adversus stimulum calcitrantibus, donetur, Deum ex animo rogamus.

[a] Apoc. 18. 4.

ANTI-

ANTI-COSTERI
LIBER SECUNDUS,
DE
SACRA SCRIPTURA.
Cujus Libri
ARGUMENTA CAPITUM
HÆC SUNT.

Cap. I. *Tria scripturæ genera à Costero falsò constitui.*
Pontificum decreta in veteri testamento non fuisse tertium sacræ scripturæ genus, nec paris cum sacra scriptura auctoritatis.
In novo testamento consensum ecclesiæ non esse sacræ scripturæ genus.

Cap. II. *Consensus ecclesiæ præstantiam multis partibus superare scripturas, impiè omnino à Costero asseri.*
De dignitate sacræ scripturæ: & quibus modis & gradibus infideles ad earum notitiam & fidem adduci possint.
Quo consilio novum testamentum conscriptum: & quibus modis adversus corruptelas conservatum sit.
Veram omnium dissidiorum de religione Christiana dirimendorum regulam esse, non ecclesiæ judicium, sed sacram scripturam.

Cap. III. *Decreta conciliorum generalium perperam à Costero tertium sacræ scripturæ genus constitui.*

Cap. IV. *Decreta generalium conciliorum, si veritatem, si obsignationem Spiritus Sancti, si præsentiam Christi spectes, idem habere pondus quod Sancta Dei Euangelia, impiè à Costero affirmari.*

Cap. V. *De perfectione sacræ scripturæ. Omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria sacris literis esse descripta.*
Variæ demonstrationes quibus divina sacrarum literarum dignitas & certitudo adversus Pontificios & Libertinos asseritur.
Defensio rationum quibus ecclesia Christiana sacrarum literarum perfectionem adversus Pontificios tuetur.

Cap. VI. *De claritate sacræ scripturæ. Omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata perspicuè in Sacris literis reperiri, adeò ut ad veritatem salutarem certò cognoscendam ipsæ sibi sufficiant.*

Cap. VII. *Vulgus Christianorum posse, imò debere non minus legere Sacras literas, quàm doctos: & Pontificiam ecclesiam ei rei, ad Dei ignominiam & Ecclesiæ Christianæ detrimentum, repugnare.*

Cap. VIII. *Defensio rationum, quibus Christiana ecclesia id demonstrat, & exceptionum Costeri confutatio.*

Cap. IX. *De sacrorum & Canonicorum librorum numero. Christianam ecclesiam piè Canonicos ab Apocryphis & humanis scriptis secernere: contrà Costerum dum eos eadem auctoritate & loco comprehendit, è diametro adversus Scripturæ veritatem, Patrum antiquorum consensum, & præcipuos Pontificios doctores pugnare.*

FRANCISCUS GOMARUS CONTRA COSTERUM, DE SACRA SCRIPTURA.

CAPUT I.

QUOD, *præfatione tua tandem absoluta, Costere, disputationem de sacris literis, tanquam reliquarum fundamentum, præmittis, ordinem institutum probo: sed, in opere universo, quæ maximè commendat Deus, charitatem desidero & veritatem,* Zachar. 8. 19. *Nam, ut varia convitiorum, quæ passim intertexis, emblemata silentio involvam, genuinum quæstionis statum pervertis sæpius, & argumenta nostra, in rebus gravissimis, aut præteris omninò, aut mala recenses fide. Quod sanè summum diffidentiæ & malæ causæ argumentum. Verùm ne hæc gravandi potius adversarium, quàm veritatis asserendæ, studio, dixisse videar; age, ex re ipsa fiat judicium. Primùm enim, antequam ad controversiam de S. Scriptura disceptandam accedis, vestram de tribus S. Scripturæ modis & auctoritate, sententiam, in prima quasi acie, præmunitionis gratia, collocas; sed quæ contra ab orthodoxis copiosè solidéque disputantur, ea ne verbo quidem attingis. Quasi verò non hæc prima sit & summa controversia, ex qua reliquæ omnes dependent. Quamobrem, quæ timidè ad causam vestram in medium proponis, ea pressius examinemus, ut illustretur ac vincat veritas.*

COSTERUS.

Triplex scribendi modus.

SACRA scriptura est quæ Deum habet auctorem: sicut scriptura regis, quæ à rege proficiscitur. Constat autem tribus modis à rege quippiam conscribi: aut enim manu sua scribit: aut alteri scribenti dictat, ipse verò subscribit, sigilloque munit: aut denique nec ipse scribit, nec dictat, sed alteri utrumque committit, ipse deinde manu sua sigilloque apposito, quod scriptum est confirmat. In his tribus scribendi modis, hoc differt primus à reliquis, quòd & mentem habeat regis & stylum & characteres: secundus, non quidem characteres, sed mentem & stylum: tertius, præter solam mentem & veritatem, nihil. Unde quod ad veritatem attinet, tametsi parem ubique in judicio fidem faciant, primus tamen est merito cæteris anteferendus, ob characteres regia manu exaratos, & stylum modumque loquendi, non alterius, sed regis. Secundus, ut sit primo inferior, quòd alterius habeat manum, est tamen postremo præstantior, ob dictionem phrasimque regis. His tribus scribendi modis in veteri Judæorum populo, Deum usum fuisse, haud difficulter erit intelligere, si vetus instrumentum consulamus: Nam ad primum modum pertinent duæ tabulæ legis, in quibus decem præcepta Decalogi digito Dei exarata fuerunt. Ad secundum referenda est tota vetus scriptura legis & prophetarum, quam tametsi non scripserit manu sua Deus ipse, Prophetis tamen dictavit, quos Spiritu Sancto suo afflavit, *Siquidem Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, ait beatus Apostolus Petrus 2. Epist. 1. 21. & David Propheta, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Psal. 44. 2. Ad tertium modum referri possunt Pontificum decreta, quæ ex Cathedra Moysis illi statuebant: quæ hac communi Dei sententia, quasi sigillo, roborabantur; *Qui noluerit sacerdotis imperio obedire, ex decreto judicis moriatur*, Deut. 17. 12. & Christi voce, *super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate & facite*, Matt. 23. 2.

GOMARUS.

SPECIOSUM profectò hujus controversiæ exordium! quod si omninò verum esset, Pontificiorum sententiam magnopere stabiliret: sed quum in multis à veritate dissideat, non exiguum nobis, ad eandem labefactandam, subministrat argumentum. Nam quòd Deum, tribus illis scribendi modis in veteri testamento, usum fuisse, affirmas; de duobus prioribus minimè contendimus, sed tertius, quem affingis, nullis idoneis rationibus demonstrari potest. Ais quidem Pontificum decreta, quæ ex Cathedra Mosis illi statuebant eò referri posse: sed quomodo probas? an quòd Dei sententia, quasi sigillo roborabantur? Atqui ad tertium scripturæ modum, ut ex tua descriptione constat, non solùm confirmatio divina, sed etiam ac primum quidem scriptio humana necessaria est: quæ in hisce decretis non apparet. Deinde si ratio tua quidquam valeret, tum justa magistratus politici statuta, quum Christi firmentur auctoritate, (Rom. 13. 1, 2. Matth. 22. 21.) essent S. Scriptura non minus quam Pontificum decreta. Denique quæ ex Dei verbo producis testimonia, sententiam tuam non demonstrant. Prius enim ex Deuteronomio petitum est errore duplici: quandoquidem & verba, & mentem loci, corrumpis. Nam disertè ait Deus, [a] *sacerdoti aut judici:* quemadmodum non solum evincit Hebræa veritas (ad cujus normam Latinorum veteris testamenti codicum fides, ut rectè ex Augustino decretum Pontificium, Dist. 9. §. *Et veterum*, definit, examinanda est) sed etiam Græca versio, & orthodoxorum patrum Theodoreti ad eum locum, & Cypriani epist. lib. 4. ep. 10. ad Florentium consensus, demonstrant. Quis igitur non videat pseudographema vestrum, quod ex vitioso vulgati interpretis codice proponis, *Ex decreto judicis?* Vetustiores sanè libri minus depravatè habent cum Lyrano, *Et decreto* (pro *Aut decreto*) quod tandem imperitia quadam aut studio, cùm *ex decreto* permutatum est, & à vobis ad errorem vestrum firmandum retinetur. Ex qua re liquet, quantum fidei concilium vestrum Tridentinum (Sess. 4.) mereatur, quod vulgatam versionem, in omnibus sequendam, mandat. Verùm, ut à verbis divinis, ad sensum eorum procedamus, si decretum judicis Israëlitici non est S. Scripturæ modus; sequitur etiam, nec pontificis decretum: quia eadem penitus firmatur auctoritate & sententia. Præterea non omnia (ut vulgò perperam statuitis) sed quædam tantùm pontificum decreta, hoc præcepto, sanciuntur; ea nimirum quæ ex S. literis hausta, non autem quæ iis assuta. Quandoquidem legis divinæ terminis concluduntur. Nam Moses Deut. 17. 10. ait, *Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Deus, & docuerint te juxta legem ejus.* Idque ex Glossa vestra ordinaria & Lyrano observare potuisses. *Nota*, ait Glossa, *non dicitur tibi ut obedias; nisi juxta legem docuerint. Unde, super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi.* Idque amplius confirmatur primùm ex Dei ad Aaronem summum sacerdotum, & filios illius præcepto; *Doceatis filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos, per manum Mosis*, Levit. 10. v. 11. Deinde ex sanctione legis ad populum universum; *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri*, Deut. 4. 2. Et postea, cap. 5. v. 32. *Custodite igitur & facite quæ præcepit*

[a] Pagninus & Arias Montanus.

Domi-

Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram. Huc accedit Bellarmini Jesuitæ de verbo Dei lib. 1. cap. 2. confessio, qua ait; *Moses igitur, Deut.* 17. *Si difficile, inquit, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c.* Et infra: *Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Deus, & docuerint te juxta legem ejus: ubi satis apertè S. Moses controversias exortas in populo Dei, ex lege Domini dijudicandas, docet. Ad eundem modum & Esaias clamat c.* 8. *Ad legem magis & testimonium: Et Malac. c.* 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est. David quoque in Psal.* 118. *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Denique quum summi sacerdotes à veritate ad mendacium, & à vero Deo ad idololatriam interdum defecerint, 2. Reg. 16. 11. 16. 2. Par. 36. 14. non omnia eorum decreta à Deo confirmantur: multò minus tertium S. scripturæ modum & fidei normam constituunt. Quare ex hisce perspicuum est, quàm indignè, & verba & sententiam hujus testimonii pervertas, dum errorem vestrum firmare studes. Malum omen lapsus in limine! Similis est alterius, quem ex Matthæo adducis, testimonii ratio. Etenim Christus quidem ait, *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite:* sed nihil ad rem: quoniam non de ullis Pontificum decretis, sed de singulorum Scribarum ac Pharisæorum doctrina loquitur. Deinde, nec alium, à divinis Prophetarum literis, Scripturæ modum definit: nec absolutam erga Scribas obedientiam præscribit; sed, ut rectè exponit Theophylactus, Comm. in Matth. 23. *Dominus dicit de his qui in Cathedra Mosis sedent: hoc est, his qui ea quæ in lege habentur, docent.* Nam alibi mentem suam plenius exponit, quum ait, Matth. 16. 11, 12. *Cavete à fermento* (hoc est doctrina) *Pharisæorum.* Item, c. 15. 9, 13, 14. *Frustra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Omnis planta, quam non plantaverit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite eos: cæci sunt, & duces cæcorum.* Quibus sententiis, pontificum decreta, & scriptas Pharisæorum traditiones (quas deuteroses vocabant) maximè condemnat. Idem piè testatur Johannes Ferus concionatorum Pontificiorum facilè primus (Comment. in Matth. 23.) *Omnia,* inquit, *quæ dicunt vobis, servate & facite: sed præmisit; Super cathedram Mosis sedent. Neque enim voluit Christus, ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent; sed quatenus legi consonarent. Unde & supra, quum docuisset eos legi contraria in aliquibus docere, post aliqua interposita, subintulit; Cavete à fermento Pharisæorum.* Itaque hinc apertè constat, quàm falsò in veteri testamento tertium S. Scripturæ modum statuas ac definias. An verò, primum in novo quoque testamento extare, melioribus argumentis confirmes, attendamus.

COSTERUS.

PALAM est, in lege Euangelica scripturam Novi Testamenti, ad primum scribendi modum, pertinere non posse: ad secundum posse; quòd illam dictaverit S. Sanctus, non autem scripserit suis, sed amanuensium manibus: Apostolorum inquam & Euangelistarum. Cùm autem gloria domus secundæ, hoc est, Ecclesiæ, non sit minor gloria domus primæ, Agg. 2. 10. nimirum synagogæ, debebit ecclesia hac in re non esse synagoga inferior: habebitque manum sui sponsi & genuinam scripturam. Et Joh. 8. scripsit digitis suis Christus; sed in terra: & non nobis; sed Judæis. Eusebius Lib. 1. Hist. Eccles. c. 13. refert Christum dedisse literas ad Abagarum Regem: sed neque illæ propria Christi manu extant, neque unquam ab Ecclesia pro ejusmodi acceptæ sunt. Quærenda est igitur alia scriptura, quam manu sua Christus exaravit. Eam nobis D. Paulus, ex Propheta Jeremia, ita manifestat; *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas,* Heb. 8. 10. & 10. 16. Jerem. 31. 33. Christus enim nec ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit (quod Moyses olim magna ex parte fecerat carnali populo) sed quum spiritualem constitueret Ecclesiam, suo S. Sancto informatam, usus est sublimiore charactere, scribens digito Dei, in corde Ecclesiæ. *Epistola estis Christi,* (ait Apostolus 2. Cor. 3. v. 3.) *ministrata à nobis, & scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quam eandem scripturam Christus his verbis promisit; *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis,* Joh. 14. 16. & 26. Est autem scriptura hæc Ecclesiæ catholicæ consensus & concors Christianorum omnium, qui sunt per orbem terrarum, doctrina non horum modò, sed & eorum, qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos usque, fidem propagaverunt: *quæ* scriptura (ut ait Apostolus 2. Cor. 3. 2.) *legitur ab omnibus hominibus.* Estque illa *unctio, quæ docet nos de omnibus, quam qui percepit, non necesse habet ab alio doceri,* sicut Johannes Epist. 2. 27. loquitur, quum sit θεοδίδακτος, Joh. 6. 45.

GOMARUS.

UT similis tibi es, Costere! nam quemadmodum frustra laborasti, ut tertium S. Scripturæ modum, in veteri testamento extitisse ostenderes; sic temerè desudas, ut primum ratione & auctoritate divina, in Novo Testamento haberi, demonstres. Ais quidem; *quum gloria domus secundæ, hoc est Ecclesiæ, non sit minor gloria domus primæ, nimirum Synagogæ, debebit Ecclesia hac in re non esse synagoga inferior: habebitque manum sui sponsi, & genuinam scripturam:* verùm, inquam, id minimè consequitur, quia falsa gloriæ definitione niteris. Quippe Christianæ Ecclesiæ gloria, ut in Novo Testamento ab Apostolo, (Heb. 1. 1. & 10. 1. & 11. 40. & 12. 22.) sic in veteri à Propheta, non scripturæ modo, sed Christi exhibitione, gentium omnium ad regnum Christi vocatione & spiritualium donorum copia, delineatur. Nec secus evinces iis testimoniis, quibus maximè confidis. Nam primùm eorum quatuor, Jerem. 34. 33. 2. Cor. 3. 3. 1. Joh. 2. 27. Joh. 6. 45. omnino aliena sunt: quandoquidem scripturæ vox, in quæstione nostra propriè de scriptura externa intelligitur, ut ex initio exordii & similitudinis abs te propositæ apparet: contra vero in argumento tuo & hisce locis, non propriè, sed metaphoricè & tantum similitudine quadam, usurpatur. Præterea singularum ecclesiarum & Christianorum notitia & fides per charitatem efficax, Sacra scriptura dici non potest: quia nec propriè scriptura omninò est, nec etiam (quum depravari possit) fidei norma: ut omnibus constat. Atqui lex inscripta cordibus, epistola Christi & unctio hæc, sunt singularum ecclesiarum & Christianorum notitia & fides per charitatem efficax, ut liquet ex locorum circumstantiis, & orthodoxo patrum consensu declaratur: Hieronymi in Esa. 54. 13. & in Jerem. 31. 31. Augustini de Spiritu & litera cap. 17. imò ex pontificiorum assensu, Thomæ Aquinatis in Heb. 8. 10. Bellarmini de S. Scriptura lib. 3. cap. 10. & Costeri in solutione ad quartam objectionem pag. 64. Quare nihil hæc loca ad rem propositam conducunt. Deinde si de Sacra scriptura agerent, tum sanè non tres tantùm, ut initio definis, sed quinque effingendi essent Sacræ scripturæ modi; tres unius generis, & externæ scripturæ: duo alterius & internæ, nempe extraordinarius & immediatus, ut in Prophetis, Apostolis, Euangelistis; & ordinarius ac mediatus, ut in reliquis fidelibus. Qua etiam ex re superior nostra ad rationem tuam responsio stabilitur. Quod enim in novo testamento omninò deest, illud ad gloriam illius non est necessarium: primus, quem statuis, scripturæ modus, abest penitus à Novo Testamento: qua igitur ratione ad illius gloriam pertinere affirmas? Si exceperis, simile quid extare & præstantius ac *sublimiori* (ut loqueris) *charactere*; nihil efficies. Simile hoc non est idem, nec ejusdem generis. Præterea veteris testamenti ecclesia interna, illa (quam vocas) scriptura, minimè caruit, quum & prophetiæ & fidei dono excelluerint plurimi: nos verò externa illa digitis Dei exarata destituimur omninò. Itaque non omnes veteris testamenti scripturæ modi, ut malè statuis, ad novi Testamenti gloriam requiruntur. Cæterum superioribus quatuor, quibus abusus es testimoniis illustrandis, reliqua etiam duo conjungis, quorum prius extat Joh. 14. 16. de quo postea in quæstione de præstantia S. scripturæ nobis erit pleniùs disserendum, ac propterea in eum

eum locum differemus. Alterum verò petitum est ex 2.Cor. 3.2. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris: quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus:* qua sententia nihil alienius adferri potuit. Docet enim Apostolus Corinthios sibi esse instar duplicis epistolæ commendatitiæ. Nam Corinthiorum animis, inscripta Pauli ministerio fides, erat Epistola Christi, qua Paulum Corinthiis commendabat, 2.Corinth. 3.3. ejusque fidei jucunda in Pauli & sociorum corde & ore memoria, fuit instar epistolæ apud alios, 2.Cor.3.2. & signaculum Apostolatus Pauli, 1.Cor.9.2. Quæ epistola legi dicitur ab omnibus: quia ex Pauli & aliorum relatu, Corinthiorum fides passim innotuit. Quam interpretationem non modò Paulinæ orationis circumstantiæ docent: sed etiam orthodoxi patres, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius confirmant. Itaque quum fidei Corinthiorum memoria non sit Sacra Scriptura: epistola autem hæc, quæ legi dicitur ab omnibus hominibus, sit fidei Corinthiorum memoria, quis non videat ineptè ad Sacram Scripturam accommodari? Ac propterea, quum nihil, ex allatis Scripturæ testimoniis, habeas præsidii; temerè profectò & profanè alium, ab Apostolorum & Euangelistarum libris, Sacræ Scripturæ modum & fidei normam, in Novo testamento confinxisti. Priusquam verò ad alteram, quæ sequitur, quæstionem discutiendam, accedo, expendenda est nonnihil hujus, quam comminisceris, Scripturæ definitio. *Est autem,* inquis, *scriptura hæc Ecclesiæ catholicæ consensus & Christianorum omnium doctrina.* Verùm quum Ecclesia catholica per vastum terrarum orbem, sit diffusa, consensum illius conciliorum definitis sententia: sed, quia hæc rariora sunt, nec omnes ab iis controversiæ deciduntur, majori compendio ad Pontificis Romani judicium astringitis. Quemadmodum id pluribus in controversia de Pontifice contendis. Eos enim solùm agnoscitis pro veris Christianis & Ecclesiæ catholicæ membris, qui Ecclesiæ Romanæ, quasi matri; & Pontifici, quasi capiti & certissimæ orthodoxi consensus normæ, in omnibus obtemperant. Atque hinc splendida illa Romanæ Ecclesiæ [a] encomia, *Sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: Mater fidei; Caput & cardo, cujus auctoritate omnes reliquæ ecclesiæ regantur, Fundamentum & forma ecclesiarum à qua omnes ecclesiæ principium sumserunt.* Qua de re memorabilis arrogantiæ est Calixti Papæ decretum (Dist. 12.) *Non decet,* inquit, *à capite membra discedere, juxta Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris sui: sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est ecclesia.* Huc etiam pertinent Pontificiæ dignitatis elogia [a], *Voluntariam canonum Papalium violationem esse sacrilegium, imò blasphemiam in Spiritum Sanctum, cujus nutu & gratia canones editi sunt.* Item [b], *Plantata ubique ecclesiæ sufficere unum, qui Christi vice doctor ecclesiæ, catholicam fidem tueretur, hæreses damnaret, & in se conversos haberet cæteros: à quo, tanquam Dei vicario, Christi sententiam & veritatem omnes expeterent.* Tua verba, opinor, agnoscis, Costere, quibus, in controversia de Pontifice Romano consensus orthodoxi & fidei vestræ normam describis. Atque eo tandem Doctores vestri longis ambagibus oberrantes dilabuntur. Hinc igitur liquet illam à vobis catholicam omnium Christianorum doctrinam & orthodoxum consensum definiri: qui Pontificis Romani judicio conformatur. Reliquos enim omnes, etiam Concilia totius orbis universalia errare posse (quamvis etiam legato Pontificis præsente ac probante) asseritis [c], donec confirmatio Romani Pontificis (qui solus ab erroris periculo, vestra opinione immunis est) accedat. Itaque, quod communem omnium Christianorum consensum & conciliorum auctoritatem tantoperè jactatis, inanis larva est, ad rudiores fallendos prætensa: quum sola & universa quæstio, in Pontificis auctoritate definienda, consistat. De qua re, quum ad eam controversiam fuerit deventum, pluribus ex sacris literis, & orthodoxo patrum & prudentiorum Pontificiorum consensu, disseremus.

a Decret. 6. lib. 1. Tit. 1. & c. Dist. 22. §. Omnes. Ibidem §. sacrosanct. Vigilius Papa concil. Tom. 2.

a Causa 17. quæst. 4. cap. Si quis. b Causa 25. quæst. 1. cap. violatores. c Bellarm. de concil. lib. 2. cap. 11.

Caput II.

Quamobrem strata jam sequentibus via, ab hujus scripturæ, quam nobis commentus es definitione, ad auctoritatem illius transeamus. Cæterum, ne quis errori sit locus, non de eo disputatur, an singularis & divina Apostolorum scientia, eorundem literis antecellat: sed an communis ecclesiæ consensus & Romani Pontificis sensus illis præstent, nec ne? Nos, tributâ Deo sua gloriâ, id meritò negamus: contrarium verò confidenter asserit.

Costerus.

Differentia inter scripturas internas & externas.

Hujus scripturæ præstantia multis partibus superat scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt. Primò, quòd illa sit exarata digito Dei; hæc calamis Apostolorum. Secundò quòd illa sit antiquior, nempe cum Ecclesia data: hæ posteriores, quia constat totis duodecim annis, sine scriptis Apostolicis, Ecclesiam fuisse. Tertiò quòd hæ prioris illius indiguerint confirmatione; quia *Euangelio non crederem* (ait B. Augustinus c.4. contra Epist. fundamenti) *nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret.*

Gomarus.

Inauditam priscis temporibus, in ecclesia Dei, consensus ecclesiæ auctoritatem definis: quum non solum scripturam appellas, verùm etiam divinis Apostolorum literis, insigni blasphemia, præfers. Sed quibus, obsecro, argumentis? Sanè si numero certandum esset, causam vestram, aliquo modo comprobasses: sed, quum pondere & rei veritate demonstratio constet, nihil illis quinque quas adducis rationibus apud pium & attentum lectorem, poteris obtinere. Nam quòd primum ais, Sacram scripturam calamis Apostolorum conscriptam, quis neget? sed, quod adjungis, consensum ecclesiæ exaratum esse digito Dei, illud absolutè probari non potest. Nam quum Ecclesia, lunæ instar, sua habeat incrementa, consensus illius in multis, non semper à Deo, sed interdum ab humana cæcitate promanat: quemadmodum in proxima de Ecclesia controversia pluribus ostendemus. Deinde verò quod Ecclesiæ consensum Sacris literis antiquiorem facis, quòd multos annos, sine scriptis Apostolicis, fuerit Ecclesia, id parum ad illis præstantiam conducit. Nam alioqui lex Mosis Euangelio; Vetus testamentum Novo; conciones Johannis Baptistæ, Christi verbis, propter antiquitatem, antecellerent. Imò vero ut hoc argumentum in te retorqueatur, si, quo quid antiquius, eo esset præstantius, tum sanè prophetia illa Jeremiæ calamo c.31.31. exarata, de inscriptione legis in cordibus electorum, eandem inscriptionem, hoc est, (ut ipse interpretaris) ecclesiæ Novi testamenti consensum dignitate superaret. Quamobrem vides, Costere, quàm perperam concludas. Nec consequentia solùm inconstans, sed ipsa quoque ratio infirma est. Quandoquidem scripturæ vox Dei verbum divino afflatu conscriptum notat: unde à materia & forma interna, verbum Dei; à forma verò externa, scriptura appellatur. Itaque si scriptionem spectes, ecclesia prima, tempore antecessit: sin doctrinam, quæ ea continetur, ac potissima scripturæ pars est, consideres, scriptura Ecclesiam antiquitate superat. Quum enim fundamentum antiquius sit ædificio, ut communis sensus demonstrat & scriptura seu doctrina Apostolorum & Prophetarum sit ecclesiæ, tanquam domus Dei fundamentum, (Eph. 2. 10.) quis summam illius antiquitatem non agnoscat? Etenim quum de Sacra Scriptura loquimur, non de externis literis, sed de interna earum significatione & doctrina salutari, quæ illis, tanquam fideli thesauro, continetur ac definitur, disputamus: eamque tanquam Dei verbum, ecclesiæ consensu meritò præstantiorem esse demonstramus. Nam quòd contrà inferiorem esse statuis, quasi Scriptura sacra consensus ecclesiæ confirma-

firmatione indiguerit, illud obscurè dicitur, & malè omninò concluditur. Quum enim quædam ad rei confirmationem absolutè & per se, quædam per accidens & propter aliud requirantur, non eadem utrinque est ratio. Quoniam, si id, cujus confirmatione, per accidens & propter infirmitatem humanam alterum indiget, ea re esset dignius, tum Johannes Baptista, Joh. 1. 7, 37. Apostoli, Act. 1. 8. & Samaritana mulier, Joh. 4. 38, 42. & 5. 34. & 6. 69. (quorum confirmatione Christus non suo, sed aliorum vitio opus habuit) Christum dignitate superarent. Pari etiam ratione miracula Christi, eidem antecellerent. Dicit enim; *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis*, Joh. 4. 48. Quare quamvis, propter hominum imbecillitatem, ecclesiæ judicium ad sacrarum literarum certitudinem apud imperitos, confirmandam, requiratur; non propterea tamen Ecclesia scripturam dignitate antecedit. Nam quum Sacræ Literæ sint verbum ab ipsomet Deo dictatum, alterius confirmatione per se non indigent; sed suo robore in æternum consistunt; quia auctor earum est Deus omnium Dominus, & mentiri nescius. Qua de re Bellarminus Jesuitarum coryphæus (l. 2. de concil. cap. 12.) ait: *quod si interdum catholici aliqui dicunt, scripturam pendere ab Ecclesia sive à concilio; non intelligunt quoad auctoritatem, & secundum se, sed quoad explicationem & quoad nos, &c. Itaque concilia quum definiunt qui sint libri canonici & divini, non faciunt eos infallibilis veritatis; sed declarant solùm esse tales.* Hinc igitur concludo, interpres & testis solùm literarum sui regis, iis non est præstantior, sed inferior: ecclesiæ consensus est interpres & testis solùm Sacrarum literarum, quæ summi omnium regis & Dei viventis literæ, (ut scitè patres orthodoxi [a] observarunt) ac propterea sine gravissimo scelere consensui ecclesiæ postponi non possunt. Unde perspicuè apparet celebre illud Augustini dictum; *Ego Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoveret auctoritas*, sententiam vestram minimè stabilire. Verùm quandoquidem eo, quasi palmario, potissimum adversus orthodoxam de scripturæ auctoritate doctrinam, insultatis; age, corollarii loco distinctè examinemus, & iis, quæ à nostris theologis copiosè & eruditè explicata sunt, nostram etiam tuendæ veritati symbolam conferamus. Ac primùm quidem, ut una hirundo non facit ver, sic nec Augustini exemplum regulam generalem. Nam variis modis homines converti & ad fidem Euangelii commoveri certum est [b]. Quoniam singulæ ecclesiæ, quæ autographa Apostolorum sibi missa servabant, non catholicæ ecclesiæ auctoritate movebantur, sed ipsis Apostolorum literis. Reliqua verò Catholica ecclesia, re comperta, illarum fidem sequebatur. Multi præterea non catholico consensu; sed vel miraculorum splendore, vel visa martyrum constantia (ut Justinus Martyr) vel [c] certorum Christianorum probitate, ad Christum & Euangelii fidem adducti sunt, 1. Pet. 3. 1. Deinde verò, esto exemplum Augustini instar omnium, nihil inde, adversus sententiam nostram, concludi potest. Nam Ecclesiæ auctoritas ei fuit ad fidem Euangelii, causa procreans & conservans, non sola nec principalis, sed adjuvans & ministra tantùm. Nam tria illa quæ plerumque ad aliorum conversionem, etiam ad Augustini fidem generandam & fovendam concurrerunt, nempe testimonium ecclesiæ, & auctoritas Dei duplex, externa & interna. Quarum prior auctoritas, extra fideles, in ipsis sacris literis consistit: in quibus admiranda doctrinæ majestas & veritas summa, in partium consensu & prophetiarum cùm eventu convenientia, elucet: quæ auctoritates ecclesiæ fundamenta. Altera verò & interna Dei auctoritas, est in ipsis electis, flexio voluntatis & mentis illustratio per Spiritum Sanctum. Priora duo, nomine Dei, fidem jubent, ac suadent; sed postremum solùm persuadet. Quæ satis superque ex ipsomet Augustino demonstrari possunt: præsertim ex confessionum libris: quibus anteactæ suæ vitæ historiam, quàm accuratissimè describit Tom. 6. de utilitate credendi cap. 3. Docet enim Manichæos scripta Veteris Testamenti & Acta Apostolorum rejecisse omninò: Euangelia verò quatuor, & Pauli epistolas, non Scripturam sacram, sed merè sacram negasse, quòd interpolatam & corruptam dicerent ab iis qui legem Euangelio miscere studuerant. In qua hæresi fuerat Augustinus: unde, certis quibusdam gradibus, ad fidem orthodoxam reductus est. Ac primum quidem moveri cœpit Carthagine, Elpidii viri pii & eruditi cum Manichæis disputatione: quòd argumenta ecclesiæ Orthodoxæ, ex Sacris Literis petita firmiora esse observaret, quàm ut à Manichæis possent infirmari. Deinde contra quum nodos Manichæorum commodè ex S. Scriptura posse dissolvi, crebra Ambrosii auditione didicisset, fermè commotus est. Postea verò magnum ad fidem momentum addidit auctoritas ea, quam Deus Sacræ Scripturæ apud omnes populos conciliarat. Denique Colophonis instar accessit persuasio Dei, seu donata fides: quam subsecutum est plenioris intelligentiæ donum. Quæ singula subjectis Augustini testimoniis confirmantur. Ac de primo quidem gradu sic ait, Confess. l. 5. c. 11. *Iam enim Elpidii cujusdam adversus eosdem Manichæos coram loquentis & disserentis sermones, etiam apud Carthaginem, movere me cæperant; quum talia de scripturis proferret, quibus resisti facilè non posset, & imbecilla mihi responsio videbatur istorum. Quam quidem non facilè palam promebant, sed nobis secretius, quum dicerent, scripturas novi testamenti falsatas fuisse à nescio quibus, qui Iudæorum legem inserere Christianæ fidei voluerunt: atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent.* De secundo verò gradu ait Confess. lib. 5. cap. 14. *Et dum cor aperirem, ad recipiendum, quàm disertè diceret* (Ambrosius) *pariter intrabat, & quam verè diceret, gradatim quidem. Nam primò etiam, ipsa defendi posse, mihi jam cœperant videri, & fidem catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes Manichæos putaveram, jam non impudenter asseri existimabam: maximè audito uno atque altero, & sæpius ænigmate soluto, de scripturis veteribus: ubi, quum ad literam acciperem, occidebar spiritaliter. Itaque plerisque illorum librorum expositis locis, jam reprehendebam desperationem meam, illam duntaxat, qua credideram, legem & Prophetas detestantibus atque irridentibus, resisti non posse: nec tamen ideo mihi catholicam viam tenendam esse sentiebam, &c. Statui ergo, tam diu esse catechumenus in catholica ecclesia à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo cursum dirigerem.* Et alibi (de utilitate credendi c. 8.) *Atque id sedulo faciebam* (precabar) *& jam ferè me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi: ut non sine spe aliqua, de ipso Veteri Testamento, multa quærere cuperem: quæ, ut scis, malè nobis commendata execrabamur. Decreveramque tam diu esse catechumenus in ecclesia, cui traditus à parentibus eram, donec, aut invenirem, quod vellem, aut mihi persuaderem, non esse quærendum.* Sic alibi (Confess. l. 6. c. 3.) *Et eum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem* [a] *omni die Dominico audiebam, & magis magisque mihi confirmabatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi.* De tertio verò gradu, hæc ait Confess. l. 6. c. 4. & 5. *Sed sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere, ita erat valetudo animæ meæ: quæ utique, nisi credendo, sanari non poterat; & ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis auctoritatem tribuisti. Ex hoc quoque jam præponens doctrinam catholicam.* De quarto verò gradu hæc subjicit; *Deinde paulatim tu Domine manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti, quàm innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque quum gererentur, adfuissem (sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non viderem: neque quum gererentur adfuissem, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur, omninò, in hac vita nihil ageremus: postremò quàm inconcussè fixum fide retinerem, quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem) persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent, unde scis illos libros unius*

a Augustin. epist. 3. ad Julian. Macarius hom. 39. Gregor. Magnus epist. l. 4. ep. 84. b Tertullianus de Præscript. August. de doctrin. Christiana l. 2. c. 8. & contra Faustum Manichæum l. 11. c. 2. c Euseb. hist. eccles. l. 4. c. 8.

a Plura vide cap. 4.

nius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Id ipsum enim maxime credendum erat. Denique contra epist. fundamenti cap.14. de intelligentia hæc ait; *Eos sequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri: ut ipsa fide valentiores facti: quod credimus, intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram firmante atque illuminante.* De tota verò conversionis suæ ratione hæc paucis refert, Confess. l. 6. c. 6. *Ideoque quum essemus infirmi, ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate Sanctarum literarum, jam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, quum multa ex iis probabiliter exposita audissem ad sacramentorum, altitudinem referebam: eoque mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas; quo & omnibus ad legendum esset in promptu & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, &c.* Hactenus celeberrimum Augustini dictum à perversione Pontificia vindicavimus: quamobrem ad reliquas tuas rationes procedamus.

COSTERUS.

QUARTO, quod istæ sint litera mortua scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: illa verò quum scripta sit Spiritu Dei vivi, in cordibus vivis ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit; sed, sui per omnia similis, perseverat. Quintò, istæ non omnia continent religionis mysteria explicitè: utpote non ob id datæ, ut formulam exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis sacramentorum, aliorumque in republica Christiana necessariorum; sed occasione quadam vel ad Judæos vel hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, à quibusdam scriptæ & nonnullis ecclesiis missæ. Illa autem, quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia, quæ de fidei negotiis exoriri possent, dissolvit. *Spiritus Sanctus* (inquit Christus Joh. 14.26. & 16.13.) *docebit vos omnem veritatem.* A qua scriptura hoc habet ecclesia, ut ab Apostolo 1.Tim. 3.15. *columna & firmamentum veritatis*, vocetur: & de ea à Christo dicatur; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, Matt. 18.17. Ex quo sequitur, hanc scripturam esse omnium scripturarum interpretem, omnium opinionum judicem, omnium errorum expultricem, à cujus judicio ad alium judicem non liceat cuiquam provocare, imò cujus judicium, judices omnes inspicere & sequi teneantur.

GOMARUS.

VERUM illud omninò est, Costere, quod dici solet, eum qui semel à recta via in alteram partem declinarit, quo amplius progreditur, eò longiùs aberrare. Nam quemadmodum tribus superioribus rationibus, à debita sacris literis reverentia recessisti, sic ab eadem multò amplius deflectis, & immodestius etiam oppugnas. Nam ut consensum ecclesiæ originis dignitate, temporis antiquitate & auctoritate, Sacris Apostolorum literis antea prætulisti; sic hoc loco, constantia & perfectione iisdem præstare, summa Deum contumelia, contendis. Hac enim ratione, errore prorsus gemino, propriam verbo divino laudem iniquè detrahis & alienam ecclesiæ consensui indignè ascribis. Nam primùm, quod objicis, sacras literas posse *truncari*, *torqueri*, *& variis explicationibus corrumpi*, quamvis suo modo verum esse non aliorum solùm, sed tuo etiam exemplo, sæpius antè demonstratum sit; absolutè tamen, sine summa injuria concedi non potest. Quum enim corruptio scripturæ, alia sit contextus, alia expositionis, alia utriusque: omnibus modis scriptura se tuetur. Nam si contextus in quibusdam exemplaribus hæreticorum pravitate truncetur, aut adulteretur, reliquorum exemplarium antiquorum integritas succurret. Qua ratione Manichæorum calumniam & fraudem Augustinus (Lib. 5. cap. 11.) agnovit, ut antea ex Confessionum libris demonstravi, & ex insigni illa ad Hieronymum epistola apparet. *Manichæi* (inquit Epist. 19.) *plurima divinarum scripturarum, quibus eorum nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate convincitur, quia in alium sensum detorquere non possunt, falsa esse contendunt: ita tamen ut eandem falsitatem non scribentibus Apostolis tribuant, sed nescio quibus codicum corruptoribus, quod tamen, quia nec pluribus sive antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ auctoritate (unde Latini libri interpretati sunt) probare aliquando potuerunt, notissima omnibus veritate superati confusique, discedunt.* Et sanè quum Deus Sacras literas tanquam perpetuam voluntatis suæ epistolam, & ut fœderis nobiscum initi tabulas & fidei Christianæ canonem ecclesiæ commendarit (unde *vetus* & *novum fœdus* aut *testamentum* omnium consensu inscribuntur 2.Cor. 3.6,14. & *Scriptura canonica* appellantur) necesse fuit, ad salutem ecclesiæ, Sacras literas integras conservari. Et in veteri quidem testamento integrè custodiendo, Deus singulari sua providentia non Christianorum solum, sed etiam Judæorum usus est ministerio; qui adeò religiosè conservarunt, ut singularum etiam vocum & literarum numerum fidelissimè annotarint: quemadmodum Pontificiorum doctissimi agnoscunt, ac prædicant: qua de re memorabilis Augustini sententia, *Propterea* (inquit) *adhuc Iudæi sunt, ut libros nostros portent, ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas literas. Et ne fortè dicant, dari ad fidem quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Euangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus, hinc eos convincimus; quia omnes ipsæ literæ quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt, omnes ipsas literas habent Iudæi. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Iudæi? Codicem portat Iudæus, unde credat Christianus: librarii nostri facti sunt; quomodo solent servi post Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Hactenus in enarratione in Psal. 56. Augustinus, de fideli veteris testamenti conservatione, testatur. Et contra Faustum Manichæum l. 12. c. 23. *Quid est enim aliud hodieque gens ipsa* (Judæorum) *nisi quædam scriniaria Christianorum bajulans leges, & Prophetas, ad testimonium assertionis ecclesiæ.* In Novo verò Testamento patrum & aliorum fidelium diligentia in Græcis illius exemplaribus rectè conservandis & conferendis hæreticorum imposturas perspicuè & abundè patefecit. Si qui verò, in Bibliorum versiones varias, irrepserint errores, eos ad fidem codicum Hebræorum in Veteri, & Græcorum in novo testamento corrigendos fuisse, & correctos, non Patres solum sententia & reipsa demonstrarunt, sed etiam antiquum Pontificum decretum (Dist. 9. §. & veterum) ex Augustino rectè confirmat. *Decet enim* (ut ait Marcus Aurelius Cassiodorus Instit. lectionum divin. lib. 1. c. 15.) *ut unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio. Quoniam* (ut de eadem re ait Hieronymus adversus Helvidium) *multo purior manare credenda est fontis unda, quàm rivi.* Itaque si quædam forte exemplaria hominum improbitate aut negligentia truncentur aut adulterentur, reliquorum codicum integritate, piorum fide, Sacræ literæ, Dei providentia, ab injuria vindicantur. Sin verò ad expositionis corruptionem devenire lubeat, fatemur quidem, cum Apostolo Petro, *indoctos parumque stabiles Sacras Scripturas suo ipsorum exitio detorquere*, 2. Pet. 3.16. sed interim manent in seipsis integræ & illæsæ, & adversus sententiæ suæ corruptores solida & perspicua præbent argumenta: quibus, *quasi sagittis, hæreticorum filii* (ut Hieronymus in Esai. 13. monet) *conficiuntur:* & tanquam *gladio Spirituali*, (ut Paulus præscribit Eph. 6.17.) Diabolum oppugnantem fugamus. Siquidem id Christus exemplo suo, sæpius comprobavit, Matth. 4. Nam, quum genuinam Sacrarum literarum sententiam, ad ipsum superandum corrumperet Satanas, non aliunde, quàm ex iisdem literis, adversarii improbitatem, detexit & repressit. Eadem etiam ratione ac via Petrus, Paulus, aliique

aliique Apostoli, sacrarum literarum corruptores, devicerunt. Denique si adeò effrænis existat quorundam hominum audacia, ut & contextum & sententiam Sacræ Scripturæ simul contaminent, iisdem rationibus, quas distinctè jam recensui, convincentur. [a] Primum bonorum & antiquorum exemplarium integritate: deinde vel iisdem mutilis & corruptis libris. Nam tanta Sacrarum literarum est præstantia: ut si magna parte truncentur aut adulterentur, id tamen quod integrum & sanum supererit, satis habebit momenti, ad improborum corruptelas redarguendum. Nam quamvis Sadducæi spreta reliquorum Prophetarum auctoritate Veteris Testamenti codicem ita imminuerint, ut solos libros Mosis amplecterentur, ex iisdem tamen à Christo perspicuè & solidè confutati sunt. Sic etiam licet Marcionitæ Novum testamentum additione & detractione varia corruperint olim, non solùm integrorum codicum fide, sed etiam, ex reliquiis incorruptis, corruptelas eorum Tertullianus contra Marc. lib. 4. cap. 5. & 6. & alii patres orthodoxi graviter copioseque demonstrarunt ac diluerunt. Quod præclarè testatur Irenæus lib. 3. cap. 11. *Tanta est autem* (inquit) *circa Euangelia hac firmitas, ut & ipsi hæretici testimonia reddant ei, & ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare sententiam. Ebionai etenim eo Euangelio quod est secundùm Matthæum solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non rectè præsumentes de Domino: Marcion autem id quod est secundùm Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant à Christo, & impassibilem perseverasse Christum, passum verò Iesum dicunt: id quod secundum Marcum est præferentes Euangelium, cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt: hi autem qui à Valentino sunt, quod est secundùm Iohannem plenissime utentes, ad ostensionem conjugationum suarum, ex ipso detegentur, nihil rectè dicentes.* Nec veteres solùm doctores, sed vester etiam Sanctus Gilbertus (in cantica sermone 47.) sacrarum literarum, non minus quam reliquarum, usum & constantiam generali hac ratione eleganter commendavit; *Bonum* (inquit) *est, si dicantur verba, sed nihilominus bonum est, si scribantur verba. Volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum & stabile facit & visibile: mandatum paginæ reposcetur quum voles. Bonus depositarius est liber, integrè, quod acceperit, resignans: quum voles, sumes; ubi voles, leges; quamdiu voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tutò verbi medicamenta illic recondis: servantur enim illæsa.* Quamobrem ex hisce quæ hactenus disseruimus omninò elucere existimo, quàm iniquè Sacris literis inconstantiam objectes: quum in sese (frustra oppugnantibus adversariis) integræ persistant, & arma valida, detegendis ac superandis ipsarum corruptoribus, subministret. Nam ne longiùs abeamus, quænam Sacrarum literarum Novi Testamenti corruptio & perversio major esse possit, quàm quod illas *literam mortuam* appellas? Etsi enim in sese, nec sensum, nec motum habeant, Spiritus tamen efficacia eas non solùm conservat, sed etiam quodammodo animat ac vivas reddit: & propterea Euangelium, non minus scriptum, quàm prædicatum (quo instrumento auditores fide & charitate vivificantur, Joh. 20.31.) *Spiritus*, (2.Cor.3.6,7.) *ministerium Spiritus & justitiæ*, lb. v. 8.9. &, *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1.16. Gal. 6.16. 2.Tim.3.15. ab Apostolo nominatur. Legis verò doctrinam suo modo literam mortuam appellari, quatenus nimirum per se considerata, ab Euangelii & Spiritus gratia secernitur, notum & exploratum est ex Pauli sententia 2.Cor.3.7,14. & patrum consensu: sed Euangelium mortuam esse literam, utrisque repugnat. Quemadmodum etiam Bellarminus Jesuita (de verbo Dei lib. 2. cap. 3.) his verbis confirmat, *Apostolus Paulus neque per literam occidentem, Sacram Scripturam, neque per Spiritum vivificantem internam Spiritus alloquutionem intelligi voluit. Neque aliud sunt Paulo, litera & Spiritus, quàm lex & gratia.* Itaque defensa jam Sacrarum literarum constantia & dignitate, qua ratione ecclesiæ consensum (quem internam Scripturam vocas) supra Dei verbum extollas perpendamus. *Illa* (inquis) *quum scripta sit Spiritu Dei vivi in cordibus vivis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia similis perseverat.* Magna profectò ecclesiæ commendatio! quam si aperto Dei verbo, aut justis rationibus probare posses, libenter meritoque amplecteremur: Sed rei veritas & scripturæ dignitas obsistit. Primum enim, quòd consensum ecclesiæ, Spiritu Dei vivi scriptum, affirmas, de Apostolis & Prophetis omnino verum esse, controversia caret, sed de ordinaria ecclesiæ ratione non absolutè, sed ex parte tantùm dici potest. Nam in consensu Ecclesiæ quatuor gradus considerandi sunt, veritatis salutaris apprehensio, intelligentia, assensus, obedientia: quorum duo priores communiter hominum ministerio, per sacrarum literarum lectionem vel prædicationem, animis auditorum inscribuntur: reliqui verò duo à Spiritu Sancto promanant: qui mentem sua luce ad assensum, & cor seu voluntatem, suo motu, ad obedientiam adducit. Quibus modis *legem divinam mentibus indere & cordi inscribere dicitur*, Jerem.31.33. Heb.8.10. Deinde vero quod ais, sensum ecclesiæ truncari & torqueri non posse, sed sui per omnia similem perseverare, id malè ex antecedenti concludis & falsò pronuncias. Nam si quidquid Spiritu Dei vivi inscriptum est cordibus, sui per omnia simile permaneret, fides & charitas Christianorum, quæ ejusmodi sunt, turbari & lædi non possent: quod tamen Sacræ literæ & deploranda multorum experientia clarissimè refellunt. Deinde verò non eundem semper consensum ecclesiæ permanere, sed humana imbecillitate, duobus modis infringi & vitiari posse res ipsa testatur. Primùm ratione partium, quemadmodum ex Ecclesiarum [a] Galaticarum & [b] Corinthiarum exemplis, viventibus adhuc Apostolis, apparet: & sequuta tandem tristissima infinitorum Christianorum & maximæ partis ecclesiæ catholicæ in Oriente & Occidente ad Ethnicorum idololatriam, aut ad Mahumetis impietatem, aut ad varias hæreses defectione, compertum est. Deinde ratione totius: quia & Ecclesia ante Christum universa & post Christum nonnulla concilia universalia (quæ ecclesiam catholicam *repræsentativam* vulgò appellatis) errare potuisse & errasse, postea pluribus partim in hac prima, partim in secunda de Ecclesia controversia demonstrabitur, ac constabit. Quare confirmata jam satis Sacrarum literarum constantia, ad perfectionem earum adversus quintam rationem tuam, qua consensum ecclesiæ præstantiorem esse contendis, transeamus. Ac primùm objicis, quòd sacræ Apostolorum literæ, *non omnia contineant religionis mysteria explicitè: utpote, non ob id data ut formulam exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei & administrationis Sacramentorum, aliorumque in republica Christiana necessariorum.* Sed quum hæc pleraque ab orthodoxis nostris ecclesiis seriò & meritò pernegari sentias, id ea ratione probare contendis, quòd scripta Novi Testamenti *occasione quadam, vel ad Iudæos vel hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos à quibusdam scripta & nonnullis ecclesiis missa sint.* Verùm ut omittam quòd importunè adversus Sacrarum Literarum perfectionem hoc loco disseris (quum de eo argumento distincta sequatur quæstio) quis, obsecro, consequentiam, quam connectis, admittat? aut quomodo eam nobis comprobabis? Etsi enim res quædam singulares & certæ ecclesiæ scripto alicui præbere possint occasionem; non inde tamen necessario sequetur, Scriptorem, eas res solùm explicare debere, & ad certæ tantùm ecclesiæ utilitatem: quin potius contrà fiet, ut una, quod ajunt, opera plurimis inserviatur. Alioquin si ratio illa, quam objicis, valeret, Mosis & Prophetarum scripta, quæ Judæorum & certorum hominum occasione olim edita sunt, ad nostram doctrinam & perfectam institutionem nullo modo pertinerent. Quod quàm absurdum sit, ex perspicuis Apostolorum sententiis elucet, Rom.15.4. 2.Timoth.3.16,17. Ita igitur Novum Testamentum bona parte certis occasionibus conscriptum est, ut tamen omnia fidei mysteria complectatur, & certis hominibus aut ecclesiis missum, ut usu interim, ex Spiritus Sancti instituto, ad omnes redeat. Ac prius quidem, postea plenius liquebit: alterum vero demonstratur ex prima

a Auguft. contra Fauftum Manichæum, lib.10. cap. 4. & 5. & l.11.cap.2. & lib. 32. cap. 16.

a Galat. 1. 6. & 3. 1. b 2.Cor. 3. 3. & 11. 3.

prima ad Corinthios epistola cap. 2. quæ illis quidem mittitur, sed nihilominus omnibus etiam Christianis inscribitur, quemadmodum & reliquæ Pauli epistolæ ad communem fidelium institutionem pertinent, ut diserto Petri Apostoli testimonio (2. Pet. 3. 15.) declaratur. Idque apertè ac perspicuè attestantur Patres, quemadmodum Tertullianus contra Marcion. lib. 5. ait; *Ad omnes Apostoli scripserunt, dum ad quosdam.* Et Cyrillus Prologo in Johannem: *Hac re commotus Iohannes par esse putavit, tam præsentibus, quàm futuris, hujus Euangelii conscriptione, consulere.* Hieronymus, in Psal. 86. *sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus, hoc est per Euangelia sua locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes.* Augustinus de consensu Euangel. l. 1. c. 35. *Quicquid enim ille* (Christus) *de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus, imperavit.* Sic de Euangelio Lucæ ait celebris Romanæ ecclesiæ interpres Lyranus ad prologum Lucæ, *Dicit ergo, Optime Theophile, non quod pro ipso solo scriberet, sed quia scripturam ei dirigebat pro ipsius & fidelium omnium salute.* Denique Gregorius Magnus Pontifex Romanus in Ezech. Homil. 7. *Scriptura* (inquit) *sacra duo sunt testamenta, quæ utraque Dei Spiritus scribi voluit, ut nos à morte æterna liberaret.* Quamobrem frustra & periculosè adversus stimulum calcitras, Costere, dum Novi Testamenti perfectionem & præstantiam oppugnas: & eò quidem indignius, quod ad Ecclesiæ consensum, propriam verbi divini laudem, iniquè transfers. *Illa autem* (inquit) *quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia quæ de fidei negotiis oriri possunt, dissolvit.* Sanè, si de Apostolis & Prophetis sermo esset, meritò hunc honorem iis asscriberemus; sed quum de ordinaria ecclesiæ scientia disseras, sine summa in Deum & rei veritatem injuria, ei tribui non potest. Nec enim rationes, quas adducis, eæ sunt; ut fidem apud pium & attentum lectorem mereantur. Nam quod primùm, à Christi promissione illa Joh. 14. 26. & 16. 13. *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem,* malæ causæ subsidium petis, nihil ad rem facit: quum hæc promissio, non ad universam ecclesiam & perpetuum illius consensum, sed nominatim ad Apostolos referatur: quemadmodum ex orationis serie & promissionis complemento apparet, Actor. 1. 8. Etenim hæc Apostolorum deductio in omnem veritatem, duo complectitur, perfectam ad Euangelium omnibus gentibus annunciandum, cognitionem, & perpetuum Spiritus Sancti in eo regimen, ut in docendo essent extra omne erroris periculum, eorumque doctrina esset planè divina & ecclesiæ fundamentum, Eph. 2. 20. Apoc. 21. 14. Deinde, si hæc promissio non ad solos Apostolos, sed ad totam Ecclesiam referatur, id ea fiet ratione, ut aut ad singula illius membra pertineat, aut ad cuncta seu ad corpus ecclesiæ, per cujus membra veritas omnis diffusa sit: at neutro modo rectè huic loco conveniet. Nam, si de singulis ecclesiæ membris aut doctoribus interpretari lubet, sequetur eos omnino fidei mysteria habere explorata, omnesque religionis controversias posse expedire: quo nihil absurdius dici potest: sin verò solummodò de conjuncto fidelium cætu & doctorum universorum consensu Christi verba exponere velis, unde hanc sententiam comprobabis? An ea ratione, quòd eadem Apostolorum successoribus, quæ Apostolis convenire debeat promissio? At, præterquam quòd secus jam antè demonstravi, id non aliunde clarius, quàm ex hoc loco, diluetur. Nam, si ita se res haberet, sequeretur omninò necessario, non solùm conjunctos & universos, sed etiam singulos ecclesiæ doctores, omnem à Spiritu Sancto veritatem edoceri, & ab omni prorsus errore liberos esse ac tutos: quandoquidem Christus non minus singulis Apostolis, quàm conjunctis & universis, liberalem hanc promissionem dedit, & reipsa comprobavit. Denique quamvis etiam concederetur, hanc generalem & communem esse promissionem, quæ universæ ecclesiæ, seu Apostolorum successoribus non minus quàm Apostolis conveniret, inde tamen, quod contendis minimè obtineres. Quoniam Deus, diversis modis & gradibus, omnem veritatem, per Spiritum Sanctum, docet. Apostoli enim, uno eodemque momento à Spiritu Sancto afflati, perfectè edocti & posteà perpetuò directi fuerunt: ut Sacræ literæ testantur. Contrà verò reliqui ordinarii eorum successores & ecclesiæ Doctores veritatem omnem, à Spiritu Sancto, non uno momento, nec pari cum Apostolis, nec eadem semper mensura, percipiunt; sed certis tantùm gradibus, progressibus & temporum intervallis. Nam primùm Spiritus Sanctus plenissimè omnem veritatem docet exterius communicatione Sacrarum literarum (quibus nos alloquitur, & perfectam salutaris veritatis doctrinam proponit) & interius, efficacia sua: qua paulatim & certa mensura, mentis oculos illustrat, & cordis duritiem emollit, ut exteriùs oblatæ Sacrarum literarum veritati assentiamur & obediamus. Nam, quemadmodum Deus promiserat, se Israëlitas in promissam regionem Chananæam deducturum, sed certis tamen itineribus & successu temporis hoc perfecit; & iterum ad pœnam peccatorum, inde ad tempus in Chaldæam ejecit: ita Deus ecclesiam in veritatem, non uno momento, nec eodem gradu semper deducit, aut in ea, pari perfectione, continet: ut omnium temporum experientia & miseranda ecclesiæ calamitas comprobavit. Quare ex hisce constat, hanc Christi ad Apostolos promissionem, indignè ad communem ecclesiæ consensum, & multò indignius, ad summam illius & perpetuam in omnibus fidei mysteriis constantiam demonstrandam, detorqueri. Nec alterum, quod ex Pauli verbis deducis, argumentum, magis accommodatum est; quamvis id mirificè extollatis. Etenim ecclesiam rectè [a] *columnam & firmamentum veritatis* dici, nemo nostrum unquam negavit, sed interpretationem vestram, & quam inde nectitis consequentiam, jure meritoque refutamus. Quoniam ecclesia non propterea columna & firmamentum veritatis appellatur, quòd fidei mysteria aut omnia, aut perfectius sacris literis, complectatur; aut, quòd veritatem primariò fulciat: sed partim, quòd Sacras literas seu *eloquia Dei* (ut Apostolus docet Rom. 3. 2.) *sibi concredita,* columnæ instar, appensa custodiat, & testimonio suo apud infirmos confirmet: partim quod veritatis mysteria, quamvis non omnia quæ Sacris literis continentur, ea tamen quæ ad salutem necessaria sunt, pro suo modulo fide complectatur ac doceat: quemadmodum pluribus de hac re, in principio controversiæ de ecclesia, disseremus. Tertium denique quod ex Matth. 18. 17. adducis testimonium, *Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus,* id, ab instituta quæstione, omninò alienum est. Primùm, quia Christus non de doctrina, sed de censura morum agit. Deinde, quia non de universali, sed de quavis particulari ecclesia, differit: ac propterea si, ut ais, *ex eo sequitur, hanc scripturam esse omnium scripturarum interpretem, omnium opinionum judicem, omnium errorum expultricem, à cujus judicio, ad alium judicem non liceat provocare; imò cujus judicium judices omnes inspicere & sequi teneantur:* si, inquam, hæc vera sunt, inde clarissimè consequetur, hoc summum in religione definienda judicium, ad omnes & singulas ecclesias pertinere. Quod quàm absurdum & iniquum sit, non solùm acutiores & orthodoxi vident, sed etiam Pontificii doctores nobiscum testantur. Ac propterea, Costere, nisi firmioribus argumentis causam vestram stabilire possis, patrocinium illius tibi deserendum, vides, & veritati cedendum. Ac sanè vel ipsa doctrinæ tuæ absurditas (ut rationum infirmitatem præteream) eò te hortari debebat. Nam quid, obsecro, magis pietati in Deum adversatur, quàm à Sacris illius literis perfectionis & judicii auctoritatem detrahere, & ad Ecclesiam, quæ hunc honorem perpetuò recusavit, utrumque transferre [b]? Laudatur quidem à Deo Ecclesia, & *matris* nomine honoratur; sed non aliter, nisi quatenus ipsa Dei *patris* cœlestis vocem, in Sacris literis patefactam, amplectitur & filiis utriusque fideliter tradit. Itaque breviter & eleganter (ut solet) Augustinus in epist. Joh. tractat. 3. ait: *Est autem mater, Ecclesia: & ubera ejus duo testamenta scripturarum divinarum. Hinc sugatur lac.* Et, nequis aliquid desiderari posse putet, *ex iisdem* etiam *scripturis solidum hauriendum esse cibum,* eodem in loco, demonstrat; Quare quum eam fingas ecclesiam, quæ aliis & plenioribus, quàm utriusque testamenti ube-

a 1. Tim. 3. 15. b Decret. dist. 9.

uberibus, suos nutriat alumnos, constat eam, non veram matrem esse, sed perniciosam novercam, imò *Babylonem magnam matrem scortationum & abominationum terræ*, Apoc. 17. 5. Ac propterea quum eos, qui à veris veræ matris ecclesiæ uberibus, Dei verbo, dependent, avellere, alioque traducere studeas; quantum in ecclesia fidei merearis, legitimi Dei & ecclesiæ filii facilè judicabunt. Et ut magis conspicua sit judicii tui indignitas, hæc pauca è multis Dei decreta opponimus, *Ad legem magis & ad testimonium: quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis lux matutina*, Esa. 8. 20. *Sed etiamsi nos, aut angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizavimus* (hoc autem totum comprehensum est Sacris literis, Actor. 26. 22.) *anathema esto*, Gal. 1. 8. *Quicunq; secundùm canonem hunc incedent, pax super eos & misericordia*, Gal. 6. 16. Huc accedit consensus ecclesiæ catholicæ, quæ Sacras literas canonicas & *canonem fidei* ac cultus Dei propterea appellavit, & ad illarum judicium controversias in conciliis meritò dirimendas judicavit. Canon enim, summus est recti & obliqui index ac judex: ac propterea, quum Sacræ literæ sint fidei canon, iis summum in religione judicium justè deferendum est. Quemadmodum piè & eleganter ait Chrysostomus in 2. Corinth. Hom. 13. *Habemus exactissimam trutinam & gnomonem ac regulam, divinarum, inquam, legum assertionem. Ideò & obsecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic & illi videatur, deque his, à Scripturis, omnia inquirite.* Et Augustinus contra Donatistas lib. 2. cap. 6. *Non afferamus stateras dolosas ubi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc grave est, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram, de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa, recognoscamus.* Et alibi; Contra Creconium l. 2. c. 31. *Neq; enim sine causa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium, judicemus.* Quare quis non videat, quàm absurde Sacrarum literarum judicium declines? sic enim pergis.

COSTERUS.

UNDE, quando in religione quæstio movetur, de Christi divinitate, de sanctorum invocatione, de cultu imaginum, similibusque rebus, de quibus scriptura divina, in membrana relicta, quædam ad aliorum mentem dicere videtur; veluti, *Pater major me est: De die autem illa neque Filius novit nisi solus Pater: Dominus creavit me initio operum* (juxta septuaginta interpretes:) *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, &c.* inspicienda atque pervolutanda sunt viva in corde ecclesiæ divinitus impressa atque inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis commentariis ac certissimis explanationibus acquiescere debemus: nimirum, quid, de his quæstionibus, ecclesia, per orbem sparsa, & nunc & hactenus ad Apostolorum usque tempora longa serie deducta, crediderit atque servaverit: & quo sensu scripturas in contrariam partem allatas, intellexerit.

GOMARUS.

VERISSIMUM illud esse comperio, quod ait Christus, *Omnis qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*, Joh. 3. 20. Nam, si causæ & religionis vestræ fideres veritati, non tantoperè sacrarum literarum lucem, veterum hæreticorum exemplo, declinares. Ut enim de sui temporis hæreticis ait Irenæus l. 3. c. 2. *Quum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas, ab his qui nesciant traditionem:* ita de Pontificiorum doctoribus & hujus loci sententia, meritò dici potest ac debet. Objicis enim Sacris literis obscuritatem, ecclesiæ verò consensui & traditioni summam claritatem asscribis, ac propterea ad hujus interpretationem & judicium recurrendum & in eo acquiescendum mones. Sed neutrum justa ratione comprobabis. Nam, ut de Sacris Literis prius loquamur, quamvis in iis quædam ad hæreticorum mentem dici videantur, non inde tamen sequitur, alium quærendum esse illustriorem & certiorem interpretem. Siquidem Sacræ literæ, ut constantis sunt veritatis, sic locorum circumstantiis, & similibus ac clarioribus sententiis, seipsas, quam optimè interpretantur. Demonstravit id Christus exemplo suo Matth. 4. 6. 7. comprobarunt etiam Apostoli, qui passim in suis scriptis Sacras literas, non ex aliqua Patrum traditione, sed ex illis ipsis, declararunt. Imò, idem etiam judicio & consuetudine sua ecclesia antiquo & orthodoxi Patres attestantur. *Quæ* (inquit Basilius Magnus in regulis contractis, regul. 267.) *ambiguè & obscurè in nonnullis scripturæ locis dicta videntur, per ea, quæ alibi certa & indubitata habentur, declarantur.* Et Origines in Jerem. Hom. 1. *Quapropter necesse est nobis scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine iis testibus non habent fidem.* Et Hilarius de Trinitate l. 1. *Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. Quum itaque de rebus Dei erit sermo: concedamus cognitionem sui, Deo; dictisque ejus, pia veneratione, famulemur.* Similia patrum judicia (quæ brevitatis causa sileo) sunt quàm plurima: eaque, reipsa & consuetudine sua, confirmarunt. Quoniam genuinum Sacrarum literarum sensum, ex iisdem fontibus hauserunt, &, adversus hæreticorum corruptelas, tutati sunt. Quod non solùm ex eorum commentariis & disputationibus constat, sed etiam vel ex hisce locis, quos adducis, perspicuè apparet. Nam, quum Ariani Christi divinitatem & æqualitatem cum Patre, quam orthodoxi statuebant, oppugnarent eo dicto, quo Christus ait; *Pater major me est:* contrà, Patres orthodoxi, ex ipsis Sacris literis, solidam refutationem petiverunt, & petendam docuerunt. Quemadmodum Cyrillus (quo, ut existimo, nullus Veterum doctius, Arianos confutavit) ait Thesaur. l. 2. cap. 3. *Probè facerent hæretici omnes, si undique studerent verum Scripturarum sensum venari, nec ad voluntatem suam omnia vertere atque inde syllogismos connectere. Si enim offendit eos, quòd Pater major Filio scribitur, juvet illud quoque, quod de Filio dicitur; Qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, Phil. 2. 6. *& Iohannes c. 5. 18. apertissimè; Patrem, inquit, suum Deum dicebat, æqualem seipsum faciens Deo.* Et posteà, *Certè hic* (Phil. 2.) *ipse Paulus, & æqualem Deo filium apertissimè, dixit, & minorem esse, propter passionem mortis, enunciavit.* (Comment. in Joh. lib. 10. cap. 9.) Sic alibi eandem sententiam similiter declarat ex Sacris literis, *Christum Patre minorem, secundùm humanam naturam, & humiliationis statum, non autem secundùm Deitatem*; idque probat, ex iis Scripturæ locis, quibus adoratio, & idem cum Patre Spiritus, ei attribuitur, & in Patre esse dicitur, ac denique verus Deus & vita æterna nominatur. Ac tandem adversus hæreticorum errores concludens, Sacrarum litererarum præstantiam & perfectionem, hisce verbis, ostendit; *Nam si à Sacris literis id non acceperunt, confundantur, proprias in fidem sententias afferentes.* Deinde ad alterum locum, *De die autem illa neque Filius novit, nisi solus Pater*, Marc. 13. 32. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Filio, & ante eum Athanasius sermone 4. contra Arianos, Filio ignorantiam tribui non absolutè, sed tantùm ratione humanæ naturæ, petita ex Sacris literis interpretatione, exponunt. Denique ad tertium quod attinet locum, quem nobis objicis, *Dominus creavit me initio operum suorum*, Prov. 8. 22. juxta septuaginta interpretes, si patres ipsos audimus, non aliunde, quàm ex eadem Scriptura, interpretationem veram, & hæreticorum confutationem, hauserunt. Nam primùm Hilarius de Synodis adversus Arianos, cap. 5. ex consequentibus Salomonis verbis, docet, sapientiam *genitam* dici; deinde [a] Basilius & [b] Hieronymus respondent ex Hebræo contextu & accuratioribus interpretibus legendum esse non ἔκτισε *creavit: sed* ἐκτήσατο *possedit.* Nec dubitandum est quin ἔκτισε, in ἔκτισε, librariorum vitio, perversum. Denique quod clara & perspicua decalogi præcepta; *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, &c.* sæpissime à Mose & Prophetis iterata & explicata, iis locis annumeras, quæ, propter

[a] Contra Eunomium lib. 2. [b] Comment. ad Eph. 2.

pter obscuritatem, ad hæreticorum mentem, dicta videntur: id omninò causæ vestræ infirmitatem & deploratam idololatriam demonstrat. Quamobrem etiam ex hisce apparet, Sacras literas optimum esse sui interpretem. Quibus accedit Clementis Papæ consensus, qui Concil. tom. 1. Clem. ep. 5. *ex ipsis Scripturis sensum veritatis capiendum, & ex divinis scripturis integram & firmam regulam veritatis petendam*, affirmavit: & Leonis Papæ sententia, Epist. 10. ad Flavianum, quæ *in rebus obscuris ad veritatem cognoscendam ad Propheticas voces, ad Apostolicas literas, ad Euangelicas auctoritates, recurrendum* docet. Quampiam & gravem sententiam, si ut debebas, amplectereris, non tam indignè Sacrarum literarum interpretationem, postposita Scriptura, ex judicio ecclesiæ potissimùm depromendam judicares. *Inspicienda* (inquis) *atque provolutanda sunt viva in corde ecclesiæ divinitus impressa monumenta:* sed qua ratione id fieri potest? *Homines enim externam faciem contemplantur, solus Deus corda intuetur*, 1. Sam. 16. 7. Itaque quod fundamenti loco substernis, id & naturæ & scripturæ omninò adversatur. Dices fortasse, abdita quidem hominibus esse cordium penetralia, sed ea patefieri nobis sermone & scripto tanquam duobus præcipuis animi nuntiis: sed quid illud ad rem faceret? neutrum enim scriptura illa interna est, quam fingis, & de qua inter nos existit controversia. Deinde neutrum etiam certum est (si Prophetas & Apostolos exceperis) ejus quod à Deo menti inscriptum est, indicium. Nam quum regeneratio ecclesiæ in hujus vitæ curriculo sit imperfecta, & *caro spiritui reluctetur*, Gal. 5. 17. Os verò & manus sint communia utriusque instrumenta (quæ prout alterutrum interdum eminet, ita eidem inserviunt) quomodo certò nobis constabit, utrum Spiritus, an carnis sententiam proponant? Quapropter, in hac etiam re certior quærenda est interpretationis Scripturæ & Spiritus divini regula, Sacræ nimirum literæ: quas citra ullam controversiam à Deo prodiisse, & jussu illius fideliter conscriptas, constat. Unde Apostolus Paulus ait, *Omnia probate; quod bonum est, tenete*, 1. Thes. 5. 21. & Johannes; *Ne cuivis Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint*, 1. Johan. 4. 1. & Christus *scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me*, Johan. 5. 39. Nam quod Bellarminus Jesuita de verbo Dei lib. 1. cap. 2. adversus scripturarum contemptores ait, *Moses, Prophetæ, Christus ipse, Iohannes Baptista, Apostoli, vel divina dogmata ex Scripturis ipsi confirmabant, vel certè ad scripturas legendas alios hortabantur, nec ullum unquam ad interni Spiritus judicium, scripturis neglectis, remiserunt, &c.* id, non solùm de singulis, sed etiam de communibus judiciis, meritò dici potest. Præterea, quum de vera Christi Ecclesia, ubinam ea sit, gravissima vigeat dissensio, prius de illa re, ex diligenti Sacrarum literarum examine, tanquam fundamento, certi esse debemus, priusquam ecclesiæ judicium, sine errore aut sine dubitatione gravi, audire possimus. Ac propterea, vera Sacrarum literarum interpretatio non ab Ecclesiæ judicio; sed ecclesiæ judicium, à Scriptura dependet. Si exceperis, veram hujus temporis ecclesiam ex antiquæ ecclesiæ & orthodoxorum Patrum comparatione & consensu elucere, eadem manebit difficultas. Nam quum varii ab initio & magno numero fuerint hæretici, quæretur perpetuò, quibus argumentis orthodoxi patres, ab hostibus veritatis, dignosci possint? Ac tandem ad Sacras literas, veræ religionis canonem, velis, nolis, erit recurrendum. Deinde, ut de Patribus orthodoxis minimè dubitemus, quum diversos singuli ferè habuerint nævos, & inter sese, ac secum, non rarò dissenserint, quibus indiciis consensum orthodoxum aliunde rectè, quàm ex certo Sacrarum literarum canone, cognoscemus? Quod adeò clarum est, ut id summi vestri doctores, infinitis ferè exemplis, demonstrent. Etenim occurrant diversæ apud patres loci alicujus interpretationes, non patrum antiquitatem, non numerum spectant: sed rem ipsam ad Sacras literas appendentes, dijudicant, & paucorum sententiam plurium judicio, tanquam Sacris literis convenientiorem, sæpe anteponunt. Videatur vel sola orationis Dominicæ, vel unius scripturæ capitis expositio, & verissimum esse constabit. Eandem rationem ipsi patres observarunt: quemadmodum Hieronymus Augustinum à reliquis patribus in explicatione Psalmorum diversa sentire ait (Epist. Aug. 11.) & eandem libertatem alibi sibi tribuit. Sic enim loquitur (Epist. lib. 3. ad Minerium & Alexandrum:) *Nec juxta Pythagoræ discipulos præjudicata doctoris opinio; sed doctrinæ ratio ponderanda est: si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum* (Patrum) *explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco? sciat, me illud Apostoli libenter audire; Omnia probate: quod bonum est tenete, &c.* Et præfatione in Oseam, post quam eos patres, qui in Oseam scripserant, recensuit, addit; *Quos tamen non in omnibus sum secutus, ut judex potius operis eorum, quàm interpres existerem.* Et Augustinus libro de natura & gratia, contra Pelagianos ait, *se in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum:* & addit; *quia solis canonicis debeo sine ulla recusatione assensum.* Et Epist. 111. ad Fortunatianum: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus: ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Denique huc accedit consensus Bellarmini, De conciliis lib. 2. cap. 12. *Scripta patrum non sunt regulæ, nec habent auctoritatem obligandi.* Præterea quum immensa sint orthodoxorum patrum volumina, & Græco aut Latino sermone conscripta, quo modo maxima ecclesiæ & totius orbis multitudo, quæ harum linguarum imperita est, & si perita esset, omnia examinandi & intelligendi, imò legendi facultate destitueretur: quomodo, inquam, de patrum omnium consensu certò cognoscet? Nam quod ait Hieronymus præfatione in Jonam; *Scio veteres ecclesiasticos, tam Græcos, quàm Latinos super hoc libro multa dixisse, & tantis quæstionibus, non tam aperuisse quàm obscurasse sententias, ut ipsa interpretatio eorum, opus habeat interpretatione, & multò incertior lector recedat, quàm fuerat antequam legerat:* id, inquam, meritò de reliquis quoque non paucis dici potest. Denique si ad hujus temporis ecclesiæ catholicæ judicium, in omnibus rebus dubiis, confugiendum est; quomodo id fieri potest? quum ecclesia, per orbem diffusa, rarissimè, imò nunquam, ne in generalibus quidem synodis, millesima sui parte conveniat, & paucissima in conciliis definiat ac declaret: multa etiam ob difficultatem in medio implicata relinquat; ut vel ex concilii Tridentini vestri historia cognosci potest. Vides itaque, Costere, sermonis tui absurditatem, quantisque difficultatibus te involvas, quemadmodum in controversia de Pontifice non obscurè agnoscis; *Penes* (inquis) *ecclesiam catholicam est judicium veritatis, sed quod ea per vastum orbem diffusa, sine gravissimis incommodis unum in locum coire nequeat, &, pro re nata, quæstiones difficiles non rarò exoriantur, necessum erat, majori compendio, Christianorum commodis fideiq; integritati prospicere.* Hoc autem compendium, Pontificem definis: quem, certum & summum omnium controversiarum judicem, à Deo constitutum, affirmas. Quod, quantoperè pietati & experientiæ repugnet, in argumento de Pontifice, ostendemus.

Caput

Caput III.

Quare ex hisce liquet consensum ecclesiæ non esse primum, quem fingis scripturæ modum, eoque multò minus Sacris Apostolorum literis præstantiorem: quemadmodum utrumque insigni in Deum contumelia frustra studuisti demonstrare. Nec sanctius tertium scripturæ genus definis, ut ex sequentibus elucebit.

Costerus.

Decreta conciliorum.

TERTII generis scriptura est in decretis conciliorum generalium, quæ Christus gravissimo suo testimonio & auctoritate communivit; *Qui vos audit, me audit*, Luc. c. 10. v. 16. &, *si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus*, Matth. 18. v. 17. &, *Ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, Matth. c. 28. v. 20.

Gomarus.

MAGNA & illustris est Conciliorum, quæ ad verbi divini normam instituta sunt dignitas; sed tamen longè minor, quàm à te statuitur. Quod ut distinctius & clarius ostendatur, observandum est, Concilia quædam esse particularia, quæ à vero aberrare posse, frequenti experientia & communi Pontificiorum assensu, constat: alia verò esse universalia, de quibus gravis est Orthodoxis cum Pontificiis controversia. Quæritur enim, an ea sint certa fidei Christianæ norma, & divinis scripturis accensenda? Costerus affirmat, nos verò id meritò pernegamus, ut ex rationum, quas adversarius adducit, levitate, apparebit. Tria enim illa, quibus confidit, testimonia, prorsus inepta, & à re proposita adeò aliena sunt, ut, nisi trita & communia essent omnibus Pontificiis doctoribus argumenta, prævaricari & in re seria ludere videretur. Nam, ut ea ordine perlustremus ac perpendamus, verum est Christum dixisse; *Qui vos audit, me audit:* sed quid inde concludis? Nam, ut aliquid ex hoc loco consequaris, probandum tibi esset primum, Christum alloqui concilium: deinde non particulare, sed generale tantùm: præterea promissionem hanc esse absolutam & perpetuam: ad hæc communem non uni concilio generali, sed omnibus: deinde agere de decretis, iisque & omnibus, & scriptis. Adeò ut, si quid ex hisce desideretur, nihil obtineas: quoniam hæc omnia in quæstione versantur & probanda suscepisti, quemadmodum ex verbis tuis antecedentibus & sequentibus constat. At verò nihil istorum cum Christi sententia consentit. Nam primùm hæc promissio non ad concilium ullum, sed ad septuaginta discipulos: deinde, non magis ad generale, quàm ad particulare concilium, imò quàm ad binos aut singulos episcopos, pertinet. Quandoquidem Christus hanc promissionem, non conjunctis solùm hisce discipulis, sed binis dedit, Luc. 10. 1. Tertiò promissio hæc, quatenus hoc loco intelligitur, non fuit absoluta & perpetua, sed temporaria, & ad legationem illam accommodata. Quartò, quum legatio fuerit singularis & miraculis obsignata, (Luc. 10. 17.) ineptè omninò sanctio illius, ad ordinarium & commune ecclesiæ ministerium, extenditur: nisi ex aliis locis idem probari possit. Quintò, hæc promissio nullam contra, aut extra Sacras literas (quod Pontifici & Conciliis attribuunt) conficiendi decreta, facultatem concedit (tantùm abest, ut ea omnia stabiliat) sed ad verba [a] à Christo accepta, fideliter proponenda, astringit. Quemadmodum etiam, quamvis Apostoli perpetuò à Sp. Sancto immediatè in doctrina directi sint, nullam tamen, nova de religione decreta conficiendi, potestatem, acceperunt; sed ad Christi verba fideliter tradenda fuerunt delegati. Nam quod Christus Matt. 28. 19. ait; *Docete omnes gentes*, postea explicat, *docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis:* quemadmodum etiam doctiores vestri scriptores agnoverunt. Nam Johannes Ferus commentariis in Matt. 23. ait, *Apostolis eorumq; successoribus dixit, Qui vos audit, me audit; & qui spernit, me spernit.* Item: *Qui non receperint vos, tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c.* Verùm præmisit Matthæus, quòd Christus elegit duodecim quos & vocavit Apostolos, quibus & præcepit prædicare Euangelium in universo mundo, &c. è quibus patet audiendos esse Apostolos, sed quatenus Apostoli sunt, hoc est, Christi negotium agunt, ac quæ Christus jussit prædicant ac docent. Quòd si alia docent, & Christo contraria, jam Apostoli non sunt, sed seductores, ideò nec audiendi. Ac sanè eatenus, non solùm conciliorum canones, sed etiam singulorum ecclesiæ pastorum, dicta audienda sunt, quatenus ab iis Christi verba audiuntur & bona fide traduntur. Denique quum Christus ait, *Qui vos audit, me audit*, non de ulla scriptura, sed de prædicatione Euangelii, apertissimè loquitur, ut ex omnibus circumstantiis demonstrari potest. Nec enim hosce septuaginta discipulos, quos compellat, ad decreta statuenda & conscribenda conjunctim destinavit; sed distinctè binos, ad regni sui adventum sermone tantùm annuntiandum, præmisit, pro temporis illius ratione: quod ad Novi Testamenti scripturam (nondum misso Spiritu Sancto) erat omninò importunum. Itaque quis non animadvertat quàm turpiter hujus loci sententiam pervertas, quum eum, ad conciliorum generalium auctoritatem & tertium scripturæ genus confirmandum detorques. Alterum etiam quod producis testimonium; *Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, non minus alienum est. Quod, quamvis ex iis, quæ ante à nobis explicata sunt, satis liqueat, tamen ut clarius scripturæ majestas, sententiæ tuæ in decretis conciliorum scripturæ æquandis iniquitas, & turpis hujus loci abusus, demonstretur, distinctius & pluribus agemus. Nam primùm ecclesia, hoc in loco, non Concilia generalia denotat, sed eos qui ecclesiis particularibus præsunt, quemadmodum res ipsa evincit. De ea enim ecclesia disserit Christus, Matth. 18. 15, 16, 17. quæ in fratrum correctione ab iis qui privatim sunt offensi, adiri potest ac debet. Quod conciliis generalibus minimè convenire certissimum est. Deinde idem attestantur in explicatione hujus loci veteres Patres, Chrysostomus, In Matth. 18. Gregorius Magnus Epist. lib. 12. Epist. 31. & Theophylactus Comment. in Matth. 18. ac propterea vulgò doctissimi Pontificii idem agnoscunt, quum ecclesiæ vocem etiam angustius & iniquius exponunt *prælatum ecclesiæ:* quemadmodum ex Alberto Magno & Lyrano in commentariis ad eum locum & ex Thoma Aquinate (Summæ 2. 2. qu. 33. art. 8.) apparet. Ex quo perspicuè sententia tua evertitur. Nam prælatus ecclesiæ nec concilium est, nec ab errore liber: eoque dicta & scripta illius, ut ad concilia generalia propriè non pertinent, sic nullam fidei normam, nec tertium Sacræ Scripturæ genus constituunt. Huc accedit, quòd hoc Christi dictum non agit de decretis ullis, aut aliqua scriptura; sed de ecclesiastica reprehensione & adhortatione, qua illi, qui in fratres suos injurii sunt, ad culpæ agnitionem & pacem Christianam excitantur. Cui adhortationi si obedire contumaces detrectent, Ethnicorum instar habendos esse, Christus docet. Adhæc, non absolutè obedientiam Christus hoc in loco exigit, sed quatenus ecclesia rectè edocta, rectè judicat. Nam & adversarius falsis testibus innocentem accusare, & qui ecclesiæ præsunt, aut errore, aut affectu aliquo humano, perperam interdum arguere possunt. Itaque audiendi sunt non absolutè, sed in rectis sententiis, quatenus re probè cognita, in judiciis suis Dei verbum audiunt & tanquam normam sequuntur. Quod prudenter & piè observavit angelicus (ut vocatis) doctor & sanctus vester Thomas Aquinas, *Prælato*, inquit Summæ 2. 2. qu. 33. art. 7. *non est obediendum contra præceptum Domini, secundum illud Actor. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, &c. unde, si prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens.*

a Luc. 10. 5, 3. 11.

Unde non esset ei obediendum. Et graviter etiam ait Hieronymus in Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, &c. Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: quum apud Deum, non sententia sacerdotum, sed reorum vita, quæratur.* Denique, etiamsi ecclesiæ nomine (quod falsum esse ostendimus) concilia generalia essent intelligenda, tamen, quum certum sit, hîc non de aliis agi, quàm de judiciis facti, *in quibus* (ut ajunt summi doctores [a] vestri) *concilia generalia errare posse non est dubium:* sequitur omnino nullam hîc Sacræ Scripturæ genus aut absolutam obedientiæ normam posse stabiliri. Atque eadem denique est tertii, quod adjungis testimonii ratio; *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Nam Christus, hoc in loco, non agit proprie de conciliis, nec potius de generalibus quàm particularibus, sed de Apostolis singulis, & eorum ministerio successoribus & fidelibus: servatis tamen donorum gradibus & mensura: quemadmodum ex orationis filo & similibus sententiis, quibus Christus præsentiam & auxilium suum pollicetur, ostendi potest; *Ubi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum,* Matth. 18. 20. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas cognosco, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea,* Joh. 10. 27, 28, 29.

a Bellar. de Concil. lib. 2. cap. 8.

Quam genuinam explicationem orthodoxorum patrum consensus adducit ac probat. Ac primum Augustinus de Genesi ad litteram l. 6. c. 8. ait, *Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Deinde Chrysostomus in Matth. Hom. 15. *Quum dicitur; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, non ad eos tantummodo loquitur, sed per eos ad universum prorsus orbem.* Et in 2. Thess. 2. 3. Homil. 5. *Quod enim non solùm istis promiserit, sed & illis qui vestigia ipsorum subsequuntur, ex eo liquet, quod dicat, usque ad consummationem seculi. Quid ergo ad eos dicit, qui doctores non sunt? Quisque vestrûm, si volet, doctor est; & si non alterius, tamen sui ipsius.* Idem testatur [a] Theophylactus, [b] Basilius, [c] Salvianus. Quare, quum hæc promissio ad omnes & singulos Apostolos eorumque successores & pios, suo modo & gradu pertineat, nullum inde novum scripturæ sacræ genus sancitur: alioqui singulorum episcoporum & fidelium de religione sententiæ, essent sacræ literæ & norma fidei: quod non solùm rei veritati, sed etiam communi adversariorum doctrinæ repugnat. Ac propterea ex hisce omnibus apparet, conciliorum decreta non esse inter canonicas scripturas numeranda: quod adeo perspicuum est, ut id etiam Bellarminus Jesuita agnoscere sit coactus, & sententiam tuam apertissimè refellat, De conciliis, lib. 2. cap. 12.

a In Matth. 28. b Sermone de pænit. c De Providentia Dei l. 2.

Caput IV.

Unde reliqua, quæ de Conciliorum auctoritate proponis, facilius convellentur.

Costerus.

QUÆ sanè decreta, si veritatem, si obsignationem Spiritus Sancti, si præsentiam Christi spectes, idem habent pondus quod sancta Dei Euangelia: sicut & B. Gregorius pluribus [a] locis fatetur: & B. Theodosius (apud [b] Nicephorum) magnæ sanctitatis archimandrita ante ipsum, publicè conscenso suggestu ausus est dicere; *Si quis quatuor synodos quatuor Euangeliis non exæquet, anathema.* Quod idem Apostoli præ se ferre videntur, quum ex primo suo concilio Hierosolymitano ita scribunt; *Visum est Spiritui Sancto & nobis,* Actor. 15. 28. Si autem verba ipsa decretorum consideres, nullo modo sunt cum Sacris literis conferenda. Quum hæ dictatæ à Spiritu Sancto, nec jota unum vel unum apicem habeant, cui non insit suum pondus & efficacitas, unde tanquam divina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiunt, sicut toto Psalmo 118. B. David Propheta docet. Conciliorum verò decreta à Sanctis Patribus conscripta fuerunt, qui suis verbis veritatem divinam nobis loquuntur: non aliter atque scriptor, qui regis voluntatem suo stylo literis mandat. Atque hinc rectè dixit B. Augustinus, Epist. 19. se nullius hominis libris tantum deferre atque divinis literis; non quidem ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba & phrasim dictantis, qui fuit Spiritus Sanctus.

a Lib. 1. Ep. 24. Lib. 2. Ep. 10. Lib. 3. Ep. 33. Lib. 5. Epist. 2. b Lib. 16. c. 33.

Gomarus.

SANE, si decreta conciliorum generalium essent scriptura divina, eadem cum reliquis Sacris Literis auctoritate pollerent; sed, quia secus antè demonstravi, magna est in Deum injuria, quod ea, *si veritatem, obsignationem Spiritus Sancti, & præsentiam Christi spectemus; idem habere pondus, quod Sancta Dei Euangelia,* affirmare non vereris. Quòd verò illud, omisso Dei verbo, humanis Gregorii & Theodosii testimoniis probare niteris, doctrinæ vestræ infirmitatem apertè prodis. Siquidem, ut idem ait Gregorius in Job. l. 18. c. 14. *Qui ad vera prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines è sacris paginis sumat: ut omne quod loquitur ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. Ut enim prædiximus, sæpe hæretici, dum sua student perversa astruere, ea proferunt, quæ profectò in Sacrorum librorum paginis non tenentur.* Quamobrem ab humanis literis ad divinas provocamus. *Alia quippe* (ut ait Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 23. c. 9.) *non habent ad has res ullum pondus auctoritatis.* Quippe *nec parentum nec majorum error sequendus est, sed auctoritas scripturarum & Dei docentis imperium:* ut rectè monuit Hieronymus in Jerem. 9. Qui propterea Helvidio patrum testimonia objectanti piè respondit, (Contra Helvidium.) *Nugas serimus & fonte veritatis omisso opinionum rivulos consectamur.* Quare si quid Gregorii & Theodosii testimonium valere cupis, illud prius ex Sacrarum literarum fontibus probari oportet. Deinde verò quamvis hæc, quæ objectas, verba (quæ generatim accepta, non à nobis solum, sed etiam à Jesuitis [a] doctioribus refutantur) largiremur, tuam tamen, de conciliorum decretis, sententiam minimè confirmarent. Nec enim absolutè, de omnibus omnium Conciliorum decretis, loquuntur, (de qua re inter nos quæstio est) sed de certis tantùm, iis videlicet, quæ ad Sacrarum literarum normam, contra Arii, Macedonii, Nestorii, & Eutychetis errores, quatuor illis conciliis, definita sunt. Nam quartum concilium, nimirum Chalcedonense, adeò errasse scribit Gregorius [b], ut Leoni Romano tribuerit *universalis Episcopi* titulum: quem titulum, *prophanum ac scelestum fideique perniciosum,* appellat. Præterea si idem cum Sanctis Dei Euangeliis, conciliorum illorum decreta haberent pondus [c], Catechumeni lapsi tres annos à communibus ecclesiæ precibus essent excludendi: nec die Dominica, nec in Pentecoste genua ad Deum orandum ulli fidelium essent inflectenda, ex concilii Niceni decretis, Can. 20. quæ tamen, ut alia multa, communi usu abrogastis. Deinde non solum superbè, sed etiam impiè fecissent legati [d] Leonis Pontificis & ipse Leo, quod quarti concilii decreto pertinacius reluctati fuerunt, in quâ tamen re sanctè eos fecisse, vulgo judicatis. Denique hoc certum est, nec Leonem, nec legatos illius, parem concilii & Euangelii veritatem (quam tu definis) agnovisse: alioqui non tam apertè ei sese opposuissent. Atque idem etiam justa Leonis solicitudo confirmat. Nam quemadmodum Concilium Ephesinum secundum, quod Sanctam synodum initio appellaret, postea eventu comperto, *non posse vocari concilium, quod in eversionem fidei fuerit agitatum,* [e] asseruit:

a Bellarm. de Concil. lib. 2. cap 12. b Gregor. Epist. lib. 4. Epi. 80. & 83. & lib. 6. Epist. 188. & lib. 7. Epi. 30. c Concil. Nicen. Can. 3. d Leo Epist. 51. & 53. e Epi. 14. ad Concil. Eph. Epist. 41. ad Martianum.

sic

sic postquam jam indictum esset Chalcedonense concilium universale, metuens ne & illud, in decretis suis, ut Ephesinum, à vero aberraret, sic eodem in loco Imperatorem alloquitur; *Unde, per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in præsente synodo fidem, quam beati patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini, quasi dubiam, retractari, & quæ olim à majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari.* Ex quibus apparet Leonem Papam statuisse, primùm, concilia generalia, non esse certam veritatis normam; sed contra, veritatem fidei, esse Sanctorum conciliorum generalium certam regulam: deinde, concilia generalia errare posse & interdum errasse. Verum omissis patrum testimoniis Sacras literas citas, sed ut soles timidè & ineptè. Ais enim, *Quod idem Apostoli præ se ferre videntur, quum ex primo suo concilio Hierosolymitano in literis synodalibus ita scribunt, Visum est Spiritui Sancto & nobis:* Verum id nec præ se ferunt Apostoli, nec præ se ferre videntur. Quoniam alia est concilii cui præfuerunt Apostoli, alia cæterorum ratio. Apostoli enim hoc privilegio donati erant singuli, ut in doctrina errare non possent, quod perpetuo Spiritus Sancti regimine in omnem veritatem deducerentur, Joh. 16.13. Act.2. v.4. unde *fundamenta ecclesiæ* divinitus appellantur, Apoc.21. v.14. Eph.20.v.20. Quamobrem, quæ de suis decretis peculiariter testati sunt, ea malè ad omnia concilia generalia extendis. Deinde, concilium illud Apostolorum (ut etiam sapientiores vestri scriptores [a] fatentur) non fuit generale sed particulare ecclesiæ Hierosolymitanæ. Nam unde quæso probabis, (quod ad universale concilium [b] requiritur) ad illud, omnium reliquarum ecclesiarum episcopos, fuisse invitatos? Itaque eodem jure elogium illud ad particularia (quæ tamen errare posse constat) atque ad universalia concilia, accommodari deberet: ac propterea nihil ad rem facit. Contra verò conciliorum generalium decreta, non habere parem ubique, cum sanctis Dei Euangeliis, veritatem, multis gravissimis rationibus probari potest, è quibus pauca seligemus. Nam quum decreta alia sint de moribus, alia de fide, in utrisque concilia errare posse & errasse, Euangelia verò sibi semper constare, apparet. Quod perspicuitatis & brevitatis causa ex adversariorum confessione reipsa demonstrabo. Nam ad mores quod attinet, Jesuitarum celeberrimus Bellarminus (De conciliis lib. 2. cap. 12.) describens discrimina, quibus Sacras literas conciliis præstare docet, sic Costero apertè contradicit; *tertium est quod in scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, & sive affirmetur aliquid generale & toti ecclesiæ commune, sive aliquid particulare & ad unum tantùm hominem pertinens, &c. At concilia in judiciis particularibus errare possunt, nec non in præceptis morum, quæ non toti ecclesiæ, sed uni tantum, aut alteri populo proponuntur.* Deinde in fidei decretis concilia universalia errare posse tribus modis Bellarminus experientia victus confitetur, Ibid. c.11. *primò ut patres consentiant & definiant dissentientibus legatis Papæ. 2. ut definiant, consentientibus legatis, sed contra instructionem Pontificis agentibus. 3. Consentientibus omnibus legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem.* Quæ sigillatim conciliorum exemplis probat. Quare non est cur prolixam ejus rei demonstrationem à nobis desideres. Præterea quum concilia generalia sibi mutuò sæpius adversentur, non perpetuò vera sunt, multò minus Euangeliis conferenda. Nam Constantinopolitanum concilium, sub Constantino Copronymo, imaginum cultum meritò damnavit; Nicenum secundum probavit: Francofurtense sub Carolo Magno, adversus concilium illud Nicenum imaginum cultum iterum damnavit. Quam decretorum dissensionem falsò quosdam Pontificios Doctores tollere studuisse, Bellarminus de Concil. lib.2. cap.8. demonstrat. Sic concilium Constantiense & Basileense, Papam fieri posse, & interdum fuisse, hæreticum; concilia verò universalia errare non posse eisque & Papam subesse debere, decreverunt: contrarium verò concilium Lateranense definivit. Denique quum Dei verbo [c] nihil addi, nihil detrahi, [d] ne ab Apostolis quidem aut angelis cælestibus liceat: quomodo concilia parem cum Euangelio (si veritatem spectemus) habebunt auctoritatem, quum eorum decreta à posterioribus conciliis interdum mutari & emendari constet? Hoc enim experientia evincit, & celebris ac memorabilis illa Augustini sententia de Baptismo contra Donat. lib.2. cap.3. testatur, *Quis autem nesciat Sanctam Scripturam, canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit: episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per concilia, licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritate, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaq; plenaria sæpe priora, posterioribus emendari, quum, aliquo experimento rerum, aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana.* Nam quod ais; *Hinc rectè dixit B. Augustinus* Epist. 19. *se nullius hominis libris tantum deferre atque divinis literis: non quidem ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba & phrasin dictantis; qui fuit Spiritus Sanctus:* id inquam, miserum omninò effugium est. Nam Augustini locus adeò pro nobis facit, ut vix quidquam apertius, ad sententiam tuam evertendam, adferre potuisses. Hæc enim sunt verba, *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Illudne est, Costere, humanis & divinis libris parem veritatem asscribere? Profectò nisi hic locus adeò tritus esset ac perspicuus, & decreto Pontificio (Dist.9. Can. Ego.) insertus & approbatus, te memoria lapsum existimarem: sed nunc quum nulla esse possit ignorantiæ suspicio, tuam in patrum sententiis apertè detorquendis audaciam satis demirari non possum. Præsertim quum similes ejus generis in eadem epistola extent sententiæ, ut quod ait, *Sanctam Scripturam in summo & cælesti auctoritatis culmine collocatam:* Item, quum Hieronymus patrum testimoniis adversus Augustinum disputaret & ad ea provocaret ait, *Flagitas à me aliquem saltem unum ostendam, cujus in hac re sententiam sim secutus, quum tu tam plures nominatim nominaveris, qui te, in eo quod astruis, præcesserunt.* Vides, Costere, Hieronymum imprudentem idem postulasse, quod tu orthodoxis perpetuò objicis? audi igitur quid Augustinus Hieronymo & tibi respondeat; *Quanquam, sicut paulò antè dixi, tantummodo scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequor, ut conscriptores earum nihil in eis omninò errasse, nihil fallaciter proposuisse, non dubitem.* Et lib. 11. c. 5. contra Faustum Manichæum post declaratam scripturæ auctoritatem ait, *In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunq; eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar auctoritas. Itaq; in eis si quid fortè propterea dissonare putatur à vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium; quo vel approbet, quod placuerit; vel improbet, quod offenderit, & ideo cuncta ejusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur vel omninò ita esse, sive fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non* repre-

a Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ qu. 1. art. 10. b Leo Papa 1. Epist. 47. c Deut. 4. 2. d Gal 1. 8.

reprehenditur. In illa verò canonica eminentia Sacrarum literarum, etiamsi unus Propheta, seu Apostolus, aut Euangelista aliquid in suis literis posuisse, ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare, quod verum sit: alioquin nulla erit pagina, qua humana imperitia regatur infirmitas. Quare detectam sententiæ tuæ fraudem, & confutatam, tuam de pari humanorum scriptorum & Sacrarum literarum veritate & pondere doctrinam, animadvertis. Ac propterea in viam veritatis redi, & debitam Sacris literis gloriam restitue, concilia verò quæ cum iis consentiunt, sive ea particularia sint, sive universalia, non quia concilia, sed quia vera, amplectere; quæ contra ab iis dissentiunt, ea aversare. Agnosce verum illud esse, quod adversus generale Concilium Constantinopolitanum, ait Nicolaus Papa primus; [a] *Non totidem præsules, sed merita non minora, synodum synodo possunt facere parilem.* Item; *Numerus igitur pusillus, nec obest, ubi abundat pietas; nec multiplex prodest, ubi regnat impietas.* Item, *Nolite ergo gloriari in multitudine; quia non multitudo, sed causa, damnationem vel justificationem adducit.* Denique ad celeberrimam illam, piam & elegantem Augustini sententiam contra Maximium l. 3. c. 10. attende, *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus non quorumcunque propriis; sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, concertet.*

a Concil. Tom. 2. Epist. ad Michaëlem Imperat.

CAPUT V.

Cæterum demonstrata jam Sacrarum literarum auctoritate, quid de earum perfectione judices, expendamus.

COSTERUS.

An omnia, quæ credere oportet, sint Sacris Literis expressa?

EX his facile erit controversias omnes de Sacra Scriptura ortas dijudicare, & imprimis illam, *Utrum omnia, quæ ad fidem pertinent, sint scriptis expressa?* Dicendum enim omnia fidei mysteria cæteraque creditu & scitu necessaria, in corde ecclesiæ esse clarissimè exarata: in membranis, tam Novi, quàm Veteris Testamenti, multa desiderari. Ubi enim numerus Euangeliorum & Epistolarum Apostolicarum? Ubi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis divinis potius, quàm Nicodemi, ut Thomæ, commendatur? Ubi habetur, duodecim articulos fidei, ab Apostolis esse ecclesiæ relictos? Præterea formas multorum Sacramentorum, justis de causis, ait B. Dionysius Areopagita cap. ult. Eccles. Hierarc. Innoc. 1. Ep. 1. esse suppressas. Eodem pertinent difficilium & dubiarum scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt. B. Augustinus Lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 23. ad Apostolicam traditionem, extra scripturam, refert baptismum parvulorum. B. Basilius Lib. de Spiri. Sancto. c. 27. aliique patres multa alia enumeraverunt in quibus ad hoc primum scripturæ genus confugerunt, invitis omnibus, omnium ætatum, hæreticis: qui, quum aliam nullam præter externam scripturam agnoscunt, in ea tamen omnia contineri, valdè impudenter affirmare non verentur [a]. Cæterum non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa: cujusmodi sunt mysterium trinitatis & incarnationis Filii Dei, historia passionis Domini, remissio peccatorum & promissio vitæ æternæ. Hæc enim, ut firmius omnium mentibus inhærerent, variis modis inculcari debuerunt, concionibus, Euangeliis, Epistolis, & demum Apostolico symbolo. Quod ideò divini illi principes ecclesiæ ita breviter & perspicuè posteritati tradere voluerunt, ut nemo illius ignorantiam posset excusare.

a Auguft. Epist. 3. ad Volus.

GOMARUS.

RECTE ais, Costere, *ex hisce facilè fore controversias omnes de Sacra scriptura ortas dijudicare, & imprimis eam,* quæ ad perfectionem illius, spectat. Sed in eo non rectè facis, quòd formam controversiæ omninò pervertis. Nec enim id inter nos quæritur, *utrum omnia, quæ credere oportet,* sint Sacris literis expressa? sed generatim, *an omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria Sacris literis descripta sint?* Quædam enim descripta statuimus expressè, quædam vi necessariæ consequentiæ: quemadmodum utriusque modi exempla, eodem tempore suppeditavit Christus. Prioris quidem, quum rogatus, quodnam esset magnum mandatum in lege, respondit id quod expressa legis sententia continetur: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde,* Matth. 22. 36, 37. Posterioris verò, quum adversus Sadducæos resurrectionem asseruit; *De resurrectione verò mortuorum non legistis, quod verbis dictum est, à Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, & Deus Israël, & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium,* Ib. 22. 31, 32. Quare dum angustius statum quæstionis describis, indignam viro docto & pio fraudem admittis. Nec culpam minuit cæterorum Pontificiorum Theologorum exemplum. Nam quamvis (ut alios prætercam) antesignanus vester Eccius Enchiridio locorum communium cap. 4. (quem & operis titulo & materia maximè secutus videris) disserat, nostros *nihil recipere velle, nisi probetur per scripturas expressè,* ejus rei falsitatem, ex sequentibus Eccii verbis, potuisses observare. Sic enim tandem ait; *Non sunt igitur solùm credenda & observanda (id quod volunt stolidi Lutherani) quæ expressè habentur in divinis literis aut probantur ex ipsis, verùm etiam ea oportet credere & servare quæ sancta mater Ecclesia credit & observat.* Itaque quemadmodum quæstionem, Eccii calumnia secutus, hoc modo deformasti; *An omnia quæ credere oportet, sint sacris literis expressa:* sic, cum eodem reformare potuisses & addere, *Aut probantur ex ipsis.* De qua quæstione, quid certi statuas expendamus; *Dicendum,* inquis, *omnia fidei mysteria cæteraque creditu & scitu necessaria in corde ecclesiæ esse clarissimè exarata: in membranis, tam Veteris quàm Novi Testamenti multa desiderari.* Sed huic judicio Haymonem oppono, qui ante annos octingentos sic docuit comment. Hebr. 8. *Nos autem partim in cordibus, plenius autem in membranis scriptum* (Euangelium) *habemus, ab illis* (Apostolis) *nobis relictum, ut in illis meditando exerceamur.* Et Eusebium in concilio Nicæno contra Philosophum disserentem, qui ait, *Scriptis crede, quæ non scripta sunt ne cogites, nec inquiras.* Quarum sententiarum veritas tuarum objectionum imbecillitate confirmatur. Nam quòd primùm quæris, *ubi numerus Euangeliorum & Epistolarum Apostolicarum?* respondemus hanc numeri notitiam non esse absolutè necessariam. Nam quemadmodum Irenæus lib. 3. cap. 4. ait, *multos Barbaros fidem habuisse Euangelio, sine scripturis:* sic, plurimi semper extiterunt rudiores Christiani, qui Euangelistarum & Apostolorum doctrinam amplexi, numerum tamen librorum ignorarunt. Imò quid dico rudiores, quum totus ferè orbis hac in re interdum aberrarit: quemadmodum (ut alia argumenta omittam) apertè testatur & errorem corrigit Hieronymus, Epist. Tom. 3. ad Dardanum. *Quod si eam* (epistolam ad Hebræos) *Latinorum consuetudo, non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ, Apocalypsin Johannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.* Deinde verò numerus etiam Euangeliorum & Epistolarum titulorum inductione declaratur. Et si Gregorium Magnum pontificem Romanum audire lubet, Euangeliorum numerus & scriptores commendantur Ezechielis capite primo, ut in suis ad eum locum commentariis (*quos à Spiritu Sancto dictatos profiteris* de Scriptura pag. 54.) testatur. Qua in re secutus

secutus est antiquos patres Irenæum lib. 3. cap. 11. Athanasium in Synopsi, & Hieronymum, qui suam sententiam Procemio in Matthæum & Comment. Ezech. 1. hisce verbis concludit; *Quibus cunctis perspicuè ostenditur, quatuor debere tantum Euangelia suscipi, & omnes Apocryphorum nænias, mortuis magis Hæreticis quàm ecclesiasticis vivis, canendas.* Sed alia instas via, & altera quæstione nos urgere studes, *Ubi*, inquis, *Euangelium Matthæi & Marci in scripturis divinis potius, quàm Nicodemi aut Thomæ commendatur?* Respondeo, non solùm in Ecclesiæ doctrina, sed etiam in Veteri & Novo Testamento. Quod ut plenius ac planius ad Dei gloriam & ecclesiæ institutionem illustretur, non ingratum me facturum pio & attento lectori existimo, si totum hunc locum de Novi Testamenti auctoritate, non solùm adversus Pontificios, sed etiam adversus alios divini verbi contemptores, eadem opera distinctius, ex orthodoxo patrum consensu, pertractâro. Etenim modi quibus novi testamenti scripta genuina cognoscantur sunt duplices. Alii enim constant demonstrationibus externis, alii internis. Externas appello, quæ extra Sacras literas petuntur: suntque testimonia partim divina, partim humana. Divina sunt, primùm Apostolorum & Euangelistarum: qui, donec fuerunt in vivis, non solùm ex certa rei cognitione; sed etiam ex perpetuo Sp. Sancti regimine, tanquam Sacrosancti & publici veritatis salutaris à Deo delecti & stabiliti notarii, sua scripta ipsimet ecclesiæ tradendo, & viva voce, miraculis & sanguine suo obsignando, ea ab adulterinis [a] distinxerunt. *Non enim* (ut ait Chrysost. in Matt. Hom. 1.) *in uno aliquo scribentes angulo, ea quæ scripserant, occultaverunt: sed terras & maria lustrantes, in conspectu & auribus omnium volumina sacra replicabant, quæ (sicut etiam nunc fieri videmus) ipsis quoq; præsentibus legebantur inimicis.* Deinde reliquorum Apostolorum & Euangelistarum scripta eodem consilio ad veritatem declarandam, ecclesiæ, suo ordine, commendarunt. Quemadmodum Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum [b] testatur; *Marcus discipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus, breve scripsit Euangelium. Quod quum Petrus audisset, probavit, & ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit.* Et de Johannis Euangelio ait; *Sed & aliam causam hujus scripturæ ferunt, quod quum legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probavit quidem textum historiæ.* Nec Apostoli solùm & Euangelistæ de novi testamenti scriptis potuerunt certò judicare; sed etiam Prophetæ alii & miraculis clari, qui in Apostolica ecclesia multi & aliquamdiu viguerunt, & voce & miraculis idem cum Apostolis testati sunt, 1. Cor. 14. Atque hisce testimoniis divinis accedunt etiam testimonia humana, ecclesiæ & hostium illius. Et ecclesiæ quidem primùm primitivæ, quæ ab Apostolis & Euangelistis Novi Testamenti libros accepit, & eorum voce, miraculis & sanguine comprobatos tanquam genuinos agnovit, autographa servavit & fideli descriptione & versione universo orbi commisit, & hæc omnia ad posteros transmisit. Qua de re Tertullian. in libro de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 36. & contra Marcionem l. 4. c. 5. ait, *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere, in negotio salutis tuæ, percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque.* De versione verò Novi Testamenti in varias linguas, testatur etiam Chrysostomus in Johannem Hom. 1. qui de Euangelio Johannis ait, *Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopes, & innumeras alias gentes id in suam linguam transtulisse.* Et Eusebius de demonstratione Euangel. l. 3. c. 9. *Prædicatum itaque est in exiguo temporis spatio in toto orbe Euangelium, in testimonium omnibus gentibus, & Barbari & Græci quæ de Jesu Christo erant scripta, patriis literis, patriaque voce exceperunt.* Deinde, non solùm ecclesiæ primitivæ testimonio Euangelistarum & Apostolorum libri demonstrantur: sed etiam simili sequentis ecclesiæ scientia ac fidelitate; quæ eosdem libros à majoribus traditos, fideliter accepit, conservavit, & ad posteros continua successione transmisit & scriptis suis variis in æternam rei memoriam consignavit. De qua canonis Novi Testamenti constitutione & ab Apostolis & majoribus derivatione ait Augustinus contra Faustum Manichæum l. 11. cap. 5. *Distincta est, à posterorum libris, excellentia canonicæ auctoritatis Veteris & Novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones episcoporum & propagationes ecclesiarum, tanquam, in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.* Nec tantùm ecclesia de Sacris Novi Testamenti libris hisce modis testata est, sed etiam hostes ecclesiæ assensu suo variè confirmarunt. Nam, quemadmodum publica inde ab initio fuit librorum Sacrorum traditio, explicatio & usus in ecclesia Dei; ita plurimi ecclesiæ adversarii, qui illius saluti insidiabantur, re comperta, de [a] autoribus Novi Testamenti minimè dubitarunt. Ut enim Lucianum Sophistam prorsus impium prætercam, doctissimi & capitales Ecclesiæ hostes idololatræ, Porphyrius & Julianus Imperator Apostata, veritatem quidem librorum Novi Testamenti oppugnarunt, sed quum omnes contradicendi occasiones captarent, eò tamen impudentiæ minimè [b] pervenerunt, ut contra perpetua totius orbis testimonia & conspicuam rei certitudinem, Euangelium Matthæi à Matthæo Apostolo, epistolas Pauli à Paulo Apostolo, prodiisse negarent. De hostium verò hæreticorum testimonio rectè Irenæum lib. 3. cap. 11. secutus, ait Chrysostomus in Matthæum Homil. 1. *Horum igitur omnium consonantiam, orbe quoque ipso teste, monstramus; qui ea quæ sunt dicta susceptis, testibus quoque ipsis veritatis inimicis. Siquidem multæ, post illos, hæreses pullularant, contraria his, quæ scripta sunt, opinantes. Et earum quidem aliæ, omnia, quæ Euangelistæ scripserant, receperunt: aliæ verò, quibusdam sententiis à reliquo opere amputatis, sic apud se scriptas, conservant. Quod si pugna aliqua esset in dictis, neque istæ, quæ ex adverso loquuntur hæreses, omnia recepissent; sed tantummodo illam partem, quam sibi cernerent convenire: neque istæ, quæ partem aliquam receperunt, ex eadem parte convictæ fuissent.* Atque hæc de externis modis, quibus certitudo & auctoritas scriptorum Novi Testamenti asseruntur. Internæ verò demonstrationes sunt, quæ ex ipsis libris sacris hauriuntur, & generatim ad quatuor fontes revocari possunt, nempe ad scriptorum manum, doctrinam, stylum, efficaciam: quorum primum, temporarium fuit, reliqua verò tria, perpetuò durant. Prima itaque demonstratio est, ex Euangelistarum & Apostolorum manu, quæ ut cognita fuit ecclesiæ, sic olim inter alia signum fuit certum, quo libri sacri à suppostititiis & falsis discernerentur. Nam sua scripta aut integrè scribebant, aut saltem scriptione sua sanciebant. Qua de re Paulus ait; *Ne citò à mente dimoveamini, neque turbemini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos* (scriptam) *quasi instet dies ille Christi. Ne quis vos seducat ullo modo,* 2. Thes. 2. 2, 3. Et sequentibus; *Salutatio mea manu Pauli quod est signum in omni epistola: ita scribo; Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen,* 2. Thes. 3. 17, 18. Sic ad Corinthios & Colossenses, *Salutatio mea manu Pauli,* 1. Cor. 16. 21. Col. 4. 18. Et ad Galatas, *Videtis qualibus literis vobis scripserim mea manu,* Gal. 6. 11. Ad quem locum ait Hieronymus comment. ad Gal. 6. sic Paulum loqui, *quòd suæ manus essent eis nota vestigia: ut dum literarum apices recognoscunt, ipsum se putarent videre, qui scripserat.* Alter demonstrationum fons est, doctrinæ majestas: quæ rerum veritate, sanctitate & sublimitate continetur. Ac veritas quidem [c] elucet primum in mutuo consensu, quo sibi, & inter se, & cum Veteris Testamenti canone eadem doctrina & simili authorum, in humili conditione & erratis suis syncerè narrandis, ingenuitate conveniunt. Quare quum Vetus Testamentum ex se, & ex Novo, & similiter Novum ex seipso & à Veteri confirmetur: quis non videat Sacram scripturam ex seipsa comprobari? Sic Theodoretus Græcarum affect. curat. Serm. 6. ait; *Euangelicam præterea veritatem*

a Tertul. contra Marc. lib. 4. cap. 5. b In Marco. Vide etiam Tertull. contra Marcionem lib. 4. cap. 5.

a Chrysost. in Matthæum Homil. 1. b Chrysost. in Marcum Homil. 1. Cyrillus contra Julianum. Hieronymus comment. ad Gal. &c. c Vide Chrysost. Homil. 1. in Matthæum. Augustinum de consensu Euangel. &c.

tatem & antiquæ prophetiæ confirmant. Hæ namque prædicunt, quæ in Euangeliis continentur. Euangelia verò propheticæ prædictionis finem ostendunt: Atque hac demonstratione, adversus utriusque Testamenti adversarios antiqui Patres merito & frequenter usi sunt. Quemadmodum Augustinus de civitate Dei l. 18. c. 41. ait; *Auctores nostri, in quibus non frustrà Sacrarum literarum figitur & terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immeritò quum illa scriberent, eis Deum, vel per eos, locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli; sed in agris atque urbibus, cum doctis & indoctis, tot tantique populi, crediderunt.* Et de Consensu Euangel. l. 1. c. 1. *Nos ad commemorationem fidei nostræ, & ad consolationem spei nostræ, & ad exhortationem charitatis nostræ, libros Propheticos & Apostolicos legimus, alterutris vocibus sibimet concinentes: & ea concinentia tanquam cælesti tuba & à torpore mortalis vitæ nos excitantes, & ad palmam supernæ vocationis extendentes.* Secundò demonstratur veritas, ex prophetiarum Novi Testamenti, cum earum eventu, convenientia summa. Qua ratione Tertullianus contra gentes allatis aliquot exemplis ad scripturæ utriusque Testamenti veritatem confirmandam subjicit (Apologetico c. 20.) *Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tua est, jam scilicet probatorum; quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces sonant, eædem literæ notant, idem Spiritus pulsat, &c.* Et Theodoretus Græcarum affection. curat. serm. 11. adductis non paucis ex Matthæi Euangelio prædictionibus, eventu comprobatis, ait [a]; *Eorum itaq; verborum veritatem res ipsa clamore vocalissimo, prædicant, &c. Quandoquidem igitur hæc Dominus multò antè prædixit, idemque futuræ vitæ statum nobis prænunciavit, videmusque perspicuam harum rerum veritatem, illa quoque sine controversia, quæso, accipiamus, ab iis quæ facta jam cernimus ad illa perducti: hisce utentes pro illorum signis certis. Hac enim causa & hæc & illa, Christus prædixit, ut his ea maximè stabiliret.* Deinde non solùm doctrinæ veritas, sed etiam conjuncta sanctitas divinam librorum Novi Testamenti originem demonstrat. Nam & Deum summum bonum, & officium nostrum erga Deum, ad illius gloriam & hominum beatitudinem, purissimè in iis describi, ex diligenti lectione, & cum aliis scriptis comparatione, orthodoxi [b] patres copiosè demonstrarunt. Denique doctrinæ Novi Testamenti majestatem demonstrat rerum, quæ explicantur, sublimitas. Nam de Deo rebusque divinis, deque hominis beatitudine, ea proponit, quæ captum humanum longè superant. Eoque præclarè ait Chrysostomus in Mat. Hom. 1. *Non enim humanæ simpliciter est animæ de immortali & beata illa naturâ & quæ cum illa sunt potestatibus, de natura corporum mortalium & eorum futura immortalitate, de supplicio, de futuro judicio, de verborum, operum, cogitationum & sententiæ uniuscujusque examinibus intelligere, &c.* Et in Johannem Homil. 1. *De Deo rebusque cælestibus ea philosophari docent, quæ illorum* (philosophorum) *nullus unquam potuit vel mente concipere, &c. Nihilominus tam sublimia illa nostrorum dogmata & suscepta & credita sunt, & florent quotidie.* Præterea quemadmodum doctrinæ majestas, sic etiam stylus librorum Novi Testamenti Deum auctorem esse demonstrat. Etenim in stylo eorum tria potissimùm divinæ originis indicia elucent. Primum est simplicitas & perspicuitas summa, qua sine humanæ eloquentiæ fuco sublimia salutis mysteria, tanquam per se fide digna & omnibus necessaria, magna verborum humilitate declarantur. Nam quod de Euangelio Johannes ait Chrysostomus in Johannem Homil. 1. id de toto Novo Testamento merito affirmari potest ac debet; *Idcircò nulla caligine, nullis tenebris suam operuit doctrinam, ut illi* (philosophi) *ratione sua, pravis opinionibus obscuritatem, tanquam velum quoddam, indiderunt. Hujus autem doctrina sole clarior est & illustrior, ideoque in omnes mortales propagata. Nullum hic tumorem verborum atque fucum, nullam superfluam compositionem & stylum ineptum videbimus (longè enim hæc ab omni absunt Philosophia) sed divinum & inexpugnabile robur & sacrorum dogmatum tantam vim ut nullo possit pacto superari.* Alterum in stylo divinæ originis indicium situm est in verborum pondere, quod in superiori de conciliis quæstione Costerus ultro profitetur; *Si autem* (inquit) *verba ipsa decretorum consideres, nullo modo sunt cum sacris literis conferenda: quum hæc dictata à Spiritu Sancto nec jota unum vel unum apicem habeant, cui non insit suum pondus & efficacitas: unde tanquam divina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiunt, sicut toto Psalmo 118. B. David Propheta docet.* Postremum quod in stylo consideramus est auctoritas, quæ emicat partim ex assertionibus, partim ex præceptis. Nam in narrationibus, promissionibus, minis, nullum dubitationis aut opinionis ullius vestigium est, sed perpetua, divinam certitudinem spirans, assertio. Deinde etiam præcepta non tam nituntur rationum robore, quàm voluntate & jussu Dei: ac propterea obedientiam non liberam faciunt: sed tanquam omninò necessariam, jure exigunt. Sic Lucas se testatur, *scribere veritatem*, aut potius, *non labascentem firmitatem*, Luc. 1. 4. & Johannes: *Hæc scripta sunt ut credatis, Jesum esse Christum Filium Dei, & credentes vitam habeatis, in nomine ejus*, Johan. 20. 31. Item; *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, testimonium ejus esse verum*, Johan. 21. 24. Et Apoc. 21. 18, 19. *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus; Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit aliquid de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ & ex urbe sancta, & ex iis quæ scripta sunt in libro isto.* Ac rectè Chrysostomus in Matth. Homil. 1. *Quæ enim sapientes seculi, ne per somnium quidem, aliquando imaginari potuerunt, hæc isti* (Apostoli) *cum asseveratione manifesta, annunciant, atque persuadent.* Et in Johannem Homil. 1. *Hic piscator, omnia absque dubitatione differens, tanquam petræ innixus, nulla ex parte titubat. Ipsis namque supernis penetralibus dignus habitus est, & quum omnipotentem Deum in se loquentem haberet, nihil terrenum sentit.* Sic Paulus & Petrus similiter dictorum & scriptorum suorum auctoritatem sanciunt, Galat. 1. 1. 2. Pet. 1. v. 16. Denique libros Novi Testamenti esse sacros ac divinos demonstrat divina eorum efficacia: quæ partim in conversione & correctione multorum; partim in pertinacium adversariorum subjugatione, sese exerit ac prodit. Et in conversione quidem excellit primùm reverentia & fides; quam Euangelistarum & Apostolorum scripta, in animis auditorum, divina virtute, excitant ac fovent. Nec enim humana aliqua scriptorum potentia, aut dignitate commendantur; nec ullo doctrinæ suæ cum humana ratione aut cupiditate consensu, fulciuntur, sed hominum, ob invisam nationem & conditionem, abjectorum, & ob doctrinam suam, à principibus & sapientibus hujus mundi occisorum, nomina præferunt: & doctrinam, quæ communi judicio ridicula (1. Cor. 1.) videtur, & omnium hominum cupiditatibus, humanis religionibus, legibus, & consuetudinibus adversabatur, proponunt ac persuadent. Quæ demonstratio adeo illustris est, ut nihil frequentius in patrum orthodoxorum, adversus scripturæ hostes differentium, scriptis occurrat: è quibus pauca seligemus. *Tria* (inquit Augustinus de Civitate Dei lib. 22. c. 5.) *sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est enim Christum resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne: Incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: Incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo & in illo etiam doctis persuadere potuisse.* Similiter [a] Eusebium secutus [b] Theodoretus, postquam prolixè demonstravit legum & religionum humanarum impotentiam & angustos earum fines, de Apostolis & eorum doctrina & scriptis subjicit; *At nostri illi piscatores & publicani sutorque ille noster cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solùm Romanos, quique sub Romano vivunt Imperio,* [c] *sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos, Æthiopes, Persas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, utque semel dicatur, omne hominum genus nationesque omnes induxerunt, Crucifixi leges acci-*

a Vide etiam August. contra Faustum lib. 13. c. 5. b Chrysost. in Matthæum Homil. 1. Cyrillus contra Julianum. Theodoretus Græcar. affect. curat. &c.

a Euseb. de præpar Euang. lib. 1. cap. 3. & de demonstr. Euang. lib. 3. cap. 8. & 9. b Theodoretus Græcarum affect. curat. Sermone 9. c Vide etiam Chrysost. in Matth. Homil. & in Joh. Homil. 1.

pere,

pere, non armis usi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia; sed verborum suasu, ostensa legum quas prædicabant, utilitate. Qua de re piè & doctè ante annos centum scripsit, lib. 3. de patientia c. 2. Baptista Mantuanus, monachus sui ævi doctissimus; *Sæpenumero* (inquit) *mecum cogitavi, unde tam suadibilis sit ista scriptura, unde tam potenter influat in animos auditorum: unde tantùm habeat energiæ, ut non ad opinandum tantùm, sed ad solidè credendum omnes inflectat? Non est hoc imputandum rationum evidentiæ; quas non adducit: non artis industriæ, aut verbis suavibus & ad persuadendum accommodatis; quibus non utitur. Sed vide an id in causa sit, quòd persuasi sumus, eam à prima veritate fluxisse. Sed unde sumus ita persuasi, nisi ab ipsa? quasi ad ei credendum, nos sua ipsius trahat auctoritas. Sed unde, oro, hanc sibi auctoritatem vendicavit? Neque enim vidimus nos Deum concionantem, scribentem, docentem: tamen, ac si vidissimus, credimus & tenemus à Spiritu Sancto fluxisse quæ legimus. Forsitan fuerit hæc ratio firmiter adhærendi, quòd in ea veritas sit solidior, quamvis non clarior. Habet enim omnis veritas vim inclinativam, & major majorem, & maxima maximam. Sed cur ergo non omnes credunt Euangelio? Respondeo, quod non omnes trahuntur à Deo. Sed quid longa opus est disputatione? Firmiter Sacris Scripturis ideò credimus, quod divinam inspirationem intus accipimus.* Et cap. 3. *Inest ergo Scripturis Sacris, nescio quid, imò scio, quid, natura sublimius: id est, inspiratio facta divinitus, & divina irradiationis influxus certus. Quod si & aliarum religionum Hebraicæ & Machometanæ exempla produxeris, in quibus est assensus, qui non divino influxui, sed imputandus sit consuetudini, respondemus eorum religione contineri humilia, & nihil ferè supra terram ac humana: quibus credendis quum non multum natura reluctetur, consuetudo facilè opitulatur. Nostra verò sunt sublimia, divina, cælestia, creditu difficillima, & quibus, cum fortior consuetudine natura, contradicat, necesse est, ut inspiratio foveat.* Deinde, quemadmodum Euangelistarum & Apostolorum doctrina & scripta, fidem omnium ferè gentium sibi conciliarunt; sic divinum quendam amorem veritatis & sanctitatis suæ in earum animis accenderunt. Ac veritatis quidem amorem demonstrat, non solùm fidelium libera oris confessio, sed etiam sanguinis obsignatio: quem divina quadam constantia, infinita virorum, mulierum, senum, juvenum, nobilium, ignobilium, doctorum, indoctorum turba, ad librorum Novi testamenti doctrinam confirmandam, inde ab initio, constantissimè profudit. Unde non immeritò ea virtus, martyrium, hoc est, testimonium, nimirum veritatis divinæ, & fidei ac charitatis nostræ, appellari solet. Sanctitatis verò amorem testatur subita infinitorum hominum improbissimorum, ad meliorem frugem, & gentium profanarum & crudelissimarum, ad pietatem, justitiam, temperantiam, clementiam admirandam, librorum Novi testamenti doctrina & lectione conversio. De qua re eleganter ait Theodoretus, Græcarum affection. curat. sermone 9. *Iure igitur factum est, ut verissimas de divinis humanisque rebus traditiones, non illustres eloquentia, tumidique sermones, sed simplices humilesque, ac omnibus mortalibus noti, prædicent, magnumque adeò ineffabilemque thesaurum viles admodum thecæ despicabilesque circumferant. Quantum autem roboris quantumque virtutis insitum habeant facilè is inspiciet, qui Græcorum legislatores ac Romanorum in medium proferat, iisque nostros piscatores ac publicanos in comparationem adducat. Inveniet enim illos, ne finitimis quidem persuasisse, ut ad suas leges vitam instituerent: contra autem Galilæos, non solùm Romanos, Græcosque, verùm etiam cunctas Barbaras nationes ad amorem legis Euangelicæ traduxisse, &c.* Quæ demonstratio pluribus modis eodem in loco explicatur & expolitur. Cæterùm librorum Novi Testamenti efficacia non in sola fidelium conversione & correctione sita est, sed etiam in certa de hostibus victoria apertè conspicitur. Ut enim portæ inferorum ad ecclesiam subvertendam, nihil valent, Matt. 16. sic Sacras literas, tanquam doctrinæ ecclesiæ fundamentum & canonem extinguere adversarii ipsius, tyranni, Ethnici, Judæi, hæretici, frustra conati sunt & interdum tragico interitu veritatis victoriam inviti obsignarunt. De qua re, (ut reliquos Patres sileam) memorabilis est Theodoreti demonstratio: *Cæterum* (inquit Græcarum affection. curat. Sermone 9.) *hi tot numero Imperatores, tantaque dominatione orbem regentes, confusis Barbarorum animis, clari bellicis victoriis atque illustres, manualium tamen artificum rudiumque hominum & pauperrimorum mulierumque lana & tela victum sibi quærentium, potentes minimè fuerunt: quanquam adversus eos machinamentis omnibus usi fuerunt. Quid autem grandiores natu, viros dico ac mulieres, quum ne adolescentes quidem prima literarum elementa perdoctos à Dei Servatorisque nostri cultu summovere potuerint. Itaque Corybantum more capita præ furore jactantes inciti rabie, technisque ac vafrramentis usi quàm plurimis, piscatorum leges non dissolverunt quidem, sed multò validiores oppugnando eas reddiderunt: planeque illis persimiles inventi sunt, qui flammam quidem restinguere concupiscunt, oleum verò fatui instillantes ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque, contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moses, ardore ignis non est absumtus; ita nec Christianos, impiorum bellis petitos, tela hostilia consumserunt. Quin potius sicut lignatoribus sylvam cadentibus multò plures pullulant propagines, à radicibus, quàm sint rami qui inciduntur; ita tum quoque, piis compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accedebant: cruorque ille cæsorum corporum irrigatio quædam erat novis in Ecclesiæ emergentibus plantis.* Atque hæ quidem quas hactenus recensui, sunt præcipuæ demonstrationes, quibus Sacræ Scripturæ & præsertim librorum Novi Testamenti origo divina confirmatur. Veruntamen, pro diverso & triplici ecclesiæ tempore, earum copia distinguenda est. Nam ecclesia primitiva, quæ ipsos Apostolos & Euangelistas audivit, reliquis à se derivatis, prima acceptione librorum, voce Apostolorum, & miraculorum numero excelluit. Proxima verò & media Ecclesia, durantibus Apostolorum autographis, primitivam, ampliori prophetiarum Novi Testamenti complemento, & versionum utriusque Testamenti in varias linguas frequentia, & exarato variis libris fidelium de Sacra scriptura testimonio; sequentem verò Apostolorum & Euangelistarum manu, primitivæ ecclesiæ auditione, & miraculorum numero, superavit. Postrema verò, autographis Apostolorum jam vetustate sublatis, majori saltem prophetiarum eventu primitivam & mediam ecclesiam antecedit. Unde Apocalypsis Johannis, quæ in primitiva Ecclesia fuit auctoritatis certæ, in media verò, ob hæreticorum fraudem & imprudentem multorum patrum in ea explicanda errorem multis in locis cœpit esse auctoritatis dubiæ: tandem diligentiori examine adhibito & conspicuo multarum prophetiarum eventu, potissimùm in postrema ecclesia, comprobata est, omnisque dubitandi occasio sublata. Quamobrem, ut ad quæstionem abs te propositam revertar, Costere, Matthæi Euangelium esse Sacram Scripturam demonstrant ea argumenta, quæ jam explicavi, non solum externa, sed etiam [a] interna ex ipso Euangelio & reliqua Sacra scriptura petita. Ac præsertim doctrinæ majestas, hoc est veritas (quæ apparet in communi partium singularum cum toto, & totius cum reliquo Veteris & Novi Testamenti canone, in doctrina, & ingenuitate, & prophetiarum cum eventu convenientia perpetua) sanctitas, sublimitas. Deinde styli convenientissima humilitas, pondus, auctoritas. Denique divina efficacia: quæ primum elucet in conversione ecclesiæ ad fidem & amorem sui; quæ, libera oris confessione & testificatione sanguinis, patefiunt: deinde, in clara de omnibus hostibus, qui inde ab initio restiterunt, victoria, qua irritos eorum conatus reddidit, & sæpè stimuli instar, adversus se recalcitrantibus, memorabilem perniciem, justo Dei judicio, attulit, & confessionem suæ divinæ originis expressit. Quemadmodum de Imperatore Juliano Apostata illustre & celeberrimum ejus rei specimen narratur. Nam quum Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, aliosque Novi Testamenti libros nominatim & acerrimè Christi odio [b] oppugnarit, ut eos ex animis & manibus fidelium excuteret ac perderet, non solum operam lusit, sed etiam eorum librorum auctoritatem &

a Vide August. contra Faustum lib. 8. c. 2. b Juliani Verba extant apud Cyrillum contra Jul. lib. 8. & 10.

Christi potentiam invitus[a] illustravit, & tandem conscientiæ & veritatis stimulis agitatus, confessus est. Quippe (ut refert Theodoretus Hist. ecclesiast. l. 3. c. 25.) *in bello Persico, lethali vulnere, incerto auctore, accepto, implesse manum suam ferunt sanguine, & sparso illo in aëra, dixisse, Vicisti Galilæe, simulque & victoriam confessum, & maledictum ausum esse: ita erat attonitus.* Vides igitur, Costere, nobis præter ecclesiæ testimonium plurimas superesse demonstrationes, ex ipsis Euangeliis petitas, quibus divina eorum auctoritas nobis constat. Ac sanè tanta hujus rei est claritas & veritatis robur, ut imprudentes nobis præbeatis interdum assensum, & vestrum errorem aperta contradictione subvertatis. Nam quum adversus scripturarum hostes disputandum est, quibus obsecro utimini argumentis? an solius ecclesiæ testimonio? Audiatur Bellarminus Jesuita de verbo Dei l. 1. c. 2. *At Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius: ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget. Notissimas enim esse, testis est orbis Christianus & consensio omnium gentium, apud quas multis jam seculis summam semper auctoritatem obtinuerunt: certissimas autem atque verissimas esse nec humana inventa, sed oracula divina continere, testis primò est veritas vaticiniorum, &c. Secundò testis est incredibilis quædam & planè divina conspiratio atque concordia, &c. Tertiò testis est Deus ipse, qui aliquando cælesti animadversione Scripturam hanc suam ab humana profanatione defendit, &c.* idque Theopompi exemplo probat Bellarminus. *Quartò testis est ipsa scriptura, cujus si vera fuerunt prædictiones rerum futurarum & eventus postea comprobavit: cur vera non sint rerum præsentium testimonia? &c. Postremò testis est infinitus propè numerus divinorum miraculorum, quæ omnibus seculis facta sunt, ad ea dogmata comprobanda, quæ in his literis continentur. Quare quum Sacra Scriptura regula credendi certissima tutissimaque sit, sanus profectò non erit, qui ea neglecta Spiritus interni, sæpè fallacis & semper incerti, judicio se commiserit.* Eadem accuratius & plenius à Scoto[b] recensentur, & ex eo in Resolutione Theologorum[c] super sententias: & à[d] Thoma Aquinate contra gentes. Quare vestræ doctrinæ omninò obliti & principiorum Theologiæ ignari esse videbimini, quum ea quæ adversus scripturæ hostes rectè, quamvis minus plenè, præstruxistis: ea postmodum, consueta vestra quæstione (ubi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis divinis commendatur?) destruatis. Qua de re celebris impudentiæ est Hosii cardinalis sententia, Confut. prolegom. Brentii l. 3. qua impium illud dictum, *Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate ecclesiæ*, excusare studet, & addit: *Nam revera nisi nos Ecclesiæ doceret auctoritas, hanc scripturam esse canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* Ex quo impuro Hosii fonte Enchiridii tui tubos multis in locis irrigasse videris. Nam ut hæc (quam refutavi) quæstionis pars indigna Theologo est, sic altera multò indignior de Euangeliis Nicodemi & Thomæ. Quæris enim *ubi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis divinis, potius quàm Nicodemi aut Thomæ, commendatur?* Quasi verò non totius Veteris & Novi Testamenti comparatio, & eæ demonstrationes, quas modò adduximus id perspicuè ostendant. Ut enim curvum non solùm sensu, sed etiam applicatione regulæ arguitur non esse rectum; sic ficta illa, sub Nicodemi & Thomæ nominibus, Euangelia, Sacræ Scripturæ comparata, manifestæ falsitatis convincuntur: quia omnia illa quæ scripturam sacram demonstrant, & Matthæi & Marci Euangeliis congruunt, privilegia, iis desunt. Quibus demonstrationibus orthodoxi Patres usi, ea vera Euangelia confirmarunt, ficta respuerunt. Quemadmodum Augustinus contra Faustum l. 33. cap. 6. ait, *Infelices inimici animæ vestræ, quæ unquam literæ ullum habebunt pondus auctoritatis, si Euangelica, si Apostolica non habebunt? De quo libro certum erit, cujus sit, si litera, quas Apostolorum dicit & tenet ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum sit, & hoc erit certum, scripsisse Apostolos, quos huic ecclesiæ contrarii hæretici proferunt auctorum suorum nominibus appellatos, longè post Apostolos existentium. Quasi verò in literis secularibus, non fuerint certissimi auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, & ideò repudiata, quia vel his, quæ ipsorum esse constaret minimè congruerunt; vel eo tempore, quo illo scripserint, nequaquam innotescere, & per ipsos, vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique, meruerunt.* Et idem de consensu Euangelistarum l. 1. c. 1. *Cæterique autem homines, qui de Domini, vel de Apostolorum actibus aliqua scribere conati sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, ut eis fidem haberet ecclesia; atque in auctoritatem canonicam Sanctorum librorum eorum scripta reciperet: nec solùm quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis, quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat.* Sic ante Augustinum Ambrosius Procemio in Lucam: *Sicut multi in illo* (Judæorum) *populo divino infusi Spiritu prophetaverunt; alii autem prophetare se pollicebantur & professionem destituebant mendacio. Erant enim pseudoprophetæ potius quàm prophetæ: sicut Ananias filius Azot: erat autem populi gratia discernere Spiritus, ut cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum: quos autem, quasi bonus nummularius, improbare: in quibus materia magis corrupta sorderet, quàm veri splendor luminis resultaret. Sic & nunc in Novo Testamento multi Euangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularii non probarunt.* In quo numero refert Euangelium Thomæ, &c. Nec immeritò: quia id à Manichæis conscriptum fuit; quemadmodum Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. ait; *Scripserunt & Manichæi Euangelium secundùm Thomam, quod suavi Euangelici nominis odore coloratum, simpliciorum animas perdit.* Et Hieronymus Procemio in Matthæum ait, plures fuisse qui Euangelia scripserunt, *quæ* (inquit) *à diversis auctoribus edita diversarum hæresium fuerunt principia: ut est illud, Juxta Ægyptios: & Thomam & Matthiam & Bartholomæum, duodecim quoque Apostolorum & Basilidis atque Apellis & reliquorum, quos enumerare longissimum est: quum tantùm in præsentiarum hoc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui, sine Spiritu & gratia Dei, conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ texere veritatem.* Optimè verò Eusebius, Ecclesiast. Histor. l. 3. c. 22. *Quæ sub nomine Apostolorum, sive Petri, sive Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum præterea Euangelia: aut veluti Andreæ & Johannis aut aliorum Apostolorum acta continentia ab hæreticis proferuntur, quorum nullam usquiam, vel aliquis ecclesiasticæ successionis scriptor mentionem in commentariis suis facere dignatus est. Porrò & phraseos character à consuetudine Apostolica variat, & ipsa sententia, & propositum eorum quæ in illis adferuntur plurimum à veritate rectæ doctrinæ discrepant, & quod hæreticorum sint virorum figmenta perspicuè convincunt. Quapropter ne inter adulterina quidem ponenda, sed tanquam omninò absurda & impia, aversanda sunt.* Ecce habes nunc, Costere, de Euangeliorum verorum auctoritate, & à fictis discrimine demonstrationes solidas, copiosas, perspicuas: quibus si (ut optamus) acquieveris, erit quod Deo gratias agamus: sin minus eveniat, saltem attentis & piis lectoribus satisfactum, & Jesuitarum impiam & imperitam, in primo religionis fundamento, impudentiam, perspicuè convictam esse apparebit. Quamobrem hac secunda adversus Sacræ Scripturæ perfectionem ratione multis modis refutata, ad tertiam pergamus. Objicis enim; *Ubi habetur, Duodecim articulos fidei ab Apostolis esse Ecclesiæ relictos?* Verum, id non est ad salutem necessarium, ut credamus symbolum ab Apostolis esse conflatum: sed satis est doctrinam symboli, tanquam ex Dei verbo haustam & doctrinæ Apostolicæ consentaneam, amplecti. Quandoquidem non aliunde, quàm ex S. Literis petitum & concinnatum est. Unde Episcopus vester Durandus in Lombardum l. 3. dist. 25. quæst. 2. ait; *Symbolum etiam dictum à collectione articulorum ex diversis locis scripturæ.* Et Augustinus ad Catechumenos de Symb. lib. 1. cap. 1. *Illa verba* (Symboli) *quæ audistis, per divinas scripturas sparsa sunt, inde collecta & ad unum redacta ne tardorum hominum memoria labaret.* Idem etiam docet Cassianus de incarnatione lib. 6. Quarta, qua scripturæ perfectionem oppugnas, [illegible] hæc est; *Præterea formas multorum Sacramento-*

a Theodoretus Græcarum affect. curat. Serm. 9. b Procemio in Magist. senten. c Procemio in sentent. quæst. 2. d Lib. 1. cap. 6.

mentorum justis de causis ait B. Dionysius Areopagita esse suppressas. Verum prudentius Dionysii testimonium silentio suppressisses. Primum, quia hujus scriptoris fides parvi merito, in fidei dogmatis, æstimanda est, Nec enim (ut, falsam inscriptionem secutus, opinaris) idem est Dionysius ille Areopagita, cujus Acta Apostolorum cap. 17. 34. meminerunt, sed multò recentior auctor & à puritate ac simplicitate Apostolica remotissimus: quemadmodum accuratè & perspicuè à multis demonstratum est: & quatuor insignes rationes initio bibliothecæ Photii referuntur. Nec magnam in multis, apud vos, illius esse auctoritatem, maximum plurimarum superstitionum (quas tanquam necessarias & divinas commendat) cum Pontificiæ Ecclesiæ consuetudine dissidium, perspicuè evincit. Quod non solùm ex mutua eorum comparatione: sed etiam ex ingenua Ambrosii monachi vestri confessione [a] ac demonstratione apparet. Deinde non solùm testis, quem adducis, fide indignus est; sed etiam testimonium illius mala recenses fide. Ait quidem, eo quem citas loco, Dionysius; *Precationes mysticas fas non est scripto interpretari: neque ipsarum arcanum, sive illas quæ in his ex Deo fiunt virtutes, ex adyto in publicum efferre:* sed iis verbis agit tantùm de superstitiosis precibus in mortuorum sepultura adhibitis: non autem de multorum Sacramentorum formis, ut falsò affirmas. Præterea si preces funebres ullas (ut Dionysius censet) nefas est scripto interpretari: cur omnes hujusmodi preces vestras (ut etiam Ambrosius monachus ibidem agnoscit & res ipsa testatur) variis libris tradidistis? Quare hoc tuum argumentum omninò est ἀπροσδιόνυσον. Quod verò addis, *eodem pertinent difficilium & dubiarum scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt*, illud, in quæstione de scripturæ præstantia, prolixius abs te propositum, & plenius à nobis refutatum est. Ad sextam igitur rationem procedamus. Ais enim *B. Augustinus ad Apostolicam traditionem extra scripturam refert Baptismum parvulorum:* sed iterum mala uteris in Patribus citandis fide. Ait quidem Augustinus Baptismum parvulorum esse *traditionem Apostolicam*; sed falsò assuis, *extra scripturam:* Verba enim Augustini sunt, *Consuetudo tamen matris ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque omninò superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Quod autem non intelligat traditionem extra Sacras literas, alibi (de Baptismo lib. 4. c. 24.) sese exponit, quum pædobaptismum adversus Donatistas ex Sacris literis comprobat. Deinde quamvis ea, quam fingis, fuisset Augustini sententia, fidem tamen, quum Dei verbo repugnet, minimè mereretur. Consule Pontificum Romanorum [b] decretalia, & comperies Innocentium tertium infantum Baptismum Sacris literis confirmare. Idem quatuor argumentis demonstrat antesignanus vester Eccius, Enchirid. locor. cap. 30. & Jesuita Bellarminus lib. de Baptism. c. 8. *hanc veritatem, in scriptura tribus argumentis, probari* docet. Et tandem cap. 9. subjicit; *Licet enim non inveniamus expressè mandatum, ut baptizemus infantes: tamen id & colligitur satis apertè ex scripturis, ut supra ostendimus.* Estne igitur baptismus infantum traditio extra scripturam? Sed ea iterum Pontificiæ doctrinæ, justo Dei judicio, inconstantia est: ut quæ rectè adversus Anabaptistas manu ædificastis dextra, eadem posteà insana quadam cæcitate, in errore vestro adversus scripturæ perfectionem propugnando, sinistra diruatis. Cæterùm objicis nobis postremò, *Basilium aliosque patres multa alia enumerasse, in quibus ad hoc primum scripturæ genus confugerint, invitis omnium ætatum hæreticis.* Verùm ad Basilium respondeo; primùm de fide illius loci non constare: quandoquidem ineptus quidam veterum scriptorum interpolator, pannos suos & nænias Basilii purpuræ (ut Erasmus doctè censet) intertexuit. Deinde nec vobis quidem omnia, posse probari, quæ eo in loco statuuntur & sacris literis adversari, res ipsa demonstrat: quoniam ritus, partim liberos, partim superstitiosos, *eandem*, cum Sacrarum literarum dogmatis, *habere vim ad pietatem, adeò ut iis rejectis fidei prædicatio ad nudum nomen contrahatur*, asserit. Cujusmodi ritus sunt, signatio crucis, trina in Baptismo mersio, conversio inter precandum ad Orientem, & statio inter precandum diebus Dominicis & à Paschate ad Pentecosten, &c. Quæ sigillatim copiosè ac doctè à laudatissimæ memoriæ theologo D. Withakero Disp. de S. Scriptura, qu. 6. c. 12. refutata sunt. Quibus confirmandis ut alia etiam addamus adjumenta, attende, quàm ineptis rationibus Basilius traditionum, quas recenset, originem tueatur. *Omnia* (inquit) *quæ nec intueri fas erat non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto?* Item, *hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgò veniret in contemptum.* Quasi verò hac ratione non summa religionis mysteria, de trinitate, de incarnatione Filii Dei & conceptione ex Spiritu Sancto, nativitate ex virgine, de Christi crucifixione, resurrectione, ascensione in cælum, sessione ad dextram Dei, reditu ad judicium, de prædestinatione, de meritis mortis Christi, de remissione peccatorum, Baptismo, Cœna Domini, carnis resurrectione & vita æterna: quasi, inquam, non hæc & similia summa religionis mysteria (quæ Ethnicis semper fuere ludibrio, Judæis offendiculo 1. Cor. 1.) si ea ratio valeret, sine literis tradi potius debuerunt, quàm istiusmodi, quos recenset ritus? Nec quidquam ad rem facit, quod Mosis exemplum prætendit, qui non omnia, quæ erant in templo, passus sit omnibus esse pervia. Ex eo enim nihil aliud demonstratur; quàm, distinctionem illam templorum, ex Judaicarum ceremoniarum per Christum abolitarum superstitiosa imitatione, promanasse. Imò Mosis exemplum pro nobis omninò facit. Nam quamvis non omnia, quæ in templo erant, passus sit omnium aut pedibus teri, aut oculis perlustrari; totam tamen liturgiam sacram & tabernaculi faciem, intimaque secreta accuratissimè scripsit. Præterea, si hæ rationes valerent, tum sanè temerariè fecisset, & violati mysterii reus esset Basilius, Dionysius, aliique, qui hujusmodi traditiones suis scriptis divulgarunt. Gravissimè verò Ecclesia Romana jam ab aliquot seculis peccaret, quæ Eucharistiæ administrationem, reliquosque ritus sacros, omnibus spectare volentibus libertatem permittit, & concionibus ac scriptis publicè proponit. Quorum utrumque nefas esse, hoc Basilii loco asseritur. Quare ex hisce omnibus apparet hujus quem ex Basilio adducis loci, ab imperito aliquo homine corrupti, auctoritatem non esse magni faciendam. Verùm quamvis denique genuina hæc fuisset Basilii hoc loco & tempore sententia, quia humanum est errare, & veritas errori præferenda est; à Basilio hoc in loco aberrante, ad rectius multis in locis definientem provocaremus; *Manifestus* (inquit Sermone de fide) *est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum quæ scriptura habet, vel inducere quidquam, quod scriptum non est, quum Dominus noster Iesus dicat; Oves meæ vocem meam audiunt, & præmiserit; Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab illo, quoniam non norunt vocem alienorum. Et Paulus, per humanum exemplum, vehementer prohibeat aliquid in scripturis divinis addere vel demere: quum dicit; Hominis testamentum corroboratum nemo reprobat, aut aliquid illi superstruit. Proinde quamcunque alienam à doctrina Domini vocem ita nos semper & nunc, fugiendam esse cognovimus.* Et paulò antè; *Fidi verò ministri proprium esse, scitis planè & ipsi, ut quod in conservos dispensandum ab optimo Domino concreditum habet, hoc illis servet purum ac syncerum. Itaque & ego quæ ex scriptura divina agnovi, hæc vobis pro beneplacito Dei, ad communem utilitatem, proponere debeo. Si enim Dominus ipse, in quo beneplacitum est Patri, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, qui omnem potestatem & omne judicium à Patre accepit, Mandatum* (inquit) *mihi dedit, quid dicam & quid loquor: & iterum; Quæ igitur ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor: Et Spiritus Sanctus à seipso non loquitur, sed quæcunque audit ab ipso, hæc & loquitur: quanto magis nobis pium scilicet est & cautum, hoc sentire & facere in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Nec alibi aliter docet Basilius quæst. 95. Nam in definitionibus contractis ait; *Necessarium enim est & consonum, ut ex Sacra quisque scriptura,* quod

[a] Scholiis in Dionysium de Eccl. Hierarchia. [b] Decret. lib. 3. tit. 42. cap. 3. Majores.

quod necesse sit, discat, cùm ad Dei cultus plerophoriam, tum ne assuescat humanis traditionibus. Et postea ibid. qu. 98. *Erga Deum animatus debet esse, tanquam minister Christi & dispensator mysteriorum Dei, metuens ne quid, præter voluntatem Dei in scripturis certò expressam, vel dicat, vel instituat, & inveniatur falsus testis aut sacrilegus, in eo quod inducit alienum quid à doctrina Dei, aut omittat aliquid placitorum Dei.* Et Ethicorum fine quæst. 3. *Si enim quidquid ex fide non est, peccatum est, sicut dicit Apostolus: fides verò ex auditu, auditus autem per verbum Dei est: Ergo quidquid extra divinam scripturam est, cùm ex fide non sit, peccatum est.* Ex hisce omnibus constat, Basilium, non minus doctè quàm perspicuè Pontificiorum errorem refutare. Quod verò Augustinum epist. 3. ad Volusianum, ad oram libri testem indicas, iterum malam tuam in patrum scriptis fidem prodis. Nam quod ille in ea epistola ait, *de me mihi magis quàm ulli alteri credas:* id in hujus loci citatione, si quis observarit, & Augustino potius, quàm tibi crediderit, animadvertet quàm primùm, illum duas ad Sacrarum literarum laudem sententias adferre; de traditionibus verò non scriptis, omninò silere. Itaque nulla est (ut censes) hæresis aut impudentia, sed divina veritas & orthodoxa patrum doctrina, quod Sacris Literis non solum præcipua, sed etiam omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata contineri, affirmamus.

COSTERUS.

Objectiones Hæreticorum.

PRIMA est ex cap. 20. Johannis; *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus:* Ergo omnia quæ ad fidem pertinent scripta sunt.

SOLUTIO.

CONSEQUENTIA non valet, sed inferendum potius erat; Ergo ea literis testata fuerunt à Johanne de Christo, quæ ad salutem erant scitu omnibus necessaria: quod ultrò damus. Plura autem ad fidem pertinent, quàm omnes nosse teneantur. Pauca capita novisse sufficit ad salutem: de reliquis satis est, contrarium pertinaciter non tueri. His porro verbis beatus Johannes indicare videtur, quid se ad scribendum Euangelium moverit, nempe ut se adversus hæreticos (maximè Cerinthum & tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse) divinam ipsius naturam commonstraret: quod ait se abundè enumeratione miraculorum fecisse.

GOMARUS.

HACTENUS quæ contra Sacrarum literarum perfectionem abs te disputata sunt, confutavimus: superest, ut argumenta, quæ ab orthodoxis proferuntur, à responsione tua vindicemus. Quum autem plurima sint & illustria, duo tantùm selegisti, quæ *hæreticorum objectiones*, censoria auctoritate, appellas: sed quam iniquè, ex sequentibus constabit. Ac primum quod ea quæ ad salutem scitu omnibus necessaria sunt & ad eam sufficiunt à Johanne tradita esse ultrò concedis, lubenter amplectimur, atque hoc pacto sententiam nostram confirmamus. Quod continet ea quorum notitia ad salutem sufficit, in eo nihil scitu necessarium desideratur; quia hæc contraria sunt: atqui Sacræ literæ, ex tua confessione, sunt ejusmodi: ac propterea falso ante statuisti, in iis multa scitu necessaria desiderari. Atque id etiam confirmat Patrum consensus. Ac primùm Augustini in Johannem tractatu 49. *Nam quum multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse Sanctus Euangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse quæ scripta non sunt: electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Deinde Cyrilli in Johannem l. 2. c. 68. *Non igitur omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores, quàm ad dogmata, putarunt sufficere, ut recta fide & operibus rutilantes ad regnum cœlorum perveniamus, in Domino nostro Iesu Christo.* Ceterum quòd ais; *Plura autem ad fidem pertinent quàm omnes nosse teneamur*, nihil dici potest inconstantius. Nam *ad fidem pertinere*, & *quod nosse teneamur* idem valere in statu quæstionis & explicatione illius satis declarasti. In iis enim hæc tria, *Quæ credere oportet, Quæ ad fidem pertinent; Omnia creditu & scitu necessaria*, eodem sensu abs te proposita sunt. Sed inquis, *pauca capita novisse sufficit ad salutem, de reliquis verò satis est contrarium pertinaciter non tueri.* At quænam ea sunt capita? nonne quæ Symbolum Apostolorum præscribit? At illa omnia creditu necessaria continere, & præcipua quidem capita apertè, reliqua necessaria consequentia, communi orthodoxorum patrum consensu constat. Unde *fidem* & *regulam fidei* communiter appellarunt. Quamobrem recta est consequentia. Quod verò subjicis; *Johannes indicare videtur quid se ad scribendum Euangelium moverit; benè* mones: sed quod ais; *nempe ut adversus hæreticos (maximè) Cerinthum & tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse) divinam ipsius naturam, commonstraret, quod ait se abundè enumeratione miraculorum fecisse:* id, inquam, minus benè asseritur. Nec enim de miraculis solum loquitur Johannes, quum ait; *hæc autem scripta sunt*; sed de iis, & reliquis omnibus quæ antecedunt: nec hæreticos solum refutandos sibi proposuit; sed eadem opera doctrinam fidei Christianæ accuratè docere. Nam quemadmodum quum Paulus de summa euangelii 1. Cor. 2. 1, 2. ait, *non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum & hunc crucifixum*; ita & Johannes universam Euangelii doctrinam fide ea, qua Jesum esse Christum Filium Dei credimus, summatim complexus est. Itaque meritò statuimus omnia fidei Christianæ dogmata Euangelio Johannis contineri. Rectè enim ait Cyrillus Præfatione in Euangelium Johannis, *Exquisita profectò est divinitusque defluxa omnium Euangelistarum doctrina. Nam quum, quasi ab alta specula, cuncta circumspiciat, auditorum undique commodum, ita diligenti studio colligit; ut qui veritatem divinorum sitiunt dogmatum (si recto animo scripturarum sensum inquirunt) facilè quidquid eis conferat, in ea inveniant.* Et Chrysostomus in Euang. Joh. prologo. de Johanne ait: *Quæ omnia hic nobis Euangelista accuratè explicat, quum ipsi regi incredibili sit amore devinctus: imò, & ipsum in se loquentem contineat, audieritque ab eo quæcunque ipse à Patre acceperit, vos dixi amicos* (inquit Joh. 15.) *quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quare asserta jam prioris argumenti nostri veritate, ad alterum procedamus.

COSTERUS.

SECUNDA.

ACTORUM primo; *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis, per Spiritum Sanctum quos elegit, assumtus est:* ergo omnia Christi facta dictaque literis mandata sunt.

SOLUTIO.

CONSTAT beatum Lucam, non omnia scripsisse, quæ Jesus fecit, aut docuit, quum vix quicquam eorum, quæ B. Johannes suo Euangelio comprehendit, ipse attigerit. Veluti de cæco nato, Joh. 9. 1. de paralytico ad probaticam piscinam curato, Joh. 5. 5. de aqua in vinum conversa, Johan. 2. 9. de Lazaro suscitato, Joh. 11. 49. præterea insignia illa colloquia habita cum Nicodemo, Johan. 3. 1. cum Samaritana, Joh. 4. 7. cum Capharnaitis, Joh. 6. 26. & cum Apostolis, absoluta Cæna agni Paschalis. Neque sic loquitur B. Lucas: *scripsi omnia:* sed *sermonem feci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere*, Actor. 1. 1. hoc est, (ut beatus Chrysostomus interpretatur) summatim aliquid de omnibus attigi, quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit, & qualis noster Jesus.

GOMA-

Gomarus.

Agnosco quidem argumentum nostrum, Costere, in antecedente: sed fraudem tuam in conclusione illius. Non enim omnia Christi facta dictaque literis mandata unquam docuimus, sed ea tantum quæ saluti nostræ sufficerent. Quemadmodum Glossa vestra interlinearis rectè interpretatur, Actor. 1. *omnibus modis doctrinæ & quantum singulorum fidei sufficit sacerdotum.* Itaque quod pluribus probare contendis, non omnia Christi dicta factaque Euangelio contineri, operam omninò perdis. Magnum profectò & perspicuum malæ causæ vestræ indicium. Nec meliori fide Chrysostomi interpretationem adducis. Hæc enim expressa illius sunt verba; *Non dixit omnia, sed de omnibus: perinde ac si quis dicat summatim & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt urgentque.* Itaque quod de tuo hæc allinis, *quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit, & qualis noster Jesus*, & Chrysostomo injuriam facis & lectori fucum. Atque hanc de hujus loci interpretatione & Euangeliorum perfectione sententiam, ipsemet Lucas, initio sui Euangelii, apertè probat, & vestri interpretes fatentur. *Visum* (inquit Luc. 1. 3. 4.) *est & mihi assecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, Optime Theophile: ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Ad quem locum Lyranus in Luc. c. 1. ait: *Accipitur hîc omnia: quod scripsit de omnibus necessariis, quorum notitia erat necessaria ad salutem.* Quare hæc argumenta nostra adversus responsiones tuas invicta perstant. Cæterùm plurima alia à nostris adducuntur, quibus Sacrarum literarum perfectio demonstratur. E quibus quædam ad veritatis illustrationem proferemus. Primum est ex Mose; *Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, Deut. 4. 2. Et expressiùs; *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas*, Deut. 12. 32. Qua de re convenienter & doctè episcopus vester Durandus in magistr. Sentent. lib. 3. dist. 25. qu. 2. ait; *Sacra Scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid addere vel minuere, secundùm id quod habetur, Deut. 4. Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, nec auferetis ab eo.* Et ibid. in præfat. lib. 1. *Modus enim est non excedere mensuram fidei. De qua dicit Apostolus, Rom. 12. Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Quæ quidem mensura in duobus consistit, videlicet, ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est, nec attribuatur fidei illud, quod sub fide non est. Utroque enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia Sacræ scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur.* Alterum, ex Esaia, Esa. 29. 13. & Christo Matth. 15. 9. *Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Tertium, ex Christi testimonio: *Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*, Joh. 5. 39. Quartum ex Apostoli Pauli confessione petitum est hujusmodi; Quod omnia continet quæ Paulus Apostolus docuit, illud habet omnia fidei & charitatis dogmata, quæ ad salutem necessaria sunt: quia Paulus Act. 20. 20. ait; *Vos scitis, ut nihil subterfugerim eorum, quo minus ea vobis annunciarem & docerem vos.* Item, Act. 20. 27. *Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* At verò Sacræ literæ omnia ea complectuntur quæ Paulus docuit, quemadmodum ipse aperte profitetur; *Auxilium à Deo nactus perstiti in hunc usque diem, testificans tum parvis tum magnis, nec quidquam dicens extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt*, Act. 26. 22. Quamobrem, quis de Scripturarum perfectione, merito dubitet? Quintum ex eodem argumentum est; Quod nos potest sapientes reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christum Jesum, illud omnia quæ ad salutem necessaria sunt, comprehendit. Quare, quum Sacræ literæ, teste Apostolo, 2. Tim. 3. 15. sint ejusmodi, sequitur omnia in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, contineri. Sextum argumentum est; Quod hominem Dei perfectum reddit ad omne opus bonum perfectè instructum, in eo nihil ad salutem necessarium deest. Paulus verò hanc laudem Sacris literis expressa sententia asscribit, 2. Tim. 3. 15. quam Sanctus vester Thomas Aquinas, (quem Angelicum doctorem & optimum Pauli interpretem vulgo nominatis) eodem modo interpretatur, Comm. in 2. Tim. 3. lect. 3. *Sic ergo quadruplex* (inquit) *effectus Sacræ scripturæ: scilicet, docere veritatem: arguere falsitatem quantum ad speculativam: eripere à malo & inducere ad bonum, quantum ad practicam: ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum. Non enim qualitercunque bonum facit, sed perficit; Heb. 6. Ad perfectionem feramur. Et dicit, ut perfectus sit homo Dei: quia non potest esse homo perfectus, nisi sit homo Dei. Perfectum enim est cui nihil deest.* Nec aliter Chrysostomus Comm. in Johan. 5. Hom. 39. ad illa Christi verba, *(Scrutamini scripturas)* exponit; *Ad quarum* (scripturarum) *eos testimonium relegat; hoc nos exemplo, adversus hæreticos, hinc arma sumamus. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, 2. Tim. 3. 16. *non aliis abundet: aliis careat: hic enim non est perfectus.* Ergo Sacræ literæ omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, perfectè comprehendunt. Unde *fidei canonem, mensuram, stateras, fundamentum & Dei testamenta*, Gal. 3. 17. (quibus nihil addi aut demi potest) Deo prævio, Ecclesia Dei, semper appellavit. Ac propterea celebratur meritò apud omnes illud Hieronymi dictum in Matt. 23. *Quia hoc de Scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Tanta denique hujus rei est perspicuitas, ut Pontificiorum celeberrimi doctores idem asserant. Nam præter Thomam & Durandum, quorum jam memini, Scotus in Sent. lib. 1. prologi, quæst. 2. id expresse docet, &, ex Scoto, Resolutio Theologorum super sententias ait Tract. 1. proœmii quæst. 2. *His præmissis ponitur talis conclusio; Doctrina supernaturalis nobis necessaria, utiliter & sufficienter habetur in sacra scriptura.* Idemque ante sex annos Doctor Elutherus Albergonus, Mediolanensis Theologus in Resolutione doctrinæ Scoticæ, Prolog. qu. 2. repetivit.

Caput VI.

Ex quibus omnibus meritò concludimus divinam esse Sacrarum literarum perfectionem. Quare ad facilitatem excutiendam pergemus.

Costerus.

Sitne Scriptura facilis intellectu.

Multa in Sacris literis esse perspicua negandum non est: omnia autem esse hujusmodi, ut sine labore à quovis intelligi possint, etiam illa loca, quæ dogmata fidei continent, cum experientia pugnat. Sufficient pauca exempla: 1. Pet. 3. 19. *In quo & his qui in carcere* [a] *erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant patientiam Dei in diebus Noë.* 1. Corinth. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Rom. 10. 6. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit. Ne dixeris in corde tuo: quis ascendat in cælum? id est Christum* [a] *deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit scriptura? Propè est verbum in ore tuo.* 1. Cor. 3. 15. *Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Beatus Petrus, 2. Epist. 3. 16. fatetur in epistolis Paulinis *multa esse difficilia, quæ indocti depravant.* Ac proinde (ut B. Augustinus auctor est, Lib. 83. qu. 76. Et præfat. Psal. 31.) B. Jacobus Apostolus ad correctionem eorum, qui beatum Paulum malè intellexerant de justificatione ex fide loquentem, epistolam suam conscripsit. Quod etiam reliquos Apostolos fecisse B. Augustinus libro de fide & operibus Cap. 14. affirmat, his verbis; *Quia hæc opinio de sola fide tunc fuerat exor-*

a Error. nam in Græco tantùm est, *qui in carcere*, nempe sunt, non autem erant.

a Vide August. lib. de fide & operib. cap. 15.

ta, alia Apostolicæ literæ Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse.

GOMARUS.

QUEMADMODUM in superiori quæstione proponenda mala usus es fide: sic, in facilitate sacrarum literarum oppugnanda, tui & reliquorum Pontificiorum dissimilis esse noluisti. Nec enim ea (quam fingis) inter nos est controversia; *An omnia in Sacris literis adeò perspicua sint, ut sine labore à quovis intelligi possint, etiam ea loca quæ fidei dogmata continent?* (quis enim adeò imprudens, aut impudens esse possit, quin multa in sacris literis obscura esse fateatur?) sed, *an omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata, perspicuè in sacris literis reperiantur, adeò ut ad veritatem salutarem certò cognoscendam sibi ipsa sufficiant?* Nostri, ex verbi divini sensu & orthodoxo patrum consensu, id affirmant & confirmant. *Lex Domini* (ait David Psa. 19. 8, 9.) *immaculata, convertens animam; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et Psal. 119. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Et Salomon, Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ.* Et Petrus Apostolus, 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Paulus 2. Tim. 3. 15, 16, 17. *Tu verò permane in his, quæ didicisti & credita sunt tibi, sciens à quo didsceris. Et quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Tota scriptura divinitus est inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Contra verò Pontificii negant, omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata Sacris literis perspicuè contineri: ac contrà statuunt, sacras literas ad certam sui in salutaribus dogmatis intelligentiam, & ad controversias, (quæ de ea re oriuntur) dirimendas non sufficere, sed ad utrumque necessarias esse traditiones & patrum scripta: quemadmodum ex iis, quæ supra in quæstione de scripturæ præstantia docuisti, perspicuè apparet. *Unde* (inquis Pag. 46.) *quando in religione quæstio movetur de Christi divinitate, de sanctorum invocatione, de cultu imaginum, similibusque rebus, de quibus scriptura divina in membrana relicta, quædam ad aliorum mentem dicere videtur, &c. inspicienda atque pervolutanda sunt viva in corde ecclesiæ divinitus impressa & inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis commentariis ac certissimis explanationibus acquiescere debemus.* Idem prolixius & apertius Martinus Peresius Guidixiensis episcopus (De divinis traditionibus par. 1. De scriptura assert. 3.) exponit. Quare quum genuinum quæstionis statum compertum habeatis: magna profectò impudentia est, quod eum prudentes non dissimulatis solùm, sed etiam pervertitis omninò. Itaque quod multa Sacrarum literarum loca, etiam quæ dogmata fidei continent, difficilia esse probare studes, non nobiscum, sed cum umbra tua, luctaris. Etsi enim nonnulla etiam fidei dogmata, quibusdam in locis, ut exerceamur, proponantur obscurius, alibi tamen, ad salutem nostram clarius explicantur. Deinde, quòd addis, *Petrum fateri in epistolis Paulinis multa esse difficilia, quæ indocti depravant:* id à veritate alienum est. Nec enim ait πολλὰ *multa*, sed τινὰ *quædam*. Verùm licet ea esset Petri sententia, nostram tamen doctrinam minimè offenderet. Sed alia instas via.

COSTERUS.

PORRO ipsimet hæretici fateri coguntur multorum locorum obscuritatem, dum scripturas quasdam contra ecclesiæ totius sensum hactenus inauditis adeoque inter se pugnantibus interpretationibus exponunt. Unica hæc sententia; *Hoc est corpus meum*, catholicis significat verum Christi corpus sub panis specie in sanctissima Eucharistia adesse: Lutheranis verò, adesse cum corpore panem: Calvinistis autem, solum panem, sine corpore Domini. Similis est ratio scripturarum omnium, quibus ad suas hæreses confirmandas, variè hæretici abutuntur, quas catholica ecclesia, jam usque ab Apostolicis temporibus ducta, pro fide orthodoxa interpretatur.

Veteres omnes ecclesiæ doctores agnoverunt scripturarum difficultatem: ad quas intelligendas B. Basilius & Nazianzenus tredecim annis in monasterio constiterunt. [a] B. Hieronymus relictis negotiis Romanis in Bethlehem se contulit. S. Chrysostomus ab ipsomet B. Paulo Apostolo institutus legitur. Et B. Gregorius Pontifex à Sp. Sancto: quem Petrus Diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielem dictabat. Augustinus sic ait, lib. 2. c. 6. de doctrina Christiana; *Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt scripturas aliud pro alio sumentes: quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inveniunt, ita obscurè quædam dicta caliginem obducunt. Obscuritatibus hisce* (ait idem B. Augustin. Sent. 67. Prosperi.) *non temere à Spiritu Sancto scripturas esse tectas, sed ob id maximè ne vilescant, & exerceant, ut pascant.* Vult enim Deus orationibus, meditationibus, & studiis suorum verborum intellectum communicari, non vanis, non ambitiosis, non mundo addictis.

a Ruff. lib. 2. Hist. cap. 9.

GOMARUS.

FATENTUR sanè nostri (quos iniquè *hæreticos* appellas) multorum locorum obscuritatem: sed quod eos *scripturas quasdam contra ecclesiæ totius sensum hactenus inauditis adeoq; inter se pugnantibus interpretationibus exponere* affirmas, qua ratione demonstrabis? *Unica*, inquis, *hæc sententia; Hoc est corpus meum, catholicis significat verum Christi corpus sub panis specie in sanctissima Eucharistia adesse.* Imò verò, veri catholici non speciem panis in cœna Domini, sed verum panem statuunt: nec Christi corpus, sub specie panis, in terris latere, sed in cælo gloriosè, ad judicii diem permanere, ex Dei verbo, sensus experientia, & orthodoxa antiquitate agnoscunt. Contra verò Pseudocatholici Pontificii hisce omnibus repugnant, ut ex iis quæ libro superiore demonstravi, apparet. Quare laudem veritatis promeretur Lutherus, quod errori vestro de specie panis renunciarit: sed in eo miseratione dignus, quod in doctrina de corporis Christi præsentia, veteris fermenti Pontificii nonnihil reservarit. Quod quum nostri perspicuo Dei verbo expurgarint, frustra sententiarum repugnantiam ad Scripturarum obscuritatem demonstrandam nobis objectas. Nam, quod à nobis hac in re dissentiunt Lutherani, id nequaquam Sacrarum literarum arguit obscuritatem, sed erroris pontificii caliginem: unde tandem ut speramus, penitus emergent. Interea sanctè cum Augustino & antiquo Pontificum Romanorum [a] decreto Christi verba exponimus; *Hic panis est Sacramentum corporis Christi.* Deinde, quòd ex diuturno Basilii, Gregorii Nazianzeni, & Hieronymi, ad sacrarum literarum intelligentiam comparandam studio, earundem colligis difficultatem, actum agis: sed ut aliquid obtineas, Costere, id quod in quæstione positum est, illis auctoribus proba, si potes. Non enim tam diu in Sacras literas incubuerunt, ut quæ ad salutem necessaria sunt, haurirent: sed, quod majoris difficultatis est, ut ad ecclesiam docendam sese compararent. Porrò, ne seria hæc sua careant fabula, *Chrysostomus* (ais) *ab ipsomet Paulo institutus legitur:* at ubi quæso? miror cur non idem de Thoma Aquinate sancto vestro adjeceris, Bartholomæum de Spina Monachum secutus, qui ait In 2. 2. Thomæ Aqu. in præfatione: *Oranti suppliciterque deprecanti Thomæ ante crucifixi imaginem, ut de doctrina sua soliditate certior fieri mereretur: voce patenti per os imaginis nonnullis fratribus, qui divum doctorem orantem observare consueverant, audientibus, respondit Christus; Benè scripsisti de me Thoma. Hoc ipsum alias beatissima virgo per os itidem suæ imaginis, quæ coram Sanctus orabat, apertissimè protestata est. Beatissimi etiam senatus Apostolici principes, Petrus & Paulus, de passu dubio, prophetæ: eundem ple-*

a De Consecratione distin. 2. Can. Hoc est.

nius

nius personaliter instruxerunt. Et per seipsum alias Paulus (ut fratri in spiritu rapto videre & audire concessum est) idem divo Thomæ percunctanti, si in epistolis suis clarum habuerit intellectum, respondit; Quantum humanus capere queat intellectus. Ejusdem farinæ est quod addis, *Beatum Gregorium Pontificem à Spiritu Sancto (quem Petrus Diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielem dictabat) institutum.* Quas omnes putidas esse fabulas, ex Chrysostomi, Thomæ & Gregorii cum Sacris literis comparatione, pluribus, si opus esset, demonstrari potest. Ac sanè perquàm absurdum est, quod ineptissima hæc figmenta tibi arriserint potius, quàm ipsiusmet Gregorii in procem. in Ezech. non minus vera, quàm modesta, confessio, qua commentarios suos in Ezechielem, Ambrosii & Augustini scriptis, longo intervallo, postponit. Quare si quid probare voles, semotis fabulis, quæ reipsa confutantur, seria argumenta propone, aut potius Chrysostomum quem ab ipsomet Paulo institutum ais) de scripturæ claritate adversus Pontificios testantem audi Comm. ad Rom. 1. *Et vos itaque si lectioni epistolarum Pauli, cum animi alacritate volueritis attendere, nullo alio præterea opus habebitis. Verus enim est sermo Christi, quum dicit; Quærite & invenietis, pulsate & aperietur.* Et Comm. in Joh. Hom. 1. *Idcirco nulla caligine, nullis tenebris suam operuit doctrinam, ut illi* (philosophi) *oratione sua pravis opinionibus obscuritatem, tanquam velum quoddam indiderunt. Hujus autem doctrina sole clarior est atque illustrior, ideoque in omnes mortales propagata, &c. Omni ejecto satanæ fastigio atque illuvie, tanta doctrinam suam perfudit facilitate, ut non modò sapientibus, sed & mulierculis, adolescentulis, quidquid dixerit ante oculos poneret.* Nec ea quam ex Augustino objicis sententia, nobis quidquam adversatur. Nam multa obscurè in Sacris literis proponi, nemini dubium est, sed an inde consequitur, non omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata, ad salutem necessaria, in Sacris literis perspicuè reperiri? Ea enim inter nos controversia est. Imò verò contrarium omninò, eodem in loco, docet Augustinus; *Magnificè & salubriter* (inquit de Doctrina Christ. lib. 2. cap. 6.) *Sp. Sanctus ita scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere, de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Et postea cap. 9. *In iis, quæ aperte in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi; spem scilicet atque charitatem.* Et Epist. 3. ad Volusian. *Invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens: sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter prava corriguntur & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.* Quare ex hisce concludimus omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria perspicuè in Sacris Literis reperiri, adeò ut, ad veritatem salutarem certò cognoscendam, sibi ipsæ sufficiant.

CAPUT VII.

Cæterùm quid de Sacrarum literarum lectione statuendum sit, excutiamus.

COSTERUS.

An vulgo permittenda sit scripturæ lectio.

BEATUS Johannes Chrysostomus multus est in adhortandis suis civibus ad scripturarum lectionem, ut quæ omnibus datæ sunt, ab omnibus legantur. *Nec recedat volumen legis hujus ab ore nostro, sed meditemur in eo diebus & noctibus, ut custodiamus & faciamus omnia quæ scripta sunt in eo, & dirigamus viam nostram, & intelligamus eam,* Jos. 1. 8. De modo autem legendi est quæstio: An sic permittenda sit vulgo scripturarum lectio, ut simul penes omnes sit jus eas interpretandi? Quem quidem nodum non est difficile ex iis, quæ paulò superius diximus, expedire. Si enim oracula divina multis magnisque sunt obstructa difficultatibus, non quivis unus è populo, sed ii soli, qui magno studio & labore difficultatem omnem superarunt, erunt ad ea explicanda atque evolvenda accommodati. [a] Oritur autem obscuritas & difficultas variis ex causis: primò quidem ex difficultate rei, quæ tractatur: quam ob causam epistolæ B. Pauli præsertim ad Romanos & Galatas, multa ingenia magnorum virorum non parum fatigarunt. Deinde ex phrasibus, vel Græcis, vel Hebræis, quibus plenæ sunt scripturæ omnes. Præterea ex consuetudinibus quibusdam veteris ecclesiæ, certas ob causas paulatim mutatis. Quo modo totum caput decimum quartum primæ ad Corinthios est intricatum, & quod capite sequenti dicitur: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* 1. Cor. 15. 29. varios habet sensus. Rursus ex profunditate rei ipsius cælestis & altitudine doctrinæ, quam mens imbecillis attingere nequit. Quis quæso intelligit, quod ad Eph. 3. 10. scribitur; *Ut innotescat principibus & potestatibus in cælestibus, per ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Et postea Eph. 3. 18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum.* Denique ex mysteriis, quæ similitudinibus explicantur, quæ res facit, ut tota Apocalypsis B. Johannis inexplicabili obscuritate lateat involuta.

a Causæ obscuritatis scripturarum.

GOMARUS.

QUÆNAM hæc inconstantia est Costere? amphora cœpit institui, currente rota cur urceus exit? Quæstionem de Sacrarum literarum lectione præfigis, ac subitò, quasi tui oblitus, ad earum interpretationem desultas. Quæ sanè longè alia quæstio est: ac propterea distinctè explicari solet. Verùm tamen quum scripturæ lectionem non modò licitam omnibus, sed etiam mandatam, agnoscas, in eo robur elucet veritatis, cui frustra Pontificii doctores reluctantur. Nam quod ea de re controversiam esse negas, eadem opera solem in meridie lucere negaveris. Sic enim in indice librorum prohibitorum à Pio quarto Pontifice decretum extat Reg. 4. *Quum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua, passim sine discrimine, permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessionarii, Bibliorum à catholicis auctoribus versorum lectionem, in vulgari lingua, eis concedere possint, quos intellexerunt, ex hujusmodi lectione, non damni, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Eandem sententiam tuentur doctores vestri, Peresius De traditionibus par. 1. assert. 3. Bellarminus De verbo Dei l. 2. c. 15. & alii quàm plurimi. Sed quoniam te hujus Pontificii erroris meritò pudet, & quasi deserto vadimonio Sacrarum literarum lectionem permittis omnibus, gratulor tibi, hanc correctionem, & Deum precor, ut te magis magisque ex tenebris Pontificiis educat. Ad interpretationem igitur transeamus. Ea autem est duplex; publica, quæ in Ecclesia publicè docenda consistit: & privata, quæ in usu privato occupatur. Ad priorem, vocationem [a] legitimam & doctrinam [b] solidiorem, requirimus: ab altera verò neminem excludimus fidelium, qui donorum suorum [c] mensuram minimè excesserit, &, adhibita diligentia, rectam interpretandi viam fuerit secutus. Contrarium verò Peresius & alii Pontificii doctores docent. Utri autem verius & sanctius disserant, quæstio est? *Quem nodum* (ut rectè mones) *non est difficile ex iis, quæ paulo superius diximus, expedire:* sed alia quàm arbitraris ratione. Nam quum ea quæ ad salutem necessaria sunt, satis perspicuè in Sacris literis reperiri, demonstratum sit, quis ab iis pro modulo exponendis Christianos repellat? Quamvis enim ad majores difficultates explicandas, non quivis è populo accommodati sint, an propterea penitus, tanquam profani, aut judicii expertes, ab omni Sacrarum lite-

a Rom. 10. 15. b Tit. 1. 9. c Rom. 12. 6.

literarum interpretatione arceri debent? Quod etiam causas obscuritatis multorum scripturæ locorum commemoras, id sententiam nostram non evertit. Sint sanè multa in Sacris literis difficilia, quæ etiam doctos exerceant: non pauca tamen adeò perspicua sunt, partim per se, partim fideli piorum & doctorum interpretum in Sacris literis conferendis industria, & rei experientia, ut etiam à vulgo, adhibita diligentia, intelligi, & utiliter explicari possint. Nam (ut reliqua sileam) quid in Sacris literis obscurius Apocalypsi Johannis? at tamen non *tota* (ut falsò judicas) *inexplicabili obscuritate latet involuta:* sed multa complectitur, quæ partim sua luce perspicua, partim prophetiarum eventu illustrata sunt. Quare non omnis Sacrarum literarum interpretatio vulgo deroganda est, quod ex sequentibus clarius constabit.

COSTERUS.

Scriptura à magistris discenda.

QUEMADMODUM igitur ars nulla sine magistro discitur, neque auctor etiam profanus sine studio intelligitur; ita nec Scripturæ cognitio, sine labore & opera doctoris, haberi potest. Et sicut ne vilis quidem opifex in his, quæ artis suæ sunt, ab imperito illius artis viro, admoneri se patitur, sic admittendi non sunt ad Sacrarum rerum interpretationem, qui non prius illis operam dederunt; ne meritò illis objiciatur tritum illud; *Ne sutor ultra crepidam.* Sicut enim in hac Ecclesiæ Republica distincta videmus officia sartorum, sutorum, fabrorum, laniorum, qui suis opificiis Christianos in ecclesia adjuvant: ita ex Sacris literis discimus, *aliquos esse pastores & doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi,* Ephes. 4. 11.

GOMARUS.

FATEMUR, Costere, scripturæ cognitionem sine labore & opera doctoris haberi non posse: ac propterea meritò doctrinam Pontificiam aversamur, quæ hunc lectionis & examinis Sacrarum literarum laborem non omnibus permittit. Contrà verò in eo maximè occupamur, ut quosvis, ad serium divini verbi studium, excitemus & inflammemus. Rectè enim Chrysostomus de Lazaro Concione 3. *Magna adversus peccatum munitio est scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum scripturarum ignoratio, magna salutis perditio nihil scire ex divinis legibus. Ea res & hæreses peperit, ea vitam corruptam invexit. Hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque scripturarum lectione fruatur.* Nec ad diligentem solùm scripturæ lectionem & meditationem, sed etiam ad doctorum & piorum ecclesiæ pastorum conciones audiendas, easque ad verbum Dei examinandas, adhortamur. Qua in re ut Deum sequimur ductorem, ita meritò à sententia Pontificia dissidemus. Vos enim plusquam Pharisaica arrogantia, Christianorum vulgo rerum sacrarum imperitiam, vobis verò scientiam & judicium earum arrogatis. Ut enim Pharisæi suis ministris Christum laudantibus responderunt; Joh. 7. 48. 49. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicta est:* & postea liberam & ingenuam cæci à Christo sanati confessionem & sui reprehensionem non ferentes, ei dixerunt; *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Johan. 9. 34. Sic vestros doctores à fidelibus auditoribus (quos animales & carnales, ut vos spirituales, appellatis) admoneri minimè sustinetis. Nimirum quòd vestro judicio *imperiti* sint, & *sacris literis operam non dederint.* Hinc illud objicis, *Ne sutor ultra crepidam.* Quæ sanè turpis in Christi ecclesiam contumelia est. Nam quamvis fidelium vulgus comparatione quadam cum doctioribus imperitum & indoctum appellari possit; non propterea tamen prorsus imperitum est. Nam dispari fructu diu multumque Sacris literis operam dedit: ac primùm quidem institutione majorum; quemadmodum Timotheus *novisse* dicitur *Sacras Literas à puero*, 2. Timoth. 3. v. 15. deinde publica catechesi: præterea attenta concionum sacrarum per multos annos auditione & ad Dei verbum examine: denique pia & diligenti Sacrarum Literarum lectione, & piorum commentariorum aliorumque de doctrina Christiana librorum collatione. Qua de re insignis Chrysostomi in Johannem Homil. 10. adhortatio; *Quid igitur à vobis contendimus? ut una dierum in hebdomade, vel saltem sabbatho, cura vobis sit Euangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter sensum disquirere, quid clarum, quid obscurum in his sit, annotare velitis, quid pugnare videatur, quum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus, quàm attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parum utrisque nostrum emolumenti provenerit: siquidem nobis non multo opus erit labore, ut Euangelii vim ostendamus, quum domi, ipsam vobis sententiam, quantum ad verba, jam familiarem reddideritis: vos autem & acutiores & perspicaciores efficiemini, non ad audiendum & doctrinam duntaxat percipiendam, sed & ad docendum alios.* Ideoque virum eloquentissimum & optimum Apollo non puduit plenius in doctrina Christiana à plebeis hominibus Aquila & potissimùm Priscilla uxore Aquilæ institui, Actor. 18. 26. Ex quibus satis apparet, Christianorum turbam, tanquam omnino imperitam, ab omni Sacrarum literarum interpretatione & judicio, iniquissimè à vobis excludi: scilicet ut, sublata judicii libertate & scripturæ luce traditionum humanarum jugo, liberè ecclesiam opprimatis. Nec propterea distincta in ecclesia pastorum & auditorum munia confunduntur: quia hisce privatam tantùm, illis verò etiam publicam interpretandi & docendi facultatem concedimus. Sed reliqua, quàm accommodatè abs te disputentur, attendamus.

COSTERUS.

IGITUR aliquorum officium est Sacras Literas tractare, earumque intelligentiam Christiano populo tradere, quos ait scriptura esse *sacerdotes, quorum labia custodient scientiam, & legem requirent ex ore eorum,* Malach. 2. 7. Sacerdotum in veteri lege erat tubâ canere, Jos. 6. 4. populum docere, Deut. 24. 8. Dominum consulere, ejusque responsa etiam ad viros sanctissimos deferre, 1. Reg. 22. 10. denique ea omnia, quæ divinæ legis erant, tractare. Ad idem munus delecti sunt sacerdotes legis Christi, quibus Christus sic locutus est; [a] *Ecce ego mitto vos,* [b] *prædicate Euangelium omni creaturæ,* [c] *docete omnes gentes.* [d] *Qui vos audit me audit,* [e] *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* B. Paulus sic loqui solet & scribere presbyteris; Actor. 20. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos S. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* Item, *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ,* 1. Tim. 4. 13. *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt,* vers. 16. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple,* 2. Tim. 4. 2. *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur,* Tit. 2. 1. & 8. Hæc nusquam mandata sunt idiotis; quorum est audire, & à peritioribus scripturarum intelligentiam accipere. B. Leo Pontifex Maximus Antiocheno Patriarchæ sic scribit [f]; *Illud dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus, sive laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur.* B. Basilius, in quæstionibus compendio explicatis (quæst. 235.) ait, *superiorum esse illa scire ac discere, quæ alios doceant, aliorum autem non plus sapere, quàm oporteat sapere.* Et B. Augustinus [g]: *Quis mediocriter sanus, non facile intelligat, scripturarum expositionem ab iis petendam esse qui earum doctores se esse profitentur? fierique posse, imò id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ quum à doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur elatius, quo abjectius aspernanda videbantur; & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur.* Hanc sanè rationem discendi literas sacras, secuti sunt Patres omnes ecclesiæ, qui non prius sibi sumserunt docen-

a Luc. 10. 3. b Mar. 16. 15. c Matth. 28. 19. d Luc. 10. 16. e Johan. 14. 26. f Epist. 62. vide Epist. 82. ad Julianum. g Lib. 1. de moribus Eccles. cap. 1. Vide Can. 19. Trullian. & sess. 11. concilii Lateranensis.

di officium, quàm ipsi à præceptoribus probè instituti essent. B. Hieronymus Epistola ad Domnionem gaudet se B. Gregorio Nazianzeno & Didymo magistris Sacras Literas didicisse. B. Basilius & Nazianzenus, ut ex B. Ruffino superius [a] dictum est, *in monasterio per annos tredecim omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis scripturæ divinæ voluminibus operam dederunt, eorumque sensum non ex suo cerebro, sed ex majorum scriptis & auctoritate hauserunt, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam accepisse constabat.*

a Lib. 2. cap. 3.

Gomarus.

Ut multus es Costere, in eo demonstrando, quod controversia caret, & mutus in eo quod probari oportuit! Nos enim, quod copiosè impugnas, publicum in Ecclesia literas sacras interpretandi munus non facimus promiscuum, sed id pastoribus & doctoribus proprium esse statuimus. Itaque accumulandis hac in re scripturæ & veterum testimoniis supersedere, & privatæ interpretationis quæstionem discutere, potuisses. Interim quum Leonis Papæ sententiam cites, qua monachi à publico docendi munere arceantur, cur jam illi inter concionatores vestros non aliquem tantum, sed etiam primum occupant locum? Hic scilicet vester est cum majoribus, consensus! Deinde verò quandoquidem Basilii de publico docendi munere judicium, ex quæstionibus compendio explicatis, adducis; audias vicissim, quid eodem in libro, de privata interpretandi facultate, sentiat; *Necessarium* (inquit quæst. 95.) *est & consonum, ut ex Sacra quisque scriptura, quod necesse sit, discat, cum ad pietatis plerophoriam, tum ne assuescat humanis traditionibus.* Et in Ethicis (Definit. 72.) ait, *Oportere subditos eos, qui in scripturis imbuti sunt, probare ea quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ scripturis sunt consona, recipere; quæ aliena rejicere, & eos qui in ejusmodi doctrinis alienis perseverant, vehementer aversari.* Cæterum quod posteriore loco, ad firmandam doctrinam vestram producis, excutiamus.

Costerus.

Queritur porrò B. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagium c. 6. hæreticos, ut favorem sibi plebis concilient, scientiam legis quibusvis, adeoque ipsis mulierculis, tribuisse: Et ad Paulinum; *Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Neque hoc nostro tantùm aut Hieronymi seculo factum fuit, sed etiam temporibus Apostolorum. Adeo ut beatus Jacobus ejusmodi hominum temeritatem efficacibus verbis comprimere debuerit; *Nolite* (inquit Jacob. 3. 1.) *plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis.* Et verè non aliunde tot hæreses & schismata proseminantur, quàm quòd quilibet ad suum judicium, scripturas interpretetur, atque ad nova sua commenta accommodare conetur, ut veteres dixerunt, [a] Hilarius, [b] Hieronymus, [c] Augustinus, [d] Epiphanius.

a Lib. 2. de Trinit. & lib. 2. ad Constant. b In cap. 1. ad Gal. & contra Luciferr. c Lib. 11. confess. cap. 25. d In 7. Synod. sess. 6.

Gomarus.

Recte de Hæreticorum temeritate queritur Hieronymus, sed malè illius verba accommodas. Non enim quamlibet, sed accuratiorem scientiam intelligit: *quam*, ut ait, *in multis doctoribus ecclesiæ, aut rarò, aut difficulter invenias.* Nam quàm multis mulierculis nominatim scripturæ cognitionem attribuit? Similiter ad Paulinum scribens, moderatam & Sacris literis consentientem interpretandi rationem vulgo non detrahit, sed temeritatem & præposterum interpretationis modum reprehendit. Nam quemadmodum Paulus Apostolus ad Colossenses cap. 3. 16. ait, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonefacientes vosmetipsos:* sic Hieronymus in commentariis suis ad eum locum; *Hic* (inquit) *ostenditur, verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam laicos habere debere, & docere se invicem seu monere.* Qua utraque sententia, quid esse possit illustrius, & ad doctrinæ Pontificiæ refutationem magis accommodatum? Nec obstat Jacobi Apostoli monitum cap. 3. 1. *Nolite plures magistri fieri:* sive enim magistrorum nomen cum Beda & plerisque aliis, ad publicum docendi munus, sive cum aliis ad rigidam morum censuram referamus, nihil ad propositam controversiam facit. Quare ex hisce apparet, fidelium turbam pro donorum suorum modulo posse & debere, ad privatam sui & proximi utilitatem, Sacras Literas modestè & sanctè legere & interpretari.

Caput VIII.

Idque, ex rationum nostrarum defensione, clarius patebit.

Costerus.

Objectiones Hæreticorum.

Prima.

Christus præcepit auditoribus suis, ut doctrinam Christianam ad regulam exigant Sacræ scripturæ; *Scrutamini scripturas*, Johan. 5. 39. Igitur permissum, imò mandatum est vulgo Christianorum judicium de scripturarum interpretatione & negotiis fidei.

Solutio.

Neganda est consequentia: primo quidem, quia Christus non indoctæ plebeculæ locutus est, sed sacerdotibus, Levitis & Pharisæis; qui clavem acceperunt scientiæ, Luc. 11. 52. de quibus idem dixit Johan. 5. 33. *vos misistis ad Iohannem & testimonium perhibuit veritati:* Et Joh. 5. 44. *Quomodo potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* quos constat non fuisse ex promiscua multitudine, sed principes viros, qui ab Hierosolymis sacerdotes & Levitas ad Johannem legaverant, ut interrogarent eum, *Tu quis es?* Joh. 1. 19. Deinde verò quia scrutari scripturas non est scripturas ad sensum suum quolibet torquere, vel novam atque hactenus inauditam interpretationem ad novum dogma confirmandum comminisci: sed est doctrinam cum scriptura conferre, eo sensu intellecta, quem tradiderunt majores.

Gomarus.

Ratiocinationem nostram agnoscimus Costere, sed solutionem tuam non probamus. Negas quidem consequentiam duabus de causis, sed neutra satisfacit. Nam quòd primùm objicis, *Christum non indocta plebecula, sed sacerdotibus locutum, quia ait; Vos misistis ad Iohannem;* id minimè consequitur. Nam Johannes cap. 1. 19. ait, *Misisse Judæos Jerosolymis Sacerdotes & Levitas.* Qua ratione vulgus minimè excluditur. Nam quod publica auctoritate fit, an non rectè etiam populo ejus conscio, nisi reclamet, ascribi potest? Deinde licet sacerdotes gloriam aucuparentur, an propterea soli? Quasi verò suo fermento (à quo tam sollicitè suos Christus dehortatur) sectatores suos non infecerint? Præterea, quum Christus adjiciat, Judæos *voluisse ad horam exultare in luce Iohannis*, an non potius id ad populum pertinet, quàm ad sacerdotes: quum hi ferè spreverint Johannem, Luc. 7. 30: illi verò in pretio habuerint, Matth. 21. 25. Denique scripturæ examen non solum doctoribus, sed etiam auditoribus commendari, ex similibus Prophetarum & Apostolorum sententiis constat; *Beatus* (inquit David Psal. 1. 1, 2.) *vir ille, qui non ambulat in consilio improborum, & via peccatorum non insistit, ac in consessu derisorum non sedet, sed in lege Iehovæ est delectatio ejus & in lege illius meditatur de die ac nocte.* Item Ps. 119. 2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Et Johannes; *Probate Spiritus*

ritus an ex Deo sint, 1. Johan. 4. v. 1. Et Paulus; *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, 1. Thessal. 5. v. 21. Item; *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes & commonefacientes vos ipsos in Psalmis, hymnis, in canticis spiritualibus in gratia, cantantes Deo & Patri per ipsum*, Coloss. 3. 16. Quem locum ad Christianorum vulgus pertinere Hieronymus, ut ante (cap. 7.) retuli, demonstrat. Nec aliter Chrysostomus exponit; *Inhabitet*, inquit, comment. in Coloss. 3. *in vobis opulentè non simpliciter, sed cum multa opulentia. Audite quotquot estis mundani & uxoribus praestis ac liberis, quomodo & vobis potissimum præcipiat scripturas legere, idque non simpliciter neque obiter, sed magna diligentia.* Et paulò post, *Neque moreris alium doctorem, habes oracula Dei, nemo te docebit, quemadmodum illa: Alius tibi multa sæpe, sive per vanam gloriam, sive per invidentiam, invidebit. Audite obsecro seculares omnes. Comparate vobis biblia, animæ pharmaca*, &c. *Hoc demum malorum omnium causa est quod scriptura ignorantur.* Quare ex hisce omnibus liquet, Christum justè potuisse ac voluisse non solùm doctores, sed etiam vulgus Judæorum, ad Sacras Literas scrutandas provocare. Atque hoc modo prima tua ratio confutatur. Altera verò partim aliena est, partim falsa. *Quia*, inquis, *scrutari scripturas non est scripturas ad sensum suum quolibet torquere, vel novam, atque hactenus inauditam interpretationem ad novum dogma confirmandum comminisci.* Quis mortalium id negat? sed an inde (quod tibi probandum est) consequitur, non licere Christianorum vulgo Sacras Literas pro suo modulo ad ipsarum normam interpretari & de negotiis fidei judicare? Addis deinde, *sed est doctrinam cum scriptura conferre eo sensu intellecta, quem tradiderunt majores:* rectè, modò (quod sæpe fit) à Sacris Literis non dissentiant: non autem absolutè, ut perperam docetis. Majores enim in honore habendi sunt, tanquam testes: Sacræ verò Literæ omnibus præferendæ & in summo precio habendæ, tanquam fidei canon. Quod judicium non solum patres orthodoxi, sed etiam antiqua [a] Pontificum decreta (à quibus [b] postea turpi contradictione defecerunt) comprobant ac præscribunt. Quare confirmata jam ratione prima, alterius etiam robur afferamus.

a Gratian. dist. 9. b Concil: Trid. sess. 4.

COSTERUS.

SECUNDA.

BEROENSES commendantur Act. 17. 11. quòd quotidie scrutarentur scripturas, an illa quæ à Paulo & Sila dicebantur ita se haberent: ergo licet populo idem præstare.

SOLUTIO.

CONCEDI potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroënses: qui scripturas, ab Apostolis pro concione expositas cum ipsa eorum explicatione, conferebant, considerabantque utrum novis modis à veteribus ignoratis, scripturas torquerent; an verò majorum doctrinæ & interpretationi consentanea dicerent. Hoc ipsum optandum est ab omnibus fieri, & iis præsertim temporibus quando nova dogmata in mundum invehuntur, scripturarumque centonibus comprobantur: tunc enim conferendæ sunt novitates illæ cum vetustate ecclesiæ, & nova interpretatio cum antiqua interpretatione majorum, cum qua si pugnat rejicienda est, & juxta beati Pauli admonitionem anathemate percutienda, Galat. 1. 8.

GOMARUS.

QUAM das manum, Costere, eam libenter amplectimur, atque utinam in reliquis etiam propius ad veritatem revertaris! Itaque depugnatum est hac quidem parte: nec jam amplius de iis, ad quos interpretationis jus & doctrinæ examen pertinet, sed de modo illius controversia est. *Concedi*, inquis, *potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroënses.* Rectè mones: nec enim aliud postulamus, ut, ex propositæ quæstionis statu & expositione tua, perspicuum est. Quamobrem ad modum transeamus. *Qui* (inquis) *scripturas ab Apostolis pro concione expositas, cum ipsa eorum explicatione conferebant, considerabantque utrum novis modis à veteribus ignoratis scripturas torquerent, an verò majorum doctrinæ & interpretationi consentanea dicerent.* Hic igitur statuis majorum doctrinam interpretationis canonem: sed quo auctore? Non enim Beroënses dicuntur examinasse Pauli dicta ad majorum interpretationem, sed ad Sacras literas. Quandoquidem Majorum interpretatio, sectarum vitio, corruptissima erat: ac propterea Christus multis in locis tam graviter eam reprehendit, Matth. 15. &c. deinde quum superioribus prolixè & solidè demonstratum sit, majorum doctrinam, ad Sacrarum Literarum trutinam examinari oportere: certa & constans interpretationis veræ norma dici non potest. Nec alio pertinet sententia Pauli; *Sed etiamsi nos, aut angelus, è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto*, Gal. 1. 8. Quare quum secunda etiam ratio nostra invicta perstet, ad tertiam procedamus.

COSTERUS.

TERTIA.

MATTHÆI 11. Christus Patri cælesti confitens, quia abscondisset hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasset ea parvulis, significare voluit, non minus inesse gratiæ imperitæ multitudini, quàm inflatis doctoribus: non sunt igitur rudes ab interpretatione & judicio Scripturarum arcendi.

SOLUTIO.

NEGANDA est consequutio; quia parvulorum nomine non quivis imperiti, sed humiles ac nullius rei cognitione tumentes, intelligendi veniunt: quales erant Apostoli, piscatores illi quidem & demissi, nullo spiritu inflati, nullius artis inanis arrogantia subnixi ambulantes, non tamen indocti, utpote, qui totum triennium æterni Patris divinam sapientiam docentem audierant, & mentem ipsam intus erudientem senserant. Gaudet igitur Christus non tumidos peritia legis Pharisæos, non inflatos naturalium rerum cognitione philosophos, sed humiles & à mundo contemptos piscatores ad Christianam sapientiam, primò quidem à se discendam, deinde verò aliis communicandam delectos, eo ferè modo, quo beatus Apostolus Paulus; *Videte* (inquit 1. Cor. 1. 26.) *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus: ut confundat sapientes*; Indocti qui præ se majores omnes pro nihilo putant suumque judicium totius ecclesiæ anteponunt, non sunt in istorum parvulorum, de quibus Christus loquitur, sed in turgidorum, non dicam sapientum, sed sciolorum numero reponendi.

GOMARUS.

ABERRAS à scopo, Costere, nam quis adeò rudis & imperitus est, ut sermonis tui fallaciam non observet? Quoniam imperitæ multitudinis & rudium nomine non quosvis imperitos, sed Christianorum vulgus (vestrum sermonem veritatis illustrandæ gratia imitantes) ita appellamus, non simpliciter, sed comparatè cum doctioribus, & ratione sapientiæ humanæ. Nam alioquin & Deum Patrem in Christo norunt, quæ vera sapientia est, & Christi verbo se subjiciunt, quæ summa demum humilitas est. Ac sanè, si Apostoli, ut ais, vivente Christo, indocti non fuerunt, qua fronte Christianorum turbam, rudem, imperitam, indoctam vulgo appellatis? Etenim bona earum pars, non adulta tantum ætate, & triennium, ut Apostoli, sed inde à puero decem, viginti, triginta annos doctrina Christiana imbuta est. Deinde quamvis Apostolorum mentem Christus suo modo illustrarat, lux tamen eorum erat adeò tenuis, ut non solùm conditionem regni Christi ignorantes mundanum aliquod regnum exspectarent, sed etiam apertam & perspicuam passionis, mortis & resurrectionis Christi prædictionem minimè intelligerent, Luc. 18. 34. quæ omnia tamen Christianorum vulgo hoc tempore comperta sunt. Itaque hac tertia ratione stabilita quartam expendamus.

COSTE-

Costerus.

Quarta.

IOHANNIS 6. 45. Affirmat Christus ex Prophetis, *Erunt omnes docibiles Dei*, sive, ut, Græcis est, θεοδίδακτοι, hoc est, *docti à Deo*. Ait namque Esaias cap. 54. 13. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino:* & Jeremias cap. 31. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum, ait Dominus.* Igitur non opus est plebi alio doctore, sed omnibus licebit interno Spiritus instinctu Scripturas exponere.

Solutio.

MALE colligunt adversarii. Non enim Prophetæ scripturarum omnium intelligentiam, sine doctore externo, à solo Deo volunt Christianis omnibus infusum iri, sed duo alia prædicunt Messiæ temporibus eventura. Alterum, quòd omnes docendi sunt à Deo, hoc est, divinitus communicandam omnibus scientiam: quod factum est à Christo Deo & Patris sapientia, primò quidem quando per se ipse Deus cum hominibus conversatus, cælesti doctrina ore suo sacrosancto mortales imbuit, & per Apostolos eorumque successores eadem mundum divina scientia collustravit: deinde verò dum quotidie per se ipse fidei virtutem Christianis infundit. Alterum, quod *non docebit unusquisque proximum suum*, non quidem nihil, sed *nosse Dominum*. Significavit enim Propheta his verbis, temporibus Christianorum, tam publicam fore & omnibus manifestam orthodoxam fidem, tam conspicuam ecclesiam catholicam, ut ea neminem possit fugere: statim enim cum lacte sugendam Dei notitiam & ipsis infantibus à parentibus instillandam: quod totis 1500. annis vidimus in ecclesia per universum orbem à Catholicis egregiè præstitum esse. Voluit igitur Propheta indicare Ecclesiam Christi non fore invisibilem, sicut quidam docuerunt, neque ullo unquam tempore ita supprimendam orthodoxam fidem & ita abditam in occulto latituram, sicut his 1500. annis coguntur hæretici fateri sua dogmata invisa latuisse; quod ne unum quidem hominum ante sui hæresiarchæ ætatem nominare possint, qui idem prorsus in omnibus, quod ipsi, professus fuerit.

Gomarus.

AUDIO Libertinorum argumentum, quod nobis jure affingi non potest, quum verbi divini ministerium summo habeamus in pretio & honore. Interim ne nihil nobis ex hoc loco putes esse subsidii, ita ex eo sanctius & verius sententiam nostram possumus comprobare; Qui divinitus à Spiritu Sancto de religione docti sunt, illi pro modulo suo Sacras Literas possunt intelligere & interpretari. Omnes fideles, Christo teste, sunt ejusmodi; ac propterea iniquissimè ab omni Sacrarum Literarum interpretatione à vobis excluduntur. Cæterùm quæ de ecclesia visibili attexis, ea in tractatu de ecclesia diluentur, quemadmodum & novitatis accusatio ante confutata est. Quare ad quinti argumenti examen procedamus.

Costerus.

Quinta.

MAJORES nostri & Ecclesiæ doctores, quum fuerint homines erroribus obnoxii, errare potuerunt: Non igitur quidquid illi dixerint, ex oraculo editum existimari debet.

Solutio.

VERUM est singulos homines tam doctos, quàm indoctos posse errare & pro fidei regula accipiendum non esse quod singuli vel dixerunt vel scripserunt, universos tamen simul errare, nunquam permittet ille, qui se suæ ecclesiæ præsto futurum promisit usque ad consummationem seculi, Matth. 28. 20. Cæterùm quia hæreticis omnibus solenne est, Sanctorum patrum, quòd fuerint homines, auctoritati detrahere, exponendum erit quibus de causis ipsi in ecclesia auctoritatem habeant, & à Catholicis in dogmatum suorum confirmationem adducantur.

Cur Patres citentur.

Prima est quòd sint certi testes eorum, quæ suis temporibus Christianus populus per orbem universum credidit. Quum enim legô B. Chrysostomum in Græcia, B. Hieronymum in Palæstina, Ambrosium in Italia, Augustinum in Africa, Hilarium in Gallia, Orosium & Prudentium in Hispania eodem seculo ante 1200. annos, eadem prorsus nobiscum sentientes, atque scribentes, populos sibi commissos pro concione docentes, & libris instituentes; dubitare non debeo eandem per omnem ecclesiam fuisse fidem ante 1200. annos, quæ hodie etiamnum à catholicis retinetur. Sicut namque historicis sua debetur fides, ita multò magis his pastoribus atque doctoribus, qui non tantùm, quid ecclesia credidit, sed quid & quibus modis concreditum gregem concionatores & superiores docuerint, posteris tradiderunt.

Secunda, quòd viri sanctitate conspicui, miraculis clari, doctrina illustres, studio laboreque indefessi, minus existimandi sint errasse, quàm nos novi homines: qui neque pietate, neque eruditione cum ipsorum minimo sumus conferendi. Nec enim credibile est viros hujusmodi, præsertim in rebus quæ fidem attingunt, à Deo sic destitutos, ut ipsi errarint, & concionibus doctrinaque sua in errorem alios induxerint.

Tertia, quòd qui ante annos 1200. ad ecclesiæ gubernacula sederunt ab Apostolorum temporibus solis 300. annis abfuerint, eorumque doctrinam, tanquam viciniores, longè melius cognoverint, quàm nos, post mille ducentos annos, sequuti: præsertim quum non nisi per veteres illos majores ad nos Christiana nostra doctrina pervenerit. Ire igitur ad veteres, nihil aliud est quàm investigare utrum dogmata religionis pura atque illibata, sicut ab ipsis tradita fuerunt, ad nos sint delata.

Quarta, quia quòd multo ante nostra secula vixerunt, incorrupti sunt judices controversiarum quæ à posteris moventur. *Nullas* (inquit D. Augustinus lib. 2. contra Julianum Pelagianum,) *nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt vel inimicitias exercuerunt, neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt: quod invenerunt in Ecclesia, retinerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à parentibus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

Gomarus.

QUOD, *singulos homines tam doctos quàm indoctos errare posse*, nobis concedis, id amplectimur, & meritò inde ex inductionis natura concludimus, ergò universi simul errare possunt. Quia universitas nihil aliud est quàm singulorum congregatio. Nec obstat Christi promissio Matth. 28. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi:* quoniam ea (ut pluribus cap. 3. hujus libri demonstratum est) non solùm ad universos, sed etiam ad singulos & pios quosvis verbi ministros & fideles, pertinet. Ac propterea nihil ad rem facit. Deinde verò quòd unanimem omnium majorum consensum fidei regulam constituitis, in eo erratis plurimum: quoniam ea regula incerta est & fallax. Nam unde obsecro universalis ille majorum consensus cognoscetur? An ex veterum episcoporum & doctorum scriptis? At doctores non universam ecclesiam sed alteram tantùm partem constituunt. Deinde verò quum perpauci ex majorum infinita multitudine fidem suam literarum monumentis tradiderint, & ex scriptis eorum bona pars injuria temporis interciderit: id quod superest dici non potest absolutè consensus universus; Denique quum interdum à Sacris literis, à se mutuo, & à seipsis dissentiant (ut ante à nobis demonstratum est) regula fidei dici non possunt. Quare ex hisce perspicuum est, quàm ineptè ex unius doctoris sententia totius regionis, & ex septem doctoribus, universi orbis consensum communem, concludis. Sic enim ais; *Quum enim lego B. Chrysostomum in Græcia, B. Hieronymum in Palæstina, Ambrosium in*

in Italia, Augustinum in Africa, Hilarium in Gallia, Orosium & Prudentium in Hispania eodem seculo ante 1200. annos eadem prorsus nobiscum sentientes, populos sibi commissos pro concione docentes, dubitare non debeo, eandem per omnem ecclesiam fuisse fidem ante 1200. annos, qua hodie etiamnum à catholicis retinetur. Verùm, ut omittam, Costere, quod de vestro cum hisce patribus in doctrina consensu falsò gloriaris, ex te quæro, an non septem, octo, novem, decem, diversarum provinciarum doctores in errore aliquo possint convenire? si negas, variorum patrum & conciliorum exempla id demonstrabunt: sin (ut fieri necesse est) concedis, vides haud dubiè quàm perperam ex paucorum sensu, universum ecclesiæ consensum metiaris; *At* (inquis) *sicut historicis sua debetur fides, ita multò magis his pastoribus atque doctoribus:* agnosco historicis suam deberi fidem, sed non absolutam: quia, in multis errare potuisse & errasse, compertum est, & idem antiquis illis scriptoribus usu venit. Quod verò veterum doctrinam ita extollis, ut nostri temporis homines, neque pietate, neque eruditione cum ipsorum minimo conferendos esse, censeas, id minimè ferendum est. Nam quamvis nostræ tenuitatis conscii, id de nobis meritò possimus ac debeamus fateri, de multis tamen id, sine magna in Deum ingratitudine, & in homines injustitia, dici non potest. Quamvis enim patres antiqui sua habuerint ad eruditionem subsidia; duobus tamen maximè necessariis ad solidiorem Sacrarum literarum notitiam comparandam adjumentis, librorum copia & linguarum doctoribus, caruerunt. Nam primùm quum Cyprianus, Hieronymus, Augustinus ad scribendum accederent, pauca de Christiana religione scripta, quibus uterentur, extabant, & ob descriptionis difficultatem rara & cara erant exemplaria: nostrum verò seculum eò felicius est, quod plurima etiam ab illis patribus, cæterisque paulatim sint conscripta, & typographiæ (olim ignotæ) beneficio, magna copia & tolerabili pretio comparentur: adeò ut quæ longo tempore & maximo labore à veteribus indagata sunt, ea citò ac facilè ex scriptis eorum possint addisci. Deinde verò quàm pauci ex Latinis patribus ullam Græcæ linguæ notitiam habuerunt? quàm rari ex omnibus patribus Hebrææ linguæ fuerunt periti? quàm pauca (ob librorum & fidelium præceptorum inopiam) ad eam rem habuerunt auxilia, ex variis Hieronymi testimoniis apparet. Atque hinc factum est, ut à genuina Spiritus Sancti sententia longius, præsertim in Veteri Testamento, sæpius aberrarint. Quod non solùm à nostris, sed etiam à plurimis vestris doctoribus comprobatum est. Nostris verò temporibus, Hebræi Græcique codices sunt innumeri & linguarum periti professores non pauci, quorum beneficio ita Sacræ literæ illustratæ sunt, ut quàm plurima, quæ patrum memoria erant obscura, luce clarius videantur. Quare, ut patribus reverentiam debemus propter antiquitatem, sic, nostris temporibus, multis præclaris ingeniis maximas debemus gratias, quòd doctissimis suis laboribus nobis ad accuratiorem divini verbi scientiam eruditione ac diligentia sua prælucent. Nec mirum est, aut incredibile, (ut opinaris) patres in nonnullis, etiam quæ fidem attingunt, interdum aberrasse, & doctrina sua alios in errores induxisse: quia id, Origenis, Cypriani & multorum aliorum exemplis, compertum est. Quod verò objicis, eos *qui ante annos 1200. ad ecclesiæ gubernacula sederunt, ab Apostolorum temporibus solis trecentis annis abfuerint, eorum doctrinam tanquam viciniores longè melius cognovisse,* quàm nostri temporis homines, illud minimè concedimus. Nam eadem habemus instrumenta, quæ illi, sacras nimirum literas, & subsidia (ut modò ostendi) longè majora. Nam quàm miserè majores illi decepti fuerint, qui ex traditionibus hominum Apostolorum doctrinam cognoscere studuerunt, ex Papiæ, Irenæi & aliorum antiquissimorum patrum erroribus demonstrat Eusebius Hist. Ecclesi. lib. 3. cap. 36. Denique quod patres antiquos *judices incorruptos* vocas, agnosco lubens, sed ea conditione, ut ab iis sicubi aberrarint, ad Dei verbum tanquam summum judicem liceat provocare. Quam viam non solùm ferunt sed etiam præscribunt. *Neque enim* (inquit August. Epist. 3. ad Fortunat.) *disputationes quamvis catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare atq; respuere, si fortè inveniremus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecto, vel à nobis. Talis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores mearum.*

Caput IX.

De lectione & interpretatione Sacrarum literarum egimus: reliquum jam est, ut de Sacrorum & Canonicorum librorum numero disseramus.

Costerus.

De numero librorum Sacrorum.

Nullus ferè canonicus extat liber, cui non censoriæ severitatis notam inusserint Novatores, siquidem minus errori suo favere videretur. Totum vetus Testamentum damnaverunt Carpocratitæ, Sæveriani & Manichæi, tanquam à malo principio confictum. Euangelia, præterquam Lucæ, negavit Cerdon; Cerinthus etiam Lucam abjecit & cæteros, præter Matthæum. Severiani Apostolorum acta sustulerunt & cum Ebionitis omnes B. Pauli epistolas. Epistolam B. Jacobi Lutherus appellavit stramineam & indignam Apostolico Spiritu. Alogiani, B. Johannis Apocalypsim pro figmento Cerinthi habuerunt. Non pauci de posteriori epistola B. Petri & duabus B. Johannis Apostoli dubitaverunt. Quibus omnibus si fides habenda sit, restabunt nobis in Scripturis unica B. Petri, unica B. Johannis & una B. Judæ quas tamen non esset difficile prætextu aliquo, cum cæteris expungere. Cæterùm ne hoc malum orbi eveniret, inscripsit in mentibus ecclesiæ Deus Sacrorum librorum numerum qui inspiciendus est ei, qui de libro aliquo dubitat. Ante 1200. annos, in concilio Carthaginensi, cui B. Augustinus adfuit, & in Epistola B. Innocentii cap. 47. ad Exuperium, illi omnes nominati sunt, quos ante 150. annos celeberrimum illud Florentinum concilium Latinorum, Græcorumque patrum atque Armeniorum legatorum consensione celebratum, recensuit, & nostra ætate Tridentina Synodus comprobavit.

Gomarus.

Nulla sanè iis habenda est fides, qui sacros & certos Veteris & Novi Testamenti libros, Sacrarum literarum numero exemerunt. Ac propterea meritò ab iis diffidemus, & ut reliquorum de aliis, sic primam illam Lutheri, de Jacobi epistola opinionem (quam ipse postea correxit) minimè comprobamus. Sed mirandum est te festucam in Lutheri oculis adeò ostentare, quum trabem, in vestro Cardinale, summo Lutheri adversario, silentio prætereas. Nam Thomas de Vio, [a] Cajetanus cardinalis Sancti Xysti, Pontificis Romani adversus Lutherum in Germania ad Carolum quintum legatus, non solùm de epistolæ Jacobi auctoritate dubitavit, sed etiam *secundam Petri non esse ipsius: secundam & tertiam Iohannis non esse Iohannis Apostoli, nec canonicam: epistolam Iudæ, non esse Iudæ, neque abs re refutari: auctorem epistolæ ad Hebræos, scripturam male citare, torquere, à falso scripturarum intellectu deceptum,* affirmavit. Sed hoc omisso ad rem ipsam propius accedamus. Ac primùm unde certum sacrorum librorum numerum cognoscendum statuatis exponis; *Inscripsit* (inquis) *in mentibus ecclesiæ Deus Sacrorum librorum numerum, qui inspiciendus est ei, qui de libro aliquo dubitat.* Imò verò, Costere, non à solo ecclesiæ judicio, quod mutabile est, pendere nos decet, sed rationes etiam, quibus ea nititur, perpendendæ, & libri de quibus dubitatur legendi ac diligenter cum reliquis exploratæ fidei scripturis conferendi sunt,

a Vide iudicem errorum Cajetani per Ambrosium Catharinum.

di sunt, & antiquæ ecclesiæ testimonia conjungenda, ut veritas illustretur. Fieri enim potest, ut ecclesia in diversas partes distracta contrarium errore quodam humano sentiat, quemadmodum Hieronymi ætate contigisse constat. Nam epistola ad Hebræos à Græci sermonis ecclesiis inter canonicas scripturas recepta erat, Apocalypsis verò rejecta: Latina verò ecclesia in utroque contrarium sentiebat. De qua re audiatur Hieronymus Tom. 3. epist. ad Dardanum. *Quod si eam* (epistolam ad Hebræos) *Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesia Apocalypsin Johannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utramque suscipimus; nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque utuntur testimoniis: non ut interdum de apocryphis facere solent (quippe qui & gentilium literarum rarò utantur exemplis) sed quasi canonicis & ecclesiasticis.* Deinde verò, eum numerum librorum Sacrorum commendas, qui à conciliis vestris, Florentino ante 150. & Tridentino nostra ætate, definiti sunt. Verum quum ea concilia nec antiquitate, nec forma, nec episcoporum ratione ullam apud orthodoxos mereantur auctoritatem, aliis opus est majoris momenti testimoniis ad conciliorum illorum sententiam confirmandam. Ea autem est libros illos qui Apocryphi vulgò appellantur, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Macchabæorum libros duos, appendices Esteræ & Danieli in Græcis & Latinis exemplaribus adjectas, partem esse Sacræ Scripturæ, & cum reliquis, fidei canonem. Quam doctrinam meritò Orthodoxi aversantur. Nam quibus obsecro rationibus, aut antiquæ ecclesiæ testimoniis, causam defendes? Adducis priore loco concilii Carthaginensis canonem 47. Sed præterquam quòd concilia errare posse antè demonstratum est, concilium hoc non fuit generale, sed particulare, Augustini & paucorum episcoporum Africanorum: ac propterea, ex communi Pontificiorum judicio, errare potuit, & revera in eo erravit, quod inter Salomonis libros sapientiam & Ecclesiasticum recensuit. Nam quod id concilium [a] cum Caranza in Trullana synodo generali confirmatum vulgo objicitis, inane effugium est: quia canones illius Synodi dubiæ sunt fidei, & à doctissimis Pontificiorum [b] doctoribus, tanquam in Romanam ecclesiam injuriæ, pluribus argumentis refutantur. Deinde ea Synodo non solum Carthaginiense, sed etiam Laodicenum concilium, (quod vestræ de librorum sacrorum numero sententiæ repugnat) comprobatur. Denique quamvis concilii hujus valeret auctoritas, causam tamen Pontificiam nequaquam stabiliret. Nos enim de sacro canone fidei disputamus, concilium agit de sacro canone lectionis ecclesiasticæ, ad vitæ ædificationem. Subjicitur enim; *Hoc fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis, pro confirmando isto canone innotescat, qui à patribus ista accepimus in ecclesia legenda. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniversarii dies eorum celebrantur.* Atque eadem est Innocentii, quem secundo loco nobis objicis, sententia. (Cajetanus Comment. in Ester. 10.) Quod ut minus suspectum & magis sit perspicuum, Cardinalem vestrum interpretem audiamus; *Nam reliqui* (videlicet Judith, Tobiæ & Macchabæorum libri) *à divo Hieronymo extra canonicos libros supputantur, & inter apocrypha locantur, cum libro sapientiæ, & Ecclesiastico: ut patet in prologo Galeato. Nec turberis novitie, si alicubi repereris libros istos inter canonicos supputari, vel in sacris conciliis, vel in sacris doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum, quàm doctorum: & juxta illius sententiam, ad Chromatium & Heliodorum episcopos, libri isti (& si qui alii sunt, in canone bibliæ, similes) non sunt canonici, hoc est, non sunt regulares, ad firmanda ea, quæ sunt fidei: possunt tamen dici canonici (hoc est regulares) ad ædificationem fidelium; utpote in canone Bibliæ ad hoc recepti & auctorati. Cum hac enim distinctione discernere poteris & dicta Augustini in secundo de doctrina Christiana, & scripta in concilio Florentino sub Eugenio quarto: scriptaque provincialibus conciliis, Carthaginiensi & Laodicensi, & ab Innocentio & Gelasio Pontificibus.* Quare eversis falsæ doctrinæ vestræ fundamentis, vera orthodoxarum ecclesiarum sententia retinenda est, quæ gravissimis de causis libros apocryphos, à libris propheticis, qui fidei canonem continent, secernit. Nam primum plærisque eorum nonnulla continentur quæ à rei & Sacrarum literarum veritate discrepant, unde & pars eorum *fabulæ* ab Hieronymo Præfatione in Daniel. appellantur. Deinde non à prophetis conscripti nec approbati sunt, ut fieri oportuit. Prætereà nec lingua prophetica & ecclesiæ veteris testamenti, sed Græcè plerique fuerunt conscripti, eoque non ad canonem fidei in ecclesia, destinati sunt. Hisce etiam accedit, quod Judaica ecclesia, *cui divina oracula concredita erant*, Rom. 3.2. nunquam eos libros tanquam Dei verbum accepit aut agnovit, nec Christus aut Apostoli ullibi commendarunt. Idque postremò copiosis patrum & multorum Pontificiorum doctorum testimoniis comprobari potest, è quibus ne prolixior sim pauca proponam. Ac primum celebris & insignis est Cypriani (Expositione Symbol.) aut Rufini locus: *Hæc sunt quæ patres intra canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alii libri sunt, qui non canonici sed ecclesiastici, à majoribus appellati sunt: ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filii Syrach: qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur: quo vocabulo non auctor libelli sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ & Judith, & Macchabæorum libri. In novo verò testamento libellus qui dicitur Pastoralis sive Hermatis, qui appellatur, Duæ viæ, vel judicium Petri. Quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò scripturas, Apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, ut dixi, tradita, opportunum visum est, hoc in loco designare, ad instructionem eorum qui prima sibi ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt: ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sunt pocula.* Secundò audiendus est Hieronymus Præfat. in libros Regum; *Hic prologus scripturarum quasi Galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum convenire potest: ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia quæ vulgò Salomonis inscribitur & Iesu filii Syrach liber & Iudith & Tobias & Pastor, non sunt in canone.* Et Præfat. in Proverb. *Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Macchabæorum libros, legit quidem ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina* (Ecclesiasticum & Sapientiam) *legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et Præfat. in Danielem de Daniele ait, *Apud Hebræos, nec Susanna habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconisque fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru ante posito, easque jugulante, subjecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Eandem etiam Africani patris doctissimi sententiam fuisse, attestatur. Idem docent reliqui patres plurimi, Origines in Psalmum 1. ut refert Eusebius histor. ecclesiast. lib. 6. cap. 24. Qui locus, ut observavi, mutilus quidem est in Græco exemplari, quod nunc extat, & vulgo malè versus, sed corrigendus ex versione antiqui patris Rufini. Nam duodecim prophetarum librum, cujus in Græco exemplari, scriptorum vitio nulla fit mentio, apertè, ut necesse est, cum reliquis libris recenset, & Macchabæorum libros extra canonem ponit. Athanasius in synopsi divinæ scripturæ. Melito apud Eusebium lib. 4. cap. 24. & Eusebius in Chronico Olympiado 116. Gregorius Nazianzenus Poëmate de genuinis libris divinitus inspiratæ scripturæ. Hilarius præfatione in Psalmos. Epiphanius hæresi 8. Cyrillus Hierosolymitanus in 4. Catechesi. Johannes Damascenus orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Idem etiam ex concilio Laodiceno & Gregorii magni Pontificis testimonio confirmatur. Quæ frustra eludere contendis.

Costerus.

Obiectio Prima.

CONCILIUM Laodicenum eos libros V. Testamenti omittit qui non sunt in canone Hebræorum: non igitur agnovit libros Macchabæorum, Sapientiam, Tobiam, Judith.

a Epitome Conciliorum. b Melchior Canus de locis Theologicis lib. 5. cap. 6.

SOLUTIO.

NEGANDA est consequentia: non enim eo loci patres abjecerunt hos libros, tanquam non Sacros, nec decreverunt non esse canonicos, sed non numeraverunt inter illos, qui in Ecclesia essent legendi, idque præsertim propter Judæos ad fidem conversos & fere Judaizantes, quibus Phrygia ab Apostolorum temporibus abundabat. Hos nimirum Sancti illi episcopi irritare noluerunt iis libris Veteris Testamenti in ecclesia legendis, quos illi in canone Hebræorum non habebant.

GOMARUS.

NEGARE consequentiam potes: sed sine ratione justa. Nam quòd primùm ais; *patres non abjecisse hos libros tanquam non Sacros, nec decrevisse non esse canonicos, sed non numerasse inter illos qui in ecclesia essent legendi*, id perspicue concilii verbis repugnat. Ita enim loquitur Can. 59. *Non oportet ab idiotis psalmos compositos & vulgares in ecclesiis dici, neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos Veteris & Novi Testamenti. Quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi, sunt hæc, Genesis, Exodus*, &c. Deinde etiam ea quam profers ratio, cur libri Apocryphi ab hoc concilio omittantur, inane commentum est, & gravissima concilii accusatio. Nam quum totius Sacræ scripturæ lectionem ecclesiæ præceperit Deus, qua fronte hujus rei conscium concilium secus statuisset? An offensionis metu? atqui ejusdem habenda est ratio, quando non offenditur Deus, hoc est, in rebus arbitrariis, non autem in iis, quæ à Deo præscripta sunt. *Deo enim obedire oportet potius, quàm hominibus*, Actor. 5. 25. Deinde verò quod Sanctos illos patres Judæos Judaizantes irritare noluisse asseris, omninò alienum est. Nam quum offensio injusta & pertinax, ne errores foveantur, contemnenda sit; quomodo Judæorum offensionem, quæ trecentos sexaginta quatuor annos à Christo nato durarat, timuissent? Denique ut ex iis quæ ultro largiris rem totam concludam, quum libri Macchabæorum, Sapientia, cæterique apocryphi, non fuerint in canone Judæorum, sequitur eos non esse in canone fidei Veteris Testamenti. Primùm, quia Judæis *concredita sunt eloquia Dei*, Rom. 3. 2. qui adeò religiosè libros conservarunt, ut propterea *librarii Christianorum* à patribus dicti sint. Deinde quia non aliunde, quàm ex Judæorum canone Christus & Apostoli sua confirmarunt: nec unquam eo nomine Judæi à Christo Apostolis aut antiquioribus patribus accusati sunt quòd Veteris Testamenti canonem mutilassent. Denique idem orthodoxus veterum consensus, quem modo adduxi, confirmat. De qua re, præter ea quæ diximus, eleganter ait Hieronymus Præfat. in Paralipom. *Ad Hebræos revertendum est, unde Dominus loquitur & discipuli exempla præsumunt*. Et Præfat. in Esdram: *Quæ non habentur apud illos* (Hebræos) *nec de viginti quatuor senibus, sunt procul abjicienda*. Sic enim legendum est. Quid autem per *viginti quatuor senes* sibi velit, Prologo Galeato, seu præfatione in libros Regum, exponit. Atque eadem est Gregorii magni Pontificis Romani sententia.

COSTERUS.

SECUNDA.

BEATUS Gregorius lib. 16. Moralium, cap. 17. de libris Macchabæorum sic loquitur, *Non inordinatè agimus, si ex libris licet non canonicis; sed tamen ad ædificationem ecclesiæ editis testimonia proferamus.*

SOLUTIO.

SED nec ille negat esse libros illos Sacros, aut in canonem ecclesiæ relatos, quum virum doctissimum latere non potuit, quid ante annos ducentos, beatus Innocentius Papa & concilium Carthaginense, de his Macchabæorum libris scripserit. Loquitur igitur de canone Hebræorum, in quem isti libri asscripti non fuerunt, & propterea non parum obtinebant apud omnes homines, præsertim Judæos, auctoritatem. B. Augustinus multò antè, Libro de cura pro mortuis agenda ca. 1. ex iisdem libris tanquam sacris & apud ecclesiam canonicis, sacrificium pro defunctis confirmare minimè reformidavit.

GOMARUS.

GREGORII sententia illustrior est quàm ut hac responsione tua offuscari queat. Opponit enim inter se *canonicos*, hoc est canonem fidei, & *eos qui ad ædificationem ecclesiæ editi sunt*, Hieronymum & veteres hac in re judicio & loquendi modo, secutus. Nam quis mortalium vel ante, vel post Gregorium hac periphrasi canonem fidei distinxit & non potius apocryphos designavit? Deinde, si ex concilii sententia Macchabæorum libri ad canonem fidei pertinebant, quid opus erat ista excusatione, *Non inordinatè agimus si ex libris canonicis, &c.* Quare concilii Carthaginensis & Innocentii sententiam eadem nobiscum ratione intellexit, aut communi antiquorum patrum judicio postposuit. Non ignorabat enim Originem, Athanasium, Melitonem, Gregorium, Nazianzenum, Epiphanium, Cyrillum Hierosolymitanum, Hilarium, Hieronymum, Rufinum, concilium Laodicenum, *Macchabæorum libros* à Veteris Testamenti canone meritò exclusisse. Quare erras graviter in eo, quòd Gregorium ais, loqui de Judæorum canone, ac si videlicet in Veteris Testamenti canone, ab ecclesia Christiana discreparent. Rectius sanè Bibliorum apud Pontificios interpres primarius Nicolaus Lyranus in Esdram cap. 1. de Macchabæorum libris ait, *non sunt in canone, nec apud Judæos, nec apud Christianos.* Ac propterea Occamus 3. parte dialogorum tractatu primo lib. 3. cap. 16. & Richardus lib. 2. exceptionum cap. 9. eos rejecerunt ut Melchior Canus cognoscit, De locis Theolog. lib. 2. cap. 10. Qui eodem etiam in loco & capite 11. Gregorium magnum utrumque Macchabæorum librum à canone, secrevisse, nobiscum fatetur. Nec illa quam citas Augustini sententia, causam tuam confirmat. Primùm quia Macchabæorum libros eo in loco appellat scripturas non canonicas, sed veteres, & ad dogmatis ecclesiastici auctoritatem confirmandam adducit. Deinde Contra Gaudentii Epist. lib. 2. c. 23. sobriè Macchabæorum libros ut non inutiles, legendos monet. Quam cautionem verè canonicis minimè adhibuisset. Præterea, quamvis Augustinus id quod ei adscribis, sensisset, meritò tamen privato illius & paucorum sine justa ratione judicio, communis plurimorum patrum sententia, pluris æstimari deberet: quemadmodum hanc in scriptis suis dijudicandis libertatem non solùm admittit, sed etiam præscribit, Epist. 3. ad Fortunatianum. Et sanè plurimæ à nostris adferuntur rationes, quibus Macchabæorum libros non divino, sed humano Spiritu conscriptos esse demonstrant. Nam præterquam quòd nec à Prophetis conscripti, nec ecclesiæ Dei tanquam canonici traditi sunt, tam perspicua est eorum librorum, partim inter se, partim cum reliquo Veteris testamenti canone discrepantia, ut nulla probabili specie excusari possit. Huc accedit, quod liber secundus nihil aliud esse dicitur cap. 2. 24. &c. quàm Epitome librorum quinque Jasonis Cyrenæi, in qua re declaranda, non divinum spiritum, sed humanam diligentiam copiosè & apertè ostendit. Atque huic initio finis consentit: in quo, humano more, auctor, si minus dignè historiam conscripserit, veniam poscit. Quare roganti damus veniam, sed illius opera à libris afflatu divino conscriptis, sanctè cum orthodoxis patribus & Gregorio magno Pontifice vestro separamus.

COSTERUS.

TERTIA.

OLIM à plerisque dubitatum fuit, de nonnullis scripturæ libris, de epistola ad Hebræos, de altera epistola ad Hebræos, de altera epistola D. Petri, de posterioribus Danielis, &c. Non sunt igitur hæreseos crimine condemnandi, qui eosdem nunc vel rejiciunt, vel in dubium vocant.

SOLUTIO.

CONSEQUENTIA neganda est: quia pari ratione efficietur, hodie à nobis dubitari posse, an sint de integro baptizandi, quos hæretici abluerunt? quod existimavit D. Cyprianus, cum conciliis aliquot Aphricanis: &, an Christianis observanda sit lex Mosaica, etiam istis qui ex gentilibus crediderunt? quod ante Hierosolymitanum [a] concilium citra hæresim à plerisque agitatum fuit. Denique, utrum ad gentes quoque pertineat gratia Euangelii, an verò ad solos Judæos? sicut nonnulli in actis [b] apostolicis arbitrabantur. Tametsi namque ecclesia unam eandemque fidem

a Act. 15. b Act. 11.

quovis

quovis tempore retineat, quædam tamen fiunt nonnunquam explicatiora, temporis progressu, quam fuerint in principio. Sicut enim numero crevit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione,& perspicacior in illis cognoscendis, quæ ex primis articulis fidei manifestò notis, tanquam ex principiis necessariò colliguntur. Ecclesia igitur nullo unquam tempore, pro fidei dogmate recepit,quod prius rejecerat,vel non esse credendum docuerat (hoc enim est hæreticorum,qui fidem mutant) sed aliquando credit explicatiùs, quod prius crediderat in genere atque obscuriùs. Proinde quamvis nihil fidei contrarium sentiant, qui de re nondum explicata, diversam ab aliis opinionem tuentur;nulli tamen licet, citra notam hæreseôs, in dubium revocare rem semel ab universa ecclesia manifestè declaratam,atque receptam.Itaque postquam ab ecclesia explicatum est etiam illos libros in sacris esse habendos, qui apud nonnullos in dubium venerant, nulli est fas amplius dubitare; cùm pari veneratione habendi sint, atque si nulla de his unquam dubitatio fuisset; quandoquidem ab eadem ecclesia fidem auctoritatemque accipiunt, quæ reliquos libros in sacris numeravit. Causa autem cur à plerisque catholicis non fuerint Sacris literis adnumerati,non illa est,quia tunc non fuerint sacri;sed quia nondum omnibus, à tota ecclesia, pro Sacris propositi. Ergò simul atque publicè proponuntur, sine ulla recusatione in divinorum librorum numero ab omnibus colendi sunt ac venerandi. Quemadmodum nummus aureus quibusdam initio suspectus velut adulterinus, si postea aurificis periti statera examinatus, & à magistratu approbatus, ab omni populo recipiatur, non minoris est pretii, quam cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquam tulerunt.

GOMARUS.

HOC tertium argumentum nos minimè attingit, quum de auctoritate epistolarum ad Hebræos & Petri secunda probè inter nos conveniat. Quod verò posteriora Danielis capita iis annectis, alia longè est ratio. Ea enim non esse Danielis Prophetæ non solùm ecclesia Veteris Testamenti, quæ illa nunquam à Deo accepit, aut probavit,& sermo Græcus,ostendunt;sed etiam temporis, & reliquarum circumstantiarum ratio id evincit. Quare non temerè, sed justis de caussis ab orthodoxis Patribus, extra Sacræ Scripturæ canonem, collocantur. Qua de re celebris Hieronymi locus Prologo commentariorum in Danielem; *Et miror* (inquit inter cætera de hisce capitibus quæ Danieli postea assuta sunt) *quosdam* μεμψιμοίρους *mihi indignari quasi ego detruncaverim librum, quum & Origenes, & Eusebius, & Appollinarius, aliique ecclesiastici viri & doctores Græciæ fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam Sacræ Scripturæ auctoritatem habeant.* Atque eadem est Johannis Driedonis Lovaniensis Theologi sententia de dogmatibus Ecclesiasticis lib.1.c.ultimo. Itaque malè Cypriani de baptismo, & Judæorum de legis observatione & Gentium vocatione,Christi verbis repugnantes errores, cum justa veterum, de posterioribus Danieli assutis capitibus, sententia confers. Qua etiam in re observanda est insignis Pontificia contradictio. Nam quum veteres plerique,ut fateri cogeris,aliter senserint de Sacræ Scripturæ libris,quàm ecclesia Romana hodierno die,sequitur ecclesiam errare posse & judicium illius non esse regulam fidei; nec Romanam ecclesiam, de perpetuo suo cum patribus consensu,posse gloriari. *Sed una* (inquis) *manente fide quædam fieri possunt explicatiora:* fateor sanè sed non contraria;cujusmodi sunt veteris ecclesiæ & Pontificiæ,de apocryphis libris,judicia, ut ex superioribus constat. Deinde verò quod subjicis; *Sicut enim numero crevit ecclesia, ita facta est auctior eruditione & perspicacior in illis cognoscendis quæ ex primis articulis fidei manifestò notis, tanquam ex principiis, necessario colliguntur*; id ut vestram infirmat; sic nostram confirmat sententiam. Nos enim veteres Patres secuti, ex articulis fidei & ex certis Prophetarum & Apostolorum libris, tanquam ex principiis, de apocryphis aut incertis judicamus. Vestra verò de eo argumento doctrina nulla ratione colligitur, sed sola paucorum hominum in concilio Florentino & Tridentino auctoritate constat ac propterea parvi æstimanda est. Nam quæ de ecclesiæ in scripturas auctoritate subjicis, ea suo loco examinavimus. Similitudo verò qua hanc controversiam concludis; *Quemadmodum nummus aureus quibusdam initio suspectus, velut adulterinus, si postea aurificis periti statera examinatus, & à magistratu approbatus, ab omni populo recipiatur, non minoris est pretii, quam cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquam tulerunt:* hæc inquam similitudo elegans est, & orthodoxam nostrarum ecclesiarum sententiam plurimum illustrat ac confirmat. Nos enim libros apocryphos aut dubios,non ad fallacem humani ingenii opinionem, sed ad articulos fidei, & certos Sacræ Scripturæ libros, tanquam ad Lydium lapidem & rectam fidei stateram perpendendos ac probandos affirmamus. Quam etiam rationem Pontificii doctores præstantissimi, vi veritatis eò adacti, secuti sunt, & nobiscum libros illos apocryphos à Scripturæ canone secretos esse censuerunt. Hugo de Sancto Victore, in prolegomenis lib. 1. de Sacramentis, cap. 7. Nicolaus Lyranus in Esdram cap.1.& præfatione in Tobiam: Richardus libro 2. exceptionum cap.9. Dionysius Carthusianus principio commentariorum in Genesin: Abulensis in Matthæum cap. 1. Antoninus episcopus, qui in Sanctorum numerum à Pontifice relatus est, 3. part. tit. 18. Hugo Cardinalis in prolegomena Josuæ, Thomas de Vio, Cajetanus Cardinalis,& Papæ adversus Lutherum ad Carolum quintum legatus, cujus (ut omittam ea quæ ante retuli) ad Clementem Papam septimum præfatione in Josuam hæc sunt verba; *Divo Hieronymo,pater beatissime, universa ecclesia Latina plurimùm debet, non solùm ob annotatas ab eo in libris Veteris & Novi Testamenti particulas, tum adjectitias, tum ambiguas; sed etiam propter discretos ab eodem canonicos, à non canonicis. Liberavit siquidem nos ab Hebræorum opprobrio, quod fingamus nobis antiqui canonis libros aut librorum partes, quibus ipsi penitus carent.* Atque hancce horum virorum esse sententiam confitentur, partim Melchior Canus episcopus, in locis communibus, lib. 2. cap.10. partim Bellarminus, Jesuita, de verbo Dei lib. 1. c. 7. Eosdem etiam à canone libros rejiciunt Brito auctor Glossæ in prologum Hieronymi in Lyrano, Franciscus Picus de fide & ordine credendi theoremate quinto, & ante paucos annos, Benedictus Arias Montanus (vir toto orbe celeberrimus, qui Bibliis regiis Antwerpiæ præfuit) in Bibliis Hebræis cum interlineari interpretatione, excusis & approbatis à Lovaniensibus theologis, Novi Testamenti titulo, de libris Sapientiæ, Tobiæ, Judith, Macchabæorum, & reliquis similibus loquens, ait, *Ecclesia orthodoxa Hebræorum canonem secuta inter Apocryphos recenset.* Idem denique communi Bibliorum Pontificiorum, quæ hactenus prodierunt, judicio confirmatur: in quibus prologus Hieronymi galeatus, quo apocryphos à Canone secernit præfationis loco præmissus, omnium oculis perspicuè proponitur. Ex quibus omnibus testimoniis apparet Costerum, qui consensum Romanæ ecclesiæ tantopere jactat, nec cum veteri ecclesia, nec cum præcipuis suis doctoribus convenire, sed apertis eorum sententiis abundè confutari. Quare ut cum Nicolao Lyrano, Præfat. in Tobiam libros illos apocryphos à Sacrarum literarum canone segregante, loquar: *Sicut in scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: sic in scripturis à catholicis doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad scripturas Sacræ Scripturæ canonicas, quæ sunt habitæ revelatione divina, cui nullo modo falsum potest subesse.* Et ut cum Basilio Magno Epist. 80. universam de Sacra Scriptura controversiam concludam: *Itaque divinitus inspirata scriptura arbiter noster esto, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis eloquiis consona, his omninò veritatis accedet suffragium.* Interim verò dum me ad alteram refutationis Enchiridii Costeri partem, de Ecclesia & Pontifice Romano temporis ratione componο, hòc controversiarum fundamentum boni consulent boni. Quod ut ecclesiæ sit utile & Costero illiusque affeclis salutare, Deum Sacræ Scripturæ auctorem precor.

FINIS

Controversiæ de Sacra Scriptura contra Costerum.

ANTI-COSTERI,

LIBER TERTIUS.

DE ECCLESIA.

SEU

SPECULUM VERÆ ECCLESIÆ.

CAPUT I.

QVandoquidem de prima & præcipua religionis Christianæ controversia superiori libro disseruimus, Costere, & sacrarum literarum dignitatem, perfectionem, facilitatem, & usum adversus Romanæ ecclesiæ errores defendimus: reliquum est, ut doctrinam de vera Christi Ecclesia *perpendamus: quemadmodum etiam ordinis abs te instituti ratione succedit. Ad cujus illustriorem & necessariam explicationem, quum definitionis & distinctionis lumen prætendendum sit, quàm id rectè abs te fiat, attendamus.*

COSTERUS.

QVum variis erroribus & flagitiis mundus totus in maligno positus, ab ultimo fine creationis suæ, æterna salute, aberraret: Christus quosdam homines ex tota hominum multitudine, gratia sua & misericordia evocavit, eosque certis inter se legibus conjunxit, societatemque seu rempublicam quandam instituit (quam ecclesiæ *nomine appellari voluit) quæ à cæteris hominibus separata, non tam res hujus vitæ caducas intueretur, quam ad beatitudinem perpetuam futuri ævi mentis oculos intenderet. Et quum maximus sit humani generis amator Deus, non unius nationis, gentis, vel loci angustiis hanc suam congregationem concludi voluit; sed potestatem fecit, quotquot sunt in universo orbe hominibus, nullo sexus, ætatis, donorum naturæ, vel fortunæ discrimine, ut hunc suum cœtum adire, in eumque cooptari possint.* Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, Johan. 1. 12.

GOMARUS.

Ex hisce verbis talis colligi potest ecclesiæ Christianæ descriptio, quod sit *societas quorundam hominum ex tota hominum multitudine, gratiâ & misericordiâ Christi evocatorum, certisque legibus conjunctorum ad beatitudinem perpetuam obtinendam.* Verum ut de certis illis legibus nihil dicam; illud sanè ab omni arte & ratione [a] alienum est, quod necessariam vocis distinctionem omnino prætermittis. Nam quum ecclesia sit *evocatorum societas*, ut nominis ratio & descriptio tua testantur: hinc, pro vocationis varietate, variè solet usurpari. Nam vocati alii sunt electi, alii non electi. Ac rectè Glossa [b] vestra ordinaria ait; *vocatio exterior fit per prædicatores, & est communis bonorum & malorum: interior verò tantùm est electorum. De exteriori dicitur, Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Similiter ecclesia Christi, quamvis una sit, certis tamen circumstantiis distinguitur. Interdum enim ad vocationem internam relata, solam vocatorum ad fœdus Dei & ad vitam electorum universitatem notat; & ob formam, *invisibilis* dici solet. Cujus pars una cum Christo capite & rege triumphat in cœlo: altera adversus mundum, Satanam, & carnem laboriosè militat & pugnat in terra, unde *ecclesiæ triumphantis* & *militantis* trita vulgò distinctio. Atque hoc sensu ecclesia propriè appellatur *domus Dei*, 1. Tim. 3. 15. *ædificata super petram*, Mat. 16. 18. *sponsa*, Ap. 21. 9. *caro*, Eph. 5. 31. 32. *corpus Christi*, 1. Cor. 12. 12. 13. Eph. 5. 23. quod is spiritu suo animat ac servat. Eaque ratione reprobi, etsi in ecclesia sint, non tamen de ecclesia: quemadmodum sacræ literæ & orthodoxi Patres accuratè exponunt ac demonstrant. *Ac per hoc etiam* (inquit Augustinus Contra Cresconium l. 2. c. 21.) *nesciente ecclesia, propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia: quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Et idem de Baptism. l. 7. c. 51. *Omnibus consideratis, puto me non temerè dicere, alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petram; quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra, sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Quæ domus etiam claves accepit ac potestatem solvendi ac ligandi*, &c. *Alios autem ita constat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis.* Eadem ratione olim, inter Pontificios Doctores, Hugo de sancto Victore docuit: *Ecclesia* (inquit de sacram. l. 2. c. 2.) *sancta corpus est Christi, uno Spiritu vivificata, unita fide, una, & sanctificata.* Et paulò antè c. 1. *Sicut scriptum est: Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore uno Spiritus unus. Nihil in corpore mortuum: nihil extra corpus vivum.* Idem attestatur Bernardus in Cantica sermone 78. qui sponsam *ecclesiam Electorum* interpretatur: Denique Scholasticorum non infimus, Gabriel Biel in Canonem Missæ, lect. 22. §. E. *Accipitur* (inquit) *etiam ecclesia pro tota multitudine prædestinatorum.* Atque hæc prima vocis *ecclesiæ* significatio, quæ internam vocationem spectat, & solos ad vitam æternam electos complectitur. Altera verò est, quæ ad vocationem externam, electis & reprobis communem, refertur, & cœtum vocatorum ad externam fœderis Dei communionem, in fidei Christianæ professione, & sacramentorum divinorum usu, designat. Unde à forma sua externa, *visibilis* dicitur, & in particularem, quæ vocatorum partem, & in universalem, quæ universos continet, distinguitur. Ac priori quidem ratione plurimæ dicuntur esse ecclesiæ, ut Corinthiorum, Philippensium, Ephesiorum & similium. Sic Joannes scribit *ecclesiis Asiæ*, Apoc. 1. 11. & Paulus *ecclesiis Galatiæ*, Gal. 1. 2. & alibi ait; *Salutant vos ecclesiæ Christi*, Rom. 16. 16. Altera vero ratione, unica dicitur ecclesia [a]: verumtamen tres potissimum illius significationis vulgo statuuntur modi: nempe, ut aut simpliciter & absolute omnes omnium temporum ab initio ad finem mundi: aut secundum quid certi temporis ecclesias notet: quæ vel inde à Christo ad finem mundi (quæ Ecclesia peculiari etiam ratione universalis dicitur, quod non solùm Judæos, sed quarumvis etiam gentium ecclesias complectatur) vel uno eodemque tempore in orbe universo existunt. Denique Patres synecdochice & angustius quasvis particulares ecclesias, quæ catholica membra, fide ac charitate illius præditæ sunt, eo nomine appellarunt. Itaque quum tanta sit vocis Ecclesiæ ambiguitas, aliquam saltem præmittere potuisses distinctionem. Ea enim quam proponis descriptio, adeo fusa est & communis, ut non minus ecclesiæ electorum, quam generatim vocatorum, nec minus particulari (si rectè consideres) quam universali conveniat.

a Franciscus Horantius Locorum Theo. l. 6. c. 1. b Ad Rom. c. 8.

a Gabriel Biel in Canon. Missæ. lect. 22.

CAPUT II.

Quare, strata jam ad hujus controversiæ explicationem via, ad rem ipsam procedamus. In cujus tractationis aditu, tria Ecclesiæ privilegia præmittis.

COSTERUS.

Proprietates ecclesiæ.

HUic porro Reipublicæ eximia quædam privilegia concessit, qualia extra hanc congregationem nusquam invenias. Eorum primum est, in ecclesia sola veram esse notitiam Dei, divinarumque rerum nullo permistam errore intelligentiam, eamque ita constantem Christi Spiritu directore, in vera religione persistere, ut error in fide apud illam locum habere nequeat. Est enim ecclesia firmamentum & columna veritatis, 1. Tim. 3. 15. *quæ veritatem fidei sustentet, eique testimonium & auctoritatem præbeat. In hac sola igitur est sincera verbi Dei prædicatio, integra scripturarum explicatio, divinaque voluntatis interpretatio.*

Secundum ex primo sequitur, in sola ecclesia esse verum Dei cultum, sinceram sacramentorum administrationem, sanctas Deoque acceptas ceremonias.

GOMARUS.

Hactenus ecclesiæ privilegia, quasi extra controversiam posita, describis; sed qua sinceritate & constantia, lectores judicent. Quis enim adeo est rudis & rerum imperitus, ut de primo & tertio privilegio gravissimè inter Orthodoxos & Pontificios disputari ignoret? Nam quæritur primum; *An ecclesia Christi visibilis in terris in doctrina errare possit, necne?* Orthodoxi affirmant; tu vero contrà statuis, *in ecclesia sola veram esse notitiam Dei, divinarumque rerum nullo permistam errore intelligentiam.* Idque divina auctoritate confirmare studes; *Est enim* (inquis) *ecclesia firmamentum & columna veritatis*, 1. Tim. 3. 15. Quis negat? Sed falsa est, quam inde nectis, consequentia. Primum, quia hoc elogium ecclesiæ dignitatem & officium describit; nimirum, quod in ea eminere & elucere debeat veritas: non autem quod in ea perpetuò plena luce effulgeat. Deinde quemadmodum ædificatio ecclesiæ super veritatem (*columna enim & firmamentum ecclesiæ est euangelium*, ut ait Irenæus Lib. 3. cap. 11.) suos habet gradus, ita & veritatis apud homines sustentatio in ecclesia, varia est. Ut enim alii fundamentum retinent & sincerè superstruunt, alii vero stipulæ nonnihil adstructum habent; ita & columna veritatis nonnulli sunt simpliciter & omnino; alii secundum quid ratione fundamenti & bona ex parte; ex qua rei denominatio, ut in usu communi, sic in Scriptura sacra, fieri solet. Quare columnam esse & firmamentum veritatis non excludit omnem errorem. Tertio, quod non solum ecclesiæ universali, sed etiam particularibus ecclesiis (quas errare posse certum est) convenit, illud ab omni doctrinæ errore minimè liberat: at columnam esse & firmamentum veritatis, etiam ecclesiis particularibus congruit, quia ecclesiæ Ephesiorum ab Apostolo tribuitur, ut orationis scopus, series, verba demonstrant. *Hæc* (inquit) *tibi scribo, sperans fore ut celerius ad te veniam. Quod si tardius venero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Versabatur autem tum temporis Timotheus in ecclesia Ephesina: quæ aliquando fuit præclara veritatis columna: sed ubi obsecro jam pridem est? Columna hæc concidit & translata inde est omnis veritatis soliditas. Idem etiam ex Apocalypsi 1. 11. 20. & 2. 5. probatur, qua ecclesia Ephesina (ut reliquæ septem Asiaticæ) *candelabrum* nimirum veritatis, eodem sensu, quo columna appellatur: cujus tamen ablatio prædicta divinitus & tristi eventu comprobata est. Sic de ecclesia Philippensi ait Paulus; *Inter quos splendetis, ut luminaria: in mundo, verbum vitæ prætendentes*, Phil. 2. 16. Præterea ex priori hujus sententiæ membro idem probari potest. Nam qui sunt domus Dei, illi etiam sunt columna veritatis: quia ubi mendacium præsidet, non ibi domus Dei est; sed Satanæ, mendacii patris, synagoga: Eoque hæc duo, quæ dividi non possunt, merito conjunxit Paulus. At vero omnes ecclesiæ Christi particulares sunt domus Dei. Quis igitur columnam esse & firmamentum veritatis neget? Atque idem confirmat Patrum interpretatio. *Columna* (inquit Chrysostomus in 1. Tim. 3.) *& firmamentum veritatis, non quemadmodum Judaicum illud templum, hoc enim est quod fidem continet & prædicationem. Quippe veritas ecclesiæ & columna & firmamentum est.* Sic Theodoretus in 1. Tim. 3. *Domum enim Dei & ecclesiam appellavit cœtum eorum, qui crediderunt. Eos dixit columnam & firmamentum veritatis. Supra petram enim fundati, stabiles & immobiles permanent, & rebus ipsis producunt dogmatum veritatem*; Gal. 3. 1. 2. Cor. 11. 3. Quare quum ecclesiæ particulares sint columna veritatis, & errare eas posse agnoscatis, sequitur necessario columnam veritatis posse à veritate declinare: eoque malè, ex hac re ecclesiam errare non posse concludis. Cujus sententiæ falsitas aliis etiam argumentis quam plurimis, graviter ac perspicue, confutari potest. Ac primum frequenti ecclesiæ ante & post Christum experientia. Nam ante Christum ecclesia Israëlitica, (ne rem altius repetam) à fidei sinceritate sæpius aberravit. Ac primum in Ægypto: ut Josue testatur; *Auferte Deos, quibus servierunt patres vestri, in Mesopotamia & in Ægypto, ac servite Domino*, Jos. 24. 14. Ezech. 20. 7, 8. Deinde in deserto, *Exod.* 32. 8. *Ezech.* 20. 13. Postea in Chananæa frequentissimè, & quidem temporibus Judicum statim ab eorum obitu, ut disertè indicatur *Judic.* 2. 10. & 19. & sequentibus variorum exemplorum inductione declaratur, *Jud.* 3. 7, 12. & 14. 2. &c. Interdum etiam superstitibus Judicibus, *Jud.* 8. 27. Sub regibus vero quam plurima & illustrissima ecclesiæ visibilis à fide aberrantis exempla Sacris Literis consignata sunt. Ac primum quidem sub Jeroboamo decem tribus Israëlis turpi idololatria à Deo defecerunt, 1. *Reg.* 12. 28. quam apostasiam reliquæ tribus Roboami imperio paulo post imitatæ sunt, 1. *Reg.* 14. 22. adeo ut Scriptura apertè dicat, *Quumque roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini & omnis Israël cum eo*, 2. Par. 12. 2. Deinde sub Asa rege ecclesiæ errorem & calamitatem prænunciavit Azarias propheta; 2. *Par.* 15. 2. 3. *Transibunt multi dies in Israël absque vero Deo & absque Sacerdote, absque Doctore & absque lege.* Hoc verò eventu comprobatum est, regnantibus Joramo, 2. *Reg.* 18. 18. Ochosia, 2. *Reg.* 18. 27. & Athalia, 2. *Par.* 24. 7. Præterea sub finem regni Joæ, 2. *Par.* 24. 20. & Amasiæ, 2. *Par.* 25. 15. regnante Achazo, 2. *Reg.* 16. 11. & 2. *Par.* 28. 24, 25. Manasse, 2. *Par.* 33. 9. Amone, 2. *Par.* 33. 22. Joakimo & Joackimo, 2. *Par.* 36. 5, 9. denique Zedechia, 2. *Par.* 36. 12. Cujus temporibus hoc visibilis ecclesiæ elogium Spir. Sanctus attribuit; *Sed & universi principes sacerdotum & populus prævaricati sunt, iniquè juxta universas abominationes & polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Ierusalem*, 2. *Par.* 36. 14. Atque eadem passim ab Esaia, Jeremia, Ezechiele, aliisque prophetis gravissimè arguuntur. Postea verò quàm fœda & miserabilis Antiocho sæviente ecclesiæ facies extiterit, nemini obscurum est. Porro Christi temporibus, quàm graviter ecclesia visibilis à vero aberrarit, demonstrat primùm Pharisæorum & Sadducæorum fermentum, quod in ecclesia non solùm ferebatur, sed etiam publicè præferebatur veritati, *Matt.* 11. 25. & 16. 12. *Ioh.* 7. 48. Deinde huc accedit concilium Jerosolymitanum, quo Christus damnatus: & populi consensus, cujus effrenata vociferatione in crucem actus est, *Ioan.* 19. 22. *Mar.* 15. 14. Post Christum verò nec pauca, nec obscura erroris ecclesiæ exempla extiterunt. Ac primùm describitur ab Euangelistis Apostolorum & aliorum discipulorum de fide resurrectionis Christi dubitatio, *Mat.* 28. 13, 15. *Luc.* 24. 11. & 25. Qui error adeo à plurimis & præcipuis pontificiis Doctoribus extollitur, ut in sola virgine Maria passionis tempore fidem & sanctitatem perdurasse asserant. Quemadmodum Bernardus sanctus vester, tractatu De passione Domini super, *Ego sum vitis*, de virgine Maria ait; *Sola per illud triste sabbathum stetit in fide & salvata fuit ecclesia in ipsa sola: propterea quod aptissimo*

tota

tota ecclesia in laudem & gloriam ejusdem virginis diem sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit. Bernardum sequitur *Marsilius in 2. Sent. quæst. 20. art. 3.* Et (ut *Dominicus Bannes in 2. 2æ. Thomæ. q. 1. art. 10. pag. 177.* recenset) multi alii. Denique tu ipse Costere, hoc agnoscis in tertia nota ecclesiæ, *pag.* 100. Quæ sententia, quamvis falsa sit, tamen doctrinam vestram perspicuè confutat. Nam si omnes, uno excepto, in fide errare possunt: quis adeo imprudens aut impudens, ut ecclesiam errare posse neget? Deinde superstitibus adhuc Apostolis ecclesiæ Galaticæ & Corinthiacæ à fidei puritate non parum deflexerunt, ut Pauli epistolæ demonstrant. Postea vero quanta errorum colluvies in ecclesiam inundarit (à qua ne Roma quidem libera fuit sub Liberio) ex historia [a] ecclesiastica & deplorandis ecclesiarum in Asia, Africa & bona Europæ parte ruderibus, plus satis perspicuum est. Præterea quum concilia generalia, (quæ *ecclesiam repræsentativam* vulgo [b] appellatis) nonnunquam gravissimè à veritate aberrarint, & inter se plurimum dissenserint, ut *lib. 2. capite* 4. ostendimus, inde consequitur ecclesiam visibilem errare posse.

a Hilarius fragmentis historicis. b Gabriel Biel in Canon. Missæ, lect. 2.

Ad hæc quum *in ecclesia sessurus* dicatur *Antichristus*, 2. Thes. 2. 4. quomodo ecclesia à veritate non seducetur? Idem denique apertis Sacrarum Literarum testimoniis comprobatur, 2. *Thess.* 2. 3. & *Matth.* 24. 24. quibus locis apostasia & seductio ecclesiæ prædicatur.

Et ut illud auctarii vice adjiciam, quum Pontifex Romanus fieri possit hæreticus & factus sit sæpius (ut orthodoxi Patres, concilia, & pontificii doctores, imo Pontifices nonnulli, confessi sunt) quomodo ecclesiam errare non posse defendes? Nam & Concilia particularia & generalia errare posse apertè agnoscitis [a]: solum vero Pontificem ab erroris periculo alienum vulgo jactatis. Ac propterea quum tota hæc de ecclesiæ veritate controversia (ut alibi memini) in eo cardine vertatur, *An Pontifex errare possit nec ne?* in reliquis verò nobiscum sentiatis, quorsum sententiam vestram sub specioso ecclesiæ titulo proponis? nimirum ut rudiorum oculi eo quasi velo obtegantur, & rei veritas obscuretur. Quæ quum satis jam detecta & defensa sit, ad tertium, quod ecclesiæ tribuis, privilegium (nam secundum ex primi examine satis dijudicari potest) pergamus.

a Vide librum sequentem de Pontifice Romano.

COSTERUS.

Tertium est Christum sacratissimæ passionis, laborumque suorum merita in sola ecclesia reposuisse: quorum illi tantùm participes efficerentur, qui se ad ecclesiæ conjunctionem reciperent. In hac ergo ecclesia sola, accipitur peccatorum remissio, gratia Dei, justificatio, sanctificatio, soli ecclesiæ filii bonis operibus merentur apud Deum vel augmentum justitiæ vel æternam vitam: soli sunt grati & accepti Deo, amici & filii Dei; soli communionem habent cum sanctis sanctorumque meritis; soli ornati sunt veris, seu Christianis virtutibus; soli promissionem habent certamque exspectationem vitæ æternæ. Magna utique privilegia & verissima: nam extra ecclesiam nihil horum reperitur, nulla sanctitas, nulla virtus Christiana, nulla operatio Deo accepta, nullum meritum; nulla spes salutis; hæc quidem fortassis non ægrè admodum nobis assentientur hæretici.

GOMARUS.

Quemadmodum in prima ecclesiæ proprietate à vero aberrasti; sic in tertia describenda & pietatem & pudorem omnem abjecisse videris. Nam pia quidem videntur esse verba tua, *Christum sacratissimæ passionis laborumque suorum merita in sola ecclesia reposuisse*; sed sensu tuo nihil impurius est: quia dignitatem, efficaciam, & distributionem meritorum Christi pervertis. Nam quum Sacræ literæ *nullum servatorem* agnoscant *quam Christum*, Actor. 4. 12. nulla vitæ æternæ merita, quàm in perfecta justitia & satisfactione Christi (cujus *sanguine ab omni peccato purgamur*, 1. Joh. 1. 7.) collocant: *omnes denique homines esse peccatores & debitores*, Rom. 3. 23, 24. 1. Joh. 1. 8. Jac. 3. 2. Matth. 6. 12. *vitamque* [a] *æternam esse Dei donum* affirment: tu contra ex communi ac turpi Pontificiorum officina profers, *ecclesiæ filios bonis operibus mereri apud Deum vel augmentum justitiæ, vel vitam æternam.* Nec in eo impietatis gradu consistis, sed ulterius etiam progressus, ecclesiæ filios non solum sua habere apud Deum merita asseris, sed etiam *communionem habere cum sanctorum meritis*, nimirum ad peccatorum remissionem. Nam, [b] Clementem sextum Pontificem & reliquos Pontificios secutus, thesaurum ecclesiæ fingis ex Christi sanctorumque meritis conflatum (ut expressius loqueris de Pontifice, pag. 164.) unde indulgentia humana, peccata remittantur. Et horum meritorum, (ut ex Vignerio Institut. cap. 16. §. 6. vers. 20. apparet) duo fingitis fundamenta: quorum primum est, *sanctos multa sustinuisse tormenta, quæ excedebant pœnas peccatorum illorum: & multa bona supererogationis, hoc est, consilii fecisse, ad quæ non tenebantur. Alterum est, quod sancti pro excessu eorum non fuerint remunerati in seipsis:* unde concluditis, *quum nullum bonum maneat irremuneratum, sequi quod excessus & supererogatio fuerit reposita in gazophilacio (id est thesauro) ecclesiæ.* Ad distributionem vero meritorum Christi quod attinet, non solùm præconium sibi adscribit Pontifex, quo resipiscentibus & fidelibus, secundum Christi verbum, remissionem peccatorum annunciet, sed etiam liberam potestatem & summam auctoritatem sibi arrogat, qua pro arbitrio [c] *eam, cui velit, & quantum velit, dispenset.* Quæ omnia, quum Dei verbo & Christi gloriæ apertissimè repugnent, meritò & palam orthodoxi execrantur. Et contra celeberrimam illam Leonis Papæ orationem [d], ut piam & elegantem, probant; *Quamvis* (inquit) *multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi: accepere justi, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit; quum inter filios hominum unus solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati.* Quamobrem ut pietatem in hisce erroribus defendendis violas, sic pudorem exuisti cum ais; *Hæc quidem fortassis non ægrè admodum nobis assentientur hæretici.*

a Rom. 6. 23. b Extra. com. lib. 5. cap. 2. c Vignerius Instit. c. 16. §. 6. v. 22. d Epist. 83. [alias 81.] ad Palæst.

CAPUT III.

Examinatis itaque ecclesiæ privilegiis, notas illius, quibus dignosci possit, inquiramus: quas, ne ignotæ sint, reipsa clariores esse oportet. Sed quum rerum notæ generatim sint duplices; aliæ propriæ & certæ, ab essentia aut proprietate rei petitæ, quæ τεκμήρια dicuntur, & rem cognoscendam necessariò demonstrant: aliæ communes, ex accidentibus & incertæ; quæ εἰκότα nominant & rem tantum probabili modo indicant: de prioribus nobis est quæstio. Quæ de re sic ais.

COSTERUS.
Ubi sit Ecclesia.

TOta porro difficultas in eo est, penes quos inveniatur ecclesia ista, dum singuli ad suas congregationes eam pertrahunt. Cujus litis evidenter dirimendæ gratia Christus Salvator pro sua in humanum genus charitate, aliqua certa indicia, & signa, notasque reliquit, quibus hæc sua respublica ab aliis cœtibus dignosceretur; ne, si quis ex fidelibus ad ecclesiam se conferre velit, dubius hæreat, quam, ex tanta congregationum diversitate, potissimum amplecti debeat, quarum quælibet, nomine ecclesiæ tot privilegiis instructæ jactat.

jactat. Rerum autem quæ inquiruntur notæ ejusmodi esse debent, quæ & clariores sint rebus ipsis, & à communi consuetudine non alienæ.

GOMARUS.

Rectè his verbis eam quam asserimus, hypothesin proponis, *quod Christus aliqua certa indicia & signa notasque reliquerit, quibus ecclesia ipsius ab aliis cœtibus dignosceretur*: Sed quænam illæ sint notæ, in dubium vocatur. Pontificii enim antiquitatem, unitatem, sanctitatem, & amplitudinem statuunt: nos vero cum reliquis orthodoxis, præcipuas visibilis ecclesiæ notas esse docemus, *verbum Dei verè prædicatum & sacramenta legitimè administrata*. Verbum autem Dei verè prædicatum definimus, doctrinam Legis & Euangelii, quæ Sacris Literis continetur, fideliter propositam & expositam: Sacramenta verò legitimè administrata, quæ ad amussim & regulam verbi divini congruunt. Ubicunque hæc duo vigent, ibi vera est ecclesia Christi, ad quam tanquam certis & erectis signis & vexillis à Domino vocamur, & cui se fideles adjungere possunt ac debent. Quò autem magis hisce ecclesia dirigitur, eò purior: & quò minus, eò impurior est: quæ verò contra in fundamentis ab hisce decedit pertinacius, ea non ut Christi ecclesia honoranda est; sed ut errorum officina fugienda. Quam orthodoxam de notis ecclesiæ sententiam hac ratione confirmamus; Privilegia & proprietates quæ soli ecclesiæ conveniunt & sensibus percipi possunt, sunt certæ illius notæ. At verbum Dei verè prædicatum & sacramenta legitimè administrata, sunt hujusmodi: quia sola ecclesia *ædificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, Eph. 2. 19. 20. *sola columna est & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. 15. Deo fœdere juncta. Cujus fœderis tabulæ sunt verbum Dei: *signa verò & sigilla* sunt sacramenta [a] Dei, quæ verbo prædicato adjunxit, ut ecclesiam tanquam confœderatorum [b] cœtum sibi, & ecclesiæ membra [c] inter se copularet, & à reliquis distingueret. Quarum notarum certitudinem apertè confiteris, quum ais proprietate prima; *In hac igitur sola est sincera verbi Dei prædicatio*: & in altera; *In sola ecclesia esse verum Dei cultum, sinceram Sacramentorum administrationem*. Atque ita Christianum definitis, [d] *eum qui baptismatis sacramento initiatus Jesu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam, in ejus ecclesia, profitetur; neque sectis vel opinionibus ullis, ab ecclesia alienis, adhæret*. Et Bellarminus de Ecclesia militante lib. 4. cap. 11. sanctitatem doctrinæ veram esse ecclesiæ notam apertè demonstrat. Et expressius enchiridion Christianæ institutionis in concilio provinciali Coloniensi editum, in exposit. symb. in articulo, Credo sanctam Eccles. ait, *Notas & signa habemus longè certissima, quæ nos de ecclesia ubinam sit, dubitare non sinant. Principio nemo negat in Ecclesia sinceram doctrinam Euangelicam & Apostolicam esse oportere, & hanc præcipuam esse ecclesiæ notam. Iuxta illud: Oves meæ vocem meam audiunt*, Joh. 10. *& quod est apud Paulum, Si quis prædicaverit aliud Euangelium, anathema sit*, Galat. 1. Quare meritò celebratur Augustini sententia tom. 7. de unitate eccles. cap. 2. *Inter nos* (inquit) *& Donatistas quæstio est, ubi sit ecclesia? Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris quæsituri an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? puto quod in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est & optimè novit corpus suum*. Et commentarii in Matthæum cap. 24. hom. 49. qui Chrysostomo vulgò adscribuntur: *Qui ergo vult cognoscere quænam sit vera ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas?* Sed qua ratione hanc sententiam oppugnes audiamus.

a Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. b 1. Cor. 12. 12, 13. c Eph. 4. 4, 5, 6. d Canisius Catech. cap. 1.

COSTERUS.

Quocirca qui ex eo penes se esse veram Christi ecclesiam contendunt, quod se verbum Dei sincerè interpretari, & sacramenta purè administrare affirment, non satis id apertè demonstrant, cùm istud non minus in dubium vocetur, & omnibus sit occultum, atque illud, quod quærebatur. Quum enim, ut diximus, hæc sint ecclesiæ privilegia, & proprietates, quicunque ad suum cœtum ecclesiæ nomen transfert, is utique proprietates ejus omnes se habere [a] dicet; & qui de numero gentilium ecclesiam veram quæret, nihil certi inveniet, quando omnes audiet de sincera verbi divini prædicatione, & sacramentorum administratione gloriari, aliosque à se mendacii arguere. Nam Lutherani hæc penes se esse docent, non apud Calvinistas, Anabaptistas, Schvvenckfeldianos: contra verò Calvinistæ apud se solos, non apud alios ea reperiri volunt, atque ita de cæteris.

a Johannes Eviratus in Prato. cap. 29.

GOMARUS.

Totâ aberras viâ, Costere, quum ais; *qui ex eo penes se esse veram ecclesiam Christi contendunt, quod se verbum Dei sincerè interpretari & sacramenta purè administrare affirment, non satis id apertè demonstrant*: Quoniam non ex affirmatione nostra, sed ex reipsa & convenientia cum sacrarum literarum norma, judicium, de ecclesia nostra, fieri volumus. Quod verò addis, *hasce notas non minùs esse dubias, atque ipsa, quæ quæritur, ecclesia*, à veritate alienum est, & probatio, quam adfers, infirma. Quamvis enim de hisce Privilegiis & proprietatibus omnes gloriemur, id tamen notarum certitudini & claritati nihil derogat. Siquidem non ex inani hominum jactatione, sed ex reipsa de certitudine & claritate illius judicandum est. Alioqui, quid esse possit in rerum humanarum ac divinarum judiciis certum aut perspicuum? Nam (ut de humanis prius dicam) quamvis illi, qui in foro litigant, causam quam tuentur singuli, eo nomine obtinere studeant, quod (ut ajunt) ea legibus consentanea sit: non propterea tamen à rei cognitione aut sententia judex deterretur, sed instituta rerum & legum collatione, non alia nota causæ bonitatem agnoscit & alteri parti adjudicat, quam quod legibus consentaneam comperit. Sic in sacris de religione judiciis res sese habet. Gloriabantur quidem de vera verbi divini prædicatione Pharisæi & Sadducæi, gloriabatur & Christus, an propterea tamen veritatis amantibus res erat dubia & obscura? An Christus ideo perturbatus hanc Notam, ut incertam, rejecit? imo verò ad Sacrarum Literarum examen provocavit: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, & illæ sunt quæ testificantur de me*, Johan. 5. 36. Sic ex Sacris Literis Sadducæos confutavit, Matth. 5. 22. Hinc laudatur à Spiritu Sancto Boroënsium prudentia & studium, quod quamvis Judæi de religionis suæ veritate gloriarentur, & eam contra Paulus sibi vendicaret, non leviter tamen hunc aut illos rejecerint, nec etiam dubii hæserint; sed quod receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent. Itaque quamvis singuli de vera verbi divini prædicatione glorientur, non propterea tamen ancipites & dubios esse nos decet, & ad alias notas confugere; sed examine opus est; ut in rebus omnibus. Conferatur cum regula & veritas patefiet. *Ipsa enim doctrina eorum* (ut ait Tertullianus de præscript. hæretic.) *cum Apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici. Quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt & aliter prædicaverunt*. Itaque cum Augustino de unitate ecclesiæ cap. 1. respondemus: *Non audiamus hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, hæc dicit Dominus.*

Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quæramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram, &c. *Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam ecclesiam, demonstrari*. Quare ex hisce perspicuum est, quid de sequenti tua conclusione sentiendum sit.

COSTERUS.

Unde manifestum est rectius ab illis fieri, atque, ut Philosophi loquuntur, rem à priori ostendi, qui ex hoc se docent prædicta habere; verum, inquam, Euangelii & Scripturæ sensum, sinceram administrationem sacramentorum, *&c.* quod veram penes se habent ecclesiam.

GOMARUS.

Malè concludis Costere. Nec enim ecclesia prior est prædicatione verbi: quia hæc primùm à Deo prodiit ac cœpit in Paradiso, unde ad homines tanquam ad Dei ministros postea promanavit. Deinde semen, quo ecclesia regeneratur, & fundamentum cui superstruitur, priora sunt ipsa ecclesia: atqui verbum Dei verè prædicatum est semen & fundamentum ecclesiæ, ut Sacræ Literæ demonstrant. Hinc Petrus; *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem Dei vivi & manentis in æternum*, &c. *Hoc autem est verbum illud quod euangelizatum est vobis*, 1. Pet. 1. 23, 25. Et Paulus; *Non amplius estis hospites & inquilini, sed concives sanctorum & domestici Dei, superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, Eph. 2. 19. Et alibi; *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10. 17. Ergo verbi divini prædicatio est prior ecclesiâ. Quippe quæ cœtus est evocatorum, prædicatione verbi divini & sacramentis, ad fœdus Dei. Ac propterea hæc [a] duo fœderis sui præconibus & ecclesiæ architectis ecclesiæ suæ proponenda mandavit.

a Matth. 28. 1. Cor. 11. 23. 2. Cor. 5. 20.

CAPUT IV.

Quamobrem defensa veritate orthodoxa, reliquum est, ut pontificiam de notis ecclesiæ doctrinam, audiamus, & ad veritatis normam examinemus.

COSTERUS.

Veram autem ecclesiam esse clarioribus notis perspicuum faciunt; quas ne ipsi quidem adversarii possunt inficiari. Notæ porro istæ sunt duplices: una, ab ipsa origine sumitur; alia ex proprietatibus externis re ipsa, quæ quæritur, notioribus. Similitudine fiet res manifestior. Quæritur Colonia Agrippina, eadem illa quam condidit olim Agrippa, multis prærogativis atque immunitatibus donata, civitas Imperii, Respublica libera, &c. Sunt quidam antiquæ hujus civitatis osores, qui ab annis 100. vel 50. aliis oppidulis excitatis & nomen, & jus nobilis illius veteris Coloniæ, ad illa transferre audeant; & si quis hospes aliunde de recens adventans de Colonia quærat, suas illi novas à se nuper fabricatas sedes monstrent. Hospes sanè iste his duobus signis de veritate docebitur; alterum est, ut consultis annalibus oppidorum omnium inquirat originem: inveniet quippè in veteri Colonia continuatam ab ipso Agrippa historiam, cæterorum verò non poterit initium inde ab ipso Agrippa deductum ostendere: sed tantum à quinquaginta aut centum annis jacta esse fundamenta reperiet, atque adeo ne principium quidem ullius ædificii ante illud tempus extitisse constabit. Alterum, quo in notitiam veræ Coloniæ veniet, est in externis signis, quæ sensibus ipsis sunt notissima, quibus ab historicis, indubitatisque authoribus, multis retro seculis descripta fuit Colonia à situ loci ad Rheni ripam, in planitie, infra Bonnense oppidum, &c. ab ædificiis & templis, à consuetudinibus, &c. quæ notæ si non in recentibus illis oppidulis extent, sed in antiqua Agrippina, non ignorabit hospes, quò tandem se conferre debeat, quicquid reclament alii: quos ut impudentes bonorum adversarios, & humani generis osores detestans, omni supplicio dignos pronunciare non verebitur.

GOMARUS.

QUID de notis ecclesiæ generatim sentiant PONTIFICII, his verbis proponis, & similitudine quadam illustras. Qua in re si subsisteres, & piè explicares, non esset cur nobiscum contenderes. Verùm cum à sacrarum literarum præscripto discedas & falso nitaris fundamento, ut postea liquebit, nescio qua fronte affirmes, *veram penes vos esse ecclesiam iis notis demonstrari à vobis, quas ne ipsi quidem adversarii possint inficiari.*

Et ut de proposita similitudine (quæ alioqui nihil probat) aliquid dicamus, non erit difficile eandem causæ nostræ accommodare.

Quemadmodum enim Colonia, quæ hoc tempore exstat, certò inde cognoscitur esse vetus illa ab Agrippa condita Colonia, quod veterum annalium & historiarum descriptioni sola conveniat, & certis Coloniæ Agrippinæ proprietatibus sola prædita sit: ita & ecclesia vera ex sacrarum literarum (quæ ortum, formam & proprietates veræ ecclesiæ describunt) indicio & descriptione cognoscenda est.

Nam quum sola Christi ecclesia sit *columna veritatis*, (1. Tim. 3. 15.) ubicunque regnat veritas, ibi & originem à Deo & veram esse Christi ecclesiam luce meridiana clarius est.

Quamobrem veritate adactus, idem paulò post confiteris. Sed interim qua ratione hac similitudine ad causam vestram fucandam abutaris, audiamus.

COSTERUS.

Pari ratione in ecclesia invenienda utetur vir prudens, qui vel recens ex gentibus Judæisve, ad veræ Catholicæque religionis lucem convertitur, vel (ut fit) in hac tanta sectarum diversitate dubius hæret, ad quam se debeat partem adjungere. Is enim non ex doctrina Ecclesiam, sed ex Ecclesia doctrinam metietur; neque sibi authoritatem vendicabit de doctrina judicandi, sed certis notis deprehensa Ecclesia, ipsius judicio per omnia stabit, quam falli non posse, neque fallere ex divinis scripturis didicit. Primum igitur ad suam originem singulos eos cœtus deducet, qui se pro vera Christi Ecclesia offerunt. Inveniet *Lutherana* Ecclesiæ à Luthero datum initium anno 1517. *Calviniana* à Calvino etiam posterius: *Anabaptistis* à Balthasaro Pacimontano sub annum Domini 1522. *Svvencfeldiana* à Swenckfeldio, multo recentius; Domui amoris ab *Henrico Nicolai* nauta, fortè sub annum 1550. Sique diligenter investiget, clarè deprehendet non statim primis illis annis totam fidem, ut nunc ab illis traditur fuisse perfectam, sed paulatim cusam atque recusam; vix tandem triginta annis integram, uti nunc colitur, fuisse servatam. Sanè ex Locis Communibus *Philippi* & *Augustana confessione*, quæ singulis penè editionibus aliquid novi pro fidei doctrina vulgarunt, hoc mutabile incrementum discet. Si porrò etiam attentius consideret, & historias veteres evolvat, manifestè cognoscet ante Lutherum, Calvinum, similesque novos doctores, ne unum quidem fuisse toto terrarum orbe hominem, seu Catholicum, seu hæreticum, qui per omnia de rebus fidei ita vel docuerit vel senserit, sicut illorum sectatores hodie profitentur se credere. Et quod ad hæreticos quidem attinet, non est diffitendum, [a] à novis sectariis veteres, semper aliquos errores suscitari, quod non obscurè in nostris locum habet, qui ab Aëtio & Eunomio doctrinam suam de sola fide mutuati sunt; à Manichæis de matrimonio; à Novatianis de pœnitentia; à Vigilantio de sanctorum reliquiis; à Joviniano & Helvidio de cœlibatu; à Berengario de Eucharistia; à Leone Isaurico, & Compronymo de sacris imaginibus; ab Hussitis de necessitate utriusque speciei; à cæteris deinde ferè omnibus aliud aliquid in fabricam suam pravorum dogmatum transtulerunt. Nam & Calvinum Arianizasse, & Bucerum cum Sebastiano Munstero Judaizasse, non obscura fama est.

a Novæ hæreses aliquid à veteribus habent.

GOMARUS.

Eâne *ratione in ecclesia invenienda utetur vir prudens; ut non ex doctrina ecclesiam, sed ex ecclesia doctrinam metiatur?* Si quidem de eo tempore disputares, quo Apostoli & Prophetæ, Spiritus Sancti instinctu ecclesiam docuerunt, minus à veritate aberrares: & tamen Prophetæ, Christus [a] & Apostoli, [b] se suamque ecclesiam ex Sacrarum Literarum examine voluerunt cognosci, suamque doctrinam ex iisdem

a Joh. 5. 35. 46. & 8. 47. & 10. 4. 5. b Actor. 24. 14.

confir-

confirmarunt. Quod vero adjungis, *neque sibi auctoritatem vendicabit de doctrina judicandi; sed certis notis deprehensa ecclesia, ipsius judicio per omnia stabit*: quid istud aliud est, quàm oculos hominibus velle eruere? Si enim de Colonia Agrippina, an antiqua illa sit dubitetur, eam cum antiquis historiis & indubitatis auctoribus comparandam, & ex iis judicium formandum statuis: quum verò de vera ecclesia (cujus tamen parem ais esse rationem) disceptatur, judicium doctrinæ quæ ecclesia Christi in Sacris Literis dignoscenda proponitur, eripere studes. Scilicet ut stulta credulitate (quam *prudentiam* appellas) vestros auditores erroribus pontificiis mancipetis. Itaque opponimus vobis Christi & Apostolorum judicium & mandatum, *Scrutamini Scripturas*, Joh. 5. 39. 46. *Dilecti, ne cuivis spiritui credite, sed probate Spiritus an ex Deo sint. Nam multi pseudo-prophetæ venerunt in mundum*, 1. Joh. 4. 1. *Prophetias ne pro nihilo habete: omnia explorate, quod bonum est tenete*, 1. Thess. 5. 20, 21. Quamobrem vir prudens ex vera doctrina veram ecclesiam; non autem ex ecclesia, veram doctrinam metietur. Nam quod probationis loco addis, *ejus judicio per omnia stabit, quam falli non posse neque fallere, ex divinis scripturis didicit*: id profecto nimis infirmum fundamentum est, ut pluribus supra demonstravi. Quare, ut argumentum hoc in te retorqueam, quum visibilem ecclesiam errare posse ex Sacris Literis & crebra experientia constet: non ex ecclesia veritas, sed ex veritate ecclesia dignosci debet. Cæterum, ut originis habeatur ratio, quid in ecclesiis nostris (nam de Anabaptisticis & similibus non loquor) desideres? Non enim earum origo ab anno 1517. aut posterius, ut falso affingis; sed inde ab initio; etsi earum splendor Pontificia tyrannide diu fuerit offuscatus. Nam in medio Papatu Deus O. M. suos habuit fideles, qui servato fundamento, Pontificios errores aversati sunt, & ex tenebris Babylonicis plurimos paulatim ad veritatis lucem revocavit. E quorum numero fuere Waldo, Wiclephus, Johannes Hussus, Lutherus, Zuinglius, alii. Ut autem lux diei suos habet progressus & incrementa, nec matutino crepusculo tam clarè affulget atque sub meridiem: sic non est mirum, si Lutherus & alii in veritatis notitia profecerint. Quam verò Philippo & Augustanæ Confessioni allinis maculam, eam in refutatione Præfationis tuæ (lib. 1. cap. 10.) abstersimus. Sed pressius agis & novitatis Lutherum, Calvinum, similesque insimulas, *quod*, ut ais, *ne unus quidem fuerit toto terrarum orbe homo seu Catholicus seu hæreticus, qui per omnia in rebus fidei ita vel docuerit, vel senserit, sicut eorum sectatores hodiè profitentur se credere*. Hic scilicet Achilles vester, hic causæ pontificiæ murus aheneus, ac propterea passim repetis & inculcas: sed eum veritatis aries facile concutiet ac prosternet, ut libro primo ostendimus. Nam ea illius est confirmatio & firmamentum adeò debile, ut leviter tentatum, sua sponte concidat. Ac primùm frustra te fatigas, ut demonstres nullum veterum hæreticorum nobiscum in omnibus convenire, & falsò nobis errores impingis, pro more scilicet & amore vestro in rei veritatem. *Non est*, inquis, *diffitendum à novis sectariis veteres semper aliquos errores suscitari: quod non obscurè in nostris locum habet: qui ab Aëtio & Eunomio doctrinam suam de sola fide mutuati sunt*. At quænam fuit Aëtii & Eunomii doctrina? Quum tu sileas, audiatur de utroque Augustinus De hæresibus cap. 54. *Fertur* (inquit) *usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum: si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*. Eane nostra est doctrina? Imo verò contrà Calvinus in Antidoto adversus concilium Trid. ad sess. 6. can. 11. *Sola* (inquit) *fides est, quæ justificat: fides tamen quæ justificat non est sola. Sicut calor solis solus est qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in sole, sed cum splendore*. Idem demonstrant ecclesiarum nostrarum confessiones, catechismi, conciones. Quare hæc prima tua calumnia est, cujus iniquitas oportuniori loco plenius apparebit. Altera est quod nos *doctrinam de matrimonio à Manicheis mutuatos esse* arguis. Sed quæso te, quomodo? Manichæi [a] liberorum in

a August. contra Faustum Manich. lib. 15. cap. 7.

matrimonio procreationem detestati sunt: nos contrà ex Sacris Literis palam asserimus, *honorabile inter quosvis esse matrimonium & cubile impollutum*, Heb. 13. 4. & matrimonii prohibitionem esse *diabolicam doctrinam*, 1. Tim. 4. 3. Vos verò non inter quosvis honorabile esse matrimonium statuitis, sed sacerdotibus vestris illud contrahere prohibetis, & *eorum conjugium scortatione esse turpius* [a] affirmare non erubescitis: ut alibi comprobavi. Nec mirum quum vester Syricius Papa, ut hoc impurum suum matrimonii interdictum colore aliquo tueretur, Sacras Literas fœdissimè pervertat. Quoniam probationis loco illa Pauli sententia abutitur distinct. 82. can. proposuisti. *Qui autem sunt in carne, Deo placere non possunt: vos autem contra non estis in carne, sed in spiritu.*

a Bellarminus lib. 2. de Monachis, c. 34.

Cujus rei tanta est indignitas, ut celebris ille Theologus vester Parisiensis Claudius Espensæus De continentia lib. 1. cap. 13. Syricium eo nomine detestetur. *Romanos* (inquit) *Pontifices Syricium imprimis & Innocentium, quibuscum Iovinianum execror*. Et paulò post Pontifices refutans; *Ac proinde non intelligo (idque dictum cum summa reverentia ut cætera volo) quo sensu, conjugii, præsertim ante sacros ordines contracti usum, cleri sui sanctimonia indignum, & carnis esse immunditiem in qua Deo placere non possit, vocare non dubitarint. Nam Paulina quæ allegant, vel Immundis nihil esse mundum: vel, Qui in carne sunt, Deo non placere: non minus ad laicos, quam ad clericos pertinent. Et prior locus se de fidelibus explicat: & posterior contra connubium, alibi honorabile & impollutum vocatum, facere non potest.* I nunc, Costere, & vos ipsos in Manichæi castris imprudentes militare agnoscas. Nec alia est tertia accusationis ratio. Novatiani enim tres potissimum errores tutati sunt. Primum, quod de operum meritis & puritate sua gloriabantur: unde se Catharos, hoc est, mundos superbè nominabant. Deinde secundas nuptias damnabant. Denique lapsis in peccata, post baptismum peccatorum veniam denegabant. Sic enim de iis ait Augustinus de hæresib. *Cathari, qui seipsos isto nomine propter munditiem superbissimè atque odiosissimè nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum: unde Novatiani appellantur.* Nos verò nullum horum errorum probamus. Nam ex Sacris Literis [a] profitemur, omnes homines, excepto Christo, esse peccatores: & cum Paulo concludimus, *Fide justificari hominem sine operibus legis*: Nuptias etiam secundas non improbamus: & lapsis resipiscentibus veniam, secundum Dei voluntatem, annunciamus. Quare cum hæreticis illis nihil nobis est commercii: vos vero iis affines esse experientia evincit. Nam virginem Mariam & quosdam sanctos catharos seu mundos fuisse prædicatis, nec solum legi potuisse plenè satisfacere, sed amplius etiam præstitisse, *opera* nimirum, ut barbarè & impiè vocatis, *supererogationis*, quæ etiam aliis hominibus ad gratiam Dei obtinendam possint imputari. Ad quantam impietatem, Novatum quamvis impium, nunquam pervenisse comperitur. Deinde quamvis neminem ob nuptias secundas ab ecclesia excludatis, à sacerdotio tamen quasi profanum arcetis: eodem cum Novato abusi argumento. Et quod magis ineptum est, primas nuptias [b], si cum vidua celebrentur, secundam nuptiarum speciem constituitis: ac propterea nullos, qui viduam habuerunt uxorem, ad ecclesiæ ministerium admittitis. Lapsis denique non aliter veniam tribuitis & absolvitis [c], nisi ubi commentis vestris humanis (*quibus frustra colitur Deus*, Matth. 15. 9.) satisfecerint. Quare si quibus Novatianorum hæresis ascribenda est, non nobis, sed vobis potius, qui parum ab illis dissidetis, tribui debet. Præterea quod doctrinam nostram de reliquiis à Vigilantio; de cœlibatu à Joviniano mutuatos esse accusas, probari non potest. Nihil enim de hisce rebus docemus, quod non ex puris Sacrarum literarum fontibus derivatum sit. Deinde vero quid hæreticum de reliquiis sanctorum docuit Vigilantius contra Vigilantium? Verba ipsius ex Hieronymo audiantur: *Quid* (inquit) *necesse est te tanto honore non solum honorare, sed etiam*

a Rom. 3. 28. 1. Tim. 5. 14. Ezech. 18. 23. 2. Cor. 2. 16. b Summa Sylvestrina par. 1. cap. Bigamia. c Concil. Trid. sess. 14. c. 6, 8, 9.

adorare, illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid pulverem linteamine circumdatum adorando osculaeris? propè ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum, in ecclesiis sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicunque pulvisculum nescio quod in modico vasculo circumdatum osculantes adorare. Quid verius & sanctius in superstitionem obortam dici potuit? Honorem reliquiarum Sacrae Literae & communis natura, non barbara cadaverum effossione aut membrorum distractione (ut alibi caput, alibi brachium, alibi pedes appareant) non profana eorum adoratione; sed honesta sepultura, describunt. Quid etiam Jovinianus de coelibatu à sacrarum literarum consensu alienum docuit? *An quod* (ut Hieronymus contra Jovinianum lib. 1. refert) *asseruerit virgines viduas & maritatas, quae semel in Christo lotae sunt, si non discrepent caeteris operibus, ejusdem esse meriti?* At vero nonne graviter scriptura [a] docet nihil nos operibus nostris promereri, quia Dei sunt dona; deinde, quia debita; denique, quia ob carnis nostrae, adversus Spiritum certantis, contagionem imperfecta? *Nos enim in multis labimur omnes*; nos mille talenta debemus Deo, nec sumus solvendo: nos debita nostra indies profiteri & remissionem eorum precari jussit Christus. Quare si quid praemii confert Deus, non meritum est operum, sed gratiae divinae donum. Deinde verò quod Sacris Literis, quae omnium virtutum perfecta sunt regula, non praecipitur, illud per se non est virtus, eoque per se nullius potest esse meriti. Ostende igitur ubinam Dei verbo virginitas praecipiatur? aut agnosce regnum Dei per se non esse situm in virginitate aut matrimonio; sed utrumque statum ex usu aut abusu à Deo aestimari. Etenim matrimonium instituit Deus, Genes. 3. & iis qui se continere non possunt, praecepit, 1. Cor. 7. 9. Abraham & Sara credentium parentes, virgo Maria, imo Petrus & plerique Apostoli, fuerunt conjugati, 1. Cor. 9. 5. Quare veritatis ductu rectè Chrysostomus in Epist. ad Heb. hom. 7. *Quomodo honorabiles nuptiae, si nos tantoperè impediunt?* &c. *Si qui impediti sint ex nuptiis, sciant quod non nuptiae illis impedimento fuerunt, sed voluntas, quae malè utitur nuptiis*; Nam *neque vinum facit ebrietatem, sed mala voluntas & moderationis excessus. Utere cum moderatione nuptiis &* PRIMUS ERIS IN REGNO, *& omnibus frueris bonis.* Quamobrem vides, Costere, quam frustra, nobis Vigilantii & Joviniani nominibus invidiam conflare studeas.

a Heb. 13. 21. Luc. 17. 10. Rom. 7. 25. Gal. 5. 17. Jac. 3. 2. Matt. 18. Matt. 6.

Quid vero dicam de sequentibus? Affirmas enim doctrinam de eucharistia à Berengario: de sacris imaginibus à Leone Isaurico & Copronymo: de necessitate utriusque speciei ab Hussitis esse mutuatos: sed toto erras caelo; quia & nos doctrinam nostram ex divinis literis hausimus, & tu illos homines injustè erroris propterea insimulas. Nam ut de Berengario primùm dicamus, quid, obsecro, falsi initio de Eucharistia docuit? Consule quae de hac re, libro primo cap. 1. scripsimus: nec erit quod merito reprehendas. Quibus addo idem Berengarium docuisse, quod ante ipsum Augustin. de consec. dist. 2. §. Prima: cujus sententiam jure Pontificio approbastis. *Non hoc*, inquit, *corpus quod videtis manducaturi estis & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificat vos.* Item; *Ut quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti.* Quod verò de utriusque speciei necessitate commemoras, duplicem errorem vestrum continet. Primus est, quod non panem & vinum in caena Domini à fidelibus manducari statuitis; sed externam tantùm panis & vini speciem. Nam substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi permutari: accidentia verò tantùm permanere, contra scripturae auctoritatem & naturae sensum, affirmatis. Unde ex impura sententia impurum omnino *transsubstantiationis* verbum promanavit. Alter error est, quod Hussum ea de causa haereseos accusas, quod non minus vini quam panis usum in coena necessarium statuit. Hac enim ratione Christi & Pauli mandatum; *Bibite ex eo omnes*, 1. Corinth. 11. & Pontificis vestri decretum [a] convellis. Sic enim Gelasius Papa ait; *Comperimus autem quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant. Qui (procul dubio quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quare interim dum vos sacrilegii accusat & convincit Pontifex vester, neglecta accusatione tua, ad Imperatores, Leonem Isauricum & Copronymum progredior: qui ea etiam de causa vobis odio sunt, quod imaginum cultum, ex Divini verbi praescripto & conciliorum duorum consensu prohibuerunt, & Ezechiae regis exemplo, idololatriae sustulerunt materiam. Quo nomine quum gratiae illis deberentur, tanta in idololatria asserenda extitit Romanorum Pontificum vaesania [a], ut propterea Gregorius tertius Papa imperio & communione fidelium Leonem imperatorem privarit. Quocirca quàm iniquè doctrinam orthodoxam insecteris perspicuum est: adeo, ut quum veris argumentis destituaris, ad falsi rumoris subsidium confugias. Nae illud profectò deploratae causae argumentum est. Nam & *Calvinum* ais *Arianizasse*, & *Bucerum cum Sebastiano Munstero Judaizasse non obscura fama est.* Sed quibus, quaeso, auctoribus? Quis Calvino solidius Arianos confutavit? Quis Bucero Euangelium magis illustravit? Quis ante Munsterum Judaeorum errores tam perspicuè evertit? sed hae sunt artes vestrae, ut quum veritatem non possitis opprimere, eandem per bonorum latus variis calumniis confodere studeatis. Quare his omissis, reliqua, quae attexis, expendamus.

a De consecrat. dist. 2. §. comperimus.

a Platina de vitis Pontif. in Gregor. 3.

COSTERUS.

Nullus veterum haereticorum cum novis convenit.

Caeterum ut in aliquibus conveniant, in multis tamen dissentiunt; quia vel aliquos errores veterum haereticorum detestantur, vel novos adjiciunt hactenus inauditos; Justitiam imputari, non inhaerere: speciali fide, qua se quisque credit justum esse, remitti peccata: Peccatum originale esse substantiam, non accidens, aut privationem: duo tantum esse Sacramenta Ecclesiae: Sacramentum Baptismi non dare gratiam; sed indicium esse aut signum collatae gratiae: Christum in Coena praesentem nulla veneratione colendum esse, vel adorandum, nemini prorsus antecedentium haereticorum in mentem aliquando venit. Missae sacrificium, quod tantoperè aversantur hujus saeculi omnes sectarii, veteribus omnibus fuit sacrosanctum. Ejus namque explosio juxta Danielis prophetiam cap. 12. 11. proximis antichristi temporibus debebatur. Hic igitur manifesto efficitur, quod nemini unquam eorum haereticorum, qui ante vixerunt, quàm à veritate Catholica Lutherus desciviisset, cum ullo nostri temporis haereticorum, in his quae fidei sunt, per omnia convenerit.

GOMARUS.

Ut ima summis conveniunt! Quemadmodum enim veterum errores injustè nobis antè tribuisti; sic pari fide novos & hactenus inauditos ascribis. Sed quinam hi sunt? *Justitiam*, inquis, *imputari, non inhaerere:* imo vero utrumque statuimus; sed diverso modo. Nam Justitiam perfectam, qua coram Deo justificamur, in Christo esse asserimus, nobis verò imputari per fidem: Justitiam vero inchoatam, in nobis haerere sanctificatione per Spiritum Christi. Quid in hac doctrina novum? Quid aliud docet tota Scriptura? Nam ut de altero membro, quod extra controversiam est, nihil dicam, *an non Deus imputat justitiam absque operibus?* Rom. 4. 6. Nonne *obedientia Christi justi constituuntur multi?* Rom. 5. 19. nonne *ipse est justitia nostra*, 1. Cor. 3. 30. *& nos Dei justitia in ipso?* 2. Cor. 5. 21. Rectè Bernardus Epist. 190. ad Innocentium. *Nam si unus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt: ut scilicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata ille unus portavit*, &c. *Justum me dixerim, sed illius justitiâ. Quaenam ipsa?*

Finis

Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Denique qui factus est nobis, inquit Sermon. 22. in Cantica, *justitia à Deo Patre.* Et alibi exponens dictum illud Pauli: *Qui factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio; Sapientia* (inquit) *in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum.* Et Serm. 23. *Omnes enim peccaverunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accusabit tamen adversus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne quod mihi ipse non imputare decrevit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei.* Quare nihil de justificatione novum, nihil falsum asserimus. Atque eadem est fidei ratio. Non enim fides generalis, qua credimus verè fideles à Christo servari, nos beat (alioqui & Judas & Sathanas essent beati) sed fides specialis, qua [a] oblatam Christi gratiam, Abrahami patris nostri exemplo, amplectimur: adeò ut per Spiritum adoptionis clamemus, *Abba Pater. Qui ipse Spiritus testatur unà cum Spiritu nostro nos esse filios Dei*, Rom. 8. 15, 16. Quum enim id nobis euangelio præcipiatur ut credamus Christum esse servatorem nostrum, ea vera est fides, quæ huic mandato sanctè paret. Adeo ut fidelium quisque cum Paulo dicat; *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit seipsum pro me*, Gal. 2. 20. Quibus consonat Bernardus Sermone 1. de annunciatione Domin. *Si*, inquit, *credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata. Sic enim arbitratur Apostolus gratis justificari hominem per fidem.* Ex quibus gravissimis testimoniis nos nihil de fide novi, nihil falsi statuere, perspicuè apparet. Cæterum quod de peccato originali commemoras, nos nihil attingit, quum id non substantiam, sed accidens esse statuamus. Sed duo tantum esse novi Testamenti Sacramenta, quamvis id novum & inauditum esse objicias, apertè asserimus & ex sacris literis & orthodoxorum Patrum consensu comprobamus. Quid enim aliud sunt Sacramenta, quàm divina signa & sigilla fœderis Dei ecclesiæ tradita? quemadmodum Moses circumcisionem appellat *signum fœderis*, Gen. 17. & Paulus *sigillum justitiæ fidei*, Rom. 4. Quæ descriptio, abrogata per Christum pædagogia legali, soli Baptismo & Cænæ Domini convenit. Hinc Augustinus de doctrina Christ. lib. 3. cap. 9. ait; *A resurrectione Domini quædam pauca signa pro multis, eademque factu facillima, intellectu augustissima, observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicut & Baptismus & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Reliqua verò quinque, quæ à Pontificiis Sacramenta finguntur, partim ab hominibus, non è cælo (ut fieri oportebat) prodierunt: ut *Confirmatio* & *Extrema unctio*: partim à Deo quidem, sed in alium finem instituta: ut *Matrimonium, Pœnitentia, Ordo*, seu, *ecclesiæ ministerium.* Quæ singula pluribus demonstraremus, nisi esset hoc loco importunum. Quare his omissis & generali refutatione contentus: quid in doctrina nostra de veris Novi testamenti Sacramentis desideras? *Inauditum esse censes statuere Sacramentum Baptismi non dare gratiam, sed signum esse aut indicium collatæ gratiæ.* Imo verò, Costere, distinctius de Baptismo docemus, eum fidelibus eorumque liberis esse institutum: ac propterea quum in Dei fœdere utrique contineantur, eos gratiæ Dei & Spiritus Christi suo modo esse participes. Deus enim, *Deus noster est, & seminis nostri*, Gen. 17. Act. 2. 39. Et *qui Spiritum Christi non habent, non sunt ejus*, Rom. 8. 9. Quare, si gratiæ initium spectas, Baptismum ordinariè antecedit: qui vicissim collatam gratiam signat & obsignat: Sin verò continuationem & incrementum gratiæ consideres, Baptismum comitatur ac sequitur. Quia Deus Baptismo suum fœdus confirmat & in adultis fidem, qua oblatam Christi gratiam amplectuntur, fovet ac roborat. In quam sententiam Calvinus in Antidoto Concil. Trid. sess. 7. can. 5. (quem tanquam convitiorum vestrorum scopum vobis proponitis) apertè asseruit, *Sacramenta esse instrumentales, conferendæ nobis gratiæ causas.* Contra verò vestra de Sacramento Baptismi sententia & verbis nova & sensu profana est. Sic enim Concilium vestrum Tridentinum Sess. 7. can. 8. *Per ipsa nova legis sacramenta ex opere operato conferri gratiam, hoc est, vi actionis Baptismi, non habita ratione humanæ fidei aut electionis & vocationis Divinæ.* Contra verò Sacræ literæ docent, gratiæ perceptionem in adultis à fide oriri. *Qui* enim *crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. 16. Fides in Christum quasi spiritualis quædam manus est, qua, ut Apostolus docet, *accepimus remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos*, Act. 26. 18. *Fide purificantur corda*, Act. 15. 9. *fide justificamur*, Rom. 5. 1. Hujus autem veræ fidei semen & maturitas in solis electis existit. Unde *fides non omnium esse* dicitur, 2. Thess. 3. 2. sed *electorum*, Tit. 1. 1. Etsi effectum illius est *stipulatio bonæ conscientiæ*, quæ externo baptismo juncta, propriè *nos servat*, 1. Pet. 3. 21.

a Rom. 4. 21, 22.

Idque graviter & eleganter declarat Augustinus In Johan. tractat. 80. quum ait: *Unde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat; nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus; quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est* JESUS, *& credideris in corde, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. *Unde in actis Apostolorum legimus, fide mundans corda eorum*, Actor. 15. *& in epistola sua beatus Petrus: Sic & vos, inquit, Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, 1. Pet. 3. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur Baptismus.* Quare ex hisce apparet non nostram de Baptismi gratia doctrinam, sed Pontificiorum opinionem ab orthodoxa antiquitate abhorrere, & Baptismum Christi minuere dignitatem. Nec mirum: quum & humanum Confirmationis figmentum tanti faciant, ut cum cœlesti Baptismo non solum componant, sed etiam præponant & *majori venerationi venerandum* asserant: adeò, ut ex eorum sententia, [a] *Baptismo quidem Christiani, sed confirmatione demum in perfectos Christianos evadamus.* Quare ex hisce facilè judicare possunt pii, quàm egregiè Baptismi Christiani honorem Pontificii tueantur. De cœna Domini similis est ratio. Nam quod hæresin inauditam esse ais, *Christum in Cœna præsentem, nulla veneratione colendum esse, vel adorandum statuere*; id ambiguè & falsò judicas. Matth. 28. Nam Christum in Cœna esse præsentem agnoscimus & adoramus: quia divina sua natura & gratia perpetuò nobiscum est; sed in pane aut in specie panis in Cœna præsentem non agnoscimus. Quia, ut articuli fidei docent, *Ascendit in cœlum, ibique manebit donec redeat ad judicandum vivos & mortuos*; Actor. 3. 21. non autem patitur se indies millies è cœlo in panem detrahi, aut eo formari. Quare Sacrarum literarum antiquitati adhærentes, adorationem panis iis relinquimus, [b] *qui deserto creatore creaturam*, imò opus manuum humanarum *colunt*, &, pro Deo suo frustum panis, turpissima idololatria, adorant. Itaque nulla est, ut malè censes, *hæresis, quod orthodoxi Missæ sacrificium tantoperè detestantur*, quum ea potissimum hanc stabiliat idololatriam, & soli Christo conveniens sacerdotium, & unicum illius pro peccatis nostris sacrificium turpissimè violet [c]; ac denique naturam cœnæ pervertat. Nam in Cœna jubemur panem accipere & comedere in recordationem corporis Christi: in Missa [d] verò sacrificus (ut putat) *Christi corpus offert Deo, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis.* Sed ne quis errori desit fucus, Sacras Literas prætendis, & de sacrificio Missæ ais; *Ejus explosio, juxta Danielis Prophetiam, Antichristi temporibus debebatur*, Dan. 12. 11. Verum nec de Antichristi temporibus eo in loco prædicit Propheta (alioqui dies secundi adventus Christi præsciri posset, Marc. 13. 32.)

a Sent. Lib. 4. dist. 7. & de consecr. dist. 5. §. De his. b Matth. 26. 11. Rom. 1. 25. c Heb 5. 4, 5, 6. & 9. 11, 12. & 10. 14, 15. d Concil. Trid. sess. 22. cap. 3.

nec de fictitio Missæ sacrificio loquitur, sed de jugi sacrificio veteris testamenti, quod Antiochi temporibus fuit interruptum, & posteà omninò sublatum, quum urbs Hierosolyma à Romanis funditus eversa est, *Matt.* 24. 15. Ac quamvis ad Antichristi tempora is locus pertineret, non aliud ista jugis sacrificii figura adumbraret, quam religionem Christianam, qua vera fide & charitate, animo & corpore fideles Deo in hostiam vivam offeruntur & consecrantur, 2. Pet. 2. 5. Apoc. 1. 6.

Quamobrem ex hisce necessariò efficitur, falsò nos hæreseos & novitatis insimulari. Ac propterea frustra in eo laboras, ut demonstres nemini unquam eorum hæreticorum qui ante nos vixerunt, nobiscum per omnia convenisse. Hoc enim liberè profitemur ac docemus. Sed Patrum nobis consensum objicis.

COSTERUS.

Nullus veterum Catholicorum cum hæreticis consentit.

Sanctorum patrum eadem est ratio, qui & unanimi consensu veteres hæreses à Neotericis, revocatas condemnaverunt, & disertis verbis se illa credidisse, sibique commissos populos docuisse scripserunt, quæ sectarii nostri Ecclesiæ Romanæ crimini & errori ducunt. Beatus Hieronymus gravissimè insectatur Vigilantium, quod sanctarum reliquiarum venerationem impugnarit. Beatus Augustinus (lib. de hæret. cap. 54.) inter hæreses Eunomii recenset doctrinam de sola fide: quam tot annorum spatio decurso, rursus ab inferis suscitavit Lutherus. Beatus Ambrosius (lib. de pœnitentia) eundem errorem de potestate clavium & peccatorum remissione reprehendit in Novato, quem docent sectatores Lutheri, &c. Fidem Romanæ Ecclesiæ de sanctissimo Missæ sacrificio ad unum omnes majores tenuerunt: Sanctos cum Christo beato ævo fruentes, omnes invocaverunt: Romanum Pontificem magna veneratione & obedientia pro Christi vicario & B. Petri successore omnes coluerunt: operibus bonis merita & æternæ vitæ mercedem omnes attribuerunt: satisfactiones pro commissis peccatis omnes imposuerunt, & multa id genus se fecisse & credidisse docuerunt, quæ ex diametro cum hæreticorum nostri sæculi doctrinis pugnant. Nemo igitur ex his omnibus cum quoquam de nostris sectariis per omnia consentit; constatque manifestè neminem toto orbe mortalium ante Martinum Lutherum, hoc est, ante annum Domini Christi 1517. extitisse, qui eam fidem teneret, quam Lutheri, Calvini aut aliorum hæresiarcharum discipuli profitentur. Qui hæc animo suo versat vir prudens, suæque salutis amans, non solùm his novis hominibus, salutem suam non committet, sed & vehementer admirabitur, atque ex animo deplorabit, inveniri aliquos qui tam parvi ducant animas suas, ut in certam earum damnationem, non ita pridem excogitatam fidem, & coactum novorum hominum cœtum, pro vera fide & Ecclesia venerentur, sequanturque.

GOMARUS.

Illustre est, fateor, Patrum nomen & veterum consensus; sed illustrior est Pater cœlestis, & Sacræ illius Literæ, ad quarum canonem Patres se examinari voluerunt, & decretum Pontificium pluribus jubet. Cujusmodi est memorabilis & ingenua illa Augustini [a] sententia; [b] *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum veluti scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare: si fortè inveniremus quod aliter senserint quàm veritas habet divino adjutorio vel aliis intellecta, vel à nobis: talis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Hac norma usi Patrum scripta non subterfugimus, sed nævos eorum, quos perperam excerpere & amplecti soletis, à veris sententiis secernimus.

a Epist. 111. ad Fortunatianum. b Grat. dist. 9. §. Neque.

Quemadmodum, quod ais, *B. Hieronymus gravissimè insectatur Vigilantium, quod sanctarum reliquiarum venerationem impugnarit:* id certum est: sed ita insectatur, ut infirmitate quadam humana, modestiæ & veritatis limites in hoc & in Joviniano, sit transgressus: sicut Erasmus in operis illius argumento testatur: & res ipsa demonstrat. Etenim Hieronymus nullis sacrarum literarum testimoniis, sed sola consuetudine & dicteriis pugnat, adeò ut præclaræ suæ sententiæ in Matthæum cap. 23. *Hoc quia de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur;* oblitus fuisse videri possit. Ut interim omittam judicium illius de sanctorum adoratione, de cereis in honorem Sanctorum interdiu accensis, de vigiliis nocturnis, à sententia Pontificia discrepare. Quæ verò de Eunomii & Novati erroribus aspergis, ea jam ante diluimus. Quibus addo disertum Augustanæ confessionis testimonium, articulo 6. *Item docent, quod, quum fide reconciliamur, necessariò sequi debeat justitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit, sicut & Christus præcepit; si vis in vitam ingredi, serva mandata.* Et articulo 11. *Damnant Novatianos, qui nolebant absolvere eos qui lapsi post Baptismum, redibant ad pœnitentiam.* An illud obsecro est, (ut objicis) *Eunomii & Novati errores ab inferis revocare?* Aut potius jam detectam & patefactam accusationis tuæ falsitatem agnoscis? Addis deinde, *fidem Romanæ Ecclesiæ de sanctissimo Missæ sacrificio ad unum omnes majores tenuerunt.* Sed unde id probas? Ostendimus enim jam sæpius id cum primis Christi Sacerdotis dignitati & unici illius sacrificii propitiatorii meritis, & Cœnæ institutioni è diametro repugnare.

Eadem etiam fide absque sacrarum literarum & Apostolicæ ecclesiæ testimoniis, *sanctos ab omnibus invocatos* affirmas. Nam quæ alibi de hoc argumento disseris, suo loco expendemus. Interim crassam & variam à vobis committi idololatriam, cùm in sanctis definiendis, tùm in cultu eorum statuendo, apertum est. Nam primùm sanctos colitis, partim tales, quales nunquam in rerum natura extiterunt, ut [a] Christophorum gigantem, Georgium equitem & similes; partim eos, qui è cœlo impietate sua exclusi sunt; aut an in cœlo sint, certo constare non potest: quum Pontificia solum auctoritate (quam in ea re errare posse vulgò agnoscitis) in Sanctorum album relati sint. Qua de re trita & vetus illa querela est, *Multorum corpora coli in terris, quorum animæ torquentur apud inferos.* Et ut in Sanctis definiendis, sic & in cultu eorum describendo aberratis toto cœlo: quum Dei sapientiam & potentiam & Christi unici mediatoris nostri munus Ethnicorum more magna ex parte Sanctis vestris arrogatis. Nam quid minoribus suis & tutelaribus Diis tribuerunt idololatræ gentiles, quod non sanctorum animis vendicetis? Templa, (inquam) cereos, sacrificium, rerum omnium, quæ in terris sunt, notitiam, certarum provinciarum, morborum, membrorum, potestatem. Ac sicubi quid est discriminis, id nova quadam impietatis specie rependitis abundè. Itaque antiquitatem scripturæ audimus; *Deum tuum adorabis, & ei soli servies,* Matth. 4. 10. Et huic consentientem Augustinum de vera religione, cap. 55. *Non sit,* inquit, *nobis religio, cultus hominum mortuorum. Quia, si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi, propter religionem.* Cæterum, quod de Pontificis Romani dignitate mones, id proxima controversia plenius excutietur. Ad bonorum autem operum merita quod attinet, agnoscimus Latinos Patres *merendi* verbo abusos, non raro pro adipisci jure aut gratia: & *meritum* impropriè bonum opus appellasse (ut eo quem modò adduxi Augustini loco, apparet) non autem eo sensu, quo Pontificii rapiunt ac traducunt.

a Hortulo animæ, par. 4.

Nam quemadmodum Sacræ Literæ ajunt, *stipendium peccati, mors; donum verò Dei, vita æterna,* Rom. 6. 23. Sic Augustinus De gratia & lib. arb. cap. 6. *Dona sua coronat Deus; non merita nostra. Ea quippe sunt* (ut Bernardus piè & elegan-

eleganter Tractatu de lib. arbitrio & gratia declarat) *via regni, non causa regnandi.* Atque hinc etiam cognosci potest, quid de satisfactionibus vestris, quas inter merita recensetis, judicandum sit. Ais quidem, *Satisfactiones, pro commissis peccatis omnes* (Patres) *imposuerunt.* Agnosco satisfactionum multos meminisse, sed alia ratione. Illi enim externa quædam resipiscentiæ indicia peccatoribus præscripserunt, quibus non judicio Dei, sed ex Dei præcepto, ecclesiæ offensæ satisfacerent. Nam Dei judicio pro peccatis nostris nemo satisfacere potuit, sed solus & perfectè satisfecit[a] Christus obedientia sua ad mortem crucis: in qua redemptionis pretium solvit, 1. Joh. 1. 7. & *debitorum nostrorum chirographum affixit*, Col. 2. 14. &c. Cujus satisfactionis participes simus per fidem, Rom. 3. 25. quâ *justificati, pacem habemus cum* DEO *per Dominum nostrum* JESUM *Christum*, Rom. 5. 1. & 8. 1. Itaque satisfactio duplex est: alia, qua satisfit ecclesiæ publica exomologesi & resipiscentiæ professione; alia, qua soli Deo, quum resipiscens peccator fide Christi satisfactionem amplectitur, eaque fretus veniam à Deo implorat. Utriusque meminit Cyprianus quum alibi, tum libro 4. epistola quarta. Talis verò satisfactio qualem Pontificii sacerdotes confitenti peccata, pro arbitrio suo, præscribunt, quaque non culpa, sed pœna solum temporalis [b] redimatur, non est cultus Dei, nec patrum orthodoxorum doctrina, sed traditio humana, à Sacris Literis & ab orthodoxo Patrum consensu aliena, quæque doctrinam de gratia & beneficio mortis Christi & verum Dei cultum mirificè obscurat. Quare, ut injuste gloriaris Costere, *neminem ex sanctis Patribus ante Lutheri tempora, extitisse, qui idem nobiscum senserit:* sic pii omnes, qui saluti suæ consultum volent, nec Pontificis anathematis, nec Jesuitarum maledictis, à recta Orthodoxarum Ecclesiarum via deterreri se patientur. Sed quia hîc latissimus Pontificiorum est campus, in quo insolentius nobis insultant, quid amplius ad hanc sententiam nostram minuendam adferas, examinemus.

a 1 Joh. 2. 1. b Concil. Trid. sess. 14.

COSTERUS.

Apostoli cum hæreticis non senserunt.

Atqui occurrunt adversarii, dicuntque, Apostolos Christi ad mentem Lutheri docuisse & passim toto terrarum orbe rerum credendarum sensum atque intelligentiam exposuisse. Quos si doctrinæ suæ favere demonstrent, non aliis argumentis opus erit ipsis, ut dogmatum suorum integritatem veritatemque persuadeant. [a] Sed ista pauca attendat vir prudens; primum quidem, cum sectarii omnes, illi etiam, qui pugnantia tuentur dogmata à se Apostolos stare quisque velint, Lutherani, Calvinistæ, Swenckfeldiani, Anabaptistæ; quis me docebit, Apostolos Lutheri potius quam Calvini fidem tradidisse?

a Quatuor attendenda.

Deinde verò mirum omnino videtur, cum tantos in instituendo orbe labores insumpserint Apostoli Christi, tot annis sudaverint, tot miraculis prædicationem suam confirmaverint, tot loca peragraverint, eos ne unum quidem hominem posteritati reliquisse, qui sinceram doctrinam Apostolicam per omnia integram, incorruptamque tenuerit, posterisque tradiderit.

Atque id quidem admirandum amplius, quod statim à primis illis Apostolorum temporibus, non varii diversis locis, sed eidem prorsus per universum orbem errores, iique gravissimi irrepserint, nemine advertente Episcoporum, quos sibi successores Apostoli constituerant. Certum est, (ut testatur beatus Irenæus lib. 3. cap. 4.) sacrificium Missæ in omni loco Deo oblatum statim à morte Apostolorum Christi fuisse: constat ubique invocatos Sanctos, & satisfactiones pœnitentibus indictas; quæ, dum non possunt inficiari hæretici, fatentur prima post Apostolos centuria introductos errores, quos Calvinus appellat *hallucinationes patrum.* Cæterum vir prudens ac cordatus statuet potius homines illos, qui 1500. annis post Apostolorum ætatem secuti sunt, graviter hallucinari & falli, fallereque, quam sanctissimos illos majores nostros, qui & ex Apostolorum docentium ore veram, puramque Christianæ religionis cognitionem acceperunt, & ipsorum mentem probè assequuti sunt: præsertim cum non pauci illorum fidem ab Apostolis perceptam sanguine suo consignarint. Intelliget certè vir prudens non esse consentaneum divinæ bonitati ut totis 1500. annis vera fides doctissimos quosque pientissimosque viros, Apostolis vicinos latuisse; & demum post tot secula innotuisse Luthero, Calvino, cæterisque Neotericis, asseratur. Si namque statim post Apostolos corrupta est fides, perierit utique, cum *fides sit una*, Eph. 4. 5. quæ sibi neque addi quicquam, neque demi patitur. Si fides periit, interiit simul ecclesia, quæ in vera fide innititur. Sublata fide atque ecclesia, necessario efficitur, æternis ignibus adjudicatos, quotquot alienam à Luthero fidem professi sunt, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. 6. Ista si sepositis affectibus, vir prudens expendat, non credet se novis doctoribus, qui licet fidem suam atque Ecclesiam ad Apostolos ipsos referre laborent, inprimis tamen hæresiarchis suis subsistere coguntur, & totis 1500. annis successionem interruptam fateri, cum ne unum quidem post Apostolos hominem afferre possint, qui per omnia cum ipsis in doctrina consenserit. Si norint, edant nomen, fideique ipsius testimonia proferant. [a] Neque movebitur vir prudens, si dicant occultos aliquos extitisse omni tempore, qui Lutheranam fidem à se conservatam ad posteros transmiserunt. Primo namque Lutherus ipse fatetur à nullo homine se institutum, sed à solo Christo; agnoscitque se primum sui dogmatis inventorem. Deinde argumento vel teste nullo, occultos hos Lutheranos docere possunt; ut manifestè intelligas, effugium esse eorum, qui se à veritate constringi sentiunt. Si occulti fuerunt, unde norunt fuisse? Ego pari ratione, si novam comminisci hæresim velim, à cæteris omnibus alienam & diversam, ad Apostolos per occultos quosdam deducam: sed ita occultos, quos neque homo ullus unquam novit, neque Deus. Et hæc de origine sectarum.

a An ante Lutherum occulti fuerint Lutherani.

GOMARUS.

Hujus orationis tuæ duo summa sunt capita, de quibus ordine dicturi sumus. Primum enim sententiam nostram proponis, eamque veritate cogente, confirmas. Ut enim graviter & piè ait Ignatius Epistola ad Philadelphenses: *mihi antiquitas est* JESUS *Christus: cui nolle obedire, manifestum exitium est:* ita & nos antiquitatem fidei nostræ, inde comprobamus, quod Christi, & Apostolorum doctrinæ conveniat. Cujus rationis tanta est firmitas, ut assensum hunc ex te expresserit; *Quos* (inquis) *si doctrina sua favere demonstrant, non aliis argumentis opus erit ipsis, ut dogmatum suorum integritatem veritatemque persuadeant.* Verum ne omnino victus esse videaris, nostram assertionem quibusdam effugiis eludere studes. Ac primum quæris, *quum sectarii omnes, etiam illi qui pugnantia tuentur dogmata, à se Apostolos stare quisque velint, quis me docebit, Apostolos hujus potius quam illius fidem tradidisse?* Sacræ Apostolorum literæ. Ut enim probum aurum ab adulterino, lapidis Lydii affrictus, & rectum à curvo norma adhibita discernit: sic etiam doctrinæ Apostolicæ veritas, ad Apostolicarum literarum canonem examinata, dignosci potest. Atque hinc Svvenckfeldianos & Anabaptistas, non solum nostri, sed etiam Pontificii ex Sacris Literis refellunt. Eadem etiam regula Lutheri & Calvini de Cœna Domini sententiæ judicantur. Quoniam Cœnæ Dominicæ descriptio, sacramentorum natura, corporis Christi veritas, ascensio in cœlum, & mora ad judicii diem, ac reditus è cœlo (quæ omnia Sacris Literis accuratè continentur) nonnihil fermenti Pontificii in Cœnæ doctrina Luthero adhæsisse demonstrant. Similis est cæterorum ratio. Quemadmodum enim, quum de genuina Platonis, Aristotelis aut Galeni doctrina disceptatur, meritò ad scripta eorum recurritur: ita & doctrina Apostolica ex eorum scriptis apparet. Quare inane est hoc primum tuum effugium, & paris momenti sunt reliqua. Quis enim unquam asseruit,

asseruit, Costere, *ne unum quidem hominem posteritati relictum, qui sinceram doctrinam Apostolicam per omnia integram, incorruptamque tenuerit, posterisque tradiderit?* Nam quam multi extiterunt viri pii, qui nihil omnino scripserunt? quam multa etiam scripta interciderunt? Quare ex iis quæ supersunt, de reliquis omnibus non est ferendum judicium. Deinde si doctrinæ Christianæ fundamentum spectes, veteres scriptores non paucos (etsi suos habuerint nævos) veram doctrinam conservasse ac tradidisse agnoscimus. Sed excipis, *admirandum amplius, quod statim à primis illis temporibus Apostolorum iidem prorsus, per universum orbem errores irrepserint:* verum nihil hîc admiratione dignum; quia S. Sanctus id prænunciavit. *Jam enim* (ait Apostolus) *peragitur mysterium iniquitatis,* 2. Thess. 2. 7. & Apostolis etiam superstitibus Judaismus & inanis Philosophia plerasque ecclesias corruperunt, Col. 1. & 3. &c. Apostolis verò vita defunctis à verbi puritate deflectentibus viris primariis, facile reliqui auctoritate illorum decepti hallucinati sunt, quemadmodum ex Papia, Origine & similibus,[a] videre est. Sed quibus exemplis sententiam tuam demonstras? *Certum* (inquis) *est ut testatur B. Irenæus, sacrificium missæ in omni loco Deo oblatum statim à morte Apostolorum Christi fuisse:* imo contra certum est sacrificium Missæ Pontificiæ, Orthodoxæ antiquitati, fuisse ignotum. Etenim nonne Missam hisce elogiis vulgò ornare & appellare soletis, *sacrificium propitiatorium culpæ, satisfactorium pœnæ, meritorium gratiæ, impetratorium denique omnis generis beneficiorum pro vivis, & pro mortuis:* ut interim de *missa privata & sicca*, aliisque vestris in Christianam religionem contumeliis, taceam. Quorum nihil omnino ex Sacris Literis, nihil, secundum eas, ex orthodoxa antiquitate, probari potest. Nam quod Irenæi auctoritatem prætendis, erras non solum memoria, quum *lib.* 3. *cap.* 3. *pro lib.* 4. *cap.* 32. & 34. citas, sed etiam judicio: Nam Irenæus nullam omnino Missæ facit mentionem, sed eucharistiæ & gratitudinis fidelium: qua in ecclesia, ex more vulgatò, offerebant panem, vinum, & reliqua, in usum partim Cœnæ Dominicæ, partim ecclesiæ ministrorum, partim pauperum. Quam oblationem sacrificium Irenæus nominat, non propitiatorium redimendis peccatis, sed eucharisticum, gratitudinis ergò, *quod alimenta nobis præstet Deus.* Quo sensu Apostolus ait, *Per ipsum igitur assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini; talibus enim beneficiis delectatur Deus,* Heb. 13. 15, 16. Et alibi: *Expletus sum posteaquam accepi ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt, odorem fragrantiæ, hostiam acceptam ac gratam Deo,* Phil. 4. Idque ex loco Irenæi demonstrari potest: quem, quia plurimum ad Missam vestram stabiliendam pertinere arbitraris, non pigebit totum ascribere. *Sed* (inquit ille lib. 4. cap. 32.) *& suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti, novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in Novo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit; Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco immensum offertur nomini meo & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum: nomen autem ejus glorificatur in gentibus.* Et cap. 34. *Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert juste munus ejus purum, sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum & Paulus* Philippensibus ait, *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo. Oportet enim nos*

[a] Eusebius eccl. hist. lib. 3. cap. 6.

oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo in sententia pura & fide, sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quæ sunt ejus creaturarum, offerentes, & hanc oblationem ecclesia sola purum offert fabricatori, offerens & cum gratiarum actione ex creatura ejus. Atque hæc adversus Missam. De satisfactionibus vero jam anteà respondimus. Quare confidenter potius quàm verè gloriaris, *ea* quæ adducis, *nos inficiari non posse.* Deinde iniquè Calvinum reprehendis, quod patribus (quos alioqui omnes magnifacimus) *hallucinationes* aliquas tribuit. Etsi enim *Apostolorum temporibus fuerint propinquiores*, id tamen ab errore eos minimè liberat. Errare, labi, decipi, humanum est. Quod ut melius appareat, quum plurima suppetant argumenta, paucis & perspicuis exemplis id demonstrabo, non ut dignitatem eorum minuam, sed ut veritati divinæ necessariò consulatur. Optarim enim me omnia patrum antiquorum dicta posse justè probare & excusare: aut lapsus eorum, ex charitatis officio & debita iis reverentia honestè posse tegere.

Sed prius non patitur rei veritas, nec auctoritas Dei quem proclamantem audio: *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum,* Esa. 5. 20. Eoque meritò Scholasticorum & reliquorum Romanæ ecclesiæ Theologorum in Patrum sententiis exponendis, mala fides fugienda est. Nam quod de Thoma Aquinate ait Cajetanus, id reliquis plerisque Pontificiis scriptoribus commune est: *Frequenter* (inquit in 3. Thom. q. 27. arg. 4.) *auctor sicut in Philosophia Aristotelem ut Philosophum exponit, quidquid ipse Aristoteles senserit: ita in Theologia doctores,* (Patres) *ut Theologos, quidquid illi auctores senserint, exponere conatur; ut in sano salventur eorum verba sensu.* Nec enim hæc *modestia* aut *sapientia* est (ut Cajetanus censet) sed contra mala fides & inconstantia: quam etiam Ethnici Philosophi naturæ & rectæ rationis ductu damnaverunt. Meritò enim ab omnibus celebratur egregium illud de veritate honoranda Aristotelis dictum Ethic. ad Nicom. lib. 1. cap. 6. *Quæ nobis, etsi difficilis est quæstio, quod nobis amici sunt ii, qui ideas induxerunt, tamen æquum est, veritatis retinendæ causa, sua etiam decreta tollere, philosophos præsertim. Etsi enim utrique chari sunt, tamen præclarum est pluris æstimare veritatem.* Itaque in meliorem partem ex charitatis lege, (quæ optima in dubiis sperare jubet 1. Cor. 13.) aliorum dicta exponenda sunt. Sed ubi certò de falsa sententia constat, sine turpi fraude & veritatis Christianæ jactura excusari non potest. Alterum verò quod optarim, est, ut Patrum errores honestè possem silentio tegere; sed obstat adversariorum importunitas, qui cum magno veritatis & infirmorum dispendio immodicè patres extollunt, & relictis plerunque sanioribus sententiis, nævos eorum excerpunt & oraculi instar fidelibus obtrudere conantur. Quare rectè nostri historici & Theologi liberè & piè patrum errores notant, ne in eos, tanquam in scopulos, imprudentes lectores impingant.

Ac propterea ut in re non minus odiosa, quam necessaria justam omnium reprehensionem devitem, divinæ veritatis & salutis ecclesiæ studio è multis certos patrum errores proponam, quos Pontificii nulla probare possunt ratione, sed nobiscum pariter aversantur. [a] Ac primum Cerinthi de mille regni Christi annis errorem amplexus est *Justinus Martyr*, contra Tryphonem, & *Papias*, *qui* (ut Eusebius refert historia ecclesiastica libro tertio, capite trigesimo sexto) *quam plurimis post se ecclesiasticis viris ejusdem erroris causam dedit, quod ad antiquitatem ipsius respexerunt, utpote Irenæo,* &c. Eundem errorem secuti sunt *Tertullianus* contra Marcionem libro 2. *Lactantius Firmianus* lib. 7. cap. 24. *Apollinarius*, *Victorinus Pictaviensis*, & alii, ut testatur Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, cap. Papias. Omitto fabulosas Papiæ, Tertulliani, & aliorum veterum *traditiones*, quas vulgo *Apostolicas* appellarunt. Deinde Justinus Martyr Apologia secunda magno errore ait; *Qui cum ratione vixerunt, Christiani sunt, etsi non novisse Deum æstimati sint: quales apud Græcos Socrates, Heraclitus atque similes.*

[a] Patrum errores varii.

miles. Irenæi quoque errores alii, non ignoti sunt. Ait enim *Enochum legatione Dei ad Angelos functum*, libro 4. cap. 30. *Fidem esse in potestate nostri liberi arbitrii*, libro 4. cap. 72. *Christum docuisse annos ferè viginti: crucifixum verò circa annum ætatis suæ quinquagesimum:* idque *traditionem esse Apostolicam* statuit lib. 2. cap. 39. & 40. Contra *Clemens Alexandrinus*, Origenis præceptor contrario errore (quem in Valentianis reprehendit Irenæus libro 2. cap. 38.) ait, *Christum unicum tantum annum docuisse, & crucifixum quum annorum esset triginta: abusus ad id loco* Esaiæ 61. 2. *ut prædicarem annum placabilem Domino.* Deinde majore errore ait, *Christum nec esuriisse verè, nec verè sitiisse, & impatibilem, gaudii ac doloris expertem. Apostolos etiam post resurrectionem Christi ab affectibus fuisse liberos*, Stromatum lib. 6. pag. 301. Præterea *Christum & Apostolos omnibus animabus, quæ apud Inferos erant, annunciasse Euangelium, ut quæ ad fidem in inferno converterentur, eas servaret; reliquas verò in incredulitate perdurantes, justè damnaret*, ibid. lib. 6. pag. 295. *Origenis* verò errores prætereo, quia tam multi & graves fuerunt, ut inde *Origenistarum* secta appellata sit. *Cypriani* & Synodi Africanæ de Baptismo hæreticorum error notissimus est, ex lib. 2. epist. 1. ad Stephanum Papam Romanum. *Hilarius* ait, *Deum nec pios, nec impios judicaturum, sed medios*, in Psalmum primum. Et alibi: *Christi animam tristem fuisse usque ad mortem, non metu mortis, sed quod quum spiritus blasphemia nec hic, nec in æternum remittatur; metuerit, ne discipuli se Deum abnegarent, quem cæsum & consputum & crucifixum essent contemplati*, In Matth. Can. 31. De corpore Christi docet etiam, primum *illud non habere originem ex Maria (ut quæ incrementa tantum & partum contulerit) sed ex cœlo & S. Sancto.* De trinitate lib. 10. Deinde *corpus Christi passum sine ullo dolore*, Ibid. *Denique tandem id in fine mundi mutatum iri in naturam divinam, ne Christus ex parte Deus sit, sed totus Deus*, lib. 11. *Ambrosius* quoque contra historiæ Euangelicæ veritatem Petri abnegationem mirificè extenuat & excusat commentariis in Lucam lib. 10. c. 22. quam sententiam merito reprehendit Hieronymus commentariis in Matth. cap. 26. Deinde Paradisum, quem Moses describit, non in terra, sed in animo hominis, contra scripturæ veritatem, constituit, & totam illius historiam variè deformat, lib. 6. epist. 62. *Hieronymus* tradidit *Angelos multis seculis ante mundum creatum extitisse ac Deo servisse*, comment. ad Titum 1. *Dei providentiam singulas res etiam vilissimas nosse*, negat commentariis in Habac. 1. In argumento verò de Petri reprehensione & Apostolorum veritate quam graviter aberrarit in comment. ad Gal. 2. demonstrat *Augustinus* ep. 19. qui suos etiam habuit nævos. Quamvis enim Patrum omnium communi sententia, purissimus habeatur, hominem tamen se esse qui errare potuerit & errarit sæpius, non solum Christiano & singulari candore suis *Retractationum libris* confessus est, sed alia etiam, quæ non animadvertit, idem testantur. Quale est illud, quod infantibus cænam Domini ad salutem omnino necessariam asserit, Tomo 7. De peccatorum meritis contra Pelagianos, lib. 1. cap. 20. & aliis in locis. Nec is privatus fuit Augustini error, sed aliis etiam Patribus communis. Quippe propterea infantibus cænam Domini, contra Christi institutionem administrabant, ut ex Augustino colligitur, tom. 10. sermone de verbis Apostoli, & tom. 2. epist. 107. & ex Cypriano, sermone De lapsis: cujus etiam loci Augustinus meminit. *Chrysostomum* & cæteros Græcos patres, vel illud etiam erroris satis convincit, quod liberi arbitrii vires tantoperè extollant, ut ejus dignitate nos præparari ad gratiam statuant. Quam Græcorum Patrum doctrinam cavendam & repudiandam esse, meritò [a] Lovaniensis vester Theologus ac promachus vester agnoscit. Denique conciliorum multorum, tam universalium quam particularium errores [b] alibi ostendimus. Quare nullam orthodoxis patribus facimus injuriam, quum *hallucinationes aliquas* iis tribuimus, & quum fœnum ac stipulam doctrinæ humanæ ab auro divini verbi secernimus. Quam multa enim præterea quæ recensuimus in sacrarum literarum interpretatione, à Spiritus Sancti mente aliena protulerunt? Quanta sententiarum in rebus gravissimis diversitas?

Sed excipis; *Si statim post Apostolos corrupta est fides, periérit utique:* sanè, si te audire lubeat; at si veritatem spectes, facile comperies, quod ut non omnia corporis vulnera mortem inferunt, sic nec quævis fidei corruptio illius interitum adducit. Nam quod ais *fidem esse unam*, quis negat? Sed quosdam unitatis illius esse gradus, ex scriptura Dei & experientia ecclesiæ cognosci potest. *Alii enim* (ut Apostolus 1. Cor. 3. 12. testatur) *superædificant fundamento, aurum, argentum, lapides pretiosos; alii ligna, fœnum, stipulam.* Idque ex iis patrum exemplis quæ retulimus, perspicue comprobatur. Unde etiam liquet, quanta sit consequentiæ illius & sequentium vanitas, quum ais: *si fides periit, interiit simul ecclesia:* quum neutrum periisse demonstremus. Ejusdem momenti est inanis ista gloriatio, qua novitatem nobis exprobras. Nam quum in ea accusatione nihil adferas novi, sed cramben antè sæpius refutatam reponas: non est cur de ea refellenda multum laboremus. Flagitas à nobis ut antiquitatem doctrinæ nostræ probemus? Sacrarum literarum auctoritatem & iis consentientem veteris ecclesiæ consensum producimus, ut ex antecedentibus constat. Quare frustrà ad antiquos patres, præsertim quum vobis adversentur, nos provocas. Huc accedit quod nunquam defuerunt orthodoxi, ne in medio quidem Papatu, qui genua sua Baali non incurvarunt. Sed quemadmodum pii Israëlitæ Eliæ temporibus furore Achabi afflicti sese abdiderunt: sic verè fideles, Majorum memoria, tyrannide pontificia pressi, sæpius latebras quærere coacti sunt. E quibus tamen emerserunt nonnunquam & liberiore voce usi sunt: sed subitò calumniis, furca, ferro, flamma eos repressistis. Nam quid, obsecro, de fidei fundamentis à nostris docetur Ecclesiis, quod non ante trecentos annos, ut alia omittam, Waldo, & pii illius discipuli ad Lutheri usque tempora constantissimè docuerunt? Quid in Pontificiis errorum reprehendimus, quod non à multis seculis à plurimis viris piis factitatum? Demonstrant id Veterum scripta, & ex eorum testimoniis *Catalogus testium veritatis* & *martyrum* Christi *historia.* Nam quod objicis, *Lutherus ipse fatetur à nullo homine se institutum, sed à solo Christo, agnoscitque se primum dogmatis auctorem*, non solum falsò, sed etiam ineptè asseritur. Falsò quidem, quod nullo Lutheri testimonio id probare potes: ineptè verò, quod contraria copulas. Nam si à solo Christo se institutum gloriatur quomodo se primum dogmatis sui inventorem gloriari possit? Quorsum igitur Waldensium & Hussi fidem tantoperè commendat? Cur patres Orthodoxos, cur Sac. L. ad dogmatum suorum veritatem confirmandam adducit? Sed hac scil. ratione adversarios oppugnare soletis, ut quum veritatem extinguere non possitis argumentis, eam calumniis variis obscurare studeatis. Ex quibus etiam apparet, quàm frivola sit etiam illa de occultis (ut vocas) Lutheranis exceptio. Etsi enim ecclesiam persecutionibus pontificum penè oppressam, quasi ignem sub cineribus, latuisse interdum statuamus, nihilominus tamen ex ea scintillæ quædam subinde emicuerunt, ex quibus ecclesia innotuit. Itaque non est cur novitatem doctrinæ aut ecclesiæ nobis objectes.

a Stapletonus Antidot. Euangel. in Joh. 6. 37. b Lib. 2. de sacra script.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Verùm quum in oppugnanda orthodoxa ecclesia nihil sis assecutus, videamus porrò an Pontificiam paulò felicius tuearis.

COSTERUS.

Antiquitas ecclesiæ Catholicæ, ejus Propagatio & Successio.

COnvertat porrò nunc se homo prudens, suæ salutis amans, ad ecclesiam Romanam, ejus intueatur originem, consulat annales, Græcasque & Latinas historias, inspiciat veterum monumenta, templa, monasteria, sacram supellectilem, ritus & ceremonias, & quidquid demum aliquid antiquitatis refert, inveniet ante annos 100.200.300. & usque ad 1500. eandem doctrinam, eandem fidem, eandem ecclesiam, quovis tempore, per omnes ætatum gradus extitisse. Sive enim ascendat ad Apostolos, cognoscet eandem fidem in Catholicis hac nostra tempestate viventibus, atque in eorum parentibus ante annos 100. & in istorum avis, abavis, cæterisque majoribus re nulla prorsus variata: sive descendat, manifestè videbit perpetuam ab Apostolis ad nos usque nullo unquam tempore interruptam successionem. Videbit ex Christi Domini mandato primùm quidem prædicatum esse Euangelium Hierosolymis, tum in omni Judæa & Samaria, demum ad ultimos terræ fines, Act. 1.8. & Heb. 2.6. Ut namque Orientales, & Meridionales prætermittamus, certum est Germaniam utramque & Galliam nunquam aliam didicisse fidem, quam quæ hodie à Catholicis servatur. B. Petrus Germanis misit Crescentem, qui Moguntinis; Eucharium & Valerium, qui Treveris; Maternum, qui Tongris & Coloniensibus euangelium prædicarunt. Ad Gallorum conversionem ablegavit Sixtum, Sinicium, Amantium, Mennium qui Rhemensem ecclesiam fundarunt: Savinianum & Potentianum, qui Senonensem; Altinum qui Aurelianensem; Adventinum, qui Carnotensem; Austromonium, qui Avernensem; Martialem, qui Burdegalensem, pluresque alias. D. Petri successor Clemens in Gallias direxit Dionys. Areopagitam, cum Rustico & Eleutherio, qui Parisienses fidem docuit, & Virdunensibus Sanctinum Episcopum dedit: Exuperium; qui Bajocensibus primus præfuit; Taurinum, qui Ebroinensibus; Eutropium, qui Xantonensibus; S. Photinum qui Lugdunensibus. Hi porrò eandem quam à B. Petro atque Clemente acceperant fidem & religionem ad posteros transmiserunt: populos non alia quam Catholica fide imbuerunt, & novis ecclesiis Episcopos præfecerunt: qua in re non parvam operam præstitit in Gallia temporibus Clodovæi B. Remigius Remensis Episc. & in Germania B. Bonifacius Moguntinus, primus Archiepiscopus, qui auctoritate Stephani Romani Pontificis, auxilioque Caroli M. Imp. multas ecclesias erexit & Episcopales Cathedras instituit.

Nec cessarunt intereà Romani Pontifices, qui sibi universalis ecclesiæ curam non ignorabant esse commissam, subinde novos Doctores & Pastores emittere, Medardum, Peregrinum, Agricium, Amandum, Wilebrordum, Rumoldum, qui Gallicas & Belgicas aliquot provincias ad Christi fidem adduxerunt. In Angliam primum [a] S. Lupus & S. Germanus, temporibus Attilæ; tum à B. Gregorio Magno, S. Augustinus cum sociis missi fuerunt.

a Fuit tempore Lucii regis.

GOMARUS.

Magnifica oratio! quæ assensum omninò mereretur, si veritati conveniret; sed cum ab ea dissideat, non est cur provocationem tuam metuamus. *Convertat se* (ut hortaris) *homo prudens, suæ salutis amans ad ecclesiam Romanam: ejus intueatur originem, consulat annales, Græcasque & Latinas historias inspiciat, veterum monumenta, templa, monasteria sacram supellectilem, ritus & ceremonias*, *comperiet omnino*, non eandem, ut gloriaris, doctrinam, *& eandem ecclesiam vestram per omnes ætatum gradus extitisse.* Nam ut à prima illius origine exordiamur, quemadmodum Pauli tempore sincera & illustris fuit Romanæ ecclesiæ fides, quæ expressa & confirmata est epistola ad Romanos: Sic hisce temporibus Romana fides adeò deformata est, ut epistola illa non tam ad Romanos, quam contra Romanos scripta videatur. Cæterum ne quid à nobis attentus lector desideret, pauca ad inanem Costeri jactationem reprimendam exempla proponam, quibus non eandem semper cum majoribus doctrinam in Romana Ecclesia viguisse demonstrabo.

Patrum & Romanæ ecclesiæ dissidia in doctrina religionis.

1. *De S. Scriptura.*

Nam ut à scriptura exordiar, eosdem libros divinos nobiscum agnoscit Hieronymus, Prologo Galeato: reliquos qui apocryphi dicuntur, rejicit: vos contra huic sententiæ anathema denunciatis, Concil. Trid. sess. 4.

2. *De Pontifice Romano.*

Deinde Pontificem Romanum docet Hieronymus jure divino aliis Episcopis minimè superiorem, tom. 2. Ep. ad Euagrium: vos contra eum *Caput Episcoporum* affirmatis, *à quo tanquam membra descendunt, & de cujus plenitudine omnes accipiunt*, Durandus Rationali divinorum offic. lib. 2. c. 1. Gregor. M. Papa *Imperatori potestatem super omnes homines cælitus datam agnoscit, seque indignum famulum Imperatoris, cujus mandatis ex officio sibi parendum sit*, apertè profitetur, Ep. lib. 2. ep. 61. ad Mauritium imperatorem: contra verò Papa Bonifacius 8. statuit *ad salutem necessarium, ut omnes mortales etiam Reges & Imperatores Pontificis subsint imperio:* Extravag. com. lib. 1. De auctoritate & obed. c. 1. Unam sanctam: ideoque Philippum Pulcrum Galliæ Regem (quod huic edicto resisteret, ac Bonifacium hæreseos accusaret) excommunicavit: quem tamen postea, rescisso Bonifacii decreto Clemens Pontifex laudavit & absolvit; Extravag. com. lib. 5. De privilegiis, c. 2. Præterea Patres & Concilia Pontifices Romanos non paucos hæreseos insimulant ac damnant. Hieronymus in Chronico Eusebii & Concilium sextum. Tu contra *Papam solum errare non posse in fide*, contendis.

3. *De Eucharistiæ signis.*

Poculi usum in Cæna Domini sine sacrilegio omitti non posse Gelasius Papa rectè decernit, De consecratione, dist. 2. §. comperimus. Contrà ecclesia Romana Concil. Trident. ei qui hoc senserit, anathema denunciat, sess. 21. can. 1. Et tamen vi veritatis hujus doctrinæ Pontificiæ novitatem fatetur, his verbis: *Quare agnoscens sancta mater ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissimè mutata jam illa consuetudine, gravibus & justis caussis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege haberi decrevit*, Ibid. c. 2.

4. *De Eucharistiæ necessitate & usu.*

Deinde Innocentius Papa cum Augustino & aliis Patribus à Christi & Apostol. doctrina declinans, infantibus Cænæ Dominicæ usum non solum licitum; sed etiam ad salutem necessarium malè sensit; In epist. Augustini, epist. 93. Contrà verò ecclesia Romana concilio Trident. hanc sententiam anathemate feriit ac condemnavit, sess. 21. can. 1.

5. *De Imaginibus.*

Imagines Dei in ecclesia fieri prohibuit Concilium Elibertinum, can. 36. contrà Greg. Magn. Papa permisit, sed adorari

ritamen vetuit: epist. lib. 9. epist. 9. Utrique verò repugnans impurum illud concilium Nicenum secundum imagines etiam adorandas decrevit. Quæ profana sententia adeò apud pontificios invaluit, ut imagines Christi & crucem eadem adoratione divina adoretis cum Christo & invocetis. Qua de re Thomas Aquinas summa part. 3. q. 25. ait, *Illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem salutis: cantat enim ecclesia:*

O crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

Ergo crux Christi adoranda est adoratione latriæ. Hæc Thom. Atque ex hisce liquere satis arbitror quantoperè ab antiqua ecclesiæ doctrina dissideatis: ac propterea quanta orationis tuæ sit vanitas quum de fidei vestræ constantia, & irrupta ab Apostolis successione gloriaris. Nam si illi, quos recenses (quàm fideliter, non excutio) *majores, eandem quam à Petro atque Clemente acceperant fidem & religionem* (ut mones) *ad posteros transmiserunt:* sequitur omninò necessariò aliam esse fidem vestram, ut quæ à Petri doctrina dissentiat, quemadmodum anteà demonstravi, & collatis paucis Petri & Papæ sententiis liquere potest.

Petri & Papæ dissidium in doctrina.

Petrus enim Christum *principem pastorum* 1. epist. 5. 1. 4. se contrà Apostolum Christi & unà cum aliis presbyterum agnoscit & dominium in clerum vetat: contrà verò Papa se, summum sacerdotem, caput omnium ac dominum prædicat. Deinde Petrus quum simulatione imprudenti noceret ecclesiæ, justam & acrem Pauli reprehensionem submissè pertulit, Gal. 2. 14. accusatus etiam injustè, patienter & modestè facti rationem reddens se defendit, & reliquorum Apostolorum consensu cum Johanne ad Samaritanam ecclesiam confirmandam missus, piè obtemperavit, Act. 11. 24. Act. 8. 14, 15. Contra verò Romanus Pontifex nulli imperatori, nulli concilio se submittit, nullius mortalium reprehensionem admittit, *etiamsi* (ut jus Pontificium asserit Distinct. 40. §. si papa) *innumerabiles populos catervatim secum raptaret in Gehennam.* Petrus nullibi se ecclesiæ fundamentum vocat, sed soli Christo hunc honorem defert: 1. Pet. 2. 4. Contrarium verò statuit Pontifex. Petrus asserit, Act. 4. 12. *non esse in alio quoquam quàm in Christo salutem, nec aliud nomen esse sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari:* Pontifex verò virginis Mariæ & Sanctorum nomina [a] adjungit: quorum merita cum Christi meritis ad salutem nostram in unum indulgentiarum (ut vocatis) thesaurum conflat, ac pro arbitrio dispensat. Petrus Act. 15. 9. 11. docuit *corda fidelium fide purificari*, ac solâ gratiâ Domini nostri Jesu Christi salutem provenire: Pontifex verò etiam meritis operum suorum salutem adscribit. Petrus docuit Christum, qui in cælos ascendit, *oportere cælo contineri ad tempora instaurationis omnium*, Act. 3. 21. Pontifex contrà, corpus Christi infinitis penè locis, quibus in terra Missa celebratur, sub speciebus panis & singulis particulis illius integrum contineri asserit. Petrus spiritualia tantum N. Test. post Christum sacrificia agnoscit, & Christum semel pro peccatis nostris passum ut nos ad Deum adduceret, cum reliquis Apostolis proponit, 1. Pet. 2. 5. c. 3. 18. Pontifex contra, corporis Christi semel pro nobis in cruce oblati incruentum sacrificium in Missa constituit. Quare cum Pontifex Romanus tantoperè à Petri doctrina (quam discipulos ejus secutos asseris) dissentiat, facile vident lectores, quàm inanis illa sit vestræ cum antiqua ecclesia consensionis gloriatio. Etsi enim Romani Pontificis curam tam splendidè commendas, fidei tamen sinceritatem probare non potes. Universalis ecclesiæ curam sibi commissam gloriatur, sed quam indignè, proxima de Pontifice controversia apparebit. *Pontifices Romani doctores & Pastores emiserunt multos*, sed an omnes recti ductores aut potius seductores, merito quæri potest. Quod ut fiat perspicuum, quæ de Bonifacio recenses, examinemus: *In Germania* (inquis) *B. Bonifacius Moguntinus primus archiepiscopus, qui auctoritate Stephani Romani Pontificis auxilioque Caroli Magni imperatoris multas ecclesias erexit & episcopales cathedras constituit.* Verum primum in historia aberras. Hæc enim non auctoritate Stephani secundi; sed Gregorii tertii & Zachariæ Pontificis; nec auxilio Caroli Magni Imperatoris, sed Caroli Martelli avi illius & Carolomani patrui contigerunt. Idque non solum ex Mariano Scoto & melioribus Chronicis, [a] sed etiam ex eorum Pontificum & Bonifacii epistolis demonstratur. Quas si quis diligenter evolvat & historiam scrutetur, certò comperiet, quantoperè à vera Christi doctrina & ab Apostolorum fide Pontifices illi cum Bonifacio vestro declinarint. Nam primum quum Christus pronunciet, *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob scortationem, & aliam duxerit, eum mœchari,* Matt. 5. 32. contra Gregorius tertius Papa, [b] in epistola quadam ad Bonifacium repugnat his verbis: *Nam quod posuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciet jugalis; Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit & non detestabilis culpa excludit.* Deinde quanta in Bonifacio & Zacharia Pontifice fuerit superstitio, & divinarum rerum imperitia, patet ex duobus (ut alia sileam) exemplis epistolæ Zachariæ Papæ ad Bonifacium. Quorum prius totidem verbis continetur: *Flagitasti à nobis quæ recipienda, quæ respuenda sint: imprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atque ciconiis? quæ omninò cavendæ sunt ab esu Christianorum: etiam & fibri, atque lepores, & equi sylvatici multò amplius. Attamen, sanctissime frater, de omnibus scripturis sacris maximè compertus es.* Annon id est Judaizare & abrogatas à Christo ceremonias in usum revocare, adversus disertum sacrarum literarum præscriptum? Col. 2. 16. 17. &c. Nec sanctius aut doctius est alterum ex iisdem literis exemplum hoc: *Et hoc inquisisti, post quantum temporis debet lardum comedi? Nobis à patribus constitutum hoc non est: tibi autem petenti consilium præbemus, quod non oporteat illud mandi priusquam sub fumo siccetur aut igne coquatur. Si vero libet ut incoctum manducetur, post Paschalem festivitatem erit manducandum.* Quid hac quæstione & responsione ineptius dici aut fingi potest? Quare ex hisce perspicuis exemplis constat, quanta in Bonifacio sacrarum literarum & officii fuerit imperitia: quanta in Pontifice Romano superstitio & stultitia, qua scripturæ sacræ peritiam Bonifacio ascribit, qui adeò doctrinæ Christianæ fuit ignarus, ut quando lardum comedi posset, ignoraret: quanta denique in utroque à Christi doctrina dissensio. Quæ vitæ improbitate se amplius prodidit ac patefacit. Quam ad rem unicum suffecerit exemplum, cujus cum antè breviter facta sit mentio, explicatius id non meis, sed Mariani Scoti Monachi antiqui verbis in Chronico proponam: *Zacharias*, inquit, *Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex qui ultimus Merovingorum Francis imperabat depositus & in monasterium missus est. Pipinus verò in civitate Suessonum à sancto Bonifacio archiepiscopo in regem unctus, regni honore sublimatus est. Et deinde ob id post Papam habetur Moguntinus episcopus usq; in hodiernum diem.* Quare ex hoc improbissimo Zachariæ Papæ & Bonifacii facinore, quamvis id juris humani & divini specie fucare studeat Marianus [c] & Gelasius Papa, pii tamen & prudentiores non obscurè vident summam Pipini in legitimum dominum suum perfidiam, & Papæ ac Bonifacii arrogantiam & injustitiam singularem. Quis enim ignorat ista oracula Christi: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei sunt, Deo?* Matth. 22. 21. Et Paulus, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit,* Rom. 13. 1. Et Petri: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum?* 1. Petr. 2. 13. Quæ sancta Dei præcepta, ut alia multa, quum profanè Bonifacius viola-

a Costerus de Pontifice.

a Vide Conciliorum tom. 3. b Concil. tom. 2. c Decreto caussa 15. can. 6. §. Alius.

violarit, immeritò à Pontifice in sanctorum relatus est album, & iniquè ex illius doctrina ecclesiæ Pontificiæ veritatem stabilire contendis. Quid etiam novo illi Augustino tribuendum sit, quantumque ab antiquo illo dissideat, ex quæstionibus illius ad Gregorium [a] facile potest judicari. Nam adeò rerum sacrarum fuit ignarus, ut quæstione sexta dubitarit, *an conjugium cum noverca esset licitum:* quod scelus non solum [b] Sac. L. utroque testamento damnant, sed [c] etiam naturæ repugnare testantur. Quantas etiam Augustinus ille cum suis in ecclesia Britannica turbas concitarit, historiæ demonstrant. Quamobrem hujusmodi doctorum cumulo doctrinæ vestræ ab Apostolis deducta successio probari non potest. Quia & illi in multis ab Apostolorum consensu discesserunt; & vos corruptam illorum doctrinam magis magisque corrupistis: quemadmodum antè copiose comprobavi.

a Greg. Magnus Resp. ad interrog. Aug. b Lev. 18. c 1. Cor. 5. 1.

COSTERUS.

Hos autem omnes non aliam in sibi designatas provincias fidem atque doctrinam invexisse ab ea, quam posteri coluerunt, primum quidem ex eo manifestum evadit, quod à Romanis Pontificibus mandatum acceperint, eandem prædicandi fidem, quam Romæ didicerant: Romæ autem nunquam fuisse variatam fidem & religionem Christianam, scriptores omnes fatentur. Deinde verò, quod ferè per Monachos sit ad fidem conversa Germania & Anglia, & id quidem majori ex parte temporibus Caroli Magni: qui insigne *Monasterium Fuldense*, doctorum hominum seminarium, in Buchonia maximis sumptibus erexit atque fundavit: in quo nonnumquam præter Diaconos & inferiores Clericos 400. vixerunt sacerdotes monachi, ad Germanorum conversionem expediti. Denique quod eadem ubique religio, eædem ceremoniæ, divini cultus, eademque doctrina à posteris omnibus retineatur.

Idcirco vir prudens, qui fidem nullam, nullamque ecclesiam à prima origine in Germania & Galliis agnitam fuisse advertet, præter catholicam, cui præpositus est Romanus antistes, intelliget hanc esse verissimam ecclesiam à Christo evocatam, & constitutam; non recentes illas, quæ tametsi nihil præter Apostolicam fidem atque doctrinam, & verbum Dei in ore habeant, quærentes tamen originem suam, in medio hærent, neque ad Apostolos deveniunt.

Hac nota semper usi fuerunt majores nostri adversus hæreticos, & in Constantinopolitano symbolo pulchrè eam indicaverunt, quando ecclesiam vocaverunt *Apostolicam*, hoc est, quæ sine interruptione originem suam ad Apostolos ducit. Itaque sicut is de nobilitate non potest gloriari, qui licet jactet se à majoribus nobilibus prosapiam ducere, à patre tamen ignobili ex vili scorto est susceptus: ita neque hæretici veræ ecclesiæ laudem, quæ tot seculis manifesta & incorrupta perseveravit, sibi jure vendicare possunt. Atque ista de priori genere signi sufficiant.

GOMARUS.

Ais quidem hosce omnes (quos commemorasti majores vestros) non aliam in sibi designatas provincias fidem invexisse, ab ea, quam posteri coluerunt; sed argumentorum tuorum levitas è vestigio se prodit. *Primum* (inquis) *ex eo manifestum evadit, quod à Romanis Pontificibus mandatum acceperint eandem prædicandi fidem, quam Romæ didicerant: Romæ autem nunquam fuisse variatam fidem & religionem Christianam, scriptores omnes fatentur.* Imo verò secus de Romana fide testantur scriptores plurimi, & rei veritas, ut antè instituta Patrum & Pontificis Romani comparatione abundè demonstravi. Deinde verò ut id maximè largiremur, malè consuta est reliqua tua oratio. Quamvis enim à Romanis Pontificibus mandatum acceperint eandem prædicandi fidem, quam Romæ didicerant: an propterea id ipsi necessario executi sunt, & posteri eorum coluerunt? Nam ne longius abeam, Bonifacium illum Papæ legatum (cujus ante meminimus) paulisper considera: nonne merito à Zacharia Pont. Rom. [a] arguitur quod hominem ab indocto sacerdote sermone corrupto *in nomine Patria & Filia & spiritu sancta* baptizatum, contra majorum doctrinam rebaptizarit? Ut interim omittam utriusque & Bonifacii & Zachariæ communem errorem; quo in sacramentorum administratione ignotam auditoribus linguam, contra Apostolorum præscriptum & antiquæ ecclesiæ usum, abhibuerunt. Altera etiam ratio tua paris est momenti. Esto: *conversa sint aliquot regiones ferè monachorum industria*, an inde sequitur eos non aliam fidem docuisse, quàm posteri tradiderunt? Interim ut id obiter dicam, Fuldensis monasterii ædificationem negligenter Carolo Magno ascribis: quod illius patruo deberi temporum ratio & Marianus Scotus Monachus Fuldensis testantur. Sed hosce errores historicos libentius condonaremus, si in religione vestra vigeret pietas. Nam quod postremum eandemque ubique religionem, easdem divini cultus ceremonias, eandem doctrinam à posteris omnibus retentam affirmas, id rei experientia confutatur. Nam quemadmodum doctrinam [a] vestram à majorum fide dissentire ostendi: sic idem de ceremoniis paucis comprobabo. Et ut arcem & caput ceremoniarum & religionis pontificiæ petam: quis ignoret, quanta jam olim in Missæ observatione extiterit varietas? Adeò ut anceps hæserit hac in parte Augustinus ille Greg. Magni Pontificis legatus, & ab eo quæsierit: [b] *cur quum una sit fides, sunt ecclesiarum consuetudines diversæ? & altera consuetudo Missarum est in Romana ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis tenetur?* Quam mirè canon Missæ à variis Pontificibus interpolatus & auctus sit, docet Platina & Mystes Pontificiorum Durandus. Et ne à nobis solum hanc ceremoniarum & constitutionum innovationem accusari putes, Gersonem Parisiensem Cancellarium audias, De vita spirituali animæ, lect. 2. *Fit amplius de levi jugo Christi, & lege libertatis jugum ferreum & onus grave, premens cervices Christianorum, dum scil. aliqui suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas & statuta, arbitrari volunt accipiendas esse sicut præcepta legis Dei, ad æterna mortis interitum, si prætereantur, mergentia*, &c. *Scimus quid dixerit Petrus Apostolus, Act.* 15. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Hoc animadvertens & pia compassione deplorans egregius doctor Augustinus ad inquisitionem Ianuarii: Ipsam* (inquit) *religionem nostram, quam manifestissimis & paucissimis celebrationum sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus: ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus, subjiciuntur. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine: quid nostra tempestate dixisses: ubi pro varietate & motu capitum, incredibilis est varietas & dissona multiplicitas onerum hujusmodi servilium & humanarum, prout loqueris, præsumptionum.* Hactenus Gerson graviter quidem conqueritur; sed levius tamen quàm rei indignitas postulat. Quamobrem ex hisce omnibus apparet, religionem Pontificiam non inde ab Apostolorum fontibus purè & constanter hactenus derivatam: quum nec doctrinæ, nec doctorum apud vos legitima successio diu permanserit integra: ut ex episcoporum Romanorum catalogo apparet. Quod verò de ecclesiæ nostræ origine aspergis, id anteà confutatum est. Nec quidquam vos juvat quod ais, *hac successionis nota semper usos fuisse majores nostros adversus hæreticos*, rectè factum, dum viguit doctrinæ successio, consentimus: sed eâ paulatim vitiatâ, alia omninò est ratio. Deinde quod addis, *in Constantinopolitano Symbolo eam indicasse, quando ecclesiam vocarunt Apostolicam*, in eo hallucinaris. Nec enim tam propterea id factum est, *quod sine interruptione originem suam ad Apostolos ducat*, quam quod Apostolorum doctrinæ consentiat. Alioqui si doctrinæ puritas aut legitima muneris successio interrumpi in ecclesia non posset, nec Constantinopolitanam, nec Romanam, nec Alexandrinam, nec Antiochenam ecclesiam Apostolicam appellare licuisset. Nam Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopi, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus: Romanæ, Honorius Papa: Cy-

a Conc. tom. 2. ep. Zachariæ ad Bonifacium.

a Vide Pastorale & Durandi Rationale divinorum offic. b Interrog. 3. ad Gregor. Magnum.

rus

rus Alexandrinæ: Antiochenæ Macharius, post Symboli recitationem in eodem, quod citas, concilio Constantinopolitano, [a] hæreseos nomine perspicuè accusantur. Quare si hæc legitima ecclesiæ nota est: sequitur Romanam ecclesiam non esse veram Christi ecclesiam, ut quæ irrupta, & perpetua successione careat.

a Concil. 6. Constant. act. 17.

CAPUT SEXTUM.

Atque ex hisce constat, irruptam & constantem in omnibus vera doctrina inde ab Apostolis successionem, non esse necessariam ecclesiæ Christianæ notam: quia ut fusè initio hujus controversiæ demonstravimus, sacræ literæ & experientia (quæ ecclesiam errare posse docent) secus testantur.

COSTERUS.

Nota Ecclesiæ.

ALia indicia sumuntur ex proprietatibus sensu notioribus, quæ multo, antequam dubitatio à quoquam moveretur, certissimis scriptis fuerunt indicatæ: ejusmodi in symbolo Constantinopolitano, aut potius symbolo Apostolico, tria exprimuntur, *una, sancta, Catholica.*

1. *Nota, Una.*

Ecclesiæ unitas ab eadem doctrina fidei accipitur: cum enim se habeat ecclesia ad modum scholæ (sumus quippe & vocamur in scripturis discipuli) cernitur ecclesiarum diversitas à varietate doctrinæ. Sicut igitur quondam Academici, Peripatetici, Stoici, Cynici ex opinionibus distinguebantur; ita qui discrepantia de rebus fidei sentiunt, ad eandem non pertinent scholam seu Ecclesiam. Vir prudens itaque qui toties audivit in Sac. L. unitatem fidei commendari (*una fides, unum baptisma, Ephes.* 4. 5. *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, &c.* 1. *Cor.* 1. 10.) quos viderit in negotiis religionis acriter contendere, facilè intelliget non pertinere ad eandem ecclesiam. Discipuli Lutheri qui Augustanæ confessionis doctrinam amplectuntur, de rebus gravissimis inter se vehementer pugnant, & dissentiunt: de peccato Originali, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, deque aliis innumeris: non igitur Lutheranorum cœtus vel Protestantium aut Confessionem Augustanam profitentium, est vera ecclesia, quia non una. Par ratio est Calvinistarum, qui in Calvino-Papistas & Puritanos divisi sunt, & Anabaptistarum, qui in plurimas sunt sectas dissecti, atque ita de reliquis.

GOMARUS.

Alteram ecclesiæ notam ais esse unitatem, ac primum in eadem doctrina fidei. Verum si de vera doctrina intelligis, malè nostram sententiam, quæ hanc notam includit, rejecisti. Sin de quavis accipis, malè ecclesiam denotas. Nec enim quævis fidelium, sed verè fidelium unitas, ecclesiam constituit, ut trita illius definitio demonstrat. Atque hoc sensu, *una fides, unum baptisma: idem sensus, eademque scientia* ab Apostolo commendantur. Veruntamen unitatis hujus, in vera fide [illegible]rii sunt gradus. Alia enim unitas in fundamento: alia etiam in reliquis: illa ad ecclesiæ constitutionem; hæc verò conjuncta ad perfectionem pertine[illegible] Quamobrem temerarium est, ut antè ostendi, judicium tuum, quo eos qui in negotiis religionis acriter contendunt, ad eandem ecclesiam pertinere denegas. Verum ea est Romanæ ecclesiæ tyrannis, ut iniquè & levi de causa ab ecclesiæ unitate dissentientes excludat. Nec mirum: quum olim etiam Victor, episcopus Romanus totius Asiæ ecclesias ob diversam diei Paschatis observationem temerariè & impiè excommunicarit: ac propterea meritò & acriter ab Irenæo reprehensus est. Ac sanè si quævis acrior de religione contentio [a] ecclesiæ unitatem omnino dirimeret, non ad eandem ecclesiam Victor Papa & ecclesiæ Asiaticæ: nec Hieronymus cum Augustino & Rufino pertinerent. Quum itaque malè abs te definita sit ecclesiæ unitas, non mirum est, quod perperam discipulos Lutheri ad eandem ecclesiam pertinere objicis. Etsi enim inter se nonnulli infirmitate quadam ignorantiæ humanæ de quibusdam rebus disceptarint: inita tamen concordia negotium componere studuerunt. De *peccato Originis* privatus fuit Flacci & paucorum error, doctrinam vero *de corporis Christi in pane Cænæ præsentia* ex communi Pontificiorum fermento plurimi retinuerunt. Sed mirum est profecto hanc dissensionem Lutheri discipulis abs te objectari, quum de iisdem argumentis acerrime Pontificii inter se digladientur, ut ex sequentibus liquebit. Similis ratio est, cum nostros (quos inique Calvinistas vocas) in Calvino-Papistas & Puritanos divisos esse exprobras. Nam ut de odiosis illis & injustis nominibus nihil dicam, non de doctrina in qua consentiunt, sed de ceremoniis [a] dissensio est: quæ ecclesiæ unitatem dirimere non potest. Quippe in externa ecclesiæ gubernatione & ceremoniis, alii simplicitatem laudant Apostolicam; ad quam non solum doctrinam, sed etiam externam ecclesiæ formam reformandam esse judicant: alii contra antiquæ & auctæ post Apostolos ecclesiæ consuetudinem liberam & ad auctoritatem ministerii, & ad faciliorem errorum extirpationem utiliter servari posse arbitrantur. Quare quum in hoc primo unitatis ecclesiæ modo causam vestram minimè confirmaris, an in altero gravius differas, inquirendum est.

a Eusebius histor. ecclef. lib. 5. cap. 32.

a Socrates histor. ecclef. lib. 5. cap. 21.

COSTERUS.

Sumitur prætereà ecclesiæ unitas (ut est apud B. Cyprianum lib. 1. epist. 9. & D. Hieronymum contra Jovinianum, & ad Damasum) ab uno capite visibili, sicut corpus animale non est nisi sub uno capite: atqui licet ab uno Luthero, ceu primo fonte, hodiernæ hæreses omnes originem ducant; singulæ tamen, à diversis in varios rivulos deductæ, omnem superiorem excluserunt: nemo sanè est, qui, ne dicam Lutheranis omnibus, vel omnibus Calvinistis, vel omnibus Anabaptistis, &c. præsit, sed quem exiguæ quarumvis sectarum familiæ pro capite agnoscant.

GOMARUS.

Quod *ecclesiæ unitatem ab uno capite sumi* mones, non inficiamur. Ut enim ecclesia est corpus Christi; sic Christus ecclesiæ caput: à quo *ecclesia Christiana* meritò nominatur. Verùm quod ecclesiæ caput illud visibile definis, id nulla sacrarum literarum auctoritate, nulla ratione confirmas: fortasse ea de causa, quia de hoc argumento in proxima de Pontifice controversia copiosius erit differendum. Quare in eum etiam locum refutationem illius differam. Interim ne quid novi afferre videaris, Cyprianum & Hieronymum sententiæ tuæ testes citas, sed frustra. Nec enim de universali ecclesiæ catholicæ capite loquitur Cyprianus, sed de singulis ecclesiarum episcopis, ut ex collatione lib. 1. ep. 12. ad Pepusianum apparet. Hieronymus etiam causam tuam non magnoperè juvat: etsi enim in Romanum episcopum, cui olim inservierat, alicubi propensior fuerat: seriò tamen quid de eo sentiat epistola ad Euagrium exponit: *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem & sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* Quibus verbis, quæ de uno capite visibili totius ecclesiæ proponis, ab Hieronymo perspicuè evertuntur. Ac propterea non est mirum,

rum, si non à Luthero, quem iniquè *hæresium fontem* appellas, multo minus à Pontifice Romano pendeamus: sed Christo communi & unico capite contenti: neglecta episcopi universalis monarchia, legitimo pastorum ministerio gubernemur. Qua de re multa graviter disserit Gregorius Magnus epistol. lib. 4. cap. 80. 82. 83. ac docet, *ecclesiam universalem soli uni capiti Christo cohærere. Petrum non caput universale ecclesiæ, sed primum tantum fuisse illius membrum.* Unde satis apparet, quantum judicio tuo tribuendum sit; quo & nostram ecclesiam dissensionis nota aspergere; & Pontificiam, ob capitis & doctrinæ unitatem, ornare contendis. Nam ut de capite loquar, *primum* crebra & diuturna apud vos schismata, quibus ecclesia vestra in contrarios Papas (qui alii alios eorumque subditos devoverunt) sæpius fuit distracta, hanc perpetuæ unitatis gloriolam evertunt. *Secundò* obstat etiam illegitima plurimorum Pontificum in sedem Papalem irruptio. Nam (ne altius conscendam) quam multos mihi à Formoso Pontifice ad hæc tempora daturus es, qui non malis artibus, aut aperta vi, sed recta via ad Papatum contenderint? Quam multi Pontifices Romani effrenato in antecessores odio omnia eorum acta, bullas & decreta omnino abrogarunt, imò anathemate ferierunt? adeò ut verè & cum reliquorum omnium Pontificiorum scriptorum consensu Jacobo Philippus monachus; non solùm plurimos Pontifices sine justa electione Papatum invasisse probet, sed etiam *Pontifices postposito Dei timore atque divino cultu, inimicitias, non minus ac si essent tyranni crudeles, inter se exercuisse* conquerantur, Supplemento supplementi Chronicorum lib. 11. pag. 266. Quare quid Pontificibus vestris tribuendum sit, audiatur Lateranensis concilii vestri judicium & edictum: *Si quis* (inquit) *pecunia, aut gratia humana, aut populari, militarive tumultu sine concordi & canonica electione cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus, id est, à ratione deficiens meritò vocetur. Liceatque Cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum, ut prædonem, anathematizare & quovis humano auxilio à sede Apostolica propellere, atque quovis in loco, si in urbe non liceat, catholicos, hujusce rei causa congregare.* Annon igitur summo jure à Romanis Pontificibus horum criminum, communi vestrorum historicorum testimonio convictis, abhorremus? Nam quod sanctus vester Bernardus de consideratione lib. 4. de Eugenio pontifice ad Eugenium conqueritur, *Quem dabis mihi de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit, pretio aut spe pretii non intercedente?* illud plerisque Pontificibus & episcopis vestris convenire experientia evincit. Sed quia plenius hac de re proximo libro erit differendum, ad vestram in doctrina unitatem & consensionem, quam tam verbosè ac toties extollis, procedamus.

COSTERUS.

At verò catholici omnes, ubivis terrarum, sub uno capite, Romano Pontifice, cui omnes parent, & principes & Reges, ut Christi vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia, & ne in minimo quidem religionis negotio discrepant: est igitur apud ipsos verissima ecclesia Christi, [a] *una illa columba, perfecta & electa, genitrici sua*, de qua in Canticis. Sint multæ [b] *vulpeculæ*, multi [c] *lupi rapaces*, multi accipitres, [d] multi singulares feri, hoc est, crudeles *apri sylvestres*, multæ denique concubinæ: *una* est certè *regina dilecta, amica, speciosa.*

a Cant. 6. 8. b Cant. 2. 15. c Matth. 7. 16. d Psal. 79. 4.

GOMARUS.

Gloriaris vos *eandem fidem constanter retinere, idem dicere, & ne in minimo quidem religionis negotio discrepare:* sed quam id à vero alienum sit, ex hisce quæ è multis selegi exemplis, perspicuè constabit. Etsi enim ab iis recensendis ob singularem turpitudinem, malim abstinere, cogit me tamen adversariorum importunitas, ut ea mysteria ex Scriptorum Pontificiorum adytis in lucem proferam, quo unitatis Pontificiæ larva, qua simpliciores imponunt, detrahatur. Nihil autem adducam quod non ex præcipuis & probatissimis Pontificiorum Doctoribus, Episcopis, Cardinalibus, fideliter comprobabo.

Pontificiorum Doctorum dissensiones.

1. *De Sacra Scriptura.*

Ac *primum* ut à fundamento religionis exordiar, quam graviter & quam variis modis in doctrina *de sacra scriptura* diffideatis, id libro superiore pluribus demonstravi, quam ut justè possit negari.

2. *De Deo.*

Secundò de Deo, quam indignè loquantur & sibi contradicant, audiatur Dominicus Bannes: *Alii* (inquit) *doctores Scholastici ajunt, quod quamvis Deus de potentia ordinaria non possit mentiri aut falsum dicere, tamen de potentia absoluta mentiri potest*, &c. *Hujus sententiæ est quidam doctor Hybernicus, (ut refert Gregorius de Ariminis in 2. Sent. dist. 42. qu. 1.) quam sequitur Petrus Aliacensis in 1. Sen. quæst. 12. art. 3. & Olcont. in 2. dist. 2. quæst. 2. & Gabriel in 3. dist. 38. quæst. 1. conclus. 2. & ait Gregorium esse in eadem sententia*, &c. Contra Bannes ait, *hanc doctrinam esse erroneam in fide, in 2. 2. Thomæ quæst. 1. art. 3.*

3. *De Ecclesia & Pontifice.*

Tertiò de Ecclesia & Pontifice Romano quàm contrariæ & repugnantes pontificiorum sententiæ? Nam concilium Basiliense unà cum legato Pontificis communi consensu statuit, concilium esse supra Papam. Idemque hactenus docent Parisienses Theologi & alii non pauci, ut fatetur Bellarminus de conciliis lib. 2. cap. 11. & 14. Contrà verò reliqui ab his dissentiunt, nec tamen inter se conveniunt. Quidam enim Canonistarum volunt Papam quidem esse supra concilium & à nemine judicari posse invitum, tamen posse seipsum subjicere concilio & dare illi supra se potestatem: alii verò plerique Papam nullo modo conciliis subesse posse asserunt. *Deinde de conciliis*, nonnulli statuunt concilia generalia non posse errare etiam ante confirmationem Papæ, Papam verò errare posse & errasse sæpius: contrarium verò ab aliis docetur, teste Bellarmino de conciliis lib. 2. cap. 11. Præterea (ut refert Dominicus Bannes 2. 2. Thomæ, quæst. 1. art. 10. pag. 319.) *Sotò in 4. distinct. 24. & Cajetanus de primatu Romani Pontificis, cap. 13. docent episcopum Romanum non esse jure divino episcopum orbis. Contra Driedo lib. 4. de dogmat. variis, par. 3. cap. 2. Et Canus lib. 6. cap. 4. per aliud extremum affirmant, quod Romanus episcopus jure divino hanc sit universalem potestatem adeptus.*

4. *De peccato originis.*

Quartò de peccato originis, quam graves sunt vestrorum Theologorum contentiones, quam turpes contradictiones? *Quidam*, ut refert Bellarminus, *tradunt, concupiscentiam esse duplicem, unam in carne & alteram in anima. Sed posteriorem solam esse peccatum originis, quod definiunt morbidam in anima qualitatem prava desideria perpetuò excitantem*, quam sententiam sequitur communis totius Pontificiæ scholæ magister Petrus Lombardus & Henricus de Gendavo, Gregorius Ariminensis, & Lovaniensis doctor Johannes Driedo. Contrà, hanc doctrinam apertè erroris insimulat & impugnat Bellarminus de amissione gratiæ, lib. 5. cap. 15. & Gregorius de Valentia commentariorum Theologicorum tom. 2. disput. 6. quæst. 12. pun. 1. Deinde alii contraria sententia docent, *peccatum originis nihil aliud esse, nisi illam primam Adami inobedientiam:* ut Albertus Pighius, & Ambrosius Catharinus episcopus. Contrà Bellarminus de amissione gratiæ, lib. 5. cap. 15. & 16. hanc doctrinam refutat & *hæresin* vocat: aliasque quinque de peccato Originis diversas Pontificiorum sententias recenset cap. 17. Idemque judicium est Gregorii de Valentia, eodem, cujus jam memini, loco, & Andreæ Vegæ de justific. lib. 4. cap. 2. & Ruardi Tapperi Lovaniensis academiæ cancellarii. Præterea Ruardus statuit, *peccatum originis non esse propriè peccatum:* tom. 1. de Peccato originali, pag. 73. & 74. contra Ruardum hac

hac in re confutat Gregorius de Valentia: & hanc Ruardi sententiam à veritate alienam, imo Pelagianam *esse* docet, Comment. Theolog. tom.2. disputat.6. quæst.12. de quiddit. peccati originis, pag.1. Adhæc Gregorius Ariminensis in 2. Sent. dist. 30. art.2. ait, *peccati originis reatum baptismo tolli, essentiam verò illius tantum minui*: contrà Gregorius de Valentia hanc sententiam plane contra fidem esse asserit tom.2. disputat.6. quæstion.12. pag.1. Denique *omnes homines, excepto solo Christo, cum originali peccato conceptos: eoque virginem Mariam in peccato conceptam, asserunt* Thomas Aquinas part.3. quæst.27. art.2. Cajetanus commentariis suis in eum locum, additque *sanctos & antiquos doctores ita tenuisse*, Gregorius Ariminensis lib.2. dist. 30. quæst.2. art.1. Dominicus Bannes, in 2.2. quæst.1. art.10. & decreti Pontificii glossa de consecrat. dist.3. cap. pronunciandum. *Festum* (inquit) *conceptionis* (Mariæ) *celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia. Et hac est ratio, quod in peccatis concepta fuit, sicut & cæteri sancti, excepta unica persona Christi.* Idemque pluribus docet Bernardus epistola 174. ad Lugdunenses. Et Dominicani monachi. Contrariam verò sententiam tuentur Franciscani, Scotus & Scotistæ, quemadmodum Gregorius Ariminensis recenset & refutat. Sic Thomas ab Argentina lib.2. sent. dist.4. lib.1. ait; *Mariam sine peccato conceptam & festum conceptionis tandem etiam & rectè celebrari in ecclesia Romana.* De quo argumento tam acris & odiosa inter Dominicanos & Franciscanos extitit concertatio, ut & concionibus & scriptis publicis alii aliorum sententiam hæreseos accusarint. Quemadmodum Sixtus quartus Papa in Extravagan. com. lib.3. de reliquiis, cap.2. recenset ac condemnat. Nam pœnam excommunicationis statuit in eos, *qui alterutram sententiam ut hæreticam damnare audeant: quod*, ut ait, *id nondum esset à Romana ecclesia & sede Apostolica decisum.* Qua in re turpis Pontificis dubitatio & contradictio apparet. Etenim si Pontifex, ut Pontificii gloriantur, in judiciis suis errare non potest, cur pacis & veritatis studio quæstionem non solvit? Si res adhuc dubia esse debebat, cur ante id tempus, cum ecclesia Romana festum sanctæ conceptionis Mariæ instituit & indulgentiis roboravit? ut ex eadem & ex antecedente Extravaganti perspicuè declaratur.

Quid est quæstionem hanc solvere, si hoc non est? Eadem est concilii Tridentini ratio sess.5.

5. *De libero arbitrio.*

Quinto de *libero arbitrio* quam varia & discrepantia pontificiorum judicia? Nam de natura illius, seu quid sit, octo diversas sententias recenset Bellarminus de liber. arb. lib.3. cap.7. De viribus verò illius multi statuunt, *hominem liberi arbitrii viribus absque speciali Dei auxilio actum moralem, hoc est, recta rationi omnino consentaneum, proferre posse*, ut testatur Gregorius Ariminensis: contra verò ipse (ut etiam Marsilius in 1. Sent. quæst.20.) id omninò negat, *quod* (ut ait) *illa sententia à doctrina sanctorum & ecclesiasticis definitionibus dissonet, & errori Pelagii faveat; aut, si in aliquo ab eo discedat, magis tamen recedere à catholica veritate, quam dictum Pelagii.* Ac propterea Scotum, Occamum & similes nominatim refutat, libr.2. distinct.20.

6. *De Fide.*

Sextò de fide Ambrosius Catharinus adversus Dominicum à Soto, asserit *hominem posse habere certitudinem fidei de remissione suorum peccatorum*: contra concilium Trident. Sess. 6. c.9. definit. Deinde Enchiridium religionis Christianæ concilii Coloniensis in tractatu de justif. ait, *necessarium esse ad justificationem, ut certo credat unusquisque sibi remissa esse peccata*: quamvis contrà, concilium Tridentinum huic sententiæ anathema denunciarat, Sess.6. canon.13.

7. *De gratia Dei.*

Septimo de gratia Dei, quam perplexæ, ineptæ, & à sacris literis alienæ sint Pontificiorum Doctorum contradictiones, apparet ex Thoma de Argentina lib.2. distinct.26.& 27. art.2. & ex Bellarmino de gratia & lib. arbitrio, lib.1. cap.6. & 7. & Alberto Pighio: quas tamen concilium Tridentinum (ut multas alias) dirimere noluit. Bellarminus ibidem cap.3. Deinde Petrus Lombardus lib.1. Sent. dist.17. docet, *dilectionem fraternam qua Deum diligimus, esse Deum:* quam impiam sententiam meritò refellunt Thomas & Bellarminus de gratia & libero arbitrio, lib.1. cap.3. & 7.

8. *De Justificatione.*

Octavo de justificatione docent Albertus Pighius in secunda controversia & auctores antididagmatis Coloniensis, *causam formalem justificationis esse imputatam Christi justitiam:* contrà verò Bellarminus hanc sententiam erroneam vocat & impugnat, De justificatione lib.2. cap.1. &c.

9. *De bonis operibus.*

Nono de bonis operibus docent nonnulli ea *jure promereri vitam æternam ratione operis, etiamsi nulla extaret divina promissio*, ut Thomas & Cajetanus in 1.2. q.114. art.3. & Dominicus à Soto lib.3. de natura & gratia, cap.7. Contra alii tradunt *opera jure quidem promereri vitam, non tamen ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptionis divinæ:* ut Scotus in 1. Sent. dist.17. q.2. & Andreas Vega in opere de justificatione, q.5. Alii bona opera promereri utroque modo, ut Bellarminus de justif. lib.5. cap.17. Denique alii neutro, ut Durandus: cujus sententiam propterea Bellarminus eodem libro cap.16. refutat. Deinde plerique Pontificii Deum bona opera ex mera liberalitate supra dignitatem eorum remunerari affirmant: contrarium tamen docet Andreas Vega de justif. q.5. ut etiam Bellarminus, de justif. lib.5. cap.19. agnoscit. Plura denique de hac dissensione agit non ignobilis scholæ Pontificiæ doctor Marsilius de Inghen, in Sent. lib.2. quæst.18. art.2.

10. *De Imaginibus.*

Decimo de imaginibus asserit cum Thoma Aquinate Cajetanus, *imaginem Christi propriè loquendo adorandam adoratione latriæ, quæ soli creatori debetur*, Summæ par.3. q.25. art.3. Contrà verò apertè disputat Durandus Rationali divinorum officiorum lib.4. cap.39. & in 3. Sentent. dist.9. qu.2. & Gabriel Biel in Canone Missæ, lect.49.

11. *De Reliquiis.*

Vndecimo de reliquiis statuunt vulgo Pontificii præputium *Christi & sanguinem qui de corpore ejus in cruce profluxit adhuc in terris conservari: sicut utrumque* (ut ait Biel in canone, lect.50.) *in ecclesia Lateranensi urbis Romæ contineri dicitur, & die Pascha populo adorandum ostenditur.* Contra verò Thomas Aquinas part.3. q.54. art.2. *totum sanguinem Christi in cruce effusum rediisse in corpus asserit* ac probat, *eandemque rationem esse* ait *omnium particularum, quæ ad integritatem & veritatem humanæ naturæ pertinent: & sanguinem, qui vulgo in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxisse de latere Christi; sed miraculosè dici effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Contra utramque verò sententiam Innocentius Papa hæret dubius. Sic enim loquitur, De sacro altaris mysterio lib.4.c.30. & 31. *Iam & illud inquiratur, utrum Christus, resurgens à mortuis sanguinem illum resumsit, quem effudit in cruce. Si enim capillus de capite vestro non perit, quanto magis sanguis ille non perit, qui fuit de veritate humanæ naturæ? Quid ergo de circumcisione præputii, vel umbilici præcisione dicetur? an in resurrectione Christi similiter rediit ad veritatem humanæ substantiæ? Creditur enim in Lateranensi Basilica scilicet in sancto sanctorum conservari: licet à quibusdam dicatur quod præputium Christi fuit in Hierusalem delatum ab Angelo, Carol. Magno, qui sustulit illud & posuit Aquisgrani. Sed postea à Carolo Calvo positum est in ecclesia Salvatoris apud Carosium. Melius est tamen Deo totum committere, quàm aliud temerè definire.* Hæc ille: nec multò minore dubitatione loquitur Bielus de can.lect.50. Unde perspicuè apparet, quàm temerè & impiè fictitium Christi præputium & sanguinem adoretis: & quàm malè in hac re vobis conveniat. Ac profectò tam turpis est Pontificiorum de reliquiis suis dissensio, ut inde non solum magna impru-

dentia, sed etiam summa impudentia appareat; quemadmodum illud à Calvino in *libro de reliquiis* clare demonstratum est.

12. *De sacramentorum efficacia dissensio.*

Duodecimo de Sacramentorum efficacia docet Thomas Aquinas, *in Sacramentorum verbis & rebus contineri veritatem aliquam gratiæ effectivam*, par.3. q. 62.& 63. & art.3. & 4. contra verò tradunt Scot. Durandus, Aureolus: ut testatur Cajetanus ad eum Thomæ locum. *Deinde Sacramenta imprimere aliquem characterem in anima asserit* Thomas par.3. qu. 63. art. 1. quam sententiam ait Cajetanus *ex sacra scriptura non haberi, sed ex ecclesiæ auctoritate & non multum antiqua, & quod Innocentius Papa eam determinarit.* Idemque tradit Durandus in 4. Sent. distinctione 1. q. 4.

13. *De Baptismo dissensio.*

Decimo tertio, De Baptismo quàm malè inter Doctores Pontificios conveniat, & quam indignè & fœdè in rebus sacris disceptet[illegible], ex celebri scriptore vestro Guidone de monte Rocherii dijudicari potest: Cujus integrum *de Baptismi materia* locum asscribam, ne quis ob rei turpitudinem de fide nostra dubitet. Sic enim loquitur: *Sed nunquid in aqua rosacea, vel in aqua ardente, vel in aliquibus aquis destillatis possit fieri baptismus, si aqua elementaris inveniri non posset? dicendum est quod non: quia tales aquæ non sunt propriè aquæ, sed humores illorum corporum, à quibus destillantur. In lixivio tamen si aqua non possit inveniri, posset fieri baptismus: quum lixivium nihil aliud sit, quam aqua colata per cineres. Et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in urina propter defectum aquæ possit baptizari: quod non credo verum. Quia urina non est aqua, sed humor resolutus à cibis comestis. Et idem dico de saliva. Et nonne in jure carnium posset fieri Baptismus, ubi alia aqua non potest inveniri? Dicendum est, quod aut tanta resolutio carnium est, facta in illo jure, quòd desiit species aquæ esse; & est alia species de novo generata, & tunc non potest fieri Baptismus: aut non est ibi tanta resolutio carnium facta, & tunc fieri potest, & in tali jure baptizari. Quando autem sit talis resolutio facta, & quando non, potest perpendi ex spissitudine. Si enim sit tanta spissitudo juris, quanta est in carne, vel aliquantulum minor, non credo quod posset in illo jure baptizari.* Et, *idem dico de luto, scil. si aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expressa posset fieri Baptismus.* Hactenus Guido in Manipulo curatorum, De baptismo, c. 2. quibus consentanea scribit Thomas Aquinas, par. 3. q. 66. art. 4. & Holcotus in Sent. lib. 4. q. 1. Deinde *de forma baptismi* primum plerique usitatam verborum formulam necessariam esse docent: contrà Panormitanus & Paludensis docent, *posse Baptismum conferri sub aliis signis exterioribus, sine vocum expressione*, ut testatur Adrianus Sextus Papa in 4. Sent. De sacram. Baptismi, art. 3. q. 2. Deinde si quis dicat, *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Sp. S. & B. virginis Mariæ, esse Baptismum*, docet Guido in Manipulo, de Baptismo, c. 3. & Holcotus in Sent. 4. q. 1. Alii contrà statuunt: ut Thomas Aquinas p. 3. q. 60. art. 8. & Durandus in Sent. 4. dist. 3. q. 2. Præterea *de forma baptismi* ait Guido, *Si diminuatur dictio integra, quæcunque sit illa, de omnibus istis, Baptizo te in nomine Patris, & Filii & Sp. Sancti, Amen: nihil fit, quia omnia ista verba sunt de essentia formæ:* contra Holcotus affirmat *dictionem, Amen, non esse de essentia, sed de evidentia: quod in Euangelio non apponatur.* Denique Adrianus sextus Papa errorem Innocentii Papæ & canonistarum de forma Baptismi reprehendit in 4. Sent. De sacramento Baptismi, art. 3. q. 2. *De ministris & effectis baptismi* varias dissensiones Pontificias, ne prolixior sim, prætereo.

14. *De Confirmationis Sacramento dissensio.*

Decimo quarto de Confirmationis apud Pontificios *sacramento* magna etiam concertatio est. Nam ut Gabriël Biel annot. in 4. Sent. dist. 7. §. D. *tres contrariæ de ea sunt sententiæ. Nam Alexander Ales & Bonaventura docent, sacramentum hoc neq; à Christo, neq; ab Apostolis institutum: sed ab ecclesia in concilio Meldensi: contra quidam doctores asserunt, hoc sacramentum institutum & ministratum ab Apostolis:* Denique utraque hac sententia rejecta Thomas & Scotus, & alii plures *confirmationem à Christo institutam affirmant.*

15. *De Confessione auriculari.*

Decimo quinto de confessione quidam statuunt, eam esse sacramentum juris divini, alii (ut glossa de pœnitentia, dist. 5.) solum juris humani: ut scribit Adrianus Papa in 4. Sent. De sacram. confess. q. 2.

16. *De Sacramento Eucharistiæ.*

Decimo sexto de sacramento Eucharistiæ Pontificiorum dissensiones penè sunt innumeræ. Nam, ut *de materia illius* primum dicam, quidam ut (Gabriël Biel in Sent. 4. dist. 12. q. 2. loquitur) asserunt, *panem triticeum necessariò requiri ad consecrationem Eucharistiæ: adeo ut speltaceo aut hordeaceo irrita esset consecratio, & nihil fieret.* Quam sententiam tuentur Thomas Aquinas, Gerson, Scotus, Alexander de Ales, & alii. Contra Albertus Magnus & Petrus Paludensis spelta posse fieri consecrationem ajunt: idque ecclesiarum quarundam usu comprobant: Contra denique Bonaventura statuit materiam apertam esse frumentum: quam sententiam eo, cujus memini, loco, Bielus comprobat. De quibus doctorum Pontificiorum dissensionibus conqueritur (ut refert Biel in canon. missæ, lect. 35.) celebris scholasticus Thomas de Argentina: *Vellem* (inquit) *quod in isto puncto & in quibuslibet aliis, in quibus tractatur de his, quæ ad necessitatem pertinent sacramentorum, sine quibus non putatur esse veritas in sacramentis, doctores nunquam sibi contradicerent: & sicubi hoc fieret, quod ecclesia Romana per determinationem suam remedium adhiberet. Altera etiam de materia Eucharistiæ dissensio est*, quod quidam statuunt (ut refert Gabriel Biel in can. Missæ lect. 35.) *Sacerdotem non posse consecrare materiam panis, nisi quantum cedere debet in usum fidelium: quod irrisio esset fidei & sacramenti, si sacerdos consecrare posset omnem panem qui est in foro, & omne vinum, quod est in cellario. Contrà verò Thomas Aquinas tradit & subjicit, si sacerdos intendat consecrare propter finem malum, ut irrideat, veneficia faceret, aut incantaret, nihilominus propter potestatem sibi datam perficit sacramentum, & tamen hæc intentio magis est difformis institutioni, quàm prior.* Deinde verò *de forma* major etiam *concertatio* est: Primum enim eam verborum formam quam Christus expressit, *per omnia illibatam debere servari, ac propterea peccare graviter, qui aliquid interposuerit aut mutarit*, docet Innocentius Papa de sacro altaris mysterio, lib. 4. c. 18. contrà tamen in prima Cænæ parte, ut quinque verba conflentur, vocem, *Enim*, interposuerunt Pontificii, eamque consulto, sine peccato mortali, omitti non posse, docent Gabriel Biel in 4. Sent. dist. 8. q. 3. & Holcotus in 4. Sent. q. 3. In altera verò Cænæ parte inseruerunt verba hæc, *mysterium fidei:* & Thomas Aquinas apertè ait, *in formis sacramentorum licere aliquid addere vel minuere*, par. 3. q. 60. art. 8. Deinde *de forma consecrationis panis* plerique statuunt eam contineri illis verbis: *Hoc est enim corpus meum:* contra Doctor subtilis docuit etiam præcedentia verba, *Qui pridie, &c.* ad formam consecrationis esse necessaria. Guido Manipulo curat. de Eucharistia, c. 4. Gabriel Biel in can. Missæ, lect. 38. *Christum consecrasse panem, non hisce verbis, sed antea quum benediceret*, tradit Innocentius Papa De sacro altaris mysterio l. 4. c. 17. Contrà huic sententiæ Biel in canon. Missæ lectione 36. & 48. & plerique alii adversantur. *Ad sententiam* verò horum verborum quod attinet, major etiam est *dissensio*. Quum enim quæritur quid sibi Christus voce, *Hoc*, voluerit? quàm diversè & ineptè doctores Pontificii disputant? Nam quidam docent, *Hoc nihil demonstrare*, ut Innocentius Papa de Sacro altaris mysterio, lib. 4. c. 17. & Glossa de consecr. distinct. 2. ca. Timorem. Contrà alii, hac rejecta Pontificis sententia, eam vocem aliquid demonstrare affirmant: sed quidnam illud sit, dissentiunt. Nonnulli *aliquid indeterminatum demonstrari* censent: ut sit sensus, *Hoc quod continetur sub illis speciebus, quidquid sit illud, est corpus Christi:* ut Thomas Aquinas. Reliqui contrà, aliquid certi demonstrari ajunt: sed tamen inter se quoque non conveniunt. Quidam enim corpus Christi: alii, ut Bonaventura, non corpus, sed substantiam panis, demonstrari docent. Nec solum de voce, *Hoc*, sed etiam de dictione, *Est*, dissentiunt. Quidam enim proprie sumi censent: alii verò interpretantur, *convertitur*. Quæ sententia Bonaven-

naventuræ est; qui (ut Biel etiam annotat) hæc verba exponit, *Hoc est corpus meum: hoc est, Hic panis convertitur in corpus meum.* De quibus contradictionibus prolixè Gabriel Biel in canon. Missæ, lect. 48. & Guido Manipulo de Eucharistia, c. 4. Atque hæc de forma consecrationis panis & verborum sensu: *de forma* quoque *consecrationis vini* malè etiam inter Pontificios convenit. Nam Henricus de Gandavo cum suis sectatoribus eam ait tantùm consistere in illis verbis, *Hic est calix sanguinis mei:* reliqua verò quæ addi solent, ad Sacramenti necessitatem minimè pertinere: contrà verò Thomas Aquinas cum suis asserit, formam consecrationis sitam in his verbis: *Hic est enim calix sanguinis novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: ita ut ista omnia verba sint de essentia formæ: adeò ut si quis aliquid istorum omitteret, nihil efficeret.* Quam dissensionem agnoscit & recenset Guido de euchar. c. 4. Quidam præterea docent, Christum in cæna corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidisse, non tamen ipsum sumsisse: & contra plerique asserunt, *Christum in Cæna accepisse corpus suum manducando, & sanguinem suum potasse primò, deinde discipulis tradidisse.* Sed nec hi consentiunt inter se, quia nonnulli docent Christum sumpsisse se, nec Sacramentaliter, nec spiritualiter, sed tantum ut esset exemplum nostræ manducationis: contrà Alexander Alesius ait, *Christum se sumpsisse tantum sacramentaliter:* ut hanc controversiam recenset Gabriel in can. Missæ, lect. 37. Denique *de transsubstantiatione* diversas & adversas scholasticorum sententias plurimas (quas describunt Cajetanus in Thomam part. 3. q. 37. art. 1. Innocentius de sacro alt. mysterio, l. 4. c. 20. Biel, & alii) brevitatis causa (ut tandem, ex infinito dissensionum & contradictionum Pontificiarum labyrintho & Babylone, me expediam) prætereo. Nam ex hisce quæ hactenus retuli, Pontificiorum in doctrina unitas, de qua tam confidenter gloriaris Costere, abundè confutatur.

Caput Septimum.

Quare ad alterius notæ, qua Ecclesia Christiana dignosci possit, examen, transeamus.

Costerus.

2. Nota, Catholica.

Secunda nota est, esse Catholicam, universalem, ubique diffusam. Hanc notam sicut multò ante Christum prædixerunt Prophetæ (*In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum,* Psal. 18. 5. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum,* Psal. 71. 8. *Omnes scient me à majore usque ad minorem,* Jer. 31. 34. *Erunt omnes docibiles Dei,* Es. 54. 13. & Joh. 6. 45.) ita eam agnovit B. Apostolus Paulus suo tempore impletam: *Audistis,* inquit, Col. 1. 5. *in verbo veritatis Euangelii, quod pervenit ad vos: sicut & in universo mundo est, & fructificat & crescit.* Et iterum: *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum,* Rom. 10. 18. Si quis igitur certo indicio deprehendere velit ecclesiam, mente percurrat orbem terrarum. Lutheranos inveniet in sola Germania, Calvinistas ferè in sola Gallia & Anglia, Anabaptistas in variis obscuris angulis Hollandiæ & Moraviæ: sicut Donatistæ & Novatiani ferè in Africa latuerunt, & Iconoclastæ in Græcia. Extra Europam nulla sectarum Lutheri, Calvini, &c. notitia ab orbe condito unquam pervenit. Fieri igitur non potest, ut Novatores nostri seculi ad veram ecclesiam pertineant.

Gomarus.

Si hæc propria est, quam describis ecclesiæ nota, qua ratione eam à Satanæ Synagoga distingues? *Nam* (ut ait Franciscus Sonnius episcopus Antverpianus in Demon. relig. Christ. tract. 8. c. 3.) *quantum obsecro nunc patet per orbem habitabilem ecclesia catholica? Vix tres ulnas longum, comparatione ejus vastitatis, quam possidet ecclesia Satanæ?* Non igitur hæc propria ecclesiæ nota est. Deinde verò non satis explicatè catholicam *ubique diffusam* exponis. Nam aliquid ubique diffusum dici potest bifariam: vel reipsa uno eodemque tempore, vel jure tantùm & successu temporis. Priori modo ecclesia Novi testamenti hactenus Catholica nondum fuit; ut experientia Americanorum, nostro ævo, & gentium Africanarum tempore Augustini comprobavit. *Sunt enim* (inquit ille Epist. 80. ad Hesychium) *apud nos, hoc est, in Africa, Barbaræ innumerabiles gentes: in quibus nondum esse prædicatum Euangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi & Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est.* Altero verò modo ecclesia Christiana nunquam desiit esse catholica: quamvis in miras angustias, interdum fuerit redacta. Idque ex iis quæ præpostere posteà confiteris apparet. *Non enim* (inquis) *ex eo dicitur ecclesia catholica, quod eodem tempore totius orbis ditiones occupet: hoc quippe ne in hunc usque diem fortassis contigit, quando antarcticis hominibus & qui extremas remotissimasque Americæ oras incolunt fides Christi nunquam innotuit. Sed his duabus potissimum de causis, tum quod nulli nationi sit alligata, nulloque loco conclusa: tum quod, juxta veterum Prophetarum vaticinia, aliquando per singula orbis loca, seminandum sit Euangelium: plantanda fides, atque extendenda ecclesia.* Quamobrem ex hisce apertè liquet, quam iniquè ecclesiam nostram orthodoxam sequentibus accuses. Nam primùm quod reipsa hoc tempore non ubique diffusam arguis, nihil (ut antè demonstratum est) ad rem facit. *Nam* (ut episcopus vester [a] non ita diu asseruit) *dividunt Cosmographi orbem habitabilem in tres plagas, Asiam, Africam & Europam. Quarum pars longè minima est Europa: & ea sola nunc paret Euangelio Christi; nec tota: Quoniam non modicam ejus portionem jam fortiter occupavit Mahumetana perfidia, nempè Græciam, Dalmatiam, Bulgariam, Ungariam, &c.* Interim quod reformatæ ecclesiæ membra, quæ odiosis Lutheranorum & Calvinistarum nominibus traducis, in sola Germania, Gallia, Anglia inveniri affirmas, id falsi convincunt omnes Christiani orbis regiones, & Christi martyrum cineres & sanguis eorum à vobis in Italia, Hispania, Lusitania, Belgio & cæteris Europæ regnis veræ religionis odio copiosè effusus. Qui haud dubiè clamat [b] ad cælum & justas tyrannidis Pontificiæ pœnas à summo judice deposcit. Quare conscientia teste, hujus sententiæ falsitatem ex parte corrigere studes, quum addis, *fere in sola Gallia,* &c. Cæterum quæ de Anabaptistis, Donatistis, Novatianis, & similibus hæreticis (quos nobis more vestro annumeras) recenses, ea nos minimè offendunt. Deinde Iconoclastas in Græcia latuisse, falsum esse historiæ testantur. Nam ut Deus imagines, ad colendum prostitutas, frangi jubet, Exod. 32. 13. sic pii reges paruerunt: & concilium Francofurtense in Germania contra cultum imaginum celebratum est. Præterea Claudius Taurinensis episcopus in Italia dum vixit Caroli & Ludovici temporibus, idololatriam illam acriter & solidis rationibus oppugnavit. Id quod ex Jona Aurilianensi apparet: qui dum post illius obitum veritatem studuit obscurare, eandem libri sui ineptiis magis apud attentum lectorem illustravit. Atque utinam tandem Claudii scripta, quæ cum nonnullis similibus veterum monumentis Parisiis manuscripta latent, ut ex docto & pio viro intellexi, ipsius aut alterius industria, in lucem emittantur. Commemorat etiam historicus Pontificius Mejerus in Annalibus Flandriæ; anno septingentesimo quinquagesimo secundo, non defuisse Gandavi fautores Cæsaris, qui sanctorum imagines tanquam idololatriæ instrumenta à templis removendas contenderunt. Sed de imaginibus alibi commodius differetur. Itaque ut ad rem redeamus, nihil ecclesiæ veritati detrahit locorum angustia aut fidelium raritas: præsertim quum utrumque divinitus prædictum sit. Nam Christus ait, *filius hominis quum venerit, num reperturus est fidem in terra?* Luc. 18. v. 18. Et Paulus Apostolus, *Non veniet dies Christi, quin veniet defectio prius; & detectus fuerit homo ille peccati, filius perditionis,*

a Franciscus Sonnius demonstrat. relig. Christ. Tract. 8. c. 3. b Apoc. 6. 10.

tionis, 2. Thess. 2. 3. Et Johannes in Apocalypsi, qua res futuras recenset, de statu ecclesiæ ait: *Peperit filium masculum, recturum omnes gentes virgâ ferreâ, & raptus est filius ejus ad Deum & thronum ejus. Mulier verò fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo ut illic pascat eam*, &c. Apoc. 12. 5. *Data sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volet à conspectu serpentis in desertum, in suum locum, ut alatur ibi per tempus & tempora & dimidium temporis*, Apoc. 12. 14. Nec id diffiteri audet Costerus, quum ait, *Arbor eadem est si truncus maneat, tametsi rami alii excidant, alii succrescant. In Apocalypsi prædixit Apostolus novissimis temporibus cælum recessurum adinstar libri involuti: hoc est, ecclesiam quæ prius latè patebat, in angustias contrahendam.* Itaque quia in hac locorum angustia parum sibi esse videt præsidii, ad alterum, tanquam ad sacram anchoram delabitur & ecclesiam nostram jure & successione ubique diffusam negat. *Extra Europam* (inquit) *nulla sectarum Lutheri, Calvini, notitia ab orbe condito unquam pervenit:* sed cum id solide ac perspicue in prima ecclesiæ nota refutatum sit, ecclesiæ reformatæ veritas invicta perstat. Quamobrem ad Pontificiæ ecclesiæ examen procedamus.

COSTERUS.

At verò Romana Ecclesia per orbem universum fusa, hoc nomine (catholicæ) perpetuò sola gloriatur. [a] Et quidem primis illis majorum temporibus priusquam in Turcarum potestatem Patriarchales Ecclesiæ venissent. Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, magna erat omnium in una fide consensio, sub uno capite Romano Pontifice (sicut in sequenti capite demonstrabitur) neque alia fides usquam quam Romana prædicabatur. Hinc illæ voces in generalibus Synodis post lectas Romanorum Pontificum epistolas: *Hæc est patrum fides, hæc Apostolorum fides, ita omnes credimus: anathema, qui ita non credit*, Chalc. Actor. 2.

Ecclesia est Catholica, etiam post schisma Græcorum.

Postquam verò seu ante Turcarum adventum, seu post occupatam Græciam, ab ecclesia Romana sese Orientales episcopi segregarunt, erroremque de Spiritu Sancto induxerunt: non amisit tamen ecclesia nomen Catholicæ: tum quod in regionibus illis non desint catholici, sicut neque per Germaniam, Galliam, Angliam; tum quod eadem prorsus constanter perseveret ecclesia, eadem fide, eodem divino cultu, eadem religione, licet contractior. Arbor eadem est, si truncus maneat, tametsi rami alii excidantur, alii succrescant. In Apocalypsi c. 6. 14. prædixit Apostolus *novissimis temporibus, cælum recessurum adinstar libri involuti*, hoc est, ecclesiam, quæ prius latè patebat in angustias contrahendam. Non enim ex eo dicitur ecclesia catholica, quod eodem tempore totius orbis ditiones occupet, hoc quippe ne in hunc usque diem fortassis contigit, quando Antarcticis hominibus, & qui extremas remotissimasque Americæ oras incolunt, fides Christi nunquam innotuit.

Catholica duabus de causis.

Sed his duabus potissimum de causis, tum quod nulli nationi, ut olim lex Moysi Judæis, sit alligata; nulloque loco conclusa, sicut Donatistarum & Lutheranorum errores, quorum hi extra Germaniam nusquam celebrantur, nec illi extra Africam reperiebantur: tum quod juxta veterum Prophetarum vaticinia, aliquando per singula orbis loca seminandum sit Euangelium, plantanda fides, atque extendenda ecclesia, quod nulli alteri cœtui contingere potuit. Ariana quidem hæresis Romanum orbem ferè pervagabatur, sed prius extincta est, quam latius serperet. Turcarum perfidia latissimè patet; sed Occidentem Dei gratia nunquam attigit. Calvinistæ ante annos non ita multos tentabant ad Indos & Peruanos errores suos invehere, sed auxilio Christi & Catholicorum industria exclusi fuerunt.

Temporibus Apostolorum fuit catholica.

Catholica verò ecclesia primùm quidem ab ipsis Apostolis per omnes ferè notas regiones est propagata: dum B. Petrus per se suosque discipulos Italis, Germanis, & Gallis prædicavit: Jacobus Hispanis: Andreas Thracibus Scythis Europæis: Philippus Scythis Asiaticis: Matthæus Æthiopibus: Simon & Marcus Euangelista Ægyptiis Lybiis & vicinis Afris: Bartholomæus Armenis & Indis citerioribus: Thom. Indis ulterioribus Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hircanis & Bractis, atque ita de cæteris. Nam & Josephum ab Arimathia volunt Apostolorum ætate in Anglia fuisse, & Simonem Leprosum in Galliis Cenomanensem ecclesiam rexisse. De Græcia, Syria, minori Asia satis loquuntur scripturæ, quod ab Apostolis, præsertim Petro, Paulo, Johanne fidem didicerint. Itaque statim primis illis initiis dicta est ecclesia catholica, quod per cognitum orbem fides ubique seminaretur, passimque omnibus hominibus innotesceret veritas Euangelii, atque ad Ecclesiam ipsam aliqui omnibus locis aggregarentur: non autem quod totæ ditiones Christum susciperent. Nam successoribus Apostolorum hoc relinquendum erat, qui inchoata ab Apostolis perficerent, quod in Occidente ferè per Romanos Pontifices, [a] etiam primis illis temporibus, præstitum legimus, quorum labore ad fidem venit Africa, Saxonia & Britannica atque Scotica regna, & his postremis sæculis, in regiones Orientales, Occidentales & Meridionales remotissimas atque vastissimas fides importata est. In Japonias insulas, Sinarum regionem, Brasiliam & Peruana regna paulatimque ad Antarcticum polum deducitur fides illa eadem, quam à D. Petro acceptam incorruptè constanterque retinet Ecclesia Romana verè catholica. Exeant à nobis Germani & Angli, Græci quoque, Afri & Syri: satis nobis est, ad Catholici nomen tuendum, quod nostri fuerint, à nobisque exierint, fidemque eandem nobiscum aliquando tenuerint, adeoque quod omnibus illis locis Catholici non desint, etiam ubi maximè vel hæreses nostræ ætatis vigent, vel schismata Græcorum. Hoc enim sufficiebat Apostolorum ætate, quando regionibus omnibus, Idolorum cultui deditis, pauci Christiani in omnibus locis Ecclesiam efficiebant Catholicam.

Cæterum, quæ Dei est bonitas, hisce nostris temporibus quando vel maximè impetitur ab Europæis hæreticis Romana fides, Orientalium oculi paulatim ad veritatem aperiuntur. Nam & Abdisu Armenorum Primas, Trid. synodo subscripsit, Romamque Archiepiscopum ad Pontificem misit: & Antiochenus Patriarcha ipsemet Romam venit obedientiam suo suorumque nomine Pontifici delaturus: & Constantinopolitanus Patriarcha (cujus gratiam ambiebant Lutherani) duos ex fratre nepotes Romæ apud Pontificem habet, qui, Romanam fidem edocti, paulatim dextreque Orthodoxam religionem in Græcia restituant. Pontifex verò pro sua in omnes cura, Syrorum unum, Græcorum alterum Collegium Romæ erexit, multosque ditionum illarum præclaros adolescentes magnis impensis in Romana religione instituit, atque in patriam plerosque jam institutos remisit. Effectum est igitur, nomen Catholici in Schismaticam nullam, sed in solam illam ecclesiam competere, quæ per universum orbem terrarum disseminata, uni paret Romano Pontifici.

a D. Aug. cap. 4. contra epist. Fund.

a D. Gregorius lib. 7. ep. 3. ad Dominicum Carthag. de Africa.

GOMARUS.

Speciosa sanè oratio, sed quam rei veritas vanitatis arguit. Nam quod *Romanam ecclesiam hoc nomine Catholicæ solam perpetuò gloriari* affirmas, id omnium reliquarum ecclesiarum confessionibus refutatur. Græci, Syri, Moscovitæ & quotquot jugum Papale non agnoscunt, Symbolum profitentur Apostolorum: in quo *credimus ecclesiam sanctam catholicam*, ad eamque se pertinere asserunt. In nostris ecclesiis eadem est professio. Ac sanè si amplitudinem spectes, *Constantinopolitanus episcopus* (ut Concilium Basileense in appendice testatur) *habet in Asia, Africa & Europa vastissimas provincias, atque amplissima regna & plurima genera hominum linguâ & moribus longè disparia.* Quare arroganter hanc laudem vobis solùm adscribis Costere, præsertim quum rationes quas adducis nihil habeant firmamenti. Jactas quidem *primis illis majorum temporibus magnam fuisse omnium in una fide sub uno Pontifice Romano consensionem*: sed

sed quid quæso ad præsentem & corruptissimum Romanæ ecclesiæ statum veterum integritas facit? non magis profectò quam reliquis Romanæ urbis ruderibus antiquæ Romæ eulogia, consentiunt: nec magis quam Abrahami, Mosis, & Aaronis fides & pietas incredulis & profanis successoribus Annæ & Caiphæ & cœtui ipsorum (qui majoribus illis perpetuò gloriabantur) convenerunt. Deinde verò quod Romanis Pontificibus Capitis & gubernationis universæ ecclesiæ dignitatem tribuis, à vero alienum est: ut in proxima de Pontifice controversia constabit. Nam quamvis olim ad eam tyrannidem sæpius aspirarint Rom. Pontifices, tamen Conc. Niceni, Chalcedon. & Africani sexti auctoritate & constantia repressi sunt. Nec multum vos juvat, *quod* (ut scribis) in *Chalcedonensi synodo post lectas Romani Pontif. literas hæ voces prolata sint: Hæc est patrum fides; hæc Apostolorum fides: ita omnes credimus: anathema qui ita non credit.* Nam orthodoxa erat Leonis contra Eutychem sententia, quam non Papæ Rom. auctoritate, sed orationis veritate adducti, hisce elogiis (quibus paulò ante Cyrilli epistolam similiter ornarant) comprobarunt. Alioqui liberè, si male sensisset, Rom. Pontif. rejecissent, non secus quam postea Concilium sextum act. 13. Honorium Papam Rom. apertè hæreseos condemnavit. Ac profectò si quis actionem decimam sextam Concilii illius Chalcedonensis perlustret, clarissimè hæc duo maximi ad rem præsentem momenti comperiet: primum Pontif. Rom. nec concilio illi (ut convenisset, siquidem caput fuisset ecclesiæ) præfuisse, nec ullo modo pro capite agnitum: imo contrà cupiditatibus illius fortiter fuisse occursum. Inde etiam secundo liquebit, ut cæterorum Patriarcharum, sic Rom. Pontif. auctoritatem & potentiam non Dei verbo, sed hominum instituto & civitatum splendore nixam ac fundatam: quæ temporis progressu Pontificum ambitione & regum partim sopore, partim iniquitate adeo excrevit, ut Christianam ecclesiam bona ex parte subjugarit. Itaque si originem à qua deflexistis spectemus, catholicam quidem ecclesiam: sin verò ad præsentem statum oculos convertamus, mirificè deformatam & vix ullam ecclesiæ Christianæ notam reliquam videmus: ac propterea in reformata Ecclesia Deum colimus. Nam quod *ecclesiam Romanam* gloriaris *eandem constanter perseverare, eadem fide, eodem divino cultu, eadem religione, id superioribus* perspicuè refutatum est. Quæ verò de Ecclesia in angustum contrahenda, & causis, quibus catholica nominatur, recenses, ea causam nostram (ut ante ostendimus) non infirmant, sed confirmant. De Lutheri doctrina quod aspergis, ante diluimus: quemadmodum etiam quod hanc ecclesiæ Christi per orbem propagationem nulli alteri cœtui contingere posse asseris. De Ariana hæresi & Turcis non disputo: interim optarim verè abs te dictum esse, *Turcarum perfidiam occidentem nunquam attigisse.* Nam tristis Ungariæ & vicinarum provinciarum calamitas secus testatur. Cæterum ne intacti abeamus, ais; *Calvinista ante annos non ita multos tentabant ad Indos & Peruanos errores suos invehere:* sed erras, Costere. Nec enim Calvinistæ sed Orthodoxi veram Christi religionem propagare studuerunt, non ut Catholicorum nomen, quod veræ fidei beneficio obtinent, sibi compararent: sed ut regnum Christi augerent pro virili. Ac propterea non *Christi auxilio* nec *catholicorum industria exclusi fuerunt*; sed hominum crudelium avaritia insatiabili, & Christi tolerantia, donec mensura immanitatis Ibericæ, ut olim Chananeæ, compleatur. Quare id nihil ecclesiæ nostræ reformatæ officit, quo minus veræ catholicæ ecclesiæ nomen tueatur, quemadmodum nec vestræ Pontificiæ proficit, quod (ut ais) *ecclesia primum ab ipsis Apostolis per omnes ferè notas regiones propagata est*, quandoquidem ab ea paulatim jam longo tempore defecistis. Atque utinam priscorum saltem episcoporum Romanorum vestigiis insisteretis, qui regnum Christi propagare studuerunt, quamvis interdum commentis humanis non tam auxerint ecclesiam, quam perturbarint: ut ex Augustino, Bonifacio, & similibus Pontific. in Angliam & Germaniam legatis historici demonstrant. Verum, quia non tam de priscis temporibus, quàm de postremi hujus ævi Romana Ecclesia disceptatur: amplitudinem illius mirificè extollis ac profers nobis Japonias insulas, & Sinarum regionem, Brasiliam & Peruana regna: sed ea parum vos juvant, nisi fidei catholicæ adsit puritas: quam quidem à Petro Apostolo acceptam incorruptè constanterque retinuisse Ecclesiam Romanam gloriaris, sed secus ex doctrinæ Petri collatione superioribus comprobavi. Deinde verò quænam ea est ecclesiæ propagatio, quæ non doctrinæ viribus & Spiritus Sancti virtute, sed terrore & tyrannide plusquam belluina instituta est. Nam Hispanus vester episcopus Bartholomæus de las Casas narrat, Peruanam & vicinam regionem adeo vastatam, ut hominum bis mille myriades inaudita feritate, paucorum annorum spacio ab Hispanis deletæ sint. Qua de re vir doctissimus vester Justus Lipsius, De constantia lib. 2. cap. 22. hoc modo conqueritur: *Pauculi Iberi ante annos octoginta in vastas illas & novas terras delati, quæ funera (Deus bone!) ediderunt? quas strages? Nec de causis aut de jure belli dissero, tantum de eventis. Cerno ingens illud terrarum spacium (quod vidisse magnum sit, non dicam vicisse) à vicenis tricenisque militibus pervadi & passim inermes illos greges sterni, ut segetem à falce. Ubi tu es insularum maxima Cuba? Tu Hayta? Tu Iucaja? quæ olim quingentis aut sexcentis hominum millibus succincta, alibi vix quindecim ex iis retinuistis in semen. Ostende etiam te paulum tu Peruana, tu Mexicana ora. Heu miram miseramque faciem! immensus ille tractus & verè alter orbis, vastus attritusque apparet non aliter quàm si cælesti quodam igne deflagrasset.* I nunc Costere, & Indorum ad fidem conversionem jacta. Sane si evertere, convertere est, vicisti. Quare non mirum est, quod à vobis quædam nationes, tanquam Babylone exierint, & sævum ac perniciosum Pontificis jugum leni & salutari Christi jugo permutarint. Nec propterea tamen (ut male jactas) *vera ecclesia catholica nomen* potestis *tueri*. Quoniam nec *Græci, nec Afri*, nec *Syri* (ut ais) *ex vobis exierunt:* sed majorum suorum auctoritate nituntur. Ac quamvis olim Germani & Angli Pontif. poculo inebriati fuerint plerique, non defuerunt tamen catholici orthodoxi, qui voce Euangelii quosdam subinde ab idololatria Pontificia ad Christum excitarint: ut Martyrum historiæ & *Catalogus testium veritatis* demonstrant. Cæterum quia exempla ad persuadendum plurimum pertinere solent, producis nobis ad Ecclesiæ Pontificiæ commendationem priori loco *Abdisum Armenorum primatem*, quem *synodo Tridentina subscripsisse, Romamque Archiepiscopum ad Pontificem misisse* affirmas. Sed primum quibus idoneis testibus poteris comprobare, Abdisum eam habuisse auctoritatem? Tu Armenorum primatem fingis: reliqui contrà Pontificii Assyriorum Patriarcham, & multa de illius potestate fabulantur: quæ res ipsa confutat. Ac propterea merito hæc fabula à prudentioribus deridetur. Nihil enim novi est, si Pontifex inanes variorum episcopatuum titulos pro arbitrio donet: quibus deinde ad pompam abutatur: quemadmodum misello Olao Magno episcopatus Upsalensis titulum sine reipsa Paulus tertius concessit, ut regni Pontificii splendorem augeret. Qualis etiam fuit in concilio Tridentino Antonius Hælius patriarcha Hierosolymitanus: & similes in papatu non pauci: quos propterea *titulares episcopos* vulgò appellant. Nam quibus obsecro, Costere, auctoribus & rationibus hanc de Abdisu primatu sententiam confirmabis? Proferes fortasse Cardinalis Amulii ad concilium Tridentinum ex Pontificis mandato literas, quibus hæc fabula primum conficta & temere à Pontificiis credita est: sed vel ex iis ipsis liquere potest, quam exiguam fidem mereatur. Nam si personatus ille Abdisu patriarcha fuit, cur plus minus annum neglecto concil. Trid.[a] cui sua præsentia maximo fuisset ornamento, hæsit Romæ; Deinde, cur confessio illius, quam edidisse dicitur, septimo Martii, post sex demum menses die Augusti vigesimo octavo à Cardinale ad concilium primum perscripta est? Præterea quibus modis confirmat Amulius Cardinalis Abdisum hunc *& electum fuisse*, ut ait, *à Clero & populo Assyriorum patriarcham, & Romam venisse, ut à Pontifice Romano confirmaretur?* Literas profert: sed quomodo fides harum literarum probabitur? quasi verò de ignotis populis, ignota lingua nihil Abdisu potuerit confingi. Deinde quod Abdisum concilio Tridentino subscripsisse affirmas, quomodo demonstrabis? Nam si confessiones Abdisu & literas

a Vide Librum Nominum patrum concilii Tridentini, &c.

teras Cardinalis mandato Pontificis, conscriptas objeceris: nullis argumentis clarius hujus fabulæ vanitas elucebit. Nam confessione secunda, die vigesimo tertio Julii, dicit Abdisu, *se non dubitare suos episcopos omnes ex corde Romanæ ecclesiæ partes tenere:* contra verò in confessione prima ait, *se Romanæ ecclesiæ fidem modis omnibus quibus poterit, persuadere conaturum.* Deinde Cardinalis agnoscit hunc Abdisum non solum per multos dies, sed etiam *per multos menses, in iis in quibus dissenserat, à Pontificiis institutum.* Quomodo hæc conveniunt? Alia brevitatis causâ omitto: sed illud tamen præterire non possum, quod tandem ais, *Abdisum Romam ad Pontificem archiepiscopum misisse*, quemadmodum etiam quod alibi ais, [a] *Patriarcham Chaldaæ nomine Abdisum ad concilium Tridentinum venisse, & cum reliquis ducentis sexaginta episcopis subscripsisse:* ea turpis mendacii, Cardinalis Amulii narratione, arguuntur. Secundò de Antiocheno patriarcha temerè gloriaris: Nam ut Pontifici avarè & turpiter se subjecit, sic propter indignitatem rei à Syris munere suo abdicatus, ac frater in illius locum substitutus est. Eoque exsul in Italiâ consenuit, & meritas inconstantiæ pœnas dedit. Constantinopolitanus verò Patriarcha, ut se Papæ præfert, sic in multis ab eo dissentit: quemadmodum Censuræ orientalis ecclesiæ, c. 13. &c. & Meletii ad nobilissimum Douzam Dominum à Noortvvick, academiæ nostræ curatorem epistola demonstrat. Cujus fidem, quia impudenter negare ausus es, doctus & ingeniosus juvenis Georg. Douza in itineris sui Constantinopolitani descriptione asseruit & audaciam tuam perspicue confutavit. Quare parum vos juvat, quod Græcorum & Syrorum adolescentum collegia Romæ erecta sint, cum neç Syri, nec Græci Pontificem sequantur. Verùm miror Costere, cur non eadem opera, Anglorum Jesuitarum seminaria, quæ Romæ & Rhemis instituta sunt, extollas: Sed fortasse eorum te pudet: quod non ad ecclesiam Christi augendam, sed ad cædem regibus & principibus intentandam comparata sint. Hoc enim magna sicariorum, qui ex illis seminariis in Angliam variis temporibus ad serenissimam Angliæ reginam trucidandam, emissi sunt, copia evincit. Hoc etiam nuperum potentissimi Galliæ regis edictum sole clarius demonstrat, quo Jesuitæ Galliâ, tanquam dira regni pestis, proscripti sunt & Galli scholas eorum etiam extra Galliam adire severissime prohibentur. Quare ut hunc locum concludam, falsò catholicæ ecclesiæ titulum Romanæ ecclesiæ arrogas & ascribis.

a Costerus Demonstrat. antiquæ catholicæ Doctrinæ, pag. 49.

CAPUT OCTAVUM.

Atque eadem est sanctitatis, in qua tertiam ecclesiæ notam collocas, ratio; quod ut fiat perspicuum, singula quæ proponis, cum notæ illius definitionem, tum hæreticorum & catholicorum ad eandem examen, cognoscamus.

COSTERUS.

3. *ota, Sancta.*

TErtia nota consistit in sanctitate, quæ non ita accipienda venit, quasi interna hominis pietas, & congregationis sanctitas externis oculis cerni ab aliquo possit: sed quod manifestis indiciis impietas & pietas deprehendi possint. Et quidem in agnoscenda impietate nulla est difficultas, cum facta ipsamet eam de homine testentur, homicidia committere, latrocinia exercere, alienum thorum violare, tam manifesta sunt flagitia & scelera, ut is, qui talia agit, non solum pronuncietur impius, sed gravibus publica sententia adjudicetur suppliciis. In sanctitate autem hominis agnoscenda magis laborandum est, quod externæ actiones, quæ ab intentione rationem virtutis aut vitii sortiuntur, non satis certo de interna sanctitate testentur. Itaque nec multo jejunio, nec eleëmosynis, neque productis orationibus suis fidem potuerunt Pharisæi facere CHRISTO suæ justitiæ. Opus est alio indicio firmiori, divino scilicet & supernaturali, qualis est revelatio: quomodo de sanctissimæ virginis MARIÆ sanctitate per Gabriëlis archangeli salutationem edocti sumus: *Ave gratia plena,* DOMINUS *tecum, benedicta tu in mulieribus:* qualia item sunt miracula in testimonium sanctitatis alicujus divina virtute edita.

Cœtus igitur illi, qui nihil sanctitatis habuerunt unquam vel pietatis, sed contrà potius gravissima in Deum atque homines flagitia, & id quidem non ex humana infirmitate, sed ex professo atque ex instituto suæ doctrinæ & fidei, Ecclesia sancta dici nequeunt. Ubi verò manifestis indiciis deprehenditur sanctitas fuisse, & manifeste colligi non potest ab omnibus abesse, quin potius verisimilibus rationibus judicatur in multis inesse, hæc erit sancta ecclesia. Tametsi namque ejus plurima membra sint emortua & impia, non amittit tamen sancti nomen, quamdiu vel unus pietatem ex animo colens, retinet sanctitatem, quæ tempore passionis Dominicæ in sola virgine sacratissima viguit: arbor namque vivere dicitur, quandiu aliquid habet vitæ, licet multi sint aridi rami.

GOMARUS.

Et multi etiam, Costere, in hac oratione tua aridi sunt rami, qui sacrarum literarum falce amputandi sunt, ut vera à falsis secernantur. Verum enim est ecclesiam rectè dici sanctam, & internam animi sanctitatem, soli Deo esse conspicuam, qui solus est καρδιογνώστης. Unde etiam sequitur sanctitatem internam non posse notam ecclesiæ appellari, nisi quatenus manifestis indiciis se prodit. Sed quænam ea sint indicia, disceptatur. Nos enim Sacrarum literarum ductu ea in externa sanctitate collocamus, quæ internæ respondet. Ut itaque internam sanctitatem vera fide & charitate Christiana: sic externam utriusque patefactione definimus. Ac primum quidem fidei patefactionem statuimus esse partim auditionem & constantem professionem doctrinæ veræ, partim legitimum sacramentorum usum. Ut enim unius exercitus milites signum & sacramentum militare ab alienis secernit: sic ecclesia [a] in terris sub Christo militans, Symbolo, hoc est signo, Apostolorum, & Decalogo Christique sacramentis dignoscitur. Nam ut omittam ea, quæ ante (c.3.) adduxi, id demonstrat Christus, Joh.8.31. *Si vos in sermone meo manseritis, verè discipuli mei eritis.* Et paulo post, v.47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Matt.10.32. *Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.* Rom.10.10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Gal.3.27. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ephes.5.26. *Christus tradidit se pro ecclesia, ut mundaret eam lavacro aqua in verbo.* Joh.10.27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* 2.Joh.9. *Qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.* Atque hac ratione ecclesia Apostolica describitur, Actor.2.42. *Erantque perdurantes in doctrina Apostolorum & communione & fractione panis & precibus.* Deinde vero charitas interna Dei & proximi, externis etiam fructibus innotescit. Ac charitas quidem Dei patefit, partim verbis, quando debitæ per Christum Deo gratiæ aguntur, & publice ac privatim solus ac legitimè per Christum invocatur: partim factis, quando vitatâ idololatriâ & omni ἐθελοθρησκείᾳ secundum verbum ipsius colimus & crucem Dei ac veritatis nomine fortiter toleramus. Quibus rationibus & fides & charitas erga Deum elucescunt. Charitas vero proximi innocentiâ & beneficentiâ declaratur. In qua, proximi in vera fide & charitate, institutio & confirmatio, & erga miseros, præsertim pios, & (ut Paulus vocat Galat. 6. v.10.) *domesticos fidei*, propter Christi nomen liberalitas. Atque huc pertinent sequentes scripturæ loci, Rom.10.13, 14. *Quicunque invocaverit* nomen

a Rufinus in expos. Symboli.

nomen Dei, salvus erit, quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt? 1. Pet. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, ut virtutes prædicetis illius, qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.* Matt. 16. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, ac sequatur me.* 1. Pet. 1. 6. 7. *Qua in re exultatis tristitia paululum nunc (si opus est) in variis afflictionibus affecti: ut exploratio fidei vestræ comperiatur, multo pretiosior auro, quod perit, & tamen per ignem exploratur.* Joh. 13. 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.* 1. Thess. 5. 11. *Consolamini alii alios & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.* Hebr. 10. 24. *Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est quibusdam, sed adhortantes.* Jac. 2. 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* Jac. 1. v. 27. *Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum seipsum servare à mundo. Atque hoc etiam modo,* ex fidei & charitatis argumentis in suis epistolis Apostoli & Majores nostri veras ecclesias à falsis distinxerunt. Quid vero ait Costerus? nempe, *quod externæ actiones quæ ab intentione rationem virtutis aut vitii sortiuntur, non satis certo de interna sanctitate testentur.* Sanè si quis externas actiones tam latè definiat, ut apertis Christi hostibus ethnicis etiam sint communes: at verò si quis angustius de fidei & charitatis Christianæ officiis, quemadmodum declaravi, exponat, certò de ecclesiæ sanctitate constabit: Quandoquidem in sola ecclesia Christi viget syncera verbi divini prædicatio & recta sacramentorum administratio: ut initio hujus controversiæ apertè profiteris: & ex iisdem actionibus & Christiani & Christiana ecclesia ab omnibus definiuntur. Denique Bellar. de ecclesia militante lib. 3. c. 2. ait; *Ut aliquis absolutè dici possit pars vera ecclesiæ: de qua scripturæ loquuntur: non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantùm externam professionem fidei & sacramentorum communionem: quæ sensu ipso percipitur.* Et lib. 4. c. 11. hanc notam esse Ecclesiæ agnoscit: *Octava,* inquit, *nota est sanctitas doctrinæ. Vera enim Ecclesia non solum est catholica, Apostolica, una, sed etiam sancta, ut habet symbolum Constantinopolitanum: Constat enim sanctam dici ecclesiam: quia professio ejus sancta est: nihil continens falsum, quoad fidei doctrinam, nihil injustum quoad doctrinam morum.* De charitate verò Christiana eadem ferè est ratio: quia *fides per eam operatur,* Gal. 5. v. 6. Nam quamvis externa illius officia non pauca reperiantur etiam infidelibus esse communia: quædam tamen propria sunt ecclesiæ: quemadmodum cùm aliorum, tum mutua in vera fide & pietate institutio & confirmatio. Ubicunque hæc veræ fidei professio & charitatis Christianæ officia vigent, ibidem ecclesia Dei existit, iisque notis longè profectò melius quam revelationibus & miraculis cognoscitur. Quoniam hæ notæ communes sunt & incertæ. Communes quidem, quia & hypocritis in ecclesia, & apertè sceleratis extra ecclesiam interdum conveniunt: ut S. Lit. & experientia testantur, Matth. 7. 22, 23. *Multi mihi dicent in die illo, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus & per nomen tuum dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus. Tunc autem profitebor eis, nunquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Sic Bileamus revelationibus divinis excelluit: quum tamen ab ecclesia Dei & vera pietate fuerit alienus, Num. 22. & 23. 2. Pet. 2. 15. Incertæ verò sunt hæ notæ, quia justa Dei judicis permissione Diaboli & infideles ea imitantur: ac propterea an divinæ sint revelationes & miracula, sæpius dubitari potest. Nota sunt ex veterum historiis non solùm oracula Delphica, quibus res futuræ crebro pronunciatæ sunt, sed etiam miracula, quæ apud ethnicos perpetrata sunt plurima: quemadmodum & S. Lit. in. Vet. Test. ostendunt. Nam fere omnia quæ virtute Dei patravit Moses, ea similiter Ægyptii magi suis incantationibus perfecerunt, Exod. 7. 14. 25. & 8. 8. Eadem ratione de bestia dicitur, Apoc. 13. 13, 14. *Fecitque signa magna, adeò ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram, in conspectu hominum. Et seducit incolas terræ propter signa, quæ datum est ei, ut faciat.* Et Paulus Apostolus de Antichristo ait: *Cujus adventus est in efficacia Satanæ cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni fraude injustitiæ, in iis qui pereunt, pro eo quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia,* 2. Thes. 2. 9, 10, 11, 12. Itaque ne de veritate doctrinæ aut sanctitate ecclesiæ ex hisce notis certo judicaremus, Christus nos præmonuit, ac præmunivit: *Pseudoprophetæ* (inquit) *edent signa magna & miracula, ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce prædixi vobis,* Matth. 24. v. 24, 25. Quare quamvis vera miracula & revelationes divinæ veritatem confirment, Marc. 16. 20. tamen an vera sint miracula & sanctæ revelationes, ad Lydium Sacrarum literarum lapidem exploranda sunt, ne falsa specie seducamur. Quemadmodum Apostolus præscribit, *si nos aut Angelus è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto,* Gal. 1. 8. Sic Abrahamus ad Sac. Lit. potius quàm ad miracula attendendum docuit, quum epuloni respondit: *Habent Mosem & Prophetas, audiant eos. Ille vero dixit, Non Pater Abraham: sed si quis ex mortuis abierit ad eos, resipiscent. Abraham autem respondit ei: Si Mosem & Prophetas non audiunt, ne siquidem quispiam è mortuis excitetur, assentientur,* Luc. 16. 29, 30, 31. Et ut Christus miraculis suam doctrinam confirmavit: sic utraque sacrarum literarum consensu stabilivit, Joh. 5. 39. Quamobrem revelationes & miracula notæ quidem esse possunt ecclesiæ, sed secundariæ: primaria autem & certior est doctrinæ sanctitas, quæ in consensu cum Sac. L. consistit. Quæ si adsit, non opus jam alio indicio firmiori: quia revelationes & miracula omnia, quibus per Prophetas & Apostolos olim S. Lit. confirmatæ sunt, doctrinam cum iis consentientem similiter stabiliunt. Denique revelationes & miracula nec sunt in ecclesia Dei perpetua, nec hoc tempore necessaria, quum satis superque infirmorum fides per Apostolos & discipulos eorum confirmata sint. Rectè Gregor. Magnus: *Nunquid non fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos quum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* In Euangelia, Homilia 29. Ex hisce igitur apparet quantopere aberres Costere, quod *revelationes & miracula manifesta sanctitatis indicia* appellas, & in ecclesia ad sanctitatem illius demonstrandam requiris. Atque hosce errores aliis etiam adauges: Nam quod ais, *Ecclesiam non amittere sanctæ nomen, quamdiu vel unus pietatem ex animo colens retinet sanctitatem,* id omnino absurdum est. Nam ecclesia est sanctorum societas: ac propterea sanctitas illius uno contineri non potest. Nec ferendus est error, quod probationis loco ais, sanctitatem *ecclesiæ tempore passionis Dominicæ, in sola virgine Maria viguisse.* Nam quibus, quæso, scripturæ testimoniis id probabis. Nam quamvis Apostoli omnes ab hostibus territi aufugerint, quemadmodum Christus prædixerat, *omnes vos ista nocte offendemini in me,* Matth. 26. v. 31. & fides eorum ut ignis sub cineribus fuerit ad tempus consopita, an propterea fidem (quæ sine sanctitate viva esse non potest, Jacob. 2. 26.) aut sanctitatem suam amiserunt? præsertim quum Christus, qui semper à Patre exauditur, Joh. 11. 4. 2. pro utraque orarit, Luc. 22. 32. Johan. 17. 17. Ac sanè si quovis lapsu periret fidelium sanctitas: quis eam tandem, *quum in multis labamur omnes,* Jac. 3. 2. conservabit? Deinde verò nonne passionis tempore sanctitatem suam testatam fecit Johannes, & potissimùm Maria Cleopæ, & Maria Magdalena: quæ & in cruce (non minus quam virgo Maria) & in sepultura constantissimè Christum coluerunt. Nam ut ait Euangelista, *stabant juxta crucem Jesu mater ejus & soror matris ejus, Maria Cleopæ uxor & Maria Magdalena cum discipulo, quem diligebat Iesus,* Joh. 19. 25, 26. Omitto Nicodemum, Josephum Arimathæensem & multos alios, quibus vitæ sanctitas sanctè derogari non potest. Ac propterea hujus sententiæ tuæ falsitatem viderunt & confutarunt Pontificii doctiores. Nam Bel-

Bellarm. de Ecclesia militante lib. 3. c. 17. eo nomine reprehendit Johannem de Turre [a] cremata, quod dixerit, *esse contra fidem universalis ecclesiæ asserere, non in sola beata virgine, mansisse fidem in die passionis Domini.* Et Dominicus Bannes ante annos quatuordecim Salamanticæ in Hispania, eandem sententiam tuam doctè & pluribus rationibus refutavit. Quare vides, Costere, quàm falsò de consensu & unitate doctorum Papalium glorieris: &, dum virginis Mariæ in Christi passione sanctitatem ad fucandam vestram idololatriam extollere studes, quàm iniquè reliquos sanctos sanctitatis nomine spolies. Deinde gravior etiam est error, quod virginem Mariam *sanctissimam* appellas, & angeli salutationem probationis loco adducis, *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Quamvis enim prima fronte nulla subesse videatur impietas, secus tamen ex interpretatione tua apparet. Hæc enim verba alibi sic exponis: [b] *Itaque primò nunquam vel nævum habuisti peccati: sive quod à primis humani generis parentibus propagatum, sive quod culpa aliqua tua commissum esset, etiam levissimum & venia facilè dignum: nihil, inquam, vel opere, vel verbo, vel cogitato unquam admisisti, quod non usquequaque esset gratissimum Deo. Secundo omni affluens & ornata fuisti virtutum genere, ex ipso etiam utero matris tuæ in anima, & omnibus mentis tuæ integerrimæ facultatibus.* Et, ne quis errorum esset modus, addis, *Tertiò concepto Deo plenitudinem habuisti Deitatis in te habitantem corporaliter.* At vero si hoc postremum verum est, virgo Maria non divina erit, sed verus Deus: quemadmodum Christi divinitas hâc sententiâ asseritur, Col. 2. & orthodoxi patres exponunt. Sin vero priora illa vera sint, & virgo Maria omni peccato caruit, non igitur solus Christus [c] segregatus erit à peccatoribus: non omnes homines erunt peccatores: [d] nec virgo Maria pro remissione peccatorum orare debuit, nec Christi morte redempta est [e]: quemadmodum hisce & aliis sacrarum literarum argumentis Thomas Aquinas, Gregorius Ariminensis & alii multi Pontificii hanc profanam sententiam tuam confutarunt. Qua de re audiatur Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. *Virgo ipsa, unde assumtus est Christus in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater ejus, & in Originali peccato nata est, quod & ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Imo vero Chrys. tom. 2. in Matt. hom. 45. & tom. 3. in Joh. hom. 20. arrogantiam & ambitionem aliquam virgini Mariæ attribuit. Imo Augustin. tom. 4. Quæst. Vet. & N. Test. q. 72. *in morte Domini virginem Mariam cum reliquis omnibus, de Filii divinitate dubitasse affirmat:* idem opinatur Theophyl. in Luc. 2. 35. Quod quamvis à veritate alienum est, illud tamen satis ostendit, quam procul etiam à sententia tua patres dissenserint: & Origines in Luc. 2. hom. 17. *Putamus*, inquit, *quod scandalizatis Apostolis mater Domini à scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non est passa, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus* [f]. *Si autem omnes, & egent gloria Dei, justificati gratia ejus & redempti,* (Roman. 3.) *utique & Maria illo tempore scandalizata est.*

a In 2. 2. Thom. q. 1. art. 10. vide etiam Martinum Eysengreyn de Ecclesia catholica c. 6. p. 109. b Christian. instit. lib. 5.

c Heb. 7. 26. d Rom. 3. 23. 1. Joh. 1. 8. Jac. 3. 2. e Psal. 31. Matth. 6. 12. f 1. Joh. 2. 1.

CAPUT NONUM.

Quamobrem ex hisce perspicuè constat: quàm malè sanctitatem definias, & quàm parum sanctè exponas. Nec melius hæreticos & catholicos ad sanctitatis libram examinas. Nam de priori parte sic ais.

COSTERUS.

Duo genera peccatorum in omnibus hæreticis.

HÆretici omnes ex instituto suæ doctrinæ, duo habent gravissima peccata, blasphemiam in Deum, impietatemque in parentes, quantumcunque præ se ferant divinum cultum, & parentum proximorumque amorem.

1. Impietas in parentes.

Impietatem in eo luculenter est videre, quod majores suos omnes, & quotquot hactenus, ab Apostolorum temporibus addicti Catholicæ probitati vixerunt, gravissimi criminis accusent & damnent. Dicunt eos non rectam fidem tenuisse, malè credidisse, infideles fuisse, Deo exosos & invisos, ideoque jure æternis ignibus mancipatos: & hæc quidem hæretici omnes. Quia porro nulla est hæresis, quæ non peculiare aliquid in ecclesia catholica detestetur, singuli etiam hæretici peculiare crimen majoribus impingunt. Ariani Filium Dei in numerum creaturarum referebant: Macedoniani verò Sp. S. Donatistæ affirmabant non esse ecclesiam, quæ cum bonis etiam malos contineret: Hussitæ alterius speciei communione dicunt Christi institutionem violari: Lutherani Romanum Pontificem, verissimum Antichristum esse: Calvinistæ in Eucharistia merum panem & vinum dari: Anabaptistæ infantum Baptismum damnant. His itaque hominibus majores omnes, totusque orbis gravissimis criminibus obligatus fuit: Arianis & Macedoniis *coluerunt creaturas potius quàm creatorem*, quod inter maxima Gentilium mala refert Apostolus, Rom. 1. 26. Donatistis non fuerunt in Ecclesia: Hussitis violarunt mandatum Dei, adeoque ut sacrilegi, perverterunt Sacramenti institutionem. Lutheranis obtemperarunt Antichristo, Christi adversariò, neglecto Christo. Calvinistis pro Deo coluerunt & adoraverunt bolum exiguum panis, paucula sque guttulas vini, qua Idololatria nulla fuit apud gentes sceleratior. Anabaptistis neque baptizati fuerunt, neque Christiani. Hæc quam sint fœda quamque enormia mala, nemo non intelligit. Si quis parenti vel avo nomen Turcæ, Judæi, Idololatræ, blasphemi, mancipii Diaboli impingat, grave utique supplicium meretur, juxta legem, *qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*, Exod. 21. 16. & Levit. 20. 2. etiamsi perturbato verba ejusmodi excidant: qui vero illa deliberatè de majoribus omnibus suis, de Prælatis, de Principibus, deque totius orbis Christianis & dicunt & sentiunt, graviori utique scelere se astringunt. Et quidem hæc eadem verba à multis non usurpari, ut nimis impia, facilè crediderim: sed nemo ignorat, rem aliquam efferri duobus modis; apertè, quando disertis verbis exprimitur: & virtute, quando aliis verbis, quæ idem valeant; vel definitione, descriptione, proprietatibus, periphrasi vel necessaria consecutione.

Qui hominem dicit aliena sustulisse, furem dicit, dignumque de quo supplicium sumatur, si modo leges de furum suppliciis non improbet: ita qui verbis, scriptis, aut factis Papistarum (quos vocant) religionem & fidem detestantur; ii certè Papistas seu Catholicos (de quorum numero fuere parentes) non rectè credidisse, seu quod idem valet, nullam fidem habuisse, atque infideles fuisse; Deoque invisos & æternis suppliciis dignos dicunt. Cum enim sit *unica fides* (ut inquit Apostolus Eph. 4. 5.) qui illam non habet, prorsus nullam habet: & quia (sicut est apud eundem) *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. 6. non placens Deo adversatur Deo, *Qui*, inquit, *non est mecum, contra me est*, Matt. 12. 36. Adversarius autem Dei & impius est & reus gehennæ: necessariò efficitur Papistas omnes, qui hæreticorum fidem non tenuerunt, Hæreticorum testimonio & verbis, mereri Gehennam ad eamq; descendisse, quotquot hactenus sine ista eorum fide, ex hac vita migrarunt; sive illi parentes fuerint, aut necessarii, sive miraculis clari, sive martyres Christi, sive doctores ecclesiæ, sive alii quicunque, nemine prorsus excepto: *quia sine fide impossibile est placere Deo:* Martyres autem, quo pertinacius fidem non rectam tenuerunt, ut pro qua mori

mori voluerunt; & Doctores Ecclesiæ, quibus nulla occasio fuit prætexendi ignorantiam, atque adeo, qui primis Apostolorum temporibus viciniores fuerunt, quando recens esse debebat Apostolicæ doctrinæ memoria, gravius in Gehenna supplicium perferent. Neque excusabit quemquam Christianorum ignorantia magis quàm infideles Ethnicos Idolorum cultores, *qui ignorantes servierunt creaturæ potius quàm creatori*, Rom. 1. v. 26. quia tametsi, *Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulet multis, is tamen servus, qui nescit voluntatem Domini, facitque digna plagis, vapulabit quoque*, licet *paucioribus*, Luc. 12. 48. Et, si plagas meretur cultus Idoli argentei vel aurei: merebitur utique adoratio frustuli panis, obedientia Antichristi, violatio sacramentorum.

GOMARUS.

Multa accumulas Costere, sed quàm rectè, perpendamus. *Hæretici* (inquis) *omnes ex instituto suæ doctrinæ duo habent gravissima peccata, blasphemiam in Deum, impietatemque in parentes.* Magnum profectò ad sanctitatis laudem, adversariis vestris (quos hæreticos vocas) detrahendam, si vera oratio est: at si falsa, injusta & turpis calumnia est. Quibus igitur rationibus confirmas; an quod *majores omnes non rectam fidem tenuisse, malè credidisse* asseramus? Atqui eâdem perpetuò oberras chordâ, & crebra repetitione id arrogas tibi, quod maximè in controversia versatur & probationem desiderat. Nam quod Pontificiæ doctrinæ, quam sc. Catholicam vocas, antiquitatem ab Apostolis deducis, & de majorum omnium consensu gloriaris, id sacrarum literarum, & orthodoxorum Patrum, & piorum majorum cum Romana ecclesia comparatione, jam antea diluimus: quemadmodum & ea quæ hoc in loco accusas, ab omni impietatis nota vindicavimus. Verum enim est *alterius* (ut vocatis) *speciei communione Christi institutionem violari: Romanum Pontificem esse Antichristum: in eucharistia, à solo Christo fidei ori offerri* corpus & sanguinem ipsius: à ministro verò *panem & vinum*, tanquam Christi sacramentum. Quid in his sententiis in majores omnes impietatis admittimus? Nam quæ de Arianis, Macedonianis, Donatistis & Anabaptistis hæreticis commemoras, ea nos minimè attingunt. Addis; *Hussiti* (majores) *violarunt mandatum Dei, adeoque ut sacrilegi perverterunt sacramenti institutionem:* sed contra, majores olim integro usi sunt sacramento, & si qui secus fecerunt, etiam à Romano Pontifice tanquam sacrilegi condemnati sunt, *quod unius ejusdemque mysterii violatio sine gravi sacrilegio non possit provenire:* ut Gelasius Papa piè asseruit, de Consecratione dist. 2. §. comperimus. Nec verum est quod ais, *Lutherani obtemperarunt Antichristo:* quia ut Deus Eliæ temporibus, septem piorum millia quæ Baalem non adorarunt, conservavit: sic majores non paucos confirmavit Deus, qui nec Antichristi Romani pedem osculati sunt, nec jugum illius agnoverunt. Et quemadmodum latro in cruce conversus est: sic non dubitamus, quin Christus suas oves non paucas ante vitæ finem è faucibus lupi Romani ereptas conservarit. Ac propterea non omnes majores pro Deo coluerunt bolum exiguum panis pauculasque guttulas vini, oculis & animis in terram deorsum intenti in sacramentum: sed contra *sursum corda* attollentes, Christum solum non in pane, sed in cælo præsentem, adorarunt. Vos verò dum panem & vinum converti in corpus & sanguinem Christi, contra S. Lit. auctoritatem & communem sensuum experientiam, confingitis, ea pro vero Deo adoratis. *Qua idololatria* (ut ipsemet fateris) *nulla fuit apud gentes sceleratior.* Quam liberam Costeri confessionem pium & prudentem lectorem attendere velim, ne, si qui fortè justa rei indignitate & pio zelo commoti, Pont. sacerdotes, *sceleratos idololatras* interdum vocent, calumniari, aut acerbius, quam par est, adversarios compellare censeantur. Nec propterea tamen *in majores nostros*, ut objicis, *sumus injurii:* quandoquidem plerosque eorum, quod à vestris erroribus fuerint immunes, laudamus: reliquorum vero lapsus coram Deo & mundo justè agnoscimus ac deploramus. Hoc enim suo quodam jure à nobis postulat veritatis dignitas & charitas erga ecclesiam: ne ea incautior majorum exemplo, in eosdem scopulos impingat. Atque hujus sanctæ & necessariæ libertatis monumenta in S. L. multa continentur. Etenim nonne Josue disertis verbis, ut Israëlitas ad pietatem accenderet *Patres ipsorum in Mesopotamia & Ægypto falsis Diis serviisse monet* [a]? nonne divinus Psaltes patrum suorum ingratitudinem in Deum, & errores gravissimos, ut meliores reddat ipsorum posteros, libere perstringit: Psal. 78. v. 9, 10. & Psal. 106. v. 6, 7. Nonne Daniel peccata patrum suorum, ad misericordiæ divinæ gloriam ingenuè profitetur? Dan. c. 9. Quis denique [b] Christum, Stephanum, Paulum apostolum summa libertate majorum suorum & incredulitatem & contemptum Dei, ad Pharisæos præpostere patribus gloriantes, refutandos, & ad piorum cautionem, retulisse ignoret? Quamobrem frustra nobis ex justa & necessaria majorum quorundam reprehensione nostra, invidiam apud imperitos conflare studes: frustra adeo tragicè judicia nostrorum hominum exaggeras. Nec enim omnes majores nostros Papistas fuisse agnoscimus: nec eos qui fuerunt, tam protervè damnamus. Quamvis enim *una* sit vera *fides*, suos tamen servato fundamento habet gradus. Scimus enim complures fuisse Pontificios, qui, dum in extremo vitæ discrimine versarentur, & ad severam judicii divini libram sua facta expenderent, rejectâ traditionum humanarum fiduciâ, ad solius Christi meritum & intercessionem, tanquam ad sacram anchoram, confugerunt: imò ipsi sacrificuli sæpius, desperantibus ad Pontificias consolationes ægrotis, aut confitentibus, non alia ratione, quàm pura Euangelii promissione, salutarem animæ medicinam attulerunt. Deinde compertum est etiam, nunquam in Papatu tam densas viguisse tenebras, quin aliqua fuerit publica in templis Euangelii lectio & promissionum Euangelii pro concione, quamvis adjunctis erroribus, repetitio: ac propterea non est mirandum complures paulatim Dei Spiritu adjuvante ad veram fidem, præteritis quasi surda aure expositionum vestrarum corruptelis, Euangelii voce conversos. Præterea quis ignorat sæpissime Deum concionatorum Pontificiorum corda ita illustrasse, ut Euangelicæ veritatis fundamenta purè intellexerint, & eadem luce auditoribus suis magno cum fructu ad salutem præluxerint: quos tandem aut instabiles terroribus ad veritatis abnegationem coëgistis; aut constantes, variis suppliciis, ad veritatem opprimendam, trucidastis. Considera *Catalogum testium veritatis:* consule annales vestros, nihil verius comperies. Et quamvis plurima piorum veritatis assertorum scripta cum auctoribus concremastis: reliqua tamen opera quæ supersunt, eorum fidem faciunt. Ac sane ante Lutheri tempora quis fere in Papatu error est, cui non olim multi è vestris, quorum corda Deus attigit, scriptis & concionibus contradixerunt? Et ne altius rem repetam, quam multis nostra memoria in medio Papatu purioribus nonnullis concionibus, aut confessorum colloquiis, fides Christiana paulatim instillata est? Exemplis illud probare non est opus: quia multos pios lectores suo aut aliorum exemplo id didicisse minimè dubito. Denique quum Deus suam semper habuerit in medio Papatu, sed fide à Pontifice separatam ecclesiam; non est dubium quin verè fideles subinde Pontificios complures converterint, partim alloquio suo & concionibus, partim confessione & martyrio: dum ad necem euangelii gratiâ correpti veritatem perspicue & intrepide confessi sunt, & sanguine suo constanter obsignarunt: Ac propterea quum tam multæ ad Pontificiorum conversionem extiterint olim rationes: certum est partem majorum nostrorum variis in locis ad fidem potuisse converti, & conversos esse minime dubitamus. Vestrum est, Costere, non nostrum, levi de causa anathematis fulmine in dissentientes sævire. Verum [c] quia eandem crambem quam antea sæpius proposuisti, iterum reponis, ad refutationem nostram lectorem remitto, & ad alterum accusationis tuæ caput examinandum accedo.

a Jos. 24. 14. b Matth. 23. 23. Actor. 7. 39. 1. Cor. 10. 5. c Enchiridii Præfat. antith. 11. & de ecclesia. nota 1. &c.

COSTE-

COSTERUS.

Tres blasphemiæ in Deum.

Deum simili modo gravissimis blasphemiis lædunt, quem faciunt mendacem, crudelem, iniquum. Mendacem quidem, qui non præstet promissa. Per veteres quippe Prophetas de temporibus ecclesiæ prædixit, veram Dei notitiam ita per orbem terrarum manifestam fore, *ut non doceat unusquisque proximum suum, dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minori usque ad maximum*, Jer. 31. 34. & Heb. 8. 11. Per seipsum quoque Christus perpetuam nobis suam Sanctique Spiritus sui præsentiam addixit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Mat. 28. 20. Et, *Mittam vobis paracletum, Spiritum veritatis, qui doceat vos omnem veritatem & maneat vobiscum in aeternum*, Joh. 14. 16. Hæretici admittere nequeunt hæc esse præstita, qui ne unum quidem hominem exhibere possunt, à temporibus Apostolorum toto terrarum orbe ejusdem omninò fidei secum & religionis. Nusquam igitur manifesta fuit vera Christi doctrina, nec ubique recepta, desiit adesse Ecclesiæ suæ Christus, secessit Sp. S. successit Spiritus erroris & Dæmoniorum. Crudelem verò faciunt Deum, qui pauculos quidem illos Christianos, quos puram Euangelii scientiam Apostoli ipsi docuerunt, participes esse voluerit sanguinis Christi, reliquos verò omnes excluserit, qui à discipulis successoribusque Apostolorum imbuti errores hauserint, non sinceram fidei doctrinam. Injustum denique, qui nec ipsis sanctis Martyribus notitiam veræ fidei religionisque dederit, aut sanguinis Christi fructum communicaverit, quos constat pro Christi amore dedisse sanguinem suum. Hæc certè omnia necessariò consequuntur, si Majorum fides, quam nostram esse docuimus, errorem habuerit, ut Magdeburgenses pro Lutheranis fatentur, & Calvinus ipse pro suis sectatoribus.

GOMARUS.

Hæc profectò gravis accusatio est: qua triplicem nobis blasphemiam injustè impingis. Nec enim Deum facimus mendacem, quem *solum* [a] ac summum *bonum* & *mentiri nescium* [b], & in promissis constantem prædicamus. Quare ut prædictionem illam Jeremiæ verissimam, sic interpretationem tuam à vero cumprimis alienam comperimus. Fingis enim, ut alibi [c] expressius declaras, *Prophetam his verbis significare temporibus Christianorum tam publicam fore & omnibus manifestam orthodoxam fidem, tam conspicuam ecclesiam catholicam, ut ea neminem possit fugere.* Sed aquam citius è pumice expresseris, quàm hanc sententiam ex Prophetæ verbis. Quippe ille de omnibus N. Test. electis agit: tu ad universos mortales extendis: quod quam absurdum sit, non solùm sanctus vester Thomas Aquinas in commentariis suis ad Heb. 8. lect. 3. agnovit; sed experientia quoque demonstrat; ut ex iis, quæ de ecclesiæ amplitudine explicavi, apparet. Deinde verò non negamus, quin Christus ecclesiæ suæ perpetuam Spiritus sui præsentiam addixerit ac præstet: quemadmodum lib. 2. cap. 2. demonstravi. Non inficiamur igitur eorum, quæ à Prophetis & Prophetarum domino prædicta sunt veritatem, sed corruptelam vestram & inanem objectæ vanitatis calumniam, quæ jam sæpius refutata est, parvi æstimamus. Fuit certè, fuit hactenus & perstabit ad finem usque Christi veritas & ecclesiæ: quamvis lunæ instar varia facie, nunc clarius, nunc obscurius, interdum quasi extincta & multis in locis profligata. Adeo ut nemini mirum esse debeat, *si secessisse à multis locis Spiritum Sanctum & successisse erroris & dæmoniorum spiritum*, Dei auctoritate 2. Thessal. 2. 1. Timoth. 4. & experientiâ edocti asseramus. Quare ut doctrinæ vestræ falsitatem aversamur, sic Dei laudamus & amplectimur veritatem. Porrò aliâ nos aggrederis viâ, & blasphemiæ maculam nobis allinis, ac si *crudelem faceremus Deum:* Sed dum id probare contendis, & blasphemus es in Dei justitiam & injurius in nostram confessionem. Nam cum *crudelis* is dicatur (ut etiam vestri [a] definiunt) *qui in puniendo excedit modum:* nulla crudelitas sine gravi impietate, Deo adscribi posset, si vel solos Apostolos clementer, per Christum servasset: quos juste cum reliquis omnibus hominibus potuisset condemnare. Interim voluit Deus gratuito beneficio justitiam suam erga humanum genus misericordia temperare, & ecclesiam suam propagare ad finem usque mundi: quemadmodum etiam revera propagasse agnoscimus. Ac propterea falso nos arguis, quasi *solis Apostolis scientiam veritatis & sanguinis Christi fructum exclusis omnibus posteris, convenisse* traderemus. Nec dissimilis est tertiæ blasphemiæ accusatio, quod *injustum facimus Deum, qui nec ipsis sanctis martyribus, notitiam veræ fidei religionisque dederit, aut sanguinis Christi fructum communicaverit, quos constat pro Christi amore dedisse sanguinem suum.* Verum Costere, aut tibi inepte contradicis, aut iterum, quam nobis objicis blasphemiam, incurris. Quomodo quisquam sanctos Martyres, qui pro Christi amore obierunt, ignaros fuisse veritatis judicabit? Sin vero de externa sanctitatis specie, & amore ac zelo imperito intelligis, tum justitiam & gratiam Dei gravissimè lædis. Quis enim nisi Pelagianus nos operibus nostris Dei gratiam prævenire & veritatis notitiam promereri asserat? Quis etiam neget multos extitisse hæreticos externa vitæ probitate & imperito Christi amore præditos, qui ab ethnicis non hæreseos nomine, sed ob generalem Christianæ religionis professionem & idololatriæ fugam trucidati sunt. Quam multi infideles Judæi cæco Dei amore quævis tormenta ab hostibus pietatis pertulerunt? An ideo tamen Deus injustus dicetur, quod illis veræ religionis notitiam non donavit; Denique, quum in sanctis etiam martyribus, Justino, Cypriano, & aliis, qui fundamentum pietatis & salutis conservarunt, errorum etiam stipulas extitisse compertum sit: an injustus est Deus, quod perfectam veritatis notitiam iis non sit largitus? Quare animadvertis, opinor, Costere, dum blasphemiæ notam nobis aspergere studes, eandem te imprudenter vobis inurere. Huc accedit quod fragili fundamento totam hancce criminationem astruis & concludis. *Hæc certe, inquis, necessariò consequuntur, si Majorum fides, quam nostram esse docuimus, errorem habuerit.* Verùm nimium tibi arrogas, Costere. Quis enim eandem majorum & vestram esse fidem concedet, quum id in controversia maximè versetur, & secus ex mutua comparatione antè sit demonstratum? Quis etiam meritò neget majores nostros, ut homines fuerunt, humanitus aliquid passos & suos habuisse nævos? Examina Costere, quæ de hoc argumento superioribus exposui, & facilè comperies, quàm iniquè Magdeburgenses & Calvinum accuses. Verùm ne quid in lædendis orthodoxis, quos etiam hæreticos vocas, abs te prætermittatur, alia etiam peccata objectas.

a Matth. 19. 17. b Tit. 1. 1. c De sacra scriptura, pag. 64.

a Thomas Aquinas summæ 2. 2. quæst. 107. art. 1.

COSTERUS.

Peccata comitantia hæresin.

Præter hæc gravissima in Deum hominesque peccata hæreticis omnibus communia, alia etiam sunt, quæ hæreses comitantur: ut sunt; humanas leges violare, in proximos à sua secta alienos injurios esse, persecutiones moliri, seditiones movere, bella ciere, omnia turbare. Qui enim sibi persuasum habent in errore proximum versari, Deumque blasphemiis, idololatriis, impiaque religione offendi, non dubitant sui pro fraterna charitate officii esse, salutem curare aliorum, novam fidem aliis communicare, suam doctrinam propagare, (*hæresis quippe serpit, ut cancer*, 2. Tim. 2. 17.) omniaque novo Euangelio replere. Et quia novitatibus etiam vehementer ad carnis oblectamenta commodis & plausibilibus, non desunt impedimenta; existimant ad eundem charitatis fervorem, conscientiæque suæ quietem pertinere, pro viribus ad submotionem obstaculorum conari, & quidvis tentare potius, quam ut veritas post tot annos reperta, diutius incognita hæreat in tenebris. Hinc bella, seditiones, perduelliones, Catholicorum persecutiones, Monasteriorum atque templorum eversiones, Sacramentorum violationes, rerum sacrarum

sacrarum profanationes, sacerdotum neces, Sanctorum martyria, atque id genus alia, quæ non minus oculis nostris vidimus, quàm in codicibus nostris legimus.

GOMARUS.

Indignum facinus est humanas leges violare, sed multo indignius, divinas: quorum utrumque Monachis & Sacerdotibus vestris congruit, qui magistratus in se imperium non agnoscunt, nec huic Dei legi parent; *Omnis anima superioribus potestatibus subjecta esto*, Rom. 13. 1. Quæ sententia non minus episcopos & verbi præcones, quàm alios compellat: ut res ipsa demonstrat, & ex insigni Chrysostomi expositione alibi demonstravi. Nos verò Christum præcipientem & exemplo suo præeuntem audimus; *Date quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo*, Matt. 22. 21. ac propterea magistratus nostros tanquam Dei ordinationem honoramus & decretis eorum paremus usque ad aras: quatenus nimirum nihil impium in Deum, aut injustum in proximum, mandant. Alioqui scimus amorem Dei præceptum esse primum ac summum, Matth. 22. 38. & oraculum illud Apostoli, Act. 5. 29. *Deo potius parere oportet, quàm hominibus*, sequimur tanquam ducem. Quare nullam improbitatis reprehensionem, sed magnam pietatis laudem promeretur, quod multi, Prophetarum & Apostolorum exemplo, maluerunt patriam cum exilio, opes cum egestate, & vitam cum morte commutare, quam deserta veritate & suavi Christi jugo cum æterna salutis jactura errores & Idololatriam Pontificiam amplecti. Indignum est *proximos à sua religione alienos, injuriis afficere, persecutiones moliri, seditiones movere, bella ciere, omnia turbare:* sed quibus, obsecro, hæc conveniunt? Considera tantum quàm liberè apud nos degant & loquantur non solum Pontificii, sed etiam residui monachi & sacerdotes. An apud nos catervatim Pontificii rapiuntur in crucem? an gladio trucidantur? an aquis obruuntur? an igni ustulantur vivi? an juvenculæ defodiuntur? Hæc sane à nobis aliena, contrà vobis familiaria negare non potes. Quamobrem dum hac criminatione gravi invidiam vestris adversariis conflare satagis, vos ipsos vivis coloribus imprudens depinxisti. Porrò quæ de monasteriorum & templorum eversionibus iterum commemoras, ea libro primo ad antithesin quintam & sextam, perspicuè diluimus. Sed ut hoc argumentum amplius illustretur, Apostolorum & hæreticorum comparationem audiamus.

COSTERUS.

Diversa ratio prædicandi Apostolorum & hæreticorum.

Non sequuntur quippe hæretici eam suæ doctrinæ propagandæ rationem, quam S. S. Apostoli & primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt, qui non inferendo regibus bella, non invadendo Principum civitates, non occupando per vim alienas terras, non mortem minitando, non tormenta inferendo, Ecclesiam plantaverunt, & per orbem terrarum longe lateque propagarunt: sed obediendo, patiendo supplicia, martyria, mortes tolerando, sanguinem suum fundendo, sancta stabiliaque Ecclesiæ Christi initia dederunt. Christus enim non armis, aut humana virtute, sed humilitate subjicere sibi orbem voluit: hancque vim & efficaciam sanguini Martyrum, sanctorumque afflictionibus dedit, ut semina essent multorum bonorum. Et sicut granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert, Joh. 12. 24. ita ex morte Martyrum, magna sementis fiebat novorum Christianorum: Plenæ sunt historiæ ad unius Martyris mortem multa Gentilium millia quandoque in Christianæ religionis lucem concessisse, atque inter eos credentes, aliquando etiam carnifices ipsos fuisse. Persecutionibus namque crescit Ecclesia, non tollitur. Admirabilis pugnandi ratio, & novum genus potentiæ, sustinendo cædere hostem; patiendo affligere hostem; moriendo prosternere hostem; jacendo triumphare de hoste. Non prius Imperatores & Principes fidem susceperunt quàm populus, ne humanæ potentiæ Christi gloria tribueretur, sed primo mundus ferè universus Christum agnovit. Qui deinde humili obedientia, malorum tolerantia, suppliciorum perpessione, innumeris mortibus, animorum in una fide consensione, sicut ad Christum accesserat, ita Principes, Reges & Imperatores ad idem Christi ovile adduxit. Hæretici, quod non ignorent, hoc privilegium non sibi, sed Ecclesiæ datum, militari manu agunt more Mahometi & Principum improborum, qui armis invadant aliena regna: certissima enim sententia est, quam B. Augustinus se tandem agnovisse fatetur: *Hæreticos persecutionibus tolli, non augeri*, Epist. 48. 50. & 68. lib. 2. retra. cap. 5.

GOMARUS.

Utinam, Costere, quæ de Apostolis & successorum virtutibus commemoras, ad vivum exprimeretis! Cessaret proculdubio Inquisitionis vestræ Hispanicæ in orthodoxos immanitas. Verùm quum secus crebra & tristi experientia compertum sit, non difficile est, lupos, licèt agnina veste contectos, ex ovium dilaniatione ab ovibus Christi discernere. Ac sane si *hoc ecclesiæ* (ut ais) *privilegium est, ut moriendo vincat:* & si verum est, *hæreticos contrà persecutionibus tolli, non augeri*, quis adeo cæcus est, quin nostram ecclesiam ab hæreseos nota liberet, & verum esse Christi ovile agnoscat? Etenim ex quo tempore inauspicato cœpistis promiscuè, in viros, fœminas, senes, juvenes, adolescentes, juvenculas ad reformatam & orthodoxam ecclesiam opprimendam gladios acuere, furcas erigere, foveas parare, ignes accendere, & exquisitissimis tormentis in nostros sævire, in immensum contra exspectationem vestram, fidelium numerus cum magna Pontificii regni calamitate, accrevit. Quod profecto, te ipso judice, præclarum veritatis & bonæ causæ argumentum: adeò ut merito cum Tertullian. in apologetico dicere valeamus, *quoties metimur, plures efficimur: semen est sanguis Christianorum.* Perge ita, Costere, & rationes nobis imprudenter porrige, quibus veritatem tueamur, & errores vestros destruamus. Quam ad rem nonnihil etiam faciunt, quæ ad crudelitatem vestram fucandam adducis.

COSTERUS.

Principes cur hæreticos puniant.

Neque hîc moveat quemquam, quod constituta jam ecclesia, Principes & Reges edictis & legibus in Hæreticos sæviant: non enim aliena invadunt, sed sua conservant; sibique subjectos ad officium & juratam fidem adigunt. Sciunt Principes quanta blasphemia sit hæresis; sciunt, quam irrequietum sit malum, quod pacem publicam turbat, aliosque secum ad perniciem trahit. Severas igitur pœnas statuerunt in Hæreticos, legibusque gravissimis caverunt omnem religionis innovationem. Quæ leges jam olim [a] à vetustissimis Imperatoribus vulgatæ, & multis retro seculis per orbem Christianum servatæ, magnam pacem attulerunt Ecclesiæ. Certè non minus est [b] Regum & Principum eos compescere & tollere, qui novis dogmatibus Reip. nocumento sunt, quàm qui furtis & homicidiis tranquillitatem, & libertatem publicam violarunt: Catholici igitur qui hæreticos insectantur, non rapiunt aliena, sed sua retinent, atque id non judicio suo, sed auctoritate legum. Et hactenus quidem de peccatis hæreticorum, quæ vel necessario semper, vel communiter & plerumque hæreses omnes comitantur.

a August. epist. 146. b Aug. lib. 3. contra Cresconium Gram. cap. 53. Lib. 2. contra epist. Gaudentii cap. 26.

GOMARUS.

Æthiopem lavas Costere, dum crudelitatis Pontificiæ maculam eluere studes. Duo enim vobis constanter objectantur, nimirum quod & aliena invaditis regna, & Inquisitione vestra in subditos religionis odio inaudita feritate sæviatis. Ut autem defensionis duplex est modus, negatio & purgatio: sic ordine utrumque in hoc argumento usurpas. Primum enim accusationis caput inficiaris, sed qua fronte? Nonne Alexander sextus Papa [a] in bulla quadam regi Ferdinando & Elisabetæ dominium omnium insularum

a Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ. quæst. 10. art. 10. pag. 619.

maris Oceani usque ad illud tempus inventarum & inveniendarum concessit? Ex qua re plus humani & innoxii sanguinis effusum esse, quàm cunctorum tyrannorum sævitia, ipsimet Pontificii oculati testes scriptis profitentur [a]. An non illud est aliena regna invadere? Agnovit hoc tandem Paulus tertius Papa, qui *definivit Indos occidentales veros esse dominos rerum, quas habebant ad usum, nec esse tali dominio & jurisdictione spoliandos.* Unde prioris Pontificis injustitia ac perversum judicium, & utriusque dissensio, & Pontificiorum in sanctitate & unitate ecclesiæ suæ jactanda vanitas singularis apparet. Ac sanè si hîc lubeat verba tua cùm Romanorum Pontificum factis comparare, quam copiosa mihi refutationis futura est materia? Nam ut pauca è plurimis excerpam, evolve annales & inquire, quis Italiam ad defectionem à Leone Imperatore adduxit? Gregorius tertius Papa Romanus. Quis Rodolphum Sueviæ ducem adversus dominum & imperatorem suum Henricum quartum ad rebellionem concitavit? Gregorius septimus, qui missâ coronâ imperium à legitimo domino hoc profano & injusto versu transferre conatus est; *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.* Quis etiam Henricum quintum filium ad patrem suum immerentem & clementissimum Henricum quartum regno suo, contra naturæ & scripturæ jura, deturbandum provocavit? Paschalis secundus Papa. Quis ante annos octoginta sex Galliæ & Navarræ regna excommunicatione sua prædæ exposuit & Ferdinando Arragonum regi Navarram injustissime invadendi & occupandi potestatem dedit? Julius secundus Papa. Quis Sanderum [b] & cæteros conjuratos bullâ suâ ad bellum in Hibernia contra serenissimam Angliæ reginam nostra ætate armavit? Nihil minus quam nomini suo respondens, Pius quintus Papa. Quæ omnia partim à Platina, partim ab aliis auctoribus Pontificiis referuntur. Quare desine tandem, Costere, gloriari vos *aliena non invadere regna.* Et ne quis tantum in Pontificum moribus sanctitatem & justitiam desiderari putet, ad doctrinam vestram attendamus. Ac primum non referam quibus rationibus apud vos Gynesius Sepulveda truculentam illam Indorum invasionem & eversionem (quam summopere accusabat Bartholomæus de las Casas [c] episcopus de Chiapa, *constantissimus Indorum ad mortem patronus*, ut Dominicus Bannes appellat) religionis specie tutari conatus sit: omitto quod Hostiensis summi inter Pontificios nominis eodem modo (ut Bannes recenset) *infideles omnes sola infidelitatis caussa posse per bellum privari dominio rerum temporalium: quoniam* existimat ille *solum esse dominium verum rerum temporalium apud fideles.* Hæc, inquam, & alia quæ adferre possem plurima, missa facio, & ad Pontificis Romani Gregorii septimi (cujus paria dictis facta ante recensui) decretum me converto. *Nos* (inquit) *sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate* [d] *à juramento absolvimus, & ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousq; ipsi ad satisfactionem veniant.* Unde primum Thomas Aquinas concludit, *principibus apostantibus à fide, non esse obediendum.* Deinde similiter Dominicus Bannes in suis ad illum Thomæ locum commentariis ait, [e] *Post latam sententiam declarativam de crimine hæresis, injustè princeps possidet regnum, & principatum, & exercet jurisdictionem in subditos: teneanturque subditi eximere se ab ejus obedientia, & bellum gerere contra illum si vires illis suppetant, &c. Ex hac conclusione sequitur primo excusandos esse Angelicanos & Saxonicos fideles, qui non se eximunt à potestate superiorum, nec bellum contra illos gerunt. Quoniam communiter non habent facultatem ad hæc bella gerenda contra Principes, & imminent illis gravia pericula.* Animadvertite obsecro serenissimi reges, illustrissimi principes, ac magistratus, qui veritatis luce illustrati Pontificiis erroribus renunciastis, qua ratione subditi vestri ad rebellionem doctrina Pontificia concitantur: observate parricidas in vestrum jugulum, religionis specie, armari: &, quod hactenus tuti aut invicti perstitistis, non Pontificiæ religionis innocentiæ, sed imbecillitati illius & Dei beneficio tribuendum. Reliqui quorum oculos Romanæ ecclesiæ splendor adhuc percellit, videte tandem, quam indignè dignitas & pietas vestra ludibrio habeatur. Et ut ad te revertar, Costere; vides vos aliena invadere regna, non morum tantum vitio, sed etiam ex doctrinæ vestræ instituto, & injustitia. Nam ut auctarii loco id adjiciam, quum Pontifex Romanus summam in omnia mundi regna potestatem sibi arroget & ascribat, qua possit suo jure reges alios solio [a] deturbare, alios corona donare, nonne aliena invadit regna? Vides igitur, nisi omnino cæcus es, Costere, vident alii multi ex numero vestro, sed mutire adversus Pontificem non audetis: quod is non solum regna aliena opprimat & conculcet; sed omnem quoque justæ reprehensionis libertatem omnibus [b] eripiat. Quamobrem quum primum defensionis tuæ caput, quo animum & studia vestra ab alienis regnis invadendis aversa testaris, abunde refutatum sit, an in altero felicius verseris & crudelitatem in eos, quos vocatis hæreticos, recte purges, perpendamus. Ac primùm, quis in ea re fraudem non animadvertat, cum sævitiæ vestræ invidiam in edicta regum & principum quorum abutimini auctoritate, transfers? Vobis scil. ut Pharisæis, *non licet occidere quemquam*, sed ut illi Pilatum ad Christi cædem legum suarum specie concitarunt: Sic episcopi sacrificuli, monachi Jesuitæ, magistratum vestrum eâdem viâ ad verè Christianorum perniciem commovent & inflammant. Ac sane sicubi reges & principes ab innoxio sanguine effundendo sibi temperant, non vestræ sanctitati, sed principum bonitati & Deo pro suis excubantis providentiæ debetur. Deinde vero quis prudentior non agnoscat, quam graviter in hæretici cùm definitione, tum pœna impingatis. Hæretici enim vobis sunt non solum qui in fidem peccant Christianam, & falso de religione pertinaciter ecclesiæ pacem ac consensionem dirimunt: sed omnes illi *qui contra receptam in ecclesia Romana doctrinam sentiunt.* Quum autem recte in quibusdam, prave in aliis sentiatis, hinc fit ut eos, qui veritatem amplectuntur, non minus quam qui ab ea deflectunt, hæreticos censeatis & exterminetis. Deinde contra vocis naturam (quæ errorem doctrinæ & fidei necessario includit) eos quoque hæreticos appellatis, qui tantum in charitatem, revera aut opinione vestra, impingunt. Quales sunt sacrilegi illi, quos *Simoniacos* vocatis, qui sacra precio redimunt aut divendunt: & *Schismatici* qui servata doctrina sacra, ecclesiæ unitatem moribus violant: omnes denique qui à Pontifice *excommunicati* sunt: quemadmodum Glossa [c] juris Pontificii & multorum Pontificum, in reges, imperatores, principes scripta testantur. Hoc enim vobis solenne est, adversarios vestros quo magis reddatis infames, odioso hæretici nomine gravare. Atque huc etiam pertinet quod ais: *Sciunt principes, quanta blasphemia sit hæresis:* sane Costere, si blasphemiæ nomen generatim pro quavis honoris Dei læsione interpretari lubeat: sin verò speciatim, ut usus apud principes [d] obtinet, de aperta in Dei majestatem contumelia, intelligis, malè id nomen ad hæreses omnes generatim extendis. Etsi enim Dei gloriæ omnes contrariæ sint, non omnes tamen eam recta & quasi adversa fronte oppugnant: sed quædam obliquè & consequentiæ tantum ratione. Præterea quum magnum sit inter hæreticum & eum qui credit hæretico, discrimen, ut ex Augustino in præfatione tua agnoscis, perperam hoc loco ambos hæreticorum voce confundis. Ad pœnam verò quod attinet, agnoscimus gloriam Dei, quorum gratia nati sumus, & Reipubl. salutem flagitare, ne aut aperta in Deum blasphemia impune toleretur, aut hæreses licenter in ecclesia grassentur. *Quæ est enim* (ut rectè ait Augustinus ep. 166.) *pejor mors animæ, quàm libertas erroris?* Sed in iis tollendis primum opus est institutione fideli: deinde verò moderatione ac prudentia Christiana. Quare humanas ecclesia Christi requirit leges: non quæ (ut Draconis Atheniensis legislatoris) *sanguine conscriptæ sint*, & cauterium levi de causa, cum pernicie reipublicæ usurpent. Ac

a Bartholomæus de las Casas. b Chronicum Genebrardi anno 1580. c In 2. 2. Thomæ quæst. 10. pag. 614. Ibidem. d Gratianus causa 15. quæst. can. nos sanctorum. e In 2. 2. Thomæ q. 12. art. 2.

a Extravag. com. de Major. c. unam. Et Gratianus causa 15. q. 7. cap. Alius item. b Dist. 40. § 5. Papa. c Glossa Decret. lib. 5. c. 3. §. Firmissime. d Summa Sylvestrina, §. Blasphemia.

pro-

propterea immanem illam Inquisitionis vestræ crudelitatem (quam *justæ severitatis* nomine commendas) merito non solùm reliqui mortales, sed etiam Pontificii saniores detestantur. Nam quod ais, *leges eas jam olim à vetustissimis imperatoribus vulgatas & promulgatas & multis retro seculis per orbem Christianum servatas:* qua auctoritate comprobabis? Citas quidem ad oram libri Augustinum, sed nullus ad errorem tuum refellendum magis idoneus. Quod ut fiat perspicuum, ea ipsa quæ annotasti loca, excutiamus. Ac primum epistolam 147. aut errore memoriæ, aut typographi vitio adducis: quia nullam omnino pœnæ hæreticorum mentionem facit. Reliquis verò quos indicas locis, puniendam à principibus hæreticorum insolentiam docet Augustinus, sed in pœnæ via & modo prorsus à vobis dissentit. Sic enim in priori loco ait:[a] *Sed in omnibus tenendus est modus aptus humanitati, congruus charitati, ut nec totum, quod potestatis est, exeratur, & in eo quod exeritur, dilectio non amittatur: in eo autem quod non exeritur, mansuetudo monstretur.* Quænam autem sit ea moderatio exponit perspicuè Augustin. epist. 48. ad Vincentium. *Sed plane* (inquit) *in iis qui sub nomine Christi erant seducti à perversis, ne forte oves Christi sint errantes, & ad gregem aliter revocandæ sint, temperata severitas & magis mansuetudo servatur, ut coërctione exiliorum atque damnorum tribulatione admoneantur, considerare quid & quare patiantur & discant præponere rumoribus & calumniis hominum scripturas quas legunt. Quis enim nostrum, quis vestrum non laudat leges ab imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum: Et certe longe ibi pœna severior constituta est, illius quippe impietatis capitale supplicium est: de vobis autem corripiendis & coërcendis habita ratio est, qua potius admoneremini ab errore discedere, quàm pro scelere puniremini.* Similia in eandem omnino sententiam extant ep. 50. ad Bonifacium. An igitur Augustinus probat, ut promiscue à fide aberrantes doctores, discipuli, senes, juvenes, matresfamilias, virgines horrendo spectaculo trucidentur? Provocas perpetuò ad patrum auctoritatem: gloriaris alibi, vos *ne in minimo quidem religionis articulo ab ea discedere:* hîc pedem igitur in re gravissima fige, &, si potes, hanc sententiam vestram Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, cæterisque patribus placuisse demonstra: aut potius ut res postulat, doctrinæ vestræ novitatem & summam Inquisitionis vestræ Hispanicæ injustitiam agnosce, & orthodoxos hæreseos insimulare desine. Interim quum hactenus demonstratum sit, quàm injustè ecclesiam orthodoxam impietatis & injustitiæ accusaveris, audiamus, qua ratione sanctitatis nomen eidem eripere contendas.

a August. de utilit. cred. ad Honor. c. 1.

COSTERUS.

Sanctitas nulla in hæreticis.

Sanctitatem verò in cœtibus eorum vel fuisse, vel esse, nullo certo indicio demonstrari potest: Edunt illi quidem moralia nonnunquam bona, largiuntur eleëmosynas, xenodochia erigunt, moderatè eorum quidam vivunt, à convitiis & juramentis sese abstinent: sed id genus virtutum etiam in plerisque philosophis ethnicis reperias, & externa hæc officia ex mente hominis, tam ad vitia, quàm ad virtutes referri possunt. Si enim vel eleëmosyna, vel alio officio pauperi opituleris, ut tibi in hæresi consentiat, non minus est actio hæreseos & grave peccatum, quàm si ex superbiæ vitio proficiscitur, si idem præstes, ut honoreris; vel ex libidine, si tali officio occasionem veneris luxuriæ. Quærenda sunt igitur alia sanctitatis indicia. Ea autem vel ex aperta revelatione divina sumentur, vel ex miraculis ad hominum utilitatem solâ potentiâ divinâ editis, ut excitare mortuum, Joh. 11. 44. illuminare cæcum, Joh. 9. 7. & quæcunque creaturarum vires excedunt.

D. Johannes Baptista nullum quidem signum vivus edidit, sed testimonium sanctitatis à Christo accepit: *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista*, Matt. 11. 11. Christus verò innumeris miraculis testatum omnibus fecit, se Filium esse Dei: *Quem Pater* (inquit) *sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*, Joh. 10. 36.

GOMARUS.

De verè hæreticis, Costere, non laboro; sed quia nos potissimum eo nomine involvis, quo jure ais, *sanctitatem in cœtibus nostris vel fuisse vel esse, nullo certo indicio posse demonstrari?* an quod ea quæ à nostris proficiscuntur bona, cum ethnicis sint communia? Sanè si res ita sese habet, non est cur multis tecum contendamus; verùm duplici modo hallucinaris. Nam primùm quamvis Ethnici quidam largiantur eleëmosynas, Xenodochia erigant, à convitiis & juramentis sibi temperent: alia tamen professione, quam Christiani. Illi enim ea præstant, quod, ut ajunt, humanæ naturæ societas & Reipublicæ conservatio id postulet, ac minus in Christianos, religionis odio, quàm in reliquos benigni sunt: contra vero Christiani ea præstant charitatis officia cum professione causarum, quibus permoventur, Dei nimirum præcepto, Christi Servatoris merito, præmio cælesti, ejusdem naturæ, creatoris & servatoris societate. Ac propterea quum in omnes benigni sint, *maximè erga domesticos fidei*, Gal. 7. Xenodochia quidem ethnici construunt; sed ut in iis corporis tantùm salus procuretur: Christiani verò ita informant, ut animæ etiam salus doctrinæ veræ institutione & consolatione Christiana promoveatur. Ac propterea non immeritò Christus ex hisce & similibus veræ pietatis officiis veros Christianos à reliquis omnibus discreturus est ultimo die, Matth. 25.

Possunt quidem *externa hæc officia ex mente hominis ad virtutem, quam ad vitia referri*, sed adjuncta veritatis confessio mentis sanctitatem indicat. Ac quamvis non omnes coram Deo sancti sint, qui externa pollent sanctitate: nobis tamen ex charitatis lege & perpetuo Apostolorum usu tales pro sanctis habendi sunt: & ecclesiis illis, in quibus hæc sanctitatis indicia conspicua sunt, sanctitatis laus derogari non potest. Deinde verò quum de sanctitate ecclesiæ disceptatur, eam tamen in illis quæ commemoras charitatis fructibus propriè & potissimum non collocamus, sed in syncera verbi Dei prædicatione, & legitimo sacramentorum usu; ut supra à nobis ex sacrarum literarum & orthodoxorum patrum consensu demonstratum est. Nam ubi hæc vigent, quamvis palea frumento, boni malis permixti sint, ecclesiam tamen agnoscimus: quod, ut eleganter ait Augustin. Ep. 166. *intra retia verbi & Sacramenti mali pisces cum bonis inclusi sint.* Hæc signa sicubi adsunt: quia ut initio hujus controversiæ agnoscis, veræ & sanctæ Ecclesiæ propria sunt, eandem certò demonstrant, & certius quàm multæ revelationes aut miracula; partim quod ea impiis communia esse possunt, partim quod non sint perpetua, ut antè demonstravi. Denique si miracula à nobis quæruntur, proferimus ea quæ à Christo, *Sancto sanctorum*, & à sanctis Apostolis veterique ecclesia edita sunt ad confirmationem ejusdem doctrinæ quam profitemur: ut ex sacrarum literarum collatione apparet. Adeò ut si qui in iis signis non acquiescant, dici possit, quod de Judæis Servator; *Natio mala & adultera signum quærit*, Matth. 16. 4. Quod ut magis illustretur, age quæ de miraculorum causis adducis, examinemus.

COSTERUS.

Miracula.

Miracula porrò duabus ex causis fiunt, altera est ad doctrinæ testimonium, ut indicia sint veritatis & sanctitatis doctrinæ; quomodo etiam ab impiis miracula posse edi fatentur scripturæ. *Multi*, (inquit Christus, Matth. 7. 21.) *dicent, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et beatus Paulus 1. Cor. 13. 2. fatetur magna fide transferri posse montes sine charitate. Altera causa, in testimonium sanctitatis vitæ: *Si*, inquiebat Elias, *homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te & quinquaginta tuos*, 4. Reg. 1. 10. Hæreti-

Hæreticis neutro modo concessum est miracula edere, ut vel de sanctitate doctrinæ suæ, vel de sanctitate vitæ testentur. Ajunt Novatianos quosdam olim miracula fecisse, sed in testimonium fidei catholicæ apud Gentiles, non in testimonium sui erroris; adinstar illius Judæi, qui in Christi nomine dæmonia ejiciebat, nec tamen fidem amplexabatur, de quo beatus Johannes, Luc. 9. 49. *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Ferunt Anabaptistas idiotis suis, si baptisma suscipiant, legendi conferre peritiam, qua careant, simulatque hæresim detestantur: sed majora præstant oppressi à Diabolo, qui & alienis linguis loquuntur, & absentia atque occulta revelant. Hæc enim non miracula sunt censenda, quæ Diaboli potestatem non excedunt. Faciet miracula Antichristus, sed opera Dæmonis, & prorsus inutilia, nihil enim ad hominum commodum: faciet de cælo ignem detrahere, Apoc. 15. 2. & imagini bestiæ dare sermonem: similia fiunt à Magis non parvo Reipubl. incommodo. Cæterum miracula quandoque à defunctis eduntur ad eorum vel reliquias, vel invocationem, sicut ossa Elisæi sepulti occisum hominem resuscitarunt, 4. Reg. 13. 21. & hæc testantur sanctitatem defuncti. Hæretici ergò, qui nec vivi, nec mortui sanctitatem suam apud quemquam suorum confirmare possunt (tametsi & veteres Ariani, & Lutherus atque Calvinus id non rarò conati sint) neque manifesta & indubitata revelatione docere, ad Ecclesiam verâm non pertinebunt, cujus signum est sanctitas.

GOMARUS.

Multa, Costere, de miraculis disseris, sed quæ merito causam vestram apud bonos suspectam reddant. Primum enim quod miracula in testimonium sanctitatis edi confirmas, Eliæ sententiâ: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te & quinquaginta tuos*, à scopo aberras. Nam *homo Dei*, hoc in loco non virum sanctum & justum, sed Dei ministrum & Prophetam notat, ex sacrarum literarum usu. Itaque hoc miraculum non ad sanctitatem Eliæ, sed contrà ad muneris & prophetiæ veritatem à ludibrio & injuria adversariorum vindicandam editum est; quemadmodum loci circumstantiæ & Interpretum consensus demonstrant. Deinde quod ais, *hæreticis neutro modo concessum esse miracula edere, ut vel de sanctitate doctrinæ suæ, vel de sanctitate vitæ testentur*, id sacrarum literarum testimoniis & experientiâ confutatur. Etsi enim Deus mendacio testimonium nunquam perhibeat, quia ἀψευδής, *mentiri nescius*, Tit. 1. 1. interdum tamen ad suos probandos & verbi contemptores puniendos miracula falsis doctoribus abutenda non præcipit, sed juste permittit. Qua de re illustre Dei oraculum est, Deut. 13. v. 1. *Si surrexerit in medio tui Propheta aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus iis; non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini & eum timete: mandata illius custodite, vocem illius audite.* Nec aliter judicavit Hieronymus comment. ad Gal. lib. 3. *Observandum etiam quod operari virtutes dicantur, in his qui non tenent Euangelii*[a] *veritatem, sicut in illis qui Dominum non sequentes in nomine ejus signa faciebant, Johanne vel maximè conquerente: Præceptor vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Hoc adversum hæreticos qui probationem fidei suæ ex eo, si signum aliquod fecerint, arbitrantur: qui quum manducaverint & biberint in nomine Domini (habent quippe & illi altare sacrilegum) & signa multa invocato Servatore fecisse se jactent, in die judicii merebuntur audire, Non novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem*, Matth. 7. Quare Deum sequuti ducem vocem illius in sacris literis resonantem audimus, ad quam & ecclesiam & miracula examinamus, quemadmodum rumores vulgi ad rem ipsam. Itaque quamvis cum Anabaptistis nobis nihil sit negotii, facile tamen ex eorum accusatione videmus, quam iniquè & imprudenter putidis & falsis rumusculis, ad vestros adversarios gravandos, abutaris. *Ferunt* (inquis) *Anabaptistas idiotis suis si Baptisma suscipiant legendi conferre peritiam: qua careant, simulatque hæresin detestantur.* Itane verò, Costere, tam crassis mendaciis temere fidem adhibes? Agnoscite obsecro prudentes lectores quantum accusationibus Costerianis tribuendum sit. Interim opportune accidit, quod dum Anabaptistas refutare studes, eâdem operâ quæ à vestris finguntur, aut fiunt miracula, imprudens refellis. Nam si (ut narras) *hæc non sunt miracula censenda, quæ Diaboli potestatem non excedunt*: falso igitur tantam miraculorum copiam jactatis: quæ ope Diaboli fieri posse nemo sanus negaverit. Qualia sunt innumera, quibus describendis *Legendas* vestras onerastis, ad miseram plebeculam fabulis seducendam. Sed reliqua audiamus: Ais enim; *miracula quandoque à defunctis eduntur ad eorum reliquias vel invocationem, sicut ossa Elisæi sepulti occisum hominem resuscitarunt, & hæc testantur sanctitatem defuncti.* Quibus sanè paucis verbis multa adversus veritatem accumulas. Nam primùm nulla à defunctis eduntur miracula, sed si vera sunt, à Deo: si falsa, à Satana & illius instrumentis. Defuncti enim in Domino quiescunt: nec magis rerum harum quæ in terris aguntur curam gerunt, quam Abrahamus credentium pater: cui ignotos se fuisse posteri Israelitæ cum Esaia agnoverunt[a]. Deinde verò sancti nunquam probarunt, ut corporum reliquiæ ad cultum religiosum prostituerentur: Quemadmodum alibi fusius de hoc argumento, volente Deo, agetur. Præterea ad ossa Elisæi miraculum divinitus editum est, non ad sanctitatem Prophetæ; sed ad veritatem prophetiæ illustrandam, ut orationis series ostendit: aut ut Glossa vestra ordinaria exponit, *ut esset (quemadmodum aneus serpens) typus salutis nostræ per Christi pro nobis mortui conjunctionem.* Præterea quemadmodum Anabaptistas antè ex falso & incerto rumore accusasti: sic pari fide Lutherum & Calvinum iniquè Arianis copulas, eosque non rarò doctrinam suam miraculis confirmare studuisse accusas. Nam quibus quæso non dico rumoribus, non vestris scriptoribus, sed idoneis & dignis testibus id confirmabis? Si accusare, ad condemnationem alicujus sufficit, quis futurus est innocens? Denique ne tam imperitè revelationes & miracula à nobis amplius exigas, Augustinum causam nostram graviter adversus vos perorantem audiamus: [b] *Sed utrum ipsi ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum canonicis libris ostendant. Quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportet, quod in ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis, vel alii innumerabiles nostræ communionis episcopi: aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa prædicata est; aut quia per totum orbem in locis sanctis quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel auditionum vel sanitatum fiunt: ita ut latentia per multos annos corpora (quod possunt à multis interrogantes audire) Ambrosio fuerint revelata & ad ipsa corpora cæcus multorum annorum civitati Mediolanensi notissimus, oculos lumenque receperit: aut quia ille somnium vidit & ille Spiritu assumtus, audivit, sive ne iret in partem Donati, sive ut recederet à parte Donati. Quæcunque talia in catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia hæc in ea fiunt.* Hactenus Augustinus, qui non miraculis, sed sacris literis ecclesiam demonstrari docet.

a Matth. 9.

a Esa. 63. vers. 16. b Tom. 7. De unitate ecclesiæ, cap. 7.

CAPUT

Caput Decimum.

Quamobrem quum satis multis ea quæ adversus reformatarum ecclesiarum sanctitatem disseruisti, à nobis refutata sint, ad Romanæ ecclesiæ sanctitatem progrediamur.

Costerus.

Revelationes.

Ecclesiæ porrò Catholicæ nunquam defuerunt certissima argumenta sanctitatis, tot inquam miracula veterum SS. Benedicti, Antonii, Hilarionis, Simeonis Stilitæ, Gregorii Thaumaturgi, & iis recentiorum, Bernardi, Dominici, Francisci, Vincentii, Valentini, Antonii de Padua, qui ut vivi sanctitatem suam, religiosique instituti sui miraculis potentissimis docuerunt, ita post mortem cum Christo in cælo regnantes, quo loco apud Deum semper fuerint, atque etiamnum sint, miraculis palam fecerunt, & plerique eorum non rarò adhuc faciunt, S. Andreæ apostoli, S. Catharinæ, & S. Walburgis ossa sacra oleum sudant: B. Antonius in Francia & Belgio à Calvinistis impetitus, convitiis atque blasphemiis vindicta & nece impiorum quid possit, non rarò his paucis annis docuit. Miracula porrò quæ sanctitatem doctrinæ in ecclesia testentur, ubique per orbem fiunt ad B. Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum imagines atque memorias, & talia sanè quæ neque humanis fraudibus simulari, neque arte Dæmonis perfici queant. Si revelationibus agendum est, quas pro somniis adversarii rejiciunt, non desunt vaticinia Brigittæ, Gertrudis, aliorumque sanctorum hominum, quibusque prædicta legimus, secuta vidimus: sufficiant porro stigmata S. Francisci in fidem sanctitatis viri à Christo impressa. Rident hæc hæretici, ut omnia pia: scriptum est autem: *Ipse deludet illusores & mansuetis dabit gratiam*, Prov. 3. 34.

Certe vir prudens suæque salutis studiosus hæc secum ruminans non facile inducetur ut cogitet hæreticorum synagogas ad veram pertinere Ecclesiam, quæ cum recentes sint, & vel maxime testimonio egeant, nihil tamen exhibeant, quod fidem faciat vel sanctitatis vitæ, vel puritatis doctrinæ. D. Apostolus Corinthiis, *Vos ipsos*, ait, *tentate, si estis in fide, ipsi vos probate* [a]. Quasi dicat, ibi fidem cessare, ubi cessant miracula. Ecclesia verò [b] catholica & fundata est miraculis, & conservata. Ad gentium conversionem miracula etiam hodie fiunt in remotioribus Orientis & Occidentis regionibus, India, Japonia, Brasilia, Peru; ubi ad haustum aquæ benedictæ frequenter morbi pelluntur. Ad catholicorum conservationem in hisce partibus, Dæmones non raro per sacerdotes, Ecclesiæ ministros, exorcismis ejiciuntur. Ad hæreticorum reductionem impii homines Iconoclastæ & blasphemi sanctorum potentia conteruntur.

a 2.Cor. 3. 5. b D. Aug. contra ep. Fund. cap. 4.

Gomarus.

Quod veterum patrum miracula recenses, nihil ad causam vestram juvandam pertinet, nisi vestrum cum iisdem in doctrina consensum demonstres: de quo inter vos & vestros adversarios controversia est. Deinde vero quibus argumentis probabis, miracula à veteribus illis patribus fuisse edita ad sanctitatem ipsorum ostendendam, & non potius ad doctrinæ Christianæ veritatem obsignandam, aut potentiæ, bonitatis, vel severitatis divinæ demonstrationem, aut aliam aliquam ecclesiæ utilitatem? Quemadmodum variæ miraculorum esse possunt causæ, ut etiam ex Eliæ & Elisæi miraculis sacræ literæ ostendunt. Quare absurdè ex miraculis sanctitatem illorum, qui ea ediderunt, probare studes: ut ante ex Dei verbo, Hieronymo, & Augustino abundè declaravi. Quamobrem quæ de Bernardi, Dominici, Francisci & similium sanctorum vestrorum miraculis jactas, ea nec illorum, nec ecclesiæ vestræ sanctitatem, testantur. Deinde quænam quæso ea sunt miracula? Consulantur *Legendæ* vestræ, statim apparebit, vix ullum timoris Dei aut alicujus sanctitatis argumentum, sed omnia fabulis, superstitione & impietate redundare. Quod, quamvis satis perspicuum est, dabunt mihi tamen prudentes & pudentes lectores veniam, si putidam hanc miraculorum & sanctitatis monasticæ movero Camarinam. Etsi enim honestas id postularet, ut sordes istæ æterno potius silentio tegerentur: cogit me tamen invitum impotens Monachorum & Jesuitarum impudentia, ut propositis aliquot Francisci & similium exemplis, quid de sanctis illis judicandum sit, paucis demonstrem. Qua in re ne quis de fide mea dubitet, non aliis quam maximi nominis & probatissimis Pontificiorum libris comprobabo. Qualis inprimis est *liber Conformitatum B. Francisci*: qui conscriptus est olim à magistro Bartholomæo à Pisis, Franciscano, & approbatus ab Henrico omnium Franciscanorum generali & capitulo illius ante annos ducentos, typis verò excusus Mediolani Anno 1510. postea vero Bononiæ apud Alexandrum Benatium, anno 1590. recusus cum privilegio, & Hieronymo de Ruvere, Cardinali Ordinis minorum conventualium protectori, dedicatus hoc titulo, *Liber aureus*, inscriptus *liber Conformitatum vitæ beati ac Seraphici patris Francisci*, &c. Hinc igitur ostendam summam sancti Francisci & Franciscanorum impietatem in doctrina, hypocrisin in vita, absurditatem in miraculis. Et *impietatem* quidem ostendit *primum blasphemia* contra Filii Dei gloriam: *Filius*, inquit Conformit. 1. pag. 177. *Dei quotidie se humiliat, sicut quando à regalibus sedibus venit in uterum virginis, quotidie venit ad nos ipse humilis apparens, quotidie descendit de sinu Patris super altare, in manum sacerdotis.* Quam sententiam non solùm articuli fidei & sensus Apostoli Petri, Act. 3. 19. sed etiam consensus Doctorum quorundam Pontificiorum falsi convincit. *Altera impietas* est, quod paupertatem quam scriptura pœnam peccati esse docet, Conf. l. 1. p. 1. 180. *virtutum reginam, virtutem quamaximè Christo amicum redderet, specialem viam salutis* appellat. Eam autem paupertatem definit, Ibidem pag. 109. & 111. &c. *quâ quis non solum mendicet confidenter, sed etiam omni bonorum possessione & proprietate careat, quam regulam Euangelicam* appellat *à Christo observatam & Apostolis traditam* [a]. Quæ doctrina quamvis à Nicolao quarto Pontifice cumulatis blasphemiis confirmata fuerat, postea tamen à Johanne vigesimo secundo Papa acerrimè confutata est [b]. *Tertia* denique, ut alias brevitatis causa prætercam, *Francisci blasphemia* est, quod quum insaniæ à quodam accusaretur, tandem respondit, [c] *quid putatis de me, adhuc adorabor per totum mundum*: scil imitatus patrem suum, qui à Christo voluit adorari: ac propterea Christi verbis à toto mundo retundendus est; *Abi à me Sathana: Deum tuum adorabis & illi soli servies*, Matt. 4. Eandem blasphemiam auget Franciscanorum ex ejus institutione judicium: Sic enim ait, lib. 1. pag. 6. conformitatum: *B. Franciscus fuit exemplar omnis perfectionis & in gloria est dicti Patris* (*Phil.* 3.) *&c. Christus B. Franciscum similem fecit nunc in cælo deificando ipsum, in gloria sanctorum collocando & statuendo: ad quam gloriam Salvator omnium Dominus Jesus Christus nos perducat beati Francisci meritis.* Et alibi lib. 1. p. 13. *Ultimus actus est Francisci meritis à Christo donorum distributio & accessio. In quacunque enim necessitate Franciscus invocatur, subvenit Christus invocantibus.* Et alibi (p. 31.) *Franciscus est princeps singulari Christi insignitione tam in ecclesia militante, quam triumphante institutus:* Item l. 3. p. 3. *Meritis similis Angelis, Archangelis, & aliis ordinibus*, &c. lib. p. 24. *Franciscus totum Euangelium observavit ad literam*, &c. lib. 1. p. 16. *Mundus ab omni peccato usque ad quadrantem novissimum: Sanctus ad perfectionis apicem.* Item lib. 3. p. 300. *B. Franciscus titulatus fuit titulo* Jesus, *per conformitatem quam habuit ad vitam Iesus* Nazarenus, *quia virgo purissima:* Rex, *sensuum exteriorum & inte-*riorum

a Decret. Sexto de verborum signif. tit. 12. cap. 3. b Extrava. De verb. sign. tit. 14. cap. 5. c Confor. lib. 1. pag. 172.

riorum custodia & regulatione: Iudæorum, quia jubilo & gaudio plenus creaturas omnes ad Deum laudandum solicitavit. Et paulò post: lib. 3. p. 301. *Cum Bonaventura Cardinalis ordinis Franciscanorum generalis deberet de B. Francisco prædicare, tenens librum Apocalypseos ante se, cœpit instantissimè orare Deum, quatenus dignaretur sibi revelare, de quo fuit illa dicta figura Apoc. de angelo habente signum Dei vivi, cap. 7. & vox de cœlo venit, dicens, figura illa literaliter dicta est de B. Francisco.* Item infinita ejus generis alia in *libro Conformitatum* in *Legenda aurea*, in *legenda B. Francisci* à Bonaventura Cardinale, ab Antonino episcopo (qui duo etiam in Sanctorum numerum à Papa relati sunt) & ab aliis Pontificiis scriptoribus recensentur ac probantur: quæ omnia detestandam Francisci sancti vestri & Franciscanorum impietatem demonstrant. Atque eadem est sancti Dominici ratio: ut ostendit celebre illud Pontificiorum dictum: [a] *Agios Paulus, per istum itur ad Christum. Agios Dominicus, facilius itur per istum. Nec mireris.* (inquit episcopus & sanctus vester) *de scriptura hujusmodi: quia doctrina Pauli sicut & cæterorum Apostolorum erat doctrina inducens ad fidem: doctrina Dominici ad observationem consiliorum, & ideò facilius per ipsum itur ad Christum.* Atque hinc natæ sunt putidæ illæ & blasphemæ fabulæ, quas, ut alii scriptores vestri, sic aureus Conformitatum lib. 1. p. 23. recenset: *Vt* (inquit) *in legenda B. Dominici habetur, Christus peccatis hominum, videlicet superbia, avaritia, & luxuria, irritatus, dum tres lanceas ad mundum destruendum vellet vibrare, meritis matris & supplicatione cum promissione destinationis beatorum Francisci & Dominici ad mundum convertendum, ab ipsa Dei genitrice inclinatus Dominus, & mundo pepercit & præfatos ad mundum convertendum destinavit. Septimum quod ostendit propositum, est Diaboli attestatio, qui per os cujusdam mulieris de B. Francisco & ejus loquens ordine, dixit, quod Deus Pater propter peccata hominum, cum finem mundi vellet maturare, Christus ejus Filius Patri supplicavit, ut daret sibi aliquos, qui essent suæ crucis bajuli, ut numerus salvandorum augeretur: & quod tunc à Patre æterno datus est sibi B. Franciscus cum ordine suo & ipsum Christus direxit cum ordine ad præfata.* Agnoscis ne, Costere, doctrinam ex inferis petitam? Atque hanc sanctorum vestrorum impietatem auget vitæ impuritas & hypocrisis admiranda: quam paucis ex infinito penè numero exemplis, ne sentinam hanc cum justa lectorum nausea exhauriam, confirmabo.

Primum enim simulatam Francisci humilitatem ostendit; *quod quum laudaretur à populis, alios ad sibi dicendas injurias & opprobria inferenda non solum invitabat, sed etiam cogebat,* lib. 1. p. 39. Quænam hæc est insania? Simulatam deinde paupertatem, qua se nihil proprium habere velle finxit, satis id convincit, *quòd quum quidam ei diceret, venio de cella tua: quia audivit, Tua, in cella prædicta noluit amplius habitare,* lib. 1. p. 49. Deinde, *quum cuidam Novitio concessisset, ut haberet Psalterium, revocans postea sententiam, & Novitium quæsivit, ubi dixi tibi quod faceres ut minister tuus diceret tibi de Psalterio? qui ostendit ei locum, & tunc beatus Franciscus genu flexus coram illo dixit, Mea culpa frater, mea culpa. Quicunque enim vult esse frater minor, non debet habere nisi tunicas, (sicut regula concedit) chordam & femoralia, & qui manifesta necessitate coguntur, calceamenta,* lib. 2. p. 218. Præterea, lib. 2. p. 220. *quum invitaretur ab aliquo quantumcunque nobili ut comederet & hospitaretur cum eo, semper hora comestionis ibat prius pro eleëmosyna, quam iret ad domum illius, propter fratrum bonum exemplum & dignitatem dominæ paupertatis.* Quam hypocrisin & injustitiam elogio suo ipse imprudens refutavit. Nam de se ipso dicebat, ibidem, *non fui latro de eleëmosynis, acquirendo eas, vel utendo ultra necessitatem, semper minus accepi, quam mihi contingeret, ne alii pauperes fraudarentur portione sua, quia contrarium facere furtum esset.* Quomodo igitur aut ipse invitatus ad cœnam aut dites mendicantium monachorum ordines à furto se excusabunt? Simulatam denique pœnitentiam & superstitionem insanam ostendunt hæc exempla. Primum, *si quando* (ait liber Conformitatum, lib. 2. p. 243.) *ratione infirmitatis carnes comedisset, vel coquinam conditam lardo, ad proprii corporis vindictam animatus & opprobrium, mira exercebat ad carnis macerationem suique contemtum. Quum in quadam infirmitate de pitantia comedisset tempore magni algoris nudum & quartanarium de Ecclesia sancti Ruffini Assisii se fune injecta, collo trahi fecit per socium usque ad locum malefactorum in platea civitatis, ubi populo congregato, facta prædicatione, in fine dixit eis, quod non erat ut sanctus ab eis honorandus, sed ut gluto, quia in illa infirmitate carnes comederat, ab omnibus reputandus & contemnendus.* Deinde, quod contemplationi deditum Bernardum quendam rei ignarus ter vocasset, *ut de Deo ad invicem loquerentur, re divinitus cognita, fratri Bernardo mandavit, ut ad superbiam sui cordis conterendam posito uno pede in ore & alio in gutture, ter transiret ipsum dicendo, tace rustice fili Petri Benardonis: cujus mandata etsi cum dolore, humiliter tamen obediendo frater Bernardus, quod sanctus Franciscus præceperat, adimplevit,* lib. 2. p. 227. Ejusdem omnino spiritus fuit illa sancti Macharii pœnitentia, qua (ut refert sæpissime recusa & à vobis probata Legenda aurea de Machario, c. 18. §. c.) *dum quendam culicem se pungentem manu occidisset, & multum de illo sanguinis emanasset, reprehendens se quod propriam vindicasset injuriam, nudus sex mensibus in deserto mansit, & inde totus à crabronibus laceratus exivit.* Omitto impia illa à Francisco in Michaëlis archangeli & Apostolorum honorem instituta jejunia, Conform. lib. 2. 242. Prætereo, quod ibid. p. 244. *ad edomandam carnis tentationem se durissimè verberavit & similiter magni algoris tempore in foveam glacie & nive plenam se plerumque immersit, ut domesticum hostem, scilicet carnem, perfectè subjiceret & candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præservaret. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat.* Sed ut tandem ex hisce fratris asini sordibus lectorem expediam, ad miraculorum quæ ascribuntur, absurditatem progrediar, quam ex reipsa & testium, quibus nituntur, indignitate demonstrabo. Nam si miracula sanctorum vestrorum consideres, ea partim natura & communiter, partim arte, partim potentia Diaboli contingere potuerunt. Natura quidem, ut, quod liber Conformitat. lib. 1. p. 106. ait, *Clara multis & magnis claret signis. Cujus corpus est integrum & capilli capitis & ungues ita crescunt sibi ac si viveret.* Nam si quis id fieri frequenter in cadaveribus neget, non ad Philosophorum solum scholam, sed ad vespillonum ludum ablegandus est. Arte vero humana evenit, [a] *quod Franciscus, ovem ita instruxit, ut quum fratres ecclesiam ingrediebantur & ipsa ecclesiam ingrediens, sine alicujus sermone flectebat genua, vocem balatus emittens, ante altare virginis, ac si eam salutare gestiret,* & similes fabulæ quæ eodem loco recensentur complures. Diaboli verò potentia accidit, quod (si vera est fabula) ajunt, [b] *ferrum dum à medico in Francisci carnem ignitum profundari deberet, dixerit, Mi frater ignis, esto mihi in hoc propitius, esto curialis, ut tuum mihi calorem temperes, quo suaviter urentem valeam sustinere, quod & fecit.* Ejusdem generis est quod narratur, lib. 2. p. 209. *quod Franciscus post refectionem habitam transfiguratus in templo ad socium ignitus ore dixerit, ha, ha, ha, frater Massæe, præbe mihi teipsum: & hoc fuit ter. Frater Massæus hoc videns stupuit; sed vice tertia dicente B. Francisco, præbe mihi teipsum, misit se totum intra brachia B. Francisci. Tunc B. Franciscus cum hiatu magno & Spiritus Sancti fervore ac clamore magno reboando ha, ha, ha, levavit fratrem* [c] *Massæum cum isto flatu in aërem & impulit eum ante, quantum posset esse unius hastæ mensura.* Ejusdem sanctitatis est ea, quam narratis, fabula. *Quum Franciscus cum uno socio pervenisset ad quoddam hospitium, ubi sibi erat pro quiete necessarium commorari, invenit ibi quandam mulierem corpore speciosam & facie, sed turpissima mente, quæ ipsum sanctum de actu nefario requisivit. Cui sanctus respondit: Si tu vis quod ego tibi assentior, volo etiam tu mihi consentias: ait illa, Accipio quod dicis: eamus ergo & lectum paremus. Sanctus vero Franciscus ait, Venias mecum, & ducam te ad lectum pulcherrimum, & duxit illam ad magnum ignem: qui tunc in illa domo fiebat & in fervore spiritus exspolians se in lare illo ignito nudum, tanquam in lecto se colloca-*

a Antoninus hist. part. 3. tit. 3. cap. 15.

a Lib. 2. p. 191. b Lib. 1. p. 173. c Lib. 1. p. 142.

collocavit, & vocans illam dixit: *Exspolia te & festina frui lecto splendidissimo, florido & mirando: quia hic te oportet esse, si tu vis mihi obedire. Ille autem ignis in nullo beatum Franciscum læsit: sed super larem illum ardentem ignitum quasi super flores hilariter accumbebat.* Atque huic miraculo duo alia similis sanctitatis alibi referuntur, lib. 2. pag. 191. quod *primum à muliere cubiculo illius inclusa, deinde postea à Saracena quadam ad concubitum provocaretur, utroque loco igni nudus sine ulla læsione incubuerit.* Quod quemadmodum Diaboli potentia fieri potest, ita quam exiguam fidem mereatur, ex libidinum incendio, quo impurus ille monachus, ut ante ostendi, plerumque æstuabat, constare potest. Atque hanc miraculorum absurditatem etiam testium, quibus à Pontificiis confirmantur, indignitas magis arguit. Quoties hominis alicujus obscuri, quoties Diaboli testimonium adfertur? Atque huc pertinent inter multa, ea quæ sequuntur, ex libro Conformitatum, lib. 1. p. 73. petita: *S. Conradus quinq; mortuos suscitavit, ut asseruit Diabolus.* Item lib. 1. p. 12. *Christus hunc* (Franciscum) *petiit à Patre sibi specialiter dari. Hoc enim Diabolus professus est.* Item lib. 2. 19. *Miraculo beatum Franciscum suis sociis stigmatibus consignando. Teste enim diabolo stigmatum impressio bulla fuit approbationis istius indulgentiæ.* Item lib. 3. p. 318. *Patet ergo testimonio Dæmonis, quod beatus Franciscus de purgatorio multas animas traxit post mortem suis meritis, atque ad vitam æternam, cum ipsis ascendendo, perduxit.* Quare quum ex hisce abundè constet, Franciscum, Dominicum & similes Pontificiorum sanctos singularem in doctrina impietatem, insignem in vita hypocrisin, & admirandam in miraculis absurditatem prodidisse: quis adeo perfrictæ frontis est, ut sine rubore sanctitatis laudem iis adscribat? Atque hinc etiam apparet, quantum fidei mereatur, Costere, quod asseris, *Andreæ Apostoli, Sanctæ Catharinæ, & S. VValburgis ossa Sacra oleum sudare.* Nam primùm quibus documentis certo demonstrabis, eorum esse ossa quibus ascribuntur? Nam scitum ac verum est antiquum illud dictum: [a] *Multorum corpora coluntur in terris, quorum animæ torquentur apud inferos.* Idque etiam liquet ex impudenti Pontificiorum in suis reliquiis commendandis contradictione, dum caput idem, aut pedes iidem unius sancti diversis in locis ostentantur & coluntur. Deinde quibus idoneis testibus hujus olei ex ossibus stillationem confirmabis? Denique ut id etiam præstares, quomodo miraculi nomen mereri posset, quod humana fraude simulari & arte dæmonis, qui longè majora operatur, perfici posset? Quæ verò de Antonii vindicta commemoras, ea fortasse, apud imperitas rerum & superstitiosas mulierculas fidem invenient: sed nulli prudentiori persuadebis. Parem etiam auctoritatem revelationes vestræ quas tantopere commendas, promerentur: ut res ipsa demonstrat. Nam ut de Brigitta, quam primo loco collocas, aliquid dicam, sic de ea Antoninus episcopus (cujus non solùm scripta comprobata sunt, sed ipse quoque in album Sanctorum à Clemente septimo ante annos 66. relatus est) ait: [b] *Hæc composuit libros Revelationum multos de diversis mysteriis sibi revelatis. Ipsa revelationem, ut asserit, habuit, virginem Mariam conceptam sine originali peccato: & beata Catharina de Senis, non (ut creditur) minoris sanctitatis, licet* [c] *non canonizata, habuit revelationem contrariam.* Et paulò post, de religione & revelationibus Brigittæ addit: *Quæ religio ab ecclesia probata est, licèt revelationes illæ ab ecclesia approbatæ non sint.* Quum igitur revelationes hæ ab ipsa ecclesia Romana nondum probatæ sint, quo jure fidem apud alios merebuntur? præsertim cum inter se & cum Sacris literis è diametro dissideant: quis nisi imprudens iis præbeat assensum? Imo adeo ineptæ sæpe sunt istæ revelationes Brigittæ, ut teipsum, si legas, fidem adhibiturum minimè censeam. Volumen est ingens, par libro Conformitatum Francisci, impressum Noribergæ, An. MDXVII. in officina Frederici Perpus, sumptibus Joh. Cobergers, hoc titulo, *Revelationes cælestes prælectæ sponsæ Christi B. Brigittæ vidua de regno Svvecia, octo libris divisæ.* Quo in libro quanta est fabularum insulsarum congeries? quanta rerum historiæ Evangelicæ de Christo contaminatio? Qualis illa lib. 1. c. 10. §. D. de conceptione & nativitate Christi revelatio virginis Mariæ, ad quem locum ea quam retuli sententia, Antoninum episcopum spectasse suspicor. *Quumque,* inquit, *haberem eum* (Jesum) *in utero, portabam eum sine dolore, sine gravedine & tædio ventris. Humiliabam me in omnibus, sciens eum esse omnipotentem, quem portabam. Quando verò peperi eum, sine dolore & peccato peperi eum, sicut & concepi, cum tanta animæ & corporis exultatione, quod pedes mei præ exultatione non sentiebant terram, ubi stabant. Et sicut in omnia membra mea cum gaudio totius animæ intravit; sic cum gaudio omnium membrorum exultante anima ineffabili gaudio, sine læsione virginitatis meæ, exivit.* Similis est historiæ passionis Christi ineptissimis fabulis interpolatio. Sed nihil est novum, si aut hominum commenta, aut impia Satanæ ludibria pro divinis revelationibus honoretis, modò superstitionem pontificiam confirment. Qualis est illa revelatio qua Nicolao Tollentino (quem Eugenius quartus Papa Sanctorum numero ascripsit) *patefactum est ipsum celebratione Missæ non solùm animas quasdam purgatorio eruisse, sed etiam fratris animam liberasse ex inferno,* ut sanctus vester Antoninus recenset historiæ par. 3. tit. 24. c. 10. §. 1. Quare rectè quidem facis Costere, quod hasce revelationes parcius attingis, sed multo rectius ea omnino siluisses. Cæterum quod addis, *sufficiant porro stigmata S. Francisci in fidem sanctitatis à Christo impressa:* quis à risu aut à justa potius indignatione, ob fabulæ impietatem & turpitudinem, sibi temperet? Nam quis sine rubore ea, quæ impudenter à Pontificiis adducuntur, tanquam oracula, effari queat. Cogit me tamen invitum tua & vestrorum hominum immodestia, ut ea in medium proponam. Ignoscite igitur huic necessitati, castæ lectorum aures, & agnoscite adversariorum sanctitatem. Sic autem aureus Conformitatum lib. 1. p. 64. ait, *Frater Ruffinus stigmata beati Francisci videre promeruit, sed ad cognitionem vulneris lateralis triplici modo pervenit; primo lavando femoralia beati Francisci, quæ ex parte dexteri lateris multipliciter cruentata de sanguine, qui de plaga lateris exibat, invenit. Nam beatus Franciscus post impressionem suorum stigmatum femoralia usq; ad stellas portabat.* Et lib. 1. pag. 197. *Christus voluit bullâ stigmatum suorum beato Francisco impressorum indulgentiam confirmari: ut Diabolus asserere habuit.* Hisce testimoniis adeo putidis stigmata beati Francisci comprobantur: quemadmodum similibus castitas illius. *Tertio* (inquit liber Conformitatum lib. 2. p. 247.) *apparuit quod fuerit virgo, quia se nudavit coram episcopo Assisii & aliis, & femoralia ipsa patri dedit, quod utique non fecisset sine magno rubore, si pollutus fuisset.* Pluribus recensendis, quæ supersunt, supersedeo, ne, dum impudentiam adversariorum demonstrare satago, justi pudoris limites excedam. Quapropter ex hisce perspicuè constat, quam prudenter & quam piè abs te dictum sit, quum ais: *Rident hæc heretici, ut omnia pia.* Imo vero rident & detestantur hæc omnes viri prudentes & suæ salutis studiosi tanquam ridicula, impia & impura: & ex hac impuritate vestra, quid de Pontificia synagoga statuendum sit, facile animadvertunt. Et quis non ea derideat, nisi Heraclitus? quis non detestetur, nisi Democritus aut Epicurus? Omitto quam profanè S. literas ad Sanctos vestros exornandos conspurcetis, ut ex paucis hisce exemplis elucet. [a] *Quod uni ex minoribus meis non fecistis, mihi non fecistis, ut dicit beatus Franciscus, Christus ad literam intellexit de fratribus hujus ordinis:* [b] Deinde quod *angelus habens signum Dei vivi, Apoc. 7. B. fuerit Franciscus, visione facta fratri Sylvestro est clarificè demonstratum.* [c] Præterea *Paulum etiam de Francisco hac sententia prophetatum, Ego stigmata Jesu Christi in corpore meo porto, Gal. 6.* Talis est historiæ creationis Adami interpretatio, [d] *Faciamus hominem ad imaginem nostram, &c. Faciamus, verbum est totius trinitatis, B. Franciscum ad mundum dirigentis. Secundo, quod fuit homo syncerissimus, & à corporis brutalitate segregatus, quia homo fuit, & per consequens, non sensualis aut sensualitati*

a Vide Claudium Espensæum ad Titum 1. p. 127. b Hist. par. 3. tit. 24. c. 11. §. 3. c Postea tamen canonizata à Pontifice.

a Lib. 1. p. 113. Matth. 25. b Lib. 1. p. 13. c Lib. 1. p. 14. d Lib. 1. p. 6.

tati corporis deditus, sed ab ea separatus rationabilis, &c. *Tertiò fuit homo perfectissimus, quia ad imaginem Dei*, &c. Reliquam impudentissimam & ineptissimam hujus historiæ ad Franciscum perversionem prætereo. A qua sacrarum literarum indigna contaminatione id non abludit Costere, quod hoc loco adducis; *Apostolus Corinthiis, vos ipsos (ait) tentate, si estis in fide: quasi dicat ibi fidem cessare, ubi cessant miracula.* Nam primum Paulus hoc in loco non agit de externa fidei probatione ex miraculis, sed de interna animi & conscientiæ exploratione ex testificatione Sp. Sancti: ut etiam Greg. Papa in Job. lib. 31. c. 26. exponit: Nam ut rectè quidam doctorum [a] vestrorum ex Augustino de Civitate Dei lib. 13. c. 1. ait, *Omnis qui credit, videt se credere: hoc enim experitur in se.* Deinde quamvis de probatione fidei ex miraculis ageret Apostolus, non inde tamen consequeretur, eam probationis rationem, qua in Corinthiis usus est Apostolus, esse generalem & perpetuam. Illis enim temporibus in singulis ecclesiis & quam pluribus fidelibus miracula ex Christi promissione [b] copiosè viguerunt: quibus confirmata multis seculis fides, ut ipsemet in præfatione testaris, non indiget. Alioqui si, quemadmodum ecclesia Corinthiaca miraculorum à Christo prædictorum copia ab adulterinis pseudo-apostolorum cœtibus secerni potuit: eodem jam utendum esset examine, tum singularum civitatum ecclesiæ, quæ miraculis vacarent, veræ fidei laude privarentur. Prætereà gloriaris quidem de miraculis vestris Indicis: sed quis fidem eis adhibebit, qui singularem vestrorum hominum in miraculis effingendis audaciam & crudelitatem ex Legendis vestris & Sanctorum vitis compertam habet? Qua de re merito olim conquestus est vester Nicolaus Lyranus in Daniel. 14. *Similiter* (inquit) *aliquando fit in ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale.* Deinde vero qualia obsecro ea sunt? *Ad haustum*, inquis, *aquæ benedictæ frequenter morbi pelluntur.* Verum si, ut paulò antè scripsisti, Costere, *ea non sunt censenda miracula, quæ Diaboli potestatem non excedunt*, quo jure ex re proposita miraculum conflabis? Adhæc quam mihi *aquam benedictam* nominas, eandem ob profanam vestram incantationem & nominis divini profanationem, *maledictam* potius nominare debueras. Sic enim aquam benedictam qua etiam in Baptismo utimini, vulgo præparatis [c]; *Exorcizo te creatura aqua in nomine Dei † Patris omnipotentis, & in nomine † Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Sancti † Spiritus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi: qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen.* Quis unquam Prophetarum aut Apostolorum, quis sanctorum patrum hanc superstitionem, imo magicam incantationem docuit? Evolve sacra Biblia: antiquorum scripta perlustra, in magorum libris similia fortè reperies, sed in sanctis scriptis talem creaturæ Dei & sacramentorum profanationem nunquam invenies. Quid mirum est igitur, si vobiscum colludant Dæmones, & ut ais, *non rarò per sacerdotes exorcismis ejiciantur?* Quoniam ut superstitionum & incantationum auctores sunt, ita pro virili suis artibus & subdola fuga eas fovent & confirmant. Si quis dubitet, consulat tantùm librum qui cum privilegio & approbatione Bonaventuræ, omnium Franciscanorum generalis, prodiit Venetiis, anno MDXCVI. apud hæredes Johannis Varisci, hoc titulo, *Fuga Dæmonum, adjurationes potentissimas & exorcismos formidabiles atque efficaces in malignos Spiritus propulsandos, & maleficia ab energumenis pellenda continens, Auctore Hieronymo Mencho.* Si quis, inquam, dubitet, consulat hunc librum, & Simonem Magum in Pontificiorum sacerdotibus & monachis revixisse comperiet. Omitto crebras vestras in Dæmoniacis subornandis imposturas: quæ, ut apud imperitam & credulam plebeculam fidem inveniunt; sic à prudentioribus ad æternum vestrum dedecus deteguntur. Qua de re recens & illustre exemplum extitit hoc anno in Martha Brossier, cujus cum monachis collusiones à curia Parisiensi compertæ declarantur Narratione historiæ veræ Marthæ Brossier, quæ dedicata Galliæ Regi & excusa Parisiis, typis Mamertis Patissoni typographi regii ordinarii. Denique ne quid miraculorum ad causam Pontificiam exornandam omitteretur, ais, *ad hæreticorum reductionem impii homines Iconoclastæ & blasphemi sanctorum potentia conteruntur.* Verùm ea pari facilitate & meliori jure à nobis negantur, quàm abs te sine ulla probatione asseruntur. Quare iis omissis, quid ad Pontificiorum peccata, quæ sanctitatis vestræ commendationi obstare videntur, excusanda adducas, audiamus.

a Dominicus Bannes in 2. 2. Thomæ q. 6. art. 2. Rom. 8. 16. 2. Cor. 1. 12.
b Matth. 16. 17. 1. Cor. 14. c Pastorale de sacram. Baptis. pag. 2.

COSTERUS.

Peccata Catholicorum.

Jam verò quod ad peccata attinet, habet ecclesia peccatores, *quæ nigra est & formosa*, Cant. 1. v. 5. multum tamen interest inter ecclesiam atque sectarios: primò quidem, quod ecclesia unà cum peccatoribus multos alat insigni vitæ sanctimonia conspicuos, multosque hoc vitæ spatio integrè piéque confecto ad cælum præmiserit. Hæreses peccata habent, sanctum neminem vel habent, vel habuerunt, neque quemquam ad cælos præmiserunt: deinde ex vi hæreseos peccata nascuntur, ut anteà diximus. Unde in terra hæreticorum, videre est vastitatem & abominationem desolationis, deserta eversaque monasteria, neglectam virginitatem, exclusa jejunia, prophanos sacrorum ministros sine altari, sine sacrificio, sine sacerdotio. Peccata autem catholicorum singulorum fragilitate vel malitia perpetrantur, non vitio doctrinæ.

GOMARUS.

Verum est, Costere, ecclesiam veram, multos habere pios, & si qui in ea minus piè vivant, id non doctrinæ, sed hominum vitio, evenire. Sed laus ea vestræ synagogæ minimè convenit. Nam quæ tanquam summa sanctitatis monumenta celebras: ea sanctitati Christianæ proximè adversantur. Qualia sunt humana commenta de votis monasticis: superstitiosa jejuniorum, præter Dei verbum, & ad impios fines, institutio: certorum ciborum contra Dei verbum prohibitio: impura conjugii in ministris ecclesiæ damnatio: Judaica altarium & sacrificiorum propitiandis peccatis in Novo testamento, ad Christi unici sacerdotis dedecus, revocatio: plus quam ethnicus imaginum cultus, & infinita alia, quæ partim primo, partim hoc libro suis locis confutata sunt. Quare similitudinem, quam illustrandæ sententiæ Pontificiæ adducis, perpendamus.

COSTERUS.

Et hactenus ex civitatis similitudine rationem docuimus, & methodum dedimus in tanta ecclesiarum multitudine, veram Ecclesiam à Christo fundatam, privilegiisque ornatam à falsis discernendi. Juvabit ad eandem rem similitudo viarum, quæ sicut ad civitatem ducunt, ita fides, sincera doctrina, & vera religio, quæ in sola ecclesia colitur, ad civitatem patriamque cælestem. Esto igitur mercator quispiam, cui in itinere Francofordiensi occurrant viæ septem utcunque tritæ, hoc tamen discrimine, ut una quæ latior est, rectissimè ducat, & plena sit viatoribus, qui hunc eodem invitent, dicantque multis abhinc annis infinitam hominum turbam eadem præcessisse, quos Francofurtum attigisse certissimis nuntiis innotuerit: alias illas vias obliquas esse, non ita nuper stratas, & paucos quidem per eas ingressos, de quorum nomine hactenus nil certi aliquid relatum sit, an Francofurtum venerit, an potius in feras, aut latrones inciderit. Quid hîc facturus est mercator? Si sapit, dimissis pauculis illis, abire vias suas, vulgato ipse & tutiori itineri sese committet, ridentibus licet misellis aliis.

In spiritali hoc itinere, quo in cælos tendimus, viæ sunt multæ, una regia, lata, vetus, sui similis, quam infinita hominum turba, jam mille quingentis annis ingressa est; Catholica, inquam, ecclesia, per orbem universum diffusa, quæ

quæ non Germanos tantum, Gallos, Belgas, Anglos, & hos septentrionales ducit viatores, sed innumeros per Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Indiam, Japoniam, Sinas, Peru, Brasiliam, Africam, Æthiopiam. Omnes enim Catholici tam latè in orbe sparsi, eandem ubique retinent fidem, idem credunt per omnia, idem sentiunt, idem dicunt, eundem ducem sequuntur Christi in terris Vicarium, non præsentes modò, sed antecessores quoque totis 1500. annis, successione nunquam interrupta. Hanc porrò viam ingressos certissimis argumentis compertum est, ad cælestem illam, quo tendebant, civitatem, non paucos devenisse, evidentissimis (inquam) miraculis, quibus post mortem in fidem sanctitatis claruerunt.

Origo hæresium.

At non defuerunt omni tempore homines, qui hujus tam celebris viæ pertæsi, novas sibi suisque sequacibus vias sternerent. Primus Simon Magus, tum Arius, Sabellius, Nestorius; posteà Berengarius, Waldenses & quotquot à recto itinere deflexerunt. Sed quod posteris nullo testimonio alicujus ex antecessoribus salus comprobaretur, paulatim obducta sunt vetera illa devia, ut eorum ne vestigium quidem amplius relinqueretur. Anno autem Domini 1517. quidam frater Martinus Lutherus, professione & habitu monachus, ordinatione sacerdos, novum quoddam & compendiosum iter in cælum à se repertum docuit, ex regia tamen illa via ad latus eductum. Nova igitur dogmata mundo proposuit, novam fidem atque religionem excogitavit, ab orbe condito nulli vel auditam, vel usurpatam: modumque quo in illius notitiam primus venerit, ipse non tacuit. Scripsit enim cum Dæmone eam sibi consuetudinem fuisse, ut cum eo plusquàm modium salis consumpserit: sibique ab illo administrata recenset argumenta, quibus ad evertendum Missæ sacrificium deinceps est usus. Hanc viam cum fraterculus ille primus stravisset, qui eandem secuti fuerant, ne, cum duces ipsimet esse vellent, unius illius hominis ducatum sequi viderentur, ex illius obliqua via multa sibi singuli diverticula aperuerunt, populumque Christianum in sectas innumeras divisum, varios in errores abduxerunt. Neque tamen an illorum quispiam in cælum pervenerit, mortalium ulli constare hactenus potuit. Is ergo, qui serio de salute æterna cogitat, quos tandem sequetur? videbit sectarios parum auspicato, consiliis, inquam, Diaboli seductos, viam regiam Catholicorum deseruisse. Videbit paucos quosdam homines in singulis diverticulis (quid enim ad orbem Catholicum Germania vel Gallia, quæ tamen non integræ eundem ducem sequuntur?) videbit nunquam hactenus tritas vias, non ita nuper ab obscuris quibusdam apertas fuisse: neque adhuc cuiquam constare, an eò quisquam appulerit, quò proficiscebatur: sane qui sapit, nihil sibi cum hæreticis commune esse volet, sed veterem fidem, Romanamque ecclesiam sequetur. Uni enim Luthero, paucis hæreticis, novis hominibus, quos constat ab ecclesia descivisse, nec constat boni aliquid post hanc vitam consequutos esse, seipsum suamque salutem committere, est plenum periculis.

GOMARUS.

Valde tibi hæc similitudo placet Costere, sed apodosis illius, quia falsis & sæpius jam confutatis nititur fundamentis, sua sponte corruit. Nam primum falsum est, vos idem cum ecclesia veteri sentire: falsum est Pontificem esse Christi vicarium in terris: falsum est antiquam ecclesiam Pontifici fuisse subjectam: falsum est successionem vestram nunquam fuisse interruptam: falsum est miracula certum esse sanctitatis argumentum. Similiter quæ de Berengario, Waldensibus & Luthero commemoras, ea sunt meræ calumniæ, antea à nobis sæpius refutatæ. Quare (ut similitudinem propositam sanctius explicemus) is qui de salute æterna cogitat, quos tandem sequetur? Christum nimirum, tanquam *viam, veritatem, vitam*, Joh. 14. Prophetas & Apostolos, qui Dei verbum sanctè tradiderunt, &, quotquot pii sub Christo unico summo pastore degunt, ejusque vocem in S. Lit. resonantem audiunt, & vera fide ac charitate sequuntur: quoniam hi soli vitam assequuntur æternam. Reliquos vero omnes, quamvis titulis & opibus superbos, qui Christi voci humanas traditiones præferunt aut conferunt: nec fidem ad Euangelium, nec charitatem ad legem Dei conformant, tanquam cæcos & cæcorum duces, qui in mortis foveam præcipites ruunt, seriò vitabit. Ac propterea à Romana synagoga, tanquam regno Antichristi, superstitionum & errorum schola & spirituali Babylone maturè fugiet: ne æterno illius exitio involvatur.

CAPUT UNDECIMUM.

Quare, hac de Notis ecclesiæ disputatione absoluta, superest ut de altera etiam quæstione paucis agamus.

COSTERUS.

SITNE ECCLESIA VISIBILIS.

HÆretici ut necessitatem effugiant, successione non interrupta Ecclesiam suam ad Apostolos deducendi, eò confugiunt, ut dicant Christum invisibilem instituisse ecclesiam, in qua soli sint boni; quorum cum pietas lateat, ignoretur etiam, quinam ad ecclesiam pertineant.

Sed huic doctrinæ non modo scripturæ sacræ adversantur, sed recta quoque ratio: scripturæ [a] quidem, quæ in eadem sagena bonos agnoscunt pisces, & malos: in eadem nuptiali domo homines vestitos nuptiali veste & non vestitos: in eodem agro triticum & zizania: exspectantes sponsi adventum sapientes virgines & fatuas: in Apostolorum collegio Judam Diabolum cum reliquis viris sanctissimis, Joh. 6.70. B. Apostolus non existimavit Corinthium illum fornicarium prius ab Ecclesia alienum esse, quàm sententia excommunicationis excluderetur. In Apocalypsi Apoc. 3.1. & 14. gravissimè corripiuntur episcopi Sardicensis & Laodicensis: ille, quod *Spiritu mortuus* esset: iste, quod *neque frigidus neque calidus, sed tepidus, miser & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus*; uterque tamen agnoscitur episcopus & caput ecclesiæ suæ, nec dum ejectus ex ore divino. Ratione verò idipsum confirmatur. Si enim invisibilis est ecclesia, videri non poterit, multò minus adiri & consuli. Ignorabit igitur quò se conferat, qui forte ex infidelitate conversus, Ecclesiam quærit. Impleri non poterit Christi mandatum, *Dic ecclesiæ*, Matth. 18. 17. Nulla erit ecclesiastica jurisdictio, nulla potestas manifesta, nullus superior, nullus à quo peccatorum remissio [a] vice Christi petenda sit. Omnia occulta, incerta, dubia.

His igitur rejectis erroribus docet orthodoxa fides, Christum Dominum in orbe hoc terrarum, congregationem instituisse, in eamque homines evocasse, & ecclesiam appellasse, eique, ut ante dictum est, eximia privilegia contulisse. Hos autem homines qui ecclesiam conficerent, digito demonstrasse, ne in incerto hæreremus. Sicut enim sensibili voce à magnifica gloria delapsa Deus Pater Christum Filium Apostolis exhibuit; [b] *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite:* ita Filius clara & aperta voce Apostolos ostendit, [c] *Vos estis lux mundi.* [d] *Ecce ego mitto vos.* [e] *Qui vos audit, me audit.* Apostoli deinde visibiles ecclesias fundarunt, verbis & epistolis instruxerunt, Episcopos ordinarunt, politiam instituerunt, leges præscripserunt, eaque omnia præstiterunt, quibus externa atque visibilis Respublica constitui solet. Voluit enim CHRISTUS non modò visibilem esse ecclesiam suam, sed valde conspicuam, ut omnibus innotesceret gratia Dei, quæ in hac sancta congregatione, & non alibi asservatur, atque confertur; unde etiam *civitati, quæ in monte posita est, & candelæ supra candelabrum* similem fecit, Matth. 5. 14.

a Matth. 13. 17. Matth. 22. 11. Matth. 25. 2.

a Matth. 18. 18. Johan. 20. b 2. Pet. 1. 17. & Matth. 17. 5. c Matth. 5. 14. d Matth. 10. e Luc. 10. 16.

GOMA-

GOMARUS.

Quum ecclesiæ vox (ut initio hujus libri ostendimus) aut strictius cœtum vocatorum & electorum ad vitam æternam notet; aut latius cœtum vocatorum ad Euangelii Christi professionem, in quo per ministros ad hoc vocatos Euangelii doctrina purè traditur, & sacramenta ex Dei verbo administrantur, significet, inde facilè apparet quam confusè & indignè quæstionis statum & mentem nostram proponas. Nostri enim distinctè affirmant, ecclesiam priori modo acceptam, nobis in his terris esse invisibilem: altera verò significatione, si de particularibus ecclesiis loquamur, esse visibilem: sin vero de ecclesia catholica agitur, eam primùm totam visibilem fore asserimus postremo die. Quia non antè tota in unum locum conveniet: & tunc quum tota in unum locum conveniet: & tunc quum tota erit conjuncta & conspicua, particulares ecclesiæ, particulares & disjunctæ esse desinent. Quæ distinctio adeo perspicua est, quamvis multi Jesuitæ eam studeant obscurare, ut non solum Patrum consensu, sed etiam doctiorum Pontificiorum confessione probari possit. Nam, ut omittam Bernardum, Hugonem de sancto Victore, Gabrielem Bielem, (quorum insignia initio hujus controversiæ testimonia adduxi) nobiscum loquitur Enchiridion Christianæ institutionis in concilio provinciali Coloniensi editum: [a] *Ut autem contendant quidam Ecclesiam invisibilem esse: quod de ecclesia prædestinatorum non negamus: nihilo secius (ut opinamur) nobis concedent ecclesiam etiam visibilem, quæ bonis habet admixtos malos visibili fidei professione & sacramentorum communione sociatos.* Quare frustra in eo laboras, Costere, ut Sacris literis ostendas in ecclesia externa, non tantùm bonos esse, sed etiam malos reperiri: & Christum Apostolos ostendisse, eosque visibiles ecclesias fundasse: quia illa omnino extra controversiam sunt. Nec ratio tua nobis adversatur. Nam quod Christus de adeunda ecclesia loquitur, id intelligit non de universali prædestinatorum ecclesia, quæ invisibilis est, sed de particularibus externis & visibilibus vocatorum cœtibus, in quibus electi reprobis permixti versantur, quem cœtum, quum ejus rei datur copia, adiri præcipit. Verùm altera quam parcius postea attingis, quæstio est, An ecclesia visibilis aliquando certaque ratione fieri possit invisibilis? hoc est, an ita latere possit persecutionibus compressa, ut ad tempus alienis ab ecclesia, imo & multis fidelium, non appareat? Nos exemplo veteris ecclesiæ & prophetia Apostolorum freti, id affirmamus. Nam quis Eliæ [b] tempore ecclesiam septem millium in Israële ita latuisse ignoret, ut etiam Elias se solum Dei cultorem superstitem relictum imprudens conquestus sit? Quis sub Roboamo, Joramo, Ochozia, Athalia, Joa, Amazia, Achazo, Manasse, Amone, Joakimo & Joachimo, Zedechia, regibus Judæorum, ecclesiam, idololatria publice dominante & tyrannis sævientibus pressam (ut ante c. 2. ostendimus) tanquam ignem sub cineribus latuisse neget? Similis in Novo Testamento ecclesiæ calamitas prænunciatur 2.Thess. 2. 3. 4. & Matth. 24. 24. potissimum verò Apoc. 12. 6. de ecclesia sub mulieris typo prædicitur, *Mulier vero fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut illic pascant eam diebus mille ducentis sexaginta:* & v. 14. *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volet à conspectu serpentis in desertum, in locum suum, ut alatur ibi per tempus, & tempora & dimidium temporis.* Atque hisce consentit ecclesiæ historia [c], quæ demonstrat Christianos olim sævientibus tyrannis, modò privatis ædibus inclusos, modò in antris ac speluncis cœtus ecclesiasticos conservasse. Qua de re rectè ait August. [a] *Ecclesia est sol, luna & stella,* &c. *Quando sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus.* Et alibi; [b] *Ipsa est* (ecclesia) *quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum ut sagittent in obscura luna rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet,* &c. *Illi qui tunc firmissimi fuerunt & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant: ac sic ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est.* Quamobrem hinc liquet, ecclesiam visibilem hostium furore non extingui quidem, sed obscurari, & in solitudine compulsam nonnunquam latere: quemadmodum ecclesiæ caput Christus Herodis tyrannide fugatus aliquandiu latuit in Ægypto. Quid ad hæc objicies? *Voluit* (inquis) *Christus non modò visibilem esse ecclesiam suam, sed valdè conspicuam:* sed an perpetuo? *Voluit innotescere omnibus gratiam Dei:* sed quamdiu ingratitudine & tyrannide hominum id minimè impediretur. Nec enim suos discipulos solùm voluit esse *innocentes ut columbas:* Sed etiam *prudentes ut serpentes* [c]: sed excipis, *ecclesiam inde civitati quæ in monte posita est & candelæ supra candelabrum comparari.* Audio commune & tritum Pontificiorum argumentum, in quo multi errores demonstrari possunt. Primum, quia non ecclesia, sed ecclesiæ pastores (ut Chrysostomus Comment. in Matth. 5. & alii multi rectè exponunt) civitati illi & candelæ comparantur. Quibus verbis officium eorum describitur, quod doctrinæ & vitæ splendore cæteris hominibus debeant prælucere: non autem promissio datur, qua quid certo facturi sint, declaretur. Itaque inepta omnino consequentia est, ab officio ad effectum. Quandoquidem ecclesiæ pastores officium omittere possunt, aut suo vitio, aut adversariorum tyrannide coacti. Atque hanc genuinam esse hujus loci sententiam ex antecedentibus & consequentibus verbis, & totius orationis serie apparet. *Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius, nisi ut abjiciatur foras & conculcetur à quibusvis. Vos estis lux mundi. Non potest urbs occultari supra montem posita. Neque accendunt lucernam & ponunt eam subter modium, sed in candelabrum, & splendet omnibus qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, glorificentque Patrem vestrum qui est in cælis* [d]. Idemque demonstrat concionatorum vestrorum præstantissimus Johannes Ferus commentariis suis ad hunc locum. Deinde si concederemus Christum loqui non solum de apostolis, sed etiam de Ecclesia: quemadmodum servata ordinis & graduum differentia concedi potest, nihil tamen vos juvabit. Nam primum hæc Christi oratio non effectum, sed officium ut ante ostendi, proponit: deinde non minus ad ecclesias singulares, quàm ad universalem, imo non minus ad singulos pastores & quosvis fideles, quam ad fidelium cœtum & ecclesiam referenda est: ut loci circumstantiæ evincunt. Ac propterea quum particulares ecclesiæ & singuli fideles, qui civitati in monte positæ & lucernæ comparantur, interdum ad tempus à conspectu hominum remoti latere possint, & latuisse sæpius constet: sequitur necessariò ex hac civitatis & lucernæ comparatione falsò à vobis concludi, ecclesiam semper esse conspicuam.

a De Sacram. Ord. p. 171. b 1. Reg. 19. 10. c Vide Tertull. apolog. Justinum Martyr. Arnobium, Plinium Juniorem, &c.

a Epist. 80. ad Hesychium. b Epist. 48. ad Vincentium. c Matth. 10. v. 13. &c. d Matth. 5. vers. 13. &c.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

Quare convulsis sententiæ vestræ fundamentis, ad nostrorum argumenta confirmanda transeamus, quibus probamus ecclesiam prædestinatorum & fidelium esse invisibilem.

COSTERUS.

OBJECTIONES HÆRETICORUM.

PRIMA.

Ecclesia fide creditur. Credimus enim sanctam catholicam Ecclesiam: non igitur videtur oculis: quia *fides est rerum non apparentium*, Heb. 12. vers. 1.

SOLUTIO.

Neganda est consecutio: quia id quod videtur credi etiam potest, quatenus habet aliquid, quod non videtur. Jesus videbatur oculis homo, credebatur fide Messias, & Deus. *Quia*, inquit, *vidisti me, Thoma, credidisti* [a]: hominem vidisti, Deum tuum & Dominum credidisti. Ita homines videmus oculis, qui ad ecclesiam pertinent; eos autem homines credimus ecclesiam esse sanctam, Catholicam & Apostolicam, penes hos solos peccatorum esse remissionem, gratiam, justificationem, spem vitæ æternæ: extra hunc cœtum nulli mortalium exspectandam esse vel salutem, vel Dei favorem.

a Joh. 20. vers. 29.

GOMARUS.

Negas hac solutione tua argumentationis vobis objectæ consecutionem: sed ea ratione, quæ contra argumenti nostri nodum non solvit, sed fortius astringit & sententiam ac consecutionem negatam confirmat. Nam scimus quidem homines illos qui sunt sancta Dei ecclesia, esse visibiles: sed illos esse eam ecclesiam Dei non videmus, sed credimus: id quod argumentatione proposita concludimus. Tu vero quid ad hæc? Ais, *id quod videtur, credi etiam potest, quatenus habet aliquid quod non videtur:* quod quid aliud est quam fateri, ea quæ creduntur non esse visibilia, quatenus creduntur. *Nam si vides, non est fides:* ut eleganter ait Hugo de sancto Victore, de Sacram. lib. 1. par. 3. cap. 1. At verò ecclesia sancta catholica, quatenus est ecclesia sancta catholica in symbolo fidei creditur: Ergo ecclesia, sancta catholica, quatenus est talis, non est visibilis. Idque aperte agnoscis sequentibus; *Ita* (inquis) *homines videmus oculis: qui ad ecclesiam pertinent: eos autem homines credimus ecclesiam esse sanctam, catholicam & apostolicam.* Et recte: nec enim quæstio inter nos est, an homines sint visibiles, quod sensus docet: sed an eatenus, quatenus sunt viva & sancta Christi membra, verique fideles & ecclesia Christi: hoc est, an ecclesia sit visibilis. Ac propterea hanc responsionem tuam non solutionem, sed concessionem merito appellare debuisses. Quare hoc fundamento recte jacto & munito, reliqua facilius confirmabuntur.

COSTERUS.

SECUNDA.

Christus Luc. 17. 20. *Regnum Dei*, inquit, *non veniet cum observatione, neque dicent, Ecce hîc aut ecce illic.* Ergo demonstrari non potest ecclesia.

SOLUTIO.

Eodem loco demonstratur sequentibus verbis ecclesia: *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, Luc. 13. 21. Non negat ergo Christus vel regnum Dei videri, aut ecclesiam demonstrari posse: sed irrisoriæ Pharisæorum quæstioni, qua toties à Christo & Apostolis prædicatum regnum Dei, tanquam jam jam affuturum, videre desiderabant, respondet, non ad ipsorum mentem se in hoc mundo regnaturum (*cujus regnum non esset de hoc mundo*, Joh. 18. 30.) ut instar Principum externos triumphos ageret, palam inauguraretur, & certo loco sedem regni collocaret; sed eo modo se regnaturum, quo jam tum incipiebat, nempe in cordibus hominum, atque in ecclesia, cujus vera membra inter eos erant Apostoli atque discipuli, quos alio loco digito signans: *Beati*, inquit, *pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei*, Luc. 6. 20. Vos, inquit, etiam sine pompa & fastu cives estis regni, à quo procul absunt divites Pharisæi.

GOMARUS.

Magnum profecto veritatis robur. Iterum enim, quum argumentationis nostræ consequentiam ex sententiæ Christi circumstantiis convellere studes, eandem amplius confirmas. Nam quod Christus addit, *Ecce enim regnum Dei intra vos est:* quid aliud sibi vult, quam ut exponit Glossa vestra ordinaria, in Luc. c. 17. *Non poterit observari: quia regnum meum non est corporale, sed spirituale, quod fide jam incepit.* Sic igitur ex hoc loco concludimus. Id quod non est corporale, sed spirituale & fide constat, id oculis corporeis videri non potest: Atqui regnum Dei hujusmodi est: Ergo oculis videri non potest. Sed *demonstrari*, ais, *ecclesiam his verbis: Ecce*, &c. Fateor sanè demonstrari, sed oculis mentis, quibus fidem suam fideles contemplari possunt, non oculis corporis, de qua re inter nos quæstio agitatur. Idque adeo perspicuum est, ut ipsemet imprudens ostendas: quum agnoscis *Christi regnum non esse de hoc mundo, sed eo modo regnaturum, quo jam tum incipiebat in cordibus hominum atque ecclesia.* Atqui quod in cordibus hominum situm est, illud soli Deo visibile est: *qui solus novit corda filiorum hominum*, 2. Par. 2. 30. Ergo regnum Dei non est visibile. Nam quod ais, *cujus* (ecclesiæ) *vera membra inter eos erant Apostoli atque discipuli: quos alio loco digito signans: Beati, inquit, pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei:* id, inquam, partim falsum, partim à re proposita alienum. Falsum enim est, omnes Apostolos fuisse vera ecclesiæ membra: quia Judas fuit electus ad Apostolatum, sed non electus ad regnum Christi æternum, nec à veris ecclesiæ membris, nisi proditione sua & indicio Christi dignosci potuit. Nam quum duodecim discipulos rogasset Servator, *num & vos vultis abire?* Johan. 6. 67, 68, 69. Petrus omnes verè fideles esse arbitratus, respondit, *nos credimus*, &c. Ac propterea ei Christus meritò objecit, *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis est diabolus?* Deinde à re proposita alienum est, quod ais, *Christum discipulos digito demonstrasse.* Nam præterquam quod id Scriptura non testatur, Christus ostendit non ipsam ecclesiam, sed quædam ecclesiæ membra, & quidem cum Juda & aliis hypocritis commixta, adeò ut oculis corporeis ab iis distingui non possent. Deinde ostendit homines eos qui ad regnum Dei pertinebant; sed ipsum regnum & veram fidem (per quam erant Christi & ecclesiæ membra) non ostendit. Atque illud est quod in responsione ad primum argumentum nostrum agnovisti; *Homines videmus oculis, qui ad ecclesiam pertinent: eos autem homines credimus ecclesiam esse sanctam*, &c. Quare ad tertium argumentum nostrum pergamus.

COSTERUS.

TERTIA.

Ecclesia creditur sancta, nulli ergò nisi sancti ad ecclesiam pertinebunt, & quia sanctitas non cernitur oculis, erit utique invisibilis ecclesia, & incognita membra ecclesiæ.

SOLUTIO.

Malam esse primam consecutionem. Nam inferendum erat: Ergò sancti sunt in ecclesia, licèt non soli. Arbori viventi multi aridi rami adhærent, & in corpore humano multi insunt sine vita humores & sordes.

GOMARUS.

Imò, verò, Costere, recta est consequentia. Nec enim, ut falso exponis, ecclesia propterea appellatur sancta, quod in ea

in ea sunt aliqui aut multi sancti: sed quia omnia & singula illius membra fide & charitate sanctificata sunt: quemadmodum Concilium vestrum Coloniense piè exposuit. [a] *Non inficiamur* (inquit) *ad ecclesiam strictius acceptam, quatenus scil. ii in ecclesia esse dicuntur, ex quibus civitas Dei constat, tantum vitæ spiritualis participes, & sibi mutuo in spiritu charitatis cohærentes pertinere.* [b] *Ad quem modum ecclesia est corpus Christi mysticum, seu congregatio fidelium in unitate fidei & charitatis vinculo, sub uno capite Christo militantium, ipsique capiti (ex quo totum corpus per nexus conjunctionesque subministratum & constructum crescit in augmentum Dei) per vivam fidem & charitatem cohærentium. Quam hîc symbolum appellat sanctam, id est, mundam ac puram. Quanquam & sancta rectè dicatur, quod sit Deo consecrata: sicut sanctum Domino dicitur, quod est illi sacrum. Denique quod ad eam rationem qua sanctum inviolatum appellamus, ecclesia omnino inviolabilis fundata est super petram, id est, Christum, adeo ut ne portæ quidem inferorum adversus eam prævalere possint. Talem ecclesiam constantem tantum ex membris participibus vitæ spiritualis & occulta quadam connexione in spiritu charitatis cohærentibus Apostolus Paulus describit, Ephes.* 5. *Christus, inquit, dilexit ecclesiam & semetipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata*, &c. Habes hîc, Costere, non solum testimonium perspicuum, sed etiam confirmationem elegantem. Quare similitudines ab arbore & corpore desumptæ, ut nihil probant, ita si de ecclesia externa agamus, quæ verè fidelibus & hypocritis constat, locum habere possunt: sed ecclesiæ sanctæ & catholicæ non conveniunt. Quamobrem postremum quod nobis ascribis argumentum asseramus.

a In Enchirid. Christ. inst. in symb. apost. b In ecclesia strictè accepta soli prædestinati, Ep. 1. Col 1. & 2. Eph. 4. &c.

COSTERUS.

QUARTA.

Ad præsentis vitæ ecclesiam refertur à patribus, quod in Canticis dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 4. 7. Non sunt ergo mali & vitiosi homines membra ecclesiæ.

SOLUTIO.

Quamvis de cælesti ecclesia propriè loquatur scriptura, quæ (ut proxime in eodem cap. sequitur) *coronatur à sponso:* tamen si cum B. Gregor. ad viventes in terris referas, eo sensu dicitur tota ecclesia pulchra & macula carere, quod viva ejus membra per inhærentem gratiam sint illustria coram Deo, nec obfuscentur, (sicut existimabant Donatistæ [a]) præsentia improborum: *& licèt nemo justus aut sanctus peccato careat, non tamen desinit esse sanctus aut justus, quia affectu retinet sanctitatem: & per assiduam pœnitentiam* (inquit D. Greg. in c. 4. Cantic.) *assidue servat munditiam suam: dum quotidie peccata minuta lachrymis abluit, & à majoribus se observat.*

a August. cap. 86. ecclesiasticorum dogmatum.

GOMARUS.

Duplicem, ad argumentum nostrum dissolvendum, adfers responsionem: sed neutram rectè probas. Primùm ais, *scripturam de cælesti ecclesia proprie loqui, quæ (ut proxime eodem capite sequitur) coronatur à sponso.* Sed aberras à scopo, Costere, & erroris à Gregorio Magno potuisses admoneri, qui de ecclesia terrena exponit. Nec ratio quam adducis, ullius est ponderis. Primùm, quia in Hebræa veritate nulla coronationis extat mentio, sed ejus loco dicitur *Taschuri*, hoc est, *contemplaberis:* Deinde, ut interpretationem vulgatam admittamus, ultro nobis imprudens telum suggeris, quo expositionem tuam conficiamus. Nec enim ea coronationem præsentem celebrat, ut tu falsò ais, *quæ coronatur:* sed futuram promittit, quum ait, *Veni coronaberis*, quemadmodum Gregorius Magnus Papa vester exponit, *Venit tertio, quando in die judicii ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cælestem ingreditur. Ibi quippe omnium suorum laborum præmia consequitur, ibi jam omnino prostratis & exclusis hostibus gloriosè coronatur. Ideò & hîc per promissionem sequitur, coronaberis*, &c. Quare hinc oblato à te argumento sententiam nostram hoc modo asseremus: Ecclesia quæ invitatur, ut ad Christum veniat & coronetur, illa nondum coronata est, ac propterea non est cælestis, sed terrestris: Atqui hæc sponsa Cant. 4. 8. est ecclesia quæ invitatur, ut ad Christum veniat, & coronam consequatur: Ergò non est cælestis, sed terrestris. Vides, Costere, verè vulgo veritatem palmæ comparari, quæ quò magis premitur, eò magis assurgit? Sed alteram responsionem tuam similiter examinemus: *Tamen*, inquis, *si cum Gregorio ad viventes in terris referas:* quid audio, Costere, tune de Pontificis vestri expositione dubitas? ubi igitur perpetuus consensus vester? Sed quid præterea addis? *eo sensu dicitur tota ecclesia pulchra & macula carere: quod viva ejus membra per inhærentem ejus gratiam sint illustria coram Deo, nec obfuscentur præsentia improborum.* Obscurè respondes, Costere, ne fortasse responsionis tuæ infirmitas detegatur. Nam si nobiscum sentis, pulchræ hujus sponsæ nomine viva tantum illius membra intelligi, rectè in viam redis, quamvis imprudenter ante veritati contradixisti. Quia rectè (ut capite 1. monstravi) ait Augustinus, *non potest habere Christus membra damnata:* & Hugo de sancto Victore, *Ecclesia sancta corpus est Christi, uno spiritu vivificata, unita fide una & sanctificata*, &c. *Sicut scriptum est: Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus: Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore uno Spiritus unus. Nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum.* Sin verò ita sentis, sponsam hanc constare partim vivis membris & sanctis, partim mortuis & improbis, sed tamen pulchram dici ratione partis unius, nimirum vivorum membrorum, apertè Salomoni contradicis, qui ait, *tota pulchra es*, non autem parte aliqua pulchra es. Idemque probant sequentia: *Hortus clausus es soror mea, sponsa*, &c. Cant. 4. 12, 13. Qua de re concilii Coloniensis enchiridium in Symbolum ait: *Hæc* (ecclesia) *describitur hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum*, Cant. 4. *Quod intelligere non audet Augustinus* [a] *nisi in sanctis & justis, non avaris, non fraudatoribus, rapacibus, ebriosis & invidis, quibus baptismum habuisse, cum justis commune est, cum quibus non habent communem charitatem. Numerus ergò justorum, qui secundum propositum* [b] *vocati sunt, de quibus dictum est,* [c] *Novit Dominus, qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum*, Cant. 2. Atque hactenus de Ecclesia disseruimus.

a De baptismo contra Donatistas lib. 5. cap. 27. b Eph. 1. c 2. Tim. 2.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GOMARI,

S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris,

EXAMEN CONTROVERSIARUM,

DE GENEALOGIA CHRISTI:

In quo, & *Patrum*, & *posterorum Theologorum*, sententiæ propositæ, ad veritatis defensionem, expenduntur.



Uandoquidem, *Jesu Christi Genealogiam*, Matthæus & Lucas, variè descripserunt, non omnium est eadem, de *veritate*, & *demonstratione* illius, sententia.

Etenim, Christi & Euangelistarum hostes, Judæi, hominesque profani, Matthæum & Lucam, ab historia sacra, mutuoque, dissidere contendunt. Christiani contrà, Euangelistas, Spiritus Sancti afflatu ac directione, sua conscripsisse, certa fide persuasi, de sancta eorum consensione ac veritate, minimè ambigunt. Veruntamen, quanam solida ratione ac via, difficultates, ab adversariis objectæ, commodè queant expediri, non exigua est, opinionum discrepantia. Quidam enim perplexa quorundam priscorum, novorumque auctorum, in hac materia pertractanda, diversitate atque inconstantia attoniti, Labyrinthum inextricabilem suspicantes, concepta desperatione, conticescunt. Alii verò, iis minimè perculsi, sed pio Euangelicæ veritatis (adversus insultus ac ludibria hostium) vindicandæ, studio accensi, laudabili ausu, multisque præclarè observatis, rem aggressi, viam illius, non esse inviam, demonstrarunt.

Quamobrem, quum diu multumque ab eruditis aliquot piisque viris, quid, de tota hac genealogiæ Christi controversia, sentirem, flagitaretur; non potui diutius (licet, tenuis meæ supellectilis, conscius) tam honestæ petitioni, adversari. Parebo igitur tandem, & aliquid jam otii nactus, quid videatur, pro modulo meo, aperiam: ut si vires fortassis, in ardua hac materia, filumque Ariadnes, defuerint; animum tamen, veritatis cupidum ac morigerum, adfuisse comperiant.

Quod si verò, præter morem meum, insignium quorundam virorum, aliter, quàm rei consentaneum videatur, sentientium, opiniones, nominatim libereque discussero, præfiscinè bonaque cum venia, dictum velim. Siquidem eò, nos reluctantes, veritatis amor, & necessaria, adversus auctoritatem (à recta sententia, non raro avertentem) præmunitio: & Clarissimorum denique Theologorum (in pristina sua, de genealogia Christi, opinione rejicienda ac retractanda) exempla, provocarunt. Qua in re, si alicubi aberraro, dictum indictum atque inductum, velim, monitusque, lubens gratoque animo, in rectam viam redibo: ut sua veritati (cui serimus ac servimus) palma tribuatur.

CAPUT PRIMUM.

Quod igitur Deus benè vertat, sacram *Jesu Christi Genealogiam*, tanquam propositi examinis Materiam, in vestibulo illius, proponemus: & *Robertum Stephanum*, in Græcis, secuti, Latinam interpretationem, in Matthæi recensione, *Theodori Bezæ*; in Lucæ verbis, (re ipsa hoc flagitante) novam adjungemus.

MATTHÆI

1. ΒΙ'ΒΛΟΣ γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.

2. Ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Ἰσαὰκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.

3. Ἰούδας δὲ ἐγέννησε τὸν Φαρὲς καὶ τὸν Ζαρὰ ἐκ τῆς Θάμαρ. Φαρὲς δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐσρώμ. Ἐσρὼμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀράμ.

4. Ἀρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀμιναδάβ. Ἀμιναδὰβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ναασσών. Ναασσὼν δὲ ἐγέννησε τὸν Σαλμών.

5. Σαλμὼν δὲ ἐγέννησε τὸν Βοὸζ ἐκ τῆς Ῥαχάβ. Βοὸζ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὠβὴδ ἐκ τῆς Ῥούθ. Ὠβὴδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεσσαί.

6. Ἰεσσαὶ δὲ ἐγέννησε τὸν Δαβὶδ τὸν βασιλέα. Δαβὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν Σολομῶντα ἐκ τῆς Οὐρίου.

7. Σολομὼν δὲ ἐγέννησε τὸν Ῥοβοάμ. Ῥοβοὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀβιά. Ἀβιὰ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀσά.

8. Ἀσὰ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσαφάτ. Ἰωσαφὰτ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωράμ. Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν.

9. Ὀζίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωάθαμ. Ἰωάθαμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀχάζ. Ἀχὰζ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐζεκίαν.

10. Ἐζεκίας δὲ ἐγέννησε τὸν Μανασσῆ. Μανασσῆς δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀμμών. Ἀμμὼν δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσίαν.

11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε [a] τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος.

[a] τὸν Ἰακείμ. Ἰακεὶμ δὲ ἐγέννησε id.

CAPUT I.

1. LIBER generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares & Zara è Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Jesse.

6. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea (*quæ fuerat*) uxor Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Hosiam.

9. Hosias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achas. Achas autem genuit Ezechiam.

10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.

11. Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus, in deportatione Babylonica.

12. Μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος Ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ. Σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν Ζοροβάβελ.

13. Ζοροβάβελ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀβιούδ. Ἀβιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλιακείμ. Ἐλιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀζώρ.

14. Ἀζὼρ δὲ ἐγέννησε τὸν Σαδώκ. Σαδὼκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀχείμ. Ἀχεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλιούδ.

15. Ἐλιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλεάζαρ. Ἐλεάζαρ δὲ ἐγέννησε τὸν Ματθάν. Ματθὰν δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ.

16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ, τὸν ἄνδρα Μαρίας, ἐξ ἧς ἐγεννήθη ΙΗΣΟΥΣ ὁ λεγόμενος Χριστός.

17. Πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαβίδ, γενεαὶ δεκατέσσαρες· καὶ ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, γενεαὶ δεκατέσσαρες· καὶ ἀπὸ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος ἕως τοῦ Χριστοῦ γενεαὶ δεκατέσσαρες.

12. Post verò deportationem Babylonicam Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, ex qua genitus est Jesus qui dicitur Christus.

17. Universæ igitur progenies ab Abraham usque ad David, progenies quatuordecim: & à David, ad deportationem Babylonicam progenies quatuordecim: & à deportatione Babylonica usque ad CHRISTUM, progenies quatuordecim.

LUCÆ

23. ΚΑΙ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλί,

24. Τοῦ Ματθάτ, τοῦ Λευί, τοῦ Μελχί, τοῦ Ἰαννά, τοῦ Ἰωσήφ,
25. Τοῦ Ματταθίου, τοῦ Ἀμώς, τοῦ Ναούμ, τοῦ Ἐσλί, τοῦ Ναγγαί.
26. Τοῦ Μαάθ, τοῦ Ματταθίου, τοῦ Σεμεΐ, τοῦ Ἰωσήφ, τοῦ Ἰούδα,
27. Τοῦ Ἰωαννᾶ, τοῦ Ῥησά, τοῦ Ζοροβάβελ, τοῦ Σαλαθιήλ, τοῦ Νηρί,
28. Τοῦ Μελχί, τοῦ Ἀδδί, τοῦ Κωσάμ, τοῦ Ἐλμωδάμ, τοῦ Ἤρ,
29. Τοῦ Ἰωσή, τοῦ Ἐλιέζερ, τοῦ Ἰαρείμ, τοῦ Ματθάτ, τοῦ Λευί,
30. Τοῦ Συμεών, τοῦ Ἰούδα, τοῦ Ἰωσήφ, τοῦ Ἰωνᾶν, τοῦ Ἐλιακείμ,
31. Τοῦ Μελεά, τοῦ Μαϊνάν, τοῦ Ματταθά, τοῦ Ναθάν, τοῦ Δαβίδ,
32. Τοῦ Ἰεσσαί, τοῦ Ὠβήδ, τοῦ Βοόζ, τοῦ Σαλμών, τοῦ Ναασσών,
33. Τοῦ Ἀμιναδάβ, τοῦ Ἀράμ, τοῦ Ἐσρώμ, τοῦ Φαρές, τοῦ Ἰούδα,
34. Τοῦ Ἰακώβ, τοῦ Ἰσαάκ, τοῦ Ἀβραάμ, τοῦ Θάρα, τοῦ Ναχώρ,
35. Τοῦ Σαρούχ, τοῦ Ῥαγαῦ, τοῦ Φαλέκ, τοῦ Ἐβέρ, τοῦ Σαλᾶ,
36. Τοῦ Καϊνάν, τοῦ Ἀρφαξάδ, τοῦ Σήμ, τοῦ Νῶε, τοῦ Λαμέχ,
37. Τοῦ Μαθουσάλα, τοῦ Ἐνώχ, τοῦ Ἰαρέδ, τοῦ Μαλελεήλ, τοῦ Καϊνάν,
38. Τοῦ Ἐνώς, τοῦ Σήθ, τοῦ Ἀδάμ, τοῦ Θεοῦ.

CAP. III.

23. ET ipse Jesus incipiebat esse circiter annorum triginta, existens (quum putaretur filius Joseph) [filius] Heli.

24. Matthati, Levi, Melchi, Jannæ, Josephi,
25. Mattathiæ, Amosi, Naum, Esli, Naggæ,
26. Maathi, Mattathiæ, Semei, Josephi, Judæ,
27. Joannæ, Resæ, Zorobabelis, Salathielis, Neri,
28. Melchi, Addi, Cosami, Elmodami, Eri,
29. Jose, Eliezeri, Jarimi, Matthati, Levi,
30. Symeonis, Judæ, Josephi, Jonanis, Eliacimi,
31. Meleæ, Mænanis, Mattathæ, Nathanis, Davidis,
32. Jesse, Obedi, Boozi, Salmonis, Naassonis,
33. Aminadabi, Arami, Esromi, Pharesi, Judæ,
34. Jacobi, Isaaci, Abraami, Tharæ, Nachoris,
35. Saruchi, Ragavi, Phaleci, Heberi, Salæ,
36. Cainanis, Arphaxadi, Semi, Noë, Lamechi,
37. Mathusale, Henochi, Maleleëlis, Cainanis,
38. Henosi, Sethi, Adami, Dei.

CAPUT SECUNDUM.

De Lucæ, & Mosis concordia.

HActenus, *Genealogia Christi*, descripta. Ut autem propositam, examinis illius, telam (Deo duce) ordiamur, expendenda nobis, atque asserenda est illius, *cum Sacris literis, consensio.* Utpote quum neque *Lucas*, in Patriarcharum progenie, cum Mose: neque *Matthæus*, in regum enumeratione, cum aliis Prophetis, congruere videatur. Unde gravis exurgit controversia.

Siquidem, in *Patriarchis* recensendis *Lucas* cap. 3. 36. Salam, Cainanis: & hunc, Arphaxadi filium, asserit: contra verò, Salachum, ab Arphaxado genitum, Gen. 10. 24. tradidit Moses & Propheta 1. Chron. 1. 18. Ac propterea adversarii manifestam, inter eos, patere repugnantiam contendunt.

Veruntamen iniqua omnino est exprobratio. Nam, ut Lucæ verba, sunt ambigua (quum, vel expositionem, vel relationem, indicent) ita *duplici responsione*, objecta contradictio, diluitur. *Primum* enim verba Lucæ, τοῦ Σαλᾶ, τοῦ Καϊνάν, tanquam synonyma, seu hominis unius duo nomina, intelligi possunt: ut, ad nomen Salæ, alterum Cainanis, expositionis gratia (per Appositionem grammaticam) subnectatur. Ut quemadmodum, Rom. 1. 4. χριστοῦ, τοῦ κυρίου *Christi Domini*, hoc est, qui Dominus: ita Salæ, Cainanis, hoc est, qui Cainan, dicatur: ne scilicet quispiam, cum vulgo, LXX. interpretes secutus, binominem Salachum, à Cainane diversum, existimaret. Quo modo, in recensione Apostolorum, Marcus cap. 3. 13. Thaddæum accenset: Matthæus verò binominem indigitans, ait, *Lebbæus dictus Thaddæus.* Qua interpretatione posita, oppositæ ratiocinationis *Antecedens*, nempe Salam, à Luca, Cainanis filium, affirmari, confutatur.

Licet enim verba illa præmissa, τοῦ Σαλᾶ, & similia, sine Appositione ac relatè (τοῦ scilicet υἱοῦ filii Salæ) sint intelligenda, non propterea tamen necesse est, ut, cum additur τοῦ Καϊνάν, eodem modo capiatur. Quoniam voces ac phrases, Sacrarum literarum, quæ, per se, bifariam (ut hoc in loco) intelligi queunt, non semper, pro frequentiori usu; sed, prout subjecti conditio, & Scripturæ analogia flagitat, explicandæ. Quæ interpretationis norma, communi Doctorum hominum consensu, & reipsa (in cujus veritatem aliàs impingeretur) & infinitis pene exemplis, adeo est illustrata, ut quasi radiis solaribus, descripta videatur, & in hac ipsa quoque genealogia, reluceat. Quippe quum, ad vocem τοῦ, in reliquo illius corpore, intellecta vox filii, propriè accipiatur: in capite tamen & calce ejusdem impropriè ac per metaphoram (dum & Christus Josephi filius, & Adamus Dei, recensetur) usurpatur. Ideoque hac prima via, dissensionis objectæ exprobratio, convellitur.

Deinde etsi prior hæc interpretatio deesset, alteraque, quæ vulgò recepta (nempe τοῦ Καϊνάν Cainanis, supple filii: ut relatio sit filii, ad patrem) sola valeret; *Objectionis* tamen *Consequentia*, sua infirmitate collaberetur, & Lucæ, cum Mose, consensus perstabit. Nam licet partim, in verbis, sit diversitas; reipsa tamen, omnino conveniunt. Nam in

in genealogiis interdum, præterito filio, nepos avo subjicitur: ut 1. Chron. 4. 1. inter Churem avum, & nepotem Schobalum, Calebus secundus (pater Schobali 1. Chron. 2. 50.) omittitur. Sicut in apocrypho 4. Ezræ cap. 1. 2. in genealogiæ Ezræ repetitione, inter Azariam & Merajothum, sex nomina (ut è 1. Chro. 6. 7. 8. 9. liquet) prætermissa, apparet. Ita etiam Arphaxadus Salachum, ut avus, per filium Cainanum, mediatè: Cainan verò eundem, ut pater proximè generavit. Ac priori modo, Moses: posteriori verò Lucas, consentaneè intelligetur.

Sed nova rursus, eaque *duplex*, emergit *difficultas*. *Prima* est, quòd quum, rem istam, prætereat Moses, quanam ratione, eam Lucas cognoscere, potuerit? & quid ipsum, ad explicandum, commoverit?

Cognoscere, inquam, potuit, primùm opinione verisimili, ex prisca majorum traditione: cujus, in LXX. Interpretum versione (licet, in annorum numeris, mirificè vitiata) luculentum extat indicium. Deinde certa, per Spiritus Sancti revelationem, scientia percepit: ejusdemque jussu, genealogiæ inseruit.

Cujusmodi conspicua, in Veteri & Novo Testamento, exempla, comparent: in quibus nonnulla, à Mose prætérita, nihilominus referuntur. Nam 1. Chron. 7. 21. *cædes filiorum Ephraimi*, narratur: quæ, apud Mosem, in historia eorum, minimè reperitur. Similiter, *Iannes* & *Iambres*, magorum (qui Mosi in Ægypto restiterunt) nomina, à Paulo Apostolo, 2. Timoth. 3. 8. recensentur. Quæ sanè, non è Mosis historia (in qua nulla, eorum nominum, fit mentio) sed ex antiqua traditione (ut ex Chaldæa, quæ Jonathani adscribitur paraphrasi, Exod. 7. patet) potuerunt ipsi esse cognita: & Spiritus Dei instinctu ac gubernatione, certò patefacta ac stabilita. Quibus etiam modis, Judas versu 14. & 15. *Henochi Prophetiam* (nullis Prophetarum libris memoratam) percepit, & posteritati, sua Epistola, Deo inspirante, commendavit. Quare absonum non est, si Lucas Cainanem, à Mose olim præteritum: non solùm Spiritus Sancti patefactione cognoverit; sed etiam ductu illius, Arphaxadi filium declararit. Neque hoc loco curiositati laxandæ sunt habenæ, ut inquiramus, quid causæ sit, cur ea, quæ à Mose aut prioribus Prophetis, in narratione sunt omissa, à posteris, Prophetis aut Apostolis, describantur? quia & placitum Dei, & sapientia illius inscrutabilis, in hujusmodi tractationis modo, ad ora mentemque coërcenda, & modestè acquiescendum, sufficiunt. Verùm hoc primo jam remoto, *alter*, ac gravior, inde oritur *scrupulus*: quod, hæc Lucæ narratio, ipsi naturæ (uti obtendunt) adversetur. Nam quum Arphaxadus, natus annos triginta quinque Salachum genuerit, Genes. 11. 12. qua ratione, avus illius esse potuit? optimè inquam. Quamvis enim matrimonia, priscis ac primis illis temporibus, tardius contrahi solerent, quidni ferre potuit natura (multò sanè, quam nostra tempestate, vegetior) ut Arphaxadus citius conjugatus, anno genuerit decimo octavo Cainanem: & Cainan, decimo septimo Salachum: atque ita anni triginta quinque Arphaxadi, compleantur? Quumque Deo secundante, præter morem supraque vires naturæ, tum temporis ordinarias, [a] Booz, Obed, Isai, filios suos tardius, minimum centum annos nati, singuli genuerint (ut Chronologia sacra demonstrat) an mirum videbitur, si viribus naturæ idoneis instructi, sed consuetudine citius, Cainan & Selachus, conjugati, prolem procrearint?

a Genes. 17. 17.

Non enim hic opus est, ista Lyrani conciliatione, qua ait; *Ad concordiam hujus, potest dici, quod iste Cainan, fuit Pater Sala legalis, sive, adoptivus: Arphaxad verò Pater naturalis. Quasi scilicet sensus esset, qui Sala fuit Cainani, & fuit Arphaxadi, filius.*

Quippe ea, quam attulimus explicatio, neque Scripturæ, neque naturæ, adversatur. Ideoque hoc modo propositum initio nodum, malim tutò solvere, quàm (nulla urgente necessitate) vitii alicujus, in genealogiæ verbis, agnitione, vel rigidè secare: vel arctius etiam constringere. Quasi scilicet error aliquis, vel descriptorum culpa esset commissus, ut *M. Flaccus Illyricus* [a], *Kemnitius* [b], & *Ægydius Hunnius* [c], *Beza* [d], *Pareus* [e], *Piscator* [f] censent) vel ab ipso Luca, non approbatione, sed concessione quadam historica, admissus: ut, post *Cajetanum* [g], *D. Iunius* [h] existimavit. Quod verò Cajetanus, textum Hebræum, qui jam exstat, mancum, sed Græcum LXX. Interpretum, integrum, secunda responsione conjicit, illud viro erudito, & plurimorum, interpretationis Græcæ, errorum non ignaro, indignissimum. Optarim etiam viros illos reverendos, optimeque de Ecclesia Christi, Sacrarum literarum illustratione, meritos, penitius rem istam considerasse atque expendisse diligentius! Nec enim dubito, quin, malè exauctoratam Cainanis vocem, sine difficultate, retinuissent.

a In Glossa. b C. 3. In Harmonia Euan. c Prælect. in Gen. 10. d Annot. Luc. 3. e Comment. Gen. 10. f Analys. Luc. 3. g Annot. Luc. 3. resp. 1. h Parallelis Sacris.

Nam, quod Clariss. *Beza* ait, Luc. 3. v. 36. [*Filii Arphaxad* τοῦ Ἀρφαξάδ] *Ante hoc nomen, legitur* τοῦ Καϊνάν· *quod non dubitavi expungere, secutus auctoritatem Mosis, Gen.* 11. 12. *& mei vetustissimi codicis:* illud, inquam, nec satis reverenter factum: nec firmis rationibus munitum. Quia major reverentia Scripturæ debetur; quam ut ei falcem, adeò facilè immittamus: quum δευτέραι φροντίδες, citra mutationem, potuissent tandem satisfacere. Nam ut locum Matth. 1. v. 11. quem initio (codicem unum atque alterum secutus) mutarat, tandem, in postrema editione, re melius perpensa, pristinæ integritati, restituit: ita & hoc loco potuisset, recta ratione, accuratius subducta, nihil expungendum, judicare. Nam nec Mosis auctoritas (ut antea ostendimus) Cainani obstat: nec unus ille (quem vetustissimum vocat) codex, tantæ videtur esse antiquitatis, ut reliquis omnibus, & priscis Patribus, sit conferendus, nedum præferendus: neque tantæ sinceritatis, ut fidem, præ cæteris, mereatur. Quis enim non videat, codicem illum, adeo laudatum, in hac ipsa genealogia, imperitò conciliandi studio, ab homine aliquo temerario, magna ex parte, depravatum. Cujus rei luculentum, ac fœcundum, prodit exemplum, ipsemet D. Beza Luc. 3. 23. Quippe resectis omnibus, inde à Josepho, ad Davidem, positis, à Luca, nominibus, in eorum locum, diversa, ac longè pauciora (perversa Matthæi imitatione) per Matthanem, ad ipsum Salomonem, assurgendo (ut imperitioribus imponeret) supposuit. Quæ memorabilis, & ignota universæ antiquitati, corruptela ac perfidia, fidem huic codici, non immeritò derogat.

Ac licet *Hieronymus* (quod *D. Pareus*, in suis ad Genesin commentariis, urget) in Quæstionibus suis, in Genesin, Cainanis non meminerit, perparum refert. Meminit enim alibi, non obscurè, Epistola nimirum ad Damasum; *Ajunt*, inquit, *ab Adam, usque ad Christum, generationes septuaginta septem. Lege Lucam Euangelistam, & invenies, ita esse, ut dicimus.* Idemque observat, Hieronymo coætaneus, *Augustinus*, de consensu Euangelistarum, lib. 2. cap. 4. *Ideo* (inquit) *& in eo numero, qui est penes Lucam, & ipse Christus, à quo incipit enumeratio, & Deus, ad quem pervenit, connumerantur, & fit numerus septuaginta septem, quo significatur, omnium, prorsus remissio & abolitio, peccatorum.* Et Quæst. Euangelicarum, lib. 2. cap. 4. *Septuaginta* (inquit) *septem personæ, secundùm generationes, quas Lucas secutus est, inveniuntur.* Et contra faustum Manichæum lib. 3. cap. 4. *Numerus autem generationum, secundùm Lucam, qui in Baptismo Domini commemoratur, ad septuaginta & septem, perveniat &c.* Hæc ille. Atqui deme Cainanis nomen, numerus ille, non constabit: ideoque, in eo, fuit recensitum.

Qua in re, *Gregorius Nazianzenus*, Hieronymo (discipulo suo [a]) & Augustino, *Oratione* 44. *in sanctam Pentecosten*, præluxit: ubi de Christo, novo Adamo, sic ait; *Qui juxta retrogradam Lucæ descriptionem, à veteri, & sub peccato constituto, Adamo, septuagesimus numeratur.* Et ante Nazianzenum *Epiphanius*, in compendiaria *Oratione, de fide Catholica*, libris contra hæreses, subnexa

a Hier. descript. Ecclesiast. cap. 12. 7.

Gr. pag. 456. Lat. 456. *Catalogus* (inquit) *numeri infertur*, *usque ad Christi adventum. Etenim ab Adam, usque ad Noë, transierunt generationes decem: & à Noë, ad Abraham, alia decem: ab Abrahamo verò, usque ad Davidem, generationes* XIV. *à Davide verò, ad captivitatem, generationes* XIV. *& à captivitate, usque ad Christum, generationes quatuordecim. Ut sint ab Adamo usque ad Christum, generationes sexaginta dua.* Hæc ille: in numeris, ab Adamo ad Davidem, Lucam: à Davide ad Christum, Matthæi (cujus meminerat) compendium sequitur. Ac Cainanem, in secunda tessaradecade, complectitur: alioqui ea non constabit.

Ubi obiter etiam tessaradecas secunda, in Latina versione omissa, è Græco (ut fecimus) supplenda. Ideoque minus aptè de Cainane à D. Paræo concluditur; *His rationibus, non dubiè ostenditur, aliquanto post Hieronymi tempora, quocunque modo, in codices Græcos* (LXX. interpretum, & aliorum intelligit) *& Lucam, irrepsisse.* Neque fortiter, satis antiquus & eruditus scriptor, *Beda*, in Lucam, ait; *Neque in Genesi, neque in Verbis dierum, invenitur; sed Arphaxad, Sela vel Sale, filium, nullo interposito, genuisse perhibetur. Sic enim habes; Porro Arphaxad vixit triginta annos* (librarii error videtur ac corrigendus *quinque & triginta annos*) *& genuit Sale. Itemq; in Paralipomenon; Arphaxad autem genuit Sala: qui & ipse genuit Heber. Scite ergo, beatum Lucam, hanc generationem, de septuaginta Interpretum editione, sumpsisse, ubi scriptum est, quod Arphaxad, centum triginta quinque annorum, genuerit Cainan, & ipse Cainan, cum centum triginta fuerat annorum, genuerit Sela. Sed, quid horum sit verius, aut si utrumque, verum esse possit, Deus noverit.* Hæc Beda: cujus dubitationis satio, jam satis discussa. Atque hactenus, de *Luca* & *Mosis*, in *Patriarchis* recensendis, consensione.

CAPUT TERTIUM.

De Matthæi & Prophetarum convenientia prima, in Regibus.

AD *reges* verò quod attinet, *Matthæum* oppugnant adversarii, & in eorum recensione, à *Prophetis discrepare, duplici* (sed non ejusdem ponderis) *argumento*, demonstrare conantur.

Prius enim, ac levius, in eo situm est, quod ille cap. 1. 8. Oziam, Jorami: Sacra verò, ex adverso, historia ipsum, Amaziæ filium, 2. Chron. 26. 1. affirmet. Sed hoc, minoris est momenti, & ab eruditis rectè solutum. Siquidem hæc duo, quæ inter se committere conantur, diversa sunt; non adversa. Amazias enim Oziam (Azariam quoque nominatum, 2. Chron. 15. 7. cum 30.) genuit, tanquam pater, proximè: Joramus verò, ut abavus, per pronepotem Amaziam, remotè, 1. Chron. 3. 11, 12. Quomodo posteri, non solùm patrum suorum, sed avorum etiam, filii passim, in Sacris Literis, nuncupantur. Quod autem Matthæus, tres reges interpositos, omittat, nulla id factum est historiæ læsione, sed opportuno, ad memoriam (in tessaradecadum, Matt. 1. 17. concinnitate) juvandam, compendio.

Alterum verò, de regibus, Josia & Jechonia, argumentum videtur gravius; ac majori difficultate, non paucos, melioris notæ, interpretes, conturbavit. Matthæus enim versu 11. ait; *Josias verò genuit Jechoniam, & fratres ejus, in deportatione Babylonica:* contrà verò Propheta 1. Chron. 3. 16. Jechoniam, Jehojakimi filium, asserit: unde dissensionem eorum liquere objectant.

Cui difficultati bifariam, à priscis posterisque theologis, occurritur. Quidam enim, *Antecedens* illius: alii verò *consequentiam*, pernegant.

Antecedens quidem, quod ea, quæ obtenditur, non sit genuina Matthæi lectio, ob verborum illorum, in vulgatis exemplaribus, mutilationem: qua contingit, ut una, à Matthæo, inter Josiam & Jechoniam, posita generatio, succedente descriptorum vitio, sit prætermissa. Idque, ex eo demonstrari, censent, quod, in hac genealogia, ab Euangelista (ut ipsemet versu 17. concludit) à Davide, ad Babylonicam transmigrationem, generationes quatuordecim, & inde, ad Jesum Christum, totidem sint recensitæ. Ideoque totidem, in recta lectione, contineri.

Neque enim ullo modo verisimile est, quenquam sanæ mentis, extitisse scriptorem, nedum Euangelistam, qui in hujusmodi paucorum nominum colligenda (non dicam describenda) summa, potuerit hallucinari. Atqui, si vulgata illa lectio valeret, in alterutra (secunda videlicet, aut tertia) tessaradecade, una generatio, ad integritatem numeri, perspicuè desideraretur. Quæ quum, vetusto librariorum errore, sit rejecta, ea rursus, non levi conjectura, aut codicum, incertæ fidei, lectione, sed ex Matthæi (rationem numerorum rectè subducentis, & ita Dei providentiâ, corruptelæ occurrentis) manifesto indicio è Sacra Historia, in pristinum locum, restituenda.

Ac propterea aliam pleniorem ac genuinam lectionem proferunt; sed, reipsa convenientes, nominum varietate, discrepant.

Quidam enim, hac ratione, in accuratis, hujus Genealogiæ, exemplaribus, post illa verba, *Iosias autem genuit Iechoniam*, legendum censent; Ἰεχονίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν *Iechonias autem genuit Iechoniam:* quod videlicet Joakimus, filio suo Jechoniæ, fuerit etiam cognominis. Quæ sententia, ab *Epiphanio* (hæresi octava, contra Epicuræos) proponitur. *Quamvis* ut rectè ait Beza) *nisi in ipsa recensione, patrum & filiorum (nisi, quod arbitror, corruptus est codex) hallucinetur.* Suam autem *Epiphanius* sententiam, hac ratione comprobat; *Et nemo* (inquit) *de hoc ambigat, imo potius miretur, exactam rationem, hoc loco, utiliter studiosis expositam, qui, Christianæ doctrinæ gratia, sincera exemplaria, contingere volunt. Qui sanè statim, cum utilitate, benevoli esse cogentur, ubi lucrati fuerint dictum hoc, quod à quibusdam, indoctis rerum Euangelicarum, ad ambiguitatem, velut emendandi gratia, deletum est. Nam quum Sanctus Matthæus, trifariam enumeret generationes, & ab Abraham, usque ad David, recenseat quatuordecim generationes: duo priores numeri, clari reperiuntur, nullum defectum habentes: ad Jechoniam enim, tempora continent. Verum tertius numerus, non item, quatuordecim generationum, reperitur, (ut, juxta successionem nominum, complementum habeat) sed decem & trium. Nam aliqui Iechoniam, cum altero Iechonia, reperientes, numerum duplicatum, esse putaverunt. Non erat autem duplicatio; sed numerus clarus. Ex nomine enim patris, filius nominatus fuit, Jechonias Iechonia. Itaque detracto, pro pietatis studio, uno nomine, ex ignorantia, defectuosum fecerunt propositum argumentum, juxta numeri, quatuordecim nominum, promissionem, & multi experimenti habitum, corruperunt.* Hactenus Epiphanius, *& restitutæ lectionis primus modus.*

Alter verò est hujusmodi, Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακείμ. Ἰακείμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, *Iosias autem, genuit Jakim. Jakim autem, genuit Iechoniam*, quæ lectio, & sacræ 2. Reg. 26. 6. historiæ, consonat: & antiquorum exemplarium fide stabilitur.

Primùm enim *Iacobus Faber Stapulensis*, scriptor eruditus, postquam Christi genealogiam, ad Matth. 1. hac serie, produxisset, subjicit; *De hac, locutus videtur, & sacer Hieronymus. Estque omnium numerus,* XLII. *Hac quoque habetur, ex vetusto archetypo Græco: ubi Ioakim (qui nobis deest) vicesimo octavo loco ponitur. Et hæc tessaradecadum ordinatio, cum ex antiquis, tum ex 1. Paral. 3. desumpta, magis veritati, & menti Euangelistæ, congruere videtur.* Hactenus Faber. Cujus archetypo, manuscriptus atque antiquus codex Græcus decimus quartus, in Græca Novi Testamenti, majori forma, à *Roberto Stephano*, anno MDL. editione adhibitus, & ad oram hujus versus citatus, accedit: ut cap. 1. proposuimus. Quam etiam lectionem, in ipso genealogiæ contextu, *Henricus Stephanus*, in accuratissima sua Novi

Novi Testamenti Græci, anno M.D. LXXVI. editione, expressit.

Quemadmodum, hac in re Parisiis, *Simon Colinæus*, anno M.D. XXXIV. sua industria (nisi quod, pro Ἰωακίμ, plenius, cum Stapulensi, habet Ἰωακείμ) antecessit. Utramque verò, cum Epiphanii (nisi potius sit Hieronymi, de quo postea) tum Fabri, lectionem (quasi simili, inter se, probabilitate nixam) præclarus ille theologus, *Martinus Bucerus*, ancipiti licet sententia, comprobavit. Sic enim ad Matthæi cap. 1. 17. ait; *Secunda tessaradecas, incipiens à Salomone, in Iechonia finitur. Quem, nisi repetas, & caput constituas tertia, ea non habebit generationes quatuordecim. Unde duos Iechonias, hoc est, patrem Iojacim, & filium Iojachin (qui vocatus, Iechanja) fateamur oportet: aut quod, scriptorum vitio, pro Ioacim, patre Iechanja, irrepserit Iechonias: ut eodem, & pater, & filius, nomine legantur. Nam Faber Stapulensis (eruditione & pietate, venerandus senex) meminit hoc loco, ex veteri quodam archetypo Græco, ubi nos Iechoniam habemus, legi Ioacim* &c. *ita, si posteriorem Iechoniam, filium prioris intelligas, constabit & hæc tertia tessaradecas, habens suas generationes quatuordecim: sive hic Iechonia nomine, vocatus fuit, sive irrepsit id nominis, pro Ioacim. Pater enim, secundum tessaradecadem, finiet: & filius, tertiam incipiet.* Hactenus Bucerus. Eandem etiam, Fabri & codicis Roberti Stephani, lectionem, *Biblia Gallica postrema*, & *Germanica Piscatoris*, & priores *Bezæ*, *Novi Testamenti, editiones*, tanquam genuinam, expresserunt: & in sua Harmonia, cum *Calvinus*, tum *Kemnitius*, verisimilem censuerunt. Atque hæc de *primo Responsionis modo*, qui, in *negatione Antecedentis*, consistit.

Quomodo, rejecta illa, quæ objicitur lectione, tanquam scriptorum vitio depravata, Matthæi veritas, illæsa conservatur.

Alter verò *modus*, concesso antecedente, agnitaque ea, quæ opponitur, vulgoque extat, lectione, *Consequentiam*, tanquam infirmam, sed diversa sententia, negat. *Quidam* enim utrimque, & versu 11. & 12. Jechoniam intelligi, & à Josia, ut avo, mediatè genitum, dici: & quasi in angulo constitutum (ob duplicem conditionem, regiam, ante transportationem, & post eam, privatam) pro duplici genere, censeri statuunt. Quæ opinio, est *Augustini*, De consensu Euangelistarum, lib. 2. cap. 4. & Quæstionum Euangelicarum, lib. 2. cap. 5. Sic etiam, *vetusti auctoris*, in Matthæum, *homilia Latina*, Chrysostomo adscriptæ. Sed hanc opinionem Matthæi, de numero generationum, cap. 1. 17. definitio, non admittit. Siquidem, nominis & hominis unius, repetitio, generatio duplex dici non potest.

Alii igitur accommodatius, eodem Jechoniæ nomine homonymo, duos diversos homines, designari, censent. Ut Jechonias, priori loco, sit pater, nempe Joacimus: posteriori verò, filius ipsius, Jechonias dictus. Ideoque hæc verba, & cum sacra Historia, & cum tessaradecadum versu 17. supputatione, ad amussim conveniunt. Quæ sententia, est *Ambrosii*, in Luc. 3. & *Hieronymi*. Quam *Lyranus* sequitur, & in Annotationibus suis, proponit *Erasmus*, & *Beza*, in postrema Annotationum Novi Testamenti, editione (priori suâ sententiâ ac lectione ingenuè repudiatâ) similiter recitat ac probat, quum ait, omnium autem appositissimè, Hieronymus in hunc locum; *Sciamus* (inquit) *Iechoniam priorem, ipsum esse, quem & Ioakim: secundum autem filium; non patrem. Quorum prior per K & M, & sequens, per CH & N, scribitur. Quod, scriptorum vitio, & longitudine temporum, apud Græcos Latinosque, confusum est.* Hæc ille rectissimè. Quibus Bezæ verbis illustrandis, addi potest consentanea *Hieronymi*, è *Commentariis* in *Dan.* cap. 1. sententia; *Et ob hanc* (inquit) *causam, in Euangelio, secundùm Matthæum, una videtur deesse generatio: quia secunda τεσσαρεσ-δεκὰς, in Ioakim, desinit, filio Josiæ: & tertia incipit à Joakin, filio Ioachin. Quod ignorans Porphyrius, calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam: dum Euangelistæ Matthæi, arguere nititur, falsitatem.*

Hæc ille: Eamque, post Bezam, aliosque pios & eruditos theologos, *Benedictus Aretius*, sententiam, sibi arridere, Commentariis in Matthæi c. 1. profitetur. Atque hæc quoque, de *altero*, *Responsionis* ac conciliationis, *modo*, disseruimus. Uterque enim (nimirum, sive objectionis propositæ, Antecedens: sive Consequentiam, rejiciamus) verisimilis est, & Apostolum perspicuè, ab objecto falsi crimine, vindicat, ac tuetur.

Neque sanè video, quomodo alterutrum, solidè queat confutari: idque plenius ac planius, ex eorum, quæ opponuntur, examine penitiori, elucebit.

Nam, quod Beza, primum illum (quem initio probarat) modum (quo legendum statuitur; *Josias autem genuit Joakimum. Ioakimus autem, genuit Iechoniam, & fratres ejus, &c.*) cum Historiis sacris, minimè congruere, censet: quod hæ, nullos Jechoniæ, Joakimi filio, fratres attribuant: illud aliquam, prima fronte (si quorundam 1. Chron. 3. 16. versionem audiamus) veri speciem prætendit; sed, liquida veritate, destituitur. Quandoquidem contrarium, ex eo loco, non obscurè, colligi potest: ut D. Piscator etiam rectè judicavit. Idque ipsa historiæ verba (per ellipsin copulæ, &, reddenda) demonstrant; *Filii verò* (inquit) *Iehojakimi Iechonia filius ejus:* [&] *Tsidkia filius ejus.* Nam, si Jehojakim habuit filios: ergo Jechonia filius ejus, habuit fratres aut saltem fratrem Tsidkiam nimirum juniorem, patruo suo, 1. Chron. 3. 15. cognominem, & posteros illius (qui licet in Sacris Literis, quòd pater ipsorum non esset primogenitus, pro more reticeantur) fratrum etiam nomine, consueta usurpatione, continentur. Quemadmodum Abrahamus, se, fratrisque sui filium, Lothum, Gen. 13. 8. *fratres*, nominat: ob communem Therachum patrem, licet dispari gradu: primo quidem, Abrahami; secundo verò, Lothi, cujus erat avus, Gen. 11. 31. Similiter Jechonias, non solùm Tsidkiam habuit fratrem, ut ex eodem patre, eodem gradu, ortum; sed etiam filios ipsius, tanquam patruus: utpote, ab eodem patre Joakimo sed inæquali gradu prognatos.

Quare proposita, sententiæ Matthæi, in integrum restitutio, permanet verisimilis, & retundendis, adversariorum Euangelii, calumniis, opportuna; non tamen (ut *Piscator* appellat) necessaria. Utpote quum sine illius subsidio, ex altera, cum Hieronymo, explicatione, non incommoda conciliatio, instituatur.

Idque ex duarum, quæ occurrunt, *difficultatum* discussione, constabit. *Prima* est, sumi quidem ab Hieronymo, Joakimum, filio suo Jechoniæ, fuisse cognominem; sed non probari. *Altera* est, quod hoc modo, genealogiæ catena, præter Scripturæ morem, indignè dissolvatur: si connexio illa; Joakimus verò, genuit Jechoniam, desideretur. Quæ ratio, tanti est momenti, ut Epiphanium (sicut antea ostendimus) commoverit, ut verba illa; *Iechonias verò, genuit Jechoniam*, ab indocto aliquo homine, emendandi studio, deleta, &, ad integritatem loci, restituenda, asseruerit.

Veruntamen, si accuratius scrutari lubeat, rem utrinque, in vado esse, comperiemus.

Primum enim, quum reges Judæorum, non pauci (pro gentis suæ more) fuerint binomines, aut etiam trinomines: quid vetat, quo minus Joacimus (licet Eliacim quoque 2. Reg. 23. 34. dictus) commune insuper, cum filio suo Jechonia, habuerit nomen: idque Matthæo, per Spiritum Dei, mentem calamumque, imbuentem ac dirigentem, innotuerit? Præsertim quum similia, in prima Lucæ, cum Mose, conciliatione, à nobis proposita sint exempla.

Deinde insolens non est, ut, in genealogiis interdum, connexio laxetur, & ita generatio, quodammodo innuatur potius, diversi nominis indicio; quàm exprimatur. Siquidem illustria illius, in Sacris Literis, extant documenta: ut, ex primo Chronicorum libro; apparet. Postquam enim cap. 3. 17. dictum est, *Salathiel, filius ejus*, omissa connexione hac; *Filii verò Salathielis*, subjicitur, *Et Malchiram, & Pedaja* &c. quod, ab eruditis Hebræorum magistris, observatum: ut *David Kimchi*, ad illa verba; *Omnes* (inquit) *illi filii Salathielis: quod, compendiosa via, complectitur. Neque ait, Et filii Salathielis: quia res intelligebatur quod recenseret patrem, & filios ejus omnes.* Hæc Kimchi.

Ideoque non est μέγα λίαν αἴτημα (ut *Piscator* censuit) quod clarissimi viri, *Tremellius* & *D. Junius*, sua interpretatione ac paraphrasi, eo modo declararunt. Præsertim quum Scriptura, disertè, in Salathielis posteritate describenda (ut postea apparebit) patrocinetur. Sed, ne dubitationis ullius amplius sit locus, idem clarissimè, duobus aliis, ex 1. Chron. 6. exemplis, demonstratur. Postquam enim, in filiorum Ceathi genealogia, versu 24. dictum esset: *Tachath, filius ejus, Vriel, filius ejus, & Schaul filius ejus*, cœpta ac consueta negligitur connexio, nempe; *Et Elkana, filius ejus*. Sequitur enim, versu 25. *Et filii Elkana, Hamasai*. Similiter, versu 27. *Eliab, filius ejus, Jerocham filius ejus, Elkana filius ejus:* omittitur connexio ista; *Schemuel filius ejus:* ut sequentia ostendunt. Additur enim versu 28. *Filii verò Schemuelis, primogenitus Vaschni, &c.* Ideoque insignes illi (quorum modo meminimus) interpretes, paraphrasi sua, claritatis causâ, utroque loco, connexionem suppleverunt. Utque connexionis, utraque interruptio, ex reipsa (uti jam ostendimus) elucet: sic etiam, ex repetita, & ordine retrogrado, plenius connexa, in sequentibus, versu 33. & 36. genealogia, manifestè convincitur. Ubi & illud obiter observandum, quum non pauci, in hac genealogia recensiti, fuerint binomines, in repetitione illius, prius nomen, cum altero; in plerisque, permutatum. Adeo ut inde, nominis Joacimi, cum Jechonia synonymo (de quo ante disseruimus) commutatio, minus insolens videri debeat.

Quare, etiam hac ratione, sarta tectaque esse poterit Hieronymi, sine lectionis Matthæi mutatione, responsio. Quæ sibi (ut videtur) ob simplicitatem, & lectionis illius, quæ frequentissima est, conservationem, primas vendicat: altera vero, commoda ratione, secundas. Utile enim est (ut alicubi rectè monet Augustinus) diversas, ac probabiles, unius loci controversi expositiones concurrere, ut eo fortius, adversariorum tela retundantur: & imperitioribus, uberius satisfiat. Idque, in hujus difficultatis discussione mediocriter factum, speramus.

Nam scrupulus ille reliquus, qui, ex illis verbis, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος *in transportatione Babylonica*, concipitur: ab eruditis interpretibus, satis commodè est sublatus.

Quum enim *objicitur*, eam orationem, cum Historia sacra, non convenire: ut quæ, secundùm Dei promissionem, 2. Chron. 34. 28. Josiam, aliquot annos, ante captivitatem Jojakimi, 2. Reg. 24. 1. obiisse commemoret: ideoque in captivitate genuisse, verè dici non possit: illud (inquam) opportuna constructione, diluunt. Quod videlicet, vox ἐπὶ *in*, non ad verbum remotius, *genuit*, sed ad proximum, *fratres ejus*, trita pronominis, τοὺς, & verbi substantivi, ellipsi, hoc modo referatur, τοὺς γενηθέντας ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, qui fuerunt, in deportatione Babylonica: seu, tempore illius: ut Beza, D. Junius, & Piscator, eruditè observarunt.

Veruntamen, quid si etiam, quod obtendunt, obtinerent adversarii, ea verba, non aliò, quam ad vocem, *genuit*, referri oportere, Matthæum non læderent: quum, alia interpretatione, succurri queat. Nam licet vox ἐπὶ, cum Genitivo juncta, sæpius voci *in*, cum Ablativo, Latinis respondeat: frequenti tamen antiptosi (non secus atque si Accusativum regeret) pro εἰς sive ἐς *in* & *ad* (cum quarto casu) usurpatur. Quemadmodum ad illustre illud Homeri Iliados γ versu 5. de gruibus, exemplum; πέτονται, ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων *volant ad oceani fluenta*, Eustathius monet, vocem ἐπὶ, eodem sensu, maximè apud historicos, usitatam. Nec immeritò: ut *Herodotus* & *Thucydides*, historiarum principes, demonstrarunt. Ille quidem edit. H. Steph. l. 1. pag. 1. ἀποπλέοντες ἐπ' Αἰγύπτου, *Abnavigantes in Ægyptum*, & pag. 25. ἐπὶ κναφήϊον ἕλκων *in officinam fullonis trahens*. Et lib. 2. pag. 58. ἐπ' Αἰθιοπίης, item ἐπὶ Συρίης *ad Æthiopiam: ad Syriam*, &c. Hic verò, edit. Steph. lib. 1. pag. 12. & 19. ἀνεχώρησαν ἐπ' οἴκου *domum versus reversi sunt:* cui simile pag. 18. & 29. & 36. ubi ter occurrit. Et pag. 20. ἀφικνοῦνται ἐπὶ Θρᾴκης *perveniunt in Thraciam*. Sensus igitur, hoc loco, Matthæi esse poterit, quòd *Iosias, Iechoniam* (nempe seniorem, hoc est Joakimum) *genuit*, non in transportatione; sed *in*, sive ad, *transportationem Babylonicam:* ut ita, non tempus generationis, sed consecutus atque observandus, tristis geniti eventus, indicetur. Aut (quod *Tremellius*, ad Syrum Matthæi interpretem, monet) ut vox *in* pro *sub*, vel *circiter*, accipiatur: hoc est, quum deportatio illa immineret: ut etiam *Lyranus* exponit. A quo sensu, vocis ἐπὶ pro *ad*, usurpatæ, significatio, non abludit.

Quibus, vocis μετὰ *post*, apposita oppositio, egregiè convenit, quod videlicet antea, generationes captivitatem (quæ in Joakimo cœpit) præcedentes, sint expositæ: quibus, eam subsecutæ, subnectantur. Quemadmodum versu 17. ait, *A David usque ad transportationem Babylonicam, generationes quatuordecim: & post transportationem*, &c. Atque ita concinna erit sententia, ut verba illa, ἐπὶ μετοικεσίας in (vel ad) *transportationem*, ad Joakimum (Jechoniæ primi nomine intellectum) solummodo referantur: & reliqua illa, *& fratres ejus*, per parenthesin sint inserta. Quemadmodum postrema interdum verba (ubi res postulat) ad remotius antecedens, pertinent: ut Genes. 10. 12. *inter Niniven & inter Celachum: illa* (Ninive scilicet) *est civitas maxima*, aliisque locis (quos eruditi interpretes ibidem, & alibi, observarunt) constat. Deinde fieri etiam potest, ut verba illa, *in deportationem*, ad proximum antecedens, synecdochicè referantur. Quia fratres ipsius Joacimi, in deportationem geniti, non omnes quidem, sed Tsidkias, ut frater proximus, & hujus filii, ut fratres remoti. Hoc tamen discrimine, quod hi, in deportationis aditu, cæsi: ille verò, deportatus, 2. Reg. 25. 7.

Quocirca hoc modo, *prima* Matthæi, in *regibus recensendis*, cum Historia sacra, consensione asserta, ulterius procedemus.

CAPUT QUARTUM.

De Matthæi cum Prophetis, convenientia secunda, in Ducibus.

Siquidem, alia *de Salathielis & Sorobabelis*, ducum posterorum, *origine*, succedit (sed minori discrimine) *controversia*.

Nec enim, divinam genealogiæ auctoritatem, attingit; sed rectam illius & quorundam, Veteris testamenti, locorum, sententiam. Nam de Salathielis genere, Matthæus versu 12. sic ait; *post transportationem verò Babylonicam, Iechonias, genuit Salathielem:* idemque antea, à Propheta, 1. Chron. 3. 17. consentaneè traditum: *Filii verò Iechonia, Assir, Schealthiel filius ejus.* Ubi obiter hoc notandum, quod quidam, vocem Hebræam, *Assir*, non esse, hoc in loco, nomen commune, sed proprium, arbitrantur. Quomodo LXX. *Interpretes, D. Kimchi* ac *prisci* (ut ait) *Hebræorum magistri*, vetus ac *vulgata* Latina *versio, Santes Pagninus, Cornelius Bertramus* Lucubrat. Frankental. cap. 6. aliique non pauci, acceperunt.

Alii verò, communi vocis significatione retenta, *vinctum*, interpretantur: ut, ex D. Luthero, & *D. Junio*, aliisque apparet. Utrovis autem modo, intelligamus, genealogia Christi, cum historia sacra, perspicuè congruet. Sed hoc disquiritur; An Jechonias propriè, an verò impropriè, Salathielem genuisse, dicatur. Prius affirmant, veteres *Rabbini:* ut *David Kimchi*, in Commentariis, ad 1. Chron. 3. attestatur: & *Hieronymus*, in suis ad Jerem. 22. commentariis agnoscit. *Natus* (inquit) *est, de Ioakim, Iechonias: de Iechonia, Salathiel: de Salathiel, Sorobabel: & per ordinem venitur ad Christum.* Posterius verò inter alios *D. Tremellius* & *Iunius*, amplectuntur. Quorum sententiam & argumenta, *Biblia Gallica* postremò recognita, Germanica *Piscatoris*, & *Cornelius Bertramus*, Lucub. Franketal. cap. 6. sequuntur. *Sententiam* autem ita proponunt, quod Jechonias, Salathielem, tanquam sanguine proximum, habuerit successorem: ipsumque propterea, per metaphoram, genuisse dicatur. Idque, *duobus argumentis*, stabilire nituntur.

Quorum

Quorum *prius* eſt, quod Jechonias, ſine liberis obierit. Ut Jeremiæ vaticinio cap. 22. prædictum, contendunt: *alterum* verò Salathielem filium fuiſſe Neri, ex Nathanis poſteris, Luc. 3. 27. ideoque Jechoniæ (ex Salomonis genere, oriundi) filium, non niſi impropriè, appellari.

Verùm, ſi quis id rectè expendat, & propoſitam, hujus ſententiæ, *hypotheſin*, Scripturæ uſu: & *argumenta* illius, nervis deſtitui comperiet.

Nam, ad hypotheſin quod attinet: quam ſententiæ ſuæ (velut firmam & extra controverſiam poſitam) ſubſternunt, quaſi *gignere*, idem interdum, ac ſucceſſorem in regno habere, denotaret, prorſus videtur inſolens.

Excipiunt quidem Tſidkiam, licet patruum Jechoniæ nihilominus filium (ſimilitudine quadam, cum filio) ob ſucceſſionem in regno, 1. Chron. 3. 16. nominari. Sed hoc omnino alienum eſt: partim à ſcopo; nobis propoſito: quia non de filii (quæ minus latè patet) ſed, de gignendi voce, diſceptatur: partim, à Sacrarum literarum, phraſi: quæ novam illam, *filii* ſignificationem, nequaquam agnoſcit. Neque loci circumſtantia, hoc flagitat: ſed potius, tanquam omnino importunum, & à perpetuo, in genealogiis, ordine, abhorrens, adverſatur. Quumque verſu 15. Tſidkiam, cum fratre ipſius Jehojakimo, Joſiæ filiis accenſuerit: quonam, quæſo, colore, idem rurſus, ſequenti verſu, Jechoniæ filius, hoc eſt, Jehojakimi nepos, recenſebitur? Ordinis ſanè ratio, patrum diverſorum mentio, & genealogiæ (ſucceſſionem generis, non regni, profitentis) inſtitutio, diverſos homines; ſed ejuſdem nominis (priori loco, patrem; poſteriori, fratris ipſius filium) propriè intelligendos arguit. Unde, *hypotheſeos* memoratæ, *infirmitas* ſatis conſpicitur.

Neque eſt, cur *argumenta*, quæ, ad eam fulciendam, obtenduntur, nos moveant: quum peræquè appareant invalida: licet prius, altero ſit ſpecioſius.

Nam, quod ex *Jeremiæ* cap. 22. 30. Jechoniam liberis caruiſſe, ideoque Salathielem, filium illius, propriè dici, non poſſe, *objectant*: bifariam diluitur. Quippe neque antecedens *Propoſitio*, eſt certa: neque *Conſequentia*, neceſſaria.

Propoſitio enim, cum inſignibus auctoribus, juſtaque ratione, negari poteſt. Nam vox Hebræa *Gnhariri* (qua Jeremias, eo in loco, utitur) à generali ſua ſignificatione, per metaphoram, tranſlata, non uno modo, intelligi poteſt. Siquidem ea, à verbo *Gnharar*, ejuſdem cum affini voce, *Gnhara*, Pſalm. 137. v. 7. ſignificationis (ut *Rabbi* Salomo, ad Gen. 15. 2. teſtatur) derivata, propriè, *deſtructum*, notat: unde, concinna (ob ſimilitudinem) metaphora, ad infelicem ac miſerum, transfertur: & quidem, vel liberis, vel patria boniſque, deſtitutum. Prima ſignificatio, Gen. 15. 2. & Levit. 20. 20, 21. altera verò (ex antiquiſſimorum interpretum, ſententia) Jeremiæ cap. 22. 30. uſurpatur. Id quod ſuccinctè, in hujus loci explicatione, complexus eſt Hieronymus; *Pro ſterili* (inquit) *in Hebræo ſcriptum eſt Hhariri: quod Aquilæ prima editio, ſterilem: ſecunda,* ἀναύξητον, *id eſt, non creſcentem: Symmachus, vacuum:* LXX. *& Theodotio, abominabilem & abdicatum, interpretati ſunt.* Hactenus Hieronymus. Cæterum Græcè, apud LXX. eſt ἐκκήρυκτον, voce præconis exterminatum, extorrem: & (ut Heſychius exponit) ἀπόβλητον *abjectum.* Unde, ex horum interpretum ſententia, apparet primùm, illam Jeremiæ vocem, non ſolùm, improlem; ſed etiam extorrem atque abjectum, ſignificare poſſe: ac deinde, hoc loco, ita intelligi oportere. Quæ etiam declaratio, cum ſententiæ circumſtantiis, egregiè conſpirat. Hæc enim verſu 28. præcedunt; *An ſimulacrum contemptum, quod diſpergitur, eſſet vir iſte Conja? An inſtrumentum, in quo nulla delectatio? Cur* ejecti *eſſent ipſe & ſemen ipſius*, & projecti *in terram, quam non norunt?* Sequitur verſu 29. *O terra, terra, audite verbum Iehovæ*, & 30. *Sic ait Iehova; ſcribite virum iſtum Gnhariri (qui) non proſperabitur, in diebus ejus: quia non proſperabitur, de ſemine ejus, quiſquam, ſedens in ſolio Davidis, & dominans amplius in Iehudam.* Quibus verbis, miſeria Jechoniæ, per ejectionem è terra ſua, ac projectionem in alienam: & regni amiſſionem perpetuam, deſcribitur: atque ita revera, *Gnhariri* ejectus, demonſtratur. Unde, *Propoſitionis* objectæ, imbecillitas apparet.

Deinde, licet ea veritati congrueret, Conſequentia tamen (ſeu concluſionis, cum antecedente, connexio) nondum eſſet neceſſaria.

Quia non abſolutè, ſed ratione præſentis, ante captivitatem, ſtatus, *improles*, intelligi poſſet, & ex manifeſta, genealogiæ illius, 1. Chron. 3. 17. & Matthæi 1. 12. deſcriptione, intelligi deberet. Siquidem clara Scripturæ loca, non ex ambiguis & obſcuris, ſunt exponenda: ſed hæc contra, è claris ac diſertis, illuſtranda.

Nam locis indicatis, Jechonias, & genuiſſe, & filios habuiſſe, diſertè pro genealogiæ more, aſſeritur: improles verò à Jeremia (ut volunt) dictus, ambigua voce, nominatur. Quoniam ſic dici poteſt, vel in præſentia, vel in poſterum.

Id quod clariſſimi viri, *Tremellius* & *Iunius*, interpretatione ſua, agnoverunt: quum, ambiguitatis hujus tollendæ gratia, ad vocem illam *Gnhariri* (quam, liberis carentem, vertunt) ne quis, de præſenti tempore, acciperet, vocem, *fore*, minus recta (ut res ipſa evincit) paraphraſi, de ſuo addiderunt. Quippe, & verba antecedentia, verſu 28. & conſequentia, Jechoniæ *ſemen* (hoc eſt prolem) diſertè attribuunt; ſed ipſi ſimile, *Gnhariri*, abjectum atque infelix. Id quod tandem *D. Piſcator*, re melius perpenſa, in poſtrema ſua, Analyſis Matthæi, editione, obſervavit: ac Jechoniam filios habuiſſe (ex evidenti hac ſeminis attributione) ingenuè profitetur, ac priorem ſuam ſententiam (ut loquitur) retractat. Nam quod in ſuis (ad illa Jeremiæ verba) Notis, interpretes, ante memorati, ſemen Jechoniæ, de gente ipſius, exponunt: omiſſum optarim. Quis enim non videat, quàm illud ſit coactum, & à Sacrarum literarum phraſi, diſſentaneum?

Denique, quid ſi etiam, hæc *ſeminis* Jechoniæ, inculcata abeſſet mentio: & vox illa, *fore*, adeſſet, ac carentem liberis fore, comminaretur Deus, nondum conſequentiæ neceſſitas liqueret. Notum enim eſt, pœnarum hujuſmodi, comminationes, ſolere eſſe, non abſolutas; ſed tacita pertinaciæ conditione, circumſcriptas; ut celeberrima illa Dei, per Jeremiam, cap. 18. 7. 8. ſententia: & illuſtria Ninivitarum, aliorumque, exempla demonſtrant. Quo modo veteres Hebræorum doctores (ut D. Kimchi, ad hunc locum teſtatur) hanc, de liberorum defectu, ſententiam, non abſolutè, ſed hâc conditione, niſi reſipiſcerent (ut Ninivitis accidit) propoſitam: ſeriò autem reſipuiſſe (ideoque filios illi, 1. Chron. 3. adſcriptos, carcere exemptum, ſolioque, præ cæteris, ſublimi decoratum) tradiderunt.

Quòd autem Piſcator, in candida ſua, priſtinæ ſententiæ, retractatione, Jechoniam propriè filios habuiſſe, agnoſcit; illud rectè quidem, ex ſeminis (ut oſtendimus) adſcriptione, probat: ſed quòd, filiis carentem fore, cum nonnullis interpretatur, idcirco dictum, quòd nullus eorum, in regno eſſet ſucceſſurus: illud commodè potuiſſet reticere. Quippe, neque ex verbis Jeremiæ, firmiter id concluditur: neque uſu Scripturæ (quæ talem filii ſignificationem, ut paulò antè dictum, ignorat) ſtabilitur.

Atque hæc, de *primi argumenti*, *ſolutione* varia: unde conſtare ſatis arbitror, Salathielem, non impropria, atque inſolenti omnino, ſignificatione, à Jechonia genitum dici, ſed propriè; quod, è ſemine illius fuerit progenitus.

Alterum verò objectum *argumentum*, adeo leve eſt, ut mirandum ſit, viros graviſſimos complures, eo potuiſſe commoveri. Nam licet verum ſit, Salathielem (quem Lucas recenſet) filium fuiſſe Neri, non alium: inde tamen minimè efficitur, idem de Salathiele, apud Matthæum, ſtatuendum: quum ſub iiſdem nominibus, diverſi homines; ac diverſi generis, deſcribantur. Matthæus enim, Salomonis: Lucas contra, Nathanis poſteros, enumerat: ut rectè *Africanus*, aliique Patres orthodoxi, cenſuerunt: &, in ſua *Retractatione Piſcator*, ſincerè agnovit.

Ac propterea, non eſt abſonum, quòd Salathiel, à Luca, filius Neri: à Matthæo contra, Jechoniæ proles, ſtatuatur: ut etiam ex Sorobabele, Salathielis filio, utrimque diverſo, liquere poteſt. Salathiel enim Matthæi, Jechoniæ

filius genuit Sorobabelem, per filium Pedajam 1. Chron. 3. qua de causa Agg. 1. 1. 12. 14. & 2. 3. 24. & alibi sæpe, *Salathielis filius*, hoc est nepos, nominatur. Contra verò Salathiel Lucæ, filius Neri, non nepotem, sed filium habuit, Sorobabelem: quia Lucas, in genealogia, nullos præterit, ut rectè in *Retractatione*, à *Piscatore*, observatum. Neque obstat quicquam, quòd utrimque similiter Salathiel, Sorobabelis pater, declaretur. Siquidem similis, duorum aut plurium, hujusmodi nominum, eodemque ordine succedentium, concursus, accidere potest sæpius: &, in sacris etiam genealogiis, reperitur. Nam de duobus, vel hæc ipsa Lucæ genealogia, fidem facit: quoniam, ut versu 24. ait, *Matthati, Levi*: sic in aliis duobus, eorum posteris, recensendis, versu 29. similiter habet; *Matthati, Levi*. De pluribus verò, 1. Chron. 6. 7. & 8. legitur; *Amarias genuit Achitub, Achitub genuit Sadocum*: idemque, de quatuor eorum nepotibus, totidem vocibus, versu 12. iteratur.

Quamobrem, ex hisce omnibus, constare satis arbitror, Jechoniam Salathielis patrem, verè ac propriè, extitisse: neque alia ratione, Matthæi verba; *Iechonias autem genuit Salathielem: Salathiel autem genuit Sorobabelem*, quàm propriè, accipienda, de filio natura, non aliter. Idque eruditè Augustinus, Quæstionum in Deuteronomium cap. 46. conjecit. *Sorobabel* (inquit) *qui ferè est vigesimus, sursum versus, à Ioseph, apud Lucam: apud Matthæum autem, undecimus. Qui propterea, ideo ipse esse, creditur: quia pater ejus, apud utrumque Euangelistam, Salathiel invenitur. Quamvis fieri potuerit, ut alius fuerit, eodem nomine, habens ejusdem nominis patrem: cujus & ille habuit. Nam, & inde sursum versus, diversi sunt. Alium quippe, habet Sorobabel, avum, apud Lucam, qui est Neri: alium, apud Matthæum, qui est Iechonias. Atque ita superius nusquam, est consonantia, quousque venitur ad David, apud Matthæum per Salomonem: apud Lucam, per Nathan.* Hactenus Augustinus. Ex quibus, *Matthæi*, non minus, quàm Lucæ, cum *Prophetis consensus*, apparet.

CAPUT QUINTUM.

De mutua, Matthæi & Lucæ, congruentia.

Reliquum est igitur, ut *mutuam*, horum Euangelistarum, *in Christi genealogia*, congruentiam, adversus impiorum insultus, pro virili, vindicemus. Hac enim ratione commodissimè, putida illa, *Fausti Manichæi*, calumnia, qua *litem*, Matthæi & Lucæ, *infinitam & interminabilem* [a], traduxit, diluetur: & argumentorum, quæ, ab hostibus, objectantur, vanitas elucescet.

a August. contra Faustum lib. 3. cap. 1.

Sic enim illi *argutati* sunt; Matthæus Josephum, à Jacobo, è Salomonis posteris, genitum asserit: Lucas verò, eundem, Heli, ex Nathanis familia orti, filium affirmat: ideoque, è diametro, inter se dissident: quum fieri nequeat, ut unus, duorum, è diversa prosapia, patrum, sit filius.

Verùm, quum duplex, verborum Lucæ, versu 23. constructio ac distinctio, esse queat: una, ut τοῦ Ἡλὶ, cum Joseph, construatur: altera, ut ab eo, segregetur: ita bifariam quoque, responderi potest. *Priori* enim *modo*, Antecedente concesso, *negatur*, diversa ratione (ab hisce quidem, propter synonymiam: ab aliis verò, ob latentem homonymiam) *Consequentia*.

Sunt enim nonnulli, qui diversis, Jacobi & Heli, nominibus, unum eundemque, Josephi patrem binominem, recenseri arbitrantur.

Verùm, longa illa, diversi generis, numeroque dispar, differentium nominum, continuata, apud Lucam, series, synonymiam illam, minimè admittit: ut eruditè, ab *Augustino*, Quæstionum Euangelicarum lib. 1. cap. 5. demonstratum.

Quare *alii* accommodatius, homonymia, vocis filii, explicata, Euangelistas conciliant, & consequentiam adversariorum confutant.

Filius enim (ut distinctè agamus) alius, *natura* ortus dicitur: qui, è semine patris, genitus: alius contra, lege acquisitus. Ac natura filius esse potest, qui non sit lege acquisitus: lege verò, nemo potest esse, unius filius, qui non sit etiam alterius (vel saltem ejusdem [a]) natura. Lege porrò fit filius, vel gentium communi: vel Israëlitis propria.

a Vide Lucian. in Ἀποκηρυττόμενος.

Communi gentium, vel omnino, per adoptionem: vel quodammodo, per conjugium; quo gener, soceri ac socrus, & privignus, vitrici (ob debitam eorum curam, ac potestatem quasi paternam) filius dicitur. *Propria* verò Israëlitis lege, jure vindicis, Deuter. 25. 5. 6. filius appellatur. Qua lege, proximus, consanguineo suo, sine prole, defuncto, ducta ipsius vidua, ad familiam, ab interitu vindicandam, prolem, defuncto accensendam, suscitare tenebatur. Unde satis liquet, optimè fieri posse, & sæpius contingere, ut idem filius, duos habeat patres, unum natura, alterum lege.

Quemadmodum, Ephraim & Manasses, filii fuerunt Josephi, natura: Jacobi verò, adoptione, Gen. 48. 5. Et Esther natura, alterius: adoptione, Mardochæi patrui, filia, Esth. 2. 7. indicatur. Sic nurus Nahomi, aliis matribus genitæ, Ruth. 1. 8. conjugii tamen, cum filiis ipsius, ratione, filiæ ejusdem, versu 11. & 12. nominantur. Ac filias Jacobi, Genes. 37. 35. ad nurus etiam referunt Hebræi, in Bresith Rabba, teste *Galatino, de arcanis Cathol. verit. lib. 7. cap. 12.* Et ita *Rabbi Salomo*, ex R. Nechamja, ad eundem Mosis locum, exponit. Quod alii tamen aptius, ad filiam genuinam & neptes (quibus nonnulli, nurus annumerant) retulerunt. Similiter ob conjugii, cum matre, reverentiam, ac quasi patriam potestatem, Josephus, *Christi pater*, non natura (ut vulgò perperam opinabantur) sed conjugii, cum matre Christi, jure ac more vitrici, ab ipsamet genitrice, Luc. 2. 48. nuncupatur. Denique, si legem vindicis spectemus, Obedus, natura ac genitura, fuit Boozi, è Rutha (Machlomi improlis, vidua) filius: & simul, pro vindicis lege, posthumus & acquisitus, Machlomi filius. Cujus rei gratiâ, Obedus, matris hujus Nahomi, filius (hoc est nepos) Ruth. 4. 17. celebratur.

Quare, ex hisce, liquere satis, arbitror, si Josephus, ab Euangelistis, duorum filius, (unius, natura; alterius lege) recenseatur: nullam prorsus esse dissensionem. Quæ generalis responsio ad confutandam adversariorum accusationem: sine ulla speciali distinctione, sufficeret.

Veruntamen longius, eruditorum hominum, processit industria: ut de Josepho, primùm disquirerent, utrius (è duobus istis patribus) *Iacobi ne, an verò Heli, legalis filius, extiterit?*

Ambrosius, enim, suis, in Lucam, cap. 3. Commentariis, *prius* amplectitur: plerique verò, *posterius* (Josephum, Jacobi fuisse filium, natura; Heli verò, lege) statuunt: Idque, non obscuro discrimine, ab Euangelistis, indicatum. Matthæus enim, *gignendi*, utitur voce: quæ, filio naturali, convenit: Lucas verò, generaliorem filii appellationem (quæ, de legali non minus, quàm naturali, intelligi potest) usurpavit. Quod primùm, *Aphricanus*, in sua, ad Aristidem, Epistola: ac postea, *Augustinus*, de consensu Euangelistarum, lib. 2. cap. 3. rectè observarunt.

In quo rursus, secundo responsionis gradu (quasi, tranquilliore statione) subsistere; & hujus disceptationis metam, majori consensione, figere potuissent: sed ulterius progredi, & ad majorem evidentiam, investigare maluerunt, *quanam lege*, an adoptionis, aut conjugii, aut vindicis, Josephus, *filius* Heli, statuatur?

Primum enim modum, *Augustinus*, priusquam Aphricani (ut 2. Retract. cap. 7. agnoscit) legisset sententiam, cæteris prætulit: ac de filio adoptivo, Quæst. Euang. lib. 2. cap. 45. & Quæstionibus, in Deut. cap. 46. interpretatur. *Secundum* verò, *Galatinus*, de arcanis cathol. verit. lib. 7. c. 12. *Matthæus Flaccus Illyricus*, in Glossa Matth. 1. *David*

Chytræus

Chytræus ad Matth. 1. *Kemnitius*, in Harmonia Euang. c.4. & *Benedictus Aretius* Commentar. in Matthæum, denique *Piscator* in Bibliis, primaque ad Matthæum analysi, comprobant: ac filii nomen, de genero, exponunt. Nam, quòd doctissimus *Calvinus*, *neque cum natura ordine*, *consentaneum*, *nec tale exemplum*, *in Scriptura*, *usquam legi*, ait: jam antè, ex Ruth 1. v. 8. solutum. Sin autem objiciatur; non solere, in aliis genealogiis, generos, pro filiis, poni: non mirum, hîc aliter fieri. Quia in Christo, naturæ ordinem superante (quum, patre homine, careat) alia est ratio: dum, quasi patris loco, vitricus substituitur: ut ita, ordo Christi, ad avum, deducatur. Tertium denique, post *Aphricanum*, Origenis coætaneum, *Patres Orthodoxi* plerique, sunt amplexi: eundemque tandem, lecto Aphricano, priori sua sententia abdicata, non solùm, *Augustinus* lib. 2. Retract. cap. 7. & 12. & 16. sed etiam *Piscator* (candoris illius imitatione) in postrema, Analysis Matthæi, recognitione, est secutus.

Quam sententiam, *Hieronymus*, ad verba illa Matthæi, cap. 1. *Jacob autem*, *genuit Joseph*, succinctè est complexus. *Hunc locum* (inquit) *objecit nobis Julianus Augustus*, *de dissonantia Euangelistarum: cur Euangelista Matthæus*, *Ioseph dixerit*, *filium Iacobi: & Lucas*, *eum appellarit*, *filium Heli: non intelligens*, *consuetudinem Scripturarum: quod alter*, *secundùm naturam: alter*, *secundùm legem*, *ei pater sit. Scimus enim hoc*, *per Mosem*, *Deo jubente*, *præceptum: ut si*, *frater*, *aut propinquus*, *absque liberis*, *mortuus fuerit*, *alius accipiat uxorem*, *ad suscitandum semen fratris*, *vel propinqui sui* [a]. *Super hoc*, *& Aphricanus*, *temporum scriptor*, *& Eusebius Cæsariensis*, *in libris* διαφωνίας Εὐαγγελίων (in Eusebio legitur, συμφωνίας) *plenius disputarunt*. Hæc Hieronymus, succinctè quidem; sed minus explicatè. Nam quum, Jacob, Josephi pater, longissimo, ad Davidem usque, majorum aliorum, intervallo, ab Heli fuerit remotus: quomodo, jure proximitatis, secundùm legem, prolem ipsi suscitare potuit? Quæ non exigua, hac in re, difficultas, *Augustinum* initio, ab hac sententia, ita absterruit; ut *Quæstionibus in Deuteronomium*, *cap.* 46. in hæc verba proruperit; *Difficillimum autem videtur*, *non fuisse aliquem propinquiorem*, *qui duceret uxorem fratris sui*, *quàm eum*, *qui ex David*, *esset consanguineus*, *tam longinquo gradu*, *non aliqua infra propinquitate conjunctus*, *quum sit*, *apud Lucam*, *David*, *pene quadragesimus*, *à Joseph: apud Matthæum autem*, *ferè vigesimus septimus*.

a Deut. 25. 5.

Sed hic scrupulus, tandem Augustino (postquam Aphricani, de hac re, Epistolam ac traditionem, percepisset) est exemptus: ut 2. Retract. cap. 7. attestatur. Ideoque, majoris evidentiæ causa, *Aphricanum* ipsum, nervosa brevitate, sese summatim, in fine Epistolæ suæ explicantem (ex Historiæ Ecclesiasticæ, Eusebii lib. 1. cap. 8.) audiamus.

Matthan (inquit) qui, *à Salomone*, *descendit*, *genuit Iacob. Mortuo Matthan*, *Melchi (qui*, *à Nathan*, *originem ducit) ex eadem muliere*, *genuit Heli. Fuerunt igitur*, *ex eadem matre*, *fratres*, *Heli & Iacob. Heli*, *sine liberis*, *mortuo*, *Iacob illi semen excitavit*, *nato Iosepho*, *ipsi quidem secundùm naturam*, *secundùm legem verò*, *Heli*.

Quam historiam, non à Christianis, sed à Judæis Christi consanguineis, traditam asserit. Quare soluta, hoc modo, de generis, Heli & Jacobi, dissidio, objectione, Augustinus tandem (uti monuimus) παλινῳδίαν canens, in hac sententia acquievit.

Nam quòd huic, secundo loco, obstare existimarat, quasi filio, ex suscitandi seminis lege, [a] progenito, idem cum legali suo patre, nomen debuisset imponi: ideoque hoc loco, non Josephum, sed Heli, fuisse appellandum, illius imbecillitatem, Quæstionibus in Deuter. cap. 46. & tandem falsitatem, 2. Retract. cap. 12. agnovit.

a Deut. 25. 4.

Ad quæ, si attendisset diligentius, vir alioqui insignis, *Petrus Galatinus*, De arcanis Catholicæ veritatis, lib. 7. cap. 12. duo illa (ab Augustino retractata) argumenta, tanti non æstimasset, ut, eorum fiducia, *aliter sentientes*, *nimium falli*, assereret.

Veruntamen, in Aphricani conciliatione, & in illius, ab *Ambrosio*, in Lucam, repetitione, hoc inest incommodi (ut etiam à *Cornelio Bertramo*, Lucubrationum Frankentalensium, cap. 6. observatum) quòd à Lucæ verbis, non parum recedat. Lucas enim, Melchi proavum τοῦ Heli: contra Aphricanus, eundem, patrem constituit. Id quod primus, è priscis patribus (nisi fallor) *Beda*, comment. in Lucam cap. 3. animadvertit. Qui, Aphricani sententiam, recitans, ac pro Melchi, Matthat, ex Luca, concinnius reponens, ait; *Hæc Aphricanus*, *his ipsis syllabis*, *profert*, *excepto*, *quod*, *pro Matthat*, *posuit Melchi: quia fortassis*, *vel codex vetus*, *sic habuit: vel in historia (in qua hæc didicerat) eundem Matthat*, *invenit esse dionymum*. Hæc ille. Ac mirandum sanè est, insignem eum, in Aphricani historia errorem, à vetustioribus Patribus, non animadversum: nisi forte, in amplectenda illius sententia, plus adhibuerint fidei, (ob traditionem antiquam) quàm examinis, ad accuratiorem rei notitiam. Quòd, non rarò accidisse, Eusebius [a] aliique rectè observarunt.

a Histor. Ecclesi. lib. 3. cap. 36.

Porro Aphricani conciliationem, *Damascenus*, Orthodoxæ fidei, lib. 4. cap. 15. his verbis, interpolavit; *Ex serie igitur Nathan*, *filii David*, *filius Levi*, *genuit Melchi & Panthera. Panther*, *genuit Barpanthera*, *sic ab eo denominatum. Barpanther genuit Ioacim: Ioacim verò*, *genuit sanctam Deiparam. Ex serie filii David*, *Matthan*, *duxit uxorem*, *ex qua*, *genuit Iacob. Mortuo autem Matthan*, *Melchi (qui erat*, *ex tribu Nathan) filius Levi*, *frater verò Pantheris*, *duxit uxorem Matthan*, *matrem quidem Iacob*, *& genuit*, *ex ea*, *Heli. Erant igitur*, *fratres uterini*, *Iacob & Heli. Iacob quidem*, *ex tribu Salomonis: Heli vero*, *ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli*, *ex tribu Nathan*, *sine liberis*, *accepit Iacob*, *frater ejus*, *ex tribu Salomonis*, *uxorem ejus*, *& suscitavit semen*, *fratri suo*, *& genuit Ioseph. Ioseph igitur*, *natura quidem*, *est filius Iacob*, *ex descensu Salomonis: secundùm verò Legem*, *filius Heli*, *ex Nathan*. Hactenus ille, sine Scripturæ, aut traditionis, indicio: quibus, Aphricani historia, non correcta; sed corrupta. Quoniam *minimè verum est*, (ut rectè, De arcanis Cathol. Verit. lib. 7. cap. 12. monuit Galatinus) *Levi*, *genuisse Melchi & Panthera: imo Melchi genuit ipsum Levi: ut*, *ex Luca*, *evidenter apparet*.

Cæterum ex iis, quæ disseruimus, liquere arbitror, non esse necessarium, ut certus aliquis, ex *tribus*, *legalium filiorum*, *modis*, definiatur (quum antiqua genealogiarum monumenta, hostium temporumque injuria, jam olim perierint [a]) sed, singulos eorum, verisimiles esse, ad dissensionis Euangelistarum, calumniam confutandam, suffecerit.

a Aphricanus Epist. apud Eusëb. hist. Ecclesi. l. 1. cap. 8.

Qua de re, eruditè *Augustinus*, contra Faustum Manichæum, lib. 3. cap. 3. *Nempe tota* (inquit) *in hoc quæstio est*, *quomodo potuerit*, *duos patres habere Joseph? Hoc enim*, *si fieri potuisse*, *demonstratur*, *nulla omnino causa est*, *cur quisquam*, *istorum Euangelistarum*, *in diversis generationibus enumerandis*, *falsum dixisse credatur*.

Si quis tamen nosse desideret, quænam ex tribus illis, de Heli, Josephi patre legali, sententiis inter se comparatis, præferri mereatur? Dicam (salvo meliori judicio) eam mihi videri præferendam, quæ & simplicissima est, & incertarum hypothesium, minimè est indiga, & Christi denique genealogiam (tanquam certum Euangelistarum scopum) propiùs attingit.

Quam laudem, primo loco, secunda, de Josepho filio, hoc est, genero Heli, sententia, jure sibi vendicat. Prima verò, de filio adoptivo, expositio, secundas partes flagitat. Neutra enim, incertis atque intricatis traditionibus, nititur: secunda verò sola, ad scopum genealogiæ pertinet. Quocirca Augustinus, in priori sua opinione, tutius ac commodius, potuisset persistere: quàm ut, ea retractata, ad Aphricani judicium implicatius, traditionis antiquæ, sed incertæ obtentu, declinasset.

Atque hæc, de *prima*, ad propositam objectionem, per *Consequentiæ negationem*, responsione.

Cui *alteram*, quæ, in *negatione Antecedentis*, non sine gravi ratione, consistit, subnectemus. Neque enim necessarium

rium est, ut vox *Heli*, cum Joseph juncta (ut communis fert opinio) construatur: quum ab eo disjungi, & cum Jesu, commodissimè construi posse, non solùm materiæ veritas, sed orationis etiam concinnitas, demonstret.

Idque jam olim, *Quæstionum Veteris & Novi Testamenti*, cap. 56. *auctor* (non Augustinus, cui illud opus vulgò attribuitur; sed eo, in Sacris Literis, si Erasmo, ad Luc. 3. credimus, exercitatior, addo tamen, nisi ab Ariano interpolatum sit opus, impurior [a]) rectè percepit, sed, minus firma ratione, explicavit. Siquidem omnia, genealogiæ hujus nomina, immediatè cum Jesu (quasi singulis, copula *&*, adjuncta esset) non autem, cum proximo, construi debere, contendit. Ac si Jesus, & Josephi (opinione) & Heli (revera) ac reliquorum ordine patrum, atque Dei Filius, designaretur. Videlicet, ut eo modo, Jesum simul, & horum patrum, Adamique filium, secundum carnem, & super hos omnes, atque ante omnem carnem, verum esse Dei Filium, *ad Photini* (ut ait) *confusionem*, demonstraretur.

a Quæst. 48.

Sed hæc interpretatio (qua singula majorum nomina, non cum proximo suo; sed cum infimo solùm, construuntur) à perpetua, in genealogiis, sacris profanisque, describendis, consuetudine recedit. Ac propterea, ad Photini impietatem, & Aphricani, de Josepho, legali Heli filio, sententiam (quod acriter conatur) confutandam, nequaquam opportuna.

Quare, alia ineunda est via: ut, neque in orationem Euangelistæ, neque in materiam illius, impingamus. Quæ via (ut videtur) omnino futura est, si primùm parenthesis, ab illis verbis, ὡς ἐνομίζετο sine dubio cœpta: non iisdem tamen (ut fieri solet) sed sequenti voce, Ἰωσὴφ, terminetur. Deinde, licet vox νομίζεσθαι interdum, pro *lege*, aut *more, receptum esse*, Actor. 16. 13. & apud bonos auctores non infrequenter, accipiatur: & Cornelius Bertramus, Lucubrat. Franket. c. 6. eam interpretationem, hoc in loco, amplectatur; consueta tamen *putandi*, significatio, ut quæ magis fluat, non immeritò, ab aliis præfertur.

Denique quamvis, vox Græca ὡς (non minus, quàm, *ut*, Latina) propriè quidem convenientiam qualitatis ac similitudinem, ac *sicut*, denotet; frequentissimè tamen temporis convenientiam, seu *quum*, designat. Ac priorem significationem, prisci posterique theologi, sunt sequuti: dabitur mihi interim (uti spero) ab æquis rei æstimatoribus, venia, si alteram (quæ plusquam vicies, apud Lucam [a] occurrit) suadente id ratione, prætulero.

a Luc. 1. 23. & 44. & 2. 15. & 39. & 11. 1. & 15. 25. & 19. 41. Idem Actor. 1. 10. & 7. 22. & 10. 3. & 17. & 13. 18. & 25. & 16. 14. & 15. & 18. 5. & 19. 9. & 20. 18. & 21. 12. & 22. 25. & 27. 1.

Sic enim, Græca Lucæ verba, commodè, ac simplicitate minimè coacta, distingui, & clarius reddi posse, arbitramur; καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλί. Latinè; *Et ipse Iesus incipiebat esse circiter annorum triginta, existens (quum putaretur filius Ioseph)* [filius] *Heli*, ut, capite primo, interpretati sumus.

Nam hac ratione, primùm salebras illas evitabimus, quibus se (absit dicto invidia) & *Erasmus*, & *Beza*, viri alioquin doctissimi, implicuerunt. Idque ipsorum, quàm meis verbis, ad majorem rei fidem, & cautionem, aptius cognoscetur. Sic enim, in suis annotationibus, *Erasmus*; *Verum (inquit) qui potuit esse, filius Ioseph, si putabatur tantùm, & non erat? Unde res ipsa cogit, ut ad superiora referatur, & accipiamus, participium usurpatum, vice verbi infiniti: nempe* ὢν, *pro* εἶναι, *Qui incipiebat esse. Quod sanè, non infrequens est, apud Græcos.* Hæc Erasmus: quem, hac in re, sequitur *Cornelius Bertramus*, Lucub. Franket. cap. 6.

Beza verò, in suis Annotationibus postremis; *Hic locus* (inquit) *paulo aliter, citatur, ab Epiphanio* κατὰ Ἐβιωναίων· & bis, κατὰ τῶν ἀνοήτων. *Legit enim*, ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος εἶναι ὡς ἐτῶν τριάκοντα, ὢν υἱὸς, ὡς ἐνομίζετο, τοῦ Ἰωσήφ. Id est; *Iesus autem incipiebat esse, quasi triginta annorum, filius, (ut existimabatur) Iosephi. Hanc autem lectionem, maximè probo. Quia, si* ὢν *jungas, cum* ἀρχόμενος, *ut scriptum sit,* ἦν ἀρχόμενος ὤν, *durior erit hæc loquendi formula, pro* ἤρχετο ὢν *vel* εἶναι· *eadem tamen est sententia, utramvis lectionem sequamur.*

Hactenus ille: sed neutra circuitione, est opus: quum res sit salva.

Nam servata genuina vocis ὡς significatione, & sede, ut cum τοῦ Ἡλὶ (interjectis parenthesi inclusis) construatur: neque acceptio participii, pro infinito; neque ulla, ex Epiphanio, lectionis novæ, substitutio, requiritur. Præsertim, quum recepta lectio, unanimi manuscriptorum codicum (ut ex Roberto Stephano, aliisque, constat) consensu, approbetur.

Neque certæ ac genuinæ lectionis, argumentum est idoneum, hujus loci, apud Epiphanium, scriptio. Partim, quia patres orthodoxi, in referendis Sacræ Scripturæ dictis, neque verborum numerum, neque ordinem, semper observant, sed (Christi & Apostolorum, exemplo) sententiam sæpius appendunt ac recensent. *Partim*, quia verba subinde, non è stabili firmaque, codicis sacri, lectione, sed è labili, imo labente interdum, memoria, variè depromunt. Cujus varietatis exempla non pauca, in Patrum scriptis, (non minus, quàm aliorum) sunt obvia. Siquidem (ne longius abeamus) eadem Epiphanii, contra Ebionæos, tractatio (unde illa Lucæ lectio obtenditur) id convincit. Nam eadem pag. 72. editionis Græcæ, pro verbis illis matris Christi, Luc. 2. v. 48. τέκνον, τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; ἰδοὺ ὁ πατήρ σου κἀγὼ hæc (verborum transportatione, non exigua) reponit; τί ἡμῖν ἐποίησας τέκνον; ἰδοὺ ἐγὼ καὶ ὁ πατήρ σου. Sic pag. 71. pro verbis Christi, Johan. 12. 23. ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Venit hora, ut glorificetur filius hominis*, alia, (cespitante nonnihil memoria) substituit, νῦν ἔφθασεν ἡ δόξα τοῦ θεοῦ, *Nunc venit gloria Dei*. Similiter se res habet, in sequenti, apud Epiphanium, verborum Lucæ cap. 3. recitatione: quæ non è libro: sed è memoria, sententiam retinente, verbaque, aliter, atque aliter, referente, derivata. Id quòd altera, κατὰ ἀνοήτων, tractatio (quæ est, de hæresi 31. aliàs 51. pag. 188.) ostendit. Ubi non bis (ut objicitur) eadem, quæ contra Ebionæos, verba, sed semel proponit: paulò verò post, aliter ac convenientius cum Lucæ verbis, sic memorat, ἦν δὲ ὢν ἐτῶν λ, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθάν. Ubi vitium, aut librarii, aut memoriæ auctoris, Ματθὰν pro Ματθὰτ scribentis. Quare varia Epiphanii memoria, tanti non est ponderis, ut, constantem Lucæ lectionem, sua sede, dimoveat.

Deinde, huc accedit, fidei analogia: quæ, receptæ lectioni, magis patrocinatur. Nam quid, obsecro, conferre potest, ad fidei confirmationem, aut vitæ institutionem, utilitatis, si postquam Euangelista Matthæus, prius Josephi, ex Abrahamo, genealogiam explicavit: alteram rursus (sive legalem, sive naturalem, dicas) ejusdem, inde ad Adamum usque, continuatam, Lucas adjiceret? Sin vero, Jesum, Heli (mediatè per matrem, virginem Mariam) filium statuerit: eaque ratione, ad avum (quia patre caruit) referatur: inde evidentius, fides in Christum, à Davide, Abrahamo, Adamo (secundùm promissionem, de semine ipsorum, caput serpentis contrituro [a], gentes omnes beaturo [b], & in æternum regnaturo [c]) utrimque roboratur. Matthæus enim primus, Christi genealogiam, Spiritus Sancti (gradatim eam explicantis) ductu, partim atque indirectè, per consequentiam, enarravit. Quippe, ut Josephus ab Abrahamo, Isaaco, Jacobo, aliisque Patriarchis, ac Davide denique, duxit originem: ita & Christus: ut proposito Matthæi cap. 1. 1. *Liber generationis, Iesu Christi, filii David, filii Abraham*, demonstrat. Ideoque genealogia Christi, non simpliciter; sed secundùm quid, ab Abrahamo nimirum, ad Davidem usque (communi, cum Josepho, ratione) intenta ac proposita, describitur. Siquidem vulgò, ita indubitatum habebatur, Josephum & Mariam, communem habere, è Davide, originem: ut neque capitales Christi hostes, Scribæ & Pharisæi (genealogiæ Davidicæ periti) quum ipse, se Christum passim doceret, & filii Davidis laudem admitteret, invidentes licet, ausi sint denegare: neque Apostolis, idem docentibus, Actor. 2. 30. 32. & 2. Timoth. 2. 8. contradicere. Alioqui minimè tacuissent: quum id solum, non esse è Davide ortum, abundè suffecisset, ut, pseudo-Christum esse, convincerent: neque opus fuisset; ut, ex Galilæa, quasi natali solo, Johan. 7. 41, 42, 52. calumniam struerent, aut aliunde, falsos testes, adversus ipsum, subornarent.

a Gen. 3. 15. b Id. 22. 18. c Ps. 89. 5. Luc. 1. 32, 33.

Quum

Quum igitur, res ea adeo liqueret, descripta Josephi, ex Abrahamo & Davide, genealogia: ex vera notaque hac (de generis, Josephi & Mariæ, convenientia) hypothesi, sequitur, Jesum Christum, Mariæ virginis filium, ex iisdem quoque, progenitum.

Lucas verò, Matthæum sequens, eodem sapienti numinis afflatu, sed ulteriore gradu, directè procedit, enumerans non partim, sed omnino, Christi genealogiam: ut ea ratione, omnis exceptionis, in posterum, ansa, uberius præcideretur.

Quocirca antiquus ac doctus ille, *Quæstionum Veteris & Novi Testamenti* (cujus supra meminimus) *auctor*, Quæst. 56. eorum, qui post Matthæum, à Luca, non Christi, sed Josephi genealogiam, recitari putant; sententiam, *nec probabilem, neque utilem*, acrius nonnihil judicavit. Nam quamvis, ad fidei, in Christum, confirmationem, perparum conducere videatur; ad diluendam tamen, dissensionis Euangelistarum, in Josephi genealogia, calumniam, non prorsus inutilem esse, ostendimus: quamvis, aptior ac solidior responsio, sit adhibenda. Quod vidit etiam, eruditus ac celebris theologus, *Martinus Kemnitius:* qui, in Harmonia Euangel. cap. 3. recensitis iis, quæ de Josepho, Jacobi & Heli, filio, dicta sunt, subjicit; *Sed hæc omnia, absque ullo alio testimonio, solo traditionum titulo, proponuntur: sicut Aphricanus (apud Eusebium lib. 1. cap. 6.) à Christi consanguineis, hæc tradita, asserit. Quæ, forsan à Judæis, tunc ita sparsa fuerunt; ut haberent plausibiliorem occasionem & prætextum, illudendi fidei nostræ. Omnes enim opiniones, de Josepho, sollicitæ sunt, & ipsi attribuunt duos patres, magno conatu, ex duabus ac prolixis lineis, deductos: qui tamen Euangelistæ expresse contestentur, Jesum, non esse natum, ex Josephi semine. Interim, in tota illa genealogica disputatione, nemo sollicitus est, de familia Mariæ virginis: ex qua, Christum natum esse, verbum Dei tradit.* Hæc vir ille, inter suos, doctrina & judicio excellens.

Veruntamen, quia Kemnitii, aliorumque, sententia (quæ Josephum, Heli filium, hoc est generum, dici statuit) cum ea, quæ ante, à nobis, de Jesu, Heli filio, (hoc est, nepote) proposita, in eo convenit, quòd Christi, non Josephi, genus recenseatur: ita duo, quæ priorem oppugnant, argumenta, similiter hanc attingunt. Ac propterea, ut veritas reddatur illustrior, ea proponemus, ac pro virili, discutere conabimur.

Quorum prius, jam olim, ab hominibus profanis (qualis Faustus Manichæus) objectum, ita colligitur; Elisabet, ex Aaronis familia, orta, Luc. 1. 5. Mariæ, matris Christi, cognata, Luc. 1. 36. nominatur: ac propterea, cum filio suo Jesu, ex eadem tribu, Aaronis ac Levi: non autem, ex Davidis ac Judæ genere, oriunda.

Verùm, *negatione consequentiæ*, bifariam, ab orthodoxis, *responderi* solet. Quidam enim eam, non omnino, sed partim solùm, negant: quòd scilicet, quamvis prius illud membrum, Mariam, ex Aaronis familia, extitisse, rectè concludi putent: alterum tamen, quòd ideo, ex Davide non sit orta, minimè consequi, affirmant. Utrumque enim, diversa relatione, probè consistere, statuunt. Mariam enim, paterno genere, ex Davide: materno, ex Aarone, extitisse: atque hoc modo, non illo, cognatam Elisabethæ, nuncupari. Atque ita sensit *Augustinus*, de consensu Euangelistarum, lib. 2. cap. 2. de Maria differens; *Cujus* (inquit) *fœmina, quoniam nec sacerdotale genus tacetur (insinuante Luca, quod cognata ejus esset, Elisabet: quam dicit, de filiabus Aaron) firmissimè tenendum est, carnem Christi, ex utroque genere, propagatam, & regum scilicet, & sacerdotum.* Cui *Kemnitius*, Harmon. Euang. cap. 3. consentit, &, ex *Lutheri* sententia, concludens, ait; *Atque ita Christus, rex & sacerdos, natus esset, ex Maria, oriunda ex tribu regali, quod ad paternam stirpem, & ex tribu sacerdotali, secundùm maternam lineam.* Sed prior hæc responsio, Apostoli verbis, quibus Christum, non ex sacerdotali, sed, ex Judæ tribu, ortum statuit, Heb. 7. 13. & 14. minus congruit.

Quamobrem *alii negant*, non partim, sed *omnino*, *consequentiam:* quòd etsi Elisabetha, patrem habuerit, ex Aaronis familia (unde, à potiori, denominata est) matrem tamen, ex Davide, ortam. Et hac demum ratione, Mariæ cognatam, nuncupari. Etsi enim filiæ (patre, sine filiis, defuncto) hæredes, lege Mosis, obstringerentur, ne, extra suam tribum, nuberent, Num. 27. 8. & 26. 6. aliis tamen, non hæredibus, marito, è quavis tribu, sociari (nulla id lege prohibente) fuit liberum. Idque illustribus piorum conjugum, regis Davidis & pontificum, Aaronis & Jojadæ, exemplis, demonstratum. David enim Michaëlem, Sauli Regis, è tribu Benjaminis, 1. Samuel. 18. 27. & Aaron, Elisabetham, Aminadabi, è tribu Juda filiam, Naassonis sororem, Exod. 6. 23. Jojada denique Josabatham, Ochoziæ regis Judæ sororem, 2. Chron. 22. 11. duxit.

Qua observatione, duplex Epiphanii hallucinatio (contra Antidicomarianitas, pag. 441. edit. Gr.) facilius poterit declinari. *Prima* enim est, cum ait; *Nam hæ duæ tribus solæ, conjungebantur inter se; regia, sacerdotali: & sacerdotalis, regiæ: altera*, cum addit; *Sic etiam supra, in Exodo, Naasson, è Juda tribunus, accepit Elisabeth, seniorem filiam Aaron, sibi in uxorem.* Adeo verum est, quod, de memoriæ lapsu, antea monuimus. Sic autem (ut ad rem redeam) de Maria & Elisabetha, succinctè *Ambrosius*; *Cognatæ ergo; quia ambæ, Israëlitæ erant: simul & cognatæ; quia ambæ erant, ex tribu Iuda.* Sed, quæ postea tandem subjicit; *Fuit enim verè & secundum carnem, regalis ac sacerdotalis familia, rex ex regibus: sacerdos, ex sacerdotibus.* Item, *Quod Matthæus, per reges, ductam originem, comprobet: Lucas verò, per sacerdotes:* non satis percipio, quomodo ea, & cum antecedenti sententia, & cum ipsa genealogiæ veritate, conveniant. Quemadmodum neque illud, quod Epiphanius, eodem forte alludens, ait; *Secundùm duos modos, Maria, cognata erat Elisabethæ:* Contra Antidicomarianitas pag. 441. An utraque igitur, ex utroque, Davidis & Aaronis, genere?

Atque hæc, ad *primi argumenti*, à profanis hominibus objecti, solutionem.

Secundum verò, à piis ac doctissimis viris, opponitur: sed majori animi conatu, quàm rationum robore: ut res ipsa demonstrabit. Sic enim acrius *Calvinus*, in Harmonia Euangeliorum, judicat; *Si, à Mariæ genealogia, Salomo excluditur, Christus esse Christus desinet:* sed, quàm rectè, hoc judicium, probet, audiamus, & ad Scripturæ, rectæque rationis, trutinam expendamus: ne candida piaque sententia, atro, præclari viri, & in aliis accuratissimi, calculo ac præjudicio, indignè gravetur.

Sic autem procedit; *Quidquid enim de ejus genere disseritur, in solenni illa promissione, fundatum est; sedebit super thronum tuum, successor, qui perpetuò regnabit.* [a] *Ego ero illi, in patrem, & ipse erit mihi, in filium. Atqui extra controversiam est, hujus æterni regis, qui promissus erat Davidi, Salomonem fuisse typum. Nec Christo, aliter aptari potest promissio, nisi quatenus ejus veritas in Salomone, adumbrata fuit. Nunc si ad ipsum, non refertur Christi origo: unde, vel qua ratione, censebitur ille filius Davidis? Ergo quisquis, Salomonem expungit, ex Christi genealogia, simul promissiones, in quibus agnosci debet filius Davidis, obliterat ac delet.*

a 2. Sam. 7. 12. Psal. 132. 11.

Hæc probatio; sed *minus proba* est *consequentia.* Non enim, quicunque Christi regis est typus, propterea generis illius origo, existit. Siquidem Melchisedec (quem Semum fuisse, rectè in comment. Genes. 14. negat) Christi personæ, & regni æterni, fuit typus nobilissimus, Hebr. 7. 1, 2, 3. an ideo, ab ipso progenitum, statuemus? Similiter quamvis Salomon, Davidis filius, & rex, solii æterni promissionem habens, 2. Samuel. 1. 13. Christi, Davidis filii, ac regis æterni, fuerit typus, non ideo tamen, è Salomone ortum, consequitur. Neque Salomonis regnum, eadem ratione, ac Christi, in æternum duraturum: quum Christo, absolutè; Salomoni vero ac posteris, cum conditione officii (quod neglexerunt) fuerit promissum, 1. Chron. 28. 7. & Psal. 132. 22. Idque adeo perspicuum est, ut ultro Calvinus postea profiteatur. *Primum*, quum sublatam, Ochoziæ morte, Salomonis stirpem, *probabile* (*imo, plus quam probabile*)

bile) statuit. Hoc enim si verum, quo jure, injurius dicetur, qui Christum, è Salomonis stirpe ac genere, ortum negat? Quanquam in eo, non minus hallucinetur: quàm quòd, Salathielem & Sorobabelem, Matthæi & Lucæ, eosdem esse (utrimque Erasmum, à Pseudophilone Annii deceptum, secutus) asseruit. *Deinde* idem, eò magis agnoscit, quo magis telum hoc, in se retortum, declinare conatur. Sic enim ait; *Si quis objiciat, Jesum, non posse agnosci, Messiam, qui promissus erat, nisi sit, ex Salomonis posteris, quem certum est fuisse typum Christi, in promptu est solutio. Quamvis naturaliter, ex Salomone, non fuerit genitus; legali tamen ordine, censeri ejus filium; quia, ex regibus, originem duxit.* Atqui, si Christus, non est *naturaliter*, ex Salomone *genitus*, quomodo genus & origo illius, ad ipsum referetur? Nec enim solutio illa, quæ adfertur, tam recta, quàm prompta: quum nodum non solvat; sed novo ac duplici errore (cum in sermonem Scripturæ, tum in sacram historiam, impingendo) validiorem reddat.

Nam *primùm* (ut antea ostendimus) *gignendi* vox, (quam Matthæus, in genealogia, adhibet) ex Sacrarum literarum, & bonorum auctorum, usu, prolem procreare, non verò, successorem habere in regno, designat.

Ideoque distinctio illa, in genitum natura, aut ordine legali, fundamento destituta, corruit. Imo *filii* vocem (licet latius pateat) ea significatione, minimè usurpari, (ut cap. 3. monuimus) res ipsa evincit. Neque enim Joas, Ochoziæ filius (quod statuit) idcirco dicitur, *qui gradu proximus erat, & nativus, regni hæres*; sed quia ex eo progenitus.

Licet enim (quod objicit) ab *Athalia sublatum* dicatur, *totum regium genus*; disertè tamen excipitur Joas, 2. Reg. 11. 2. qui eodem in loco, & v. 4. & c. 13. 1. & 14. 13. & in genealogia 1. Chron. 3. 11. filius regis Ochoziæ, perspicuè definitur. Quemadmodum ejusdem adhuc lactentis, adversus Athaliæ crudelitatem, conservatio, prudenti ac tempestivæ, per amitam, surreptioni, & cautæ, una cum nutrice, in templo, occultationi, disertè attribuitur 2. Chron. 22. 11. Adeo ut, adversus tam evidentem Scripturæ historiam, leviculæ illæ, quæ offunduntur conjecturæ, parum habeant momenti.

Deinde, neque Christus (ut obtendit) legali ordine, regibus successit; sed privatis. Quoniam post Tsidkiam, ultimum Judæorum regem, non solùm regia majestas, sed etiam regni externi jus ac potestas, adempta. Ideoque duces Israëlitarum, sese, non minus verè, quàm modestè, regum exterorum, servos, Nehem. 9. 36. sunt professi: utpote, & humano, & divino jure, à regni potestate, exclusi. *Humano* quidem, quia jure belli ac victoriæ hostilis, & injuriæ rebellionis (à Tsidkia perpetratæ) merito, subjugati, regno ac libertate exciderant. *Divino*; quia justa Dei sententia, regnandi potestatem iis detractam, solique Christo (sed spirituali modo, Joh. 18. 46.) reservandam, Jer. 22. 30. Ezech. 12. 26. decretum, asseritur. Quare, legalis ille, in regno, successionis, ad Christum, ordo (quem neque divina, neque humana lex, admittit) in genealogia Matthæi, non est observatus: sed nativus, & ad Josephum, ex Salomone ortum, deductus. Ideoque, licet, à genealogia Christi, & Mariæ, Salomon excludatur, eaque ad Nathanem referatur; hac tamen ratione, promissionibus de Christo (per Salomonis typum, adumbrato, propositis) nihil omnino derogatur.

Quæ sanè (ut existimo) si, vir optimus ac candidissimus, *Piscator*, perpendisset accuratius, priorem suam (de Christi majoribus, à Luca descriptis, & Josepho, Heligenero, non propriè filio) sententiam (ut quæ verisimilior, & ad fidem in Christum, Davidis filium, confirmandam, aptior) cum ista, minus consentanea, in sua *Retractatione*, minimè permutasset, sed pleniori illa, quam exposuimus, parenthesi, correxisset. In eo tamen laudandus, quòd majori usus cautione, minus impegerit: adeo ut, neque stirpem Salomonis, in Ochoziâ extinctam: neque Salathielem ac Sorobabelem, Matthæi & Lucæ, eosdem: neque genus legale, à Matthæo, sed naturale, recenseri statuerit.

Quare concludimus Christum non ex Salomone; sed ex Nathane, ducere originem: idque à Luca expressum, quum de Christo ait; *Existens* (*quum putaretur, filius Joseph*) [*filius*] *Heli.*

Atque hactenus, *controversiarum, de genealogia Christi, examen*: ex quo, *Matthæi & Lucæ, & cum Prophetis, & mutuam, inter ipsos, consensionem*, pro tenuitate nostra, mediocriter demonstratam, speramus. Faxit Deus, ut ad veritatis divinæ assertionem, & fidei confirmationem, inserviat.

Huic porro de Genealogia Christi examini visum est, brevem ac rudem, de lingua, qua Euangel. Matthæi scriptum est, dissertationem subjicere, & amico singulari inscribere. Si otium fuisset, accuratius rem explicuissem: quare, ut benigni lectores, boni consulant, rogo.

FINIS.



DE

DE EUANGELIO MATTHÆI,

Quanam lingua sit scriptum,

DISSERTATIO,

Clariss. & Consultiss. VIRO,

DN. JOHANNI BRUNÆO, J. U. Doctori, & Senatori MIDDELBURGENSI, in perpetuum amicitiæ mutuæ monumentum, dedicata.



MEmorabilis est, de lingua, qua Euangelium Matthæi, ab ipso conscriptum est, controversia: quidam enim, Hebræam; alii, Græcam esse, contendunt. Ac prior quidem sententia, si plurium auctorum consensum spectemus, primas obtinet; sin verò rei veritatem, posterior amplectenda: ut examen demonstrabit. Rationes enim ac fundamenta, prioris sententiæ (ut in certa capita redigamus) petuntur, partim à Patrum testimoniis: partim, ab eorum experientia.

Nam, ad Patres quod attinet, constanter asserunt Matthæum, suum Euangelium, Hebraicè scripsisse. Sic enim, proximus Apostolorum temporibus, *Papias* (teste Euseb. histor. Eccles. lib. 3. cap. ultimo) ait; *Matthæus itaq; Hebræa dialecto librum suum composuit: exposuit autem illum* (aut ut Græcè est, ἡρμήνευσε αὐτὰ interpretatus est ea) *quisquis, ut potuit.*

Secundò *Irenæus* lib. 3. cap. 1. *Matthæus* (inquit) *in Hebræis, ipsorum lingua, scripturam edidit Euangelii.*

Tertiò *Origenes*, in primo Tomo in Euangelium Matthæi (teste Eusebio histor. Eccles. lib. 6. cap. 24.) de Euangelio ait; *Primùm scriptum est, à Matthæo* &c. *qui illud, fidelibus ex Iudæis, literis Hebraïcis, scriptum publicavit.*

Quartò idem *Eusebius* Histor. Eccles. lib. 3. c. 21. attestatur. *Matthæus enim* (inquit) *quum primum Hebræis prædicasset, & jam ad alios quoq; transiturus esset, Euangelium suum patrio sermone, literis tradidit.*

Quintò *Epiphanius*, contra ἀλόγους, hæresi 151. *Matthæus* (inquit) *Hebraicis literis scribit Euangelium.* Item hæresi 29. contra Nazoræos, de iis ait; *Habent autem Matthæi Euangelium perfectissimum Hebraicè. Apud ipsos enim clarè, quemadmodum ab initio scriptum est Hebraicis literis, adhuc servatur. Non novi autem, an Genealogiam, ab Abrahamo, usque ad Christum, amputaverint.* Et hæresi 30. de Ebionæis ait; *Et suscipiunt quidem etiam ipsi Euangelium secundùm Matthæum. Nam hoc solo etiam ipsi (veluti Cerinthus & Merinthus) utuntur, appellat autem ipsum, Euangelium secundùm Hebræos: sicut revera habet, quod Matthæus solus, Hebraicè & Hebraicis literis, in Novo Testamento, Euangelii editionem ac prædicationem fecit. Iam verò etiam aliqui dixerunt, Euangelium secundùm Ioannem, de Græca Lingua, in Hebræam, translatum esse & in Iudæorum gazophylaciis haberi, his videlicet, quæ sunt in Tiberiade, & repositum esse, inter Apocrypha: veluti Iudæi, ad fidem conversi, exactè nobis exposuerunt. Quin, & librum Actuum Apostolorum, similiter ex Græca Lingua, in Hebraicam, conversum, fama refert, illis in Gazophylaciis haberi: ut etiam ex hoc, Iudæi hi (qui legerunt & nobis recensuerunt) in Christum crediderint.*

Sextò *Athanasius*, in Synopsi sacræ scripturæ, ait; *Euangelium secundùm Matthæum, ab ipso Matthæo, Hebraicis literis conscriptum & editum est, Hierosolymis, interpretante Jacobo, Domini fratre, Hierosolymorum Episcopo.*

Septimò *Chrysostomus*, in Matthæum, homilia prima ait, *Matthæus* &c. *Euangelium dicitur Hebraïcè conscripsisse.*

Octavò *Hieronymus*, præfatione in Matthæum; *Matthæus Euangelium, in Iudæa, Hebræo sermone, edidit.* Sic in Esai. cap. 6. & cap. 11. & 40. & 65. & in Ezech. cap. 16. & alibi, & apertissimè, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in vita Matthæi; *Matthæus* &c. *Euangelium Christi, Hebræis literis verbisque composuit, quod, quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum, habetur usque hodie, in Cæsariensi Bibliotheca: quam Pamphilus Martyr studiosissimè confecit. Mihique quoque à Nazaræis, qui in Birrhea urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* Hæc ille.

Et, ut alios omittam non paucos, *Theophylactus*, in Matthæum, ait; *Matthæus autem primus omnium scripsit Euangelium Hebræâ linguâ, propter Hebræos credentes, octo annos post Christi ascensionem: transtulit autem Iohannes illud, ex Hebræa Lingua, in Græcam.*

Deinde eadem sententia, altero argumento, ab experientia Patrum, probari potest. Primò, quia tempore Hieronymi, Euangelium Matthæi, Hebraicè ab ipso scriptum, in Bibliotheca Cæsariensi extabat. Deinde similia exemplaria habuerunt Nazoræi, & Ebionæi, quod Matthæi genuinum esse asseruerunt. Tertiò, Hieronymo facultas describendi, ab illis facta: ut, hæc omnia, ex superioribus liquent. Denique ipsemet Hieronymus, in Græcum & Latinum sermonem, transtulit: ut in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in vita Jacobi, asserit; *Euangelium quoque* (inquit) *quod appellatur secundùm Hebræos, & à me nuper, in Græcum Latinumque sermonem, conversum est: quo & Origenes sæpe utitur, &c.* similiter in Matthæum cap. 12. scribit.

Ex quibus, hoc modo, concludi potest: Constans & unanimis est Patrum consensus, Euangelium Matthæi, ab ipso scriptum Hebraicè, & olim experientia, & lectione Patrum, fide dignorum, hoc compertum est: ut ex antecedentibus testimoniis, apparet: ideoque, sine temeritate, negari non potest. Contrà tamen nonnulli Theologi insignes, sentiunt: quidam opinione, alii assertione.

Opinione quidem, ut Erasmus, in Annotationibus in Novum Testamentum, Matth. 5. 8. *ut donemus*, inquit, *à Matthæo Hebraicè scriptum Euangelium, quod ipsum, mihi non fit verisimile.* Et in annotationibus ad cap. 19. Matthæi, ait similiter; *Si Matthæus Hebraicè scripsit: quod mihi non fit verisimile.*

Assertio verò eorum, qui Euangelium Matthæi, quod habemus, Græcè ab ipso scriptum esse statuerunt, alia certa est, alia dubia.

Certa, vel simplex est, qualis Calvini, qui in Harmonia Euangeliorum ad Matt. cap. 2. 6. Matthæi Euangelium, Hebraicè scriptum esse, negat: vel anceps; ut Cajetani: qui, in Matth. cap. 1. 23. cum initio dixisset, *Euangelium hoc, non fuisse à Matthæo Hebraicè scriptum, constat manifestè, ex Euangelii textu*, tamen post difficultatem, ex testi-

testimonio Hieronymi contrario, objectam, ait; *forte Matthaus scripsit in utraque lingua. Hoc enim certum est, ex ratione dicta, Euangelium istud quod habemus, Græcè à Matthæo, scriptum esse: quidquid sit, de illo Hebræo codice.*

Dubia verò est Bezæ assertio, in Annotationibus majoribus ad eundem Matthæi locum: qui statuit, vel non scripsisse Hebraicè, vel Hebraicè & Græcè quoque scripsisse, vel alium Hebræa Matthæi interpretatum.

Rationes autem, quibus ostenditur, Euangelium Matthæi, non esse ab ipso Hebraicè, sed Græcè, conscriptum, ex ipsismet Euangeliis desumptæ, sunt duæ. Prima est, apud Cajetanum, & Bezam, locis citatis, ex contextu Græco: in quo interpretatio est Græca, non solùm vocis Hebraicæ, ut vocis Emmanuel, Matth. 1. v. 23. sed etiam integræ sententiæ Hebraicæ; *Eli Eli Lama Sabachtani*, Matth. 27. Nam si Hebraicè scripsit Matthæus Hebræis intelligentibus, defuit interpretatio: si verò defuit, qua fide interpres potuit adjicere? Nam quòd obtendunt quidam, LXX. interpretes interdum vocem Hebræam, cum interpretatione, ponere: ut, 1. Sam. 7. v. 12. Hebræum *Aben-ezer* ponunt, & exponunt Græcè: ut etiam Latinus interpres Hebræis nominibus *Ben-oni* & *Benjamin*, Genes. 35. v. 38. simul Latinam interpretationem adjicit, illud, inquam, alienum est. Primùm, quia hæ versiones non sunt authenticæ: ideoque majori libertate utuntur; cum contrà Euangelium Matthæi Græcum, sit authenticum, citra controversiam. Deinde aliud est, nomen proprium interpretari (quòd in illis versionibus interdum fit) aliud, integram sententiam Hebraicè ponere, & Græcè interpretari, quod neque à LXX. Interpretibus, neque à Latino interprete veteri, ullibi præstitum.

Secunda ratio, contra Euangelium illud Hebraicum, est duplex. Una, à testimoniis Patrum: altera, ab experientia eorum, & Euangelii hujus materia.

Nam primò, testimonia illa objecta, anteà nobis posita, neque sunt universalia, neque idonea ac fide digna.

Non universalia, quia non omnes asseruerunt: Nam & Chrysostomus non dicit, se hoc scire, sed se, ex fama tantùm habere, ostendit, cum ait; *dicitur:* & quidam etiam Veterum, inter adulterina scripta, recensuerunt: ut historia Eusebii libr. 3. cap. 22. testatur, cum ait; *Iam verò & Euangelium quidam, quod ad Hebræos est, inter ista*, (loquitur autem, in antecedentibus, de adulterinis) *connumerant, quo potissimum delectantur hi, qui ex Hebræis, Christum receperunt.* Et Beda in Lucam, de pseudo-euangeliis disserens; *Inter quæ, notandum*, inquit, *quòd dicitur Euangelium juxta Hebræos (quo scilicet utuntur Nazoræi) non inter apocryphas, sed Ecclesiasticas numerandum historias.* Hæc ille.

Non idonea verò esse, testimonia illa Patrum, inde constat, quoniam vana credulitate, ut res ipsa docet, non autem scientia certa, veteres fuerunt inducti, ac seducti à Papia, scriptore quidem antiquissimo, sed (ut cum Eusebio, Histor. Eccles. libr. 3. cap. ultimo loquar) exigui judicii viro: qui multa fabulosa, leviter credita, posteris tradidit, multisque post se ecclesiasticis viris, occasionem errandi, antiquitate sua, præbuit. Cum enim extaret Euangelium Hebraicum, Matthæi nomine probatum falsò, quo Nazoræi & Ebionei (ut ante ostendimus) utebantur, Papias ille, & reliqui Patres eum secuti, opere illo pseudo-Matthæi, aut non viso, aut non examinato, authenticum Matthæi falsò crediderunt. Quod eò facilius fuit, quia plerique Patres, Hebrææ linguæ fuerunt imperiti, neque diligentes, in illo Euangelio requirendo: ut ex Epiphanii, hæresi 29. contra Nazoræos, testimonio anteposito, colligi potest, cum ait; *Non novi autem, an Genealogiam, ab Abrahamo, ad Christum usque amputaverint.*

Deinde, experientia idem evincit, & illius tantopere celebrati Hebraici Euangelii materia, sole clarius demonstrat.

Nam primò Epiphanius, cum hæresi 29. ut ante ostendimus, dixisset; *Euangelium illud Matthæi perfectissimum Nazoræos habere. Apud ipsos enim clarè, quemadmodum ab initio scriptum est Hebræis literis, adhuc servatur:* paulo tamen post, melius edoctus, contrarium sensit. Nam in eodem opere, hæresi 30. non plenum, sed *corruptum & mutilum*, vocat & *Genealogiam Christi resectam*, ait: & alia addita, testatur.

Deinde Hieronymus, idem confirmat, disertis testimoniis. Ut in Matth. cap. 12. vers. 13. ubi addit ac proponit verba illius Euangelii, à Matthæo aliena, illique assuta; *In Euangelio*, inquit, *quo utuntur Nazarani & Ebionitæ (quod nuper in Græcum, de Hebræo sermone, transtulimus, & quod vocatur, à plerisque, Matthæi authenticum) homo iste, qui aridam manum habet, cementarius scribitur, & istiusmodi vocibus auxilium precans; Cementarius eram, manibus victum quæritans, precor te Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Tale additamentum, recitat Hieronymus, in Matth. cap. 27. *in Euangelio*, inquit, *cujus sæpe mentionem fecimus, superliminare templi, infinitæ magnitudinis, fractum esse atque convulsum, legimus.* Hæc Hieronymus.

Accedit deinde, quòd illud pseudo-euangelium habet historias, ex aliis Euangelistis, conflatas, partim ex Luc. 24. vers. 37. ad 41. partim ex vers. 27. mutatis nonnullis, & aliis, quæ nullibi extant, assutis. Idque ex Hieronymo in Jesa. 65. in præfatione, liquet; & partim in Catalogo scriptorum Eccles. in vita Ignatii, simile quid extat. Sic enim ait; *De Euangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi, ponit testimonium dicens; ego verò, & post resurrectionem in carne, eum vidi, & credo quia sit. Et quando venit ad Petrum & ad eos, qui cum Petro erant, dixit iis; Ecce palpate me, & videte: quia non sum dæmonium incorporale: & statim tetigerunt eum, & crediderunt.* Quale etiam assumentum historiæ, apparitionis Christi, post resurrectionem, prolixum recitat Hieronymus, in vita Jacobi; *Euangelium quoque* (inquit) *quod appellatur secundùm Hebræos (& à me nuper in Græcum Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe utitur) post resurrectionem Salvatoris refert; Dominus autem cum dedisset Sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum, & apparuit ei (Iuraverat enim Iacobus, se non comesurum panem, ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum, resurgentem à mortuis) rursumque paulò post ait; Afferte ait, mensam & panem, & statim additur; tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo Justo, & dixit ei; Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis, à dormientibus.*

Et Tom. 9. in Epistolam Pauli ad Ephes. cap. 5. ait Hieronymus; in Hebraico quoque Euangelio, legimus Dominum ad discipulos loquentem; *Et nunquam*, inquit, *læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate.* Denique Euangelium illud, pro Matthæi genuino habitum, historiam mulieris peccatricis, quæ ad Christum deducta & accusata, continet (ut Eusebius historiar. Ecclesiast. lib. 3. capit. ultimo ait) quam Johannes capit. 8. describit, & verum Euangelium Matthæi prorsus præterit. Ex quibus omnibus, maxima, pseudo-Euangelii, à Matthæi genuino, discrepantia, detractione, & additione varia, demonstratur. Quibus simul probandis, novum insuper, ab ineptis & impiis sententiis (quales tres sufficient) accedit argumentum.

Prima sententia, extat apud Hieronymum, commentariis in Micham cap. 7. sic enim Hieronymus ait; *Crediderit que Euangelio, quod secundùm Hebræos editum nuper transtulimus, in quo, ex persona Salvatoris dicitur; Modo tulit me, mater mea, Spiritus Sanctus, in uno capillorum meorum.* Quod repetitur, in commentariis Hieronymi, in Ezech. cap. 16.

Altera sententia, est apud eundem in Esa. cap. 11. *Sed juxta Euangelium eorum, quod, Hebræo sermone conscriptum, legunt Nazaræi, descendit super eum fons omnis Spiritus Sancti:* & paulo pòst: *Porrò in Euangelio (cujus mentionem fecimus) hæc scripta reperimus: Factum autem est, cum Dominus ascendisset de aqua, descendit fons omnis Spiritus Sancti, & requievit super eum & dixit ei,*

Fili

Fili mi, in omnibus Prophetis, exſpectabam te, ut venires, & requieſcerem in te. Tu enim es mea requies, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in æternum.

Denique hiſce addatur quod recitat Hieronymus, Tom. 2. dialogo contra Pelagianos, lib. 3. *In Euangelio*, inquit, *ſecundùm Hebræos (quod è Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed Hebraicis literis, eſt ſcriptum, quo utuntur uſque hodie Nazareni, ſecundùm Apoſtolos* (notanda eſt hæc ſententia, Hieronymi, Euangelium illud, non verè eſſe Matthæi, ſed *ſecundùm Apoſtolos*, dici) *ſive, ut plerique autumant, juxta Matthæum* (notetur hoc dici, ex aliorum ſententia, quam jam non probat Hieronymus) *quod etiam in Cæſarienſi Bibliotheca habetur) narrat hiſtoria; Ecce Domini mater & fratres dicebant ei, ecce Iohannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum, eamus, baptizemur ab eo. Dixit autem iis, quid peccavi, ut vadam, & baptizer ab eo? niſi forte hoc ipſum, quod dixi, ignorantia eſt.* (notetur hæc blaſphemia) *Et in eodem volumine: Si peccaverit frater in verbo, & tibi ſatisfecerit, ſepties in die ſuſcipe eum. Dixit illi Simon diſcipulus, ſepties? Reſpondit Dominus, & dixit ei, Etiam ego dico tibi, uſque ſeptuagies ſepties. Etenim in Prophetis quoque, poſtquam uncti ſunt Spiritu Sancto, inventus eſt ſermo peccati.* Hæc ille.

Unde apparet, ex tam multis ſententiis, ac narrationibus, nihil cum Matthæo, congruere penitus. Ex quibus omnibus, pſeudo-Euangelii illius Hebraici, à priſcis tantopere commendati, diſcrepantia, & diſſidium, ab Euangelio Matthæi, maximum apparet: ideoque jure meritoque, ut humanum figmentum ac pſeudo-Euangelium, qualia multa olim fuerunt (ut docet Origines Tom. 2. præfatione in Lucam, & Euſebius libr. 3. capit. 22. & Epiphanius hæreſi 46. reſpuendum. Hæc de Euangelio Matthæi à priſcis memorato.

Nam, quæ noſtra tempeſtate, in lucem prodiere, diverſa Matthæi Euangelia Hebraica: à Munſtero, & Mercero, Latinè reddita: ea nihil habent genuinum. Nam, ut toti antiquitati fuere ignota: ſic ſtyli ſui indicio, additione, ac detractione quadam, & maxima inter ſe, varietate, ſatis arguunt, à Judæis diverſis, & eruditione diſparibus, è Græco, aut Latino eſſe tranſlata: ideoque nullam mereri auctoritatem. Qua de re, viri præſtantiſſimi Johannis Merceri, judicium obſervandum. Sic enim, de priori Euangelio, loquitur in Notis, ad Theſaurum Hebrææ linguæ, Sanctis Pagnini in radice, *Ajin: Peccant ergo in hujus linguæ puritatem, qui Ain præteritis, vel futuris verbis, jungunt. Quales ſolœciſmos paſſim committit, qui Matthæum Euangeliſtam, Hebraicè convertit, Baſileæ, opera Munſteri, excuſum. Is, ſe linguæ Hebraicæ ignarum, prodit, ſive Iudæus, ſive Chriſtianus, fuerit.* De altero verò, in præfatione verſionis ſuæ, ſic ait: *Quod ſi Hebraicum exemplar (ne non Matthæi authenticum eſſe, tibi perſuadeas) te quippiam movet, ſcito, ne Nazaræorum quidem, quo uſus Hieronymus, & quod plerique Syriacum fuiſſe credunt,* αὐτόγραφον, *meo judicio, fuiſſe. Si enim* αὐτόγραφον *erat, cur in Græca editione (cujus quis, auctor fuerit, Hieronymo teſte, non ſatis certum eſt) illa omiſſa; Cementarius eram: quod ab eodem citatur, in* 12. *capit. Matthæi. Item; modo me arripuit mater mea, Spiritus Sanctus: quod profert Ezech.* 16. *Nam Græcæ editionis, quæ extat hodiè, auctorem non eſſe Hieronymum (ut quidam putarunt) hæc ſatis ſuperque oſtendunt. Ut ut ſit, hæc ſatis purè ſcripta, ſi diligenter evolvas, nec, à veteris inſtrumenti nitore, procul abeſſe (etſi nonnihil Rabbiniſmi interdum adjunctum) comperies.* Hactenus Mercerus. Quæ ſi Quinquarboræus, prius percepiſſet: non dubito: quin, ab Hebraici Euangelii, à Munſtero editi, nova editione, opera Martini juvenis Pariſiis Anno 1551. & impunis à laude illa abſtinuiſſet, qua interpretatione ſua, ait: *Quod autem hoc ipſum ſit Euangelium, quod D. Matthæus Hebraicè ſcripſit, ambigere quis poſſit?* Ac ſanè quum pro eo, quod Matthæus, capit. 15. verſ. 5. habet δῶρον, à Chriſto, Hebraicè fuerit propoſitum, κορβᾶν, ut Marcus demonſtrat, in eadem ſententia, cap. 7. verſ. 11. & in ea voce, ut res ipſa evincit, emphaſis ſit non exigua, exemplaria illa Judaica, vocem *Matthan*, ſi genuina eſſent, minimè ſubſtituiſſent. Hactenus de Euangelio Matthæi Hebraico: inde ſatis liquet non à Matthæo, ſed ab Interprete ortum.

FINIS.



FRANCISCI GOMARI,

S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris,

INVESTIGATIO SENTENTIÆ ET ORIGINIS SABBATI: ATQUE *INSTITUTIONIS DIEI DOMINICI,* CONSIDERATIO:

Ad reverendos & doctissimos, Confœderati Belgii, Ecclesiastas.

Fratribus suis, in Christo, honorandis, gratiam & pacem à Deo, per JESUM CHRISTUM.

DUÆ *potissimum (reverendi atq; observandi Viri) de* Sabbato *ac* Die Dominico, *controversia existunt: quarum una,* sanctificationis modum: *altera,* originem *utriusque attingit. Ac prior quidem, à piis atque eruditis hominibus, cum prisca, tum nostra tempestate, adeo feliciter est expedita, ut recto medioque, inter superstitionis Charybdin, & profanationis Scyllam, decursu, in veritatis ac pietatis portum appulerint. Posterior verò, ita dispari ratione, ab iisdem est tractata, ut penitiorem aliquam disquisitionem, flagitare videatur. Siquidem, in vera utriusque origine, investiganda, quasi in bivio quodam constituti, in diversas sententias, servata fidei compage, declinarunt. Quocirca, non alienum ab officio meo, facturus videor, si ad uberiorem veritatis hac in re dignoscenda, indaginem, meam quoque pro modulo, symbolam minimè detrectarem. Ea etenim ratione, speravi fore, ut minori negotio in propositis, de Sabbati & diei Dominici origine, controversiis, certa ab incertis, & probabilia à necessariis, dirimerentur. Quod ut, majori pietatis compendio, præstaretur, initium à genuina, doctrina de Sabbato, sententia, ducendum existimavi: ut ea, quasi basi præstructa, & facis instar prælucente, non solùm scientiæ, sed etiam conscientiæ lectorum, consuleretur. Quem laborem, non illubenter in me suscepi: ut eadem opera, & justæ auditorum exspectationi, & honestissimo complurium, è vestro ordine, desiderio, inservirem, meamque erga vos observantiam, publico hoc testimonio, obsignarem. Ac propterea tenuem hanc opellam, laudatissimo nomini vestro, honoris & amoris testandi causa, inscripsi, & exacto vestro judicio perpendendam subjeci. Quam, ut pro more, & candore vestro, æqui bonique consulatis, etiam atque etiam rogo. Deumque precor, ut sanctissimis vestris laboribus clementer adspiret, vestrumque, in sancta religionis orthodoxa veritate & charitate conservanda, studium benignè secundet, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ salutem. Groningæ Anno* CIƆ. IƆ. C. XXVIII. *Nonis Septembris.*

CAP. I.

De vocis Sabbati *origine, & significatione.*

1. VOCIS Sabbati *origo*, alia *vana*, alia *vera*, statuitur.

2. *Vana* est ea, quæ vel impudente, *profanorum hominum*, contumelia, vel imprudente, *piorum quorundam*, studio, promanavit. Quam propterea silentio, ob rei indignitatem, involverem, nisi exempli utilitas, secus persuaderet: ut ea ratione, scopulis iis (in quos olim eruditi, Hebrææ linguæ neglectu, impegerunt) observatis, majori alacritate, eandem prosequeremur.

3. Etenim *profani* quidam scriptores, *Hebræam Sabbati vocem*, ex aliena lingua, partim Ægyptia, partim Græca, pari utrimque inscitia, atque impietate, derivarunt.

4. Ac *prius* quidem, *Appionis Alexandrini*, figmentum est: cujus verba *Josephus*, secundo, adversus eundem, libro, non procul ab initio illius, hoc modo recenset; *Reddit causam, quare Sabbatum nominatum sit. Exacto enim* (inquit) *sex dierum itinere, inguinum ulceribus affecti sunt: & hac de causa, septima die, quieverunt, incolumes constituti, in regione, quæ nunc Judæa vocatur. Et appellarunt eam diem, Sabbatum, servata Ægyptiorum voce. Nam, inguinis morbum Ægyptii vocant Sabbo.*

5. Sic enim legendum omnino videtur, non autem (ut in Græca Basileensi, & Græco-Latina Genevensi) *Sabbatosis*: quemadmodum perspicuè ex subjecta, ejusdem vocis repetitione gemina (quam suo loco, paulò post referemus) demonstratur.

6. Cui Appionis maledicto, affinis est *Justini* historici, è variis mendaciis, consuta fabula, quam adspersit historiæ, libri trigesimi initio, his verbis: *Sed Ægyptii, quum scabiem, & vitiliginem, paterentur, responso moniti, eum* (Mosem) *cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum, furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire, tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses, Damascena, antiqua patria, repetita, montem Sina occupat: quò septem dierum jejunio per deserta Arabiæ, cum populo suo fatigatus, quum tandem venisset, septimum diem, more gentis,* SABBATUM *appellatum, in omne ævum, jejunio consecravit: quoniam illa dies, famem illis erroremque finierat.* A quo insulso figmento, *Tacitus*, libri quinti historiarum initio, non multùm abludit. Hæc de *primo profano etymo*.

7. *Posterius* verò, est *Plutarchi* (viri alioqui, de literis humanioribus, optimè meriti) indignum convitium. Qui συμποσιακῶν libro quarto, problemate quinto, peracerbo religionis Judaicæ (quam variè ac prolixè insectatur) odio, ut *Levitas* ab εὐίῳ, sic *Sabbatum*, à σάβῳ, Græco Bacchantium epitheto, deducit. Utque majori vocum similitudine, calumniam suam fucaret, & Judæos, à Bacchi cultura, minimè alienos esse, persuaderet, σάβους in σάββους (nisi forte librariorum sit error) depravavit.

8. Idque

8. Idque non solùm, ex conjugatis, σαβάζει & σαβάζιος, vocibus, & veterum ac laudatorum grammaticorum (ut *Hesychii*, *Suidæ*, *Scholiastis Aristophanis* ὄρνισι, & *Eusthatii ad Odyss. β*) indicio; sed ex eo etiam, quem vocis hujus testem adducit, *Demosthene*, confutatur. Siquidem in *oratione de Corona*, editionis Wolfii pag. 150. olim vocibus hisce εὐοῖ, σαβοῖ, debacchatum Æschinem, exprobrat.

9. Utque Hebræis, *Sabbatum*, non à σάβος Græcorum; sic vicissim, nec σάβος & σαβάζιος (ut conjicitur) à Sabbati, apud Hebræos, abusu (qui, à furiosa Bacchantium intemperie, longissimo intervallo, dissidebat) originem traxit: sed aut, à Græco fonte; ut à Græcis istis, quos recensui auctoribus traditur: aut à *Saba*, quod Hebræis vinosum esse notat: ut hoc etymon; à nobilissimo Viro, literatorum ocello, *D. Heinsio*, in eruditissimo *Aristarcho sacro*, acutissimè observatum. Atque hæc de priori vana Sabbati, à profanis hominibus, ad protervam illius despectionem, conficta origine.

10. *Altera* verò est, quam *veteres quidam theologi*, recto quidem animo ac scopo, sed aberrante nonnihil sententia, tradiderunt.

11. *Lactantius* enim *Firmianus*, De divino præmio, libro septimo, capite decimo quarto, ait; *Hic est autem dies Sabbati: qui lingua Hebræorum, à numero nomen accepit.* Quasi videlicet, à voce, *Schebhangh*, id est septem (pro quo emolliendi soni gratia, vulgò, *Seba*, enuntiant) deduceretur.

12. Neque alia, *Theophili Antiocheni*, secundo ad Autolycum libro (qui Bibliothecæ sacræ, insertus) videtur sententia, quum ait; *Hic enim dies, qui ab Hebræis, Sabbatum, vocatur, Græcè, si quis interpretetur, septimana dicitur.* Ubi obiter, interpretatio parumper dirigenda, ac pro, *Septimana*, legendum, *Hebdomas*: ut res ipsa arguit. Atque hactenus, de *vana vocis Sabbati origine*: quæ, ut indicio suo, sic & sacra lingua, & Scriptura divina, diluitur.

13. *Vera* enim vocis illius *origo*, est à verbo *Schabbath*: ideoque κατ' ἐτυμολογίαν, cum eo conjungitur, Levit. 23. v. 32. *Tischbtou schabbathtchem, Cessabitis Sabbato vestro*, & c. 25. 2. *Schabbhtha schabbath, cessabit Sabbato.*

14. Significat autem *Schabbath*, primo *generatim* ac propriè, *desiit*, sive *cessavit*, ut Gen. 2. 3. *desiit*, (sive *cessavit*) *ab omni opere suo*: & Jerem. 31. 36. *desinent esse gens*: & Job. 32. 1. *desierunt respondere*: Nehem. 6. 3. *Quare cessaret hoc opus?*

15. Unde *speciatim*, per synecdochen, aut *desiit*, (sive *cessavit*) *esse*: aut *operari desiit*, significat. *Esse* quidem *desiit*, ut Jos. 5. 12. *desiit manna* (quod *septuaginta interpretes*, ἐξέλιπε *defecit*, vertunt) & Jes. 24. 8. *desiit gaudium*. Deinde verò *operari desiit*; ut Exod. 16. 30. *cessaverunt populus*: & cap. 34. 21. *cessabis*: id est, ab opere desistes: & Levit. 23. 32. *cessabitis, Sabbato vestro.*

16. Atque ita *cessare*, & *quiescere* ac *respirare*, velut synonyma, Exod. 23. v. 12. & 31. 7. *operari* verò, & *cessare*, tanquam opposita, Exod. 23. 12. & 34. 21. statuuntur. Unde *similitudine* quadam, de terra, à sui cultura, vacante, ac quasi cessante, usurpatur, Lev. 25. 2. & pleniori allegoria ac prosopopœa, Lev. 26. 34. & 43. exponitur.

17. Quam vocem *(Schabbath)* LXX. interpretes, Græcè παύειν, & ἀναπαύειν, sed frequentius καταπαύειν· nonnunquam verò, Hebræam vocem imitati, σαββατίζειν Exod. 16. v. 30. & Levit. 23. v. 32. & 26. v. 35. exponunt. Hæc de verbo *Schabbath*.

18. Ex quo, aptè nomen fœmininum, *Schabbath*, Exod. 31. 15. (per syncopen, pro *schabbétheth*: ut rectè Aben Ezra, ad Exod. 16. v. 23. tradit) & synonymum ejus, *Schabbathon*, Exod. 16. 23. & 45. 2. & Levit. 23. 39. derivatur. Quod Græci Interpret. LXX. rarius σάββατον, creberrimè verò, per numeri enallagen, σάββατα, ut Exod. 16. 23. 26. & 20. 8. 10. Deut. 5. 12, 14, 15. &c. appellarunt. Adeo ut in numerosa illa vocis hujus, in libris Mosis, repetitione, nullibi (si Exod. 31. 13. Numer. 15. 32. & 28. 10. exceperis) aliter expressisse comperiamus.

19. Quos sacri N. Testamenti scriptores sæpius imitantur: ut Matth. 12. 1. 5. 10, 11, 12. & 28. 1. Marc. 1. 21. & 2. 23, 24. & 3. 2. 4. &c. Idemque in libris Machabæorum frequens, 1. Machab. 2. v. 32. 34. 38. & 9. 34. 43. & 2. Machab. 15. v. 3. Sic etiam *Philo Judæus*, libro de Abrahamo, ait; καὶ τὴν ἑβδόμην, ἣν Ἑβραῖοι σάββατα καλοῦσιν. *Et septimam, quam Hebræi, Sabbata vocant.*

20. Ac propterea, quòd eruditus ille sacrarum literarum scholiastes, *Piscator*, ad locum Exod. 20. 10. de Græcis, illius sententiæ, interpretibus ait, *Pro* σάββατα, *videtur legendum*, σάββατον, alienius esse, perspicuè apparet. Sed Latini tamen, sine illa numeri permutatione, *Sabbatum* vulgò appellarunt. Atque hæc de *vocis Sabbati origine*.

21. *Significatio* porro, alia est *prima*: alia inde *orta*.

22. *Prima*, est cessatio ab opere: seu requies, Levit. 23. 32. ut etiam contra Appionem, libro 2. *Josephus* attestatur. *Nam hæ*, inquit, *voces, Sabbo, & Sabbatum, inter se maximè differunt. Sabbatum enim, secundùm Judæos* (ἀνάπαυσις) *cessatio est, ab omni opere: Sabbo verò* (*ut ille affirmat*) *Ægyptiis, inguinum morbum, significat.* Quemadmodum & *Philo*, libro de Abrahamo, ἀνάπαυσιν interpretatur.

23. Sic etiam Sabbatum, Exod. 16. 23. & Levit. 23. 24. & 39. à LXX. interp. ἀνάπαυσις *requies* redditur: & *auctor* libri secundi Machabæorum, cap. 15. diem Sabbati, modò, τὴν τῆς καταπαύσεως ἡμέραν *illum quietis diem*, versu 1. modò, retenta voce Hebræa, τὴν σαββάτων ἡμέραν vers. 3. nuncupavit.

24. Neque aliter fere LXX. interpretes: vel sacri Novi Testamenti scriptores, loquuntur; qui voce, σαββάτω, aut σαββάτων, Hebræa utentes, ab interpretatione illius, abstinuerunt. Nam quòd ad Heb. 3. 11. & 4. 3. κατάπαυσις, (non autem ἀνάπαυσις,) è Psalmo nonagesimo secundo, memoratur, illud tanquam vocis *Mnucha* (non autem *Schabbath*) interpretatio adfertur.

25. Cæterum Hebræam Sabbati vocem, ob rei solennitatem, ac frequentem illius, inter Judæos, per Gentes dispersos, usum: ac denique ut, à profana ac communi quiete, distingueretur (ut in similibus *Adonai*, *Hallelujah*, *Hosanna*, *Pascha*, *Amen*, contigit) servarunt.

26. Siquidem ea vox, non de quavis cessatione ac quiete generatim: sed speciatim ac κατ' ἐξοχὴν, de sacra: & quidem non Dei (ut quidem arbitrantur) sed de divinitus Ecclesiæ imperata, in Sacris Literis, usurpatur. Atque hoc modo, à voce *Mnucha* (quæ quietem generatim notat, Genes. 49. 15. Deuter. 12. 9.) distinguitur. Hæc de *prima* Sabbati *significatione*.

27. *Orta* verò ex ea (per tropum quendam) acceptio, est varia.

28. *Primum* enim, per metonymiam, tempus Sabbati, seu quietis, significat: quod in orbem perpetuò recurrens, cessatione ab opere, consecratum est. Estque vel *dies*, vel *annus*, cessationis.

29. *Sabbatum diei* est, vel cujusque hebdomadæ, vel certi mensis.

30. Ac *Sabbatum diei cujusque hebdomadæ*, est unicum: nempe dies illius septimus, seu ultimus, Exod. 20. 10, 11. Qui κατ' ἐξοχὴν, ob maximam recursus sui frequentiam, & quietis rigorem, Sabbati voce (ut Exod. 16. v. 25. & 2. Reg. 11. v. 5. Jesa. 1. 13.) intelligi solet. Unde LXX. interpretes, *diem Sabbati*, Exod. 20. vers. 11. & 31. v. 15. τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην *septimum illum diem*, paraphrasi quadam interpretantur.

31. Atque eò pertinet, illa apud *Suidam* expositio; σάββατον, ἑβδόμη ἐτύγχανε, τοῦ κυκλικοῦ διαστήματος, *Sabbatum fuit septimus dies, circularis illius intervalli.*

32. *Sabbatum* verò *diei certi mensis*, est quod solennibus festorum feriis divinitus, Lev. c. 23. & alibi, præfinitum. Nam quòd quidam Theologi, non indocti, Neomenias, Sabbatis hujusmodi annumeraverunt, divina auctoritate destituuntur. Quamvis enim certum sit, fuisse eas festas, ac sacrificiis peculiaribus insignes (Numer. 28. vers. 11. & 15.) nullum tamen, cessationis ab opere præceptum, in Sacris Literis reperitur. Neque interim verisimile esse negaverim, Judæos easdem, inter gentes, superstitione quadam, quasi Sabbata, celebrasse. Quo etiam pertinere videtur, illud *Horatii* (Libro 1. Satyra 9.) in

Judæorum Neomenias dicterium, quum eas, *tricesima Sabbata* (quod, ut *Adrianus Turnebus*, Adversar. lib. 14. cap. 18. monet, *tricesimo quoq; die recurrerent*) appellavit. Hæc de *Sabbato diei*.

33. *Anni* verò *Sabbatum*, est *septimus* quisque *annus*: quo & à debitis, ab Israëlitis exigendis, Deut. 15. 1. & ab iis, in servitute, retinendis, versu 12. & à terræ cultura, erat cessandum: Levit. 25. v. 4. Unde, *annus cessationis terræ*, vers. 5. & *Sabbatum terræ*, vers. 6. & vulgò, *annus Sabbaticus*, nominatur. Cui *anni quinquagesimi* (qui *Jobel* vers. 12. dicitur) cessatio, consentit vers. 11. Qua de re, nonnulla eleganter *Gregorius Nazianzenus*, oratione 44. in sanctam Pentecosten, disseruit.

34. Porro ex illa Sabbati, pro septimo die hebdomadis, significatione; *aliæ* etiam gradatim oriuntur. *Primò* enim, quoniam hoc Sabbatum, septimanæ pars est, & quidem, ob religionem, primaria, idcirco interdum, per synecdochen, pro tota septimana, usurpatur. Quemadmodum Levit. 23. 15. *Septem Sabbata:* quod LXX. interpretes, ἑπτὰ ἑβδομάδας, ad loci sententiam accommodatè, transtulerunt. Et Luc. 18. v. 12. *jejuno bis* (*in*) *Sabbato:* hoc est, in hebdomade: & Matth. 28. v. 1. *Extremo autem Sabbato, quum lucesceret, in primum* (diem) σαββάτων Sabbati, ut *Vulgata versio* transtulit: hoc est hebdomadis: ut *Beza* sensum expressit.

35. *Deinde* vice versa, per reciprocam totius, pro parte, synecdochen, ἑβδομάδας septimanas (nisi quis potius septimas, interpretari velit) pro, diebus septimis, hoc est Sabbatis, extra Sacras Literas usurpari, comperimus. Sic enim *Josephus* de bello Judaico, lib. 1. cap. 5. τὰς ἑβδομάδας ἐπιτηρῶν ὁ Πομπήϊος, ἐν αἷς παντὸς ἔργου, διὰ τὴν θρησκείαν, χεῖρας ἀπίσχουσιν Ἰουδαῖοι. *Pompejus, observatis hebdomadis* (hoc est diebus septimis) *quibus ab omni opere, propter religionem, manus abstinent Judæi.* Idemque *contra Appionem*, lib. 2. τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος. *hebdomadæ* (hoc est, diei septimi) *qua vacamus, consuetudo.* Eodemque modo, 2. Mach. 6. v. 11. ἄγειν τὴν ἑβδομάδα· & cap. 15. 4. ἀσκεῖν τὴν ἑβδομάδα, *colere hebdomadam:* hoc est septimum diem seu Sabbatum, ut vers. 3. ἄγειν τὴν τῶν σαββάτων ἡμέραν, designat.

36. Adhæc Sabbati, pro hebdomade acceptio, alteram quoque, similiter gignit. Quum enim septimana, septem dierum numerum, complectatur; inde fit, ut Sabbati vox, interdum ἑπτάδα, hoc est, *septenarium*, significet. Quemadmodum Levit. 25. v. 8. *septem Sabbata annorum*, subjecta hac interpretatione, *septem anni, septem vicibus*, declarantur.

37. Denique Sabbati vox, Metonymia quadam, ad rem spiritualem, cujus signum est, transfertur: ut Jesa. 66. 23. *Eritque à Neomenia, in Neomeniam ejus, & à Sabbato in Sabbatum ejus: ut veniat omnis caro, ad incurvandum se coram me, ait Jehova.* Quo etiam tropo, σαββατισμὸς, *Sabbati observatio*, Heb. 4. 9. usurpatur. Atque hactenus, de *vocis Sabbati origine*, & *significatione* varia: quibus nonnulla de Sabbathi hebdomadæ, Judæis traditi ac culti (unde Ovidius lib. 1. de Arte, *cultaque Judæo septima sacra viro:* & à Martiale Judæi, Epigr. l. 1. epig. 4. *Sabbatarii* dicti) institutione, subnectemus: ut eo commodius, ad religionis Sabbati originem, procedamus.

CAP. II.

De Sabbati hebdomadis, Judæis traditi, institutione: ac primùm, nova.

HÆC autem *Sabbati*, Judæis divinitus traditi, *institutio*, citra controversiam duplex est: *nova* & *renovata*.

2. *Nova* est, qua Deus, Sabbatum illud, primùm, & à reliquis mandatis sejunctum, unico tantùm mense, post reductos, ex Ægypto, Israëlitas, elapso, Exod. 16. 1. iisdem præcepit.

3. Cujus historia ibidem inde à versu 23. descripta continetur; *Illud est, quod locutus est Jehova, quies Sabbatum sanctum* (erit) *Iehovæ cras: quod cocturi essetis, coquite, & quod elixaturi essetis, elixate: quicquid autem abundat, deponite vobis asservandum, in crastinum.* Vers. 14. *Et deposuerunt illud, usque in crastinum, sicut præceperat Moses, & non fœtuit, nec vermis in eo fuit.* 25. *Et dixit Moses; comedite illud hodie: quia Sabbatum* (est) *hodie Jehovæ. Hodie non invenietis illud, in agro.* 26. *Sex diebus, colligetis illud: die verò septimo* (erit) *Sabbatum: non erit, in eo.* 27. *Et fuit die illo septimo, & egressi sunt, ad colligendum, & non invenerunt.* 28. *Dixitque Iehova, ad Mosem, quousque renuitis, observare mandata mea, & leges meas?* 29. *Videte, quòd Jehova dedit vobis, ipsum Sabbatum: idcirco ipse dat vobis, die sexto, cibum bidui: manete quisque in suo loco: ne exeat ullus, è suo loco, die septimo.* 20. *Et cessavit populus die septimo.* Atque hæc est, *nova institutionis Sabbati historia*.

4. Ea autem (ut summam breviter præstringamus) partim religionis Sabbati *mandatum:* partim *eventum* illius, describit.

5. Ac *mandatum* Sabbati, non solùm propositum fuit, sed *tribus* etiam illustribus, per annos quadraginta, Exod. 16. 35. Jos. 5. 12. durantibus *miraculis*, confirmatum.

6. Quorum *duo priora*, ad *benedictionem Sabbati*, pertinent, & in gemino cœlesti beneficio consistunt. *Primum* quidem fuit, quòd Deus, in quietis Sabbati gratiam, pridie illius, duplex mannæ demensum, colligendum ac parandum, depluit: *alterum* verò, quòd partem illius demensi, in Sabbatum usque depositam, præter naturam illius, à putredine immunem, cum populi ac ducum stupore, conservavit.

7. *Tertium* porro *miraculum*, ad *Sabbati sanctificationem*, editum, in eo situm est, quòd Deus ipsemet, die septimo, à demissione mannæ illius, cessavit, eumque à sex prioribus, ea ratione, secrevit. Unde perquam aptè *Theodoretus*, in Exod. 16. quæst. 32. ait, *Quum hominibus lege præcepisset quiescere, die Sabbati docuit illos ipso facto, servare præceptum.* Hæc, de *mandato*.

8. *Eventus* verò *mandati est duplex*, ac gradatim describitur. *Prior* est Israëlitarum transgressio: *posterior*, est vitii hujus correctio. Cujus quidem, *causa prima* ac *remota*, statuitur divina, per Mosem, increpatio: *proxima* verò, est Israëlitarum resipiscentia: qua, ad Sabbati observationem, sunt adducti. Atque hæc de *nova Sabbati institutione*.

CAP. III.

De renovata Sabbati institutione.

1. RENOVATA verò *Sabbati institutio*, est conjuncta illius, cum reliquis Decalogi mandatis, quarto loco, plenior repetitio. Eaque, tempore aliisque circumstantiis variata, est *duplex*.

2. *Prima* est; quæ, à Deo, in deserto, è monte Sinai, Exod. 19. 20. facta: quum Legem duarum tabularum, quinquagesimo, egressus ex Ægypto, die, Exod. 12. v. 17. cum 19. 1. & 11. promulgavit, Exod. 20. vers. 8.

3. *Secunda* verò, mandati de Sabbato, repetitio, ea est, quæ per Mosem, jussu Dei, Deuter. 6. 1. post annos quadraginta, Deut. 1. 3. Israëlitis, in promissam Patribus regionem, brevi transituris, vers. 8. contingit: quum Decalogum, ad legum divinarum memoriam, atque obedientiam, firmiorem, iterum proposuit, Deuter. 5. 1. 7. & 6. 1. 2. & paraphrasi quadam, etiam Sabbati mandatum, Deuter. 5. 12. 13. 14. 15. illustravit.

4. Quocirca hujus renovatæ institutionis Sabbati descriptionem duplicem, sequenti tabella (commodioris intelligentiæ gratia) comparatè, ob oculos proponemus.

EXOD.

EXOD. XX.

8. *Memento diei illius Sabbati, ad sanctificandum illum.*

9. *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.*
10. *Dies verò septimus, Sabbatum* (est) *Iehova, Deo tuo: non facies ullum opus, tu, aut filius tuus, aut filia tua, servus tuus, aut ancilla tua, aut jumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui* (est) *intra portas tuas.*

11. *Nam sex diebus, fecit Iehova cœlum, & terram, & mare, & quicquid est in eis: & quievit die illo septimo: idcirco benedixit Iehova diei Sabbati, & sanctificavit illum.*

DEUT. V.

12. *Observa diem illius Sabbati, ad sanctificandum illum: quemadmodum præcepit tibi Iehova Deus tuus.*
13. *Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum.*
14. *Dies verò septimus, Sabbatum* (est) *Iehova, Deo tuo. Non facies ullum opus tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut servus tuus, aut ancilla tua, aut bos tuus, aut asinus tuus, aut ullum jumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui* (est) *intra portas tuas: ut quiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut tu.*
15. *Et memineris, te servum fuisse, in terra Ægypti; Iehovam verò Deum tuum, eduxisse te manu forti & brachio extento: idcirco præcepit tibi Iehova Deus tuus, ut observes diem illius Sabbati.*

---

5. Atque hactenus, *institutionis Sabbati*, bifariam repetitæ, *descriptio*. Quæ constat, *mandato officii*, & *confirmatione* illius.

6. *Mandatum* autem, initio summatim *proponitur*: deinde verò, subjecta *expositione*, distinctè *illustratur*.

7. Ac *propositio* illius, Exod. 20. v. 8. his verbis; *memento diei illius Sabbati, ad eum sanctificandum* (seu ut eum sanctifices) traditur.

8. Complectitur autem, duo membra, mandati *objectum*, circa quod versatur, & *officium* demandatum.

9. *Objectum*, de quo præcipitur, est dies illius Sabbati, seu quietis sacræ. Nam ut, ὁ, Græcus; sic fons illius, *Ha*, articulus Hebræus, citra controversiam, loco pronominis demonstrativi, sæpius usurpatur: & eodem modo hic accipitur. Quippe *Hasschabbath*, per excellentiam, quietem illam sacram, à Deo scilicet, Exod. 16. 25. & 29. antè imperatam, designat. Quò etiam imprimis refertur illud, quod à Mose Deut. 5. huic mandato, explicationis gratia, adjungitur; *quemadmodum præcepit tibi, Iehova Deus tuus.*

10. *Officium* verò, circa diem Sabbati, ut in reliquis præceptis, uniuscujusque compellatione singulari, proponitur. Cujus (ut *Philo*, inter alia, libro, de Decalogo, ait) *causa est, quia qui concionem alloquitur, non semper interdicit, aut præcipit: quum autem singuli admonentur, quid agere debeant, omnes docentur eadem opera, & quisque redditur obsequentior, sibi dictum existimans. Quum verò, cum cæteris, turbâ comprehenditur, eodem alloquio, surdescit, turbam ipsam prætexens sua contumaciæ.*

11. Porro *officium* hoc, est *duplex*, & duobus quasi gradibus, mandatur. *Prius* est illius memoria: *posterius* verò, ejusdem sanctificatio.

12. *Memoria* enim, *partim* Sabbatum *antecedens*, ad sanctam parasceven (qua pridie ea parantur, quæ die quietis sacræ, ad victum necessaria, Exod. 16. 34.) *partim* Sabbato *conjuncta* gravissimis de causis, requiritur.

13. Harum autem quædam, est communis, cum aliis præceptis: quædam, propria.

14. *Communis* est, *primùm* rei dignitas: quia, à Deo, originem ducit, & ad gloriam ejusdem tendit: *deinde* necessitas; quòd rei mandatæ memoria, fit necessaria, partim ad rectam illius observationem, conditio, & gradus prævius, sine quo ad eandem perveniri non potest: partim ad fugam pœnæ. Ideoque Exod. 23. 24. præscribitur communiter; *Cave ne quando obliviscaris pacti Domini tui, quod pepigit tecum.*

15. Quamobrem alibi quoque generatim, omnium mandatorum Dei memoria, præcipitur (ut Deut. 5. 1. *Discite ea, & opere complete: & 6. 6. Eruntque hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo)* & varia quoque signa, ac monumenta, quæ in oculos incurrerent, ad eandem conservandam, præscribuntur. Quemadmodum Deut. 6. 8, 9. *Alligato ea, in signum manus tuæ: & sunto, pro frontalibus, inter oculos tuos: denique inscribito ea, postibus domus tuæ, & portis tuis.* Similiter de fimbriis, ac filo hyacinthino, in eundem usum statuitur. Num. 15. v. 39. *Hoc esto vobis peniculamentum: ut videntes illud, memores sitis omnium mandatorum legis, & faciatis ea.*

16. Ac speciatim quoque de festo azymorum primo (ut hîc, de Sabbato) simile extat statutum. Exod. 13. 3. *Memento diei hujus, quo egressi estis ex Ægypto, è domo servorum: nam robusta manu, eduxit Jehova vos illinc: ne ergo comeditor fermentum.*

17. *Propria* verò memoriæ Sabbati imperatæ, *ratio triplex* apparet.

18. *Prima* est, ut recentem atque indignam illius, apud Israëlitas, Exod. 16. 27. oblivionem, obliquè innuendo, adversus similem culpam, amplius præmuniret. Quò etiam prior spectarat increpatio atque monitio illa, Exod. 16. 28, 29. *Quousque renuitis, observare mandata mea & leges meas? VIDETE, quod Iehova, dedit vobis illud Sabbatum.*

19. *Secunda* ratio est, ut eo modo excitati, & attenti, adversus peculiaris pœnæ periculum (cum propriæ ac capitalis, in Sabbati violatores, destinatæ ac brevi sanciendæ, Exod. 31. 14, 15. & 35. 2. Num. 15. 35. tum communis divinitus, contumaci populo, obventuræ, Jer. 17. 27.) cautiores redderet.

20. *Tertia* denique est, quia illustrium Dei beneficiorum signum fuit ac monumentum destinatum, Exod. 31. 13. & 17. & 5. 15. & religionis discendæ atque exercendæ introductio: ut postea exponetur.

21. Ad quam memoriam, amplius firmandam, tanta cura, plurimis in locis (ut Exod. 23. 12. & 31. 13, 14, 15, 16. & 34. 21. & 35. 2. 3. & alibi passim) præceptum Sabbati inculcatur atque extollitur. Neh. 9. 13, 14. & ad observationem illius, divinæ felicitatis & gratiæ præmio invitat Deus, Jes. 56. 2. & 4. & Jer. 17. 24, 25, 26. Atque hæc de *Dei Sabbati memoria: prima officii* (hoc mandato comprehensi) *parte.*

22. *Altera* verò ac præcipua est, diei Sabbati *sanctificatio*: quæ, prioris partis, finis statuitur. Quippe memoriam illius, in hujus gratiam, imperari, sequentibus his verbis; indicatur; *Ad eum sanctificandum*: seu, ut eum sanctifices.

23. Quæ vox, quum varie accipi soleat: hoc in loco, nihil aliud est, quàm à communi usu, ad sacrum, segregare. Id quod, & materia subjecta, & perpetua Sacræ scripturæ (quum de inanimatorum sanctificatione ac sanctitate agit) consuetudo demonstrat.

24. Quemadmodum de *die*, 2. Reg. 10. 20. *Sanctificate cœtum:* hoc est diem cœtus: de *loco*, 2. Chron. 7. 16. *Sanctificavi domum hanc:* de *re*, Exod. 29. 27. *Sanctificato pectus illud agitationis.* Quo etiam sensu, sanctitas tribuitur, panibus sacratis, Lev. 22. 6, 7. & anno Jobel, Ibid. 25. 12. Ac similiter, dies Sabbati, Exod. 31. v. 14. & 35. v. 2. *sanctitas* (hoc est, sanctus, sacer) *Israëlitis*, appellatur. Atque ita sanctificari, hoc mandato, jubetur.

25. Quæ *sanctificatio duobus membris*, continetur. Quorum *primum* est, religiosa diei Sabbati, seu quietis sacræ, observatio. Quâ, ex hujus præcepti cogniti memoria, & reverentia, à negotiorum humanorum opere, ad obsequium, Deo legislatori, præstandum, cessatur. Unde Jer. 17. v. 24. *ut sanctificetis, diem Sabbati*, exponit sequentibus, *& non faciatis in eo, ullum opus.* Deinde *alterum*, est quietis illius, ad publicum cultus Dei exercitium consecratio: ut ex contraria Sabbati profanatione: quæ utrique parti (prio-

ri quidem, Exod. 31. 14. Jer. 17. 22. & 24. posteriori verò, Jes. 58. 13.) opponitur, apparet.

26. Quomodo Sabbati sanctificatio, Exod. 20. v. 8. utrumque hoc membrum, complectitur: sed Deut. 5. 12. *Observa diem illius Sabbati, ad illum sanctificandum*, secundum tantùm designat. Quæ varietas, ex diversa verborum (in mandati, de Sabbato, propositione) circumstantia, promanat: quoniam disertè, à diei Sabbati, seu quietis, observatione, tanquam scopus illius, distinguitur.

27. Quemadmodum vicissim, diei Sabbati observatio: quum à sanctificatione ejusdem, Deut. 5. 12. discernitur, solam illius quietem, speciatim denotat. Quando verò absolute ac separatim, sine illa distinctione (ut Exod. 31. 16. *Observanto itaque, filii Israël, Sabbatum ipsum, celebrando Sabbatum, per generationes, fœdere perpetuo)* generatim ponitur, utrumque similiter, & dici quietem sacram, & illius, ad solennem Dei cultum exercendum, consecrationem, comprehendit. Nam, ut diei Sabbati quies sacra, & cultus Dei, imperatur; sic, in utriusque obedientia, observatio & sanctificatio Sabbati, consistit. Atque hæc de *mandati* hujus *propositione*.

28. Cui, *expositio* opportunè subjicitur: ut & luce illius, mandatum intelligatur melius: & inserto quodam stimulo, ad debitam obedientiam, alacriores reddantur. Ac prius quidem mandati membrum, uberius: posterius verò, strictim tantùm declaratur.

29. Primùm enim, *dies Sabbati*, distinctè explicatur: quum & *dies ille*, & *Sabbatum*, hoc est, quies illius, ordine commodo, describuntur.

30. Quis autem sit *Sabbati*, seu quietis divinitus imperatæ, *dies*, concinna dierum septimanæ, in sex priores, operi humano indultos, & septimum quieti sacratum, distinctione atque oppositione (ut Ezech. 46. 1. *Sex dies operis, & dies Sabbati*, distinguuntur) sapienter exponit.

31. Hac enim docendi via, summam hujus mandati æquitatem ac facilitatem demonstrat: ut iniquas, contumacis Israëlitarum ingenii, querelas, maturè præcideret, & ad promptiorem Sabbati cultum, stimularet.

32. Quum enim Deus, Israëlitarum absolutè dominus (utpote creator ac redemptor eorum) non tres tantùm, quatuor, aut quinque, (ut jure poterat) sed sex priores, cujusque hebdomadæ, dies, ipsorum negotiis, indulserit, solùm verò septimum, quieti sacræ, suoque cultui, vendicarit, quid æquius, quid facilius, desiderarint? Idque etiam *Aben Ezra*, ad Exod. 20. rectè observans, ait; *Omnibus diebus septimanæ, homo sese occupat, in negociis suis necessariis, & ecce hoc die, consentaneum est, ut sese segreget ac quiescat: propter Dei gloriam.*

33. Idque his verbis, Exod. 20. 9. *Sex dies operaberis, & facies omne opus tuum:* cum *generatim*, tum *speciatim*, denotatur.

34. *Generatim* quidem, quum ait; *Operaberis:* hoc est, (ut Hebræa vox *Tagnabod* significat) ministerio ac laboribus corporis, teipsum exercere licebit. Hoc enim in loco, non præceptum; sed permissio: non necessitas; sed libertas, indicatur. Idque octavum præceptum, quo operandi officium, citra controversiam, præscribitur, Eph. 4. 28. & mandatorum decem, primæ & secundæ tabulæ, confusionis expers, distinctio, evincit.

35. Verumtamen, hæc operandi libertas, infinita non est, sed, sanctarum feriarum exceptione, circumscribitur. Quas scilicet, vel Deus, pro summa sua potestate, Ecclesiæ imperat: ut Levit. 23. vel magistratus, pia gravique de causa, suis subditis, legitimè injungit. Cujusmodi sunt, quæ, aut ad jejunia ac supplicationes publicas, in adversis (ut Joël. 2. 15. 16. præscribitur exemplum) aut ad gratias Deo, in secundis, solenniter ac sancta hilaritate, persolvendas (ut Esther 9. 21. & 1. Machab. 4. 59. cum Joh. 10. 22.) diriguntur. Atque hæc de *operatione generatim*, sex diebus indulta.

36. *Speciatim* verò, *operandi modus*, sua periphrasi, & circumstantiis, ita explicatur; *Et facies omne opus tuum*. Primùm enim, *periphrasis* est, quum vox, *Operaberis*, definitur; *Facies opus*, scilicet servitii: ut vox Hebræa, *Mlacha* (licet per Catachresin, latius etiam, imo & ad creatoris opus, Genes. 2. vers. 2, 3. extendatur) designat.

37. Unde LXX. interpretes, *Mlacha*, Exod. 12. 16. ἔργον λατρευτὸν *opus ministratorium*, transtulerunt. Ac propterea etiam, ad ampliorem rei evidentiam, interdum, *servitii*, vocula, adjicitur. Nam quòd Exod. 12. 16. simpliciter à Mose, de feriis Paschalibus, dicitur; *Non fiet ullum Mlacha (opus) in iis:* illud in ejusdem mandati repetitione, Levit. 23. 7. & 8. *Non facietis, ullum Mlecheth gnhabboda*, id est, *opus servitii*, exponitur.

38. Deinde *opus servitii*, cujus in Sacris Literis fit mentio, aliud est *sacrum*; quo Deo servitur: ut 1. Chron. 9. 19. *in opere servitii:* quod LXX. interp. ad rem accommodatè ἔργα λατρείας, *opera publicæ functionis*, interpretantur: aliud verò, *non sacrum*, sed *commune*, ad negotium humanum pertinens: ut Lev. 23. 21. *opus servitii:* quod LXX. interp. ἔργον λατρευτὸν, & Vulgata editio, *opus servile* exponunt.

39. Deinde opus hoc commune, vel *omne*, vel *aliquod*, esse tantùm potest. Ac propterea, non indefinitè hîc dicitur; opus (ut in eadem sententia, Exod. 31. 14. & 15. *Qui fecerit in ea opus)* sed distinctè additur; *Tuum*, & *Omne*.

40. *Tuum* enim (ut res ipsa indicat) non sacrum; sed commune: & quidem non vitiosum (quia illud, cum Dei legislatoris sanctitati, Psal. 5. 5. tum Legis totius materiæ, ac scopo, repugnat) sed licitum, negotii aut laboris tui, opus (quo tibi aliisve, functione hoc postulante, Joh. 1. 8. vel saltem non vetante, inservis) includit: *Omne* verò, nullum hujusmodi, sive œconomicum, sive politicum sit, excludit.

41. Cujusmodi etiam, opus œconomicum, est victus, Sabbato requisiti, die sexto imperata præparatio, Exod. 16. 23. Unde etiam, *Justini* historici fabula, falsa apparet, qui lib. 31. Sabbatum, jejunio sacratum, narrat: & *Octaviani Augusti* dicterium, refellitur: qui in epistola ad Tiberium (teste *Suetonio* lib. 2.) ait; *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium servat, quàm ego hodie servavi: qui in balneo, demum post horam primam noctis, duas bucceas manducavi priusquam ungi inciperem.*

42. Atque hæc quidem de *prima* distinctionis hebdomadæ, in sex dies operarios, *parte:* unde, & quis dies, Sabbati seu quietis, non sit, expresse cognoscitur: & quis sit, obliquè, per oppositionis consequentiam, indicatur. Quippe quum unus sit hebdomadæ dies, & sex priores, non sint: septimum esse, concludi potest.

43. *Secunda* verò, propositæ distributionis, *pars*, his verbis definitur, versu 10. *Dies verò septimus* (erit) *Sabbatum Iehovæ, Deo tuo.* Septimus autem, cujusque hebdomadis, non alius, quàm ultimus, qui eandem finit, designatur: qui, revolutione perpetua, diei septimo, à creationis initio, omnino respondet. Idque inter cætera, attributum illius, Sabbatum (quod non alio, quàm ultimo illo hebdomadis die, celebrandum erat) luculenter demonstrat.

44. *Sabbatum* verò, hoc loco non quietem (ut antea versu 8. ubi à die distinguitur) sed diem Sabbati, seu sacræ, ab operibus, quietis notat: ut Exod. 16. 29. & 31. 16. & alibi: quemadmodum, in vocis illius significatione explicanda, supra ostendimus. Ideoque frustra, *Philo Judæus*, libro de Abrahamo, ita argutatur; *Vates Sabbatum Hebræorum, septimum quemque diem, quietem nominat: non (ut quidam putant) quia post sex dierum spacium, populus abstinebat, à consuetis operibus; sed quia septenarius numerus, tam in mundo, quàm in nobis, confessione omnium, habetur pacatissimus, & à seditione, bello, contentione, alienissimus.*

45. Cur autem dicatur, *Sabbatum est, Iehovæ Deo tuo*, paulò post opportunius exponetur. Atque hæc de *primo observationis*, diei Sabbati, *membro:* nempe quisnam Sabbati seu quietis, sit dies.

46. *Alterum* est Sabbatum, seu quies, illius: cujus amplitudo, *subjecti* sui, & *objecti*, universitate describitur.

47. *Subjectum* enim, seu illi, in quibus, ea ab opere cessatio, requiritur, sunt omnes, in populo Israëlitico, *homines*, & *jumenta:* ut, specierum enumeratione, declaratur.

48. *Homines* enim, ad hujus quietis observationem obstricti, sunt duorum generum, *Israëlitæ* & *peregrini*.

49. *Israë-*

49. *Israëlitæ* autem, in *præfectos* & *subditos*, distribuuntur. *Præfecti* (ut relatio sequentium ostendit) patrisfamilias pronomine masculino, *Atta*, tu vir (quod matremfamilias, synecdochicè etiam includit) denotatur. *Subditi* verò, proposita eorum, in *liberos* (filios ac filias;) & in *ministrantes*, servos atque ancillas, distinctione, declarantur.

50. *Peregrini* verò, seu advenæ, sunt qui *intra* Israëlitarum *portas*: hoc est, per synecdochen, in eorum regione, degebant. Id quod, LXX. interpretes, paraphrasi ita illustrant, καὶ ὁ προσήλυτος, ὁ παροικῶν ἐν σοί, *& advena, qui tecum habitat.*

51. Ne verò ea, quæ, de ministrantium & peregrinorum quiete, mandantur, pro immiti Israëlitarum ingenio, negligerentur, idcirco Moses parem eorum, hac in re, rationem esse definit, Deut. 5. 14. *Ut quiescat*, inquit, *servus tuus, & ancilla tua, sicut tu.* Et Exod. 23. 12. cessationi imperatæ addit; *Et respiret* (hoc est, recreetur) *filius ancillæ tuæ & peregrinus.* Hæc de *hominibus*, quibus, Sabbati quies, imperata.

52. Quibus, *jumenta* quoque adjunguntur: & quidem (ut res flagitat, & Moses exponit) *omnia*. Nam quod Exod. 20. generalius & indefinitè dicitur; *Aut jumentum tuum*: quodque, aliqua eorum recensione, Exod. 23. 12. *Aut bos tuus, aut asinus tuus*, illustratur: illud Deut. 5. 14. his verbis; *Aut bos tuus, aut asinus tuus, aut ullum jumentum tuum*, plenissima phrasi, definitur.

53. Eaque jumentorum, à laboribus cessatio præcipitur: *primùm*, ut opus misericordiæ, Deo acceptæ. Ut Proverb. 12. 10. dicitur; *noscit* (id est, curat) *justus vitam jumenti sui: sed miserationes improborum*, sunt *crudeles*: & Johan. 4. 11. ob multitudinem etiam jumentorum, urbi Ninivæ, pepercit Deus. *Deinde* verò ac potissimùm, hominum gratia, imperatur: non solùm, ut eo modo, misericordiæ assuescerent; sed imprimis, ut ipsi, cum suis liberis & servis, Sabbato quiescere possent: quòd jumentis regendis occupati, à laboribus cessare, non valerent. Utrumque autem à Mose traditur, Exod. 23. v. 12. *Die autem septimo, cessato: ut quiescat bos tuus, & asinus tuus.* Atque hæc de *subjecti* quietis sacræ (seu, cui quies imperata) amplitudine.

54. *Objecti* verò, hujus quietis, seu operum, à quibus cessandum est, amplitudo similis est: quæ universitate, hoc modo, exponitur; *Non facies, Col mlacha.* Quod LXX. interpretes, expresso Hebraismo, Exod. 20. 10. & Deut. 5. 14. ita reddunt; οὐ ποιήσεις (ἐν αὐτῇ) πᾶν ἔργον. *Non facies (in eo) omne opus*: ubi paraphrasis ista, *in eo* (quæ Jerem. 17. 24. *Ut non faciatis, in eo, ullum opus*, exprimitur) observanda. Quos interpretes, Vulgata versio Latina (ut sæpe solet) imitata, in Exodo habet; *Non facies, omne opus (in eo:)* & sine imitatione Levit. 23. 3. *Omne opus, non facies (in eo:)* sed in Deuteronomio, licet eadem paraphrasi, mutato tamen Hebraismo, elegantius interpretatur; *Non facies (in eo) quicquam operis.*

55. Nam, *Col*, apud Hebræos, propriè quidem, est nota universalis, *omnis* vel *omne*; sed interdum tamen, per Catachresin, nota est particularis, scilicet, aliquis ullus, aliquis, vel aliquid, ullum: ut Deuteron. 27. v. 21. Maledictus, qui cubat cum *Col*, *omni* (hoc est, aliqua, sive ulla) *bestia.* Quæ significatio trita est, quando negandi adverbium, antè aut post, accedit. Tum enim, non particularem (ut Græci Latinique sermonis proprietas, non omnis, pro aliquis non, enuntiat) sed universalem negantem, frequenti usu, constituit. Quemadmodum Psalm. 143. 2. *Non justificabitur coram te, Col chai, omnis* (hoc est, ullus) *vivens.* Quod secutus Apostolus, eodem sensu, Rom. 3. 20. & Galat. 2. 16. ait; *non justificabitur*, πᾶσα σὰρξ *omnis* (id est, ulla) *caro.* Sic etiam Levit. 16. 17. *omnis* (hoc est, ullus) *homo, non erit*: seu nullus homo erit. Atque hoc etiam modo, in proposito Sabbati mandato, accipitur; *Non facies, Col mlacha, omne* (pro *ullum*) *opus*: seu nullum opus facies.

56. *Opus* autem (ut in primo oppositionis membro; *Facies omne opus tuum*) servitii, seu ministeri intelligitur: & quidem commune, non verò sacrum, hoc est, quod Deus, vel lege ordinaria præscripsit, Joh. 7. 23. Matth. 15. 5. (qualis etiam ad Prophetas, aut ad locum, sacro conventui destinatum, profectio, 2. Reg. 4. 23.) vel extra ordinem, ad miraculi divini gloriam, tanquam summus Sabbati dominus efficit, aut imperat: ut Luc. 13. v. 16. Johan. 5. v. 8. 9. & 7. 23. & 9. 14. Qua de re, adversus Marcionem lib. 2. cap. 21. rectè Tertullianus. *Nec Sabbati enim inspicis legem, opera humana, non divina prohibentem. Siquidem sex, inquit, diebus operare, & facies omnia opera, tua. Septima autem die, Sabbata Domino Deo tuo: non facies in ea omne opus. Quod? utique tuum. Consequens enim est, ut ea opera Sabbato auferret, quæ sex diebus supra indixerat, tua scilicet, id est, humana & quotidiana.* Item; *Nunc certa est distinctio Sabbati, humana, non divina opera prohibentis. Ideoque qui Sabbatis lignatum ierat, morti datus est: suum enim opus fecerat, Lege interdictum. Qui verò arcam Sabbatis circumtulerant, impunè gesserunt. Non suum enim opus, sed Dei, ex præcepto scilicet ipsius administraverunt.*

57. Nam quod sacerdotes Matth. 12. 5. *in templo Sabbatum profanare*, & tamen, *sine crimine esse*, dicuntur, illud, neque huic interdicto, neque sibi, contradictione ulla, repugnat. Quippe hoc loco, *profanare* Sabbatum, non propriè denotat, mandatam illius sanctificationem, violare; sed metaphoricè (ob quandam, cum profanatione atque operum communium effectione, similitudinem) pro eo, quod est, opera corporalia facere, usurpatur. Hinc rectè Thomas Aquinas 2æ. quæst. 122. art. 4. ad 3m. *Sabbatum violant, id est, corporaliter in Sabbato operantur.*

58. *Opera* autem, quæ vetantur, non quidem sola, sed tamen præcipua, sunt ea, ὅσα κατὰ ζήτησιν βίου καὶ πορισμὸν, *quæ ad quærendum ac parandum victum*, (*pertinent*) ut *Philo*, περὶ χρηματισμοὺς, exponit. Qualia, à Mose & Prophetis, nonnulla (quòd iis frequentius, Sabbati præceptum, violarent) recensentur, & ad abstinentiam eorum, divini favoris ac felicitatis promissione, invitantur, Jerem. 17. 24. 25. & ab operatione eorum, communi, iræ Dei & exitii, interminatione, absterrentur, ibid. vers. 27.

59. Siquidem, in Sabbato, hæc nominatim prohibentur; arare & metere, Exod. 34. 21. calcare torcularia, Nehem. 13. 15. onera gestare, & vehere, ibidem, & Jerem. 17. 21, 22. commercia, emptionis, & venditionis, exercere, Nehem. 10. 31. & 13. 16. 17. ligna colligere, Numer. 15. 32. ignem accendere, Exod. 35. 3. cibum parare, Exod. 16. 24. è suo loco, ad opera hujusmodi exire, Exod. 16. 29. Quo etiam pertinet, causas agere, & jure dicendo occupari: ideoque Cæsaris Augusti & Senatus, apud *Josephum*, Antiquitatum lib. 16. cap. 10. extat decretum; *Judæi ne cogerentur, ad præstanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbatorum, post horam nonam, in parasceve.* Ex qua, operum Sabbato vetitorum, recensione, reliqua similia (etsi, ad victum, non pertineant) sunt colligenda.

60. E quorum tamen numero, ea eximuntur, quæ rerum nostrarum, aut proximi, necessitas postulat: seu quæ salva misericordia in crastinum differri, nequeunt. Matth. 12. 1. 4. & 7. 11. Luc. 13. 15. & 14. 5. Quod, quum minus intelligerent olim Judæi, non pauci eorum, quòd Sabbato adversus hostes, sese tueri, nefas esse judicarent, superstitiosè ac miserè perierunt: ut 1. Machab. 2. 37. & 41. & Josephi, de bello Judaico, lib. 1. c. 5. describitur.

61. Cæterum hæc strictior, ab omnibus humanis operibus ac negotiis, explicata quies, Sabbato, cum Expiationis festo fuit communis: ut Lev. 23. 3. & 28. ubi de utroque, eodem modo, universè præscribitur; *Nullum opus facite.* Neque obstat, quòd de Azymorum feriis, Deut. 16. 8. etiam statuitur; *Non facies opus*: & de eodem Lev. 23. 7. & 8. deque Pentecoste, versu 21. ac de Clangoris, vers. 25. deque Tabernaculorum, vers. 35. & 36. feriis præcipitur; *Nullum opus servile facietis.* Hoc enim (ut *Aben Ezra*, in suis ad Exod. 12. commentariis, observavit) non absolutè dictum est; sed intellecta, parandi cibi, exceptione: quæ, per ellipsin, brevitatis causa omittitur. Id quod, de Azymorum festo, disertè, in prima illius institutione, à Mose Exod. 12. 16. fuerat expressum, his verbis; *Nullum opus, facietis in iis: veruntamen quod comedendum erit, unicuique animæ, illud solùm*

solùm parabitur vobis. Cujus loci sententiam brevius quidem, sed eleganter tamen, *Vulgatus interpres*, ita reddit; *Nihil operis facietis, in eis*, exceptis his, quæ *ad vescendum pertinent.* Atque hæc de *prima sanctificationis Sabbati parte:* seu, de quietis Sabbati, tempore, & modo.

62. *Altera* verò (quæ alibi uberius explicatur) in Decalogo breviter tantùm perstringitur: quum ad ista verba; *Dies verò septimus Sabbatum* est (ut Lev. 23. 1.) *Iehova, Deo tuo*, hoc est, ad cultum, veri atque æterni Dei, ac redemptoris tui, sacratum. Unde, & *Sabbata sua*, Levit. 26. 2. Jesa. 56. 4. Ezech. 20. 20. & *Sabbatum sanctitatis Iehova*, Exod. 16. 23. & *sanctitatem* (hoc est, rem sanctam) *Iehova*, Exod. 31. 15. appellat. Nam, ut dies hebdomadæ septimus, Sabbato, hoc est quiete, sanctificatur: sic quies illa, veri Dei cultu. *Ideoque* iniquè (ut ait *Augustinus* de civit. Dei lib. 6. cap. 11.) *Seneca reprehendit etiam Sacramenta Iudæorum, & maximè Sabbata: inutiliter id facere eos affirmans, quod per illos singulos, septimos interpositos, dies, septimam fere partem, ætatis suæ perdant vacando, & multa, in tempore urgentia, non agendo, lædantur.*

63. *Cultus* autem hic, partim est *publicus:* partim, publico inserviens, *privatus.*

64. *Publicus*, synecdochicè, à parte sua, *convocatio sancta*, dicitur: Levit. 23. 3. *Sex diebus, fiet opus: die verò septimo, Sabbatum cessationis, convocatio sancta* (esto.)

65. Quæ, *duobus officiis*, continetur. Quorum *prius*, est Ecclesiæ, in locum sacrum, ad publicum Dei cultum exercendum, Psalm. 122. 4. conventus. Ideoque locus ille, extra templum, metonymicè συναγωγὴ *synagoga*, seu congregatio, Matth. 4. 23. & ubi, nuncupari solet. *Alterum* vero est, cultus ejusdem, exercitium. Nam, si finis propositus, in conventu desit: aut finis, executione effectoque, careat, convocatio sancta, esse non potest, Isa. 1. v. 12, 13.

66. Cæterum *publici cultus exercitium* hoc, partim *externum* est: partim, *internum*.

67. *Externum* est, id quod ad corporis officium pertinet. Idque *primùm*, in *orationis*, cum Deo, communicatione: *deinde*, in *Sacrificiorum* præscriptorum usu ac *donariis*, consistit.

68. *Oratio* autem, *una* est, qua Deus, Ecclesiam: *altera*, qua Ecclesia Deum compellat: in utraque autem, cum Deo communicat.

69. *Primùm* quidem, quum ipsum, per sacerdotes, prædicatione verbi sui, alloquentem, attentè ac reverenter, audit, Malach. 2. 7. Act. 13. 27. & 15. 21. cui simile est Deut. 31. 11, 12, 13. & Nehem. 8. 3. 6. *Deinde*, quum vicissim Deum alloquitur. Unde, ab hoc usu, imprimis templum, *domus orationis*, Isa. 56. 7. Matth. 21. 13. & synagoga, metonymicè (quòd orationi esset sacra) ab Euangelista, Actor. 16. v. 13. (ut & à *Philone*, ad Gajum) προσευχή ac similiter à Juvenale, Satyra 5. (ut rectè *Turnebus*, Adversar. lib. 1. cap. 19.) *Proseucha:* eodemque modo, Ecclesiasticis scriptoribus, *Oratorium*, nuncupatur.

70. Cæterùm hæc *oratio Ecclesiæ*, est qua sacerdotes, aut soli, pro populo, Numer. 6. 23. &c. aut una, cum eo, Nehem. 8. v. 6. vel, Dei opem ac beneficia, implorant: vel illum, pro acceptis creationis, præsertim, & redemptionis, beneficiis, gratiarum actione concelebrant, Psal. 100. v. 4. & 68. 27. & 26. 6. 7. 12. & 95. 2. 6. 7. In quem etiam finem, scriptus est Psalmus nonagesimus secundus, qui, *Canticum ad diem Sabbati*, inscribitur: quo, opera creationis, & conservationis Ecclesiæ, collaudantur. Quam ad rem, etiam Psalmus centesimus undecimus totus, egregiè spectat. Atque hæc, de *primo publico, atque externo Sabbati cultu.*

71. *Secundus*, est religiosa *sacrificiorum*, die Sabbati, præscriptorum oblatio, Num. 28. v. 9. ac contemplatio, Psal. 26. 6. 8. & 27. 4. & 84. 2. 3. 11.

72. Nam, quòd ad circumcisionis, & Paschatis, Sacramenta spectat, ea non Sabbato; sed peculiaribus suis diebus, erant adstricta, Genes. 17. 12. & Exod. 12. 3. nec administratio eorum, sacerdotibus, in convocatione sancta; sed patribusfamilias privatim, quodam privilegio, divinitus sunt commissa, Gen. 17. 23. & Exod. 12. 3. 6. Unde *Philo Iudæus*, in vita Mosis, de Paschate ait; *Pascha nominant. Quo tempore, non ut aliàs plebei homines, victimas adducunt ad altare, mactandas sacerdotibus; sed jubente lege, tota gens sacrificat: dum pro se quisque, mactat hostiam, suis manibus: tunc universo populo, celebrante lætas epulas, quisque se gerit, pro sacerdote.* Similia idem, in libro de Decalogo, repetit.

73. *Ultimus* denique publicus atque externus Sabbati cultus, est donariorum, seu sacrorum donorum, in convocatione sancta, collatio. Quæ, licet non sit expressa, non malè tamen, ex solennium atque annuorum festorum, convenientia generali, colligi solet: quum in iis disertè hoc præscribatur, Deut. 16. 16, 17. *Tribus vicibus compareto quotannis, omnis mas tuus, ante conspectum Iehova, Dei tui, in loco, quem elegerit, in festo Azymorum, & in Festo Septimanarum, & in Festo Tabernaculorum: sed ne compareto, ante conspectum Iehova, vacuus. Quisque, prout donatum est manui sua, pro benedictione Iehova, Dei tui, qua donavit te.* Sic & Exod. 34. v. 20. de festo Azymorum.

74. Quibus etiam donariis, commodè excipiendis, arca quædam, in templo tandem fuit collocata, 2. Reg. 12. 10. quæ propterea *Gazophylacium*, Marc. 12. 41. & Luc. 21. 1. & Syriaca voce, *Corbôna*, Matth. 27. 6. (à *Corban*, hoc est, dono, Marc. 7. 11.) appellatur. Atque hæc de *externo, publici cultus divini, die Sabbati, exercitio.*

75. *Internus* verò cultus, est animi sanctitas, cum externo illo cultu, conjuncta. Quæ, vivam in Deum, creatorem ac redemptorem suum, fidem, & resipiscentiam sinceram (hoc est odium ac fugam vitii, & amorem studiumque virtutis) complectitur. Quoniam, si ea absint, Sabbatum profanum, Deoque exosum: sin adsint, sacrum ac Deo acceptum, constituitur. Esa. 1. 12, 16, 17. & 66. 1, 2, 3. Amos 8. 5. 6. Psalm. 51. 18, 19. Isa. 56. 2. & 58. 13. Hactenus, de *publico Dei cultu.*

76. *Privatus* verò est, qui, extra convocationem sanctam, observatur. Eamque partim, *antecedit:* partim, *consequitur.*

77. *Antecedens*, est diligens *dignitatis*, publici illius cultus, *consideratio*, & matutina opis Dei ad Sabbatum rectè sanctificandum, *invocatio:* qualis Marc. 1. 35. denique promanans inde, serium lætumque, cultus illius videndi, unaque cum Ecclesia exercendi, Deoque obtemperandi, desiderium, Psal. 26. 8. & 27. 4. & 35. 18. & 111. 1. Eccles. 4. v. 17. Quo etiam illud spectat: Psal. 122. 1. *Lætatus sum, dicentibus mihi; Domum Jehova adeamus.*

78. *Consequens* verò, publicum Dei cultum, privatus, *tribus* potissimum *gradibus*, continetur.

79. *Primus*, est sancti publici cultus peracti, & verbi auditi, operumque divinorum, meditatio atque examen, Psal. 1. v. 2. Actor. 17. 11. *Alter* est familiæ ac proximi, in vera religione, noscenda atque observanda, institutio, Deut. 6. v. 6. 7. & 11. 18, 19. operumque misericordiæ, exercitium, Jesai. 58. 3. ad 14. *Postremus* est sancta ac benigna hilaritas: ut ex affini festo, Nehem. 8. 10. 11. & Judæorum praxi perpetua, Judith. 8. 5. colligitur.

80. Atque hæc de quietis, diei septimi, sanctificatione. De qua multa, eruditè atque aptè, *Philo Judæus:* quæ ab aliis etiam observata: quibus consentaneè, ad Exod. 20. *Aben Ezra* ait; *Ecce Sabbatum datum est, ad consideranda Dei opera, & meditandum in Lege ejus.* Similiter *R. David Kimchi*, ad Psal. 92. die Sabbati canendum, ait; *Dies Sabbati, gratus est Deo, præ reliquis septimanæ diebus: quia homo, in eo, conversus est, à negotiis hujus mundi: & anima illius pura est, ab occupationibus corporis, & sese exercet in sapientia, & servitio Dei.*

81. Cæterum hæc sanctificatio, *primus* est Sabbati, seu quietis sacræ *finis:* *alter* verò est typus ac destinata, peculiaris cujusdam quietis, cum Dei, tùm Israëlitarum, significatio: ut ex mandati, de Sabbato, propositi atque expositi, confirmatione subjecta (quæ *alterum, institutionis Sabbati, membrum est*) elucebit.

82. *Confirmatio* enim mandati, de Sabbato, *tribus rationibus*, constat.

83. *Prima*, quietem Dei spectat: quòd, ad eam significandam,

candam, Sabbatum sit destinatum, Exod. 20. v. 11. Nam ut Deus, absoluto totius creationis opere, septimo die quievit; sic idcirco, hoc est, ad illius creationis absolutæ, ac quietis suæ, monumentum ac meditationem, Psalm. 92. 1. 5. Exod. 31. 17. *diei Sabbato benedixit, eumque sanctificavit. Benedixit* enim non tantùm sermone, quum sanctam vocavit, Exod. 16. 23. sed etiam opere: quum peculiare beneficium, in illius gratiam contulit, Ib. 16. 24. & 29. *sanctificavit* verò partim mandato suo, quum ad quietem sanctam secrevit, vers. 23. & 25. partim quietis suæ exemplo; quum mannæ demissionem septimis diebus, seu Sabbatis, intermisit, v. 26.

84. Cæterum illa, à creationis operibus requies non pro humanæ infirmitatis modulo: sed pro omnipotentis ac beatæ essentiæ perfectione intelligenda. *Nec enim lassatur, aut defatigatur Jehova, qui creavit terminos terræ*, Jes. 40. 28. Ac concinnè, de Deo, *August.* tom. 3. De Genesi lib. 4. cap. 8. ait; *Ipse, nec quum creavit, defessus: nec quum cessavit, refectus est.* Et *Gaudentius*, tractatu, de Exodi lectione, 8. *Requies igitur Dei, non laboris remedium; sed cœptorum finis est operum.* Atque hæc de *prima* quietis Sabbati, ad rem sacram significandam, *ratione.*

85. *Reliqua* verò *duæ*, Israëlitarum quietem, partim corporalem, partim spiritualem, spectant.

86. *Secunda* enim, observandæ quietis illius, ratio fuit, ut esset signum ac monumentum, redemtionis ac quietis, à miserrimis, Ægyptiacæ servitutis, operibus, Deut. 4. 20. per admirandam Dei gratiam ac potentiam, Deuter. 7. 1. 2. 8. donatæ. Id quod Deut. 5. 15. declaratur hoc modo; *Et memineris, te servum fuisse, in terrâ Ægypti, Iehovam verò Deum tuum eduxisse te, manu forti, & brachio extento: idcircò præcepit tibi Iehova Deus tuus, ut observes diem illum Sabbati.*

87. *Tertia ratio* est, ut sit sacrum, salutaris cum Deo fœderis (eoque & quietis spiritualis, eo comprehensæ) signum, verumque atque ordinarium, Israëliticæ Ecclesiæ, sacramentum: ut proposita à Deo definitio, demonstrat, Exod. 31. 13. & 14. (ut etiam Ezech. 20. 12.) *Sabbata mea servate. Nam signum est, inter me, & inter vos, per generationes vestras, ad cognoscendum me, Jehovam esse, qui sanctifico vos. Observate ergo Sabbatum: quia res sancta est vobis.* Et Ezech. 20. 20. *Sabbata mea sanctificate: ut sint signum, inter me & vos, me Jehovam, esse Deum vestrum.*

88. Qua in re etiam, *quies spiritualis duplex*, Sabbati quiete corporali, typicè adumbrata & obsignata continetur. *Una*, est beneficium divinum: *altera*, officium humanum.

89. *Quies*, quæ *beneficium* divinum, est liberationis, à peccati & mortis servitute, ob futurum mortis Christi meritum, per vivam fidem apprehensum, donatio. Qua ratione, de Sabbatis etiam, Col. 2. 17. dicitur; *Quæ sunt umbra rerum futurarum: at corpus, est Christi.*

90. Hæc autem quies *inchoatur* in hac vita, sanctificatione, Rom. 6. v. 6. 12. & justificatione, Rom. 5. 1, 2, 3. *perficitur* verò, post hanc vitam, glorificatione: seu vitæ æternæ, donatione. Eaque de causa inprimis, Heb. 4. 1, 2. *requies Dei*, quam scilicet donat, appellatur.

91. Quæ requies, prima fœderis, inter Deum & Israëlitas, parte continetur. Qua de re, inter alia, quæ præclarè, de Sabbati otio, disserit *Cyrillus*, in Johannem lib. 4. cap. 51. ait; *Cessare namque ab omni opere, septimo, id est, ultimo die, jubet: futuram sanctorum requiem, hinc significans, quando laboribus hujus vitæ liberati, sudore corporum deterso, beatam, cum Christo (ut à quodam Propheta dicitur) & jucundissimam vitam, agent.* Item; *Laudabile igitur Sabbati otium, sanctorum vitam in requie, atque sanctificatione, tunc futuram ostendit, quando omni hujus vitæ cura deposita, bonis æternis fruentur.* Et rursum; *Illam igitur vitam Sabbatismus significat, in qua, omnibus bonis, cum Christo viventes fruemur, peccato radicitus extirpato.* Denique sic ait; *Nam qui peccato servivimus, & illecebris voluptatis, Diabolo nos vendidimus, justificati per fidem Christi, ad verum & sanctum perveniemus Sabbatismum, libertatem gratiæ induti & bonis divinitus resplendescentes.* Atque hæc de *quiete*, quæ *beneficium divinum* est, ac Sabbati quiete fuit obsignata.

92. *Quies* verò quæ officium humanum est, & ex memorato sanctificationis beneficio oritur, est perpetua, ab omnibus vitiosis operibus, cessatio. Quæ in hac vita, inchoata, Matth. 16. vers. 24. Gal. 5. vers. 17. in altera verò, perfecta existit.

93. Ac de *inchoata* Jesaias cap. 58. 13, 14. ait; *Si averteris à Sabbato, pedem tuum, ne facias id, quo delectaris, die sancto meo, & vocaveris Sabbatum delicias, sanctum Iehovæ, honoratum, honoraverisque ipsum, non exercendo vias tuas, non præstando id, quo delectaris, aut loquendo verbum: tunc, oblectantem te, in Iehova veham te super excelsa: & faciam, ut fruaris, possessione Iacobi, patris tui: quia os Iehovæ loquitur.*

94. Ac rectè Cyrillus in Jesa. 56. 2. ait; *Hujus igitur cessationis, in Sabbato, virtus, otium & cessationem, à peccatis, & carnis cupiditatibus figurabat.* Quæ, debita Deo requies, altero ac relato fœderis membro (quo Israëlitæ sese vicissim, Dei sui populum, ad obsequia obstrictum, profitebantur) indicatur. Hoc enim nihil aliud est, quàm, à vitiosa voluntate sua, cessare, justamque Dei, tanquam domini creatoris ac redemptoris voluntatem perficere; Malach. 1. 6. & 1. Corinth. 6. 20. Quod officium, & Judæis & nobis commune, Sabbato fuit adumbratum.

95. Quæ typica, quietis Sabbati, significatio, illustri Isaiæ Prophetia, explicatur, quum de Ecclesia Christiana, ex gentibus colligenda cap. 56. v. 1. &c. ita vaticinatur; *Sic ait Iehova, observate jus, & exercete justitiam meam: nam proximè salus mea ventura est, & justitia mea revelanda. Beatus mortalis* (qui) *fecerit illam, & filius hominis qui prehenderit illam, observans Sabbatum, ne profanet illud, & observans manum suam, ne faciat malum. Nam ita ait Jehova, de Eunuchis, qui observaverint Sabbata mea, & elegerint id, quo delector apprehenderintque fœdus meum: etiam daturus sum eis, in domo mea & intra muros meos, spatium & nomen melius, quàm filiorum aut filiarum: nomen perpetuum daturus sum eorum cuique, quod non excindetur. Alienigenas verò, qui adjunxerint se Iehovæ, ad ministrandum ei, & ad diligendum nomen Jehovæ, ut sint ei servi; quisquis observaverit Sabbatum, ne profanet illud: & apprehendentes fœdus meum, adducam ipsos quoque, ad montem sanctitatis meæ, & lætificabo eos, in domo orationis meæ, holocausta eorum & sacrificia eorum, accepta erunt, in altari meo: nam domus mea, domus orationis, vocabitur omnibus populis.*

96. Quò etiam spectat, de spirituali, ac divino Christianorum cultu, prophetia, Jesa. 66. 23. *Eritque de neomenia, in neomeniam ejus* (hoc est, alteram) *& de Sabbato, in Sabbatum ejus* (seu alterum) *ut veniat omnis caro, ad incurvandum se coram me, ait Jehova.* Hæc de *inchoata*, à vitiosis operibus *quiete*, in hac vita.

97. *Perfecta* verò, quæ in altera vita speratur, ab Apostolo describitur, Hebr. 4. 9. *Itaque reliquus est aliquis Sabbatismus* (hoc est Sabbati, seu quietis observatio) *populo Dei:* & versu 11. *Studeamus igitur ingredi, in requiem illam.* Atque hæc, de *mandati confirmatione.*

98. Cæterum ea Sabbati, Judæis traditi, institutio, per synecdochen (qualis, in reliquis quoque Decalogi præceptis reperitur: ut perfectio eorum, quum inde, *Moses & Prophetæ*, seu omnia eorum mandata, *dependeant*, Matth. 22. 40.) alia quoque complectitur. Ac *speciatim* quidem, similia propriaque Israëlitis festa, Levit. 23. 38. & Num. 28. 9. quæ Sabbato non erant adstricta, sed certis ac præfinitis diebus observanda. Quò etiam sacrificia quotidiana, & sacrorum locorum, à profanis omnibus negotiis secretio, Marc. 11. 15, 16, 17. ac similia, referuntur.

99. Unde *Philo Judæus*, libro de Decalogo, ait; *Quarto verò* (præcepto) *de festis diebus & Sabbatis in summa præcipit: deque votis atque sacrificiis, atque purgationibus & cætero cultu religioso numinis.*

100. Deinde verò *generatim*, sancta, certis ac SUFFICIENTIBUS temporibus (ad verbi divini ministerium, ac publicam veræ religionis institutionem, atque exercitium, virium-

viriumque reparationem) à mundanis negotiis ac curis, vacatio, ut genus, specie sua, synecdochicè ac proximè intellectum, hoc quarto Decalogi mandato continetur.

101. Hoc enim, & gloriæ Dei, creatoris ac redemptoris, rectè noscendi, ac publicè etiam colendi, Ps. 68. 27. amor, & debita, salutis nostræ, ac proximi, procurandæ, dilectio, Prov. 29. 18. Luc. 11. 28. Rom. 10. 14. 17. & Eph. 4. 11. 12. Heb. 10. 24. necessariò requirit.

102. Ideoque ad eam rem, non solùm certa atque ordinata tempora (prout *Deus, non perturbationis est* auctor, *sed pacis: omniaque, decenter ac secundùm ordinem, facienda*, 1. Cor. 14. 33. 40.) sed etiam SUFFICIENTIA. Non sufficient autem, si rariora fuerint, quàm quæ Israëlitis imperata. Quandoquidem Deum clementissimum, hac in re, magna, erga rigidæ cervicis ac querulum populum, indulgentia, usum esse, sine ulla controversia, constat: & inæqualis illa sex dierum Israëlitis indultorum, & septimi Deo consecrati, comparatio demonstrat. Vide thes. 32.

103. Quumque scholæ Christianæ, sint necessaria, ministrorum verbi, seminaria; idcirco hoc etiam mandato (tanquam causæ, suo effecto) comprehendi, rectè statuitur.

104. Quæ generalis Sabbati præceptio (speciali, per synecdochen, uti ostendimus, inclusa) omnes, ante & post Christum, homines, æterna charitatis lege, in terris obstringit: sed Sabbati & similium jussio specialis, tantùm Judæorum populum, ad correctionis tempus, Heb. 9. 10. tanquam Christi venturi umbra, Col. 2. 16. 17. & antiqui fœderis sacramentum, Ezech. 20. 20. atque legalis quædam pædagogia, devinxit, Galat. 4. 3. & Hebr. 9. 10. Christo verò exhibito ac crucifixo religio illius abrogata est, Col. 2. v. 14. 16. Galat. 4. 10. Hebr. 8. 8. 9. 13. etsi ad tempus aliquod, usus Sabbati, cum nonnullis ceremoniis, pro libertate Christiana (sine ulla, necessitatis ac cultus, opinione) prudenter, atque ex salutis, infirmiorum Judæorum, studio (ne eos, à fide Christiana, averterent) ab Apostolis fuerit retentus, 1. Cor. 9. v. 20. Actor. 16. v. 3. & 21. 24. cum 26.

105. Neque huic abrogationi, obstare potest, illa Judæorum exceptio, quòd Sabbatum, *pactum seculi*, Exod. 31. 16. (ut & circumcisio, Genes. 17. 13. & Pascha, Exod. 12. 24.) appellatur. Quia *gnholam*, id est seculum, propriè diuturnum tempus (à *gnhalam*, occultare: quòd eo, res aboleri, atque ita occultari, soleant) generatim designat. Et interdum quidem infinitum ac termini expers; sed sæpius tamen suo termino *finitum*, idque vel *præteritum*, vel *futurum* (ut Latinis, *Olim*, inde derivatum) notat.

106. *Præteritum* quidem; ut, *dies seculi*, Deut. 32. 7: *semita seculi*, Jerem. 18. 15. *termini seculi*, Prov. 22. 28. id est, prisci temporis, seu termini antiqui: *Tacui à seculo*, Jesa. 42. vers. 14. hoc est, longo tempore, jam diu.

107. *Futurum* verò tempus, variè definitum, significat: Ac *primò vitæ* humanæ *curriculum*, 1. Sam. 1. 22. de Samuele; *Maneat ibi, usque in seculum:* & 27. 12. Sicut Latinis, seculum, & Græcis αἰὼν, teste Aristotele, De cœlo lib. 1. cap. 9. & Matt. 13. 22. *solicitudo* τοῦ αἰῶνος *seculi:* hoc est τοῦ βίου ut Lucæ 8. 14. exponitur. *Deinde* diuturnum illud, *ad Iubilæum, annorum quinquaginta, spatium*, Deut. 15. 17. *Erit tibi servus* (in) *seculum:* hoc est, ad Jubilæum, Levit. 25. 39. 40. *Præterea*, Jerem. 25. 9. *Vastitates seculi*, dicuntur: quæ tamen annorum septuaginta spatio, erant terminandæ. *Denique* diuturnum illud temporis, ad Christi mortem, intervallum, seculi voce, in loco objecto, Exod. 31. 16. intelligitur. Quia novum fœdus, veteri illo abrogato, erat instituendùm, Jerem. 31. 31. 32. Heb. 8. 7. 8. 13. ac templum destruendum, & sacrificia (qualia etiam, ad Sabbati religionem, erant necessaria, Num. 28. 9.) abolenda, Daniel. 9. 2. 6. 27. Quare, ex *pacto seculi*, Sabbati Judaici perpetua observatio, demonstrari non potest.

CAP. IV.

De Sabbati origine.

1. HIsce jam de septimi diei hebdomadæ, ad sacram quietem, Judæis traditi, *mandato* & *confirmatione* illius, explicatis, reliquum est, ut ad ampliorem rei intelligentiam, *duas*, ea de re, *quæstiones* nonnihil expendamus. Quarum *prima* (quæ, ex præcepti, de Sabbato, confirmatione, exurgit) de *origine* illius, hæc est; *An dies septimus hebdomadæ, ad quietem ac cultum Dei, jam inde, à mundi hujus creatione absoluta; sit institutus? Altera* verò (ex mandato, de Sabbati observatione, promanans) de septimi diei circumstantia, ambigit; *An unus, è septem hebdomadæ diebus, perpetuò in orbem recurrens, ad cultum Dei, ex quarti præcepti sententia, sit observandus?* De quibus, dissentanea sunt Theologorum judicia: quocirca, veritatis studio, ordine ac sincerè, easdem expendamus.

2. Ad primam quæstionem, quod attinet, plerique antiqui Patres (ut postea liquebit) constanter negant: contra veterum pauci, sed recentiorum theologorum plures, variè affirmant: nos bona, bonorum venia, primam illam, antiquissimorum illorum Patrum, sententiam, Sacris Lit. magis congruentem, arbitramur, hisce freti argumentis.

3. Quorum *primum* est, quòd qui contra sentiunt, minus solidis causæ suæ firmamentis, innitantur: quod *examen* eorum (uti spero) declarabit.

4. Primum enim, ac primarium, quod Judæi quidam, multique Christiani auctores, proferunt, ex historia Gen. 2. 2. 3. deducitur; *Quum autem* (inquit Moses) *perfecisset Deus, die septimo, opus suum, quod fecerat, quievit die septimo, ab omni opere suo, quod fecerat. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsum.* Verùm hic locus, minus idoneus est, ad illam religionis Sabbati antiquitatem statuendam. Quamvis enim narrationi (de absoluta mundi creatione, ac Dei, die septimo, quiete) benedictio ac sanctificatio Sabbati subjiciantur, ea tamen, tum temporis accidisse, non asseritur: neque, ex loci circumstantiis, evincitur.

5. Ea enim, à Mose, perquam opportunè, hoc loco inferuntur, non quasi eadem tempestate essent gesta; sed ut ostenderet, hanc perfecti orbis, & quietis divinæ, die septimo, historiam, perpetua Israëlitarum, memoria retinendam. Quandoquidem Deus, quum Moses hæc scriberet, jam antea, paulò post eductos, ex Ægypto, Israëlitas, Exod. 16. in ejus rei monumentum, atque imitationem, diei septimo benedixerat, ipsumque sanctificarat. Et sicut Deus initio, in mandati de Sabbato, è monte Sinai repetitione, Exod. vigesimo, hanc sententiam posuerat: sic eandem, ad majorem Israëlitarum, in septimi diei quiete observanda, excitationem, hujus historiæ occasione, in descriptione illius, reponere & inculcare, voluit.

6. Neque est, cur quispiam *objiciat*, talem rei, longè post factæ, cum historia, ante gesta, connexionem, ac parenthesin, simili Sacrarum Literarum ac bonorum auctorum carere exemplo: quia exemplum, non est requirendum, ubi res ipsa (ut modo, hîc fieri, ostendimus) rectæ rationi consentit.

7. Deinde *exempla*, si quis desideret, non est cur ea longè arcessamus. Siquidem, in hac ipsa historia (de qua agitur) enarranda, *Flavius Josephus*, vir disertissimus, illustre documentum præbet. Sic enim Antiquitatum Judaicarum lib. 1. cap. 2. ait; *Atque ita mundum sex diebus universum, & omnia quæ mundo continentur, Moses facta esse dicit; septima autem requievisse Deum, & ab operibus cessasse.* QUAMOBREM ETIAM NOS, VACATIONEM A LABORIBUS, PER HUNC DIEM, CELEBRAMUS; *appellantes eam* SABBATUM: *quæ vox, requiem, Hebræorum lingua, significat.* Ovum ovo magis non est simile quàm, Mosis & Josephi Mosem explicantis, narratio: ut pluribus, jam non sit opus.

8. Sed ecce alterum quoque in ipso Mose, Exod. 16. sese offert exemplum. Nam eodem in loco, ubi diei Sabbati, à Ju-

à Judæis observandi, institutio narrata est; historiæ de manna occasione, ea inseruntur, quæ posteris temporibus, structo demum tabernaculo & arca, imo post annos quadraginta, contigerunt: sed Mose tamen hæc scribente, jam evenerant.

9. Sic enim Exod. 16. 33. *Dixit etiam Moses, hoc est verbum, quod præcepit Jehova, plena mensura Homer, asservanda est, ex ea, per ætates vestras: ut videant panem illum, quem vobis edendum dedi, in hoc deserto, postquam eduxi vos, è terra Ægypti.* 34. *Quare, edixit Moses, Aharoni, accipe urnam unam, ubi ponas plenam mensuram Homer mannæ: & depone ipsam ante conspectum Jehovæ, asservandam, per ætates vestras.* 35. *Quemadmodum præcepit Jehova Mosi, sic deposuit eam Aaron, coram Testimonio ipso, asservandam.* 36. *Filii autem Israëlis, edebant mannam istam, quadraginta annis, donec pervenirent, ad extremitatem Regionis Chananea.*

10. Quibus omnibus ritè consideratis, liquere satis arbitror, ex illa, Genes. 2. 3. sententia, Sabbati, à condito mundo, originem ducendam, minimè demonstrari. Atque hæc de primo ac primario, quod objici solet, argumento: cui accedunt alia, sed minori verisimilitudine ac pondere.

11. *Secundum* enim (quod à *Simlero* Exod. 20. aliisque adducitur) est hujusmodi; Patriarchæ ante Mosem, pro sua in Deum pietate, religionis, & reparationis virium, stata habuerunt tempora: ergo septimum hebdomadæ diem, ad eam rem observarunt. *Consequentia* verò *infirma* est: partim, quia nihil vetat, quominus alio tempore idoneo, ad religionem publicè exercendam, convenerint: partim, quia neque de Sabbato, à Patriarchis observando, ullum extat præceptum, neque observati illius, minimum, in sacris Literis, vestigium apparet.

12. Nam quamvis posteris eorum, Israëlitis, septimus dies, in creationis absolutæ, & quietis divinæ monumentum, sit institutus, an propterea, eundem Patres observarint? aut observandum noverint? Neque enim septimi diei, præ cæteris, religio, ab ullâ rei, aut diei necessitate (alioqui, & nos ea adstringeret) sed à libera ac prudenti Dei, populum suum, variè gubernantis, voluntate dependit. Quare, *secundum* etiam hoc *argumentum*, concidit.

13. *Tertium* verò, ex Noachi, in arca constituti historia, Genes. 8. 10. & 12. depromptum, pluma levius est: ut quod, mera & aliena nitatur conjectura. Noach quidem, post aquarum diminutionem, septem dies exspectavit, antequam vice altera (non prima) emisisset columbam: deinde alios septem dies, priusquam eam rursum emitteret. Sed, an inde rectè concluditur, Noachum in arca, cum familia Deum septimo hebdomadis die, singulari modo, coluisse?

14. Quanam enim, verisimili ratione, probari queat, diem illum septimum, fuisse ultimum hebdomadæ diem? Nam septimus, hoc in loco, non dicitur, relatè ad mundi originem, seu primum hebdomadæ diem, de quo quæstio est: sed ad eum quo primùm columbam emisit: ut Genes. 8. 8. dicitur; *Emisit columbam, ut videret, num levata esset aquis superficies terræ*: altera deinde emissio, ita describitur, versu 10. *Exspectavit itaque adhuc septem dies alios, & iterum emisit columbam illam ex arca.*

15. *Deinde*, quid si etiam ultimus fuisset, hebdomadæ dies, an ex emissionis columbæ opere, die illo septimo, cessationis ab opere, ad cultum Dei singularem, observatæ conjectura, valeret? Ideoque rationem illam tertiam obiter, & tanquam opinionem, perstringit tantùm Simlerus, ad Exod. 20. quum ait; *in historia quoque diluvii, columba, ex arca, emissa, septenario dierum intervallo*, SABBATI RATIONE VIDENTUR.

16. Neque magni momenti ac roboris, est *quartum*, pro adversa sententia, *argumentum*: quod ex illis Dei verbis, Exod. 16. 23. adfertur: *Illud est, quod dixit Iehova: quia Sabbatum sanctum* est *Jehovæ cras*: quod docturi essetis, coquite hodie: & v. 25. *Dixitque Moses; comedite illud hodie. Nam Sabbatum hodie est Iehovæ.* Ergo, inquiunt, Sabbati, tanquam inter Israëlitas, celebris ac noti, fit mentio: neque hic primùm instituitur; sed tanquam res antea instituta, propter mannæ collectionem, violandum non esse, à Deo præcipitur.

17. Verùm negatur, primùm ac partim, Antecedens: quia minus recta versio adducitur; *Sabbatum sanctum* est *Iehovæ cras*. Non enim EST (cui objectum argumentum videtur inniti) sed ERIT, supplendum; ut res ipsa indicat: crastinum enim ac futurum non est, sed erit. Quod autem sequitur: Nam Sabbatum, hodie est Jehovæ: illud non, ut ante Mosem notum ac celebre: sed ut prædictione Mosis notum jam redditum, profertur.

18. Deinde, consequentia etiam infirma est: nullum enim illius celebritatis Sabbati, inter Israëlitas, aut notitiæ antecedentis, indicium reperitur.

19. Siquidem versu 23. duo continentur: *primum* est correctio stuporis, & relationis, ducum populi: qui duplex mannæ demensum, à Deo, sexto die datum, & à populo collectum, cum admiratione observantes, Mosi recensuerant versu 12. Ei enim stupori, occurrit versu 23. *Hoc est, quod dixit Deus*, iisque verbis mandatum, versu 6. præmissum, de colligenda, die sexto, duplici mannæ mensura (quo promissio, de ea re divinitus danda, includebatur) iis in memoriam revocat. *Alterum* verò est, duplicis illius mensuræ mannæ, finis: nempe, ut partem illius residuam, in crastini diei septimi usum parent, ac reponant: quòd dies ille, sacrandus esset, quieti ac Domino. Idque verbis illis, quies *Sabbatum sanctum* erit *Iehovæ*, seu Domino, perspicuum est. Eaque ratione Sabbatum prænuntiatum atque institutum. Ideoque quartum argumentum, est infirmum.

20. *Quintum* porrò, est hujusmodi; Si ultimus dies, è septem, quieti, à Patriarchis, non fuerit dicatus, quomodo dierum, in hebdomadas, distinctio potuit observari? Quomodo etiam memoria creationis rerum, & finis creationis, septimo die factus, tempore Patriarcharum aliter retineri; Sed facilis est solutio. Etsi enim, diei Sabbati consecratio, ad hebdomadarum distinctionem, utilissima sit: Patriarchis tamen, non fuit, ad eam rem, necessaria.

21. Quum enim Adamus, pridie diei septimi ac quietis divinæ, viribus & ratione valens, fuerit creatus: quomodo id ignorarit? Quumque diu, cum Methusalacho; & hic, cum Semo; Semus denique, cum Abrahamo & Isaaco, vixerit, quid ni potuerunt dierum creationis, & septimi quietis divinæ, meminisse: & idoneis temporibus Deum colere, & ad posteros, illam temporum notitiam, Deique cultum traditione propagare, etiamsi septimi diei cultus abfuerit?

22. Præterea, quod si quoque, ista hebdomadarum distinctio, ante Mosem defuisset: ac primum divinitus, per eum, Israëlitis, Sabbati institutione, atque hebdomadæ definitione esset tradita: an idcirco Patriarchis, creationis dies fuisset ignotus? Nonne mensium, annorum, & tempestatum anni discrimina, Lunæ Solisque cursu, designata ipsisque non ignota, memoriam illam, facile conservassent? Et quid si ipsos etiam latuisset, quo die, orbis primùm fuisset creatus, an ideo mensium dies, ad cultum Dei necessarium, non potuissent distinguere, Deumque, orbis conditorem, celebrare? Quare, neque hoc argumentum, efficax comperitur.

23. Quod *denique* non pauci, septimum hebdomadæ diem, non solùm à Judæis, sed *à profanis* etiam *gentibus* religiosè *observatum* cultumque, asserunt: ac propterea inde colligunt originem illius, non ad Mosis tempora, sed ad mundi absoluti primordium, referendam; illud duplici errore laborat: quia, nec antecedens ratio certa: nec consequentia firma.

24. Nam quod, rationi muniendæ, *Clementis Alexandrini* & *Eusebii* dicta, prætexunt, ea parum, apud attentiores, ad hanc quidem rem probandam, merentur fidei. Siquidem verum est, quod ajunt, Clementem hoc affirmare, Stromateon libro 5. *Septimum sacrum diem, non tantùm Hebræi, sed etiam Græci norunt*: & Eusebium (Clementem secutum) De præparatione Euangelica lib. 3. cap. 7. sed quàm parum aptè ac presè illud, ex Hesiodo, Homero, aliisque poëtis, probent, res ipsa arguit: quum poëtæ illi, de aliis (ut di-

(ut dici solet) Clemens verò & Eusebius, de cepis, loquantur.

25. Cujus rei (ut ea, quæ ex Homero, & Callimacho, proferunt: nec in eorum reliquis jam scriptis, comperiuntur, prætercam) specimen illustre, in Hesiodi sententia (quam, velut antesignanum quendam, in prima acie collocant) apparet. Hæc autem est, Πρῶτον ἔνη τετράς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ. qui versus est ἡμερῶν Hesiodi sextus: quem eruditè (ut omnia) nobilissimus *D. Heynsius*, sic reddit; *Primum novilunium, quartaque, ac septima sacra dies.* Cui ratio, à Poëta, subjicitur; *Hac enim, Apollinem auriensem, genuit Latona.*

26. Atque ita *Proclus* (quem *Moscopulus* etiam sequitur) ait; *A novilunio exorsus, laudat tres*, τὴν ἔνην, *sic vocans novilunium, ab* ἐν *quartam, septimam: & omnes, sacras dicens: septimam verò etiam, ut Apollinis natalem, celebrans. Ideoque Athenienses eam, tanquam Apollinarem, laurum ferentes, honorant.* Quare, quum de septimo mensis die, & quidem Apollinis natalitio ac sacro, apertè loquatur Hesiodus, minus aptè, ad septimum hebdomadæ diem, accommodatur. Quum nulla hic sit alia, quàm generalis quædam, in septimi diei appellatione, similitudo: quam Clemens Alexandrinus, allusione usus, intellexisse videtur. Quod profectò, à seria disputatione, & à proposito scopo, aberrat.

27. Idque etiam Clemens ostendit, dum addit; *Solonis elegia, septenarium numerum valdè celebrant:* hoc enim ad rem similiter, non pertinet, ut ex libro 6. Stromateon liquet, ubi, de eodem prorsus argumento, differens, ait; *Ætatum quoque mutationes fieri, per septenarium, elegia Solonis significant, hoc modo; Infans septenos postquam compleverit annos, &c.* Platonis verò lib. 5. (cujus jam memini) facta est mentio, sed alio, quàm ad septenarium, à Clemente refertur.

28. Neque alia *Philonis Judæi* lib. 2. de vita Mosis, sententia, quum ait; *Quis enim sacram illam diem, per singulas hebdomadas recurrentem, non honorat?* Hoc enim non propriè (ut quibusdam, huc accommodantibus, videtur) sed similitudine sola septenarii, intelligit: ut libro suo, De Decalogo, disertè exponit. *Quartum* (inquit) *præceptum, commendat diem septimam: jubens eam, sanctè piéque transigi. Hanc civitates quadam, singulis mensibus, ut festum celebrant, incipiendo numerationem, à novilunio: Judæis verò sancta est, septima quaque dies.* Quare frustra, in *Philonis Judæi* testimonio, pro Sabbati, à profanis gentibus, observatione, patrocinium collocatur.

29. Cujus etiam rei locuples testis est *Theodoretus*, in Ezechielem cap. 20. his verbis; *In aliis igitur, cum aliis, juncti: in observatione Sabbati, propriam quandam videbantur obtinere rempublicam. Nulla enim alia gens, hoc otium observabat. Neque circumcisio, ita ipsos, ab aliis distinguebat, ut Sabbatum. Quippe circumcisionem Idumæi quoque habebant (qui ab Esau genus ducebant) & Ismaëlitæ similiter. Ægyptii item à Judæis, hanc edocti, observare studebant. Quod per Prophetam Jeremiam, Deus declaravit, quum dixit; Et visitabo super omnes circumcisos, præputium ipsorum, super Ægyptum & super Edom, & quæ sequuntur: Sabbati verò observationem sola Iudæorum natio, custodiebat. Idcirco dixit: Quia Sabbata mea dedi eis ut sint in signum, inter me & inter ipsos, ut cognoscant, quod ego Dominus, sanctificans eos.* Hæc ille.

30. Ac propterea mirandum esset, viros non paucos, egregiè doctos, in expositione Genes. 2. non solum Pontificium, Johannem Marium; sed etiam inter Orthodoxos, eximium illum Johannem Mercerum, in tanta luce potuisse impingere, nisi eruditionis, Clementis Alexandrini, splendor, judicii aciem perstrinxisset, & ab omni examine avocasset. Nam, ut *Marius* prolixè Clementis dicta recenset: sic *Mercerus ad* Gen. 2. ait; *Hinc & apud alias gentes (ut apud Hesiodum, & alios, videre est) dies septimus tantopere commendatur, celebratur & extollitur: ut planè esset (ut Philo inquit)* ἑορτὴ πάνδημος *festum populare, ad omnes, ex æquo, gentes pertinens.* Hæc ille: cujus testimonium siluissem, nisi hæc hallucinatio, in hac materia, non venia, sed fide atque assensu dignissima, putaretur. Hæc ad *primum*, in antecedente ratione opposita, *errorem* convincendum satis.

31. *Aliter*, in consequentiæ vitio, consistit. Nam licet Sabbati observatio, inter gentiles viguisset (quod, nullis eorum monumentis, rectè probatum) ex eo tamen, tanta Sabbati (quasi, à finitæ creationis primordio, instituti) antiquitas, minimè evinceretur; sed Sabbati Judaici, à proselytis, aliisque forte nonnullis, admissi imitatio, appareret.

32. Qua de re *Iosephus*, contra Appionem, lib. 2. audiatur. Nam verbis illis, quæ ex eo objectantur, (*Neque est civitas Græcorum ulla, aut Barbarorum, neq; ulla gens, ad quam, septimi diei, in quo vacamus, consuetudo, minimè pervenerit*) ista in hac citatione, prætermissa, præmittit, quæ controversiam, dirimunt; *Quinetiam populi jam multum, nostram pietatem, æmulantur.* Atque hoc modo, argumenta, pro Sabbati, inde ab orbe condito, origine, satis soluta esse speramus: atque inde *primum nostrum argumentum:* quod sententia contraria Sacris Literis, non demonstretur, stabilitum arbitramur: cui reliqua jam adjiciemus: quæ, hac quasi face præmissa, futura sunt clariora.

33. *Alterum* enim argumentum ex Genes. 2. & Exod. 20. est, quòd illa Dei effecta *benedictio* scilicet & *sanctificatio* Sabbati, primo illi, à condito orbe, diei septimo, non conveniant; sed septimo diei, in mannæ donatione, revoluto, Exod. 16. optimè quadrent. Ac propterea, non ad primum illum, prima Sabbati origo atque institutio, pertinet.

34. Nam quòd duo illa, pro eodem, à contrariæ sententiæ patronis, exponuntur (unde etiam nonnulli, in sua versione, pro vocibus, *Benedixit & sanctificavit*, paraphasi liberiore; *Benedixit, id est, sanctificavit*, transtulerunt) illud omnino videtur insolens, & à vocis benedicendi, in Sacris Literis significatione, alienum.

35. Siquidem vox Hebræa, *Berech* (qua Moses utitur) *propriè* est *benedicere:* & quidem laude, vel voto. *Laude*; ut Psalmo 68. 27. *In congregationibus benedicite Deo.* Unde interdum, per *Antiphrasin* (sive Catachresin ironicam) *maledicere:* ut falsi testes, Nabotho exprobrant illud, 1. Reg. 21. 10. & 13. *Benedixisti Deo, & regi:* hoc est maledixisti. Job. 1. 11. & c. 2. 5. *Voto*, ut Num. 6. 23. *Benedicite filiis Israël.*

36. *Impropriè* verò, per effecti (pro sua causa accepti) *Metonymiam, benefacere*, designat: ut Num. 6. 23. *benedicat tibi Jehova:* & Gen. 24. 35. *Jehova benedixit, Domino meo, valde.* Cujus tropi causa est, quòd benefacta, benedictionem ac gratam laudem, concilient.

37. Benedicere verò, pro sanctificare, hoc est, ad sacrum usum segregare (ut sanctificandi vox, Gen. 2. & Exod. 20. citra controversiam accipitur) usurpari, asseritur quidem à nonnullis; sed à nemine hactenus, è Sacris Literis, demonstratum comperimus. Ideoque, quum benedicere, & sanctificare, sint diversa, neque ulla benedictio, primo, à creatione, diei septimo, tributa extet, eò non potest pertinere.

38. Contra verò hæc distincta benedictio, & sanctificatio, diei septimo, ac Sabbato, Exod. 16. Judæis primùm instituto, ad amussim quadrant: ut illustribus documentis, antea demonstravimus. Siquidem sermone, & opere, illi cumulatè benedixit, & sanctificavit.

39. *Benedixit* enim *sermone* ac laude; quum eum diem, *sanctum*, vocavit: *opere* verò; quum eximio *beneficio*, ac miraculo gemino, in peculiarem Sabbati gratiam, honoravit. Siquidem & pridie illius, diurnam mannæ mensuram, geminavit: & præparatam Sabbato partem, præter naturam, in crastinum incorruptam, conservavit. *Sanctificavit* verò, & mandato, & quietis suæ, die Sabbati, (in mannæ prætermissione) exemplo. Eamque benedictionem, & quietis suæ exemplo sanctificationem admiranda, per annos quadraginta, continuatione reddidit Deus illustriorem. Ideoque & in repetitione mandati, de Sabbato, Exod. 20. & Gen. 2. ad hancce benedictionem & sanctificationem respiciendo, earum mentionem fecit. Hæc de *secundo argumento*.

40. *Tertium* verò, deducitur, ex verbis, quibus modus Sabbati, Judæis instituti, declaratur. Nam Exod. 16. vers. 23. dicitur. *Quies Sabbatum sanctum* erit *Jehova cras.* Et versu 25. *Sabbatum hodie Jehovæ est.* Et versu 29. VIDETE, *quod Iehova* DEDIT VOBIS ILLUD SAB-

SABBATUM: *idcirco dat* VOBIS, *die sexto cibum bidui.* Et Ezech. 20. 12. SABBATA DEDI EIS; *ut essent* SIGNUM INTER ME ET IPSOS *ad sciendum, me Iehovam, sanctificare ipsos.* Et Exod. 31. 13. *Nam signum est inter me & vos, per generationes vestras, ad cognoscendum, me Iehovam esse, qui sanctifico vos.* Denique Nehem. 9. 14. SABBATUM quoque sanctum, NOTUM FECISTI EIS: *quum præcepta statutaque, & leges, præciperes iis, per Mosem servum tuum.*

41. Unde ita *colligitur*; Quod Deus, in Sacris Literis, notum fecisse Judæis dicitur, per Mosem, notumque faciendo crebro inculcavit; ipsisque se dedisse, emphatica attentionis provocatione præmissa tradit, ac repetit, ac dedisse in signum sanctificationis ipsorum; illud non fuit ipsis (uti contenditur) ante celebre ac notum, omnibusque ab origine mundi traditum. Atqui Sabbatum est hujusmodi: ut Mosis & Prophetarum, memorata jam testimonia, demonstrant. Ergo Sabbatum, non fuit Judæis ante celebre ac notum, omnibusque, ab origine mundi, traditum.

42. *Propositio* inde firmatur, quòd quæ celebria & nota sunt, illa interdum repeti, sed tam operosè, cumque attentionis provocatione, inculcari non solent: & quæ omnibus data sunt communiter, illa cum emphatica distinctione; *Videte, dedit vobis*, & quidem in signum sanctificationis ipsorum, non rectè convenire apparet.

43. Denique si Sabbatum sanctificatum fuit omnibus, in signum quietis Dei: omnibus etiam fuit signum, quòd Deus illos sanctificasset, hoc est, ad cultum sui ita segregasset: atqui non omnibus, sed Judæis hoc peculiariter tribuitur. Ideoque ad omnes non pertinet.

44. *Quartum* argumentum, sententia illa Deut. 5. 2, 3. *Deus noster pepigit nobiscum fœdus, in Choreb: non cum patribus nostris, pepigit Iehova fœdus illud: sed nobiscum, qui ipsi hic hodie, omnes sumus vivi:* suppeditat hujusmodi; Quod Deus cum Israëlitis, non cum patribus ipsorum, pepigit, illud non est institutum, ab origine mundi: fœdus Legis Decalogi est hujusmodi: ut proposita Mosis sententia, & expositio illius versu 12. & 15. & 23. ad 29. & cap. 4. 11. 13. ostendit. Ergo fœdus Legis Decalogi, non est ab origine mundi institutum.

45. Quum autem de nullis Decalogi præceptis, præter quartum, de Sabbato, verè dici possit, quòd patribus non sint tradita (quia citra controversiam, sunt juris naturæ ac communis: ut etiam Tertullianus, adversus Judæos cap. 2. egregiè demonstrat) sequitur ratione quarti præcepti esse intelligendum: non simpliciter quidem, sed partis illius ceremonialis, ratione.

46. Veruntamen bifariam, *evadere* posse, dissentientes videntur, nempe; ut *ellipsis*, in Mosis sententia, constituatur duplex. *Prima* quidem, ut hæc verba (*Non cum Patribus nostris, pepigit Iehova fœdus illud*) accipiantur, non absolutè; sed comparatè: hoc est, non eo modo, exaratis tabulis, & singulis horrendis. Verùm, sine justa causa (quæ hîc deest) ab integra propriaque orationis forma, ad ellipsin confugere, cum recta interpretandi norma, pugnat. Deinde ellipsis ista, huic loco non quadrat. Nec enim, hæc modi diversi circumstantia, pacti essentiam, vel auget, vel minuit.

47. Præterea, an minus est, quòd Deus Abrahamo tanquam benignus pater, cælitus apparuit, Gen. 17. 1. dicens; *Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*: quàm quòd, tanquam tremendus judex, Israëlitis idem pactum, seu legem justitiæ, promulgavit? An majus etiam est, quod Legem, Israëlitis datam, tabulis duabus lapideis inscripsit; quàm, quòd eandem, menti & cordi Abrahami, Genes. 18. 19. (quod Israëlitis minimè datum à Mose, Deut. 29. 4. asseritur) impressit?

48. Verùm quid opus est multis? doctissimus *Calvinus*, in Gallicis suis, ad Deuteronomium, concionibus, à *prima* illa expositione, & *ellipsi*, à se prius posita, recedens, *alteram* substituit, quam veram ac genuinam esse, verbis expensis, statuit. Nempe, ut patrum voce, hoc loco, non prisci patriarchæ intelligantur, qui ante Mosem fuerant; sed proximi: qui legem, quum primùm promulgaretur, audierant, & longa, quadraginta annorum, oberratione, in deserto perierant. Deinde diversam, à prima, ellipsin ponit hujusmodi; *Non cum patribus*, hoc est, Non cum patribus tantùm.

49. Sed quanam necessaria ratione, ellipsis gemina probabitur, qua, pro negatione illa; *Non cum patribus nostris, sed nobiscum*, affirmatio hæc substituitur; *Non cum patribus nostris* tantùm, *sed* etiam *nobiscum:* hoc est, & cum patribus nostris, & nobiscum?

50. Deinde si *patres nostri*, proximi intelligerentur, propria esset ad populum præsentem, tanquam filios, relatio: sed propriè de Mose loquente, & Josua, & Calebo quomodo dicetur? verum esto synecdoche; patres nostri, hoc est, ferè omnium nostrum: quorsum quæso, hæc sententia, spectabit? An ignorare poterant Deum, non solùm, cum patribus ipsorum, sed etiam cum ipsis, fœdus pepigisse? quum ipsi non minus præsentes fuissent, in Lege promulganda, quàm Patres: ut Moses, hoc ipso in loco, apertè affirmat, Deut. 5. 3, 4, 5.

51. Quare ex hisce, satis (uti existimo) apparet, horum Israëlitarum patres (ut passim, in eodem libro Mosis, Deut. 1. 8. 11. 21. 35. & 4. 1. 31. 37. &c.) intelligi Patriarchas, imprimis Abrahamum, Isaacum, Jacobum. Deinde fœdus illud cum iis, non pepigisse, secundùm quid, ratione partis: quod videlicet, quamvis legem charitatis iis imperasset, mandatum tamen de Sabbato, & ceremoniis, eo comprehensis, non dedisset; sed posteris ipsorum Israëlitis, quos alloquitur Moses.

52. In quo, quarto argumento, præluxit nobis, *Eusebius*, De demonstratione Euangelica, lib. 1. cap. 6. *Idcirco* (inquit) *illi testimonium exhibetur, quod præcepta, & mandata, & ceremonias, & quæ in legibus posita sunt Dei, ante Mosis constitutionem, servaverit. Dicit igitur, ad Isaac, is qui oracula illa reddebat Deus; Et dabo semini tuo omnem terram hanc: & benedicentur, in semine tuo, omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abrahamus pater tuus, voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias meas, & quæ in legibus meis posita sunt* (Gen. 26. 4. 5.) *Erant enim, etiam ante Mosis Legem, mandata Dei alia, & ceremoniæ, non similia iis, quæ, à Mose tradita sunt: legesque aliæ ac præcepta Domini, per quæ illi justitiam adepti sunt. Porrò quod non eadem essent, cum iis, quæ per Mosem, in legibus posita sunt, Moses ipse perspicuè demonstrat, ubi ait ad populum; Audi Israël justificationes & judicia, quæcunque ego loquor, in auribus vestris in die hac: & discetis ea & servabitis, ut ea faciatis. Dominus Deus noster condidit vobis, in Choreb Testamentum: NEUTIQUAM PATRIBUS VESTRIS condidit Dominus Testamentum hoc, sed vobis. Et sanè specta, ut planè dicit Testamentum HOC: propterea quod non idem illud patribus eorum constituit. Quod si absolutè non datum esse, patribus eorum, Testamentum, dixisset, in mendacium sanè illi recidisset oratio. Datum est igitur Abrahæ Testamentum, datum est etiam Noæ, sicut sacra testantur oracula. Atque idcirco cum adjunctione dixit, non HOC datum esse patribus eorum.*

53. *Quintum* porrò *argumentum* est; Si septimi diei quies, omnibus, ab origine mundi, hominibus fuisset instituta, non autem solis Israëlitis, tempore Mosis, Deus non solos Israëlitas, ob neglectum illius, sed etiam Gentiles (alicubi saltem) eadem de causa, reprehendisset. Atqui Deus solos Israëlitas, frequentissimè, ob Sabbatum violatum, reprehendit: Gentiles verò nusquam. Ergo septimi diei quies, omnibus, ab origine mundi, hominibus non est instituta.

54. *Propositio* inde patet: quod reliquorum omnium præceptorum (excepto quarto, de quiete diei septimi observanda) violatio, in Gentilibus, non minus, quàm in Israëlitis reprehenditur passim, & gravissimæ pœnæ, eo nomine, inflictæ, aut infligendæ, denuntiantur: ut Israëlitæ redderentur cautiores, & ab imitatione eorum, averterentur.

55. Ac propterea, si Sabbati quies, iis fuisset etiam instituta atque observanda, neglectum illius & pœnam, Sacræ Literæ similiter, alicubi saltem, expressissent: quum ne derisionem quidem Sabbati, à Judæis observati, reticuerint. Quo pertinet illud Lamentationum Jeremiæ cap. 1. v. 7. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus:* ut *Hieronymus* rectè vertit: & *Calvinus* consentaneè exponit.

 56. Quo

56. Quo etiam pertinet, illud *Theodoreti*, Ezech. 20. *Rursus hic quoque, Sabbatorum mentionem fecit, neque ea, cum aliis, justificationibus conjunxit*, &c. *Neque enim hæc, ut illa, vitam conciliant, sed quendam peculiarem, reipublicæ administrandæ, characterem, continent. Illud enim, non mœchaberis, non occides, non furaberis, & alia, cum his conjuncta, alios quoque homines natura Lex edocuit: at Sabbati observandi, non natura, magistra: sed latio legis. In aliis igitur, cum aliis, communione juncti: in observatione Sabbati, propriam quandam videbantur habere rempublicam.*

57. Atque hæc sunt argumenta, quibus comprobatur, institutionis Sabbati originem, non à mundi primordio: sed à Mosis tempore, arcessendam. Quòd verò, recentiorum theologorum, testimonia non pauca, ab adversæ sententiæ fautoribus, proferuntur, ea, consensionem quidem aliquam, ostendunt: sed rationibus solidis, fuisse persuasos ac certos, minimè demonstratur. Præsertim, quum eorum antesignani, non ut certam veritatem, sed tanquam probabilem duntaxat opinionem, protulisse appareat: ut ex sequentibus, *Calvini*, *Hieronymi*, *Zanchii*, *Josiæ Simleri*, & *Cornelii Bertrami*, exemplis conspicitur.

58. Primò enim, *Johannes Calvinus* ad Exod. 16. INCERTUM EST (inquit) *an quies, jam ante à Patribus observata sit: quod* PROBABILE VIDETUR: *de quo tamen* PUGNARE NOLIM.

59. Deinde *Hieronymus Zanchius*, De redemtione, libro primo, ad quartum decalogi præceptum, de Sabbato ait; *Quomodo autem sanctificavit? Non solùm decreto & voluntate: sed reipsa: quia illum diem (ut non pauci volunt, &* PROBABILE EST) *mandavit primis hominibus observandum*. Et paulò post, contra Sabbatarios: *Quod verò ajunt, Patres, ante Legem, sanctificasse septimum diem, quanquam* HOC NON FACILE ET APERTE DEMONSTRARI POTEST *è Sacris Literis (sicut & Tertullianus, in libro adversus Judæos, contendit) ego tamen, non contradixerim.*

60. Tertiò, *Josias Simlerus*, in Exod. 16. *Quando autem* (inquit) *Israëlitis data sit Lex Sabbati, non exprimitur:* VERISIMILE EST, *per Patres datam, ac antiquissimam fuisse Sabbati observationem, sicut sacrificiorum.* Et ad Exod. 20. ait, *Deinde, quod sumunt, in Minore, sanctificatum septimum diem, statim mundo condito,* VERUM EST: sed AMBIGITUR, *an propterea, Sabbatum observarint. Et id negat Tertullianus, & Judæorum* QUIDAM RABBINI *in expositione minori in Genesin arbitrantur, Abrahamum non coluisse Sabbatum: sed ut cæteris diebus, operafecisse.* An verò illis sit habenda fides, PENES LECTOREM ESTO.

61. Denique *Cornelius Bertramus*, De politia Judaica, cap. 2. similiter dubiè ait: *Iam inde ab orbe condito præstitutus* VIDETUR *dies septimus, seu Sabbati, frequentandis cœtibus, sacræque quieti.* Ex quibus illustrium auctorum, qui objectantur, sententiis, quid de reliquis etiam sit æstimandum, non obscurè apparet.

62. Quia verò Patres quosdam sententiæ suæ, de primæva Sabbati origine, duces proferunt: ut examen omittamus, age complurium ac præstantium Patrum, ac primùm antiquissimorum testimonia, opponamus.

63. *Primus*, inter eos, est *Iustinus Martyr*, qui in Dialogo cum Tryphone Judæo, edit. Comel. p. 186. sic ait: *Quid si ista, ad hunc modum, non fuerimus professi, eveniet nobis, ut in absurdas incidamus cogitationes: quod non idem Deus, temporibus Enochi & aliorum, fuerit: quod neque circumcisionem in carne habentes,* NEQUE SABBATUM SERVARUNT, *neque alia insuper quæ Moses fieri mandavit.* Et paulò post: *Si namque, ante Abrahamum, non fuit* USUS *circumcisionis:* NEQUE ANTE MOSEM CELEBRATIONIS SABBATI, *& feriarum, & oblationum: neque nunc quidem, post Filium Dei Iesum Christum.*

64. *Alter* est *Irenæus*, adversus hæreses libro 4. c. 30. *Ipse Abraham, sine circumcisione, &* SINE OBSERVATIONE SABBATORUM, *credidit Deo, & reputatum est illi, ad justitiam.* Et post pauca: *Sed & reliqua autem multitudo eorum, qui ante Abrahamum fuerunt justi, & eorum Patriarcharum, qui ante Moysem fuerunt, sine his quæ prædicta sunt, & sine lege Moysi, justificabantur.*

65. *Tertius* succedit *Tertullianus*, libro adversus Judæos cap. 2. *Igitur quum neque circumcisum,* NEQUE SABBATIZANTEM *Deus* ADAM *instituerit, consequenter quoque sobolem ejus* ABEL, *offerentem sibi sacrificia, incircumcisum,* NEC SABBATIZANTEM, *laudavit.* Item, NOE *quoque incircumcisum Deus, sed &* NON SABBATIZANTEM, *de diluvio liberavit. Nam &* ENOCH *justissimum, non circumcisum,* NEC SABBATIZANTEM, *de hoc mundo transtulit: qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus, jam nobis ostenderet, nos quoq; sine legis onere Moysi, Deo posse placere.* MELCHISEDECH *quoque, summi Dei sacerdos, incircumcisus &* NON SABBATIZANS, *ad sacerdotium Dei allectus est.* Item, *Sed* ABRAHAM *inquit, circumcisus est. Sed ante, Deo placuit, quàm circumcideretur,* NEC TAMEN SABBATIZAVIT.

66. Idem cap. 4. *Denique* DOCEANT *(sicuti jam prælocuti sumus)* ADAM SABBATIZASSE: *aut* ABEL, *hostiam Deo sanctam offerentem,* SABBATI RELIGIONE *placuisse: aut* ENOCH *translatum,* SABBATI *cultorem fuisse: aut* NOE, *arcæ fabricatorem, propter diluvium immensum,* SABBATUM *observasse: aut* ABRAHAM *in* OBSERVATIONE SABBATI, *Isaac, filium suum, obtulisse: aut* MELCHISEDECH, *in suo sacerdotio,* LEGEM SABBATI ACCEPISSE.

67. Denique Sabbati primordium, Mosis demum tempore, extitisse, *idem* attestatur, contra Marcionem lib. 4. cap. 12. *Meminerat & ille, hoc privilegium donatum Sabbato, à primordio, quo dies ipse compertus est, veniam jejunii dico. Quum enim prohibuisset creator, in biduum legi manna solummodo permisit, in parasceve, ut Sabbati sequentis ferias, pridiana pabuli paratura, jejunio liberaret.*

68. Unde perspicuum est, hæc, non de modo Sabbatizandi Judæorum (ut objicitur) sed de Sabbati institutione: nec de neglectu hujus diei, propter memoriam ejus, inter multos obliteratam, sed de absoluta Sabbati, nondum traditi, ignoratione, intelligenda: ut omittam, quod id, cum ipsorum hypothesi, de notitia & celebritate Sabbati, apud Israëlitas repugnat.

69. *Quartus* est *Eusebius*, de demonstratione Euangelica lib. 1. cap. 6. qui similia tradit. *Etenim,* inquit, *protinus* MELCHISEDEC *inducit Móses, sacerdotem Dei altissimi: qui neque corpore erat circumcisus, neque unguento comparato, ex Lege Mosis, delibutus,* NEQUE QUID SABBATUM *esset ullo modo* EDOCTUS. Et talem fuisse Noachum, Enochum, Abrahamum, indicat: ac postea sic ait; *Sed quidnam de beatissimo Iob, de illo, inquam, vero homine illo inculpabili, justo* JOB *dicemus? Quæ tandem illi, summæ illius pietatis & justitiæ, causa extitit, nunquid præcepta Mosaica? minimè.* NUM DIEI SABBATI, *aut alterius cujuspiam Iudaici ritus,* OBSERVATIO? *Unde illi hoc, qui & ætate ipsum Mosem antecedit, & ante leges, ab illo positas, est natus?*

70. *Quintus* testis, est *Iohannes Damascenus*, Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 24. Cujus sententiam, ob accurationem illius, paulò altius deducemus. *Septimus,* inquit, *dies, Sabbatum vocatus est: significat autem, requietem. In ea enim, quievit Deus, ab omnibus operibus suis: ut divina ait Scriptura. Et idcirco, usq; ad septem, numerus dierum procedens, in orbem redit, & à prima incipit. Hic numerus, honorabilis apud Iudæos: quòd Deus præceperit, honorare ipsum: non utcunque, sed cum gravissimis transgressioni pœnis. Non simpliciter autem hoc præcepit, sed propter quasdam causas, mysticè & spiritualiter, & contemplatoribus intellectas. Et quantum ego indoctus cognovi (ut ab infirmioribus & crassioribus incipiam) sciens Deus populi Israëlitici crassitiem, carnis amorem, & omnino, ad materiam, proclivitatem, simulq; judicii defectum, primùm quidem, ut servus & jumentum requiescat: sicut scriptum est; Quia & vir justus, miseretur animarum jumentorum suorum: simul autem, ut à distractione circa materiam, vacantes, ad Deum adducerentur, in Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus: & meditatione divinarum rerum, universum septimum diem consumentes, & in Deo requiescentes* (sc. præcepit.) *Quum enim Lex non esset, nec scriptura, divinitus inspirata,* neque SABBATUM

DEO

DEO SACRABATUR. *At quando Scriptura divinitus inspirata*, PER MOSEM *data est*, SACRATUM EST DEO SABBATUM, *ut circa illius meditationem, in ipso exercerentur, qui, non totam vitam, Deo consecrabant.*

71. *Sextus* est *Procopius Gazæus*, ad Genes. 2. *Reliquos*, (inquit, de diebus) *honoravit operibus, quæ, in iis, evenerunt. Verùm septimum voluit esse documentum, universi naturam, in eo esse consummatam. Etenim sanctificavit, id est, separavit eum, à reliquis, ut illius esset signum & monumentum. Quemadmodum festos dies appellamus sanctos, qui contineant memoriam, beneficii alicujus singularis, à Deo nobis dati, sicuti & illud, Sanctificate jejunium, id est, separate & ordinate jejunandi tempus:* ITA JUDÆIS IMPERAVIT *supremum Numen, ut segregarent à cæteris diebus, diem septimum, eumque destinarent cultui divino: ut, si oblivio Dei forte obreperet, tamen invitis tandem, ex ipso die, quo quietem capiunt, in memoriam revocetur & redigatur is, qui omnia fecit, & die septimo requievit.*

72. *Septimus* est *Beda*, qui, ad Lucæ cap. 6. ait; *Volens intimare Sabbati legalis observantiam, cessare ultra debere, &* NATURALIS SABBATI LIBERTATEM (QUÆ, AD MOSIS USQUE TEMPORA, CÆTERORUM DIERUM SIMILIS ERAT) *oportere restitui.*

73. *Octavus* est *Euthymius*, qui in Orthodoxæ fidei panoplia, quam Alexii imperatoris jussu, ex Orthodoxis ac probatis maximè Patrum sententiis, concinnavit, Damasceni, de Sabbato, explicationem (cujus partem bonam, ante adduximus) cap. 30. integram reposuit: atque ita approbavit.

74. Quibus Patrum testimoniis accedit antiquissimi ac doctissimi scriptoris Hebræi, *Flavii Josephi*, Antiquitatum lib. 1. cap. 3. consensus: ut ex testimonio illius, quod capite quarto, aphorismo septimo, produximus, elucet.

75. Huc accedunt *veteres quidam Hebræi* in Genesi minori, ut supra aphorismo 60. Simlerum attestari, ostendimus, qui Abrahamum, non coluisse Sabbatum, arbitrantur.

76. Deinde succedit *Rabbi Salomo Jarchi*, qui ad Gen. 2. ait; *Benedixit ei, in manna: quia omnibus diebus septimanæ, descendit iis Homer, pro singulis; & sexto, panis duplex. Et sanctificavit eum, in manna, quoniam non descendit omnino. Et Scriptura loquitur, de re futura.* Unde liquet, ab ipso, ea Genes. 2. verba, ad historiam referri, quæ describitur Exod. 16. non autem, ad creationis absolutæ tempus; cujus ratione, futurum vocat: quum aliàs, Mosis scribentis ratione, jam esset præteritum.

77. Hosce omnes sequitur, eximius ille Theologus *VVolfgangus Musculus* in locis communibus, in explicatione Decalogi, ad præceptum quartum, his verbis; *Quare* CONVINCI NON POTEST, *quòd septima diei* SABBATUM, ANTE HANC LEGEM, *vel ante diluvium, ab Adamo, ad Noë usque, vel post diluvium, à Noë, ad Mosem usque; vel per Abrahamum, vel posteros ejus*, SERVATUM FUERIT. *Unde & quidam Hebræorum fatentur, non esse scriptum de Abrahamo, quod Sabbatum observarit.*

78. Similiter, *Franciscus Vatablus*, de die Sabbato, Gen. 2. 3. ait; *Sanctificavit diem Sabbati, hoc est, solennem ac sanctum, venerabilemque eum haberi voluit, cœpit tamen sanctus ac celebris haberi*, DATA LEGE NON PRIUS.

79. Idemque docet vir eruditus ac disertus, *Robertus Loëus* Anglus, in Effigiatione veri Sabbatismi: multisque probare contendit.

80. *Tostatum*, ac similes, viros doctissimos, ejusdem sententiæ fautores, omitto: non, quia Pontificii (nam cum iis, nulla unquam Orthodoxis, hac de re, fuit contentio: nec omnes Pontificii, idem sentiunt) sed quòd, auctores memorati, abundè sufficiant. Nec enim testium numero; sed rationum pondere, veritas æstimanda.

81. Operæ pretium tamen existimo, si *Benedicti Pererii*, Jesuitæ quidem, sed viri doctissimi, de hac quæstione, sententiam, postremo loco subjiciam.

82. *Sed quæstio est*, inquit, *an ex his verbis Mosis, intelligendum sit, Deum jam tunc, in exordio mundi, observationem Sabbati, præcepisse, qualem videlicet, post multa secula, sanxit lex Mosaica. Catharinus hoc ait, idque argumentatur, neque enim aliud esse, Sabbatum sanctificare, quàm ab omni labore & servili opere, diem illum vacuum facere, & cultui divino consecrare: eodem enim modo postea, per legem Mosis, diem Sabbati, sanctificatum esse, legimus.*

83. *Tostatus autem hoc negat. Nam, quæ hic traduntur, de sanctificatione Sabbati dicta esse putat, per anticipationem, nec referenda ad primum illud, mundi nascentis, Sabbatum, aut ad primævos homines; sed ad statum & tempus legis Mosaicæ: quo nimirum tempore, hunc librum Moses Judæis scripsit.*

84. *Non fuisse autem, in exordio mundi, indictam observationem Sabbati, multa probant argumenta. Principio, in statu innocentiæ, supervacaneum fuisset præscribere homini, unum aliquem diem, ad vacandum Deo & rebus divinis: tunc enim nihil futurum erat, quod hominem avocaret, à contemplatione, & cultu Dei: quin ad hoc, sponte sua, propensissimus fuisset homo: nec septimo duntaxat die, sed quotidie, & quidem, non semel, sese, ad meditandas tractandasque res divinas, dedidisset.*

85. *Deinde, præceptum, de vacando, à labore, & opere servili, supervacaneum fuisset, in statu illo, hominis felicissimo, in quo nihil erat quod homini laborem, molestiam, aut pœnam aliquam afferret.*

86. *Postea, si tum datum fuisset præceptum, observandi Sabbatum, profectò, cunctos mortales, obstrinxisset: datum enim esset, primo homini, & in eo, omnibus ejus posteris. Constat autem, nunquam fuisse, apud Gentiles, in more & instituto, observationem Sabbati: nec legimus, sanctos Patriarchas, diem Sabbati observasse.*

87. *Et verò si ab Adamo usque, perpetua fuisset, hujus præcepti, traditio, & saltem apud pios viros observatio, cum Moses promulgando Legem, præceptum hoc indixit Judæis, haud dubiè, antiquitatem ejus, & religiosam observationem, apud eorum majores, commemorasset, quo facilius Iudæorum animos inclinaret, ad hoc præceptum, promptè, studiosè, sanctéque custodiendum.*

88. *Præterea tradunt fere Patres, ac Theologi, Deum non aliud imposuisse Adæ præceptum, omnino positivum, nisi illud, de non edendo, fructu arboris scientiæ, boni & mali*, &c. Deinde concludit hoc modo; *Tostato, suffragatur Beda (in Hexaëmeron) Nam sanctificationem Sabbati, quæ hic describitur, refert ad eam, quæ, per Legem Mosis, postea tradita est Iudæis. Ego quoque assentior Tostato potius, quàm Catharino: hanc enim sententiam, Eusebio, in primo libro, historiæ Ecclesiasticæ, capite quarto, & Iustino, in Dialogo, quem cum Triphone habuit, nec non & Tertulliano, atque Cypriano, in suis libris, quos scripserunt, adversus Iudæos, placuisse reperio.* Hactenus *Pererius*: & *quæstionis prima*, quæ de Sabbati origine est, examen: quare superest, ut ad *alteram* transeamus.

CAP. V.

De Septimi diei cultu.

SEcunda enim *quæstio* est, An unus, è septem hebdomadæ diebus, perpetuò in orbem recurrens, ad cultum Dei, necessariò, ex quarti præcepti vi ac sententia, sit observandus? Quidam affirmant: alii verò negant. Quorũ judicio, ut subscribam lubens, hoc in primis me movet: quod nulla hactenus argumenta cõperi, quibus, assertio contraria, solidè demonstretur.

2. Quis enim non videat, quàm parum ista, inter se, cohæreant; præcepto quarto, Judæi jussi sunt, septimum, hoc est, ultimum, hebdomadæ diem, celebrare: Ergo propterea Christiani tenentur, ut unum aliquem, è septem, ad Dei cultum consecrent? Ut verò res ipsa sit illustrior, ea *quæ objectantur argumenta*, ordine expendemus.

Quorum *unum*, ex præcepti verbis: *reliqua*, aliunde sunt deducta.

3. *Primum* enim est; Sex dies operi, lege sunt concessi: Ergò necessariò Christianis, uno aliquo, è septem diebus, ad cultum Dei, quiescendum. Verùm infirma est consequentia: quia diversa omnino est, Christianorum, & Israëlitarum, ratio. Quamvis enim hisce, sex dies, operi fuerint concessi: illud tamen non absolutè & in perpetuum; sed relatè tantum, ad septimum atque ultimum hebdomadæ diem, quieti destinatum (&, post Christum, abolitum) spectat. Deinde factum illud est, non rei aliqua necessitate (ut Christianos etiam adstringeret) sed Dei, pædagogiam illam legis, veteri populo, ad tempus præscribentis, libertate, atque indulgentia. Potuisset enim plures, aut pauciores, quàm unicum hebdomadæ diem, quieti ac cultui suo, consecrare: & pauciores, vel plures, quàm sex, operi ipsorum, præscribere: sed populo querulo ac contumaci, & variis ceremoniis onusto, indulgens, sex humano operi concessit: unum verò tantùm, divino cultui secrevit. Ex quo speciali jure, atque erga Israëlitas, sub pædagogia legis constitutos, indulgentia, quomodo, jus commune, & generalis ratio, rectè deducetur? Hæc ad primum.

4. *Secundum* deinde *argumentum*, ab absurdo (uti putant) consequente, addunt hujusmodi; Si, ex vi & analogia hujus præcepti, non rectè colligatur, unum diem, è septem divino cultui, consecrandum: tum nullus certus, ex ullo præcepto divino, dierum numerus, aut circulus, limitari poterit: quum nullius alterius numeri, ullibi, in ullo alio præcepto, fiat mentio. Sed quid, obsecro, hac in re, est incommodi? Quamvis enim, certus aliquis dies, Christianæ Ecclesiæ, non sit præfinitus; cultus tamen publici, generatim, præcepto quarto, comprehensi ratio (ut supra declaravimus) postulat, ut non solùm *certi dies* (ordinis, & cultus melioris, gratia) observentur, sed etiam *sufficientes:* ne cultus rarior sit, quàm recta Ecclesiæ institutio ac salus, & Dei gloria, requirunt. Quod autem Deus, non definivit, ejus ordinandi, non vagam licentiam; sed piam ac prudentem libertatem (ea, quam exposui, conditione) permisit. Ac propterea inferri non potest, quòd vel quinquagesimum, vel centesimum, vel etiam millesimum quemque, liceat eligere. Ecquis enim, diem hujusmodi, ad publicum Dei cultum sufficere, unquam censuerit?

5. *Sufficientes* autem, quinam sint dies; etiam ex præcepto, de Sabbato, colligi potest: videlicet, ut sint, aut non rariores, aut paulò frequentiores, quàm Israëlitarum Sabbata: ut Dei, in eo præcepto dando, indulgentia ostendit. Quum enim Israëlitis, duræ cervicis hominibus, ac gravi festorum ac ceremoniarum aliarum, onere pressis, pro sua clementia, (ut antè monuimus) unum, è septem, suo cultui tantùm vendicarit; quomodo rariores, apud Christianos, ab illo jugo atque onere liberos suffecerint? Frequentiores verò, eadem de causa, esse posse (exempli gratia, tertio, quarto, quinto, aut sexto quoque die) quis non videat? Quod enim, ob peculiares causas, indulgenter ac remissius factum est, quin iis sublatis, arctius etiam fieri queat, quis jure dubitet? Atque hæc ad *secundum*.

6. *Tertium* denique *argumentum*, ab Apostolorum & Ecclesiæ Apostolicæ exemplo, petitum est hujusmodi; Apostoli & Ecclesia Apostolica, loco Sabbati, primum septimanæ, nempe diem Dominicum, invariatè observarunt. Ergo, ex vi præcepti, de septimo die sanctificando, unus, è septem, est ad cultum Dei observandus.

7. Verùm, neque Antecedens, est certum (ut postea distinctè ostendemus) neque firma consequentia. Nam licet, Ecclesiæ primitivæ consuetudine, unus, nempe primus, è septem diebus, Sabbati loco, sit observatus: illud tamen non necessitate præcepti, sed libertate prudenti, factum esse, paulò ante ostendimus. Quippe, aut unum, è septem, aut frequentiores dies, ad cultum Dei, licitum erat consecrare: *liberè* verò ac *prudenter*, proximum à Sabbato, delegerunt. *Liberè* quidem; quia neutrum erat, lege Dei, certò definitum: *prudenter* verò; ut ita, minori mutatione, Judæos minus offenderent: & inprimis, ut hoc monumento libero, resurrectionis Christi memoriam, singulis hebdomadis, illustrarent.

8. Quare, quum neque lege naturæ, neque Scripturæ testimoniis, neque solidis inde deductis argumentis, demonstretur, unum è septem diebus, perpetuo recursu, ex vi præcepti quarti, ad cultum Dei, necessariò observandum, propterea sententiam hanc minus verisimilem esse concludimus.

9. Atque hinc factum est, ut non pauci theologi insignes, quum in quarti præcepti explicatione ceremoniale ac temporale, à morali ac perpetuo, distinxerunt, septimi diei circumstantiam, à morali secreverint: ut vel ex hisce (inter cætera) testimoniis, apparet.

10. Sic enim *Simlerus*, ad Exod. 20. *Porro*, inquit, *hæc septimi diei definitio, res est ceremonialis, sive faciamus figuram æterni Sabbati, sive symbolum creationis. Quod dies una, cultui divino consecretur, ex lege naturæ est: quod autem hæc sit septima, non octava, aut nona, aut decima, est juris divini, sed ceremonialis.* Idemque ad Exod. 36. v. 21. *Mirum videtur, cur non licuerit Judæis, Sabbatum intermittere, tempore messis, necessitate id postulante, nobis autem liceat? Sed (ut in explicatione legis dictum est) longè arctior fuit observatio Sabbati, quàm ea, quæ fit in Novo fœdere. Illi tenebantur ad exactam Sabbati observationem: quia pædagogia Mosaica strictim exigebatur: at nos non tenemur hujusmodi ceremoniis. Id autem, quod SUBSTANTIALE est, ut CERTO TEMPORE sacri cœtus habeantur, in quibus colatur Deus, id nos obstringit, in Novo Testamento.*

11. Sic *Benedictus Aretius*, locis Commun. LV. loco, de Sabbato, *Christiani homines, hoc* (Sabbatum) *transtulerunt in diem Dominicum: Nam temporaneum sic fuit institutum, ut res semper maneret: temporis autem observatio mutaretur. RES Sabbati, erat refectio virium, & exercitium pietatis: illa manere debuere. TEMPUS autem, hoc est, UT SEPTIMO DIE observetur, hoc non fuit necessarium, in Ecclesia Christi.*

12. *D. Pareus* similiter, ad Rom. 14. dub. 4. *Cujus*, (inquit) *præcepti SPECIES quidem, seu circumstantia, DE SEPTIMO DIE SANCTIFICANDO, in creationis memoriam, ceremonialis ac typica, cum umbris reliquis abolita est, Christi adventu: GENUS verò, MORALE est, ab initio mundi; ut videlicet aliquod Sabbatum servetur: hoc est, aliquod tempus tribuatur, concionibus, precibus, & liturgiis publicis. Ratio patet, ex fine præcepti perpetuo & necessario: qui est, publica Dei celebratio, seu conservatio & usus, ministerii Ecclesiastici. At publica Dei celebratio & sanctificatio, servari non potest, nisi stata sint tempora, publicis Ecclesiæ congressibus, & quieti à laboribus servilibus, dicata.*

CAP. VI.

De Dominici diei institutione atque origine.

1. CÆterum, ut responsionis, ad tertium argumentum, allatæ veritas, illustretur ac confirmetur amplius; paucis, de *Dominici diei institutione* atque *origine*, disseremus. Quidam enim eum certò ab Apostolis, in locum Sabbati ad cultum Dei institutum affirmant: alii verò hoc certum esse negant. Quorum verisimilior sententia, inde apparet, quod contraria assertio, Sacrarum Literarum (quæ, omnia cultus Dei præcepta, perfectè complectuntur) auctoritate, destituatur: ut ex sequenti examine, constabit. Quum enim in universum, *tria* tantùm Scripturæ *testimonia*, ad Apostolicam Dominici diei institutionem, adferantur; nullum eorum, certitudinem illius rei, evincit.

2. *Primum* enim est Lucæ, Actor. 20. 7. ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *quum Discipuli convenissent ad frangendum panem.*

Sed

Sed inde, certò non probatur, diem Dominicum, ad cultum Dei, ab Apostolis institutum. Quod ut luculentius appareat, quædam de orationis hujus *constructione* & *vocum usu*, præmittenda.

3. Nam, (quod vulgò notissimum) *in constructione*, certa hîc est ellipsis, τῇ μιᾷ, pro τῇ μιᾷ ἡμέρᾳ, ut Luc. 20. 1. ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν· ut in similibus τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, Matth. 26. 17. pro quo, integrè Marc. 14. vers. 12. τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων· ut Actor. 16. 11. τῇ ἐπιούσῃ pro τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ· & Matt. 28. 1. τῇ ἐπιφωσκούσῃ. Deinde est etiam enallage pluralis, pro singulari, consueta, ut cap. 1. ostendimus, in voce σαββάτων, pro σαββάτου, ut circumstantia hujus loci evincit.

4. Ad usum *vocum*, quod attinet, certum etiam est, *primò* μίαν accipi solere, vel propriè, vel impropriè. *Propriè*; ut unum notet: & quidem, vel *absolutè*, ut *unus dies*, 1. Cor. 10. 8. vel *relatè*, unum è pluribus, seu unum quempiam, quendam: ut Luc. 5. 17. ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, *uno die*, ut Vulgata versio ad verbum reddit: id est, quodam die: ut rectè alii interpretantur. *Deinde*, per catachresin Hebraicam, unus, pro primo usurpatur: ut Joh. 20. v. 1. μιᾷ τῶν σαββάτων *primo Sabbati*.

5. Ad vocem verò *Sabbati*, quod attinet, certum est, & cap. 1. à nobis perspicuè probatum, inter cætera, diem septimum septimanæ: aut septimanam, denotare. Quibus jam præmissis, consequentiæ indicata infirmitas, clarius elucebit.

6. Nam Lucas Actor. 20. loquitur, de uno Sabbati die: Conclusio, die primo die septimanæ. Neque consequens est, si una Sabbati, in historia resurrectionis, Luc. 24. 1. impropria locutione, de prima hebdomadis, rectè exponatur: idem hic fieri oportere. Quia alia est prorsus ratio. Nam hanc interpretationem (qua, à propria significatione vocum receditur) historiæ resurrectionis veritas, necessariò exigit: quia Christus, non die Sabbati, sed primo hebdomadis, resurrexit. Hic verò Actor. 20. nulla ratio necessaria adferri potest, cur impropriam illam vocum, unius, pro primo: & Sabbati, pro hebdomade, significationem, admittere oporteat.

7. Diei verò septimo optimè convenit, sive voces, sive rem ipsam, consideremus. Ideoque minus recta est quorundam licentia, qui, *Primo autem die hebdomadis*, hoc in loco transferentes, latiorem vocum significationem, permutatione paraphrastica, minimè necessaria, opinioni suæ servientes, in angustias redegerunt.

8. Nec enim uno tantùm modo, vox *unus* (ut ab adversa parte factum) accipi potest, sed tribus. Ac *primus* est, qui, ab eruditissimis, quibusdam theologis, adfertur: ut unum aliquem, seu quendam, notet. Atque ita interpretatus est *Erasmus*; *Uno autem die Sabbatorum*: & in Paraphrasi sua exponit; *Quodam die Sabbatorum*. Et *Conradus Pellicanus* theologus Tigurinus, in suis ad hunc locum, commentariis ait: *Una autem Sabbati*) *Quodam die Sabbatorum*. Hos secutus *Calvinus*, ad eum locum sic ait: *Uno autem die*) *vel primum diem hebdomadis*; *proximum Sabbato intelligit*, *vel unum quodpiam Sabbatum*. *Quod posterius mihi videtur magis probabile. Nam dies ille, ad conventum habendum, ex more, aptior fuit.* Denique *Henricus Bullingerus*, commentariis in Actor. 20. ait; *Uno autem die Sabbatorum*, &c. *Ad disciplinam Ecclesiasticam pertinet, quòd Sabbatorum die conveniunt, quod prædicationem audiunt, & panem frangunt.* VIDENTUR *autem hæc Dominica die esse gesta, & una Sabbatorum (ut & Euangelica historia & 1. Cor. 16.) positum esse, pro prima.* Quibus satis ostendit, bifariam hunc locum, exponi posse, & id quod probat, non esse rem certam, sed probabilem videri.

9. Verùm, adversus hanc primam expositionem, tria opponuntur impedimenta. Quorum *primum* est, quod adjunctus articulus declaret, hanc particulam τῇ μιᾷ, indefinitè accipi non posse, pro quodam die; sed definitè. Verùm hoc non est perpetuum: quia articulus ille, interdum redundat: ut Beza, qui primus videtur hoc argumentum, Actor. 20. 7. proposuisse, ipsemet, in Annotationibus ad Roman. 5. 15. dissolvit, quum ad ista verba, οἱ πολλοὶ *multi*, ait; *Redundat autem articulus* οἱ, *ut* 1. *Cor.* 9. 19. & 2. *Cor.* 2. 6. & 9. 2.

10. *Alterum* ejusdem argumentum est, *quòd* μία σαββάτων, *pro* σαββάτων τινί (uno Sabbatorum, pro quodam Sabbato) *nusquam invenias*. Sed & illud, ab eodem, reipsa diluitur: ut qui Luc. 5. 17. & 8. 22. & 20. 1. ἐν μιᾷ ἡμερῶν *quodam die*, rectè interpretatur. Nam vocis σαββάτων mutatio, nihil omnino, de vocis μίαν significatione, immutat. Quocirca, qui hunc auctorem, in priori argumento sequuntur, prudenter hanc rationem prætereunt. Quare, quod ille concludit; *Primus itaque dies hebdomadis, hic omnino intelligitur is, quem Dominicum vocamus*, eversis jam duobus illis, quibus innititur, rationibus, perstare non potest. Ideoque non est, cur opposita, gravissimi viri, sententia, hac in re moveamur: quum argumentis illius, pondus deesse, ex hisce constet.

11. *Tertium* denique, quod objicitur, est, quod res ipsa hanc expositionem non ferat. Quum enim Paulus, septem tantùm dies, Troade commoratus sit, Actor. 20. 6. rectè dici non posse quòd quodam die Sabbati, disserverit. Verùm, neque ea consequentia, est necessaria. Nam licet initio, unus, id est quidam, dies, indefinitè dicatur, additione tamen vocis Sabbati, & discessus Pauli mentione, definitur. Quid ni enim sensus esse possit; Quodam die (nempe ex illis septem, quorum meminerat) Sabbati: hoc est (per Appositionem Grammaticam) qui Sabbatum fuit? Quotus verò fuerit dies, adventus Pauli, discessus descriptione, indicatur. Quum enim septem tantùm dies Troade hæserit, & iis elapsis, discesserit, certum est, septimum fuisse diem. Quare tria ista, quæ objecta sunt argumenta: primum illum expositionis modum (quo unum, pro uno quopiam, seu quodam: & Sabbatum, pro septimo hebdomadis die, accipitur) nequaquam destruunt.

12. Veruntamen, præter eam Erasmi, Calvini, aliorumque insignium Theologorum, expositionem probabilem; *aliæ* præterea *interpretationes*, exceptionibus minus obnoxiæ, sese offerunt: licet vulgò (quantum quidem potui observare) intactæ.

13. *Prima* est, ut vox μιᾷ absolutè, & articulus τῇ definitè accipiatur. Nempe; Uno illo (die) Sabbati. Quum enim septem tantùm, præsentiæ Pauli, fuerint dies: unus tantum, fuit Sabbatum, quo, Discipuli convenisse, & Paulus disseruisse, dicitur: pridie scilicet discessus.

14. *Altera* est, si *unus*, pro primo, usurpetur. Ac sensus erit; Primo illo die Sabbati (seu Sabbato, per Appositionem) qui scilicet, in septem illis diebus, mansionis Pauli, occurrit. Atque ita cognoscitur Paulum, primo hebdomadis venisse, & postquam septimo die, nempe Sabbati, docuisset, primo rursus hebdomadis discessisse. Quid quæso hic est, aut in verbis, aut in re, quod minus accuratè consentiat?

15. Huc accedit, quod nulla in Actis, à capite ad calcem, appareant cultus Dei, à Sabbato, in primum hebdomadæ, translati vestigia. Sabbatis verò ordinariè ac peculiariter, convenisse Apostolos atque Ecclesiam, historia Actorum demonstrat: ideoque non est mirum, si hunc etiam locum, servata propria vocis Sabbati significatione, reliquis omnibus consentaneè, exponamus.

16. Qua de re memorabilis est, celebrium illorum quatuor theologorum, consensus, Centuria Ecclesiastica prima, libro 2. cap. 6. *Apostoli*, inquiunt, *& alii Christiani, ut aliis rebus adiaphoris, ita etiam festis, liberè usi sunt, juxta regulam, Col. 2. Nemo vos judicet, in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Novilunii, aut Sabbatorum. Unde diei Sabbati observati, etiam à Paulo, & aliis, passim in Actis, fit mentio. Nam Actor. 13. Paulus & Barnabas, ingressi in synagogam, die Sabbatorum, dicuntur. Ibidem gentes rogant, ut sequenti Sabbato, sibi loquerentur sermonem. Et Paulus & Silas, die Sabbatorum, egressi sunt civitatem ad flumen, Actor. 16. & Thessalonicæ, per tria Sabbata disseruit Paulus (Actor. 17.) Et fratres uno Sabbatorum, ad frangendum panem convenisse, dicuntur, Actor. 20.* Quare jam satis liquere existimo, hunc locum Act. 20. diei Dominici ab Apostolis institutionem, minimè demonstrare.

17. Veruntamen, ut eò abundantius, veritas innotescat, age,

age, quid si hoc loco, *uno Sabbatorum*, primum hebdomadæ necessariò denotaret, an propterea hunc diem, peculiariter, ad cultum Dei, in Sabbati locum, ab Apostolis institutum, necessariò consequetur? Minimè verò. Primùm enim, quum fractio panis, alia sit communis, Actor. 27. vers. 35. alia religiosa ac sacra, in Cœnæ Dominicæ administratione, Actor. 2. vers. 42. Quid obsecro vetat, quominus hic, non de sacra, sed communi fidelium Cœna, intelligamus? Certum enim est, in Ecclesia Apostolica, communionis & dilectionis mutuæ gratia, Cœnas hujusmodi fuisse usitatas: quæ propterea ἀγάπαι dictæ. Sicut in Epist. Judæ versu 12. *Hi sunt macularum instar, in Agapis vestris, dum vobiscum convivantur, absque ullius metu, sese pascentes.*

18. Et sanè, Paulum videmus, ad mediam noctem, discessus sui occasione, vers. 7. differuisse jejunum, ac tum demum panem fregisse ac gustasse, & ad auroram cum Discipulis collocutum, vers. 11. Quæ Agapæ ac viatoriæ ipsius Cœnæ, probè conveniunt. Huc spectat illa *Cajetani* ad hunc locum sententia: *Ad frangendum panem) Incertum est, an de pane sacramentali, an de pane communi, sit sermo. Dies Dominicus innuit, quòd de Sacramento, est sermo: veruntamen quia paulò inferius, panis communis, eisdem verbis, significatur (dicendo; frangensque panem & gustans) ambiguitas nonnulla oritur.*

19. Denique etiamsi dies ille fuisset, hebdomadis primus, & Cœna Domini intelligeretur, an propterea sequitur necessariò, diem illum ordinariè, ad Dei cultum, in Sabbati locum, ab Apostolis substitutum, atque observatum? Atqui quum Paulus, otium non ageret, sed Euangelio prædicando, ubi collecta erat fidelium Ecclesia, quotidie docuerit, ut Actor. 19. vers. 9. an negligentiorem fuisse, septem illis diebus Troade, statuemus? aut qua ratione, tantùm sacro quietis die, Cœnam Domini celebratam, probabitur? Nonne & Ecclesia Hierosolymitana quotidie, eam celebrasse, fertur, Actor. 2. vers. 42. cum 46. Ac nonne posteris etiam temporibus, idem, in multis Ecclesiis, observatum?

20. Qua de re *Augustinus, epistola* 118. *ad Januarium*, cap. 2. *Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi dies nullus intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm, & Dominico: & si quid aliud hujusmodi, animadverti potest, totum hoc genus rerum, liberas habet observationes.* Et *Socrates*, historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 21. *Porro*, inquit, *de synaxi, varia consuetudines sunt. Nam quanquam omnes, ubique in orbe terrarum, singulis septimanis vertentibus, die Sabbati, mysteria celebrant; Alexandrini tamen, & Romani, ex antiqua consuetudine, istud facere renuunt.* Eademque, Socratem secutus *Sozomenus*, historiæ Eccles. lib. 7. cap. 19. & *Nicephorus* (Socratis, hac etiam in re, compilator) Eccl. hist. lib. 12. cap. 34. tradiderunt.

21. Quare in quamcunque partem, locus Act. 20. vertatur, inde tamen, ea, quæ obtenditur, Dominici Diei, ab Apostolis, institutio, nullo modo demonstratur. Quemadmodum neque ex reliquis.

22. *Secundus* enim extat 1. Corinth. 16. 1. & 2. *Porro de collecta, in sanctos, quemadmodum ordinavi* (διέταξα) *Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Primo quoque* (die) *hebdomadis unusquisque vestrûm, apud se reponat, recondens, quod pro Dei benignitate licuerit: ne quum venero, tum collectæ fiant.* Ergo dies primus septimanæ, ab Apostolo, Sabbatis est substitutus, & Ecclesiis commendatus. Verum neque antecedens certum, neque consequentia firma.

23. *Antecedens non est certum*, quia verba illa κατὰ μίαν σαββάτων non pro vocum amplitudine, sed pro interpretis opinione, angustius, citraque ullam necessitatem, minus rectè restringuntur. Quod idem vitium, Actor. 20. commissum esse, ex supra dictis constat.

24. Nam præter illam interpretationem, quæ in Antecedenti objectione ponitur, nempe, *Primo quoque die hebdomadis*: aliæ, pro varia vocum significatione, & quidem aptiores, à doctissimis quibusdam theologis proponuntur. Quarum *prima* est, ut κατὰ sumatur pro ἐν *in*, ut Matt. 1. 20. κατ᾽ ὄναρ *in somno*: ac κατὰ μίαν σαββάτων, in uno quopiam septimanæ cujusque: ut Luc. 18. v. 12. *jejuno, bis in Sabbato*: nempe unoquoque. Atque ita exponit *Nicolaus Hemmingius*, in commentariis suis; *In uno* (inquit) *Sabbatorum &c. modum, seponendæ eleëmosynæ, exponit. Vult, ut quilibet, certum diem, in septimana, constituat: in quo, apud se seponat, quod irrogaturus est, in pauperes.*

25. *Altera* est, ut vox κατὰ, distributivè intelligatur: ut καθ᾽ ἕνα pro καθ᾽ ἕκαστον usitatum est: & καθ᾽ ἡμέραν Heb. 7. 27. pro καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν *unoquoque die*, Hebr. 13. 3. sic κατὰ μίαν σαββάτων *unoquoque* (die) *Sabbati*: seu singulis Sabbatis. In quam sententiam (præmissa alia minus apta) propendet *Calvinus* ad 1. Corinth. 16. *Particulam* (inquit) *hanc* κατὰ μίαν σαββάτων *exponit Chrysostomus; Primo Sabbati: cui ego non assentior. Potius enim significat Paulus, ut conferat hic, uno Sabbato; alius, alio: aut etiam, singuli unoquoque Sabbato.* Et institutionum lib. 2. cap. 8. Numer. 33. idem ait; *Siquidem in Ecclesiis ab eo institutis, Sabbatum in hunc usum retinebatur. Illum enim diem præscribit Corinthiis, quo symbola, ad sublevandos Hierosolymitanos fratres, colligantur.*

26. Sic *Victorinus Strigelius*, Hypomnematis in 1. Cor. 16. ait, *in una*, κατὰ μίαν, *id est, singulis Sabbatis*, *Euclides in prima definitione lib. 6.* ὅμοια σχήματα εὐθύγραμμά ἐστι, ὅσα τὰς τε γωνίας ἴσας ἔχει κατὰ μίαν. *Id est, figura rectarum linearum similes ea sunt, quæ angulos singulos (singulis) æquales habent.* Similiter *Ægid. Hunnius*, ad eundem locum; *In una Sabbatorum) Rationem & modum ostendit, faciendæ collectæ, jubens quemque, de suis pecuniis, in usum fratrum, tantum erogare, quantum cuique videatur; idque in communem fiscum recondere. Quod vult fieri, diebus Sabbatorum.*

27. Denique *Benedictus Aretius*, in commentariis ad eandem sententiam Pauli ait; Sunt qui, κατὰ μίαν σαββάτων, vertunt, *per singula Sabbata. Nec malus est sensus: quum certum sit, Ecclesiam Christi, diu mores illos Judaicos observasse. Sed est alter quoque sensus, quo μίαν, pro πρώτην explicatur.* Quare ex hisce abundè constare potest, *Antecedens* objecti enthymematis *non esse certum*: imo alias interpretationes, magis idoneas: ideoque sententiam consequentem, quæ illi probandæ adfertur, ex eo minimè confirmari.

28. Deinde *consequentia* quoque (seu consequentis, cum Antecedente, connexio) *infirma* est. Nam quamvis Antecedens esset verum, & primus hebdomadæ dies, intelligeretur; ex eo tamen, non necessariò sequeretur, diem illum ad cultum Dei, ab Apostolis institutum.

29. *Primò*, quia hoc Pauli statutum, non universale est, (quasi omnibus Christianis, omnique tempore, esset præscriptum) sed particulare: nec ad Judæos, sed ad Gentiles, & quidem illius tantùm temporis: neque enim ad omnes illos, sed ad Corinthios, communi cum Galatis ratione, pertinens. Nam Antiocheni, ea in collecta, ultro officium fecerant: ut Actor. 11. 29, 30. asseritur; *Singuli autem discipulorum*, καθὼς ηὐπορεῖτό τις, *prout cuique suppetebat* (cum quo convenit illud, ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, 1. Corinth. 16. quod vero quidem sensu, ut Deut. 16. 17. sed laxiore paraphrasi, in objectione proposita, versum) *decreverunt subsidio mittere fratribus habitantibus in Judæa. Quod & fecerunt, mittentes ad Seniores, per manum Barnabæ & Pauli.*

30. *Secundò* consequentia etiam idcirco infirma est, quia res, ab Apostolo, hic statuta, non ad quartum Decalogi præceptum, ac publicum Dei cultum; sed ad octavum, & charitatis fraternæ, in pauperibus, facultatum communicatione, sublevandis, officium spectat. Unde ad Ephesios cap. 4. vers. 28. ita furto opponitur; *Qui furabatur, non amplius furetur, sed potius laboret, operando manibus, quod bonum sit, ut possit impertiri, cui opus fuerit.*

31. Et huic eleëmosynæ commodè colligendæ, non religionem, sed ordinem tantùm, præscribit Apostolus: ut unusquisque, statuto illo hebdomadis die, pro facultatum acceptarum ratione, paulatim aliquid reponat: & quidem non publicè, in Ecclesiæ conventu (ut nonnulli opinantur) sed privatim in ædibus suis. Quia versu 2. ait; *Reponat apud se, & recondat.* Quæ verba *Chrysostomus* rectè considerans ait; *Non dixit, ferat in Ecclesiam, ne propter paucitatem erube-*

erubescant: sed quum, collectionibus, quæ paulatim fiunt, auxerit collationem, quum accessero, tunc ostendet. Interim, inquit, apud te repone, & domum tuam, fac Ecclesiam: arculam, gazophylacium. Hæc ille: unde satis constat, hanc eleëmosynam, prorsus differre ab ea, quæ in publico Ecclesiæ cœtu, ex amore & more perpetuo, confertur. Quare frustra hoc argumentum, objectatum: ac citius (ni fallor) aquam è pumice, exprimere posse videaris, quàm solida ratiocinatione, ex his Apostoli verbis, diei Dominici, ad cultum Dei, institutio, concludatur.

32. Neque *tertium* ac postremum *argumentum* (licet palmarium censeatur) quicquam evincit. Sic enim disputare solent, Apoc. 1. 10. dicit Johannes; *Fui spiritu correptus, die Dominico.* Ergo dies Dominicus; seu primus hebdomadis, ab Apostolis, ad cultum Dei, fuit institutus. Verùm infirma est, multis de causis, consequentia.

33. *Primò*, quia certum non est (quod, quasi certum, statuitur) diem Dominicum, Apostolo denotare, diem resurrectionis Domini: seu primum hebdomadæ: quum talis significatio, nusquam alibi, in Sacris Literis, occurrat. Usus enim Scripturæ perpetuus est, ut dies Domini (qui, notissimo Hebraismo, nihil aliud est, quàm dies Dominicus) diem adventus, seu apparitionis Domini, significet.

34. Ut enim Amos 5. vers. 18. *Væ desiderantibus diem Iehovæ: quorsum vobis dies Iehovæ: quum sit tenebrarum, non autem lucis?* ut inquam, hoc loco, dies Jehovæ est, quo se patefecit, luce exspectata, seu gratia ac beneficiis, vel tenebris seu pœnis: sic dies Domini, hoc est, Christi dies adventus & apparitionis exponitur, Malach. 3. vers. 1, 2. *Veniet* (inquit) *in templum suum Dominus &c. Quis autem sustineat diem adventus ejus: aut quis consistat, quum apparuerit.* Et Johan. 8. vers. 56. *Abraham gestivit, ut videret diem meum:* diem scilicet nativitatis: quo assumpto semine Abrahæ, Hebr. 2. vers. 16. patefactus est in carne, 1. Tim. 3. vers. 16. quæ, magni gaudii, materia, Luc. 2. vers. 10. Si quis verò hîc diem impropriè, pro tempore accipere malit: vis eadem locutionis, nihilominus permanebit: tempus nempe, quo apparuit in carne, & miraculis Sic 1. Corinth. 5. 5. *Ut spiritus salvus sit, in die Domini:* quo scilicet apparebit, ad judicium.

35. Ideoque mirandum non est, *si qui*, Scripturæ usum secuti, diem Dominicum, Apocal. 1. de die apparitionis Domini (aut in carne: ut dies natalis intelligatur: aut in specie, qua peculiari atque illustri visione, Johanni se patefecit, & futurum Ecclesiæ statum revelavit) interpretentur.

36. Nam quod à Beza in Annotationibus, ad hunc locum, objicitur, (& secundæ expositioni opponi potest) *diei circumstantia pertinere solet, ad fidem narrationi faciendam, ut Ezech. 1. 1. & 8. 1.* verum quidem est, quando diei, mensis, & anni, fit mentio, ut in prolatis Ezechielis sententiis: sed diei primi, è septem, expressio (qualem interpretantur) nihil, ad narrationis certitudinem, conducit. Neque etiam certa temporis distinctio, in Apocalypsi occurrit. Nam hoc loco ostenditur quomodo, die Dominico, seu apparitionis Domini, fuerit comparatus: nempe, quod spiritu fuerit correptus: eoque non corporis, sed mentis oculis viderit: nec corporis aure, sed spiritus, dicta illius perceperit. Sic in sequentibus cap. 4. 1. & 5. 1. & 6. 1. &c. eodem sensu videndi voce (Prophetarum more) & omissa temporis circumstantia, describit. Sin verò diem Domini natalem, intelligamus, aliquanto expressior erit temporis circumstantia, quam si, primus hebdomadis, diceretur: licet, propter anni & mensis omissionem, esset imperfecta.

37. *Secundo* quamvis etiam dies dominicus, hoc in loco, diem resurrectionis Domini, denotaret, an inde necessariò statui posset, non annuum ac solennem resurrectionis Domini diem: sed primum hebdomadæ, intelligendum? Nam quòd ea quæ post Apostolos viguit Ecclesia, hanc phrasin, hoc sensu usurparit, illud interpretationi Johannis, legem non constituit. Quia appellationum, in usum diversum, commutationem accidere potuisse, & Paschatis, & Pentecostes, nomina (quæ alio sensu, in scriptis Apostolorum: alio, in consecutæ Ecclesiæ scriptis, usurpantur) demonstrant.

38. Neque veterum quorundam testimonia certam fidem faciunt, quum diem Dominicum, ab Apostolis sacratum, tradunt: quia idem, de Paschatis festo, maxima contentione ac superstitione, asseruerunt: ut, ex Socrate, in fine hujus scripti, constabit.

39. Ac sanè, si diei Dominici, pro die resurrectionis Domini, seu primo hebdomadis, appellatio, ab Apostolis promanasset, eaque in Ecclesia omnino fuisset recepta, an credibile est, potuisse fieri, ut *Iustinus Martyr*, antiquissimus atque incorruptus scriptor, eâ (in accurata rituum illius descriptione) omissâ, Solis diem, aut unam Sabbatorum, aut primam hebdomadis, tantummodo nominaret? Quemadmodum, in *Apologia, pro Christianis*, ait; *Solis autem die, communiter omnes conventum agimus: quandoquidem is primus dies, quo Deus, tenebris & materia versis, mundum effecit, & Iesus Christus Servator noster, eo ipso die, à mortuis resurrexit. Pridie enim diei Saturni, ille in crucem actus est, & postridie ejusdem, qui scilicet Solis est dies, Apostolis & discipulis suis apparuit.* Sic, in *Dialogo cum Tryphone Iudæo*, ait; *Circumcisi sumus ab errore & pravitate, per eum, qui à mortuis resurrexit, una Sabbatorum die, Iesum Christum Dominum nostrum. Una enim Sabbatorum, prima manens dierum omnium, juxta numerum, spatiis rursum dierum omnium, in circulum decursis, octava vocatur, & prima, sicut est, manet.*

40. Quare ex Apoc. 1. certò demonstrari non potest, primum hebdomadis diem, ab Apostolis, ad cultum Dei institutum. Idque satis ingenuè, etiam ab iis, qui Ap. 1. primum hebdomadis, notari putant, agnoscitur, qui consuetudinem Ecclesiæ, aut etiam Apostolorum, non autem, mandatum agnoscunt. Ut *primùm* ex *Bullingero* constat, qui ad Apocal. 1. *Ecclesiæ consuetudinem*, vocat: & postea subjicit; *Sponte verò Ecclesiæ, receperunt illam diem: non legimus eam ullibi præceptam. Ac Ecclesiæ viderunt, omnino necessarium esse, certum tempus, in quo conveniant sancti: delegerunt ergo diem resurrectionis: neque de his odiosius contenderunt, inter se, ut, postea factum in Ecclesia, testantur historiæ.*

41. Sic etiam *Ursinus* tom. 1. in expos. decalogi; *Quum igitur* (inquit) *non minus alio die, meditatio ac celebratio, operum Dei possit fieri, quàm septimo, sicut initio, propter causam accommodatam primis temporibus, designavit Deus ministerio diem septimum: sic deinde, propter causam accommodatam, exhibiti Messiæ temporibus, legem eam abrogavit, & LIBERUM ECCLESIÆ reliquit alios dies eligere. Qua, propter causam PROBABILEM, delegit diem primum, quo facta est Christi resuscitatio, per quam spirituale & æternum Sabbatum in nobis inchoatur.*

42. Similiter *Aretius* in Locis De Sabbato ait; *Christiani homines hoc* (Sabbatum) *transtulerunt, in diem Dominicum &c. Christiani igitur, in diem Dominicum mutarunt.*

43. Et *Zanchius*, de operibus Redemptionis lib. 1. ad 4. præceptum. *Ita constat* (inquit) *hunc diem, & ex traditione Apostolica esse, & optimo jure, ab Ecclesia retentum, & sanctificatum fuisse, in hunc usque diem. Sed tertio adjicimus, sine ulla conscientiarum obligatione, fuisse hunc diem, cultui divino definitum. Hoc liquet è Sacris Literis. Nullibi enim legimus Apostolos, hoc cuipiam mandasse, tantùm legimus, quid soliti fuerint facere Apostoli; & fideles, in illo die: liberum igitur reliquerunt. Accedit quòd Apostolus ad Galat. 4. & ad Colos. 2. non vult servari, à fidelibus, præcepta Dei, de Sabbatis, alisque festis Mosaicis: quia nolebat fidelium conscientias, illis præceptis obstringi. Quanto minus igitur voluerunt Apostoli, obstringi conscientias, sanctificando diei Dominico: quod nullum habet Domini mandatum. Liberum igitur est istud etiam tempus, hoc est, nullius obligans conscientiam, sed ita tamen liberum, ut omnino ipse dies sanctificandus sit, nisi charitas aliud postulet.*

44. *Simlerus* etiam, ad Exod. 20. contra diei Dominici contemptores; *Nimium*, inquit, *sibi tribuere videntur qui tam temerè & contentiosè, consuetudinem Apostolorum tempore receptam, non pugnantem cum Sacris Literis, rejiciunt.*

45. D. Pa-

45. *D. Pareus* ad Genes. 2. *Pro sua igitur libertate* (inquit) *Ecclesia Apostolica Sabbatum diei septimi, mutavit in Sabbatum primi, &c. Quomodo facta sit hac mutatio, in Sacris Literis expressum non habemus. In Apocalypsi, fit Dominica diei mentio: & 1. Corinth. 16. Apostolus jubet, primo die septimana convenire, & facere collectam Corinthios.* VIDETUR *huic esse* APOSTOLICA OBSERVATIO.

46. *Johannes Cuchlinus*, in thesibus p. 733. *Consuetudinem quidem Apostolicam fuisse, ut primo die septimana, conventus suos, Christiani agerent, non inficiamur: sed ipsos, necessitate ulla, aut cultus opinione, ad hujus diei observationem, constrictos aut obligatos fuisse, aut etiam, Apostolos praeceptum reliquisse, constanter negamus.*

47. Utque Bucerum Matth. 12. & Aretium ad 1. Corinth. 16. & Apocal. 1. omittamus, memorabilis est Calvini declaratio Institut. libr. 2. cap. 8. Num. 34. *Quanquam*, inquit, *non sine delectu, Dominicum, quem vocamus, diem* VETERES, *in locum Sabbati subrogarunt. Nam quum vera illius quietis, quam vetus Sabbatum adumbrabat, in resurrectione Domini, finis sit ac complementum, ipso die, qui umbris finem attulit, admonentur Christiani, ne umbratili ceremonia, inhæreant.* NEQUE SIC TAMEN SEPTENARIUM NUMERUM MOROR, UT EJUS SERVITUTI ECCLESIAM ASTRINGAM: *neque enim Ecclesias damnavero, qua alios conventibus suis, solennes dies habeant, modò à superstitione absint. Quod erit, si ad solam observationem disciplina & ordinis bene compositi, referantur.*

48. Ac *Thomas Aquinas* 22æ quæst. 122. ad quartum ait; *Observantia diei Dominica, in nova lege, succedit observantia Sabbati,* NON EX VI PRÆCEPTI LEGIS; *sed ex* CONSTITUTIONE ECCLESIÆ, & CONSUETUDINE *populi Christiani. Nec enim hujusmodi observatio, est figuralis, sicut fuit observatio Sabbati, in veteri lege. Et ideo, non est ita arcta prohibitio operandi, in die Dominica, sicut in die Sabbati. Sed quadam opera conceduntur in die Dominica, qua in die Sabbati, prohibebantur: sicut decoctio ciborum & similia.*

49. Quamobrem, omnibus hisce rectè perpensis, liquere satis arbitror, certum non esse, diem Dominicum, seu primum hebdomadis, ab Apostolis, ad cultum Dei, institutum: observandum tamen ad publicum Dei cultum, ex generali, præcepti quarti decalogi, sententia, nec posse violari, sine religionis læsione ac scandalo indigno, ex iis quæ supra proposuimus apparet. Hactenus de *Sabbati sententia* atque *origine*. Faxit autem Deus, ut omnes spirituale Sabbatum colamus: & publicum cultus divini diem, ab omni, cùm profanatione, tum superstitione vacuum, sanctè celebremus. AMEN.

APPENDIX

DISSERTATIONIS SOCRATIS DE FESTIS ET RITIBUS ECCLESIARUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ lib. V. cap. XXI. Editionis Grynæi.

HOc loco, mea quidem sententia, opportunum tempus sese offert, pauca *de paschate* disserendi. Neque veteres certè [a], neque recentes, hi qui Judæorum consuetudinem imitari contendunt, satis justam causam (si quid ego judico) habuerunt, cur tantopere de hoc festo digladiarentur. Neque præterea illud, cum animis considerarunt, quando religio Judaica, erat in Christianam commutata, accuratas illas Mosaicæ Legis observationes, & rerum futurarum figuras, penitus evanuisse. Cujus rei argumentum certissimum, inde capi potest, quòd *nulla lex, à Christo condita, Christianis fecit potestatem, ritus Judaicos observandi:* Imo verò *contrà Apostolus, illud planè vetuit*, dum non modò circumcisionem abrogabat; verùm etiam hortabatur, uti de festis nulla fieret dissensio. Quapropter, ad Galatas scribens, sic ait; *dicite mihi, qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis* [b]? Ac cum pauca, de hac re, disseruerit, populum Judaicum, servum esse ostendit; eosque in libertatem vocatos, qui ad Christum accesserant: admonetque ut dies, menses, & anni minimè observentur. Quinetiam ad Colossenses [c] clara voce pronuntiat, observationes eorum, *umbram* esse: & & propterea dicit; *Nemo vos judicet, in cibo, aut in potu, aut in parte festi, aut Neomenia, aut Sabbatis: qua sunt umbra futurorum.* Itemque in epistola ad Hebræos, eadem confirmat, dicens [d]; *Translato sacerdotio, necesse est, ut Legis translatio fiat.* Itaque neque Apostolus, neque Euangelia ipsa, jugum servitutis, his qui ad doctrinam Christi se contulerint, omnino imponunt; sed *festum Paschatis aliaque festa, libero aquoque judicio* eorum, qui in illis diebus beneficia acceperant, *recolenda reliquerunt.* Unde [e], quoniam homines festa amplectuntur, quò se, à laborum contentione, relaxent, idcirco illis diebus singuli, in singulis locis, *pro arbitratu*, memoriam salutaris passionis, ex quadam consuetudine, celebrant. Nam *neque servator, neque Apostoli, illud observandum, lege aliqua, praceperunt:* neque mulctam, aut supplicium (sicut Lex Mosaica Judæis) vel Euangelia, vel Apostoli, nobis minati sunt: sed solùm, quo res gestæ (tum ad gravem reprehensionem Judæorum, quòd in diebus festis, se cæde & sanguine polluerunt: tum ad declarandum, quòd servator, tempore azymorum, passus sit) verè narrentur, in Euangeliis [f], de hoc festo, mentio facta est. *Atque Apostolis propositum fuit, non ut leges, de festis diebus celebrandis, sancirent*; sed ut rectè vivendi rationis, & pietatis, nobis auctores essent. Mihi quidem certè videtur, *sicut alia res multa, in locis quibusque ex more quodam, introducta fuerunt; ita festum Paschatis, ex quadam consuetudine, apud singulos populos, observationem privatam habuisse: propterea quod nemo ex Apostolis, legem de eo, ut dixi, cuiquam edidit.* Et quòd ex consuetudine potius, quàm ex lege, ab antiquis temporibus, observari cœptum sit, *rerum eventa* perspicuè declarant. Plerique namque in Asia minore antiquitus, decimo quarto die mensis, nulla ratione diei Sabbati habita, hoc festum observarunt. Quod dum faciebant, cum aliis, qui aliam rationem, id eodem festo agendo, sequebantur, usque eò nequaquam dissenserunt, quoad *Victor, episcopus Romanus*, supra modum iracundia inflammatus, omnes in Asia, qui erant τεσσαρεσκαιδεκατῖται appellati, id est, qui decimo quarto die mensis, Pascha celebrabant, excommunicaverit. Ob quod factum, *Irenaus* episcopus Lugduni, urbis Galliæ, *in Victorem*, per epistolam, *graviter invectus est*, tum æstum iracundiæ illius incusando: tum docendo, quod veteres, qui in illius festi observatione, inter ipsos discrepabant, minimè fuere communione sejuncti: quodque etiam *Polycarpus*, episcopus Smyrnæ (qui post, regnante Gordiano, Martyrio occumbebat) cum *Aniceto* episcopo Romano communicavit, minimeque cum illo, licet ex patria consuetudine, Smyrnæ servata, festum illud, decimo quarto die, observarit (sicut ab Eusebio, in quinto libro Ecclesiasticæ historiæ, commemoratum est) omnino dissensit. Nonnulli, ut dixi, in Asia minore, decimo quarto die mensis, festum illud peragunt: quidam, qui partes propius ad Orientem sitas incolunt, Sabbato illud celebrant illi quidem, sed de mense discrepant. Atque illi Judæos, quamvis tempus festi non adeo accuratè observantes, imitandos asserebant: hi post æquinoctium celebrant: eodemque tempore cum Judæis festum agere abhorrent. Quippe Pascha semper celebrandum esse, cum Sol sit in Ariete, docent, *Mense*, ut Antiocheni vocant, *Xantico*: ut Roma-

a De Paschate dissensio. b Cap. 4. 21. c Cap. 2. d Hebr. 7. e Festorum ratio.

f Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Romani, *Aprili*. Atque illos istud fecisse, non Judæis recentioribus (qui omnino in magno errore versabantur) sed veteribus, ut Josepho (sicut in tertio libro, de antiquitate Judaica, præscribit) obsecutos. Atqui, ut isti ad hunc modum inter se, de Paschate dissederunt, sic cæteros universos, qui partes, versus Occasum solis, & Oceanum accolebant, ex veteris traditionis præscripto, post æquinoctium idem ipsum celebravisse constat. At tametsi omnes hi, isto pacto, in eodem festo observando discreparunt: nunquam tamen communionem Ecclesiæ, quæ inter ipsos intercedebat, dissociarunt. Neque illud est verum, quòd nonnullis frequens in ore est, Concilium Constantini temporibus habitum, morem hujus festi celebrandi, penitus pervertisse. Nam Constantinus ipse, eos qui de hoc festo ab aliis dissentiebant, per epistolam hortabatur, ut cum pauciores essent, eorum consuetudinem imitarentur, qui erant numero plures: quam quidem Imperatoris epistolam, in tertio libro Eusebii de vita Constantini, integram reperies. Pars autem illius, quæ est de festo Paschatis conscripta, ita se habet; *Est modus ille eximius, quem omnes Ecclesiæ servant, quæ orbis partes, vel versus Occidentem, vel versus Meridiem, vel versus Boream sitas, incolunt: ac nonnullæ quoque, quæ in locis, ad Orientem spectantibus, habitant: & ob eam causam omnes, in præsentia, hunc rectè se habere, arbitrantur. Ipseque etiam, vestræ sapientiæ illud probatum iri, in me recepi, nimirum ut quod in urbe Roma, in tota Ægypto, Hispania, Gallia, Britannia, Lybia, & universa Græcia, in diœcesi Asiatica & Pontica, in Cilicia denique, una & consentiente sententia conservatur, hoc etiam vestrâ prudentiâ, lubenter approbaretis: illud sedulò reputantes, non solùm, quod in locis, quæ modo citavi, major Ecclesiarum numerus existat, sed etiam quòd sanctissimum institutum sit, ut omnes communi consilio, id ratum cupiant, quod recta ratio postulare videtur: quodque nihil, cum Judæorum perjurio, habet commercii.* Talis fuit *Imperatoris* epistola.

Qui quarto decimo die mensis Pascha celebrant, eum *morem* observandi, à *Johanne Apostolo*, ipsis traditum, dicunt: qui autem Romam, & alias partes Occidentis, incolunt, *Petrum & Paulum Apostolos, consuetudinem*, quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verùm nemo istorum omnium, testimonium de his rebus, scriptis proditum, referre potest.

Et quod *ex consuetudine* potius, in singulis locis, quàm ex ulla alia causa, cœpta sit *festi Paschatis celebratio*, hinc facio conjecturam. Cujusque religionis & sectæ varii sunt ritus, licet eadem de illis ipsis, habeatur opinio. Etenim qui in eadem fide consentiunt, iidem, in ritibus & ceremoniis, inter ipsos discrepant. Proinde pauca, *de variis Ecclesiarum ritibus* [a], hoc loco disserere, non erit incommodum. *Jejuniorum rationem* [b], quæ ante Pascha fiunt, aliter ab aliis observatam esse, facilè est reperire. Nam qui sunt Romæ, tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul jejunant: qui autem in Illyria, & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante sex septimanas jejunia, quæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudque tempus, *Quadragesimam* nuncupant. Alii præter horum consuetudinem, septem septimanas, ante istud festum, initium jejunandi facientes, quamvis quindecim dies solùm, quibusdam interpositis, jejunent: nihilominus tamen tempus illud, quadragesimam, vocant. Unde non mediocris me capit admiratio, qua ratione isti, licet de numero dierum dissentiant, omnes, eodem nomine, Quadragesimam appellent. Alii aliam causam hujus nominis, suopte ingenio excogitatam, tradunt. Quinetiam non de *numero dierum* solùm *discrepant*; verum etiam *de abstinentia à cibis* [c], variam sequuntur rationem. Nam alii omnino, ab omni animantium genere, abstinent: alii, inter animantia, pisces solos comedunt: alii, cum piscibus, volucres etiam manducant: easque ex aqua (ut est apud Moysen) nasci asserunt. Alii à fructibus, duris integumentis involutis, & ab ovis temperant: alii, arido pane solo, vescuntur: alii, ne ullo quidem. Sunt qui, cum ad horam nonam jejunarint, variis ciborum generibus utuntur. Alia ratione, apud alias gentes jejunatur: cujus rei sunt causæ prope infinitæ. *Ac quoniam nemo, de ea præceptum, literarum monumentis proditum, potest ostendere, perspicuum est Apostolos, liberam potestatem in eadem, cujusque menti & arbitrio permisisse: ut quisque nec metu, nec necessitate, inductus, quod bonum sit ageret.*

a De variis Ecclesiarum ritibus. b De jejuniis. c De abstinentia ciborum.

Hanc *disparem jejuniorum rationem*, in Ecclesiis esse cognoscimus. Porro de *Synaxi variæ consuetudines sunt* [a]. Nam quanquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ, singulis septimanis vertentibus, die Sabbati mysteria celebrant, Alexandrini tamen, & Romani, ex antiqua traditione, istud facere renuunt. At Ægyptii, qui Alexandrinis finitimi sunt, & illi qui Thebaidem incolunt, Sabbato Synaxin exequuntur illi quidem; sed non, ut mos fert Christianorum, mysteria participant. Nam ubi epulati sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vesperam, oblatione facta, mysteriis communicant.

a De Synaxi.

Rursus Alexandriæ, quarta feria & ea quæ dicitur Parasceve, & leguntur Scripturæ, & doctores eas interpretantur: omniaque quæ ad Synaxin pertinent administrantur, præter mysteriorum celebrationem. Atque hæc quidem est vetus, apud Alexandrinos, consuetudo. Etenim illis diebus, constat Origenem potissimum, in Ecclesia docuisse, qui, utpote doctor valde sapiens, cum animadverteret, legis Mosaicæ præcepta, non posse ad literam intelligi, præceptum de Paschate, ad altiorem divinioremque sensum, traduxit: unumque solum verum Pascha fuisse, quod Servator efficaciter celebravit contra potestates adversarias, quando cruce affixus, contra Diabolum, victoriæ trophæa reportavit.

Itemque Alexandriæ, *lectores* & *Interpretes* [a], sive catechumeni sunt, sive baptizati, nullo discrimine fiunt: cum aliæ omnes ubique Ecclesiæ, baptizatos solos, ad hoc munus, designant. Ipse porrò in Thessalia, aliam consuetudinem invaluisse novi, ut ibi qui clericus sit [b], si cum uxore, quam, cum esset laicus, ducebat, postquam clericus factus sit, dormierit, clericatu *abdicatus sit*: id adeo cum omnes illustres presbyteri in Oriente & episcopi, modo ipsi voluerint, *nulla lege coacti*, ab uxoribus abstineant. Nam *non pauci illorum, dum episcopatum gerunt, etiam liberos, ex uxore legitima procreant*. Consuetudinis autem in Thessalia, observatæ auctor, fuit Heliodorus Tricæ (quæ est urbs illius regionis) cujus feruntur libri amatorii, quos cum esset adolescens composuit, eosque, *Æthiopica* inscripsit. Eadem consuetudo etiam Thessalonicæ, & in Macedonia, & in Hellade, servatur.

a De Lectoribus & interpretibus. b De Clericorum matrimonio.

Aliam præterea *consuetudinem*, in Thessalia esse cognovi, nimirum, ut *diebus festi Paschatis duntaxat baptizent* [c]. Ob quam causam omnes, paucis admodum exceptis, absque baptismate, moriuntur.

c De Baptismo.

Ecclesia Antiochiæ Syriæ, *contrarium*, ab aliis Ecclesiis, *situm* [a] habet: nam *altare*, non ad Orientem; sed *ad Occasum*, spectat. In Hellade, Hierosolymis, & in Thessalia, *preces* [b], dum accenduntur lucernæ, fiunt ad consuetudinem Novatianorum, qui sunt Constantinopoli. Pari ratione, & Cæsareæ Cappadociæ, & in Cypro, die Sabbato & Dominico, sub vesperam accensis lucernis, presbyteri & episcopi, Scripturas interpretantur. Novatiani, qui sunt in Hellesponto, non eundem penitus morem, in precationibus faciendis observant, quem Novatiani, qui sunt Constantinopoli; sed tamen ex multo majore parte, primariæ apud illos Ecclesiæ, consuetudinem sequuntur. Ad summam, apud omnes, religionum & sectarum, formas, nusquam reperire poteris duas, quæ, in precandi more, inter se consentiant. Quinetiam Alexandriæ non *concionatur* [c] presbyter: qui mos, eo tempore initium habuit, quo Arius perturbavit Ecclesiam. Cæsareæ Cappadociæ eos, *qui post Baptismum peccaverunt* [d], ejiciunt, à communione, more Novatianorum: idem faciunt & in Hellesponto, Macedoniani, & in Asia, qui decimo quarto die mensis Pascha celebrant. Novatiani, qui sunt in Phrygia,

a De Ecclesiæ situ. b De more Precum. c De concionatoribus. d De lapsis post Baptismum.

gia, *secundas nuptias* [a] non recipiunt: qui Constantinopoli habitant, neque recipiunt omnino, neque omnino rejiciunt: qui partes in Occidente sitas incolunt, omnino recipiunt. *Causæ* [b] quidem, & auctores hujusmodi *discrepantiæ*, fuerunt *episcopi*, qui variis temporibus Ecclesiis præerant. *Qui autem eos ritus accipiunt, eos tanquam legem ad posteros transmittunt.* Verum omnes *Ecclesiarum ritus*, qui in singulis urbibus regionibusque usurpantur scriptis mandare, ut valdè laboriosum est, ita vix, aut ne vix quidem fieri potest. Satis quidem multi quos recitavimus, ad declarandum *festum Paschatis*, *consuetudine* quadam, in singulis locis celebratum esse. Quocirca inanis est illorum oratio, qui prædicant, Concilium Nicænum, hujus festi celebrandi morem, penitus pervertisse. Nam Episcopi, qui ibi convenere, populos pauciores, qui antea, à multò pluribus numero, dissenserant, ad concordiam reducere laborarunt. Quod autem multæ dissensiones, ipsis Apostolorum temporibus, ob ejusmodi res, oriebantur, ne ipsos quidem latuit Apostolos: sicut ex libro, qui Acta Apostolorum inscribitur, satis constat. Nam cum Apostoli essent, de tumultu, ex gentium dissensione, fidelibus concitato, certiores facti, omnes in unum convenerunt, divinamque legem quandam, in modum epistolæ scriptam, per quam fideles, gravissima istarum rerum servitute, & inani de iisdem contentione, liberabant, divinitus promulgarunt. Certam denique, vitæ rectè instituendæ, normam, eamque, ad veram pietatem, rectà ducentem, docuerunt, dum ea solùm, quæ sunt necessariò servanda, illis præscriberent. At licet epistola illa, in Actis Apostolorum literis [c] consignata sit, nihil tamen obstat, quominus eandem, etiam hoc loco, proponamus; *Apostoli, & presbyteri, & fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciciliæ fratribus, ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quòd quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, jubentes vos circumcidi, & observare Legem, quibus non mandavimus: visum est nobis, collectis unanimiter, eligere viros & mittere ad vos, cum charissimis nostris, Barnabâ & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas, pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo, Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum enim est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab his, quæ immolantur simulacris, & à sanguine, & suffocato, & scortatione: à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.* Ista visa fuerunt Deo: nam sic loquitur epistola; *Visum est Spiritui Sancto, nihil ultra imponere oneris, præter ea, quæ necessariò observari debent.* Cæterum nonnulli, istis neglectis, omnem scortationem, rem quidem indifferentem, arbitrantur; sed tamen de diebus festis, tanquam de vita, decertant: Dei præcepta evertunt, ipsique sibi leges sanciunt; legis promulgationem, ab Apostolis traditam, contemnunt & pro nihilo putant: sicque contraria illis, quæ visa sunt Deo, imprudentes exequuntur. Porro quamvis possemus, sermonem de paschate susceptum, multò longius producere: tum qua ratione Samaritani, qui sunt secta Judæorum, semper post æquinoctium hoc festum peragant planè ostendere: tamen ejusmodi opus, & separatam, & longè prolixiorem tractationem, desiderat. Istud igitur solùm dico, quòd qui tanto studio ducuntur, Judæos imitandi, & sunt in figuris rerum observandis tam curiosi, non debeant, vel transversum (quod ajunt) digitum, ab illis discedere. Nam omnino, si tam accuratè omnia observare, in animum inducant, non dies solùm & menses observare debent, verum etiam alia quæcunque Christus, factus sub lege, Judæorum more obierit, aut quæ, à Judæis, injustè perpessus sit, aut quæ in figuris, ad omnibus gratificandum, expresserit. Verbi gratia, in navem ingressus docuit, Pascha in cœnaculo parari jussit, asinam alligatam solvi mandavit, hominem gestantem lagenam aquæ, signum dedit discipulis, qui ad Pascha parandum maturabant: aliaque præterea infinita, in Euangeliis, ejus generis scripta sunt. Atqui nullum istorum omnium, externo & corporeo more, ut litera postulat, observare nituntur hi, qui propter festi celebrationem se justificatos esse putant. Nam nemo illorum è navi aliquando, apud populum, concionatur: nemo omnino in cœnaculo, Pascha celebrare aggreditur: nemo, cum asinam ligaverit, eam denuo dissolvit: nemo denique cuiquam negotium dat, lagenam aquæ gestandæ, ut ea, quæ rerum sunt symbola, expleat. Etenim hæc aliaque id genus, Judæorum potiùs, quàm Christianorum, propria existimant. Nam Judæi hujusmodi instituta, corporeà potius observantia, quàm interiori mentis cultu observare contendunt. Quam ob causam, sunt execrationi obnoxii: quod legem Mosaicam, in umbris ac figuris potius, quàm in rebus ipsis ac veritate, positam intelligunt. Qui autem Judæorum fautores sunt, tametsi has res ad altiorem diviniorem que rem transferunt, tamen de diebus & mensibus bellum excitant gravissimum, interioremque & sublimem, quæ in illis est, notionem, quasi pedibus proterunt: & propterea hac in parte, pari ratione cum Judæis, necessariò condemnantur, sententiamque execrationis, sibi ipsis asciscunt. Verum de his satis superque, me dixisse, censeo. *Hactenus Socrates historicus*: cui consentanea, sed brevius, recenset Sozomenus, historiæ Ecclesiasticæ libro septimo, capite XIX. & Nicephorus, histor. Ecclesiast. libr. XII. capit. XXXII. & duobus sequentibus, eadem ex utroque congessit.

a De secundis nuptiis. b De causis discrepantiæ rituum. c Act. 15. 23.

F I N I S

Investigationis sententiæ & Originis Sabbati.



D.D. FRAN-

D.D. FRANCISCI GOMARI

JUDICIUM,

DE PRIMO ARTICULO REMONSTRANTIUM, DE ELECTIONE ET REPROBATIONE.

Articulus Remonſtrantium primus.

DEUS æterno & immutabili decreto, in Jeſu Chriſto, ante jacta mundi fundamenta ex genere humano, in peccatum prolapſo, ſtatuit illos, in Chriſto, propter Chriſtum, & per Chriſtum ſalvare; qui per gratiam Spiritus Sancti, in eundem ejus Filium Jeſum, credituri, & in ea fide, fideique obedientia, per eandem gratiam, uſque ad finem, eſſent perſeveraturi: Contra verò converti neſcios, & incredulos, ſub peccato & ira relinquere & condemnare, tanquam à Chriſto alienos, ſecundum verbum Euangelii Joh. 3. ℣. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò Filio non aſſentitur, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum:* pluraque alia Scripturæ loca.

Articuli hujus Explicatio.

Theſes. — *Antitheſes.*

De univerſa hominum Prædeſtinatione.

Theſes.

1. Prædeſtinatio, (quæ electionem & reprobationem complectitur) non eſt unica ſed duplex. Remonſtrantes citat. Declarat. Artic. I. & Epiſt. ad Walach. 41.

2. Prima, eſt decretum divinum, generale, ſeu univerſale; qui conſtituit credentes ſervare, incredulos damnare. Ibidem.

3. Hoc eſt totum & integrum prædeſtinationis decretum. Coll. Hag. Belg. 57.

4. Decretum de ſalvandis fidelibus, ſolum eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis, & certitudinis ſalutis. Collat. Hag. Belg. 61.

5. Secunda prædeſtinatio, eſt decretum divinum ſpeciale, ſeu ſingulare; quo conſtituit juxta præcedens illud decretum, hos ſervare, illos perdere: id eſt, hos conſideratos, ut fideles, æternæ vitæ deſtinare: Illos conſideratos, ut infideles, ſive qui credere nolint, æternæ morti atque exitio addicere. Remonſt. & Epiſt. Walach. 34. & 41.

Antitheſes.

1. Prædeſtinatio, (quæ electionem & reprobationem complectitur) non eſt duplex, ſed unica.

Idque ex ſequentibus conſtabit.

2. Decretum divinum generale, ſeu univerſale quo conſtituit credentes ſervare, incredulos damnare, non eſt prædeſtinatio ad ſalutem & condemnationem.

1. Quia per ſe, nec ſalutem, nec condemnationem ullam futuram ſtatuit: Sed modum tantum ac conditionem ſalutis, & condemnationis deſcribit.

2. Quia nullam hominum, ſed qualitatum tantùm, fidei & infidelitatis electionem & reprobationem deſignat. Remonſtrant. citat. Declarat. Utpote cum generale hoc decretum (ex Remonſtrantium ſententia) non ſolùm ſingularium hominum fidelium prævifionem antegrediatur: ſed etiam mediorum, ad fidem ingenerandam neceſſariorum, deſtinationem omnino præcedat. Remonſt. Epiſt. ad Walach. 35. 36.

3. Hoc non eſt totum & integrum prædeſtinationis decretum.

Illius enim conſtare poteſt veritas ſi aut omnibus credentibus ac ſervatis nemo damnaretur: aut omnibus incredulis ac damnatis, nemo fieret ſalvus. Id quod integræ prædeſtinationi (quæ electione ſimul & reprobatione conſtat) è diametro adverſatur.

4. Decretum de ſalvandis fidelibus, non eſt ſolum fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis, & certitudinis ſalutis: Sed fundamentum primum ſalutis, eſt gratuita Dei dilectio & electio: quæ cauſa eſt & fundamentum, non tantum ſalutis, ſed etiam donationis Salvatoris Chriſti, & fidei in ipſum, Rom. 8. 29. 30. Joh. 3. 16. & 6. 37. Actor. 13. 48.

5. Specialis quidem eſt prædeſtinatio: ſed veriore ratione deſcribenda, ut ex ſequenti diſtincta explicatione liquebit.

Theſes. — *Antitheſes.*

De prædeſtinatione, ſeu electione hominum ad ſalutem ſpeciali.

Theſes.

1. Prædeſtinatio hominum ad ſalutem ſpecialis duplex eſt, peremptoria: quæ æternæ ſalutis communicationem actualem & realem, ſibi conjunctam habet: aut non peremptoria, contra Remonſt. citat. declar. ad Artic. 1.

2. Peremptoria eſt decretum Dei, de ſalvandis iis ſigillatim, quos per Spiritus ſui gratiam, in Chriſtum credituros, atque in hac fide ad finem uſque perſeveraturos, prævidebat. Remonſt. Epiſt. ad Walach. 36.

Antitheſes.

1. Sacræ Literæ non aliam, quam unicam prædeſtinationem hominum ad ſalutem ſpecialem agnoſcunt.

2. Prædeſtinatio hominis ad ſalutem, eſt decretum Dei, de gloria & gratia ad ſalutem ſufficiente, & efficaciter perficiente, certis, ex univerſo genere humano, hominibus, pro liberrimo ac mero gratuito beneplacito, conferenda, 2. Theſſ. 2. 13. Rom. 8. 28, 29, 30. Philip. 2. 13. ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, Epheſ. 1. 6.

3. Quæ prædeſtinatio ſolummodo ad ſalutem & gloriam eſt; non etiam ad gratiam. Eadem Epiſt. 38. & 45.

4. Quæ ſalus in credentibus fidei præmium eſt, non autem finis. Remonſt. citat. declarat.

5. Gratia verò donationis Chriſti, vocationis, fidei, juſtificationis, ſanctificationis, adoptionis, perſeverantiæ, non eſt medium prædeſtinationi ſpeciali ad ſalutem ſubordinatum: ſed ea prædeſtinationem ipſam naturæ ordine antecedit. Epiſt. ad Walach. 41. & 44.

6. Fides enim, obedientia illius & perſeverantia, ut ab homine præſtita, & à Deo prævisa, eſt conditio in objecto eligendo prærequiſita, ac cauſa ſine qua non, cui decretum electionis innititur. Remonſt. citat. declar. & Epiſt. ad Walach. 41. & 44.

7. Quæ fidei gratia, non ſolis electis ad gloriam & ſervandis confertur: ſed reprobis etiam ac condemnandis. Remonſt. citat. declar.

8. Ac fides electorum ſemel collata, omnino amitti ac reſtitui poteſt, adeoque reipſa interdum amittitur, & amiſſa reſtituitur. Ibidem.

9. Ideoque peremptoriè electus, in hac vita fieri poteſt reprobus, & rurſum ex reprobo electus.

10. Unde ſequitur electionem peremptoriam aliam eſſe mutabilem, quæ eſt electorum viventium: aliam immutabilem, quæ eſt mortuorum tantùm.

11. Electionis hujus cauſa impulſiva eſt, & ſolum ac liberrimum Dei beneplacitum & Chriſti meritum. Epiſt. ad Walach. 35. & 41. & 46. & 36.

12. Fidelium; in hac vita de electione ſui ſalvifica, certitudo non eſt abſoluta, ſed tantum conditionata, ut quæ ab incertæ perſeverantiæ conditione dependet. Grevinch. contra Ameſ. 138.

13. Abſoluta electionis certitudo, ad pietatem non conducit. Ibid. 139.

3. Eadem prædeſtinatio non ſolum eſt ad ſalutem ac gloriam, ſed etiam ad gratiam, quæ ad gloriam conferendam neceſſaria, 2. Theſſ. 2. 13. Rom. 8. 28, 29, 30.

Qualis eſt gratia donationis Chriſti in ſervatorem, Johan. 3. 16. 1. Pet. 1. 20. & 1. Johan. 4. 10. & vocationis, Rom. 8. 28. 30. & fidei, Actor. 13. 48. & 2. Theſſ. 2. 13. Phil. 1. 29. & 2. 13. juſtificationis, Rom. 8. 30. conformitatis cum Chriſto, Rom. 8. 29. ac ſanctificationis, Eph. 1. 4. & 2. Theſſ. 2. 13. Adoptionis, Epheſ. 1. v. 5. & conſervationis in Chriſto & per Chriſtum, Joh. 6. 29. & 10. 28, 29. donatio. Ad quam gratiam, non minus quàm ad ſalutem, prædeſtinatio eſt inſtituta, 1. Pet. 1. 2.

4. Quæ ſalus in credentibus, & præmium eſt fidei, 2. Timoth. 4. 8. Et finis, 1. Pet. 1. 8. Quia bonum eſt ſummum, cujus cauſa fides datur: & quo fides tendit, 2. Theſſ. 2. 13. Joh. 20. 31. Act. 26. 18.

5. Gratia verò donationis Chriſti, vocationis, fidei, juſtificationis, ſanctificationis, adoptionis, perſeverantiæ, ſalutem ipſam antecedit, ut medium eò deſtinatum, ſed ipſam prædeſtinationem ad ſalutem ordine conſequitur.

Idque ex Antitheſi tertia apparet.

6. Fides enim, obedientia illius, perſeverantia in ea, non eſt objecti eligendi conditio ante electionem prævisa; nec cauſa ſine qua non: ſed electionis effectum proprium, ex ea promanans, Act. 13. 48. Rom. 8. 30. & 2. Theſſ. 2. verſ. 13. & 1. Petr. 1. 2.

Alioqui dilectio noſtra, dilectionem & electionem Dei antecederet, contra ſcripturam, 1. Joh. 4. 10. Rom. 9. 16. & 5. 8. & 10.

7. Quæ fidei gratia, ſolis electis ad gloriam, ac ſervandis confertur: Nullis verò reprobis ac condemnandis, Joh. 10. 26, 27. & 6. 44, 45. Tit. 1. 1. 2. Theſſ. 3. verſ. 2.

8. Ac fides electorum ſemel collata, nunquam omnino amitti poteſt, ob Dei conſervantis veritatem & virtutem; multo minus amiſſa reſtitui: etſi partim minui queat, vel augeri, Joh. 10. 28, 29. & 1. Pet. 1. 5. Matth. 24. v. 24. Rom. 8. verſ. 30. 39.

9. Ideoque peremptoriè electus in hac vita fieri non poteſt reprobus, neque ex reprobo electus, Matt. 24. 24. Rom. 8. 30. 33. 35. 39.

10. Unde ſequitur, nullam electionem peremtoriam eſſe mutabilem: pro veritatis & æterni conſilii divini natura immutabili, Jeſ. 46. 3. 10. Jac. 1. 17.

11. Electionis hujus cauſa impulſiva eſt ſolum liberrimum & gratuitum Dei beneplacitum: Ideoque non Chriſti meritum: nec quicquam extra Deum.

Præſertim, cum Chriſti donatio, ſit medium electioni hominum ad ſalutem ſubordinatum: Ut Antitheſi tertia oſtenſum eſt. Ideoque ſalutis eſt cauſa, ſed electionis conſequens effectum.

12. Fideles in hac vita de electione ſui ſalvifica certi ſunt, non ſolum hac conditione ſi perſeveraverint, ſed etiam abſolutè, quia ſe perſeveraturos eſſe per Dei & Chriſti gratiam certi ſunt: Idque ex Dei promiſſione generali de danda omnibus verè fidelibus perſeverantia [b], & ex ſpeciali fidei, electis propriæ [c], ſenſu, & Spiritus S. teſtimonio [d], ac tanquam arrhæ hæreditatis noſtræ obſignatione ad diem redemptionis [e], & ſerio denique operum bonorum [f], fidei, & charitatis ſtudio.

a Rom. 8. 39. b Jerem. 32. 40. Johan. 4. 14. & 6. 37. 39. 56. 58. & 10. 28. 29. c Tit. 1. 1. & 2. Theſſ. 3. 2. d Rom. 8. 13. e Epheſ. 1. 13. 14. & 4. 30. f 2. Pet. 1. 10.

13. Abſolutæ electionis certitudo ad pietatem conducit plurimum; ut Deum, pro gratuito & incomprehenſibili hoc dilectionis, & electionis ad gratiam & gloriam æternam, beneficio, debita gratitudine, viciſſim diligant, adorent, glorificent, & dignè ſe gratiâ & gloriâ gerant [a]: & in crucis tolerantia ea ſe ſuſtentent [b], fortiter & conſtanter adverſus Satanam, carnem, mundum (tanquam Dei gloriæ, & gratiæ, ac ſalutis noſtræ hoſtes perpetuos) militent [c]: ſolidumque in vita & morte habeant ſolatium, & in hoc favoris Dei ſenſu, tanquam vitæ æternæ præludio, ſancte acquieſcant & exultent [d].

a 2. Theſſ. 2. 13. & 14. Eph. 1. 4, 5. Eph. 4. 1. Phil. 3. 14. & 1. Pet. 2. 9. b Rom. 8. 17, 18, 35. 2. Cor. 4. 18. c 2. Tim. 4. 7. 8. d Rom. 8. 33. 38. 39. & 5. 23.

14. Infan-

14. Infantibus nullis convenit electio, quod fide prævisa careant. Grevinch. contra Ames. p. 150.

14. Infantes fœderatorum Deo per Christum, ac verè fidelium, etiam electos esse, piè credimus, si ante usum rationis moriantur, ex formula fœderis. Ego sum Deus tuus, & seminis tui [a]: sin verò ad usum rationis pertingant, solos eos electos esse agnoscimus, qui credunt in Christum, quippe hi soli secundum Euangelium servantur.

[a] Gen. 17. & Actor. 2. 39.

15. Non peremptoria prædestinatio est, quæ æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi conjunctam non habet.

Thesin primam consequitur.

15. Non peremptoria prædestinatio, & Scripturæ Sacræ, & naturæ, unicæ atque immutabilis prædestinationis ad salutem, repugnat.

Idque ex antecedentibus liquet.

16. Eaque vel communis est non credentibus & credentibus: vel credentibus propria.

16. Quum nulla non peremptoria sit prædestinatio, nulla illius potest esse divisio.

17. Communis est, quæ communiter se extendit ad omnes, qui divinæ vocationis gratiosæ participes fiunt, sive vocationi pareant, sive incredulitate eam respuant. Remonstrant. citati Decl.

17. Quum sacræ literæ vocationem quandam communem ab electione ad salutem secernant; nec omnes communiter vocati salventur: sequitur nullam communi vocationis decreto, prædestinationem, ad salutem contineri, Matth. 22. v. 40.

18. Propria est, quæ solis verè credentibus non perseverantibus convenit.

18. Nulla est prædestinatio ad salutem non peremptoria, quæ verè credentibus non perseverantibus conveniat.

Nulli enim verè credentes, qui non perseverent: nullaque prædestinatio ad salutem, quæ non sit peremptoria.

Theses. — *Antitheses.*

De reprobatione Hominum speciali ad damnationem.

1. Reprobatio alia est peremptoria, quæ actualem & realem damnationem sibi conjunctam habet; Alia non peremptoria, contrà.

1. Nulla in sacris literis reprobatio non peremptoria reperitur.

2. Reprobatio peremptoria, est decretum Dei de iis sigillatim damnandis, quos in infidelitate morituros prævidebat.

2. Reprobatio peremptoria est decretum Dei, quo, pro voluntate sua liberrima, ad declarationem justitiæ suæ vindicantis, certos, ex humano universo genere, homines, nec gratia, nec gloria donare, sed in peccatum liberè prolabi permittere, & in peccatis relinquere, justéque tandem propter peccata condemnare constituit, Matth. 11. 26. & 7. 23. Johan. 6. 44. & 65. & 10. 26. Rom. 11. 7, 8. Apocal. 20. 13. Rom. 9. 18. 20. 21. 22.

3. Reprobi quidam ad tempus viva fide sunt præditi, vivaque fiunt Christi membra, justificantur, & regenerantur, sed tandem omnino ac perpetuo à fide deficiunt ac pereunt.

3. Reprobi nunquam viva fide sunt præditi, nec viva fiunt Christi membra, nec justificantur, nec regenerantur, multo minus à fide deficiunt, Joh. 10. 26, 27. 2. Thess. 3. 2. Titum 1. 1. Matth. 7. 23.

4. Ideoque reprobi fieri possunt ad tempus electi ad salutem, & rursus ex electis fieri reprobi in æternum.

4. Ideoque nec reprobi fieri possunt electi, nec electi facti rursum fieri reprobi in æternum.

5. Reprobatio non peremptoria, quæ actualem & realem condemnationem conjunctam, non habet, est eorum qui Euangelio vocati, initio non credunt, aut si credant, à fide ad tempus deficiunt, sed in fide tandem moriuntur.

5. Reprobatio non peremptoria hujusmodi, & reprobationis & electionis naturæ immutabili, & inter se contrariæ, omnino repugnat.

Ita enim eodem tempore, unus idemque, & electus esset ad salutem, & reprobatus; filius Dei, & filius diaboli.

6. Causa impulsiva antecedens, non solum damnationis, sed etiam reprobationis à gratia ac gloria ad justam damnationem, est peccatum prævisum, & quidem cum originali actuale conjunctum.

6. Causa impulsiva antecedens reprobationis à gratia ac gloria ad justam damnationem, est solum liberum Dei placitum, etsi executionis ipsius, seu justæ damnationis, causa sit quodvis peccatum ab homine factum, à Deo permissum & toleratum, Matth. 11. 25, 26. Rom. 9. 16. 18. 22. Rom. 6. 23. 2. Thess. 1. 8, 9.

7. Nam propter solum originale peccatum nemo reprobatur, nemo damnatur. Ideoque nec infantium reprobatio est. Grevinch. contra Amesium 142. 145. 150. Episc. Thes. pag. 28.

7. Nam propter solum etiam originale peccatum damnatio est, quæ omnis peccati stipendium est, etiam non actualis, Rom. 5. 12. 14. 21. Ideoque infantes infidelium à fœdere Dei alienorum, non renati, naturâ sunt filii iræ, sine Christo, sine spe, sine Deo, Ephes. 2. 3. 12. ut etiam in diluvio, infantes mundi improborum, & Sodomitarum impiorum, in conflagratione etiam infantes perierunt, iræque Dei cum parentibus justè subjecti fuerunt, 2. Pet. 2. 5. 6.

FRANCISCI GOMARI,
S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris,

DEFENSIO DOCTRINÆ,

DE PERSEVERANTIA SANCTORUM:

Ad veritatis in SYNODO NATIONALI DORDRACI propositæ, demonstrationem: & errorum, ab adversariis in ANTISYNODO oppositorum, confutationem.

PRÆCLARE dictum; Δὶς ϗ τρὶς, τὰ καλά· ideoque, non ingratum fore, speramus, si, disceptatam, non ita pridem, *de Perseverantia Sanctorum, doctrinam*, novo quasi amictu, ac comitatu, uberiùs instructam, in Athenæi nostri theatrum, reducamus. Tanta enim illius est dignitas, & amplitudo; ut, brevi intuitu, minus plenè possit comprehendi: tamque ardua ac nobilis, de illius veritate, viget controversia, ut crebriorem discussionem, mereatur. Quamobrem, priscæ illius, in arena, usurpatæ vocis, *Repete*, non immemores, idem argumentum, Deo duce, recolemus: ac primùm, de *sanctis* ac *sanctitate*; deinde, de eorum *perseverantiâ*, pro modulo nostro disseremus: ut, & veræ doctrinæ, in *Synodo Nationali*, confessæ, robur, ad piorum confirmationem, magis illustretur; & adversariorum, in primis in *Antisynodo*, errores contrarii pleniùs ac planiùs, diluantur. Quà in re, si hæc defensio, consuetam brevitatis metam, longè excesserit, & in libelli modum excreverit, illud, & studio meo erga veritatem, & consolationi Ecclesiæ, & expectationi bonorum (quibus hanc opellam destinavi) lectores benignè condonabunt.

THESIS I.

QUod Hebraicè *Kadúsch*, Græcè ἅγιος, id Latinè, *Sanctus*, simili ferè origine, ac sensu, appellatur.

2. Nam ut, à *kadásch*, sanctus fuit [a], aut sacratus [b], *kadúsch* sanctus [c], seu à vitio purus, aut *sacer* [d]; sic ab ἅγιος, res veneranda [e], ἅγιος derivatur [f]. Quæ vox, *propriè* quidem *venerabilem* [g], per *synecdochen* verò, *sanctum* vel *sacrum* [h] (quod tales reverentiâ digni) significat.

a Jes. 65. 5. b Exod. 28. 41. c Levit. 19. 2. c Scholiast. Soph. in Oedip. Tyr. Eusth. in Iliad. σ. g Hesych. Lex. 1. 1. Pet. 1. 15 16. h Ibid. & Luc. 2. 23.

3. Ac sanctum quidem *generatim*, vitii expertem [a]: vel *speciatim* (cùm à justo, strictiùs etiam sumpto, distinguitur [b]) ὅσιον religiosum, seu εὐσεβῆ pium [c] designat. Quem, vocis hujus, usum, surculus illius, ἁγιάζω, illustrat. Quod, vel *sanctifico* notat; ut, *Deus sanctificet vos totos* [d]: vel *sacro*: ut, *Per quem sanctificatus est* [e], nempe non hostis Filii, sed Filius (quod adversarii tandem, in Antisynodo [f], veritate victi, non aversantur) ut alibi; *Pro ipsis me sanctifico* [g], hoc est, corporis & sanguinis sacrificio [h], me consecro.

a Hesych. Lex. 1. Pet. 1. 15. 16. b Marc. 6. 20. Act. 3. 14. c Hesych. Lex. d 1. Thess. 5. 23. e Heb. 10. 29. f Acta Synod. Remonst. de Persev. pag. 237. & 238. g Joh. 17. 19. h Heb. 10. 10.

4. Similiter Latinè, à *Sancio*, hoc est, confirmo, *sanctus* [a], quasi, adversus injuriam, firmatus atque inviolatus [b], *propriè* dicitur. Quo modo *sanctus & inviolatus* [c], συνωνύμως jungi solent: & *tribuni sancti* [d], *sanctus senatus* [e], *sancta leges* [f], appellantur. Unde etiam, per *synecdochen*, aut *sacrum* [g], aut *vitiorum exsortem*, ac inprimis *religiosum* [h] (ut in celebri illo, fucati hominis, voto: *Da, justum sanctumque videri* [i]) designat. Qua explanatione, trita illa *priscorum*, de vocis hujus significatione, *concertatio* [k], distinctè dirimitur.

a Festus fragm. Priscian. in Virg. Æne. 12. b Fest. de verb. signif. frag. c Cæsar de bello Gal. l. 3. d Cic. de leg. l. 3. e Virg. Æneid. 1. f Horat. Ser. l. 1. saty. 1. g Macrob. Satur. l. 3. h Ibidem. i Horat. ep. 16. lib. 1. k Fest. de verb. signif. frag.

5. Porro sanctus etiam, quum à vitiis purum notat, in Sac. Lit. (pro multiplici sanctitatis hujus discrimine) ambiguè dici solet. Alia enim sanctitas est *essentia*: alia verò, *accidens*.

4. *Prior*, est *sanctitas Dei creatoris*: qui Deus, prima & infinita, simpliciter & absolutè immutabilis, sanctitas existit: à qua, reliqua omnis, suo modo, promanat. Quo sensu, *solus sanctus* [a], dicitur: & *Sancti* vox, pro Deo [b], ob infinitam sanctitatis eminentiam, *synecdochicè* usurpatur.

a Apoc. 15. 4. 1. Sam. 2. 2. b Jes. 40. 25.

7. *Posterior* verò, est finita, ex Dei dono, *creaturæ rationalis*, puritas. Quæ (pro subjecti, & naturæ illius, ratione) vel personæ est; vel actionis. Illa, est habitus, eoque per se durabilis, quæque unâ actione contrariâ (citra miraculum) amitti nequit: hæc verò, pro fluxâ actionis naturâ, durare non potest. Quæ actionis sanctitas, ἁγιασμὸς *sanctimonia* [a], dicitur. Etsi, hæc dictio, strictiùs interdum, castitatis opera (præsertim quum impuris libidinibus opponitur) designet [b].

a Rom. 6. 19. b 1. Thess. 4. 4.

8. *Sanctitas* autem *personæ*, in originalem, & adventitiam, distribuitur.

9. *Originalis est*, quæ, inde, ab origine, ad imaginem Dei, facta. Eaque, vel *Angelorum* est, vel *hominum*.

10. *Angelorum sanctitas*, circumstantiis varians, *una Electorum* [a] est: qui perpetuò, Dei gratiâ, in naturæ suæ puritate, permanent [b]. Quâ de causâ *sancti Angeli* [c], distinctè: & *Sancti* [d] synecdochicè, (ob finitam quandam puritatis, inter creaturas, excellentiam) appellantur. *Altera* verò, fuit *Reproborum* [e], qui sponte, merâque suâ culpâ, ab originis suæ puritate, in æternum desciverunt [f].

a 1. Tim. 5. 21. b Ps. 103. 20. c Matth. 25. 31. d Dan. 4. 10. 14. 1 Thess. 3. 13. cum Jud. v. 14. e Matth. 25. 41. f Ib. 2. Pet. 2. 4. Jud. 6.

11. *Hominum* verò *originalis sanctitas*, alia per *creationis*; alia per *conceptionis gratiam*, existit. Atque *illa* quidem mutabilis, Adamo primo, & Evæ, à Deo, indita [a], sed, libero ipsorum vitio deperdita [b]: *hæc* verò (ob personæ [c], & officii, perfectionem singularem [d]) constans & immutabilis, soli Adamo secundo [e], Filio Dei servatori Christo [f], propria est. Ideoque ob hanc etiam, præ cæteris omnibus, excellentiam [g], *Sanctus ille* [h], *& sanctus sanctorum* [i], nominatur. Atque hæc, de *sanctitate originali*.

a Gen. 1. 26. 27. b Rom. 5. 17. c Jer. 23. 6. d Matth. 17. 5. e 1. Cor. 15. 45. 47. Rom. 5. 14. f Luc. 1. 35. g Heb. 7. 26. h Apoc. 3. 7. i Dan. 9. 24.

12. *Adventitia* verò *personæ sanctitas*, est, quæ homini, post originalem sanctitatem, per lapsum amissam, divinitus accidit. Quæ quum, & in hâc vitâ [a], & post hanc vitam [b], dispari ratione, contingat: nos, posteriori (quæ, ad amussim perfecta [c] est) omissâ, priorem, & quidem adultorum (de quibus hîc controversia est) uberiùs, pro instituti nostri ratione, exponere conabimur.

a Eph. 5. 26. b Ib. v. 27. Col. 2. 22. 1 Cor. 13. 10. c Eph. 5. 27. Col. 2. 22.

13. Ea autem, *hujus vitæ, adventitia personæ sanctitas*, est puritas illa, quæ, per Euangelii Christi, & Spiritus Sancti, efficaciam, promanat. Cujus sanctitatis, ita generatim acceptæ, ratione, omnes Christum profitentium cœtus, *Ecclesiæ sanctorum* [a], nuncupantur.

a 1. Cor. 14. 33.

14. Quæ sanctitas iterum (pro efficaciæ hujus, aut hominem regenerantis, aut non regenerantis, discrepantia) in duo genera dispescitur. Alia siquidem *renatorum* est: alia *non renatorum*.

15. *Rena-*

15. *Renatorum sanctitas*, est gemina: una, intrinseca & inhærens: altera, extrinseca & adhærens. Quæ duo inseparabili vinculo, ex fœderis divini formula [a], connectuntur.

a Jer. 31. 33. 34. 1. Cor 6. 11.

16. *Intrinseca* & inhærens *sanctitas*, est inchoata [a], totius animæ [b], secundùm Electionem Dei [c], per Euangelium [d], & Spiritum Sanctum [e], virtutum Christianarum donatione, ad imaginem Dei, renovatio [f].

a Eph. 4. 15. 16. Galat. 5. 17. 1. Joan. 1. 8. b Eph. 3. 16. 17. 18. c Ibid. 1. 4. 2. Theß. 2. 13. d Jac. 1. 18. e 1. Pet. 1. 22. Tit. 3. 5. f Ibid. 1. 1. Pet. 1. 22. 23. Eph. 4. 23. 24.

17. Quæ *renovatio*, Metaphoricè *regeneratio* [a], & *novus* [b], ac *internus homo* [c], & *divina natura communio* [d], nuncupatur: atque ita renovati, *nova creatura* [e], *regeniti* [f], *nati ex Deo* [g], & *ex Spiritu* [h], eodemque sensu, ἄνωθεν *supernè nati* [i], eâ de causâ, appellantur.

a Tit. 3. 5. b Eph. 4. 24. c Ibid. 3. 16. d 2. Pet. 1. 4. e 2. Corinth. 5. 17. f 1. Pet. 1. 23. g Joan. 1. 13. 1. Johan. 3. 9. h Johan. 3. 6. i Ibid. 3. 3.

18. *Inchoata* autem, ea sanctitas, dicitur, quia, effecta quidem est, sed non perfecta [a]: quodque vetus homo, sic sit exutus [b]; ut partim supersit, toto vitæ curriculo, magis ac magis exuendus [c].

a 1. Corinth. 13. 9. Philipp. 3. 12. 13. 14. b Col. 3. 9. c Eph. 4. 22. Rom. 12. v. 2.

19. Virtutes autem Christianæ, quibus anima hominis divinitus donata, renascitur ac sanctificatur, sunt partim, *mentis* seu intellectus; partim, *cordis* (strictè sumpti [a]) seu voluntatis [b]. Quæ sanctificatio, nervosa similitudine, *datio legum, in mente: & inscriptio earum, in corde* [c], *circumcisio cordis* [d], *amotio cordis lapidei, ac datio cordis carnei* [e] (hoc est mollis, Deoque obtemperantis) & per synecdochen, *datio timoris Dei, in corde* [f], *veteris hominis* (ut sic loquar) *exutio*, *novique indutio* [g], appellatur. Unde auctor illius, verus Deus, verè (non ut falsò, falsus [h]) *verticordius* comperitur.

a Non pro anima: ut Matt. 15. 19. nec pro intellectu: ut 2. Cor. 4. 6. b Col. 3. 10. Rom. 12. 2. Eph. 4. 23. 24. c Jerem. 31. 33. Hebr. 8. 10. d Deut. 30. 6. Rom. 2. 29. e Ezech. 36. 26. f Jerem. 32. 40. g Col. 3. 9. 10. h Valer. Max. lib. 8. c. 14.

20. Quarum virtutum causâ, homo renatus, *bona terra* [a], *bona arbor* [b], *bonus homo* [c], *corde honesto bonoque præditus* [d], à potiori parte, nominatur.

a Luc. 8. 15. cum Heb. 6. 7. b Luc. 6. 43. cum Psalm. 1. 3. c Luc. 6. 45. d Luc. 8. 15.

21. Ac *mentis virtus*, per quam renascitur ac sanctificatur, est *viva*, in Christum, *fides* [a]: *cordis* verò est partim, *charitas sincera* [b], partim, *spes* ac fiducia salutis [c] *viva* [d]. Quæ trinæ renatorum *virtutes*, *Christianæ* ac *principes*, eâ de causâ, concinnè vulgò appellantur, & in Sacris Literis, distinctè & expresso numero, recensentur [e].

a Joh. 1. 12. 13. Act. 15. 9. & 26. 18. 2. Theß. 2. 13. 1. Pet. 1. 21. 22. Eph. 1. 18. 19. b 2. Cor. 6. 6. 1. Tim. 1. 5. 1. Pet. 1. 21. 22. c 1. Theß. 5. 8. d 1. Pet. 1. 3. 21. Heb. 6. 19. e 1. Theß. 1. 3. & 5. 8. 1. Corinth. 13. 13. 1. Pet. 1. 21. 22.

22. Spes tamen nonnunquam, sub charitatis voce (latiùs acceptâ, & à solâ fide, distinctâ) comprehenditur [a]. Ideoque *internus homo*, (seu interna regenerationis sanctitas) in fidem & charitatem, distribuitur, iisque membris declaratur [b]. Cui consentit, quod novus homo, veritate (seu verâ Dei Christique agnitione [c]) & justitiâ ac sanctitate ὁσιότητι, limitatur [d]. Primum enim fidem indicat: reliqua duo, charitatem in Deum & proximum, designant.

a 2. Tim. 1. 13. Eph. 1. 15. b Eph. 3. 16. 17. 18. 2 Tim. 1. 13. c Col. 3. 10. d Eph. 4. 24.

23. *Vivam* autem *fidem* intelligimus, quæ sanctorum, Deoque, per Christum, acceptorum, fructuum est ferax [a]: eosque bonæ terræ, ac bonæ arboris instar, suo tempore, producit [b]: licet non omni: utpote quum, suam etiam interdum hyemem patiatur: & vigor repressus, ad tempus lateat: &, suo vere, sese rursus exerat.

a Luc. 8. 15. Galat. 5. 6. 22. Jac. 2. 17. 20. 22. 23. Hebr. 11. b Psalm. 1. v. 3.

24. *Primum* enim in mente, in Euangelium intentâ, fidem actualem, & veram gratiæ Dei [a], ac salutis [b], persuasionem gignit. *Deinde*, per eandem persuasionem, cor afficiens, *partim* fiduciæ ac spei [c], *partim* charitatis [d], internas externasque actiones, excitat atque educit [e].

a Rom. 4. 25. Gal. 2. 20. b Rom. 8. 38. Actor. 15. 11. c Eph. 3. 12. Heb. 6. 18. 19. Rom. 4. 18. d 1. Timoth. 1. 5. e Rom. 4. 18. Hebr. 11. Jac. 2. 22.

25. Quæ propterea, *fides per charitatem efficax* [a], dilectionis origo [b]: &, quia reipsa, cum illa, quam Euangelium, ad salutem, requirit, fide, omnino congruit, ἀνυπόκριτος *non simulata* [c], & *pretiosa fides* [d], &, à proprio suo, cui soli competit [e], subjecto, κατ' ἐξοχὴν intellecto, *fides electorum* [f], & *fides sanctorum* [g] appellatur. Siquidem electi non quivis; sed ad vitam æternam: nec sancti omnes, qui Spiritu illuminationis; sed soli electi [h], qui Spiritu regenerationis & adoptionis, sanctificati, intelliguntur [i].

a Gal. 5. 6. Jac. 2. 14. b 1. Tim. 1. 5. c Ibid. & 2. Tim. 1. 5. d 2. Pet. 1. 1. e Act. 13. 48. Joh. 6. 44. 2. Theß. 2. 13. 14. & 3. 2. f Tit. 1. 1. Actor. 13. 48. g Apoc. 13. 10. h Ibid. vers. 8. 2. Theß. 2. 13. i 2. Theß. 2. 13. 1. Pet. 1. 2. 3.

26. *Extrinseca* verò, & *adhærens sanctitas*, est perfecta [a] Jesu Christi, sponsoris, ac capitis, renatorum [b], puritas, &, ad mortem usque crucis, obedientia: quæ, ipsi, per vivam fidem [c], & Spiritum Sanctum [d], membrorum instar, unitis [e], communicatur [f]: ideoque à Deo, ad justitiam, verè imputatur [g]. Eaque externæ sanctificationis species, *justificatio*, distinctè ab interna (quæ specialius *sanctificatio*, vocatur) dici solet.

a Phil. 2. 8. b Hebr. 7. 22. Eph. 5. 23. c Eph. 3. 17. Joh. 6. v. 56. cum 35. d 1. Cor. 12. 12, 13. e Ib. & Rom. 12. 5. Col. 2. 19. Joh. 6. 59. f Phil. 3. 9. 2. Cor. 5. 21. g Rom. 5. 19.

27. Quâ de causâ, *fides* viva, tanquam organum illius, *justificans* [a], & *salvifica* [b] (ut ab aliâ quâvis discriminetur) in Ecclesiâ, Scripturæ indicio, nuncupatur. Ac Christus etiam sanctitatis suæ, pro nobis præstitæ, & imputatæ, gratiâ, *sanctificans* [c]: & verè fideles, etiam *sanctificati* [d], & *sancti* κατ' ἐξοχὴν [e], dicuntur.

a Rom. 5. 1. & 8. 33. b Mar. 16. 16. Joa. 3. 36. 1. Pet. 1. 9, 10. c Joa. 17. 19. Heb. 2. 11. & 10. 10, 14. & 13. 12. d Ibid. e 1. Cor. 6. 2. Eph. 4. vers. 12. Matth. 27. 52. Rom. 8. 27.

28. Porro *sanctitas* renatorum, ratione *subjecti* sui, rursus distribuitur: aut enim est hominis singularis, aut cœtus hominum, seu populi, atque Ecclesiæ alicujus. Quæ, attributis suis; nonnihil variant: ut postea constabit. Atque hæc, de *gemina renatorum sanctitate*.

29. Non renatorum verò inhærens sanctitas, est supernaturalis [a], mentis eorum, per fidem dogmaticam, seu Euangelii agnitionem [b] (quæ intelligentiam, & assensum illius, complectitur) virtute Spiritus Sancti, illustratio [c], à cordis regeneratione, separata [d]. Ideoque, fides hujusmodi, herbæ non radicatæ [e], comparatur: eâque præditi, *petrosi* [f], *spinosi* [g], *terra reproba* [h], *animæque instabiles* [i], vocantur.

a Matth. 16. 17. 1. Cor. 2. 14. b Heb. 6. 4. 5. & 10. 26. 2. Pet. 2. 20. 21. c Heb. 6. 4 & 10. 26. d Act. 8. 13. 21. Jac. 2. 20. e Luc. 8. 13. f Ibid. g Ib. h Heb. 6. 8. i 2. Pet. 2. 14.

30. Quales fuerunt, proditor *Judas* [a], *Simon Magus* [b], *Hymenæus*, *Philetus*, *Alexander* [c], multique alii, qui ita *in Christum crediderunt*, ut, iis tamen Christus (cordium ipsorum conscius) *se ipsum*, *minimè crediderit* [d]: *quique gloriam hominum magis*, *quàm Dei*, *dilexerunt* [e].

a Matth. 27. 4. 5. b Actor. 8. 13. 21. c 1. Tim. 1. 19. & 20. 2. Tim. 2. 17. 18. d Joh. 2. 23, 24. e Joh. 12. 42, 43.

31. Quæ *fides*, idcirco *mortua* [a], licet dispari ratione, dici solet. Alia enim, *absolutè ferè*: alia, *relatè* solùm, ita appellatur.

a Jac. 2. 26.

32. *Absolutè ferè mortua* est, quæ, præter nudum, intellecti Euangelii, assensum, ac confessionem, opera, fidei indicia, nulla, aut rara, producit [a]: aut scelerum præterea licentiam (ex cordis pravitate, &, perversâ, libertatis Christianæ, interpretatione [b]) conjunctam retinet [c].

a Jacob 2. 20. b 2. Pet. 2. v. 19. Galat. 5. v. 13. Judæ 4. c 2. Pet. 2. vers. 18, 19, 20.

33. *Relatè* verò, *mortua fides*, dicitur, non ea, quæ, omni prorsus agendi facultate, caret: sed quæ illa, fidei renatorum ac justificantis, vi, ad sancta Deoque grata opera edenda, efficaci, destituitur. Id quod, *partim* adjuncta illius; *partim* effecta, demonstrant.

34. *Adjuncta*, quia non solùm, à verâ charitate, separata est (sine quâ, omnis fides, vana ac mortua [a]) sed etiam, quia plerumque falsam, de suæ sanctitatis integritate ac præstantiâ, comitem habet opinionem, & vanam similiter, de gratiâ ac salute, persuasionem & confidentiam [b]. Quæ, perversæ illius opinionis, est soboles: quâ *sibi videntur*, *stare* in gratiâ, &, à casu exitii, immunes [c].

a 1. Cor. 13. 2. 3. Jac. 2. 26. b Jac. 2. 20. Gal. 5. 6. Matth. 7. 21. 22. & 25. 3. 11. c 1. Cor. 10. 12.

35. *Effecta* deinde illius *mortuæ fidei*, cum interna, tum externa, idem luculenter ostendunt.

36. *Internum* enim, in corde, *effectum primum* est, aliqua affectuum ipsorum mutatio. Cujusmodi est, evanidum, ex Euangelii cognitione, & assensu, gaudium [a]. Quod non ex verâ, gratiæ ac gloriæ, persuasione, veràque spe (quæ, solam fidem justificantem, sequuntur [b]) promanat: quemadmodum *credentes*, dicuntur *exultare, gaudio ineffabili & glorioso* [c]: *sermonemque accepisse, cum gaudio, per Spiritum Sanctum* [d].

a Matth. 13. v. 20. Joan. 5. v. 35. b Joan. 14. v. 16. 17. & cap. 16. v. 22. Actor. 16. 34. Rom. 5. 2. & 12. 12. c 1. Pet. 1. 8. d 1. Thess. 1. 6. Rom. 14. 17.

37. Oritur verò, *partim* inde, quòd, amabili Euangelii luce, fœdas ignorantiæ tenebras, & acerbos superstitionum terrores, sibi eximi sentiant: *partim*, quod cælestia, verè credentibus ac renatis, promissa, ac propria bona, per Euangelii prædicationem, objecta, intellectus, ac desiderii, vanæque confidentiæ, quasi gustu, prælibent [a]: non autem fide vivâ, ac serio, boni cordis, amore, per Spiritum consolatorem, percipiant [b], &, animi ventriculo receptum, conservent.

a Heb. 6. 4. 5. Luc. 14. 15. b Joan. 14. 17. Luc. 8. 13. 18. collato cum 15. Heb. 6. 7. 8.

38. Alterum effectum internum est, quædam innatæ vitiositatis naturæ, & pristinarum cupiditatum, non exstirpatio (quæ, per regenerationem, renatis propria est [a]) sed, per agnitionem Euangelii, & Dei auxilium, refrænatio: & aliquod, honestè vivendi, studium: non autem solida sui abnegatio, & resipiscentia salutaris: quæ, vivâ fide sanctificatis, convenit [b]: ut ex sequentibus effectis colligitur.

a Ezech. 36. 26. Gal. 5. 24. b Actor. 11. 17. 18. 2. Cor. 7. 10.

39. *Externa* verò *effecta*, sunt Christianæ disciplinæ, per corporis ministerium, in sensus incurrens, observatio. Quæ, in externâ vitæ correctione, consistens, *partim*, in pristinæ ac dissolutæ, errorum ac scelerum, impuritatis desertione ac fugâ [a]: *partim*, in externâ, erga Euangelium (per verbi ac Sacramentorum, professionem, ac communionem, vitæque honestatem) obedientiâ [b], conspicitur. Adeo ut, hisce de causis, hac fide præditi, non quidem simpliciter & absolutè; sed partim ac comparatè, *loti* [c], & *ab inquinamentis mundi, reipsâ elapsi* [d], nominentur. Quod, quum non observent adversarii, invalido sophismate, perseverantiam sanctorum oppugnant.

a 2. Pet 2. 18. 20. b Ibid. c 2. Pet. 2. 22. d Ibid. vers. 20.

40. Quibus effectis licet, vivam fidem, mortua adeo imitetur, & assimulet; ut, non solùm fidelibus (ex charitatis lege, probabiliter judicantibus [a]) sed, suo etiam possessori hallucinanti, viva esse, sæpius videatur [b]: vivam tamen nunquam exprimit.

a 1. Cor. 13. 7. b Matth. 7. 20. Luc. 8. 18. Jac. 2. 20.

41. Ideoque, non simpliciter & absolutè, sed, hâc demum ratione spectatâ, ὑποκριτικὴ *simulata* (quòd aliud appareat, aliud reipsa existat) rectè dici, opposité ad ἀνυπόκριτον non simulatam [a], consuevit. Quippe licet suo modo, ac generatim, ea fides, sit vera, nempe, non simulata Christi agnitio, veraque professio: vera tamen, κατ' ἐξοχὴν dicta, fides, radicata, &, per charitatem, efficax: hoc est, eximia illa (ut *verum* etiam, pro eximio, usurpatur [b]) species, quam Euangelium, ad gratiam & gloriam, requirit, quæque sola, veros Christi discipulos, constituit [c], verè dici non potest. Quâ distinctione, objecta, ab adversariis, inter nostros, dissensionis species, evanescit.

a 2. Tim. 1. 5. & 1. Tim. 2. 5. b Joan. 1. 9. 48. & 8. 31. & 15. 1. c Joan. 8. 31.

42. Siquidem hæc effecta, neque à *mente*, nisi parte quadam, sanctificata; neque à *corde* renato, procedunt: nec denique, per vivam, Christi ac sanctitatis ipsius, communionem, ab imperfectionis suæ vitio (quod electorum fidelium, qui viva Christi membra existunt, peculium est [a]) repurgantur ac justificantur.

a Heb. 9. 14. & 13. 21. 1. Pet. 2. 5. 1. Cor. 1. 30. Rom. 8. 30.

43. Tales enim fideles, licet malè ingesta, canino more, evomuerint, & sordes suas, porcorum instar, quodammodo eluerint [a]: insitâ tamen cordibus immunditie, & carnis dominio, canes & porci esse non desinunt [b]: ut qui non sint ita *abluti*, ut etiam sint *sanctificati, & justificati, per nomen Iesu, & per Spiritum Dei nostri* [c]: nec concives sanctorum [d], domus Dei [e], ac templum Dei: in quo, Spiritus Dei, habitet [f].

a 2. Pet 2. 22. b Ibid. c 1. Cor. 6. 11. d Eph. 2. 19. e Eph. 2. 22. Heb. 3. 6. f 1. Cor. 3. 16.

44. Ac propterea, qui hujusmodi præditi sunt fide, etsi quasdam, cum verè fidelibus ac renatis, appellationes (ob aliquam, cum iis, convenientiam) habeant communes; reipsa tamen, plurimum discrepant, &, ab eorum censu, meritò excluduntur.

45. Qualis appellatio est, quòd, *ab hero*, dicuntur *empti* [a]: hoc est, (ut alibi loquitur Scriptura [b]) acquisiti: per consuetam, ac mutuam, synecdochen. Nam, ut generalis vox, *acquirere*, pro emere [c]: sic specialis, *emere*, pro acquirere [d] (sicut etiam *redimere*, pro liberare [e]) vicissim usurpatur. Quod ut, in *disputatione, de morte Christi*, paucis exposuimus: sic, hoc in loco, copiosius nonnihil, ad majorem evidentiam, erit explanandum.

a 2. Pet. 2. 1. b Exod. 15. 16. Deut. 32. 6. c Act. 7. 16. cum Genes. 25. 10. d Esa. 55. 1. Apoc. 3. 18. e 2. Sam. 7. 23. Psal. 26. 11. Luc. 21. 28. Rom. 8. 23. Heb. 11. 35.

46. Quippe, *empti*, hîc dicuntur, non à Domino, Filio; sed, ab *hero*, nimirum Patre: cui soli, appellatio δεσπότου *heri*, distinctè, à voce κυρίου *Domini*, in Sacris Literis [a], attributa est. Deinde, nec speciatim, sanguine [b], aut pretio [c]; sed generatim, dicuntur empti: hoc est, acquisiti: nempe, quòd illos Deus herus, in familiam suam, ac numerum, non κατ' ἐξοχὴν suorum [d], filiorum scilicet atque hæredum; sed servorum (qui in domo non manent [e], sed exhæredes sunt [f]) adsciverit.

a Luc. 2. 29. Act. 4. 24. 2. Tim. 2. 21. Judæ 4. b Apoc. 5. 9. c 1. Cor. 6. 20. & 7. 23. d 2. Tim. 2. 19. e Joh. 34. 35. f Gal. 4. 30.

47. In cujus heri magnâ domo, vasa quædam sunt, ad decus, pura: quædam, ad dedecus, impura [a]: utraque tamen empta, seu acquisita; sed diverso acquisitionis modo.

a 2. Tim. 2. 20. 21.

48. *Illa* quidem, communiter per Dei, ad agnitionem Christi, vocationem, & externam Ecclesiæ communionem: *hæc* verò, propriè, *partim*, per Dei Patris, ad vivam fidem, vocationem, & adoptionem [a]: *partim*, per Dei Filii sanguinem, acquisita [b]. Unde hi fideles duntaxat, *empti ex hominibus, primitiæ Deo & agno* [c], dicuntur: *Deo* quidem Patri, ut domus hero [d], in filios atque hæredes [e]; sed *agno*, Jesu Christo, ut herili filio [f], in cohæredes ipsius [g], acquisiti. Ideoque perseverantiæ Sanctorum minimè adversatur.

a 2. Thess. 2. 13. 14. Joa. 1. 12. 13. b Act. 20. 28. c Apoc. 14. 4. d 2. Tim. 2. 21. Heb. 3. 5. e Rom. 8. 17. 1. Pet. 2. 9. f Heb. 3. 6. g Rom. 8. 17.

49. Talis etiam est appellatio, quòd, *palmites Christi* [a], vocantur: quia, per illius agnitionem, ac professionem, externamque, cum palmitibus ejus (hoc est, Ecclesiâ, mystico Christi corpore, atque eatenus cum Christo) habent communionem. Verùm, quoniam, vivificâ Christi unione, & succo vivificantis Spiritus, carent, uvas non proferunt, ideoque, ut infructuosi, tandem excluduntur, & in ignem dejiciuntur [b]: illæsâ interim sanctorum perseverantiâ.

a Joh. 15. 2. b Joa. 15. 2. & 6. Matth. 13. 30. 42.

50. Quo etiam modo, secundùm quid *filii regni* [a], nuncupantur. Siquidem ab iis, qui *filii regni* [b], sunt simpliciter: quique electi sunt, & adoptati in filios [c]: qui, non solùm sunt in Ecclesiâ, sed etiam ex Ecclesiâ [d] (tanquam viva illius, ac Christi, membra) disparantur. Atque hæc, de *sanctis*, & *sanctitate*: consequens est, ut ad *perseverantiam* eorum, à voce (ut sophismatis occurratur) exorsi, procedamus.

a Matth. 8. 12. b Matth. 13. 38. c Eph. 1. 5. Gal 3. 26. 1. Pet. 1. 22. 23. Joh. 1. 12. d 1. Joh. 2. 19.

51. *Perseverare* autem, licet, à voce *perseverus* (quæ rigidum atque obstinatum notat) derivetur; generalius tamen, perdurare, seu permanere, significat. Quocirca, eodem sensu, ad verborum copiam, *perseverare & permanere* [a], connectuntur. Et, ut in bonam partem, ad constantiam; sic etiam, in malam, ad pertinaciam, referri solet. Sicut, sapiens illa Oratoris sententia, ostendit; *Cujusvis hominis, est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare* [b]. Quod si satis expenderent adversarii, in veritatis castra, redirent.

a Cic. de Leg. l. 3. b Ibid. Philip. 12.

52. Cui voci Latinæ, in S. Literis, hæ Græcæ, προσκαρτερεῖν [a], διαμένειν [b], προσμένειν [c], ἐμμένειν [d], ac divisim μένειν ἐν [e], ἐπιμένειν [f] (quod etiam in utramque partem usurpatur [g]) & interdum

terdum ὑπομένειν [h], diversâ licet ratione, respondent. Illæ enim *subjectum*, in quo, perseverantia inest: hæc verò, *objectum*, quod ei obest, relatè connotat.

a Act. 2. 42. & 6. 4 Rom. 13 6. b Heb. 1. 11. 2. Pet. 3. 4. c Act. 11. 23. d Act. 14. 22. Heb. 8 9. e 1. Tim. 2. 15. 2. Tim. 3. 14. f Act. 13. 43. Col. 1. 23. g Rom. 6. 1. & 11. 22. 23. h Matth. 10. 22. & 24. 13.

53. Utque ab ἐπιμένω, ἐπιμονή, & ab ὑπομένω, ὑπομονή permansio: sic, à persevero, perseverantia, eodem, cum Græcis illis vocibus, sensu [a] (licet significatione, per synecdochen, plerumque strictiore) derivatur. Hinc Varro ad Ciceronem, ait; *Quod, in quo oporteat manere, si, in eo, perstet, perseverantia sit* [b]. Quam sententiam, Cicero expoliens; *perseverantia* (inquit) *est in ratione bene consideratâ, stabilis & perpetua, permansio* [c]. Eamque idcirco, fortitudinis partem, statuit [d], &, à *finitimâ pertinaciâ* [e], cum Varrone [f], discernit [g]. Sed à Valerio Maximo generalius, etiam, *vesana* quædam *perseverantia*, nominatur [h].

a Glossar. Græc. vetus. b De ling. Lat. Lib 4. c De invent. lib. 2. d Ibid. e Ibid. f De ling. lat. l. 4. g Partit. Orat. & de invent. lib. 2. h Lib. 1. c. 6.

54. Cæterùm, ut προσμένειν [a], & ἐπιμένειν [b] permanere ac perseverare, metaphoricâ vocis abusione, interdum, non continuare, sed, per intervalla, frequentare, designant: sic etiam ὑπομονή [c], & προσκαρτέρησις [d], perseverantia, pro frequentatione, impropriè usurpantur. Quæ significatio, ab institutâ nostrâ controversiâ, alienior est.

a 1. Tim. 5. 5. b Ib. 4. 16. c Rom. 2. 7. Luc. 8. 15. d Eph. 6. 18.

55. *Perseverantia* autem *propriè*, pro permansione accepta, generatim distinguitur, duobus modis: *primum* ratione rei subjectæ: *deinde*, ratione durationis illius.

56. *Ratione rei subjectæ*, cui perseverantia convenit, rursus bifariam dirimitur.

57. *Primo*, alia est *simpliciter*, seu omnino: alia *secundum quid*, seu partim. *Illa* est, quæ non solùm veritatem essentiæ rei, ut non intereat, sed etiam integritatem illius, ut nihil decedat, prorsus requirit. Qualis perseverantia Sanctorum est, in sanctitate suâ, in cœlis. *Hæc* verò, sola essentiæ rei veritate, contenta est: licet eam variè mutari, augeri, minui, contingat.

58. *Secundo*, perseverantia, ratione rei subjectæ, alia, *absoluta* est: alia, *relata*: *Illa* est, rei non abolitæ, à primo ipsius initio, ad finem usque vitæ continuatio: hæc verò, est rei, post integram defectionem, seu plenam ipsius abolitionem, restitutæ, ad finem vitæ, permansio. Prior, *totalis* simul ac *finalis*: posterior, *finalis* tantùm, vulgò appellatur. Hæc de *perseverantia, ratione rei subjectæ, distinctione*.

59. *Ratione* verò *durationis*, perseverantia alia est, ad certum vitæ tempus, restricta [a]: alia, perpetua, ad finem usque vitæ [b]. Hisce, de vocis usu, præmissis, ad rem ipsam, progrediemur, & primùm, de *perseverantiæ* sanctorum *veritate*: deinde verò, de *doctrina* illius, *utilitate* eximiâ, distinctè agemus. Ac priùs quidem, descriptione sequenti, complectemur.

a 1. Cor. 16. 7. b Matth. 10. 22.

60. Perseverantia sanctorum; *est omnium hominum, adventitiâ sanctitate præditorum, & inchoatè renatorum, singularium, ac, per se, deficere valentium, ex perficienti Dei beneficio, constantia: quâ, in ejusdem reipsa, vivæ fidei, spei, ac charitatis, virtutibus, à regenerationis, semel acceptæ, initio, ad finem usque vitæ suæ, permanent, ad gratiæ, veritatis, sapientiæ, ac potentiæ Dei, Christique gloriam, & æternam, perseverantium sanctorum, salutem*.

61. Quæ *copiosior* quidem *descriptio*, ad rei uberiorem intelligentiam, concinnata est: cui, *strictior* hæc delineatio, ad faciliorem memoriam, adjungi potest; Perseverantia sanctorum, *est semel renatorum, in vivæ fidei, spei, charitatis, virtutibus, Deo id perficiente, ad finem usque vitæ, permansio*. Quibus descriptionibus, *materiam* perseverantiæ *subjectam*, & *causas*, pressius complexi sumus: quæ, deinceps expressius, erunt evolvenda atque asserenda.

62. *Subjecta* perseverantiæ *materia*: cui, ea attributa est, indicatur duplex; *remota*, & *proxima*.

63. *Remota*, sunt *sancti*, per excellentiam quandam dicti, quum, *perseverantia sanctorum*, nominatur: qui hoc modo, suis affectionibus, distinctè describuntur; *Omnes homines, adventitiâ sanctitate præditi, inchoatè renati, singulares, ac, per se, deficere valentes*: quibus omnibus, & solis, perseverantia ista, attribuitur: ut, ex partium explicandarum momentis, & ex perseverantiæ causis, perspicuè constabit.

64. Ac *primum*, *homines*, dicuntur; non Angeli: nec originali; sed, *adventitia sanctitate, præditi*. Ideoque, toto scopo, aberrant adversarii, qui Angelorum quorundam, & primorum hominum, defectionem, contra veram perseverantiæ sanctorum, doctrinam, objectant.

65. Siquidem illi primùm, non eodem prorsus modo, fuerunt sancti: quum fide tantùm, in Deum creatorem; non autem, in ipsum, per Christum, redemptorem, essent præditi. Deinde non iisdem, cum fidelibus sanctis, promissionis, & conservationis divinæ, privilegiis, adversus liberam suam, penitus deficiendi, potentiam, fuerunt præmuniti; sed suam sanctitatem originalem, uno lapsu (præter communem ac stabilem, habituum ac virtutum, naturam) peculiari miraculo, Dei comminatione, prænuntiato, amissuri: ut eventus comprobavit. Quum contrà homines renati, licet sæpius peccent [a], fide suâ minimè excidant [b].

a Jac. 3. 2. 1. Joh. 1. 8. b Luc. 22. 32. Joh. 17. 20.

66. *Deinde* non quivis, adventitiâ sanctitate, præditi; sed *renati* solùm, hujus perseverantiæ subjectum, statuuntur. Ac propterea, quæ, de Israëlitarum plurium, à Deo, defectione, in Sac. Lit. exprobrantur [a], ea temerè obtendi solent: ut quæ, ad hanc materiam, minimè spectent.

a Deut. 9. 12.

67. Quippe sancti [a] quidem fuerunt, sed modo generali: communi scilicet electis, & reprobis [b], in populum Dei [c], per verbi & Sacramentorum communionem [d], vocatione; non autem speciali, per regenerationem, in spem vivam [e], ac vocationem illam electis propriam [f] (quæ & sancta [g], & cælestis [h], utrimque κατ' ἐξοχὴν, dicitur) à qua, *electi Dei, sancti, & dilecti* [i], nominantur.

a Deut. 7. 6. b Matt. 22. 14. c Deut. 7. 6. d 1. Cor. 10. 1. ad 7. e 1. Pet. 1. 3. cum Deut. 9. 5. 6. & 29. 4. f 2. Tim. 1. 9. Rom. 8. 28. 30. g 2. Tim. 1. 9. h Heb 3. 1. i Col. 3. 12.

68. Præterea *renati*, non perfectè & absolutè (quales soli sunt sancti, in cœlis) sed *inchoatè* (quales sancti, in terris) intelliguntur. In *illis* enim sanctitas, omnibus numeris, est absoluta [a]: In *his* verò, quia *caro* reliqua, *adversus spiritum, concupiscit* [b]; sanctitas, solùm inchoata atque imperfecta, comperitur. Unde Sapiens exclamat; *Quis potest dicere, mundavi cor meum: purus sum, à peccato* [c]?

a Heb. 12. 23. 1. Cor. 13. 10. b Gal. 5. 17. c Prov. 20. 9.

69. Ad hæc sancti (de quibus agimus) *singulares* dicuntur, ut à populis sanctis, ac conspicuis Ecclesiis distinguantur. Horum enim sanctitas, &, alio modo, permanet: & omnino deficere potest, ac frequenter deficit.

70. *Permanet* enim, non eadem *numero* (ut, in singularibus sanctis ac renatis, evenit) sed, eadem *specie*, pro, cœtus ac populi, è multis hominibus, collecti ac constituti, naturâ. Nam, ut populi permansio, non, in singulorum, è populo, perduratione (quæ, in mortalibus, reperiri nequit) sed, in perpetuâ aliorum successione, posita est: sic, & sanctitatis populi perseverantia, solâ similitudinis successione, continetur.

71. Ac propterea, quum à cœtibus, aut populis, ingratis ac contumacibus, justo Dei judicio, ministerium Euangelii (necessarium illud, regenerationis ac sanctitatis propagandæ, semen [a], atque instrumentum [b]) omnino aufertur [c]; singulares quidem illius, sancti ac renati, non deficiunt [d]: sed, his paulatim, in cœlum, sublatis, profanisque residuis, & similibus subnascentibus posteris, sanctus populus esse desinit [e].

a 1. Pet. 1. 23. b Rom. 10. 14. c Matt. 21. 43 Amoz. 8. 11. Apo. 2. 5. d Rom. 11. 2. 5. 7. e Rom. 11. 17. 19.

72. Cujus rei, illustre exemplum, in Judæorum populo: qui eo sensu, & sub Vet. Test. bonâ parte, ex vite generosâ, ac fertili, in degenerem noxiamque descivisse [a]: & sub Nov. Test. *sua incredulitate*, ex spirituali *olea*, Christo, *excisus*, & ex amico Dei, *hostis effectus* [b], pronuntiatur. Quamobrem inconcinnè, hujusmodi defectio, perseverantiæ sanctorum singularium, objectatur.

a Jes. 5. 2. b Rom. 11. 12. 20. 21. 22. 28.

73. Denique, in sanctorum descriptione, addidimus:

per se deficere valentium, hoc est, qui, reliquæ vitiositatis obsitæ (quâ, ad defectionem, propendent) pravitate, & sanctitatis insitæ (sine Dei auxilio) fragilitate ab ea, omnino possunt deficere, ac perire.

74. Nam, quamvis spiritus, (seu sanctitas renatorum) carne solâ, utpote crucifixâ, sit validior [a]: accedente tamen, ad carnem, Satanæ, mundique, insidiis ac viribus, spiritus hic solus, (nisi promissum Spiritus Sancti subsidium, laboranti subveniret) tribus illis conjunctis adversariis, viribus cederet ac succumberet [b]. Hæc de *sanctis*, *remota* perseverantiæ *subjecta materia*.

a Rom. 6. 6. 7. 11. 14. Gal. 4. 24. 25. Col. 2. 11. b Matth. 26. 41. Luc. 22. 32. Joan. 15. 5. 1. Cor. 10. 13. Eph. 6. 10. 11. 12. 13. 18. 1 Joan. 4. 4.

75. *Proxima* verò, est peculiaris sanctitas: quæ, *ejusdem reipsâ vivæ fidei*, *spei*, *& charitatis*, *virtutibus*, describitur. *Virtutibus*, inquam, non actionibus virtutum. *Illæ* enim, sunt habitus, seu qualitates continuò inhærentes: *hæ* verò, transeuntia, ac minimè continua illarum effecta. Ac propterea illis (ut initio ostendimus [a]) convenire potest, propriè accepta perseverantia: hisce verò, non nisi impropriè, & alienâ vocis, à scopo nostro, abusione [b].

a Thesi 7. b Thesi 54. Rom. 2. 7. Eph. 6, 18.

76. Deinde virtutes intelliguntur, non quævis: sed *trina* illæ *Charites*, *viva fides*, *spes*, *charitas* [a]: non larvæ earum, nempe fides merè dogmatica, spes vana, & charitatis umbra. Idcirco quæcunque de *Hymenæi*, *Alexandri*, *Phileti*, & similium defectione [b], opponuntur, inania sunt, deploratæ causæ, patrocinia.

a Thesi 21. b 1. Tim. 1. 20. 2. Tim. 2. 17.

77. Nam licet illi, ad tempus [a], *tenuerint fidem* [b], hoc est (per Metonymiam, Sacris Literis, tritam [c]) fidei doctrinam [d]: eamque initio, fide suâ dogmaticâ seriò fuerint amplexi ac professi: cordis tamen, non renati, cupiditatibus [e] seducti, non, à viva fide, spe, charitate (quas ut scopum, minimè attigerant [f]) sed à doctrina fidei, & à mortua sua fide, defecerunt [g].

a Luc. 8. 13. b 1. Tim 1. 19. 20. c 2. Tim. 3. 8. Iudæ 3. & 20. d 1. Tim. 3. 9. e 1. Tim. 6. 10. 2. Pet. 2. 14. 15. f 1. Timoth. 1. 6. 1. Ioa. 2. 19. g Luc. 8. 13. 1. Tim. 4. 1.

78. Ideoque, *à tradito ipsis sancto mandato*, *regressos esse* [a], & eodem sensu, *aberrasse à fide* [b]: *circa fidem naufragium fecisse* [c]: *& quosdam, à fide defecturos* [d]: sine ulla vivæ fidei, jactura asseritur.

a 2. Pet. 2. 21. b 1. Tim. 6. 10. c Ibid. 1. 19. d Ibid. 4. 1.

79. Nam, quod adversarii excipiunt, ideo quosdam, *fidei naufragium fecisse*, quòd, *bonam conscientiam*, *repulerint* [a]: illud, nec bonam eos conscientiam, habuisse: nec, si habuerint, vivæ fidei defectionem, arguit.

a 1. Tim. 1. 19.

80. *Primum* inde constat: quia ἀπωθοῦμαι repello: hoc loco, ut sæpe aliàs, spernere notat: quemadmodum LXX. Græci interpretes verbum Hebræum, *Maás*, hoc est spernere, eadem voce, frequenter reddunt [a]. Ac similis est sententia, quæ, seductionis à veritate causa traditur; *quòd*, *amorem*, *veritatis*, *non acceperunt* [b]: hoc est, repulerunt atque spreverunt: non autem, quòd amorem Dei, bonamque conscientiam, habuerint; sed quòd, ad ea, invitati Verbo divino, studium eorum rejecerint.

a 2. Reg. 17. 15. 20. &c. b 2. Thess. 2. 10.

81. *Alterum* verò, inde liquet, quòd, *bona conscientia* ambiguè, in eâdem sententiâ, & analogiâ quâdam, de diversis, dici potest. Sicut, in hac; *Sancti estote, sicut ego sanctus sum* [a]: sancti vox, de Deo & fidelibus, analogicè usurpatur [b]. Ita, *bona conscientia*, generatim quidem est, mens recta dictans, rectique sibi conscia: sed hoc, bifariam contingit, simpliciter, vel secundum quid: idque variè.

a 1. Pet. 1. 16. 1. Ioh. 3. 3. b Vide Thesi 5.

82. *Prius*, solis verè fidelibus [a]: *posterius*, aliis etiam convenit: qui, zelo ejus, quod rectum censent, accensi sunt, ejusque sibi probè conscii [b]. Utrumque modum, suo etiam exemplo [c], Paulus demonstrat 2. Tim. 1. versu 3. *Cui servio, bona conscientia, à majoribus*: *Servio*, nempe jam fidelis, ἀπὸ προγόνων *à majoribus*, hoc est, à parentibus [d], seu, ab ineunte ætate, quum adhuc essem incredulus, ac zelotes Dei [e].

a 1. Pet. 3. 21. b Rom. 2. 15. & 10. 2. c Act. 23. 1. d 1. Tim. 5. 4. e Act. 22. 3. Phil. 3. 6.

83. Nam quod ajunt; *Servio*, *à Majoribus*, esse modum loquendi, *Scripturæ familiarem*, *quo*, *nihil aliud*, *indicatur*, *quàm*, *eidem illi Deo*, *servio*, *cui servierunt patres mei*, *& progenitores*, *Abraham*, *Isaac*, *& Iacob* [a]: illud, inquam, vanissimum est, & à Scripturæ usu, quem jactant, non probant, nec probare valent, alienum: quemadmodum, quod, bonæ conscientiæ significationes, in unam confundunt.

a Act. Remonst. de persev. p. 270.

84. Nam Timotheus (quem Paulus hic compellat) bonam habuit conscientiam: & Apostatæ quoque habere potuerunt; sed analogicè. *Ille*, simpliciter: *hi* verò secundum quid; quatenus conscientia ipsis dictaverit, amorem & confessionem veritatis, & gloriæ Dei studium: ipsi verò, eâ contumaciter repulsâ, veritatem corruperint, & à doctrina fidei, defecerint.

85. Denique in perseverantiæ descriptione, sanctitatis hujus, *virtutes eædem*, dicuntur, non simpliciter; sed secundùm quid: nempe, ratione veritatis essentiæ; non etiam, integritatis illius, ac mensuræ. Nam, ut suam habent, virtutes illæ, accretionem [a]: sic patiuntur etiam, sine abolitione, diminutionem variam [b]. Quæ propterea, non omnino, sed partim, *prolapsio* [c], & *perditio* [d] (morbi scilicet ac vulneris, non mortis) appellatur. Ideoque perperam, ex eo, sanctorum perseverantiam, impugnant.

a Ephes. 3. 16. & 4. 15. 16. b Hebr. 5. 11. 12. & 12. 12. 13. Apoc. 2. 4. 5. c Apoc. 2. 5. d 1. Cor. 8. 7. 9. 10. 11. 12.

86. Quamvis enim, in sanctis ac verè fidelibus, interdum (quum Deus ipsos, aut justè castigans [a]: aut utiliter probans [b], carni, Satanæque, ac Mundo, acriùs tentandos, permittit [c]) caro spiritui repugnans [d], eundem supplantet [e], & ad tempus, deprimat atque infirmet, operaque illius sancta, remoretur; nunquam tamen penitus opprimit, & extinguit [f].

a 2. Sam. 24. 1. b Iob. 1. 12. Iac. 5. 11. c Ibid. 2. Sam. 24. 1. cum 1. Chro. 21. 1. d Gal. 5. 17. e 2. Sam. 24. 2. & 10. f Ibid. 1. Io. 5. 17.

87. Quippe, Dei misericordiâ *manum sustentante* [a], ac tentationis acerbitatem mitigante [b], spiritus tandem expeditus, victor exsurgit: sanctique, ad resipiscentiam, reducti, à peccato regnante [c], & fœtu illius, à peccato in Spiritum Sanctum seu ad mortem, servantur immunes [d].

a Psal. 37. 24. b Ibid. 125. 3. Luc. 22. 31. 32. 1. Cor. 10. 13. Iob. 1. 12. & 2. 6. c Rom. 6. 14. d 1. Ioa. 3. 9. & 5. 18.

88. Ideoque frustra, illud Apostoli; *A quo quis*, *superatus est*, *huic etiam*, *in servitutem*, *est addictus* [a], ab adversariis [b], objectatur. Siquidem *superari*, hoc loco, non, de quâvis clade; quâ quis, in luctâ, ad tempus, inferior est; sed, de plenâ subjectione, intelligitur: ut Jobi [c], Mosis [d], & aliorum sanctorum, exempla illustria, evincunt. Qui, tentatione graviori, afflicti, in nonnullis actionibus, à carne fuerunt superati; sed tamen fidei, spei, charitatis, virtutes, licet nonnihil infirmatas, invictas tamen, conservarunt: carnemque, brevi exultantem, tandem domuerunt.

a 2. Pet. 2. 19. b Acta Synod. Rem. de pers. p. 257. c Iob. 3. 1. al. 2. 13. & 38. 2. & 40. 3. & 42. 3. 6. 7. d Num. 20. 10 12.

89. *Primum* autem hujusmodi *exemplum* (ut alia prætereamus) est Davidis. Cujus sanctitas, lapsu graviore ac diuturniore, vehementer concussa, & imminuta est (adeo ut eatenus, *cor mundum sibi creari*, *& spiritum rectum*, *intra se*, *renovari* [a]: *&*, *gaudium salutis sibi reddi*, *& Spiritu ingenuitatis se sustentari* [b], flagitarit) sed nunquam tamen, penitus fuit exstincta.

a Psal. 51. 12. b Ibid. vers. 14.

90. Quod, vel inde liquet, quia, quum in eâdem illâ oratione, ita simul sit comprecatus; *Ne abjicias me*, *à facie tua*, *&*, *Spiritum Sanctum tuum*, *ne recipias*, *à me* [a], reliquam, Dei gratiæ, ac Spiritus Sancti, præsentiam, sibi inesse, apertè demonstravit.

a Ib. vers. 13.

91. Neque huic (ut obtendunt [a]) adversatur Apostoli sententia; *Qui talia agunt*, *regni Dei non erunt hæredes* [b]: quia id, non absolutè, sed cum conditione; Nisi resipiscant [c], accipiendum esse, res ipsa arguit. Alioqui Paulus ipse, cum Barnabâ, ob litem, quæ carnis illis operibus accensetur [d], inter ipsos exortam, atque παροξυσμὸν animi exacerbationem [e], exhæredes fuissent regni. Neque, *hæc agere*, aliud, quàm perpetrare, generatim significat: non autem speciatim, secundùm carnem vivere (hoc est, ad carnis regnantis impe-

imperium, vitæ suæ actiones instituere) ut adversarii volunt [f]: quod tamen, à Davide, factum, probare nequeunt.

a Acta Rem. de perf. p. 252. b Gal. 5. 21. c Ezech. 33. 11. d Galat. 5. v. 20. e Act. 15. 39. f Act. Synod. Rem. de perf. p. 253.

92. Deinde, quod vivam Davidis fidem defecisse, ex eo, concludere conantur [a], quòd *fides, sine operibus, sit mortua* [b], & ad salutem inutilis [c]: male argutantur. Viva enim fides, vitam suam non amittit, etiamsi non semper, sed plerumque tantùm, bona opera, producat [d]. Nec mortua, ea est fides, quæ interdum, sed, quæ perpetuò, bonis operibus, caret. Alioqui cui sanctorum viva fides tribuetur? quum, *in multis, impingant omnes* [e].

a Ib. p. 261. b Jac. 2. 26. c Ib. v. 14. d Vide Thesin 23. e Jac. 3. 2. Ps. 10. 13. & 130. 3. & 143. 2.

93. Denique, quod excipiunt [a], Davidem sustulisse membra Christi, & fecisse membra scorti [b]: ideoque effecisse, ut non ampliùs esset, membrum Christi: illud neutiquam consequitur. Nam, *tollere membra Christi*, injustam rei, Christo propriæ, communicationem [c], non autem absolutam separationem, Apostolo significat.

a Acta Rem. de perf. p. 257. b 1. Cor. 6. 15. c Ib. v. 13. 15. 17.

94. *Alterum exemplum*, est *Salomonis*: cujus quidem sanctitas; ita læsa & afflicta fuit misere [a], ut non solùm, minùs integra fuerit, quàm Davidis [b]; sed etiam penè excisa [c]: veruntamen non penitus deperdita.

a 1. Reg. 11. 5. 6. b Ib. v. 4. c Ib. v. 4. 5. 6.

95. *Primum* enim, id ostendit, benignitatis Dei, ipsi datæ: nec, ut Sauli, auferendæ, promissio [a]. Deus enim benignitatem, quam Sauli contulerat, nempe regnum, regiumque spiritum, ab eo, abstulerat: adoptionem, quam nunquam habuerat, auferre non potuit. Salomoni verò, benignitas amplior, obtigerat; ut quæ, non regnum tantùm, sed etiam, adoptionem in filium Dei, complectebatur [b]. *Deinde*, idem docet conspicua, in Ecclesiastis opere, lapsum consecuto, resipiscentiæ illius confessio. *Denique* aperta, post obitum ipsius, commendatio divina (quâ, in cultu Dei similitudine quadam, Davidi comparatur [c]) idem perspicuè demonstrat.

a 2. Sam. 7. 15. b Ib. v. 14. c 2. Chron. 11. 17.

96. Præterea, quis neget *Petrum Apostolum*, horrendis carnis operibus, sanctitatem suam violasse, & ejectionem, ex hæreditate cælesti, promeritum, quum, & Christum, & fidem suam, tribus vicibus, dirâque exsecratione, abnegarit [a]? Et tamen, non abolita fuit penitus: quia eandem Deus (communi, cum reliquis verè fidelibus, gratiâ [b]) conservavit, & ad salutarem conversionem, erexit atque roboravit [c]. Quocirca, quod adversarii ajunt; *Abnegatio, quæ ore fit, contra dictamen cordis sive conscientiæ, cum fide, consistere non potest* [d]: illud, suâ consequentiâ, & in Petrum contumeliosum est: & Christi sententiæ, è diametro, adversatur [e].

a Matth. 26. 74. b Joa. 17. 20. c Luc. 22. 31. 32. Matth. 26. 75. d Acta Synod. Rem. De perf. p. 314. e Luc. 22. 32.

97. Affinis huic (licet longè dispar) sanctitatis, in *Demâ*, successit diminutio: quòd Paulum (cujus aliquamdiu fuerat adjutor [a]) *deseruerit*, *præsensque seculum, dilexerit* [b], ut Apostolus est conquestus.

a Philem. v. 24. b 2. Tim. 4. 10.

98. Quo in loco, vox *seculum*, non mundi infideles [a], per Metonymiam; sed vitam (Αἰὼν enim ὁ βίος, ut rectè Hesychius [b]) quemadmodum alibi [c], designat: quòd scilicet, pericula & incommoda, metuens, ad tempus, vitæ suæ, consuluerit. Id autem, infirmitatis est fidei; non defectionis: officii, erga Apostolum, desertio, non verò religionis totius, erga Deum, abnegatio: desertio denique, non odio veritatis, aut Apostoli; sed metu. In quem lapidem, antea omnes Apostoli [d], & in prima Pauli defensione, omnes ipsius adjutores, impegerant [e]. Quumque *nomina* Demæ, & adjutorum sociorum, *inscripta essent in libro vitæ* [f], non minus resipuisse, quàm Petrum, & reliquos, qui Christum deseruerant, Apostolos, meritò colligendum [g].

a Gal. 1. 4. b Lexico. c Marc. 4. 19. cum Luc. 8. 14. d Marc. 14. 27. 50. e 2. Tim 4. 16. f Philip. 4. 1. g Luc. 22. 32. Joan. 17. 20.

99. Talis denique, quorundam *Galatarum*, fuit sanctitas: quos Apostolus, *partim*, ob læsionem (non autem, ut adversarii fingunt, internecionem) illius, *sese iterum parturire* [a], conqueritur: *partim*, ob reliquam, inexstinctæ regenerationis ac sanctitatis, gratiam, *filiolos* [b], ac *fratres* [c], *Deique filios* [d], agnoscit ac nominat. Hæc, de *subjectâ* perseverantiæ *materiâ*: reliquum igitur est, ut reliquas *causas*, cùm *internam*, seu formam; tum *externas*, efficientem, & finem, exponamus.

a Gal. 4. 19. b Ibid. c Gal. 4. 28. d Ibid. 3. 26.

100. *Forma* perseverantiæ sanctorum, hisce verbis (*constantia, quâ, in ejusdem, reipsâ, vivæ fidei, spei, charitatis, virtutibus, à regenerationis, semel acceptæ, initio, ad finem usque vitæ suæ, permanent*) describitur duplex, *generalis* & *specialis*.

101. *Generalis*, est constantia, quâ permanent: seu, permansio. Quæ, citra controversiam, nihil aliud est, quàm perpetua, ac sine interruptione, duratio.

102. Quæ generalis forma, *partim*, relatione suâ, ad certam subjectam materiam proximam: *partim*, terminorum, quibus continetur, abjectione, restringitur, ac *specialis* evadit.

103. *Prius indicatur*, quum permansio, ad *easdem reipsa, vivæ fidei, spei, charitatis, virtutes* (de quibus initio egimus) non autem ad alia, refertur. Ideoque perseverantia sanctorum, hujusmodi periphrasi; *permanere in fide, & charitate* [a]: *permanere in fide, nec dimoveri, à spe Evangelii* [b], declarari solet. *Posterius* verò explanatur, quum, & *terminus primus*, à quo incipit, & *ultimus*, ad quem pertendit, exprimitur.

a Act. 14. 22. 1. Tim. 2. 15. b Col. 1. 23.

104. *Primus terminus*, est primordium regenerationis ac sanctitatis, semel acceptæ: *ultimus* verò, est finis vitæ renatorum. Quos *terminos* Apostolus, *simul complexus est*, hoc dicto; Si Principium *fiduciæ, firmum tenuerimus, ad* Finem *usque* [a]. Adeo ut, ea regenerationis sanctitas, nec in fine, nec ullo, ante finem vitæ, tempore, penitus (seu, ut vulgò verè, licet minùs purè, enuntiant, *nec totaliter, nec finaliter*) excidat ac depereat.

a Heb. 3. 14.

105. Siquidem, hæc sanctorum perseverantia (ut priscâ utamur formulâ) ad *fortes*, non ad *sanatos* [a]: seu, ad constantes, in fide ac sanctitate; non ad defectores, iterum aut sæpius, sanatâ mente, renatos, ac tandem perdurantes (quales falsò adversarii comminiscuntur) ullo modo pertinet: ut ex *causis efficientibus*, aliisque argumentis invictis, constat.

a Vide Fest. fragm. p. 130. & P. Diaco.

106. *Causa* enim perseverantiæ sanctorum, *efficiens*, ac *perficiens*, est *Dei beneficium*: quia non solùm, ad eam sufficit (ut adversarii, gratiam Dei mutilantes, contendunt) sed eandem quoque efficit, ac perficit. Hoc autem beneficium est duplex, *voluntas* Dei, perseverantiam illam, *decernens*: & *operatio*, decretam *exsequens*.

107. *Voluntas* Dei eam *decernens*, est æterna, gratuita, & immutabilis [a], prædestinatio & electio: quâ omnium, per regenerationis gratiam, sanctificatorum, in vivæ fidei, spei, charitatis, sanctitate, perseverantiam, simul cum mediis, eò pertinentibus, ad salutem ipsorum, præstituit: ut sequentia Dei oracula, κατὰ θέσιν, καὶ ἀφαίρεσιν (seu partim, veri *affirmatione*: partim, falsi *negatione*) disertè attestantur.

a Mal. 3. 6. Rom 9. 11. 2. Tim. 2. 19. Heb. 6. 17.

108. *Affirmatio prima*, est Christi Joh. 6. 38, 39, 40. *Descendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui me misit, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam, ex eo; sed suscitem illud, in ultimo illo die. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam* [a], *& suscitem eum, ultimo illo die.*

a Joh. 17. 2.

109. Unde hæc *prima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, emanat; De quibus, est voluntas Dei, ut Filius, ex iis, non perdat, sed, ut habeant, vitam æternam, & suscitet eos, ultimo die, illi, à sanctitate, & communione Christi, ac salute, non excident penitus; sed in eâ, servantur perpetuò. Atqui omnes renati, seu verè credentes, sunt hujusmodi. Ergo illi, à sanctitate, communione Christi, ac salute, non excident penitus, sed in eâ servantur perpetuò.

110. Pro-

110. *Propositio* firma est: *partim*, quia, *ex eo perdere*, & servare, sunt repugnantia: ut contrà, *non perdere*, nihil aliud est, quàm retinere ac servare [a]: cui, *excidere*, adversatur. *Partim*, quia, *omnem voluntatem meam faciam*, *inquit Deus* [b]: & Filius, voluntatem Dei, sese exsequi, hâc sententiâ, protestatur [c].

a Joa. 17. 12. b Isa. 46. 10. Ps. 33. 11. Eph. 1. 11. c Jo. 6. 38. & 17. 4.

111. *Altera affirmatio*, est *Apostoli*, multis locis. *Primus esto*; Eph. 1. 3, 4, 5. *Qui benedixit nobis*, *omni benedictione spirituali*, *in cœlestibus*, *in Christo: sicut elegit nos*, *in eo ante fundationem mundi*, *ut essemus sancti & inculpati*, *coram eo* (Christo) *per charitatem*.

112. Unde *secunda*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, statuitur; Quotquot elegit Deus, in Christo, ut essent sancti & inculpati, coram eo, per charitatem, & quibus, prout elegit, benedixit, omni benedictione spirituali, in cælestibus (rebus [a]) illis perseverantiam, in sanctitate, donat. Atqui, renati, seu verè fideles, sunt hujusmodi. Ergo Deus illis perseverantiam donat.

a Joh. 3. 12.

113. *Propositio*, inde constat, quia sanctitas hæc, *coram eo* (nempe Christo) à gratiâ incipiens, ad gloriam deducit ac pertingit [a]. Deinde, quia sancti, sine perseverantiâ, non sunt *inculpati*: neque *omni benedictione spirituali* affecti, si hac destituantur.

a Eph. 5. 27. 1. Thess. 3. 12. 13. & 5. 23, 24.

114. *Alter locus* est 2. Thess. 2. versu 13, 14. *Elegit vos Deus*; *ab initio*, *ad salutem*, *per sanctificationem Spiritus*, & *fidem veritatis*. *Ad quod vocavit vos*, *per Euangelium nostrum*, *ad acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi*.

115. Hinc *tertia*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*; Quos Deus elegit ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem veritatis, & ad id vocavit, per Euangelium, ad acquisitionem gloriæ Jesu Christi, illi, in sanctitate & fide, perseverant. Atqui fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo, in sanctitate & fide, perseverant.

116. *Propositio* constat, quia sine perseverantiâ illâ, non est salus [a], & finem, ad quem Deus elegit, assequitur [b]: mediaque, quæ, ad eum destinavit, præstruit, ac perficit [c]: quosque, ad sanctificationem Spiritus, & fidem veritatis, vocavit, eosdem, ad finem conservat [d]. Quia *dona Dei* (electio & dilectio [e]) & *vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα *pœnitentiæ expertia* [f], seu irrevocabilia. Quia *fidus est*, *qui vocavit*, *qui etiam efficiet* [g].

a Heb. 10. 36. 38. b Rom. 9. 11. & 11. 7. c Eph. 1. 11. d 1. Thess. 5. 23. 24. 1. Cor. 1. 8. 9. e Rom. 11. 28. f Ibid. 29. g 1. Thess. 5. 24.

117. *Tertius locus*, est divina illa, salutis & causarum illius, à prædestinationis decreto incipiens, catena ac gradatio, Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit*, *eos etiam vocavit: quos vocavit*, *eos etiam justificavit: quos justificavit*, *eos etiam glorificavit*.

118. Unde *quarta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio* profluit; Quoscunque Deus justificavit, & glorificabit, illi, à sanctitate & salute, non deficient penitus; sed in eâ, perseverant. Omnes fideles renatos, Deus justificavit, & glorificabit. Ergo non deficient, à sanctitate & salute penitus; sed, in eâ, perseverant. *Propositio* inde liquet: quia deficere à salute, & glorificari: justificari, & accusari ac condemnari [a], sunt opposita. *Assumptio* etiam perspicua: quia, renatos ac verè fideles, Deus ita vocavit [b]: nempe, ad vivam fidem, & Christi communionem [c].

a Rom. 8. 31. ad 36. b 2. Thess. 2. 13. 14. & 1. Thess. 5. 23. 24. c 1. Cor. 1. 9.

119. Neque obstat, quod *quidam* vocati, non electi *à scopo veritatis aberrarint*, & *fidem quorundam*, dogmaticam, *perverterint* [a]: quia interea *Dei fundamentum stat firmum*, *habens sigillum hoc*; *Dominus novit*, *qui sint sui* [b]. Dei enim electio, constans est [c], & Christus Dominus, cum amore, agnoscit suos [d], electos ac verè fideles, sibi à Patre datos [e], ut servet; ideoque illos, à seductione in exitium, fideliter conservabit [f]. Hæc de perseverantiæ, à Deo decretæ, *affirmatione*.

a 2. Tim. 2. 18. b 2. Tim. 2. 19. c Rom. 9. 11. & 11. 7. 28. d Joan. 10. 27. e Ib. v. 28. 29. & 6. 37. 39. 40. & 17. 6. f Ibid.

120. *Negatio* verò contrariæ seductionis illius, ab electione Dei, similiter deducitur, Matth. 24. vers. 24. *Surgent enim* (inquit Dominus) *pseudochristi*, & *pseudoprophetæ*, & *edent signa magna*, & *miracula*, *ita ut seducant*, εἰ δυνατὸν *si possibile esset*, *etiam electos*.

121. Quâ sententiâ indicatur fore, ut pseudoprophetæ, seducant quidem multos vocatos reprobos, (quia nihil impedit: neque ipsorum natura; quæ vitiosa: neque electionis & conservationis divinæ gratia; quâ carent) electos verò vocatos, nequaquam. Quia licet per se, seu, insiti vitii, pravitate, & boni inditi, fragilitate, seduci possent penitus; per accidens tamen electionis & conservationis Dei, ab illa seductione sunt immunes.

a Matth. 24. 4. 5.

122. Siquidem, ut propter electos, à Deo, afflictionis dies, contrahentur [a], ne illi quoque pereant [b]: sic etiam, per Dei electionem, futura ipsorum idoneis modis, conservatio (ne cum reliquis seducantur) præfinita est, & perficitur [c]. Quâ etiam de causâ, dictum est; *Adorarunt eam* (bestiam ac pseudoprophetam) *omnes incolæ terræ: quorum non sunt scripta nomina*, *in libro vitæ*, *agni mactati*, *à fundatione mundi* [d]. Ac Christus, de electis fidelibus, ait: *Alienum non sequentur: sed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum* [e].

a Matth. 13. 20. b Matth. 24. 22. c Rom. 8. 29. 30. Matth. 24. 31. Eph. 1. 4. 5. 6. d Apoc. 13. 8. & 17. 8. e Joa. 10. 5.

123. Nec obstat, quod ajunt, εἰ δυνατὸν *si possibile*, sæpe difficultatem significare [a]: quia, à propria significatione, ad impropriam, sine gravi causa, non est recedendum. Deinde, quia ipsimet postea profitentur; *propriissimè*, *hoc loco*, *significare*; *Si ipsis possibile sit*, *vel si id ipsum*, *effectum dare possint* [b]. Denique, si quivis electi, non minùs, quàm alii vocati, à fide in Christum, non obstante Dei gratiâ, penitus seduci possent, conditio hîc addita, *si possibile esset*, sententiam *ineptam* simul ac *falsam* (quod, à Christi sapientiâ, & veritate constantissimâ, abhorret) perspicuè efficeret.

a Act. Synod. Remonst. de persev. p. 313. b Ibid.

124. *Ineptam*, quia (ut res ipsa loquitur) omninò redundaret: *falsam*; quia communem electorum, à fide, seductionem, ex communis illius δυνάμεως potentiæ positione (contra rei, & experientiæ, veritatem) necessariâ consequentiâ, inferret, hoc modo: Si fieri possit, ut electos, à fide sua, in Christum, seducant, tum electos, à fide suâ, in Christum, seducent. At fieri potest, ut quosvis electos, à fide suâ, in Christum seducant. Ergo quosvis electos, à fide suâ, in Christum, seducent. Conclusio, hic apertè falsa est: consequentia verò, recta: ac propterea necesse est, alteram saltem Antecedentis partem, esse falsam. Non autem Propositio, quia Christi est: ergò Assumptio, quæ adversariorum. Ex cujus falsitate, conclusionis falsitas promanat: eaque vicissim, Assumptionem falsi arguit.

125. Ex quibus, hæc *quinta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, enascitur; Quotquot, à fide in Christum, penitus seduci non possunt, illi, in fide, ad finem, perseverant. Electi fideles, sunt hujusmodi, qui penitus, à fide in Christum, seduci non possunt. Ergo electi fideles, in fide, ad finem, perseverant.

126. Porro hujus, de perseverantia sanctorum, *decreti* electionis τεκμήρια certa, ac perspicua *indicia*, sunt *promissiones* Dei variæ, juramento etiam firmatæ, quibus eam, sanctis, disertè addicit. Quæ totidem solida sunt, *à testimonio divino*, *argumenta*: ex quibus, *generalis* hæc *demonstratio*, constituitur: Quod Deus absolutè, sine dubiâ conditione, promittit, illud etiam exsequitur. Perseverantiam sanctorum Deus ita promittit. Ergo eandem etiam exsequitur.

127. *Propositio* invicto ac primario Theologiæ principio, Dei omnipotentiâ [a], & immutabili veritate [b], ac fide [c], seu *dictorum factorumque constantiâ: quasi*, *quod dictum est* [d] (quæ fides Dei, ideo *parma ac clypeus*, vocatur [e]) innixa est. *Assumptio*, luculentâ ac nervosâ, promissionum utriusque Testamenti, copiâ, demonstratur.

a Apoc. 21. 22. Matt. 19. 26. b 1. Sam. 15. 29. Tit. 1. 2. Heb. 6. 18 c 1. Thess. 5. 24. 2. Thess. 3. 3. 2. Cor. 1. 20. Heb. 10. 23. 2. Tim. 2. 13. d Cic. de off. l. 1. e Psal. 91. 4.

128. Nam, *Veteris Testamenti*, de perseverantiâ sanctorum, *promissiones*, in gratiæ novi fœderis descriptione, illustres, à *Mose*, *Psalmis*, *Prophetis*, proponuntur.

129. A *Mose*, quidem, *bifariam: primum* in fœderis Dei,

Dei, cum Abrahamo, & initi, & confirmati, narratione. *Initi*; ut Gen. 12. 3. *In te* (hoc est, tecum, seu tui instar, tuæque fidei imitatione [b]) *benedicentur, omnes gentes terræ. Confirmati*, partim Gen. 17. 7. *Stabilio fœdus perpetuum, me esse Deum tuum, & seminis tui, post te.* Quo loco, *semen Abrahæ* spirituale, sunt fideles renati, omnium gentium [c]: *Deum verò esse illius, ac seminis*, salutis esse datorem, ex Dei sententiâ, designat [d]. Partim, Gen. 22. 16. & 18. *Per meipsum juro, &c. in semine tuo, benedicentur omnes gentes terræ:* hoc est, in Christo [e], omnes, omnium gentium, verè fideles [f], à peccato, & maledictione Legis, liberabuntur ac beabuntur [g]. Hæc est enim benedictio spiritualis [h], quam Abrahamus, omnium verè fidelium exemplar, accepit [i]: &, quam Christus, benedictis confert [k].

a Gal. 3. 8. cum 9. b Ib. Rom. 4. 12. 24. c Rom. 4. 16, 17. Gal. 4. 7. 21. & 3. 29. Heb. 6. 12. 17. 18. d Matt. 22. 31, 32. Heb. 11. 16. e Gal. 3. 14. 16. f Rom. 4. 16. Gal. 3. 7. 8. 9. 22. g Gal. 3. 9. ad 15. h Eph. 1. 3. Rom. 4. 12. 24. Luc 1. 73, 74, 75. i Gal. 3. 14, 21, 22. k Matth. 25. 34. Gal. 3. 13, 14. Heb. 6. 17, 18.

130. Unde, *sexta* specialis *demonstratio*, & quidem, pro duplici argumento, *bipartita* exstruitur; Omnes, quorum Deus, fœdere perpetuo, similiter atque Abrahami, est Deus: & qui ejusdem, cum illo, benedictionis, sunt participes, illi, in fide, conservantur, & ad finem vitæ, perseverant. Atqui omnes verè fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo, in fide, ad finem vitæ, perseverant. *Propositionis* & *Assumptionis* veritas, cùm suâ, tum antecedentium, luce, perspicua est.

131. *Secundò* Moses, perseverantiæ sanctorum, promissionem complectitur, in fœderis gratiæ [a], cum electis Abrahami posteris, divinitus stabiliti, descriptione; Deut. 30. 6. *Et circumcidet Dominus Deus tuus, animum tuum, & animum seminis tui, ad diligendum Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, propter vitam.* Quo loco, promittitur iis, vita æterna, tanquam finis: & debita ac præcepta (sed naturæ vitio ἀδυνατὸς [b]) regenerationis sanctitas [c], tanquam medium, ad vitam, destinatum ac necessarium [d], ideoque non temporaria (quæ, ad vitam, non sufficit) sed perpetua [e], intelligitur.

a Rom. 10. 6. b Rom. 8. 3. 7. c Deut. 10. 16. & 29. 4. d Joa. 3. 3. e Matt. 24. 13. Heb. 10. 36. 38.

132. Huc accedit *promissio, Isaaci typo*, adumbrata, Gen. 21. 10. quæ, Apostoli expositione, illustrata, firmum suppeditat *argumentum*. Nam quemadmodum Isaacus filius, in familiâ patris sui, permansit, &, hæreditatem illius, obtinuit: sic omnes, verè fideles renati, filii sunt promissionis, secundùm Isaacum [a], & in Dei patris sui familiâ, manent, illiusque hæreditatem nanciscuntur [b].

a Gal. 4. 26. 28. b Joa 8. 35. Gal. 3. 29. & 4. 6. 7. 30.

133. Ex quibus *septima* hæc, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, duplici ratione, suffulta, procedit; Omnes illi, quorum Deus cor circumcidit, ad diligendum ipsum, ex toto corde, totâ animâ, propter vitam: quique filii sunt promissionis, secundùm Isaacum, hæreditatemque Dei obtinebunt, illi non excident penitus, à sanctitate, atque hæreditate cælesti; sed, in eâ, perseverabunt. Atqui, omnes fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo illi non excident penitus, à sanctitate, atque hæreditate cælesti; sed, in eâ, perseverabunt.

134. Porro, Mosi adstipulatur, *Psaltes*, insignibus testimoniis. Quorum *primum* est, Psal. 37. 24. *Quum* (inquit, de justo) *ceciderit, non dejicietur: quia Dominus sustentat manum ejus.* Hoc est, quum sancti, florentium impiorum persecutione, afflicti fuerint, &, ex præsentis utrimque conditionis, acerbo sensu, in aliquam fidei, ac charitatis, læsionem, devictâ pene patientiâ, inciderint [a], non tamen à Deo projiciuntur: ut prorsus, (temporariorum instar [b]) deficiant. Quia manum eorum, ne pereant, sustentat, & Verbi, ac Spiritus, consolatione ac potentiâ, conservat [c].

a Ps. 37. 1. 7. 8. & 73. 2. 13. b Matth. 13. 21. Luc. 8. 13. c Ps. 37. 5. & 73. 17. Joh. 10 28. 29. & 14. 16. 17. 1. Pet. 1. 5.

135. Idque ex enuntiatione hac generali, & vers. 28. (*Nam Jehova amat judicium, neque derelinquet benignos suos, in seculum custodientur*) & ex consimilis omnino Psal. 73. expositione, apparet.

136. *Alterum testimonium*, est Psalmi 112. v. 9. *Justitia ejus* (Justi) *perstat in æternum:* Et v. 6. *in seculum, non dimovebitur: in memoriâ perpetuâ, est justus.*

137. *Postremum* (ut alia omittamus consentanea) est, Psal. 125. 1. *Qui confidunt Domino, similes sunt monti Tsijonis, qui non dimovebitur, in seculum permanebit.* Quâ sententiâ, sancti Israëlitæ, ab hypocritis, in Ecclesiâ latentibus [a], & defectione suâ, sese prodentibus [b], ac perituris, segregantur [c].

a Psal. 125. 5. b 1. Joa. 2. 19. c Psal. 125. 5.

138. Et vers. 2. & 3. *Jerusalem montes circumstant: ita Dominus circumstat populum suum, ex hoc tempore, in seculum. Nam non quiescet virga improbitatis, super sortem justorum: ut non extendant justi, ad iniquitatem manus suas.* Quo modo, renati fideles, Dei ope tuti [a], à temporariis, persecutione ortâ, deficientibus [b], dirimuntur.

a Psal. 34. 8. 20. & 91. 2. 11. Zach. 9. 5. 8. 1. Cor. 10. 13. b Luc. 8. 13.

139. Ex quibus egregiis testimoniis, *octava* hæc, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, multis ac gravibus instructa argumentis, construitur; Omnes illi, qui, quum ceciderint, non projicientur, quia Dominus sustentat manus eorum: quosque non derelinquet: quique in seculum custodientur: & quorum justitia perstat, in æternum: nec dimovebuntur in seculum, quique similes sunt monti Tsijonis, qui non demovebitur, ex hoc tempore, in seculum: quique non extendent, ad iniquitatem, manus suas; illi, à fidei, spei, charitatis, sanctitate, non penitus deficient; sed, in eâ, ad finem usque vitæ, permanebunt. Atqui tales sunt fideles renati. Ergo illi, à fidei, spei, charitatis, sanctitate, non penitus deficient; sed, in eâ, ad finem usque vitæ, permanebunt.

140. Denique Psalti, testes consentanei, accedunt *Prophetæ*, qui, in fœderis Dei, cum electis ac verè fidelibus, Ecclesiæ membris, descriptione, ac promissione, decretam, à Deo, sanctorum perseverantiam, luculenter prænuntiant.

141. *Primo* Jesaias cap. 28. v. 16. *Ecce fundavi, in Tsijone, lapidem*, &c. *credens, non festinabit.* Hoc est (ut Apostoli exponunt [a]) *credens, in ipsum, non pudefiet.* Et cap. 54. 10. de fidelium, Ecclesiæ Christianæ, privilegiis, differens [b], ait; *Quamvis, hi montes recederent, & hi colles dimoverentur: attamen, benignitas mea*, NON RECEDET, *&, fœdus pacis meæ*, NON DIMOVEBITUR: *ait miserator tuus Dominus.* Et v. 13. *Et, omnes filii tui, docti erunt à Domino.* Qui omnes, ad Christum, verâ fide, perveniunt [c]: & venientes, ab ipso, ad salutem æternam, servantur [d].

a Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 6. b Gal. 4. 27. Joa. 6. 45. c Joan. 6. 45. d Joan. 6. 37. ad 41.

142. Rursum versu 17. *Nullum instrumentum, formatum contra te, prosperabitur: & omnem linguam, insurgentem contra te in jus, condemnabis. Hæc est possessio, servorum Domini: quorum justitia est ex me.* Quâ etiam sententiâ, renati fideles, tanquam genuini, veræ Ecclesiæ, cælestis illius Jerusalem filii [a], à temporariis, persecutione victis [b], distermimantur.

a Gal. 4. 26 27. b Luc. 8. 13.

143. Ex quibus tribus promissionibus, *nona* hæc, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, constat; Qui fide, Christo superstructi, non pudefient: & à quibus, benignitas Dei, non recedet: & fœdus pacis Dei, non dimovebitur: & contra quos, nullum instrumentum formatum, prosperabitur: illi, non penitus, à sanctitate, deficient; sed, in eâ, perseverabunt. Atqui, sancti renati, seu, vivâ fide præditi, sunt hujusmodi. Ergo non penitus, à sanctitate, deficient; sed, in eâ, perseverabunt.

144. *Secundo* loco succedit *Jeremias:* apud quem, ejusdem gratiæ, fœderis per Christum, & perseverantiæ sanctorum, *promissio* luculenta, est *duplex*. Quarum *prima*, cap. 31. 31. ad 35. quæ, hanc *decimam demonstrationem*, suppeditat; Quorum, in fœdere gratiæ, per Christum, Deus, est Deus: & leges suas, mentibus & cordibus, inscribit: & iniquitatis ipsorum, non recordabitur ampliùs: illi non omnino deficient, à sanctitate; sed, in eâ, perseverabunt. Tales autem sunt, renati fideles. Ergo non omnino deficient, à sanctitate; sed in eâ, perseverabunt.

145. *Propositio* liquet, quia iniquitatum eorum, qui omnino deficerent à sanctitate, Deus recordaretur [a]: & Deus, ipsorum Deus, hoc est, Servator, fuisse dici non posset. Quorum verò iniquitatum non recordatur: illi manent, in gratiâ,

gratiâ, ac propterea etiam, in sanctitate, sine quâ, gratia esse non potest [b]. *Assumptionem* probat Apostolus, qui, cum promissionem, de Novo gratiæ fœdere, per Christum mediatorem [c], deque fidelibus, per Christum, sanctificatis, disertè exponit [d].

a Ezech. 33. 13. b Heb. 11. 6. & 12. 14. 1. Thess. 4. 3. c Heb. 8. 6. 7. 8. d Heb. 10. 14. 15. 16. 17.

146. Idque, opposita etiam, veteris fœderis legalis, non observati, differentia, indicat, his verbis [a]; *Pangam, cum domo Israël, & cum domo Juda, fœdus novum: non, secundum illud fœdus, quod pepigi, cum majoribus eorum. Nam isti, non perstiterunt, in illo meo fœdere, & ego, despexi eos. Quamobrem, hoc est fœdus, quod pangam, &c.*

a Jer. 31. 31. 32. Heb. 8. 8. 9.

147. *Altera* Jeremiæ *promissio* est, cap. 32. 39. 40. Unde, hæc *demonstratio undecima*, prodit; Quibus Deus, ita promittit (*Erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus. Et, indam illis cor unum, & viam unam, ad timendum me, omnibus diebus, ad bonum ipsorum, &, filiorum ipsorum, post ipsos: & pangam ipsis fœdus perpetuum, quia non avertam me, à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis: & timorem mei indam animo ipsorum, ne recedant, à me*) illi non deficient penitus, à sanctitate; sed, in eâ, ad finem vitæ perseverabunt. Tales autem sunt, omnes veri Israëlitæ, Ecclesiæ Christianæ, fideles renati. Ergo illi, à sanctitate, non deficient penitus; sed, in eâ, ad finem vitæ, perseverabunt.

148. *Propositio* vera est: quia, timorem Dei habere, sibi inditum, ne recedant à Deo: est, non deficere penitus, à timore Dei & sanctitate. *Assumptio*, inde probatur: quia ejusdem est prorsus, cum antecedente prophetiâ, argumenti. Cujus tanta est vis, ut eam adversarii, non, nisi turpi contradictione, eludere attentarint.

149. Nam modo *ajunt* disertè: *Quod promissio hæc, quæ reperitur cap. 31. hujus prophetæ, &, hoc cap. 32. repetita est, manifestè accommodetur, ab Apostolo, ad tempora Messiæ: uti videre est, in epistola ad Heb. 8.* [a]. Item; *Cum hanc Prophetiam, ad tempora Messiæ, ab Apostolo, referri, certum sit* [b]. Modo *negant*, ad tempora Messiæ, referendam: &, vanis consequentiis, se non minùs, quàm Apostolum, oppugnant.

a Act. Syn. Rem. de persev. p. 285. & 288. b Ibid.

150. Nam quod finem non eventum, notari contendunt [a], his verbis; *ut non recedant, à me*: illud, à sententiâ ipsâ, confutatur. Nam, *dare cor unum: timorem indere animis*, Dei effectum notant: eaque vera est, & efficax, timoris Dei, causa: deinde (ut antea ostendimus) Deum esse, in fœdere gratiæ, Deum alicujus, propitium servatorem, designat: curantem, ne quis recedat, ab ipso; sed, ut perseverans in timore ac sanctitate, servetur. Et, *non avertere se, à benefaciendo*, conservatorem esse, perspicuè significat. Idque, ex sequenti Ezechielis Prophetiâ, similiter patebit.

a Ib. 289.

151. Quòd enim, hæc *promissio, toti populo, vel maxima saltem ejus parti, fiat* (uti contendunt adversarii [a]) ideoque, ex eâ, nequeat concludi, *donum perseverantiæ, ad paucos, eosque electos, pertinere*: id ab illis quidem asseritur; sed non probatur. Contrà verò, ex Apostolo [b] & reipsa (quæ electis, non aliis: populo, quem Deus præscivit & elegit, non reliquis, convenit [c]) demonstratur.

a Act. Synod. Rem. de pers. 7. 291. b Heb. 10. 14. 15. 16. 17. c Rom. 11. 2. 5. 7.

152. Ideoque hæc adversariorum, *causa*, non *peremtoria* [a] est (uti jactant) sed, peremta. Quemadmodum & illud, frigidum sophisma est, quod ajunt; *fideles, à Deo recedunt, & in peccata incidunt* [b]. Quum enim recessio fiat, vel partim, vel omnino: de priori, Propheta non disserit (quia nemo sanctorum, ab eâ est immunis [c]) sed de alterâ, cujus immunitatem, Deus, hoc loco, pollicetur.

a Act. Synod. Rem. de pers. p. 291. b Ibid. c Psalm. 143. 2. 1. Joh. 1. 18.

153. *Tertia*, accedit Prophetæ Ezechielis cap. 36. 25. 26. 27. 28. 29. *promissio*: unde, hæc *duodecima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, promanat; Quibus Deus, ita promittit (*Spargam, super vos, aquas mundas, & mundabimini: Et dabo vobis, cor novum, & spiritum novum dabo, in medio vestri: & amovebo cor lapideum, è carne vestra, & dabo vobis, cor carneum: & spiritum meum, dabo in medio vestri, & faciam, quod in statutis meis ambulabitis, & judicia mea custodietis & facietis. Eritis mihi populus: & ego ero vobis Deus. Servabo vos, ab omnibus inquinamentis vestris*) illi, à sanctitate suâ, non deficiunt penitus: sed, in eâ, ad finem vitæ, perseverant. Tales autem sunt, omnes veri, secundùm promissionem, Israëlitæ ac renati. Ergo, à sanctitate suâ non deficiunt penitus: sed, in eâ, ad finem vitæ, perseverant.

154. *Propositio*, inde liquet; quòd, Deum esse, in fœdere gratiæ, Deum ipsorum, mundarique ab inquinamentis omnibus, ac custodire Dei judicia, & deficere à sanctitate ad inquinamenta, & neglectum judiciorum Dei: & desinere, Deum habere Deum, sibi mutuò repugnant. *Assumptio* verò; quia Deus, populum suum electum, veros Israëlitas, ac, secundùm promissionem, filios [a], re promissa, solos donat: &, ab eo beneficio, reprobos, à sanctitate alienos, Ezech. 11. 17. excludit. Ideoque hæc differentia, ineptè, ad hoc argumentum obscurandum, ab adversariis obtenditur [b].

a Gal. 4. 28. b Act. Syn. Rem. de persev. p. 290.

155. Nam quod ajunt; *id signum esse, fieri posse, ut stante tali promissione, & Deo, à parte sua, cor carneum indente, tamen populus, cor lapideum, retineat* [a]: illud prorsus absonum est, &, manifestam contradictionem, complectitur. Promissio enim est; *Amovebo cor lapideum, à carne eorum, & indam iis cor carneum* [b]. Potestne, indi cor carneum, & lapideum, ei è diametro repugnans, retineri? potestne fieri, ut Deo promittente, se amoturum cor lapideum, ut nihilominus adhuc retineatur? Quis hæc monstra, nisi cui cor lapideum, tueri audeat?

a Act. Remonst. de persev. p. 290. b Ezech. 11. 19.

156. At, inquiunt, *hoc constat, ex querela illa Deut. 29. 4. Ad hoc usque tempus, non dedit vobis Deus, cor ad intelligendum* [a]. Imò verò, an non intelligunt, citius aquam ex igne posse exprimi, quàm, ut exceptionem suam, ex eo probent? Quænam enim consequentia, *Deus non dedit vobis cor ad intelligendum: ergo potuit dare cor carneum, ut populus cor lapideum retineret.* Quod porro, de deploratis populi Judaici temporibus, tempore Messiæ, subnectunt: illud complementum hujus Prophetiæ, in populi illius electis, non paucis, admirandum, non impedit: ut, & Acta Apostolorum [b], & epistola ad Hebræos [c], demonstrat.

a Act. Remonst. de persev. pag. 290. b Act. 2. 41. 47. & 4. 4. &c. c Cap. 8. 6. ad finem.

157. Denique, quòd promissionem illam; *Indam vobis cor carneum*: sic *intelligendam* esse, contendunt; *Scilicet, Deum omnia tentaturum & adhibiturum, quibus, cor novum indi, animis populi sui, posset* [a]: hoc sanè, tritum illud Philosophi [b] dictum, probat; ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, ἄλλα συμβαίνει [c]. Quis enim non videat, aliud omnino esse, cor novum indere, & amovere cor lapideum: quàm id, sine successu, tentare?

a Act. Rem de pers. p. 291. b Arist. Phys. l. 1. c. 2. c *Uno absurdo dato, alia accedunt.*

158. *Quartus* denique Propheta, est *Hoseas*, insignis perseverantiæ testis: in celebri illâ promissione, ter, ad majorem rei evidentiam, attentionem, fidemque inculcata, cap. 2. 19. 20. Unde hæc, *decima tertia demonstratio*, derivatur: Omnes illi, de quibus Deus ait: *Desponsabo te mihi, desponsabo te mihi in seculum, justitiâ, judicioque, ac misericordiâ, & miserationibus: &, desponsabo te mihi in fide*: illi, nec à Dei misericordiâ, nec à sanctitate suâ, excidunt penitus: sed ad finem perseverant. Tales autem sunt, sancti renati, seu, vivâ fide prædìti. Ergo illi, nec à Dei misericordiâ, nec à sanctitate suâ, excidunt penitus, sed ad finem perseverant.

159. *Propositionis* veritas, perspicua est. Nam, *desponsari in seculum, justitiâ, judicio, ac misericordiâ, & miserationibus Dei*, & excidere à desponsatione, ac misericordiâ Dei, & à sanctitate suâ, sibi mutuò repugnant [a]. *Assumptio* verò constat, ex versu 23. cum Rom. 9. vers. 24. 25. & 1. Pet. 2. vers. 10. collato. Hæc, de *Veteris Testamenti promissionibus*, quibus similes, è *Novo*, ad testandam sanctorum perseverantiam, accedunt.

a 2. Cor. 11. 2. 1. Thess. 4. 3. Heb. 10. 38. & 12. 14.

160. Ac *prima est*, ex *Euangelio Matthæi* cap. 16. 18. *Super hanc*

per hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum, non superabunt eam. Unde hæc, *decima quarta demonstratio,* exoritur; Quicunque ædificantur super Petram, Christum; & quos, portæ inferorum, non superabunt, illi, non penitus, à sanctitate, deficient; sed in eâ, perseverabunt. Tales autem sunt, omnes sancti renati. Ergo non deficient penitus, à sanctitate; sed, in eâ perseverabunt.

161. *Propositio* firma est. Quia, ut ædificata super petram, non concidunt [a]: sic neque illi, qui, super Christum petram, vivâ fide, structi sunt, pudefient [b]. Deinde, quia defectionis causa, à portis inferorum: hoc est, consilio, & vi Diaboli, principis inferorum, dependet. Qui, & Mundo idcirco abutitur [c], & carnem, ad eandem rem, propensam, provocat [d].

a Matt. 7.25. b Jesa. 28.16. 1.Pet. 2.6,7. c Eph. 2.2. Joa. 14.30. 1.Joa. 4.4. d Matt. 6.13. Luc. 22.31. Eph. 6.11.

162. *Assumptio,* Christi est. Nam Ecclesia ipsius, cœtum omnium fidelium renatorum, notat: quodque hic, ei promittitur, ad singulos, qui vera ipsius membra sunt, pertinet. Quippe singuli eorum, super petram Christum, structi sunt [a]: & invicti, adversus Satanam, imò victores illius, Christi fulcientis ope, statuuntur [b].

a Eph. 2.20.21.22. Heb. 3.6. 1.Pet. 2.5.6. b Gen. 3.15. Joa. 14.30. Heb. 2.14,15. Rom. 16.20. Eph. 6.11. 1.Pet. 2.5.

163. Quod verò, per *portam inferni,* infernum intelligendum, contendunt, eo tamen, argumentum, non tollunt revera; sed mutant, ac similiter probant. Nam, qui omnino, à sanctitate & hæreditate cælesti, excidunt, in illos infernus habet victoriam [a]. Atqui in fideles renatos, infernus non habet victoriam: Ergo renati fideles, à sanctitate non excidunt.

a 1.Cor. 15.55. cum Apoc. 2.11.

164. *Altera promissio,* extat Lucæ cap. 1. 70. ad 76. unde, nervosissima hæc, *decima quinta demonstratio,* deducitur; De quibuscunque dicitur, *(Deus locutus est, per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum* [a], SALUTEM, *ex inimicis nostris, & è manu,* OMNIUM, *qui oderunt nos: ut uteretur misericordiâ, erga Patres nostros, & memor esset Testamenti sui sancti, & jurisjurandi, quod juravit Abrahamo, patri nostro* [b], *se* DATURUM NOBIS, *ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum, liberati* [c], *serviremus ipsi, cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu,* OMNES DIES *vitæ nostræ)* illi, à sanctitate, nullo die, penitus deficiunt; sed, in eâ perseverant, ad finem usque vitæ. Tales autem sumus, *Nos omnes,* scilicet fideles renati, genuini Abrahæ filii atque hæredes, & Israël Dei [d], teste hîc Spiritu Sancto [e]. Ergo nullo die, fideles renati, à sanctitate, penitus deficiemus, sed in eâ, ad finem usque vitæ, perseverabimus.

a Act. 10.43. b Vide thes. 12. c Heb. 2.15. d Rom. 4.16. Gal. 3.29. & 4.28. & 6.16. e Luc. 1.67.

165. *Postremò* Johannis Euangelium, *promissiones,* perseverantiæ sanctorum, eximias, à Christo propositas, complectitur. Ac *primùm* eas, quibus perpetuam, in fidelibus renatis, Spiritus Sancti consolatoris, permansionem, pollicetur. Quarum *duæ* sunt, ad amussim, consentaneæ.

166. *Prima* est, Joh. 4.13, 14. *Qui biberit, ex aquâ illâ, sitiet rursus: quisquis autem biberit, ex aquâ illâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua illa, quam ego dabo, fiet in eo, fons aquæ salientis, in vitam æternam. Secunda* consimilis est, cap. 14. 16. 17. *Ego rogabo Patrem, &, alium consolatorem, dabit vobis, ut maneat vobiscum, in æternum; Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest capere: quia non videt eum, nec novit eum: quia, in vobis, manet; &, in vobis, erit.*

167. Perspicuum enim est, aquam promissam, & Spiritus consolatoris gratiam, idem denotare: ut simili dicto, Joa. 7.39. exponitur. Qui Spiritus, licet ab initio Ecclesiæ, minimè defuerit, quodam tamen modo, nondum erat [a]: eâdem scilicet mensurâ, iisque adjunctis, extraordinariis, copiosisque donis, quibus, post Christi ascensionem gloriosam, abundavit [b].

a Joa. 7.39. b Actor. 2.4. & 8.17. & 10.44. & 19.6. Matth. 16.17.18.

168. *Sitire* verò est, ex cruciante animum totius gratiæ Spiritus defectu, eam desiderare. Sic, *non sitire, in æternum:* & aquam illam, fieri in nobis, fontem aquæ salientis, in vitam æternam: & Spiritus Sancti gratiam, in nobis permanere, in æternum, idem reipsa designare, apparet. Quod autem distinctè dicitur; *In vobis manet: &, in vobis erit:* prius, ratione durationis, inde ab initio, eousque: posterius, ratione futuræ continuationis, & incrementi, distinctione quadam, asseritur.

169. Unde hæc *decima sexta,* perseverantiæ sanctorum, *demonstratio,* provenit; Quisquis, Spiritus Sancti consolatoris, gratiam, semel acceptam, nunquam penitus amittit; sed, in se, habet permanentem, in æternum, ille, non deficit penitus, à sanctitate; sed, in eâ, ad finem vitæ, perseverat. Tales autem sunt, omnes verè credentes renati. Ergo non deficiunt penitus à sanctitate; sed, in eâ, ad finem vitæ, perseverant. *Propositio,* suâ luce, patet: *Assumptio* similiter firma est: quia prima promissio, est universalis: altera, licet Apostolos compellet, similiter est communis, omnibus fidelibus renatis [a].

a Matt. 3.11. Rom. 8.9. Eph. 1.13.14. & 4.30. 2.Thess. 2.16.

170. Hisce consonant, promissiones, de vitâ gratiæ æternâ, deque saturitate spirituali perpetuâ, per Christum, renatis fidelibus dandâ. Joa. 5.24. *Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam, &, in condemnationem, non veniet; sed transivit, à morte, ad vitam.* Et capite 6.35. *Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet: &, qui credit in me, non sitiet unquam.*

171. Ex quibus, hæc *decima septima,* perseverantiæ sanctorum, *demonstratio* est; Quicunque habet vitam æternam, & in condemnationem, non veniet: sed transivit, à morte, ad vitam: quique pane vitæ, ita saturatur, ut nunquam esuriat, nunquam sitiat; ille, à sanctitate, & gratiæ Christi vitâ, nunquam penitus excidit, sed, in eâ, perseverat. Tales autem sunt, omnes renati fideles. Ergo nunquam, à sanctitate, & gratiæ Christi vitâ, excident; sed, in eâ, perseverabunt.

172. *Propositio,* ex membrorum oppositione, sole clarior est. Quia, habere vitam æternam, & à vitâ excidere: in condemnationem, non venire: & deficiendo venire, sunt dissentanea: perseverare verò, prioribus omnino consentit.

173. *Tertiò* sequuntur, *promissiones Christi,* de verè fidelium, in officio & gratiâ Dei, conservatione perpetuâ, Joa. 6.37. *Omne, quod dedit mihi Pater, ad me veniet: &, venientem ad me, non ejiciam foras.* Et cap. 10.27, 28, 29, 30. *Oves meæ, vocem meam audiunt, &, ego, cognosco eas, & sequuntur me: & ego, vitam æternam, do iis, & non peribunt, in æternum: neque rapiet eas quisquam, è manu mea. Pater meus, qui mihi dedit, major est omnibus: neque quisquam, potest rapere, è manu Patris mei. Ego & Pater, unum sumus.*

174. Ex quibus, *decima octava,* variis argumentis egregiis instructa, *demonstratio,* expromitur; Quicunque, ad Christum venientes, non ejicientur, ab eo, foras: quique ipsum bonum illum pastorem, audiunt, & sequuntur: quibusque, vitam æternam, dat: quique, non peribunt, in æternum: quique, in manu Christi, & Patris, sunt, quosque nemo inde rapiet, illi, à sanctitate, & gratiâ Christi, non penitus deficient; sed, in eâ, perseverabunt. Tales autem sunt, omnes fideles renati. Ergo illi, non deficient penitus, à sanctitate, & gratiâ Christi; sed, in eâ, perseverabunt.

175. *Propositionis* veritas, perspicua est. Quippe, ovem esse Christi, ipsumque sequi: & ovem esse desinere, ipsumque non sequi: habere vitam æternam: & non habere æternam; sed temporariam ac caducam: esse in manu Christi, ac Dei Patris; & non esse: inde eripi non posse, & eripi, ea, adversâ fronte, inter se pugnant. *Assumptio* quoque, ex ovium attributis [a], Christique explicatione [b], constat.

a Joan. 10.14.15.27.28. b Ib. v. 26.

176. Quod autem adversarii, prioribus intactis, posterius propositionis membrum vellicant, atque excipiunt; oves nemo eripiet: hoc est, vi auferet; sed, si ultro velint exilire, & aberrare omninò, invitas non retinebit: illud,

vanum vocis aucupium, est. *Primum*, quia falsâ nititur hypothesi, quasi, raptores & hostes ovium, soli essent, Diabolus & mundus, non etiam propria caro. Quæ tamen, Deo inimica[a], & spiritui repugnat[b]: ovesque Christo eripere, satagit. *Deinde*, quia eâ ratione, & ovibus, & Christo pastori, sunt injurii.

a Rom. 8. 7. b Gal. 5. 17.

177. *Ovibus*; quia illæ *sequuntur Christum: & alienum nequaquam sequentur, sed fugient ab eo*[a], *& nequaquam peribunt, in æternum*[b]: neque ad exitium, neque penitus, aberrant. *Christo* verò; quia est *pastor ille bonus*[c]: *cujus oves sunt propriæ*[d], qui, *curam habet, earum*[e]: *quique venit, ut vitam habeant, & abundantiam*[f]: imò, *animam suam pro iisdem ponit*[g], ne pereant[h].

a Joa. 10. 4. & 5. 27. b ver. 28. c vers. 11. d v. 3. & 4. & Rom. 14. 8. e Joa. 10 13. 14. f vers. 10. g vers. 11. & 15. Actor. 20. 28. h Joa. 3. 16.

178. Ideoque illas, non solùm à vi raptorum externorum, tuetur, sed eas etiam, nativâ stoliditate suâ aberrantes, in viam reducit[a]. Sicut Deus, per Christum, (Davidis nomine ac typo adumbratum[b]) ita promittit; *Pereuntem* (ovem) *requiram, depulsam reducam*[c]: & contra, quoniam illud necessarium fidi pastoris officium, pastores negligebant, perfidiam eorum gravissimè increpat[d]. Cujus perfidæ negligentiæ consortem, Christum imprudentes faciunt, dum eo modo, assertam, ab ipso, perseverantiæ gratiam, obscurare moliuntur.

a Luc. 15. 4. b Ezech. 34. 24. c Ib. vers. 16. d v. 4. & 5.

179. *Quarto*, succedunt promissiones, de fidelium, in cælum, ad Christum, assumptione, ad vitam gloriæ æternam, Joa. 14. v. 3. *Quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rursus veniam, & assumam vos ad meipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis.* Et cap. 17. 24. *Pater volo, ut, ubi ego sum, etiam illi sint, quos dedisti mihi.*

180. Unde hæc *decima nona*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, emergit; Quibuscunque Christus locum, in cælis, paravit: quosque secum, eodem assumet, ut, ibi sint, ubi ipse est; illi, à sanctitate suâ, penitus non excident, ut pereant; sed, in eâ, perseverabunt, ad finem. Tales enim soli, servabuntur[a]. Atqui omnibus renatis fidelibus, Christus paravit locum, in cælis[b]: ut, ibi etiam sint, ubi ipse est[c]. Ergo non excident, ut pereant; sed perseverabunt, ad finem. Hæc de *promissionibus*, quæ *Euangeliis* proponuntur: quibus reliquæ, ex *Apostolorum Epistolis*, consentiunt.

a Mat. 24. 13. Heb. 10. 36. 38. b Heb. 11. 16. & 13. 14. Phil. 3. 20. c 1. Thess. 4. 17. Phil. 3. 20, 21.

181. *Prima* est *Pauli*, ad Rom. 6. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim estis, sub lege; sed sub gratiâ. Non dominabitur*, hoc est, summum imperium, in vos, non obtinebit. Estque promissio futuri beneficii (ut vers. 5, 6, 7.) non autem hortatio ad officium (qualis v. 12. antecessit) ut & vocis modus, & addita ratio, demonstrat.

182. Nam, omnes homines, non solùm, qui sunt sub gratiâ, sed etiam, qui sunt sub lege, ad peccati dominium fugiendum, sunt obstricti. Veruntamen solis iis, qui sunt sub lege, peccatum dominatur: & contrà, solis renatis fidelibus, à peccati dominio, per regenerationis gratiam, liberatis, illud non ampliùs dominabitur.

183. Hinc igitur *vicesima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, promanat; Quibus peccatum non dominabitur, illi, non penitus, à sanctitate, ad peccatum, deficient; sed in illâ, perseverabunt, ad finem: Fidelibus renatis, peccatum non dominabitur. Ergo illi, non penitus, à sanctitate, ad peccatum, deficient; sed in illâ perseverabunt.

184. *Secunda promissio*, est de certâ communione, gloriæ cælestis, cum Christo; 1. Corinth. 15. 49. *Sicut gestavimus imaginem terreni* (Adami) *gestabimus imaginem cælestis*[a] (Christi.) Et 2. Cor. 5. 1. 2. *Scimus enim nos, si terrestris hujus domus nostræ, tabernaculum, dissolutum fuerit, ædificium, ex Deo, habituros, domicilium videlicet, non manufactum, æternum in cælis*[b]. *Siquidem etiam induti, non nudi, reperiemur.*

a 1. Cor. 15. 22. 23. b Heb. 11. 10.

185. Phil. 3. 20. *Nostra autem conversatio, est in cælis: unde etiam Servatorem expectamus, Dominum Jesum Christum: qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat, corpori suo glorioso, pro efficacitate, quâ potest etiam subjicere sibi omnia.* Et 1. Joh. 3. 2. *Scimus autem fore, ut quum patefactus fuerit, similes ei simus: videbimus enim ipsum, sicuti est.*

186. Unde, *vicesima prima* succedit *demonstratio*; Qui Christo similes futuri sunt, in gloriâ cælesti, illi, à sanctitate, non deficient penitus; ut pereant: sed, ad finem, in eâ, permanebunt. Fideles renati, Christo similes futuri sunt, in gloriâ cælesti. Ergo non penitus, à sanctitate, deficient, ut pereant; sed, ad finem, in eâ, permanebunt. Hisce promissionibus (quibus plures aliæ, suo loco, postea accedent) *perseverantiæ sanctorum*, *assertiones* illustres, non paucæ, conjunguntur.

187. *Prima* est, Rom. 5. 2. *Per quem* (Christum) *etiam fide, habemus hunc aditum, in gratiam hanc, quâ stamus, & gloriamur, sub spe gloriæ Dei. Altera*; Rom. 9. 33. *Quisquis crediderit in eum, non pudefiet. Tertia*; Rom. 5. 5. *Spes non pudefacit: quia charitas Dei, effusa est, in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

188. Quibus in locis, *non pudefacere*, non frustrari: seu gratiâ ac gloriâ, creditâ ac speratâ, non excidere, significat. *Charitas* autem *Dei* intelligitur, quâ nobis, ea bona, per & propter Christum, vult conferre[a]: & *effusa* dicitur, *in cordibus*, non, ut cordium nostrorum adjunctum, quia, in Deo, semper manet; sed ut objectum, Euangelio propositum, & per fidem, virtute Spiritus Sancti, acceptum ac creditum. Ideoque charitatis illius effusio, nihil aliud est, quàm, fidei charitatis illius, infusio, si rem ipsam attendamus.

a Rom. 5. 8. 9. 10.

189. Ex quibus, *vicesima secunda*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, exoritur; Quorum fides & spes; gratiæ & gloriæ, non pudefaciunt: quique, de iis bonis, verè possunt gloriari: deque iis, certi sunt, per Spiritum S. illi, à sanctitate, non excidunt penitus, ut pereant; sed in eâ, ad finem, perseverant. Atqui omnes fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo, à sanctitate, non penitus excidunt, ut pereant: sed, in eâ, ad finem perseverant.

190. *Propositionis* veritas, liquet: quia, fides & spes, quæ penitus deficiunt, re creditâ ac speratâ, excidunt, eoque pudefaciunt: omnemque veræ, de gratiâ & gloriâ, gloriationis materiam, tollunt: & Spiritus Sancti, charitatem Dei, in cordibus effundentis, veritatem infringunt. *Assumptio*, luce clarior est: quia, de fidelibus ac renatis, communiter, in illis assertionibus, agitur.

191. *Quarta assertio*, est ad Heb. 6. v. 18. 19. *Ut spem propositam, obtineamus: quam velut animæ ancoram, habemus tutam ac firmam, ingredientem, in ea, quæ sunt, intra velum.*

192. Unde hæc, *vicesima tertia*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, contexitur; Quod est velut animæ ancora, tuta ac firma, illud non deficit, ab eâ penitus: sed permanet. Atqui spes fidelium, est velut animæ ancora, tuta ac firma. Ergo non deficit ab ea penitus: sed permanet. *Propositio*, perspicua est: quia tutum ac firmum esse, & intutum ac deficere, sibi mutuò repugnant. *Assumptio*, est Apostoli.

193. *Quinta assertio*, est gratiarum actio, Rom. 7. 24, 25. *Miser ego homo! quis me eripiet, ex hoc corpore mortis? Gratias ago Deo, per dominum nostrum, Jesum Christum.*

194. Unde *vicesima quarta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio* desumitur; Quos Deus, teste Paulo, eripiet, ex hoc corpore mortis: illi penitus, à peccati repugnantis miseriâ, liberabuntur: ideoque non penitus, à sanctitate, ad peccatum, deficient: sed in eâ, permanebunt. Atqui tales sunt sancti renati. Ergo illi penitus, à peccati repugnantis miseriâ, liberabuntur: ideoque non penitus, à sanctitate, ad peccatum, deficient: sed in eâ, permanebunt.

195. *Propositio*, inde liquet: quòd, *à corpore peccati, eripi*, & corpori peccati subjici ac mancipari: à peccati

cati repugnantis miseriâ liberari, & ab eâ superari penitus, ac deficere, sunt opposita. *Assumptio* similiter, vera est, quia Paulus (ut circumstantiæ, ipsi aliisque renatis, communes ostendunt) de se loquitur, tanquam hominum renatorum, Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, vivâ fide agnoscentium, exemplo: & *corpus mortis*, Metaphoricè, (ut alibi, *corpus peccati*[a]) carnem seu vitiositatem naturæ vocat. A cujus dominio, seu summo imperio, licet liberati sint fideles[b], repugnantiam tamen molestam, & servitutis reliquias, secundùm quid, sentiunt: à quâ divinitus, liberationem secuturam, fideli gratiarum actione, Apostolus profitetur.

a Rom. 6. 6. Col. 2. 11. b Rom. 8. 22. & 6. 14. 22.

196. Sexta *assertio* est Rom. 8. 28. *Novimus autem iis, qui diligunt Deum, omnia simul operari in bonum: qui secundum propositum, vocati sunt.* Septima *extat* 2. Timoth. 4. 7. *Reposita est mihi, corona justitiæ: quam reddet mihi Dominus, in illo die, justus ille judex; non solum autem mihi; sed & omnibus qui diligunt illustrem adventum illius.* Octava, Jac. 1. 12. *Quum probatus erit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus, iis qui diligunt ipsum:* Dilectio autem intelligitur proba: ut quæ, ex corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ promanat[a].

a 1. Tim. 1. 5.

197. Ex quibus, duplex oritur, perseverantiæ Sanctorum, demonstratio. *Prima*, est *vicesima quinta* hæc: Quicunque diligunt Deum, & illustrem Christi adventum, illis omnia simul operantur, in bonum, & coronam justitiæ ac vitæ recipient: ideoque, non deficient penitus, à dilectione Dei, ad exitium; sed in ea perseverabunt, ad salutem. Atqui sancti renati, seu viva fide (quæ, *per charitatem*, est *efficax*[a]) præditi, ita diligunt Deum, & illustrem Christi adventum. Ergo iis omnia συνεργεῖ simul operantur, in bonum, & coronam, justitiæ ac vitæ, recipient: ideoque, non penitus, à dilectione, ad exitium, deficient; sed in eâ, perseverabunt. *Omnia* autem illa, non peccata nostra (quia ea, non sunt σύνεργα ad bonum; sed ad malum) verùm, reliqua adversa, intelliguntur[b].

a Gal. 5. 6. b Rom. 8. 38, 39.

198. *Altera*, est *vicesima sexta* ordine, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*: cujus argumentum, in confirmatione, (propositioni primæ, ab Apostolo, adjectâ) continetur; Qui secundum propositum vocati sunt, illis omnia, simul operantur, in bonum. Qui Deum diligunt, secundùm propositum, vocati sunt. Ergo iis omnia simul operantur, in bonum. Ideoque non deficiunt penitus, à dilectione, in exitium; sed in ea ad finem, permanent.

199. *Propositio*, per se liquet: quia propositum hoc salutis est firmum, ut gradatione sequenti, ostendit Apostolus[a]. *Assumptio* etiam vera est: quia hîc, non est distributio, diligentium, in vocatos, secundùm propositum, & non ita vocatos, sed eorum descriptio, à causa, quâ veræ dilectionis fidelium, fontem esse, æternam Dei dilectionem, ac servandi propositum[b], ostendit. Quos enim dilectione æternâ servare proposuit, eosdem etiam *elegit* ac vocavit, *ut essent sancti & inculpati, coram ipso, in charitate*[c]. Idemque adjunctæ, à nobis[d], ex 2. Timoth. 4. 7. & Jac. 1. 12. assertiones, demonstrant.

a Rom. 8. 29. 30. b 1. Joh. 4. 10. 2. Thess. 2. 13. 14. c Ephes. 1. 4. d Thesi 196.

200. Nona *assertio*, est ad Rom. 8. 15. 16. *Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater: Ille ipse Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse, filios Dei.* Decima *est*; *Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto: qui est arrhabo hæreditatis nostræ, ad redemptionem acquisitionis.* Undecima, *similis est*, Eph. 4. 30. *Ne tristitia afficite Spiritum Sanctum Dei: per quem, obsignati estis, in diem redemptionis*; id est ultimum: quo resurrectio gloriosa, plenaque nostri redemptio, seu liberatio, continget[a]. Similia loca sunt 2. Cor. 1. v. 22. & ad Gal. 4. 6.

a Luc. 21. 28. Rom. 8. 23. 1. Cor. 1. 30.

201. Unde hæc *vicesima septima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio* concluditur; Qui in cordibus suis obsignati sunt, Spiritu adoptionis, qui testatur, ipsos esse filios Dei: quique est, arrhabo hæreditatis ipsorum, ad diem redemptionis; illi sanctitatem suam, non amittunt penitus; sed in eâ, ad finem, perseverant. Atqui fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo sanctitatem suam, non amittunt penitus; sed in eâ ad finem, perseverant.

202. *Propositio* liquet, quia, Spiritus Sancti obsignatio & testificatio, perpetuò vera est: ac proinde, quorumcunque adoptionem perpetuò obsignat, ipsosque filios Dei & hæredes esse, testatur: illi revera, tales existunt perpetuò: ideoque, sancti manent. Quia sine sanctitate, nemo filius, nemo hæres Dei[a], nemo Spiritu adoptionis præditus[b]. Quia in quibuscunque Spiritus Dei habitat, illi non sunt carnales[c]: in omnibus iis, in quibus arrhabo est, ad diem redemptionis, habitat. Ergo illi, non sunt carnales: eoque à sanctitate, non deficiunt penitus.

a Heb. 12. 14. b Joh. 14. 17. Rom. 8. 9. 14. 15. 1. Joh. 4. 13. c Rom. 8. v. 9.

203. *Duodecima perseverantiæ assertio* est Johann. 8. 31. *Dicebat ergo Jesus iis, qui, in ipsum, crediderant; si vos manseritis, in sermone meo, verè discipuli mei estis.* Similis est *decima tertia*, Heb. 3. 6. *Cujus domus nos sumus, si modo fiduciam, & gloriationem spei, ad finem usque firmam retinuerimus.* Et versu 14. *Christi enim, participes facti sumus, si modo, principium illud* ὑποστάσεως (constantiæ, aut fiduciæ) *firmum tenuerimus, ad finem usque.* Cui accedit, *decima quarta*; 1. Joann. 2. versu 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent, ex nobis, mansissent utique nobiscum; sed* (hoc factum est) *ut pateficret, non omnes esse ex nobis.*

204. Ex quibus, *vicesima octava*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, promanat; Quicunque manent, in sermone Christi & in Ecclesia illius; & principium fiduciæ, & gloriationem spei[a], ad finem usque, firma retinent, illi, ea non amittunt: sed, in iis, ad finem usque, perseverant. Omnes vere discipuli Christi, ac domus Dei, hoc est, renati fideles[b], sunt hujusmodi. Ergo, in iis, ad finem, perseverant.

a Rom. 5. 2. b Joa. 6. 56. Eph. 2. 22. & 3. 17.

205. *Decima quinta assertio*, est Hebr. 10. vers. 38. & 39. *Justus autem, ex fide, vivet: sed, si se subduxerit, non probat eum animus meus. At nos, non sumus subductionis, ad exitium: sed fidei, ad animæ acquisitionem.*

206. Unde hæc, *vicesima nona*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, exsurgit; Qui non sunt subductionis, ad exitium: sed fidei, ad animæ acquisitionem, illi à fide, non deficiunt penitus: sed, in eâ, ad fidem, & salutem, perseverant. Fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo fideles renati, à fide non deficiunt penitus; sed, in ea, perseverant.

207. *Propositio*, solida est: quia non subducere se (nempe à fide) ad exitium: & deficere penitus, à fide, ad exitium sunt opposita: esse fidei, seu, fidem habere, ad animæ acquisitionem: & in fide perseverare, ad finem & salutem, revera idem sunt. *Assumptio*, Apostoli est: quia vox, *Nos*, Paulum, cæterosque fideles renatos, perspicuè complectitur.

208. *Decima sexta*, perseverantiæ sanctorum, *assertio*, communi glorificationis, Christi & omnium credentium, copulâ, continetur; 2. Thess. 1. 10. *Quum venerit* (Christus) *ut glorificetur, in sanctis suis: & admirandus fiat, in credentibus omnibus* (*quia creditum est testimonium nostrum, apud vos*) *in die illo.* Ubi glorificatio Christi intelligitur, de eâ, quæ, ex sanctorum gloriâ, promanat[a].

a 2. Thess. 1. 12.

209. Ex quo dicto *trigesima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, suggeritur; Omnes, in quibus Christus vicissim, quum venerit, glorificabitur, & admirandus in iis fiet, ultimo adventus die; illi in sanctitate, perseverabunt, ac servabuntur. Atqui omnes credentes renati, sunt hujusmodi. Ergo illi, in sanctitate, perseverabunt, ac servabuntur.

210. *Propositio*, inde constat, quia Christus, non ita glorificatur, in iis, qui à sanctitate, deficiunt; sed, in illis solis, qui in eâ persistunt[a]. Ideoque Apostolus postea ait; *ut Deus noster &c. compleat opus fidei potenter; ut glorificetur nomen Domini nostri, Jesu Christi, in vobis, & vos, in eo ex gratia* Dei

Dei nostri, & Domini nostri Jesu Christi b. *Assumptio* est Apostoli.

a Matt. 24. 13. Heb. 10. 38. 39. b 2. Tim. 1. 11. 12.

211. Nam, ut fideles, jam spe, servati sunt a: & reipsa, in capite suo, primitiis resurrectionis ipsorum b, Jesu Christo, collocati in cœlis c: ita reipsa, in se consequentiæ necessitate, eâ etiam de causâ, glorificabuntur: ut totus Christus (in se, & in membris) glorificetur. Quippe, quum Ecclesia, seu omnium verè fidelium, cœtus, sit Christi (qui omnia interim implet in omnibus) complementum d, nullum membrum ipsius perire potest: quin gloria Christi mutiletur.

a Rom. 8. 24. b 1. Cor. 15. 29. c Eph. 2. 5. 6. d Eph. 1. 13.

212. *Decima septima*, perseverantiæ sanctorum, *assertio*, est prælustris: 1. Joh. 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ejus manet in eo, & non potest peccare*, quia, *ex Deo, natus est*. Cujus clarissimæ sententiæ lucem, quum adversarii, laciniosâ oratione, variisque modis, offuscare studeant, ea paucis erit explicanda.

213. Ac primò *natus ex Deo*, Spiritui Sancto, regenitum ac sanctificatum: seu justitia ac sanctitate donatum, significat. Id quod adversarii, agnoscunt a; sed insigni contradictione, sese miserè irretiunt, atque involvunt. Nam initio quidem, *per nativitatem ex Deo, non qualitatem propriè, bonam aut sanctam denotari* b, perperam adstruunt: contra verò postea, qualitatem esse & habitum, crebriùs affirmando c, idem omnino destruunt ac subvertunt.

a Act. Rem. de perf. p. 321. b Ib. & p. 322. c Ib. p. 325. 326. 327. 328. 333.

214. Deinde, *peccatum facere & peccare* (quæ, eodem sensu, ut antea a, usurpantur) *non propriè* ac generatim, hoc loco, Legem Dei transgredi b, notant: quia, omnes homines, ita peccant c, etiam omnes sancti d ac renati, lapsu interdum graviori: ut vel Petri exemplum (fidem nihilominùs retinentis e) evincit. Verùm *impropriè*, per synecdochen ac speciatim, peccato, plenè dominanti, servire: seu, peccatis omnino deditum esse f, significat. Id quod, à renatis ex Deo, alienum; sed, natis ex Diabolo, proprium g.

a 1. Joh. 3. 8. b 1. Pet. 2. 22. Rom. 3. 23. c 1 Reg. 8. 46. d Ps. 32. 6. 1. Joh. 1. 8. Jac. 3. 2. e Luc. 22. 32. f Ezech. 33. 13. g 1. Joh. 3. 8.

215. *Semen* autem *Dei*, Metaphoricè, Verbum Dei, seu Euangelium (quia ex eo, ut semine incorruptibili, renascimur ac sanctificamur a) significat b. Nam, quod adversarii, *seminis* voce, *divinam intelligi indolem, naturam, divinumque affectum, existimant* c: eo modo, causam, cum suo effecto: semen nempe, regenerationis atque indolis divinæ, cum ipsâ regenerationis gratiâ, ac divinâ indole, perperam confundunt. Ideoque, duas distinctas rationes; primam; *quia semen ejus manet:* & secundam; *quia ex Deo natus est*; in unam, indignè conflant d.

a 1. Pet. 1. 22, 23. b Jac. 1. 18. 1. Joh. 2. 24. c Act. Rem. de perf. p. 329. d Ib. p. 327. & 331.

216. *Manere*, autem propriè, hoc *semen*, dicitur, cùm animæ inhæret, eoque radicatum retinetur a: ut, suo tempore, fructum ferat. Quæ, solida ratio est, ac causa efficiens, cur renati, non peccent. Sic enim ritè concluditur; In quo, semen Dei, manet, ille non peccat. In nato ex Deo, semen Dei manet. Ergo, natus ex Deo, non peccat. Idque Apostolus docet antea, his verbis; *Quisquis in eo* (Christo) *manet, non peccat: quisquis peccat, non vidit eum, neque novit eum* b. Ergo Apostolo contradicunt adversarii, qui statuunt, aliquos peccare, qui viderunt & noverunt Christum: hoc est, vivâ fide præditos.

a Luc. 8. 15. 1. Joh. 2. 24. b 1. Joh. 3. 6.

217. Nam, quod *manere*, hoc loco, non propriè, durationem, sed *impropriè, nudam existentiam, notare* a, contendunt: id, neque ex reipsa, neque ex iis, quæ adducunt, Scripturæ dictis, demonstratur.

a Act. Rem. de perf. p. 330.

218. *Non ex reipsa*; quia quod primò ajunt (*Alias debuisse poni, ab Apostolo, talem enuntiationem; Qui ex Deo natus manet, ille non peccat: quia semen manet* a) illud, nullâ omnino consequentiæ necessitate, nititur: ut ex antecedentibus liquet. Deinde, quod addunt, verbum, *manendi*, non propriè usurpari, *quod alias non primæ enuntiationi, sed ultimæ, apposita, fuisset* b, illud frivolâ nititur ratione.

a Ibid. b Ibid.

219. Nam frustra hæc subjiciunt; *Quæ vis, verbi futuri, quum agitur de eo, quod in præsenti est? Ut enim quis non peccet, non requiritur, ut semen Dei in eo maneat: sed tantùm, ut sit* a. Siquidem, *Manet*, præsens est, (non minus quàm verbum, *Peccat*) & esse, cum perseverantiâ denotat: *Sicut non peccare, nihil aliud Apostolo esse, quàm non manere, in peccandi consuetudine* adversarii profitentur b.

a Ibid. b Ibid. p. 323.

220. Neque etiam ex scripturæ dictis, hanc vocis, *manendi*, significationem, certò comprobant. Non ex Joan. 14. 17. *In vobis manet, & in vobis erit.* Quia *manet*, hoc loco, non tantummodo, *esse* notat: sed inde etiam, ab initio fidei, durationem. Contra verò vox, *Erit*, pro erit constanter: seu manebit, accipitur: ut res ipsa docet. Neque etiam, ex 1. Joan. 2. 5. 6. *In ipso sumus. Qui dicit, se in ipso manere.* Quia, *manere* quidem hic, esse, at non simpliciter, sed cum constantiâ, significat. Nec denique ex 1. Joan. 3. v. 14. *Qui odit fratrem, manet in morte:* quia, ut vox, *odit*, de odio, sine resipiscentiâ, intelligitur a: sic vox manet, durationem notat; ut etiam hoc loco. Cum quo, consentit *illud; Quod igitur audistis, à principio, in vobis maneat. Si in vobis manserit, quod audistis, à principio, vos quoque in Patre & Filio manebitis* b.

a Ibid. p. 331. b 1. Joh. 2. 24.

221. Denique, *non posse peccare*, hoc est, se penitus peccatis dedere, dicitur non absolutè, & per se a, sed per accidens, gratiæ ac potentiæ Dei conservantis b. Quod, quum sit constans, hominis renati, privilegium c: idcirco statuitur, eum, *non posse peccare: quia, ex Deo natus est.* Utpote, in quo semen suum, Deus conservat ac fructuosum reddit, suo Spiritu, perpetuo illo salutis, in cordibus renatorum, arrhabone d, atque auctore e.

a Vide Thes. præced. b 1. Pet. 1. 5. Joh. 15. 5. Jer. 34. 40. c Joh. 3. 36. 1. Joh. 3. 6. d Eph. 1. 14. & 4. 30. 2. Corinth. 1. 22. e Joh. 7. 38. 39. Rom. 8. 9. 10. 11.

222. Ideoque, quod excipi solet; *renatos, non posse peccare, quà renati sunt*, adeò hîc ridiculum est, ut illius tandem, etiam adversarios, puduerit a. Apostolus enim, non ait, *quà:* ac si subjecti partem ita determinaret; sed, *quia*; ut rationem reddat, cur homo ille, qui ex Deo natus est, peccare non possit: non quia, ex carne natus est, & naturali arbitrii libertate, peccato obstat; sed quia ex Deo natus est, seu Dei gratiâ, naturæ divinæ, (hoc est, imaginis Dei) per regenerationem, consors existit, & idcirco divinitus conservatur.

a Act. Rem. de Perf. p. 326.

223. Quod autem verba hæc, *Non posse*, impropriè, pro difficile esse, accipienda obtendunt, quasi, non potentia, sed facilis potentia, negaretur. Videlicet, quòd natus ex Deo, à peccato abhorreat, ac propterea, non facilè peccet a: illud, indignum effugium est.

a Ib. 323. ad 327.

224. *Primùm*, quia sine ullâ gravi causâ, à propriâ vocis significatione, ad impropriam, aberrant. Deinde, quum orationis series ostendat, illa verba, *& non potest peccare*, ad amplificationem rei pertinere (quod nec adversarii diffitentur a) hâc ipsorum expositione, contrà ad diminutionem, traducitur. Quia quod dicitur, renatum non peccare, id absolutè peccatum illud, à renato, excludit b: contrà verò, non facilè posse peccare, seu difficulter peccare, peccatum illud, aliquâ ratione, includit. Hæc, de loci hujus explicatione.

a Ib. pag. 331. b Vide Thes. 216. & 221.

225. Unde *trigesima prima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, profluit; Quicunque non peccat, & in quo semen Dei manet: quique non potest peccare; ille, à sanctitate suâ, ad peccato penitus serviendum, non deficit (hoc enim esset, peccare) sed, in eâ, perseverat. Omnis autem sanctus, natus ex Deo, est hujusmodi. Ergo, à sanctitate suâ, ad peccato penitus serviendum, non deficit, sed in eâ, perseverat. Atquæ hæc, de perseverantiæ sanctorum, *promissionibus & assertionibus*. Ex quibus constat, eam Dei voluntate (secundùm quam, sua agit omnia a) certò esse decretam.

a Eph. 1. 11.

226. Quod

226. Quod voluntatis Dei decretum, *primum* est *beneficii Dei*, *caput* ac modus, quo, perseverantiæ sanctorum, causa efficiens, dicitur. Ac propterea, de *altero beneficio*, nempe, *operatione Dei*, quæ eandem, à se decretam, tanquam *causa*, non solum efficiens ac sufficiens (ut adversarii, gratiam Dei imminuentes, statuunt) sed etiam *perficiens*, exsequitur, nobis est differendum. Ex quo, reliquæ, ad veritatem ampliùs illustrandam, demonstrationes, elucebunt.

227. Quæ *operatio Dei*, pro ordinis sui, in agendo, ratione, in *remotam, & proximam*, dispescitur.

228. *Remota*, est Filii Dei, secundùm decretum [a], in servatorem, & conservatorem, omnium fidelium, donatio, Joa. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum* (hoc est omnes gentes mundi [b]) *ut Filium suum unigenitum dederit: ut quisquis credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam.* Periret autem credens, si à fide, penitus descisceret: quia, in peccato esset mortuus, & sub ira ac maledictione constitutus.

a 1.Pet.1.20. Eph.1.4.9. b Rom. 4. 13. cum 18. & Gen. 12. 3. & 18. 18. cum 22. 18.

229. *Filius* autem, renatos ac verè fideles, conservat, ac perseverantiam *efficit*, partim *modo* sibi *proprio:* partim, cum Patre & Spiritu Sancto, *communi*.

230. *Proprio* quidem, per Sacerdotalis muneris executionem, peragit bifariam; *primò*, per sacrificii sui, pro sanctis renatis, pretium: *deinde*, per precum suarum intercedentium dignitatem.

231. Ac *sacrificii sui pretio* ac *merito:* quia *se sanctificavit* (seu in sacram victimam, DeoPatri, per mortem, obtulit [a]) *ut sancti simus* [b]: cùm imputatâ ipsius sanctitate [c]: tum veteris hominis crucifixione, novique excitatione [d], & quidem ad finem usque vitæ [e]. *Unica enim* (ut ait Apostolus) *oblatione, consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur* [f]. Idque etiam, ex formula fœderis novi, justificationis & sanctificationis gratiam complectentis, ab eodem, demonstratur [g].

a Heb. 10. 10. b Joh. 17. 19. c Heb. 10. 10. cum 11. & 12. d Rom. 6. 6. ad 12. Hebr. 9. 13. 14. e Luc. 1. 69. cum 71. f Hebr. 10. 14. g Ibid. 10. 15. 16. 17.

232. Ex qua etiam re, duplicem, in epistola ad Romanos, demonstrationem, ad perseverantiam Sanctorum stabiliendam, deducit Apostolus.

233. Quarum *prior*, ordine est *trigesima secunda*, hujusmodi; *Nam si, quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per mortem Filii ejus; multò magis reconciliati servabimur, per vitam ipsius* [a]. Cui *Propositioni*, præmissa est *Assumptio, & Conclusio hujusmodi*; *Commendat autem suam, ergo nos charitatem Deus, quòd quum essemus peccatores, Christus, pro nobis, mortuus est. Multo igitur magis, justificati nunc sanguine ejus, servabimur, per eum ab ira* [b].

a Rom. 5. 16. b Rom. 5. 8. 9.

234. *Altera*, (quæ nostra, *trigesima tertia*) *demonstratio est. Etenim si per unius* (Adami) *lapsum, mors regnavit per illum unum: multo magis, qui redundantiam illius gratiæ, & doni justitiæ, accipiunt, in vitâ regnabunt, per unum illum Jesum Christum* [a]. Hæc *Propositio* est; *Assumptio* verò, diversis verbis, sed eodem sensu, præcessit; *Per unum hominem, peccatum in mundum introiit, & per peccatum, mors* [b]. *Ergo multo magis, qui redundantiam illius gratiæ, & doni justitiæ, acceperunt, in vitâ regnabunt, per unum illum Jesum Christum* [c]. Qui autem gratiam illam accipiunt, sunt citra controversiam, omnes fideles renati [d].

a Rom. 5. 17. b Ib. 5. 12. 21. c Rom. 5. 20. 21. cum v. 17. d Rom. 5. 1. 2.

235. Quapropter, ex gratiæ hujus, (cùm reconciliationis, tum conservationis, per Christum) certitudine, Apostolus ita exclamat; *Gloriamur in Deo, per Dominum nostrum, Jesum Christum, per quem, nunc reconciliationem accepimus* [a]. Quo, certam perseverantiam, indigitat.

a Rom. 5. 11. & 2. & 3.

236. Eodem etiam spectat, celebris illa, quæ consequitur, *gloriatio* duplex. *Prima* est; *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem, qui proprio Filio, non pepercit; sed pro nobis omnibus, tradidit eum, quomodo non etiam, cum eo, nobis omnia gratificabitur* [a]? In quâ sententiâ, *Deum pro nobis esse*, propitium adjutorem, notat: & *contra nos esse*, nempe cum victoria: seu superare posse, synecdochicè significat. Quod, Deo adjutore, nemo, nos perdere, queat. Denique *gratificari omnia*, nihil aliud, quàm & salutem, & omnia, ad eam, necessaria, largiri, designat [b]: ut res ipsa ostendit.

a Rom. 8. 31. 32. b Rom. 8. 28.

237. Unde hæc, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio trigesima quarta*, statuitur. Pro quibus, Deus est, & Filio suo, non pepercit, sed pro iis omnibus, tradidit ipsum, illis omnia, ad salutem necessaria, cum Christo gratificabitur: ideoque perseverantiam sanctitatis ac gratiæ daturus [a] est. Atqui omnes fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo iis, perseverantiam, in sanctitate, & gratiâ, est daturus.

a Heb. 10. 36. 38. & 12. 14.

238. *Secunda gloriatio* est; *Quis nos separabit, à charitate Christi? oppressio* &c. *imo, in his omnibus, plusquàm victores sumus, per eum, qui dilexit nos. Nam, mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam creaturam, posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* [a].

a Rom. 8. 35. ad finem.

239. Ex qua gloriatione magnificâ, *trigesima quinta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, construitur: Quos nemo à charitate Christi, separare potest; sed qui in omnibus, plus quàm victores, sunt: quosque, neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura, separare potest, à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu: illi, à sanctitate, & gratiâ Dei, non excidunt penitus, (hæc enim sunt repugnantia) sed in ea perseverant. Tales autem sunt, omnes fideles renati (quos sibi sociat Paulus, quum ait, *nos & omnes* [a]:) Ergo, à sanctitate, & gratiâ Dei, non excidunt penitus: sed in ea perseverant.

a Rom. 8. 32. 33. 35. 36.

240. Idem docetur propositis salutis gradibus, 1. Cor. 1. 30. *Ex ipso autem vos estis, in Christo Jesu, qui factus est nobis, sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, redemptio.*

241. Ex quibus hæc *trigesima sexta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, procedit; Quibus Christus factus est, à Deo, sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio; illi, à sanctitate non deficiunt penitus, sed in ea, ad finem usque perseverant: Aliàs Christus non esset iis, redemptio, seu plena liberatio. Atqui omnes fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo illi, à sanctitate, non deficiunt penitus; sed in ea, ad finem usque, perseverant.

242. *Propositio* firma est: quia factum esse alicujus, non solùm sapientiam ac justitiam, à Deo; sed etiam, sanctificationem, ac redemptionem, hoc est, plenam (quæ, ultimo die, futura) liberationem [a]: & sincerè, à sanctitate, deficere ac perire, sunt opposita. *Assumptio*, Apostoli est. Siquidem, quæ Corinthiis fidelibus, *qui ex Deo erant* nati [b], hîc dicuntur: communia sunt, omnibus fidelibus renatis, citra controversiam. Atque hæc, de *perseverantia, per pretium ac meritum sacrificii Christi, efficientiâ.*

a Luc. 21. 28. Eph. 1. 14. & 4. 30. Rom. 8. 23. b 1. Cor. 1. 30.

243. *Altera* est, per *precum* ipsius *intercedentium dignitatem:* quibus, eam perseverantiam, à Patre efflagitat, & impetrat. De quâ re, Rom. 8. 34. *Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est: imo verò qui excitatus est: qui etiam est, ad dextram Dei: qui etiam interpellat, pro nobis.* Et Heb. 7. 24, 25. *Perpetuum habet sacerdotium. Unde, & servare, prorsus potest eos, qui per ipsum, accedunt ad Deum: semper vivens, ut interpellet, pro iis.*

244. Hinc *trigesima septima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio* contexitur; Quos nemo potest condemnare, quia Christus, pro iis mortuus, excitatus, & ad dexteram Patris, interpellat, pro iis: illi non penitus excidunt à sanctitate, & gratiâ, (aliàs enim condemnationi essent obnoxii) sed in iis perseverant. Atqui electos ac fideles, nemo potest condemnare, quia &c. Christus interpellat pro iis. Ergo non excidunt penitus à sanctitate, & gratiâ: sed in iis, perseverant.

245. Similia loca, sed magis specialia, sunt hæc; Joann. 17. vers. 8. *crediderunt, me à te missum esse. Ego, pro iis, rogo; non pro mundo: sed pro iis, quos dedisti mihi: quia tui*

tui sunt. Et vers. 11. *Pater sancte, serva eos, per nomen tuum, quos dedisti mihi: ut sint unum, prout & nos.* Et versu 15. *Non rogo, ut tollas eos è mundo: sed ut serves eos, à malo.* Et vers. 17. *Sanctifica eos, tuâ veritate.* Et vers. 20. *Non tantum autem, pro iis, rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum, credituri sunt in me.*

246. Quæ, hanc *trigesimam octavam*, perseverantiæ sanctorum, *demonstrationem*, suppeditant; Pro quibus Christus orat Patrem, ut eos sanctificet, suâ veritate, & servet à malo, illi à sanctitate non deficiunt penitus (hæc enim sibi mutuò repugnant) sed in eâ perseverant. Atqui credentes renati omnes, sunt hujusmodi. Ergo illi à sanctitate, non deficiunt penitus, sed in eâ perseverant.

247. *Propositio*, confirmatur *primò*, quia Christus semper à Patre exauditur [a]. Nec *obstat*, quòd pro peccatoribus [b], quia ipsum crucifixerunt [c], orasse dicitur: quia indefinita est oratio: quæ ad mundum reproborum non pertinet (quum, pro eo sese orare, negarit [d], neque orare potuerit [e]) sed ad electos [f]. Quales, ex eorum (qui Christum in crucem, flagitatione suâ, adegerant [g] numero, duabus Petri concionibus, circiter octo millia, sunt conversi [h]. *Deinde* altera confirmatio, à Christo adducta est, his verbis; *Quia tui sunt.* Ut enim *Dominus novit, qui sunt sui* [i]: ita Pater suos, Christo datós, vult servari [k].

a Joa. 11. 42. b Isa 53. 12. c Luc. 23. 34. 35. d Joa. 17. 9. e 1. Joa. 5. 16. f Joa. 17. 9. g Act. 2. 23. & 3. 13. 14. 15. h Act. 2. 41. & 4. 4. i 2. Tim. 2. 19. k Joa. 17. 2. & 6. 39. 40.

248. Nam licet Christus dicat; *Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo, ex iis periit, εἰ μὴ filius perditionis*; hoc est Judas: ipsum tamen (quod adversarii objectare solent) datis hisce, non annumerat; sed opponit. Quum enim, εἰ μὴ & ἐὰν μὴ, non solùm pro, *nisi*, sed sæpius etiam, pro *sed* [a], accipiatur (ut etiam *nisi*, frequenter apud Latinos, *sed* denotat [b]) ita quoque, hoc in loco, accipi oportere, circumstantiæ evincunt.

a 1. Cor. 7. 17. Apoc. 21. 27. Gal. 1. 7. & 2. 16. b Vide Aldi Schol. ad Salust. de bello Jugur.

249. Nam qui dati Christo hîc dicuntur, non intelligendi sunt, ratione vocationis, ad Apostoli munus; sed dati prædestinatione, & vocatione, ad fidem ac salutem: ut attributa demonstrant. Omnes enim hi, dati Christo, vitâ donandi sunt [a]: Dei sunt proprii; sermonem ejus servant [b]: pro iis, Christus orat: mundoque opponit [c]: eosque servari vult, imposterum, à Patre [d]: & à se ante servatos, asserit [e]. Quorum nihil, in filium perditionis Judam, aut alium reprobum, quadrat.

a Joa. 17. 2. b v. 6. c v. 9. d v. 11. & 24. e v. 12.

250. Ac propterea, *perperam hoc dicto*, adversus sanctorum perseverantiam, *abutuntur*. Atque hæc, de *primâ* ac *remotâ*, *Dei*, perseverantiam exequentis, *operatione*, nempe Filii Dei, Pontificis nostri, donatione: ut sui sacrificii pretio ac merito, & precum intercessione ac dignitate, eam nobis promereretur, atque impetraret.

251. *Altera* Dei *operatio*, decretam perseverantiam exsequens, est *propinqua*. Quæ consistit *partim*, in potentiâ Dei, quam exerit; *partim*, in sanctorum perseverantium officiis, quæ suscitat atque adjuvat, ut in sanctitate, perseverent.

252. *Potentia illa Dei*, alia *principalis* est, alia *ministra*. *Principalis*, est Dei Patris, cum Filio [a], communis, per Spiritum Sanctum, efficacia [b]: qua inceptam regenerationis sanctitatem (seu fidei, spei, charitatis, virtutes) perpetuò, ab interitu conservat. Ut enim illarum, efficiens *causa*, est *incipiens*; sic etiam *perficiens*, ad finem [c].

a Joa. 10. 28. 29. 30. 2. Thess. 2. 16. b Psal. 51. 14. & 143. 10. Eph. 1. 17. 18. 19. & 2. 22. c Phil. 1. 6.

253. *Modus* autem, quo sanctitatem conservat, est illius, partim continuatio ac *confirmatio*: partim, contra adversarios, *defensio*.

254. Quæ *duo conjunctim* ita complexus est Apostolus Petrus 1. Epist. 1. 3, 4, 5. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi: qui ex multa sua misericordia, regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem: quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere,* NOBIS *in cœlis* SERVATAM. *Qui,* POTENTIA DEI *ut* PRÆSIDIO CUSTODIMUR, *per fidem,* AD SALUTEM; *quæ parata est patefieri, tempore ultimo.*

255. Unde hæc, *trigesima nona*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, promanat; Quos Deus regenuit in spem vivam, in hæreditatem, ipsis servatam, in cœlis: & qui potentiæ illius præsidio custodiuntur, per fidem, ad salutem quæ patefiet, tempore ultimo: illi, à fide, non penitus deficiunt, ad interitum; sed in eâ perseverant, ad salutem. Tales autem sunt omnes sancti renati. Ergo, non penitus, à fide deficiunt, ad interitum; sed in eâ perseverant, ad salutem.

256 *Propositio* liquet: quia hæreditatem ipsis servatam esse in cœlis; & defectione à fide, eam amittere; deficere, à fide ad exitium, & custodiri potentiâ Dei, per fidem ad salutem, & quidem certam, ut quæ ipsis servatur, & parata est, patefieri tempore ultimo, sibi mutuò adversantur: ideoque simul consistere nequeunt.

257. Nec quisquam potest custodiri, per fidem, ad salutem: nisi in fide maneat. Salus enim statuitur, ut certus terminus: qui verè ultimo die patefiet: fides verò, ut via ac medium, ad eam necessarium, ac destinatum. Ideoque nemo custodiri potest, ad salutem, quæ patefiet: nisi servatâ fide [a]. Ac propterea, vanum est adversariorum de discrimine conservationis, in fide, & per fidem effugium: quum posteriori, prius includatur.

a Marc. 16. 16. Heb. 10. 38. 39. 1. Joan. 2. 28.

258. *Distinctè* verò, de *primo* conservationis *modo*, præter ea, quæ copiosè, suis locis, antea protulimus, *testimonia*; hæc *tria* sunt illustria. *Primum* 1. Corinth. 1. v. 8. 9. *Qui* (Deus) *etiam, confirmabit vos, usque ad finem, inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi:* (en donum perseverantiæ) *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in communionem Filii ipsius.* Hæc est perseverantiæ demonstrandæ solida ratio, à fidelitate Dei, erga veros fideles, qui vocati sunt, ad Christi communionem. Ideoque tam certa est perseverantia, quàm certa atque immobilis Dei in promissis servandis, fidelitas.

259. *Alterum testimonium est* Philipp. 1. v. 6. *Persuasum habens, hoc ipsum, fore ut,* QUI INCEPIT *in vobis, opus bonum,* PERFICIAT, *usque ad diem Jesu Christi. Postremum est,* 1. Thes. 5. v. 23. 24. *Ipse autem Deus pacis, sanctificet vos totos, & integer vester Spiritus, & anima, & corpus, inculpatè, in adventum Domini nostri Jesu Christi,* SERVENTUR. FIDELIS *est, qui vocavit vos, qui etiam* EFFICIET.

260. Ex quibus oraculis, hæc *quadragesima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, emicat; Quos Deus confirmabit, usque ad finem inculpatos, & in quibus, bonum opus, quod in iis incepit, ad Christi adventum perficiet, & sanctificabit totos, & integrum spiritum, & animam, & corpus, inculpatè servabit, in adventum Domini nostri, Jesu Christi; illi sanè, à sanctitate suâ, non deficient penitus; sed in ea ad finem perseverabunt. Tales autem sunt verè fideles, seu sancti renati. Ergo illi non penitus, à sanctitate, deficient, sed in eâ perseverabunt.

261. *Propositionis* veritas perspicua est. Nam, confirmari à Deo, ad finem inculpatos, & non confirmari, sed deficere, à sanctitate ad culpam, servitutis peccati: bonum opus in sanctis, inceptum perficere, ad Christi adventum; & sanctos, à bono opere, deficere: sanctificare totos, & inculpatè servare, in adventum Christi, & non servare, sed permittere, ut deficiant à sanctitate, & inculpati esse desinant, sunt apertè repugnantia: quæ simul consistere non possunt. *Assumptio* similiter certa est. Nam quæ, de Corinthiacæ, Philippensis, Thessalonicensis, Ecclesiæ verè fidelibus, memorat Apostolus, ea verè fidelibus renatis omnibus, sunt communia: ob communem, ad communionem Christi, vocationem, & communes, Dei fidelis, promissiones [a]. Hæc, de *sanctitatis conservatione.*

a Tit. 1. 2. Gal. 3. 22.

262. Porro *sanctitatis*, contra adversarios, *defensio divina*, consistit, *partim*, in consolatione æternâ, contra hostium tentationes: *partim* in eorum refrænatione.

263. *Prius*

263. *Prius* docetur 2.Thess. 2.16.17. *Ipse verò Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam, per gratiam, consoletur vestra corda, & stabiliat vos, in omni sermone, & opere bono.*

264. Ex quâ sententiâ, *quadragesima prima*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, desumitur; Quibus Deus dedit consolationem æternam, illi à fide sua nunquam deficiunt penitus, sed in ea perseverant. Atqui omnes fideles, renati, sunt hujusmodi. Ergo illi, nunquam penitus, à fide suâ deficiunt, sed in ea perseverant.

265. *Propositio* firma est. Quia, consolationem æternam habere, & non habere: seu, fidem & spem servare, (sine quibus nulla esse potest consolatio) & ea amittere, sunt contraria, ac se mutuò expellunt. Deinde, stabiliri à Deo, in omni sermone, & opere bono; & non stabiliri, sed instabilem esse, ac deficere, à sermone & opere bono, sunt similiter contraria. *Assumptio*, & hoc loco, & alibi [a] statuitur. Quod enim hic ex fide, pro verè fidelibus precatur Apostolus, id à Deo promissum, & fideliter præstatur.

a Joa. 14.16.17. 1.Cor. 1.8.9. 1.Thess. 5.23.24.

266. *Posterius* verò, *defensionis membrum*, traditur 1.Cor. 10.13. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari, supra id quod potestis; sed præstabit unà cum tentatione, etiam evasionem, ut possitis sufferre.*

267. Hinc *quadragesima secunda*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, suggeritur; Quos Deus tentari non sinet, supra id quod possunt, sed præstabit unà cum tentatione evasionem, ut possint perferre, illi non penitus à tentatione vincentur, ideoque non deficient omnino, à sua sanctitate, sed in ea perseverant ad finem. Fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo, à tentatione, non vincentur penitus: ideoque non deficient omnino, à sua sanctitate, sed in ea ad finem perseverant.

268. *Propositio* certa est: quia non sinere tentari, supra vires; & sinere tentari, supra vires; seu sinere, ut tentationi succumbant, & ab ea superentur: dare evasionem, ut possint sufferre; & non dare evasionem, ut possint sufferre: sed permittere eos, tentationis gravitate, victos, à sanctitate penitus deficere, sunt è diametro inter se opposita: quæ idcirco, eidem rei, tribui non possunt. *Assumptio* etiam verissima est: quia hæc consolatio, non est propria Corinthiis; sed communis omnibus verè fidelibus ac renatis, ob communem, *fidelitatis Dei*, additam rationem, & Scripturæ consensum [a]. Atque hæc, de *principali Dei potentia*, qua perseverantiam sanctorum exequitur.

a Ps. 125.3. 1.Cor. 1.8. 1.Thess. 5.23.24. Luc. 17.1.74.75. 2.Pet. 2.9. Rom. 8.28. & 11.29. Heb. 10.23. Tit. 1.2.

269. *Ministra* verò *potentia Dei*, qua ad eandem rem perficiendam, utitur, est *duplex: institutio*, per Dei Verbum, & *castigatio*.

270. *Institutio per Dei verbum*, vel *sejuncta* est: vel Sacramentorum signis, *conjuncta*: quibus duobus modis, perseverantiam Deus, ita suadet commodè atque opportunè, ut certò secundum decretum, persuadeat.

271. *Priori modo* renascimur ac sanctificamur primùm, fideque donamur [a]: *utroque* verò *modo*, in sanctitate ac fide, confirmamur [b]. Euangelium enim, est *potentia Dei ad salutem, omni credenti* [c]: semen incorruptibile, vivum manensque in æternum [d], quodque in renatis manet [e], & *efficax est in iis qui credunt* [f]. Utque *verbum Dei est veritas*, qua sancti amplius *sanctificantur à Deo* [g]: sic Euangelium comparatur speculo limpidissimo, *in quo omnes Domini gloriam intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria, in gloriam* [h].

a Rom. 10.17. 1.Pet. 1.23. b Jac. 1.18. Eph. 4.12. 13.14.15.16. c Rom. 1.16. d 1.Pet. 1.23.25. e 1.Joa. 3.9. f 1.Thess. 2.13. g Joan. 17.17. h 2.Cor. 3. vers. 18.

272. *Verbi* autem *divini institutio* nuda, seu à signis *sejuncta*, partim *dogmatica* est, partim *parænetica*.

273. *Dogmatica*, est quâ, officium perpetuandæ sanctitatis, modique illius, præscribuntur: nec solùm ab honesto, seu justo; sed etiam ab utili, & necessario (non minus quàm parænefes) muniuntur.

274. Quo pertinent, variæ *promissiones & minæ*. Illis enim, perseverantiæ utilitas: hisce verò, necessitas sancitur: illisque spiritus alacritas excitata, inflammatur: hisce verò, carnis lascivientis insolentia retusa, coërcetur.

275. Quales sunt *promissiones*, præter alias, non paucas, Matt. 24.13. *Qui perseveraverit ad finem, salvus erit.* Apoc. 2.10.11. *Esto fidelis, usque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ &c. Qui vicerit, non lædetur à morte secundâ.* Ezech. 33.11. *Vivo ego, dicit Dominus, non delector morte improbi; sed conversione improbi, à via sua.*

276. *Minæ* verò, inter cæteras, hujusmodi proponuntur, Heb. 12.14. *Pacem sectamini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Gal. 5.21. *Qui talia* (opera carnis, sine resipiscentiâ) *agunt, regni Dei non erunt hæredes.*

277. *Promissiones* verò & *minas* simul concinnè, in eum perseverantiæ finem, complexus est Deus, Ezech. 33. vers. 13, 14, 15. *Quum dixero justo, omnino victurus es, si ipse confisus justitiæ suæ fecerit iniquitatem, omnia justa facta ipsius, non memorabuntur, sed in iniquitate sua, quam facit, morietur. Et, quum dixero improbo, omnino moriturus es, si reversus, à peccato suo, fecerit judicium & justitiam, pignus restituerit improbus, rapinam reddiderit, in statutis vitæ ambulaverit, non faciendo iniquitatem, omnino vivet, & non morietur.* Quo in loco, *facere justitiam*, aut *iniquitatem*, non generatim, sed speciatim, (ut 1.Joan. 3.9.) accipi oportere, res ipsa declarat.

278. Similiter Apostolus Rom. 8. v. 13. *Si, secundum carnem, vixeritis, futurum est, ut moriamini; sed si spiritu, actiones carnis, mortificetis, vivetis.* Et Heb. 10.38. *Justus autem, ex fide, vivet; & si se subduxerit, non probat eum, animus meus.*

279. In quibus minis, non quid fieri in renatis, justis ac sanctis, soleat, indicatur (ut adversarii malè colligunt [a]) sed quid, per eorum infirmitatem, sine Dei ope, fieri posset, ac fieret: quæque defectionis illius, noxia sint consequentia, declaratur: ut ejus etiam argumenti vi perculsi, in officio retineantur.

a Actor. Synod. Remonst. de persev. pag. 220.

280. Siquidem, non alio modo, etiam Apostolis, à Christo, dicitur, *Nisi justitia vestra, abundarit plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis, in regnum cælorum* [a]: quum tamen certum esset, majorem eorum esse, & fore, justitiam; & regnum cælorum, certò possessuros. Quippe *nomina eorum*, Christo teste, *scripta erant, in cælis* [b]: *ac placitum erat Patri, iis dare regnum* [c]: ut qui, Patris erant, Filioque dati, ut iis, vitam daret æternam [d].

a Matth. 5.20. b Luc. 10.20. c Luc. 12.32. d Joan. 17.2.6.

281. Nec propterea tamen, vana erat comminatio: siquidem illa, potens fuit instrumentum; ut discipulos, fragilitatis suæ moneret, & monstrato præcipitio, ac terrore incusso, in rectâ viâ (à qua, per se, sibique relicti, potuissent deflectere) retineret.

282. Ut enim Deus ipsos, ad salutem, elegerat, tanquam ad finem destinatum: sic etiam, ad sanctitatis perseverantiam, & omnia subsidia, ad eam, necessaria, tanquam ad media, uno eodemque decreto æterno, atque indivulso, destinarat.

283. Ac propterea, quæ adversarii, tam putidè atque odiosè, de *præciso*, à mediis subordinatis, salutis *decreto*, objectant, & ad prudentum ac peritorum lectorum, nauseam, toties inculcant, ea frivola sunt ipsorum somnia: quibus, toto cælo, ab orthodoxorum sententiâ, aberrant: dumque ei, invidiam conflare moliuntur, in ipso limine turpiter impingunt. Atque hæc, de *institutione Verbi, dogmatica.*

284. *Parænetica* verò *verbi institutio*, ad perseverantiam ordinata, in admonitione, sita est, duplici. *Una*, quâ Deus, ad studium perpetuæ, in sanctitate, constantiæ, & subsidiorum illius, provocat [a]: *altera*, quâ, ad fugam defectionis, eorumque, quæ eò tendunt, avocat [b]. Atque, huic etiam hortationi, inservit *reprehensio*, quâ eorum, qui declinare incipiunt, fœditas traducitur: ad pudorem, seriamque

que tristitiam, iis incutiendum: ne penitus aberrent, sed, ad salutarem resipiscentiam, adducantur.

a Act. 14. 22. b Heb. 10. 35.

285. Quale, illustre omnino est exemplum, in Ecclesiæ Corinthiacæ fidelibus [a]. Quemadmodum etiam quod Tito præscribit Apostolus, ut *severè* Cretenses *redarguat, ut sani sint, in fide* [b]. Idemque, in Galatis, acriùs corrigendis, observavit [c]. Hæc de *sejuncta* nudaque, *Verbi Dei*, atque Euangelii, *institutione*.

a 2.Cor. 7. 9. 10. 11. b Tit. 1. 13. c Gal. 3. 1.

286. *Altera* verò, est *conjuncta*, ac vestita divinis, fœderis Euangelici, signis, seu *Sacramentis*. Quæ sunt *signa ac sigilla, justitiæ fidei* [a], obsignandæ, & *signa fœderis* [b]: quæ & Dei erga nos, per Christum, gratiam, & nostræ, erga Deum, sanctitatis gratitudinem, declarant ac confirmant [c]. Nam ut de veteribus nihil dicam: nova nostra, à Christo, tradita, Sacramenta, *Baptismus*, & *Cœna Domini*, ad sanctitatis quoque perseverantiam, comprobandam ac promovendam, sunt instituta.

a Rom. 4. 11. b Gen. 17. 11. c Gen. 17. 2. 1. Corinth. 10. 21. & 11. 24. 25. 26.

287. *Baptismus* enim unicus [a] (non solùm specie, in universis, sed etiam numero, in singulis: ut etiam circumcisio unica) unicam regenerationem, ac sanctificationem [b], Christique communionem [c], non plures: & quidem, ad vitæ finem, constantem: non autem, amissioni sæpius obnoxiam, exitioque, præviam, obsignat.

a Eph. 4. 5. b Tit. 3. 5. c Gal. 3. 27. 29. Ioa. 6. 31. 39. 1. Cor. 1. 8. 9. d Rom. 6. 4. 22. Col. 2. 11. 12. Heb. 10. 14. 17. 18. 1. Cor. 1. 8. 9.

288. Quemadmodum etiam, *unici Baptismi usus*, seu acceptio, dum, animo fideli, sæpius ruminatur, ad fidem vivam, ac debitam sanctitatis perseverantiam (tanquam sigillum, & justitiæ fidei, non minùs, quàm circumcisio [a], & beatæ resurrectionis [b]) exstimulat [c]. Quocirca non solùm, renatos fideles, *lavacro aquæ, purgari, per verbum* [d]; sed Baptismum etiam, ut arcæ Noæ *exemplar, nos servare* [e], asseritur: quod & gratiam salutis obsignet, & sanctitatis gratitudinem (uti diximus) excitet.

a Rom. 4. 11. b 1. Cor. 15. 29. c Eph. 4. 1. 2. cum 5. d Ib. 5. 26. e 1. Pet. 3. 21.

289. Unde, *quadragesima tertia*, perseverantiæ Sanctorum, *demonstratio*, exoritur; Quibus, à Deo, per Baptismum, unica regeneratio, ac sanctificationis gratia, Christique perpetua communio obsignatur; illi, unico Baptismo, quasi arcâ Noæ, servantur, neque sæpius regenerantur: neque, à sanctitate, neque à Christi communione, penitus excidunt; sed in iis, ad finem vitæ, perseverant. Tales autem sunt omnes fideles renati, ac baptizati. Ergo illi Baptismo, quasi arcâ Noæ, servantur, neque sæpius regenerantur, neque à sanctitate, neque à Christi communione, penitus excidunt; sed in iis, ad finem vitæ, perseverant.

290. *Cœna Domini* similiter, perseverantiæ sanctorum, declarandæ & peragendæ, opitulatur. Siquidem omnibus, verè fidelibus, signat & obsignat, eos corporis & sanguinis Christi, habere communionem [a]: Christumque ipsis esse, panem vitæ, non caducæ; sed æternæ: quemque fide percipiant [b]: & quia comedunt carnem ipsius, & bibunt sanguinem ipsius, habere vitam æternam [c], & in Christo, manere, Christumque, in ipsis [d]. Ideoque, non minus, à Cœna Domini, quàm à Baptismo, ad sanctitatis perseverantiam, stimulantur [e].

a 1. Cor. 10. 16. b Joh. 6. 35. c vers. 54. d vers. 56. e 1. Cor. 10. 16. 21. & 11. 24. 25. & 12. vers. 13.

291. Ex quo, *quadragesima quarta*, perseverantiæ sanctorum, *demonstratio*, exstruitur; Quibus Cœna Domini, signat & obsignat, ipsos habere, communionem corporis & sanguinis Christi, per fidem, Christumque ipsis esse, panem vitæ æternæ: habere vitam æternam, & in Christo, manere, Christumque, in ipsis; illi non penitus, à sanctitate suâ, & vitâ, Christique communione, excidunt; sed in iis, perseverant, ad finem. Tales autem sunt fideles renati, Cœnæ Domini participes. Ergo non penitus, à sanctitate suâ, & vitâ, Christique communione, excidunt; sed in iis, ad finem vitæ, perseverant.

292. Atque hæc, de *prima causa* perseverantiæ *ministra*, nimirum institutione, per Dei verbum: *secunda*, est *castigatio*; *partim*, per Ecclesiæ disciplinam: *partim*, per afflictionem.

293. *Castigatio, per Ecclesiæ disciplinam*, est, quâ Christiani, graviùs ac contumaciùs prolapsi, omnibusque priùs rectè tentatis, ab Ecclesiæ communione (quasi oves scabræ, à grege; & leprosi, à populo Dei [a]) segregantur. Quæ res, ad sanctitatis perseverantiam promovendam, plurimum conducit. Quia *finis est*, ne reliqui sancti, mali exempli contagione, inficiantur [b]; sed, censuræ gravioris, aculeis, cautiores facti; in sanctitate persistant [c]. *Deinde*, ut contumaces, ab Ecclesiæ communione secreti, probri ac damni sensu, perculsi, ad peccati sui agnitionem, ac detestationem, seriamque ac salutarem resipiscentiam, redigantur: *ad interitum carnis: ut spiritus salvus sit, in die Domini Jesu* [d].

a Lev. 13. 3. 4. b 1. Cor. 5. 6. 7. c Ibid. d Ib. v. 5.

294. Excommunicatio enim, medicina est; non carnificina: sanatio ægri; non cædes [a]: neque absolutè excludit; sed eâ conditione, nisi resipiscant. Ac propterea, perseverantiam sanctorum, non confutat (ut adversarii obtrectant) sed eandem, in sanctis renatis, promovet: tanquam utile remedium, divinitus institutum. Hæc de *castigatione prima*.

a 2. Cor. 2. 7. 8. 9.

295. *Altera* verò *castigatio* divina, eodem pertinens, est per *afflictionem*. Quâ, Deus utitur, ad carnem refrænandam, & spiritus, seu sanctitatis insitæ, vires & constantiam, procurandam: ut παθήματα fiant μαθήματα, & quos verba Dei, ad parendum, non erigunt; verbera corrigant [a].

a Psal. 32. 9. 10. Es. 26. 16. Hos. 6. 1. 2. 1. Cor. 11. 32.

296. Huc pertinent illustres sententiæ, *primùm*, Psal. 119. 67. 71. *Antequam affligerer, ego errabam: nunc autem, sermonem tuum, observo &c. Bono mihi fuit, me afflígi: ut discerem statuta tua.* Deinde Heb. 12. v. 10. 11. *Illi, ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem* (Deus) *ad commodum nostrum; ut participes simus sanctitatis ipsius. Omnis autem castigatio, in præsens quidem, non videtur esse gaudii; at postea, fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per eam fuerint exercitati.*

297. Atque hæc, de *prima causa exsequente* perseverantiæ: nempe Dei *potentia: altera* verò, in *sanctorum officiis*, consistit: quæ paucis explicanda. In quibus officiis *principalis* causa, est Deus sanctificans; *ministra* verò, homines sancti ac renati.

298. Homines enim Sanctos ac renatos, suam, in sanctitate, perseverantiam, unà efficere, cum Deo, sed sub Deo, Scriptura attestatur, Psalm. 119. 112. *Inclino animum meum, ad faciendum statuta tua, in seculum, in finem usque.* 2. Tim. 4. 7. *Cursum consummavi, fidem servavi.* 1. Joh. 3. v. 3. *Quisquis habet hanc spem, sanctificat seipsum, sicut ille sanctus est.* 1. Joh. 5. v. 18. *Scimus, quod quisquis natus est ex Deo, non peccat; sed conservat seipsum, & Malus ille non tangit eum*, nempe lethaliter, κατ' ἐξοχήν.

299. Unde hæc *quadragesima quinta* perseverantiæ sanctorum *demonstratio*, procedit; Quicunque sanctificat se, sicut Deus sanctus est, nec peccat; sed servat seipsum, & Malus ille non tangit ipsum, ille non deficit penitus, à sanctitate; sed in eâ, perseverat. Atqui omnes fideles renati, sunt hujusmodi. Ergo nulli renati, à sanctitate, penitus deficiunt, sed in ea, perseverant.

300. *Propositionis* veritas elucet. Nam sanctificare se, & non peccare, seu, non peccatis se omnino dedere, & à sanctitate, deficere: servare seipsum, & deficiendo, non servare; sed peccatis perdere: à Malo, non tangi, & deficiendo, sub Mali, peccati auctoris [a], potestatem redigi, sunt repugnantia, quæ eidem congruere, nequeunt. *Assumptio* est Apostoli.

a Joh. 8. 44. 1. Joh. 3. 8.

301. *Modus* autem, quo renati, suam perseverantiam, procurant; *partim* est, seria verbi divini audientia, & meditatio [a]: *partim*, quæ inde oriuntur, abnegatio nostri [b], & sanctimoniæ exercendæ studium [c]. Quibus, incepta regeneratio, paulatim perficitur. Ideoque fideles renati, *deponere veterem hominem, novumque induere*, jubentur [d]; quoniam crebris actionibus

nibus sanctis, innatæ vitiositatis habitus, minuitur: sanctitatis verò inditæ virtus (fides, spes, charitas) magis magisque stabilitur ac conservatur.

a Psf.119.92. 1.Pet.2.2. 2.Tim.3.15.17. b Matt.16.24. Psf. 119.11. c Psf. 119. 43.44. Heb.12.14. d Eph. 4.22.24.

302. *Abnegationis* autem nostri efficaciam profitetur Paulus, 1.Cor.9.27. *Contundo* (inquit) *& in servitutem redigo, corpus meum, ne aliquo modo, quum aliis prædicarim, ipse improbus fiam.* Non quasi, de salute suâ, ambigeret[a] (ut perperam, à nonnullis, adversus sanctorum perseverantiam, colligitur) sed quòd sanctitatis perseverantiam ac salutem, non aliâ, quàm hâc sanctitatis viâ, sibi, aliisque sanctis, destinatam, probè cognosceret[b].

a Rom. 8.38. b Hebr. 12.14. Rom 8.13.

303. *Studii* verò *sanctimoniæ*, ad perseverantiam illam promovendam, utilitatem ac necessitatem, ostendit Petrus 2. Epist. 1.10. *Quapropter potius studete, vocationem & electionem vestram, firmam facere*[a]. *Hæc enim* (nempe memoratas sanctitatis actiones) *si feceritis, nunquam impingetis.* Et Paulus Eph. 6. vers. 13. *Propterea assumite, universam illam armaturam Dei, ut possitis resistere, tempore adverso, & omnibus confectis, stare.*

a 1. Joa. 3. 18.19.

304. In quâ *sanctâ armaturâ*, excellunt *preces*[a], tanquam genuina sanctitatis totius (seu fidei, spei, charitatis) proles[b], ac professio, & auxilii Divini, ad perseverantiam, impetrandi, medium destinatum[c]. Quibus assiduis precibus, pro omnibus sanctis[d], seipsis ac reliquis[e], renati orant; *ut regnum Dei adveniat*[f]: ipsosque, *non inducat, in tentationem; sed liberet, à malo*[g]: *ut fortiter corroborentur, per Spiritum Dei, in interiore homine: ut inhabitet Christus, per fidem in cordibus ipsorum*: ut, *in charitate fundati & radicati*[h], *&c. ut ipsos sanctificet totos, & integer ipsorum spiritus, & anima, & corpus, inculpatè, in adventum Domini nostri Jesu Christi, serventur*[i]. Adeo autem efficaces sunt preces hujusmodi, ut perseverantiam, quam Deus justè imperat, preces sanctorum, Christi intercessione, Deique fidelitate ac vocatione nixæ; gratuitò ac certò, impetrent[k].

a Ephes. 6.18. b Rom.10.14. c Joan. 16.23. Matth.26.41 d Eph.6.18. e Judæ 20. Phil.1.19. f Matt. 6.10. g Ibid. vers.13. & 26.41. h Eph. 3.16.17.18. i 1.Thess. 5.23. 2.Thess. 1.11. k 1.Thess. 5.24.

305. Ideoque, ex hisce, *quadragesima sexta*, perseverantiæ sanctorum, demonstratio, accedit; Quod fideles renati, à Deo, secundum voluntatem, ac fidelitatem, ipsius, verâ fide, precantur, illud certò obtinebunt. Atqui liberationem, ab omni malo, & sanctificationem animi, spiritus, corporis, in adventum usque Domini nostri Jesu Christi; denique adventum regni Dei, fideles renati, secundùm Dei voluntatem, ac fidelitatem, verâ fide, ab ipso precantur. Ergo liberationem, ab omni malo, & sanctificationem animi, spiritus, corporis, in adventum Christi, denique adventum regni Dei, obtinebunt: ideoque non penitus à sanctitate deficient; sed in eâ perseverabunt.

306. *Propositio* confirmatur ex Joan.16.23. *Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis, à Patre meo, in nomine meo, dabit vobis.* Matth. 11. vers. 24. *Quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos, & erunt vobis.* Matth. 7.7. *Petite & dabitur vobis* &c. vers. 11. *Si vos igitur, quum sitis mali, nostis bona dare liberis vestris; quantò magis Pater vester, qui est in cœlis, dabit bona*, (& Lucas speciatim cap.11.13. *Spiritum Sanctum*) *iis, qui ab ipso petunt.* Heb. 14.16. *Accedamus igitur, cum fiduciâ, ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium.* Denique 1. Joan. 5.14. *Et hæc est fiducia, quam habemus, apud Deum ipsum, si quid petierimus, secundum voluntatem ejus, nos audire. Assumptio*, præpositis[a] precationibus continetur.

a Thes. 304.

307. Ex quibus etiam liquet, *hominem* quidem, *ministram* esse, suæ in sanctitate perseverantiæ, *causam*; sed *Deum principalem*. Quia non solùm sanctitatem, illiusque exercendæ vim, regeneratione indit; sed, suâ etiam potentiâ (cum remotâ, tum proximâ) sustentat, juvat, & in actus educit, atque ad finem conservat: ideoque *timorem*, non temerè, in ministræ causæ præscriptione, requirit.

308. Quâ de re, hæc Apostoli monita, 2. Cor. 7.1. *Has igitur promissiones quum habeamus, purgemus nos, ab omni inquinamento, carnis & Spiritus, sanctificationem perficientes, cum timore.* Et Hebr. 12. vers. 28.29. *Quapropter regnum assumentes, quod concuti non potest, teneamus gratiam, per quam ita serviamus Deo, ut ei placeamus, cum reverentiâ & metu. Etenim Deus noster, ignis consumens est.* Denique, Philipp. 2. 12.13. *Cum timore ac tremore, vestram salutem, conficite. Deus enim is est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro placito.*

309. Quâ in sententiâ, quando sanctos, suam *salutem conficere*, jubet: ipsos aliquam, perseverantiæ suæ, causam esse, indicat: sed ne ingratâ, suæ infirmitatis, & gratiæ Dei, oblivione seducti, superbirent, Deum, totius boni auctorem, statuit.

310. Ac propterea, cum salutis procurandæ studio, *timorem* ac *tremorem*, non servilem illum, quem charitas expellit[a] (qui aut tantùm, aut præcipuè, ex pœnæ odio, procedit) sed ingenuum[b], præscribit: Qui timor, potissimùm ac primùm est offensæ Dei: deinde verò, iræ illius. *Prior* enim, ex fide gratiæ Dei, & amore sanctitatis, ab ipso mandatæ; *posterior* verò, ex fide justitiæ atque omnipotentiæ Dei[c], & ex amore salutis propriæ promanat. Uterque tamen, salutari ratione, ad perseverantiam sanctitatis, confert. Atque hæc de *causâ efficiente*.

a 1. Joa. 4.18. b Psal. 2.11.12. 2. Cor. 5.9.10.11. c Psal 2.11.12. Heb. 12. vers. 28.29.

311. *Finis* verò, donatæ divinitus perseverantiæ, est *duplex*; *Dei* Patris, Filii redemptoris, & Spiritus Sancti consolatoris, *gloria*: & *sanctorum perseverantium, salus.*

312. *Gloria Dei*, in virtutum ipsius (quæ & in decreto, & in executione, elucent) illustratione, consistit.

313. Quippe, ex perseverantiæ decreto, *primum* emicat *bonitas* seu gratia, ac misericordia Dei, ac Christi[a], quod imperfectè sanctis ac peccatoribus, sanctitatis perseverantiam largiri voluerit: *deinde sapientia multiformis*, ex modis variis atque idoneis, & ordine convenientissimo, quibus, eandem perseverantiam, exsequi decrevit: ut ex superioribus efficiendi modis, apparet.

a 2. Thess. 1.12. Eph. 1.3.4.5.

314. In Executione verò illius, effulget *veritas*, ac *fidelitas*, in promissis præstandis; & *potentia invicta*, contra omnes omnium insidias, ac violentiam: ut antea ostendimus.

315. Quarum virtutum gloriam, sanctificator, & perseverantiæ auctor, Deus, efficientiâ suâ, ac Verbi præconio, patefacit[a]: sancti verò, oris & operis sui, celebratione[b], agnoscunt atque illustrant.

a Rom. 5.8.9.10. b 1. Pet. 2.9.10. 2. Thess. 2.13.14. Ephes. 1.3.4.6.

316. *Salus* verò *perseverantium sanctorum*, in animæ, per vitam æternam, & corporis, per gloriosam resurrectionem, glorificatione[a], plenâque Dei fruitione[b], consistit. Cujus salutis obtinendæ gratiâ, sanctis perseverantia donatur: ideoque rectè, finis illius, statuitur[c]. De qua re, Heb. 10. v. 36. *Nam perseverantia vobis est opus, ut ubi voluntatem Dei feceritis, reportetis promissionem*: hoc est gloriam ac salutem promissam. Atque hactenus *Doctrinæ* de perseverantiâ sanctorum *veritatem* explanare conati sumus: superest, ut quædam etiam, de *utilitate* illius, disseramus.

a Joan. 6.39.40. b 1. Cor. 15.28. c 2. Thess. 1.10.11. Heb. 10.35.38.39. 2. Pet. 1.9.

317. *Utilitas* enim hujus dogmatis, est eximia: siquidem revera est (ut cum Apostolo[a], loquamur) *doctrina, secundum pietatem*: vehemens nimirum *sanctimoniæ stimulus*, & potens *vitiorum frænum*.

a 1. Tim. 6.3.

318. *Sanctimoniæ stimulus*, est *primum*, quia, in sanctis renatis, *fiduciam* ac *spem*, gratiæ ac gloriæ, & inde ortam, *patientiam*, adversus omnes, omnium hostium molitiones, gignit[a]. Quia sanctitatis perseverantiam, Dei miseri-

cordi

cordi gratiâ decretam, Filii pretio & precibus acquisitam, Spiritusque S. conservantis & obsignantis potentiâ, perficiendam tradit.

a Rom. 5. 1, 2. & 8. 31. 35. 38. 39. 2. Cor. 5. 17.

319. *Deinde*, quia, ad *charitatem*, & bonorum operum studium sanctos accendit. *Partim*, quum miserationum Dei, & beneficii perseverantiæ, declaratione, ad Deo gratias agendas, placendum, ac parendum, excitat [a]: *partim*, quum debitam sanctitatis curam, ut justam & utilem, ad salutem, imperat [b]: & à Deo decretam, præmiisque, præsentis & futuræ vitæ, ornandam, testatur [c]. Adeo ut, hæc doctrina, *virtutum suadela*, imò *vera Suada*, appellari mereatur.

a Rom. 12. 1. 2. Thess. 2. 13. b Rom. 8. 11, 12. 1. Thess. 4. 3. & 5. 8. 9. Tit. 2. 11. 12. & 3. 7. 8. c 1. Timoth. 4. 7. 8. 9. 10. Heb. 10. 35. 36. Matth. 24. 13.

320. *Vitiorum* quoque *frænum* est: quoniam, & horrendam eorum *fœditatem*, & abominandam *noxam*, declarat.

321. *Prius*, inde liquet; quia disertè tradit, sanctorum perseverantiam, esse excellens, misericordis *Dei gratiæ beneficium*: eoque modo, ab indignâ ac profanâ, *in Deum, ingratitudine*, & vitiorum, adversus ipsum, *maleficiis*, & à Spiritus S. (quo, in diem redemptionis obsignati sunt) contristatione, absterret [a].

a Eph. 4. 30. 2. Corinth. 5. 8. 9. & 7. 1.

322. *Posterius* verò; quia pœnam, vitiosis ac sanctitate vacuis, æternam impendere commemorat: quod *sine fide, impossibile sit, Deo placere* [a]: quodque *sine sanctimoniâ, Deum nemo videbit* [b]. *Deinde*, quòd sanctos in officio negligentiores, & ad vitia graviora, prolapsos, acerbis, hujus vitæ, afflictionibus (quales sunt animi terrores [c], morbi corporis [d], bonorum honorumque jactura [e]) à vitiorum deviis, in rectam sanctitatis viam, redigi, demonstrat [f]. Quibus modis, & justum, iræ Dei, metum, & serium peccati odium (ad perseverantiam sanctorum, utile & necessarium) provocat ac conservat.

a Heb. 11. 6. b Ibid. 12. 14. c Psal. 51. 14. & 6. 4. d Psal. 6. 2. 3. 1. Cor. 11. v. 31. 32. e Levit. 26. 16. 17. f Heb. 12. 10. 11. 1. Corinth. 11. 32. Hos. 6. 1. 2.

323. Quamobrem, indigna ac proterva adversariorum *calumnia*, corruit: quâ, salutarem hanc, de perseverantia sanctorum, doctrinam (utilem veræ sanctimoniæ nutricem, & acutam, vitiorum excidendorum, runcinam) quasi securitatis carnalis, contemptus religionis, & licentiæ scelerum, magistram traducunt: & fœdum, profanorum hominum, abusum, sanctissimæ doctrinæ impingere, non verentur.

324. Cujusmodi atrocibus calumniis; quum ipsemet Apostolus Paulus fuerit impetitus [a]; illius exempli clypeo, & innocentiæ suæ conscientiâ, Christique prædictione ac consolatione [b], *veritatis & utilitatis*, hujus doctrinæ, assertores, sese sustentant; & in eâ pro virili, defendendâ, perseverant. Atque hactenus, de *perseverantia sanctorum*, egimus: cujus auctori, Deo Patri, Filio, Spiritui Sancto, sit gloria, in æternum, Amen.

a Rom. 3. 7. 8. & 6. 1. 15. 2. Pet. 3. 16. b Matth. 5. 11. 12.

FINIS.



FRAN-

FRANCISCI GOMARI,
S. S. Theolog. Doct. & Professoris,

DEFENSIO
INVESTIGATIONIS
ORIGINIS
SABBATI.

I*Nter illustres* de Sabbato quæstiones, duæ *inprimis*, *ad rectam doctrinæ illius intelligentiam*, *celebrantur*. *Quarum* una *est*, de origine *atque antiquitate illius:* An dies hebdomadæ septimus, ad quietem, & cultum Dei, inde à creatione mundi absoluta, sit institutus? *Deinde* altera *est:* An Christianis, unus è septem hebdomadæ diebus, perpetuo ordine recurrens, ad cultum Dei, ex quarti præcepti jussu, sit observandus? *De quibus, inter pios atque eruditos sacrarum literarum interpretes, diversa existunt judicia. Quidam enim, utrumque affirmant: alii verò, utrumque negant. Eamque sententiam, veritati magis congruentem arbitrantes; rationum ponderibus, in* Originis Sabbati Investigatione, *è sacris literis confirmare, & illustribus antiquissimorum Patrum, atque insignium Theologorum testimoniis illustrare conati sumus. Alii denique, mediam ingressi viam, neutram partem omnino sequuntur, sed utramque, diviso judicii sui calculo, partim probant, partim improbant. Quem modum, clarissimus atque eximius Theologus,* D. A. Rivetus, *in doctissimis suis,* ad Exod. cap. 20. prælectionibus *est secutus. Adeo ut inter nos, de secunda quæstione, perspicua sit consensio: de prima verò, nonnulla est (integro tamen, & fidei & amicitiæ vinculo) controversia. Eam quippe sententiam (qua Sabbatum, primo à creatione mundi, die septimo, Adamo posterisque divinitus institutum, traditur)* veriorem *(ut ait)* credit, eamque stabiliendam, & à rationibus, in contrarium adductis, defendendam proposuit. *Ac propterea, quidnam, in* originis Sabbati Investigatione, *à nobis in lucem edita, probet, quidve desideret, nominatim atque modestè indicandum, & ad ea respondendum, censuit. Cujus rei postquam à reverendo atque erudito viro sum admonitus, libroque misso instructus, nihil habui antiquius, quam ut paulatim per otium, attentè ac diligenter perpenderem; ut si quid forte à nobis, minus rectè explicatum, demonstraretur, illud veritati cedens, corrigerem: sin verò secus appareret (ut apparere nobis persuademus) susceptum initio verioris sententiæ patrocinium, recta placidaque responsione, communirem. Neque enim dubito, quin vir clarissimus, ac veritatis cultor ingenuus, æqui bonique (pro sua æquanimitate, prævioque exemplo) sit consulturus, si vestigiis illius inhærens, rationum ab ipso objectarum momenta, distinctè ac modestè examinem: eademque opera, honestæ amicorum petitioni (à quibus, uberior hujus materiæ explicatio, desideratur) morem geram.*

CAPUT I.

IN cujus operæ vestibulo, duplex controversiam tractandi modus, unus contractus, alter explicatus, occurrit. Quorum ille, summa adversæ partis momenta, eorum examini præmittit: hic verò, totam orationem contrariam, in suas partes, commodè distributam, distinctè expendit. Ac priorem quidem in nostra, *sententiæ* atque *originis Sabbati*, *Investigatione*, idcirco secuti sumus, quod in illius scriptione, non ad unius, sed ad variorum auctorum argumenta discutienda, collimavimus. Alterum verò, in hac defensione (quæ peculiari scripto reponitur) ita observandum delegimus, ut iis, quæ ante à nobis dicta, fundamenti loco repetitis, objectam responsionem adjungeremus: ut ea inter se quasi adversa fronte, collata, clarius intelligantur: eoque tutius ac facilius, subjecto deinde examine, de veriori sententia judicetur. Neque enim molesta ex eo oriri potest prolixitas: quia succincta utrimque servata est brevitas, paucisque pagellis res tota absolvetur.

Ut autem rationum collationi atque examini via sternatur, non abs re fore arbitramur, si præmissa Clarissimi viri præfatione (qua nostram de origine Sabbati cap. 4. dissertationem attingit) illam succinctè consideremus. Ea autem his verbis exprimitur; *Quamvis Cl. Gomarus ad nonnulla argumenta pro nostra sententia, accuratè prout solet respondeat; existimo tamen quædam esse, ad quæ non satisfecit; & nonnulla, quæ ne tetigit quidem. Quapropter, etsi quædam essent levia, quod aliquando in talibus accidit; sufficiet tamen, si unum aut alterum immotum maneat; & si quæ contraria afferuntur argumenta, non id efficiant, ad quod probandum adducuntur.*

Hactenus præfatio, quæ dissertationis futuræ occasionem ac metam, præstituit, simulque benignum candorem, atque ingenuam παρρησίαν, declarat. Prius quidem, quod ad nonnulla, pro sententia ipsius, argumenta, accuratè à nobis responsum profitetur: posterius verò, quòd sincera ac theologo digna libertate, quidnam in reliquis à me dictis, desiderari arbitretur, minimè dissimulet. Veruntamen an ex tribus illis, quæ stabilire conatur, argumentis, primo & tertio à nobis, uti censet, non sit satisfactum? & an medium (quod verè, à nobis intactum, monet) magni sit momenti, examen eorum demonstrabit. Etsi autem tria tantum producat argumenta, quibus eam, quam probat, sententiam, tueri conatur, verè tamen hoc dictum agnoscimus; *Sufficere, si unum aut alterum, immotum maneat.* Nec enim causæ veritas, in argumentorum numero, sed in robore eorum, consistit. Quare, ad *trium* illorum *argumentorum vim* considerandam, ordine procedemus.

CAPUT II.

An Genes. 2. 2. & 3. Sabbatum, inde à creatione mundi absoluta, ad Dei cultum, Adamo posterisque institutum doceatur?

HAc autem de re, sic clariss. vir statuit; *Primum argumentum ex scriptura, pro affirmante parte, allatum ex cap.2. Genes.2. & 3. sumptum est* (IN QUO TOTIUS *illius* SENTENTIÆ FUNDAMENTUM *ponitur, & merito*) Quum autem perfecisset Deus die septimo omne opus suum quod fecerat, quievit ipso die septimo, ab opere suo quod fecerat, & benedixit diei Sabbati & sanctificavit eum.

Verum, in hisce verbis, primùm observandus ac corrigendus est obiter triplex typographicus error: primus, quòd *omne opus*, pro *opus* (quod Moses solum refert) substituit: alter, quod minus peritè, contraque eruditorum Interpretum consensum, primum versum, commate finiat; & secundum, litera minuscula inchoët: quum periodum esse apud Hebræos, constet: neque anomaliam illius, perfecta utriusque versus sententia (ut plenius à Mose expressa est) admittat. Tertius est error, quòd in locum vocis *septimi*, vocem *Sabbati*, supposuit. Quibus erroribus typographicis, strictim correctis, ad hoc argumentum, vulgò propositum, ita à nobis erat responsum, *Investigationis* nostræ sectione 4. *Verùm hic locus minus idoneus est, ad illam religionis Sabbati antiquitatem statuendam. Quamvis enim narrationi (de absoluta mundi creatione, Deique septimo die quiete) benedictio ac sanctificatio Sabbati, subjiciantur, eam tamen tum temporis accidisse, non asseritur, neque ex loci circumstantia evincitur.*

5. *Ea enim à Mose, perquam opportunè, hoc loco inseruntur, non quasi eadem tempestate essent gesta; sed ut ostenderet, hanc perfecti orbis, & quietis divinæ die septimo historiam, perpetua Israëlitarum memoriâ retinendam. Quandoquidem Deus, quum Moses hæc scriberet, jam antea, paulò post eductos ex Ægypto Israëlitas, Exod.16. in ejus rei monumentum atque imitationem, diei septimo benedixerat, ipsumque sanctificaverat. Et sicut Deus initio, in mandati de Sabbato, è monte Sinai, repetitione, Exod. vigesimo, hanc sententiam posuerat, sic eandem, ad majorem Israëlitarum, in septimi diei quiete observanda, excitationem, hujus historiæ occasione, in descriptione illius reponere & inculcare voluit.* Hæc nostra responsio.

Quid verò in ea desideretur, in objecta responsione, non demonstratur; sed tacitè omnino præteritur. Ut autem vim illius syllogismi κατασκευῆς complectamur, hæc summa est; Quod Gen.2. v.2. &3. neque expressè asseritur, neque ex loci illius circumstantiis evincitur; illud ex eo probari non potest: atqui Sabbatum tum temporis, quum primum absoluta est mundi creatio, institutum est tale, quod Gen.2. neque expresè asseritur, neque ex loci illius circumstantiis evincitur: ergo ex eo probari non potest. Propositionis firmitas, sole clarior. Assumptionis autem veritas, tam diu perstabit, donec rectâ consequentiâ contrarium fuerit demonstratum. Id quod neque ab aliis, neque jam factum comperimus: ut ex iis, quæ ad argumenti, ex Genesi allati confirmationem subjicit, elucere existimamus. *Dixerat* (inquit) *D. W. prolepsin, ad quam assertores contrariæ sententiæ recurrunt, hic locum habere non posse, & quam periculosum sit, tales prolepseis comminisci, exemplis declaraverat; & certè hic non videtur locum habere posse, quòd tunc narretur factum, quod multò post accidisse constat; ut loquitur Richardus Locus, Anglus. Si enim talis anticipatio locum habeat, dicendum erit, Deum quievisse ab opere suo, multa post secula, à mundo condito: quia, cum hac sua quiete, Deus benedixerit Sabbato & illud sanctificaverit, aut tempus benedictionis illius idem est cum tempore cessationis, aut malè Moses conjunxit, quæ tanto temporis intervallo fuerunt disjuncta.*

Nec satisfit, per distinctionem destinationis & executionis, quod tunc destinatione & decreto, diei benedixerit, & eum sanctificaverit, cum tamen eum multò post, ratione executionis, populo suo commendaturus esset. Tunc enim dicendum esset, Deum septimo die quievisse ab operibus suis, non tum quidem reipsa, sed destinatione tantùm, quia cessaturus erat, post multa secula, ab aliquo opere, hæc enim non sunt divellenda.

Quod si id minus sit probabile, tutius credimus, Deum tum facto ipso & ordinatione, diei illius sanctificationem, instituisse, deinceps ab hominibus servandam. Hæc ad aliorum commenta pertineant, nostram tamen sententiam intactam relinquunt: nisi fortassis, communi quadam ratione, eodem pertineat quod dicitur; *Quia cum hac sua quiete Deus benedixerit Sabbato, & illud sanctificaverit, aut tempus benedictionis illius idem est, cum tempore cessationis, aut malè Moses conjunxit, quæ tanto temporis intervallo fuerunt disjuncta.* Si ea sit auctoris mens, ut nostram eadem opera sententiam refutet: Respondemus primùm, minus rectè illud, quod in controversia versatur ac demonstrandum erat, fundamenti loco substerni: hoc enim disquiritur; An, cum sua quiete, Deus benedixerit Sabbato & illud sanctificarit? id quod nos, cum aliis, negamus: ideoque affirmatio illius, non erat supponenda, sed probanda: multò minus argumenti loco substruenda.

Ac licet non eodem tempore Sabbatum sit institutum, quo Deus ab operibus suis primùm cessavit: inde tamen non sequitur, *Mosen malè conjunxisse, quæ tanto temporis intervallo fuerunt disjuncta:* quoniam ea, parenthesi opportuna, optimè conjunguntur: ut nostra responsione ante posita sect. 5. ostendimus. Deinde ut tacito scrupulo occurreremus, hæc præterea adjunximus sect.6. *Neque est cur quispiam objiciat, talem rei longè post factæ, cum historia antè gesta, connexionem ac parenthesin, simili Sacrarum literarum ac bonorum auctorum carere exemplo. Quia exemplum non est requirendum*, ubi res *ipsa (ut modo ostendimus) rectæ rationi consentit.*

Quæ solutio non minus, quàm ante memorata, à clarissimo viro etiam præteritur. Ac sane nullum hactenus rectæ orationis canonem, exstare arbitramur, qui rei longè ante gestæ narrationi, recens factum, occasione illius, parenthesi utili inserere, prohibeat. Neque etiam necesse est, ut omnis qui in Scriptura usurpatur loquendi modus, in ea extet sæpius: quasi nulla essent ἅπαξ λεγόμενα ac singularia. Sed tamen pressius deinde subjunximus.

Sect.7. *Deinde exempla, si quis desideret, non est cur ea longè arcessamus. Siquidem in ipsa historia (de qua agitur) enarranda, Flavius Josephus vir disertissimus, illustre documentum præbet. Sic enim Antiquitatum Judaicarum lib.1. cap.2. ait: Atque ita mundum, sex diebus universum, & omnia quæ mundo continentur, Moses facta esse dicit, septimo autem requievisse Deum, & ab operibus cessasse.* QUAMOBREM ETIAM NOS, VACATIONEM A LABORIBUS PER HUNC DIEM CELEBRAMUS, *appellantes eum,* SABBATUM: *quæ vox requiem, Hebræorum lingua, significat. Ovum ovo magis non est simile, quàm Mosis, & Josephi Mosem explicantis, narratio: ut pluribus jam non sit opus.* Quibus à me dictis, hæc demum responsio opponitur.

Nec contrarium evincit, quod ex Josepho citat D. Gomarus, Antiquitatum lib.1. cap.2. Atque ita mundum &c. *Hoc etsi verum sit, quod ait, non sequitur tamen Sabbatum celebrari non debuisse, ab iis qui ante legem per Mosem datam, vixerunt.*

Respicit enim Josephus, ad decalogi verba ante explicata, quibus memoria refricatur Israëlitis, primævæ illius ordinationis quando Deus eam innovavit. Sed Josephus non dicit, in Mosis narratione esse anticipationem. Verùm collatio eorum, quæ ante sect. 6. retulimus; satis perspicuè videtur demonstrare, hanc responsionem à scopo ibidem proposito

deflectere. Is enim est, ut rei longè post factæ, cum historia ante gesta, connexionem ac parenthesin, simili sacrarum literarum, & bonorum auctorum exemplo minimè destitutam, demonstretur.

Quam ad rem, illustre Josephi (historici extra controversiam eloquentissimi) exemplum protulimus. Qui paraphrasticè verborum Mosis, Gen. 2. 3. sententiam declarans, ea, de Sabbato Judæis tradito, disertè interpretatur. Quemadmodum etiam Rabbinorum celeberrimus R. Salomo Jarchi, ad cap. 2. Genesis exposuit, ut in nostra *Investigatione* cap. 4. sect. 76. demonstratum. Ac sanè, si Josephus eam Sabbati, inde à creatione mundi absoluta, religionem, omnibus hominibus institutam credidisset, an ullo pacto verisimile est, fieri potuisse, ut historicus diligentissimus, & sacerdos honoris Sabbati studiosissimus, illud silentio penitus supprimeret? Deinde etiamsi Josephus, Mosis verba, de septimi diei benedictione, non exposuisset, sed eorum loco, Sabbati à Judæis servati, per parenthesin meminisset, perstaret nihilominus solida rei demonstratio hujusmodi; Josephus, in creationis & quietis Dei historia recitanda, observati postmodum à Judæis Sabbati narrationem, citra controversiam expresse interserit: ergo rei longè post factæ, cum historia ante gesta, connexio ac parenthesis, simili auctoris boni exemplo non caret.

Quumque historicus præstantissimus, parenthesin hujusmodi, sine cujusquam reprehensione ac rectè interposuerit: an simile, in eadem Mosis historia, insolens censebitur?

Deinde neque in Sacris Literis hujusmodi per parenthesin, rerum dispari tempore gestarum, connexionem deesse, ostendimus his verbis;

8. *Sed ecce alterum quoque, ex ipso Mose Exod. 16. sese offert exemplum. Nam eodem in loco, ubi diei Sabbati à Judæis observandi institutio narrata est, historia de manna occasione, ea inseruntur, quæ, posteris temporibus structo demum tabernaculo, post annos quadraginta, contigerunt: sed Mose tamen hæc scribente, jam evenerant.*

9. *Sic enim Exod.* 16. 33. Dixit etiam Moses; Hoc est verbum quod præcepit Jehova, plena mensura Homer asservanda est, ex ea, per ætates vestras: ut videant panem illum, quem vobis edendum dedi, in hoc deserto, postquam eduxi vos è terra Ægypti. 34. Quare edixit Moses Aaroni, accipe urnam unam, ubi ponas plenam mensuram Homer mannæ: & depone ipsam ante conspectum Jehovæ asservandam per ætates vestras. 35. Quemadmodum præcepit Jehova Mosi, sic deposuit eam Aaron coram testimonio ipso asservandam. 36. Filii autem Israëlis, edebant mannam istam, quadraginta annis donec pervenirent ad extremitatem regionis Chananeæ. Hæc nostra probatio: cui, ita respondetur:

At vero alibi extant exempla in Scripturis. Quid tum? Ergo anticipatio est in loco Mosis. Non sequitur. Nec certe similis est, quæ ex cap. 16. Exod. vers. 33. & sequentibus citatur, de asservatione unius Homer, in memoriam alimenti illius, in diem dati, quæ postea imperata fuit, sub finem peregrinationis in deserto. Nam etsi intercesserit aliquod tempus, eadem tamen fuit persona, cui id imperatum fuit. Itaque commode potuit, mandati illius meminisse ubi mandati causa narrabatur. Nihil tale fuit in historia creationis, ubi de uno & eodem tempore loquitur Moses, Deum septimo die quievisse, & eodem die sanctificasse diem illum.

Verùm in hac responsione, primùm sectionis nostræ VI. verba, quæ rem probandam perspicuè definiunt, ambigua *anticipationis* voce, nonnihil obscurantur. Cujus obscuritatis latebras, ut vitaremus, rei longè post factæ, cum historia antè gesta connexionem ac parenthesin, meritò appellavimus. Quæ hoc in loco, ne à reipsa aberretur, intelligenda: ejusque exemplum alterum sese, Exod. 16. offerre, sect. 8. & 9. ostendimus: unde sequitur talem connexionem ac parenthesin, Sacrarum Literarum exemplo, minimè destitutam. Ad rem ipsam verò quod attinet, conclusionem hanc, à nobis propositam, responsionis objectæ initium, non obscuro assensu comprobare videtur: quum verba ista; *At verò alibi extant exempla in Scripturis*, non neget; sed consueta concessionis formula tantùm subjiciat; *Quid* [illegible]? Deinde à scopo præfixo recedens, aliò divertit, quum non nostram, sed alienam omnino conclusionem, ejus loco, substituit hujusmodi; *Ergo anticipatio est in loco Mosis: non sequitur.* Neque enim ita differimus, sed hoc modo: Rei longè post factæ, cum historia ante gesta, per parenthesin connexio, Exod. 16. comperitur: ergo connexionis illius exemplo, Sacræ Literæ non carent. Quæ consequentia est firmissima. Neque contrarium, altera responsionis parte, evincitur, quum Exod. 16. 33. & seqq. non esse similem anticipationem probare conatur. Nam quod ait; *Etsi intercesserit aliquod tempus, eadem tamen fuit persona, cui id imperatum fuit:* illud (inquam) argumentum nostrum, non solvit; sed arctius constringit ac confirmat. Quæstio enim primaria est; An verba Mosis Gen. 2. 3. de absolutæ creationis mundi tempore: an verò de Mosis hæc conscribentis tempore, intelligi debeant? Prius à nonnullis, posterius ab aliis, & à nobis etiam, affirmatur. Quod autem obtenditur, ea ratione fore, ut Moses rem longè post factam, cum historia antè gesta malè connecteret: ea de causa, quod nullum ejus rei simile, in Sacris Literis, neque in bonis auctoribus, extet exemplum. Nos contra exemplum hujusmodi, è Josepho, & Mose, Exod. 16. 33. & seq. produximus: in quo, in eadem mannæ & rerum proximè gestarum narratione, duo facta, quæ longo temporum intervallo discreparunt, conjunguntur: ut res ipsa arguit, & objecta nobis responsio agnoscit his verbis, *Etsi intercesserit aliquod tempus:* anni scilicet quadraginta. Id quod sufficit: ut id, quod probandum suscepimus, obtineamus.

Hoc discrimen quidem objicitur; *quod eadem fuerit persona, cui manna asservatio fuit imperata*; sed illud, ad rem propositam pertinere, minimè demonstratur. Unius enim aut plurium personarum circumstantia diversa, exempli hujusmodi similitudinem, tollere nequit: quod ea propriè, in rerum factarum ac dispari temporum intervallo discrepantium, per parenthesin connexione, consistat.

Ideoque, ut supra ostendimus, hæc fuit objecta assertio, *Aut tempus benedictionis illius idem est cum tempore cessationis: aut malè Moses conjunxit, quæ tanto temporis intervallo fuerunt disjuncta.*

At (inquit) *nihil tale fuit in historia creationis. Ubi de uno & eodem tempore loquitur Moses; Deum septimo die quievisse, &* EODEM DIE *sanctificasse diem illum:* μέγα λίαν αἴτημα καὶ λῆψις τοῦ ἐν ἀρχῇ. Quod enim controversiæ caput est, ac probandum erat, illud argumenti loco assumitur. Quare primo huic, è Scriptura Veteris Testamenti deprompto argumento (quod causæ adversæ *fundamentum* censetur) & antea & hoc tempore à nobis satisfactum, speramus. Ideoque ad alterum è Novo testamento deductum progrediemur.

CAPUT III.

An in Epistola ad Heb. 4. doceatur, Sabbatum ad Dei cultum, à creatione mundi, divinitus institutum.

HOc autem clarissimus vir affirmat, atque ita sententiam suam proponit ac confirmare contendit. *Huic* (inquit) *argumento addimus aliud subsidiarium, de quo neque Loëus, neque doctiss. Gomarus, egerunt: quod tamen, MAGNI AD REM MOMENTI, existimamus: c. 4. epist. ad Heb. cum Apostolus, requiem spiritualem, à Deo promissam describeret, & ostendere vellet aliam esse à Sabbatismo, quem secundum legem servabant Judæi: itemque à requie terræ Canaan, in quam Josua populum introduxit, dicit verba illa,* juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam,

pronuntiata fuisse à Davide, licet operibus Dei à fundamentis mundi perfectis, *ubi citat hunc locum Gen.2.* Ita enim dixit quodam in loco de die septimo, Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis. *Ubi ostendit promissionem de requie factam fidelibus (inclusam comminationi, exclusionis à requie facta incredulis, non posse intelligi, de requie Sabbati, quia jam operibus Dei perfectis, à jactis mundi fundamentis Deus quieverat, septimo die. Ex quibus sequitur, quietem diei Sabbati, secundum Apostolum incepisse à perfectione operum Dei, post diem sextum. Indicat enim homines jam tum ingressos in illam requiem, ex quo mundus perfectus fuerat. Aliam autem esse quæ promittebatur.*

Hactenus secundum, quod ex cap.4. ad Heb. petitum est argumentum, recensuimus: de quo (ut verè objicitur) nihil à nobis actum agnoscimus. Cujus silentii causa, non est ulla responsionis solidæ inopia, neque loci illius oblivio: sed quod in eo, de Sabbato ad quietem & cultum Dei instituto, nullam omnino fieri mentionem observaremus. Adeo ut inde, ad Sabbati, à creatione mundi institutionem demonstrandam, nullum argumentum nisi ἀπροσδιόνυσον omnique colore destitutum, depromi posse crederemus.

Quia vero illud, *magni ad rem momenti* esse, nobis objicitur, operæ pretium est, ut ea, quæ ad illius confirmationem proferuntur, ordine perpendamus. Primùm autem, verum est Apostolum, promissam à Davide Dei requiem, describere: ut orationis illius series, perspicuè demonstrat. Quod verò asseritur, Apostolum *ostendere velle, aliam esse à Sabbatismo, quem secundum legem servabant Judæi*, illius nullum omnino, in verbis ex Apostolo, ad id probandum adductis, indicium apparet. Ideoque ista, quæ ex iis deducitur, conclusio: *Ex quibus sequitur, quietem diei Sabbati secundum Apostolum, incepisse à perfectione operum Dei*, cum verbis Apostoli nihil habet commune. Siquidem, non de quiete hominum, diei Sabbati (de quo quæstio est) sed de quiete Dei, quæ Deo propria, disertè loquitur, non autem de quiete diei Sabbati, quam Israëlitis imperavit. Quare contrà ex hoc loco, solidè (uti arbitramur) infertur; Quod solam Dei à suis operibus, creato mundo cessantis, requiem memorat, illud de quiete Sabbati, à Deo hominibus imperata, non loquitur: atqui objecta hæc ex Apostolo verba, solam Dei, à suis operibus, creato mundo cessantis, requiem memorant: Ergo de quiete Sabbati, à Deo hominibus imperata, non loquuntur. Ac sanè, ne γρῦ quidem, in his verbis apparet: ideoque nequaquam *indicatur* (quod responsio contendit) *jam tum ingressos fuisse, in illam requiem, ex quo mundus perfectus fuerat.*

Quòd denique objicitur, *Frustra dixisset*; & quidem operibus ab institutione mundi perfectis, *si post bis mille & amplius annos, Sabbatum illud cœpisset: quia sufficiebat dicere Davidem, quietem illam promittere, & quidem post institutum Sabbatum tempore Mosis.* Negatur verò consequentia: quia (ut jam ostendimus) non de quiete Sabbati, à Deo hominibus imperata; sed de Dei ipsius, *à suis omnibus operibus perfectis*, quiete explicatissimè loquuntur. Ideoque quod probandum erat, id quasi demonstratum, frustra assumitur. Ut autem quæ de quiete Dei ab Apostolo dicta, obiter illustrentur: si quis ea consideret, triplex Dei quies ab ipso traditur. Quarum prima, est solius Dei & in Deo: qua à fundatione mundi, ab omnibus operibus suis, sexto die perfectis, die septimo quievit: reliqua Dei quies est, quæ à Deo hominibus data: & quidem duplex. Una corporalis, quam per Josuam, introductione in terram promissam Israëlitis præstitit: altera spiritualis, qua, per sanctificationem & glorificationem efficit, ut fideles à vitiosis atque molestis suis operibus (quadam Dei, à suis creati orbis operibus cessantis imitatione) quiescunt. Ac quamvis prima Dei quies dicatur, qua, à creatione absoluta, ab operibus suis cessavit: & altera, quam Israëlitis per Josuam dedit, neutra tamen promissa Dei, per Davidem quiete, designata, quod utraque præterita esset: hæc verò futura promittatur. Relinquitur igitur, alius populo Dei Sabbatismus, seu cessationis ac quietis observatio, tertia nimirum Dei quies spiritualis modo explicata. Quare perspicuè satis *secundum* etiam hoc *argumentum* solutum arbitramur. Ideoque ad *tertii* examen procedemus.

CAPUT IV.

Tertii seu postremi argumenti à Patriarcharum pietate, examen.

TErtium denique clarissimi viri *argumentum*, secundi nomine, in nostra *Investigatione* (ob antecedens intactum) insignitur, id quod hisce verbis, à nobis propositum ac discussum est;

Sect. 11. *Secundum enim (quod à Simlero Exod.20. alisque adducitur) est hujusmodi; Patriarchæ ante Mosem, pro sua in Deum pietate, religionis & reparationis virium, stata habuerunt tempora, ergo septimum hebdomadæ diem, ad eam rem observarunt. Consequentia vero infirma est, quia nihil vetat, quominus alio tempore idoneo, ad religionem publicè exercendam, convenerint: partim quia, neque de Sabbato, à Patriarchis observando, ullum extat præceptum; neque observati illius minimum in Sacris Literis, vestigium apparet.*

Sect. 12. *Nam quamvis posteris eorum Israëlitis, septimus dies in creationis absolutæ & quietis divinæ monimentum, sit institutus, an propterea eundem Patres observarint, aut observandum noverint? Neque enim septimi diei, præ cæteris, religio, ab ulla rei aut diei necessitate (alioqui & ea nos adstringeret) sed à libera ac prudenti Dei, populum suum variè gubernantis, voluntate dependet. Quare secundum etiam hoc argumentum concidit.* Cum hisce, sequens responsio conferenda.

Tertium (inquit) *D. Gomarus ex Simlero proponit; Patriarchæ ante Mosem, pro sua in Deum pietate, religionis ac reparationis virium stata habuerunt tempora: ergo verisimile est, septimum diem ad eam rem servasse. Respondet consequentiam esse infirmam, quia nihil vetat, quominus alio tempore idoneo, ad religionem publicè exercendam convenerint: partim quia de Sabbato à Patriarchis servando, nullum extat præceptum, atque illius observatione* (leg. neque observati illius) *minimum in Sacris Literis vestigium apparet. Addit; septimi diei, præ cæteris religionem à libera Dei populum gubernantis voluntate dependere, non ab ulla rei aut diei necessitate. Quod postremum verum esse, concedimus: nec etiam dicimus illos diem observasse, sine divino mandato. Cujus nullam in Scriptura fieri mentionem negamus, ante Mosem, quia cum Deus sanctificaverit illum diem, post opera sua creata, sanctificatio illa, nihil aliud esse potest, quàm mandatum de illo die sanctificando, Adamo datum. Quod autem ait, vestigium nullum esse in Scriptura Sabbati antea servati, etsi concedamus, causam nostram non lædit. Sed tamen ex consequentia necessaria, aut servatum fuisse à sanctis viris probamus: aut recessisse eos à divina institutione: quod postremum ne dicamus, quia tantis viris fuit indignum, prius illud præferimus, quod eorum pietati fuit conveniens. In talibus argumentis non procedit, Scriptura hoc non dicit, ergo factum non fuit. Si fuisse institutum constet: sequitur etiam observatum.*

Ex hisce (quæ de tertio argumento, utrimque dicta sunt) inter se collatis, constare potest illud per se omnino esse infirmum: quia sola, institutionis Sabbati, à creatione absoluta, hypothesi nititur ac probatur. Ac propterea, hac jam ante satis (uti arbitramur) subversa, illud similiter corruere necesse est. Perstat igitur nostra negatæ consequentiæ ratio: quòd neque de Sabbato, à Patriarchis observando

vando, ullum extat præceptum, neque observati illius, minimum in Sacris Literis vestigium apparet. Unde etiam minus aptè nobis illud objicitur; *In talibus argumentum non procedit, Scriptura hoc non dicit: ergo factum non fuit.* Nec enim ex solo observati Sabbati silentio, sed simul ex præcepti illius defectu, disserimus: ideoque hæc duo à nobis conjuncta, non rectè separantur.

Atque hæc ad *tertii argumenti* examen.

CAPUT V.

De reliquis, pro Sabbati à mundo condito, origine, argumentis.

QUid verò de reliquis censeri debeat, sincerè omninò à clarissimo viro, his verbis explicatur; *Reliqua quæ afferri possunt argumenta, quæ D. Gomarus operosè refellit, fateor* NON ESSE MAGNI MOMENTI, *si hæc* PRIORA *&* POTIORA, *non valeant.* At (inquam) hæc priora & potissima, non valere, satis jam à nobis demonstratum arbitramur: ideoque reliqua non sunt magni momenti.

Quale illud inprimis, quod de Sabbati apud Gentes cultu, ex Poëtis Græcis proferri solet, ut à Viro Cl. apertè agnoscitur, quum ait; *Agnosco præterea, quæ de die septimo, apud Gentes sacro, afferuntur ab Eugubino, & quæ nos alibi protulimus, ex Hesiodo, Lino, &c. talia non esse, quæ necessariò evincant, institutionem illius diei, à prima mundi ætate, nisi aliunde suffulciantur.*

Rectè hæc omnia dicuntur, si pro illis verbis; *Quæ necessariò evincant*, hæc, aut similia substituantur, Quæ ullo modo probare queant: deinde, ut ultima illa, *Nisi aliunde suffulciantur*, absint. Nam luce meridiana clarius, à nobis, ex Hesiodo & interpretibus illius, Proclo & Moscopulo, atque Aristophanis scholiaste πλάτῃ evicimus, septimum illum diem, apud Gentes olim sacrum, non fuisse hebdomadæ (quod probandum erat) sed mensis septimum. Ac propterea, non solùm nullum inde peti posse argumentum, ad victoriam necessarium: sed nec ullum omnino. Quandoquidem (ut in nostra investigatione meritò monuimus, multisque demonstravimus) *Poëta de alliis*, (ut dici solet) controversiæ verò status, *de cepis loquatur.* Ac propterea, quum argumentum illud sua inanitate diffluat, nullo prorsus modo (ne quidem si aliæ rationes extarent validissimæ) suffulciri valeret.

Quare ex omnibus, quæ hactenus à nobis discussa, *primum*, adversus Sabbati, à mundo condito, originem, in nostra *Investigatione* sectione tertia, *argumentum* concludimus; Quod solidis firmamentis non innititur, illud non est statuendum. Atqui sententia, de Sabbati inde à creatione absoluta institutione, solidis firmamentis (ut examine eorum ostensum) non innititur: ergo ea non est statuenda. Quod argumentum, quia validum est ac firmum, licet aliis destitueretur, ad causam tamen obtinendam sufficeret. Reliqua tamen, ad majorem rei illustrationem, eidem conjunximus: ideoque ad *secundum* procedemus.

CAPUT VI.

Secundi nostri argumenti defensio.

POstquam enim vir clarissimus, sententiæ illius (cujus patrocinium in se suscepit) argumenta tueri studuit, ad contraria deinde solvenda accedens ait, *Quæ in contrariam partem afferuntur argumenta, talia non sunt, quæ solvi non possint; quæ quia D. Gomarus diligentissimè collegit, ea modestè expendemus.* Placet omnino: & nos vicissim sincerè ac placidè (pro officii nostri ratione) respondere conabimur. Ac primùm ut cœpimus, fundamenti loco argumentum, in nostra *Investigatione* propositum, ac discutiendum, reponemus.

Sect. 33. *Alterum enim argumentum, ex Gen. 2. & Exod. 20. est; Quòd illa Dei effecta, benedictio scilicet & sanctificatio Sabbati, primo illi, à condito orbe diei septimò, non conveniant; sed septimo diei, in manna donatione revoluto, Exod. 16. optimè quadrent: ac propterea, non ad primum illum, prima Sabbati origo atque institutio pertinet.*

34. *Nam quòd duo illa, pro eodem, à contrariæ sententiæ patronis, exponuntur (unde etiam nonnulli, in sua versione, pro vocibus,* benedixit ac sanctificavit, *paraphrasi liberiore,* Benedixit, id est sanctificavit, *transtulerunt) illud omnino videtur insolens, & à vocis,* benedicendi, *in Sacris Literis significatione, alienum.*

35. *Siquidem vox Hebræa,* Berech *(qua Moses utitur) propriè est* benedicere: *& quidem, laude vel voto;* Laude, *ut Psal.* 68. 27. in congregationibus benedicite Deo. *Unde interdum,* per antiphrasin *(sive catachresin ironicam)* maledicere: *ut falsi testes, Nabotho exprobrant* illud 1. Reg. 21. 10. & 13. Benedixisti Deo & regi; *hoc est maledixisti:* voto; *ut Num.* 6. 23. Benedicite filiis Israël.

36. Impropriè *verò, per effecti, pro causa sua accepti, metonymiam,* benefacere, *designat: ut Num.* 6. 23. Benedixit tibi Jehova: *& Gen.* 24. 34. Jehova benedixit domino meo valdè. *Cujus tropi causa est, quòd benefacta, benedictionem ac gratam laudem, concilient.*

37. Benedicere *vero,* pro sanctificare, *hoc est, ad sacrum usum segregare (ut sanctificandi vox, Genes. 2. & Exod. 20. citra controversiam accipitur) usurpari, asseritur quidem à nonnullis; sed à nemine hactenus, è Sacris literis demonstratum comperimus. Ideoque quum benedicere & sanctificare, sint diversa: neque ulla benedictio, primo, à creatione, diei septimo, tributa extet, eò non potest pertinere.*

38. *Contra vero hæc distincta benedictio, & sanctificatio, diei septimo ac Sabbato Exod. 16. Iudæis primùm instituto, ad amussim quadrant: ut illustribus documentis antea demonstravimus. Siquidem, sermone & opere, illi cumulatè benedixit, & sanctificavit.*

39. Benedixit *enim,* sermone *ac laude; quum eum diem,* sanctum *vocavit:* opere *verò, quum eximio beneficio ac miraculo gemino, in peculiarem Sabbati gratiam, honoravit. Siquidem & pridie illius, diurnam manna mensuram geminavit: & præparatam Sabbato partem, præter naturam, in crastinum incorruptam, conservavit. Sanctificavit verò & mandato, & quietis suæ die Sabbati (in manna prætermissione) exemplo. Eamq; benedictionem, admiranda, per annos quadraginta, continuatione, reddidit Deus illustriorem. Ideoque & in repetitione mandati de Sabbato, Exod. 20. & Gen. 20. hanc benedictionem respiciendo, earum mentionem fecit.*

Huic verò argumento ac confirmationi illius, hoc modo, respondetur;

Quod benedictio & sanctificatio *(quarum meminit Moses cap. 2. Gen. & 20. Exod.) non conveniant diei septimo post creationem, sed septimo diei, in manna donatione, revoluto Exod. 16. ac proinde, ad primum illum, non pertinet Sabbati origo, sed ad secundum: probationem assertionis illius quærimus, sed non invenimus.*

Primo adversus eos disputat, qui, benedixit & sanctificavit, *pro eodem accipiunt, quia vox Hebræa,* Berech, *pro-*

priè est benedicere; vel laude, vel voto: impropriè verò, per metonymiam, benefacere: sanctificare verò, ad sacrum usum segregare.

Respondeo, id si ita esset, non multum ad rem facturum. Sed benedicendi verbum nunquam accipi, pro destinatione ad sacros usus, nescio an concedi debeat. Certè in Cœna Domini, panis & calicis benedictio, nihil aliud esse videtur, quàm sanctificatio, vel ad sacrum usum consecratio.

Quod si verba illa, diversam habeant significationem, ita ut benedicere non sit semper sanctificare, quod concedimus, dicimus tamen quod verum est, nullam esse sanctificationem, sine benedictione. Ideo Apostolus, de ciborum, ad nostrum usum, sanctificatione, ita loquitur, ut eam verbo & oratione, *fieri dicat*, 1. *Tim.* 4. 5. *Ist autem in verbo & oratione, benedictio: Unde illud vulgatum; Benedicere mensæ aut cibis. Demus itaq;, non idem esse*, benedixit, *quod* sanctificavit; *recta tamen erit interpretatio, si dicatur, benedicendo sanctificavit; ita ut sanctificatio sit benedictionis effectum.*

Nullam autem benedictionem fuisse tributam diei septimo à creatione, miror cur dicat Vir Cl. Ipse enim postea dicit; Deum benedicere sermone & laude alicui diei, cum eum sanctum vocat. Sic, sanctum vocare, est benedicere. Hoc si ita est, quid obstat, quominus Deus, qui septimum illum diem, quo cessavit, sanctificavit, eidem benedixerit.

At, inquit, non ei benedixit opere, quemadmodum fecit diei septimo, quo cessavit pluere manna, honoravit enim illum, duplici eximio beneficio, quia pridie illius duplicem mensuram dedit, & ipso die, manna incorruptum servavit.

Ad hæc respondeo, Deum satis benedixisse initio diei septima, ea ratione quam ipsa Scriptura expressit, quia requievit in ea, ab operibus creationis. Quodsi benedictio, qua manna incorruptum mansit, die septimo, illum præ cæteris commendet, major multò erit, primi Sabbati benedictio, qua Deus tot opera, sex diebus creata, ad finem perduxit ac conservavit.

Deinde si duplex mensura data, ad illam benedictionem referatur, major esset benedictio parasceves, quàm Sabbati.

Sed quamvis non eamus inficias, Deum benedixisse, diei Sabbati, inter Israëlitas revoluto, non sequitur eidem non benedixisse, laude & sanctificatione, imo opere in prima illa institutione.

Negamus ergo, quod asseritur, benedictionem non convenire diei septima, post creationem: quam assertionem disertè pugnare credimus, cum verbis Mosis, qui de die septimo ILLO IPSO, quo quievit Deus, ab omni opere suo, dicit; Et benedixit Deus septimo diei.

Cum enim de nullo alio die locutus antea fuisset, ad quem septimum diem alium, potuit benedictio referri? Alius enim ille dies, quo populus quiescere debuit, post collectam portionem duplicem, non fuit ille ipse dies, quo quievit Deus; sed alius, quemadmodum omnes septimi recurrentes, qui in illo primo benedicti & sanctificati fuerunt. Hactenus responsio: cujus vim, ordine expendemus.

Primum autem objicitur; *A nobis quidem asseri benedictionem, ac sanctificationem (quarum meminit Moses Gen. 2. & Exod. 20.) non convenire diei septimo, post creationem; sed septimo diei in manna donatione revoluto Exod. 16. sed assertionis illius probationem quæri, quæ tamen in iis, quæ subjiciuntur, non inveniatur.*

Imò verò, inquam, probatio subjecta est sect. 37. & 38. quod ea, primo diei Sabbato tributa, non extet: contra verò diei septimo revoluto Exod. 16. adscribatur, ut ex re ipsa, à nobis confirmatum, idemque postea Vir Cl. *se non inficias ire*, agnoscit. Quæ ratio sufficere posse videtur; ut benedictionem & sanctificationem divinam, (de qua agit Moses) primo diei septimo, non convenire probaremus: quod videlicet neutrum eorum, illi tributum, Scriptura silente, extet.

Quæ opportuna, ad Scripturam & rem ipsam provocatio est: quæ non nisi solida, contrarium affirmantis, demonstratione dilui potest. Eam autem nondum prolatam, ex antecedenti, trium partis adversæ argumentorum, examine, cognosci potest. Sed de hac re, oblata in sequentibus occasione, pluribus erit differendum.

Neque alienum existimamus, quòd præmisso argumento, in quo benedictio & sanctificatio, ut duæ res distinctæ memorantur, vocum earum declarationem, proximè subjecimus, ut contrariæ multorum, partim versione, partim expositione, confusioni occurreremus, easque rectè à nobis distinctè accipi demonstraretur. Quod autem objecta responsio, de perpetua harum vocum distinctione ambigens, nonnulla opponit, ea paucis considerabimus.

Primum est hujusmodi; *Certe in Cœna Domini panis & calicis benedictio, nihil aliud esse videtur, quàm sanctificatio, vel ad sacrum usum consecratio.*

Imò, inquam, aliud visum est Sacris Literis, quæ, *benedictionem*, in Cœna Domini, *gratiarum actionem* (qua Deus laudatur) interpretantur. Quemadmodum, eas voces, eodem sensu commutant. Nam ut Matth. 26. 27. dicitur; *Quumque poculum accepisset*, καὶ εὐχαριστήσας, *ac gratias egisset*, ita παραλλήλως vers. 26. *Quum panem accepisset*, καὶ εὐλογήσας, *& quum benedixisset:* hoc est, gratias egisset: ut Lucas explanat cap. 22. 19. *Quumque panem accepisset*, εὐχαριστήσας, quum gratias egisset. Idemque similiter ab Apostolo Paulo 1. Cor. 11. 24. repetitum: ideoque εὐλογία benedictio poculi, cap. 10. 16. non aliter intelligenda. Eaque de causa (uti constat) ab illa solenni gratiarum actione, à priscis Ecclesiæ temporibus, εὐχαριστίας appellationem, Cœna Domini obtinuit.

Alterum deinde quod objicitur, est hujusmodi;

Quod si verba illa, diversam habeant significationem, ita ut benedicere, non sit semper sanctificare, quod concedimus, dicimus tamen nullam esse sanctificationem, sine benedictione, &c. Demus itaque non idem esse benedixit, quod sanctificavit, recta tamen erit interpretatio, si dicamus, benedicendo sanctificavit, ita ut sanctificatio sit benedictionis effectum.

Verùm hac via, à re probanda disceditur. Nec enim ea inter nos est controversia; An ulla sanctificatio, sit sine benedictione? neque etiam; An illa sit benedictionis effectum, nec ne? sed, An benedictio, ullibi in Sacris Literis, idem significet, quod sanctificare? Quod quum à nobis sit negatum: neque ulla probatio solida, hactenus allata, meritò conclusisse videmur, ergo ea, in verbis Mosis, interpretatio admitti non potest.

Imò si vel maximè, id demonstrari posset, à propria tamen vocis significatione, non esset recedendum, nisi gravis ratio (quæ prorsus deest) cò adigeret. Alioqui Scripturæ amplitudo, temere in angustias redigeretur: dum pro rebus duabus, unica substituitur.

Cæterum, à vocis benedicendi significatione, ad rem ipsam procedens, objecta responsione, ait, *se mirari, quod nullam, prima à creatione diei septima, benedictionem attributam dicamus.* Atqui rationem antè attulimus, quod ea (Scriptura prorsus silente) non extet. Ideoque causam hujus admirationis, non satis assequimur. Neque juvare id potest, quod proximis verbis objicitur; *Ipse enim postea dicit, Deum benedicere sermone & laude, alicui diei, quum eum sanctum vocat. Sic sanctum vocare, est benedicere.*

Non negamus, sed quod inde concluditur his verbis; *Hoc si ita est, quid obstat, quominus Deus, qui septimum illum diem, quo cessavit, sanctificavit, eidem benedixerit?* Hæc enim perspicua est λῆψις τοῦ ἐν ἀρχῇ quia id, quod initio inter nos controversum est ac probationem flagitat, quasi certum ac datum assumitur: nempe, Deum, primum à creatione diem septimum sanctificasse, hoc est, ut prælectionum p. 179. expositum, *de eo sanctificando, mandatum Adamo dedisse.* Hoc opus, hic labor est: hujus assertionis probatio, solida quæritur: quæ si proferatur, pluribus non erit opus.

Objicitur quidem; *Deum satis benedixisse diei septima, ea ratione, quam ipsa Scriptura expressit, quia requievit in ea, ab operibus creationis.*

Sed requiem illam, esse benedictionem, neque Scriptura exprimit, neque ex ea evinci potest. Imo (licet non pauci secus existiment) res ipsa, contrarium videtur demonstrare. Nam illud, extra omnem controversiam esse, arbitramur, benedictionem diei septimi, de qua loquitur Moses Gen. 2. & Exod.

& Exod. 20. esse privilegium illius, seu peculiarem aliquam præstantiam ipsi attributam, cujus dignitate omnibus reliquis sex diebus, sit superior. Atqui illa Dei, primo die septimo, quies non est privilegium illius, seu peculiaris aliqua præstantia ipsi attributa, cujus dignitate omnibus reliquis sex diebus sit superior: ergo illa quies non est benedictio.

Assumptio hac ratione stabilitur quòd majus sit privilegium, totius mundi è nihilo creatio atque exornatio, sex diebus peracta, quàm quietis ab ea, primo die septimo, observatio. *Duplex* enim sex diebus *benedictio* contigit: *una*, operum; quòd omnia erant valdè bona: *altera*, laudis; quòd ea probavit: ut Genes. 1. 31. *Et vidit Deus quicquid fecerat, & ecce erat valde bonum.*

Contra verò primo illi diei septimo, quies solum adscribitur: neque laudis & operum Dei attributione, decoratur.

Deinde quies illa Dei, primo diei septimo, non est peculiaris ac propria: sed reliquis omnibus consequentibus communis. Nam ut primo die septimo, quietis illius est initium, sic continuatio illius reliquis omnibus sequentibus, existit. Ideoque, hac in re, iis non superior.

Præterea, cessatio à benedictione, non est benedictio: quies primi diei septimi, est cessatio à benedictione: utpote à benedictis creationis mundi operibus: ergo quies septimi diei, non est benedictio.

Denique, Benedicere est agere: quiescere ac cessare ab operibus, non est agere: ergo quiescere ac cessare ab operibus, non est benedicere. Quare assumptionem abundè probatam arbitramur.

Sed alia quæ urgetur expendenda est ratio; *Quod si* (inquit) *benedictio, qua, manna incorruptum, mansit die septimo, illum præ cæteris commendet, major multo erit, primi Sabbati benedictio, qua Deus tot opera, sex diebus creata, ad finem perduxit, & conservavit.*

Verùm negatur consequentia, primùm, quia petitione principii laborat. Quæstio enim est, An Sabbatum fuerit, primus dies septimus? quod quasi certum ac confessum, hoc loco assumitur. Deinde, quia consequentia duobus etiam modis est infirma: *unus*, quia non rectè, primo diei septimo attribuitur, quòd eodem, *tot opera sex diebus creata ad finem perduxit.* Hoc enim sexto diei proprium est: ut Gen. 1. v. 31. demonstratur: & quies ipsa, perductioni ad finem repugnans, idem evincit.

Alter, quia licet conservatio mundi, major sit benedictio, quàm mannæ à corruptione vindicatio, inde tamen non sequitur, primum à creatione mundi diem septimum, septimo illo consecuto, benedictione superiorem. Ratio est, quod mundi conservatio, non est peculiaris quædam illius dignitas de qua controversia est, sed communis reliquis omnibus sequentibus, quibus Deus in mundi creati conservatione ac gubernatione similiter occupatur. Adeo ut contra sequatur, septimum mannæ à corruptione conservatæ diem, non esse, primo die septimo, hac in re dignitate inferiorem, sed æqualem: benedictione verò peculiari, superiorem.

Quod verò rursus obtenditur; *Si duplex mensura mannæ ad illam benedictionem referatur, major esset benedictio parasceves, quàm Sabbati:* id minime sequitur.

Siquidem geminatæ mensuræ origo & usus, fuit, non parasceve, sed consequens Sabbati sanctificatio quæ sola, fuit causa illius efficiens προκαταρκτικὴ, & finis: ne mannæ decidentis collectione, quies Sabbati violaretur. Ideoque hoc dono atque honore, plus benedictionis Sabbato, quàm diei præcedenti, divinitus attributum.

Quod autem excipitur; *Quamvis non eamus inficias, Deum benedixisse diei Sabbati, inter Israëlitas, non sequitur eidem non benedixisse laude, & sanctificatione, imo opere, in prima illa institutione:* illud à scopo recedere videtur; quia nullibi hac infirma usi sumus consequentia: ut antecedentia fidem facient. Hæc enim nostra est ratiocinatio; Quum benedictionem ac sanctificationem (quæ Genes. 2. 3. memoratur) primo diei Sabbato tributum esse, nec in Sacra Scriptura expressè tradatur, neque ex circumstantiis illius evincatur: contrà verò, ea Sabbato Exod. 16. sancito ad amussim conveniant: ergo ea non de primo, sed revoluto hoc die septimo, intelligenda.

Quod porrò urgetur; *Negamus ergo, quod asseritur, Benedictionem non convenire diei septimo post creationem: quam assertionem disertè pugnare credimus, cum verbis Mosis.* Nos contra cum iis optimè, concinna parenthesi, convenire minimè dubitamus: ut in primi argumenti ex Genes. 2. v. 3. objecti examine, satis nos perspicuè demonstrasse, existimamus.

Nec enim id Moses (ut objectatur) *de die septimo* ILLO IPSO, *quo quievit Deus ab omni opere suo, dicit*; Et benedixit Deus diei septimo: neque argumentum, illius assertionis, solidum est. Quæritur quidem, *cum de nullo alio die locutus antea fuisset, ad quem septimum diem alium potest benedictio referri?* Sed respondemus, ad diem septimum similem, Mosis tempore revolutum atque Israëlitis perpetuò, ad quietis Dei imitationem, cessationi ab omni opere, institutum. Qui, à primo die septimo, benedictionis & sanctificationis attributis, distinguitur. Quum enim Deum absolutis omnibus creationis operibus septimo die, ab iis cessasse ac quievisse, narrasset vers. 2. hac occasione, septimi diei (quum scriberet, jam ante benedicti ac sanctificati) ita opportuna parenthesi meminit, vers. 3. *Et Deus benedixit diei septimo & sanctificavit eum, quia in eo quievit ab omni opere.* Hoc enim modo repetita, è decalogi mandato quarto, sententiæ summa, septimum diem, ad imitationem quietis Dei, Israëlitis consecratum indicat: ut eos ad Sabbati cultum, & fidem in Deum totius mundi creatorem, tardiores, loco maximè opportuno, amplius stimularet. Quod autem objicitur, *hunc septimum*, instituti Israëlitis Sabbati *diem, alium fuisse*, à primo septimo, *quo*, à creatione mundi *quievit Deus*, illud (quemadmodum jam exposuimus) nihil habet incommodi. Nam ut idem fuit dies, ordinis specie (septimus nimirum hebdomadæ) ita temporis singularis ratione, alius. Quem prioris descripti occasione, parenthesi utilissima, interponit: ut à Josepho historico laudatissimo, expositum ac similiter observatum: & simile parenthesis exemplum, in historia mannæ Exod. 16. à Mose propositum, jam antè demonstravimus.

Quo in loco, occasione descriptionis mannæ, Israëlitis à Deo datæ, narrationem rei longè post gerendæ, sed, quum Moses hæc scriberet, gestæ, interponit. Qua de re doctissimus Calvinus, ad ista verba, *Et dixit Moses,* &c. Exod. 16. 32. sic ait: *Non contexit Moses historiam, suo ordine, sed narratione κατὰ πρόληψιν interposita, melius confirmat, singulari beneficio, creatum tunc fuisse populo alimentum, quia Deus in monumentum, servari voluit Homer unam, quod, nullo fœtore corruptum, ad posteros propagavit miraculi gloriam.* Idemque D. Piscator, Quæstionibus in Exodum cap. 16. quæst. 67. est secutus, his verbis; *Quando hoc dixerit Moses; & quando de manna facta sunt: quæ sequuntur hoc versu & duobus sequentibus? Resp. Dixit hoc Moses, & facta illa sunt; erecto jam tabernaculo, exstructaque arca, antequam asservabatur Man & virga Aaronis.* Quod ad lectoris meliorem intelligentiam adjunximus: licet à clarissimo viro, etiam breviter agnoscatur.

Deinde eodem in loco Exod. 16. occasione descriptionis mannæ, Israëlitis primùm datæ, interponitur narratio mandati de mensura Homer, *ex ea*, asservanda: & consequens obedientia, in *ea* asservata: & tamen perspicuum est *hanc mannam* asservatam, non esse *ex ea* singulari manna primum data, cujus proximè meminerat Moses, sed ex eadem specie numero alia. Quid mirum igitur, si descriptionis, primi diei septimi occasione, alium etiam ejusdem speciei diem septimum, ad primi illius memoriam, apud Israëlitas jam sanctificatum, parenthesi utilissima commendet? Quamobrem *secundum* nostrum *argumentum*, adversus varias exceptiones ei objectas, satis stabilitum speramus.

CAPUT VII.

Tertii argumenti nostri defensio.

HOc autem, in *Investigatione originis Sabbati* eodem cap. 4. ita à nobis est propositum;

Sect. 40. *Tertium verò deducitur, ex verbis, quibus modus Sabbati, Judæis instituti, declaratur. Nam Exod. 16. 23. dicitur; Quies Sabbatum sanctum erit Jehovæ cras: & vers. 25. Sabbatum hodie Jehovæ est: & vers. 29.* VIDETE, *quod Iehova* DEDIT VOBIS ILLUD SABBATUM: *idcirco* DAT VOBIS, *die sexto cibum bidui.* Et Ezech. 20. 12. SABBATA DEDI EIS, *ut essent* SIGNUM INTER ME ET IPSOS, *ad sciendum, me Iehovam sanctificare ipsos. Et Ex. 31. 13. Nam* SIGNUM EST INTER ME ET VOS, *per generationes vestras, ad cognoscendum, me Jehovam esse, qui sanctifico vos. Denique Nehem. 9. v. 14.* SABBATUM *quoque sanctum,* NOTUM FECISTI *eis: quum præcepta statutaque & leges præciperes, per Mosem servum tuum.*

41. *Unde ita colligitur; Quod Deus in Sacris literis notum fecisse Judæis dicitur per Mosem, notumque faciendo, crebro inculcavit, ipsisque se dedisse, emphatica attentionis provocatione præmissa, tradit ac repetit, ac dedisse in signum sanctificationis ipsorum; illud non fuit ipsis (uti contenditur) ante celebre ac notum, omnibusque ab origine mundi traditum. Atqui Sabbatum est hujusmodi: ut Mosis & Prophetarum, memorata testimonia demonstrant. Ergo Sabbatum non fuit Iudæis ante celebre ac notum, omnibusque ab origine mundi traditum.*

42. Propositio *inde firmatur, quòd quæ celebria & nota sunt, illa interdum repeti; sed tam operose, cumque attentionis provocatione inculcari non solent: & quæ omnibus data sunt communiter, illa cum emphatica distinctione*, videte, dedit vobis, *& quidem*, in signum sanctificationis ipsorum, *non rectè convenire apparet.*

43. *Denique si Sabbatum sanctificatum fuit omnibus, in signum quietis Dei: omnibus etiam fuit signum quod Deus illos sanctificasset, hoc est, ad cultum sui, ita segregasset: atqui non omnibus, sed Judæis hoc peculiariter tribuitur: Ideoque ad omnes non pertinet.*

Hisce verò, hæc responsio opponitur;

Secundò citat omnia loca, in quibus Sabbatum commendatur Israëlitis Exod. 16. &c. ex quibus ita argumentatur; Quod Deus in S. literis &c. ut ante à nobis argumentum est Syllogismo inclusum. Subjicitur autem ei;

Respondeo 1. nos non dicere Israëlitis antea Sabbatum fuisse celebre & notum: quod in Propositione supponitur. Fatemur enim memoriam illius, primùm in variis illis migrationibus, deinde durante captivitate Ægyptiaca, apud plerosque fuisse obliteratam, nec potuisse tum Judæos, etiamsi voluissent, in Sabbatis feriari, & vacare ab operibus servilibus, cum sui juris non essent. Quamvis ergo ab initio sanctificatio illa, facta fuerit & commendata, in familiis etiam piorum observata, non dubitamus tamen, non solùm impium mundum & profanas gentes, ut omnia alia Dei mandata, sic & Sabbatum profanasse; verùm etiam Hebræos, in Ægypto idololatriæ deditos, partim etiam tyrannide oppressos, morem interrupisse majorum, ac desuetudine illa, diem Sabbati ignorasse, donec de eo rursus, Dei nomine, à Mose edocerentur.

Hac clausula sublata, quam nostram non agnoscimus, negamus majorem. Nec eam probat id, quod subditur; quæ celebria & nota sunt, illa interdum repeti, sed tam operosè, cumque attentionis provocatione inculcari non solent. Nam id prævenimus nostra exceptione. Quæ enim neglecta fuerunt & penè obliterata, illa operosè postea, cum innovantur, inculcari debent.

Instat tamen: Illa, inquit, quæ omnibus data sunt communiter, cum emphatica distinctione, videte, dedi vobis, & quidem in signum sanctificationis ipsorum, non rectè convenire apparet: & si omnibus fuit signum quietis Dei, omnibus etiam fuit signum, quod Deus illos sanctificasset ad cultum suum. Atqui non omnibus sed Judæis, hoc peculiariter tribuitur. Ideoque ad omnes non pertinet.

Respondeo, rectè convenire si quæ olim communiter omnibus data sunt, & per negligentiam omissa aut neglecta, quibusdam postea restituantur & specialiter commendentur. Sic autem se habet in hac materia, ut diximus. Addo etiam, si quæ aliquo nomine aut aliqua ratione, erant communia, quibusdam propter alias rationes, aut alios respectus additos, fiant propria.

Id ita factum esse constat in Sabbato, cujus institutio & sanctificatio, initio finem habebat contemplationem operum Dei, & memoriam creationis rerum omnium. Hoc erat omnibus commune.

Sed in renovatione institutionis, alii respectus & aliæ significationes fuere additæ, quæ, quod commune fuerat initio, Israëlitis fecerunt sacramentale multis modis.

Hæ autem significationes, antea à nobis expositæ fuerunt, 1. ratione præteritorum, memoria servitutis Ægyptiacæ & quietis à servitute. 2. Memoria cessationis pluviæ panis cœlestis die Sabbati, & beneficii conservationis manna eo die.

Significatio quietis, & quietis æternæ, potuerunt esse communes: specialius tamen ad Israëlitas pertinebant, propter luculentiorem declarationem. Quibus ritè expensis, per se diffluit argumentum, quia concedimus, aliquid fuisse Hebræis peculiare, sed cum remaneat communis consideratio, Sabbati religio potuit institui ab initio, sine præjudicio strictioris obligationis, respectu Israëlitarum, ob memoratas causas.

Hactenus adversa responsio, quæ Syllogismi nostri Propositionem, partim quasi alienam: partim ut à vero discrepantem, rejicit. Alienam tamen sententiam, à nobis minimè supponi, sed eam quæ à dissentientibus proposita est, sincerè memoratam, ex scriptis eorum perspicuum est. Etenim (ut alios hujus rei testes prætereamus) illud ex notissima, clarissimi ac doctissimi auctoris, in *Dissertatione de Sabbato*, narratione elucescit. Sic enim p. 42. refert; *Majoris tamen firmitatis est, quod affertur ex cap. 16. v. 24. Exod. ubi SABBATI, tanquam DIEI, inter Israëlitas CELEBRIS ac NOTI, mentio fit.* Quia verò illa de *Sabbato Israëlitis, ante Mosem, celebri ac noto, sententia*, disertè, in opposita nobis responsione, rejicitur: ampliori confutatione illius non est opus. Verè enim dictum, *Hebræos diem Sabbati ignorasse*; sed causa tamen ignorantiæ illius, frustra, obliteratæ memoriæ, sine ullo Sacrarum Literarum documento (quæ nullam antecedentis illius notitiæ faciunt mentionem) attribuitur. Atque hæc de prima responsionis objectæ parte: cui altera, quæ reliquæ Propositionis veritatem discutit, ita subjungitur.

Hac clausula sublata, negamus majorem. Quamobrem? *Nec eam* (inquit) *probat id quod subditur; Quæ celebria & nota sunt, illa interdum repeti, sed tam operosè probari, cumque attentionis provocatione, inculcari non solent. Nam id prævenimus nostra exceptione. Quæ enim neglecta fuerunt, & penè obliterata, illa operosè postea, cum innovantur, inculcari solent.*

At (inquam) ratio negationis, à scopo aberrare videtur. Quis enim non videat, aliud institui, aliud agi; Nam quæ *celebria* & *nota* sunt (de quibus probatio nostra, primam Propositionis partem duntaxat confirmans, expressè loquitur) & quæ *neglecta* ac *pene obliterata*, illa non eadem sunt; sed diversa, quæ plurimùm inter se dissident: ac proterea quia ista exceptio, à reipsa, de qua disseritur, aliena est, probationem nostram, integram atque intactam relinquit.

Prius ergo *Propositionis* nostræ *membrum* adhuc perstare apparet, nimirum; Quod Deus in S. L. notum fecisse Judæis dicitur per Mosem, notumque faciendo crebrò inculcavit, ipsisque tradidisse emphatica attentionis provocatione præmissa tradit ac repetit, illud non fuit ipsis (ut contenditur) celebre ac notum.

Posterius verò *membrum* est; Quod Deus se Judæis dedisse, emphatica attentionis provocatione (scilicet, *videte*, *dedi*

dedi vobis) ac dedisse in signum sanctificationis ipsorum traditt, illud non fuit omnibus ab origine mundi commune.

Probationis summa est, quòd proprium esse Judæis & commune omnibus hominibus, sint opposita: quæ quum se mutuò tollant, inter se non conveniunt. Responsio verò objecta hæc est, *Rectè convenire, si qua olim communiter omnibus data sunt, & per negligentiam amissa, aut neglecta quibusdam postea restituantur, & specialiter commendentur. Sic autem se habere in hac materia, ut diximus.*

Dictum quidem agnoscimus: sed nec solidam illius probationem, neque ullum Scripturæ indicium, proferri animadvertimus: idque ex antecedentibus, constare posse existimamus.

Ac sanè, quum Deus per Mosem, Sabbatum in signum inter se & ipsos tradiderit, ac tam seriò commendarit, neque ullum Sabbati neglectum antecedentem, in reliquorum vitiorum exprobratione, memorarit, neque Sabbati ante Mosem, à se ipsis dati, aut à patribus ipsorum observati, mentionem ullam injecerit, quis non videat, Sabbati cultum ipsis *non restitutum*, sed per Mosem primò, & quidem solis Israëlitis *institutum ac datum*, prolatis à nobis Scripturæ dictis doceri?

Sed altera fusior objicitur nobis, proposita quadam distinctione, responsio: cujus summa (ut contrahamus) hæc est; *Sabbati institutionem fuisse quidem communem omnibus, ratione finis generalis, nempe contemplationis operum Dei, & memoriæ creationis rerum omnium; propriam verò Israëlitis respectu finis specialis, videlicet memoriæ, 1. quietis ab Ægyptiaca servitute. 2. cessationis pluviæ panis cœlestis die Sabbati, & beneficii conservationis manna, eo die. Significationem autem quietis à peccato, & quietis æternæ, potuisse esse communes: specialius tamen ad Israëlitas pertinuisse.*

Verùm hæc distinctio, nihil ad rem ipsam pertinere videtur: Nam illustria illa, de dato Judæis Sabbati privilegio testimonia, (ex quibus argumentum nostrum contextum est) de Sabbato ipso (seu quiete diei septimi, ad Dei cultum instituta) loquuntur: non autem de circumstantiis illius, quæ in hac distinctione recensentur. Earum enim nulla fit mentio: neque ullo colore, ex ipsis testimoniis, contrarium probari posse arbitramur. Quare quod responsione, nobis opposita, concluditur, *Quibus ritè expensis, per se diffluit argumentum, quia concedimus aliquid fuisse Hebræis peculiare, sed cum remaneat communis consideratio, Sabbati religio potuit institui ab initio, sine præjudicio strictioris obligationis, respectu Israëlitarum, ob memoratas causas:* illud (inquam) contrà satis ostendit, *tertium* nostrum *argumentum*, minimè attingi: quia non à peculiari aliqua circumstantia, sed à certa (ut sic dicam) rei substantia ac forma deducitur. Quis enim non clarè perspiciat, in Scripturæ citatæ testimoniis (unde nostrum constat argumentum) nullum prorsus illarum, quæ obtenduntur, circumstantiarum extare indicium? Quum enim dicitur, Ezech. 20. 12. *Sabbata dedi eis, ut essent signum inter me & ipsos, ad sciendum me Jehovam sanctificare ipsos:* quid aliud quæso, intelligi nomine Sabbatorum potest, quàm septimos hebdomadæ dies, ad cessationem ab omni opere servili ad cultum Dei consecratos? hæc enim est Sabbati definitio.

Ac licet memoria quietis ab Ægyptiaca servitute, Sabbati à servis etiam observandi sit finis, Sabbati tamen voce intelligi hoc loco, quanam ratione dicetur? Denique quomodo etiam probabitur, quod memoria cessationis pluviæ panis cœlestis die Sabbati, fuerit Israëlitis Sabbati finis aut significatio; Perstat igitur immotum nostrum hoc tertium argumentum, Si Sabbatum fuit omnibus institutum, omnibus etiam fuit signum, quod Deus ipsos sanctificasset, hoc est, ad cessationem à peccatis, & ad cultum suum segregasset: atqui non omnibus, sed solis Israëlitis fuit signum, quod Deus ipsos sanctificasset, hoc est, ad cessationem à peccatis & ad cultum suum segregasset: ut præmissa S. Scripturæ loca indicant: ergo Sabbatum non omnibus, sed solis Israëlitis fuit institutum. Hæc pro *argumento tertio*.

CAPUT VIII.

Quarti argumenti nostri defensio.

QUare ad quarti nostri argumenti repetitionem, & oppositam responsionem, ejusque examen, pergemus. Ac prius ita à nobis fuit propositum;

Sect. 44. *Quartum argumentum, sententia illa Deut. 5. 2. 3. Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Choreb, non cum patribus nostris pepigit Iehova fœdus illud; sed nobiscum, qui ipsi hic hodie omnes sumus vivi: suppeditat hujusmodi.*

Quod Deus cum Israëlitis, non cum patribus ipsorum pepigit, illud non est institutum ab origine mundi: fœdus legis decalogi, est hujusmodi: ut proposita Mosis sententia, & expositio illius v. 12. & 15. & 23. ad 29. & c. 4. 11. & 13. ostendit: ergo fœdus Legis Decalogi, non est ab origine mundi institutum.

45. *Quum autem de nullis Decalogi præceptis, præter quartum de Sabbato, verè dici possit, quòd patribus non sint tradita (quia citra controversiam, sunt juris naturæ communis, ut etiam Tertullianus adversus Judæos cap. 2. egregiè demonstrat) sequitur ratione quarti præcepti intelligendum: non simpliciter quidem, sed partis illius ceremonialis ratione.*

46. *Veruntamen bifariam evadere posse, dissentientes videntur, nempe, ut Ellipsis, in Mosis sententia constituatur duplex. Prima quidem ut hæc verba:* Non cum Patribus nostris pepigit Jehova fœdus illud, *accipiantur, non absolutè, sed comparatè: hoc est, non eo modo, exaratis tabulis, & signis horrendis. Verùm sine justa causa (quæ hic deest) ab integra propriaque orationis forma, ad Ellipsin confugere, cum recta ac probata interpretandi norma, pugnat.*

Deinde Ellipsis ista, huic loco non quadrat. Nec enim hæc modi diversi circumstantia, pacti essentiam vel auget vel minuit.

47. *Præterea, num minus est, quòd Deus Abrahamo, tanquam benignus pater cœlitus apparuit Gen. 17. 1. dicens;* Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus: *quàm quod tanquam tremendus judex Israëlitis idem pactum, seu legem justitiæ promulgavit? An majus etiam est, quòd Legem Israëlitis datam, tabulis duabus lapideis inscripsit; quàm quòd eandem menti & cordi Abrahami Gen. 18. v. 19. (quòd tamen Israëlitis minimè datum, à Mose Deut. 29. 4. asseritur) impressit?*

48. *Verùm quid opus est multis? doctissimus* Calvinus in Gallicis suis ad *Deuteronomium* concionibus *à prima illa expositione*, & Ellipsi, *à se prius posita recedens*, alteram *substituit, quam veram ac genuinam esse, verbis expensis, statuit. Nempe, ut patrum voce, hoc loco non prisci patriarchæ intelligantur, qui ante Mosem fuerant; sed proximi: qui legem, quum primum promulgaretur, audierant, & longa, quadraginta annorum, oberratione, in deserto perierant. Deinde diversam, à prima, Ellipsin ponit hujusmodi; Non cum patribus: hoc est, non cum patribus tantùm.*

49. *Sed quanam necessaria ratione Ellipsis gemina probabitur, qua, pro negatione illa;* Non cum patribus nostris, sed nobiscum, *affirmatio hæc substituitur,* Non cum patribus nostris, *tantùm,* sed *etiam* nobiscum: *hoc est, & cum patribus nostris, & nobiscum?*

50. *Deinde si,* patres nostri, *proximi intelligerentur, propria esset ad populum præsentem, tanquam filios, relatio: sed propriè de Mose loquente & Josua, & Calebo, quomodo dicetur? Verum esto synecdoche;* patres nostri, *hoc est ferè omnium nostrûm, quorsum quæso, hæc sententia, spectabit? An ignorare poterant, Deum non solùm, cum patribus ipsorum, sed etiam cum ipsis fœdus pepigisse? quum ipsi non minus præsentes fuissent, in lege promulganda, quam patres, ut Moses, hoc ipso in loco, apertè affirmat Deut. 5. 3. 4. 5.*

51. *Quare ex hisce satis (uti existimo) apparet, horum Israëlitarum patres (ut passim in eodem libro Mosis Deut. 1. 8. 11. 21. 35. & 4. 1. 31. 37. &c.) intelligi Patriarchas, inprimis Abrahamum, Isaacum, Jacobum. Deinde fœdus illud cum iis, non pepigisse secun-*

secundum quid, ratione partis: quòd videlicet quamvis legem charitatis iis imperasset, mandatum tamen de Sabbato, & ceremoniis eo comprehensis, non dedisset, sed posteris ipsorum Israëlitis, quos alloquitur Moses.

52. *In quo argumento præluxit nobis Eusebius, de demonstratione Euangelica c. 6.* Idcirco (*inquit*) illi testimonium exhibetur, quod præcepta & mandata, & ceremonias, & quæ in legibus posita sunt Dei, ante Mosis constitutionem servaverit. Dicit igitur ad Isaac, is qui oracula illa reddebat Deus; *Et dabo semini tuo omnem terram hanc: & benedicentur, in semine tuo, omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abrahamus pater tuus voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias meas, & quæ in legibus meis posita sunt, (Gen. 26. 4. 5.) Erant enim etiam ante Mosis Legem, mandata Dei alia, & ceremoniæ, non similia iis quæ à Mose tradita sunt: legesque aliæ, ac præcepta Domini per quæ illi justitiam adepti sunt. Porro quòd non eadem essent, cum iis quæ per Mosem, in legibus posita sunt, Moses ipse perspicuè demonstrat, ubi ait ad populum; Audi Israël, Justificationes & judicia, quæcunque ego loquor, in auribus vestris in die hac; & discetis ea & servabitis ut ea faciatis. Dominus Deus noster, condidit vobis in Choreb testamentum,* NEUTIQUAM PATRIBUS VESTRIS CONDIDIT *Dominus testamentum hoc, sed vobis. Et sanè specta, ut planè dicit Testamentum* HOC, propterea *quòd non idem illud patribus eorum constituit. Quod si* ABSOLUTE *non datum esse patribus eorum Test. dixisset, in mendacium sanè illi recidisset oratio. Datum est igitur Abrahæ Testamentum, datum est etiam Noæ, sicut sacra testantur oracula. Atque idcirco cum adjunctione dixit, non* HOC *datum esse patribus eorum.* Hactenus argumenti nostri 4. tractatio: opposita verò responsio hæc est;

Tertiò, Argumentatur à sententia illa Deut. 5. 2. & 3. Deus noster pepigit nobiscum in Choreb, non cum patribus nostris pepigit fœdus illud, sed nobiscum qui hic hodie omnes sumus vivi. *Quod Deus, ait, cum Israëlitis, non cum patribus eorum, pepigit*, illud non est institutum ab origine mundi: *fœdus legis Decalogi est hujusmodi:* ergo fœdus Decalogi non est ab origine mundi *institutum. Per fœdus autem Decalogi, vult intelligi mandatum de Sabbato servando, quia fatetur alia Decalogi mandata, patribus fuisse tradita, cum fuerint legis naturæ.*

Resp. Fœderis nomen accipi, vel de ipsius fœderis substantia, vel de ratione & modo promulgationis. Si de prima intelligatur, negamus id voluisse Israëlitas, fœdus aliud initum, cum ipsis fuisse, quàm cum patribus eorum. Si de modo, ratione promulgationis & quibusdam circumstantiis additis, concedimus Deum inivisse fœdus cum iis, quod non inierat cum patribus eorum. Sed hoc nihil facit ad Sabbatum.

Nec verum est, Hebræos id dicentes, respexisse tantùm ad Decalogum, quia meminit Moses in præfatione, testificationum, statutorum, & judiciorum, *etsi postea repetat legem Decalogi.*

Deinde quænam ratio persuadere potest, Hebræos cum de pacto illo loquuntur, de solo Sabbato eaque parte, qua ceremonialis est, intellexisse, ut vult objectio? Id enim supponitur, non probatur.

At, inquit, cætera quæ sunt in Decalogo, talia sunt de quibus dici non possit, quòd patribus eorum non sunt tradita. Ita est, & idem dicimus de Sabbato: nec dicit Moses, hæc non fuisse patribus tradita; sed Deum non pepigisse fœdus illud cum patribus, *nempe quomodo immediatè explicat:* facie ad faciem locutus est vobis in monte illo vobiscum: è medio ignis: ego stabam inter vos & Jehovam tempore illo. *Non ita pepigerat Deus ante cum patribus.*

Hanc ellipsin non potest rejicere, quin similes pene innumeras in eadem materia rejiciendo, Scripturam involvat contradictionibus.

Nec valet objectio; An minus est, quòd Deus Abrahamo, tanquam benignus pater, cœlitus apparuit, &c. quàm quòd tanquam tremendus Judex Israëlitis idem pactum seu legem justitiæ promulgavit?

Nam his verbis, seipsum refellit: cum idem pactum *dicat* à benigno patre Abrahamo propositum, & à tremendo judice Israëlitis. *Ergo idem & non idem. Idem substantia, non idem administrandi modo. Quid hoc ad Sabbatum? Deinde non quæritur de eo, quod vel majus, vel minus est; sed de eodem, vel dissimili.*

Neque propterea, pro negatione, affirmationem substituimus; Non cum patribus nostris tantùm, sed nobiscum: *quia retinemus negationem, quòd Deus non pactus est cum patribus in Horeb, sed cum filiis.*

Ergo dedit Sabbatum filiis, quod patribus non dederat; id quomodo sequatur, viderit; quamvis concedere possimus, filiis dedisse Sabbatum, quomodo patribus non dederat, quia causas alias addidit & significationes, quia illud rigidius sancivit, & exactius voluit observari. Facilè enim concedo, primam illam constitutionem initio factam non ita rigidè à Deo fuisse exactam, quæ causa fuit cur, in illius observatione, non ita strictè versati fuerint majores: quàm postea Deus, tot significationibus, & sanctionibus additis, à populo suo exegit.

Addo præterea, ad pactum Dei, in Horeb sancitum, pertinere ea, quæ vers. 37. memorat Moses, præcepta nempe, statuta & judicia; in quibus circumcisionis præceptum, mundorum & immundorum animalium discrimen, sacrificiorum ritus & leges &c. quorum nulla, antea fuisse patribus vel cognita, vel tradita, nemo dicet. Nutat igitur multis modis, tertium illud argumentum.

Nec illud fulcit autoritas Eusebii lib. 1. de demonst. Euang. cap. 6. ubi dicit? Quæ ante Mosis legem fuerunt mandata & ceremoniæ, non similia fuisse iis quæ à Mose tradita sunt, *probatque non eadem fuisse ex hoc Deuteronomii loco.*

Si enim id absolutè *intelligatur, falsum esse ne ipse quidem D. Gomarus negabit, cum non aliud Sacramentum circumcisionis datum fuerit, non alia prohibitio sanguinis & suffocati, non alia sacrificiorum substantia &c. Ergo Eusebii verba sunt explicanda ex iis quæ antea à nobis dicta sunt; secundum quid, non absolutè.* Hæc ad quartum (quod vocat tertium) nostrum argumentum responsio: quæ licèt nonnihil intricatior videatur, pressis tamen vestigiis examen illius instituere conabimur.

Primùm ait; *per fœdus autem decalogi, vult intelligi mandatum de Sabbato servandum:* imò verò, per fœdus decalogi, ipsum Decalogum, Mosem secuti intelligimus, sed secundùm quid, ratione præcepti de Sabbato ceremoniali: non autem simpliciter, quòd reliqua Decalogi imperata, patribus (citra ullam controversiam) etiam sint tradita, ut sectione 44. disertè à nobis explicatum. Ideoque novam, fœderi Dei, significationem minimè tribuimus.

Deinde in responsione præmittitur, *fœderis nomen accipi, vel de ipsius fœderis substantia, vel de ratione & modo promulgationis:* sed ea distinctio quasi certa ac confessa, sine ulla probatione, fundamenti loco substernitur: quæ tamen confirmationem requirit. Nam fœdus accipi pro modo promulgationis quomodo constabit? Quare, infirmo hoc fundamento innixa responsio, perstare non potest.

At rursus excipitur; *Nec verum est, Hebræos id dicentes respexisse tantùm ad decalogum, quia meminit Moses in præfatione, testificationum, statutorum & judiciorum: etsi postea repetat legem Decalogi.*

Verùm negatur consequentia: licet enim in præfatione (quæ extat Deut. 4. 45.) dicatur; *Hæc sunt testimonia, statuta, atque judicia, quæ elocutus est Moses ad filios Israëlis*, inde tamen non sequitur; ergo quum postea fœderis meminit, non tantùm intelligit decalogum. Hæc enim inter se non pugnant, sed probè consentiunt: ut etiam series orationis ostendit. Quoniam ut horum trium antecedit propositio; sic apta ratione explicatio eorundem, initio à testimoniis ducto succedit. Ea enim vox legem Decalogi (ut etiam Deut. 31. v. 18. *tabulæ testimonii*, hoc est Decalogi dictæ) designat. Quam cap. 5. 2. fœderis cum Israëlitis pacti nomine, tantùm intelligere, sequentia indicant: unde hæc demonstratio promanat.

Fœdus quod hîc Moses intelligit, est id quod Deus in monte è medio ignis facie ad faciem Israëlitis audientibus est elocutus, ut v. 3. & 4. traditur: atqui nihil præter legem Decalogi in monte è medio ignis, Israëlitis audientibus Deus est

est elocutus: ut disertè v. 22. testatur; *Hæc verba locutus est Jehova, ad totam congregationem vestram, in monte è medio ignis nubis & caliginis voce magna, &* NON ADDIDIT, *inscripsitque ea duabus tabulis lapideis ac dedit mihi. Ergo nihil præter decalogi legem est fœdus quod Moses hic intelligit.*

Cui illustris, ex antecedente c. 4. in eadem re exposita, confirmatio accedit. Nam v. 12. & 13. ait; *Et Jehova locutus est ad vos è medio ignis, vocem verborum vos audivistis &c. & indicavit vobis fœdus suum, quòd præcepit vobis facere decem verba, & inscripsit ea duabus tabulis lapideis.* En disertam fœderis illius, de sola Lege Decalogi, expositionem. Cui deinde proximo v. 13. distinctè subjicit; *Et mihi præcepit Jehova, illo tempore, ut docerem vos statuta (id est ceremonias) & judicia, ut faciatis ea.* Quomodo inter fœdus & statuta ac judicia discrimen hoc notat; quòd illud, ipsemet Deus, Israëlitis audientibus, proposuit: hæc verò postea, ministerio Mosis, quod attoniti horrenda fœderis promulgatione, loco sermonis ipsius Dei, flagitarunt, ut c. 5. inde à v. 23. (inprimis verò, v. 27, 28. & 31.) expressè docetur. Atque ita nostræ assertionis (qua fœderis voce, hoc loco solum Decalogum intelligi, diximus) veritatem satis perspicuam arbitramur. Id quod à Sabbati ceremonialis, patribus minimè traditi, probatione, non esse alienum, ex antecedentibus constat.

Sed objicitur deinde; *Quænam ratio suadere potest, Hebræos quum de pacto illo loquuntur, de solo Sabbato, eaque parte qua ceremonialis est, intellexisse? Id enim supponitur, non probatur.* At, inquam, quum ea Deut. 5. v. 2. & 3. (de quibus inter nos disceptatur) non Israëlitarum seu Hebræorum, sed Mosis, ad eos loquentis, sint verba, quomodo iis jam tertiò in responsione objecta tribuantur, assequi nequimus.

Ad rem verò quod attinet, ratio quæritur, quæ tamen ob oculos sectione 45. à nobis est proposita. Quum enim Moses, fœdus Decalogi, cum Israëlitis, non cum patribus ipsorum pactum, verè asserat: verum autem esse non possit, nisi ratione mandati de Sabbato ceremoniali intelligatur (quia reliqua omnia, utpote juris naturæ, fuerunt omnibus communia) necessariò sequitur, id ratione mandati de Sabbato ceremoniali esse intelligendum. Ideoque quod probandum erat, non *supponitur*, sed reyera *probatur*.

At excipitur præterea; *Mosen non dicere, hæc non fuisse patribus tradita, sed Deum non pepigisse fœdus illud cum patribus: nempe quomodo immediatè explicat*, facie ad faciem locutus est vobis Jehova in monte illo vobiscum, è medio ignis: ego stabam inter vos & Jehovam tempore illo. *Non ita pepigerat antea cum patribus.* Verùm quum jam supra sit demonstratum, fœderis voce, ipsum Decalogum à Mose distinctè intelligi: inde apparet, fœdus pacisci & Decalogum tradere, seu decem verba eloqui: & præcipere Israëlitis, idem designare ut cap. 4. à Mose declaratum; *Jehova allocutus est vos*, &c. *& indicavit vobis fœdus suum, quod præcepit vobis decem verba &c.*

Quod autem, *ellipsin* hoc loco esse, dicitur: & *immediatè* illis verbis, *facie ad faciem* &c. *explicari*, negatur. Nulla enim ellipsis est admittenda, nisi quum solida ratio evicerit: alioqui nihil tam verum, quin ellipsis alicujus obtentu corrumpi queat. Nulla autem talis ratio hanc ellipsin evincit. Nam supponitur, verbis immediatè sequentibus id explicari, sed nulla prorsus ratione demonstrari animadvertimus. Neque aliò hæc Mosis verba & sequentia pertinere res ipsa ostendit, quam ut discrimen promulgationis, fœderis decalogi, & statutorum ac judiciorum, & causa discriminis declaretur. Nam vers. 1. ostenditur hæc per Mosem tradita: illud verò vers. 4. ab ipsomet Deo. Causa verò discriminis hujus plenius explicatur, nempe Israëlitarum (ob terrorem, ex horrenda specie ac voce Dei, conceptum vers. 24. & 25.) petitio, ut per Mosem reliqua cognoscerent, v. 27. Deinde quum promulgationis fœderis modus sit accidens illius, quod ad ipsum fœdus non pertinet: causa justa esse, qui potest, ut *hoc fœdus* cum patribus non esse pactum dicatur? Alioqui quid vetat, quo minus eadem ratione dicamus Deum non pepigisse cum Abrahamo fœdus circumcisionis, Genes. 17. quia non eodem modo, quo Israëlitis promulgavit?

Imo inde etiam consequetur, quum tabulæ fœderis secundæ Deut. 10. sunt traditæ, fœdus Decalogi Israëlitis ante non fuisse traditum, vel non esse iterum traditum: quia modus promulgationis, Deut. 5. & 10. est diversus.

Quod autem objicitur; *Hanc ellipsin, non potest rejicere, quin similes pene innumeras, in eadem materia rejiciendo, Scripturam involvat contradictionibus: illud* dicitur quidem: sed hac rejectione, contradictionem ullam involvi, nulla ratione demonstratur.

Porrò quæ sectione 47. à nobis sunt proposita, confutare aggreditur; *Nec*, inquit, *valet objectio*; An minus est, quod Deus Abrahamo, tanquam benignus pater cœlitus apparuit &c. quàm quòd tanquam tremendus judex, idem pactum seu legem justitiæ promulgavit? *Nam his verbis seipsum refellit; cum idem pactum dicat à benigno patre Abrahamo propositum & à tremendo judice Israëlitis. Ergo idem, & non idem. Idem substantiâ, non idem administrandi modo.*

At, inquam, meipsum his verbis minimè refello: quia error elenchi se prodit: dum illa quasi opposita statuuntur, quæ probè inter se consentiunt, idem pactum, & non idem pactum, nempe non κατ᾽ αὐτὸ sed κατ᾽ ἄλλο, non secundum idem, sed secundùm aliud: seu ratione non ejusdem sed diversæ partis, ut sectione 45. exposuimus: *non idem* scilicet ratione quarti præcepti & quidem de Sabbato ceremoniali: *idem*, ratione reliquorum omnium: quæ juris naturæ, eoque communia Israëlitis & eorum patribus.

Quod autem subjicit; *idem substantia, non idem administrandi modo*; illud jam ante confutatum pluribus, & rectè doctissimus Calvinus, ab ea prius posita explicatione atque ellipsi, recessit: ut sect. 48. ostendimus.

Præterea objicitur; *Deinde non quæritur, de eo quòd vel majus vel minus est, sed de eodem vel dissimili:* sed frustra. Nec enim sectione 47. (cujus sententia ante posita excutitur) aliud agimus, quam ut anticipatione quadam, occurramus iis, qui exponunt fœdus decalogi cum patribus non esse initum, propterea, quod excellentiori quodam modo cum Israëlitis pactum. Ideoque non temere quid vel majus vel minus sit, examinavimus.

Subnectitur postea in objecta responsione; *Neque propterea, pro negatione affirmationem substituimus*, Non cum patribus nostris tantùm, sed nobiscum: *quia retinuimus negationem, quod Deus non pactus est cum patribus in Horeb, sed cum filiis.* Esto: neque enim id à nobis, adversus primam D. Calvini ellipsin (à qua deinde recessit) sed adversus secundam, rectissimè objectum est. Quod autem excipitur; *Ergo dedit Sabbatum, quod patribus non dederat; id quomodo sequatur, viderit:* imo qua ratione id à nobis sectione 45. sit probatum, attentos lectores perspicuè satis vidisse, & ex antedictis visuros minimè dubitamus.

Deinde quod ait; *Quamvis concedere possimus filiis dedisse Sabbatum, QVOMODO patribus non dederat.* Atqui non de modo dandi sed de Sabbato dato, quæstio est, An patribus etiam mandatum sit, ut septimus hebdomadæ dies, cessationi ab operibus & ad cultum Dei consecraretur, nec ne? non verò, an promulgandi modus fuerit diversus: alioqui circumcisio Israëlitis imperata, non fuisset Abrahamo antè mandata, quia modus utrimque diversus: Israëlitis enim mediatè per Mosem extra terram promissam, Levit. 12. 3. Abrahamo verò immediatè per ipsummet Deum, in terra promissa, Genes. 17. vers. 1. & 10.

Deinde Euangelium alio modo Apostolis & per Apostolos Judæis, alio nobis traditum: illis, revelatione Spiritus Sancti extraordinaria ac miraculosa; nobis verò, institutione ordinaria: an ergo propterea Euangelium utrimque aliud: & Apostolis ac Judæis non traditum, ob maximam modi promulgationis diversitatem? Denique quum Sabbatum Israëlitis secundis tabulis sit traditum, Deut. 10. 4. an dici rectè potest primis fœderis tabulis, quia modus diversus, non fuisse traditum. Modus enim traditionis primarum tabularum fuit præcedente Dei apparitione, *qua facie ad faciem populo locutus est, è medio ignis*, Deut. 5. 4. & 10. 4. qui modus secundis tabulis omnino defuit, Deut. 10. v. 4. 5.

Quare

Quare accidens modi diversitas rem non tollit.

Præterea excipitur; *Ad pactum Dei, in Horeb sancitum, pertinere ea, quæ vers. 37. memorat Moses, præcepta nempe, statuta, & judicia:* sed contrarium jam antè demonstravimus; pactum illud Dei, Deut. 5. 3. de quo agimus, à statutis & judiciis, à Mose disertè distingui.

Quamobrem *quartum* nostrum argumentum (quod *tertium* vocat) non *nutare multis modis*, sed variè impetitum, firmum nihilominus perdurare, arbitramur.

Denique quia sectione 52. Eusebii sententiam, nostro argumento prælucentem expressimus (qua ait, *erant etiam ante Mosis legem, mandata Dei alia, & ceremoniæ, non similia iis quæ à Mose tradita sunt, idque ex Deut. 5. probat,*) idcirco objicitur, *id, Eusebii auctoritate, non fulciri.* Ratio autem adfertur; *Si enim id absolutè intelligatur falsum esse, ne ipse quidem D. Gomarus negaverit: ergo Eusebii verba sunt explicanda ex iis, quæ antè à nobis dicta sunt*, secundùm quid, non absolutè.

At, inquam, hac responsione primò sententiam nostram non infirmari, sed disertè confirmari, apparet: nimirum *fœdus hoc* Dei cum Israëlitis, *secundùm quid* (hoc est, secundùm aliquam illius partem seu ratione alicujus præcepti, quod fœderis hujus materia est) non esse initum.

Deinde nonne etiam contradictio quædam vide[illegible], quum dicit Eusebii verba, *explicanda, ex iis quæ antè à nobis dicta sunt, secundùm quid non absolutè?* contrarium enim multis contendit objecta responsio, *idem fœdus substantia, non idem administrandi modo*, quem exponi contendit iis Mosis verbis; *Facie ad faciem in monte illo, è medio ignis vobiscum locutus est Jehova.*

Atqui si pactum substantia omnino (uti censet) fit idem, non idem administrandi modo: ergo verum non est, secundùm quid (quod nihil aliud significat, quàm secundùm substantiæ seu subjecti partem non esse idem:) & vice versa cum secundùm quid fœdus Dei cum Israëlitis initum, non esse idem agnoscatur: sequitur etiam ratione partis substantiæ illius, non esse idem. Quoniam modus fœderis administrandi, non est pars illius, sed accidens.

CAPUT NONUM.

Quinti argumenti nostri defensio.

QUare probato satis (uti existimamus) argumento quarto, ad postremum procedemus: quod ita à nobis est descriptum;

Sect. 53. Quintum *porrò* argumentum *est: Si septimi diei quies, omnibus ab origine mundi hominibus, fuisset instituta, non autem solis Israëlitis tempore Mosis, Deus non solos Israëlitas, ob neglectum illius, sed etiam Gentiles (alicubi saltem) eadem de causa reprehendisset: atqui Deus solos Israëlitas, frequentissimè ob Sabbatum violatum reprehendit: Gentiles verò nusquam: ergo septimi diei quies, omnibus ab origine mundi hominibus, non est instituta.*

54. Propositio *inde patet: quòd reliquorum omnium præceptorum (excepto quarto de diei septimi quiete observanda) violatio in Gentibus non minus quàm in Israëlitis reprehenditur passim, & gravissimæ pœnæ, eo nomine inflictæ aut infligendæ, denuntiantur: ut Israëlitæ redderentur cautiores, & ab imitatione eorum, averterentur.*

55. *Ac propterea, si Sabbati quies iis fuisset etiam instituta atque observanda, neglectum illius, & pœnam, Sac. Lit. similiter (alicubi saltem) expressissent, quum ne derisionem quidem Sabbati, à Judæis observati reticuerint. Quo pertinet illud Lamentationum Jeremiæ c. 1. 7.* viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus: *ut Hieronymus rectè vertit, & Calvinus consentaneè exponit.*

56. *Quo etiam pertinet illud Theodoreti, Ezech. 20. Rursus hic quoque Sabbatorum mentionem fecit, neque ea cum aliis justificationibus conjunxit, &c.* Neque *enim hæc, ut illa, vitam conciliant, sed quendam peculiarem reipublicæ administrandæ characterem, continent. Illud enim;* Non mæchaberis, non occides, non furaberis, *& alia cum his conjuncta, alios quoque homines naturæ lex edocuit: at Sabbati observandi, non natura, magistra, sed latio legis. In aliis igitur cum aliis communione juncti: in observatione Sabbati propriam quandam videbantur habere rempublicam.*

Huic contra argumento hæc opponitur à Clarissimo viro (qui quartum vocat) responsio; *Quartum argumentum non est majoris ponderis; Si septimi diei quies, omnibus ab origine mundi hominibus, fuisset instituta, non autem solis Israëlitis tempore Mosis, Deus non solos Israëlitas, ob neglectum illius, sed etiam Gentiles (alicubi saltem) eadem de causa reprehendisset: at Deus Israëlitas sæpe, ob præceptum hoc violatum reprehendit.*

Respondeo, aliam esse rationem Sabbati, aliam præceptorum legis reliquorum: quia legem Sabbati, qua tale, agnoscimus esse positivam, non naturalem. Cum igitur Deus in Gentibus multa haberet, quæ reprehenderet & puniret, adversus legem naturalem perpetrata, non mirum est, si iis litem non intenderit, de non observato Sabbato, cujus ignorabant sanctionem.

At de Israëlitis alia ratio est, postquam ipsis repetita fuisset institutio, eaque sancita non solùm minis, sed confirmata significationibus: ita ut quod antea fuerat tantùm memoriale creationis, factum illis fuerit signum speciale fœderis, quo refertur quod à Theodoreto dictum est, Judæos in observatione Sabbati, propriam quandam visos fuisse habere rempublicam. *Alioqui Theodoretus agnoscit; Deum benedicendo septima diei post opera sex dierum, demonstrasse, quod illum diem non inutilem putarit ad creandum, sed ad quietem accommodatum statuisse Quæst. in Genes. 21. ubi septimi diei benedictionem, in eo constituit quod significationem habuerit*, omnia opera creationis perfecta esse, & in eis nihil desiderari. Hactenus ad *quintum* nostrum (quod *quartum* hîc vocatur) *argumentum* responsio. Quare reliquum est, ut ad examen illius accedamus.

Ea autem propositionis, Syllogismi nostri, confirmationem elevare eo obtentu conatur, quod alia Sabbati, alia reliquorum præceptorum sit ratio: legem Sabbati, qua tale, positivam: reliquas verò, naturales. Atqui illud, eam, quæ hîc spectanda, convenientiam non tollit. Nam lex Dei, non solùm naturalis, sed etiam positiva, quæ ab origine mundi omnibus hominibus data, ab omnibus etiam hominibus, ob legislatoris Dei imperium ac justitiam, est observanda: & neglectus illius, justam reprehensionem ac pœnam, similiter meretur. Quare quum legis naturalis transgressio, in Gentibus profanis tam copiosè, ac toties in S. Lit. reprehensione & pœnæ denuntiatione gravissima, traducatur, an credibile est, Deum sapientissimum ac justissimum (si Sabbati quies omnibus fuisset observanda) nullibi violationem perpetuam in Gentibus, sed in solis Israëlitis, reprehensurum?

Nam quamvis (ut objicitur) Deus *in gentibus multa haberet, quæ reprehenderet, & puniret, adversus Legem naturalem perpetrata*; an propterea legis ab origine mundi (ut contenditur) universos homines obstringentis violationem, omnino intactam reliquisset? Neque ea justa est (uti objicitur) reprehensionis omnino omissæ ratio, quod observandi *Sabbati sanctionem ignorabant.*

Etsi enim quædam legis divinæ, omnes obstringentis, ignorantia, transgressionis illius culpam, comparatè imminuat: eam tamen non tollit, neque à reprehensione eximit: ut legis divinæ sanctitas ac justitia requirit. Deinde quum videamus Sac. Lit. impia Gentilium festa, graviter reprehendi, an festi Sabbati sancti neglectum, si iis quoque fuisset observandum, constanti silentio dissimulassent, neque ullam etiam debitæ observationis fecissent mentionem? Præterea quum Gentiles, communi ferè vitio ac convitio, quietis Sabbati observationem Judæis exprobrarint, an Sabbatum

iis

iis ignotum fuit? & si ad eos quoque pertinuisset, nonne id ex Judæis sese adversus ipsos defendentibus didicissent, idemque similiter derisissent? Rursus quum Deus quietis Sabbati observatæ derisionem, in Gentibus accusarit: an quietem illam neglectam (si ad eos etiam pertinuisset) in ipsis nullibi reprehendisset?

Adhæc si Sabbati quies, fuisset memoriale creationis, tam Gentibus quàm Israëlitis mandatum, nonne utrique violati hujus memorialis nomine, fuissent reprehensi, quum eo modo, in primarium religionis de Deo creatore fundamentum, impegissent?

Quæ gravis culpa, etsi in Israëlitis major, non propterea tamen in Gentibus reprehensionem omnem sustulisset: qui perpetuo hoc Sabbati neglectu, à Judæis (ut à Theodoreto rectè dictum ostendimus) fuerunt separati.

Denique cum *Tyrii* (restauratis jam, per Nehemiam, Jerosolymis) *afferrent pisces & omnes res venales, quas vendebant ipso Sabbato Judæis, & quidem Jerosolymis*, Neh. 13. 30. si illi, ad quietis Sabbati observationem, fuissent communi cum Judæis lege divinitus obstricti, nonne à viro sanctissimo fuissent duplicis pollutionis crimine reprehensi. *Primò* quidem, quòd *in seipsis*, operibus vetitis Sabbato exercendis, peccarent: *deinde* quod *per Judæos* Sabbatum profanarent, dum iis, ad emptionem (eoque ad similem quietis sacræ violationem) essent auctores. Veruntamen prius in Tyriis non accusat, sed in solis Judæis: posterius verò in Tyriis graviter increpat ac comminatione adjuncta compescit, Neh. 13. 17, 18, 19, 20. Atque hactenus ultimi nostri argumenti defensio.

Quamobrem (ut finem faciamus) quum Sabbati à mundi creatione institutio solida è Sac. Lit. probatione destituatur (ut ex trium illorum, quæ præcipua censentur, argumentorum solutione, apparet) & reliquæ aliquot rationes, à nobis prolatæ, contrarium rectè demonstrent (ut, ex eorum quæ objiciuntur examine, constare potest) inde concludimus, *Eam de Sabbati, à mundo creato, institutione sententiam, veritati Scripturæ minus consentire.*

Quæ enim adversus Pererium (& Tostatum quem hîc sequitur) atque Loëum disceptantur, non attingemus; quia graviora argumenta secuti sumus: in quibus acquiescimus.

CAPUT DECIMUM.

Corollarium, De nominis Diei Dominicæ significatione.

Quia verò in altera de Sabbato quæstione (*An nimirum saltem unus aliquis dies, in unaquaque septimana, in orbem recurrens septimus, ex quarti præcepti vi, Christianis, ad quietem ab operibus & ad publicum Dei cultum, necessariò sit observandus?*) à clarissimo viro (non minus quàm à nobis) negatio illius adfertur, atque eruditè omnino confirmatur, perquam lubenter cognovimus. Quemadmodum etiam quod diei dominicæ ad publicum Dei cultum institutionem, similiter non à Christo neque ab Apostolis, sed ab Ecclesia, recta ratione, habere originem demonstrat. De quibus etiam clarissimi ac doctiss. D. Pridiaux, in Oratione de Sabbato, consensionem extare, eodem indicio lubenter intelleximus: etsi eam Orationem videndi felicitas nondum contigerit.

Quod autem de *significatione diei Dominicæ*, Apoc. 1. 10. non eadem inter nos sit sententia, ea discrepantia exigui est momenti: quia in reipsa est consensus; quòd inde probari non possit, diei Dominici institutionem à Christo aut ab Apostolis ortam. Hoc tantùm interest, quod ibidem ea voce pro die apparitionis illius Domini accepta, non una tantùm sed duplici ratione objectum argumentum à nobis diluatur, quòd & antecedens & consequentia negetur: ut ex *investigatione* nostra capitis VI. sectione 33. & sequentibus apparet.

Ideoque ut dicta nostra paucis illustrentur: quid à clarissimo viro desideretur, expendere conabimur. Sic autem in eodem Opere p. 191. primò ait; *De significatione etiam Dominicæ diei controvertitur: qui pro die adventus, sive apparitionis* sæpe *accipitur.*

Quæ ratio, etsi non mihi sufficere videatur, ad rejiciendam communem interpretationem, & facilè concedam diem Dominicam eam significare, qua Dominus resurrexit; non tamen necessario sequitur, eam fuisse publico cœtui destinatam, minus autem, id divina & necessaria ordinatione, factum fuisse.

Quibus verbis, de diei Dominicæ institutione, eadem inter nos explicatio apparet: de nominis verò illius Apoc. 1. 10. significatione, rationem nostram minus probari declaratur: sed magis vero consentanea (ut existimamus) videbitur, si plenius, ut à nobis factum est, proponatur. Sic enim *Investig.* nostræ c. VI. sect. 33. describitur; *Certum non est (quod quasi certum statuitur) diem Dominicum Apostolo denotare diem resurrectionis Domini, seu primum hebdomadæ; quòd talis significatio NUSQUAM ALIBI in Sac. Lit. occurrat; USUS enim Scripturæ PERPETUUS est, ut* dies Domini (*qui, notissimo Hebraismo, nihil aliud est, quam* dies Dominicus) *diem adventus seu apparitionis Domini, significet.*

Quare quum USUS Scripturæ PERPETUUS (non dico, *sæpe*, ut objicitur) sit talis, eaque significatio narrationis, Apoc. 1. circumstantiis egregiè conveniat (ut pluribus in Investigatione, c. VI. à nobis probatum) nulla justa apparet ratio cur insolentem Sacris Literis significationem inferamus.

Etsi enim ea diei Dominicæ, pro primo die septimanæ, significatio à priscis theologis hoc loco probetur, quàm lubricum tamen inde petatur argumentum, eorundem de Paschatis festo (ut alia quæ à Socrate copiosè tradita, in Investig. Appendice retulimus, omittamus) temerè Apostolis adscripta superstitio, demonstrat.

Sed aliud præterea à nobis, quasi minus verisimile, prolatum excipitur, sed an meritò, ex utriusque dictis inter se collatis atque expensis, dignosci poterit. Ratio quidem nostra est hujusmodi sect. 39. *Ac sanè, si diei Dominicæ, pro die resurrectionis Domini, seu primo hebdomadis, appellatio ab Apostolis promanasset, eaque in Ecclesia omnino fuisset recepta; an credibile est, potuisse fieri ut Justinus Martyr, antiquissimus, atque incorruptus scriptor, eâ (in accurata rituum illius descriptione) omissâ, Solis diem, aut unam Sabbatorum, aut primam hebdomadis tantummodo nominaret? Quemadmodum*, in *Apologia pro* Christianis, *ait*; Solis autem die, communiter omnes conventum agimus: quandoquidem is primus dies, quo Deus tenebris & materia versis, mundum effecit, & Jesus Christus noster Servator, eo ipso die à mortuis resurrexit. Pridie enim diei Saturni, ille in crucem actus est, & postridie ejusdem (qui scil. Solis est dies) Apostolis & discipulis suis apparuit. Sic, in Dialogo cum Tryphone Judæo, ait; Circumcisi sumus ab errore & pravitate, per eum qui à mortuis resurrexit una Sabbatorum die, Jesum Christum Dominum nostrum. Una enim Sabbatorum, prima manens dierum omnium, juxta numerum, spatiis rursus dierum omnium, in circulum decursis, octava vocatur, & prima (sicuti est) manet. Hæc nostra ratio: cui responsio hujusmodi opponitur: *Argumentum autem, quo D. Gomarus utitur, ut probet ex Justino Martyre appellationem illam diei Dominici, pro prima die septimanæ non fuisse usitatam, quia Justinus eam* diem solis, *appellat & unam Sabbatorum*, nullius mihi videtur esse momenti, 1. *Quia Ignatius, Iustino antiquior, illius* sæpe meminit, *diei nomine Dominicæ.* 2. Quia Justinus Martyr habuit causas singulares, *cur scribens Apologiam, ad Ethnicum imperatorem*, diem solis, *appellaret, ea denominatione, qua ab ipso intelligi posset. Agens autem cum Tryphone Judæo, etiam utendum erat ei, ea loquendi forma, quam Judæus perciperet.*

Hactenus responsio, qua *primùm*, argumenti nostri vis, non

non satis plenè (ut ex collatione apparet) refertur, sed omissis nonnullis mutilatur. Nec enim ea solùm ratio à nobis proposita, quod Justinus martyr *diem solis & unam Sabbatorum*, appellat, sed, *tantummodo*, & quidem in *accurata rituum illius diei descriptione*. Huc accedit *deinde*, quòd ea, quæ contra opponuntur, omnino infirma videantur.

Nam quod I. objicitur, *Ignatium Justino antiquiorem*, *illius* sæpe meminisse, *diei nomine Dominicæ:* probationem idoneam desideramus. Nec enim sæpe, nec semel illius meminisse observare potuimus. Nam ea, quæ illius nomine scripta extant, fidem testimonii illius non merentur, quia indignis modis sunt interpolata ac corrupta: ut à multis doctissimis viris demonstratum. Cujus rei exiguum hoc specimen magnum est argumentum. Nam primum in Epistola ad Trallianos, sic scribere traditur, *Et ego, non quatenus vinctus sum, etiam cælestia intelligere possum, & Angelicos ordines, Archangelos, militiarumque cælestium discrimina virtutum, Dominationumque differentias, Cherubim & Spiritus sublimitatem, & Domini regnum, & incomparabilem Dei omnipotentis divinitatem.* Hæc quum omnia noverim, *non continuò perfectus sum.* An hanc vanissimam & plus quàm thrasonicam jactationem, à pio, sancto modestoque ac captivo Ignatio profectam ullo modo verisimile est? Deinde in epist. ad Romanos, hæc (inter alia ejusdem genii) leguntur; *Fruar bestiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inveniri, ut crudelius me devorent, non ut quosdam metuentes non attigerunt: & illæ si sponte nolint, ego illas vi adigam.* Quis etiam hoc in loco sancti ac justi martyris, ac non potius epistolarum illius corruptoris ineptissimi sermonem vanum atque injustum, sexto Legis præcepto disertè repugnantem deprehendat? Ac mirandum esset summopere ab Hieronymo etiam hanc sententiam in Catal. Script. Ecclesiasticorum ei attributam, nisi eo tempore in hujusmodi vitiatis ac supposititiis veterum libris sine examine probandis, exempla extarent. Quale & illud est quod ipsemet Hieronymus Euangelium Matthæi Hebraicum, sæpius quasi genuinum communi opinione falsa seductus celebravit: ut in fine *examinis de genealogia Christi*, perspicuè ostendimus. Denique in illis Ignatii epistolis non *sæpe* (ut paulò liberalius objicitur) sed semel (quantum observare potuimus) dies Dominica, memoratur, & quidem in sententia, uti apparet, à corruptore infarta, in epist. ad Philadelphenses. Sic enim ibidem statuitur; εἴ τις κυριακὴν, ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν· hoc est; *Si quis Dominicum diem, aut Sabbatum, uno Sabbato excepto jejunat, hic Christi interfector est.* An tam apertè injusta ac falsa sententia, à sancto justoque martyre Ignatio, potuit promanare? Quare testimonium hoc, non Ignatii, sed eo posterioris, atque inepti interpolatoris est: qui τὸ πρέπον ac decorum in dictis personæ rectè accommodandis, servare non potuit, sed quasi sorex suo se prodens indicio, hæc aliaque, ab Ignatii doctrina, pietate ac modestia, omnino abhorrentia, ei affinxit.

Alterum etiam, quod ad Justini testimonium excipitur, rationem nostram non evertit. Nam licet appellatione diei solis & unius Sabbatorum, ad auditorum intelligentiam commodè sit usus, si tamen diei Dominicæ appellatio, ad resurrectionis Christi gloriam, & professionis illius memoriam, Ecclesiæ fuisset usitata: an credibile est Justinum, in accurata rituum primæ diei hebdomadis celebratione ut loco maximè accommodato fuisse omnino taciturum? Quum enim ait, *Solis autem die communiter omnes conventum agimus: quandoquidem primus dies est, quo Deus tenebris & materia versis mundum fecit; & Jesus Christus Servator noster, eo ipso die, à mortuis resurrexit:* an verisimile est, si diei Dominicæ appellatio, pro resurrectionis die in orbem recurrente, fuisset usitata, futurum fuisse, ut hoc loco maximè opportuno non adjecisset, hæc verba; *ac propterea dies Dominicus appellatur?* Sicut quum, de Christianorum Baptismo, in eadem Apologia, verba faceret, usitatum in Ecclesia (licet in Scripturis tacitam) appellationem expressit atque explicavit dicens, *Vocatur autem Lavacrum hoc, illuminatio* (φωτισμὸς) *quod eorum, qui hæc discunt, mentes illuminantur:* nullibi tamen, ne quidem longè graviori causa, maximaque, ad Christi gloriam & incredulorum institutionem, opportunitate, quum de resurrectionis Christi die, & in Apologia, & in Dialogo cum Tryphone, disserit, appellationis diei Dominicæ meminit. Ex quibus omnibus, eam appellationem nondum Justini tempore in Ecclesia usurpatam, non immeritò colligi posse existimamus. Quod superest, quemadmodum hæc à nobis ad Sacrarum Literarum illustrationem sincero animo sunt prolata, sic Deum precamur, ut ea, ad intelligentiam earum, suamque gloriam, dirigere dignetur.

F I N I S.



DAVI-

DAVIDIS LYRA:

SEU NOVA

HEBRÆA S. SCRIPTURÆ ARS POETICA,

Canonibus suis descripta & exemplis sacris; & Pindari ac Sophoclis parallelis demonstrata:

Cum selectorum DAVIDIS, SALOMONIS, IEREMIÆ, MOSIS *&* IOBI *poëmatum analysi poëtica.*

Reverenda Pietate ac Doctrina Clarissimis S. S. Theologiæ Doctoribus:

D. ANTONIO THYSIO, &

D. CONSTANTINO L'EMPEREUR ab OPPYCK: illi, Theologiæ; huic, controv. Judaicarum & H. L. Professori Academiæ Leydensis,

SALUTEM à SALUTIS AUCTORE.



ON ignota est (reverendi ac clarissimi viri) *ea Homeri sententia; qua consuetam vulgi de poëmatum præstantia sententiam, Odyssea primo ita describit;*

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι

Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται. *hoc est ad verbum;*

Illud enim canticum maximè celebrant homines,

Quodcunque auditoribus recentissimum existit.

Idemque, non minori elegantia secutus Pindarus, acutè hoc modo expressit;

Αἴνει δὲ παλαιὸν

Μὲν, οἶνον ἄνθεα δ' ὕμνων

Νεωτέρων·

Lauda autem vetus quidem vinum, flores verò hymnorum recentium. *Veruntamen non immeritò longè præferendi sunt iis, antiquissimi hymni & cantus sacri; qui cœlestis spiritus afflatu, in Hebræis sacrarum literarum monumentis, ad Dei laudem hominumque doctrinam salutarem continentur. Eorum enim flores nunquam decidunt, nec suavitas eorum, ulla temporis injuriâ evanescit: sed perpetuum recreandis hominum spiritibus odorem diffundunt. Cujusmodi sunt inter cætera, Mosis, Salomonis, & Ieremiæ cantica, & Davidis Psalmi. In quibus sublimis ac poëticus stylus, citra ullam controversiam, elucet: quamvis de* poësi *eorum* certitudine *&* cognitione, *doctiorum judicia sint diversa. Disquiritur enim,*

I. An ulla in S. Literis extent carmina; metricis legibus adstricta. *Quemadmodum, communi pene omnium sententia, hoc* asseritur; *sic à quibusdam παραδόξως pernegatur.* Assertores *autem sunt primùm antiqui scriptores: ut ex* Hebræi Josephi *&* Patrum Christianorum *testimoniis apparebit.*

Josephus *enim Antiquitatum Iudaicarum libro secundo capite ultimo, de primo Mosis cantico (quod Exodi* XV. *describitur) sic ait;* Καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν, ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν. Et Moses oden in Deum (encomiumque ac gratiarum actionem in Deum continentem) hexametro versu composuit. De *secundo verò ejusdem* cantico, (*quod Deuteronomii* XXXII. *recensetur) similiter ibidem libro quarto capite ultimo attestatur hoc modo,* Ἔπειτα ποίησιν ἑξάμετρον αὐτοῖς ἀνέγνω, ἣν καταλέλοιπεν ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ ἱερῷ. Deinde poëma hexametrum iis recitavit: quod in sacro libro reliquit. *Denique de Psalmis Davidis metro conscriptis in eodem opere monet libro septimo editionis Genevensis capite* XII; Ἀπηλλαγμένος δ' ἤδη πολέμων ὁ Δαβίδης καὶ βαθείας ἀπολαβὼν τὸ λοιπὸν εἰρήνης ᾠδὰς εἰς τὸν Θεὸν, καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου. τοὺς γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Cæterum David perfunctus jam bellis & in alta pace degens, odas in Deum & Hymnos metro vario composuit: quosdam quidem trimetros, alios verò pentametros fecit. *Hac* Josephus *Hebræus: cui* Patres *Christiani consentiunt.*

Ex Græcis *enim,* Eusebius *de præparatione Euangelica libro undecimo cap.* 3. (*editionis Græca Rob. Stephani) sic ait,* Εἶεν δ' ἂν αὐτοῖς καὶ ἔμμετροι ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ᾠδὴ καὶ τοῦ Δαβὶδ ὁ ριη' ψαλμὸς, τοῦ καλουμένου παρ' Ἕλλησιν ἡρῴου μέτρου συντεταγμένοι. Φασὶ γοῦν ἑξάμετρα εἶναι ταῦτα δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν πεποιημένα. καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς, δι' ἐπῶν λέγεται τριμέτρων τε καὶ τετραμέτρων κατὰ τὴν οἰκείαν αὐτῶν

 συγκεῖσθαι

συγκᾶδζ φωνήν. Sunt etiam apud eos poëmata metrica: ut magna Mosis ode, & Davidis Psalmus CXVIII. (*Hebr.* CXIX.) vocato apud Græcos heroico metro composita. Ajunt igitur hæc esse Hexametra, sedecim syllabis facta: & reliqua etiam apud eos carmina, trimetris versibus, proprio eorum sermone, condita esse dicuntur.

Deinde Theodoretus *tom.* I. *in Cant. cant. cap.* I. *vers.* I. *ait*; Beatus David carmina composuit. *Et præfatione commentariorum in Psalmos*; Sacra (*inquit*) Scriptura, temperans utilitatem carminis suavitate, gratam admodum & amabilem doctrinam hominibus proposuit.

Denique auctor Græcus *Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos* (*quæ inter Iustini martyris opera continentur*) *ad quæst. & respons.* LIV. Mosis canticum *& carmine conscriptum asserit, & quonam fine expressè declarat. Atque hæc de* Græcis.

Inter Latinos *verò* Patres, *primas meritò obtinet* Hieronymus: *qui & sæpius & copiosius idem de Hebræis Scripturæ metris, tradit.* Primum *enim tom, 3. epist. ad Paulinum de Iobo ait*; Prosa incipit: versu labitur: pedestri sermone finitur. *Ac de Davide ibidem*; David (*inquit*) Simonides noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque Catulus atque Serenus, Christum lyra personat. & in decachordo Psalterio, ab inferis excitat resurgentem. *Denique in præfatione in Iobum ait:* Quod si cui videtur incredulum, metro scilicet apud Hebræos; & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari & Alcæi, & Sapphus, vel Psalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi; legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem, Eusebium, & eorum testimoniis, me verum dicere comprobabit.

Huic etiam consentit Augustinus *tom.* 2. *epist.* 131. *ad Memorium, quum ait*; Quibus numeris constent (versus Davidis, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex Hebræa lingua quam ignoro) potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate, ab interpretandi veritate amplius, quàm ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris credo illis, qui eam linguam probè callent. Amavit enim vir ille sanctus musicam piam, & in ea studia, nos magis ipse, quàm ullus alius, accendit.

Hisce accedit Isidorus *Hispalensis episcopus, qui lib.* I. *Originum cap.* XVIII. *de carmine Heroico ait*; Omnibus quoque metris prius est. Hoc primùm Moses in cantico Deuteronomii, longè ante Pherecydem, & Homerum cecinisse probatur. Unde & apparet antiquius fuisse apud Hebræos studium carminum, quam apud gentiles. Si quidem & Job, Mosi temporibus adæquatus, hexametro versu, dactylo spondeoque decurrit. *Hæc de priscis carminum sacrorum assertoribus: quibus eatenus pene omnes posteri adstipulantur, quod Hebræa in Sacris literis carmina, metricis legibus adstricta, contineri agnoscant.*

Quidam verò illud acriter negant. sed diverso animi studio. Ex antiquis *enim scriptoribus primus & (ut Genebrardus censet Chronologiæ pag.* 107.) *solus compertus est* Julianus *imperator* apostata. *Qui capitali impioque adversus religionem Christianam odio, in Hebræos prophetas invectus, hanc metrorum laudem iis detrahere contendit. Verba enim illius, à Cyrillo episcopo Alexandrino, libro adversus Iulianum septimo, sectione secunda proposita, hæc sunt:* Disciplinarum studium, & in liberalibus artibus exercitatio, non ut Hebræorum, sunt rudia & barbara, quamvis malus Eusebius, velit esse quædam apud eos hexametra.

Ad recentiores verò quod attinet auctores, rarissimi sunt, quibus ea arridet sententia: & si qui sunt, auctoritati tamen Scripturæ nihil derogant: sed eandem reverenter amplectuntur. Quibus præire videtur vir doctissimus Augustinus Steuchus, episcopus Eugubinus (Rabbi Mosche ben Chabib in libro דרכי נעם *seu prosodia secutus) quum sua præfatione in Psalmos ait quidem*; Moses omnium vetustissimus carmen Deo cecinit: *sed vera carmina, seu metricis legibus devincta, in Sacris Literis extare, minimè agnoscit. Sic enim paulo post, mentem suam plenius exponit*; Carmen autem Hebraicum non idem est atque Græcorum Latinorumque: ut neque Italicum, sive Etruscum, idem atque Latinum. Ac potius cum Italico, quàm cum Latino similitudinem habet Hebraicum. Latinum, ad imitationem Græci, tempora syllabarum observat: Hebraicum nulla tempora: sed numerum duntaxat atque similitudinem cadentium syllabarum. Ut non est in Italico carmine spondeus, trocheus, dactylus; sed numeratio tantum syllabarum, & observatio ut similiter desinant; simile quiddam sequitur Hebraicum. Quare quum Hieronymus scribit, aut Job aut Psalmos, dactylo spondeoque decurrere: & quum in præfatione de Job dicit; versu labitur: quæque Augustinus cum cæteris, de carminibus Hebræorum testantur, noris non ipsos præcisè pedes nostrumque carmen ab eis, sed simile quiddam designari. Itaque neque Heroicum carmen apud Hebræos extat, neque iambicum aliaque genera, sed simile quiddam, & quale Barbari diversis ritibus canunt. Psalmi, Job, libri Salomonis & Prophetarum, rationem carminis præ se ferunt, sed neque Latini, neque Græci. Numerosum quiddam, & ab oratione soluta parumper recedens sermonis genere figurisque poëticis, verbisque minus usitatis obscuriores. Psalmi præterea, non eodem auctore, nec eodem fortasse tempore, nec eodem modulatu, ut nec eodem subjecto semper perspiciuntur. *Hactenus Augustinus Steuchus: qui eadem strictim præfatione in Iobum proponit.*

Quam sententiam vir summus, in eximiis ad Eusebii chronicum Animadversionibus (ut & alibi) comprobavit. Nam ut pauca excerpamus, sic pag. 6. *in Notis ad Hieronymi epistolam ait*: De Psalterio magis miror: quum neque in eo, neque in Threnis, ullum canticum sit, metricis legibus adstrictum; sed merè soluta oratio sit, charactere poëtico animata. Quin Jesaiæ & aliorum Prophetarum oratio, instar poëseos aliquando figurata est; quam tamen propterea poësin esse non rectè dixeris. Solum canticum Mosis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus ferè liber Job, quadam rythmi necessitate cohibentur: qui rythmus est instar duarum dimetriarum iambicarum & tinnulus accedit ad aures.

Sed

Sed aliquando pauciorum sunt syllabarum, aliquando plurium: quales Græcorum στίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι, &c. Nam ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate ulla metri species concipi possit, nemo efficere possit: quia id natura sermonis non patitur.

Hactenus contrarias de Hebræis S. Literarum carminibus sententias exposuimus: neque justam videor observasse rationem, cur à priori declinemus: quemadmodum contra ex sequentibus in omni carminum genere exemplis Hebræorum ac Græcorum parallelis, perspicuè in Arte poëtica *apparebit, Hebræam linguam à rectis carminum legibus minimè alienam. Cæterum inter eos, qui carmina metricis pedibus adstricta Sacris Literis contineri statuunt, disquiritur.*

II. An carminum sacrorum ratio sit nota? Veteres *enim scriptores (ut Iosephus & Eusebius, sicut ex antè dictis liquet) non solùm carminum sacrorum genera, nota esse indicant; sed etiam in Mose & Psalmis disertè definiunt.* Hieronymus *verò eorum judicio fretus, multis in locis ulterius etiam processit.* Primum *enim tomo 3. Præfat. in Iobum*; A principio (*inquit*) voluminis usque ad verba Job, apud Hebræos prosa oratio est: porro à verbis Job, in quibus ait, Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo, usque ad eum locum ubi ante finem voluminis scriptum est; Idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere, hexametri versus sunt, dactylo spondeoque currentes & propter linguæ idioma crebrò accipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipse dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum solutis: quod metrici magis, quàm simplex lector intelligent.

Deinde *tom. 5. Præfatione commentariorum in Lamentationes Ieremiæ*; Habes (*inquit*) in Lamentationibus Jeremiæ; quatuor Alphabeta: è quibus duo prima, quasi Sapphico carmine scripta sunt, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab una litera incipiunt, Heroicum comma concludit. Tertium verò Alphabetum, trimetro scriptum est alternis literis, sed iisdem, trini versus incipiunt. Quartum Alphabetum simile est primo & secundo. Proverbia quoque Salomonis, extremum concludit Alphabetum: quod Tetrametro Jambico supputatur, ab eo loco ubi dicitur; Mulierem fortem quis inveniet?

Denique *in Præfatione, in Chronicum Eusebii ait*; Quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Jambo currit: nunc Alcaico personat: nunc Sapphico tumet: nunc semipede ingreditur.

Quid Deuteronomii & Isaiæ Cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Job? Quæ omnia Hexametro, & Pentametris versibus (ut Josephus & Origines scribunt) apud suos composita occurrunt.

Atque hæc veterum auctorum, *de sacrorum carminum* notitia, *assertio: quæ plus hactenus admirationis quàm assensus, apud peritiores obtinuit. Ac propterea* alii *notitiam eorum, post tempora Prophetarum paulatim, pudenda Iudæorum negligentia, obliteratam arbitrantur. Sed rursum exurgit quæstio.*

III. An ea porrò notitia, per constantem ac diligentem investigationem, recuperari possit? *De hac enim re doctissimi viri, judiciis inter se adversis, dissident.* Quidam *enim concepta quadam desperatione, non solùm id acriter negant; sed alios etiam, ab omni investigationis studio absterrere, conantur.* Nonnulli *verò generosiori animo præditi, nequaquam desperandum prudenter judicarunt. Quemadmodum præ cæteris, magnus ille* Mercerus: *cujus in Commentariis in Iobum cap. 3. memorabilis extat oratio. Sic enim ait*; Pereat dies (Hic est initium metrorum Jobi, usque ad versiculum sextum capitis XLII, infra על כן Propterea, &c. Conatus sum (juxta ea, quæ monet Hieronymus) multos versus ad dimensionem pedum revocare. Sanè plerosque dimensus, hexametros esse comperi: verùm ubi pro dactylo & spondeo, passim alii pedes, juxtà linguæ idioma (ut dicebat Hieronymus) occurrunt. Multi sunt versus spondaici, & primus statim, qui desinit הורה גבר procreatus est vir. Sed hoc sæpe hîc turbat quod metra plerumque à fine versuum (ut ab Hebræis sunt distincti) incipiunt. Quod argumento est, eos carminum rationem non intellexisse, nisi sensum magis, quàm dimensionem sunt secuti. Accepi D. Vatablum (laudandæ memoriæ) rationem intellexisse versuum omnium Jobi & Psalterii, & quosdam Canones, ad facilius eorum rationem intelligendam, præscripsisse. ut; Quod Nulla Sit Hebræis Positio:

Quod Sceva, Ne Geminum Quidem, Pro Aliquo Computetur: & alia hujusmodi: quæ speramus aliquando proditura. Neque Despero, si quis diligenter attenderit, Quin Possit Metrorum Ratio Inveniri: Id Ego (si quando per otium licuerit) Pervestigare Conabor. *Hactenus præclara viri longè doctissimi oratio: in qua, ut prima sui parte (Hieronymi præjudicio abreptus) nonnihil aberravit, sic in altera, qua* Vatabli canones *recenset &* spem *suam ac* conatum *describit, egregiè aliis omnibus, ad rectam sacrorum metrorum investigationem præluxit. Quemadmodum etiam hac oratione, jam olim ad Iobi & Davidis poësin perscrutandam, studium nostrum accendit, & ad Lyricorum Pindari ac Sophoclis carminum collationem stimulavit: ut vires gravioribus laboribus fatigatas, hac amœna studiorum varietate, per feriarum otium recrearem, & me meosque in Hebræa Iobi praxi auditores amplius erudirem. Neque, uti spero, conatus exspectationem fefellit. Hoc enim certò comperisse arbitramur, Lyrica sacra & profana (distincto parumper linguarum genio) probè inter se convenire. Idque cum alibi in Iobi explicatione, ante annos viginti quatuor, tum postea in hac Academia auditoribus, brevi specimine demonstravi. Non eo animo, ut illud Archimedis Ἑύρηκα arroganter usurparem; sed ut candorem, in iis quæ observaram communicandis, patefacerem: eaque re ad alios delata, ad accuratiorem explicationem ipsos excitarem. Quod tamen tanto temporum intervallo hactenus pro voto non successit: sed hoc solùm obtinui, quod quidam eruditi è Belgio & Germania literis, ut si quid de poësi*

Hebrææ Prophetarum, scriptis consignatum haberem, ipsos participes redderem, seriò postularunt. Cui honestæ petitioni parere conantem tenuitatis ac ruditatis observationum conscientia absterruit. Tandem hortatu tuo (Clariss. D. Thysi) quasi celeusmate provocatus, & Orientalium linguarum peritissimi D. Golii monitu accedente pressus, opellam meam, Deo sospitante, promisi. Quam deinde ad rem, Doctiss. ac Reverend. D. Ludovicus de Dieu, & coram & per literas stimulos non leves adjecit. Quare paulatim per interrupta feriarum otia poësin Hebrææm meditari cœpi: & parallelis Pindari ac Sophoclis illustrare, & analysin poëmatum sacrorum olim conceptam recolere; ut exspectationi vestræ pro modulo meo satisfacerem.

Vobis verò Clariss. ac Doctiss. Viri, immaturum hunc fœtum suscipiendum, pro antiqua ac fida inter nos amicitia, offero ac censuræ vestræ subjicio. Tecum enim Clariss. D. Thysi ante annos quinquaginta & amplius inita est arctissima familiaritate amicitia, & mutua animorum ac studiorum conjunctione hactenus stabilita. Tecum etiam Doctiss. D. Constantine, inde ab Ornatiss. p. m. parentibus tuis, amicitia propagata, & mutuis officiis ac studiorum (in quibus præcellis) consensione roborata, & plus quam viginti quinque annos exculta perdurat.

Quare ut hanc opellam nostram boni consulatis non solum rogo: sed officium vestrum idem postulare videtur. Nam ut prior vestrum, ad illius editionem tandem commovit: sic posterior, ante annos complures tenuia ejusdem initia, non contempsit, sed sibi communicari petivit. Quod reliquum igitur est (reverendi ac clariss. viri) Deum precor, ut vos cum familiis vestris clementer conservet, & sanctis ac præclaris vestris laboribus suo Spiritu Sancto adspiret, ad sui nominis gloriam, & Academiæ vestræ atque Ecclesiæ Christi incrementum, GRONING. AN. 1636. Oct. X.

Reverendæ Dignitati Vestrûm addictissimus,

F. GOMARUS.

IN LIBRUM

Reverendi ac eximii Viri,

FRANCISCI GOMARI

de Hebræa, qua in Fœdere antiquo Sacri Scriptores utuntur, poësi, ejusque metris.



Lle Dei primis monitis edoctus ab annis,
Præ patria placuit cui pietatis amor,
Sanctaque libertas, & amicum pectus honesto,
Et pro se intrepido qui solet ore loqui,
Postquam omnes Orientis opes congessit, & orbem
Cum tota obstrinxit posteritate sibi,
Primus Idumæas, sanctorum oracula, chartas
In numeros pulchra dirigit arte suos.
Dent alii protrita. Deum docet esse poëtam,
Iam canus, quamquam non moriturus, olor.
Virginibus si quis pudor est, nunc cedite, Musæ:
Vatibus autorem sit satis esse Deum.

DANIEL HEINSIUS.

DAVI-

DAVIDIS LYRA:

SEU NOVA

HEBRÆA S. SCRIPTURÆ ARS POETICA,

Ars poëtica, est methodica canonum, de principiis, ac generibus carminum, ad poëmatis constitutionem, comprehensio: ut Græcis & Latinis, sic etiam Hebrais.

Principia autem illius sunt duo, syllabarum quantitas, & ex iis orti pedes metrici.

Caput I.

De syllabarum, in Hebrææ S. Literarum poësi, quantitate canones.

1. *Syllabarum quantitas, brevis est, aut longa.*

2. *Ea autem à solis vocalibus, ex recta Grammatica norma, dependet.*

3. *Brevis enim syllaba est, quæ habet brevem, seu simplicis temporis, vocalem.*

4. *Vocales breves, per se quidem sunt quinque: per accidens verò tres brevissimæ, quas Raptas vocant.*

5. *Harum brevium omnium, in poësi par est potestas.*

6. *Scheva verò non vocalis est, sed illius, sub consonante mobili, absentia nota.*

Atque huc pertinet, laudatus à Mercero doctissimi Vatabli canon; *Scheva, ne geminum quidem, pro aliquo computatur.*

7. *Syllaba autem brevis, Positione non fit longa.*

Cujus origo est, ab Hebrææ linguæ à Græcis & Latinis discrepante genio: quod longa vocalis (nisi accentus intercedat) ante duas consonantes positione, mutetur in brevem: non verò brevis, in longam:

Atque ita huic canoni, respondet alter Vatabli; *Hebrais nulla est positio.*

8. *Longa verò syllaba est, quæ habet longam, seu duplicis temporis, vocalem: quales sunt quinque tantùm.*

9. *Communis syllaba est nulla: prout neque vocalis.*

10. *Ultima tamen cujusque versus, libera est: ut sine discrimine brevis esse possit, aut longa.*

Quemadmodum de Græca poësi Hephæstio de metris (pag. 14 editionis Parisinæ) ait: *παντὸς μέτρου ἀδιάφορός ἐστιν ἡ τελευταία συλλαβή, ὥστε δύνασθαι εἶναι αὐτὴν, καὶ βραχεῖαν καὶ μακράν.*

Ex quibus canonibus (quos exemplorum inductio postea confirmabit) clarè elucet, quam multis modis, Hebræa S. literarum poësis, Græcæ (ut & Latinæ) hac perfectione antecellat. In Hebræa enim (ob accuratam omnium vocalium, in breves & longas, distinctionem) syllabarum quantitas anceps non est, sed certa: nec variis mutationibus obnoxia, sed perpetuò sibi constans: denique non multis neque dubiis, sed paucis firmisque canonibus comprehensa.

Contra verò in Græcorum poësi, hæc omnia desiderantur. Primùm enim (ob vocalium, in tribus ancipitibus, confusionem) quantitas syllabarum, non rarò incerta est: ita ut ea vix aliter, quàm poëtarum auctoritate sive exemplis, sit expiscanda. Deinde neque quantitas stabilis est, sed mutationibus variis intricata. Verbi gratia, Vocalis longa, brevi sequente, modò corripitur, modò producitur. Quod idem brevi accidit, ut quæ Positione fit longa; vel communis, si altera consonantium sit liquida. Imo etiam absente Positione, brevis ante unicam liquidam, modò corripitur, modò producitur etiam in eodem versu. Ut Theocriti Idyllio sexto;

> Πολλάκις ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.
>
> *Sæpè, ô Polypheme, quæ bona non sunt, bona videntur.*

Sic etiam Homeri Iliados quinto, versu trigesimo;

> Ἄρες ἄρες βροτολοιγὲ.
>
> *Mars, Mars, hominum pernicies.*

Id quod notissimo Martialis libro nono, epigrammate duodecimo notatum;

> *Dicunt Earinon tamen poëtæ,*
> *Sed Græci, quibus est nihil negatum:*
> *Et quos ἄρες ἄρες decet sonare.*
> *Nobis non licet esse tam disertis,*
> *Qui Musas colimus severiores.*

Denique ut de miranda Græcorum poëtarum licentia (quam doctiores observarunt) sileamus, regulæ ac præceptiones de syllabarum quantitate apud Græcos adeo sunt *lubricæ*, ut exceptionibus variis, & quidem inconstantibus abundent: adeò *numerosæ*, ut laboriosos etiam fatigent: ita denique *imperfectæ*, ut insignes etiam poëtas, non rarò dubios dimittant. Quæ omnia, non temere à nobis dici, peritiores compertum habent. Si quis verò de ea re ambigat, accuratiores de re metrica scriptores (inprimis Aldus Manutius, Jac. Micyllus, M. Crusius aliique) abundè suo testimonio atque exemplis demonstrabunt.

Quemadmodum etiam de Latina poësi (licet Martialis judicio, *Musas colat severiores*) iidem statuunt. Quod similiter ὁ μακαρίτης Henricus Smetius (non solùm doctor medicinæ excellens, sed etiam poëta scriptis clarus) in præfatione suæ Prosodiæ, ingenuè agnovit & luculenter comprobavit.

Ex hac igitur collatione prima *Hebrææ poësis præstantia* conspici potest. Atque hisce *de quantitate syllabarum* expositis, ad *pedes metricos* (qui è syllabis, certa quantitate instructi constant) procedimus.

Caput II.

De carminum pedibus canones.

1. *Pedes metrici, vel sunt primarii, vel secundarii.*

2. *Primarii sunt, è quibus solis ac per se, non vice alterius positis, carmen absolvi potest.*

Id quod egregiè Hephæstionis de metris Scholiastes pag. 83, declaravit.

3. *Sunt autem hi numero novem: partim simplices, partim compositi.*

4. *Simplices, sunt vel dissyllabi, vel trissyllabi.*

5. *Dissyllabi, ex brevi & longa constant: & brevi quidem vel antecedente, ut Iambus ∪ –, vel sequente, ut Trochæus – ∪.*

6. *Trissyllabi, ex longa & duabus brevibus: & longa quidem prima, ut Dactylus – ∪ ∪, vel ultima, ut Anapæstus ∪ ∪ –.*

7. *Compositi verò, sunt tetrasyllabi, pari brevium & longarum numero, vel dispari.*

8. *Pari quidem, vel conjunctis, vel disjunctis longis.*

9. *Conjunctis, vel initio, ut Ionicus à majori – – ∪ ∪; vel in fine, ut Ionicus à minori ∪ ∪ – –: vel in medio, ut Antispastus ∪ – – ∪.*

10. *Disjunctis verò longis, choriambus, – ∪ ∪ –.*

11. *Dispari verò numero constat Pæon, tribus brevibus & una longa, citra discrimen: sive longa præcedat, ut Pæon primus – ∪ ∪ ∪, sive sequatur, ut pæon quartus ∪ ∪ ∪ –, & per synæresin utriusque Creticus – ∪ –.*

12. Se-

12. *Secundarii porro pedes sunt, qui in carmine ad illius complementum, vel cum primario juncti, vel pro eo substituti.*

13. *Inter quos, spondeus - - excellit.* Idque postea patebit.

14. *Pedibus autem tres affectiones accidunt; synæresis seu contractio, dialysis seu dissolutio, & commutatio.*

15. *Contractio, est affectio pedis polysyllabi, qua duæ syllabæ breves in unam longam (ob duplicis temporis utrimque paritatem) reducuntur.*

16. *Dialysis est contraria priori affectio, qua longa cujusvis pedis syllaba, in duas breves (ob eandem paritatem mutuam,) resolvitur.*

17. *Commutatio denique est, quum pedis unius loco, affinis vel usu ferente alienus, substituitur.*

Quæ tres affectiones, ut Græcis (præter alias, quas metrici scriptores observarunt) sunt communes, sic etiam sacrorum ac profanorum carminum exemplis consentaneis postea probabuntur.

Atque hæc quidem *de syllabarum quantitate & pedibus* tanquam duobus *carminum principiis*, diximus, reliquum igitur est, ut ad *carmina* (quæ ex artificioso pedum numero ac modo constant) explicanda procedamus.

Quam ad rem, observanda primum carminum genera atque affectiones: deinde poëmatum sacrorum, ex iis structorum, ratio.

CAPUT III.

De carminum generibus canones.

1. *Carminum genera (quorum terminis poësis sacra continetur) sunt novem: à totidem primariis pedibus, & nomen, & ab aliis distinctionem, sortita.*

Quemadmodum etiam de Græcis versibus idem Hephæst. Scholiastes pag. 83. explicavit; & Latinus Diomedes lib. 3. Reliqua enim ἀνομάλως ad hæc novem referuntur.

2. *Ea autem genera, vel simplicibus pedibus primariis constant, ut Iambica, Trochaica, Dactylica, Anapæstica; vel compositis, ut Choriambica, Ionica à majori, & Ionica à minori, Antipastica & Pæonica.*

3. *Quæ licet inter se differant: pro diversa tamen syllabarum distributione, ad diversa interdum genera referri possunt.*

Cujus rei exempla apud Sophoclem, Demetrius Triclinius, de metris illius, plurima recenset: nec pauca Aristophanis Scholiastes: idque carminum examen docet.

4. *Porro hæc carmina, vel pura sunt, vel mixta.*

5. *Pura, quæ ex solo primario pede constant.*

6. *Mixta sunt, quæ alios pedes recipiunt: suntque vel analoga, vel anomala.*

7. *Analoga sunt, quæ pedes habent primariis consentaneos: anomala* verò, quæ *dissentaneos.*

8. *Carmen deinde vel perfectum est, vel imperfectum.*

9. *Perfectum est, in quo ad metri complementum nihil deest, nihilque superest.*

Id quod ab Hephæst. de metris pag. 12. (ut & vulgò) ἀκατάληκτον nominatur.

10. *Imperfectum verò est, quod defectum, vel excessum habet in fine.*

11. *Defectum habet, quum pars pedis, vel integer deest.*

Unde prius, apud Hephæstionem καταληκτικὸν: posterius, βραχυκατάληκτον appellatur.

12. *Excessum verò quum pars pedis superflua est.*

Id quod ab eodem Hephæstione aliisque ὑπερκατάληκτον, & à nonnullis aptius ὑπέρμετρον dicitur.

13. *Mensura carminis, uno quidem pede in Dactylicis, gemino verò simplici pede, in reliquis continetur.*

Quæ gemini pedis mensura, à Græcis συζυγία, & à Prisciano, de metris comicis, *conjugatio* appellatur.

14. *Pro mensuræ autem disparitate, carmen distinguitur: ut vel unius sit mensuræ, & Monometrum vocatur: vel plurium, quod pro diversis gradibus Dimetrum, trimetrum, tetrametrum, pentametrum aut hexametrum dici solet.*

15. *Sacra verò carmina (exceptis, ob mensuræ brevitatem, Dactylicis) Trimetri terminos non excedunt.*

Id quod frequentius etiam à Pindaro, & Sophocle in Lyricis observatur.

16. *Dactylica verò, tetrametra interdum: pentametra (& quidem καταληκτικά,) rarissima: hexametra verò nulla in Hebrææ poësi sacra apparent.*

Idque poëmatum sacrorum examen accuratum in canticis, Psalmis aliisque libris poëticis, comprobabit.

17. *Carmina autem sacra, postremas suas voces integras servant.*

Ac propterea Lyricos Græcorum versus, accuratione sua longè superant. Hi enim voces ultimas, non rarò inconcinnè dividunt: ita ut prior pars versum finiat, posterior sequentem inchoet. Quemadmodum prima Olympiorum Pindari ode, triginta & tria exempla hujusmodi complectitur. Ac licet pauciora, frequentia tamen etiam apud Sophoclem passim occurrunt. Adeo ut una pagina trecentesima sexagesima sexta (editionis Henrici Stephani, quam in hac opella sequimur) quinque appareant.

18. *Carminum quoque sacrorum membra, inter se, absque ulla periodi aut coli intercessione, cohærent.*

A qua rursus elegantia, Græci poëtæ sæpius aberrant; dum versus continuitatem, intercedente periodo aut colo, divellunt: ut innumera Pindari & Sophoclis exempla evincunt.

19. *Denique singula carmina sacra, majori aut minori distinctione, illæso rei sensu finiuntur.*

Quod eorum examen & exempla (quæ postea proferentur) omnia confirmant. Quam præstantiam Græci non sunt assecuti, ut vel ex prioribus aliquot Pindari & Sophoclis pagellis (in quibus prima versuum membra, distinctione interdum majori, à postremis distrahuntur) sole clarius evadit.

Atque hæc, de carminum generibus eorumque affectionibus, generatim dicta: ideoque ad singula eorum specialius explicanda accedemus, ab Jambicis exorsi.

CAPUT III.

De carmine Iambico canones.

1. *Purum jambicum carmen raritate & elegantia, mixta omnia antecellit.*

2. *Mixtum autem analogum, cum jambo, vel pro eo, secundariis pedibus legitimo ordine dispositis constat.*

3. *Secundarii quidem sunt pedes, jambo vel pares tempore, ut choreus seu tribrachys ∪∪∪: vel dispares, ut spondeus, & ex ejus longa dialysi orti, anapæstus & dactylus.*

4. *Legitimus verò horum ordo, ex locorum quibus disponuntur distinctione, oritur.*

5. *Imparibus enim locis (hoc est, primo, tertio, quinto pede) præter jambum, ex secundariis quosvis admittit.*

6. *Paribus verò (hoc est, secundo, quarto, sexto pede) præter jambum, tribrachys recta ratione (ut jambus solutus) & frequentius; sed anapæstus præter rationem, auctoritate tantùm poëtarum ac rarius usurpatur.*

Nam ut Hephæstio de metris p. 17. de jambico carmine ait, *Si verò spondeum paribus locis non recipit, neque anapæstum, qui ex eo solutus est, recipere debet.*

7. *Ex mixtis autem jambicis, secundum, post pura, elegantia locum videtur obtinere ea, quæ alternis spondeum & jambum collocatum habent.*

8. *Anomala verò mixta sunt, quæ contra canonem sextum, unum (loco pari, secundo vel quarto) spondeum admittunt.*

9. *Quum autem secundo loco hoc fit, distinctionis causâ Doricum vocare liceat: quum vero hoc loco quarto, Alcmaicum nominatur.*

Utrumque enim ex *Pindari scholiaste* patet, ad Nemeorum Oden sextam.

Prius quidem, pag. 375. (editionis Pauli Stephani; quam hîc & in sequentibus intelligimus) de primo Strophes versu, (ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ: *unum hominum, unum Deorum genus, ex*) ait; *Iambicum acatalectum: in secundo autem loco est spondeus.* πολὺ γὰρ τοῦτο παρὰ τοῖς δωρικοῖς, *id enim frequens Doriensibus.* *Posterius* verò liquet ex p. 376. de

de nono Epodi versu (*ἔπαυσε λάθαν σωκλείδα. Sustulit oblivionem Soclidæ.*) ubi ait, *Iambicum dimetrum acatalectum Alcmaicum.*

Sic etiam *Priscianus* de metris comicis libro, hujusmodi carmina, jambica statuit, eorumque, ex illustribus Græcis Latinisque poëtis atque metricis scriptoribus, exempla non pauca producit.

Denique *Hephæstionis* etiam *Scholiastes* Græcus pag. 61. idem agnoscit, & unam solùm in tali carmine jambico anomaliam esse asserit. Ac revera unica duntaxat syllaba longa, pro brevi posita, à norma aberrat.

Ideoque licet *Demetrius Triclinius*, de metris Sophoclis disserens, hujusmodi carmina ad Antispastica referat; prior tamen sententia (quæ jambica esse tradit) majoribus auctoribus & rationibus nixa, meritò videtur *præferenda*, itaque eandem non temere, in hisce canonibus & sequentibus, secuti sumus. Si cui tamen secus videatur, secundam pro libertate judicii amplectatur.

Quare expositis jambici carminis canonibus, operæ pretium videtur, ut Hebræorum Scripturæ, & Græcorum Pindari ac Sophoclis carminum collatione mutua illustremus ac confirmemus. Hoc autem observandum, sicubi occurrat יהוה Ihova legi, ac spondeum statui: ויהוה legi vihova prima longa, neglecta Judæorum superstitiosa lectione: quæ linguæ præceptis adversatur. Eadem similium ratio: ut thesibus de Nominibus Dei, ostendimus.

CAPUT V.

Carmina jambica, exemplis Hebræis & Græcis Pindari ac Sophoclis parallelis, demonstrata.

PRIMUM ANALOGA.

I. MONOMETRA perfecta seu acatalecta.

1. Pura, seu è solis jambis.

Prov. 5. 2. לִשְׁמֹר מְזִמּוֹת
Ad observandum multiplicem solertiam.
Psal. 33. 12. אַשְׁרֵי הַגּוֹי
Beata ista gens.
& 47. 8. זַמְּרוּ מַשְׂכִּיל
Psallite scitè. | υ- υ-

GRÆCA.

Soph. pag. 141. Φθίνει φθίνει
Absumit, absumit.
& 318. Ἔχω φράσας.
Habeo dicere, vel quod dicam.
& 385. Ἰὼ ξένοι.
Io hospites. | υ- υ-

2. Mixta cum alio pede.

Prov. 22. 11. אֹהֵב טְהָר־לֵב
Amans mundum corde.
Psal. 48. 5. עָבְרוּ יַחְדָּיו׃
Transeunt pariter.
& 109. 4. וַאֲנִי תְפִלָּה׃ υυ-υ-
Cum essem in oratione. | - - υ-

GRÆCA.

Soph. 12. Μόμφαν ἔχων - - υ -
Conquerendi causam habens.
& 157. Θύγατερ Διὸς υυ-υ ῡ
Filia Iovis.

MONOMETRA IMPERFECTA.

1. Defectu syllabæ, catalectica.

Psal. 119. 4. לִשְׁמֹר מְאֹד׃ υ-υ
Ut observent valdè.
& 102. 28. וְאַתָּה הוּא υ-ῡ
Tu verò idem es.

GRÆCA.

Soph. 412. Τί φῂς παῖ
Quid dicis puer.
& 55. Ξυναυδῶ
Assentior. | υ- ῡ
& 362. Ξυνίες δ' υ-υ
Animadverte autem.

2. Excessu, Hypercatalecta.

1. Pura.

Prov. 1. 18. יִצְפְּנוּ לְנַפְשֹׁתָם׃
Abscondunt se adversus proprias animas.
Psal. 65. 7. נֶאְזָר בִּגְבוּרָה
Accinctus potentiâ. | υ-υ-|ῡ

GRÆCA.

Pind. 38. Βροτῶν ἔλεγχος.
Mortalium demonstratio.
& 281. Ἕτοιμος ὕμνων.
Paratus hymnorum sc. thesaurus.
Soph. 300. Περῶσι δῆτα.
Transgrediuntur tandem. | υ-υ-|υ

2. MIXTA.

Job. 28. 28. וְסוּר מֵרָע בִּינָה
Et recedere à malo est *intelligentia.*
Psal. 108. 13. וְשָׁוְא תְּשׁוּעַת אָדָם
Vanitas est *auxiliatio humana.* | --υ-|-
Prov. 16. 18. לִפְנֵי שֶׁבֶר גָּאוֹן υ-υυ-|-
Ante confractionem superbia.

GRÆCA.

Pind. 209. Σοφίας ἄριστον υυ-υ|υ
Sapientiæ (sc. sortem habere cum divitiis) *præstantissimum.*
& 314. Θεῶν τελεσάντων. υ-υυ-|-
Diis id *exequutis.*
Soph. 141. Χωρεῖ γεγηθώς. --υ-|-
Incedit lætus.
& 12. Ἐτίσατο λώβαν. υ-υυ-|-
Ultus est acceptam injuriam.

II. DIMETRA.

PERFECTA SEU ACATALECTA,

1. PURA.

Job. 17. 6. וְהִצִּיגַנִי לִמְשֹׁל עַמִּים
Ut instituat me ad præsidenduum populis.
Prov. 10. 21. שִׂפְתֵי צַדִּיק יִרְעוּ רַבִּים
Labia justi pascent multos.
& vers. 23. כִּשְׂחוֹק לִכְסִיל עֲשׂוֹת זִמָּה
Prout ludus stolido, facere scelus. | υ-υ-υ-υ-

GRÆCA.

Pind. 94. Ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι.
Viis via transitu faciliores.
Soph. 311. Φόνοι, στάσεις, ἔρις, μάχαι.
Cædes, seditiones, contentio, pugna.
& 51. Πόνος πόνῳ πόνον φέρει
Labor labori laborem cumulat. | υ-υ-|υυ-

2. MIXTA.

Prov. 12. 16. אֱוִיל בַּיּוֹם יִוָּדַע כַּעְסוֹ υ-υ-|υ-υυῡ
Quod ad *stultum, eodem die agnoscitur indignatio ipsius.*
& 15. 12. לֹא יֶאֱהַב לֵץ הוֹכֵחַ לוֹ -υυ, υ-|--υ-
Non diligit derisor corrigentem se.

Prov.16.17. שֹׁמֵר נַפְשׁוֹ נֹצֵר דַּרְכּוֹ
Conservat seipsum qui observat viam suam.
&19.16. שֹׁמֵר מִצְוָה שֹׁמֵר נַפְשׁוֹ
Observans praeceptum conservat animam suam.
--υ|--υ-

GRÆCA.

Soph.54. Ἐγὼ δ' ὁ πάντα κωφὸς ὁ πάντ'
Ego verò omnium ignarus, omnium.
&56. Γελᾷ δὲ τοῖσι μαινομένοις.
Ridet autem furentes.
υ-υ-|υ-υυυ

&88. Βήματι μολόντα τάνδε γᾶν -υυ, υ-|υ-υ-
Gressu profectum in hanc terram.

Pind.47. Καὶ δουρὶ μάρνασθαι· τὸ καὶ
Et ad hastâ pugnandum, quod etiam.
Λειμωνία μήλων πόα.
Pratensi pecorum herba.
--υ-|--υ-

IMPERFECTA.

1. Defectu Catalectica.

1. PURA.

Prov.24.3. בְּחָכְמָה יִבָּנֶה בָּיִת υ-υ-|υ-, υ
Sapientia aedificatur domus.

GRÆCA.

Pind.38. Τροφαῖς ἔτιμον ἵππων. υ-υ-|υ-, υ
Alendi studiosum equorum.

Soph.16. Ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι. υ-υ-|υ-, ῡ
Pedibus fugam suscipere.

2. MIXTA.

Prov.15.21. אִוֶּלֶת שִׂמְחָה לַחֲסַר־לֵב υυυυ-|υυυ, ῡ
Stultitia laetitia est dementi.

&30.5. כָּל־אִמְרַת אֱלוֹהַּ צְרוּפָה υυυυ-|υ-, ῡ
Totus sermo Dei purgatissimus est.

Job.4.10. שַׁאֲגַת אַרְיֵה וְקוֹל שָׁחַל υυυυ-|--, υ
Rugitu leonis, & voce ferocis leonis.

Prov.12.14. וְשֹׁמֵעַ לְעֵצָה חָכָם: --υ-|--, ῡ
Et ausultans consilio sapiens est.

GRÆCA.

Pind.17. Εὐωνύμων τε πατέρων. υ-υ-|υυυ, ῡ
Clarorumque progenitorum.

Soph.105. Ἔλειπεν ἐκ τοῦδ' οἴκου. υ-υ-|--, ῡ
Defecit ex hoc domo.

&261. Ὦ πῦρ πνεόντων ἄστρων. --υ-|--, ῡ
O ignivomarum stellarum.

BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Prov.8.1. הֲלֹא חָכְמָה תִקְרָא
Nonne sapientia clamat?
&13.6. וְרִשְׁעָה תְּסַלֵּף חַטָּאת
Improbitas pervertit peccati virum.
υ-υ-|υ-

GRÆCA.

Pind.288. Τις ἐκ δόμων φέροι.
Aliquis ex aedibus asportet.
Soph.105. Πρὸ τῶνδε γὰρ μ' ἔχει.
Prae istis autem me tenet spes.
υ-υ-|υ-

2. MIXTA.

Prov.30.2. וְלֹא בִינַת אָדָם לִי: --υ-|--
Nec est intelligentia hominis mihi.

&vers.3. וְלֹא לָמַדְתִּי חָכְמָה --υ-|υ-
Neque didici sapientiam.

&14.29. וְאֶרֶךְ אַפַּיִם רַב תְּבוּנָה
Et longanimis abundat intelligentia.
&15.18. וְאֶרֶךְ אַפַּיִם יַשְׁקִיט רִיב
Longanimis autem sedat litem.
υυυ, υυυ|--

GRÆCA.

Pind.289. Ἥρωας ἐν μάχαις.
Herods in praeliis.
Soph.104. αἰσχίσταις ἐν αἰκίαις.
Indignissimis contumeliis.
--υ-|υ-

&105. πρόρριζος ἐκριφθείς. --υ-|--
Prorsus ejectus.

&180. Ὅ, τι τάχιστ' ὀλοίμαν υυυ, υυυ|--
Funditus peream.

IMPERFECTA EXCESSU, HYPERCATALECTA.

Job.38.6. עַל־מָה אֲדָנֶיהָ הָטְבָּעוּ υ-υ-|υ-υ-|-
Super quid bases ejus demersa sunt?

Prov.16.18. וְלִפְנֵי כִשָּׁלוֹן גֹּבַהּ רוּחַ υ-υ-|--υ-|υ
Et ante lapsum altitudo spiritus.

&19.5. וְיָפִיחַ כְּזָבִים לֹא יִמָּלֵט
Et qui conflat mendacia non proripiet se.
Psal.147.5. גָּדוֹל אֲדוֹנֵינוּ וְרַב־כֹּחַ
Magnus dominus noster, & multus viribus.
-υ-|--υ-|-

GRÆCA.

Soph.90. Κεναῖς δ' ἐφίσταμαι τραπέζαις. υ-υ-|υ-υ-|-
Vacuis autem assisto mensis.

Pind.303. Τερπνὰν γάμου κραίνειν τελευτάν.
-υ-|-υ-|-
Iucundum nuptiarum perficere exitum.

III. TRIMETRA.

Perfecta in poëmatibus sacris nondum observavi, sed quaedam

IMPERFECTA DEFECTU.

1. CATALECTICUM UNUM.

Psal.141.8. כִּי אֵלֶיךָ יְהוִה אֲדֹנָי עֵינָי --υ-|--υ-|--ῡ
Quum ad te Iova Domine oculi mei.

GRÆCA.

Pind.285. Κάλλιστον αἱ μεγαλοπόλιες Ἀθᾶναι.
--υ-|υυυ υυυ|υ-, ῡ
Pulcherrimum grandi urbes Athenae.

Soph.135. Ἐπαξιώσας ὧδέ μοι φανῆναι.
υ-υ-|υ-υ-|υ-, ῡ
Dignatus hîc mihi apparere.

&159. Φλέγει με περιβόητος ἀντιάζων. υ-υυυ|υ-υ-|υ-ῡ
Urit me famosus adversarius.

2. BRACHYCATALECTA.

Psal.141.2. תִּכּוֹן תְּפִלָּתִי קְטֹרֶת לְפָנֶיךָ υ-υ-|--υ-|υ-
Statuatur oratio mea suffitus coram te.

Prov.21.20. אוֹצָר נֶחְמָד וָשֶׁמֶן בִּנְוֵה חָכָם --υ-|-υυ, υ-|υ-
Thesaurus desideratus & unguentum, in habitaculo sapientis.

Psal.18.32. כִּי מִי אֱלוֹהַּ מִבַּלְעֲדֵי יְהוָה --υ-|υυυ, υ-|--
Nam quis Deus praeter Iovam?

GRÆCA.

Pind.112. Εὐθεῖα γλῶσσαν ὀρνύει λέγειν.
-υ-|--υ-|υ-
Recta linguam incitat ad dicendum.

Soph.

Soph. 159. Παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι υ υ- | υ-υ- | υ-
Retrogrado cursu terga vertere.
& 267. Ἄγετέ μ' ὅτι τάχος, ἄγετέ μ' ἐκποδών.
υυυ υ | υυυ υ | υυ, υ- | υ-
Ducite me cito; ducite procul.

ANOMALA, quæ spondeum habent, pro jambo.

I. SECUNDO LOCO.

MONOMETRA perfecta.

Psal. 22.4. וְאַתָּה קָדוֹשׁ
At sanctus es.
& 23.3. נַפְשִׁי יְשׁוֹבֵב | υ-, --|
Animam meam convertet.
Prov. 26.10. רַב מְחוֹלֵל־כֹּל
Plurimum dolore afficit omnes.

GRÆCA.

Soph. 21. Ἰώ μοι μοι.
Hei mihi mihi. | υ-, --|
& 53. Ἰὼ τλήμων.
Heu me infelicem.

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 38.2. בְּמִלִּין בְּלִי־דָעַת׃
Sermonibus inscitiæ.
Prov. 10.23. חָכְמָה לְאִישׁ תְּבוּנָה
Sapientia viro intelligenti. | υ-, --|-
& 22.10. וְיִשְׁבֹּת דִּין וְקָלוֹן
Et cessabit litigium & ignominia.
Psal. 82.3. שִׁפְטוּ־דַל וְיָתוֹם
Judicate tenuem & pupillum.

GRÆCA.

Soph. 36. Ἰδαῖα μίμνω.
Ad montem Idam maneo. | υ---|-
& 180. Κακὰ προσέψαυσε.
Mala accedent.

DIMETRA perfecta acatalecta.

Job. 22.10. עַל־כֵּן סְבִיבוֹתֶיךָ פַחִים
Ideoque circumstant te laquei.
Prov. 24.23. הַכֵּר־פָּנִים בְּמִשְׁפָּט בַּל־טוֹב | υ--- | υ-υ-
Agnoscere personam in judicio non est bonum.
& 7.2. וְתוֹרָתִי כְּאִישׁוֹן עֵינֶיךָ ----|--υ-
Et doctrina mea ut pupilla oculorum tuorum.

GRÆCA.

Soph. 22. Ἄρωγὸν τέχνας, ἅλιον υ--- | --υ-
Antistes artis, mare sc. agitans.
Est protasis: cui hæc antapodosis respondet jambica pag. 21.
Μόνοι ἐμῶν φιλῶν, μόνοι.
Soli meorum amicorum, soli.
Pind. 85. Κᾶπον· κεῖναι γὰρ ὤπασαν ---- | υ-, υυ
Hortum: illa enim prabent.
& 379. Ἀοιδοὶ καὶ λόγιοι τὰ καλά. υ--- | υυ-, υυυ
Poëtæ & oratores præclara divulgarunt.

DIMET. IMPERFECTA.

1. Defectu, catalectica.

Prov. 18.12. וְלִפְנֵי כָבוֹד עֲנָוָה׃
Ante honorem humilitas. | υ---|υ-υ
& vers. 16. מַתָּן אָדָם יַרְחִיב לוֹ
Donum hominis dilatat eum.
& 11.17. וְעֹכֵר שְׁאֵרוֹ אַכְזָרִי׃ ----|υ-υ
Turbat carnem suam crudelis.

& 22.24. וְאֶת־אִישׁ חֵמוֹת לֹא תָבוֹא׃ υ---|--υ
Et cum viro iracundo ne congrediaris.

GRÆCA.

Soph. 83. Ἰώ μοι μοι δύστηνος. υ---|--υ
Heu me me miseram.
& 307. Στέργω διπλᾶς ἀρωγάς. ----|υ-υ
Obsecro ut duplici auxilio.

2. BRACHYCATALECTA.

Job. 30.31. וְעֻגָבִי לְקוֹל בֹּכִים υ-υ, --|--
Et organum meum ad vocem flentium.
Prov. 20.20. מְקַלֵּל אָבִיו וְאִמּוֹ υ-υ, --|υ-
Maledicens patri suo aut matri suæ.
& 10.19. וְחוֹשֵׂךְ שְׂפָתָיו מַשְׂכִּיל υ--, --|υ-
Sed cohibens labia sua colligens.
& 18.3. בְּבוֹא רָשָׁע בָּא גַם־בּוּז --, --|υ-
Adveniente improbo advenit etiam contemptus.

GRÆCA.

Soph. 52. Τίς ἂν δὴ μοι τίς ἄν υ-, --|υυ
Quisnam igitur mihi, quisnam?
& 179. Οὐ τὸν πάντων θεῶν. --, --|υ-
Non per illum omnium Deorum, &c.

ANOM. excessu, hypercatalecta.

Prov. 29.19. בִּדְבָרִים לֹא־יִוָּסֶר עָבֶד υ-, --|υ-υ|υ
Verbis non castigabitur servus.
Job. 38.7. וַיָּרִיעוּ כָּל־בְּנֵי אֱלֹהִים υ-υ, --|υ-υ-|-
Et vociferati sunt omnes filii Dei.

GRÆCA.

Soph. 86. Ὄλοιτ' εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν. υ---|υ-υ-|-
Pereat, si mihi fas ista optare.
& 238. Κυλινδεῖ βυσσόθεν κελαινάν.
Volvit ex imo nigrum.

ANOM. quarto pede spondeo.

1. PERFECTA, acatalecta.

Prov. 10.32. שִׂפְתֵי צַדִּיק יֵדְעוּן רָצוֹן υ-υ-|--, --
Labia justi cognoscent benevolentiam.
Psal. 149.4. יְפָאֵר עֲנָוִים בִּישׁוּעָה׃ --υ-|--, --
Orant mansuetos salute.

GRÆCA.

Pind. 378. Ἔπαυσε λάθαν σωκλείδα. υ-υ-|--, --
Sustulit oblivionem Soclidæ.
Soph. 254. Ὑπὲρ πάγω, θεῶν ἡ παῖς. υ-υ-|υ-, --
In colle, deorum filia.

2. IMPERFECTA.

Excessu, hypercatalecta.

Prov. 15.7. שִׂפְתֵי חֲכָמִים יְזָרוּ דָעַת υ-υ-|--, --|υ
Labia sapientum spargunt scientiam.
& 25.17. אִישׁ־עֹנֶה בְרֵעֵהוּ עֵד שָׁקֶר --υ---, -- υ
Vir testans contra proximum suum testimonium falsum.
Job. 13.23. פִּשְׁעִי וְחַטָּאתִי הוֹדִיעֵנִי׃ υ-υ-|--, --|-
Defectionem meam & peccatum meum notum fac mihi.
& 15.6. יַרְשִׁיעֲךָ פִיךָ וְלֹא־אָנִי υ-υ-|--, --|-
Condemnabit te os tuum, non autem ego.

Græca Hypercatalecta nulla, neque in Pindaro neque in Sophocle observata.

Atque hac ratione, primo carminum genere demonstrato, ad secundum procedimus.

CAPUT

CAPUT VI.

De Trochaico carmine canones.

1. *Trochaicum mixtum analogum, secundarios habet pedes, tribrachyn (ex longa trochei in duas breves soluto) & spondeum, ac per hujus dialysin, dactylum & anapæstum legitimo ordine collocatos.*

2. *Ordo autem legitimus est, ut locis imparibus, præter trochæum, sit tribrachys aut dactylus: paribus verò præter illos tres, spondeus aut anapæstus.*

Quæ omnia ab Hephæstione pag. 13. similiter de versibus Græcis trochaicis tradita.

3. *Inter trochaica mixta, elegantiora cæteris videntur, quæ trochæo & spondeo alternis constant.*

4. *Anomalum verò est, quum uno tantùm loco, primo vel tertio, spondeus pro trochæo collocatur.*

Nam licet Dem. Triclinius, de metris Sophoclis agens, ea sæpius ad antispastica referat; nonnunquam tamen, trochaica esse affirmat. ut pag. 442. metrum hoc Sophoclis pag. 104. ἑλλάνων ἄναξ, *Græcorum rex*, ait esse *Trochaicum penthemimeres: sin velis, antispasticum monometrum, hypercatalectum*. Et pag. 447. carmen Sophoclis p. 180. ψυχὰν. καὶ τάδ' εἰ κακοῖς, *animum* sc. cruciat: *& hæc si malis*. &c, absolutè ait, *trochaicum hepththemimeres Euripedeum*. Ac sanè antapodosis illius est trochaicum quoque anomalum, sed primo pede analogo trochæo, tertio verò contrà anomalo spondeo, pag. 181. ἀλύουσαν κατ' ὀρθὸν οὔρησας, mœstam *erexisti*. Quale omnino est illud pag. 24. τιν' εἰς ὄνησιν ἀνθρώπων *quendam, ad utilitatem, hominum*, scilicet intueri: quod disertè Triclinius ait esse *Trochaicum Hephthemimeres*. pag. 437. a.

Similiter Scholiastes Hephæstionis pag. 61. ait, *Immanifesta verò, ubi in quodam metro sinistrè, hoc est, extra locum suum collocatur pes. Ut si in Iambo inveniatur pari spatio spondeus; aut in trochæo, impari loco. Tunc enim toto æqualiter se habente, una tantum regio est anomala.* ἀπεμφαίνοντα δὲ, ὅταν ἐν τινὶ μέτρῳ κακῶς, τουτέστι παρὰ τόπον κεῖται ποὺς. οἷον εἰ ἐν ἰάμβῳ εὑρεθείη ἐν ἀρτίᾳ βάσει σπονδεῖος, ἢ ἐν τροχαίῳ ἐν περιττῇ. τότε γὰρ τοῦ ὅλου μονοειδοῦς ὄντος, μία μόνη χώρα ἐστὶν ἀνώμαλος. Quare hæc anomala vocat ille ἀπεμφαίνοντα quæ Latini (Teste Rufino de metris comicis) *immanifesta* vocant: quod licet sint ejusdem generis, cum suis analogis; carminis tamen ratio, non ita sit manifesta: sed per anomaliam quasi obscuretur. Quæ nonnihil explicare visum, ne temere atque ineptè, partim ante de anomalis jambicis, partim de anomalis trochaicis statuisse videremur.

Sed ut hi canones amplius declarentur, *Hebræorum & Græcorum harmoniam* ostendemus.

CAPUT VII.

Carmina Trochaica exemplis parallelis demonstrata.

Primum ANALOGA.

I. MONOMETRA perfecta, seu acatalectica.

Psal. 48. 8. ברוח קדים
Vento Orientali.
& 66. 6. שם נשמחה בו׃
Illic lætabimur in eo. — υ , – –
Deut. 32. 1. ואדברה   ῠῠ ῠ , – –
Et loquar.

GRÆCA.

Pind. 192. 4. Καλλινίκου.
Egregii victoris.
& 196. Τὰν πρὸ κύμας.
Quæ ante Cumam.
Soph. 354. Ἀλλὰ θείας.
Sed divinas. — υ – –
& 424. Μετρίαζε.   – υ – υ
Sis moderatus.

MOMOMETRA IMPERFECTA.

1. Defectu catalectica.

Job. 14. 4. לא אחד׃
Non unus.
Psal. 140. 10. ראש מסבי
Venenum circumdantium me. — – υ ; –

GRÆCA.

Soph. 105. Τᾷ δὲ γᾷ.
Huic terra.
& ibidem. Οὔτις πω.
Nulla unquam. — – υ , –

2. Excessu, hypercatalecta.

1. PURA.

Prov. 3. 22. וחן לגרגרותיך׃   – υ – υ –
Et gratia faucibus tuis.
& 25. 9. וסוד אחר אל־תגל   – υ – υ ῠ
Et arcanum alterius ne retegito.
Psal. 46. 5. קדש משכני עליון׃
Sanctum, habitacula Excelsi.
Job. 23. 14. כי ישלים חקי
Quia perficit statutum de me. — – υ – υ | –

GRÆCA.

Soph. 25. Ποῖ τις οὖν φύγῃ;
Quò quis igitur effugerit?
Ibidem. Ποῖ μολὼν μένω;
Quò veniens manebo?
& 26. Οὐκέτ' ἄνδρα μὴν
Nequaquam amplius virum. — – υ – υ | –
Ibidem. Τὸνδ' ἴδητ'. ἔπος.   – υ – υ | ῠ
Hunc videbitis. verbum.

2. MIXTA.

Psal. 48. 12. למען משפטיך   ῠῠ υ , – υ | –
Propter judicia tua.
& 95. 8. כיום מסה במדבר   – υ – υ υ | –
Ut tempore tentationis in deserto.
Prov. 15. 16. טוב מעט ביראת יהוה   – υ , υ υ – | –
Melius est parum cum reverentia Iova.
& 23. 18. כי אם־יש אחרית   – υ – υ υ | –
Quinimò est merces.
Job. 28. 12. ואי זה מקום בינה   – υ – – | –
Quisnam est locus intelligentiæ?

GRÆCA.

Soph. 26. Τινα Τροία στρατοῦ.   ῠῠ υ , – υ | –
Aliquem Troja in exercitu, sc. vidit.
& 237. Οἷς γὰρ ἂν θεόθεν.   – υ – υ υ | ῠ
Quibus enim divinitus.
& 187. Οὐδὲ γηράσκει.   – υ – – | –
Neque consenescit.
Pind. 2. Ἄλλο θαλπνότερον.   – υ – υ υ | ῠ
Aliud calidius.

II. DIMETRA.

Perfecta, acatalecta.

1. PURA.

Job. 24. 17. כי יכיר בלהות צלמות׃   – υ – υ | – υ – υ
Quum cognoscit quis *terrores*, sunt *lethalis umbra.*
& 41. 19. לא־יבריחנו בן־קשת   – υ – υ | – υ – υ
Non fugat eum sagitta.

Psal. 106. 27. וּלְהַפִּיל זַרְעָם בַּגּוֹיִם - υ - υ | - υ - υ

Et dejectiurum semen eorum in gentibus.

& 72. 12. כִּי־יַצִּיל אֶבְיוֹן מְשַׁוֵּעַ - υ - υ | - υ - υ

Quoniam eripiet egentem vociferantem.

GRÆCA.

Pind. 2.	Μηδ' ὀλυμπίας ἀγῶνα. *Neque Olympico certamen sc. præstantius.*	- υ - υ | - υ - υ
& 108.	Οὔτ' ἐρισφάραγοι λέοντες. *Neque graviter rugientes leones.*	
Soph. 91.	Τοιάδ' ἀνύσαντες ἔργα. *Talia qui perfecerunt facinora.*	
& 136.	Φίλτατον ἔχων πρόσοψιν. *Suavissimum habens aspectum.*	

2. MIXTA.

Job. 14. 4. מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא - υ - - | - υ - -

Quis dabit mundum ex immundo.

Prov. 24. 4. וּבְדַעַת חֲדָרִים יִמָּלְאוּ - υ, υυ - | - υ - -

Et scientiâ penetralia implebuntur.

& 27. 3. וְכַעַס אֱוִיל כָּבֵד מִשְּׁנֵיהֶם υυυ υ, - - | - υ - υ

Et indignatio stulti gravior istis duobus.

GRÆCA.

Pind. 68. Πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων. - υ - - | - υ - -

Ignem spirantium dux equorum.

& 195. Πείθεό μοι ποινὰν τεθρίππων. - υυ, - - | - υ - -

Obsequere mihi, præmium quadrigarum.

& 198. Πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων. υυυ υ, - - | - υ - -

Hostibus viris defunctis.

IMPERFECTA.

1. Defectu Catalectica.

1. PURA.

Prov. 1. 30. נָאֲצוּ כָּל־תּוֹכַחְתִּי - υ - υ | - υ, -

Contemserunt omnem correctionem meam.

Job. 22. 13. וְאָמַרְתָּ מַה־יָּדַע אֵל - υ - υ | - υ, -

Et dixisti, quid nosceret Deus?

Psal. 89. 10. בְּשׂוֹא גַלָּיו אַתָּה תְשַׁבְּחֵם - υ - υ | - υυ -

Quum attollunt se fluctus ejus, tum reprimis eos.

GRÆCA.

Pind. 6.	Μάρτυρες σοφώτατοι. *Testes sapientissimi.*	- υ - υ | - υ, -
Soph. 25.	Εἰ τὰ φροῦδ' ὄλωλε, φίλοι. *Siquidem illa pereunt, amici.*	

2. MIXTA.

Prov. 6. 1. תָּקַעְתָּ לַזָּר כַּפֶּיךָ: - υ - υ | - υυ, -

Complosisti extraneo manum tuam.

& 12. 3. לֹא־יִכּוֹן אָדָם בְּרֶשַׁע - υ - - | - υ, υ

Non stabilitur homo improbitate.

& 10. 31. פִּי צַדִּיק יָנוּב חָכְמָה - υ - - | - υ, -

Os justi abundè profert sapientiam.

& 20. 6. וְאִישׁ אֱמוּנִים מִי יִמְצָא: - υ - - | - υ, -

Virum autem veracem quis inveniat?

& 12. 4. אֵשֶׁת־חַיִל עֲטֶרֶת בַּעְלָהּ - υ, υυυ | υυυυ, -

Uxor strenua corona est mariti sui.

GRÆCA.

Soph. 15. Καὶ βοτῆρας ἱπποκόμους. - υ - υ | - υυ, -

Et pastores equis præfectos.

Pind. 70. Τ' ἐννόμοι Βοιώτιοι. - υ - - | - υ, -

Certaminaque legitima Bœotia.

Soph. 128. Δύο φέρειν ἑνὶ λόγῳ. υυυ - υ | υυυ, -

Ut duo reportares uno sermone.

II. DIMETRA

BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Prov. 29. 22.	אִישׁ־אַף יְגָרֶה מָדוֹן *Iracundus miscet contentionem.*	- υ - υ | - υ
& 14. 17.	וְאִישׁ מְזִמּוֹת יִשָּׂנֵא *Et vir machinationum odio habebitur.*	

GRÆCA.

Pind. 349.	Οἴκοθεν μάτευε. *E domo quære.*	- υ - υ | - υ
Soph. 88.	Προμένους ἄτεκνος. *Expectans, absque liberis.*	

& 90. Ἦν ὁ ταῦτα πράσσων. - υ - υ | - υ

Erat qui ista facit.

2. MIXTA.

Prov. 4. 20. בְּנִי לִדְבָרַי הַקְשִׁיבָה - υ, - υυ | - υ

Fili mi, ad verba mea attende.

& 10. 8. זֵכֶר צַדִּיק לִבְרָכָה υυυ, - υ | - υ

Memoria justi est benedicta.

& 24. 5. וְאִישׁ דַּעַת מְאַמֶּץ־כֹּחַ - υ, υυυ | - υ

Vir sciens fortificat vires.

GRÆCA.

Pind. 2. Ἔλδομαι, φίλον ἦτορ. - υ, - υυ | - υ

Cupio, amicum pectus.

Soph. 25. Ἄν με χειρὶ φονεύσῃ. - υ, - υυ | - υ

Ut me manu interficiat.

Dimetra excessu imperfecta, hypercatalecta.

Psal. 83. 5. וְלֹא־יִזָּכֵר שֵׁם־יִשְׂרָאֵל עוֹד - υ - - | - υ - - | -

Et non memorabitur nomen Israëlis amplius.

Prov. 7. 21. בְּחֵלֶק שְׂפָתֶיהָ תַּדִּיחֶנּוּ: - υ - υ | - υ - υ | -

Blanditiis labiorum suorum impellit eum.

& 10. 9. וּמְעַקֵּשׁ דְּרָכָיו יִוָּדֵעַ - υ - - | - υ - - | υ

Qui pervertit vias suas agnoscetur.

& 21. 6. פֹּעַל אוֹצָרוֹת בִּלְשׁוֹן שָׁקֶר - υ - - | - υ - - | υ

Confecti thesauri linguâ falsitatis.

III. TRIMETRA perfecta, non apparent in poëmatis sacris; sed

Defectu brachycatalecta.

Psal. 136. 12. בְּיָד חֲזָקָה וּבִזְרוֹעַ נְטוּיָה - υ - - - | - υ - | -

Manu robusta & brachio extento.

Prov. 2. 16. מִנָּכְרִיָּה אֲמָרֶיהָ הֶחֱלִיקָה υυυ υ - υ | - υ υ | - υ

Ab extranea quæ dictis suis blanditur.

GRÆCA nec in Pindaro nec in Sophocle comperi, sed catalectica.

Pind. 419. Ἐν τὶν ἔργων ἀλλοτρίων καρδία.

- υ - - | - υ - - | - υ -

Successus in te est operum: neque alieno à laboribus corde.

& 432. Κερδέων δὲ χρὴ μέτρον θηρευέμεν.

- υ - | - υ - - | - υ υ

Lucrorum autem oportet mensuram venari.

Soph. 200. Παιδί τε καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν.

- υ - - | υυυ - υ | - υ -

Filio & Patri nuptiarum consorti, cadere.

ANOMALA.

I. Primo pede spondeo.

1. Monometra, excessu hypercatalecta.

Prov. 10. 6. בְּרָכוֹת לְרֹאשׁ צַדִּיק
Benedictiones capiti justi.
& v. 7. וְשֵׁם רְשָׁעִים יִרְקָב׃ - - - υ | -
Nomen autem improborum putrescet.
& 24. 20. נֵר רְשָׁעִים יִדְעָךְ
Lucerna improborum extinguetur.

GRÆCA.

Pind. 40. Τῶν ὀλυμπία.
Illorum Olympia.
Soph. 104. Ἑλλάνων ἄναξ. - - - υ | -
Græcorum rex.
Ibidem. Ἀμφήκης γένυς. - - - υ | -
Anceps bipennis.

2. DIMETRA PERFECTA.

Prov. 8. 11. כִּי־טוֹבָה חָכְמָה מִפְּנִינִים - - - υ | - υ - -
Quia melior sapientia carbunculis.
& 10. 2. וּצְדָקָה תַּצִּיל מִמָּוֶת׃ - - - υ | - υ - υ
Et justitia eripit à morte.
& 13. 18. רֵישׁ וְקָלוֹן פּוֹרֵעַ מוּסָר - - - - | - υ - -
Paupertas & ignominia averruncantis eruditionem.
& 17. 13. לֹא־תָמוּשׁ רָעָה מִבֵּיתוֹ׃ - - - - | - υ - -
Non recedet malum à domo ejus.
& 23. 21. כִּי־סוֹבֵא וְזוֹלֵל יִוָּרֵשׁ - - - - | - υ - -
Quia ebriosus & comessator pauper fiet.

GRÆCA.

Soph. 189. Τεκνωθέντες ὧν ὄλυμπος. - - - υ | - υ - υ
Prognati: quorum cœlum, &c.
& 218. Τὸν λεύκασπιν ἀργόθεν φῶτα. - - - υ | - υ - υ
Albo scuto Argivum antea.
& 228. Ἱππείῳ γένει πολεύων. - - - υ | - υ - -
Equino genere exercens.

IMPERFECTA

Defectu catalectica.

Prov. 11. 4. לֹא־יוֹעִיל הוֹן בְּיוֹם עֶבְרָה - - - - | - υ -
Non prodest substantia die furoris.
& 28. 27. נוֹתֵן לָרָשׁ אֵין מַחְסוֹר - - - - | - υ -
Et qui dat pauperi, non erit egestas.

GRÆCA.

Soph. 180. Ψυχὰν· ἤτοι τάδ' εἰ κακοῖς. - - - υ | - υ -
Cruciat *animam: & hac siquidem malis,* &c.
& 188. Δυσπότμου χάριν χλιδᾶς. - - - υ | - υ -
Infelicis gratiâ voluptatis.

BRACHYCATALECTA.

Prov. 14. 11. בֵּית רְשָׁעִים יִשָּׁמֵד - - - - υ | - υ
Domus improborum perdetur.

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 6. 22. וּמִכֹּחֲכֶם שִׁחֲדוּ בַעֲדִי׃ - υ - υ | υ υ - υ | -
Et ex facultatibus vestris largimini mihi.

Græca nec brachyc. nec hypercat. apud. Pind. aut Sophoclem invenimus.

II. ANOMALA tertio pede spondeo.

Dimetra perfecta.

Psal. 148. 8. רוּחַ סְעָרָה עֹשָׂה דְבָרוֹ - υ - - | - - - -
Ventus turbinem efficiens verbum ejus.

Prov. 21. 22. עִיר גִּבֹּרִים עָלָה חָכָם - υ - - | - - - -
Civitatem potentium conscendit sapiens.

GRÆCA.

Pind. 59. Ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισαν. - υ - υ | - - - -
Intus vitis bullientem rore.
& 349. Δίκας ἄωτος ἐσλοὺς αἰνεῖν.
Justitiæ flos, probos laudare.
Soph. 254. Ἀλλ' ὑφ' αἱματηραῖς χερσί. - υ - υ | - - - -
Sed à cruentis manibus.
Ibidem. Ἀλλ' ἀκ' ἀπ' ἐκεῖνα μοῖρα.
Sed & in illam fata.

IMPERFECTA.

Defectu catalectica.

Prov. 3. 33. מְאֵרַת יְהוָה בְּבֵית רָשָׁע - υ - - | - - -
Execratio Iova incumbit domui improbi.
& 19. 1. מֵעִקֵּשׁ שְׂפָתָיו וְהוּא כְסִיל - υ - - | - - -
Præ perverso labiis suis, qui est stolidus.
Psal. 78. 48. וּמִקְנֵיהֶם לָרְשָׁפִים׃ - - - | - υ - | - - -
Et pecora eorum prunis ignitis.

GRÆCA.

Soph. 24. Τιν' εἰς ὄνησιν ἀνθρώπων.
Quendam, cum utilitate, hominum.
& 196. Σοὶ ταῦτ' ἀρεσκ' εἴη. - υ - υ | - - -
Tibi autem hæc placeant.
Ibidem. Αἷσι πλεῖστα συμπαίζει.
Quibuscum plerumque ludit.

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Psal. 25. 4. דְּרָכֶיךָ יְהוָה הוֹדִיעֵנִי - υ - - | - - - - | -
Vias tuas Iova notas fac mihi.
Prov. 28. 5. וּמְבַקְשֵׁי יְהוָה יָבִינוּ כֹל - υ - - | - - - - | -
Et quærentes Iovam animadvertunt omnia.
Prov. 8. 19. טוֹב פִּרְיִי מֵחָרוּץ וּמִפָּז - υ - - | - - - υ | -
Melior fructus meus auro, & quidem obryzo.

Græca hujusmodi nondum observata apud Pindarum, nec apud Sophoclem.

Atque hæc de duobus simplicibus carminum generibus prioribus, quæ principali pede dissyllabo constant, jambicis & trochaicis: reliqua duo quæ trisyllabo constant dactylica & anapæstica, ordine explicanda.

CAPUT VIII.

De Carmine Dactylico canones.

1. D*Actylicum mixtum duos secundarios pedes, tempore pares, admittit.*
2. *Prior, per synæresin duarum brevium in longam, est spondeus.*
3. *Posterior contrà, per dialysin longa in duas breves, est proceleusmaticus seu tetrabrachis υυυυ.*
4. *Ordo autem dispositionis eorum est ἀδιάφορος.*
5. *Spondeus autem, non solum promiscuè quovis loco, sed etiam omni loco poni potest.*

Atque inde, *dactylicum ex spondeis, & spondaicum tamen* appellari solet.

CAPUT IX.

Dactylica carmina exemplis parallelis demonstrata.

I. DIMETRA.

Prov. 16. 8. טוֹב מְעַט בִּצְדָקָה - υ υ | - -
Melius est parum cum justitia.

Psal. 83.15. כְּאֵשׁ תִּבְעַר יַעַר -uu|-u

Ut ignis exurit silvam.

& 77.6. שְׁנוֹת עוֹלָמִים

Anni seculorum. --|--

Job. 33.8. וְלֹא עָוֹן לִי

Neque iniquitas mihi.

G R Æ C A.

Soph. 221. Προὔθετο λέσχην.
Indixit colloquium.
& 247. Ὡς φάτις ἀνδρῶν.
Ut sermo est hominum.
& 156. Δείματι πάλλων. -uu|--
Metu tremens.
& 260. Χλωρά τ' ἀκτά.
Viridesque colles.
& 432. Καιρὸς ϗ πλοῦς.
Opportuna navigatio.

IMPERFECTA CATALECTICA.

Psal. 31.5. טָמְנוּ לִי

Absconderunt mihi.

& 56.4. יוֹם אִירָא --|-

Qua *die timebo.*

& 99.3. קָדוֹשׁ הוּא

Sanctum est.

G R Æ C A.

Soph. 105. Οὔτις πω.
Nulla unquam. --|-
& 412. Ὤ μοί μοι.
Hei mihi mihi.

II. T R I M E T R A.

Perfecta pura nondum comperta.

T R I M E T R A perfecta mixta.

Prov. 14.28. וּבְאֶפֶס לְאֹם מְחִתַּת רָזוֹן -uu|-uu|--

At in defectu nationis, contritio dominatoris.

& 16.2. וְתֹכֵן רוּחוֹת יְהוָה --|--|--

At perpendit spiritus Iova.

& 3.2. וְשָׁלוֹם יוֹסִיפוּ לָךְ --|--|--

Et pacem adjicient tibi.

Job. 30.27. מֵעַי רֻתְּחוּ וְלֹא־דָמּוּ -uu|--|--

Viscera mea effervefacta sunt, & non requiescunt.

G R Æ C A.

Pind. 47. Καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις. -uu|-uu|--
Et magnum jusjurandum juratus.
Soph. 84. Ὦ φάος ἁγνὸν ϗ γῆς. -uu|--|--
O lux pura, & terra, &c.
& 131. Ὦ δέμας οἰκτρὸν φεῦ φεῦ. -uu|--|--
O corpus miserabile! heu, heu.

Imperfecta catalectica.

1. P U R A.

Psal. 135.12. וְנָתַן אַרְצָם נַחֲלָה

Et dedit terram ipsorum possessionem.

Prov. 5.6. אֹרַח חַיִּים פֶּן־תְּפַלֵּס -uu|-uu|-

Iter vitæ ne expendas.

& vers. 12. וְתוֹכַחַת נָאַץ לִבִּי׃

Et correctionem sprevit cor meum.

G R Æ C A.

Pind. 63. Αἱ δὲ φρενῶν ταραχαί.
Mentis autem perturbationes.
Soph. 11. Ὦ μεγάλα φάτις, ὦ. -uu|-uu|-
O ingens fama, O.
& 219. Ἀντίτυπος δ' ἐπὶ γᾷ.
Contrario modo in terram, sc. decidit.

2. M I X T A partim cum Dialysi.

Job. 18.13. יֹאכַל בַּדֵּי עוֹרוֹ -uu|--|-u

Comedit vectes cutis ejus.

Prov. 5.14. בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה -|--|--|-

In medio congregationis & cœtus.

& 15.1. וּדְבַר עֶצֶב יַעֲלֶה־אָף׃ -uu|uuuu|-

Verbum verò molestia excitat iram.

G R Æ C A.

Pind. 68. Φαεινὸν ἐς αἰθέρα μιν. uuuu|-uu|--
Lucidum in æthera, ipsam.
Soph. 259. Δηοῦς ἐν κόλποις. --|--|-
Cereris in finibus.
& 409. Γᾶς, ἄσπορον τὰ ἄλλων. -uu|--|-
Terræ, nec semen aliorum.
& 134. Οὔποτε καταλύσιμον. -uu|uuuu|u
Nunquam dissolubile.

III. T E T R A M E T R A.

1. Perfecta.

M I X T A.

Job. 19.7. הֵן אֶצְעַק חָמָס וְלֹא אֵעָנֶה -uu|--|--|-u

En exclamans violentiam, non tamen exaudior.

Psal. 146.4. תֵּצֵא רוּחוֹ יָשֻׁב לְאַדְמָתוֹ --|--|-uu|--

Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam.

Prov. 12.1. אֹהֵב מוּסָר אֹהֵב דָּעַת --|--|--|-u

Qui amat eruditionem, amat scientiam.

G R Æ C A.

Pind. 107. Ἀδυμελῆ κελαδήσω τῶν ἐπι-
ζεφυρείων. |-uu|-uu|--|-uu
*Blandiloquium cantabo, Epi-
zephyriorum, &c.*
Soph. 14. Τοῦ Τελαμῶνος τήλοθεν οἴκου. -uu|--|-uu|--
Filii *Telamonis, procul à patria.*
& 85. Ἀλλ' οὐ μὲν δὴ λήξω θρήνων. --|--|--|--
At non sanè desinam lugere.

2. Imperfecta catalectica.

Prov. 20.24. מֵיְהוָה מִצְעֲדֵי־גָבֶר --|-uu|--|u

A Iova gressus viri.

& 15.29. רָחוֹק יְהוָה מֵרְשָׁעִים --|--|--|-

Procul est Iova ab improbi.

G R Æ C A.

Soph. 86. Ὦ παῖ παῖ δυστανοτάτας.
O filia, filia infelicissima.
& ibidem. Ἠλέκτρα ματρὸς, τίν' ἀεὶ. --|--|-uu|-
Electra matris, quam semper, &c.
& 84. Πολλὰς μὲν θρήνων ᾠδάς. --|--|--|-
Multas quidem lamentationum odas.

IV. Pentametra Sacra.

Perfecta non apparent: sed imperfecta catalectica.

Prov. 17. 5. חֹרֵף לְרָשׁ חֵרֵף עֹשֵׂהוּ -|-|-|--|--|--|--|-

Qui subsannat pauperem, probo afficit opificem ejus.

& 27. 10. טוֹב שָׁכֵן קָרוֹב מֵאָח רָחוֹק -|--|-|-|-|-

Melior est vicinus propinquus fratres longinquo.

Psal. 89. 5. וּבָנִיתִי לְדֹר־וָדוֹר כִּסְאֲךָ -|--|-|-|-|-|uu|-

Et ædificabo in quamque generationem solium tuum.

Græca.

Nondum in Pindaro neque in Sophocle exempla observavimus: sed tale adducit ex Euripidis Phænissis J. Micillus de re metrica pag. 53.

Ἀέριον σκότον ὄμμασι σοῖσι βαλών.

-uu|-uu|-uu|-uu|-

Aëreas tenebras oculis tuis injiciens.

Extat autem edit. Pauli Stephani pag. 366. tom. 1. sed errore typographico, ὄμμασιν.

Exposito jam *tertio Carminum genere*, ad *quartum* accedimus.

Caput X.

De carmine Anapæstico canones.

1. M*ixta anapæstica analoga, duos tantum pedes secundarios, promiscuo ordine recipiunt: & quidem tempore pares.*

2. *Prior est spondeus, per synæresin; seu duarum brevium in longam contractionem: posterior, est proceleusmaticus seu tetrabrachys, per dialysin, seu longa in duas breves dissolutionem.*

3. *Anomala vero sunt, quæ unicum anapæsto contrarium dactylum continent.*

Hæc autem ex sequentibus fient clariora.

Caput XI.

Carmina Anapæstica exemplis parallelis demonstrata.

Ac Primum Analog.

I. Monometra perfecta.

1. Pura.

Prov. 14. 13. גַּם־בִּשְׂחוֹק יִכְאַב־לֵב

Etiam in risu dolet animus.

& 23. 23. אֱמֶת קְנֵה וְאַל־תִּמְכֹּר

Veritatem eme, ac non vendito.

Psal. 116. 8. אֶת־רַגְלִי מִדֶּחִי:

Pedem meum à lapsu.

uu-, uu-|

Græca.

Pind. 206. Δύο δ' ἀμπλακίαι.

Duo autem delicta.

Soph. 15. Ὑποκλῃζομέναν.

Rumoribus sparsam.

uu-, uu-|

2. Mixta.

Prov. 18. 10. מִגְדַּל־עֹז שֵׁם יְהוָה uu-, --|

Turris robusta est Iova.

Psal. 65. 3. שֹׁמֵעַ תְּפִלָּה --u, uu-|

Exaudiens orationem.

Job. 22. 11. וְשִׁפְעַת־מַיִם תְּכַסֶּךָּ uuuuu, uu-|

Et agmen aquarum obteget te.

Græca.

Soph. 10. Βοτὰ καὶ λείαν. uu-, --|

Pecora & prædam.

& 14. Αἴας θολερῷ. --, uu-|

Ajax tumultuoso.

& 37. Ἄφιλα παρ' ἀφίλοις. uuuuu, uu-

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

1. Pura.

Prov. 20. 14. רַע רַע יֹאמַר הַקּוֹנֶה

Malum malum est, ait emptor.

Psal. 106. 39. וַיִּטְמְאוּ בְמַעֲשֵׂיהֶם

Et polluerunt se factis suis.

Ibid. וַיִּזְנוּ בְּמַעַלְלֵיהֶם:

Et scortati sunt actionibus suis.

Psal. 118. 27. עַד־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ:

Usque ad cornua altaris.

uu-, uu-|u

Græca.

1. Pura in Pind. nec Soph. observavimus; sed in aliis.

Euripidis Hecuba edit. P. Stephani tom. 1. pag. 79.

Δορὶ δὴ δορὶ πέρσαν. uu-, uu-|u

Hasta sanè hasta populans.

Et Aristoph. cum Scholiis edit. Basil. Βατράχοις p. 162. & ibi alia plura.

Χόλον ἔνδοθεν ἕξει. uu-, uu-u

Indignationem intus habebit.

Mixta, partim cum dialysi.

Prov. 27. 21. וְאִישׁ לְפִי מַהֲלָלוֹ: --, uu-|-

Est unumquodque secundum præstantissimum suum.

Psal. 78. 66. וַיַּךְ־צָרָיו אָחוֹר uu-, --|-

Et percussit hostes suos retrò.

& 146. 6. אֶת־הַיָּם וְאֶת־כָּל־אֲשֶׁר־בָּם uu-, uuuu|-

Mare & quicquid in eis.

Græca.

Soph. 42. Πὰν ποὰν ἁλίπλαγκτε.

O Pan Pan marine.

& 43. Ὦ Ζεῦ πάρα λευκόν.

O Iupiter, adest candidum, sc. lumen.

--, uu-|u

& 319. Ἐπὶ γύαλον ἐναλίω. uuuuu, uuuu|-

Adlitus, marino, &c.

II. Dimetra perfecta.

1. Pura nec Hebræa, nec Græca sunt observata.

Mixta.

Psal. 35. 13. וַאֲנִי בַּחֲלוֹתָם לְבוּשִׁי שָׂק uu-uu-|--u-

Et mihi ægrotantibus illis, vestis mea cilicium.

& 107. 37. וַיִּזְרְעוּ שָׂדוֹת וַיִּטְּעוּ כְרָמִים uu--|uu--

Et conserant agros, plantentque vineas.

Græca.

Soph. 84. Ὅσα τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ. uu--, --|uu--

Quam infelicem meum lugeam.

& 247. Ἡμεῖς δὲ βροτοὶ καὶ θνητοφυεῖς. --uu-|--uu-

Nos autem mortales & nati mortalibus.

Imperfecta catalecta.

1. Pura.

Job. 19. 21. חָנֻּנִי חָנֻּנִי אַתֶּם רֵעָי uu-uu-|uu-, u

Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei.

Græ-

GRÆCA.

Pind. 6. Ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι. υυ-υυ|υυ-,-
Ad domum Iovis transferre.

Soph. 89. Ὑπεράχθεο, μήτ' ἐπίλαθε. υυ-υυ-|υυ-,-
Valde succenseas, neque obliviscaris.

2. MIXTA.

Prov. 22.8. זֹרֵעַ עַוְלָה יִקְצָר־אָוֶן --υυ-|υυ-, υ-
Qui seminat iniquitatem, metet molestiam.

& 17.13. מֵשִׁיב רָעָה תַּחַת טוֹבָה ----|υυ-, υ
Qui reddit malum pro bono.

Psal. 11.7. יָשָׁר יֶחֱזוּ פָנֵימוֹ --υυ-|--,-
Rectum aspicit vultus ipsius.

GRÆCA.

Soph. 14. Ὡς' ἐκ ἂν αἰδὲις ὑπεῖποι. --υυ-|υυ-,-
Adeo ut non ignara loquaris.

& 85. Λύπης ἀντίῤῥοπον ἄχθος. ----|υυ-, υ
Tristitia ingravescens onus.

Dimet. Brachycatalecta.

1. PURA.

Prov. 21.26. כָּל־הַיּוֹם הִתְאַוָּה תַאֲוָה *Totum diem afficitur desiderio.* Psal. 37.4. וְיִתֶּן־לְךָ מִשְׁאֲלֹת לִבֶּךָ *Et dabit tibi petitiones cordis tui.* & 74.14. תִּתְּנֶנּוּ מַאֲכָל לְעָם לְצִיִּים *Das eum in cibum, populo deserticolis.*	υυ-υυ-|υυ-

Græca pura non occurrunt, nec in Pind. neque in Sophocle.

2. MIXTA.

Job. 27.4. אִם־תְּדַבֵּרְנָה שְׂפָתַי עַוְלָה υυ---|υυ-
Si loquutura sunt labia mea iniquitatem,

Prov. 12.13. בְּפֶשַׁע שְׂפָתַיִם מוֹקֵשׁ רָע υυ-υυ-|--
In defectione labiorum est tendicula mali.

& 21.27. זֶבַח רְשָׁעִים תּוֹעֵבָה υυ-υυ|--
Sacrificium improborum abominationi est.

& 27.2. יְהַלֶּלְךָ זָר וְלֹא־פִיךָ υυ---|--
Laudet te extraneus, non vero os tuum.

GRÆCA.

Pind. 112. Ὑπερελθόντων ἱερῶς. υυ---|υυ- *Superantium sacris.* Soph. 84. Ἰσόμοιρος ἀὴρ, ὥς μοι. *Æqualis aër: quam mihi, &c.* & 85. Στυγεραί τε γόων, ἕς' ἂν. *Molestosque luctus, donec, &c.* & 259. Πολυώνυμε Καδμείας. *Bacche Kadmea.*	υυ-υυ-|-

Excessu imperfecta, hypercatalecta.

MIXTA.

Prov. 17.28. גַּם אֱוִיל מַחֲרִישׁ חָכָם יֵחָשֵׁב υυ-υυ-|--|-
Etiam stultus siliens, sapiens reputatur.

& 25.24. מֵאֵשֶׁת מִדְיָנִים וּבֵית חָבֶר: --υυ-|---|υ
Quam muliere contentiosa, & domo communi.

GRÆCA.

Pind. 202. Ὕμμιν τόδε τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θηβᾶν.
--υυ-|υυ-υυ-|-
Vobis hoc fertilibus à Thebis.

& 208. Δελφῖνα καὶ ὑψιφρόνων τιν' ἔκαμψε.
--υυ-|υυ-υυ-|υ
Delphina: & magnanimorum quendam depressit.

ANOMALA, Dactylo pro anapæsto.

DIMETRA.

Psal. 145.10. יוֹדוּךָ יְהוָה כָּל־מַעֲשֶׂיךָ ----|-υυ, υυ-
Celebrent te Iova omnia opera tua.

GRÆCA.

Soph. 85. Ἣ μοι φέρεται, σύ πάτερ ὅτως. --υυ-|-υυ,--
Quam à me præstatur: te, ô pater, ita, &c.

Ibidem. Οὐ τεκνολέτειρ' ὥς τις ἀηδών. --υυ-|-υυ,--
Non ut quæ liberos amisit luscinia.

Atque hoc modo egimus de quatuor primis carminum generibus, quæ simplicibus constant pedibus: partim dissyllabis, ut Jambica & Trochaica: partim trisyllabis, ut Dactylica & Anapæstica. Consequens est, ut de reliquis quinque similiter agamus: quæ ex compositis pedibus constant.

CAPUT XII.

De carmine choriambico canones.

1. *Choriambicum mixtum, est quod alios etiam pedes, præter choriambum, recipit.*

2. *Analogum autem est, quum illi sunt consentanei, vel primi pedis illius mutatione, vel extrema syllaba longa dialysi.*

3. *Mutatio autem est, quum pro trochæo (prima choriambi parte) jambus ponitur vel spondeus: ita ut sit jambica syzygia, loco choriambi.*

4. *Dialysis verò extrema syllaba longa est, quum vel altera tantum, vel utraque in duas breves dissolvitur.*

5. *Anomalum verò est, quum pedes illi sunt dissentanei.*

6. *Tales autem sunt, Trochaica syzygia, Epitritus primus υ--- aut quartus ---υ Antispastus, & pæon primus -υυυ, aut quartus υυυ-.*

Ob quam anomaliam, *Epichoriambica carmina* appellantur.

CAPUT XIII.

Carmina choriambica exemplis parallelis demonstrata.

PRIMUM ANALOGA.

I. MONOMETRA.

1. Perfecta.

Psal. 153.4. אֵין גַּם־אֶחָד: -υυ-
Nec est vel unus.

Lam. 3.52. אֹיְבַי חִנָּם: -υυ-
Inimici mei immeritò.

GRÆCA.

Soph. 118. Τακομένας. *Dolore confecta.* Ibidem. Ἦν. ὅς γ' ἔτ' ἦν. *Est. nam qui etiam erat.*	-υυ-

2. Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 36.6. לֹא־יְחַיֶּה רָשָׁע *Non servat vitam improbo.* Psal. 75.3. כִּי אֶקַּח מוֹעֵד *Quum excepero conventum.* Prov. 31.2. וּמַה בַּר־נְדָרָי *Et quid fili votorum meorum.*	-υυ|-

GRÆCA.

Soph. 218. Ὡς, ὑπερέπτα. *Veluti, involabat.* & 245. Φύξιμος οὐδείς. *Effugit nullus.*	-υυ-|-

 II. DI-

II. Dimetra perfecta.

1. Pura.

Job. 15.29. וְלֹא־יִטֶּה לָאָרֶץ מִנְלָם -υυ-|-υυ-|-υυ-

Neque extendetur per terram plenitudo ipsorum.

Prov.12.3. וְשֹׁרֶשׁ צַדִּיקִים בַּל־יִמּוֹט -υυ-|-υυ-

Et radix justorum non dimovebitur.

& 16.5. תּוֹעֲבַת יְהוָה כָּל־גְּבַהּ־לֵב -υυ-|-υυ-

Abominationi est Iovæ omnis altus animo.

Græca.

Pind. 269. Ὦ θεόμοιρ' ἀρκεσίλα. -υυ-|-υυ-

O sortem divinitus adepte Arcesila.

Soph. 67. Κεῖνος ἀνὴρ ὃς συγερῶν.

Ille vir qui tristium.

Ibid. Δύσμορος οὔτ' ἐννυχίαν.

Infelix, neque nocturnam.

-υυ-|-υυ-

2. Mixta.

Psal.115.5. עֵינַיִם לָהֶם וְלֹא יִרְאוּ -υυ-|-υ-υ-

Oculi eis, sed non vident.

Prov.11.8. צַדִּיק מִצָּרָה נֶחֱלָץ -υ-υ-|-υυ-

Justus ex angustia liberatur.

Ibid. 10. וּבַאֲבֹד רְשָׁעִים רִנָּה׃ -υυ-|--υ-

Quum pereunt improbi, cantus est.

Prov. 10.9. הוֹלֵךְ בַּתֹּם יֵלֶךְ בֶּטַח -υ--|-υυυ

Ambulans in integritate, ambulat securè.

Job.31.18. וּמִבֶּטֶן אִמִּי אַנְחֶנָּה -υυυυ|-υυ-

Et ab utero matris meæ reportavi eam, sc. escâ.

Græca.

Soph. 245. Ἔρως ἀνίκατε μάχαν. υ-υ-|-υυ-

Amor invicte prælio.

& 67. Τεγξόμενος κόμας λυγρᾶς. -υυ-|υ-υ-

Madefactus coma lugubri.

& 33.5. Οὕτω δὲ τὸν καδμογενῆ. --υ-|-υυ-

Sic Thebanum Herculem. Schol.

Imperfecta.

I. Defectu Catalectica.

1. Pura.

Prov. 22.8. וְשֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ יִכְלֶה -υυ-|-υυ

Et virga furoris sui deficiet.

Psal. 18.23. כִּי כָל־מִשְׁפָּטָיו לְנֶגְדִּי -υυ-|-υυ

Quum omnia judicia ejus in conspectu meo.

Græca.

Pind. 3. Φέρτερον αὐδάσομεν. -υυ-|-υυ

Præstantius dicemus.

αὐτί-

& 7. κα φθονερῶν γειτόνων. -υυ|-υυ

Statim ex invidis vicinis.

Soph. 117. Πᾶ φαέθων ἅλιος. -υυ-|-υυ

Ubi lucens sol?

2. Mixta.

Psal.115.8. כְּמוֹהֶם יִהְיוּ עֹשֵׂיהֶם -υυ-|--,υ

Similes iis erunt qui faciunt ipsa.

Græca.

Pind. 39. Λαμνιάδων γυναικῶν. -υυ-|υ-υ

Lemniacarum mulierum.

Soph.196. Καὶ κατὰ γνώμαν ἴδρις. -υυ-|-υυ

Et consilii gnarus.

& 159. Θρηΐκιον κλύδωνα. -υυ-|υ-υ

Brachycatalecta.

1. Pura.

Prov.16.24. צוּף־דְּבַשׁ אִמְרֵי־נֹעַם -υ-υυ-|-υ

Ut favus mellis, sermones amœni.

Psal.49.17. כִּי־יִרְבֶּה כְּבוֹד בֵּיתוֹ -υυ-|-υ

Quum augebitur gloria domestica ejus.

Græca.

Soph. 120. Ἄσκοπος ἃ λώβα.

Inopinatum damnum.

& 410. Μηλιάδων νυμφᾶν.

Meliensium nympharum.

-υυ-|-υυ

2. Mixta.

Job. 18.5. וְלֹא יִגַּהּ שְׁבִיב אִשּׁוֹ

Neque splendebit scintilla ignis ejus.

Prov.31.15. וְחֹק לְנַעֲרֹתֶיהָ׃

Et pensum puellis suis.

-υυ-|υ-

Græca.

Pind. 201. Δαιμονίας τροφοί.

Divinæ alumnæ.

Soph. 119. Εἴδομεν ἃ θροεῖς.

Novimus quid vocifereris.

& 424. Καὶ τὸν ἄνουν θροεῖν.

Et desipientem vociferari.

-υυ-|υ-

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

1. Pura.

Prov. 15.9. תּוֹעֲבַת יְהוָה דֶּרֶךְ רָשָׁע

Abominationi est Iova via improbi.

& 18.15. וְאֹזֶן חֲכָמִים תְּבַקֶּשׁ־דָּעַת׃

Et auris sapientum quæret scientiam.

& 22.4. עֵקֶב עֲנָוָה יִרְאַת יְהוָה

Præmium mansuetudinis, reverentia Iovæ.

-υυ-|-υυ-|-

Græca.

Soph. 67. Καὶ βελέων θούριος Αἴας.

Contraque tela bellicosus Ajax.

Ibidem. Νεῖμεν ἐμοὶ τέρψιν ὁμιλεῖν.

Concedebat mihi, voluptatem participare.

-υυ-|-υυ-|-

Mixta.

Ac partim cum Dialysi.

Prov. 11.1. מֹאזְנֵי מִרְמָה תּוֹעֲבַת יְהוָה --υ-|-υυ-|-

Lances dolosæ abominationi sunt Iovæ.

& 29. 2. בִּרְבוֹת צַדִּיקִים יִשְׂמַח הָעָם υ-υ-|-υυ-|-

Quum augentur justi, lætatur populus.

& 20.13. אַל־תֶּאֱהַב שֵׁנָה פֶּן־תִּוָּרֵשׁ υυυ-|-υυ-|-

Ne diligito somnium, ne efficieris pauper.

& vers.18. וּבְתַחְבֻּלוֹת עֲשֵׂה מִלְחָמָה -υυυ-|υ-υ-|-

Et prudentibus consiliis gere bellum.

Psal.89.49. מִי גֶבֶר יִחְיֶה וְלֹא יִרְאֶה־מָּוֶת -υυυυ|-υυ-|υ

Quis vir erit, qui non experiatur mortem?

Græca.

Pind. 108. Ἐμφυὲς, οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ. -υυ-|--υ-|-

Naturâ insitum, neque ardens vulpes.

& 288. Κρατεῖ τιθεὶς ὕβριν ἐν ἄντλῳ. υ-υ-|-υυ-|-

Robori: ponis insolentiam in sentina.

Soph. 245. Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις. υ-υ-|-υυ-|-

Amor, qui irruis in opes.

& 66. Τίς ἄρα νέατος ἐς ποτὲ λήξει. υυυυ υυ|-υυ-|-

Quis ultimus tandem finiet.

Trimetra perfecta, nec Heb. nec Græca observata.

Imper-

IMPERFECTA.

Defectu

1. CATALECTICA.

Psal. 96.5. כִּי כָּל־אֱלֹהֵי הָעַמִּים אֱלִילִים -υυ-|-υ-|υ-υ

Nam omnes dii populorum idola.

GRÆCA.

Soph.136. Ἂς ἐγὼ οὐδ' ἂν ἐν κακοῖς λαθοίμαν. -υυ-|υ-υ-|υ-υ

Cum ego ne in ærumnis quidem oblivìscerer.

2. BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Prov. 20.23. תּוֹעֲבַת יְהוָה אֶבֶן וָאָבֶן -υυ-|-υυ-|-υ

Abominationi Iova, diversa pondera.

GRÆCA.

Soph. 188. Μήποτε λῦσαι· θεὸν αἰτοῦμαι. -υυ-|-υυ-|υ-υ

Nunquam dissolvere: Deum precor,

& 187. Μὴ ποτε λάθα κατακοιμάσῃ. -υυ-|-υυ-|-υ

Quidem nunquam oblivione sopietur.

2. MIXTA.

Prov.23.13. כִּי־תַכֶּנּוּ בַשֵּׁבֶט לֹא יָמוּת׃ -υυ-|υ-υ-|υ

Quum percusseris eum virgâ, non morietur.

GRÆCA.

Soph.127. Τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους. υ-υ-|-υυ-|υ-

Quid, quod illos in superioribus sapientissimos?

Ibidem. Ὅτι σφίσ' ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων. υ-υ-|-υυ-|υ-

Quod ipsis jam quà domestica.

ANOMALA, seu EPICHORIAMBICA

Dimetra primum perfecta acatalecta.

1. Ex pæone primo vel quarto.

Job. 37.20. הַיְסֻפַּר לוֹ כִּי אֲדַבֵּר

An enarrabitur ei, quum loquar.

Psal.116.10. הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר υυυ-|-υυ-

Credidi, adeo ut loquutus sim.

Prov.27.3. כֹּבֶד אֶבֶן וְנֵטֶל הַחוֹל -υυυ|-υυ-

Gravitas lapidis, & pondus arenæ.

GRÆCA.

Soph. 200. Ἰαχέων ἐκ στομάτων. υυυ-|-υυ-

Rugiente ore.

Pind. 278. Κρέσσονα μὲν ἀλικίας. -υυυ|-υυ-

Præstantiorem quidem ætate.

2. Ex epitrito primo.

Job.16.11. יַסְגִּירֵנִי אֵל אֶל עֲוִיל υ---|-υυ-

Dedidit me Deus iniquo.

Psal. 89.5. עַד־עוֹלָם אָכִין זַרְעֶךָ υ---|-υυ-

Usque in seculum stabiliam semen tuum.

Job. 8.2. וְרוּחַ כַּבִּיר אִמְרֵי־פִיךָ׃ -υυ-|υ---

Et ventus validus sermones oris tui.

GRÆCA.

οὐ-

Soph. 335. δ' ὁ πάντων κραίνων βασιλεύς. υ---|-υυ-

Neque qui omnibus præest rex.

3. E quarto epit. |---υ

Psal. 77.21. נָחִיתָ כַצֹּאן עַמֶּךָ ---υ|-υυ-

Duxisti ut gregem populum tuum.

GRÆCA.

Pind. 359. Δὶς τόσσους. ἀπειρομάχας. ---|-υυ-

Bis tot. Inexpertus belli.

4. Ex Syzygia trochaica.

Prov. 6.1. תָּקַעְתָּ לַזָּר כַּפֶּיךָ -υ-υ|υυ-

Complosisti extraneo volas tuas.

29.27. וְתוֹעֲבַת רָשָׁע יְשַׁר־דָּרֶךְ -υυ-|-υ-υ

Et abominationi improbo rectus via.

& 15.9. וּמְרַדֵּף צְדָקָה יֶאֱהָב׃ -υ--|-υυ-

Et eum qui sectatur justitiam diliget.

& vers. 26. תּוֹעֲבַת יְהוָה מַחְשְׁבוֹת רָע -υυ-|-υ-

Abominationi sunt Iovæ cogitationes mali.

GRÆCA.

Pind. 111. Ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμό- --υ-υ|-υυυ
τροπος.

Firma justitia & iisdem moribus.

μη-

& 115. νὸς τὲ οἱ τωὐτοῦ, κραναᾶς. -υ--|-υυ-

Menseque eodem, asperis, &c.

& 312. Ἀγλαΐαις ἀπτόμεθα. -υυ-|-υ-υ

Splendores attingimus.

Soph. 237. Οὐδὲν ἐλλείπει γονεᾶς: -υ--|-υυ-

Nihil deficit, generis, &c.

& 67. Τέρψιν ἰαύειν ἐρώτων. -υυ-|-υ--

In voluptate pernoctare amorum.

5. Ex Antispasto.

Job. 12.5. לַפִּיד בּוּז לְעַשְׁתּוּת שַׁאֲנָן

Tæda contempta est *ad cogitationem tranquilli.*

& 19.8. אָרְחִי גָדַר וְלֹא אֶעֱבוֹר υ--υ|-υυ-

Viam meam sepsit, ut non transeam.

Psal.88.15. תַּסְתִּיר פָּנֶיךָ מִמֶּנִּי

Absconde faciem tuam à me.

GRÆCA.

Soph.218. Ἔβα πρὶν τοῦθ' ἁμετέρων. υ--υ|-υυ-

Abiit, antequam nostris.

Secundo dimetra imperfecta.

Excessu, HYPERCATALECTA.

Prov.25.16. הֹקַר רַגְלְךָ מִבֵּית רֵעֶךָ -υυ|υ--υ|-

Pretiosum habeas pedem tuum a domo socii tui.

& 16.28. אִישׁ תַּהְפֻּכוֹת יְשַׁלַּח מָדוֹן -υυυ|υ-υ-|-

Vir perversitatum immittet contentionem.

& 6.3. לֵךְ הִתְרַפֵּס וּרְהַב רֵעֶיךָ׃ -υυ-|-υ-υ|-

Age, subjice te, & interpella proximum tuum.

GRÆCA.

Pind. 21. Τὸν δ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον. -υ-υ|-υυ-|υ

Hanc habet jucundam sortem.

Soph. 158. Ὁρμώμενον ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου. -υυ-|-υ-υ|-

Ruentem ad littus obscuri, sc. Plutonis.

Atque hæc de *Choriambicis*: quibus *Ionicorum* explicationem cum generalem, tum specialem subjiciemus.

CAPUT XIV.

De carmine Ionico, canones generales.

1. *Ionicum carmen mixtum est, in quo, promiscuo ordine, diversa syzygia adhibetur.*

2. *Analogum quidem; quod (ut pedes ionico consentaneos) habet trochaicam syzygiam: vel certum pæonem.*

3. *Anomalum est, quod dissentaneos habet pedes, pro ionico jambicam syzygiam.*

Unde *Epionicum*, à metricis scriptoribus, dici solet.

CAPUT XV.

De carmine ionico à majori, canones speciales.

1. I*Onicum à majori mixtum, est quod loco ionici, pæonem secundum* ∪-∪∪ *recipit.*

Quomodo prima longa, in brevem mutatur.

2. *Mixtum verò anomalum Græcum est, quum pro ionico à majori pæon primus collocatur: Hebræum verò nondum compertum.* Græci exemplum, Soph. pag. 91. ut Dom. Triclin. ibid. 441. B. observavit.

CAPUT XVI.

Carmina Ionica à majori, exemplis paralleli demonstrata.

Primum ANALOGA.

I. MONOMETRA.

1. ACATALECTA.

Psal. 44. 2. בִּימֵי קֶדֶם --∪∪

Temporibus antiquitatis.

Græca nondum observavimus.

3. HYPERCATALECTA.

Psal. 40. 6. עָצְמוּ מִסַּפֵּר; *Numerosiora sunt quam ut enarrentur.* --∪∪|-

& 116. 2. וּבְיָמַי אֶקְרָא׃ *Et diebus meis invocabo.*

GRÆCA.

Pind. 216. Φῆρ' ἀγρότερον. *Feram agrestem.* --∪∪|-

Soph. 66. Ἄταν ἐπάγων. *Calamitatem inducens.*

II. DIMETRA.

Perfecta acatalecta.

1. PURA.

Prov. 17. 19. אֹהֵב פֶּשַׁע אֹהֵב מַצָּה *Diligit defectionem qui diligit jurgium.*

& 13. 20. הוֹלֵךְ אֶת־חֲכָמִים יֶחְכָּם *Qui ambulat cum sapientibus, sapiens fiet.* --∪∪|--∪∪

& 20. 9. מִי יֹאמַר זִכִּיתִי לִבִּי *Quis dicet? purificavi animum meum.*

GRÆCA.

Pind. 31. Αἰτωλὸς ἀνὴρ ὑψόθεν. *Ætolus vir supernè.* --∪∪|--∪∪

& 431. Τὸν δ' αὖ καταμεμφθέντ' ἄγαν. *Alium autem rursus, conquestum valdè.*

2. MIXTA.

Prov. 24. 21. יְרָא אֶת־יְהוָה בְּנִי וָמֶלֶךְ -∪--|--∪∪

Reverere Iovam, fili mi, & Regem.

Psal. 69. 24. וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד׃ -∪-∪|--∪∪

Et fac ut lumbi eorum jugiter nutent.

GRÆCA.

Soph. 196. Προσπελαθεῖσα, ἢ σέ γε. -∪--|--∪∪

Congressa, ante, &c.

& 38. Ἥκων γενεᾶς ἀείστος. --∪∪|-∪-∪

Progressus è genere præstantissimus.

IMPERFECTA.

Defectu.

CATALECTICA.

1. Pura.

Prov. 7. 27. יֹרְדוֹת אֶל־חַדְרֵי מָוֶת *Descendentes ad penetralia mortis.* --∪∪|--∪

& 20. 27. חֹפֵשׂ כָּל־חַדְרֵי בָטֶן *Pervestigat omnia penetralia ventris.*

Psal. 51. 5. כִּי־פְשָׁעַי אֲנִי אֵדָע *Nam defectiones meas ego agnosco.*

Græca nondum observata sunt.

2. MIXTA.

Prov. 5. 23. וּבְרֹב אִוַּלְתּוֹ יִשְׁגֶּה׃ --∪∪|-∪∪

Et in amplitudine stultitiæ suæ oberrabit.

GRÆCA.

Soph. 159. Ἀκτὰν παρὰ βώμιον. --∪∪|-∪∪

In littore ubi altaria.

Pind. 285. Ναίων ὀνυμάζομαι. --∪∪|-∪-

Habitans nominabo.

BRACHYCATALECTA.

Prov. 15. 15. וְטוֹב לֵב מִשְׁתֶּה תָמִיד --∪∪|--

Et lætus animo convivium juge.

& 16. 1. לְאָדָם מַעַרְכֵי־לֵב --∪∪|--

Penes hominem dispositiones cordis.

GRÆCA.

Pind. 38. Οὐ ψεύδει τέγξω. *Non mendacio tingam.* --∪∪|--

Soph. 117. Κρύπτουσιν ἕκηλοι. *Dissimulant quieti.*

& 137. Σεισθῇ δόμος ἄτας. *Mota fuerit domus, calamitatis, &c.*

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

1. PURA.

Prov. 16. 22. וּמוּסַר אֱוִלִים אִוֶּלֶת --∪∪|--∪∪|∪

At eruditio stultorum stultitia.

GRÆCA.

Pind. 47. Ὀφθαλμὸν ἐμᾶς ἀμφότερον. --∪∪|--∪∪|∪

Oculum mei, sc. exercitus, utrumque.

Soph. 173. Ἢ τοῦ πολύβου νεῖκος ἐκεῖ. -|--|--∪∪|-

Aut ipsi Polybi, sc. filio, contentio fuerit.

2. MIXTA.

Psal. 143. 2. כִּי לֹא־יִצְדַּק לְפָנֶיךָ כָל־חָי׃ --∪∪|-∪-∪|-

Quia non erit justus coram te ullus vivens.

Psal. 90. 5. בַּבֹּקֶר כֶּחָצִיר יַחֲלֹף ∪-∪∪|--∪∪|-

Ipso mane ut fœnum transibit.

GRÆCA.

Pind. 11. Ἆθλος δ' ὑποκείσεται τὺ δὲ. --∪∪|-∪-∪|∪

Certamen quidem subibitur, tu verò.

& 285. Προοίμιον ἀλκμαιονιδᾶν. ∪-∪∪|--∪∪|-

Procemium Alcmaonidarum.

Soph. 160. Τάς τε πυρφόρους ἀρτέμιδος. -∪-∪|--∪∪|∪

Igneosque Dianæ.

Ibidem. Γᾶς οἴνοπα βάκχον εὔιον. --∪∪|-∪-∪-|∪

Cognomen *terræ vinosum Bacchum Evium.*

III. TRIMETRA.

BRACHYCATALECTA.

Psal. 107. 6. וַיִּצְעֲקוּ אֶל־יְהוָה בַּצַּר לָהֶם ∪∪∪-∪|--∪∪|-∪

Et clamaverunt ad Iovam in oppressione sua.

GRÆ-

GRÆCA.

Pind. 37. Ὑψηλοτάτων μάρτυρ' ἀέθλων. --υυ | --υυ | --
Altissimorum testem certaminum.

Secundo *anomala* seu *Epionica à majori.*

Dimetra acatalectica.

Prov. 10. 5. אֹגֵר בַּקַּיִץ בֵּן מַשְׂכִּיל --υυ | υ-υ-
Congregat in æstate filius intelligens.

GRÆCA.

Pind. 19. Ἐσθλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων.
Bonis enim à gaudiis.
& 20. Ζώει μὲν ἐν ὀλυμπίοις.
Vivit quidem inter cœlestes.
Soph. 204. Τλάμων. τί γὰρ ἔδει μ' ὁρᾶν;
Miser. quid enim necesse erat, me videre. --υυ | υ-υ-

CAPUT XVII.

De carmine ionico à minori, canones speciales.

1. *Ionicum à minori mixtum analogum est, in quo pro ionico pede, pæon tertius* υυ-υ *ponitur.*
2. *Anomalum verò est, quod pro ionico, epitritum primum,* υ--- (*& apud Græcos etiam pæonem primum* -υυυ) *recipit.*

CAPUT XVIII.

Carmina ionica à minori, exemplis parallelis demonstrata.

PRIMUM ANALOGA.

I. MONOMETRA.

Perfecta acatalecta.

Deut. 32. 24. וְקֶטֶב מְרִירִי
Excidio amaro.
Prov. 8. 32. וְאַל־תִּפְרָעוּ
Et ne vos abstrahite. υυ | --

GRÆCA.

Soph. 117. Ἒ ἒ, αἶ αἶ. υυ--
He he, hei hei.
& ibid. Ἀπολεῖς με υυ-υ
Perdis me.

Excessu imperfecta, hypercatalecta.

Psal. 30. 7. בַּל־אֶמּוֹט לְעוֹלָם
Non dimovebor in seculum.
& 77. 7. וַיְחַפֵּשׂ רוּחִי:
Et perscrutatur spiritus meus.
& 144. 7. מִיַּד בְּנֵי נֵכָר
E manu alienigenarum. υυ-- | -

GRÆCA.

Soph. 277. Τὸ δ' ἀκούσομεν.
Tum etiam audiamus.
& 422. Ἔχε δύσφημον.
Inhibe ominosam, sc. *imprecationem.* υυ-- | υ

II. DIMETRA.

Perfecta acatalecta.

1. PURA.

Job. 30. 14. כְּפֶרֶץ רָחָב יֶאֱתָיוּ
Quasi irruptione lata invadunt.
Psal. 50. 23. אַרְאֶנּוּ בְּיֵשַׁע אֱלֹהִים:
Faciam ut videat salutem Dei. υυ-- | --υυ

Prov. 27. 7. נֶפֶשׁ רְעֵבָה כָּל־מַר מָתוֹק:
Anima famelica omne amarum dulce est. υυ-- | --υυ

GRÆCA.

Pind. 260. Βοέοις δῆσεν ἀνάγκας.
Bubulis religavit necessitates, &c.
Soph. 173. Κρίσις οὐκ ἔστιν ἀληθής.
Sententia non est vera. υυ-- | υυ--

2. MIXTA partim cum Dialysi.

Job. 41. 2. תַּחַת כָּל־הַשָּׁמַיִם לִי־הוּא: υυυυ- | υυ--
Quod subest toti cælo, meum est.
Psal. 103. 4. הַמְעַטְּרֵכִי חֶסֶד וְרַחֲמִים: υυ-- | υυυυ-
Qui cingit te benignitate & misericordia.
Prov. 20. 30. חַבֻּרוֹת פֶּצַע תַּמְרוּק בְּרָע υυ-υ | υυ--
Tumices vulneris, abstersio pro malo.
& 15. 19. דֶּרֶךְ עָצֵל כִּמְשֻׂכַת חָדֶק υυ-- | υυυ,-υ
Via pigri veluti sepimentum spina.

GRÆCA.

Pind. 239. Πυκινὰν μῆτιν κλύοντες. υυ-- | -υ-υ
Tutum consilium audientes.
& 231. Διὸς αἰετῶν πάρεδρος. υυ-υ | -υ-υ
Iovis aquilarum assessor.

IMPERFECTA.

Defectu.

CATALECTICA.

1. PURA.

Prov. 14. 26. בְּיִרְאַת יְהוָה מִבְטַח עֹז.
In reverentia Iovæ est fiducia valida.
& 18. 23. תַּחֲנוּנִים יְדַבֶּר־רָשׁ
Supplicationes eloquetur pauper.
& 26. 20. בְּאֶפֶס עֵצִים תִּכְבֶּה־אֵשׁ
Deficientibus lignis extinguetur ignis. υυ-- | υυ-

GRÆCA.

Pind. 67. Φανερὰν ἐν πελάγει.
Manifestam in pelago.
& 383. Κρονίου παρ' τεμένει.
Apud Saturnii delubrum.
Soph. 24. Γένος οὔθ' ἀμερίων.
Genus, neque mansuetorum. υυ-- | υυ-

2. MIXTA.

Prov. 8. 10. וְדַעַת מֵחָרוּץ נִבְחָר
Et scientiam præ auro lectissimo.
& 14. 27. יִרְאַת יְהוָה מְקוֹר חַיִּים
Et reverentia Iovæ scaturigo vitæ. υυ-- | -υ-

GRÆCA.

Pind. 69. Τόθι λύτρον συμφορᾶς. υυ-- | -υ-
Ibi lytrum calamitatis.
Soph. 188. Θεὸν οὐ λήξω ποτέ. υυ-- | -υυ
Deum non desinam unquam. sc. habere præsidem.
& 187. Μέγας ἐν τούτοις θεός. υυ-- | -υ-
Magnus in his Deus.

BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Psal. 50. 13. וְדַם עַתּוּדִים אֶשְׁתֶּה: υυ-- | υυ
Et sanguinem hircorum bibam?
Prov. 19. 23. יִרְאַת יְהוָה לְחַיִּים
Reverentia Iovæ ad vitam facit.

Prov. 11.23. תִּקְוַת רְשָׁעִים עֶבְרָה׃
Expectationi improborum furor obvenit.
& vers. 25. נֶפֶשׁ־בְּרָכָה תְדֻשָּׁן
Anima benefica pinguis reddetur.
uu--|uu

GRÆCA.

Pind. 313. Ἐπὶ τόσαις θεῷ. uu--|uu
Tam multis Deo.
Soph. 278. Τίνος εἶ σπέρματος.
Cujus es seminis?
& 424. Ἀπόλωλ' ὦ τάλας.
Perii, ô infelix.
uu--|uu

2. MIXTA.

Prov. 30.32. וְאִם־זַמּוֹתָ יָד לְפֶה uu--|u-
Et si machinatus es, manuum ori imponito.
& 28. 29. הַכֵּר־פָּנִים לֹא טוֹב uu--|-u
Agnoscere personam non est bonum.

Græca nec in Pind. nec in Soph. observata.
Imperfecta excessu Hypercatalectica.

1. PURA.

Psal. 47. 3. מֶלֶךְ גָּדוֹל עַל־כָּל־הָאָרֶץ
Rex magnus super totam terram.
& 105.44. וַיִּתֵּן לָהֶם אַרְצוֹת גּוֹיִם
Et dedit eis regiones gentium.
Job. 38.17. הֲנִגְלוּ לְךָ שַׁעֲרֵי־מָוֶת
An revelatæ sunt tibi portæ mortis?
uu--|uu--|u

Græca pura nondum observata.

2. MIXTA partim cum dialysi.

Prov. 1.24. יַעַן קָרָאתִי וַתְּמָאֵנוּ |uu--|-u--|-
Quia clamavi, & renuistis.
& 25.25. מַיִם קָרִים עַל־נֶפֶשׁ עֲיֵפָה |uu--|uuuu-|-
Aqua frigida erga animam fessam.

GRÆCA.

Pind. 125. Ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ. |uu--|-u-u|-
Dispensatrices operum in cœlo.
Soph. 160. Τε κικλήσκω τᾶς δ' ἐπώνυμον.
Et invoco huic cognominem.
& 158. Ὄλλυται' νηλέα δ' γένεθλα. -u--|uuuu-|-
Perit: sæva autem progenies.

III. TRIMETRA.

Defectu.

BRACHYCATALECTA.

Psal. 62.5. אַךְ מִשְּׂאֵתוֹ יָעֲצוּ לְהַדִּיחַ uu--|-u-u|-u
Tantum de excellentia ejus consilia ineunt depellendi.
& 107.27. יַעֲלוּ שָׁמַיִם יֵרְדוּ תְהוֹמוֹת uu--|uu--|-u
Ascendunt ad cœlum, descendunt ad abyssos.
Prov. 22. 7. הַט אָזְנְךָ וּשְׁמַע דִּבְרֵי חֲכָמִים uu--|uu.u-|-u
Inclina aurem tuam, & ausculta verbis sapientum.

Græca partim cum dialysi.

Soph. 423. Ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα. |uu-|uu-u|-u
Quæ emittit vitam præbens terra.
& 278. Ἀλλ' ἐρῶ, οὐ γὰρ ἔχω καταχρύφαν. |-u--|uu-uu|uu
Sed dicam. non enim possum occultare.
& 171. Σθεναρώτερον πόδα φυγᾷ νωμᾶν. uu-u|uuuu-|-u
Vehementiorem fugâ pedem movere.
Secundo Anomala seu Epionica à minori.

III. DIMETRA.

Perfecta, acatalecta.

1. Cum jambica syzygia.

Prov. 11. 5. צִדְקַת תָּמִים תְּיַשֵּׁר דַּרְכּוֹ
Justitia integri diriget viam ejus.
& 19.13. וְדֶלֶף טֹרֵד מִדְיְנֵי אִשָּׁה
Et stilla continua, jurgia mulieris.
uu--|u-u-
Job. 40.23. תִּקָּחֶנּוּ לְעֶבֶד עוֹלָם׃ u-u-|uu--
Assumes eum in servum perpetuum.
Psal. 111.10. רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָה --u-|uu--
Principium sapientiæ reverentia Iova.

GRÆCA.

Soph. 260. Ἔχεται πάνδημος πόλις. uu--|--uu
Detinetur tota civitas.
Pind. 88. Μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων. u-u-|uu--
Vinum quidem, flores autem hymnorum.
Soph. 196. Εὔγημα δέξατο νυμφᾶν. --u-|uu--
Conceptum suscepit Nympharum.

2. Cum epitrito primo.

Prov. 3. 5. וְאֶל־בִּינָתְךָ אַל־תִּשָּׁעֵן׃
Et intelligentiæ tuæ ne innititor.
& 8.33. שִׁמְעוּ מוּסָר וַחֲכָמוּ
Audite eruditionem & sapite.
u---|uu--
& 7. 5. לִשְׁמָרְךָ מֵאִשָּׁה זָרָה uu--|u---
Ad servandum te à muliere extera.

GRÆCA.

Pind. 86. Τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν.
Gloriari intempestivè.
& 92. Βοᾷ ὡραῖος ἐὼν ἤ
Clamore, speciosus existens, &
u---|uu-u

Ionici utrisque expositis, *ad octavum carminum genus* transeundum.

CAPUT XIX.

De carmine Antispastico canones.

1. ANtispasticum mixtum analogum est, *quod vel per dialysin, vel per mutationem legitimam antispasti, alios pedes recipit.*

2. *Dialysis autem, est vel simplex, quum altera tantum longa, in duas breves dissolvitur: vel duplex, quando utraque.*

3. *Mutatio autem legitima est, qua antispasti (ex jambo & trochæo compositi) jambus, fit spondeus, aut pyrrichius* uu: *vel trochæus, fit jambus.*

Quibus modis, pro autispasto, erit epitritus quartus ---u, pæon tertius uu-u, vel jambica syzygia, ut u-u-vel--u--

4. *Mixtum anomalum est, in quo antispasti mutatio illegitima est, vel partim, vel omnino.*

5. *Partim, quando unus tantum pes mutatur, sive jambus, in trochæum, sive trochæus, in spondeum.*

Atque sic pro antispasto, sunt epitritus primus u--- vel ditrochæus -u-u: quem ἀσύμφωνον, *dissentaneum*, in Antispasticis versibus, Pindari Scholiastes de colis primæ Olymp. asserit.

6. *Omnino verò mutatio est, quando pro jambo trochæus: & simul pro trochæo, spondeus est: vel pro utroque, spondeus.*

Quo modo, pro antispasto, epitritus secundus -u-- vel dispondeus ---- collocatur.

Quando verò antispasticum carmen, dijambo & trochæo constat, periodicum vel periodus nominatur.

Qua de re Pindari Scholiastes pag. 15. de primo strophes versu ait, περιοδικὸν ἢ λέγεται, διότι περιοδεύει τὸ μέτρον ὡς γίνεσθαι τὸ ἀπ' ἀρχῆς, ὅμοιον τῷ ἀπὸ τέλους. *Periodicum verò dicitur, quid circumit metrum: ita ut sit illud in initio simile ei quod in fine ponitur.*

CAPUT XX.

Antispastica carmina exemplis parallelis demonstrata.

Primum ANALOGA.

I. MONOMETRA.

Perfecta acatalecta.

Psal. 66. 2. זַמְּרוּ כְבוֹד־שְׁמוֹ ◡‒‒◡

Psallite gloriam nominis ejus.

& 110. 1. כָּל־הָאָרֶץ׃ ◡‒‒◡

Tota terra.

Græca nec in Pind. nec in Sophocle observata, nisi quis velit huc referre jambica monometra anomala ◡‒;‒◡: de quibus cap. 5. actum. Qualé esse putat Triclinius hoc Sophoclis pag. 21. ἰὼ παῖ παῖ. *Io puer, puer.*

Imperfecta excessu hypercatalecta.

◡‒‒◡|‒

Job. 21. 32. וְעַל־גָּדִישׁ יִשְׁקוֹד

Et apud tumulum assiduus est.

& 36. 3. כַּבִּיר כֹּחַ לֵב׃

Validus fortitudine animi.

Psal. 98. 5. בְּכִנּוֹר וְקוֹל זִמְרָה׃

Citharâ & voce Psalmi.

Prov. 13. 8. פְּתַח פִּיךָ לְאִלֵּם

Aperi os tuum pro muto.

GRÆCA.

Pind. 17. Δίκαιον ξένον. ◡‒‒◡|◡

Iustum hospitem.

Antapod. p. 20. cum dialysi. Ταvύθει-χα σεμέλα φιλεῖ. ◡ ◡◡‒◡|‒

Passam comam compta *Semele amat.*

Soph. 139. Ἄφυκτοι κύνες. ◡‒‒◡|◡

Inevitabiles canes.

& 179. Τ' ἄναξ λίσσομαι. ◡‒‒◡|◡

Et rex, obsecro.

II. DIMETRA.

Perfecta acatalectica.

1. PURA.

◡‒‒◡|◡‒‒◡

Job. 13. 12. זִכְרֹנֵיכֶם מִשְׁלֵי־אֵפֶר

Recordationes vestri similitudines cineris.

& 18. 17. זִכְרוֹ אָבַד מִנִּי־אֶרֶץ

Recordatio ejus perit è terrâ.

Psal. 104. 6. עַל־הָרִים יַעַמְדוּ מָיִם

Supra montes stant aquæ.

& 148. 3. הַלְלוּהוּ שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ

Laudate eum sol & luna.

GRÆCA.

Græca pura nondum observata in Pindaro, nec in Sophocle: sed in Euripidis Oreste tom. I. p. 250. edit. P. Stephani.

Στέγης τοὺς μὲν ἐν σταθμοῖσιν. ◡‒‒◡|◡‒◡

Sub *tecto. quosdam in stabulis.*

2. MIXTA.

Per dialysin antispasti.

Psal. 33. 15. הַמֵּבִין אֶל־כָּל־מַעֲשֵׂיהֶם ◡‒‒◡|◡◡‒◡‒◡

Qui animadvertit ad omnia opera eorum.

& 136. 10. לְמַכֵּה מִצְרַיִם בִּבְכוֹרֵיהֶם ◡‒◡◡|◡‒‒◡

Percutienti Ægyptios in primogenitis eorum.

Job. 22. 23. אִם־תָּשׁוּב עַד־שַׁדַּי תִּבָּנֶה ◡‒‒◡|◡◡◡‒◡

Si reverteris ad omnipotentem, restauraberis.

Prov. 29. 4. מֶלֶךְ בְּמִשְׁפָּט יַעֲמִיד אָרֶץ ◡◡◡‒|◡‒‒◡

Rex judicio stabiliet terram.

GRÆCA.

Soph. 158. Θεῶ, ὧν πόλις ἀνάριθμος. ◡‒‒◡|◡◡◡‒◡

Dei, quorum urbs innumera.

& 253. Παρὰ δὲ κυανέων πετρῶν. ◡◡◡◡|‒◡‒‒◡

Apud Cyanea saxa.

MIXTA, per commutationem antispasti unius

1. In jambicam syzygiam.

Prov. 6. 31. וְנִמְצָא יְשַׁלֵּם שִׁבְעָתַיִם ◡‒◡‒|‒◡‒‒◡

Et deprehensus rependit septies.

Psal. 71. 12. אֱלֹהִים אַל־תִּרְחַק מִמֶּנִּי ◡‒‒◡|◡◡◡◡‒

Deus, ne longè abesto à me.

Prov. 12. 13. וַיֵּצֵא מִצָּרָה צַדִּיק׃ ◡‒‒◡|‒‒◡‒

At egreditur ex angustia justus.

GRÆCA.

Pind. 3. Θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει. ◡‒‒◡|◡‒◡‒

Iustum qui tractat, sc. sceptrum.

Soph. 21. Ἰὼ μοι φίλοι ναυβάται. ◡‒‒◡|‒‒◡‒

O mihi amici, navales socii.

2. MUTATIO, in pæonem tertium ◡◡‒◡.

Psal. 18. 10. וַיֵּט שָׁמַיִם וַיֵּרַד ◡‒‒◡|◡◡‒◡

Et demittens cœlum descendit.

& vers. 35. מְלַמֵּד יָדַי לַמִּלְחָמָה ◡‒‒◡|◡◡‒◡

Docens manus meas bellum.

3. In epitritum quartum ‒‒‒◡

◡‒‒|‒‒‒◡

Psal. 69. 22. וְלִצְמָאִי יַשְׁקוּנִי חֹמֶץ

Et in siti mea bibendum dant mihi acetum.

Prov. 14. 6. בִּקֶּשׁ־לֵץ חָכְמָה וָאַיִן

Quæsiverit derisor sapientiam, nulla est.

MIXTA, per commutationem duorum antispastorum.

1. In pedes diversos, epitritum quartum & jambicam syzygiam.

Job. 40. 9. כִּי־תוֹשִׁעַ לְךָ יְמִינֶךָ ◡‒‒‒|‒‒◡‒

Quod servet te dextera tua.

GRÆCA.

‒‒‒◡|◡‒◡‒

Soph. 295. Θρώσκει τῶν ἑκατομπόδων. *Currit centipedarum*, sc. instar Nereïdum.

& 294. Νάρκισσος μεγάλαιν θεαῖν. *Narcissus, magnarum dearum.*

2. In pedes eosdem utrimque.

Psal. 80. 13. וְאָרוּהָ כָּל־עֹבְרֵי דָרֶךְ׃ |‒‒‒◡|‒‒‒◡

Et abominantur eam omnes viatores.

Prov. 11. 2. בָּא־זָדוֹן וַיָּבֹא קָלוֹן ‒‒‒◡|‒‒‒◡

Adveniente superbia advenit & ignominia.

DIMETRA IMPERFECTA.

Defectu.

1. CATALECTICA.

Prov. 10. 14. חֲכָמִים יִצְפְּנוּ דָעַת ◡‒‒◡|‒‒◡

Sapienter recondunt scientiam.

& 24. 21. עִם־שׁוֹנִים אַל־תִּתְעָרָב׃ ◡‒‒◡|◡‒‒

Cum innovantibus ne commisceto te.

Prov.

Prov. 19. 3. וְעַל־יְהוָה יִזְעַף לִבּוֹ׃ – – ∪ ∪ | ∪ – – ∪

Et adversus Iovam indignatur animus ejus.

Psal. 118. 17. וַאֲסַפֵּר מַעֲשֵׂי יָהּ׃ – – ∪ | ∪ – ∪ ∪ ∪

Et enarrabo opera Iah.

& 107. 21. וְנִפְלְאוֹתָיו לִבְנֵי אָדָם – – – | ∪ – – ∪

Et mirabilia ejus filiis hominis.

GRÆCA.

Soph. 15. Θανεῖται τῷ φρεπλήκτῳ. ∪ – – ∪ | ∪ – –
Morietur, furenti, &c.

Pind. 23. Ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς. ∪ – – ∪ | ∪ ∪ –
Divitiæ autem virtutibus, sc. ornatæ.

Soph. 254. Τε καὶ κερκίδων ἀκμαῖς. ∪ – ∪ | – – –
Quæ, & radiorum text. cuspidibus.

& 248. Πολυκτήμονες ἄνδρες. ∪ – – ∪ | ∪ – ∪
Opulenti viri.

BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Job. 35. 13. אַךְ־שָׁוְא לֹא־יִשְׁמַע אֵל

Verum vanitatem non exaudiet Deus.

Prov. 9. 18. בְּעִמְקֵי שְׁאוֹל קְרֻאֶיהָ

In profundissimo sepulchro, invitati ab ea.

& 23. 9. בְּאָזְנֵי כְסִיל אַל־תְּדַבֵּר

Auribus stolidi ne loquaris.

∪ – – ∪ | ∪ –

GRÆCA.

Pind. 363. Ἀκάστῳ δολίαις.
Acasti dolosis, sc. artibus.

Soph. 249. Ταλαίφρον ἄγομαι.
Misera abducor.

∪ – – ∪ | ∪ –

2. MIXTA.

Job. 6. 3. עַל־כֵּן דְּבָרַי לָעוּ׃

Idcirco verba mea deglutiuntur.

& 39. 32. מִשָּׁם חָפַר אֹכֶל

Inde pervestigat cibum.

Prov. 9. 2. אַף עָרְכָה שֻׁלְחָנָהּ

Etiam instruxit mensam suam.

∪ – – ∪ | –

GRÆCA.

Pind. 21. Θεόρτῳ σὺν ὄλβῳ. ∪ – – ∪ | – –
A Deo orta cum felicitate.

Soph. 135. Ἀέλπτως τ' ἐσεῖδον. ∪ – – ∪ | – ∪
Et præter spem intuitus sum.

& 229. Φυγὰς ξυμπέφρασται. ∪ – – ∪ | – –
Effugia excogitavit.

II. DIMETRA IMPERFECTA

Excessu, hypercatalecta.

Psal. 105. 23. וַיָּבֹא יִשְׂרָאֵל מִצְרָיִם ∪ – – ∪ | – – ∪ – | ∪

Et venit Israël in Ægyptum.

& 26. 8. יְהוָה אָהַבְתִּי מְעוֹן בֵּיתֶךָ – – – ∪ | – – – ∪ | –

Iova, diligo habitaculum domus tuæ.

GRÆCA.

Soph. 293. Θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδών. ∪ – – ∪ | ∪ – ∪ – | ∪
Frequentissima luscinia.

& 36. Ὦ κλεινὰ Σαλαμὶς, σὺ μέν που. – – – ∪ | ∪ – ∪ – | –
O inclyta Salamis, tu quidem alicubi.

& 128. Οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς. – – – ∪ | ∪ – – ∪ | –
Nemo proborum vivens miserè.

Pind. 191. Εἴη ζεῦ, τὶν εἴη ἀνδάνειν. – – – ∪ | – – – ∪ | –
Contingat Iupiter, tibi contingat placere.

III. TRIMETRA perfecta non apparent.

Imperfecta.

1. CATALECTA.

Psal. 69. 6. אֱלֹהִים אַתָּה יָדַעְתָּ לְאִוַּלְתִּי ∪ – – ∪ | – – ∪ – | ∪ –

O Deus tu novisti stultitiam meam.

GRÆCA.

Soph. 252. Ζεύχθη δ' ὀξυχόλως παῖς ὁ Δρύαντος.
– – – ∪ | ∪ – ∪ – | ∪ ∪
Vinctus est iracundè filius Dryantis.

Ibidem. Ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς.
– – ∪ ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ –
Sustinuit & Danaës cœleste lumen.

2. BRACHYCATALECTA.

Psal. 104. 10. הַמְשַׁלֵּחַ מַעְיָנִים בַּנְּחָלִים ∪ ∪ – ∪ | ∪ ∪ – ∪ | ∪ – –

Qui emittit fontes per valles.

& 107. 25. וַיֹּאמֶר וַיַּעֲמֵד רוּחַ סְעָרָה ∪ – ∪ ∪ | ∪ ∪ – – | ∪ – ∪ | – –

Edicens sistit ventum procellosum.

GRÆCA.

Soph. 252. Ἀλλάξαι δέμας ἐν χαλκοδέτοις.
– – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ –
Mutare corpus in ære revinctis.

Ibidem. Τυμβήρει θαλάμῳ κατεζεύχθη. – – – ∪ | ∪ – ∪ – | – –
Sepulchrali thalamo juncta est.

Ibidem. Ἠδωνῶν βασιλεὺς, κερτομίοις. – – – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ –
Thracum rex, mordacibus.

ANOMALA DIMETRA.

Mutatione unius antispasti.

1. epitritum primum.

Psal. 147. 6. מַשְׁפִּיל רְשָׁעִים עֲדֵי אָרֶץ ∪ – – – | ∪ – ∪ ∪

Deprimit improbos in terram usque.

Prov. 30. 29. וְאַרְבָּעָה מֵיטִבֵי לָכֶת ∪ – – – | – – ∪ | – – – ∪

Et quatuor bene incedunt.

GRÆCA.

Soph. 196. Ἀνάσσων εἴθ' ὁ βακχεῖος. ∪ – – – | ∪ – – ∪
Regnans, sive Bacchus, sc. Deus.

2. In trochaicam syzygiam, seu epitritum secundum.

Prov. 18. 18. מִדְיָנִים יַשְׁבִּית הַגּוֹרָל ∪ – ∪ | – ∪ – – –

Contentiones sedat sors.

Psal. 106. 31. וַתֵּחָשֶׁב לוֹ לִצְדָקָה ∪ – – ∪ | – ∪ – – –

Et reputatum est ei ad justitiam.

GRÆCA.

Soph. 188. Ἀνώρουσεν εἰς ἀνάγκαν. ∪ – – ∪ | – ∪ – –
Impulit in necessitatem.

3. In dispondeum.

Psal. 50. 5. כֹּרְתֵי בְרִיתִי עֲלֵי זָבַח׃ – – – – | ∪ – – ∪

Qui iciunt fœdus meum per sacrificium.

Job. 17. 3. מִי־הוּא לְיָדִי יִתָּקֵעַ׃ – – – – ∪ – – ∪

Quis est? manui meæ plaudatur.

GRÆCA.

Soph. 289. Τούτων δ' αὐθαίρετον οὐδέν. – – – – | ∪ ∪ – ∪
Horum autem voluntarium nihil.

DIMETRA anomala mutatione duorum antispastorum,

1. In duplicem epitritum primum.

Psal. 94. 18. חַסְדְּךָ יְהוָה יִסְעָדֵנִי׃

Benignitas tua, ô Iova, sustentabit me.

∪ – – – | ∪ – – –

Prov.

Prov. 14. 19. שַׁחוּ רָעִים לִפְנֵי טוֹבִים
Incurvant se mali coram bonis.
& vers. 20. גַּם־לְרֵעֵהוּ יִשָּׂנֵא רָשׁ ὐ - - - | ὐ - - -
Etiam proximo suo, odio est pauper.

GRÆCA.

Soph. 196. Μητέρ' αὔξειν, καὶ χορεύειν. υ - - - | υ - - -
Matrem declarare, & choro celebrari.

2. In oppositas jambicas & trochaicas syzygias, seu antispasticum periodicum.

1. PURA.

1. Præcedente dijambo.

Job. 24. 4. יַטּוּ אֶבְיֹנִים מִדָּרֶךְ υ - ὐ - | υ - υ -
Avertant egentes à via.
Psal. 117. 1. הַלְלוּ אֶת־יְהוָה כָּל־גּוֹיִם
Laudate Iovam omnes gentes.
Prov. 28. 22. נִבְהָל לַהוֹן אִישׁ רַע עָיִן υ - ὐ - | - υ - υ
Acceleras turbatè ad copiam vir malignus oculo.

GRÆCA.

Pind. 23. Ὀλυμπία μὲν γὰρ αὐτὸς.
Olympia si quidem ipse.
Soph. 179. Πιθοῦ θελήσας φρονήσας. υ-υ- | - υ - ὐ
Ausculta volens, considerans.

2. PRÆCEDENTE DITROCHÆO.

Quod Triclinius de metris Sophoclis pag. 449. ἀντεστραμμένην, inversam vocat periodum.

Psal. 85. 4. אָסַפְתָּ כָל־עֶבְרָתֶךָ
Receperas omnem exandescentiam tuam.
Prov. 2. 1. וּמִצְוֹתַי תִּצְפֹּן אִתָּךְ - υ - ὐ | ὐ - υ -
Et præcepta mea reconderis apud te.

GRÆCA.

Soph. 199. Ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν.
Nisi tantum, quantum est videri, sc. felicem esse.
& 67. Ὦ πόνοι προγόνοι πόνων.
O labores progenitores laborum. - υ - υ | ὐ - υ -
Pind. 90. Υἱὰ δ' Ἄκτορος ἐξόχως.
Filium verò Actoris eximiè, &c.

Ejusmodi versibus periodicis delectatus Catullus, totum epithalamium iis conscripsit: cujus initium, Collis o He - υ - υ liconii υ - υ, ut Jac. Micyllus de re metrica pag. 83. monet.

2. MIXTA.

1. Præeunte syzygia jambica.

Job. 17. 8. וְנָקִי עַל־חָנֵף יִתְעֹרָר
Et innocens contra hypocritam sese excitabit.
Prov. 3. 35. כָּבוֹד חֲכָמִים יִנְחָלוּ
Gloriam sapientes possidebunt. - - υ - | - υ - -
& 28. 26. וְהוֹלֵךְ בְּחָכְמָה הוּא יִמָּלֵט׃
Qui ambulat sapienter, is eripietur.
Psal. 140. 5. מֵאִישׁ חֲמָסִים תִּנְצְרֵנִי
A viro violentissimo custodias me.

GRÆCA.

Pind. 39. Χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον. - - υ - | - υ - ὐ
Manus autem & cor exæquantur.

Pind. 16. Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι. - - υ - | - υ - -
Dominantes cithara hymni.

2. Præeunte syzygia trochaica.

Job. 23. 13. וְהוּא בְאֶחָד וּמִי יְשִׁיבֶנּוּ
Si ipse in uno, quis revocet eum.
Psal. 86. 5. כִּי־אַתָּה יְהוָה טוֹב וְסַלָּח
Quia tu Iova bonus & condonans. - υ - | - ὐ -
Prov. 10. 24. מְגוֹרַת רָשָׁע הִיא תְבוֹאֶנּוּ
Quod formidat improbus, id eveniet ei.

GRÆCA.

Soph. 119. Δειλαία δειλαίων κυρεῖς. - - υ - | - - υ -
Misera miserarum fis.

DIMETRA IMPERFECTA.

Defectu:

1. Catalectica non periodica.

Prov. 19. 6. וְכָל־הָרֵעַ לְאִישׁ מַתָּן υ - - - υ | ὐ -
Et quisque adhæret viro munifico.

GRÆCA.

Pind. 125. Ἀνήρ, οὔτε γὰρ θεοί. υ - - υ | - υ -
Vir, neque enim Dii.

2. Catal. periodica.

Job. 34. 2. שִׁמְעוּ חֲכָמִים מִלַּי υ - υ - | - υ -
Audite sapientes sermones meos.
Prov. 2. 11. מְזִמָּה תִּשְׁמֹר עָלֶיךָ υ - υ - | - υ -
Solertia conservabit te.

GRÆCA.

Soph. 229. Δυσόμβρα φεύγειν βέλη. υ - υ - | - υ -
Imbre infesta fugere tela.
& 53. Μακρῶν πόνων εὐαίῳ. - - υ - | - υ -
Longorum laborum felici termino.

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 4. 6. הֲלֹא יִרְאָתְךָ כִּסְלָתֶךָ υ - υ - | - υ - υ | -
Annon ut reverentia tua, spes tua?

GRÆCA.

Pind. 289. Οὐδὲ μὰν βασιλεὺς γιγάντων. - υ - υ | υ - υ - | -
Neque verò rex gigantium.

III. TRIMETRA perfecta non observata.

Defectu Imperfecta.

1. CATALECTA.

Exod. 15. 16. תִּפֹּל עֲלֵיהֶם אֵימָתָה וָפַחַד υ - υ - | υ - - - | - ὐὐ
Irruet super eos formido magna & pavor.
Job. 4. 5. כִּי עַתָּה תָּבוֹא אֵלֶיךָ וַתֵּלֶא - υ - - | - - υ - | υ - ὐ
Quia nunc evenit tibi, defetisceris.

GRÆCA.

Soph. 265. Ἰὼ παῖ παῖ, νέῳ νέος ξὺν μόρῳ. υ - - - | υ - υ - | - υ -
O fili fili, recens recenti cum fato.
Pind. 19. Πῆμα θνάσκει παλίγκοτον δαμασθέν.
- υ - - | υ - υ - | υ - υ
Calamitas interit odiosa jam domita.

2. BRACHYCATALECTA.

Prov. 28. 12. בַּעֲלֹץ צַדִּיקִים רַבָּה תִפְאָרֶת υυ - υ - | - υ - | - υ
Exultantibus justis magnus est ornatus.

GRÆCA.

Soph. 129. Ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ. υ - υ - | - υ - υ | - υ
Optima, in illa Iovis reverentia.

Absolutis Antispasticis, jam nonum ultimumque carminis genus adjungemus.

CAPUT XXI.

De Carmine Pæonico canones.

1. P*Æonicum carmen est, in quo pes principalis est pæon primus aut quartus.*

2. *Uterque autem admittere potest synæresin duarum brevium in longam, atque ita fit creticus* - ᴗ -.

3. *Quum plures fiunt cretici ex pæonibus illis,* Creticum *appellatur.*

4. *Dialysis etiam longæ syllabæ pæonis utriusque in duas breves esse potest.*

Ut de Græcis Hephæstio probat pag. 43. Hebræa in sacris nondum observata.

CAPUT XXII.

Carmina Pæonica, exemplis parallelis demonstrata.

I. MONOMETRA.

Psal. 87. 5. זֶה יֻלַּד־שָׁם ᴗᴗᴗ-
Hic genitus est ibidem.

Lam. 3. 27. טוֹב לַגֶּבֶר -ᴗᴗᴗ
Bonum est viro.

& vers. 30. יִשְׂבַּע בְּחֶרְפָּה ᴗᴗᴗ-
Satiatur opprobrio.

GRÆCA.

Nec in Pindaro, neque in Sophocle comperta: sed ex Aristophane ἐν Θεσμοφοριαζούσαις exemplum adducit Jac. Micyllus de re metrica pag. 105. b. extat autem in edit. Basil. cum Scholiis Arist. pag. 534. Ἅμα δ' ἔτι ᴗᴗᴗ-
Simul autem etiam.

& ibid. quod etiam notat Micyl. creticum,
Ἀλλὰ χρή. - ᴗ -
Sed oportet.

II. DIMETRA.

Perfecta, acatalecta.

1. PURA.

Prov. 11. 29. וְעֶבֶד אֱוִיל לַחֲכַם־לֵב
Et servus est stultus, sapienti corde.

Job. 21. 15. מַה־שַּׁדַּי כִּי־נַעַבְדֶנּוּ׃
Quid est omnipotens, ut serviamus ei? ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗᴗ-

Psal. 80. 6. הֶאֱכַלְתָּם לֶחֶם דִּמְעָה
Cibas eos pane lachrymæ.

GRÆCA.

Soph. 52. Φιλοπόνων ἁλιαδᾶν.
Laboriosorum marinorum, sc. numinum. ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗᴗ-

& 139. Ἴδεθ' ὅπου προνέμεται.
Videte quò progrediatur.

2. MIXTA per synæresin cum cretico.

Prov. 10. 20. כֶּסֶף נִבְחָר לְשׁוֹן צַדִּיק
Argentum lectissimum est *lingua justi.*

Psal. 105. 6. זֶרַע אַבְרָהָם עַבְדּוֹ ᴗᴗᴗ- | - ᴗ -
Semen Abrahami servi ejus.

Prov. 31. 10. אֵשֶׁת־חַיִל מִי יִמְצָא
Fœminam strenuam quis inveniat?

GRÆCA.

Pind. 22. Θάλος ἀρωγὸν δόμοις. ᴗᴗᴗ- | - ᴗ -
Germen auxiliare familiis.

Soph. 105. Ὡς ἔμολες ἀιανή. ᴗᴗᴗ | - ᴗ -
Quam accessisti infesta?

CRETICA PURA.

Job. 20. 14. מְרוֹרַת פְּתָנִים בְּקִרְבּוֹ
Fel aspidum in medio ejus.

Prov. 11. 30. פְּרִי צַדִּיק עֵץ חַיִּים - ᴗ - | - ᴗ -
Fructus justi ut *arboris vitæ.*

& 12. 28. בְּאֹרַח צְדָקָה חַיִּים
In itinere justitiæ est *vita.*

GRÆCA.

Soph. 180. Ἀλλά μοι δυσμόρῳ.
Sed mihi infelici! - ᴗ - | - ᴗ -

Arist. 277. Ἐξενεγκὼν θύραζ'.
Cum extulisset foras.

II. DIMETRA IMPERFECTA.

Defectu catalectica.

Job. 22. 13. הַבְעַד עֲרָפֶל יִשְׁפּוֹט ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗᴗ
An per caliginem judicaret?

GRÆCA.

Pind. 286. Φθόνον ἀμειβόμενον.
Invidiam alternantem, sc. præclara opera. ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗ

& 207. Γόνον ὑπερφίαλον.
Prolem superbam.

I. BRACHYCATALECTA.

Prov. 19. 15. נֶפֶשׁ רְמִיָּה תִרְעָב ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗ
Anima dolosa esuriet?

GRÆCA.

Soph. 119. Παραγάγης ἵν' οὐ. ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗ
Consoleris, ubi non.

& 390. (vitio typogr. 400.) Σέβας ὑπέρτατον. ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗ
Numen summum.

2. IMPERFECTA excessu, hypercatalecta.

Psal. 106. 36. וַיַּעַבְדוּ אֶת־עֲצַבֵּיהֶם ᴗᴗᴗ- | ᴗᴗᴗ- | ᴗ
Et coluerunt terricula eorum.

& 143. 4. וַתִּתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי ᴗᴗᴗ- | - ᴗ - | -
Et obruit se in me spiritus meus.

GRÆCA.

Soph. 136. Εἶχον ὀργὰν ἄναυδον. - ᴗ - | - ᴗ - | -
Corripiebar ira tacita.

III. Trimetra nec Heb. nec Græca occurrunt in Pind. nec Sophocle.

Hactenus de *carminum principiis,* & *generibus* (cum *generatim* tum *speciatim*) egimus: superest, ut de *poëmate* (seu opere ex carminibus constructo) pauca subnectamus.

CAPUT XXIII.

De Hebrais Sacræ Scripturæ poëmatibus canones.

1. O*Mnia S. Scripturæ poëmata Hebræa, variis ac promiscuis carminum generibus constant.*

Qualia sunt omnia Pindari, & Lyrica apud Sophoclem plurima.

2. *Eademque absoluta sunt; non relata: hoc est, quæ similibus versibus, iis pari numero ac serie respondentibus, carent.*

Qualia ab Hephæstione de metris & *poëmatibus* pag. 63. *μετρικὰ ἄτακτα metrica inordinata,* idcirco appellantur. *Quod* (ut consentaneè docet Demetrius Triclinius de metris Sophoclis pag. 445.) *metro quidem sint scripta, nullam verò inter se habeant similitudinem, neque ἀνακύκλησιν, revolutionem.*

Exem-

Exempla hujusmodi poëmatum, in Sophocle non pauca extant.

In quibus excellit constans versibus septuaginta tribus pag. 156. ὦ Διός. cui accedit quinquaginta octo pag. 277. εἶτ' οὖν. & quadraginta pag. 289. δεινόν. & triginta octo pag. 310. ὅς τις. & triginta sex pag. 199. ὦ γλωσσαί. Sic quædam alia: in quibus varii generis versus, promiscuè positis similium & protasi & antapodosi destituti sunt.

Quam rationem sacra poësis, perpetuò in canticis, Psalmis, & libris poëticis, observavit: ita tamen ut nomen carminum generibus, quasi cancellis contineatur.

3. *Horum autem poëmatum periodi seu versiculi, non minus quàm distichum, seu duos versus, complectuntur.*

4. *Ubi periodi sunt breviores, distichum non excedunt.*

Ut in proverbiis plerumque & in Psalmis nonnullis: qualis (excepto versiculi noni tristicho) centesimus trigesimus sextus: ubi eadem δοξολογία singulæ periodi terminantur.

5. *Prout verò periodi sunt longiores, ita plures versus continent: ut in paucis Psalmis, Cantico Canticorum & Lamentationibus Ieremiæ elucet.*

Quod autem poëmata sacra vario tantùm, non autem eodem carminum genere sint concinnata, illud ab auctoris Dei & sanctorum hominum arbitrio, non verò ab ullo repugnante linguæ Hebrææ genio, promanavit. Quare *postremò* hoc *canone* concludemus.

6. *Etsi in S. Literis ejusdem generis carminum poëmata nulla exstent; conscribi tamen possunt: nec solùm mixta, sed etiam pura.*

Quibus perspicuè demonstrandis, geminum ac breve specimen, partim Græci poëmatis interpretatione, partim Analysis poëticæ sacræ præfatione, rudi Minerva subjecimus.

CAPUT XXIV.

***Primum poëma Græcum, est elegans Agathii scholastici ænigma, de fabulosa* Niobes in saxum metamorphosi.**

QUod ut in Græc. epigrammatum opere continetur, sic etiam à Demetrio Triclinio in Scholiis ad Electram Sophoclis, pag. 87. hoc modo recensetur:

Ὁ τύμβος οὗτος, ἔνδον οὐκ ἔχει νέκυν·
Ὁ νεκρὸς οὗτος, ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον.
|υ - υ |υ - υ - | υ - υ υ
Ἀλλ' αὐτὸς αὐτῷ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.
- - υ - | - - υ - | υ - υ υ

Id autem, ad veram uxoris Lothi in statuam salis metamorphosin translatione, paribus jambicis trimetris Hebraicè & Latinè, pro tenuitate nostra, exprimere conabamur, titulo præmisso.

חידה על אשת לוט משנה לנציב מלח

Ænigma de uxore Lothi in statuam salis conversa.

1. הקבר הזו אין לו מבית כל־מת קבר׃
υ υυ, υ - | - -, υ υ υ | - - υ -
Hic tumulus, intus haud cadaver continet:
2. המת הזו אין לו מחוץ כל־קבר חצב υ-υ- - | -υ- | υυυ, υ-
Cadaver hoc, foris tumulum non obtinet:
3. אבל הוא יש־לו יחדיו המת וקברו׃ υ υ- | υ-υ- | υ- - -
Idem sed est cadaver ac tumulus sibi.

Præfatio verò sequentis analysis poëticæ aliquot poëmatum sacrorum, constat ex viginti duobus *jambicis* dimetris carminibus *puris*: præfixo titulo. Tirones verò observent non obstare quod vers. 3. 8. 16. & 20. sit in fine brevis: quia ultima versus est communis.

Idem prosa ad verbum Latinè.

שיר אל־אהבי שירי הקדש׃
Carmen ad amantes sacrorum carminum.

1. מה־יש שלא ימצא אנוש
Quid est, quod homo non inveniat,
2. כיד חזק לאל עליון וחנון׃
Ope roboris Dei excelsi ac clementis?
3. הלא שכלו קצוי ארץ
An non intellectu suo extremitates terræ.
4. וארכו ורחבו הכל מדה
Et longitudinem illius, ejusque latitudinem mensus est?
5. הלא הבדיל אניו הים
An non sulcavit navi sua mare.
6. ולכד הדג מתוך גליו׃
Cepitque pisces è medio fluctuum ejus?
7. הלא צפה דרכי־חמה
Annon spectavit vias Solis.
8. וכל־מאור ספר השמים׃
Omneque luminare numeravit cœlorum?
9. אף אין חכמה שלא תפש
Quinetiam non est sapientia, quam non tractavit.
10. ואמרי השיר כל־מין חקר׃
Verbaque cantici omnis generis scrutatus est.
11. אך־זאת נפלא שלא אנוש
Verumtamen id mirum, quod nemo.
12. בספרו למד מדות השיר
In libro suo docuit modulos cantici sacri:
13. שמשה דוד איש נבחר
Quod Moses, & David vir electus.
14. נבא וזמר בלשון עברים׃
Prophetavit ac modulatus est lingua Hebræorum.
15. על־כן שמתי לבי לנסות
Idcirco applicui cor meum ad tentandum.
16. אם חפץ יש לפני שדי
An gratum esset coram Omnipotente.
17. לגלות מדות השיר קדשו׃
Revelare modulos cantici sui sacri.
18. ורחום לעבדו הטה אזניו
Misericors autem ad servum suum inclinavit aures suas:
19. ולמד מצער לכתב ספרו׃
Docuitque pauxillum, ut libro suo describeret.
20. והנה חלקו קדם לטעם
Et ecce pars illius antecedit ad gustandum.
21. על־שאלת רוב אנשי חכמה
Iuxta petitionem multorum virorum sapientum:
22. ואם הן ימצא נשאר ירדוף׃
Ac, si favorem invenerit, reliquum sequetur.

ANALYSIS ARTIS POETICÆ
in selectioribus poëmatibus sacris.

POstquam *artem poëticam S. literarum* explicare conati sumus, non inutile neque ingratum fore arbitramur, si *poëmatum sacrorum analysi*, eandem plenius illustremus. Quocirca primum ea delegimus, quæ alphabethi Hebraici literis, initio cujusque versiculi ordine suo positis, insignita terminantur. Quod & gratæ elegantiæ, & rerum memorabilium memoriæ gratia factum divinitus, non temere æstimatur. Deinde alia etiam, aliter conscripta, ex Jobo & Mose, subjungere studebimus. Quod autem Alphabetica poëmata præmittenda duximus: id eo consilio institutum, ut disjunctio carminum, literarum subsidio facilius dignosceretur. A Psalmis autem σὺν Θεῷ ordiemur: in quibus est elegans & amplior poëmatum alphabeticorum copia, licet alicubi quædam sit unius literæ omissione (ut Psal. 25. Beth & Vau & Koph deest) vel trans-

transpositione (ut alibi fit, anomalia: cujus ratio, Deo sapientissimo auctori nota.

Exempla Græca Pindari & Sophoclis parallela, in generibus carminum demonstrandis supra sunt posita.

Caput I.

Analysis Poëtica Psal. 25.

PSalmi Alphabetici sunt septem numero, 25, 34, 37, 111, 112, 119, 145. Singulæ periodi, hic constant disticho: præter secundam, quintam, septimam, & undecimam, quæ tristicho.

Versus I. א

1. carmen אֵלֶיךָ יְהוָה -υ--|-

Ad te, Iova,

2. נַפְשִׁי אֶשָּׂא׃ υ-υ-

Animam meam attollo.

Primum, est trochaicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, jambicum monometrum acatalectum.

2. א (aut ב si à secunda dictione æstimetur,)

ἀνωμάλως.

1. אֱלֹהַי בְּךָ בָטַחְתִּי υ-υ-|-υ-

Deus mi, in te confido.

2. אַל־אֵבוֹשָׁה υ--υ

Ne erubescam:

3. אַל־יַעַלְצוּ אֹיְבַי לִי׃ υυυ-|-υ-

Ne exultent inimici mei de me.

Primum, est antispasticum dimetrum periodicum catalecticum.

Secundum, antispasticum monometrum acatalectum.

Tertium, pæonicum dimetrum acatalectum mixtum cretico.

3. ג

1. גַּם כָּל־קוֶֹיךָ לֹא יֵבֹשׁוּ υυ-υ-|----

Etiam nulli te expectantes erubescent:

2. יֵבֹשׁוּ הַבּוֹגְדִים רֵיקָם׃ ---υ|---υ

Erubescent qui perfidi sunt immeritò.

Primum, jambicum dimetrum acatalectum anomalum Alcmaicum, quod quartum pedem habeat spondeum, pro jambo.

Secundum, antispasticum dimetrum ex duobus epitritis quartis (nam ultima communis censetur) pro duobus antispastis.

4. ד

1. דְּרָכֶיךָ יְהוָה הוֹדִיעֵנִי -υ---|---|-

Vias tuas, Iova, notas fac mihi:

2. אֹרְחוֹתֶיךָ לַמְּדֵנִי׃ υ-υ-|υ-,υ

Semitas tuas doce me.

Primum, est trochaicum dimetrum hypercatalectum, anomalum tertio pede spondeo, pro trochæo.

Secundum, est jambicum dimetrum catalectum, purum.

5. ה

1. הַדְרִיכֵנִי בַאֲמִתֶּךָ וְלַמְּדֵנִי υ---|υυυυ|υ-υ

Deducas me in veritate tua, & doce me.

2. כִּי־אַתָּה אֱלֹהֵי יִשְׁעִי -υ-υ|--υ-

Quia tu es Deus salutis meæ:

3. אוֹתְךָ קִוִּיתִי כָּל־הַיּוֹם׃ --υ-|-υυ-

Te exspecto totum diem.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum, anomalum Doricum secundo pede spondeo.

Secundum, Antispasticum dimetrum periodicum ex ditrochæo & jambica syzygia.

Tertium, choriambicum dimetrum acatalecticum mixtum cum prima jambica syzygia.

6. ז: quia Vau deest.

1. זְכֹר־רַחֲמֶיךָ יְהוָה וַחֲסָדֶיךָ -υ,υυ-|--υυ|-υ-

Recordare miserationum tuarum, Iova, & benignitatum tuarum:

2. כִּי מֵעוֹלָם הֵמָּה׃ --|--|--

Quia à seculo sunt.

Primum, est ionicum à majori trimetrum catalecticum ex trochaica syzygia, ionico à majori, & ditrochæo catalectico.

Secundum, dactylicum trimetrum ex spondeis.

7. ח

1. חַטֹּאות נְעוּרַי וּפְשָׁעַי אַל־תִּזְכֹּר υ-υ-|υ--υυ|

Peccatorum pueritiæ meæ, & defectionum mearum ne recorderis,

2. כְּחַסְדְּךָ זְכָר־לִי־אַתָּה υ-υ-|υ-

Pro benignitate tua recordare mei tu:

3. לְמַעַן טוּבְךָ יְהוָה׃ υυ-,--|-

Propter bonitatem tuam, Iova.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalecticum ex antispasto, jambica syzygia, & syllaba.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum purum.

Tertium, anapæsticum, monometrum, hypercatalectum.

8. ט

1. טוֹב־וְיָשָׁר יְהוָה --|--|-

Bonus & rectus Iova:

2. עַל־כֵּן יוֹרֶה חַטָּאִים בַּדָּרֶךְ υ-υ|υ--υ|-υ

Idcirco docet peccatores viam.

Primum, dactylum trimetrum catalectum.

Secundum, antispasticum trimetrum brachycatalectum.

9. י

1. יַדְרֵךְ עֲנָוִים בַּמִּשְׁפָּט υ-υ-|-υυ-

Deducit mansuetos per ipsum jus:

2. וִילַמֵּד עֲנָוִים דַּרְכּוֹ׃ -υ-υ|--υ-

Et docet mansuetos viam suam.

Primum, choriambicum dimetrum mixtum acatalectum.

Secundum, antispasticum dimetrum catalectum periodicum. ut vers. 5. carm. 2.

10. כ

1. כָּל־אָרְחוֹת יְהוָה חֶסֶד וֶאֱמֶת υυ--|-υυυυ|υ

Omnes semitæ Iova benignitas & fides:

2. לְנֹצְרֵי בְרִיתוֹ וְעֵדֹתָיו׃ -|--|--|--|-

Custodientibus fedus ejus & testimonia ejus.

Primum, est Ionicum à minori dimetrum hypercatalectum ex Ionico, trochaicum syzygia, & syllaba.

Secundum, est dactylicum, tetrametrum catalecticum.

11. ל

1. לְמַעַן שִׁמְךָ יְהוָה υυυ--|-

Propter nomen tuum, Iova:

2. וְסָלַחְתָּ לַעֲוֹנִי -υ-υ|υ--

Condonabis inquam iniquitatem meam;

3. כִּי

3. ‏כִּי רַב־הוּא׃‏ -υ-

Quia magna est.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, antispasticum dimetrum catalectum anomalum ex ditrochæo & antispasto catalectico.

Tertium, monometrum pæonicum creticum.

12. ‏מ‏

1. ‏מִי זֶה הָאִישׁ יְרֵא יְהוָה‏ -υ-|--|-,-

Quantum est vir iste reverens Iovam?

2. ‏יוֹרֶנּוּ בְּדֶרֶךְ יִבְחָר׃‏ -υ-υ|υυ-

Docebit eum quam viam eligat.

Primum, est trochaicum dimetrum catalectum anomalum, tertio spondeo, pro trochæo.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum catalectum.

13. ‏נ‏

1. ‏נַפְשׁוֹ בְּטוֹב תָּלִין‏ υ---|-

Anima ejus in bono pernoctabit.

2. ‏וְזַרְעוֹ יִירַשׁ אָרֶץ׃‏ υ--υ|-υ

Et semen ejus hæres erit terra.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum Doricum, secundo pede spondeo.

Secundum, antispasticum dimetrum brachycatalectum.

14. ‏ס‏

1. ‏סוֹד יְהוָה לִירֵאָיו‏ --|--|--

Arcanum Iovæ adest reverentibus ipsum.

2. ‏וּבְרִיתוֹ לְהוֹדִיעָם‏ --|--|--

Et fœdus ejus, ut notum faciat eis.

Primum, & secundum, dactylicum trimetrum.

15. ‏ע‏

1. ‏עֵינַי תָּמִיד אֶל־יְהוָה‏ -υ--|υ--

Oculi mei jugiter ad Iovam:

2. ‏כִּי הוּא־יוֹצִיא מֵרֶשֶׁת רַגְלָי׃‏ ----|-υυ,υ-

Quia is educet è reti pedes meos.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum è trochaica syzygiâ, seu epitrito secundo, & antispasto catalectico, anomalum: ut vers. 11. carm. 2.

Secundum, jambicum Doricum, ex secundo pede spondeo anomalo.

16. ‏פ‏

1. ‏פְּנֵה־אֵלַי וְחָנֵּנִי‏ --υυ|--

Respice ad me, & gratiam fac mihi:

2. ‏כִּי־יָחִיד וְעָנִי אָנִי׃‏ --|--|--|-

Quia solitarius & afflictus sum.

Primum, Ionicum à majori dimetrum brachycatalectum, purum.

Secundum, dactylicum tetrametrum catalecticum ut vers. 10. carm. 2.

17. ‏צ‏

1. ‏צָרוֹת לְבָבִי הִרְחִיבוּ‏ ----|-υ-υ

Oppressiones animi mei dilatantur:

2. ‏מִמְּצוּקוֹתַי הוֹצִיאֵנִי׃‏ υ--υ|-υ--υ

Ex angustiis meis educ me.

Primum, jambicum dimetrum catalectum Doricum, ut vers. 16. carm. 2.

Secundum, antispasticum, ex antispasto, & epitrito quarto, ob ultimam, communem situ.

18. ‏ר‏ hoc prius, loco ‏ק‏ ponitur.

1. ‏רְאֵה עָנְיִי וַעֲמָלִי‏ υυ-υυ-|υ-

Aspice afflictionem meam, & meam molestiam.

2. ‏וְשָׂא לְכָל־חַטֹּאותָי׃‏ --υυ|--

Et condona omnia peccata mea.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum:

Secundum, dactylicum dimetrum.

19. ‏ר‏

1. ‏רְאֵה־אוֹיְבַי כִּי־רָבּוּ‏ --|-υ--|--

Adspice inimicos meos, quod multi sint:

2. ‏וְשִׂנְאַת חָמָס שְׂנֵאוּנִי‏ υυ---|--

Et odio violento oderunt me.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

20. ‏ש‏

1. ‏שָׁמְרָה נַפְשִׁי וְהַצִּילֵנִי‏ υ-υ-|υ---

Serva animam meam, & eripe me:

2. ‏אַל־אֵבוֹשׁ כִּי־חָסִיתִי בָךְ׃‏ υ---|---υ

Ne erubescam, quia recipio me ad te.

Primum, jambicum dimetrum anomalum Alcmaicum: ut vers. 3. carm. 1.

Secundum, antispasticum anomalum dimetrum ex epitrito primo, & quarto.

21. ‏ת‏

1. ‏תֹּם־וָיֹשֶׁר יִצְּרוּנִי‏ --|-υυ|--

Integritas & rectum custodiant me:

2. ‏כִּי קִוִּיתִיךָ׃‏ -υ--|-

Quia expecto te.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

VERS. 22. supra Alphabetum.

1. ‏פְּדֵה אֱלֹהִים אֶת־יִשְׂרָאֵל‏ -υ--|υυ--

Redime, Deus, Israelem:

2. ‏מִכֹּל צָרוֹתָיו׃‏ υ---|-

Ex omnibus oppressionibus ejus.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum acatalectum.

Secundum, jambicum Doricum monometrum hypercatalectum ut vers. 13. carm. 1.

CAPUT II.

Analysis Poëtica Psal. 34.

HUjus Psalmi omnes periodi (seu versiculi) disticho constant: præter septimam, quæ tristicho. Deinde Alphabethum plenè ac suo ordine ponitur: nisi quod versiculus sextus duas literas *He* & *Vau* complectitur. Utque una periodus Psalmo 25. supra Alphabethum additur: sic etiam in hoc observatur. Versiculus autem primus est titulus præfixus Psalmi carminibus.

VERS. 2. ‏א‏

1. ‏אֲבָרְכָה אֶת־יְהוָה בְּכָל־עֵת‏ -υ--|υ---υυ

Benedicam Iovæ omni tempore.

2. ‏תָּמִיד תְּהִלָּתוֹ בְּפִי׃‏ --|-υ--υ-

Jugiter laus ejus in ore meo.

Primum, antispasticum dimetrum acatalectum.

 Secun-

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum: ut Psal. 25. 19. carm. 1.

3. ב

1. בַּיהוָה תִּתְהַלֵּל נַפְשִׁי ---u|u-u

In Iova jactabit se anima mea:

2. יִשְׁמְעוּ עֲנָוִים וְיִשְׂמָחוּ -uu-|-u-u

Audient mansueti, & lætabuntur.

Primum, antispasticum dimetrum acatalectum.
Secundum, antispasticum dimetrum acatalectum anomalum periodum.

4. ג

1. גַּדְּלוּ לַיהוָה אִתִּי |-u-|--u

Magnificate Iovam mecum:

2. וּנְרוֹמְמָה שְׁמוֹ יַחְדָּו u-|----

Et extollamus nomen ejus pariter.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum anomalum, ex epitrito primo & secundo catalecticum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum anomalum, secundo pede spondeo.

5. ד

1. דָּרַשְׁתִּי אֶת־יְהוָה וְעָנָנִי -|---|u-u-u-

Quæsivi Iovam, & exaudivit me:

2. וּמִכָּל־מְגוּרוֹתַי הִצִּילָנִי: -uu|-uu-|-u

Et ex omnibus pavoribus meis eripuit me.

Primum, trochaicum dimetrum hypercatalectum anomalum tertio pede spondeo, pro trochæo: ut Psal. 25. 4. carm. 1.
Secundum, est choriambicum trimetrum, brachycatalecticum purum.

6. ה

1. הִבִּיטוּ אֵלָיו וְנָהָרוּ u---|--u

Qui intuiti sunt in eum, & confluxerunt:

ו

2. וּפְנֵיהֶם אַל־יֶחְפָּרוּ --uu|--

Vultus eorum non erubescunt.

Primum, antispasticum dimetrum anomalum ex epitrito primo, & quarto: ultima commuui.
Secundum, est jambicum dimetrum brachycatalectum, secundo tribrachy.

7. ז

1. זֶה עָנִי קָרָא u---|-

Iste pauper invocavit;

2. וַיהוָה שָׁמֵעַ --|--|-u

Et Iova exaudit:

3. וּמִכָּל־צָרוֹתָיו הוֹשִׁיעוֹ -uu|--|--|--|

Et ab omnibus angustiis ejus servavit eum.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum anomalum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.
Secundum, Dactylicum trimetrum ex spondeis.
Tertium, Dactylicum tetrametrum.

8. ח

1. חֹנֶה מַלְאַךְ־יְהוָה -u-, uu-|-

Castrametatur angelus Iovæ.

2. סָבִיב לִירֵאָיו וַיְחַלְּצֵם ----|uu-

Circa timentes ejus, & eripit eos.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

9. ט

1. טַעֲמוּ וּרְאוּ כִּי־טוֹב יְהוָה uu----|--

Gustate & videte, bonum esse Iovam:

2. אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר יֶחֱסֶה־בּוֹ: u-uuu|uu-,-

O benè isti viro qui se recipiet ad eum.

Primum, anapæsticum dimetrum acatalectum.
Secundum, jambicum dimetrum catalectum secundo & tertio tribrachy.

10. י

1. יְראוּ אֶת־יְהוָה קְדֹשָׁיו u-u-|--, u

Timete Iovam sancti ejus:

2. כִּי־אֵין מַחְסוֹר לִירֵאָיו: --u-|--, u

Quia non est penuria timentibus eum.

Utrumque jambicum dimetrum catalecticum.

11. כ

1. כְּפִירִים רָשׁוּ וְרָעֵבוּ --|--|--|-

Iuvenes leones pauperantur atque esuriunt.

2. וְדֹרְשֵׁי יְהוָה לֹא־יַחְסְרוּ כָל־טוֹב: —|—|-uu|-

At quærentes Iovam non egent ullo bono.

Primum, dactylum tetrametrum catalecticum: ut Psal. 25. 10. carm. 2.
Secundum, trochaicum dimetrum hypercatalectum, anomalum, primo pede spondeo, pro trochæo.

12. ל

1. לְכוּ־בָנִים שִׁמְעוּ־לִי ---u-|--

Agite filii, auscultate mihi:

2. יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם: u-uu|-uu

Reverentiam Iovæ docebo vos.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum anomalum, primo spondeo, pro trochæo.
Secundum, Ionicum à minori catalectium cum dialysi.

13. מ

1. מִי־הָאִישׁ הֶחָפֵץ חַיִּים -u--|u--u

Quis est vir ille qui delectatur vita.

2. אֹהֵב יָמִים לִרְאוֹת טוֹב: ----|-u-u

Amat dies, ut videat bonum?

Primum, antispasticum dimetrum.
Secundum, jambicum dimetrum catalectum, ut Psal. 25. 17. carm. 1.

14. נ

1. נְצֹר לְשׁוֹנְךָ מֵרָע --|--|-

Custodi linguam tuam à malo:

2. וּשְׂפָתֶיךָ מִדַּבֵּר מִרְמָה -u-u|uu-, u-

Et labia tua, ne loquantur fraudem.

Primum, dactylicum trimetrum catalectum.
Secundum, jambicum dimetrum.

15. ס

1. סוּר מֵרָע וַעֲשֵׂה־טוֹב --u|uu-

Recede à malo, & fac bonum:

2. בַּקֵּשׁ שָׁלוֹם וְרָדְפֵהוּ u---|u-u

Quære pacem, & sectare eam.

Primum, jambicum brachycatalectum ut vers. 6. carm. 2.
Secundum, jambicum dimetrum catalecticum anomalum, secundo spondeo, ut vers. 13. carm. 2.

16. ע

1. עֵינֵי יְהוָה אֶל־צַדִּיקִים - u u - | - u u -, -

Oculi Iova ad justos.

2. וְאָזְנָיו אֶל־שַׁוְעָתָם u - u u - | -

Et aures ejus ad vociferationem eorum.

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

17. פ

1. פְּנֵי יְהוָה בְּעֹשֵׂי רָע - - | - - | - -

Facies Iova, contra facientes malum.

2. לְהַכְרִית מֵאֶרֶץ זִכְרָם u - - u | u u -

Ut excindat è terra memoriam eorum.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, antispasticum dimetrum ex antispasto & pæone tertio, catalectico.

18. צ

1. צָעֲקוּ וַיהוָה שָׁמֵעַ - u - - | - - - - | u

Clamantes Iova exaudit:

2. וּמִכָּל־צָרוֹתָם הִצִּילָם׃ - u u - | - - u - | -

Et ex omnibus angustiis ipsorum eripit illos.

Primum, trochaicum dimetrum hypercatalectum anomalum ut Psal. 25.4. carm. 1.

Secundum, choriambicum dimetrum hypercatalectum.

19. ק

1. קָרוֹב יְהוָה לְנִשְׁבְּרֵי לֵב u - | - - - - | u - u

Propinquus Iova fractis animo:

2. וְאֶת־דַּכְּאֵי־רוּחַ יוֹשִׁיעַ׃ u u - - u | - - u

Et contritos spiritu servat.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum (ut Psal. 25.17. carm. 1. Doricum, secundo spondeo.

Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum cum dialysi primæ longæ.

20. ר

1. רַבּוֹת רָעוֹת צַדִּיק u - - - | u -

Multa sunt afflictiones justi:

2. וּמִכֻּלָּם יַצִּילֶנּוּ יְהוָה׃ - u u - | u - u - | - u

Sed ex omnibus istis eripiet eum Iova.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum anomalum, secundo spondeo, ut Psal. 25. 17. carm. 1.

Secundum, choriambicum trimetrum brachycatalectum.

21. ש

1. שֹׁמֵר כָּל־עַצְמֹתָיו - - u u | - -

Custodiens omnia ossa ejus:

2. אַחַת מֵהֵנָּה לֹא נִשְׁבָּרָה u u - | - - u - | -

Unum ex ipsis non frangitur.

Primum, Ionicum à minori, demetrum brachycatalectum purum.

Secundum, epionicum à minori dimetrum hypercatalectum cum jambica syzygia.

22. ת

1. תְּמוֹתֵת רָשָׁע רָעָה - - | - - | - -

Morte afficit improbum malitia:

2. וְשֹׂנְאֵי צַדִּיק יֶאְשָׁמוּ׃ - - u - | u - u

Et odio habentes justum, vastabuntur.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

23. Supra Alphabethum.

1. פּוֹדֶה יְהוָה נֶפֶשׁ עֲבָדָיו - u - - u - u - - | u u u - -

Redimit Iova animam servorum suorum:

2. וְלֹא יֶאְשְׁמוּ כָּל־הַחֹסִים בּוֹ׃ - u - u - u u | - - -

Neque vastabuntur ulli recipientes se ad eum.

Primum, trochaicum dimetrum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum anomalum, tertio spondeo.

C A P U T III.

Analysis Poëtica Psal. 37.

Hic versiculi plerique disticho tantùm constant: exceptis paucis. Nam sex eorum tristicho (septimus, nonus, vigesimus, vigesimus quintus, trigesimus quartus, & quadragesimus) constant: unus verò, vigesimus octavus, tetrasticho. Literæ autem Alphabethi, non singulis versiculis præponuntur: sed alternis. in paucis tantum exceptio est: quum vel duo versiculi Alphabeticam literam consequenter servant: vel eandem interdum continuant.

VERSUS 1. א

1. אַל־תִּתְחַר בַּמְּרֵעִים u u u u | -

Ne accendaris ira propter maleficos:

2. אַל־תְּקַנֵּא בְּעֹשֵׂי עַוְלָה u u - - | - u -

Ne invideas facientibus iniquitatem.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum catalecticum.

2.

1. כִּי כֶחָצִיר מְהֵרָה יִמָּלוּ - u - - | - u - | -

Nam sicut fœnum cito succidentur:

2. וּכְיֶרֶק דֶּשֶׁא יִבּוֹלוּן u -, u u u | u - u

Et sicut viriditas tenera herba decident.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalectum anomalum ex trochaica syzygia, & jambica. ac syllaba.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum, primo trochæo.

3. ב

1. בְּטַח בַּיהוָה וַעֲשֵׂה טוֹב u - - - | u u - -

Confide in Iova, & fac bonum:

2. שְׁכָן־אֶרֶץ וּרְעֵה אֱמוּנָה u u u | - u - | -

Inhabita terram, & pascere fide.

Primum, est epionicum dimetrum.

Secundum, pæonicum dimetrum hypercatalectum, ex pæone quarto, & cretico, & syllaba.

4.

1. וְהִתְעַנַּג עַל־יְהוָה u u u u - | -

Et oblecta te in Iova:

2. וְיִתֶּן־לְךָ מִשְׁאֲלֹת לִבֶּךָ׃ u u - u u - u u - | u u -

Qui dabit tibi petitiones animi tui.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum purum.

5. ג

1. גּוֹל עַל־יְהוָה דַּרְכֶּךָ - u - - - | u u -

Devolve super Iovam viam tuam:

2. וּבְטַח עָלָיו וְהוּא יַעֲשֶׂה׃ u - - u - | - u u u

Et confide in eo; nam ipse efficiet.

 Primum,

Primum, Ionicum à minori, dimetrum catalecticum.

Secundum, choriambicum dimetrum anomalum, ex trochaica syzygia & choriambo: ultima enim est communis.

6.

1. והוציא כאור צדקך ----|uu-

Proferens tanquam lucem justitiam tuam:

2. ומשפטך כצהרים: -u-u-|-u, uu-|-

Et jus tuum tanquam meridiem.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum hypercatalectum.

7. ד

1. דום ליהוה והתחולל לו -u--|u--u

Acquiesce Iova, & continenter expecta eum:

2. אל־תתחר במצליח דרכו uuuu|u-uu|-

Ne accendaris ira propter prosperantem via sua:

3. באיש עשה מזמות: --uu-|

Propter virum efficientem cogitata.

Primum, antispasticum dimetrum anomolum, ex dispondeo & antispasto.

Secundum, dactylicum trimetrum catalecticum cum dialysi pedis primi.

Tertium, anapæsticum monometrum.

8. ה

1. הרף מאף ועזב חמה uu-u|uu--|u

Absiste ab ira, & relinque æstuantem iram:

2. אל־תתחר אך־להרע: uuuu-|-u

Ne accendaris ira, saltem ad malefaciendum.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum hypercatalectum purum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

9.

1. כי מרעים יכרתון ---u|---

Nam malefici excindentur:

2. וקוי יהוה --|--

Dum expectantes Iovam.

3. המה יירשו ארץ: --|--|-u

Ipsi possidebunt terram.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum.

Secundum, dactylicum dimetrum ex spondeis.

Tertium, simile trimetrum.

10. ו

1. ועוד מעט ואין רשע -u|--|-

Et adhuc paululum, planè non erit improbus.

2. והתבוננת על־מקומו ואיננו u-u-|u---|u-

Quod si consideraveris locum ejus, non extabit.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum ut Psal. 25. 1. carm. 1.

Secundum, jambicum trimetrum brachycatalectum Alcmaicum, ut Psal. 25. 3. carm. 1.

11.

1. וענוים יירשו ארץ uu---|--, u

Mansueti verò possidebunt terram:

2. והתענגו על־רב שלום: uuu-|--

Et oblectabunt se multitudine pacis.

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.

12. ז

1. זמם רשע לצדיק ----|uu-

Cogitat improbus contra justum:

2. וחרק עליו שניו ----|u-

Frendetque adversus eum dentibus suis.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum anomalum Doricum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.

13.

1. אדני ישחק־לו u--u|u-

Dominus ridet eum:

2. כי ראה כי־יבא יומו: --|--|--|--

Quia videt, advenire diem ejus.

Primum, antispasticum dimetrum brachycatalecticum purum.

Secundum, dactylicum tetrametrum ex spondeis.

14. ח

1. חרב פתחו רשעים uu--|-u

Gladium strinxerunt improbi;

2. ודרכו קשתם להפיל עני ואביון --u-|u---|u-

Et tetenderunt arcum suum: ad dejiciendum pauperem & egentem;

3. לטבוח ישרי־דרך: u-uu-|-u

Ad mactandum rectos via.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum ut vers. 10. carm. 2.

Tertium, jambicum dimetrum brachycatalectum.

15.

1. חרבם תבוא בלבם u---|u-

Gladius eorum intrabit in cor eorum:

2. וקשתותם תשברנה: u--u|-u-

Et arcus eorum confringentur.

Primum, jambicum (ut Psal. 34. 20. carm. 1.) dimetrum brachycatalectum Doricum.

Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum.

16. ט

1. טוב מעט לצדיק -u, uu-

Melius est paucum justo:

2. מהמון רשעים רבים: -u--|-u-

Copiâ improborum multorum.

Primum, trochaicum monometrum. Psal. 34. 8. carm. 1. vel pæonicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum.

17.

1. כי זרועות רשעים תשברנה ----|-u-u|-

Nam brachia improborum confringuntur.

2. וסומך צדיקים יהוה: --u-|--u

At sustentat justos Iova.

Primum, trochaicum dimetrum hypercatalectum ut Psal. 34. 11. carm. 2.

Secundum, jambicum dimetrum catalectum ut Psal. 34. 10. carm. 2.

18.

1. יודע יהוה ימי תמימים --u-|----

Novit Iova dies integrorum:

2. ונחלתם לעולם תהיה: uu--|--uu

Et possessio eorum in seculum durabit.

Primum,

Primum, jambicum dimetrum Alcmaicum: ut Psal. 25. 3. carm. 1.
Secundum, epionicum à minori, ex Ionico, & Jambica syzygia.

19.

1. לֹא יֵבֹשׁוּ בְּעֵת רָעָה -- | -- | -- | --

Non erubescent tempore mali.

2. וּבִימֵי רְעָבוֹן יִשְׂבָּעוּ׃ -- - -- | - υ - -- |

Et diebus famis saturabuntur.

Primum, dactylum tetrametrum catalecticum ut Psal. 25. 10. 2.
Secundum, trochaicum dimetrum anomalum, secundo spondeo: ut Psal. 34. 11. carm. 2.

20. כ

1. כִּי רְשָׁעִים יֹאבֵדוּ -- | -- | --

Sed improbi peribunt,

2. וְאֹיְבֵי יְהוָה כִּיקַר כָּרִים ---- | - υ - -

Et inimici Iovæ, ut pretiosum in agnis:

3. כָּלוּ בֶעָשָׁן כָּלוּ׃ -- | υ - | -- ῡ

Consumuntur, in fumum consumuntur.

Primum, dactylicum trimetrum ut Psal. 25. 6. carm. 2.
Secundum, trochaicum dimetrum: ut vers. 19. carm. 2.
Tertium, jambicum dimetrum catalecticum ut Psal. 34. 10. carm. 2.

21. ל

1. לֹוֶה רָשָׁע וְלֹא יְשַׁלֵּם - υ -- | - υ -

Mutuatur improbus, & non reddit;

2. וְצַדִּיק חוֹנֵן וְנוֹתֵן׃ υ --- | --

At justus gratiam facit & donat.

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum ut vers. 16. carm. 2.
Secundum, jambicum anomalum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 20. carm. 1.

22.

1. כִּי מְבֹרָכָיו יִירְשׁוּ אָרֶץ -- | -- | -- | - υ

Quia benedicti ab illo possidebunt terram:

2. וּמְקֻלָּלָיו יִכָּרֵתוּ׃ υ - υ -- - υ -- υ

Et maledicti ab illo excindentur.

Primum, dactylicum tetrametrum.
Secundum, antispasticum dimetrum anomalum ex trochaica syzygia.

23. מ

1. מֵיְהוָה מִצְעֲדֵי־גֶבֶר כּוֹנָנוּ -- | - υ υ | - υ υ | -- | -

A Iova gressus viri disponuntur.

2. וְדַרְכּוֹ יֶחְפָּץ υ - υ -

Cujus via delectatur.

Primum, dactylicum pentametrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum purum: ut Psal. 42. 1. carm. 2.

24.

1. כִּי יִפֹּל לֹא יוּטָל - υ -- | - υ

Quum cadet, non protelabitur:

2. כִּי יְהוָה סוֹמֵךְ יָדוֹ׃ -- | -- | -- | -

Quia Iova sustentat manum ejus.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, dactylicum tetrametrum catalecticum, ut Psal. 25. 10. carm. 2.

25. נ

1. נַעַר הָיִיתִי גַּם־זָקַנְתִּי υ υ -- | - υ - υ | -

Puer fui, etiam consenui:

2. וְלֹא־רָאִיתִי צַדִּיק נֶעֱזָב ---- | υ - υ υ υ

Neque vidi justum derelictum:

3. וְזַרְעוֹ מְבַקֶּשׁ־לָחֶם׃ υ - υ υ - | υ

Et semen ejus quærere panem.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum hypercatalectum.
Secundum, jambicum dimetrum Doricum secundo spondeo, ut Psal. 25. 15. carm. 2.
Tertium, jambicum monometrum hypercatalectum.

26.

1. כָּל־הַיּוֹם חוֹנֵן וּמַלְוֶה υ υ -- | -- υ υ

Toto die gratiam facit & mutuat:

2. וְזַרְעוֹ לִבְרָכָה׃ υ - υ - | ῡ

Et semen ejus benedictioni est.

Primum, epionicum dimetrum ut Psal. 34. 21. carm. 2. & hic vers. 18. carm. 2.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum purum: ut Psal. 25. 4. carm. 2.

27. ס

1. סוּר מֵרָע וַעֲשֵׂה טוֹב -- υ ῡ | --

Recede à malo, & fac bonum;

2. וּשְׁכֹן לְעוֹלָם -- | --

Et habita in seculum.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 6. 2.
Secundum, dactylicum dimetrum.

28.

1. כִּי יְהוָה אֹהֵב מִשְׁפָּט ---- | - υ -

Nam Iova amat jus.

2. וְלֹא־יַעֲזֹב אֶת־חֲסִידָיו - υ υ | - υ υ | --

Neque derelinquit pios suos.

3. לְעוֹלָם נִשְׁמָרוּ -- υ - | -

In seculum conservantur;

4. וְזֶרַע רְשָׁעִים נִכְרָת׃ υ υ -- | υ ῡ

At semen improborum excinditur:

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum anomalum, primo pede spondeo, pro trochæo: ut Psal. 34. 11. carm. 2.
Secundum, dactylicum trimetrum.
Tertium, jambicum monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 4. carm. 2.
Quartum, Ionicum à minori, dimetrum brachycatalectum purum.

29. Hic deest ע

1. צַדִּיקִים יִירְשׁוּ אָרֶץ υ --- | - υ

Iusti possidebunt terram:

2. וְיִשְׁכְּנוּ לָעַד עָלֶיהָ׃ υ - υ ' - υ -

Et habitabunt in æternum super eam.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum Doricum, secundo spondeo: ut vers. 21. carm. 2.
Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum, ut vers. 15. carm. 2.

30. פ

1. פִּי צַדִּיק יֶהְגֶּה חָכְמָה υ υ υ | υ - υ -

Os justi meditatur sapientiam:

2. פִּי צַדִּיק תֶּהְגֶּה חָכְמָה וּלְשׁוֹנוֹ תְּדַבֵּר מִשְׁפָּט: -υ-υυ-|υ-

Os justi loquitur jus.

Primum, Ionicum à minori dimetrum catalecticum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum purum.

31.

1. תּוֹרַת אֱלֹהָיו בְּלִבּוֹ υυ-|υυ-υυ

Lex Dei ipsius est in corde ejus.

2. לֹא תִמְעַד אֲשֻׁרָיו -|υυυ, υ-

Non labascunt gressus ejus.

Primum, choriambicum dimetrum catalecticum purum.

Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

32. צ

1. צוֹפֶה רָשָׁע לַצַּדִּיק -υυ|-υ-υ-

Speculatur improbus in justum:

2. וּמְבַקֵּשׁ לַהֲמִיתוֹ: --υυ-υ|υυ-

Et quærit occidere ipsum.

Primum, Ionicum à minori catalecticum: ut vers. 30. carm. 1.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum purum.

33.

1. יְהוָה לֹא־יַעַזְבֶנּוּ בְיָדוֹ υ--υυυ|υ---

Iova non derelinquet eum in manu illius:

2. וְלֹא יַרְשִׁיעֶנּוּ בְּהִשָּׁפְטוֹ: --υ-|υ-υ-

Neque condemnabit eum, quum judicabitur.

Primum, antispasticum dimetrum ut Psal. 25. 3. carm. 2. cum dialysi primæ longæ.

Secundum, trochaicum dimetrum purum: ut vers. 32. carm. 2.

34. ק

1. קַוֵּה אֶל־יְהוָה וּשְׁמֹר דַּרְכּוֹ -|----|-υ-υ-υ

Expecta Iovam, & observa viam ejus;

2. וִירוֹמִמְךָ לָרֶשֶׁת אָרֶץ υ|υυ-|-υ--

Is extollet te ad adeundum hæreditatem terræ:

3. בְּהִכָּרֵת רְשָׁעִים תִּרְאֶה: υυ-|---υ

Excidium improborum videbis.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalectum.

Secundum, choriambicum dimetrum hypercatalectum.

Tertium, epichoriambicum dimetrum catalecticum ex epitrito primo & choriambo catalectico.

35. ר

1. רָאִיתִי רָשָׁע עָרִיץ -|--|--|--

Vidi improbum ferocem:

2. וּמִתְעָרֶה כְּאֶזְרָח רַעֲנָן: -υυυ|υ-υ-υ-

Et sese explicantem, ut arbor indigena virens.

Primum, dactylicum tetrametrum catalecticum ut Psal. 25. 10. carm. 2.

Secundum, antispasticum periodicum dimetrum.

36.

1. וַיַּעֲבֹר וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ -υ--|υ-υυυ-υυυ

Sed præteriit, & ecce non erat:

2. וָאֲבַקְשֵׁהוּ וְלֹא נִמְצָא: -υ|--υυυ-υυυ

Et quum quærerem eum, non inveniebatur.

Primum, antispasticum dimetrum cum Dialysi primæ longæ.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum ut vers. 16. carm. 2.

37. ש

1. שְׁמָר־תָּם וּרְאֵה יָשָׁר --|--υ

Observa integrum & aspice rectum:

2. כִּי־אַחֲרִית לְאִישׁ שָׁלוֹם: --|--|υυ|υυ-

Finem istius viri esse pacem.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut vers. 21. 2.

Secundum, dactylicum trimetrum.

38.

1. וּפֹשְׁעִים נִשְׁמְדוּ יַחְדָּו -υ-|υ--υ

At defectores perduntur pariter:

2. אַחֲרִית רְשָׁעִים נִכְרָתָה: --υ-|--υυ

Finis improborum excinditur.

Primum, trochaicum dimetrum catalectum anomalum, primo spondeo: ut Psal. 34. 11. 2.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum.

39. ת litera hic non prima, sed secunda.

1. וּתְשׁוּעַת צַדִּיקִים מֵיְהוָה ----|-υυ--

Atque salus justorum à Iova est:

2. מָעוּזָּם בְּעֵת צָרָה: υ-|--υ-

Robur eorum tempore angustiæ.

Primum, anapæsticum dimetrum.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum: ut carm. 24. 1.

40.

1. וַיַּעְזְרֵם יְהוָה וַיְפַלְּטֵם -υυ|---υυ

Et adjuvat eos Iova, liberatque eos;

2. יְפַלְּטֵם מֵרְשָׁעִים וְיוֹשִׁיעֵם -υ--|---υ

Liberat eos ab improbis, & servat eos:

3. כִּי חָסוּ בוֹ -|--

Quia recipiunt se ad eum.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.

Secundum, antispasticum dimetrum ut Psal. 25. 20. carm. 2.

Tertium, dactylicum dimetrum ut vers. 9. carm. 2.

CAPUT IV.

Analysis Poëtica Psal. 111.

Hic Psalmus Alphabeticus quartus, nonnihil literarum situ ab antecedentibus 35, 34. & 37. differt: quemadmodum etiam proximus 112. Nam utrimque periodi seu versiculi, sunt decem tantum. Quorum octo priores distichis: posteriores tristichis constant: ut singula carmina, distinctione literæ Alphabeticæ definiantur. Adeò ut ad Psalmorum carmina investiganda, egregiè præluxerint.

VERSUS I. א

1. אוֹדֶה יְהוָה בְּכָל־לֵבָב -|-υ-|-υ-|

Celebrabo Iovam ex toto corde:

ב

2. בְּסוֹד יְשָׁרִים וְעֵדָה: -|--|--|-

In consilio rectorum & cœtu.

Primum, pæonicum creticum dimetrum hypercatalectum purum.

Secundum, dactylicum trimetrum catalecticum ut Psal. 25. 8. carm. 1.

2. ג

2. ג

1. גְּדֹלִים מַעֲשֵׂי יְהוָה

Magna opera Iovæ:

ד

2. דְּרוּשִׁים לְכָל־חֶפְצֵיהֶם

Exquisita omnibus qui delectantur illis.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, Ionicum à minori, dimetrum brachycatalectum.

3. ה

1. הוֹד וְהָדָר פָּעֳלוֹ

Majestatis & decoris, opus ejus:

ו

2. וְצִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד׃

Et justitia ejus permanet in æternum.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.

Secundum, epionicum à minori, dimetrum ex epitrito primo & ionico à minori.

4. ז

1. זֵכֶר עָשָׂה לְנִפְלְאֹתָיו

Memoriam comparavit mirabilibus suis.

ח

2. חַנּוּן וְרַחוּם יְהוָה

Gratiosus & misericors Iova.

Primum, pæonicum creticum dimetrum hypercatalecticum ut vers. 1. carm. 1.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.

5. ט

1. טֶרֶף נָתַן לִירֵאָיו

Prædam dedit reverentibus ipsum:

י

2. יִזְכֹּר לְעוֹלָם בְּרִיתוֹ׃

Recordatus in seculum fœderis sui.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 37. 11. carm. 2.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

6. כ

1. כֹּחַ מַעֲשָׂיו הִגִּיד לְעַמּוֹ

Vim operam eis possessionem gentium.

ל

2. לָתֵת לָהֶם נַחֲלַת גּוֹיִם׃

Ut daret eis possessionem gentium.

Primum, jambicum dimetrum primo pede dactylo.

Secundum, antispasticum dimetrum ex epitrito quarto, & antispasto, cum dialysi primæ longæ.

7. מ

1. מַעֲשֵׂי יָדָיו אֱמֶת וּמִשְׁפָּט

Opera manuum ejus, veritatis & judicii:

נ

2. נֶאֱמָנִים כָּל־פִּקּוּדָיו׃

Constantia omnia mandata ejus:

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.

Secundum, Ionicum à minori, dimetrum purum.

8. ס

1. סְמוּכִים לָעַד לְעוֹלָם

Fulta in æternum, in seculum:

ע

2. עֲשׂוּיִם בֶּאֱמֶת וְיָשָׁר׃

Facta veritate & recto.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 12. carm. 11.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

9. פ

1. פְּדוּת שָׁלַח לְעַמּוֹ

Redemptionem misit populo suo;

צ

2. צִוָּה לְעוֹלָם בְּרִיתוֹ

Præcepit in seculum fœdus suum:

ק

3. קָדוֹשׁ וְנוֹרָא שְׁמוֹ׃

Sanctum & reverendum nomen ejus.

Primum, anapæsticum monometrum.

Secundum, jambicum dimetrum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Tertium, dactylicum trimetrum catalecticum ut Psal. 25. 8. 1.

10. ר

1. רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָה

Principium sapientiæ reverentia Iovæ.

ש

2. שֵׂכֶל טוֹב לְכָל־עֹשֵׂיהֶם

Mens sana omnibus facientibus illa:

ת

3. תְּהִלָּתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד׃

Laus ipsius permanet in æternum.

Primum, epionicum à minori, dimetrum ex jambica syzygia.

Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum, ut acatalecticum Psal. 25. 5. carm. 2.

Tertium, epionicum dimetrum, ex epitrito primo & Ionico.

CAPUT V.

Analysis Poëtica Psal. 112.

VERSUS I. א

1. אִישׁ יָרֵא אֶת־יְהוָה

O bene viro reverenti Iovam:

ב

2. בְּמִצְוֹתָיו חָפֵץ מְאֹד

Qui mandatis ejus delectatur valde.

Primum, antispasticum dimetrum anomalum, ex epitrito primo & secundo.

Secundum, jambicum Doricum dimetrum brachycatalectum.

2. ג

1. גִּבּוֹר בָּאָרֶץ יִהְיֶה זַרְעוֹ

Potens in terra erit semen ejus:

ד

2. דּוֹר יְשָׁרִים יְבֹרָךְ׃

Generationi rectorum benedicetur.

Primum, jambicum dimetrum Doricum, secundo spondeo.

3. ה

1. הוֹן וָעֹשֶׁר בְּבֵיתוֹ

Copia & divitiæ in domo ejus.

ו

2. וְצִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד׃

Et justitia ejus permanet in æternum.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 12. carm. 1.

Secundum, epionicum à minori: ut Psal. 375. 3. carm. 1.

4. ז

1. זָרַח בַּחֹשֶׁךְ אוֹר לַיְשָׁרִים

Oritur in tenebris lux ipsis rectis.

ח

2. חַנּוּן וְרַחוּם וְצַדִּיק׃

Gratioso, misericordi & justo.

Primum, choriambicum dimetrum hypercatalectum.

5. ט

1. טוֹב־אִישׁ חוֹנֵן וּמַלְוֶה

Felix vir qui gratiosè largitur, & mutuat.

י

2. יְכַלְכֵּל דְּבָרָיו בְּמִשְׁפָּט׃

Moderabitur res suas ex jure.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

6. כ

1. כִּי־לְעוֹלָם לֹא־יִמּוֹט

Quia in seculum non dimovebitur:

ל

2. לְזֵכֶר עוֹלָם יִהְיֶה צַדִּיק

In memoria perpetua erit justus.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 20. carm. 1.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum: ut acatalecticum Psal. 34. 23. carm. 1.

7. מ

1. מִשְּׁמוּעָה רָעָה לֹא יִירָא

A rumore malo non timebit.

נ

2. נָכוֹן לִבּוֹ בָּטֻחַ בַּיהוָה׃

Bene dispositus animus ejus confisus Iova.

Primum, antispasticum dimetrum ut Psal. 25. 20. carm. 2.

Secundum, choriambicum trimetrum brachycatalecticum.

8. ס

1. סָמוּךְ לִבּוֹ לֹא יִירָא

Fultus corde suo non timebit.

ע

2. עַד אֲשֶׁר־יִרְאֶה בְצָרָיו׃

Donec contempletur hostes suos.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

9. פ

1. פִּזַּר נָתַן לָאֶבְיוֹנִים

Dispergit, dat egentibus.

צ

2. צִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד

Iustitia ejus permanet in æternum:

ק

3. קַרְנוֹ תָּרוּם בְּכָבוֹד׃

Cornu ejus extolletur honore.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.

Secundum, epionicum dimetrum ut Psal. 37. v. 3. carm. 1.

Secundum, jambicum dimetrum hypercatalectum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

10. ר

1. רָשָׁע יִרְאֶה וְכָעָס

Improbus videbit, & indignabitur.

ש

2. שִׁנָּיו יַחֲרֹק וְנָמָס

Dentibus suis frendens contabescet:

ת

3. תַּאֲוַת רְשָׁעִים תֹּאבֵד

Desiderium improborum peribit.

Primum, Ionicum à majori, dimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Tertium, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

CAPUT VI.

Analysis Poëtica Psal. 119.

QUoniam hic Psalmus sectiones habet viginti duas: ex iis (ne tædium oriatur ob prolixitatem) primam tantum declarandam (etsi reliquæ expensæ) statuimus. Singulæ autem sectiones, octo continent versiculos seu periodos, ab una Alphabeti litera distinctè ordientes. Prima autem, pro ordinis ratione ab Aleph inchoatur: & singulæ periodi distichis tantùm constant.

VERSUS I. א

1. אַשְׁרֵי תְמִימֵי־דָרֶךְ

O bene integris viâ:

2. הַהֹלְכִים

2. הַהֹלְכִים בְּתוֹרַת יְהוָה υ---|υ-υ

Ambulantibus in lege Iova.

Primum carmen, est jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Secundum, idem, sed catalecticum: ut Psal. 34. 15. carm. 2.

2. א

1. אַשְׁרֵי נֹצְרֵי עֵדֹתָיו υ---|--υ

O bene custodientibus testimonia ejus:

2. בְּכָל־לֵב יִדְרְשׁוּהוּ υ-υ|υ-|

Qui toto corde quærunt eum.

Primum, jambicum Doricum: ut vers. 1. carm. 2.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 4. carm. 1.

3. א

1. אַף לֹא־פָעֲלוּ עַוְלָה υ--υ|-υ-

Etiam non operantur iniquitatem:

2. בִּדְרָכָיו הָלָכוּ υ---|--

In viis ejus ambulant.

Primum, antispasticum dimetrum catalectuum (ut Psal. 37. 15. carm. 2.) purum.

Secundum, jambicum dimetrum Doricum brachycatalectum ut Psal. 37. 21. carm. 2.

4. א

1. אַתָּה צִוִּיתָה פִקֻּדֶיךָ υ-υ-|υ-|υυυ,υ-

Tu præcepisti mandata tua:

2. לִשְׁמֹר מְאֹד υ-υ

Observari valde.

Primum, est jambicum dimetrum.

Secundum, jambicum monometrum catalectum.

5. א

1. אַחֲלַי יִכֹּנוּ דְרָכָי υυυ,υ-|--υ

Utinam comparentur viæ meæ:

2. לִשְׁמֹר חֻקֶּיךָ׃ υ-υυ-

Ad observandum statuta tua.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum monometrum.

6. א

1. אָז לֹא־אֵבוֹשׁ --|--|

Tunc non erubescam:

2. בְּהַבִּיטִי אֶל־כָּל־מִצְוֹתֶיךָ׃ υ--υ|υυ-υ-

Dum respiciam ad omnia præcepta tua.

Primum, dactylicum dimetrum.

Secundum, antispasticum dimetrum.

7. א

1. אוֹדְךָ בְּיֹשֶׁר לֵבָב ---υ|-υ

Celebrabo te recto animo:

2. בְּלָמְדִי מִשְׁפְּטֵי צִדְקֶךָ υ-υ|υυ-

Quum didicero jura justitiæ tuæ.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 12. carm. 1.

Secundum, epionicum à minori, dimetrum catalectum.

8. א

1. אֶת־חֻקֶּיךָ אֶשְׁמֹר υυυ-|υ-υ

Statuta tua observabo:

2. אַל־תַּעַזְבֵנִי עַד־מְאֹד υυυ-|υ-υ-

Ne relinquas me admodum.

Primum, pæonicum dimetrum brachycatalectum purum.

Secundum, pæonicum dimetrum, ex pæone & cretico ut Psal. 25. 2. carm. 1.

CAPUT VI.

Analysis Poëtica Psal. 145.

Hic Psalmus septimus & ultimus est Alphabeticus: sed deest litera *Nun*: & post *Mem* sequitur *Samech*. Omnes autem versiculi constant disticho præter ultimum, qui tristicho.

VERSUS 1. א

1. אֲרוֹמִמְךָ אֱלוֹהַי הַמֶּלֶךְ υ-υ-|υ-υυυ|υ

Exaltabo te, Deus mi, Rex:

2. וַאֲבָרְכָה שִׁמְךָ לְעוֹלָם וָעֶד υυυ|--υ|υ---|υ-|υ

Et benedicam nomini tuo in seculum & sempiternum.

Primum, jambicum dimetrum hypercatalecticum.

Secundum, epionicum à minori, trimetrum brachycatalectum.

2. ב

1. בְּכָל־יוֹם אֲבָרְכֶךָּ υ-υ-|υ-

Quotidie benedicam tibi:

2. וַאֲהַלְלָה שִׁמְךָ לְעוֹלָם וָעֶד׃ υυυυ-υ|----υ

Et laudabo nomen tuum in seculum & sempiternum.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum purum.

Secundum, antispasticum dimetrum ex antispast. (cum dialysi primæ longæ) & epitrito quarto.

3. ג

1. גָּדוֹל יְהוָה וּמְהֻלָּל מְאֹד ----|-υ--

Magnus est Iova, & laudandus valde:

2. וְלִגְדֻלָּתוֹ אֵין חֵקֶר υυ---υυ|-υ

Et magnitudinis ejus non datur pervestigatio.

Primum, trochaicum dimetrum anomalum primo pede spondeo: ut Psal. 34. 11. carm. 2.

Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 25. 19. carm. 2.

4. ד

1. דּוֹר לְדוֹר יְשַׁבַּח מַעֲשֶׂיךָ --υυ|υυυ,-

Generatio generationi commendabit opera tua:

2. וּגְבוּרֹתֶיךָ יַגִּידוּ׃ ---υ|-υ--

Et vires tuas indicabunt.

Primum, Ionicum à majori dimetrum catalecticum.

Secundum, trochaicum dimetrum: ut Psal. 34. 11. carm. 1. primo spondeo.

5. ה

1. הֲדַר כְּבוֹד הוֹדֶךָ υυ--υυ|υυ

Decorem gloriæ majestatis tuæ,

2. וְדִבְרֵי נִפְלְאֹתֶיךָ אָשִׂיחָה׃ υ-υ-|υ---|-

Et res mirabiles tuas eloquar.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum brachycatalectum purum.

Secundum, jambicum dimetrum hypercatalectum Alcmaicum, quarto spondeo, pro jambo: ut Psal. 25. 20. carm. 1.

6. ו

6. ו

1. וֶעֱזוּז נוֹרְאוֹתֶיךָ יֹאמֵרוּ -u-|-u--|--uu

Et robur terribilium tuorum prædicabunt :

2. וּגְדוּלוֹתֶיךָ אֲסַפְּרֶנָּה -u--|-u- , uuu|

Et magnitudinem tuam, eam enarrabo.

Primum, Ionicum à minori trimetrum brachycatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum: ut Psal. 34. 23. carm. 1.

7. ז

1. זֵכֶר רַב־טוּבְךָ יַבִּיעוּ -u-|-uu-|-u-

Memoriam ampla bonitatis tua eructabunt :

2. וְצִדְקָתְךָ יְרַנֵּנוּ : u--|u--u

Iustitiamque tuam cantabunt.

Primum, epichoriambicum dimetrum.

Secundum, antispasticum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 35. 13. carm. 2.

8. ח

1. חַנּוּן וְרַחוּם יְהוָה --|-u-u

Gratiosum est & misericors Iova :

2. אֶרֶךְ אַפַּיִם וּגְדָל־חָסֶד u-u|u--, uuu|u-u

Longanimis & magnus benignitate.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

9. ט

1. טוֹב יְהוָה לַכֹּל -|u---

Bonus Iova omnibus :

2. וְרַחֲמָיו עַל־כָּל־מַעֲשָׂיו : -u|uuu-uu

Et misericordia ejus erga omnia opera ejus.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum primo spondeo: ut Psal. 34. 12. carm. 1.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

10. י

1. יוֹדוּךָ יְהוָה כָּל־מַעֲשֶׂיךָ -|uuu, u-|----

Celebrabunt te, Iova, omnia opera tua :

2. וַחֲסִידֶיךָ יְבָרְכוּכָה : u-|--u-uu

Et pii tui benedicent tibi.

Primum, trochaicum dimetrum hypercatalectum primo spondeo: ut Psal. 34. 11. carm. 2.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

11. כ

1. כְּבוֹד מַלְכוּתְךָ יֹאמֵרוּ - ,--|--u-

Gloriam regni tui prædicabunt :

2. וּגְבוּרָתְךָ יְדַבֵּרוּ : --u|----

Et potentiam tuam eloquentur.

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum dimetrum catalectum Doricum: ut Psal. 25. 17. 1.

12. ל

1. לְהוֹדִיעַ לִבְנֵי הָאָדָם גְּבוּרֹתָיו -|----|-uu--

Ut notas faciant filiis hominum vires ejus.

2. וּכְבוֹד הֲדַר מַלְכוּתוֹ -- |--uuu

Et gloriam decoris regni ejus.

Primum, anapæsticum trimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 6. carm. 2.

13. מ

1. מַלְכוּתְךָ מַלְכוּת כָּל־עֹלָמִים -u-|uu-|uu-

Regnum tuum, regnum omnium seculorum :

2. וּמֶמְשַׁלְתְּךָ בְּכָל־דּוֹר וָדֹר : -,--|u-, uu- -u-

Et dominium tuum in unamquamque generationem.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum: ut Psal. 25. 12. carm. 1.

14. ס Nun deest.

1. סוֹמֵךְ יְהוָה לְכָל־הַנֹּפְלִים -,uu|uu|---

Sustentat Iova omnes cadentes :

2. וְזוֹקֵף לְכָל־הַכְּפוּפִים : --|uu--

Et erigit omnes incurvatos.

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum brachycatalectum purum.

15. ע

1. עֵינֵי כֹל אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּ -|-u-u|----

Oculi omnium te exspectant :

2. וְאַתָּה נוֹתֵן־לָהֶם אֶת־אָכְלָם בְּעִתּוֹ : u---|-uu, u-|u-

Tu verò das iis escam suam tempore suo.

Primum, jambicum dimetrum hypercatalectum Doricum.

Secundum, jambicum trimetrum brachycatalectum Doricum.

16. פ

1. פּוֹתֵחַ אֶת־יָדֶךָ -u-|uu--

Aperiens manus tuas :

2. וּמַשְׂבִּיעַ לְכָל־חַי רָצוֹן : -u-u-|uuu--

Et saturans omne vivens beneplacito.

Primum, Ionicum à majori, dimetrum catalecticum.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum.

17. צ

1. צַדִּיק יְהוָה בְּכָל־דְּרָכָיו u-u|--u-

Iustus Iova in omnibus viis suis :

2. וְחָסִיד בְּכָל־מַעֲשָׂיו : -|uuu--

Et benignus in omnibus operibus suis.

Primum, jambicum dimetrum catalectum Doricum: ut Psal. 34. 15. carm. 2.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum ut Psal. 34. 6. 2. catal.

18. ק

1. קָרוֹב יְהוָה לְכָל־קֹרְאָיו u-u|----

Propinquus Iova omnibus invocantibus ipsum :

2. לְכֹל אֲשֶׁר יִקְרָאֻהוּ בֶאֱמֶת : uuu-u|u-|u, uu-

Omnibus qui invocant ipsum verè.

Primum, jambicum dimetrum catalectum Doricum: ut Psal. 25. 17. carm. 1.

Secundum, jambicum dimetrum.

19. ר

1. רְצוֹן־יְרֵאָיו יַעֲשֶׂה uu|uu-|--

Placitum reverentium se efficiet :

2. וְאֶת־שַׁוְעָתָם יִשְׁמַע וְיוֹשִׁיעֵם : u|uu-|uu-

Et vociferationem eorum audiens servabit ipsos.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.

Secun-

Secundum, Ionicum à minori dimetrum hypercatalectum purum.

20. ש

1. שׁוֹמֵר יְהוָה אֶת־כָּל־אֹהֲבָיו --u-|uu-u-

Custodit Iova omnes amantes ipsum:

2. וְאֵת כָּל־הָרְשָׁעִים יַשְׁמִיד: -u-|-u-u-

Sed omnes improbos perdet.

Primum, jambicum dimetrum Doricum: ut Psal. 25. 15. carm. 2.

Secundum, trochaicum dimetrum catalectum: ut Psal. 37. 16. carm. 2.

21. ת

1. תְּהִלַּת יְהוָה יְדַבֶּר־פִּי uu--|uu-u-

Laudationem Iova eloquetur os meum:

2. וִיבָרֵךְ כָּל־בָּשָׂר שֵׁם קָדְשׁוֹ u---|u-u-u-|-

Et benedicet omnis caro nomini sanctitatis ejus,

3. לְעוֹלָם וָעֶד: u-|--|-

In seculum & sempiternum.

Primum, Ionicum à minori dimetrum catalectum purum.

Secundum, antispasticum dimetrum hypercatalectum.

Tertium, Dactylicum dimetrum.

Hactenus, Psalmorum Alphabeticorum septem, analysis Poëtica: sequuntur similia Salomonis, & Jeremiæ.

Caput VIII.

Encomii matrisfamilias industriæ, analysis poëtica Prov. cap. 31. à versiculo decimo.

Alphabeticum autem est integrum: & distichum in singulis periodis extat.

Versus 10. א

1. אֵשֶׁת חַיִל מִי יִמְצָא -uuu|-u-

Fœminam strenuam quis invenitt?

2. וְרָחֹק מִפְּנִינִים מִכְרָהּ: --u-|-u-

Nam procul distat à margaritis pretium ejus.

Primum, pæonicum dimetrum ex pæone primo & cretico: ut Psal. 25. 2. carm. 3.

Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum.

11. ב

1. בָּטַח בָּהּ לֵב בַּעְלָהּ -u-|-u-

Confidit ei cor mariti sui:

2. וְשָׁלָל לֹא יֶחְסָר: ---u|-

Et spolium non deficiet.

Primum, pæonicum creticum purum dimetrum.

Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum ut Psal. 145. 9. carm. 1.

12. ג

1. גְּמָלַתְהוּ טוֹב וְלֹא רָע -u--|-u-

Tribuit ei bonum, non verò malum:

2. כֹּל יְמֵי חַיֶּיהָ: --uu-

Omnibus diebus vitæ suæ.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, anapæsticum monometrum.

13. ד

1. דָּרְשָׁה צֶמֶר וּפִשְׁתִּים --uu|-u-

Quatit lanam & lina:

2. וַתַּעַשׂ בְּחֵפֶץ כַּפֶּיהָ: -uu-u|uuuu-

Comparatque prout libet manus suas.

Primum, Ionicum à majori, dimetrum catalectum.

Secundum, pæonicum dimetrum purum.

14. ה

1. הָיְתָה כָּאֳנִיּוֹת סוֹחֵר --uuu|--, u

Est similis navibus mercatoris:

2. מִמֶּרְחָק תָּבִיא לַחְמָהּ: uu--|-u-

E longinquo advehet panem suum.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum ut Psal. 34. 10. carm. 1.

Secundum, Ionicum dimetrum catalecticum.

15. ו

1. וַתָּקָם בְּעוֹד לַיְלָה u-u-|u-

Et surgens dum adhuc nox est,

2. וַתִּתֵּן טֶרֶף לְבֵיתָהּ uu-uu-|-

Dat escam domui suæ.

3. וְחֹק לְנַעֲרֹתֶיהָ -uu-|-u

Et pensum puellis suis.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum purum: ut Psal. 25. 7. carm. 2.

Secundum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.

Tertium, choriambicum dimetrum brachycatalectum.

16. ז

1. זָמְמָה שָׂדֶה וַתִּקָּחֵהוּ ---u|uu--u

Cogitaverit agrum, statim accepit eum:

2. מִפְּרִי כַפֶּיהָ נָטְעָה כָּרֶם: u-uu--|u--u

De fructu manuum suarum plantavit vineam.

Primum, antispasticum dimetrum ex epitritis quartis cum secundi pedis dialysi longæ primæ.

Secundum, antispasticum dimetrum ex jambica syzygia & epitrito quarto.

17. ח

1. חָגְרָה בְעוֹז מָתְנֶיהָ --|-uu|-

Accinxit robore lumbos suos:

2. וַתְּאַמֵּץ זְרוֹעֹתֶיהָ: uu--|-u-

Et confirmavit brachia sua.

Primum, dactyliicum trimetrum catalecticum.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum catalectum ut Psal. 37. 1. carm. 2.

18. ט

1. טָעֲמָה כִּי־טוֹב סַחְרָהּ -u--|-u-

Gustavit bonum esse mercimonium suum:

2. לֹא־יִכְבֶּה בַלַּיְלָה נֵרָהּ u-uuu|---

Non extinguetur noctu lucerna ejus.

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalectum tertio spondeo: ut Psal. 25. 12. carm. 1.

19. י

1. יָדֶיהָ שִׁלְּחָה בַכִּישׁוֹר -u-u|-u--

Manus suas immittit ad verticulum:

2. וְכַפֶּיהָ תָּמְכוּ פָלֶךְ: uu---|-u

Et manus ejus tenent fusum.

Primum, trochaicum dimetrum.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 25. 19. carm. 2.

20. כ

1. כפה פרשה לעני u---|--

Volam suam pandit misero:

2. וידיה שלחה לאביון -u-|u-u--u-

Et manus suas extendit egenti.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Secundum, antispasticum periodicum ex trochaica & jambica syzygia.

21. ל

1. לא־תירא לביתה משלג u-u-|----

Non timet familiæ suæ à nive:

2. כי כל־ביתה לבש שנים: --,uu-|--u-u-

Nam tota domus ejus induta est duplicibus.

Primum, trochaicum dimetrum primo spondeo: ut Psal. 34. 11. carm. 2.

Secundum, trochaicum dimetrum.

22. מ

1. מרבדים עשתה־לה |---uu

Caducea parat sibi:

2. שש וארגמן לבושה u-|-u-- u-

Xylinum & purpuram, vestimentum suum.

Primum, antispasticum monometrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

23. נ

1. נודע בשערים בעלה -u-|-u--

Notus est in portis maritus ejus:

2. בשבתו עם זקני־ארץ: u-|-uu-u

Dum sedet cum senioribus regionis.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum periodicum, ex jambica syzygia & trochaica catalectica.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

24. ס

1. סדין עשתה ותמכור -u-|----

Sindonem conficit ac vendit:

2. וחגור נתנה לכנעני u-,uu-|--uu

Et cingulum tradit negotiatori.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, epionicum à minori, ex Ionico, & jambica syzygia.

25. ע

1. עז־והדר לבושה -|-|--

Robur & decor, vestitus ejus:

2. ותשחק ליום אחרון: -uu-uu

Et ridet in diem posterum.

Primum, dactylicum trimetrum catalectum ut Psal. 25. 8. carm. 1.

Secundum, anapæsticum monometrum purum.

26. פ

1. פיה פתחה בחכמה u-|----

Os suum aperit sapientiâ:

2. ותורת־חסד על־לשונה: u-|uuuu-

Et lex benignitatis insidet linguæ ejus.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

27. צ

1. צופיה הליכות ביתה ----|u-u-

Speculatur incessus familiæ suæ:

2. ולחם עצלות לא תאכל: u-|--uuu

Neque panem pigritiæ comedit.

Primum, trochaicum dimetrum anomalum, tertio spondeo, pro trochæo: ut Psal. 25. 4. carm. 1.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum: ut Psal. 112. 10. carm. 3.

28. ק

1. קמו בניה ויאשרוה ---u|-uu--

Assurgunt filii ejus, & beatum prædicant ipsam:

2. בעלה ויהללה uuu-u

Maritus ejus etiam laudat eam.

Primum, trochaicum dimetrum primo spondeo, pro trochæo: ut Psal. 34. 12. carm. 1.

Secundum, jambicum monometrum: ut Psal. 119. 5. carm. 2.

29. ר

1. רבות בנות עשו חיל u---|---u

Dicens, *multæ filiæ fecerunt strenuè:*

2. ואת עלית על־כלנה u--u|u--

Tu verò superasti omnes istas.

Primum, antispasticum dimetrum ut Psal. 25. 20. carm. 2.

Secundum, antispasticum dimetrum catalectum purum.

30. ש

1. שקר החן והבל היפי uuu-|uuu-|uuuu

Fallacia est gratia & vanitas pulchritudo:

2. אשה יראת־יהוה היא תתהלל

u-uu-|--uu|-

Mulier reverentia Iovæ prædita ipsa celebrabitur.

Primum, pæonicum dimetrum hypercalectum purum.

Secundum, epionicum à majori dimetrum hypercatalectum.

31. ת

1. תנו־לה מפרי ידיה --u-|-u-

Date ei de fructu manuum ejus:

2. ויהללוה בשערים מעשיה -u--|u--|u|uu-

Et laudent eam in portis facta ejus.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum periodicum: ut vers. 10. carm. 2.

Secundum, antispasticum trimetrum brachycatalectum.

CAPUT IX.

Analysis Poëtica capitis tertii Lamentationum JEREMIÆ.

IN hoc capite continetur Alphabethum triplex: ita ut ordine terni versiculi, ab Alphabethica litera eadem inchoentur: & distichis (præter 56.) constant. Litera autem *tsadi* post *pe* inverso ordine comperitur.

VERSUS I. א

1. אני הגבר ראה עני u-uuu|--u-

Ego, vir iste, expertus afflictionem:

2. בשבט

2. בְּשֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ׃ -υυ-|-

Virgâ excandescentiæ illius.

Primum, jambicum dimetrum.

Secundum, choriambicum monometrum hypercatalectum.

2. א

1. אוֹתִי נָהַג וַיֹּלַךְ -- |-υυ|-υ

Me duxit & egit,

2. חֹשֶׁךְ וְלֹא־אוֹר׃ -υ--

Tenebris, non autem luce.

Primum, dactylicum trimetrum: ut Psal. 25. 21. carm. 1.

Secundum, trochaicum monometrum.

3. א

1. אַךְ בִּי יָשֻׁב υ--υ

Tantum contra me reversus,

2. יַהֲפֹךְ יָדוֹ כָּל־הַיּוֹם υυ---|υυ-

Invertit manum suam toto die.

Primum, antispasticum monometrum purum.

Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.

4. ב

1. בִּלָּה בְשָׂרִי וְעוֹרִי υ---|--

Terit carnem meam & cutem meam,

2. שִׁבַּר עַצְמוֹתָי υυυ--|

Confringit ossa mea.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Secundum, trochaicum monometrum: ut vers. 2. carm. 2.

5. ב

1. בָּנָה עָלַי υ---

Extruit contra me,

2. וַיַּקַּף רֹאשׁ וּתְלָאָה׃ υυυ--|-υ

Et cingit cicuta & molestia.

Primum, dactylicum monometrum: ut Psal. 145. 21. carm. 3.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 112. 10. carm. 3.

6. ב

1. בְּמַחֲשַׁכִּים הוֹשִׁיבַנִי υυυ--|-υ-

In tenebrosis locis collocat me,

2. כְּמֵתֵי עוֹלָם׃ --|--

Ut mortuos olim.

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum.

Secundum, dactylicum dimetrum.

7. ג

1. גָּדַר בַּעֲדִי וְלֹא אֵצֵא -υυ, υ-|--υ,

Sepit circum me non exeam:

2. הִכְבִּיד נְחָשְׁתִּי υ-υ-

Aggravat chalybeam numellam meam.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.

Secundum, jambicum monometrum ut Psal. 25. 1. 2. purum.

8. ג

1. גַּם כִּי אֶזְעַק וַאֲשַׁוֵּעַ υ-υυυ|υυ-υ

Etiam quum clamo & vociferor,

2. שָׂתַם תְּפִלָּתִי׃ -υ--|-

Obstruit orationi meæ.

Primum, antispasticum dimetrum ex antispasto cum dialysi secundæ longæ, & pæone tertio.

Primum, jambicum monometrum hypercatalecticum ut Psal. 25. 4. carm. 2.

9. ג

1. גָּדַר דְּרָכַי בְּגָזִית -υ-υ|-υ

Sepit vias meas caso lapide;

2. נְתִיבֹתַי עִוָּה --υυ|-

Semitas meas pervertit.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.

Secundum, Ionicum à majori, monometrum hypercatalecticum.

10. ד

1. דֹּב אֹרֵב הוּא לִי --|--|-

Ursus insidians mihi:

2. אֲרִיה בְּמִסְתָּרִים׃ υ-υ-|υ

Leo in latibulis.

Primum, dactylicum trimetrum brachycatalecticum ut Psal. 25. 8. carm. 1.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum purum: ut Psal. 25. 4. carm. 2.

11. ד

1. דְּרָכַי סוֹרֵר וַיְפַשְּׁחֵנִי -υ--|υυ--

Vias meas vagas efficit, & discerpit me:

2. שָׂמַנִי שֹׁמֵם׃ --|--|-

Reddit me desolatum.

Primum, Ionicum à minori, dimetrum.

Secundum, dactylicum trimetrum ut vers. 10. carm. 1.

12. ד

1. דָּרַךְ קַשְׁתּוֹ וַיַּצִּיבֵנִי -υυ|-υυ|--|-

Tendens arcum suum statuit me,

2. כַּמַּטָּרָא לַחֵץ׃ υυ--|υυ

Ut scopum sagittæ suæ.

Primum, dactylicum tetrametrum catalectum.

Secundum, Ionicum à minori, dimetrum brachycatalectum purum.

13. ה

1. הֵבִיא בְּכִלְיוֹתָי --υ-|-

Immittit in renes meos.

2. בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ -υ--

Tela pharetræ suæ.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum monometrum.

14. ה

1. הָיִיתִי שְׂחֹק לְכָל־עַמִּי ----|υυ-

Sum risui cum toto populo meo,

2. נְגִינָתָם כָּל־הַיּוֹם׃ --|-υυ|-

Modulatio illorum toto die.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 34. 16. carm. 1.

Secundum, dactylicum trimetrum catalectum ut Psal. 15. 21. carm. 1.

15. ה

1. הִשְׂבִּיעַנִי בַמְּרוֹרִים υ-υ|-υ-|υ-

Satiat me amaritudinibus.

2. הִרְוַנִי לַעֲנָה uu-uu-uu-

Inebrias me absinthio.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum purum.
Secundum, anapæsticum monometrum purum.

16. ו

1. וַיַּגְרֵס בֶּחָצָץ שִׁנָּי uu-u-|-u-

Et comminuit scrupo dentes meos,

2. הִכְפִּישַׁנִי בָּאֵפֶר u-u-|--u

Deprimit me in cinerem.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum periodicum: ut Psal. 25. 2. carm. 1.
Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

17. ו

1. וַתִּזְנַח מִשָּׁלוֹם נַפְשִׁי uuuu-|-u-

Rejicisque à pace animam meam.

2. נָשִׁיתִי טוֹבָה׃ --|--|-

Adeo ut obliviscar boni.

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum periodicum.
Secundum, dactylicum trimetrum catalecticum.

18. ו

1. וָאֹמַר אָבַד נִצְחִי --u-|uu-

Dicens, periit robur meum:

2. וְתוֹחַלְתִּי מֵיְהוָה -u--|-u

Et spes mea à Iova.

Primum, epionicum à minori, dimetrum catalectum.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

19. ז

1. זְכָר־עָנְיִי וּמְרוּדִי uu---|-

Recordare afflictionis meæ & planctus mei,

2. לַעֲנָה וָרֹאשׁ uu---|

Absinthii & cicutæ.

Primum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.
Secundum, anapæsticum monometrum.

20. ז

1. זָכוֹר תִּזְכּוֹר u-u-

Planè recordatur,

2. וְתָשִׁיחַ עָלַי נַפְשִׁי -u-u-|uu-

Et meditatur de me anima mea.

Primum, jambicum monometrum.
Secundum, epionicum dimetrum catalectum.

21. ז

1. זֹאת אָשִׁיב אֶל־לִבִּי --|-uu|-

Hoc revoco in animum meum,

2. עַל־כֵּן אוֹחִיל u-uu-

Propterea spero:

Primum, dactylicum trimetrum catalectum.
Secundum, antispasticum monometrum: ut Psal. 25. 2. carm. 2.

22. ח

1. חַסְדֵי יְהוָה כִּי לֹא־תָמְנוּ u---|-u---u

Sunt *benignitates Iovæ, quod non simus absumpti:*

2. כִּי לֹא־כָלוּ רַחֲמָיו׃ ----uu-

Quia non deficiunt miserationes ejus.

Primum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 15. v. 20. carm. 2.
Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.

23. ח

1. חֲדָשִׁים לַבְּקָרִים u--u-|--

Novæ sunt singulis matutinis:

2. רַבָּה אֱמוּנָתֶךָ u-u-|-u-

Ampla est fides tua.

Primum, antispasticum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum periodicum.

24. ח

1. חֶלְקִי יְהוָה אָמְרָה נַפְשִׁי u---|-u--

Portio mea Iova est, dicit anima mea:

2. עַל־כֵּן אוֹחִיל לוֹ׃ u---|-

Propterea sperabo in eo.

Primum, jambicum dimetrum Doricum, secundo spondeo, pro jambo.
Secundum, idem monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

25. ט

1. טוֹב יְהוָה לְקֹוָו --|--|-

Bonum est Iova expectantibus eum:

2. לְנֶפֶשׁ תִּדְרְשֶׁנּוּ uuuu, u-

Animæ requirenti ipsum.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.

26. ט

1. טוֹב וְיָחִיל וְדוּמָם --|--|-

Beatus cum expectans, tum acquiescens

2. לִתְשׁוּעַת יְהוָה u-u-|-

In salute Iovæ.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

27. ט

1. טוֹב לַגֶּבֶר uuu-

Bene est viro isti:

2. כִּי־יִשָּׂא עֹל בִּנְעוּרָיו -u-|-u-|-

Quum tulerit jugum in pueritia sua.

Primum, pæonicum monometrum purum.
Secundum, pæonicum Creticum dimetrum hypercatalectum.

28. י

1. יֵשֵׁב בָּדָד וְיִדֹּם u-u--

Qui sedens solitarius acquiescit;

2. כִּי נָטַל עָלָיו׃ u-u--|-

Quia imposuit ipsi.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalecticum.

29. י

1. יִתֵּן בֶּעָפָר פִּיהוּ׃ u-u-|--u

Indit pulveri os suum:

2. אוּלַי יֵשׁ תִּקְוָה -u-u|-

Quod *fortè sit expectatio.*

Primum,

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

30. י

1. יִתֵּן לְמַכֵּהוּ לֶחִי

Præbet percutienti se genam,

2. יִשְׂבַּע בְּחֶרְפָּה׃

Satiatur opprobrio.

Primum, antispasticum dimet. catalectum periodicum.
Secundum, pæonicum monometrum purum.

31. כ

1. כִּי לֹא יִזְנַח

Quia non rejicit,

2. לְעוֹלָם אֲדֹנָי׃

In seculum Dominus.

Primum, jambicum monometrum.
Secundum, idem hypercatalectum.

32. כ

1. כִּי־אִם הוֹגָה

Quod si affecit mæstitia,

2. וְרִחַם כְּרֹב חֲסָדָיו׃

Et miseretur pro amplitudine benignitatum suarum.

Primum, trochaicum monometrum.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

33. כ

1. כִּי לֹא עִנָּה מִלִּבּוֹ

Quia non affligit ex animo suo,

2. וַיַּגֶּה בְּנֵי־אִישׁ׃

Et mæstitia afficit filios viri.

Primum, epionicum à minori dimetrum catalecticum.
Secundum, pæonicum monometrum hypercatalectum.

34. ל

1. לְדַכֵּא תַּחַת רַגְלָיו

Conterere sub pedibus suis,

2. כֹּל אֲסִירֵי אָרֶץ׃

Omnes vinctos terræ.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.

35. ל

2. לְהַטּוֹת מִשְׁפַּט גָּבֶר

Detorquere jus viri,

2. נֶגֶד פְּנֵי עֶלְיוֹן׃

Coram facie superioris.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, idem acatalectum.

36. ל

1. לְעַוֵּת אָדָם בְּרִיבוֹ

Pervertere hominem in lite sua,

2. אֲדֹנָי לֹא רָאָה׃

Dominus non probat.

Utrumque jambicum Doricum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 37. 22. carm. 2.

37. מ

1. מִי זֶה אָמַר וַתֶּהִי

Quis iste, quo dicente res exstiterit;

1. אֲדֹנָי לֹא צִוָּה

Domino non præcipiente.

Primum, Ionicum à minori catalectum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 34. 20. carm. 1.

38. מ

1. מִפִּי עֶלְיוֹן לֹא תֵצֵא

Ex ore excelsi nonne prodit,

2. הָרָעוֹת וְהַטּוֹב

Malum quodque & bonum.

Primum, jambicum dimetrum catalectum.
Secundum, trochaicum monometrum hypercatalecticum, pede primo spondeo pro trochæo: ut Psal. 145. 9. 1.

39. מ

1. מַה־יִּתְאוֹנֵן אָדָם חָי

Cur quiritatur homo vivens?

2. גֶּבֶר עַל־חֲטָאו

Vir propter peccata sua quiritetur.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

40. נ

1. נַחְפְּשָׂה דְרָכֵינוּ וְנַחְקֹרָה

Perscrutemur vias nostras & pervestigemus:

2. וְנָשׁוּבָה עַד־יְהוָה׃

Atque revertamur usque ad Iovam.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum ut Psal. 34. 12. carm. 1.

41. נ

1. נִשָּׂא לְבָבֵנוּ אֶל־כַּפַּיִם

Attollamus cor nostrum cum manibus:

2. אֶל־אֵל בַּשָּׁמָיִם׃

Ad Deum in cœlis.

Primum, epichoriambicum hypercatalecticum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.

42. נ

1. נַחְנוּ פָשַׁעְנוּ וּמָרִינוּ

Nos defecimus & rebellavimus:

2. אַתָּה לֹא סָלָחְתָּ

Tu non condonasti.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalecticum ut Psal. 25. 17: carm. 2.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 34. 20. carm. 1.

43. ס

1. סַכּוֹתָה בָאַף וַתִּרְדְּפֵנוּ

Obtegis ira & persequeris nos;

2. הָרַגְתָּ לֹא חָמָלְתָּ

Interficis, non uteris clementia.

Primum, antispasticum dimetrum ex epitrito primo & trochaica syzygia.*
Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum.

44. ס

1. סַכּוֹתָה בֶעָנָן לָךְ

Obtegis nube te,

2. מֵעֲבוֹר תְּפִלָּה׃ -u-u-|u-

Ne pertranseat oratio.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum.
Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

45. ס

1. סְחִי וּמָאוֹס תְּשִׂימֵנוּ -|--|--|--|-

Purgamentum & rejectamentum statuis nos,

2. בְּקֶרֶב הָעַמִּים׃ -u-uu

In medio populorum.

Primum, dactylicum tetrametrum catalectum.
Secundum, jambicum monometrum.

46. פ ante ע.

1. פָּצוּ עָלֵינוּ פִּיהֶם u|--|--|--|u

Dilatant contra nos os suum,

2. כָּל־אֹיְבֵינוּ׃ u---

Omnes inimici nostri.

Primum, dactylicum tetrametrum catalectum.
Secundum, antispasticum monometrum: ut Psal. 25. 2. carm. 2.

47. פ

1. פַּחַד וָפַחַת הָיָה לָנוּ -,--|-uu-uu-uu

Pavor & fovea adest nobis,

2. הַשֵּׁאת וְהַשָּׁבֶר u|-u-u

Vastatio & contritio.

Primum, anapæsticum, dimetrum catalectum.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum purum.

48. פ

1. פַּלְגֵי־מַיִם תֵּרַד עֵינִי -uu|-uu-u

Rivis aquarum delabitur oculus meus:

2. עַל־שֶׁבֶר בַּת־עַמִּי׃ uuu ,uuu

Propter contritionem filiæ populi mei.

Primum, jambicum dimetrum catalectum.
Secundum, jambicum monometrum.

49. ע

1. עֵינִי נִגְּרָה וְלֹא תִדְמֶה u-u|-u--u

Oculus meus defluit nec desistit,

2. מֵאֵין הֲפֻגוֹת׃ |-uu--

Quod nulla sint intermissiones.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum periodicum: ut Psal. 25. 2. carm. 1.
Secundum, anapæsticum monometrum.

50. ע

1. עַד־יַשְׁקִיף וְיֵרֶא u-,-uu

Donec prospiciat & videat,

2. יְהוָה מִשָּׁמָיִם׃ u-|-u---

Iova è cœlis.

Primum, anapæsticum monometrum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.

51. ע

1. עֵינִי עוֹלְלָה לְנַפְשִׁי -u|----

Oculus meus afficit animam meam,

1. מִכֹּל בְּנוֹת עִירִי׃ -|---u

Præ omnibus filiabus civitatis meæ.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.

Secundum, simile monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

52. צ

1. צוֹד צָדוּנִי כַּצִּפּוֹר -uu|----

Venando venantur me tanquam avem,

2. אֹיְבַי חִנָּם׃ -uu-

Inimici immeritò.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, choriambicum monometrum,

53. צ

1. צָמְתוּ בַבּוֹר חַיָּי u-|u-u--

Excindunt in fovea vitam meam;

2. וַיַּדּוּ־אֶבֶן בִּי׃ -uu-uu

Et projiciunt lapidem in me.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, anapæsticum monometrum purum.

54. צ

1. צָפוּ־מַיִם עַל־רֹאשִׁי --|u-uu--

Inundant aquæ supra caput meum:

2. אָמַרְתִּי נִגְזָרְתִּי׃ u-|u-u-u

Dico, succisus sum.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.

55. ק

1. קָרָאתִי שִׁמְךָ יְהוָה --|u---

Invoco nomen tuum Iova,

2. מִבּוֹר תַּחְתִּיּוֹת׃ uuu-u

E lacu inferorum.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum ex epitritis quartis.
Secundum, jambicum monometrum.

56. ק

1. קוֹלִי שָׁמָעְתָּ -|--|--

Vocem meam exaudivisti:

2. אַל־תַּעְלֵם אָזְנְךָ -u-uu

Ne occultes aurem tuam;

3. לְרַוְחָתִי לְשַׁוְעָתִי --|u--u

Ad anhelationem meam, ad vociferationem meam.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.
Tertium, antispasticum dimetrum brachycatalecticum.

57. ק

1. קָרַבְתָּ בְּיוֹם אֶקְרָאֶךָּ -u-u|--u-

Appropinquabas quo die invocabam te:

2. אָמַרְתָּ אַל־תִּירָא׃ --|u-u-

Dicebas, ne timeto.

Primum, antispasticum periodicum dimetrum.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.

58. ר

1. רַבְתָּ אֲדֹנָי רִיבֵי נַפְשִׁי |-u|--|-u-|u-u

Agebas, Domine, causas animæ meæ:

2. גָּאַלְתָּ חַיָּי -|u-u-

Redimebas vitam meam.

Primum, antispasticum dimetrum hypercatalecticum.

Secun-

Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum purum.

59. ר

1. רָאִיתָה יְהֹוָה עַוָּתָתִי ‑‑‑‑|‑‑|‑◡‑‑|‑

Vidisti, Iova, perversitatem meam:

2. שָׁפְטָה מִשְׁפָּטִי : ◡‑◡‑|◡

Iudica judicium meum.

Primum, trochaicum dimetrum primo spondeo pro trochæo ut Psal. 145. 3. carm. 1. hypercatalectum.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum purum.

60. ר

1. רָאִיתָה כָּל־נִקְמָתָם ‑‑|‑‑◡◡|‑‑

Vides totam ultionem istorum;

2. כָּל־מַחְשְׁבוֹתָם לִי : ◡◡‑,‑‑

Omnes cogitationes istorum contra me.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, anapæsticum monometrum.

61. ש

1. שָׁמַעְתָּ חֶרְפָּתָם יְהֹוָה ‑◡‑◡|‑‑‑‑

Audis probrum istorum Iova;

2. כָּל־מַחְשְׁבוֹתָם עָלָי : ◡◡‑‑‑|‑

Omnes cogitationes istorum contra me.

Primum, trochaicum dimetrum, tertio spondeo: ut Psal. 25. 4. carm. 1.

Secundum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.

62. ש

1. שִׂפְתֵי קָמַי וְהֶגְיוֹנָם ◡‑‑◡|◡‑‑

Labia insurgentium in me; & meditationem istorum,

2. עָלַי כָּל־הַיּוֹם ‑◡◡,◡‑

Contra me, toto die.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum purum.

Secundum, jambicum monometrum.

63. ש

1. שִׁבְתָּם וְקִימָתָם הַבִּיטָה ◡‑‑‑|‑|‑◡‑

Sedere istorum, & surgere istorum intuere,

2. אֲנִי מַנְגִּינָתָם : ◡‑◡‑|‑‑

Me esse modulationem istorum.

Primum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 112. 1 carm. 1.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

64. ת

1. תָּשִׁיב לָהֶם גְּמוּל יְהֹוָה ‑‑‑|◡|‑‑‑

Redde eis retributionem, Iova:

2. כְּמַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם : ◡◡‑‑◡

Secundum opus manuum ipsorum.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum: ut Psal. 34. 15. carm. 2.

Secundum, anapæsticum monometrum: ut vers. 19. carm. 2.

65. ת

1. תִּתֵּן לָהֶם מְגִנַּת לֵב ◡◡‑|◡‑‑◡

Adhibe his protectionem cordis;

2. תַּאֲלָתְךָ לָהֶם ◡|‑‑◡◡

Execrationem tuam illis.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum: ut Psal. 34. 17. carm. 2.

Secundum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.

66. ת

1. תִּרְדֹּף בְּאַף וְתַשְׁמִידֵם ‑|‑◡◡◡‑◡

Persequere ira & perde ipsos,

2. מִתַּחַת שְׁמֵי יְהֹוָה : ‑|‑‑◡◡◡

Ne sint sub cœlis Iova.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

Hæc de Alphabeticis poëmatibus: sequuntur ex Mose & Jobo diversa.

CAPUT X.

Analysis Poëtica cantici primi Mosis Exodi 15.

Versiculi hujus cantici sunt novemdecim: constant autem (pro dispari longitudine) quatuor eorum, disticho, ut 3. 12. 14. 18. quinque tristicho, 1. 5. 8. 11. 15. octo, tetrasticho, ut 2. 4. 6. 7. 10. 13. 16. 17: denique nonum, pentasticho, & decimum nonum hexasticho.

VERSUS 1.

1. אָשִׁירָה לַיהֹוָה ‑‑|‑‑|‑‑‑

Cantabo Iova,

2. כִּי־גָאֹה גָּאָה ‑|‑‑|‑‑

Quia excellendo excelluit;

3. סוּס וְרֹכְבוֹ רָמָה בַיָּם : ◡‑|‑‑|‑‑|‑‑

Equum & sessorem ejus dejecit in mare.

Primum, dactylicum trimetrum.

Secundum, simile catalecticum.

Tertium, trimetrum simile.

2.

1. עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ ‑|‑◡‑◡

Robur meum & carmen Iah,

2. וַיְהִי־לִי לִישׁוּעָה ‑‑|‑‑‑◡

Quia fuit mihi saluti:

3. זֶה אֵלִי וְאַנְוֵהוּ ‑‑|◡‑◡

Hic est Deus meus, cui tabernaculum parabo,

4. אֱלֹהֵי אָבִי וַאֲרֹמְמֶנְהוּ : ‑◡|‑◡◡‑|‑‑‑

Deus patris mei, quem exaltabo.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Tertium, antispasticum dimetrum brachycatalectum.

Quartum, epichoriambicum trimetrum brachycatalectum.

3.

1. יְהֹוָה אִישׁ מִלְחָמָה ‑‑|◡|‑‑‑

Iova est vir bellicosus:

2. יְהֹוָה שְׁמוֹ : ‑|‑‑

Iova nomen ejus.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum: ut Psal. 34. 12. carm. 1.

Secundum, dactylicum dimetrum catalecticum.

4.

1. מַרְכְּבֹת פַּרְעֹה וְחֵילוֹ ‑‑|◡‑◡‑◡

Currus Pharaonis, & copias ejus,

2. ירה בים --|u-

Præcipitavit in mare:

3. ומבחר שלשיו -uu|--|-

Et delectus præfectorum ejus,

4. טבעו בים־סוף: u-u-

Demersus est in mare algosum.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.
Secundum, jambicum monometrum.
Tertium, dactylicum trimetrum catalectum.
Quartum, jambicum monometrum purum.

5.

1. תהמת יכסימו --uu-

Abyssi operuerunt eos:

2. ירדו במצולות --u-|-

Descenderunt in profunda.

3. כמו־אבן: --u

Instar lapidis.

Primum, anapæsticum monometrum: ut Psal. 37. 7. carm. 3.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Tertium, jambicum monometrum catalecticum.

6.

1. ימינך יהוה --|--

Dexterà tua, Iova,

2. נאדרי בכח uu--|u-u

Magnifica est, virtute:

3. ימינך יהוה --|-

Dextera tua, Iova,

4. תרעץ אויב: u-u-

Confringis hostem.

Primum, dactylicum dimetrum.
Secundum, epionic. à minori dimetrum catalecticum.
Tertium, dactylicum dimetrum.
Quartum, Ionicum à minori monometrum.

7.

1. וברב גאונך --|--

Et magnitudine excellentiæ tuæ.

2. תהרס קמיך uu--|uu

Subvertis insurgentes contra te:

3. תשלח חרנך uu--

Immittis furorem tuum,

4. יאכלמו כקש ---u|u

Qui *consumat eos ut stipulam.*

Primum, dactylicum Dimetrum.
Secundum, Ionicum à minori dimetrum brachycatalectum purum.
Tertium, trochaicum monometrum.
Quartum, idem monometrum hypercatalectum Doricum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

8.

1. וברוח אפיך --uu|-

Et flatu narium tuarum

2. נערמו מים uu-uu

Coacervatæ sunt aquæ,

3. נצבו כמו־נד נזלים uu---|--|-

Constiterunt velut cumulus, fluida:

4. קפאו תהמת בלב־ים ----|u-

Concreverunt abyssi in intimo maris.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, jambicum monometrum.
Tertium, jambicum dimetrum brachycatalectum, Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.
Quartum, simile: quippe secundo pede spondeo, pro jambo.

9.

1. אמר אויב ארדף אשיג -u--|u-u-

Dixerat hostis, persequar, assequar;

2. אחלק שלל uu---

Dividam prædam:

3. תמלאמו נפשי u---|u-

Explebitur eis anima mea,

4. אריק חרבי --u-

Exseram gladium meum,

5. תורישמו ידי --|--|--

Depauperabit eos manus mea.

Primum, antispasticum dimetrum periodicum.
Secundum, anapæsticum monometrum.
Tertium, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 34. 20. carm. 1.
Quartum, jambicum monometrum.
Quintum, dactylicum trimetrum.

10.

1. נשפת ברוחך -u--|uu

Flavisti vento tuo,

2. כסמו ים u--u

Operuit eos mare:

3. צללו כעופרת -u--|-uu

Profunda petierunt tanquam plumbum;

4. במים אדירים uuu--

In aquis validis.

Primum, Ionicum à minori ex trochaica syzygia & Ionico à majori brachycatalectum.
Secundum, antispasticum monometrum.
Tertium, trochaicum dimetrum catalecticum.
Quartum, trochaicum monometrum.

11.

1. מי־כמכה באלים יהוה --|--|--|--|-

Quis sicut tu in Diis, Iova?

2. מי כמכה נאדר בקדש ---|u-uu-u-|u

Quis sicut tu magnificus in sanctitate?

3. נורא תהלות עשה־פלא -u--|-u--|-uu

Reverendus laudibus, mirificus?

Primum, dactylicum pentametrum catalecticum;
Secundum, jambicum dimetrum hypercatalectum Doricum, secundo spondeo pro jambo: ut Psal. 154. v. 15. carm. 1.
Tertium, jambicum dimetrum.

12.

1. נטית ימינך --|--|-

Extendisti dexteram tuam,

2. תבלעמו ארץ u---|-u

Deglutivit eos terra.

Primum, dactylicum trimetrum brachycatalectum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

13.

1. נחית בחסדך ---υ|-

Ducis benignitate tua

2. עם־זו גאלת υ---|-

Populum quem redemisti:

3. נהלת בעזך -υ-|-

Commodè ducis robore tuo

4. אל־נוה קדשך υ-υυ-

Ad habitaculum sanctitatis tuæ.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum ut Psal. 145. 9. carm. 1. primo spondeo.

Secundum, antispasticum monometrum hypercatalectum.

Tertium, trochaicum hypercatalectum.

Quartum, jambicum monometrum.

14.

1. שמעו עמים ירגזון υ-υ-|υ--

Audiverint populi, commovebuntur:

2. חיל אחז ישבי פלשת --υ-|--υ

Dolor corripiet incolas Philistææ.

Primum, jambicum dimetrum catalectum.

Secundum, simile.

15.

1. אז נבהלו אלופי אדום -υυ-|υ--|-

Tunc turbabuntur duces Edomæorum,

2. אילי מואב יאחזמו רעד ----|-υ--|-υ

Potentes Moabitarum, corripiet eos tremor:

3. נמגו כל ישבי כנען --|--|--|υ

Diffluent omnes incolæ Cananææ.

Primum, epichoriambicum dimetrum hypercatalectum.

Secundum, trochaicum trimetrum, brachycatalectum, primo spondeo pro trochæo.

Tertium, dactylicum tetrametrum.

16.

1. תפל עליהם אימתה ופחד υ-υ-|υ---|-υυ

Irruet super eos formido & pavor:

2. בגדל זרועך ידמו כאבן υ--υ|-υ--|-υ

Magnitudine brachii tui conticescent tanquam lapis:

3. עד־יעבר עמך יהוה υυυυ-υ|--, -

Donec transierit populus tuus, Iehova,

4. עד־יעבר עם־זו קנית: υυυ-υ----

Donec transierit populus quem acquisivisti.

Primum, antispasticum trimetrum catalectum.

Secundum, antispasticum trimetrum brachycatalectum.

Tertium, trochaicum dimetrum catalecticum tertio spondeo, pro trochæo: ut Psal. 25. 12. carm. 1.

Quartum, trochaicum dimetrum tertio quoque spondeo.

17.

1. תבאמו ותטעמו ---υ|---

Introduces eos & plantabis eos,

2. בהר נחלתך υυυ, --

In monte possessionis tuæ,

3. מכון לשבתך פעלת יהוה --υ-|-υ--|-

Loco quem ad habitationem tuam operatus es, Iova;

4. מקדש אדני כוננו ידיך: υ-υ-|----υ-

Sanctuario, Domine, quod stabiliverunt manus tuæ.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum.

Secundum, trochaicum monometrum.

Tertium, antispasticum dimetrum hypercatalectum.

Quartum, jambicum trimetrum brachycatalecticum Alcmaicum, quarto pede spondeo, pro jambo: ut Psal. 25. 20. carm. 1. & 37. 14. carm. 2.

18.

1. יהוה ימלך --υ-

Iova regnabit

2. לעלם ועד ---υ

In seculum & sempiternum.

Primum, jambicum monometrum.

Secundum, dactylicum monometrum.

19.

1. כי בא סוס פרעה ---υ|-

Etenim processit equus Pharaonis.

2. ברכבו ובפרשיו בים ---|--υ-

Cum curru ejus & equitibus ejus in mare;

3. וישב יהוה עלהם υ-υ|-υ-υ

At reduxit Deus super eos

4. את־מי הים υ-υ-

Aquas maris:

5. ובני ישראל הלכו ביבשה --υ-|---υ|υ--

Sed filii Israëlis iverunt per aridam,

6. בתוך הים: -υ-

In medio maris.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalectum ut Psal. 145. 9. carm. 1. primo spondeo pro trochæo.

Secundum, jambicum dimetrum Doricum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

Tertium, antispasticum: seu periodus pura, ex dijambo & ditrochæo.

Quartum, jambicum monometrum.

Quintum, antispasticum trimetrum catalectum.

Sextum, pæonicum creticum monometrum.

CAPUT XII.

Cantici secundi Mosis, Deuteronomii cap. 32.

Analysis Poëtica.

Versiculi hujus cantici sunt quadraginta tres: ac constant disticho, sedecim: 3. 5. 9. 12. 16. 18. 19. 23. 26. 28. 29. 31. 33. 34. 37. 40. tetrasticho, viginti quatuor reliqui: præter 1. qui tristichum: & 14. & 39. qui pentastichum continent.

VERSUS I.

1. האזינו השמים υυ--|υ-υυ

Præbete aures cœli,

2. ואדברה υυυ--

Et eloquar:

3. ותשמע הארץ אמרי פי: υυ--|υυ-υ

Et audito terra sermones oris mei.

Primum, epionicum à minori, dimetrum.

Secundum, trochaicum monometrum.

Tertium, Ionicum à minori, dimetrum purum.

2.

1. יערף כמטר לקחי υυ-υ-|-υ-

Stillabit tanquam pluvia disciplina mea,

תזל 2.

2. תִּזַּל כַּטַּל אִמְרָתִי u uu u‑|‑

Fluet tanquam ros sermo meus:

3. כִּשְׂעִירִם עֲלֵי־דֶשֶׁא u‑‑u|u‑|uu

Ut tenues pluviæ super herbulam,

4. וְכִרְבִיבִים עֲלֵי־עֵשֶׂב: u‑‑u|u‑‑|u

Et sicut imbres super herbam.

Primum, antispasticum dimetrum catalectum ex jambic. & trochaic. syzygia periodicum.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Tertium, antispasticum dimetrum catalecticum.

Quartum, simile ex antispastic. & jambic. syzygia catalectum.

3.

1. כִּי שֵׁם יְהוָה אֶקְרָא ‑‑‑‑|u‑

Quia nomen Iovæ prædicabo:

2. הָבוּ גֹדֶל לֵאלֹהֵינוּ ‑‑‑u|u‑‑u

Tribuite magnitudinem Deo nostro.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum: ut Psal. 4. 4. carm. 2.

Primum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 25. 20. carm. 2.

4.

1. הַצּוּר תָּמִים פָּעֳלוֹ u‑‑‑'uu‑

Illi rupi cujus opus perfectum,

2. כִּי כָל־דְּרָכָיו מִשְׁפָּט ‑u‑|u‑u‑

Quia omnes viæ ejus sunt jus:

3. אֵל אֱמוּנָה וְאֵין עָוֶל ‑u‑‑|‑‑u

Deus fidei, & expers iniquitatis,

4. צַדִּיק וְיָשָׁר הוּא: u‑‑‑|‑

Iustus est rectus est.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum ex epitrito primo & pæone tertio catalactico, pro antispasto.

Secundum, pæonicum dimetrum Creticum purum: ut Prov. 31. 11. carm. 1.

Tertium, antispasticum dimetrum catalelectum periodicum, ex trochaica & jambica syzygia.

Quartum, jambicum Doricum monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

5.

1. שִׁחֵת לֹא בָנָיו מוּמָם u‑‑‑|‑‑‑u

Corrupit se, non filii ejus, eorum macula:

3. דּוֹר עִקֵּשׁ וּפְתַלְתֹּל ‑u‑|u‑u‑

Generatio perversa & contorta.

Primum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 25. 20. carm. 2.

Secundum, pæonicum creticum dimetrum purum.

6.

1. הֲלַיהוָה תִּגְמְלוּ זֹאת u‑‑‑|u‑u

An Iovæ rependetis istud?

2. עַם נָבָל וְלֹא חָכָם u‑‑‑|‑‑

Popule stulte & insipiens.

3. הֲלֹא־הוּא אָבִיךָ קָּנֶךָ u‑‑‑|‑‑u|‑

Nonne est pater tuus, redemptor tuus?

4. הוּא עָשְׂךָ וַיְכֹנְנֶךָ: ‑‑‑u|‑u‑

Ipse fecit te & concinnavit te.

Primum, jambicum dimetrum catalectum Doricum: ut Psal. 34. 15. carm. 1.

Secundum, idem brachycatalectum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Tertium, antispasticum dimetrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 20. carm. 2.

Quartum, trochaicum dimetrum (ut Psal. 37. v. 16. carm. 2.) catalectum.

7.

1. זְכֹר יְמוֹת עוֹלָם ‑‑|‑‑

Recordare dierum seculi,

2. בִּינוּ שְׁנוֹת דּוֹר־וָדוֹר ‑‑|‑‑|‑‑

Animadvertite annos cujusque ætatis:

3. שְׁאַל אָבִיךָ וְיַגֶּדְךָ u‑‑‑|uu

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi;

4. זְקֵנֶיךָ וְיֹאמְרוּ לָךְ: ‑u‑‑|‑u

Seniores tuos, & dicent tibi.

Primum, dactylicum dimetrum ex spondeis.

Secundum, idem trimetrum.

Tertium, antispasticum dimetrum catalectum ut vers. 4. carm. 1.

Quartum, trochaicum dimetrum brachycatalectum ut Psal. 24. carm. 1.

8.

1. בְּהַנְחֵל עֶלְיוֹן גּוֹיִם u‑u‑|‑u

Quum possessionem distribueret Excelsus gentibus,

2. בְּהַפְרִידוֹ בְּנֵי אָדָם u‑‑‑|‑‑

Quum disparet filios Adami;

3. יַצֵּב גְּבֻלֹת עַמִּים u‑u‑|u‑

Statuit terminos populorum,

4. לְמִסְפַּר בְּנֵי יִשְׂרָאֵל: uu‑u‑|‑

Pro numero filiorum Israelis.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut vers. 6. carm. 2.

Tertium, jambicum dimetrum brachycatalectum purum.

Quartum, jambicum monometrum hypercatalectum.

9.

1. כִּי חֵלֶק יְהוָה עַמּוֹ ‑‑u‑|‑u‑

Quia portio Iovæ est populus ejus:

2. יַעֲקֹב חֶבֶל נַחֲלָתוֹ uu‑ uu‑uu‑‑

Iacob funiculus possessionis ejus.

Primum, antipasticum dimetrum periodicum: ut Prov. 31. 10. carm. 2.

Secundum, Ionicum à minori dimetrum cum dialysi secundæ longæ syllabæ.

10.

1. יִמְצָאֵהוּ בְּאֶרֶץ מִדְבָּר u‑‑|‑uuu‑

Invenit eum in terra deserti,

2. וּבְתֹהוּ יְלֵל יְשִׁמֹן ‑‑|‑‑|‑‑

Et invastitate lamentabilis solitudinis;

3. יְסֹבְבֶנְהוּ יְבוֹנְנֵהוּ ‑u‑‑|‑u

Circumdedit eum, erudivit eum,

4. יִצְּרֶנְהוּ כְּאִישׁוֹן עֵינוֹ uu‑‑‑|‑‑

Custodivit eum tanquam pupillam oculi.

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.

Secundum, dactylicum trimetrum.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

11.

1. כְּנֶשֶׁר יָעִיר קִנּוֹ uu‑‑|u‑

Ut aquila excitans nidum suum,

2. עַל־גּוֹזָלָיו

2. עַל־גּוֹזָלָיו יְרַחֵף υ--υ-|--

Super pullis suis leviter motat se,

3. יִפְרֹשׂ כְּנָפָיו יִקָּחֵהוּ υ---|υ---

Pandens alas suas assumit eum,

4. יִשָּׂאֵהוּ עַל־אֶבְרָתוֹ υ---|υυυ--

Portaturus eum super ala sua:

Primum, Ionicum à minori dimetrum brachycatalectum purum.

Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

Tertium, antispasticum ex Duplici epitrito primo.

Quartum, epionicum à minori dimetrum: ut Psal. 37. 3. carm. 1.

12.

1. יְהוָה בָּדָד יַנְחֶנּוּ ----|υυ-

Iova solus duxit eum;

2. וְאֵין עִמּוֹ אֵל נֵכָר: υ-υ--|-υ

Nec fuit cum eo Deus peregrinus.

Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.

Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalecticum.

13.

1. יַרְכִּבֵהוּ עַל־בָּמוֹתֵי אָרֶץ υυ--υ|υ-υ-|-υ

Vexit eum super excelsa terræ,

2. וַיֹּאכַל תְּנוּבֹת שָׂדָי υ-υ-υ|--|υ--

Adeo ut comederet reditus agrorum:

3. וַיֵּנִקֵהוּ דְבַשׁ מִסֶּלַע υ-υ-|-υυ, υυ

Datque ei sugendum mel, è petra,

4. וְשֶׁמֶן מֵחַלְמִישׁ צוּר: υυ-υ-|-

Et oleum è saxo rupis.

Primum, epionicum à minori trimetrum brachycatalecticum.

Secundum, jambicum dimetrum catalecticum.

Tertium, idem dimetrum acatalecticum.

Quartum, idem monometrum hypercatalectum.

14.

1. חֶמְאַת בָּקָר וַחֲלֵב צֹאן υ--υ-|υυ--

Butyrum ex armento, & lac gregis,

2. עִם־חֵלֶב כָּרִים υ-υ-|-

Cum adipe agnorum,

3. וְאֵילִים בְּנֵי־בָשָׁן וְעַתּוּדִים ---|-υ---

Et arietum Basanæorum, ac hircorum,

4. עִם־חֵלֶב כִּלְיוֹת חִטָּה υ-υυ-|υ-

Cum adipe renum tritici:

5. וְדַם־עֵנָב תִּשְׁתֶּה־חָמֶר υ--υ|υ-υ

Etiam sanguinem uvæ bibis merum.

Primum, Ionicum à minori dimetrum purum.

Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

Tertium, trochaicum dimetrum primo spondeo: ut Psal. 145. 3. carm. 1.

Quartum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Quintum, antispasticum dimetrum catalectum.

15.

1. וַיִּשְׁמַן יְשֻׁרוּן וַיִּבְעָט υυυ-υ|υυ

Sed saginatus Ieschurun recalcitravit,

2. שָׁמַנְתָּ עָבִיתָ כָּשִׂיתָ -υ--|----|-

Saginatus es, obesatus es, adipem obduxisti:

3. וַיִּטֹּשׁ אֱלוֹהַּ עָשָׂהוּ υυ-υ-|υ---

Ita deseruit Deum, qui fecerat eum,

4. וַיְנַבֵּל צוּר יְשֻׁעָתוֹ: υ-υυ-|υ-υ

Et vilipendit rupem salutis suæ.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 4. carm. 1.

Tertium, jambicum dimetrum Alcmaicum: ut Psal. 25. 3. carm. 1.

Quartum, epionicum à minori dimetrum catalectum.

16.

1. יַקְנִאֻהוּ בְּזָרִים υ-υ-|--

Ad zelotypiam commoverunt eum extraneis:

2. בְּתוֹעֵבֹת יַכְעִיסֻהוּ: υ---|υ-υ-

Abominationibus irritaverunt eum.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalectum primo spondeo: ut Psal. 37. 30. carm. 2.

17.

1. יִזְבְּחוּ לַשֵּׁדִים לֹא אֱלֹהַּ υ-υ-|--υ-|υ

Sacrificaverunt dæmonibus, non Deo.

2. אֱלֹהִים לֹא יְדָעוּם υ---|--

Diis quos non noverant:

3. חֲדָשִׁים מִקָּרֹב בָּאוּ υ--υ|υ---υ

Novis qui è propinquo advenerant,

4. לֹא שְׂעָרוּם אֲבֹתֵיכֶם: ---υ|υ--υ

Coram *quibus non exhorruerant majores vestri.*

Primum, jambicum dimetrum hypercatalectum.

Secundum, jambicum dimetrum Doricum brachycatalectum.

Tertium, antispasticum dimetrum ut Psal. 25. v. 17. carm. 2.

Quartum, antispasticum dimetrum catalecticum ex epitrito quarto & jambicum syzygia catalectica.

18.

1. צוּר יְלָדְךָ תֶּשִׁי ---υ|-

Rupis quæ genuit te oblitus es:

2. וַתִּשְׁכַּח אֵל מְחֹלְלֶךָ: υυυ-|υ-

Et oblivioni tradidisti Deum formatorem tuum.

Primum, trochaicum monometrum hypercatalecticum ut Psal. 145. 9. carm. 1.

Secundum, pæonicum dimetrum ex pæone & cretico: ut Psal. 25. 2. carm. 3.

19.

1. וַיַּרְא יְהוָה וַיִּנְאָץ υ-υυ--|υυ-

Quod videns Iova, sprevit

2. מִכַּעַס בָּנָיו וּבְנֹתָיו: υυυ--|---

Præ indignatione filios suos & filias suas.

Primum, Ionicum dimetrum catalecticum purum.

Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum: ut Psal. 25. 12. carm. 1.

20.

1. וַיֹּאמֶר אַסְתִּירָה פָנַי מֵהֶם υ-υυ-|---υ-|υ

Et dixit, Abscondam faciem meam ab iis,

2. אֶרְאֶה מָה אַחֲרִיתָם υυ-υυ-|-

Videbo, quis finis eorum:

3. כִּי דוֹר תַּהְפֻּכֹת הֵמָּה --υυυ|υ--υ

Quia generatio perversitatum sunt,

4. בָּנִים לֹא־אֵמֻן בָּם: ----|υ-

Filii in quibus nulla fides.

Primum, jambicum dimetrum hypercatalectum.

Secun-

Secundum, anapæsticum monometrum & hypercatalectum.
Tertium, jambicum dimetrum catalecticum.
Quartum, jambicum dimetrum brachycatalecticum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.

21.

1. הֵם קִנְאוּנִי בְלֹא־אֵל -ᴗ-- | --
Ipsi ad zelotypiam commoverunt me per non Deum,
2. כִּעֲסוּנִי בְּהַבְלֵיהֶם ᴗ-ᴗ | --ᴗᴗ ᴗᴗ
Irritaverunt me vanitatibus suis:
3. וַאֲנִי אַקְנִיאֵם בְּלֹא־עָם ᴗᴗ-ᴗ-ᴗ | --ᴗ
Similiter commovebo eos per non populum,
5. בְּגוֹי נָבָל אַכְעִיסֵם׃ ---ᴗ | -ᴗ
Per gentem stultam irritabo ipsos.
Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.
Secundum, epionicum dimetrum catalectum.
Tertium, jambicum dimetrum catalectum.
Quartum, trochaicum dimetrum brachycatalectum: ut Psal. 34. 12. carm. 1. primo spondeo.

22.

1. כִּי־אֵשׁ קָדְחָה בְאַפִּי ----| ᴗ-
Nam ignis flagrat ira mea,
2. וַתִּיקַד עַד־שְׁאוֹל תַּחְתִּית ᴗ-ᴗᴗ-| ᴗ-
Qui ardet usque ad sepulchrum imum:
3. וַתֹּאכַל אֶרֶץ וִיבֻלָהּ ᴗᴗᴗ-ᴗ | ᴗ-
Absumitque terram & proventum ejus:
4. וַתְּלַהֵט מוֹסְדֵי הָרִים׃ ᴗᴗ--- | --
Et inflammat fundamenta montium.
Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 4. carm. 2.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.
Tertium, antispasticum dimetrum catalectum periodicum: ut Psal. 25. 2. carm. 1.
Quartum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

23.

1. אַסְפֶּה עָלֵימוֹ רָעוֹת ᴗᴗ--- | --
Accumulabo super eos mala:
2. חִצַּי אֲכַלֶּה־בָּם ᴗᴗᴗ, ᴗᴗᴗ, ᴗᴗᴗ
Sagittas meas consumam in eos.
Primum, anapæsticum dimetrum brachycatalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.

24.

1. מְזֵי רָעָב וּלְחֻמֵי רֶשֶׁף ---- | ᴗ-ᴗ-ᴗ
Exustos fame & exesos anthrace,
2. וְקֶטֶב מְרִירִי ᴗᴗ--
Ac lue amarissima.
3. וְשֶׁן־בְּהֵמוֹת אֲשַׁלַּח־בָּם ᴗ--ᴗ | ᴗᴗ-
Dentes etiam bestiarum immittam in eos,
4. עִם־חֲמַת זֹחֲלֵי עָפָר׃ ᴗᴗᴗ-ᴗ | ---
Cum veneno serpentum terrestrium.
Primum, jambicum dimetrum Doricum: ut Psal. 25. 15. carm. 2.
Secundum, Ionicum à minori monometrum.
Tertium, antispasticum dimetrum catalectum: ut Psal. 34. 17. carm. 2.
Quartum, trochaicum dimetrum catalectum tertio spondeo.

25.

1. מִחוּץ תְּשַׁכֶּל־חֶרֶב ᴗ-ᴗᴗ | ᴗᴗᴗ
Foris orbabit gladius,
2. וּמֵחֲדָרִים אֵימָה ᴗ--ᴗ | --, -
Et in conclavibus terror:
3. גַּם־בָּחוּר גַּם־בְּתוּלָה ᴗ--ᴗ | ᴗ-
Cum juvenem, tum virginem,
4. יוֹנֵק עִם־אִישׁ שֵׂיבָה --ᴗ- | --
Lactentem cum viro cano.
Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, jambicum dimetrum catalectum.
Tertium, antispasticum dimetrum brachycatalecticum: ut Psal. 25. 31. carm. 2.
Quartum, jambicum dimetrum brachycatalecticum.

26.

1. אָמַרְתִּי אַפְאֵיהֶם -ᴗ-ᴗ | -ᴗ
Dixissem, Angulatim profligabo eos:
2. אַשְׁבִּיתָה מֵאֱנוֹשׁ זִכְרָם׃ ᴗ--- | ᴗ-ᴗ-
Faciam ut cesset ex homine memoria eorum.
Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum purum.
Secundum, jambicum dimetrum Doricum: secundo spondeo, pro jambo.

27.

1. לוּלֵי כַּעַס אוֹיֵב אָגוּר --ᴗᴗ | ᴗ--
Nisi indignationem inimici metuissem;
2. פֶּן־יְנַכְּרוּ צָרֵימוֹ ᴗᴗ--- | -
Ne alios se hic praberent hostes eorum;
3. פֶּן־יֹאמְרוּ יָדֵינוּ רָמָה ---ᴗ | ᴗ--
Ne dicerent, Manus nostra excelsa fuit:
4. וְלֹא יְהוָה פָּעַל כָּל־זֹאת ᴗ---- | ᴗ-
Nec Iova operatus est totum hoc.
Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.
Tertium, idem monometrum hypercatalectum.
Tertium, anapæsticum dimetrum: ut Psal. 25. v. 20. carm. 2.
Quartum, anapæsticum dimetrum brachycatalectum.

28.

1. כִּי־גוֹי אֹבַד עֵצוֹת הֵמָּה ---ᴗ | ---ᴗ
Quia gens inops consiliorum sunt:
2. וְאֵין בָּהֶם תְּבוּנָה׃ --ᴗ- | --
Nec ulla in eis intelligentia.
Primum, antispasticum dimetrum ut vers. 27. carm. 3.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum.

29.

1. לוּ חָכְמוּ יַשְׂכִּילוּ זֹאת ---ᴗ | ---
Utinam saperent, intelligerent istud:
2. יָבִינוּ לְאַחֲרִיתָם ---ᴗ | ᴗ--
Attenderent ad finem suum.
Primum, antispasticum dimetrum catalecticum: ut Psal. 37. 9. carm. 1.
Secundum, idem ex epitrito quarto & antispasticum catalecticum.

30.

1. איכה ירדף אחד אלף ‿‿‿|‿-‿|-‿--

Quomodo persequeretur unus mille,

2. ושנים יניסו רבבה -|--|--|‿‿-

Et duo fugarent myriadem:

3. אם-לא כי-צורם מכרם ‿--|---‿

Nisi hoc esset, quod rupes eorum vendidit eos,

4. ויהוה הסגירם: ‿-|‿--

Et Iova tradidit eos?

Primum, jambicum dimetrum.
Secundum, dactylicum tetrametrum catalectum.
Tertium, jambicum dimetrum catalecticum Doricum: ut Psal. 119. 2. carm. 1.
Tertium, trochaicum dimetrum brachycatalecticum: ut Psal. 34. 12. carm. 1.

31.

1. כי לא כצורנו צורם -|--|--|--

Non enim ut rupes nostra, rupes illorum:

2. ואיבינו פלילים: -|--|--

Et inimici nostri, testes.

Primum, dactylicum tetrametrum catalectum.
Secundum, dactylicum trimetrum catalectum.

32.

1. כי מגפן סדם גפנם -‿-|‿‿‿‿-

Sed ex vite Sodomi, vitis eorum,

2. ומשדמת עמרה ‿-‿|‿‿-

Et ex vitibus Gomorra:

3. ענבמו ענבי ראש ‿-|---‿

Uva eorum uva venenosa,

4. אשכלת מררת למו -|---‿

Botri amari sunt eis.

Primum, pæonicum dimetrum ex pæone & cretico.
Secundum, choriambicum dimetrum catalectum.
Tertium, jambicum dimetrum catalectum Doricum: ut Psal. 34. 15. carm. 2.
Quintum, idem brachycatalectum: ut Psal. 37. v. 21. carm. 2.

33.

1. חמת תנינם יינם ‿-|‿-‿‿‿‿

Venenum draconum vinum eorum.

2. וראש פתנים אכזר: -|‿---

Et venenum aspidum sævum.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.
Secundum, idem monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.

34.

1. הלוא-הוא כמס עמדי --‿‿|---‿

Nonne illud reconditum est penes me?

2. חתום באוצרתי -|--|--

Obsignatum in thesauris meis?

Primum, epionicum dimetrum: ut Psal. 37. 3. carm. 2.
Secundum, dactylicum trimetrum catalectum.

35.

1. לי נקם ושלם -|‿---

Mea est ultio & retributio,

2. לעת תמוט רגלם -|‿---

Quo tempore vacillabit pes eorum.

3. כי קרוב יום אידם ‿‿-|--|--

Quum propinqua erit dies exitii eorum,

4. וחש עתדת למו -|--|‿‿-

Et festina eventurorum eis.

Primum & secundum, trochaicum: (ut vers. 33. carm. 2.) monometr. hypercat.
Tertium, dactylicum trimetrum.
Quartum, dactylicum trimetrum catalecticum.

36.

1. כי ידין יהוה עמו ‿‿-|--|--

Cum judicaverit Iova populum suum,

2. ועל-עבדיו יתנחם -‿‿|--‿‿

Tandem super servis suis pœnitebit ipsum:

3. כי יראה כי-אזלת יד ‿‿-|-‿‿-

Quum viderit abiisse potentiam,

4. ואפס עצור ועזוב -|---‿‿

Et nihil esse conclusum cum derelicto.

Primum, dactylicum trimetrum: ultima communi.
Secundum, Ionicum à minori, dimetrum catalectum purum.
Tertium, choriambicum dimetrum catalectum purum, ultima communi.
Quartum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.

37.

1. ואמר אי אלהימו ---|‿-‿-

Et dixerit; Ubi dii eorum:

2. צור חסיו בו -|--|--

Rupes cui committebant se?

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum.
Secundum, dactylicum dimetrum hypercatalectum.

38.

1. אשר חלב זבחימו יאכלו -|----|-‿-‿-‿‿

Quorum victimarum adipe vescebantur,

2. ישתו יין נסיכם -|---‿

Quorum bibebant vinum libaminis?

3. יקומו ויעזרכם ‿‿-|--‿‿

Surgant & opitulentur vobis.

4. יהי עליכם סתרה -|‿‿-‿-‿

Sit vobis latebra.

Primum, jambicum dimetrum hypercatalectum Alcmaicum: ut Lamen. 3. 42. carm. 1.
Secundum, jambicum monometrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. carm. 1.
Tertium, dactylicum trimetrum catalecticum.
Quartum, trochaicum monometrum hypercatalecticum.

39.

1. ראו עתה כי אני אני הוא -|‿-‿|‿--‿-

Videte nunc, me me ipsum esse,

2. ואין אלהים עמדי -|‿-|‿-|-‿-

Et nullum Deum mecum:

3. אני אמית ואחיה ‿‿‿|‿--‿

Ego morte afficio, & vitæ restituo,

4. מחצתי ואני ארפא ‿-‿|‿-|‿-

Vulnero & sano,

5. ואין מידי מציל ‿-|-‿-

Nec est qui è manu mea eripiat.

 Primum

Primum, antiſpaſticum dimetrum hypercatalectum periodicum.
Secundum, pæonicum dimetrum hypercatalectum creticum purum: ut Pſal. 111. 1. carm. 1.
Tertium, jambicum dimetrum catalectum Doricum.
Quartum, antiſpaſticum dimetrum periodicum.
Quintum, pæonicum Creticum dimetrum purum.

40.

1. כִּי־אֶשָּׂא אֶל־שָׁמַיִם יָדִי - u - u | - uu, - -

Nam attollo ad cœlos manum meam:

2. וְאָמַרְתִּי חַי אָנֹכִי לְעֹלָם: - u - u | - - - - |

Et dico, vivo ego in ſeculum.

Primum, trochaicum dimetrum acatalectum.
Secundum, trochaicum dimetrum hypercatalectum: ut Pſal. 25. 4. carm. 1. tertio ſpondeo pro trochæo.

41.

1. אִם שַׁנּוֹתִי בְּרַק חַרְבִּי uu - - u - | uu -

Si acuero coruſcantem gladium meum.

2. וְתֹאחֵז בְּמִשְׁפָּט יָדִי - - u - | - -

Et arripuerit judicium manus mea:

3. אָשִׁיב נָקָם לְצָרָי - - | - - | - -

Reddam ultionem hoſtibus meis.

4. וְלִמְשַׂנְאַי אֲשַׁלֵּם uuu, uuu |

Et oſoribus meis rependam.

Primum, Ionicum dimetrum calecticum purum: ut verſ. 19. 1.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum.
Tertium, dactylicum trimetrum.
Quartum, jambicum monometrum ut Lament. 3. 48. carm. 2.

42.

1. אַשְׁכִּיר חִצַּי מִדָּם u - uuu | -

Inebriabo ſagittas meas ſanguine,

2. וְחַרְבִּי תֹּאכַל בָּשָׂר u - - u | - -

(*Et gladius meus exedet carnem:*)

3. מִדַּם חָלָל וְשִׁבְיָה uu - - | u u

Sanguine confoſſi & captivitatis;

4. מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת אוֹיֵב - - u - | - -

Ab initio, ultiones inimici.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, antiſpaſticum dimetrum brachycatalectum.
Tertium, Ionicum à minori dimetrum brachycatalectum purum.
Quartum, jambicum dimetrum brachycatalectum.

43.

1. הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ u - - - | uu -

Cantate gentes, populus ejus,

2. כִּי דַם־עֲבָדָיו יִקּוֹם - uu - | - u u

Nam ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur:

3. וְנָקָם יָשִׁיב לְצָרָיו - - | - - | - -

Et ultionem reddet hoſtibus uis,

4. וְכִפֶּר אַדְמָתוֹ עַמּוֹ: uu - u - | - u -

Et expiabit terram ſuam, populum ſuum.

Primum, antiſpaſticum dimetrum catalecticum: ut verſ. 4. carm. 1.
Secundum, choriambicum dimetrum catalectum: ut Pſal 37. 31. carm. 1.
Tertium, dactylicum trimetrum.
Quartum, pæonicum dimetrum: ut Pſal. 25. 2, 3.

Caput XIII.

Analyſis Poëtica capitis 3. Iobi, quo primum ac diſtinctum libri poëma continetur.

Hoc caput conſtat verſiculis (ſeu periodis) viginti ſex. Quorum quatuor, 4. 5. 6. & 9. tristicho conſtant: reliqui omnes diſticho. Initium autem carminum eſt à verſiculo tertio.

Versus 3.

1. יֹאבַד יוֹם אִוָּלֶד בּוֹ - u - u | - u -

Periiſſet dies quo naſciturus eram:

2. וְהַלַּיְלָה אָמַר הֹרָה גָבֶר: uu - - u | u - - - u

Et nox qua dictum eſt, conceptus eſt mas.

Primum, trochaicum dimetrum catalecticum, purum.
Secundum, antiſpaſticum dimetrum ex duobus epitritis quartis, primæ longæ dialyſi.

4.

1. הַיּוֹם הַהוּא יְהִי חֹשֶׁךְ u - - | - u - u - - u

Dies ille fuiſſet tenebricoſus,

2. אַל־יִדְרְשֵׁהוּ אֱלוֹהַּ מִמָּעַל uu - - | u - uuu | u

Ne requiſiviſſet eum Deus ſuperne:

3. וְאַל־תּוֹפַע עָלָיו נְהָרָה u - - | - u - u

Neque illuxiſſet ei ſplendor.

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.
Secundum, epionicum à minori dimetrum hypercatalectum.
Tertium, jambicum dimetrum catalecticum.

5.

1. יִגְאָלֻהוּ חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת u - u - | - u - | - uu | -

Vendicaſſent eum ſibi tenebræ & umbra lethalis:

2. תִּשְׁכָּן־עָלָיו עֲנָנָה uu - - | u - u

Incubuiſſet ei nubes:

3. יְבַעֲתֻהוּ כִּמְרִירֵי יוֹם: uu - u - u - | - -

Perturbaſſent eum ardores diei.

Primum, choriambicum dimetrum hypercatalectum.
Secundum, epionicum à minori dimetrum catalectum.
Tertium, jambicum dimetrum brachycatalectum.

6.

1. הַלַּיְלָה הַהוּא יִקָּחֵהוּ אֹפֶל u - u | u - - - | - u

Noctem iſtam abſtuliſſet caligo,

2. אַל־יִחַדְּ בִּימֵי שָׁנָה uu - - - | - u

Ne fuiſſet gaviſa in diebus anni:

3. בְּמִסְפַּר יְרָחִים אַל־יָבֹא uu - - - | u - u

In numerum menſium ne veniſſet.

Primum, jambicum trimetrum brachycatalecticum Alcmaicum quarto ſpondeo.
Secundum, trochaicum dimetrum brachycatalectum.
Tertium, epionicum dimetrum catalectum.

7.

1. הִנֵּה הַלַּיְלָה הַהוּא יְהִי גַלְמוּד - u - uu | u - - u -

O ſi iſta nox fuiſſet ſolitaria:

2. אַל־תָּבֹא רְנָנָה בוֹ: - u - - - | - -

Ne eveniſſet cantus in ea.

Primum, antiſpaſticum dimetrum brachycatalectum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Pſal. 25. 13. carm. 3.

8.

1. יִקְּבֻהוּ אֹרְרֵי יוֹם

Execrati fuissent eam illustrantes diem:

2. הָעֲתִידִים עֹרֵר לִוְיָתָן

Parati excitare balænam.

Primum, anapæsticum monometrum hypercatalectum.
Secundum, antispasticum dimetrum hypercatalectum periodicum: ut Psal. 37. 2. carm. 1.

9.

1. יֶחְשְׁכוּ כּוֹכְבֵי נִשְׁפּוֹ

Tenebrosæ fuissent stellæ diluculi ejus,

2. יְקַו־לְאוֹר וָאַיִן

Expectasset lucem, & non adfuisset:

3. וְאַל־יִרְאֶה בְּעַפְעַפֵּי־שָׁחַר׃

Neque vidisset palpebras auroræ.

Primum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 20. carm. 1.
Secundum, antispasticum monometrum hypercatalectum.
Tertium, jambicum dimetrum brachycatalectum.

10.

1. כִּי לֹא סָגַר דַּלְתֵי בִטְנִי

Quia non clausit fores uteri mei:

2. וַיַּסְתֵּר עָמָל מֵעֵינָי׃

Nec abscondit molestiam ab oculis meis.

Primum, antipasticum dimetrum: ut Psal. 34. 3. 1.
Secundum, anapæsticum dimetrum catalecticum.

11.

1. לָמָּה לֹּא מֵרֶחֶם אָמוּת

Cur non inde à vulva mortuus sum?

2. מִבֶּטֶן יָצָאתִי וְאֶגְוָע׃

Ex utero exiens exspiravi?

Primum, anapæsticum dimetrum catalecticum.
Secundum, trochaicum dimetrum catalecticum.

12.

1. מַדּוּעַ קִדְּמוּנִי בִרְכָּיִם

Quamobrem prævenerunt me genua?

2. וּמַה־שָּׁדַיִם כִּי אִינָק׃

Et quare ubera ut sugerem?

Primum, antispasticum dimetrum periodicum.
Secundum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 37. 32. carm. 1.

13.

1. כִּי־עַתָּה שָׁכַבְתִּי וְאֶשְׁקוֹט

Quia nunc jacerem & quiescerem:

2. יָשַׁנְתִּי אָז יָנוּחַ לִי׃

Dormirem, tunc quies esset mihi.

Primum, antispasticum dimetrum periodicum.
Secundum, idem, ut Psal. 37. 2. carm. 1.

14.

1. עִם־מְלָכִים וְיֹעֲצֵי אָרֶץ

Cum regibus & consiliariis terræ:

2. הַבֹּנִים חֳרָבוֹת לָמוֹ

Qui reædificabant vastitates sibi.

Primum, antispasticum dimetrum.
Secundum, idem: ut Psal. 25, 17. carm. 2.

15.

1. אוֹ עִם־שָׂרִים זָהָב לָהֶם

Aut cum principibus, quibus erat aurum:

2. הַמְמַלְאִים בָּתֵּיהֶם כָּסֶף

Implentibus domos suas argento.

Primum, trochaicum dimetrum: ut Psal. 25. v. 12. carm. 1.
Secundum, Ionicum à minori, dimetrum.

16.

1. אוֹ כְנֵפֶל טָמוּן לֹא אֶהְיֶה

Aut sicut abortus abditus, non essem,

2. כְּעֹלְלִים לֹא־רָאוּ אוֹר׃

Ut infantes, qui non viderunt lucem.

Primum, dactylicum trimetrum.
Secundum idem, ex spondeis.

17.

1. שָׁם רְשָׁעִים חָדְלוּ רֹגֶז

Illic improbi desistunt à commotione:

2. וְשָׁם יָנוּחוּ יְגִיעֵי כֹחַ׃

Et ibi quiescunt defessi viribus.

Primum, dactylicum tetrametrum catalecticum.
Secundum, idem, tetrametrum acatalectum.

18.

1. יַחַד אֲסִירִים שַׁאֲנָנוּ

Pariter vincti tranquillè agunt:

2. לֹא שָׁמְעוּ קוֹל נֹגֵשׂ׃

Non audiunt vocem exactoris.

Primum, Ionicum à minori dimetrum.
Secundum, dactylicum trimetrum.

19.

1. קָטֹן וְגָדוֹל שָׁם הוּא

Parvus & magnus illic est:

2. וְעֶבֶד חָפְשִׁי מֵאֲדֹנָיו

Et servus liber à domino suo.

Primum, dactylicum trimetrum.
Secundum, pæonicum dimetrum hypercatalectum: ut Psal. 37. 3. carm. 2.

20.

1. לָמָּה יִתֵּן לְעָמֵל אוֹר

Quare dat ærumnoso lucem?

2. וְחַיִּים לְמָרֵי נָפֶשׁ׃

Et vitam amaris animo?

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum dimetrum brachycatalectum Doricum: ut Psal. 37. 21. carm. 2.

21.

1. הַמְחַכִּים לַמָּוֶת וְאֵינֶנּוּ

Præstolantibus mortem, neque adest ipsis?

2. וַיַּחְפְּרֻהוּ מִמַּטְמוֹנִים׃

Tamen perscrutantur eam plusquam thesauros abditos.

Primum, jambicum dimetrum.
Secundum, antispasticum dimetrum catalecticum cum dialysi primæ longæ.

22.

1. הַשְּׂמֵחִים אֱלֵי־גִיל u - - | - -

Qui lætantur usque ad exultationem;

2. יָשִׂישׂוּ כִּי יִמְצְאוּ־קָבֶר - - - - | u - - u

Gaudent, cum inveniunt sepulcrum.

Primum; antispasticum dimetrum brachycatalectum.
Secundum, antispasticum dimetrum: ut Ps. 37. 7. carm. 1.

23.

1. לְגֶבֶר אֲשֶׁר־דַּרְכּוֹ נִסְתָּרָה u u uu u u - | u - ū

Viro cujus via est abdita:

2. וַיָּסֶךְ אֱלוֹהַּ בַּעֲדוֹ׃ u - - u | - u u, u -

Et quem obtexit Deus?

Primum, jambicum dimetrum catalecticum.
Secundum, antispasticum dimetrum: ut Psal. 54. 2. carm. 1.

24.

1. כִּי־לִפְנֵי לַחְמִי אַנְחָתִי תָבֹא - u - u | - u - - | - ū

Nam coram pane meo genitus meus advenit:

2. וַיִּתְּכוּ כַמַּיִם שַׁאֲגֹתָי׃ u u - u uu | u u - -

Et effunduntur ut aquæ rugitus mei.

Primum, trochaicum trimetrum brachycatalectum.
Secundum, epionicum à minori dimetrum.

25.

1. כִּי פַחַד פָּחַדְתִּי וַיֶּאֱתָיֵנִי - u u - u | - u, u ū - | - ū

Quia pavor quo expaveram accessit me:

2. וַאֲשֶׁר יָגֹרְתִּי יָבֹא לִי׃ uu ū - - | - - - -

Et quod formidaveram obvenit mihi.

Primum, trochaicum trimetrum brachycatalectum.
Secundum, idem dimetrum tertio spondeo: ut Exod. 15. 16. carm. 4.

26.

1. לֹא שָׁלַוְתִּי וְלֹא שָׁקַטְתִּי - - u - | - - u -

Non quiescebam, nec eram tranquillus:

2. וְלֹא־נָחְתִּי וַיָּבֹא רֹגֶז - u - u | - - - u

Nec requiescebam; tamen obvenit commotio.

Primum, jambicum dimetrum.
Secundum, trochaicum dimetrum tertio spondeo: ut vers. 1. 1. carm. 1.

Hactenus absolutum est primum poëma, primam Jobi querelam continens.

Atque hinc apparet hujus capitis carmina esse jambica tredecim: trochaica, sex: dactylica, sex: anapæstica, tria: choriambicum, unum: Ionica à minori, analoga duo; sed anomala seu epionica, etiam quatuor: antispastica, quatuordecim: pæonicum, unum. Quæ (pro Lyricorum Pindari & Sophoclis observatione) promiscuè ponuntur: & quidem sine ulla similium antapodosi. ut de carminum sacrorum ratione supra ostendimus: & Sophoclis poëmatibus illustravimus.

Atque hactenus hac poëtica Hebræorum Sacræ Scripturæ poëmatum analysi, artem poëticam illius clarius demonstrare studuimus. Faxit autem Deus, ut ad elegantiam poësis divinæ & indagationem illius accuratiorem meditandam inserviat: & ad gloriam Deo tribuendam inflammet.

F I N I S.



E' ΠΙ-

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

C. L'EMPEREUR

AD LECTOREM.



NITIO hyemis præteritæ, in examinanda Ebræorum poësi veteri dies aliquot insumpseram: idque ex antiquioribus & recentioribus Ebræorum Magistris. cum ecce commodum, suum consilium mihi per literas aperit reverendissimus vir FRANCISCUS GOMARUS. etenim adeo adhortationibus nostris & precibus responderat, ut absoluta poëseos istius indagine, perfectoque & absoluto opere ad nos transmisso, ejus editionem procurari expeteret. Ego statim inceptum meum agere remissius cepi. & collatis iis quæ Cl. GOMARUS invenerat, cum Rabbinorum placitis, illius sententia placere, horum verò displicere merito incepit. Idque demirari subiit, qui vir tot negotiis distractus, tanto munere gravatus, in ista Nestorea senectute, cum totam ætatem in omni etiam alio scientiarum genere occupatissimam habuisset; is inquam in poësi peregrinæ gentis multo acutius cernere potuerit, quam longissima illa Magistrorum series in propria gente & lingua: hic cæcutiens inde ferme à proximis post captivitatem Babylonicam temporibus. Tantum, Deo aspirante, potest admiranda vitæ moderatio improbus labor, & ingenii sagacitas. Neque quemquam futurum credo, nisi plane contumacem vel invidiæ livore occupatum, vel denique scepticum, qui jam poëseos veteris rationem in dubium vocare audeat. Sane vel sola illa Græcorum & Ebræorum carminum collatio æquis lectoribus satisfacere queat. qui enim fieri possit, ut in tot versuum generibus accuratissimè utrique scriptores secundum leges easdem congruant; si casu quodam similia exhibuerint? Nam quod de iisdem spatiis, eodemque recurrentium pedum, ac syllabarum numero apud Græcos reperto excipi posset; Id satis Cl. vir c. 23. pluribus refellit ex antiquis. Unde, licet alterius generis carmina non extarent, poësis adornari posset, ubi poëtica esse scripta constaret: neque liberior carminum ratio illico improbanda. Quemadmodum docte alicubi observat Vir Clarissimus, jam ab annis pluribus, imò ab adolescentia, ob indolem & dotes mihi amicissimus. *Deus habet etiam suam poëticam linguæ genio accommodatam, sed liberiorem & solutiorem, non coactam, & anxiè tot pedum & carminum variis generibus coarctatam.* Quod tamen non impedit, quo minus illa liberior poësis, ad leges strictiores revocetur: quemadmodum in Sophocle non pauca exempla utriusque generis extant. Neque tamen ex eo solo, veterem poësin probare unquam voluit Vir Clariss. FRAN. GOM. Neque ex liberiori poësi sequitur, omnia esse versus & carmina, quia hujusmodi versus alibi reperiuntur apud oratores: siquidem Plautus & Terentius aliique hoc pacto extra poëtarum classem eliminandi, utpote quorum versibus similes apud oratores invenias. Fateor quidem apud Oratores etiam carmen aliquod jambicum aliudve reperiri posse: nam & suus est oratori numerus, uti ex Tullio & Fabio constat, certosque pedes certo ordine & loco collocandos præcipiunt rhetores. Sed ut quis tantam convenientiam inter oratorem & poëtam inveniat, adeoque multiplicem, prout vir magnus hic oculis subjecit in ista poëseos collatione, admodum vereor: imo neminem id facturum assero. Verum omne tollit dubium pars operis posterior: quia integra Bibliorum capita ac poëmata ad istos revocavit canones, quorum praxin in Græcis poëtis antea demonstraverat. An hic ullum κρησφύγετον reperire est? Neque tamen ita placiturum aliis Cl. GOMARUM, sperare ausim, ut invidia, aut propriæ ac suæ sententiæ tuendæ studium, neminem ad poësin hanc improbandam impellat. Fieri potest, ut vel quis eo solum nomine improbet, quod punctorum antiquitate nitatur, & distinctionum receptarum αὐθεντία. Verum hanc controversiam dirimere, vel decidere Cl. Vir noluit: sumsit istas distinctiones & vocales, quas religiosè jam omnes versiones his seculis doctissimis observant: etiamsi, istis nonnihil mutatis, ratio poëseos non periret, alia tum adoptata poëseos ejusdem specie ac forma. Imò vocalium ac similium antiquitatem satis probaruut viri docti, & eruditissimus J. Buxtorfius Theologiæ Doctor impræsentiarum eruditè comprobat: quamvis nondum eam solidis rationibus, quæ satisfecerunt, quisquam evertit. Quod enim verba, Dei in dubium vocemus, authoritate versionum: quam absurdum pio pectori non videri non potest! Quum tantus sit per totum orbem Hebraici contextus & scripturæ consensus; an fingemus Deum magis versionum tam repugnantium, ut simul stare nequeant, fategisse? Quod verò longarum & brevium vocalium receptam ab omnibus fermè distinctionem, & raptarum vocalium usum (ut pro nudo scheva ponantur, quia literæ gutturales cum iis facilius, quam cum nudo scheva pronunciari queunt) retineat GOMARUS; non existimo quenquam vacuo à contentione judicio reprehensurum. Similiter quod scheva neget esse vocalem: nam hinc non sequitur, nullum edere sonum; quia sonus est in scheva mobili variis vocalibus affinis; licet tam plenus non sit, ut vocalem constituere queat, quis negat P. in, *Ptolemeus*, cum quodam τῦ e sono efferri? num ideo est vocalis plena ad istam consonam? Minimè: ideoque neque crescit inde syllabarum numerus. Sic etiam, quod positionem neget producere vocalem: nam si sola mora inter pronuntiandum vocalem produceret, metheg brevem faceret longam, neque hoc posito, ut mora longam faciat, causa cadet: quandoquidem Ebræi vocales, non sequente consona, cum majori mora pronuntiant: hæc verò sequente, cum minori temporis spatio. Nam hoc casu, inprimis cum figura reperitur vocalis brevis, sonum corripiunt: adeoque sonus consonæ in fine magis auditur, quàm ipsius vocalis. Neque durus hinc emergit sonus, iis qui veram & suavem, amœnamque pronuntiationem sibi à teneris reddidere facilem; sed iis qui rectæ pronuntiationi non assueverunt. quod multis Christianis contigit: qui idcirco ex sua imperitia de inconcinnitate & duritie carminum Ebræorum judicare non debent: multò minus longarum & brevium vocalium distinctionem, omnibus gentibus notam negare; unde ipsa syllabarum in simplices & compositas distinctio dependet. Hinc enim fieri videmus, ut si longam vocalem, in composita syllaba, excipiat consona: ipsa accentu egeat, quo manere possit longa: adeoque, etiamsi originis indicium vocalem longam aliàs requireret, manere nequeat accentu promoto, ut in תסבינה יפקדו aliisque videre licet. quo etiam fit, ultimam longam ante consonam, nonnisi cum accentu tonico subsistere posse: atque ideo corripi, quum accentus tollitur. Neminem itaque futurum qui hac nostri authoris sententia meliorem afferat, mihi persuasissimum habeo. Ut tamen nemo obloquatur, istud an pariter sperari queat, vehementer dubito. Sunt enim nonnulli quasi in Pyrrhonis istius

Eliensis schola educati: qui absque dubitandi fundamento, quæ recenter inveniuntur & in lucem proferuntur, faciunt dubia: cum verò similiora non afferant. de quibus Laërtius lib. 9. διετέλων δὲ τὰ τῶν αἱρέσεων δόγματα πάντα ἀνατρέποντες, αὐτοὶ δὲ οὐδὲν ἀποφαίνοντες δογματικῶς, *perstabant sectarum dogmata omnia evertere, nihil ipsi dogmatis asserentes.* Qui sibi in eo placent, ut aliis saltem inventionis gloriam non concedant. Sed isti cum Euripide etiam quærant: τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν νομίζεται βροτοῖς; *Quis autem novit, an hoc quidem vivere sit emori, An emori verò vivere censeatur mortalibus?* Adversos istos contentus sum testimonio, quod carmine præmisit nobilissimus & amplissimus vir Daniel Heinsius, quem unà mecum suscipit orbis. Ad alia pergo, quæ lubens supprimerem; nisi expressis literis ea palam fieri, periisset author ipse tam præclari operis. Cum in mediam ferme hyemem differretur editio, interea quid in opere isto adhuc desiderari autumarem, authori epistolio indicavi. Puta, cum Græcorum, tum Ebræorum carminum versionem addendam. Etenim quotusquisque invenitur, qui Græca poëtarum fragmenta, nedum Ebraica, sine interprete intelligat, quum ex circumstantiis percipi nequeat sensus? Non desunt etiam utriusque linguæ satis gnari, quibus tum magna sæpe incidit dubitandi causa. Imprimis, cum citantur carmina, quæ à media dictione sive ultimis vocum syllabis inchoantur, & in priores syllabas desinunt. cujusmodi defectus syllabarum ad carmen ipsum non pertinentium, hic creber erat. Cum itaque quamplurimi reperiantur viri cordati, utriusque linguæ, Græcæ & Ebrææ sic satis periti, quorum multi gravissimis reipublicæ negotiis & curis immersi, quibus minime tantum otii suppetit, ut loca in Pindaro, Sophocle, contextuque Ebræo quærentes evolvant & cum antecedentibus ac sequentibus conferant, omissasque syllabas suppleant: qui tamen poësi afficiuntur: omnino interpretatio passim istis fragmentis, imo totis poëmatibus Ebraicis addenda videbatur, & restituendæ vocibus syllabæ prætermissæ. Quis enim animi paulo generosioris ista producta loca, eaque quam plurima multas paginas occupantia, sine tædio legat; si sensum non percipiat? Alphabetarius aliquis in infimo pulvere scholastico, vix credo, syllabas & pedes metiri sustineat: nisi intelligat quid scribatur. Mens humana altius exsurgit, quam ut sine summo tædio lectioni acquiescat, ex qua nonnisi quantitas vocalium percipiatur. Quocirca prudentissimus vir, præclarissimum inventum versionis omissione minus distractum iri, minusque utilitatis allaturum ratus, defectum resarciendum existimavit. Ego autem expensis periculis, in quæ opus illud auro non æstimandum incidere posset, dum media hyeme multorum dierum itinere huc illuc mitteretur, operam meam obtuleram, si aliud exemplar sibi non reservasset. Quod in me recipere paratus eram, non invite imposuit: idque humanissime, dum id ipsum à me per literas peteret, sibique gratissimum fore significaret. Quapropter exactè singula in authoribus suis examinans cumque prioribus & posterioribus conferens, eam concinnavi versionem, quam hic vides, lector humanissime: syllabasque desideratas eo quem hic cernis modo reposui. In Pindaro versioni vulgatæ adhæsi, cum ipsa placeret; subinde recessi: ita in Ebraicis vertendis à Junio & Tremellio non rarò abire debui. Hoc enim in ista Bibliorum versione sæpè observavi, conceptam animo analysin veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur: cum hoc modo à vero sensu sæpè recedatur. In Sophocle majorem libertatem assumere debui, & mihi plusculum indulgere: quia ista editio Sophoclis, cujus pagina annotatur, nullam versionem adjunctam habebat. adeo ut Scholiastes Græcus margini additus plurimum mihi in istis vertendis profuerit; uti & in Pindaro, ipsius Scholiastes multa aperuit. Si alicubi aberravi, nescio: curam saltem adhibui, ne tibi imponerem. quamvis id me latere non possit, in istis poëtis Græcis & Ebræis multa occurrere, in quibus ne doctissimi quidem consentiunt. Itaque in istis suum cuique esto judicium: donec certò de errore constet. Quod verò correctionem typographicam concernit, nonnulla sphalmata irrepsisse in tam intricatum opus & multis quantitatis syllabicæ notis ac signis distinctum facilè mihi ignoscet æquus lector: cum eodem tempore variis occupationibus distractus fuerim, imprimis in edendo codice meo de legibus Ebræorum; neque difficile sit unicuique non planè ignaro, ea suo nitori restituere. Quorum etiam primaria subjeci. Deinde subinde contingere solet, ut quæ tertia etiam vice correcta sunt, in typographia ab operariis negligantur, & festinando detorta maneant. Sed ne quis arbitretur, statim erratum esse, quod prima fronte esse videbitur: exempli gratiâ, dagesch in literis בגדכפרת invenies initio dictionis post vocales & א vel ה. Hoc inde ortum, quod in contextu sacro istas literas præcedat accentus regius, quem dages lene sequi solet: licet in hoc opere, ubi maximæ pausæ tantùm exprimuntur, isti accentus sæpissimè adscribendi non fuerint. Porrò susceptum & exantlatum laborem lubenter sustinere tenebar, cum viro isti omni laude majori plurimum me debere agnoscam. utpote cujus consilio in studiis instituendis per multos annos adjutus fuerim, cujus me nunquam pœnitebit. & si quid publico jam prosim, est quod ipsi post Deum adscribatur. Adeoque in Ebraicis hanc inprimis operam merito præstiti: cum ab ipso quatuordecim dierum spatio linguæ sanctæ primordia & fundamenta ita edoctus fuerim, ut aliorum opera, nulla necessitate uti debuerim. Id largiebatur isti amicitiæ & familiaritati, quam cum meo parente p. m. olim in Germania coluerat. Et quicquid feci, vel eo solo meruit, quod honori meo, inscriptione sua voluerit consultum. Cæterùm Lector, si quid & ego hac opella mea, quam in alieno navavi opere, vobis prodesse potui, adeoque de te benè mereri, mercedis loco apud Patrem Domini nostri Jesu Christi intercede, quo vitam & Spiritus gratiam ad reliqua, quæ in usum vestrum molior, feliciter perficienda, benignè largiatur.

Lugdun. Batav. Id. Septemb.
An. partæ salutis 1637.

Tibi addictissimus

C. L' E.

FINIS.

AD LECTOREM.



Uoniam errore aliquo factum est, ut præfatiunculæ quædam disputationum & dedicationes tractatuum quorundam Theologicorum omissæ sint: eas hîc maluimus exhibere, quàm quidquam quod GOMARI est, detrahere: aut quenquam honore suo privare.

De Deo vero.

QUoniam de *Sacra Scriptura* (tanquam unica jam, revelatæ divinitus Theologiæ, basi ac principio) disseruimus, consentaneum est ut deinceps, doctrinam illius, ordine ac succinctè, consideremus. Quæ ut *divina ac salutaris de Deo institutio* est (quod ad Deum, ut *subjectum* demonstrationis, & *objectum* considerationis, omnia fidei vitæque Christianæ dogmata, suo modo, referantur) sic duo primaria illius, existunt *capita*. Quorum *primum* est, de Deo ipso: *secundum* de actionibus & operibus Dei. Ac rursum, in Deo distinctè expendenda est, *essentia* illius *unitas*, & *personarum trinitas*. Ideoque de priori (Deo duce & scripturæ luce) acturi, nominis explicationi paulisper dilata, à *rei descriptione* ordiemur.

De Spiritus Sancti persona.

Quoniam de *prima secundaque Deitatis persona*, *Patre* nimirum, & *Filio*, superiori disputatione disseruimus; consequens est, ut eadem ratione, sinceram, de *Spiritus Sancti persona*, doctrinam (implorata ipsius ope) pro modulo nostro, illustremus, & adversus veteres novosque πνευματομάχους, tueamur. Ne quis verò involuta *vocis spiritus ambiguitate*, ab adversariis implicetur, eam, præcipuarum significationum explicatione, in ipso limine, evolvemus.

De æterno Dei decreto.

Quoniam universa, sacra *Theologia dogmata*, vel *Deum* vel *actiones Dei* spectant: ac prius membrum, antea à nobis explicatum: idcirco ad alterum (præmissa *vocis*, ad rei illustrationem, *distinctione*) procedemus.

De divina hominum prædestinatione.

Quemadmodum *æternum Dei decretum* universam, creationis & gubernationis mundi totius, præfinitionem complectitur: sic pars illius nobilissima est, *creaturarum intelligentium* (Angelorum & hominum) *prædestinatio*. Horum enim habitationi & usui; reliquus mundus, à Deo destinatus ac conditus. * Ac propterea, quoniam de *priori*, antea egimus: de *posteriori*, & quidem *hominum* præcipuè, ad illustrationem illius, Deo secundante, disseremus.

* Gen. 1. 28. Iesai. 45. 18. Epist. Iud. 6.

De creatione mundi.

Quum libera, voluntatis *Dei actio*, alia sit, *interna* & æterna; alia, *externa* ac temporalis: illaque, *creationis* & *gubernationis* mundi decreto; hæc verò, consentanea illius *executione*, constet: idcirco, priori jam discusso, reliquum est, ut de posteriori, & quidem à *mundi creatione* exorsi, præmissaque *vocum explicatione*, disseramus.

De Angelis creatis.

De divina, opificii totius *mundi*, *creatione* (tanquam *religionis*, Deo debitæ, *fundamento*) *generatim* egimus: ac propterea consentaneum est, ut de *creaturis intelligentibus*, *speciatim* ac distinctè, disseramus. Quemadmodum enim, earum gratia, reliquæ sunt conditæ; sic solæ religionis sunt capaces, & ad eam præstandam, natura devinctæ. Quum autem eæ sint duplices; *Angeli* scilicet, & *homines*, *à prioribus* (ut simplicitate, dotibus, atque originis antecessione, eminentibus) Deo duce, ac scripturæ luce, ad veræ religionis illustrationem, ordiemur.

De Baptismo.

Quoniam *generalis Sacramentorum natura*, à nobis est explicata, idcirco ad *species* eorum, in Novo Testamento mandatas, procedentes, primum de *Baptismo* (tanquam initiationis sacramento) à vocibus ad rem progressi, disseremus.

De Cœna Domini.

Quoniam proximè de *Baptismo*, primo Novi Testamenti (utpote initiationis & regenerationis) sacramento egimus: reliquum est, ut ad secundum, nempe δεῖπνον κυριακὸν, *Cœnam Dominicam*, continuationis fœderis gratiæ, & nutritionis spiritualis, sigillum, à vocum declaratione exorsi, procedamus.

DE PROVIDENTIA DEI:

ILLVSTRIBVS

ORDINIBUS HOLLANDIÆ & WEST-FRISIÆ.



ULTÆ semper & gravissimæ, Illustres Ordines, Patres patriæ, domini mei honorandi, inter mortales de religione extiterunt controversiæ: in quibus doctrina *de Providentia Dei* reliquis longè antecellit. Etenim nulla majoris est momenti, nulla quæ latius & acriore omnium contentione dimanarit. Hanc dissidentium philosophorum scholis, hanc profani vulgi sermonibus, hanc Christianorum studiis, ab omni pene memoria, magno ecclesiæ & reipublicæ damno, indignius agitari, compertum est. *Malè enim vivitur, si de Deo non bene creditur*: ut verè ac graviter de hoc argumento augustus ille Augustinus (de Civit. Dei lib. 5. cap. 10.) monet. Hæc autem controversia, ut reliquis, non aliunde, quàm ex humani ingenii (quod Dei naturam suis præjudiciis metitur) innata vanitate, & Sacrarum literarum ignorantia, profluxit. *Hinc enim*, ait Chrysostomus ad Romanos Hom. 1. *innumera mala nata sunt, quod Scripturæ ignorantur. Hinc erupit multa illa hæresium pernicies, hinc vita dissoluta, hinc inutiles labores. Quemadmodum enim qui luce ista privati sunt, rectà utique non pergunt; ita qui ad radios divinarum Scripturarum non respiciunt, multa coguntur continuoque delinquere: utpote in longè pejoribus tenebris ambulantes.* Itaque præclarè de ecclesia & republica videntur meriti, qui nostra memoriâ, hanc de providentia Dei doctrinam ex sacrarum literarum penetralibus explicare & illustrare studuerunt. Quos, ut præceptores orbis Christiani, revereor & amplector. Verùm quandoquidem loquendi modis interdum à se mutuo differunt,

ferunt, hinc quidam viri boni ac pii sententiarum in summa rei varietatem aliquam & dissensionem esse suspicantur: alii contra malevoli, idipsum contentiosè exprobrant & hac ratione orthodoxis invidiam, tribunitiis suis clamoribus & scriptionibus, apud omnes conflare, & publicam ecclesiæ pacem turbare, moliuntur. Quod quàm perniciosum etiam sit reipublicæ, non tam explicationem desiderat, quàm deplorationem & medicinam. Quamobrem operæ pretium me facturum existimavi, si doctiorum vestigiis insistens inde ab exordio hoc argumentum, ad meam & rudiorum utilitatem, pro modulo arcesserem & conciliationem doctrinæ orthodoxæ de providentia Dei seriò ac modestè meditarer. Arduum, fateor, institutum! sed debita ecclesiæ & patriæ pietas, bonorum stimulus, & doctissimorum collegarum examen ac consensus, temeritatis opinionem, ut spero, diluent. Quemadmodum enim ad commune incendium restinguendum ab omnibus meritò concurritur; nec validiorum solùm laudatur industria, sed imbecilliorum quoque probatur studium: sic & tenuem meum, ad hanc de providentia Dei controversiam tollendam, laborem, non omnino improbatum iri existimo. Cæterum quum duo potissimum in omni scripto, præter argumenti veritatem, requirantur, brevitas nimirum & perspicuitas; illa, ut attentè; hæc, ut cum fructu legamus: utrumque pro tenuitate mea, cum methodo, tum stylo secutus sum; ne aut obscuritas crearet dubitationem, aut prolixitas tædium. Vobis verò illustres Ordines, Patres patriæ, domini mei honorandi, hanc qualemcunque opellam meam, etsi vestro nomine indignam, variis de causis dedicandam existimavi. Ac primùm quidem, ut observantiam meam erga illustrem A. V. cui servio ac devinctus sum, testarer, deinde, ut laboris mei primitias, ex vestra Academia prodeuntes, vobisque debitas, offerrem: denique ut doctrinæ hujus veritatem, quam hactenus constantissimè defendistis patrocinio vestro commendarem. Nam quum mecum perpendo, quanta in hujus argumenti & aliorum controversiis componendis usi sitis pietate ac diligentia, quanta prudentia, quanta patientia ac constantia, Theodosi & Valentiniani laudatissimorum imperatorum imaginem videre mihi videor. Nec metuo, ut quisquam prudentior, in judicio meo, candorem desideret & auribus vestris aliquid dare suspicetur. Non enim abstrusa & ignota, sed aperta & prompta in omnium oculis, in omnium ore exempla versantur: & ut omnes sileant, res ipsa demonstrat ac tacitè illustri vestro nomine, cum præstantissimis illis imperatoribus, ita loquitur. (Theodos. & Valent. Cyrillo Alexand. epist. 17.) *A pietate in Deum, reipublicæ nostræ constitutio pendet: & multa utrinque est cognatio & societas. Cohærent enim inter se & altera alterius accrescit incremento: ita ut vera religio justitiæ studio, respublica verò ab utrisque adjuta resplendeat. In regimine itaque à Deo constituti, & vincula pietatis ac prosperitatis subditorum existentes, societatem harum perpetuò indivulsam custodimus, ac providentia nostra pacem inter homines procurantes, hactenus quidem reipublicæ augendæ ministramus: per omnia verò subditis, ut ita dicamus servientes, ut pii sint & in republica versentur sicut pios decet, adornamus, utriusque, ut convenit, curam gerentes. Neque enim fieri potest, ut qui alteri studet, non similiter & alterius curam gerat.* Hæc rerum à vobis Illustres Ordines in ecclesia & republica gestarum oratio. Cujus admirabilis pietatis vestræ conscientia ad Illustrem A. V. compellandam dubio primum mihi addidit & confirmavit. Siquidem duo, præter tenuitatem meam, obstare initio videbantur, inscriptionum ejusmodi frequentia, & scripti brevitas. Verùm, re diligentius perpensa, neutrum ab officio alienum existimo. Nec enim fore arbitror, ut illiberalis animi suspicionem incurram, atque illud Augusti Cæsaris audiam, *Sat istiusmodi salutatorum habemus domi:* vestra nimirum clementia, consuetudinis ac temporis præscriptione, & animi mei integritate fretus. Nec scripti, ut opinor, obesse potest exiguitas. Siquidem illustri V. A. in tanta gravissimorum negotiorum mole, non tam copia, quàm brevitas potissimùm, videtur congruere. Deinde & instituti ratio hoc jure suo postulat. Quippe quum ejus doctrinæ conciliationem instituere studeam, à cujus indagatione ob singularem rei difficultatem & librorum de hoc argumento prolixitatem plerique deterrentur; brevitati cum primis consulendum mihi existimavi, ut, ad veritatem cognoscendam, lectorem allicerem. Denique huc accedunt clarissimorum cum veterum tum recentium scriptorum exempla, qui ut doctiora, sic paria aut breviora interdum monumenta principibus, regibus, imperatoribus inscribere non sunt veriti. Testis est Aristoteles, qui ut gravissimum sic perexiguum de Mundo scriptum Alexandro Magno dedicavit: testis Cyrillus Alexandrinus, qui perbreves de recta fide libros partim Theodosio imperatori, partim reginis consecravit: Testes alii, cum nostra tum patrum memoria, plurimi: quos recensere non tam difficile, quàm invidiosum & non necessarium. Quamobrem spero fore, ut succincti hujus scripti dedicatio, nullam mihi impudentiæ aut imprudentiæ maculam aspergat: præsertim cum officii mei ratio id requirat, & prudentissimorum virorum exempla præluceant. At, inquient, ut brevitate multa aliorum scripta; sic accuratione & doctrina excellunt omnia. Fateor, sanè: sed hac ratione, non brevitas in vitio futura est, sed operis tenuitas: quam ut agnosco, sic illustris A. V. ei ut spero ignoscet, & conatum saltem non improbabit. Idque ab A. V. etiam atque etiam rogo. Quod reliquum est, Deum optimum maximum quæso, ut illustris A. V. pietatem, prudentiam, potentiam tueatur & augeat quàm diutissimè ac felicissimè, ad ecclesiæ ac reipublicæ splendorem & nominis sui gloriam sempiternam. Ex Academia vestra Lugduno-Batava anno restauratæ salutis CIↃ IↃ IIIC. Martii V.

Illustri V. A.

Addictissimus

FRANCISCUS GOMARUS

BRUGENSIS.

ANTI-

ANTICOSTERUS.

Amplissimis, sapientibus & prudentissimis viris, Reipub. Leydensis

D. D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS.

SALUTEM.

ÈRE & eleganter, amplissimi & sapientes viri, à Sapienti viro ecclesia *lilio inter Spinas sito* comparatur, Cantic. 2. 2. Ut enim lilium illud spinarum aculeis pungitur; sed non exstinguitur: ita Dei ecclesia circumstantium adversariorum machinis premi potest, sed non opprimi: quemadmodum perpetua omnium temporum experientia attestatur. Nam & princeps infidelium hujus mundi Diabolus interdum leonina feritate, interdum serpentina calliditate, adversus ecclesiam certat: & ministri illius, Christi ecclesiæque hostes conjurati, eandem partim aperta vi, partim operta fraude, frustra oppugnant. Ac vi quidem utuntur tyranni, qui ferro flammaque verè fidelibus mortem minitantur; fraude verò hæretici, qui suavi divini verbi & auctoritatis ecclesiæ appellatione abusi, tenellis & rudibus piorum animis sese insinuare & errorum suorum venena infundere student; ut incautos à recta salutis viâ seducant. Sed utrique tandem inani opera se fatigant & *adversus stimulum calcitrant*, Act. 9. 5. suo potius quàm Christi aut ecclesiæ damno. Quid enim tyranni tam diuturna immanitate in ecclesia persequenda assequuti sunt? Nimirum (ut præclarè ait Theodoretus Græcarum affect. cura. sermone 9.) *quod piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille, quam vidit Moses, ardore ignis non est absumtus; ita nec Christianos impiorum bellis petitos tela hostilia consumserant: quin potius sicut lignatoribus sylvam cædentibus, multò plures pullulant propagines à radicibus, quàm sint rami, qui inciduntur: ita tunc quoque piis compluribus interfectis, multò plures quotidiè ad doctrinam Evangelicam accedebant, cruorque ille cæsorum corporum irrigatio quædam erat novis in ecclesia emergentibus plantis.* Nec aliter hæreticis cedit, quorum nefarios & perniciosos conatus Deus admiranda sua providentiâ eludit & simili ratione ad laborantis ecclesiæ salutem convertit. *Etenim oportet* (ut inquit Apostolus 1. Cor. 11. 19.) *hæreses esse inter vos, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos:* & (quemadmodum Apostolo consentiens ait Augustinus de Catechizandis rudibus cap. 24.) *ut magis magisque excitaretur ecclesia & probaretur & illustraretur & doctrina ejus & patientia.* Nam sicut aurum igne explorari & à scoria purgari solet: sic concitatum ab hæreticis in ecclesia incendium verè fidelium constantiam exercet, negligentiam excutit, & ad serium verbi divini examen excitat & inflammat. *Quoniam* (ut alibi rectè de hæreticis monet Augustinus de vera Religione cap. 25.) *hi si non essent, multò pigrius veritas quæreretur.* Ac propterea non immeritò *hæreses ecclesiæ cotem* appellari posse arbitramur. Quis enim orthodoxos patres Arii, Nestorii, & aliorum hæreticorum oppugnationibus exercitatos, longè distinctius & accuratius de Deo, quàm eorum majores, scripsisse ignorat? Quis non videt doctrinam *de gratia Dei*, episcoporum negligentia paulatim in ecclesia obscuratam, exorto tandem hæretico Pelagio, Augustini & aliorum suscitata diligentia, factam esse longè illustriorem? Et ut ad nostra tempora descendamus, ex quo Romanæ sedis triarii Jesuitæ novo quodam fuco Pontificios errores tueri & veritatem oppugnare cœperunt, dici vix potest quantum piis scriptoribus veritatis penitius indagandæ & ecclesiæ confirmandæ ansam præbuerint. Quis igitur non agnoscat utile cum primis & necessarium eorum esse institutum, qui officii conscientia & ecclesiæ amore accensi, refellendis adversariorum erroribus ad Dei gloriam & piorum salutem sua studia & operam fidelem contulerunt? Quare eodem consilio publicam *Enchiridii Costeri* refutationem publicè mihi demandatam tandem suscepi: quamvis multa initio me ab eo studio deterrerent. Etenim non ignorabam quanta in Hollandia, Zelandia vicinisque provinciis pietate & eruditione excellentium ecclesiastarum esset copia: qui si animum ad scribendum appulissent, doctrina & eloquentia meam opellam longo superarent intervallo. Huc accedebat temporis, quod ad scribendum requirebatur, inopia, quâ ob prælectionum & disputationum in Academia & concionum in ecclesia frequentiam laboramus. Denique movebat intolerabilis adversariorum importunitas & improbitas singularis. Importunitas quidem quod tanquam æra Dodonæa semel commoti non facilè quiescant, & ne victi videantur, inani repetitione antagonistas suos perpetuò obtundunt & à melioribus studiis avellunt. Improbitas verò, quòd quibus sese causæ veritate & argumentorum pondere inferiores esse vident, eos falsis rumoribus & putidis calumniis obruere & in contemptum odiumque aliorum adducere conantur. Nam quemadmodum Medius quidam Alexandri Magni parasitus solebat alios adhortari, *ne metuerent quodvis crimen in quemvis intendere; quod ut maximè*, inquiebat, *sanaretur vulnus illius qui delatus esset, maneret tamen cicatrix:* (Apophtheg. Erasmi) ita hujus scelerati præcepti memores adversarii, quidvis impudenter adversus pios principes, magistratus, ecclesiastas, comminiscuntur. Quoniam quamvis suas calumnias, quibus innocentes opprimere student, aut justa defensione aut virili & animoso silentio retegi ac superari posse videant, aliquam tamen ignominiæ notam iis adhæsuram confidunt. Norunt enim verum esse quòd ait vates ille, (Ovidius) *in vitium credula turba sumus:* norunt quantoperè multorum aures, ad maledicta avidè sine delectu excipienda ac fovenda, pruriant. Quemadmodum prudenter monet Cicero Orat. pro Plancio, *nil tam volucre quàm maledictum: nihil facilius emittitur: nihil latius dissipatur.* Sed hasce difficultates omnes piorum & prudentium auctoritas & rationes graves pervicerunt. Ajebant enim, multos quidem esse in hisce provinciis doctrina & pietate præstantes viros, quibus ad scribendum nec facultas deesset, nec voluntas: sed otium. Deinde verò ex ordinis in ecclesia constituti ratione, eas molestias iis potius subeundas, qui in Academia certis laboribus occuparentur; quàm ecclesiæ pastoribus, quorum studia variis & perpetuis ferè ecclesiæ interpellationibus & negotiis interrumpuntur. Addebant præterea fideles Dei servos non debere esse tam molles, ut ullo calumniarum metu deterriti, officium deserant: sed iis contra innocenter & fortiter Christi & Apostolorum exemplo *per gloriam & ignominiam, bonam & malam famam*, Matth. 10. 25. 26. 2. Cor. 6. 8. in veritatis patrocinio esse procedendum. Præterea quamvis Costerus nuperis suis libellis magnum sui contemptum apud plerosque ob singularem immodestiam sibi compararit, illius tamen Enchiridium refutationem accuratam multis nominibus promereri. Primùm, quòd publicis & præfixis Academiarum Moguntinæ, Coloniensis, Trevirensis, Lovaniensis, elogiis comprobatum sit: adeò ut non tam privatum unius hominis, quàm publicum præcipuarum Pontificiarum Academiarum scriptum, censeri oporteat. Deinde, quòd breviter & distinctè Pontificiæ religionis quasi nucleum & medullam complectatur, adeò ut nullum hactenus controversiarum compendium ab adversariis editum videatur accuratius. Præterea quòd jam tertiò Latinè recusum & in Belgium quoque sermonem conversum

in

in plurimorum manibus versetur: eoque Pontificii plurimùm nitantur, & infirmiores non sine periculo attentent. Huc accedit quod Costerus ad hujus operis sui refutationem, exprobrato silentio, Belgas potissimùm apertè & publicis scriptis tam audacter provocat. Ac propterea æquum esse ajebant, ut & rudiorum succurreretur conscientiæ, & insolens adversarii jactatio tandem compesceretur. Æquum denique esse, ut interim dum doctissimi collegæ mei majoribus destinentur, ego hunc publicum laborem in me reciperem, præsertim quem privatim aliquando exercitii gratia à me inceptum, sed justis de causis interruptum, perceperant. Nam quum reliquos Costeri Belgicos libellos pro sua egregia eruditione & pietate abunde confutarit D. Grevinchovius, hoc omninò jam requiri, ut Enchiridium, quo tantoperè adversarius confidit, & ad quod lectorem perpetuò remittit, ordine confutetur. Nec esse quod me aut molestia operis, aut otii inopia ab officio deterreat, quum paulatim editis distinctis refutationis partibus ecclesiæ exspectationi possit satisfieri. Quamobrem prudentiorum auctoritate & rationibus hisce commotus eorum voluntati, ut decebat, acquievi: & duos hosce libros priores observantiæ & amoris mei erga Dei ecclesiam argumenta in lucem emitto. Eam autem secutus sum scribendi rationem, quam pii & prudentes, ut spero, comprobabunt. Primùm enim Costeri verba omnia distinctis suis partibus præmisi, partim ut refutatio mea ex collatione mutua melius intelligeretur & veritas illius omnibus magis pateret, partim ne quid de fide mea in citata aut omissa adversarii sententia ipse conqueratur, aut lector dubitet. Quam etiam viam non solùm Augustinus, Cyrillus, & alii veterum, sed multi etiam nostra ætate viri gravissimi prudenter secuti sunt. Deinde verò in refutatione usus sum rationibus & testimoniis divinis & humanis. Ac divinis quidem ex Sacra scriptura: tanquam religionis fundamento: quia (ut piè censet Hieronymus Comment. in Matth. 23.) *quod de scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Quem etjam veritatis indagandæ modum in concilio Niceno Constantinus Imperator, maximo totius concilii applausu, præscripsit. *Euangelici*, inquit, *& Apostolici libri & antiquorum Prophetarum oracula perspicuè nos instruunt, quid de rebus divinis sentiendum sit. Ergo deposita hostili discordia ex divinitus inspiratis sermonibus quæstionum solutionem sumamus.* Theodoretus eccles. hist. lib. 1. cap. 7. Quam pietatem imitati etiam sunt patres concilii Ephesini, qui quum ad hæresim Nestorii expendendam ac tollendam convenissent, in cœtu suo (ut in literis suis ad Imperatores testantur) *propositum habuerunt in throno, qui omninò medius erat, sanctum Euangelium, quod Christum præsentem ostenderet.* * Itaque divinis usus sum testimoniis, tanquam certa veritatis regula & quæ Christum nobiscum esse demonstrarent. Humana verò testimonia iis adjunximus tanquam adversariorum arma, ut eo pleniùs & planiùs confutarentur. Nam quemadmodum David contempta fundâ instructus Goliathum insolentiùs minitantem prostravit primùm, ac deinde ad majorem victoriæ demonstrationem suo ipsius gladio obtruncavit: ita & Pontificii Sacr. Lit. convicti, humanis etiam testimoniis, quæ tantoperè jactant urgendi sunt, ut veræ causæ victoria amplius illustretur. Atque hoc consilio crebras & perspicuas sententias fideliter proposui, partim ex Orthodoxis Patribus, partim ex celeberrimis Pontificiorum scriptoribus, ut inde appareat, quàm graviter cum antiqua ecclesia & inter se Romana ecclesia dissentiat. *Probatio enim* (ut Irenæus contra hæreses lib. 4. cap. 14. rectè ait) *vera est & contradictioni minimè obnoxia, quæ ex dictis adversariorum elicitur.* Atque hic quidem scopus est meus, quem secutus sum: quid verò assecutus sim, ecclesia Christi, cujus servitio me addixi, judicabit. Cæterum quum pro antiqua & laudabili consuetudine; amplissimi & sapientes viri, cogitare inciperem, quibus potissimum meam hanc opellam inscriberem; non magnopere mihi fuit deliberandum. Etenim tam multa & illustria *A. V.* non solùm in Academiam universam publicè, sed etiam in me privatim extiterunt beneficia; ut quum referre nunquam possim, habere tamen & agere semper debeam gratias. Quamobrem ut eò clariùs ac diutius vestrorum erga me meritorum & grati erga *V. A.* animi mei memoria extaret, hunc laborem meum *A. V.* jure dedico, & ut pro solita vestra humanitate æqui bonique consulatis, etiam atque etiam rogo. Quod reliquum est Deum Opt. Max. precor, ut *A. V.* consiliis & actionibus præsit & quam diutissimè ad reipublicæ & ecclesiæ incrementum incolumes & felices conservet. Leydæ anno Christi CIↃ IↃ IC. Octobris III. quo die ante annos XXV. divino aquarum beneficio & Illustriss. ac beati *Principis Auriaci* GULIELMI NASSOVII copiis ab arctissima Hispanorum obsidione liberata est.

* *Acta concilii Ephesini in Relatione ad reges.*

Ampl. V.

Addictissimus

FRANCISCUS GOMARUS.

SPECULUM VERÆ ECCLESIÆ CHRISTI:

Nobilissimis, Amplissimis, Clarissimis, Doctissimis, Ornatissimis, Prudentissimis, Dominis, Domino Iudici,

CONSULIBUS, SCABINIS ET SENATORIBUS URBIS ARNHEMENSIS:

NEC NON

Reverendis, Doctrina & Pietate Spectatissimis Euangelii ibidem ministris, dominis ac fratribus honorandis, gratiam & pacem à Domino Iesu Christo.



QUOD olim præclarus ille Propheta Esaias 1. 21. de Hierosolymis & Judæorum populo conquestus exclamavit; *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* illud non immerito de urbe & Ecclesia Romana usurpari potest. Quum enim ad tempora Apostolorum suspicimus, quænam civitas aut Ecclesia (si Hierosolymitanam & Antiochenam exceperis) in toto terrarum orbe viguit, quæ fide & charitate floruerit magis, iisque nominibus illustriorem & ampliorem inter Christianos famam sibi compararit? Adeo ut Paulus Apostolus ad Romanos quo magis eos ad pietatis officium justæ laudis stimulo concitaret)

taret) ingenuè ac liberè in hæc verba eruperit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum super omnibus vobis, quod fides vestra annuntiatur in toto mundo*, Rom. 1. 8. Deinde etiam, si ad ea quæ proxime Apostolos sequuta sunt tempora spectemus, apparebit Ecclesiam Romanam officii & honoris sui memorem, sicut luna inter stellas, ita inter cæteras Ecclesias in densis hujus mundi tenebris præluxisse: & quamvis par fuerit divinitus accepta potestate, imparem tamen ac majorem extitisse virtute. Quippe non solum veram fidem fideliter conservavit & adversus hæreticos defendit; sed etiam pia vita & constanti morte ac sanguine suo obsignavit. Quapropter veteri & antiquæ illi Romanæ Ecclesiæ (ut etiam reliquis veris Christi Ecclesiis) nomen ac laudem *civitatis fidelis, vineæ Domini, domus Dei viventis, columnæ veritatis, cœlestis Ierusalem, sponsæ & corporis Iesu Christi & matris fidelium* lubenter & ultro largimur. Verùm posteaquam paulatim verbum ac cultus Dei, Diaboli fraude & hominum negligentiâ sperni cœperunt, animadvertimus Romanæ Ecclesiæ fidem hominum commentis, & charitatem avaritiâ, ambitione & crudelitate indignissima permutatam: & in verè fidelium pastorum, ductorum & imitatorum Christi locum, perniciosos depastores, seductores, & Antichristum Romanum invasisse. Adeo ut cum oculos nostros eò convertimus & Pontificem cum iis qui falsam illius doctrinam & idololatriam probant ac sequuntur, contemplamur, quis non agnoscat ac deploret fidelem illam ac laudabilem olim urbem & Ecclesiam Romanam ita turpiter esse deformatam, ut ea de causa non vinea Domini, sed vinea Sodom; non Christi domus & columna veritatis, sed Sathanæ synagoga & errorum schola; non cœlestis Jerusalem, sed spiritualis Babylon; non fida Christi sponsa & pura fidelium mater; sed adultera & impura genitrix scortationum & abominationum terræ justa ratione appelletur? Verùm quamvis hujus adulterii & scelerum merito dignissima sit, quæ omnino ac perpetuò à Deo & Ecclesia illius resecetur; eam tamen ad clementiæ suæ gloriam & electorum salutem nondum repudii libello penitus abjecit. Quoniam nec sacras literas tanquam divinas fœderis sui tabulas abstulit, nec Ecclesiæ tesseram Catechismum Christianum (seu publicam quinque summorum illorum doctrinæ salutaris capitum, *Articulorum fidei, Decalogi, verborum institutionis, cum Baptismi, tum cœnæ & precationis Dominicæ confessionem*) quamvis impura explicatione mirifice conspurcatum. Præterea reliquit etiam hactenus ministerium Euangelii & usum Baptismi Christiani, si rem ipsam consideres, bona parte legitimum: licet plurimis traditionum humanarum additamentis pollutum. Adeo ut Deus hisce modis inde à temporibus Apostolorum fideles & Ecclesiam etiam in mediis Papatus tenebris habuerit hactenus, qui verbo Euangelii conversi & Baptismo Christianæ Ecclesiæ inserti sunt. Verbum enim Dei efficax est ad fidem ingenerandam instrumentum, & multi in Papatu illud pure in summis capitibus declararunt, donec persecutione sub odioso hæretici nomine fervente, occisi sunt; aut Dei gratia elapsi majori fiducia sub Christianis Dominis ac patronis veritatem asseruerunt; quemadmodum experientia in *Iohanne VVicleпho* & *Husso* aliisque plurimis demonstravit. Quinimo illud liberè ac verè etiam profiteri audemus, quamvis omnes cœtus Christiani, qui extra Pontificii dominatus pomœria versantur, prorsus essent sublatis, vera tamen Ecclesia Christi (cujus nos membra esse profitemur) nondum interiisset, ut quæ aliqua adhuc parte in Papatu permansit. Sicut enim temporibus Eliæ ac præter illius opinionem in Israële septem hominum millia supererant, quæ genua sua non incurvarant Baali Rom. 11. 4.: ita & multi fideles in Papatu reliqui sunt, qui aut omnino bonâ conscientia Deum colunt, aut cum infirmitate aliqua fundamentum retinent & idololatriam erroresque Pontificis aversantur. Quamobrem neque hosce neque infantes in Papatu natos à fœdere & Ecclesia Christi excludimus; sed illud in quæstione versatur; *An Pontifex suis sectatoribus tam doctoribus quam auditoribus, qui falsam illius doctrinam ac idololatriam approbant ac tuentur, vera & Orthodoxa Christi Ecclesia sint, nec ne:* Quod ut Orthodoxi negant: ita contra, Pontificii id perpetuò jactant & inter cœteros à Francisco Costero Jesuita acriter in *Enchiridio controversiarum de religione* contenditur. Cujus operis examen ad divinæ, quæ in nostris ecclesiis docetur, veritatis defensionem exorsus ad controversiam *De vera Ecclesia Christi* perveni: in qua hæc quæstio ab adversario agitatur, collecta Pontificiorum argumentorum medulla. Quapropter ex instituti mei ratione hanc etiam disputationem pro modulo expendi & *Costerum* ordine confutavi, ut veræ Ecclesiæ & Dei gloriæ inservirem. Quum verò dispicerem, quibus potissimum meam hanc opellam inscriberem & recepto more dedicarem, Nobilissimi, amplissimi, clarissimi, doctissimi ac prudentissimi Domini, nec non reverendi, doctrina ac pietate spectatissimi viri, charissimi in Christo fratres, vestræ virtutes ad sese allicientes dubitationem omnem exemerunt. Nam quis adeo rerum anteactarum imperitus, ut ignoret; aut adeo impudens ut neget heroicam illam & invictam gubernatorum & civium Arnhemensium in potentissimo & ab omni parte circumjecto & ingruente patriæ hoste propulsando fortitudinem ac constantiam, & in mediis belli tumultibus fidelissimam pastorum in Ecclesiæ institutione & accurata gubernatione curam & communem omnium, præsertim magistratus erga Dei verbum pietatem, & erga ministros illius reverentiam & amorem singularem. Unde non immerito laudatissimæ memoriæ & judicii accuratissimi *Principem Auriacum* pietatis nomine celebrare solitum referunt *Magistratum Arnhemiensem & populum Campensem*. Qua ratione allectus sum, ut A. V. compellarem: sed eò potissimum me adduxit honoris & amoris mihi olim in benevola ad ministerium Euangelii apud vos obeundum vocatione exhibiti memoria grata. Oro igitur ac rogo V. A. & P. ut exiguam hanc meæ erga vos observantiæ declarationem æqui bonique consulatis. Quod uti confido, ita Deum quæso ut V. A. & P. cum in civili, tum in Ecclesiastica gubernatione, concordia, pietate & felici rerum successu magis magisque florentem reddat, & in vera doctrina, vera Christi Ecclesia & libertate tueatur, ac conservet ad hostium oppressionem & communem Ecclesiæ & Reipublicæ salutem ac Dei gloriam. Leydæ Anno MDCII. pridie Calendas Aprilis.

V. A. & P.

Addictissimus

FRANCISCUS GOMARUS.

EXA-

EXAMEN CONTROVERSIARUM

De

GENEALOGIA CHRISTI.

Reverendis ac Doctissimis viris,

D. ABRAHAMO MUSHOLIO,

ET

D. ÆGIDIO BURSIO, fidelissimis Euangelii Ministris: illi, in Ecclesia Bredana, munere defuncto: huic, in Ecclesia Middelburgensi, strenuè fungenti,

Salutem, à Deo Patre, per Iesum Christum.



NON immeritò (reverendi ac doctissimi viri) & olim, & nostra memoria, pii atque eruditi, Sac. Lit. interpretes, plurimum, in *Genealogiæ Christi* indagatione, atque assertione, desudarunt. Siquidem hac in re, non de lana caprina, aut asini umbra, neque de *infinitis* atque alienis *Iudæorum Genealogiis* 2. Tim. 1. v. 4. Tit. 3. 9. sed de veneranda, Servatoris nostri, ab Adamo, Abrahamo, Davide, secundum divinas promissiones, origine, disceptatur. Eaque, non ex *anilibus* hominum *fabulis*; sed è sinu Dei, per Spiritus Sancti Euangelistas docentis ac ducentis, afflatum ac descriptionem, promanavit. Ac propterea, ut ab *inutilibus ac vanis Iudæorum Genealogiis*, declinandum, divinitus præscribitur: sic contra, Christi Genealogia (ut quæ, Sacra Euangelii scriptura continetur) ob auctoris sui majestatem, & materiæ, de Christo Davidis filio, utilissimæ ac memorandæ, dignitatem, 2. Tim. 2. 8. serio perscrutanda. Idque eo, majori cura, contendendum, ut, hac ratione, & piis hominibus, de genuina illius intelligentia laborantibus, benignè succurratur; & graves impiorum, adversus Euangelii veritatem, calumniæ, ad Dei gloriam, fortiter retundantur. Quippe, ut inhumanum est, suam iis, qui sacræ doctrinæ studio flagrant, opem denegare: ita non minus in sacra, quàm profana Græcorum, militia, turpe est atque infame, ῥιψασπίδων numero, per ignavam, justæ defensionis, desertionem, aggregari. Quamobrem neque ab officio alienum, neque ingratum fore, existimavi, si eruditorum ac piorum quorundam petitione sæpius acriusque stimulatus, aliorum industriam imitarer, & ad sanctum *Genealogiæ Christi examen* ac patrocinium, studium operamque, pro tenuitate mea, commodarem. Quod si autem à proposito scopo, examen nostrum, aberrasse, comperiatur; non recuso quin pro meritis in lectoris spongiam incumbat: qui una litura correctum,

Deferat in vicum, vendentem thus & odores
Et piper, & quicquid cartis amicitur ineptis.

Sin verò (ut melius ominor) aliquantum commodi, ad hujus materiæ notitiam ac vindicationem, attulerit, viamque faciliorem, ad varias priscorum ac recentium Theologorum sententias dignoscendas, comiter monstrarit; non frustra operam impensam, arbitrabor. Ac quamvis, major limæ labor & mora, requirebatur, ut opus *perfectum, decies castigetur ad unguem*: confido tamen fore, ut benigni lectores, tenuitatis meæ conscii, conatum & mediocre studium, pro humanitate sua, boni consulant. Neque eos (uti spero) nostra, in sententiarum, vulgò variè probatarum, discussione, libertas offendet, sed necessaria, in admirabili illa opinionum varietate, directio, veritatis amor, & Dei gloria (à nobis seriò spectata) excusabunt, ac faventiores reddent. Si quis verò arbitretur, alia ratione, longè melius, potuisse consuli: eum meliora docentem, lubenter audiam, & sapientis illius dicti memor,

Cur nescire, pudens pravè, quàm discere malo?

sententiam lubens, saniore percepta, commutabo. Tanta enim veritatis est majestas, ut ei fasces, ab omnibus, meritò submittendæ: & ab ea vinci, egregia sit victoria: quum errorem nostrum, illius notitia, devictum subjugamus. Vobis interim (reverendi ac doctissimi viri) pertenuem hunc libellum, in publicum amoris & observantiæ monumentum, pro officii ratione, multis nominibus, dedicandum duxi.

Tibi quidem, *D. Musholi*, propterea quod vetusta ab annis, plusquam quadraginta (ob eruditam pietatem tuam) amicitia, & duplici, affinitatis proximæ, vinculo, simus conjunctissimi. Tibi verò *D. Bursi*, primum ob præclara tua, in me merita: adeò ut neminem, in amicitia sanctè fovenda, magis fidum atque officiosum (pro laudabili tuo, uxoris piissimæ, & liberorum tuorum patrissantium, & generorum ingenio) longa annorum intercapedine, sim expertus. Deinde, quod hujus, de Genealogia Christi examinis, adornandi atque edendi primarius sis auctor. Quum enim (te non ignaro) quædam ea de re, rudi Minerva, occœpissem, eáque neglecta, velut luce indigna, tardipedi aut blattis devovissem; tua tamen postulatione crebra, & officii mei conscientia motus, manum tandem, rejectis schedis, admovi, & de integro telam adorsus, pertexere studui. Adeo ut siquid hac in re forte, à nobis sit peccatum, partem oneris, in te auctorem, non iniquè mihi videar rejecturus. Quod reliquum est, reverendi ac doctissimi viri, ut levidense hoc munusculum, serena fronte (pro vestra, in naturam versa consuetudine) accipiatis rogo: Deumque supplex oro, ut vos, cum familiis, ac liberis vestris, quàm diutissimè sospites, & doctrina ac pietate Ecclesiæ suæ prælucentes, ad nominis sui gloriam, tueatur. *Groningæ Anno Christi* CIϽ IϽC XXVII. *Calendis Iunii.*

Vestrûm observantissimus

FRANCISCUS GOMARUS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Locupletissimus : ubi ingens potissimum utilissimarum distinctionum Theologicarum Copia exhibetur.

Numerus Paginæ Primi Tomi index est, litera a *&* b *Columnam primam & secundam indicat.*

Iiiii iii

Chri-

Con-

Corpo-

D.

Descen-

Dia-

non

Fœde-

Imperii

Inscri-

a Ju-

Iustitia

Spiri-

Psalmi

Thronus

F I N I S.



INDEX

INDEX
S. SCRIPTURÆ LOCORUM,
Qui obiter in hoc Opere explicantur, aut ab Adversariorum corruptelis vindicantur.

Numerus primus Tomi, secundus Paginæ index est: Litera a & b *Columnam primam & secundam indicat.*

GENESIS.

EXODUS.

LEVITICUS.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM

JOSUA.

JUDICUM.

RUTH.

I. SAMUEL.

II. SAMUEL.

I. REGUM.

II. REGUM.

I. CHRONICORUM.

II. CHRONICORUM.

EZRA.

NEHEMIA.

JOB.

PSALMI.

Psal.

Matth.

ACTA APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

I. EPIST. PETRI.

II. EPIST. PETRI.

I. EPIST. JOANNIS.

III. EPIST. JOHANNIS.

EPIST. JUDÆ.

APOCALYPSIS.

FINIS.

INDEX

INDEX VOCUM HEBRÆARUM.

F I N I S.



INDEX

INDEX
VOCUM GRÆCARUM.

θεός,

FINIS.



